UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

Forcellini, Egidio

Schneebergae, 1831

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1620

Visual Library

de J. v. E


EX LIBRIS
HERMANNI HEUSER
* 7. JUNI 1870.
† 21 FEBRUAR 1901.

TOTIUS LATINITATIS

LEXICON

CONSILIO ET CURA

JACOBI FACCIOLATI

OPERA ET STUDIO

AEGIDII FORCELLINI

ALUMNI SEMINARII PATAVINI LUCUBRATUM.

SECUNDUM TERTIAM EDITIONEM,

CUJUS CURAM GESSIT

JOSEPHUS FURLANETTO

ALUMNUS EJUSDEM SEMINARII,

CORRECTUM ET AUCTUM

LABORE VARIORUM.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA

CUM PRIVIL. REG. SAXON.

TOMUS SECUNDUS.

SCHNEEBERGAE

SUMPTIBUS ET TYPIS C. SCHUMANNI.

MDCCCXXXI.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA

VECIDII FORCELLINI

OPERA ET STUDIO

JACOBI FACCIOLATI

CONSILIO ET CURA

LEXICON

TOTIUS LATINITATIS

D

D Littera, in ordine Alphabeti quarta, ex numero mutarum, quae quandoque pro *th* aspirato ponitur, ut *Theos*, *Deus*, quandoque convertitur in *b*, ut *duellum*, *bellum*, *Duellona*, *Bellona*. Habet etiam cognationem cum *t*, ut *Quint.* observat 1, 4, 16. Hinc olim *Alexanter* et *Cassantra*, scriptum fuit, et *quodannis*, *adque*, pro *quotannis*, *atque* legitur in multis vet. monum. [*Etiam librarii saepissime *d* et *t* confuderunt, unde multa scripturae vitia nata sunt. V. quae hujus generis multa congessit *Drak.* ad *Liv.* 7, 16, 3. et ad *Sil.* 1, 11.] ℙ Item cum *r:* quare *meridies* pro *medidies* dicimus, quod illud est suavius. *Cic. Or.* 47. ℙ [*Non minus affines sunt *d* et *l*, ut *impelimenta*, apud *Fest.* pro *impedimenta; Melicae* aves, *delicare* pro *Medicae*, *dedicare*; apud *Liv. Andron.* legitur *dacryma* (δάκρυον) pro *lacryma*. Sic ortum est *meditor* ex μελετῶ ut multa alia hujus generis; dixerunt olim *odefacit*, *dingua*, *capitodium*, de quibus V. *Gron.* ad *Liv.* 40, 10.] ℙ In praenominibus *Decium* significat, inquit *Diomed.* 2. p. 418. Quod mendosum habendum est; hinc alii rectius *Decimum* interpretantur, quia *Decius* nomen est potius, non praenomen. V. DECIMUS. ℙ In titulis Imperatorum est *Divus*. ℙ In numeris quingenta significat. Olim enim sic scribebant IↃ: ex quo factum est, ut duae illae litterae vel ex scriptorum errore, vel consuetudine sensim irrepente conjungerentur. ℙ In compositionibus *d* in praeposit. *ad* mutari potest in omnes consonantes excepto *b*, ut *accedo*, *afficio*, *aggero*, etc. Potest etiam retineri. ℙ Aliquando ad hiatum evitandum, vocibus compositis interseritur, ut in *redeo*, a *re* et *eo*, in *antideo*, in *redintegro*, etc. Et etiam in simplicibus casu vocali coeuntibus; ut apud *Pl. Amph.* 1, 1, 278. Tu negas, *med* esse? et *Bacch.* 3, 6, 42. Tollam ego *ted* in collum. *Id. Most.* 1, 4, 20. Age, i simul *quod* ego eam, etc. Alia congerit *Muret. var. lect.* 15, 19. ℙ Latini veteres, ut est apud *Quint.* 1, 7, 12. plurimis in verbis *d* ultimam adjiciebant, etiam sine causa hiatus vitandi: quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quae est C. Duilio in foro posita. In ea enim (apud *Grut.* 404.) habetur *pucnandod*, h. e. pugnando; et *in altod marid*, etc. Sic etiam in XII. Tab. *estod* legitur: et *sed* pro *se* h. e. sine, habet *Paul.* ex *Festo*. [*Confunduntur a librariis *D* et *R*, praecipue in vocabulis cum praepositionibus *de* et *re* compositis. V. nubem exemplorum apud *Drak.* ad *Liv.* 9, 10, 6. et *Gron. diatr. Stat.* p. 533. *ed Lips.* Porro *D* et *P*, ut *accipere* et *accidere*, *concidere* et *concipere* etc. V. *Eund. ib.* 43, 6. *Victor.* ad *Cic. Fam.* 1, 8 et 9. Porro saepissime *CL* et *D*, quae litterae maxime in scriptura Longobardica coalescunt. Sic apud *Sil.* 2, 52. pro SEDIS restitutum est SECLIS; V. ad h. l. *Drak.* et *Eund.* ad *Liv.* 20, 24, 2. ad *Calp. ecl.* 1, 55. Similiter *D* et *EL* putat *Gesn.* confusas in loco *Plin.* 11, 20. et in altum *datae* pro *elatae*. Denique librarii saepe *D* in multis vocc. temere vel addiderunt vel omiserunt, scribentes e. g. *deluvie* pro *eluvie*, *eorum* pro *Deorum* etc. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 38, 25.]

DĀAE et Dāhae, arum, Δάαι, populi Asiae in Scythia, supra Caspium mare, Massagetis finitimi. *Plin.* 6, 17, 19. *Mela* 1, 2. et 3, 5. Hinc *Virg. A.* 8, 728. Indomitique Daae et pontem indignatus Araxes. Ubi *Pier.* testatur varie hoc nomen in antiquis codicibus scribi: atque esse aliquos, in quibus *Daci* legatur. At id male scriptum; nam contra metri leges esset. ℙ In singulari num. *Prud. c. Symm.* 2, 807. Denique Romanus, Daha, Sarmata, Vandalus, Hunnus. [**Daca*, quod libri apud *Lucan.* 2, 296. (et alibi passim) habent, recte habere negat *Bentl.* ad h. l. coll. *Drak.* ad *Liv.* 35, 48, 5. et ad *Sil.* 13, 764. In *Daha* et *Daa* prior *a* semper corripitur; in *Dacus* semper producitur. V. DACUS.]

*DABLA vel Dabula, ae, f. palmae genus. *Plin.* 13, 4, 7. Juba apud Scenitas Arabas praefert omnibus saporibus, quam vocant dablam. Alii leg. *dabulam*. *Bail.*

DĀCĬA, ae, f. Δακία, ingens regio Europae. A Mer. et Or. habet Danubium, a Sept. Carpatem M., ab Occ. Tibiscum flum. Triplex fuit, et ultra Danubium sita: Ripensis, Alpestris et Media, quae et Mediterranea: Ripensis ad Danubium, et Tibiscum fluvios, cujus pars altera in *Hungaria;* altera in *Valachia*: Alpestris, quae in reliqua *Valachia* et in *Moldavia:* Mediterranea tota nunc in *Transilvania*. Hinc in *Inscript.* ap. *Murat.* 155, 2. legitur *sacerdos arae Aug. N. coronatus Daciarum III.* V. CORONATUS. Majorem partem Daciae Trajanus Imp. in provinciam redegit, Aurelianus vero habitatores ejus cis Danubium transtulit. *Flor.* 3, 4., *Eutrop.* 8, 2., *Aur. Vict. Epit.* 40 et 47., *Vopisc. Aurel.* 38. [*Nonnulla ex his addidit *F.*]

DĀCĬCUS, a, um, adj. ad Daciam pertinens, Δακικός. *Claud. VI. Cons. Honor.* 335. Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma. *Sidon. carm.* 1, 272. per Dacica rura vagantem. ℙ *Dacicus* cognominatus est Domitianus, itemque Trajanus Imp. ob devictam Daciam, et in provinciam redactam, ut est apud *Suet. Dom.* 6., et habetur in nummis Trajani. De nummis est illud *Juven.* 6, 203. cum lance beata Dacicus, et scripto radiat Germanicus auro.

[DĀCISCUS, a, um, diminut. a *Dacus*. *Inscr.* ap. *Donat.* p. 307, 8. Aur. Victorino Mil. Coh. VI. Pr. natione Dacisca, regione Serdicen. *Serdica* enim, quae antea fuerat urbs Moesiae, ab Aureliano Aug. facta fuit metropolis novae Daciae sive Ripensis. ℙ *Dacisci*, *orum*, sunt incolae illius regionis. *Vopisc. Aurel.* 38. Septem millibus Hiberorum et Ripariensium et Castrianorum et Daciscorum interemptis. *F.*]

DĀCĬSĬĀNI Milites *in quadam epist. Gallieni* ap. *Trebell. Claud.* 17. videntur esse vel qui in Dacia militaverant, vel qui ejus provinciae custodiam agebant. *Salmas.* censet legendum *Daciciani*, *a Dacus*, *Dacicus*, *Dacicianus;* vel *Dacisciani*, *a Daci*, *Dacisci*, *Dacisciani*.

DĀCĬUS, a, um, adj. idem quod Dacus. *Albinovan.* 1, 387. Danubiusque rapax et Dacius orbe remoto, etc.

DACNĀDES seu Dagnades, δακνάδες, avium genus, quas Aegyptii inter potandum cum coronis devincire soliti sunt, quae morsicando et canturiendo assidue potantes dormire non paterentur: a δάκνω, mordeo. *Festus.*

DACRĪMAS pro lacrimas Livius (*Andronicus*) saepe posuit, nimirum quod Graeci appellant δάκρυα. *Festus.*

DACTYLĪCUS, a, um, adj. δακτυλικός, ad dactylum spectans. *Cic. Or.* 57. Quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. ℙ Sic *dactylicus versus*, qui meris dactylis constat, ut ille *Virg. A.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Diomed.* 3. p. 494. ℙ Item qui loco ultimi spondei habet dactylum, ut ap. *Virg. G.* 2, 69. Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida. Adde *ib.* 3, 449. *Servius* ad *utrumque locum*. ℙ Metra dactylica (quae scil. principaliter constant dactylo) plurium generum enumerat *Id.* in *Centimetr.* p. 1820. Hinc *Auson. epist.* 10, 37. dactylicos appellare videtur versus heroicos, quia certa sede dactylum habent. Dactylicos, *inquit*, elegos, choriambum carmen, epodos, socci et cothurni musicam. ℙ Strophium dactylicum *Prud. Cathem.* 3, 28. metaphorice vocat sertum ex carminibus, pro rosis, factum. Sic περὶ στεφ. 3, 208. serta Texta feram pede dactylico.

DACTYLĬŌTHĒCA, ae, f. δακτυλιοθήκη, anulorum capsula: a δακτύλιος, anulus, et θήκη, theca. *Mart.* 11, 59. Senos Charinus omnibus digitis gerit, Nec nocte ponit anulos, Nec cum lavatur. Causa quae sit, quaeritis? Dactyliothecam non habet. Al. male leg. *dactylothecam*. Adde 14, 123. *in lemmate.* ℙ Praeterea ita appellatur series multarum gemmarum. *Plin.* 37. 1, 5. Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Romae Scaurus. *et mox.* Hoc exemplo Caesar dictator sex dactyliothecas in aede Veneris consecravit. ℙ *Servus a dactyliotheca* fuit inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Murat.* 907, 3. C. Julio Philargyro Aug. Lib. a dactyliotheca Caesaris. [*Adde aliam apud *Donium* class. 17. *n.* 1.]

DACTYLIS, idis, f. δακτυλίς, quae digiti longitudinem vel crassitudinem habet, ut dactylides vites, *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. ita dictae a gracilitate digitali. Has *Colum.* 3, 2. dactylos vocat: et dactylos *Plin.* 14, 1, 3. earum racemos, qui praelongis porriguntur acinis. ℙ [*Etiam sculptoris insignis nomen, cujus laudata opera in hortis Servilianis haberi refert *Plin.* 36, 5. ubi pro *Dactylidis Pythias* vult *Harduinus* legi *Dercylidis pyctas*. *B. A.*]

DACTYLUS et Dactylos, i, m. δάκτυλος, Graeca vox digitum significans. Ita autem appellatur fructus palmae, quia oblonga gracilitate digitum refert. *Apic.* 1, 1. *et alibi.* ℙ Item genus vitis gracilioris. V. DACTYLIS. ℙ Item genus graminis, cujus in cacumine aculei sunt plurimum quini. *Plin.* 24, 19, 119. ℙ Et ejusdem aliud genus, quia digitorum paronychia sanat. *Id. ib.* ℙ Item genus piscis, qui et strombus et onyx. *Id.* 32, 11, 53. ℙ Item conchae marinae genus, ab humanorum unguium similitudine. *Id.* 9, 61, 87. ℙ Item gemma in Creta, ferreo colore humanum pollicem exprimens. *Id.* 37, 10, 61, ℙ *Dactylus* denique est pes metricus, constans longa et duabus brevibus, ut haec ipsa vox: a similitudine digiti, qui tribus articulis constat primo longiore, reliquis brevioribus. *Cic. Or.* 3, 47. ubi *heroum pedem* appellat, et *Or.* 64. ℙ De Dactylis Idaeis, V. CORYBANTES.

DĀCUS, a, um, adj. Δακὸς, ad Daciam pertinens. *Stat. Silv.* 4, 2, 66. Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem Proelia, etc. ℙ *Daci*, *orum*, sunt Daciae populi. Saepe cum Dahis confunduntur et cum Getis. *Plin.* certe asserit 4, 12, 25. Getas a Romanis Dacos dici. V. geographos. Semper habet primam longam: et sicubi brevis legatur, jubent Critici mutandam in *Daae*. *Hor. Sat.* 2, 6, 53. Numquid de Dacis audisti? *Id. Od.* 3, 6, 14. Delevit Urbem Dacus et Aethiops. *Id. ib.* 1, 35, 19. Te Dacus asper, te profugi Scythae metuunt.

*DADASTANA, ae, oppidum Bithyniae. *Ammian.* 1, 25. prope fi. *B. A.*

*DADYBRI, orum, Paphlagoniae oppidum. *Justinian. Novell.* 29, 1. *B. A.*

[DĀDŪCHUS, i, m. δαδοῦχος, qui facem habet, vel fert: a δᾷς, δᾳδὸς, fax, et ἔχω, habeo. *Gloss. Philox. Λαδοῦχοι*, facularii. Hi locum habebant praesertim in festis Eleusiniis, in quibus Cererem imitantes facem prae se ferebant. *Front. ad Verum Imp. ep.* 1. (ed. *A. Maii*). Eas ego orationes cum dextra laevaque manu mea gestarem, amplior mihi et ornatior videbar daduchis Eleusinae faces gestantibus, et regibus sceptra tenentibus, et quindecemviris libros adeuntibus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 676. *n.* 29. Pontius daduchus spirarches Liberi Patris stibadium constituit loco suo. *F.*]

*DAEDĀLA (sc. regio vel urbs), ae, in India sita, cis Gangem. *Curt.* 8, 9. ubi de regione intelligendum. Apud *Steph. Byzant.* vero oppidi nomen est, unde *Daedali montes* ap. *Justin.* 12, 7. ibi siti. ℙ *Daedala*, *orum*, *n.* castellum vel oppidum Asiae minoris, in Caria, sub Rhodiorum ditione, in confinio Lyciae. *Liv.* 37, 22. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

[DAEDĀLĒ, adv. ingeniose. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 86. Ibi demum et fons fictus est, et aquila aurea supersistebat, adeo effigiata daedale, ut pansis alis, etc. *F.*]

DAEDĀLĒUS et Daedālĕus, a, um, adj. Δαιδάλιος et Λαιδάλειος, ad Daedalum pertinens. *Prop.* 2, 11, 8. Daedaleum lino cum duce rexit iter. *Hor. Od.* 2, 20, 13. Jam Daedaleo ocior Icaro Visam gementis litora Bosphori. ℙ [*Dedaleae insulae* duae, prope Daedala oppidum Cariae. *Plin.* 5, 31, 35. *B. A.*]

[DAEDĀLĬCUS, a, um, adj. idem ac daedalus, artificiosus. *Venant.* 10, 11, 17. Daedalicis manibus nituit textura sororis. *F.*]

DAEDĀLĬON, onis, m. filius Luciferi, pater Chiones, qui cum ob dolorem amissae filiae e Parnasso se praecipitem dedisset, in accipitrem ab Apolline conversus est. *Ov. Met.* 11, a *vers.* 291.

*DAEDALĬUM (sc. oppidum), in Sicilia fuit, forte a Daedalo tracto nomine. *Anton. Itin. B. A.*

DAEDĂLUS, i, m. *Δαίδαλος*, Atheniensis Euphemi vel Eupalami filius, faber egregius, Icari pater, qui serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam, simulacra, quae per se moventur, invenit, malum et antennam navi imposuit, etc. Accusatus, quod Perdicen sororis filium ob artis invidiam interemisset, judicii metu in Cretam fugit. Ibi Pasiphaen ligneae vaccae inclusit, cum illa scelestissime taurum amaret, et labyrinthum effecit, in quo Minotaurus concluderetur. Tandem exsilii taedio affectus, cereis alis ex Creta effugit una cum filio, ubi a Minoe rege tanquam in custodia detinebatur, quod ejus opera regina tantum scelus admisisset. Sed Icarus filius nimium alte volans, alis calore solis dissolutis, in mare cecidit et interiit. Ipse autem incolumis in Sardiniam primum, deinde Cumas delatus, ibique depositis alis et Phoebo sacratis, in Sardiniam inde transiit, ibique mortuus est. *Hygin. fab.* 39., *Senec. ep.* 90. *ante med.*, *Plin.* 7, 56, 57., *Ov. Met.* 8, 183. et seqq., *A. Am.* 2, 23. et seqq. et *Virg. A.* 6, 14. ubi multa *Servius* de hac fabula. *Daedalon* in quarto casu Graeca positione dixit *Mart.* 4, 49. et *Ov. Met.* 8, 261. ℙ *Daedalus* fuit etiam statuarius insignis, Sicyonius, de quo *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 15. Daedalus et ipse inter fictores laudatus pueros distringentes se fecit. ℙ Haec vox adjectiva est, et Graece artificiosum et affabre factum significat. Hinc *Lucr.* 5, 1450. Carmina, picturas, et daedala signa polire. *Virg. G.* 4, 179. de apibus: Et munire favos, et daedala fingere tecta. ℙ Ponitur item pro ingenioso, solerti, variisque operibus excogitandis et perficiendis apto. Hinc *Lucr.* 1, 228. Daedala tellus. *Id.* 5, 235. quando omnibus omnia large Tellus ipsa parit, naturaque daedala rerum. *Id.* 4, 551. Verborum daedala lingua. *Virg. A.* 7, 282. Daedala Circe. *Enn.* ap. *Fest.* Minerva daedala. ℙ [**Daedali montes*, V. in *Daedala*, *ae*, f. *B. A.*]

DAEMON, onis, m. *δαίμων*, genius sive bonus, sive malus: item lar: quasi *δαήμων*, sciens, peritus [*haec certe prima significatio est. V. gr. lex.]: a *δαήμων*, doctus, sciens (ut docet *Capell.* 2. p. 39.); vel potius a *δαίω* distribuo, quia nempe mala et bona hominibus distribuit. Graece *Cic. Univ.* 11. Reliquorum autem, quos Graeci *δαίμονας* appellant, nostri, opinor, lares, si modo hoc recte conversum videri potest. Latine *Appul.* non semel usurpat *de Deo Socr.* p. 49, 5. Daemones inter terricolas coelicolasque vectores, hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes et salutigeruli. ℙ Ab astrologis *bonus daemon*, *ἀγαθοδαίμων*, collocatur in undecimo ab horoscopo signo. *Firmic. Mathes.* 2, 19. [Hic a *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 27. dicitur Daemon melior, de quo multa disputat *Jablonskius Panth. Aegypt.* 1, 4. *F.*] ℙ Apud Ecclesiasticos scriptores dicitur de malis Angelis, igni aeterno damnatis, et damnatorum hominum carnificibus, quique vivorum ad mala perpetranda auctores atque instigatores assidui sunt, *Lact.* 2, 14., *Tert. Apol.* 22. etc., *Sedul.* 4, 92. Daemonas, ac talem prohibet se pandere testem. ℙ [*Fuit et *Daemon*, *onis*, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*]

DAEMONĬĂCUS, a, um, adj. ad Daemonem pertinens. *Tert. Anim.* 46. De oraculis quid pronunciabimus aliud, quam daemoniacam esse rationem? Al. leg. *daemonicam*. *Lact.* 4, 15. Judaei (*miracula Christi*) daemoniaca fieri potentia arguebant. ℙ Pro eo qui possidetur a Daemone. *Firm. Math.* 3, 6. *post. med.* Insanos, lunaticos, daemoniacos facient. Adde *Sulpic. Sever. in Vita S. Martin.* 18.

DAEMONĬCŎLA, ae, m. et f. daemonem colens. *Augustin. Confess.* 8, 2. *circa med.* Offendere superbos daemonicolas.

DAEMONĬCUS, a, um, adj. idem quod daemoniacus. *Tert. Resurr. carn.* 58. Daemonici impetus. *Prud. περὶ στεφ.* 36. Aras daemonicas coli jubebat. *Sedul.* 4, 145. Daemonico cuneata globo.

DAEMONĬUM, ii, n. *δαιμόνιον*, diminut. Daemonis. *Tert. Apol.* 32. Nescitis, Genios Daemones dici, et inde diminutiva voce Daemonia? ℙ Item pro Daemone, in bonam partem usurpatur ab antiquis. *Cic. Div.* 1, 54. Esse divinum quiddam, quod Daemonion (*Socrates*) appellat. ℙ Ecclesiastici vero scriptores passim pro malo Daemone ponunt. *Tert. Apol.* 21. *et alibi.*

*DAESITIATES, um, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

DAGNĂDES. V. DACNADES.

*DAGOLASSOS, i, oppidum minoris Armeniae. *Anton. Itin. B. A.*

*DAHIPPUS, i, m. *Δάϊππος*, statuarius nobilis, Lysippi filius ac discipulus. *Plin.* 23, 8. *B. A.*

*DAĬPHRON, onis, *Δάϊφρων*, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*DALĬON, onis, medicus quidam et herbarius, cujus meminit *Plin.* 20, 17. ℙ Item nomen historici cujusdam. *Id.* 6, 30. *B. A.*

DALĪVUM, supinum esse ait Aurelius, Aelius stultum, Oscorum lingua etiam insanum significat. Santra vero dici putat ipsum, quem Graeci *δείλαιον*, id est propter cujus fatuitatem quis misereri debeat. Haec *Festus.*

DALMĀTĂ, ae, m. et f. *Δαλμάτης*, qui est ex Dalmatia. *Cic. Fam.* 5, 11. Dalmatis Dii male faciant, qui tibi molesti sunt. ℙ Adjective pro *Dalmaticus*. *Stat. Silv.* 4, 7, 14. Quando te dulci Latio remittent Dalmatae montes?

DALMĀTENSIS, e, adj. idem quod Dalmaticus. *Trebell. Poll. Claud.* 17. Singiliones Dalmatenses decem.

DALMĀTĬĂ, ae, f. regio Europae, olim interius sita, nunc ad mare Hadriaticum posita et Liburniae contermina, de qua *Plin.* 3, 22, 26. et ceteri geographi consulendi. *Ov. Pont.* 2, 2, 78. Subdita montanae brachia Dalmatiae. *Plin. l. c.* Liburniae finis et initium Dalmatiae Scardona. *Id.* 2, 45, 44. Dalmatiae ora. ℙ Scribitur et *Delmatia*. *Velius Long. de orthogr.* p. 2233. Placet, ut *Delmatiam*, non *Dalmatiam* pronunciemus, quoniam a *Delminio* maxima civitate tractum nomen existimatur. Quae verba *Cassiodor.* descripsit *ib.* p. 2287. atque haec scribendi ratio habetur etiam in *Inscrr.* ap. *Grut.* 387, 4. et 574, 5. Sic *Delmata* et *Delmaticus* legitur *ib.* 298, 3. et 529, 8. His adde nummos Trajani et Hadriani Augg. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 445., in quibus legitur *Metalli Ulpiani Delm.*, et *Metal. Delm.* V. DALMATICUS.

DALMĀTĬCĀTUS, a, um, adj. dalmatica indutus. *Lampr. Commod.* 8. Dalmaticatus in publicum processit. Adde *Elagab.* 26.

DALMĀTĬCUS, a, um, adj. *Δαλματικός*, ad Dalmatiam pertinens. *Plin.* 11, 42, 97. Dalmaticae Alpes. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Dalmaticum frigus, et *ib.* Res gestae Dalmaticae. *Suet. Aug.* 20. Dalmaticum bellum, et *ib.* 22. Dalmaticus triumphus. *Lucan.* 2, 402. Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. *Stat. Silv.* 1, 2, 153. Robora Dalmatico lucent satiata metallo, *h. e.* auro, quod sub Nerone e Dalmatia Romam vehi coeptum. Narrat enim *Flor.* 4, 12. Dalmatas perdomitos coactos fuisse ab Augusto terras fodere, et aurum venis repurgare. ℙ *Dalmaticus*, subactis Dalmatis, cognominatus est L. Metellus. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 59. ℙ *Dalmatica vestis*, inquit *Isid. Orig.* 19, 22., primum in Dalmatia texta est manicis brevioribus, candida cum clavis purpureis: fuitque primum delicatiorum hominum et effeminatorum: postea mutatis rebus a sacris etiam Ecclesiae ministris adhiberi coepta est, paulatimque illorum propria facta. ℙ Legitur et *Delmaticus*. V. DALMATIA.

DALMĀTĪNUS et Delmatinus, a, um, adj. Dalmaticus. *Inscr.* ap. *Murat.* 824, 6. L. Julius Severinus armigerus III. Marin. N. Delmatinus militavit an. XVIII. [Ceterum ap. *Oliver. Marm. Pis.* p. 177. legitur *Dalmatinus*. *F.*]

[DĂLUS, i, m. *δαλός*, titio. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 43. *n.* 242. Claudius Aug. L. Dalus. *F.*]

DAMA, ae, m. et f. *δορκάς*, genus caprae silvestris: a *δεῖμα*, metus, quod a *δείδω*, timeo, quia timida est. [!] Differt a capreis solis cornibus, quae in anteriorem partem habet incurvata, ut *Plin.* 11, 37, 14. docet. *Hor. Od.* 1, 2, 11. Et superjecto pavidae natarunt Aequore damae. *Mart.* 3, 58. Aut impeditam cassibus refert damam. ℙ Masculino genere. *Virg. G.* 3, 539. timidi damae cervique fugaces. Ubi tamen *Servius* notat, poetam genus mutasse, ut *ὁμοιοτέλευτον* vitaret. Sed et *Ecl.* 8, 28. habet: Cum canibus timidi venient ad pocula damae. Adde *Stat. Ach.* 2, 407. ℙ Sunt qui scribant *damma*. [*Sic scribendum esse contendit *Salm.* ad *Solin. Tom.* 1. p. 106.; descendere a voce sicula *κάμμα*. — Et sic scribi in *Not. Tir.* p. 175. monet *F.* ℙ Est et *Dama*, *ae*, servi nomen apud *Hor. Sat.* 2, 5, 18. et 7, 54. *Dama* (inquit *Gesnerus*) apud Syros peculiare nomen, sicut Lacedaemoniis dicebantur Helotae, apud Phryges Manes, et apud alios aliter. V. *Alex.* ab *Alex.* 3, 20. *Turneb. Advers.* 6, 4. *B. A.* *Imo Dama pro *Δημᾶς* contractum est ex *Δημήτριος*, ut ex *Μηνόδωρος* fit *Μηνᾶς* et sic porro. V. *Hdf.*]

DĂMĂLĬO, onis, m. *δάμαλος*, *ὁ*, vel *δάμαλις*, *ἡ*, juvenca, bucula, vel vitulus, a voce Graeca, quae allata est, quae a *δαμάω*, domo. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem.

*DĂMĂLIS, ĭdis, f. *δάμαλις*, juvenca. Nomen mulieris vel meretricis apud *Hor. Od.* 1, 36, 13. *B. A.* [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 935, 13. Cassiae Damalidi. *F.*]

*DAMANITĀNI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. Eorum caput *Δαμανία* audit *Ptol. B. A.*

[*DĂMĂRĬO, onis, m. videtur esse id. q. uxorius, a *δάμαρ*, uxor. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 9, 5. Cum Terentio Damarione. *F.*]

[DĂMĀS, antis, m. *δαμάς*, part. ab inusit. *δάμημι* pro *δαμάω*, domo, qui domuit. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 61. *n.* 355. Valerius Damas. *F.*]

DĂMASCĒNUS, a, um, adj. ad Damascum pertinens, ut Damascena pruna. *Plin.* 15, 13, 12. De his est distichon *Mart.* 13, 29. qui, ubi ait 5, 18. Et acuta senibus testa cum Damascenis; horum prunorum ollam plenam intelligit. Erant autem pruna ad solem in cratibus siccata, ut *Pallad.* docet 12, 7. *de pruno.* ℙ *Damascenus* est etiam epitheton Jovis in *Inscr.* ap. *Grut.* 20, 3., et apud *Vignol. Inscr. sel.* p. 187. ab urbe Damasco, in qua cultus praecipue fuit. ℙ *Damascena* absolute et *Damascene*, est regio Syriae in Coelesyria. *Plin.* 5, 12, 13., *Mela* 1, 11.

DĂMASCUS, i, f. urbs Syriae, in Coelesyria, ad Chrysorrhoam fluvium interfluentem. *Plin.* 5, 18, 16. et *Stat. Silv.* 1, 6, 14. Quod ramis pia germinat Damascus, *h. e.* vel Damascena pruna vel terebinthum, quae magna et optima circa Damascum provenit, teste *Plin.* 13, 6, 12. Porro *piam* vocat, quia in Syria Dii plurimi et superstitione pleni homines. ℙ *Damascos ventosa* Graeca positione dicitur a *Lucan.* 3, 215. ℙ [Fuit et Damascus mons juxta Damascum urbem situs. *Plin.* 13, 5. Prima in Damasco monte nata. *B. A.*]

DĂMĀSICHTHON, ŏnis, m. Niobes filius, cum sex fratribus ab Apolline occisus. *Ov. Met.* 6, 254. Adde *Ib.* 583.

*DĂMĀSIPPUS, i, m. equorum domitor: a *δαμάω*, domo, et *ἵππος*, equus. Fuit cognomen in bello civili Mariano, non Liciniorum, ut plerique censuerunt, sed Juniorum Brutorum, ut apparet ex *Appian. B. Civ.* 1, 88. *Cic. Fam.* 9, 21. Praeter hunc C. Carbonem, quem L. Damasippus occidit, civis e re publica, Carbonum nemo fuit. Adde *Liv. Epit.* 83. et *Vell.* 2, 26. *F.* ℙ Damasippum, signorum et vasorum antiquorum mercatorem, meminit *Hor. sat.* 2, 3, 64. ubi *Lambinus* eundem esse suspicatur, de quo agit *Cic. Fam.* 7, 23. V. et *eund. Att.* 12, 29. ℙ Fuit et Damasippus histrio. *Juven.* 3, 185. *B. A.*

DĂMĀSŌNĬON, ii, n. *δαμασώνιον*, herba eadem quae alisma. *Plin.* 25, 10, 77. V. ALISMA.

*DAMĒA, ae, civitas inter Ciliciam et Cappadociam, Apamea postea dicta, quam sic vocatam initio ferunt, quod ferocissimas gentes domuisset. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*DAMĪAS, ae, nobilis statuarius, litorius. *Plin.* 34, 8. Al. leg. *Dameas;* sed *Δαμίας* habet *Pausan.* in *Phocid. B. A.*

[DĂMĬO, onis, m. diminut. damae. Est cognomen Romanum. *Cic. Att.* 4, 3. Discessimus in vestibulum Tettii Damionis. *F.*]

DĂMĬUM, sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonae Deae: dictum a contrarietate, quod minime esset *δημόσιον*, id est publicum. Dea quoque ipsa *δαμία*, et sacerdos ejus *δαμίας* (al. *Damiatrix*) appellabatur. Haec *Festus*, cujus etymologia criticis quibusdam non placet. Volunt enim ita dictum *damium*, quia pro *δῆμῳ*, id est populo fiebat. Dores autem *δᾶμος* dicunt pro *δῆμος*. [*Omnino!]

DĀMĬURGUS. V. DEMIURGUS.

DAMNĂBĬLIS, e, adj. dignus qui damnetur. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 17. *de Maeonio.* Damnabili invidia ductus. *Sidon. ep.* 6, 1. *ad. f.* Ad mea ipse verba damnabilis, cum imperem quae non impleo.

DAMNĂBĬLĬTER, adv. culpabiliter. *Augustin. ep.* 23, 5. Non solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum.

*DAMNANITĀNI, orum, Hispaniae citerioris populi, in conventu Caesar-Augustano, inter stipendiarios a *Plin.* 3, 3. *Harduinus* legit *Damanitani*, quod V. Al. leg. *Daminitani. B. A.*

DAMNAS, indeclin. *καταδεδικασμένος*, damnatus per syncopen: vel quo modo a primus *primas*, ab optimus *optimas*. *Quint.* 7, 9, 9. et 12. Heres meus uxori meae dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum. In *lege Aquilia* ap. *Caj. Dig.* 9, 2, 2. Quanti id plurimi fuit, tantum aes dare domino damnas esto. In *vet. S. C. Frontin. Aquaed.* 129. Id omne sarcire, reficere damnas esto. ℙ Et cum nominibus pluralis numeri. *Paul. Dig.* 30, 122. L. Titius et C. Sejus P. Maevio decem dare damnas sunto. Adde *Scaev. ib.* 32, 34., ex quibus colligitur hanc fuisse formulam in testamentis et in legibus usurpatam. ℙ *Damnatem furti* est qui legendum putat apud *Gell.* 7, 15., ubi plerique omnes *damnatum*.

DAMNĀTĪCĬUS, a, um, adj. *κατάχριτος*, damnatus vel damnabilis. *Tert. Praescr. Haeret.* 34. Etsi nihil de damnaticiis participarent, de aetate sola praejudicarentur. [**Gloss. Gr. Lat. Κατάχριτον*, Damnaticium. *B. A.*]

DAMNĀTĬO, onis, f. *κατάγνωσις*, *κατάκρισις*, damnandi actus, condemnatio. Mihi ex hoc (inquit *Quint. Decl.* 320. *circa med.*) quod plerisque criminibus pecuniae poena imponebatur, appellata etiam ipsa damnatio videtur. *Cic. Att.* 7, 3. *ante med.* Omnes damnatione ignominiaque dignos. *Id. Pis.* 36. Reorum acerbissimae damnationes. *Id. Cluent.* 20. Quid est illa damnatione judicatum, nisi etc. *Tac. A.* 3, 31. Saevire damnationibus et

hasta in pecuniam et famam multorum. *Callistrat. Dig.* 48, 19, 28. Summum supplicium esse videtur damnatio ad furcam. ℙ Translate. *Plin.* 20, 11, 45. Apiastrum in confessa damnatione est venenatum in Sardinia, *h. e.* aperte damnatur et rejicitur ab omnibus ut venenatum. Apud JCtos *damnatio* est obligatio imposita heredi quippiam praestandi, adhibendo translaticiam illam formulam, *dare damnas esto. Paul. sentent.* 3, 6. Si res obligata creditori per damnationem legata sit.

DAMNĀTOR, oris, qui damnat, *καταχρίτων. Tert. ad Natt.* 1, 3. Neque exquisitio damnatoribus semper consulenda. *Sedul. hymn.* 1, 10. Damnator Christi frater iniquus erat. Adde *Firmic. Mathes.* 3, 8. *sect.* 4.

DAMNĀTORĬUS, a, um, adj. *Cic. Verr.* 2, 3, 22. Verres in Zenonem judicium dabat illud suum damnatorium de jugerum professione. *Suet. Aug.* 33. Damnatoria tabella. [**Ammian.* 28, 1. damnatorio jugulatus est ferro.]

DAMNĀTUS, a, um, part. a *damno*, *κατάχριτος*, condemnatus. *Cic. Rabir. Post.* 4. Causa judicata atque damnata. *Id. Cluent.* 3. convicta atque damnata. *Id. Pis.* 40. Quis te miserior? quis te damnatior? *Id. Flacc.* 18. Furti, et pro socio damnatus, et *ib.* damnatus peculatus. [**Liv. epit. l.* 8. incesti.] *Id. Verr.* 1, 2, 13. de majestate. *Id. Phil.* 1, 9. de vi et de majestate. *Id. Rosc. Am.* 39. per arbitrum. *Id. Tusc.* 1, 22. Capite damnatos morte multant. *Caes. B. C.* 3, 110. Capitis damnatus. *Id. ib.* 1. ambitus lege Pompeja. *Plin. ep.* 2, 12. sordium, *h. e.* avaritiae. *Suet. Oth.* 2. Vir consularis damnatus repetundis. *Id. Tib.* 11. Damnata ob libidines atque adulteria. *Lucr.* 6, 1230. Damnatus morti. *Hor. Sat.* 2, 3, 86. Damnati dare populo centum paria gladiatorum. [*Hic locus a reliquis sejungendus erat; h. enim l. damnati intelligendi sunt *testamento damnati*, i. e. testamento obstricti, obligati ad id faciendum, quod testator imperavit, in qua re utebantur formula: *heres damnas esto*, de qua V. supra suo loco. V. *Hdf.* ad *Hor.* l. l. et quem laudat *Brisson. de V. S.* sub hac formula. Alia habet Noster sub DAMNO.] *Id. Od.* 2, 14, 19. Damnatus longi Sisyphus laboris. *Καταγνωσθεὶς πόνον* dicunt Graeci. *Virg. A.* 6, 430. Hos juxta falso damnati crimine mortis. *Martian. Dig.* 28, 1, 13. et *Papin. ib.* 34, 9, 13. Damnatus in crimine capitali. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 41. Damnati ad poenam, *Ipse Plin. ib. ep.* 40. et 66. et *ep.* 2, 11. in opus, in ludum, in metallum. *Paul. Dig.* 48, 19, 31. ad bestias. *Sil.* 107, 654. tunc terga dedisse Damnatis Siculas longe meritare per oras Impositum. *Mart.* 7, 55. Damnata tributi mentula. nempe Judaeorum, qui, recutiti quod essent, jussu Titi Aug. didrachma in singula capita solvere cogebantur Jovi Capitolino pro libero Judaicae religionis exercitio, testibus *Flav. Josepho l.* 7. *B. Jud. c.* 6. et *Suet. Dom.* 12. ℙ Translate. *Sil.* 3, 330. quippe omnis in armis Lucis causa sita et damnatum vivere paci. *h. e.* vivere sine bello damnatum est, rejectum, reprehensum. *Justin.* 19, 2. *ad f.* Intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata, *h. e.* rejecta, abjecta, derelicta. *Lucan.* 9, 363. Et nunquam somno damnatus lumina serpens, *h. e.* nunquam habens lumina devincta et obligata somno. *Stat. Th.* 7, 239. subeunt campo, qui proximus urbi Damnatus bellis patet. [*Alia hujus constructionis exempla habet *Jever.* ad *Lucan.* 2, 306. qui maxime *devovendi* significatione hoc voc. ita construi docet. Alia V. sub DAMNO.] *Id. ib.* 6, 55. Damnatus flammae torus. *Lucan.* 3, 21. semperque potentes Detrahere in cladem fato damnata maritos. *Id.* 7, 409. Et damnata diu Romanis Allia fastis, *h. e.* Alliensis pugnae dies in fastis inter atros relatus. *Id.* 4, 533. stabat devota juventus, Damnata jam luce ferox, *h. e.* abjecta, rejecta cura et spe vivendi, et *ib.* 359. nec enim felicibus armis Misceri damnata decet, *h. e.* infelicia, tristia et quasi a Diis damnata. [*Sic explicant locum *Prop.* 4, 11, 15. damnatae noctes *(loquitur de Orco)* et vos vada lenta, paludes etc., i. e. infelices, tristes noctes, quales sunt apud inferos.] *Plin.* 16, 26, 45. Arbores damnatae religione. *Id.* 10, 22, 29. Aves damnatae in cibis, *h. e.* rejectae, non adhibitae. *Id.* 14, 18, 22. Aspendios uva damnata aris, *h. e.* cujus vinum in sacris non adhibetur. *Solin.* 8. Methona oppidum, quod cum obsideret Philippus, damnatus est oculum jactu sagittae. Al. leg. *oculo.* ℙ [*Etiam absolute dicitur pro *scelestus. Prop.* 4, 7, 46. ducet damnatas ignea testa manus. Cf. *Burm.*] ℙ *Lucil.* ap. *Non.* 4, 111. Hunc Tulliu' quidam Judex heredem facit, et damnati alii omnes, *h. e.* exheredati. ℙ *Damnatus voti* dicitur voti reus, *h. e.* qui voti compos factus, praestare tenetur, quod voto promiserat. Sunt qui putent, *damnatos voti* appellatos fuisse, qui a legibus cogebantur votum solvere; *libentes* vero, qui sponte solverent. *Liv.* 5, 25. et 7, 28. et 39, 9. et *Nep. Timol.* 5, 3. [*Docet *Brem.* ad h. l. *damnatum voti* eum quoque dici, qui voti compos s. particeps factus est, quae significatio ex priori illa sequitur. V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 28, 4. (non 7, 4.) et *Brisson. de Form.* l. p. 102. De constructione cum dativo cf. *Burm.* ad *Anthol. Lat. T.* I. p. 65. et quos ibi laudat.] Sic damnatus voto. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 111. V. DAMNO. ℙ Comp. *Damnatior* supra ab in.

DAMNĀTUS, us, m. idem quod damnatio. In sexto casu sing. *Plin.* 7, 44, 45. Alieno beneficio vixit a damnatu suo. *Harduin.* leg. ex MSS. *a damnato suo.*

*DAMNAUSTRA, vox sine sensu, pars cantionis apud *Cat. R. R. c.* 160. Vel hoc modo, Huat Hanat Huat Ista Pista Sista, Domiabo Damnaustra. Vel hoc modo, Huat Haut Haut Ista Sis Tar Sis Ardannabon Dunnaustra. *B. A.*

*DAMNĪA, ae, Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

DAMNĬFĬCUS, a, um, adj. qui damnum infert. *Pl. Cist.* 4, 2, 62. Imitatur nequam bestiam et damnificam.

DAMNĪGĔRŬLUS, a, um, adj. idem ac damnificus. *Pl. Truc.* 2, 7, 1. Ite hac muli aeris, damnigeruli, foras gerrones. [*Bothe* edidit *mulieridamnigeruli*, sed *Acidalius* conjectat leg. *muneridamnigeruli. F.*]

DAMNO, as, avi, atum, a. 1. *καταχρίνω*, *καταγινώσκω*, reum facio et poenam seu multam impono, condemno: a *damnum.* [*Proprie igitur est, aliquid tanquam damnosum rejicere aut damnum alicui inferre. Ita *Nonio* 4, 111. *damnare* est *damno afficere;* sic *Sil.* 6, 448. Patrios damnare penates. Sed V. infra.] Dicitur autem *damnare* tum judex, qui lata sententia poenae addicit; tum accusator, qui reum peragit et ut damnetur, obtinet. *Cic. Rosc. Am.* 39. Damnari per arbitrum. *Id. ib.* judicio aliquo. *Caes. B. C.* 3, 1. lege Pompeja. *Pl. Rud.* 5, 1, 2. Damnare quempiam ad recuperatores, *h. e.* apud recuperatores. *Varr. R. R.* 2, 2. Emptor pote ex empto, vendito illum damnare, si non tradet. ℙ Cum casibus criminis, quo quis est reus. Quotiescumque autem habet genitivum, intelligitur ablativus *crimine*, *poena*, aut ejusmodi. *Cic. Att.* 7, 12. *ad f.* Damnare aliquem sceleris. *Id. Verr.* 2, 4, 45. quempiam aliquo crimine, et *ib.* 5, 5. Damnari nomine sceleris et conjurationis. *Id. Cluent.* 41. *ad f.* de pecuniis repetundis. *Ov. Met.* 7, 402. in aliqua re. *Suet. Tib.* 11. ob aliquam rem. ℙ [*Damnare, de accusatore quum dicitur, est i. q. accusando efficere, ut damnetur aliquis. Exemplis illustrant hunc usum *Drak.* ad *Liv.* 7, 16, 9. et *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. Ill.* 63, 1. *Coll. Cic. Verr.* 2, 5, 69. *Tac. A.* 4, 66. ℙ Et cum casibus poenae, cui reus additur. *Caes. B. C.* 3, 83. Damnare capitis. *Auct.* ad *Her.* 4, 24. capite. *Suet. Ner.* 31. ad opus. *Martian. Dig.* 49, 18, 3. in metallum, in opus publicum, ad bestias. *Ov. Met.* 11, 178. Damnari in unam partem. *Ulp. Dig.* 1, 5, 18. Damnare ultimo supplicio. [**Ammian.* 14, 5. capite vel multatione bonorum aut insulari solitudine damnabatur.] *Cic. Verr.* 2, 3, 12. aliquem octupli. *Gell.* 20, 1. *a med.* aliquem pecuniae. *Justin.* 8, 1. Damnari pecunia. ℙ Regit etiam dativum et infinitivum. V. DAMNATUS. [*Interdum ad multam tantum pertinet et est i. q. multare. *Liv.* 35, 10. pecuarios damnarunt. Cf. *Gloss. Liv.*] ℙ Ponitur et pro obligare. *Pompon. Dig.* 30, 12. Si quis servos testamento heredem mihi dare damnaverit. *Cajus ib.* 8, 4, 16. Potest in testamento heredem suum quis damnare, ne altius aedes suas tollat. *Ulp. ib.* 12, 6, 26. *circa med.* Si damnaverit heredem suum, ut venditorem a nexu liberaret. ℙ *Damnare aliquem alicui* est damnando addicere, subjicere, obligare. *Senec. Ben.* 6, 4. *a med.* Debitori suo creditor saepe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit, quam ex crediti petit. ℙ Translate est improbare, rejicere, abhorrere. [*Haec significatio aliis, ut *Gesnero*, prima potius esse videtur. V. nos supra *ab init.*] *Quint.* 3, 6. *circa med.* Tullius non dubitavit aliquos jam editos libros, aliis postea scriptis, ipse damnare. *Lucan.* 8, 328. Damnare consilium alicujus. *Quint.* 10, 2. Damnamus tempora nostra infelicitatis hujus, ut nunc demum nihil crescat. *Plin.* 23, 1, 6. Uvae recentes in febri damnantur. *Id.* 11, 2, 1. Fastidio damnare aliquid. *Id.* 17, 2, 2. Virgilius arbores ad occasus seri damnavit. (Adde *Sil.* 11, 285.) *Id* 20, 8, 32. Damnare quidpiam in totum. *id.* 8, 45, 70. Boves nigri coloris, ad laborem damnantur, *h. e.* rejiciuntur: non putantur ad laborem apti. *Id.* 20, 3, 8. Colocynthides Chrysippus damnabat in cibis. *Sil.* 8, 496. Lycios damnant hastilibus arcus, *h. e.* usum hastae sagittandi arti praeferunt: improbant arcus et sagittas, hastis pugnare malunt. *Stat. Silv.* 3, 2, 126. Fortis et Eoas jaculo damnare sagittas, *h. e.* contemnere et superare. *Id.* 5, 61. ales, ceu praescia luctus, Damnavit vesci, *h. e.* respuit, noluit. ℙ Item destinare, sed in re mala. *Lucan.* 6, 64. mons, quem tristis Erichtho Damnarat sacris. *Id.* 2, 733. Phariae busto damnantur arenae. *Virg. A.* 4, 699. Stygioque caput damnaverat Orco. [**Id. ib.* 12, 727. quem damnet labor et quo vergat pondere letum; de quo loco multi sunt intpp. Nobis potior videtur *Heynii* sententia.] *Claud. Cons. Mall. Theod.* 130. quae linea Phoeben Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat, *h. e.* deficere cogat. ℙ Item obnoxium reddere, obligare. Hinc *damnare homines voti* vel *votis* dicuntur Dii, cum ea concedendo, quae voto petuntur, voti reos faciunt, atque obnoxios reddunt ad ea praestanda, quae voto promiserint. *Virg. Ecl.* 5, 80. tibi sic vota quotannis Agricolae facient: damnabis tu quoque votis. *Liv.* 27, 45. *a med.* Deos precabantur, ut illis matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum, quae pro iis suscepissent. [*V. supra DAMNATUS, *in f.* ℙ Confunduntur in libris *damnare* et *clamare.* V. *Drak.* ad *Sil.* 2, 225. — et *donare.* V. *Eund.* ad *Liv. epit. l.* 8. *in f.* et *Burm.* ad *Ov. Met.* 10. *Argum. fab.* 8.]

DAMNOSĒ, adv. cum damno. *Hor. Sat.* 2, 8, 34. Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti, *h. e.* convivator damnum sentiat.

DAMNOSUS, a. um, *ζημιώδης*, qui damno est, seu damnum affert. *Mart.* 14, 18. Alea parva nuces et non damnosa videntur. *Ov. Am.* 3, 6, 99. de amne: Damnosus pecori curris, damnosior agris. *Liv.* 6, 11. Erat aeris alieni magna vis, re damnosissima etiam divitibus, aedificando contracta. *Id.* 39, 9. Consuetudo minime rei aut famae damnosa. [**Liv.* 45, 3. bellum sumtuosum et damnosum Romanis, i. e. qui magni constitit Romanis.] ℙ Interdum is, qui damnum patitur. *Pl. Epid.* 2, 3, 14. Argentum accipiam a damnoso sene, *h. e.* infelici, multis damnis confecto. Alii perperam leg. *danoso* vel *donoso.* ℙ Damnosi etiam dicuntur prodigi et sumptuosi. *Ter. Heaut.* 5, 4, 10. Gero, iners, fraus, heluo, ganeo, damnosus. [**Ruhnk.* ad h. l. comparat *Suet. Ner.* 31. et *Graev.* ad h.l. ℙ Etiam de rebus hoc modo dicitur. Locum *Livii* V. supra. Sic *Suet. Tib.* 52. victorias ceu damnosas Reip. increpare, i. e. sumtuosas, ut bene *B. Crus.* explicat, laudans *Schwarz. Obs.* 19. ad *Plin. Pan.* 12, 2. Cf. *Pl. Curc.* 4. 1, 24. (*al.* 11.) *Ps.* 1, 5, 1.]

DAMNUM, i, n. *βλάβη*, detrimentum, jactura, incommodum, malum. *Varr. L. L.* 4, 36. Damnum a demptione, cum minus re factum, quam quanti constat. Eadem *Paulus* habet *Dig.* 39, 2, 3. Alii ex *δαπάνη* ducunt, ex quo *dapnum*, inde *damnum. Cic. Fin.* 5, 30. Si in maximis lucris parum aliquid damni contraxeris. *Id. Fam.* 1, 9. In meis damnis ex auctoritate senatus resarciendis. *Ter. Ad.* 2, 2, 23. Nisi ad mercatum venio, damnum maximum est. [**Rutil. Lup. Itin.* 1, 123. clades P. Rom., a quibus major surrexit, acute dixit *damna ditia.*] *Id. Andr.* 1, 1, 116. Dare damnum. *Id. Heaut.* 4, 4, 25. apportare. *Trebat.* ap. *Paul. Dig.* 39, 2, 25. accipere. *Pompon. Dig.* 9, 2, 39. capere. [**Ov. Fast.* 1, 60. ferre i. q. facere.] *Ulp. ib.* 10, 3, 6. sentire. *Plin. prooem. l.* 14. Hoc mihi damno est. *Pl. Asin.* 1, 3, 35. Perdidici, isthaec esse vera, damno cum magno meo. [*Saepe omnino pertinet damnum ad rem familiarem, et est i. q. sumtus, impensae, jactura rei familiaris. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. damna, quae res patris ejus pertulit, praetereantur. *Coll. ib.* 5, 13. *Quint. Decl.* 377. immensis luxuriae oneratus damnis. V. *Burm.* ad h. l. et *Menag. amoen. juris, c.* 39. Est adeo i. q. aes alienum. *Cic. Phil.* 2, 27. damna aleatoria.] *Caes. B. G.* 6, 44. Exercitum Caesar, duarum cohortium damno, reducit. *Curt.* 8, 4. Quae distributa militem et damno et fame liberaverunt. ℙ *Damnum facere* est jacturam facere, aliquid amittere. *Cic. Fam.* 7, 33. Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis. *Pl. Capt.* 2, 2, 77. Est, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum. *Cic. Fam.* 10, 28. *ad f.* Magnum damnum factum est in Servio. Adde *Brut.* 33. ℙ Reperitur etiam *damnum pati*, sed rarius. *Sen. Ira* 1, 2. Totos populos capitis damna passos. *Ulp. Dig.* 9, 2, 29. Nec aequum esse, damnum me pati, rescissis meis tignis. [*Dubitabat de hac loquendi ratione *Burm.* ad *Ov. Fast.* loco supra a nobis laudato. — *Ter. Heaut.* 4, 1, 15. damno augeri, i. e. majori damno affici. Cf. *Lambin.* ad *Lucr.* 1, 100. quem laudat *Ruhnk.*] ℙ In illo *Lucani* 8, 750. paterisque haec damna sepulcri: *pateris* est aequo animo fers. Sic apud *Liv.* 22, 4, Annibal id damnum haud aegerrime pati: quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris consulis. ℙ Interdum *damnum facere* est afferre, dare. *Paul. Dig.* 9, 2, 30. *ad f.* Qui occasionem praestat, ipse damnum fecisse videtur. ℙ *Damnum infectum* apud JCtos est, quod nondum est factum, sed futurum veremur, ut *Cajus Dig.* 39. *tit.* 2. *qui est* De damno infecto, 3. definit, *ζημία μέλλουσα. Cic. Top.* 4. Si quis in pariete communi demoliendo, damni infecti promiserit. ℙ [*Porro damnum non semper est i. q. jactura, quum aliquid amittitur; sed interdum tantum i. q. deminutio, quae non aliunde accidit, sed a nobismet ipsis proficiscitur. *Cat. Dist.* 1, 39. Quum labor in damno est, crescit mortalis egestas, i. e. quum labor deminuitur. Hinc explica quod legitur apud *Claud. VI. Cons. Honor.* 499. damna lunae, i. e. ejus decrementa

[*Sic etiam locutus est *Gell.* 20, 8. lunae aucta et damna, i. e. incrementa et decrementa. V. *Gronov.* ad h. l., qui plures locos affert.] ℙ Aliquando *damnum* ponitur pro multa, [*et est genus coercitionis et poenae levioris, qua v. c. consules utebantur in senatores, qui ipsis parere nollent.] *Cic. Off.* 3, 5. Hoc volunt leges, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinculis, damno coercent. *Id. Phil.* 1, 5. Quis unquam tanto damno senatorem coegit? *Liv.* 4, 53. Ferre damnum aliamque coercitionem detrectantibus militiam. [**Id.* 7, 4. acerbitas in delectu non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata etc.] *Cic. fr.* ap. *Augustin. Civ. Dei.* 21, 11. Octo poenarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus. ℙ [*Damnum injuria*, nempe illatum, formula est legis Aquiliae, qua cavebatur, ne damnum injuria alicui inferretur; M. vero Lucullus praetor, qui jus inter peregrinos dixit, illud *injuria* ex edicto suo abstulit, quo se audaciam improborum sustulisse putavit. *Cic. fr. orat. pro M. Tullio* §. 10. *in f.* M. Lucullus necesse putavit illam latebram tollere *damnum injuria*, quod in aliis causis debet valere, et valet lege Aquilia. [*Alia est interpunctio in ed. *Orell.* De re autem cf. *Beier.* ad h. l.] *Id. Rosc. Com.* 11. Judicio damni injuria constituto. *Ulp. Dig.* 11, 2, 1. Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante se de damno injuria locutae sunt, derogavit. *F.* *Id judicium a Graecis appellatur δίκη βλάβης, cujus saepe mentionem facit *Demosth. in Mid.* §. 10, 12. sqq. ℙ *Damnum*, *jactura*, *detrimentum* idem fere significant, et promiscue a scriptoribus usurpantur: differunt tamen, si proprie et stricte sumantur. *Damnum* enim est diminutio bonorum, quae alteri quis aufert: *jactura* diminutio, quae fit jaciendo per impensas vel inutiles, vel necessarias: *detrimentum* diminutio, quae fit usu et consumptione rerum. *Cic. Agr.* 1, 7. Non queror flagitium hujus jacturae atque damni. *Id. Leg.* 1, 19. Propter damna aut detrimenta. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Haec tot detrimenta atque damna. ℙ [*Commutantur a librariis *damnum* et *culpa*. Cf. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 4, 1, 34.]

*DĀMOCLES, is, m. *Δαμοκλῆς*, assentator Dionysii Syracusani, de quo fuse *Cic. Tusc.* 5, 21. Cf. *Hor. od.* 3, 1, 17. seq. ℙ Not. voc. *Damocle* in loco *Ciceronis* citato. *B. A.* ℙ Etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 414, 20. M. Valerius Damocles.

[DĀMOCRĀTES, is vel enis, m. potens apud populum: a *δᾶμος* pro *δῆμος*, populus, et *κρατέω*, praesto. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 8. P. Urgulanius Democrates. *Fabrett.* in *Emendat.* p. 2. corrigit *Damocrates*. Alia ap. *Mur.* 1654, 8. Celsa Fastidiena, quae fuit Damocratenis conjux. *F.*]

*DAMON, onis, Pythagoreus, Phintiae amicus. De utroque cf. *Cic. Off.* 3, 10. Adde *Val. Max.* 4, 7. collatis *Lactant.* 5, 18. *Pacat. Paneg. Theod.* 17. *Ambros. Off.* 3, 12. ℙ Item pastoris nomen apud *Virg. Ecl.* 3, 17. et 8, 1. seq. ℙ Item Cyrenaeus, quem de Philosophis scripsisse discimus ex *Laert.* in *Thalete*. *Plin.* 7, 2. Medicum eum appellat *Plin. Valer.* 3, 20. ubi forte corrigendum *Damion*. ℙ Fuit et hoc nomine musicus insignis, Atheniensis, Socratis praeceptor. *Nep. Epam. Cic. Or.* 2, 3, 33. Forte idem cum illo, qui, referente *Platone de republ.* 4., dixit, *Musicam non posse immutari, nisi immutato reipublicae statu.*

*DĀMŎPHĬLUS, i, m. insignis pictor et plastes. *Plin.* 35, 12. *B. A.* [Etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mass. Mus. Ver.* p. 370, 7. Plinius Damophilus. *F.*]

DĀMŪLĀ, ae, f. diminut. damae. *Appul. Met.* 8. *post init.* Nec ulla capra, nec pavens damula. [Adde *Not. Tir.* p. 175., ubi *dammula* legitur. *F.*]

DAN'? dasne? *Pl. Truc.* 2, 4, 22.

DĀNAĒ, es, f. trisyllab., *Δανάη*, Acrisii Argivorum regis et Aganippes filia, neptis Abantis. Cum Acrisio praedictum esset, fore, ut a nepote interficeretur, Danaen in turrim inclusit, turrimque militum et canum excubiis ab adulteris munivit. Sed Juppiter in imbrem aureum conversus, in turrim ingressus est. Danae ex Jove Perseum peperit. Rex conclusam Danaen in arca una cum filio in mare projici jussit. Delata illa arca est ad Apuliae litus, et a piscatore capta et aperta. Danae una cum filio ad Pilumnum regem ducta in uxorem accepta est, cui Daunum peperit, cum ex Apulia ad Rutulos migrassent et Ardeam condidissent. *Hor. Od.* 3, 16, 1. Inclusam Danaen turris ahenea etc. V. *Serv.* ad *A.* 7, 372. Paulo aliter rem narrat *Hygin. fab.* 63.

DĀNAĒĬUS, a, um, adj. ad Danaen pertinens, ut Danaeius heros apud *Ov. Met.* 5, 1. h. e. Perseus filius Danaes et Jovis, qui Danaeius volucer *Statio* est *Th.* 10, 892. Sic Danaeia Persis, apud *Ov. A. A.* 1, 225. est Persia sic dicta a Perse filio Persei, et Danaes nepote. Al. tamen aliter leg. aut interpretantur.

*DANAGULA, Indiae oppidum, cis Gangem, in regione Gangaridarum Culingarum, non procul a Gangis ostio. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

DĀNAI, orum. V. DANAUS, a, um.

DĀNAĬDAE, arum, m. plur. *Δαναΐδαι*, iidem qui Danai, hoc est Graeci. *Senec. Troad.* 607. Quid agis, Ulisse? Danaydae credent tibi? tu cui? parenti. *Id. ib.* 757. Virtus Ulyssis Danaidis nota est satis, Nimisque Phrygibus.

DĀNAĬDES, um, f. plur. *Δαναΐδες*, filiae Danai, de quibus V. in v. seq. *Senec. Herc. fur.* 757. Urnasque frustra Danaides plenas gerunt. [**Hyg. fab.* 170. et 255.]

*DANASTER vel Danastrus, i, fluvius Sarmatiae Europeae, hodie *Dniester*. *Jornand. de reb. Geticis* c. 5. ℙ Formatur nomen hodiernum ex *Danaster*, quemadmodum ex *Danapris* profluxit *Dnieper*.

DĀNAUS, a, um, adj. *Δαναός*, ad Danaos pertinens, hoc est Graecos, ita dictos a Danao Argivorum rege. *Ov. Rem.* 66. Nec manibus Danais Pergama victa cadent. *Id. Her.* 8, 14. Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes. *Id. ib.* 24. Danaus miles. *Id. Met.* 13, 59. Prodere rem Danaam. ℙ *Danai*, *orum*, sunt Graeci, ut dictum est: habetque *Virgilius* saepe, *Ovid.*, *Tibull.*, *Propert.*. etc. Quidam tradunt Danai filias, postquam sponsos occiderant, Argivis hominibus nupsisse, atque ex his natos primum Danaos fuisse dictos, (quod significare videtur illud veteris poetae apud *Cic. Fin.* 2, 6. Omnes Danai, aut Mycenenses, Attica pubes: ubi *Danai* designant, ut opinor, Argivos) paulatim deinde omnes Graecos. V. *Hyg. fab.* 170. *extr.* ℙ *Danaum* pro *Danaorum* est apud *Virg. A.* 1, 34. et 602. et *ib.* 2, 370, 433, 462. et alibi saepe.

DĀNAUS, i, m. filius Aegisthi, nepos Beli Prisci, frater Aegypti. Alii Beli filium faciunt. Primo regnum apud Aegyptios exorsus est, et ex compluribus uxoribus quinquaginta filias genuit, quae *Belides* ab avo, *Danaides* a patre dictae sunt. Has cum peteret Aegyptus frater filiis suis, qui totidem erant numero, in uxores, Danaus oraculum consuluit, ex quo didicit, se a genero interfectum iri. Ut fratris vim effugeret, in Graeciam navigavit, ubi Stheleno, al. Sthenelo rege expulso, Argos tenuit. Sed Aegyptus filiis imperavit, ut patruum persequerentur, nec nisi eo interfecto redirent. Bello igitur coactus Danaus promisit, se Aegypti petitioni satisfacturum. In nuptiarum autem nocte filias subornavit, ut clam se cultris armarent, et viros jam vino laetitiaque sopitos jugularent. Virgines patri obedientes captato tempore necarunt viros unaquaeque suum, excepta sola Hypermnestra, quae Linum seu Lynceum virum suum servavit. Quidam putant, etiam Bebrycem (quam tamen *Hyg. fab.* 170. inter Danai filias non enumerat) sponso suo Hippolyto pepercisse et metu patris in Asiam profugisse, ibique nomen Bebryciae provinciae dedisse. Ob tale nefas fabulantur apud Inferos hisce virginibus supplicii loco praescriptum esse dolium pertusum aqua implere, e quo tantundem effluat, quantum infundatur. Danaus quinquaginta regnavit annos, ac tandem a Lynceo genero juxta oraculum interfectus est. *Hyg. fab.* 168. et 170. (ubi filias Danai, earumque sponsos singillatim enumerat) *Serv.* ad *A.* 10, 497. et *Ov. Her.* 14. ℙ Danai porticus, quam memorat *Ov. Amor.* 2, 2, 4., fuit Romae porticus Apollinis Palatini, cum bibliotheca Latina Graecaque, ab Augusto aedificata, ut narrat *Suet. in ejus Vita* 29., in qua erant signa Danai et filiarum ejus. V. *Ov. A. Am.* 1, 73. et *Prop.* 2, 23. ℙ Est etiam hujus nominis herba, cujus mentio est apud *Plin.* 15, 30, 39. Est et Alexandrina (*laurus*), quam aliqui Idaeam, alii hypoglottion, alii Danaen, alii carpophyllon, alii hypelaten vocant. Adde *Appul. Herb.* 58.

*DANDACE, es, *Δανδάκη*, oppidum in Chersoneso Taurica. *Ammian.* 22, 7. ed. *Lugd.* 1591. p. 233. ed. *Lindenbrog.* *B. A.*

DANDĀRI, orum, m. plur. *Δανδάριοι*, populi Scythiae circa Maeotiden paludem. *Plin.* 6, 7, 7. ℙ Hos *Tac. A.* 12, 15. appellat Dandaridas, et *ib.* 16. eorum regionem Dandaricam.

*DANEON PORTUS in sinu Arabico, in terra Troglodytica. *Ptin.* 6, 29. Vulgo *Grondol* appellari censet *Hard.* *B. A.*

*DANGALAE, arum, populi Asiae ulterioris, circa Caucasum montem. *Plin.* 6, 23. ubi tamen *Hard.* mavult legere *Sangalae*, a Sangala oppido scilicet. *B. A.*

DĀNI, orum, m. plur., populi Chersonesi Cimbricae et vicinarum insularum, quorum regio *Dania* vocatur. *Venant. carm.* 7, 7, 50. Saxonis et Dani gens cito victa probat. Al. leg. et *Rhodani*. *Id. carm.* 9, 1, 73. Quem Geta, Wasco tremunt, Danus, Estio, Saxo, Britannus. *Serv.* ad *A.* 8, 728. scribit, Danos dictos esse a Dahis, qui sunt populi Scythiae juncti Persidi. Sed vel alios intelligit, vel in ejus verbis mendum est.

DĀNISTA, ae, m. *δανειστής*, fenerator, a *δάνος*, fenus, mutuum, vel *δανείζω*, fenori do. *Pl. Ep.* 1, 1, 51. Id argentum ab danista sumpsit fenore. *Id. Ps.* 1, 3, 53. Amabas? invenires mutuum, ad danistam devenires, adderes fenusculum.

DĀNISTĬCUS, a, um, adj. *δανειστικός*, ad danistam pertinens. *Pl. Most.* 3, 1, 127. Nullum est genus hominum tetrius, quam danisticum.

DĀNO. V. DO *in f.*

DĀNOSUS, a, um, adj. liberalis: a *dano* pro *do*. V. DAMNOSUS.

*DANTHELĒTAE vel Danthelītae, arum, vel Dentheleti, orum, *Δανθηλῆται*, *Δανθηλῖται*, Thraciae populus, inter Nestum et Strymonem flumina. *Liv.* 39, 53. et 40, 22. ubi in utroque loco ed. *Drak.* accusat. *Dentheletos* habet. In priore edd. *Gronov.* et *Crev.* praebent *Dantheletas*: *Dentheletas* autem ed. *Gronov.* in posteriore, ubi in ed. *Crev.* impressum *Dantheletas*. ℙ *Denseletae* sunt *Plin.* 4, 11. et *Denselatae ib.* 1. *Dativum Denseletis* habes apud *Cic. Pis.* 34. post med. a nominativo *Denseletae* vel *Denseleti*, quorum illud vero similius. *B. A.*

DĀNUNT pro *dant*. V. DO.

*DAORSI, orum, m. plur. populi Liburniae, qui mira scriptionis varietate apud veteres memorantur: *Δάορσοι* enim legitur in nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 155., quibus consentiunt *Polyb. Excerpt. legat. c.* 124. et *Liv.* 45, 26. Daorsis quoque immunitatem dare, pronunciavit. Contra *Daorizi* dicuntur a *Plin.* 3, 20, 26. et *Strabone*; *Daorisi* a *Vellejo* 2, 115.; *Darsii* ab *Appian. Illyr. c.* 2.; *Daursii* ab aliis; in *Inscr.* ap. *Marin. Frat.* p. 458. *Daversii.* *B. A.* et *F.*

DAPĀLIS, e, adj. *δαψιλός*, ut *Dapalis coena*, quae plena est amplis dapibus, ut *Non.* 2, 200. interpretatur. *Titin. ib.* Toto fit in foco mihi dapalis coena. Adde *Auson. epist.* 9, 13. ℙ *Dapalis Juppiter* dictus est, cui dapali coena sacrum fiebat. *Cato R. R.* 132. Jovi dapali culignam vini quantam vis polluceto.

*DAPHISSA, ae, mons Thessaliae. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

DAPHNAEUS, a, um, adj. Daphnensis, ut Daphnaeus Apollo, *Ammian.* 22, 13.

DAPHNĒ, es, f. *δάφνη*, Graeca vox laurum significans. *Petr. Sat.* 131. Et baccis redimita daphne, tremulaeque cupressus. Ubi prima in *daphne* (si vera est lectio) corripitur *n.* littera liquescente more Graecorum: quod et in *cycnus* factum est a poetis, in *Tecmessa*, in *Procne*, etc. Lauream victoriae significare videtur in nummis Constantini M. [apud *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 82. V. CONSTANTINIANUS. *F.*] ℙ In fabulis est Penei fluvii (aliis Ladonis Arcadiae fluvii) filia, quae ab Apolline amata, cum ejus vim non posset effugere, implorato paterno numine conversa est in laurum. *Ov. Met.* 1, 452. et seqq., *Hyg. fab.* 203., *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 3, 63. et ad *A.* 2, 513. ℙ Porro etiam sic mutatam Apollo amare pergens, dedit ei arbori, ut semper vireret, coronam ex ea gestare coepit, sacramque sibi esse perpetuo voluit. *Serv.* ad *A.* 3, 91. et *Hygin. l. c.* ℙ De Daphne vico Syriae, V. in v. seq. ℙ [*Fuit et *Daphne*, *es*, Aegypti oppidum, prope Pelusium. *Anton. Itin.* *Δάφνα Πελουσίου* est *Herod.* 2, 39. *B. A.*]

DAPHNENSIS, e, adj. ad Daphnen pertinens. Est autem Daphne vicus Antiochiae Syriae proximus, ubi lucus fuit et templum Apollini et Dianae sacrum. *Eutrop.* 6, 14. Pompejus aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret. ℙ Hujus vici meminit *Capitolin.* in *M. Anton. Philos.* 8., ubi significat locum fuisse deliciis et luxu affluentem, ubi perditis moribus homines vitam agerent. Adde *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 6.

DAPHNIA, ae, f. gemma comitialibus morbis utilis. *Plin.* 37, 10, 57.

DAPHNĬCUS, a, um, adj. ad Daphnen Antiochiae vicum pertinens: de quo in DAPHNENSIS dictum est. *M. Anton. Philos.* in *epist. quadam* ap. *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 5. Legiones Syriacae diffluentes luxuria, et Daphnicis moribus agentes. *Salmas.* aliter vult legi.

DAPHNIS, ĭdis, m. filius Mercurii, et Lycae Nymphae, in Sicilia natus, puer formosissimus, qui primus pastor fuisse dicitur. Hic a matre in lucem editus, statim abjectus fuit, inventusque inter lauros (unde et nomen habuit, quia *δάφνη* laurum significat) educatusque, factus est paulatim et venationis et musices peritissimus, ab ipso Pane edoctus. Quidam etiam apud *Diomed.* 3. p. 484. putant fuisse primum auctorem carminis bucolici. Adamatus a Nympha quadam, jurejurando promisit, se cum alia nunquam concubiturum: sed cum aliquando in regia puella fidem fefellisset, a Nympha caecus in poenam factus est. Ille in auxilium patrem invocavit, a quo in coelum sublatus fuit, inque eo loco, ubi vixerat, fons elicitus, apud quem quotannis Siculi sacrificant. *Serv.* ad *Ecl.* 5, 20. et *ib.* 2, 26., qui paulo aliter rem narrat ad *ib.* 8, 68., cum amaretur a Nympha Nomia, et ille eam sperneret, et Chimaeram potius sequeretur, ab irata Nomia luminibus primum orbatum, deinde in saxum fuisse conversum. Aliam quoque ex aliorum opinione narrationem adscribit, quam eo loco V. ℙ *Daphnis casia* apud *Scribon. Compos.* 152. est, quam *daphnitidem casiam* ipse appellat *ib.* 269., scilicet Daphnoides, de qua mox. *Joann. Rhod.* putat, etiam priore *Scribonii* loco *daphnitis* legendum esse. ℙ [**Daphnidis insula*, in sinu Arabico, *Δαφνὶς Ptolemaeo. Plin.* 6, 29. ℙ Fuit et Daphnis, vel Lutatius Daphnis, Grammaticus, libertinus. *Suet.* in *Gr.* 3. *Plin.* 7, 39. *B. A.*]

*DAPHNĪTIS, idis, f. *Plin.* 24, 15. Alexandrina laurus, quam aliqui Idaeam, alii hypoglottion, alii daphnitin, alii carpophyllon, alii hypelaten vocant. Ramos spargit a radice dodrantes, topiarii ac coronarii operis, folio acutiore quam myrti, molliore et candidiore, majore semine inter folia rubro. Plurima in Ida, et circa Heracleam Ponti, nec nisi montosis in locis. Haec *Plinius. Harduinus* legit *Danaen.* ℙ *Daphnites* audit *Appul. de herb.* 27. cui tamen *daphnitis* est 58. *B. A.* V. etiam v. praec. *in f.*

DAPHNOĪDES, ae, f. *δαφνοειδής*, lauri similis. Sic appellatur genus casiae, quae cortice laurum imitatur. *Plin.* 12, 20, 43. ℙ Item genus lauri, scilicet frutex ramosus, crassiore ac molliore, quam laurus, folio; cujus gustatu os atque guttur accenditur, baccis e nigro rufis. *Id.* 15, 30, 39. [*Daphne Mezereum *L. Kellerhals, Seidelbast.*] ℙ Item clematis, Aegyptia cognomine, folio lauri, longa, tenuisque. *Id.* 24, 15, 90.

DAPHNON, ōnis, m. *δαφνὼν*, lauretum, *h. e.* locus lauris consitus: vox Graeca. *Petr. Sat.* 126. Flexit se in eum daphnona, qui ambulationi haerebat. *Mart.* 10, 79. Disposuit daphnona suo Torquatus in agro.

*DAPHNUS, untis, oppidum Locrorum, in littore Phocidis. *Plin.* 4, 7. ℙ Item aliud, in Ionia, excisum. *Plin.* 5, 29. *B. A.* [Daphnus, i, cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Vernazza, Diplom. di Adriano.* L. Pullius Daphnus. *F.*]

*DAPHNUSA, ae, f. maris Aegaei insula, prope Chium, dicta et Thallusa. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

DAPIFER, ri, m. dapes ferens. In *Inscr.* ap. *Murat.* 915, 3. refertur inter officia domus Augustae. [Adde *Gloss. Philox.* Dapifer, *οἰνοφόρος*. *F.* **Onomast. Vet.*: Servus, qui cibos jam coctos infert et mensae apponit. *B. A.*]

DAPINO, as, a. 1. dapes seu cibum praebeo: vox plebeja. *Pl. Capt.* 4, 2, 116. Aeternum tibi dapinabo cibum, si vera autumas. Al. aliter leg.

DAPS, dăpis, f. *ἔδεσμα*, cibus, vox fere poetica. *Hor. Epod.* 5, 32. Quo posset infossus puer Longo die bis terque mutatae dapis Inemori spectaculo. *Id. Od.* 4, 4, 12. de aquila: Nunc in reluctantes dracones Egit amor dapis atque pugnae. *Id. A. P.* 198. Ille dapes laudet mensae brevis. *Ov. Her.* 9, 68. Efferus, humana qui dape pavit equos. *Catull.* 64, 304. Large multiplici constructae sunt dape mensae. *Virg. A.* 7, 109. Instituere dapes. *Id. Ecl.* 6, 79. Parare alicui dapes. *Ov. Met.* 8, 683. Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant. ℙ Discrimen tradit ad illud *Virg. A.* 1, 710. Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant: tradit, inquam, *Servius* hujusmodi, quod *dapes* regum sint, *epulae* privatorum, et ad illud *A.* 3, 224. dapibusque epulamur opimis; quod *dapes* Deorum sint, *epulae* hominum. Sic *Tibull.* 1, 5, 28. Deo agricolae Pro segete spicas, pro grege ferre dapem. [*Hoc discrimen nullum est. Cf. *Ov. Met.* 6, 488. *Hor. Sat.* 2, 2, 45.] ℙ De lautiore convivio. *Ov. Fast.* 2, 657. Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex. *Mart.* 7, 86. Ad natalicias dapes vocabar. *Id.* 12, 48. Nec Capitolinae pontificumque dapes. ℙ De cibis, qui Manibus et Diis offeruntur in sacris. *Festus:* Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna semente, aut verna: quod vocabulum ex Graeco deducitur, apud quos id genus epularum *δαὶς* dicitur. (*Vossio* in *Etymol.* placet duci a *δαπάνη*; [vel deducendum a *δαπτω*, fut. *δάψω*, dilaniando voro. *F.* *Minime vero.]) *Liv.* 1, 7. *ad f.* Bove sacrum Herculi, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis factum. *Liv. Andron.* ap. *Prisc.* 7. p. 752. Quae haec daps est? quis festus dies? *Virg. A.* 3, 301. Solemnes tum forte dapes, et tristia dona Libabat cineri Andromache. *Cato R. R.* 131. Dapem pro bubus piro florente facito. *Id. ib.* 132. Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familiaque mea, culignam vini dapi, ejus rei ergo: macte hac dape pollucenda esto. et *ib.* Daps Jovi assaria pecunia, urna vini Jovi caste. ℙ Et universim de victimis. *Senec. Oedip.* 557. Flamma praedatur dapes, Vivumque trepidat igne ferali pecus. ℙ *Dapes humanas* honesto vocabulo *Plin.* 17, 9, 6. merdas hominum dixit.

DAPSĬLĒ et Dapsiliter, adv. *δαψιλῶς*, large, copiose: vox Graecae originis. *Suet. Vesp.* 19. Convivabatur assidue, ac saepius recte et dapsile, ut macellarios adjuvaret. Al. melius leg. *recta ac dapsili: intellige* coena. [*Dubitatur etiamnum de h. l. V. *Oud.* Quid tamen obstet, quominus *dapsile* habeatur adverb.?] *Pompon.* ap. *Non.* 11, 34. Quid nunc vis fieri? verrem sume dapsile ac dilucide. *Naevius* ap. *Charis.* 2. p. 178. Ultro meretur, quamobrem ametur: ita dapsiliter suos amicos alit. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 232. Scito enim, bene longinquum mortalibu' morbum In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

DAPSĬLIS, e, adj. *δαψιλής*, largus, copiosus, abundans: vox Graeca. *Pl. Aul.* 2, 1, 45. Dotes dapsiles. *Id. Most.* 4, 2, 66. Dapsiles sumptus facere. *Id. Ps.* 5, 1, 21. Corollas dare dapsiles. *Colum.* 4, 27. *ad f.* Si continuis superioribus annis dapsili proventu fatigata vitis fuerit, requiescere ac refici par erit. *Id.* 3, 2. *post med.* Spionia vitis dapsilis musto et amplitudine magis uvarum, quam numero fertilis. *Appul. Met.* 11. p. 258. 12. Dapsilem copiam facundiae subministrare. [**Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 30. Stagnum dapsile. *B. A.*] ℙ *Dapsilis lectus* ap. *Pl. Truc.* 1, 1, 34. est instructus omnibus rebus ad cubandum necessariis. ℙ Etiam *dapsilus, a, um*, olim dictum fuisse videtur. *Pl. Ps.* 1, 4, 2. Postquam herili filio largitus dictis dapsilis. Potest tamen *dapsilis* et hoc loco esse rectus casus singularis, [In *Not. Tir.* p. 68, habetur etiam superl. *dapsilissimus. F.* *Comparativus legitur *Lucil.* (*Nonius* s. v. *invitare*), se dapsilius invitare.] ℙ *Pareus* in *Lex. Crit.* ait in omnib. MSS. Plautinis scriptum esse *lapsilis;* ita enim consuevisse veteres *l* pro *d* scribere: quod confirmat *Lips. Antiq. lectt.* 1, 15.

[DAPSĬLĬTAS, atis, f. copia, abundantia. Legitur in *Not. Tir.* p. 68. *F.*]

DAPSĬLĬTER. V. DAPSILE.

DAPTĬCE se acceptos antiqui dicebant significantes, magnifice. *Festus* in *Daps.* [*Legitur etiam *dapaticе. Id. ib.*]

*DARAE, arum, populi Libyae Gaetulici. *Plin.* 6, 1. *B. A.*

*DARANTASĬA, ae, Galliae Narbonensis oppidum, in regione Centronum, dictum et *Forum Claudii. Tab. Peut. B. A.*

*DARAS, flumen Carmaniae. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

*DARAT, flumen Libyae. *Plin.* 5, 1. Hinc *Daratitae, arum*, accolae dicti *Id. ib. B. A.*

*DARDAE, arum, Indiae populi. *Plin.* 6, 19. et 11, 31. *B. A.*

DARDĀNĀRĬUS, ii, m. *παντοπώλης, σιτοκάπηλος*, annonae, et aliarum mercium negotiator, qui studio undique coemit, et coempta comprimit, ut annonam incendat, et carius vendat. Putat *Turneb. Advers.* 9, 17. nomen huic odiosissimo hominum generi inditum a quodam Dardano Phoenici, insigni mago, (cujus meminit *Plin.* 30, 1, 2., *Arnob.* 1. p. 31., *Tert. Anim.* 57., et *Dardaniae artes* pro magicis dicuntur a *Colum.* 10, 358.) quasi magicis artibus annonam in sua horrea convertant, et caritatem inducant, eorum instar, qui in *Legib. XII. Tab.* apud *Senec. Qu. Nat.* 4, 7. fruges alienas excantare dicuntur. Sed de hac *Turnebi* conjectura alii viderint. *Ulp. Dig.* 47, 11, 6. Annonam attentare et vexare vel maxime dardanarii solent. *et mox.* Debebis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint. *Paul. ib.* 48, 19, 37. In dardanarios, propter falsum mensurarum modum, extra ordinem vindicari placuit. [**Gloss. vet.: παλιγκάπηλος.*]

DARDĀNĬA, ae, f. *Δαρδανίη*, insula eadem, quae Samothrace. *Plin.* 4, 12, 23. ℙ Item regio supra Troadem ad Hellespontum, ubi oppidum *Dardania* apud *Mel.* 1, 18. *sub f.* (quod *Dardanium* appellat *Plin.* 5, 30, 33.) prope Abydum, a Dardano conditum, teste *Hyg. fab.* 275. Unde orta est appellatio *der Dardanellen.* De hoc intelligendum est illud *Ov. Trist.* 1, 10, 25. Dardaniamque petit auctoris nomen habentem. *Serv.* ad *A.* 8, 134. Dardanum vocat. [*Dardanum *Servio* et oppidi et promontorii nomen est. *B. A.*] ℙ Dicitur aliquando de ipsa Troja. *Ov. Her.* 16, 57. ℙ Ipsa quoque regio pro toto regno Trojae sumitur. *Virg. A.* 2, 281. et 325. et *ib.* 3, 52. etc.

[DARDĀNĬCUS, a, um, adj. ad Dardaniam pertinens, Moesiae superioris regionem versus Macedoniam, de qua V. DARDANUS, a, um. In nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 446. Dardanici. *nempe* metalli. V. DARDANUS, a, um. *F.*]

DARDĀNĬDES, ae, m. *Δαρδανίδης*, patronymicum a Dardano, *h. e.* filius vel nepos Dardani, vel quivis alius a Dardano descendens. *Ov. Fast.* 6, 419. Moenia Dardanides nuper nova fecerat Ilus. *Virg. A.* 12, 774. voluitque manu convellere ferrum Dardanides, *h. e.* Aeneas. Adde *ib.* 10, 545. ℙ *Dardanidae, arum*, saepe dicuntur de omnibus Trojanis. *Virg. A.* 5, 45. Dardanidae magni genus alto a sanguine Divum. *Id. ib.* 12, 585. Pandere portas Dardanidis. *Id. ib.* 2, 241. O patria, o divum domus Ilium, et inclyta bello Moenia Dardanidum! pro Dardanidarum. ℙ Item de Romanis, qui ab Aenea. *Sil.* 16, 192. Dardanida pulcherrime, *h. e.* Scipio Africane. Al. leg. *Dardanide.* Sed de hac positione vocativi V. AEACIDES.

DARDĀNIS, idis, f. patronymicum a Dardano, *Δαρδανὶς*. Sumitur et pro Trojana. *Ov. Met.* 13, 412. Dardanides matres. *Id. Her.* 16, 194. Dardanides nurus. *Mart.* 10, 30. Cajeta Dardanis, *h. e.* a Trojanis condita.

DARDĀNĬUS, a, um, adj. *Δαρδάνιος*, ad Dardanum, item universim ad Trojanos, et Trojam pertinens. *Virg. A.* 1, 606. Dardania gens. *Id. ib.* 498. Aeneas Dardanius. *Id. ib.* 10, 438. Dardania tela. *Ov. Her.* 8, 42. Dardanius advena, *h. e.* Paris, qui Troja Spartam profectus est abducendae Helenae causa. *Id. Trist.* 3, 5, 38. senex, *h. e.* Priamus. *Mart.* 11, 104. minister, *h. e.* Ganymedes pincerna Jovis. *Ov. Fast.* 2, 680. dux, *h. e.* Aeneas. *Id. ib.* 1, 519. Dardaniae pinus, *h. e.* naves Aeneae Italiam petentis. *Id. Met.* 13, 335. Dardanius vates, *h. e.* Helenus Priami filius, vates nobilis. *Id. ib.* 15, 431. Dardania Roma, *h. e.* a Trojanis condita. *Lucan.* 3, 187. Dardania Oricus, *h. e.* in qua Helenus Priami filius regnavit. ℙ *Dardaniae artes* sunt magicae. V. in DARDANARIUS. ℙ De Dardanio oppido V. in DARDANIA.

DARDĀNUS, a, um, adj. ad Dardanum seu ad Trojanos pertinens. *Hor. Od.* 1, 15, 10. Dardana gens. *Id. ib.* 4, 6, 7. Dardanae turres, *h. e.* Trojae. *Virg. A.* 6, 57. Dardana tela Paridis. *Prop.* 4, 1, 4. Dardana puppis, *h. e.* navis, qua Aeneas in Italiam venit. *Sil.* 1, 14. ℙ De Dardano oppido V. in DARDANIA. ℙ *Dardanum* (subaudi *aurum*) brachiorum ornamentum aureum, quo et viri utebantur: ita dictum a Dardania Moesiae regione. *Plin.* 33, 3, 12. V. et infra. ℙ *Dardani, orum*, dicti sunt etiam Romani, quorum auctor Aeneas Dardanus. Hinc *Dardanus ductor* apud *Sil.* 1, 14. est Scipio Africanus. ℙ Item populi Moesiae, ubi nunc *Servia* est. *Plin.* 3, 26, 29. et *Cic. Sext.* 43. V. DARDANICUS.

DARDĀNUS, i, m. *Δάρδανος*, filius Jovis, et Electrae Atlantis filiae, qui ex Corito urbe Etruriae profectus (al. ex Pheneo urbe Arcadiae, al. ex Creta) Samothraciam primum cum fratre Iasio petiit: unde Penatibus cum eo divisis, et Palladio asportato, in Phrygiam transiit. Alii dicunt causam profectionis fuisse, quod in dissensione de regno fratrem interemisset, et ob iram populorum mutare solum coactus sit. Dardaniam oppidum et Ilium condidit, et regni Trojani princeps fuit. Duxit uxorem Batiam Teucri filiam (al. Astyochen), cui natus est filius Erichthonius, huic Tros, huic Assaracus, cujus frater Ilus, qui post eum regnavit, Laomedontem genuit Priami patrem. Alii aliter hanc genealogiam describunt, qui Dardanum non primum, sed secundum faciunt Ilii regem. *Virg. A.* tamen 8, 134. Dardanus Iliacae primus pater urbis et auctor. V. ibi *Servium*, et ad *A.* 7, 207., et ad *ib.* 3, 167., et ad *ib.* 8, 130. etc. ℙ Graeca positione *Ov. Fast.* 4, 31. Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum. ℙ *Dardanus* fuit etiam magicae artis scriptor celeberrimus ex Phoenicia, a quo Dardaniae artes, *h. e.* magicae, sunt appellatae. *Plin.* 30, 1, 2. et *Appul. Apol.* p. 331, 14. ℙ Est et philosophus Stoicus ap. *Cic. Acad.* 4, 22.

*DARDI, orum, populi Apuliae antiqui. *Plin.* 3, 11. Diomedes ibi delevit gentes Monadorum Dardorumque. *B. A.*

*DAREIUM, i, n. Parthiae oppidum. *Plin.* 6, 16. Legitur et *Dariaeum*. *B. A.*

*DARĒMAE, arum, populi Africae, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

DĂRES, etis, m. Δαρὴς, historicus Phrygius, qui primus bellum Trojanum, cui ipse interfuerat, Graece conscripsit, quod postea ab aliquo deterioris aevi scriptore Latine conversum est. Falsi enim sunt, qui ejus auctorem *Corn. Nepotem* fecere: quod et stilus indicat, et conveniens judicium eruditorum. Quare quae ex Darete afferuntur ad latinitatem pertinentia, exiguae admodum sunt auctoritatis. ℙ [*Dares, etis*, et *Dares, is*, teste *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 456., est nomen pugilis, cujus pugnam cum Entello *Id. ib.* a 369. et seqq. describit. *B. A.*]

*DARI, orum, Indiae populi, cis Gangem flumen. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

DĂRĪCUS. V. DARIUS.

*DARĬES, vox sine sensu. *Cato R. R.* 160. Luxum si quod est, hac cautione sanum fiet. harundinem prende tibi viridem P. IIII. aut V. longam. Mediam diffinde, et duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare, In Alio. S. F. Motas Vaeta Daries Dardaries Astataries Dissunapiter, usque dum coeant. *B. A.*

*DARĪTIS, idis, f. sc. regio, Δάρειτις χώρα, in Media fuit. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* Al. leg. *Daranthin.* In Ed. *Basil.* 1530. est *Dararin.* Partem Arianae esse aliqui volunt. *B. A.*

DĂRĪUS et Darēus, i, m. Δάρειος. Tres hoc nomine Persarum reges fuere: primus filius Hystaspis, pater Xerxis: alter Longimani filius, cognomine Nothus: tertius Arsami filius, quem Alexander regno spoliavit. De his *Justin.*, de tertio etiam *Curtius* multa. ℙ De secundo haec narrat *Val. Max.* 9, 2. *n.* 6. *ext.* Sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, quae septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret, mortis rationem excogitavit, qua onerosos sibi, non perrupto religionis vinculo, tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit, suppositoque tigno prominente, benigne cibo et potione exceptos in eo collocabat: e quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant. Hinc *Ov. Ib.* 317. Utque necatorum Darei fraude secundi, Sic tua subsidens devoret ossa cinis. ℙ *Claud. epist.* 1, 17. Darium famulis manibus doluisse peremptum Fertur. *Sidon.* primam et secundam licenter corripuit *carm.* 9, 51. Et primum Darii tumultuantes Praefectos satrapasque perculisse. ℙ Apud *Auson.* nomen est monetae aureae, quae XX. denarios valebat, *epist.* 5, 23. Ergo aut praedictos jam nunc rescribe Darios. Hic alii leg. *Daricos;* nam etiam Graeci Δαρεικοὺς vocant, cum prima tamen longa. *Id. ib.* 19. eosdem *Philippos* dixerat. [**Darios* non est sollicitandum. ℙ Casus obliqui plerumque *Darii* etc. scribuntur. Nonnulli tamen, in quibus *Zumpt.* in ed. *Curtii*, praeferunt *Darei* etc.]

*DARON, i, oppidum in Arabico latere Aegyptiorum, qui Psammetichum fugerunt, auctore *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*DARRAE, arum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*DARSA, ae, Asiae oppidum, in Pisidia. *Liv.* 28, 15. *B. A.*

*DASCŪSA, ae, f. oppidum Armeniae minoris. *Plin.* 5, 24. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* Item aliud, in Cappadocia. *Tab. Peut. B. A.*

*DASCYLĪUM vel Dascylēum, i, Δασκύλειον, Δασκύλιον, vel Dascylos, i, oppidum Bithyniae. *Mela* 1, 119. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*DASELIS, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

DĂSI, dari. *Fest.* V. initium litterae S.

*DASĬA, ae, femininum adj. graeci δασύς, εῖα, ύ, i. e. densus, asper. Δασεῖα sc. προσῳδία i. e. spiritus asper. Latine utitur h. v. *Pomp. comment. artis Don.* p. 80. *ed. Lind.:* Ceterum illi accentus superfluo adduntur, dasia et psile.

*DASIBARI, flumen in Cyrenaica. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

[DĂSĬUS, ii, m. a δασὺς, vel potius a λάσιος, hirsutus, pilosus: nam Latini quandoque λ Graecorum mutant in *d*, ut *meditari* a μελετᾶν, teste *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 1, 2. et *odefacit* pro *olfacit*, teste *Festo.* Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 986, 12. M. Postumius Dasius. *F.*]

DASUMIĀNUM Senatusconsultum, quod memoratur a *Martian. Dig.* 40, 5, 36. et a *Martian. ib.* 51. ad fideicommissarias libertates pertinens, a quodam Dasumio dictum videtur: sed nihil mihi praeterea compertum est. *Haloander* edidit *Dasumajanum;* alii leg. *Damasianum.*

DĂSYPUS, odis, m. et f. δασύπους, genus quadrupedis hirtos et villosos pedes habentis: a δασὺς, pilosus, et πούς, pes. *Plin.* 11, 39, 94. Pili dasypodi et in buccis intus, et in pedibus. *Id.* 8, 55, 81. Lepus omnium praedae nascens, solus, praeter dasypodem, superfetat. *Id.* 10, 63, 83. Dasypodes omni mense pariunt, et superfetant sicut lepores. et *ib. in f.* Superfetant et lepus tantum. ℙ *Plin. l. c.* sibi non constat; nam modo *dasypodem* vocat cuniculum, et distinguit a lepore, modo eundem ac leporem facit; *Aristoteles* vero, cui, ut diximus in V. CUNICULUS, ignotus fuit cuniculus, utroque vocabulo (δασύπους et λαγὼς) utitur ad leporem denotandum: itaque cum *Aristotele* potius putamus, *dasypodis* appellationem ad solum leporem pertinere.

DĂTĀRIUS, a, um, adj. δοτὸς, qui dari potest, vel dandus est. *Pl. Ps.* 4, 2, 13. An non prius salutas? *Sy.* Nulla est mihi salus dataria, *h. e.* quam temere aliis impertiam.

DĂTĀTIM, adv. invicem dando, ut *Ludere datatim*, quemadmodum qui pila lusitant, quae vicissim mittitur et remittitur. *Pl. Curc.* 2, 3, 17. Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via. ℙ Transfertur et ad obscenum sensum. *Enn.* (corrige *Naevius*) de meretrice loquens, ap. *Isid. Orig.* 1, 26. quasi in foro pila Ludens datatim dat se, et communem facit. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 213. Datatim in lecto ludere. Adde *Afran. ib.*

DĂTHĬĂTUM appellatur tus rufum, secundae vindemiae, viliorisque pretii, quod vere colligitur, incisis hieme arboris turiferae corticibus. *Plin.* 12, 14, 32., ad quem locum *Salm. Solin.* p. 505. vult legi *dadiotum*, a δάδιον, facula, parva taeda, quia in taediferis arboribus e trunco taedae fiunt, et quia hujusmodi tus rufum erat, atque adeo taedae accensae simile. *Dalecampius* vero deducit ἀπὸ τῆς δαδὸς καὶ τοῦ Θείου, a taeda nempe et sulphure, cujus odorem hoc vilius tus imitetur.

DĂTĬO, onis, f. δόσις, actus dandi. *Cic. Agr.* 2, 22. Cujus judicium legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur. Al. leg. *latio.* [*Illud recte habet; non enim de ferendis legibus sermo est, sed de iis legibus, quas Pompejus victis a se in Asia populis *dedit.*] *Varr. R. R.* 3, 9. Remittendum in datione cibi. *Plin.* 7, 56, 57. Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias Palamedes invenit. *Liv.* 39, 19. Uti Feceniae Hispalae datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, *h. e.* traditio possessionis patrimonii sui, cui vellet, vendendo, permutando, testamento relinquendo, etc. In *fragm. legis Mamiliae* p. 340. *Goesii.* Jurisdictio, judicis datio, addictio, *h. e.* assignatio. *Ulp. Dig.* 37, 8, 1. Datio bonorum possessionis. *Paul. ib.* 45, 1, 2. Datio partis. *Florentin. ib.* 34, 4, 14. Datio aut ademptio legati. ℙ *Marcell. ib.* 46, 3, 68. dationem pro solutione dixit.

*DATIS, is, m. unus ex Darii Hystaspis ducibus, a Miltiade ad Marathonem superatus. *Nep. Milt.* 4. ℙ Exinde suum *Datin Achaemeniae graviorem vulnere pugnae* hausisse videtur *Val. Fl.* 6, 65., uti censet *Gesnerus. B. A.*

DĂTĪVUS, a, um, adj. δοτὸς, qui datur, vel assignatur. *Tutores* alii sunt *dativi*, seu testamentarii; alii *optivi*, alii vero *legitimi. Caj. Instit.* 1. (edente iterum *Goeschenio*) §. 149. Vocantur hi, qui nominatim testamento tutores dantur, dativi: rectissime autem tutor sic dari potest: Lucium Titium liberis meis vel uxori meae tutorem do. *Id. ib.* §. 150. In persona autem uxoris recepta est tutoris optio, id est, ut liceat ei, quem velit ipsa, tutorem sibi optare, hoc modo: Titiae uxori meae tutoris optionem do: hinc qui ex optione sumuntur, optivi tutores vocantur. *Id. ib.* §. 155. Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII. Tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. [*In his alia refinxit, alia addidit. *F.*] *Imp.* tamen *Justinian. Cod.* 1, 3, 52. aperte distinguit testamentariam tutelam a legitima et dativa. Prior nempe est quae testamento, secunda quae lege, tertia quae judice datur: quod confirmat *ib.* 5, 30, 5. ℙ Apud grammaticos *dativus casus* est tertius, verbis dandi inserviens. *Quint.* 1, 4., *Gell.* 4, 16., *Prisc.*, *Diomed.* etc. Quare et *dandi casus* appellatur. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 25.

DĂTO, as, a. 1. frequentat. a *do.* [*Cato* apud *Front. ad Antonin. Imp.* 1, 2. *extr. ed. Maj.* Nunquam ego evectionem datavi, quo amicis meis per symbolos pecunias magnas caperent. *F.*] *Plin.* 25, 5, 23. Themison (*medicus*) binas non amplius drachmas (*hellebori*) datavit: sequentes et quaternas dedere, *h. e.* dare consuevit. Quidam MS. habet *dedit. Pl. Most.* 3, 1, 73. Tu solus, credo, fenore argentum datas. *Sidon. ep.* 5, 13. Cum tributum annuum datavere. ℙ Obscenum quid latet in illo *Pl. Aul.* 4, 4, 10. *Eu.* Pone. *St.* Equidem pol: te datare, credo, consuetum senex. V. DATATIM.

*DATON, i, n. oppidum Thraciae, inter Neapolim et Nestum flumen. *Datos* appellatur *Plin.* 4, 11. ed. *Hard.* ubi al. leg. *Pastos. B. A.*

DĂTOR, oris, m. δοτὴρ, qui dat. *Pl. Truc.* 2, 1, 33. et 2, 7, 18. Datores novos oportet quaerere, qui de thesauris integris demunt, danunt. *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 3. p. 616. Datores bellissimi negotioli soletis esse. *Virg. A.* 1, 138. Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Juno. ℙ In ludo pilae *dator* est, qui pilam ludentibus subministrat: sicut *factor*, qui pilam ferit, et ipsum lusus cer-tamen facit: unde *factiones* dictae de partibus ludentium. *Pl. Curc.* 2, 3, 17. Tum isti qui ludunt datatim, servi scurrarum in via, Et datores et factores omnes subdam sub solum. De hoc *Petr. Sat.* 27. Non eam (*pilam*) amplius repetebat, quae terram contigerat, sed follem plenum habebat servus, sufficiebatque ludentibus.

DĂTUS, a, um, particip. a *do*, δεδομένος, concessus, tributus. *Cic. Manil.* 16. *extr.* Bonum oblatum et datum. *Id. Off.* 1, 17. Beneficia ultro citro data, accepta. *Id. Senect.* 20. Fidem hosti datam conservare. *Id. Att.* 7, 18. Illius alterum consulatum a republica, ne data quidem occasione, repulimus. *Liv.* 2, 41. Signum inde factum esse et inscriptum: Ex Cassia familia datum. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 1. et *Plin. ep.* 7, 12. *ad f.* Data opera aliquid facere. *Virg. A.* 1, 87. venti, Qua data porta, ruunt. *Quint.* 1, 10. Scire quemadmodum in data linea constitui triangula aequis lateribus possint. *modus dicendi frequens apud mathematicos.* ℙ *Data, orum*, sunt res datae. *Cic. Amic.* 16. Ut par sit ratio acceptorum et datorum, i. e. *Einnahme und Ausgabe.* ℙ Et specialiter munera, δῶρα. *Ov. Met.* 6, 463. Ingentibus datis sollicitare aliquem. *Pl. Ps.* 1, 3, 72. Non est justus amator, nisi qui perpetuat data. *Prop.* 3, 13, 6. heu nullis capta Lycinna datis. [**Cic. Cluent.* 24. tantum donis, datis, muneribusque perfecerat. Olim male legebatur h. l. *donis datis.* De compositione hujusmodi synonymorum V. *Salm.* ad *Lamprid. Lev. c.* 26. *Tom.* II. p. 923. et *Gron. obss.* IV. p. 230. Haec *Ern.* in *cl. Cic.*] ℙ In ludo calculorum *datum* est calculus loco motus vincendi gratia. *Cic. fragm.* apud *Non.* 2, 781. Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati poenitet. *Quint.* 11, 2. *post med.* Scaevola in lusu duodecim scriptorum, cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus rediit, etc. ℙ *Datum* adscriptum in fine epistolarum significat tempus et locum, quo epistola data scripta est. Legitur apud *Cic. Fam.* 14, 1. 7. 8. 12. et 23. Sic *Q. Fr.* 2, 16. Accepi tuas litteras datas Placentiae. ℙ *Datus* cum infinito. *Stat. Th.* 10, 387. motu ducis acer agebat Amphion equites, noctem vigilataque castra Explorare datus, *h. e.* jussus, vel missus, destinatus ad explorandum.

DĂTUS, us, m. datio, δοσις. In sexto casu singulari. *Pl. Trin.* 5, 2, 15. Is mille nummum se aureum meo datu tibi ferre ajebat.

*DAVANA, ae, oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 23, 6. *Dabana* audit *Notit. Imper. B. A.*

DAUCUM et Daucon, i. n. δαῦκον, herba est e genere pastinacarum, et ipsa plurium generum, sed probatissima Cretica, cujus meminit etiam *Celsus* 5, 23. *n.* 3., foeniculi similitudine, candidioribus foliis et minoribus hirsutisque, caule pedali recto, radice suavissimi gustus et odoris, semine milii albo, acri, odorato, ut *Plin.* 19, 5, 27. et 25, 9, 64. describit. *Id. ib.* 11, 84. Daucum medetur capitis dolori. *Id.* 26, 7, 25. Cruditates digerunt daucum, vettonicae farina, plantago decocta. [*Appellatur etiam Daucion et Daucites. *Appul. de herb.* 80. *B. A.*]

*DAUCUS, i, m. i. q. daucum s. daucon. *Scribon. Larg. compos.* 167, 170 et 177. Daucus Creticus. *B. A.*

*DAVELLI, orum, Aethiopiae populus. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

DAVERSII. V. DAORSI.

DĂVID, m. indeclin. et ĭdis, secundus Hebraeorum rex, nobilitate generis, sanctitate, prophetia, psalmorum sacrorum opere, magnisque aliis rebus gestis in omne aevum celeberrimus. *Auson. Ephemer. in orat. in f.* Consona quem celebrant modulati carmina David. *Juvenc.* 4, 48. Respondent, illum Davidis origine nasci.

DĂVĬDĬCUS, a, um, adj. ad Davidem pertinens. *Prud. Cath.* 12, 49. Jam flos subit Davidicus, Radice Jesse editus, *h. e.* Jesus Christus, qui ex semine David homo natus est. *Sedul.* 1, 7. cur ego Davidicis assuetus cantibus, etc. *Id.* 4, 42. Talia Davidicam post facta reliquerat urbem, *h. e.* Hierosolyma.

DAULĬAS, ădis, f. patronymicum a Daulide regione, et urbe Phocidis, quae olim a Thracibus culta, Terei regis Thraciae imperio paruit. In hac urbe fama est, Prognen Tereo filium Ityn epulandum dedisse, ipsamque in hirundinem, et Philomelam sororem in lusciniam conversam fuisse, ut *Pausan.* tradit in *Atticis* et in *Phocicis:* quamvis *Ov. Met.* 1, 412. et seqq., ubi totam hanc fabulam persequitur, in Thracia id accidisse narrat. Hinc *Daulias ales* tum Prognen, tum Philomelam significare potest: sed de Progne, quae fuit mater Ityos, dicitur in illo *Ov. Her.* 15, 153. Sola virum non ulta pie moestissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn. et *Albinov.* 1, 105. Talis in umbrosis mitis nunc denique silvis Deflet Threicium Daulias ales Ityn. *Virg. Cir.* 200. Dauliades puellae. Adde *Catull.* 65, 14.

DAULIS, idis, f. Δαυλὶς, idem quod Daulias

Senec. Thyest. 275. animum Daulis inspira parens sororque, *h. e.* Progne et Philomela.

DAULĬUS, a, um, adj. ad Daulidem urbem Phocidis pertinens. V. in DAULIAS. *Ov. Met.* 5, 276. Daulia Threicio, Phoceaque milite rura Ceperat ille ferox.

DAUNĬĂCUS, a, um, adj. idem quod Daunius. *Sil.* 12, 429. Jamque in Dauniacos transfundens agmina campos. Alii leg. *Daunivagos.*

*DAUNĬAS, adis, f. i. q. Daunia. *Hor. Od.* 1, 22, 14. Daunias tellus. Al. leg. *Daunia.* Al. aliter. *B. A.*

DAUNĬUS, a, um, adj. ad Daunum pertinens. *Virg. A.* 8, 146. Gens Daunia, *h. e.* Rutuli cum Turno rege Dauni filio. *Id. ib.* 12, 723. Daunius heros, *h. e.* Turnus. *Id. ib.* 785. Dea Daunia, *h. e.* Juturna nympha Turni soror. *Sil.* 8, 359. regna, *h. e.* Rutulorum. *Hor. Od.* 2, 1, 33. Dauniae caedes, *h. e.* Latinorum. Ponit autem *Daunias*, quia ex Apulia Daunia fortissimi milites conscribebantur: quare *Daunia militaris* ab eodem *Od.* 1, 22, 14. appellatur. *Id. ib.* 4, 6, 27. Daunia Camena, *h. e.* sua ipsius *Horatii*, qui Venusinus fuit. Venusia autem est in confinio Lucaniae et Apuliae Dauniae, ut ipse *Sat.* 2, 1, 34. docet; et praeterea Dauniorum colonia fuit, ut apud *Plin.* 3, 11, 16. legitur. *Sil.* 2, 244. Daunius juvenis, *h. e.* Theron, cujus patria fuit Ardea Rutulorum oppidum. ℙ *Bulbum Daunium* memorat *Ov. Rem. Am.* 797., quia post Megaricos et Africanos optimi in Apulia Daunia nascebantur, teste *Plin.* 19, 5, 30. ℙ *Daunii, orum*, sunt Apuliae Dauniae homines. *Plin.* 3, 11, 16. ℙ Porro *Apulia Daunia* pars est Apuliae, quae nunc *Capitanata* dicitur, in qua Salapia, Sipontum, Uria etc. urbes fuere: cognominata a Dauno rege, Diomedis socero, Illyricae gentis claro viro, qui eam, propter domesticam seditionem excedens patria, occupavit. *Id. ib.* et *Fest.*

DAUNUS, i, m. Illyricae gentis clarus vir, qui patria pulsus propter domesticam seditionem, eam Apuliae partem, quae ab ipso *Daunia* dicta est, occupavit, ibique rex fuit. Ita *Festus.* Addit *Plin.* 3, 11, 16. fuisse socerum Diomedis. Huic enim in ea loca appellenti filiam suam Euhippam in uxorem dedisse dicitur. Alii tradunt, Italum fuisse, Pilumni Apuliae regis filium ex Danae (ut in DANAE dictum est), et metu Acrisii Danaen filiam persequentis, secessisse in alteram Italiae partem, ubi erant Rutuli, et Ardeam ibi condidisse. Incertum est, hicne fuerit an ejus nepos, qui ex Venilia Turnum genuit, quem Aeneas occidit. *Virg.* quidem *A.* 10, 76. Turnum facit Pilumni nepotem et Dauni filium. [*Plerumque cognomen habet *Iapyx* i. e. Iapygius s. Apulus. *Ov. Met.* 14, 458. et s. v. Iapyx,] ℙ *Dauni, orum*, populi sunt iidem qui Daunii. *Mela* 2, 4.

DAUTĬA pro *lautia*, quae scil. dantur legatis hospitii gratia, *Festus* in *Dacrimas*, olim dictum fuisse tradit. Quod quidam dicunt esse a Graeco *δώτια*, ut inde *dautia*, post *lautia* factum fuerit.

DĀVUS et Davos (V. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 2, 2.) nomen servi comici apud *Pl.* et *Ter.* et aliosa Quemadmodum *Syrus*, *Geta* etc. nomina item servorum sunt a gentibus ducta, ita *Davus* a *Davis*, qui olim *Davi* appellati sint, duci quibusdam videtur. Alii factum putant ex *Dalivus* per syncopen, de quo V. supra loco suo. *Hor. A. P.* 237. Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax Pythias.

DE

DĔ, *παρὰ, περὶ, ἐκ, ἀπὸ*, praepositio ablativo serviens, quae saepe refertur ad personam, et significat *a, ab, ex. Cic. Att.* 1, 14. Messala de Pompejo quaesivit, quid de religione sentiret. *Id. Flacc.* 20. Fundum mercatus est de pupillo Meculonio. *Id. Att.* 1, 11. Verum haec audies de Philadelpho. *Epit. Livii* 51. Uxor de marito impetrare non potuerat, ut etc. *Lucil.* ap. *Non.* 12, 35. Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam. [**Tac. A.* 1, 37. de imperatore rapti fisci; sc. sunt apud eum; igitur ex ejus domo rapiuntur.] ℙ 2. Item ad locum, et valet idem, quod *ex* vel *a. Cic. Or.* 15. Non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro quaerimus. *Ter. Andr.* 3, 2, 11. Illis, quae sunt intus, clamat de via. *Cic. Div.* 1, 42. propter aeris crassitudinem, de coelo apud eos multa fiebant. *Id. Rosc. Am.* 52. Effugere de manibus alicujus. *Id. Cluent.* 59. A. Binnius copo de via Latina. *Id. Att.* 15, 4. *sub f.* Ecce autem de transverso L. Caesar, ut veniam ad se, rogat. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Haec agebantur in conventu palam, de sella et loco superiore. *Senec. Prov.* 2. De genu pugnare. ℙ 3. Item ad tempus: qua ratione vel pro *in* aut *per* vel pro *post* adhibetur. *Ter. Ad.* 5, 3, 35. et *Hor. Ep.* 1, 2, 32. surgunt de nocte latrones. *Cic. Phil.* 2, 34. Cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere, i. e. palam, *(am Tage)* quia supra dixerat, non modo urbem odisse, sed etiam lucem. [*Sic *Forc.* Mihi quidem melius videtur, intelligere h. l. ex vulgari harum formularum usu, ut sit i. q. simulac dies oritur, *vom Tage an*, i. e. *von Tagesanbruch.* V. paullo infra locum *Suet. Dom.* 21.] *Id. Q. Fr.* 2, 15. Viatores, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent, perveniunt, quo volunt. (Adde *Suet. Vesp.* 21. [*coll. *Oud.* ad h. l. et *Drak.* ad *Liv.* 8, 23.]) *Caes. B. C.* 2, 35. *extr.* De tertia vigilia silentio exercitum reducit, *h. e.* transacta tertia vigilia. *Id. B. G.* 7, 88. De media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur. Sic *Hor. Sat.* 2, 8, 3. De medio potare die. [**ἀφ' ἡμέρας πίνειν*, V. *Matth. gr. gr.* p. 1129.] *Pl. Most.* 3, 2, 8. Non bonus somnus est de prandio. [*i. e. *von der Mahlzeit weg* — statim post prandium. *Hom. Il. Θ*, 53. *ἀπὸ δ' αὖνοῦ* (sc. *δείπνου*) *θωρήσσοντο.*] *Virg. A.* 2, 662. Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus, *h. e.* post caedem Priami et Politae filii. *Catull.* 47, 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis, mature et multo ante noctem, cum mos esset sero tantum coenare. (Sic *Liv.* 23, 8. Epulari de die. *Ter. Ad.* 5, 9, 8. Apparare de die convivium. *Donat.* tamen aliter interpretatur) *Suet. Dom.* 21. Lavabat de die, prandebatque ad satietatem, i. e. orto jam die, mane, mature, cum alioquin mos esset circa octavam, aut nonam horam balneo uti. *Cic. Sull.* 24. *ad f.* Etenim de principio studuit animus occurrere magnitudini criminis; nunc etc. ℙ 4. Item ad rem, et fere *ex* significat. *Cic. Verr.* 2, 3, 53. Recita de epistola reliqua. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Duo parietes de eadem fidelia dealbare. V. FIDELIA. *Cic.* ad *Planc. post ep.* 16, 16. ad *Att.* Atticus pecunia numeravit de suo. [*Hujus generis exempla V. apud *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Epit.* 48. §. 17.] *Id. Verr.* 2, 2, 46. Nihil ex sacro, nihil de publico attingeres. *Ov. Met.* 1, 127. De duro est ultima *(aetas)* ferro. *Plin.* 26, 4, 11. Succus de quinquefolio. *Scribon. Compos.* 245. Cinis de filice facta. *Id. ib.* 16. De calvaria defuncti terna cochlearia sumere per dies. ℙ 5. Frequentissime significat rem seu materiam, de qua agitur, et pro *circa*, *super* vel *quod attinet ad* adhibetur. *Cic. Att.* 7, 2. *sub f.* Uni epistolae non rescripsi, in qua est de periculis reipublicae. *Id. Mil.* 3. Fama de illo. *Id. Quint.* 9. Judicium est non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque Quintii. *Id. ib.* 11. Mentio de pecunia. *Id. Sext.* 33. *sub f.* Quae etiam collegae ejus moderatio de me. *Id. Div.* 1, 27. Somnium de Simonide. *Id. Att.* 10, 3. Legati de pace. *Plin. ep.* 4. 7. *extr.* Credas non de puero scriptum, sed a puero. *Cic. Off.* 1, 13. Regulus de captivis commutandis Romam missus. *Id. Mur.* 3. Legem de ambitu ferre. *Id. Divin.* 2, 1. Liber de contemnenda morte. *Id. Or.* 2, 31. Quaestio de re aliqua. *Id. passim.* De re aliqua dicere, agere, referre, statuere, disputare etc. *Id. Dom.* 18. Collegia, quae coeant de hominum locupletissimorum bonis. *Id. Fam.* 3, 12. De me autem, suscipe paulisper meas partes, et eum te esse finge, qui cum ego, i. e. quod ad me attinet. Sic *ib.* 2, 17. De rationibus referendis, non erat incommodum, te nullam referre. *Prop.* 2, 14, 33. De me, mi certe poteris formosa videri. *Pl. Merc.* 3, 1, 22. De lanificio neminem metuo. ℙ 6. Aliquando causam designat et adhibetur pro *causa* vel *propter. Cic. Verr.* 2, 1, 30. Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. *Ter. Eun.* 3, 2, 4. Ecquid nos amas de fidicina istac? *Curt.* 10, 5. Non de regno, sed de rege fundare sanguinem. *Val. Fl.* 6, 65. Achaemeniae gravior de vulnere pugnae. [**Liv.* 6, 42, 11. concedere de aliqua re. V. *Drak.* ad h. l. *Tac. H.* 1, 34. de odio facilius creditur. *Pl. Trin.* 2, 2, 18. hisce ego de artibus gratiam facio, i. e. concedo quod attinet ad has artes. *Suet. Dom.* 13. de oratoribus coronatus, i. e. victor de oratoribus, prorsus ut Graeci loquuntur, *νίκα ἀπὸ παγκρατίου* (*Pind. Isthm.* 6, 88.). Cf. *Matthiae gr. gr.* p. 1131.] ℙ 7. Item conditionem, gradum, multitudinem, et videtur pro *inter* usurpari. *Cic. Opt. gen. Or.* 4. Habeatur sane orator, sed de minoribus. *Id. Fam.* 16, 1. *extr.* De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum. *Id. Mil.* 24. Se gladio percussum ab uno de illis. *Id. Brut.* 34. Accusator de plebe L. Caesulenus fuit. *Varr R. R.* 1, 38. Stercus optimum esse volucrium: de his praestare columbinum. ℙ 8. Interseritur eleganter inter adjectivum et substantivum. *Hor. Ep.* 1, 7, 88. Media de nocte. *Cic. Or.* 1, 41. Certis de causis. ℙ 9. Postponitur etiam relativo. *Cic. Phil.* 1, 5. Quorum de honore agitur. *Id. Or.* 3, 26. Qua de parte. *Id. Inv.* 1, 28. Quod simile erit ei negotio, quo de agitur. *Id. Verr.* 2, 2, 12. Fundus, quo de agitur. *Massur.* tamen *Sabin.* apud *Gell.* 5, 13. *de qua causa* dixit pro *qua de causa.* [*Ita de hujus particulae doctrina tradidit *Forc.* Jam ipsi partim ea, quae supplenda, partim in quem ordinem a *Forc.* disputata redigenda esse videantur, attexamus. Ac proprie quidem, quae significatio a sensu petita est, *de* pertinet ad relationem, quae est inter locum superiorem et inferiorem, ubi nos dicimus: *von wo herab* (gr. *κατὰ* cum genitivo), et quod saepe idem fere est, *von wo aus*, *(von wo weg, von wo ab, von wo an).* Jam, prout verbum, quocum *de* construitur, vel activum, vel neutrum passivumve est, partim quies in aliquo loco, partim motus ex alio in alium locum significatur. Exempla V. supra §. 2. ut: fiebant haec palam, de sella et tribunali; descendere de coelo etc. In universum veteres in usu praepositionum nobis accuratiores sunt; certe nos in multis aliam cogitationis relationem substituimus, quam quae proprie esse debet; e. g. multa *(φανόμενα)* apud eos fiebant de coelo: *vom Himmel herab*, pro quo nos brevius: *am Himmel.* De genu pugnare, *auf den Knieen*, ubi relatio ab inferiore loco ad superiorem. *Suet. Tib.* 34. de manu reddere strenam, *mit eigner Hand*, i. e. non per servos. *Colum.* 2, 4, 9. de clunibus pinnas habent gallinae, i. e. *vom Bürzel an*, i. e. *gleich am* etc. *Veget. Vet.* 2, 54. de capitibus ungularum calcant, i. e. *mit den Spitzen* etc. Apud *Suet. Ner.* 46. *de Mausoleo exaudita est vox* proprie est de superiore ejus parte; fortasse tamen est i. q. ex interiore ejus recessu. A Mausoleo etc. — esset i. q. *ἀπὸ*, *aus der Nache desselben.* — Motus significatur, ubi construitur *de* cum vv. activis. *Suet. Caes.* 9. togam dejicere *de* humero; nam toga ipsa est *in* humero; quodsi dicerres *ab humero:* necesse esset ipse stares in humero, indeque dejiceres togam. Compara porro *Varr. R. R.* 2, 1, 3. necesse est humanae vitae a summa memoria descendisse ad hanc aetatem. In quo exemplo *a* significat locum, unde aliquid proficiscitur, non *in quo* (*worauf*) aliquid est. Quum *a* et *de* cum personis construuntur, hoc discrimen est: *a* significat causam agentem et est activum, *ἀπὸ; de* tantummodo ad locum spectat, et habet vim passivam, *παρὰ, ἐκ.* E. g. *Hor. Od.* 1, 28, 27. multaque merces unde potest, tibi defluat aequo *ab* Jove, i. e. *ὑπὸ Διός* sive: Jupiter det tibi multam mercem. Quodsi dixerit aliquis: tibi defluat aliquid de Jove, illud quod defluit in Jovis vel capite vel genibus positum esset, illudque sine Jovis voluntate per se defluereat. Commutatur igitur locus, quum uteris praep. *de*, quod secus est, quum *ab* usurpas. Pendent enim uvae *ab* arbore, quae eum ab omnibus quasi partibus circumdant, non tantum in summa sunt parte: nos: *an ihm herab*, non: *von ihm.* — Interdum relatio est simpliciter inter duos locos, omissa inferioris et superioris loci notione, ut (§. 2.) clamare de via, *von wo aus = auf der Strasse.* Ad sqq. autem pertinet *Cic.* locus: copo de via latina. V. infra et §. 1. prohibere vim de classe, *von wo ab.* ℙ Quum quid ex uno in alium locum transfertur, sive aliquid ex aliquo loco sumitur, pars quaedam a toto aliquo segregatur. Hinc intelligitur, cur haec praepositio (quod jam ex parte in superioribus exemplis, quanquam minus aperte, locum habebat) etiam *partitivam* habeat vim. Haec significatio latissime patet, atque non uno modo cernitur. Ac primum quidem ita reperitur a) post numeralia et quae sunt hujus generis, cf. §. 7. quibus adde *Tac. A.* 15, 54. de sequentibus plerique. *Suet. Aug.* 17. major de duobus. *Id. ib.* 101. de tribus voluminibus, et *Oud.* ad h. l. b) de loco dicitur: ut §. 2. declamator de schola, rabula de foro, i. e. quales in schola, in fore esse solent, qui scholam et forum sapiunt. Est in hoc exemplo aliqua ad ingenium relatio conjuncta cum aliqua vituperatione; secus atque apud Graecos, apud quos *οἱ ἀπὸ Πλάτωνος*, i. e. Platonici, ii intelliguntur, qui ex ejus disciplina prodierunt. Sic, *copo de via Latina*, nos: *von der lat. Strasse;* habitabat enim in ea. *Curius* in *Cic. Fam.* 7, 29. Sulpicii successori nos de meliore nota commenda, i. e. diligentissime, interprete *Manut.* quem V. Omninoque saepe notio adjectivi circumscribitur hac praepositione. *Cic. Flacc.* 41. accusator de plebe, i. e. plebejus, ut *id. Brut.* 34. dictator primus de plebe. c) quare etiam de materia, unde quid constat: §. 4. aetas ultima de duro ferro est, quod idem est, atque: *ferrea* est. Hinc *de*, maxime apud scriptores recentioris aevi, inservit genitivo circumscribendo. Nam *Cic.* et ejus aequales nonnisi ad ambiguitatem vitandam ita loquuntur. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. partem de istius impudentia reficere. *Ter. Heaut.* 4, 1, 39. expers partis de nostris bonis. Exempla V. ibidem, quibus similia attulit *Gron.* in *diatr. Stat.* l. p. 560. ed. Lips., ut *Tert. de test. anim.* l. fidem inclinavit humana de credulitate duritia, i. e. *τὸ σκληρὸν τῆς ἀπιστίας.* d) Hinc in multis exemplis idem prorsus est quod *ex.* Dici enim potest: *duo parietes de* et *ex* eadem fidelia dealbare. Materia enim dealbandi est in fidelia; quoniam autem dealbando pariete materia imminuitur (de reliqua materia pars desumitur), dixit: de eadem fidelia. Haec *sumendi* sive *desumendi* notio ubique subest, ubi pro *ex* dictum esse narrant. *Cic. Fam.* 2, 17. de praeda mea teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam. *Id. N. D.* 3, 34. mensas argenteas de omnibus delubris auferri jussit. *Lucan.* 4, 805. poenas date de sanguine vestro, nos *mit;* sanguis enim profunditur. Alia hujus usus collegit *Cort.* ad h. l. *Caes. B. G.* 8, 31. infamiam capere de detrimento aut timore provinciae. Ubi V. *Herz.* Hoc

modo est etiam i. q. *secundum*, ut *Suet. Tit.* 5. de more rituque priscae religionis. *Id. Tib.* 13. de consilii sententia. *Caes. B. G.* 8, 54. de sententia adversariorum, coll. *Cic. Att.* 4, 2. *Fin.* 2, 31, 101. e) Porro huc refer formulas *de tuo*, *de suo* etc. supra §. 4. f) Denique *de*, (et *ex*, quod V.) ut Graecorum ἀπὸ et ἐξ adverbiis circumscribendis inservit, ut §. 2. de transverso, *querfeldein; Suet. Galb.* 19. de industria, ut Graeci ἀπὸ σπουδῆς, i. e. σπουδαίως. ℙ Eadem partis alicujus notio subest, quum *de* ad tempus refertur, de quo multis exposuit *Forc.* §. 3. quibus quae addenda videbantur, supra adscripsi. ℙ Ad partitivam potestatem revocandus est etiam is usus, quo saepissime utuntur hac particula, quum est i. q. circa, super. Quum enim agitur de re aliqua sumitur illa res pro argumento dicendi super ea; est illa res pars eorum, quae disseruntur. V. supra §. 6. et 7.] ℙ In compositione saepe motum deorsum significat, ut *descendo*, *deruo*, *decerpo*, *deduco* etc., aliquando vim habet augendi, ut *debacchor*, *deamo*, *deparcus* etc., interdum privandi, ut *demens*, *desum*, *deformis*, *decolor* etc. [*Interdum cessandi, ut *desaevire*, *detumescere*, *defurere*, *defremere* etc., V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 304. Ceterum bene docet *Döderl. Syn.* I. p. 51. vim praepos. *de* in compositis duplicem esse; quum enim proprie quidem insit in ea significatio motus deorsum, tenendum tamen esse, motum illum vel utilitati vel damno esse posse alicui. Nam qui deorsum sese movet, vel firmo talo in solo insistit et quietem nanciscitur; — unde *devertere* esse i. q. via relicta se conferre in locum, ubi quiescas; — vel, utpote victus et altero debilior, *humi* jacet et male habet; unde fieri, ut damni alicujus significatio verbis cum *de* compositis adhaereat, ut in *denuntiare*, *deuti*, *deridere*. — ℙ Commutantur saepissime verba a *de* et *di* incipientia et interdum, utrum verius sit, satis difficile est judicatu. V. quae hac de re collegit *Drak.* ad *Liv.* 7, 23, 6. Porro verba a *de* et *re* incipientia, de quo V. *Idem* ad *Eund.* 9, 10, 6. et *Cort.* ad *Lucan.* 8, 620. *De* et *e* sive *ex*, *Drak.* ad *Liv.* 21, 6, 5. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 272. *Burm.* ad *Ov. Her.* 14, 86. et ad *Virg. A.* 3, 602. et *prae*, *id. ib.* 9, 925. — et *a*, V. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 4, 11. *Burm.* ad *Ov. Her.* 4, 96.]

DĔA, ae, f. Θεα, feminin. a *Deus*. *Cic. N. D.* 3, 18. Qui Dea matre est, Deus sit necesse est. ℙ Dicitur et de Nymphis, *h. e.* quae annos innumeros vivere dicuntur, non tamen esse omnino immortales. *Prop.* 2, 23, 92. Atque inter pecudes accubuisse Deam, *h. e.* Oenonen, quam alii vel laqueo vel moerore, viso cadavere Paridis, vitam finisse, tradidere. ℙ *Dea Dia* est Ceres, Θεὰ Δηώ, ut est apud *Suidam. Inscr.* ap. *Grut.* 120. et 121. et apud *Mur.* 312. et 340. et 341. [Idem pluribus confirmat *Marin. Frat. Arv.* p. 10., quem videsis. *F.*] ℙ In dativo plurali, ubi opus est distinctione, facit *Deabus*, at *Diis* ubi non est opus. *Cic. Rabir. perd.* 2. A Diis Deabusque immortalibus pacem ac veniam peto. *Varr. R. R.* 3, 16. His Diis Helicona atque Olympum attribuerunt homines, *h. e.* Musis. V. dicta in ASINA. ℙ [*Dea (i. e. Livia Augusta) *Vocontiorum*, templi et praesertim oppidi nomen est in Gallia Narbonensi, in Vocontiorum regione. *Anton. Itin.* et *Tab. Peutinger.* Hodie est *Die* in Delphinatu. ℙ Hinc *Deenses* populi vel cives dicti. *Notit. provinc.* Civitas Deensium. *B. A.*]

DĔACĬNĀTUS, a, um, adj. a quo acini abstersi sunt. *Cato R. R.* 26. Si bene deacinata erunt dolia.

DĔACTĬO, peractio. *Festus.* Nam *de* aliquando auget.

DĔALBĀTOR, oris, m, λευκαντής, qui dealbat. *Imp. Constantin. Cod.* 10, 64, 1. Carpentarii, sculptores, dealbatores, cusores etc., ubi videntur intelligi qui gypsum inducunt, quoniam ii, qui albarium opus parietibus illinunt, supra nominantur et *albini* dicuntur.

DĔALBĀTUS, a, um, part. a *dealbo*, ἀπολευκανθείς, *Cic. Verr.* 2, 1, 55. Omnes illae columnae, quas dealbatas videtis. *Inscr.* optimae notae apud *Grut.* 207, 2. Lita politaque, et calce uda dealbata recte facito. ℙ Translate. *Augustin. Conf.* 7, 6. Dealbatiores vias saeculi cursitabat.

DĔALBO, as, avi, atum, a. 1. ἀπολευκαίνω, album facio, albarium opus induco. *Cic. Verr.* 2, 1, 55. *extr.* Dealbare columnas. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Dealbare parietes. V. FIDELIA. *Vitr.* 7, 4. Tum tegulae calce ex aqua liquida dealbentur.

DĔAMĀTUS, a, um, part. a *deamo*, valde amatus, apprime carus. *Pl. Truc.* 4, 1, 5. Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.

DĔAMBŪLĀCRUM, i, n. locus ad deambulandum, περίπατος. *Mamertin. Grat. act.* ad *Julian.* 9. Fora, deambulacra, gymnasia laetis populis frequentari.

DĔAMBŪLĀTĬO, onis, f. περίπατος, actus deambulandi. *Ter. Heaut.* 4, 6, 2. Haec deambulatio me ad languorem dedit.

DĔAMBŪLĀTŌRĬUS, a, um, adj. aptus ad deambulandum. *Capitol. Gordian. III.* 32. Medium vero lithostrotum, quod esset deambulatorium etc. V. CHALCIDICUM.

DĔAMBŬLO, as, avi, atum, n. 1. περιπατέω, sursum prorsum ambulo, ut fit valetudinis, aut animi causa. *Ter. Heaut.* 3, 3, 26. Abi deambulatum. *Suet. Aug.* 83. Mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat, et *ib.* 96. Deambulans in litore. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Leg.* 1, 4. Cum satis erit deambulatum, requiescemus. [*Ex sententia *Döderl. Syn.* etc. 111. p. 48. praepositio *de* in hoc vocabulo *finem ambulandi* significat; scilicet ambulare eo fine, ut corpus aliquantulum fatigetur = *spatzieren gehen.* Ne ipsos quidem veteres vim hujus vocabuli satis perspexisse colligit ex *Cic. Or.* 2, 63, 256. Cato, quum cuidam dixisset: Eamus deambulatum: et ille: quid opus fuit *de?* Imo vero, inquit, quid opus fuit *te?*]

DĔĀMO, as, avi, atum, a. 1. ὑπερφιλέω, vehementius amo, ut et *Non.* 2, 221. exponit. *Ter. Heaut.* 4, 6, 21. Deamo te, Syre. *Pl. Epid.* 2, 2, 35. Cum illa, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit. *Id. Poen.* 5, 4, 3. Deamavi ecastor illic ego hodie lepidissima munera meretricum, *h. e.* magni aestimavi, valde mihi placuerunt. Adde *Afran.* ap. *Non. l. c.* [*Negat *Scheller.* deamare esse i. q. valde amare. Minus recte. Cur enim praepositio addatur? V. DEBACCHOR.]

DĔĀNĀ pro Diana legitur in multis *Inscrr.* ap. *Grut.* 39, 2, 4. et 7. et 314, 3. etc.

DĔARGENTASSĔRĔ obsolet. verbum futuri infinitivi modi, pro, argento spoliaturum. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 218. Depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere.

DĔARGENTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *deargento*, argento tectus, ut Deargentata arma. *Oros.* 3, 22. Deargentata columba. *August. ep.* 23. c. 5. [*Hieron.* in *Isaj.* 9, 30, 24. Nisi idola deargentata et deaurata fuerint comminuta. *F.*]

*DĔARGŪMENTOR, aris, dep. 1. valde argumentor. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 7. Super his deargumentabor. *B. A.*

DĔARMĀTUS, a, um, part. a *dearmo*, exarmatus, armis spoliatus, ἀφοπλιζόμενος. *Liv.* 4, 10. Praelatis spoliis, quibus dearmatum hostium exercitum sub jugum miserat.

DĔARMO, as, a. 1. ἀφοπλίζω, arma detraho. *Appul. Met.* 5. *sub f.* Pharetram expilet, sagittas dearmet.

DEARTŬĀTUS, a, um, part. a *deartuo*, per artus discissus, ut *Non.* 1, 314. exponit. Translate. *Pl. Capt.* 3, 4, 108. Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum, miser, hujus scelesti technis.

DĔARTŬO, as, a. 1. per artus concidere, ut *Non.* 2, 203. interpretatur: ab *artus*, pro quo *artua* in plur. num. dictum est. Translate. *Pl. Capt.* 3, 5, 13. Tuis scelestis falsidicis fallaciis delaceravisti deartuavistique opes.

DĔASCIĀTUS, e, um, part. a *deascio*, ascia, politus, dolatus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 381. Deasciato supplicare stipiti.

DĔASCĬO, as, a. 1. ascia laevigo, polio. Translate. *Pl. Mil.* 3, 3, 11. Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari, *h. e.* circumveniri et aliquid ab eo abradi. *Inscr.* ap. *Mur.* 1203, 9. Si quis hoc monumentum violaverit aut titulum deasciaverit etc., *h. e.* ascia abradens deleverit.

DĔAURĀTOR, oris, m. χρυσωτής, qui aurum alicui rei inducit. *Imp. Constant. Cod.* 10, 64, 1. Musivarii, deauratores, albini.

DĔAURĀTUS, a, um, part. a *deauro*, χρυσωθείς, auro illitus vel ornatus. *Senec. ep.* 76. *ante med.* Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, sed etc.

DĔAURO, as, avi, atum, a. 1. χρυσόω, aurum illino seu induco. *Tert. Idolol.* 8. Soccus et baxea quotidie deaurantur. *Imppp. Valentin., Valens* et *Gratian. Cod. Theod.* 10, 22, 1. Cassidas et bucculas et tegerent argento et deaurarent.

*DĔBACCHĀTĬO, onis, f. immanis bacchatio. *Salvian. Gubern. D.* 7. *post init.* Fervidae libidinis debacchatione grassantes. *B. A.*

DĔBACCHOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐκβακχεύομαι, valde bacchor, furo, saevio. [*Non est simpliciter i. q. valde bacchari, sed: ita bacchari, ut jam non amplius possis, ut tibi cessandum sit; quod ubi fit, sane necesse est, aliquis vehementissime sit bacchatus. Nos similiter: *sich abrasen.*] *Ter. Ad.* 2, 1, 30. Si satis jam debacchatus es, leno, audi, si vis nunc jam. *Sa.* Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 3, 55. Qua parte debacchentur ignes, Qua nebulae, pluviique rores, *h. e.* in zona torrida et frigida. [*Hieronym.* in *Isaj.* 11, 37, 26. Insaniam cognovi, qua contra me debacchaturus eras. *F.*]

DĔBATŬO, is, a. 3. idem quod batuo, verbero. *Petr. fr. Trag.* 69. *Burm.* Ut ego sic solebam ipsum Ammeam debatuere. Hic tamen obsceni aliquid intelligitur.

DĔBELLĀTOR, oris, m. qui debellat, domitor, δαμτήρ. *Virg. A.* 7, 651. Lausus equum domitor, debellatorque ferarum. *Stat. Th.* 9, 544. formidabilis ultor Tydeos infandi debellatorque cruenti Gurgitis.

DĔBELLĀTRIX, icis, f. quae vincit et debellat. *Tert. Apol.* 25. Graecia Phrygiae debellatrix. *Id. ib.* 5. Aliquis debellator Christianorum, *et mox.* Vespasianus Judaeorum debellator. *Lact.* 1, 9. Libido pudoris et famae debellatrix.

DĔBELLĀTUS, a, um, part. a *debello*, bello superatus, καταγωνιζόμενος. *Ov. Met.* 4, 604. India debellata. *Claud. IV. Cons. Honor.* 634. Tyrannus debellatus. *Suet. Tib.* 17. Illyricum debellatum. ℙ Item simpliciter pugnatus. *Hor. Od.* 1, 18, 8. Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata. ℙ Ablativus *debellato* eleganter [*imo: ex usu *Livii*] absolute ponitur. *Liv.* 30, 8. Velut debellato jam, quod ad Syphacem attineret, *h. e.* velut jam debellatum esset. [*Sic saepe. V. *Gloss. Liv.*]

DĔBELLO, as, avi, atum, a. 1. καταγωνίζομαι, καταπολεμέω, pugnando vincendoque bellum finire. Et fere passive impersonaliter usurpatur. *Flor.* 3, 5. Et debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere maluisset. *Liv.* 7, 28. Prima acie debellatum est. *Id.* 8, 36. Debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum est. [*Livii locos collegit *Drak.* ad 31, 48.] *Vell.* 2, 84. Debellatum apud Actium. *Epit. Liv.* 33. T. Quintius cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. ℙ Cum accus. est bello vincere, [*i. e. proprie: non prius bellando cessare, quam ubi belli finis in tuum commodum cedit.] *Curt.* 9, 2. Olim fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent. *Virg. A.* 6, 853. Parcere subjectis et debellare superbos. *Plin.* 6, 13, 16. Arbelitis, ubi Darium Alexander debellavit. *Stat. Th.* 9, 189. Maura diu populatum rura leonem Pastorum lassae debellavere cohortes. ℙ Translate. *Plin.* 22, 23, 47. Debellat eos fungos et aceti natura, contraria iis, *h. e.* nocendi vi eos exarmat.

[DĔBĔLUS, i, m. locus pascendo non aptus, non pecoralis, a *de* praeposit., seu particula privativa, (V. DE) et *bela*, oves, ut dixere veteres Latini, teste *Varrone.* V. BELA. *Tabula alimentaria Vellejas*, quae vulgo *Trajani* dicitur, *col.* 3. *lin.* 3. Fundos Avegam, Veccium (cum) debelis. *Ead. col.* 4, 39. Fundum Metilianum cum casis, silvis, meridibus, et debelis. *Ead. col.* 7, 37. Saltus Avegam, Veccium, debelos cum figlinis. *Petr. de Lama* in *not.* ad *eand.* p. 36. varias aliorum refert de hujus vocis significatione sententias: nos vero cum *Bapt. Borghesio* sentimus, qui supra allatam interpretationem nobiscum per litteras communicavit. *F.*]

DĔBĔO, es, ui, itum, a. 2. ὀφείλω. Volunt etymologi, esse a *de* et *habeo*, quasi *de alio habeo:* quod si verum est, dicetur proprie de eo, qui rem alienam habet, et reddere tenetur. *Cic. Att.* 14, 18. Kal. Januar. debuit: adhuc non solvit. *Nep. Att.* 2. Neque longius, quam dictum est, eos debere passus est. *Cic. Quint.* 12. *extr.* Satis est argumenti, nihil esse debitum Naevio. *Id. Phil.* 2, 29. Appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. *Id. Fam.* 13, 61. Ejus filio pecuniam Nicaenses grandem debent ad HS. octogies. *Paul. Dig.* 45, 2, 17. Pro hereditariis partibus in totum eos legatum debituros ajunt. *Cic. Or.* 1, 37. Ante petitam esse pecuniam, quam esset coepta deberi. *Id. Verr.* 2, 3, 82. Qui cum frumentum deberetur, pecuniam posceret. *Plin. ep.* 10, 62. Nec inveniuntur, qui velint debere reipubl. duodenis assibus, *h. e.* qui pecuniam fenori sumere velint a republ. ℙ De aliis rebus quibuscumque. *Cic. Marc.* 9. Cum patriae, quod debes, solveris. *Id. Fam.* 13, 75. Obsequor homini familiarissimo, C. Aviano Flacco, cujus causa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. [*cf. *id. Rosc. Am.* 51.] *Id. Fam.* 10, 12. *ad f.* Perfice, ut ne minus respublica tibi, quam tu reipublicae debeas. *Id. Or.* 1, 26. Hoc summum beneficium Q. Maximo debui, quod etc. *Id. Phil.* 2, 11. Quo majorem ei respubl. gratiam debet. *Id. Att.* 1, 14. *ante med.* Qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod etc. *Ov. Pont.* 4, 5, 31. Debere vitam alicui. *Catull.* 82, 1. Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum. *Cic. Pis.* 37. Poena, quae tanto facinori debetur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. *extr.* Communis fides, quae omnibus debetur. *Id. Cat.* 1, 7. Misericordia, quae tibi nulla debetur. *Id. Sext.* 21. Vita necessitati debetur. *Plin.* 18, 7, 17. Debetur Chio insulae inventio amyli. *Ov. Met.* 14, 3. Arva nihil debentia bubus junctis. *Virg. A.* 11, 51. Nos juvenem exanimum, et nil jam coelestibus ullis Debentem, vano moesti comitamur honore. Ubi *Servius:* Vivi Superorum sunt, mortui ad Inferos pertinent. [*Alii aliter explicant h. l. Nos unice *Heynii* explicationem probamus, quem V. Infra explicabimus, quid sit *vota debere Diis*, aliis locis allatis. — *Lucan.* 5, 535. Me vehis Hesperiam; non ultra cuncta carinae Debebis. Alia, ut: *debere aliquid criminibus* etc. collegit *Cort.* ad h. l.] ℙ *Debere* interdum ea di-

cimur, quae metuenda nobis impendent: quasi obnoxii simus ad ea subeunda. *Hor. Od.* 1, 14, 15. Tu, nisi ventis Debes ludibrium, cave. Graeci quoque *ὀφλισκάνειν γέλωτα*, debere risum, *ὀφλισκάνειν δίκην*, reum esse et damnatione dignum dixerunt. ℙ De iis, quae fato certissime eventura sunt. *Ov. Met.* 15, 444. Urbem et jam cerno Phrygios debere nepotes, *h. e.* Trojanos urbem Romam olim certo condituros. *Val. Fl.* 2, 571. bis Herculeis deberi Pergama telis, *h. e.* in fatis esse, ut bis oppugnentur. *Virg. A.* 6, 714. animae, quibus altera fato Corpora debentur. [**Lucan.* 7, 35. Illa — hoc scelus haud unquam fatis debere putavit, i. e. fatis decretum esse. Sic *Cort.* quem V.; vulgo *haerere* legitur pro *debere*. Cf. *ib.* 6, 530. fatis debentibus annos mors invita subit; *coll. ib.* 8, 415. *Id.* 7, 811. finem sui sibi corpora debent, i. e. ita comparata sunt, ut per se dissolvantur, non ope aliena. Cf. *Mitscherl.* ad *Hor. Od.* 1, 3, 5. navis, quae tibi *creditum* debes Virgilium. Dicitur *debere* et in bonam et in malam partem. Cf. DEBITUS.] ℙ *Debere non posse* dicitur, qui praestat quod debet. *Cic. Att.* 4, 2. et *Tusc.* 2, 27. Itaque oratio juventuti nostrae deberi non potest, *h. e.* edenda omnino est. *Ov. Her.* 16, 103. Nec potui debere mihi spem longius istam, Quin etc. ℙ *Debere animam* proverb. V. ANIMA. ℙ Universim *debere* rationem officii significat, convenire, oportere, obstrictum esse ad aliquid faciendum. *Cic. Or.* 21. Magni judicii summae etiam facultatis esse debebit moderator ille etc. *Id. Or.* 2, 77. Principia, et ceterae partes orationis habere hanc vim magnopere debent, ut etc. *Petr. Sat.* 33. *ad f.* Hic nescio quid boni debet esse. [**Plin. Pan.* 67, 8. quaeso et obtestor, ne unquam pro me vota respublica suscipiat, aut si susceperit insita, ne debeat, i. e. ne se respublica iis votis teneri, iis se obstrictam esse putet. *Avien. fab.* 23. redderet et sacro debita vota loco. — Bene *Heyn.* ad *Virg. A.* 11, 51. qui, inquit, vota facit, *debere* dicitur Diis, si rata sunt, sin irrita sunt, nihil debet.] ℙ *Debens, entis*, est debitor. *Senec. Ben.* 1, 4. Ut qui praestiterint, obliviscantur, pertinax sit memoria debentium. ℙ *Debitu iri*, pro *debitum iri*, h. e. debendum esse, vel fore ut debeatur; legitur apud *Ulp. Dig.* 12, 1, 10. Quoniam debitu iri non est certum. Adde *Scaev. ib.* 38. quamquam et in utroque loco alii legunt *debitum iri*. V. PRAESTO in f. ℙ [*Debendus* apud *Alcim. Avit.* 6, 149. conversio fratrum Exemplo debenda pio. *F.* ℙ *Observat *Scheller.* in lexico, interdum *debere* supplendum videri, ut *Cic. Or.* 1, 55. si ita diceres, qui jurisconsultus esset, esse eum oratorem (sc. debere). *Id. Fam.* 3, 11. *ab in.* quia magis videbar tibi gratulari (sc. debere), quum de te ex te ipso audiebam. Sed, qui locos recte intelligit, in neutro eorum quidquam desiderabit. Tertio loco *Fam.* 6, 12, 10. nunc apud *Schütz.* et *Matth.* legitur: pro certis ad te ea — perscribi *oportere*. Apud *Livium* 27, 20. *eundum Hasdrubali fuisse in Italiam — exercitum ejus — imminutum Hispaniae repleri militibus* notionem v. *oportere* vel *oportuisse* inclusam latere in v. *eundum* jam *Crevier.* docuit. ℙ Permutantur passim *debere* et *praebere*. V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 7, 177. ad *Quint. Decl.* 9, 19. et 397. — et *decere*. V. DECET.]

DĔBĪBO, is, bibi, a. 3. *καταπίνω*, idem quod bibo. *Solin.* 7. *ad f.* Esse duo flumina, quorum alterum si ovillum pecus debibat, pullum fieri etc.

DĔBĪLIS, e, adj. *ἄναρθρος, ἀκώλος*, qui membro aliquo captus est: a *de* privativa, et *habilis*, ut volunt etymologi. *Cic. Rabir. perd.* 7. Mancus et membris omnibus captus ac debilis. *Id. Sext.* 10. Gladium si imbecillo seni, aut debili dederis. *Ov. Trist.* 1, 4, 19. tecto delapsus ab alto, Occurrit regi debilis umbra suo. *Plin.* 7, 28, 29. Cum sacris arceretur, ut debilis, *scilicet* cui dextra manus deerat. *Cato R. R.* 157. Pueros si laves eo lotio, nunquam debiles fient, *h. e.* nervis laborabunt. *Suet. Vesp.* 7. Quidam debili crure. *Mart.* 10, 65. Os blaesum tibi, debilisque lingua, i. e. haesitans, balbutiens. *Juven.* 10, 227. Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis. *Senec. Contr.* 5, 33. Membra debilia. ℙ Et speciatim de eo dicitur, qui brachia vel pedes distortos et impeditos habet. *Pl. Merc.* 3, 4, 45. Claudus, caecus, mutus, mancus, debilis. *Senec. Contr.* 5, 33. Hic caecus est, hic debilis, hic mutus. ℙ Item de rebus aliis curtis ac mutilis. *Virg. A.* 5, 271. Amissis remis atque ordine debilis uno. *Mart.* 8, 6. Hoc cratere ferox commisit proelia Rhaetus Cum Lapithis: pugna debile cernis opus. *Id.* 7, 20. Debilis boletus, *h. e.* caule aut mutilo aut penitus reciso. *Gron.* Sic *Stat. Silv.* 4, 9, 34. debilis perna, *h. e.* cui pars abscissa est. *Ov. Pont.* 3, 1, 67. Cumque ego deficiam, nec possim ducere currum, Fac tu sustineas debile sola jugum. ℙ *Debile iter carpere* dicitur, qui vulnere tardus ac debilis est. *Stat. Th.* 12, 144. ℙ Sumitur et generatim pro infirmo, imbecillo. *Lucr.* 4, 949. Debile fit corpus, languescunt omnia membra. *Phaedr.* 4, 1. Mustela annis ac senecta debilis. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 25. Duo corpora esse reipubl., unum debile infirmo capite; alterum firmum sine capite. *Id. Mil.* 25. Occurrebat, mancam ac debilem praeturam tuam futuram, consule Milone. *Quint.* 1, 3. *circa med.* Sine manibus trunca esset actio ac debilis. *Claud. Rufin.* 1, 317. pars una maneret Debilior facilisque capi. *Cic. Tusc.* 2, 5. Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis. [**Ov. Trist.* 3, 4, 19. occurrit domino debilis umbra suo. Alii minus bene *flebilis*. V. *Burm.* et *Gron. diatr.* p. 217. *ed. Lips.* ℙ *Debilo*, debilis. *Ennius: Debilo homo.* Ita *Non.* 2, 209. Sed alii corrigunt *debil*, ut dictum sit ea ratione, qua *volup*, *famul* etc. ℙ [Comp. *Debilior.* V. supra. *Debilissimus* in *Not. Tir.* p. 12. *F.*]

DĔBĪLĬTAS, atis, f. *ἀναρθρία*, morbus ejus, qui aliquo membro captus est. *Cic. Pis.* 1. Debilitas linguae. *Liv.* 2, 36. Cunctantem ac prolatantem ingens vis morbi adorta est debilitate subita. *Quint. fere per totam declam.* 2. caecitatem *debilitatem* vocat. *Plin. ep.* 8, 18. *a med.* Cum quereretur de contumeliis debilitatis suae. *Cic. Fin.* 4, 8. *extr.* A se dolores, morbos, debilitates repellere. Adde *Cels.* 5, 26. *n.* 28. et 8, 25., *Tac. H.* 1, 9. et *Suet. Cal.* 26. ℙ Item defectio virium, infirmitas, *ἀσθένεια*. *Senec. ep.* 55. Debilitatem nobis indixere deliciae: et quod diu noluimus, posse desivimus. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 15. Debilitas animi, cui mox opponitur robustus animus. [*Cf. *Goer.*] *Mart.* 2, 86. mollis debilitate Galliambus, *h. e.* mollitie effeminatus: et alludit ad Gallos semiviros.

DĔBĪLĬTĀTE, adv. V. in DEBILITER.

DĔBĪLĬTĀTĬO, onis, f. actus debilitandi, debilitas. *Appul. Met.* 2. *sub f.* Praemium debilitationis consecutus, *h. e.* detruncationis nasi et aurium. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 36. Debilitatio atque abjectio animi tui.

DĔBĪLĬTĀTUS, a, um, part. a *debilito*. *Curt.* 4, 3. et 8, 1. Debilitatus vulnere. *Suet. Aug.* 43. Lapsu debilitatus. *Senec. Contr.* 5, 33. *sub f.* Plura habet membra, quam debilitatis reliquit. [**Liv.* 21, 40. contusi ac debilitati; *et:* claudi ac debiles equi. *Plin. ep.* 8, 17, 5. multi ejusmodi casibus debilitati, obruti, obtriti. Cf. *B. Crus.* ad *Suet. Aug.* 43.] ℙ Translate. *Cic. Quint.* 1. Ut multis incommodis veritas debilitata, tandem aequitate talium virorum recreetur. *Id. Fam.* 5, 13. Nullum membrum reipubl., quod non fractum debilitatumve sit. *Id. Dom.* 52. *ad f.* Mens debilitata metu concidit. *Id. Cat.* 3, 5. Recitatis litteris, debilitatus atque abjectus, conscientia convictus repente conticuit. [**Id. Fam.* 5, 13. Nullum (membrum civitatis) reperies, quod non fractum debilitatumve sit. Scilicet integris firmitas, fractis debilitas inest. V. Similia laudata a *Manut.* ad h. l.] *Id. Agr.* 2, 34. *extr.* Nervis urbis omnibus exsectis, urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt. *Id. Or.* 2, 47. Afflictus, debilitatus, moerens. *Id. ib.* 33. Debilitati a jure cognoscendo. *Nep. Ann.* 1. Domi civium suorum invidia debilitatus. *Id. Ages.* 5. Opes adversariorum debilitatae. [*Cajus Instit.* 3. (ed. *Goeschen.*) §. 146. Gladiatores, qui integri exierint, qui occisi, qui debilitati fuerint. *F.*]

DĔBĪLĬTER, adv. cum debilitate. *Pacuv.* apud *Non.* 2, 228. Miseret me, lacrimis lingua debiliter stupet. *Nonius* exponit *debilitate:* cujus adverbii nulla praeterea est, quod sciam, qua fulciatur, auctoritas.

DĔBĪLĬTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξαρθρόω*, debilem reddo. V. DEBILIS. *Cic. Flacc.* 30. Membra quae debilitavit lapidibus, fustibus, ferro. *Senec. Contr.* 5, 33. *a med.* Qui debilitabat expositos. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 4. *a med.* Qui debilitavit filium, ut inhabilis militiae sit. Adde *Cels.* 7, 2. *circa med.* ℙ Significat etiam universim infirmum reddere. *Cic. fragm.* apud *Non.* 2, 284. Cibum etiam saepe subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis. *Id. Marcell.* 3. Nulla est tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. *Hirt. B. Alex.* 18. Terror membra debilitat. *Hor. Od.* 1, 11, 5. Hiems oppositis debilitat pumicibus mare, *h. e.* retundit, frangit. ℙ Et translate. *Cic. Att.* 5, 4. Tua profectio spem meam debilitat. *Id. Tusc.* 5, 27. Dolor fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam debilitat. *Id. Mur.* 37. *ad f.* Debilitare audaciam alicujus. *Id. Vatin.* 7. Debilitare et reprimere furores tribunicios. *Id. in Senat.* 15. Frangere aut debilitare animum alicujus. *Id. Coel.* 24. *extr.* vocem fletu. *Id. Mur.* 21. studia amicorum. *Id. Dejot.* 2. Actio causae maxime debilitatur loco. *Id. Or.* 3, 50. Versus debilitatur in quacumque sit parte titubatum. *Quint. prooem.* 6. *ad f.* Debilitare vires ingenii. *Nep. Dat.* 6. et *Cic. Phil.* 5, 2. animos et virtutem militum. *Tac. A.* 3, 67. Metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. *Varr.* ap. *Non.* 2, 725. Metu debilitare aliquem. [**Cic. Fam.* 7, 14. si timor aestivorum te debilitat, i. e. tuum vigorem frangit.]

DĔBĪLO. V. DEBILIS in f.

DĔBĬTĬO, onis, f. *ὄφλησις*, actus debendi, debitum. *Cic. Att.* 14, 13. Quintus de emendo nihil curat: satis enim torquetur debitione dotis. *Id. Planc.* 28. Dissimilis est pecuniae debitio et gratiae. V. *Gell.* 1, 4.

DĔBĬTOR, oris, m. *ὀφειλέτης*, qui debet. *Modestin. Dig.* 50, 16, 108. Debitor intelligitur is, a quo invito exigi pecunia potest. *Cic. Off.* 2, 22. Pecunias creditas debitoribus condonare. *Senec. Ben.* 6, 2. Non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 1, 5, 10. Perpetuusque animae debitor hujus ero. *Id. Pont.* 4, 1, 2. Debitor vitae. *Plin. ep.* 3, 2. Habebis me, habebis ipsum gratissimum debitorem. *Mart.* 9, 43. debitor voti, *h. e.* reus.

DĔBĬTRIX, icis, f. quae debet, *ὀφειλέτις*. *Paul. Dig.* 16, 1, 24. Debitrix mulier a creditore delegata. *Id. ib.* 49, 14, 47. Debitrix fisci. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 35. Omnium delictorum debitrix anima est.

DĔBĬTUS, a, um, part. a *debeo*, *ὀφειλόμενος*, qui alteri debetur, meritus, justus. *Cic. Fl.* 23. Castricio solverat pecuniam jamdiu debitam. *Id. Phil.* 14, 12. O fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita! *Id. Balb.* 26. Justam et debitam gratiam referre alicui. *Id. Phil.* 7, 3. Meritos et debitos honores alicui decernere. [**Liv.* 8, 10, 1. debitae laudes i. e. quas quis meruit. Cf. *Drak. Ov. Met.* 6, 538. debita poena. *Avien. fab.* 23. redderet et sacro debita vota loco, i. e. quas debet, quoniam eorum compos factus est.] *Cic. Mil.* 31. Vobis serae, sed justae tamen et debitae poenae solutae sunt. *Hor. Od.* 3, 27, 30. Debitae Nymphis opifex coronae. *Prop.* 1, 20, 35. nullae pendebant debita curae Roscida desertis poma sub arboribus, *h. e.* agrestia et sponte nullo cultu nascentia. ℙ De iis, quae fatorum serie certo evenient. *Val. Fl.* 5, 277. Debitus Aeacis dux Thessalus appulit oris. *Virg. A.* 11, 759. Fatis debitus Arruns. *Stat. Ach.* 2, 317. magnae vastator debite Trojae. *Id. Th.* 4, 84. debitus hospes. et *ib.* 1, 80. debita vindex. [**Virg. A.* 8, 375. bello debita Pergama. Monet *Burm.* ad h. l. uti *Virgilium* h. v. in hac re et in bonum et in malum eventum.] ℙ *Debitum* absolute est res debita, aes alienum, *ὀφείλημα*. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Solvere alicui debitum. *Id. Opt. gen. Orat.* 1. *ad f.* Docere debitum est: delectare honorarium: permovere necessarium. ℙ Translate. *Nep. Reg.* 1. Morbo naturae debitum reddiderunt, *h. e.* mortui sunt. *Curt.* 10, 5. Velut omni vitae debito liberatus, fatigata membra rejecit. *Senec. Phoeniss.* 171. Debitum tandem exige: nunc solvo poenas. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1. Alligare aliquem debito nepotum nutriendorum. ℙ [*Persaepe commutantur a librariis *debitus* et *deditus*. Cf. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 9, 6. inprimis autem *Drak.* ad *Liv.* 8, 12, 10. et quos laudat.]

[DĔBLĂTĔRĀTUS, a, um, part. a *deblatero*. *Gell.* 9, 15. Sed deblateratis versuum multis millibus finem aliquando fecit. *F.*]

DĔBLĂTĔRO, as, n. 1. stulte loqui, inani loquacitate obstrepere, *ματαιολογῶ*. *Pl. Aul.* 2, 3, 1. Ubi tu es, quae deblaterasti jam vicinis omnibus, me meae filiae daturum dotem? ℙ *Non.* 2, 211. exponit, obloqui, confingere. *Lucil. ib.* deblaterat plenus, bonu' rusticu' concinit una. ℙ Qui scribunt *deblactero*, hoc *Lucilii* versu arguuntur.

*DEBREVIATIO et DEBREVIATUS *Gesnero* auctore leguntur in *Cod.* — *Forc.* utrumque voc. in *Expulsa* ablegavit. *B. A.*

*DEBRIS, idis, f. oppidum Libyae interioris, in agro Garamantum. *Plin.* 5, 5. *Prisc.* in *perieg.* 202. *B. A.*

DĔBUCCELLĀTUS, a, um, adj. apud *Plin. Valer.* 1, 6. est ex buccellato factus vel buccellato conditus.

DĔBUCCĪNO, as, avi, atum, n. 1. idem quod buccino, et translate promulgo. *Tert. Virg. vel.* 13. Nihil debuccinemus eorum, quae apud illum mercedem merebuntur. [*Apud *Augustin.* legitur subst. DEBUCCINATOR.]

*DEBULLITIO, onis, f. apud *Augustin. B. A.*

DĔCĂCHINNO, as, avi, atum, a. 1. derideo. *Tert. Apol.* 47. Gehennam si comminemur, decachinnamur. *Id.* ad *Natt.* 1, 19. Quo resolutius decachinnetis.

DĔCĂCHORDUS, a, um, adj. *δεκάχορδος*, decem habens chordas. *Paulin. Nolan.* 28, 221. Ut decachorda sonent pulsis psalteria nervis. *Fulgent. Myth.* 1, 14. Cum decachorda Apollo pingitur cithara.

DĔCĂCŪMĬNĀTĬO, onis, f. cacuminis praecisio, *ἀκρωτηριασμός*, ut decacuminatio cupressi, piceae, cedri, apud *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9.

*DECACUMINATOR, oris, m. apud *Tert. B. A.*

DĔCĂCŪMĬNO, as, a. 1. *ἀκρωτηριάζω*, cacumen praecido. *Colum.* 4, 7. *extr.* Pampinum decacuminare conveniet. *Id.* 5, 6. *ante med.* Ulmus decacuminanda est juxta ramulum.

DĔCĂDĪVUS, a, um, adj. qui inclinat et cadit. *Auct. Pervigil. Ven.* 17. Lacrimae micant trementes decadivo pondere. [Ita legit *Wernsdorf.* Alii *decidivo*, alii aliter. *F.*]

*DECALCO, as, a. 1. *Vet. Gloss.* κονιῶ, Decalco, albo. Formatur ut *deauro*, *deargentatus*. *B. A.*

*DECALEFACIO, is, a. 3. ἐκθερμαίνω. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*DECALESCO, ἐκθερμαίνομαι *Gloss. Cyrill. B. A.*

*DECALICĀTOR, oris, m. καταπότης. *Gloss. Lat. Gr.* Ductum a *calix*. *B. A.*

DĒCALĪCĀTUS. V. CALICATA.

DĒCĀLOGUS, i, m. δεκάλογος, decem Legis Divinae praecepta. Vox Graeca. *Tert. Anim.* 37.

[DĒCALVĀTĪCO, as, a. 1. calvaticam detraho, et translate aliqua re spolio. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 218. Decalvaticere eburneo speculo, depeculassere. *Editt. omnes habent* decalanticare. V. CALVATICA. *F.* *Locus *Nonii* ita habet: depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere, decalanticare, eburno speculo depeculassere. Cf. pluribus de h. v. agentem *Beier.* ad *Cic. orr. frr.* p. 107, 19.]

DĒCALVĀTUS, a, um, part. a *decalvo*, calvus redditus. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 23. Sampson a muliere decalvatus.

DĒCALVO, as, a. 1. calvum reddo. *Veg. Vet.* 2, 48. Locum, quem curare volueris, inducto psilothro decalvas. ℙ [**Vet. Gloss.* Decalvo, φαλακροῦμαι. *B. A.*]

DĒCANTĀTĬO, onis, f. *Hieron. ep.* 106. *n.* 49. ita vertit Graecum ἀδολεσχίαν, quod alii exponunt loquacitatem, garrulitatem.

DĒCANTĀTUS, a, um, part. a *decanto*, incantatus, apud *Appul. Met.* 3. p. 138, 35. At ego nullo decantatus carmine, *et supra eod. lib.* p. 137, 11. Decantatis spirantibus fibris, *h. e.* incantamento consecratis. ℙ Item repetitus, quasi ita probe cognitus, ut non solum dici, sed cantari possit. [*Imo: tam saepe cantatus ut omnibus notum sit, pro quo nos *ableyern* et alia metaphora usi: *abgedroschen.*] *Cic. Or.* 2, 32. Omnes causas diligentes oratores percursas animo et prope decantatas habere debent. *Senec. ep.* 24. Decantatae in omnibus scholis fabulae istae sunt. Adde *Hor. Ep.* 1, 1, 64.

DĒCANTO, as, avi, atum, a. 1. recito rem omnibus notam: et fere in malam partem accipitur. *Cic. Or.* 2, 18. Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet. *Id. Fin.* 4, 4. Ne necesse sit iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. ℙ Item vulgare, publicare. *Cic. Div.* 1, 47. Non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. *Lucan.* 5, 394. Decantatque tribus, *h. e.* edicit tribus praerogativas. ℙ Item laudare, celebrare. *Plin.* 24, 1, 1. Statim compositiones et mixturae inexplicabiles decantantur. ℙ Item simpliciter cantare. [*Non prorsus. Etiam nos: *hersingen.*] *Hor. Od.* 1, 33, 3. neu miserabiles Decantes elegos, cur tibi junior Laesa praeniteat fide. *Suet. Ner.* 38. Ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. ℙ Item incantare. *Coel. Aur. Tard.* 5, 1. et V. v. praec. ℙ Item cantare desinere. *Cic. Tusc.* 3, 22. Sed jam decantaverant fortasse. V. integr. locum.

DĒCĀNUMMUS, i, m. est denarius nummus, cujus quarta pars sestertius, decima as, apud *Var. Auctor. de limit. Goesii* p. 265.

DĒCĀNUS, i, m. δεκάρχος, in exercitu dicebatur, qui decem praecerat militibus, ita ut ipse esset undecimus: a *decem*. Igitur cum in centuria decem fuerint decani, sub uno vexillo centum et decem pedites fuere. Idem *caput contubernii* nominabatur. *Veg. Mil.* 2, 8. ℙ In aliis quoque ordinibus decani sunt, coenobitarum nempe. *Hieron. ep.* 22. *n.* 35. Divisi sunt per decurias, ita ut novem hominibus decimus praesit. *August. Mor. Eccles. Cath.* 1, 31. Opus tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis praepositi. ℙ In *Novell. Constitut. Justinian.* 69. et *Cod.* 1, 2, 4. et 9. decani sunt vespillonum genus funeribus inservientes. ℙ A genethliacis usurpabatur pro praeside decem partium signi. Cum igitur signum contineat gradus triginta, tres decanos in quolibet signo constituebant. Singulis vero decanis terna applicabant Numina. *Firmic. Math.* 2, 4.

DĒCĀPŌLIS, f. regio Palaestinae, sub qua pars Coelesyriae continetur, sic dicta a decem urbibus, quibus constabat. *Plin.* 15, 3, 4.

DĒCĀPŌLITĀNUS, a, um, adj. *Plin.* 5, 18, 16. Jungitur Judaeae Decapolitana regio, a numero oppidorum.

DĒCĀPROTI, orum, m. plur. δεκάπρωτοι, a δέκα, decem, et πρῶτος, primus, Latine ad litteram *decemprimi*, quam vocem V. infra suo loco. *Ulp. Dig.* 50, 4, 3. §. 10. Decaprotos etiam minores viginti quinque annis fieri pridem placuit, quia patrimonii magis onus videtur esse. *Arcad. ib.* 18. §. 26. Decaproti, et icosaproti tributa exigentes pro omnibus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt. V. DECURIO.

DĒCĀPRŌTIA, ae, f. δεκαπρώτεια, munus decaprotorum, decemprimatus. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 26. Mixta sunt munera decaprotiae et icosaprotiae.

DĒCĀPŪLO. V. CAPULO.

DĒCARNO, as, a. 1. carnem detraho. *Veg. Vet.* 2, 42. Ferramento decarnabis. *Apic.* 7, 9. Petasonem, cum elixatus fuerit, decarnas.

DĒCARPO. V. DECERPO.

DĒCAS, ădis, f. δεκάς, aliquid decenarium numerum continens. Hinc *Livii* historia in decades distributa est, quae singulae decem libros continent. Utuntur hac voce *Tert. Praescr. haeret.* 49., *Hieron. in Ezech. cap.* 41. et *Capell.* 2. p. 25.

DĒCASTYLUS, i, m. decem columnas habens, δεκάστυλος, στύλος enim columnam significat. *Vitr.* 3, 1. *sub f.*

DĒCATORTHŌMA, atis, n. δεκατόρθωμα, compositio medicamenti ex decem rebus. Quidam leg. apud *Seren. Sammon.* 25, 449., sed alii omnino aliter.

DĒCAULESCO, is, n. ἐκκαυλέω, caulem emitto. *Plin.* 19, 7, 36. Raphanus utique jucundior detractis foliis, antequam decaulescat.

*DECEĀTUM vel Deciatum, i, oppidum Galliae Narbonensis, Italiae conterminum, circa Varum flumen, *Stephano* Ἀεκίητον. *Mela* 2, 5. *ante med.* ubi *Deciatum* scriptum. Verba ejus sunt: *Nicoea tangit Alpes, tangit oppidum Deciatum, tangit Antipolis* etc. ubi tamen pro genitivo plurali accipi potest τὸ *Deciatum*, nempe a recto *Deciates*. ℙ *Deceates* audiunt incolae *Ptor.* 2, 3. *extr.* et *Deciates Plin.* 3, 4. et 5. Ἀεκιῆται sunt *Straboni*, *Polybio* Ἀεκιῆται. *B. A.*

DĒCĒDO, is, essi, essum, n. 3. ἀποχωρέω, discedo, recedo, abeo. *Pl. Bacch.* 1, 1. *extr.* Nescio qui turbat, qui huc it: decedamus, soror. *Cic. Att.* 6, 2. *ad f.* Ut ex Cypro equites ante certam diem decederent. *Id. Fam.* 2, 11. Pantherae constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. [**Virg. G.* 2, 206. non ullo ex aequore cernes Plura domum tardis decedere plaustra juvencis. quo loco *Voss.* praepositione *de* loci declivitatem significari monet.] *Caes. B. G.* 1, 31. De parte tertia agri Sequanos decedere jubet. *Liv.* 8, 13. Romam ad destinatum triumphum decessere. [**Sall. Jug.* 36. *extr.* Romam decessit. V. de hac cum accus. constructione *Cort.* ad h. l. coll. *Drak.* ad *Liv.* 1, 57, 8. et 29, 12. Interdum *decedere* absolute positum reperitur: *Suet. Ner.* 24. Decedens deinde (sc. e Graecia) provinciam universam libertate donavit.] *Id.* 4, 29. Decedere praesidio injussu imperatoris. [*Dicunt *decedere de praes.*, *ex praes.*, et *praesidio*, quanquam scriptura in plerisque locis fluctuat. Multis hac de re disputavit *Gron.* ad *Liv. l. l.* Cum solo ablativo reperitur apud *Liv.* 34, 47, 5. pugna decedere. quo loco alia, ut *finibus*, *agro* etc. comparat *Drak.* coll. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 7, 19. fide, patria etc. decedere. Tenendum autem, promiscue has constructiones a veteribus usurpari, ubi aliqua ad locum relatio est. Quod secus est in iis, ubi de loco cogitari nequit. V. infra.] *Virg. G.* 4, 466. Te veniente die, te decedente canebat. *Cels.* 3, 3. Febres decedunt. [**Lucr.* 2, 34. *Cic. Att.* 7, 2. quartana. *Liv.* 30, 38, 11. aqua decedit, i. e. defluit. Cf. *Drak.*] *Ter. Hec.* 3, 5, 55. decedet jam ira haec. *Liv.* 2, 29. Ea cura decessit patribus. [**Id.* 33, 26. animis pavor. 9, 26, 8. materia quaestioni, ubi V. *Drak. Sall. Jug.* 88, 1. plebi patribusque invidia. *Quint. Decl.* 6, 7. invidia alicui, et quae *Burm.* ad h. l. comparavit.] *Virg. G.* 4, 23. decedere calori. [*i. e. calorem devitare, ut *Id. ib.* 3, 467. Serae decedere nocti i. e. noctem adventantem devitare; ante noctem domum redire. Dictum est ut *decedere alicui via*, (V. sqq.) pro quo nos: *Jem. aus dem Wege gehn.* Sed ita poetae tantum. Sed *Nep. Att.* 10, 2. de foro decesserat i. e. forum vitabat.] *Asin. Poll. ad. Cic. Fam.* 10, 32. *ad f.* Equites decedentes supplicio afficere. ℙ *Decedere de via* aut *via alicui*, et absolute *decedere alicui* est locum in via dare. *Pl. Trin.* 2, 4, 80. Decedam illi de via, de semita, de honore populi, verum quod ad ventrem attinet, non hercle hoc ungue. *Ter. Heaut. prol.* 31. Servo currenti in via decessit populus. Et passive. *Cic. Senect.* 18. Salutari, appeti, decedi, assurgi. ℙ Alio sensu. *Suet. Caes.* 31. Cum luminibus exstinctis via decessisset, [*i. e. quum via (publica) relicta devertisset in semitas. *Forc.* vertit: *essendo andato giù di strada*, quibus verbis illud, ni fallor, exprimere voluit.] Alio item sensu *decedere alicui* apud *Caes. B. G.* 6, 12. est alicujus occursum alloquiumque vitare. Verba *Caesaris* sunt: Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur: iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt. *Est qui legat* ab iis omnes, etc. [*Illud melius.] ℙ *Decedere de via* translate est a virtute, ab honestate, a recta vivendi ratione recedere. *Cic. Coel.* 16. ℙ *Decedere provincia*, vel *ex* aut *de provincia*, et *decedere* absolute dicuntur magistratus post peractum provinciale imperium. [**Decedere e provincia* dicunt Latini de terra relinquenda; *decedere de provincia* et simpliciter *decedere provincia* nonnisi de eo, qui provincia administrata abit. V. *Ellendt. l. l.*] *Cic. Lig.* 1. Ut decedens Considius provincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. *Id. Verr.* 2, 2, 20. Istum reliquit, de provinciaque decessit. *Nep. Cat.* 1. Ex provincia decedens. *Cic. Fam.* 3, 6. Te, antequam tibi successum esset, decessurum fuisse. [*Multis locis (neque tamen omnibus aptis) probat *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 65. praecipue de iis dici *provincia decedere*, qui successorem nondum habent. Laudat *ibid.*, qui hac de formula egerunt. — Dicitur tamen interdum etiam de privatis: *Cic. Quint.* 4. decedit ex Gallia simul Naevius. V. quae multa hujus generis laudavit *Ern.* in *Clav. Cic.* ℙ Hinc translate *decedere* de omnibus dicunt, qui post expletum tempus munere aliquo abeunt. *Prop.* 2, 14, 11. Illum (Tithonum) saepe suis decedens (Aurora) Jovis in ulnis etc. i. e. decedens, de coelo, scil. itinere trans coelum confecto. V. *Broukhus.* ad h. l. Omnino *decedere*, quum de astris dicitur, est i. q. ad occasum vergere, occidere velle. *Virg. G.* 1, 222. Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae, et *Voss.* ad h. l. coll. *Bentl.* ad *Hor. ep.* 1, 16, 7. et *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 91. Hoc modo etiam *Prop.* locum modo allatum intelligi mavult *Burm.*] ℙ *Decedere de vita*, et *decedere* absolute est mori. *Cic. Rabir. perd.* 11. Si eos, qui jam de vita decesserunt, ornabimus. *Id. Att.* 1, 6. Pater nobis decessit a. d. VIII. cal. Decembr. *Suet. Vit.* 3. Decessit paralysi, altero die, quam correptus est. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 602, 4. quae pertinet ad an. U. C. 775. Sic *Nep. Timol.* 1. *extr.* Ex hominum conspectu morte decedere. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 17. De suis bonis omnibus decedere. *Id. Rosc. Am.* 27. et *Liv.* 3, 33. *extr.* jure, *et* [*27, 10, 1.] de jure suo, *h. e.* aliquid de suo jure remittere, non summo jure agere. [*V. de hac locutione *Drak.* ad utrumque locum et quae alia *ib.* laudat.] *Id. Balb.* 5. de sententia. *Tac. A.* 14, 49. Non ideo Thrasea decessit sententia. *Liv.* 37, 54. Decedere instituto suo. *Id.* 27, 10. officio. Sic 36, 22. ab officio. [*Affirmat *Gron.* ad *Liv.* 27, 10, 1. dici tantum *discedere ab officio*; sed: vel *decedere de officio* s. *officio*. Negat hoc ita esse *Duker.* ad *Liv.* 36, 22, 1. et probat exemplis allatis (ut *Cic. Flacc.* 12. V. paullo infra et *Justin.* 6, 3, 8.) etiam *decedere ab aliqua re* recte dici posse. *Drak.* tamen illo loco tanquam tutius et usitatius exhibuit: *officio decedere*. Hoc ita est expediendum: ubi nulla loci subest notio, i. e. ubi translata est significatio, iterari praepositionem oportet, ut semper *Cicero* fecit. V. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 75. *Livius* tamen accuratiorem hanc loquendi rationem neglexit, quem alii secuti sunt. V. *Ellendt. ib.* ad *c.* 1. De verborum *discedendi* et *decedendi* confusione V. nos *in f.*] *Cic. Verr.* 1, 2, 10. de officio ac dignitate. *Liv.* 31, 5. *extr.* et 34, 11. fide. *Cic. Flacc.* 12. Senatus nihil a superioribus continuorum annorum decretis decessit. ℙ Significat interdum deesse, detrahi, decrescere, deminui. *Cic. Cluent.* 60. Ut de causa ejus periculi nihil decederet, ad causam novum crimen accederet. *Ter. Ad.* 5, 3, 30. De summa nihil decedet. *Liv.* 3, 55. Quidquid libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. ℙ Passive impersonaliter. *Id.* 8, 25. *extr.* Cogitaret, qua stultitia et temeritate de officio decessum esset. ℙ Item descendere. *Lucr.* 6, 736. ubi in campos albas decedere ningues Tabificis subigit radiis sol omnia lustrans. [*Vix haec loquendi ratio defendatur: *decedere in campos. Eichst.* habet: *descendere*. Saepius omnino confunduntur *decedere* et *descendere*, V. quae collegit *Drak.* ad *Liv.* 36, 14, 4.] ℙ Item simpliciter cedere. *Hor. Od.* 2, 6, 14. ubi non Hymetto mella decedunt. *Virg. Ecl.* 8, 88. nec serae meminit decedere nocti, *h. e.* cedere nocti, et ad stabulum redire. ℙ Item evenire, procedere. *Suet. Caes.* 24. Prospere decedentibus rebus, plurium, quam quisquam unquam, dierum supplicationes impetravit. [*Hic locus unus est, in quo haec significatio reperitur. *Bremius* comparat aptissime nostrum: *die Sache läuft glücklich ab.*] ℙ *Decesse* pro *decessisse* habetur apud *Ter. prol. Heaut.* 31., et legitur a quibusdam ap. *Cic. Fam.* 7, 1. divisitque per tmesin *Lucr.* 1, 1104. Nam quacumque prius de parti corpora cesse. Sic *decessemus* pro *decessissemus*. *Cic. Fam.* 5, 20. *a med.* ℙ *Decederit* pro *decesserit* edidit *Torrentin. Dig.* 32, 27., ubi *Haloander* habet *decederet*. ℙ [*Permutantur a librariis saepissime *decedere* et *discedere*, de quorum discrimine multis disserit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 65, 1. *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 91. Intpp. ad *Tac. A.* 2, 44. alii. *Orell.* ad *Cic. Flacc.* 12. quum nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit (ubi unus *Lamb.* habet *discesserit*) — in *decesserit*, inquit, videtur inesse notio „de recta via, cum indignitate aliqua,“ quod in *discesserit* non inest. Hoc sane verissimum, et in multis locis judicium utrum eligendum sit, facilius reddit. *Decedere* pro *discedere* dictum esse vult *Ern.* in *Cl.* ap. *Cic. Fam.* 8, 1. quod tibi decedens pollicitus sum, i. e. discedens a te, quum te abeuntem in provinciam prosequerer. Sed *Coelii* est epistola non Ciceronis. V. *Manut.* Apud *Suet. Ner.* 8. nunc legitur *discessit*. — Porro

decedere et *descendere*, V. supra. — et *recedere*, V. intpp. ad *Liv.* 35, 10, 2.]

[DĔCĔDOTTO, ὀκτωκαίδεκα, nomen numerale indeclinab. decem et octo, et octodecim. *Inscr.* Christiana apud *Marin. Iscriz. Alb.* p. 193. Irene defuncta est annorum decedotto, et menses septem, decimu Kal. Mart. *F.*]

*DECELĒA vel Decelīa, ae, f. Δεκέλεια, locus vel vicus cum castello in Attica. *Nep. Alc.* 4. *B. A.*

DĔCEM, δέκα, nomen numerale indeclinab. a Graeca voce allata. *Cic. Rosc. Am.* 7. Fundos decem et tres reliquit. *Ter. Andr.* 5, 4, 48. Decem talenta. *Cic. Cluent.* 27. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat. *Prisc.* 18. p. 1170. Livius frequenter sine conjunctione septemdecim et decem septem dixit. *Liv.* 29, 37. Ducenta decem quatuor millia hominum. *Caes. b. g.* 1, 8. Millia passuum decem novem. *Id. ib.* 29. Numerus millium centum et decem. *Hor. Sat.* 1, 3, 12. alebat saepe ducentos, Saepe decem servos. *Cic. Att.* 13, 6. Non dubito quin fratri fuerit legatus, sed non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos majores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, *h. e.* in decem legatis, qui decerni solebant imperatoribus post gentem aliquam devictam, ut de illorum consilio res subactae provinciae ordinarentur: cujus rei exempla habes apud *Liv.* 33, 24. et 37, 55. et 45, 17. etc. [**Decim*, quod legitur apud *Pomp. comm. artis Don., segm.* 7. alii novem, alii decim, alii undecim — in hoc uno loco exstat. ℙ *Decem Pagi* locus vel oppidulum in Gallia Belgica. *Ammian.* 16, 2. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* Hodie est *Dieuze. B. A.*]

DĔCEMBER, bris, m. ποσειδεών, nomen mensis, a *decem*, quod decimum locum teneret a Martio, a quo Romulus annum inchoavit, [et *imber*, quod, ut ait *Pontedera AA. Latin. Graec.* p. 301., ab imbre vocabantur september, october, november, et december, quippe his mensibus, notato intervallo, pluviam ad vindemiam, et ad serendum pernecessariam prisca aetas sibi promittebat: a decembri desinunt menses ab imbre vocari, quoniam refert, agricolas *hiemes optare serenas. F.* *Mira esset haec horum mensium appellatio et magis mira eorum formatio. *Er* sive *ber* nihil nisi terminatio, quae etiam in aliis adjectt. reperitur, esse videtur.] *Hor. Ep.* 1, 20, 27. Me quater undenos sciat implevisse Decembres. [**Ov. Trist.* 1, 11, 3. gelidi tremerem cum mense Decembris. *Id. ib.* 2, 491. fumosi mense Decembris. Ubi adjectivum additur, *december* substantive intelligendus est, ubi nihil additur plerumque adjective. V. *Heins.* ad priorem locum.] ℙ Adjective. *Id. Sat.* 2, 7, 4. Libertate decembri utere, *h. e.* Saturnaliorum, quo tempore tota servis licentia permittebatur. *Macr. Sat.* 1, 7. *Liv.* 4, 37. Consules Idibus decembribus magistratum accepere. ℙ *December* apud *Scaev. Dig.* 40, 5, 41. §. 15. est nomen servi, ut *Titius, Davus.* ℙ Apud *Grut.* 241, 2. est cognomen, Sex. Aelius December. Sic 696, 6. L. Mindio Decembri, etc. *et* 799, 2. C. Lappius December.

DĔCEMJŪGIS, e, adj. qui decem juga habet, ut currus decemjugis, *h. e.* quem decem equi juncti trahunt. *Suet. Ner.* 24. Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam decemjugem, *scil.* currum. [*Inscr.* ap. *Boulenger. de Circo* 55. M. Aurelius Polynices, qui vicit praemia XXX., pura N. XI.. octojuge N. VIII., decemjuge N. VIII., sejuge N. III. *F.*]

DĔCEMMESTRIS, e, adj. δεκάμηνος, decem mensium spatium continens, ut Decemmestris partus, apud *Censorin. de die nat.* 11. Sic decemmestris annus, *ib.* 20. *sub f.* Al. leg. *decimestris.*

DĔCEMMODĬUS, a, um, adj. qui decem modiorum mensuram capit. *Colum.* 12, 50. Corbulae decemmodiae. ℙ Et absolute. *Id. ib.* 18. Fabricandae decemmodiae, et trimodiae, et fiscellae texendae. Al. leg. *decimodiae.*

DĔCEMPĔDA, ae, f. δεκάπους, mensurae genus, nempe pertica decem pedes longa, unde et nomen accepit: qua utebantur in mensuris agrorum capiendis. *Cic. Mil.* 27. Cum architectis, et decempedis villas hortosque peragrabat. *Hor. Od.* 2, 15, 14. Decempedis metata porticus. *Suet. Aug.* 24. narrat, inter varias ignominias militares solitum eum (*Augustum*) interdum ita punire milites, ut starent ante praetorium cum decempedis pro hasta aut pilo.

DECEMPĔDĀTOR, oris, m. γεωμέτρης, terrae dimensor. *Cic. Phil.* 13, 18. Qui fuerat aequissimus agri privati et publici decempedator.

DĔCEMPLEX, icis, omn. gen. qui decem partibus superat. *Nep. Milt.* 5. In quo tanto plus virtute valuerant Athenienses, ut decemplicem numerum hostium superarent, *h. e.* ipsi decem millia vincerent hostium centum millia.

DĔCEMPLĪCATUS, a, um, adj. idem quod decemplex. *Varr. L. L.* 5, 5. His decemplicatis conjuncto praeverbio, ex uno quinque millia numero efficerent.

DĔCEMPRĪMĀTUS, us, m. δεκαπρώτεια, decemprimorum munus. *Hermog. Dig.* 50, 4, 1. Munerum civilium quaedam sunt patrimonii, alia personarum: Patrimonii sunt munera rei vehicularis, item navicularis, decemprimatus; ab istis enim periculo ipsorum exactiones solemnium celebrantur.

DĔCEMPRĪMI, orum, m. plur. ita appellantur Latine, qui Graece δεκάπρωτοι. Hoc nomine vocabantur in municipiis et coloniis, qui inter decuriones majori censu aestimabantur, quique simul cum quatuorviris vel duumviris praeerant praecipue sumptibus rei publicae causa faciendis, et tributi modum in capita, et agros definiebant exigebantque, etc. V. DECURIO. *Cic. Rosc. Am.* 9. Itaque decurionum decretum statim fit, ut decemprimi proficiscantur ad L. Sullam, et orent, ut filii innocentis fortunas conservatas velit. [*Id. mox* eosdem *decem legatos* appellat. *Id. Verr.* 2, 2, 67. Evocat ad se Centuripinum magistratum, et decemprimos. *F.*] ℙ Scribitur et divisim *Decem primi*, ut in *Cenotaph. Pisano L. Caesaris*, et alibi.

DĔCEMRĒMIS, is, f. navis decem remorum ordinibus instructa. *Plin.* 7, 56, 57. Sex ordinum navem invenit Xenagoras: ab ea ad decemremem Mnesigiton. Est qui legit *deciremen*, sed minus recte. ℙ *Biremis* quidem et *triremis* ratio facile intelligitur, exhibeturque etiam oculis ab eruditis, ex antiquitatis monumentis desumpta figura, ut de triremi fecit *Scheffer. extr.* 1. *de milit. naval.* et *Graev.* ad *Flor.* 4, 11. ex columma Trajana, etc., quae collegit *Montfaucon. Antiq. R.* 4, 2, 2. Verum ubi numerus ordinum in navi crescit, non videtur satis commode intelligi, quomodo aut tot remorum series ad latera navium, sive recto ordine, sive in quincuncem, apte locari possent, aut tot remigantium ordines et consisterent in ipsa navi, et commode se remigando moverent: quamvis doctissimis commentis rem plures litterati viri expedire conati sint. V. inter ceteros *Raph. Fabrett. de columna Trajana* 5., et *Dissertationem critic. adnexam T.* 7. *Hist. Rom. P. P. Catrou*, et *Rovillé*, et *Montfaucon. loc. cit.* [Ceterum *Jac. Palmerius* in *adnotat.* ad *Memnonis Excerpta*, et *Morcell. de stil. Inscript. Latin. T.* 1. p. 141.–*edit. Pat.* plurium remorum ordines alios aliis superpositos exemplis et rationibus confirmant. *F.*] ℙ *Hard.* quidem ad *Plin. l. c.* praefracte negat, *ordines* hosce significare remorum series alias aliis superpositas; et si qui in antiquis monumentis ita conformati conspiciantur, non omnes esse mobiles, sed solum superiores: imos vero contendit fixos et navi adhaerentes fuisse. (quem vero ad usum, non satis, ne ex ipso quidem fortasse intelligas.) Censet autem, cum dicimus *duos*, *tres*, *sex*, *septem*, etc. *remorum ordines*, *decemremem*, *undecimremem*, etc. intelligi tantummodo sex, septem, decem, etc. remos in singulis navium lateribus (quasi ideo dicantur *ordines*, quia singulis remis plures remiges, uti et nunc fit, destinabantur). Verum haec sententia multas magnasque habet difficultates, quas non est hujus nostri instituti aut proferre, aut expendere.

DĔCEMSCALMUS, a, um, adj. decem habens scalmos. *Cic. Att.* 16, 3. *sub f.* Haec ego (*scripsi*) conscendens e Pompejano tribus actuariolis decemscalmis. Al. melius leg. divisim *decem scalmis*, ut sit sententia: tribus actuariolis, et scalmis decem iis impositis. Sunt enim hodieque parvae naves, quae cum opus est, pluribus instruuntur scalmis seu remis, quam fere in usu quotidiano habere soleant.

DĔCEMVĪRĀLIS, e, adj. quod ad decemviros spectat. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Tum ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes P. R. etc. ℙ *Leges decemvirales*, leges duodecim tabularum, quibus perferendis decemviri consulari potestate creati sunt. *Liv.* 3, 57. *extr.* Leges decemvirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in aes incisas publice proposuerunt. Adde *Gell.* 20, 1. ℙ In ablat. singulari in *i* tantummodo desinet, nunquam in *e*, teste *Charis.* 1. p. 102., quod idem dicendum de *duumviralis*, etc.

DĔCEMVĪRĀLĪTER, adv. more decemviri. *Sidon. ep.* 8, 6. *ante med.* Ut decemviraliter loquar, *h. e.* ut loquuntur decemviri litibus judicandis praepositi.

DĔCEMVĪRĀTUS, us, m. δεκαρχία, dignitas, et munus decemvirorum. *Cic. Agr.* 2, 22. Qui honore decemviratus excluditur prope nominatim. *Liv.* 4, 15. Consulatibus, decemviratibus, splendore familiarum sustulisse animos.

DĔCEMVĪRI, orum, m. δέκαρχοι, δεκαδοῦχοι, magistratus decem virorum, qui anno U. C. 300. vel 301. pro consulibus legum ferendarum causa creati sunt. V. *Liv.* 3, 32. et seqq. ℙ Decemviri litibus judicandis erant praesides quaestionum privatarum, qui creabantur, cum praetor urbanus ad bellum exiret, ut essent pro praetore in jurisdictione exercenda. *Cic. Or.* 46. et *Suet. Aug.* 36. V. STLITES. [*V. *Heinecc. Antt. Rom.* 4, 6. §. 9. p. 684. *Sigon.* de Judiciis et intpp. Pomponii.] ℙ Etiam agris metiendis, dividendis, dandis, judicandis decemviri creati sunt, ut est apud *Cic. Agrar.* 2. passim, et *Liv.* 31, 4. et 42, 4. ℙ Item decemviri sacrorum et librorum Sibyllinorum inspectores, et ludorum Apollinarium curatores. *Liv.* 10, 8. 25, 12. et alibi. ℙ In singulari numero *decemvir* est unus ex decemviris. *Cic. l. c.* saepe, et *Liv.* 3. saepissime. Sed V. quae dicentur in QUINDECIMVIRI. ℙ In usu loquendi *decemvirum* saepius dicitur in genitivo plur., quam *decemvirorum:* quod idem intellige de *triumviris*, *duumviris* etc. *Cic. Or.* 46.

DĔCENNĀLIS, e, adj. δεκαετής, qui est decem annorum. *Ammian.* 15, 12. *extr.* Gallias post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 48. Europa atque Asia propter unius mulierculae raptum decennali bello confligunt. ℙ *Decennalia* sunt ludi, qui singulis decenniis imperii sui ab imperatoribus R. celebrabantur. Horum decennalium origo repetenda est, teste *Dion.* 53, 13., ab Augusto Imp. *Trebell. Salonin.* 3. Decem annos Gallienum imperasse, cum constet, decennalia Romae ab eodem celebrata. *Inscr.* ap. *Grut.* 116, 4. Caesarum decennalia feliciter.

DĔCENNIS, e, adj. δεκαετής, qui est decem annorum. *Quint.* 8, 4. Priamus decenni bello exhaustus. *Petr. Sat.* 89. Decenne proelium. *Plin.* 8, 44, 69. Equae neque quadrimis minores, neque decennibus majores. *Flor.* 1, 12. Decennis obsidio. *Mart.* 9, 58. Nec crus compede lubricum decenni.

DĔCENNĬUM, ii, n. δεκαετία, decem annorum tempus. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. In destinatis decenniis jam vota properantia constiterunt. Adde *eund. ib.* 38. et *Appul. de Deo Socrat.* ℙ *Decennia* interdum sunt decennalia. *Trebell. Gallien.* 7. *extr.* Convocatis patribus decennia celebravit novo genere ludorum.

[DĔCENNŌVĬUM, ii, n. spatium novemdecim millium passuum, quale fuit paludi Pomptinae. *Inscr.* ap. *Grut.* 152, 8. Rex Theodoricus decennovii viae Appiae, id est a Trib. usque Terracinam, iter et loca, quae confluentibus ab utraque parte paludibus per omnes retro principum inundaverant, usui publico et securitati viantium admiranda, propitio Deo, felicitate restituit, operi naviter insudante Caecilio Mauro Basilio Decio V. C. etc. *Cassiod. Variar.* 2, 32. Paludem Decennovii in hostis modum vicina vastantem, fovearum ore patefacto promisit absorbere Decius vir magnificus atque patricius. *Id. ib.* 33. Decio V. C. rex Theodoricus. Vobis igitur desideria justa poscentibus praesenti auctoritate concedimus, ut, stagnis Decennovii paludibusque siccatis, sine fisco possideas in solum rura revocata. Apud *Cassiod. locc. citt.* mendose *Decennonii* legitur in edd. *F.*]

DĔCENS, entis, part. ab impers. *decet*, πρέπων, qui conveniens est, aptus et consentaneus tempori et personae et rei. *Hor. Od.* 4, 13, 17. Quo fugit Venus? heu! quove color? decens Quo motus? Ita *Bentl.* (Sic *Quint.* 11, 3. *ante med.* Corporis motus decens et accommodatus orationi.) *alii* quove color decens? [*Male.] *Ov. Pont.* 2, 5, 52. Decens amictus. *Quint.* 1, 3. *post med.* Decentissimus sinus, si aliquanto supra imam togam fuerit. *Senec. Thyest.* 150. nec dapibus feris Decerni potuit poena decentior. *Senec. alter Benef.* 1, 9. Decentissimum sponsaliorum genus, adulterium. *Tac. Agr.* 44. Si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior, quam sublimior fuit. [**Ov. Rem.* 350. forma sine arte decens.] ℙ Saepe refertur ad pulcritudinem. *Hor. Od.* 1, 18, 6. Decens Venus. *Id. ib.* 4, 6. Junctaeque Nymphis Gratiae decentes. *Ov. Met.* 1, 450. longoque decentia crine Tempora. *Claud. VI. Cons. Honor.* 537. Ipse favens votis, solitoque decentior aer, *h. e.* serenior. ℙ Differt tamen a formoso. Est enim *decens* pulcher cum honestate et dignitate quadam, decorus. *Suet. Dom.* 18. Pulcher ac decens, maxime in juventa. *Juven.* 6, 161. Sit formosa, decens, dives, fecunda. *Ov. Fast.* 5, 23. placidoque decens reverentia vultu. *Quint.* 8, 3. *post. init.* Decentior equus, cui adstricta sunt ilia. ℙ Cum accus. et *ad* praeposit. *Gell.* 6, 11. *in lemmate.* Verba ad officium gravitatis dignitatisque vitae decentia. ℙ Comp. et superl. V. supra. ℙ [*Commutantur *decens* et *recens*, V. intpp. ad *Ov. Fast.* 5, 123.]

DĔCENTER, adv. πρεπόντως, εὐπρεπῶς, decore, convenienter, apte. *Cic. Caecin.* 26. Jura finium decentissime descripta a majoribus. *Hor. Ep.* 2, 2. *extr.* Aetas decentius lasciva, *h. e.* quam magis decet lascivire. *Ov. A. Am.* 3, 291. Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter. *Id. Am.* 2, 5, 44. moesta decenter erat. [**Hor. A. P.* 92. Singula quaeque locum teneant sortita decenter. Cf. *Fea* ad h. l.]

DĔCENTĬA, ae, f. εὐκοσμία, εὐπρέπεια, convenientia, aptitudo, decor. *Cic. N. D.* 2, 58. Colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi judicant.

DĔCEPTĬO, onis, f. ἀπάτησις, actus decipiendi, error, fraus, fallacia. *Capell.* 4. *sub. f.* p. 135. Queis falsa philosophorum plena fallaciarum et deceptionum. Affertur et locus *Vitr.* 2, 8. *sub f.*, [*impendentis loci deceptio], sed incertae minimeque probandae lectionis.

DĔCEPTOR, oris, m. ἀπατεών, ῶνος, qui deci-

pit. *Senec. Thyest.* 139. Proditus occidit deceptor domini Myrtilus.

DĔCEPTORIUS, a, um, ἀπατηλός, ad decipiendum aptus. *Augustin. ep.* ad *Macr.* 155, 2. *extr.* Deceptoria laude fallentis extolli. *Id. Doctr. Christ.* 2, 23. Deceptoriae conjecturae.

DĔCEPTRIX, icis, f. quae decipit. *Lact. Epit.* 6. *sub f.* Perniciosa est et deceptrix adulatio.

DĔCEPTUS, a, um, part. a *decipio*, ἀπατηθείς, captus, falsus, circumventus. *Virg. Ecl.* 8, 18. Conjugis indigno Nisae deceptus amore. *Id. A.* 5, 851. coeli deceptus fraude sereni. *Hor. Sat.* 1, 1, 61. bona pars hominum decepta cupidine falso. *Cic. Off.* 1, 10. Quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit. *Caes. B. C.* 1, 85. Per colloquium deceptos crudelissime interfecisse. *Liv.* 1, 9. Per fas et fidem decepti. *Plin.* 25, 13, 92. Deceptus similitudine. *Val. Fl.* 1, 411. Et quem fama genus non est decepta Lyaei Phlejas, *h. e.* non est decepta, divulgans, esse hunc de sanguine Bacchi. ℙ [Ubi quis de mortuis loquitur, habet verbum hoc quandam ex amore querelam, quod nempe superstes se prius vitam finire optasset atque speravisset. Ita intelligendum illud *Virg. A.* 4, 17., ubi Dido exstinctum Sichaeum respiciens, inquit: Post-quam primus amor deceptam morte fefellit. *Inscr.* ap. *Grut.* 691, 5. Memoriae aeternae Julii Zosimi juvenis innocentissimi, qui vixit annis XXX. M. I. D. III., Melius (*corrige* Julius) Zosimus pater infelicissimus amissione ejus deceptus, *h. e.* morte ejus spe deceptus. Alia apud *Catalani*, *Orig.* e *Antich. Firmane* p. 35. Terentino Paulino jubeni probissimo, qui vixit ann. XXXV. mes. II. dieb. XV. Vindia Restuta mater, et Atilia Tertia conjux decepta cum filiis posuerunt B. M. [*Ita *Furl.* Apud *Forc.* haec leguntur: „Aliquando est i. q. destitutus, desolatus, orbatus. Ita quidam interpretantur apud *Virg.* l. l. et *Sil.* 8, 102. quod vidi, decepta! nefas, et *Calpurn. ecl.* 3, 77. Saepe etiam leporem, decepta matre, paventem Misimus. Addunt *Auson. Cypr. ep.* 2. et *Appul. Met.* 10. p. 256, 2.“ — De loco *Virg.* cf. *Heyn.*, qui recte dicit: *deceptam fallere* esse poetica copia dictum. Sic etiam in reliquis locis prior illa *decipiendi* notio ubique inest. *Appul.* autem locum ipse *Forc.* sub DECIPIO recte interpretatur.]

DĔCEPTUS, us, m. idem ac deceptio. *Tert. adv. Marcion.* 3, 6. Humana conditio deceptui obnoxia. *Id. Anim.* 18. Deceptui facilis.

DĔCERIS, is, f. δεκήρης, decem remorum ordinibus acta navis, quae et decemremis dicitur. Ita enim contendit legendum *Turn.* 22, 31. *in Suet. Cal.* 37., ubi ait. Fabricavit et deceres Liburnicas gemmatis puppibus etc. Vulgata lectio habet *de cedris.* Tale (inquit *Turn.*) navium genus amplissimorum tricliniorum et thermarum, de quibus *Suet.* loquitur, capax fuit.

DĔCERMINA dicuntur, quae decerpuntur purgandi causa. *Festus:* qui videtur intelligere frondes sacras, φύλλα καθαρτικά, quibus in lustrationibus uti solebant. ℙ Translate *decermina Fortunae* appellat *Appul. Met.* 1. p. 104, 29. miserrimos homines ostiatim mendicantes, quasi faecem et purgamenta populi.

DĔCERNO, is, crevi, cretum, a. 3. διαγινώσκω, κρίνω, νομίζομαι, definio, judico, censeo: a *de* valde, et *cerno*, ut sit rem penitus cernendo judicium ferre. *Ter. Ad.* 4, 2, 5. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere. [*Liv. 21, 56. neque prae imbre satis decernere possent, qua suis opem ferrent. coll. 7, 9. nec, qui potirentur, incertis viribus, satis decerni poterat. Sic ex emendatione *Gron.*, quam plerique amplectuntur, in quibus *Drak.*, qui: *discernere*, inquit, distinguendi, dirimendi; at *decernere* dijudicandi rem dubiam atque ita haesitationi finem imponendi significatione usurpari solent.] *Id. Hec.* 2, 1, 15. Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent. *Id. ib.* 4, 1, 27. Id vitium nunquam decrevi esse adolescentiae. *Cic. Att.* 3, 15. *ad f.* Nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam, quod in me ipso satis esse consilii decreras, *pro* decreveras. ℙ Item statuo, constituo. *Ter. Heaut.* 3, 1, 56. Sumat, consumat, perdat: decretum est pati. *Pl. Asin.* 1, 1, 58. Eos me decretum est persequi mores patris. [*Liv. 2, 45. certum (sc. *mihi*) atque decretum est.] *Id. Aul.* 3, 6, 33. Mihi bibere decretum est aquam. *Ter. Hec.* 1, 2, 73. Quam decrerim me non posse diutius habere. *Cic. Att.* 6, 6. Decreram enim cum eo valde familiariter vivere. [*Liv. 27, 20. ad purganda ea, quae inimici decernerent, i. e. pro certis affirmarent, credi vellent. Saepe omnino est i. q. decerni velle. V. intpp. ad l. l. *Gloss. Liv.* Adde ad 4, 50, 6.] ℙ *Decernere aliquid* est interdum decidere, remota dubitatione in perpetuum terminare. *Pl. fr.* ap. *Non.* 4, 133. Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere. *Liv.* 5, 55. Sed rem dubiam decrevit opportune missa vox. *Id.* 25, 41. Haud magna vis certaminis fuit: primus clamor atque impetus rem decrevit. Adde 10, 19. ℙ Saepissime pertinet ad curiam et magistratus, ψηφίζομαι, κρίνω. *Cic. Fin.* 4, 9. Cum senatus triumphum Africano decerneret. *Id. Verr.* 2, 2. 67. Centuripinorum senatus decrevit, populusque jussit, ut etc. *Id. Dom.* 28. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui non amplissime de mea salute decreverint. *Id.* ad *Capiton. post ep.* 16, *l.* 16. *Att.* Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios. *Id. Verr.* 2, 1, 46. de Verre praetore: Alias revocabat eos, inter quos jam decreverat: alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat etc. *Id. ib.* 3. Si qua in re contra rem meam decresset aliquid. *Id.* ad *Brut.* 1, 15. et *Nep. Milt.* 6. et *Alc.* 7. Decernere honores aut statuas alicui. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. pecuniam ad ludos. [*Liv. 3, 47. decernere vindicias secundum servitutem, i. e. possessionem ejus, de cujus statu disceptatur, dare. *Gloss. Liv.*] *Vell.* 2, 18. alicui bellum, *h. e.* demandare. ℙ Senator quoque sententiam dicens, *decernere* dicitur. *Cic. Fam.* 1, 1. Hortensii et mea sententia tibi decernit, ut regem reducas, et *ib.* Crassus tres legatos decernit. *Id.* ad *Brut.* 1, 15. *circa med.* Decrevi, ut in fastis Bruti nomen adscriberetur. et *paulo post.* Bruto decrevi honores, decrevi Planco. [*Liv. 5, 36. ne id, quod placebat, decerneret (senatus) in tantae nobilitatis viris, ambitio obstabat. Ubi notanda est constructio: *decernere aliquid in aliquo*, de qua cf. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 43, 3. ubi de similibus agit. Est autem duarum constructionum in unam conjunctio. Decernitur enim proprie aliquid in aliquem; poena autem, quae decreta est, sumitur in aliquo.] ℙ Translate. *Plin.* 2, 47, 48. De ratione ventorum menstrua, quarta maxime luna decernit, *h. e.* definit quodam modo, quinam venti eo mense futuri sint. *Id.* 17, 27, 46. Justum existimant, in denos pedes quadratos agri modios tres fimi: id quidem soli natura decernet, et *ib.* 22, 35. *n.* 18. De his Catonis praecepta decernent. ℙ Praeterea *decernere* est decertare, dimicare, rem et eventum belli armis decidere, quod Graecis est κρίνειν et διακρίνειν τὸν πόλεμον. *Nep. Eum.* 9. *extr.* Diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum, quo integriore exercitu decerneret. *Id. Hann.* 4. Cum eodem de Clastidio apud Padum decernit: saucium inde ac fugatum dimittit. *Hirt. B. Afr.* 14. Decernere contra magnam vim hostium artificio magis, quam viribus. *Nep. Milt.* 4. Acie decernere. *Cic. Or.* 2, 73. Certamen vitae gladiatorium, quo ferro decernitur. *Id. Att.* 7, 3. *circa med.* Decernere armis. *Virg. G.* 3, 218. de tauris: Cornibus inter se subigit decernere amantes. ℙ *Decernere pugnam* est decidere, victoria in alterutram partem inclinante. *Liv.* 28, 33. Missis levibus telis, quae irritare magis, quam decernere pugnam poterant, gladios nudant. *Cic. Fam.* 10, 10. Quamquam in uno proelio omnis fortuna reipubl. disceptat: quod quidem, cum haec legeres, jam decretum arbitrabar fore. ℙ Translate. *Liv.* 40, 8. *sub f.* Decernite criminibus, mox ferro decreturi. [*Falsus igitur est *Brem.* qui locum *Nep. Hann.* 10, 4. *Classe erant decreturi* unum esse putat, quo partic. futuri hac *decidendi* significatione dicatur.] *Cic. Or.* 2, 49. Pro sua fama fortunisque decernere, *h. e.* judicio contendere. *Id. Quint.* 6. Uno judicio de fortunis omnibus decernere. *Id. Att.* 10, 9. Utinam meo solum capite decernerem. *Id. ib.* 8, 5. Pendeo animi exspectationi Corfiniensi, in qua de salute reipubl. decernitur. ℙ [*Decernere digitis* est i. q. micare digitis, digitis exsertis illam ludicram pugnam dirimere. Sic *Nemesian. Ecl.* 2, 27. ter decernere digitis. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 19, 77.] ℙ In multis temporibus syncopen patitur. *Decrerim*, *ram*, *ro*, pro *decreverim* etc., et *decresset*, pro *decrevisset*, et *decrerunt* pro *decreverunt*, in allatis exemplis legitur, et apud *Pl. Curc.* 5, 3, 25., *Liv.* 3, 45. et *Lucil.* ap. *Jul. Rufinian. de Figur. in Epagoge.* ℙ [*Commutantur *decernere* et *decertare.* V. *Brem.* ad *Nep.* l. l.]

DĔCERPO, is, erpsi, erptum, a. 3. ἀπολέγω, carpendo detraho, ut fit cum poma ex arboribus manu legimus. *Ov. Pont.* 3, 5, 19. Et magis adducto pomum decerpere ramo, Quam de caelata sumere lance juvat. *Id. Met.* 5, 536. Puniceum curva decerpserat arbore pomum. *Id. Fast.* 5, 255. Decerpere pollice florem, et *ib.* 11, 112. aristas. *Hor. Epod.* 2, 19. pira et uvam. *Colum.* 5, 10. folia. *Plin.* 21, 10, 31. Thymum decerpunt apes. *Id.* 16, 31, 56. E radicibus montani praetenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas nectunt. *Catull.* 68, 126. de columba: quae multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro. *Virg. Cop.* 33. Candida formosae decerpens ora puellae. ℙ Translate est auferre, detrahere, minuere. *Cic. Marcell.* 2. *sub f.* Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil cohors, nihil turma decerpit. *Id. Or.* 2, 56. Ne quid jocus de gravitate decerperet, *h. e.* minueret. *Quint. prooem.* 6. *a med.* Esse nescio quam, quae spes tantas decerpat, invidiam. *Senec. Controv.* 1, 2. *circa med.* Illibatam virginitatem decerpere, *h. e.* imminuere, violare. ℙ ℙ Item percipere, colligere, haurire. *Hor. Sat.* 1, 2, 79. unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. *Sil.* 4, 138. Dum primae decus affectat decerpere pugnae. *Stat. Th.* 6, 165. et vocis decerpsit murmura primae. *Quint.* 10, 1. *circa med.* Habent tamen comici, si cum venia legantur, quaedam, quae possis decerpere. *Id.* 4, 1. *ante med.* Decerpere aliquid in usum principii orationis. ℙ In illo *Catonis R. R.* 112. Acina de uvis miscellis decerpito. Al. leg. *decarpito.*

DĔCERPTĬO, onis, f. actus decerpendi. *Non.* 2, 906. Demptio vel decerptio.

DĔCERPTUS, a, um, part. a *decerpo*, carpendo detractus. *Plin.* 21, 7, 18. Decerpta cotonea. *Id.* 12, 7, 14, Decerptae siliquae. *Id.* 23, 7, 71. Decerptus ramus. *Ov. Met.* 1, 645. decerpta herbae. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 13. Humanus animus decerptus ex mente divina.

DĔCERTĀTĬO, onis, f. actus decertandi, concertatio, dimicatio, ἀγωνισμός. *Cic. Phil.* 11, 9. Harum rerum omnium decertatio consulibus optimis et fortissimis commissa et commendata est.

DĔCERTĀTŌRIUS, a, um, adj. ad decertationem spectans. *Quint.* 6, 4. Pugna decertatoria, *h. e.* altercatio. Alii rectius leg. *decretoria.*

DĔCERTĀTUS, a, um, part. a *decerto*, certatus. *Stat. Th.* 1, 2. Fraternas acies alternaque regna profanis Decertata odiis, *h. e.* usque ad exitium certata. *Id. ib.* 479. ventis ut decertata resident Aequora, *h. e.* post finem certaminis ventorum tandem residunt. *Claud. I.* in *Cons. Stil.* 1, 21. Decertati labores, *h. e.* decertando et belligerando exhausti.

DĔCERTO, as, avi, atum, n. 1. ἀγωνίζομαι, idem quod certo, vel valde certo, tum in bellicis rebus, tum in quocumque certamine et contentione civili. *Caes. B. C.* 2, 10. Ut potius in suis, quam alienis finibus decertarent. *Id. ib.* 3, 19. Ne cives cum civibus armis decertarent. *Id. B. G.* 7, 77. Decertare proelio. *Nep. Ann.* 10. classe. *Cic. Dom.* 24. vi et armis contra vim. *Id. Amic.* 8. *extr.* Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho et Annibale. *Id. Off.* 1, 23. *extr.* Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est. *Ov. Met.* 14, 803. Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro Decertare placet, *h. e.* usque ad internecionem bellum gerere. *Cic. Planc.* 36. Jure, legibus disceptando decertare. *Id. Fin.* 5, 2. Locus ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt. *Id. Phil.* 2, 1. Decertare cum aliquo contentione dicendi. *Ov. Fast.* 4, 101. Cum mare trux aries cornu decertat. [*Liv. 6, 3, 9. quibus animi in spe ultima ad decertandum fuerant, i. e. ad certandum usque ad mortem. V. *Drak.*] ℙ Cum dativo. *Hor. Od.* 1, 3, 13. Praeceps Africus decertans Aquilonibus.

DĔCERVĪCĀTUS, a, um, adj. cui cervix dempta est, decollatus. *Sidon. ep.* 3, 3. *a med.* Quos humari nox prohibuerat, decervicatis liquere cadaveribus.

DĔCESSĬO, onis, f. ἀποχώρησις, actus decedendi abitus, discessio. *Cels.* 3, 3. *ad f.* Aliae febres diem noctemque accessione et decessione implent. *Id.* 2, 4. Ut per accessionem increscant, per decessiones molliantur. *Cic. Div.* 2, 15. *ad f.* Haec decessio capitis jecinoris, aut accessio subitone fieri potest? *Id. Fam.* 4, 4. *ad f.* Is mecum saepe de tua mansione et decessione communicat. ℙ De discessu magistratus, finito imperio provinciali. *Id. Att.* 6, 5. *ad. f.* Mihi decessionis dies λειηθότως obreptat. Adde *Q. Fr.* 1, 1, 1. et *Pis.* 36. *a med.* ℙ Translate. *Id. Univ.* 6. Neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio, *h. e.* diminutio. *Id. Rabir. Post.* 11. Decessionem de summa facere. *Terent. Clem. Dig.* 29, 4, 28. *extr.* Decessionem patietur is, cui restituta fuerit hereditas, *h. e.* diminutionem, detrimentum. *Gell.* 13, 29. appellat *decessionem verborum*, cum verba ex ea significatione, in qua nata sunt, in aliam longe, vel proximam decesserunt.

DĔCESSOR, oris, m. qui jam magistratu functus de provincia decessit et successori tradidit. Usurpatur relative ad successorem: et *decessorem suum* vocat successor, cui ipse in provincia administranda, aut alia quavis re, dignitate seu officio succedit. [*Cic. *fragm. orat. Scaur.* p. 81. *n.* 35. *ed. Peyron.* (p. 186. *ed. Beier.*) Successori decessor invidit, *h. e.* Scauro consulatum petenti Appius jam consul invidit. *B. A.*] *Tac. Agr.* 7. Agricolam vicesimae legioni praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: ita successor et ultor electus etc. *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. Recte faciet, si edictum decessori suo miserit.

[DĔCESSUS, a, um, part. verbi *decedo*, praeteritus. *Rutil. Itin.* 1, 313. Necdum decessis pelago permittitur umbris. ℙ Significat etiam mortuum. *Inscr.* ap. *Oderic. Dissert.* p. 165. Vitent homines avaros, audaces, monumentorum sacrilegos, per quos decessis nunquam requiescere licet. *F.*]

DĔCESSUS, us, m. decessio. *Caes. B. G.* 3, 13. Carinae aliquanto planiores, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent. *Cels.* 3, 12. Sub decessu febris cibum sumat. *Plin.* 18, 18, 47. Ab Nili decessu serere solitos. [*Nep. *Timol.* 2, 3. pos Dionysii decessum, sc. e Syracusis.] ℙ Pro decessione magistratus ex provincia. *Coel.* ad *Cic.*

Fam. 8, 10. *sub f.* Quod ad tuum decessum attinet, me curaturum, ut tibi succedatur. *Cic. Phil.* 2, 38. An Creta post M. Bruti decessum potuit liberari? ℙ Pro morte. *Cic. Amic.* 3. Angi decessu amicorum.

DĔCET, ebat, cuit, impers. 2. πρέπει, significat aptitudinem, honestatem, convenientiam, quae in re quaque inest ratione alterius rei. *Cic. Or.* 22. decere declarat, quasi aptum esse consentaneumque tempori et personae: quod cum in factis saepissime, tum in dictis valet, in vultu denique et gestu et incessu: contraque item dedecere. Etymologi ducunt a δέει pro δεῖ oportet, *c* inserto, ut a σπέος est *specus*. *Cic. Or.* 1, 29. Roscium saepe audio dicere, caput esse artis, decere: quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. *Id. Or.* 3, 55. Nunc quid aptum sit, hoc est quid maxime deceat in oratione, videamus. *Id. ib.* 1, 26. Non faciendo id quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. *Id. Tusc.* 4, 25. Oratorem irasci minime decet. *Pl. Most.* 1, 3, 10. Contempla, satin' haec me vestis deceat. *Ov. Fast.* 2, 105. capit ille coronam, Quae possit crines, Phoebe, decere tuos. [*V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 5, 85.] *Cic. Off.* 1, 31. Experiri, quam se aliena deceant. *Nep. Att.* 6. Non enim decere se arbitrabatur, cum praeturam gerere noluisset, asseclam esse praetoris. *Sall. Jug.* 53. Quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa, scil. fieri. *Plin.* 37, 8, 33. Callaides gemmae inclusae decorantur auro, aurumque nullae magis decent. [*i. e. magis conveniunt cum auro ejusque adspectum gratiorem reddunt. Pro *decorare* reperitur passim apud poetas: *Lucan.* 3, 511. ornatas decuit fulgens tutela carinas. *Cort.* ad h. l. laudat similia, ut *Claud. Stil.* 2, 367. locum decuit toga etc.] ℙ Cum dativo. *Pl. Amph.* 2, 2, 188. Istuc facinus nostro generi non decet. *Ter. Ad.* 5, 8, 5. Hercle ita nobis decet. *Id. ib.* 3, 5, 45. Haec ut fiant, Deos quaeso: ut vobis decet. *Gell.* 9, 15. Adolescens praefatur arrogantius et elatius, quam aetati ejus decebat. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 8, 127. Locum editiorem, quam victoribus decebat. *Pl. Capt.* 2, 2, 71. Ne patri decere videatur magis me servire, potius quam etc. *Paul. Dig.* 32, 23. Decet enim tantae majestati, eas servare leges, quibus etc. ℙ Si quis usurpare velit etiam in primis personis, habet in voce DEDECET, quo se tueatur. ℙ Aliquando significat officium, et pro *oportere* ponitur. *Cic. Fin.* 3, 19. *ad f.* Quod deceat, cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. Plerique al. leg. *doceat.* [*Male.] *Sall. Cat.* 1. Qui se student praestare ceteris, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant. *Pl. Rud.* 1, 2, 24. Peculiosum eum esse decet servum et probum, quem etc. *Liv.* 3, 17. Non, quidquid patrum plebisque est, in Capitolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domum Jovis O. M. decuit? [*Exempla, in quibus *decet* construitur cum *infinitivo passivi* e *Cic.* excitavit *Wopk. Lectt. Tull.* p. 71. ut *Cic. Leg.* 2, 3. optime vero, frater, et fieri sic decet. et *c.* 7. hunc hominem omnino numerari qui decet? etc. Utrumque recte fit. Sed *infinit. pass.* (ut *Handii* ad h. l. verbis utar), in compositione cum vv. *decet (licet, oportet)* refertur ad rem omnibus communem; activus ad eum solum hominem, de quo sermo est. — Adversatur tamen huic regulae locus *Liv.* 34, 58, 8. pensari decet principi, i. e. a principe. V. *Drak.*] — Quoniam vero *decet* interdum fere est i. q. *oportet*, factum est, ut saepe permutentur *decere* et *debere*. Neque tamen alterum pro altero poni potest; nam *decere* dicitur „de re congrua et apta, aut quae bonis moribus conveniat et ipsa bona sit.“ *Hand.* l. l. qui ad discrimen demonstrandum apte laudat *Cic. Leg.* 1, 8, 24. ubi opponuntur *qualem Deum haberi deceat* et *deum haberi debeat*. Porro commutantur a librariis *decere* et *docere*, V. *Burm.* ad *Ov. Amor.* 3, 10, 48. ad *Trist.* 1, 6, 26. intpp, ad *Quint.* 10, 1, 32. *Drak.* ad *Liv.* 9, 15, 4.]

*DECETIA, ae, oppidum Galliae Celticae, in regione Aeduorum, vel saltem Aeduis conterminum. *Caes. B. G.* 7, 33. et *Anton. Itin. B. A.*

DĔCIĀNUS, a, um, adj. ad Decium, nomen proprium civis R. pertinens, ut Decianus exercitus. *Liv.* 10, 31. ℙ [**Deciani, orum*, populi, incolae oppidi cujusdam Italiae, quod fortasse Deciae vel Decium audiebat. Videtur in Apulia fuisse vel Calabria. *Plin.* 3, 11. *B. A.*]

DĔCĪDO, is, idi, isum, a. 3. ἀποκόπτω, amputo, abscindo: a *de* et *caedo:* et de iis fere dicitur, quae si abscindantur deorsum cadunt. *Pl. Merc.* 2, 2, 37. Decide collum, si falsum est uti loquar. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 5. Cum malleolus spargere coepit caules, deciditur. *Colum.* 2, 2. Decidere falce filicem nascentem. *Sen. ep.* 90. In quadratum tigna decidere. *Sil.* 4, 389. improbus ensis Annexam parmae decidit vulnere laevam. ℙ Saepius translate sumitur pro transigere, componere litem mutuo partium consensu: quia solet in transactionibus et compositionibus decidi seu detrahi utrinque aliquid ex postulatis contrahentium. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. *a med.* Qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat. *Id. Quint.* 5. Decidere de rebus et rationibus societatis. *Id. ib.* 4. Decidere et statuere, quid alicui ad denarium solvatur. [*Sermo est h. l. de judice, litem inter litigantes componente.] *Id. Rosc. Am.* 39. Decidere atque transigere cum aliquo. *Id. Verr.* 2, 3, 48. Ut in jugera singula ternis medimnis decidere liceret. Al. omittunt praepos. *in. Id. Rosc. Com.* 11. Magno tuam dimidiam partem decidisti: magno et tu tuam partem decide. *Senec. ep.* 95. *ad f.* Pro libertate decidere. *Ulp. Dig.* 12, 6, 26. *circa med.* Decidere pecunia cum aliquo. *African. ib.* 47, 2, 63. Decidere damnum. *Ulp. ib.* 9, 4, 22. Jurejurando aliquid decidere. *Id. ib.* 5, 2, 29. Aliquid transactione decidere. *Id. ib.* 18, 3, 4. quaestionem. [*V. quos de hac h. v. significatione laudaverit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 56, 4. quibus adde *Gron. obss.* 2, 6. et *Graev.* ad *Cic. Att.* 1, 8.] *Plin.* 7, 40, 41. Abunde atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui jure dici non infelix potest. [**Quint. Decl.* 12, 12. et 23. ibique *Burm.*] ℙ *Decidere aliquid propriis verbis* ap. *Quint.* 8, 17. *a med.* est exprimere, explicare. ℙ Reperitur etiam pro caedere, hoc est verberare. *Callistrat. Dig.* 47, 21, 2. Si lapides furati sunt, sufficiet eos verberibus decidere. ℙ Pro dejicere. *Pl. Cas.* 2, 4, 18. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero. Est qui legit *dejecero.*

DĔCĬDO, is, ĭdi, n. 3. καταπίπτω, deorsum cado. *Lucr.* 6, 496. In terras decidit imber. *Cic. Senect.* 19. *sub f.* Poma ex arboribus, si sunt matura et cocta, decidunt. *Ov. A. A.* 2, 2. Decidit in casses praeda petita meos. *Plin.* 37, 10, 59. Glossopetra dicitur coelo decidere. *Ov. Ib.* 259. Decidere ab equo in arva. *Caes. B. G.* 1, 48. Decidere equo. *Nep. Eum.* 4. in terram ex equo. *Pl. Cas.* 5, 2, 42. praecipitem de lecto. *Id. Pers.* 4, 4, 45. in foveam. *Plin.* 2, 52, 53. A superiore coelo decidentia obliquos habent ictus. *Curt.* 7, 7. *sub f.* Flumina in rubrum mare decidunt. *Ov. Met.* 12, 339. Decidere in praeceps. *Hor. Sat.* 1, 2, 42. fugiens hic decidit acrem Praedonum in turbam, *h. e.* incidit. *Petr. Sat.* 87. Decidere in somnum. *Suet. Aug.* 95. Tunica ad pedes decidit. ℙ Translate. *Ter. Heaut.* 2, 3, 9. Vae misero mihi! quanta de spe decidi! et *ib.* 4, 8, 11. Quanta spe decidi! *Liv.* 37, 26. Antiochus posteaquam a spe societatis Prusiae decidit etc. *Nep. Eum.* 11. *ad f.* Non virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi, *h. e.* victus sum. *Tac. A.* 3, 59. Huc decidisse cuncta, ut etc., i. e. in hunc statum res adductas esse. Al. leg. *recidisse. Suet. Claud.* 9. Decidere ad angustias rei familiaris. [*Etiam h. l. *Ernest.* mavult *recidere.* Sed illud jure defendit *Brem. Cic. Verr.* 2, 4, 45. ne oculis quidem captus in hanc fraudem — decidisti.] *Plin. ep.* 5, 10. Labi et decidere ab archetypo. *Tibull.* 3, 1, 20. an toto pectore deciderim, *h. e.* mei oblitus omnino sis. *Cic. Att.* 2, 21. Pompejus, quia deciderat ex astris, lapsus, quam progressus, potius videbatur. [*Refer h. l. ad gloriae fastigium.] ℙ Pro mori. *Pl. Trin.* 2, 4, 142. Nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit: ita cuncti solstitiali morbo decidunt. *Claud. in Rufin.* 1, 1. Phoebeo domitus Python cum decidit arcu. ℙ Pro deminui, absumi. *Colum.* 12, 20. *sub f.* Mustum infervefacere et omnem spumam cum faecibus expurgare: quo facto decima pars decidet.

DĔCĬDŬUS, a, um, εὐκατάπτωτος, cadens, caducus. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua cervis omnibus annis decidua. *Id. ib.* 49, 110. Testes pecori ad crura decidui, subus adnexi. *Id.* 2, 20, 18. Ignes decidui ad terras, fulminum nomen habent. *Id.* 18, 25, 60. Decidua folia. *Id.* 8, 3, 4. Dentes decidui. [*Id.* 2, 8, 6. Decidua sidera, *h. e.* quas stellas coelo labentes vulgus putat, quasque *Senec. Qu. Nat.* 2, 14. appellat *stellas transvolantes F.* *nos *Sternschnuppen.*] ℙ *Decĭduus* a *caedo*, secunda syllaba producta, idem quod *caeduus*, legitur a quibusdam apud *Ov. Met.* 8, 758. gemitumque dedit decidua quercus. Al. leg. *Dodonia*, alii *de vulnere*, alii rectius *Deoia.* [*Ita *Heins.*, quem V.] *Plin.* quoque, ubi ait 16, 24, 38. Cato decidua folia, populnea quernaque animalibus jubens dari, non perarida; *caedua* significare videtur: nam si *cadentia* intelligas, ea solent arida esse. Nostri quoque rustici, quam frondem in cibum boum servant, caedere solent, non exspectare, dum decidat. Porro locus *Catonis*, unde is desumpsit, videtur esse *R. R.* 5. *extr.* Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito: per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus. [**Scheller.* dubitat de altera significatione et ubique priorem significationem statuere videtur. Ego non item.]

DĔCIES, adv. δεκάκις. *Plin.* 10, 53, 74. Decies anno pariunt columbae. *Pl. Stich.* 3, 2, 45. Decies in die mutat locum. *Ov. Trist.* 2, 94. Lisque decem decies inspicienda viris, *h. e.* centumviris. *Cic. Verr.* 2, 1, 10. Decies centena millia. ℙ *Decies centena* pro praegrandi pecuniae summa, usurpabant antiqui, quod priscis illis temporibus minor erat nummorum copia; et nihilominus, etiam crescentibus divitiis, phrasis obtinuit. *Hor. Sat.* 1, 3, 15. decies centena dedisses Huic parco paucis contento, quinque diebus Nil erat in oculis. ℙ Dicitur et *decies* absolute pro decies centena millia. *Mart.* 1, 104. Aut vive, aut decies, Scaevola, redde Deis. Adde 3, 62. ℙ Sumitur et pro *saepe. Pl. Amph.* 2, 1, 27. Decies dixi. ℙ Scribitur et *deciens. Varr. L. L.* 8, 49. et *Mar. Victorin. de Orthogr.* p. 2469.

DĔCIMA. V. DECIMUS.

DĔCIMĀLIS, e, adj. ut *Decimales agri*, *h. e.* decumani, qui decimas solvunt. *Tac. G.* 29., ubi alii [*rectius] leg. *decumates* eadem significatione. [*Cf. *Hess.* ad h. l.]

DĔCIMĀNUS et frequentius Decumanus, a, um, adj. ad decimum pertinens. *Decumani milites* sunt legionis decimae, hoc est quae decimo loco descripta fuit. *Hirt. B. Afr.* 16., *Tac. H.* 5, 20. et *Suet. Caes.* 70. ℙ *Decumanus ager*, qui decimam partem fructuum pro vectigali solvit reipubl. *Cic. Verr.* 2, 3, 6. Omnis ager Siciliae civitatum decumanus est. ℙ *Decumani, orum*, sunt publicani, qui decimas publicas redimunt exiguntque. *Ascon.* in *Verr.* 1, 2, 5. et *Cic. ib.* 2, 3, 8. et 33. ℙ Decumana mulier *ib.* 33. et 34. est uxor decumani, quam et mulierculam publicam *ib.* vocat. ℙ *Decumanum frumentum* decima pars frumenti, quae pro vectigali solvitur. *Cic. Verr.* 2, 3, 5. *extr.* et *ib.* 81. ℙ *Decumanum oleum* accipitur pro minus puro et viliori a *Lucil.* ap. *Non.* 5, 97., si modo sana est lectio: nempe quasi ex decima quaque mensura rejecto et projecto: vel decimando collecto et abjecto. [*Inde potius dictum putem oleum decumanum pro viliori, quia agricolae, quos oleum frumentum vel aliud quodcunque dare oportet, non optimum dare solent, sed vilius.] ℙ De *limite decumano*, V. CARDO. ℙ Saepe *decumanus* accipitur pro magno. Decumana ova (inquit *Festus*) dicuntur, et decumani fluctus, quia sunt magna: nam et ovum decimum majus nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur. Alii putant ductum hoc a Pythagoreis, apud quos denarius numerus veluti magnificus et sacer fuisse dicitur. [*Quoniam Graeci dicunt pro fluctu decumano τριζυμίαν aliasque ejusmodi compositiones habent, ut τρισώματος τρισδυστήνος etc., quibus nihil nisi magnitudo significatur: ego putaverim similiter numerum decimanum ad magnitudinem referri posse dicique decumana ea, quae denis vicibus majora sint aliis, ideoque permagna.] *Ov. Trist.* 1, 2, 49. Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes: Posterior nono est, undecimoque prior. *Lucil.* ap. *Cic. Fin.* 2, 8. Acipenser decumanus. *Fest.* in *Albesia.* Decumana scuta, quae sunt amplissima. ℙ *Decumana pira* enumerantur a *Colum.* 12, 10. et *Cloatio* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. *ad f.* inter varia pirorum genera: a magnitudine fortasse appellata: nisi malis legere *Decimiana*, quod unice probandum. ℙ In castris *Decumana porta* est ceterarum maxima, aversa hosti. Alii dictam putant a tutela militum decimae cohortis. [*Hoc melius. Ab initio videntur duae portae decumanae fuisse; sed altera earum, hosti adversa, mox dicta est *porta praetoria.* Binarum legionum decimae quaeque cohortes ad utramque portam stationem habebant.] *Veg. Mil.* 1, 23. Caesar saepe [*utitur h. v., ut *B. G.* 2, 26. ubi V. *Herzog.*] Per hanc peccantes milites educebantur ad poenam, teste *Veget. ib.* ℙ [**Decumanorum colonia* in Gallia fuit Narbonensi, ita dicta a decumanis militibus, quorum profecto colonia fuit. *Mela* 2, 7. init. *B. A.*]

DĔCĪMĀTIO et Decumatio, onis, f. δεκάτευσις, supplicium militare, cum decimus quisque miles sorte lectus occiditur. *Capitol. Macr.* 12. Clementem se dicebat, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione atque vicesimatione. V. DECĪMO.

DĔCĪMĀTRUS, dies festi Faliscorum, quod fierent post decimum diem Iduum. *Festus* in *Quinquatrus.*

DĔCĪMĀTUS et Decumatus, a, um, part. a *decimo*, lectus ad supplicium ex decimo quoque. *Suet. Aug.* 24. Cohortes, si quae cessissent loco, decimatas hordeo pavit. ℙ Item electus. *Symm. ep.* 3, 49. et 51. Vir decumatae honestatis. Al. utrobique leg. *edecumatae* eod. sensu.

DĔCĪMESTRIS. V. DECEMMESTRIS.

DĔCĪMIĀNUS, a, um, adj. ad *Decimium* pertinens, quod est nomen proprium R. hominis: a quo appellata sunt *Decimiana pira*, quorum fit a *Plin.* 15, 15, 16. V. DECIMANUS *sub f.*

[DĔCĪMILLA, ae, f. diminut. decimae. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mazois*, *Ruines de Pompei P.* 1. *tab.* 17. Alleja M. F. Decimilla sacerdos publica Cereris faciendum curavit viro et filio. *F.*]

[DĔCĪMĪNUS, i, m. ad decimum pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 328. M. Venustenus Deciminus. *F.*]

DĔCĪMO et Decumo, as, a. 1. δεκατόω, est decimam partem detrahere. Unde decimari legiones dicuntur, quando decimus quisque supplicio afficitur ab imperatore, sorte ducta, cui contingat. *Suet. Galb.* 12. Recusantes atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes, non modo immisso

equite disjecit, sed decimavit etiam. Adde *eund. Cal.* 48 ℙ Apud Romanos primus eo supplicio usus videtur App. Claudius, an U. C. 283., de quo *Liv.* 2, 59. *extr.* ℙ Praeterea *decimare* seu *decumare* est decimam alicujus rei partem in sacrificium offerre. *Festus* in *Potitium:* Quae familia et posteri ejus non defuerunt decumantibus usque ad Appium Claudium censorem.

DĔCIMODIA. V. DECEMMODIUS.

DĔCĪMUS et Decumus, a, um, adj. δέκατος, ultimus ex decem. *Cic. Phil.* 2, 31. Hora diei decima. *Gell.* 18, 2. *extr.* Ennius in decimo tertio Annalium. *Aur. Vict. Caes.* 12. Mense sexto ac decimo. *Pl. Ps.* 4, 2, 17. In foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit. ℙ Pro magno. *Ov. Met.* 11, 530. Vastius insurgens decimae ruit impetus undae. Adde *Sil.* 14, 123., *Lucan.* 5, 672. et *Val. Fl.* 2, 54., et V. DECIMANUS. ℙ *Decima, ae,* (subintellige *pars*) est frugum aliarumve rerum pars decima, quam Diis, ac praesertim Herculi vovere solitos veteres, docet *Varr.* ap. *Macr. Sat.* 3, 12., unde non solum visceration-em, sed etiam epulum praebere populo mos ditioribus fuit. *Festus.* Decima quaeque veteres Diis suis offerebant. *Cic. Off.* 2, 17. Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine, magno honori fuerunt. Adde *Liv.* 5, 21. et *Justin.* 20, 3., in quibus locis victimae Apollini voventur. ℙ Item quae pro vectigali solvitur reipublicae. *Cic. Verr.* 2, 3, 10. Quantum decumanus edidisset aratorem sibi decumae dare oportere. *Id. ib.* 39. Magnas decumas imponere, et *ib.* Vendere decumas, et *ib.* 41. Frumentum omne in decumas auferre, et *ib.* 47. Ut quot jugera sunt sata, totidem medimna decumae debeantur, et *ib.* 48. Pro singulis decumis ternas decumas dare, et *ib.* 46. Redimere decumas, et *ib.* 16. exigere, et *ib.* Pecuniam pro alteris decumis solvere. ℙ De decimis missilium et tesserarum, quae populo spargi solitae dicuntur, apud *Suet. Cal.* 26. et *Galb.* 15. et *Tac. H.* 1, 20. consule interpretes ad ea loca. Est enim res satis perplexa. ℙ Fuit etiam *Decima* nomen Deae parientium praesidis, atque unius ex Parcis, quod legitima nativitas ferme decimi mensis ingressus est. *Varr.* et *Caesellius Vindex* ap. *Gell.* 3, 16. et *Tert. Anim.* 37. ℙ *Decimus* est praenomen Romanum, ut initio hujus litterae dictum est, et docet *Varr. L. L.* 8, 38., ductum scil. primum ab ordine nascendi, ut etiam *Quintus, Sextus. Suet. Claud. init.* Drusus olim Decimus, mox Nero praenomine. Adde *Mart.* 5, 21. [*Inscr.* ap. *Jo. B. Vermiglioli, Iscriz. Perug.* p. 338. *n.* 45. *Decimae* Modestae Satullio matri piissimae *fecit.* ℙ *Decimum* adverbii more, est decima vice. *Liv.* 6, 40. Nos reficietis decimum tribunos. *F.*] *Decimo* quoque est adverbium ejusdem significationis: agnosciturque a *Diomed., Prisc.* etc., sed cum eo tamen discrimine, quod est inter *tertium* et *tertio.* V.

DĔCĪNĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *decinero,* in cinerem redactus. *Tert. adv. Valent.* 32. *ad f.* Ignis ipse decineratis omnibus in nihilum finietur.

DĔCĪNĔRESCO, is, n. in cineres abeo. *Tert. Apol.* 48. *extr.* Ut nullo jam igni decinerescat.

DĔCĪPĬO, is, epi, eptum, a. 3. ἐξαπατάω, circumvenio, fallo, capio, in fraudem induco: a *de,* et *capio.* [**Cic. Rosc. Am.* 40. novem homines — induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit. V. de h. l. *Ern.* in *Clav. Cic.* — In sequentibus exemplis de errore mentis dicitur.] *Cic. Div.* 2, 56. *extr.* Amphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere. *Hor. A. P.* 25. Decipi specie recti. *Id. Sat.* 1, 3, 38. Amatorem turpia amicae vitia decipiunt, i. e. fallunt ideoque latent. *Cic. Att.* 13, 13. Nisi forte me communis φιλαυτία decipit. *Id. Or.* 2, 71. Exspectationibus decipiendis, et naturis aliorum irridendis, risus moventur. *Pl. Asin.* 2, 4, 94. Neque deceptus est in eo. *Plin.* 18, 24, 56. Festinata sementis saepe decipit, serotina semper. [*Absolute etiam *Liv.* 22, 5, 4. ab tergo et super caput decepere insidiae. Sic *Lips.* pro deceptae, probantibus *Gron., Drak.*, aliis. Est Graecorum λανθάνειν, de quo usu cf. *Gron. Obss.* 3, 20.] ℙ Translate. *Ov. Pont.* 3, 9, 11. Error decipit judicium. *Id. Trist.* 4, 10, 114. Sic tamen absumo, decipioque diem, i. e. curas diei fallo. *Hor. Od.* 2, 13, 38. Dulci laborum decipitur sono, *h. e.* dulci sono Sapphus et Alcaei decipitur laborum, obliviscitur poenarum, nec sentit. *Bentl.* [*melius] legit *laborem,* quemadmodum *Virg.* dixit *A.* 1, 717. Expleri mentem nescit. *Plin.* 16, 43, 84. Sic jubent citrum pretiosius fieri, sic acer decipi, *h. e.* simulari, pingendo testudinem acerno colore, ita ut acer esse videatur. ℙ Proprie significat *deorsum capio:* quo sensu videtur usurpasse *Appul. Met.* 10. *sub f.* Montem illum ligneum terrae vorago decepit, *h. e.* deorsum traxit, absorpsit. Sed alii aliter leg. ℙ [Aliquando significat destituere, spe fallere, desolare. *Inscr.* ap. *Grut.* 605, 8. Alcibiades Aug. Lib. Alcibiadi fil. dulciss. et desideratiss., cujus mors decepit patrem suum: *vixit annos* XX. *menses* VII. *dies* XI. V. DECEPTUS. *F.* *ibique nos.] ℙ Part. [*Ov. Am.* 3, 3, 22. Victima deceptus decipientis ero. *Stat. Th.* 9, 295. Solus abi, miseros non decepture parentes. *F.* ℙ *Permutantur a librariis *decipere* et *accipere.* V. intpp. ad *Sil.* 4, 34.]

DĔCĬPŬLA, ae, f. et Decipulum, i, n. genus laquei ad decipiendas aves, mures etc. παγίς, δέλεαρ. Et translate dolus, fraus. *Laevius* (de quo *Gell.* 2, 24.) apud *Fronton.* ad *M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 1, 4. Nulla decipula tam insidiosa. *Sidon. ep.* 8, 10. *a med.* Per decipulam male blandientis eloquii. *Appul. Flor.* 4. p. 360, 19. Decipula adversantium et artificia dicentium perdiscere. *Id. Met.* 8. p. 202, 38. Nactus fraudium opportunum decipulum.

DĔCĪRCĪNO, as, avi, atum, a. 1. idem quod circino, circulum describo, κυκλόω. *Manil.* 1, 296. Majoremque Helice major decircinat arcum. *Id.* 3, 352. de terra: Quam teretis natura soli decircinat orbem In tumidum etc., *h. e.* in orbem conformat.

DĔCĪRĔMIS. V. DECEMREMIS.

DĔCĪSĬO, onis, f. ἀποκοπή, actus decidendi: a *caedo:* amputatio, deminutio. *Appul. de Mundo* p. 71, 4. Incrementis globi sui, decisioneque luminis menstrua tempora luna significat. ℙ Translate est determinatio, transactio, diremptio controversiae, ut in DECĪDO dictum est. *Cic. Caec.* 36. Nostra decisio de aequitate. *Id. Fl.* 36. Decisionis arbiter C. Caecilius fuit. *Id. Rosc. Com.* 16. Dicat decisionem esse factam, quae facta non est. *Id. Verr.* 2, 1, 54. Negat, eum sibi illa decisione satisfacere posse. *Ulp. Dig.* 5, 3, 25. *a med.* Decisio quaestionis.

DĔCĪSUS, a, um, part. a *decido,* ἀποκεκομμένος, abscissus, amputatus. *Hor. Ep.* 2, 2, 50. Pennae decisae. *Tac. A.* 12, 14. *ad f.* aures. *Plin.* 31, 4, 30. silvae. *Curt.* 7, 2. Decisum caput. [**Sil.* 1, 524. decisae vertice cristae. Al. *decussae.* Sed V. *Drak.*] ℙ Item incisus. *Calpurn. Ecl.* 3, 44. cerasi tua cortice verba notabo, Et decisa feram rutilanti carmina libro. ℙ Translate est transactus, determinatus, diremptus. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. *extr.* Quibus rebus actis atque decisis, producuntur e carcere. *Hor. Ep.* 1, 7, 59. Decisa negotia. *Ulp. Dig.* 42, 1, 56. Res judicata vel jurejurando decisa. *Id. ib.* 18, 3, 4. Decisa quaestio.

DĔCĪTANS, antis, part. verbi inusit. *dēcīto,* compositi ex *de* et *cito,* depropero. *Appul.* Victoriae quatuor simulacra describens *post init. Met.* 2. p. 116, 4. Facies quaqua pinnis explicitis, sine gressu pilae volubilis, instabile vestigium plantis roscidis decitantes. Alii leg. *delibantes,* alii *dejicitantes, h. e.* dejicientes.

DĔCĬUS, a, um, adj. ad Decium pertinens. Decia lex, seu Decium plebiscitum de duumviris navalibus, auctorem habuit M. Decium trib. pleb. C. Junio Bubulco tert., Q. Aemilio Barbula iterum Coss., ut duumviros navales classis ornandae et reficiendae causa populus juberet. *Liv.* 9, 30. rem narrat, vocem non usurpat.

DĔCĬUS, ii, m. nomen proprium hominis. Tres hoc nomine cives Romani, pater filius et nepos, omnes consules, pro patria se devoverunt, et telis hostium certaeque morti obtulerunt: P. Decius Mus pater bello Latino: P. Decius filius Etrusco: nepos eo, quod cum Pyrrho gestum fuit. De primis duobus *Liv.* 8, 9. et 10, 28., de omnibus *Cic. Tusc.* 1, 37. et *Fin.* 2, 19.

DĔCLĀMĀTĬO, onis, f. μελέτη, domestica exercitatio parandae eloquentiae causa, qua oratores veteres seriis causis praeludere solebant: item exercitatio illa, qua pueris in ludis ficta quaedam themata solent praescribi, quibus ad eloquentiam viam sibi sternant. *Quint.* 4, 2. *ante med.* Declamatio est forensium actionum meditatio. *Cic. Tusc.* 1, 4. Sic haec mihi nunc senilis est declamatio. *Id. Fam.* 16, 21. Quotidiana declamatio. [*V. *Ernest. techn. lat.* p. 102. et *Ellendt. prol.* ad *Cic. Brut.* p. LXXXVIII.] ℙ Exstant plures apud *Senecam* et aliae *Quintiliani* nomine. V. CONTROVERSIA. [*Scil. hoc modo declamationes sunt θέσεις i. e. argumenta, communes loci. V. *Ellendt. l. l.*] ℙ De eo, qui declamationis de se argumentum praebet. *Juven.* 10, 167. Ut pueris placeas et declamatio fias. Sic *historia, fabula, sermo* usurpantur a *Prop., Hor., Plauto.*

DĔCLĀMĀTĬUNCŬLA, ae, f. diminut. parva declamatio. *Gell.* 6, 8. Hanc utramque declamatiunculam celebraverint etc.

DĔCLĀMĀTOR, oris, m. qui domesticis vel scholasticis meditationibus se exercet, ut postea seriis in causis sit paratior. *Cic. Or.* 15. Non declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus.

*DECLAMATORIE, adv. μελετητικῶς, more declamantium. *Hieron.* More eorum, qui declamatorie solent loqui ad populum. *B. A.*

DĔCLĀMĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad declamandum pertinens. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. Et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur.

DĔCLĀMĀTUS, a, um, part. a *declamo,* declamando dictus. *Lamprid. Alex. Sev.* 3. Julius Granianus, cujus hodieque orationes declamatae feruntur.

DĔCLĀMĬTO, as, a. 1. frequentat. a *declamo,* verbum novum *Ciceronis* tempore. *Id. Brut.* 9. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone. *Id. Tusc.* 1, 4. Declamitare causas. *Id. Phil.* 5, 7. Declamitare de aliquo.

DĔCLĀMO, as, avi, atum, a. 1. μελετάω, proprie est valde clamare: metonymice, privatim se exercere dicendo eloquentiae acquirendae causa. *Cic. Fin.* 5, 2. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem. *Id. Phil.* 5, 7. Decem et septem dies de me in Tiburtino Scipionis declamavit. *Quint.* 3, 8. *ad f.* Declamare suasoria. *Id.* 11, 1. Neque enim nunc declamamus, sed ostendimus nonnunquam posse etc. *Mart.* 2, 7. Declamas belle, causas agis, Attale, belle. *Id.* 4, 81. Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim Si nescis etc. ℙ Significat etiam veras in foro causas orare: sed fere rabulis tribuitur et ineptis causidicis. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. Qui pro isto contra me vehementissime declamasset. *Id. Rosc. Am.* 29. *sub f.* Quae mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur. ℙ Item universim clamore et conviciis invehi in aliquem. *Id. Fam.* 3, 11. Ne in quemvis impune declamare liceret. *Ov. A. Am.* 1, 465. Quis, nisi mentis inops, tenerae declamet amicae?

DĔCLĀRĀTĬO, onis, f. ἐκδήλωσις, actus declarandi, manifestatio. *Cic. Fam.* 15, 21. Liber, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! *Id. ib.* 10, 5. Declaratio animi tui, quem habes de republica.

[DĔCLĀRĀTĪVĔ, adv. *Capell.* 4. p. 120. Cum dicimus *Cicero disputat,* si accedat huic sententiae *in Tusculano,* declarative accessit; item si accedat *prudenter* et *copiose,* declarative; item si dicitur *cum Catone,* declarative accessit. Quidquid declarative accedit, variis casibus et modis accedit. *F.*]

[DĔCLĀRĀTĪVUS, a, um, adj. declarans, declarationi serviens. *Capell.* 4. p. 97. Pars declarativa. *Appul. dogm. Plat.* 3. Altera pars declarativa, ut *disserit,* vel *non disserit:* declarat enim, quid faciat Appulejus. *et mox.* Particulae subjectiva et declarativa possunt semper servare inter se vices. *F.*]

DĔCLĀRĀTOR, oris, m. ἐμφανίζων, qui declarat. *Plin. Pan.* 92. Ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator exsisteres.

DĔCLĀRĀTUS, a, um, part. a *declaro,* ἐκδηλωθείς, manifestatus. *Nep. Ann.* 11. Ducis nave declarata suis. *Cic. Mur.* 1. Declaratus consul. ℙ Claritudine spoliatus. *Vitr.* 1, 1. Oppido capto, viris interfectis, civitate declarata, matronas in servitutem abduxerunt. Al. rectius leg. *deleta.*

DĔCLĀRO, as, avi, atum, a. 1. ἐκδηλόω, ἐμφανίζω, clarum facio, ostendo, demonstro. Plus est, quam *significo:* et tum ad facta, tum ad dicta pertinet. *Cic. Fam.* 5, 13. Ipsa consolatio litterarum tuarum declarat summam benevolentiam. *et mox.* Itaque hoc saepius dicendum tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror. *Id. N. D.* 2, 2. Praesentiam saepe Divi suam declarant. *Id. Or.* 1, 42. *ad f.* Propriam cujusque rei vim definitione declarare. *Id. Att.* 6, 1. *circa med.* Declaravit quanti me faceret. *Ter. Heaut.* 2, 3, 42. Consuetudo, cujusque ingenium ut sit, declarat maxime. *Nep. Epam.* 1. Declarare imaginem consuetudinis atque vitae alicujus. *Id. Att.* 18. *extr.* Tantam rem tam breviter potuisse declarari. *Id. Iphicr.* 3. Quod cum in aliis rebus declaravit, tum in Amyntae liberis tuendis. *Caes. B. G.* 1, 50. Sortibus et vaticinationibus declarare, utrum proelium committi ex usu sit. *Cic. Or.* 22. Oportere, perfectionem declarat officii. *Curt.* 6, 9. Quod fuisse vanum, Dymni exitus declarat. *Plin.* 33, 1, 6. Nomine ipso declarat. *Id.* 2, 39, 39. Ratio declarat. [**Cic. Mil.* 5. Declarant hujus ambusti tribuni illae intermortuae conciones. V. de hoc usu, quo absolute sine casu ponitur, *Garat.* ad h. l.] *Plin* 8, 32, 50. Declaratur senecta dentibus. *Pl. Ps.* 2, 3, 15. Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum eum esse declaramus. *Gell.* 7, 8. Delphinos amasios esse historiae declarant. *Id.* 14, 5. Propter cujus syllabae sonum declarandum reperta erat nova littera. *Cic. Fin.* 2, 4. Nullum inveniri potest verbum, quod magis idem declaret Latine, quod Graece ἡδονή, quam declarat voluptas. et 3, 4. Plura vocabula idem declarantia. ℙ Ponitur et pro [*eligere], renunciare, [*ἀποφαίνειν, quod proprie per praeconem fiebat. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 24. *ab in.*] *Cic. Mur.* 2. Declarare consulem. *Virg. A.* 5, 245. Victorem magna praeconis voce Cloanthum Declarat.

DĔCLĀVO, as, a. 1. *Turneb. Adv.* 23, 20. ita legit illud *Pauli Dig.* 47, 7, 5. Cingere est declavare: secare est subsecuisse. *declavare* autem

exponit, clavas seu ramos arborum recidere. Al. melius leg. *deglabrare.*

DĔCLĪNĂBILIS, e, adj. qui declinari potest, ut declinabilia nomina, *Prisc.* 5. p. 670.

DĔCLĪNĀTIO, onis, f. ἔκκλισις, actus declinandi [*deflexio de via: *Cic. Fin.* 1, 6. ipsa declinatio (atomorum) ad libidinem fingitur.], vitatio, devitatio. *Curt.* 9, 7. *ad f.* Quam Dioxippus cum exigua corporis declinatione vitasset etc. [**Cic. Cat.* 1, 6. quot ego tuas petitiones — parva quadam declinatione et, ut ajunt, corpore effugi!] *Cic. Cluent.* 53. *extr.* Laboris et periculi declinatio. *Id. Tusc.* 4, 6. *ad f.* A malis declinatio, si cum ratione fiet, cautio appellatur. ℙ Hinc appetitioni opponit *Cic. N. D.* 3, 13. Nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit et declinatio naturalis, [*i. e. aversatio.] *Gell.* 14, 1. *a med.* Consilia hominum, et variae voluntates, appetitionesque, et declinationes. ℙ Ponitur et pro digressione, ut declinatio brevis a proposito. *Cic. Or.* 3, 53. Adde *Partit.* 15. Porro *Cic.* loco priore enumerat declinationem hanc inter figuras sententiarum: quam differre sit ab *digressione* in eo, quod *declinatio* brevior sit, et citius ad rem redeat. ℙ Est etiam idem quod clima, seu certum coeli spatium. *Colum. prooem.* 1. *a med.* Sit oportet rerum naturae sagacissimus, declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagae conveniat etc. Adde 3, 1. Has *Vitr.* 1, 1. *inclinationes coeli*, et 6, 1. *inclinationes mundi* appellat. ℙ Item regio coeli in eodem climate. *Id.* 4, 24. Vitis cum sit per quatuor divisa partes, totidem coeli regiones aspicit: quae declinationes cum contrarias inter se qualitates habeant etc. ℙ *Declinatio vocis* est ejus mutatio et inflexio. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Ut in iisdem affectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes. ℙ Apud grammaticos est nominum inflexio per suos casus, et verborum per sua tempora. *Varr. L. L.* 7, 2. et 8. et *Quint.* 1, 4. *extr.* et *ib.* 5. *ad f.* ℙ Item derivatio, formatio, aut compositio unius vocis ab alia. *Varr. L. L.* 5, 5. Singulis verbis primigeniis circiter quingentae species declinationibus fiunt. Adde *Quint.* 2, 15. et 8, 3. *ante med.*, et V. DECLINO. ℙ Hinc a *Cic. Or.* 3, 54. enumeratur *declinatio* inter figuras verborum, cum scilicet verba declinata, hoc est paulum immutata in oratione ponuntur, ut *justus*, *juste*, *justitiā:* quae et *conjugata* appellantur, et ipsa figura *traductio* alio nomine dicitur.

DĔCLĪNĀTUS, a, um, part. a *declino*, inclinatus, vergens. Translate. *Quint.* 12, 11. Cato litteras Graecas aetate jam declinata didicit. *Id. ib.* 1. *ante med.* Neque spe, neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus jungeret, *h. e.* a recto tramite deflectens. *Ter. Hec.* 2, 1, 3. Neque declinatam quidquam ab aliarum *(mulierum)* ingenio ullam reperias, *h. e.* recedentem, abhorrentem, dissimilem. [**Cic. Fin.* 5, 7. primum declinatum, i. e. quod homines nati primum aversantur et fugiunt.] ℙ In re grammatica *Quint.* 9, 4. *ante med.* Si cadentia similiter, et similiter desinentia, et eodem modo declinata multa jungantur. *Varr. L. L.* 7, 2. Duo omnino verborum principia, impositiciorum et declinatorum: alterum, ut fons; alterum, ut rivus. *Impositicia* vocat, quae primam positionem ab ipsa natura acceperunt, neque ab aliis verbis formata sunt: quae et primitiva appellantur: *declinata*, quae ab aliis verbis paululum immutata formantur: et *derivativa* etiam dicuntur. v. gr. *rivus*, qui a *Varrone* affertur, declinatur a Graeco ῥέω, *fluo:* at *fons* a nullo alio declinatur. *Quint.* 1, 5. *ante med.* Ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt. V. DECLINO.

DĔCLĪNĀTUS, us, m. idem quod declinatio, vitatio. *Cic. Fin.* 5, 7. cujus verba V. in ADSCITUS, us. [*Ceterum cf. de h. l. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 3, 13.] ℙ In re grammatica *Varr. L. L.* 7, 2. Nominibus novis allatis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnes dicit populus. *Id. ib.* 8, 27. Ego declinatus verborum et voluntarios et naturales esse puto. *Id. ib.* 9, 3. Ordo declinatuum.

DĔCLĪNIS, e, adj. declinans, devitans. *Stat. Th.* 5, 296. Exoritur pudibunda dies, coelumque retexens, Aversum Lemno jubar, et declinia Titan Opposita juga nube refert. Ubi *Lactant. vetus Scholiast.* quae declinarent et fugerent. Al. leg. *declivia*, quod minus hoc loco ad rem facit, cum sermo sit de sole surgente, non ad occasum vergente. [*Idem voc. restitutum ivit *Cortius Lucan.* 4, 426. de fluxu et refluxu maris: dum se declinibus undis aestus agat refluoque mari nudentur arenae. Vulgo legitur *declivibus.*]

DĔCLĪNO, as, avi, atum, a. 1. ἐκκλίνω, καταχλίνω, deorsum flecto, vergo. *Virg. A.* 4, 185. nec dulci declinat lumina somno. *Prop.* 2, 1, 11. Seu cum poscentes somnum declinat ocellos. [*i. e. inclinat. V. *Burm.*] *Stat. Silv.* 3, 3, 128. pallentes declinant lilia culmos. *Colum.* 8, 4. Die in vesperum declinante. ℙ Translate est diminui. *Ov. Met.* 9, 460. Paulatim declinat amor. *Plin.* 23, 1, 24. Vinum non dandum nisi declinante morbo. ℙ Saepe est deflectere, divertere. *Cic. Fin.* 5, 2. Paulum ad dexteram de via declinavi. *Id. Leg.* 1, 22. Huc declinabam nec invitus. *Id. Att.* 14, 17. Non arbitrantur eum a Capua declinaturum. *Lucr.* 1, 250. Declinare recta regione viai. *Pl. Aul.* 4, 8, 11. Declinavi paulum me extra viam. *Cels.* 8, 5. Nares in alteram partem declinantur. *Liv.* 1, 28. Si quo ego inde agmen declinare voluissem. [**Id.* 28, 1. quantum in Italiam declinaverat belli. *Id.* 38, 20. ad se declinare.] *Id.* 36, 23. Laqueis exceptos arietis ictus declinare. *Catull.* 64, 91. Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 1. Declinare in aliqua re a religione officii. *Id. Or.* 40. Declinare aliquantulum a proposito. *Plin.* 37, 8, 34. Gemma paulum declinans a topazio in aurum. [**Suet. Aug.* 70. omnia se a terris tunc numina declinarunt.] *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 403. Ad hoc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant. ℙ Frequenter est vitare. *Cic. ad Pompej. post ep.* 11, *l.* 8. *ad Att. sub f.* Neque tam ea pertimui, si subeunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. *Id. Off.* 1, 40. *ad f.* A parvis delictis diligentius est declinandum. *Id. Att.* 2, 19. Declinare minas et contentiones. *Id. Or.* 68. impetum adversarii. [**Suet. Caes.* 4. ad declinandam invidiam.] ℙ Aliquando *declinare* dicuntur quae dissimilia sunt. *Quint.* 9, 3. *ad f.* Quaedam verborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur. Adde locum *Terentii* in DECLINATUS, a, um. ℙ Cum casibus motus ad locum est inclinare, ferri, converti. *Cic. Or.* 2, 38. Ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio. *Quint.* 12, 3. *ad f.* Desperata facultate agendi, ad discendum jus declinaverunt. *Id.* 7, 2. Si deerunt haec remedia, ad illa declinandum est. *Hor. Od.* 1, 33, 6. Cyrus in asperam Declinat Pholoen, *h. e.* amore fertur in Pholoen. [*Duae igitur in hoc voc. significationes distinguendae: altera, ubi activam vim habet et significat, *de via demovere*, *vitare.* Altera, qua intransitivam habet: quo pertinent illa, in quibus significat: *deflectere de via*, *digredi in oratione*, *abhorrere*, *discedere a sententia vel agendi ratione.* Cf. *Clav. Cic. Schütz.*] ℙ Pertinet etiam ad rem grammaticam: et quidem duplici significatione. Primo enim significat nomina per suos casus, et verba per sua tempora inflectere. *Quint.* 1, 4. Nomina declinare et verba in primis pueri sciant. *Varr. L. L.* 9, 3. Ordo declinatuum, in quo res singulares declinantur, ut cicer, ciceri, ciceris. *Id. ib.* 7, 2. Recto casu accepto, in obliquos declinant. et 9. *sub f.* In verbis quae non declinantur. [*Front. B. Parth.* (ed. *Maio*) p. 203. C. Caesar atrocissimo bello Gallico inter tela volantia de nominibus declinandis scripsit. *F.*] ℙ Secundo vocem aliquam ab alia formare, paulum immutando. *Varro L. L.* 7, 5. Nomina declinantur in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt, ut ab equo equito, ab homine homunculus, etc. *Id. ib.* 4. *post init.* Quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit, quod declinarit: hinc Pacuvius, rudentisibilus; hinc incurvicervicum pecus: hinc chlamyde clupeat brachium. *Id. ib.* 5, 5. vocat *declinantia verba* ea, quae vel per tempora, vel per casus, vel per gradus comparationum immutantur et declinantur.

DĔCLĪVIS, e, (*rarius* Declivus, a, um) adj. ἐπικλινής, deorsum vergens, a *clivus:* cui *acclivis* contrarium est. *Caes. B. G.* 2, 18. Collis ab summo aequaliter declivis ad flumen Sabim vergebat, [**Sall. Jug.* 17, 4. declivis latitudo.] *Id. ib.* 4, 33. In declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere. *Id. ib.* 7, 88. De locis superioribus haec declivia et devexa cernebantur. *Id. B. C.* 3, 45. et 51. Recipere se per declive. *Ov. Met.* 1, 39. Flumina declivia. *Lucan.* 4, 114. Non habeant amnes declivum ad litora cursum. Al. [**Bentl.* et *Cort.*] leg. *declivem. Plin.* 8, 50, 76. Sol declivis in occasum. *Ov. Met.* 2, 206. Et modo summa petunt, modo per decliva, viasque Praecipites spatio terrae propiore feruntur. *Prud. Ham.* 849. declivia pondera, *h. e.* quae in declive feruntur, et ferentem in declive trahunt. ℙ Translate. *Id. Met.* 15, 227. Labitur occiduae per iter declive senectae. *Plin. ep.* 8, 18. *a med.* Mulier aetate declivis. *Calp. Ecl.* 1, 1. Nondum solis equos declivis mitigat aestas, *h. e.* in autumnum vergens. *Arnob.* 2. p. 74. Animae in peccatorum genera universa declives, *h. e.* propensae.

DĔCLĪVĪTAS, atis, f. inclinatio, κλίμα, κλίτος. *Caes. B G.* 7, 85. Exiguum loci ad declivitatem fastigium, magnum habet momentum.

DĔCLĪVUS. V. DECLIVIS.

DĔCOCTĬO, onis, f. actus decoquendi, et ipsa res decocta. *Coel. Aur. Tard.* 2, 13. *ante med.* Decoctio lentisci conficitur hoc modo. *Appul. Herb.* 77. Harum decoctio potui data urinam movet. ℙ Translate. *Impp. Theod. et Val. Cod.* 11, 9, 5. Universi fabricenses veluti in corpore unius formae, unius decoctioni, si res ita tulerit, respondere cogentur. Ita legit *Cujacius*, et sic interpretatur: si unus eorum decoxerit atque interceperit, fisco totum fabricensium corpus pro intercepto respondebit.

DĔCOCTOR, oris, m. ἄσωτος, qui patrimonium per luxum absumpsit et ad inopiam redactus est. Hujusmodi hominibus lege Roscia certus erat locus ad spectandum in theatro datus, quamvis fortunae vitio, non suo decoxissent, teste *Cic. Phil.* 2, 18. [**Id. Cat.* 2, 2. exercitus collectus ex — rusticis decoctoribus.] *Catull.* 41, 4. Decoctoris amica Formiani. V. CATOMIDIO. ℙ *Decoctor* etiam dicitur consumptor rei alienae. *Imppp. Val., Theodos. et Arcad. Cod.* 10, 31, 40. Quilibet principalium, vel decurionum, si vel decoctor pecuniae publicae, vel fraudulentus in adscriptionibus illicitis, vel immoderatus in exactionibus fuerit inventus, plumbatarum ictibus subjiciatur.

DĔCOCTUM, i, n. ἀφέψημα, quidquid probe coctum est, et post cocturam remansit: praesertim jus aliquod in usum medicinae percoctum. *Plin.* 27, 12, 84. Decoctum cauliculorum ejus in vino austero dentium dolori medetur. Adde 22, 20, 23., 26, 14, 87., 22, 25, 74. etc.

DĔCOCTŪRA, ae, f. idem quod decoctum. *Plin.* 23, 1, 10. Decoctura vinaceorum veteres dysentericos et coeliacos juvat. Ita editt. veteres A. 1470. et 1472., aliae cum *Harduino* decoctum.

DĔCOCTUS, a, um, part. a *decoquo*, ἀφεψηθείς, idem quod coctus aut valde coctus. *Plin.* 35, 6, 18. Creta decocta et conspissata. *Id.* 28, 9, 33. Lac dedoctum innocentius. *Id.* 24, 3, 3. Cortex decoctus lacte vaccino. *Id.* 29, 6, 38. Splenium e melle decoctum. *Id.* 26, 8, 58. Perpressa in aqua decocta e tribus heminis ad unam. *Id.* 20, 21, 84. Folia decocta in oleum. *Id.* 22, 9, 11. Decoctae ad mellis crassitudinem. ℙ Item deminutus. *Liv.* 32, 2. Argentum probum non esse, quaestores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, *h. e.* pars quarta argento detracta, et tantundem aeris immixtum fuerat. ℙ *Decocta, ae,* (subaudi *aqua*) est aqua decocta, postea in vas vitreum defusa, et nive circumdata iterum frigefacta: qua ratione fiebat, ut nivis frigus haberet, non vitium. Inventum Neronis fuisse dicitur a *Plin.* 31, 3, 23. Hinc *Juven.* 5, 49. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque, Frigidior Geticis petitur decocta pruinis: Vos aliam potatis aquam. [*V. *Rupert.* ad h. l.] *Suet. Ner.* 48. Aquam e subjecta lacuna potaturus manu hausit, et, Haec est, inquit, Neronis decocta. *Mart.* 14, 116. Quo tibi decoctae nobile frigus aquae? Improbat haec *Senec. Qu. Nat.* 4, 13. ℙ Translate *decoctus* est perfectus, purgatus, limatus, quia quae decoquuntur, purgantur. *Pers.* 1, 125. si forte aliquid decoctius audis. ℙ *Decocta poma* sunt nimium matura et corruptioni proxima. Translate. *Cic. Or.* 3, 26. Suavitatem habeat orator austeram et solidam, non dulcem atque decoctam, [*i. e. fractam, languidam.]

DĔCOCTUS, us, m. decoctio. In sexto casu singulari *Plin.* 37, 12, 74. Omnes gemmae mellis decoctu nitescunt.

*DĔCOLLĀTIO, onis, f. *Vet. Gloss.* τραχηλοκοπία, κεφαλῆς ἀποτομή. *B. A.*

DĔCOLLĀTUS, a, um, part. a *decollo*, cui caput amputatum est. *Scribon. Compos.* 194. Toxicum cogit exulare, et palpitare lingua, similiter decollatorum capitibus.

DĔCOLLO, as, avi, atum, a. 1. διιροτομέω, caput e collo aufero, securi caedo. *Senec. Apocol. ante med.* Decollare homines. *Suet. Cal.* 32. Miles decollandi artifex. *Fenestella* ap. *Diomed.* 1. p. 361. Piratas Caesar cepit et decollavit. *Aur. Vict. Epit.* 19. Extenta damnatorum modo cervice, decollatur. ℙ Item e collo deponere. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 222. In tuo collo est: decolles, cave. ℙ Translate est privare. *Lucil.* ap. *Diomed. l. c.* Quibus fructibus me decollavi. ℙ Item deficere, deesse. *Varr. R. R.* 1, 2. Duo spectasse videntur colendo, possentne fructus pro impensa ac labore redire, et utrum saluber locus esset, an non. Quorum si alterutrum decollat, et nihilominus quis vult colere, mente est captus. (*Colum.* 1, 3. hanc eandem sententiam ex *Catone* referens, memoria lapsus est; nam pro *Varrone* posuit *Catonem*, et verbo *desum* usus est.) *Pl. Capt.* 3, 1, 36. Est illic mihi una spes coenatica: si ea decollabit [*l. decolabit], redibo huc ad senem, ad coenam asperam. *Id. Cas.* 2, 4, 28. Si sors decollassit [*l. decolassit], gladium faciam culcitam. *Turn. Adv.* 29, 22. putat, has loquendi rationes ductas esse ex eo, quod solebant veteres crumenam e collo pendentem gestare, quae decollabat, cum in collo nusquam erat. *Gronov.* ad *Liv.* 27, 17. vult uno *l* scribi, et *decolare* ab eadem esse origine, qua *percolare*, et vim habere defluendi ac dilabendi: quod sane admittendum est. [*Omnino. *Decolare* enim activo sensu est i. q. per colum mittere; deinde intransitive dicitur, ut nos: *das Loos*, *die Hoffnung fällt durch.* V. *Gron.* et *Lindem.* ad *Pl. Capt.* l. l.]

DĔCŌLO, as. V. v. praec. *fin.*

DĔCOLOR, ōris, adj. *κακόχροος*, qui colore corrupto aut contaminato est. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 8. Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit. *Plin.* 9, 35, 57. Uniones parvi atque decolores. *Id.* 28, 12, 50. Aestates, et quae decolorem faciunt cutem, fimum vituli emendat. *Prop.* 4, 3, 10. Ustus et Eoo decolor Indus equo. (Adde *Ov. Trist.* 5, 3, 24.) V. *Broukh.*, qui alteram lectionem *discolor* rejicit. [*Eadem diversitas scripturae apud *Lucan.* 7, 851. quae seges infecta surget non decolor unda. Ubi alii minus recte *discolor*. V. *Cort.*] *Ov. Trist.* 4, 2, 42. Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit. *Lucan.* 7, 851. Quae seges infecta surget non decolor herba? *Plin.* 16, 12, 23. Decolor resina. ℙ Translate. *Virg. A.* 8, 326. Deterior donec paulatim ac decolor aetas, Et belli rabies, et amor successit habendi. *Ov. Her.* 9, 3. Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes Decolor et factis inficianda tuis. [*V. *Burm.* ad h. l.] *Sil.* 11, 424. et patrias paulatim decolor artes Exuit, occulta mentem vitiante sagitta. ℙ Dicitur etiam *decolor* qui proprium colorem amisit, etiam si bonum alium induerit. *Plin.* 31, 6, 32. de fontibus: Nec decolor species aeris argentive, medicaminum argumentum est. *Val. Fl.* 5, 564. variis floret via decolor armis. Al. rectius leg. *discolor*.

DĔCOLORĀTĬO, onis, f. actus decolorandi, turpis coloris inductio. *Cic. Div.* 2, 27. Sed decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguini similis esse.

DĔCOLORĀTUS, a, um, part. a *decoloro*, turpi colore imbutus. *Auct. ad Her.* 2, 5. Si tumore et livore decoloratum est corpus mortui, significat eum veneno necatum. *Suet. Aug.* 4. Manus collybo decolloratae. ℙ Translate. *Augustin. ep.* 5. *ante med.* Decolorati corruptique mores.

DĔCOLORO, as, avi, atum, a. 1. *καταχρόω. Senec. Qu. nat.* 2, 41. tradit discrimen inter *coloro* et *decoloro*. Decoloratur, inquit, id, cujus color vitiatur, non mutatur: coloratur id, cujus alia fit, quam fuit, facies. ℙ Consuetudo *decolorare* usurpat pro foedo colore imbuere, sive proprius rei color mutetur, sive non. *Hor. Od.* 2, 1, 34. quod mare Dauniae Non decoloravere caedes? *Cels.* 2, 8. *circa med.* Suppurationes, quae intus tendunt, sic ut exteriorem quoque cutem decolorent. *Id. ib.* 6. Pallor labra et nares decolorat. ℙ Item universum pro colorem mutare. *Colum.* 12, 47. *a med.* Olivae cum decolorantur, antequam mitescant, cum petiolo leguntur. *et mox.* Oliva cum primum ex albo decoloratur, fitque luteola. ℙ Translate. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 1, 3, 19. Decolorari consortio sororiae appellationis, *h. e.* dehonestari, infamari. *Quint. Decl.* 360. Non sumpsisse dotem, ne et filium decoloraret [*i. e. infamem redderet. V. *Burm.*], et dotem quoque perderet. *Capitolin. Anton. Phil.* 19. *a med.* Tantum valet boni principis vita, ut ejus famam nullius proximi decoloret invidia.

DĔCOLŌRUS, a, um, adj. idem quod decolor. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 113. Algidus cum decolores horror artus concutit.

DĔCONCĬLĬO, as, a. 1. adimo, aufero, quem admodum *concilio* usurpatur pro addicere alicui. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* in *Persibus.* Nihil deconciliares illi.

DĔCONDO, is, a. 3. idem quod condo. *Senec. Cons. ad Marc.* 10. Alios in alicujus ventrem immensae beluae Fortuna decondet. Quod *Lips.* ex optim. lib. confirmat. Al. leg. *detrudet.*

[DĔCONSUĔTŪDO, inis, f. idem ac desuetudo. *Impp. Theod. et Valentin.* in *fragm. Cod. Theod.* (ed. *A. Peyronio*) 1, 1, 5. Quae mandata silentio in deconsuetudinem abierunt. *F.*]

DĔCONTOR vel Decunctor, aris, dep. 1. idem quod cunctor. *Appul. Met.* 10. *post init.* Unde potissimum caperet exordium, decontatur. *Id. ib.* 7. p. 198, 20. Dum in ista necis meae decontor electione.

DĔCŌQUO, is, oxi, octum, a. 3. *διαπέπτω, διαζυκάω*, idem quod coquo, vel bene aut valde coquo. *Hor. Sat.* 2, 1, 73. discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. *Plin.* 28, 9, 37. Decoquere axungiam fictili novo. *Id.* 32, 7, 25. cyathum aceti in calice novo, lenta pruna. *Id.* 32, 25, 71. lentem in vino. *Id.* 18, 13, 34. Rapa decoquuntur aqua. *Id.* 23, 4, 38. folia ex melle. *Cels.* 3, 21. Ex his aliquid, quae id praestent, erit decoquendum. ℙ [*Translate: *Decl. M. Porc. Latr.* 4. consilia nefarii facinoris in domo M. Laccae decoquebantur. (*Liv.* 40, 11, 2. clandestina consilia concocta sunt.) Observat *Cort.* ad h. l. p. 1082. *Livium* dixisse *coquere consilia* pro *machinari.* Adde *Drak.* ad *Sil.* 2, 327. ℙ Pro concoquere. *Arnob.* 7. *post med.* p. 314. *Har.* Habet fauces, quibus cibos transvoret; habet receptaculum ventris et ubi mansa et vorata decoquat.] ℙ Pro durescere. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Sideritionis genus est, cum acini, priusquam crescant, decoquuntur in callum. ℙ Est etiam coquendo absumere. *Colum.* 12, 34. Decoquere acetum in ollam ad quartas, *h. e.* ut quarta pars remaneat, ut *Cels.* 4, 9. *a med.* loquitur. *Plin.* 22, 25, 69. Cortices decocti ad tertias (partes) sistunt alvum. *Colum.* 12, 24. Decoquere aquam ad dimidiam partem. *Plin.* 28, 14, 56. a tribus sextariis aquae ad heminam. ℙ Et generatim pro absumere. *Id.* 21, 6, 17. Crocum in Italia serere minime expedit, ad scrupula usque singula areis decoquentibus. ℙ Et translate minuere. *Claud. in Eutrop.* 2, 349. accensam sed qui bene decoquat iram. Adde *Liv.* 32, 2. V. DĔCOCTUS. ℙ Hinc *decoquere* dicuntur tum qui patrimonium per luxum absumunt. *Cic. Phil.* 2, 18. Tenesne memoria, praetextatum te decoxisse? *Plin.* 33, 10, 7. Qui primus accepit decoxisse? *Plin.* 33, 10, 7. Qui primus accepit decoxisse creditoribus suis. ℙ cognomen divitis, decoxit creditoribus suis. ℙ Tum ea, propter quae ad inopiam quis, re dilapidata, redigitur. *Pers.* 5, 57. Hic campo indulget, hunc alea decoquit. *Colum.* 1, 8. *a med.* et 11, 1. *sub f.* Cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, jam res ipsa domino decoxit, *h. e.* absumpta est, periit. ℙ Translate. *Flor. prooem.* 1. *extr.* Imperium inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit. *Senec. ep.* 36. Minus turpe est creditori, quam bonae spei decoquere. ℙ Ponitur et pro purgare et supervacanea demere: quia decoquendo res minuuntur, ut dictum est. *Quint.* 2, 4. Materiam esse volo vel abundantiorem, atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit.

DĔCOR, ōris, m. *εὐπρέπεια*, pulcritudo ex honestate et decentia sive rerum sive actionum, qua fit, ut deceat atque honestetur, qui habet illa, vel facit. *Quint.* 6, 3. Inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, ut eadem illa minus, dicente alio, videantur urbana esse. *Hor. A. P.* 156. Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor maturis dandus et annis. [*Quint. 10, 1, 27. Ab his (poetis) in rebus spiritus — et in personis decor petitur, i. e. id quod quamque personam decet, aptus uniuscujusque personae sermo. Coll. *ib.* §. 71. et *Cic. Off.* 1, 28, 97. Sed tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, quum etc.] *Cic. Acad.* 1, 9. Spoliavit virtutem suo decore. *Id. Fin.* 1, 10. *extr.* Clarorum virorum facta non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudare. *Ov. Pont.* 2, 3, 13. Ipse decor, recte facti si praemia desint, Non movet: et gratis poenitet esse probum, *h. e.* virtus, quae maxime decora est. *Id. Met.* 13, 849. ovibus sua lana decori est. *Prop.* 4, 11, 29. Si cui fama fuit per avita tropaea decori. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Feminae decoris gratia succina gestantes. *Ov. A. Am.* 2, 379. positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei. ℙ Differt a *forma*, quod haec est apta membrorum dispositio; ille est ornamentum et gratus aspectus ex ea dispositione nascens. *Ov. Fast.* 2, 763. Forma placet, niveusque color, flavique capilli, Quique aderat, nulla factus ab arte, decor. *Curt.* 8, 4. *a med.* Roxane eximia corporis specie, et decore habitus in barbaris raro. ℙ Nihilominus *decor* ponitur et universim pro forma seu pulcritudine corporis. *Hor. Od.* 2, 11, 5. fugit retro Levis juventas et decor. *Ov. Her.* 12, 12. Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli, Et decor, et linguae gratia facta tuae? ℙ In architectura *decor* est emendatus operis aspectus, probatis rebus compositi cum auctoritate. Is perficitur statione, consuetudine, natura. Statione, cum Jovi, Fulguri, et Coelo aedificia sub divo constituuntur, etc. Ad consuetudinem decor sic exprimitur, cum aedificiis interioribus magnificis vestibula convenientia et elegantia erunt facta, etc. Naturae decor erit, si cubiculis et bibliothecis ab oriente lumina capientur, balneis et hibernaculis ab occidente hiberno, etc. Haec *Vitr.* 1, 2.

DĔCOR, ŏris, adj. idem quod decorus, ut *Prisc.* 6. p. 699. docet. *Naevius ib.* Magnamque domum decoremque ditem vexerant. *Sall. fragm. ib.* Equis et armis decoribus cultus. ℙ Quidam ponunt rectum casum *Decoris:* unde *Indecoris.*

DĔCŌRĀMEN, inis, n. vox poetica, et

DĔCŌRĀMENTUM, i, n. *κόσμημα*, ornamentum. *Sil.* 16, 268. Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo Delapsa attactu, nudavit tempora regis. *Auson. Idyll.* 10, 320. celsae fluvii decoramina villae. [*Arnob. adv. gentes.* 5. *B. A.*] *Tert. Cult. fem.* Matronalia decoramenta.

*DECORATIO, onis, f. tribuitur *Augustino.* Locum autem afferre non possum. *B. A.*

DĔCŌRĀTUS, a, um, part. a *decoro*, *κοσμηθείς*, decorus factus, ornatus. *Cic. Tusc.* 5, 41. Omne honestum cassum illi quiddam, et inani vocis sono decoratum esse dicunt. *Sil.* 17, 646. auro decoratus et ostro. [*Liv. 1, 26. quem modo decoratum (sc. spoliis) ovantemque vidistis. *Id.* 2, 6. nostris (*regiis*) decoratus insignibus. De hujus voc. synonymis V. *Döderl. Syn.* III. p. 261.]

DĔCŌRĔ, adv. *πρεπόντως*, cum decore, ut decet, apte, decenter, pulcre. *Cic. Off.* 1, 31. *extr.* Si necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non sunt, omnis adhibenda erit cura, ut ea si non decore, at quam minimum indecore facere possimus. *Id. Or.* 1, 32. Praecipitur primum, ut Latine loquamur; deinde, ut plane et dilucide; tum, ut ornate; post ad rerum honestatem apte, et quasi decore. *Id. carm. de suo consul. Divin.* 1, 12. Aedes formata decore. *Id. Or.* 3, 47. Hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt.

DĔCORĬĀTUS, a, um, part. a *decorio*, corio spoliatus. *Pallad.* 2, 15. *ad f.* Amygdala decoriata.

DĔCORĬO, as, a. 1. corium detraho. *Tert. Anim.* 33. Perinde juguletur, quia et ipsa jugulaverit: perinde decorietur, quia et ipsa despoliaverit.

DĔCŌRIS, re. V. DECOR, decoris.

DĔCORĬTER, adv. ornate, decore, pulcre. *Appul. Met.* 5. p. 168, 23. Crinium globos decoriter impeditos. *Id. ib.* 11. p. 185, 19. Palla ad ultimas oras decoriter confluctuabat. [*Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 20. Instar urbium vicis decoriter admodum distinctis atque dispositis. *B. A.*]

DĔCŌRO, as, avi, atum, a. 1. *κοσμέω*, decorum facio, orno. *Hor. Od.* 2, 15, 20. Deorum Templa novo decorare saxo. *Pl. Trin.* 1, 2, 1. Decorare larem corona. *Tibull.* 2, 2, 6. Serta decorant comas. *Virg. A.* 6, 217. pyram fulgentibus armis. *Id. ib.* 9, 215. aliquem sepulcro. *Pl. Mil.* 4, 2, 57. digitos anulis. *Plin.* 13, 16, 31. Arbor domos decorans. *Hor. Ep.* 2, 1, 266. Nec prave factis decorari versibus apto. *Id. ib.* 1, 7, 5. dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris, *h. e.* comitatu lictorum. *Enn.* ap. *Cic. Sen.* 20. Nemo me lacrimis decoret. *Cic. Ligar.* 2. O. clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandam! *Id. Pis.* 12. Decorare atque augere rempublicam. *Id. Balb.* 6. *ad f.* Decorare aliquem singularibus honoribus. [*Tac. Agr.* 46. Admiratione te et immortalibus laudibus et aemulatu decoremus.] *Id. Or.* 1, 43. *ad f.* Cum honestus labor honoribus, praemiis, atque splendore decoratur. [*Id. Verr.* 2, 2, 46. oppidum locis communibus monumentisque decorare. *Sall. Cat.* 12, 4. delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant.] ℙ Sunt qui putent, dici etiam *decōro*, paenult. producta, afferuntque illud *Silii* 12, 743. triumphum Tarpeji clamant Jovis, ac delubra decorant. Sed plerique omnes rectius leg. *coronant.* [*In sequioris aevi poetis passim reperitur decōro; apud bonos auctores nusquam. V. *Drak.* ad h. l.] *Inscr.* incertae aetatis et auctoritatis, apud *Murat.* 54, 4. Exuviisque ejus te ipsam, templumque decoro.

DĔCOROSUS, a, um, decorus, decens. *Senec. ep.* 93. *sub f.* Annales Tanusii scis quam non decorosi sint. Al. leg. *decori:* al. aliter. Sed multo plures, inquit *Gronov.*, habent *decorosi* a *decus*, ut a *scelus* fit *scelerosus.*

DĔCORTĬCĀTĬO, onis, f. actus decorticandi. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9. Quod si angusta decorticatio fuerit.

DĔCORTĬCĀTUS, a, um, part. a *decortico*, cortice spoliatus, ut Abies decorticata, *Plin.* 16, 41, 80.

DĔCORTĬCO, as, a. 1. *ἀπολέπω*, corticem detraho. *Plin.* 16, 39, 74. Caedi intempestivum, quae decorticentur.

DĔCORUS, a, um, adj. *εὐσχήμων, εὐπρεπής*, decens, aptus, conveniens, honestus. *Cic. Off.* 1, 20. Nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, expetere oportere. *Id. Leg.* 2, 18. Color albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. *Id. ib.* 8. Quae cuique divo decorae grataeque sint hostiae. *Id. Att.* 4, 16. *ante med.* Homo iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Tusculano. [*Liv. 1, 42. Hunc ordinem ex censu descripsit vel paci decorum vel bello. *Id. praef.* poeticis decora fabulis.] *Ov. Met.* 13, 308. an falso crimine turpe Accusasse mihi, vobis damnasse, decorum est? *Hor. Od.* 4, 1, 36. Silentium parum decorum. *Cic. Sen.* 9. Est decorus sermo senis quietus et remissus. [*Liv. 2, 6. decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus. *ib.* 13. virginitati decorum erat. Nota porro pro hoc dativo constructionem apud *Tac. H.* 3, 7. decorum pro causa ratus, si etc. Similia laudat *Walch.* ad *Tac. Agr.* 17. p. 314.] ℙ Cum ablativo. *Pl. Mil.* 3, 1, 25. Facinora tibi objicere neque te decora, neque tuis virtutibus, *h. e.* digna. ℙ *Decorum, i*, absolute, *τὸ πρέπον. Cic. Or.* 21. Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat, videre. *πρέπον* appellant hoc Graeci: nos dicamus sane decorum. *Id. Off.* 1, 28. Sequi, *et* servare decorum. V. *ib.* 27., ubi duplicis decori descriptionem tradit, et multa praeterea docet hac de re. *Quint.* 10, 1. In omnibus custodire decorum. ℙ Sumitur pro pulcro, ornato. *Virg. A.* 5, 133. auro Ductores longe effulgent, ostroque decori. *Hor. Od.* 4, 2, 35. Caesar merita fronde decorus. *Id. Carm. saec.* 61. Phoebus fulgente decorus arcu. *Id. Sat.* 1, 2, 87. Decora facies. *Ov. Met.* 6, 167. Decorum caput. *Virg. A.* 11, 480. oculos dejecta decoros. *Id. ib.* 4, 559. membra decora juventae. *Id. ib.* 5, 343. lacrimaeque decorae. *Id. ib.* 11, 194. galeas ensesque decoros. [*Lucan. 1, 164. Cultu certae decoro cum aliquo. *Senec. Troad.* 946. Cultus decoros regiae vestis petit (Polyxena).] *Hor. Od.* 1,

30, 3. Decora aedes. *Colum.* 6, 1. Boves decori ab aspectu. [**Auct. Itin. Alex. c.* 13. *extr.* Idque agebat decorius militi, quam si deflueret (*coma*). *B. A.*] *Appul. Apol.* Zenonem longe decorissimum fuisse.

DĔCOTES, togae detritae. *Festus.* [Si *Vossium* sequimur, qui in *Etymol.* s. v. *Floccus*, ait, *decotes* quasi *sine cute*, *h. e.* flocco dictas fuisse, secunda syllaba brevis est; si *Schneiderum*, qui in *Indice Scriptor. R. R.* p. 370. putat, ita appellatas, quia sunt quasi cotibus detritae atque consumptae, longa est. *F.*]

DĔCRĔMENTUM, i, n. *φθίσις, μείωσις*, actus decrescendi. *Gell.* 3, 10. *a med.* Quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. *Appul. Met.* 11. *init.* Luna decrementis imminuitur.

DĔCRĔMO, as, a. 1. idem quod cremo. Neutra significatione pro ardere, comburi. *Tert. adv. Marc.* 2, 2. Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras Decremet, ut veniam vel peccati expiet unus.

DĔCRĔPĬTUS, a, um, adj. *ὑπέργηρος*, extremae aetatis senex. Alii derivant a *creperus*, dubius: unde *crepusculum* extremum diei tempus: et *Non.* 1, 45. decrepitos interpretatur in dubio vitae constitutos. Alii a *crepitus*, quia nullum facere potest crepitum. (Duo haec ponit *Festus.*) Unde in *Glossis* legitur: Decrepitus, *ἐκπεπνευκώς*, qui ultimum flatum emisit. Alii a lucernis, quae cum extinguuntur, ultimum crepant etc. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 2, 3, 11. decrepitos senes dictos ait, quia sunt clamosi. *Id.* ad *Ter. Eun.* 2, 1, 25. quia crepitu et plangore familiae fuerant jam conclamata eorum funera. Sed hae sunt nugae. [**Döderl. Syn.* III. p. 85. derivat a *decrescere.*] *Ter. Ad.* 5, 8, 16. Decrepita anus. *Pl. Merc.* 2, 2, 20. Acheruntieus senex, vietus, decrepitus. *Id. ib.* 43. Vetulus, decrepitus senex. *Cic. Tusc.* 1, 39. Decrepita aetate mori. *Senec. ep.* 26. Inter decrepitos me numera, et extrema langentes. *Prud. Ham.* 561. decrepitus leo.

DĔCRESCENTĬA, ae, f. actus decrescendi, decrementum. *Vitr.* 9, 4. *ad f.* Decrescentia lunae quotidiana.

DĔCRESCO, is, evi, n. 3. *μειόομαι*, contrarium significat *τῷ cresco*, diminuor. *Lucr.* 1, 314. Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. *Cic. Div.* 2, 14. Ostrea cum luna pariter crescunt, pariterque decrescunt. *Cels.* 3, 6. *circa med.* Ubi febris fuit, atque decrevit. *Id. ib.* 20. *ad f.* Donec morbus decrescere incipiat. *Plin.* 2, 59, 60. Decrescente die. *Mart.* 7, 54. Decrevere greges, dum cadit agna frequens. *Senec. Herc. Oet.* 1758. tam parvus cinis Herculeus est: huc ille decrevit gigas. *Stat. Silv.* 2, 1, 126. Jam tamen et validi gressus, mensuraque major Cultibus, et visae puero decrescere vestes. *Quint.* 9, 4. *ante med.* Cavendum est, ne decrescat oratio, et fortiori subjungatur aliquid infirmius. *Sil.* 7, 82. Decrescit metus. *Lucr.* 5, 536. pondus. ℙ Poetice *decrescere* dicuntur, quae recedentibus nobis, subtrahuntur oculis. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 189. Totaque decrescit refugo Trinacria visu. [**Stat. Ach.* 2, 308. incipit et Scyros longo decrescere ponto. V. *Drak.* ad *Sil.* 17, 220. Similiter *Plin. Pan.* 61, 2. ut corpora quamlibet ardua et excelsa, procerioribus admota, decrescant, i. e. minora esse videantur.] ℙ Est etiam valde cresco, ut videtur, in illo *Hor. Od.* 4, 7, 3. et decrescentia ripas Flumina praetereunt. Alii rectius sic interpretantur: flumina, quae nivibus liquefactis excreverant, jam decrescunt, et intra justas, ut ante, ripas fluunt: ver enim jam adultum hic describitur. V. PRAETEREO.

DĔCRĔTĀLIS, e, adj. ad decretum pertinens, seu pendens a decreto, ut Decretalis pagina, *Sidon. ep. in Conc.* 7, 9. Decretalis bonorum successio, *Ulp. Dig.* 38, 9, 1.

DĔCRĔTĬO, onis, f. idem ac decretum. *Capell.* 1. p. 12. *in carm.* Cujusque nutu gignitur necessitas, Futura cujus illigat decretio.

DĔCRĔTORĬUS, a, um, adj. ad decernendum pertinens, judiciale, *κριτήριος, κριτικός*. *Senec. Clem.* 1, 14. Nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum, *h. e.* ad ultimam sententiam ferendam, quae de re tota decernat. *Id. ep.* 102. *post med.* Intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori. *Id. ep.* 117. *post med.* Remove ista lusoria arma; decretoriis opus est, *h. e.* quae serio agant, de victoria decernant ac debellent. *Plin.* 18, 28. 68. *n.* 3. In hoc temporis intervallo summa vitium agitur, decretorio uvis sidere illo, quod Caniculam appellavimus, *h. e.* decernente, uberne, an nulla vindemia futura sit. *Id. ib.* 29, 69. *n.* 4. Decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium in eum incidat.

DĔCRĔTUM, i, n. *ψήφισμα*, id quod re cognita ac deliberata decernitur, statutum, constitutio, sententia. *Cic. Rosc. Am.* 9. Decurionum decretum statim fit, ut, etc. *Id. Dom.* 28. Amplissima atque ornatissima decreta facere. *Id. Verr.* 2, 2, 48. Qui Romae totum edictum atque omnia decreta vendidit. *Id. Agr.* 2, 17. Decreto aliquid petere. *Id. Fam.* 13, 56. Neque ex edicto, neque ex decreto depositam pecuniam habuisse. *Id. ad Planc.* 2. *post. ep. ad Att.* 16. *l.* 16. Interponere decretum. et *ib.* Servare decreta. *Caes. B. G.* 6, 12. Stare decreto. et *ib.* Parere decretis. *Gell.* 6, 10. Sancire decretum. *Prop.* 2, 23, 87. Tyndaris externo patriam mutavit amore, Et sine decreto viva reducta domum, *h. e.* cum in ipsam nihil decerneretur inclementius. ℙ Dicitur et de principiis ac placitis philosophorum. *Cic. Acad.* 4, 9. Quoniam id haberent Academici decretum, (sentitis enim jam me hoc *δόγμα* dicere) nihil posse percipi. *Senec. ep.* 94. Ipsa decreta philosophiae constitutionem esse summi boni. Adde *ep.* 95., ubi plura hac de re.

DĔCRĔTUS, a, um, part. a *decerno*, deliberatus, constitutus, statutus, *ἐψηφισμένος*. *Cic. Prov. cons.* 15. Provinciam desponsam, non decretam habere. *Id. Dom.* 9. *ad f.* Decreta lege sanxit, ut, etc. *Id. Att.* 7, 1. *a med.* Annuus sumptus mihi decretus. *Id. Or.* 3, 85. Decreta virtutis praemia. *Nep. Alc.* 7. Omnes alicui decreti honores. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 215. Candida Tartareo nuptum Proserpina regi Jamdudum decreta dari. ℙ Metaphoricus et singularis est usus in illo *Plin.* 18, 31, 74. Parvis prelis, et minori torculari, aedificio breviore, et malo in medio decreto, *h. e.* statuto, defixo: alii tamen leg. *erecto.* ℙ [**Cic. Fam.* 10, 10. in uno proelio omnis fortuna reipublicae disceptat; quod quidem — jam decretum arbitrabar fore, i. e. debellatum, dimicatum.] ℙ A *decresco*, qui diminutus est. *Liv.* vel *Laev.* ap. *Prisc.* 9. p. 869. Nocte dieque decretum et auctum. ℙ Item qui crevit [*excrevit]. *Gell.* 19, 12. Stolones proceros atque decretos amputare. Alii aliter legunt. [*In codd. est *decertos.* Locus est corruptus, nam *decresco* non est id. q. *excresco.*]

DĔCRĪBRO, as, a. 1. conficere tanquam per cribrum. *Pl. Capt.* 4, 4, 6. Decribravit totum cum carne carnarium. Alii plerique rectius leg. *deturbavit.*

DĔCŬBO, as, avi, atum, n. 1. *Fabius Pictor* de Flamine Diali, ap. *Gell.* 10, 15. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet: et de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas est, *h. e.* extra eum lectum non cubat.

[DĔCŪLĂ vel Decola, ae, m. ut Publicula et Poblicola: opponitur incolae, qui nempe nullum habet domicilium, ut putat, *Vaillant. Fam. Rom.* p. 487. Est cognomen M. Tulli consulis an. U. C. 673. ex *Fastis Capitolin.* ap. *Grut.* 294. *F.*]

*DECULĀNI, orum, populi in secunda regione Italiae numerantur a *Plin.* 3, 11. *B. A.*

DĔCULCO, as, a. 1. calcando deprimo, *καταπατέω*. *Plin.* 17, 10, 111. Alii baccas in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis. *Stat. Th.* 1, 622. Proterere exanimes artus asprosque molares Deculcare genis, *h. e.* de alto illidere, impingere.

*DECULPĀTIO, onis, f. *Augustin.*

DĔCULPO, a, um, adj. *Gell.* 19, 10. Dehonestum tibi deculpatumque hoc verbum videtur, *h. e.* damnatum. V. CULPA.

DĔCULTĀRUNT, valde occultarunt. *Festus.*

DĔCŪMA, etc. V. DECIMUS.

*DECUMA, Hispaniae oppidum, in conventu Cordubensi, teste *Plin.* 3, 1. *B. A.*

DĔCŪMĀTES AGRI apud *Tac.* V. DECIMALIS.

DĔCUMBO, is, ubui, n. 3. *κατάκειμαι*, recumbo, jaceo. Saepe est tricliniare verbum. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Cum Apronius in triclinio decubuisset. *Pl. Merc.* 1, 1, 97. Ad coenam vocat: venio, decumbo. Adde *Ter. Ph.* 2, 2, 28. ℙ Est etiam jacentium in lecto, aut aegrotantium. *Pl. Cas.* 5, 2, 9. Colloco, fulcio, mollio, ut apte decumbam. *Suet. Caes.* 49. In aureo lecto decumbere. *Id. Ner.* 48. Decubuit super lectum modica culcita. *Appul. Apol.* Ex fatigatione itineris affectus, apud Appios amicos meos aliquammultis diebus decumbo. *Gell.* 18, 10. Ibi alvo mihi cita, et accedente febri rapida, decubueram. *Senec. ep.* 96. Familia decubuit, fenus offendit, domus crepuit. ℙ Item pugnantium, et ex vulnere cadentium. De gladiatoribus *Cic. Tusc.* 2, 17. Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quaerant, quid velint: si satis his factum sit, se velle decumbere. *Id. Phil.* 3, 14. Quod nobiles gladiatores faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, etc.

DĔCUNCIS, uncis, m. decem unciarum vel mensura, vel pondus, alio nomine dextans. *Rhem. Fann. de ponderib.* 46. At si sextantem retrahas, erit ille decuncis. ℙ Rectus casus etiam *decunx* esse potest, ut *deunx*, *quincunx*, etc. *Prisc. de ponderib.* p. 1348.

DĔCUNCTOR. V. DECONTOR.

*DECŪNI, orum, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. si lectio certa. *Harduinus* mavult *Derrii. B. A.*

DĔCUPLĀTUS, a, um, part. a *decuplo*, decuplus. *Juvenc. in Matth.* 3, 18. Christus prosequitur: non septem crimina tantum, Sed decuplata super donentur vulnera fratri.

[DĔCUPLO, as, avi, atum, a. 1. *δεκαπλασιάζω*, decies multiplico. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 1, 2, 102. Siquidem biduum: verum ne fiant isti viginti dies; *Haec habet:* facete biduum decuplavit. *F.*]

DĔCUPLUS, a, um, adj. *δεκαπλάσιος*, qui rei alicujus quantitatem decies in se continet. *Liv.* 39, 44. Uti ea quoque decuplo tanto pluris, quam quanti essent, aestimarentur. Ita ediderunt *Manut.* et *Scheffer.*, at *Grut.* et *Gron.* legunt *decem tanto:* alii aliter.

DĔCŪRES, decuriones. *Festus.*

DĔCŪRĬA, ae, f. *δεκάς*, decem rerum numerus. Quantitas syllabae antepaenultimae, quae controversa est, satis innotescit ex iambicis versibus *Plauti* et *Caecilii* infra allatis. *Varr. L. L.* 8, 49. Decuriae numerorum. *Colum.* de operis ruri laborantibus, 1, 9. Classes etiam non majores, quam denum hominum faciundae: quas decurias appellaverunt antiqui. *Valerian. Imp. in epist.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Pellium tentoriarum decurias triginta. ℙ Dicitur etiam de quavis multitudine, coetu, sodalicio, ordine, classe, quamvis plures minoresve sint, quam decem. *Vitr.* 7, 1. Deinde rudus inducatur, et vectibus ligneis, decuriis inductis crebriter pinsatione solidetur. *Senec. ep.* 47. Retulit illi gratiam servus, ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem praeco experitur, *h. e.* in primo ordine seu coetu servorum venalium. *Pl. Pers.* 1, 3, 62. Atque nisi gratam tecum huc jam, quantum potest, Adducis, exigam hercle ego te ex hac decuria, *h. e.* ex hoc coetu sodalium et convivarum. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 545. Meritissimo hic me ejecit ex hac decuria. *Suet. Claud.* 1. Scribarum decuriae. *Id. Tib.* 41. Decuriae equitum, *h. e.* ordo equitum in judicum numerum conscriptorum. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. Hunc hominem in judicum numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam judex obtinebit? *h. e.* ordinem senatorum judicantium. Triplex fuit Romae judicum genus, ut est apud *Suet. Caes.* 41. et *Ascon. in Pis.* 39., senatorum, equitum, et tribunorum aerarii, et proinde totidem decuriae: sed postremam Caesar sustulit: legem vero de nova decuria ex alaudis et centurionibus composita, teste *Cic. Phil.* 13, 2., tulerat quidem M. Antonius in consulatu, sed hostis judicatus rem non perfecerat: at tertiam tribunorum aerarii restituisse videtur Augustus, quem *Suet. Aug.* 32. quartam addidisse narrat, *ducenariorum* appellatam, quae judicaret de levioribus summis. Quintam decuriam, ut ait *Id. Cal.* 16., ad quatuor priores addidit Caligula, ut levior labor judicantibus esset. Judicibus vero, ut *Id. Galb.* 14. affirmat, sextam decuriam adjici precantibus, negavit Galba. Porro in singulis hisce decuriis singula circiter millia hominum erant, ut *Plin.* 33, 1, 7. docet: ubi addit, pluribus ipsas discretas nominibus fuisse, tribunorum aeris, selectorum, judicum, nongentorum: de quibus V. suis locis.] *Ascon.* in *Verr.* 2, 1. *extr.* discrimen tradit inter *centurias* et *decurias* (cum de judicibus sermo est) quod illae inferiorum dicebantur, nempe equitum, et tribunorum aeris: istae honestiorum, scil. senatorii ordinis. [**Quint.* 4, 2, 45. cum — judicem rura plerumque in decurias mittant, de eo pronuntiaturum, quod intellexerit. *Coll. Eod.* 10, 1, 32. ubi ejusmodi judices *ineruditi* appellantur. V. *Spalding.* ad locum priorem et de decuriis hisce in universum *Sigon. de judic.* 2, 18. *Ernest* in *Clav. Cic.* et praecipue *Heinecc. Antiq. Rom. Jurisprud. illustr. Syntagm. ad Institt.* 4, 17, 2. p. 743. *ed. Haubold.*] ℙ Etiam in re militari *decuriae* fuerunt primo a decem militum numero dictae: et retento eo nomine, etiam postquam numerus auctus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 557, 3. et apud *Reines. cl.* 8. *n.* 72. ℙ Item servorum publicorum, et inter officia domus Augustae, ut decuriae lictorum, ap. *Grut.* 631, 1. et *Reines. cl.* 1. *n.* 19. [*Hinc *Suet. Aug.* 57. junguntur *decuriae* et *tribus* i. e. plebs. Cf. *Ernest.* ad *Tac. A.* 13, 27. *Vales.* ad *Ammian.* 28, 6. et intpp. ad *Suet. Claud.* 1.] ℙ Item eorum, qui sacris publicis ministrabant. Apud *Grut.* 305, 4. Ex quatuor decuriis curio minor, etc. ℙ Item professorum alicujus artis, ut decuria Scamillariorum *ib.* 467, 7. etc. ℙ Honoratiorum quarundam decuriarum emptiones et venditiones fieri solitas legimus in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 3. et ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 79. Nam plebeji homines, praesertim libertini generis, si in aliquam decuriam scribarum, viatorum, accensorum, etc. describerentur, conditionem suam nobiliorem facere sibi videbantur, quia ex hujusmodi decuriis, scribarum praecipue, in equestrem ordinem ascendi solebat. De hujusmodi decuriis plura *Reines.* ad *Inscr.* 19. *cl.* 1. ℙ Porro hac ratione *decuria* accipitur tum pro ipsis hominibus, tum pro jure ipsius decuriae, tum pro loco, ubi illa est constituta, ut *Verr. Flacc.* docet apud *Gell.* 18, 7. *ad f.* ℙ [Quotiescunque veteres Lapides tres decurias commemorant, non expresso earum nomine, intelligendae sunt *Viatoria*, *Equestris*, *Consularis.* Id monuit *Marin. Iscriz. Alb.* p. 56. ad hanc *Inscript.* L. Licinio L. Fil. Pal. Herodi equiti Romano, decuriali decuriae viatoriae, equestris, consularis. *F.*]

DĔCŪRĬĀLIS, e, adj. ad decuriam pertinens, ut decurialis numerus, apud *Tert. Anim.* 37. h. e.

denarius. ℙ Item in decuriam aliquam adscriptus. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 6. L. Aratius Phoebus decurialis decur. Juliae. *Reines.* ad *Inscr.* 19, *cl.* 1. legit *Decur. Consularis.* Alia apud *Grut.* 622, 9. M. Laelio Sabiniano decuriali aediliciae pompae. Alia apud *Don. cl.* 4. *n.* 4. Decuriales pullarii. Alia apud *Fabrett.* p. 86. Q. Marcius Italicus decurialis negotiator. ℙ Item qui decurio fuit. V. CONDECURIALIS.

DĔCŪRĬĀTIM, adv. per decurias. *Charis.* 2. p. 165.

DĔCŪRĬĀTĬO, onis, f. actus decuriandi, descriptio. *Cic. Planc.* 18. Decuriatio tribulium, descriptio populi.

DĔCŪRĬĀTUS, a, um, part. a *decurio*, in decurias distributus. *Liv.* 22, 38. Sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant. *Cic. Dom.* 13. Cum decuriatos et descriptos haberes exercitus perditorum. V. DECURIO. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *ad f.* Senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent. V. SODALITIUM. ℙ Translate. *Capell.* 1. p. 1. Respersus capillis albicantibus vertex, incrementisque lustralibus decuriatus, *h. e.* vertex hominis cani et quinquagenarii, qui scilicet lustra decem compleverit.

DĔCŪRĬĀTUS, us, m. idem quod decuriatio. *Liv.* 22, 38. Ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent.

DĔCŪRĬO, as, avi, atum, a. 1. in curias vel decurias adscribere, pertinet ad rem militarem V. DECURIATUS, a, um. In curias vero dicitur praecipue de iis, qui ambitus causa, curiarum populi descriptionem faciebant, et largitione grassabantur; ut earum voluntate sibi adjuncta, suffragiorum ad se in comitiis majorem partem attraherent, et per vim honores obtinerent. V. SODALITIUM. *Cic. Planc.* 18. et 19. Haec doce, haec profer, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronunciasse, divisisse. *Id. Sext.* 15. Servorum delectus habebatur, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur.

DĔCŪRĬO, onis, m. *δεκάδαρχος*, princeps decuriae in militia equestri, nam in pedestri *decanus* vocabatur. ℙ In legione Romana erat, qui decem equitibus praeerat. *Festus.* ℙ Initio in turma tres decuriones fuere, turma autem erat equitum XXX. sive XXXIII. cum tribus decurionibus. *Varr. L. L.* 4, 16. ℙ Postea re mutata, pristinum tamen remansit nomen. Nam quamvis unus toti praeesset turmae, *h. e.* XXXIII. equitibus, nihilominus decurio dicebatur. *Veg. Mil.* 2, 14. ℙ *Municipales* vero et *colonici decuriones* ex eo dicti, quod principio, cum deducerentur coloniae, decima pars eorum, qui deducebantur, consilii publici gratia conscribi solita sit, ut docet *Pompon. Dig.* 50, 16, 239. [At ex *Cic. Agr.* 2, 35. constat, eos aliquando fuisse quintam duntaxat eorum partem, quem locum V. sub AUGUR §. 2. Ceterum centum numero semper fuisse, apparet ex locis allatis in v. CENTUMVIRI, ideoque etiam centumviri sunt appellati, quemadmodum Romae antiquitus a Romulo centum tantummodo senatores lecti fuerunt. Quandoque tamen imperatorum indulgentia super legitimum numerum adjiciebantur, ut ait *Plin. ep.* 10, 113., vel ab ipso decurionum ordine allegebantur, qui ideo allecti sunt appellati. V. ALLECTUS. ℙ Decuriones fiebant aetate annorum XXV. *Callistrat. Dig.* 50, 2, 11. Neque minores XXV. annis decuriones allegi, nisi ex causa, possunt; neque hi, qui annum quinquagesimum et quintum excesserunt. *Ulp. Dig.* 50, 2, 2. §. 8. Majores annis LV. ad decurionatus honorem inviti vocari, constitutionibus prohibentur; sed si ei rei consenserint, etsi majores annis LXX. sint, munera quidem civilia obire non coguntur, honores autem gerere debent. ℙ Cum vero mos esset Romae senatoribus in curiam cum praetextatis filiis introire, ut narrat *Gell.* 1, 23., et ostendit *Tabula Canusina* ap. *Fabrett.* p. 549. *n.* 9., in qua, praeter XXXVIII. patronos, et C. decuriones, etiam XXV. praetextati numerantur; paulatim assentationis gratia factum est, ut hi in decurionum numero haberentur: hinc *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 94. Decurio adlectus annorum XVII. Alia apud *eund. ib.* p. 89. Adlecto in ordine decurionum, cum esset annorum IV. Alia, quam ex ipso lapide ipse descripsi Neapoli apud *Andr. de Jorio* D. M. C. Julii C. F. Cl. Hegemonis adlecti in ordine decur*ionum* Miseni, vix*it* ann*os* V. m*enses* VI. d*ies* VI. *Paul. Dig.* 50, 1, 21. §. 6. Impp. Severus et Antonius Augg. Septimio Zenoni. Pro infante filio, quem decurionem esse voluisti, quamquam fidem tuam in posterum adstrinxeris, tamen interim onera sustinere non cogeris. *Imp. Constantin. M. Cod. Theod.* 12, 1, 19. Quoniam nonnulli diversarum curiales (V. CURIALIS) intemperanter minores, quibus publica tutela debetur, ad curiae consortium devocarunt, ut septem, vel octo annorum constitutos nonnullos nominarint, firmiter decernimus, ut omnino nullus in curiam nominationibus devocetur, nec functionum obsequia subire cogatur, nisi qui decimum et octavum annum aetatis fuerit ingressus. ℙ Kal. vero Mart. quinto quoque anno decurionum nominationes fieri solebant a quinquennalibus, uti constat ex *Cod. Theod.* 12, 1, 28., quemadmodum Romae a censoribus senatores legebantur. ℙ Novi decuriones honorarium alicubi pro introitu curiae dare debebant, singula nempe millia denariorum, vel bina, ut docet *Plin. ep.* 10, 113. Qui vero de republica bene meruissent ob opera publica suis sumptibus condita, vel ob largitiones et munera gladiatoria splendide populo data, hisque similia, gratis allegebantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 475, 3. Titio Chresimo ob merita patris honorem decurionatus gratuitum decrevit ordo decurionum. ℙ Eorum census erat C. millia sestertiorum, ut CCCC. millia fuit census equitum R., DCCC. millia senatorum. *Plin. ep.* 1, 19. Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur, ut te non decurione solum, verum etiam equite R. perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC. millia nummûm. ℙ Decurionum munia plurima et gravia fuerunt; quoniam quidquid ad rei publicae administrationem pertineret, illorum curae erat demandatum. Ea vero recenset *Godofr.* in *Paratitl.* ad *Cod. Theodos.* 12, *tit.* 1. ℙ Ii decuriones, quibus major census esset, non qui aetate, nobilitate generis et rerum civilium prudentia eminerent, una cum quatuorviris, vel duumviris sumptibus rei publicae causa faciendis praerant, tributi modum in capita, et agros definiebant et suo periculo exigebant: hi pro eorum numero vel quinqueprimi, vel decemprimi seu decaproti, vel quindecimprimi, vel Graeca appellatione icosaproti vocabantur. V. has voces suo quasque loco. Hinc *Hermog. Dig.* 50, 4, 1. decemprimatum vocat patrimonii munus; et *Ulp. ib.* 3, 10. affirmat, decaprotos etiam minores annis vigintiquinque fieri consuevisse. Adde, quoties Vprimos, VIprimos, Xprimos, XVprimos vel tandem XXprimos vetusti scriptores nominant, in iis locis sermonem esse de tributo solvendo vel sumptibus rei publicae causa faciendis. ℙ Eadem erant [*in coloniis et municipiis] dignitate, qua Romae senatores [*et ut Romam ad senatum consules, ita in municipiis ad decuriones quatuorviri, in coloniis duumviri referebant, V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 18.]; ex iis eligebantur omnes magistratus et eorum decretum idem erat, quod Romae Senatusconsultum. *Cic. Sext.* 4. Recita, quaeso Sexti, quid decreverint Capuae decuriones. Hinc etiam in nummis colonicis et in vetustis lapidibus videre est passim D. D., *h. e.* decreto decurionum, ut Romae S. C., i. e. senatus consulto. Eorum porro decreta ita proponebantur, ut est in *Inscr.* Gabina ap. *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 6. p. 239. *edit. Mediol.* Hoc decretum post tres relationes placuit in tabula aerea scribi et proponi in publico, unde de plano recte legi possit. ℙ Plurima etiam erant decurionum emolumenta; nam quoties natalicia vel matrimonia vel parentalia virorum illustrium celebrarentur aut dedicationes fierent statuarum vel operum publicorum, aut magistratus inirentur, decuriones ad epulas invitabantur vel sportulae iisdem distribuebantur, testantibus id plurimis vetustis inscriptionibus, et *Plin. ep.* 10, 117. Qui virilem togam sumunt vel nuptias faciunt vel ineunt magistratus vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare. ℙ Praeterea toga candida laticlavia, et senatoriis calceamentis, atque etiam bisellio, ut Romae sella curuli, utebantur, qui magistratus obiissent. V. BISELLIUM. Haec passim in inscriptionibus vocantur ornamenta decurionalia. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 86, 3. Parcis Aug*ustis* P. Falerius Trophimus ornamentis decurionalib*us* restitutor Rei*publicae* Veron*ensium*. ℙ Non raro accidit, ut quis pluribus in municipiis et coloniis decurio esset, fortasse quia bona in eorundem finibus possidebat. *Inscr.* ap. *Labus. Dissert. sulla tribù e sui decurioni Bresc.* p. 18. *Sex. Valerio Sex. F. Fab. Poblicolae* equo publico, decur*ioni* Brixiae, Veronae, Tridenti etc. ℙ Horum plurima, quae ad decuriones municipales et colonicos pertinent, docte illustravit *Jo. Labus.* in opere modo laudato, quod videsis. ℙ Numina quarundam civitatum propria et peculiaria joculariter *Deos decuriones* vocat *Tert.* ad *Nat.* 2, 8. Satis video etiam Deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros suos determinatur. ℙ Fuerunt etiam in Urbe decuriones, ii nempe qui in aulis Caesarum erant, ut Decurio cubiculariorum, *h. e.* qui praeest cubiculariis, apud *Suet. Dom.* 17. Decurio lecticariorum Britannici, in *Inscr.* ap. *Grut.* 600, 1. Sic Decurio conlegii fabrum ferrarium, apud *eund.* 632, 1. etc. [*Haec omnia, §§. 13. et 19. exceptis, addidit *Furl.*]

DĔCŪRĬŌNĀLIS, e, adj. ad decurionem pertinens, senatorius. *Inscr.* ap. *Grut.* 469, 4. Exornato ornamentis decurionalibus. *Gloss. Philox. βουλευτικός*, decurionalis. [Item *Not. Tir.* p. 94. Decurio, decurionalis. *F.*]

DĔCŪRĬŌNĀTUS, us, m. *δεκαταρχία, βουλεία*, dignitas et officium decurionis. *Cato* ap. *Fest.* in *Optionatus.* Majores paravere bonis atque strenuis decurionatus, optionatus, hastas donaticas. *Plin. ep.* 10, 114. Honorarium decurionatus inferre. *Inscr.* ap. *Mur.* 484, 3., quam vide in V. BISELLIATUS.

DĔCŪRĬŌNUS. V. CENTURIONUS.

DĔCŬRRO, is, decurri, aliquando decŭcurri, (quamvis neget *Serv.* ad *A.* 11, 189. [*V. *Gron.* ad *Liv.* 25, 16, 5.]) ursum, a. 3. *καταδρέω*, deorsum curro. *Virg. A.* 2, 41. Laocoon ardens summa decurrit ab arce. *Caes. B. G.* 3, 2. Cum ex ipsis montibus in vallem decurrerent. [*Ex loco decurrere, V. intpp. *Liv.* 10, 38, 8.] *Id. ib.* 2, 19. Incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt. *Liv.* 4, 50. Decurrere de tribunali. *Virg. A.* 4, 153. Caprae decurrere jugis. *Hor. Od.* 4, 2, 5. Monte decurrens amnis. [*Liv. 38, 13. Maeander, media urbe decurrens, scil. e loco editiore.] *Plin.* 6, 19, 22. Fluvius decurrit inter oppida. *Tac. A.* 15, 43. Naves decurrunt. *Pallad.* 10, 7. de pruno: Si poma decurrant, oleastri epiurum terebratae infige radici, *h. e.* decidant. ℙ Item simpliciter currere, percurrere [*dicitur vel de stadio et circo vel de navigatione]. *Nep. Eum.* 5. Decurrere in spatio. *Ov. Met.* 14, 50. decurrit pedibus super aequora siccis *Id. ib.* 9, 590. Decurrere mari. *Id. Fast.* 6, 777. celeri decurrere cymba. *Cic. Fam.* 16, 4. Ego puto, te bellissime cum Mescinio decursurum, *h. e.* e Graecia in Italiam navigaturum. *Plin.* 24, 18, 102. Scarabaeus sursum deorsum decurrens. *Hor. Ep.* 1, 7, 74. Occultum visus decurrere piscis ad hamum. [*Vix est, quod moneamus, in omnibus hisce locis non prorsus otiosam esse vim praepositionis. Vel enim significat: ex superiore aliquo loco in inferiorem currere, ut *Suet. Ner.* 11. Eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit, *καταδραμεῖν*. V. *Clav. Suet.*; vel ad metam (ut in stadio) vel ad finem, (ut in mari) currere.] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Tusc.* 1, 8. Nunc video calcem, ad quem cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum. [*Liv. 26, 51. in armis decursum est.] ℙ Est etiam militare verbum. Decurrere enim exercitus dicuntur, cum vel in armis aliquantum spatii conficiunt vel imaginarias pugnas edunt, et in duas divisi partes veri simile proelium committunt, ut paratiores sint cum hostibus congredientes: quod apud Macedonas factitatum narrat *Liv.* 40, 6. Adde 26, 51. et 23, 35. [*Suet. Claud.* 1. exercitus ei honorarium tumulum excitavit, circa quem stato die decurreret. Est hic honor funebris, Gr. *περιδρομή*. V. *Lips.* ad *Tac. A.* 2, 7. *Kirchmann. de funer. Rom.* 3, 3. quos laudat *B. Crus.* in *Clav. Suet.* V. etiam *Gloss. Liv.*] ℙ Translate. *Tibull.* 2, 12, 41. et *Phaedr.* 3, 20. Decurrere vitam. [*Ov. *Trist.* 3, 4, 33. spatium vitae. Cf. *Burm.* alterumque *Burm.* ad *Prop.* 2, 12, 41.] *Virg. G.* 2, 39. inceptum laborem, *h. e.* persequi. *Cic. Quint.* 15. Ad haec inimicissima jura tam cupide decurrebas, ut etc. [*Potest hic locus etiam ad seqq. trahi, pariter atque *Caecin.* 23. ad istam hortationem decurrunt, i. e. confugiunt, tandem veniunt. Metaphora de stadio et circo petita est.] *Plin.* 7, 16, 15. Sed mox plura de hoc, cum membratim historia decurret. *Quint.* 6, 1. In peroratione decurrendum per capita. *Id.* 11, 1. *sub init.* Circuitus contexto nitore decurrentes, *h. e.* periodi fusae ac volubiles. *Id. ib.* 3. *ante med.* Brachii moderata projectio continuos et decurrentes locos maxime decet, *h. e.* ubi oratio decurrit. *Id.* 9, 4. *ante med.* Versus semper similis sibi est, et una ratione decurrit. *Id.* 10, 3. Decurrere per materiam stilo quam velocissimo. [*Id. 5, 8, 2. cetera, quae continuo magis orationis tractu decurrunt. V. *Burm.*] *Stat. Silv.* 5, 3, 149. equos pugnasque virum decurrere versu, *h. e.* narrare. *Auct. Pan.* ad *Pison.* 198. Non mea tot laudes decurrere carmina possunt. *Justin.* 19, 1. Per vestigia paternae virtutis decurrere. ℙ Saepe usurpatur pro confugere. *Hor. Od.* 3, 29, 53. Decurrere ad preces. [*Quint. *Decl.* 377. et *Burm.* ad h. l.] *Cels.* 6, 18. *n.* 3. Decurrendum est ad medicamenta. *Ov. Art. Am.* 2, 99. ad artes Haemonias. [*Id. *Rem. Am.* 287. et assuetas Circe decurrit ad artes. Ubi *Burm.: decurrere*, inquit, proprie qui auxilium quaerit, dicitur.] *Justin.* 16, 3. ad oraculum. *Plin. ep.* 10, 97. *ad f.* Ad te consulendum decucurri. *Tac. A.* 3, 59. Eo decursum est, ut pontificis maximi sententiam opperirentur, *h. e.* in eam sententiam patres devenere. Sic *Liv.* 31, 20. Decurrebatur tamen eo, ut ovans urbem iniret. [*V. supra §. antec.] ℙ Aliquando est extendi. *Plin.* 6, 17, 21. India a montibus tota decurrit in planitiem immensam, et *ib.* 20, 23. Populi cum Indo flumine decurrentes. ℙ *Decucurri* currere desii. *Petr. fr. Trag.* 61. *Burm.* Jam quadrigae meae decucurrerunt, ex quo podagricus factus sum.

DĔCURSĬO, onis, f. actus decurrendi. *Arnob.* 2. p. 84. Aqua natura res labilis, et ad fluorem semper decursionemque tam prona. ℙ Pro incursione hostili e loco superiore, *καταδρομή*. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Ut Alpibus se teneat, et decursionibus per equites vastet ea loca, in quae incurrerit. *Hirt. B. Alex.* 42. Castella locis editis

posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas. [*Scil. *decursiones*, καταδρομαὶ fiunt ἐξ ἐπιτειχίσματος; at *excursiones* sunt, quas Graeci appellant καταδρομαὶ ἔφοδοι, quae de via sive in locis planis fiunt. *Schol.* ad *Thucyd.* 1, 142. quem laudat *Ern.* in *Clav.*] ℙ Pro exercitatione militari, de qua in DECURRO dictum est, Gall. *manoeuvre*. *Suet. Ner.* 7. Indicta decursione praetorianis. *Id. Galb.* 6. Campestris decursio. Legitur etiam in nummo Neronis et Hadriani apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 271. et 503. [*V. Lips. ad *Tac. A.* 2, 55.]

*DECURSITO, as, a. 1. *Appul. de Deo Socr.* p. 116. Ejusdem artis disciplinam simul et ignorantiam decursitant. *B. A.*

[DĔCURSORĬUS, a, um, adj. idem ac cursorius, qui ad cursum pertinet. *Innoc. rei agrar.* p. 223. *Goës.* Termini decursorii. *F.*]

DĔCURSUS, a, um, part. a *decurro*, excursus, percursus, confectus. *Cic. Quint.* 26. Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo? *Id. Senect.* 23. Decurso spatio, a calce ad carceres revocari. ℙ Translate. *Id. Quint.* 31. Aetas prope jam acta et decursa. *Id. Or.* 1, 32. *sub f.* Ista, quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus.

DĔCURSUS, us, m. decursio. *Liv.* 1, 27. *ad f.* Ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido. *Petr. Sat.* 138. Praeceps decursus. *Lucr.* 5, 944. montibus e magnis decursus aquai. *Virg. A.* 12, 523. decursu rapido de montibus altis Dant sonitum spumosi amnes. *Frontin. Strateg.* 1, 5. Pondus in proras versum, decursum super catenam dedit navibus. ℙ Item militaris exercitatio. V. DECURRO *Tac. A.* 2, 55. Exercitio equitum, decursibus cohortium interesse. Adde *Gell.* 7, 3. *sub f.* [*V. *Gloss. Liv.*] ℙ Item terminus, finis cursus. *Suet. Ner.* 24. Excussus curru ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 3, 2. Si provinciam quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. *Quint.* 9, 4. *a med.* Versum facientes totum illum decursum, non sex vel quinque partes, ex quibus constat versus, aspiciunt. *Cic. Or.* 1, 1. Si infinitus forensium rerum labor, et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset, *h. e.* posteaquam honores decucurri, [*s. quum omnibus honoribus perfuncti sumus.]

DĔCURTANS, antis, part. ab inusit. *decurto*, curtans, mutilans. *Arnob.* 5. p. 163. Peniculamenta decurtans cantheriorum, *h. e.* setas evellens vel abscindens e cantheriorum caudis, quae penes vocantur.

DĔCURTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *decurto*, κολοβὸς, curtatus, mutilus. *Plin.* 25, 5, 21. Decurtatae radices. *Sen. Ira* 3, 17. Amicum suum undique decurtatum, cum aures illi nasumque abscidisset, in cavea diu pavit. *Cic. Or.* 53. Mutila sentit quaedam et quasi decurtata. [*Loquitur de membris periodi justo brevioribus.]

DĔCURVĀTUS, a, um, adj. idem quod curvatus. *Non.* 2, 92. Bura dicitur pars aratri posterior decurvata.

DĔCUS, ŏris, n. εὐπρέπεια, κόσμημα, τιμὴ quod quamque rem decet, atque adeo exornat, ornamentum, dignitas, decor, honestas, [*virtus], pulcritudo. *Cic. Brut.* 15. Ut hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen eloquentia est. *Id. Fam.* 10, 12. Verum decus in virtute positum est. *Id. Or.* 1, 45. Non solum ad usum forensem, sed etiam ad decus ornamentumque senectutis. [*Hinc in plurali *decora* de hominibus, V. infra.] *Id. Phil.* 2, 22. Pompejus, qui imperii populi R. decus ac lumen fuit. *Id. N. D.* 1, 4. Magni interest ad decus et ad laudem civitatis. [*Tac. G.* 11. prout aetas cuique, prout decus bellorum, i. e. laus rerum gestarum, belli gloria, ut *Id. A.* 3, 8. decus belli. Sed apud *Liv.* 9, 42. ut urbanis artibus opes augeret, quando belli decus penes alios esset — est *decus* i. q. imperium bellicum. Hinc *Ov. Fast.* 3, 86. arma ferae genti remque decusque dabant, i. e. divitias pacis et gloriam belli. V. *Burm.* qui comparat *Hor. Carm. sec.* 47. — *Sall. Jug.* 3. nisi forte quem lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari, ubi *Cort.* comparat Gr. δόξα et pluribus locis explicat.] *Id. Off.* 1, 34. Civitatis dignitatem et decus sustinere. *Id. ib.* 5. *extr.* Honestatem et decus conservare. [*Decus est in his animi virtus idemque quod honestas, cf. *Tusc.* 5, 21, 55. V. de hac significatione *Wopk. Lectt.* p. 154. et *Hand.* ad h. l.] *Id. Fin.* 2, 14. Epicureos nisi arguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. [*Id. *ib.* 2, 17. adeunda sunt pericula decoris honestatisque causa. Cf. *ib.* 11. et *Goerenz* ad h. l. *coll. Leg.* 1, 21.] *Liv.* 38, 58. Orationem habuit plenam veris decoribus, i. e. laudibus. *Virg. Ecl.* 7, 32. Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae. *Id. ib.* 2, 448. Auratasque trabes veterum decora alta parentum. *Stat. Ach.* 1, 290. Eximium formae decus. *Virg. A.* 4, 150. tantum egregio decus enitet ore. Et *Catull.* 64, 78. Electos juvenes et decus innuptarum, *h. e.* puellas decoras. [*Plin. *Pan.* 23. gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum — signares. Decora in his, ut *lumina*, *ornamenta* (V. supra) sunt viri in suo genere insignes et excellentes.] *Sen. Thyest.* 701. Regium capiti decus bis terque lapsum est, *h. e.* diadema. ℙ De eo qui decus affert. *Hor. Od.* 1, 1, 2. O et praesidium et dulce decus meum. *Val. Fl.* 8, 37. de Medea: O decus in nostros magnum ventura penates. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 51. Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus, *h. e.* aurum. ℙ *Capuli decus*, apud *Plaut.* V. in CAPULUS. ℙ *C. Fronto de differ. verbor.* p. 2191. discrimen tradit inter *decorem* et *decus*, quod ille sit formae, hoc honoris. Sed ex locis utrinque allatis satis patet, etiam promiscue usurpari.

DĔCUS, i, m. apud varios Auctores *de Limitib.* p. 231, 243. et 265. *Goesii* est figura decussis. Sed vox est Latine scribenti fugienda.

DĔCUSSĀTIM, adv. κατὰ χιασμὸν, in modum decussis, hoc est lineae transversim sectae. V. DECUSSIS. *Vitr.* 1, 6. *circa med.* Circino decussatim describendum, et per decussationem et medium centrum linea perducenda ad extremum. *et paulo post.* Decussatim lineae ad extremas circinationes perducendae. *Colum.* 12, 54. Rapum decussatim ferramento lunato incidito.

DĔCUSSĀTIO, onis, f. actus decussandi, et locus ubi duae lineae decussatim secantur, χιασμός. *Vitr.* 1, 6. *circa med.* cujus verba V. in v. praec. Adde 10, 11.

DĔCUSSĀTUS, a, um, part. a *decusso*, χιαστὸς, decussatim conformatus. *Colum.* 4, 24. *ante med.* Quorum singula spectent decussati jugi partes. *Capell.* 1. p. 114. Oblique decussati poli.

DĔCUSSĬO, onis, f. actus decutiendi, projectio, abjectio. *Tert. Cult. fem.* 9. Vobis curanda est amputatio et decussio redundantioris nitoris.

DĔCUSSIS, is, m. nummus, qui decem asses valebat, denarius insignitus littera X. Quam literam si in duas partes dividas, superior pars erit V, quae nota est numeri quinarii. *Varr. L. L.* 4, 36. In denario numero hoc mutat: quod primum est, ab decem assibus decussis. *Stat. Silv.* 4, 9, 9. Liber mihi constitit decussi. *Festus* in *Peculatus.* Lege Tarpeja cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur. ℙ Item denarius numerus, δεκάς: quia nota X tum nummum, tum numerum significat. *Vitr.* 3, 1. *ante med.* Ex singularibus rebus, quae μονάδες dicuntur, perficitur decussis. ℙ Item conformatio duarum linearum in modum litterae X, vel χ, decussatio. *Vitr.* 10, 11. Regula figitur in primo decussis puncto. *Plin.* 18, 34, 77. Ducantur aliae duae lineae in decusses obliquae.

DĔCUSSĬSSEXIS, n. indeclin. *Vitr.* 3, 1. *a med.* Quoniam animadverterunt utrosque numeros esse perfectos, et sex, et decem, utrosque in unum conjecerunt, et fecerunt perfectissimum decussissexis.

DĔCUSSO, as, a. 1. χιάζω, est ad decussis figuram redigere, hoc est, res aliquas eo ordine collocare, ut inter se litterae Graecae χ, aut Latinae X, speciem praebeant. *Cic. Univ.* 7. *a med.* Hanc conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediaeque accommodans mediam quasi decussavit. *Colum.* 3, 13. *ad f.* In speciem Graecae literae decussare. *Id.* 4, 27. Decussare jugum in stellam.

DĔCUSSUS, a, um, part. a *decutio*, quatiendo dejectus, deturbatus. *Ov. Fast.* 2, 707. Decussa lilia. *Prop.* 3, 11, 27. Decussa cydonia ramo. *Plin.* 18, 7, 14. Spicis decussum hordeum. *Id. ib.* 6, 8. *n.* 1. Rami baculo decussi. *Liv.* 25, 7. Turres decussae fulminibus. *Id.* 33, 17. Ariete decussi ruebant muri. *Hirt. B. Afr.* 50. Collem, decusso Labieni praesidio, occupaverunt. Sic *Val. Max.* 1, 4. *n.* 2. Gracchus decussus Capitolio.

DĔCUSSUS, us, m. ἀπόσεισις, decutiendi actus. *Plin.* 11, 37, 62. Aliqui tunc scribunt decidere eum, rursusque recrescere facilem decussu. Nisi malis esse supinum verbi *decutio.*

DĔCŪTĬO, ūtis, ussi, ussum, a. 3. καταοείω, deorsum quatio, quatiendo dejicio, deturbo. *Liv.* 1, 54. Summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. *Plin.* 15, 3, 3. Perticis decutere olivas. *Id.* 10, 33, 50. Sagittis decutere nidos avium. *Id.* 25, 5, 19. et 34, 15, 45. Decutiens gladio rubiginem a cuspide. *Ov. Met.* 5, 104. Decutit ense caput. Al. leg. *demetit. Prop.* 4, 1, 141. Decutere uncum mento. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 2. Janua egressus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur. *Pl. Epid.* 2, 3, 4. Ex occluso armario decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.

DĔDAMNO, as, a. 1. [*ἀπογανόσχω.] *Tert. Pudic.* 15. Qui non dedecoris tantum, sed et sceleris manifestum dedamnaverit, *h. e.* a damnatione exemerit, absolverit.

DĔDĔCET, ebat, ecuit, impers. 2. ἀπρεπές ἐστι, minime decet, indecorum est. *Cic. Tusc.* 4, 54. Oratorem irasci minime decet; simulare non dedecet. *Id. Off.* 1, 41. Ut si quid dedeceat in aliis, vitemus et ipsi. *Ov. Amor.* 1, 7, 12. Nec dominam motae dedecuere comae. ℙ In primis personis. *Stat. Th.* 10, 340. Si non dedecui tua jussa, tulique prementem, *h. e.* si monitus tuos non indecenter effeci, sive non dehonestavi. *Lactant. Schol.*

DĔDĔCOR, ŏris, adj. comm. gen. indecoris, infamis, vilis, inglorius. *Sall. fragm.* apud *Prisc.* 6. p. 699. Dedecores inultique per terga ab hostibus caedebantur. *Stat. Th.* 11, 760. Dedecorem amplexi vitam, reditusque pudendos. *Auson. epist.* 9, 5. Quae viridis muscus, quae dedecor alga recondit. [*Cic. Leg.* 2, 17, 42. non solum vita cruciati atque dedecores. Sic legi vult *Hand.* ad *Wopk.* p. 155. Vulgo legitur *dedecore*. Eadem illa forma reperitur in codd. apud *Auct.* ad *Her.* 3, 7. ubi V. intpp.]

[DĔDĔCŌRĀMENTUM, i, n. idem ac dedecus. V. INHONESTAMENTUM. *F.*]

DĔDĔCŌRĀTIO, onis, f. *Tert. Anim.* 34. Postrema dedecoratio. *Id. Cor. mil.* 14. Turpitudo et dedecoratio.

DĔDĔCŌRĀTOR, oris, m. *Tert. Apol.* 14. Dedecorator Deorum.

DĔDĔCŌRĀTUS, a, um, part. a *dedecoro*, turpis, indecoris. *Suet. Ner.* 36. Dedecoratus flagitiis omnibus.

DĔDĔCŌRO, as, a. 1. καταισχύνω. *Cic. Off.* 3, 2. Dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. *Hor. Od.* 4, 4, 36. Dedecorant bene nata culpae. *Sall. Jug.* 90. Ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri. *Prop.* 3, 21, 35. Cornua nec valuit curvare in pellice Juno, Aut faciem turpi dedecorare bove.

DĔDĔCŌROSĒ, adv. αἰσχρῶς, turpiter. *Aur. Vict. Epit.* 5. *de Ner. ad f.* Dedecorose vixi, turpius peream. *Vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 45. Male, *h. e.* dedecorose.

DĔDĔCŌROSUS, a, um, adj. dedecorus, turpis. *Aur. Vict. Epit.* 39. *extr.* de Dioclet.: Suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. [*Hieron.* in *Isaj.* 16, 58, 10. Quodque his dedecorosius est mulierciarum precibus. *F.*]

DĔDĔCŌRUS, a, um, adj. *Pl. Bacch.* 5, 2, 73. Age jam id, utut est, tametsi est dedecorum, patiar. *Tac. A.* 3, 32. Sex. Pompejus M. Lepidum, ut socordem, inopem, et majoribus suis dedecorum, incusavit.

DĔDĔCUS, ŏris, n. ἀτιμία, αἰσχύνη, id omne quod dedecet, turpitudo, infamia, probrum, ignominia. *Cic. Tusc.* 2, 5. Quid enim minus est dignum, quam tibi pejus quidquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? [*Est hoc modo sensu stoicorum contrarium *honestatis*. *Id. Leg.* 1, 21. quum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic (Antiochus) solum bonum dicat, item dedecus, quod illi summum malum, solum malum.] *Id. Rosc. Am.* 24. Sumptus effusi cum probro atque dedecore. *Id. Div.* 2, 9. Cum ignominia et dedecore perire. *Id. Mur.* 5. Aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. *Id. Verr.* 1, 2, 17. Admittere dedecus. *Id. Fin.* 1, 14. Incurrere in dedecora. *Id. ib.* 3, 11. Nullo dedecore se abstinere. *Id. Off.* 1, 39. Ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo. *Id. Att.* 8, 11. Dedecori esse studiis ac litteris. *Auct.* ad *Her.* 4, 35. Ne iste sua turpitudine ordini honestissimo maculae atque dedecori sit. *Phaedr.* 1, 21. asinum *naturae dedecus* appellat. [*Plin. *Pan.* 82, 4. Danubius ac Rhenus tantum illud nostri dedecoris vehere gaudebant. *Gierig.* ad h. l. sub v. *dedecoris* intelligit *Domitianum*, ut *dedecus* turpem, pariter atque *decus* insignem hominem significet. V. supra DECUS.] *Virg. A.* 10, 681. ob tantum dedecus. *Id. ib.* 11, 789. Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis. [*Liv.* 3, 51. Siccii caedes decemviris et dedecora militiae objiciebantur i. e. res in bello infeliciter gestae. V. *Drak.*]

DĔDĪCĀTĬO, onis, f. καθιέρωσις, actus dedicandi. *Cic. Dom.* 39. Nisi quem forte illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. *Plin.* 7, 48, 49. Dedicatio theatri. *Liv.* 2, 27. Populus dedicationem aedis dat M. Laetorio. *Id.* 5, 31. Celebrare dedicationem. *Trajanus* ad *Plin. ep.* 10, 59. Solum peregrinae civitatis capax non est dedicationis, quae fit jure nostro.

DĔDĪCĀTĪVĒ, adv. affirmando. *Capell.* 4. p. 128. Et dedicative et abdicative concludi potest.

DĔDĪCĀTĪVUS, a, um, adj. idem quod affirmativus, ut dedicativa propositio, cui opponitur abdicativa. *Appul. Dogm. Plat.* 3. p. 30, 6. saepissime, et *Capella initio l.* 4.

DĔDĪCĀTOR, oris, m. qui dicat. *Tert. Apol.* 5. Tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur, *h. e.* inchoatore atque auspice. Adde *eund. Car. Christ.* 17.

DĔDĪCĀTUS, a, um, part. a *dedico*, καθιερωθείς, consecratus. *Cic. N. D.* 3, 5. Aedes Castori et Polluci in foro dedicata. *Hor. Od.* 1, 31, 1. Quid dedicatum poscit Apollinem Vates? *h. e.* simulacrum Apollinis dedicatum. *Cic. N. D.* 2, 23. Fides et Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus. *Id. Leg.* 1, 22. Qui se ipse norit, aliquid

sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit. ℙ Item addictus, devotus. *Inscr.* ap. *Grut.* 274, 5. Gallieno clementissimo principi, et Saloniae sanctissimae Aug. M. Aurelius Victor dedicatissimus numini, majestatique eorum. ℙ Per tmesim dividitur a *Lucil.* ap. *Non.* 4, 139. cui sit data deque dicata.

DĔDĪCĀTUS, nomen, vel potius supinum. *Appul. Florid. n.* 18. p. 362, 7. Sermo dedicatu religiosus.

DĔDĪCO, as, avi, atum, a. 1. λέγω, idem quod dico, loquor, enarro, affirmo, assero. *De* hoc loco augendi vim habet: videturque haec esse prima et propria hujus verbi significatio. *Accius* ap. *Non.* 4, 121. At vereor, cum te esse Alcmaeonis fratrem factis dedicat. *Caecil. ib.* Legati quo missi sunt, veniunt, dedicant mandata. *Lucr.* 1, 366. Ergo quod magnum est aeque leviusque videtur, Nimirum plus esse sibi declarat inanis. At contra gravius, plus in se corporum esse Dedicat. *Id.* 3, 209. Haec quoque res etiam naturam dedicat ejus, *h. e.* ostendit, confirmat. *Lambin.* legit *deliquat*, ceteris invitis Criticis. *Appul.* quoque *Dogm. Plat.* 3. saepissime *dedicare* pro affirmare usurpat. Hinc *dedicativus.* ℙ *Dedicare in censu* aut *in censum aliquid*, est in censendo dicere, profiteri quod in censu habetur. *Cic. Flacc.* 32. Praedia etiam in censu dedicavisti: mitto quod aliena, quod possessa per vim etc. *P. African.* ap. *Gell.* 7, 11. Tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti. Utroque loco est qui aliter legat. [*V. de hoc loquendi genere quos laudat *Ern.* in *Clav. Cic.*, qui primam h. v. significationem esse statuit *dare*, *attribuere*, laudans *Fest.* qui interpretatur: dedicare est proprie dando referre. Haec significatio subest etiam sequenti, ubi est i. q. Diis aliquid dare.] ℙ Praeterea dedicare (quod primae notioni est valde affine) est dicendo deferre, attribuere, ut *Fest.* in *Delicata* exponit. Hinc fere sumitur pro Diis aliquid ad religionem addicere, tribuere, consecrare, καθιερόω, ἀνατίθημι, ἀφοσιόω: quia is, cui dedicare contigerat, certa verborum formula, praeeunte pontifice maximo, utebatur, qua declarabat, se ei Deo id religionis causa attribuere, quod dedicabat: qua de re multa *Brisson. de formulis l.* 1. Si quis itaque sumptibus suis opus aliquod publicum, ceu templum, porticus, thermas, aliaque his similia, fecisset, idem plerumque ipse dedicabat, uti nempe Pompejis Eumachia sacerdos publica, quae sua pecunia chalcidicum, cryptam et porticus fecerat, eadem ipsa dedicavit. V. *Inscript.* in V. CHALCIDICUS. Si vero opus aliquod publicum publicis impensis exstruebatur, tunc ejus dedicandi jus nemini fuit, nisi cui populus concessisset, et Romae quidem lege curiatis comitiis lata: eratque res magni honoris, dedicatio; quia nomen ejus, qui dedicavisset, incisum tabulae posteritati commendabatur. Quid vero differant *dedicare* et *consecrare*, in CONSECRO dictum est. *Cic. Arch.* 8. *extr.* Smyrnaei delubrum Homeri in oppido dedicaverunt. *Id. Leg.* 1, 1. Romulus templum sibi dedicari in eo loco jussit. *Id. Dom.* 46. *ad f.* Simulacrum aut aram dedicare. *Id. N. D.* 2, 31. Majorum institutis Mens, Fides, Virtus, Concordia consecratae, et publice dedicatae sunt. *Id. Verr.* 2, 4, 55. Marcellus duo templa se Romae dedicaturum voverat. *Ov. Fast.* 6, 637. Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia. [*Observa igitur eum h. v. usum, quo Dii ipsi, quibus aedes dedicatur, dedicari dicuntur, ut *Cic. N. D.* 1. 1. et *Ov. Fast.* quibus adde *Liv.* 5, 52. Juno, quam insigni — dedicata est die. *Aur. Vict. Vir. ill.* 16. *in f.* quos (juvenes) Dictator, Castorem et Pollucem ratus, communi titulo dedicavit. V. *Arntzen.* — Id quod ἀναιθέται, i. e. suspendere, constituere ad sacrum usum est in seqq.: *Suet. Aug.* 52. ex quis aureas cortinas Appollini Palat. dedicavit. *Id. Vit.* 10. pugionem — in Agrippinae coloniam misit, Marti dedicandum. Notandus est locus *Suet. Tit.* 2. statuam ei auream in Palatio *posuit*, et alteram equestrem — *dedicavit* prosecutusque est, h. e. sacro usui, pompae scilicet, consecravit. — Hinc transfertur et dicitur etiam de rebus minime sacris: *Id. Tib.* 70. scripta (poetarum) et imagines publicis bibliothecis inter veteres ac praecipuos auctores dedicavit. Adeoque de tabula obscoena: *Id. ib.* 44. Parrhasii tabulam — in cubiculo dedicavit, ut vult *Gron.* ad *Liv.* 7, 3. Per syllepsin explicatur in *Gloss. Liv.* Haec ex parte ex *Clav. Suet.* depromsimus.] ℙ Dedicare locum aliquem est sacrum facere, religione obligare. *Cic. Dom.* 46. Aedes Caepionis essent dedicatae. ℙ *Dedicare alicui librum* est inscribere, nuncupare, et veluti consecrare. *Plin. praef. H. N. ante med.* Levioris operae hos tibi dedicavi libellos. *Phaedr. prol.* 3, 29. Librum exarabo tertium Aesopi stilo, Honori et meritis dedicans illum tuis. ℙ Dedicare togam in funus filii, ap. *Paul. Dig.* 15, 3, 19. est toga nova in funus uti. ℙ Dedicare aliquid in sacrum apud *Caj. Dig.* 44, 6, 3. est destinare, addicere, obligare. ℙ Dedicare urbem nomini ac memoriae alicujus, apud *Curt.* 9, 3. *extr.*, ubi de Alexandro condente oppidum, et bucephali sui nomine appellante. ℙ *Dedicare aliquem* est sacrum et deum facere. *Vitr. praef.* Cum concilium coelestium in sedibus immortalitatis eum dedicavisset. [*Cf. nos supra.] ℙ *Dedicare aliquid libris* est scriptis tradere et posteritati veluti consecrare. *Quint.* 12, 10. Quod libris dedicatur, et in exemplum editur, tersum ac limatum esse oportere. ℙ *Libros alicui operi dedicare* est alicui rei tractandae integros libros impendere. *Id.* 9, 3. *prope f.* ℙ Dedicare theatrum, scenam, bibliothecam, thermas, gymnasium, domum, pontem, patinam, apud *Plin.* 8, 17, 25., *Plin. alter ep.* 1, 8., *Suet. Ner.* 12. et 31., *Cal.* 32., *Vit.* 13. etc. praeter eam, quam diximus significationem, quia revera hujusmodi res Deo alicui sacrabantur, valet etiam, iis uti incipere, encaeniare, inchoare. [*Hoc supra ponendum erat post §. 3. Nos prorsus eodem modo dicimus, quum res novas primum in usum vertimus: *einweihen.*] Ex quo fit, ut qui primus agit aliquid, eleganter *dedicare* dicatur. *Tert. Anim.* 19. Statim infans ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse, quod natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, et lucem visu, et sono auditum, etc. *Hieron. ep.* 79. *n.* 2. *de Cornel. centur.* Qui primus ab Apostolis baptizatus salutem gentium dedicavit. ℙ *Dedicare sub ascia*, V. ASCIA.

DĔDIGNĀTĬO, onis, f. actus dedignandi, ἀπαξίωσις. *Plin. Pan.* 18. Inertia et contumacia et dedignatione parendi. *Quint.* 1, 2. *ad f.* Tacita dedignatio.

DĔDIGNOR, aris, dep. 1. ἀπαξιόω, indignum reputo, contemno. *Ov. Pont.* 1, 7, 33. Is me nec comitem, nec dedignatus amicum est. *Curt.* 6, 11. Qui Philippum dedignatur patrem. *Virg. A.* 4, 536. Quos ego sim toties jam dedignata maritos. *Tac. A.* 2, 34. Ut testis in causa quadam venire dedignaretur. *Id. ib.* 2. Accendere dedignantes. *Sil.* 13, 538. nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phoebo.

DĔDISCO, is, dedidici, a. 3. μεταμανθάνω, quod didici obliviscor. *Cic. Or.* 3, 24. Juventus nostra dedisceret paene discendo. *Id. Fam.* 9, 20. Dediscendae tibi sunt sportellae. *Senec. Troad.* 633. Dediscit animus sero, quod didicit diu. *Ov. Rem.* 503. Intrat amor mentes usu, dediscitur usu, *h. e.* deponitur. *Id. ib.* 297. Dediscere amare. *Lucan.* 1, 130. longoque togae tranquillior usu Dedidicit jam pace ducem. *Claud. praef. Rapt. Pros.* 1, 10. Cordaque languentem dedidicere metum. ℙ [*Confunditur cum *desistere*. V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 307. *Rem.* 211.]

DĔDĪTIM, adv. ἐκδότως, dedendo. Enumeratur inter Latina adverbia a *Diomed.* 1. p. 402.

DĔDĪTĬO, onis, f. παράδοσις, προσχώρησις, actus dedendi, traditio, subjectio. *Caes. B. G.* 1, 28. Reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. [*et *Cort.* ad *h. l.*] *Auct. B. Hisp.* 20. et *Sall. Jug.* 29. Facere deditionem ad hostem. *Id.* 31, 18. hosti. *Sall. Jug.* 66. Impellere aliquem ad deditionem. *Tac. A.* 11, 19. perlicere. *Curt.* 7, 7. *extr.* Fame hostes in deditionem subigere. et *ib.* 11. *ad f.* Barbaros ad deditionem trahere. *Caes. B. G.* 6, 3. Venire in deditionem. *Justin.* 1, 6. Exercitum per deditionem alicui tradere. [*Suet. Claud.* 17. recipere in deditionem. Ubi *B. Crus.* haud scit an non legendum sit *ditionem.* De hoc voc., quod saepius in codd. cum altero confunditur, V. *Eund. in Cl. Suet.*] ℙ Formulam deditionis apud priscos Latinos, habes ap. *Liv.* 1, 38. et 7, 31., ritum vero et rationem apud *Caes. B. C.* 3, 98. et *Vell.* 2, 106. et 114.

DĔDĪTĪCĬUS, a, um, adj. ἔκδοτος, qui se in alterius imperium dedidit, a deditione, [ut ait *Isid. Orig.* 9, 4., ita nuncupatus. Duplicis vero generis fuerunt *dediticii*, alii nempe *peregrini*, de quibus haec *Caj. Instit.* 1. (ed. *Goesch.*) §. 14. Vocantur autem sic, qui quondam adversus populum Romanum armis susceptis pugnaverunt, et deinde victi se dediderunt. *F.*] *Cic. ad Brut.* 1, 3. Id S. C. plerique interpretantur ad tuos sive captivos, sive dediticios pertinere. *Liv.* 7, 31. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in vestram, Patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus: quidquid deinde patiemur, dediticii vestri passuri. *Sall. Jug.* 35. Si Jugurtha dediticius est, profecto jussis vestris obediens erit. [*De *civibus dediticiis praefecturarum* V. *Beier.* ad *Cic. or. p. Scauro* p. 178. et quos ibi laudat.] ℙ De altero *dediticiorum* genere ita *Cajus ib.* §. 13. Lege Aelia Sentia cavetur, ut, qui servi a dominis poenae nomine vincti sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit, et in ea noxa fuisse convicti sint, quique, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, traditi sint, inve ludum custodiamque conjecti fuerint, et postea vel ab eodem domino, vel ab alio manumissi, ejusdem conditionis liberi fiant, cujus condicionis sunt peregrini dediticii. *et mox* §. 15. Hujus ergo turpitudinis servos quocumque modo, et cujuscumque aetatis manumissos, etsi pleno jure dominorum fuerint, numquam aut cives Romanos, aut Latinos fieri dicemus, sed omnimodo dediticiorum numero constitui intelligemus. [*Utrumque locum addidit. *F.*]

[DĔDĪTOR, oris, m. qui se ipsum dedidit. *Tert. de orat.* 11. Nos Dominum adoramus, non dedimus, imo et adversari debemus deditoris exemplo. *F.*]

DĔDĪTUS, a, um, part. a *dedo*, ἐκδεδομένος, datus, traditus, subjectus. *Festus:* Dedita intelligitur valde data. *Lucr.* 6, 1253. jacebant Corpora, paupertate et morbo jam dedita morti. *Id.* 4, 993. Cervus fugae deditus. *Sall. Jug.* 39. Cirta dedita. *Pl. Most.* 2, 2, 67. Hic habito: haec mihi dedita est habitatio. *Lucr.* 3, 113. Membra dedita somno. *Cic. Inv.* 2, 30. Imperator Samnitibus deditus. ℙ Translate. *Id. Coel.* 32. Quem si conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis habebitis. *Dolab.* ad *Cic. Fam.* 9, 9. Animus tibi deditissimus. *Eutrop. ep.* 10, 15. Uxoribus deditior. *Cic. Mil.* 33. *extr.* Vir bonorum voluntati et auctoritati senatus deditus. *Id. Fam.* 5, 8. *a med.* Hoc sum magis Publio deditus, quod me hoc tempore maxime et observat, et diligit. *Tibull.* 1, 5. *in f.* semper tibi dedita servit Mens mea. ℙ *Dedita opera* est data opera, de industria, ἐκ προνοίας. *Ter. Eun.* 5, 2, 1. Apud Antiphontem uterque, mater et pater, quasi dedita opera domi erant, ut nullo modo introire possem, quin viderent me. *Cic. Att.* 10, 3. et *ib.* 15, 4. *a med.* Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret: itaque misi dedita opera. *Id. Or.* 3, 50. Ut nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. ℙ Est etiam applicatus, inclinatus, intentus, studiosus. *Cic. Fam.* 1, 7. *sub f.* Studiis omnibus a pueritia deditus. *Id. Rosc. Dom.* 49. Homo religionibus deditus. *Id. Rosc. Am.* 13. Vita vitiis flagitiisque omnibus dedita. *Senec.* ap. *Gell.* 12, 2. Viri Ennio dediti. *Suet. Cal.* 55. Prasinae factioni addictus et deditus. *Senec. ep.* 58. *ad f.* Vino deditus. *Sall. Cat.* 2. Dediti ventri atque somno. *Id. ib.* 13. Animus quaestui atque sumptui deditus. *Liv.* 1, 9. Ubi spectaculi tempus venit, deditaeque eo mentes cum oculis erant. [*Id. ib.* 57. deditam lanae invenerunt.] ℙ Cum ablat. et *in* praeposit. *Catull.* 61, 101. Non tuus levis in mala Deditus vir adultera. *Lucr.* 4, 812. Cur igitur mirum est, animus si cetera perdit, Praeterquam quibus est in rebus deditus ipse? *Id.* 3, 648. in pugnae studio quod dedita mens est. ℙ Comp. *Deditior* et Sup. *Deditissimus* supra ab in.

DĔDO, is, dedidi, deditum, a. 3. ἐκδίδωμι, idem quod do, trado, addico: *de* autem augendi vim habet, ut significet, totum et omnino dare. Hinc *Festus* dedita exponit valde data. *Cic.* ad *Quir.* 5. Dedere aliquem constrictum hostibus. *Id. Mil.* 1. aliquem telis militum. *Id. Or.* 1, 40. Cum eum paterpatratus Numantinis dedidisset. *Pl. Bacch.* 1, 1, 60. Tibi me mancupo, tuus sum, tibi dedo operam. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Coel.* 16. Dede ac disjice, per me licebit: si egebis, tibi dolebit, *h. e.* largire, profunde, dissipa. Alii leg. *dide ac dissice.* [*Leg. cum *Orellio:* dide, disjice.] *Pl. Bacch.* 4, 4, 36. Dedere aliquem in cruciatum. *Ter. Andr.* 1, 2, 28. in pistrinum. *Liv.* 1, 5. alicui quempiam ad supplicium. *Sen. ep.* 104. *post med.* et *Colum. praef.* 1. *sub init.* noxae, *h. e.* dare ad supplicium. [*Liv. 39, 50. noxios.] *Virg. G.* 4, 90. neci. [*Liv. 9, 4. ad necem. *Ov. Met.* 13, 664. poenae.] *Ter. Andr.* 5, 4, 50. Davo istuc dedam negotii, *h. e.* committam, mandabo. *Cic. Arch.* 10. *extr.* Dedere aures suas poetis. *Catull.* 64, 370. Dedere nuptam marito. *Id.* 61, 56. de Hymenaeo: Tu vero juveni in manus Floridam ipse puellulam Matris e gremio suae Dedis. *Lucr.* 2, 1041. Dedere manus, *h. e.* dare, se victum fateri. ℙ Saepe autem significat in potestatem et arbitrium alterius subjicere, tradere, ut cum victi se dant victoribus. *Cic. Att.* 5, 20. Pindenissae se mihi dediderunt. *Pl. Amph.* 1, 1, 103. Dedere se in ditionem et arbitratum hostium. [*Liv. 5, 27. se in potestatem. Alia collegit *Drak.* ad h. l.] *Id. ib.* 7, 31. Populum, urbem, agros in alicujus ditionem dedere. *Caes. B. G.* 2, 28. Legatos ad Caesarem miserunt seque ei dediderunt. [*Liv. 27, 15. se ad aliquem.] *Id.* 24, 35. Marcellus Helorum atque Herbessum, dedentibus ipsis, recipit. ℙ Translate. *Ter. Andr.* 5, 3, 26. Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone, impera. *Id. ib.* 1, 1, 35. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati; cum quibus erat cumque una, iis se dedere, eorum obsequi studiis. *Cic. Leg.* 2, 2. Patria, pro qua mori et cui nos totos dedere debemus, [*i. e. cujus commodis s. honori inservire debemus. Cf. *Cic. Planc.* 30. *Pet. Cons.* 9.] *Id. Verr.* 2, 4, 42. Ejus religioni te vinctum adstrictumque dedamus. *Id. Att.* 9, 4. Dedere se totum aegritudini. *Id. Fin.* 2, 20. *extr.* aliquem libidini alterius. *Id. Or.* 43. se desidiae aut moestitiae. *Id. Quint.* 18. *extr.* aliquem cupiditati et crudelitati inimici. *Id. Tusc.* 2, 21. se lamentis muliebriter lacrimisque. ℙ Frequenter etiam ponitur pro applicare, intendere animum alicui rei, incumbere. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. Abduco me ab omni reipubl. cura dedoque lit-

teris. *Id. Or.* 1, 3. Dedere se musicis et studio litterarum. *Id. ib.* 3, 15. se studio philosophiae. *Id. Off.* 1, 21. se doctrinae. [**Nep. Them.* 1, 3. se reipublicae. cf. *Oud.* ad *Caes. B. G.* 3, 22.] *Id. Or.* 1, 21. se ad audiendum, legendum, scribendumque. *Liv.* 1, 31. animum sacris. *Gell.* 2, 21. se ad litteras. ℙ *Dedier* paragoge infiniti passivi pro *dedi*, *Liv.* 1, 32. in veteri formula. ℙ [*Caes. B. G.* 5, 20. Pollicentur sese ei dedituros. *Dedendus* apud *Liv. fragm. l.* 91. (ed. *Niebhurio*) p. 91. Ut legati mitterentur ad dedendam urbem. *F.* ℙ *Commutantur *dedere* et *credere*. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 5, 33.]

DĔDOCĔO, es, cui, ctum, a. 2. *μεταδιδάσκω*, secus, quam quis doctus est, doceo, contrarium doceo. *Cic. Or.* 2, 17. Cum aut docendus est is aut dedocendus. *Id. Fin.* 1, 6. *ad f.* Si a Polyaeno geometriam discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedocere. *Stat. Th.* 2, 408. moneo regnorum gaudia temet Dedoceas. *Hor. Od.* 2, 2, 19. Virtus populum falsis dedocet uti.

DĔDOLĀTUS, a, um, part. a *dedolo*, dolatus. *Colum.* 11, 2. *post init.* Ridicas findere et dedolatas utraque parte exacuere. *Appul. Met.* 6. p. 178, 34. Vasculum crystallo dedolatum, *h. e.* laevigatum, affabre factum.

*DEDOLENTIA, ae, f. *Ἀπαλγησία Vet. Gloss. B. A.*

DĔDOLĔO, oles, lui, litum, n. 2. *ἀπαλγέω*, dolere desino. *Ov. Rem.* 293. Optimus ille fuit vindex, laedentia pectus Vincula qui rupit, dedoluitque semel. Adde *Fast.* 3, 480.

DĔDOLO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποχνίζω*, *ἀποξέω*, idem quod dolo, vel valde dolo. *Colum.* 4, 26. Pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandae. *Plin.* 16, 39, 74. Ne qua dedolanda arbos sternatur ante editos suos fructus. *Mart.* 11, 84. de chirurgo: Fractaque fabrili dedolat ossa manu. Joculariter *Pl. Men.* 5, 2, 105. Securim capiam ancipitem, atque hunc senem exossabo, dein dedolabo assulatim viscera. *Appul. Met.* 7. p. 195, 27. Fustium quoque crebris ictibus dedolabar, *h. e.* verberabar. ℙ Ab eodem *Met.* 9. p. 220, 30. adhibetur obsceno sensu, ea ratione, qua *Hor.* permolere dixit.

*DEDOMĀTUS, a, um, part. probe domitus. *Commodian. Instruct.* 34. Equa primum dedomata. *B. A.*

DĔDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. *καταγω*, *ἐξάγω*, e loco superiore in inferiorem duco, detraho. [*Est hic usus sane perquam frequens. Rectius tamen dixeris, proprie *deducere* esse i. q. *ab alio in alium locum ducere*. Hoc enim recte habere inde evincitur, quod *deduco* etiam significat: ab inferiore in altiorem locum ducere. *Liv.* 1, 18. deduci in arcem. V. *Gloss. Liv.* s. h. v. *ab init.*] *Ov. Met.* 15, 76. sunt deducentia ramos Pondere poma suo. *Liv.* 21, 37. Molliunt anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. *Caes. B. C.* 1, 21. Consul concionari conantem de rostris deduxit. *Virg. Ecl.* 6, 71. Cantando rigidas deducere montibus ornos. [*Deducere lunam, V. intpp. ad *Lucan.* 6, 499. ad *Prop.* 1, 1, 24.] *Liv.* 38, 26. Equitatum ad pedes deducere. *Virg. G.* 1, 269. rivos deducere nulla Religio vetuit. *Macr.* ad hunc locum *Sat.* 3, 3. *ad f.* Quod ait deducere, nihil aliud est, quam detergere: nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos fodere non licet. Idem sentit *Colum.* 2, 23. *Serv.* exponit, siccare. [**Burm.* intelligit simpliciter de rivis ex fluvio vel lacu, vel certe majori canali ad irrigandos agros ducendis. V. ipsum coll. reliquis intpp.] *Ov. Met.* 6, 405. Deducere vestem humero ad pectora. [*Hoc praecipue in luctu, ira etc. fiebat. V. *Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 7, 47. *Met.* 3, 480. *Suet. Caes.* 82. sinum ad ima crura deduxit.] *Quint.* 11, 3. manum ad imum ventrem. *Cato R. R.* 157. de brassica: De capite et de oculis omnia deducet, et sanum faciet. [**Cic. Fin.* 5, 17. et quoniam haec deducuntur de corpore i. e. removere homines student a corpore, ut explicat *Ern.* et *Goer.* — *Hor. Ep.* 1, 2, 48. deducere corpore febres.] *Plin.* 25, 8, 51. Invenerunt et canes canariam, qua fastidium deducunt, *h. e.* cient vomitum. *Petr. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos Consecuitque genas. [**Suet. Dom.* 17. correpto deductoque ad terram Stephano, nos: *niederziehen.*] ℙ *Deducere vela* est expandere et vela facere, quia ex antennis, ubi, cum contractae sunt, involutae manent, deorsum ducuntur et explicantur. *Ov. Met.* 3, 663. remorum verbere perstant Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant. *Id. ib.* 11, 477. totaque malo Carbasa deducit venientesque excipit auras. Adde *ib.* 6, 223. et *Lucan.* 2, 697. ℙ *Deducere naves* est ex navalibus vel portu in mare ducere. Cui contrarium est *subducere*. *Virg. A.* 3, 69. vocat auster in altum: Deducunt socii naves et litora complent. Adde *Liv.* 30, 3. 4. et 9. V. NAVIS. ℙ Est etiam *deducere* de loco ad locum ducere, traducere, abducere. *Liv.* 34, 35. Deducere praesidia ab oppidis. et *ib. ad f.* praesidia civitatibus. *Cic. Att.* 7, 14. de oppidis praesidia. *Caes. B. G.* 6, 9. Ubiis imperat, ut pecora deducant. *scil.* ex agris. *Id. ib.* 4, 30. Suos clam ex agris deducere coeperunt. [*Deducere in his loquendi generibus est i. q. abducere aliquem a loco, in quo consederat. Propriam igitur vim *de* retinet. V. exempla plura apud *Drak.* ad *Liv.* 6, 15, 9. 25, 25, 10. et *Broukh.* ad *Prop.* 2, 19, 45. At me ab amore tuo deducet nulla senectus. In quo loco translate loquitur poeta, ut *Hor. A. P.* 244. silvis deducti Fauni, sc. in scenam. Hac significatione codices saepe variant, et nunc *reducere*, nunc *deducere* habent, ut *Liv.* 6, 26, 8. ab Tusculo legiones reductae; al. *deductae*. Cf. *Drak.* ad h. l. et ad 8, 2. et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 191. coll. *Hdf. ib.* — Recte dicitur et *in aciem educere* et *deducere*, de quibus agit *Id.* ad 3, 62.] *Cic. Agr.* 1, 5. Deducere colonias. V. COLONIA. [*Dupplex in hac formula apud *Liv.* reperitur constructio: *deducere in agro* et *in agrum:* 40, 34. Aquileja colonia Latina eo anno in agro Gallorum est deducta. *Id.* 34, 53. ut Latinae duae coloniae, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur. Prior constructio, ubi ablativus additur, videtur vel ad Graecorum usum referenda esse, vel est constructio *πρὸς τὸ νοούμενον*, deducta est in agrum et in eo agro condita. Ceterum pluribus hac de re agit *Drak.* ad 10, 13, 1. et 10, 1, 1. 39, 44, 10. et *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 5.] ℙ Et absolute eodem sensu. *Cic. Phil.* 8, 3. Latronibus suis Urbem se divisurum confirmat, deinde omnibus portis, quo velint, deducturum, *h. e.* in quascumque velint colonias missurum. Adde *Nep. Timol.* 3. ℙ Item adducere. [*Non dixerim *adducere;* sed illud tantum hac praepositione significatur, duci aliquem a loco ubi antea fuerat, ad certum usque locum vel ad certam aliquam personam. Sic interdum absolute dicitur, ut *Sall. Jug.* 44, 5. neque militari more vigiliae deducebantur: ut cuique libebat, a signis aberat.] *Caes. B. G.* 5, 27. Eductos ex hibernis milites ad Labienum deducere. *Cic. Flacc.* 4. Qui ad hoc judicium deducti non sunt. ℙ Item simpliciter, ducere. [**Ducere*, et Graecorum *ἄγειν*, *ἡγεῖσθαι* est vocabulum pomparum. Quodsi longo ordine perpetuaque serie pompa tanquam filum extenditur (V. infra) et protrahitur, dicunt ad hoc significandum *deducere*, quod harum pomparum proprium vocabulum est.] *Hor. Od.* 1, 37, 31. Deduci triumpho, *h. e.* duci in triumpho. [**Suet. Aug.* 43. thensas deducere. *Virg. A.* 5, 580. choros. Et absolute: *Suet. Tib.* 17. circum templa deductus est (Tiberius). — Sequens locus §. anteced. addendus erat.] *Petr. Sat.* 101. Deducere navem in portum, *h. e.* a recto cursu in portum ducere. ℙ Item comitari, *προπέμπειν*, praesertim officii causa. *Liv.* 23, 23. Tempus sedulo terens, ne deducendi sui causa populum de foro abduceret: neque tamen elanguit cura hominum ea mora; frequentesque eum domum deduxerunt. *Cic. Fam.* 10, 12. Cum magna multitudo optimorum civium me domo deduceret. *Id. Senect.* 18. Salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci. Cur autem hoc verbo uteretur V. in DESCENDO. [*Est hoc sensu etiam vocabulum nuptiarum. *Liv.* 10, 23, 5. uni nuptam, ad quem virgo deducta sit. Explicat multis hunc usum *Drak.*, cui adde *Broukh.* ad *Prop.* 4, 3, 13. — Similiter *tirones*, *candidati in forum deduci* dicuntur. V. intpp. ad *Suet. Aug.* 26. *Tib.* 15. *Ner.* 7.] ℙ Item subducere, deminuere. *Ter. Eun.* 2, 3, 23. Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum. *Cato R. R.* 144. Scalae si non erunt, reddet aequas, aut arbitratu deducetur. *scil.* de salario. *Cic. Off.* 1, 18. Ut boni ratiocinatores, addendo et deducendo videre, quae reliqui summa fiat. [**Liv.* 6, 15. de capite deducite, quod usuris pernumeratum est. De aliis locis cf. *Clav. Cic.*] ℙ Item perducere, conciliare; lenonium verbum. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. Qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam. *Idem* jocans in Caesarem, alludensque ad hanc et superiorem notionem, apud *Suet. in ejus vita* 50. Quo melius emptum sciatis, Tertia deducta est. [*Cf. de hac significatione *Drak.* ad *Liv.* 26, 50, 4.] ℙ Item protrahere, differre. *Caes. B. C.* 3, 51. Spe conficiendi negotii, prope in noctem rem deduxerant. [*Metaphora ducta est a filo. V. *sub f.*] ℙ Item expellere, privare. *Liv.* 34, 58. Deducere aliquem ex possessione. *Cic. Caec.* 7. De fundo Caecina moribus deduceretur. [*Scil. „*de fundo deduci* dicebatur is, cui de possessione cum alio controversia erat, quo ritu is, qui suum esse fundum contendebat, ab eo, qui quasi jure suo in eo consederat, una cum testibus adductis de fundo deducebatur. Eo ritu nihil aliud efficiebatur, quam ut constaret, possessionem esse inter duo homines controversam, de qua deinde esset coram Praetore litigandum. Et haec *deductio* dicebatur *vi civili* (seu *moribus*, V. infra) facta. Contra si quis aliquem fundo armatis hominibus dejiceret, id *vi solida* fieri dicebatur.“ Haec adscripsimus ex *Clav. Cic.;* multis vero haec augeri, partim etiam emendari possunt iis, quae disputavit *Beier.* ad *Cic. orr. frr. exc.* III., ubi agit de *deductione moribus faciunda.* — Sequens locus huc non pertinet.] *Hirt. B. Alex.* 33. Arsinoen deducere ex regno statuit. ℙ Translate. [*Vix recte dixeris, in seqq. esse translatam antecedentis §. significationem; imo, ut exempla allata monstrant, obtinet is h. v. usus, quo est ab alio in alium locum ducere.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. In eam rationem vitae nos fortuna deduxit, ut etc. *Id. fragm.* apud *Non.* 2, 126. Deduc orationem tuam de eo loco ad haec citima. *Id. Div.* 2, 26. Conjectura omnis ingeniis hominum in multas ac diversas aut etiam contrarias partes saepe deducitur. *Id.* ad *Caes. post ep.* 11, *l.* 9. ad *Att.* Spe deducebar ad eam cogitationem, ut etc. *Id. Acad.* 4, 36. Quae tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac abstraxeris? *Caes. B. C.* 1, 5. Deducere rem ad otium. *Id. ib.* 4. rem ad arma. *Id. B. G.* 7, 63. rem in controversiam. ℙ Praeterea multiplices habet usus. Interdum enim significat inducere, adducere. [*Ut *deducere* significat a superiore aliquo loco in inferiorem ducere: ita est etiam *humiliorem reddere: Liv.* 9, 34. solemne, ab ipso cui fit, institutum Deo, ab nobilissimis antistitibus ejus sacri ad servorum ministerium — deduxisti. — Quodsi eandem significationem ad animum retuleris, ii *deduci* dicuntur, qui a vero et recto ad prava et falsa, omnino in deteriorem aliquem animi statum quam quo erant, quasi inviti et non sentientes ducuntur; qua in re differunt *deducere* et *adducere;* illud enim, ut nostrum *verleiten*, semper in malam partem intelligitur. Cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 38. et 54. *Nep. Alc.* 8. sibi esse facile, Seuthen regem deducere, ut eos terra expelleret. *Id. Eum.* 4. pedester exercitus in ea loca deductus erat, ut invito Eumene elabi non posset. V. *Brem.* ad locum priorem. *Aur. Vict. Vir. ill.* 30. deducere in insidias. ibique *Arntzen. Liv.* 6, 15, 9. Quin eam (multitudinem) deducitis a me singuli vestris beneficiis, i. e. abalienatis. Sed alii hoc sensu praeferunt *diducitis; Drak.* autem mavult legi *seducitis*, quem V.] *Cic. Orat.* 2, 45. Ut is qui audit, ad fletum et misericordiam deducatur. *Plin. ep.* 1, 8. Deducere in sententiam. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. in fraudem. *Quint.* 4, 2. in periculum. *Liv.* 36, 7. in societatem belli. *Id. ib.* 5. Petebant, ne se temere in causam deduceret. *Cels.* 3, 18. *circa med.* Deducere ad cibum non desiderantem. ℙ Interdum abducere, abstrahere. *Q. Cic. petit. cons.* 10. Deducere de animi pravitate. *Cic. Verr.* 1, 2, 9. Cujus divitiae me de fide deducere non potuissent. *Id. Brut.* 25. *sub f.* Deduci de sententia. *Id. Tusc.* 2, 25. Homo sane levis Heracleotes Dionysius, cum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore deductus est, *h. e.* dolore coactus sententiam mutavit. *Id. Verr.* 2, 1, 6. Pecunia deducere aliquem ab accusatione. *Id. Fam.* 1, 1. Quod instituit referre de religione, ab eo deduci non potest. *Senec. Consol.* ad *Marc.* 20. Mors juvenile aevum in flore deducit, *h. e.* a vita abstrahit. *Lucr.* 1, 370. Deducere aliquem vero, *h. e.* aberrare facere. *Cic. Or.* 2, 83. *extr.* Nihil tam facile, quam multitudo, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode et breviter et acute et hilare dicto deducitur. *Id. N. D.* 2, 59. Eloquentia deducimus perterritos a timore. ℙ Absolute pro a recta in pravam sententiam deducere. V. DEDUCTUS, a, um. ℙ Nonnunquam redigere. *Cic. Cat.* 2, 2. Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis. *Id. Fam.* 4, 2. Quem in locum res deducta sit, vides. [**Id. ib.* 16, 12. res eo deducta est, ut nisi quis Deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus. Etiam in his plerumque deteriorem jam esse statum, quam qui fuit, adsignificatur. Aliud significat formula: *rem aliquo deducere*, apud *Hor. Sat.* 1, 1, 15. Ne te morer, audi Quo rem deducam, i. e. quo tendam, quo haec exempla spectent et quid sibi velint, ut bene *Hdf.*, quem V.] *Id. Rosc. Com.* 12. Ergo huc universa causa deducitur, utrum etc. *Hor. A. P.* 129. Iliacum carmen deducere in actus. [*Alii *diducere* praeferunt, minus recte. Eadem varietas apud *Cic. Inv.* 2, 16. atque hi quidem, et si qui ejusmodi ex proprio argumento communes loci nascentur, in contrarias partes deducentur. Ubi *Oud. deducere*, inquit, pertinet ad permutationem et conversionem, *diducere* ad divisionem vel dilatationem.] ℙ Et perducere. *Ov. Trist.* 2, 560. In tua deduxi tempora, Caesar, opus. *Id. Met.* 1, 3. primaque ab origine Mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen. [*Posterior locus ad seqq. potius referendus, ubi V.] ℙ Aliquando est ducendo attenuare, subtilem facere. *Enn.* ap. *Non.* 2, 364. Deducunt habiles gladios filo gracilento. *Ov. Met.* 4, 36. levi deducens pollice filum. Adde *Am.* 1, 14, 7. [*Et *Catull.* 65, 302. — Jam supra vidimus, dici *deducere* de iis, quae perpetua serie in longitudinem extenduntur. Quod quum fit, necessario etiam extenuantur.] ℙ Hinc translate. *Ov. Pont.* 1, 5, 13. luctor deducere versum: Sed non fit fato mollior ille meo. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 1. *extern.* Triduo non ultra tres versus deducere. [*Huc refer *Cic. Acad.* 1, 12. dies deducere — ut quidem *Goer.* interpretatur. *Schütz.* in *Clav.* praefert *Gesneri* sententiam, qui in *Thes.* s. h. v. ita scribi vult h. l.: ut — jam plerosque eo deduceret. — Sed locus corruptus est. (Deducere mugitum,

(apud quem legatur, non jam memini) eodem modo de protracto et longiore mugitus sono intelligendum). Porro *Stat. Silv.* 1, 2, 111. nec pingui crinem deducere amomo Cessavit mea, nata, manus i. e. mulcere, vel proprie: ductim s. tractim ungere, linire crinem. Sic *Gron.* in *diatr.* I. p. 55. (p. 102. *ed. Haud.*) coll. II. p. 143. Eodem sensu etiam ad ingenii opera transfertur: *Quint.* 3, 6, 59. Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae. V. *Spald.* et quos laudat. Cf. *ib.* 4, 1, 60. et infra DEDUCTUS. — Hoc sensu est etiam militare verbum: *Liv.* 5, 38. instruunt aciem deductam in cornua, ne circumveniri multitudine hostium possent. Hanc scripturam defendit et explicat *Drak.* ad h. l., quem V. coll. ad 21, 55, 5. Antea legebatur *diductam.*] ℙ *Deducere brachia molli gestu* vel *motu* est choreas ducere. *Prop.* 2, 18, 5. Sive aliquis molli deducit candida gestu Brachia. *Stat. Silv.* 3, 66. Candida seu molli deducit brachia motu. ℙ Deducere vocem. *Pompon.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. V. DEDUCTUS, a, um. ℙ Illud *Senecae* a pictoribus ductum est, *ep.* 95. *sub f.* Bonorum virorum formam et lineamenta deducere, verbis describere, ut pictores penicillo. ℙ [*Permutantur a librariis *deducere* et *inducere:* V. intpp. ad *Auct.* ad *Her.* 2, 25. — et *diducere*, V. quos supra passim laudavimus, quibus adde *Cort.* ad *Lucan.* 2, 293. *Drak.* ad *Liv.* 21, 55, 5. ac de eorum discrimine ad 5, 38, 1. coll. 44, 33. ad *Sil.* 15, 187. *Fea* ad *Hor. A. P.* 129. — et *seducere*, *Cort.* ad *Lucan.* 5, 77. *Drak.* ad *Liv.* 6, 15, 9. — et *reducere*, *Id.* ad *Liv.* 6, 26, 8. — et *educere*, *Id. ibid.*]

DĒDUCTĂ, ae, f. *Cic. Leg.* 2, 20. Ut si in testamento deducta scripta, non sit ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur, *h. e.* deductio pecuniae, quae fiebat, ne legatarius sacris alligaretur: deductis enim a parte sui legati centum nummis, liberabatur a sacris defuncti, quia si tantundem cepisset, quantum ceteri heredes, alligabatur sacris, ut *Cic. ib.* 21. docet. Sed priore loco alii aliter legunt.

DĒDUCTIM, adv. deducendo: tanquam Latinum agnoscitur a *Diomed.* 2. p. 168. sed nullo confirmatur auctore.

DĒDUCTĬO, onis, f. actus deducendi, παραγωγή. *Pompon. Dig.* 23, 2, 5. Deductio sponsae in domum mariti. *Cic. Div.* 1, 44. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanae aquae facta deductio est. Sic *Id. Top.* 8. Partium distributio saepe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio. *Id. Phil.* 2, 25. In oppida militum crudelis et misera deductio. ℙ Item expulsio. *Id. Caecin.* 10. Cum Abutius Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret, *h. e.* de fundi possessione ejectio: et videtur esse verbum forense. [*V. quae notavimus sub DEDUCO.] ℙ Item transportatio in coloniam, ἀποικισμός. *Id. Agr.* 1, 5. Quae erit in istos agros deductio. *Plin.* 2, 52, 53. Deductio oppidorum. ℙ Item detractio, quae fit ex alicujus pecuniae summa, ut illa ostendunt *Cic. Verr.* 2, 3, 78. Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant primum pro spectatione et collybo, deinde pro nescio quo cerario. Adde *Divin. Verr.* 10. ℙ Alia vero fuit *deductio*, quae et *deductio vicesimae* dicitur, cum nempe heredes extranei ex ea pecunia, quam testatoris jussu in opus aliquod impendere tenebantur, partem vicesimam detrahebant, fisco ex lege Augusti solvendam. V. VICESIMUS. Quod si testator integram pecuniae summam sine ulla detractione ab herede expendendam, testamento suo jussisset, vel heres ex liberalitate nullam sibi esse faciendam imminutionem putasset, id in inscriptione significari solitum fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 5. P. Numerius Martialis signum Panthei testamento fieri, ponique ex argenti libris C. sine ulla deductione jussit. Alia apud *eund.* 101, 2. Statuam Pietatis ex argenti Pondo C. heredes sine ulla deductione XX *posuere.* ℙ Hinc illa formula *sine ulla deductione* ortum habuisse videtur apud *Senec. Ben.* 2, 4. Ut beneficia tua integra ad eos, quibus promissa sunt, perveniant, sine ulla, ut ajunt, deductione. *Id. ep.* 58. *a med.* Annum unum atque octogesimum implevit, sine ulla deductione. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 1, 14. Ex deductione rationis illa summa nascitur controversia, quam judicationem appellamus, *h. e.* ex infirmatione et depulsione, uti eam vocat *Quint.* 3, 6.

*DEDUCTIVUS, a, um, adj. i. q. derivativus. *Pomp. comment. Art. Don.* 19, 4. p. 239. quia non sunt primogenia (pronomina), sed deductiva.

DĒDUCTO, as, frequentat. a *deduco.* V. in DEDUCTUS, a, um.

DĒDUCTOR, oris, m. προπομπός, qui deducit aliquem domo, officii vel honoris causa. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Hujus rei tres partes sunt: una salutatorum, altera deductorum, tertia assectatorum. *Plin. ep.* 4, 17. Ille meus in inchoandis honoribus deductor et comes. ℙ Item qui adducit, affert. *Tert. Cor. mil.* 4. Spiritus Dei deductor omnis veritatis. ℙ [Item qui coloniam deducit. Augustus dicitur *deductor* in nummo coloniae Apamenae in Bithynia apud *Sestinium Class. gen.* p. 66. *F.*]

DĒDUCTORĬUS, a, um, adj. ad deducendum et detrahendum pertinens, ut *deductoria medicamenta*, quae alvum ducunt, apud *Coel. Aur. Acut.* 2, 19. Et *deductorius cuniculus* in stabulis, per quem lotium animalium foras deducitur, apud *Veg. Vet.* 1, 56. ℙ Et *deductorium*, *ii*, absolute, ἀπαγώγιον, pro canali, quo humor alio deducitur. *Pallad.* 10, 7. *ad f.* Locus deductoria liquoris accipiat, ne humor insidens limo germen exstinguat.

DĒDUCTUS, a, um, part. a *deduco*, deorsum ductus. *Ov. Fast.* 3, 321. Juppiter huc veniet, valida deductus ab arte. *Id. Met.* 15, 267. eluvie mons est deductus in aequor. *Id. ib.* 8, 104. et *Her.* 21, 67. Deducta navis, i. e. in mare demissa. ℙ Item ductus, adductus. *Cic. Amic.* 1. A patre ita eram deductus ad Scaevolam, ut etc. [*Fuit hic mos apud Romanos, ut adolescentes viris primariis in disciplinam traderentur ac certe ita commendarentur, ut eorum consuetudine frui possent. Proprium in hac re vocabulum est *deducere.* V. *Clav. Cic.*] *Prop.* 14, 3, 13. Quae mihi deductae fax omen praetulit. *Cic. Div.* 2, 32. Aqua Albana deducta ad utilitatem agri. *Id. Opt. gen. Orat.* 7. Causa in judicium deducta. *Id. Phil.* 13, 13. Saxa Decidius, homo deductus ex ultimis gentibus, ut eum tribunum plebis videremus. ℙ Item ductus in coloniam. *Cic. Agr.* 2, 25. Omnibus legibus, agris publicis privatos esse deductos, *h. e.* in coloniam ex agris publicis ductos. Sic *ib.* 26. Ne ii quidem, qui publicos (*agros*) possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima conditione et pecunia maxima. ℙ Item i. q. derivatus. *Ov. Fast.* 6, 803. Marcia sacrificio deductum nomen ab Anco. *Hor. Od.* 4, 4, 19. Mos deductus. ℙ Item factus, compositus. *Ov. Trist.* 1, 1, 39. Carmina proveniunt animo deducta sereno. *Id. ib.* 5, 1, 71. Ipse nec emendo: sed ut hic deducta legantur, Non sunt illa suo barbariora loco. [*V. DĒDUCO sub f. et quem statim laudabimus *Spald.* Etiam *Burm.* ad locum posteriorem multos locos adscripsit, ex quibus apparet esse *deducta carmina* i. q. laevigata, emendata, correcta. Scilicet *deducto operi*, i. e. tenuatis filis facto opponitur quod est *crasso filo*, ut loquitur *Cic. Fam.* 9, 12.] *Id. Her.* 17, 88. Littera deducta mero. ℙ Item elaboratus, studio factus. *Quint.* 4, 1, 60. de exordio: Neque tamen deducta semper, atque circumlata esse debet oratio, sed saepe simplici atque illaboratae similis. [*Cf. quae paullo ante adjecimus. Hoc autem loco *Spald.* recte refert ad scite structas oratorum periodos.] ℙ Item a recta in pravam sententiam deductus. *Caes. B. G.* 7, 37. Celeriter adolescentibus et ratione magistratus et praemio deductis. ℙ Item subtilis, tenuis, λεπτός. *Suet. Aug.* 79. Nasum habuit et a summo eminentiorem, et ab imo deductiorem. Sunt qui *depressiorem* interpretantur: sed in nummis non ita apparet. *Lamprid. Diadum.* 3. Nasus deductus. eod. sensu. *Afran.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Verbis paucis respondit, tristis, voce deducta. *Cornific. ib.* Deducta mihi voce garrienti. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 144. Deducta tunc voce leo: cur tu ipsa venire Non vis huc? (Al. hic leg. *Deductat hunc voce leo*: ut sit *Deducto*, *as* frequentativum a *Deduco.*) Adde *Prop.* 2, 24, 38. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 1, 225. tenui deducta poemata filo. *Virg. Ecl.* 6, 5. pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves, deductum dicere carmen, *h. e.* tenue, translatione ducta a lana, quae deducitur in tenuitatem, ut *Serv.* hic, et *Macr. l. c.* exponunt. et *Quint.* confirmare videtur 8, 2. V. si libet, *Erythraeum* in indice *Virg.* ℙ Item demissus, submissus. *Ov. Her.* 21, 165. Projicit ipse suas deducta fronte coronas. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Superciliis contractis ira, deductis tristitia, remissis hilaritas ostenditur. *Arnob.* 5. p. 172. Deductus, pallidus, saucius, simulans doloris cruces. ℙ Item divisus. *Plin.* 3, 16, 20. Padus deductus in flumina et fossas inter Ravennam Altinumque. Nisi forte *diductus* legendum est. Nam haec duo facile permutantur. [*Omnino legendum est *diductus.* Multum quidem *Cort.* ad *Lucan.* 2, 294. disputat, quibus demonstret, *deducere* significare posse i. q. *dividere.* Sed ipse etiam ad ultimum confitetur, ubique in talibus *diducere* rectius videri.] ℙ Comp. *Deductior.* V. supra.

DĒDUCTUS, us, m. deductio. *Cic. Off.* 2, 4. Deductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, *h. e.* deductio. V. DEDUCTIO. Al. leg. *ductus*, sed minus recte. *Appul. Met.* 1. p. 109, 28. Ut ponderis deductu restis ad ingluviem adstricta, spiritus officia discluderet.

DĒDUX, ūcis, adj. qui deducitur, seu originem trahit. *Symm. ep.* 8, 68. (al. 69.) Nisi forte Gallia tua dedux Heliconis. Al. leg. *redux sit ab Helicone.* [In nummo coloniae incertae ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 347. legitur DEDUX, nempe conditor, fundator. *F.*]

DĒĔO, is, ivi, itum, n. a *de*, et *eo* conflatum, significat de aliquo loco abire, ut *deire jugis*, q. d. ire de jugis, apud *Stat. Th.* 2, 551. ut ex MSS. restituit *Gron.* et tenuisse videtur *Lactant.* vetus *Schol.* Alii *prodire.* ℙ [Incertum hujus verbi usum obfirma exemplo apud *Ficoronium*, *delle maschere* p. 22. Quod meat in stellis, deit hinc quod Pegasus ales, Tot mea natales fata dedere mihi. Visus igitur annos XXX, nam, teste *Ov. Fast.* 3, 458., quindecim sunt sidera, per quae meat et deit seu remeat Pegasus. *Hygin.* tamen *Astron.* 2, 17. stellas in Pegaso enumerat octodecim. *F.*]

*DEERRATIO, onis, f. *Augustin. B. A.*

DEERRO, as, n. 1. trisyllab. ἀφαμαρτάνω, est de via declinare. *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper deerraverat. *Quint.* 10, 3. Ut obvios non videamus et itinere deerremus. *Cic. fragm.* ap. *Lactant.* 6, 24. Iis, qui itinere deerravissent. *Plin.* 11, 37, 66. Deerrare in alienum tramitem. [*Plin.* 28, 8, 27. Jaculantium ictus deerraturus. *F.*] ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 1, 9. Si non deerrabimus ab eo, quod coepimus exponere. *Tac. A.* 13, 29. Sors deerrabat ad parum idoneos. *Colum.* 2, 2. Visu et sententia deerrare. [**Quint.* 11, 2, 32. signa sunt quaedam, quae intuentes deerrare non possumus.] ℙ Passive impersonaliter. *Vell.* 2, 3. Ubi semel recto deerratum est.

[DĒĒSIS, is, f. δέησις, *Jul. Rufin. de fig. sent. et eloc.* Deesis, obsecratio vel obtestatio, qua Deos oramus aut homines. *Cic.* (*Dejot.* 3.) Per dexteram istam tuam ego obtestor, etc. *F.*]

DĒFAECĂBĬLIS, e, adj. qui defaecari et purgari potest, ut *defaecabilis cisterna*, apud *Sidon. ep.* 1, 5.

DĒFAECĀTĬO, onis, f. a faece purgatio. *Tert. Anim.* 27. Ex carnis defaecatione.

DĒFAECĀTUS, a, um, part. a *defaeco*, ὑλιζόμενος, a faece purgatus. *Colum.* 12, 33. Defaecatum vinum in amphoras adjicito. ℙ Item universim lotus, mundatus. *Pl. Most.* 1, 3, 1. Jampridem ecastor frigida non lavi magis lubenter, nec unde me melius rear esse defaecatam. ℙ Translate. *Id. Aul.* 1, 2, 1. Nunc defaecato demum animo egredior domo, *h. e.* a timore vacuo, tranquillo, sedato. *Id. Ps.* 2, 4, 69. Quidquid incerti mihi in animo prius aut ambiguum fuit, nunc liquet, nunc defaecatum est. *Macr. Somn. Scip.* 2, 12. Defaecata mens. *Id. ib.* 1, 8. *a med.* Purgatus et defaecatus animus.

DĒFAECIS, e, adj. qui est sine faece. *Sever. Aetn.* 422. Quam levis excocto defaecis robore pumex. Alii leg. *defecit.* *Scalig.* priorem lectionem magis probat.

DĒFAECO, as, avi, atum, a. 1. ὑλίζω, a faece purgo, faecem detraho. *Plin.* 18, 26, 63. Vina defaecari, etiam diffundi Hyginus suadet. *Prud. Cath.* 7, 74. Defaecare membra, *h. e.* lavare. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 1, 1. Litteras defaecandas, ut ajunt, limandasque tibi commisi.

DĒFĀMĀTUS, a, um, part. ab inusit. *defamo*, fama privatus. *Gell.* 9, 2. *extr.* Ut vocabula quaeque eorum defamata atque emortua cum iis videantur. *Id.* 18, 3. Turpitudine pristinae vitae defamatissimus. *Id.* 14, 2. *ante med.* Homo spurcissimae vitae ac defamatissimae.

DĒFĀNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *defano*, profanatus, pollutus. *Arnob.* 4. *sub f.* Spatiola defanata. *Inscr.* ap. *Roman. Top. Nap. T.* 3. p. 166. Huic ob merita defanatis Dis Manibus locum consacravit. *F.*]

DĒFĀRĪNĀTUS, a, um, adj. in farinam redactus. *Tert. cont. Valent.* 31. Semen ad molas delatum et defarinatum.

[DĒFĀTĪGABĬLIS, e, adj. defatigandus. *Not. Tir.* p. 118. Defatigabilis. *F.*]

DĒFĀTĪGĀTĬO, onis, f. καταπόνησις, actus defatigandi. *Cic. Senect.* 11. Corpora quidem exercitationum defatigatione ingravescunt, animi autem se exercendo levantur. *Id. Phil.* 5, 7. Defatigatio et satietas. *Id. Tusc.* 3, 28. Defatigatio miseriarum aegritudines facit leniores. *Hirt. B. G.* 8, 27. Sine defatigatione equorum in castra se recipere.

DĒFĀTĪGĀTUS, a, um, part. a *defatigo*, labore confectus, καπάτος. *Cic. Fam.* 10, 19. Sed mehercule in ea conservanda jam defatigatus, non multo plus faveo patriae, quam tuae gloriae. *Caes. B. G.* 1, 40. Galli defatigati diuturnitate belli. *Id. ib.* 5, 16. Ut integri recentesque defatigatis succederent. *Hirt. B. Afr.* 18. et *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Jumenta ex nausea recenti, siti, languore, vulneribus defatigata. *Auct. ad Her.* 3, 9. Animi defatigati ab adversariis multitudine verborum. [**Defatigatus* et *fessus* et de corpore et de animo sine discrimine usurpantur, quod nonnulli veteres Grammatici negarunt: V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 10, 19.] ℙ Translate. *Colum.* 1, 1. *init.* Ubertate nimia prioris aevi defatigatum et effetum solum.

DĒFĀTĪGO, as, avi, atum, a. 1. καταπονέω, lassum reddo. *Caes. B. G.* 7, 41. Cum crebro integri defessis succederent, nostrosque assiduo labore defatigarent. *Id. B. C.* 3, 85. Exercitum quotidianis itineribus defatigare. *Cic. Leg.* 3, 12. *extr.*

Ille vero non modo censores, sed etiam judices omnes potest defatigare. *Id. Or.* 2, 41. Ne qui audit defatigetur similitudinis satietate. *Id. ib.* 3, 36. Profecto nunquam conquiescam, neque defatigabor, antequam percepero, etc. *Id. Marcell.* 6. *sub f.* Noli in conservandis bonis viris defatigari. ℙ Cum infinito. *Lentul. ad Cic. Fam.* 12, 14. *ad f.* Nec defatigabor permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore et periculis. ℙ Legitur etiam *defetigo* et *defetigatus* in quibusdam MSS. *Caesaris* et *Gell.* 15, 8. ℙ Item *diffatigo. Pl. Epid.* 1, 2, 15. Edepol clamore diffatigor. Pleriq. omn. leg. *defatigor.* [Sed *disfatigat.* legitur in *Not. Tir.* p. 118. *F.*]

DĔFATISCENS, entis, fatiscens. *Plin.* 17, 2, 2. Tempestiva frigora plurimum arborum firmitati conferunt, et sic optime germinant: alioquin si blandiantur austri defatiscentes.

DĔFECTIO, onis, f. ἔκλειψις, actus deficiendi, defectus. *Cic. Senect.* 9. Defectio virium. *Frontin. Aquaed.* 91. aquarum. *Macr. Sat.* 2, 5. pecuniae. *Plin. prooem.* 23. Pampini mulierum a conceptu defectioni prosunt. [**Suet. Vesp.* 24. alvo usque ad defectionem soluta.] Sic *Suet. Cal.* 50. Nonnunquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet ac sufferre vix poterat. *Senec. Qu. N.* 4, 2. *circa med.* Biennio continuo, Cleopatra regnante, Nilum non ascendisse constat. Significatam ajunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonii enim Cleopatraeque defecit imperium. ℙ Defectio solis aut lunae. *Cic. Div.* 2, 6. Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos. Adde *Senec. Qu. N.* 1, 12. ℙ Defectio animae. *Cels.* 7, 33. Saepe in ipso opere vel profusione sanguinis, vel animae defectione moriuntur. ℙ Defectio animi (*Niedergeschlagenheit.*) *Cic. Att.* 3, 18. Quintus frater, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. ℙ Translate est voluntatis studiique alienatio, rebellio, ἀπόστασις. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. Multa convenerunt, quae mentem exturbarent meam: subita defectio Pompeji, alienatio consulum, et *Nep. Dat.* 7. Ad regem transiit et de defectione patris detulit. *Caes. B. G.* 7, 54. Admaturare defectionem. *Curt.* 9, 10. moliri *Liv.* 23, 15. attentare. *Tac. A.* 4, 24. coeptare. *Id. ib.* 6, 36. Ad defectionem trahere. Et translate *Cic. Tusc.* 4, 9. Intemperantia est a tota mente, et a recta ratione defectio. ℙ Pro figura ellipsi, vel alia simili, qua verbum aliquod subticetur. *Macr. Sat.* 6, 8. Respondit Servius, sic hoc dictum esse, ut pleraque dici per defectionem solent. De illo *Virgilii* versu sermo est, *A.* 7, 187. Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea. Porro *Macr.* more suo haec descripsit a *Gell.* 5, 8. qui hoc eodem sensu usurpat etiam 12, 15. ℙ [*Commutantur *defectio* et *deditio. Liv.* 23, 1, 4. *ib.* 14, 5. — et *refectio, ib.* 9, 41.[

[DĔFECTĬTO, as, n. frequentat. a *deficio*, saepe deficio. *Not. Tir.* p. 36. Defectitat. *F.*]

DEFECTĪVUS, a, um, adj. ἐλλειπτικός, mancus, imperfectus. *Tert. adv. Valent.* 14. Defectiva et abortiva genitura. *Coel. Aur. Acut.* 2, 10. Defectiva febris, *h. e.* intermittens. ℙ *Defectiva verba* aut *nomina* apud grammaticos sunt, quae aliquibus modis, aut temporibus, aut personis carent, aut casibus. *Charis.* 3, *Diomed.* 1., *Prisc.* 8., *Phocas* et alii.

DĔFECTOR, oris, m. ἀποστάτης, qui defecit. *Suet. Ner.* 43. Revocatis ad poenitentiam defectoribus. Adde *Tac. A.* 12, 50. et *Justin.* 16, 1. *a med.*

DĔFECTRIX, icis, f. quae deficit, ut Defectrix virtus, *Tert. adv. Valent.* 38.

*DEFECTUOSUS, a, um, adj. Cod. *Justin. de summa Trin. c.* 7. §. 4. *B. A.*

DĔFECTUS, a, um, part. a *deficio*, ἐκλελειμένος, qui aliqua re deficitur, destitutus, privatus, deficiens. *Quint.* 3, 8. *ante med.* Aqua ciboque defecti de facienda deditione deliberant. *Sil.* 3, 301. Africa defecta viris. [**Ov. Met.* 13, 477. illa, defecto poplite labens. *Plin. Pan.* 26, 6. defectum corpore caput. Cf. *Schwarz.* ad h. l.] *Plin.* 8, 16, 18. Leones defecti dentibus. [**Val. Max.* 8, 7. Consimilis perseverantiae Livius Drusus, qui aetatis viribus et acie oculorum defectus, jus civile interpretatus est. Etenim *defectus* is dicitur, quem defecit aliquid.] *Cels.* 2, 8. *ad f.* Mulier a menstruis defecta. *Ov. Met.* 10, 194. et defecta vigore Ipsa sibi est oneri cervix. *Stat. Th.* 6, 798. Defectus genibus. *Tibull.* 2, 5, 75. Sol defectus lumine, i. e. eclipsi. Al. leg. *lumina* Graeca constructione eod. sensu. ℙ *Defecta nomina*, debitores, qui a solvendo cessaverunt. *Paul. Dig.* 22, 1, 11. *sub f.* Pro defectis nominibus compensationes majorum usurarum fieri. ℙ *Defectus facultatibus*, qui decoxit. *Ulp. Dig.* 23, 3, 33. Si qui dotem promisit, defectus sit facultatibus. ℙ Absolute significat confectum, debilitatum, languentem. *Phaedr.* 1, 21. Defectus annis et desertus viribus Leo. *Colum. praef. l.* 1. Et turba pedisequorum lecticariorumque defectissimum annis et viribus in agrum relegat. [*Et absolute *defectus* pro *defectus annis.* V. *Burm.* ad *Anthol. Lat.* T. I. p. 89. et quos laudat.] *Mart.* 13, 77. Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cycnus funeris ipse sui. *Val. Fl.* 2, 285. Defectus laboribus. *Id. ib.* 489. defectaque Pergama monstris Eripe. *Colum.* 5, 6. *extr.* Arbor senio defecta. *Appul. Apol.* Cur in planis speculis ferme pares imagines videantur, in tumidis et globosis omnia defectiora; at contra in cavis auctiora, *h. e.* minora, tenuiora. ℙ [Item qui defectionem seu rebellionem fecit. V. DEFICIO. *Ov. Fast.* 3, 673. Pace domi facta signum posuere Perennae, Quod sibi defectis illa tulisset opem, *h. e.* quod illa plebi Romanae, quae in montem sacrum decesserat, liba paravisset. *F.* *Hunc locum huc transtulimus et suo loco reposuimus. In secunda enim editione non legitur; in tertia autem, a *Furl.*, ut videtur, additus, legitur s. v. DEDUCTUS. Quanquam autem *Burm.* ad h. l. et ad *Her.* 5, 120., ad *Val. Fl.* 2, 464. *Quint. Decl.* 13, 2. multis exemplis probet; participium passivi h. v. saepe poni pro participio activi, hujus tamen significationis nulla protulit exempla. Itaque hoc loco rectissime *defectis* interpretatur *Burm.* per: *cibo defectis*, i. e. quos cibi defecerunt. V. supra. Ceterum *defectus* hoc sensu persaepe absolute reperitur. V. quae collegit *Cort.* ad *Lucan.* l. *extr.*] ℙ Apud *Cic. Att.* 13, 23. Libri ad Varronem non morabantur; sunt enim defecti, ut vidisti, *h. e.* confecti, perfecti, *de* hoc loco augente vim significationis. Alii tamen rectius leg. *effecti.* Alii aliter. ℙ *Defectum*, *i*, absolute. *Cic. Sext.* 64. Ille ad eos, a quibus audiebatur, quotidie aliquid defecti afferebat. Al. melius leg. *de me ficti.* ℙ Comp. *Defectior*, et Sup. *Defectissimus.* V. supra. ℙ [*Permutantur a librariis *defectus* et *defoetus*, V. *Wopkens. Lectt. Tull.* p. 158. *ed. Hand.* et *Burm.* ad *Ov. Ib.* 121. — et *defessus*, *Heind.* ad *Cic. N. D.* 2, 44, 113. *Burm.* ad *Ov. Met.* 13, 477. ubi alii codd. *deflexus.* — et *deceptus*, *Id.* ad *Ov. Pont.* 3, 4, 37. — et *disjectus*, *Id.* ad *Virg. A.* 11, 870. — et *despectus*, *desertus*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 333.]

DĔFECTUS, us, m. idem quod defectio. *Plin.* 20, 23, 96. Semen decoctum lactisque defectu potum, mammas replet, i. e. quum lac deficit. *Id.* 24, 13, 72. Etiam si extra ceciderit defectu mittentis, i. e. ejus qui misit culpa. *Id.* 34, 2, 2. Aes velocis defectus, i. e. aes usu facile deficit sive perit. *Id.* 19, 5, 29. Defectus stomachi. *Id.* 20, 2, 6. Defectus animi, i. e. deliquium. *Virg. G.* 2, 478. Defectus solis. *Cic. N. D.* 2, 19. de luna: Ejus species et forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo. *Plin.* 37, 9, 40. Quintum genus amethystorum ad viciniam crystalli descendit, albicante purpurae defectu, *h. e.* colore purpurae deficiente seu desinente in albicantem. ℙ Item i. q. rebellio. *Capitol. Macr.* 8. Defectu legionum interemptus est.

DĔFENDO, is, endi, ensum, a. 3. ἐκ ποδῶν ποιοῦμαι, ἀλέξω, εἴργω, ἀπείργω, arceo, prohibeo. depello, propulso: quae admodum propria est et Latina hujus verbi significatio, ut ait *Gell.* 9, 1. Est autem ab obsoleto *fendo*, teste *Prisc.* 8. p. 829. et 11. p. 923. [*Respondet hac significatione prorsus Graecorum ἀμύνω, et proprie est i. q. fendendo arceo et declino, propulso, ut docet *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 7, 23. coll. Exc. XII. p. 347. Exempla collegit *Drak.* ad *Liv.* 40, 43, 2.] *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, ut tu morbos, calamitates prohibessis, defendas, averruncesque. *Cic. Senect.* 15. *a med.* Vitis vestita pampinis nimios solis defendit ardores. *Ov. Rem. Am.* 625. Defendere ignem a tectis. *Hor. Sat.* 1, 3, 14. toga quae defendere frigus, Quamvis crassa, queat. *Stat. Th.* 1, 409. haud passi sociis defendere noctem Culminibus. *Enn.* ap. *Non.* 4, 113. et *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 9, 1. Defendere hostes a pinnis. [**Caes. B. G.* 1, 31. *fin.* Galliam ab Ariovisti injuria.] *Cic. Mil.* 4. vim illatam. *Id. Mur.* 3. pericula civium. [**Id. Rosc. Am.* 1. *Inv.* 2, 29.] *Id. Off.* 3, 18. et *Caes. B. C.* 1, 7. injuriam et propulsare. *Caes. ib.* 2, 2. jactus ignis et lapides. *Id. B. G.* 1, 44. bellum. *Virg. A.* 10, 905. hunc, oro, defende furorem. *Sil.* 7, 170. Defendere sitim lympha. ℙ Cum dativo. *Virg. Ecl.* 7, 47. Solstitium pecori defendite. *Hor. Od.* 1, 17, 3. Faunus igneam defendit aestatem capellis. *Sil.* 5, 490. cohors defendere nescia morti dedecus. [**id.* 7, 170. et ad utrumque locum *Drak.*] *Id.* 17, 431. sed gloria Pellae Non valuit misero defendere Daunia tela. *Stat. Th.* 9, 318. senium defendere famae, *h. e.* obsistere, ne fama consenescat et pereat. *Pl. Most.* 4, 2, 20. Defendere injuriam foribus. ℙ Et quia mala propulsando nos tuemur, saepissime pro servare, tueri, propugnare vel re, vel oratione, usurpatur, διασώζω, ἀμύνω, ἀσπίζω. [*Differunt tamen *defendere* et *tueri.* Illud enim, ut vidimus, est arcere et propulsare, cavere ne quid mali ingruat; *tueri* autem est curare ut quae possidemus conserventur. Hinc: parta tueri, dignitatem tueri et simm.] *Cic. Manil.* 6. Provinciam non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis defendere. *Virg. Ecl.* 7, 6. teneras defendo a frigore myrtos. [**Burm.* ad *Ov. Her.* 5, 16. coll. *Rem. Am.* 625. *Lips. Var. Lect.* 2, 22.] *Ov. Met.* 9, 384. ab acutae vulnere falcis, A pecoris morsu frondes defendere. *Caes. B. C.* 1, 7. existimationem et dignitatem suam ab inimicis. *Cic. Mil.* 2. *extr.* vitam a telis inimicorum. *Id. Agr.* 2, 19. Defendi ab aliquo paludibus, itinerum angustiis et altitudine montium. *Id. Fam.* 11, 27. *a med.* Defendere aliquem contra iniquos. [**Id. Cluent.* 27, 74. causam.] *Id. Sull.* 2. innocentiam alicujus. et *ib.* aliquem de ambitu. *Id. Or.* 1, 38. Armis prudentiae causas tueri atque defendere. *Id. Sull.* 31. Scelus nullum defendere ac tegere. *Id. ib.* 18. Defendere et protegere jacentem et spoliatum. *Id. Pis.* 2. Senatus auctoritatem sustinere contra invidiam atque defendere. *Id. Phil.* 8, 4. Pacem defendi, otio studui. *Nep. Them.* 4. Accessit astu, idque, nullis defendentibus, incendio delevit. *Cels.* 4, 5. Defendere valetudinem iisdem rebus, quibus reddita est, i. e. conservare. *Cic. Quint.* 13. Ut locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineat. *Id. Sull.* 4. Hunc defendunt, huic adsunt. [**Hor. Sat.* 1, 10, 12. et sermone opus est modo tristi, saepe jocoso, Defendente vicem modo rhetoris atque poetae, interdum etc., i. e. tuente partes rhetoris. V. *Heind.* ad h. l.] ℙ In disputationibus est ratione asserere. *Cic. Or.* 2, 38. Carneades nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. *Id. Fin.* 3, 21. Gravissime et verissime defenditur, nunquam aequitatem ab utilitate posse sejungi. [**Id. ib.* 2, 35, 117. sunt turpitudines plurimae, quae cur non cadant in sapientem, non est facile defendere. V. *Goer.*] *Tac. A.* 13, 43. Ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse, defendebat. ℙ Item afferre, allegare in defensionem. *Cic. Verr.* 2, 3, 37. Sed quid ego ex te quaero, quid defensurus sis, cum etc.? *Id. ib.* 2, 5, 58. Cui si etiam id, quod defendit, velim concedere, tamen etc. [*Quare saepe sequitur accusativus cum infinitivo. *Cic. Tull.* §. 32. Nam si — tibi libitum esset ita defendere, tuam familiam non fecisse. V. *Beier.* ad h. l. p. 44. V. infra.] ℙ Item vindicare, asserere suum esse. *Ulp. Dig.* 5, 3, 7. Et libertatem et hereditatem ex testamento sibi defendebat. ℙ Item ulcisci. *Id. ib.* 38, 2, 14. Si patris mortem defendere necesse habuerit. Adde *Macr. ib.* 48, 2, 11. etc. ℙ Item curare, contendere. *Cic. Rosc. Am.* 47. Sciunt me id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt. [*Hic locus nihil differt a superioribus, in quibus est *defendere* i. q. *oratione tueri.* Sic *Id. Verr.* 2, 3, 90. Id aliorum se fecisse exemplo defendat. Etiam hic explicant per *contendere.*] ℙ Invenitur et pro simplici tego, operio. *Stat. Th.* 7, 244. Antigone teneras defenditur atra Veste genas. ℙ [*Commutantur a librariis *defendere* et *deserere*, V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 43, 2. — et *descendere*, *Id. ib.* 39, 24.]

*DEFENERATĬO, onis, f. et defenerātor, oris, m. apud *Augustin. B. A.*

DĔFĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *defenero*, fenore obstrictus. *Appul. Apol.* p. 322, 21. Pater ejus multis creditoribus defeneratus. [**Schol. Ambros.* ad *Fragm.* or. *Cic.* in *Clod.* p. 92. ed. *Beier.* scribit *defaeneratus*, quod *Beier.* improbat. V. *Grotef. orthogr.* §. 132.]

DĔFĔNĔRO, as, a. 1. fenoribus faciendis exhaurio. *Cic. Parad.* 6, 2. Dimissiones libertorum ad defenerandas diripiendasque provincias. Alii rectius leg. *fenerandas.*

DĔFENSĀ, ae, f. defensio, ultio. *Tert. adv. Marc.* 18. A Deo expectare defensam.

DĔFENSĬO, onis, f. προστασία, ἀπολογία, actus defendendi, propugnatio, patrocinium. *Cic. Fam.* 1, 7. Propugnatio ac defensio dignitatis tuae. *Id. Coel.* 4. Ad istam omnem orationem brevis est defensio. *Id. Or.* 1, 56. Utriusque rei facilis est et prompta defensio. *Id. Mil.* 5. Defensio contra vim. *Id. Fam.* 5, 8. *a med.* Suscipere defensionem alicujus. *Id. Or.* 1, 57. Arripere patrocinium aequitatis et defensionem testamentorum. *Id.* ad *Brut.* 1, 12. Quo in judicio certe defensionem non haberet. *Id. Verr.* 2, 2, 10. Uti defensione aliqua. *Id. Mil.* 6. *extr.* Dare alicui defensionem. *Caes. B. C.* 2, 7. Apparare omnia ad defensionem urbis. ℙ Pro oratione, qua quis defenditur. *Plin.* 7, 30, 31. Defensionem Demosthenis legit. Adde *Suet. Claud.* 41. ℙ Est etiam ultio, vindicta. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *a med.* Quaestionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem et defensionem mortis.

DĔFENSĬTO, as, a. 1. frequentat. a *defendo. Cic. Acad.* 4, 22. Haec non acrius accusavit in senectute, quam antea defensitaverat. *Id. Off.* 1, 33. Defensitare causas.

DĔFENSO, as, a. 1. frequentat. a *defendo*, sed ejusdem fere significationis. *Sall. Jug.* 64. et *Pl. Rud.* 3, 3, 30. Defensare moenia. *Id. Bacch.* 3, 3, 39. Defensare se injuria, *h. e.* ab injuria. *Sall. Jug.* 102. Defensare ab hostibus. Adde *Ov. Met.* 11, 374. *Livio* quoque tribuitur 26, 45., sed incerta ea lectio est. ℙ Pro depellere, arcere. *Stat.*

Silv. 5, 2, 105. Defensare metus adversaque tela subisti Pellere.

DĔFENSOR, oris, m. qui prohibet, depulsor. *Cic. Mil.* 22. Conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. *Id. Mur.* 2. Defensor periculi. ℙ Item *συνήγορος, ὑπερασπιστής*, qui defendit, patronus, propugnator. *Cic. Div. Verr.* 16. *extr.* Nam provincia accusat, cum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui adoptavit. *Id. Mil.* 15. Propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus publici consensus. *Id. Pabir. perd.* 4. Custos defensorque juris et libertatis. *Caes. B. G.* 3, 25. Defensores vallo et munitionibus depellere. *Id. ib.* 7, 15. Defensores idoneos oppido deligere. ℙ [*Defensor reipublicae* est appellatio muneris constituti in civitatibus habitantium frequentia celebribus, cujus partes erant unumquemque civium ab improbitatibus insolentium defendere, ut ait *Majorian. Nov. tit.* 5. De his agit *Cod. Theod. l.* 1. *tit.* 11. *Inscr.* ap. *Grut.* 1092, 7. L. Casurio L. F. Clu. Speculatori defensori reip*ublicae*. Alia apud *Don.* 225, 6. Defensori reip*ublicae* Brix*ianorum. F.*] ℙ Cum genere feminino. *Ulp. Dig.* 16, 1, 2. *extr.* Si mulier defensor alicujus exstiterit. Al. leg. *defenstrix.* ℙ De animalibus. *Varr. R. R.* 2, 9. Oves et capras lupus captare solet, cui opponimus canes defensores. ℙ De re inanimata. *Caes. B. G.* 4, 17. *extr.* Sublicae ad inferiorem partem fluminis obliquae adigebantur, ut si arborum trunci, sive naves, dejiciendi operis causa, essent a barbaris missae, his defensoribus earum vis minueretur. ℙ In carmine usurpatur a *Virg. A.* 2, 521., *Ov. Met.* 13, 274. et *Fast.* 6, 188., *Lucan.* 10, 488., *Hor. Sat.* 2, 5, 30., *Juven.* 8, 163., *Claud. Ruf.* 1, 80.

DĔFENSORĬUS, a, um, adj. ad defendendum pertinens, ut Judicia bonorum defensoria. *Tert. adv. Marc.* 2, 14.

DĔFENSTRIX, icis, f. quae defendit. *Prisc.* p. 1220. *super vers. Aen.* testatur, usurpatam esse ab ipso *Cicerone in Timaeo.* [*Sunt qui apud *Prisc. l. l.* legant *defensatrix. B. A.*] Adde locum *Ulpiani* in DEFENSOR.

DĔFENSUS, a, um, part. a *defendo*, prohibitus. *Ov. Her.* 5, 15. foenoque jacentibus alto Defensa est humili cana pruina casa. ℙ Item propugnatus, protectus. *Ov. Pont.* 4, 7, 23. Urbs posita defensa manuque. *Nep. Phoc.* 2. Ab eodem in situ defensa manuque. judiciis defensus, aliquoties liberatus discesserat. *Curt.* 10, 9. *extr.* Ne loci quidem religione defensus, occiditur. *Virg. A.* 12, 437. nunc te mea dextera ferro Defensum dabit, *h. e.* defendet. *Cic. Fin.* 5, 8. Sex sunt sententiae: duae sine patrono, quatuor defensae.

*DEFERENTIA. V. DIFFERENTIA.

DĔFĔRO, ers, tuli, latum, a. anom. *καταφέρω*, deorsum fero. [*Proprie ferre ab uno loco in alium; maxime vero in inferiorem.] *Ov. Met.* 8, 644. ramaliaque arida tecto Detulit et minuit, parvoque admovit aheno. *Liv.* 5, 47. Ruinaque tota prolapsa acies in praeceps defertur. [**Suet. Caes.* 84. lectum pro rostris in forum detulerunt, i. e. detulerunt in f. et posuerunt pro rostris. V. *Clav.*] *Plin.* 6, 27, 31. Amnes plurimum limi deferentes. *Id.* 3, 4, 5. Rhodanus segnem deferens Ararim. *Ov. Fast.* 6, 227. Tibris defert purgamina in mare. *Quint.* 1, 12. Corpora infantium casus, quo in terram toties deferuntur, non tam graviter affligit. *Varr. R. R.* 1, 4. Genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur in terram. [**Plin. Pan.* 82, 5. flumina limpida ac deferentia, i. e. naves deorsum ferentia, quia jam intra alveos suos fluunt; opp. camp. superflua.] ℙ Item dejicio. *Stat. Th.* 10, 746. Nullaque tectorum subit ad fastigia, quae non Deferat hasta virum, perfusaque caede recurrat. *Sen. Qu. Nat.* 6, 4. Terrae motus defert montes. ℙ Item simpliciter fero, afferro. *Pl. Trin.* 4, 2, 107. Deferre epistolas alicui, et *ib.* 113. alicui aurum. *Id. Amph.* 2, 2, 59. E portu navis huc nos dormientes detulit. [*Et metaph. *Liv.* 36, 20. fuga regem eo defert. Plerumque enim tempestas aliquem aliquo deferre dicitur.] *Hor. Ep.* 2, 1, 269. Deferar in vicum vendentem tus et odores. [*Eadem est in his locis praepositionis potestas, quam in DEDUCO vidimus. Significatur enim certus aliquis locus, ad quem aliquid fertur. Sic etiam absolute: *Hor. Sat.* 1, 4, 22. deferre capsas et imagines, sc. in eum locum, ubi asservantur, in bibliothecam. V. *Heind.* — Huc refer formulam: *deferre in aerarium*, de qua V. *Graev.* ad *Cic. Off.* 2, 22. *Drak.* ad *Liv.* 37, 57. Pro *deferre*, quod in hac formula solemne est, dixit *Nep. Timoth.* 1. *referre.* Cf. *Gloss. Liv.*] ℙ Item produco, gigno. *Plin.* 19, 1, 11. Frutex similem barbatae nucis defert fructum. ℙ Translate est offerre, exhibere, tribuere. *Hor. Ep.* 1, 12, 22. si quid petet, ultro defer. [*Et sine *ultro*, sed eodem sensu *Plin. Pan.* 39, 3. deferre, quod negabatur.] *Cic. Fam.* 6, 10. Universum studium meum et benevolentiam ad te defero. *Id. Flacc.* 6. Omnem ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulit. *Id. Manil.* 24. Quidquid possum, tibi polliceor ac defero. *Nep. Ann.* 3. Exercitus summam imperii ad eum detulit. [**Liv.* 23, 13. hostibus pacem.] *Inscr. Fast.* ap. *Cic. Phil.* 2, 34. Caesari Antonium populi jussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse. *Id. Or.* 2, 56. Palmam alicujus rei deferre alicui. *Id. N. D.* 1, 6. Vellejo Epicurei primas ex nostris hominibus deferebant. *Id. Flacc.* 9. Triduo lex ad praetorem tabulas deferri jubet. *Id. Fam.* 5, 20. *ante med.* Deferre rationes, [*ad aerarium. Nam apud aerarium deponebantur rationes provinciales. V. *Ern. Clav.*] *Id. Brut.* 22. causam ad aliquem, *h. e.* causam agendam alicui committere. [**Id. Fam.* 13, 29. *sub f.* Ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam, i. e. tibi, tuo arbitrio committam. Sic *Manut.*, qui alia laudat.] *Quint.* 5, 6. jusjurandum alicui, *h. e.* jurandi conditionem dare. *Cic. Agr.* 2, 17. *extr.* honorem alicui. ℙ [*Deferre* absolute, sequioris Latinitatis tempore, est idem, quod honorem deferre. *Imppp. Valentin., Theod.* et *Arcad. Cod.* 3, 12, 7. His adjicimus natalicios dies urbium maximarum Romae et Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia et ab ipsis nata sunt. Ita pro *in quibus debent jura differri* legendum apparet ex *Cod.* palimpsesto edito ab *A. Peyronio* in *Fragm. Cod. Theod.* 2, 8, 19., ubi haec, ut supra retulimus, habentur. *F.*] ℙ *Deferre* dicuntur mercatores, cum quid vendibile exponunt et pretium indicant. *Sen. ep.* 42. *a med.* Quoties ad institorem alicujus mercis accessimus, videamus, hoc, quod concupiscimus, quanti deferatur. [*Alia laudat *Gron.* ad *Liv.* 34, 9, 9.] ℙ Est etiam renuntiare, referre, narrare. *Cic. Cat.* 4, 3. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt. *Id. Fam.* 13, 18. Deferre alicui aliquid per litteras. *Id. Sull.* 19. et *Caes. B. C.* 1, 9. Deferre mandata et postulata ab aliquo ad quempiam. *Nep. Dat.* 7. Ad regem transiit et de defectione patris detulit. [**Id. ib.* 9. de quibus quod inimici detulerant, non credendum putabat. *Id. Dion.* 8. res elata defertur ad Aristomachen. Bene ad h. l. *Brem.* monet, esse plerumque in malam partem intelligendum, ut nos dicimus *hinterbringen*, quod etiam malo animo et plerumque clam fit. Similiter *deducere* esse vidimus *verleiten.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 62. Res ad eum defertur, esse civem R. qui etc. *Virg. A.* 4, 298. eadem impia fama furenti Detulit, armari classem cursumque parari. ℙ [*Discrimen est inter *deferre* et *referre ad senatum*, quod *Torrenius* ad *Val. Max.* 1, 1, 4. hoc esse docet: *deferri* dicuntur res ad senatum, quae illi significantur; *referri*, quum senatus de iis consulitur. Praeterea cf. *Drak.* ad *Liv.* 21, 6. — Proprie Consules tantum *referunt;* Augures aliique, qui aliquid cum senatu communicant, *deferunt. Nep. Hann.* 12, 1. Id postero die Flaminius senatui detulit. Ceterum saepe utrumque voc. in codd. commutantur, qua de re cf. *Arntz.* ad *Aur. Vict. Epit.* 45. et *Drak. l. l.*] ℙ Item *dare in nota*, profiteri. *Gell.* 16, 10. Mille quingentum aeris in censum deferre. *Cic. Balb.* 28. Caesar in praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit, *h. e.* detulit in beneficiis ad aerarium. V. BENEFICIUM. [*V. de hoc et alis locis *Ern. Clav. Cic.*] ℙ *Deferre nomen alicujus* et *deferre* absolute est accusare, reum facere. [*Suppl. *ad Praetorem.*] *Cic. Rosc. Am.* 10. Consilium ceperunt plenum sceleris, ut nomen hujus de parricidio deferrent. * *Id. Coel.* 23. Deferre alicui nomen cujuspiam. *Gell.* 13, 4. Ne deferas me, neque criminere adversus Junonem. *Tac. A.* 6, 19. Sex. Marius defertur incestasse filiam. *Id. ib.* 14, 48. A Capitone majestatis delatus est. ℙ *Deferre se* apud JCtos dicitur is, quis sibi aliquid relictum acquisitumve, quod possidere non possit, ultro magistratui profitetur. *Callistr. Dig.* 49, 14, 3. *extr.* Deferre se nemo cogitur, quod thesaurum invenerit, nisi ex eo thesauro pars fisco debeatur. Adde *Ulp. ib.* 16. ℙ [Part. *Deferens* §. 1. *Delaturus* apud *Liv.* 40, 39. Manantia sanguine spolia Romam ad triumphum delaturus. *Deferendus* apud *eund.* 3, 53. Adeo aequa postulatis, ut ultro vobis deferenda fuerint. *F.* ℙ [**Deferre* et *referre* a librariis saepe confunduntur. V. quae supra notata sunt. Porro *defero* et *desero*, *Drak.* ad *Liv.* 4, 37, 11. — et *differo*, V. *Eund. ib.*]

DĔFERVĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. *ἀποζέω, ἀναβράζω*, valde fervefacio, coquo. *Cato R. R.* 37. et 157. Brassicam macerato bene, postea in aulam conjicito, defervefacito bene. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. Libram in tribus musti congiis defervefaciunt, donec duo supersint.

DĔFERVĔFĂCTUS, a, um, part. a *defervefacio*, valde fervefactus. *Varro* ap. *Lact. Opif. Dei* 17. Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone. *Vitr.* 8, 5. In aheno si ea aqua defervefacta, et postea requieta et defusa fuerit. *Plin.* 23, 7, 64. Radix defervefacta in vino.

DĔFERVĔO, es, erbui et ervi vel erui, n. 2. *ἀποζέω*, idem quod ferveo, aut valde ferveo. *Cato R. R.* 96. Aquam, ubi lupinus deferbuerit, et faecem de vino bono commisceto pariter. ℙ Item fervere desino, refrigeror. *Plin.* 14, 9, 11. Mustum in lagenis suis defervere passi. *Gell.* 17, 8. *extr.* Aula deferbuerat. *Id.* 19, 1. Deferbuit mare, et ardor ille periculi deflagravit. ℙ Eleganter admodum usurpatur per translationem pro remittere, deponere ardorem animi, mitescere, cessare. *Cic. Coel.* 18. Cum adolescentiae cupiditates deferbuissent. *Id. Or.* 30. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quae nequaquam satis deferbuisse, post alirum? quae nequaquam satis deferbuisse, post alirum? quae nequaquam satis deferbuisse, post alir

et ratione deficitur. *Caes. B. C.* 3, 64. Cum aquilifer viribus deficeretur. *Senec. ep.* 76. *ante med.* Si quis deficiatur pecunia. *Ov. Trist.* 2, 407. Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes. *Vell.* 2, 116. Non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est. *Colum.* 3, 8. Agri deficiuntur segetibus. *Id.* 8, 16. *ad f.* Defici lacte. et 7, 9. *ad f.* memoria. *Scribon. Compos.* 191. animo, i. e. deliquium pati. ℙ Significat etiam vires amittere, perire, desinere. *Lucr.* 6, 359. Frigore enim desunt vires ventique calore Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes. *Cels.* 2, 17. Neque committendum, ut per aestum anima deficiat. *Caes. B. C.* 3, 3. Copiae hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant. *Curt.* 8, 14. Elephantus quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. *Cic. Att.* 1, 16. *a med.* Ne una plaga accepta, patres conscripti conciderent, ne deficerent. *Id. Rosc. Am.* 4. et *Caes. B. G.* 7, 30. Deficere animo. Deficere animum *Varro* dixit *R. R.* 3, 16. *a med.* de apibus: Exemptionem neque universam, neque palam facere oportet, ne deficiant animum. [*Et absolute *Sall. Jug.* 51, 4. Simul milites hortari, ne deficerent seu paterentur hostes fugientes vincere, i. e. animum spondere. Etenim eleganter homines deficere dicuntur, quibus animus cadit. Exempla habet *Burm.* ad *Quint. Decl.* 339. coll. *Heins.* ad *Ov. Her.* 19, 8. Sed etiam de rebus dicitur, quae in eo sunt, ut pereant, ut *Virg. A.* 9, 352. ad socios tendebat, ubi ignem Deficere extremum — videbat.] ℙ *Deficere vita* est mori. *Pl. Asin.* 3, 3, 19. Si te intelligam deficere vita, jam ipse vitam meam tibi largiar. [*Etiam absolute. *Suet. Aug.* 99. in hac voce defecit. Sed tantum de placida morte recte hoc voc. utaris.] ℙ Cum infinito. *Sil.* 3, 111. gelidos ut scandere tecum Deficiam montes conjux tua? *Prop.* 1, 8, 23. Nec me deficiet nautas rogitare citatos. *Germanic. Arat.* 259. Deficiente oculo distinguere corpora parva. Adde *Tibull.* 4, 1, 191. ℙ Dicuntur sol et luna *deficere*, cum obscurantur. *Cic. Div.* 1, 53. Si luna defecisset in signo leonis. *Id. Somn. Scip.* 7. Olim deficere sol hominibus exstinguique visus est. *Id. Tusc.* 1, 30. Sol deficiens. ℙ Est etiam desinere. *Plin.* 2, 10, 7. Talis figura semper mucrone deficit. *Petr. Sat.* 30. In deficiente porticu, *h. e.* in extrema parte porticus. ℙ Ponitur et pro deserere. *Ov. Met.* 2, 382. de sole: qualis cum deficit orbem, Esse solet. *Grat. Cyneg.* 291. Ille tuos olim non defecturus honores. ℙ *Deficere* dicitur *debitor* qui solvendo non est. *Callistrat. Dig.* 49, 14, 3. *a med.* Non aliter fiscum debitorum suorum debitores convenire, nisi principales debitores defecerint. ℙ *Deficere ab aliquo* est se alienare, destituere, fidem mutare, et transire ad alium. *Cic. Planc.* 35. Consules turpissimi a senatu, a republica, a bonis omnibus defecerant. *Nep. Con.* 2. Deficere ab amicitia alicujus. *Liv.* 22, 61. Defecere ad Poenos hi populi, Atellani, Calatini, etc. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 11. Difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. *Id. Fin.* 2, 24. Quid ages, si utilitas ab amicitia defecerit? *Id. Fam.* 2, 16. Ut a me ipse deficerem, et, quod semper fugi, civili bello interessem, *h. e.* naturam et mores mutarem. *Virg. A.* 6, 196. dubiis ne defice rebus, Alma Parens. [*Quare hoc sensu passim confunditur cum *desciscere*, V. *Drak.* ad *Liv. Epit. lib.* 111.] ℙ Passive. *Ov. Her.* 5, 150. Deficior prudens artis ab arte mea. ℙ Particip. *Deficiens.* ap. *Hor. Ep.* 1, 4, 11. non deficiente crumena. *Ov. Trist.* 5, 13, 28. Dies sermonem deficiens. *Ib.* 1, 12. de cycno: Ore deficiente deflere necem suam. [*Plin. Pan.* 40. gradus deficientis affinitatis i. e. remotioris, quae vix jam pro affinitate haberi potest.] Cum infinito. *Sil.* 13, 358. et domibus deprompta talenta, Pascere longinquum non deficientia bellum.

DĔFĪGO, is, ixi, ixum, a. 3. *καταπηγνύω*, deorsum figo. *Cic. Rabir. perd.* 4. In campo Martio crucem ad civium supplicium defigi et constitui jubes. *Virg. A.* 12, 139. Defigunt tellure hastas. *Id. G.* 2, 290. penitus terrae defigitur arbos. [*Cf. *Voss. ib. v.* 346.] *Liv.* 1, 25. Male arma sustinenti gladium superne jugulo defigit. *Pl. Pers.* 2, 4, 22. Te, si prehendero, defigam in terram colaphis. ℙ Item universim infigo, immitto. *Cic. Cat.* 1, 6. *extr.* Sicam in corpore consulis defigere. *Liv.* 1, 58. *extr.* cultrum in corde. *Curt.* 7, 11. cuneos in saxa *et* inter saxa. *Plin.* 8, 12, 12. morsum in aurem. *Ov. Fast.* 3, 753. Millia crabronum colunt, et vertice nudo Spicula defigunt. *Cels.* 4, 14. Qua dolet, cucurbitulas sine ferro defigere. *Varr.* ap. *Non.* 3, 184. Defigere aliquem cruci. ℙ Translate. *Curt.* 9, 3. Metu attoniti, in terram ora defixerant. *Id.* 7, 8. In vultu regis defixerant oculos. *Ov. Am.* 2, 8, 15. Defigere oculos in aliquem. [*Tac. A.* 34. defigere aciem.] *Cic. Or.* 3, 8. Quid judici probandum sit, cum vidit, in eo mentem orationemque defigit. *Id. Acad.* 4, 15. Defigere et intendere animum in aliquid. *Id. Phil.* 14, 5. Omnes suas curas in rei publ. salute defigunt. *Id. Verr.* 1, 2, 3. Ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta et flagitia defixurus sim. *Id. Phil.* 11, 5. In cujus possessiones eum non censetis impudentissimos oculos spe et mente defigere? *Id. Dom.* 4. Dixi eam sententiam, quam populi sermo in animis nostris jam ante defixerat. *Id. Prov. cons.* 4. Urbana haec audacia, quam ille praesens in oculis vestris mentibusque defixit. ℙ *Defigere culpam* ap. *Pers.* 5, 16. est dictis veluti confodere, insectari, reprehendere. ℙ Ponitur et pro obstupefacere. *Liv.* 1, 29. Silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut etc. *Id.* 3, 47. *ad f.* Stupor omnes admiratione tantae rei defixit. *Val. Fl.* 6, 534. Hac tunc attonitos facie defixerat hostes. *Id.* 4, 226. Cum pavor et gelidus defixit Castora sanguis. ℙ Saepe habet locum in veneficiis et devotionibus, et significat ligare, obnoxium reddere. Ducta est haec loquendi ratio ex more sagarum, quae quos veneficiis obligare vellent, eorum vel imagines cereas effingebant, vel nomina in cera notabant, ferreoque stilo transfodiebant, additis carminibus et devotionibus. *Ov. Am.* 3, 7, 29. Sagave poenicea defixit nomina cera, Et medium tenues in jecur egit acus. [*coll. *Id. Her.* 6, 91.] *Virg. Cir.* 377. Regis Iolchiacis animum defigere votis. *Senec. Ben.* 6, 35. Caput alicujus dira imprecatione defigere. ℙ *Defigere amorem* est fixum, stabilem, perpetuumque reddere. *Senec. Herc. Oet.* 523. Hoc, inquit, magae Dixere amorem posse defigi malo, *h. e.* hoc veneficio. V. integrum locum usque ad *v.* 530. ℙ *Defigere aliquid* ap. *Cic. Leg.* 2, 8. *ad f.* Quaeque augur injusta, nefasta, dira defixerit, irrita infestaque sunto, *h. e.* exsecratus fuerit. Vel potius viderit, observaverit, quasi defixis oculis contemplatus. Sic *defigere aliquem* apud *Statium* est intentis oculis aspicere. Sic enim ille de Ulysse loquens tacite contemplante Achillem puellari habitu latentem, *Ach.* 2, 90. Et tamen erectumque genas, oculisque vagantem, Nullaque virginei servantem signa pudoris Defigit, comitique obliquo lumine monstrat. [*Goer. l. l. interpretatur *defixerit* per: *fixa et immota esse edixerit, jusserit. Ernest.* in *Clav.* ad incantationes refert, ut Augures *defigere* dicantur, quia *defigendo* potestatem agendi auferunt.] ℙ *Defigere oculos*, alio sensu *Tac. A.* 3, 1. Postquam duobus cum liberis feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, *h. e.* adstantium oculos in se convertit. Ita interpretatur *Muretus*, alii *in terram*, ut *Virg. A.* 6, 469. Illa solo fixos oculos aversa tenebat: alii melius *in urnam.* ℙ Pro refigere, evellere. *Curius ad Cic. Fam.* 7, 29. Quo nostra defigere deportareque tuto possimus. Al. leg. *refigere.* V. DEFIXUS.

DĔFINDO, is, idi, issum, a. 3. idem quod findo. *Enn.* ap. *Non.* 2, 351. Malos defindunt, fiunt fabulata falaeque.

DĔFINGO, is, inxi, ictum, a. 3. idem quod fingo. *Cato R. R.* 74. Panem defingere. *Id. ib.* 121. Mustaceos ubi definxeris. Sic *Hor. Sat.* 1, 10, 37. Defingit Rheni luteum caput, *h. e.* versibus describit. Al. leg. *diffingit*, al. *depingit*, al. *defigit.* [*V. intpp. et *Fea* in *obss.* ad *Virg.* p. 87.]

DĔFĪNĪO, is, ivi, itum, a. 4. *καθορίζω, διορίζω, ἀφορίζω*, constituo, circumscribo, decerno, et finiendo certos rei, de qua agitur, terminos praescribo. *Cic. Div.* 2, 44. Illi orbes, qui coelum quasi medium dividunt et adspectum nostrum definiunt. *Id. Caecin.* 8. Ejus fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt. *Id. Phil.* 8, 3. Omnes Caphones, omnes Saxae, ceteraeque pestes, quae sequuntur Antonium, aedes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt, [*i. e. sibi destinant.] *Id. N. D.* 2, 40. Aether, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt, *h. e.* certis spatiis conficiunt. *Caes. B. G.* 7, 83. Adeundi tempus definiunt, cum meridies esse videatur. *Id. B. C.* 1, 11. Definire, ante quem diem iturus sit. *Id. ib.* 82. Inter se palam de praemiis contendebant, in annosque consulatum definiebant, *h. e.* quo quisque anno consul esse vellet, designabant. *Cic. Agr.* 2, 13. Definire alicui potestatem. *Id. Arch.* 10. Res hae quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur. [*Hinc omnino de rebus, quae certis terminis continentur vel includuntur: *Id. Or.* 3, 3. oratio eis definietur viris, i. e. inter hos viros continebitur, hi tantum loquentes inducentur. *Id. Off.* 3, 29, 107. Nam pirata non est perduellium numero definitus i. e. continetur eorum numero, includitur. Comparat *Beier. Cic. Or.* 3, 28, 109.] *Id. Marc.* 8. Hic tu modum vitae tuae non salute reipublicae, sed animi aequitate definies? ℙ Item finem impono. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. Ut aliquando totam hujus generis orationem concludam ac definiam. [*Id. Or.* 19. saepissime similiter extrema definiunt.] ℙ Item praescribo. *Id. Acad.* 4, 36. Quam vitam ingrediar, definias. *Id. Quint.* 27. Tibi, quid facias, definit. ℙ Item statuo, decerno. *Pl. Cist.* 2, 1, 42. Perge eloqui: non remittam: definitum est. ℙ Item explicare verbis, quid res sit. *Cic. Brut.* 31. Rem latentem explicare definiendo. *Id. Or.* 1, 15. Si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit, qui, etc. et *ib.* 2, 39. Illustrare aliquid verbisque definire. *Id. Inv.* 2, 18. Si res plures erunt definiendae. *Id. Sext.* 45. Universum genus brevi circumscribi et definiri potest: optimates sunt, qui, etc. *Id. Off.* 1, 2. *ad f.* Definire quid sit officium. *Id. Pis.* 18. Qui mala dolore, bona voluntate definiunt, *h. e.* statuunt mala in dolore consistere, bona in voluptate. ℙ *Definire aliquem*, finem vitae ei afferre, interimere. *Appul. Met.* 8. p. 302, 21. Ad hunc modum definito juvene, etc. [*Ita in *ed. Elm.* At in *Oud.* p. 520. aliisqui legitur *defuncto.*] ℙ Pro *definio* quidam legunt *diffinio* ap. *Plin.* 2, 77, 79. (atque ita *Harduin.* edidit) *Hygin. Astron.* 1, 6. et 2, 13., et *Coel. Aur. praef. Acut.*

[DĔFĪNIS, e, adj. qui habet fines; hinc derivatur definitus, cui nempe dati sunt fines. Legitur in *Not. Tir.* p. 57. Finis, infinis, adfinis, confinis, definis. *F.*]

DĔFĪNĪTĔ, adv. *ἀφωρισμένως, διωρισμένως*, definiendo, determinate, distincte, manifeste. *Cic. Balb.* 14. Lex quae definite potestatem Pompejo civitatem donandi dederat. *Id. Or.* 28. *ad f.* Partite, definite, distincte dicere. *Plin. Pan.* 88. Nec magis definite distincteque designat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat. *Gell.* 1, 25. Belli ferias festive magis dixit (*Varro*), quam aperte atque definite.

DĔFĪNĪTĬO, onis, f. finitio, determinatio, *ὁρισμὸς, ἀφορισμός. Cic. Div.* 2, 54. de versibus Sibyll.: Qui illa composuit, perfecit, ut quodcumque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata [*bestimmte Angabe*]. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 61, 3. Haec area intra hanc definitionem cipporum clausa verubus, et ara, quae est inferius, dedicata est, etc. ℙ Item oratio explicans, quid sit id, de quo disputatur. *Cic. Or.* 1, 42. Est definitio earum rerum, quae sunt ejus rei propriae, quam definire volumus, brevis et circumscripta quaedam explicatio. [*Id. Or.* 33. involutae rei notitia definitione aperienda est; si quidem definitio est oratio, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime *Auct. ad Her.* 4, 25. Definitio est, quae alicujus rei proprias amplectitur potestates breviter et absolute; (sequuntur nonnulla exempla). Plura etiam congessit *Schütz.* in *Clav. Cic.*] *Id. ib.* Propriam cujusque vim definitione declarare. ℙ *Diffinitio* legitur a nonnullis in quibusdam libris apud *Hygin.*, *Augustin.* et *Coel. Aurel.*

DĔFĪNĪTĪVĔ, adv. definiendo, definite. *Tert. Car. Christ.* 18. Ipse Dominus sententialiter et definitive pronunciavit: quod in carne natum est, caro est. *Coel. Aur. praef. Acut.* 1. Definitive loqui, *h. e.* definitione rem explicare. *Ascon.* quoque usurpavit in *Verr.* 2, 2, 10.

DĔFĪNĪTĪVUS, a, um, adj. *ὁριστικὸς*, ad definitionem spectans. *Cic. Inv.* 2, 17. Cum nominis controversia est, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. *Id. Top.* 24. Causa definitiva. *eod. sensu.* ℙ Apud JCtos Sententia definitiva est, quae ultimo datur, et rem totam absolvit. *Imp. Justin. Cod.* 7, 64, 10. Adde *ib.* 45, 3. ℙ Definitiva materia, apud *Tert. adv. Herm.* 38. est, quae terminis circumscribitur, non infinita.

DĔFĪNĪTOR, oris, m. qui definit, decernit. *Tert. adv. Marc.* 5, 10. Habemus illum alicubi unius baptismi definitorem.

DĔFĪNĪTUS, a, um, adj. *ὡρισμένος*, finitus, determinatus. *Cic. Somn. Scip.* 3. Esse in coelo certum definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. *Id. Top.* 21. Quaestionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod *ὑπόθεσιν* Graeci, nos causam. *Id. Fam.* 3, 8. Prima duo capita epistolae tuae nihil habent, quod aut definitum sit, aut certum.

DĔFĪOCŬLUS, i, m. *ἑτερόφθαλμος*, cui oculus defit seu deest. *Mart.* 12, 59. Hinc defioculusque et inde lippus. Al. male leg. *Hinc caesis oculis.* Alii *caecis oculis.*

DĔFĬT, verb. defectiv. anom. *λείπει*, deest: a *de* privativa, et *fio. Ennius* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Mihi fortuna magis nunc defit, quam genus. *Ter. Hec.* 5, 2, 1. Nihil apud me tibi defieri patiar. *Virg. Ecl.* 2, 22. Lac mihi non aestate novum, non frigore defit. *Pl. Men.* 1, 4, 2. Opsonium affer tribus, vide, quod sit satis, neque defiat, neque super sit. *Id. Rud.* 4, 4, 63. Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies? *h. e.* dies nos deficiat. *Id. Mil.* 4, 6, 46. Animus per oculos meus defit, *h. e.* deficit, et linquitur. [*Liv. 9, 11. Nunquamne causa defiet, cur victi pacto non stetis? — Multi codd. habent ex interpretatione *deficiet.* V. *Drak.*] *Gell.* 20, 8. Ea ipsa, quae crescente luna gliscunt, deficiente contra luna defiunt. ℙ Observarunt critici [*inprimis *Drak.* ad *Sil.* 9, 335.], in permultis *Tibulli*, *Ovidii*, *Statii*, etc. locis, in quibus *defit* legendum erat, *desit* ab imperitis librariis scriptum fuisse.

DĔFĪTĔOR. V. DIFFITEOR.

*DEFIXĬO, onis, f. *Gloss. Lat. Gr.* πεζομαντίαι, καταδέσμοι. *B. A.*

DĒFIXUS, a, um, part. a *defigo*, deorsum fixus, infixus, καταπεπηγμένος. *Caes. B. G.* 5, 18. Sub aqua defixae sudes. *Hor. Ep.* 1, 6, 14. Defixis oculis torpere. *Ov. Met.* 11, 76. Defixa solo radix. ℙ Translate. *Cic. Flacc.* 1. Salus praesentium, spes reliquorum in vestra potestate posita sunt et defixa. *Id. Phil.* 4, 5. Virtus est una altissimis defixa radicibus. *Id. Somn. Scip.* 4. Quousque humi defixa tua mens erit? *Id. Or.* 3, 5. Defixus in cogitatione. *Id. Har. resp.* 26. *extr.* Vitia in aliquo penitus defixa atque haerentia. *Virg. A.* 8, 520. defixique ora tenebant. *Id. ib.* 6, 156. moesto defixus lumina vultu. [*Saepe hoc partic. Graecorum more cum accus. construitur. Multa exempla congessit *Drak.* ad *Sil.* 8, 53.] *Tac. A.* 13, 5. Defixi pavore. et 14, 10. Modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens. *Claud. VI. Cons. Hon.* 258. Defixus malis animus, *h. e.* dejectus vel stupens. *Val. Fl.* 5, 376. haeret defixus in una, *h. e.* oculis in una defixis. *Claud. I. Laud. Stil.* 51. Persides hospite pulcro defixae. ℙ [Idem etiam significat ac refigere. *Inscr.* ap. *Grut.* 19, 6. Jovi opt. max. custodi, conservatori, quod is sceleratissimi servi publici infando latrocinio defixa monumentis ordinis decurionum nomina numine suo eruit ac vindicavit, etc., *h. e.* quod aerea tabula, in qua descripta erant decurionum nomina, a servo publico detracta ex loco, unde de more prostabat, reperta fuerit. V. *Morcell. de stil. Inscript. Lat. T.* 1. p. 51. *edit. Pat. F.* **Forc.* in h. l. et seqq. *defixus* recte explicaverat: *veneficii causa fixus.* Neque apud *Appul.* et *Tac.* quadrat *refigere.*] *Appul. Herb.* 7. Si quis devotatus defixusque fuerit in suis nuptiis. V. DEFIGO. *Tac. A.* 1, 68. Rarus miles et quasi ob metum defixus.

DĒFLAGRĀTIO, onis, f. ἐμπρησις, combustio. *Cic. Fin.* 3, 19. Qui negant se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur. *Id. Planc.* 40. Cum mea domus ardore suo deflagrationem urbi minaretur.

DĒFLAGRĀTUS, a, um, part. a *deflagro*, ambustus. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Fana flamma deflagrata. *Cic. Cat.* 4, 6. In cinere deflagrati imperii collocarent.

DĒFLAGRO, as, n. 1. ἐμπρήθομαι, vehementer comburor, igne consumor. *Cic. N. D.* 2, 27. Dianae Ephesiae templum deflagravisse. *Id. Acad.* 4, 37. *extr.* Fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. [*De homine: *Cic. Off.* 3, 25. Phaeton — ictu fulminis deflagravit.] ℙ Translate. *Appul. Apol.* p. 290, 11. Crimen magiae, quod ingenti tumultu ad invidiam mei accensum, per nescio quas aniles fabulas deflagravit. [**Cic. Cat.* 4, 6. in cinere deflagrati imperii.] ℙ Significat etiam defervescere, mitescere. *Liv.* 40, 8. Spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. *Tac. H.* 2, 29. Deflagrante paulatim seditione. Adde *Lucan.* 4, 280. ℙ Active, pro valde calefacere, comburere, usurpari videtur a *Vitr.* 6, 1. Sol quibus locis mediocriter profundit vapores, in his conservat corpora temperata: quaeque proxime currendo deflagrat, eripit exsugendo temperaturam humoris.

DĒFLAMMO, as, avi, atum, a. 1. exstinguo. *Appul. Met.* 5. *sub f.* Pharetram expilet, et sagittas dearmet, arcum denodet, taedam deflammet.

DĒFLĀTUS, a, um, adj. flando rejectus. *Varr. R. R.* 1, 64. Quod est levissimum ac summum, deflatum ut trajiciant in alia vasa. Est qui legat *depletum*, [quod rectius videtur. *F.*]

DĒFLECTO, is, xi, xum, a. 3. ἀποκάμπτω, deorsum torqueo, curvo. *Colum.* 5, 11. Ramum olivae deflecte, et ad crus arboris ficulneae religa. ℙ Item alio flectere, avertere. *Virg. A.* 10, 329. septenaque tela Conjiciunt: partim galea clypeoque resultant Irrita, deflexit partim stringentia corpus Alma Venus. *Liv.* 39, 27. *in f.* Q. Fabium Labeonem direxisse finem Philippo veterem viam regiam, quae, etc. Philippum postea novam deflexisse viam, qua Maronitarum urbes amplectatur. Translate. *Stat. Th.* 1, 280. belli deflecte tumultus, Et generis miserescе tui. *Val. Fl.* 8, 76. Deflectere oculos ab aliqua re. *Lucan.* 5, 789. Quolibet potius deflecte carinam. *Id.* 3, 337. Deflectere iter aliquo. *Tac. H.* 2, 70. Deflectere via, *h. e.* divertere. Et absolute eod. sensu, *Suet. Aug.* 93. In peragranda Aegypto paulum deflectere ad visendum Apin supersedit. *Plin. ep.* 4, 1. Deflectemus in Tuscos. ℙ Illa quoque translata sunt. *Cic. Amic.* 12. Deflexit aliquantum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id. ib.* 26. Ab amicitiis sapientium ad leves amicitias deflexit oratio. *Id. Off.* 2, 3. Consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut, etc. *Id. Rosc. Com.* 16. Deflectere a veritate. *Id. Har. resp.* 19. a virtute patris. *Id. Caecin.* 18. rem ad verba. *Suet. Dom.* 3. Virtutes quoque in vitia deflexit. *Ov. Rem.* 325. Quam potes in pejus dotes deflecte puellae, *h. e.* in malam partem trahe. *Lucan.* 3, 303. furorem Indomitum, duramque viri deflectere mentem Pacifero sermone parant. *Stat. Silv.* 2, 1, 59. Aliquem ab ira ardenti in se deflectere. *Quint.* 3, 8. *ante med.* Haec, quae tantum inter se pugnant, plerumque nominibus deflecti solent. *Id.* 7, 2. *ante med.* Deflectere factum in alium, *h. e.* vertere, transferre. [*Vides ex his locis, et transitive et intransitive usurpari h. v.] ℙ *Deflectere aliquid*, mutare. *Cels. praef.* Asclepiades medendi rationem magna ex parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quaedam in senectute deflexit.

DĒFLĔO, es, evi, etum, a. 2. καταλιλαίω, idem quod fleo, deploro. *Cic. Brut.* 96. Saepe inter nos impendentes casus deflevimus. *Lucr.* 3, 921. Insatiabiliter deflere. *Prop.* 1, 16, 13. gravibus deflere querelis. [*In hoc loco nota significationem intransitivam, ad quam confirmandam attulit *Lachmann.* locos *Manil.* 4, 747. et *Appul. Met.* 4. *extr.* — Sed plerumque *deflere* activam vim habet.] *Tac. A.* 3, 49. Post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat. *Senec. Octav.* 10. Semper genitrix deflenda mihi. *Liv.* 29, 4. In haec deflenda prolapsus. ℙ *Deflere oculos* est fletu et lacrimis rigare. *Appul. Met.* 5, p. 161, 36. Sorores deflebant oculos et plangebant ubertim.

DĒFLĔTIO, onis, f. fletus. *Juvenc.* 4, 122. Adveniet jam tunc tristis defletio terris.

DĒFLĔTUS, a, um, part. verbi *defleo. Cic. Tusc.* 1, 35. Liberi defleti. *Id. Or.* 3, 3. Mors a multis saepe defleta. *Val. Fl.* 5, 60. relliquias socii, defletaque miscent Nomina. *Ov. A. Am.* 1, 335. Cui non defleta est Ephyraeae flamma Creusae?

DĒFLEXIO, onis, f. idem quod deflexus. *Macr. Sat.* 1, 17. *a med.* Solis meatus sursum ac deorsum certa deflexione variando, etc. ℙ Translate. *Nazar. Pan. Constant.* 5. Omnia ad eundem gloriae exitum; nullae cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus.

*DEFLEXŪRA, ae, f. deflexio. *Augustin. B. A.*

DĒFLEXUS, us, m. κατάκαμψις, curvatio. *Colum.* 4, 26. Palmes leniter curvabitur, ne deflexu frangatur. ℙ Translate. *Val. Max.* 7, 3. *init.* Factorum dictorumque genus proximo deflexu ad vafri nomen progressum. *Id.* 4, 2. Transgrediamur ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum.

DĒFLEXUS, a, um, part. v. *deflecto*, curvatus, inflexus, ἐπικαμπής. *Cic. Div.* 1, 19. Amnes in alium cursum contorti et deflexi. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 23. Deflexa vitis vel palmes juxta suam arborem. *Manil.* 1, 741. Currus solis deflexus solito cursu. ℙ Translate. *Quint.* 9, 3. *sub init.* Oratio a simplici rectoque dicendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur, *h. e.* declinans. *Gell.* 15, 5. Verba deflexa et depravata a recta ratione et consuetudine.

DĒFLO, as, a. 1. flando ejicio, ἀποπνέω. *Plin.* 28, 2, 5. Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur, utique per mensas: vetabantque munditiarum causa deflare. ℙ Translate. *Suet. Cal.* 38. Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta, deflabat, *h. e.* contemnebat. Al. leg. *deflebat*, alii melius *difflabat.* [**B. Crus.* recepit ex emendatione: *delebat.*]

DĒFLOCCĀTUS. V. v. seq.

DĒFLOCCO, as. *Non.* 1, 22. Defloccare est atterere, tractum a vestibus sine flocco. *Plauti* locus est in *Asin.* 3, 3, 110., ubi versum nonnulli inserunt, quo haec vox confirmetur. ℙ Nihilominus *defloccati senes* leguntur apud *Pl. Epid.* 5, 1, 10. quos intelligere possumus vel attritos, confectos, defectos viribus, vel, ut alii malunt, floccis seu capillis defectos, calvos.

DĒFLORĀTIO, onis, f. florum hinc inde detractio. Translate. *Tert. adv. Valent.* 12. Graculus Aesopi ex omnium defloratione constructus.

*DEFLORATOR, oris, m. *Hieron. B. A.*

DĒFLORĀTUS, a, um, part. verbi *defloro*, flore privatus, ἀνανθής. *Quint.* 6. *praef.* Certos atque defloratos fructus ostendebat. Al. rectius leg. *deformatos.* Adde *Liv.* 37, 58. sed lectione ibi quoque dubia. Nam communiter leg. *praefloratus.*

DĒFLORĔO, es, ui, n. 2. idem quod defloresco. *Colum.* 5, 6. *sub f.* Vitis cum se multa fronde cooperit, pejus defloret, *h. e.* fructus edit. *Plin.* 18, 12, 30. Faba aquas in flore maxime concupiscit: cum vero defloruit, exiguas desiderat. *Catull.* 62, 43. Idem *(flos)* cum tenui carptus defloruit ungui. ℙ Translate. *Claud. in Eutrop.* 1, 75. Cum forma dilapsus amor: defloruit oris Gratia. *Liv.* 38, 53. *ad f.* In juventa bella assidue gesta: cum senecta res quoque defloruere, nec praebita est materia ingenio. *Lactant. de ira D.* 9. *a med.* Iis temporibus, quibus jam philosophia defloruerat. ℙ [Part. *Deflorens* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 123. Hunc Antho tumulum, male deflorentibus annis, Pro pietate pari composuere suo Maestus uterque parens, *h. e.* annis, quasi flores essent, infeliciter decerptis: nam *parvolus* interiisse *ib.* dicitur Anthus, ad cujus nomen, quod Graece florem significat, cum aliqua venustate allusum fuisse, apparet. *F.*]

DĒFLORESCO, is, n. 3. ἀνανθέω, florem amitto. *Colum.* 2, 12. *sub f.* Omne frumentum, cum totam spicam edidit, octo diebus deflorescit. ℙ Translate. *Auct.* ad *Her.* 4, 27. *extr.* Aut morbo, aut vetustate formae dignitas deflorescit. *Liv.* 6, 23. Cum corporibus vigent et deflorescunt animi. *Cic. Brut.* 92. Hortensius ornatus, acer, et non talis, qualem tu eum, Brute, jam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere comtior. *Id. Coel.* 19. Amores, et deliciae celerimotior. *Id. Coel.* 19. Amores, et deliciae celeriter deflorescunt. ℙ Deflorescere est etiam tempestive florescere, ut ait *Varr. R. R.* 1, 1. Quarto invoco Rubigum, ac Floram, quibus propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. *Plin.* 18, 29, 69. Prisci Floralia IV. Kal. Maji instituerunt, ut omnia bene deflorescerent.

DĒFLORO, as, a. 1. florem adimo. Translate. *Gell.* 14, 1. *extr.* Futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit. Al. leg. *praefloraverit*, et quidem melius.

DĒFLŬO, is, uxi, uxum, n. 3. ἀπορρέω, καταρρέω, deorsum fluo: et proprie de liquidis dicitur. *Plin.* 3, 18, 22. Anassum, in quod Varramus defluit. *Id.* 34, 13, 37. Aes in catino defluit. *Id.* 24, 18, 105. Sanguis defluit a renibus. *Sall. fragm.* apud *Prisc.* 6. p. 680. Flumen Tauro monte defluens. [**Liv. fragm. l.* 116. *n.* 42. flamma ex Aetna monte defluxit.] *Gell.* 17, 11. Potus defluit ad pulmones. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Succus ex filice defluens. *Id.* 33, 5, 26. Humor per venam auri defluens. ℙ Item de aliis rebus. [*Admodum graphice h. v. placidum quendam motum inferiorem versus locum designat, quo, quum translate ponitur, interdum illud quoque accedit, ut clam et insciо eo, de quo sermo est, fiat.] *Cic. Tusc.* 5, 21. Jam ipsae defluebant coronae, *h. e.* e capite decidebant. *Plin.* 8, 48, 74. Mirum fuit, nec defluxisse eas *(praetextas)*, nec teredinum injurias sensisse. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 6. Vitis et oleae defluit fructus. *Tibull.* 3, 1, 18. defluit color. *Ov. Met.* 6, 146. tristi medicamine tactae Defluxere comae. Sic *Curt.* 4, 6. Gleba cum regis capiti incidisset, resoluta defluxit, *h. e.* dissipata est. *Virg. G.* 3, 447. Aries mersus secundo defluit amni, *h. e.* defertur. *Curt.* 9, 8. *extr.* Sumptis ducibus amnis peritis, defluxit ad insulam. et *Suet. Ner.* 27. Quoties Ostiam Tiberi defluеret. *Virg. A.* 1, 408. pedes vestis defluxit ad imos. *Id. ib.* 11, 501. tota cohors relictis Ad terram defluxit equis, *h. e.* desiluit. *Furius* apud *Macr. Sat.* 6, 4. lapsusque in humum defluxit et armis Reddidit aeratis sonitum. *Curt.* 7, 7. *sub f.* Corpus ex equo defluxit in terram. [**Liv.* 2, 20. moribundus Romanus — ad terram defluxit.] *Sall.* ad *Caes. De rep. ordin.* 1, 2. Ex quеis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere, *h. e.* diversi discessere. ℙ Translate. *Tibull.* 3, 4, 81. ignavus defluxit pectore somnus, *h. e.* abiit: excitatus sum. *Prop.* 1, 20, 2. Id tibi ne vacuo defluat ex animo, *h. e.* excidat. *Colum. praef. l.* 12. *ad f.* Luxu et inertia defluere, *h. e.* languescere. *Cic. Sext.* 32. Ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit, *h. e.* a me alienatus est. *Id. Tusc.* 1, 25. A necessariis artificiis ad elegantiora defluximus, *h. e.* transivimus. *Quint.* 10, 1. *ad f.* Tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat, i. e. recedebant. [*Imo in pejus deflectebant, desciscebant. Cf. *Frotscher.*] *Id.* 1, 8. In omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione, defluximus. *Suet. Aug.* 2. Is Cn. et C. procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, *h. e.* derivata est. *Vell.* 1, 16. Philosophorum ingenia Socratico ore defluentia, *h. e.* a Socrate venientia. *Hor. Od.* 1, 28, 27. multaque merces, Unde potest, tibi defluat aequo Ab Jove, *h. e.* proveniat. [**In terram defluere* i. e. inutiliter perire. *Cic. Amic.* 16. Ditior — videtur esse vera amicitia nec observare restricte, ne plus reddat quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat.] ℙ Significat etiam fluere desinere. *Id. Ep.* 1, 2, 42. Rusticus exspectat, dum defluat amnis: at ille Labitur, et labetur in omne volubilis aevum. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 20. Ubi salutatio defluxit [*i. e. ubi salutatores discesserunt, abierunt], litteris me involvo. *Sall. Cat.* 1. Ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, *h. e.* abiere, periere. *Hor. Ep.* 2, 1, 157. Graecia artes Intulit agresti Latio: sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius. *Lact.* 5, 22. Disciplina defluens, *h. e.* paulatim deficiens. ℙ [In *Not. Tir.* p. 120. habetur supinum *defluxum.* V. FLUO. ℙ *Defluxurus* apud *Tert. Resurr. carn.* 61. Cur non magis qua defluxura colentur? *F.*] ℙ [*Confunduntur *defl.* et *diffluere.* Praecipue controversus locus est *Liv.* 41, 15. Cn. Cornelius — exposuit Patribus conscriptis, bovis sescenaris, quem immolavisset, jecur defluxisse. *Perizon.* malebat *diffluxisse* i. e. in aqua dissipatum esse et in liquorem abiisse. Et sic scripserunt *Kreyssig.* et *B. Crus.* seqq. enim monstrant, non *defluxisse* jecur in secando bove.]

*DEFLUSTRO, as, a. 1. *Tert. de Pall.* 2. Mare

deflustrat intemperatum, *h. e.* sedat. Al. leg. *de flustris*. Cf. *Cerdam* ad h. l. p. 14. V. *Flustra. B. A.*

DĔFLŪVĬUM, ii, n. a *defluo*. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 2. Est in coelo, qui vocatur lacteus circulus. Hujus defluvio, velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescunt. *Id.* 28, 2, 5. Defluvia capitis. et 29, 6, 34. Defluvia capillorum, *ἀλωπεκία*.

DĔFLŪUS, a, um, adj. qui defluit aut decidit. *Stat. Th.* 9, 325. levat unda gradus, seu defluus ille, Sive obliquus eat. *Id. Silv.* 1, 3, 53. Splendor ab alto defluus. ℙ *Deflua caesaries*, apud *Prud.* est prolixa, promissa, *περὶ στεφ.* 13, 30. Deflua caesaries compescitur ad breves capillos. ℙ Passiva significatione, ex quo aliquid defluit. *Appul. Met.* 3. p. 130, 21. Vasculum graciliter fistulatum, ac per hoc guttatim defluum, *h. e.* per quod aqua defluit, clepsydra.

DĔFLUXĬO, onis, f. idem quod defluvium, *ἀπόῤῥοια*. *Firmic. Math.* 3, 7. Defluxio seminis. *Coel. Aur. Acut.* 2, 18. ventris.

DĔFLUXUS, us, m. defluxio. *Appul. de Deo Socr.* p. 47, 34. Nubibus omnis exortus terrenus, et retro defluxus in terras est.

DĔFŌDĬO, ōdis, ōdi, ossum, a. 3. *κατορύττω*, idem fere quod fodio, [*in profundum fodio.] *Colum.* 7, 5. *post med.* Scrobem defodiamus et vivam pecudem obruamus. ℙ Item terra effossa obruo. *Id. ib. ante med.* Oblitum vas in sterquilinio defoditur. *Plin.* 7, 52, 53. defodere aurum nullo conscio. *Id.* 17, 13, 21. In vasis fictilibus defodere propagines aptissimum. *Liv.* 8, 10. *ad f.* Signum septem pedes altum in terram defodi. *Ov. Met.* 4, 239. defodere aliquem alta humo. [*Plin. ep.* 4, 11. Missi pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. *F.*] ℙ Translate. *Senec. Consol. ad Marc.* 2. *extr.* Octavia fortunam exosa defodit se et abdidit.

*DĔFOLLĬO, is, a. 4. folliculis nudo. *Ambros. de Viduis* T. 4. p. 502. Gementibus areis, dum caeditur messis, frumenta defolliunt. Al. leg. *defoliant*. *Gloss. Cyrill.* Defolio, are, *ἀποφυλλίζω*. *B. A.*

DĔFŌMĬTĀTUM lignum, dixerunt antiqui, quod a fomitibus, quibus confoveri solet, erat succisum. *Festus.*

*DĔFŌMO, as, a. 1. *Gloss. Gr. Lat.* *Ἀποπελεκίζω*, defomo, dedolo. Exinde diminut. *Defomito*, et part. *Defomitatus*, quod V. *B. A.*

DĔFORAS, adv. extra. *Inscr.* ap. *Grut.* 573, 1. In Capitolio, ad aram gentis Juliae deforas podio sinisteriore. [At *Marin.*, qui *Frat. Arv.* p. 485. scripserat in allata Inscriptione conjunctim esse scriptum *deforas*, idem tamen in *Papir. Diplom.* p. 270. *n.* 51. asseverat, punctum esse inter duas voces, easque sic divisim insculptas *de. foras*. *F.* *Apud *Pompej. comm. A. Don.* p. 343. *ed. Lind.* etiam *deforis* legitur; sed ea compositio tanquam parum latina ab ipso improbatur. Sed legitur etiam apud *Plin. Valer.* 1, 31. Deforis, ubi tumor est, apponere. *Vulg. Matth.* 23, 25. Adde *Genes.* 7, 16. Cf. *Forc.* in *Desub*, et V. *Deintus* et *Delonge*. *B. A.*]

DĔFORĔ. V. DESUM.

*DĔFORIS. V. DEFORAS.

DĔFORMA dicuntur exta, quae dantur calida: a *formus*, calidus. *Fest.* in *Forma.*

DĔFORMĀTĬO, onis, f. *ὑποτύπωσις*, actus deformandi, delineatio, descriptio, forma. *Vitr. sub f. praef. l.* 3. Venti e quibus regionibus singuli spirent, deformationibus grammicis ostendi. *Firmic. Math.* 1, 3. *sub f.* Nondum corporis deformatione completa. ℙ Item formae corruptio, deformitas. *Liv.* 9, 5. *extr.* Ut ab illa deformatione tantae majestatis, velut ab nefando spectaculo, averteret oculos. *scilicet* ob detracta consulibus insignia magistratus in Caudina sponsione.

DĔFORMĀTUS, a, um, part. v. *deformo*, *ὑποτυπωθείς*, formatus, delineatus, descriptus. *Quint.* 5, 11. *a med.* Marmora deformata prima manu. *Id. praef. l.* 6. Non enim flosculos, sed certos atque deformatos fructus ostenderat. *Varr. R. R.* 3, 5. Locus deformatus ad tabulae litterariae speciem cum capitulo. *Pl. Ps.* 2, 3, 10. Jam instituta, ornata cuncta in ordine, animo, ut volueram, certa, deformata habebam. ℙ Item forma privatus, corruptus, turpis, *δύσμορφος*. *Liv.* 40, 45. Fulminibus complura loca deformata. *Cic. Att.* 2, 21. Hunc omnibus a me pictum et politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore vidi. *et paulo supra.* Deformatus corpore, fractus animo. *Sil.* 2, 707. Membra deformata veneno. *Cic. Har. resp.* 26. Homo vitiis deformatus. *Id. Verr.* 2, 4, 55. parietes nudos ac deformatos reliquit. *Id. Har. resp.* 12. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Gell.* 14, 2. Homo probri plenus, spurcissimaeque vitae ac deformatissimae. *Hirt. B. Alex.* 24. Patria turpissimis incendiis et ruinis deformata. *Sall. Jug.* 14, 7. Homo aerumnis deformatus, [*et *Cort.* ad h. l.] *Liv.* 8, 32. Deformata victoria. ℙ Sup. *Deformatissimus*. V. supra.

DĔFORMIS, e, adj. *δύσμορφος*, sine forma, foedus, turpis. *Cic. Coel.* 3. Ut cum poeniteat non deformem esse natum. *Id. Fin.* 5, 12. Motus corporis statusve deformis. *Id. Or.* 2, 61. Res turpiculae et quasi deformes. *Id. Fam.* 4, 9. *ad f.* Patria deformior. *Gell.* 5, 11. deformissima femina. *Frontin. Aquaed.* 93. deformis ac turbida aqua. [**Liv.* 9, 6. deforme agmen; i. de exarmatis et sub jugum missis. *Id.* 41, 3. deformis turba, velut lixarum calonumque. Quocum comparat *Ern.* in *Clav. Liv. Tac. A.* 4, 20. deforme obsequium i. e. servile, humile.] ℙ Translate. [*i. e. turpe, dedecus afferens, infame. V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 10, 327. quem laudat *Burm.* ad *Quint.* V. DEFORMITAS in f. et ad *Ov. Am.* 3, 14, 6.] *Stat. Th.* 10, 332. deformis vita. *Hor. Epod.* 13. *extr.* aegrimonia. *Stat. Silv.* 5, 3, 116. deformes ortus. et *Mart.* 11, 99. deforme vitium, *h. e.* turpis morbus. *Plin. ep.* 8, 24. *ad f.* Multo deformius est amittere, quam non assequi laudem. *Cic. Off.* 1, 38. *extr.* Deforme est de se ipso praedicare. *Sil.* 16, 220. Haud deformis erit vobis ad foedera versis Pacator, mediusque Syphax, *h. e.* pudendus, contemnendus. *Liv.* 45, 44. *in f.* Orationem non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse. *Ov. Pont.* 3, 8, 15. deformes campi, *h. e.* inculti, et aspectu horridi. et *Trist.* 5, 2, 63. deformia litora Euxini aequoris. *Suet. Vesp.* 23. Deformia lucra, *h. e.* sordida. *Quint.* 9, 4. Deforme nomen. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 1, 165. Quem postquam diro suspensum robore vidit Deformem leti famulus, *h. e.* dehonestatum infami genere supplicii.

DĔFORMĪTAS, atis, f. *δυσμορφία*, pravitas, turpitudo. *Cic. Or.* 2, 59. Deformitas et vitium corporis. *Gell.* 15, 17. Pudefactus oris deformitate. *Id.* 3, 3. Vitia atque deformitates meretricum. [**Liv.* 2, 23. noscitabatur tamen in tanta deformitate. *Id.* 29, 22.] *Suet. Ner.* 38. Offensus deformitate veterum aedificiorum. *Cic. Or.* 17. Diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Sic *Or.* 1, 34. Intuendi sunt nobis non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 19. Deformitas animi. *Id. Att.* 9, 10. fugae et negligentiae. ℙ Pro dehonestamento, dedecore. *Nep. Ages.* 8. Naturam maleficam nactus est in corpore, exiguus et claudus altero pede: quae res nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti faciem ejus cum intuerentur, contemnebant. *Hirt. B. Alex.* 19. *extr.* Hostili modo Cordubensium agros vastat. Cujus rei deformitate atque indignitate legiones concurrerunt etc. *Quint.* 6, 1. Si judicibus aut gloriae futurae est absolutio rei, aut deformitati damnatio. [*V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 253.]

DĔFORMĬTER, adv. *αἰσχρῶς*, foede, turpiter. *Quint.* 8, 3. *circa med.* Junctura (*verborum*) deformiter sonat. *Id.* 11, 1. Deformiter dicere. *Suet. Ner.* 49. Vivere deformiter ac turpiter. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 6. Ut abjicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur.

DĔFORMO, as, avi, atum, a. 1. figurare, formam dare, describere, delineare: *ἐκμορφόω*, *ὑποτυπόω*. *Vitr.* 1, 1. Architectum graphidos scientiam habere oportet, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit, operis speciem, deformare valeat. *Cato R. R.* 161. Cum areas deformabis, intervallum facito inter eas semipedem latum in omnes partes. [**Pl. Ps.* 2, 3, 11. Jam instituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volueram, Certa, deformata habebam.] *Senec. Ben.* 7, 2. Hanc voluptatem nunquam sensuram sui taedium, percipit hic, quem deformamus, *h. e.* describimus. Sic *Cic. Caecin.* 5. Ille, quem supra deformavi. et *Auct.* ad *Her.* 3, 12. Deformare imagines. [**Quint.* 5, 11, 30. esse aliquid minus simile, ut *simia homini* et marmora deformata prima manu, i. e. formari inchoata. Cf. quae *Burm.* et *Spald.* annotarunt ad h. l. coll. ad *Prooem.* 6. §. 9.] ℙ Item orno. *Vitr.* 5, 8. Scenae tragicae deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus. ℙ Item contraria ratione, formam destruo, corrumpo, foedo, *λωβάομαι*, *διαφθείρω*. *Virg. G.* 4, 254. horrida vultum Deformat macies. *Id. A.* 10, 844. Canitiem immundo deformat pulvere. *Ov. A. Am.* 1, 517. Tonsura male deformat capillos. *Auct.* ad *Her.* 4, 14. Carthaginienses Italiam deformarunt. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 2. Ut ad ea, quae accusatores, deformandi hujus causa, dixerunt, primum respondeam. *Virg. A.* 12, 805. Deformare domum, et luctu miscere hymenaeos, *h. e.* luctu complere. *Liv.* 30, 14. *extr.* Cave, deformes multa bona uno vitio. et 3, 71. Victoriam honestam turpe domi judicium populi deformavit. Adde 24, 24.

DĔFORMOSUS, a, um, adj. deformis. *Sidon. ep.* 3, 3. Consilio deformosiore aliquid occulere. Al. leg. *deformiore.*

DĔFORMUS. V. DEFORMA.

DĔFOSSUS, a, part. v. *defodio*, *κατορυκτός*, effossus. *Virg. G.* 3, 376. Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra. [**Hor. Sat.* 1, 1, 42. quid juvat te pondus auri Furtim defossa timidum deponere terra, i. e. effossa. Sed inclusa est in h. v. *profunditatis* notio, quod in *effodere* non est.] *Claud.* in *Eutr.* 2, 351. Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga, *h. e.* lacerati. Al. leg. *defessi*. *Flor.* 3, 21. *ad f.* Oculis, manibus cruribusque defossis, *h. e.* oculis erutis, manibus et cruribus discerptis. ℙ Item effossa terra obrutus, infossus. *Plin.* 18, 17, 45. Herba defossa in quatuor angulis segetis. *Id.* 19, 8, 42. Defosso semine acervatim, parvulis scrobibus ferunt. *Cic. Div.* 1, 17. Cotem illam et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal, accepimus. *Virg. G.* 2, 507. Condit opes alius, defossoque incubat auro. *Plin.* 9, 7, 6. Animalia, quae semper defossa vivunt ceu talpae.

DĔFOSSUS, us, m. defodiendi actus. In sexto casu. *Plin* 19, 8, 48. Area in defossu cavata.

DĔFRĀCTUS, a, um, part. v. *defringo*, idem quod fractus, aut valde fractus. *Pl. Stich.* 1, 3, 37. Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim. *Plin.* 21, 7, 18. Hortensiorum quaedam non nisi defracta, aut ex attritu olent.. *Id.* 26, 8, 39. Defracti ramuli. *Cato R. R.* 88. Amphora defracto collo.

DĔFRAUDĀTĬO, onis, f. *ἀφανεία*. *Tert. An.* 43. Omnis natura aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate mensurae conservatur, *h. e.* defectu aut excessu.

DĔFRAUDĀTOR, oris, m. *νοσφιστής*, fraudator. *Sen. Ben.* 4, 26. Qui beneficiorum defraudator est. Correctiores libb. hab. *fraudator*. *Cajus* tamen (ed. *Goeschenio*) ita habet *Instit.* 4, §. 65. Quod invicem tibi defraudatoris nomine debet.

DĔFRAUDĀTRIX, icis, f. quae defraudat. *Tert. Jejun.* 16. Domus impudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix.

DĔFRAUDĀTUS, a, um, part. v. *defraudo*, fraudatus. *Paul. Nol.* 26, 74. pecudum sanguine defraudatus.

DĔFRAUDO, as, avi, atum, a. 1. fraudando intercipio, aufero, *νοσφίζω*. *Ter. Ad.* 2, 2, 37. Colaphis tuber est totum caput: etiam insuper defraudat? *Pl. Ps.* 1, 1, 91. Defraudare aliquem drachma. *Liv.* 36, 40. *extr.* aliquem fructu victoriae suae. *Cic. Or.* 66. Ne brevitas (*periodi*) defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. ℙ Et cum altero accusativo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 95. Aes defraudasse cauponem. *Pl. Asin.* 1, 1, 82. Nisi quid tu porro uxorem defraudaveris. *Cic. Fam.* 7, 10. Quem ne andabatam quidem defraudare poteramus, *h. e.* retinere a spectandis andabatis, privare spectaculo andabatarum. V. ANDABATA. ℙ *Defraudare genium suum*, est quod *Liv.* 5, 47. dicit, fraudare se victu suo, necessaria naturae negare, comparcendi causa. *Ter. Ph.* 1, 1, 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defraudans genium comparsit miser. *Pl. Aul.* 4, 9, 15. Egomet me defraudavi, animumque meum, geniumque meum: nunc eo alii laetificantur, meo malo et damno. [*Opponitur *Genio indulgere;* originem utriusque loquendi generis bene explicat *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 302. p. 145. sq.]

DĔFRĔMO, is, n. 3. fremere desino. *Sidon. ep.* 1, 5. *extr.* Nondum cuncta thalamorum pompa defremuit. *Id. ep.* 4, 12. Sensim ira defremuit. *Id. ep.* 9, 9. Donec gentium concitatarum procella defremeret. Tribuunt etiam *Plin. ep.* 9, 13. Cum jam satis primus ille impetus defremuisset. Al. rectius leg. *deferbuisset.*

DĔFRĒNĀTUS et Defraenatus, a, um, part. v. inusit. *defreno*, *ἀχάλινος*, sine freno, effrenatus. *Ov. Met.* 1, 182. Et defrenato volvuntur in aequora cursu.

DĔFRENS, in *Glossis* exponitur *ἄρουρα*, *θερισμός*, ager, messis: et Defrensa, *ἄρουρα θερισθεῖσα*, ager vel seges demessa. *Festus* haec habet: *Defrensam*, *detritam atque detonsam*, ubi de veste putant sermonem esse, ducta metaphora ab arvis demessis.

DĔFRĪCĀTĒ, adv. *Naev.* ap. *Charis.* 2. p. 178. Facete et defricate, *h. e.* salse, ut *Hor. Sat.* 1, 10, 4. Lucilius sale multo Urbem defricuit.

DĔFRĪCĀTUS, a, um, part. v. *defrico*, V., qui mundandi causa fricatur. *Colum.* 11, 2. *a med.* Dolia partim picata, partim defricata et diligenter lota. *Plin.* 28, 12, 50. Defricatae maculae. *Catull.* 37. *extr.* Et dens ibera defricatus urina.

DĔFRĪCO, as, cui, ictum, a. 1. *ψήχω*, idem quod frico, aut valde frico. *Catull.* 39, 18. hoc solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam. *Auct.* ad *Her.* 4, 9. *extr.* Ut in balneas venit, coepit, postquam perfusus est, defricari. *Plin.* 26, 4, 10. Lichenes defrciantur pumice. *Colum.* 12, 56. Radicem diligenter defricare, ne quid terreni habeat. *Cels.* 5, 28. *n.* 18. Levis papula jejuna saliva defricatur. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 1, 10, 4. de Lucilio: idem quod sale multo Urbem defricuit, charta laudatur eadem, *h. e.* acriter reprehendit in satyris suis, cum dolore eorum, qui notabantur. Eod. sensu, at aliis verbis *Pers.* 1, 115. secuit Lucilius Urbem, Te Lupe, te Muti et genui-

num fregit in illis. ℙ Videtur habere etiam praeteritum *avi*, *atum*. Nam inde est *defricatus*, *a*, *um*, quod V.

DĔFRĬCTUS, a, um, part. v. *defrico*, idem quod defricatus. *Colum.* 7, 5. Medicamentum scabrae parti illinitur, quae prius pumice defricta exulceratur. *Id.* 6, 13. Scabies extenuatur trito allio defricto. ℙ Item detritus, ulceratus. *Sen. ep.* 87. *ante med.* Non omnibus obesis mannis praeferres unicum illum equum a Catone defrictum?

DĔFRĪGESCO, is, ixi, n. 3. frigesco, *ἀποψύχομαι*. *Colum.* 12, 20. Jubebis rutabulo ligneo agitari quod decoxeris, eo usque dum defrigescit, et *ib.* 21. Defrutum, cum defrixit, transfertur in vasa et reponitur.

DĔFRĪNGO, is, egi, actum, a. 3. *ἀποῤῥήγνυμι*, deorsum frango, confringo. *Cic. Caec.* 21. *a med.* Qui praetereuntes ramum defringerent arboris. *Virg. G.* 2, 300. summas defringe ex arbore plantas. *Id. A.* 11, 747. tum summa ipsius ab hasta Defringit ferrum. *Auct.* ad *Her.* 4, 55. Pedem subsellii defringere. *Pl. Mil.* 3, 1, 126. Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi. *Juvent.* ap. *Charis.* 2. p. 196. Caput ei testatim defregero. ℙ Translate. *Sen. ep.* 92. Id unum bonum est, quod nunquam defringitur, *h. e.* deflectitur et deripitur. ℙ [Part. *Defringendus* apud *Cic. Or.* 3, 28. Surculus defringendus. *F.*]

DĔFRŪDO, as, a. 1. idem quod *defraudo*: ab eo enim est, ut *cludo* a *claudo* etc. *Non.* 1, 130. loca affert *Terentii* et *Plauti* aliquot, in quibus alii *defraudo* legunt. Sunt qui afferant locum *Cat. R. R.* 24. Quidquid vini defrudabis. Sed rectius legendum ibi *defrutabis*. V. DEFRUTO. [Afferendus potius est locus *Front. ep.* ad *Anton. Imp.* (ed. *Maio*) 1, 5. Vide, quaeso, ne temet ipse defrudes et detrimentum amoris ultro poscas. *F.*] ℙ Sunt qui *defrudet* legendum censeant apud *Cat. R. R.* 5., sed V. v. seq.

DĔFRŪGO, as, a. 1. segetem parum frugiferam reddo, subtrahendo scilicet seminis mensuram ceteroquin necessariam. *Cato R. R.* 5. Villicus segetem ne defruget; nam id infelix est. Alii leg. *defrudet;* sed cum *Plin.* 18, 24, 55. ad hunc locum respexerit, nihil mutandum, praesertim quia *ib.* nulla est lectionis varietas, idemque loquitur de modo sementis. Ita vero *Plin. l. c.* Huc pertinet oraculum illud magnopere custodiendum: Segetem ne defruges. *Haec ex parte immutavit *F.*

[DĔFRŪMENTUM, i, n. idem ac detrimentum, a *defruo*. *Plin. Valer.* 5, 24. Omnia alia defrumenta fugienda sunt. *F.*]

[DĔFRŪO, is, ui, a. 3. absumo. Est a simplici *fruo*, cujus etymon vide in FRUOR. *Cato R. R.* 96. Aquam, quam lupinus defruerit, et faecem de vino bono inter se omnia commisceto pariter, *h. e.* quam lupinus in ea excoctus ex parte consumpserit. Ita locum scribendum et interpretandum putat *Pontedera Op. posthum. T.* 1. p. 279., approbante *Schneidero* ad *Script. R. R. T.* 4, *P.* 2. p. 15. Hinc porro deducas, per me licet, verbum *defruto*. *F.*]

DĔFRŪOR, eris, dep. 3. est omnem fructum percipere, ut *deamo* valde amare. *Fest. Symm. ep.* 3, 23. Autumnitate defruimur.

DĔFRUSTĀTUS, a, um, part. v. *defrusto*, in frusta concisus. *Ammian.* 31, 2. de Hunnis: Sed semel tunica collo inserta non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata.

DĔFRUSTO, as, avi, atum, a. 1. frustatim excerpo. *Sidon. ep.* 9, 9. Volumen lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans. ℙ Item translate concidere, lacerare. *Ammian.* 20, 2. Defrustandae Mesopotamiae proximo vere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit praesens. Alii male leg. *defensandae*.

DĔFRŪTĀRĬUS, a, um, adj. ad defrutum pertinens. *Colum.* 1, 6. Pars fructuaria dividitur in cellam olearium, torcularium, cellam vinariam, defrutariam etc. *Id.* 12, 19. Defrutaria vasa. *Id.* ib. 20. *defrutarium* absolute pro vase defrutario dixit.

DĔFRŪTO, as, a. 1. defruto condio. [*Cato R. R.* 24. Quidquid vini defrutabis, partem trigesimam defruti addito. *F.*] *Colum.* 2, 22. Defrutum quoque facere et defrutare vinum feriis licet. *Id.* 12, 37., ubi docet vinum simile Graeco facere, addit quosdam defruti sextarium miscere in musti sextarios XLVIII, nonnullos etiam duos adjicere, si existimant vini notam parum esse firmam: hinc patet, cur solerent veteres Romani defrutum vino miscere.

DĔFRŪTUM, i, n. *ἕψημα*, [*γλυκύ, οἶνωμον.] vinum coctum. V. CARENUM §. 1. *Colum.* 12, 20. et 21., et *Varr.* ap. *Non.* 17, *n.* 15. ita vocant mustum decoctum ad tertias: at *Plin.* 14, 9, 1. usque ad dimidiam partem: quod vero ad tertias decoquitur, tum *id. ib.*, tum *Pallad.* 11, 18. sapam vocant. V. SAPA. *Virg. G.* 4, 269. [*coll. 1, 295. et *ib. Voss.*] igni pinguia multo Defruta. Ubi *Servius:* vina decocta et defraudata proprio sapore: quod confirmat etiam ad 2, *ib.* 93. *Palladius* vero *l. c.* haec habet: Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit. Hanc etymologiam confirmat *Non.* 17, 15. et quidem ex *Varrone*, ut videtur. [At *Pontedera Op. posthum. T.* 1. p. 279. *defrutum* ab antiquissimo verbo *defruo* derivandum censet, quod est consumere aliquid coctura et ad minorem modum redigere; qui enim mustum coquendo ad tertias redigit, defrutum facit, atque hinc Veneti vernacula lingua dicunt *fruare*, quod est consumere. Porro inde ortum verbum *defruto*, quo significatur vinum defruto condire. V. FRUOR. *F.*]

DĔFŪAM, as, at, pro *desim*, *is*, *it*, usitatum veterib. *Pl. Bacch.* 1, 1, 3. Metuo, ne defuat oratio. Al. leg. *defuerit*.

DĔFŪGA, ae, m. qui defugit, perfuga, transfuga. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 42. Idolis litare nigris, esse Christi defugas. *Impp. Arcad.* et *Hon. Cod. Theod.* 12, 19, 3. Curiae vel collegii defugae.

DĔFŪGĬO, is, ūgi, a. 3. *ἀποφεύγω*, *ἀναχάζω*, effugio, evito, recuso. *Cic. Tusc.* 5, 41. Injurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Est qui legat *diffugiendo*. *Liv.* 5, 38. *ad f.* Circa ripam Tiberis, quo totum sinistrum cornu defugit. Est qui malit *diffugit*. *Caes. B. G.* 6, 12. Aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. *Id. B. C.* 1, 32. Orat, rempublicam suscipiant atque una secum administrent: sin timore defugiant etc. *Cic. Planc.* 32. Nullas sibi neque contentiones, neque dimicationes, nec pro republica, nec pro me defugiendas putavit. *Varr. R. R.* 2, 4. Nec tamen defugio, quin dicam quae scio de suillo pecore. *Plin. ep.* 1, 8. *ad f.* Defugere assentationem vulgi et acclamationem. *Grat. Cyn.* 459. Defugere ab sacris. ℙ *Defugere auctoritatem*. V. AUCTORITAS. ℙ *Defugere proelium*, vitare, nolle pugnare, apud *Caes. B. C.* 1, 82., ubi alii leg. *diffugere*, sed minus recte. Differunt enim haec duo, quod *diffugere* est hac illac diversos fugere: et fere de pluribus dicitur: *defugere* est devitare, recedere, recusare, ut dictum est: et de uno etiam usurpatur. [*V. de differentia horum vv. *Davis.* ad *Caes. B. C.* 1, 82. et *Drak.* ad *Liv.* 5, 38, 8.]

DĔFŪGO, as, a. 1. idem quod fugo. *Theod. Prisc.* 1, 4. Capillos locis propriis defugabis, si etc.

DĔFULGŪRO, as, a. 1. ignem, quasi fulgur, emitto. *Auson. Perioch. Iliad.* 5. Undantem clypeus defulgurat ignem.

*DĔFUNCTĬO, onis, f. *Salvian. de Gub. Dei* p. 28. *Rittersh.* Obtulit (*Abrahamus filium*), et quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolavit. ℙ Item defunctus, mors. *Vulg. Sirac.* 1, 13. Et in die defunctionis suae benedicetur. *B. A.*

DĔFUNCTORIE, adv. *πρὸς ἀφοσίωσιν*, perfunctorie, leviter, remisse, ita ut defunctus esse officio videare, non acriter et data opera. *Sen. Contr.* 5, 31. *sub f.* Defunctorie causam meam egissem? *Ulp. Dig.* 38, 17, 2. *a med.* Defunctorie aliquid petere. [*Adde *Not. Tir.* p. 110. *F.*]

DĔFUNCTORĬUS, a, um, adj. levis, remissus. Defunctorium enim dicitur quidquid ita fit, ut ad defungendum officio satis esse videatur. *Petr. Sat.* 136. Nec satiatus defunctorio ictu, morte me anseris vindicavi. *Id. ib.* 132. Apodixin mihi defunctoriam redde.

DĔFUNCTUS, a, um, part. a *defungor*, qui peregit quod facere debuerat, atque adeo qui evasit, solutus, liberatus, *ἀπηλλαγμένος*. *Hor. Od.* 3, 24, 15. Defunctumque laboribus Aequali recreat sorte vicarius. *Cic. Verr.* 2, 5, 68. Defunctus honoribus. *Liv.* 25, 35. Defuncti suo bello. [*Sic etiam *defungi militia*, i. e. non jam militem esse. Hinc absolute *Ov. Am.* 2, 9, 24. Me quoque, qui toties merui, sub amore puellae, Defunctum placide vivere tempus erat. Hoc ego malim, quam quod probat *Burm. alter* ad *Prop.* 4, 1, 137., ut conjungatur et mutetur sic: puella Defunctum, i. e. puellis non jam idoneum.] *Cic. Rosc. Am.* 8. Cum etiam qui ante metuerant, redirent, ac jam defunctos se periculo arbitrarentur. *Liv.* 3, 8. Defuncta morbis corpora salubriora esse inceperunt. *Curt.* 4, 4. *extr.* Carthago multis casibus defuncta, i. e. quum perpessa esset. *Id.* 8, 1. Prospero eventu defunctus Alexander, i. e. quum periculum feliciter evasisset. *Liv.* 4, 52. Defuncta civitas plurimorum morbis, perpaucis funeribus. *Id.* 10, 29. Vicisse Romanos, defunctos consulis fato. *Ov. Met.* 9, 254. Idque ego defunctum terra coelestibus oris Accipiam, *h. e.* terrena parte solutum. V. locum. *Plin.* 25, 2, 5. Ceteri sermone herbas tradidere: aliqui ne effigie quidem indicata, et nudis plerumque nominibus defuncti. *Justin.* 12, 2. Defuncti responso, *h. e.* qui oraculi responsum, ac jussa impleverunt. ℙ *Defunctus vita*, qui suum vitae curriculum, quem debuit, implevit et ad plures transiit. *Virg. G.* 4, 475. defunctaque corpora vita Magnanimûm heroum. Sic *Hor. Ep.* 2, 1, 21. nisi quae terris semota suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit, *h. e.* quae sua vivendi tempora implevere. Et cum accus. *Tibull.* 3, 3, 9. cum praemensae defunctus tempora lucis Nudus Lethaea cogerer ire rate. ℙ Dicitur etiam *Defunctus morte*, qui mortem oppetit. *Curt.* 3, 11. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti. *Suet. Caes.* 89. Neque quisquam sua morte defunctus est. ℙ Et absolute *defunctus* est mortuus. *Curt.* 4, 10. Mater Darii defuncto assidens corpori. *Flor.* 3, 20. Duces defuncti proelio. *Ov. Am.* 1, 8, 108. Ut mea defunctae molliter ossa cubent. *Plin. ep.* 9, 9. Oblivisci defunctorum. Adde *Mart.* 8, 57. *Lucan.*, *Suet.*, *Tac.* etc. ℙ Passive. *Claud. Phoen.* 40. tunc conscius aevi Defuncti reducisque parans exordia formae, *h. e.* aetatis transactae. ℙ [Vocem *defunctus*, utpote ominosam, nunquam aut raro admodum in antiquis sepulcrorum titulis usurpatam existimarunt nonnulli, easque inscriptiones, in quibus ea legitur, ad Christianos homines pertinere. Utrumque falsum esse citatis exemplis sane pluribus probat *Clem. Biagi* in *Monum. Graec.* et *Lat. Mus. Nanian.* p. 198. *F.*]

DĔFUNCTUS, us, m. idem quod mors. *Tert. adv. Valent.* 26. Defunctui subjacere.

DĔFUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. *χαταχέω*, deorsum, fundo, effundo. *Stat. Th.* 1, 352. Auster defundit imbres. *Colum.* 12, 50. Quod defluxerit in rotundum labrum, protinus capulator depleat, et in fictilia labra defundat. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. Ovi album in vas defundendum est. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 5. Sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. ℙ [*Vocabulum solemne in libationibus. V. *Heind.* ad h. l. Similis est usus, quum de cornu tanquam de poculo aliquid funditur: *Hor. Ep.* 1, 12, 29. aurea fruges Italiae pleno defundit Copia cornu. V. *Fea* ad h. l. — Etiam de ambrosia, in pateram infusa: *Virg. G.* 4, 416. liquidum ambrosiae defundit odorem. Cf. *Voss.* ad h. l.] ℙ *Defundere vinum* proprie significat in pateram, vel cyathum ex dolio, aut cado fundere bibendi causa. *Diffundere* autem, ex lacu in amphoram, cadum, vel dolium condere servandi causa. Haec tamen apud scriptores saepe librarii confudere. [*V. in hanc rem *Burm.* ad *Ov. Her.* 8, 61.] *Hor. Sat.* 2, 2, 58. Ac, nisi mutatum parcit defundere vinum. *Ov. Fast.* 5, 517. Quaeque puer quondam primis diffuderat annis, Prodit fumoso condita vina cado. *Plin.* 14, 14, 16. Apothecas fuisse, et diffundi solita vina, apparet indubitato Opimiani vini argumento. ℙ Contraria ratione *Pallad.* 1, 18. Ex lacubus canales structi per parietes currant, et subjectis lateri suo doliis manantia vina defundant. ℙ [*De confusione vv. *defundere* et *diffundere* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 615.]

DĔFUNGOR, eris, ctus sum, dep. 3. *ἀπαλλάττομαι*, idem quod fungor, vel omnino et plene fungor, perfungor, officium partesque meas plene exsequor, atque adeo liberor, solvor officio, molestia, periculo. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis. *Liv.* 1, 4. Defungi imperio alicujus. et *ib.* 25. Ille defungi proelio festinat. *Sen. Hipp.* 128. nulla Minois levi Defuncta amore est: jungitur semper nefas, *h. e.* leviter amavit. *Id. Phoen.* 338. Defungi scelere. *Liv.* 5, 5. Instare et perseverare defungique cura. *Id.* 29, 21. Libera corpora placere Locrensibus restitui, non levi defuncturum poena, qui non restituisset. *Justin.* 1, 5. Defungi somnio, *h. e.* somnii sortem implere. *Id.* 12, 2. responso oraculi. *Curt.* 6, 2. Soliti parco ac parabili victu ad implenda naturae desideria defungi. ℙ Absolute vel cum casu instrumenti: nisi forte etiam superiora ad instrumentum referuntur. *Ter. Ph.* 5, 8, 32. Cupio misera in hac re jam defungier: *paragoge* pro defungi. *Liv.* 2, 35. Adeo infensa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset, patribus. [*Bene observat *Ern.* in *Clav.* eleganter hoc v. dici de incommodo levi vel jactura. Sic *id.* 29, 21. defungi levi poena.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi. ℙ Pertinet interdum ad pensitationem tributorum. *Cic. Verr.* 2, 3, 16. Cum tribus decumis pro una defungeretur. V. FUNGOR. ℙ Passive impersonaliter. *Ter. Ad.* 3, 5, 63. Utinam hoc sit modo defunctum. ℙ Alia huc pertinentia, V. in DEFUNCTUS.

*DEFUSTATĬO, onis, f. et DEFUSTĀTOR, oris, m. apud *Augustin. B. A.*

*DEFUSTO, as, a. 1. *ξυλοκοπῶ*. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

DĔFŪSUS, a, um, part. a *defundo*, fusus. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. Defusa Mercurio delibamenta. *Sil.* 5, 454. Donec abundanter defuso sanguine late Procubuit moriens. *Hor. Od.* 4, 5, 33. te prosequitur mero Defuso pateris.

DĔFŪTŪTUS. V. DIFFUTUTUS.

DĔGĔNER, is, omn. gen. *ἀγενής*, *δυσγενής*, qui a sui generis natura longe abest. *Senec. Hipp.* 908. Degener sanguis. *Id. Agam.* 387. et *Lucan.* 8, 693. Proles degener. *Plin.* 10, 3, 3. Aquila imbellis et degener. *Id.* 17, 5, 3. Atrae et degeneres herbae. *Id.* 37, 4, 15. Adamantes degeneres. *Id.* 11, 50, 111. Canum degeneres caudam sub alvum reflectunt. ℙ Translate est, qui a virtute majorum suorum recedit, vilis, ignobilis. *Virg. A.* 4, 13. Degeneres animos timor arguit. *Lucan.* 3, 149.

Metus degener. *Senec. Herc. Oet.* 1388. clamor. *Id. Hipp.* 492. haud illum niger Edaxque livor dente degeneri petit. *Lucan.* 1, 365. Degenerem togam pati, *h. e.* pati civem esse privatum sine magistratu, cum eo maxime dignus sis. *Tac. A.* 12, 19. Prece haud degenere permotus, *h. e.* non abjecta et indigna illo, a quo adhibebatur. Sic *ib.* 11, 19. Insidiae non degeneres, *h. e.* quae non dedecebant Romanos, a quibus fiebant. ℙ Cum genit. *Ov. Pont.* 3, 5, 7. Juvenis patrii non degener oris. *Id. Met.* 11, 314. patriae non degener artis. *Stat. Th.* 9, 619. sanguinis. *Sil.* 10, 69. altae Virtutis patrum. *Plin.* 5, 8, 8. Atlantes degeneres sunt humani ritus, si credimus. Nam neque nominum ullorum inter eos appellatio est. ℙ [*In nonnullis codd. apud *Lucan.* 4, 344. reperitur *degenerus;* sed ea forma non amplius reperitur. V. *Cort.* ad h. l. et quem laudat *Heins.* ad *Prud. περὶ στεφ.* 1, 113.]

*DEGĔNERATIO, onis, f. et DEGENERATOR, oris, m. *Augustin. B. A.*

[DEGĔNERĀTUS, a, um, part. a *degenero. Val. Max.* 8, 4. Vitaturum se dicerent conspectum degenerati patris. *F.*]

DEGĔNĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπίπτω, ἐκτρέπομαι,* degener fio, a mei generis natura discedo et in pejus declino mutorque. *Virg. G.* 2, 59. Pomaque degenerant succos oblita priores. *Cic. Phil.* 13, 15. Frater tuus, qui a vobis nihil degenerat. *Id. Flacc.* 11. Degenerare a virtute majorum. *Plin.* 18, 17, 44. Hordeum in avenam degenerat. *Id.* 17, 15, 25. Degenerare in feritatem. *Tac. A.* 14, 21. ad artes theatrales honesto loco ortum. *Liv.* 9, 34. Nolo ego istam in te modestiam, ne degeneraveris a familia imperiosissima et superbissima. ℙ Cum dativo poetice. [*Ita poetae sequioris aetatis. V. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 1, 81.] *Claud. IV. Cons. Hon.* 366. et patri non degeneraret Achilli. *Manil.* 4, 78. Degenerant nati patribus. *Stat. Th.* 1, 464. et Marti non degenerare paterno. ℙ Cum accus. *Ov. Pont.* 3, 1, 45. Hanc cave degeneres. *Id. Met.* 7, 542. Acer equus quondam, magnaeque in pulvere famae Degenerat palmas. *Prop.* 4, 1, 81. degenerare propinquos. [*Hanc constructionem qui illustrarint laudat *Burm.* ad h. l.] *Stat. Silv.* 3, 1, 160. degenerare honorem. *Ubique alii aliter legunt.* ℙ Pro degenerem reddere. *Colum.* 7, 12. *ad f.* Si Venus teneris canibus conceditur, carpit vires, animosque degenerat. ℙ Hinc passive. *Solin.* 17. Adulterinis coitibus degenerantur partus leaenarum. ℙ Passive impersonaliter. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 7. Mars imperii nostri pater, ubi aliqua ex parte a tuis auspiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur.

*DEGĔNIO, as, a. 1. invenustum reddo. *Cassiod.* 5. Usurpatione degeniare aliquid. *Id. ep.* 12, 11. ubi part. *degeniatus, a, um.* Cf. *Voss. de vitiis L. L.* 4, 5. *B. A.*

DĔGĔRO, is, a. 3. *φέρω,* gero. *Pl. Men.* 5, 2, 53. Mea ornamenta ad meretrices degerit. *Id. ib.* 5, 1, 41. Aurum meum domo suppilas uxori tuae, et tuae degeris amicae. ℙ Degerere in pastillos, *h. e.* conformare, pastillos ex aliqua re conficere, est apud *Plin.* 12, 27, 60,, ubi tamen veteres editiones habent *digerere.* ℙ Degerere bellum, bellum gerere. *Lucr.* 4, 965. Nautae contractum cum ventis degerere bellum. Al. leg. *cernere*, alii *degere.* [*Sic *Eichst.*] Si *degerere* retineas, versus est hypermeter, quod in *Lucretio* non rarum est.

DĔGLABRĀTUS, a, um, part. a *deglabro*, glaber factus. *Lact.* 1, 21. Isidis sacerdotes, deglabrato corpore, sua pectora tundunt.

DĔGLABRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποψιλόω,* glabrum reddo, glabro, corticem aut pilos detraho. *Paul. Dig.* 47, 7, 5. Arbores cingere est deglabrare. V. DECAVO.

DĔGLŪBO, is, psi, ptum, a. 3. *ἀποδέρω, ξυράω,* est corticem eximere; a praepos. *de*, et *glubo. Varr. R. R.* 1, 48. Quod eo folliculo deglubitur granum. ℙ Item excoriare. Unde illud: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Ita rescripsit Tiberius praesidibus provincias tributis onerandas suadentibus, apud *Suet. in ejus Vita* 32. Sic *Varr.* ap. *Non.* 2, 688. Peliam Medeae permisisse, ut se vel vivum degluberet, dummodo redderet puellum. ℙ Obsceno sensu *Auson. epigr.* 71. Deglubit, fellat, etc., *h. e.* masturbat.

DĔGLŪPTUS, a, um, part. a *deglubo*, excoriatus, pelle privatus. *Pl. Poen.* 5, 5, 33. Deglupta maena. *Marcell. Empir.* 16. *a med.* Mus degluptus.

DĔGLŪTĪNO, as, a. 1. *διαλύω,* dissolvo, quod glutinatum erat. *Plin.* 25, 13, 103. Palpebras deglutinat andrachne.

DĔGLUTTĬO vel Deglūtio, is, a. 4. *καταπίνω,* est cibum vel potum per gulam ad stomachum transmittere: a *gluttio* vel *glutio. Front. ad amic.* 1. (ed. *Maio*) *ep.* 15. Uvarum avidissimus est: primum denique hunc cibum deglutivit. *Alcim. Avit.* 4, 364. de balaena Jonae: Deglutire virum, fauces implere capaces.

DĔGO, is, degi, *sine sup.* a. 3. a *de* et *ago. Degere vitam, aetatem, tempus* est agere, quasi usque ad finem agere: ut *de* vim habeat praepos. *per:* vel quasi deorsum agere, decurrere, aetatem consumere. *Cic. Rosc. Am.* 52. Degere aetatem inter feras. *Id. Sull.* 27. foedissimam vitam ac miserrimam cum aliquo. *Id. fragm.* ap. *Augustin. Trin.* 4, 2. et in beatorum insulis immortale aevum. *Lucr.* 2, 1092. placidum aevum. *Hor. Od.* 1, 31. *extr.* senectam turpem. *Catull.* 68, 104. otia. *Pl. Most.* 3, 1, 3. a mane ad noctem usque in foro diem. *Ter. Ad.* 4, 1, 6. diem in laetitia. ℙ Absolute etiam eadem sententia usurpatur. *Plin. prooem.* 12. Etiam nunc gentes sic degunt. *Hor. Od.* 3, 29, 41. Ille potens sui, Laetusque deget, cui, etc. *Senec. ep.* 74. *ante med.* Animalia sine nequitia, sine fraudibus degunt. *Tac. A.* 4, 57. Certus procul Urbe degere. *Plin.* 6, 17, 19. et *ib.* 25, 29. Degere ex aequo cum aliquo, *h. e.* concorditer, iisdem legibus, atque institutis. *Id.* 31, 7, 41. Vita humanior sine sale non quit degere. ℙ Passive. *Cic. N. D.* 1, 19. Quaerere soletis, quae vita Deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas. *Lucr.* 2, 15. Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis Degitur hoc aevi quodcumque est! *Plin.* 12, 1, 2. Sine queis vita degi non possit. [*Degendus* ap. *Cic. Amic.* 23. Amicitia nullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. *F.*] ℙ *Degere bellum.* V. in DEGERO. ℙ *Non.* 4, 117., eumque secuti *Lipsius*, et alii *dego* poni ajunt pro *demo*, minuo, detraho, quasi *deago*, confirmantque exemplis ex *Pl. Epid.* 1, 1, 63., *Men.* 5, 1, 41. et *Aul.* 2, 1, 43. Item ex *Appul. Apol.* et *Gell.* 17, 16., in quibus omnibus locis varia ac dubia est lectio. Addi potest et illud *Caton. R. R.* 37. *sub f.* De vinea et arboribus putatis sarmenta degere, et fiscinam facere, etc. Sed hic quoque alii aliter. ℙ Degui praeterit. formavit *Auson.* pro *degi*, *epist.* 17. In comitatu deguimus ambo aevo dispari. Al. tamen leg. *degimus.* ℙ *Degere* antiqui posuerunt pro exspectare. *Festus.* Ubi alii leg. *Degerere.*

DĔGRADO, as, a. 1. gradu dignitatis moveo, honore privo. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 1, 31, 3. Verberandi degradandive senatores licentiam denegamus. Alii rectius leg. *regradandive.*

*DEGRANDESCO, is, n. 3. *Hieron. B. A.*

DĔGRANDINAT, impers. 1. vehementer grandinat. *Ov. Fast.* 4, 755. Da veniam culpae, nec, dum degrandinat, obsit Agresti fano supposuisse pecus. Quidam interpretantur, *dum grandinare desinit.*

DĔGRASSOR, aris, dep. 1. idem ac grassor. *Stat. Ach.* 1, 406. Ubi tanta injuria primos Degrassata duces. [*Appul. de deo Socrat. ante med.* p. 94. ed. *Vulcan.* Deorsum degrassantur *(aquae).* In ed. *Elm.* p. 47, 25. *deorsus degressantur* editum est. *B. A.*

*DEGRAVĀTE, adv. *August. B. A.*

DĔGRAVĀTUS, a, um, part. a *degravo*, ut Degravatus pondere, *Phaedr.* 4, 21. et *Appul. Met.* 7. *extr. Colum.* 1, 5. Aedificium paulatim degravatum pondere suo praeceps attrahetur.

DĔGRAVO, as, a. 1. *βαρύνω,* premo, aggravo. *Liv.* 4, 33. *ad f.* Etiam peritos nandi lassitudo, et vulnera, et pavor degravant. *Prop.* 3, 7, 58. Degravat unda caput. *Plin.* 9, 5, 4. Navigii statim degravari, quas insederit partes, et si diutius permaneat, etiam mergi. *Colum.* 6, 2. *extr.* Ne bos labore operis degravetur. *Senec. ep.* 30. Aetas illum degravat. *Plin.* 11, 24, 28. Mole degravante.

DĔGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *καταβαίνω,* deorsum gradior. *Liv.* 40, 22. Qua triduo ascenderat, biduo est degressus. *Tac. H.* 1, 61. Caecina Poeninis Alpibus degredi jussus. *Id. Agr.* 18. In aequum degredi non audebant. *Pl. Cas.* 3, 5, 40. Sciens de via in semitam degredere. V. DIGREDIOR. [*Nimirum sub illo verbo *Forc.* plerosque locos posuit, quos hic ponere debebat. Non enim dici potest *digredi ab oratione, a proposito*, et quae sunt hujus generis, sed ubique in talibus dicendum est *degredi.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 22, 77. quibuscum conferas, quae habet *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 21, 82. et quos ibi laudat. Quibus adde *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 6, 5. et *Brem.* ad *Nep. Pelop.* 5, 4. qui acute disputat de discrimine vv. *de* — et *digredi.* ℙ Permutantur *degredi* et *regredi*, V. *Frotsch. l. l.* — et *egredi*, *Beier.* ad *Cic. Off. l. l.*]

DĔGRĔGO. V. DISGREGO.

DĔGRESSĬO, onis, f. actus degrediendi, *καταβάσις, παρέκβασις.* Translate est figura rhetorum et quidem apud *Cic. Or.* 3. duplex. Nam *c.* 53. unam ponit inter figuras sententiarum, cum pluribus verbis integraque sententia a proposito declinatur. *Cap.* vero *seq.* recenset inter ornamenta verborum, et intelligere videtur, cum uno aut altero verbo extra rem itur rediturque statim ad prius. [*Pluribus agit de h. v. *Ernest. lex. techn. Lat.* p. 106.] Utroque loco alii leg. *digressio.* [*Male. V. quae notavimus sub DEGREDIOR.]

*DEGRESSOR. V. DEGRASSOR. *B. A.*

DĔGRESSUS, a, um, part. a *degredior*, qui degreditur. *Liv.* 21, 32. Ubi primum degressos tumulis montanos sensit. *Id.* 3, 62. Peditem ne ad pedes quidem degresso equiti parem esse. Adde 29, 32. *Tac. A.* 2, 54. Tum in specum degressus sacerdos, hausta fontis arcani aqua etc. Adde *Plin.* 8, 16, 21.

DĔGRESSUS, us. V. DIGRESSUS.

DĔGRŪMOR, aris, dep. 1. in rectum dirigere: a *gruma*, quae dicitur a *Non.* 1, 316. esse mensura quaedam, qua flexae viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum. *Enn. ib.* Degrumari ferrum. *Lucil. ib.* viamque Vis degrumari, ut castris mensor facit olim. V. GROMA.

DĔGŪLĀTOR, oris, m. qui gulose omnia consumit. *Appul. Apol.* p. 322, 32. Omnia in paucis annis degulator in ventrem condidit et dilapidavit.

*DEGŪLĀTUS, a, um, part. gulae datus. Laudatur *Plaut.* in *fragm.* Postquam degulato patrimonio pauper est factus. *B. A.* *In *Ernest. edit.* in frr. non reperio.

DĔGŪLO, as, a. 1. gulae dare, ut *Non.* 2, 223. exponit. *Suecius*, seu *Suevius*, seu *Succius* vetus poeta (quem citat etiam *Macr. Sat.* 2, 14. et alibi) apud *Charis.* 1. p. 80. Postquam inter se degularunt omnia. *Afran. ib.* et apud *Non. l. c.* Immo jamdudum occubuisse, degulasse oportuit. ℙ In verbis *Afranii* videtur alia inesse sententia, quantum ex brevi fragmento licet conjicere, *h. e.* gulam fregisse, aut quippiam hujusmodi. At V. OCCUMBO.

DĔGUNĔRE, degustare. *Fest.*, ubi Critici varia comminiscuntur, ut monstrum illud verbi expediant: *degumare* alii mallent, alii *degumiare:* a *gumia*, gulosus.

DĔGUSTĀTĬO, onis, f. actus degustandi, *γεῦσις. Ulp. Dig.* 18, 6, 1. Periculum vini sustinebit usque ad degustationem. Adde *ib.* 33, 5, 3.

DĔGUSTĀTUS, a, um, part. a *degusto*, ut Degustata vasa vel dolia, *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. et Degustatus flos corni, *Plin.* 21, 12, 42. ℙ [Translate. *Imp. Constant. M. Cod. Theod.* 16, 10, 1. Si quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiae, *Quid portendat*, ab haruspicibus requiratur, *h. e.* tactum, delibatum; vocabulo haruspicinae, ni fallor, proprio. *F.*]

DĔGUSTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀπογεύομαι,* idem quod gusto, delibo, attingo. *Ov. Pont.* 4, 10, 18. Nec degustanti lotos amara fuit. *Cato R. R.* 148. Degustare vinum. *Plin.* 8, 32, 50. carnem cervi. *Varr. R. R.* 2, 5. de vaccis: pabulum. ℙ Translate. *Cic. prooem. Paradox.* Degustabis genus hoc exercitationum earum, quibus etc. *Id. Tusc.* 5, 21. Visne, inquit, Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare? *Id. Att.* 4, 8. *extr.* Tu velim e Fabio, si quem habes aditum, odorere, et istum convivam tuum degustes. *Id. Cluent.* 26. Qui aliquid ex ejus sermone speculae degustarat. et *Senec. ep.* 33. Summatim degustare ingenia maximorum virorum. *Cic. Att.* 13, 40. Degustare aliquid de fabulis. *Tac. A.* 6, 20. Degustare imperium. *Quint.* 4, 1. Degustanda tamen haec prooemio, non consumenda, *h. e.* leviter breviterque attingenda. ℙ Pro leviter ferire. *Virg. A.* 12, 376. Lancea summum degustat vulnere corpus. *Sil.* 5, 273. leviterque e corpore summo Degustat cuspis generosum extrema cruorem. ℙ *Lucr.* igni tribuit 2, 192. subsiliunt ignes ad tecta domorum, Et celeri flamma degustant tigna trabesque. Sic *Hor. Sat.* 1, 5, 73. per veterem dilapso flamma culinam Vulcano, summum properabat lambere tectum.

[DĔGYRO, as, n. 1. ex gyro flecto. *Not. Tir.* p. 156. Degyrat. *F.*]

DĔHĂBĔO, es, a. 2. minus habeo, careo. *Hieron. ep.* 22. *n.* 35. Ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo dehabeat.

DĔHAURĬO, is, ausi, a. 4. idem quod haurio. *Cato R. R.* 66. Cum oleum sustuleris de cortina, amurcam dehaurito. Al. leg. *dehorito*, ut *plaustrum*, *plostrum* etc. ℙ Item devoro. *Tert. Pall.* 5. *ad f.* Aesopus histrio margarita pretiosa dehausit.

DĔHAUSTUS, a, um, part. a *dehaurio*, exhaustus, eductus, extractus. *Tert. Resurr. carn.* 11. *sub f.* Caro quocumque dehausta.

DĔHINC, adv. *τοὐντεῦθεν,* posthac, deinceps. *Ter. Eun.* 5, 2, 33. At nunc dehinc spero, aeternam inter nos gratiam fore. *Id. Andr. prol.* 22. Dehinc ut quiescant, porro moneo. Adde 1, 2, 19. ℙ Item postea [*imo: tum, deinde. Inservit enim, eo modo positum, enumerationi; sed exempla rara sunt.] *Cels.* 1, 3. *a med.* Primum cibis utatur: dehinc aloen sumat. [*Adde *Sall. Cat.* 3, 2. arduum est, res gestas scribere: primum quod facta dictis sunt exaequanda; dehinc, quia plerique — putant. — In seq. loco pro *dehinc* alii legunt *dein;* sed locus ipse pertinet ad superiores.] *Suet. Dom.* 8. Olim absoluta, dehinc longo intervallo repetita. ℙ Item ex eo loco. [*Loci significatio in omnibus hujus generis adverbiis prima putanda est; temporis secunda.] *Tac. A* 4, 5. Cetera Africae per duas legiones, parique numero Aegyptus: dehinc initio ab Syria usque ad Euphratem quatuor legionibus coercita. *Plin.* 3, 5, 6. Dehinc Italia, primique ejus Ligures. ℙ Apud poetas

aliquando synaeresin patitur. *Virg. A.* 1, 135. Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur. Adde *ib.* 260. et *ib.* 6, 678. etc. ℙ Aliquando disyllaba est, et primam corripit. *Virg. G.* 3, 167. Cervici subnecte: dehinc ubi libera colla. *Id. A.* 3, 464. Dona dehinc auro gravia etc. Adde *ib.* 5, 722. et *ib.* 8, 337., *Hor. A. P.* 144., *Stat. Silv.* 3, 3, 63. et *Val. Fl.* 1, 551. etc. Disyllabam prima producta nondum vidimus. [*Plerisque in locis codd. fluctuant inter *dein*, *deinde*, *dehinc*.]

DĒHISCO, is, n. 3. *ἀποχάινω*, est valde hiscere, rimas agere, findi. *Senec. ep.* 30. Succurri non potest navigio dehiscenti. *Virg. A.* 4, 24. Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat. *Id. ib.* 1, 110. his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit. *Id. ib.* 6, 52. neque enim ante dehiscent Attonitae magna ora domus. *Plin.* 21, 4, 10. Rosa paulatim rubescens dehiscit ac sese pandit. *Id.* 8, 21, 30. Tauri silvestres rictu ad aures dehiscente. *Id.* 33, 6, 33. Stibium fissuris, non globis dehiscens. [*Liv. *fr. lib.* 91. dehiscere ingentibus rimis.] *Id.* 35, 15, 52. Alumen dehiscens in capillamenta. *Id.* 9, 15, 20. Thymi pinguescunt in tantum, ut dehiscant. *Liv.* 29, 2. Immittere equites in dehiscentem intervallis hostium aciem. *Cels.* 8, 1. *sub f.* Atque ea quoque ossa, infra suprague conjuncta, media dehiscunt, *h. e.* distant. ℙ *Dehisse* praeteritum infiniti. *Varr. L. L.* 4, 32. In eo loco dehisse terram.

DĒHONESTAMENTUM, i, n. *ἀτιμία*, *αἰσχύνη*, quod gratiam et honestatem alicui rei adimit Unde vultus dehonestamentum dicitur cicatrix, vultum hominis dedecorans. *Sall.* apud *Gell.* 2, 27. Quo dehonestamento corporis maxime laetabantur. Adde *Taciti* similem locum *H.* 4, 13. ℙ Item contumelia, turpitudo. *Senec. Const. Sap.* 19. *in f.* Contumeliae, verba probrosa, ignominiae, et cetera dehonestamenta. *Tac. A.* 12, 14. Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiae suae, et in nos dehonestamento. *Id. H.* 2, 87. Scurrae, histriones, aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. *Id. A.* 14, 21. Sine ullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. *Justin.* 28, 2. Qui uxores cum propter originis dehonestamenta non invenirent, vi publica rapuerint.

DĒHONESTĀTĬO, onis, f. dedecoratio, dehonestamentum. *Tert. Pudic.* 18. Dolores et dehonestationes sustinet.

DĒHONESTO, as, a. 1. *ἀτιμάζω*, dedecore afficio, honestatem adimo. [*Liv. 41, 6. famam, quod indignum sit, maculari dehonestarique.] *Trebell. Gallien.* 16. Romanum dehonestantes imperium. *Tac. A.* 16, 24. Dehonestare famam suam. *Id. ib.* 3, 70. bonas artes. Adde *Suet. Claud.* 30.

DĒHONESTUS, a, um, adj. non honestus. *Gell.* 19, 10. Dehonestum deculpatumque verbum.

DĒHONORĀRĬUS, a, um, adj. inhonestus. *Tert. Apol.* 39. Si quod arcae genus est, non dehonoraria summa, quasi redemptae religionis congregatur. Al. leg. *de honoraria*, alii *de oneraria*.

DĒHONORĀTUS, a, um, adj. honore privatus. *Oros.* 2, 2. Dehonorata Babylon.

*DĒHONORO, as, a. 1. *ἀτιμάζω*, honore privo vel privare conor. *Salvian. contr. avar. l.* 3. p. 106. *B. A.*

DĒHORTĀTĬO, onis, f. *ἀποτροπή*, actus dehortandi. *Tert. adv. Marc.* 4, 15. *ad f.* Comminatio dehortationis accessio est.

DĒHORTĀTĪVUS, a, um, adj. ad dehortandum inserviens. *Prisc.* 15. p. 1020. *Ne* est dehortativum.

DĒHORTĀTŌRĬUS, a, um, adj. *ἀποτρεπτικός*, ad dehortandum pertinens. *Tert. Apol.* 22. Dehortatorium plane a bono.

DĒHORTOR, aris, com. 1. *ἀποτρέπω*, dissuadeo. *Cic. Pis.* 39. Res ipsa et reipubl. tempus aut me ipsum, aut alium quempiam aut invitabit aut dehortabitur. *Auct.* ad *Her.* 3, 3. *ad f.* Dehortari ab aliqua re. *Ter. Ph.* 5, 7, 17. Dehortatus est me, ne darem. *Cato* apud *Gell.* 13, 24. Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires. [*Sic etiam *Tac. A.* 3, 16. Piso repetere Syriam dehortatus est.] *Sall. Jug.* 33. Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipubl. omnia superet, *h. e.* a vobis alienant, deterrentque a vobis defendendis. *Auson. Perioch. Iliad.* 3. Alexander frustra Agamemnone dehortante congreditur. ℙ Prima syllaba longa est. *Enn.* ap. *Gell.* 7, 2. Annibal audaci cum pectore dehortatur, Ne bellum faciam. *Non.* 2, 33. legit *de me hortatur*, h. e. me dehortatur: ut sit tmesis.

DĒIĀNĪRA, ae, f. *Δηϊάνειρα*, filia fuit Oenei Aetoliae regis, cujus regia Calydon erat. Propter pulcritudinem a multis procis expetebatur. Tandem primo desponsata est Acheloo, deinde Herculi. Itaque nuptiarum gratia ortum est inter eos certamen. Sed, Acheloo victo, Herculi cessit. Porro cum Hercules transiturus esset Evenum Aetoliae fluvium, qui tunc temporis maxime excreverat, Nessus centaurus seipsum ultro obtulit ad transvehendam Deianiram: eaque celeriter trajecta, dum Hercules tardius sequitur, longe stans vitiare voluit. Quod videns Hercules, sagittis Hydrae sanguine infectis centaurum transfixit. Hic se moriturum sentiens, ut hostem ulcisceretur, Deianirae vestem suam proprio sanguine perfusam dono dedit, asserens, ei vim amatoriam inesse, et si hac maritus indueretur, ipsum ab aliarum mulierum amore avocatum iri. Mulier nimis credula munus accepit. Cum autem audisset maritum suum in Euboea amore Ioles Euryti filiae detineri, Nessi vestem viro perferendam Lychae [*Lichae] famulo tradidit. Hercules nihil mali suspicans, cum paulo post in Oeta monte Jovi sacrificaturus eam induisset, tantis cruciatibus affectus est, ut in furorem versus, Lycham [*Licham] e monte in Euboicum mare dejecerit, qui in scopulum mutatus est: ipse autem, arcu et sagittis Philoctetae commissis, se in ardentem pyram conjecerit. Quod Deianira audiens, dolore percita, Herculis se clava interfecit. Ex ejus sanguine nata est herba, quae Nymphaea, item Heracleon dicitur. *Ov. Met.* 9., *Senec. Herc. Oet.*, *Hyg. fab.* 34. et 36. etc.

*DEICIO. V. DEJICIO.

DĒIDAMĬA, ae, f. *Δηϊδάμεια*, filia fuit Lycomedis regis Scyri insulae, quam Achilles, cum inter regis hujus filias sub muliebri habitu lateret, gravidam fecit, et ex ea Pyrrhum genuit. *Prop.* 2, 9, 15. Scyria nec viduo Deidamia toro. V. *Stat. Ach.* 1.

DĒJECTĒ, adv. abjecte. *Tert. adv. Marc.* 2, 27. *sub f.* Lenitatem Dei, pro captu mediocritatis humanae dejectius conversatam, ut pusillitatem depretiatis.

DEJECTĬO, onis, f. actus dejiciendi, depulsio, *καθαίρεσις*, *καταβολή*. *Cic. Caecin.* 20. Qui illam vim dejectionemque tuo rogatu aut tuo nomine fecerit, *h. e.* expulsionem de fundo. *Modestin. Dig.* 49, 16, 3. Poenae militum sunt militiae mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio. *Firmic. Math.* 2, 3. Altitudines stellarum et dejectiones. ℙ Translate. *Senec. Qu. Nat.* 2, 59. Honestius judicas dejectione animi perire, quam fulmine? *h. e.* abjectione, demissione. ℙ Apud medicos *dejectio* (subintellige *alvi*) est alvi solutio. *Cels.* 1, 3. Dejectio a medicamento petenda est, ubi venter suppressus parum reddit. *Id.* 2, 12. Moliri dejectionem medicamentis. *Id. ib.* 7. Subita dejectio. *Id. praef. ad f.* Laborare dejectionibus. *Senec. ep.* 120. *a med.* Alias nervi nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc destillatio.

DEJECTĬUNCŪLA, ae, f. diminut. levis dejectio. *Scribon. Compos.* 52. Faciunt ad dejectiunculas et ad omnem fluorem.

DEJECTO, as, a. 1. frequentat. a *dejicio*. *Mattius* in *Mimiambis* apud *Gell.* 20, 9. Dein coquenti vasa cuncta dejectat.

DEJECTOR, oris, m. qui dejicit. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. §. 4. In factum dandam esse actionem Labeo ait adversus dejectorem. Plane si locaverit dejectori, etiam ex locato habebit actionem, *h. e.* qui e fenestra in caput praetereuntium quidpiam dejecerit.

DEJECTUS, a, um, part. a *dejicio*, deorsum jactus, deturbatus. *Virg. A.* 9, 770. Caput ictu ensis dejectum. *Caes. B. C.* 2, 22. Dejecta turris. *Id. B. G.* 7, 28. Hostes muro turribusque dejecti. *Liv.* 28, 7. Dejectum praesidium, i. e. pulsum. *Ov. Fast.* 2, 353. lecto graviter dejectus ab alto. *Caes. B. G.* 5, 43. Dejectus in inferiorem locum. [*Cic. *Caec.* 17. dejectus vero, qui potest esse quisquam, nisi in inferiorem locum de superiore motus? potest pulsus, fugatus, ejectus denique: illud vero nullo modo potest, dejectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne aequo quidem aut plano loco.] *Curt.* 6, 2. Dejecti in terram oculi. *Virg. A.* 11, 480. Lavinia oculos dejecta decoros, *h. e.* habens oculos dejectos: Graeca constructio. Sic *Stat. Th.* 3, 367. Dejectus vultum. *Ov. Am.* 2, 4, 11. Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos. [*Similia collegit *Burm.* ad *Prop.* 1, 1, 3. Est in aliis locis signum modestiae, in aliis animi fracti, quo sensu opponitur *tollere vultum*, *supercilium*.] *Tac. A.* 14, 30. Feminae in modum Furiarum, veste ferali, crinibus dejectis. *Val. Fl.* 3, 594. Flumina dejecta saxis, i. e. quae cadunt de rupibus. *Virg. A.* 4, 152. ferae saxi dejectae vertice caprae, Decurrere jugis. [*Neutrali sensu *Liv.* 2, 62, 1. tempestas, cum grandine ac tonitribus coelo dejecta.] ℙ Item abrasus, detractus. *Plin.* 28, 17, 69. Ramenta pellis cervinae dejecta pumice. ℙ Item laesus ex eo, quod ex alto dejectus sit. *Plin.* 26, 13, 85. Ruptis convulsisque, ex alto dejectis, centaurium majus. *Id.* 29, 2, 9. Lanam succidam imponunt incussis, collisis, contritis, dejectis. V. DEJICIO. ℙ Item prostratus, occisus. *Curt.* 3, 5. Non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse. *Nep. Thras.* 2. *extr.* In proelio cecidit Critias. Hoc dejecto etc. [*Hoc loco melius interpreteris cum *Bremio*: quum is de fastigio suo deturbatus, ad nihil redactus esset.] *Curt.* 8, 1. Quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu cum exercitu epulatus est. *Virg. A.* 6, 381. Titania pubes dejecti fulmine. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 1, 8. Dejectus spe. *Id. ib.* 5, 46. opinione. *Virg. A.* 10, 857. quamquam vis alto vulnere tardat, Haud dejectus, equum duci jubet, i. e. haud perculsus. (Adde *Stat. Th.* 3, 315.) *Id. ib.* 3, 317. quis te casus dejectam conjuge tanto Excipit? [*Ut *Tac. A.* 11, 29. dejecta uxor, sc. matrimonio. — *Id. ib.* 15, 40. dejectae solo regiones i. e. igne dirutae.] *Stat. Th.* 5, 47. Dejectus regno. [*Ut *Tac. A.* 2, 3. ubi opponitur *impositus*.] *Cic. Att.* 16, 15. de gradu. V. DEJICIO. [*Cic. *Verr.* 2, 3, 51. aratores *dejecti* dicuntur, qui propter damna agros latos ac fertiles deserere totasque arationes derelinquere coacti erant. Idem *cap. seq. ejecti* dicuntur. ℙ *Dejecta* dicuntur quae celeriter et negligenter scripta sunt, nos *hingeworfen*. *Cic. Rosc. Com.* 2. Quid est quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? — — haec sunt dejecta, illae in ordinem confectae.] ℙ Abjectus, vilis. *Tert. adv. Marc.* 1, 6. Cum duo Dei pronunciantur, duo summa magna, necesse est, neutrum altero sit aut sublimius, aut dejectius. ℙ [*Commutantur *dejectus* et *deletus*, V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 21, 10. 31, 29, 11. — et *disjectus*, *Id. ib.* 38, 56. et *Heins.* ad *Ov. Met.* 12, 108. — et *directus*, *Id. ib.* 2, 62, 1. — et *detectus*, *Lips.* ad *Tac. Orat.* 26.]

DEJECTUS, us, m. dejectio. *Liv.* 9, 2. Angustias septas dejectu arborum, saxorum ingentium objacente mole, invenere. *Ov. Met.* 1, 570. de Peneo fluvio: Dejectuque gravi tenues agitantia fumos Nubila conducit, summasque aspergine silvas Impluit, *h. e.* praecipites deorsum aquas agendo. *Senec. Consol.* ad *Marc.* 18. *ante med.* dejectus fluminum. Et *ep.* 56. *ante med.* Dejectus aquae. ℙ Item locus declivis, unde aliquid dejici potest. *Plin.* 33, 4, 21. Ad capita dejectus in superciliis montium piscinae cavantur, *h. e.* ubi aqua incipit dejici. *Vitr.* 6, 3. Trabes habeant asseribus stillicidiorum in medium compluvium dejectus. *Caes. B. G.* 2, 8. Collis ex utraque parte lateris dejectus habebat, *h. e.* declivitates. [*Cf. *Herzog*.] *Plin.* 2, 70, 71. In dejectu positus. ℙ Item injectus. *Stat. Th.* 4, 271. Cornipedem trepidos suetum praevertere cervos, Velatum geminae dejectu lyncis agebat, *h. e.* injectu pellis e lynce. ℙ [*Pro *fuga* intelligendum esset *Sil.* 12, 190. Nec Libys — dejectum sperare valet, i. e. non sperat se dejecturum vel fugaturum esse hostes. — Sed *Drak.* legit *dejectus* i. e. perturbatus, et aliter interpungit.]

DEJĔRĀTĬO, onis, f. juramentum. [*Inscr.* optimae notae apud *Marin. Frat. Arv.* p. 70. Idcirco nihilominus dejeratio esto apud magistros. *F.*] *Tert. Poenit.* 4. Testari sub dejeratione.

DEJĔRO, as, avi, atum, a. 1. *διόμνυμι*, valde juro. [*De transmutatione formae ex *dejuro* V. *Prisc.* p. 554. (1, 6, 36. *ed. Kr.*) *Pl. Men.* 5, 2, 63. Me abstulisse dejerat. *Prop.* 4, 3, 42. Dejerat hiberni temporis esse moras. [*V. intpp. ad h. l., maxime *Burm.*] *Ter. Hec.* 5, 2, 5. Bacchis dejerat persancte. *Gell.* 1, 3. Dejerare falsum. *Varr. L. L.* 4, 10. Dejerare per coelum. Hic pro simplici *juro* ponitur. ℙ Dicitur etiam *dejuro*, *as. Pl. Cas.* 3, 5, 37. Per omnes Deos et Deas dejuravit, occisurum eum hac nocte. Adde *Rud.* 5, 2, 49. et *Gell.* 7, 18. et 11, 6. ℙ Ad locum cit. *Terentii* subdit *Donatus*, paenultima correpta dici *dejĕro* cum significat Deos juro: producta vero, cum, valde juro. Cave, homini horum quidquam creduis.

DĒĪFĪCUS, a, um, adj. qui Deos facit. *Tert. Apol.* 11. Concedetis, illum Deum deificum justitia praecellere.

DEJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. *καταβάλλω*, deorsum jacio. *Hor. Od.* 1, 2, 15. vidimus Tiberim Ire dejectum monumenta regis, Templaque Vestae. [*Cic. *Leg.* 2, 26, 64. si quis bustum aut monumentum aut columnam violarit, dejecerit, fregerit. *Nep. Alc.* 3, 2. V. ad hos locos *Goer.* et *Brem.* Involvit v. *dejicere* notionem mutilandi; neque tamen idem est quod mutilare. Alio sensu apud *Liv.* 38, 56. statua dicitur *disjecta*.] *Auct. B. Hisp.* 13. Ballista dejecit turrim. *Tac. A.* 6, 19. Saxo Tarpejo dejicitur. *Liv.* 4, 19. Equo quempiam dejicere. *Pl. Stich.* 2, 2, 31. araneas de foribus. *Virg. A.* 8, 427. Fulmen erat: toto Genitor quae plurima coelo Dejicit in terras. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. aliquid in mare. *Id. Rosc. Am.* 35. de ponte aliquem in Tiberim. [*V. de h. l. *Clav. Cic. Suet. Caes.* 80. utrumne illum — e ponte dejicerent.] *Id. Phil.* 1, 2. jugum a cervicibus. *Liv.* 28, 6. Venti a praealtis montibus se dejiciunt. [*Habet h. v. interdum significationem mediam. Quare in h. l. nunc rectius *se* omittitur, ut jam *Drak.* voluit, ut *id.* 28, 15, 11. nisi ex vehemente sole — tanta vis aquae dejecisset. Sic etiam usurpatur *praecipitare* pro *se praecipitare*. V. *Hand. Tursell.* p. 14.] *Nep. Dion.* 4. Dejicere se e superiore parte aedium. *Caes. B. C.* 1, 18. se de muro. *Id. B. G.* 3, 26. se per munitiones. *Cic. Phil.* 8, 2. Cujus praesidium Claterna dejecit Hirtius. [*Saepe construitur cum solo ablativo. V. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 39. Omnino *deji-*

cere hostem est i. q. pellere, expellere ex aliquo loco. V. *Ruhnken.* ad *Rutil. Lup.* p. 148. — et locum *Cic. Caec.* 17. sub DEJECTUS. *Tac. G.* 37, 5. Oriens infra Ventidium dejectus, i. e. subjectus, prostratus. V. *Hess.*] *Caes. B. C.* 1, 37. Praesidium ex saltu dejicere. *Id. B. G.* 4, 28. Tanta tempestas coorta est, ut naves ad inferiorem partem insulae dejicerentur. [*Est *dejicere* elegans et legitimum verbum de navigantibus, qui ab instituto cursu depelluntur, ut docet *Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 1, 2. *Drak.* ad *Liv.* 44, 19. *coll.* ad 23, 34, 16.] *Id. B. C.* 1, 6. Dejicere sortes, *h. e.* in urnam conjicere sortiendi causa. *Pl. Stich.* 2, 2, 36. Dejicere pernam et glandium, *h. e.* detrahere e carnario in usum coenae. *Liv.* 23, 47. equum in viam, *h. e.* e loco altiore in viam demittere. *Id.* 1, 40. *extr.* Elatam securim in caput dejecit, *h. e.* defixit. *Id.* 7, 10. *a med.* Vanum caesim cum ingenti sonitu ensem dejecit. [**Suet. Caes.* 9. togam de humero dejicere. Alii *rejicere* habent. Inter haec quid interesse videatur, docet *Bremi.* Namque *dejicere togam* est extremum ejus lacinium sumere de humero et imponere brachio sinistro; *rejicere* autem est togae lacinium de brachio sumtum jacere in humerum. Pro *dejicere* eodem sensu recte etiam dicas *demere.* V. *Burm.* ad *Oc. Her.* 18, 103.] *Cato R. R.* 156. et 158. Alvum si voles dejicere. Hinc Dejectio. (V. DEJECTIO.) *Varr. R. R.* 2, 11. Casei ovilli minimi cibi, et, qui facillime dejiciantur, caprini. ℙ Significat etiam prostrare et occidere. *Virg. A.* 11, 641. Catillus Iolam Ingentemque animis, ingentem corpore et armis Dejicit Herminium. *Val. Fl.* 1, 190. Glaucoque bovem, Thetidique juvencam Dejicit Ancaeus, *h. e.* mactat. [*Alia hujus generis multa collegit *Drak.* ad *Sil.* 2, 96. 9, 39. 15, 466.] ℙ Dejicere oculos *Cic. Verr.* 2, 4, 15. Pueri oculos de isto nusquam dejicere, neque ab argento digitum discedere. *Id. ib.* 2, 5, 71. Si tantum oculos dejecerimus, praesto esse insidias. V. alia in DEJECTUS, a, um, [*et quae ibi notavimus.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 37. Nos magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni dejecimus. *Id. Verr.* 1, 2, 8. Dejicere aliquem aedilitate, *h. e.* efficere ut aedilitatem non obtineat. (Sic *Liv.* 38, 35. Cum M. Aemilium Lepidum inimicum, eo quoque anno petentem (*consulatum*) dejecisset. [**Id.* 39, 41. coierantque candidati omnes ad dejiciendum honore eum. Cf. de hac significatione intpp. ad *Eund.* 37, 47, 7.]) *Id. ib.* 2, 5, 62. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur. *Id. Phil.* 1, 1. Dejicere oculos a republica, *h. e.* avertere. *Id. Verr.* 2, 5. 49. *extr.* alicui metum, i. e. eximere. *Id. Tusc.* 2, 5. multum de terrore doloris, *h. e.* detrahere, deminuere. [*Hac *detrahendi* significatione legitur apud *Quint.* 10, 4, 1. Hujus operis est *adjicere, detrahere*, mutare. Sed facilius in iis judicium, quae *replenda* vel *dejicienda* sunt. Ubi V. *Spald.* Ita jam *Cic. Tusc.* 1, 8. Vide, quantum mali de humana conditione dejeceris. *Ib.* 4, 37.] *Id. ib.* aliquem de sententia, i. e. avertere, demovere. *Id. Off.* 1, 23. aliquem de gradu, *h. e.* de constantia deducere: ductum ab iis, qui pugnantes retro impelluntur ab adversario. Est autem proverbii genus, ut *Cic. ib.* admonet. ℙ Pertinet etiam ad consuetudinem forensem, qua *dejicere* dicuntur, qui de possessione aliquem expellunt. Hac de re multa *Cicero pro Caecin.* [*8. 13. 17.] et *JCti Dig.* toto *tit.* 15, *l.* 43. ℙ Alia huc pertinentia V. in DEJECTUS, a, um. ℙ *Libellos dejicere* publice propositos, quibus bona alicujus proscribebantur, eorumque auctionem certo die futuram edicebatur, est idem ac revellere. *Cic. Quint.* 6. *ad f.* Libellos Sex. Alfenus, procurator P. Quintii, familiaris et propinquus Sex. Naevii dejicit. *Senec. Ben.* 4, 12. Sponseo pro judicato, et suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus; ut possim servare praescriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. V. LIBELLUS. ℙ [*Saepe reperitur in antiquis monumentis scriptura *deicere*, a *de* et *icere*, quod voc. a *jacere* nonnisi pronuntiatione et scriptione discrepasse videtur *Beiero* ad *Cic.* frr. p. 42. ubi de hujusmodi formis multa disputavit.]

DEJĬCĬTANS. V. DECITANS.

*DEIMMITTO, is, a. 3. *Varr.* ap. *Non.* 4. *n.* 335. Deimmittit virile veretrum in flumen. Al. leg. *dein mittit*, et rectius. *B. A.*

DĔIN, adv. ordinis, idem ac *deinde* per apocopen. *Cic. N. D.* 2, 42. Dein quae sequuntur. *Hor. Sat.* 1, 3, 101. Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis. *Ter. Andr.* 3, 3, 30. Spero, dein facile ex illis sese emersurum malis. *Liv.* 9, 31. Dein postquam ad signa undique coibant, consul desilit ex equo. *Plin.* 5, 32, 40. Appellata est Cronia, dein Thessalis, dein Maliande. [*Observat *Drak.* ad *Liv.* 3, 3, 6. (et 34, 40, 4.) saepe se in optimis libris invenisse *dein*, ubi in deterioribus scriptum exstet *deinde.* Ad priorem locum nubem exemplorum, quae hoc probent, collegit. Omnino saepissime in libris mss. variari inter utramque vocem per se intelligitur. V. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 4, 18.] ℙ Poetae fere monosyllabon faciunt. Ad *Hor.* allatum adde *Catull.* 5, 8. et 10., et *Prop.* 3, 8, 15. et 4, 8, 83. Tamen primam corripit *Paul. Nol.* 17, 131. Excita, ut mersum (*Jonam*) caperet, deinque Redderet haustum.

DĔINCEPS, ἑξῆς, [*ἐφεξῆς], adv. quo significatur ordo continens unius rei post aliam subsequentis: a *deinde* et *capio* ut *Fest.* docet. [*De primitiva hac significatione exposuerunt *Wopk. lectt. Tull.* p. 255. (344. *ed. Haud.*) qui, relationem, inquit, habet ad seriem quandam et successionem; porro *Drak.* ad *Liv.* 2, 47. *Graev.* ad *Auct.* ad *Her.* 3, 18. Est enim proprie i. q. *ubi ab hoc initium ceperis;* nos: *von da an.*] *Varr. R. R.* 1, 14. Sepes ex arboribus truncis demissis in terram, deinceps constitutis. *Cic. Or.* 3, 47. Paeon oritur a brevibus deinceps tribus, extrema producta, ut *domuerant.* et *Off.* 1, 13. *extr.* De justitia satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia dicatur. *Quint.* 7, 10. Primus, secundus, deinceps. *Varr. R. R.* 3, 9. Gallinae villaticae sunt, quas deinceps rure habent in villis, i. e. perpetuo. *Caes. B. G.* 3, 29. Reliquis deinceps diebus Caesar silvas caedere instituit. *Cic. Fam.* 2, 18. Quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore, i. e. unum post alterum. *Id. Tusc.* 4, 2. Morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes. *Id. Brut.* 3. Posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt. *Id. ib.* 90. *extr.* Deinceps inde multae causae, etc. *Id. N. D.* 2, 37. Ut annales Ennii deinceps legi possint, i. e. ordine, a principio ad finem. [*Cf. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 1, 12, 45.] *Id. Off.* 1, 14. Principes sunt patria et parentes: proximi liberi: deinceps bene convenientes propinqui. [*Hoc loco est i. q. deinde, postea, quod et ipsum saepe significat, ut *Cic. Acad.* 2, 15, 46. quod deinceps facere constitui. V. *Goer.*] *Id. Div.* 1, 30. Qui primus, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset. Al. omittunt *deinde.* [*Minus recte. V. infra.] *Id. Leg.* 3, 2. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur. *Auct. ad Her.* 1, 9. Ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus, *h. e.* statim post. [**Cic. Off.* 3, 2, 9.] Sic *Varr. R. R.* 3, 8. Perge deinceps. [*Quoniam *deinde* ad enumerationem spectat, *deinceps* ad *ordinem* et *seriem* (V. supra): saepe utraque particula in eadem enunciatione reperitur. *Cic. Leg.* 3, 19, 43. Sunt deinde posita deinceps. *Id. Div.* 1, 30. V. *Hdf.* Similia sunt apud *Liv.* 45, 14. postea deinceps. 1, 44. inde deinceps. 5, 37. deinceps inde. ℙ Apud *Cic. Fin.* 3, 6, 20. sese excipiunt hae particulae: primum — deinceps — (deinceps) — deinde. Saepe *deinceps* post unum vocabulum positum reperitur. *Liv.* 5, 51. omnem deinceps agrum, ut observavit *Herz.* ad *Caes. B. C.* 3, 29.] ℙ Videtur olim adjective fuisse usurpatum, *deinceps*, *incipis*, vel *incipitis* (ut *princeps*, *anceps*) pro eo, qui proxime sequitur. *Festus:* Deincipem antiqui dicebant proximum quemque captum, ut principem primum captum. *Idem:* Deinceps qui deinde cepit, ut princeps, qui primum cepit. *Appul. Flor. n.* 16. p. 353, 33. Sine intermissione deincipe die perlecturus.

DĔINDE, adv. postea, exinde, tum, εἶτα, ἐντεῦθεν: et continuationem aliquam temporis ordinemque significat. *Cic. Fam.* 3, 7. Tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio; deinde imperatori; deinde more majorum; deinde, quod caput est, amico? (Adde *Inv.* 2, 49., ubi octies repetitur.) *Id. Agr.* 1, 2. Jubent venire agros Atalensium; deinde regios; deinde Corinthium; post autem agros in Hispania; tum vero ipsam Carthaginem. *Cels.* 2, 8. Aqua levissima pluvialis est; deinde fontana; tum ex flumine; tum ex puteo; post haec ex nive, etc. [*Alia exempla, ubi ter quaterque repetitur, collegit *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 45. *init.* coll. ad *Fam.* 3, 7, 5. (*ep.* 63. ed. suae) et praecipue *B. Crus.* in *Clav. Suet.* ℙ Cum singulari vi posuit *Liv.* 4, 49. incipite deinde mirari, i. e. post talia, his factis.] ℙ Jungitur et aliis particulis. *Varr. L. L.* 5, 6. Actionum trium, primus agitatus mentis; deinde tum dicere; ac postremo facere. *Liv.* 41, 24. *extr.* Legati deinde postea missi ab rege. *Cic. Mil.* 24. Deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis. *Ter. Andr.* 3, 2, 3. Primum fac, istaec ut lavet: post deinde, etc. *Cels.* 7, 8. Trajicere id cavum celeriter: postea deinde imponere id, quod purget. *Nep. Eum.* 5. Deinde post verberibus cogebat exsultare. *Pl. Trin.* 5, 2, 103. Deinde porro nolo quidquam praedices. *Cic. Pis.* 31. *sub f.* Deinde ad extremum neque se, neque generum tribuno plebis defuturum. ℙ [*Non raro reperitur *deinde* non praecedente *primum.* V. quae collegit *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 17, 37. — *Deinde* et *deinceps* sese excipiunt. V. supra v. praec. — Interdum ad aliud vocabulum ponitur, quam ad quod debebat. *Suet. Oth.* 10. quicquid deinde epistolarum erat, concremavit, pro: deinde concremavit, quicquid etc. Sic *Brem.* ad h. l. — Collocatur post tertium vocabulum, *Liv.* 39, 22, 1. per dies decem apparatos deinde ludos — fecit. Ubi V. *Drak.* ℙ Per quandam abundantiam ponitur post participium. *Virg. G.* 2, 391. Sic fatus, deinde comantem Androgei galeam — induitur. V. de hoc graecismo quos laudavit *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 5, 17. ℙ Interdum, ut *inde*, referendum est ad locum, eaque primaria significatio est. *Tac. G.* 42. Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni — habitant. V. *Hess.*] ℙ *Nunc deinde* ap. *Virgil.* singularem usum habet, *A.* 12, 889. Quae nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas? *h. e.* nunc postquam cursu frustra conatus es certamen evadere, postquam ensem recuperasti, deinde, seu post haec quid moraris? ℙ In carmine fere est disyllabum: passimque occurrunt exempla. Raro trisyllabum, correpta priore. *Sidon. carm.* 9, 272. Nec qui consimili deinde casu Irati fuit histrionis exsul, *h. e.* Juvenalis. *Prud. Dipt. n.* 1. Eva columba fuit tunc candida, nigra deinde. Adde *Paulin. Nolan.* 24, 45. ℙ [*Permutantur *deinde* et *demum.* V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 22. *init.*, quem laudat *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 1, 37, 103.]

DĔINSŬPER, adv. ἄνωθεν, desuper. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 12, 48. Ad medium quasi deinsuper astautium manibus in murum attollitur.

DĔINTĔGRO, as, avi, atum, a. 1. imminuo, corrumpo. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 255, Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit. Alii fortasse melius leg. *Novem virgines.*

DE INTĔGRO, adv. V. INTEGER.

*DEINTUS vel De intus, adv. ex *de* et *intus. Veg. Vet.* 3, 4. Quod si tantum in ungues descenderit, cultello leniter inter duas ungues aperies, et mundabis deintus, et postea etc. [*Egit de h. v. *Salmas.* ad *Epict. Simpl.* p. 17. De his et similibus compositis, apud sequiores scriptores haud raris, V. quos laudat *Burm.* ad *Anthol. Lat. T.* 1. p. 157.] *Vulg. Luc.* 11, 40. Qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit. Adde et v. 7. V. *Deforis. B. A.*

DĔIONĪDES, ae, [*idis], m. Δηϊονίδης, patronymicum. *Ov. Met.* 9, 442. Tunc erat invalidus. Deionidemque juventae Robore Miletum, Phoebo-que parente superbum Pertimuit, *h. e.* cui mater Deione fuit. V. MILETUS.

DĔIOPĒA, ae, f. Δηϊόπεια, una ex Nymphis Junonis. *Virg. A.* 1, 76. [**Hygin. fab. praef. Virg. G.* 4, 343. *B. A.*]

DEJOTĂRIĀNUS, a, um, adj. ad Dejotarum, Δηϊοτάρειον pertinens: quo nomine fuit rex Armeniae minoris, pro quo exstat oratio Ciceronis, quemque memorat *Lucan.* 5, 54. Tunc Sadalen, fortemque Cotym, fidumque per arma Dejotarum, et gelidae dominum Rhascuporin orae Collaudant. *Hirt. B. Alex.* 34. binas memorat legiones Dejotarianas, quas rex Dejotarus disciplina atque armatura Romana complures annos constitutas habebat. Ceterum magna eorum militum pars in ea pugna cecidit, quae a Domitio Calvino cum Pharnace Ponti rege pugnata est, ut *Id. ib.* 40 narrat. [Verum eas subinde legiones suppletas et ipsi regi Dejotaro superstites fuisse, ostendere videntur *Inscr.* ap. *Grut.* 373, 4. L. Baebius L. F. Gal. Juncinus tribunus militum legionis XXII. Dejotarianae etc. Alia apud *Passionei Iscriz. ant. cl.* 3. *n.* 10. Ti. Claudio Ti. F. Quir. Telesino 7. legionis XXII. Dejotarianae. *Serv.* ad *A.* 9, 546. Dejotariana oratio, *h. e.* Ciceronis pro Dejotaro. *F.*]

DĔĪPĂRA, ae, f. quae Deum peperit. Ita *Justin. Imp. Cod.* 1, 1, 6. Latine reddit Graecum Θεοτόκος, quod de Virgine Maria Dei matre dicitur.

DĔĪPHĪLE, es, f. Δηΐφιλη, filia Adrasti regis, uxor Tydei, mater Diomedis. *Serv.* ad *A.* 1, 101.

DĔĪPHOBE, es, f. Δηϊφόβη, filia Glauci, vulgo Sibylla Cumana. *Virg. A.* 6, 36. et *Serv.* ℙ [**Deipyla*, et profecto rectius, scriptum reperitur in *Hyg. fab.* 69. et 97. ed. *Munker.* ubi ed. *Elzev.* habet *Deiphila.* Δηϊφύλη est *Eustath.* ad *Hom. Il.* ε, 12. Adde *Apoll.* 1, 8. et 9. et 3, 6. *B. A.*]

[DĔĪPHOBUS, i, m. Δηΐφοβος, filius Priami et Hecubae, qui post mortem Paridis Helenam duxit uxorem. Haec Menelaum, conjugem olim suum, ut illius gratiam iniret, in Deiphobi cubiculum admisit, qui cum rivalem sopitum et armis spoliatum invenisset, misere prius laniatum multis vulneribus interfecit. *Virg. A.* 6, 495. et seqq.]

*DEIPYLA. V. DEIPHILE.

DĔĪRĀTUS, valde iratus. Tribuitur a nonnullis *Lucr.* 6, 69., ubi alii leg. *delibata:* [*sic *Eichst.*] al. aliter.

*DEITANĬA, ae, regio Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

DĔĪTAS, atis, f. Θεότης, divinitas. *Arnob.* 1. p. 16. A quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti se esse sentiunt. *August. Civ. Dei* 7, 1. Hanc divinitatem vel, ut sic dixerim, deitatem: nam et hoc verbo uti jam nostros non piget, ut e Graeco expressius transferant, quod illi Θεότητα appellant. *Prud. Apoth.* 144. In tribus personis Deitas una subsistit. Qui negat intuitu fontem Deitatis adiri. Adde *Hieron. ep.* 15. *n.* 4.

DEJŪGIS, e, adj. *Auson. Mosell.* 163. festinantesque coloni Vertice nunc summo properant, nunc dejuge dorso, Certantes stolidis clamoribus, *h. e.* de jugo montis declivi.

DEJŪGO, as, a. 1. ἀποζυγόω, disjungo. Translate. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 256. et 571. Per nostram egregiam unanimitatem, quam memoria dejugat.

DEJUNCTUS. V. v. seq.

DEJUNGO, is, a. διαζεύγνυμι, disjungo. *Cic. Univ.* 5. Ut eadem sint ea, quae dejuncta fuerunt. [*Sic etiam plurimi codd. habent apud *Cic. N. D.* 1, 16, 42. Sed alii *dijungit*, quod praeferendum.] *Pl. Asin.* 3, 3, 75. Dejungere amantes. *Inscr.* ap. *Grut.* 1003, 2. Si quis hac transeat juncto dejunctove jumento.

DEJŪRIUM, ii, n. ὅρκιαμὸς, jusjurandum. *Gell.* 7, 18. Quoniam dejurio vincti essent.

DEJURO. V. in DEJERO.

[DĒIUS, ei, m. δῆϊος, hostilis, acriter pugnans. Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1276, 10. C. Sempronius C. L. Deius.. *F.*]

DEJŪVO, as, a. 1. non juvo. *Pl. Trin.* 2, 2, 63. [*al.* 68.] Deserere illum et dejuvare in rebus adversis pudet. [**Lindem.* ad h. l. videtur legendum esse *disjurare*, ut displicere, dissimulare etc., in quibus praepositionis eadem est vis.]

DELĂBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. καταπίπτω, deorsum labor, decido. *Cic. Or.* 3, 46. Quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur. *Tibull.* 2, 7, 21. ab excelsa praeceps delapsa fenestra. *Ov. Met.* 15, 685. gradibus nitidis delabitur. *Cic. Off.* 1, 22. Arma delapsa de manibus. [**Cic. Qu. Fr.* 1, 1, 2. homo de coelo delapsus.] *Virg. Ecl.* 6, 16. Serta delapsa capiti. *Caes. B. G.* 7, 82. In scrobes delapsi defodiebantur. *Ov. Met.* 3, 101. superas delapsa per auras Pallas adest. *Hor. Od.* 3, 29, 34. flumen medio alveo cum pace delabens Etruscum in mare. *Val. Fl.* 2, 127. ad aequoream delabere Lemnon, *h. e.* descende. *Aur. Vict. Vir. ill.* 14. Delabi in insidias. [**Cic. Div.* 1, 28. in flumen. *Liv.* 37, 34, 6. delabi ex equo; al. equo. Illud defendit aliis allatis *Drak.* ad h. l.] Translate. *Cic. Att.* 7, 5. Delabi in morbum. *Id. Or.* 2, 60. Nonnunquam in hoc vitium scurrile delabitur. *Gell.* 14, 3. *sub f.* Delabi in suspiciones. [**Tac. A.* 13, 12. in amorem libertae.] *Cic. Fat.* 17. Delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. *Id. Partit.* 4. Aut a minoribus ad majora ascendimus, aut a majoribus ad minora delabimur. [**Tac. A.* 2, 38. ad inopiam.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 6. Nescio quo pacto ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset, [*i. e. aberravit, transiit. Hinc etiam i. q. oriri. *Cic. Or.* 3, 57. ab his delapsa plura genera.] *Id. ib.* 1, 21. Insperanti mihi cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id. Fam.* 6, 10. *ad f.* Ipse quotidie mihi delabi ad aequitatem et ad rerum naturam videtur, i. e. devenire. *Id. Ac.* 4, 18. Carneadem audiebamus solitum esse delabi interdum, ut diceret, opinaturum esse sapientem. *Ov. Pont.* 4, 15, 33. Scribere saepe aliud cupiens, delabor eodem. *Cic. Att.* 12, 47. De Mustela, ut scribis: etsi magnum opus est. Eo magis delabor ad Clodiam, i. e. inclino ad Clodiae hortos emendos. *Id. Off.* 2, 18. Rem familiarem delabi sinere. Al. rectius leg. *dilabi.* [**Schütz. in Clav.* explicat h. l. per *ruere.* Sed hoc sane non inest in h. v. et *Beier.* recte habet *dilabi.*] *Auct.* ad *Her.* 4, 55. *ad f.* Ille nulla voce delabans, insita virtute concidit tacitus, *h. e.* nullo verbo aut gemitu timorem ostendens. Al. aliter leg.

DELĂBORO, as, n. 1. valde laboro. *Afran.* ap. *Non.* 4, 423. Hic noster delaborat.

DELĂCĔRO, as, a. 1. σπαράττω, valde lacero, conscindo. *Pl. Capt.* 3, 5, 14. Qui me meamque rem tuis scelestis falsidicis fallaciis delaceravisti.

DELACRYMĀTIO, onis, f. καταδάκρυσις. *Plin.* 34, 11, 26. Vis ejus collyriis oculorum aptissima et delacrymationibus mordendo proficiens. *Id.* 25, 13, 99. Capnos delacrymationem facit, ceu fumus.

DELACRYMĀTORIUS, a, um, adj. ad delacrymationem pertinens, ut Delacrymatorium collyrium. *Marcell. Emp.* 8. [Hinc *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 64. L. Saccii Menandri melinum delacrymatorium. *F.*]

DELACRYMO, as, avi, atum, n. 1. ἀποδακρύω, est lacrymas vel aquam more lacrymantis demittere. *Colum.* 4, 9. *de vite.* Ut in terram potius devexa, quam in germen delacrymet.

*DELACTĀTRIX, icis, f. *Augustin. B. A.*

*DELACTĀTUS, a, um, part. *Gloss.* Delactatum, ἀπογαλακτισθέν.

DELAEVO. V. DELEVO.

DĒLAMBO, is, a. 3. λείχω, idem ac lambo. *Stat. Th.* 2, 681. Molliaque ejecta delambit vellera lingua.

DELĀMENTOR, aris, dep. 1. valde lamentor, ἐπιθρηνέω. *Ov. Met.* 11, 331. et natam delamentatur ademptam.

*DELANICĀRE, discindere, et quasi lanam detrahere. *Festus.* Citant *Faber* ac *Gesnerus:* sed verbum apud *Festum* non reperio. Dilaniare (*Festi* verba sunt) est discindere et quasi lanam trahere, unde lacinia et lanius dicitur, qui pecus discindit. Hinc, ut videtur, error natus Lexicographorum. *B. A.*

DELĀPĪDĀTUS, a, um, part. a *delapido*, λιθόστρωτος, lapide stratus. *Fest.*

DĒLĀPIDO, as, a. 1. lapides ex aliquo loco eximo, aufero, sive lapidibus purgo. *Cato R. R.* 46. Locum bipalio vertere, delapidare, circumque sepire.

DĒLAPSUS, a, um. V. DELABOR.

DĒLAPSUS, us, m. καταπτωσις, declivitas, defluxio. *Varr. R. R.* 1, 6. Campester locus, qui est ad libellam aequus, cum aquae non habeat delapsum, fieri solet uliginosus.

DĒLARGIOR. V. DILARGIOR.

DĒLASSĀBILIS, e, adj. qui delassari potest. *Manil.* 4, 242. Et faciles motus, nec delassabile pectus.

*DĒLASSĀTOR, oris, m. *Marc. Empir. B. A.*

DĒLASSĀTUS, a, um, part. a *delasso*, valde lassatus. *Pl. Asin.* 5, 2, 22. Delassatus labore.

DĒLASSO, as, a. 1. κοπόω, valde lasso. *Hor. Sat.* 1, 1, 14. Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent Fabium. *Mart.* 10, 5. Delasset omnes fabulas poetarum. P [In *Not. Tir.* p. 117. scribitur *dilassat. F.*]

DĒLĀTIO, onis, f. ἔνδειξις, actus deferendi, accusatio etc. *Cic. Cluent.* 8. Qui sibi delationem nominis et capitis periculum ostentarat. *Id. Div. Verr.* 15. Dare delationem alicui. *Tac. H.* 2, 10. Delationem factitare. [**Id. A.* 11, 29. subire.]

DĒLĀTOR, oris, m. μηνυτής, occultus accusator, calumniator. *Suet. Dom.* 9. Princeps, qui delatores non castigat, irritat. *Id. Ner.* 10. Praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegit. Adde *Plin. Pan.* 34. et 35., *Juven.* 4, 48., *Mart. Spectac.* 1, 4., *Tac. A.* 4, 30. etc. Loquuntur autem de certo hominum genere, qui Romae sub imperatoribus quaestum delationibus faciebant. Hi neque suam, neque suorum injuriam persequebantur, sed sola praemii spe, ut principi gratificarentur, deferebant quoscumque reos ad principem aut magistratum, solo lucri amore aut gratiae ineundae: genus hominum publico exitio repertum, ut ait *Tac. l. c.* Hos Urbe tum Domitianus, tum Trajanus expulisse laudantur a *Mart.* et *Plin. l. c.* [*V. *Walch.* ad *Tac. Agr.* 45.]

DĒLĀTORĬUS, a, um, adj. ad delatorem pertinens, accusatorius, ut Delatoria curiositas. *Ulp. Dig.* 22, 6, 6. [*Front. de fer. Als.* (ed. *Maio*) *ep.* 3. Calicem sine delatoria nota cum dico, sine puncto dico. Neque enim me decet, qui sim jam homo doctus, volgi verbis calicem acentetum appellare. *Delatoriam* vero *notam* appellat *Fronto* punctum, quo utebantur veteres in judiciis, cujus meminit *Ascon.* in *not.* ad *Cic. orat. pro Scauro. F.*]

DĒLĀTURA, ae, f. *Tert. c. Marc.* 5, 18. *sub f.* Vocabulum diaboli, quaero, ex qua delatura competat creatori, *h. e.* quo deferente. [Adde *Vulg. Siracid.* 26, 6. *B. A.*]

DĒLĀTUS, a, um, part. a *defero*, deorsum latus et simpliciter latus, allatus. *Caes. B. G.* 5, 8. Longius delatus aestu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. *Stat. Ach.* 2, 347. terrasque freto delatus Achaeas Hospitis Atridae spoliat thalamos. P Item exhibitus, datus. *Sil.* 10, 600. delato consul insignis honore. *Nep. Epam.* 4. Ereptum ad me pervenisse, quod delatum accipere noluissem. *Terent. Clem. Dig.* 50, 16, 151. Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. P Item denunciatus. *Caes. B. G.* 3, 23. Res ad concilium delata. P Item accusatus. *Cic. fragm. c. C. Ant.* ap. *Ascon.* A L. Caleno furti delatus. P Alia V. in DEFERO.

DELĀVO, as, idem quod lavo. Affertur *Pl. Rud.* 2, 7, 21. In mari quod delavi. Sed meliores libri habent *elavi. Apicius* tamen 8, 7. Porcellum liquamine delavas.

DĒLĔBĬLIS, e, adj. ἐξαλειπτὸς, qui deleri potest. *Mart.* 7, 84. Casibus hic nullis, nullis delebilis annis Vivet.

DELECTĀBĬLIS, e, adj. τερπνὸς, qui delectat. *Tac. A.* 12, 67. Infusum delectabili cibo boletorum venenum. *Gell.* 1, 11. Praecentio delectabilis. *Id.* 2, 29. Festivi et delectabiles apologi. *Appul. Flor. n.* 17. Vox hominis et lyra concentu variatior et tibia questu delectabilior.

DELECTĀBĬLĬTER, adv. τερπνῶς. *Gell.* 13, 24. Delectabiliter ac decore depicta. *Id.* 15, 1. Declamare delectabiliter et feliciter.

DĒLECTĀMEN, inis, n. delectamentum. In quodam epigr. quod inter *Priapeia* referunt, alii tribuunt *Appulejo.* At nobis casso saltem delectamine Amare liceat, si potiri non licet.

DĒLECTĀMENTUM, i, n. idem ac delectatio. *Cic. Pis.* 25. Inania delectamenta puerorum. *Ter. Heaut.* 5, 1, 79. Qui me sibi pro ridiculo et delectamento putat.

DĒLECTĀTIO, onis, f. oblectatio, τέρψις, jucunditas, quam ex re aliqua percipimus: quam sic definit *Cic. Tusc.* 4, 9. Delectatio est voluptas suavitate auditus animum deliniens: et qualis haec est aurium, tales sunt oculorum et tactionum et odorationum et saporum, quae sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum, tanquam illiqueneris, ad perfundendum animum, tanquam illiquefactae voluptates. *Id. Fam.* 7, 1. Afferre alicui delectationem. *Id. ib.* 9, 24. Magna te delectatione et voluptate privasti. *Id. Off.* 1, 30. Duci delectatione videndi et audiendi. *Id. Fam.* 6, 12. *extr.* Litterae habent delectationem, *h. e.* afferunt. *Id. in Senat.* 6. Gaudium et delectatio. *Id. Or.* 1, 43. Suavitas et delectatio. *Id. ib.* 3, 38. Delectatio et jucunditas. *Id. Leg.* 2, 6. Studii et delectationis causa scribere aliquid.

DĒLECTĀTOR, oris, m. qui militum delectum agit, idem ac delector. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 66. L. Valerio L. F. Quir. Proculo delectatori Aug. Prov. . . et Provinc. ulterioris Hispaniae. Fortasse tamen *delectori* legendum in lapide mutilo et lectionis incertae.

DĒLECTĀTUS, a, um, part. *delector. Nep. Dat.* 3. Magnopere delectatus facto. P Nominis etiam naturam induit et gradus habet. *Gell. praef.* Sermo delectatior in otio. Alii leg. *delectantior:* alii aliter. [**Gron.* utrumque falsum esse existimat.]

DĒLECTĬO, onis, f. actus deligendi. *Vopisc. Aurel.* 40. Senatus hanc eandem delectionem (*imperatoris*) in exercitum refudit.

DĒLECTO, as, a. 1. proprie est allicere, a lacto. [*Imo a *delicere* cujus *frequent.* est *delectare*, ut ab *allicere* est *allectare*, a *sublicere sublectare.*] *Enn.* ap. *Non.* 2, 224. Ut me Apollo ipse delectat, ductat Delphicus. P Et quoniam quae grata ac jucunda sunt, nos attrahere solent, factum est, ut delectare sit jucunditate afficere, τέρπω. *Cic. Fam.* 5, 19. Me et superiores litterae tuae admodum delectaverunt. *Id. Fam.* 9, 18. Tu istic te Atheriano jure delectato: ego me hic Hirtiano. V. ATHERIANUS. *Id. Att.* 2, 4. Cum Musis nos delectabimus animo aequo. *Id. ib.* 6. Aut libris me delecto aut fluctus numero. *Enn.* ap. *Gell.* 19, 10. Studet ibi: mentem atque animum delectat suum. *Cic. Fam.* 1, 7. *sub f.* Me status hic reipublicae non delectat. *Id. Att.* 12, 5. Cato me quidem delectat. *Senec. ep.* 39. *extr.* Consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent. *Plin. ep.* 1, 22. Longis disputationibus otium suum delectare. *Cato R. R.* 30. et qui ab eo exscripsit *Plin.* 17, 9, 6. Ubi sementim facturus eris, ibi oves delectato, i. e. nutri et pasce. Est qui legit *delegato.* P Passive. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. *ad f.* Duci et delectari declamatorio genere. *Id. Pis.* 20. His ego rebus pascor, his delector, his perfruor. *Id. Fam.* 12, 29. Ad haec jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. [**Delectari* et *gaudere* de iis saepe rebus dicuntur, quas in universum magni facimus. *Caes. B. G.* 4, 2. gaudere jumentis. V. *Passow* ad *Tac. G.* 46. p. 81.] *Id. Leg.* 2, 7. In hoc admodum delector, quod etc. [*Alia hujus constructionis exempla attulit *Goer.* ad h. l.] *Id. Or.* 57. *sub f.* et *Div. Verr.* 13. Delectari ab aliqua re. [**Cic. Fin.* 1, 5, 14. delectari ab Epicuro; ad quem locum *Goer.* multis explicat hanc constructionem; *ab* est i. q. *von Seiten.* V. *AB.*] *Hor. Ep.* 1, 16, 32. Vir bonus et prudens dici delector. *Phaedr.* 5, 3. Quae delectaris bibere humanum sanguinem. *Colum.* 1, 4. *a med.* Matrona amoenitate aliqua delectanda erit, quo patientius moretur cum viro. Al. leg *demerenda.* P Deponentis forma. *Petr. fr. Trag.* 45. *Burm.* Deprehensus est cum dominam suam delectaretur. *Id. ib.* 64. Nihil narras? nihil nos delectaris? P Activa voce impersonalium more. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Me magis de Dionysio delectat.

DĒLECTOR, oris, m. qui deligit et speciatim qui militum delectum habet. *Front. Strat.* 4, 1. Pyrrhus delectori suo fertur dixisse: Tu grandes elige: ego eos fortes reddam.

DĒLECTUS, a, um, part. a *deligo*, electus, ἐκλεκτός. [*Sed hoc discrimine. *Electi* in universum ex aliquo numero exemti dicuntur; *delecti* vero, si in electione simul vel utilitatis, quam quis habet, vel facultatis rei gerendae ratio habetur. Sic distinxit *Brem.* ad *Nep. Pelop.* 2., ubi V. locos allatos. Deinde cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 3. et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 6, 6. Idem discrimen inter *deligere* et *eligere* obtinet.] *Cic. Dom.* 9. *extr.* Summus vir, saepe ad extrema reipubl. discrimina delectus. *Plin.* 14, 22, 28. Piso delectus curae Urbis. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Quaestorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit. *Virg. Ecl.* 4, 35. altera quae vehat Argo Delectos heroas. *Id. A.* 7, 152. delectos ordine ab omni, Centum oratores ire jubet. *Caes. B. C.* 1, 57. Delecti ex omnibus legionibus fortissimi viri. *Virg. A.* 11, 431. delectos Latio et Laurentibus arvis. P Cum genitivo, Graeco more. *Curt.* 4, 4. Naves admoveri jubet, delectosque militum imponi. P Scribitur et *dilectus* eodem sensu: quod in MSS. libris frequentissimum est.

DĒLECTUS, us, m. actus deligendi, electio, ἐκλογή. *Cic. Or.* 3, 37. Habere delectum verborum. *Id. Fin.* 5, 30. Adhibere delectum ad aliquam rem, *h. e.* in aliqua re. *Id. ib.* 1, 10. Earum rerum hic

tenetur a sapiente delectus, ut aut rejiciendis etc. *Id. Off.* 1, 41. *ad f.* Habere delectum civis et peregrini, i. e. facere discrimen, et *ib.* 14. Ut in beneficentia delectus sit dignitatis. *Id. Phil.* 5, 5. Delectus judicium. *Id. Off.* 1, 15. beneficiorum. *Id. Verr.* 2, 2, 50. Iste, qui omnia jura pretio exaequasset, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset. *Id. Fin.* 4, 25. Officia autem tolluntur, delectu omni et discrimine remoto. *Id. Planc.* 4. Populus, si judicat, non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam et quadam etiam temeritate. ℙ Hinc *sine ullo delectu* et *sine delectu* et *nullo delectu*, est nulla habita ratione, confuse, temere, ἀκρίτως. *Cic. Agr.* 2, 21. *extr.* Ceteri agri omnes, qui ubique sunt, sine ullo delectu decemviris addicentur. *Gell.* 20, 5. Aristoteles ἐξωτερικὰς auditiones vulgo juvenibus sine delectu praebebat. *Ov. Met.* 10, 324. coeuntque animalia nullo Cetera delectu. *Plin.* contra *ep.* 2, 13. Nuper ab optimo principe trium liberorum ei jus impetravi: quod quamquam parce et cum delectu daret, tamen etc. *Plin. alter* 7, 33, 54. Plurimas prodidit Verrius: nos cum delectu modum servabimus. ℙ Saepissime dicitur de militum delectu. *Cic. Prov. cons.* 2. *extr.* Exercitus superbissimo delectu et durissima conquisitione collectus. *Caes. B. G.* 7, 1. Habere delectum tota provincia. *Hirt. B. Alex.* 56. Instituere delectum. *Caes. B. C.* 1, 25. Legiones ex novo delectu conficere. *Nep. Ann.* 6. *extr.* Novis delectibus multos contrahere. *Plin.* 7, 29, 30. Agere delectum. *Id.* 6, 19, 22. facere. *Liv.* 2, 27. decernere. *Id. ib.* 55. edicere. ℙ Scribitur et *dilectus* aeque recte et in optim. MSS. et libris editis multis legitur frequentissime. [*Nondum satis inter viros doctos convenit, utra scriptura verior sit. Cf. *Burm.* ad *Ov. Met.* 10, 324. *Drak.* ad *Sil.* 7, 43. *Duker.* ad *Flor.* 4, 11, 5. Ex recentioribus *Herzogius* quidem ad *Caes. B. G.* 6, 1., ubi de militibus legendis sermo sit, omnino *dilectum* scribendum esse censet; interdum etiam, ubi de aliis rebus agatur. In libris mss. nihil est auxilii; nam ubique fluctuant et paene semper res ad cujusque redit judicium. *B. Crus.* autem, in *Clav. Suet.*, nihil interest, inquit, hanc vel illam formam sequaris (sc. in subst. et partic.); nam *delectus* est *lectio de numero aliquo;* et *dilectus lectio e multis*, quasi *dislectus*, ut res eodem redeat. Haec ille, laudans *Oud.* ad *Suet. Caes.* 79. et *Schwarz.* in Suppl. not. ad *Plin. Pan.* p. 578. quibus adde *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 48, 2. et *Cort.* ad *Lucan.* 3, 181. qui *dilectus* praefert. Cf. autem *Christ.* ad *Eund.* 7, 270. Idem *B. Crus.* ob librorum consensum probat apud *Suet.* formas *dilectus*, *a*, *um* et *dilectus*, *us*, in reliquis formis probat *deligere*, quia *diligere* sit i. q. amare. Apud *Ciceronem* plerique critici, ut *Manut.*, *Ernest.*, *Schütz.*, *Orell.*, *Beier.* (ad *Off.* 1, 42, 149.) quibuscum cf. quae monet *Gernhard* ad *Cic. Off.* 1, 2, 6. praeferunt *delectus*. Satis tamen mirum esse videatur, dixisse Romanos ubique *deligere;* sed promiscue *delectus* et *dilectus*. Donec igitur res ad severiores regulas — quod an fieri possit, recte dubites — revocata fuerit, equidem etiam in participio et substantivo verbi formam praetulerim.]

DĔLĒGĀTĬO, onis, f. actus delegandi, mandatum, quo id, quod facere debemus, alteri committimus, ἐπιτροπή. *Cic. Att.* 12, 3. Nomen illud, quod a Caesare, tres habet conditiones: aut emptionem ab hasta; aut delegationem a mancipe, annua die; aut Vecteni conditionem semisse, *h. e.* translationem solutionis, ita ut ea ab aliquo mancipe fiat intra annum, [*i. e. *eine Anweisung auf den Käufer binnen Jahresfrist zu zahlen.*] V. *Manut. Senec. Ben.* 6, 5. Pecuniam dicimur reddidisse, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione et verbis perfecta solutio sit, *h. e.* cum ab alio solvi creditori curamus, v. gr. creditum aliquod nostrum creditori cedendo. *Id. ep.* 27. Ipse necesse est laborem tuum impendas, si effici cupis. Delegationem res ista non recipit. [*i. e. opem s. vices alius non patitur.]

[DĔLĒGĀTOR, oris, m. qui delegat. *Cassiod. Var.* 1, 18. Si Romanum praedium sine delegatoris cujusdam pittacio praesumptor Barbarus occupavit, illud priori domino, submota dilatione, restituat. *F.*]

DĔLĒGĀTŌRĬUS, a, um, adj. delegationem continens. Apud *Impp. Arcad.* et *Hon. Cod. Theod.* 7, 4, 22. appellantur *delegatoriae litterae*, quibus delegatio aliqua continetur.

DĔLĒGĀTUS, a, um, part. a *delego*, commissus, demandatus. *Front. Aquaed. init.* Omnis res ab imperatore delegata intentiorem exigit curam. *Pl. Amph. prol.* 67. et 83. Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent. *Tac. Agr.* 2. Delegatum triumviris ministerium. *Ulp. Dig.* 38, 5, 1. *a med.* Delegatus emptor. ℙ Translate. *Liv.* 10, 19. Eorem adductam esse, ut omnis rei bene aut secus gestae decus dedecusque ad Volumnium sit delegatum. [*i. e. rejectum, assignatum. V. v. seq.] *Appul. Apol.* Magia res est legibus delegata, *h. e.* tradita legibus puniendi causa. ℙ *Delegatum* absolute idem est ac delegatio. *Ulp. Dig.* 44, 4, 4. §. 26. Quid si debitor, ex delegato pupilli, pecuniam creditori ejus solvit?

DĔLĔGO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιτρέπω, demando, committo, trado alteri, qui meas vices impleat. [*Melius originem et usum h. v. interpretatur *Ern.* in *Clav. Cic.* Delegare, inquit, in re pecuniaria dicitur, qui non ipse de arca solvit, sed creditorem remittit ad alium per attributionem, a quo pecuniam accipiat (nos: *Jemanden anweisen, eine Anweisung geben*); unde deinde ceterae rationes dicendi ducuntur, quum, quod ipsi facere debebamus, id per alterum fieri curamus, et qui id a nobis petunt ad alium rejicimus; unde et pro *transferre* dicitur. Haec ille. Hunc usum tangunt etiam *Manut.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *init. Gronov. Obss.* 1, 20. et ad *Cic. Att.* 12, 12. *Burm.* in *Exc.* ad *Suet. Tib.* 16. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 8, 22. et intpp. ad *Tac. G.* 20, 2.] *Cic. Dom.* 7. Petebatur a me frumenti copia etc. delegavi amico locupletiori. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Laborem alteri delegavi. *Tac. G.* 20. Nec ancillis ac nutricibus infantes delegantur. *Suet. Cal.* 57. Cassium Longinum occidendum delegaverat. Sic *Plin. ep.* 4, 28. Imagines describendas pingendasque delegare. *Quint. prooem.* 4. Delegare alicui curam alicujus rei. *Cic. Or.* 2, 28. *extr.* Haec ipsa quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia fuerunt. [*Suet. Tib.* 16. delegatus pacandae Germaniae status, i. e. delegatus pacandus Germ. status. V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Translate. *Liv.* 6, 28. Fortunae loci delegaverant spes suas, i. e. confisi erant in etc. *Id.* 21, 46. *extr.* Servati consulis decus Coelius ad servum Ligurem delegat, i. e. attribuit. *Hirt. B. G.* 8, 22. Causam peccati mortuis delegare, i. e. culpam in eos transferre. *Cic. Font.* 4. Crimen alicui delegare. [*V. de h. l. *Clav. Cic.*] *Tac. A.* 13, 43. scelera alicui.] ℙ Significat etiam, alium pro se substituere ad aliquid praestandum. *Colum.* 3, 10. *ante med.* Quis non imprudentissimum quemque huic negotio delegat? *Senec. Ben.* 7, 19. Etiamsi mihi adulteram, cui numerem, delegaverit, reddam. *Ulp.* et *Paul Dig.* 46, 2, 12. et 13. Delegare debitorem, *h. e.* vice sua alium dare reum creditori, ut *Ulp. ib.* 11. explicat. Sic *Id. ib.* 37, 6, 1. *circa med.* Delegare nomen paterni debitoris. Sic *Senec. Ben.* 4, 11. Debitores nobis Deos delegat, precaturque, pro se gratiam referant. ℙ Et eadem significatione absolute. *Cato R. R.* 149. Donicum pecuniam satisfecerit aut delegarit, pecus et familia, quae illic erit, pignori sunt, *h. e.* debitorem constituerit. ℙ Pro simplici mittere. *Cato R. R.* 30. Ubi sementim facturus eris, ibi oves delegato. Alii rectius leg. *delectato.* ℙ Et pro remittere. *Nep. Cat.* 3. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus. Al. leg. *relegamus.* [*Delegamus* recte habet. Utrumque voc. eodem modo usurpari, docuit *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 44, 3., qui in partes vocat *Gron.* ad *Liv.* 28, 42.] ℙ Et pro transferre. *Liv.* 29, 22. *ad f.* Pleminium conatum per quosdam urbem incendere, ut frangendi carceris haberet occasionem: patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatusconsulto. ℙ [*Commutantur in mss. *delegare* et *deligare*, V. ad *Liv.* 10, 22, 12. et *ib.* 27, 3. — et *deligere*, *ib.* 29, 20, 2.]

DĔLĒNĪFĪCUS, a, um, adj. blandus, demulcens, blande capiens, θελκτήριος. *Lucil.* ap. *Fulg. de prisco serm. in f.* Nescio, quorsum mihi eveniant tua verba tam delenifica. *Pl. Mil.* 2, 2, 36. Domi habet animum falsiloquum, domi dolos, domi delenifica facta. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 115. Vide mirum ingenium ac delenificum mulierum. [*Front.* ad *Verum Imp.* (ed. *Maio*) *ep.* 1. Plane dicta omnia et verba delenifica. *F.* *Adde *Symm. ep.* 3, 6. et *ep.* 7, 27. *B. A.*]

DĔLĒNĪMENTUM et Delinimentum, i, n. θέλγμα, quidquid ad placandum, blandiendum et mitigandum adhibetur. *Liv.* 4, 51. Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus, delenimentum animis Volani agri divisionem objici. *Tac. A.* 15, 63. Vitae delinimenta monstraveram tibi: tu mortis decus mavis. ℙ Sumitur et in malam partem pro illecebra et invitamento ad prava. *Liv.* 30, 13. Illam furiam omnibus delenimentis animum suum avertisse atque alienasse. *Id.* 39, 11. Illius excetrae delenimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec Deorum verecundiam habere. *Tac. Agr.* 21. Paulatim discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam. [*Apud *Tac.* ubique reperiri *delinimentum*, *delinire* etc., apud *Liv.* etiam alteram formam, observat *Walch.* ad h. l. V. omnino *Clav. Liv.* et *Schneider. Gramm. Lat. P.* I. *Vol.* 1. p. 14. — De vi voc. V. *Burm.* et *Ernest.* ad *Tac. l. l.*] *Max. Dig.* 5, 2, 4. Novercalibus delinimentis instigationibusque corrupti. Adde *Afran.* ap. *Non.* 1, 1. ℙ [In *Not. Tir.* p. 129. scribitur *dilenimentum. F.*]

DĔLĒNĬO et Delinio, īnis, īvi, ītum, a. 4. καταθέλγω, idem fere quod lenio, placo, mitigo. [*Discrimen esse vult *Drak.* ad *Liv.* 7, 38. inter *delenire* et *dilinire*, quem refutat *Ern.* in *Clav. Liv.* Idem observat, habere h. v. significationem capiendi animi et corrumpendi suavitate aliqua, ut philtra.] In *argum. Stichi Plautini.* Verbis delenitur commodis, habere ut sineret, quos semel nactae forent. *Cic. Mil.* 35. Ut plebem non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret. *Id. Off.* 2, 14. Ut milites blande appellando deleniant. *Phaedr. prol.* 3, 44. Remediis dolorem delenire. *Hor. Od.* 3, 1, 43. Delinire dolentem. ℙ [*Deleniturus* apud *Auson. Idyll.* 4, 9. longum delenitura laborem Intervallà damus. *F.*] ℙ Sumitur et in malam partem pro allicere et mollem reddere, mentem adimere. *Cic. Cluent.* 5. Animum adolescentis pellexit in omnibus rebus, quibus illa aetas capi ac deliniri potest. *Id. Mur.* 35. Tu mihi summum imperium, tu gubernacula reipublicae petas fovendis hominum sensibus et deliniendis animis et adhibendis voluptatibus? *Pl. Asin.* 2, 4, 28. Vah! delenire apparas. *Id. Cist.* 2, 1, 40. Tu me delenis: propter te haec pecco.

DĔLĒNĪTĬO et Delinitio, onis, f. actus deleniendi, delenimentum. *Cic. Off.* 2, 16. Ipsa delinitio multitudinis sit ad breve tempus, *h. e.* effusio pecuniae, quae fit ad multitudinem deliniendam. Al. leg. *delectatio.* [*Sic *Beier.* et *Orell.*]

DĔLĒNĪTOR et Delinitor, oris, m. qui delenit, mitigat, placat. *Cic. Brut.* 70. Ut etiam cum judice ipso, cujus delinitor esse debet orator, jurgio saepe contenderet.

DĔLĒNĪTUS et Delinitus, a, um, part. a *delenio*, mitigatus, blanditus, captus. *Titin.* ap. *Non.* 2, 26. et 4, 116. Verum enim dotibus deliniti, uxoribus ancillantur. *Cic. Or.* 1, 9. Genus hominum in silvis dissipatum, disertorum oratione delinitum. *Id. Fam.* 15, 16. Triennium est, cum virtuti nuncium remisisti, delinitus illecebris voluptatum. *Liv.* 7, 38. Capua instrumento omnium voluptatum delenitos militum animos avertit a memoria patriae. *Cic. Fin.* 1, 10. Delinitus atque corruptus. *Plauti* verba illa *Amph.* 2, 2, 214. Delinitus sum profecto, ita ut me, qui sim, nesciam: *Non.* 4, 115. exponit mente alienatus, nempe, adeo captus atque illectus sum, ut etc.

DĔLĔO, es, evi, etum, a. 2. ἐξαλείφω, tollo, adimo, abstergeo. Etymologi ducunt ab *oleo* (unde et *aboleo*) quasi *deoleo* [*hoc recte probat *Döderl.*]; alii rectius a *de* et *leo*, ut habet *Prisc.* 9. p. 641., unde est et *lio. Cic. Att.* 15, 4. *a med.* Rubeo, mihi crede: sed jam scripseram: delere nolui. *Id. Cluent.* 14. Hac Dinea testamentum faciente, cum tabulas prehendisset Oppianicus, digito legata delevit. *Ov. Met.* 9, 522. scribit damnatque tabellas, Et notat et delet. *Cic. Manil.* 3. Delere maculam. *Stat. Ach.* 1, 60. Pone natant delentque pedum vestigia cauda. *Id. Th.* 6, 415. delet sulcos iterata priores Orbita. *Plin.* 25, 13, 110. Stigmata in facie mandragoras illitus delet. ℙ Item evertere, destruere, exstingere. *Cic. Rosc. Am.* 45. Urbes delevit, fruges perdidit. *Id. Agr.* 2, 32. Delere aedificia. *Id. Leg.* 2, 26. sepulcra. *Id. Har. resp.* 4. T. Annius ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus esse videtur. *Nep. Them.* 4. Astu incendio delevit. *Caes. B. C.* 3, 70. Delere omnem exercitum. *Sil.* 7, 549. patiarne ante ora manusque Civem deleri nostras? *Id.* 1, 514. Dexter ades Phrygiae delenti stirpis alumnos. ℙ Translate. *Cic. Dejot.* 13. Senatus vero judicia tam honorifica, quae unquam vetustas obruet aut quae tanta delebit oblivio? *Id. Q. Fr.* 3, 8. Delevit mihi omnem molestiam recentior epistola. *Id. Div. Verr.* 8. Exstinguere atque delere omnem improbitatem. *Id. Div.* 1, 5. Delere religionem. *Id. Att* 1, 16. *ante med.* omne jus fasque. *Id. Sext.* 26. leges. [*Liv.* 39, 30. ignominiam. V. *Drak.* ad *Sil.* 16, 672. ad *Liv.* 27, 14, 2.] *Caes. B. G.* 2, 27. turpitudinem fugae virtute. *Petr. Sat.* 2. ingenium. *Id. ib.* 80. sacramentum amicitiae. *Cic. Phil.* 1, 1. omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna. *Id. Rosc. Am.* 2. ex animo omnem suspicionem. *Id. Amic.* 3. et *Nep. Alc.* 8. *extr.* omne bellum, *h. e.* conficere, finire. [*cf. *Brem.*] *Hor. Od.* 4, 9, 9. Nec, si quid olim lusit Anacreon, Delevit aetas. ℙ *Delesset* syncop. pro *delevisset*, *Val. Max.* 3, 7. ℙ [*Permutantur a librariis *delere* et *deflere*. V. intpp. ad *Suet. Cal.* 38.]

DĔLĔTĬCĬUS, a, um, adj. ut Charta deleticia, apud *Ulp. Dig.* 37, 11, 4. quo nomine intelligitur ea, in qua scriptum fuit aliquid et postea deletum, quamque *Cic. Fam.* 7, 18. et *Catull.* 22, 5. vocant palimpsestum.

DĔLĔTĬLIS, e, adj. qui delet. *Varr.* ap. *Non.* 2, 212. Parabis spongiam deletilem.

DĔLĔTĬO, onis, f. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 217. Deletionem nostri ad unum exercitus.

DĔLĔTRIX, icis, f. quae delet. *Cic. Har. resp.* 23. Tum est illa in templo Castoris scelerata et paene deletrix hujus imperii sica deprehensa.

DĔLĔTUS, a, um, part. a *deleo*. *Caes. B. G.* 6, 35. Dispersis ac paene deletis hostibus. [*Sil. 9, 39. milite deleto. Ubi cf. *Heins.* et *Drak.*] *Cic. Flacc.* 25. Deleta memoria. ℙ [*Confunditur cum *delectus*, *dejectus*. V. *Drak. l. l.* et 15, 558. ad *Liv.* 31, 29, 11.]

DĔLĒTUS, us, m. idem ac deletio. *Tert. c. Marc.* 2, 24. Reprobandae creaturae et deletui vindicandae.

DĔLĔVO, as, a. 1. planum et leve facio, levigo. *Colum. Arbor.* 6. *a med.* Vitem serrula desecato et plagam acutissimo ferro delevato. ℙ Scribitur et *delaevo.*

*DELGOVITIA, ae, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

DĔLĬA, ae, f. Δήλια, Diana sive Luna, ita dicta a Delo insula, in qua uno partu cum Phoebo a Latona edita fuit. Vox poetica. *Senec. Herc. Oet.* 150. Et solem vetuit Delia tardior. *Virg. Ecl.* 7, 29. Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus, Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi etc. ℙ Apud *Tibull.* 1, 1. etc. est nomen amicae.

DĔLĬACUS, a, um, adj. ad Delum insulam pertinens, Δηλιακός. *Cic. Or.* 70. Neque vero ornamenta ista villarum me movent, quibus L. Paulum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari. ℙ *Deliacum aes* in magno fuit pretio, mercatus in Delo concelebrante toto orbe: et ideo cura officinis, triclinio rum pedibus fulcrisque, ut *Plin.* loquitur 34, 2, 4. Hinc Deliaca supellex fuit in deliciis. *Cic. Rosc. Am.* 46. Domus referta vasis Corinthiis et Deliacis. *Id. Verr.* 2, 2, 34. et 72. Supellex ex aere elegantior et Deliaca et Corinthia. ℙ Deliaci homines in gallinariis administrandis, alendis gallinis, capis castrandis adeo excelluere, ut fuerit etiam, qui natum ovum, cujus suarum gallinarum partus esset, statim diceret, teste *Cic. Ac.* 4, 18. et 26. Hoc eorum studium confirmat etiam *Varro R. R.* 3, 9., *Colum.* 8, 2. et *Plin.* 10, 50, 71. Hinc *Petr. Sat.* 23. Cinaedi molles, veteres, Deliaci manu recisi, *h. e.* servi a Deliacis castrati. Delus enim testante *Strab. l.* 14., mancipiorum emporium erat.

*DELIADES, ae, m. statuarius insignis et argenti caelator, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

DĔLĪBĀMENTUM, i, n. libamentum, libamen. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. Tum defusis delibamentis et invocato numine ejus, cupido haustu mortiferam traxit potionem. ℙ [In *Not. Tir.* p. 176. scribitur *dilibamentum. F.*]

DĔLĪBĀTIO, onis, f. ablatio partis ab aliqua re. *Flor. Dig.* 30, 113. Legatum est delibatio hereditatis. *Tert. c. Marc.* 1, 22. Homo damnatur in mortem ob unius arbusculae delibationem.

DĔLĪBĀTUS, a, um, part. a *delibo*, decerptus. *Cic. Senect.* 21. Ex universa mente divina delibatos animos habemus. *Enn.* apud *Cic. Brut.* 15. Flos delibatus populi, suadaeque medulla, *h. e.* eximius quasi selectus e multis. Est qui velit aliter legi. [*Non est necesse. V. *Ellendt.* ad h. l.] ℙ Item violatus, corruptus; nam quae delibata sunt, integra amplius non sunt. *Id. ib.* 68. Delibata pudicitia [*i. e. primitiae pudicitiae a Caesare degustatae]. *Gell.* 1, 3. Delibatae honestatis damnum. *Suet. Aug.* 94. Ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisse, *h. e.* ejus praetextati parvum os suaviatum utrinque digitis apprehensum, et ori suo admotum. [*B. Crus.* in *Clav.* interpretatur: de summis labiis sumtum.] Simile est illud *Appul. Met.* 6. Juppiter, prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consaviat.

DĔLĪBĔRĀBUNDUS, a, um, adj. multum deliberans. *Liv.* 2, 45. Consules velut deliberabundi, capita conferunt, diu colloquuntur. Adde 1, 54.

[DĔLĪBĔRĀMENTUM, i, n. idem ac deliberatio. *Laberius* apud *Front.* 1. ad *M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 6. Ad amorem injiciendum delenimenta sunt deliberamenta. *F.*]

DĔLĪBĔRĀTIO, onis, f. συμβούλευσις, actus deliberandi. *Cic. Off.* 1, 3. Triplex igitur est consilii capiendi deliberatio. *Id. Phil.* 1, 1. Ad deliberationem alios adhibere. *Id. Off.* 1, 3. In deliberationem cadit. *Id. Att.* 7, 3. Id coram considerabimus, quale sit, habet enim res deliberationem, *h. e.* in deliberationem cadit. *Id. Phil.* 1, 1. Habere deliberationes de republ. *Id. Manil.* 10. Utinam virorum fortium tantam copiam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam etc. [*Liv. 1, 23. fuerit ista ejus deliberatio (i. e. decisio), qui bellum suscepit.] *Id. Or.* 3, 53. Deliberatio cum iis ipsis, apud quos dicas. *Id. ib.* 1, 6. Disceptationes forenses deliberationum, *h. e.* causae generis deliberativi. [*V. de hac significatione *Ernest.*, laudatum v. sq.]

DĔLĪBĔRĀTĪVUS, a, um, adj. συμβουλευτικός, ad deliberationem spectans, ut Genus deliberativum. *Cic. Inv.* 1, 5. Deliberativum genus est, quod positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem. [*Agit de hoc genere *Cic. ib.* 2, 52. sqq. *Auct.* ad *Her.* 3, 2—5. *Or.* 2, 82. sq. Pluribus de eo disputavit *Ernest. techn. Lat.* p. 106. sqq.]

DĔLĪBĔRĀTOR, oris, m. *Cic. Sext.* 34. Illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est.

DĔLĪBĔRĀTUS, a, um, part. a *delibero*, perpensus, examinatus et constitutus, βεβουλευμένος. *Cic. Verr.* 2, 3, 41. Sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum, omnes judices rejicere. *Id. Agr.* 1, 8. Mihi deliberatum et constitutum est, ita gerere etc. (Adde *Turpil.* apud *Non.* 4, 127.) *Id. Rosc. Am.* 11. Certum est deliberatumque omnia dicere. *Id. Fam.* 5, 2. *a med.* Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me evertere. *Hor. Od.* 1, 37, 29. de Cleopatra: Deliberata morte ferocior. ℙ Item certus. *Gell.* 1, 13. Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc, si exemplum P. Crassi apposuerimus.

*DELIBERIUM, i, n. *Gloss. Lat. Gr.* Consilium, deliberium, συμβουλία, γνώμη. *B. A.*

DĔLĪBĔRO, as, avi, atum, a. 1. συμβουλεύω, consulto, perpendo rem aliquam, ut inde statuam decernamque quod optimum factu sit. *Festus.* Deliberare a libella, qua quid perpenditur, dictum. *Voss.* a *libero* deducit. Nam deliberat, cui libertas est eligendi aliquid e duobus. *P. Syrus* in *Mimis.* Deliberandum est diu quod statuendum est semel. *Ter. Ad.* 2, 1, 42. Delibera hoc, dum ego redeo, leno. *Cic. Rosc. Com.* 15. Tibi diu deliberandum et concoquendum est, utrum etc. *Id. Att.* 8, 3. *ad f.* Quamobrem ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. *Liv.* 32, 34. Cum imperatore R. deliberaturus. Adde *Cic. Or.* 40. *Caes. B. G.* 7, 15. Deliberatur de Avarico in communi concilio, incendi placeret, an defendi. ℙ Item statuere, decernere. [*Ita tantum in praeterito.] *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse. ℙ Item consulere, quaerere. *Nep. Milt.* 1. Ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt. *Id. Them.* 2. Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit etc. ℙ [In *Not. Tir.* p. 57. scribitur *diliberat. F.* ℙ *Permutantur in codd. *deliberare*, *delibare*, *delibrare*. V. DELIBO.]

DĔLĪBĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *delibo. Cic. Fam.* 9, 16. *sub f.* Solebam antea delibitari oleis et lucanicis tuis, *h. e.* tu delibabas meam famem, ac diminuebas illis primis ferculis etc. Sic legit, et explicat *Turneb. l.* 6. *Advers. c.* 1. et *Pareus in Lex. Crit.* Alii melius leg. *debilitari.*

DĔLĪBO, as, avi, atum, a. 1. ἀπογεύομαι, λείβω, idem fere quod libo, degusto, leviter attingo, particulam de aliqua re sumo, detraho, deminuo. *Lucr.* 6, 620. Quamvis ex uno quoque loco sol Humoris parvam delibet ab aequore partem. *Petr. Sat.* 136. Paululum carnis delibare. *Virg. A.* 12, 434. (et *Phaedr.* 4, 23.) Summaque per galeam delibans oscula, *h. e.* leviter tangendo osculatus. *Claud. Nupt. Honor.* et *Mar.* 152. hoc navigat ostro Fulta Venus: niveae delibant aequora plantae. *Id. B. Get.* 351. Delibare cibos. *Favorin.* apud *Gell.* 15, 8. Si proportione luxuria pergit crescere, quid relinquitur, nisi ut delibari sibi coenas jubeant, ne edendo defatigentur? *Suet. Aug.* 57. Pro facultate quisque pecunias contulerunt, delibante tantummodo eo summarum acervos, neque ex quoquam plus denario auferente. *Varr. R. R.* 2, 2. *post med.* de agnis: Ne toto die cursantes inter se teneri, delibent aliquid membrorum, *h. e.* praestringendo laedant, deterant. *Colum.* 2, 2. *sub f.* Ne bos extremo jugo truncum delibet, ramumque deplantet, *h. e.* defringat. ℙ Translate est deminuere, demere, *Lucr.* 3, 1100. Nec prorsus vitam ducendo demimus hilum Tempore de mortis, nec delibare valemus. [*V. DELIBRO.] *Id.* 3, 24. neque ulla Res animi pacem delibat tempore in ullo. [*Cic. Fam.* 10, 21. putabam posse me nec de laude jejuni hominis delibare quidquam. *Auct.* ad *Her.* 4, 55. illa nulla voce delibans insitam virtutem.] *Flor.* 2, 6. Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 2. *ext.* Ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus castitatem non ante ex numero ipsorum (servorum) aliquis delibasset. ℙ Item decerpere. *Cic. Sext.* 56. Ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. ℙ Item degustare, experiri. *Liv.* 5, 12. *ad f.* Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad novum delibandum honorem sit habitus. *Plin. Pan.* 54. Honores aut delibare parcissime, aut omnino recusare. ℙ Item leviter attingere. *Quint.* 4, 2. Omnia, quae probatione tractaturi sumus, narratione delibabimus. *Ov. Fast.* 1, 169. Quisque suas artes obiter delibat agendo. ℙ [*In codd. *delibare* et *delibrare* (pro quo etiam *deliberare*) commutantur. Illud recentiores praeferunt; hoc defendit *Lambin.* ad locos *Lucr.* et ad *Cic. Inv.* 2, 58. *coll. ib.* 39.]

*DELIBRATOR, oris, m. *Augustin. B. A.*

DĔLĪBRĀTUS, a, um, part. a *delibro*, libro seu cortice spoliatus. [*Caes. B. G.* 7, 73. Itaque truncis arborum aut admodum firmis ramis abscisis, atque horum delibratis ac praeacutis cacuminibus perpetuae fossae ducebantur. Ita pro *dolabratis* legendum probat *Oberlinus. F.*] *Colum.* 5, 11. Pars arboris delibrata. *Id.* 12, 56. Corticem oleris atri delibratum abjicito. *Pallad.* 3, 17. Ramus ad modum foraminis delibratus.

DĔLĪBRO, as, avi, atum, a. 1. ἀπολέπω, ἀπολεπίζω, librum seu corticem detraho, decortico. *Colum.* 5, 11. Arborem circumcidito delibratoque diligenter. *Id.* 4, 24. Cortex corpore tenus delibrandus est. ℙ Est etiam aquam sulco derivare, auctore *Festo*, quasi libramento deducere. Alii tamen legunt *delirare* ex MSS., *lira* enim sulcum significat: quod ab *Harduino* improbatur. ℙ Translate significat auferre, imminuere. *Lucr.* 3, 1100. nec prorsum demimus hilum Tempore de mortis, nec delibrare valemus, Quod minus esse diu possimus morte perempti. Quaedam editiones habent *delibare.* [*Illud *Eichst.* — Sic *delibrari* et *delibari* confunduntur apud *Gell.* 15, 8. *B. A.*]

DĔLĪBŬO, is, ui, utum, a. 3. madefacio, inungo, καταβρέχω. Est a *de*, et *libuo* pro *libo*, ut *creduo* pro *credo. Solin.* 12. Proconsul Africae Salvianus ipse eum (*delphinum*) contigit, unguentis etiam delibuit. *Tert. Cor. Mil.* 12. Unguentis delibuitur. [*Gloss. Cyrill.* Delibuo, καταβρέχω, ἐλαίῳ βρέχω. *B. A.*]

DĔLĪBŪTUS, a, um, part. a *delibuo*, ἀληλειμμένος, unctus, quasi oleo aut alio liquore imbutus. *Cic. Brut.* 60. Qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus. *Id. Rosc. Am.* 46. Composito et delibuto capillo per forum volitare. *Pl. Poen.* 1, 2, 55. Delibutus coeno. *Mart.* 11, 98. Nec labra pingui delibuta ceroto. *Hor. Epod.* 17, 31. atro delibutus Hercules Nessi cruore. ℙ Transfertur ad animum. *Ter. Ph.* 5, 6, 17. Si te delibutum gaudio reddo. *Plin.* 4, 12, 26. Senium luxu delibutum, *h. e.* diffluens. *Appul. Met.* 3. Delibutus laetitia. *Auct. Decl. in Cic.* 2. Uxor sacrilega et perjuriis delibuta. Al. leg. *debilitata.* [*Front.* ad *Verum Imp.* 1. Verba pietate et fide et amore et desiderio delibuta. *F.*]

DĔLĪCĀRE, inquit *Fest.*, ponebant pro *dedicare*, ut *lacryma* pro *dacryma.* V. DELICO. [*et quae ibi addita sunt.]

DĔLĪCĀTĔ, adv. τρυφερῶς. *Cic. Or.* 3, 17. Recubare molliter et delicate. *Id. Off.* 1, 30. Diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere. [*i. e. effeminate, ut respiciatur libido ad res venereas profusa. Ita explicat *Beier.*, quocum cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 35, 5.] *Nep. Alc.* 2. Multos amavit, in quorum amore odiosa multa delicate jocoseque fecit. [*V. quae *Brem.* ad h. l. annotavit.] *Senec. Ira* 3, 9. Mollius delicatiusque tractare iracundos. *Colum.* 11, 1. Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate. *Suet. Cal.* 43. Confecit iter adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur. ℙ Translate. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 12. Vitis delicate se spargit.

DĔLĪCĀTUS, a, um, adj. ἁβρός, a *deliciis*, qui nempe aut artificii alicujus peritus, aut pulcritudine praestans in deliciis habetur. *Suet. Tit.* 7. Quosdam e gratissimis delicatorum fovere supersedit, [*h. l. est i. q. exoletorum, spadonum, παιδικῶν, fere ut *Vesp.* 3. delicata est i. q. amica, concubina. V. *Casaub.* ad *Spartian. Hadr.* 4.] et *Stat. Silv.* 2, 1. quae inscribitur, *Glaucias Atedii Melioris delicatus:* et *Silv.* 7. quae est *De amissione pueri delicati.* Sic *Cic. Mil.* 10. Muliebris ac delicatus ancillarum puerorumque comitatus. [*Hoc loco secus atque in antecedd. honesto sensu dictum est pro: pulchris et elegantibus, quanquam ob id ipsum tenellis. V. *Burm.* ad *Petr.* 63.] *Inscr.* ap. *Grut.* 311, 6. Tejae Euphrosynes Ruffinae V. V. delicatae, *h. e.* Tejae, quae fuit delicata Euphrosynes Ruffinae virginis Vestalis. ℙ Sed et *delicati* dicti sunt infantes filioli, unice a parentibus dominisve dilecti. V. *Fabrett. Inscr. c.* 5. p. 362., ubi *delicatus* fuisse vocem honestae appellationis, adductis exemplis, ostendit. ℙ Hinc *delicatus* appellatio est blandientis. *Pl. Rud.* 2, 5, 8. Sed ubi tu es, delicata? ℙ Praeterea *delicatus* dicitur universim, qui delicias sectatur, et molliter vivit, τρυφερὸς, τρυφητής. *Cic. Brut.* 53. Adolescens delicatus. *Id. Att.* 1, 19. *a med.* Libidinosa et delicata juventus. *Senec. Const. Sap.* 4. Contumelia delicatis gravis est. *Id. Brev. vitae* 12. Audio quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus et in sella positus esset, dixisse interrogando, jam sedeo? *Pl. Men.* 1, 2, 10. Nimium ego te habui delicatam, [*i. e. nimia cura te tractavi. Eodem redit *Id. Mil.* 4, 1, 38. Vah delicatus! quae te tanquam oculos amet, i. e. Vah, nimia tua cura est, nimium dubitas. Sic *Lind.*, quem V. pluribus ad h. l.] ℙ Item mollis, tener, delicĭis aptus. *Catull.* 17, 15. Puella tenellulo delicatior haedo. *Id.* 20, 10. Meis capella delicata pascuis. *Plin. ep.* 2, 11. *extr.* Oves delicatissimae, i. e. tenerrimae lanae. *Cic. N. D.* 1, 40. Aspernari molles et delicatas voluptates. *Id. Tusc.* 2, 11. Umbratilis et delicata vita. *Id. Att.* 2, 14. Delicatum convivium. *Curt.* 5, 2. Choaspes amnis delicatam vehens aquam, *h. e.* levem, mollem, suavem. *Plin.* 4, 12, 20. Delicatior vestis. *Id.* 19, 8, 41. *n.* 1. Delicatior teneriorque cauliculus. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 3. Cossi delicatiore sunt in ci-

bo. *Cic. Off.* 1, 40. Turpe est, in re severa delicatum aliquem inferre sermonem. [*Cf. de h. l. *Beier.* ad *Off.* 1, 30, 106. et qui eum rectius explicat, *Brem.* ad *Nep. Alc.* 2, 4. de sermone lepido quidem, quo tecte ad libidinem alluditur, sed ambiguo.] *Id. Pis.* 29. Omnes hominis libidines, omnia coenarum genera delicatissimis versibus expressit. [*Ern. in *Cl. Cic.* (ubi plura reperies, quae Noster non attigit) explicat: concinnus, elegans. Sed haec explicatio ad ingenium Pisonis minus quadrare videtur. Videntur potius appellandi esse ejus versus libidinosi *(üppig und wollüstig).*] *Id. Fin.* 1, 2. Rudem esse omnino in nostris poetis, aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi, — ducta a gustu ciborum metaphora. *Quint.* 3, 1. Delicatae aures, *h. e.* quae difficile utilia audiunt et facile fastidiunt. *Cic. Mur.* 9. Asia delicata. [*Explicat *F.:* deliciarum plena *(deliziosa).* Imo est: mollis et effeminata.] *Id. Verr.* 2, 5, 40. Delicatissimum litus. *Phaedr.* 4, 4. Hortuli delicati. *Suet. Vit.* 10. Delicatissima navigia. [*i. e. instructa omni genere deliciarum et libidinum.] ℙ Translate. *Plin. ep.* 8, 17. Anio delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque, *h. e.* placide fluens. *Phaedr.* 5, 1. Veniebat gressu delicato et languido, *h. e.* fracto, enervi, effeminato. [*Cic. Or.* 3, 25. quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam verae et severae, (i. e. *schmelzende und wollüstige*).] *Quint.* 11, 3. *a med.* Reclinari ad suos, et manibus sustineri, nisi plane justa fatigatio est, delicatum. *Plin.* 34, 14, 41. Oleo delicatior fit acies. *Id.* 33, 11, 49. Poppaea conjux Neronis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro induit. *Quint. Decl.* 1, 13. *extr.* Quidnam isto delicatius scelere? *h. e.* quod minori labore, quem delicati fugiunt, perpetratum sit. [*Sic *Burm.* ad h. l., quem V. Simile est, quod *ib.* legitur 331. p. 677. sed fingamus, (ut demus has delicias) — ubi V. *Eund.*] *Pacat. Pan. Theod.* 18. Unum invenire non possumus, cujus spem atque exspectationem, non dicam fefelleris, sed, quae delicatior est querela, distuleris, *h. e.* minus gravis. ℙ *Delicatus* pro *dedicatus* V. DELICO.

DĒLĬCĬĂ, ae, f. idem quod deliciae et delicium. *Pl. Rud.* 2, 4, 13. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et deliciae dabo. Adhibetur in blanditiis amantum. *Id. Truc.* 5, 34. At ego ad te ibam. *Strab.* ad me, delicia? [*Cf. *Gell.* 19, 8. qui laudat versum *Pl. Poen.* 1, 2, 152. mea voluptas, mea delicia!] *Inscr.* ap. *Grut.* 1014, 5. Pro salute Juliae Veneriae filiae dulcissimae, deliciae suae. Alia apud *De Vita AA. Benev. cl.* 8. *n.* 10. Hic sepulta est Jucunda, delicia ejus. ℙ Praeterea *delicia* est tignum, quod a culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigium collocatur: unde tectum deliciatum et deliciares tegulae. *Festus.* Hujusmodi vero tigna etiam *Vitr.* 6, 3. vocat *deliquias* seu *delicias*, quia in quatuor tecti erecti seu displuviati angulis disposita *tegulas deliciares* sustinent, ex quibus hinc inde aqua deliquescat: contra vero *tegulae colliciae*, ut habet *Festus*, seu *colliciares*, ut est apud *Caton. R. R.* 14., in tectis dejectis seu compluviatis sunt, quae duarum tecti partium concurrentium stillicidia, veluti sulco facto, excipiunt et extra parietem projiciunt. V. DELIQUEO.

DĒLĬCĬAE, arum, f. plur. τρυφή, oblectamenta quaelibet, quae nobis voluptatem afferunt: a *delicio*, quia deliciunt, et ad se trahunt. *Cic. Rabir. Post.* 10. Deliciarum et voluptatis causa quosdam cum mitella saepe videmus. *Id. Parad.* 1, 3. Argentum ad avaritiam, amoenitas ad delectationem, supellex ad delicias, epulae ad voluptates. *Id. Agr.* 2, 14. Locus multarum deliciarum et magnae pecuniae. [*Tac. G.* 18, 4. munera, non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves etc. i. e. res, quibus mulieres delectantur et alliciuntur, ut armillae, monilia, alia id genus. Comparare jubent intpp. ad h. l. de hac significatione *Duker.* ad *Flor.* 1, 18. *Schwab.* ad *Phaed.* 4, 5, 26. coll. *Ern.* in *Cl. Cic.*] *Pl. Trin.* 2, 2, 53. Aliquantum animi causa in deliciis disperdidit. *Id. Most.* 1, 1, 14. Urbanus scurra, deliciae populi. [*Notum est, quod habet *Suet. Tit.* 1. amor ac deliciae generis humani, nos: *der Liebling.*] *Plin.* 16, 37, 68. Cathedrae supinae in delicias. *Id.* 2, 63, 63. Quas non ad delicias terra servit homini! *Id.* 10, 22, 27. Eo processere deliciae, ut, etc. *Senec. Ben.* 4, 5. Neque necessitatibus tantummodo nostris provisum est *(a Deo)*, usque in delicias amamur. *Catull.* 3, 4. Passer, deliciae meae puellae. [*Similiter de festivis servis. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 7, 1. *init.*] *Cic. Dom.* 24. Cum alter se Catilinae delicias fuisse diceret. *Id. Att.* 16, 6. *extr.* Piliae salutem dices et Atticae, deliciis atque amoribus meis. *Coel. ad Cic. Fam.* 8, 8. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. et *Vatin.* 8. Esse alicui in amore et deliciis, *h. e.* esse valde carum. *Id. Div.* 1, 34. Habere aliquid in deliciis. *Cic. Or.* 12. Herodotus Thucydidesque longissime e talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt, *h. e.* argutis verborum ambitibus. [*Quint.* 10, 1, 43. alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptates multitudinis imperitae composita delectant; *opponitur* eloquentia naturalis et robur viris dignum. Fere eadem habet *Id.* 1, 8, 9. Pertinet igitur, quum de oratione dicitur, ad nimiam mollitudinem vel concinnitatem, ex artis elegantiaeque affectatione ortam. Ita *Ern. lex. techn. Lat.* p. 108.] ℙ *Delicias facere* interdum est irridere, ludere. *Pl. Poen.* 1, 2, 83 Enimvero, here, meo me lacessis ludo, et delicias facis. Adde *Men.* 2, 3, 30. Quo pertinet illud *Ov. Trist.* 2, 349. Sic ego delicias et mollia carmina feci, *h. e.* lusi carminibus amorum. ℙ Interdum est nequitias facere. *Catull.* 74, 1. Gellius audierat, patruum objurgare solere, Si quis delicias diceret aut faceret. Adde 45, 24. Priore loco *delicias dicere* est obscena loqui. Nam *deliciae* speciatim interdum dicuntur de venereis voluptatibus. *Cic. Coel.* 19. Amores vero, et hae, deliciae quae vocantur, nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. ℙ Aliquando ponuntur pro levitate et inconstantia, quae delicatorum hominum propriae sunt. *Cic. Att.* 1, 17. *ad f.* Ecce aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. [*Vertit *F.* per *debolezze, Schwachheiten; Gesner.* in *Thes.* refert ad morositatem. *Schütz.* explicat de arroganti et iniqua postulatione, pro quo nos latino vocabulo utentes dicimus *Praetensionen.* Hoc probare videtur *Matth.* ad h. l.; et sane aptissimum est.] ℙ Aliquando pro mollitie delicati atque effeminati hominis. *Juven.* 6, 258. quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. ℙ Et pro ipso homine delicato. *Juven.* 6, 47. Delicias hominis! Tarpejum numen adora, etc. *Id.* 13, 140. Te nunc delicias extra communia censes Ponendum. *Plin.* 22, 24, 56. Ut tanto magis sui delicias pudeat. [*Hoc modo saepe inservit circumscriptioni, praesertim apud Comicos, ut: *deliciae pueri* pro puero, quem quis in deliciis habet. V. alia apud *Dousam, Expl. Plaut.* 3, 13.] ℙ Et pro amica aut amico. *Catull.* 6, 1. Flavi, delicias tuas Catullo Velles dicere, nec tacere posses. *Amores* quoque hac ratione usurpantur. Quas vero *Stat. Silv.* 5, 5, 66. Pharia de puppe loquaces delicias, et *Quint.* 1, 2. Alexandrinas delicias appellant, sunt pueri Aegyptii et praesertim Alexandrini, ex more gentis suae impudice garruli, et obscene dicaces, qui in deliciis apud Romanos fuerunt. Simili ratione *deliciae* dicti sunt puelli festivi et garruli, parentum suorum oblectamenta gratissima. V. DELICIUM. ℙ Adhibetur et in blanditiis amantum. *Pl. Poen.* 1, 2, 152. Mea voluptas, meae deliciae, mea vita. ℙ Est qui scribit *delitiae* invitis tamen *Manut., Dausqu.* et *Cellar.* et ratione nulla. ℙ *Delicia* in singulari num. V. suo loco.

DĒLĬCĬĀRIS, e, et

DĒLĬCĬĀTUS, a, um. V. DELICIA.

DĒLĬCĬES, ei, f. idem quod delicia, deliciae. Tribuitur *Appul. Apol.* p. 279, 1. et *Florid. n.* 23. p. 366, 11. et *de Deo Socr.*, sed ubique lectio variat.

DĒLĬCĬO, īcis, a. 3. proprie est deorsum trahere: a *lacio*, traho, duco. Sumitur autem pro allicere, illicere, *Titin.* ap. *Non.* 4, 112. Parasitus, qui illum sciat delicere. ℙ De Praeterito *delicui.* V. DELIQUEO.

DĒLĬCĬŎLAE, arum, f. plur. diminut. a *deliciae*, et

DĒLĬCĬŎLUM, i, n. diminut. a *delicium. Cic. Att.* 1, 8. *extr.* Tullia deliciolae nostrae. *Senec. ep.* 12. Ego sum villici filius, deliciolum tuum.

[DĒLĬCĬOR, aris, dep. 1. *Ruricius ep.* 2, 42. Volatilia deliciari, *h. e.* comedere cum delectatione. *F.*]

DĒLĬCĬOSUS, a, um, adj. deliciis plenus. *Rutil. Itiner.* 1, 378. Stagna placent septo deliciosa vado. *Capell.* 7. *init.* Deliciosa mollities. *Sedul. prol.* 8. Divitiasque magis deliciosus amas.

DĒLĬCĬUM, ii, n. idem quod deliciae. *Mart.* 13, 98. Delicium parvo donabis dorcada nato. *Id.* 7, 49. Fons, delicium domus. ℙ Pro puero, qui est in deliciis, tum in bonam, tum in malam partem. *Phaedr.* 3, 20. Rogati mox a quodam delicio suo, Quidnam fecissent. Al. leg. *Rogati mox a quodam, delicio suo Quidnam fecissent:* atque ita de asino sermo est. *Inscr.* ap. *Grut.* 661, 14. Sextiliae O. L. Primigeniae annorum XIII. delicio eorum, etc. ℙ [In masculino gen. *Inscr.* optimae notae apud *Gorium Columb. Liv.* p. 73. *n.* 4. Amaranthio Cerylli delicius vixit annis III. M. III. Dat ollam Ceryllus L. *F.*] Alia apud *Don. cl.* 1. *n.* 132. Apricius delicius.

DĒLĪCO, as, avi, atum, a. 1. indico, explano, aperio, ut exponit *Non.* 4, 114. et 2, 225., videturque esse a *liquo, as, (qu* in *c* mutato, ut in *secutus, locutus*) quia *liquida* pro claris et perspicuis ponuntur, et *liquet*, manifestum est, significat. *Titin.* ap. *Non. ib.* Quid istic sibi vult sermo? mater, delica. *Id. ib.* Tibi ne comoediam, quam sciam, non delicem? *Pl. Mil.* 3, 2, 30. Ut te ipse me dixisse delices, postea sagina ego ejiciar cellaria, *h. e.* statim ac tu indicabis me dixisse. [*V. intpp. ad *Non.* ll. ll. et *Lindem.* ad *Pl.* Quae sequitur explicatio pro *dedicare*, quam nonnulli etiam ad h. l. transtulerunt, prorsus est abjicienda. Nullo enim nititur fundamento, nulloque loco firmatur.] Adde *Acc. Caecil.* et *Lucil.* ap. *Non. ib.* ℙ Veteres dixere etiam *delicare* pro *dedicare*, abeunte *d* in *l:* quod et in *Ulysses*, et in *lacryma* factum est ab Ὀδυσσεύς et δάκρυμα. [*Festus.* Delicata dicebant Diis consecrata, quae nunc dedicata. Unde adhuc manet delicatus (*lege* dedicatus), quasi lusui (*lege* usui) dicatus. Dedicare autem proprie est dicendo deferre. *F.*]

DĒLĬCTOR, oris, m. ἁμαρτωλός, qui delinquit. *Commod. Instruct.* 52. Refugium regis pete, si delictor fuisti. Adde *Cyprian. ep.* 59. *ad f.*

DĒLĬCTUM, i, n. ἁμάρτημα, peccatum: a *delinquo*, quod est deficere et translate peccare. [*Herzog. ad *Caes.* loco statim laudando *delictum* appellat peccatum delinquendo commissum. Negat hoc verum esse *Döderl. Syn.* II. p. 139. sqq. ubi V. quae plura de h. v. disputantur. — De JCtorum autem h. v. usu et quid differat a *crimine* etc. cf. *Neues Archiv des Kriminalrechts von Konopak u. a. Bd.* VIII. *St.* 3. p. 396 — 444. *St.* 4. p. 643 — 713. *Bd.* IX. *St.* 3. p. 329 — 428. Inspicere enim ipsum librum, in nostris regionibus rarissimum, etsi perquam cupienti, non datum est.] *Caes. B. G.* 7, 4. *sub f.* Nam majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat. *Cic. Fam.* 5, 17. *sub f.* Homines sapientes delicto suo, non aliorum injuria commoveri. *Id. Marc.* 6. expetere poenas ab aliquo ob delictum. *Hor. Od.* 3, 6, 1. Luere delicta. *Ter. Ad.* 4, 5, 48. Delictum in se admittere. *Ov. Am.* 2, 4, 3. Delicta fateri. ℙ Item erratum ingenii. *Hor. A. P.* 442. Si defendere delictum, quam vertere, malles. *Censorin. de die nat.* 20. Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa.

DĒLĬCTUS, a, um, part. a *delinquo*, ἀπολειφθείς, derelictus. *Enn.* ap. *P. Merul.* p. 327. At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est, Corde suo trepidat, delicto Coclite. Al. leg. *delicto poplite*, h. e. defectis viribus. Sed haec obsoleta sunt.

DĒLĬCŬLUS, a, um, diminut. delici, qui delinquitur seu venditur aliis dominis. *Cato R. R.* 2. Vendat boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas. Alii leg. *rejicula* et *rejiculas*, ut ap. *Varr. R. R.* 2, 1. et 5. V. REICULUS.

DĒLĬCUS, a, um, adj. deliquus, qui nempe a matre grandior factus delinquitur. *Varr. R. R.* 2, 4. *a med.* Cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur, neque jam lactentes dicuntur. V. DELIQUUS.

DĒLĪCŪUS. V. DELIQUUS.

*DELIGĀTOR, oris, m. *Marc. Empir. B. A.*

DĒLĪGĀTUS, a, um, part. idem quod ligatus. *Plin.* 20, 17, 71. Deligata linteolo grana. *Caes. B. G.* 5, 9. Naves deligatae ad ancoras. *Id. ib.* 1, 53. Navicula deligata ad ripam. *Suet. Ner.* 29. Deligati ad stipitem.

DĒLĪGO, as, avi, atum, a. 1. idem ac ligo, χαταδέω. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. In ea statua Sopatrum divaricari ac deligari jubet. *Licin.* ap. *Non.* 3, 184. Deligare ad patibulos. *Pl. Men.* 1, 1, 13. Apud mensam plenam homini rostrum deliges. *Caes. B. C.* 3, 39. Naves deligare ad terram. *Cels.* 2, 10. *sub f.* Deligandum brachium superimposito penicillo, i. e. fasciis ligare. Sic *Quint.* 2, 17. Deligare vulnus. [*Hoc sensu usitatius est *alligare.* V. *intpp.* ad *Liv.* 7, 27, 4.]

DĒLĪGO, is, egi, ectum, a. 3. ἐκλέγω, seligo, delectum habeo: quasi *de* multis *lego. Cic. Off.* 2, 13. Eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. *Id. Planc.* 25. Sic populus R. deligit magistratus, quasi reipubl. villicos. *Id. Leg.* 1, 22. Bona deligere, rejicere contraria. *Id. Agr.* 2, 9. Si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data. *et mox.* Quem unum e cunctis delegissetis. *Liv.* 39, 36. *ad f.* Domicilio sibi deligere maritima oppida. Al. leg. *domicilium. Quint.* 12, 10. Deligere locum exsilio. *Liv.* 1, 40. aliquem generum. [*Tac. A.* 12, 19. Eunones — allevat supplicem, laudatque, quod — suam dexteram petendae veniae delegerit. Cf. *id. ib.* 4, 75. propinquum Caesaribus sanguinem deligere, i. e. sequi.] *Cic. Rosc. Am.* 3. ex civitate aliquos in senatum, ex senatu in consilium judicum. [*Liv. 24, 46. centurionum robora ex toto exercitu delegit. V. locos a *Drak.* ad 9, 17, 15. allatos. De permutatione vv. *deligere* et *eligere* agit *id.* ad 34, 29, 10.] *Quint.* 12, 2. rectissimam ad virtutem viam. ℙ Est etiam legendo rejicere. *Virg. A.* 5, 715. Longaevosque senes, et fessas aequore matres, et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est, Delige. [*Haec significatio non tam in verbo, quum in sensu totius loci inest.] ℙ Item decerpere, detrahere. *Ov. Her.* 4, 30. plenis pomaria carpere ramis, Et tenui primam deligere ungue rosam. *Prop.* 2, 23, 106. Altaque mortali

deligere astra manu. ℙ Deligere aliquem ex aedibus est detrudere, ejicere. [*Sic uti Comico tantum h. v. licuerit.] *Pl. Asin.* 3, 3, 42. Hinc med amantem ex aedibus delegit hujus mater. ℙ Pro dejicere. *Cic. Vatin.* 14. Subsellia dissiparit, urnas delegerit. Al. aliter leg. [*Adde *Id. Caec.* 27. si ingressum modo delegeris. Utroque loco *Graev.* e codd. ita reposuit pro *dejeceris* et *dejecerit.* Recte autem, auctore *Schützio* in *Clav. Cic.* de hac significatione dubitat *Ernest.* Omnino. Ad locum *Vatin.* scripturam ab *Hotom.* conjectura editam verissimam appellat *Orell.*; in *orat. p. Caec.* recepit idem *dejecerit*, suspicatus, deberi alteram scripturam glossemati *Pl. Asin. l. l.* ℙ Permutantur passim a librariis *deligere* et *deligare.* V. intpp. ad *Suet. Galb.* 10. *Drak.* ad *Liv.* 29, 20, 2.]

*DELIMĀTOR, oris, m. *Gloss. Cyrill.* Delimator, *διαριτής* (*διαῤῥιπτής*). *B. A.*

DĔLĪMĀTUS, a, um, part. ab inusit. *delimo*, elimatus. *Plin.* 34, 11, 26. Delimatam aeris scobem aceto spargunt. [*Delimo, as, *ἀποῤῥίπτω* (*ἀποῤῥιπτίζω*) *Onomast. Vet. B. A.*]

DĔLĪMIS, e, adj. obliquus, transversus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 82. Delime bipennis, ut levis passerculus, *h. e.* bipennis obliquitas.

DĔLĪMĪTĀTIO, onis, f. limitum appositio. *Balbus de limitib.* ap. *Goes.* p. 142.

DĔLĪMĪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *delimito*, limitibus definitus. *Frontin. de agror. qualit.* ap. *Goes.* p. 38.

DĔLĪNĔĀTIO, onis, f. descriptio. *Tert. adv. Valent.* 27. In delineationem superioris Christi, etc.

DĔLĪNĔO, as, avi, atum, a. 1. *διαγράφω*, designo, et ruditer depingo: ex *de*, et *linea*, ut cum pictores primum quaedam pingui Minerva futuri operis lineamenta ducunt. *Plin.* 35, 10, 36 *n.* 14. de Apelle: Arrepto carbone exstincto e foculo imaginem in pariete delineavit.

DĔLĪNGO, is, inxi, inctum, a. 3. idem quod lingo, *ἐκλείχω*. *Cels.* 3, 22. *sub f.* Cochleare plenum paulatim delingatur. *Pl. Pers.* 3, 3, 25. Nunquam delinget salem, *h. e.* non habebit, unde coenet. Adde *Curc.* 4, 4, 6.

DĔLĪNĪMEN et Delenimen, inis, n. idem quod delinimentum. *Symm. ep.* 3, 11. Spectator veteris monetae solus supersum, ceteri delinimina aurium capiunt. Al. leg. *delinimenta.*

DĔLĪNĪO, etc. V. DELENIO.

DĔLĪNO, is, a. 3. agnoscitur a *Prisc.* 9. *sub f.* caret tamen adhuc auctoritate Latini scriptoris, excepto particip. *delitus*, quod V. suo loco: et *delinendus, a, um. Cels.* 3, 19. Delinendus homo est vel gypso, vel argenti spuma, *h. e.* ungendus.

DĔLĪNQUENTIA, ae, f. delictum. *Tert. Resurr. carn.* 46 et 47.

DĔLĪNQUO, is, liqui, lictum, a. 3. olim usurpatum fuit pro decesse, deficere. Hinc *Coel. fragm. histor.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 390. Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. *Tubero ib.* Num delinquat, aut superet aliquid tibi. ℙ Ceterum proprie significat praetermittere, quod non oportet praeteriri, ut *Festus* docet: et universim a recta ratione deficere, flagitium admittere, peccare, *ἁμαρτάνω, πλημμελέω.* In veteri formula belli indicendi, apud *Gell.* 16, 4. Quod populus Hermunduli adversus populus hominesque populi Hermunduli adversus populum R. bellum fecere, deliqueruntque. [**Id. Tusc.* 2, 5. philosophus in ratione vitae peccans hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitae professus, delinquit in vita.] *Cic. Cluent.* 46. Ne miles in bello propter hostium metum delinqueret. *Id. Agr.* 2, 36. *extr.* Si quid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a vobis deprecentur. *Pl. Bacch.* 3, 3, 14. Dum caveatur, praeter aequum ne quid delinquat. *Id. Amph.* 2, 2, 185. Quid ego tibi deliqui, *h. e.* contra te. [*Sic *Calpurn. Decl.* 34. quid matri deliquerat filius. Sic etiam *peccare* construitur. *Ter. Ad.* 1, 2, 36.] *Id. Epid.* 3, 3, 9. Quasi quid filius meus deliquisset med erga. *Id. Men.* 5, 2, 30. Nusquam equidem quidquam deliqui. *Plin.* 17, 12, 19. Multo jam praestat laxitate delinquere, *h. e.* nimis laxe serendo oleas. *Ov. Am.* 2, 8, 9. in ancillam si quis delinquere posset. Al. rectius leg. *ancilla.* ℙ Passive. *Papin. Dig.* 48, 5, 38. Adulterium quod pubertate delinquitur, non excusatur aetate. ℙ Impersonaliter. *Cic. Att.* 9, 10. *extr.* Ut nihil a me adhuc delictum putem. *Gell.* 5, 4. Ni una nuspiam littera delictum esset.

DĔLĪQUĔO, es, cui, n. 2. idem ac deliquesco: verbum usitatum in praeterito tantum. *Ov. Trist.* 3, 10, 15. de nive: Ergo ubi delicuit nondum prior, altera venit. *Id. Met.* 7, 380. Hyrie flendo Delicuit, stagnumque suo de nomine fecit. *Pl. Cas.* 2, 6, 46. Utinam tua quidem, sicut Herculeis praedicant quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit. *Paus.* 4, 3. narrat, sortientibus de imperio Messenes Cresphonte et filiis Aristodemi Herculis nepotibus, conjectisque in urnam aquae plenam sortibus, factum esse fraude cujusdam Temeni, ut Cresphontis sors ex coctili laterculo, filiorum vero Aristodemi ex argilla sole siccata fieret; cumque esset conditio, ut utra sors exiret, ejus esset imperium, altera soluta et dissipata, Cresphonti imperium adjudicatum fuisse.

DĔLĪQUESCO, is, 3. *τήκομαι*, liquidus fio, liquefio, dissolvor. *Colum.* 12, 41. Haec ita coquuntur, ut omnia poma deliquescant cum musto. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 17. Nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat. *Lact.* 7, 12. Tam celeriter corpus deliquesceret ac periret, quam celeriter anima secedit, *h. e.* solveretur.

DĔLĪQUIAE. V. DELICIA.

DĔLĪQUĬUM, ii, n *ἔκλειψις*, defectus: a *delinquo*, deficio: at minus recte *Varr. L. L.* 6, 5. Deliquium dictum ab eo, quod deliquatur. *Pl. Capt.* 3, 4, 92. Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquium fiet, *h. e.* caream parentibus et libertate. Al. plures leg. *deliquio siet*, eo modo, quo dicimus *exitio, fraudi esse* etc. [*Hoc recte probat *Lindem.* ad h. l.] Sunt etiam qui putent esse rectum casum *deliquio, onis*, quod etiam a *Cn. Gellio* usurpatum quidam citant ex *Serv.* ad *A.* 8. ℙ Deliquium solis, defectio. *Plin.* 2, 12, 9. et *Festus.* ℙ Est etiam a *liquo, as*, apud *Prud. Ham.* de statua salis, 751. Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda: Sed nulla ex fluido plenae dispendia formae Sentit deliquio.

DĔLĪQUO, as, a. 1. *ἐκχέω*, effundo; a *liquo. Colum.* 12, 39. Passum in alia vasa deliquare. *Varr. L. L.* 6, 5. *ad f.* Turbida quae sunt, deliquantur, ut liquida fiant. *Cels.* 5, 20. *n.* 5. Quae ex vino teruntur et in ipso usu deliquantur. ℙ *Deliquare* pro aperire, explanare, V. DELICO.

DĔLĪQUUS, a, um, adj. a *delinquo*, ut *reliquus* a *relinquo*, significat deficiens, minor, ut exponit *Festus:* Veteres enim *delinquere* usurpabant pro deficere. Itaque *Pl. Cas.* 2, 2, 32. Quando tibi nil domi deliquum est. Ubi alii leg. *delicuum;* sed idem est sensus. V. DELICUS.

DĔLĪRĀMENTUM, i, n. delirium. *Pl. Amph.* 2, 2, 64. Haec quidem deliramenta loquitur. Adde *Capt.* 4, 4, 67. et *Plin.* 2, 7, 5.

DĔLĪRĀTIO, onis, f. proprie est declinatio extra sulcum, id est a recta via. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Quod vocant lirare, operientes semina, unde primum appellata deliratio est. ℙ Translate est alienatio mentis ab aetate vel morbo proveniens, *ληρωις. Cic. Senect.* 11. Ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senium levium est, non omnium.

*DELIRIOSUS, a, um, adj. *Vet. Interpp. Iren.* 1. *B. A.*

DĔLĪRĬTAS, atis, f. deliratio. *Laber.* ap. *Non.* 8, 56. Quaenam mens, quae deliritas vos suppilatores facit cum cano eugio puellitari? [**Forc.* habebat: *velitari.*]

DĔLĪRĬUM, ii, n. *λῆρημα*, alienatio mentis, deliratio. *Cels.* 3, 18. *extr.* Aliquando ex metu delirium nascitur. Adde 2, 8. *ante med.*

DĔLĪRO, as, n. 1. *παραληρέω*, proprie est a sulco evagari: translate a recta mente declinare, insanire. V. LIRO. *Cic. Off.* 1, 27. Falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente captum esse. *Id. N. D.* 1, 34. Desipere, delirare, dementem esse. *Id. Div.* 1, 18. Ut rear in extis totam Etruriam delirare. *Hor. Ep.* 1, 2, 14. Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. ℙ Pro a recta linea deflectere. *Auson. Idyll.* 16, 11. angulus aequis Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.

DĔLĪRUS, a, um, adj. *χρονόληρος*, qui a recta mente, quasi sulco seu lira, evagatur, insaniens, mente captus: et dicitur praesertim de senibus, qui ob aetatem desipiunt. *Cic. Or.* 2, 18. Multos se deliros senes saepe vidisse. *Id. Div.* 2, 68. An tu censes ullam anum tam deliram futuram? *Hor. Sat.* 2, 3, 107. Delirus et amens. *Id. Ep.* 2, 2, 126. scriptor delirus inersque. *Lact.* 3, 18. et 19. *a med.* Plane contenderim, nunquam quicquam dictum esse in rebus humanis delirius. ℙ [In *Not. Tir.* p. 97. legitur *delerus*, quia fortasse ad Graecum etymon *λῆρος* respicitur. *F.*]

DĔLĪTĔO, es, ui, n. 2. abscondor: a *lateo. Caes. B. G.* 4, 32. Hostes in silvis delituerant. *Virg. G.* 3, 416. Saepe sub immotis praesepibus aut mala tactu Vipera delituit etc. *Ov. Her.* 8, 68. Nec querar in plumis delituisse Jovem. [*Plin.* 35, 1, 1. Spatia montis in cubiculo delitentia. *F.*]

DĔLĪTESCO, is, n. 3. *καταχώπτομαι*, occultor, lateo, idem ac deliteo. [*Hoc voc. in cod. palimps. *or. p. Tullio* §. 33. delitiscere scriptum reperitur; sic quoque in bonis exstat codd. apud *Cic. N. D.* 2, 49. *extr.*, ut *Beier.* ad illum locum observat.] *Cic. N. D.* 2, 49. *extr.* Bestiae in cubilibus delitescunt. *Id. Coel.* 25. *extr.* Ut eo mitteret amicos, qui delitescerent, deinde repente prosilirent. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 5. Exortus est Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret et in eorum auctoritate delitesceret, qui negassent, quidquam sciri aut percipi posse. *Id. Caec.* 21. Cave, in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas. [Adde *Not. Tir.* p. 94. Dilitescit, dilituit. *F.*]

DĔLĪTĬGO, as, avi, atum, n. 1. vehementer litigo. *Hor A. P.* 94. Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

DĔLĪTOR, oris, m. qui delinit, *h. e.* delet, tollit, oblitterat. *Accius* in *Atreo*, apud *Prisc.* 9. *sub f.* Epularum fictor, scelerum fratris delitor.

DĔLĪTUS, a, um, part. a *delino*, deletus. *Cic. Verr.* 1, 2, 55. Ex qua tantum tectorium vetus delitum sit et novum inductum. *Id. fr.* ap. *Prisc.* 9. *sub f.* Tuli moleste, quod litterae delitae sunt mihi a te redditae, *h. e* lituris corruptae. *Calvus* ap. *Diomed.* 1. p. 372. Prima epistola videtur in via delita. Adde *Varr. ib.* Attamen *Diomedes* haec a *deleo* deducit. ℙ Idem est ac delibutus. *Appul. Met.* 8. Faciem coenoso figmento deliti et oculis obunctis graphice prodeunt. In quo differat *delitus* a *lito, oblito, illito*, V. in LĪTUS.

DĔLĬUS, a, um, adj. *Δήλιος*, qui est ex Delo insula. *Ov. Pont.* 4, 14, 57. grata est Latonae Delia tellus. *Catull.* 34, 7. Delia oliva. Hinc *Delius* dicitur Apollo, quod est a Latona ibi in lucem editus. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. et *Virg. A.* 3, 161. Delius Apollo. *Id. A.* 6, 12. vates, *h. e.* ipse Apollo. Et absolute. *Val. Fl.* 1, 445. tuis nam pendit in arvis Delius, irato Steropen quod fuderat arcu. *Hor. Od.* 4, 3, 6. Deliis foliis ornatus dux, *h. e.* lauro Apollini sacra. *Stat. Th.* 1, 573. Delia furta, *h. e.* occulti amores Apollinis. *Id. Silv.* 5, 3, 3. antra, *h. e.* unde oestrum et oracula fundit Apollo. ℙ *Delia Dea* est Latona. *Hor. Od.* 4, 6, 33. V. DELIA. ℙ [*Fuit et *Delium*, sc. oppidum vel templum, in Boeotia situm, ubi Athenienses a Boeotis in fugam sunt versi. *Cic. de Div.* 1, 53. *Liv.* 31, 45. et 35, 50 et 51. ℙ *Deliacastra*, locus maritimus, in Africa Propria. *Mela* 1, 7. *B. A.*]

[DĔLĪXUS, a, um, adj. elixus, sive multum elixus. Legitur in *Not. Tir.* p. 151. *F.*]

DELMĀTIA, etc. V. DALMATIA.

*DELMINIUM, i, n. *Δελμίνιον*, oppidum Dalmatiae. *Flor.* 4, 12. *B. A.*

*DĔLOCĀTIO, onis, f. luxatio. *Coel. Aur. Tard.* 2, 1. Articulorum delocatio. *B. A.*

*DELONGE, adv. i. fere q. longe. *Vulg. Exod.* 20, 21. et *Deut.* 29, 22. Cf. *Deintus. B. A.*

DĔLOS et Delus, i, f. *Δῆλος*, insula parva maris Aegaei, princeps inter Cycladas, et fere in earum medio posita: dicta a *δῆλος*, manifestus, quod post diluvium Ogygis prima ante alias ex aquis emerserit: vel quod cum alibi oracula Phoebi obscura essent, ibi manifesta edebantur. Olim totius Graeciae emporium fuit, et oraculum, aerariumque commune Graecorum. Phoebo enim sacra habita est, templumque habuit, in quo consulentibus ille responsa dabat. Fabulantur autem, fuisse olim instabilem, et ventorum vi huc illuc agitatam; sed quia Latonam gravidam, omnibusque terris, ira Junonis Pythone immisso, agitatam, litori adlabens susceperat, parientique Apollinem et Dianam cunabula tuta praebuerat, ab Apolline stabilem, immotamque redditam, Myconc et Gyaro vicinis insulis revinctam. Qua re illud significare voluerunt, fuisse olim desertam, quod crebris terrae motibus vexaretur, postea frequentatam incolis, qui a vicinis insulis eo sedes transtulerint. In ea neque mortuum sepelire, neque canes alere fas erat, vetito Apollinis. *Cic. Verr.* 2, 1, 18., *Virg. A.* 3, 73. et ibi *Serv.*, *Plin.* 2, 87, 89. et 4, 12, 22. et *Macr. Sat.* 1, 17. et V. ASTERIE. ℙ Notat *Serv. l. c.* hoc nomen esse et insulae, et urbis in ea. *Hor. Od.* 1, 21, 9. Vos Tempe totidem tollite laudibus, Natalemque, mares, Apollinis. *Virg. G.* 3, 6. Latonia Delos. ℙ De minore Delo. V. PUTEOLI.

DĔLOTUS, a, um, part. a *delavo*, lotus. *Theod. Prisc.* 1, 4. Coagulum leporis e vino veteri delotum.

*DELPHACĬA, ae, insula Propontidis, prope Cyzicum. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

DELPHI, orum, m. plur. al. *Castri*, al. *Salona*, urbs Phocidis, in Achaia, ad Parnassum M. a Delpho Neptuni filio ex Melantho Deucalionis filia. *Serv.* ad *A.* 3, 332. scribit, dictum esse a delphino, qui Icadium Apollinis filium naufragum tergo excepit, salvumque in litore exposuit, qui exstructo templo ad Parnassum in honorem patris, ad servandam delphini memoriam, Delphos locum appellaverit. Hinc delphinos esse Apollini sacros. V. ibi alia in hanc rem. Juxta Delphos Cephisus amnis oritur, et Castalius fons non longe abest. Ibi templum amplissimum fuit Apollini dicatum, ubi responsa dabat, quo ex toto orbe terrarum gentes de suis rebus consulturae confluebant. Hujus descriptionem habes apud *Justin.* 24, 6. Hinc Apollo *Delphicus* appellatus est. Sed *Macr. Sat.* 1, 17. Apollinem Delphicum appellatum existimat a prisca Graecorum voce *δέλφος*, quae solum significat, eo quod interdiu stellis omnibus obscuratis, solus luceat, qua ratione etiam *Sol* a Latinis appellatus est. ℙ Fuit veterum opinio (apud *Ov. Met.* 10, 168. et *ib.* 15, 630. et *Stat. Th.* 1, 118. etc.) Parnassum montem, ad cujus radices sunt Delphi, orbis terrarum meditullium esse: narraturque fabula hujusmodi: Cum Juppiter medium terrae locum vellet agnoscere, ex ortu atque occasu duas aquilas dimisisse, quas,

orbe peracto, tandem fessas volatu ambas in Parnassi vertice consedisse. Alii dicunt, cataclysmi tempore solum eum montem exstitisse ex aquis, ut est apud *Lucan.* 5, 75. *et seqq.*, atque adeo altissimum omnium, et velut medium terrae umbonem esse habitum. *Lactant. vetus Statii Schol. l. c.* Verum haec sani Geographi non admiserint. *Liv.* 38, 48. et 41, 23. *a med.* Delphos umbilicum Graeciae appellat. V. UMBILICUS. [*V. *Schol. Pind. Pyth.* 4, 6. *Tennulius* ad *Agathem. Geogr.* 1, 1. p. 174. *ed. Gron.* aliosque quos laudat *Burm.* ad *Anthol. Lat. T.* II. p. 548.]

DELPHI, orum, m. plur. populi Delphi oppidi. *Justin.* 24, 7. et 8.

DELPHĪCĀ, ae. V. DELPHICUS.

DELPHĪCĒ, adv. more Delphici oraculi. *Varro* apud *Non.* 2, 556. Quid aliud est, quod Delphice columna litteris suis *ἀγαν μηδὲν*, etc.?

DELPHĪCOLĀ, ae, m. qui Delphos colit, epith. Apollinis. *Auson. Technop. Idyll.* 12. *cap. de histor.* Ludit et Aeaciden Parnassia Delphicolae sors.

DELPHĪCUS, a, um, adj. *Δελφικὸς*, ad Delphos pertinens. *Ov. Met.* 1, 515. Delphica tellus. *Id. ib.* 11, 414. templa, *scil.* Apollinis. *Hor. Od.* 3, 30, 16. laurus. *Tibull.* 2, 3, 27. Pytho. *Petr. Sat.* 122. Delphicus ales, *h. e.* corvus. *Cic. Div.* 2, 57. Delphica oracula. *Id. Verr.* 2, 4, 59. Mensae Delphicae e marmore, *h. e.* factae ad similitudinem ejus, in qua Delphis in templo Apollinis Pythias insidebat oracula faciens. Nam ea forma elaborata mensa donis maxime Apollinis Delphici dicabatur, eratque in pretio in ditiorum aedibus. ℙ Quare et *Delphica* absolute dicitur. *Mart.* 12, 66. Argentum atque aurum non simplex Delphica portat. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 83, 2. Decima C. F. Candida sacerdos Matris Decem Delficam *(ita pro* Delphicam) cum Laribus, et ceriolaris *(pro* ceriolariis *vel* ceriolaribus) N. XXXVI. *F.*] Adde aliam apud *Grut.* 1115, 8. [*Procop.* in *Vandalicis* I, 21. *Δέλφικα τὸν τρίποδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δέλφοις γέγονε.* Delphicam vocant Romani tripodem, quia Delphis primum est factus. *F.*] *Plin.* 34, 3, 8. hac eadem ratione cortinas Delphicas dixit. ℙ Delphicus Apollo *(Plin. ib.)* etiam *Delphicus* absolute dicitur. *Ov. Met.* 2, 543. et 677., et *Fast.* 3, 856.

DELPHĪN, inis, m. et Delphīnus, i, m. *δελφὶν* et *δελφὶς*, piscis marinus, vel potius bellua omnium animalium velocissima, etiam terrestrium et volucrum, ingentis et ponderosi capitis, pro voce gemitum edens similem humano, ore multum infra rostrum, medio paene in ventre, lingua mobili, brevi atque lata et suillae simili, dorso repando, rostro simo. Parit catulos decimo mense, interdum binos, et uberibus nutrit, sicut balaena: adolescit celeriter, et tricenos annos vivere traditur. Amica est homini, et musicae, et praecipue hydrauli sono. A *Plin.* 9. *c.* 8., unde haec sumpsimus, et *Gell.* 7, 8., et *Plin. altero ep.* 9, 33., et *Solin.* 12. exempla narrantur delphini puerum ardenti amore depereuntis, colludentis, et dorso suo medio mari gestantis, ac fideliter referentis ad litus. *Simonis* nomine si appelletur, accurrere, et piscatoribus operam suam navare, *Plin. ib.* tradit: quae omnia *Solin.* quoque *ib.* narrat. *Cic. Div.* 2, 70. Cum viderint delphinos se in portum conjicientes, tempestatem significari putant. *Ov. Met.* 2, 265. nec se super aequora curvi Tollere consuetas audent delphines in auras. *Id. Trist.* 3, 10, 43. Pandi delphines. *Id. Fast.* 2, 113. tergo delphina recurvo. *Id. Met.* 11, 237. Frenato delphine sedens. ℙ *Delphinum silvis appingere, fluctibus aprum*, proverbii genus apud *Hor. A. P.* 30. de eo dictum, qui ea dicit aut facit, quibus nunc non erat locus, ut *Id. ib.* ait *v.* 19. ℙ In Circo delphinorum simulacra fuere supra columnas conspicuo loco posita, ad omen celeritatis et ad ornatum. *Juven.* 6, 589. Consulit ante phalas delphinorumque columnas. V. *Panvin. de Circensib.* 1, 14. ℙ Est etiam hoc nomine sidus novem stellis constans, in parte coeli, quae dicitur zona torrida, inter Aquilam et Pegasum: de quo alii fabulantur, conciliasse Neptuno nuptias Amphitrites: alii unum esse ex iis Tyrrhenis nautis, qui Bacchum abducere conati, ab eo in hujus generis pisces mutati sunt (V. *Ov. Met.* 3, 630. et seqq.): alii fuisse illum, qui Ariona excepit a nautis in mare projectum. *Ov. Fast.* 1, 457. Interea Delphin, clarum super aequora sidus Tollitur. V. *Hyg. Astron.* 2, 17. et *ib.* 3, 16. ℙ Quos *Vitr.* memorat *delphinos aereos* in machina hydraulica, 10, 3. *ad f.* creduntur esse pondera quaedam similia iis, quae horologiis appenduntur: ita dicta, quia delphinus capite est crasso et gravi, ut dictum est: vel fortasse a figura. ℙ Eadem ratione delphinos vocat *Plin.* 33, 11, 53. ornamenta triclinium, lectorum, vasorum ex auro, argento, vel aere. ℙ *Delphis* pro *delphin* in recto singulari usurpatur ab *Avien. Arat.* 1699., et confirmat *Serv.* ad *G.* 1, 161. ℙ *Delphinum* pro *delphinorum* legitur apud *Prop.* 3, 15, 25. ℙ *Delphina* accusat. Graecae positionis apud *Ov.* V. supra *ab in.* ℙ [*Portus *Delphini* in Liguria fuit. *Plin.* 3, 5. Hodie est *Porto fino. B. A.*]

DELPHIS, idis, f. mulier sacerdos Apollinis Delphici. *Mart.* 9, 43. *ad Apoll.* Nec Dephis tua mentiatur ulli.

DELPHĪTĪCUS, a, um, adj. idem quod Delphicus. *Mart.* 11, 21. Quam quae Delphitico lapsa est armilla cinoedo. Alii leg. *de phthisico.*

DELTĀ, ae, *δέλτα*, nomen quartae Graecorum litterae, hac figura *Δ*. *Auson. Technop. Idyll. de litt. monosyll.* 12, 14. Non formam, at vocem deltae gero Romuleum D. ℙ Ab hujus litterae forma *Delta* dicta est pars Aegypti superior, seu ad mare mediterraneum posita, *τὸ Αἰγύπτιον Δέλτα*, ita se findente Nilo, ut triquetram terrae figuram efficiat, ut est apud *Plin.* 5, 9, 9. et *Hirt. B. Alex.* 27. ℙ Transpadana quoque regio Italiae *Delta* dicta est, quae Alpibus, ora maris, et Pado flumine continetur. *Plin.* 3, 16, 20. ℙ Hoc sensu indeclinabilium nominum more effertur, et neutro genere. *Id.* 5, 9, 9. Memphites ad summum Delta perveniunt.

DELTOTON, i, n. *Δελτωτὸν*, signum coeleste septentrionale supra caput Arietis, tribus praecipuis stellis constans, ita dispositis, ut triangularem formam, et Graecae *Δ* figuram efficiant (unde et nomen): ita tamen ut una ex tribus lineis brevior sit, ut est apud *Caes. Germanic. Arat.* 236. et *Manil.* 1, 352. Docet autem idem *Germanicus* hoc sidere significari Aegypti eam regionem, de qua in DELTA dictum est, vel potius ipsius Nili brachia eam figuram formantia. Alii dicunt esse Siciliam, quae triquetra est, sacratam in coelo a Cerere: alii esse signum, et veluti ornamentum additum a Jove capiti Arietis, quod obscurius est, ut magis conspicuum appareret. *Cic. Arat.* 5. Deltoton dicere Graji Quod soliti, simili quia forma littera claret. Adde *Hygin. Astron.* 3, 18.

DELŪBRUM, i, n. *ναός*, sacra aedes, templum. Varia est hujus vocis origo et prima sententia. Alii dicunt esse fustem *delibratum*, h. e. decorticatum vel dedolatum, quem venerabantur pro Deo. Alii [*Voss. in *Etym.*] a *deluo* derivant, ut sit fons decurrens ante templum vel *labrum* in vestibulo positum, in quo adoraturi lavent, quo puriores accedant ad Deos, ut *pollubrum* est a *polluo*. Alii templum esse docent, in quo Dei simulacrum dedicatum sit: ut quemadmodum ubi candela ponitur, candelabrum, sic quo loco *Deum* ponant, *delubrum*. Alii templum esse, ubi plura numina simul sunt constituta, ut Capitolium, quasi *Deis pluribus* sacrum, vel quasi locus multarum cellarum seu aedium, sub uno tecto a *deluvio* pluviae munitarum: aut ubi praeter aedem *area* sit assumpta *Deorum* causa, ut in Circo Flaminio Jovi Statori. *Fest., Varr., Cincius* et *Massur. Sabin.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 225. et ad *ib.* 4, 56., item *Macr. Sat.* 3, 4. et *Ascon. Divin. Verr.* Hinc *Cic. N. D.* 3, 40. Est mihi tecum pro aris et focis certamen, et pro Deorum templis atque delubris. Adde *Cat.* 3, 9. ℙ Dicitur universim de omni sacra aede. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. Delubra sanctissimis religionibus consecrata depeculatus est. *Id. Arch.* 8. Smyrnaei delubrum Homeri in oppido dedicaverunt. *Id. ib.* 11. Delubra Musarum colere. *Virg. A.* 4, 56. Principio delubra adeunt pacemque per aras Exquirunt.

DELUCTĀTIO, onis, f. luctatio. Translate. *Capell.* 5. p. 139. *loquitur Rhetorica.* Et viribus gloriam deluctationis annixa.

DELUCTOR, aris, dep. 1. idem fere quod luctor, *διαπαλαίω*. *Pl. Pers.* 1, 1, 4. Cum Antaeo deluctari mavelim. ℙ Est etiam *delucto, as*, activa forma. *Id. Trin.* 4, 1, 20. Quibus aerumnis deluctavi, filio dum divitias quaero! Al. leg. *quantis cum aerumnis:* alii *eluctavi*, ut *Non.* 7, 6. [*Non. illud *deluctavi* exemplis adstruit.]

*DELUDIFICATIO, onis, f. *Augustin. B. A.*

DELŪDĬFĬCO, as, a. 1. *διαπαίζω*, illudo, irrideo, decipio. *Pl. Rud.* 1, 2, 59. Deludificavit me ille homo indignis modis [*Pl. Most.* 4, 3, 41. Deludificatus est me hodie in perpetuum modum. Sed legendum: *Te ludificatus*, ut in v. est 39. *B. A.*]

DELŪDO, is, usi, usum, a. 3. proprie est ludere desino. *Varr.* ap. *Plin.* 36, 27, 69. Cinis luxatis potus medetur: ut licet videre gladiatores, cum deluserunt, hac juvari potione, *h. e.* cum pugnando membrum aliquod ita laeserunt luxaruntve, ut pugnare amplius non possint. ℙ Frequentius sumitur pro eludere, illudere, decipere, *διαπαίζω*. *Cic. Rosc. Am.* 9. Primo rem differre ac procrastinare coeperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere atque deludere. *Ter. Andr.* 3, 4, 4. Deludere aliquem dolis. *Id. ib.* Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier. *paragoge pro* deludi. ℙ Translate. *Prop.* 2, 12, 31. Terra prius falso partu deludet arantes. [*Cf. *Burm.* ad h. l.] *Phaedr.* 5, 6. Spes me delusit.

*DELUENTĪNUS, i, m. deus, quem servavit, ut videtur, *Tert. Apol.* 24. Unicuique etiam provinciae et civitati suus deus est — municipali consecratione censentur Casiniensium Deluentinus. *B. A.*

DELUMBĀTUS, a, um, part. a *delumbo*, delumbis. *Plin.* 28, 4, 7. Quadrupede delumbata. ℙ Item curvatus. *Id.* 19, 6, 33. Delumbatae radices. *Vitr.* 6, 5. Lacunaria curva ad circinum delumbata, *h. e.* curva quidem, sed non ad perfectam rotundationem. ℙ [In *Not. Tir.* p. 129. scribitur *dilumbatus. F.*]

DELUMBIS, e, adj. lumbis debilis. *Plin.* 10, 33, 5. Coturnix praegravem aut delumbem sese simulans. ℙ Translate. *Pers.* 1, 104. summa delumbe saliva Hoc natat in labris, *h. e.* enerve, molle, fractum, *μαλακόν*. *Sidon. ep.* 8, 16. Dictio exossis, tenera, delumbis.

DELUMBO, as, avi, atum, a. 1. lumbos frango, debilem reddo. V. DELUMBATUS. Translate. *Cic. Or.* 69. Nec minutos numeros sequens, concidat delumbetque sententias.

DELŪO, is, ui, utum, a. 3. lavando detergeo, *ἀπολούω*. *Cato R. R.* 116. Laserpitium aceto deluito. Al. leg. *diluito*. *Cels.* 4, 15. *sub f.* Alvus aqua mulsa delui debet. ℙ Translate. *Liv.* 4, 14. et *Plin. ep.* 2, 11. Deluere crimen. Al. leg. *diluere*. *Gell.* 15, 2. *extr.* Si quid in animo vel frigidae tristitiae, vel torpentis verecundiae fuerit, deluamus. [*Ubique, ubi est signif. translata, in bonis edd. legitur *diluere*, quod V.] ℙ Significat etiam solvere, a *διαλύω*, si *Festo* creditur.

DĒLUS. V. DELOS.

DELŪSĬO, onis, f. actus deludendi. *Arnob.* 4. *init.* Delusio numinum.

[DĒLUSTRO, as, a. 1. plane ac cum bono eventu lustro. *Appul. Herb.* 84. Si qui malevolus devotaverit hominem, herbae asparagi agrestis radice sicca cum aqua fontana delustrabis eum, et resolutus erit. *F.*]

DELŪSUS, a, um, part. a *deludo*, illusus, deceptus. *Ov. Met.* 8, 826. petit ille dapes sub imagine somni Exercetque cibo delusum guttur inani. *Phaedr.* 3, 18. Delusa spes.

DELŪTAMENTUM, i, n. V. LUTAMENTUM.

*DELUTATIO, onis, f. i. q. lutatio apud *Augustin.* V. *Lutatio*, in Expulsis. *B. A.*

DELŪTO, as, a. 1. luto obducere. *Cato R. R.* 128. Si habitationem delutare vis.

DĒMĀDĒO, es, n. idem ac madeo. *Ov. Trist.* 5, 4, 40. Et te flente suos demaduisse sinus. Al. leg. *emaduisse.* [*Burm. *immaduisse* scripsit. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 478.]

*DĒMĀDES, is, *Δημάδης*, ex remige factus orator, vixit temporibus Demosthenis, cujus aemulus a quibusdam dictus, cum ei adversas in Rep. partes foveret. Nihil enim aliud Demosthenes, quam patriae libertatem spectabat: ille ex Macedonum gratia potentiam et opes quaerebat. Hunc jam aetate confectum, et ex nimio luxu ad summam jam inopiam redactum, cavillatus est Antipater victimis caesis similem esse, de quibus nihil, nisi lingua, jam superest. *Cic. Brut.* 9. *Id. Or.* 26. *Quint.* 2, 17. bis, et 12, 10. V. et *Plut.* in *Demosth. B. A.*

DĒMĀDESCO, is, n. 3. madidus fio. *Scribon. Compos.* 73. Eodem vase coquuntur, donec demadescant. V. *Catonis* similem locum in COMMADEO.

DĒMĀGIS, adv. valde magis, ut *Non.* 2, 229. interpretatur. *Lucil. ib.* Novisse ajebat solos se demagis istos Ex nimbo austellos. ℙ Quod apud *Fest.* legitur *Demagis pro minus antiqui dicebant*, quidam suspicantur legendum *nimis* pro *minus.*

[DĒMANDĀTIO, onis, f. idem fere ac commendatio. *Tert. Resurr. carn.* 48. Apostolus summam et sui euangelii, et fidei illorum in dominicae mortis, et resurrectionis demandatione concluserat. *F.*]

DĒMANDĀTUS, a, um, a *demando*, commissus, concreditus, commendatus. *Suet. Aug.* 10. Demandatum bellum tertio mense confecit. *Id. Cal.* 41. Proximo collusori demandata vice sua. *Id. Tib.* 6. Lacedaemoniis publice demandatus.

DĒMANDO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποτρέπω*, committo, in totum committo. *Liv.* 8, 36. Curam eorum nominatim legatis, tribunisque demandabant. *Id.* 5, 27. Plures pueri unius curae demandabantur. *Suet. Tib.* 51. Quibus ea funeris curam moriens demandarat. *Id. Claud.* 23. Demandare alicui jurisdictionem. *Id. Caes.* 83. testamentum virgini Vestali. ℙ Translate. *Justin.* 2, 12. Conjuges liberosque, cum pretiosissimis rebus, abditis insulis demandant, *h. e.* recondunt. *Suet. Cal.* 9. Ablegare aliquem ob seditionis periculum, et in aliquam civitatem demandare, *h. e.* securitatis causa deponere, [*sive: servandum tradi, ut ait *B. Crus.*]

DĒMANO, as, n. deorsum mano. *Gell.* 17, 11. Potum defluere ad pulmonem, eoque humectato, demanare per eum et confluere in vesicam. *Catull.* 51, 9. Lingua sed torpet, tenuis sub artus Flamma demanat.

*DEMARĀTUS vel Damaratus, i, *Δημάρατος*, pater Tarquinii Prisci. *Cic. Tusc.* 5, 37. *Liv.* 1, 34. ℙ Item rex Lacedaemoniorum. *Justin.* 2, 10. *B. A.*

DĒMARCHĬA, ae, f. *δημαρχία*, dignitas et officium demarchi. *Inscr.* inferioris notae ap. *Grut.* 439, 6. Munatii Concessiani demarchia.

[DĒMARCHĬUS, a, um, adj. *δημαρχικὸς*, tribu-

nicius, ad demarchum pertinens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 358. *n.* 509. Aur. Marcello Demarchio Aurelii Demarchius, et Victoria orbati hoc filio fecerunt. *F.*]

DĒMARCHUS, i, m. *δήμαρχος*, quasi princeps populi: idem fere ac demiurgus: a *δῆμος*, populus, et *ἄρχων*, princeps: est apud Graecos, qui apud Romanos tribunus plebis, aut huic valde similis. *Pl. Curc.* 2, 3, 6. Nec agoranomus, nec demarchus, nec comarchus. *Spart. Hadr.* 19. Per Latina oppida dictator, et aedilis, et duumvir fuit: apud Neapolin demarchus.

[DĒMAS, ae, m. popularis: a *δῆμος*, populus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 42, 8. Cornelius Demas. *F.*]

[DĒMĀTRĬCO, as, a. 1. sanguinem e matricali vena emitto. *Veg. Vet.* 4, 7. Admissarii, si cohibeantur a venere, nisi dematricati fuerint, caecari saepe dicuntur. *F.*]

DĒMĔACŪLUM, i, n. *καταπορεία*, descensus in loca subterranea. *Appul. Met.* 6. *sub init.* Proserpinae nuptiarum demeacula.

*DEMĔIO, *ἀφουρῶ*, *ἐξουρῶ* *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

DĒMĔMĪNI, pro recordor, quidam legunt ap. *Mart.* 2, 59. Ipse jubet mortis dememinisse Deus. leg. *te meminisse.* Alii *dememinisse* interpretantur oblivisci.

DĒMENS, entis, adj. *παράφρων*, amens, insanus. *Cic. Off.* 1, 24. In tranquillo tempestatem adversam optare dementis est. *Id. Har. resp.* 26. Plenus inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis. *Id. Pis.* 20. Vecors, furiosus, mente captus, tragico illo Oreste dementior. *Id. N. D.* 1, 34. Desipere, delirare, dementem esse. *Virg. A.* 6, 280. Discordia demens. *Prop.* 1, 13, 20. furor. *Id.* 3, 6, 15. dementia somnia. *Val. Fl.* 6, 474. demens alieni cura pericli. *Hor. Od.* 3, 19, 23. Demens strepitus. *Plin.* 2, 23, 21. Id velle, paene dementis otii est. *Tibull.* 1, 10, 56. Flet sibi dementes tam valuisse manus. ℙ Quidam putant *amentem* et *dementem* ita distingui, ut *amens* dicatur, qui omni prorsus ratione caret; *demens* vero sit, qui non est quidem mente integra, retinet tamen aliquid de communi vitae ratione. Verum hoc discrimen nimis exquisitum videtur. V. AMENTIA.

DĒMENSĬO, onis, f. *διαμέτρησις*, dimetiendi actio, ut Demensio quadrati, *Cic. Tusc.* 1, 24., ubi tamen plerique alii legunt *dimensio.* *Auson. ep.* 5, 11. Millia bis nongenta jubet demensio legum.

DĒMENSUS et Dimensus, a, um, part. a *demetior*, *διαμετρηθείς*, mensura definitus, passiva significatione. *Cic. Or.* 12. Ut verba verbis, quasi demensa et paria, respondeant. *Virg. G.* 1, 231. certis dimensum partibus orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. ℙ Active, *μετρήσας*. *Virg. A.* 12, 116. Campum ad certamen Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant. ℙ *Demensum*, *i*, n. absolute. *Ter. Ph.* 1, 1, 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defraudans genium, comparsit miser. Ubi *Donat.* Servi, inquit, quaternos modios accipiebant frumenti in mensem; et id *demensum* dicebatur, *σιτομέτριον*. *Senec.*, cui magis credo, *ep.* 80. quinque modios iis tribuit, et quinque denarios. *Spartian Hadr.* 7. *sub f.* Senatoribus plerisque in diem vitae suae dimensum sine dilatione praestitit.

DĒMENTER, adv. *ἀνοήτως*, stulte. *Cic. Cat.* 3, 9. Tanta res tam dementer credita. *Senec. Ben.* 4, 27. *extr.* Dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem.

DĒMENTĬA, ae, f. *παράνοια*, amentia, insania. *Cic. Tusc.* 3, 5. Animi affectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam, eandemque dementiam. *Id. Cat.* 4, 10. Homines dementia aliqua depravati. *Hirt. B. Afr.* 8. Tanta homines esse dementia, ut mallent regis esse vectigales. *Caes. B. G.* 4, 13. Exspectare, dum hostium copiae augerentur, summae dementiae esse judicabat. *Sall. Jug.* 3. Neque aliud se fatigando, nisi odium quaerere, extremae dementiae est. *Id. Cat.* 61. In fuga salutem sperare, ea vero dementia est. *Id. ib.* 43. Inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agere. ℙ Speciatim dicitur de iis, qui rem seu publicam, seu familiarem male administrant ac perdunt. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. Esse culpas istius maximas avaritiae, majestatis, dementiae, libidinis, crudelitatis. *Quint.* 7, 3. Actiones dementiae, *h. e.* in quibus curator petitur male agenti rem suam. ℙ [*Permutatur *dementia* et *clementia* (ut *d* et *cl* saepissime, V. *D.*) Cf. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 4, 9, 3.]

DĒMENTĬO, is, ivi, itum, n. 4. *παραφρονέω*, de mente exeo, deliro, insanio. *Lucr.* 3, 464. morbis in corporis avius errat Saepe animus: dementit enim, deliraque fatur. *Lact.* 4, 27. *circa med.* Instinctu daemonis percitus dementit, effertur, insanit. *Appul. Apol.* [*p. 303, 35. et p. 324, 9; sed altero loco nonnulli formam deponendis habent.] Confessa est, se magia in amorem inductam dementire. Al. leg. *dementare.*

DĒMENTĬOR, iris, dep. 4. valde mentior. Tribuunt quidam *Appul. Apol.*, sed alii legunt *dementire.* [*V. v. praec.]

DĒMENTO, as, n. 1. idem quod dementio. *Lact. Mort. persecut.* 7. *ad f.* de *Dioclet.* Ita semper dementabat, Nicomediam studens urbi Romae coaequare. V. DEMENTIO.

DĒMĔO, as, n. 1. deorsum meo, descendo. *Appul. Met.* 6. p. 180, 7. Ad Tartarum Manesque demeare. *Id. ib.* 10. p. 254, 12. Corpus candidum, quod coelo demeat. *Capell.* 2. p. 38. Sphaerae ad solarem circulum demeantes.

DĒMĔRĔO, es, ui, itum, n. 2. *κερδαίνω*, lucror. *Pl. Ps.* 4, 7, 90. Quid mercedis petasus hodie domino demeret? *Gell.* 1, 8. Lais Corinthia ob elegantiam venustatemque grandem pecuniam demerebat. ℙ Est etiam suo sibi merito aliquem devincire. *Suet. Aug.* 8. Avunculum in Hispanias adversus Cn. Pompeji liberos subsecutus magnopere demeruit. [*Cf. de usu h. v. apud *Suet. Brem.* ad h. l.] *Albin.* ad *Liv.* 131. Numina cultu demeruisse. Adde *Ov. A. Am.* 2, 252. [*Permutantur *emerere* et *demerere*, de quo V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 6, 138. *A. Am.* 2, 252. *Am.* 2, 8, 24.]

DĒMĔRĔOR, eris, eritus sum, dep. 2. *ἀναιρέομαι*, *ἀνακτάομαι*, *χαρίζομαι*, beneficiis aliquem mihi concilio, gratiam ineo alicujus. *Liv.* 3, 18. Demerendi beneficio tam potentem civitatem, nunquam parem occasionem daturos Deos. *Quint. prooem. l.* 1. Ut pleniore obsequio demererer amantissimos mei. *Tac. A.* 15. 21. Plura saepe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. *Colum.* 1, 1, 4. Matrona amoenitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cum viro.

DĒMERGO, is, ersi, ersum, a. 3. *καταδύω*, deorsum mergo, obruo, sepelio. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 7, 57. Si quando nos demersimus, ut qui urinantur etc. *Plin.* 32, 2, 6. Demergere navigia. *Id. prooem. l.* 33. Terra metalla occultavit atque demersit. *Senec. Thyest.* 1060. Artus in frusta carpere et ferventibus ahenis demergere. *Lact.* 7, 6. Animas luto coenove demergere. *Lucan.* 3, 40. Titan jam pronus in undas Ibat et igniferi tantum demerserat orbis etc. [*Ov. *Fast.* 3, 517. Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes; sic *Heins.* quem V. In loco *Lucani* al. legunt *demiserat.* Sed V. *Cort.*] *Ov. Met.* 15, 105. dapes avidam demersit in alvum. [*Cf. DEMERSUS.] *Colum.* 3, 18. Praetorto capite et recurvato semen demergere. *Pallad.* 3, 17. Truncum in medio findere et ibi surculos in modum cunei demergere. ℙ Translate. *Nep. Dion.* 6. Fortuna, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. *Justin.* 43, 2. Amulius Rheam in perpetuam virginitatem demersit, *h. e.* conclusit, custodiae tradidit, perpetuo virginem esse coegit. *Stat. Th.* 6, 850. Collaque demersere humeris, *h. e.* contracto collo, elatisque humeris, caput quodammodo abscondere. ℙ [*Commutantur *demergere* et *demittere*. V. *Drak.* ad *Sil.* 5, 71. *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 664.]

*DEMERĬTUM, i, n. i. q. meritum. *Comment. Antiq.* in *Cic. orat. pro Sylla fragm.* p. 76. ed. *Mediol.* edente *Angelo Maio:* Plurimis demeritis erga rempublicam tribuens etc. *B. A.*

DĒMĔRĬTUS, a, um, part. a *demereor*, ut Demeritas dare laetitias, *Pl. Ps.* 2, 4, 14.

DĒMERSĬO, onis, f. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. *sub f.* Nec temporali demersione beneficium perpetuitatis eximitur.

*DEMERSO, as, frequent. *Martian. Capell. c.* 8. *B. A.*

DĒMERSUS, a, um, part. a *demergo*, obrutus. *Cic. Div.* 2, 68. Equus una mecum demersus. [*Id. *Fin.* 2, 32. in palude demersus. *id. Sext.* 22, 50.] *Ov. Met.* 14, 615. in Tusci demersus fluminis undis. *Aur. Vict. Ep.* 40. Demersus in profundum. *Pers.* 3, 34. alto. *Pall.* 3, 17. *ad f.* Ramum, terrae capite utroque demerso, curvari. *Ov. Met.* 6, 664. Cibus demersus pectore. [*Ov. *Met.* 6, 664. *demersa viscera* explicat *Burm.:* avide devorata et in alvo condita, ut locutus est *Ov. Met.* 15, 105. corporeasque dapes avidam demersit in alvum.] ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 16, 13. concidit auguris Argivi domus, ob lucrum Demersa excidio. [Lege: exitio, V. *Bentl.*] *Cic. Senect.* 21. Est enim animus ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram. *Id. Sull.* 31. Patriam demersam extuli. *Id. Off.* 2, 7. Quamvis enim demersae sint leges alicujus opibus, emergunt tamen aliquando. *Liv.* 2, 29. Totam plebem aere alieno demersam esse, et 6, 27. Nolint conspici summam aeris alieni, quae indicatura sit demersam partem a parte civitatis.

DĒMERSUS, us, m. idem quod demersio. *Appul. Apol.* p. 287, 35. Levia sustentatui, gravia demersui.

DĒMESSUS, a, um, part. a *demeto.* *Virg. A.* 11, 68. Flos demessus pollice virgineo. *Tac. A.* 14, 24. Demessae segetes. *Colum.* 9, 15. *ad f.* Demessi favi, *h. e.* ab alvis exempti.

DĒMĒTĀTUS. V. DIMETO et DEMETITUS.

DĒMĒTIOR. V. DIMETIOR.

DĒMĒTĪTUS, a, um, part. a *demetior*, pro demensus significatione activa. Quidam *Ciceroni* tribuunt *N. D.* 2, 62. illis verbis: Eorum cursus demetiti naturales temporum varietates cognovimus. Ubi quidam libri habent *dimetati*, alii *dimetiti* et *ib.* 43. Atque ita demetita signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina solertia appareat. Al. leg. *demetata.* [*Heind.* utroque loco *dimetata.*]

DĒMĒTO, is, essui, essum, a. 3. idem quod meto, *ἀποθερίζω*. *Cic. Senect.* 19. Fructus demetendi. *Catull.* 64, 353. Flaventia demetit arva. *Plin.* 12, 27, 60. et 17, 26, 40. Demetere uvas. *Cass. Hemina* ap. *Prisc.* 10. p. 903. In campo Tiburti, ubi hordeum demessuerunt. [*Liv. 31, 2. 34, 26. frumentum maturum.] ℙ Pro caedere, obscindere. *Ov. Met.* 5, 104. Demetit ense caput. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 46. Sed etiam recte *ferrum* dici potest aliquid *demetere*, ut *Hdf.* et alii praetulerunt.] *Val. Fl.* 3, 157. hinc rigido transcurrens demetit ense Prothin. *Arnob.* 5. p. 163. Qui sibi demessuerint has partes, *nempe* genitalia. *Sil.* 16, 101. Tantum acies, hominumque ferox discordia ferro Demetit, *h. e.* tot caedes facit. ℙ Demetere favos. V. FAVUS.

*DĒMETRĬĀCUS, a, um, adj. ad Demetriadem pertinens, Thessaliae urbem ad mare, nunc *Volo*, in cujus nummis apud *Sestinium*, *Class. gen.* p. 178. *ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ.* *Liv.* 28, 5. Sinus Demetriacus. *B. A.* et *F.*

*DĒMETRĬAS, adis, f. *Δημητριάς* (sc. *πόλις*), urbs maritima in Thessalia, in Phthiotide, a Demetrio Poliorceta condita. *Liv.* 27, 23. *extr.* *Id.* 28, 5. et 39, 23. *Plin.* 4, 8. Antea Pagasae dicta est, teste *Plin. ib.* ℙ Item herba verbenaca. *Appul. de herb. c.* 3. *B. A.*

*DĒMETRĬUM vel Demetrion, i, n. oppidum Thessaliae, in Phthiotide, ad Amphrysum fluvium. *Liv.* 28, 6. *Mela* 2, 3. *med.* ℙ Item portus Samothraciae. *Liv.* 45, 6. *B. A.*

*DĒMĒTRĬUS, i, m. *Δημήτριος*, nomen proprium Graecum. ℙ Demetrius, cognomento *Poliorcetes* (ob peritiam et constantiam obsidendarum urbium), filius fuit Antigoni. Rex Macedoniae declarari voluit, tenuitque regnum, donec, Ptolemaeo Lagida, Lysimacho et Pyrrho contra Macedones moventibus, a subditis pulsus esset; cumque in Graecia non satis esset tutus, in Seleuci Syriae regis manus se ipsum tradidit. A quo custodiae triennali traditus, promisso tamen regio sumptu molliqueque victu, venationibus omnibusque voluptatibus, quibus ille usus, minimum ipse de salute anxius, in morbum ob incontinentiam incidit, ex quo periit. *Just.* 15, 1. *seq.* et 16, 1. *seq.* Cf. et *Plut.* in *Demetr.* Propter Protogenis picturam Rhodiis pepercisse, testantur *Plin.* 35, 10. *Gell.* 15, 31. ℙ Demetrius II., Demetrii Poliorcetae nepos, Antigoni II. filius, pater fuit Philippi, Macedonum regis paenultimi. *Liv.* 31, 28. *Just.* 26, 2. et 29, 1. ℙ Demetrius, Philippi hujus filius, Romae obses patrem coram Senatu accusatum modestia sua absolvit. Post reditum in Macedoniam, tantis plausibus exceptus a populo est, ut invidia percitus frater ejus Perseus, per subornatos falsos testes patri eum suspectum reddiderit, qui nimium calumniae credulus, veneno filium sustulit; cujus innocentia sero cognita, prae maerore obiit, Perseo exheredato. *Liv.* 33, 13. et 30. 40, 5. seq. et 20. *Just.* 32, 3. ℙ Demetrius I. Soter, Syriae regis Seleuci Philopatoris filius, a quo Romanis obses erat datus. Ab Alexandro Bala, qui Antiochi Epiphanis se filium ferebat, praelio victus et interemptus est. *Justin.* 34. et 35. ℙ Demetrius II. Nicanor, Soteri patri successit. De eo *Justin.* 36, 1. 38, 9. et 10. et 39, 1. et 2. ℙ Demetrius, Cynicus, sub Caligula, laudatur a *Sen.* de *Benef.* 7, 8, et 11. Cum Trasea, ad mortem condemnato, de animae natura disseruit. *Tac. A.* 1, 16. et *H.* 4, 34. et 35. ℙ Demetrius Magnes, Ciceronis tempore, historica et philologica plurima scripsit. *Cic. Att.* 8, 11. V. *Voss. de Hist. Graec.* 1, 33. ℙ Demetrius, Byzantinus historicus, ut censet *Harduinus*, memoratur *Plin.* 36, 12. ℙ Demetrius Phalereus, Atheniensis, Theophrasti fuit auditor, philosophus et orator. Vixit temporibus Ptolemaei Philadelphi. In Aegypto, aspide ad corpus admota, necatus est. *Cic. Or.* 2, 23. et 27. *Id. Brut.* 9. *Off.* 1, 1. *Fin.* 5, 19. *Leg.* 3, 6. et *pro Rab. Posth.* 9. qui in *Or.* 27. eum *omnium oratorum politissimum* appellat. Seriem operum ejus habes apud *Laert.* in Vita. Addas citatis *Plin.* 34, 8. et 28, 6. ubi de quaternario numero scriptum ab eo quiddam memoratur. ℙ Notandum illud *Phaedr. fab.* 82. Demetrius qui dictus est Phalereus Athenas occupavit imperio improbo, ubi confundit fabulator (si modo is sit) Demetrium Phalerea cum Demetrio Poliorceta. *Imperium improbum* est *τυραννίς:* tyrannus est, qui potestatem exercet in libera urbe. V. *Aelian. V. H.* 3, 17. *Memoirs de Litterat.* T. 3. p. 137. ℙ Fuit et Demetrius, insignis comoedus, de quo *Quint.* 11, 3. *Juven.* 3, 99. ℙ Et nobilis statuarius. *Plin.* 34, 8. *Quint.* 12, 10. ℙ Et auctor obscurus, fortasse poeta, Horatio inimicus. *Hor. Sat.* 1, 10, 79. ℙ Et magister dicendi non ignobilis, quo Cicero Athenis usus est. *Cic. Brut.* 91. ℙ Denique, Demetrius Megas Siculus dictus est P. Cornelius, quod ei P. Cornelius Dolabella civitatem rogatu Ciceronis a Caesare impetraverat. *Cic. Fam.* 13, 36. ℙ De variis Demetriis V. *Menag.* ad *Laert.* p. 132.

Voss. de Hist. Graec. l. 3. *B. A.* — [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1008, 2. Ti. Julius Demetrius. Alia ap. *eund.* 987, 7. Aelia Demetria. *F.*]

DĒMIGRĀTĬO, onis, f. ἀποικία. *Nep. Milt.* 1. Cum multi ejus demigrationis peterent societatem.

DĒMIGRO, as, avi, atum, n. 1. μετοικίζω, de uno loco in alium domicilium transferre. *Liv.* 38, 23. Omnis generis aetatisque turbam secum traxerant, demigrantium magis, quam in bellum euntium modo. [*Cf. *ib. c.* 18. *in f.*] *Cic. Dom.* 37. *extr.* Demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe etc. *Caes. B. G.* 4, 19. Demigrare de oppidis. *Nep. Milt.* 2. ex insula. et *ib.* 3. Athenas. [*Liv. 44, 6. Pydnam. V. *Kreyssig.* ad h. l.] *Cic. Agr.* 2, 16. Demigraturi in illa loca homines. *Id. Cat.* 1, 8. Ad virum optimum, M. Marcellum demigrasti. *Stat. Silv.* 1, 2, 4. ecce canoro Demigrant Helicone Deae. ℙ Et simpliciter pro discedere. *Pl. Amph.* 1, 1, 85. Animam amittunt, priusquam loco demigrent. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 30. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare, *h. e.* e vita discedere. *Id. Rabir. perd.* 10. Fortissimorum civium mentes, quae mihi videntur ex hominum vita ad Deorum religionem et sanctimoniam demigrasse. *Id. Att.* 4, 16. *a med.* Multa mihi dant solatia, nec tamen ego de meo statu demigro. *Id. Vatin.* 16. Strumae ab ore improbo demigrarunt et aliis jam se locis collocarunt. *Id. Parad.* 2. Demigrare ab improbis.

*DEMINGO, ἐξουρῶ. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*DEMINORATĬO, onis, f. *Vulg. Siracid.* 22, 3. Filia in deminoratione fiet, ἐκ ἐλαττώσει γενήσεται. *B. A.*

DĒMĬNORO. V. DIMINORO.

DĒMĬNŬO cum derivat. V. DIMINUO.

*DEMIRABUNDUS, a, um, adj. *Augustin. B. A.*

*DEMIRATĬO, onis, f. apud *Mart. Capell. B. A.*

[DĒMĪRĀTUS, a, um, part. a *demiror*, valde miratus. *Gell.* 1, 17. Has ejus intemperies in maritum Alcibiades demiratus, interrogavit Socratem *etc.* Adde 20, 10. *F.*]

DĒMĪROR, aris, atus sum, dep. 1. ὑπερθαυμάζω, valde miror. *Cic. Agr.* 2, 36. Haec vos sperasse, me consule, assequi posse, demiror. *Id. Att.* 14, 14. Etsi addis Lamiam: quod demiror equidem. *Gell.* 3, 7. Demirari audaciam alicujus. *Id. ib.* 2, 18. responsum. [*Gell.* 16, 18. Ὀπτικὴ facit multa demiranda. *F.*] ℙ Significat etiam admirationem cum ignoratione conjunctam, quia, ut ait *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 1, 4., admirationem ignorantia facit. *Ter. ib.* Quid mihi dicent? aut quam causam reperient? demiror. *Pl. Amph.* 2, 2, 133. Nimis demiror, qui illaec, me donatum esse patera, sciat. *Id. Asin.* 1, 1, 69. Demiror quid sit. *Id. Men.* 5, 1, 6. Demiror ubi nunc ambulet.

DĒMISSĒ, adv. καθειμένως, humiliter. *Ov. Trist.* 3, 4, 23. hic alte, demissius ille volabat. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 8. *extr.* Non est ausus elate et ample loqui, cum humiliter demisseque sentiret. ταπεινῶς. *Id. Dom.* 35. Demisse respondere alicui. *Brut.* ad *Cic. inter ep.* ad *Brut.* 1, 16. Suppliciter ac demisse gratias agere. *Caes. B. C.* 1, 84. Haec quam potest demississime atque subjectissime exponit.

DĒMISSĬCĬUS, a, um, adj. longus. *Pl. Poen.* 5, 5, 24. Sane genus hoc muliebrosum est, tunicis demissiciis, *h. e.* longis, demissis ad talos.

DĒMISSIO, onis, f. κάθεσις. *Vitr.* 5, 10. *extr.* Clypeum aeneum catenis pendeat, per cujus reductiones et demissiones perficietur sudationis temperatura. *Caes. B. C.* 2, 9. Quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. *Macr. Sat.* 1, 22. Barbae prolixa demissio. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 7. Verisimile est, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem animi et demissionem, abjectionem. ℙ Pro remissione. *Coel. Aur. Acut.* 1, 4. Passio phreneticorum non semper accessionibus aucta, aut demissionibus minuta.

DĒMISSUS, a, um, part. a *demitto*, καθειμένος, κατήφορος, deorsum missus, humilis. *Ter. Eun.* 2, 3, 22. Virgines demissis humeris, et *ib.* 44. Senex incurvus, tremulus, labiis demissis. *Ov. Met.* 8, 204. ne, si demissior ibis, Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat. [*Liv. 34, 44. in inferiorem carcerem.] *Pl. Ep.* 3, 4, 16. Fugias manibus demissis domum. [*Alio sensu *Quint.* 2, 13, 9. neque enim adversa sit facies et demissa brachia, et juncti pedes. Scil. *demissa br.* dabant signum rusticitatis. Sic *Burm.*, laudato *Casaub.* ad *Theophr. περὶ ἀδολεσχίας*, p. 132.] *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna demissa in flumen. *Id. B. C.* 3, 49. Demissa ac palustria loca. *Curt.* 5, 1. Triginta pedes in terram turrium fundamenta demissa. *Senec. ep.* 67. *ad f.* Demissa vulnera, i. e. profunda. *Justin.* 5, 8. Pireaeum versus muri brachia. *Scribon. Compos.* 132. et 146. Ferrum candens demissum in aqua. *Hirt. B. Alex.* 29. Demissioribus ripis flumen tranare. *Hor. Od.* 3, 17, 11. Demissa tempestas ab Euro. *Val. Fl.* 2, 434. Hiems demissa Jovi, *h. e.* ab Jove. [*Contra *Liv.* 10, 8. demissus *de* coelo. Quid differant hoc modo *a* et *de* V. sub DE. *Id.* 5, 54. ancilia coelo demissa.] *Hor. A. P.* 180. Demissa per aures. *Id. Od.* 1, 28, 11. Panthoides demissus Orco, *h. e.* in Orcum. [*Lucan. 8, 159. jam pelago medios Titan demissus ad ignes.] *Cic. Cluent.* 40. Purpura usque ad talos demissa. [*Aur. Vict. *Caes.* 21. indumenta in talos demissa. *Id. Am.* 3, 2, 25. demissa jacent tibi pallia terrae; al. *terra.* Illud praefert *Burm.*, quem V.] *Virg. A.* 4, 262. Laena demissa ex humeris. [*cf. *Burm.*] *Id. ib.* 7, 278. pectoribus demissa monilia. *Cic. Cluent.* 21. Demisso capite discedere. *Virg. G.* 3, 500. Demissae aures. *Id. A.* 1, 565. Dido demissa vultum. [*Plin. *Pan.* 73, 4. demissus gaudio vultus. — Saepe enim etiam prae gaudio flemus. V. intpp.] et *ib.* 3, 320. Demissa voce loqui. *Ov. Her.* 10, 137. Aspice demisso lugentis in ore capillos. *Plin. ep.* 1, 10. Demissus capillus. [*Virg. *A.* 2, 262. Ulyxes demissum lapsi per funem Acamasque.] ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 21. Erigere animum, jam demissum et oppressum. *Id. Font.* 11. Homines animo demisso atque humili, ut solent ii, qui affecti injuriis etc. *Id. Fam.* 1, 9. *circa med.* Fracto animo ac demisso esse. *Id. Tusc.* 2, 21. Est in animis omnium molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo et languidum. *Liv.* 4, 44. Nihilo demissiore animo, causa pro se dicta. Al. leg. *remissiore.* [*Illud *Drak.* praefert.] *Tac. A.* 14, 26. Usque ad servilem patientiam demissus. *Id. ib.* 15, 73. in adulationem. [*Liv. 3, 35. demissa jam in discrimen dignitas, i. e. vacua, iterum aliis conferenda. Sic. *Cl. Liv.* Similia comparat *Drak.*, ut descendere in certamen.] *Cic. Mur.* 21. *sub f.* Tristis et demissus. *Id. Sull.* 26. Moerens, demissus, afflictus. *Id. Or.* 24. Orator nec in faciendis verbis audax et in transferendis verecundus et parcus in priscis, reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior. *Hor. Sat.* 2, 5, 63. genus demissum ab Aenea, i. e. ab eo originem ducens. *Tac. A.* 12, 58. Romanus Troja demissus, i. e. oriundus. *Stat. Th.* 2, 613. Chromis Tyrii demissus origine Cadmi. ℙ *Demissus homo* dicitur, qui est mansuetus, pudens. *Cic. Mur.* 40. Sit apud vos modestiae locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori. *Id. Or.* 2, 43. Ea omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, benevolentiam conciliant. Adde *Hor. Sat.* 1, 3, 57. et ibi *Bentl.* [*et *Heind.*] ℙ Apud *Sall. Cat.* 50. *demissi* sunt, qui privati vitam agunt, neque capessunt rempublicam, quibus opponuntur qui magno imperio praediti. ℙ Apud *Prop.* 2, 21, 59. magno demissa periclo, *h. e.* liberata, soluta, erepta de periculo. Simile est illud *ib.* 22, 29. somno demissa recenti, *h. e.* soluta a somno, expergefacta. Al. leg. *dimissa.* ℙ Comp. *Demissior.* V. supra.

DĒMĪTĬGO, as, a. 1. idem ac mitigo. *Cic. Att.* 1, 13. Nosmetipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur, *h. e.* remittimus aliquid de nostra severitate.

DĒMITTO, is, isi, issum, a. 3. καταβάλλω, καθίημι, deorsum mitto, dejicio, deprimo, declino, inclino. *Virg. G.* 1, 23. Dii, qui satis largum coelo demittitis imbrem. *Id. A.* 1, 301. Maja genitum demittit ab alto. *Id. ib.* 12, 884. Demittere aliquem ad imos Manes. *Liv.* 23, 44. *extr.* quempiam in carcerem. [*Liv. 7, 23, 6. demittere agmen in aequum. 27, 18. in inferiorem campum. Et simpliciter 9, 2. demittere agmen, sc. de monte. Opponitur: *erigere. Id.* 32, 13. agmen in Thessaliam.] *Id.* 23, 47. equum e campo in viam cavam. *Cels.* 1, 3. se in aquam calidam. *Colum.* 12, 8. herbas in lacte. *Cic. Phil.* 2, 18. aliquem per tegulas. [*Virg. *A.* 5, 29. an sit mihi gratior terra, quo aptem fessas naves demittere, quam etc. Quod inde explicandum, quoniam mare *altum* appellatur, terra depressior est. — Simile est, quod legitur apud *Liv.* 44, 31. navem secundo amni Scodram demittit.] *Cic. Verr.* 2, 2, 30. se ad aurem alicujus. *Id. Or.* 2, 66. In forum descendens, caput ad fornicem Fabii demittebat. *Virg. G.* 2, 230. alteque jubebis In solido puteum demitti, *h. e.* in profundum excavari. *Id. ib.* 4, 542. sacrum jugulis demitte cruorem, *h. e.* elice, extrahe, defunde. *Id. A.* 6, 455. Demittere lacrimas. *Lucr.* 5, 673. barbam. V. BARBA. *Sil.* 8, 524. avem coelo, *h. e.* funda dejicere. [*Dubius est locus *Ej.* 2, 96. ille vagam coelo demisit saepe volucrem. *Drak.* habet *divisit;* alii malunt *dejecit.* Alterutrum est praeferendum; nam „*demittit*, qui in loco superiori ipse est, et in inferiorem mittit; quo sensu tela, fundae etc. *avem coelo demittere* dicuntur; non autem homo, qui tela jaculatur.“ Sic *Drak.*] *Val. Fl.* 1, 94. robora ferro, *h. e.* caedere et prosternere. *Id.* 3, 41. oculos. *Ov. Met.* 7, 133. et *Liv.* 2, 58. metu vultum. *Ov. Met.* 4, 119. et *Tac. A.* 4, 50. ferrum in ilia. *Ov. Her.* 14, 5. ferrum jugulo. *Pl. Merc.* 3, 4, 28. in jugulum. *Plin.* 27, 11, 76. offam faucibus boum. *Id.* 17, 11, 16. altius arbores. *Colum.* 5, 11. cuneum inter corticem et materiam. [*Absolute: *Quint.* 10, 1, 19. cibos mansos ac prope liquefactos demittere, quo facilius digerantur. ℙ Est etiam *demittere* i. q. depromere. *Pl. Mil.* 3, 2, 12. Demisit nardini (sc. vini) amphoram cellarius. Nimirum cella vinaria s. fumarium apud Romanos in superiore erat domus parte.] ℙ *Demittere morti* pro occidere, poeticum est. *Virg. A.* 2, 85. et *ib.* 5, 691. et *ib.* 2, 398. Sic apud *Sil.* 11, 142. demittere umbris, et *Ov. Met.* 3, 695. cruciataque diris Corpora tormentis Stygiae demittere nocti. ℙ Pro abjicere, deponere. *Lucr.* 5, 669. florescunt tempore certo Arbusta et certo demittunt tempore flores. ℙ [*Demittere se* est i. q. descendere. *Cic. Fam.* 15, 4. quum me in Ciliciam demisissem. Hinc] translate. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. Cum in eum casum me fortuna demisisset, ut etc. *Cic. Att.* 7, 12. Demittere se penitus in causam. *Virg. A.* 3, 535. gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli, *h. e.* protenduntur deorsum duobus quasi brachiis. *Id. Ecl.* 9, 8. Colles demittunt jugum molli clivo. ℙ *Demittere se* est ad aliquid faciendum descendere, quod ceteroquin inferius sit facultate aut dignitate. *Quint. prooem. l.* 1. Ad minora illa demittere me, non recusabo. *Id.* 1, 2. *sub f.* Est quaedam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere. *Tac. A.* 15, 73. Demitti in adulationem. V. DEMISSUS. ℙ Demittere aliquid in pectus, animo alte infigere. *Sall. Jug.* 109. *extr* Hoc in pectus tuum demitte, nunquam populum R. beneficiis victum esse. *Liv.* 34, 50. Ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent. ℙ *Demittere se* et *demittere animum* est despondere, abjicere. *Caes. B. G.* 7, 29. Cohortatus est, ne se admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo. *Cic. Fin.* 5, 15. Si vincunt, efferunt se laetitia; victi debilitantur, animosque demittunt. *Lucil.* apud *Non.* 4, 134. Re in secunda tollere animos, in mala demittere. *Virg. A.* 12, 609. Demittunt mentes: it scissa veste Latinus etc. ℙ [*Etiam in h. v. ubique fere pro *demittere* legitur *dimittere*, vel iis in locis, ubi omnino non quadrat. Ex quo colligi posse videtur, medio aevo unice in usu fuisse formas cum praepositione *di* factas, ideoque a librariis, ut qui discrimen non nossent, ubique scriptorum locis illatas. Ex quo firmantur illa, quae supra ad defendendam v. *delectus* scripturam diximus. Cf. de hac confusione *Drak.* ad 34, 50, 2. ad *Sil.* 11, 142. coll. 7, 23, 6. ubi reliqua hujus generis vv. (ut *de* — et *divertere* etc. etc.) promiscue a librariis sine ullo judicio posita, ex *Livio* collegit vir doctissimus. Porro permutantur *demittere, dividere, dejicere.* V. supra. Permutantur porro in codd. *demittere* et *deponere.* V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 8, 47.]

[DĒMĬURGUS, i, m. δημιοῦργος, a δῆμος, populus, et ἔργον, opus: idem fere ac demarchus: est nomen magistratus apud Graecos, praesertim Achaiae, quasi dicas publicorum operum curatorem. *Liv.* 32, 22. Tum inter magistratus gentis (demiurgos vocant, decem numero creantur) certamen nihilo segnius, quam inter multitudinem esse. *Id.* 38, 30. Sub adventum consulis, demiurgis civitatum, qui summus est magistratus, Aegium evocantibus, Philopoemen (praetor tum erat) Argos conventum edixit. Optimae editiones utrobique habent ex Dorica dialecto *damiurgus.* ℙ *Demiurgus* fuit etiam titulus comoediae *Turpilii*, cujus meminit *Cic. Fam.* 9, 22. et *Nonius* multis in locis. *F.*]

DĒMO, is, empsi et emsi, emptum et emtum, a. 3. ἀφαιρέω, detraho, adimo, tollo, aufero: est a praeposit. *de* et *emo. Cic. Acad.* 4, 16. Cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. [*Liv. 31, 11. si quid ad eas addi, demi, mutarive vellet.] *Id. N. D.* 3, 34. Aesculapii barbam auream demi jussit. *Liv.* 40, 51. Clypea de columnis et signa militaria affixa dempsit. [*Has constructiones v. *demere* explicat *Drak.* ad *Liv.* 7, 41, 8.] *Pl. Bacch.* 4, 4, 14. Lubet scire, quantum aurum herus sibi dempsit. *Cic. Verr.* 2, 3, 33. et 35. Demere de capite, *von der Hauptsumme abziehen. Cels.* 8, 4. Ut quam minimum ex osse dematur. *Id.* 6, 6. *n.* 16. Demendum aliquid ex cibo. *Id.* 1, 3. *ad f.* Demendum paulum cibo adjiciendumque potioni. *Ov. Met.* 7, 324. Demere juga equis. *Suet. Caes.* 67. barbam, *h. e.* radere. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. Demere caput alicujus, *h. e.* abscindere. [*Alii *demetebant*, quod probat *Burm.* ad *Val. Fl.* 3, 670. ubi de confusione utriusque v. agit. V. etiam *Eund.* et *Oud.* ad *Suet. Cal.* 33. ubi nunc legitur *demetetur.*] *Pl. Aul.* 2, 4, 33. Ipsi pridem tonsor ungues dempserat. *Id. Truc.* 2, 4, 16. Deme soleas: quod fiebat mensae accubituris. *Ov. A. Am.* 2, 12. Demere soleam pedi. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 15. *ad f.* Demere sollicitudinem. *Ter. Ad.* 4, 7, 18. metum. et 5, 3, 33. alicui molestiam. *Liv.* 2, 6. ignominiam. *Ov. Rem. Am.* 290. fidem alicui rei. *Id. Trist.* 3, 5, 25. spem alicui. [*Liv. 1, 12. terrorem alicui.] *Id. Pont.* 1, 7, 20. Nil demit laudi gloria nostra tuae. *Suet. Tib.* 42. Demere aliquid ex consuetudine. [*Liv. 3, 33. demptum ex dignitate populi, quidquid majestati Patrum adjectum esset.] *Lucr.*

3, 922. moerorem e pectore. *Liv.* 2, 42. Dulcedo agrariae legis ipsa per se, dempto auctore, subibat animos, i. e. mortuo, vel potius: vel sine auctore. [*Omnino. Illud falsum.] V. locum. ℙ [Part. *Dempturus* apud *Justin.* 39, 3. Adjicit, neque occisa illa se virium quidquam Cyziceno dempturum. *F.*]

*DEMOCHARES, is, m. *Δημοχάρης*, orator Atheniensis, Parrhesiastes ob nimiam et procacem linguam appellatus. Cf. de eo *Senec. de ira* 3, 23. *B. A.*

DĒMOCRĀTOR. V. DEMORATOR.

DĒMOCRĪTĒUS vel Democritius, a, um, *Δημοκρίτειος*, et

DĒMOCRĪTĪCUS, a, um, adj. *Δημοκριτικός*, ad Democritum pertinens, ut Democriteus Anaxarchus, apud *Cic. N. D.* 3, 33. et *Tusc.* 2, 22. et *Democritea* absolute (subaudi *dogmata*). *Id. N. D.* 1, 26. et *Div.* 2, 13. et Democritici philosophi, *h. e.* Democriti sectatores, *Id. Or.* 1, 10. et *Tusc.* 1, 34. ℙ Fuit autem Democritus Abderites, familiae in philosophia auctor, qui docuit mundos esse innumerabiles, et ex atomis constare omnia. De ejus vita, et mortis genere alia ab aliis tradita sunt. [*Cic. Fat.* 10. *Lucr.* 3, 372. et 1052. et 5, 621. *Juven.* 10, 34. *Senec. de ira* 2, 10 et cf. *Laert.* 9, 34. seq. *B. A.*] V. *Facciolati, Rhetor. exercit. n.* 4.

*DEMOCRĪTUS, i, m. *Δημόκριτος*, Abderites. V. v. pracc. ℙ Fuit et Democritus insignis statuarius, Sicyonius. *Plin.* 34, 8. ℙ De variis Democritis V. *Laert.* 9, 49. *B. A.*]

*DĒMODOCUS, i, m. *Δημόδοκος*, insignis citharoedus, qui a Musis fuit oculis orbatus, quem *Homer. Odyss. l.* 8. in Alcinoi regis Phaeacum convivio citharam pulsantem et simul canentem inducit. Ejus meminit *Ov. Ib.* 274. Demodocique caput. *B. A.*

DĒMOE, apud Atticos sunt, ut apud nos pagi, *δῆμοι. Fest.*

DĒMOLĪO, is, ivi, itum, a. 4. idem quod demolior, diruo, destruo: a *de* et *molio. Varr.* ap. *Diomed.* 1. p. 395. Et tamen non demolio astra. Al. leg. *rostra. Id. ib.* Demolivit tectum. *Naev.* Al. leg. *rostra. Id. ib.* Haec demolite. *In vet. Lege* apud *Frontin. Aquaed.* 129. Id omne celere demolire damnas esto. *Lact.* 4, 11. *ex* 3. *Reg.* 19, 14. Altaria tua demolierunt. [*Not. Tir.* p. 123. Demolit. *F.*] ℙ Et passive. *In citata vet. Lege.* Ne maceriae demolirentur. *Ulp. Dig.* 7, 4, 10. Si demolitis aedibus, testator alias novas restituerit. *Jabolen. ib.* 41, 3, 23. Si demolita est domus. *Curio* apud *Prisc.* 8. p. 793. Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia.

DĒMOLĪOR, iris, itus sum, dep. 4. *καταβάλλω, ἀποσκευάζομαι*, deorsum molior, everto, diruo, destruo: a *de* et *molior. Cic. Top.* 4. In pariete communi demoliendo. *Id. Verr.* 2, 2, 67. Statuas demoliendas locare. *Id. Off.* 1, 39. Hanc domum Scaurus demolitus, accessionem adjunxit aedibus. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur. *Sall. fragm.* apud *Non.* 2, 204. Pluteos rescindit, ac munitiones demolitur. ℙ Translate. *Ov. Met.* 15, 228. Subruit haec aevi, demoliturque prioris Robora, *h. e.* senectus vires juventutis frangit. *Liv.* 34, 3. Si quod cuiquam privato officiet jus, id destruet ac demolietur. [*Id.* 39, 16. Cum demolientes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios coetus cerneretis. *F.*] *Pl. Bacch.* 3, 1, 16. De me culpam hanc demolibor jam, *ἀρχαϊκῶς* pro *demoliar*, h. e. amoliar, avertam. [**Plin. Pan.* 55, 9. arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio. V. *Gierig.*] ℙ Demoliri faciem, *ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον* est macie vultum corrumpere. *Hieronym.* in *Matth.* 6, 16., ubi Vulgata habet *exterminare faciem.* ℙ Pro moliri, aedificare, *Vell.* 1, 15. Theatrum facere instituit: cui in demoliendo etc. Al. aliter leg. [**Demoliri* sane non potest esse i. q. aedificare. *Ruhnk.* putat legendum esse vel *emoliendo* vel potius *moliendo.*] ℙ Passiva significatione, V. v. praec.

DĒMOLĪTĬO, onis, f. *ἀναοκευή*, eversio. *Cic. Verr.* 2, 2, 67. Dumque ea demolitio fieret etc. *Vitr.* 10, 19. Posteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta. ℙ Translate. *Tert. adv. Marc.* 2, 1. Non poterat aedificare mendacium sine demolitione veritatis.

DĒMOLĪTOR, oris, m. eversor. *Vitr.* 10, 19. *corvum demolitorem, quem nonnulli gruem appellant*, memorat, idest machinam ad demoliendum aptam: de qua tamen nihil praeterea constat.

DĒMOLĪTUS, a, um, adj. activ. V. in DEMOLIOR, passiv. V. in DEMOLIO.

[DĒMONĒO, es, a. 2. moneo, ne facias: a *de* et *moneo. Not. Tir.* p. 88. Monet, demonet. *F.*]

*DEMONĒSOS, i, f. *Δημόνησος Steph. Byz.*, insula Propontidis, e regione Nicomediae oppidi. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

DĒMONSTRĀBĪLIS, e, adj. qui demonstrari potest. *Appul. Dogm. Plat.* 3. p. 37, 11. Universitas maris, quae demonstrabilis non est.

DĒMONSTRANTĬA, ae, f. eadem ac demonstratio. *Plin.* 17, 3, 5. Terram amaram et macram probaverim demonstrantia antrae degenerisque herbae. *Harduinus* tamen legit: *Terram amaram et macram si quis probare velit, demonstrant eam atrae* etc.

DĒMONSTRĀTĬO, onis, f. actus demonstrandi, *ἀπόδειξις. Plin.* 8, 40, 61. de cane venatico: Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est. *Cic. Or.* 3, 55. Hujus generis demonstratio est et doctrina ipsa vulgaris, usus autem gravissimus. et 59. Gestus universam rem et sententia non demonstratione, sed significatione declarans. *Plin.* 4, 13, 27. Hanc insulam temporum horum demonstratio a Borysthene CXL. M. ponit, *h. e.* descriptio, qua situs terrarum monstrantur. *Id.* 24, 16, 93. Tertia demonstratio herbae fuit folio majore etc. *Supra dixerat:* Draconion triplici effigie demonstratum mihi est. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 59. ℙ Item genus causae apud rhetores, in quo quispiam laudatur, aut vituperatur: quod et *genus demonstrativum* dicitur. *Cic. Inv.* 1, 9. ℙ Item argumentatio, quae ex rebus perceptis, id quod non percipiebatur, adducit. Ita rem definit. *Cic. Acad.* 4, 8. *extr.*, nomine vero utitur *Boeth. Consol. philos. pros.* 2, 4. *extr.* et *initio pros.* 5. ℙ A JCtis dicitur *demonstratio*, cum res aliqua ita certis quibusdam ac peculiaribus signis designatur ac veluti depingitur, ut nullus ambigendi locus relinquatur, ut si quis in testamento dicat, *decem, quae mihi Titius debet, lego.* Constat enim, ea sola decem, quae debet Titius, non aliam pecuniam legari. *Cajus Dig.* 35. *tit.* 1. *qui est* De conditionib. et demonstrationib. 17. et *Flor. ib.* 33. et *Ulp. ib.* 30, 74. etc. ℙ Denique exornatio est rhetorica, hypotyposis Graeco nomine, cum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur. *Auct.* ad *Her.* 4, 55. Potest ita differre ab hypotyposi, ut *demonstratio* longior sit, *hypotyposis* brevior.

DĒMONSTRĀTĪVĒ, adv. demonstrando, *ἐπιδεικτικῶς. Macr. Somn. Scip.* 1, 16. Hunc locum demonstrative terram dicens.

DĒMONSTRĀTĪVUS, a, um, adj. *ἐπιδεικτικός*, qui ad demonstrandum aptus est, ut Digitus demonstrativus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. ℙ *Genus demonstrativum* apud rhetores est, quod laudationem alicujus rei continet aut vituperationem. *Cic. Inv.* 1, 5. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem, aut vituperationem. *Quint.* 11, 1. *circa med.* Demonstrativae materiae. *Id.* 7, 4. Demonstrativa pars.

DĒMONSTRĀTOR, oris, m. qui demonstrat, *Cic. Or.* 2, 86. Simonides demonstrator uniuscujuslibet sepeliendi. *Colum.* 3, 10. *ad f.* Demonstrator magis, quam inventor.

DĒMONSTRĀTUS, a, um, part. a *demonstro. Caes. B. G.* 5, 37. Re demonstrata. *Gell.* 2, 4. Res argumentis vel testibus demonstrata.

DĒMONSTRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποδείκνυμι, ἐνδείκνυμι*, aperte monstro, indico, ostendo. *Cic. Verr.* 2, 4, 59. Ut ante demonstrabant, quid ubique esset; ita nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt. *Id. Somn. Scip.* 8. Demonstrare aliquid digito. [**Nep. Dat.* 11, 5.] *Id. Fam.* 9, 24. Spurinna quidem, cum ei rem demonstrassem, et vitam tuam superiorem exposuissem, magnum periculum summae reipublicae demonstrabat, nisi, etc., *h. e.* rem narrassem. *Id. Att.* 1, 1, *a med.* Demonstravi haec Caecilio: simul et illud ostendi, etc. *Id. Fam.* 3, 4. Mihi Q. Fabius demonstravit, me a te plurimi fieri. *Caes. B. G.* 4, 27. Cum his Commius venit, quem supra demonstraveram a Caesare in Britanniam praemissum. et 5, 1. Se paratos esse demonstrant de injuriis satisfacere, et *ib.* Nisi ita fecerint, sese bello civitatem persecuturum demonstrat, *h. e.* pollicetur, vel potius minatur. et 4, 34. Quanta praedae faciendae facultas daretur, demonstraverunt. et 5, 1. Modum et formam navium demonstrat, *h. e.* docet. *Plin.* 8, 4, 5. Demonstrare viam. [**Liv.* 23, 33.] *Id.* 17, 5, *in.* terram macram demonstrant atrae degeneresque herbae. *Id.* 27, 2, 2. Demonstrare, quomodo venenata sanentur. *Id.* 25, 13, 106. Nec, quale esset, demonstrant. *Id.* 37, 9, 40. Amethystos grandinem avertere, addita precatione, quam demonstrant, i. e. docent. *Ter. Ph.* 2, 1, 75. Hominem commonstrarier mihi istum volo, aut ubi habitet, demonstrarier. *paragoge pro* demonstrari. *Gell.* 2, 26. Vocabula rufum colorem demonstrantia. [*Adde *Plin. Pan.* 62, 4. Nunc inter Principem et Senatum dignissimi cujusque caritate certatur. Demonstramus invicem, credimus invicem etc. quod alii explicant: judicia nostra afferimus; alii: commendamus hominem hunc illumve. Illud praefer. ℙ Est etiam i. q. gesticulari. *Suet. Ner.* 40. Datus histrio — *ἰγλαινε πάτερ, ἰγλαινε μῆτερ* ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret. V. *Brem.*] ℙ Pro appellare. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. *a med.* Quos ego appello abpatruos, abavunculos, illi demonstrant me fratris abnepotem. ℙ [Apud JCtos *demonstrare fines* est proprium illius, qui fundum alienat, et est extrema auctoris actio; qui enim fines demonstrat, tradit fundum, demonstrantur autem fines aut per dominum, aut per servum vilicum domini jussu, ut docet *Pompon. Dig.* 18, 1, 18. *Cic. fr. pro Tull.* §. 17. Neque dum fines auctor demonstraverat. *et mox.* Fines Acerronio demonstravit, neque tamen hanc centuriam Publianam vacuam tradidit. Adde *Alfen. Dig.* 21, 1, 45. V. DEMONSTRATIO. *F.*]

[DĒMONTŪOSUS, a, um, adj. valde montuosus: praepositio enim *de* aliquando vim habet augendi. V. DE. Hinc *Not. Tir.* p. 70. Montuosus, demontuosus. *F.*]

[DĒMŌPHŌON, ontis, m. *Δημοφόων*, filius Thesei et Phaedrae, ad Trojam profectus, et inde rediens, tempestate delatus est in Thraciam, et a Phyllide illius loci regina hospitio exceptus, quam deinde deserens causa illi mortis fuit. *Ov. Her.* 2., *Justin.* 2, 6., *Hyg. fab.* 59. et 243. *F.*]

[DĒMORĀTĬO, onis, f. idem fere ac commoratio. *Cic. Fam.* 9, 15. Quod autem altera epistola purgas te, non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem demorationis urbanae, neque ego aliter accepi. Ita ex emendatione *Gulielmii* edidit *Schützius:* alii inepte habent *moderationis. F.* *Etiam apud *Hieron.* h. v. legitur.]

DĒMORĀTOR, oris, m. *Capell.* 1. p. 21. de Vulcano. Totius mundi ab Heraclito dictus demorator. *Grot.* rectius legendum putat *devorator:* quod Heraclitus ad ignem referret rerum ortum et interitum. Ob eandem rationem *Fabric. in Biblioth. Graeca* mavult legere *democrator*, *h. e.* dominus, *δημοκράτωρ*, [quod minime probandum. *F.*]

DĒMORĀTUS, a, um. V. DEMOROR.

DĒMORDĒO, es, ordi, orsum, a. 2. *ἀποδάκνω*, morsu decerpo. *Plin.* 28, 4, 11. E ligno fulgure icto demordere aliquid.

DĒMORĪOR, eris, ortuus sum, dep. 3. *ἀποθνήσκω*, idem ac morior, vel prorsus morior. [*Minime. V. sqq.] *Cic. Verr.* 2, 2, 50. Cum esset ex veterum numero quidam senator demortuus. [**Liv.* 40, 19. tantum hominum demortuum esse. Saepius hoc partic. legitur apud *Liv.* V. *Drak.* ad 5, 31, 7. de formula: in demortui locum. Scil. in hac formula ideo dicebant *demori*, quia in h. v. semper relatio ad alios inest, qui morte alicujus aliqua re privantur, ut pluribus docet *Döderl. Syn.* III. p. 182.] *Ulp. Dig.* 4, 4, 11. *a med.* Ut demoriantur mancipia, praedia ruant. ℙ Translate est alicujus amore ardere, cum accus., ut depereo. *Pl. Mil.* 4, 1, 23. et 4, 2, 49. Ea demoritur te.

DĒMOROR, aris, atus sum, dep. 1. *διατρίβω*, idem quod moror, cunctor, differo, maneo. [*De vim verbi auget.] *Tac. A.* 15, 69. Ille nihil demoratus exurgit. *Pl. Rud.* 2, 4, 27. Me hic demoratam tandiu. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. *a med.* Demorari alicubi legationis causa. ℙ Item detineo, cohibeo, remoror. *Caes. B. C.* 3, 75. Equitatum praemisit ad novissimum agmen demorandum. et 1, 81. Ut quam maxime eorum munitiones demoretur. *Id. B. G.* 3, 6. Nullo hoste prohibente, aut iter demorante. *Lentul. ad Coss.* etc. *Fam.* 12, 17. Detinere et demorari aliquem. *Tac. A.* 12, 68. Demorari aliquem variis artibus, ne cubiculo egrediatur. *Cic. Or.* 2, 58. Ne diutius vos demorer. *Virg. A.* 2, 647. Jampridem invisus Divis et inutilis annos Demoror, *h. e.* quasi festinantes diu vivendo detineo. *Servius.* ℙ Item exspecto, sustineo. *Virg. A.* 10, 30. Et tua progenies mortalia demoror arma.

DĒMORSĪCO, as, a. 1. demordeo, mordendo decerpo. *Appul. Met.* 2. p 124, 15. Sagae mulieres ora mortuorum passim demorsicant. et *ib.* 3, p. 140, 14. Rosis tantum demorsicatis exibis asinum.

DĒMORSUS, a, um, part. a *demordeo*, morsus. *Pers.* 1, 106. Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.

DĒMORTŪUS, a, um, part. a *demorior*, idem quod mortuus: sed praecipue adhibetur, cum de successore sermo est. *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. *Paul. Dig.* 7, 1, 18. In locum demortuarum arborum aliae substituendae. Adde *Liv.* 23, 21. *extr.* et 22. et 23. ℙ Translate. *Pl. Stich.* 1, 3, 59. Potationes plurimae demortuae, *h. e.* periere, sublatae sunt, amissae sunt.

*DĒMOS, i, m. *δῆμος*, populus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Parrhasius pinxit et demon Atheniensium, argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem; eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, et omnia pariter ostendere. *B. A.*

DĒMOSTHĒNES, is, m. *Δημοσθένης*, Atheniensis, Graecorum oratorum princeps, fuit discipulus Isocratis et Platonis. Eloquentiam Athenis variis in causis exercuit, praecipue vero in defendenda libertate contra Philippum Macedonum regem. A Cicerone immensis laudibus extollitur, et tanquam perfectae eloquentiae exemplar, imitandus proponitur. V. *in Bruto* 9., *Or.* 1, 61., *de opt. gen. orat.* 4. et alibi, *Quint.* 10, 1. et 12, 10., *Plin. ep.* 9, 26. etc. ℙ Ejus responsum de actione oratoria, habes apud *Cic. Or.* 3, 56. et *in Bruto* 38. et *Quint.* 11, 3. *sub init.* Scribit *Hieron. ep.* 52.

n. 8. propter Demosthenem factum esse, ut Cicero non esset primus orator: propter Ciceronem, ut Demosthenes non esset solus.

DĒMOSTHĒNĬCUS, a, um, adj. ad Demosthenem pertinens. *Auson. Prof.* 1, 19. Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit. V. *Cic. Brut.* 38., cujus locum habes in V. ACTIO.

DĒMOTUS, a, um, part. a *demoveo*, de loco pulsus. *Liv.* 6, 32. Quantum Romana se invexit acies, tantum hostes gradu demoti. *Cic. Caecin.* 17. Manu demotus et actus praeceps. *Tac. A.* 1, 79. Fluvius solito alveo demotus. *Caes. B. C.* 2, 32. Pompejus nullo proelio pulsus, vestri facti praejudicio demotus, Italia excessit.

DĒMOVĔO, es, ovi, otum, a. 2. ἀποκινέω, deorsum moveo, loco moveo, deturbo, depello. *Cic. Caecin.* 17. Demoveri et depelli de loco necesse est eum, qui dejiciatur. *Tac. A.* 11, 38. Censendo, nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. [**Liv.* 6, 32. hostes gradu demoti. Cf. *Drak.* ad h. l. *Id.* 9, 29. demovere statu.] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 1, 2, 17. Ne quis te de vera et certa possit sententia demovere. *Id. Dom.* 26. Demovere labem a republica. *Tac. H.* 4, 58. Terrore ac promissis demoveri. *Id. A.* 13, 14. Demovere aliquem cura rerum. et 20. praefectura. *Hor. Sat.* 1, 1, 39. lucro. *Tac. A.* 6, 30. in insulam, *h. e.* relegare. *Cic. Or.* 2, 51. Odium a nobis demovere. His omnibus et similibus locis al. leg. *dimovere:* sed illud est advertendum, ut quoties deorsum movendi ratio aliqua significatur, per *de;* quoties vero in aliam, vel diversas partes, per *di* scribatur. Hujusmodi enim est harum praepositionum *de* et *di* vis et sententia: quod et alibi admonuimus: et *Burmann.* ante nos adnotaverat ad illud *Cic. Caecin.* 15. apud *Quint.* 7, 3. Vis, quae periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco saepe, et certo de statu demovet.

DEMPTĬO et Demtio, onis, f. actus demendi, detractio. *Varr. L. L.* 4, 1. Litterarum demptio aut additio. et *ib.* 36. Damnum a demptione, cum minus re factum, quam quanti constat.

DEMPTUS et Demtus, a, um, part. a *demo*, detractus, ablatus. *Caes. B. G.* 5, 46. Tragula casu ad turrim adhaesit: dempta ad Ciceronem defertur. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Uvas, demptis forfice corruptioribus acinis, suspendi. *Ov. Met.* 15, 610. Corona dempta capiti. *Id. Her.* 20, 9. demptus ab arbore fetus. et *ib.* 18, 103. Amictus demptus ex humeris. *Id. Met.* 13, 833. demptus cacumine nidus. *Cic. Fin.* 2, 27. dempta aeternitate, nihilo beatior Juppiter, quam Epicurus. *Varr. L. L.* 4, 36. Una dempta uncia, deunx: dextans dempto sextante: dodrans dempto quadrante. *Hor. Ep.* 2, 2, 140. demptus mentis error. *Ov. Her.* 1, 50. et *Trist.* 3, 11, 2. Virque mihi, dempto fine carendus, abes, *h. e.* sine fine, semper.

DĒMUGĪTUS, a, um, part. ab inusit. *demugio*, mugitibus completus. *Ov. Met.* 11, 375. sanguine litus, Undaque prima rubent, demugitaeque paludes.

[DĒMULCĀTUS, a, um, part. ab inusit. *demulco*, quod a *mulco*, valde mulcatus. *Capell.* 8. p. 272. Tam tristibus asperisque Satyrae alioquin lepidulae verberibus demulcatis. *F.*]

DĒMULCĔO, es, ulsi, a. 2. θέλγω, mulceo, leniter attrecto, tactu blandior. *Liv.* 9, 16. *ad f.* Remitto, ne utique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis. *Ter. Heaut.* 4, 5, 14. Non possum pati, quin tibi caput demulceam: accede huc.

DĒMULCTUS, a, um, part. a *demulceo. Gell.* 3, 13. Ita motus et demulctus et captus est, ut Callistratum jam inde sectari coeperit, *h. e.* delenitus, allectus.

DĒMUM, adv. τὸ τέλος, τελευταῖον, tandem, denique [*imo: postremo, ad ultimum.]: et saepe alii particulae postponitur. *Virg. A.* 1, 632. Me quoque per multos similis fortuna labores Jactatam, hac demum voluit consistere terra. [**Suet. Aug.* 16. uno demum navigio aegerrime effugit, i. e. *am Ende. Id. Cal.* 6. sed ut demum fato functum palam factum est. Eodem modo intelligit et interpretatur *Goer.* ad *Cic. Leg.* 3, 17, 38. Vos demum, ut video, legem antiquastis. *Tandem* enim et *quaeso*, ut alii interpretantur, minus quadrat. Neque *denique* idem est quod *demum;* est enim fortius quam *demum.* V. *Eund.* ad *Leg.* 2, 4, 10.] *Hor. Sat.* 1, 5, 23. quarta vix demum exponimur hora. *Ov. Met.* 13, 209. decimo demum pugnavimus anno. *Caes. B. G.* 1, 50. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum misit. *Cic. Att.* 16, 3. Nunc demum rescribo his litteris, quas mihi misisti. ℙ *Igitur demum* est tum demum. *Pl. Most.* 2, 1, 32. Miserum est opus, igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. *Id. Merc.* 3, 2, 9. demum igitur cum senex sis, tunc in otium te colloces. ℙ Eleganter habet locum in interrogationibus et cum instamus. *Cic. Tusc.* 5, 37. Jam vero exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt? *Ter. Ad.* 2, 2, 25. Nunc demum venis? cur passus? ubi eras? ℙ Frequenter ponitur pro dumtaxat, quod et *Festus* adnotavit. *Quint. prooem. l.* 7. De inventione satis dictum est. Neque enim ea demum, quae ad docendum pertinent, exsecuti sumus, verum etiam motus animorum tractavimus. *Id.* 2, 15. Alii malos quoque viros posse oratores dici putant, alii nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. *Suet. Aug.* 24. Ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere. [**Quint.* 10, 1, 44. alii pressa demum et tenuia — Attica putant. *coll. ib.* 3, 13. Ad priorem locum laudat *Frotscher.* VV. DD., qui de hac significatione egerunt.] ℙ Simul autem importat quandam affirmationem, et veluti pluribus rebus consideratis, certam ratamque conclusionem rei quae affirmatur. *Cic. Att.* 8, 8. Sic enim sentio, id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. *Sall. Cat.* 20. Idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitia est. et 12. Quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. *Curt.* 4. *init.* Id demum credens fore ipsius, quod celeriter praecipere potuisset. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 33. Nobis autem utilitas demum spectanda est. [**Plin. Pan.* 74. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Ubi notanda est collocatio particulae.] *Ter. Ad.* 5, 3, 1. Abs quivis homine beneficium accipere gaudeas: Verum enim vero id demum juvat, si, quem aequum est bene facere, is facit. *Plin.* 7, 7, 5. Is demum profecto vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit. ℙ Addit *Festus*, significare etiam *post:* ad quam significationem referri potest illud *Terentii Ad.* 5, 8, 15. Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam. et *Hor. Sat.* 1, 5. et *Ov. Met.* 13. quae §. 1. attulimus. ℙ Antiqui *demus* dixere eodem *Festo* teste, ut *prorsus* et *rursus* pro *prorsum*, *rursum.* Itaque non absurde a τῆμος, tum, deducitur. ℙ [*De confusione vv. *demum* et *dein* V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 22, 1.]

*DĒMURMURĀTĬO, onis, f. *Augustin. B. A.*

DĒMURMŪRO, as, a. 1. *Ov. Met.* 14, 58. Ter novies carmen magico demurmurat ore.

DĒMUSSĀTUS, a, um, part. ab inusit. *demusso*, quod a *musso*, dissimulatus, patienter et cum silentio toleratus. *Ammian.* 30, 1. Injuriis, quas pertulerat, omnibus demussatis. *Appul. Met.* 3. p. 140, 26. Demussata contumelia. Sic *Ter. Ad.* 2, 1, 53. Mussitanda injuria est.

DĒMŪTĂBĬLIS, e, adj. *Prud. Apoth.* 344. Non convertibilis nec demutabilis unquam Est Deus.

DĒMŪTĀTĬO, onis, f. mutatio. [*Cic. Rep.* 2, 4. Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum. Hic *Maius* adnotat ita scriptum primo in *Cod.*, altera vero manu expunctam fuisse praepos. *de*, fortasse quia emendator prope insolitum vocabulum ignoraverit. At *Heinrichius*, *Lehnerus* et *Steinackerus* [**Orell.*] in suis edd. receperunt. *F.* et *B. A.*] *Plin.* 28, 8, 29. Et ideo versicoloris esse demutationis. Al. leg. *mutationis. Tert. Resurr. carn.* 55. Demutatio carnis. [**De* in h. v. hanc habet vim, ut significet eam mutationem, quae in pejus fit. V. DEDUCO in f.]

DĒMŪTĀTOR, oris, m. qui mutat. *Tert. Resurr. carn.* 32. Argutissimi demutatores ossium.

DĒMŪTĀTUS, a, um, part. a *demuto*, mutatus. *Tert. Resurr. carn.* 55. et *Sulpic. Sever. epist.* 3. *ad Bassul. a med.* Caro demutata.

DĒMŪTĬLO, as, a. 1. idem ac mutilo. *Colum. Arbor.* 11. Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato.

DĒMŪTO, as, avi, atum, a. 1. idem quod muto, [*sed proprie in pejus, ut monstrat inprimis *Pl. Trin.* 1, 2, 37. Sive immutare vis ingenium moribus, Aut si demutant mores ingenium tuum. — Neque tamen hoc ubique observatum esse nonnulli seqq. ll. monstrant], μεταβάλλω. *Id. Men.* 5, 2, 118. Imperium tuum demutat. *Tac. A.* 4, 16. Placitum instituto flaminum nihil demutari. *Gell.* 17, 1. In aliqua re demutare sententiam. *Cato* apud *Macr. Sat.* 2, 10. Demutare voces. *Pl. Mil.* 4, 7, 8. Oratio alio mihi demutanda est mea. ℙ *Demutare* pro *demutari* [*i. e. alium esse, fieri.] *Pl. Mil.* 4, 3, 37. Numquid videtur demutare, atque uti ego dixi esse vobis hunc militem? *Appul. Apol.* p. 284, 17. Teterrimum os tuum minimum a Thyesta tragico demutat. [*Plura vv. activa intransitive poni docet *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 2, 6, 102.]

DĒNĀRĬSMUS, i, m. pensio denarii, cujus mentio fit ab *Imppp. Valentin.*, *Theodos.* et *Arc. Cod. Theod.* 12, 1, 107. et 123.

DĒNĀRĬUS, a, um, adj. decem continens. *Vitr.* 3, 1. Denarius digitorum numerus. *Plin.* 31, 6, 31. Si fistulae denariae erunt, *h. e.* quarum laminae latitudo, antequam curvaretur, digitorum decem erat, ut ipsemet *ib.* explicat, itemque *Vitr.* 8, 7. Nam apud *Front. Aquaed.* 25. dicuntur *fistulae denariae*, *senariae* etc., quae decem aut sex quadrantes, *h. e.* quartas digiti partes in diametro habent. ℙ *Denariae caeremoniae* erant, quibus, sacra adituris, decem continuis diebus, certis quibusdam rebus carendum erat. *Fest.* ℙ *Denarius nummus* et *denarius* absolute fuit nummus argenteus apud Romanos, qui primo decem asses valuit, deinde sexdecim, cujus quarta pars *sestertius* dicebatur, qui primo duobus assibus et dimidio, deinde quatuor aestimatus est, ut *Plin.* 33, 3, 13., *Vitr.* 3, 1. et *Fest.* in *Grave aes* docent. *Liv.* 8, 11. *extr.* Vectigal jussus pendere quotannis denarios nummos quadringenos quinquagenos. *Cic. Off.* 3, 23. An emat denario, quod sit mille denarium? (pro *denariorum:* atque ita frequentius, cum certa pecuniae summa describitur.) *Plin.* 18, 23, 53. Justum est, singulas vehes fimi denario ire, *h. e.* venire, vendi. *Caes. B. C.* 1, 52. Jam ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat. *Cic. Fam.* 9, 18. Ollam denariorum implere. *Id. Font.* 5. Quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exigere. ℙ Interdum ponitur ad significandam monetam Romanam, quia ceteri populi nummos denarii nomine non habebant. *Id. Quint.* 4. *extr.* Decidis statuisque, quid iis ad denarium solveretur. *Id. Att.* 2, 6. *extr.* Ecqua spes sit denarii, an cistophoro Pompejano jaceamus. ℙ *Denariae formae* apud *Lamprid. Alex. Sev.* 39. sunt ipsi denarii, de quibus modo est dictum. ℙ A medicis Latinis *denarius* adhibetur ad significandum pondus drachmae Atticae, ut *Plin.* 21, 34, 109. docet. Drachma autem ipsa continet octogesimam quartam partem librae, ut apud *Scribon. epist.* ad *Callistrat. sub f.* legitur (tametsi aliter apud *Fann. de ponderib.* 35.). Ex quo fit, septimam partem ponderis unciae denarii pondere contineri, ut *Cels.* 5, 17. docet. *Plin.* 20, 2, 4. Cucumeris semen triginta denariorum pondere in hemina aquae datum. *Id.* 30, 7, 19. Cochleae quinae combustae cum denarii pondere dimidii acaciae. Adde *Colum.* 7, 8. ℙ Hoc denarii pondus dividitur a *Celso loc. cit.* in sex partes, id est sextantes, quae totidem ὀβολοῖς apud Graecos respondent. V. de his accuratius fusiusque disserentem *Gronov. de pecun. Vet.* 2, 6. etc. ℙ Fuit etiam denarius aureus, qui valuit aliquando denarios argenteos viginti quinque, sestertios vero centum. *Plin.* 33, 3, 13. et 34, 7, 17. V. AUREUS. ℙ Sequiore vero tempore *denarius* fuit appellata moneta ex aere. Hinc apud *Macr. Sat.* 1, 7. *denarius* appellatur as: V. locum in CAPUT et apud *Vopisc. Aurel.* 9. Ipsi autem decernes argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, aeris denarios centum. ℙ Neutro genere *Pl. Rud.* 5, 2, 27. Centum denaria Philippea in pasceolo seorsus, *subaudi* numismata. ℙ Secunda syllaba longa est. *Mart.* 2, 51. Unus saepe tibi tota denarius arca Cum sit. *Id.* 1, 118. et 9, 101. Vocem *denariis* trisyllabam facit: pro duplici enim *ii* unicam scribebant veteres Romani.

DĒNARRO, as, avi, atum, a. 1. ἐξηγέομαι, plene et per ordinem narro, enarro. *Ter. Ph.* 5, 7, 51. Haec adeo ego illi jam denarrabo. *Gell.* 1, 23. Puer rem, sicuti fuerat, denarrat. *Hor. Sat.* 2, 3, 315. matri denarrat, ut ingens Bellua cognatos eliserit.

DĒNASCOR, eris, atus sum, dep. 3. ἀποθνήσκω, ἀπογίγνομαι, morior. *Cass. Hemina* apud *Non.* 2, 257. Quae nata sunt, ea omnia denasci ajunt. *Varr. L. L.* 4, 10. Qui denascitur, ignem amittit ac frigescit.

DĒNĀSO, as, a. 1. ἀποῤῥίνω, nasum aufero. *Pl. Capt.* 3, 4, 73. Os denasabit tibi mordicus.

DENATĬUM. V. THANATIUM et ASCLEPIODOTON.

DĒNĀTO, as, n. 1. deorsum nato, καταπήχομαι. *Hor. Od.* 3, 7, 28. Nec quisquam citus aeque Tusco denatat alveo.

*DENDA, ae, f. Illyridis Graecae oppidum. *Plin.* 3, 23. *B. A.*

DENDRĀCHĀTES, ae, m. δενδραχάτης, gemma ex achatarum genere, velut arbuscula insignis, a δένδρον, arbor. *Plin.* 37, 10, 54.

DENDRĪTIS, itĭdis, f. δενδρῖτις, gemma, quae sub arbore defossa, non permittit securim hebetari. *Plin.* 37, 11, 73.

DENDROĪDES, ae, m. δενδροειδής, tithymali species, *h. e.* arboreum: a δένδρον, arbor. *Plin.* 26, 8, 45.

DENDRŌPHŌRUS, i, m. δενδροφόρος, [qui arborem fert: a δένδρον, arbor, et φέρω, porto. Hinc Silvanus, quia, ut ait *Virg. G.* 1, 20., teneram fert ab radice cupressum, *dendrophorus* cognominatur in *Inscr.* ap. *Grut.* 64, 7. Silvano Dendrophoro sacrum, M. Poblicius Hilarus margaritarius Q. Q. P. P. *(quinquennalis perpetuus)* cum liberis Magno, et Hermoniano dendrophoris *Magnae Deum Matris* de suo fecit. ℙ Itaque *dendrophori* vocantur, qui in honorem Bacchi, aut Silvani, aut magnae Deum matris arbores stirpitus excisas humeris per urbes portabant in festo, quod Graeci δενδροφορίαν vocabant (V. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. p. 51. *edit. Mediol.*); constituebantque veluti corpus quoddam religiosorum hominum. V. *Inscr.* supra allatam, et *Reines.* ad *Inscr. cl.* 1. *n.* 40., qui multa habet huc spectantia. Haec ex parte amplificavit *F.* Qui pluribus de hac dendrophoria egerint, recenset *Burm. Anthol. Lat. T.* 1. p. 33.] ℙ *Dendrophori* vocati sunt etiam artifices,

qui materiem et universam rem tignariam ad aedificia exstruenda, et naves ac bellicas machinas fabricandas administrabant. Horum collegium in omnibus fere urbibus erat, et Herculem praecipue ac Silvanum colebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 45, 8. Herculi comiti custodi M. Caesius Aug. Lib. Sostratus praef. fabrorum collegii dendrophorum etc. Adde aliam apud *Fabrett.* p. 601. *n.* 21. *Imp. Constant. M. Cod. Theod.* 14, 8, 1. In quibuscumque oppidis dendrophori fuerint, centonariorum atque fabrorum corpori adnectantur, quoniam haec corpora frequentia hominum multiplicari expedit. ℙ Negat *Salm.* ad *Spartian. Carac.* 9., alios unquam fuisse dendrophoros, quam qui aliquorum Deorum ministri fuerint: his similia habet *Murat.* in *Thesaur. Inscr.* p. 514. *n.* 2., sed uterque fallitur. V. CLASSIARIUS.

*DENDROS, i, maris Aegaei insula, e regione promontorii Spiraei, ideoque prope Argolidem. *Plin.* 4, 12. ubi *Hard.* mavult *Adendros* (ἀδένδρος, i. e. carens arboribus), legere. *B. A.*

*DENEGATIO, onis, f. fortis negatio. *Petron. P.* 1. p. 44. Denegatione ardentior factus, me quoque sequebatur. *B. A.*

DENĒGĀTUS, a, um, part. a *denego*. *Caes. B. C.* 1, 32. Expetita et denegata colloquia. *Cic. Or.* 2, 29. Ei nihil a natura denegatum. *Colum. praef. l.* 1. Sexum a natura viris denegatum muliebri motu mentiuntur.

DENĒGO, as, avi, atum, a. 1. ἀπαρνέομαι, idem quod nego aut omnino nego. *Ter. Andr.* 1, 5, 6. Qui denegarat, se commissurum mihi gnatam suam uxorem. *Pl. Men.* 4, 2, 12. Datum denegant, quod datum est. *Id. Stich.* 4, 1, 52. et *Ter. Heaut.* 3, 1, 78. Ubi ille poscit, denegavit, se dare granum tritici. ℙ *Denegare aliquid alicui*, est dare nolle, non dare. *Pl. Trin.* 5, 2, 46. Si tibi denegem, quod me oras. *Cic. Verr.* 2, 5, 14. Ut omnia semper, quae jucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegarem. *Caes. B. G.* 1, 42. Petenti denegare aliquid. *Hirt. B. G.* 8, 45. Nulli denegare auxilia adversus Romanos. ℙ Pro recusare. *Prop.* 2, 19, 12. Et nunquam pro te deneget esse miser.

DĒNI, ae, a, οἱ, καὶ αἱ, καὶ τὰ δέκα, num. distrib. pro decem. *Caes. B. G.* 5, 14. Britanni uxores habent deni duodenique inter sese communes. ℙ Extra distributionem. *Virg. A.* 11, 326. Bis denas Italo texamus robore naves. *Plin.* 33, 4, 23. Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte. ℙ In genit. plur. habet *denum*, ut reliqua fere hujusmodi distributiva. *Colum.* 2, 11. Facito areas latas pedum denum. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *sub f.* Pueri annorum senum, septenumque denum. ℙ Invenitur tamen et *denorum*. *Liv.* 43, 5. *extr.* Ut denorum equorum iis commercium esset.

DĒNĪCĀLES Feriae, quibus hominis mortui causa familia purgabatur, teste *Festo:* non a *denus*, quia triduanae erant, sed a *denico*, quod a *neco*. *Cic. Leg.* 2, 22. Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residentur mortui, quam ceterorum coelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi, etc. *Colum.* 2, 22. Feriis denicalibus mulos jungere non licere. Scribitur et *denecales*. *Fest.* in *Privatae.*

[DENIENSIS, e, adj. ad Deniam pertinens, Hispaniae urbem maritimam, quae etiamnum nomen servat, a *Ptol.* memoratam 2, 6. *Inscr.* ap. *Grut.* 841, 9. C. Portius Marinianus Deniensis. *F.*]

DĒNĪGRĀTIO, onis, f. nigri coloris inductio. *Theod. Priscian.* 1, 1. Denigratio capillorum.

*DENIGRĀTOR, oris, m. apud *Tertull.* DENIGRATŪRA, ae, f. apud *Augustin. B. A.*

DĒNĪGRO, as, avi, atum, a. 1. ἀπομελαίνω, nigrum facio. *Varr. R. R.* 1, 55. Amurca denigrat terram. *Plin.* 23, 5, 52. Cortex palmae capillum denigrat suffitu. *Id.* 33, 6, 35. Denigrare lanam. ℙ Translate. *Firmic. Matth.* 5, 10. *sub f.* Honorem famamque alicujus denigrare.

DĒNIQUE, adv. τέλος, εἰς τέλος, postremo, ad extremum. Est à *demum* vel *dein* et *que* adjectione syllabica. Adhibetur autem, cum post multa enumerata, ultimum omnium subjicitur. *Ter. Heaut.* 1, 1, 16. Quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *Cic. Fin.* 5, 3. Mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac profecti sunt. *Nep. Pelop.* 4. Denique haec fuit altera persona Thebis, etc. *Sall. Cat.* 21. Denique quid reliqui habemus, praeter miseram animam? *Oc. Her.* 16, 215. At mihi conspiceris posita vix denique mensa. ℙ *Nunc* et *tum denique* est nunc, aut tum demum. *Cic. Or.* 2, 77. Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare. *Id. Fam.* 9, 14. *a med.* Tantum accessit ad eum amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. ℙ Aliquando post *denique* aliud membrum subjicitur. *Cic. Agr.* 2, 23. Omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint. *Id. N. D.* 3, 9. Isto modo etiam disertus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus. Adde *Cat.* 2, 11. et *Varr. L. L.* 7, 19. et 20. ℙ Pleonasmus inesse videri potest, elegans tamen, in illo *Cic. ad Quirit.* 7. Primum vos docuit, meis consiliis rempubl. esse servatam, etc. tum in perorando posuit, vos rogari a senatu, etc. denique ipse ad extremum pro mea vos salute obsecravit. V. et *Sall. Jug.* 21. *extr.* et *Justin.* 12, 16. *ad f.* ℙ Quando unum tantum membrum praecedit, tunc *denique* ponitur pro breviter, paucis, uno verbo, aut omnino. *Cic. Pis.* 20. Nemo bonus, nemo denique civis est, qui vos non fugiat, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 23. De hoc, qui antequam in jus aditum esset, antequam denique mentio controversiae facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse. *Flor.* 1, 16. de Campania: Nihil mollius coelo: denique bis floribus vernat. [*Cf. *Schulting.* ad *Qu. Decl.* 1. p. 15. *Duker.* ad *Flor.* 1, 16, 3. — Huc pertinet, si est i. q. dumtaxat, quo sensu frequentius est *demum*. *Cic. Fam.* 10, 10, 4. is enim denique honos mihi videri solet, qui — propter magna merita claris viris defertur et datur. ℙ *Savigny de dominio* p. 40. huic partic. hanc quoque vim attribuit, ut sit i. q. *exempli gratia*. Recte hoc fieri posse negat *Köhler* (in *Anall. Wolfii* IV. p. 329.) In ejusmodi enim locis est *denique* i. q. ut breviter dicam, ut uno exemplo defungar, quod Francogalli per *enfin* exprimunt. *Verbi causa* dicunt Romani, quum singula exempla afferunt; *denique*, quum, quae ejusdem generis restant, complectuntur et in unum quasi conjungunt, in quibus etiam exempla inesse possunt. Hoc intelligitur ex etymo voc., quod per metathesin ex *deinque* ortum esse videtur; *que* autem efficit, ut notio, quae inest in adv. vel pronomini, cui additur, non jam ad unum, sed ad omnes alicujus generis pertineat; sic *quis — que* est i. q. *wer nur immer; utcunque wie nur immer;* sic *denique = deinque* est proprie: *in allen andern Fällen.* Ita *Köhler l. l.*] ℙ Post plura. *Nep. Reg.* 2. Minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus. ℙ Vel pro saltem. *Caes. B. G.* 2, 33. Quod, deditione facta, nostros praesidia deducturos, aut denique indiligentius servaturos crediderant. Adde *Senec. Ira* 3, 18. *extr.* [*Hor. Sat.* 1, 2, 133. ne nummi pereant aut pugna aut denique fama.] ℙ Vel pro ad summum, *zuletzt noch. Cic. Rosc. Am.* 37. Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? [*Cic. *Acad.* 2, 27, 87. tractantur ista ingeniose, disputantur etiam eleganter: denique videantur sane etc. cf. *Goer.*] ℙ Vel pro atque adeo, et augendi vim habet. *Cic. Quint.* 16. Haec in homines alienissimos, denique inimicissimos, viri boni faciunt. [*Suet. Tib.* 58. Periit denique et is, qui etc. V. quae *Brem.* habet.] ℙ Pro tandem. *Pl. Trin.* 4, 2, 93. Lubet experiri, quo evasurus est denique. ℙ *Tandem denique* dixit *Appul. Met.* 3. p. 130, 39. et 4. p. 153, 3. ℙ [*Scripsit de hac particula: *Johannsen*, de usu atque vi particulae *denique* apud veteres Romm. JCtos. Heidelb. 1828.]

*DENNA, Aethiopiae oppidum, vel saltem in Aethiopiae confiniis. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

DĒNŌMĪNĀTIO, onis, f. actus denominandi. Est hoc nomine figura rhetorica, Graece metonymia et hypallage dicta, Latine etiam *traductio* et *immutatio* a *Cic. Or.* 3, 42., quae a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur, ut si quis de Tarpejo loquens, eum Capitolinum nominet: aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet, aut ab instrumento dominum, ut sarissas pro Macedonibus, materim Transalpinam pro Gallis: aut id, quod fit, ab eo qui facit, ut Martem pro bello: aut id quod facit, ab eo, quod fit, ut cum desidiosam artem dicimus, quia facit desidiosos: aut ab eo quod continet, id quod continetur, ut Armis Italia non potest vinci, nec Graecia disciplinis: aut ab ea quod continetur, id quod continet, ut si quis aurum vel argentum aut ebur nominet, cum divitias velit nominare. Haec *Auct. ad Her.* 4, 32. Adde *Quint.* 8, 6., *Cic. Or.* 27. et *Charis.* 4. p. 244.

DĒNŌMĪNĀTĪVA, orum, n. plur. παρώνυμα, dicuntur, quaecumque ab aliquo vocabulo habent appellationem, a quo differunt solo casu, hoc est, solo fine, cujusmodi sunt adjectiva a substantivis deducta, ut a *studio studiosus*, a *robore robustus*. Nomen enim denominativum debet communicare cum nomine univoco in principio, sed differre in fine. A *Cic.* conjugata dicuntur. *Prisc.* 4. *init.*

DĒNŌMĪNĀTĪVĒ, adv. *Capell.* 4. p. 114. Situs omnis denominative dicitur, ut sedere a sessione, stare a statione.

*DĒNŌMĪNĀTOR, oris, m. et DENOMINĀTRIX, icis, f. apud *Boethium. B. A.*

[DĒNŌMĪNĀTUS, a, um, part. a *denomino*. *Hor. Od.* 3, 17, 2. Priores hinc Lamias ferunt denominatos. V. v. seq. *F.*]

DĒNŌMĪNO, as, a. 1. ἐπονομάζω, nomen impono: ex *de* et *nomino*. *Quint.* 1, 5. Propria sunt verba, cum id significant, in quod primo denominata sunt. *Auct. ad Her.* 4, 32. Ab eo quod continet, id, quod continetur, denominabitur. *Quint.* 8, 2. Multa sunt et Graece et Latine non denominata.

*DENORMĀTIO, onis, f. apud *Augustin. B. A.* [DENORMĀTUS, a, um, part. a *denormo*. *Auct. de limit.* p. 252. *Goes.* Linea denormata. *F.*]

DĒNORMO, as, a. 1. extra regulam et normam esse facio, enormem atque inaequalem reddo. *Hor. Sat.* 2, 6, 9. o si angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum! [*Cf. *Acron.* et *Porphyr.* ad h. l. apud *Feam.*]

DĒNŌTĀTIO, onis, f. et

*DENOTĀTOR, oris, m. apud *Hieron. B. A.*

DĒNŌTĀTUS, us, m. indicatio, demonstratio. *Tert. Pall.* 4. *a med.* Quantum denotatui passivitas offert. *Id. Cult. fem.* 13. Bonum ipsa denotatione sui exsultat. *Quint. Decl.* 19, 3. Omnium maledictis succlamatus, omnium denotatione damnatus.

DĒNŌTĀTUS, a, um, part. a *denoto*, notatus, designatus. *Cic. Acad.* 4, 18. Res non habere denotatas. *Colum.* 3, 15. Linea aliquo conspicuo colore denotata. *Tert. adv. nation.* 1, 10. *a med.* Tanto denotatior ad contumeliae morsum.

DĒNŌTO, as, avi, atum, a. 1. σημειόομαι, noto, significo, designo. [*De aliquam vim addit h. v.] *Cic. Manil.* 3. Qui una die, tota Asia, tot in civitatibus, uno nuncio, atque una litterarum significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit. *Plin.* 35, 17, 58. Denotare creta pedes venalium. ℙ [*Est etiam i. q. noscitari, cognosci, qua significatione rarius reperitur. *Vell.* 2, 70, 2. quum — neque pulvere facies aut signa denotari possent. Ad quem l. *Ruhnk.* comparat *Cic. Acad.* 2, 18. Sapientem, cum ei res similes occurrant, quas non habeat denotatas, retenturum assensum.] ℙ Significat etiam notare infamia. *Pompon. Dig.* 30, 54. Turpia legata, quae denotandi magis legatarii gratia scribuntur. *Suet. Cal.* 56. *ad f.* Quem, ut mollem et effeminatum, denotare omni probro consueverat.

DENS, dentis, m. ὀδούς, ὀντος. Dentes sunt ossa omnium durissima in ore animalium, quibus cibus dividitur et teritur: a Graeca voce allata. *Arnob.* 3. p. 107. Subactionibus ciborum dentes trini generis, atque in officia trina compositi. *nempe* 1.° *primores* dicti a *Plin.* 7, 16, 17. et *praecisores* ab *Isid. Orig.* 11, 1., et in pecudibus *rapaces* a *Veg. Veter.* 4, 1. Graece τομικοὶ, 2.° *canini* a *Cels.* 8, 1., *columellae* ab *Isid. l. c.*, in equis *columellares* a *Varr. R. R.* 2, 7. et *Plin.* 11, 37, 64. Graece κυνόδοντες, 3.° *molares* ab *Isid. l. c.* et *Juven.* 13, 212., *maxillares* a *Cels. l. c.*, *genuini* a *Cic. N. D.* 2, 54., Graece γόμφιοι vel μύλοι. *Cic. l. c.* Dentibus in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti (qui et *primores*) morsu dividunt escas: intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur. *Plin.* 11, 37, 61. Dentium tria genera: serrati, pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut piscibus: continui, ut homini, equo: exserti ut apro. Continuorum qui digerunt cibum, lati et acuti: qui conficiunt, duplices: qui discriminant eos, canini appellantur. *Cels.* 8, 1. Ex dentibus quaterni primi, quia secant, τομικοὶ a Graecis nominantur: hi quatuor caninis ex omni parte cinguntur: ultra quos utrinque fere maxillares quini sunt, etc. *Cic. Tusc.* 4, 8. Terrorem tremor, et dentium crepitus consequitur. *Id. N. D.* 3, 22. Aesculapius, qui primus dentis evulsionem invenit. *Pl. Truc.* 2, 1, 14. Bonis dentibus esse. *Vitr.* 8, 1. Procumbere in dentes. *Plin.* 21, 31, 105. Colluere dentes. *Hor. Od.* 1, 13, 13. Imprimere dente notam labris. *Virg. G.* 3, 514. Lauiare dentibus artus. *Id. A.* 3, 664. Infrendens dentibus. *Id. ib.* 7, 279. Equi mandunt sub dentibus aurum. *Cels.* 2, 6. Stridere dentibus. *Plin.* 30, 4, 9. Scalpere dentes, et *ib.* fricare. et 28, 11, 49. scarificare. et *ib.* confirmare dentes mobiles. *Id.* 32, 7, 26. extrahere. et 30, 3, 8. evellere. et *Cels.* 6, 9. eximere. et *Juven.* 16, 10. excutere. ℙ Per translationem dicitur de cuspide ancorae. *Virg. A.* 6, 3. tum dente tenaci Ancora fundabat naves. ℙ Item de cuspide aratri, quia, ut ait *Varr. L. L.* 4, 31., eo mordetur terra. *Colum.* 4, 2. Respuitur duritia soli dens aratri. *Virg. G.* 2, 423. Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco, Sufficit humorem. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 170.] ℙ Item rastri, aut sarculi. *Lucan.* 7, 859. Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa. ℙ Item irpicis, quo herbae exstirpantur. *Varr. L. L.* 4, 31. et *Festus.* ℙ Item de falce, quae *Saturni dens* dicitur. *Virg. G.* 2, 406. et curvo Saturni dente relictam Persequitur vitem attondens. ℙ Item de clavi, quae dentata esse solet. *Tibull.* 1, 2, 18. Seu reserat fixo dente puella fores. V. CLAVICULA. ℙ Item de pectine, tum capillorum, tum lanae, ob eandem rationem. *Id. ib.* 10, 68. Et tenues denso pectere dente comas. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 102. haec morsu numerosi

dentis eburno Multifidum discrimen arat. *Varr. L. L.* 4, 23., ubi de pectine lanae loquitur. ℙ Item de ferro, quod venabulo praefigitur. *Grat. Cyneg.* 108. valido primus venabula dente Induit. ℙ Tribuitur et serrae. *Plin.* 16, 43, 80. Ligna viridia serrarum dentes replent aequalitate inerti. Adde *Ov. Met.* 8, 246. ℙ Sunt etiam *dentes* in substructionibus structurae seriem dentium imitantes. *Vitr.* 6, 11. *circa med.* Praeterea introrsus contra terrenum dentes conjuncti muro serratim struantur, uti singuli dentes ab muro tantum discedant, quanta altitudo futura erit substructionis: crassitudinis autem habeant dentium structurae, uti muri. ℙ *Dens Numida* est dens elephanti, *h. e.* ebur. *Ov. Pont.* 4, 9, 28. Et totum Numidae sculptile dentis opus. ℙ *Dens Indus*, *Libycus* et *Erythraeus* idem est. *Stat. Silv.* 3, 3, 95., *Prop.* 1, 31, 12. et *Mart.* 13, 100. ℙ Dente superbo tangere cibum, *Hor. Sat.* 2, 6, 87. h. e. contingere et fastidire. ℙ Albis dentibus deridere, *Pl. Epid.* 3, 3, 48. *h. e.* effuso risu, ita ut dentes ostendantur, subsannare. ℙ Translate de livore, et invidia. *Cic. Balb.* 26. Inimico, aut maledico dente carpere. *Hor. Od.* 4, 3, 16. Dente invido morderi. *Id. Epod.* 6, 15. Atro dente petere aliquem. *Phaedr.* 4, 7. Mordaciorem improbo dente appetere. ℙ Venies sub dentem, incides in me iratum et mordere paratum. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* ℙ In genitivo plurali *dentium* habet, non *dentum:* quamvis *Varro L. L.* 7, 38. contrarium videatur docuisse.

DENSĂBĬLIS, e, adj. densans. *Coel. Aur. Tard.* 5, 7. Cibus densabilis.

DENSĀTĬO, onis, f. idem quod coactio, spissatio. *Plin.* 31, 7, 39. Prima densatio Babyloniae in bitumen liquidum cogitur.

*DENSĀTĪVUS, a, um, adj. idem ac densabilis. *Coel. Aur. Acut.* 2, 37. Densativae virtutis esse. *B. A.*

DENSĀTUS, a, um, part. a *denso. Liv.* 28, 2. Quae cum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis, etc. *Plin.* 26, 7, 25. Succus densatus in gummi. *Curt.* 5, 3. *extr.* Densata agmina. *Quint.* 5, 9. *extr.* Densatus et laxatus aer. ℙ Comp. *Densatior* tribuitur a quibusdam *Macr. Sat.* 7, 12. *a med.*, ubi alii plerique leg. *densior.*

DENSĔ, adv. *πυκνῶς*, spisse. *Plin.* 16, 37, 67. de alnis: Caesaeque densius innumero herede prosint. *Vitr.* 5, 12. Bene, et quam densissime calcatum. ℙ Translate. *Coel. Aur. Acut.* 2, 37. *a med.* Non dense atque semel vinum detrahere, sed paulatim subducere. *Ov. Pont.* 1, 9, 11. Nulla tamen subeunt mihi tempora densius istis, *h. e.* saepius. Sic *Cic. Or.* 2. Idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius.

DENSĔO, es, ui, a. 2. cogo, coagulo. *Hor. Od.* 1, 28, 19. Mixta senum ac juvenum densentur funera. Ita leg. *Lamb.* et *Bentl.*, et *densantur* (quod legitur vulgo) corruptum putant. Similiter *densere* pro *densare* tuentur alii in illo *Virg. G.* 1, 419. Juppiter humidus austris Denset, erant quae rara modo, et quae densa, relaxat. et *Servius* in illo *A.* 7, 794. clypeataque totis Agmina densentur campis. et *ib.* 11, 650. Et nunc lenta manu spargens hastilia denset, *h. e.* dense jacit. Hinc *addenseo* et *condenseo:* quorum illud ejusdem *Virg.*, hoc *Lucretii* est. Plura etiam in *Ovidio*, [*Fast.* 3, 820.] *Silio* [10, 15.], et *Prudentio* loca restituit hac ratione *Heinsius* ad *Fast.* 3, 820. et in *Lucretio Pareus* in *Indice Lucretiano*, etc. [*Voss.* ad *Virg. G.* 1, 248. 419.] ℙ Porro in neutra significatione pro coire, coagulari (quod quidam scripserunt) nisi certa exempla invenias, ne usurpaveris: nam quod afferunt ex *Plin.* 20, 14, 53. Acescere densereque lac non patitur; in melioribus libris legitur *denserique.*

DENSESCO, is, n. densus fio. *Paulin. Petrocor. de Vita Martin.* 6, 234. Vicinum doluit tenebris densescere solem.

DENSĔTUS, a, um, part. a *denseo*, densus, spissus. Differt a *densatus*, inquiunt grammatici, quod significat ab alio; *densetus* qui natura sua spissus est. *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. *extr.* Cujus corpus ita natura densetum est, ut etc. *Id. Sat.* 7, 7. Corpus naturali frigore densetum. Adde *ib.* 12. et *Prud. Ham.* 908. Ubique tamen alii leg. *densatus.*

DENSĬTAS, atis, f. *πυκνότης*, crebritas, spissitudo, coaretatio nimia conjunctarum partium. *Plin.* 11, 3, 2. Densitas humoris. *Id.* 26, 12, 76. tunicarum oculi. *Id.* 13, 12, 24. chartae. *Colum.* 3, 2. pampini. *Gell.* 2, 6. *ad f.* Copia et densitas auri in squamarum speciem intexti. *Plin.* 35, 15, 51. Limus spissatur, et in densitatem coit. *Quint.* 8, 5. Densitas sententiarum obstat invicem.

DENSO, as, avi, atum, a. 1. *πυκνόω*, cogo, spisso. *Plin.* 25, 11, 83. Defluentem capillum confirmat, et densat. *Virg. G.* 1, 248. Densantur nocte tenebrae. [*V. DENSEO.] *Tac. A.* 2, 14. Densarent ictus, ora mucronibus quaererent. *Ov. Met.* 13, 604. Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum Densatur. *Lucan.* 4, 76. nubes largos densantur in imbres. *Id.* 4, 780. Densatur globus militum. [*Liv. 33, 8. densari ordines jussit.] *Plin.* 12, 41, 96. Densare lac in butyrum. ℙ Translate. *Quint.* 11, 3. Instandum quibusdam in partibus, et densanda oratio: egressiones fere lenes, et dulces, et remissae. *Id.* 9, 3. *extr.* Figurae non sunt nimis densandae.

DENSUS, a, um, adj. *πυκνὸς*, spissus, creber: [est a *δασὺς*, hirsutus, unde primum *desus*, mox *densus*. At minus recte. *F.*] *Varr. L. L.* 4, 23. dicit, densum esse a dentibus pectinis, quibus feritur lana. [*Opponitur saepe *rarus*. V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 47, 4.] *Cic. N. D.* 1, 42. Ex poeta: Silvestribus sepibus densa. *Virg. A.* 2, 511. densos fertur moriturus in hostes. *Id. G.* 1, 334. densissimus imber. *Caes. B. G.* 3. *ad f.* Densiores silvae. *Colum.* 1. *praef. a med.* Sues densae, *h. e.* quae setas habent densas. *Ov. Met.* 12, 247. Funale densum lampadibus, *h. e.* multas habens lampades. *Plin.* 11, 23, 27. Adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas. *Id.* 29, 1, 2. Densissima nox. *Gell.* 18, 1. *extr.* Densiores tenebrae. *Plin.* 37, 5, 18. Smaragdi densi nec e liquido translucidi. *Ov. Met.* 2, 576. Densum litus, *h. e.* spissum arenis. [*Virg. G. 2, 275. in denso non segnior ubere Bacchus i. e. in solo vitibus denso. V. *Voss.* et *Wunderl.*] *Id. Am.* 3, 1, 32. Caput densum caesarie. *Id. A. Am.* 3, 691. Densae foliis buxi. *Id. Her.* 16, 183. Occurrent denso tibi Troades agmine matres. [*Caes. B. G. 7, 46. densissima castra. Scil. trina castra in una erant conjuncta.] *Id. Met.* 2, 717. densi circumstant sacra ministri. *Cels. praef.* 1. et 3, 22. Densum coelum. [*Lucan. 1, 531. aer densus. *Id.* 2, 640. aequor densum i. e. gelu constrictum, congelatum.] *Id.* 1, 3. *extr.* Densus cibus. ℙ Translate. *Quint.* 10, 1, 106. Densior ille, hic copiosior. *Id. ib.* §. 73. Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides. *ib.* §. 68. Euripides sententiis densus. [*V. *Spald.* ad 10, 1, 76.] ℙ *Densa vox* apud *eund.* 11, 3. *ante med.* est agrestis, rustica. ℙ Densa pericula, *Ov. Pont.* 4, 7, 15. i. e. frequentia et *ib.* 3, 15. Densus usus. Sic *Virg. G.* 4, 347. densos Divum numerabat amores. ℙ Densus labor, *Val. Fl.* 5, 169. *h. e.* creber, multus. ℙ Densa silentia. *Id.* 3, 604. *h. e.* alta, profunda.

DENTĀLE, is, n. *γύης*, lignum illud aratri, in quod vomer inseritur, ob similitudinem, uti docet *Servius* ad illud *Virg. G.* 1, 172. duplici aptantur dentalia dorso. [*Cf. *Voss.*] *Colum.* 2, 2. *a med.* Exiguis vomeribus et dentalibus terram subigere, quo minoris formae bubus administrari id possit. ℙ Item ipsum aratrum, per synecdochen. *Pers.* 1, 73. sulcoque terens dentalia. ℙ *Dentalia* etiam dicuntur cuspides rastrorum, quibus eraditur terra atque eruitur. *Varr. L. L.* 4, 31.

[DENTĀRĬUS, a, um, adj. qui ad dentes pertinet. *Appul. Herb.* 4. et 8. vocat herbam *dentariam* hyoscyamon, quia dentium dolorem sanare putatur.

DENTARPĂGA, ae, f. instrumenta, quo dentes evelluntur, *ὀδοντάγρα:* a dens, et *ἅρπαξ*, *αγος*, rapax. *Varro* ap. *Non.* 2, 237. Hic bipensiles forcipes dentarpagae.

DENTĀTUS, a, um, adj. *ὀδοντωτὸς*, dentes habens. *Ov. Rem. Am.* 339. Puella male dentata. *Mart.* 1, 73. Sic dentata sibi videtur Aegle Emptis ossibus Indicoque cornu. *Plin.* 7, 16, 15. Quosdam et cum dentibus nasci, sicut M. Curium, qui ob id Dentatus cognominatus est. (L. Sicinii vel Siccii Dentati mirum robur in proeliis et plurima dona militaria recensent *Varr.* ap. *Fulg. Planc. de prisco serm. in* Nefrendes, *Plin.* 7, 28, 29., *Val. Max.* 3, 2. *n.* 24. et *Gell.* 2, 11., ubi addit appellatum esse Achillem Romanum.) *Id.* 36, 22, 48. Albus lapis dentata serra secatur. *Id.* 18, 18, 48. Dentatae crates. ℙ Item qui magnos habet dentes. *Pl. Ps.* 4, 4, 3. Non ego te ad illum duco dentatum virum. ℙ *Charta dentata* ap. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. est polita et laevigata dente apri, aut hujusmodi, ut calamus currat expeditius. Scribit enim *Plin.* 13, 12, 25. scabritiam chartae dente vel concha laevigari.

[DENTER, tris, m. idem ac dento, qui magnos dentes habet. Cognomen Romanum, nempe M. Livii consulis an. U. C. 452. ex *Liv.* 10, 1. et 9., item L. Metelli consulis an. U. C. 470. ex *Fea*, *Framm. di Fasti Cons.* p. 3. *F.*]

DENTEX, icis, m. vulgo *dentale*, piscis marinus, a dentibus quos externos habet. *Colum.* 8, 16. ℙ Idem ab *Isid. Orig.* 12, 6. vocatur *dentix.*

DENTĬCŪLA. V. LENTICULA.

DENTĬCŪLĀTUS, a, um, *ὀδοντωμένος*, qui crebros denticulos habet, ut *serra denticulata* et *herbae denticulatae*, quae foliorum ambitum quibusdam quasi denticulis habent incisum. *Plin.* 9, 31, 51. Bina brachia denticulatis forcipibus. *Id.* 9, 33, 52. Denticulatae conchae. *Id.* 11, 37, 79. Venter denticulatae asperitatis. *Colum.* 2, 21. Falcibus rostratis vel denticulatis culmum secare. *Plin.* 26, 15, 93. Denticulatum olus.

DENTĬCŪLUS, i, m. *ὀδόντιον*, parvus dens. *Pallad.* 1, 28. *extr.* Cum infantibus tumentes gingivas denticuli aperire nituntur. *Appul. Apol.* p. 278, 9. Viperae ritu, niveo denticulo atrum venenum inspirare. ℙ Item ferramentum rusticum denticulatum, demetendis spicis aptum. *Pallad.* 7, 2. Omnis spica in carpentum denticulis comprehensa cumulatur. V. *Colum.* 2, 21., ubi denticulatam falcem appellat. ℙ Item ornamentum in architectura, in zophora ordinis Ionici et Corinthii, a similitudine sic dictum. *Vitr.* 3, 3. *a med.* et 1, 2. et 4, 2.

DENTĬDŪCUM, i, n. idem ac dentarpaga. *Coel. Aur. Tard.* 2, 4. *ad f.* *Ὀδοντιαγωγὸν*, quod nos dentiducum dicere poterimus, apud Delphum in Apollinis templo propositum, *h. e.* instrumentum extrahendis dentibus aptum.

DENTĬFRANGĪBŪLUM, i, n. instrumentum, quo dentes effringuntur. Hinc lepide *Pl. Bacch.* 4, 2, 14. Dentifrangibula haec meis manibus gestiunt, *h. e.* pugni. Et *ib.* 23. dentifrangibulum masc. gen. vocat eum, qui dentes frangit.

DENTĬFRĬCĬUM, ii, n. *ὀδοντότριμμα* medicamentum, quo dentes fricantur, ut fiant candidi. *Plin.* 29, 3, 11. Putaminis cinere fit dentifricium. *Id.* 32, 6, 21. Testae cinis dentifricio placet. *Id.* 28, 11, 49. Capitis leporis cinis dentifricium est. Adde *Scribon. Compos.* 59. et *Mart.* 14, 56. *in lemmate.*

DENTĬLĔGUS, i, m. dicitur qui ita percussus est, ut ei opus sit suos dentes colligere. *Pl. Capt.* 4, 2, 18. Dentilegos eos faciam. Alii leg. *dentiloquos*, *h. e.* illis dentes excutiam, quos exspuent loco verborum. [*Illud melius.]

DENTĬLŌQUUS. V. v. praec.

DENTĬO, is, ivi, itum, n. 4. *ὀδοντιάω*, dentes emitto. *Cels.* 2, 1. *post med.* et *Plin.* 30, 3, 8. Cinis eorum pueros tarde dentientes adjuvat cum melle. ℙ *Dentire* quoque dentes dicuntur, cum cibo carent. *Pl. Mil.* 1, 1, 34. Venter creat omnes has aerumnas: auribus perhaurienda sunt, ne dentes dentiant, *h. e.* ne crepitent nimium, dum nihilum cibi frangunt. [*imo: ne dentes crescant et quasi longiores fiant. Quum enim parasitus nihil habet, quod iis manducetur, non deteruntur; per jocum igitur dicit: ne nimis crescant. Sic *Lindem.* cum aliis. De crepitu dentium intelligit *Scal.*]

[DENTĬO, onis, f. actio dentium emittendorum, idem ac dentitio. *Plin. Valer.* 1, 4, 2. Dentes equi, qui primi cadunt, alligati, facilem dentionem praestant. *F.*]

DENTĬSCALPĬUM, ii, n. *ὀδοντογλυφὶς*, instrumentum, quo scalpuntur dentes. *Mart.* 7, 53. Et dentiscalpia septem.

DENTĬTĬO, onis, f. dentium emissio. *Plin.* 28, 19, 78. Infantibus nihil butyro utilius et in dentitione et ad gingivas.

[DENTO, onis, m. qui magnos dentes habet, ut Fronto, Capito, Naso, qui frontem, caput, nasum magnum habent. Cognomen Romanum apud *Cic. Fam.* 5, 20. Asinius Dento centurio primi pili in Bibuli cohorte prima. *F.*]

DENTOSUS, a, um, adj. dentes habens. *Ov. Fast.* 6, 229. dentosa crines depectere buxo, *h. e.* pectine buxeo. Al. legunt *detonsos.* [*Hoc multo probabilius. V. intpp. ad h. l.]

[DENTŪLUS, i, m. *ὀδόντιον*, parvus dens, denticulus. *Not. Tir.* p. 111. Dentulus. *F.*]

DENŪBO, is, upsi, uptum, n. 3. *γαμέομαι*, idem quod nubo: et dicitur de iis, quae infra conditionem suam nubunt. Id *Liv.* 10, 23. dixit *enubere*, ideoque *denubere* fortasse idem est ac *nubere. Tac. A.* 6, 27. Pars moeroris fuit, quod Julia Drusi filia, Neronis quondam uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi. [*Dicas: *wegheirathen.*] ℙ Et pro simplici nubo. *Ov. Met.* 12, 195. nec Caenis in ullos Denupsit thalamos. *Appul. Met.* 9, p. 231, 29. Filia ejus accurrit e proximo castello, in quo pridem denupserat. [*At *Oud.* p. 652. habet: *in quod.*] Adde *ib.* 5. p. 166, 6. et *Apol.* p. 319, 6. De perversis nuptiis usurpant *Suet.* et *Tac.* V. NUBO.

DENUDATĬO, onis, f. *Γύμνωσις*, et *Denudātor*, *oris*, m. *Γυμνωτής*. *Gloss. B. A.*

DENŪDĀTUS, a, um, part. a *denudo*, spoliatus. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. Reliquias semiassi regis, denudatis ossibus per terram foede divexarier. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 15. Cives crudelissime denudati ac divenditi, *h. e.* bonis suis spoliati.

DENŪDO, as, avi, atum, a. 1. *ἀπογυμνόω*, idem quod nudo, spolio. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus R. aspiciat. *Petr. Sat.* 103. Capita cum superciliis denudanda tonsori praebuimus, *h. e.* radenda. *Varr. R. R.* 1, 41. Surculum sic exacuendum, ut non denudes medullam. ℙ Translate *Cic. Or.* 1, 55. Juris civilis scientiam suo ornatu spoliare atque denudare. *Liv.* 44, 38. Denudare alicui consilium suum, *h. e.* manifestare. (Adde 42, 13. judicium, i. e. non obscure significare, quibus faveas.) *Senec. Tranq.* 15. Multa incidunt, quae invitos denudent, *h. e.* prodant, deprehendant, manifestent. ℙ *Dinudo* quidam leg. in illo *Auson. Eclogar. de Signor. effectib.* 10. Et fetos ramos dinudat flamma Nepai.

DENŪMĔRĀTĬO, onis, f. enumeratio. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. *a med.* Eadem hic denumeratio facienda

est, quae in patrui majoris filio, filia. *Torrentin.* habet *dinumeratio.*

DĒNŪMĔRO, as, a. 1. ἀναριθμοῦμαι, idem quod numero. *Pl. Asin.* 2, 4, 47. Argentum mihi si vis denumerare, repromittam etc. *Id. Epid.* 3, 4, 32. Sexaginta mihi si denumerantur minae. Adde *Paul. Dig.* 38, 10, 10. *post med.*

DĒNUNCIĀTIO et Denuntiatio, onis, f. παραγγελία, actus denunciandi, significatio, indictio et fere terrendi causa. *Caes. B. C.* 3, 9. Cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset. *Cic. Div.* 2, 25. Significatio et quasi denunciatio calamitatum. *Id. Phil.* 6, 2. Denunciatio belli. *Liv.* 45, 3. armorum. [*Suet. Aug.* 66. denuntiationes accusatorum, i. e. delationes.] *Cic. Flacc.* 6. Denunciatione testimonii terrere aliquem, *h. e.* denunciando se evocaturum aliquem invitum ad testimonium dicendum. V. DENUNCIO. *Vell.* 2, 70. Territus denunciatione quietis, *h. e.* significatione in somnio sibi facta: de qua *Lact.* 2, 7. ℙ Absolute. *Senec. ep.* 94. *a med.* Denunciatio et castigatio insanos coercuit.

DĒNUNCIĀTOR et Denuntiator, oris, m. παραγγελεύς. *Inscr.* ap. *Grut.* 254, 4. Imp. Caesari T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio Socii lictores populares denunciatores Puteolani. In veteri alio monumento *ib.* 250. et 251., ubi plerique Urbis Romae vici enumerantur, quinquies cum vicorum curatoribus etiam *denunciatores* recensentur: quod et apud *P. Victor.* legitur, *de regionibus Urbis R.*, ubi singulis regionibus binos denunciatores assignat. Hos volunt fuisse qui, deficientibus accusatoribus, graviora crimina magistratibus denunciabant, ne impunia elaberentur. Similes sunt, qui a nobis dicuntur *capi di contrada*, [*nobis *Viertelsmeister.*]

DĒNUNCIĀTUS et Denuntiatus, a, um, part. a *denuncio*, significatus, praenunciatus, indictus. *Cic. Tusc.* 1, 49. Si quid tale acciderit, ut a Deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita. *Id. Off.* 1, 11. Bellum denunciatum et indictum. *Id. Mil.* 19. Mors alicui denunciata et praedicta. ℙ *Ex denunciato*, praemisso nuncio. *Senec. ep.* 79. *sub f.* Si se non exornavit et pinxit, sed idem semper fuit, sive ex denunciato videbatur, sive imparatus, ac subito. Adde *Qu. Nat.* 3, 30.

DĒNUNCIO et Denuntio, as, avi, atum, a. 1. ἐπαγγέλλω, palam nuncio, significo, praedico, indico: et dicitur saepe de iis, quae malum, curam, molestiam afferunt. [*Rarius sane dicitur in bonam partem, ut *Liv.* 45, 32. ludicrum, quod ex multo ante praeparato, et in Asiae civitates et ad reges missis, qui denuntiarent, — indixerat — fecit magno apparatu. Sic etiam alii, V. infra. Sed plerumque est i. q. cum severitate aliqua nuntiare alicui aliquid, asseverare, ut *Tac. G.* 18, 8. hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant; V. integrum locum; quare affine est v. minari. V. infra et *Brem.* ad *Nep. Chabr.* 3.] *Cic. Verr.* 1, 2, 12. Moneo, praedico, ante denuncio. *Id. Phil.* 6, 3. Testificor, denuncio, ante praedico. *Id. Fam.* 4, 3. Monere et denunciare. *Id. ib.* 13, 77. Ut si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi jure suo denunciare [*i. e. mandare, nos: *ansagen.*] *Id. ib.* 11, 25. Exspectanti mihi tuas litteras, Lupus noster subito denunciavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. *Id. Div.* 1, 30. *extr.* Hector moriens propinquam Achilli mortem denunciat, i. e. praedicit. [*Suet. Aug.* 94. prodigium, quo denunciabatur. Cf. *Clav. Suet.*] *Id. Quint.* 17. Denunciare alicui domum, i. e. mittere aliquem domum, qui dicat. *Id. ib.* 6. Alphenus denunciat sese procuratorem esse. *Id. Caecin.* 32. Denunciare alicui de aliqua re. *Suet. Caes.* 75. acerbe loquentibus, ne perseverent. *Liv.* 39, 54. *ad f.* Denuncient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant. [*Id.* 7, 31. si leniter agendo parum proficerent, denuntiarent Samnitibus, ut Capua — abstinerent. — Saepe sic dicitur, maxime *de militia*, et est i. q. edicere; ἐπαγγέλλειν, προειπεῖν. *Suet. Caes.* 65. ut neque itineris neque proelii tempus nuntiaret. *Id. Claud.* 13. ℙ Dicitur etiam de philosophis qui tradunt aliquid vel praecipiunt. *Cic. Rep.* 3, 11. Pythagoras et Empedocles unam omnium animantium conditionem juris esse denuntiant.] ℙ Item minari. *Cic. Mil.* 1. Denunciare periculum aut praesidium alicui. *Id. Att.* 2, 23. Non mediocres terrores jacere atque denunciare. *Id. Phil.* 5, 8. populo R. servitutem. *Id. Sext.* 20. proscriptionem, caedem, direptionem. *Id. Phil.* 5, 7. alicui inimicitias. [*Suet. Caes.* 30. Quum Cato — denuntiaret vel delaturum se nomen ejus. *Id. ib.* 75.] ℙ Denunciare testimonium alicui, vocare aliquem etiam invitum ad judicium, testimonii dicendi gratia. *Cic. Rosc. Am.* 38. et *Flacc.* 6. [*Et absolute, eodem sensu: *Id. Flacc.* 15. *Verr.* 2, 2, 4. ubi V. *Graev.* — *Cic. Dom.* 44. quum tribunus vel denuntiare vel cogere potueris, i. pontificibus ut convenirent. Haec et plura leguntur in *Clav. Cic.*] Sic denunciare testibus. *Quint.* 5, 7. et *Plin. ep.* 6, 5. ℙ Translate. *Plin.* 18, 35, 78. Si ante exortum nubes globabuntur, hiemem asperam denunciabunt, *h. e.* portendent. (Adde *Virg. G.* 1, 453.) *Cels.* 2, 6. Mors denunciatur, ubi aeger supinus cubat. ℙ Pro praecipere, jubere. *Curt.* 7, 7. Tibi autem, quam potest, denuncio, ipse mihi indices, quid ex extis cognoveris. *Brutus* et *Cass.* ad *Anton. Fam.* 11, 2. Denunciare veteranis, *h. e.* praecipere, ut adsint, evocare, arcessere. [*Huc potius refer locum supra scriptum *Suet. Caes.* 75. Adde *Id. Tib.* 27. denuntiavit, ne se amplius nominaret. *Coll. Cal.* 48.] ℙ Scriptura h. v. per *ti*, ut quam optimae notae inscriptiones et alia argumenta tueantur, hodie ab omnibus praefertur.]

*DĒNUNDĪNO, as, notum omnibus facio. *Gloss. Isidor. B. A.*

*DĒNUNTIATĪVUS, a, um, adj. *Coel. Aur. Tard.* 2, 4. Denuntiativo motu. *B. A.*

DĒNŪO, adv. ἐξαπαρχῆς, rursus, iterum: quasi de novo, de integro. *Cic. Verr.* 2, 2, 56. Sicilia te praetore censa denuo est. *Ter. Heaut.* 4, 6, 4. Metuo, ne denuo miser aliquo extrudar hinc. ℙ [*Saepe in familiari sermone per quandam abundantiam additur. *Pl. Capt.* 2, 3, 51. ut redire liceat ad parentes denuo, ut nos: *wieder zurückkehren.* V. *Lindem.*]

[DĒNŪO, is, n. 3. palam seu valde annuo, a praeposit. *de*, et simplici atque inusitato *nuo. Not. Tir.* p. 127. Innuit, abnuit, annuit, connuit, denuit, renuit, subnuit. *F.*]

*DENYMPHĀLIS, e, adj. Denymphales feriae, *Papias*, i. quibus non licebat aquam inducere in agros. Miror, si solus *Papias* servavit has ferias: quid si *Denicales* hic latent? *B. A.* et *Gesn.*

DĒOCCO, as, a. 1. βωλοκοπέω, idem quod occo, glebas agri comminuo. *Plin.* 18, 15, 37. Vicia non sarritur, non stercoratur, nec aliud quam deoccatur.

DĒOIS, idis, f. Δηωΐς, patronym. Proserpinae filiae Cereris, quae Δηώ Graece appellatur: a δήω, invenio. *Ov. Met.* 6, 114., ubi tangit fabulam Jovis in serpentem versi et Proserpinae stuprum inferentis, unde Liberum tauri specie natum volunt. Adde *Auson. epist.* 4, 50.

DĒOIUS, a, um, adj. ad Cererem pertinens (V. v. praec.) ut Deoia quercus. *Ov. Met.* 8, 758., *h. e.* Cereri sacrum nemus, quod supra 741. Cereale nemus appellaverat. Pro *Deoia* al. male leg. *Dodonia*, alii aliter.

DĒONĔRĀTUS, a, um, part. a *deonero*. *Ammian.* 24, 6. Validiores naves deoneratas octogenis implevit armatis. *Arnob.* 6. p. 202. Deonerati proluvies podicis.

DĒONĔRO, as, avi, atum, a. 1. onere levo, exonero, ἀποφορτίζω. Translate. *Cic. Div. Verr.* 14. Ex alicujus invidia deonerare aliquid et in alium trajicere. *Arnob.* 7. p. 249. Immunda fex aversabili foeditate corpora deonerans.

DĒOPĔRIO, is, a. 4. ἀποκαλύπτω, aperio, detego. *Cels.* 8, 4. *ante med.* Os deoperire tutissimum est. Ita quaedam editiones: sed pleraeque aliae, eaeque optimae, *aperire.*

DĒOPTO, as, avi, atum, a. 1. idem quod opto, eligo. *Hyg. fab.* 191. Pater Midae deoptandi dedit potestatem, ut quidquid vellet, peteret a se.

DĒORĀTA, perorata. *Festus.*

*DEORNO, as, a. 1. ornatu privo. *Claud. Mamert. de statu animae* 3, 1. secundum *Barth.* ad h. l. p. 440. Qui deornat animam. Cf. etiam *Barth. Adv.* 50, 3. *Gloss. Gr. Lat.* ἀποκοσμῶ, Deorno. *B. A.*

DĒORSUM, adv. κάτω, versus partem inferiorem: a *de* et *vorsum* seu *versum*, jungiturque verbis tum motum, tum quietem significantibus. *Cic. N. D.* 1, 25. Cum pondere et gravitate directo deorsum feratur. *Ter. Ad.* 4, 2, 35. Ubi eo veneris, clivus deorsum versus est. *Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 1. Lapidem deorsum versum mittere. *Varr. R. R.* 3, 5. Deorsum in terram est aqua, quam bibere possint. *Pallad.* 3, 25. de malis: Constat mala sic ponenda, ut pediculorum partes deorsum facias, *h. e.* deorsum colloces. ℙ Huic est contrarium *sursum* et cum eo saepe jungitur. *Ter. Eun.* 2, 2, 47. Sursum deorsum cursitare. *Cic. N. D.* 2, 33. Sursum deorsum, ultro citroque commeare. *Senec. Qu. Nat.* 6, 21. Sursum ac deorsum moveri. ℙ Vox est in carmine fere disyllaba, ut *deinde. Lucr.* 2, 205. Pondera quantum in se est, deorsum deducere pugnent. Adde *ib.* 217, 221. et 230. et 1, 362. ℙ Aliquando trisyllaba. *Id.* 2, 202. Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur. Adde 3, 1030., ubi quidam leg. *deosum*, ut et 6, 334. et alibi. ℙ *Deorsus* dixit *Appul.* bis *Met.* 8. p. 207, 18. item *ib.* 9. p. 236, 40. et *de Deo Socr.* p. 47, 25. et *Flor. n.* 15.

DĒORSUS. V. v. praec. *in f.*

*DEOSCULATĪO, onis, f. apud *August.* et *Hieron. B. A.*

DĒOSCŪLĀTUS, a, um, part. a *deosculor*. Active. *Val. Max.* 2, 10. *n.* 2. Scipionis dexteram diu deosculati. ℙ Translate. *Gell.* 1, 23. Senatus fidem atque ingenium pueri deosculatus, *h. e.* impense laudans ac probans. ℙ Passive. *Appul. Met.* 2. p. 119, 18. Rursum me deosculato, et *ib.* p. 121, 32. Me pressim deosculato.

DĒOSCŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. καταφιλέω, idem quod osculor aut vehementer osculor. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 48. Sine, tuos ocellos deosculer. Adde *ib.* 2, 8, 33.

DĒOSUM. V. DEORSUM.

DĒPĀCISCOR. V. DEPECISCOR,

DĒPĀCTUS, a, um, part. a *depango*, καταπαγείς, *Plin.* 2, 96, 98. Depacta in terram non extrahuntur. *Id.* 24, 1, 15. Quercus in scrobe depacta. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 1085. Vitae depactus terminus alte. ℙ Est etiam particip. deponens verbi *depeciscor*, ut in ea voce videre est.

DĒPĀLĀTIO, onis, f. pali in terram defigendi actio. Mos fuit aliquando terminos agrorum palis terrae defixis designare. Hinc *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 245. *n.* 671. Hi termini XIX positi sunt ab Scribomiano et Pisone Frugi ex depalatione T. Flavii Vespasiani arbitri. [*nempe* hoc titulo declaratur, lapideos terminos XIX positos fuisse ab agri dominis, ubi pali erant, quibus defixis Vespasianus, nondum Augustus, arbiter postulatus eundem agrum limitaverat, finesque statuerat inter Scribonianum et Pisonem Frugi. *F.*] V. DEPALO. ℙ *Depalatio* est etiam descriptio horarum, quae ad deprehendendas solis umbras singulis diebus decrescentes ac rursus augescentes facta est ex aeneis regulis in basi marmorea inclusis circa gnomonem in in Campo Martio ab Augusto collocatum, ut narrat *Plin.* 36, 10, 15. et probavit *Bandinius* in *Comment. de obelisco Caes. Aug.* p. 97. et alibi. [*Etiam in his nonnulla addidit, nonnulla immutavit *F.*] *Vitr.* 9, 8. Separandae sunt horologiorum rationes et explicandae menstruae dierum brevitates, itemque depalationes. *Turneb. Adversar. l.* 6. *c.* 12. putavit, has esse cuneorum detractiones, quae in horologio tantum aquatico locum habebant, quod describit idem *Vitruv. ib.* 9. *Baldus* vero in *Lex. Vitruv.* suspicatur, *depalationes* dici solis evagationes per Zodiacum: ut sit a palari, *h. e.* vagari.

DĒPĀLĀTOR, oris, m. qui palos defigit. Hinc *Tert. adv. Macr.* 5, 6. D. Paulum vocat depalatorem disciplinae divinae, *h. e.* qui velut palis defixis Dei disciplinam statuerit: nisi malis a *depălo* ducere, ut evulgatorem significet.

DĒPALLĬO vel Depallo, as, a. 1. pallio vel palla spolio, apud *Tert. Pall.* 4., sed ibi legendum *depilari* pro *depallari.* V. locum in GRAECATIM.

DĒPALMO, as, a. 1. κολαφίζω, est palma percutere. *Q. Labeo* ap. *Gell.* 20, 1. Quemcumque depalmaverat.

DĒPĂLO, as, a. 1. est palis impactis statuere et circumcludere. *Tert. Apol.* 10. Civitas, quam depalaverat Saturnus, Saturnia usque nunc est. *Id. adv. Herm.* 29. Deus incultis primo elementis depalans quodammodo mundum. ℙ Item agrorum terminos, palis defixis, designare, ut in DEPALATIO est dictum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 211. *n.* 533. Et jugera agri Cutuleniani, ita uti depalatum est.

*DĒPĂLO, as, a. 1. aperio, palam facio. *Fulg. Myth.* 2, 10. Juste vel Sol Veneris depalat adulterium. *Id. ib.* 3, 6. Lucernam desub modio ejecit: id est desiderii flammam in pectore absconsam depalat. *B. A.*

DĒPANGO, is, a. 3. καταπήγνυμι, planto, insero, humi defigo. *Colum.* 3, 16. Malleolum medio spatio, quod vacat inter vites, depangere.

DĒPARCO, is, a. 3. parco, comparco. *Solin.* 4. Hoc collactaneum deparcitur, ut sufficiat usui. Al. leg. *depascitur*

DĒPARCUS, a, um, adj. φειδωλός, nimium parcus, sordidus. *Suet. Ner.* 30. Sordidos putabat esse et deparcos, quibus impensarum ratio constaret.

DĒPASCO, is, avi, astum, a. 3. et Depascor, eris, astus sum, dep. 3. καταναίρομαι, pascendo absumo: est a praepos. *de* et *pasco. Colum.* 7, 5. *sub f.* Si haedi roscidas herbas depaverint. *Plin.* 11, 19, 21. Papilio ceras depascitur. ℙ Depasci facio. *Colum.* 2, 11. *a med.* Si depascere saepius voles, usque in mensem majum sufficit. *Ulp. Dig.* 10, 4, 9. Glandem ego immisso pecore depasco. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 23. Multo ejus oratio esset pressior, in qua, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est. *Id. Leg.* 1, 21. Depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus. *Virg. G.* 3, 458. artus depascitur arida febris. *Lucr.* 3, 12. Depasci aurea dicta e chartis, *h. e.* decerpere. *Sil.* 16, 681. Et potuit Latium longo depascere bello, *h. e.* vastare, depopulari. [*Alii legebant *deposcere*, qua de re cf. *Drak.* ad h. l.]

DĒPASTĬO, onis, f. νομή, actus depascendi. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 8. Similem rationem et depastio animalium habet.

DĒPASTUS, a, um, adj. [Active. *Claud. VI. Cons. Honor.* 239. Sonipes frondes depastus amaras. *F.*] ℙ Passive, νεμηθείς, pascendo absumptus. *Plin.* 18, 17, 45. Depastae segetes. *Virg. A.* 5, 93. serpens depasta altaria liquit. *Id. Ecl.* 1, 55. sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti, *h. e.* habens flores depastos ab apibus. *Sil.* 12, 153. Depasti flammis scopuli. *Id.* 6, 50. truncum ra-

ptis caput auribus, ipsaque diris Frons depasta modis.

DĒPĀVĪTUS, a, um, part. ab inusit. *depavio. Solin.* 2. *sub init.* Parcius depavita levibus vestigiis inviare.

DĒPAUPĔRO, as, a. 1. πτωχίζω, est facere pauperem. *Varro.* Prius, quam domum depauperasset sumptu suo. Sic citat *Perottus in Cornucop.* quem penes sit fides. [*Scheller.* h. v. jure omisit.]

DĒPĔCISCOR, *rectius quam* Depaciscor, eris, actus, et ectus sum, dep. 3. συντίθεμαι, idem quod paciscor, pactione transigo: et fere semper aut de turpi pactione dicitur, aut de ea, quae paciscenti iniqua sit. *Cic. Rosc. Am.* 38. Depecisci partem suam cum aliquo. *Id. Inv.* 2, 24. Depactus est cum hostibus, ut arma relinqueret. *Id. Verr.* 2, 3, 24. *extr.* Neque ante est dimissus, quam ad conditiones ejus depactus est. ℙ Translate. *Ter. Ph.* 1, 3, 14. Ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui, jam depecisci morte cupio. Simile est illud *Virg. A.* 5, 230. vitamque volunt pro laude pacisci. *Cic. Att.* 9, 7. In quo non extimesco periculum: cum enim tot impendeant, cur non honestissimo depecisci velim?

DĒPECTĬO, onis, f. actus depeciscendi, pactum. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 2, 10, 1. Advocati, qui conscleratis depectionibus suae opis egentes spoliant atque denudant.

DĒPECTO, is, a. κτενίζω, idem quod pecto, vel probe pecto. *Ov. Fast.* 6, 229. crines depectere buxo. *Plin.* 19, 1, 3. Ars depectendi digerendique lini. *Virg. G.* 2, 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *Plin.* 6, 17, 20. Seres depectentes frondium canitiem. *Id.* 12, 14, 32. de ture: Quod in arbore haesit, ferro depectitur, *h. e.* detrahitur.

DĒPECTOR, oris, m. qui pactum facit: a *depeciscor*, ut *Depector litium*, redemptor. *Appul. Apol.* p. 321, 35.

DĒPECTUS, a, um, part. a *depeciscor.* Apud *JCtos* in Edicto praetoris de calumniatoribus *depectus* dicitur, qui turpiter pactus est, ita interpretante *Ulp. Dig.* 3, 6, 3.

DĒPĔCŬLASSĔRE, antiquum verbum. V. DEARGENTASSERE.

DĒPĔCŬLĀTOR, oris, m. qui depeculatur, peculator. *Cic. Verr.* 1, 2, 1. Depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae atque Pamphyliae, praedatorem juris urbani.

DĒPĔCŬLĀTUS, a, um, part. a *depeculor* signif. pass. semel legitur in *Pl. Epid.* 3, 4, 82. Me impune irrisum esse habitum, depeculatum eis, *h. e.* ab eis.

DĒPĔCŬLĀTUS, us, m. defraudatio populi. *Festus.*

DĒPĔCŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. a *de* et *peculium* composit., significat, furari pecuniam, vel pecus, (pecora enim antiquis potiores divitiae erant) et generaliter spoliare, compilare, κλέπτω, συλέω: et fere de furtis publicis dicitur. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Apollonium Drepanitanum omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es. *Id. ib.* 2, 4. In provinciis multas domos, plurimas urbes omnia fana depeculatus est. ℙ Translate. *Id. Verr.* 2, 4, 36. Qui laudem honoremque familiae vestrae depeculatus est. ℙ Passiva significatione. *L. Coelius* ap. *Prisc.* 8. p. 793. Ubi senatus intellexit, populum depeculari. ἀποσυλοῦσθαι. ℙ Paenultima longa est, ut in *pecūlium*, *pecūnia*, unde descendit: quod probat etiam *Voss. de Gramm.* 2, 23.

DĒPELLO, is, uli, ulsum, a. 3. ἀπωθέω, deorsum pello, dejicio, detrudo. *Cic. Cat.* 3, 8. Simulacra Deorum depulsa sunt, et statuae veterum hominum dejectae. *Plin.* 2, 78, 80. Depellere in inferas partes. *Val. Fl.* 3, 565. umbrosis arcibus ornos depellere. ℙ Item repello, removeo, expello. *Nep. Paus.* 2. Ut ex his regionibus Barbarorum praesidia depelleret. *Id. Cat.* 2. Aliquem de provincia depellere. [*Tac. A.* 6, 33. aliquem Italia, sc. in exilium.] *Cic. Sext.* 42. ab aris, focis ferrum flammamque. *Caes. B. G.* 7, 67. hostes loco. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 654.] *Cic. Har. resp.* 27. Qui eum civem vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriae praesidiis depulit. [*Lucan. 2, 289. regno.] *Id. Fam.* 7, 26. *extr.* Depellere morbum. *Ov. Her.* 14, 130. mortem alicui, *h. e.* ab aliquo. (Sic *Val. Fl.* 6, 652. Ictus alicui depellere. Adde *Tibull.* 1, 11, 25.). *Ov. Met.* 7, 835. Depulerant aurorae lumina noctem. *Cic. Fin.* 1, 11. Cibo et potione famem sitimque depellere. [*Goer. ad *Cic. Fin.* 1, 10, 33. *depelli* dicit ea, quae plane, ut fames et sitis; *repelli* ea, quae in tempus tantum removeantur, ut *dolor.* Hoc discrimen verum non est, nam apud *Eund. Part.* 12. sine varietate scripturae legitur: depellendi aut ulciscendi doloris gratia. Sic certe *Orell.* edidit.] *Hor. Sat.* 1, 2, 6. frigus. [*Cf. *Bentl.*] *Tibull.* 1, 2, 49. nubila coelo. *Quint.* 2, 17. recta via aliquem. et 10, 1. a recta via. [*Nep. *Them.* 5. gradu aliquem. V. DEJICIO.] *Varr. R. R.* 2, 2. agnos a matribus. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 4, 4, 15.] *Virg. Ecl.* 1, 22. quo saepe solemus Pastores ovium teneros depellere fetus, *h. e.* agere. Neque enim placet, quod *Servio*, a lacte removere. [*Recte. Praepositione *de* notatur, vicus *Andes*, alte situs, ut bene *Voss.* quem V.] ℙ Translate. *Nep. Timol.* 1. Depellere servitutem a civibus. *Cic. Fam.* 5, 20. *circa med.* multam alicui, *h. e.* ab aliquo. Sic *in Senat.* 8. Metum bonis, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati. *Id. Cluent.* 6. Depellere pericula amici. *Id. Prov. cons.* 3. *extr.* voluntaria morte nefariam turpitudinem. *Id. Fam.* 2, 16. Magno dolore me affecissent litterae tuae, nisi ratio ipsa depulisset omnes molestias. *Tibull.* 1, 6, 1. vino depellere curas. *Suet. Ner.* 36. ostenta a semet in capita procerum. *Tac. H.* 5, 4. errorem. *Id. A.* 4, 11. claro sub exemplo falsas auditiones. *Cic. Cat.* 2, 7. aliquem de spe conatuque. *Liv.* 31, 25. *extr.* spe quempiam. [*Tac. A.* 3, 32. aliquem sorte Asiae. V. *Gron.* ad h. l.] *Cic. Phil.* 12, 2. *ad f.* falsam proditionis a se suspicionem. *Id. Ligar.* 9. Quem de suscepta causa, propositaque sententia nulla vis, nullum periculum posset depellere. *Id. Tusc.* 2, 6. Depelli sententia. *Pl. Trin.* 3, 2, 14. Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam, *h. e.* non deterreor. [*Sic *Tac. A.* 11, 34. Vibidiam depellere nequivit, quin — flagitaret i. e. prohibere, arcere.] ℙ *Dii depellentes* ap. *Pers.* 5, 167. sunt averrunci. V. AVERRUNCUS. ℙ [*Confunduntur a librariis saepissime *depulit* et *detulit*, V. *Drak.* ad *Sil.* 9, 395. — et *repellere*, de quorum discrimine supra *Goerenzii* vv. adscripsimus. Cf. *Hdf.* ad *Cic. N. D.* 2, 57, 143. — et *divellere*, *Hor. Epist.* 1, 10, 18. somnos. Ubi *depellere* recte defendit *Fea.*]

DĒPENDĔO, es, n. deorsum pendeo, de aliqua re pendeo, ἐκκρέμαμαι. *Virg. A.* 1, 730. Dependent lychni laquearibus altis. *Id. ib.* 6, 301. ex humeris nodo dependet amictus. *Ov. Met.* 6, 592. lateri cervina sinistro Vellera dependent. [*Liv. 42, 28. mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere.] *Suet. Galb.* 11. Dependens a cervicibus pugio ante pectus. *Colum.* 3, 6. Per unumquemque pampinum major numerus uvarum dependet. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 1, 611. Hujus et augurium dependet origine verbi, *h. e.* vox *augurium* descendit ab origine verbi *augustus*, de quo hic sermo. *Id. Fast.* 3, 356. Discedunt dubii, promissaque tarda videntur: Dependetque fides a veniente die. Al. leg. *adveniente die.*

DĒPENDO, is, endi, ensum, a. 3. idem quod pendo, vel deorsum pendo. Joculariter *Pl. Asin.* 2, 2, 39. Ad pedes quando alligatum est centupondium, Ubi manus manicae complexae sunt, atque adductae ad trabem, Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis, *h. e.* nec minoris, nec majoris es ponderis. Sunt qui leg. *dependes* et *propendes.* ℙ Item solvere: quia mos fuit olim, teste *Plin.* 33, 3, 13., aes non numerare, quia nulli tunc erant signati nummi, sed pendere, ut in AES dictum est, ἐκτίω. *Cic. Att.* 1, 8. *extr.* Mi abjurare certius est, quam dependere. *Colum.* 5, 1. Pro quibus nulla merces dependitur. ℙ Item insumere. *Senec. Ben.* 2, 21. Pecuniam pro capite dependere. *Colum.* 11, 1. *a med.* Plus in operis servorum avocandis, quam in pretio rerum hujusmodi dependitur. [*Lucan. 8, 100. mallem felicibus armis dependisse caput, i. e. impendisse, interprete *Cortio.* Sensus est: mallem vitam meam dedisse, insumsisse fel. a. Comparat *Id.* 10, 80. tempora Niliaco turpis dependit amori.] ℙ Translate. *Cic. Sext.* 67. Omnes reipubl. poenas aut praesenti morte, aut turpi exsilio dependerunt. [*Id. Fam.* 1, 9. Dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti. *F.*] *Lucan.* 10, 80. tempora dependere amori, *h. e.* impendere, insumere. *Colum.* 4, 22. *a med.* Incassum dependitur opera.

DĒPENDŬLUS, a, um, adj. deorsum pendens, κρεμαστός. *Appul. Met.* 2. p. 119, 1. Crines cervice dependuli. et *ib.* 3. p. 130, 14. Plerique columnis implexi, alii statuis dependuli.

DĒPENNĀTUS, a, um, adj. pennas, seu alas habens. Translate. *Varr.* ap. *Fulg. de prisco serm. n.* 11. Deum depennato attollam orationis eloquio. Al. leg. *depinnato*, eod. sensu.

DĒPENSUS, a, um, part. a *dependo*, pensus. *Titin.* ap. *Non.* 4, 362. Date depensam lanam. Ita legit *Turneb. Advers.* 30, 9. Al. rectius *pensam.* ℙ Item solutus. *Justin.* 22, 8. Cum offensam non depensi stipendii metueret. *Appul. Met.* 8. p. 213, 18. Depensum pretium. *Id. Apol.* p. 293, 6. Edulia, quae depenso parantur, *h. e.* depenso pretio. *Ulp. Dig.* 12, 6, 42. Poenae non solent repeti cum depensae sunt. [*Cajus Institut.* 3. (ed. *Goeschenio*) §. 127. Sponsores ex lege Publilia propriam habent actionem in duplum, quae appellatur depensi. *F.*] ℙ Translate. *Appul. Met.* 9. Depensae pro prandio lacrimae. Al. leg. *depransae.*

DĒPERDĬTUS, a, um, part. a *deperdo. Prop.* 1, 3, 11. nondum sensus deperditus omnes. Graeca constructio. *Phaedr.* 1, 14. Sutor inopia deperditus. *Suet. Dom.* 3. Domitia Paridis histrionis amore deperdita. Sic *Prop.* 2, 23, 19. de Jovis amoribus: Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io. *Catull.* 64, 119. mater gnatae deperdita fletu, *h. e.* confecta dolore deflendo gnatam. *Gell.* 5, 1. Quisquis ille est, qui audit, nisi ille est plane deperditus, et perhorrescat necesse est, et pudeat. *Cajus. Dig.* 5, 3, 21. Deperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desiit. ℙ *In deperdito esse*, perditum, *h. e.* amissum esse. *Jabolen. Dig.* 41, 2, 21. Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito.

DĒPERDO, is, didi, ditum, a. 3. ἀποβάλλω, idem quod perdo, vel omnino perdo, amitto. *Cic. Prov. cons.* 5. Non solum bona, sed etiam honestatem miseri deperdiderunt. *Plin.* 16, 22, 34. Arbores folia deperdunt. *Id.* 37, 8, 33. Callaides oleo et mero colorem deperdunt. *Cic. Font.* 9. Verebatur, ne quid apud vos de existimatione sua deperderet. [*Id. *Verr.* 2, 2, 30. de libertate. *Id. Tusc.* 5, 14. nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit.] *Caes. B. G.* 3, 28. Compluribus interfectis, paucos ex suis deperdiderunt. *Id. ib.* 5, 52. Tantum se ejus opinionis deperdidisse, ut, etc. maxime dolebant. *Tibull.* 1, 4, 29. Quam cito purpureos deperdit terra colores! *Hor. Sat.* 1, 4, 32. ne quid Summa deperdat, metuens, *h. e.* de summa: nam praepositio *de* est in ipso verbo. *Plin.* 10, 3, 4. Nihil (lapis) igne deperdens.

DĒPĔRĔO, is, ii, n. 4. ἀπόλλυμαι, idem quod pereo, aut omnino pereo. *Caes. B. G.* 5, 33. Nonnullae tempestate deperierant naves. *Id. B. C.* 3, 87. Magna pars exercitus deperiit. *Cic. Att.* 1, 20. *sub f.* Enitere, ut scheda ne qua depereat. [*Id. *Top.* 3. heres servum restituere non debet; si is, cujus usus fructus legatus est, deperisset i. e. vel mortuus vel fugitivus.] *Ov. Am.* 2, 14, 10. Gens hominum vitio deperitura fuit. *Gell.* 3, 9. Ad internecionem deperire. *Plin.* 14, 20, 25. Musto deperit sapor. *Id.* 17, 2, 2. In totum poma depereunt. *Id.* 33, 3, 19. Auro, rerum uni, nihil igne deperit. *Colum.* 12, 50. *ante med.* Haec omnia et multo plura esse debent: quoniam usu depereunt, et pauciora fiunt. Sic *Ov. Am.* 1, 15, 31. silices et dens patientis aratri Depereunt aevo. ℙ *Deperire amore aliquem* et *deperire* absolute, est impense amare, ad insaniam diligere, ἐρωτομανεῖν. *Catull.* 35, 12. Illum deperit impotenti amore. *Pl. Cist.* 1, 3, 43. Is amore illam deperit, et illa hunc contra. *Ter. Heaut.* 3, 2, 14. Minime miror, Clinia hanc si deperit. *Pl. Asin.* 3, 1, 24. Qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis. *Id. Epid.* 1, 1, 62. Amatne istam, quam emit de praeda? *Th.* rogas? deperit. *Curt.* 8, 6. Cum laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur. *Liv.* 26, 50. Deperire amore alicujus.

DĒPESTA, orum, n. plur. apud *Varr. L. L.* 4, 26. sunt vasa vinaria, quae in sacris Sabinis in Deorum mensa collocari solebant (al. *lepasta* vel *lepista*) a δεπάζω, bibo, quod a δέπας, poculum, quod dictum est, quia πόμα δέχεται, potum recipit. V. LEPISTA.

DĒPĔTĪGO, ginis, f. λειχήν, λέπρα, idem quod impetigo, lepra: a *peto*, quia corpus petit et infestat. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 437. et 700. Illuvies, scabies oculos huic, deque petigo Conscendere. *Tmesis.* Al. leg. *deinque petigo. Cato R. R.* 157. Depetigini spurcae brassicam opponito, sanam faciet. [Ita *Schneiderus*; al. leg. *petigini porcae. F.*]

*DĒPĔTĪGĬOSUS et DĒPĔTĪGOSUS, a, um, adj. qui depetigine laborat. *Gloss. Cyrill.* Λεπρὸς, leprosus, depetigiosus, et depetigosus. *B. A.*

DĒPĔTO, is, a. 3. idem quod peto, vel valde peto. *Tert. adv. Marc.* 4, 20. Non depetunt ab alio, quod meminissent petendum sibi a Creatore. Alii leg. *peterent.* [*Not. Tir.* p. 39. Depetit. *F.*]

DĒPEXUS, a, um, part. a *depecto*, διεκτενισμένος, idem quod pexus, vel probe pexus. *Lucan.* 9, 635. Depexus crinis. [*Ov. *Fast.* 3, 465. Liber, depexus crinibus. Sic *Burm.*, quem V.] *Ov. A. Am.* 1, 630. Depexae jubae. ℙ *Depexum aliquem dare*, verniliter et ironice est probe mulcare. Et *fusti pectere* dixit *Pl. Capt.* 4, 2, 116. eadem ratione. *Ter. Heaut.* 5, 1, 17. Si vivo, adeo exornatum, adeo depexum dabo, ut, dum vivat, meminerit semper mei. *Non.* 1, 23. *depexum* exponit *laceratum:* atque ea est quidem sententia; non tamen ex vi nominis, sed ex ironia.

DĒPICTUS, a, um, part. a *depingo*, pictus, διαζωγραφηθείς. *Quint.* 6, 1. Depicta tabula. *Gell.* 19, 10. Depictae in membranulis variae species balnearum. ℙ [*Est etiam simpliciter i. q. acu pictus. *Suet. Cal.* 52. depictas gemmatasque indutus paenulas. V. *Oud.* ad h. l. *Brem.* intelligit de colorum varietate, quod minus quadrat.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 12. Multa minuta, et versiculorum similia quaedam, nimiumque depicta, *h. e.* nimis ornata verbis atque descripta. [*Pluribus explicat h. l. *Ern. lex. techn.* p. 110. comparans Gr. λογοδαίδαλοι.] *Appul. Met.* 9. p. 222, 26. Homunculi vibicibus lividinis totam cutem depicti.

*DĒPĪLĀTOR, oris, m. qui dropace pilos e cor-

pore evellit. *Gloss. Philox.* δρωπακιστής, dropacista, colipilarius, depilator. *B. A.*

DĒPĪLĀTUS, a, um, part. a *depilo*, ἐκτριχωθείς. *Mart.* 9, 28. Depilati colei. *Senec. Const. Sap.* 17. Flentem vidimus Cornelium, cum illum Corbulo struthiocamelum depilatum dixisset. *Apic.* 2, 2. Depilatae amygdalae. ℙ In illo *Lucil.* ap. *Non.* 1, 163. Nato quid actum est? (Alii leg. *Narro, quod actum est:*) depilati omnes sumus; *Non.* exponit, rarefacti, ut sit a *dēpilo:* rectius dixisset, expilati, spoliati, nempe a *dēpilor.*

DĒPĪLIS, e, adj. ἄθριξ, qui est sine pilis. *Varr.* seu *Non.* 12, 47. (incertum est enim utrius haec verba sint) Pueri glabri ac depiles propter aetatem. *Appul. Met.* 7. p. 191, 12. Depiles genae.

DĒPĪLO, as, avi, atum, a. 1. ἐκτριχόω, pilos detraho, evello. *Tert. Pall.* 4. Revera enim quale est, Graecatim depilari magis, quam amiciri? Alii male leg. *depalliari;* alii *depallari*, a *pallio* nempe, vel a *palla. Apic.* 6, 3. Perdicem cum pluma sua elixabis, et coctura madefactam depilabis. [*Not. Tir.* p. 128. Pilus, pilosus, dipilat. Hoc postremum pro *depilat. F.*]

DĒPĪLOR, aris, atus sum, dep. 3. περισυλάω, idem ac compilo, expilo. *Prisc.* 18. p. 1205. Graeca haec verba συλήσας τοὺς Θεοὺς τὰς δεκάτας, καὶ τῶν Θεῶν τὰς δεκάτας, testatur a Latinis sic reddi: *depilatus Deos decumas et Deorum decumas.*

DĒPINGO, is, inxi, ictum, a. 3. καταγράφω, idem est ac pingo, vel perfecte pingo, ζωγραφέω. *Nep. Milt.* 6. Cum pugna depingeretur Marathonia. *Prop.* 2, 5, 19. Depingere tabellas. *Hieron. ep.* 130. *n.* 7. Cerussa ora. ℙ Translate, i. e. alicujus rei notionem sibi informare. *Cic. N. D.* 1, 15. Deos ne conjectura quidem informare possumus, cum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. *Id. Fin.* 2, 21. et *Pl. Poen.* 5, 2, 154. Verbis depingere aliquid. *Cic. Rosc. Am.* 27. Depingere vitam alicujus. *Appul. Met.* 10. Ver gemmulis floridis cuncta depingit, *h. e.* ornat. ℙ *Depinxti* per syncop. pro *depinxisti* habet *Pl. l. c.*

DĒPINNĀTUS. V. DEPENNATUS.

DĒPLANGO, is, anxi, anctum, a. 3. idem quod plango, aut valde plango. *Ov. Met.* 4, 544. Cadmeida palmis Deplanxere domum, scissis cum veste capillis, *h. e.* collisis, ut fit in dolore, palmis deflevere. *Id. Met.* 14, 580. ipsa suis deplangitur Ardea pennis, *h. e.* alas agitando suum excidium deflet. *Senec. Herc. Oet.* 1851. Deflevit mater (*Niobe*), bisque septenos greges deplanxit una. [*Hieron.* in *Isaj.* 1, 1, 1. Dum antiqua peccata deplangit. *F.*]

DĒPLĀNO, as, a. 1. planum facio, aequo, ἐξομαλίζω. *Lact.* 4, 12. ex *Isaja.* Ego ante ibo, et montes deplanabo. *Veg. Vet.* 2, 19. Si collyrium vulnus fecerit: et deplanaverit. Adde *ib.* 22. ℙ Pro explanare, adhibuit *Non.* 5, 63. et, quod sciam, praeterea nemo.

*DEPLANTATĬO, onis, f. *JCt.* in *Cod.* et DEPLANTĀTOR, oris, m. apud *Augustin. B. A.*

DĒPLANTĀTUS, a, um, part. a *deplanto*, avulsus, evulsus, erutus. *Varr. R. R.* 1, 40. Ut eo tempore sit deplantatum, quo oportet. *Plin.* 17, 20, 33. Arundo seritur et deplantata, pedali sulco.

DĒPLANTO, as, a. 1. ἀποφυτεύω, quod plantatum erat, evello. *Plin.* 17, 16, 26. Quae cortice nituntur tantum, vel levi aura ocissime deplantantur. *Colum.* 2, 2. Ne bos extremo jugo truncum delibet, ramumque deplantet. *Varr. R. R.* 1, 40. Et quae de arbore transferas, ut ea deplantes potius, quam defringas. [*Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 65.]

DĒPLĒO, es, evi, etum, a. 2. ἐξαντλάω, quod plenum erat, hauriendo vacuum facio, ex pleno vase in aliud diffundo. *Cato R. R.* 64. Oleum si poteris, bis in die depleto. *Colum* 12, 50. *ante med.* Conchae ferreae, quibus depletur oleum, *et paulo post.* Quod primum defluxerit, in rotundum labrum protinus capulator depleat. ℙ Translate. *Stat. Ach.* 1, 8. Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu, Da fontes mihi, Phoebe, novos. *Manil.* 4, 13. Totque supervacuis vitam deplete querelis. ℙ *Deplere animalia* apud *Veg. Vet.* 1, 22. et 23. est iis sanguinem mittere, et *eod. sensu* dixit *Plin.* 18, 16, 43. deplere sanguinem.

*DEPLETĬO, onis, f. apud *Hieron. B. A.*

DĒPLEXUS, a, um, part. ab inusit. *deplector*, [*περιχαμπτόμενος] pro complector. *Lucr.* 5, 1320. de leaenis saevientibus: Et necopinantes a tergo diripiebant, Deplexaeque dabant in terram vulnere victos, Morsibus affixae validis atque unguibus uncis. Alii volunt *deplexus* esse adj., et idem significare ac non plexus, non ligatus, solutus, *plecto* enim significat etiam implico, necto, πλέκω. [*Minime. *Deplexae* est i. q. valide amplexae, valide ambientes.]

*DEPLICATĬO, onis, f. et Deplico, as, a. 1. explico. apud *Augustin. B. A.*

DĒPLORĀBUNDUS, a, um, adj. qui valde deplorat. *Pl. Aul.* 2, 4, 38. Homo ad praetorem deplorabundus venit.

DĒPLORĀTĬO, onis, f. comploratio, querela, ἄλαγμα. *Senec. Cons.* ad *Marc.* 9. Unde nobis tanta pertinacia in deploratione nostri? Adde *ep.* 74. *ante med.*

DĒPLORĀTUS, a, um, part. a *deploro*, καταδυρθείς, cui ultimus luctus persolutus est, desperatus, cui nullo remedio subveniri potest. *Plin.* 29, 6, 39. Constat, deplorata aurium vitia eo remedio sanari. *Id.* 7, 50, 51. Deploratus a medicis. *Liv.* 5, 46. Suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes. *Ov. Met.* 1, 272. deplorata coloni Vota jacent. *Petr. Sat.* 123. ille Peplorata coloni Vota jacent. *Petr. Sat.* 123. ille Penates Occultat gremio, deploratumque relinquit Linum, *h. e.* domum suam, quam eversum iri certo putat, neque se amplius eam revisurum. ℙ Item simpliciter comploratus. *Liv.* 4, 40. Ante omnia deplorati erant equites, non privato magis, quam publico luctu. *Claud. B. Get.* 562. deploratumque Timavo Vulnus.

DĒPLŌRO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκλαίω, καταδύρομαι, idem quod ploro, aut valde ploro, lamentor. *Cic. Verr.* 2, 5, 67. Si ad saxa et ad scopulos haec conqueri et deplorare vellem. *Id. ib.* 5, 18. De alicujus pravitate et injuriis deplorare et conqueri. *Id. Att.* 2, 16. Ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit. *Id. Phil.* 11, 2. *sub f.* Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? [*Cic. Senect.* 3. saepe enim interfui querelis meorem aequalium, quas — deplorare solebant. Sic *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 22, 77.] *Id. Verr.* 2, 2, 27. Ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat. *Id. ib.* 4. Deplorare apud aliquem de miseriis suis. *Id. Tusc.* 2, 13. *ad f.* Lamentabili voce deplorans. ℙ *Deplorare aliquid* est desperare et veluti supremo luctu prosequi quod nullo remedio restitui potest. (V. v. praec.) *Quint.* 10, 3. *ad f.* Ideoque non statim, si quid obstrepet, abjiciendi codices et deplorandus dies.

DĒPLŪIT, ebat, uit, impers. κατουβρεῖ, deorsum pluit. *Colum.* 10, 207. Inque sinus Matris violento depluit imbre. *Tibull.* 2, 5, 72. in terras deplueretque lapis. ℙ Cum accusativo. *Prop.* 2, 16, 8. Niobe lacrimas depluit, *h. e.* effundit. ℙ [*Saepe confunditur cum *defluere*, ut monstrat *Cort.* ad *Lucan.* 6, 295. Etiam ap. *Colum.* l. l. mss. habent *defluit.*]

*DEPLUMATIO, onis, f. *JCt.* in *Cod.* et Deplumator, oris, m. apud *Augustin. B. A.*

DĒPŌLĪTUS. V. DEPOLIO.

DĒPOMPĀTĬO, onis, f. spoliatio ornamentorum: et translate opprobrium. *Hieron. adv. Rufin. n.* 31. In depompationem Christianorum.

DĒPOMPO, as, a. 1. ornatu spolio. *Hieron.* in *Nahum. c.* 3. Ante oculos omnium depompatur.

DĒPONDĔRO, as, n. 1. deorsum pondero. *Petr. fr.* ap *Burm.* p. 875. *edit.* 2. Sic rate demersa fulvum deponderat aurum. Al. leg. *vulsam deponderat aurem.*

DĒPONENS, entis, part. a *depono. Deponentia verba* dicuntur a grammaticis, quae positione passiva active significant, ut *vereor*, *meditor*, vel per antiphrasim, inquit *Diomed.* 1. p. 327., quia *r* litteram nunquam deponunt et, si deponant, Latina non sunt, ut *vereo:* vel quia una significatione deposita (nempe passiva) a *communibus* separantur: vel tandem quia deponunt ambiguitatem sermonis, quae in *communibus* reperitur. Sed prima harum originum quamvis ponatur etiam a *Charis.* 2. p. 143. et *Max. Victor.* p. 1947., est plane ridicula et vel grammatico indigna. Alteram confirmat *Palaemon* p. 1379., item *Prisc.* 8. p. 787., ubi addit etiam quartam, quia deponentia speciem habent simplicem et absolutam, quae per se ponitur, nec ab activa nascitur, ut in passivis, nec duplicem habet vim, ut in communibus. *Cledonius* p. 1914. et *Augustin.* p. 2003. quintam addiderunt, quod ex quatuor participiis communis verbi, illud, quod in *dus* desinit, a *deponente* deponitur, *h. e.* abjicitur.

DĒPONO, is, sui, situm, a. 3. ἀποτίθημι, κατατίθημι, deorsum pono, demitto. *Cic. Phil.* 13, 11. Deponere mentum in gremio mimae. *Virg. Ecl.* 9, 61. hic, Moeri, canamus: Hic haedos depone. *Caes. B. C.* 1, 80. Deponere onera jumentis. [*Liv. 5, 2. militem Romanum — ne hiemis quidem spatio arma deponentem.] *Ov. Her.* 19, 43. humeris vestes. *Id. Am.* 3, 5, 20. caput terrae. *Val. Fl.* 5, 34. tunc ipsa cremari Visa ratis, medioque viros deponere ponto, *h. e.* in medio mergere. [*Liv. 23, 11, 6. coronam Romae in aram Apollinis deposuisse. Sic *Drak.* e mss.] *Scribon. Compos.* 207, 210. et 212. Deponere cacabum ab igne. ℙ Item relinquere, abjicere. *Petr. Sat.* 104. Ungues et capillos deponere. *Mart.* 5, 48. comas. *Id.* 3, 50. soleas. ℙ Item sternere. *Hor. Od.* 2, 7, 19. Fessum latus deponere. Sic *Virg. A.* 7, 108. Corpora sub ramis deponunt arboris altae. *Pl. Aul.* 3, 6, 39. Ut me deponat vino, eam affectat viam. *Non.* 4, 119. exponit alienare et sic est metaphoricum. ℙ Item plantare, terrae committere. [*Synonyma hujus significationis collegit *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 346.] *Colum.* 5, 4. Vel scrobe vel sulco semina deponuntur. *Id.* 3, 10. *ad f.* Deponere malleolum in terram. *Plin.* 19, 6, 32. Caepas semine seri, non deponi, Graeci jussere. Adde *Stat. Silv.* 2, 3, 39., *Virg. G.* 2, 24. et *Senec. ep.* 86. *a med.* [**Ov. Rem. Am.* 193. plantam deponere. V. *Burm.*] ℙ Item defodere, obruere *Hor. Sat.* 1, 1, 41. Quid juvat immensum te argenti pondus et auri Furtim defossa timidum deponere terra? ℙ Item immittere, defigere. *Pallad.* 3, 17. Cuneum inter corticem et lignum deponere. [*Haec omnia, quae singula recensuit *F.* ejusdem esse generis et ad idem prorsus redire, vix est quod moneam.] ℙ Item seponere, in tuto ponere, servandum committere, [*κατατίθεσθαι.] *Varr. L. L.* 4, 16. Trarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine, extremis subsidio deponebantur. *Caes. B. C.* 3, 78. Caesari, ad saucios deponendos, necesse erat adire Apolloniam.. *Id. B. G.* 4, 19. Uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in silvas deponerent. [**Id. ib.* 7, 63. obsides, quos Caesar apud eos deposuerat. V. de hoc termino forensi *Brisson. Form.* §. 503. quem laudat *Herz.* ad h. l. — Adde *Liv.* 42, 5.] *Cic. Off.* 3, 25. Deponere pecuniam apud aliquem. *Caes. B. C.* 1, 23. aurum in publicum. ℙ Translate. *Cic. Caecin.* 35. Populi R. jus in vestra fide ac religione depono. *Hor. Od.* 1, 27, 18. quidquid habes, age, Depone tuis auribus. *Id. Sat.* 2, 6, 46. Et quae rimosa bene deponuntur in aure. [**Prop.* 1, 13, 13. optatis (aptatis) animam deponere labris.] *Liv.* 24, 18. *sub f.* Deponere pecuniam in publicam fidem. Al. leg. *in publica fide.* ℙ Item eniti, parere. [*ut Gr. ἀποτίθημι.] *Catull.* 34, 5. O Latonia maximi Magna progenies Jovis, Quam mater prope Deliam Deposivit olivam. *deposivit* antiquum praeteritum est, quod legitur etiam apud *Pl. Curc.* 4, 3, 4. Ceterum *deponere* hac significatione adhibuit etiam *Phaedr.* 1, 18. et 19. [*Haud absimile est quod legitur *Tac. G.* 30. Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul et deponit. Ad quem l *Passow.* Chatti, inquit, Hercyniae quasi filii sunt, montes vera Chattorum patria.] ℙ Item e navi in litus educere. *Hirt. B. Alex.* 34. Caesar deponit legiones equitesque e navibus egressos jubet ex languore reficere. *Justin.* 4, 5. Deponere exercitum in terram. ℙ Item in sponsionem dare. *Virg. Ecl.* 3, 32. ego hanc vitulam Depono: tu dic, mecum quo pignore certes. *M.* De grege non ausim quidquam deponere tecum. ℙ Saepe est abjicere, dimittere. *Cic. Quint.* 13. Petitoris personam capere, accusatoris deponere. *Id. Planc.* 31. simultates. *Id. Amic.* 21. amicitias. *Hor. Sat.* 2, 5, 26. spem. *Juven.* 1, 133. vota. *Caes. B. G.* 1, 14. memoriam injuriarum. *Cic. Sull.* 6. ex memoria aliquid. *Hirt. B. Alex.* 65. metum. *Cic. Or.* 2, 52. Omnem gloriam abjicere atque deponere. [**Id. Rull.* 3, 1. opinionem de aliquo depositam atque abjectam relinquere.] *Id. Fam.* 4, 6. *a med.* omnes curas doloresque. [**Virg. G.* 4, 530. animo tristes curas.] *Nep. Ann.* 1. prius animam, quam odium. *Plin.* 7, 50, 51. morbum. *Ov. Fast.* 6, 530. et *Met.* 4, 98. famem, sitim. ℙ Item omittere, relinquere. *Anton.* ap. *Cic. Phil.* 8, 8. Provinciam remitto, exercitum depono. *Cic. Fam.* 13, 1. *ad f.* aedificationem. *Id. Att.* 7, 5. *sub f.* Conficere negotium aut deponere. [**Liv.* 31, 1. coeptum bellum — triennio prius depositum erat et *ib. c.* 31. *Id.* 4, 6. contentiones. certamina.] *Id. Rosc. Am.* 17. studium. *Id. Fam.* 7, 6. desiderium urbis. *Hirt. B. Alex.* 12. cogitationem reparandae classis. *Liv.* 4, 48. *extr.* actionem. ℙ *Deponere provinciam* dicitur is, qui non incepto vel non confecto administrandae provinciae legitimo tempore, magistratu abit. *Cic. Fam.* 5, 2. Me ut primum in concione provinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare coepisse. (V. *Pis.* 2.) *Caes. B. G.* 7, 33. Cotum magistratum deponere coegit. *Cic. N. D.* 2, 4. Consules summum imperium statim deponere. [**Suet. Caes.* 77. dicturam. *Id. Aug.* 36. honorem. *Id. Ner.* 41. (adoptivum) nomen.] Adde *Liv.* 2, 28. *extr.* ℙ Deponere rationes, rationes confectas et in codice descriptas alicui tradere. *Cic. Fam.* 2, 17. ℙ Pro deprimere vel demoliri. *Ulp. Dig.* 8, 2. 16. Si deponat aedificium vel arboris ramos: quo facto locus opacus quondam coepit esse solis plenus. Adde *eund. ib.* 5, 6. et *Paul. ib.* 2, 30. et 10, 1, 4. etc. ℙ Denique *deponere* est desperare, inquit *Non.* 4, 119. Unde *depositi* desperati dicuntur. Hoc vero inde ortum putant, quod aegri jam prorsus desperati aut etiam recens mortui, de lectulo humi collocabantur. V. DEPOSITUS §. 2. ℙ Praeteritum *deposivi* jam ex *Catullo* et *Plauto* adstruximus. V. supra. Adde *Virg. Catal.* 8. Tua in palude deposisse sarcinas. Ubi *deposisse* dictum est pro *deposivisse* per syncopen. ℙ [*Permutantur in codd. *deponere* et *componere*, V. *Burm.* ad *Ov. A. A.* 2, 463. ad *Met.* 7, 444. — et *despondere* (animum), V. *Drak.* ad *Liv.* 31, 22, 5. — et *seponere*, *Cort.* ad *Lucan.* 5, 724.]

DĒPONTĀNI Senes, inquit *Festus*, appellabantur, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur. Loquitur autem de sexagenariis, qui a cura reipublicae liberabantur et suffragiis ferendis abstinebant. Suffragia autem in campo Martio per pontem trans-

euntibus ferebantur. V. SEPTUM, PONS et SEXAGENARIUS. [*Cf. *Zell*, *Ferienschriften*, P. II.]

DĒPONTO, as, a. 1. de ponte dejicio. *Varr.* ap. *Non.* 3, 142. Acciti sumus, ut depontaremur. Al. aliter leg.

DĒPŌPŪLĀBUNDUS, a, um, adj. populabundus. *Liv.* 2, 48. In ipsorum Aequorum agrum depopulabundus transit. Plerique alii melius leg. *depopulandum.*

DĒPŌPŪLĀTĬO, onis, f. πόρθησις, vastatio, direptio. *Cic. Phil.* 5, 9. Totum iter Antonii quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, caedes, rapinas? *Id. Har. resp.* 2. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem meis tectis atque agris intulerunt. *Id. Font.* 16. Defendere a depopulatione provinciam. [**Liv.* 43, 23.]

DĒPŌPŪLĀTOR, oris, m. πορθητής, vastator, direptor. *Cic. Dom.* 5. Fori depopulator, obsessor curiae.

DĒPŌPŪLĀTUS, a, um, part. a *depopulor.* Active. *Liv.* 37, 21. Ea urbe abstinuit, depopulatus agros. ℙ Item passiva significatione. *Id. ib.* 4. *a med.* Omnis ora maritima depopulata ab Achaeis erat. *Id.* 10, 15. Monimenta regionum depopulatarum. [*V. Intpp. ad *Caes. B. G.* 7, 77.] *Justin.* 42, 2. Depopulata Parthia, in patriam revertuntur.

DĒPŌPŪLO, as, a. 1. idem quod depopulor. *Enn.* ap. *Non.* 7, 26. Agros audaces depopulant servi dominorum domini. *Caecil. ib.* Jamdudum depopulat macellum. *Auct. B. Hisp. in f.* Agros vestramque provinciam vestro impulsu depopulavit. *Val. Fl.* 6, 531. furtis assuetus iniquis Depopulare greges. ℙ Hinc passive *Lact. Ira D.* 16. *sub f.* Quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur.

DĒPŌPŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod populor aut omnino populor, diripio, vasto, depraedor. *Cic. Verr.* 2, 3, 36. et *Phil.* 5, 5. Depopulari agros. *Ov. Fast.* 1, 683. Neve graves cultis Cerealia dona cavete Agmine laesuro depopulentur aves. *Id. Trist.* 3, 10, 56. hostis Vicinam late depopulatur humum. *Ulp. Dig.* 47, 4, 1. Depopulari hereditates, *h. e.* consumere. *Tac. A.* 16, 13. Omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur. [*Reperitur h. v. saepe in melioribus libris, ubi deteriores simplex habent. V. *Drak.* ad *Liv.* 10, 12, 7.]

DĒPORTĀTĬO, onis, f. ἐκφόρησις, καταχόμισις, actus deportandi. *Cato R. R.* 144. In singulas deportationes. ℙ Item relegationis genus, de quo V. in DEPORTATUS. *Ulp. Dig.* 48, 13, 3. In aquae et ignis interdictionem hodie successit deportatio.

DĒPORTĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad deportandum pertinens. *Imp. Constant. Cod.* 12, 47, 1. Nullo munere civili seu personali vel deportatorio onere eos affici concedimus.

DĒPORTĀTUS, a, um, part. a *deporto.* *Cic. Verr.* 2, 3, 14. Ut omnes decumas ad aquam deportatas haberent. *Id. Mur.* 5. Aliquod ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. ℙ *Deportati in insulam* et *deportati* absolute dicebantur exsules certae alicujus insulae aut alterius loci limitibus circumscripti, quos, nisi aperto vitae discrimine, egredi non liceret. *Ulp. Dig.* 48, 22, 7. Haec est differentia inter deportatos et relegatos, quod in insulam relegari ad tempus et in perpetuum quis potest: qui et civitatem Romanam retinet et testamenti factionem non amittit: deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotavit vel de quibus deportandis scripsit: quae poena civitatem adimit, et testamenti factionem et reversionis spem. Haec *Ulp. ib.* et *leg. praec.*, item *Cajus Dig.* 28, 1, 8. etc. V. RELEGATUS.

DĒPORTO, as, avi, atum, a. 1. proprie significat deorsum portare. *Plin.* 2, 103, 106. Urinantes oleum ore spargere, quoniam mitiget naturam (*maris*) asperam, lucemque deportet. *Id.* 6, 27, 31. Flumina deportant serpentes. ℙ Frequentius autem est καταχομίζω, de uno in alium locum porto, transfero, exporto. *Cato R. R.* 144. De fundo ligna et oleam ne deportato. *Pomp.* ad *Marcell.* et *Lentul. Coss. post. ep.* 12. *l.* 8. ad *Att. in f.* Arma Brundisium jumentis deportare. *Suet. Aug.* 78. *extr.* Deportari lectica per vicos. *Caes. B. C.* 1, 60. Frumentum deportare in castra. [*Proprium est in hac re vocabulum. V. *Burm.* ad *Suet. Tib.* 18.] et *ib.* 27. Naves, quae exercitum eo deportaverant. *Nep. Eum.* 13. Ossa ejus in Cappadociam ad matrem deportanda curarunt. *Cic. Fam.* 7, 15. Deportare aliquid ex provincia. *Id. Manil.* 21. Bellum in Africa confecit: victorem exercitum deportavit. Adde *Liv.* 39, 38. et 30, 40. *extr.* [*Observat *Duker.* ad *Liv.* 38, 49, 3. *deportari exercitus* dici, qui provincia confecta de ea cum spe triumphi decedat; *reportari*, qui simpliciter navibus domum repetat. — Quod discrimen, etsi nonnullis locis probari videatur, tamen in universum non est verum, ut monstrat *Drak.* ad 6, 33, 12. Cf. *Eund.* ad 39, 38. quem l. *Forc.* modo laudavit.] *Id. Verr.* 2, 5, 16. Tertia illa tua, quam tecum deportabas. *Ter. Ph.* 5, 7, 85. Non hoc publicitus scelus hinc deportarier In solas terras? *deportari* significat hic relegari, amandari. Est etiam *deportare in insulam* et *deportare* absolute, patria pulsum aliquem in certam insulam relegare, ubi amissa civitate et testamenti factione, perpetuo sit: quae poena dicitur *Deportatio* et in DEPORTATUS explicata est. *Tac. A.* 4, 13. Vibius Serenus de vi publica damnatus ob atrocitatem morum in insulam deportatur. *Id. ib.* 14, 45. Censuerat, ut liberti quoque Italia deportarentur. ℙ [**Se deportare aliquo*, i. e. aliquo proficisci, est nonnisi sermonis familiaris. *Cic. Fam.* 16, 5. ut te Leucadem deportares.] ℙ Est etiam reportare, referre. [*Plerumque sic in bonam partem dicitur, raro in malam, ut *Cic. Amic.* 3. aliquod aut in Asia susceptum aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus.] *Cic. Off.* 1, 22. *ad f.* Dicit, se triumphum tertium deportaturum fuisse. *Id. Senect.* 1. Te non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam, intelligo. [**Tac. A.* 2, 26. lauream, scil. apud Germanias, i. e. triumphare. V. *Lips.*] *Curt.* 9, 10. Deportare gloriam ex re quapiam. ℙ [**Deportare* et *deponere* permutantur passim. V. Intpp. ad *Suet. Tib.* 18.]

DĒPOSCO, is, pŏposci, a. 3. ἐξαιτέω, magnopere posco, flagito, postulo. [*Proprie h. v. dici in re gladiatoria observat *Ern. Cl. Liv.* Hoc tum locum habet, ubi nos quoque dicimus *herausfodern.*] *Cic. Phil.* 3, 33. Idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. *Id. Manil.* 2. Pompejum unum ab omnibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti. *Id. Rosc. Am.* 34. Tene potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut etc.? *Id. Sull.* 18. *extr.* Illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut etc. [**Suet. Aug.* 26. consulatum.] *Id. Inc.* 2, 49. Deposcere sibi aliquid a magistratu. *Caes. B. C.* 3, 110. Regum amicos ad mortem deposcere. *Liv.* 21, 6. *extr.* Ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcere. *Tac. A.* 1, 23. Deposcere aliquem morti. [**Suet. Tib.* ad poenam. *Id. Caes.* 68. poenam in se ultro depoposcerunt.] *Id. Agr.* 11. Audacia in periculis deposcendis. Absolute eodem sensu. *Lucan.* 5, 296. infestoque ducem deposcere vultu, *h. e.* deposcere ad poenam. *Cic. in Senat.* 13. Altera pars me deposcere, propter inimicitias, videbatur. *Ov. Met.* 1, 199. studiisque ardentibus ausum Talia deposcunt, *nempe* ad mortem. [*Etiam in h. v. praepositio a librariis saepe est neglecta. V. *Drak.* ad *Liv. Epit.* l. 2. *sub f.*]

DĒPOSĪTĀRĬUS, ii, m. qui depositum recipit. *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. *a med.* Rem in aedem deponi et omni actione depositarium liberari. Adde *ib.* 7. *extr.*, ubi constat, illum quoque significari, qui pecuniam deponit.

DĒPOSĪTĬO, onis, f. παραχατάθεσις, actio, qua depositum aliquid apud aliquem intelligitur, idest custodiae traditum. *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. et 5. et *Flor. ib.* 17. ℙ Item de gradu aliquo dignitatis dejectio. *Ulp. ib.* 48, 19, 8. Aut damnum cum infamia, aut dignitatis depositionem. ℙ Item demolitio. *Id.* 4, 2, 9. Aedificii depositio, quam quis coactus fecit. ℙ Item periodi clausula, finis et conclusio sententiae. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Ut in iisdem affectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit. ℙ Item testimonium. *Impp. Diocletian.* et *Maximian. Cod.* 2, 43, 3. Si per testium depositiones, te fuisse minorem, ostenderis. ℙ [Item sepultura in inscriptionibus Christianis. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. consol.* p. 89. Depositio ejus die III. nonas Oct. Nepotiano et Facundo conss. in pace. *nempe* anno 336. a Chr. nat. In aliis apud *eund. ib.* p. 100. legitur *deposso*, *depossio* et *depostio. F.*]

[DĒPOSĪTĪVUS, a, um, adj. qui depositus est: hinc *depositiva pecunia* est *thesaurus absconditus* apud *Cassiod. Variar.* 6, 8. Depositivae pecuniae, quae longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur aerariis, ut qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerri. Hinc *thesaurus* definitur a *Paul. Dig.* 41, 1, 31. vetus depositio pecuniae, cujus non exstat memoria. *F.*]

DĒPOSĪTOR, oris, m. qui evertit aliquem, aut evertere conatur, apud *Prud. Apoth.* 179. Jam cede, Sabelli, Depositorque Patris, Natique, insane, negator. ℙ Item qui simpliciter deponit. *Quint. Decl.* 167. *in lemmate.* Depositor tyrannidis. ℙ Item qui apud alterum quidpiam deponit, custodiae causa. *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. *a med.*

DĒPOSĪTUS, a, um, part. a *depono*, καταιτεθείς, deorsum positus, demissus, abjectus. *Cic. Sull.* 23. Depositum onus. *Hor. Sat.* 1, 6, 25. quo tibi, Tilli, Sumere depositum clavum, fierique tribuno? *Id. Ep.* 1, 9, 12. Depositus pudor. *Cic. Agr.* 3, 1. Opinio deposita et abjecta. ℙ [*Depositus de dormiente. *Aur. Vict. Vir. ill.* 71, 4. satellites pecunia corrupit, qui Viriathum humo depositum peremerunt. V. *Arntzen.* ad h. l.] ℙ Item desperatus, deploratus, ut in DEPONO *sub f.* dictum est. *Virg. A.* 12, 395. Ille, ut depositi proferret fata parentis, Scire potestates herbarum usumque medendi Maluit. Ubi *Servius:* Apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur, vel ut extremum spiritum rederent terrae, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. *Caecil.* ap. *Non.* 4, 119. Depositus modo sum anima: vita sepultus sum. *Ov. Trist.* 3, 3, 40. Depositum nec me qui fleat, ullus erit, *h. e.* mortuum. *Id. Pont.* 2, 2, 47. Jam prope depositus, certe jam frigidus. [**Lucan.* 2, 72. de Mario: stagna uvidi texere soli laxaeque paludes Depositum, Fortuna, tuum.] *Lucil.* apud *Non.* 4, 119. Symmachu' praeterea, jam tum depostu' bubulcus, Exhalans animam pulmonibus aeger agebat. *syncope.* ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 2. Mihi videor magnam, et maxime aegram, et prope depositam reipublicae partem suscepisse. ℙ [In inscriptionibus Christianis passim *depositus* dicitur, qui sepultus fuit. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. consol.* p. 95. Depositus est puer nomine Exsuperantius VII. idus Majas sub consulatu Modesto et Fl. Arinthe coss. in pace. *nempe* an. 372. a Chr. nat. *F.*] ℙ Item alterius custodiae et fidei commissus. *Cic. Agr.* 2, 16. Pecuniam depositam recuperare. *Id. Verr.* 2, 4, 12. Habere aliquid depositum apud aliquem. ℙ *Depositum*, *i*, n. est res ipsa deposita, παραχαταθήχη. Depositum, inquit *Ulp. Dig.* 16, 3, 1., est, quod custodiendum alicui datum est: dictum ex eo, quod ponitur. Praepositio enim *de* auget *positum* etc. *Cic. Off.* 3, 25. Neque semper deposita reddenda. *Juven.* 13, 60. si depositum non inficietur amicus. *Papin. Dig.* 36, 3, 5. *extr.* Habere aliquid in deposito. *Ulp. ib.* 33, 8, 8. Pro deposito esse apud aliquem. ℙ Translate. *Quint.* 10, 3. *in f.* Irrumpunt optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est: ideoque optime sunt in deposito, *ll. e.* cum quae scribentibus extra ordinem occurrunt, subinde notantur. ℙ Ita quoque appellatur contractus ipse, quo res aliqua ea lege apud alterum deponitur, ut suo tempore reddatur, dolum solummodo, non negligentiam praestando, uti *Cajus Dig.* 44, 7, 1. docet. Hinc *teneri depositi*, apud *Ulp. l. l.* 16. *tit.* 3. *qui inscribitur* Depositi, vel contra, l. etc. ℙ Praeterea *depositus* est depressus, eversus, destructus, solo aequatus. *Jabolen. Dig.* 41, 3, 23. Depositae aedes. *Stat. Silv.* 1, 4, 91. Deposita urbs, *h. e.* capta et eversa.

DĒPOSTŪLĀTOR, oris, m. qui depostulat. *Tert. Apol.* 35. Depostulatores Christianorum, *h. e.* ad supplicium deposcentes: vulgus enim Romae in Circo clamabat: *Christiani ad leones.* Est tamen qui perperam legat *depopulatores.*

DĒPOSTŪLO, as, a. 1. ἐξαιτέω, vehementer postulo. *Auct. B. Hisp.* 1. Civitates contrariae Pompejo auxilia sibi depostulabant.

*DĒPOTĬOR, iris, dep. 4. *Gloss. Lat. Gr.* Depotitur, ἀπολαύει. *B. A.*

DĒPRAEDĀTĬO, onis, f. *Lact. Epit.* 11. More latrocinii depraedatio et vastatio fiet. *Imp. Constantin. Cod.* 12, 36, 9. Si quis Barbaris scelerata factione facultatem depraedationis in Romanos dederit. *Id. ib.* 2, 6, 5. Cum gravi damno litigatorum et depraedatione, *h. e.* spoliatione bonorum.

DĒPRAEDĀTOR, oris, m. depopulator. *Augustin. ep.* 199. et *Marcell. ad Augustin. inter hujus epist. n.* 4.

DĒPRAEDĀTUS, a, um, part. a *depraedor*, signific. pass. *Dictys Cret.* 2, 16. Agri depraedati et vexati. Al. leg. *depraedari* et *vexari*

DĒPRAEDOR, aris, dep. 1. καταυλίω, depopulor. *Justin.* 24, 6. Victor Macedoniae agros depraedatur. Adde *Appul. Met.* 8. p. 215, 7.

DĒPRAESENTĬĀRUM, adv. eadem forma dictum, qua *impraesentiarum*, eandem quoque habet significationem. *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* Alioquin jam tibi depraesentiarum reddidissem. Adde *ib.* 74. [*V. quae de h. v. disputavit *Döderl. Syn.* I. p. 139. sqq.]

DĒPRANDĬS, e, adj. impransus. *Naevius* apud *Fest.* in *Oreae.* Deprandi autem leoni subdas oreas.

DĒPRANSUS, a, um, adj. signific. passivae. *Appul. Met.* 9. V. DEPENSUS.

DĒPRĀVĀTĒ, adv. σχολιῶς, χαχῶς, prave, perperam, vitiose. *Cic. Fin.* 1, 21. De quibus neque depravate judicant, neque corrupte.

DĒPRĀVĀTĬO, onis, f. actus depravandi, σχολιότης, χιβδηλεία. *Cic. Or.* 2, 62. Oris depravatio. *Id. Fin.* 5, 12. Distortio et depravatio membrorum. *Senec. ep.* 24. *a med.* Libidines afferunt pedum, manuum, articulorum omnium depravationes. ℙ Translate. *Cic. Partit.* 36. Depravatio verbi, [*i. e. perversa explicatio.] (Adde *Auct.* ad *Her.* 1, 6. *ad f.* [*Hoc loco interpretatur *Lindem.* depravationem per: vocis vultusque deformationem.]) *Id. Leg.* 1, 10. consuetudinum. *Id. Off.* 3, 29. Depravatio et foeditas turpificati animi.

DĒPRĀVĀTUS, a, um, part. a *depravo*, distortus, corruptus, σχολιός. *Varr. L. L.* 8, 5. Ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura. ℙ Translate est vitiatus, corruptus, [*degeneratus.] *Cic. Fin.* 2, 11. Bestiae quamvis depravatae non

sint, pravae tamen esse possunt. (*depravatus* mala disciplina: *pravus* natura.) *et mox.* Ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua. *Id. Leg.* 2, 15. Mores cantus dulcedine, corruptelaque depravati. *Id. Att.* 10, 4. Puer indulgentia nostra depravatus. *Sall. Jug.* 18. Homines gratia depravati. *Varr. L. L.* 8, 12. Depravata consuetudo.

DĔPRĀVO, as, avi, atum, a. 1. σχολιόω, διαφθείρω, καινίνω, pravum reddo, distorqueo, corrumpo. *Plin.* 11, 37, 55. Uni homini oculi depravantur, unde cognomina Strabonum et Paetorum. *Senec. ep.* 101. *a med.* Tu vero me depraves licet, dum monstruoso et distorto temporis aliquid accedat. *Cic. Fin.* 1, 6. Ea, quae corrigere vult, mihi depravare videtur. Adde *Senec. Clem.* 2, 7. [**Cic. Arch.* 4. est ridiculum, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. — Ut hic alterum voc. alterum explicat, ita saepe utrumque conjungitur. *Cic. Mur.* 12. Ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta et depravata sunt. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 60, 5.] ℙ Translate. *Liv.* 45, 23. Plebem consiliis depravare. *Cic. Agr.* 2, 35. *extr.* Campanos nimiae rerum omnium copiae depravabant. *Id. Phil.* 1, 13. *extr.* Nihil est tam sanctum, quod non soleant domestici depravare aliquando. *Ter. Ph.* 4, 4, 17. Nihil est, quin male narrando possit depravarier.

*DEPRECABĬLIS, e, adj. *Vulg. Psalm.* 89, 13. Deprecabilis esto super servos tuos. *B. A.*

DĔPRĔCĂBUNDUS, a, um, adj. qui valde deprecatur. *Tac. A.* 15, 53. Deprecabundus et genibus principis accidens.

DĔPRĔCĀNĔUS, a, um, adj. Deprecanea fulmina *Caecinna* apud *Senec. Qu. Nat.* 2, 49. dicit ea esse, quae speciem periculi sine periculo afferunt. Fortasse intelligit ea, quae precationibus impetrari solebant, ut est apud *Plin.* 2, 53, 54. v. gr. ad avertendos eo terrore hostes, vel monstrum regioni infestum etc. Vel ita vocat, quod facile ea possint homines deprecari.

DĔPRĔCĀTIO, onis, f. παραίτησις, vehemens precatio, *de* particula significationem augente. *Cic. Cluent.* 3. Aggrediar ad crimen cum illa deprecatione, qua mihi saepius utendum esse intelligo, sic ut me audiatis, quasi hoc tempore haec causa primum dicatur. *Id.* ad *Quirit.* 3. Non enim ille deprecatione rediit, sed exercitu se armisque revocavit. *Id. Phil.* 5, 7. Nullus aditus erat privato, nulla aequitatis deprecatio, *h. e.* nullae preces, quae valerent ad aequitatem obtinendam. *Curt.* 5, 3. Abnuens deprecationem pro illis suae convenire fortunae. ℙ Deprecatio mali est ejus amolitio et depulsio per preces. *Cic. Partit.* 7. *extr.* Ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est. *Id. Rabir. perd.* 9. Deprecatio periculi. *Petr. Sat.* 107. supplicii. *Hirt. B. G.* 8, 1. inertiae. *Plin.* 28, 2, 4. Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur, *h. e.* formulis precum, quibus depulsio incendiorum contineatur. *Pl. Capt.* 3, 3, 7. Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est, *h. e.* effugium per preces. ℙ Est etiam inter figuras sententiarum *deprecatio* a *Cic. Or.* 3, 53. enumerata, cum opem judicis, veniamque postulamus, [**προπαραίτησις*] συγγνώμη. Hoc tamen intellige, cum oratio admixta defensioni est, ita ut post multa, quibus alicujus factum defenderis, preces quoque subjicias, quo facilius judex ad condonandum impellatur: quod facit *Id. Mil.* 34., *Ligar.* et alibi. Differt autem ab *obsecratione*, qua aliquid per Deos et sacra petimus: *deprecatione* autem malum avertimus. ℙ Quod si tota causa precibus agatur, cum scilicet nullus est defensioni locus, jam non figura est, sed causae genus, quod plerique negarunt, in judicium unquam venire. Habet tamen locum in senatu, et apud populum, et apud principem, et ubicumque juris clementia est. Ita *Quint.* 7, 4., ubi multa hac de re. ℙ Interdum ponitur pro recusatione rei alicujus faciendae. *Quint. prooem.* 1. Qua ego ex causa faciliorem mihi veniam meae deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis. ℙ Interdum simpliciter pro depulsione, sine precibus. [**V.* DEPRECOR, quod saepe est i. q. amoliri.] *Cic. Rabir. perd.* 9. Huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi aetas illa, qua tum fuit. *Quint.* 3, 6, 13. Alii statum crediderunt primam ejus, cum quo ageretur, deprecationem. [**Adde Auct.* ad *Her.* 1, 11. Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione conjuncta, i. e. depulsio, Gr. ἀντίστασις, ἀπόφασις. V. intpp. ad h. l. Hoc sensu legitur etiam apud *Cic. Inv.* 2, 34., quibus de locis agit *Ern. lex. techn. lat.* p. 110.] ℙ Denique accipitur nonnunquam pro detestatione et imprecatione. *Cic. Rosc. Com.* 16. Qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Quis enim deprecatione Deorum, non conscientiae fide commovetur? *h. e.* cum jurando sibi malum imprecatur, si mentiatur, *si sciens fallo* etc.: hanc vero Deorum deprecationem. *Id. Dom.* 57. *devotionem capitis* vocat. *Plin.* 28, 2, 4. Defigi diris deprecationibus nemo non metuit.

*DEPRECATIUNCŬLA, ae, f. diminut. *Salvian. contr. avar. l.* 3. *post init.* Deprecatiunculae species. *B. A.*

DĔPRĔCĀTĪVUS, a, um, adj. ad deprecandum idoneus. *Capell.* 5. p. 147. Ad deprecativam potius admovendum est qualitatem.

DĔPRĔCĀTOR, oris, m. παραιτητής, qui pro alio deprecatur et prece malum avertit. *Cic. Flacc.* 1. Sperabam honoris potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. *Id. Balb.* 18. Deprecatores periculi. *Id. Att.* 11, 8. Quintus filium misit, non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. *Id. Manil.* 12. Mittere legatos et deprecatores ad aliquem. *Liv.* 36, 35. Ego apud consulem deprecator defensorque vobis adero. *Cic. Sext.* 12. Deprecatores salutis meae. *Id. Planc.* 42. Nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor. *Id. Fam.* 2, 13. Praebere se deprecatorem pro periculo alicujus. *Caes. B. G.* 1, 9. Legatos ad Dumnorigem mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis hoc impetrarent.

*DEPRECATORĬUS, a, um, adj. *Vulg. Macc.* 1, 10, 24. Scribam et ego illis verba deprecatoria. *B. A.*

DĔPRĔCĀTRIX, icis, f. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 5. Sabinis deprecatricibus parentum bellum, maritorumque finitum est. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 12.

DĔPRĔCĀTUS, a, um, part. a *deprecor.* Active. *Cic. Or.* 2, 49. Nihil unquam pro se ipso deprecatus. ℙ Passive. *Justin.* 8, 5. Pactio ejus fidei fuit, cujus ante fuerat deprecati belli promissio. ℙ Item simpliciter rogatus. *Appul. Met.* 11. p. 270, 13. Ad istum modum deprecato summo numine.

DĔPRĔCOR, aris, atus sum, dep. 1. καταδέομαι, παραιτέομαι, valde precor, vehementer oro, obsecro: nam *de* significationem auget. [**Licet* penultima corripiatur in h. v., tamen in antiquis monumentis passim, *depraecor* scribitur. V. *Beier.* ad *Cic. fr. p. Scauro* p. 218.] *Petr. Sat.* 133. Posito genu, sic deprecatus sum numina. *Cic. Or.* 3, 3. Cum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, coactus est, ut vita se ipse privaret. *Hirt. B. Afr.* 89. Deprecari sibi vitam. *Cic. Fam.* 8, 1. In hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes. [**V. Manut.* ad h. l. et ad 4, 7.] (Adde *Liv.* 34, 59.) *Id. Fam.* 12, 24. Legati, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denunciandum bellum miserat. *Hirt. B. Afr.* 85. *extr.* Inspectante ipso Caesare, et a militibus deprecante, uti eis parceret. *Id. Partit.* 39. Erit iisdem aequitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum. *Id. Or.* 3, 20. Paululum equidem de me deprecabor, et petam a vobis, ut etc. *Id. ib.* 2, 49. Semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatus sum. [**Adde Suet. Tib.* 8. pro Laodicenis. Et absolute, i. e. precibus intercedere. *Id. Caes.* 1. deprecantibus amicissimis viris. *Aug.* 65. deprecanti populo Rom. (nos *fürbitten*).] ℙ Cum altero accusativo communi. *Val. Fl.* 8, 53. hoc Superos, hoc te quoque deprecor, hospes. ℙ Deprecari alicui, ne vapulet, *h. e.* deprecari pro aliquo, est *Plauti* in fine *Asinariae.* ℙ Cum conjunctivo et *ut* particula. *Senec. Qu. Nat.* 2, 33. Deos deprecari, ut remittant minas. *Petr. Sat.* 30. Dispensatorem deprecati sumus, ut servo remitteret poenam. ℙ *Deprecari aliquem ab aliquo* est ejus salutem ab aliquo petere. *Cic. Agr.* 2, 36. Si quid deliquero, nullae erunt imagines, quae me a vobis deprecentur. *Id. Planc.* 42. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, judices, sed custodem salutis meae. Adde ad *Quir.* 3. [**Vel deprecari aliquid ab aliquo (losbitten)*, eodem sensu: *Cic. Sull.* 11. multorum hic vitam est a Sulla deprecatus. V. de hac constructione *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 28. sq. *Spald.* ad *Quint.* 11, 13, 12. — Sic absolute, i. q. *συγγνώμην αἰτεῖν, (abbitten)*: *Id. Suet. Tib.* 36. deprecantibus — veniam dedit. *Id. Vesp.* 14. in hunc postea deprecantem i. e. sibi veniam petentem, ut *Cal.* 33.] ℙ *Deprecari malum* est precando avertere, amoliri, aut recusare. *Cic. Verr.* 2, 5, 47. *extr.* Deprecari mortem et sanguinem alicujus. et *ib.* 62. *sub f.* virgarum vim. *Ov. Pont.* 1, 2, 59. Saepe precor mortem: mortem quoque deprecor idem. *Nep. Att.* 12. Usus est pecunia in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis. *Liv.* 39, 35. Filium mittere Romam ad deprecandam iram senatus statuit. [**Cf. id.* 40, 15. ibique *Drak.*] *Cic. Verr.* 2, 1, 60. *extr.* Nullam ab sese calamitatem deprecari. *Curt.* 6, 10. Ne hanc quidem exhibendae veritatis fidem deprecor. *Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. [**Tac. A.* 1, 78. centesimam.] ℙ Sequente *quin* particula. *Catull.* 44, 18. Nec deprecor jam, si nefaria scripta Sexti recepso, quin gravedinem, et tussim etc. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 8, 116. nec deprecor umbram Accipere. *Lucan.* 9, 213. non deprecor hosti Servari. ℙ Et pro excusare precando. *Sall. Jug.* 112. Legati postquam, errasse regem et Jugurthae scelere lapsum deprecati sunt etc. ℙ Translate est abigere, depellere, propulsare, etiam sine precibus, ut et *Gell.* 6, 16. docet. [**Videsis de hac significatione Gron.* ad *Gell. l. l.*, *Graev.* ad *Auct.* ad *Her.* 1, 11. *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 29. Refer huc locum *Nep. Att.* 12. a Nostro supra allatum, et quem a reliquis sejunctum in fine posuerat, *Prop.* 2, 25, 17. Lecto te solum, lecto te deprecor uno, Rivalem possim non ego ferre Jovem, i. e. peto abs te, ut lecto, i. e. amore Cynthiae abstineas. V. *Burm.*] *Cic. fr.* apud *Gell. ib.* et *Non.* 4, 150. Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. *Id. Cat.* 1, 11. Ut a me P. C. quandam prope justam patriae querimoniam detester ac deprecer. *Id. Caecin.* 11. Excusatione summae stultitiae, summae improbitatis odium deprecari. *Id. Verr.* 2, 2, 78. Avaritiae crimina frugalitatis laudibus deprecari. *Enn.* apud *Gell. ib.* et *Non. l. c.* Quibus nunc aerumna mea libertatem paro: quibus servitutem mea miseria deprecor. *Id. ib.* Ego cum meae vitae parcam, letum inimico deprecor. *Cic. Font.* 12. Orandus erit M. Plaetorius, ut suos nos vos clientes a bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribiles impetus deprecetur, *h. e.* precibus flectat, molliat, retardet. ℙ Aliquando est imprecari, detestari, exsecrari, abominari, eod. *Gell. ib.* teste. *Catull.* 92, 1. Lesbia mi dicit semper mala, nec tacet unquam De me: dispeream, me nisi Lesbia amat. Quo signo? quasi non totidem mox deprecer illi. *Appul. Met.* 9. p. 227, 35. Diras devotiones in eum deprecata. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 6. Continuo Pyrrho et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. ℙ Absolute pro veniam petere. *Cic. Att.* 11, 6. *sub f.* Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur, *h. e.* veniam petitum a Caesare, quod a Pompejo stetisset. ℙ Et pro dehortari. *Senec. Phoen.* 73. dum prior, quo vis eo: Non deprecor, non hortor.

DĔPRĔHENDO et *per syncop. poetis familiarem* Deprendo, is, endi, ensum, a. 3. καταλαμβάνω, idem quod prehendo, capio, incautum aut inopinantem corripio. *Ov. Met.* 5, 617. Fessa labore fugae, fer opem, deprendimur, inquam. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 12. Deprehendere tabellarios litterasque intercipere. [**Et bono sensu: Tac. Agr.* 7. Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus est; nos: *überrascht.*] *Stat. Th.* 6, 568. et *Senec. Herc. fur.* 224. Deprendere cursu feram. *Sil.* 16, 566. volucresque vagas deprendere nube Assuetus jaculis. *Curt.* 7, 4. Si quos ille ventus deprehendit, arena obruit. *Caes. B. C.* 1, 26. Pompejus naves, quas in portu deprehenderat, adornabat, i. e. repererat. V. *in f. Quint. Decl.* 268. *sub f.* Si quem subita deprehenderit valetudo. ℙ Item deprimere, quasi prehendendo demittere, ut fit in vite propaganda, cujus brachium deorsum flectitur et terra obrutum alio emittitur. *Venulej. Dig.* 43, 23, 22. Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaque in fundo tuo coaluerit. ℙ Item in ipso actu comperire, opprimere, ita ut neque effugere, neque inficiari possit. *Cic. Verr.* 2, 5, 43. Deprehendere aliquem in manifesto scelere. *Id. Or.* 2, 68. Deprehendi in adulterio. [**Absolute eodem sensu: Hor. Sat.* 1, 2, 131. cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi. Ubi *Fea* plura habet.] *Ter. Eun.* 5, 5, 18. Deprehendere aliquem pro moecho in domo meretricia. [*Cic. Verr.* 2, 3, 2. Accusator ferendus non est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. *Hor. Sat.* 2, 7, 42. quid si me stultior ipso Quingentis empto drachmis deprenderis? *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 29. Pinxit Achillem virginis habitu occultatum, Ulysse deprehendente. [**Hinc saepe deprehendi* est i. q. in artum deferri, in angustias redigi. *Quint.* 1, 1, 30. nec difficillima quaeque (syllaba) differenda, ut in nominibus scribendis deprehendantur, *sc.* pueri. [Alii *ut* — deprehenduntur, i. e. reperiuntur; quo sensu legitur apud *Eund.* 1, 5, 33. si *Burm.* conjecturam sequeris. V. *Spald.*) — Cf. porro 10, 7, 29. Ab utroque (scribendo et cogitando) exclusi, debent tamen eniti, ut neque deprehensus orator, neque litigator destitutus esse videatur. et 12, 8, 6. Deinde deprehenduntur et adversariis causam discunt. Adde *Cic. Or.* 1, 48. *Verr.* 2, 4, 12.] ℙ Cum genit. *Pl. Bacch.* 4, 9, 26. Doli ego deprensus sum. Al. leg. *dolis.* V. PREHENDO. ℙ Translate. *Senec. Herc. Oet.* 533. Verba deprendit quies, *h. e.* mors verba loquentis interrupit. ℙ Est etiam animadvertere, dignoscere. *Cic. Cluent.* 7. et 17. Venenum manifesto deprehendere in manibus alicujus. *Id. Coel.* 6. Facinora oculis prius, quam opinione, manibus, quam suspicione deprehendere. [**Suet. Cal.* 60. ut eo pacto hominum erga se mentes deprehenderet.] *Stat. Th.* 2, 337. quoties haec ora natare Fletibus, et magnas latrantia pectora curas Admota deprendo manu? *Plin.* 37, 13, 76. Demonstrare rationem deprehendendi falsas gemmas. *Id. ib.* 12, 75. De-

prehendi ars non potest. et *ib.* 10, 60. Heliotropium deprehendit defectus solis. et 17, 21, 35. *n.* 4. Solum male pastinatum deprehendunt scamna inaequalia. et 12, 9, 19. Genera gummi deprehenduntur odore, colore, pondere. et 19. *praef.* Conferunt rura deprehendendo coelo. *Claud. III. Cons. Honor. sub f.* arcanos Nili deprendite fontes. *Plin.* 33, 3, 20. Splendor deprehendit, an aes satis recoctum sit. *Quint.* 1, 12. et *Flor.* 2, 4. Experimento deprehendere. *Val. Fl.* 1, 463. de Lynceo: possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu. ℙ [*Hinc simpliciter i. q. invenire. V. supra ll. *Quint.* quibus adde *Suet. Caes.* 35. ut occisum deprehendit. *Id. Tit.* 6. quum etiam chirographum ejus — concionis deprehendisset.] ℙ Scribitur et *depraehendo.* V. quae dicta sunt in COMPREHENDO *ad f.* [*Ceterum cf. de h. v. et ejus synom. *Döderl.* III. p. 141. sqq. coll. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 29, 107.]

DĒPRĔHENSĀ, ae, f. genus animadversionis militaris in eos, qui certo in errore deprehensi fuissent, castigatione major, ignominia minor. *Festus.*

DĒPRĔHENSĬO, onis, f. κατάληψις, actus deprehendendi. *Cic. Cluent.* 18. Omnis accusatio ad extremum manifesta veneni deprehensione conclusa est. *Ulp. Dig.* 47, 2, 7. Fur deprehensione fit manifestus. *Id. ib.* 23, 2, 43. *sub f.* Deprehensio in adulterio.

DĒPRĔHENSUS, *et per syncop.* Deprensus, a, um, partic. a *deprehendo*, καταληφθείς, inopinato prehensus, correptus, ita ut nullum restet effugium, aut facti negatio. *Plin.* 8, 8, 8. Elephas deprehensus solitarius, vel abactus a grege. *Id.* 11, 8, 8. Apes noctu deprehensae in expeditione, excubant supinae. *Liv.* 38, 21. Galli erant deprehensi genere pugnae, in quod minime apti sunt. [*Lucan.* 6, 505. cantu deprensa. V. *Cort.*] *Caes. B. C.* 1, 28. Duas naves deprehendunt: deprehensas excipiunt. *Ov. Trist.* 3, 11, 11. fugax avidis cervus deprensus ab ursis. *Cic. Att.* 1, 12. Clodius cum veste muliebri deprehensus domi C. Caesaris. *Id. Cat.* 3, 5. Scelus manifestum atque deprehensum. ℙ Absolute. *Id. Or.* 1, 48. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio. *Quint.* 10, 7. *ad f.* Deprehensus orator. [*De h. l. egimus sub DEPREHENDO. Adde *Lucan.* 4, 469. Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat, effecit virtus, i. e. in angustias redacta. *Id. ib.* 6, 168.] *Id.* 5, 7. Testes deprehensi. *Ov. Am.* 3, 14, 43. Si tamen in media deprensa tenebere culpa. ℙ Saepe dicitur de navigantibus medio mari, ubi nullum portus effugium est. *Catull.* 25, 12. velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento. *Virg. A.* 5, 52. Argolicove mari deprensus. *Stat. Th.* 1, 370. Ac velut Aegaeo deprensus navita ponto. Adde *Lucr.* 6, 428. ℙ Est etiam animadversus, compertus, cognitus. *Cic. Or.* 25. Ne elaborata concinnitas et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. *Plin.* 2, 54, 55. Magna hujus observationis vanitas deprehensa est Scauro consule. *Ov. A. Am.* 2, 313. Si latet ars, prodest: affert deprensa pudorem. ℙ [*A librariis saepe confunditur cum *depressus*, qua de re cf. *Cort.* ad *Lucan. l. l.*]

DĒPRESSĒ, adv. Comp. *Depressius* apud *Colum.* 4, 1. Verior igitur causa est depressius pastinandi. *Senec. Consol.* ad *Helv.* 9. Quo depressius aestivos specus foderint.

DĒPRESSĬO, onis, f. *Macr. Sat.* 1, 20. Sol semper velut a quadam imae depressionis senecta in altitudinem suam, ut in robur revertitur juventutis. *Vitr.* 1, 3. Fundamentorum ad solitum depressio. *Macr. Sat.* 7, 3. Depressio nasi, *h. e.* nasus simus.

DĒPRESSĪTAS, atis, f. devexitas, locus depressus, ut Depressitas terrae, *Appul. Trismeg.* [*p. 586. *ed. Vulc.*] ubi alii rectius leg. *densitas.* [*Sic *Elm.*]

DĒPRESSUS, a, um, part. a *deprimo*, deorsum pressus, demissus, dejectus, καταπιεσθείς, χθαμαλός. *Cic. Pis.* 6. Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. *Phaedr.* 1, 20. Corium depressum in fluvio. *Sall. Cat.* 58. Locus circiter duodecim pedes humi depressus. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Lautumiae — opus est ingens — totum e saxo in mirandam altitudinem depresso. [*Id. fr. or. p. Scauro* §. 45. *m.* (p. 269. *ed. Or.*) depressa, caeca, jacens domus.] *Id. Manil.* 8. Classis superata atque depressa, i. e. demersa. *Hirt. B. Alex.* 46. Depressa scapha. *Plin. ep.* 9, 27. Tutius per plana, sed humilius et depressius iter. *Id. ib.* 10, 58. Aedes multo depressior. *Stat. Th.* 4, 238. depressae populus subit incola Pisae, *h. e.* depresso loco sitae. *Tibull.* 4, 1, 44. Libra alterno depressior orbe. *Front. Aquaed.* 65. Aquaeductus depressior. *Auct.* ad *Her.* 3, 14. Sedatissima et depressissima voce uti, i. e. tenui et submissa. ℙ [*Notandus est singularis usus h. v. in *Ep. Asin. Pollionis* apud *Cic. Fam.* 10, 32. quum depressus (Fadius) in ludum bis gratis depugnasset etc. i. e. vi detrusus, coactus esset in ludum gladiatorium se conferre.] ℙ Translate. *Cic. Senect.* 21. Animus coelestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram. *Id. Cluent.* 65. Multorum improbitate depressa veritas emergit. *Id. Verr.* 2, 5, 37. Opes civitatis victae, comminutae, depressae. *Senec. Ben.* 2, 13. Quo, altius te sublevasti, hoc depressior es. ℙ Comp. et Sup. V. supra.

DĒPRĔTĬĀTOR, oris, m. qui depretiat. *Tert. adv. Marc.* 4, 29. Depretiator operum.

DĒPRĔTĬĀTUS, a, um, part. a *depretio*, vilior seu deterior factus, ἐλαττωθείς. [*Cajus Institut.* 3. (ed. *Goeschenio*) §. 212. Non solum occisi symphoniaci fit aestimatio, sed eo amplius computatur, quod ceteri, qui supersunt, depretiati sunt. *F.*] *Sidon. carm.* 22, 203. nec tempore longo Depretiata suas turpant pigmenta figuras. *Paulin. Nolan. carm.* 22, 56. Vilescit pretio depretiatus homo.

DĒPRĔTĬO, as, a. 1. ἐλαττόω, ad minus pretium redigo, viliorem ac deteriorem facio. *Paul. Dig.* 9, 2, 22. Sed et ejus ratio haberi debet, quo cetera corpora depretiata sunt. *Tert. Apol.* 45. Epicurus omnem dolorem depretiat, modicum contemptibilem pronunciando, magnum vero non diuturnum. *Sidon. ep.* 2, 10. *extr.* Neque apud te litterariam curam turba depretiet imperitorum. Adde *Tert. Spectac.* 22.

DĒPRĪMO, is, essi, essum, a. 3. καταπιέζω, deorsum premo, demitto, affligo, demergo: a *de* et *premo. Pl. Merc.* 4, 1, 9. Simul haec, quae porto, deprimunt. *Cic. Tusc.* 5, 17. *extr.* Tantum propendere illam boni lancem putat, ut terram et maria deprimat. *Nep. Con.* 4. Multas naves capit, complures deprimit, i. e. demergit. *Cato R. R.* 32. et *Colum. Arbor.* 7. Vitem in terram deprimere. *Plin.* 14, 1, 3. Vitis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines. *Id.* 2, 16, 13. Deprimente aliquid ad terras. *Pallad.* 4, 9. Semen siccatum deprimere. *Cic. fr.* apud *Lact.* 3, 19. Deprimi in tenebras. *Tac. A.* 15, 42. Navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuri. Adde *Hirt. B. G.* 8, 40. *Ulp. Dig.* 8, 2, 16. Eum quoque, qui tollit aedificium, vel deprimit, officere luminibus. *Pompon. ib.* 4, 11. Deprimere vel allevare rivum. [*Lact. Opif. Dei* 10, 16. cibos colligit (lingua) et conglobatos vi sua deprimit et transmittit ad ventrem. Cf. DEPULSUS.] ℙ Item opprimere. *Ov. Met.* 12, 260. Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram Ignibus, et medium Lapitharum jecit in agmen, Depressitque duos. [*Sic *Heins.* et *Burm.*] Al. leg. *oppressit.* ℙ Item calcare. *Petr. Sat.* 123. Caesar tumidas iratus deprimit arces, *h. e.* per Alpes iter facit. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 18. Vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis. *Auct.* ad *Her.* 3, 1. Causam adaugere aut deprimere. [*Causa deprimitur, si iis orationis artificiis et momentis utimur, quibus efficiatur, ut causa minus gravis appareat, et ad alia auditorum animi traducantur. Sic *Ern. techn. Lat.* p. 111. quem V.] *Quint.* 8, 3. *extr.* Elocutio attollit aut deprimit. *Liv.* 30, 36. Contemplato Carthaginis situ, non tam noscendi in praesentia, quam deprimendi hostis causa. *Senec. ep.* 10. Vide ne te ulla res deprimat. *Gell.* 1, 11. *a med.* Deprimere et sedare impetum vocis. *Plin. Pan.* 44. Rectos ac vividos animos contundere ac deprimere. [*Nep. Att.* 22, 1. preces taciturna sua obstinatione depressit i. e. non sine animi contentione a se amovit, nos: *niederkämpfen.* V. *Brem.*]

DĒPRŌCUL, adv. procul, longe. *Pl. Pers.* 4, 2, 6. Abscede deprocul e conspectu. Al. rectius leg. *procul.* [*Omnino.]

DĒPROELIANS, antis, part. ab inusit. *deproelio*, valde proelians, decertans. *Hor. Od.* 1, 9, 10. ventos aequore fervido Deproeliantes.

DĒPRŌMO, is, ompsi, *aut* omsi, omptum, *aut* omtum, a. 3. προφέρω, ἐκφέρω, promo, extraho, profero. *Pl. Truc.* 3, 1, 2. Bubus glandem prandio depromere. *Hor. Od.* 1, 9, 6. benignius Deprome quadrimum Sabina, o Taliarche, merum diota. *Virg. A.* 11, 590. ultricem pharetra deprome sagittam. *Cic. Off.* 2, 15. Pecuniam ex arca depromere. ℙ Joculariter. *Pl. Amph.* 1, 1, 4. Quid faciam, si tresviri me in carcerem compegerint? Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum? ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 59. Juris utilitas vel a peritis, vel de libris depromi potest. *Id. ib.* 46. Depromenda saepe oratio est ex jure civili. *Id. Fam.* 13, 6. Pollicitus sum, me ex intima nostra arte deprompturum mirificum genus commendationis. *Id. Verr.* 2, 3, 66. Verba domo patroni depromere. *Id. Fin.* 4, 4. E locis, quasi thesauris, argumenta depromere.

DĒPRŌMPTUS et Depromtus, a, um, part. a *depromo*, ut Deprompta ex aerario pecunia, *Cic. Manil.* 13. ℙ Translate. *Id. initio Parad.* 1. Ex Stoicorum disputationibus, non ex meo sensu deprompta oratio. *Id. Or.* 1, 57. Aliquid de jure civili depromptum. *Id. Phil.* 3, 6. Maledicta deprompta ex recordatione impudicitiae.

DĒPRŌPĔRO, as, a. 1. καταπεύδω, valde propero, properanter facio, festino. *Hor. Od.* 2, 7, 24. Quis udo Deproperare apio coronas Curatve myrto? *Sil.* 2, 265. Numidum furibunda cohors miserabile humandi Deproperat munus. *Pl. Poen.* 1, 2, 108. Prius deproperant sedulo sacrificare.

[DĒPRŌPINQUO, as, n. 1. valde appropinquo. *Not. Tir.* p. 104. Depropinquat. *F.*]

DEPSO, is, ui, pstum, a. 3. δεψέω, subigo, macero, tractando, premendo, et madefaciendo mollem ac tenerum reddo, v. gr. panem: a voce Graeca allata. *Varr.* ap. *Non.* 2, 234. Molere et depsere. *Cato R. R.* 90. Id ubi excoxeris, depsito bene: oleo manum unguito, postea magis depses. *Id. ib.* 135. Coria depsere et ungere. et *ib.* 76. Ubi depsueris etc. ℙ Habuit etiam obscenum sensum, ut significat *Cic. Fam.* 9, 22. [*ubi V. *Manut.*]

DEPSTĬCĬUS. V. TESTICIUS.

DEPSTUS, a, um, part. a *depso*, subactus, maceratus. *Cato R. R.* 135. Coria recentia, quae depsta sient. et *ib.* 40. Luto depsto stirpem oblinito.

DĒPŪBES et Depubis, e, qui ad pubertatis annos non potuit pervenire. Hinc depubes porcus, quem lactentem occidimus. *Festus.*

DĒPŪDESCO, is, ui, n. 3. idem quod pudere vel valde pudere. *Appul. Met.* 10. p. 253, 3. Priusquam infamia publici spectaculi depudescerem.

DĒPŪDET, ebat, uduit, impers. 2. valde pudet, καταιδέομαι. *Vell.* 2, 73. Cum eum non depuderet vindicatum armis patris sui mare infestare. ℙ Item contraria significatione, pudere desinit, ἀναιδέομαι. *Ov. Her.* 4, 155. Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit. *Id. Am.* 3, 11, 4. Et quae depuduit ferre, tulisse pudet. *Senec. Const. Sap.* 17. Assiduis conviciis depudere didicerat.

DĒPŪDĬCO, as, a. 1. διαφθείρω, violo, stupro, pudicitiam aufero. Enumeratur a *Gell.* 16, 7. inter verba, quae *Laberius* in *Mimis* praelicenter finxit.

*DEPUGIS. V. DEPYGIS.

DEPUGNĀTĬO, onis, f. idem quod pugna, certamen, depugnandi actus. *Cato* apud *Non.* 3, 89. Una depugnatio est fronte longa, quadro exercitu. Al. leg. *repugnatio.* At *Veg. Milit.* 3, 20., ubi eadem Catonis verba recitat, habet non semel *depugnatio.* ℙ Translate. *Firmic. Math. praef.* 4. Forensium certaminum depugnationibus liberatus. ℙ A *Tert. Spectac.* 18. accipitur pro certamine pugnis facto.

*DEPUGNĀTOR, oris, m. i. q. pugil. *JCt.* in *Cod. B. A.*

DĒPUGNĀTUS, a, um, part. a *depugno*, idem quod pugnatus. *Pl. Men.* 5, 6, 31. Ne sero veniam depugnato proelio.

DĒPUGNO, as, avi, atum, a. 1. διαγωνίζεσθαι, διαμάχομαι, idem quod pugno, aut acriter pugno, de tota re dimicare sum paratus, certo, contendo. *Liv.* 34, 46. Cum Gallis, signis collatis depugnavit. *Cic. Tusc.* 4, 22. Cum Ajax depugnaturus esset cum Hectore. [*Lubenter h. v. de singulari certamine utuntur.] *Plin.* 7, 56, 57. *sub f.* Classe princeps depugnavit Minos. *Cic. Fam.* 6, 4. Magnae utrinque copiae ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, ut etc. *Caes. B. G.* 7, 28. Acie instructa depugnare. ℙ De gladiatoribus et bestiariis. *Cic. Tusc.* 2, 17. Cum sontes ferro depugnabant. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *ante med.* Cum depressus in ludum bis gratis depugnasset. [*In Tab. aen.* apud *Mazoch. Tabul. Heracl.* p. 423. Qui depugnandi caussa auctoratus est. *F.*] *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. §. 6. Depugnare cum bestiis. *et paulo post.* Depugnare feram, quae regioni nocet. *Modestin. ib.* 48, 8, 11. Ad bestias depugnandas servos tradere. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 16, 11. *a med.* Kal. Jan. erit fortasse praesidio: aut quidem ante depugnabitur. ℙ Translate. *Plin.* 21, 8, 22. de coloribus: Paria nunc componuntur et natura atque luxuria depugnant. *Cic. Acad.* 4, 46. Voluptas depugnat cum honestate. *Pl. Stich.* 4, 2, 47. cum fame. *Id. Trin.* 2, 2, 24. cum animo suo. ℙ Cum dativo. *Sil.* 10, 475. Depugnare morti. ℙ *Depugnarier* paragoge pro *depugnari* est *Pl. Cas.* 2, 5, 36.

*DEPULPO, as, a. 1. pulpam s. carnes aufero de ossibus. *Gloss. Lat. Gr.* Depulpo, ἀποσαρκῶ. *B. A.*

*DEPULSĀTOR, oris, m. *Augustin. B. A.*

DĒPULSĬO, onis, f. ἄπωσις, actus depellendi. *Cic. Phil.* 8, 4. Quae causa justior est belli gerendi, quam servitutis depulsio? *Id. Fin.* 5, 6. *ad f.* Depulsio doloris. [*Id. ib.* 2, 13. nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni judicemus. ℙ *Depulsionem* explicant: directionem contrariam apud *Cic. Univ.* 14. supina etiam ora cernuntur depulsione luminum, sc. ea depulsione quae superiora sunt inferiora redduntur.] ℙ Translate est defensio et refutatio, qua quis crimina sibi objecta depellit. *Cic. Inv.* 2, 26. Intentio est, injuria sororem occidisti: depulsio est, jure occidi: quaestio est, jure meo occiderit. Adde *ib.* 1, 10. et *Quint. prooem. l.* 8. et 3, 6. et 6, 4.

*DEPULSITASSE, ἀπωθηκέναι. *Gloss. B. A.*

DĒPULSO, as, a. 1. frequent. a *depello*. *Pl. Stich.* 2, 1, 13. Cubitis depulsa de via, tranquillam concinna viam.

DĒPULSOR, oris, m. qui depellit. *Cic. Phil.* 2, 11. Depulsor dominatus, quam particeps esse maluit. ℙ Est etiam epithetum Jovis, ut averruncus, custos, conservator, ἀλεξίκακος. *Inscr.* apud *Grut.* 20, 3. et apud *Murat.* 9, 8. et 1977, 4. et 5.

DĒPULSŌRĬUS, a, um, adj. ad depellendum seu avertendum pertinens, ut *Depulsoria sacra*, quibus Deorum ira placatur et mala avertuntur. *Ammian.* 25, 2. Numinibus per sacra depulsoria supplicans. *Plin.* quoque 28, 2, 3. *depulsoria* haec *sacra* commemorat. V. v. seq.

DĒPULSUS, a, um, part. a *depello*, ἀπωθεὶς, deorsum pulsus, dejectus. *Cic. N. D.* 2, 54. Stomachus agitatione et motibus linguae cum depulsum et quasi detrusum cibum accepit etc. *Id. Cat.* 3, 8. Simulacra Deorum depulsa, statuae hominum dejectae. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 663. puer depulsus lacte. ℙ Translate. *Nep. Them.* 5. Depulsus gradu. *Id. Dat.* 7. ab aliqua re. *Cic. Fam.* 1, 7. *a med.* de vetere diuturnaque sententia. *Id. Or.* 3, 3. tribunatu per invidiam. *Id. Fam.* 12, 1. Ut tantummodo odium illud hominis impuri et servitutis dolo depulsus esse videatur. ℙ *Depulsum*, *i*, absolute est depulsio. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. Portentorum depulsa Etrusca disciplina explicari voluerunt, *h. e.* ritus, sacra, et preces, quibus portenta expiantur. V. DEPULSORIUS.

DĒPULTUS, a, um, part. idem quod depulsus, antiquo more, quo et *pulto* pro *pulso* dicebant. *Auct.* ad *Her.* 4, 10. *sub f.* Si praeceps in Neptunias depultus erit lacunas. Alii tamen leg. *depulsus*. [*Quod post *Graev.* e melioribus libris omnes receperunt.]

DĒPULVĔRANS, antis, part. ab inusit. *depulvero*, pulverem excutiens. *In Supposit. Aul. Plauti* 3, 25. Luctum depulverans meum, *h. e.* abstergens.

DĒPUNGO, is, a. 3. idem quod pungo. *Pers.* 6, 79. depunge, ubi sistam, *h. e.* indica, assigna locum, ubi sistam: ducta metaphora a libra, in qua certum pondus punctis notatur. Al. leg. *depinge*. ℙ Apud *Tert.* quoque *adv. Marc.* 2, 7. legitur a quibusdam (nam alii *depingo*) alia tamen et satis obscura, raraque admodum significatione.

DĒPURGĀTĪVUS, a, um, adj. *Coel. Aur. Acut.* 3, 16. Depurgativae virtutis esse.

DĒPURGĀTUS, a, um, part. a *depurgo*. *Colum.* 12, 9. Caules lactucae ab imo depurgati.

DĒPURGO, as, a. 1. καθαρεύω, idem quod purgo, aut probe purgo. *Cato R. R.* 112. Si qua acina corrupta erunt, depurgato. *Id. ib.* 151. Terram depurgato ab herba graminibusque. *Colum.* 9, 14. *a med.* Aperire alvos et depurgare quidquid immundi est. ℙ Translate *depurgare crimina*, h. e. diluere, aut excusare, est qui legit apud *Liv.* 39, 35., sed plerique alii *purgare*.

DĒPŪRO, as, a. 1. purum facio. Auctorem huic verbo sunt qui attribuunt *Front. Aquaed.* 93., ubi codices MSS. habent *defaecare*, teste *Poleno:* sunt qui alium *Front. de limitib. agror.*, sed hic quoque locus valde suspectae fidei est.

DĒPŪTĀTUS, a, um, part. a *deputo*. [*Inscr.* ap. *Grut.* 1028, 2. L. Petronio L. F. Sab. Tauro Volusiano, centurioni deputato *etc.*, *h. e.* aliquo gradu supra ceteros centuriones ad honoratiora munia exsequenda deputato. Haec pertinet ad an. a Chr. n. 261. *F.*] *Macr. Sat.* 7, 14. Ad deputatam sibi a natura sedem proprii sensus recurrunt. *Sever. Sulpic. Hist. sacr.* 1, 53. Turba colendis agris deputata. ℙ Item amputatus, decisus. *Colum.* 3, 10. *ad f.* Malleolus deputatus et in terram depositus.

DĒPŪTO, as, avi, atum, a. 1. κατατέμνω, idem quod puto, *h. e.* caedo, seco, amputo, abscindo. *Cato R. R.* 49. Vineam primum deputato, binas gemmas, ne amplius, relinquito. *Colum.* 4, 7. Palmites falce deputandi. *Ov. de Nuce*, 63. Falx deputat umbras, *h. e.* ramos umbrantes. ℙ Item puto, *h. e.* censeo, existimo, judico, νομίζω. *Vet. Poeta* [*Attius] apud *Cic. Div.* 1, 22. Quem tu esse hebetem deputas aeque ac pecus. *Ter. Heaut.* 1, 1, 83. et *Cic. Tusc.* 3, 27. Deputare se dignum quovis malo. *Id. Hec.* 5, 3, 1. Deputare parvi pretii operam alicujus. *Id. Ph.* 2, 1, 16. Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. ℙ *Id. Ad.* 2, 1. *extr.* Deputare secum rationes. Sed alii leg. *putare*. [*Sic *Bentl.*] ℙ Item destino, destinare. *Pallad.* 12, 11. *extr.* Atque ita solum, quod huic generi deputabis, implere. *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 2, 7. Accusatores deputari leonibus praecepit. ℙ Deputare aliquid delicto, est *Tert. de Poenit.* 3.

DĒPŬVĔRĔ, caedere. *Lucilius:* palmisque misellam Depuvit me, id est verberavit me: quod ipsum ex Graeco est παίειν. Haec *Festus*. Alii volunt legi *depuvire:* a *de* et *pavio*. [*V. *Salm.* ad *Solin.* p. 41. *B. A.*]

DĒPYGIS, e, adj. ἄπυγος, qui macras et exiles nates habet: a *de* et *pyga*. *Hor. Sat.* 1, 2, 93. Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est. Sic eod. sensu *Id. Epod.* 8, 5. Hietque turpis inter aridas nates Podex. ℙ Scribitur et *depugis*.

DĒQUE, adv. V. SUSQUE DEQUE. ℙ Apud veteres *deque* vim habuit minuendi et remittendi, ut docet *Gell.* 10, 29.

DĒQUESTUS, a, um, part. ab inusit. *dequeror*, valde questus. *Val. Fl.* 5, 448. omnes secum dequesta labores. *Stat. Th.* 11, 627. Talia dequestus. Adde *ib.* 1, 404.

DĒRADO, is, asi, asum, a. 3. ἀποξέω, radendo aufero, abrado. *Cato R. R.* 121. De virga lauri deradito. *Gell.* 17, 9. Legebamus, eum ceram derasisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse. *Id. ib. sub f.* Servo suo capillum ex capite omni deradit. *Id.* 7, 20. Poeta offensum, nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse. *Cels.* 8, 4. Atramentum scalpro deradendum.

*DERANGAE, arum, Indiae populus, cis Gangem. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*DERASĪDES INSULAE Ioniae adjacebant. *Plin.* 2, 89. et 5, 29. *B. A.*

DĒRĀSUS, a, um, part. a *derado*, ἀπόξυρος, abrasus, exesus. *Cels.* 5, 26. *n.* 35. Sed ne illa quidem negligenda, ubi interior pars collisa, aut ubi derasum detritumve aliquid est. *Plin.* 29, 6, 34. Derasum caput. *Id.* 32, 7, 24. Humor specillis derasus. *Id.* 20, 2, 6. Derasus cortex. Adde *Plin. alter. ep.* 8, 20. *Mart.* 8, 33. An magis astuti derasa est ungue ministri Bractea?

*DERBĒTES, ae, m. Δερβήτης, incola Derbes. Fuit autem Derbe oppidum Lycaoniae, in confinio Pisidiae atque Cappadociae, versus montes, non procul ab Isauria. *Cic. Fam.* 13, 73. Cum Antipatro Derbete. *B. A.*

*DERBĪCES, um, populi Asiae, in Margiana. *Plin.* 6, 18. *Mela* 3, 5. *ante med. B. A.*

*DERBIOSUS, a, um, adj. derbia affectus, quae i. q. impetigo apud medicos. *Octav. Horat.* 1, 10. Derbiosi oculi, quos impetiginosos dicimus. *B. A.*

DERCĒA, ae, f. herba Apollinaris, solani species, δέρκεια. *Appul. Herb.* 22.

DERCĒTIS, is, et Dercēto, us, f. Δερκίτις et Δερκετώ, οῦς. Dea Syrorum, eadem quae Atargatis. Fabulantur, Venerem ab immani gigante subito deprehensam, cum ad ripas Euphratis cum filio Cupidine consedisset, metu se in fluvium conjecisse, versamque in piscem, illius vim evasisse: vel duobus piscibus subeuntibus, in adversam ripam fuisse transvectam. Itaque postea Syros accolas destitisse pisces esitare. Ita *Hyg. Astron.* 2, 30. et *Ov. Fast.* 2. a *vers.* 461. Alii tradunt fuisse hoc nomine nympham, matrem Semiramidis, (ut *Hyg.* tradit *fab.* 223.) quae pudore et dolore delibatae pudicitiae, in lacum prope Ascalonem se praecipitaverit, et in piscem conversa sit; atque humana quidem facie, cetero autem corpore figura piscis a Syris culta. *Ov. Met.* 4, 44. et dubia est, de te, Babylonia narret, Derceti, quam, versa squamis velantibus artus, Stagna Palaestini credunt celebrasse figura. *Plin.* 5, 23, 19. Atargatis, Graecis Derceto dicta.

[DERCĪUS, a, um, adj. ad Dercetin pertinens. *Avien.. Arat.* 541. proles tibi Dercia, Pisces Surgent Bambycii. V. BAMBYCIUS. *F.*]

DĒRĔLICTĬO, onis, f. κατάλειψις, actus derelinquendi. *Cic. Off.* 3, 6. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est.

DĒRĔLICTUS, a, um, part. a *derelinquo*, καταλειφθεὶς, relictus, desertus, destitutus. *Caes. B. G.* 3, 13. Naves ab aestu derelictae. *Cic. Brut.* 4. Serere in inculto et derelicto solo. [*Id. *N. D.* 1, 4, 11. desertarum derelictarumque rerum patrocinium suscipere.] *Id. Cat.* 1, 10. Homines perditi atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelicti. *Id. Att.* 8, 1. Haec oppida atque oram maritimam ille pro derelicto habet, i. e. deseruit. [*Eadem formula legitur apud *Cic. Brut.* 72. *in f.* ex conj. *Lallem.* Sed locus est corruptus.] Sic *Pl. Truc.* 4, 4, 14. Ut me quasi pro derelicta sis habiturus. ℙ *In derelicto esse.* V. DEPERDITUS. ℙ Item relictus legato aut destamento. *Hieron. ep.* 108. *n.* 30. Ne unum quidem nummum ab ea filiae derelictum, sed derelictum magnum aes alienum.

DĒRĔLICTUS, us, m. derelictio. *Gell.* 4, 12. Sive quis arborem suam, vineamque habuerit derelictui.

DĒRĔLINQUO, is, iqui, ictum, καταλείπω, est prorsus seu in totum relinquere, deserere. *Cic. Caecin.* 35. Derelinquo jam communem causam. *Id. Verr.* 2, 3, 51. Totas orationes derelinquere. ℙ Pro relinquere legato, aut testamento, aut alia ratione. *Arnob.* 5. p. 161. Varro in librorum quatuor primo, quos de gente conscriptos R. populi dereliquit. V. DERELICTUS, a, um. *Curt.* 9, 4. Arx erat oppidi intacta, in qua praesidium dereliquit.

DĒRĔPENTĔ, adv. ἐξαίφνης, repente, desubito. Una vox est, ut *defessus*, neque divisim scribi potest: quia si separaveris, non est Latina inquit *Donat.* ad illud *Ter. Hec.* 4, 1, 3. Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam. *Id. ib.* 39. Si is posset ab ea sese derepente avellere, quicum tot consuesset annos. *Pl. Most.* 2, 2, 57. Atque ille exclamat derepente maximum. *Cic. Ligar.* 14. Si cum hoc domi faceremus, tu derepente irrupisses. [*Apud *Liv.* h. v. non legitur; nam 21, 41. meliores libri habent *repente*.] *Tac. H.* 1, 63. Raptis derepente armis. Adde *Turpil.*, *Enn.*, *Afran.*, *Varron.*, *Accium*, *Novium* et *Pompon.* apud *Non.* 12, 2.

DĒRĔPENTĪNO, adv. idem quod derepente. *Appul. Flor. n.* 16. p. 353, 10. Quid derepentino distulerit. et *ib.* 23. p. 365, 14. Sententia derepentino oborta est. ℙ Est qui malit divisim scribere *de repentino*.

DĒRĔPO, is, epsi, eptum, n. 3. deorsum repo. *Plin.* 8, 36, 54. de ursis: Ingrediuntur et bipedes: arborem aversi derepunt. *Phaedr.* 2, 4. Derepit ad cubile setosae suis. ℙ Item universim descendo. *Appul. Met.* 4. p. 145, 19. Ibi cum singuli derepsissent. ℙ *Varr.* ap. *Non.* 15, 12. Non vides, ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana? ℙ Est qui apud *Phaedr.* et *Appul.* legit *direpo*, minus recte tamen.

DĒREPTUS, a, um, part. a *derepo*, deorsum raptus, avulsus, detractus. *Ov. Am.* 1, 14, 12. Dereptus cortex. *Id. ib.* 18. Derepta acus. *Id. Met.* 3, 52. leoni pellis. *Hor. Od.* 1, 9. *extr.* Pignus dereptum lacertis. *Virg. A.* 11, 193. spolia occisis derepta Latinis. [*Sic *Tac. A.* 2, 45. coll. 1, 20. ubi V. *Ern.*] *Cic. Fin.* 1, 13. Terroribus cupiditatibusque detractis, et omnium falsarum opinionum temeritate derepta. Adde quae congessit *Heins.* ad citat. *Ovidii loc.* ex *Met.* Ubique autem alii leg. *direptus:* sed rectius leges *dereptus*, quoties deorsum rapiendi actio significatur.

*DERETĪNI, orum, m. populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

DĒRĪDĔO, es, isi, isum, a. 2. καταγελάω, valde rideo, cum contemptu rideo. *Cic. Or.* 3, 14. Omnes istos deridete atque contemnite. *Ter. Eun.* 5, 2, 21. Ultro etiam derisum advenit. *Hor. Ep.* 2, 1, 262. Discit enim citius, meminitque libentius illud, Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur. *Suet. Rhet.* 2. Deridens, ut inflatum ac levem et sordidum. *Phaedr.* 3, 14. Derisor potius, quam deridendus senex. [*De vv. *deridere* et *irridere* cf. *Döderl. Syn.* III. p. 252. sq.]

DĒRĪDĬCŬLUM, i, n. derisio, irrisio, καταγέλως, καταμώκησις. [*De auget.] *Pl. Amph.* 2, 2, 50. Quid tu me deridiculi gratia sic salutas? *Id. Ps.* 4, 5, 7. Verba alicui per deridiculum dare. *Tac. A.* 3, 57. Esse deridiculo. *Ter. Heaut.* 5, 1, 79. Putare sibi aliquem pro deridiculo et delectamento.

DĒRĪDĬCŬLUS, a, um, adj. καταγέλαστος, valde ridiculus. *Pl. Mil.* 2, 1, 14. Is deridiculus est, quaqua incedit, omnibus. *Varr. R. R.* 1, 18. *a med.* Sequetur, ut duo villicos et duas villicas habeat: quod est deridiculum. [*Liv. 39, 26. alterum deridiculum esse, se reddere rationem etc. V. *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Gell.* 13, 30. Deridiculum esse in legendo. *Id.* 12, 2. Deridiculos versus facere. *Tac. A.* 12, 49. Julius Pelignus ignavi animi et deridiculo corporis juxta despiciendus.

*DERIGEO. V. DIRIGEO. Rectius h. v. huc transferas. *B. A.*

DĒRĪGO, is, a. 3. deorsum rego. Legitur a nonnullis apud *Lucr.* 6, 823., ubi alii *dirigo*. [*Sic recte *Eichst.*] Apud *Silium* quoque, non uno in loco, eadem lectionis varietas est. [At profecto *derexserat* legitur in *Inscr.* quam vide in DERIVO. *F.*]

DĒRĪPĬO, is, ipui, eptum, a. 3. ἁρπάζω, deorsum rapio, detraho, et plerumque cum aliqua festinatione. *Virg. G.* 2, 242. Colaque praelorum fumosis deripe tectis. *Hor. Epod.* 17, 77. polo Deripere lunam vocibus possum meis. *Id. Od.* 3, 28, 8. Deripere horreo amphoram. *Pl. Rud.* 3, 5, 5. capillo aliquem de ara. *Senec. Agam.* 693. infulas capiti. Adde quae multa congessit *Heins.* ad *Ovidii Met.* 3, 52., in quibus omnibus praestantiores libri *deripio* habent, quia deorsum ducendi actio aliqua significatur. [*Cf. omnino, quae docte de h. v. disputat *Cort.* ad *Lucan.* 1, 240. et *Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 15, 14.] Al. leg. *diripio*. V. DEREPTUS et DIRIPIO. *Tibull.* 1, 10, 60. e coelo deripit ille Deos. ℙ Translate. *Cic. Sull.* 1. *a med.* Quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum de hujus praesidiis deminuturum, *h. e.* detraxisset. Male qui leg. *diripuisset*. [*V. *Graev.* ad h. l. coll. *Cuper. obss.* 4, 5.]

DĒRĪSĬO, onis, f. *Arnob.* 7. p. 239. Derisionis materia. *Lact.* 4, 18. ex *Esdra*. Eritis derisio in gentibus.

DĒRĪSOR, oris, m. καταγελαστὴς, qui deridet. *Plin.* 11, 52, 114. Supercilia, quibus juxta tempora inflexa, derisores significant. ℙ *Derisores* etiam dicuntur conviviorum scurrae. *Pl. Capt.* 1, 1, 3. Quia invocatus esse soleo in convivio, scio, absurde dictum hoc derisores dicere. *Hor. Ep.* 1, 18, 10. Alter in obsequium plus aequo pronus, et imi Derisor lecti. *Senec. ep.* 27. Quadratus stultorum divitum arrosor, et quod sequitur, arrisor,

et quod duobus his adjunctum est, derisor. ℙ Item mimi. *Mart.* 1, 5. Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum. ℙ Item adulatores. *Hor. A. P.* 431. Ut qui conducti plorant in funere dicunt, Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic Derisor vero plus laudatore movetur.

DĒRĪSORĬUS, a, um, adj. ad deridendum pertinens. *Mart. Dig.* 28, 7, 14. Conditiones, quae contra bonos mores vel derisoriae sunt, pro non scriptis habentur.

DĒRĪSUS, a, um, part. a *derideo*, καταγελασθείς. *Cic. Verr.* 2, 3, 92. Derisum beneficium atque contemptum.

DĒRĪSUS, us, m. idem quod derisio. *Quint.* 6, 3. A derisu non procul abest risus. *Senec. praef. l.* 4. *Contr. Exc.* Incidere in ea, quae derisum fugere non possunt. *Id. ep.* 76. Mihi contingat iste derisus. *Suet. Tib.* 70. Maxime curavit notitiam historiae fabularis, usque ad ineptias atque derisum. *Tac. Agr.* 39. Derisui esse. *Phaedr.* 5, 7. Facile ad derisum stulta levitas ducitur.

DĒRĪVĀTĬO, onis, f. ἐποχέτευσις, actus derivandi, deductio rivi. *Cic. Off.* 2, 4. Deductus aquarum, derivationes fluminum. [**Liv.* 5, 15. exsequebatur inde, quae solemnis derivatio esset. Loquitur de lacu Albano rite emittendo.] ℙ Apud grammaticos derivationes nominum et verborum, παραγωγαί, sunt eorum inflexiones, cum v. gr. ex uno nomine fit aliud, ut a *bonus bonitas*, a *lego lectito*. Has septem modis fieri, docet *Diomed.* l. p. 310. aut enim nomina quae derivantur, patronymica sunt, ut *Peleus Pelides;* aut possessiva, ut *Peleius;* aut paronyma, ut *equus equus;* aut verbalia, ut *dico dictio;* aut comparativa, ut *fortis fortior;* aut superlativa, ut *fortissimus;* aut denique diminutiva, ut *homo homunculus*. *Plin.* apud *Serv.* ad *A.* 9, 706. Derivationes firmas non habent regulas, sed exeunt prout auctoribus placet. *Paul. Dig.* 50, 16, 57. Magistratus per derivationem a magistris cognominantur. ℙ Praeterea *derivatio* dicitur cum ab uno sensu ad vicinum et similem oratio deducitur. [*Species est ὑποχωρισμοῦ. Multis de hac figura agit *Ern. techn. lat.* p. III.] *Quint.* 3, 7, 25. Quia est quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus. ℙ Translate. *Macr. Sat.* 6, 1. Hunc esse fructum legendi, quae maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere.

DĒRĪVĀTĪVUS, a, um, adj. παράγωγος, qui ab alio deductus est, ut derivativum nomen, et verbum. *Prisc.* 2. p. 593. Nomina propria in *ium* desinentia, si faciant derivativa in *us* terminantia, *i* longam habebunt paenultimam, ut Opitergium Opiterginus, Canusium Canusinus. *Id.* 8. p. 824. Species verborum sunt duae, primitiva et derivativa. Sunt ergo derivativorum diversae species, ut inchoativa, ut a *caleo calesco;* meditativa, ut a *pario parturio;* frequentativa, ut a *dico dictito;* diminutiva, ut a *sorbeo, sorbillo*. V. v. praec.

DĒRĪVĀTUS, a, um, part. a *derivo*, rivo deductus. *Caes. B. G.* 7, 72. Fossam aqua ex flumine derivata complere. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 16. Derivata exspectatio largitionis agrariae in agrum Campanum. *Hor. Od.* 3, 6, 19. Hoc fonte derivata clades.

DĒRĪVO, as, avi, atum, a. 1. παροχετεύω, rivi more aquam deduco, alioque deflecto. *Colum.* 2, 8. Omnem humorem in cloacas, atque inde extra segetes derivemus. *Pl. Truc.* 2, 7, 12. Derivare sibi aquam de fluvio. ℙ [Hinc *viam derivare* est a loco ad locum cum aliquo flexu perducere, aperire. Optimae notae *Inscr.* apud *Aur. Guarnierium, Dissert. intorno al corso dell' antica via Claudia.* Ti. Claudius Drusi F. Caesar. Aug. Germanicus viam Claudiam Augustam, quam Drusus pater Alpibus bello patefactis derivavit, muniit ab Altino usque ad fluvium Danuvium M. P. CCCL. In alia *ib.*... viam Claudiam Augustam, quam Drusus pater Alpibus bello patefactis derexserat, muniit a flumine Pado ad flumen Danuvium per M. P CC.... *B.* et *F.*] ℙ Per translationem *Cic. Verr.* 2, 2, 20. *extr.* Te tuam culpam non modo derivare in aliquem, sed communicare cum aliquo posse. *Id. Mil.* 10. *extr.* Dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est, i. e. amoliendi et in alium culpam transferendi causa. *Id. Phil.* 11, 9. Rerum natura cogit te partem aliquam in Asiam et Syriam derivare curae et cogitationis tuae. *Id. Tusc.* 5, 25. Justitia nihil in suam domum inde derivet. *Auct.* ad *Her.* 4, 27. Considerandum est, ne tota causa mutata in aliam causam derivetur. *Ter. Ph.* 2, 2, 9. Derivare in se omnem iram alicujus. *Cic. Verr.* 2, 1, 53. alio responsionem suam. *Lucr.* 2, 364. Nec vitulorum aliae species per pabula laeta Derivare queunt animum curaque levare, *h. e.* avocare, avertere. ℙ [In *Not. Tir.* p. 125. legitur *dirivat. F.*]

DĒRODO. V. DĒROSUS.

DĒRŌGĀTĬO, onis, f. diminutio, detractio, ἀφαίρεσις. *Auct.* ad *Her.* 2, 10. Cum duae leges inter se discrepant, videndum est primum, num qua obrogatio aut derogatio sit. ℙ Fit autem legis derogatio, cum ejus aliqua pars tollitur. V. ABROGO.

DĒRŌGĀTĪVUS, a, um, adj. idem ac detractorius, ut Praepositio derogativa, apud *Diomed.* l. p. 325., scilicet *in* cum privandi vim habet, ut *indoctus*.

DĒRŌGĀTOR, oris, m. detractor, qui invide carpit. *Sidon. ep.* 3, 13. Beneficii importunus petendi, derogator negati, aemulator accepti.

DĒRŌGĀTŌRĬUS, a, um, adj. derogativus, ut Derogatorium edictum, apud *Julian. Dig.* 25, 4, 2.

DĒRŌGĬTO, as, a. 1. valde rogito. *Pl. Asin.* 2, 2, 60. Placide ergo unumquodque derogita.

DĒRŌGO, as, avi, atum, a. 1. proprie est aliquid de lege per novam legem detrahere: quemadmodum *abrogo* est legem omnino tollere, μεταποιεῖν νόμον. *Cic. Inv.* 2, 45. Indignum est de lege aliquid derogari, aut legem abrogari. *Auct.* ad *Her.* 2, 10. Quod ea lex sanciat, cui legi abrogatum vel derogatum sit. ℙ Translate est alicui rei in genere aliquid detrahere, diminuere: cui contrarium est arrogare, attribuere, ἀφαιρεῖν. *Cic. Flacc.* 4. Non ego nationi huic fidem derogo. *Id. Quint.* 23. Fides hujus multis locis cognita, ne perfidia Sex. Naevii derogetur, laborant. (haec loquendi ratio singularis est: [at eadem utitur *Id. fragm. Flacc.* (ed. *Maio*) 2. Haec ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt? *F.*]) *Id. Caecin.* 1. Derogare de fide testium. *Id. Rosc. Am.* 32. Non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. *Id. Inv.* 2, 58. Derogare aliquid de magnificentia aut de honestate. et *ib.* 46. aliquid ex aequitate. *Plin.* 7, 28, 29. M. Sergio nemo quemquam praetulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. *Tac. A.* 13, 27. Nihil universorum juri derogandum. *Id. ib.* 15, 2. Derogare aliquid tutelae sociorum. *Auson. Gratiar. act.* 15. Non derogaturus industriam.

DĒROSUS, a, um, part. ab inusit. *derodo*, rosus. *Cic. Div.* 1, 44. Derosos esse a muribus clypeos. *Plin.* 11, 37, 62. A cochleis minimis derosa vitis. *Id.* 17, 25, 38. Ficus derosae a locustis.

*DERRHA, ae, oppidum Macedoniae, ad sinum Thermaicum. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

*DERRHIS vel Derris, is, promontorium Macedoniae, ad sinus Toronaei ostium. *Mela* 2, 3. *init. B. A.*

*DERTONA, ae, oppidum Liguriae, hodie *Tortona* dictum. *Plin.* 3, 5. *D. Brut.* in *Cic. Fam.* 11, 10. *extr. Vell.* 1, 15. *B. A.*

DERTOSĀNUS, a, um, adj. ad Dertosam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, ad Iberum fluvium: nunc *Tortosa*, apud *Ptol.* 2, 6. Δέρτωσα, et in nummo apud *Mionnet Descr. des médaill. ant. Supplem. T.* 1. p. 81. Colonia Dertosa. *Plin.* 3, 3, 4. Civium Romanorum Dertusani. Lege *Dertosani. Inscr.* ap. *Murat.* 1043, 1. Ordo Dertosanorum. [*Plura addidit *F.*]

*DERUENTIO, onis, Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

DĒRUNCĪNĀTUS, a, um, part. a *deruncino*, runcina sectus. Translate. *Pl. Capt.* 3, 4, 108. Deruncinatus, deartuatus sum miser hujus scelesti technis.

DĒRUNCĪNO, as, avi, atum, a. 1. βοταρίζω, est runcina secare. Translate. *Pl. Mil.* 4, 4, 6. Ut lepide deruncinavit militem! *h. e.* decepit. Al. leg. *detruncavit.* [*Male.]

DĒRŬO, is, ui, utum, a. 3. deorsum ruo, everto. *Senec. Qu. Nat.* 3, 27. Hiems immensam vim aquarum ruptis nubibus deruat. ℙ Translate. *Cic. Att.* 16, 11. De laudibus Dolabellae deruam cumulum. Al. leg. *diruam.* ℙ Est etiam neutrum, et significat deorsum cadere. *Appul. Met.* 2. p. 128, 18. Nasum prehendo, sequitur: aures pertracto, deruunt. et *ib.* 7. p. 196, 4. Oneris impatientia delapsus deruissem.

[DĒRŬO, onis, m. a *deruo* verbo, qui deruit et perdit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1015, 9. Fatis Deruonibus V. S. L. M. M. Rufinus Severus. Hujus inscriptionis αὐθεντίαν elevare conatur *Maff. Art. Crit. Lapid.* p. 377., eandem tamen confirmat *Labusius Monum. Bresc.* p. 109. V. FATUM. *F.*]

DĒRUPTUS, a, um, part. ab inusit. *derumpo*, abruptus, praeruptus, καταῤῥωγώς. *Tac. A.* 2, 80. Collis arduus et deruptus. [**Id. ib.* 4, 45. derupta et avia.] *Liv.* 21, 33. Praecipites deruptaeque utrinque angustiae. *Id.* 38, 2. *ad f.* Altior deruptiorque undique tumulus. *et mox.* Multi pavore in derupta praecipitati. *subaudi* loca. Al. leg. ubique *diruptus:* verum, quoniam praeceps locus deorsum versus significatur, *deruptus* verior lectio est.

DĒRŬTUS, a, um, part. a *deruo*, deorsum complanatus. *Gell.* 6, 2. *a med.* Lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque deruta jacias, praeceps volvitur. Al. leg. *derupta*, alii *dirupta.* [*Illud defendit *Gron.*]

*DERXENE, es, f. regio Armeniae. *Plin.* 5, 24. ℙ Ξερξήνη est *Straboni*, unde forsan legendum (ait *Schellerus*) *Xerxene* in loco *Plinii*. Sed V. *Xerxene. B. A.*

*DES, si *Varroni* credimus *L. L.* 4, 36. p. 41. olim pro Bes, dicebatur As, dempto triente. Est enim *Des* sive *Bes*, octo unciarum. V. *Bes. B. A.*

DĒSĂBŬLO, as, a. 1. sabulo sterno, munio, firmo. Translate. *Varr.* ap. *Non.* 2, 238. Unam viam Zenona moenisse, duce virtute: hanc esse nobilem. Alteram Carneadem desabulasse, bona corporis secutum. Ita *Scal.* legit atque interpretatur *l.* 2. *lect. Auson. c.* 30. Nam *Nonius* habet *desubulasse*, et interpretatur perfodisse.

DĒSACRĀTUS, a, um, part. a *desacro*, consecratus. *Capitolin. Anton. philos.* 18. Templum ei constitutum, dati sacerdotes, et sodales, et flamines, et omnia quae desacratis decrevit antiquitas, *h. e.* in Deos relatis, ἀποθεωθεῖσιν.

DĒSACRO, as, a. 1. idem ac sacro vel consecro. *Stat. Th.* 9, 586. Quercus erat, Triviae quam desacraverat ipsa etc.

DĒSAEVĬO, is, n. 4. ἐξαγριαίνομαι, valde saevio. *Virg. A.* 10, 569. Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor, Ut semel intepuit mucro. *Id. ib.* 4, 52. causasque innecte morandi, Dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion, Quassataeque rates, dum non tractabile coelum. *Lucan.* 6, 540. omnes avide desaevit in artus. *Suet. Ner.* 29. Cum affatim desaevisset. *Hor. Ep.* 1, 3, 14. An tragica desaevit, et ampullatur in arte? ℙ Item saevire desino. *Lucan.* 5, 303. nec, dum desaeviat ira, Exspectat. ℙ *Desaevire aliquem* active pro *in aliquem*, allatis aliquot *Tertulliani* locis probat *Salm.* ad *Capitolin. Anton. philos.* 24.

DĒSALTĀTUS, a, um, part. a *desalto*, idem fere ac saltatus. *Suet. Cal.* 54. Cum palla tunicaque talari prosiluit et desaltato cantico abiit.

[DĒSALTO, as, avi, atum, a. 1. idem ac salto. *Cyprian. de Spectac. post. med.* Ut desaltentur fabulosae antiquitatum libidines. V. SALTO. *F.*]

[DĒSĂLŪTO, as, a. 1. valde saluto. *Not. Tir.* p. 105. Desalutat. *F.*]

[DĒSANNO, as, a. 1. idem ac subsanno. *Porphyr.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 6, 5. Naso suspendis adunco; haec habet. Quod vulgo dicunt desannas, id est per fastidium quoddam rides. *F.* **Gloss. Gr. Lat.* μυκτηρίζω. *B. A.*]

DESCĂPŪLĀTUS, a, um, adj. cui tunica a scapulis demissa est. *Senec. ep.* 115. Juvenes descapulatos. Ita legit *Scal.* At multo rectius *Lips.* et *Gruter.* de capsula totos. V. CAPSULA.

DESCENDO, is, endi, ensum, n. 3. καταβαίνω, ex loco superiore in inferiorem devenio: a *de* et *scando*. *Cic. Tusc.* 4, 4. In inferiorem ambulationem descendimus. *Id. Vatin.* 11. Descendere de Rostris. *Id. Senect.* 10. et *Liv.* 2, 2. ex equis. [*equo, *Sall. fr.* p. 997. *ed. Cort.*] *Liv.* 6, 18. de coelo. *Hor. Od.* 3, 4, 1. coelo. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 10. plaustro. *Virg. A.* 6, 831. aggeribus Alpinis. [**Id. G.* 2, 497. aut conjurato descendens Dacus ab Histro, i. e. incurrens in regiones subjacentes. *Ov. Met.* 1, 398. Descendunt velantque caput etc. sc. de templo; nam per gradus descendebatur.] et *ib.* 8, 423. coelo ab alto. *Caes. B. C.* 3, 98. ex loco superiore in planitiem. *Id. B. G.* 3, 15. in naves hostium. *Cic. Acad.* 4, 48. *in f.* ad nostras naviculas. *Hirt. B. Alex.* 74. valle praerupta. *Ov. Fast.* 1, 263. per clivum. *Liv.* 1, 12. in aequum. (*supple* locum). et *Stat. Th.* 11, 195. Rhodope descendit in amnes, *h. e.* nivibus vere solutis demittit torrentes. *Curt.* 9, 9. Mare intumescit, et in campos descendit, quia mare terris altius est. [**Lucan.* 5, 338. Non magis ablatis unquam descenderet aequor, Quam nunc crescit, aquis. Et *Bentl.* et *Cort.* v. *descendere* in h. l. probant et hic comparat *Ov. Fast.* 3, 835. mons descendit in aequum. De fluvio: *Lucan.* 3, 207. celer et rectis descendens Marsya ripis.] *Id.* 6, 5. *a med.* Vestis descendit ad genua. Et *Stat. Th.* 10, 644. descendunt vestes, *h. e.* quae breves erant, deducuntur ad talos. [**Lucan.* 3, 724. excipit telum, Qua jam non medius descendit in ilia venter.] *Ov. Met.* 12, 396. Coma ex humeris descendit in armos. *Petr. Sat.* 18. Capilli descendentes ab aure. *Id. ib.* 102. A regione gubernaculorum funis descendit, qui scaphae custodiam tenet. ℙ *Descendere* absolute, pro ex equo descendere. *Pl. Asin.* 3, 3, 120. et *Auct. B. Hisp.* 15. ℙ Item de lecto. *Tibull.* 1, 5, 41. Tunc me devotum descendens femina dixit. *Ov.* de eadem re *Am.* 3, 7, 81. habet *desiluit.* ℙ Cum dativo, poetice. *Sil.* 13, 708. Descendere nocti, *h. e.* ad inferos. Sic *ib.* 759. Descendere Erebo. [*Omnino frequentatur *descendere* de iis, qui ad Orcum descendunt, i. e. mortuis. Hinc absolute *Stat. Silv.* 5, 5, 38. Umbrae descendentes. Plura hujus generis collegit *Gron. diatr. Stat.* l. p. 587. *ed. Lips.* et *Cort.* ad *Lucan.* 6, 713. ℙ Cum accusativo. Sic semel reperitur apud *Vell.* 2, 24, 4. descendens montem Tifata. V. *Ruhnk.*, qui similia comparat.] ℙ Romae prodeuntes domo in publicum, et praesertim in forum venientes, *descendere* dicebantur, et qui comitabantur, *deducere;* tum quia nobiliores in

editioribus locis habitabant; tum quia fora omnia humiliora erant, utpote quae in montium convallibus sita. *Cic. Or.* 2, 66. Descendere in forum. *Id. fr.* apud *Non.* 14, 10. et *Liv.* 34, 1. ad forum. *Suet. Caes.* 13. ad comitia. et absolute *Cic. Phil.* 2, 6. Hodie non descendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis. et *Senec. Ben.* 3, 27. Usus consilio, descendenti Caesari occurrit. Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 38. [*V. de hoc usu *Gron. obss.* 3, 12. p. 411. *ed. Lips.* et *Bentl.* ad *Hor. Ep.* 1, 20, 5.] Invenitur tamen et *descendere domum*, apud *eund. Planc.* 14. Consuli P. Nasicae praeco Granius, medio in foro, cum ille, edicto justitio, domum descendens etc., sed ibi respicitur ad curiam, ex qua descendebat in forum consul, domum reversurus. *Manut.* tamen mallet legere *discedens.* [*Orell.* edidit ex *Ambros. schol.* lemmate: *decedens.*] ℙ Praeterea *descendere* dicuntur, quae merguntur aut infiguntur. *Liv.* 1, 41. Ferrum haud alte in corpus descendit. *Flor.* 3, 10. Gladiis descendere in jugulos. Adde *Lucan.* 6, 216. [*Et translate *Id.* 1, 31. nulli penitus descendere ferro contigit, i. e. nullus antea hostis tam alta vulnera Italiae inflixit, quam bellum civile. V. *Cort.* ad h. l.] et *Sil.* 16, 544. *Senec. Cons.* ad *Helv.* 3. Gravissimum est ex omnibus, quae unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus, fateor, non summam cutem rupit: pectus et viscera ipsa divisit. *Virg. A.* 5, 683. toto descendit corpore pestis. *Stat. Th.* 9, 261. clypeos arcusque remissos Unda vehit, galeasque vetant descendere cristae. *Plin.* 17, 14, 24. Descendit in rimam calamus. *Id.* 2, 55, 56. Nec unquam fulmen quinque altius pedibus descendit in terram. *Id.* 19, 6, 31. Radix lapathi descendit ad tria cubita. *Colum.* 11, 3. *sub f.* Rapae in altum descendunt. *Stat. Th.* 1, 133. juvenci, queis nondum vomere multo Ardua nodosos cervix descendit in armos, *h. e.* contrahitur, reflectitur conatu trahendi. ℙ Et translate. *Sall. Jug.* 11. Quod verbum in pectus Jugurthae altius, quam quisquam ratus, descendit. *Senec. Ben.* 1, 1. *a med.* Ita natura comparatum est, ut altius injuriae, quam merita descendant. ℙ Item quae ex alvo fluunt. *Cels.* 2, 4. *ad f.* Si quod descendit, est perliquidum aut albidum. *Id.* 1, 6. Olera quae celeriter descendunt. *Plin.* 23, 1, 1. Si cibus non descendat. ℙ Ipsa quoque alvus *descendere* dicitur, cum excrementa reddit. *Cels.* 2, 7. Ubi pluribus diebus non descendit alvus. ℙ Item Ubi pluribus diebus non descendit alvus. ℙ Item quae sidunt. *Plin. ep.* 10, 48. Theatrum ingentibus rimis descendit et hiat, sive in causa solum humidum et molle etc. ℙ Item qui secundo flumine navigant. *Prop.* 2, 3, 11. et *Suet. Tib.* 10. ℙ Translate varios habet usus. *Cic. Phil.* 8, 2. Consensus populi R., qui jam descendit in causam etc. *Liv.* 36, 7. Cui si semel in causam descenderit, nihil integri futurum est, quod *Tac. A.* 15, 50. dixit, descendere in partes. *Hor. A. P.* 386. si quid olim Scripseris, in Maeci descendat judicis aures. *Ov. Met.* 11, 754. si descendere ad ipsum Ordine perpetuo quaeris, sunt hujus origo Ilus et Assaracus. *Quint.* 7, 1. Descendere a genere ad speciem. *Justin.* 1, 4. Post multos deinde reges per ordinem successionis regnum ad Astyagen descendit. *Plin.* 9, 30, 49. Voluptas descendit in duo sensu carentia, *h. e.* cadit, et percipitur a duobus etc. *Pers.* 4, 23. Ut nemo in sese tentat descendere! Sic *Senec. ep.* 59. *circa med.* Nemo nostrum in altum descendit: summa tantum decerpsimus. *Stat. Th.* 12, 340. quanto descendit vulnus hiatu! ℙ Eleganti metaphora *descendere* dicitur, qui ad aliquid se accommodat demittitque, quod alias non faceret. [*Ern. in *Clav. Cic.* paullo uberius ita explicat: desc. aliquo dicuntur, qui statuunt ea facere, quae inviti faciunt; ad extrema veniunt, ad quae demum venitur, quum leniora non sufficiunt aut valent.] *Virg. A.* 5, 782. cogunt me preces descendere in omnes. *Plin. ep.* 10, 40. Descendere ad curas alicujus. *Quint.* 1, 2. ad intellectum audientis. *Cic. Or.* 2, 6. ad omnem animi remissionem ludumque. *Id. Mur.* 27. Non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent. *Id. Font.* 1. Videte, quo descendam, judices. *Id. Verr.* 2, 2, 72. Placet mihi ista defensio: descendo, aequa enim conditio proponitur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *sub f.* Descendere ad conditionem aliquam. *Pollio* ad *eund. ib.* 10, 33. ad extrema. *Caes. B. G.* 7, 78. ad sententiam alicujus. *Id. B. C.* 1, 9. ad omnia. *Id. ib.* 3, 9. ad extremum auxilium. *Id. ib.* 83. ad gravissimas verborum contumelias palam. *Id. ib.* 1, 81. Ut repentinas eorum eruptiones demoretur: quo necessario descensuros existimabat. [**Suet. Vesp.* 4. ut qui — ad mangonicos quaestus sustinendae dignitatis causa descenderit, sc. de loco quem obtinebat, i. e. se demiserit.] ℙ *Descendere regno* apud *Stat. Th.* 1, 396. est regno abire, regni administrationem deponere. [*Ita etiam *Lucan.* 1, 335. Ex hoc te jam regno Ille tuus saltem doceat descendere Sylla.] ℙ Dicimus *descendere in certamen*, *in aciem*, *in dimicationem*, et similia his. *Cic. Tusc.* 2, 26., *Auct.* ad *Her.* 4, 42., *Suet. Aug.* 96. et *Justin.* 15, 1., quia velut ex loco superiore ac tuto, in planum et periculosum devenimus. [*Cf. *Gloss. Liv.*] ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 1, 224. Nunc geminas punire domos, queis sanguinis auctor Ipse ego, descendo. ℙ *Descendere ab aliquo* est oriri, venire, proficisci. *Ulp. Dig.* 1, 9, 12. Descendere a patriciis et consulibus. *Stat. Silv.* 5, 3, 210. a patriciis et consulibus. *Stat. Silv.* 5, 3, 210. cum stirpe tua descendere dixi. (Hinc descendentes, i. e. posteri, apud *Paul. Dig.* 23, 2, 68.) *Ulp. Dig.* 43, 26, 1. Quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit. *Paul. ib.* 18, 1, 57. *extr.* Judicium, quod ex bona fide descendit. *Plin.* 22, 24, 51. Ratio a Platone descendens. *Id.* 6, 28, 32. Arabia a regione Ciliciae, Commagenesque descendit. [*Compares licet cum hisce *Prop.* 3, 3, 67. an ficta in miseras descendit fabula gentes, i. e. an mera fabula a majoribus tradita est ad posteros. V. *Burm.*] ℙ Item abesse, deflectere, dissimilem esse. *Quint.* 1, 1. *sub f.* [*Imo legitur hic locus 10, 1, 126. ubi V. *Spald.*] Tantum ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. ℙ Item contra vicinum esse, similem esse. *Plin.* 37, 9, 40. Alius ordo purpureis dabitur, et ab illis descendentibus. *et mox.* Alterum genus descendit ad hyacinthos. *et paulo post.* Quintum genus ad viciniam crystalli descendit. ℙ *Descendere* dicuntur mares cum ad stuprum patiendum proni inclinantur, (V. INCLINO) et *descendere ad terram tremulo clune* puellae, quae inter saltandum lumbos natesque lascive agitant. V. CRISPITUDO. *Catull.* 112, 2. Descendis, Naso, multus es et pathicus. *Juven.* 11, 163. plausuque probatae Ad terram tremulo descendunt clune puellae. ℙ Passive. *Plin.* 2, 16, 13. *ad f.* Latitudo descenditur. ℙ Impersonaliter. *Cic. Or.* 3, 61. Est quiddam in remissione *(vocis)* gravissimum, quo tanquam sonorum gradibus descenditur. *Tac. A.* 14, 7. Eo descensum credebant, ut pereundum esset. *Id. ib.* 15, 1. Eo contemptionis descensum esse, ut etc. *Liv.* 8, 8. Descensum in aciem est. *Id.* 23, 29. Omnibus copiis in campum descensum est. ℙ *Descendidi* praeteritum antiquum est. *Val. Antias* apud *Gell.* 7, 9. *extr.* Deinde funere locato ad forum descendidit. *Laber. ib.* Ego mirabar, quomodo mammae mihi descendiderant. ℙ [*Paene ubique variant codd. inter *descendere*, *discedere*, *decedere* et similibus. V. quos laudet *Drak.* ad *Sil.* 17, 1. ad *Liv.* 36, 14, 4. et 9, 14, 7. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 335. 3, 632. etc. — et *desidere*, *Id. ib.* 3, 630. et 5, 338. *Drak.* ad *Liv.* 32, 9, 3. — et *defendere*, *Id. ib.* 39, 24, 9.]

DESCENSIO, onis, f. descensus. *Liv.* 22, 31. Priusquam in continentem descensiones faceret. Al. leg. *exscensiones.* [*Sic *Drak.*, quem V. ad 8, 17, 9.] ℙ *Descensiones* in balneis sunt loca, ubi in aquam descenditur, solia videlicet, quibus sedentes lavabant. *Plin. ep.* 5, 6. *circa med.* In caldaria cella tres sunt descensiones: duae in sole, tertia a sole longius. ℙ De ipso actu descendendi in balineas. *Plin. alter* 20, 17, 69. Heraclium facit ad scabiem, pruriginem, psoras, in descensione balinearum. *ἐν λουτρῷ*, ut *Dioscor.* habet 3, 32. eadem de re verba faciens.

DESCENSUS, a, um, part. a *descendo*. *Prud. Apoth.* 1075. Descensos nascendo gradus redeundo retexit.

DESCENSUS, us, m. *κατάβασις*, actus descendendi. *Virg. A.* 6, 126. facilis descensus Averni. *Hirt. B. G.* 8, 40. Erat oppidanis difficilis et praeruptus eo descensus. *et mox.* Tormentis contra facillimos descensus collocatis, aqua prohibebat oppidanos. *Plin.* 16, 26, 46. Salix *(sita)* ipso descensu Jovis speluncae. *Varr. R. R.* 2, 5. Mas an femina sit concepta, significat descensu taurus, cum iniit.

DESCISCO, is, scivi, et scii, scitum, n. 3. *ἀφίσταμαι*, me subtraho, discedo, deficio: a *de*, et *scisco*, quasi contrarium aliquid scisco et statuo, tum proprie, tum translate. *Cic. Att.* 2, 4. Neque poenitet, quod a me ipso non desciverim. *Id. Phil.* 11, 9. Cum a populo R. pestiferi cives, parricidaeque desciverint. *Liv.* 31, 7. *a med.* Nunquam isti populi, nisi cum deerit, ad quem desciscant, a nobis non deficient. *Id.* 2, 19. Praeneste ab Latinis ad Romanos descivit. *Nep. Dat.* 7. Ab hoc viro filius desciit. *Colum.* 3, 2. *ante med.* Vitis, quae gracili arvo non desciscit. *Plin.* 18, 16, 43. Humidum solum desciscit in pratum, i. e. degenerat. *Cic. Fam.* 2, 16. Ab excitata fortuna ad inclinatam et prope jacentem desciscere. *Id. Fin.* 4, 8. Desciscere ab antiqua institutione. *Id. Fam.* 1, 9. a pristina causa. *Id. Acad.* 4, 15. a veritate. *Id. Fin.* 3, 18. a vita, *h. e.* vita excedere. *Gell.* 3, 16. a multorum opinionibus. *Vell.* 2, 81. a disciplina. *Plin. ep.* 3, 20. a consuetudine parentum. *Auct. Dial. de Orat.* 28. Eloquentia et ceterae artes descivere a vetere gloria. *Suet. Dom.* 10. Neque in clementiae, neque in abstinentiae tenore permansit: et tamen aliquanto celerius ad saevitiam descivit, quam ad cupiditatem. ℙ Passive impersonaliter. *Vell.* 2, 1. Praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum. [*Liv.* 30, 3. Spes ulla desciturum afferebatur. *F.*] ℙ *Descisse* pro *descivisse*, *Liv.* 6, 25. et *Stat. Th.* 2, 311. ℙ [*Turbant librarii inter *desciscere*, *desistere* et *desinere*, qua de re V. *Drak.* ad *Liv.* 30, 3, 5. et quae ibi laudat, coll. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 780.]

DESCOBINATUS, a, um, part. a *descobino*, abrasus, abscissus, *κατεξυρημένος*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 236. Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in Circo exspectare, quam his descobinatis in silva currere? *Arnob.* 6. p. 200. Simulacra grosphis rasa, descobinata delimis, *h. e.* polita. [*Sic ed. *Herald.* p. 251. Ed. *Hard.* habet *discobinata de limis. B. A.*]

DESCOBINO, as, a. 1. *ἀποξέω*, *ἀποῤῥινάω*, a *de* et *scobina*, scobina aufero, abrado, praestringo, lacero. *Varr.* ap. *Non.* 8, 71. Si adversarius supercilia mi caestis descobinarit, numquis vestrum sua mihi est daturus?

DESCRIBO, is, ipsi, iptum, a. 3. *ἀπογράφω*, de una in aliam chartam scribo, exscribo, transcribo. *Cic. Fam.* 12, 17. Dicam tuis, ut librum describant ad teque mittant. *Id. Acad.* 4, 4. Describere librum ab aliquo. ℙ Item scribo, perscribo. *Virg. Ecl.* 5, 14. in viridi nuper quae cortice fagi Carmina descripsi. [**De* habet h. l. eam vim, ut sit i. q. omnes ad unum, inde ab initio usque ad ultimum scripsi, quam potestatem jam saepius in h. v. deprehendimus. Eam certe vim habet *de* in loco *Hor.* quem noster infra attulerat, *Sat.* 2, 3, 34. Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira Descripsi docilis praecepta haec; quod *Schol.* recte exponit: diligenter notavi. *Forc.* esse vult i. q. sumit, haurit. — Ceterum seq. locus *Livii* infra ponendus erat.] *Liv.* 39, 38. Legiones quatuor describere. ℙ Item depingo, delineo. *Pl. Asin.* 2, 3, 22. Non potuit pictor rectius describere ejus formam. ℙ Hoc sensu mathematicorum proprium est. *Cic. Fin.* 5, 19. Archimedes dum in pulvere quaedam describit attentius, ne patriam quidem captam esse sensit. *Liv.* 25, 31. Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat. *Senec. Tranq.* 10. Exiguae saepe areae in multos usus describentis patuere. *Virg. A.* 6, 850. coelique meatus Describent radio. ℙ [*„Dialectici dicuntur describere, quum formas et genera rerum constituunt: item in partitione. Sic *Rabir. Posth.* 15 descripta *opp.* universis. *Id. Or.* 2, 33. descripta generatim, *pro quo mox:* in certa genera coacta. *Ib.* ut quae sint in jure, vel apte describere, vel ornate illustrare possit. *Ib.* 71. in multa genera describere.“ *Ern. Clav.*] ℙ Translate est verbis exprimere, designare, demonstrare. *Cic. Inv.* 1, 8. *ad f.* Definienda res erit verbis, et breviter describenda. *Auct. ad Her.* 2, 12. Vocabuli sententiam breviter describere. *Nep. Att.* 18. aliquid versibus. *Cic. Or.* 40. hominum sermones moresque. *Id. Coel.* 20. Si qua mulier sit hujusmodi, qualem ego paulo ante descripsi. ℙ Item designare, notare. *Cic. Mil.* 18. Videlicet me latronem ac sicarium abjecti homines ac perditi describebant. *Hor. Sat.* 1, 4, 3. Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur, etc. [*i. e. *χαρακτηρίζεσθαι*. *Tac. A.* 1, 81. subtractis candidatorum nominibus, originem cujusque et vitam et stipendium descripsit, i. e. candidatos descripsit commemoranda eorum origine, vita, stipendiis. V. *Ern.* ad h. l. — Ceterum haec exempla nihil differunt ab iis, quae proxime praecedunt.] ℙ Cum infinito. *Ov. Trist.* 2, 415. qui descripsit corrumpi semina matrum. *Gell.* 9, 1. Q. Claudius cum describeret, oppidum a Metello oppugnari. ℙ Item haurire, sumere. *Hor. Sat.* 2, 3, 34. Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira Descripsi docilis praecepta haec. [*V. supra de h. l.] ℙ Item disponere, in ordines digerere. *Cic. Fl.* 14. Omnes Asiae civitates proportione in provincias descripsit. ℙ Item dividere, partiri. [*Hoc idem est cum praecedenti. Ceterum multi sunt critici de hac significatione. Cf. *Ern.* in *Clav. Cic.*, deinde *Gron.* ad *Liv.* 34, 56. *Drak.* ad *Eund.* 39, 38. *coll.* 31, 34. *Graev.* ad *Cic. Off.* 1, 5. ad *Att.* 1, 2. *Fam.* 12, 1. *Burm.* ad *Suet. Tib.* 30.] *Id. Agr.* 2, 31. In eo agro duodena describit in singulos homines jugera. *Id. Phil.* 5, 8. Quorum bona, quantacumque erant, statim comitibus suis, compotoribusque descripsit. [**Sil.* 9, 267. tum minitans propere describit munera pugnae, i. e. assignat, quid unicuique in proelio faciendum foret. Sic *Drak.*, quem V.] *Id. Cat.* 1, 4. Descripsisti urbis partes ad incendia. *Liv.* 1, 19. In duodecim menses describit annum. ℙ Item taxare, imponere, quia hoc singulos describendo fit. *Caes. B. C.* 3, 42. Vecturas frumenti finitimis civitatibus descripsit. *Hirt. B. Alex.* 51. Ut pecuniae describerentur atque imperarentur. *Justin.* 16, 3. Describere alicui tributum in tutelam classis. ℙ Item statuere, quid cuique conveniat, jus suum cuique tribuere. *Cic. Off.* 1, 34. *a med.* Magistratus debet servare leges, jura describere. [**Scil.* in juribus dandis discrimen servatur ordinum, aetatum etc. ut bene *Ern.* in *Clav.*] *Id. Quint.* 14. Quis tandem nobis ista jura tam aequa describit? *Id. Verr.* 2, 5, 11. Pretio non aequitate jura describere. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Suum cuique munus describere. [**Cic. Verr.* 2, 2, 54

describebat censores binos in singulas civitates, i. e. creabat, faciebat, ut eodem cap. loquitur; sed utitur illo voc., quia censores CXXX facti sunt ita, ut totus ille numerus censorum civitatibus distribueretur, ut singulae binos acciperent. — ℙ Est etiam *describere* i. q. *definire;* unde, de quo *definire* dici potest, de eodem etiam *describere* dicitur. *Cic. Or.* 1, 49. describere finibus ingenii sui etc. — Addidimus haec e *Clav. Cic.* ℙ Praeterea vult *Ern.* ad *Tac. A.* 6, 23. Descriptum fuisse Macroni, si etc. *describere* esse i. q. mandare, praescribere. Quod etsi explicet e natura verbi, nullis tamen exemplis probari posse puto: mihi *de*scriptum est dici posse pro: mihi *prae*scriptum est. Aliter res habet apud *Cic. Leg.* 2, 5, 11. Quae sunt autem varie et ad tempus descripta populis etc. Hoc enim eodem modo dictum est, ut *describere* jura etc. In *Taciti* autem loco etiam in codd. legitur *praescriptum*, quod ipse *Ern.* non sprevit.] ℙ Item destinare, transferre: ductum, ut opinor, a militia, in qua milites in suos quisque ordines describuntur ac distribuuntur. *Senec. ep.* 108. *circa med.* Non credis, animas in alia corpora atque alia describi, et migrationem esse quam dicimus mortem. Adde locum *Plinii* in V. DESCRIPTUS *in f.*

DESCRIPTĒ, adv. disposite, distincte. *Cic. Inv.* 1, 30. *a med.* In praesentia confuse et permixte partes dispersimus, post descripte et electe digeremus. Alii leg. *discrete.* [*Illud tuetur *Orell.*]

DESCRIPTIO, onis, f. *διαγραφή*, actus describendi, delineatio, distributio, dispositio, ordo. *Cic. Or.* 2, 15. Ordo temporum, regionum descriptio. *Id. Senect.* 17. Ego omnia ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio. [**Id. Or.* 1, 27. est decori descriptio duplex i. e. in duas formas distribuitur.] *Id. Off.* 1, 39. Descriptio aedificandi. [*i. e. *die Anordnung. Id. Or.* 2, 9. aut si via ulla traditur — descriptionis atque ordinis.] *Id. Acad.* 1, 3. Descriptiones temporum. *Id. Tusc.* 5, 24. Descriptio expetendarum fugiendarumve rerum. [**Cic. N. D.* 1, 11, 26. Anaxogoras — primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit.] *Suet. Tib.* 30. legionum et auxiliorum [*i. e. dispositio, *die Vertheilung.* V. *Burm.*] *Cic. Dom.* 50. Celebrare descriptionem servorum vicatim tota urbe. [**Liv.* 4, 4. census in civitate et descriptio centuriarum classiumque non erat. *Cic. Planc.* 18. decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta.] *Id. Off.* 2, 14. Juris aequa descriptio. ℙ [*Etiam de formis geometrarum (V. DESCRIBO.) *Cic. Tusc.* 2, 17. nisi si quid erat numeris aut descriptionibus (*durch Zahlen oder Figuren*) explicandum.] ℙ Item ipse ordo ac dispositio partium, ex qua pulcritudo exsistit. *Cic. Agr.* 2, 16. Urbs et natura, et situ, et descriptione aedificiorum, et pulcritudine in primis nobilis. *et ib.* 35. Campani semper superbi bonitate agrorum, et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulcritudine. *Plin. ep.* 5, 6. *ante med.* Ea varietate, ea descriptione, quocumque inciderint oculi, reficientur. *Cic. Sext.* 65. Nosse descriptionem civitatis, a majoribus nostris sapientissime constitutam, i. e. magistratuum ordinem et rationem civitatis administrandi. [*Cf. *Leg.* 3, 2. magistratuum descriptione omnis reip. moderatio continetur.] Et *Cic. Leg.* 1, 7. *sub f.* Parent huic coelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti Deo. ℙ Definitio et explicatio rei. *Id. Inv.* 2, 18. Nominis brevis et aperta descriptio officii. ℙ Item ornamentum oratorium, quo res ad vivum exponuntur et demonstrantur: quae a *Cic. Or.* 3, 53. inter sententiarum figuras recensetur, et gravissimum augendi lumen appellatur. *Id. Top.* 22. Additur definitioni etiam descriptio, quam Graeci *χαρακτῆρα* vocant. [*V. *Auct.* ad *Her.* 4, 39. Graeci dicunt *ἐκφρασιν* vel *διατύπωσιν* et *διαγραφήν*. Plura, quae huc faciunt collegit. *Ern. techn. Lat.* p. 112.]

DESCRIPTIUNCŪLA, ae, f. diminut. descriptionis. *Senec. Suasor.* 2. *ante med.* Celebres descriptiunculas subtexere.

DESCRIPTOR, oris, m. qui describit. *Lact.* 5, 9. *a med.* Seneca morum vitiorumque publicorum et descriptor verissimus, et accusator acerrimus fuit.

DESCRIPTUS, a, um, part. a *describo*, exscriptus. *Cic. Fam.* 7, 22. Id caput notavi et descriptum tibi misi. ℙ Item scriptus, perscriptus. *Vell.* 2, 37. Pecunia omnis redacta in quaestoris potestatem, ac publicis descripta litteris. *Calpurn. Ecl.* 1, 25. descripti cortice versus. ℙ Item dispositus. *Cic. Senect.* 17. Dimensus et descriptus. *Id. Or.* 2, 34. Materies orationis omnibus locis descripta, instructa, ornataque. [**Hor. Od.* 2, 13, 23. sedes descriptae piorum, i. e. certis finibus constitutae. V. *Bentl.* — Melius tamen habet h. l. discretus. *Liv.* 31, 34, 8. admiratus est universam speciem castrorum, et descripta suis quaeque partibus. Adde locos *Cic. Har. resp.* 28. suffragia descripta tenentur a paucis et *Planc.* 20. vocatae tribus, latum suffragium, descriptae tribus, renuntiatae. Utrumque explicat *Ern.* in *Clav.*; in posteriore autem cum *Wundero* leg. est *diribitae.* V. s. h. v.]

Id. Fin. 3, 22. Natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius. ℙ Item conscriptus. *Id. Dom.* 5. *sub f.* Decuriatos ac descriptos habere exercitus perditorum. ℙ Item delineatus. *Id. N. D.* 2, 34. Cum solarium vel descriptum aut ex aqua, contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu. [*Opponuntur igitur h. l. horologium solarium et clepsydra.] ℙ Item explicatus. *Id. Off.* 1, 16. Ut quae descripta sunt legibus et jure civili, ita teneantur, ut, etc. ℙ Item distributus, divisus. *Liv.* 30, 37. Decem millia talentum argenti, descripta pensionibus aequis, in annos quinquaginta solverent. *Vell.* 2, 32. Descriptum in omnes recessus maris praesidium navium. ℙ Absolute. *Tac. A.* 6, 24. Recitari factorum dictorumque ejus descripta per dies jussit, *h. e.* descriptionem. ℙ Item designatus, notatus. *Cic. Sull.* 29. *sub f.* Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi. ℙ Item destinatus, translatus. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 2. Neque est minor ei veneratio, quam descriptis in Deos stellis. ℙ Comp. *Descriptior.* V. supra. ℙ [*Permutantur *descriptus* et *rescriptus.* V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 10, 6.]

DESCROBO, as, a. 1. in scrobem insero, immitto. *Tert. Resurr. carn.* 7. Uti tu quidem Scythicas et Indicas gemmas operosissimo descrobes auro, *h. e.* in aurum, quasi in scrobem, inseras.

*DESCULPO, is, a. 3. *Tert. ad Nat.* 1, 12. Simulacrum ligno seu lapide desculpitur. *B. A.*

DESĔCO, as, ecui, ectum, a. 1. *ἀποτέμνω*, abscindo, secando separo. *Cic. Univ.* 7. Partes ex toto desecans. *Varr. R. R.* 1, 41. Desecare vitem. *Ov. Trist.* 2, 394. crinem. *Colum.* 12, 43. Uvas cum desecueris a vite. *Id.* 11, 1. *ante med.* Segetes et prata desecare. *Cic. Att.* 16, 6. *extr.* Novum prooemium exaravi: tu illud desecabis, hoc agglutinabis.

DESECRĀTUS, a, um, part. a *desecro*, sacratus, consecratus. Translate. *Plin.* 28, 8, 29. Chamaeleon peculiari volumine dignus existimatus Democrito, ac per singula membra desecratus, *h. e.* variis destinatus consecratusque morbis. *Hard.*

DESĔCRO. V. DESACRO.

DESECTIO, onis, f. *ἀποκοπή*. *Colum.* 6, 3. Desectio stramentorum. Est qui legit *dissectio.*

DESECTUS, a, um, part. a *deseco. Liv.* 2, 5. Desecta cum stramento seges. *Virg. A.* 8, 438. desecto vertens lumina collo. *Caes. B. G.* 7, 4. *extr.* Aures desectae, singuli effossi oculi. *Stat. Silv.* 2, 2, 85. saxa desecta metallis, *h. e.* excisa e lapicidinis. *Auson. epigr.* 108, 13. Desectos sic fama viros, etc., *h. e.* castratos.

DESĔNĔO, es, n. seneo, senesco. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 10. p. 887. Nisi cum ira belli desenuisset.

DESĒRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *desero, as*, reseratus. *Appul. Met.* 1. p. 108, 39. Januae, quae sua sponte deseratae nocte fuerant. Al. rectius leg. *reseratae.*

DESĒRO, is, evi, itum. V. in DESITUS.

DESĔRO, is, rui, ertum, a. 3. *ἀπολείπω*, derelinquo, omitto, destituo, frustror. [*Discrimen vv. *deserere* et *relinquere* docent *Brem.* ad *Nep. Dat.* 6, 3. et pluribus *Döderl. Syn.* III. p. 292. sqq. Etenim *relinquere* est simpliciter i. q. discedere ab aliquo et in alium locum se conferre; *deserere* est derelinquere aliquem cum consilio nocendi; illud genus verbi, haec species; quare saepius reperitur *relinquere* positum pro *deserere;* non *deserere* pro *relinquere.*] *Cic. Planc.* 5. Deserere ac derelinquere aliquem. *Ter. Eun.* 2, 2, 7. Quo redactus sum? omnes noti me atque amici deserunt. *Id. Andr.* 4, 2, 11. Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum. *Pl. Merc.* 1, 2, 13. Genua hunc cursorem deserunt. [**Tac. A.* 6, 50. jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat.] *Cic. Tusc.* 1, 46. Multo tardius fama deseret Curium, Fabricium, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 51. Aratores agros laetos ac fertiles deserunt. *Id. Att.* 3, 19. Non deseram fratris preces, nec Sextii promissa, nec spem Terentiae, nec Tulliolae obsecrationem, et fideles litteras tuas. *Id. Senect.* 20. Deserere vitam. *Id. Fat.* 8. causam suam. [**Deseri* etiam causa dicitur, quae non amplius tractatur in Senatu. *Cic. Fam.* 1, 5. vereor ne aut eripiatur nobis causa regia, aut deseratur.] *Id. Caecin.* 35. *ad f.* jus suum. *Id. Fin.* 1, 7. ullam officii partem. *Ter. Heaut.* 2, 3, 64. Mulier telam deserit continuo. [*Notabilis est locus *Ov. Her.* 12, 52. mensaque purpureos deserit alta toros, pro: removentur mensae a lectis.] *Caes. B. G.* 1, 45. Optime meritos socios deserere. *Hirt. B. Afr.* 26. *ad f.* Diruere ac deserere oppida. *Caes. B. C.* 1, 76. Exercitum ducesque deserere. (Adde *Cic. Verr.* 2, 5, 42. et absolute eod. sensu *Quint.* 9, 2. *ad f.* Ire in aciem coactus, deseruit.) et *ib.* 15. A magna parte militum deseri. *Ov. Her.* 12, 161. Deseror (amissis regno, patriaque, domoque) Conjuge, qui nobis omnia solus erat. *Cic. Att.* 4, 10. A ceteris oblectationibus deseror et voluptatibus propter rempubl. *Id. ib.* 7, 7. *sub f.* Facerem diutius, nisi me lucerna desereret. et *ib.* 3, 15. A mente non deseror, *h. e.* firma mente sum. et *ib.* 16, 3. Deseremur ocius a re familiari, quam a republ. *Ov. Met.* 15, 418. Deseret ante dies, quam consequar omnia dictis. *Pl. Ps.* 1, 3, 147. et 2, 2, 6. Meus hic est homo, nisi omnes Dii me atque homines deserunt. *Caes. B. C.* 1, 75. Petrejus vero non deserit sese: armat familiam. ℙ [*Confunduntur a librariis *deserere* et *destituere*, V. *Heins.* ad *Ov. Her.* 17, 169. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 728. — et *desinere*, *Burm.* ad *Ov. Met.* 15, 418. — et *deferre*, intpp. ad *Liv.* 4, 37, 11. et *ib.* 46, §. 6.]

DESERPO, is, psi, erptum, n. 3. deorsum serpo. *Stat. Th.* 6, 585. Deserpitque genis lanugo. *Appul. Apol.* p. 315, 15. Quam decenter utrinque lanugo malis deserpat.

DESERTIO, onis, f. ut Desertio juris humani, *Liv.* 41, 24. ℙ Item crimen militis desertoris. *Modestin. Dig.* 49, 16. *qui est* de re militari, 3. et 5. et *Arrius Menand. ib.* 4. etc.

DESERTO, as, frequentat. a *desero.* Afferunt quidam ex *Accio* haec verba: *Cum me solum uterque parens desertassent.* sed quam vera, ipsi viderint.

DESERTOR, oris, m. *ἀπολείπων*, qui deserit. *Cic. Fin.* 3, 19. Communis utilitatis aut salutis desertor. *Id. Att.* 8, 9. *a med.* Desertor amicorum. *Virg. A.* 12, 15. Dardanius desertor Asiae, *h. e.* exsul, qui Asiam deseruit a Graecis expulsus: Aeneam describit. *Caes. B. G.* 6, 22. Desertores et proditores. ℙ *Desertor* dicitur miles, qui in jussu ducis, ac sine commeatu signa deserit, *λειποτάκτης. Liv.* 23, 18. *extr.* Neque aliae latebrae, quam Capua desertoribus erant. *Id.* 3, 69. Pro desertore futurum cujus non probassent causam. *Curt.* 10, 2. *ad f.* Desertores et transfugae.

DESERTRIX, icis, f. quae deserit. *Tert. Habit. mul.* 1. Tu es divinae legis prima desertrix.

DESERTUS, a, um, part. a *desero*, *ἀπολειφθείς*, destitutus, derelictus. *Cic. Fam.* 1, 5. *ad f.* Desertus et abjectus. *Id. Amic.* 15. *extr.* Vita inculta et deserta ab amicis. *Id. Pis.* 23. Sic iste in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. *Id. Agr.* 2, 30. *extr.* Agri deserti a plebe atque cultura hominum. *Id. Cluent.* 40. Rostra deserta a voce tribunicia. [**Suet. Vesp.* 5. proculcata desertaque respublica. Cf. *B. Crus.*] ℙ Omissa praepositione. *Phaedr.* 1, 21. Leo defectus annis et desertus viribus. [*V. de hac structura *Burm.* ad h. l. et quos laudat *Drak.* ad *Liv.* 35, 30, 2.] *Prop.* 2, 7, 17. abrepta desertus conjuge Achilles. *Stat. Th.* 4, 707. fumant desertae gurgite valles. *Tac. A.* 3, 20. *extr.* Neque proelium omisit, donec desertus suis caderet. ℙ Cum de loco sermo est incultum, solitarium, et inhabitabilem significat *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. Urbes dirutae ac desertae. *Id. Verr.* 2, 5, 67. Desertissima solitudo. *Id. Coel.* 18. Via deserta et inculta, atque interclusa frondibus et virgultis. [**Lucan.* 5, 443. deserta aequora, i. e. ad quae nulla navis accedit. *Nep. Timol.* 3. urbium moenia disjecta fanaque deserta refecit. De templis Deorum transfertur ad Deos ipsos: *Prop.* 2, 5, 27. et mala desertos occupat herba Deos, i. e. qui nullos habent cultores, ut *Virg. A.* 2, 713. deserta Ceres.] ℙ *Deserta, orum*, sunt loca deserta. *Virg. A.* 1, 388. Libyae deserta peragro. *Id. G.* 3, 291. me Parnassi deserta per ardua dulcis Raptat amor. *Plin.* 5, 4, 4. Vasta deserta. *Id.* 32, 11, 33. Neque enim desertorum novimus feras aut volucres. ℙ In singulari num. *Prud. Apoth.* 774. Quinque in deserto panes jubet, et duo pisces Apponi in pastum populis. *Hieron. ep.* 125. *n.* 2. Quid venenatorum animalium desertum hujus saeculi nutriat. ℙ In illo *Prop.* 1, 17, 2. desertas alloquor alcyonas. *desertae* sunt solivagae, solitariae, non gregatim volitantes. Sic *Ov. Her.* 18, 81. Alcyones solae, memores Ceycis amati. ℙ Est etiam *desertus* defixus, depactus, a *sero, is*, in illo *Tibull.* 1, 1, 17., ut et *Brouckusio* placet. Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florea serta lapis. [*V. de v. *destituere*, sic ut *deserere* h. l. usurpato, *Burm.* ad *Anthol. Lat.* 13, 174. quem laudat *Heyn.* ad h. l.] *Ovid.* simile quid habet *Fast.* 2, 641. Termine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes ab antiquis. ℙ Comp. *Desertior* Sup. *Desertissimus.* V. supra. ℙ [*Permutantur a librariis *desertus* et *defectus*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 625.]

DESERVIO, is, a. 4. *θεραπεύω*, *ὑπουργέω*, diligenter servio, operam do, praesto sum, inservio. *Cic. Fam.* 16, 18. Indulge valetudini, cui tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. *Id. Sull.* 9. Si labor meus, si sollicitudo, si officia, si operae, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus. *Id. Leg.* 1, 13. Deservire corpori. [**Ov. Am.* 1, 3, 5. per longos annos deservire alicui. Est *Ov.* perquam familiare h. v.] *Plin. Pan.* 77. honoribus. *Id. ep.* 7, 7. studiis. *Quint.* 1, 12. soli grammatico, deinde geometrae.

*DESERVITIO, onis, f. *Vet. interpr. Irenaei* 4, 28. Legis statuere deservitionem. *B. A.*

DESES, idis, adj. *ῥᾴθυμος*, otiosus, qui nihil agit: a *desideo. Liv.* 1, 32. Desidem Romanorum regem inter sacella et aras acturum esse regnum

rati. *Colum.* 7, 12. Desidem agricolam ab opere suo reddit. *Lucan.* 9, 436. natura deside torpet Orbis. *Stat. Silv.* 3, 5, 85. desidis otia vitae. *Id. ib.* 1, 2. Deses annus, *h. e.* in quo nihil agitur. *Gell.* 13, 8. Homines ignavi ac desides.

*DESESSĬLIS, e, adj. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 1, 20. His (*vicis*) sedecim desessilibus flumina quoque duodecim interrabant. ubi dubitat *Maius*, an scribendum sit *sessilibus* aut *sessibulis*. *B. A.*

*DESICCATĪVUS, a, um, adj. *Macer.* 2, 10. Virtutis esse desiccativae. *B. A.*

[DĔSICCĀTUS, a, um, part. a *desicco*, arefactus. *Appul. Herb.* 49. Herba desiccata et in pulverem redacta. *F.*]

DĔSICCO, as, a. 1. ξηραίνω, sicco, arefacio. *Pl. Truc.* 2, 7, 30. Vasa nolo auferant: desiccari lubet. *Seren. Samm.* 48, 900. Praeterea chymum stomacho desiccat iniquum.

DĔSĬDĔO, es, edi, essum, n. 2. κάθημαι, ῥᾳθυμέω, idem quod sedeo, otiosus sedeo, moror. [*Semper adhaeret h. v. notio nihil agendi.] *Pl. Ps.* 4, 4, 7. Quid tu intus, quaeso, desedisti? *Id. Bacch.* 2, 3, 3. Meus formidat animus, nostrum tamdiu ibi desidere, neque redire filium. *Ter. Hec.* 5, 3, 2. Frustra ibi totum desedi diem. *Phaedr.* 2, 4. Aquila desidet ramis. ℙ Honeste ponitur pro ventrem exonerare. *Cels.* 2, 7. Cum voluntas desidendi est, venter nihil reddit. *Id.* 4, 17. Tum desideat subjecta calida aqua in pelve. ℙ Pro subsidere, mergi, V. DESIDO. ℙ Pro otiose agere, nihil agere. *Suet. Caes.* 4. Ne desidere in discrimine sociorum videretur.

DĔSĪDĔRĂBĬLIS, e, adj. ἐπιθυμητός, expetendus. *Cic. Top.* 18. Desiderabilia anteponantur iis, quibus facile carere possis. *Liv.* 24, 5. Velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum. *Suet. Tib.* 21. Ut tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret.

DĔSĪDĔRĂBĬLĬTER, adv. cupide, ut desiderabiliter concupiscere, *Augustin. ep.* 143, 2.

[DĔSĪDĔRANDUS, a, um, hinc *Desiderandissimus*. V. v. seq. *F.*]

DĔSĪDĔRANS, antis, part. a *desidero*, cupiens, appetens. Superlativum *Desiderantissimus* pro *Desiderandissimus*, *h. e.* maxime desiderandus, mutata scilicet *d* in *t*, ut saepe *at* pro *ad* in vetustis monumentis et codicibus, legitur in *extr. epist.* 31. *Paulini ad Augustin.*, et in hujus *epist.* 5. *init. et fin.* ad *Marcellin.*: saepissime vero in antiquis inscriptionibus non optimae tamen notae: hinc *Inscr.* ap. *Murat.* 805, 8. L. Flaccus infelicissimus pater filio desiderantissimo *Posuit*. Alia apud *Don. cl.* 12. *n.* 62. Pomponiae Athenaidi conjugi desiderantissimae M. Junius Eutyches. *M. Aur. Anton.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *Maio*) 1, 5. Magister optatissime, amice desiderantissime. *L. Aur. Verus* apud *eund. ib.* 2, 8. Vale, desiderantissime homo, et tuo Vero carissime. *Front. ib.* 5, 40. Vale, domine dulcissime, desiderantissime. ℙ Idem vero dicendum est de similibus superlativis, ut nempe *amantissimus* sit pro *amandissimus*, V. AMANS et *reverentissimus* pro *reverendissimus*, V. REVERENS. [*Locos praeter ultimum attulerat *Forc.* Reliqua autem adjecit *F.*]

DĔSĪDĔRANTĔR, adv. cupide. *Cass. Var.* 1, 4. Desideranter appetere. [*Front. ad Ver. Imp.* 13. (ed. *Maio*) Irasceris enim quanto desiderantius desideras. *F.*]

DĔSĪDĔRĀTĬO, onis, f. ἐπιθύμησις, actus desiderandi. *Cic. Senect.* 14. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus: credo, sed ne desideratio quidem. Adde *Vitr.* 2, 6. *a med.* qui in *praef.* 8. *ad f.* in plurali numero usurpat.

DĔSĪDĔRĀTĪVA Verba, dicuntur a grammaticis, quae desiderium significant, ut *esurio*, *coenaturio*. *Augustin. Gramm.* p. 2006.

*DESIDĔRĀTOR, oris, m. *JCt.* in *Digest. B. A.*

DĔSĪDĔRĀTUS, a, um, part. a *desidero*. *Cic. ad Quir.* 1. *extr.* Sed omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant. *Plin.* 30, 1, 1. Blandissima et desideratissima promissa. ℙ *Desiderata* etiam dicuntur, quae perierunt. *Caes. B. C.* 2, 32. Incolumem exercitum, nulla omnino nave desiderata, transducere. *Id. B. G.* 7, 11. Perpauci ex hostium numero desiderati. ℙ Non raro in vet. inscrr. reperitur *Parentes filio desideratissimo*, ut ap. *Grut.* 681, 2. et 667, 1. etc.

DĔSĪDĔRĬUM, ii, n. ἐπιθυμία, cupiditas, studium, sitis. *Cic. Tusc.* 4, 8. Desiderium est libido ejus, qui nondum adsit, videndi. *Id. Or.* 1, 47. Ea si paulo latius dixeris, expleris omnem exspectationem desiderii nostri. *Id. ad Quir.* 1. Ut desiderium mei vos teneret. *Id. Senect.* 10. Teneri desiderio alicujus rei. *Ter. Hec.* 1, 2, 13. Te desiderium Athenarum cepit. *Id. Heaut.* 4, 5, 5. Magno desiderio fuit ei filius. *Cic. Att.* 5, 11. Flagrare desiderio. et *Or.* 10. incendi. *Id. Rabir. perd.* 5. Relinquere desiderium sui apud aliquem. *Id. Fam.* 2, 12. *extr.* Esse in desiderio rerum carissimarum, *h. e.* desiderare. *Id. Phil.* 10, 7. Brutus erat in desiderio civitatis, *h. e.* desiderabatur. *Hor. Ep.* 1, 14, 22. Incutere alicui desiderium urbis. *Liv.* 7, 24. Facere alicui desiderium alicujus rei. *Hor. Epod.* 17, 80. Desideríque temperare poculum, *h. e.* amatorium poculum, φίλτρον. ℙ Item dolor ipse et molestia, quam affert privatio rei optatae. *Cic. Fam.* 16, 11. Laborare ex desiderio. *Id. ib.* 15, 21. Me tanto desiderio afficis, ut unam consolationem relinquas, fore, ut utriusque desiderium crebris epistolis leniatur. et *ib.* 20. Tolerabilius ferre igniculum desiderii. *Id. Or.* 10. Confici desiderio. *Id. Fam.* 7, 18. aestuare. *Id. ib.* 16, 10. oblanguere. *Id. Att.* 1, 3. Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Ut in medio dolore ac desiderio tui laetarer. *Id. Brut.* 1. Triste alicui desiderium relinquere. ℙ Neque solum dicimus *desiderium tui*, *h. e.* dolorem ex absentia tui; sed etiam *desiderium absentiae*, *discidii*, et hujusmodi, hoc est doloren propter absentiam, etc. *Cic. Phil.* 2, 18. Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exsilium esse iturum. (Ubi frustra quidam lectionem sollicitarunt.) *Senec. ep.* 40. Imagines amicorum desiderium absentiae falso atque inani solatio levant. ℙ Praeterea *desiderium* dicitur quidquid naturaliter appetitur a re qualibet, quod ei opus sit ad sui conservationem. *Plin.* 20, 22, 29. Serpyllum ex aqua bibitur ad jocinerum desideria. *Id.* 23, 2, 29. Oxymeli prodest et anginis, et auribus, et oris gutturisque desideriis. *Id.* 30, 14, 33. Desideria scabendi tollunt cochleae. *Id.* 33, 3, 14. Aureis vasis uti in omnibus desideriis obscenis. *Id.* 11, 50, 111. Caudae omnibus fere animal gignentibus, pro desiderio corporum. ℙ Blanda appellatione *desiderium* dicitur, qui valde nobis carus est. *Cic. Fam.* 14, 2. *in f.* Valete, mea desideria, valete. *Catull.* 2, 5. Cum desiderio meo nitenti Carum nescio quid lubet jocari. ℙ Interdum *desideria* sunt postulata et petitiones. *Suet. Aug.* 17. Donec desideria militum ordinarentur. et *ib.* 53. Tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut, etc. *Ulp. Dig.* 25, 3, 5. Singulorum desideria perpendere judicem oportet. *Id. ib.* 1, 16, 9. *a med.* Ut omnium desideria audiantur. ℙ [Hinc *libellus desiderii* est, quod Itali *memoriale* dicunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 507, 1. Desiderii Artii Alphii Arriae Fadillae liberti, libellum tibi misi. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 186. *F.*]

DĔSĪDĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιθυμέω. Certum esse, ait *Festus*, a sideribus duci: nempe *desiderare* est sidera attente intueri, ut ex iis divines de rebus futuris, quas expetis et cupis. V. PRAESIDERARE. [*Voss. in *Etym.* etiam derivat a *sidus*, sed aliter explicat: *Desiderare*, inquit, est i. q. ἀποχειμάζειν, quum sideris tempus desiit: unde *desiderari* dicuntur, quae desunt. Haec illa explicatione, (quam proposuit *Perizon.* ad *Sanct. Min.* 3, 3, 10.) est artificiosior.] *Cic. Senect.* 9. Ne nunc quidem vires desidero adolescentis, non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti desiderabam. *Id. Arch.* 11. Nullam virtus aliam mercedem desiderat, praeter hanc laudis. *Id. Att.* 5, 16. Haec quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi praescribo. *Id. Quint.* 17. Ridet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, et instituta bonorum virorum requiramus. *Id. Q. Fr.* 3, 4. *a med.* De versibus, quos tibi scribi a me vis, deest mihi quidem opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat. *Plin.* 17, 26, 40. Desiderant rigari arbores. *Id.* 17, 8, 4. Fimi desiderat aliquantulum. ℙ Eleganter ponitur, cum significare volumus, abesse aut deesse aliquid, quod requirimus. Neque enim, nisi quod deest, desiderari quidquam potest. Hac ratione fere adhibetur aut passive, aut cum negatione. *Cic. Att.* 12, 40. Quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? *Id. Brut.* 31. Unum excipio Catonem, in quo summam eloquentiam non desiderem. *Id. Att.* 7, 26. Sin erit bellum, partes meae non desiderabuntur. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Neque quidquam ex fano, praeter unum perparvum signum ex aere, desideratum est. *Caes. B. G.* 7, 51. Eo die milites sunt paulo minus septingenti desiderati. *Id. ib.* 5, 33. Ut ex tanto navium numero nulla omnino navis desideraretur. *Hor. Ep.* 1, 7, 1. Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum, Sextilem totum mendax desideror. ℙ *Fortiter desiderare* est magno animo ferre amissionem alicujus rei. *Senec. Cons. ad Marc.* 16. Tibi si vis referri exempla feminarum, quae suos fortiter desideraverunt. ℙ Pro petere et postulare in judicio. *Ulp. Dig.* 27, 2, 2. *extr.* Imputabitur ei, cur non adito praetore, desiderarit alimenta minui. *Id. ib.* 37, 10, 5. *sub f.* Desiderandum a praetore, ne, etc.

DĔSĪDĬA, ae, f. ῥᾳθυμία, ignavia, inertia, otium. [*Proprie est conditio desidentis. Sic usus h. v. *Prop.* 1, 15, 6. Et longa faciem quaerere desidia, *h. e.* diu ad speculum sedendo faciei venustatem conciliare. (Attulerat h. l. *Forc. in f.*) Explicavit hunc loquendi modum (de quiete ad ludum et voluptatem) *Markl.* ad *Stat. Silv.* p. 221., quem laudat *Burm.* ad *Prop.* l. l.] *Cic. Off.* 1, 34. Ne languori se desidiaeque dedat. *Id. Agr.* 2, 37. Qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem. *Id. Tusc.* 5, 27. Umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum inficere. *Id. Sext.* 48. *extr.* Ab industria ad desidiam avocare aliquem. *Id. ib.* 10. Videbamus genus vitae, desidiam, inertiam. Ubi *Manut.* Plus *inertia* vituperationis habet, quam *desidia*. Desidem enim appellamus, qui nihil agat: inertem, qui etiam agendi arte, non modo voluntate careat. Ergo in *desidia* voluntas; in *inertia* simul cum voluntate notatur inscitia. Hinc *Cic. Fam.* 12, 20. Si cessabis, lacessam, ne tua ignavia etiam inertiam afferat. ℙ Est etiam a *desido:* unde proprie *Appul. Dogm. Plat.* 2. p. 17, 15. Robur viresque frangit et verum colorem ad desidiam sanguinis mutat, *h. e.* ad recessum. *Id. de Mundo* p. 73, 28. Regiones desidia maris pedestri accessu pervias factas.

DĔSĪDĬĀBŬLUM, i, n. locus desidiae aptus. *Pl. Bacch.* 3, 1, 8. Ut celem patrem tua flagitia aut damna aut desidiabula, quibus patrem et me teque amicosque omnes affectas tuos? *Non.* 2, 54. legit *despoliabula*.

DĔSĪDĬES, ei, f. idem quod desidia. *Lucr.* 5, 49. Quid luxus desidiesque.

DĔSĪDĬOSE, adv. ῥᾳθύμως. *Lucr.* 4, 1129. Agere aetatem desidiose.

DĔSĪDĬOSUS, a, um, adj. ῥᾴθυμος, qui totus desidet et nihil agit. *Ov. Rem. Am.* 161. Quaeritur, Aegisthus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. *Cic. Agr.* 2, 33. Inertissimum et desidiosissimum otium. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Majores nostri, qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiosiores putabant. *Ov. Am.* 2, 9, 1. O nunquam pro me satis indignate Cupido: O in corde meo desidiose puer! *h. e.* assidue sedens. [*Suet. Gram.* 8. desidiosior in professione grammaticae habebatur, i. e. negligentior.]

DĔSĬDO, is, edi, n. 3. καθιζάνω, descendo, subsido: a *de* et *sido:* sed praeteritum a *sedeo* mutuatur. *Cic. Div.* 1, 35. Tantos terrae motus factos esse, ut multa oppida corruerint terraeque desederint. *Liv.* 32, 9. Terra trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. *Justin.* 4, 1. Undae in imum desidunt. et *mox.* Aestus in voraginem desidens. *Cels.* 2, 7. *ante med.* Ex urina quod desidit, album est. *Id.* 7, 18. Tumor ex toto desidit. [*Saepe hac significatione a librariis confunditur cum *descendere*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 565. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 338.] ℙ Desidere dicuntur montes in sublime volanti. *Stat. Th.* 1, 548. Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis: Gargara desidunt surgenti et Troja recedit. ℙ Translate. *Liv. prooem. l.* 1. Desidentes mores. Al. leg. *dissidentes*. [*Male. *Desidentes mores* sunt paullatim labi incipientes. V. *Intpp.*]

DĔSĪDŬŌ, adv. diuturne, assidue. *Varr.* apud *Fulgent. de prisco serm.* Dividiae mihi fuerunt, tam desiduo afuisse.

DĔSĪGNĀTĔ, adv. signate, significanter. *Gell.* 2, 5. *in lemmate.* Quam lepide designateque dixerit Favorinus etc.

DĔSĪGNĀTĬO, onis, f. σχῆμα, διαγραφή, ὑποτύπωσις, signum, forma, figura, descriptio. *Vitr.* 5, 3. *a med.* Si in stantem aquam lapide immisso nascantur innumerabiles undarum circuli crescentes a centro et quam latissime possunt vagantes, nisi angustia loci interpellaverit aut aliqua offensio, quae non patitur designationes earum undarum ad exitus pervenire. *Id. ib.* 5. Designatio cellarum. *Cic. N. D.* 1, 8. *in f.* Omnem totius operis designationem atque apparatum requiro. ℙ Item notatio. *Cic. Or.* 1, 31. Infinitae rei quaestio sine designatione personarum et temporum. ℙ *Tac. A.* 13, 21. Designatio consulatus. V. DESIGNATUS. ℙ Apud *Arnob.* 7. p. 217. legitur *dissignatio:* et accipitur pro caede et crudelitate, quasi scissio, laceratio. Simili fere sensu *dissigno* apud *Stat.* a quibusdam exponi, diximus in DESIGNO. ℙ [De munere designatoris. In vet. *Tab. aen. Heracl.* apud *Mazoch.* p. 415. Praeconium, dissignationem, libitinam facere. *F.*]

DĔSĪGNĀTOR [et *melius* Dissignator vel Disignator, oris, m. διανομεύς, distributor, ordinator, qui loca et res, suo quasque ordine, ex alicujus jussu alicui assignat: a *dis* particula discresiva et *signo*. *F.* Noli credere *Furl.* Disignator nihil aliud est, quam scriptura sequioris aetatis. *Forc.* nonnisi alteram scripturam agnoscit; nam *designare* eodem prorsus modo dictum est, ut *describere;* V. DESIGNO.] Ita appellatur qui in theatro loca spectandi disponit et viros honoratiores populumque serius venientem, in suum quemque locum, sessum deducit. *Pl. Poen. prol.* 19. Neu dissignator praeter os obambulet, Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet. ℙ [*Disignator Caesaris Augusti* est, qui loca in theatro amicis et libertis Augustorum assignat. *Inscr.* ap. *Grut.* 601, 1. C. Verres Eros disignator Caesaris Augusti. ℙ *Disignator operum publicorum* est minister illius, qui templa, fontes, statuas, porticus aedesque publicas in Urbe curabat, quique in

vetustis monumentis saepissime *curator operum publicorum* appellatur. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 302. *n.* 284. Hierocli Augusti *(servo)* disignatori operum publicorum Eros vicarius. *F.*] ℙ *Dissignator scenarum*, qui scenis praeerat et curabat, ut ordine quaeque suo procederent et scenici artifices, quando oportebat, prodirent. *Inscr.* ap. *Grut.* 270, 6. Statilius Myro dissignator scenarum. Adde locum *Tertull.* mox *citandum* in §. seq. ℙ *Designator funeris* est, qui funerum pompae et funebribus ludis (teste *Donato* ad *Ter. Ad.* 1, 2, 7.) praeerat. *Hor. Ep.* 1, 7, 5. dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris. [*Acron* ad *h. l.*: Designatores dicuntur, qui ad locum Libitinae funere praestanti conducuntur, ut defuncti cum honore efferantur. *Schol. Cruq.* ad *eund. loc.* Dissignatores sunt funerum mancipes et ordinatores: nam dissignare est ordinare. *F.*] *Senec. Ben.* 6, 38. Qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quae designatores et libitinarios, vota? [*Tert. Spectac.* 10. A templis et aris inter tibias et tubas (ad scenas) itur, duobus inquinatissimis arbitris funerum et sacrorum, designatore et haruspice. *F.)* Adde *Quint. Decl.* 6, 8. ℙ [Olim Romae et in municipiis coloniisque designatoris munus inter viliora officia habebatur, ut constat ex loco *Tab. Heracl.* cit. in V. DESIGNATIO *in f.*; ibi enim, qui praeconium, dissignationem, libitinam in municipio vel colonia fecisset, ne sit decurio, prohibetur; in *Inscr.* vero apud *Grut.* 625, 1. C. Matienus Ovicula dicitur *praeco*, *idem (h. e. item) dissignator:* sed tertio a Chr. n. saeculo, imperante nempe Alexandro Severo Aug., multo honoratius fuit; nam designator in ludis publicis certamini praeest et praemia constituit datque certantibus. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Designatores, quos Graeci *βραβευτὰς* appellant, artem ludicram non facere, Celsus probat, quia ministerium, non artem ludicram exerceant. Et sane locus iste a principe hodie non pro modico beneficio datur. ℙ *Designator* vero minime habendus est minister principis, qui decimas per provincias procuraret, ut putavit *Forcellinus* deceptus auctoritate *Ursati de not. Rom.*, qui perperam ita interpretatus fuerat eas siglas apud *Grut.* 106, 6. Desig. X. P. P.; etenim ex *Fabrett. Inscr.* p. 104. *n.* 242. et ex *Maff. Mus. Ver.* p. 101. *n.* 1. ita potius legendas esse constat: Desi*gnato* X. (*decimo*) P*atre* P*atriae*, cum mutila ea inscriptio pertineat ad an. a Chr. n. 83., quo Domitianus Aug. consul fuit ordinarius IX. et designatus X., uti etiam constat ex ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 378. *F.*] ℙ Ad quodnam vero genus pertineat *Decimus designator*, de quo mentio est apud *Cic. Att.* 4, 3., non facile statuerim; ad illud vero §. 5. inclinat animus. ℙ Scriptionem *dissignator* vel *disignator* unice probandam putat *Lips. de amphith. c.* 15. [et *Mazoch.* ad *Tab. Heracl.* p. 416., cum ita se habeat in omnibus vetustis monumentis tum aereis, tum marmoreis et in pluribus optimae notae codicibus: unica vero etiam *s* scribitur, ut et *dirumpo* pro *disrumpo. F.*]

DĒSIGNĀTUS, a, um, part. a *designo*, signo notatus. *Senec. ep.* 90. *ante med.* Serra per designata currente, certa manu trabem scindere. ℙ Translate destinatus. *Cic. Cluent.* 11. Designatus reipubl. civis. *Pl. Most.* 2, 1, 66. Quae designata sunt et facta nequitia. ℙ *Designatus consul, praetor, tribunus, aedilis* etc. est, qui in proximum annum creatus, magistratum nondum iniit. *Cic. Fam.* 11, 6. et *Agr.* 2, 5. etc. *Varr. R. R.* 3, 17. Candidatus noster designatus aedilis. ℙ Item dispositus, ordinatus. *Cic. N. D.* 3, 35. Nec domus, nec respubl. ratione quadam et disciplina designata videtur, si in ea nec recte factis praemia exstent ulla, nec supplicia peccatis.

DĒSIGNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποτυπόω*, est aliquo signo notare. *Val. Fl.* 3, 425. designat litora ferro. *Cic. Cat.* 1, 1. Notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. *Stat. Th.* 1, 310. de Mercurio: sublimes raptim per inane volatus Carpit et ingenti designat nubila gyro. (Alii leg. *dissignat*, et exponunt, scindit, perrumpit. Apud *Arnob.* quoque *dissigno* legitur l. p. 39.) [*Ut supra diximus, est haec sequioris aetatis scribendi ratio, quae in omnibus paene vocc., vel ubi minime quadrat, reperitur. Quare hodie haec pronuntiandi ratio in Italorum lingua exstat, qui dicunt *disegnare*, *difendere*, *diffinire* etc. etc.; quin ex *declarare* fecerunt *dichiarare*, ex *declinare dichinare* et alia hujus generis plurima. Vetus aetas ubique in his *de* praeferebat; medio autem aevo nullum prorsus discrimen inter praepositiones *de* et *dis* et verba ab his praeposs. incipientia fecisse videntur. Cf. *Hemsterhus.* in *Add.* ad *Prop.* 2, 13, 40. *ed. Burm.* 942.] *Id. ib.* 6, 782. ac mediam designat vulnere frontem. ℙ Item significare, denotare et quasi per signa demonstrare. *Cic. Or.* 2, 58. Haec ridentur, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. ℙ Aliquando est decernere et deligere. *Cic. Agr.* 2, 10. Ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit. ℙ Interdum describere, constituere. *Cic. Phil.* 9. *extr.* Locum sepulcro pedes triginta quaqua versus designat. ℙ Aliquando rem aliquam insignem patrare, sed cum nota et ignominia, ut *Non.* 2, 210. docet. *Ter. Ad.* 1, 2, 7. Quae facta sunt, omitto: modo quid designavit? *Mi.* quidnam id est? *De.* Fores effregit, atque in aedes irruit etc. [*Cf. *Donat.* ad h. l. Bene *Ruhnk. ib.* designare, inquit, est aliquid facere, quod vel in bonam vel in malam partem novum et insigne sit.] *Hor. Ep.* 1, 5, 16. Quid non ebrietas designat? ℙ Designare nota ignaviae. *Liv.* 24, 16. Si reputabitis, nulla ignaviae nota leviore designari vos potuisse. [*i. e. insigniri, conspicuos reddi.] ℙ Designare aliquid verbis. *Cic. Or.* 1, 23. Designare verbis, generibus illustrare, partibus distribuere. ℙ Est etiam destinare, assignare. *Colum. Arbor.* 1. *ad f.* Ager, quem seminario designaveris. Al. leg. *destinaveris.* ℙ Item delineare, deformare. *Virg. A.* 5, 755. Aeneas urbem designat aratro. *Tac. A.* 12, 24. Sulco designare oppidum. ℙ Item significare. *Varr. L. L.* 7, 41. Nomina, quae res communes designant, ut vir, mulier.

DĒSĪLĬO, is, desilui *vel* desilii, desultum, n. 4. [*Forma perfecti in *ui* apud bonos scriptores unice probanda est. V. *Oud.* ad *Suet. Caes.* 64. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 60. *Garaton.* ad *Cic. Mil.* 10. p. 101. *ed. Bonon.*] *καταπηδάω*, saltu descendo. *Virg. A.* 11, 500. portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit. *Hor. Sat.* 1, 2, 130. Desilire lecto. *Cic. Mil.* 10. de rheda. *Caes. B. G.* 4, 25. Universi ex navi desiluerunt. et *ib.* 24. Et navibus desiliendum et fluctibus consistendum erat. *Id. ib.* 5, 17. Ex essedis desiliendi facultatem dederunt. *Pl. Rud.* 1, 2, 84. Desilire e scapha in terram. *Hor. A. P.* 134. Desilire in arctum. *Caes. B. G.* 4, 12. Equites ad pedes desiluerunt. *Ov. Fast.* 4, 427. Uvidus (*locus*) ex alto desilientis aquae. *Prop.* 2, 16, 50. Fulminaque aetheria desiluisse domo. ℙ [*Saepe h. v. confunditur cum *dissilire.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 10, 453. et *Hemsterhus.* l. supra l. sub DESIGNO.]

DĒSĪNĀTĬO, onis, f. cessatio. *Senec. ep.* 117. *a med.* Hac desinatione misericordiam captans. Ita *Scalig.* ad *Fest.* Alii *destinatione*, alii rectius *detestatione.*

*DESINĀTOR, oris, m. *ἀβοήθητος* in *Vet. Gloss.*, qui scilicet desinit destitutus ope, ut interpretatur *Scalig.* ad *Fest.* Cf. *Desino*, *as*, et *Desinatio. B. A.*

DĒSĪNO, as, n. l. idem ac *Desino*, *is*, apud veter. *Fest.*, ubi alii leg. *desivare* eodem sensu.

DĒSĪNO, is, ivi *vel* sii, itum, n. 3. *παύομαι*, cesso, omitto, finem facio: ex *de* et *sino.* [*Quid differat a DESISTO V. sub h. v. et cf. *Döderl. Syn.* III. p. 300.] *Ter. Ad.* 5, 3, 67. Pergisne? *De.* Jam desino. *Ov. Met.* 5, 285. Desierant imbres. *Cic. Fam.* 2, 9. *extr.* Equidem non desinam tua decreta defendere. *Id. Att.* 1, 19. *ad f.* Jamdiu fieri desierunt. [*Suet. Ner.* 33. morari eum inter homines desisse. De hac forma perf. infinitivi, quam meliores libri in bonis scriptoribus praeferunt, V. *Oud.* ad h. l. et *Drak.* ad *Liv.* 9, 46, 3.] ℙ Reperitur cum accusativo pro relinquere, deserere. *Cic. Fam.* 7, 1. *a med.* Libenter mehercule artem desinerem. Sed intelligi potest *exercere:* Et sunt qui aliter legant. [*Neutrum necesse est. *Desinere* proprie est *ablassen von etwas*, indeque *verlassen*, et habet vim activam, ut reliqua exempla demonstrant. Inprimis sane poetae ita loquuntur.] Eodem modo *Suet. Tib.* 36. Deprecantibus (*mathematicis*) ac se artem desituros promittentibus, veniam dedit. At *Gell.* 2, 12. Non ad augendam, sed ad desinendam seditionem, legem hanc esse dicebat, *h. e.* ad sedandam terminandamque. (Adde 15, 16.) *Ov. A. Am.* 2, 725. Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desine. Al. leg. *desere*, (quae lectionis varietas reperitur etiam *Met.* 3, 478. *ib.* 6, 215. *ib.* 7, 850. *Pont.* 2, 7. *extr.* et *ib.* 4, 8, 72.). *Virg. Ecl.* 8, 61. Desine Maenalios, jam desine, tibia, versus. (Sed subaudiri potest *dicere* aut *canere:* ut et in illo *Ecl.* 9, 67. Desine plura, puer.) *Sil.* 12, 725. Cede Deis tandem et Titania desine bella. *Val. Fl.* 4, 635. Desinite amplexus propriusque accedite dextrae. Sed legendum: *Dem*, *sinite. Appul. Met.* 5. p. 170, 6. Lugubres voces desinite. [*Appul. multis locis ita loquitur. Cf. *ib.* 5, p. 136, 28. scelus. *ib.* 4. p. 143, 38. fugam.] Haec *Heins.* congesserat ad primum loc. *Ovidii* allatum. *Inscr.* ap. *Mur.* 606. Uti stationarii desinant injuriam conductoribus gregum oviaricorum, *h. e.* desinant injuriam facere. ℙ Et cum ablat. *Cic. Acad.* 4, 25. Desine, quaeso, communibus locis. Sed *uti* subaudiri potest. [*Minime.] *Prud. περὶ στεφ.* 11, 64. sexto casui praepositionem addidit: *desine ab unco.* ℙ [*Desinere in aliqua re. *Suet. Ner.* 46. in hoc desisse versu. Codd. nonnulli habent *decidisse*, quod vitium etiam in *Plin. Pan.* 33, 3. reperitur.] ℙ *Hor.* cum genit. junxit *Od.* 2, 9, 17. Desine mollium Tandem querelarum, quae constructio Graeca est, *παῦσαι τῶν αἰτιάσεων. Ov. Met.* 6, 215. *desine quaerelas* dixit. *Sil.* 10, 84. et consul non desinit irae. ℙ Interdum significat interire, perire. *Plin. ep.* 2, 10. Fragilia et caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt desinuntque. ℙ Item terminari, finiri. *Hor. A. P.* 3. atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. *Plin.* 37, 9, 40. Gemma haec in violam desinit, *h. e.* colorem habet violae similem. *Flor.* 4, 12. Pyrenaeus desinens, *h. e.* Pyrenaei pars extrema. ℙ Usurpatur et passive impersonaliter. *Ov. A. Am.* 1, 411. Tunc bene desinitur. *Cic. Fin.* 2, 13. Jampridem contra eos desitum est disputari. [*Sic *Id. Off.* 2, 8.] ℙ *Similiter desinere* dicuntur a rhetoribus verba, quae iisdem syllabis eosdem exitus habent, *ὁμοιοτέλευτα:* quae *similiter desinentia* tum *Auct.* ad *Her.* 4, 20., tum *Quint.* 9, 4. appellant. *Cic. Or.* 3, 54. ℙ [Praeteritum *desi* disyllab. legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1132, 1., at emendatior ap. *Labusium*, *Decur. Bresc.* p. 46. Quaerere cessavi, nunquam nec perdere desi. *F.*] ℙ *Saepissime confundunt librarii *desisse* et *descisse*, *desiturum* et *destiturum.* V. *Drak.* ad *Liv.* 30, 3, 5.]

DĒSĪPĬENTĬA, ae, f. *παραφροσύνη. Lucr.* 3, 500. Desipientia fit, quia vis animi, atque animai Conturbatur.

DĒSĪPĬO, is, ui, sine sup. n. 3. *παραφρονέω*, est insipienter agere, delirare: ex *de* et *sapio.* Est minus quam insanio. *Cic. N. D.* 1, 34. Summos viros desipere, delirare, dementes esse, dicebas. *Id. ib.* 2, 5. Desipientis arrogantiae est etc. *Id. Div.* 2, 23. Estne quisquam ita desipiens, qui etc.? *Id. Fam.* 2, 9. In quo cum objurgarer, quod nimio gaudio paene desiperem. ℙ Cum genit. *Pl. Epid.* 1, 2, 35. Desipiebam mentis, cum illa scripta mitterem. Sed Graeca constructio est. ℙ Active pro insipidum facere, habet *Tert. Pudic.* 13. et 18. Fermentum modicum totam desipit conspersionem. ℙ Docet *Charis.* 2. p. 210. in infinito *desipire* facere, non *desipere.* Sed cave homini credas. *Hor. Od.* 4, 12. *extr.* Dulce est desipere in loco.

[DĒSĪPISCO, is, n. 3. idem ac desipio. *Not. Tir.* p. 86. Desipiscit. *F.*]

DĒSISTO, is, stiti, stitum, n. 3. maneo, moror, consisto in loco aliquo. *Pl. Most.* 3, 2, 10. Quid illic, obsecro, tamdiu destitisti? Al. leg. *restitisti.* ℙ Item multo frequentius, cesso, abstineo, finem facio, desino, absisto, ita tamen ut significet voluntatis et consilii mutationem. Nam *desinimus* aliquando, licet voluntatem non deponamus: *desistimus* vero et simul voluntatem abjicimus, *ἀφίσταμαι*, *ἀφίστημι.* [*Cf. *Döderl.* supra cit. sub DESINO.] *Varr. L. L.* 5, 11. Quoniam satis multas arbitror positas hujus generis, desistam. [*Tac. *A.* 11, 29. metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt.] *Cic. Brut.* 91. Cum me medici hortarentur, ut causas agere desisterem. *Id. Fam.* 1, 1. Pompejum hortari et orare non desistimus. [*Ov. *Met.* 6, 317. et venae desistunt posse moveri.] *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Non desistam, quin illum aliquando eruam. *Cic. Tusc.* 2, 12. Verbo de sententia destitisti. *Id. Fam.* 5, 2. Qui agerent cum eo, ut de illa mente desisteret. *Id. Off.* 3, 3. *extr.* Desistere a sententia. [*Meliores edd. omnes praep. *a* h. l. omittunt. Sic *Fragm. Messi* (in *ed. Cort.* p. 958.) actione. *Sall. Jug.* 25. *extr.* oppugnatione. Sic e codd. *Cort.*] *Nep. Timoth.* 2. de contentione. *Caes. B. C.* 2, 12. a defensione. *Virg. A.* 10, 441. pugnae. Al. leg. *pugna.* Si *pugnae* retineas, erit genitivus, ut *abstinere irarum* apud *Hor.* et *desinere irae* apud *Sil.* 10, 84. et *querelarum* apud *eund. Hor.* quae Graeci moris sunt. *Cic. fr. pro C. Cornel.* apud *Ascon.* accusatione. *Liv.* 38, 30. et 56. *ad f.* incepto. *Cic. Acad.* 19. *a med.* et *in f.* sententia. *Liv.* 37, 57. *extr.* petitione. *Caes. B. G.* 5, 11. itinere. ℙ Pro deesse, deficere. *Stat. Th.* 5, 273. haud unquam justo mea cura labori Destitit. ℙ Pro discedere, abire. *Pl. Men.* 5, 2, 27. Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit? *Paul. Dig.* 4, 5, 5. Deficere dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt. ℙ Passive impers. *Pl. Mil.* 3, 1, 142. Nunc jam istis rebus desisti decet. ℙ Pro desinere. *Lucr.* 6, 555. nisi humor Destitit in dubio fluctu jactarier intus. *Varr. R. R.* 2, 3. Desistente autumno. ℙ *Destitērunt* paenultima correpta, more poetico dixit *Lucr.* 4, 972. ℙ Active pro sistere, destituere, ponere. *Appul. Met.* 4. p. 157, 24. Montis in excelsi scopulo desiste puellam. ℙ [*Paul. Dig.* 40, 9, 10. Qui datis libertatibus, destiturus est solvendo esse. *F.* ℙ *Permutantur *desistere*, *desinere*, *desciscere* V. DESINO. — et *dediscere*, V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 317.]

[DĒSĪTĬĀS, atis, omn. gen. *Desitiates* sunt Delmatiae populi, de quibus *Plin.* 3, 22, 26. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. Antiq.* p. 179. Viam a Salonis ad castellum Desitiatium per millia passuum CLVI. muniit. Alia apud *Marin. Frat. Arv.* p. 452. Nervae Laidi F. Desitiati. *F.* et *B. A.* *A *Strabone* 7. p. 483. appellantur *Δαισιτιᾶται*, a *Dione* 55. p. 802. *Δαυδιᾶται.* Comparavit haec *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 115, 4. Idem in *Inscr. Spon.* supra l. et alia apud *Zachariam Marmor. Salonit.* p. 20. *Daesitiates* legi affirmat.]

DĒSĪTŪDO, inis, f. cessatio. *Sulpic. Sever. praef. de vita B. Martini.* Totum id desitudine

tanti temporis perdidissem. At opt. codices et editiones habent *desuetudine*.

*DESĪTUS, us, m. defectus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 3, 87. Etiamsi pars superna humanaque emortua jam et colore atro cum desitu spiritus visebatur. *B. A.*

DESĪTUS, a, um, part. a *desino*. *Cic. Brut.* 32. Veteres orationes a plerisque legi sunt desitae. *Id. fr. pro Cornel.* ap. *Prisc.* 10. p. 899. Coeptum per eos, qui volebant, desitum est per hunc, qui decessit. *Liv.* 42, 49. Persei nunquam desitum celebrari nomen. *Suet. Aug.* 37. Censores creari desitos longo intervallo, creavit. [**Gell.* 1, 10.] ℙ Est etiam *desitus* particip. a *de* et *sero*, *is*, *sevi*. *Varr. R. R.* 1, 23. *ad f.* In recentibus pomariis desitis seminibus. V. DISSERO, evi.

*DESOLATĬO, onis, f. ἐκτόπισις *Vet. Gloss. Vulg. Jerem.* 44, 22. Et facta est terra vestra in desolationem et in stuporem etc. V. *Salvian. de gub. Dei* l. 6. p. 132. (214. *Rittersh.*) *Zeno Veron. de Resurr.* c. 40. Uxor viri amissione desolationem ferre non posse testatur. ℙ Qui hoc vocabulo usi, fere omnes Christiani sunt; nec certo constat, an antiquioribus etiam receptum tritumque fuerit. Unde factum, ut *Vossius* proscripserit *de Vit. L. L.* 3, 8. et 4, 5. *B. A.*

[DESOLATORĬUS, a, um, adj. qui desolat. *Hieron. ep.* 18. *n.* 14. Vere quippe desolatorius carbo, qui linguam puram facit a peccato, sermo divinus est. *F.* **Vulgat. Psalm.* 120, 4. ℙ *Onomast. Vet.* vertit per ἐρημικός. *B. A.*]

DESOLĀTUS, a, um, part. a *desolo*, solus relictus, devastatus, derelictus, desertus, μονωθείς, ἐρημωθείς. *Stat. Silv.* 2, 1, 233. Desolata soror. *Id. Th.* 1, 653. desolata domorum Tecta vides. [**Sil.* 12, 12. At Libyci ducis ut fulserunt signa per agros, Desolata cuncta metu, i. e. deserta ab incolis. Comparare jubet *Drak. Gron. Obss.* 4, 21.] *Id. ib.* 9, 673. desolatumque magistro Agmen. *Tac. A.* 12, 26. Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis. [**Id. ib.* 1, 31. aliorum discessione. 16, 30. viduata desolataque.] *Virg. A.* 11, 870. desolati manipli. V. Servius. *Just.* 1, 7. Victus jam ac desolatus in regnum refugit. *Plin. ep.* 10, 97. *extr.* Prope jam desolata templa coepisse celebrari. *Petr. Sat.* 124. aevo jam desolata senectus, *h. e.* annis defecta. *Appul. Met.* 4. p. 153, 26. Ego misera tali domo, tanta familia, tam sanctis parentibus desolata, i. e. orbata. *Plin. ep.* 4, 21. Patri nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam, desolatus fulcit ac sustinet. [*Inscr.* ap. *Grut.* 682, 9. Aurelia Faustina mater unico filio desolata *ponendum curavit. F.*]

DĒSOLO, as, avi, atum, a. 1. μονόω, ἐρημόω, solum relinquo, desertum reddo, spolio; a *de* et *solus*. *Virg. A.* 11, 366. sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros. Sic *Stat. Th.* 5, 917. Desolare urbes. Et *Colum.* 1, 3. *ad f.* Quos hostis profugiendo desolasset agros. *Inscr.* non probae notae, apud *Don. cl.* 10. *n.* 11. Solaque me desolasti, vale Virgo dulciss.

DĒSOLŪTUS, a, um, part. ab inusit. *desolvo*, solutus. *Scaev. Dig.* 40, 5, 41. *circa med.* Reliquorum nomine id desolutum est.

DĒSOMNIS, e, adj. insomnis. *Petr. fr. Trag. Burm.* 47. Quae soles me nocte desomnem facere.

DĒSORBĔO, es, a. 2. idem quod absorbeo. *Tert. Idol.* 24. Vortex ejus ad inferos desorbet.

DESPECTĀTĬO, onis, f. actus deorsum spectandi et locus ipse, unde spectatur deorsum. *Vitr.* 2, 8. *a med.* Pilis lapideis altitudines exstructae summas utilitates perficiunt et despectationes.

DESPECTĀTOR, oris, m. contemptor. *Tert.* ad *Uxor.* 8. Despectatores divinarum sententiarum.

DESPECTĬO, onis, f. καταφρόνησις, contemptus. *Cic. fr.* [*ex *Hortens.*] apud *Non.* 4, 141. Consolabitur eam magnitudo animi et humanarum opinionum alta quaedam despectio.

DESPECTO, as, avi, atum, a. 1. καθοράω, saepe deorsum aspicio. *Virg. A.* 1, [*396.] 400. nunc terras ordine longo Aut capere aut captas jam despectare videntur. [**Liv.* 36, 25. regionem despectat — oppidum.] *Ov. Met.* 4, 622. Ex alto aethere despectare terras. *Calpurn. Ecl.* 7, 24. Spectacula Tarpejum prope despectantia culmen. ℙ Item contemno, despicio. *Tac. A.* 2, 43. Piso vix Tiberio concedere, liberos ejus despectare. *Id. H.* 2, 30. Ne ut victi et ignavi despectarentur.

DESPECTOR, oris, m. despectator, contemptor. *Tert. Marc.* 2, 23. Adlegitur Saul, sed nondum despector prophetae Samuelis.

DESPECTRIX, icis, f. quae contemnit. *Tert. Anim.* 23. Virtus despectrix mundi.

DESPECTUS, a, um, part. a *despicio*, καταφρονηθείς, contemptus. *Cic. Pis.* 41. Abjectus, contemptus, despectus ab omnibus. *Id. Verr.* 2, 3, 41. *extr.* Ne contemptissimi et despectissimi esse videamur. *Sil.* 8, 54. Despectus taedae reguis se imponit Hiarbas. [**Tac. A.* 13, 47. maximeque despecta et nullius ausi capax natura ejus, a crimine abhorrebat, i. e abjecta, contemtu digna.]

DESPECTUS, us, m. καθόρημα, prospectus ex superiori loco in inferiorem. *Caes. B. G.* 7, 79. Erat ex oppido despectus in campum. *Id. ib.* 2, 29. Oppidum ex omnibus partibus altissimas rupes despectusque habet. *Id. ib.* 3, 14. Loca, unde erat propinquus despectus in mare. Adde *Stat. Th.* 5, 351. ℙ Item contemptus, καταφρόνησις. *Auct. ad Her.* 4, 39. Ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi.

*DESPERABĬLIS, e, adj. *Vulg. Jerem.* 15, 18. Quare plaga mea desperabilis renuit curari? *B. A.*

DESPERANS, antis, part. a *despero*. *Cic. Mil.* 21. Servi desperantes vitam domini. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Desperans de se. *Cic. Pis.* 36. ℙ Tu toties diffidens et desperans rebus tuis. ℙ Passive pro desperatus. *Plin.* 22, 24, 50. Ulcera jam desperantia cicatrice includit. Est qui legat *cicatricem*.

DESPERANTER, adv. ἀνελπίστως. *Cic. Att.* 14, 18. Quod desperanter tecum locutus est.

DESPERĀTE, adv. desperanter. *Augustin. ep. ad Celer.* 237. Non desperate solicitus.

DESPERĀTĬO, onis, f. ἀπόγνωσις, est, ut ait *Cic. Tusc.* 4, 8., aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum. *Id. Fam.* 4, 3. Tanta est omnium rerum amissio et desperatio recuperandi. *Id. Cat.* 2, 11. *extr.* Bona spes cum omnium rerum desperatione confligit. *Id. Phil.* 2, 35. Desperatio vitae. *Id. ib.* 12, 10. victoriae. *Id. Att.* 8, 3. Desperatione quaerere aliquid. *Id. in Senat.* 9. A desperatione ad spem revocare aliquem. *Nep. Eum.* 12. Adducere aliquem ad desperationem. *Caes. B. C.* 2, 42. Ad summam desperationem pervenire. *Id. ib.* 1, 11. Afferre cuipiam desperationem pacis. *Senec. ep.* 64. Beatae vitae desperationem facere, *h. e.* in causa esse, cur beata vita desperetur. *Cic. Att.* 14, 19. Magna desperatione affectus sum. *Justin.* 2, 13. Desperatione rerum pacem petere. ℙ Γνώμη est illud *Curt.* 5, 4. *ad f.* Saepe desperatio spei causa est. ℙ In pur. num. *Cic. Fam.* 2, 16. *ad f.* Recordor desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me. ℙ *Desperationem* pro desperata audacia posuit *Appul.*, ubi ait *Met.* 10. p. 251, 22. Qua mira desperatione truculentae feminae repente perturbatus medicus etc.

*DESPERĀTOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat.* ἀπεληρμένος.

DESPERĀTUS, a, um, part. a *despero*, ἀνέλπιστος, qui spem omnem abjecit: item is, de quo nulla spes est. *Cic. Rosc. Am.* 10. Hospes oppressus et desperatus ab omnibus. *Id. Cat.* 2, 3. Desperati senes. *Id. Sull.* 27. Magni et diuturni et jam desperati reipublicae morbi. *Id. Divin. Verr.* 22. Hoc remedium est aegrotae ac prope desperatae reipublicae. *Id. Fam.* 13, 56. Habere aliquid in rebus perditis et desperatis. *Id. Mur.* 20. Pecunias jam desperatas exigere. *Nep. Att.* 9. Ut Brutus et Cassius, provinciarum desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur, *h. e.* cum desperassent de rebus provinciarum. *Cic. Fam.* 6, 22. Haec sunt nunc etiam atque etiam multo desperatiora. *Id. Verr.* 2, 2, 41. *extr.* Desperatissimo perfugio uti. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. ad *Att.* Compositionis spem non desperatissimam esse puto.

DESPERGO, is, ersi, ersum, a. 3. dispergo, dissipo. *Sil.* 9, 167. In vacuas senior vitam desperserat auras. Al. leg. *disperserat*. [*Sic *Drak.*, nulla scripturae discrepantia notata.]

DESPĔRNO, is, evi, etum, a. 3. valde sperno. *Colum.* 10, 298. ne Corydonis opes despernat Alexis.

DESPĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀπελπίζω, spem depono, diffido. *Cic. Off.* 1, 21. *extr.* Considerandum est, ne temere desperet propter ignaviam. *Id. Div.* 2, 21. Non equidem plane despero, ista esse vera. *Ov. Met.* 9, 723. Desperat posse frui. *Cic. Or.* 1, 21. Non despero, fore aliquando, qui etc. *Id.* ad *Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. ad *Att. a med.* Desperare de republica. *Id. Cluent.* 25. saluti suae. *Id. Mur.* 21. *extr.* Sibi hic ipse desperat. *Id. in Senat.* 14. Suis fortunis desperare. *Id. Pis.* 34. *extr.* Thessalonicenses, cum oppido desperassent, munire arcem coegerunt. *Id. Cat.* 2, 9. Desperare honores. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. valde rempublicam. *Id. Att.* 7, 20. pacem. *Quint.* 12, 11. *sub f.* summa et in secundis tertiisque consistere. *Senec. ep.* 29. Marcellinum nostrum ego nondum despero: etiamnum servari potest. *Senec. Med.* 163. Qui nil potest sperare, desperet nihil. [**Liv.* 10, 14, 8. tumultum. Hanc constructionem expl. *Drak.* ad h. l. *Lucan.* 5, 574. viam. V. *Cort.*] *Cic. Pis.* 6. Spem habere a tribuno plebis, a senatu desperasse, *h. e.* obtinere a senatu, desperasse. ℙ Passive. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *a med.* Sive restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est. *Quint.* 1, 10. Turpiter desperatur quidquid fieri potest, γνώμη. [*Cic. Cat.* 2, 5. essent illi quidem desperandi, sed tamen ferendi. *F.*] *Mart. Spectac.* 22. Desperabantur promissi proelia Martis. ℙ Vetustissimi olim scriptores, *desperantur* pro *desperant* deponentis forma dixere, teste *Capro* apud *Prisc.* 8. p. 797. ℙ Particip. *Desperans* V. suo loco.

DESPICĀBĬLIS, e, adj. φαῦλος, contemptibilis. *Ammian.* 26, 8. Dedignatus hominem despicabilem. *Sidon. ep.* 2, 10. Despicabiliorem pronunciare.

DESPICĀTĬO, onis, f. καταφρόνησις, contemptus. *Cic. Fin.* 1, 20. Ut odia, invidia, despicationes adversantur voluptatibus.

DESPICĀTUS, a, um, part. a *despicor*. Active, qui despicit aut contemnit. *Aur. Vict. Vir. ill.* 23. Primo ut Deos venerati: deinde ut homines despicati, interfecere. ℙ Passive, ὑπερόπτος, contemptus. *Ter. Eun.* 2, 3, 92. Quae nos nostramque adolescentiam habent despicatam. *Cic. Sext.* 16. Cessi tribuni pleb. despicatissimi hominis furori.

*DESPICĀTUS, a, um, adj. a spica, i. e. acuto palo infixus. *Rufin. Hist. Ecl.* 11, 24. *B. A.*

DESPICĀTUS, us, m. καταφρόνησις, contemptus. *Pl. Men.* 4, 3, 19. Tu me bene merentem habes despicatui, *h. e.* contemnis. *Cic. Fl.* 27. Quid porro in Graeco sermone tam tritum, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?

DESPĪCĬENTĬA, ae, f. ὑπεροψία, despectus, despectio. *Cic. Tusc.* 1, 40. Totam vim bene vivendi in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia ponamus. Adde *Off.* 2, 11.

DESPĪCĬO, is, exi, ectum, a. 3. καταβλέπω, καθοράω, deorsum aspicio, despecto. [**Liv.* 44, 6. ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. *Lucan.* 1, 458. populi, quos despicit Arctos. *coll.* 5, 251.] *Cic. Hor. resp.* 15. Tollam altius tectum, non ut ego te despiciam, sed etc. *Colum.* 1, 6. *sub f.* Area ita constituenda est, ut a domino despici possit. *Plin.* 35, 8, 34. Formare vultus suspicientes et despicientes. *Hor. Od.* 3, 7, 29. Despicere in vias. *Pl. Mil.* 2, 6, 72. Et me despexe ad te per impluvium tuum fateor, pro *despexisse*, syncope. *Ov. Met.* 11, 504. de vertice montis Despicere in valles. [*Multos hujus signif. locos collegit *Heins.* ad *Sil.* 6, 185. et *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 7. *Burm.* ad *Ov. Met.* 7, 222.] ℙ Sumitur et pro simplici *aspicio*. *Suet. Ner.* 19. Tanta oborta caligo est, ut despicere non posset. Alii rectius leg. *dispicere*. [*Omnino. Cf. *B. Crus.* Similiter apud *Ter. Andr.* 3, 5, 16. *dispicere* cum *Bentl.* legendum est. Nam *Ruhnkenii* ad illum locum V. *despiciendi* significatio contra indolem h. v. est.] ℙ Translate est contemnere; nam qui alium contemnit, videtur quodammodo infra se positum aspicere. [*Pluribus hanc significationem illustrat *Döderl. Syn.* II. p. 181., ubi etiam disputat de reliquis synonymis.] *Cic. Rosc. Am.* 46. *ad f.* Omnes despicere, hominem prae se neminem putare. *Id. Fin.* 3, 8. *ad f.* Despicere et pro nihilo putare omnia. *Id. Or.* 2, 89. *ad f.* Nemo unquam tam sui despiciens fuit, qui desperaret etc. *Id. fr.* ap. *Non.* 5, 57. Contemnere, despicere, ac pro nihilo habere. V. CONTEMNO. *Caes. B. G.* 3, 2. Legionem compluribus absentibus, propter paucitatem, despiciebant. [**Tac. A.* 15, 6. Paetus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta, i. e. oratione deprimebat.] ℙ Item negligere, [*proprie: oculos de aliqua parte in aliam convertere. Hoc secundo loco ponendum erat.] *Nep. Att.* 6. Honore fuit contentus, rei familiaris despexit fructum. *Cic. Rosc. Am.* 8. Cum tam multi occupationem ejus observent tempusque aucupentur, ut simul atque ille despexerit, aliquid hujuscemodi moliantur, *h. e.* alio demittat oculos et attentus non sit. ℙ Item respuere, recusare, fugere. *Caes. B. C.* 3, 8. *in f.* Ipse gravissima hieme in navibus excubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens etc.

DESPĪCOR, aris, dep. 1. καταφρονέω, contemno. *Q. Pompej.* ap. *Prisc.* 8. p. 793. Me miserum, quem mille feminae despicari ausae sunt! V. DESPICATUS, a, um.

DESPĪCUS, a, um, adj. intentus, contemplans: ut *prospicus*, prospiciens, providus. *Naev.* ap. *Non.* 2, 667. Sibi prospica ac despica. Al. leg. *tibi prospica ac despica*, *h. e.* tibi prospice ac dispice. Et quod apud *Fest.* habetur: Prospices, prospice: corrigunt *prospica*, *prospice:* ut sit utrumque verbum imperativi modi a *despico* pro despicio et *prospico* pro prospicio.

*DESPLENDESCO, is, n. 3. splendorem omitto: ut *depudet* est pudere desino. *Paull. Nolan. Ep.* 39. (al. 30.) *extr.* Ne rubiginem insipientiae colligatis, qua desplendescat nitor cordis vestri. *B. A.*

DESPOLĬABŬLUM, i, n. locus ad despoliandum aptus. V. DESIDIABULUM.

DESPOLĬĀTĬO, onis, f. actus despoliandi. *Tert. Resurr. carn.* 7. ex *D. Paulo Coloss.* 2. Hinc et Apostolus circumcisionem, despoliationem carnis appellans.

DESPOLĬĀTOR, oris, m. *Pl. Trin.* 2, 1, 14. Avarus, elegans, despoliator.

DESPOLĬĀTUS, a, um, part. a *despolio*. *Cic. Fam.* 14, 2. Illud doleo, quae impensa facienda

est, in ejus partem te miseram et despoliatam venire.

DESPŌLĬO et Dispolio, as, avi, atum, a. 1. idem ac spolio. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Dux isti ad despoliandum Dianae templum fuit. *Caes. B. G.* 2, 31. Despoliare armis. Et *ib.* 5, 6. Ut Gallia omni nobilitate despoliaretur, *h. e.* omnes viri nobiles e Gallia abducerentur. *Liv.* 45, 36. Indignum facinus esse, L. Paulum, tanti belli victorem, despoliari triumpho. *Pl. Epid.* 1, 1, 85. Despoliare dorsum virgis. Alii melius *depolire* leg. *Id. Men.* 5, 2, 53. Despoliare aliquem. *Id. Mil.* 4, 2, 57. digitos suos. ℙ *Despoliari* deponentis forma pro *despoliare* a vetustissimis olim fuisse usurpatum, testatur *Caper* ap. *Prisc.* 8. p. 797. *Afran.* ap. *Non.* 7, 100. Quos impune depopulatur et despoliatur dedecus.

DESPONDĔO, es, despondi et despopondi, onsum, a. 2. ἐγγυάω, μνηστεύω, spondeo, promitto. Fere adhibetur in causa nuptiarum, cum puellam pater in uxorem alicui promittit: et vicissim cum adolescentis pater acceptat conditionem propositam et pro filio spondet, puellam ab eo ductum iri. Neque enim semper est verum, quod docet *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 75. et *Ad.* 4, 7, 17. *spondere* dici patrem puellae, a quo illa petitur, *despondere* patrem adolescentis, qui petit: tametsi hac ratione a *Terentio* utroque loco adhibetur. Nam contra *Plaut.* patri puellae tribuit *Poen.* 5, 6, 2. Tuam mihi desponde filiam. *Id. Cist.* 2, 3, 57. Alcesimarcho filiam suam despondit in divitias maximas. *Varr. L. L.* 5, 7. Qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur, quod de sponte ejus, idest voluntate exierat. *Ov. Met.* 9, 714. Cum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthem. *Cic. Att.* 1, 3. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus. [**Tac. Agr.* 9.] ℙ Passive impersonaliter. *Ter. in fin. Andr.* Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur. ℙ Ipse quoque uxorem qui ducit *despondere* dicitur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 7. Cornificius adolescens Orestillae filiam sibi despondit. ℙ Ad alia quoque pacta transfertur. *Cic. Att.* 1, 10. Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris. *Id. ib.* 13, 12. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν Bruto, ut tibi placuit, despondimus. *Id. ib.* 11, 6. *ad f.* Lentulus Hortensii domum sibi et Caesaris hortos et Bajas desponderat. *Id. Fam.* 12, 9. Exigua spes est reipublicae: sed quaecumque est, ea despondetur anno consulatus tui, i. e. ea nobis promittitur. *Val. Fl.* 7, 509. meritis perjuria poenis Despondet, *h. e.* destinat poenas perjuriis, spondet se poenas perjuriorum exacturum. [**Lucan.* 7, 758. Cum sibi Tarpejas victor desponderit arces, i. e. cum Caesariani milites Capitolium diripiendum sibi promiserint. Sic *Cort.*] ℙ *Despondere animum* et *despondere* absolute, est spem omnem abjicere et desperatione rerum omnium mori decernere. Est autem dictum, inquit *Varr. l. c.*, eo modo, quo *despondere filiam:* quia quemadmodum qui filiam alteri uxorem promittit, finem statuit suae spontis seu voluntatis, hoc est omnem de filia voluntatem et curam deponit et in sponsum transfert; ita qui despondet animum, omnem deponit spem curamque sui. *Pl. Mil.* 4, 2, 62. Nisi tu illi fers suppetias, jam illa animum despondebit. *Liv.* 3, 38. Nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni coepti erant a finitimis. *Colum.* 8, 10. Turdi caveis clausi plurimi despondent. ℙ *Despondere sapientiam* est desperare, se consequi posse sapientiam. *Id.* 11, 1. *ante med.* Quae probabilis ratio, in socordiam compelli, quia desponderis sapientiam? ℙ *Despondere animo*, *h. e.* promittere, polliceri. *Liv.* 28, 38. Despondebantque animis, id bellum, quod instaret, P. Cornelium finiturum. Al. leg. *spondebantque.* ℙ Alterum praeterit. *despopondi* legitur apud *Pl. Trin.* 3, 1, 2. et *Truc.* 4, 3, 51.

*DESPONSĀTĬO, onis, f. actus sponsandi. *Tert. Virg. veland.* 11. Si autem ad desponsationem velantur. *B. A.*

*DESPONSĀTOR, oris, m. promissor nuptiarum. *JCt.* in *Cod. B. A.*

DESPONSĀTUS. V. DESPONSUS et DESPONSO.

DESPONSĬO, onis, f. *Desponsio animi* et *desponsio* absolute apud *Coel. Aur. Auct.* 3, 18. est desperatio. V. DESPONDEO.

DESPONSO, as, a. 1. frequentat. a *despondeo. Aur. Vict. Orig. G. R.* 13. Filia jam ante desponsata Turno fuerat. *Suet. Caes.* 1. Cossutia praetextato desponsata fuerat.

DESPONSOR, oris, m. qui despondet. Agnoscitur, ut Latina vox, a *Varr. L. L.* 5, 7. *post med.*

DESPONSUS, a, um, part. a *despondeo*, et Desponsatus, a, um, part. a *desponso*, καθωμολογημένος. *Cic. Q. Fr.* 2, 5. Tulliam nostram Crassipedi pridie Nonas Aprilis esse desponsam. Al. leg. *desponsatam. Id. Har. resp.* 3. Cui me praeripere desponsam jam et destinatam laudem, valde est iniquum. [**Id. Cons. prov.* 15.] *Id. Att.* 1, 16. *circa med.* Desponsam homini jam Syriam ademi.

DESPRĒTUS, valde spretus. *Festus.*

DESPŪMĀTĬO, onis, f. despumandi actus. *Tert. Car. Christ.* 19. Despumatione mutatum (*semen*) in coagulum sanguinis feminae.

DESPŪMĀTUS, a, um, part. a *despumo*, a spuma purgatus. *Cels.* 3, 6. *a med.* Despumatum mel. ℙ Item levigatus, politus, abstersus. *Vitr.* 7, 4. *sub fin.* Summo libramento cote despumato, redditur species nigri pavimenti.

DESPŪMO, as, avi, atum, a. 1. spumam adimo, extraho, ἐξαφρίζω. *Virg. G.* 1, 296. Et foliis undam trepidi despumat aheni. *Plin.* 9, 38, 62. Despumatis subinde carnibus. ℙ Item coquo. *Val. Fl.* 8, 254. Pars verubus, pars ingenti despumat aheno. [**Etiam h. l. proprie intellige.*] ℙ Translate est concoquere. *Pers.* 3, 3. Stertimus, indomitum quod despumare falernum Sufficiat. ℙ Significat etiam polire, detergere, fricare. *Plin.* 36, 25, 62. Pavimentum diligenter cote despumare. ℙ Neutra significatione pro spumas deponere, purgari, atque adeo decrescere. *Pallad.* 11, 18. Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit. ℙ Translate. *Senec. Ira* 2, 20. Ut minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet. *Id. ep.* 68. *ad f.* Haec aetas optime facit ad haec studia: jam despumavit. *Id. ep.* 99. *ad f.* Cum aliquid lacrimarum affectus effuderit et, ut ita dicam, despumaverit. ℙ Pro effundere et quasi spumando emittere. *Lucan.* 6, 506. de luna incantata: Donec suppositas propior despumet in herbas. *Claud. Cons. Prop.* et *Olybr.* 53. quantas per Lydia culta Despumat rutilas dives Pactolus arenas. ℙ Legitur et *dispumo* in multis libris, nihil mutata significatione aut usu, tum locis allatis, tum apud *Colum.* 12, 38. et *Pallad.* 3, 25. et 8, 7.

DESPŬO, is, ui, utum, a. 3. καταπτύω, idem quod spuo vel deorsum spuo, excreo. *Liv.* 5, 4. Sacellum ubi nunc despui religio est. *Tibull.* 1, 5, 54. Despuit in molles et sibi quisque sinus, *scilicet* ad avertendas fascinationes et contagia regerenda: quod veteri superstitione ter facere solebant, cum vellent quidpiam amoliri, deprecari, abominari. *Plin.* 28, 4, 7. Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus: simili modo et fascinaciones repercutimus, dextraeque clauditatis occursum. Veniam quoque a Deis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione, terna despuere deprecatione, in omni medicina mos est, atque ita effectus adjuvare. Haec *Plin.* Adde 10, 23, 33. et V. INSPUO. Hinc *Pl. Asin.* 1, 1, 26. Teque obsecro hercle, ut, quae locutus, despuas. *Pers.* 4, 35. Despuere in mores. *Catull.* 50, 18 precesque nostras, Oramus, cave, despuas, ocelle, *h. e.* despicias, improbes. *Senec. ep.* 104. *extr.* Despuendae sunt voluptates, spernendae opes, *h. e.* contemnendae. *Naev.* ap. *Gell.* 2, 19. Si unquam quicquam filium rescivero argentum amoris causa sumpse mutuum, Extemplo illo te ducam, ubi non despuas, *h. e.* sub furcam, ubi obstrictis faucibus et verberibus ad necem caesus, ne respirare quidem poteris, nedum spuere; vel in pistrinum, ubi, tanquam mula, capistratus despuere non possis. ℙ [**Permutantur a librariis despuere* et *despicere.* V. *Rigalt.* ad *Minuc. Felic.* 8. p. 71. et *Davis.*, quos laudat *Burm.* ad *Prop.* in *Add.* p. 951.]

DESPŪTĀMENTUM, i, n. sputum. *Fulg. Myth.* 3, 6. Scintillantis olei desputamento maritum succendit.

DESPŪTUM, i, n. sputum. *Coel. Aur. Acut.* 3, 20. Desputa subalbida.

DESQUĀMĀTUS, a, um, part. a *desquamo*, squamis exutus. *Desquamata* in corpore dicuntur loca, ubi injuria aliqua est praestricta cutis et in squamae modum avulsa. *Plin.* 22, 25, 68. Sitanius panis desquamata cum melle aptissime curat. *Id.* 24, 11, 55. Rhus medetur percussis, lividis, desquamatis. Adde 28, 4, 13. *Dioscorid.* 2, 82. haec vocat ἀποσύρματα.

DESQUĀMO, as, a. 1. ἐκλεπίζω, squamis exuo. *Pl. Aul.* 2, 9, 1. Desquama pisces. ℙ Dicitur etiam de arboribus et aliis rebus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Subarator imprudens luxavit radices vitis corpusque desquamavit. *Id.* 23, 7, 70. Summo cortice desquamato. *Id.* 25, 8, 54. Aristolochiae desquamato terreno servantur, *h. e.* derasa et abstersa terra, qua involutae sunt. *Id.* 35, 17, 57. Primum abluitur vestis Sarda, dein sulphure suffitur, mox desquamatur cimolia. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 202. Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor. ℙ Legitur et *disquamo.*

*DESTERCORANDUS, a, um, part. stercoribus purgandus. *Ulpian.* in *Pandect.* 7, 1, 15. §. 1. Destercorandis latrinis praeponat. ubi *Haloander* habet *extergendis.* In *Pandect. Florent.* est *stercorandis. B. A.*

*DESTERNO, is, a. 3. i. q. sterno. *Appul. Met.* 10. prope fi. p. 256, 7. *Elm.* Desternebatur lectus, ubi tamen ed. *Oud.* p. 749. *disternebatur.* V. *Disterno.* ℙ Item strata vel clitellas demo. *Vulg. Genes.* 24, 32. Camelos destravit. *B. A.*

DESTERTO, is, tui, n. 3. stertere desino. *Pers.* 6, 10. postquam destertuit esse Moeonides Quintus pavone ex Pythagoreo, *h. e.* cessavit somniare, se esse Moeonidem etc.

DESTĬCO, as, n. 1. est sonum edere, qualem reddunt sorices. *Auct. carm. Philom.* 62. Et grillus grillat, desticat inde sorex. Al. leg. *disticat.*

*DESTICOS, i, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

DESTILLĀTĬO. V. DISTILLATIO.

DESTILLO, as, n. 1. distillo: a stilla. *Cels.* 4, 2. Destillat humor de capite interdum in nares. V. DISTILLO. [**Plurimos sane eorum locorum, quos ibi laudat *Forc.*, melius huc transtulisset. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 777.]

DESTĪMŬLO, as, avi, atum, a. 1. ut *destimulare bona*, *h. e.* rem familiarem quasi stimulo conficere et dissipare. *Pl. Bacch.* 1, 1, 30. Animum fodicant, bona destimulant, facta et famam sauciant. Al. leg. *distimulant.* ℙ Pro stimulare, excitare. *Symm. ep.* 4, 26. Exercendi stili amore destimulor. Alii leg. *distimulor*, alii *exstimulor.* Adde *Paulin. Nolan. carm.* 27, 23. Alta Destimulans ratione homines attendere Christo.

DESTĪNA, ae, f. vinculum, catena, qua aliquid colligatur et continetur: a *destino:* qua colligare significat. *Vitr.* 5, 12. Sin autem, propter fluctus aut impetus aperti pelagi destinae arcas non potuerint continere. Al. leg. *destinatae arcae non potuerint contineri.* ℙ Translate. *Arnob.* 2. p. 92. Atlantem gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam coeli. *Corrip. Laud. Justin.* 1, 18. Et Thomas Libycae mutantis destina terrae.

DESTĪNĀTE, adv. *Ammian.* 18, 2. Florentio et Lupicino destinate certantibus. *Id.* 23, 1. Elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.

DESTĪNĀTĬO, onis, f. προαίρεσις, deliberatio, voluntas, certum consilium. *Plin.* 7, 45, 46. Destinatio exspirandi et quatridui inedia major pars mortis in corpus recepta. *Id.* 36, 14, 21. Destinatio mortis suprema. (Adde *Tac. H.* 2, 47.) *Id.* 3, 2, 3. Porticum ex destinatione et commentariis M. Agrippae a sorore ejus inchoatam peregit. *Stat. epist. praef. l.* 3. *Silvar.* Destinatio quietis. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Fecit opus maximum aeternitatis destinatione. ℙ Item determinatio, praefinitio. *Id.* 8, 25, 39. Depascitur segetes, destinatione ante determinatas in diem, *h. e.* cum antea determinaverit et praefinierit, quas sit depasturus. *Liv.* 32, 35. *extr.* Nulli placere partium, quibus cessurus aut non cessurus esset, destinatio. [†i. e. attributio partium et regionum Graeciae.] *Petr. Sat.* 115. *a med.* Quam longe a destinatione sua jacet! *h. e.* a loco, ad quem pervenire destinaverat. ℙ [**Destinatio Consulum est argenteo aevo i. q. designatio. *Plin. Pan.* 77, 1. (coll. 95, 2.) Tantum ex renuntiatione eorum (CSS.) voluptatis, quantum prius ex destinatione capiebat.]

DESTĪNĀTO, adv. consulto, deliberate. *Suet. Caes.* 60. Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat.

DESTĪNĀTUS, a, um, part. a *destino*, colligatus, alligatus. *Appul. Met.* 4. Arreptum me loro ad ansulam quandam destinatum, caedendo confecissent. *Sidon. ep.* 1, 7. Captus destinatusque pervenit Romam. Adde *Vitruvii* locum, supra in DESTĪNA. ℙ Item certus consilii, obstinatus. *Catull.* 8, 19. At tu, Catulle, destinatus obdura. *Liv.* 42, 48. Consilia destinata ad bellum. ℙ Item deliberatus, constitutus, proprius. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. A destinato itinere digredi. *Curt.* 3, 8, *extr.* Destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discutit. ℙ [**Absolute: *Tac. H.* 1, 4. antequam destinata componam, i. e. antequam ipsum libri scribendi opus aggrediar. *Id. A.* 4, 40. ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor.] ℙ Item definitus, certus. *Cic. Tusc.* 5, 22. Ut vadem suum liberaret, praesto fuit ad horam mortis destinatam. *Id. ib.* 2, 2. Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt. [**Liv.* 28, 14. praeter opinionem destinatam suorum hostiumque. V. *Duker.* ad h. l.] *Quint.* 3, 6. *ante med.* Certae destinataeque personae. ℙ Item addictus, assignatus. *Cic. Fam.* 10, 25. Non est annus hic tibi destinatus. *Id. Har. resp.* 3. Desponsa et destinata laus. *Caes. B. G.* 7, 72. Ne tela in nostros operi destinatos conjicere possent. *Curt.* 5, 10. Destinatus ad obsequium omne, *h. e.* promptus et certo obsequuturus. *Quint.* 1, 1. Puer huic spei destinatus, *h. e.* ut orator evadat. *Tac. H.* 4, 53. Destinatus in aliquam rem. ℙ Absolute. *Curt.* 7, 5. *sub f.* Adeo certo ictu destinata feriebat (i. e. quae sibi ferienda destinaverat.), ut aves quoque exciperet. *Liv.* 38, 26. *sub f.* Quo densiores erant, hoc plura, velut destinatum petentibus, vulnera accipiebant. [**Aur. Vict. Epit.* 47. ferire destinata. V. *Arntzen.* ad h. l.] ℙ *Ex destinato* est ex deliberatione, dedita opera, consulto. *Suet. Cal.* 43. Res bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed etc. *Senec. Clem.* 1, 6. Peccavimus omnes, alii ex destinato, alii forte impulsi. Adde *Ben.* 6, 10. *extr.*

DESTĪNO, as, avi, atum, a. 1. ἐνδέω, καταδέω, alligo, vincio, contineo: fortasse a *de* et *teneo*, inserto *s.* [**Multo probabilior est *Vossii* in *Etym*

notatio, derivantis ab antiquo *stano*, (*stino*), quod idem est cum Graeco *ἱστάνω*. Eandem amplectitur *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 4, 2, 68. Est igitur *destinare* proprie: defigere, deorsum firmare, stabilire, quod optime quadrat ad seqq. locos.] *Vitr.* 5, 12. Arcae stipitibus robustis et catenis inclusae in aquam dimittendae destinandaeque firmiter. *Caes. B. C.* 1, 25. Rates ancoris destinabat, ne fluctibus moverentur. *Id. B. G.* 7, 22. Falces laqueis destinare. ℙ Translate est consilio, deliberatione, voluntate addicere, assignare et veluti obligare alicui rei, *προορίζω*: *Liv.* 2, 54. Destinare ad mortem. [**Id.* 42, 48.] *Virg. A.* 2, 129. Composito rumpit vocem et me destinat arae. *Vell.* 2, 81. Domos publicis usibus destinare. [**Caes. B. G.* 7, 72. Dativi constructio frequentior est quam accusativi post *ad.*] ℙ Item statuere, deliberare, quasi voluntatem suam ad certum aliquod consilium alligando. *Caes. B. C.* 1, 33. Infectis iis, quae agere destinaverat. *Liv.* 7, 33. Morte sola vinci destinaverat animis. *Phaedr. prol.* 5, 1. Cum destinassem operis habere terminum. *Suet. Tib.* 13. Destinatum ei erat, nihil super ea re statuere. *Liv.* 6, 6. Sibi destinatum in animo esse Camillo submittere imperium. *Id.* 29, 20. Quem juvenem civitas spe destinaverit, Annibalem ex Italia detracturum. [**Id.* 43, 7. Si Cretenses bene ac gnaviter destinarent, potiorem populi Romani — amicitiam habere. *Id.* 24, 2. quas urbes direpturos se destinaverant.] ℙ Item praefinire, praestituere. *Cic. Off.* 3, 10. *sub f.* Cum eorum alteri Dionysius diem necis destinavisset. [**Auct.* ad *Her.* 1, 15. quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur, i. e. definiri.] *Liv.* 33, 37. Tempus et locum destinare ad certamen. *Cels.* 3, 4. *ante med.* Ubi aegrum triduo fatigaverat, quartum diem cibo destinabat. *Curt.* 4, 8. Octoginta stadiorum muris ambitum destinat. [*Jam antiquiores passim h. v. in finibus praestituendis usi sunt pro *designare*, V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 2, 18, 30.; adeoque, ut dicebant veteres *designare Consules*, sic recentiores etiam *destinare* Consules et quidem eodem prorsus sensu dixerunt. Interdum tamen est inter *designationem* et *destinationem Coss.* hoc discrimen, ut illa publicam electionem et auctoritatem, haec solius Principis vel Senatus voluntatem significet. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 77, 1. et 95, 2. quem laudat *B. Crus.* in *Clav.* s. h. v. coll. *Gron. Obss.* 2, 8. *Ern.* ad *Suet. Caes.* 1. et ad *Tac. A.* 1, 3. Quanquam *Liv.* in eundem fere modum dixit 10, 22. quin Fabius omnium consensu destinaretur (consul). *Liv.* 28, 24. Regnum sibi Hispaniae destinaverant animis. *Justin.* 20, 1. Omnes Italiam possidentes, hostes sibi destinaverat. ℙ Item eligere. *Id.* 42, 4. *sub f.* Quem ex numero filiorum in locum Pacori regem destinet. ℙ Item mittere. *Suet. Galb.* 16. Legationem ad praetorianos cum mandatis destinaverunt, displicere imperatorem in Hispaniam factum. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. Legatis, qui in provinciam destinati, revocandi domum suam jus datur. ℙ Item parare, moliri. *Suet. Caes.* 44. De ampliando imperio plura in dies destinabat. [*In tribus his §§. obtinere genuinam h. v. significationem, qua est *decernere*, *constituere*, vix est quod moneam.] ℙ Est etiam verbum jaculantium et significat scopum praestituere, quem petas. *Liv.* 38, 29. Non capita solum hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris. Adde *Curt.* 7, 5. *sub f.* Sic *destinare sagittas* apud *Aur. Vict. Caes.* 42. est ad scopum certo dirigere. ℙ Translate. *Liv.* 33, 28. Palam ab suo comitatu fremebant interfectum: animis autem Zeuxippum auctorem destinabant caedis. *Tac. H.* 2, 1. Multos destinare, donec unus eligatur. *Curt.* 9, 7. *extr.* Conjectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. ℙ Item ementium et ponitur pro acquirere, suum facere, constituto pretio, praesertim si arrhabo detur. [*Sic etiam usurpatur apud *Pl. praestinare*, quod V., coll. *Lindem.* ad *Pl. Pl. Capt.* 4, 2, 68. Proprie est (in *Cic.* loco) sibi destinare, *für sich bestimmen*, *sich ausersehen*, sibi emendum proponere aliquid.] *Pl. Epid.* 3, 1, 112. Aedes quanti destinat? *Tr.* talentis magnis totidem, quot etc. *Id. Rud. prol.* 45. Minis triginta sibi puellam destinat datque arrhabonem et jurejurando alligat. *Cic. Fam.* 7, 23. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 4, 146. et *Pl. Pers.* 4, 3, 72. ℙ [**Destinare* et *distinere* saepe confundunt librarii. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 675.]

DESTĪTŪO, is, ui, utum, a. 3. *καθίστημι*, deorsum statuo, defigo, pono, colloco. *C. Gracchus* apud *Gell.* 10, 3. Palus destitutus est in foro, eoque adductus Marius virgis caesus est. *Naevius* ap. *Non.* 4, 120. In alto naves jubet destitui ancoris. *Curt.* 4, 8. Itaque mersa navis omnes destituit. *Caecil.* ap. *Non. l. c.* Destituit omnes servos ad mensam ante se. *Pl. Rud.* 3, 5, 43. Duo destituit signa hic cum clavis senex. *Cic. Verr.* 2, 3, 26. *ad f.* Alios in publico custodiri, alios destitui in convivio, *scil.* ad ludibrium. [**Lucan.* 6, 733. Stygiasque canes in luce superna Destituam, i. e. statuam.] ℙ Item derelinquo, desero, *ἀπολείπειν*. *Plin.* 9, 5, 4. Belluas reciprocans oceanus destituit. *Pl. Men.* 5, 2, 59. Quid illam iratam abs te destituis? [**Vell.* 2, 69. neque reperias, quos — fortuna — maturius destituerit. (*Suet. Aug.* 65.) Multis agit de hac formula (fortuna dest. al.) *Cort.* ad *Lucan.* 2, 728. In codd. saepe hoc sensu substituitur *deserere*, ut et h. l. et apud *Ov. Her.* 17, 196. *Prop.* 1, 20, 46. *Lucan.* 1, 412. ad quos locos intpp. conferendi sunt.] *Vell.* 2, 42. Conata ejus metu suo destituit. *Cic. Phil.* 5, 12. Qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit, sed etc., i. e. exposuit, attribuit. *Ov. Her.* 15, 136. Somnus me destituit. *Suet. Claud.* 30. Ingredientem poplites destituebant. *Curt.* 10, 10. Vigor non destituit vultum. *Id.* 7, 1. Non memoria solum, sed etiam mens eum destituit. [**Destituere spem* V. paullo infra.] ℙ Item intermittere. *Ov. Am.* 3, 13, 20. Dicitur inceptam destituisse fugam. *Prop.* 1, 20, 46. Dryades solitos destituere choros. ℙ Item cessare. *Tibull.* 2, 1, 37. his vita magistris Destituit querna pellere glande famem. Al. leg. *desuevit* ℙ Item deficere. *Suet. Galb.* 10. Alarum altera castris appropinquantem destituere conata est. *Id. Ner.* 40. Talem principem terrarum orbis tandem destituit. ℙ Item fallere, frustrari, fraudare. *Hor. Od.* 3, 3, 21. ex quo destituit Deos Mercede pacta Laomedon. V. DESTITUTIO. *Plin. ep.* 8, 3. Erexi exspectationem tuam, quam vereor ne destituat oratio in manus sumpta. *Liv.* 1, 41. Simul, si spes destituat, alia praesidia molitur. [**Id. ib.* 51. Inde illam absentis insectationem esse natam, quod morando spem destituerit. — Egregie ad h. l. demonstrat *Drak.*, recte dici posse et *spes me destituit* et *ego destituo spem*, et quomodo differat utrumque.] *Tibull.* 1, 1, 9. Nec spes destituat. *Colum.* 4, 24. *circa med.* Palmae submittentur, quae nec spem vindemiae destituant etc. *Cic. Rosc. Am.* 40. Inducere, decipere, destituere. ℙ [*Per *privare* licet explices apud *Plin. Pan.* 39, 5. neminem hoc necessitudinis (i. e. haec necessitas), abruptum velut truncum amputatumque, destituet, i. e. liberis cognatisque privabit. Notandum est, quod hic destituere absolute dictum est; etenim *liberis destitutum esse* saepe dicunt. Possis vero etiam ita interpretari: haec necessitas neminem in eum statum rediget, ut sit quasi truncus ramis foliisque spoliatus, sive: *als einen entasteten Stamm hinstellen*, i. e. *zu einem machen;* quod statim ita explicat auctor: iisdem omnes, quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruentur. Eo modo ad §. 1. referendum est. ℙ *Quint.* 11, 3, 33. ad pronuntiationem vitiosam hoc quoque refert, si verborum partes et syllabae *destituantur*, i. e. si is, qui loquitur, extremas syllabas non profert, dum priorum sono indulget. Sic *Ern. Techn. Lat.* p. 113.] ℙ Apud *Tert. adv. Psych.* 7. *destituere se* est de suo statu ac dignitate descendere.

DESTITŪTIO, onis, f. *ἀπόλειψις*, actus destituendi, derelictio. *Suet. Dom.* 14. Epaphroditum condemnavit, quod post destitutionem, Nero, in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur, *h. e.* postquam omnes Neronem destituerant et contra eum defecerant. ℙ Speciatim dicitur cum non praestatur promissi fides, maxime in pecunia. *Cic. Cluent.* 26. Capit consilium, ut pecuniam judicibus polliceatur, deinde eam postea supprimat, ut destitutione iratos Oppianico redderet. *Id. Quint.* 5. Destitutione illa perculsus Naevius etc.

DESTĪTŪTOR, oris, m. qui destituit. *Auct. Priap.* 83, 14. Vale, nefande destitutor inguinum. Adde *Tert. Natt.* 18.

DESTĪTŪTUS, a, um, part. a *destituo*, statutus, collocatus, positus, *καθιστάμενος*. *Varr. R. R.* 1, 20. Novellos cum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit, diebus paucis erunt mansueti. *Senec. Vit. beat.* 27. Rupes in vadoso mari destituta. *Liv.* 2, 12. Ante tribunal regis destitutus. *Id.* 10, 4. Cohortes, quae signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas invenit. ℙ Item derelictus, [*deceptus]. *Cic. Att.* 15, 18, Ita sum ab omnibus destitutus, ut etc. [**Id. Caec.* 32. nudus in causa destitutusque.] *Id. Quint.* 16. Viri boni, cum palam fraudantur, timide tamen istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, saepe illusi ac destituti. (V. DESTITUTIO.) *Id. Q. Fr.* 1, 3. *ad f.* Quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. *Liv.* 31, 24. et 40, 47. *ad f.* et *Curt.* 4, 3. A spe destitutus. *Id. ib.* 8, 6. Tanta spe destituti, domos abeunt. *Id.* 5, 13. Barbari ducibus destituti. *Justin.* 4, 5. Seu pudore male actae rei seu metu destitutae spei civium. ℙ Absolute. *Suet. Galb.* 11. Consternatus destitutoque similis, non multum abfuit, quin vitae renunciaret. [*i. e. omnibus praesidiis privatus, ut *Suet. Ner.* 54. verum, ut spes fefellit (thesaurorum inveniendorum) destitutus, atque ita jam exhaustus atque egens. *Cic. Sull.* 32. in hac fortuna misera destitutus, i. e. constitutus, sed in partem deteriorem.]

DESTRANGŪLO, as, a. 1. idem quod strangulo. Translate. *Porc. Latro decl. in Cat.* 24. Destrangulandam penitus rempublicam ac tollendam cogitavit.

DESTRICTĒ, adv. aperte, omnino. *Claud. Imp.* in *tabula aenea Lugdun.* ap. *Grut.* p. 502. *c.* 2. *l.* 31. Sed destricte jam comatae Galliae causa agenda est. *Tert. adv. Marc.* 1, 3. Veritas Christiana destricte pronunciat, Deus si non unus est, non est. *Ulp. Dig.* 3, 3, 13. Haec non passim admittenda sunt, neque destricte deneganda. Al. leg. *districte.*

DESTRICTĪVUS, a, um, adj. vim habens destringendi, discutiendi, purgandi. *Cael. Aur. Acut.* 2, 29. Cucurbita cum scarificatione est genus adjutorii destrictivum.

DESTRICTUS, a, um, part. a *destringo*, *ἀποψηχόμενος*, stringendo detractus, avulsus, decerptus. *Quint. Decl.* 12, 26. Destricti ramis cibi. *Colum.* 12, 47. Semina foeniculi et lentisci destricta et purgata in urceolo habeto. *Id. ib.* 52. Destricta bacca. *Grat. Cyn.* 119. tenero destrictas cortice virgas. ℙ *Destrictus ensis* est vagina nudatus. *Hor. Od.* 3, 1, 17. Destrictus ensis cui super impia cervice pendet. *Liv.* 27, 13. Destrictis gladiis discinctos destituit. V. DESTRINGO. ℙ Item deorsum, vel ab inferiore parte strictus. *Senec. ep.* 101. *ad f.* Patibulo pendere destrictum. *Phaedr.* 2, 5. Tunica ab humeris linteo Pelusio destricta. ℙ *Destrictum vulnus* est leve, et summam tantum cutem praestringens atque abradens. *Ov. Her.* 16, 275. Non mea sunt summa leviter destricta sagitta Pectora: descendit vulnus ad ossa meum. [*Alia affert *Burm.* ad h. l.] *Grat. Cyn.* 364. destricto levis est in vulnere noxa. Al. scribunt per *di.* V. DESTRINGO. ℙ *Destrictus nota* est notatus, translate. *Ov. Trist.* 2, 466. de Propertio: Destrictus minima nec tamen ille nota est. V. DESTRINGO.

DESTRIGMENTUM, i, n. idem quod strigmentum seu ramentum. *Plin.* 20, 3, 5. Destrigmentis, vel his impositis, vel seminibus. Alii leg. *de strigmentis* divisim.

DESTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *ἀποψήχω*, *καταψήχω*, stringendo detraho, decerpo, avello, aufero. [**Virg. G.* 2, 300. summas destringe ex arbore plantas. *Lucan.* 4, 317. rore madentis Destringunt ramos. V. *Cort.* ad h. l.] *Ov. de nuce* 135. Si licet hoc, oleas destringite, caedite messes. *Colum.* 12, 47. *post med.* Olivam manu destringere et eradere. *Cato R. R.* 37. *sub f.* avenam. *Mart.* 12, 29. medios lectos Mensarumque pedes. *Val. Fl.* 7, 330. Et quae sanguinea lunae destrinxit ab ira, *h. e.* abstulit, derasit, detraxit. ℙ *Destringere ensem* est e vagina educere: vel, si malis, vaginam gladio detrahere. *Cic. Off.* 3, 31. Confestim gladium destrinxit, juravitque, etc. Ita Eruditi plerique *Graev.* et *Gron. uterque hic*, *Heins.* ad *Ov.* [**Fast.* 2, 99.] *Drak.* ad *Sil.* [*17, 164. ad *l iv.* 8, 7, 19. et *Gron.* ad 27, 13, 9.], *Bentl.* ad *Hor.* etc. [**Cort.* ad *Lucan.* 7, 313.] Alii, qui exponunt, pugno gladium valde stringere, malunt scribi *distringere.* ℙ Translate. *Senec. Ira* 2, 10. In singulos severitas imperatoris destringitur, *h. e.* exseritur. ℙ Est etiam *destringere* strigili radere, defricare, quod in balineis fiebat post unctionem. *Plin. ep.* 3, 5. *a med.* Dum destringitur tergeturque, audiebat aliquid, aut dictabat. *Mart.* 14, 51. cui lemma, *Strigiles.* Pergamus has misit curvo destringere ferro: Non tam saepe teret lintea fullo tibi. [*Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. de Polycleto: Fecit et destringentem. et *ib n.* 6. de Lysippo; Fecit et destringentem etc. Alii leg. *distringentem.* *F.* ℙ *Male. „Multa bene, sed plurima male (de hac significatione) disputarunt intpp. ad *Phaedr.* 3, 6, 9.“ Sic *Hand.* ad *Gron. diatr. Stat.* p. 247. *ed. Lips.*] ℙ Item extergere. *Plin.* 32, 9, 31. Horum jus traditur alvum exinanire, interanea destringere, omnia adaperire, renes purgare, etc. ℙ Item leviter ferire. *Ov. Met.* 8, 382. summum destringit arundo Corpus. *Id. ib.* 10, 526. Inscius exstanti destrinxit arundine pectus. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 37. Quanto cum dolore laturi essent homines, destringi aliquid et abradi bonis, quae, etc. *Phaedr.* 1, 29. Contumelia destringere aliquem, *h. e.* praestringere, laedere. *Id.* 4, 6. Destringere scripta alicujus. *Ov. Trist.* 2, 563. Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam. ℙ Apud *eund. Met.* 4, 561. *destringere aequora alis* dicuntur aves, quae aquis super volitantes, adeo pennis perstringunt, ut contingant, plausuque particulam dissilire faciant. ℙ In multis ex allatis exemplis, ut dictum est, alii leg. *distringo.* Verum quoties detrahendi ratio aliqua significatur, rectius per *de;* cum stringendi, distrahendi, etc. per *di* scribetur. V. DISTRINGO.

DESTRUCTĪBĪLIS, e, et

DESTRUCTĪLIS, e, adj. qui destrui potest. *Lact. de ira Dei*, *sub f.* Destructibilia sunt omnia, quae manu fiunt. Al. leg. *destructilia. Prud. περὶ στεφ.* 10, 356. Aedem sibi ipse mente in hominis condidit, Solvi incapacem, posse nec destructilem. Al. per *di* scribunt utramque vocem.

DESTRUCTĬO, onis, f. ἀναοκευή. *Suet. Galb.* 12. Civitates quasdam murorum destructione punivit. ℙ Translate. *Quint.* 10, 5, 12. Destructio et confirmatio sententiarum. [*Sic Graeci sibi opponunt κατασκευὴν et ἀναοκευὴν. Illam, in figuras sententiarum relatam, explicat *Jul. Rufin.* p. 37. per *evacuationem, qua ab adversariis proposita destruimus ac redarguimus velut falsa.* V. *Spald.* ad h. l. et DESTRŬO.]

DESTRUCTĬVUS, a, um, adj. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. *ante med.* Destructivum adjutorium. *scilicet* morbi.

DESTRUCTOR, oris, m. qui destruit. *Tert. Apol.* 46. Rerum aedificator et destructor.

DESTRUCTUS, a, um, part. a *destruo*, dirutus. *Suet. Vesp.* 9. Destructum funditus templum. ℙ Translate. *Quint.* 8, 3. Sordido nomine contemptum hominis, quem destructum volebat, auxit. ℙ In quibusdam antiquis libris legitur et *distructus.*

DESTRŬO, is, uxi, uctum, a. 3. ἀναοκευάζω, ἀναιρέω, quod structum erat, corrumpo, demolior, diruo, everto. *Cic. Senect.* 20. Ut navem, ut aedificium, idem destruit facillime, qui construxit. *Virg. A.* 4, 326. Destruere moenia. *Ov. Fast.* 5, 132. Vetustas multa destruit. *Calp. Ecl.* 5, 36. nec sint compendia tanti, Destruat ut niveos venalis caseus agnos, *h. e.* emaciet, corrumpat. *Stat. Th.* 12, 92. crinemque manumque Destruit, *h. e.* diademate et sceptro spoliat. Contrarium est illud *Juven.* 6, 502. Aedificat caput. ℙ Translate. *Vell.* 2, 48. de Pompejo: Qui si decessisset in Campania, defuisset fortunae destruendi ejus locus, *h. e.* de gradu dignitatis et felicitatis dejiciendi. [*Cf. *Ruhnk.*] *Curt.* 8, 14. Destruere magnitudinem alicujus. *Liv.* 34, 3. Si, quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet ac demolietur, quid attinebit, etc.? *Quint.* 1, 10. *sub f.* Destruere tyrannidem. *Id.* 11. *init.* Ornatus orationis, nisi fuerit accommodatus rebus et personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet. *Tac. H.* 1, 6. Galbam invalidum senem Vinius et Laco contemptu inertiae destruebant. [**Plin. Pan.* 83. foris claros domestica destruebat infamia, i. e. eorum existimationem et felicitatem imminuebat.] Sic *Quint.* 5, 7. *ante med.* Destruere testem infamia criminum [*i. e. confutare, refellere, Gr. κατασκευάζειν cui opp. ἀνασκευάζειν = constituere, i. e. confirmare probare. Cf. *Quint.* 2, 4, 18. et 3, 9, 5. Sic *Ern. Techn. lat.* p. 113. Sic etiam poetae, ut *Ov. A. A.* 2, 312. nec vultu destrue dicta tuo.] *Petr. Sat.* 100. Destruens fortuna constantiam meam.

DESTRŪSUS pro *detrusus* legitur a quibusdam apud *Tert. adv. Valent.* 20. Alii tamen rectius leg. *de strue.*

*DESUASOR, oris, m. legitur a *Lindenbrog.* ap. *Ammian.* 30. p. 463. ubi *Valesius* (p. 609.) *dissuasor. B. A.*

DĔSUB, praeposit. composita ut *desuper, exante*, etc. et significat idem quod *sub*, cum motu de loco. *Flor.* 2, 3. Sic desub Alpibus, idest, desub ipsis Italiae faucibus, etc. [*Adde *Senec. Contr.* 1, 3. p. 97. *ed. Bip. Fulgent. Myth.* 3, 6. *fin.*] V. SUB.

DĔSŬBITO, adv. ἐξαίφνης, idem quod subito, valde subito, derepente. *Cic. fr.* ap. *Non.* 12, 1. Funus desubito esset ornatum. *Ter. Heaut.* 4, 2, 6. Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam desubito e manibus. *Pl. Most.* 2, 1, 63. Quamvis desubito, facile est facere nequiter. Adde *eund. Stich.* 5, 4, 39., *Lucr.* 2, 265. et 3, 644. et quae multa congerit *Non. l. c.* ex *Titin., Enn., Afran., Naev., Caecil. Quadrigar., Lucil.* etc.

DĔSŬBITO, as, a. 1. *Firm. Math.* 3, 4. *a med.* Etiam si eas artes fuerit largitus, easdem crebra eversione desubitat, *h. e.* subito destruit, evertit, obruit. Sed cave usurpes.

DĔSŬBŬLO. V. DESABULO.

DĔSUCTUS, a, um, part. a *desugo*, sugendo haustus. *Pallad.* 1, 37. Arbores, quibus nulla amaritudo respondet, flore desucto.

*DESUDABA, ae, oppidum Thraciae, in regione Maedica. *Liv.* 44, 26. *B. A.*

DĔSŪDASCO, is, n. 3. idem ac desudo. *Desudascitur* impers. *Pl. Bacch.* 1, 1, 33. Hujusmodi palaestra, ubi damnis desudascitur. Alii leg. *dominae* pro *damnis.*

DĔSŪDĀTĬO, onis, f. ἀφιδρώσις, actus desudandi, sudor. *Firm. Math.* 3, 1. Corpus hominis nimia desudatione dissolvitur. ℙ Translate. *Capell.* 6. p. 189. Desudatio curaque districtior aciem industriae melioris obtudit, *h. e.* labor.

DĔSŪDĀTUS, a, um, part. a *desudo*, valde sudatus. *Prud. Cath.* 5, 117. Illic et gracili balsama surculo Desudata fluunt. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 6, 1. Post desudatas militiae Lirinensis excubias, etc. *Claud. Pan. Mall. Theod.* 11. Desudata judicia, *h. e.* summo labore exercita.

DĔSŪDO, as, n. 1. καθιδρόω, idem quod sudo, aut valde sudo. *Cels.* 6, 6. *n.* 29. Lavari saepe, ibique desudare. *Stat. Th.* 3, 277. Perpetuis desudare caminis. *Manil.* 5, 110. in lusus agiles, agilemque vigorem Desudant. *Claud. Ruf.* 2, 304. morbus Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes, *h. e.* veluti sudando defundit. *Appul. Apol.* Dico Crassum jamdudum ebrium, stertere, vinolentum sudorem in balneo desudare. ℙ Translate. *Cic. Senect.* 11. In his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero.

DĔSUĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. a consuetudine abstraho. V. v. seq. *Tert.* pro deponere usurpavit *Pall.* 4. Indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quaedam desuefecerant.

DĔSUĔFACTUS, a, um, part. a *desuefacio*, ἀπεθίζόμενος, a consuetudine abstractus. *Cic. Cluent.* 40. Multitudinem jam desuefactam a concionibus, ad veteris consuetudinis similitudinem revocaverat.

DĔSUĔFĬO, is, n. ἀπεθίζομαι, consuetudinem amitto, a consuetudine abducor. *Varr. R. R.* 2, 9. *post med.* de catulis: Sed minutatim desuefiunt.

DĔSUĔO, es, evi, etum, a. 2. idem ac desuefacio, consuetudinem adimo. *Titin.* ap. *Non.* 2, 199. Parasitos amovi, lenonem aedibus absterrui, desuevi, ne quo ad coenam exiret extra consilium meum.

DĔSUESCO, is, n. 3. ἀπεθίζομαι, desuefio, consuetudinem amitto. *Sil.* 3, 575. Gens ferri patiens, ac laeta domare labores, Paulatim antiquo patrum desuescit honori. *Quint.* 3, 8. *extr.* Ne aliter quam dicturi sint, exerceri velint, et morari in desuescendis. ℙ Active. *Appul. Flor. n.* 15. p. 352, 19. Non in totum aevum vocem desuescebant, *h. e.* silentium servabant. Loquitur de discipulis Pythagorae.

DĔSUĔTŪDO, inis, f. ἀπεθισμός, actus desuescendi. *Liv.* 1, 19. Mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus. *Callistr. Dig.* 11, 1, 1. Actiones in desuetudinem abierunt. *Julian. ib.* 1, 3, 32. Leges per desuetudinem abrogantur.

DĔSUĔTUS, a, um, part. a *desueo*, qui non assuevit. *Liv.* 8, 38. Jampridem desueto Samnite clamorem Romani exercitus pati. *Virg. A.* 1, 726. resides animos desuetaque corda. *Id. ib.* 6, 814. desueta triumphis Agmina. ℙ Cum accusativo more Graecorum. *Stat. Th.* 5, 231. Ut fera, quae placido rabiem desueta magistro, Tardius arma movet. ℙ Item res ipsa, cui quis non assuevit. *Virg. A.* 2, 509. Diu desueta arma. *Liv.* 3, 38. Cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent.

DĔSŪGO, is, xi, ctum, a. 3. idem quod sugo, vel exsugo, ἐκμυζέω, *Pallad.* 1, 9. Carbones, si qua fundentur ex poculis, velociter rapta desugent. [*Sic ed. *Gesner.* In ed. *Schneider.* impressum *desuget. B. A.*]

DĔSULCO, as, a. 1. maxime, vel totum sulco. *Avien. Perieg.* 1137. super impiger ampla Aequora desulcat glebae ditis Catabanus, *nempe* amplam planitiem terrae fertilis.

DĔSULTO, as, avi, atum, n. 1. desilio, salio. *Tert. Anim.* 32. Desultare mari.

DĔSULTOR, oris, m. κηπιζων, μεταβάτης, qui ex uno in alium locum desilit. Itaque desultores dicebantur, qui arte et usu assueverant ex uno in alium equum, non intermisso cursu, desilire, ut spectatoribus in ludis voluptatem praeberent. Desultorum originem *Hyg. fab.* 80. a Castore et Polluce deducit. *Prop.* 4, 2, 35. Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo. *Varr. R. R.* 2, 7. *ad f.* Peritus belli alios equos eligit ac docet, aliter quadrigarius ac desultor. *Liv.* 23, 29. Numidae, quibus, desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. *Id.* 44, 9. Et semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horae tempus utrumque curriculum complebat. Adde *Manil.* 5, 85. Mutator equorum dicitur a *Val. Fl.* 6, 161. ℙ Translate. *Ov. Am.* 1, 3, 15. Non mihi mille placent: non sum desultor amoris. Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris. *Senec. Suasor.* 1. *circa med.* Deillius, quem Messala Corvinus desultorem bellorum civilium vocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus, etc. et a Cassio deinde transivit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem.

DĔSULTORĬUS, a, um, adj. ad desiliendum aptus, ut in voce praeced. dictum est. *Suet. Caes.* 39. Circensibus quadrigas, bigasque, et equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. *Cic. Mur.* 27. Qui mihi videtur praetorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. [*Cf. de h. l. *Schütz.* in *Cl.*] ℙ Translate. *Appul. Met.* 1. *init.* Desultoria scientia, *h. e.* magia, per quam homines ex una in aliam formam transmutantur, et quasi desiliunt. [*Sed pleraeque edd., ut *Pric. Elm. Oud.* ita habent: haec equidem ipsa vocis immutatio desultoriae scientia stylo, quem accessimus, respondet. *Scheller.* ad *desultoriae* supplere jubet *artis.* Equidem locum non intelligo, nisi legitur: *desultoriae scientiae.*]

DĔSULTRIX, icis, f. quae desilit, instabilis, ut Desultrix virtus. *Tert. adv. Valent.* 38.

DĔSULTŪRA, ae, f. actus desiliendi. *Pl. Mil.* 2, 3, 9. Ne hodie maximum in malum cruciatum insiliamus. *Pa.* tu sali solus. nam ego istam insulturam et desulturam nihil moror.

DĔSUM, dees, defui, n. anom. ἄπειμι, ἐλλείπω, deficio, absum: a *de* privativa et *sum.* De discrimine inter *absum* et *desum* ita *Cic. Brut.* 80. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit. *Id. Or.* 1, 17. *sub f.* Quibus etiam si ingenium non maxime defuit, doctrina certe et otium defuit. *Id. ib.* 3, 4. *extr.* Ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret. *Id. Brut.* 67. Ei paucae centuriae ad consulatum defuerunt. *Id. Mil.* 36. Tibi nullum a me amoris officium defuit. *Id. Fam.* 1, 9. *circa med.* Ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. ℙ Sequente infinito. *Tac. H.* 4, 11. Nec deerat ipse vim principis complecti, nomen remittere. *Prop.* 1, 16, 7. Et mihi non desunt turpes pendere corollae Semper, et exclusi signa jacere faces. Adde *Sil.* 11, 50. [*V. de hac structura *Lips.* ad *Senec. de Ira* 3, 36.] ℙ Et *ut, quominus, Capitolin. Gordian. III.* 31. Nec defuit, ut senatus de his rebus falleretur, *h. e.* accidit hoc quoque, ut, etc. *Tac. A.* 14, 39. Nec defuit Polycletus, quominus ingenti agmine Italiae gravis incederet. ℙ *Deesse officio suo* est officio suo non satisfacere. *Cic. Att.* 7, 17. *ad f.* Sin bellum geretur, non deero officio, neque dignitati meae. ℙ *Deesse occasioni* et *deesse sibi* est opportunitatem rei bene gerendae praetermittere. *Cic. Rosc. Am.* 36. Mihi ausculta: vide, ne tibi desis. (Adde *Fam.* 5, 12. *post init.*) *Plin.* 11, 25, 30. Nullo momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. ℙ *Deesse alicui* est non opitulari, non defendere, cum possis, aut debeas, deserere. *Cic. Mur.* 4. *ad f.* Ipse me existimarem nefarium, si amico; crudelem, si misero; superbum, si consuli defuissem. *Id. Att.* 14, 15. Bruto certe meo nullo loco deero. ℙ *Non desunt*, sunt quidam. *Plin.* 2, 109, 112. Nec defuere geometrae, qui interpretarentur, etc. ℙ *Non deest*, licet, potest. *Sil.* 6, 10. nec cernere deerat Frustra seminecum quaerentia lumina coelum. ℙ Pro abesse. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Huic convivio puer tuus defuit. *Id. Phil.* 2, 29. Cur ei bello propter timiditatem tuam defuisti? ℙ Pro *desim, is, it*, dixere olim *desiem, es, et. Cato R. R.* 8. Ne foenum desiet. ℙ Futurum infiniti est *defore*, et part. *defuturus. Cic. Agr.* 2, 33. Arbitrabantur, non defore, qui illa restituerent. *Id. Fam.* 13, 63. Ne mihi superesse verba putes, quae dixeram defutura. ℙ Si post *de* aliud *e* sequatur, saepe a poetis contrahuntur. *Virg. A.* 10, 378. Deest jam terra fugae: pelagus, Trojamne petemus? *Ov. Met.* 1, 77. Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset. *Virg. A.* 7, 262. Divitis uber agri, Trojaeve opulentia deerit. *Sil.* 7, 185. et *Lucan.* 9, 858. Deesse tuos latices, etc. Adde *Sil.* 6, 10. V. supra. Aliquando dissolvuntur, prima etiam producta. *Stat. Th.* 10, 236. Nec deest coeptis: unde haec tam sera repente. *Id. ib.* 8, 236. Harmonien: nullis deest sua fabula mensis. Adde *ib.* 11, 276.

DĔSŪMO, is, umpsi, umptum, a. 3. παραλαμβάνω, idem quod sumo, assumo, suscipio. *Liv.* 4, 55. Duo singuli singulos sibi consules asservandos desumunt. *Id.* 7, 20. et 38, 45. Populum R. sibi hostem desumere. [**Id.* 38, 45. recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes desumseras i. e. bello petendos depoposceras.] *Hor. Ep.* 2, 2, 81. Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas, Et studiis annos septem dedit. Adde *Plin. ep.* 8, 20.

DĔSŪO, is, a. 3. *Cato R. R.* 21. Cupam, qua fini in modiolos erit, utrinque secus imbricibus ferreis quatuor desues, *h. e.* colligabis: adstringes, firmabis.

DĔSŪPER, adv. e loco superiore, ἄνωθεν. *Caes. B. G.* 1, 52. Qui phalanges insilirent, et desuper vulnerarent. *Virg. A.* 4, 122. nigrantem commixta grandine nimbum Desuper infundam. *Ov. Fast.* 3, 530. ubi pro rigidis calamos statuere columnis, Desuper extentas imposuere togas. *Colum.* 12, 16. *sub f.* Terram congerito, et modice desuper calcato. ℙ Item super. *Virg. A.* 1, 169. tum silvis scena coruscis Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra. *Lucan.* 1, 688. nunc desuper Alpis Nubiferae colles atque aeriam Pyrenen Abripimur. [*Semper subest relatio ad locum superiorem et inferiorem, ut *Sil.* 1, 349. imponitque globos pugnantum desuper urbi.]

DĔSŪPERNĔ, adv. idem quod desuper. *Vitr.* 10, 22. *a med.* Temperavit ahena aquae ferventis, et picis, desuperne contra capita hostium cadentis. *Prima, altera, tertia editio habent* desuper.

DĔSURGO, is, rexi, rectum, n. 3. idem quod surgo. *Hor. Sat.* 2, 2, 77. vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia? [*i. e. surgat de coena; *de* significat separationem.] ℙ Apud *Scribon. Compos.* 142. sumitur pro ventris exonerandi causa secessum petere. Ejus verba sunt: Tenesmus est irritatio ultimae partis intestini directi, in quo saepius lubet desurgere. *Id. ib.* 140. Cum coeperit desurgere, aqua calda supponatur.

[DĒSURRECTĬO, onis, f. actus surgendi de lecto, ventris exonerandi causa. *Marc. Empir.* 27. Si torminosi, vel cocliani propter frequentes desurrectiones viribus deficientur. *F.* *Utitur h. v. etiam *Scribon. Compos.* 37, 142.]

*DĒSURSUM, adv. deorsum. *Tert. de Praescr.* 46. *Fulg. ad Prob. de Orat.* 4. *B. A.*

*DESUVIĀTES, ium, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

DĒTACTUS, a, um, part. ab inusit. *detango*, tactus. *Lucr.* 3, 226. neque detactum de pondere quidquam. Al. leg. *detractum.*

DĒTECTĬO, onis, f. actus detegendi, *ἀποκάλυψις. Tert. adv. Marc.* 4, 36. *ad f.* Descendisse Jesum ad detectionem creatoris. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. §. 25. Quaestionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem et detectionem mortis. Plerique omn. leg. *defensionem.*

DĒTECTOR, oris, m. qui detegit, *ἀποκαλύπτων. Tert. adv. Marc.* 4, 36. *a med.* Detector creatoris. *Id. adv. Valent.* 3. conscientiae.

DĒTECTUS, a, um, part. a *detego*, apertus. *Nep. Att.* 20. Cum aedes Jovis vetustate atque incuria detecta prolaberetur. *Virg. A.* 10, 133. Dardanius puer caput detectus honestum. [*Suet. Caes.* 57. capite detecto. V. *Oud.*] *Ov. Fast.* 2, 301. Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti Moris, *h. e.* nudi. *Cic. Acad.* 4, 39. Patefacta et detecta [*sc. corpora. V. *Goer.* — Alio sensu *Tac. A.* 13, 38. detecta corpora objicere hosti, i. e. nudata, sine scuto.]. *Liv.* 22, 43. Detecta fraus. *Ulp. Dig.* 48, 5, 2. Detectus uxorem deprehensam retinuisse. *Solin.* 30. *sub f.* Hyacinthus propensa perspicuitate detectior.

DĒTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. *ἀποκαλύπτω*, quod tectum erat, aperio, retego, denudo. *Pl. Rud.* 1, 1, 3. Detexit ventus villam. *Hirt. B. Alex.* 13. Porticus, gymnasia, aedificia publica detegere. *Suet. Caes.* 81, Detegere ossa alicujus. *Lucan.* 3, 128. et *Sil.* 13, 168. strictum propere vagina detegit ensem. *Ov. Met.* 9, 169. laceros artus et grandia detegit ossa. *Pl. Epid.* 1, 1, 63. Detegetur corium de tergo meo, *h. e.* detrahetur. Alii tamen leg. *degetur.* V. DEGO. ℙ Translate. *Liv.* 10, 4. *ad f.* Detegere insidias. *Ov. A. Am.* 2, 428. furta. *Pl. Most.* 1, 3, 6. Tempestas mihi modestiam omnem detexit, tectus qua fui, *h. e.* detraxit. *Senec. ep.* 96. Intimos affectus suos alicui detegere. *Auct. Dial. de Orat.* 25. Simpliciter et ingenue detegere judicium animi sui. *Suet. Caes.* 17. Consilia conjuratorum. *Curt.* 6, 9. Conjuratio impiorum civium detegenda. *Lucan.* 5, 322. Detegit imbelles animos nil fortiter ausa Seditio. *Quint.* 1, 3. Mores quoque se, inter ludendum, simplicis detegunt.

DĒTENDO, is, di, nsum, a, 3. relaxo, remitto, *ἀνίημι*: cujus contrarium est *tendo. Liv.* 41, 3. Nautici tabernacula detendunt. *Caes. B. C.* 3, 85. Signo profectionis dato, tabernaculisque detensis.

DĒTENSUS. V. in v. prace.

DĒTENTĀTĬO, onis, f. idem fere quod detentio, possessio. *Ulp. Dig.* 25, 1, 5. Manebit maritus in rerum detentationem, donec ei satisfiat. Ita *Torrentin.*; at *Haloand.* detentionem. V. DETENTIO.

DĒTENTĀTOR, oris, m. detentor. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 11, 59, 2. Si quispiam fuerit detentator inventus, capitali sententia plectetur. *Imp. Justin. ib.* 7, 39, 7. Extranei suppositae rei detentatores.

[DĒTENTĀTUS, a, um, part. a *detento. Impp. Valent.* et *Valens Cod. Theod.* (ed. *Peyronio*) 5, 15, 2. Si minorem modum professi sunt, quam ratio detentatae possessionis postulat, etc. *F.*]

DĒTENTĬO, onis, f. detinendi actus. *Ulp. Dig.* 43, 25. Dare alicui detentionem servitutis. *Id.* 4, 6, 15. Bonae fidei possessoris detentio. *Torrentin.* hic habet *detentatio.*

DĒTENTO, as, avi, atum, a. 1. *κατέχω*, frequentat. a *detineo. Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 13, 16. Servi, quos militia armata detentat. *Venant. carm.* 11, 21. Nec volo nunc absens una detenter ut hora.

DĒTENTOR, oris, m. qui detinet. *Imp. Zeno Cod.* 8, 4, 10. Possessionis alienae detentores.

DĒTENTUS, a, um, part. a *detineo. Tac. A.* 2, 69. Abire Syria statuit: mox Germanici valetudine detentus, etc.

*DETENTUS, us, m. *Tert. adv. Valent.* 32. Detentui obnoxius. *B. A.*

DĒTĒPESCO, is, ui, n. 3. teporem amitto. *Sidon. ep.* 5, 17. Non primo frigore autumnalis aurorae detepescebat.

DĒTERGĔO, es et Detergo, is, ersi, ersum, a. 2. et 3. *ἀποσμάω*, idem quod tergeo vel probe tergeo, a sordibus libero, purgo, abstergeo. *Colum.* 6, 9. Spongia labra detergeri, et aquam frigidam praeberi. *Plin.* 17, 28, 47. Falces, cum sint exacutae, fibrina pelle detergent. Adde *Colum. Arbor.* 15. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *circa med.* Perticae, quibus araneae deterguntur. *Sil.* 7, 534. longum Detergere situm ferro. *Suet. Aug.* 18. fossas oblimatas. *Id. Ner.* 24. sudorem frontis brachio. *Colum.* 7, 4. et refrigerare oves. *Liv.* 39, 44. Detergendae, qua opus esset, cloacae. *Hor. Od.* 1, 7, 15. Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus. [*Quocum cf. *Cic. Arat.* 246. quum neque caligans detersit sidera nubes, i. e. quum obscuravit.] *Ov. Met.* 13, 746. lacrimas detersit pollice virgo. *Pl. Men.* 1, 1, 1. Juventus nomen fecit Peniculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo. ℙ Detergere venenum, inditum venenum visceribus dejicere, et intestina detrahendo purgare. Legitur in lemmate *Gell.* 16, 17. ℙ Est etiam frangere et evellere. *Colum.* 4, 26. Vitis leviter curvabitur, neu deflexu frangatur, neve jam tumentes gemmae detergeantur. *Id.* 5, 5. *a med.* Supervacuos palmites detergere. *Caes. B. C.* 1, 58. Pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere contendebant. Adde *Liv.* 28, 33. *extr.* et alibi. [*Eodem fere modo explicandus locus *Sil.* 5, 297. Nec dispar sortis Isalces Umbonem incerto detersit futilis ictu, i. e. perstrinxit, superficiem tantum tetigit neque intra penetravit. Sic *Drak.*] *Liv.* 38, 5. Arietibus muros quatiebat, asseribus falcatis detergebat pinnas. ℙ Translate est auferre, purgare. *Colum.* 8, 10. Detergere fastidia. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 191. et foedo detergis saecula victu. *Petr. Sat.* 88. Helleboro animum detersit. *Claud. Epith. Pallad. et Celer.* 27. Et reliquum nitido detersit pollice somnum, *h. e.* ocellos leviter detergens excussit. *Cic. Att.* 14, 10. Quod quaeris, jamne ad centena Cluvianum: adventare videtur; sed primo anno octoginta detersimus, *h. e.* quod quaeris, an Cluvianum praedium ad centena HS. fructum reddiderit; primo anno octoginta inde retulimus, decerpsimus, percepimus. [*Ut nos: *wir haben eingestrichen.*]

DĒTĔRIAE Porcae, idest macilentae. *Festus.*

DĒTĔRIOR, ius, et superl. Deterrimus, a, um, adj. *χείρων*, inferior, vilior, pejor. Caret positivo et deducitur a *detero, is*, quia quae detrita sunt, viliora et pejora fiunt. Differt autem a *pejor* in eo, quod *deterior* est a bono, inquit *Non.* 5, 37. et *Serv.* ad *G.* 4, 89., *pejor* vero a malo: hoc est *deterior* notat inter bona minus bonum, *pejor* inter mala magis malum. [*Haec partim falsa, partim non vera egregie emendavit *Döderl. Syn.* 1. p. 47. sqq., qui omnino de h. v. legendus est. Non enim a *detero*, sed multo verisimilius a *deter* s. *deterus*, adjectivo a praepositione *de* formato, derivandum est. Deinde discrimen illud inter *deterior* et *pejor* inde a *Servio* propagatum, etsi in universum verum, non tamen ubique obtinet. De his autem cf. *Död.*] *Nep. Eum.* 3. *extr.* Ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior. [*Habet h. l. liber ms. *inferior*, quae glossa verum sensum aperit.] *Caes. B. G.* 1, 36. Magnam Caesarem injuriam facere, qui suo adventu vectigalia sibi deteriora faceret. *Cic. Att.* 14, 11. Rem non fecit deteriorem; haud scio an fructuosiorem. *Id. ib.* 9, 11. *circa med.* Cursare huc illuc via deterrima. *Hor. Sat.* 2, 8, 44. Muraena deterior post partum carne futura. *Lucr.* 4, 1272. Deteriore fit ut forma muliercula ametur. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 5. In segetem sunt deteriorem datae fruges. *Plin.* 34, 10, 22. Deterior color. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Opsonia deteriora. *Id.* 19. *prooem.* Linum deteriorem terram facit. *Pl. Epid.* 3, 4, 10. Strenuiori deterior si praedicat suas pugnas. *Id. Merc.* 5, 1, 9. Mores deteriores increbrescunt in dies. *Liv.* 25, 6. Deteriore conditione esse. *Cic. Caecin.* 7. Deteriore jure esse, quam ceteros cives. *Id. ib.* 16. In judiciis deterior causa est eorum, qui, etc. *Id. Quint.* 5. Deteriore tempore auctionari. *Id. Har. resp.* 28. Deteriore statu esse. *Id. Leg.* 2, 6. *extr.* Theophrastus auctor haud deterior. *Id. Har. resp.* 26. Unus omnium mortalium deterrimus. *Ov. Pont.* 1, 4, 1. Deterior aetas. *Tac. A.* 13, 43. Deferre aliquid in deterius. *Id. ib.* 4, 6. Mutatus in deterius. et *ib.* 15, 64. Vulgus ad deteriora promptum.

DĒTĔRIORĀTUS, a, um, adj. pejor factus. *Symm. ep.* 4, 69. *ad f.* Habita rei deterioratae aestimatione. ℙ Verbum *deterioro, as*, est *Claud. Mamert. de statu anim.* 1, 3. [*Locus est: Quidquid deteriorari potest, et corrumpi profecto potest. Adde 1, 4. *Ambros. Epist. ad Simplician. Frontin. de Colon.* p. 133. ed. *Goes. B. A.*

DĒTĔRIUS, adv. [*inferius, minus,] pejus, *χειρόνως. Cic. Fin.* 1, 3. Quaedam de malis [*leg. *male* sc. scriptis] Graecis Latine scripta deterius. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Valeo, ut soleo; paululo tamen etiam deterius quam soleo. *Hor. Sat.* 1, 10, 90. doliturus, si placeant spe Deterius nostra, *h. e.* minus. Sic *Ascon. prooem. Milonianae ante med.* Petebatque nihilo deterius consulatum. *Hor. Ep.* 1, 10, 19. Deterius olere, aut nitere. *Pl. Capt.* 3, 5, 79. ita velle me, dicite, curarier, Ne qui deterius huic sit, quam cui pessime est, *h. e.* ne qua in re hic pejus tractetur, quam qui pessime tractatur.

DĒTERMĪNĀBĬLIS, e, adj. qui determinari potest, ut Determinabilis materia. *Tert. adv. Herm.* 41.

DĒTERMĪNĀTĬO, onis, f. *ἀφορισμός*, terminus, finis, definitio. *Cic. N. D.* 2, 40. Extrema ora et determinatio mundi. *Id. Inv.* 1, 52. Exitus et determinatio orationis. ℙ Item sententia, qua fines inter populos constituuntur. *Inscr.* ap. *Murat.* 598. Vocabula regionum, quae Hieromnemonum determinatione continebantur, vix jam nota propter temporis spatium.

DĒTERMĪNĀTOR, oris, m. qui determinat, et definet. *Tert. Pudic.* 11. Spiritus S. disciplinae determinator.

DĒTERMĪNĀTUS, a, um, part. a *determino*, definitus. *Plin.* 28, 2, 4. Imago templi scipione determinata in solo. *Id.* 8, 25, 39. Depascitur segetes destinatione ante determinatas in diem. *Tert. adv. Psych.* 2. Dies jejuniis determinati.

DĒTERMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀφορίζω*, terminos assigno, definio. *Liv.* 1, 18. Augur regiones ab oriente ad occasum determinavit. *Pl. Poen. prol.* 48. Determinare regiones, limites, confinia alicujus rei. *Plin.* 5, 27, 28. Asiam determinavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia. *Id.* 4, 12, 24. Mensuram Ponti alii quatuordecim centena septuaginta octo millia quingenta determinavere. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 44. Imperitus dicendi incondite fundit, quantum potest, et id quod dicit, spiritu, non arte determinat. *Suet. Galb.* 15. Officia senatoria biennii spatio determinaturus. *Ascon. in Divin. Verr.* 4. Judicium est res, quae causam litemque determinat.

DĒTĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. *καταφθείρω*, terendo deminuo, usu consumo. *Plin.* 33, 3, 19. Aurum quam minimum usu deteritur. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 17. Oculos vitis decuti, tractuque intrantium deteri. *Pl. Merc.* 5, 2, 111. Clementer, quaeso: calces deteris. *Tibull.* 1, 10, 16. Deteret invalidos et via longa pedes. ℙ Item tundere. *Colum.* 1, 6. *sub f.* Area optima est silice constrata, quod celeriter frumenta deteruntur. *Plin.* 27, 13, 110. Herba cum inaruit, deteritur. ℙ Translate est imminuere, auferre. *Hor. Od.* 1, 6, 10. Musa vetat Laudes egregii Caesaris, et tuas Culpa deterere ingeni. *Sil.* 7, 247. Quantum detritum est famae! *Hor. Sat.* 1, 10, 78. de Lucilio: Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum, Detereret sibi multa, recideret, etc. *Plin. ep.* 9, 35. Nimia cura deterit magis, quam emendat. *Tac. H.* 2, 76. *ad f.* Si quid ardoris ac ferociae habuit, popinis et comissationibus deteritur. [*Quint.* 2, 8, 10. Non enim deterendum id bonum — sed augendum addendumque, quod cessat. — Plerique codd. h. l. male habent *deserendum.*] ℙ Item absumere. *Pl. Merc.* 1, 1, 56. ea, quae ipsus optima Omnes labores invenisset perferens Amoris vi diffunditari ac deteri. Alii leg. *didier.* ℙ [*Confunditur cum *deserere.* V. supra.]

DĒTERRĔO, es, ui, erritum, a. 2. *ἀποτρέπω, καταπλήττω*, terrendo vel dehortando revoco, avoco, deduco, averto. *Cic. Leg.* 2, 4. Lex est ratio ad jubendum et deterrendum idonea. *Pl. Amph.* 2, 1, 9. Quin loquar, nullo modo me potes deterrere. *Cic. Att.* 11, 8. Neque te deterreo, quo minus id disputes. *Id.* ad *Brut.* 1, 15. *ad f.* Sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrere. *Id. Har. resp.* 9. Litterae, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. *Id.* ad *Brut.* 1, 9. Auctoritas tua me a nimio moerore deterruit. *Id. ib.* 11. Nulla re a proposito deterreri. *Id. Fam.* 1, 7. *ante med.* Te ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo. *Id. Quint.* 4. Hominem multis verbis deterret, ne auctionetur. *Ter. Ph. prol.* 3. Maledictis deterrere, ne scribat, parat. *Cic. Verr.* 1, 2, 5. Nefarias ejus libidines commemorare, pudore deterreor. *Id. Div.* 2, 39. Deterrere aliquem de sententia. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. maledictis quempiam de suo statu. [*In multis horum locorum est tantum i. q. *dehortari*, opponiturque saepenumero cohortari. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 2. *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 3, 13. (*Bach epist. crit.* p. 18.) *Gron.* ad *Tac. A.* 1, 1. ℙ Sequente *ne. Suet. Ner.* 47. deterritum putant, ne prius — discerperetur. *Ne* ideo sequitur, quia in v. *deterrendi* h. l. timoris notio subest. V. *Ern.*] ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Hor. A. P.* 391. Silvestres homines sacer interpresque Deorum Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus. Adde *Lucan.* 10, 375. ℙ Absolute. *Suet. Caes.* 70. Neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere. ℙ Deterrere liberalitatem apud *Cic. Off.* 2, 18. est deterrere liberalem hominem, ne benigne largiatur, *μετονυμιχῶς*. Al. leg. *deterere.* [*Male. Adde *Liv.* 10, 9. deterritis tribunis, sc. ut intercessione absisterent.] ℙ Aliquando est arcere, prohibere. *Liv.* 4, 24. *extr.* Populi tanta indignatio coorta dicitur, ut vis a censoribus nullius auctoritate, praeterquam ipsius Mamerci, deterreri quiverit. ℙ Item ejicere, depellere. *Claud. B. Get.* 140. Poenum Compressit Fabius: campo post ausus aperto Marcellus vinci docuit: sed tertia virtus Scipiadae Latiis tandem deterruit oris. ℙ Cum accusat. rei pro impedire, avertere vel dissuadere. *Ov. Met.* 8, 765. aliquisque ex omni-

bus audet Deterrere nefas saevamque inhibere bipennem.

DĔTERRĪMĒ, adv. *κάκιστα*, pessime. *Appul. Met.* p. 124, 21. Deterrime versipelles. Al. leg. *deterrimae.*

DĔTERRĪTUS, a, um, part. a *deterreo*, terrore aut rationibus revocatus, deductus. *Cic. Att.* 10, 15. Se pudore deterritum ad me non venisse. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Nemo necessitudine et amicitia te deterritum ab officio dicet. *Ov. Met.* 10, 600. Deterritus eventu.

DĔTERSUS, a, um, part. a *detergeo*, abstersus, purgatus. *Sil.* 4, 12. detersa rubigine saevus Induitur ferro splendor. *Petr. Sat.* 135. Detersis curiose manibus. et *ib.* 22. Detersis paulisper oculis. *Claud. VI. Cons. Honor.* 539. et solis radiis detersa removit Nubila.

DĔTESTĂBĬLIS, e, adj. *βδελυκτὸς*, abominabilis. *Cic. Off.* 2, 5. Nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. *Id. ib.* 1, 17. Quo est detestabilior istorum immanitas, qui, etc. *Id. Phil.* 1, 14. Laudari, coli, diligi gloriosum est; metui vero, et in odio esse, invidiosum, detestabile. *Id. Phil.* 2, 26. Homo exsecrandus et detestabilis. [**Liv.* 23, 3, 1. improbus ac detestabilis senatus.] *Liv.* 31, 44. Loca quoque, in quibus positum aliquid, inscriptumve honoris ejus causa fuisset, detestabilia esse.

DĔTESTĂBĬLĬTER, adv. *Lact.* 5, 10. Quod nefarie, quod detestabiliter fecit.

DĔTESTĀTĬO, onis, f. denunciatio facta cum testatione, ut *Ulp. Dig.* 50, 16, 40. definit. ℙ *Detestatio sacrorum* (cujus meminit *Gell.* 15, 27., ubi eam olim comitiis calatis fieri solitam fuisse docet) aliis dicitur denunciatio facta heredi, ut ea sacra suscipiat, quae hereditati adnexa sunt: aliis enumeratur inter modos interimendi sacra, hoc est quibus liberabatur heres a sacris iis suscipiendis, quae alligata essent hereditati, quae ipsi obvenerat: aliis creditur esse consecratio alicujus rei, vel loci, rite et solemniter facta, teste et adsentiente populo, et pontificibus approbantibus. Harum trium opinionum auctores quibusdam tantummodo conjecturis ducuntur, neque certum ullum habent idonei scriptoris locum, quo suam quisque certo confirment. ℙ Est etiam invocatio Dei in testem cum exsecratione et imprecatione malorum, ni fiat quod promittitur. *Liv.* 10, 38. Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis. *Id. ib.* 41. vocat hoc idem *diram exsecrationem, ac furiale carmen detestandae familiae compositum.* Huc pertinent quae habet *Festus* in *Obtestatio.* Obtestatio est cum Deus testis in meliorem partem vocatur: detestatio cum in deteriorem. Sic apud *Senec. ep.* 117. *a med.* dicitur *detestatio*, qua sibi quis mortem imprecatur. ℙ Item exsecratio, abominatio, *βδέλυγμα. Cic. Dom.* 55. Detestatio scelerum. *Gell.* 2, 7. Ea tamen, quae obsequi non oportet, leniter et verecunde ac sine detestatione nimia declinanda sunt. *Id. ib.* 6. Detestatione exsecrationeque totius generis humani dignus esset. *Id.* 12, 1. Publica detestatione communique odio dignus. *Id.* 2, 6. Hominis scelerati detestationem facere. *Plin.* 15, 30, 40. Laurus manifesto abdicat ignes crepitu et quadam detestatione. ℙ Item testium abscissio. *Appul. Met.* 7, p. 198, 7. Multos ego scio equos ferocissimos, adhibita tali detestatione, mansuetos factos.

DĔTESTĀTOR, oris, m. qui detestatur. *Tert. adv. Marc.* 4, 27. Detestator legis. Adde *adv. Psych.* 2. et *Spectac.* 15.

DĔTESTĀTUS, a, um, part. a *detestor*, qui detestatur. Active. *Caes. B. G.* 6, 30. Omnibus precibus Ambioriginem detestatus, qui, etc. V. DETESTOR. ℙ Passive. [**Cic. Leg.* 2, 11, 28. virtutes enim, non vitia consecrari decet; araque Febris — et Malae Fortunae: detestataque omnia ejusmodi repudianda sunt, i. e. detestabilia. Saepe enim haec participia perfecti passivi pro adjectivis in — *bilis* ponuntur, ut bene *Goer.* ad h. l., quem V.] *Hor. Od.* 1, 1, 24. Bella matribus detestata. ℙ Apud JCtos *detestatum* est testatione denunciatum, ut *Cajus* docet *Dig.* 50, 15, 238.

DĔTESTOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod testor, aut valde testor, obtestor. *Pl. Men.* 5, 2, 61. Summum Jovem Deosque detestor. ℙ Item absenti, testibus adhibitis, denuncio. *Paul. Dig.* 50, 16, 39., ubi al. leg. *attestari.* V. DETESTATIO init. ℙ Item malum alicui imprecari, Deos testes ciendo, exsecrari. *Liv.* 10, 41. Furiale carmen detestandae familiae compositum. *Id.* 39, 10. In caput alicujus detestari minas et pericula. Adde *Plin. ep.* 2, 20. ℙ De *sacris detestandis* librum scripsit *Serv. Sulpic.*, teste *Gell.* 6, 12., de quo V. in DETESTATIO. ℙ Item universim exsecrari, abominari, *μυσάττομαι. Cic. Phil.* 8, 2. *extr.* Proximi belli civilis ignoro causam, detestor exitum. *Nep. Timol.* 1. Eum fratricidam impiumque detestans. *Tac. H.* 2, 35. Detestari causam et auctorem cladis. ℙ Item deprecari, amoliri, avertere, Deos invocando. *Cic. Pis.* 40. Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur. *Id. Phil.* 4, 4. O Dii immortales avertite et detestamini, quaeso, hoc omen. *Id. Cat.* 1, 11. Ut a me quandam prope justam patriae querimoniam detester ac deprecer. *Id. N. D.* 1, 44. Quaeque dixerit de Diis immortalibus, invidiae detestandae gratia dixisse. [**Suet. Claud.* 3. Soror Livilla, quum audisset quandoque imperaturum (Claudium), tam iniquam et tam indignam sortem P. R. palam et clare detestata est, i. e. invocavit Deos, ut averterent. *Brem.* dicit esse i. q. questa est, quod ad sensum recte habet, in verbo autem non inest.] ℙ Passiva significatione. *Appul. Apol.* p. 307, 24. Neque gravius est in cubiculo despui, quam in splendidissimo coetu detestari. Adde *August. ep. ad Macrob.* 255.

DĔTEXO, is, xui, xtum, a. 3. *διϋφαίνω*, idem quod pertexo vel texendo absolvo. *Titin.* ap. *Non.* 1, 3. Quae inter decem annos nequisti unam togam detexere. *Virg. Ecl.* 2, 72 Viminibus et molli junco aliquid detexere. *Hyg. fab.* 126. Cum telam detexuero, nubam. ℙ Allegorice. *Pl. Ps.* 1, 4, 7. Neque exordiri primum, unde occipias, habes, neque ad detexundam telam certos terminos. *Id. Amph.* 1, 1, 138. Illic hoc homo denuo vult pallium detexere. *Vet. Poeta* ap. *Auct. ad Her.* 2, 27. Nunc ego te ab summo jam detexam exordio, *h. e.* describam verbis te et mores tuos. *Sulpicia Satyr.* 2. Fabellam permitte mihi detexere paucis, *h. e.* narrare, describere. *Cic. Arat.* 250. Illic non perpetuum detexens conficit orbem.

DĔTEXTUS, a, um, adj. part. a *detexo*, idem ac pertextus, texendo absolutus. *Ulp. Dig.* 32, 70. §. 11. Lino legato, tam factum, quam infectum continebitur, quodque netum, quodque in tela est, quod est nondum detextum. *Id. ib.* 34, 2, 22. Vestimentum id est, quod detextum est, etsi desectum non sit: id est, si sit consummatum. Quod in tela est, nondum pertextum, vel detextum, contextum appellatur. Quisquis igitur vestem legaverit; neque subtemen legato continebitur. *Tibull.* 2, 3, 15, fiscella levi detexta est vimine junci. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 38. Reperiunt ea, quibus ante exorsa, et potius detexta prope retexantur.

DĔTĪNĔO, es, ui, entum, a. 2. *κατέχω*, idem quod teneo, moror, occupo. [**Detinere* est vel: *firmiter tenere*, vel: retinere, et simul etiam in alia quadam re tenere; vel, ut *Heind.* ad *Cic. N. D.* 2, 47, 121. verbis utar, *morandi occupandique* significatum habet. Gravius igitur est, quam *retinere* i. e. tenere aliquem in progrediendo. Interdum tamen utrumque voc. permutatur. Porro differunt *detinere* et *distinere.* „Illud notat, aliquem longius solito tenere apud se, sed volentem et illecebris demulsum. *Distineri* dicuntur, qui plerumque inviti in re quadam gravi occupati sunt.“ *Van Staveren* ad *Nep. Att.* 9. ubi *distinere* leg. est. Illo autem, quo diximus, modo *detinere* legitur apud *Plin. Pan.* 28. tristes hominum moestosque sermones laetiore materia detinere. *Virg. A.* 4, 348. Si te — adspectus detinet urbis — ubi *Serv.*, potest, inquit, pro *delectat* accipi. Accuratius etiam utriusque verbi discrimen explicat *Döderl. Syn.* III. p. 299. V. DISTINEO. Ut autem saepe volentes *detinemur*, sic vel vi, vel inviti *continemur.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 740.] *Ter. Eun.* 2, 2, 49. Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras. *Id. Ph.* 4, 1, 8. Pol me detinuit morbus. *Pl. Poen.* 1, 2, 190. Ne incommodus nobis sit, nam detinet nos de nostro negotio. *Id. Rud.* 1, 25. Eo vos amici detinui diutius. *Caes. B. G.* 3, 12. Nostrae naves tempestatibus detinebantur. *Lentul.* ad *consul.* etc. *Fam.* 12, 15. *circa med.* Detinere quempiam et demorari. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 3. Detinentibus terras nivibus. *Id.* 15, 3, 3. Detinere locum, i. e. occupare. [**Tac. A.* 14, 65. detinere pecuniam.] ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 3, 24. Cum aliquo majore negotio detinemur. *Ov. Trist.* 5, 7, 39. Detineo studiis animum, falloque dolores. *Id. ib.* 2, 520. poemata mea saepe oculos detinuere tuos. *Id. Fast.* 5, 386. Detinere manus in modis lyricis. *Id. Met.* 1, 682. et euntem multa loquendo Detinuit sermone diem. [**Corruptum* esse h. l. putat *Burm.*, quem V.; sed recte habet.] *Id. Pont.* 4, 10, 67. detinui tempus, curasque fefelli. *Hor. Od.* 1, 33, 14. Me grata detinuit compede Myrtale. *Id. Ep.* 1, 2, 5. Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi. *Cic. Inv.* 2, 45. Detineri in alienis negotiis. [**Tac. A.* 13, 36. in contumelia.] *Plin.* 14. *prooem.* Circa alia mentes hominum detinentur. *Cic. Att.* 10, 1. Detinere aliquem suspensum. Al. leg. *tenere.* ℙ [**Detinere se*, i. e. vitam conservare, nos *sich hinhalten. Tac. A.* 6, 23. Drusus exstinguitur, quum se miserandis alimentis — nonum ad diem detinuisset.] ℙ Cum ablat. et praeposit. *a* vel *ab. Sall. Cat.* 4. A quo incepto studio me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi R. perscribere. *Id. orat. ad Caes. de rep. ordin.* 1, 7. Uti plebes habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur. ℙ [**Permutantur* saepissime *detinere* et *retinere; V. Drak.* ad *Liv.* 8, 38, 6. aliisque locis, et maxime *Oud.* ad *Suet. Claud.* 15. — et *deterrere*, *Drak.* ad *Liv.* 22, 42, 7. — et *distinere*, V. *id. ib.* 5, 20, 4.]

DĔTŌNAT, abat, uit, impers. 1. tonare cessat. *Ov. Trist.* 2, 35. ubi detonuit strepituque exterruit orbem, Purum discussis aera reddit aquis. ℙ Translate. *Virg. A.* 10, 809. Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem Sustinet, *h. e.* impetum pugnantium sustinet, donec deferveat. *Servius. Val. Fl.* 4, 294. furentemque Oebalidem prima refugit, dum detonet, ira. *Quint.* 12, 9. Nam cum illa dicendi vitiosa jactatio inter plausores suos detonuit, resurgit verae virtutis fortior fama. *Petr. Sat.* 17. Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit caput, *h. e.* ut cessavere lacrimae. ℙ Sunt qui ita exponunt vim verbi, ut sit idem quod tonat, vel valde tonat: pro quibus facit *Flor.* 1, 17. Captisque superioribus jugis, in subjectos suo jure detonuit. *Id.* 2, 6. Ac primi quidem impetus turbo valido statim fragore detonuit. Adde 3, 21. et 4, 2. Huc et locum *Ovidii* allatum trahere licet.

DĔTONDĔO, es, detondi, *et olim* dētŏtondi, onsum, a. 2. *ἀποκείρω*, idem quod tondeo, vel probe tondeo, caedo, seco. *Cato R. R.* 96. Postea cum detonderis oves, unguito totas. *Colum.* 7, 4. *ad f.* Considerare tempestates, quibus ovis neque frigus, si lanam detraxeris, neque aestum, si nondum detonderis, sentiat. *Id.* 4, 24. *post med.* Quidquid e tenero processit, parcius detondetur, quoniam fere conjunctam gerit ab latere gemmam. *Varr.* ap. *Prisc.* 9. p. 868. Detotonderat forcipibus viticarpiferis. *Id. R. R.* 2, 1. Oves ac capras detondent, aut vellunt. ℙ Translate. *Enn. ib.* Et detondit agros laetos, atque oppida cepit, *h. e.* vastavit. Al. leg. Et *detotondit:* alii rectius: *deque totondit* per tmesim. *Nemesian. Ecl.* 1, 6. dum salices haedi, dum gramina vaccae Detondent, *h. e.* carpunt, depascuntur.

DĔTONSO, as, a. 1. frequentat. a *detondeo. Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Capillum dialis, nisi qui liber homo est, non detonset.

DĔTONSUS, a, um, part. a *detondeo*, tonsus, caesus. *Colum.* 7, 4. *ad f.* Ovis detonsa. *Ov. Fast.* 6, 229. Detonsi crines, [**i. e. non prorsus abrasi, sed ornatus causa extrema parte detonsi, ne nimis luxurient. Sic bene *Burm.*] *Id. ib.* 3, 237. Arboribus redeunt detonsae frigore frondes. *Prop.* 4, 8, 15. Detonsi manni, *h. e.* pexi, et ornati. [**Claudian. Eutrop.* 1, 381. Militet ut nostris detonsa Sygambria signis i. e. captivi Sygambri; hi enim tondere soliti.]

DĔTORNĀTUS, a, um, part. a *detorno*, torno politus. Translate. *Gell.* 9, 8. Hanc sententiam memini a Favorino detornatam inclusamque verbis his paucissimis.

DĔTORNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποτορνεύω*, ex materia quapiam torno aliquid efficio. *Plin.* 13, 9, 18. Ex quo velares detornant anulos.

DĔTORQUĔO, es, orsi, orsum, et ortum, a. 2. *καταχάμπτω*, deorsum, vel in aliam partem torqueo, deflecto, curvo. *Cic. Tusc.* 5, 20. Eum ipsum ponticulum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. *Virg. A.* 5, 832. una ardua torquent Cornua (*antennarum*) detorquentque. *Id. ib.* 9, 745. Detorquere hastam, *h. e.* aliorsum deflectere hastam jactatam. *Id. ib.* 11, 765. habenas. *Id. ib.* 4, 196. cursum ad aliquem. et *ib.* 5, 165. proram ad undas. *Hor. Od.* 2, 12, 25. cervicem ad oscula. *Val. Fl.* 4, 684. valido qui robore tauros Sub juga, et invito detorquet in ilia cornu. *Id.* 1, 120. Detorquere oculos ad undas. *Ov. Met.* 6, 515. et nusquam detorquet lumen ab illa. *Cic. Univ.* 7. Detorquere a latere in dextram partem. *Plin.* 28, 8, 27. Si hyaena in laevam detorserit, deficientis argumentum est. *Colum.* 5, 6. *ante med.* Paulatim ramuli ejus manu detorquentur. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 2, 54. frustra vitium vitaveris illud, Si te alio pravus detorseris. *Cic. Coel.* 9. *extr.* Flectere et detorquere voluntatem. *Id. Off.* 2, 10. Voluptates, blandissimae dominae, majores partes animi a virtute detorquent. *Plin. Pan.* 82. Quem copiae principales ad segnitiem luxumque non detorquent [*Monstrant hi loci, non apertam tantum, sed etiam blandiorem quandam vim h. v. significari.] *Id. ep.* 1, 8. Recte facta detorquere et carpere. *Liv.* 42, 42. Calumniando detorquendoque omnia, suspecta et invisa efficere. *Senec. ep.* 13. *a med.* Detorquere in pejus verbum aliquod dubiae significationis. *Tac. A.* 1, 7. Verba et vultus in crimen detorquens. ℙ [*Absolute: *Plin. Pan.* 70, 6. quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat (sc. a recto), hebetabat tamen misera reputatio.]

DĔTORRĔO, es, ui, a. 2. idem quod torreo, aut valde torreo. *Sidon. ep.* 1, 7. Invidia nuper conflata, cujus me paulo incautiorem flamma detorruit. [Adde *Not. Tir.* p. 149. Detorret. *F.*]

DĔTORSUS, a, um, part. a *detorqueo*, detortus. *Cato* apud *Prisc.* 9. p. 871. Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen.

DĔTORTUS, a, um, part. a *detorqueo*, *καταχαμφθείς*, tortus deorsum vel in aliam partem, deflexus. *Plin.* 8, 51, 77. Cauda in dexterum detorta. *Cic. Fin.* 3, 5. Est nemo, quin aptas malit et integras omnes partes corporis, quam imminutas, aut detortas. [**Tac. A.* 15, 34. corpore detorto esse.] *Colum.* 3, 10. Prave detorta, et

inveterata opinio rusticorum. *Hor. A. P.* 52. Et nova factaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadent, parce detorta, *h. e.* translata in Latinam rationem. *Quint.* 8, 3. *circa med.* In obscenum intellectum sermo detortus. [**Auct. dial. de Orat.* 28. nullis pravitatibus detorta natura.]

DĒTRACTĀTĬO, onis, f. detrectatio. *Tert. Patient.* 3. Detractatio fidei.

DĒTRACTĀTOR. V. DETRECTATOR.

DĒTRACTĀTUS, a, um, part. a *detracto*, ut Detractata et exserta sententia, *Tert. ad Uxor.* 2, 2.

DĒTRACTĀTUS, us, m. tractatus. *Tert. Spectac.* 3. Convertamur magis ad nostrorum detractatus, *h. e.* tractatus de hac re.

DĒTRACTĬO, onis, f. ἀφαίρεσις, ablatio. *Cic. Div.* 2, 21. *ad f.* Imagines in marmore efficiuntur detractione. *Id. Off.* 3, 6. Non magis est contra naturam morbus aut egestas, quam detractio aut appetitio alieni. *Id. ib.* 33. Detractio doloris. *Cels.* 4, 4. sanguinis. [**Gaii Instit. Comment.* (ed. *Goeschenio*) 3. p. 234. ed. *Berol.* Adjectionem aut detractionem. *B. A.*] ℙ Est etiam medicorum verbum, quo significatur vitiosi humoris excrementorumque vel vomitu, vel per alvum, vel alia ratione dejectio, aut etiam sanguinis missio. *Vitr.* 1, 6. Tussis, pleuritis, phthisis, et cetera, quae non detractionibus, sed adjectionibus curantur. *Plin.* 16, 44, 92. et 22, 25, 64. Datur in vino dulci ad detractiones. *Scribon. Compos.* 101. Detractione ipsa levat. *Cic. Univ.* 6. Detractio confecti et consumpti cibi, *h. e.* per inferna dejectio. ℙ [**Detractionem* latine vertit *Aquila Rom. de figg.* p. 23. *Pith.*, quam Graeci appellant ἔλλειψιν, cui opponitur pleonasmus. Sic *Ern. techn. Lat.* p. 114.]

DĒTRACTO, as, a. 1. idem quod tracto. [*Front. ad M. Caes. ep.* 3, 8. (ed. *Maio*) Non inutile erit eadem nos denuo detractare. *F.*] *Tert. Virg. vel.* 8. Nec detractamus, quare non et puerum nominarit. ℙ *Detractare.* V. DETRECTO.

DĒTRACTOR, oris, m. qui detrahit, obtrectator, maledicus. *Tac. A.* 11, 11. Ipse haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam, narrare solitus est. V. DETRECTATOR. [*Hoc voc. permultis locis suppeditant codd. Liviani, ut vix dubitandum esse videatur, quin multis in locis restituendum sit. Sic *Gron.* ad *Liv.* 34, 15, 9. contra *Drak. ib.* probat scripturam *detractator*, qui pluribus de diversitate scripturae in h. v. agit.]

DĒTRACTUS, a, um, part. a *detraho*, ut Detractum lumen solis, *Lucr.* 5, 979. Detracta ex verbo littera. *Gell.* 2, 10. Equites detracti equis. *Caes. B. G.* 1, 42. Scutum militi detractum. *Id. ib.* 2, 25. Detracta vestis. *Cic. Brut.* 75. Detracti de homine sensus. *Id. Fin.* 1, 9. Detractus sanguis. *Plin.* 28, 9, 42. etc.

DĒTRACTUS, us, m. detractio. In ablat. casu. *Senec. Suasor.* 7. *ad f.* Detractu aut adjectione syllabae.

DĒTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. ἀποσύρω, ἀφαιρέω, deorsum traho, deduco, deripio. *Petr. Sat.* 12. Detrahere humeris laciniam. *Pl. Asin.* 1, 1, 79. alicui vestimenta. *Id. Truc.* 3, 1, 7. sibi crumenam de collo. *Caes. B. G.* 7, 45. e mulis stramenta. [*Hic locus hodie sic legitur: e castris magnum numerum impedimentorum detrahi jussit. V. intpp.] Et *ib.* 2, 21. scutis tegumenta. *Liv.* 22, 47. Vir virum amplexus detrahebat equo. *Id.* 38, 47. Detrahere coronam capiti. *Colum.* 12, 43. uvam viti. *Suet. Rhet.* 6. aliquem pedibus e tribunali. [*Liv.* 39, 20. Spe destinaverit Annibalem ex Italia detracturum. *F.*] *Cic. Har. resp.* 13. sacerdotem ab aris. *Curt.* 5, 4. *sub f.* aliquem ad terram. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. ex cruce. *Senec. ep.* 102. *a med.* Philosophiam ex sua majestate in angustias. ℙ Adhibetur etiam generatim pro auferre adimere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 72. Accurrunt servi, soccos detrahunt. *Id. ib.* 4, 1, 38. De digito detrahere anulum. *Cic. ad Quirit.* 8. Mihi quod potuit vis et injuria detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit. *Id. Div.* 2, 37. Caesar Dejotaro detraxit Armeniam a senatu datam. *Id. Off.* 3, 5. Detrahere alteri, et sibi assumere. *Curt.* 8, 4. *ad f.* Pudorem victis, victoribus superbiam detrahere. *Sall. Orat. Philip. in Lepid.* Vobis dignitas, illi metus detrahitur. *Caes. B. G.* 6, 5. Detrahere alicui auxilia. *Cic. Tusc.* 3, 31. alicui opinionem. [*Sic *Quint.* 4, 1, 20. detrahenda vel confirmanda est opinio.] *Id. ad Quirit.* 2. *extr.* Non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videmini. *Id. Verr.* 2, 4, 11. Honorem debitum detrahere alicui. *Quint.* 5, 7. *ad f.* fidem dictis. *Colum.* 8, 9. Turtures prohibeantur volare, quia, si id faciant, corpori detrahunt. [**Cic. Brut.* 67. *med.* Quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. *Id. Fam.* 1, 5. si quid ex iis rebus hominum perfidia detraxerit. Bene *Ellendt.*, qui posteriorem locum laudat, monet, quum de personis sermo sit, dici *detrahere de aliquo*; quum de rebus, recte etiam poni *detrahere ex aliqua re.* MSS. in utraque praepositione saepe fluctuant. V. *Oud.* ad *Suet. Cal.* 35. *Dom.* 10. ℙ Hinc i. q. omittere. *Suet Aug.* 86. detractae conjunctiones.] ℙ Aliquando est simpliciter trahere, pertrahere, [*i. e. usque ad certum aliquem locum trahere.] *Hirt. B. Afr.* 10. Naves, quas potuit, Caesar ad terram detrahit. *Lucan.* 3, 22. Detrahere in cladem fato damnata maritos. *Cic. Mil.* 14. Detrahere in judicium. Al. leg. *attrahere. Id. Cluent.* 64. ad accusationem. [**Liv.* 22, 13. irritat ducem, si forte accensum tot indignitatibus — detrahere ad aequum certamen possit, i. e. ad proelium in planitie ineundum pertrahere; erat enim Romanus in altiori loco. Sic bene *Gloss. Liv.*] ℙ Item haurire. *Colum.* 6, 14. Ex auricula sanguinem detrahere. *Id.* 7, 5. *circa med.* sub oculis et de auribus sanguinem. ℙ Est etiam medicorum verbum, ut in DETRACTIO dictum. *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium bilem detrahit, urinam ciet. *Cels.* 2, 10. *extr.* Si sanguis rubere coepit, satis materiae detractum est. *Scribon. Compos.* 135. Detrahere materiam per alvum. ℙ Ponitur et pro abstrahere. *Cic. Fam.* 5, 2. Egi cum uxore tua, ut eum ab illa injuria detraheret. Al. leg. *deterreret. Id. Prov. cons.* 8. Illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant. ℙ Saepe significat obloquendo deminuere, auferre de existimatione, obtrectare, famam laedere. *Nep. Chabr.* 3. Libenter de his detrahunt, quos eminere vident altius. *Cic. Att.* 11, 11. Ille in Achaia non cessat de nobis detrahere. Adde *Pis.* 29. et *Off.* 1, 37. *ad f.* ℙ Et universim *detrahere de re quapiam* est auferre, eamque deminuere. *Cic. Fam.* 3, 8. Detrahere de fama alicujus. *Id. Or.* 1, 9. de gloria cujuspiam. *Nep. Timol.* 5. de rebus gestis alicujus. *Id. Timoth.* 4. Multae novem partes detraxit. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. De suo jure et commodo detrahere. *Id. Att.* 10, 5. de summa. [*Hoc loco legitur in edd. *ex summa.*] ℙ Absolute. *Nep. Eum.* 1. Multum ei detraxit, quod alienae erat civitatis. ℙ *Detraxe* pro *detraxisse* est *Pl. Trin.* 3, 3, 15.

DĒTRECTĀTĬO, onis, f. actus detrectandi, ἀνάνευσις. *Liv.* 6, 38. Romani ad edictum sine detrectatione convenere. [**Drak.* habet: *sine retractatione*, quem recentiores secuti sunt.] *Id.* 3, 69. Detrectatio militiae. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. heredis. [**Gell.* 2, 6. post init. Sed detrectatione excecrationeque totius generis humani dignus esses. Ita saltem ed. *Longol.*, lectionem probante *Gronovio.* Vulgo legitur detestatione. *B. A.*]

DĒTRECTĀTOR, oris, m. ἀνανευστής. *Liv.* 34, 15. Cato haud sane detrectator laudum suarum. *Jac. Gron.* testatur in MSS. esse *detractor. Petr. Sat.* 117. Mercenarius Corax, detrectator ministerii. *Auson. Idyll.* 2, 51. Ipse nec affectans, nec detrectator honorum. Apud *Petr.* et *Liv.* alii leg. *detractator.*

DĒTRECTO, as, avi, atum, a. 1. ἀνανεύω, recuso, defugio, devito: a *de* privativa et *tracto. Ov. Pont.* 3, 7, 15. taurus detrectat aratrum. *Quint.* 2, 1. Detrectare officia sua. *Suet. Tib.* 25. Quidam etiam detrectabant principem non a se datum. *Caes. B. G.* 7, 14. Detrectantes militiam. *Ov. Met.* 13, 36. detrectavitque furore Militiam ficto. *Curt.* 10, 10. Detrectare imperium. *Id.* 8, 11. munus. *Id.* 3, 8. certamen. *Gell.* 20, 1. *circa med.* fidem, *h. e.* nolle praestare. *Paul. Dig.* 37, 14, 19. Tutelam administrare detrectans. *Arnob.* 6. p. 201. Stupiditas quae tanta est (detrecto enim dicere caecitatem) naturas formarum qualitate mutari. ℙ [*Absolute. *Liv.* 3, 38. sciscitandumque, num consulto detrectarent, sc. venire in senatum.] ℙ Significat etiam detrahere, obtrectare, καταλαλεῖν. *Sall. Jug.* 57. *extr.* Adversae res etiam bonos detrectant. *Ov. Rem. Am.* 365. Ingenium magni livor detrectat Homeri. *Id. Trist.* 4, 10, 123. Livor detrectat praesentia. *Liv.* 38, 49. Invidia detrectat virtutes, et corrumpit honores et praemia earum. *Ov. Trist.* 2, 336. Et tamen ausus eram (*scribere, Caesar, res a te gestas*) sed detrectare videbar: Quodque nefas, damno viribus esse tuis, *h. e.* tractando imminuere. *Id. Met.* 5, 246. Detrectare laudes alicujus. [*V. *Burm.*] *Front. ad M. Caes.* 4, 12. Si quis alius eodem te convicio audiente me detrectaret, aequo animo audire non poteram. Adde *Flor.* 4, 2. ℙ [*Cum Dativo. *Suet. Persii* vita: sibi primo, mox omnibus detrectaturus.] ℙ In locis *Ovidii* allatis [*maxime ad *Suet.* l. l.] al. leg. *detracto*, quod apud *Tac.* quoque *Dial. de Orat.* non semel, et apud *Lact. Mort. persecut.* 9. et 10., item apud *Tibull.* 1, 7, 44. et *Prop.* 2, 2, 11. eadem variatione legitur. *Festus* autem *detracto* exponit *male tracto.* V. DETRACTO. [*Hanc formam, a bonis codd. suppeditatam, defendunt *Oud. ad Suet. Caes.* 54. *Aug.* 24. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 53. *extr. Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 63, 4. et *Burm.* ad *Prop.* l. l., et quos laudat ad h. l. — *Arntzen.* recte existimat, formam *detracto* facile potuisse a librariis corrumpi in usitatius v. *detrecto.* Sic etiam *attractare* legitur in codd. *Virg. A.* 2, 719. pro *attrectare. Festi* auctoritas vix in censum veniat.]

*DETRIMENTĀLIS, e, adj. βλαβερὸς *Vet. Gloss. B. A.*

DĒTRĪMENTOSUS, a, um, adj. βλαβερὸς, qui affert detrimentum. *Caes. B. G.* 7, 33. Etsi a bello atque hoste discedere detrimentosum esse existimabat.

DĒTRĪMENTUM, i, n. proprie significat actum deterendi, abradendi, deminuendi. *Appul. Met.* 6. p. 175, 25. Currus limae tenuantis detrimento conspicuus, et ipsius auri damno pretiosus. ℙ Fere sumitur pro damno, amissione, jactura, βλάμμα, βλάβη. *Hirt. B. Alex.* 49. Jacturae et detrimenta rei familiaris. *Cic. Leg.* 1, 19. Propter damna aut detrimenta, quae ὠφελήματα, et βλάμματα appellant. *Id. Manil.* 6. Accipere detrimentum in aliqua re. *Id. Verr.* 2, 4, 9., *Nep. Cat.* 2. et *Senec. Tranq.* 11. *a med.* Facere detrimentum, *h. e.* subire, damnum facere. *Caes. B. C.* 2, 2. Inferre detrimenta. *Cic. Or.* 1, 9. importare publicis rebus. *Nep. Att.* 2. afferre rei familiaris. *Caes. B. G.* 1, 44. Esse alicui ornamento et praesidio, non detrimento. *August.* apud *Suet. in ejus vita*, 71. Ex magnis detrimentis praeter spem paulatim retractus est. *Quint.* 10, 1. *ante med.* Detrimentum temporis. ℙ *Videant Coss. Praetores*, etc. *ne quid respubl. detrimenti capiat* vel *accipiat*, formula fuit senatusconsulti in re subita, maximique periculi, et, ut ait *Liv.* 3, 4., ultimae semper necessitatis, qua magistratibus permittebatur vocare ad arma populum, exercitum conscribere, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiaeque imperium atque judicium summum habere, ut *Sall. Cat.* 30. docet. *Cic. Phil.* 5, 12., *Id. Fam.* 16, 11. et *Caes. B. C.* 1, 5. et 7.

DĒTRĪTUS, a, um, part. a *detero*, ἀνάτριπτος, terendo consumptus. *Plin.* 8, 48, 73. Vestis usu detrita. *Phaedr.* 3, 7. Collum canis a catena detritum. ℙ Item terendo sublatus. *Plin.* 36, 26, 65. Fluctibus volutatae nitescunt, detritis sordibus. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 5. Avarus appellatur, qui avidus aeris est: sed in ea copula *e* littera detrita est. ℙ Item tunsus. *Colum.* 2, 21. In area detrita frumenta. *Lucr.* 1, 315. Strata viarum detrita pedibus. *Colum.* 6, 12. Milium detritum conspersumque aqua mulsa imponendum est. ℙ Translate. *Gell.* 15, 30. Qui ab alio vitae genere detriti jam et retorridi, ad litterarum disciplinas serius adeunt. *Quint.* 8, 6. Illa in agendis causis jam detrita, *h. e.* ab omnibus usurpata. [**Sil.* 7, 247. quantum Detritum est famae!]

DĒTRĬUMPHĀTUS, a, um, part. a *detriumpho*, de quo est triumphatum. *Minuc. Fel. Octav.* 25. Quos post cladem detriumphatos colere coeperunt. Adde *Tert. carm. adv. Marc.* 1, 2.

DĒTRĬUMPHO, as, a. 1. idem quod triumpho, nisi quod *de* vim addit significationi. *Tert. Apol.* 27. Daemones numquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur. Adde *Cyprian. de spectac. ad f.*

DĒTRŪDO, is, usi, usum, a. 3. καταθέω, vi deorsum trudo, depello, dejicio, deturbo. *Cic. Caecin.* 17. Si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, neminem statu detrusum, qui non adhibita vi, manu demotus, et actus praeceps intelligatur. *Liv.* 2, 10. *de Horat. Cocl.* Jam impetu conabantur detrudere virum. *Hirt. B. Alex.* 76. Cum in proclive detruderentur hostes. *Pl. Poen.* 5, 3, 33. Quos ego jam detrudam ad molas. *Id. Merc.* 1, 2, 6. Qui adversum eunt, aspellito, detrude, deturba in viam. *Liv.* 42, 66. *a med.* Detrudere impedimenta per praeceps. *Lucan.* 6, 175. hostem muris. *Cic. Fam.* 5, 10. *sub f.* Ex arce me nives, frigora, imbres detruserunt. *Id. Or.* 1, 11. Detrudere et compingere in pistrinum. *Id. Quint.* 6. *extr.* Quintius de agro communi vi detruditur. *Virg. A.* 1, 149. detrudunt naves scopulo, *h. e.* vi et viribus e scopulo demovent, avelluntque. *Id. ib.* 7, 469. Detrudere finibus hostem, *h. e.* expellere. et *ib.* 773. Stygias in undas. ℙ [*Hoc sensu est verbum praetorium in interdicto, pro quo postea substitutum est *dejicere.* V. locum apud *Cic. Caec.* 17.] ℙ Item compellere. *Pl. Aul.* 2, 5, 8. Huccine detrusisti nos ad senem parcissimum? ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 28. *extr.* Hunc ad id, quod facere possit, detrudendum puto. *Id. Off.* 1, 31. *sub f.* Si necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt. *Id. Q. Fr.* 1, 4. In luctum et laborem detrudi. *Id. Fam.* 14, 16. Detrudere aliquem sententia. *Nep. Timol.* 2. Ut cerneretur, quem ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. *Suet. Caes.* 29. Difficilius se a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi. *Id. ib.* 24. Detrudere aliquem, *h. e.* petitione honoris depellere. *Cic. Fl.* 38. aliquem in poenam, *h. e.* vi et contra leges punire. *Auct. Dial. de Orat.* 32. In paucissimos sensus et angustas sententias detrudere eloquentiam. *Pl. Men.* 1, 3, 21. se ad mendicitatem. ℙ Pro differre, producere, vi tamen, et contra morem. *Cic. Att.* 4, 17. et *Q. Fr.* 2, 13. Putantur detrudi comitia in mensem Martium.

*DĒTRULLO, as, a. 1. διαχέω, de trulla in trullam depleo, quo usus esse dicitur *Apicius* . . . quod ipsum et Diffundere vocatur *Plinio*, sicut in oleo Decapulare. *Hermolaus* in *Plin. B. A.*

DĒTRUNCĀTĬO, onis, f. κολόβωμα, actus de-

truncandi. *Plin.* 24, 9, 37. Detruncatio ramorum. Adde 17, 24, 37. *n.* 9.

DĒTRUNCĀTUS, a, um, part. a *detrunco*. *Liv.* 21, 37. Arboribus detruncatis struem lignorum facere. *Id.* 31, 24. Gladio Hispaniensi detruncata corpora, brachiis abscissis, aut tota cervice desecta.

DĒTRUNCO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκόπτω, a trunco abscindo, truncando dejicio, amputo, seco. *Colum.* 5, 6. *ante med.* Sat erit novem pedes a terra relinqui et superiorem partem detruncari. *Plin.* 11, 17, 17. Si quis regi apum alam detruncet, non fugiet examen. *Ov. Met.* 8, 769. Detruncare caput bipenni. *Val. Fl.* 3, 145. prensumque manu detruncat Amastrum, *h. e.* capite plectit. *Flor.* 4, 12. C. Martius Dalmatas, incensa urbe Delminio, quasi detruncaverat, *scilicet* quia Delminium eorum caput erat.

[DĒTRUSIO, onis, f. actus detrudendi deorsum. *Hieron.* in *Isaj.* 8, 24, 22. Didicimus subversionem terrae et detrusionem in lacum et custodiam carceris. *F.* *Etiam apud *Tert.* legitur.]

DĒTRUSUS, a, um, part. a *detrudo*, deorsum trusus, dejectus. *Cic. N. D.* 2, 54. Stomachus agitatione et motibus linguae depulsum et quasi detrusum cibum accipit. *Liv.* 22, 28. Acies pulsa detrusaque. *Ov. Met.* 12, 522. Corpus sub Tartara detrusum. *Id. Pont.* 1, 8, 27. Stygias detrusus in oras. *Cic. Caecin.* 17. Statu detrusus. ℙ Item compulsus. *Tac. H.* 2, 8. Vi tempestatum Cythnum insulam detrusus. [**Id. A.* 13, 43. ad necessitatem belli.]

DĒTŪDES, detunsos, deminutos. *Festus.* scil. ab obsoleto *tudo* pro tundo. *Gloss.* quoque: Detudes, μειωθέντες.

DĒTŪMĒO, es, ui, n. 2. tumorem depono. Translate. *Stat. Th.* 5, 468. Detumuere animi maris.

DĒTŪMESCO, is, n. 3. idem quod detumeo, ἐξοιδαίνω, tumere desino. Translate. *Petr. Sat.* 109. Odia detumescunt.

DĒTUNDO, is, a. 3. deorsum tundo, dejicio, decutio. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 59. Proras despoliate, detundite guberna. Alii rectius leg. *et detondete.*

DĒTUNSUS, a, um, part. a *detundo*, contusus. *Appul. Met.* 2. p. 128, 39. *sub f.* Digitis pedum detunsis ob lapides.

DĒTURBĀTUS, a, um, part. a *deturbo*, depulsus, dejectus. *Curt.* 6, 5. Deturbati ex collibus Barbari profugiunt. *Caes. B. G.* 5, 42. *extr.* Ex omni parte lapidibus conjectis, deturbati. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 5, 7. Ex magna spe deturbatus.

DĒTURBO, as, avi, atum, a. 1. καταβάλλω, dejicio, detrudo, expello. *Pl. Rud.* 1, 1, 5. Ventus de tecto deturbavit tegulas. *Cic. Verr.* 2, 4, 41. *extr.* et *Pis.* 38. Statuam deturbare, affligere, comminuere, dissipare. *Id. Q. Fr.* 3, 9. Deturbare aedificium. *Caes. B. C.* 3, 21. aliquem de tribunali. *Id. B. G.* 7, 81. hostes de vallo. *Liv.* 31, 39. *extr.* milites ex praesidiis et stationibus. *Virg. A.* 10, 554. terrae caput alicujus. *Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 253. Moenibus deturbat. *Lucr.* 5, 401. Phaetonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis in terram. *Virg. A.* 5, 175. In mare praecipitem puppi deturbat ab alta. *Cic. Fam.* 12, 25. Certa re et possessione deturbari. *Id. Quint.* 14. De fortunis omnibus P. Quintius deturbandus est. *Pallad.* 7, 7. Apes fucos a sedibus suis deturbant. [*De constr. cum *ab* v. *Bünem.* ad *Lactant.* 5, 7, 10.] ℙ Translate. *Cic. Pis.* 20. Sua quemque fraus, suum scelus de sanitate ac mente deturbat. *Id. Fam.* 12, 25. Deturbari spe. *Pl. Most.* 1, 2, 58. Ignavia deturbavit mihi verecundiam.

DĒTURGENS, entis, part. ab inusit. *deturgeo*, detumescens. *Plin.* 9, 58, 84. Deturgente Nilo, musculi reperiuntur etc. Al. leg. *decedente*, Harduin. *detegente*, ex MSS.

DĒTURPO, as, avi, atum, a. 1. αἰσχύνω, turpem ac deformem reddo. *Suet. Cal.* 35. Pulcros et comatos occipitio raso deturpabat. *Plin.* 15, 16, 18. *n.* 1. Aquilonis afflatus poma rugis deturpans. ℙ [*Librarii interdum h. v. substituerunt pro *deformare*. V. *Heins.* ad *Virg. A.* 10, 844.]

*DEVADE, insula prope Aeoliam. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

DĒVĀGOR, aris, dep. 1. quasi de via decedens vagor. *Justinian. praef.* ad *Digest.* 2. *a med.* Ne a venditionibus ulterius devagentur. Et *ib. ad f.* Audivimus, in Alexandria et in aliis civitatibus quosdam imperitos homines devagari. V. DIVAGOR. ℙ Olim et *devago* dictum est. *Accius* ap. *Non.* 7, 2. Deinde omnes stirpe cum incluta Cadmeide, Tumultu percitatae matronae vagans. [Ita, ut versuum ratio constet, legit *Bothe*, alii *Cadmi devagant matronae tumultu percitatae:* quod improbandum videtur, nam ibi *Non.* de *vago*, non de *devago* sermonem habet. *F.*]

*DEVASTĀTĬO, onis, f. et DEVASTĀTOR, oris, m. apud *Augustin.*

DĒVASTĀTUS, a, um, part. a *devasto*, praedatus, spoliatus. *Ov. Met.* 255. Agmina ferro devastata.

DĒVASTO, as, a. 1. καταπορθέω, depopulor, depraedor. *Liv.* 2, 9. Marrucinos et Pelignos devastat. *Id.* 4, 59. Tripartito ad devastandos fines discessere. *Hirt. B. G.* 8, 24. Ad devastandos depopulandosque fines Ambiorigis proficiscitur.

DĒVASTUS, a, um, adj. valde vastus. *Appul. Met.* 9. p. 236, 17. Jamque miles, inversa vite, devastiore nodulo cerebrum suum diffindere. Al. leg. *de vastiore*: et quidem recte, nam miles, inversa vite, quam manu tenebat, ex parte crassiore cerebrum hortulani percussit, atque diffidit. Amandanda itaque est de Latio vox *devastus.*

DEUCALĬON, onis, m. Δευκαλίων, filius Promethei, cui adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam conjugio junxit. Porro cum hic apud Thessalos regnaret, ingens diluvium contigit. Quapropter arrepta navi solus Deucalion cum Pyrrha servatus, in Parnassum montem delatus est. Cessantibus vero aquis, Themidis oraculum adiit, consulturus de humani generis reparatione, quae respondit, ut ossa magnae Matris post tergum jacerent. Conjectis igitur post tergum lapidibus, quos Deucalion jecerat, in mares, quos Pyrrha, in feminas vertebantur. *Ov. Met.* 1, 313. et *sqq.*; *Hyg.* vero *fab.* 153. narrat, in montem Aetnam fuisse delatum, *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 41. in montem Atho. Porro haec fabula ex vera historia orta est, qua narrat *Justin.* 2, 6. sub Deucalione rege Thessaliae magnam aquarum vim multos mortales in Graecia absumpsisse; superfuisse autem, quos refugia montium receperunt aut qui ratibus ad Deucalionem evecti sunt, qui propterea generis humani reparator creditus est.

DEUCALĬONĒUS, a, um, Δευκαλιώνειος, ad Deucalionem pertinens. *Ov. Met.* 7, 356. Deucalioneas effugit inobrutus undas. *Lucan.* 1, 653. Deucalionei imbres. *Colum.* 10, 67. Deucalioneae cautes, *h. e.* saxa, quae projecta a Deucalione in homines versa sunt.

*DĒVECTĬO, onis, f. *Gloss. Vet.* βαστα γή. *B. A.*

DĒVECTO, as, a. 1. frequentat. a *deveho*. *Sedul.* 5, 345. Solvere contectum, quam devectare ligatum.

DĒVECTUS, a, um, part. a *deveho*. *Cic. Phil.* 1, 4. Ego celeriter Veliam devectus Brutum vidi. *Virg. G.* 2, 408. devecta cremato Sarmenta. *Curt.* 10, 1. Materia devecta ad urbem. *Val. Fl.* 4, 114. Huc devecta puppis.

DĒVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. καταφέρω, deorsum veho, defero, seu navi seu jumento seu curru. *Liv.* 4, 52. Maximos commeatus, summo Etruriae studio, Tiberis devexit. *Curt.* 9, 8. In fines Mallorum secundo amne devehitur. *Justin.* 12, 9. Devehi per fluvium in oceanum. ℙ Item de uno in alium locum veho, transfero. *Nep. Dion.* 4. Navem ei dedit, qua Corinthum deveheretur. *Curt.* 4, 3 Syracusis id simulacrum devexerant Poeni. Et *ib.* 7. Aqua, quam utribus cameli devexerant. *Caes. B. C.* 1, 54. Curribus junctis naves millia passuum viginti duo a castris devehere. Et *B. C.* 1, 43. Legionem Caesar equis devexerat. *Liv.* 21, 10. *ad f.* Devehere aliquem in ultimas maris terrarumque oras, *h. e.* asportare. ℙ Translate. *Prop.* 4, 1, 119. Hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra.

DĒVELLO, is, elli, vulsum, a. 3. idem quod vello vel potius valde vello, depilo. *Pl. Poen.* 4, 2, 50. Nolito edepol devellisse: jam his duobus mensibus volucres alae tibi erunt hircinae. *Suet. Dom.* 22. Eratque fama, quasi concubinas ipse develleret. *Capitol. Pertin.* 8. Vasa Samnitica calfactandae resinae ac pici devellendis hominibus ac levigandis. Sunt qui apud *Suet.* et *Capitol. l. c.* perperam legunt *divelleret* et *divellendis.* [*V. *Salmas.* ad *Capitol.* l. l. Eadem varietas est apud *Ov. Met.* 14, 115. ubi *divellere* praestat.]

DĒVĔLO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκαλύπτω, velum aufero, detego. *Ov. Met.* 6, 604. Oraque develat miserae pudibunda sororis.

DĒVĔNĔROR, aris, dep. 1. idem quod veneror. *Ov. Her.* 2, 18. Saepe Deos supplex, ut tu scelerate valeres, Sum prece turicremis devenerata focis. [*Tibull.* 1, 5, 13. Ipse procuravi, ne possent saeva nocere Somnia, ter sancta deveneranda mola, *h. e.* precibus amolienda, avertenda. *F.*]

DĒVĔNĬO, is, eni, entum, n. 4. καθήκω, deorsum venio, ex editiore loco venio. *Hor. Ep.* 1, 6, 27. Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus. *Ov. Met.* 8, 796. illa dato subvecta per aera curru, Devenit in Scythiam. ℙ Ponitur et pro simplici venio, pervenio. [*Praepositio in plerisque, quae sequntur, exemplis, locum seu finem, quo quis tendit, significat; interdum est i. q. in locum deteriorem vel perniciosum venire.] *Pl. Most.* 4, 2, 52. Ne ad alias aedes perperam deveneris. [**Liv.* 9, 31. se nullam suam gloriam inde — quaerentem in eum locum devenisse, i. e. locum undique montibus clausum.] *Val. Fl.* 1, 84. silvas et amoena piorum Deveniunt. *Virg. A.* 4, 165. Speluncam Dido dux et Trojanus eandem Deveniunt. *Nep. Pelop.* 3. Exsules in urbem deveniunt. *Caes. B. G.* 2, 21. Quam quisque in partem ab opere casu devenit, quaeque prima signa conspexit, ad haec constitit. *Colum.* 2, 12. *extr.* Post florem ad maturitatem devenit. *Cic. Att.* 1, 9. Nolebam, illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. *Ter. Heaut.* 4, 5, 2. Miseret me, tantum devenisse ad eum mali. ℙ Et pro incidere, cadere. *Pl. Mil.* 2, 1, 18. Devenire ad aliquem in servitutem. *Id. Asin.* 1, 1, 92. et *Men.* 1, 2, 27. in insidias. ℙ Et pro confugere. *Cic. Verr.* 2, 5, 48. At senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum, ad populum R. confugient? facilis est causa populi. ℙ Item pro descendere seu accommodare se ad aliquid, quod alias quis non amplecteretur. *Cic. Mur.* 13. Nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire. *Id. Quint.* 17. Dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem devenire.

DĒVĔNUSTĀTUS, a, um, part. a *devenusto*, deformatus, deturpatus. *Sidon. ep.* 1, 7. *ad f.* Usque ad inimicorum dolorem devenustatus.

DĒVĔNUSTO, as, a. 1. λυμαίνομαι, dēturpo. *Gell.* 12, 1. Tanquam pulcritudinis sibi insignia devenustet. *Auson. praef. ad monosyll. tantum in f. posita.* Quae omnia insuavis materia devenustat. Adde *Sidon. ep.* 2, 2.

DĒVERBĔRĀTUS, a, um, part. a *deverbero*, valde verberatus. *Lact.* 2, 7. *ad f.* Deverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat. Al. male leg. *diverberatum.*

DĒVERBĔRO, as, a. 1. μαστιγόω, valde verbero. *Ter. Ph.* 2, 2, 13. Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem?

DĒVERBĬUM. V. DIVERBIUM.

DĒVERGENTĬA, ae, f. devexitas, declivitas, καταφερές. *Gell.* 14, 1. Ex devergentia et convexionibus mundi.

DĒVERGO, is, n. 3. idem quod vergo, deorsum inclinor. *Appul. de Deo Socr.* p. 46, 41. Terrena devergunt pondere.

DĒVERRA, ae, f. *Varro* ap. *Augustin. Civ. Dei* 6, 9. mulieri fetae post partum tres Deos custodes commemorat adhiberi, ne Silvanus Deus per noctem ingrediatur et vexet; eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circuire limina domus et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis; ut his datis culturae signis, Silvanus prohibeatur intrare: quod neque arbores caeduntur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis: ab his autem tribus rebus tres nuncupatos Deos, Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis.

DĒVERRO, is, a. 3. κατασαίρω, de loco verro, sive probe verro. *Colum.* 7, 4. Humorque omnis urinae deverrendus est. Al. leg. *diverrendus. Lucil.* ap. *Non.* 4, 491. Devorare omnia ac deverrere. Adde *Varron.* locum in v. praec.

DĒVERSĪTO, as, frequentat. a *deverto*. *Gell.* 17, 20. Ad verborum venustates deversitandum. Al. leg. *diversitandum.*

DĒVERSĪTOR, oris, m. idem qui diversor. *Petr. Sat.* 79. Anus inter deversitores diutius ingurgitata. Et *ib.* 95. Deversitor cum parte coenulae intervenit. ℙ Scribitur et *Diversitor.*

DĒVERSOR et Diversor, aris, dep. 1. in itinere hospitio utor alicujus, de via decedens apud aliquem maneo. *Cic. Tusc.* 5, 8. Cum Athenis apud eum deversarer. *Id. Verr.* 2, 1, 25. Rubrium parum laute deversari dicit. *Liv.* 44, 9. *extr.* Tecta aedificari, ubi diversari portantes commeatus possent. ℙ Et simpliciter pro habitare, manere. *Cic. Phil.* 2, 27. *extr.* Hac te in domo tamdiu deversari non pudet? *scilicet* quia domus non sua Antonii erat, sed Pompeji. *Appul. Met.* 8. p. 205, 25. Mariti mei facies in meis deversatur oculis, *h. e.* versatur ante oculos meos. ℙ Haec omnia alii per *di* scribunt. [*Illam formam cum *Drak.* ad *Liv.* 1, 51. plerique praeferunt. V. *Ern.* in *Clav. Cic.* et *Duker.* ad *Liv.* 45, 10.]

DĒVERSOR, oris, m. qui apud aliquem devertit, itineris causa. *Cic. Inv.* 2, 4. *ad f.* Caupo cum quibusdam deversoribus eum, qui ante exierat, consequitur. Al. leg. *diversoribus.* V. DIVERTO in f.

*DEVERSORIOLUM, V. DIVERSORIOLUM. Hoc voc. pro *deversorio* leg. malint intpp. apud *Suet. Caes.* 72.

DĒVERSORĬUS, a, um, adj. ad deversandum idoneus, ut Deversoria taberna, apud *Pl. Truc.* 3, 2, 29. ubi al. leg. *diversoria.* ℙ *Deversorium* absolute est locus, ubi ad tempus devertimus vel itineris vel remissionis causa. *Petr. Sat.* 9., *Cic. Phil.* 2, 41. etc. Alii *diversorium* scribunt, [*ubi V. plura.]

DĒVERSUS dicebant, deorsum versus. *Festus.*

DĒVERTĬCŬLUM. V. DIVERTICULUM in f.

DĒVERTO et Devorto, is, rti, rsum, a. 1. deorsum verto, de via decedens apud aliquem hospitor. [**Virg. G.* 3, 293. juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo.] *Cic. Off.* 2, 18. Ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset. *Id. Att.* 3, 7. Itineris causa ut devorterem. *Paul. Dig.* 4,

9, 6. In cauponam gratis devertere. *Gell.* 3, 9. In Syriam proficiscens Argos devertit. *Quint.* 2, 3. Recto itinere lapsi, plerumque devertunt. *Liv.* 44, 13. Cum perpaucis maxime fidis via devertit. *Colum.* 1, 5. Haec (via militaris) praetereuntium viatorum populationibus et assiduis devertentium hospitiis infestat rem familiarem. ℙ In his omnibus accusativus *se* intelligitur. ℙ Reperitur etiam cum accusativo rei pro mutare, vertere, alio flectere. *Lucan.* 6, 591. Quaeque suo ventura potes devertere cursu. *Id.* 2, 469. victor cedentibus instat Devertitque acies. *Id.* 6, 316. Arma secuturum soceri, quacumque fugasset, Tentavere suo comites devertere Magnum Hortatu. *Aur. Vict. Caes.* 38. Arduum fatalia devertere. ℙ Passive. *Cic. Font.* 5. Si qui Cobiamacho deverterentur, neque Tolosam ire vellent, *h. e.* a Cobiamacho deflecterent. *Ov. A. A.* 2, 425. quid ad magicas, Erato, deverteris artes? *h. e.* vertis te ad artes magicas. *Stat. Th.* 3, 45. haud aliter saltu devertitur orbus Pastor ab agrestum nocturna strage luporum. *Cato* ap. *Fest.* in *Prorsus.* Devertebantur pro hospitibus ad amicos suos. *Pl. Poen.* 3, 3, 60. Ut devortatur ad me in hospitium optumum. ℙ In omnibus allatis exemplis alii scribunt *diverto:* sed *deverto* ex optimis MSS. plures [*ne dicam omnes] eruditi tuentur: quod et de ceteris eadem compositione conflatis dictum puta. V. DIVERTO in fin. [*et interim *Heins.* ad *Ov. Am.* 2, 6, 9.]

DĒVESCOR, eris, dep. 3. vescor, depasco. *Stat. Th.* 1, 603. animas a stirpe recentes Abripere altricum gremiis morsuque cruento Devesci.

DĒVESTĬO, is, a. 4. *ἐκδύω*, vestem exuo. *Appul. Met.* 3. p. 138, 24. Jam primum omnibus laciniis se devestit. Et *ib.* 4. Statim sese devestiunt, nudatique etc.

DĒVĔTO, as, idem quod veto. Affertur ex *Quint. Decl.* 1, 13. Summam calamitatem corporis occurrere delicatis uxoris oculis devetaret. Sed plerique alii leg. *vetaret.*

DĒVEXĀTUS, a, um, part. a *devexo*, vexatus. *Cic. Fam.* 10, 8. Per tot annos republica devexata. ℙ Item devexus, si *Falstero* credimus afferenti locum *Front. Aquaed.* 36. Ad cursum aquae si oppositus devexatusque etc. Sed *Polenus* ex MSS. edidit *decexus.*

DĒVEXĬTAS, atis, f. *κλίμα*, declivitas. *Plin. ep.* 8, 8. de Clitumno fonte: Inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur. *Plin. alter* 2, 65, 65. Aquae feruntur, quo longissime devexitas passa sit.

DĒVEXO. V. DIVEXO.

DĒVEXUS, a, um, adj. declivis, inclinatus, quasi deorsum vectus. *Cic. Div.* 1, 45. Lucus Vestae, qui a Palatii radice in novam viam devexus est. *Colum.* 1, 6. Sterquilinium more piscinarum devexum leni clivo. *Id.* 1, 2. Celsiores agri quam mollissime devexi esse debent. *Id.* 4, 24. *a med.* Devexam refectionem facere post gemmam. *Virg. G.* 1, 241. mundus Libyae devexus in austros. *Id. ib.* 3, 524. Ad terramque fluit devexo pondere cervix. *Id. ib.* 4, 293. de Nilo: Usque coloratis amnis devexus ab Indis. *Val. Fl.* 3, 687. Devexi montes. *Ov. Met.* 6, 334. Devexus margo. Et *ib.* 8, 330. Devexa arva. *Senec. Qu. Nat.* 3, 3. Aqua in devexo fluit, in plano continetur et stagnat. ℙ Item qui in declivi positus est seu qui deorsum fertur. *Hor. Od.* 1, 28, 21. Orion devexus. *Juven.* 4, 118. Rheda devexa. *Cic. fr.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Sol paulum a meride jam devexus videtur. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 57. quodcumque dies devexior ambit, *h. e.* sol ad occasum inclinatior. [**Plin. Pan.* 71. cum candidatis — osculo occurreres! devexus quidem et quasi unus ex gratulantibus, i. e. quum te ex tribunali deorsum inclinares et os praeberes candidatis. Sic *Gierig.* ad h. l., quod probo.] ℙ Translate. *Senec. ep.* 12. Jucundissima est aetas devexa jam, non tamen praeceps. *Cic. Att.* 9, 10. *circa med.* Aetas jam a diuturnis laboribus devexa ad otium. *Val. Fl.* 3, 398. Stygiae devexa silentia noctis, *h. e.* ima silentia vel potius imus profundusque locus silentii, tenebris Stygiis circumdatus. *Senec. ep.* 114. *a med.* Quid de illa compositione dicam in exitu lenta, qualis Ciceronis est, devexa et molliter desinens? *Id. Vita beat.* 25. *sub f.* Manifestum est, per devexum ire liberalitatem, mansuetudinem, *h. e.* procliviter exerceri. ℙ Comp. *Devexior.* V. supra med.

DĒVICTĬO, onis, f. victoria. *Tert. carm. adv. Marc.* 1, 108. Falsa resurrectio, mortis devictio falsa.

DĒVICTOR, oris, m. *Inscr. M. Antonii* ap. *Grut.* 258, 6. Devictori omnium gentium barbararum. [Hanc tamen inscriptionem pro commenticia habet *Smetius Inscr.* 155, 6., at *Finestres Syll. Inscr. Rom.* p. 48. Antonino Caracallae tribuendam putat. *F.*]

DĒVICTUS, a, um, part. a *devinco*, *νενικημένος*, victus. *Nep. Con.* 2. Athenienses devicti. *Id. Them.* 5. Classis devicta. *Cic. Agr.* 2, 33. Capua devicta et capta. *Hor. Od.* 4, 4, 39. Asdrubal devictus. *Hirt. B. G.* 8, 46. Gallia devicta et subacta. *Virg. A.* 10, 370. Bella devicta. *Catull.* 64, 120. Devictus lumina somno. Al. leg. *devinctus.*

DĒVĪGESCO, is, n. 3. marcesco, vigorem amitto. *Tert. Anim.* 27. Marcescimus et devigescimus cum lucis detrimento.

DĒVINCĬO, is, inxi, inctum, a. 4. *ἐξαρτάω*, idem quod vincio vel arcte vincio. *Plin.* 8, 16, 21. Leonem non repugnantem devincire. *Pl. Men.* 5, 2, 92. Devincire servum domi. *Id. Ps.* 1, 2, 65. Dircem duo gnati Jovis devinxere ad taurum. ℙ Transcem duo gnati Jovis devinxere ad taurum. ℙ Translate. *Pl. Ps.* 1, 2, 85. Devincire se vino, *h. e.* nimio potu obrui. Al. leg. *deungere. Cic. Brut.* 37. verba comprehensione, *h. e.* apte colligare, ut suaviter concurrant. *Id. Or.* 25. Nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. *Id. Fat.* 9. *extr.* Mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devincire. *Id. Agr.* 2, 31. *extr.* Calenum municipium complebunt, Theanum oppriment, Atellam, Cumas, Neapolim suis praesidiis devincient, Puteolos occupabunt. *Id. Sext.* 7. Hunc Pompejus omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil contra me esse facturum. *Id. Dom.* 51. Locum aliquem religione devincire, *h. e.* consecrare, dedicare. *Id. Har. resp.* 3. se scelere. [**Id. Brut.* 80. animum voluptate. ubi non erat, quod nonnulli mutatum vellent in *devincere* vel *demulcere.* Illud enim multo fortius. Adde porro *Quint.* 7, 3, 15. qui (judex), etiamsi verbis devinctus est, tamen, nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. Male *Burm.* de hac scriptura dubitat.] *Ter. Heaut.* 1, 2, 34. Ubi animus se cupiditate devinxit mala. *Cic. N. D.* 2, 59. Eloquentia nos juris, legum, urbium societate devinxit. *Id. Off.* 3, 31. Foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides. *Id. Pis.* 13. Qui in Italia omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat. ℙ Saepe refertur ad officia, quibus adstringimur, obnoxii reddimur, conciliamur et obligamur alicui. *Cic. Fam.* 13, 7. *extr.* Homines honestissimos summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Hermippum non solum sermone, sed etiam familiaritate devinxi. *Id. Phil.* 2, 45. Caesar suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. *Id. Off.* 1, 17. Sanguinis conjunctio benevolentia devincit homines et caritate. *Nep. Att.* 1. *extr.* Quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. *Cic. Brut.* 26. Affinitate sese devincire cum aliquo. *Caes. B. C.* 1, 39. Pignore devincire animos centurionum. *Pl. Asin.* 5, 1, 21. Istoc me facto tibi devinxti, *syncop. pro* devinxisti. ℙ [**Devincire* et *devincere* saepe commutantur. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 8, 394. ad *Quint.* l. l.]

DĒVINCO, incis, ici, ictum, n. 3. *καταγικάω*, vinco, supero. [*Praepositio verbo vim addit.] *Cic. Senect.* 13. Qui Poenos classe primus devicerat. *Id. N. D.* 2, 2. Crotoniatas Locri maximo proelio devicerunt. *Pl. Ps.* 2, 3, 12. Centum hominum consilia sola devincit Fortuna. *Nep. Ann.* 1. Multorum obtrectatio devicit unius virtutem. *Sen. Herc. Oet.* 53. Devincere feras. Adde *Stat. Silv.* 5, 5, 63. ℙ [*Permutatur haud raro cum *devincire.* V. hoc v.]

DĒVINCTĬO, onis, f. *Tert. Spectac.* 2. Homicidium magicis devinctionibus perficere, *h. e.* incantamentis.

DĒVINCTUS, a, um, part. a *devincio*, vinctus, *καταδεδεμένος. Cic. Brut.* 60. Devinctus fasciis. *Sil.* 11, 117. colla catenis. *Tibull.* 2, 5, 5. tempora lauro. *Plin. prooem. l.* 7. Manibus pedibusque devinctis. *Id.* 36, 22, 49. Silex ad structuram infidelis, nisi multa suffrenatione devinctus. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 3, 13. Ea studia, quibus uterque nostrum devinctus est, *h. e.* deditus. *Id. Brut.* 12. Nec in impeditis et regum dominatione devinctis nasci cupiditas dicendi solet. *Id. Prov. cons.* 8. Nationes nondum legibus, nondum jure certo, nondum satis firma pace devinctae. *Id. Agr.* 1, 5. Italiam omnibus vinclis devinctam et constrictam tenere. *Senec. ep.* 83. *circa med.* Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus. *Stat. Th.* 9, 808. juveni devinctus amore pudico. *Ter. Hec.* 1, 2, 92. Animus uxoris misericordia devinctus. *Plin. ep.* 7, 9. *ad f.* metri necessitate. *Suet. Dom.* 22. nuptiis. *Id. Aug.* 16. arcto somno. ℙ Saepe refertur ad officia et beneficia, quibus alicui quis obnoxius redditur. *Cic. Fam.* 1, 7. *ante med.* Vir tibi tua praestanti in eum liberalitate devinctus. *Id. ib.* 6, 11. beneficio. Et *ib.* 10. Devincti magnis meis veteribus officiis. *Id. Plan.* 18. Suffragia largitione devincta. *Id. Cluent.* 64. Nuptiis alligatus et testamenti spe devinctus. *Id. Arch.* 3. *extr.* Totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine tenere. *Curt.* 6, 4. Devinctus meritis alicujus. ℙ Absolute. *Hor. Sat.* 1, 5, 42. animae, quales nec candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter. Adde *Q. Cic. Petit. Cons.* 5. *sub f.*

DĒVĬO, as, avi, n. 1. *ἁμαρτάνω*, de via decedo, a recta via deflecto, discedo. *Macr. Somn. Scip.* 1, 22. Si a medio deviaverit. Adde *Augustin. Doctr. Christ.* 1, 36. *in f.* ℙ Translate est abire. *Macr. Sat.* 5, 15. Paululum a gravitate Homerica deviare. *Symm. ep.* 9, 121. (*al.* 131.) A quorum definitione non decet deviare. *Auson. Prof. n.* 5. *extr.* Filia non devians.

DĒVIRGĪNĀTĬO, onis, f. primus virginis concubitus. *Scribon. Comp.* 18.

*DEVIRGINĀTOR, oris, m. *Gloss. Vet. διαπαρθενευτής. B. A.*

DĒVIRGĪNĀTUS, a, um, part. a *devirgino*, corruptus primo concubitu, ut Devirginata ancilla. *Paul. Dig.* 1, 18, 21.

DĒVIRGĪNO, as, a. 1. *διαχορέω*, est virginitate privare, virginem vitiare. *Petr. Sat.* 25. et *Hyg. fab.* 23. ℙ Devirginari olim pueri dicebantur, cum ex ephebis exibant. *Varr.* ap. *Non.* 6, 57.

DĒVĪTĀTĬO, onis, f. *ἐκφυγή*, actus devitandi. *Cic. Att.* 16, 2. Facilior devitatio legionum fore videtur, quam piratarum.

DĒVĪTĀTUS, a, um, part. a *devito*, vitatus. *Cic. Att.* 9, 7. *ante med.* Ero in Formiano, ne devitatum se a me putet.

DĒVĪTO, as, a. 1. *ἐκφεύγω*, declino, valde vito, ut *Fest.* exponit. *Cic. Verr.* 1, 2, 3. Ut procellam temporis devitaret. *Id. Tusc.* 2, 26. Devitare dolorem. *Hor. Ep.* 1, 1, 43. vides, exiguum censum, turpemque repulsam Quanto devites animi, capitisque dolore. *Ter. Ph.* 1, 4, 3. Devitare mala. *Suet. Tib.* 11. suspicionem aemulationis. *Scribon. Comp.* 199. Ut et ipse devitet, ne ignorantiam sumat. *Senec. praef. l.* 3. *Exc. controv. a med.* Non minus devito supervacua dicere, quam contraria. *Suet. Aug.* 92. Nihil in hoc quidem aliud devitans, quam *δυσφημίαν* nominis.

DĒVĬUS, a, um, adj. qui de via decedit et qui procul a via habitat: diciturque tum de personis, tum de rebus locisque. *Cic. Phil.* 2, 41. Anagnini cum essent devii, obviam ei descenderant. *Liv.* 34, 20. Lacetani, devia et silvestris gens. *Id.* 3, 13. In devio tugurio vivere. *Id.* 26, 8. *in f.* Ut commeatus ex agris deviis in viam proferret. *Ov. Pont.* 3, 1, 27. procul haec regio est et ab omni devia cursu. *Id. Her.* 2, 118. Et cecinit moestum devia carmen avis, *h. e.* parte coeli sinistra et ominosa. *Cic. Att.* 14, 10. Ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam. *Suet. Aug.* 16. Devii tramites. *Prop.* 2, 15, 2. Devia rura. *Tibull.* 4, 3, 2. montis, *sc.* loca. Sic *Lucan.* 4, 161. terrarum. Et *Val. Fl.* 3, 49. Per devia. *Hor. Od.* 1, 17, 6. Deviae olentis uxores mariti, *h. e.* caprae, quae via aberrare delectantur. *Stat. Th.* 9, 804. Equus devius, *h. e.* qui saltu de loco deflectit. *Cic. Att.* 2, 4. *sub f.* Si nos amas, in Pompejanum venito: id et nobis erit perjucundum et tibi non sane devium. ℙ Item impervius, clausus, qui adiri non potest. *Prop.* 4, 9, 27. Devia puniceae velabant limina vittae. ℙ Translate dicitur de eo, qui a recta ratione deflectit. *Cic. Phil.* 15, 13. Homo amentissimus atque omnibus consiliis praeceps ac devius. *Id. Amic.* 25. Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? *Id. fr.* ap. *Lact.* 6, 24. Si liceret, ut iis, qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutos corrigere errorem poenitendo. *Lact.* 7, 7. Nullam sectam fuisse tam deviam, quae non viderit aliquid ex vero. *Claud. epist.* 1, 7. Me timor impulerit, me devius egerit ardor. *Ov. Trist.* 3, 7, 29. tantummodo femina non sit Devia, nec scriptis discat amare tuis, *h. e.* non declinet ab honestate vitae, non discedat in vitia. ℙ Poetice cum genitivo jungitur. *Sil.* 1, 57. exsuperans astu, sed devius aequi. *Id.* 8, 318. Devia recti pectora. *Capell.* 3. *init. in carm.* Devius promissi es. ℙ *Devium scortum* ap. *Hor. Od.* 2, 11, 21. est non vulgare, neque omnibus expositum. ℙ Quasi devium aliquid loqui apud *Plin. ep.* 5, 6. *ad f.*, i. e. quod a proposito abit. ℙ [*Permutatur interdum cum *avius.* V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 54, 9. et quos laudat *Gron.* ad *Liv.* 3, 17. *Duker.* ad *Flor.* 2, 12, 5.]

DEULTUM, i, n. Thraciae oppidum, ad Panysum flumen, sub radicibus Haemi montis. *Plin.* 4, 11. Dictum et Develton. *Plin. ib. Δεύελτος* est *Ptolemaeo.* V. *Selletae. B. A.*

DĒUNGO, is, nxi, nctum, a. 1. idem quod ungo, *ungere*, *ἀλείφω. Pl. Ps.* 1, 2, 85. Tu oleum haud magni pendis: vino te deungis. Al. leg. *devincis.* Alii *ted ungis.*

DĒUNX, uncis, m. undecim unciae: a *de* privativa et *uncia*, quasi ab asse seu libra, dempta uncia, ut *Varr. L. L.* 4, 36. docet. Dicitur autem tum de pondere, quando ad libram uncia deest. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 45. Uncia nam librae si deest, dixere deuncem. ℙ Tum de toto aliquo, cui una ex duodecim pars demitur. *Colum.* 5, 1. Partes duae tertiae et una quarta habent pedes viginti sex millia et quadringentos: hoc est deunx. Jugerum habet pedes vigintiocto millia et octingentos: hoc est as. *Cic. Caecin.* 6. Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam. *Pers.* 5, 149. Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos suadere deunces, (*elf Procent*). ℙ Tum de vase, quod undecim cyathos contineat: quia si his unum addas, sex-

tarius fit. Nam cyathus est sextariii pars duodecima. *Mart.* 12, 28. Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces: Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem. Adde 6, 78.

DĒVOCO, as, avi, atum, a. 1. *μεταχαλέω*, vocando deduco, sive inde aut deorsum voco. *Cic. Tusc.* 5, 6. Socrates primus philosophiam devocavit e coelo. *Hor. Epod.* 17, 5. Refixa coelo devocare sidera. *Plin.* 28, 2, 4. Sacrificio Jovem coelo devocare. *Liv.* 4, 39. *ad f.* Devocare suos ab tumulo. *Id.* 6, 20. Capitolium spectans, Jovem Deosque alios devocasse ad auxilium fortunarum suarum. ℙ Item simpliciter vocare, invitare [*sc. de alio loco vocare et in alium traducere. V. *Brem.* ad loc. seq.] *Nep. Cim.* 1. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 5. Devocare aliquem in judicium. *Id.* 3, 2. *n.* 21. aliquem in certamen. ℙ Item detrahere, elicere. *Plin* 30, 12, 43. Vermes terreni lac devocant poti cum mulso. ℙ Item revocare. *Cic. Prov. cons.* 12. Devocare aliquem de provincia. [*Sed ita differt ut nostrum *abrufen* und *zurückrufen*. Qui devocatur, occupatus est aliquo negotio; revocatur, qui aliquo profectus erat.] ℙ Translate. *Cic. Manil.* 14. Non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, *h. e.* revocavit, deflexit, avocavit, abduxit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 32. de Perillo: In hoc a simulacris Deum hominumque devocaverat humanissimam artem, *h. e.* ut taurum aeneum faceret. *Phaedr.* 1, 20. et 3, 5. Stultum consilium ad perniciem mortales devocat, *h. e.* pertrahit. *Caes. B. G.* 6, 6. Loquitur — sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum, *h. e.* in discrimen non adducturum. *Senec. Ben.* 6, 27. Vis, illum subjici tibi jactura rerum suarum et status mutatione in id devocari, ut etc., *h. e.* eo redigi, ut etc. *Auct.* ad *Her.* 2, 3. Devocare quempiam in suspicionem. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 8. Coactus est rem ad populum devocare, *h. e.* deferre et ad populum confugere.

DĒVOLO, as, avi, atum, n. 1. *καθίπταμαι*, ex loco superiori in inferiorem volo. *Pl. Amph.* 5, 1, 56. Devolant angues jubati deorsum in impluvium. *Liv.* 7, 12. *ad f.* Qui nihil agenti sibi de coelo devolaturam in sinum victoriam censeat. *Ov. A. Am.* 3, 420. Et Jovis in multas devolat ales aves. ℙ Item celeriter descendo, decurro, festino. *Liv.* 3, 15. Praecipites pavore in forum devolant. *Id.* 2, 29. Devolant de tribunali, ut lictori auxilio essent. *Lucr.* 6, 203. mobilis ille Devolat in terram liquidi color aureus ignis. *Cic. Quint.* 30. Ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare, *h. e.* celeriter transire. ℙ Item accurro. *Petr. Sat.* 105. Raptimque ad puerum devolat. ℙ Item avolo, discedo. *Auct.* ad *Her.* 4, 17. Simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes.

DĒVOLVO, is, olvi, olutum, a. 3. *καταχυλίω*, deorsum volvo, volvendo dejicio, ex loco superiore depello. *Caes. B. C.* 2, 11. Oppidani saxa quam maxima possunt, vectibus promovent, praecipitataque muro in musculum devolvunt. Et *mox.* Cupas de muro devolvere. *Curt.* 4, 3. *extr.* clypeos aeneos e muris. *Quint.* 12, 10. Amnis saxa devolvens. *Ov. Met.* 7, 573. de pestilentia affectis: si prohibent consistere vires, Corpora devolvunt in humum, *h. e.* prosternunt. *Val. Fl.* 1, 234. sequetoris misero luctamine trunci Devolvunt. ℙ *Devolvi* est decidere, praecipitem cadere. *Liv.* 21, 33. Inde ruinae maximae modo jumenta cum oneribus devolvebantur. *Curt.* 7, 11. Cum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex praecipiti devolverentur. *Id.* 5, 3. et *Colum.* 1, 5. Tigris mille stadia silvestribus ripis praeceps inter saxa devolvitur. ℙ Pro simplici volvere seu volvendo deducere. *Virg. G.* 4, 348. dum fusis mollia pensa Devolvunt. ℙ Et pro festinanter deorsum ducere. *Lucan.* 1, 491. Devolvit rapidum nequicquam moenibus agmen. ℙ Et pro abscindere et projicere. *Catull.* 63, 5. Devolvit illa acuto sibi pondera silice. ℙ Translate. *Liv.* 1, 47. Facesse hinc Tarquinios aut Corinthum: devolvere retro ad stirpem, fratri similior, quam patri, *h. e.* redi, revertere. *Colum. prooem. l.* 1. *ad f.* Ad otium et inertiam devolvi, *h. e.* dare se otio. *Cic. Phil.* 7, 4. Postridie ad spem estis inanem pacis devoluti. *Hor. Od.* 4, 2, 10. de Pindaro: per audaces nova dithyrambos Verba devolvit, *h. e.* torrentis more profundit. *Liv.* 5, 11. Eo devolvi rem ut aut patricii aut patriciorum asseclae habendi tribuni plebis sint, *h. e.* eo paulatim redigi. *Pl. Men.* 5, 5, 5. Quem ego, si quidem vivo, vita devolvam sua, *h. e.* vita privabo. ℙ *Devolvi ad aliquem*, transire. V. v. seq. ℙ [*De permutatione vv. *devolvere* et *revolvere* V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 11, 2.]

DĒVOLŪTUS, a, um, part. a *devolvo*. *Liv.* 28, 6. *a med.* Velut monte praecipiti devolutus torrens. *Curt.* 9, 4. *extr.* Devoluti scalis. *Plin.* 27, 12, 105. Datur decoctum ejus ad rupta et devolutis ex sublimi. *Catull.* 59, 4. Devolutum ex igne prosequens panem, *h. e.* qui ex igne decidit. ℙ Translate. *Senec. Contr.* 2, 9. *post init.* Ex summis opibus ad egestatem devolutus. *Suet. Vita Lucan.* ad humillimas preces. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 1. in dedecus. *Appul. Apol.* ampliuscula fortuna. *Paul. Dig.* 49, 14, 45. *ad f.* Bona ad fiscum devoluta. Et *Ulp. ib.* 43, 23, 13. *ante med.* Praedii dominium ad aliquem devolutum. ℙ Apud *Phaedr.* 5, 7. *devoluta tonitrua* sunt saxa aliave pondera, quae post scenam devolvebantur, ut fragorem strepitumque tonitruum imitarentur. V. CLAUDIANUS, a, um. ℙ Tmesim esse volunt in illo *Catulli* 68, 59. Qui (*rivus*) cum de prona praeceps est valle volutus.

DĒVOMO, is, a. 3. idem quod vomo. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. Ut devomas vult, quod foris potaveris.

DĒVORĀTĬO, onis, f. *Tert. Resurr. carn.* 54. Devorationem ad perditionem carnis arripiunt.

DĒVORĀTOR, oris, m. *καταφαγής*. *Tert. Resurr. carn.* 32. De ipsis devoratoribus exactio indicitur. [**Vet. Gloss. καταπότης, καταφαγάς. B. A.*] V. DEMORATOR.

DĒVORĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad devorandum pertinens. *Tert. Idolol.* 1. Crimina devoratoria salutis.

[DĒVORĀTRIX, icis, f. *Acron* ad *Hor. Ep.* 1, 13, 10. Lamiae quoque dicuntur devoratrices puerorum. *F.*]

DĒVORĀTUS, a, um, part. a *devoro*, voratus. *Plin.* 26, 6, 16. Fumus per arundinem haustus et devoratus. *Id.* 20, 23, 98. Succus devoratus. *Id.* 10, 1, 1. Devorata concoquere. *Id.* 17, 14, 22. Semine raptim avium fame devorato. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 37. Accepta et devorata pecunia. *Id. Fl.* 24. Spe devoratum lucrum. *Id. Phil.* 13, 2. Beneficia Caesaris devorata. *Appul. Met.* 2. et 9. p. 225, 37. Devoratus pudor, i. e. depositus.

DĒVORO, as, avi, atum, a. 1. *κατεσθίω*, *καταφάγω*, cibum ex ore in stomachum demitto, voro, deglutio. *Cic. N. D.* 1, 54. Stomachi partes, quae sunt infra id, quod devoratur, dilatantur; quae autem supra contrahuntur. *Cato R. R.* 71. Bos si aegrotare coeperit, dato ei ovum gallinaceum crudum: integrum facito devoret. *Cels.* 2, 6. Qui devorare salivam suam non potest. *Id.* 4, 4. *n.* 4. Laseris paululum devorare opus est. *Plin.* 8, 10, 10. Elephantes devorant lapides. *Id.* 24, 19, 13. Strangulari pullos avidius devorantes. ℙ Translate est exedere, consumere. *Justin.* 14, 4. *a med.* Devorent vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis. *Plin.* 10, 3, 4. Aquilarum pennae mixtas reliquarum alitum pennas devorant. ℙ Item absorbere, dehiscendo excipere. *Vitr.* 10, 6. Propter viarum mollitudinem non confisus carris, ne rotae devorarentur. *Plin.* 2, 91, 93. Terra devoravit Cybotum, altissimum montem, cum oppido Curite. *Id.* 31, 1, 1. Terras devorant aquae. *Ov. Trist.* 5, 2, 74. Vel me Zanclaea Charybdis Devoret. *Id. Her.* 3, 63. Devorer ante, precor, subito telluris hiatu. *Plin. prooem.* 20. Sol aquas devorans, *h. e.* exsiccans. *Solin.* 52. Gangis altitudo, ubi vadosissimus est, mensuram centum pedum devorat. ℙ Item avide aliquid accipere sive oculis, sive mente etc. *Cic. Sext.* 10. Verbum ipsum voluptatis omnibus modis animi et corporis devorabat. *Id. Att.* 7, 3. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? [*V. *Abram.* ad h. l.] *Pl. Asin.* 3, 3, 59. Auscultate atque operam date et mea dicta devorate. *Justin.* 21, 5. Quod emere non poterat, oculis devorare. *Mart.* 1, 97. Oculi devorantes. ℙ Item sustinere, ferre, tolerare. *Cic. Phil.* 6, 6. Exspectate legatorum reditum et paucorum dierum molestiam devorate. *Id. Brut.* 67. Hominum ineptias et stultitias, quae devorandae nobis sunt, non tulit. *Quint.* 11, 2. *a med.* Devoret initio taedium illud, scripta saepius revolvendi. *Ov. Met.* 13, 538. obmutuit illa dolore, Et pariter vocem lacrimasque introrsus obortas Devorat ipse dolor. *Senec. ep.* 66. *a med.* Animi firmitas sub tortore gemitus devorans. Sic *Tert. Resurr. carn.* 54. Bilem et dolorem dicimur devorare, id est abscondere ac tegere et intra nosmetipsos continere. ℙ Item consumere, absumere. *Cic. Verr.* 2, 3, 76. Non reperietis hominem timide nec leviter haec improbissima lucra ligurientem: devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit. *Id. Att.* 1, 16. *a med.* Ille regis hereditatem spe devorarat. *Id. Dom.* 23. Omnium locupletum fortunas spe et avaritia devorasses. *Quint.* docet 8, 6. *hominem devorari* metaphorice dici, cujus patrimonium consumitur. *Acc.* ap. *Non.* 2, 226. Animam devorabo hostibus. ℙ Devorare verba, non explicate proferre, sed intus et in gula continere. *Quint.* 11, 3. et *Senec. Ira* 14. *ad f.* Eodem sensu *Ov. Fast.* 4, 846. et *Met.* 13, 539. *devorare lacrimas* dixit. ℙ Devoratur vox, *sie verliert sich*. *Plin.* 11, 51, 112. In theatrorum orchestris, scobe aut arena superjecta, vox devoratur. ℙ *Devorare orationem alicujus* aliquando est audire et non intelligere: ducta translatione ab iis, qui integros cibos vorant, neque, quem habeant gustum, percipiunt. *Cic. Brut.* 82. Ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris: a multitudine autem et a foro devorabatur. [*Docte disputat de h. l. *Ern. lex. techn.* p. 114.] ℙ *Devorasse nomen alicujus* ap. *Pl. Trin.* 4, 2, 63. dicitur is, qui oblitus est. ℙ Videtur nonnullis habere obscenum sensum ap. *Pl. Asin.* 2, 2, 71. (eum nempe, quem habet *voro* apud *Catull.* ad *Vibenn.* 33. etc. et ad *Gell.* 80.) aliis non item videtur.

DĒVORTĬUM, ii, n. pro *divortium* quidam scribi malunt leguntque apud *Tac. Agr.* 19. et *Tert. Anim.* 19. et *Apol.* 37. et alibi, quia est a *deverto* seu *devorto*, de quo supra suo loco. [*In hoc voc. nonnisi praepositioni *dis* locus est.]

DĒVOTAMENTUM, i, n. anathema, devotio. *Tert. adv. Gnost.* 2. Ut devotamenta fierent universa ejus urbis incolae.

DĒVOTĀTUS, a, um, part. a *devoto*, incantamentis ligatus. *Appul. Herb.* 7. Si quis devotatus defixusque fuerit in suis nuptiis.

DĒVOTĒ, adv. devovendo et addicendo, atque obligando se, obnoxie atque adeo pie, religiose, si de Deo sermo sit. *Lact.* 2, 6. et 6, 9. *extr.* Deo pareamus: huic devotissime serviamus. *Augustin. ep.* 86. *cap. paenult.* Sabbati jejunium devotissime celebrare.

[DĒVOTĪCĬUS, a, um, adj. qui ex devotis seu promissis est. *Not. Tir.* p. 79. Devoticius. *F.*]

DĒVOTĬO, onis, f. actus devovendi, votum, destinatio, oblatio, consecratio, dedicatio, *καθιέρωσις, καινυχή*. *Cic. N. D.* 3, 6. Tu autem etiam Deciorum devotionibus placatos Deos esse censes. *Id.* ad *Quir.* 1. Ejus devotionis me esse convictum, maxime lector, *h. e.* ejus voti, quo me Diis pro salute populi R. obtuli. *Id. Dom.* 57. Hanc ego devotionem capitis mei, cum ero in sedes meas restitutus, tum denique convictam esse et commissam putabo, *h. e.* votum, quo objeci caput meum pro republ. *Id. Rabir. Post.* 1. In devotione vitae imitatus est P. Decium filius. ℙ Item dedita fides et addictum studium ac voluntas, qua alicui addicimur et veluti consecramur. *Nemesian. Cyn.* 86. et milite multo Agmina, queis fortes animat devotio mentes. *Veg. Mil.* 1, 28. Haec fidei ac devotionis intuitu, Imperator invicte, de universis auctoribus congessi. Et *ib.* 3, 4. Devotionem et moderationem custodire. *Capitol. Maxim.* et *Balb.* 11. Non tacenda hoc loco devotio est Aquilejensium pro Romanis. ℙ Hinc a Christianis scriptoribus sumitur pro pietate atque observantia in Deum. *Lact.* 2, 11. *a med.* Deo Patri summa devotione servire. Adde *Mort. persecut.* 16. ℙ Item pro ratione cultus et religione. *Lamprid. Elag.* 3. Dicebat praeterea, Judaeorum religiones et Christianorum devotionem illuc transferendam. ℙ Est etiam votum ac fausta precatio atque omen. *Appul. Met.* 11. p. 265, 5. Donec muneribus largis et devotionibus faustis completa navis pelago redderetur. ℙ Item dira imprecatio, exsecratio, qua irae Deorum et ultioni aliquem addicimus et veluti sacrum caput malis omnibus destinamus. *Nep. Alc.* 6. Iidem illi Eumolpidae sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant: pilaeque illae, in quibus devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae. Adde *Petr. Sat.* 103. Hujus *devotionis* exemplum habes apud *Macr. Sat.* 3, 9. ℙ Hujusmodi sunt etiam incantamenta, queis sagae quempiam diris defigunt et fascinationibus corrumpunt, carminibus adhibitis exsecratione plenis. *Suet. Cal.* 3. et *Tac. A.* 4, 52. Veneficiis et devotionibus impugnari se comperit. *Tac. ib.* 3, 13. Devotionibus et veneno perimere. *Id. ib.* 12, 65. Petere conjugium principis devotionibus, i. e. incantationibus devovere conjugem Principis. *Appul. Met.* 1. p. 106, 29. [**Id. ib.* 2. p. 127, 28.] Devotionibus sepulcralibus in scrobem procuratis, *h. e.* feralibus imprecationibus.

DĒVOTO, as, a. 1. frequentat. a *devoveo*. *Pl. Cas.* 2, 6, 36. Credo, hercle, devotabit sortes, si attigerit. [*V. *Gruter.* ad h. l.] *Cic. Parad.* 1, 2. Quae vis patrem Decium, quae filium devotavit, ac immisit in armatas hostium copias? Al. leg. *devovit.* [*Minus bene. V. *Orell.*] *Minut. Fel. Octav.* 28. Asinos in stabulis cum vestra Epona consecratis et eosdem cum Iside religiose devotatis. Al. leg. *devoratis.* ℙ Item votis vocare, invocare. *Appul. Met.* 9. p. 227, 4. Cuncta coeli numina, quae dejerando temere devotasti. *Id. ib.* 11. Et verba devotans, ajo.

DĒVOTOR, oris, m. et

DĒVOTRIX, icis, sola auctoritate *Servii* grammatici adhuc fulciuntur. Scribit enim ad *A.* 4, 607. Jam utitur imprecationibus, hoc est devotionibus: unde et devotor et devotrix dicitur, qui imprecatur.

DĒVOTUS, a, um, part. a *devoveo*, *κατωργιασμένος, καθιερωθείς*, voto promissus, consecratus, destinatus. *Hor. Od.* 3, 23, 10. Victima devota. *Id. ib.* 4, 14, 18. Devota morti pectora. *Virg. A.* 1, 716. Phoenissa infelix, pesti devota futurae. *Mart.* 6, 73. loquitur Priapus: Nec devota foris inguinis arma geram. *Prop.* 2, 21, 23. Andromede monstris devota marinis. Et 4. Ara devota. *Liv.* 8, 9. Decius devotus pro exercitu. [**Lucan.* 4, 533. stabat devota juventus sc. morti, quod saepe omittitur.] *Cic. Har. resp.* 3. *extr.* T. Annio devota et constituta ista hostia videtur. *Id. Cat.* 1, 6. *extr.* Quae quidem sica quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio. *Catull.* 66, 62. Devotae flavi verticis exuviae. *Auson. Parent.* 6, 8. Devota virgi-

nitas. Adde 26, 3. ℙ Item fide, voluntate, obsequio alicui addictus deditusque. *Senec. Ben.* 3, 5. Nemo non deditum se et devotum professus est. *Caes. B. G.* 3, 22. Cum sexcentis devotis, quorum haec est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dederint etc. *Tiber.* ap. *Suet. in ejus Vita* 67. Si quando de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis. *Juven.* 9, 71. Deditus tibi devotusque cliens. *Senec. Ben.* 5, 17. Respublica ingrata fuit in optimos et devotissimos sibi. *Claud. B. Gild.* 289. quando non ille jubenti Paruit? an quisquam nobis devotior exstat? *Inscr.* ap. *Grut.* 259, 1. Imp. Caesari M. Aurelio Antonino etc. A. Ellycinus devotissimus numini ejus. Alia apud *eund.* 263, 3. Nepesini optimo fortissimoque principi devoti. Hinc illae notae, *D. N. M. Q. ejus*, quae habentur *ib.* 7. et alibi saepe, legunturque, *devotus numini majestatique ejus*, ut expressae habentur *ib.* 267, 3. et alibi. ℙ Item impense studiosus. *Suet. Cal.* 30. Devotus scenae arenaeque. *Phaedr.* 4, 4. Devota vino mulier. ℙ Item paratus ad subeunda discrimina. *Lucan.* 4, 533. stabat devota juventus, Damnata jam luce ferox, securaque pugnae. *Id.* 3, 311. Accipe devotas externa in praelia dextras. ℙ Item pius, religiosus. *Hieron. ep.* 108. *n.* 2. Devota Christo filia. *Prud. adv. Symm.* 2. *in f.* Sit devota Deo Roma. *Auson. Idyll.* 1, 2. devota pii celebrant jejunia Mystae. ℙ Item diris et imprecationibus petitus, exsecrationibus oneratus, et Deorum irae et malis objectus. V. DEVOTIO. *Macr. Sat.* 3, 9. Devotam facere civitatem. Et *ib.* In antiquitatibus haec oppida inveni devota, Tomos, Fregellas, Gabios etc. (V. ibi devovendi formulam.) *Hor. Od.* 3, 4, 27. Me devota non exstinxit arbor. *Id. Epod.* 16, 9. Impia devoti sanguinis aetas. *Ov. Ib.* 470. Saxaque devotum grandine plura petant. *Id. Her.* 6. *extr.* Vivite devoto femina virque toro. Et *ib.* 9, 153. Devota domus. *Tibull.* 2, 3, 36. Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus. *Justin.* 9, 3. Scythica, velut devota, spolia paene luctuosa Macedonibus fuere. *Id.* 14, 4. Devota capita. *Catull.* 64, 135. devota domum perjuria portas, *h. e.* propter quae malis omnibus objicieris. *Ov. Her.* 12, 45. semina jubens Spargere devota lata per arva manu, *h. e.* destinata exitio: tu enim ipse certo periturus eras, illa semina spargendo, nisi ego opem tulissem. ℙ Item veneficis carminibus defixus, praecipue vero qui incantamentis ita corruptus est, ut masculam virtutem amiserit. *Tibull.* 1, 6, 5. Tunc me devotum descendens femina dixit. *Ov. Am.* 3, 7, 27. Corpora Thessalico languent devota veneno. ℙ Item proscriptus, ad necem damnatus. *Curt.* 8, 6. Omnium devotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. ℙ Comp. *Devotior* et Superl. *Devotissimus* supra post. init.

DĔVŎVĔO, ōves, ōvi, otum, a. 2. *εὔχομαι, καθυπισχνοῦμαι*, idem quod voveo vel omnino aut solemniter voveo, sancte promitto. [*Imo: „vovere ita, ut aliquid neque ex se, neque ex eo, cujus antea erat, pendeat; sed ei, cui devotum, prorsus permittatur. Quare is, qui se devovet, se suaque omnia vel irae numinum vel voluntati alius hominis tradit.“ *Hand* ad *Gron. Diatr. in Stat.* I. p. 171.] *Cic. Off.* 3, 25. Agamemnon cum devovisset Dianae, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno. *Caes. B. G.* 6, 16. Marti ea, quae bello ceperunt, plerumque devovent. ℙ Item praevio voto morti dare, malis et diris omnibus objicere, quod fiebat certo quodam carmine (cujus exemplum habetur apud *Macr. Sat.* 3, 9.) quo se, qui devovebantur, tradebant irae Numinum et quaecumque casura essent mala civitati aut reipublicae, pro qua devovebantur, in caput suum voto ac precibus transferebant, simulque morti et omnibus infortuniis dedebant hostium exercitus, resque omnes et singula quoque interdum eorum capita: ut fecere Decii pater et filius, de quibus V. *Liv.* 8, 9. et 10, 28. Ritus et formulam se hac ratione devovendi idem *Liv. cit.* 8, 9. describit. Mos etiam quibusdam civitatibus fuisse legimus, ut unum aliquem quotannis miserum hominem in vinculis haberent, omnibusque deliciis saginarent, denique lapidibus obruerent, omnibus oneratum imprecationibus, rati, omne sic malum quod civitati immineret, in infelix illud caput translatum iri et rempublicam calamitatibus defunctam prosperam futuram. De Abderitis hoc innuit *Ov.*, ubi ait, *Ib.* 469. Aut te devoveat certis Abdera diebus, Saxaque devotum grandine plura petant. *Liv.* 18, 18. *ad f.* Quos sacerdotes ad mortem devovissent. *Cic. N. D.* 2, 3. *ad f.* Quidam imperatores etiam se ipsos Diis immortalibus, capite velato, verbis certis, pro republica devoverunt. ℙ Hinc *devovere aliquem* saepe est detestari, abominari, exsecrari, diras alicui imprecari, *κατεύχομαι, ἀναθεματίζω*. *Ov. Ib.* 55. Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin, Hoc ego devoveo teque tuosque modo. *Nep. Alc.* 4. Postquam se capitis damnatum, bonis publicatis audivit et sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent etc. *Petr. Sat.* 141. Quibus animis devovent spiritum meum, eisdem etiam corpus consumant. ℙ Item incantamentis et veneficiis defigere et ligare: praesertim vero magicis artibus ad amorem impellere vel ab eo retrahere (V. dicta in DEVOTUS.) *Tibull.* 1, 9, 17. Num te carminibus, num te pollentibus herbis Devovit tacito tempore noctis anus? *Ov. Am.* 3, 7, 79. Aut te trajectis Aeaea venefica lanis Devovet. ℙ Translate est polliceri, destinare, objicere se, vitam, bona pro salute alterius. *Virg. A.* 11, 440. vobis animam hanc, soceroque Latino Turnus ego devoveo. *Cic.* ad *Quir.* 1. Cum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi. ℙ Item dare, addicere, obstringere. *Caes. B. G.* 3, 22. Devovere se amicitiae alicujus. *Curt.* 9, 6. *extr.* se gloriae. ℙ Item sacrare, destinare. *Petr. Sat.* 82. Dum frequentius manum ad capulum, quem devoveram, refero. ℙ Item proscribere, ad necem damnare. V. locum *Curt.* 8, 6. in v. praec. *in f.*

*DEURIOPOS, i, f. ἡ Δευρίοπος *Straboni*, regio Macedoniae, inter Axium et Erigonum flumina. *Liv.* 39, 53. *B. A.*

DĔURO, is, ussi, ustum, a. 3. *καταυαλω, ἐκπυρόω*, idem quod uro, vel penitus uro. *Liv.* 39, 2. Agros vicosque deurere et depopulari. *Auct. B. Hisp.* 27. Deurere oppidum. *Gell.* 1, 19. Tres libros ex novem deussit. ℙ Etiam frigori tribuitur. *Curt.* 8, 9. Quae sunt propria mari, aquilones maxime deurunt. *Liv.* 40, 45. Hiems arbores deusserat. ℙ Et serpentum afflatibus. *Senec. Clem.* 15. Ubi serpens fontes potu infecit et, si afflavit, deurit, obteritque quacumque incessit.

DĔUS, i, m. *Θεός*, supremum numen, conditor, dominus et rector rerum omnium: a voce Graeca allata, eo modo, quo *perdo* a *πέρθω*, vel ab Aeolico *δεὺς* pro *ζεύς*. Sed plura de etymo *Voss.* in *Etym.* De Deo multa pro captu suo *Plin.* 2, 7, 5. et *Cic. Tusc.* 1, 27., *N. D.* 1, 22. et *Div.* 2, 72. etc. Verum vix quidquam Deo dignum sentire potuere Gentiles, qui Deos plures posuerunt, quos etiam in duo genera divisere, ut alii essent *majorum gentium*, antiqui scil. et semper tales: quos duobus versiculis complexus est *Ennius*, ut in CONSENTES retulimus: alii *minorum*, quasi allecti et adsciticii: quo numero complectebantur Faunos, Nymphas eosque omnes, quos ex hominibus in Deos referebant. *Cic. Tusc.* 1, 13. De his *Ov. Ib.* 81. Vos quoque plebs Superum, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque et Nymphae, Semideumque genus. ℙ [*Nep. Them.* 7. Dii publici, patrii, penates, et *Brem.* ad h. l. Qui h. l. appellantur *patrii* in *Catull. epith.* dicuntur *Dii parentes*, *πατρῷοι θεοί*; sed *patrii* ut a Nepote etiam a *Grat. Cyn.* 453.] ℙ Non raro, a poetis maxime, sub *Dei* vel *Deorum* nomine intelligitur *Augustus*. V. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 52. tu qui Deos propius contingis.] ℙ Hoc nomen tribuitur aliquando ei, qui in aliqua re excellens et singularis est. *Cic. Or.* 1, 23. et *ib.* 2, 42. Te in dicendo semper putavi Deum. *Id. Att.* 4, 16. Deus ille noster, Plato. *Ter. Ad.* 4, 1, 19. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum: virtutes narro. ℙ Item illi, qui valde beneficus est et servator. *Cic.* ad *Quir.* 5. Lentulus, parens, Deus, salus nostrae vitae. ℙ Item qui felix est valde. *Ter. Hec.* 5, 4, 3. Deus sum, si hoc ita est. ℙ *Excedere* et *transgredi ad Deos* dicebantur, qui post mortem in Deorum numerum referebantur. *Vell.* 1, 2. et 2, 75. ℙ *Diis iratis natus* dicitur, qui infelix est et cui nihil succedit. *Phaedr.* 4, 19., *Hor. Sat.* 2, 3, 8., *Pl. Mil.* 2, 3, 43. et *Pers.* 4, 27. ℙ Exclamandi et admirandi sunt formulae, *o Dii* et *Dii immortales!* et *Dii boni!* et *Dii Deaeque!* et *Dii magni! Cic. Att.* 9, 19. Reliqua, o Dii, qui comitatus! *Id. Fin.* 2, 28. *sub f.* Quos ille, Dii immortales, cruciatus perferebat! *Id. Att.* 6, 6. *sub f.* At te apud eum, Dii boni, quanta in gratia posui! *Plin. praef. Hist. nat. a med.* At cum intraveris, Dii Deaeque, quam nihil in medio invenies! et *Ov. Fast.* 6, 187. Quam bene, Dii magni! pugna cecidisset in illa Defensor solii, Juppiter alte, tui. ℙ *Bone Deus!* V. BONUS, a, um *sub f.* ℙ *Per Deos; ita me Dii ament*, formulae jurantis, obsecrantis. *Cic. Off.* 2, 2. Quid enim est, per Deos, optabilius sapientia? *Id. Phil.* 3, 14. Hanc igitur occasionem oblatam tenete, per Deos immortales, P. C. *Ter. Andr.* 3, 3, 6. Per te Deos oro. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. *ad f.* Curre per Deos atque homines. *Ter. Heaut.* 2, 3, 67. Prae gaudio, ita me Dii ament, ubi sim, nescio. *Id. Ad.* 4, 7, 31. Ita me Dii ament, ut video ego tuam ineptiam. *Id. Hec.* 2, 1, 9. Ita me Dii bene ament. *Id. ib.* 1, 2, 31. Ita me Dii amabunt, haud propterea te rogo, sed etc. ℙ *Dii averruncent, prohibeant, quod Dii omen avertant*, avertentis, deprecantis. *Ter. Andr.* 3, 3, 36., *Cic. Att.* 9, 2. et *Phil.* 3, 14. ℙ *Dii faxint; Dii faciant; utinam Dii faxint, ut*, vel *ne*, *Dii bene vertant*, bene precantis. *Cic. Fam.* 14, 3. et *Verr.* 2, 5, 13. et *ib.* 3, 35. et *Ter. Eun.* 2, 3, 98. et *Heaut.* 1, 1, 109. ℙ Similia sunt *Dii melius duint, Dii melius, Dii meliora*, cum et malum deprecamur et meliora a Diis optamus. *Ter. Ph.* 5, 8, 16. Uxorem duxit. *N.* mi homo, Dii melius duint. *Tibull.* 3, 4, 1. Dii meliora ferant, nec sint insomnia vera. *Cic. Phil.* 8, 3. Quid nos? numquid tale habemus? Dii meliora. (Adde *Senect.* 14. *ante med.* et *Liv.* 39, 10.) *Ov. Her.* 17, 29. Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset: Dii melius! similis non fuit ille tui. *Val. Max.* 6, 1. *extr.* Dii melius, quod hunc animum viris earum in acie non dederunt, *h. e.* benignius egerunt cum populo Romano, quod etc. *Senec. ep.* 98. *post init.* Dicito, quoties aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit, Dii melius. *Ov. Rem. Am.* 439. Dii melius, quam nos moneamus talia quemquam! ℙ *In Diis est*, quod Graeci *Ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τοῦτου τέλος ἦν*, idem est atque in potestate Deorum est. *Ov. Met.* 7, 24. vivat an ille Occidat, in Diis est. *Id. Her.* 20, 44. Exitus in Diis est. ℙ *Dii perdant, eradicent, male faciant*, sunt imprecantis. *Cic. Fam.* 11, 21. et *Dejot.* 7. et *Ter. Andr.* 4, 4, 22. Sic *Pl. Most.* 3, 1, 153. Dii te, Deaeque omnes funditus perdant. Et omisso verbo. *Cic. Att.* 15, 20. Dii illi mortuo, qui unquam Buthrotum! ℙ *Dii te ament*, salutantis. *Pl. Most.* 1, 4, 27., *Men.* 2, 2, 6. et *Poen.* 3, 5, 6. etc. ℙ *Si Diis placet*, est ironice loquentis, et simul indignantis. *Cic. Pis.* 16. *extr.* Appellatus est hic vulturius illius provinciae, si Diis placet, imperator. *Ter. Ad.* 3, 5, 30. Ille bonus vir nobis psaltriam, si Diis placet, paravit. *Plin.* 34, 18, 50. Nero, quoniam ita Diis placuit, princeps. ℙ Interdum simpliciter significat, si Dii volunt. *Pl. Capt.* 2, 3, 94. Expediri ex servitute filium, si Diis placet. ℙ *Deus aliquis viderit*, dicitur in re maxime obscura, aut difficili. *Cic. Tusc.* 1, 11. Harum sententiarum quae vera sit, Deus aliquis viderit. ℙ [*Dii hominesque* dicuntur pro omnibus omnino, etiamsi res non magnopere ad Deos pertineat. *Liv.* 3, 17. Non — Deos hominesque omnes armatos opem ferre — decuit? *Id.* 40, 12. paene omnium Deorum hominumque consensum collegit. *Cic. Fam.* 1, 9. Diis hominibus approbantibus i. e. nemine dissentiente. V. *Manut.* ad h. l. et *Duker.* ad *Liv.* l. l. — *Liv.* saepe omnino ita loquitur. Cf. 3, 19. 7, 5. 9, 26.] ℙ Latini poetae Graecos imitati, quibus *ὁ καὶ ἡ Θεὸς* dicitur, *Dei* nomen etiam Deabus aliquando tribuunt. *Virg. A.* 2, 632. Descendo ac ducente Deo, etc. *h. e.* Venere. *Calvus* ap. *Serv. ib.* et *Macr. Sat.* 3, 8. pollentemque Deum Venerem. *Virg. A.* 7, 497. Nec dextrae erranti Deus abfuit, *h. e.* Alecto. *Q. Catulus* ap. *Cic. N. D.* 1, 28. Mortalis visus pulcrior esse Deo, *h. e.* Aurora. *Pl. Poen.* 2, 10. Deum esse indignam credidi. Al. alit. leg. Simile quiddam habet *Cic. Verr.* 2, 4, 49. ℙ Qui putant, Christianum hominem Latine *Deos* de uno Deo posse dicere, afferunt illud *Taciti* de uno Deo Judaeorum loquentis, *Hist.* 5, 13. Audita major humana vox excedere Deos. Verum *Tacitus* non Judaeorum, sed Latino more loquitur. ℙ Metonymice *Deus* est oraculum et responsa Dei. *Sil.* 12, 338. vulgique Deus pervenit ad aures. ℙ In vocativo *Dee* rarum est. *Prud. Ham.* 939. O Dee cunctiparens, animae dator, o Dee Christe. ℙ In plur. num. habet *Dii*, *Diis*, et aliquanto rarius *Dei*, *Deis*. [*De hac forma V. *Schaefer.* ad *Plin. ep.* 8, 8, 5. et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 52, 1. *observ.* 46. et *not.* ad 68, 1.] *Pl. Trin.* 2, 4, 89. Dei sunt divites. *Id. Cas.* 2, 5, 4. Omnes mortales Deis sunt freti. *Liv.* 27, 25. Certis Deis. ℙ Fere autem *Dei* et *Deis* dicunt poetae disyllabon facturi prima correpta: *Dii* et *Diis* monosyllabon. *Virg. G.* 2, 101. Diis et mensis accepta secundis. *Id. A.* 2, 428. Diis aliter visum. *Catull.* 4, 22. Neque ulla vota litoralibus Deis. *Val. Fl.* 7, 29. captasque Deis accendere praedas. *Lucan.* 4, 519. Victurosque Dei celant. et *ib.* 493. Constituere Dei. ℙ In genitivo plurali pro *Deorum* habet et *Deum*, tum apud poetas passim, tum apud historicos. *Liv.* 8, 13. Deum benignitate ad finem venit. *Tac. A.* 12, 43. Magna Deum benignitate. *Curt.* 3, 10. *sub f.* Deum templa. *Sall. Cat.* 21. Pro Deum atque hominum fidem! *Cic.* quoque *fr.* ap. *Prisc.* 7. p. 743. Deum fide. ℙ *Dibus* pro *Diis*, *Inscr.* ap. *Grut.* 24, 6. Junoni reginae, Minervae, Neptuno, Libero Patri, Dianae, ceterisque Dibus. et 46, 8. Herculi invicto, et Dibus omnibus Deabusque. Adde 98, 5. et 618, 3. Etiam *Diibus* legitur in alia *Inscr.* 2, 9. Verum haec imitanda non sunt.

[DEUSONIENSIS, e, adj. ad Deusonem pertinens, urbem incertae positionis prope Rhenum, fortasse nunc *Duisburg*, cujus meminit *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad an. Chr. 377. Nummus Posthumi Galliarum tyranni apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 443. Herculi Deusoniensi. *F.*]

DĔUSTUS, a, um, part. a *deuro*, combustus, incensus. *Caes. B. G.* 7, 25. Deustos turrium pluteos videbant. *Liv.* 10, 4. Vici per vastationem agrorum deusti. *Id.* 40, 41. Vinae caesae, frumenta deusta. *Tac. A.* 6, 45. Deusta pars Circi. *Colum.* 6, 18. Deusti cimicis nidor.

[DEUTER, ra, rum, adj. disyllab. *δεύτερος, α, ον*, secundus. *Not. Tir.* p. 9. Alteruter, neuter, deuter. ℙ Est quoque cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 153, 5. M. Comipius M. L.

Deuter. Alia ap. *Grut.* 648, 1. Veturia C. L. Deutera. ℙ Est etiam nomen servile. *Inscr.* ap. *Grut.* 611, 6. Deuter Caesaris verna. *F.*]

DEUTĔRĬAE, arum, m. plur. *δευτερίαι οἶνοι*, secunda vina. *Plin.* 14, 10, 12. Non possunt jure dici vina, quae Graeci deuterias appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaceis. *Harduin.* legit *deuteria*, ut sit neutr. plur., cui subaudiatur *vina*. Si Graeco adhaereas, nos; si Latina positione efferendum putes, ille rectius legisse videtur.

DEUTĔRĬAMBUS, i, m. genus pedis, ap. *Capell.* 5. p. 169., ubi alii aliter leg.

DEUTĔRŌNŌMĬUM, ii, n. *Δευτερονόμιον*, secunda lex, vel potius repetitio legis. Vox Graeca, a *νόμος*, lex, et *δεύτερος*, secundus. Est nomen unius ex libris Sacrae Scripturae. *Lact.* 4, 17. et *Sidon. ep.* 9, 9.

DĔŪTOR, eris, usus sum, dep. idem quod abutor, male utor, [*male tracto. V. *Brem.* ad sq. l.] *Nep. Eum.* 11. Non convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo. Al. leg. *se uteretur.* [*Hoc non necesse est. Ceterum est h. v. *ἅπαξ λεγόμενον.*]

DĔVULSUS et Devolsus, a, um, a *devello*, evulsus. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *Maio*) *ep.* 1. *adf.* A sedilibus equitum pluma, quasi anseribus, devolsa. *F.*] *Pallad.* 4, 10. Malus punica seritur plantis de matrum radice devulsis.

[DEXAMENUS, i, m. est idem qui Eurytion Centaurus, Ixionis et nubis filius, quem Hercules occidit. Alii patrem Dejanirae esse volunt. Sic apud *Ov. Ib.* 406. Dexamenique gener i. e. Hercules, ubi v. intpp.]

*DEXIMONTĀNI, orum, populi Asiae ulterioris, in India vel in Indiae confinio. *Plin.* 6, 23. ubi *Salmasius* mavult *Uxii montani. B. A.*

[DEXĬOS, i, m. *δεξιὸς*, dexter, aptus. Est nomen servile. *Inscr.* ap. *Donat.* 47, 3. Dexios Hermetis. *nempe* servus Hermetis. *F.*]

DEXTANS, antis, m. decem unciae, cum scilicet assi deest sextans, ex *de* nempe, et *sextans*, sicut *deunx*, cum assi una deest uncia. *Fest.* et *Varr. L. L.* 4, 36. [**Suet. Ner.* 32.] ℙ Dicitur et de decem partibus cujuscumque rei, quae in duodecim dividatur. Sic *dextans jugeri* ap. *Colum.* 5, 1., [et in mutila *Inscr.* ap. *Murat.* 1553, 10., quam ita supplevit *Petrin. Mem. Prenest.* p. 363. Cum agro jugeribus duobus dextante semuncia, sicut terminis quoque dispositis significat. *F.*] Sic etiam *dextans horae* apud *Plin.* 18, 32, 75.

DEXTELLA, ae, f. diminut. dexterae. *Cic. Att.* 14, 20. *sub f.* Q. Filius, ut scribis, Antonii est dextella, *h. e.* utitur eo tanquam parva dextera.

DEXTER, era, et xtra, erum, et xtrum, et in plur. dexteri, et xtri, *δεξιὸς*, qui est ab ea parte, quae respectu humani corporis aptior est, atque agilior: cui *sinister* opponitur. [Est a *δεξιτερὸς, ρὰ, ρὸν*, poetice pro *δεξιὸς, ὰ, ὸν*, unde per syncopen Latinorum *dexter, era, erum:* id profecto est a *δέχομαι* Ionice pro *δέχομαι*, accipio; nam plerumque dextra manu utimur, ad aliquid accipiendum. *F.*] Poetae modo integra hac voce utuntur, modo per syncopen contracta, pro metri ratione: prosae vero scriptores frequentius videntur syncopen adhibere. *Cic. Div.* 1, 23. Patera, quam dextra manu tenebat. *Nep. Ann.* 4. Nunquam dextro oculo aeque bene usus est. *Curt.* 3, 11. Dextrum femur. *Caes. B. G.* 7, 50. Dextris humeris exsertis. *Id. ib.* 45. Ab dextera parte. et *ib.* 49. Ab dextro latere hostium. *Ter. Eun.* 4, 7, 5. Tu, Simalio, in sinistrum cornu, tu, Syrisce, in dexterum. *Plin.* 6, 23, 26. Dextra fluminis accolunt Deximontani. *subaudi* loca. *Festus:* Dextrarum tibiarum genus est, quae dextra tenentur. ℙ Gradus sunt *dexterior* et *dextimus*, qui ad significationem positivi nihil addere videntur. *Varr. L. L.* 8, 27. In dexteriore parte. *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. Dexterius cornu acici, *Ov. Met.* 12, 303. saucius armo Dexteriore Medon. *Id. ib.* 2, 138. Dexterior et sinisterior rota. *Varr.* ap. *Non.* 2, 198. Dextimam viam munire. *Sall. Jug.* 105. Sulla cum equitatu apud dextimos. ℙ Apud *Hor. Sat.* 1, 2, 125. et *ib.* 2, 3, 38. dicitur *dexter*, qui ad dexteram alterius partem situs est: et apud *Virg.* qui in dextram partem declinat, *A.* 5, 162. Quo tantum mihi dexter abis? V. INTERIOR. ℙ Translate sumitur pro favente, propitio. Hoc autem ex more Graecorum ductum est, quibus dextra auguria felicia habebantur, sinistra improspera. Nam apud Latinos res contra se habuit, ut in AUGURIUM et alibi dictum est. *Virg. A.* 8, 302. Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. *Festus:* Dextra auspicia, prospera. *Ov. Fast.* 1, 69. Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini. *Pers.* 5, 114. praetoribus ac Jove dextro. *Stat. Silv.* 3, 4, 63. o sidere dextro Edite! *Val. Fl.* 1, 245. Dextrum omen. *Sil.* 1, 172. Pes dexter et hora. ℙ Item pro apto, commodo, idoneo, facili. *Virg. A.* 4, 293. et quae mollissima fandi Tempora, qui rerum dexter modus. *Hor. Sat.* 2, 1, 18. nisi dextro tempore, Flacci Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem. ℙ *Dexter homo* dicitur, qui novit in tempore rem agere. *Liv.* 8, 36. Rem per se popularem ita dexter egit, ut medendis corporibus animi imperatori reconciliantur. ℙ *Dextrabus* in femin. antique. *Liv.* in *Odyss.* ap. *Non.* 8, 82. Deque manibus dextrabus.

DEXTĔRA et Dextra, ae, f. *δεξιὰ, δεξιτερὰ*, manus in homine aptior, et commodior ad agendum. V. v. praec. *Cic. Div.* 1, 28. Prehendisse eum dextram tuam, et bono animo te jussisse esse. *Tac. A.* 15, 28. *extr.* Miscere dextras. *Ov. Her.* 10, 115. Dextera crudelis, quae me fratremque peremit. *Val. Fl.* 6, 539. Conserere dextram. et *Stat. Silv.* 1, 6, 60. Edunt vulnera, conseruntque dextras. Sic *Ov. Fast.* 1, 569. Dextra collata movere proelia. ℙ Salutantes mutuo dextras contingere mos est, quia maxima hominis vis et virtus in dextra. *Virg. A.* 1, 412. cur dextrae jungere dextram Non datur? *Serv. ib.* ex *Varr.* et ad *A.* 8, 467. ℙ Fuit etiam *dextera* amicitiae et fidei pignus, et Fidei Deae sacra, ut frons Genio, et genua Misericordiae. *Virg. A.* 3, 610. dextram Anchises Dat juveni, atque animum praesenti pignore firmat. Adde *v.* 83. et *ib.* 8, 467. et *ib.* 4, 307. et *Serv.* ad *ib.* 3, 607. Sic *Plin.* 11, 45, 10. Dextra osculis aversa appetitur: in fide porrigitur. ℙ Renovare dextras, ap. *Tac. A.* 2, 58. est foedus amicitiamque instaurare, cujus jungendae praecipuus ritus erat dextras jungere. ℙ Hinc est insigne concordiae aut hospitii. *Tac. H.* 1, 54. Miserat civitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, dexteras hospitii insigne. et 2, 8. Centurio dextras, concordiae insignia, Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferens. ℙ Obsecrantes quoque dexteram tendere in more fuit [*cf. *Hand.* ad *Gron. diatr. in Stat.* p. 1. 476.]: et jurantes obtestantesque, per dexteram jurare. *Sil.* 2, 413. Aeneam pulsum pelago, dextraque precantem Cernere erat. *Hor. Ep.* 1, 7, 94. Quod te per Genium dextramque Deosque Penates Obsecro et obtestor. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro, etc. [**Sall. Jug.* 10. et *Cort. ib.*] ℙ *Dextram tendere, porrigere* aliquando est opem ferre, aut polliceri. *Cic. Phil.* 10, 4. Graecia tendit dexteram Italiae, suumque ei praesidium pollicetur. *Id. in Senat.* 9. Mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dexteramque porrexit. ℙ Translate ponitur pro viribus, potentia, virtute militari. *Hor. Epod.* 7, 21. ut sua Urbs haec periret dextera. *Ov. Met.* 13, 175. mea concussa putate Procubuisse solo Lyrnesia moenia dextra. *Virg. A.* 2, 291. si Pergama dextra Defendi possent, etiam hac defensa fuissent. *Sil.* 1, 77. dextra spectatus Amilcar. Adde *v.* 304. ℙ Et pro copiis seu militibus. *Sil.* 16, 17. proque omnibus armis, Et castrorum opibus, dextrisque recentibus unum Annibalis sat nomen erat. *Id.* 12, 351. pugnaeque avidas accendere dextras. *Id.* 15, 497. Bebrycia populos armabat Poenus in aula, Mercandi dextras largus. Adde *Claud. in Rufin.* 2, 262. [*De hac significatione qui egerint laudat *Burm. Anthol. T.* 1. p. 255.] ℙ Aliquando accipitur pro alterutra manu. *Hor. Od.* 3, 3, 52. Omne sacrum rapiente dextra. *Id. Sat.* 2, 1, 54. Nil faciet sceleris pia dextera. ℙ Saepe pro parte seu loco, qui dextrae hominum respondet. *Caes. B. C.* 1, 69. Retorquere agmen ad dextram. *Cic. Univ.* 13. Ante et pone; ad laevam et ad dextram; et sursum et deorsum. *Id. Div.* 1, 39. Cur a dextra corvus, a sinistra cornix ratum faciat. *Ov. Am.* 3, 2, 21. et *Met.* 2, 25. Esse a dextra. *Sall. Jug.* 107. Circumventus ab equitibus dextra, sinistra. *Liv.* 21, 43. Dextra laevaque duo maria claudunt. *Caes. B. C.* 2, 15. Miles dextra ac sinistra muro tectus. *Curt.* 4, 10. Dextra Tigrim habebat, a laeva montes. [*Cf. *Sall. Cat.* 59, 2. et intpp. ad h. l.] ℙ Ablativus *dextra* aliquando post se accusativum habet. *Vitr.* 10, 15. Regulae, quae dextra ac sinistra canalem figuntur. *Sall. Jug.* 11. Dextra Adherbalem adsedit. Nisi malis esse casum verbi *adsedit:* et apud *Vitr. l. c.* legendum esse *adfiguntur.* ℙ *Dextrabus* manibus pro *dextris* dixit *Liv.* in *Odyss.* apud *Non.* 8, 82. V. ASINA.

DEXTĔRĒ et Dextre, adv. *δεξιῶς*, feliciter, apte, cum quadam dexteritate. *Liv.* 1, 34. *ad f.* Liberaliter dextreque obeundo officia. *Hor. Sat.* 1, 9, 45. Nemo dexterius fortuna est usus.

DEXTĔRĬTAS, atis, f. *δεξιότης*, virtus est ejus, qui prudenter, et in tempore omnia agendo, tum rem suam agit, sibique prodest, tum aliorum in se benevolentiam conciliat. Quare comitati valde est affinis: nisi quod comitas officium praecipue spectat, dexteritas officium simul et utilitatem. [*Idem fere est *dexteritas* quod *Suet. Tib. ab in.* appellat *ingenium aut artem ad promerendam omnium voluntatem.* Hoc uno modo (non ut ei quoque tribuatur, qui apte et solerter agit, ut Gr. *δεξιότης*) a Latinis dici contendit *Ruhnk.* in *praef.* ad *Schelleri lex.* s. h. v.] *Gell.* 13, 16. Humanitas a Graecis *φιλανθρωπία* dicitur, et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga homines. *Liv.* 28, 18. Tanta inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut hostem infestissimum, facunde alloquendo, sibi conciliaret. *Id.* 37, 7. *sub f.* Multa in eo et dexteritas et humanitas visa. *Auson. Parental.* 14, 7. bonus ingenio, facundus, et omni Dexteritate vigens. ℙ Item prosperitas, felicitas, favor. *Arnob.* 7. p. 225. Superis Diis, atque omnium dexteritate pollentibus color laetus acceptus est: at vero Diis laevis color furvus est gratior.

DEXTĪMUS. V. in DEXTER.

DEXTRĀLE, is, n. idem quod dextrocherium. Est *Isidori* in Gloss. et *Cyprian. de habitu Virgin. a med. ex Isajae* c. 3.

*DEXTRARIŎLUM, i, n. diminut. i. q. dextrale. *Vulg. Interpr. Judith.* 10, 3. Adsumsitque dextrariola. *B. A.*

DEXTRĀTĬO, onis, f. corporis circumactio a sinistra in dextram, quod in adorando usurpabatur, ut in ADORO est dictum. *Solin.* 45. *a med.* Tarpejum Jovem terna dextratione lustravit.

DEXTRĀTUS, a, um, adj. ad dexteram situs, ut Dextratus ager, pars dextrata apud *Auctor. de Limit. Goes.* p. 298. Cave usurpes.

DEXTRŌCHĒRĬUM, ii, n. *ψέλλιον*, brachiale, armilla, ornamentum dextri brachii, viris et mulieribus commune. Est autem vox hybrida ex Latino *dexter* vel *dextra*, et Graeco *χεὶρ* manus, brachium, conflata. *Capitolin. Maxim.* 6. Pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro anulo. Adde *eund. Maxim. jun.* 1. *extr.* [**Vet. Schol.* in *Juvenal. sat.* 9, 50. Gemmata dextrocheria. *B. A.*]

DEXTRORSUM et Dextrorsus, adv. *ἐν δεξιᾷ, ἐκ δεξιᾶς*, ad dexteram: contractum per syncopen ex *dextrovorsum. Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Dextrorsum orbem flammeum, etc. *Liv.* 6, 31. Furius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Servilius laeva ad montes Ecetram pergunt. *Hor. Sat.* 2, 3, 50. Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit.

DEXTRŌVORSUM et Dextroversum, idem ac dextrorsum. *Pl. Curc.* 1, 1, 69. Quo me vortam nescio. *Pa.* Si Deos salutas, dextrovorsum censeo. Adde *Rud.* 2, 3, 38. V. ADORO. *Lact.* 6, 7. *ad f.* Semitae, quae videntur dextroversum separari.

[DEXTRUS, a, um, adj. idem ac dexter. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 293, 7. Sextus Veturius S. F. Pal. Dextrus. *F.*]

D I

DI et Dis, praepositiones sunt, quae solum in compositione reperiuntur: et significant separationem, divisionem, et in diversas partes seu huc et illuc positionem, ut *diduco, distraho.* Sunt autem per apocopen factae a *διὰ*, quae composita idem significat, ut in *διαφέρω*, differo. *Dis* praeponitur verbis incipientibus per *c, f, p, s, t* et *i* loco consonantis, ut *discutio* (ante *f* in aliud *f* mutatur, ut *diffindo*) *dispono, dissicio, distendo, disjicio:* aliis consonantibus *Di* praeponitur, ut *diduco, digredior, diluo, dimitto, diruo, diverto,* etc. [*Abit *dis* in *dir.* V. nos sub DIRIBEO et DIRIMO.] Semper autem producitur, exceptis *dirimo* et *disertus.* Haec *Prisc.* 14. *in f.* ℙ Aliquando habent in compositione vim augendi, ut in *discupio, discrucio*, etc., aliquando negandi, ut in *dissimilis, dispar.*

DIĀ, ae, f. idem quod Dea, *Θεῖα, Θεά. Inscr.* ap. *Grut.* 86, 4. Diae Suriae. ℙ De *Dea Dia* V. in DEA. ℙ Est etiam hoc nomine insula maris Cretici, nunc *Standia*, quae vox ex *εἰς τὰν Δίαν* facta est. *Ov. Met.* 8, 174. Protinus Aegides, rapta Minoide Dian Vela dedit. Adde *Plin.* 4, 12, 26. ℙ Item oppidum Chersonesi Tauricae. *Id. ib. ad f.* ℙ Etiam Naxos insula aliquando *Dia* appellata est. *Id. ib. ante med.* ℙ [*Item uxor Ixionis, mater Pirithoi. *Hygin. fab.* 155. *B. A.*]

*DIĀBAS, ae, m. fluvius Assyriae. *Ammian.* 23, 20. (al. 6.) V. notam *Valesii. B. A.*

DIĀBĀSIS. V. CONOPON.

DIĀBATHRĀRĬUS, ii, m. qui diabathra facit aut vendit. *Pl. Aul.* 3, 5, 39. Calceolarii, sutores, diabathrarii, solearii adstant.

DIĀBATHRUM, i, n. unde Italorum *ciabatta*, *διάβαθρον*, genus soleae Graecanicae, ut *Festus* docet: a *διαβαίνω*, gradior. *Hesych.* et *Eustath.* ad *Hom. Od.* 5, 9. docent, muliebre calceamentum esse: sed perperam *Pollux* 7, 22. commune viris et feminis facit: nam homo effeminatus, qui muliebriter ornatus incedebat, sugillatur a *Naevio* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *a med.* Diabathra in pedibus habebat, et erat amictus epicroco.

*DIABĒTAE, arum, *Διαβῆται*, insula maris Aegaei, ad littus Asiaticum, non procul a Syme insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

DIĀBĒTES, ae, m. *διαβήτης*, sipho, fistula, per quam aqua transit. Vox Graeca, a *διαβαίνω*, transeo. In multis *Columellae* edd. Latinis litteris scriptum legitur 3, 10. Quasi quaedam anima per medullam trunci, veluti per siphonem, quem diabeten vocant mechanici, trahitur in summum.

*DIABLINDII, orum (*Plin.* 4, 18.), et DIABLINTES, um (*Caes. B. G.* 3, 9.), populi Galliae Celticae sive Lugdunensis. *B. A.* *Caput hujus regionis erat *Noeodunum* s. *Nudionnum*, h. *Alençon* ad fluvium *la Sarthe.* Totum agrum eundem esse

volunt, qui hodie appellatur *Jubeleins.*] V. *Auferri.*

*DIABOLE, es, f. διαβολή, i. e. criminatio et quasi denuntiatio eorum, quae futura sunt; figura rhetorica. *Jul. Rufin. de figur. sent. et elocut.* p. 209. in *P. Rutil. Lup.* ed. *Ruhnk. B. A.*

DIABOLICUS, a, um, adj. διαβολικός, ad diabolum pertinens. *Paulin. Nolan. ep.* 29, (al. 10.) 11. Seditio diabolicis facibus inflammata. [**Ambros. ep.* 82. *B. A.*]

DIABOLUS, i, m. διάβολος, calumniator, criminator, a διαβάλλω, calumnior, criminor. Cognomen proprium est principis daemonum. *Tert. Anim.* 35. et *adv. Marc.* 2, 10. et *Lact.* 2, 8. et 12. ℙ Metrica necessitate secundam produxit *Paulin. Nolan. carm.* 26, 528. ne forte Diabolus illa, Qua solet, invidia.

DIACATOCHIA, ae, f. διακατοχή, possessio: a διακατέχω, possideo, detineo. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod.* 11, 58, 7.

DIACATOCHUS, i, m. possessor. V. v. praec. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 10, 16, 1.

[DIACECAUMENE, es, f. διακεκαυμένη, scilicet γῆ, terra: a διακαίω, peruro, hinc particip. praeter. pass. διακεκαυμένος, perustus. Ita appellatur ea terrae pars, quae alias zona torrida. *Hyg. Astron.* 1, 8. Itaque quae finis est ab aestivo circulo ad hiemalem, ea terra a Graecis διακεκαυμένη vocatur; quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt. ℙ In quibusdam edd. litteris Latinis *diaccecaumene* legitur. V. CECAUMENUS.

[DIACHERALE, is, n. nomen collyrii. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 63. C. Stat. Sabiniani diacherale. *F.*]

*DIACHETON, i, n. spina alba, magnitutine arboris modicae, flore rosae, cujus radix unguentis expetitur, alias dipsacos dicta, ut refert *Plin.* 24, 13. *B. A.*

DIACHYTON, διαχυτόν, hoc est diffusum: a χέω, fundo. Est genus vini, quod fit uvis in sole siccatis, loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedes a terra alte, noctibus a rore defensis, octavo die calcatis: ita fit optimi odoris saporisque. *Plin.* 14, 9, 11.

*DIACIRA, Mesopotamiae oppidum. *Ammian.* 24, 4. (al. 2.) *B. A.*

DIACO, onis, m. alia flexione in *Epist. Ambros. ad Marcell.* 33. *post init. Presbyteris et Diaconibus fratribus* inscriptae *Epistolae Cypriani* 5, 9, 18, 19, 20. Ad *epistolam* 9. etiam *Diacones* observat post *Rigaltium Fellus.* In antiqua editione *Erasmi* 1520. *fol.* ubique *Diaconis* reperit *Gesnerus.*

DIACODION, διὰ κωδίων, *h. e.* per capita papaveris. Ex duabus Graecis vocibus facta est una, qua significatur medicamentum, in quo praeter cetera miscentur capita papaverum. *Plin.* 20, 18, 76. et *ib.* 19, 79.

*DIACOLEA, ae, f. chamaemelum. *Appul. de herb.* 23. *B. A.*

DIACONATUS, us, m. munus et dignitas diaconi. *Hieron. ep.* 22. *n.* 28. Diaconatum et presbyteratum ambire.

DIACONISSA, ae, f. mulier ministrans. *Imppp. Val. Theod. et Arcad. Cod.* 1, 3, 9., *Hieron. ep.* 51. *n.* 2. et *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 179.

[DIACONIUM, ii, n. διακονεῖον, idem ac diaconatus, officium diaconi. *Sulpic. Sever. de Vit. Martin.* 5. Tentavit idem Hilarius imposito diaconii officio sibi eum arctius implicare. *Cyprian. ep.* 49. Nicostratus vero diaconio sanctae administrationis amisso etc. *Ennod. ep.* 4, 21. Hunc, si mereor, ad diaconii sacramenta perducite. *F.*]

DIACONUS, i, m. διάκονος, Ionice διήκονος, minister. In Christiana Ecclesia diaconus locum tenet sacerdoti proximum, ejusque minister est in magno sacrificio. *Tert. Praescr.* 3. et *Imppp. Valer., Valens, et Gratian. Cod.* 1, 3, 6. et *Hieron. ep.* 51. *n.* 1. ℙ [Adde hujus vocis vetustius exemplum, in quo est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 709, 6. M. Titius Diaconus. *F.*] ℙ *Diacnus* per syncopen dictum est a *Venant. carm.* 4, 15, 3.

DIACOPE, es, f. διακοπή, intercisio. Ponitur pro figura tmesi seu hyperbato grammaticali, ut in illo *Virg. G.* 3, 381. septem subjecta trioni. *Charis.* 4. p. 246. sed Graece. V. HYPERBATON.

DIACOPI, orum, m. plur. διάκοποι, sunt in aggeribus meatus intercisi, per quos rivus transmittitur in arva remotiora: a διακόπτω, intercido. *Ulp. Dig.* 47, 11, 10. *extr.*

*DIACROMMYON, i, n. a χρόμμυον, caepa. Laudatur *Appul.*, nempe herbarius ille. *B. A.*

DIADEMA, ătis, n. διάδημα, regium insigne capitis, candida fascia, vitta, qua regum frons praecingebatur: a διαδέω, circumligo. *Cic. Phil.* 2, 34. Diadema ostendis, gemitus toto foro. *Juven.* 13, 105. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. ℙ Est etiam *diadema, ae*, f. *Pompon.* ap. *Prisc.* 6. p. 679. Cujusvis leporis liber diademam dedit. *Appul. Met.* 10. p. 253, 40. Caput stringebat diadema candida: ferebat et sceptrum. ℙ *Isid. Orig.* 19, 31. definit *diadema*, ornamentum capitis matronarum ex auro et gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatibus, retro adstringitur. ℙ *Plin.* 7, 56, 57. docet esse inventum Liberi Patris.

DIADEMATICUS, a, um, adj. ad diadema pertinens. *Liv. fr.* ap. *Non.* 3, 104. Pisis diadematico foro praestatur virtuti laus. *Turneb. Adv.* 15, 5. ideo dictum putat, quod ibi victoribus in ludis diademata et coronae donabantur.

DIADEMATUS, a, um, adj. diademate ornatus, ut Diadematus Apollo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 17. ℙ *Diadematus* cognominatus est L. Metellus Dalmaticus, filius Q. Metelli Macedonici, quia ulceris tegendi causa diademate diu caput cinctum habuit. *Plin.* 7, 44, 45. Et hoc dicebat jam Balearicis, et diadematis, jam Macedonicus ipse. Ita *Hard.* ex consensione MSS., alii *Dalmaticis.*

DIADOCHOS, i, m. διάδοχος, gemma berylli similis: ita dicta, quasi succedens in locum berylli. Nam διάδοχος successor est. *Plin.* 37, 10, 57. ℙ [*Diadochus* Latina positione est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Amadutium Anecd. litter. T.* 3. p. 477. *n.* 34. Ti. Claudius Diadochus. *F.*]

*DIADUMENIANUS, V. v. seq. *in f.*

DIADUMENUS, a, um, adj. idem quod diademate ornatus, διαδούμενος: a διαδέω, cingo, redimio, corono. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Polycletus diadumenum fecit molliter juvenem. ℙ *Diadumenus* cognominatus est Antoninus R. imperator, filius Opilii Macrini, quia cum natus est, pelliculam in modum pilei habebat in capite, diademati similem; vel, quod vero propius est, a nomine avi materni, ut narrat *Lamprid. in ejus Vita* 4. ℙ [At in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 241, 2. appellatur M. Opelius Antoninus Diadumenianus, ut et in ejus nummis omnibus, ut probat *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 241. *F.*]

DIAERESIS, is, f. διαίρεσις, divisio: a διαιρέω, divido. Apud grammaticos figura est, qua una syllaba in duas dividitur, ut *aquai* apud *Virg. A.* 7, 464. pro *aquae*, et *evoluam* quadrisyllabon pro *evolvam* apud *Catull.* 66, 74. ℙ Vox ipsa Graeca est et Graece adhibenda, quod faciunt *Charis.* 4. p. 249. et *Diomed.* 2. p. 437. Latine tamen *Serv.* ad *Virg. l. c.* ubi haec habet: Hanc diaeresin Tucca et Varus fecerunt: nam *Virgil.* reliquerat *aquae vis*, quod satis asperum fuit. Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diaereses, hoc loco; et in tertio (*v.* 354.) *aulai in medio;* et in sexto (*v.* 747.) *aurai simplicis ignem;* et in nono (*v.* 26.) *pictai vestis.* Haec *Servius.*

DIAETA, ae, f. δίαιτα, ratio et regula in iis, quae ad victum pertinent, modus victus a medicis praescriptus: sub quo continentur non solum cibus et potus, sed etiam exercitatio, somnus, cetera, quae ad valetudinem conferunt. Allegorice *Cic. Att.* 4, 3. *ante med.* Ipse occidi potuit: sed ego diaeta curari incipio: chirurgiae taedet, *h. e.* nolo amplius ferro et aperta vi cum Clodio contendere: moderatione ac tolerantia uti malo. ℙ Item pars seu membrum aedium ad habitandum idoneum, conclave, cubiculum. *Plin. ep.* 2, 17. *a med.* Coenatio cingitur diaetis duabus a tergo, quarum fenestris subjacet vestibulum villae et hortus. *et paulo supra.* Turris erigitur, sub qua diaetae duae, totidem in ipsa. *Id. ep.* 7, 5. Quibus horis te vivere solebam, ad diaetam tuam ipsi me pedes ducunt. *Stat. Silv.* 2, 2, 83. Una tamen cunctis procul eminet, una diaetis. *Petr. Sat.* 115. diaetam magistri vocat cubiculum, in quo navis gubernator versatur. *Ulp. Dig.* 32, 55. Lignis legatis, quod comburendi causa paratum est, continetur: sive ad balnei calefactionem, sive ad diaetarum hypocausta, sive ad calcem, sive ad aliam rem coquendam solebat uti. [Alii male leg. *sive diaetarum hypocaustarum. Inscr.* ap. *Grut.* 964, 2. Praecepit, ut ad id sepulchrum hortus, qui est cinctus maceria, et diaeta adjuncta januae, custodiae causa sepulchro cedat. *F.*] ℙ Plura quoque cubicula, seu membra varii usus, quorum ab altero in alterum fit transitus, diaetae nomine veniunt. *Plin. ep.* 5, 6. Est in hac diaeta dormitorium cubiculum, etc. *et post nonnulla:* Hac adeuntur diaetae duae, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria. Adde *Suet. Claud.* 10. ℙ Quod *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *sub f.* et *Scaevola ib.* 24, 1, 66. et *Paul. ib.* 30, 47. diaetam memorant in hortis, putarunt quidam, in hortis tantummodo deliciarum causa aedificatas habitationes *diaetas* vocari. Neque verum est quod alii tradidere, diaetam esse coenaculum, in quo aestate ad umbram, hieme ad solem coenaretur. Potest quidem coenaculum diaeta dici, ut apud *Sidon. ep.* 2, 2. *a med.*, et videtur intelligi posse apud *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *a med.* et alibi fortasse. Verum non omnis diaeta coenatio est, ut singula, quae attulimus, loca perpendenti patebit. Falsum praeterea omnino est etymon, quod perperam *Varroni* tribuitur, *diaetam* dici, quod in ea *per diem edatur:* quod et *Voss.* admonet in *Etymol.* Est enim pura puta Graeca vox.

DIAETARCHUS, i, m. qui praeest diaetae, seu servis in diaeta ministrantibus. *Inscr.* ap. *Murat.* 396, 8. Dextro Caesaris servo diaetarcho domus Augustae.

DIAETARIUS, ii, m. servus, qui in diaeta administrat: sive haec cubiculum, sive coenationem significat. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *a med.* Ostiarii autem, topiarii, diaetarii, aquarii, domui tantum deservientes, legato continebuntur. ℙ In navi *diaetarii* esse putantur a nonnullis, qui curam habent annonae. Aliis sunt, qui diaetarum, hoc est cubiculorum, quae in navi sunt, curam habent: quo pacto a modo dictis nihil differunt. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. Sunt quidam in navibus, qui custodiae gratia navibus praeponuntur, ut *navφύλακες* et diaetarii. *Haloander* haec duo postrema verba omittit.

DIAETETICUS, a, um, adj. διαιτητικός, ad diaetam seu rationem victus pertinens. *Coel. Aur. Tard.* 2, 12. *a med.* Diaetetici libri. et *ib.* Diaetetica curatio. ℙ *Diaetetica* et *Diaetetice* absolute, διαιτητική, est ea medicinae pars, quae tum medicamentis, tum ratione victus praescripta morbos curat: cui respondet chirurgia. *Scrib. Comp.* 200. Neque chirurgia sine diaetetica, neque haec sine chirurgia perfici possunt. *Coel. Aur. ib.* Diaetetices scriptores libris, quos diaeteticos vocant, etc. *Cels. praef.* 1. diaeteticam distinguit ab ea, quae medicamentis curat: ipsa tamen voce Graece utitur. ℙ *Diaetetici, orum*, sunt qui victus ratione praescribenda medentur. *Scribon. l. c.* Quamvis magna ex parte ad diaeteticos pertinentes compositiones exhibuimus, tamen nisi eas quoque. quae ad chirurgos pertinent. etc.

DIAETULA, ae, f. parva diaeta. *Plin. ep.* 5, 6. *ad f.* Mox diaetula refugit quasi in cubiculum idem, atque aliud. Al. leg. *zetecula*, al. *zothecula.*

DIAGLAUCION, διὰ γλαυκίων, duabus vocibus in unam coalescentibus, ut de *Diacodion* dictum est. Significat autem collyrium, quod glaucii herbae succo et foliis temperatur. *Plin.* 27, 10, 59., at *Scribon. Comp.* 22. *diaglaucium* Latina positione habet.

DIAGONALIS, e, adj. ut Diagonalis linea, de qua V. in DIAGONIOS. *Vitr.* 9, 1. Ad lineae diagonalis longitudinem, locus quadratus describatur.

*DIAGONDAS, ae, m. nomen proprium viri. *Cic. de Leg.* 2, 37. Diagondas Thebanus nocturna omnia (*sacra*) in media Graecia lege perpetua sustulit. Sed *Pagondas* legi vult *Meurs. Att.* 3, 23. *B. A.* [*Illud recte retinuit *Goer.*, quem V.]

DIAGONICUS, a, um, adj. idem quod diagonalis; *Vitr.* 9, 1. Duo trigona linea diagonica fuerint designata.

DIAGONIOS, adj. γραμμὴ διαγώνιος, dicitur de linea, quae in quadrata figura διὰ γωνίας, *h. e.* per angulos, seu ab angulo ad angulum ducitur. *Vitr.* 9, 1. Linea ab angulo ad angulum diagonios perducatur. *Id.* 4, 1. *sub f.* Abaci latitudo ita habeat rationem, ut quanta fuerit altitudo, bis tanta sit diagonios ab angulo ad angulum. *Id.* 6, 4. *lineam diagonii* appellat. ℙ *Ib.* 11. Diagonios structura, *h. e.* quae secundum diagonalem lineam ab angulo ad angulum procedit.

*DIAGORAS, ae, Διαγόρας, philosophus ac poeta, Melius, ἄθεος cognominatus, scilicet quod deos esse negavit. Mysteria contempsit, ut etiam ea sectantes averteret. *Cic. N. D.* 1. et 23. *post init.* et 3, 37. *init. Val. Max.* 1, 2. *Lact. Inst.* 1, 2., item *De Ira Dei* 1, 9. ℙ Diagoras Rhodius, filios tres adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiae die; cujus rei causa gaudio nimio effusus animam efflavit. *Cic. Tusc.* 1, 46. *Gell.* 3, 15. ℙ Fuit et hoc nomine medicus quidam, de quo *Plin.* 20, 18. *B. A.*

DIAGRAMMA, ătis, n. διάγραμμα, a διαγράφω, describo, significat cujuscumque rei imaginem ac descriptionem. *Vitr.* 5, 4. Aristoxeni diagramma subscribam. Adde *ib.* 5. et 6, 1. *circa med.*

DIAGRAPHICE, es, f. ars delineandi, διαγραφική. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. Hujus auctoritate effectum est in tota Graecia, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc est picturam in buxo docerentur, recipereturque ars ea in primum gradum liberalium. Sed MSS. omnes, ut animadvertit *Hard.*, habent *graphicen*, eodem tamen sensu.

DIALECTICA, ae et Dialectice, es, f. διαλεκτική, est ars disserendi, cujus finis est verum a falso discernere: quae, ut ait *Cic. Tusc.* 5, 25., per omnes partes sapientiae manat et funditur, rem definit, genera disponit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat: a διαλέγομαι, dissero. *Id. Acad.* 4, 28. Dialectica veri et falsi quasi disceptatrix et judex. *Id. Fin.* 2, 6. Rhetoricam palmae, dialecticam pugno similem esse dicebat Zeno. ℙ De hujus studii ratione V. *Gell.* 16, 8. [*Multis de h. v. accurate disputat *Ern. techn. Lat.* p. 115 — 123.]

DIALECTICE, adv. διαλεκτικῶς, more dialecticorum. *Cic. Acad.* 1, 2. Multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice. *Id. Fin.* 2, 6. Rhetorice nos mavis, quam dialectice disputare.

DIALECTICUS, a, um, adj. διαλεκτικός, ad dialecticam pertinens. *Cic. Div.* 2, 59. Si velim phy-

sicum quiddam aut dialecticum explicare. *Id. Fin.* 2, 6. Dialecticae captiones. *Plin.* 7, 53, 54. Dialecticae sapientiae professor. *Senec. ep.* 82. Redigere aliquid ad legem dialecticam. *Id. ep.* 121. Omnia animalia dialectica nasci oporteret, ut, etc. *h. e.* perita rerum dialecticarum. ℙ *Dialectica, orum, τὰ διαλεκτικά,* sunt ipsae res dialecticae. *Cic. Att.* 14, 12. *extr.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. [**Id. Brut.* 31. *Fin.* 3, 12.] ℙ *Dialecticus, i,* est peritus in dialectica, dialecticae professor. *Cic. Fin.* 2, 7. Latius loquuntur rhetores, dialectici autem compressius. *Id. Fat.* 6. Diodorus valens dialecticus.

DIALECTOS et Dialectus, i, f. *διάλεκτος,* forma quaedam et peculiaris ratio loquendi apud varios populos una eademque lingua utentes. Sic in Graeca quinque sunt celebres dialecti, communis, Attica, Dorica, Ionica, Aeolica. *Suet. Tib.* 56. Cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset; et ille respondisset, Doridem.

[DIALEPIDOS, vox composita ex *διά,* per, et *λεπίς, ίδος,* squama: ita appellatur collyrium quoddam, in quo praeter cetera miscetur squama aeris, quam, ut ait *Celsus* 2, 12., *λεπίδα χαλκοῦ* Graeci vocant. *Marcell. Empir.* 9. Collyrium dialepidos accipiet haec: croci ℥. III, etc. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 22. Ti. Julii Clari dialepidos ad aspritudines. Alia *ib.* p. 56. L. Junii Philini dialepidos ad aspritudinem et cicatrices. Alia ap. *Murat.* 507, 2. C. Sulpicii Hypni crocodes ad aspritudines. *F.*]

DIALEUCOS, adj. *διάλευκος,* albo colore intermixtus: a *λευκός,* albus. *Plin.* 21, 6, 17. de croco: Est per se genus sativi blandissimum vulgo, cum sit mediocre; dialeucon vocant.

*DIALIBANUM, i, n. vox composita ex *διά,* per, et *λίβανος,* tus: V. DIALEPIDOS: ita appellatum collyrium, de quo *Marcell. Empir.* 9. Collyrium dialibanum, cadmiae ℥ IS., cerussae ℥. I., turis masculi ℥. I., etc. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 22. Ti. Julii Clari dialibanum ad impetum. Alia *ib.* p. 43. Cf. Junii tauri dialibanum ad suppurationes. ℙ Apud *Cels.* 6, 6. *n.* 13. idem collyrium Graecis litteris divisim scribitur ita *διὰ λιβάνου. B. A.* et *F.*]

DIALION, ii, n. heliotropium. *Appul. Herb.* 49.

DIALIS, e, adj. *Διάλιος,* ad Jovem pertinens: a genit. *Διός,* Jovis: ut *Dialis flamen,* qui Jovis sacro ministerio assignatus est, apud *Varr. L. L.* 15. et *ib.* 5, 3. ℙ Potest etiam a *die* derivari. Hinc jocus *Cic.* in eum, qui uno tantum die consul fuerat, apud *Macr. Sat.* 7, 3. (quem tamen *Id. ib.* 2, 2. M. Otacilio tribuerat). Solent esse flamines Diales: modo consules diales habemus. [*Inscr.* ap. *Cajet. Migliore, Curae poster. ad M. Junii Pudentis inscript.* p. 21. Baebiolo filio diali Q. Baebius negotiator Hispanus *pater. nempe* Q. Baebius pater filiolum suum Baebiolum dialem appellat, quod uno eodemque die et in lucem prodierit, et fato concesserit. *F.*] ℙ *Dialis flamen* maximae dignationis erat, inter quindecim flamines, ut *Fest.* docet in *Maximae.* ℙ *Dialis coena* lautissima erat, quae praebebatur a flamine Diali, quo die sacerdotium inibat. *Senec. ep.* 123. Haec qualiscumque coena, Diali jucundior erit. Al. leg. *aditiali.* V. ADITIALIS. ℙ *Dialis conjux* est uxor flaminis Dialis. *Ov. Fast.* 6, 226. ℙ *Dialis apex* erat gestamen capitis flaminis Dialis. *Liv.* 6, 41. *ad f.* Cuilibet apicem Dialem, dummodo homo sit, imponamus. ℙ Dicitur etiam *Dialis sacerdos* apud *Suet. Dom.* 4. et *Dialis* absolute *Ov. Fast.* 3, 397. et *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15., ubi multa de caeremoniis ad eum pertinentibus. Adde *Tac. A.* 3, 58. ℙ Denique *Dialis* significat etiam aetherium, aereum, quia Juppiter est aer. *Appul. Met.* 6. p. 179, 18. Aquila alti culminis diales vias deserit.

DIALLAGE, es, f. *διαλλαγή,* conciliatio, figura est, cum multa argumenta ad unum effectum deducuntur. *Quint.* 9, 2. *ad f.* sed Graece. Latine enim *consummationem* vocat.

DIALOGISMUS, i, m. *διαλογισμός,* sermocinatio. Enumeratur inter figuras sententiarum, cum orator vel se ipse cum alio, vel alios inter se colloquentes inducit: cujus habes exemplum ap. *Cic. Att.* 9, 18. et *ib.* 13, 42. Ipsa porro vox Graeca est, et Graece scribenda.

DIALOGISTA, ae, m. *διαλογιστής,* disserendi peritus, disputator. *Vulcat. Gallican. Avid. Cass.* 3. Addens, futurum se Sergium, si dialogistam occidisset: Antoninum hoc nomine significans, qui tantum enituit in philosophia, et in pueritia dialogos scripserat.

DIALOGUS, i, m. *διάλογος,* disputatio, colloquium duorum, vel plurium inter se. *Cic. Brut.* 60. Cum disputatio est inter eos, ut est consuetudo dialogorum. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Scripsi etiam tres libros in disputatione ac dialogo, de Oratore. Adde *Att.* 13, 42., ubi et dialogi familiaris exemplum habes.

DIALUTENSIS, e, adj. ut *purpura dialutensis,* a *διάλυτος,* dissolutus, ex genere pelagiarum. *Plin.* 9, 37, 61. Est longe optimum purpuris dialutense, id est vario soli genere pastum. *Salmas.* legit *dislocense.* [*In MSS. apud *Harduin.* est *Dialucense. B. A.*]

DIALYSIS, is, f. *διάλυσις,* dissolutio. Ita appellatur species hyperbati, cum ordo orationis, interposita sententia, diducitur, ut (*Virg. A.* 11, 12.) Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes. V. HYPERBATON. ℙ Alia est, *dialyton, dialuton* etiam dicta, qua conjunctiones omittuntur, ut (*Virg. A.* 4, 593.) ite, Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. Haec *Charis.* 4. p. 246. et 251. et *Diomed.* 2. p. 442. et *Donat. de schematib.* p. 1774., omnes tamen Graece.

DIALYTON. V. in v. praec.

*DIAMASTIGOSIS, is, f. *διαμαστίγωσις,* sollemnitas fuit maxima apud Lacedaemonios. *Tert. ad Mart.* 4. Nam quae hodie apud Lacedaemonios sollemnitas maxima est Diamastigosis, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Adde *Tert. Apol.* 50. Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata. De hac etiam *Philostratus in vita Apollon.* et *Nazianz. Greg.* et *Lucian. in Anacharsi. B. A.*

DIAMETROS, i, f. *διάμετρος,* scilicet *γραμμή,* est recta linea figuram ex aequo secans; ut *diametros orbis* est linea, quae sic a summo ad imum tenditur circulum, ut per centrum eat, a *διαμετρέω,* dimetior. *Colum.* 5, 2. Esto area rotunda, cujus diametros habeat pedes septuaginta. *Vitr.* 10, 14. Per mediam diametron. Adde *Macr. Somn. Scip.* 1, 20., ubi diametron diligenter describit. *Firmic. Math.* 4, 1. De diametro respicere. ℙ Alio sensu *diametron* dicitur id, cui ad justam mensuram aliquid deest *τὸ ἐλλεῖπον ἀπὸ τοῦ δικαίως μετρηθέντος,* v. gr. cum aliqua species certa mensura tradita in minori quantitate redditur. Hoc sensu usurpant *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 13, 5, 38. et *ib.* 9, 5. Huic contrarium est *ἐπίμετρον.*

DIAMETRUS, a, um, adj. *Firmic. Math.* 4, 1. *a med.* Si luna istum cursum diametra radiatione respexerit.

DIAMICTON, *διὰ μικτῶν, h. e.* per res admixtas: vox ejus generis, quo *diacodion,* etc. Architecti medios parietes farcire fractis caementis, diamicton vocant, *Plin.* teste 36, 22, 51., ut quidem legendum esse contendit *Hard.*

[DIAMISUS et melius Diamisyos: Vox composita ex *διά,* per, et *μῦν, νος,* misy. V. DIALEPIDOS. Ita appellatur collyrium, de quo ita *Marcell. Empir.* 9. Collyrium diamysios, quod facit ad aspritudines oculorum tollendas, et ad lacrimas substringendas; componitur sic: misy combures hoc more etc. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 22. Ti. Julii Clari diamisus ad veteres caligines. Alia *ib.* p. 55. L. Junii Philini diamisus ad diatheses tollendas. *F.*]

DIAMOERIE, es, f. *διαμοιρία,* divisio, seditio, factio. *Plin. ep.* 10, 117 et 118. ubi alii legunt *dianome,* quae vox distributionem significat, Graece *διανομή,* ut notet largitionem seditionis movendae causa institutam, quae alias *sportularum distributio* appellatur.

DIAMORON, *διὰ μορῶν,* (V. DIACODION) compositio ex succo mori agrestis, et melle concocto. *Pallad.* 10, 16.

DIANA, ae, f. *Ἄρτεμις,* Jovis filia ex Latona eodem cum Apolline partu in Delo insula edita, quae etiam dicitur Luna, Proserpina, Hecate, Lucina, vel Juno Lucina, Dictynna, Trivia, etc. Luna dicta est primum Jana, ut Sol Janus ab eundo: deinde Diviana, quasi Diva Jana: tandem Diana ex *Diviana* vel ex *Dejana,* quasi Dea Jana. *Varr. L. L.* 4, 10. dicta videtur quasi *Diviana,* quia *divia,* h. e duplici via procepit, scil. in altitudinem, et latitudinem. *Cic. N. D.* 2, 27. scrisit, Dianam dictam esse, quia noctu quasi diem efficeret. *Macr. Sat.* 1, 9. ex *Nigidio* censuit, Janam prius dictam fuisse, deinde appositum *d* causa decoris, ut in *reditur, redintegratur,* etc. Hinc prima syllaba anceps est. Nam potest esse brevis, quia ex *Dejana* eliso *e* remanet *Diana,* et *i* fit vocale, et non amplius ad *a,* sed ad *d* pertinet. Rursus longa esse potest, *j* cum *e* concrescente in diphthongum *ei.* Hinc *Virg. A.* 1, 503. Exercet Diana choros, quam mille secutae, etc. Adde *Ennium* allatum in voce CONSENTES et *Cinnam* ap. *Suet. Gramm.* 11. Contra prima brevi longe frequentius reperitur apud poetas. ℙ A *Cic. N. D.* 3, 23. tres Dianae numerantur, prima filia Jovis, et Proserpinae, quae ex Mercurio Cupidinem primum genuit: secunda filia Jovis tertii, et Latonae: tertia filia Upis et Glauces, quam Graeci saepe Upim paterno nomine appellant. ℙ Diana filia Jovis et Latonae, ob virginitatis amorem fertur hominum consortia aufugisse, et, ut a se libidinis pruritum amoveret, venando silvas incoluisse, paucarum virginum comitatu contenta. Arcum ferebat et pharetram, succincta semper incedens, et cothurno induta. Ob hanc causam silvarum et nemorum Dea putabatur. Celeberrimum templum habuit apud Ephesios conditum ab Amazonibus, (ut *Mela* scribit 1, 17., quamquam *Plin.* 5, 29, 31. non templum, sed oppidum Ephesi Amazonum opus fuisse ait.) quod Herostratus quidam incendit, ut sibi ea re nominis immortalitatem acquireret, ea nocte, qua Alexander M. natus est. *Cic. N. D.* 2, 27. et *Div.* 1, 23. et *Val. Max.* 8, 14. *in f.* et *Gell.* 2, 6. De hoc templo plura *Plin.* 36, 14, 21. ℙ Aliud habuit in Taurica Chersoneso, ubi humana advenarum victima ei sacrificabatur. V. *Ov. Trist.* 4, 4. et *Pont.* 3, 2. ℙ *Serv.* ad *A.* 3, 73. et ad *Ecl.* 4, 10. tradit, ideo Dianam, quamvis sit virgo, a parientibus invocari, quia prior a Latona in lucem edita, ipsi matri Apollinem statim parienti obstetricis officium praestitit: causam autem cur dicatur prius nata, quam Apollo, esse, quia initio rerum prius nox fuit, cui praeest Luna, quam Sol, qui diei. ℙ Res precipue a Diana gestae sunt hae apud mythologos: Actaeonem, quod se nudam lavantem vidisset, in cervum mutavit, et canibus suis laniandum objecit; in bello Gigantum Othum et Ephialtem sagittis confixit: per Aesculapium ad vitam revocavit Hippolytum: irata Graecis Aulide collectis, classem diu, ne solveret, detinuit, donec virgine victima placata est: aprum Calydonium in Oeneum regem immisit: Orionem se violare conantem interemit: Niobes filios occidit ob superbiam matris; et Chionem ob eandem causam: mutavit se in felem metu Typhonis gigantis, etc. *Hyg. in fab.* et *in Astron.*, *Ovid.* et *Serv.* ad *Virg.* variis in locis. ℙ Metonymice ponitur pro venatione. *Mart. Spectac.* 12. Inter Caesareae discrimina saeva Dianae Fixisset gravidam cum levis hasta suem. ℙ *Festus* in *Juvenalia* tradit Dianam putatam esse viarum Deam. ℙ [**Diana* vel *Ad Dianam,* oppidi, ut videtur nomen fuit in Numidia. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*DIANARIUS, a, um, adj. ad Dianam pertinens. *Veg. Vet.* 2, 6. Caput ejus purgabis radice Dianaria, quam Artemisiam dicimus. *Id. ib.* 3, 33 Radicem Dianariam, id est herbae Artemisiae, in pulverem rediges. *F.* et *B.*

*DIANENSIS, e, adj. adj. ad Dianam pertinens. Ita est appellatus unus ex septem vicis urbis Arimini in Aemilia. *Inscr.* ap. *Grut.* 1094, 2. Vicani vici Dianensis posuere. ℙ Item etiam vocatum ignota de causa collegium quoddam iuvenum in urbe Nepete, nunc *Nepi. Inscr.* ap. *eund.* 262, 2 L. Aurelio Commodo victori juvenes Nepesini Dianenses aere conlato. ℙ Item *Dianenses, ium* dicti sunt incolae urbis Dianae in Numidia, inter Lambesam, et Novam Petram, ex Antonini Itinerario cognitae. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 458, 1. Dianenses ex decreto decurionum. ℙ Item *Dianenses, ium* fuere incolae urbis, quae Dianium appellatur, in Hispania Tarraconensi, memorati a *Plin.* 3, 3, 4. V. DIANIUS. *B. A.* et *F.*

*DIANITIS, idis, f. myrrhae genus. *Plin.* 12, 16, 35. Tertia myrrha Dianitis. *Hard. ib.* putat ita appellatam a Dia insula: alii leg. *Tamnatis* a Tamna oppido Sabaeorum in Arabia, de quo *Plin.* 6, 28, 32. *B.* in Lex.

DIANIUS, a, um, adj. ad Dianam pertinens. *Ov. Fast.* 5, 141. Exagitant et Lar, et turba Dianiа fures, *h. e.* canes. *Grat. Cyn.* 252. dumque manebunt Silvarum dotes atque arma Diania terris, *h. e.* instrumenta venatoria. ℙ *Dianium, ii,* apud *Fest.* et *Liv.* 1, 48. est templum Dianae, vel locus Dianae sacer. ℙ Item apud *Cic. Verr.* 2, 1, 34. est oppidum maritimum Hispaniae in regno Valentiae, contra Ebusum insulam, quae nunc *Yvica* dicitur: ipsum autem nunc *Denia. Plin.* 3, 3, 4. ℙ Parva quoque insula maris Tyrrheni contra Cosanum litus, *Dianium* dicitur a *Plin. ib.* 6, 12., nunc *Gianuti.*

*DIANOEA, ae, f. *διάνοια,* i. e. mens, sententia, sensus, intellectus. *Σχῆμα* rhetoricum est ap. *Jul. Rufin. de figur. sent. et eloc.* p. 210. in *P. Rutil. Lup.* ed. *Ruhnk.* et est, *Cum proponitur, non id, quod fieri oportet, sed quod fit.* V. *Quint.* 9, 1. *B. A.*

DIANOME. V. DIAMOERIE.

[DIAPANTON, *διὰ πάντων,* per omnia, in omnibus. *Inscr.* ap. *Murat.* 659, 1. M. Aurelio Augg. Lib. Agilio Septentrioni pantomimo sui temporis primo, hieronicae solo in Urbe coronato diapanton ab Impp. DD. NN. Severo et Antonino Augg., *h. e.* qui in omnibus certaminibus coronam accepit. Alia apud *Grut.* 313, 8. L. Aurelio Apolausto Memphio coronato et ton diapandon. *nempe τῶν διαπάντων:* Graeci enim vulgo in hac voce aliisque *δ* pro *τ* pronunciabant. *F.*]

DIAPASMA, ătis, n. *διάπασμα,* flos aut herba aut quippiam aliud odoriferum siccatum tritumque in pulverem aut in pastillos redactum, quod corpori inspergitur, aut ore manditur ad varios usus seu medicinae, seu luxus: a *διαπάσσω,* inspergo. *Plin.* 13, 2, 3. Siccis odoribus constat, quae diapasmata vocantur. *Id.* 21, 19, 73. de rosis: Diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut a balineis inarescant corpori, dein frigida abluantur. *Id. ib. sub f.* Bacchar tunditur in diapasmata. *Mart.* 1, 88. Quid, quod olet gravius mixtum diapasmate virus? etc.

DĬĂPĀSON, *διὰ πασῶν, h. e.* per omnes vel ex omnibus: sunt duae voces ejusdem generis, acuta et gravis, symphoniam constituentes, quae septem tonis constat, seu sex integris vocibus, et duabus dimidiatis; ita dicta, quia complectitur universitatem concentus, ut *Plin.* 2, 23, 20. loquitur. Adde *Vitr.* 5, 4. *ad f.* ℙ Disdiapason, *δὶς διὰ πασῶν, h. e.* bis per omnes, continet bis symphoniam modo dictam, seu tonos quatuordecim. *Vitr. l. c.* ℙ Diapente, *διὰ πέντε, h. e.* per quinque, seu ex quinque; est symphonia quatuor integris vocibus constans, et hemitonio. *Vitr. l. c.* ℙ Diatessăron, *διὰ τεσσάρων, h. e.* per quatuor, seu ex quatuor, complectitur tonos tres et dimidium. *Vitr. ib.* V. etiam *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. et *ib.* 2, 1. et *Capell.* 9. p. 321. ℙ Hae voces ejus generis sunt, cujus *diacodion*, *diaclaucion*, etc.

DĬĂPENTĒ. V. v. praec.

*DIAPHĂNES, is, m. *Διαφανής*, fluvius Ciliciae, ea in parte, qua Syriae contermina est; ita dictus ab aquae perspicuitate. *Plin.* 4, 27. *B. A.*

DĬĂPHŌRĂ, ae, f. *διαφορά*, differentia: a *διαφέρω*, differo. Est hoc nomine schema rhetoricum, quod fit, cum verbum iteratum aliud significat, ac significavit primo dictum. Haec. *Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc.* 1, 11. Cujus aerumnae quemvis extrariorum hominem, modo hominem, commovere possent. Est vero correctioni affinis. V. CORRECTIO. Vox Graeca est et Graece scribenda.

DĬĂPHŌRĒSIS, is, f. *διαφόρησις*, apud medicos est evacuatio, seu evaporatio, quae fit per poros corporis: a *διαφορέω*, dissipo, digero, discutio. *Theod. Prisc. de diaeta* 14. ℙ Item solutio, defectio virium. *Coel. Aur. Acut.* 1, 15.

DĬĂPHŌRĒTĬCUS, a, um, adj. *διαφορητικός*, discutiendi, evaporandi, digerendi vim habens. *Coel. Aur. Acut.* 1, 17. Diaphoretica solutio. et *ib.* 2, 10. Effectus diaphoreticus.

[DĬAPHRAGMĂ, ătis, n. *διάφραγμα:* a *διά*, inter, et *φράγμα*, septum; membrana; quae cor et pulmones a jecore et liene distinguit, septum transversum. *Coel. Aur. Chron.* 2, 12. Et magis si ex diaphragmate, quod nos jamdudum discretorium dicimus. *F.*]

[DĬĂPONTĬUS, a, um, adj. *διαπόντιος*, transmarinus. Nomen proprium hominis apud *Pl. Most.* 2, 2, 66. Ego transmarinus hospes sum Diapontius. *Bothe* contendit ita legendum: Sed ecce, quae ille. Ego hospes sum Diapontius. *F.*]

DĬĂPŌRĒSIS, is, f. dubitatio, *διαπόρησις:* a *διαπορέω*, dubito. V. ADDUBITATIO.

DĬĂPSALMĂ, ătis, n. *διάψαλμα.* V. PSALMA.

[DĬAPSŌRĬCUM, i, n. ex *διά*, per, et *ψωρικός*, psoricus, V. DIALEPIDOS: collyrium ad oculorum caliginem dissipandam, cujus meminit *Marc. Empir.* 9. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 56. L. Junii Philini diapsoricum ad genarum scissuram et claritatem. Alia apud *eund. ib.* p. 61. C. Cap. Sabiniani diapsoricum ad caliginem. et p. 66. Phronimi diapsoricum opobalsamatum ad clar. *F.*]

[DĬĂRHŌDON, i, n. *διάῤῥοδον*, collyrium a *Galeno* aliisque vetustis Graeciae medicis memoratum: a *διά*, per, et *ῥόδον*, rosa, quia ex rosis praecipue componitur. V. DIALEPIDOS. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 22. Ti. Julii Clari diarhodon post impetum. Alia apud *Maff. Antiq. Gall.* p. 81. M. Julii Charitonis diarhodon ad fervorem. *F.*]

DĬĂRĬUM, ii, n. Diaria, orum, *τὸ ἐφήμερον*, sunt victus quotidianus, id est quod in unius diei cibum servis et ancillis demensum datur. *Hor. Ep.* 1, 14, 40. Cum servis urbana diaria rodere mavis. *Mart.* 11, 108. puerique diaria poscunt. *Petr. Sat.* 136. Anseres, qui medio die solebant ab anu diaria exigere. *Cic. Att.* 8, 14. Caesar iis diariis militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. *nempe* stipendia majora in singulos dies militibus promittendo. ℙ *Post asellum diaria non sumo* proverbium est apud *Petr. Sat.* 24. *extr.* de quo V. in ASELLUS. [*Pluribus ad h. l. egerunt intpp. de h. v. Cf. etiam *Victor. Var. Lectt.* 1, 13.] ℙ Etiam alimenta quae quotidie dabantur carcere inclusis, *diaria* dicuntur. *Senec. Contr.* 4, 27. *ad f.* Cum introductus esset ex carcere in senatum, postulaturus, ut diaria acciperet. ℙ *Charis.* 1. p. 21. recenset inter ea nomina, quae singulari numero carent. Alio tamen sensu habet singulare, nempe cum significatur libellus, in quo acta singulorum dierum perscribuntur. *Sempron. Asell.* ap. *Gell.* 5, 18. Annales libri, quod quoque anno gestum sit, id demonstrant, quasi qui diarium scribunt, quam Graeci *ἐφημερίδα* vocant.

*DIARRHEUSA, ae, f. (Graece *διαῤῥέουσα*, subaudito *νῆσος*,) insula fuit maris Aegaei, ad littus Asiaticum, prope Ephesum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

DĬAS, ădis, f. numerus binarius, *διάς. Capell.* 6. p. 228., et 7. p. 238.

[DĬASMYRNES et Diasmyrnum, ex *διά*, per, et *σμύρνα, ης*, myrrha. V. DIALEPIDOS. Collyrium diasmyrnes a *Marcell. Empir.* 9. et *Scribon. Compos.* 26. memoratum. *Inscr.* Hubiliaci in Gallia reperta prope *Châlons-sur-Saône*, edita vero in *Magaz. Encyclop. an.* 1809. *Mars.* p. 105. Regini diasmyrnes post lippitudines ex ovo primum. Alia apud *Tochon, cachets des oculist.* p. 31. Q. Junii Tauri diasmyrnum post impetum. Adde aliam apud *Murat.* 508, 3. *F.*]

DĬASTĒMĂ, ătis, n. *διάστημα*, spatium, intervallum, distantia: a *δίϊσταμαι*, disto, separor, seorsum sto. Verbum est mensorum. *Frontin. in exposit. formar.* p. 33. *Goes.* Quoties ex uno duorum punctorum diastemate duo pares circuli exeunt. *et mox.* Si tres circuli pares fuerint inter se aequali diastemate connexi. ℙ Item astronomorum. *Sidon. ep.* 8, 11. *post med.* In diastemate Zodiaco. *Id. epist. praef. carm.* 14. Mentio centri, proportionis, diastematum, climatum. ℙ Coripuit paenultimam, sed non est imitandus. *Id. carm.* 15, 64. Sic placidam Paphien servare diastema quintum. ℙ Item musicorum. *Capell.* 9. p. 321. de Musica: Diastema est vocis spatium, quo acuta et gravior includitur. et *Isid. Orig.* 2, 19. Diastema est vocis spatium, ex duobus, vel pluribus sonis aptatum. *Censorin. de die Nat.* 13. Intervalla musicis diastematis congrua.

DĬASTĒMĂTĬCUS, a, um, adj. *διαστηματικός*, divisus, ut *diastematica vox* ap. *Capell.* 9. p. 318., cui opponitur *continua.*

DĬASTŌLĒ, es, f. *διαστολή*, dilatatio: Graeca vox est, grammaticis familiaris; et ita dici solet figura, qua syllaba natura brevis producitur, vel simpliciter, vel geminatione ejusdem consonantis; quae etiam *ectasis* dicitur: a *διαστέλλω*, diduco, laxo, aperio. *Virg. A.* 1, 6. Italiam fato profugus, Lavinaque venit Litora. *Id. ib.* 2, 715. Relligione patrum multos servata per annos. ℙ Praeterea ita dicitur dextera pars circuli ad imas litteras apposita, qua nota male cohaerentia scribendo discernuntur, ut in illo *Virg. A.* 2, 413. Tum Danai, gemitu, atque ereptae virginis ira. et *ib.* 8, 83. Procubuit, viridique in litore conspicitur sus. Haec *Diomed.* 2. p. 430. et *Prisc. de accentib.* p. 1287. ℙ Denique diastole est; cum epitheton aliquod nomini apponitur distinguendi causa, ut si dicas *dolum malum*, ut distinguas a *bono.* V. in hanc rem verba *Donati* in voce DOLUS.

DĬASTYLOS, adj. *διάστυλος*, columnas habens rariores: a *διὰ* (quod separationem aliquando significat) et *στύλος*, columna. Species aedium sunt quinque: Pycnostylos, idest crebris columnis (a *πυκνός, densus, spissus.*) Systylos, paulo remissioribus (a *σὺν, cum, simul.*) Diastylos, amplius spatiis intercolumniorum patentibus: rarius quam oporteat inter se diductis, Araeostylos (ab *ἀραιός, rarus.*) Eustylos, intervallorum justa distributione (ab *εὖ, bene.*) Ergo Pycnostylos est, cujus intercolumnio unius et dimidiatae columnae crassitudo interponi potest: Systylos, in qua duarum columnarum crassitudo: Diastylos, in qua trium: Araeostylos, in qua plurium. Eustylos eam habet rationem, ut in intervallis spatia duarum columnarum et quartae partis crassitudo intersit, etc. Haec *Vitr.* 3, 2. ℙ De quantitate paenultimae in his vocibus, V. in STILUS.

DĬASYRMOS, i, m. *διασυρμός*, elevatio, *h. e.* depressio: est figura sententiarum, in qua laudantes, quae dicuntur ab adversariis dissolvimus; qualis est in Muraeniana totus ille in Sulpicium locus de jure civili. Ita *Capell.* 5. p. 172.

DĬASYRTĪCE, per diasyrmum seu irrisionem. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 193.

DĬASYRTĪCUS, a, um, adj. *διασυρτικός*, ad diasyrmon pertinens. *Diasyrticum dictum* est, quo laudantes aliquid simul elevamus, et carpimus. *Spartian. Carac.* 10. Non ab re est, diasyrticum quiddam in eum dictum addere. Nam cum Germanici, et Parthici, et Arabici nomen adscriberet, Pertinax dicitur joco dixisse: Adde, si placet, etiam Geticus Maximus: quod Getam occiderat fratrem, et Gotti Getae dicerentur. *Hieron. adv. Ruf.* 1. *n.* 1. Diasyrtica praedicatio.

DĬATESSĂRON. V. DIAPASON.

DĬATHĒCĂ, orum, n. plur. a *διαθήκη:* testamentum, vel hereditas ex testamento proveniens. *Mart.* 12, 71. O quantum diatheca valent et quinque comati! Al. melius leg. *diatreta.*

[DĬATHĒSIS, is, f. *διάθεσις*, oculorum morbus. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des oculist.* p. 55. Junii Tauri crocod. diamisus ad diatheses, et r. e. V. aliam in DIAMISUS. *F.*]

DĬATHYRUM, i, n. *διάθυρον*, idem ac *πρόθυρον*, prothyrum: a praepos. *διά*, per, vel *πρό*, ante, et *θύρα*, janua. Sunt qui putant esse repagulum ligneum versatile, quod januis praefigitur ad arcenda vehicula, et jumenta, Italice *sbarra:* alii rectius arbitrantur, hoc nomine significari parvum illud tectum quadratum, vel rotundum, arcuatum, vel pyramidatum, binis, vel quatuor columnis suffultum, quod etiamnum exstat Romae, et alibi ante januam quarumdam basilicarum. Graece legitur apud *Vitr.* 6, 10. *a med.* Prothyra Graece dicuntur, quae sunt ante januas vestibula: nos autem appellamus prothyra, quae Graece dicuntur *διάθυρα.* ℙ Aliquando *prothyra* dicuntur vela ante januas cubiculorum in aedibus. *Pompon. Dig.* 50, 16, 245. Labeo ait, prothyrum, quod in aedibus interdum fieri solet, aedium esse. *Ulp. ib.* 33, 7, 12. §. 23. Prothyrum domus, si velamen est, instrumento domus continetur.

DĬATONĪCUS, a, um, adj. ut Modulatio diatonica, apud *Capell.* 9. p. 321 et 325.

DĬĀTONUS, a, um, adj. *διάτονος*, distentus, extensus: a *διατείνω*, extendo. *Lateres διάτονοι* dicuntur a *Vitr.* 2, 8. (quos Latine *frontatos* dici, ait ibidem) qui duplici fronte totam muri crassitudinem complectuntur. Al. perperam leg. *διάτοροι*, hoc est penetrantes: a *διατορέω*, perforo, penetro. ℙ In musicis *διάτονον* genus est modulationis, quod *διὰ τόνους*, per tonos procedit: et distinguitur ab harmonico et chromatico. In eo intervalla faciliorem habent, quam in ceteris, distantiam. Tetrachordon diatoni duos habet continuatos tonos cum hemitonio. *Vitr.* 5, 4. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. *ad f.* ℙ Definitur a *Capell.* 9. p. 323. quod tonis copiosum est: ejusque tetrachordos constare ait hemitonio duobus tonis subsequentibus. V. *Petr. Gassend. in manuduct. ad Theor. Musices. c.* 3.

*DIATORUS. V. v. praec.

DĬATRĒTĀRĬUS, ii, m. qui diatreta facit. *Imp. Constantin. Cod.* 10, 64, 1.

DĬATRĒTUS, a, um, adj. *διάτρητος*, torno factus, tornatus vel in quo tessellato opere aurum, argentumve aut gemmae insertae sunt: a *διατιτράω*, perforo, terebro. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *ad f.* Si calicem diatretum faciendum destiti; si quidem imperitia fregit, damni injuria tenebitur etc. ℙ *Diatreta* absolute sunt vasa affabre facta, toreumata. *Mart.* 12, 71. O quantum diatreta valent! Al. leg. *diatheca*, quod V.

DĬATRĪBĂ, ae, f. *διατριβή*, locus in quo disputantes et scholam agentes versantur: itemque ipsa disputatio, dissertatio. *Gell.* 17, 20. Recens in diatribam acceptus. *Id.* 1, 26. Interrogavi in diatriba Taurum, an sapiens irasceretur. *Id.* 18, 13. Quidam Dialecticus ex Platonis diatriba. ℙ [*Paenultima hujus vocis ubique corripitur, utpote ab aoristo secundo verbi *διατρίβω* descendentis. V. *Pancirolli. de Magistr. Munic.* 22. *et Rhod. Antiq. Lect.* 30, 20. Quibus adde *Porson.* ad *Eurip. Orest.* 62. *B. A.*]

DĬATRĪTAEUS, a, um, adj. *διατριταῖος*, tertianus. *Coel. Aur. Acut.* 1, 3. Alienatio intra diatritaeum vel post diatritaeum tempus.

DĬATRĪTUS, i, f. *διάτριτος*, accessio febris tertia die. *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. Abstinentia cibi usque ad primam diatritum. Et *post.* In ipsa diatrito sanguis detrahendus. [V. *Reines. Var. Lect.* p. 434. *B. A.*]

DĬATYPŌSIS, is, f. *διατύπωσις*, figura oratoria: a *διατυπόω*, informo, instituo. *Capell.* 5. p. 172. Diatyposis est descriptio vel deformatio, cum, rebus personisque subjectis, et formas ipsas, et habitus exprimimus.

*DIAULAN vocat *Appul. de herb.* 93. nepetam montanam. *B. A.*

DĬAULOS, i, m. *δίαυλος*, spatium duorum stadiorum in cursu Olympico, vel Circensi, ut *Vitr.* 5, 11. docet. *Hyg. fab.* 173. His ludis vicerunt Zethus dolichodromo, Calais diaulo, Castor stadio.

DĬAZEUGMĒNON, *διαζευγμένον*, disjunctum, disjunctio: a *διαζεύγνυμι*, disjungo. *Capell.* 5. p. 176. Diazeugmenon disjunctum appellamus, cum diversis redditionibus verborum cola disjungimus, sive duo, sive plura, hoc modo (*Cic. Agr.* 2, 31.) Capuam colonis deductis occupabunt; Atellam praesidio communient; Nuceriam obtinebunt; cetera oppida praesidiis devincient. V. ANTIZEUGMENON.

DĬAZEUXIS, is, f. *διάζευξις*, dissolutio: figura est metri, eadem quae diaeresis. *Valer. Prob. Gramm.* 1. p. 1438.

DĬAZŌMĂ, ătis, n. *διάζωμα*, cingulum, cinctus intermedius: a *διαζώννυμι*, cingo, praecingo. *Vitr.* 5, 7. Sunt res, quas in pusillo et in magno theatro necesse est eadem magnitudine fieri, propter usum, uti gradus, diazomata, pluteos, itinera, ascensus. V. BALTEUS.

DĪBĂLO, as, a. 1. a *balo* compositum. *Caecil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *ad f.* Tantam rem dibalare, ut pro nihilo habuerit. *Scal.* in *Conjectan.* Dibalare pro deblacterare, non inepte dictum videri posset. Ego puto, dibalare rem, *καταφαγεῖν τὴν οὐσίαν*, bona consumere. Haec *Scalig.* Sed *Caecilius* malus est auctor Latinitatis, teste *Cic. Att.* 7, 3.

DĪBĂPHUS, a, um, adj. *δίβαφος*, bis tinctus: a *δίς*, bis, et *βάπτω*, tingo. Porro purpura *dibaphus*, nempe bis tincta, dicitur, quia prius cocco, deinde purpura tingebatur. *Plin.* 9, 39, 63. de purpura: Successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi. *et mox.* Dibapha tunc dicebatur, quae bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes paene commodiores purpurae tinguntur. Adde 21, 8, 22. Hanc *iteratam purpuram* vocat *Stat. Silv.* 3, 2, 140. ℙ Quia purpura utebantur magistratus, hinc allegorice *Cic. Fam.* 2, 16. *sub f.* Curtius noster

dibaphum cogitat, sed eum infector moratur, *h. e.* sperat, cupit honores in republ., sed res ei non procedit. ℙ Proverbii species est in illo ejusdem *Att.* 2, 9. *ad f.* Faciant, quos volent, consules: etiam Vatinii strumam sacerdotii *διβάφῳ* vestiant. Et dici potest de iis, qui turpem vitam, scelera, aut sordes, magistratuum ornamentis occultare nituntur.

[DĪBĂTŪO, is, a. 3. hinc inde batuo. *Not. Tir.* p. 113. Dibatuit. *F.*]

*DIBITACH, Asiae oppidum, in Parapotamia, ad Tigrim flumen. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

DIBRĂCHYS, m. *δίβραχυς*, pes metricus duabus constans brevibus syllabis, ut *Dea:* a *δὶς*, bis, et *βραχὺς*, brevis. *Mar. Vict. Gramm.* 1. p. 2486. et *Diomed.* 3. p. 471.

DĪBUCCĬNO et Dibucino, as, a. 1. idem quod buccino et translate divulgo, edo, in vulgus spargo. Agnoscitur ut Latinum a *Vel. Longo de Orthogr.* p. 2227. et a *Cassiod. ib.* p. 2294., sed caret exemplis.

DIBUS pro Diis. V. DEUS.

*DIBUTĂDES, is, m. Sicyonius, primus fuit figulus Corinthi, qui ex creta docuit fingere, primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit. *Plin.* 37, 2. et 35, 12. *B. A.*

DICĂ, ae, f. *δίκη*, judicium, causa, actio: a voce Graeca allata, quae primo jus et justitiam significat, deinde hanc etiam, de qua loquimur significationem habet. Habet autem usum in lingua Latina in iis tantum casibus, quos subjecta exempla demonstrant. *Scribere dicam alicui* est actionem intentare, litem movere, in jus vocare, *ἐπάγειν* et *γράφειν δίκην*. *Cic. Verr.* 2, 2, 14. *extr.* Scribitur Heraclio dica. *Ter. Ph.* 2, 2, 15. En unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam? Ubi *Donat.* Dice causa est Graece, quae fit Latine dica, ut Acte Acta, Calliope Calliopa. *Ter. ib.* 4, 3, 63. Sexcentas scribito mihi dicas, nihil do. *Pl. Poen.* 3, 6, 5. Cras subscribam homini dicam. *Quint.* 6, 3. eodem sensu dixit *formulam scribere.* ℙ *Dicam alicui impingere* eodem sensu dicitur. *Ter. Ph.* 2, 3, 91. Si tu illam attigeris, dicam tibi impingam grandem. ℙ *Sortiri dicam* et *dicas* est sortiri judices, qui de causa cognoscant, *δίκην λαγχάνειν*. *Cic. Verr.* 2, 2, 15. Quo die sese, ex instituto ac lege Rupilia, dicas sortiturum iste edixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. Et *mox.* Quod lex Rupilia vetaret diebus triginta sortiri dicam, quibus scripta esset. Et *paulo post.* Iste omnibus dicis (al. *judiciis*) diem distulit et eam constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri ex lege posset. ℙ Est autem advertendum, *Ter., Pl., Cic.* ideo praecipue hoc loquendi genere uti a Graecis ducto, quia fere de Graecis rebus forensibus agunt. Nam hi duo poetae a Graeco sermone ac moribus Fabulas suas transtulerunt: et *Cicero* de Siculis loquitur, qui Graeca consuetudine et sermone utebantur. ℙ Etiam Graecus genitivus *dicis*, *δίκης*, in Latium transiit: unde *dicis causa* aut *gratia*, *δίκης ἕνεκα*, *λόγου χάριν*, *νόμου χάριν*, significat primo, juris seu justitiae causa, hoc est servandi causa speciem justitiae aut aequitatis. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. Tamen, ut possit se dicere emisse, Archagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummulorum dicis causa daret, *nempe*, ut aliqua esset imago emptionis. [*Eidem *Mur.* 12, 26. restituta est haec locutio in formula: sed anne tu dicis causa vindicaveris? Cf. *Victor. Var. Lect.* 4, 23. quem laudat *Ern.* in *Clav.* Idem docet, primum omnium hanc formulam recte explicasse *Taurellum de militiis ex casu,* in Ottonis Thes. *T.* IV. p. 1635. et post Anton. August. Emendatt. II. 2. *ib.* p. 1472.] *Plin.* 28, 2, 5. Si pontifici accidat, dicis causa epulanti, *h. e.* rite peragendae expiationis causa. *ἀφοσιώσεως ἕνεκα.* ℙ Deinde moris, consuetudinis causa, non serio, sed perfunctorie et ad speciem; neque ut officio plene fungamur, sed ad vitandam solummodo reprehensionem. *Nep. Att.* 8. Ita ut Brutus et Cassius provinciarum, quae iis dicis causa datae erant a Coss. desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur, i. e. ut viderentur habere justam causam discedendi Roma. [*Meliores edd. hodie exhibent *necis causa.*] *Cic. Att.* 1, 18. *a med.* Imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud idem de Clodio. Al. [*ex conjectura *Tunstalli*] melius *habere dicit causam* legunt. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *ad f.* Si finxit se quis auxilium ferre vel dicis causa tulit, nihil hoc commentum ei proderit. *Cajus ib.* 13, 6, 4. Saepe ad hoc commodantur pecuniae, ut dicis gratia, numerationis loco intercedant. *Arnob.* 3. p. 109. Alias quidem esse Diis formas, sed honoris et dicis causa species vos eis accommodavisse mortalium. *Varro* quoque *L. L.* 5, 7. et *ib.* 9. *sub f.* usurpat et antiquam esse formam dicendi testatur. Porro priore loco etiam *dicis imo* legitur, quod idem esse videtur, si integra est lectio: pro quo et *dicis ergo* dici notat *Scal.*, cujus ego exempla nondum vidi. ℙ [*Quae de hac formula dicta in *Fabri Thesauro*, digna, opinor, sunt quae exscribantur: DICIS, quasi a *Dex*, genitivus; ut *Dicis causa*, *Dicis gratia:* forma *Ciceroni* saepius usurpata: idem est ac leviter, perfunctorie, non serio; sed in speciem et quantum satis sit ad vitandam reprehensionem. Conf. *Varr. L. L.* 5, 7. Unde autem ducatur, certant eruditi: alii a *Dico, are*, alii a *Dico, ere*: quidam et a *dica*, *δίκη*, derivant. V. *Petrum Pithoeum Advers.* 2, 13. et *And. Schottum. Observ. Hum.* 5, 23. Est etiam peculiaris *C. S. Schurzfleischii* de hac formula diss. 1703 habita. *Vet. Gloss.* Dicis causa, *νόμου χάριν*, *λόγου χάριν:* Dicis gratia, *νόμου χάριν*, *ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ*. *Cic. Verr.* 4, 24. Ut aliquid illis nummulorum dicis causa daret. Usus est et *Nepos* in *Att.* 8. V. ibi Indicem *Vorstii* et *Elmenhorst.* ad *Appul.* p. 38. ℙ De origine nominis varie (quod vidimus) disputatur. Nihil Grammatici veteres juvant, nisi quod *Charis.* 1, p. 23. et 73. *ἄπτωτα* refert, i. e. quae alium casum non agnoscant. Videtur genitivus esse monosyllabi obsoleti *Dex*, quemadmodum a *Vindex* fit *Vindicis*, a *Judex*, *Judicis* vel ab *Index*, *indicis. B. A.*] [*Hae nugae sunt. Est graecum voc. *δίκη, ης.*]

*DĪCĂBŬLĂ et Dicibula, orum, n. plur. a *dicax*, nugamenta, fabulae pueriles. *Capell.* 8. p. 273. Inter vatum tumores dicabulis cavillantibus, saleque contenta Satyra. *Tert. adv. Valent.* 20. Meminerat Ptolemaeus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci et arbore pisces. ℙ Etiam *dicibile* in *Gloss. Philox.* Dicibile, *λεκτὸν, ῥητόν.* Hoc tamen a *dico, is* derivatum videtur. *B. A.* et *F.*

DĪCĂCĬTAS, atis, f. *εὐτραπελία*, proprie significat sermonem cum risu alios incessentem, ut *Quint.* 6, 3, 21. docet: eminet autem maxime in quadam veluti jaculatione verborum et inclusa breviter urbanitate, qua salse et civiliter simul ingenueque aliquis praestringitur. Ejus duo sunt genera: alterum quod modo dictum est: alterum scurrile et scenicum. *Cic. Or.* 2, 54. Duo genera sunt facetiarum: alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus cavillatio, haec dicacitas nominata est. [**Id. Or.* 26. Sales, — quorum duo genera sunt, alterum facetiarum alterum dicacitatis. Utatur utroque, sed altero in narrando aliquid venuste; altero in jaciendo mittendoque ridiculo. *Id. Att.* 1, 10. genus morosum (ridiculi), quod etiam sine dicacitate ridetur.] Et *ib.* 60. Scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. *Suet. Vesp.* 22. Erat dicacitatis plurimae; et sic scurrilis ac sordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abstineret. Et *ib.* 23. Affectare dicacitatem.

DĪCĂCŬLĒ, adv. diminut. *εὐθίκτως*. *Appul. Met.* 1. p. 106, 20. In eam dicacule probrum dixerat. Et *ib.* p. 203, 6. Sic praeco lurconem tractabat dicacule.

DĪCĂCŬLUS, a, um, adj. diminut. dicacis, *εὔθικτος*. *Appul. Met.* 2. p. 118, 2. Lepida et dicacula puella. Et *ib.* 3. p. 135, 9. Dicaculus sermo. ℙ Item loquax, garrulus. *Pl. Asin.* 3, 1, 8. Satis dicacula es amatrix.

*DICAEA, ae, f. *Δικαία*, Thraciae oppidum maritimum, inter Abderam et Maroneam. *Plin.* 4, 11. ed. *Hard.* al. leg. *Dicaeae.* ℙ Item oppidum Macedoniae, in sinu Thermaico. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

DĪCAEARCHI, orum, m. plur. iidem qui Puteolani. (V. v. seq.) *Lucil.* ap. *Fest.* in *Minorem.* Inde Dicaearchum populi, Delumque minorem.

DĪCAEARCHĬA, ae, f. *Δικαιαρχία*, vocabatur teste *Festo*, quae nunc Puteoli (*Pozzuolo*, urbs Campaniae felicis prope Neapolim, ad mare) quod ea civitas quondam justissime regebatur: a *δίκαιος*, justus, et *ἀρχή*, imperium. *Plin.* 3, 5, 9. Puteoli, colonia, Dicaearchia dicti. *Stat. Silv.* 2, 2, 96. Dicaearchum seu Dicarchum nominat ejus urbis conditorem.

*DICAEARCHUS, i, m. *Δικαίαρχος*, peripateticus, Aristotelis discipulus, geographus. Ejus libros diligenter legit et admiratus est Cicero. *Cic. Att.* 2, 2. et 16. et 6, 2. *ante med. Id. Tusc.* 1, 31. *Plin.* 2, 65. ℙ De Dicaearcho consulendus imprimis *Ernest. Clav. Cic.* in v. *B. A.*

*DICAEOLOGĬA, ae, f. *δικαιολογία*, justificatio dicitur. *Rutilius:* Dicaeologia schema est, quod fieri solet, quum aequitatem causae quam maxime brevi sententia complectimur. Hic elocutionis schema nullum est. *B. A.*

[DĪCAEOSYNĒ, es, f. *δικαιοσύνη*, justitia. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 887, 10. Sariolena Dicaeosyne. *F.*]

DĪCAEUS, *δίκαιος*, justus: cognomen est Apollini a Thebanis inditum, quod cum Thebae ab Alexandro caperentur, aurum a fugiente in ejus simulacri sinu conditum, celatum esset. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 4. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 978, 4. A. Herennulejus Dicaeus. *F.*]

DĪCARCHAEUS, a, um, adj. ad *Dicaearchiam* seu Puteolos pertinens: ex qua voce syllabam poetae exterunt, metri causa. *Stat. Silv.* 2, 2, 110. Dicarchaei sinus. *Sil.* 13, 385. Forte Dicarchaea juvenis consedit in urbe. *Id.* 8, 534. Dicarchaea proles, *h. e.* juventus Puteolana. *Sidon. carm.* 2, 59. arena, *nempe*, quae invenitur in collibus circa Puteolos, quae commixta calce firmissima est in aedificiis, ut *Vitr.* docet 2, 6., Itali vocant *pozzolana.* ℙ Scribitur et *Dicarcheus.*

DĪCARCHIS, ĭdis, f. idem quod Dicaearchia, Puteoli. *Petr. Sat.* 120. Parthenopen inter magnaeque Dicarchidos arva.

DĪCĀTĬO, onis, f. *ἀπόθεσις*, actus dicandi seu tradendi, addictio. *Cic. Balb.* 11. Duarum civitatum civis esse nemo potest: non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicarit, potest. Neque solum dicatione, sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio.

DĪCĀTŪRĂ, ae, f. dicatio, dedicatio. *Plin. praef. H. Nat. a med.* Nec fiducia operis haec est: sed in dicatura multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata. Al. rectius leg. *indicatura.* Multa valde etc.

DĪCĀTUS, a, um, part. a *dico, as*, *ἀνατεθείς*, addictus, nuncupatus, assignatus, consecratus. *Cic. Or.* 13. Genus epidicticum pompae, quam pugnae aptius, gymnasiis et palaestrae dicatum, pulsum foro. *Id. Tusc.* 1, 30. Cygni Apollini dicati. *Id. Verr.* 2, 5, 72. Donum Jovi dicatum atque promissum. *Plin.* 12, 22, 43. Dicamus et de junco, quamvis alio herbis dicato volumine. *Id.* 37, 10, 66. Carmen dicatum Veneri. *Id.* 34, 7, 16. Janus geminus a Numa dicatus, *h. e.* dedicatus. *Ov. Fast.* 1, 706. Ledaeis templa dicata Deis. *Tac. A.* 1, 59. Augustus dicatus inter numina. *Inscr.* ap. *Grut.* 258, 6. Imp. Caes. Marco Antonio Vero Valerius Julianus numini majestatique ejus semper dicatissimus. Adde 273, 5. et 246, 3. et 279, 4. et 271, 4.

DĪCAX, acis, adj. *εὔθικτος, φιλοσκώμμων*, qui risus causa, ad falsa dicta facilis ac promptus est, acute mordax in dicendo, maledicus. *Cic. Or.* 26. Demosthenes non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis. *Id. Or.* 2, 60. Granio nemo dicacior. (Adde *Liv.* 32, 34.) *Id. Phil.* 2, 31. *extr.* Populum etiam in te dicacem reddidisti. *Id. Coel.* 28. In conviviis faceti et dicaces. *Catull.* 22, 2. Homo est venustus et dicax et urbanus. *Petr. Sat.* 113. Homo dicacissimus. *Hor. A. P.* 225. Satyri dicaces. *Gell.* 12, 2. Dicax argutia. *Senec. Med.* 113. Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

*DICENTARIUS, i, m. orator. *Gloss. Gr. Lat.* *λέκτης*, dicentarius. *B. A.*

DĪCHALCON, i, n. *δίχαλκον*, genus monetae aereae minutae, quae valebat quartam partem et, secundum *Plin.* 21, 34, 109., quintam partem oboli. *Vitr.* 3, 1. Quadrantes obolorum, quae alii dichalca, nonnulli trichalca dicunt. Ex his *Vitruvii* verbis videtur obolus habuisse chalcos octo, quandoque etiam duodecim, quod postremum quidam Siculis tribuunt. V. CHALCUS.

[DĪCHONEUTUS, a, um, adj. a *δὶς*, bis, et *χωνεύω*, conflo, bis conflatus, adulteratus et adventicia etiam forte materia commixtus. *Impp. Valent.* et *Val. Cod. Theod.* 11, 21, 1. Aes, quod dichoneutum vocatur, de usu penitus et conversatione tollatur, ac nemini publice hoc habere liceat. *F.*]

[DĪCHŌMĒNĪON, ii, n. Ita vocat *Appul. Herb.* 64. paeoniam herbam, quod ea similis sit lunae semiplenae, quae Graece *διχομηνία* appellatur. *F.*]

DĪCHŌRĒUS, i, m. *διχόρειος*, pes metricus ex duobus constans choreis, ut *audiamus, civitate:* qui et *ditrochaeus* appellatur. *Cic. Or.* 64. *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Adde *Quint.* 9, 4. *a med.*

DĪCHŌTŌMOS luna dicitur, cum dimidio appareret orbe, *διχότομος*. Graeca vox, quae aliquando Latine scripta reperitur apud *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *et Firmic. Math. praef.* 4. *ad f.:* a *δίχα*, bipartito, et *τέμνω*, seco.

DĪCHRŌNUS, *δίχρονος*, a *δὶς*, bis, et *χρόνος*, tempus. Dichronas vocales appellat *Mar. Vict.* p. 1966., quae duo tempora habere possunt et longae esse aut breves. [**Pompej. comment. artis Don.* p. 23. ed. *Lindem.*, quem V.]

*DICIBĪLIS, e, adj. *Gloss.* Dicibile, *λεκτὸν, ῥητόν.*

DĪCĬBŬLUM. V. DICABULUM.

DĪCĬS causa. V. in DICA.

*DICISĬO, onis, f. decisio. *Frontin. de Colon.* p. 113. *Goes.* (p. 333. *Keuch.*) Pacti dicisionisve causa inter se sunt censiti; nisi legendum *decisionisve. B. A.* [*Omnino.]

DĪCO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνατίθημι*, trado, attribuo, defero, dedo, dedico, consecro. [Videtur esse a *lico, as* pro *liquo, as*, liquidum seu planum facio, aperio, aliis videndum trado, mutata nempe *l* in *d:* nam, teste *Festo*, delicata antiqui dicebant, quae deinde dedicata. V. DELICO. Recte tamen verbum *dico, as* deducas licet ex *δικάω* pro *δικάζω*, unicuique, quod et debetur, tribuo, trado; ut *amo* est ab *ἀμάω:* quod etymon confirmat etiam quantitas syllabae paenultimae. *F. Forc.* haec habebat: „Videtur esse a *dico, is*, quamvis obstat quantitas, quia *Festus* definit *dedicare* dicendo deferre.“ Haec omnino veriora. *Dico* est a *dico*, formatum ab inusitato adj. *dicus* (maledicus),

ut *edūcare* a *dūcere*. V. *Grotef. gr. lat.* II. §. 12. *not.* 1.] *Ter. Ph.* 1, 2, 12. Hanc operam tibi dico. Ubi *Donat.* Plus est *dico*, quam *do*. *Dicatur* perpetuo, *datur* ad tempus. *Virg. A.* 1, 76. (et *Val. Fl.* 3, 535.) Deiopeam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo. *Caes. B. G.* 6, 12. Dicare se alicui in servitutem. Et *ib.* 11. se alicui in clientelam. *Cic. Balb.* 11. se alii civitati. Et *ib.* 12. in aliam civitatem, i. e. jus civitatis petere et consequi. *Id. Leg.* 2, 3. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem, *h. e.* assignamus, tribuimus, tuum esse volumus. *Id. Fam.* 2, 6. *a med.* A te peto, ut huic meae laudi vel prope saluti tuum studium dices. *Id. Or.* 3, 3. Qui tum adolescentes Crasso se dicarant, *h. e.* dediderant disciplinae et institutionis gratia. *Senec. Hipp.* 231. Annos dicare vitae caelibi. Et *ib.* 487. Dicare se jugis montium. *Plin.* 18, 7, 15. Ptisanae laudibus volumen dicavit Hippocrates. Sic *Id.* 20, 9, 33. Chrysippus brassicae volumen dicavit. *Id.* 34, 3, 8. *Mensae* Delphicae, *sic dictae*, quoniam donis maxime Apollinis dicabantur, *h. e.* destinabantur sustinendis donis Apollini Delphico oblatis. *Id.* 19, 10, 57. Dicavit librum Maecenati. *Id.* 34, 3, 8. Dicare Apollini lychnuchum. *Id.* 7, 26, 27. delubrum Minervae ex spoliis. *Id.* 34, 4, 9. Olympiae omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. ℙ Pro indicare, nunciare. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 139. sic ubi ad aures Fama tuam pugnam clarans alata dicasset. *Catull.* 64, 225. Inde infecta vago suspendam lintea malo, Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis Carbasus obscurata dicet ferrugine Ibera. Ita leg. *Vossius* et *Vulpius*; [at melius *Doeringius* obscura dicat ferrugine Ibera, *h. e.* ostendat, monstret. *F.*]

DICO, is, ixi, ictum, a. 3. λέγω, loquor. Videtur esse a δείκω pro δείκνυμι, ostendo, quia verbis sensa animi proferimus. [Hinc in vetustis monumentis tum aereis, tum marmoreis *deico* pro *dico* legitur. *F.*] *Cic. Parad.* 1, 2. Dicam, quod sentio. *Id. Acad.* 1, 3. Dicam, ut res est. *Id. Verr.* 2, 1, 55. Dic, dic, quaeso, clarius. [*Hoc imperativo utimur vel in exprobrationibus, V. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 3, 23. (coll. *Burm.* ad 3, 4, 1. ubi tantum animus sollicitus significatur), et in objurgationibus, ut *Virg. Ecl.* 3, 1.; vel in superba allocutione, V. *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 546.; praecipuus vero ejus usus in provocatione quasi, ut probet et exemplis firmet aliquid ille, cum quo agimus. Haec ex parte *Burm.* ad *Ov. Her.* 16, 340.] *Id. Att.* 13, 25. Etiam atque etiam dico: tuo periculo fiet. *Id. Brut.* 97. Cotta, Sulpicius, Hortensius: nihil dico amplius: tantum dico, si mihi, etc. *Id. Quint.* 22. Unum illud dico: si, etc. *Id. N. D.* 1, 31. Nec quemquam vidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret; mortem dico et Deos. [*Respondet hoc modo Gr. φημί, quod saepe est i. q. intelligo (nos *ich meine*). *Cic. Leg.* 3, 1, 1. Platonem videlicet dicis. Observat *Goer.* ad h. l., librarios, quum hanc significationem non assequerentur, saepius v. *dicendi* cum aliis permutasse.] (Adde *Att.* 1, 19.) *Id. Dom.* 36. Dico igitur, et quam possum, maxima voce dico. *Ter. Heaut.* 5, 1, 68. Ita dictu opus est. *Id. ib.* 3, 2, 9. Quod dici solet. *Id. Ad.* 1, 1, 3. Profecto hoc vere dicunt. subaudi *dicunt homines*. *Cic. Brut.* 70. Celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis: vel dicam, plus etiam quam non hebes. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Utrum plus dignitatis, an voluptatis sit allaturus, non facile dixerim. *Petr. Sat.* 2. Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est. *Sall. Cat.* 58. Postquam, uti dixi, senatus in Catonis sententiam, discessit. *Cic. Verr.* 2, 1, 52. Venit ad Chelidonem C. Mustius, etc. venit M. Junius, etc. venit P. Potitius tutor, etc. veniunt, ut dico, ad Chelidonem: domus erat plena, etc. Adde *Lucr.* 4, 1201. *Nep. Ann.* 6. Incredibile dictu. *Plin.* 29, 1, 2. Mirum dictu. *Cic. Div. Verr.* 11. Nihil dico de meo ingenio, neque est, quod possim dicere; neque si esset, dicerem. *Id. Cat.* 1, 4. Dico, te priori nocte venisse inter falcarios in M. Leccae domum. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Dicere mendacium alicui. *Ter. Heaut.* 5, 4, 19. verbum turpe. *Cic. Att.* 15, 19. Dic mihi, C. Antonius voluitne, etc.? *Ter. Ad.* 3, 5, 32. Pro certo dicere aliquid. *Id. Eun.* 2, 3, 45. Heus, heus, tibi dico. [*Est haec gravissimae increpationis formula, de qua V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 20, 153.] *Pl. Rud.* 1, 2, 25. Dicere inclementer homini libero. ℙ *Dicere ad aliquem* pro *alicui*. *Modestin. Dig.* 38, 10, 4. *a med.* Sic enim Helena ad Hectorem dicit: *Αἶσχ ἐμοὶ αὐτῷ*, etc. ℙ *Dicebam* formula est increpantis quempiam, cui contigit malum, quod ut caveret, jam ante admonuimus. *Ov. Am.* 1, 14, 1. Dicebam, medicare tuos desiste capillos. *Senec. Apocol. a med.* Dicebam vobis, non semper Saturnalia erunt. Adde *Stat. Silv.* 4, 3, 124., *Prop.* 1, 9, 1. [*et *Burm.* ad h. l.] et *Pl. Asin.* 5, 2, 88. ℙ *Quid enim dicam?* est nolentis aliquid gravius dicere. *Cic. Att.* 10, 11. Itaque habet haec quoque, quae nascuntur ex indulgentia: sed ea sunt tolerabilia, quid enim dicam, hac juventute? *Id. N. D.* 1, 44. Si maxime talis est Deus, valeat, quid enim dicam, propitius sit? ℙ [*Nunc dicam* vel *Dicam nunc*, ab initio sententiarum interdum extra constructionem ponitur; nos: *lass dir nun sagen*. *Ov. Her.* 21, 55. Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more: quid facies odio, sicubi amore noces? Ubi V. quae comparat *Burm.*, qui hoc recentioris esse temporis ait.] ℙ *Dicet aliquis* et *dices*, adhibentur in occupationibus. *Cic. Tusc.* 3, 20. Dicet aliquis: occupationibus. *Cic. Tusc.* 3, 20. Dicet aliquis: quid ergo? tu, etc. *Id. Rosc. Am.* 33. Dices, quid postea? ℙ *Volui dicere* est se corrigentis. *Pl. Mil.* 3, 2, 6. Sorbet dormiens. *Pa.* Quid sorbet? *Lu.* illud, stertit, volui dicere. Adde *Ps.* 3, 2, 55. [*Sic vice versa *Dico* vel *Hoc dico* est i. q. volui dicere, *dixi* pro dicturus fui etc. V. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 1, 1, 36.] ℙ *Diceres*, putares, credederes. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua erecta, rugarumque ambitu contorta, et in leve fastigium exacuta, ut liras diceres, strepsiceroti. ℙ *Diceret*, dicere posset, excusando se. *Ter. Andr.* 1, 1, 111. Nec satis ad objurgandum causae: diceret, quid feci? etc. ℙ *Dixi* est aliquando minitantis, et se ita facturum, ut minatus fuerit, confirmantis. *Ter. Ph.* 2, 3, 89. Nisi properas mulierem abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio. *Ph.* Si tu illam attigeris secus, quam dignum est liberam, dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho. Adde *Hec.* 4, 3, 6. *Pl. Cist.* 2, 1, 50. Dixi quae volui. vale. ℙ *Dixit*, *dixerat*, a poetis passim pronuntur, cum quis dicere desiit. ℙ Praeterea *dixi* formula est forensis. Moris enim fuit veterum, cum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, *dixi:* quod etiam, ab utraque parte orationem consumpta, ut in consilium judices dimitterentur, praetor (al. *praeco*) soleret pronunciare, *dixerunt*. Haec *Ascon. in f. Verr.* 1, 2. et *ib.* 2, 1, 9. *extr.* ℙ *Dicere sententiam* est senatoris, in senatu de republ. quid sentiat, exponentis: pro quo etiam *dicere* absolute usurpatum legitur. *Plin. ep.* 9, 13. Jam censendi tempus: dicit Domitius consul designatus, dicit Fabricius, Fabius, Vectius, etc. Hinc illa formula consulis senatorem ad sententiam dicendam excitantis, *dic M. Tulli:* cujus meminit *Cic. Att.* 7, 1 et 3. ℙ Aliquando *dicere* est pronunciare. *Cic. Or.* 1, 61. Cum Demosthenes ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere. Adde *Div.* 2, 46. ℙ Aliquando creare. *Cic. Att.* 9, 15. et *Liv.* 5, 9. Dicere dictatorem. et *ib.* 13. Alios tribunos militum omnes fere centuriae dixere. Adde *ib.* 19. etc. Sic *Ov. Met.* 4, 541. Leucothoeque Deum cum matre Palaemona dixit, *h. e.* fecit, in Deum mutavit. ℙ Interdum affirmare [*Gr. φημί.]. *Cic. Tusc.* 1, 6. Quem esse negas, eundem esse dicis. Adde *Fam.* 3, 8. *a med.* et *Ter. Eun.* 2, 2, 20. ℙ Interdum indicere. *Nep. Dat.* 5. Misit, qui diceret, ne discederet. *Ov. Trist.* 3, 14, 9. Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta Camenis. ℙ *Dicere diem alicui.* V. DIES. ℙ [*Dicere sacramento, i. e. sacramento interposito dicere, militem esse velle. *Liv.* 2, 24. concursus in forum, ut sacramento dicerent fieri. Cf. de hac formula *Gron.* ad 24, 8. *fin.* et V. sub SACRAMENTUM.] ℙ Item narrare, describere, laudare, versibus, aut oratione. *Virg. Ecl.* 10, 6. Galli dicamus amores. *Hor. Ep.* 1, 19, 8. Ennius nunquam, nisi potus, ad arma Prosiluit dicenda. *Nemesian. Ecl.* 1, 22. Dicat honoratos praedulcis tibia Manes. *Virg. Ecl.* 4, 54. tua dicere facta. *Suet. Vit.* 11. Ut citharoedus aliquid de Domitio diceret, *h. e.* caneret. *Plin. praef. Hist. nat. a med.* Patrem te fratremque diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi, *h. e.* de patre, te, et fratre diximus. *Id.* 15, 30, 40. Nunc dicemus silvestrium naturas. [*V. quae de hac significatione attulit *Sarpe* in *quaestion. philol.* (p. 244. ed. *Frotscher.* libri X. *Quint.* — *Prop.* 2, 25, 28. aut rerum dicere posse vias?] ℙ Item recitare. *Cic. Planc.* 30. Dicere orationem de scripto. ℙ Item promittere vel assignare. *Nep. Eum.* 2. Data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta. nam tum in hostium erat potestate. *Pompon.* ap. *Non.* 4, 122. Nummos certos dicas: dico quinquaginta millia. *Afran. ib.* Quoniam inter nos nuptiae sunt dictae. *Id. ib.* Cui dicat dotis paululum. [*Cic. Flacc.* 34. doti Valeria pecuniam suam omnem dixerat. *Sall. fr.* p. 958. *ed. Cort.* dictae pecuniae. *Pl. Mil.* 3, 1, 111.] ℙ *Dicere multam.* V. MULTA. ℙ Pro statuere, imponere. [*Saepe i. q. *statuere* est ap. *Cic.*, quum philosophi aliquam sententiam proponunt. Cf. *Cic. Fin.* 1, 14, 46. *Tusc.* 1, 14, 36. ubi *Orell.* judice *Hand.* ad *Wopk. Lectt.* p. 114. male *docenti* recepit. Saepe confunditur cum h. v. V. *in f.*] *Hor. Od.* 4, 8, 12. pretium dicere muneri. [*Cf. *Bentl.*] *Liv.* 1, 1. *extr.* Cui Ascanium parentes dixere nomen. Hinc *dicere leges*, *conditiones*, etc. [*Notanda tamen est formula *legem dicere* alicui, i. e. ei praescribere, quid sequatur, patiatur, intermittat. Hinc etiam interdum id quod *coercere*. *Plin. Pan.* 40. Ea lex Vicesimae dicta est. V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 12, 39.] ℙ Pro jubere. *Ov. Rem. Am.* 505. Dixerit, ut venias pacta tibi nocte, venito. *Pl. Truc.* 4, 3, 75. Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat suo. *Cic. Att.* 11, 7. Illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quamprimum venirem. ℙ Pro constituere, pacisci. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 65. Cum omnes ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus. [*Sall. *Jug.* 75. diem locumque dicere. V. *Cort. Liv.* 25, 16. locum se consciis dixisse, i. e. edixisse.] *Ter. Andr.* 1, 1, 75. Dicere diem nuptiis. *Id. Ad.* 5, 3, 10. Dictum inter nos fuit, ne tu curares meum, neve ego tuum. ℙ Pro praedicere, vaticinari. *Prop.* 4, 1, 49. tremulae cortina Sibyllae Dixit, Aventino rura pianda Remo. [*Ac de oraculis. V. *Burm.* ad *Eund.* 1, 9, 5.] *Tibull.* 1, 7, 61. Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas. Multa *Heins.* in hanc rem congessit ad illud *Ov. Her.* 5, 33. Illa dies fatum miserae mihi dixit. [*Adde inprimis *Drak.* ad *Sil.* 13, 819. et quos laudat, coll. *Wopk. Lectt. Tull.* p. 352. *ed. Hand.*] ℙ Pro commemorare. *Vell.* 2, 18. Mithridates, vir neque silendus, neque dicendus sine cura. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 42. Sunt etiam non ignobiles quidem, in transcursu tamen dicendi, Aristonides, Anaxander, etc. ℙ Pro appellare. *Juven.* 8, 244. Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit. *Virg. G.* 4, 355. et te crudelem nomine dicit. ℙ Est etiam unum e tribus solemnibus praetoris verbis. V. ADDICO. ℙ *Dicere honorem*, *salutem*, *causam*, *jus*, *delicias*, *dotem*, *testimonium* etc. V. in illis nominibus. ℙ *Dicor* est habeor, putor, censeor et usurpatur, ut *videor*. *Cic. N. D.* 3, 22. Aesculapius, qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur. Et *ib.* 18. Aristaeus olivae dicitur inventor. *Ter. Ph.* 5, 2, 2. Dum nimium dici nos bonos studemus. ℙ Impersonaliter. *Nep. Paus.* 5. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniae vixisse. [*V. intpp. ad *Suet. Oth.* 7 ubi eadem constructio, sed simul anacoluthon. *Tac. A.* 1, 10. *H.* 4, 54. Plura ex scriptoribus sequioris aetatis collegit *Heins.* ad *Ov. Fast.* 4, 507.] ℙ Ut dicitur, i. e. ut dici solet. *Cic. Or.* 3, 40. Quamvis sphaeram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius. ℙ Eleganter aliquando omittitur et facile intelligitur, cum aliquem loquentem inducimus. *Liv.* 1, 9. Legatos misit, qui connubium peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci etc. *Petr. Sat.* 34. Ut audivi veterem convivam: hic nescio quid boni debet esse, persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni. *Phaedr.* 1, 29. Repressit iram et, facilis vindicta est mihi. Adde *ib.* 30. et 4, 23. [*Praecipue hoc fit accusativo cum infin. posito. Cf. *Oud.* ad *Caes. B. C.* 2, 69. quem laudat *Hand.* ad *Wopk.* p. 61. Praeterea cf. *Drak.* ad *Liv.* 4, 20, 7. Saepe etiam latet in praecedente *negare*. V. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 2, 9, 25. et *ib.* 27, 88. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 2, 9. Frequentant hanc loquendi usum maxime Graeci. V. *Hermann.* ad *Viger.* p. 801.] ℙ In re oratoria aliud est *loqui*, aliud *dicere:* illud, breviter et sine ornamentis verba facere; hoc, copiose, ornate et ex arte. *Cic. Or.* 32. Aliud videtur esse oratio, nec idem loqui esse, quod dicere: disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit; oratorum autem dicendi et ornandi. Et *ib.* 39. *extr.* Nec aliud quidquam est dicere, nisi omnes aut certe plerasque illuminare sententias. *Id. Off.* 1, 1. Est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere. *Id. Tusc.* 1, 4. Aristoteles cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit etc. *Id. Acad.* 4, 43. Diserte copioseque dicere. Et *ib.* 47. eleganter. Et *Off.* 1, 1. gravissime et copiosissime etc. *Id. Or.* 2, 8. causas in foro. [*V. de hoc usu h. v. *Ern. techn. lat.* p. 123.] (Et *dicere* absolute pro *causas dicere*. *Id. Brut.* 49. In tam vetere republ. maximis praemiis eloquentiae propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos) *Id. Or.* 2, 23. contra quempiam pro aliquo apud centumviros. *Id. Inv.* 2, 48. a scripto, *et* contra scriptum. *Id. Att.* 11, 12. acerbe in aliquem. [*Cic. *Tull.* §. 4. quod antea nihil in istum dixi. *Heinrich.* ad h. l. conferre jubet de hac locutione *Sciopp. susp. lectt.* 3, 3. p. 124. — Significat vero etiam *dicere al. in aliquem* i. q. de aliquo. *Suet. Tib.* 21. versum illum in te posse dici. Comparat *B. Crus. Aug.* 53. quasi de ipso dictum. Adde *Ner.* 2. in hunc dixit. *Vita Pers. fin.* in se dictum. Nos: *auf Jem. etwas sagen.*] *Id. Opt. gen. Orat.* 4. de re privata ad unum judicem. *Id. Brut.* 20. ad populum. *Id. Dom.* 11. apud populum. Et *ib.* senatui, *h. e.* in senatu. *Senec. Controv. prooem.* 3. populo, *h. e.* apud populum. *Cic. Phil.* 5, 19. Dixi ad ea omnia, Coss., de quibus retulistis, *h. e.* dixi de omnibus vel respondi ad omnia. ℙ Ars dicendi est rhetorica. *Cic. Acad.* 1, 2. Nullam artem esse nec dicendi nec disserendi putant. *Id. Off.* 1, 1. Exercitatio dicendi. *Id. Partit.* 1. Doctrina dicendi. *Id. Brut.* 14. Dicitur etiam C Flaminius ad populum valuisse dicendo. ℙ *Dicebo* pro *dicam* est *Naevii* apud *Non.* 10, 17. Primum quod dicebo recte; secundum quod dicebo eo melius. *Cave.* ℙ *Dice* pro *dic* antiqui posue-

re, *Festo* teste: ubi alii legunt *dicem* pro *dicam*, quod usurpatum fuisse a *Catone*, testatur *Quint.* 1, 7., ut fuerit olim *dico, as*, et *dico, is*, unum et idem verbum. Hinc *dicassit* pro *dixerit*, apud eund. *Fest.* Ceterum *dice* imperativum legitur apud *Pl. Capt.* 2, 2, 109., *Curc.* 1, 2, 43.. *Bacch.* 4, 4, 65. et alibi. Usus est etiam *Virg.*, si fides habenda *Q. Rhemn. Palaemoni de Gramm.* p. 1382., item *Naevius* ap. *Fest.* in *Summussi.* ℙ *Dicier* paragoge est pro *dici. Pers.* 1, 28. ℙ *Dixti* et *dixis* syncope sunt pro *dixisti* et *dixeris. Cic. Caecin.* 29. apud *Quint.* 9, 3., *Ter. Andr.* 3, 1, 1., *Caecil.* ap. *Gell.* 7, 17. et *Pl. Asin.* 5, 1, 12. etc. Sic *dixe* pro *dixisse*, *Varr.* ap. *Non.* 6, 17., *Arnob. sub init. l.* 5., *Auson. in VII. Sap. in Lud. de Cleobul.* 8. et *Pl. fragm.* ap. *Non.* 2, 286., ubi tamen al. *dixisse.* ℙ [*Permutantur a librariis *dicere* et *docere*, V. supra quem laudavimus *Hand.* ad *Wopk. lectt.* p. 114. *Goer. ad Cic. Leg.* 1, 4, 13. ad *Fin.* 1, 14, 46. *Drak.* ad *Liv.* 39, 47, 3. Intpp. ad *Suet. Tib.* 9. *Rhet.* 4. — et *ducere*, *Goer.* ad *Cic. Leg.* 1, 24, 62. ad *Fin.* 4, 20, 36. maximeque *Drak.* ad *Sil.* 12, 221. — et *discere*, V. quos laudat *Drak.* ad *Liv.* 6, 25, 9. — et *credere*, *Id. ib.* 27, 27, 1. Intpp. ad *Suet. Tit.* 9.]

DICROTUM, i, n. et Dicrota, ae, f. *δίκροτον πλοῖον*, genus navis, quae duos remorum ordines habet, Graecis usitata, ut ex ipso nomine colligitur: a *δίς*, bis, et *κροτέω*, pulso, quia duplici remorum pulsu impellitur. Sunt qui putent, ita dictum, quod duplici gubernaculo, scilicet a prora et a puppi regeretur. Vox est adjectiva, et intelligitur aut *navigium*, aut *navis. Cic. Att.* 5, 11. *Ἀφραχτα* Rhodiorum et dicrota Mytilenaeorum habebam. et *ib. ep.* 16, 4. Domitius bona plane habet dicrota. *Hirt. B. Alex.* 47. Capit ex eo proelio triremes duas, dicrotas octo. ℙ In *Inscr.* ap. *Fabrett* p. 366. *n.* 122. legitur *bicrota* eod. sensu.

*DICTABOLARIUM, ii, n. idem ac dicterium. *Laberius* apud *Front. de orat.* (ed. *Maio*) 1. Ut Laberius dictabolaria, immo dicteria potius eum, quam dicta continere *ait. B.* in Lex.

DICTAEUS, a, um, adj. ad Dictem (qui Cretae mons est, teste *Plin.* 24, 17, 102.) pertinens: et ponitur etiam universim pro Cretensi. *Virg. G.* 4, 152. Apes Dictaeo coeli regem pavere sub antro. *Id. Ecl.* 6, 56. Dictaeae Nymphae. Ubi *Servius* adscribit, in eo monte Pasiphaen amasse taurum. *Id. A.* 3, 171. Dictaea arva. *Id. ib.* 4, 73. Dictaei saltus. *Id. G.* 2, 536. Dictaeus rex, *h. e.* Juppiter: sed apud *Ov. Met.* 8, 43. est Minos. *Claud. II. cons. Stil.* 208. Dictaeae astra coronae, *h. e.* Ariadnes Cretensis. *Sil.* 15, 634. Dictaeae pennae volitant, *h. e.* sagittae: quia Cretenses sagittandi peritissimi habiti sunt. Sic Dictaea arundo. *Id.* 13, 184.

*DICTAMEN, inis, n. *Gloss. φωρή. B. A.*

DICTAMNUS, i, f. et Dictamnum, i, n. *δίκταμνος* et *δίκταμνον*, [*Origanum dictamnus *L.*; nos *Diptam.*] herba est a Dicte Cretae monte ita appellata, pulegio similis, flore purpureo, caule foliis contecto, radice, et ramis tenuibus, fervens et acris gustu: vim habens in solis foliis extrahendi sagittas, uti *Virg. A.* 12, 412. et *Plin.* 8, 27, 41. et 25, 8, 53. docent. *Cic. N. D.* 2, 50. Feras in Creta herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur, quam, etc. *Plin.* 25, 8, 53. Veram dictamnum non nisi in asperis nasci. *et paulo supra.* Dictamnum ramis tenue, pulegio simile. ℙ *Id.* 26, 14, 87. Dictamnum pota sagittas pellit. *pota* dixit ad *herbam* respiciens. V. CENTAURUS. ℙ Legitur et *dictāmus* vel *dictāmum*, et Graece *δίκταμος* et *δίκταμον.* [At *Heynius* ad *Virg. l. supra c.* vitiose scriptum putat. *F.*] *Seren. Sammon. Medic.* 34. Relliquias partus dictami detrahit herba. Al. aliter leg.

DICTATIO, onis, f. dictandi actio. *Symm. ep.* 6, 4. Dictatione properata magis sollicitudini meae, quam consuetudini satisfeci. *Paul. Dig.* 29, 1, 4. Titius miles notario testamentum scribendum notis dictavit. Quaero, an haec dictatio valere possit? Adde *Sidon. ep.* 9, 9. *a med.*

DICTATIUNCULA, ae, f. brevis dictatio. *Hieron. adv. Vigilant. n.* 3. Auctores sunt hujus dictatiunculae meae sancti presbyteri.

DICTATOR, oris, m. summus magistratus apud Romanos (olim *magister populi*, et *praetor maximus* dictus) sed extraordinarius, qui periculosissimis reip. temporibus creabatur, et jus vitae necisque habebat, sine provocatione, quemadmodum reges habuerant: a *dico*, quod a consule dicerentur: vel a *dictum* seu *edictum*, quod ejus dicto audientes omnes essent: vel potius ob officio magistri in scholis dictantis litteras discipulis: unde et *magister* populi appellatus est. Hinc jocus C. Julii Caesaris apud *Suet.* 77. Sullam nescisse litteras, qui dictaturam deposuerit. et *Juven.* 2, 28. In tabulam Sullae si dicant discipuli tres. ℙ Quod sine provocatione esset, satis ostendunt duo *Livii* loca 2, 29. *sub f.* Agedum dictatorem, a quo provocatio non est, creemus. et 3, 20. *extr.* Dictatore opus esse reipubl., ut qui se moverit ad sollicitandum statum civitatis, sentiat, sine provocatione dictaturam esse. Adde 2, 18. Legimus quidem apud *eund.* 8, 33. provocatum esse adversus L. Papirium Cursorem, dictatoria severitate Q. Fabium Max. Rullianum magistrum equitum suum punire volentem: sed ea provocatio precaria magis fuit, quam legitima, ut colligitur praecipue e *cap.* 35. Quo sensu intelligendus videtur *Festus*, qui scribit in *Optima lex*, provocationem ab eo magistratu ad populum aliquando datam esse. ℙ Quo anno, quibus consulibus, quis primum creatus sit, non satis constat. Apud veterrimos auctores *Livius* 2, 18. scribit se invenisse, primum dictatorem fuisse creatum T. Lartium, qui erat consul cum L. Posthumio Cominio, anno U. C. 253. Alii ponunt M. Valerium M. filium, Volusi nepotem, ut *Festus* in *Optima lex:* quam sententiam *Liv. ib.* rejicit. [At *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 262. *ed. Pat.* (adstipulante *Barpt. Borghesio*, *N. Framm. de' Fast. cons. T.* 1. p. 44·) ex inscriptione *ib.* allata probat, primum Romae dictatorem fuisse an. U. C. 260. AE. VARR. Valerium Volusi F. Maximum, uti etiam constat ex *Liv.* 2, 30. *F.*] Prius non nisi e patriciis dictatorem legi fas fuit, postea etiam ex plebe, sed semper vir consularis eligebatur. Primus de plebe dictator creatus est C. Marcus Rutilus anno 398. bello cum Faliscis et Tarquiniensibus: qui etiam magistrum equitum primum de plebe C. Plautium dixit, ut *Liv.* 7, 17. narrat. ℙ Dicebatur a consule tantummodo, nec poterat a populo creari, nisi prodictator, teste *eodem* 22, 8. et 31. V. et 27, 5. Dicebatur autem captatis auspiciis, oriente nocte, et silentio, ut *Id.* docet 9, 38. et 8, 23. et 4, 21. *extr.* Sed tamen cum aliquando Vejentes castra Romana cepissent, A. Cornelius Cossus tribunus militum Mamercum Aemilium dictatorem dixit. Scil. quia tribuni militum erant potestate consulari. *Id.* 4, 31. ℙ Duae secures cum viginti quatuor fascibus dictatorem praecedebant. ℙ Designabant sibi ministrum, qui magister equitum vocabatur, et erat dictatori, ut tribunus Celerum regi, praefectus praetorio Caesaribus. ℙ Designato dictatore, omnes magistratus, ut consules, praetores, etc. suam amittebant potestatem, praeter tribunos pl. et magistratus illos, qui regum tempore fuerant. ℙ Hoc imperium semestre tantum esse voluerunt, ut est apud *Cic. Leg.* 3, 3. et apud *Liv.* 23, 23., ne in tyrannidem verteretur: nisi aliter reipubl. necessitas exigeret. Nam quod L. Sulla, et C. Jul. Caesar diutius detinuere, leges palam contempserunt. ℙ Equo vehi vetabatur; idque ob eam causam, quod cum militiae R. robur praecipuum esset in pedestribus copiis, debebat in legione permanere, ne locum desereret: vel quod cum in ceteris maxima esset, et prope tyrannica auctoritas, in hoc voluerint, eum populo inferiorem videri. Haec *Plut.* in *Fabio.* Ex *Livio* tamen colligimus, 23, 14. solitos fuisse dictatores, ad bellum exeuntes, ferre ad populum, ut solius belli causa equo uterentur, in omni alia jurisdictione equum habere prohiberentur. ℙ Praeter imminens reipubl. grave bellum, aliae quoque fuere causae dictatoris creandi, ut comitiorum consularium habendorum, *Liv.* 7, 26. et 8, 16. et 23. et 27, 5. etc. clavi figendi tempore pestilentiae, vel secessionis, aut seditionis causa, *Id.* 4, 13. et 7, 3. et 8, 18. exercendae extraordinariae quaestionis, *Id.* 9, 26. ludorum faciendorum, *Id.* 8, 40. et 27, 33. legendi senatus, *Id.* 23, 22. et 23. feriarum constituendarum, *Id.* 7, 28. V. etiam 30, 24. Denique ut esset, qui ludis Romanis signum mittendis quadrigis daret, praetore aegrotante, quod tamen in dubio relinquit *Id.* 8. *in f.* Haec fere omnia habentur etiam in *fragm. Capitolin.* ap. *Grut.* et seqq., ubi *dictator rei gerundae causa* dicitur, quoties gravis belli imminentis causa creatus est. ℙ Apud alios quoque Latii populos dictator in usu fuit, et quidem alicubi etiam ordinarius, ut Lanuvii, teste *Cic. Mil.* Caeritum, *Inscr.* ap. *Grut.* 214. Albanorum, *Liv.* 1, 23. etc. [Fidenis vero duo erant dictatores, uti constat ex *Inscr.* apud *Amadutium*, *Anecd. litter. T.* 1. p. 463. *F.*] Quin *Cato* ap. *Gell.* 10, 20. Annibalem *dictatorem Carthaginiensium* appellat. ℙ [Translate. *Front. de fer. Als.* (ed. *Maio*) *ep.* 1. Numa epulorum dictator, cenarum libator, feriarum promulgator. *F.*]

DICTATORIUS, a, um, adj. ad dictatorem pertinens. *Liv.* 4, 14. Dictatoria majestas. *Id.* 6, 39. Dictatorium fulmen intentatum in aliquem, *h. e.* quod apud *Vell.* 2, 68. Dictatoria animadversio. *Cic. Cluent.* 44. Dictatorius gladius. *Liv.* 7, 4. juvenis, *h. e.* dictatoris filius.

DICTATRIX, icis, f. quae dicit agenda, praecipit, imperat. *Pl. Pers.* 5, 1, 18. Tu hic eris dictatrix nobis.

DICTATURA, ae, f. dictatoris dignitas et potestas. *Cic. Off.* 3, 31. Dictaturam gerere. *Liv.* 6, 39. Dictatura abdicata et inita. *Id.* 7, 3. *extr.* Abire dictatura. *Cic. Phil.* 1, 2. Antonius dictatoris nomen, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam funditus e republica sustulit.

DICTATUS, a, um, part. *dicto*, ad discendum seu repetendum propositus. *Juven.* 6, 390. dictataque verba Protulit. *Sil.* 10, 448. Jurare sacramenta dictata. *Dictata* absolute sunt ea, quae magistri in ludo pueris dictant addiscenda. *Hor. Ep.* 1, 1, 55. haec recinunt juvenes dictata senesque. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Orationem eam pueri omnes, tanquam dictata, perdiscant. *Id. Fin.* 4, 4. Iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. *Id. N. D.* 1, 26. Ista a vobis quasi dictata redduntur, quae, etc. *Ascon.* in *Div. Verr.* 14. Dictata pueris praebere. *Pers.* 1, 29. Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendas? *Juven.* 5, 122. Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello, donec peragat dictata magistri Omnia, *h. e.* omnia praecepta, et gestus carptoris magistri. *Suet. Caes.* 26. Dare dictata tironibus gladiatoribus, *h. e.* praecepta artis gladiatoriae. Adde *Tert. ad Mart.* 1. et *Hieron. praef.* 13. *commentar. in Ezech.*

DICTERIUM, ii, n. *δειχτήριον, σκῶμμα*, [*ἀπόφθεγμα*] jocus, dictum salsum et acutum, breviter et acute dictum. *Mart.* 6, 44. Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 249. Addunt alii et locum *Cic. fragm. ep.* ap. *Macr. Sat.* 2, 1., sed ibi *dicta* legendum est. [*V. de his ll. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 29, 104.]

DICTIO, onis, f. actus dicendi. *Cic. Inv.* 2, 4. Dictio sententiae. *Ter. Ph.* 2, 1, 63. testimonii. ℙ Item id ipsum, quod dicitur, vox, verbum, *λέξις, ῥῆμα, λόγος. Quint.* 9, 1. *post in.* Tropus, ut plerique grammatici finiunt, est dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est: Figura est conformatio quaedam orationis, etc. Addunt et verba *Catonis* in *Originib.* Neque dictio Herculis est Graeca, sed Aegyptia. Sed *Cellar.* in *Cur. post.* non *Catonis*, sed *Annii Viterb.* illa esse contendit: in loco etiam *Quintiliani* lites excitat: quas refellere conatur *Andr. Borrich.* in *Vindic. Latin.* Ceterum *dictionem* hoc sensu adhibuere veteres grammatici. *Quint.* 1, 5. Verborum duplex intellectus est, alter, qui omnia, per quae sermo nectitur, significat: alter, in quo est una pars orationis, lego, scribo: quam vitantes ambiguitatem, quidam dicere maluerunt voces, dictiones, locutiones. *Scaurus* ap. *Diomed.* 1. p. 275. Oratio est compositio dictionum, consummans sententiam, remque perfectam significans. ℙ Item loquendi modus, phrasis. *Gell.* 7, 9. post allata antiqua praeterita *memordi, peposci*, etc.: Ratio dictionum haec esse videri potest, quoniam Graeci in quadam specie praeteriti temporis secundam verbi litteram in ε vertunt, *γράφω, γέγραφα. Id.* 11, 3. *dictiones* vocat, cum dicitur *pro collegio, pro testimonio, pro castris*, etc. *Tiro Tullius* ap. *eund.* 10, 1. Cicero persuasit, ut neque *tertio*, neque *tertium* scriberetur, sed ad secundum usque *t* fierent litterae, ut res quidem demonstraretur, sed dictio tam ambigua verbi lateret. ℙ Item genus dicendi, ratio et forma orationis. *Cic. Or.* 1, 6. Seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus versaretur. ℙ Item oratio, sermo. [*Semper de orationibus in judiciis vel concionibus habitis; (oratorum enim proprium est *dicere*), nunquam vero de philosophorum disputationibus dici contendit *Ern. techn. lat.* p. 123. *in f.* Sed ut hoc verum sit apud antiquiores; apud sequioris aetatis scriptores interdum est simpliciter i. q. sermo. *Auct. Dial. de Orat.* 2. ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperet, i. e. sermonem eorum domesticum et familiarem, *Oberlin.* intp., coll. *ib.* 34.] *Cic. Or.* 1, 15. Quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda. et *ib.* 33. Exercere se in subitis dictionibus. [At *Front. ad M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 5, 3. Unum verbum de oratione ablega, et quaeso, ne unquam eo utaris, dictionem pro oratione. *F.*] ℙ *Dictio causae* est causae actio, ejus praesertim, qui defendit. *Id. Quint.* 10. Totam causae meae dictionem certas in partes dividam. *Liv.* 7, 5. Remittere alicui dictionem causae. *Cic. Brut.* 73. Malim mihi L. Crassi unam pro M'. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos. Adde *Caes. B. G.* 1, 4. ℙ [*Dictio multae* est idem quod irrogatio, indictio multae. *Cic. Rep.* 2, 9. Multaeque dictione ovium et boum, non vi et suppliciis plebem Romulus coercebat. *F.*] ℙ Speciatim sumitur pro oraculi responso, *χρησμός. Accius* apud *Auct. ad Her.* 2, 26. Aperte fatur dictio, si intelligas, etc. *Liv.* 8, 24. Alexandro accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acherusiam aquam. Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 7. Eodem sensu adhibentur etiam *Dictum*, V. DICTUM et *Dico*, V. DICO.

DICTIOSUS, a, um, adj. dictis abundans, dicax, facetus. *Varr. L. L.* 5, 7. A dico appellatum dictum in mimo ac dictiosus.

DICTITO, as, avi, atum, n. 1. *πολλάκις λέγω*, saepe dico. *Cic. Verr.* 1, 2, 2. Qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent. *Ter. Ph.* 5, 1, 16. Quid? non obsecro es, quem semper te esse dictitasti? *Cic. Dom.* 6. *extr.* Meo adventu annonae vilitatem fore, boni viri dictitabant *Caes. B. C.* 3, 22. Coelius profectus, ut dictitabat, ad Caesarem, pervenit

Thurios. *Cic. Fam.* 1, 9. Dictitare in sermonibus. *Pl. Trin.* 1, 2, 62. Male dictitatur vulgo tibi in sermonibus, *h. e.* saepe tibi maledicitur. ℙ Saepe est ejus, qui facto suo excusationem praetendit [*i. e. rationem afferre, causam interserere.]. *Caes. B. C.* 3, 32. In singulos conventus pecuniae imperabantur: mutuasque illas ex S. C. exigi dictitabant. *et paulo supra.* Dictitabant enim, se domo expulsos, etc. *Liv.* 1, 49. Socerum sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse, dictitans. Adde *Nep. Lys.* 1. [*V. de hac significatione *Cort.* ad *Sall. Cat.* 22, 2. et *Exc.* ad h. l. p. 399. coll. *Kritz. ib.*] ℙ *Dictitare causas* est agere, in foro oratorem versari. *Cic. Or.* 2, 13. Ne hunc quidem ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt. ℙ [*Saepe a librariis pro *dictitare* substituitur *dictare.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 20. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 14, 58. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 7, 14. Intpp. ad *Suet. Caes.* 30. ad *Tac. A.* 1, 72.]

DICTO, as, avi, atum, a. 1. *ὑφηγοῦμαι, ὑπαγορεύω*, frequentat. a *dico:* est dicere, et lente enunciare, quae alius excipiat. *Cic. Att.* 13, 9. Non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. *Id. ib.* 7, 13. *extr.* Si scriberem ipse, longior epistola fuisset: sed dictavi propter lippitudinem. *Suet. Ner.* 52. Versus dictante aliquo excepti. *Pers.* 1, 52. Dictare elegidia, *h. e.* componere, facere. *Hor. Sat.* 1, 4, 10. versus. [*Mos dictandi imperatorum Romm. tempore valde invaluit. Quaecunque eo pertinent collegit *Gesner.* ad *Quint.* 10, 3, 18., cf. *ed. Frotscher.* p. 148. sq.] *Juven.* 8, 82. perjuria. *Val. Fl.* 1, 685. miseris dictat pia vota sacerdos. ℙ Saepe est magistrorum proponentium pueris, quae addiscant. *Hor. Ep.* 2, 1, 69. delendave carmina Laevi Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo Orbilium dictare. ℙ Est etiam praescribere, praecipere. *Quint.* 11, 3. *a med.* Nonnunquam ad librarios suos ita respiciunt, ut sportulam dictare videantur. *Juven.* 11, 59. pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. ℙ *Dictare testamentum, codicillos* est facere: et dicitur tum de testatore ipso, tum de alio quovis, qui nomine testatoris tabellioni scribenti praeeat. *Suet. Tib.* 22. et *Ner.* 32. Sic *Maecian. Dig.* 32, 93. Fidei ejus committo, uti det quantas summas dictavero, dedero. *Juven.* 6, 217. Non unus tibi rivalis dictabitur heres. [*Et absolute: *Hor. Sat.* 2, 3, 76. Putidius multo cerebrum est mihi crede, Perilli Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis, i. e. credentis, ut explicat *Cruq.*, quia, inquit, quum damus, dicimus, scribe cautionem pro ea pecunia. Sed V. intpp. ad h. l.] ℙ *Dictare actionem* est alicui in jure petenti orationem scribere, qua jus suum persequatur. *Suet. Rhet.* 2. Hunc Coelius dictitabat dictasse Atratino accusatori suo actionem. ℙ Apud JCtos *dictare actionem, judicium* est instituere et inferre. *Papinian. Dig.* 15, 1, 50., *Scaev. ib.* 41, 9, 3. et *Paul. ib.* 9, 4, 22. etc. ℙ Translate est suadere, suggerere, docere. *Quint.* 3, 4. *a med.* Et tutissimum est auctores plures sequi, et ita videtur ratio dictare. *Id.* 8. *prooem. a med.* Quibus sordent omnia, quae natura dictavit. *Plin.* 26, 4, 9. Adjiciemus herbas, ut quasque ratio dictaverit. *Quint.* 2, 15. Recordatio meritorum, vel facies aliqua miserabilis sententiam dictat. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *ante med.* Ipsis rebus dictantibus. ℙ Pro dictitare: quae prima est hujus verbi sententia. *Gell.* 4, 1. Et hoc penus et haec penus, et hujus peni et peneris veteres dictaverunt.

DICTOR, oris, m. qui dicit. *August. Doctr. Christ.* 4, 19. Cum doctor iste debeat dictor esse rerum magnarum. *Id. Faust.* 16, 26. O hominem se cogitantem dictorem, et alium non cogitantem contradictorem!

DICTRIX, icis, f. agnoscitur tanquam Latina vox a *Cledon. Gramm.* p. 1892., nullo tamen confirmatur exemplo.

DICTUM, i, n. *ῥῆμα, λόγος*, verbum, vox, sermo. *Cic. Fam.* 1, 9. *post med.* Nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Caesare intercessit, quod ille non illustri gratia exceperit. *Ter. Ph.* 3, 3, 8. Dictum sapienti sat est. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. Oppugnare aliquem ob dictum. *Quint.* 5, 7. Moveri dictis alicujus. *Sall. Jug.* 52. Dicta cum factis componere. [*V. de hac significatione *Drak.* ad *Liv.* 7, 33, 3.] ℙ Illa poetica sunt. *Virg. A.* 4, 54. Inflammare aliquem dictis. et *ib.* 219. Talibus orantem dictis, etc. et *ib.* 394. Dictis avertere curas. et *ib.* 5, 387. Castigare dictis aliquem. *Id. ib.* 1, 667. Dictis affari quempiam. *Id. ib.* 4, 92. Aggredi dictis aliquem, *h. e.* quod dixit *Val. Fl.* 7, 451. Compellare dictis. *Virg. A.* 10, 368. Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris. *Id. ib.* 3, 379. Expedire dictis, *h. e.* narrare, docere, exponere. *Id. ib.* 2, 790. et *Liv.* 3, 61. Haec ubi dicta dedit, *h. e.* postquam haec locutus est. [*V. de hac loquendi formula, *Livio* familiari, *Drak.* ad 7, 33, 11.] Sic *Ov. Fast.* 4, 664. Edere dicta. *Id. Met.* 8, 717. Mutua dicta reddere, *h. e.* colloqui. *Val. Fl.* 2, 601. Reddere alicui dicta. *Ov. Fast.* 2, 375. et *ib.* 3, 515. Dicta facere. ℙ Dicto citius, i. e. citius quam dici potest. *Hor. Sat.* 2, 2, 80. et *Virg. A.* 1, 146. Sic *Liv.* 23, 47. Dicto prope citius. ℙ *Cum dicto* est statim, nulla post dictum mora interposita. *Appul. Met.* 2. Cum dicto facesso. Adde *Capell.* 9. p. 302. ℙ Aliquando *dictum* est promissum. *Furius* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse Commemorat. ℙ Item jussum, praeceptum. *Cato R. R.* 142. Villicus domino dicto audiens sit. V. AUDIO. *Virg. A.* 3, 189. Parere dicto. *Ov. Met.* 8, 814. Peragere dicta. [*Liv.* 22, 25. contra dictum suum. Cf. 8, 34.] ℙ Item proverbium, sententia. *Cic. Flacc.* 29. Catonis est dictum, pedibus compensari pecuniam. *Lucr.* 3, 12. Depasci aurea dicta e chartis. ℙ Aliquando libri ipsi *dicta* vocantur. *Prop.* 4, 1, 61. Ennius hirsuta cingat sua dicta corona. ℙ Item responsum oraculi, vaticinatio. *Virg. A.* 2, 115. ex adytis haec tristia dicta reportat. *Val. Fl.* 2, 325. Dicta placent, etc. V. locum, et DICTIO et DICO. ℙ Saepe est brevis, faceta, salsa, et acuta vox, qua cum risu aliquem perstringimus ac pungimus: et generatim quidquid bene dicitur, et urbane, ut est apud *Quint.* 6, 3. jocus, dicterium, sales, *ὀκῶμμα, γνώμη. Cic. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 1. Nostri, quae, facete, et breviter, et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. *Id. Or.* 2, 54. Bona dicta, quae salsa sint, ea dicta appellantur proprio jam nomine. *Id. Phil.* 2, 17. Materia facilis, in te et in tuos dicta dicere. *Quint.* 6, 3. *ante med.* Potius amicum, quam dictum perdere. [*Hinc *Suet. Caes.* 56. dicta collectanea i. e. *ἀποφθέγματα.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 29, 104., praecipue vero *Duker.* ad *Liv.* 7, 33, 3. et quos ibi laudat.] ℙ Item convicium, maledictum, contumelia. *Pl. Ps.* 1, 3, 125. Jam ego te differam dictis meis, impudice. [*Accuratius loquitur *Liv.* 23, 46. nec bene nec male dicta profuerunt ad confirmandos animos i. e. exhortationes — probra.] ℙ Apud *Ennium* [*imo *Livium Andronicum*] accipitur pro dicendi facultate. Ita enim ille apud *Cic. Brut.* 18. Cum neque Musarum scopulos quisquam superaret, Nec dicti studiosus erat. ℙ Pro facto poni videtur a *Pl. Cas.* 5, 4, 17. Feci ego istaec dicta, quae vos dicitis, *h. e.* feci, quae vos dicitis. Simile est illud *Ter. Heaut.* 4, 5, 12. Dictum factum reddidi.

DICTURIO, is, n. 4. dicere cupio, dicere molior. *Macr. Sat.* 7, 2. Fortiter a se facta semper dicturiunt: et tamen tacent arrogantiae metu. *Id.* 2, 3. *extr.* Ne ultra te dicturientem retardem.

DICTUS, a, um, part. a *dico*, totidem significationes habet, quot dico. *Nep. Alc.* 8. Id vere dictum Philocles animadvertebat. [*Hor. Sat.* 2, 2, 56. Cui canis ex vero dictum cognomen adhaeret. Al. *ductum.* V. *Hdf.*] *Liv.* 23, 22. *ad f.* Id omnium maxime tegendum, obliviscendum, pro non dicto habendum. ℙ Aliquando est consecratus, dicatus. *Virg. A.* 6, 138. Ramus aureus Junoni infernae dictus sacer. ℙ Item appellatus. *Id. A.* 7, 411. locus Ardea quondam Dictus avis. ℙ Item promissus, pactus. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 122. Prius data est, quam tibi dari dicta. *Afran. ib.* Nuptiae dictae inter nos. *Sall. fr. ib.* Pecunias dictas coegit. [*V. *Cort.* ad h. l. p. 958.] ℙ Item constitutus. *Ov. Met.* 4, 95. dictaque sub arbore sedit. ℙ Item commemoratus, laudatus. *Val. Fl.* 2, 244. non ulla meo te carmine dictam Abstulerint, durent Latiis modo saecula fastis. ℙ Item creditus, putatus. *Hor. Od.* 2, 19, 26. de Baccho: Choreis aptior et jocis dictus. ℙ *Dictum factum* et *dictum ac factum* celeritatem significat, et post verba rem statim secutam, *ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, λεχθὲν καὶ πραχθέν. Ter. Andr.* 2, 3, 7. Dictum ac factum, invenerit aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. *Id. Heaut.* 5, 1, 31. Dictum factum, huc abiit Clitipho. *Id. ib.* 4, 5, 12. Dictum ac factum reddidi, *h. e.* statim feci. [*Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 5. Aesculapio dictu et factu Isochrysus, *h. e.* statim atque Aesculapius in somniis admonuit, Isochrysus fecit. *F.*]

DICTYNNA, ae, f. *Δίκτυννα*, Diana, quam esse Lunam putant, dicta, quod fulgore suo noctu omnia ostendat. Ita *Festus:* qui videtur derivare a *δείκνυμι*, ostendo. Sed verius a *δίκτυον*, recte, quia unam comitum suarum retibus ipsa servaverat. Hinc *Diod. Sicul.* 5, 15. docet, hoc esse cognomen Britomartis Nymphae Cretensis. V. dicta in APHAEA, et *Heynium Exc.* ad *Virg. Cir. F.*] *Stat. Th.* 9, 632. Mitis Dictynna. *Ov. Met.* 2, 441. suo comitata choro Dictynna per altum Maenalon ingrediens, et caede superba ferarum. ℙ [*Item oppidum Cretae. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 4, 12. *B. A.*]

DICTYNNAEUS, a, um, adj. *Δικτυννᾶιος*, ad Dictynnam pertinens, ut *Dictynnaeus mons* in Creta, unde se Dictynnam in mare praecipitasse, quidam tradunt. V. APHAEA. *Plin.* 4, 12, 20. et *Solin.* 11. ℙ *Dictynnaeum* ap. *Liv.* 34, 38. est locus Dictynnae sacer prope Spartam. Scribitur et *Dictynneus.*

*DICTYOTA, *δικτυωτὰ*, opera, quae Latini *Reticula* vocant; ita dicta, quod in hoc aedificii genere tessellae macularum, quae in reti conspiciuntur, similitudinem referant. *Plin.* 36, 22. Dictyoton vocant reticulatam structuram, quam frequentissime Romae struunt, rimis opportunam. ubi tamen in vulgatis codicibus legitur *Dictyotheton. Harduinus* legit *Diamicton*, quod V. *B. A.*

DICTYS, ys et yos, m. *Δίκτυς*, unus e Centauris fuit a Pirithoo interfectus. *Ov. Met* 12, 334. ℙ Item Neptuni filius ex Agamede filia Augei. *Hyg. fab.* 157. ℙ Item piscator quidam Seriphius, qui inventam arcam, qua Danae cum Perseo filio inclusa in mare projecta fuerat, extraxit puerumque educavit. *Stat. Silv.* 2, 1, 95. ℙ Dictys Cretensis, Trojani belli, ut quidam existimarunt, aequalis, de eo Graece scripsit volumina sex, quae Latine versa exstant. Quis vero ejus versionis sit auctor, adhuc est dubium, aliis Q. Septimium Severum Romanum esse opinantibus, qui vixit Diocletiani, vel ut alii volunt, Constantini M. aetate, vel, ut alii, saeculis aliquot post: aliis ipsum Cornelium Nepotem: qui tamen facile refelluntur ex stilo. Est enim hujusmodi, ut non solum a puritate et elegantia Nepotis longe discedat, sed ad sequioris argentei aevi scriptores proxime accedat. V. si lubet longam de eo dissertationem *Jac. Perizonii.*

[DIDASCALICE, es, f. nempe ars. *Diomed.* 3. p. 480. Exegetici vel enarrativi (poematis) species sunt tres, angeltice, historice, didascalice . . . . Didascalice est, qua comprehenditur philosophia, ut libri Varronis, Empedoclis et Lucretii. Item astrologia, ut *φαινόμενα* Arati et Ciceronis, et Georgica Virgilii, et his similia. *F.*]

DIDASCALICUS, a, um, adj. *διδασκαλικὸς*, ad docendum pertinens: a *διδάσκαλος*, magister, quod a *διδάσκω*, doceo. *Auson. epist.* 17. Ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem. *Accius* vetus poeta libros suos quosdam *Didascalicos* inscripsit, teste *Gell.* 3, 11. et *Prisc.* 6. p. 709.

DIDITUS, a, um, part. a *dido*, sparsus, disseminatus, distributus. *Lucr.* 3, 477. cur hominem, cum vini vis penetravit Acris, et in venas discessit ditus ardor, Consequitur gravitas membrorum? *Virg. A.* 8, 132. tua terris didita fama. *Sil.* 1, 181. Fama in populos jurati didita belli. *Lucr.* 5, 2. Solatia dita per gentes. *Tac. A.* 11, 1. Dita fama per provincias. Al. aliter leg. ℙ [*Saepe enim confunditur cum *deditus.* V. intpp. ad *Liv.* 7, 31, 4.]

DIDIUS, a, um, adj. ad Didium pertinens, quod est nomen proprium civis Rom. Hinc *lex Didia* ad sumptus pertinens, lata an. U. C. 611. Appio Claudio Pulcro, Q. Metello Macedonico Coss., ut universa Italia, non sola Urbs lege sumptuaria teneretur: et ut non soli qui prandia coenasve majore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas vocitati essent, atque omnino interfuissent, poenis legis tenerentur. *Macr. Sat.* 2, 13. ℙ De alia lege Didia, V. CAECILIUS, a, um. ℙ *M. Didius Julianus* Mediolanensis an. a Chr. n. 193. imperium Romae a praetorianis turpiter mercatus post duos circiter menses senatus jussu obtruncatus est. Ejus vitam scripsit *Aelianus Spartianus*, quem consule. ℙ [Gentis Didiae nummos refert *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 201., in quorum uno *Deidius* antique pro *Didius* legitur. *F.*]

DIDO, us et onis, f. *Διδώ*, alio nomine Elisa seu Elissa, filia Beli Tyriorum regis, quae primis nuptiis Sichaeo Herculis sacerdoti juncta fuit; quem cum Pygmalion Elisae frater, thesauris ejus inhians, ante aram obtruncasset, illa in somnis monita, cum iis, quibus Pygmalionem invisum esse sciebat, effossis clam thesauris, navem conscendit et in eam Africae partem, quae Zeugitana dicitur delata, tantum sibi soli emit, quantum taurino corio posset circumdare. Quo in loco cum corium in tenuissimas partes dissecuisset spatiumque satis amplum complexa esset, urbem condidit, quam Carthaginem appellavit, arcemque in medio urbis, quam a corio bubulo Byrsam vocavit. Deinde cum Iarbas Getuliae rex nuptias ejus ambiret, recusantemque vi et armis cogeret, sibi ipsi manus intulit. *Justin.* 18, 4, 5. et 6. ℙ *Virg. A.* 1. et 4. fabulatur, Aeneam, capta Troja, a patria profugum vi tempestatis Carthaginem fuisse delatum Elisamque amore ejus captam, cum praeter spem desereretur, mortem sibi conscivisse. ℙ Post mortem a Carthaginiensibus pro Dea culta est. *Justin.* 18, 6. ℙ Ad declinationem quod attinet, utramque, quam posuimus, agnoscit atque usurpat *Servius* ad *A.* 4, 383, 674, 694. et alibi. *Enn.* ap. *Prisc.* 6. p. 685. Poenos Didone oriundos. *Ov. Her.* 7, 7. miseramque relinquere Dido. Adde *ib.* 133. et *Vell.* 1, 6., ubi *Dido* in quarto casu legitur. Al. tamen apud *Ov.* legunt *Didon.* At apud *Charis.* 1. p. 102. Attejus philologus librum suum inscripsit, *An amaverit Didun Aeneas.* Ceterum *Dido* est usitatius. *Virg. cit. A.* 4. et nomine Dido Saepe vocaturum. [Etiam *Didus* in recto casu usurpavit *Symm. in Valentinian.* (ed. *Maio*) 2, 5. Didus circumcisi tergoris ausit dedecus emptionis. *F.*] Ge-

nitivus *Didus* usurpatur a *L. Annaeo Cornuto* apud *Charis. ib.* Hospitio Didus exceptum esse Aenean. Dativus *Dido* a *Silio* 8, 233. ℙ *Serv.* ad *A.* 1, 344. nomen ejus proprium docet fuisse Elissam, (quemadmodum et *Justin.* semper appellat) cognomen vero Dido, inditum ei a Poenis post mortem: id Punica lingua significare *virago*, quod forti animo se interfecerit, ne cuiquam Afrorum regum nuberet. Auctor *Etymologici M.* eadem cum *Servio* docet, nisi quod *Dido* interpretatur *πλανῆτιν*, errantem.

DĪDO, is, dīdi, dīditum, a. 3. *θρύλλέω, διανέμομαι*, distribuo, spargo, dissemino: a *di*, seu *dis* et *do*, *das*, quasi huc illuc do: vel a *divido* per syncopen. [**Cic. Cael.* 16. e *Caecilio:* dide ac dissice per me licebit. Vocabulum, inquit *Ern.* in *Cl.*, antiquioribus poetis, inprimis *Lucretio*, usitatissimum, in quo corrumpendo frequentes fuere librarii. V. *Drak.* ad *Sil.* 1, 187. et quos ibi laudat.] *Lucr.* 2, 1134. Diditur in venas cibus. *Hor. Sat.* 2, 2, 67. hic neque servis, Albuci senis exemplo, dum munia didit, Saevus erit. *Virg. A.* 7, 144. diditur Trojana per agmina rumor. *Lucr.* 6, 1. Primae frugiferos fetus mortalibus aegris Dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae. [*Pl. Merc. prol.* 58. Amoris vi diffunditari ac didier. ℙ Scribitur et *disdo. Cato* ap. *Front.* ad *M. Antonin. Aug.* (ed. *Maio*) *ep.* 1, 2. Nunquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi. *F.* ℙ *Saepe confunditur cum *dedere*. V. intpp. ad *Virg. A.* 7, 144. ad *Liv.* 7, 31, 4.]

DIDOROS, i, *δίδωρος*, qui est duorum palmorum. Graeca vox a *δίς*, bis, et *δῶρον*, palmus. Graeci enim antiqui ita appellarunt, testibus *Plin.* 35, 14, 49. et *Vitr.* 2, 3., unde et munera eodem nomine dixere, quia palma manus darentur, ut *Id. ib.* docet. Est autem *didoron* epitheton laterum coctilium. *Vitr. ib.* Laterum genera tria: unum quod Graece *δίδωρον* appellatur, id est quo nostri utuntur, longum pede, latum semipede. *Plin.* eadem habet *loc. cit.*, sed utroque loco quaedam editiones Latinis litteris *didoron* exhibent. *Hard.* vero apud *Plin.* quidem ex MSS. legit *Lydion:* eodemque modo putat legendum esse in *Vitruvio*, [ideoque *Schneiderus* ita etiam edidit. *F.*] ℙ Ex eadem origine sunt *pentadoron*, a *πέντε*, quinque; et *tetradoron*, a *τετρᾶς*, quaternio, nempe lateres quinque aut quatuor palmorum. *Vitr.* et *Plin. l. c.*

DIDRACHMA, ātis, n. et Didrachmum, i, n. *δίδραχμον, δίδραχμα*, nummus duas drachmas continens. *Sedul.* 3, 316. Hamum ferre jubet, gerulum didrachmatis aurei. *Tert. Praescr.* 11. Perdiderat unam ex decem didrachmis anus illa. *Hieron. in Matth.* 3, 10. Stater dicitur, qui duo habet didrachmata.

DIDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. *διαντέλλω, διαιρέω*, in diversas partes duco, *h. e.* traho, distraho, dirimo, separo, divido, aperio: cui contrarium est conducere, contrahere, jungere. *Cic. Or.* 32. Pugnum diducere et manum dilatare. *Cels.* 8, 22. pedem et crus in diversa. *Id.* 7, 7. *n.* 4. Diducendus quotidie oculus est, ne cicatrice inter se palpebrae gluninentur. [**Virg. G.* 2, 354. diducere terram ad capita. V. *Voss.*] *Ov. Met.* 8, 587. fluctus continuam diduxit humum. *Juven.* 10, 153. de Annibale: Diducit scopulos et montem rumpit aceto. *Hor. Sat.* 1, 10, 7. risu diducere rictum auditoris. *Sil.* 3, 194. Serpens immani fauces diducit hiatu. *Ov. Met.* 2, 560. Nodos manu diducere. *Id. ib.* 13, 264. et *Juven.* 13, 132. vestem summam. [*Cf. *Hand.* ad *Gron. diatr.* in *Stat.* 1. p. 558.] *Caes. B. G.* 6, 34. Dimittendae plures manus, diducendique erant milites. [**Liv.* 31, 21. diducere cornua. V. *Duker.* ad 5, 38. *Id.* 26, 41. diduxerunt exercitus.] *Cato R. R.* 155. Incilia aperire, aquam diducere in vias. *Tac. A.* 2, 11. Distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. *Prop.* 1, 13, 19. Diducere complexus. ℙ Diducere cibum *Celso* 3, 4. *sub f.* est digerere et in omnes corporis partes dividere. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 325. Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere. *Petr. Sat.* 108. et *Colum.* 9, 9. *a med.* Diducere turbam in partes. Sic *Tac. H.* 4, 6. Ea ultio, incertum, major an justior, senatum in studia diduxerat. Et *Curt.* 9, 1. *a med.* Seditio in diversa consilia diduxerat vulgum. *Quint.* 7, 10. In duas partes diducitur intellectus nominis. Et *mox.* Causam universam in quaestiones ac locos diducere. *Id.* 2, 14. aliquid in species. [**Plin. Pan.* 66. Neque enim, ut in sterili jejunaque materia, eandem speciem laudis diducere ac spargere atque itentidem tractare debemus. Cf. *Schwarz.* ad h. l.] *Cels. praef.* in tres partes medicinam. *Quint.* 11, 1. *a med.* argumenta in digitos, i. e. singula ope digitorum enumerare. [*Agit de hac significatione *Ern. techn. Lat.* s. v. *congeries* p. 83.] *Id.* 10, 7. animum in multiplex officium. *Cic. Inv.* 2, 16. communes locos in contrarias partes. *Quint.* 1, 4. vocabulum ab appellatione, i. e. distinguere. [**Cic. Or.* 3, 44. vastius diducere verba. Id fit, quum ultima et prima duarum vocum littera non coeunt tanquam in unum verbum, e. g. magno utique.] *Id. Decl.* 14, 6. maritos a conjugum caritate. *Cic. Inv.* 1, 55. Diduci ab eo, quicum libentissime vixeris. *Suet. Oth.* 3. Diducere matrimonium, i. e. solvere. *Prop.* 2, 6, 4. diducere amantes Non queat invitos Juppiter ipse duos. *Colum.* 3, 13. *sub f.* litem, *h. e.* dirimere. ℙ [*De confusione vv. *diducere* et *deducere* V. quae sub DEDUCO notavimus, quibus adde *Drak.* ad *Sil.* 15, 187. *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 7, 47. et *Burm. Sec.* ad *Prop.* 2, 18, 5. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 294.]

DIDUCTĬO, onis, f. *πλατυσμός, διαστολή*, actus diducendi, apertio. *Senec. Qu. Nat.* 2, 8. Ostendit intensionem spiritus velocitas ejus et diductio. *Id. ib.* 3, 13. Humor in diductione rerum ad quartas redactus est.

DIDUCTUS, a, um, part. a *diduco*, *διειλημμένος*, divulsus, distractus, divisus, diremptus. *Plin.* 11, 37, 57. Supercilium vulnere aliquo diductum non coalescit. *Id.* 6, 26, 30. Euphrates diductus. *Id.* 32, 4, 14. Os diductum, quod *Suet.* dixit *Tib.* 53. Diducto per vim ore. *Petr. Sat.* 26. Rima diducta. *Tac. A.* 12, 69. Foribus palatii repente diductis. *Id. ib.* 4, 2. Lascivire diductum militem, *h. e.* dispersas per urbem cohortes, ut supra dixerat. *Id. ib.* 2, 47. Diductis terris hauriebantur. [**Lucan.* 3, 632. Aequora discedunt mersa diducta carina.] *Quint.* 2, 15. Tunica diducta. *Id.* 11, 3. *a med.* Status sit rectus, aequi et diducti paululum pedes. Et *paulo post.* Stare diductum vel rigidum vel supinum etc. *Cels.* 2, 8. *ante med.* Mixtos, neque inter se diductos colores habere, i. e. diversos, distinctos.] *Claud. Cons. Mall. Theod.* 51. nostro diducta Britannia mundo. *Plin.* 11, 18, 20. Diducta multitudo, *h. e.* quae diversa abiit et dispersa est. ℙ Translate. *Caes. B. C.* 1, 7. Ab inimicis diductum et depravatum Pompejum queritur, *h. e.* alienatum. *Tac. A.* 4, 19. Diducta civitas. *Id. H.* 2, 68. Diducti in studia, qui ad spectandum convenerant. *Quint.* 4, 5. *ad f.* Divisio diducta in digitos. *Cic. Or.* 3, 6. Rivis, non fontibus diducta oratio. *Suet. Oth.* 3. Diductum matrimonium, i. e. dissolutum.

*DIDŪRI, orum, Asiae populi in Iberia. *Plin.* 6, 11. *B. A.*

*DIDYMAE, arum, *Δίδυμαι*, i. e. *gemellae*, insulae binae Lyciae adjacentes. *Plin.* 5, 31. ℙ Aliae duo hoc nomine, prope Troadem. *Id.* 5, 31. *B. A.*

DIDYMAEUS, i, m. *διδυμαῖος*, cognomen Apollinis, idest Solis: a *δίδυμος*, geminus, quod gemina luce aerem illustrat, interdiu per se, noctu per Lunam, quae ab ipso lumen habet, ut *Macr. Sat.* 1, 17. interpretatur. Unde et Romani, inquit, solem sub nomine et specie Iani, Didymaei Apollinis appellatione venerantur. Meminere etiam *Suet. Cal.* 21., *Ulp. regular. tit.* 22. *qui hered. instit. poss.* et *Plin.* 6, 16, 31., item 5, 29, 18., ubi templum Apollinis Didymaei Milesiorum in Ionia fuisse scribit, prope Posideum promontorium: sed hunc *Paus.* in *Corinth.* et in *Achaic.* et alii, a loco, in quo templum exstructum fuit, qui *Δίδυμα* appellaretur, nominatum fuisse scribunt. Ibi fuit celebre olim oraculum. V. BRANCHIDAE.

*DIDYME, es vel Didyma, ae, f. *Διδύμη*, locus in quo templum exstructum fuit Apollini sacrum. V. *Didymaeus ad f.* ℙ Item insula Siculi maris, Aeoliarum una. *Plin.* 3. 9. *Mela* 2, 7. *B. A.*

[DIDYMUS, i, m. *δίδυμος*, geminus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 911, 3. Q. Fabius Didymus. *F.*]

DIECŬLA, ae, f. *ἡμερίδιον*, diminut. dici. *Ter. Andr.* 4, 2, 27. Non satis habes, quod tibi dieculam addo? Adde *Cic. Att.* 5, 21. *sub f.* et *Pl. Ps.* 1, 5, 88.

[DIELĂINUS, i, m. a *διά*, per, quae significationem intendit, et *λᾶινος*, lapideus, nempe valde lapideus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 275, 9. Ulpius Dielainus, *nempe pro* Dialainus. *F.*]

DIENSIS, e, adj. ad Dium pertinens, Pieriae in Macedonia urbem non magnam, nunc *Stan-Dia.* Hujus meminit *Liv.* 44, 7. Ejus coloniae mentio frequens in nummis a Tiberio Aug. usque ad Saloninam, apud *Mionnet. Descr. des médaill. Gr. et Rom. Supplém. T.* 3. p. 61. Colonia Julia Augusta Diensis. *B. A.* et *F.*

[DIĔPHĔBUS, i, m. a *διά*, trans, et *ἔφηβος*, ephebus, ephebicam aetatem praetergressus. *Not. Tir.* p. 133. Diephebus. *F.*]

DIERECTA et Dierecte, adv. in malam rem, in malam crucem. *Pl. Trin.* 2, 4, 56. Abin' hinc dierecte? *Id. Rud.* 4, 4, 126. I dierecta cum sucula et cum porculis. *φθείρου.*

DIERECTUS, [*imo DIĒRECTUS] adj. *Festus* docet, dictum esse per antiphrasin, ad significandum malum diem: quasi sit a *dies* et *rectus. Salmas.* putat esse a Graeco *διαῤῥηκτος*, *α* mutato in *e*, *h. e.* disruptus. Confirmari videtur hoc illis *Plauti* verbis *Curc.* 2, 1, 29. Lien dierectus est. *Pa.* ambula: id lieni optimum est, *h. e.* ita est inflatus, ut disruptus esse videatur. Quidam codd. teste *Lambin.* habent: *Lien disruptus est:* quae videtur esse explicatio prioris lectionis. Alii ducunt a *dio* et *rectus*, quasi sub dio erectus et idem esse ajunt, quod in crucem sublatus: sed etymon a Graeca lingua probabilius videtur, ut in aliis multis apud *Plautum.* Quidquid sit de origine, certe Latinis eo sensu usurpatur in imprecationibus, ut in malam rem, in malam crucem. [**Rost.* in *Cupedd. ferc.* III., cui assentitur *Lindemann.* ad *Pl. Capt.* 3, 4, 102., ita originem vocis explicat: Compositum esse videtur ex praep. *dis* s. *di* et *erigo*, quasi dixeris *dierigo*, et complectitur amborum significationem. Quae expanduntur, eadem *eriguntur;* simul vero *diriguntur*, i. e. in diversum reguntur. (V. DIRIGO.) Jam Latini, quum hominem dicerent *dierectum* videntur intellexisse cruci affixum, non vero, ut putat *Non.* p. 49. ea de causa, quod ad diem erant erecti, sed quia ad palum in terra defixum et erigebantur et manibus pedibusque in transversum dirigebantur. Hinc etiam intelligitur, cur *dierectum* eundem dicerent, quem *furciferum*, et quum abire juberent aliquem dierectum intelligerent malam crucem. Haec in compendium redacta uberius exponit ex *Rostii* sententia *Lindem.* l. l. Idem observat, quandoque pati h. v. synizesin, pronuntiandumque esse *dierectum* = *directum*; illo autem modo ubique scribendum.] *Pl. Poen.* 1, 1, 32. et *Merc.* 4, 4, 16. Abi dierectus. *Id. Merc.* 1, 2, 72. I hinc dierectus a me. *Id. Men.* 2, 3, 87. Ducit lembum dierectum navis praedatoria, *h. e.* ducit in malum, in exitium: et est allegoria. *Id. Capt.* 3, 4, 103. Quin quiescis dierectum cor meum? i, ac suspende te. *Varr.* ap. *Non.* 2, 414. Apage in dierectum a domo nostra istam insanitatem. ℙ Hinc *dierecta* et *dierecte.* V. v. praec.

*DIĒRIS s. Dīēres, is, f. *διήρης Closs. Lat. Gr.* biremis. *B. A.*

DIES, dīēi, m. et f. sed in plur. num. m. tantum, *ἡμέρα*, spatium temporis, quo sol terras illuminat: a *Διός*, Jovis. Juppiter enim auctor lucis habetur, ut ait *Macr. Sat.* 1, 15. unde et *Lucetius* et *Diespiter* dictus est, quasi diei pater. *Cic. Att.* 2. 11. Dies nullus erat, Antii cum essem, quo die non melius scirem Romae quid ageretur (adverte eam repetitionem, quae *Ciceroni* et *Caesari* est familiaris. In hoc autem notanda illa *B. C.* 3, 105. Repetitis diebus, quo die etc. et *ib.* 1, 36. Diebus triginta, a qua die etc.) *Liv.* 34, 35. Ex qua die scriptae conditiones forent, ea dies ut induciarum principium esset: et ut ex ea die intra decimum diem etc. *Id.* 45, 2. *extr.* Supplicatio indicta ex ante diem quintum Id. Octobr. cum eo die in quinque dies. *Id.* 27, 35. et *Cic. Att.* 3, 7. Post diem tertium ejus diei alias litteras attulerunt. *Id. Verr.* 2, 1, 12. Ex ea die ad hanc diem. *Id. Fin.* 1, 16. Noctes atque dies exeduntur. *Nep. Dat.* 4 Dies noctesque iter faciens. *Id. Them.* 8. Diem noctemque navem tenuit in ancoris, i. e. unum diem et unam noctem. [*Sic *Liv.* 22, 1. *fin.*, quem locum *Brem.* comparat. Sed idem bene observat, eandem formulam hanc quoque habere significationem, ut plures deinceps noctes diesque intelligantur, laudans *Caes. B. G.* 7, 77. cujus rei timore exterriti diem noctemque in opere versantur. *Id. B. C.* 1, 62. *Cic. Div.* 2, 27. mures diem noctemque aliquid rodentes. — Eodem modo ablativum quoque reperiri docet idem; cf. *Cic. N. D.* 2, 9. negat idem (Cleanthes) ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur, i. e. intra unum diem et unam noctem. Contra *Ov. Met.* 3, 342. Non auditurum miseras Phaetonta querelas Nocte dieque vocant.] Sic *Plin.* 29, 6, 36. Si inclusus abstineatur die ac nocte. *Nep. Ann.* 10. Classe paucis diebus erant decertaturi, *h. e.* post paucos dies. [**Sall. Jug.* 11, 2. Micipsa paucis diebus moritur. V. *Cort. Ib.* 13, 6.] [*Front.* ad *M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 5, 46. Spero in paucis diebus me recte fore. *F.*] *Plin.* 31, 2, 19. Tertio die, quam etc. *Cic. Att.* 13, 26. Credibile non est, quantum scribam die; quin etiam noctibus, i. e. interdiu. *Id.* in *Senat.* 6. Dies totos de virtute disserunt. *Plin.* 18, 27, 67. de lampyridibus: In certis diebus eae proveniunt. *Ov. Met.* 13, 677. Surgere cum die. *Cic. Rosc. Am.* 44. Esse in lege, quam ad diem venditiones fiant, nimirum ad Kal. Jun. *Id. Caecin.* 11. Ad constitutam diem tempusque venire. [*Est in his non simpliciter quicunque dies, sed dies praestituta, certa dies, *Frist*, *Termin*, quos locos *Forc.* cum aliis ubique miscet. V. nos infra.] *Id. Att.* 7, 26. Diem ex die exspectabam, ut statuerem etc. *Liv.* 5, 48. Diem de die prospectans, ecquod auxilium appareret. *Id.* 25, 25. Diem de die differre. *Cic.* ad *Brut.* 2, 1. Omnia in diem ex die dilata. Sic *Caes. B. G.* 1, 16. Diem ex die ducere. *Hor. Sat.* 2, 6, 47. subjectior in diem et horam invidiae. *Plin.* 7, 2, 2. Singula quae facit in dies ac prope horas, *h. e.* in singulos dies. *Lucil.* ap. *Non.* 9, 3. Cui saepe imposui mille plagarum in diem. *Cic. Phil.* 2, 34. Non solum de die, sed etiam in diem vivere; *de die*, *h. e.* magno luxu apparatuque coenarum, ut ex *Catullo* in voce DE dictum est, ubi et alia in hanc rem. (Adde *Curt.* 8, 3.) *in diem*, *h. e.* nulla cogitatione et cura futuri, ut in illo *Or.* 2, 40.

Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Adde *Plin. ep.* 5, 5. Alio sensu *Cic. Coel.* 24. Dii praesentis fraudis poenas in diem reservant, i. e. in incertum diem, sed certo futurum. [*Quare opponitur *statim*. *Cic. Petit.* 12. Si promittas et incertum est, in diem (sc. promittas): sin autem id neges, et certe abalienes, statim.] *Ter. Ph.* 5, 5, 2. Praesens quod fuerat malum, in diem abiit, i. e. in futurum tempus concessit. *Nep. Att.* 9. Fundum emere in diem, sc. solvendum certa die. *Ulp. Dig.* 7, 3, 1. Usum fructum ex die et in diem. *Ov. Met.* 2, 47. Currus rogat ille paternos in diem, i. e. in unum diem. [**Liv.* 22, 39, 13. in diem rapto vivit, i. e. nihil ex raptis in diem commeatibus superat. *Id.* 31, 29. mutabiles in diem causae, nos: *Tag für Tag*, s. *täglich*. — Quid differat formula *in dies* V. paullo infra.] *Paul. Dig.* 45, 1, 77. Ad diem promissa pecunia, i. e. in certam aliquam diem. *Cic. Off.* 3, 10, 45. qui quum ad diem se recepisset, i. e. die statuto. *Id. Verr.* 2, 2, 40.] *Jabolen. ib.* 50, 16, 217. in diebus, i. q. paucis diebus. *Trebell. Gallien.* 17. Lavit ad diem septimo aestate, hieme tertio, i. e. quoque dies septies etc. *Vopisc. Firm.* 4. Struthionem ad diem comedit, i. e. uno die. *Pl. Men.* 3, 1, 10. Affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt. *Liv.* 34, 11. Magna vis hostium, cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies exspectet, i. e. singulis diebus. *Cic. Top.* 16. et *Vell.* 2, 52. Vitium in dies crescit. [*Codd. saepe fluctuant inter vv. *in dies* et *in diem*. V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 11, 11. interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. *Laur. Valla Eleg.* 3, 69. ita distinguit, ut *in diem* plerumque cum verbo *vivere*, aliquando, sed raro (exempla V. supra, nonnulla etiam in sqq.) cum alio jungatur verbo; *in dies* autem idem sit, quod quotidie, sed proprie cum quodam incremento, ideoque plerumque cum comparativo. — Plerosque tamen codd. *l. l.* exhibere *in diem* monet *Drak.*, quanquam alterum recepit.] *Plin.* 5, 17, 15. In diem ex aequo convenarum turba renascitur. *Id.* 21, 1, 1. Natura flores in diem gignit, i. e. per breve tempus. *Cic. Verr.* 2, 2, 17. et *Nep. Milt.* 5. Postero die. *Plin.* 20, 18, 76. Postera die. *Cic. Cat.* 2, 3. Hesterno die. *Plin.* 18, 7, 17. Quinquies in die. *Id.* 15, 6, 6. Saepius die. *Cels.* 1, 1. et 3. Et qui semel et qui bis die cibum assumit. *Quint.* 10, 3. Paucissimos die versus facere, i. e. uno die. [*Dubitabat *Frotsch.* ad h. l., an non *in die* legendum esset, quod sane hoc sensu usitatius fuit. Sed in *Addendis* p. 269. retractavit sententiam, illudque exemplis adstruit. Neque dubitari debet, quin ita recte dicatur. *Virg. Ecl.* 2, 42. Bina die siccant ovis ubera; ubi cf. *Burm.*] *Plin. ep.* 6, 20. Praecesserat per multos dies tremor terrae. *Caes. B. G.* 1, 22. Multo denique die per exploratores cognovit etc. *Cic. Att.* 13, 9. Multus sermo ad multum diem. *Liv.* 23, 27. Ad multum diei caeduntur. *Plin.* 11, 25, 30. Medio die. [**Suet. Cal.* 15. medio ac frequente die; quae loquendi ratio notanda est ob usum v. *frequens*. V. *Brem. Appul. Met.* 9. p. 183. alta die, i. e. meridie, ex emendatione *Gron.* in *diatr. Stat.* p. 438. *ed. Lips.*] *Catull.* 61, 116. Gaudia, quae vaga Nocte, quae media die Gaudeat! *Pl. Trin.* 3, 3, 78. Diem conficere, *h. e.* quod *Cicero* dicit *Fam.* 1, 2. consumere. *Pl. Bacch.* 5, 2, 84. It dies, i. e. praeterit. ℙ [*Dies ponuntur pro itinere, singulis diebus confecto. *Liv.* 38, 59. regionem dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem. ℙ Porro *dies festus* interdum pro pluribus diebus dicitur. *Liv.* 25, 23. diem festum per triduum agi, quod *Duker.* quem V. explicat: solemnia plurium dierum. Contra *dies festi* interdum de *uno die* intelligendi. V. *Eund. ib.* ℙ Porro *magnus* dies, i. e. dies, quo res in ultimum discrimen adducitur, res maxime clara patratur. *Tac. Agr.* 34. imponite quinquaginta annis magnum diem. *Ern.* ad h. l. laudat *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 9, 27. et *Lucan.* 7, 90. *Duker.* ad *Flor.* 2, 6, 58.] ℙ Aliquando ponitur pro luce diei. *Plin. ep.* 6, 20. Dubius et quasi languidus dies, *h. e.* cum nondum plene illuxit. [**Lucan.* 4, 68. Incendere diem nubes oriente remotae.] *Id. ep.* 9, 36. Die admisso, quae formaveram, dicto, i. e. fenestris apertis. *Plin. alter* 33, 4, 21. Multis mensibus dies non cernitur. *Stat. Th.* 1, 236. de Oedipo: Ille tamen Superis aeterna piacula solvit Projecitque diem, *h. e.* se luce privavit erutis oculis. Et translate *Id. ib.* 49. Illum indulgentem tenebris etc. tamen assiduis circumvolat alis Saeva dies animi, scelerumque in pectore Dirae, *h. e.* cognitio suorum facinorum, lumen conscientiae. ℙ Interdum pro actis diei. *Cic. Sext.* 12. Equites R. daturos ejus diei poenas. *Senec. Ira* 3, 36. Excutere totum diem. Et *mox*. Totum diem meum scrutor. [*Egerunt de hac significatione *Gron. obss.* 1, 2. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 25. et quos ibi laudat. Neque tantum *acta diei* significat, sed quidcunque *dies* affert et monstrat; nam adeo de indole, qua aliquis aliquo die est, dicitur. *Tac. A.* 6, 20. qualem diem induerat (*Tiberius*), i. e. qualis eo die erat (*wie seine Stimmung war*). Ultima haec observavit *Walch.* ad *Tac. Agr.* p. 359.] ℙ Poetice pro coelo. *Stat. Th.* 1, 200. effusa sub omni Terra atque unda die. [**Lucan.* 3, 217. et totum mutare diem. *Id.* 7, 189. sub quocunque die, quocunque est sidere mundi, i. e. in quacunque parte et plaga mundi versetur. V. *Cort.* ad utrumque locum, maxime ad priorem.] ℙ Et pro vita. *Id. Th.* 2, 657. nunc arma diemque Projice. *Solin.* 1. Venire in diem, i. e. nasci. ℙ Pro aere. *Stat. Th.* 4, 66. teretes pars vertere fundas Assueti, vacuoque diem praecingere gyro. ℙ Pro commentario seu ephemeride posuit *Arnob.* 7. p. 217. Quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium vel dierum. *Graevius* legendum putat *diurnorum*. ℙ Interdum sumitur pro tempestate seu pro aere aut qualitate diei. *Plin.* 11, 10, 10. de apibus: Universae provolant, si dies mitis futurus est. *Id.* 2, 45, 44. Tranquillo die. *Id.* 22, 23, 49. Dies pestilentes. *Val. Fl.* 1, 845. totumque per annum Durat aprica dies. *Calp. Ecl.* 4, 4. levatque diem vicini spiritus amnis, *h. e.* aestum et calorem diei. ℙ Saepe pro multorum dierum complexu seu tempore. Et quidem *Ascon.* in *Verr.* 2, 2. et *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 85. et alii multi ex grammaticis, hac significatione feminini generis esse voluerunt, sicut illa priore masculini. Hinc *Cic. Verr.* 2, 2. Cum ego diem perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi breviorem diem postularet. Verum tum ex allatis, tum ex afferendis scriptorum locis falsum id apparet: videruntque *Charis. l. c.* et *Non.* 12, 16., ubi *Turpil.* Amorem ipse lenivit dies. *Pacuv. ib.* Gnatam despondit: nuptiis hanc dat diem. *Caes. B. C.* 1, 36. Quibus effectis armatisque, diebus triginta, a qua die materia caesa est etc. *Liv.* 2, 45. Dies tempusque lenit iras. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Antiquior dies in tuis erat adscripta litteris, quam in Caesaris. [*Supra jam attigimus, de certo quodam ac praestituto tempore quum sermo sit, veteres dixisse *haec dies* etc. *Liv.* 41, 10. brevis dies ad conveniendum edicta. Cf. *Gloss. Liv.* et V. sqq. Deinde illud multis certe locis comprobatur, ubi complexus plurium dierum intelligendus sit, reperiri femininum. Sic *Cic. Fam.* 5, 16, 9. quod est dies allatura, id consilio praeferre debemus. *Ib.* 7, 28, 6. dies, quae stultis quoque mederi solet.] ℙ *Dies pecuniarum* ap. *Colum.* 1, 7. et *Cic. Att.* 10, 5. est tempus praestitutum ad pecunias solvendas. Hinc *Ulp. Dig.* 33, 1, 3. Si legatum sit relictum annua, bima, trima die, *h. e.* solvendum intra annum vel biennium vel triennium. *Cic. Fam.* 7, 2. [*imo 23.] Plus annua die postulare. [**Id. Att.* 12, 3.] *Id. ib.* 8, 10. Alios non solvere, aliorum diem nondum esse. ℙ *Die aliquid facere* est in tempore facere. *Cato R. R.* 150. Die lanam et agnos vendat. *Turneb.* ℙ *Ad hanc diem* et *ad hunc diem*, usque ad hoc tempus. *Plin.* 7, 39, 40. et 2, 25, 22. ℙ *Diem* vel *diem supremum* vel *diem suum obire* est mori. *Plin.* 2, 109, 112., *Nep. Milt.* 7. et *Reg.* 1. et *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. quod *diem fungi* dixit *Justin.* 19, 1. ℙ [*Dicunt etiam *dies meus*, *tuus* etc, quod pro indole loci nunc diem fatalem, nunc natalem significat, nunc de certis morborum diebus dicitur, quo febris accedit. *Cic. Att.* 9, 2. etsi Id. Mart., die tuo, ut opinor, expectabam epistolam a te longiorem, i. e. quo te febris quartana aggreditur. *Id. ib.* 13, 42. diem meum scis esse III. Non. Jan., aderis igitur: i. e. natalis. Cf. de similibus v. *dies* ellipsibus *Lips.* ad *Tac. A.* 4, 45. Contra pro die mortis: *Cic. Or.* 13. quum dies meus venerit. *Clav. Cic.* Adde *Auct. dial. de Or.* 13. quandocunque fatalis et meus dies veniet. Sed intelligendum est ubique de morte naturali, ut notat *Ern.* ad h. l.] ℙ *Diem dicere* est praestituere, determinare aut indicere. *Caes. B. G.* 1, 6. Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani conveniant. *Cic. Verr.* 2, 1, 57. Dicere diem operi. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 35, 3, 2.] ℙ In re forensi significat in judicium vocare et diem praestituere, qua die reus ad causam dicendam praesto sit: quod solis magistratibus facere licuit et tribunis plebis, quando publice et apud populum citabant reos. *Cic. Har. resp.* 4. Diem dixisset, ut fecerat: fecissem, ut ei statim tertius a praetore dies diceretur. *Id. Div. Verr.* 21. *extr.* Domitius Silano diem dixit propter unius hominis injurias. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 7, 8. et 11. Dicere diem alicui ad populum. ℙ *Dare diem* videtur idem esse, quod diem praestituere, dicere. *Cic. Att.* 1, 10. *extr.* Tulliola tibi diem dat: sponsorem appellat. Dixerat *ib.* 8. Tulliola tuum munusculum flagitat et me ut sponsorem appellat. [*Comparare jubet *Ern.* in *Clav. Gronov.* ad *Senec. Ben.* 4, 12.] *Id. N. D.* 3, 40. Dabis aliquem diem, ut contra ista dicamus, i. e. dices, statues. Alio sensu *Id. Att.* 4, 17. Nam Vestorio dandi sunt dies, *h. e.* ponendi sunt in suavissima consuetudine Vestorii. ℙ *Die caeca emere*, V. CAECUS. ℙ *Dies Saturni*, *Solis* qui et *Dominicus*, *Lunae*, *Martis*, *Mercurii*, *Jovis* et *Veneris* appellati sunt vulgo a Romanis, ex Chaldaeorum et Hebraeorum instituto, septem dies hebdomadis. V. singulas eas voces in superioribus. Locus vero datus est huic appellationi, quia e septem planetis, quibus, ut ait *Tac. H.* 5, 4., mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur; ac pleraque coelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant. V. *Auson. Ecl.* 5. *De nomin. VII. dier. et Seldenum de jure nat. et gent. apud Hebr. l.* 3. *c.* 10. et seqq. et *Gothofr.* ad *Cod. Theod.* 2, 8, 1. ℙ *Dies* pro tempore indefinito. *Ter. Heaut.* 3, 1, 13. Dies adimit aegritudinem hominibus. *Cic. Att.* 3, 15. Dies non modo non levat luctum, sed etiam auget. *Id.* ad *Quirit.* 9. Neque aequum est tempore et die memoriam beneficii definire. *Stat. Silv.* 1, 1, 93. stabit dum terra polusque, Et Romana dies, *h. e.* tempus R. imperii: quod aeternum futurum, passim jactabant. [*Supra simm. attulimus.] ℙ *Diecrastini*, *quarti*, *quinti*, *septimi*, pro crastino, quarto etc. adverbia quodammodo sunt et copulate dicta, secunda syllaba correpta, aetate *Cic.* et supra eam, teste *Gell.* 10, 24., ubi plura adscribit exempla. Quin et *diequarte*, *quinte* dictum fuisse, *ib.* docet. Consule etiam *Macr. Sat.* 1, 4., ubi more suo eadem fere descripsit. Apud *Liv.* quoque 22, 51. *diequinti* quidam [*ex conjectura, sed ea mala] legunt pro *die quinto*. Addunt *Gell.* et *Macr.* discrimen esse inter *diequinti* et *diequinto*. Illud enim de futuro dici, hoc de praeterito. ℙ *Dies civilis* multiplici ratione accipiebatur a veteribus. V. CIVILIS. ℙ *Dies atri*, *legitimi*, *fasti* etc. quaere in his adjectivis. ℙ *Diem* aliquando dici de tempore noctis adnotavit *Servius* ad illud *Virg. A.* 1, 736. Hunc laetum Tyriisque diem etc., cui addunt alii locum *Ov. Fast.* 5, 492. V. [*Hoc ridiculum. V. *Wunderlich.* ad illum l.] ℙ In fabulis *Dies* inter Deas numeratur. *Pl. Bacch.* 2, 3, 21. et *Cic. N. D.* 3, 22., ubi Mercurii, et *ib.* 23., ubi Veneris matrem fuisse tradit. *Hyg. praefat.* facit filiam Chao et Caliginis, uxorem Aetheris, matrem Terrae, Coeli et Maris. ℙ Olim, *dies*, *dii*, declinatum fuisse, ut et *fames*, *mi*, *acies*, *cii* etc. *Gell.* 9, 14. docet. Itaque legendum putat apud *Virg. A.* 1, 640. Munera laetitiamque dii. Ubi alii leg. *dei*, *h. e.* Liberi patris: alii *die* itidem pro *diei*, ut docuit *C. Caesar de analog.* 2. ap. *Gell. ib.* Sic *Sall. ib.* Vix decima parte die reliqua. [*Cf. *Jug.* 52, 3.] *Servius* ita legit et illud *G.* 1, 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas: Non est, inquiens, apocope pro diei, sed secundum antiquos regularis genitivus est. [*V. intpp. ad hos locos.] *Charis.* 1. p. 101. hic quoque legit *dii*. At *Gell. l. c.* legit *dies* pro *diei*, confirmans testimonio eorum, qui scripserunt, idiographum librum *Virgilii* sese inspexisse: et auctoritate *Caesellii*, qui *Ciceronem* quoque dixisse testatur, *Sext.* 12. Daturos illius dies poenas: et *Ennii*, Postremae longinqua dies confecerit aetas. Et *Q. Claudii*, qui *facies* dixit pro *faciei*. Similiter *Diomed.* 1. p. 281. docet, hujus *pernicies* dictum a quibusdam pro *perniciei*. Sic *scabies* pro *scabiei* in illo *Lucilii* 30, ap. *Non.* 2, 701. Tristem et corruptum, scabie et porrigini plenum. Etiam in dativo casu *die* dixit *Pl. Amph.* 1, 1, 120. Neque nox quoquam concedit die. *Lucil.* quoque ap. *Gell. l. c. facie* pro *faciei* in tertio casu usurpavit, primum facie quod honestas Accedit. Et ib. Qui te diligat, aetati facieque tuae se Fautorem ostendat. [*Cf. *Zumpt.* gr. lat. p. 72. seq. ed. IV.]

*DIESCIT, impers. dies fit. *Guil. Brito* 7, 231. Lumina — faciuntque diescere noctem. *Ib.* 12. Tantis luminibus, tanto fulgore diescent (*nox*). *Isid. Gloss.* Diescit, dies fit. *B. A.*

DIESIS, is, f. διεσις, a διημι, transmitto. In veteri musica est toni pars quarta: ita in hemitonio duae dieses sunt collocatae: quae *Vitruvii* 5, 4. verba sunt. Confirmat *Macr.*, qui ait *Somn. Scip.* 2, 1. *ad f.* Semitonium Pythagorici veteres diesim nominabant: sed sequens usus sonum semitonio minorem diesim constituit nominandum.

DIESPITER, espitris, m. Ζεύς, Juppiter, quasi diei et lucis pater. *Hor. Od.* 3, 2, 29. saepe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum. *Macr. Sat.* 1, 15. Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem. *Arnob.* 2. p. 93. Dione et Semela Diespitris factae sunt compressionibus fetae. *Varro* tamen *L. L.* 8, 46. significat, in obliquis casibus minus esse in consuetudine tritum. Olim *Diespiteris* in genitivo dixere, teste *Prisc.* 6. p. 695. ℙ Apud *Lact.* 1, 14. est Latina appellatio Plutonis. *Pluton.*, inquit, *Latine Diespiter:* at meliores edd. habent *Dispiter*, *h. e. Dis pater*, V. DIS. ℙ Apud *Gell.* 5, 12. in quibusdam libb. est *Diespater*.

*DIETHUSA, ae, f. maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*DIFFĀMĀTĬO, onis, f. divulgatio. *Augustin. Civ. Dei* 3, 31. Si Christianae religionis receptionem et diffamationem vel irruptio illa Gallorum vel civilia bella sequerentur. *B. A.*

DIFFĀMĀTUS, a, um, part. a *diffamo*, vulgatus, publicatus, sed in deteriorem partem. *Ov. Met.* 4, 236. Vulgat adulterium diffamatumque parenti Indicat.

*DIFFAMĬA, ae, f. damnum famae. *Augustin. Quaest. Vet. Test.* et *de Civ. Dei* 3, 31. *B. A.*

DIFFĀMO, as, avi, atum, a. 1. *διαφημίζω*, malam famam spargo. *Tac. A.* 14, 22. Subtrahere se prave diffamantibus. *Id. ib.* 1, 72. Illustres viros procacibus scriptis diffamare. *Appul. Met.* 1. p. 107, 33. Diffamare aliquem probris. ℙ Et simpliciter pro divulgare. *Id. Met.* 4. p. 147, 7. Diffamat, incendio repentino domum suam possideri. *August. de moribus Eccles. Cathol.* 14. Deus quanto melius atque diffusius diffamatur, tanto diligitur et amatur ardentius.

DIFFARREĀTIO. V. CONFARREATIO.

DIFFATĬGO, as, a. 1. *Pl. Epid.* 1, 2, 15. Clamore diffatigor, differor, *h. e.* hac illaque parte fatigor. Al. leg. *defatigor.* V. DEFATIGO.

DIFFĔRENS, entis, part. a *differo*, dissimilis, *διαφέρων*. *Cic. Or.* 23. Ab indisertis re plus, quam opinione differens. Et *Fat.* 4. *extr.* Has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas. *Plin.* 9, 8, 7. de delphinis: Lingua est his brevis, haud differens suillae. *Cic. Leg.* 1, 10. Doctrina differens, facultate par. Et 13. Re congruentes, genere docendi differentes. *Id. Or.* 1, 42. Similes communione quadam, specie autem differentes. ℙ Substantivi more. *Quint.* 5, 10. *ante med.* Finitioni subjecta videntur genus, species, differens, proprium.

DIFFĔRENTER, adv. *διαφόρως*. *Solin. epist.* ad *Advent.* Inseruimus pleraque differenter congruentia.

DIFFĔRENTĬA, ae, f. *διαφορά*. *Cic. Fin.* 5, 7. Ut, quanta differentia est in principiis naturalibus etc. *Id. Off.* 1, 27. Differentia honesti et decori. *Gell.* 4, 1. Definire genere proposito et differentiis appositis, quid sit penus. *Plin.* 9, 35, 56. In candore ipso magna differentia est. [**Deferentia* legitur apud *Pomp. comment. A. Don.* p. 147. Et quae potest esse deferentia? *Lindemann.* hanc scripturam retinuit, quod credibile esse ait, Pompeji tempore hoc voc. ita esse pronuntiatum.]

DIFFĔRĪTAS, atis, f. idem quod differentia, ejusdemque originis. *Lucr.* 4, 637. Tantaque in his rebus distantia differitasque est. *Arnob.* 2. p. 54. Non plurima differitate distans. Et 7. p. 233. Sine ulla differitate.

DIFFĔRO, ers, distuli, dilatum, a. anom. *διαφέρω*, huc illuc fero, dissipo, disjicio, discerpo, distraho, a *dis* et *fero*. V. Dl. *Caes. B. C.* 2, 14. Ignem operibus inferunt: hunc sic distulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris flammam conciperent. *Lucr.* 2, 674. Ignis late differt favillas. *Liv.* 6, 42. Passim eos simul pavor terrorque distulerant. [*V. *Gron.* ad 4, 3.] *Pl. Rud.* 2, 3, 38. Dum illi timent, nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt ab illis. *Vell.* 2, 79. Classem adorta vis Africi laceravit ac distulit. *Virg. A.* 8, 642. Metium in diversa quadrigae Distulerant. [*Alio sensu *Liv.* 4, 33. quum equitem passim liberi frenis (equi) distulissent, i. e. huc illuc tulissent. Sic enim legendum e conjectura *Gron.*, non *dispulissent.* V. *Kreyssig.*] *Id. G.* 3, 197. Aquilo differt nubila. *Hor. Epod.* 5, 99. Insepulta membra different lupi. *Plin.* 17, 10, 11. Parietem fore densitatis, ex quo virgulae differantur, *h. e.* huc illuc serendi causa transferantur. Loquitur de myrti seminario. Quo sensu *Virg. G.* 4, 144. in versum distulit ulmos, [*i. e. secundum ordines disposuit. V. *Voss.*] *Pl. Curc.* 4, 4, 20. Te faciam ut hic formicae frustillatim differant. *Ter. Ad.* 3, 5, 40. Miseram me! differor doloribus: Juno Lucina fer opem, *h. e.* scindor, laceror. *Senec. Thyest.* 8. membra celeri differens cursu rota; *scil.* Ixionis. *Pl. Epid.* 1, 2, 15. Clamore defatigor, differor. *Id. Poen.* 1, 1, 28. Differor cupidine. [**Id. Mil.* 4, 4, 27. amore.] *Id. Truc.* 4, 1, 3. laetitia. ℙ Translate. *Ter. Andr.* 2, 4, 5. Orationem sperat invenisse se, qui differat te, *h. e.* turbet et transversum agat. *Pl. Ps.* 1, 3, 125. Te differam dictis meis, *h. e.* carpam, lacerabo. Adde *Aul.* 3, 2, 32. ℙ Interdum est divulgare, disseminare: et plerumque de re mala. *Liv.* 34, 49. Qui male commissam libertatem populo R. sermonibus distulerint. *Ter. Heaut. prol.* 16. Rumores distulerunt malevoli, multas contaminasse Graecas. *Val. Fl.* 1, 753. regemque fragor per moenia differt Mille ciere manus. *Nep. Dion.* 10. Celeri rumore dilato, Dioni vim allatam *Pl. Trin.* 3, 2, 63. Ne mihi hanc famam differant, me sororem in concubinatum tibi dedisse. Absolute *Tac. A.* 3, 12. Differri etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset. ℙ In bonam partem. *Suet. Caes.* 33. Promissum jus annulorum fama distulit. Et absolute *Tac. A.* 4, 25. Differtur per manipulos: Tacfarinatem omnes consectentur. ℙ Est etiam infamare. *Prop.* 1, 16, 48. aeterna differor invidia. Et *ib.* 4, 21. Et te circum omnes alias irata puellas Differet. [*Cf. *Burm.* ad h. l.] *Lucil.* ap. *Non.* 4, 131. Et maledicendo multis sermonibu' differs. *Pl. Aul.* 3, 2, 32. Nisi reddi mihi vasa jubes, pipulo te differam ante aedes. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. Differor sermone miser. ℙ Praeterea saepe significat in aliud tempus transferre, prorogare, rejicere, prorogare, [**ἀναβάλλεσθαι, ἀναστρέναι*] cum accus. non solum rei, sed etiam personae. *Cic. Fam.* 5, 12. *extr.* Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. *Mart.* 13, 55. propera, caros nec differ amicos. *Ov. Rem. Am.* 93. Sed propera, nec te venturas differ in horas. *Id. Met.* 13, 519. Quid Dii crudeles, nisi quo nova funera cernam, Vivacem differtis anum. *Justin.* 9, 6. Cum variis frustrationibus non sine risu differretur. [*Pluribus egerunt de hoc usu *Oud.* ad *Suet. Caes.* 82. *Ernest.* ad *Ejusd. Vesp.* 23. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 26, 2.] *Cic. Dejot.* 7. In posterum diem distulit. *Id. Vatin.* 11. Differre aliquid ad tempus crudelitatis. *Id. Fam.* 2, 3. *ad f.* Omnem disputationem in adventum tuum differo. *Senec. ep.* 8. Differre aliquid in diem. *Brut.* ad *Cic.* inter *ep.* ad *Brut.* 1, 11. Differre tempus petitionis. [*Sic etiam *Cic. Fin.* 4, 1. An in hac me causa tempus dilaturum putas? i. e. dilationem daturum? Sic *Ern.*] *Caes. B. C.* 1, 86. aliquid in aliud tempus. *Liv.* 25, 25. diem de die. *Cic.* ad *Brut.* 2, 1. aliquid ex die in diem. *Id. Att.* 2, 7. vadimonium cum aliquo. *Id. Rosc. Am.* 9. rem quotidie ac procrastinare. *Plin. ep.* 1, 22. et *Ov. Met.* 6, 366. sitim, i. e. tolerare, differre potum. *Suet. Caes.* 81. An quae proposuerat, differret agere. *Liv.* 42, 2. Nec ultra ad arma ire dilaturum. *Id.* 6, 22. *in f.* in aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summae rerum facerent. [**Suet. Caes.* 4. non distulit, quin — e vestigio persequeretur abeuntes. Alii male *destitit.* Sed V. *Oud.*] *Prop.* 4, 6, 82. Differat in pueros ista tropaea suos, i. e. reservet. [*Et eodem modo de homine: *Suet. Ner.* 13. quem Armeniae regem — quum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset.] ℙ Frequentissime neutrorum more adhibetur pro dissimilem diversumque esse, distare, discrepare. *Cic. Tusc.* 4, 11. Haec cogitatione inter se differunt, re copulata sunt. *Id. N. D.* 1, 29. Nihil inter Deum et Deum differt. *Id. Phil.* 8, 11. Non differre vestitu ab aliquo. *Id. Or.* 32. Hoc differunt inter se, quod haec latior est, illa contractior. *Id. Inv.* 1, 27. Occasio cum tempore hoc differt, nam etc. Et *ib.* 44. Quid res cum re differat, demonstrabitur. *Hor. Sat.* 1, 4, 48. Comoedia pede certo differt sermoni. *Plin.* 9, 35, 54. Concha haud multum ostrearum conchis differens. ℙ Absolute. *Cic. Off.* 1, 28. Est quod differat inter justitiam et verecundiam. *Id. Div. Verr.* 19. Vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam. *Id. Div.* 2, 36. Dii immortales, quantum differebat! ut quaedam essent etiam contraria. ℙ *Disque tulissent* per tmesim dixit *Pl. Trin.* 4, 1, 14. ℙ *Differrier* auctum per paragogen, pro *differri* est *Lucretii* 1, 1086. ℙ *Differris* syncope pro *differeris* legitur apud *Quint. Decl.* 5, 13. *sub f.* ℙ [*Permutatur h. v. fere ubique a librariis cum *deferre*, quod V.; porro cum *desero*, *Drak.* ad *Liv.* 4, 37, 11.; *distuli* et *dispuli*, *Liv.* 4, 33.]

DIFFERTUS, a, um, part. ab inusit. *differcio*, fartus, impletus. *Caes. B. C.* 3, 32. Provincia differta exactoribus. *Tac. A.* 16, 6. Corpus differtum odoribus conditur, tumuloque infertur. *Hor. Sat.* 1, 5, 4. Forum Appi differtum nautis. *Id. Ep.* 1, 6, 59. Differtum transire forum. [*Cf. *Bentl.* ad h. l.]

DIFFĪBŪLO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποπορπέω*, fibulam resolvo, discingo, aperio. *Stat. Th.* 6, 570. Emicat et torto chlamyden diffibulat auro.

DIFFĪCĬLĔ, adv. *χαλεπῶς*, cum difficultate, aegre, vix. *Plin.* 27, 12, 94. Semen inter folia durum et quod difficile evellatur. *Cic. Inv.* 2, 56. Difficile fieri dicimus, quod etc. *Vell.* 2, 63. Sibi difficile consentiens. *Plin.* 19, 7, 35. Omnium difficillime apium nascitur. *Id.* 22, 21, 28. Difficilius concoquitur. Adde *Justin.* 27, 3., *Gell.* 17, 8. *ad f.* et 20, 1.

DIFFĪCĬLIS, e, adj. *χαλεπός*, *δυσχερής*, qui non est facilis, laboriosus, operosus, arduus. [*Ab *arduus* ita tamen differt, ut primum hoc multo gravius sit illo, adeoque ea, quae nullo modo fieri possint, significet: *Tac. H.* 2, 76. Deinde, ut *difficilis* dicatur respectu hominis, qui difficultatibus luctatur; arduus autem in universum dicatur. Sic *Döderl. Syn.* II. p. 105.] *Cic. Fam.* 1, 7. Difficile dictu est de singulis. *Id. Univ.* 11. Difficile factu est, a Diis ortis fidem non habere. [*Illustrat hanc constructionem *Heind.* ad *Cic. N. D.* 3, 1, 1. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 21. p. 167. *in f.*] *Nep. Att.* 16. Ut judicari difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. *Cic. Off.* 1, 35. Decorum illud est difficilius ad eloquendum. [*sc. ob subtilissimam differentiam. V. *Heusinger.* quem laudat *Beier.* ad h. l.] *Id. Divin. Verr.* 11. Scopuloso difficilique in loco versari. [**Virg. G.* 2, 179. difficilis primum terrae collesque maligni.] *Id. Phil.* 5, 13. Bruti opera, consilio, virtute, reipublicae difficillimo tempore esse subventum. *Id. Or.* 1, 58. *extr.* Contortas res et difficiles perdiscere. *Id. Inv.* 2, 54. Res arduae ac difficiles. *Id. N. D.* 3, 39. *extr.* Natura Deorum est obscura et difficiles explicatus habet. *Id. Inv.* 2, 45. Non fuisse ei grave, nec difficile, eam causam excipere. *Caes. B. C.* 3, 15. Difficilioribus usi tempestatibus. Et *ib.* 1, 48. Tempus anni difficillimum. *Id. B. G.* 1, 6. Iter angustum et difficile. *Id. B. C.* 2, 1. Longa et difficilis oppugnatio. *Liv.* 3, 5. Difficile ad fidem est, quot ceciderint, exacto affirmare numero. *Lucr.* 2, 1025. Res difficilis ad credendum. *Plin.* 22, 13, 15. Venter difficilis, *h. e.* adstrictus. *Id.* 24, 5, 13. partus. *Id.* 23, 9, 83. urina. [*Adde *Stat. Th.* 4, 333. Hinc segnior arcus Difficilesque manus, i. e. parum agiles ad proferendas e pharetra sagittas. Opponitur manus *levis* et *facilis.* V. *Gron. diatr. Statii II.* p. 141. *ed. Lips. Cic. Brut.* 30, 116. Volo enim ut in scena sic in foro non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta, i. e. qui motu utuntur ejusmodi, ut plenus sit artis, argutiarum, venustatum. Sic *Ern.*, qui de veritate scripturae dubitat, quod *difficilis* semper in vitio sit, h. autem l. in laude. Sed V. *Forc.* s. v. STATARIUS in f.] ℙ *Difficilis homo* dicitur, qui aspera natura est et durioribus moribus et facile offenditur consuetudine aliorum, *δύσκολος*, *δύσερις*. [*Compara gradationem apud *Cic. Fin.* 1, 18, 61. malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, morosi, et *Goer.* ad h. l. collato *Döderl. Syn.* III. p. 233. ubi agit de discrimine inter *difficilis*, *morosus*, *tetricus.*] *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Parens illepidus, in liberos difficilis. *Cic. Or.* 29. Difficilem ac morosum esse. *Nep. Att.* 5. Homo difficillima natura. [*Cf. jubet *Brem. Gernhard.* ad *Cic. Sen.* 3, 7. 18, 65.] *Ov. A. Am.* 2, 566. Rusticum et difficilem esse alicui. *Id. Pont.* 2, 2, 20. precibus alicujus. *Hor. Od.* 3, 7. *extr.* et te saepe vocanti Duram difficilis mane, *h. e.* ne sinas te exorari. *Id. ib.* 1, 13, 4. meum Fervens difficili bile tumet jecur, *h. e.* aspera ira. ℙ *In difficili esse* est difficile esse. *Liv.* 3, 65. *sub f.* Adeo moderatio tuendae libertatis in difficili est. Adde *Cels.* 5, 26. *n.* 1. et *Scaev. Dig.* 28, 2, 29. *ad f.*

DIFFĪCĬLĬTER, adv. idem ac difficile. *Cic. Acad.* 4, 16. Cur deinde non, ut difficiliter a vero internoscatur? *Colum.* 5, 3. Difficiliter mensuras imbibimus agrorum.

DIFFĪCUL pro difficili, apud antiquos. *Varr.* ap. *Non.* 2, 331. Quod utrum sit magnum an parvum, facul an difficul.

DIFFĪCULTAS, atis, f. *χαλεπότης*, arduitas, labor, negotium. *Ter. Hec.* 4, 4, 45. Neutra in re vobis difficultas a me erit. *Cic. Div.* 1, 47. Difficultas laborque discendi. *Id. Div. Verr.* 12. Magnitudo rerum ac difficultas. *Id. Quint.* 2. Tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus. *Id. Top.* 25. Aut omnino fieri non possunt aut sine summa difficultate non possunt. *Id. Fam.* 4, 2. *ad f.* Incurrere in magnam difficultatem. *Caes. B. G.* 7, 10. et *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Afferre difficultatem alicui ad aliquid faciendum. *Caes. B. C.* 3, 15. Res est in magna difficultate. *Cic. Brut.* 6. Hoc habet magnam difficultatem. *Id. Cat.* 1, 6. Difficultas domestica, *h. e.* inopia. *Id. Verr.* 2, 2, 28. Esse in summa difficultate nummaria. Sic *Id. ib.* 5, 20. Summa difficultas navium. *Caes. B. G.* 7, 17. Difficultate rei frumentariae affectus exercitus. [**Id. ib.* 7, 6. magna difficultate afficiebatur, *h. e.* (ad sensum) i. q. valde dubitabat.] *Cic. Dom.* 5. Difficultas annonae. *Id. Verr.* 2, 5, 20. Quod recentibus suis officiis, integra re, nullis populi R. difficultatibus assequi non potuerunt. *Id. Verr.* 2, 3, 82. Difficultas vecturae. *Id. Or.* 1, 18. navigandi. *Caes. B. G.* 7, 56. viarum. *Hirt. B. Alex.* 43. Pressus difficultate omnium rerum. *Plin.* 15, 13, 13. Persicae arbores sero et cum difficultate transiere. *Id. praef.* Vincere difficultates. *Id.* 8, 23, 35. perrumpere omnes. *Colum.* 2, 4. *a med.* Difficultatem acclivitatis infringere. ℙ Refertur aliquando ad morbum. *Cels.* 2, 2. *sub f.* Considerandum est, num cui saepius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur. *Id.* 3, 1. Difficultas morbi. *Id.* 2, 1. urinae. Et *ib. in f.* spirandi. ℙ Pro moribus difficilibus, asperis, duris. *Cic. Mur.* 9. Sulpicius multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit. [*Planius interpretatur *Schütz.* in *Clav.* in hunc modum: „*diffic.* vitium est consulentium, quibus in respondendo aegre satis fieri potest.“ Sunt enim isti homines *difficiles* ac justo scrupulosiores.

DIFFĪCULTER, adv. *χαλεπῶς*, idem quod difficile et difficiliter, sed majoris usus. *Cic. Inv.* 2, 56. Quid difficulter fieri et quid facile possit. *Caes. B. C.* 1, 62. Difficulter atque aegre facere aliquid. *Hirt. B. Alex.* 48. dissimulare odia. *Sall. Cat.* 14. Dolis haud difficulter capiebantur. *Tac. A.* 12, 35. Amnem haud difficulter evadit. *Liv.* 1, 52. Haud difficulter persuasum Latinis. *Curt.* 7, 6. Haud difficulter concitaverunt ad arma.

*DIFFICULTO, as, a. 1. *Gloss. Gr. Lat. δυσχολαίνω. B. A.*

DIFFĪDENS, entis, part. a *diffido*, *ἀπιστῶν*. *Cic. Pis.* 36. Diffidens et desperans suis rebus. *Suet. Claud.* 35. Nihil aeque, quam timidus ac diffidens fuit. *Id. Tib.* 65. Diffidens tumultumque

metuens. *Pl. Epid.* 1, 2, 9. Diffidentem solari. *Sall. Jug.* 47. Diffidens veteri exercitui. *Id. Cat.* 46. vitae. *Cic. Div.* 2, 3. Dubitans et mihi ipse diffidens.

DIFFIDENTER, adv. ἀπίστως. *Cic. Cluent.* 1. Timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum. *Justin.* 38, 7. Timidius ac diffidentius ingredi bella.

DIFFIDENTIA, ae, f. actus diffidendi, ἀπιστία. *Cic. Tusc.* 4, 37. Metus quoque et diffidentia exspectati et impendentis mali. *Suet. Oth.* 9. Moriendi impetum cepit, magis pudore, quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum. *Plin. ep.* 5, 1. Coheredes transigere cupiebant, non diffidentia causae, sed metu temporum. *Quint.* 11, 3. *post med.* Fateri diffidentiam memoriae. *Ov. Rem. Am.* 543. Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.

DIFFIDO, is, fisus sum, n. 3. ἀπελπίζω, non fido. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *sub f.* Plura de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. *Cic. Acad.* 4, 3. Invenire se posse quod cuperent, diffisi sunt. *Id. Att.* 12, 43. De Othone diffido, fortasse quia cupio. *Id. Mur.* 21. Videsne tu illum tristem? jacet, diffidit, abjecit hastas. *Id. Cluent.* 23. Eum potius, qui sibi aliqua ratione diffideret, quam qui omni ratione confideret. *Id. Fin.* 2, 27. Qui diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat, necesse est. *Caes. B. G.* 6, 35. Diffidens, Caesarem fidem servaturum. *Cato R. R.* 157. *a med.* Quos diffidas sanos facere, facies. *Cic. Div.* 1, 25. Ita graviter aeger fuit, ut omnes medici diffiderent. *Id. Fam.* 2, 10. Parthos times, quod diffidis copiis nostris. *Sall. Cat.* 32. Sibi patriaeque diffidere. *Id. Jug.* 54. armis. [**Suet. Caes.* 3. quum ingenio ejus diffisus, tum occasione. V. *Oud.* et *Burm.* Rarior enim et exquisitior haec cum ablat. constructione. Sic etiam *Tac. H.* 2, 23. diffisus paucitate cohortium.] *Id. ib.* 15. 55. testamento, *h. e.* non sperare, locum et vim fore testamento. *Quint.* 6, 1. memoriae. *Auct. Pan.* ad *Constantin.* 1. Cur ego in me de tuo favore diffidam? *Eum. Pan.* ad *Constant.* 12. Inopinantes adortus es, non quo aperte Marte diffideres, sed etc. ℙ Passive impersonaliter. *Tac. A.* 15, 4. Amnis partem murorum ambit: et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. ℙ Praeterit. *diffidi* pro *diffisus sum* est *Quint. Decl.* 287. Causae patris diffidit vir fortis. Al. leg. *diffidisset.*

DIFFINDO, is, diffĭdi, diffissum, a. 3. διαχίζω, in diversas partes findo. *Cic. Univ.* 7. Hanc omnem conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit. *Cato R. R.* 41. Vitem mediam diffindito per medullam. *Virg. A.* 9, 589. tempora plumbo Diffidit. *Lucr.* 6, 583. Ventus (*subterraneus*) diffindens terram. Translate. *Hor. Od.* 3, 16, 13. Diffidit urbium portas vir Macedo muneribus. *Appul. Met.* 9. p. 225, 22. Rigentem servi tenacitatem diffindere. ℙ *Diffindere diem* in re forensi est actionem illius diei interrumpere et in posterum differre. *Liv.* 9, 38. *sub f.* Ei legem curiatam de imperio ferenti, triste omen diffidit diem. *Gell.* 14, 2. Jussi igitur, diem diffindi, atque inde a subsellio etc. *Ulp. Dig.* 2, 11, 2. Lex duodecim Tab., si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet, diem judicii esse diffissum. Adde *Fest.* in voce *Reus.* [*Docte explicat hunc usum *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 79.] ℙ Diffindere diem meridie insiticio somno, *Varro* dixit *R. R.* 1, 2., *h. e.*, diem meridiano tempore, interposito somno, dividere. V. MERIDIATIO et MERIDIO.

DIFFINGO, is, inxi, ictum, a. 3. διαφθείρω, est corrumpere, labefactare, destruere quod fictum et formatum est. *Hor. Od.* 3, 29, 47. Neque diffinget interfectumque reddet, Quod fugiens semel hora vexit. ℙ Est idem reformare. *Hor. Od.* 1, 35, 39. O utinam nova Incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. Sed al. leg. *defingas.* [*Et fortasse recte. Nam *defingere* est i. q. ex una forma in aliam fingere ideoque ad certum quendam usum fingere, ut vidimus saepius sub vv. ab hac praep. incipientibus; h. l. retusum ferrum ita fingere, ut sit acutum. *Diffingere* esset vel: in duas partes seu formas fingere; vel: fingendo corrumpere. Neutrum quadrat. Sic *Fea* in obss. ad *Virg. G.* 2. p. 87. quanquam defendi posse videtur loco *Sat.* 2, 1, 79. (V. infra.), ut poeta, uti illo loco, dixerit pro *umbilden*, quod sane quadrat. Eadem ratio obtinet in seq. *Hor.* l.] ℙ Sunt alia duo loca *Horatii*, in quibus hoc verbum a nonnullis legitur *Sat.* 1, 10, 37. Diffingit Rheni luteum caput. (V. DEFINGO.) *Id. ib.* 2, 1, 79. nihil hinc diffingere possum. Consule *Bentl.* [*Cui adde *Heind.*, qui *Bentl.* ex parte corrigit. *Diffingere* est h. l. i. q. in aliam eamque diversam formam fingere, *umbilden*, vel ut *Schol. Cruq.* exponit: mutare.] Ceterum praeter *Hor.* qui hoc verbo uteretur, inveni adhuc neminem. [**Silio* restitutum vult hoc voc. *Drak.* 7, 153. ubi vulgo legitur *discinxit ratione dolos*, quod sane mirum esse videatur.]

DIFFINIO. V. DEFINIO.

DIFFINITIO. V. DEFINITIO.

DIFFISSIO, onis, f. actus diffindendi. *Diffissio rerum* est prorogatio actionis in diem posterum, ut in DIFFINDO dictum est. *Gell.* 14, 2. In rerum diffissionibus et comperendinationibus. Est qui aliter legat. [**Osannus* laudato *Ang. Polit. Misc.* 41. (in *Gruteri face crit.* 1. p. 56. dierum monet legendum esse pro *rerum* (V. *Acta schol.* 1829. p. 356.). Omnino. Nescivisse autem videtur V. D., dudum ita correxisse *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 79.]

DIFFISSUS, a, um, part. a *diffindo*, κατακεκιζόμενος, ut Diffissum saxum, *Cic. Div.* 1, 13. Diffissus ramus. *Varr. R. R.* 1, 40. *ad f.* cunnus. *Catull.* 97, 7. Diffissa natis. *Hor. Sat.* 1, 8, 47. [*Front.* ad *Verum Imp.* (ed. *Maio*) *ep.* 8. Sicut in extis diffissa plerumque minima et tenuissima maximas significant prosperitates. V. FISSICULO. ℙ In *Not. Tir.* p. 122. *disfissus* et apud *Front. l. c.* legitur *diffisa. F.*]

DIFFISUS, a, um, part. a *diffido*, qui diffidit. *Cic. Prov. Cons.* 16. Homines diffisi ipsi sibi. *Id. Mur.* 30. Me diffisum ingenio meo quaesisse adjumenta doctrinae. Adde *Suet. Caes.* 3. [*Cf. DIFFIDO.]

DIFFITEOR, eris, dep. 2. ἀπαρνέομαι, non fateor, non concedo, nego. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. *a med.* Nunquam diffitebor, multa me simulasse et dissimulasse. *Ov. Am.* 3, 14, 28. Et pudor obscenum diffiteatur opus. *Auson. Caes.* 14. Quem fateare bonum, diffiteare parem. ℙ [Scribitur etiam *defiteor. Not. Tir.* p. 89. Defitetur. *F.*]

DIFFLATUS, a, um, part. a *diffio*, flando dissipatus. *Auson. Ephem. n. ult.* purgantibus Euris Difflatae liquidum tenuentur in aera nubes. *Prud. Hamart.* 388. Excitus difflato pulvere ventus.

DIFFLETUS, a, um, part. ab inusit. *diffleo*, flendo corruptus. *Appul. Met.* 1. p. 104, 36. Uxor moerore deformata, diffletis paene oculis suis etc. Sic *Quint. Decl.* 6, 4. Cognita clade, uxor totos efflevit oculos.

DIFFLO, as, a. 1. διαπνέω, flando disperdo, dissipo. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 219. Pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore. *Pl. Mil.* 1, 1, 17. Cujus tu legiones difflavisti spiritu, quasi ventus folia. *Auson. Ephem. sub f.* Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi. ℙ *Difflari* est flando disseminari. *Auson. Idyll.* 14, 19. Forsitan unus odor, sed celsior ille, per auras Difflatur. Al. leg. *diffluit.*

DIFFLUO, is, uxi, n. 3. διαῤῥέω, in diversas partes fluo. *Cic. Brut.* 91. *sub f.* Fluvius extra ripas diffluens. *Caes. B. G.* 4, 10. Rhenus, ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes. *Lucr.* 3, 436. quassatis undique vasis Diffluere humorem et laticem discedere cernis. *Id. ib.* 198. ab summo tibi diffluat altus acervus. *Id.* 6, 971. Diffluere ambrosia, *h. e.* undique ambrosia manare. *Phaedr.* 4, 24. Repente duo cum juvenes, sparsi pulvere, Sudore multo diffluentes corpora. Adde *Plin.* 21, 13, 44. ℙ Item corrumpor, dissipor, exstinguor. *Lucr.* 1, 1036. privata cibo natura animantum Diffluit amittens corpus. *Senec. ep.* 91. Juga montium diffluunt, totae desedere regiones. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 32. Graeci diffluentes otio, *h. e.* abundantes. *Id. Off.* 1, 30. 106. et *Ter. Heaut.* 5, 1, 72. Quam turpe sit diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere. *Cic. Or.* 3, 70. Si alicujus inconditi arripias aliquam sententiam, eamque in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerat antea diffluens ac solutum, [*i. q. quod nullis astrictum fuerat numeris, ut intelligitur ex *Brut.* 79. ubi diserte opponuntur *diffluentia* et numeris astricta. — Ad nimiam autem oratoris copiam et luxuriam refer apud *Eund.. ib.* 91. Molo dedit operam — ut nimis redundantes nos et superfluentes reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Similiter *Gell.* 1, 15. utiles locutores dicit, qui nullo verborum pondere innixi, verbis humidis et lapsantibus diffluant.] *Prud. Symm.* 1, 125. Diffluere in luxum. ℙ *Diffluere risu* est risu abundare. *Appul. Met.* 3. p. 132, 21. Totus populus risu cachinnabili diffluens.

[DIFFLUVIO, as, a. 1. divido in duas partes, diffindo. *Colum. Arbor.* 7. Sin autem vitis exiguam materiam habebit et in diversos ordines diducenda erit, neque aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quam ut diffluvietur, curabis, ut quam acutissima falce ab ea parte, qua bifurca est, findas eam et eodem ferro acuto plagam emendes. Alii perperam legunt *diffluat* vel *diffluetur.* V. FLUVIATUS et QUADRIFLUVIUM. *F.*]

DIFFLUUS, a, um, diffluens. *Mattius* apud *Macr. Sat.* 2, 16. Sumas ab alio lacte diffluos grossos.

DIFFLUXIO, onis, f. fluxus. *Coel. Aur. Acut.* 2, 18.

DIFFRACTUS, a, um, part. a *diffringo. Suet. Caes.* 37. Paene curru excussus est axe diffracto. [**Id. Aug.* 17. gubernaculo diffracto.] *Vitr.* 10, 6. Colossici Apollinis basis a vetustate diffracta.

DIFFRINGO, is, egi, actum, a. 3. διαῤῥήγνυμι, in varias partes frango. *Pl. Asin.* 2, 4, 68. Crura hercle diffringentur, ni etc.

DIFFUGIO, is, ūgi, n. 3. διαφεύγω, in diversas partes fugio: et ponitur etiam pro simplici fugio aut profugio. *Cic. Phil.* 2, 42. Metu perterriti repente diffugimus. *Virg. G.* 3, 150. silvis diffugiunt armenta. *Hirt. B. G.* 8, 35. Perterriti diffugiunt ad sua praesidia. *Liv.* 28, 2. Celtiberi in proximas dilapsi silvas, inde domus diffugerunt. *Hor. Od.* 1, 7, 1. Diffugere nives. *Caes. B. C.* 1, 82. Videri proelium diffugisse, magnum detrimentum afferebat. Al. rectius leg. *defugisse.* V. DEFUGIO, [*et interpretes ad h. l.]. *Lucr.* 4, 566. In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures, *h. e.* dispertitur. *Claud. Epith. Pall.* et *Celer.* 110. et raucae stagna Padusae Diffugiens nudavit olor.

DIFFUGIUM, ii, n. *Tac. H.* 1, 39. Proximorum diffugia languentibus jam studiis.

DIFFULGURO, as, a. 1. fulgura spargo. *Sidon. carm.* 11, 20. Postes chrysolithi fulvus diffulgurat ardor.

DIFFULMINO, as, a. 1. fulmine disjicio. *Sil.* 5, 276. diffulminat omnem Obstantum turbam. [*Not. Tir.* p. 118. Diffulminat. *F.*]

*DIFFUMIGO, as, a. 1. idem fere ac fumigo. *Theod. Prisc.* 4, 1. Primo diffumigatur mulier sedens de storace. *B. A.*

DIFFUNDITO, as, avi, atum, n. 1. frequentat. a *diffundo. Pl. Merc. prol.* 56. Rationem pessimam esse, ea, quae ipsus optima Omnes labores invenisset perferens, Amoris vi diffunditari, ac deteri, *h. e.* prodige profundi, atque absumi. *Ammian.* 16, 12. Ubique sese diffunditans. et 21, 1. Sol mens mundi nostras mentes velut scintillas ex sese diffunditans.

DIFFUNDO, is, udi, usum, a. 3. διαχέω, in diversas partes fundo, spargo, effundo, dispergo. *Cic. N. D.* 2, 55. Sanguis per venas in omne corpus diffunditur. et *ib.* 10. Aqua se liquefacta et dilapsa diffundit. *Catull.* 64, 354. Unda quae diffunditur Hellesponto. *Petr. Sat.* 131. aestivas platanus diffuderat umbras. *Cic. Sen.* 15. Terra semen compressu suo diffundit, *h. e.* emittit. *Val. Fl.* 3, 559. Phoebus jubar diffundit aquis. *Plin. ep.* 4, 22. *extr.* Gravissimus morbus est, qui a capite diffunditur. *Colum.* 5, 5. *circa med.* Vitem totam omni parte in orbem diffundi. *Caes. B. G.* 6, 25. Rami quam late diffunduntur. *Virg. A.* 1, 323. dederatque comas diffundere ventis. *Id. ib.* 10, 908. Undantique animam diffundit in arma cruore. *Id. ib.* 11, 465. Diffundere equitem latis campis. *Plin. ep.* 2, 17. Via modo coarctatur, modo diffunditur. ℙ *Diffundere vinum* quid sit, V. in DEFUNDO. ℙ Translate. *Cic. Div.* 1, 36. Dii vim suam longe lateque diffundunt. *Plin. Pan.* 56. In immensum diffunditur oratio. *Virg. A.* 4, 195. Haec passim Dea foeda virum diffundit in ora. *Id. A.* 7, 708. Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens, i. e. descendit et propagatur. *Hor. Epod.* 14, 1. Diffundere oblivionem sensibus. *Ov. Her.* 8, 61. flendo diffundimus iram. *Id. Met.* 9, 142. Flendo dolorem diffundere. *Quint.* 7. *sub f.* Per totam orationem diffundere affectus. *Ov. A. Am.* 3, 9. Parcite paucarum crimen diffundere in omnes. *Id. Met.* 4, 764. epulis functi generosi munere Bacchi Diffudere animos, *h. e.* hilaritatem solverunt. Sic *Stat. Th.* 2, 213. diffuderat Argos Exspectata dies. *Cic. Amic.* 13. *sub f.* Bonis amici quasi diffundi et incommodis contrahi. *Ov. Met.* 14, 272. et *Pont.* 4, 4, 9. et *Senec. ep.* 106. Diffundere vultum, *h. e.* explicare frontem, quod fit in laetitia. *Arnob.* 7. p. 213. Diffundi laetitia. ℙ Intemperantia cibi diffundere artus apud *Aur. Vict. Epit.* 45. *extr.* est distendere nimio cibo et obruere.

DIFFUSE, adv. διακεχυμένως, disperse, fuse. *Cic. Inv.* 1, 52. Enumeratio est per quam res dispersе et diffuse dictae unum in locum coguntur. *Avien. Perieg.* 269. Latus hoc terrae diffusius explicat agros. *Cic. Tusc.* 3, 10. Haec dicuntur a Stoicis contortius, sed latius aliquando dicenda sunt et diffusius.

DIFFUSILIS, e, adj. qui se diffundit. *Lucr.* 5, 468. levis ac diffusilis aether.

DIFFUSIO, onis, f. διάχυσις, dispersio, dilatatio. Translate. *Senec. Vita beat.* 5. Comitasque et diffusio animi. V. DIFFUNDO.

DIFFUSOR, oris, m. qui diffundit. *Inscr.* ap. *Grut.* 466, 7. Reguliano Eq. R. diffus. oleario, etc., *h. e.*, ut opinor, qui oleum in cados diffundit servandi causa.

DIFFUSUS, a, um, part. a *diffundo*, διαχυθείς, in diversas partes fusus, sparsus, dispersus. *Or. Ib.* 607. Cruor diffusus in artus. *Lucan.* 1, 654. Diffusum aequor. [*V. *Cort.* h. l. explicationem. *Bentl.* habet: *defusum.*] *Curt.* 3, 1. Amnis diffusus. *Hor. Ep.* 1, 5, 4. Vina bibes iterum Tauro diffusa. *Juven.* 5, 30. Ipse capillato diffusum consule potat. Adde *Lucan.* 4, 379. *Lucr.* 5, 470. Aether late diffusus in omnes undique partes. *Cic. N. D.* 2, 37. Lux toto coelo diffusa. *Mart. Spectac.* 2. Diffusae umbrae. *Lucr.* 4, 570. vox diffusa per auras. *Ov. Her.* 10, 47. Diffusi capilli. *Id. Met.* 9, 239. Flamma in omne latus diffusa. *Cic. Or.* 1, 7. Platanus patulis diffusa ramis. *Plin.* 16, 16, 28. Genus buxi diffusius. *Cic. Or.* 3, 3, 52. Color diffusus sanguine. *Mart.* 3, 31. Dif-

usus campus, *h. e.* patens, latus. *Colum.* 1, 4. Diffusiora consepta. *Plin.* 16, 6, 8. *sub f.* Glans iligna suem angustam, nitidam facit, querna diffusam, *h. e.* pinguedine tumentem. *Val. Fl.* 2, 104. Venus sidereos diffusa sinus, *h. e.* soluta ad sinum veste. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 34. *ad f.* Error longe lateque diffusus. *Curt.* 6, 11. Terror diffusus per tota castra. *Cic. Sext.* 45. Numerus optimatium late et varie diffusus. *Id. Balb.* 5. Pompeji late longeque diffusa laus. *Id. Or.* 2, 33. Jus civile diffusum et dissipatum in certa genera cogere. *Colum.* 11, 1. *ante med.* Rusticationis magna et diffusa materia est. *Plin. ep.* 7, 17. Corona diffusior, *h. e.* auditorum turba numerosior. *Id. Pan.* 53. Amplius ac diffusius meritum, *h. e.* ad plures pertinens. ℙ Aliquando refertur ad animum, et significat solutum curis, hilarem, laetum, quod et in DIFFUNDO adnotavimus. *Ov. Met.* 3, 318. Jovem memorant, diffusum nectare, curas Seposuisse graves. *Stat. Silv.* 4, 2, 54. sacro diffusus nectare vultus. *Petr. Sat.* 10. Diffusus in risum. ℙ Comp. *Diffusior.* V. supra.

DIFFŪTŪTUS, a, um, part. ab inusit. *diffutuo*, futuendo exhaustus. *Catull.* 29, 14. ℙ Item a pluribus corruptus. *Id.* 41, 1. de meretrice: ubi al. leg. *defututa.*

DIGAMIA, ae, f. *διγαμία*, conditio ejus, qui duas uxores vel simul, vel unam post mortem alterius duxit. *Tert. Monog.* 6. et *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 37.

DIGAMMA, ătis, n. *δίγαμμα*, et Digammos, i, f. *δίγαμμος*, nota aspirationis, quae ab Aeolibus tum praeponebatur vocibus incipientibus a vocali, tum ipsis vocalibus inserebatur in medio dictionis, ad hiatum vitandum. Quod et Latini aliquando sunt imitati, a quibus olim, *Festo* teste, *fedum* pro *hedum*, et *fostiam*, *fostem* pro *hostiam*, *hostem* dictum est: et *Formiae* oppidum olim *Hormiae* fuit, teste *Plin.* 3, 5, 9. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. *Exc.* XII., p. 347.] Est a *δίς*, bis, et *γάμμα*, quia ex duplici *Γ* conflata erat, referebatque figuram Latini F. Itaque Aeoles scribebant Fοῖνος pro *οἶνος*, et ταFῶς pro *ταὼς*, et ὤFὸν pro *ὠὸν*, et δάFος pro *δᾶος:* quos Latini imitati, *vinum*, *pavo*, *ovum*, *davus* dixere. Quare usum litterae *v* consonantis paulatim praestare coepit, Bᾶν seu Fᾶν, *vau* etiam appellata, teste *Varr.* et *Didymo* apud *Prisc.* 1. p. 545., et a quibusdam grammaticis credita est necessaria ad exprimendum crassiorem illum sonum, qui hodieque a Germanis exprimitur in eadem *w* consonante pronuncianda; qui simplici illa *v* non satis exprimi ab Romanis videbatur. Et Claudius quidem imperator, qui tres Latino alphabeto litteras adjecerat, ut *Tac. A.* 11, 14. et *Suet.* in *ejus Vita* 41. narrant, ex iis unam hoc digamma invexerat, teste *Quint.* 1, 7., atque passim usurpari, appingique jusserat, figura tamen inversa, hoc modo Ⅎ. Scribi itaque volebat *serⅎus*, *ⅎulgus* pro *servus*, *vulgus:* et similiter in quibusdam antiquis inscriptionib. eo vivo exaratis, ut videtur, apud *Grut.* 119, 2. legitur *ⅎitellius* Vitellius, 196, 4. *ampliaⅎit terminaⅎitque*, ampliavit terminavitque, 236, 9. *Diⅎi* et *XVⅎIR*, Divi et XV VIR, etc. Verum post Claudii mortem oblitterata est, ut *Tac. l. c.* scribit, et Latini ad suam *v* consonantem redierunt. Sed etiamsi forma (inquit *Quint.* 12, 10.) a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur. Duras et illa syllabas facit, quae ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, etc. Haec *Quintil.* Grammatici quoque vel litteram ipsam, vel ejus nomen (*v* consonam intelligentes) usurpare aliquandiu non destiterunt, ut *Serv.* ad *A.* 1, 455. Quartae conjugat. praeteritum perfect. vel in *ivi* exit, vel sublata digammo, in *ii*, pro nostro arbitrio, ut *lenivi lenii*, *audivi audii.* V. plura apud *Voss. de Gramm.* 1, 16 et 17. et *Lips. de recta pronunc. L. L.* 12. ℙ Legitur et apud *Cic. Att.* 9, 9. Tuum digamma videram. Ubi alii fundum significari putant, figura ejus litterae: alii fenus, alii rectius codicem, in quo perscriberentur fundorum reditus, [*scil. inscriptus fuit codex ille: *Fundorum reditus* vel *Fructus praediorum.* Per jocum igitur a prima illa littera *F.* appellasse eum *digamma.* Uberiorem *Popmae* h. l. explicationem V. in *Clav. Cic. Schützii.*]

*DIGBA, ae, f. Mesopotamiae oppidum, ad confluentem Tigris atque Euphratis. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*DIGENTIA, ae, Italiae fluvius, vel potius rivus, in Sabinis, Horatii villam praeterfluens. *Hor. ep.* 1, 17, 10. Hodie est *Rivo del Sole Leandro. B. A.*

*DIGĒRI, orum, *Δίγηροι*, Thraciae populi, ad sinistram Strymonis amnis ripam siti. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

DIGĔRIES, ei, f. *διάταξις*, digestio, dispositio, distributio. *Macr. Sat.* 1, 16. *post med.* Si digeries (*anni et dierum*) morsum reprehensionis evasit. *Id. praef.* 1. Quaecumque hausimus, non patiamur integra esse, sed in quandam digeriem concoquantur.

DIGĔRO, is, essi, estum, a. 3. *διαφορέω*, *διατάττω*, quasi in diversas partes gero, suo quamque rem loco pono, dispono, ordino, distribuo: tum proprie, tum translate. *Cic. Rabir. Post.* 9. Optime digerere rempubl. [*At hic locus suspectus est *Ernestio*, *Goer.* (ad *Cic. Leg.* 2, 26.) *Orell.;* existimant enim, haec vv. addita esse a glossatore.] *Id. Verr.* 2, 1, 23. Tabulas accepti diligentissime legere atque digerere. *Id. Inv.* 1, 30. In praesentia tantummodo partes argumentandi confuse et permixte dispersimus, post discrete et electe in genus quodque causae, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus. *Id. Q. Fr.* 2, 14. Mandata alicujus digerere, persequi, conficere. *Id. Or.* 1, 42. Jus civile digerere in genera. *Plin.* 29, 1, 8. Digerere commentarium per genera usus sui. *Virg. A.* 3, 446. Digerere aliquid in numerum, *h. e.* ita disponere, ut secunda primis, tertia secundis, ac deinceps protinusque collocentur. *Ov. Fast.* 6, 83. populum digessit ab annis Romulus, *h.* e. divisit ratione aetatis. *Id. Fast.* 1, 27. Digerere tempora, [*Tac. G.* 26. annum in totidem species.] *Colum.* 10, 166. et *Mart.* 3, 63. crines ordine. *Liv.* 2, 21. Tanti errores implicant temporum, ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, digerere possis. *Virg. A.* 2, 182. ita digerit omina Calchas, *h. e.* disponit atque interpretatur. *Senec. Qu. Nat.* 7, 22. nubes modo congregantur, modo digeruntur, *h. e.* separantur. Sic *Plin. ep.* 8, 20. Interdum junctae copulataeque sunt: interdum discordantibus ventis digeruntur. *Id. ep.* 2, 17. Conceptum vaporem huc illuc digerit, et ministrat. *Quint.* 11, 3, 114. Digerere argumenta in digitos. *Plin.* 12, 27, 60. Uva immatura teritur, siccataque in sole, postea digeritur in pastillos. *Id.* 2, 7, 5. Digerere aliquid in partes. *Suet. Caes.* 44. Comparare et digerere bibliothecam. *Colum.* 11, 2. *ante med.* Stercus in prata digerere. *Plin.* 18, 24, 56. Siderum exortus et occasus digerendi in suos dies, *h. e.* distribuendi, demonstrando dies, quibus eorum quodque exoritur atque occidit. *Ov. Met.* 14, 469. Digerere poenam in omnes. *Id. Pont.* 1, 4, 9. mala per annos longos, *h. e.* distribuere, dividere. ℙ *Digerere aliquid* est ordine enarrare. *Plin.* 29, 2, 10. Reliquos usus ejus suo loco digeremus. ℙ *Digerere linum* apud *eund.* 19, 1, 3. est crassum a subtiliori dividere, quod pectendo fit. ℙ *Digerere uvam* dicitur vitis, cum in grana dividit. *Id.* 16, 25, 41. ℙ *Digerere asparagum* est ad lineam atque ordine serere. *Cato R. R.* 161. et *Plin.* 19, 8, 42. [**Virg. G.* 2, 54, 267.] ℙ Saepe est verbum medicorum. *Digerere malum aliquod* est ita dividere, resolvere, discutere ac dissipare, ut paulatim absumatur et evanescat. *Cels.* 5, 18. *n.* 1. Quaedam digerunt materiam, quaedam extrahunt. et *n.* 21. abscedentia digerit murex combustus. *Id.* 2, 17. Quoties humor intus nocet, isque digerendus est. *Id. praef. prope f.* et 1, 9. *extr.* Sudore digerere aliquid. *Id. praef. a med.* Si corpus adstrictum est, digerendum esse; si profluvie laborat, continendum, *h. e.* solvendum, molliendum. *Plin.* 26, 7, 25. Digerere cruditates. *Id.* 20, 7, 26. Lactucae lentitiam pituitae digerunt. *Cels.* 3, 4. In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est; itemque eo coelo, quo magis digerit. *Id.* 2, 15. Genera gestationis plura sunt: quae adhibenda sunt pro viribus cujuscumque, et pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili desint, *h. e.* solvant infirmentque. *Lucan.* 6, 88. Corpora dum solvit tabes, et digerit artus, *h. e.* dissolvit, corrumpit, labefactat. ℙ *Digerere aliquem*, huc illuc in diversa loca gestare. *Cels.* 4, 7. Quod si satis valet, (*oportet*) gestando aegrum digerere: si parum, intra domum tantum dimovere. ℙ *Digerere cibos* est stomacho exceptos in venas artusque distribuere alimenti causa. *Quint.* 10, 1, 19. Cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur. Adde *Senec. prooem. Controv.* 1. *a med.* [*Observat *Spald.* ad *Quint. l. l.* hac significatione nonnisi argentea aetate usurpari coeptum esse, indeque eam explicandam esse, qua dentes dicantur cibum digerere i. e. minuere. V. §. sq.] ℙ Dentes quoque *digerere* dicuntur, qui cibos dissecant et dividunt. *Plin.* 11, 37, 61. Continuorum dentium qui digerunt cibum, lati et acuti; qui conficiunt, duplices. ℙ Translate a re medica. *Plin.* 31, 4, 30. Silva continere nimbos ac digerere consuevit, *h. e.* in plures parvos rivos diducere, nec pati, ut aquae in torrentem colligi et confluere possint. *Lucan.* 10, 260. undae plus, quam quod digerat, aer, Tollitur, *h. e.* exsiccando consumat, absumat, dissipet. *Senec. Thyest.* 286. Nec luna graves digerit umbras, *h. e.* dissipat. ℙ [*Estque adeo i. q. dissolvere, putrefacere, *σήπειν*. *Lucan.* 6, 88. corpora dum solvit tabes et digerit artus. V. *Cort.* ad h. l.] ℙ In illo *Nemesiani Cyneg.* 303. Linea quin etiam, magnos circumdare saltus Quae possit, volucresque metu concludere praedas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. *digerat* est gerat, habeat pinnas huc illuc innexas et dispositas ad terrendas feras. ℙ *Digerere senium*, h. e. senectutem agere, dies senectutis unum post alium transigere, est *Val. Fl.* 8, 102. Alii aliter interpretantur: alii aliter legunt. ℙ [*Solemnis est permutatio vv. *digerere* et *dirigere.* V. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 44. coll. *Liv.* 8, 27, 5. *Ov. Met.* 12, 21. *Quint.* 11, 1, 6. Etiam *dividere* substituunt; V. *Burm.* ad *Ov. l. l.* Porro permutatur cum *disserere*, V. *Arntzen.* ad *Aur. Vict. V. ill.* 18, 3.]

DIGESTĪBĬLIS, e, adj. qui digeri et concoqui potest. Cibus digestibilis, *Coel. Aur. Tard.* 1, 5. *ante med.* ℙ Oxygarum digestibile, *Apic.* 1, 34. *in lemmate*, h. e. digestionem adjuvans.

DIGESTIM, adv. ordinate, disposite. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 129. Digestim aliquid scribere.

DIGESTIO, onis, f. *διάταξις*, *διαφόρησις*, actus digerendi distributio rerum in suum cujusque locum, dispositio, ordo. *Cic. Phil.* 5, 7. Ut digestio potius, quam declamatio videretur, *h. e.* nudus quidam ordo rerum dicendarum. Sunt qui merito haec verba *Ciceroni* abjudicant. [*Omnino. V. *Orell.*] *Vell.* 2, 53. *extr.* Digestio annorum. *Plin.* 3, 5, 6. Italiae, *h. e.* ordinata descriptio. ℙ *Cic. Or.* 3, 53. *ad f.* enumerat digestionem inter figuras rhetoricas sententiarum, et videtur intelligere partitionem ac distributionem, qua pluribus positis, suum singulis redditur membrum, Graece *μερισμόν* vel *διαίρεσιν*. Hanc designare videtur *Or.* 40., ubi ait, *ut dividat in partes.* [*Compara illud *Quint.* 11, 3, 114. argumenta in digitos digerere.] ℙ *Digestio ciborum* non est quidem concoctio, sed distributio cibi stomacho excepti in venas et membra corporis, sive concoctus fuerit, sive non. *Cels. praef. a med.* Neque ad rem pertinere, quomodo, sed quid optime digeratur; sive hac de causa concoctio intercidat, sive de illa; et sive concoctio sit illa, sive tantum digestio. *Quint.* 11, 3, 19. Facilis ciborum digestio. *Capitolin. Ver.* 4. Somni fuit permodici, digestionis facillimae. V. *Macr. Sat.* 7, 4., ubi quatuor digestiones ponit et exsequitur.

*DIGESTĪVUS, a, um, *Macer carm.* 1, 18. Digestiva vis. Exemplum aliud V. in *Contentivus. B. A.*

DIGESTORĬUS, a, um, adj. digerendi, discutiendi, et dissipandi vim habens, ut in DIGERO dictum est: ut Digestorium medicamentum, *Plin. Val.* 2, 8. et Digestorium embamma, *Marc. Empir.* 20.

DIGESTUS, a, um, part. a *digero*, distributus, ordinatus, *διαταχθείς*. *Cic. Rosc. Com.* 3. Cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes. *Id. Or.* 1, 41. Res artificiose digestae. *Flor.* 1, 6. Populus R. digestus in classes. *Ov. Am.* 7, 11. Capilli digesti. *Id. Fast.* 5, 213. colores. *Id. Met.* 9, 773. Nilus in septem cornua digestus. *Id. Her.* 10, 67. Crete centum digesta per urbes. *Plin.* 28, 6, 18. Digestus in genera. *Id.* 24, 17, 102. Radix digesta in pastillos. ℙ Digestus cibus, e stomacho in omnes corporis partes nutriendi gratia distributus. [*V. DIGERO.] *Quint.* 11, 3, 35. Illud ediscendo scribendoque commune est utrique conferre bonam valetudinem, digestum cibum, etc. *Marcell.* vero *Empir.* 22. non semel *digestum* vocat hominem, qui cibum digessit: et *ib. a med.* Observet, ut illo triduo purissimus et digestissimus, sit, etc. Verum haec non sunt imitanda. ℙ *Digesta*, *orum*, appellantur libri Pandectarum, quia legum habent divisiones et decisiones, ut *Justinian.* loquitur *Cod.* 1, 17, 3. Ceterum hac appellatione usi fuerant ante *Justinian.* multi JCti, ut *Julian.*, *Alphen.*, *Varus*, (teste *Gell.* 6, 5.) *Jubentius*, *Celsus*, *Ulpius*, *Marcell.* et alii, qui suos de Jure libros *Digesta* inscripserunt.

DIGESTUS, us, m. distributio, dispositio. *Stat. Silv.* 3, 3, 86. jam creditur uni Sanctarum digestus opum, partaeque per omnes Divitiae populos, *h. e.* administratio et distributio fisci principis. *Macr. Sat.* 7, 4. Quaero, simplex an multiplex cibus digestu sit facilior.

DIGITĀLIS, e, adj. *δακτυλιαῖος*, qui habet mensuram digiti. *Plin.* 22, 20, 23. Anchusae radix in usu est, digitali crassitudine. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 8. Digitalis gracilitas. ℙ *Digitale* subst. n. *δακτυλήθρα*, digitorum tegumentum. *Varr. R. R.* 1, 55. Olea, quae digitis nudis legitur, melior, quam illa, quae cum digitalibus. Alii melius leg. *digitabulis*, nempe instrumentis ligneis, in effigiem digitorum divisis, quibus comprehensae baccae stringerentur. ℙ [In *Not. Tir.* p. 162. scribitur *digital. F.*]

DIGITĀTUS, a, um, adj. qui digitos habet. *Plin.* 11, 47, 107. Avium aliae digitatae, aliae palmipedes.

DIGITELLUM, i, n. diminut. digiti. Hoc nomine dicitur herba quaedam, quae alio nomine sedum, aizoon, sive sempervivum majus appellatur. *Plin.* 18, 17, 45., 25, 13, 102. et 26, 15, 92. et *Colum.* 12, 7.

DIGITŪLUS, i, m. *δακτυλίσκος*, diminut. digiti. *Ter. Eun.* 2, 2, 53. Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus. [*Cic. fr. or. Scaur.* p. 76. ed. *Peyr.* [*2, 11. p. 155. ed. *Beier.*] Ut illi aniculae non ille quidem vim adferret, sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret, ut illa periisse suspendio putaretur. *Hieron. ep.* 125.

n. 18. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans. *F.*] Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 514. ℙ [*De avium pedibus. *Appul. Flor.* 2. p. 349, 2. cujus (psittaci) in pedibus ut hominis, quini digituli numerantur.]

DIGITUS, i, m. δάκτυλος, membrum manus et pedis. *Cic. Acad.* 4, 47. Cum paulum digitos constrinxerat. *Id. Coel.* 12. Primoribus labris gustare, et extremis, ut dicitur, digitis attingere aliquid. *Id. Or.* 1, 46. Ut commonstrarem viam, et, ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem. *Virg. A.* 5, 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque, *h. e.* pedum digitis nixus. *Senec. ep.* 111. Ambulare summis digitis. ℙ Digitorum primus *pollex* dicitur, quod eo maxime pollet manus; secundus *index*, quod eo utimur ad aliquid ostendendum, qui et *salutaris;* tertius *medius*, qui et *summus*, et *infamis*, et *impudicus.* V. singulas has voces, quartus *anularis* a ferendo anulo nomen habet; quintus *minimus* dicitur. ℙ Duobus infimis digitis conclusis, ceteris vero explicatis et erectis exprimebatur gestus ille oratorum proprius loqui incipientium, qui et *pacificator* a *Quint.* 11, 3. *a med.* vocatur; hoc vero utuntur, qui apud nos jusjurandum publice dant. *Quint. l. c.* Fit et ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit. *Appul. Met.* 2. Suberectus in torum porrigit dexteram, et ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes (alii leg. *eminulos*) porrigens, et infesto pollice clementer subridens infit. *Fulgent. Contin. Virg. ante med.* Itaque compositus in dicendi modum, erectis in iotam duobus digitis, tertium pollicem comprimens, ita verbis exorsus est. [*Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 4. p. 108. *ed. Mediol.* legendum putat *pollice*, ita ut ille gestus significetur, qui proprius est pontificum, dum populo *benedictionem* impertiuntur. V. POLLEX §. 2. et 3. *F.*] ℙ Saepe dicitur de re, aut actione minima. *Cic. Att.* 7, 3. *ad f.* Mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam. *supple*, discedere. *Id. Off.* 3, 19. Si vir bonus habeat hanc vim, ut si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, *h. e.* nullo labore, nullo negotio, facillime. et *ib. sub f.* Si dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres; in foro, mihi crede, saltaret. ℙ Hinc digitum proferre, exserere, porrigere, etc. *Id. Fin.* 3, 17. Chrysippus ne digitum quidem ejus causa porrigendum dicebat. *Pers.* 5, 119. digitum exsere, peccas. *Cic. Caecin.* 25. Quid agat, quomodo aggrediatur judicem, qua denique digitum proferat, non habet. ℙ Hinc *in digito mori*, *h. e.* levi vulnere aut morbo. *Plin.* 27, 2, 2. Hinc atrox illa peroratio ejus: in digito eas mortuas. Ita refert et explicat haec verba *Coel. Rhod.* 23, 13., atque ex eo plures lexicographi. At *Harduin.* et alii leg. *peroratio ejus in digitum.* V. apud *Plin.* reliqua, unde colliges diversum omnino sensum. ℙ *Monstrari digito* dicitur, qui aliqua in re insignis est. *Hor. Od.* 4, 3, 22. Totum muneris est tui, Quod monstror digito praetereuntium, Romanae fidicen lyrae. Adde *Pers.* 1, 28. ℙ *Digito coelum attingere*, est, summe beatum, et velut Diis proximum se putare. *Cic. Att.* 2, 1. *a med.* ℙ *Digito caput scalpere*, est mollis et delicati hominis indicium. *Juven.* 9, 133., *Senec. ep.* 52. *ad f.* et *Ammian.* 17, 11. qui dicit, ita notatum fuisse Pompejum. Hinc *vet. Poeta* ap. *Schol. Lucani* 7, 726. Magnus, quem metuunt homines, digito caput uno Scalpit: quid dicas hunc sibi velle? virum. Ipse autem *Scholiast.* docet esse indicium superbiae: sed melius dicas luxus et deliciarum, quasi qui ita scalpebant, metuerent turbare comam diligentius compositam. ℙ *Micare digitis.* V. MICO. ℙ *Digitum tollere* est ejus, qui in auctione licetur. Nam manu sublata, et elato digito significabat quis, se emptionis aut redemptionis auctorem esse, ut *Fest.* in *Manceps* significat. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. Accurrunt ad tempus tutores: digitum tollit Junius. Adde 2, 3, 11. ℙ *Digitum* etiam *tollere* dicuntur, qui se victos fatentur; tractum a gladiatoribus, qui victi, ostensione digiti veniam a populo postulabant, ut ait *vet. Schol.* ad *Pers.* 5, 119. Hinc *Sidon. ep.* 5, 7. Hi sunt, quorum comparatione digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, etc. Hinc *pugnare ad digitum* apud *Mart. Spectac.* 29. est sine spe missionis, donec alter e gladiatoribus digitum tollat et victum se fateatur. Alii exponunt, donec praeses certaminis digitum pollicem vertat et mori alterutrum jubeat. ℙ *Summis digitis colere* modus est loquendi a Gentilium more ductus, qui quas res sacrificaturi erant, summis digitis, quantum res patiebatur, accipiebant offerebantque. *Lact.* 1, 20. Colunt enim ture ac summis digitis, quae sensibus intimis colere debuerunt. *Id.* 5, 19. *ad f.* In qua (*superstitione*) nihil aliud video, quam ritum ad summos digitos pertinentem. Hinc illa *Ov. Fast.* 2, 573. Et digitis tria tura tribus sub limine ponit. Et *Prud. περὶ στεφ.* 3, 122. Exiguum turis eminulis digitis tangere. ℙ *Digiti primores* est summa digitorum pars. *Cato R. R.* 21. Pertundito late digitos primores quatuor, alte digitos primores tres. ℙ *Digitus transversus* est digiti crassitudo. *Cato R. R.* 45. Taleae ne plus quatuor digitos transversos emineant. et *ib.* 48. Terram altam digitum transversum. ℙ *Patens digitus*, apud *Caes. B. C.* 2, 10. ℙ Digitis etiam computare mos fuit, varia eorum positione, inflexione, aut nexu omnem numerum distincte significando, a manu sinistra initio facto: quam rationem fusius *Beda in lib. de loquela per gestum digitor.* persecutus est: et ab eo exscripsit *Marian. in Schol. ad lib.* 1. *Hieron. c. Jovin.* Hinc *Auson. epist.* 7, 6. Quot ter luctatus cum pollice computat index. *Plin.* 34, 7, 16. Janus geminus digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta dierum nota se Deum indicaret. *Ov. Fast.* 3, 123. Numerare per digitos. *Cic. Att.* 5, 21. *sub f.* Hoc quid intersit, si tuos digitos novi, certe habes subductum. *Appul. Apol.* Posses videri pro computationis gestu errasse, et quos circulare debueris digitos, aperuisse. Cum vero quadraginta, quae facilius ceteris porrecta palma significantur, dimidio auges, non potes gestu digitorum errasse. *Juven.* 10, 248. tot per saecula mortem Distulit, atque suos jam dextra computat annos. *scil.* sinistra numerabant usque ad centum: majorem illo numerum dextera supputabant. ℙ *Venire et digitos* ap. *Plin.* 2, 23, 21. est quod idem dixit 6, 33, 38. venire in computationem. *Id.* 34, 9, 19. *n.* 29. Computare digitis. ℙ *Crepare digitis* et *concrepare digitis* vel *digitos* est pollice et medio inter se collisis crepitum edere, quo signo lautiores homines apud Romanos ad viliora ministeria servos vocare solebant. *Mart.* 3, 82. et 14, 119. V. DIGITULUS et CONCREPO. ℙ [*Digitis decernere, V. DECERNO.] ℙ Tribuitur *digitus* etiam pedibus avium. *Plin.* 10, 42, 59. Quini digiti in pedibus picarum. ℙ Et per similitudinem ramulis quoque arborum. *Id.* 14, 1, 3. Vites puro perductae dracone in palmam ejus, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Adde 17, 24, 37. *n.* 5. ℙ Est etiam mensurae nomen, *h. e.* sextadecima pars pedis. Alius est quadratus, alius rotundus: quadratus tribus quartis decimis suis rotundo est major: rotundus tribus undecimis suis quadrato minor est, scilicet quia anguli deteruntur. Haec *Frontin. de Aquaeduct.* 24. Consule ibi *Polenum*, qui figuram exhibet p. 73. *Inscr.* ap. *Grut* 475, 3. Ut aquae digitus in domo ejus flueret. ℙ *Digitus crassus.* V. CRASSUS. ℙ *Digitus Veneris* appellatur ab *Appul. Herb.* 67. nymphaea herba. ℙ Proverbii genus est illud *Cic. Coel.* 12. Extremis digitis aliquid attingere, *h. e.* leviter. ℙ Et illud *Pl. Rud.* 4, 1, 10. Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit, In digitis hodie percoquam quod ceperit, *h. e.* nulla erit piscium praeda, quam percoquam. ℙ Item illud *Pers.* 2, 2, 5. Equidem si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu, eo dem pignus tecum. *scil.* de eo qui illa quoque ignorat, quae ceteri omnes sciunt. ℙ *Digiti Idaei* sunt iidem qui Dactyli Idaei, de quib. V. in CORYBANTES. *Cic. N. D.* 3, 16. *ad f.* ubi tamen alii leg. *Dactyli.*

*DIGLABRO V. DIGLUBO.

DIGLADIABILIS, e, adj. *Prud. Cath.* 3, 147. Hoc erat aspidis atque hominis Digladiabile dissidium.

DIGLĂDĬOR, aris, atus sum, dep. 1. διαμάχομαι, gladiis certare: et translate contendere, depugnare. *Cic. Leg.* 3, 9. Iis sicis, quas Gracchus se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives. *Id. Off.* 1, 9. De quibus inter se philosophi digladiari solent. *Id. fr.* ap. *Non.* 1, 331. Quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus. *Id. ib.* Digladiari et depugnare cum facinorosis.

*DIGLITO, Tigris nomen, ubi tardior fluit. *Plin.* 6, 27. Ipsius (Tigris), qua tardior fluit, (*nomen*) Diglito; unde concitatur a celeritate Tigris incipit vocari: ita adpellant Medi sagittam. *B. A.*

[*DIGLOSSOS, i, f. δίγλωσσος, herba eadem atque hypoglossa. *Appul. Herb.* 58. *F.*]

DIGLŬBO, as, pro Deglubo, is, quidam legunt apud *Tert. Pall.* 3. Mercurium autumant mollitie delectatum diglubasse oviculam. Alii rectius leg. *deglabrasse*, [*al. *diglabrasse*] nempe detondisse. V. DEGLUBO.

DĪGMA, ătis, n. δεῖγμα, indicium, specimen: a δείκνυμι, ostendo. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 14, 4, 9. Eligatur qui custodiam portuensium suscipiat conditorum, clandestinum ad collegas digma missurus, ne quid ex specie fraus occulta vectorum immutet.

DĪGNANTER, adv. *Vopisc. Tacit.* 8. Loquentem dignanter audite. *Symm. ep.* 5, 63. Dignanter impertias. [*Auct. Itin. Alex. M.* 24. Ab eaque se filium dici dignantissime pactus est. *B. A.*]

DĪGNĀTĬO, onis, f. ἀξίωσις, qualitas, qua quis dignus habetur: honor, amplitudo, existimatio, gloria, decus ex virtutum ornamentis, honoribus, magistratibus, oris majestate, rerum peritia nascens: unde gratia et favor oritur. Differre videtur a dignitate, quod *dignitas* prior est, et in eo sita, qui habet; *dignatio* respicit opinionem aliorum. Quare illa in eo tantum, qui revera habet; haec etiam in indigno, dummodo vulgo dignus esse credatur, esse potest. Confunduntur tamen non raro. *Cic. Att.* 10, 9. *a med.* Nec quidquam nisi de dignatione, laborat. Est qui malit *dignitate.* [*Sic cod. *Bessarionis*, teste *Manut.* Recepit *Schütz.* quod utique praestat. Ciceronis etiam aetate hoc voc. nondum in usu fuisse videtur.] *Liv.* 2, 16. Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem pervenit, [*i. e. par illis dignitate factus est. V. *Drak.*] Al. leg. *dignitatem.* [*Minus recte.] *Id.* 10, 7. *extr.* Eos nos esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra [*i. e. quod sacerdotiis digni judicati sumus; dicas *Würdigachtung*] honoris, quam acceperimus. [*Compara *Tac. G.* 13, 4. magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis assignant, i. e. princeps eorum filios, qui prae ceteris vel nobiles vel magnis meritis clari sunt, etiam antequam ad justam aetatem pervenerunt (*adolescentulos*) dignos judicat, quos in numerum dudum probatorum et robustiorum *adolescentium* recipiat. — Haec, mea quidem sententia, unice vera *Taciti* mens est, de qua alio loco uberius tractabo. Sic fere *Id. ib.* 26. agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur, i. e. prout quemque digniorem aestimant. Ubique igitur vertas licet *dignationem* per *Würdig-* sive *Werthachtung.*] *Vell.* 2, 69. M. Brutus Vatinium dignatione obruerat. *Id.* 2, 59. Cum ei dignatio Atiam conciliasset uxorem, *h. e.* honor ac dignitas praeturae. [*Id. ib.* 52. dignatio partium.] *Curt.* 7, 1. *a med.* Parmenionis filium omnes paene amicos tuos dignatione vincentem. *Suet. Vesp.* 4. Sortitus Africam, integerrime, nec sine magna dignatione administravit. *Tac. A.* 4, 52. Is recens praetura, et modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere. [*Id. ib.* 13, 20. mandata ei (Caecinae) Praetoriarum cohortium cura: sed ope Senecae dignationem Burro retentam, i. e. dignitatem, munus. Hac igitur aetate propria h. v. significatio paullatim ad alteram illam deflectitur.] *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 13. Apelles dignationem primus Rhodi constituit. et 34, 8, 19. *n.* 36. Tot certaminum, tantaeque dignationis simulacrum id fuit. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 7. In maxima dignatione est Neptunus et Thetis. *scil.* duo signa Scopae. *Id.* 33, 11, 52. Petere dignationem ex aliqua re. *Suet. Gr.* 5. Dicendo ad famam et dignationem pervenire. ℙ Activa, ut ita dicam, significatione est actus existimandi aliquem honore dignum. *Id. Cal.* 24. Aliquem magna dignatione diligere, *h. e.* honores ei impertiendo. *Justin.* 28, 4. Ad Ptolemaeum proficiscitur, a quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione regis vixit.

DIGNĀTUS, a, um, part. a *dignor. Curt.* 6, 10. *a med.* Regem nostrum dignatus est filium. *Virg. A.* 10, 732. fugientem haud est dignatus Orodem Sternere. *Id. Ecl.* 4, 63. Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est. ℙ Passive, dignus habitus, ἀξιωθείς. *Cic. Inv.* 2, 39. Qui apud majores nostros tali honore dignati sunt. *Virg. A.* 3, 475. Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo. *Sil.* 13, 569. Styx Divis regique Deorum Jurari dignata palus. Adde *Val. Fl.* 1, 811.

DIGNĒ, adv. ἀξίως, honeste, pro meritis, ut decet. *Cic. Senect.* 1. Nunquam satis laudari digne poterit philosophia. *Id. in Senat.* 8. Quis de tali cive satis digne unquam loquetur? *Hor. Sat.* 2, 7, 47. Peccat uter nostrum cruce dignius? *Cassius* ad *Cic. Fam.* 12, 13. Malim tuo judicio digne, ac mereor, commendatus esse. *Pl. Mil.* 3, 2, 58. Quam digne ornata incedit, haud meretricie!

[DIGNILLA, ae, f. diminut. dignae. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1179, 14. Martinia Dignilla. *F.*]

DIGNĪTAS, atis, f. id, quo quis re aliqua dignus est, meritum. *Cic. Inv.* 2, 53. Justitia est habitus animi, suam cuique tribuens dignitatem, i. e. id quo dignus est; pro merito. *Id. Agr.* 2, 2. Vester honos non ad alienae petitionis occasionem interceptus, nec precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus, i. e. quod digni eratis. *Id. Rosc. Am.* 12. Laudare aliquem pro dignitate. *Id. Brut.* 1. Juratus judicium dignitatis meae fecerat. ℙ Item, et multo frequentius, ἀξία, [*ἀξίωμα. V. *B. Crus.* ad *Plut. Ages.* 4, 3.] honestas, gradus honoris, honorabilis conditio, amplitudo, splendor vitae, quo quis communi opinione dignus habetur existimationis et observantiae. *Cic.* ita definit *Inv.* 2, 55. Dignitas est alicujus honesta auctoritas, et cultu, et honore, et verecundia digna. *Id. Fam.* 4, 14. Si dignitas est, bene de republica sentire, et bonis viris probare quod sentias, obtineo dignitatem meam: sin autem in eo dignitas est, quod

sentias, aut re efficere, si possis, aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis. *Id. ib.* 3, 9. Tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se. et 10, 6. Adeptus es amplissimos dignitatis gradus. *Id. Sull.* 2. Ascendere in celsissimam sedem dignitatis atque honoris, *h. e.* consulatum. *Id. Off.* 1, 34. Sustinere dignitatem et decus civitatis. *Id. Dom.* 35. Alicujus facti egregii splendorem verbis dignitatemque retinere. *Id. fr. pro Cornel.* apud *Ascon.* C. Cornelii virtus ac dignitas. *Id. Mur.* 9. Summa est in utroque honestas, summa dignitas. *Nep. Att.* 1. Dignitas equestris. *Id. Milt.* 2. regia. *Justin.* 2, 9. imperatoria. *Phaedr.* 1, 21. Amittere dignitatem pristinam. *Sall. Cat.* 36. Obtinere statum dignitatis. *Cic. Fam.* 1, 2. Tueri dignitatem suam. *Id. Or.* 2, 54. Servare dignitatem. *Id. Amic.* 19. *ad f.* Esse honori et dignitati alicui. *Caes. B. G.* 1, 43. Gratia, dignitate, honore augere aliquem. et 7, 39. Aliquem ex humili loco ad summam dignitatem perducere. et *ib.* 6, 11. Amplificare dignitatem alicujus. et *ib.* 12. Excellere dignitate. et *ib.* 7, 66. spoliare. *Flor.* 1, 26. Dignitas natalium. *Id.* 3, 19. Ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. ℙ Item honestum, honestas, virtus, rectum. *Cic. Fin.* 3, 1. *init.* Voluptatem equidem, Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati: etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet etc. ℙ Item honestas, decorum, [*Non simpliciter i. q. honestas, sed „honore digna auctoritas.“ Cf. *Cic. Off.* 3, 22, 87. qui (senatus) nunquam utilitatem a dignitate sejunxit; et *Gernh.* ad h. l.] *τὸ πρέπον. Caes. B. G.* 4, 17. Navibus transire, neque suae, neque populi R. dignitatis esse, statuebat. [*Cf. *Herzog.*] *Id. ib.* 6, 7. Neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum adoriri non audeant. *Cic. Or.* 42. Docere non habet dignitatem. *Nep. Att.* 2. Vivere pro dignitate. *Id. ib.* 6. Servire dignitati, *h. e.* honori atque existimationi consulere. *Quint.* 6, 3. *ante med.* Salva dignitate et verecundia. *Cic. Fam.* 5, 8. *a med.* Statuere aliquid ex dignitate. ℙ Item pulcritudo, sed digna viro, *h. e.* non quae libidinem ciet, sed quae admirationem parit et auctoritatem conciliat. *Cic. Off.* 1, 36. Cum pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas; venustatem, muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. *Id. Inv.* 2, 1. Ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate: etenim multum omnibus Crotoniatae corporis viribus et dignitatibus antesteterunt. *Vell.* 2, 29. Forma fuit excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constanti. [**Suet. Claud.* 30. auctoritas dignitasque formae.] *Plin. Pan.* 4. Dignitas oris. *Laber.* apud *Macr. Sat.* 2, 7. quid ad scenam affero? Decorem formae, an dignitatem corporis? *μορφῆς ἀξίωσιν.* [*Cf. *Lambin.* ad *Auct.* ad *Her.* 3, 6. coll. *Döderl. Syn.* III. p. 32. ℙ Quodsi mulieribus quoque *dignitas* tribuitur, ea spectat ad claritatem virorum, ut quum uxores, aut filiae, aut sorores consulum vel consularium sunt. *Cic. Att.* 7, 14. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quaeso videas, ut satis honestum nobis sit, eas Romae esse, quum ceterae ulla dignitate discesserint. Sic *Fam.* 14, 11. nostra factum est negligentia, ut longe alia fortuna esset (Tullia), atque ejus pictas ac dignitas postulabat.] ℙ Tribuitur et aliis rebus, in quibus est symmetria et decor. *Nep. Them.* 6. Portus Piraeei urbem ipsam dignitate aequiparabat. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Summam dignitatem pavimentata porticus habet. *Id. Or.* 3, 46. Columnae et templa, et porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. [**Suet. Cal.* 41. pro loci dignitate i. e. auctoritate.] *Auct.* ad *Her.* 3, 13. Dignitas est oratio cum aliqua gravitate, et vocis remissione. [*Cf. integrum locum coll. *Ern. Techn. Lat.* p. 124. Graeci hoc genus sermonis *ἀξιωματικόν* appellant.] *Id. ib.* 4, 13. Dignitas est, quae reddit ornatam orationem varietate distinguens. et *ib.* 11. Omne genus orationis dignitate afficiunt exornationes. *Cic. Prov. cons.* 11. Dignitas verborum. *Id. Or.* 1, 31. Agere cum dignitate et venustate. *Petr. Sat.* 106. *extr.* Dignitas pudoris. *Tac. A.* 1, 11. Plus in oratione dignitatis, quam fidei erat. ℙ Est etiam pretium. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 2. Principatus datur ammineis uvis: proxima dignitas Nomentanis. *Id.* 33, 3, 12. Qui primus auro dignitatem per anulos fecit. *Id.* 35, 5, 11. Dignitas artis. et 37, 1, 3. Dignitas gemmae. [**Liv.* 1, 44. ibique, ut loco dignitas fieret, habitavit.] *Pl. Bacch.* 1, 2, 23. Satis ut commode pro dignitate obsonii haec concuret cocus. *Gell.* 17, 20. Rerum pondera et dignitates. [*Similiter *Cic. Or.* 3, 14. rerum et personarum dignitates, i. e. ea, quibus res vel persona aut est magna, aut parva, aut mediocris, *αἱ ἀξίαι* Graecorum. Sic *Ern.* l. l.] ℙ *Dignitates* apud *Plin.* 21, 7, 21. sunt honores, magistratus. Adde *Plin. jun. Pan.* 61. [**Quint.* 11, 1, 67. Praestatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostrae ratio reddatur. *Burm.* non prorsus damnat, quod nonnulli codd. habent, *dignationibus.* Bene autem illud defendit *Spald.*] ℙ (In singulari hoc sensu habet etiam *Cic. Fam.* 2, 9. Lactor cum praesenti, tum sperata tua dignitate. et *Phil.* 3, 9. Esse cum dignitate.) ℙ Item ipsi illi, qui in magistratu sunt. *Plin.* 5, 1, 1. *a med.* Dignitates, cum indagare vera pigeat, ignorantiae pudore mentiri non piget.

DIGNITOSUS, a, um, adj. *ἀξιωματικὸς*, ut expon. *Gloss. Philox. Petr. fr. Trag.* 57. *sub f.* Homo dignitosus, cui pluris erat unguis, quam tu totus es, *h. e.* in dignitate constitutus, vel multa dignitate praeditus.

DIGNO, as, a. 1. *ἀξιόω*, dignum judico. *Pacuv.* apud *Non.* 2, 227. Quis Deos Infernos, quibus Coelestes, dignet decorare honoribus? *Id.* apud *eund.* 7, 17. et apud *Serv.*. ad *A.* 11, 169. et apud *Diomed.* 1. p. 395. Cum neque me aspicere aequales dignarent meae. *Accius* apud *Non. ib.* Exuvias dignavi Atalantae dare. *Cic. Arat.* 34. Aeterno cunctas aevo qui nomine dignant. *Calcus* apud *Serv. l. c.* Hunc tanto munere digna. Quidam tribuunt etiam *Virgilio ib.* non alio dignem te funere, Palla. Plerique alii leg. *digner.* [*Sic *Heyn.*]

DIGNOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀξιόω*, dignum duco, judico. *Virg. A.* 1, 339. haud equidem tali me dignor honore. *Ov. Trist.* 3, 14, 51. venia dignare libellum. *Suet. Vesp.* 2. *extr.* Dignari aliquem honore coenae. *Lucan.* 8, 113. sociosque lares dignare vel una Nocte tua, *h. e.* dignos puta, in quibus semel pernoctes. *Val. Fl.* 1, 57. tantis temet dignare periclis, *h. e.* dignum praebe, qui tanta pericula subeas ac superes. *Lucr.* 5, 51. nonne decebit Hunc hominem numero Divum dignarier esse? *h. e.* judicare dignum, qui in Deorum numero sit. ℙ Saepe cum infinito exponitur, [*i. e. opera dignum judicare aliquid, vel simpliciter *velle*, prorsus ut Gr. *ἀξιοῦν.*] et adjecta negativa particula. *Flor.* 1, 13. Nihil respondere dignantes mactant. *Suet. Vesp.* 13. Neque assurgere, neque salutare se dignantem, satis habuit canem appellare. *Curt.* 6, 5. *sub f.* Quos eximia specie donare natura dignata est. *Hor. Ep.* 1, 19, 39. Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor, Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. *Virg. A.* 10, 866. neque enim fortissime, credo, Jussa aliena pati, et dominos dignabere Teucros. *Justin.* 41, 4. Nullo Macedonum dignante Parthorum imperium, externo socio traditur. *subaudi* accipere. [*Non raro, ut h. l., maxime apud poetas, absolute reperitur. Cf. *Stat. Th.* 12, 784. orant succedere muris dignarique domos. *Ov. Met.* 8, 326. o felix, si quem dignabitur, inquit, ista virum. Laudat haec *Cort.* ad *Lucan.* 8, 113. Ubique cogitatione supplendus est vel infinitivus vel ablativus.] *Hor. Ep.* 2, 2, 86. Verba lyrae motura sonum connectere digner? *h. e.* congruum putem? ℙ Passiva significatione. *Cic. Or.* 3, 7. Natura nulla est, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. *Accius* apud *Non.* 4, 123. Egone Argivum imperium attingam, aut Pelopis digner domo? *Cic. Acad.* 1, 10. Quae autem secundum naturam essent, ea sumenda, et quadam aestimatione dignanda docebat. V. DIGNATUS.

DIGNORANT, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus. Ita *Festus.* Quare quod legitur in *Gloss. Philox.* Dicorat, *διαγινώσκει;* corrigendum censent eruditi, *dicnorat* seu *dignorat.* Ad confirmandum hujus verbi usum facit et illud, quod legitur in iisdem *Gloss.* Dignorat, *ἀναγινώσκει, h. e.* explicat, declarat.

*DIGNOSCENTIA, ae, f. discernendi scientia. *Augustin. de mor. Eccl. Cathol.* 24. Ad prudentiam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. *Id. de Gen. contra Manich.* 2, 9. *extr.* Ex ligno, ex quo est dignoscentia mali, et boni, non edat. Scribitur et *dinoscentia* apud *Jul. Val. res gest. Alex. M.* 1, 21. *B. A.*

DIGNOSCO, oscis, ovi, a. 3. *διαγινώσκω*, duas diversas res cum suo discrimine cognosco, discerno: a *di* et *nosco:* unde et *dinosco* alicubi (ut apud *Tert. adv. Hermog.* 15. *extr.* et 39. et *Resurr. carn.* 15. [*apud *Suet. Oth.* 12. optimi codd. ita habent.]) scriptum legitur. *Ov. Met.* 13, 834. Inveni geminos etc. Inter se similes, vix ut dignoscere possis. *Colum.* 2, 2. *a med.* Aliquid sapore dignoscere. *Quint.* 11, 3. Sonis homines, ut aera tinnitu, dignoscimus. *Juven.* 10, 2. pauci dignoscere possunt Vera bona, atque illis multum diversa. *Tac. G.* 20. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. *Plin.* 28, 8, 30. Dignoscere differentiam. *Id.* 12, 17, 36. Vix ut dignosci possit a vera. *Hor. Ep.* 1, 15, 29. non qui civem dignosceret hoste. *Id. ib.* 2, 2, 44. curvo dignoscere rectum.

DIGNUS, a, um, adj. *ἄξιος*, cui aliquid debetur sive boni sive mali. *Cic. Arch.* 3. Eum omnes cognitione et hospitio dignum existimarunt. *Id. Dom.* 5. Omni laude dignus. *Nep. Epam.* 1. Res dignae memoria. *Cic. Phil.* 3, 10. Vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. *Id. Fam.* 2, 18. Praebere se dignum majoribus suis. *Nep. Arist.* 1. Dignus poena. *Petr. Sat.* 81. Sua quoque confessione dignus exsilio. *Id. ib.* 91. Dignus hac injuria fui? *Ter. Andr.* 5, 4, 37. Dignus odio. *Sall. Cat.* 36. Quod non dignos homines honore honestatos videbam. *Cic. Acad.* 4, 6. Homines digni, quibuscum disseratur. *Id. Leg.* 3, 2. Dignus, qui imperet. *Petr. Sat.* 20. Dignus non sum qui bibam? *Ter. Heaut.* 4, 4, 19. Dignam me putas, quam illudas. *Id. Hec.* 2, 1, 15. Dignum decrerunt, cui liberos suos committerent. *Id. Eun.* 5, 9, 22. Nihil est hac dignius, quod ametur. *Pl. Mil.* 4, 1, 21. Ad tuam formam illa una digna est. [**Lindem.* explicat ex confusione duarum constructionum: ad tuam formam illa una comparari potest; et: illa sola digna est tua pulcritudine. Quod in *Pl.* mihi doctius esse videtur.] *Id. ib.* 4, 4, 4. Non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem. *Ter. Eun.* 2, 3, 20. Digna res est, ubi tu nervos intendas tuos. ℙ [**Digni indigni* apud *Liv.* 24, 16. promiscue pro *omnibus* dicuntur. Cf. *Drak.* ad h. l. p. 855.] ℙ Cum infinito. *Virg. Ecl.* 5, 54. Et puer ipse fuit cantari dignus. et 89. Dignus amari. *Val. Fl.* 2, 421. Digna tuis adjungier armis. *Ov. Met.* 1, 241. Dignus perire. *Plin. Pan.* 7. Dignus alter eligi, alter eligere. [*Apud pedestres aureae aetatis scriptores non ita reperitur; saepe apud reliquos. *Quint.* 10, 1, 96. legi dignus. *Gell.* 7, 17. digna quaeri tractarique. Cf. de structura *Wunderl.* ad *Tibull.* 4, 6, 10.] ℙ *Dignum habere* est dignum putare. *Pl. Merc.* 1, 2, 7. Properanti haud quisquam dignum habet decedere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Postcaquam illum, ne cui satisfaceret quidem, me dignum habere, sensi. ℙ Cum genit. *Balbus* apud *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. ad *Att.* Suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis. *Pl. Trin.* 5, 2, 29. Dignus salutis. *Phaedr.* 4, 20. memoriae. Plura ex *Ov., Sil.*, [*11, 381. 12, 81. ibique *Drak.*] *Tac., Senec. Trag.* etc. congerunt eruditi, et praesertim *Heins.* ad *Ov. Trist.* 4, 3, 57. quae omnia sunt dubiae lectionis. [*Multi de hac structura dixerunt, quos laudavit *Sarp.* et *Frotscher.* ad *Quint. lib.* 10. *Exc.* II. p. 241., quorum hic rectissime ibi observat, si codd. accuratius excutiantur, saepius repertum iri hunc genitivum etiam in scriptoribus; ut *Cic. Balb.* 2. Ac mihi quidem hoc dignum rei videtur. Et sic e *cod. Erf.* aliisque edidit *Orell.*] ℙ Cum dativo. *Pl. Poen.* 1, 2, 44. Diem pulcrum et celebrem, dignum Veneri pol! [*Sic reperiri in codd. *Ov. Her.* 3, 73. et *Quint. Decl.* 10, 9. (matri dignum) observat *Burm.* ad locum posteriorem.] ℙ Cum accus. communi. *Id. Capt.* 5, 2, 6. Non me censes scire, quid dignus siem? [*Adde *Ter. Andr.* 5, 4, 37. dignus odium. Ad illum locum *Lindem.* accusativum inde explicat, quod *dignus* notionem accipiat v. *meritus;* cum notione enim vv. etiam structuram mutari. Fortassis etiam ad Graecorum usum talia revocare liceat. *Terentii* locum laudat *Pompej.* p. 174.] ℙ Saepe est decens, conveniens, justus. [*Sic in Gr. *δίκαιος* et *ἄξιος* alterum pro altero ponuntur. V. *Heins.* ad *Sil.* 3, 95.] *Nep. praef.* Genus scripturae leve, et non satis dignum summorum virorum personis. *Cic. Att.* 7, 8. Quid docto homine et amico dignum fuerit. *Id. Quint.* 30. *extr.* Qui moeror dignus inveniri in calamitate tanta potest? *Id. Div.* 1, 52. Quod nec decorum est, nec Diis dignum. *Id. Fam.* 2, 11. Negotium non est dignum viribus nostris. *Hirt. B. Alex.* 32. Dignum fructum virtutis tulit. *Sall. Cat.* 50. Dignam poenam pro factis eorum reperire. *Id. Jug.* 66. Ex mala conscientia digna timere. [*V. *Cort.*] *Virg. A.* 1, 604. grates persolvere dignas. et 609. Praemia digna. [**Sall. Cat.* 54, 4. (Caesar) nihil denegare, quod dono dignum esset, i. e. quod cum dignitate dono dari posset.] ℙ *Dignum est*, fas est, par est, conveniens est, decet. *Cic. Phil.* 6, 7. Venit tempus, serius omnino, quam dignum populo R. fuit. *Ter. Ph.* 2, 3, 55. Cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest et 91. Si illam attigeris secus, quam dignum est liberam. *Pl. Mil.* 3, 1, 129. Huic homini dignum est divitias esse, qui rem servat. *Virg. G.* 3, 391. Munere sic niveo lanae, si credere dignum est, Pan Deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit. [*Cf. de hoc usu *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 85. *Gierig.* ad *Ov. Fast.* 1, 401., quos laudat *Hand.* ad *Wopk. Lectt. Tull.* p. 80., quibus adde *Liv.* 1, 14. eam rem minus aegre, quam dignum erat, tulisse Romanos, i. e. aequum.] ℙ *Dignus homo* absolute, est qui meretur aliquid, in utramque partem. *Pl. Curc.* 4, 2, 27. Si dignis maledicitur, bene dictum est. *Cic. fr.* apud *Serv.* ad *A.* 6, 611. Dignis largiendum est. *Val. Fl.* 7, 280. hospitibus succurrere dignis. *Justin.* 6, 2. Tanto exercitui deerat dignus imperator. [**Suet. Aug.* 54. interrogatus, an essent alii digniores.] ℙ *Cic. Phil.* 3, 9. reprehendit *M. Antonium*, qui dixerat: *Nulla contumelia est, quam facit dignus.* Dignus? (inquit) nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum

dignitate est? *Antonius* hoc intelligebat: non est habenda contumelia, quam facit is, qui ita facere debuit, sive quia lacessitus, sive quia jure potuit, sive quia iis est moribus, ut nihil aliud ab eo exspectandum fuerit. Confirmant hoc quae sequuntur: *nec timor, quem denunciat inimicus.* Eadem ratione *Senec. Ira* 3, 18. Dignus erat Marius, qui illa (*crudelia* et *nefanda*) pateretur; Sulla, qui juberet; Catilina, qui faceret: sed indigna respublica, quae etc. et in *Senatus consulto* apud *Grut.* 499, 12. Neque vos dignos esse, qui ea faceretis. Plura leges apud *Gron.*, cujus haec interpretatio est. *Obss.* 3, 8. *sub f.* Nam *Quint.* 9, 3. aliter accepisse videtur, ut in CONTUMELIA dictum est. [*Cf. *Clav. Schütz.*]

DĪGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *ἀπαλλάττομαι, παρεκβαίνω*, alio abeo, discedo, diverto: a *di* et *gradior. Cic. Sull.* 12. Omnibus rebus illis interfuit: nunquam est a me digressus. *Caes. B. C.* 1, 72. Paululum ex eo loco digreditur, ut timorem adversariis minuat. *Liv.* 38, 13. Digredi via. *Val. Fl.* 6, 754. muris. *Suet. Ner.* 43. triclinio. *Tac. A.* 4, 73. ad sua tutanda. *Ov. Met.* 10, 2. per aera. *Hirt. B. Afr.* 7. Caesar non digredi a mari, neque mediterranea petere. *Id. ib.* 37. Parvulam proclivitatem digressus, sinistra parte campi legiones ducit. et 86. Statim inde digressus. *Plin.* 3, 5, 6. Obliquitas in latus digredi videtur. *Id.* 18, 28, 68. *n.* 2. Sol digreditur ad Austrum. *Suet. Caes.* 43. Digressam feminam a marito post biduum statim duxerat, *h. e.* quae divortium fecerat. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna tum congrediens cum sole, tum digrediens. ℙ Translate. *Id. Har. resp.* 2. Dolore elatus, et iracundia longius prope digressus. *Id. Inv.* 1, 51. Digredi de causa. Al. leg. *degredi.* [*Rectissime. Neque nos recte diceremus: *von der Sache weggehen*, quum dicturi essemus: eam ad tempus relinquere; dicendum est: *von der Sache abgehen (abschweifen)*, quum significamus, nos porro de ea acturos esse. Idem statuendum est de seqq. *Cic.* locis, in *Brut. Verr.*] *Id. Brut.* 93. *sub f.* parumper a causa. *Id. Verr.* 2, 3, 69. Huc longius, quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea. Al. leg. *degressa. Id. N. D.* 3, 23. *extr.* Sed eo, unde huc digressi sumus, revertamur. [*Heind. habet *digredi*, Orell. autem *degredi*. Utrumque h. l. defendatur, prout rem cogitaveris; additum enim *huc* utrumque admittit. Aliter res habet in seq. loco, ubi *degredi* tantum dici potest, V. supra. Cf. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 21, 82.] *Id. Or.* 2, 77. Digredi ab eo, quod proposueris. Al. leg. *degredi.* et *mox.* Saepe datur ad commovendos animos digrediendi locus. Al. leg. *degrediendi. Quint.* 10, 6. Digredi ex aliquo et in id regredi. [*Etiam h. l. nonnulli codd. *degredi* habent, quod unice probandum est.] *Ter. Ph.* 4, 5, 10. Digredi officio, [*i. e. facere aliquid, quod alienum sit ab officio. Recte igitur habet *digredi.* ℙ *Digradiri* aliaque hujus generis in bonis libris reperiri docet *Cort.* ad *Lucan.* 3, 658.]

DĪGRESSĬO, onis, f. *παρέκβασις, ἀπάλλαξις*, actus digrediendi, discessus. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Congressio et digressio nostra. ℙ Translate. *Gell.* 1, 3. *ante med.* Cujusmodi declinatio ista esse debeat, qualisque ad adjuvandum digressio, non dicit, *h. e.* discessus a recto, ab honestate, ab aequo. ℙ Saepe adhibetur in re oratoria, et inter figuras sententiarum a *Cic. Or.* 3, 53. et 54. enumeratur. V. DEGRESSIO. *Cic. Brut.* 85. Ista mihi tua fuit perjucunda a proposita oratione digressio. Adde *Or.* 2, 77., sed utrobique al. [*rectius] leg. *degressio. Quint.* 10, 1, 33. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore. [*Agit pluribus de scriptura h. v. *Frotscher.* in *Obss. crit. in quosdam locos Quint.* p. 28. ubi praefert *degressionibus.* Ceterum tenenda sunt ea, quae supra s. v. praec. diximus.]

DĪGRESSUS, a, um. V. in DIGREDIOR.

DĪGRESSUS, us, m. *ἀπάλλαξις*, idem quod digressio. *Cic. Att.* 1, 5. Ut primum a tuo digressu Romam veni. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *ante med.* Congressus nostri lamentationem pertimui: digressum vero non tulissem. *Id. Senect. sub f.* Non longinquum inter nos digressum et discessum fore. *Id. Pis.* 26. *a med.* Digressum meum, at absentiam et reditum etc. Al. leg. *degressum* eodem sensu. *Suet. Ner.* 34. Matrem in digressu exosculatus. *Plin.* 11, 29, 35. Tardus digressus. *Cic. N. D.* 2, 19. Lunae tenuissimum lumen facit accessus ad solem, digressus plenissimum. ℙ Pro digressione oratoria. *Quint.* 10, 1. *ante med.* Similitudines, amplificationes, exempla, digressus.

DĪGRUNNĬO, is, n. idem quod grunnio. *Phaedr.* 5, 5. Scurra digrunnit prior. Alii rectius leg. *degrunnit.*

[DIGUSTO, as, a. 1. hinc inde gusto. *Not. Tir.* p. 169. Digustat. *F.*]

DĪĬAMBUS, i, m. *δίαμβος*, pes metricus ex duobus iambis constans, ut *amoenitas, quiescerent. Diomed.* 3. p. 477. et *Donat. edit.* 1. p. 1739.

DIJŎVIS, is, m. Juppiter, quasi *Deus Jovis*, ut *Diana*, quasi Dea Jana; vel a *dies* et *juvo*, quia nos die et luce quasi vita ipsa afficiat, et juvet. [*De etym. V. nos sub JUPITER.] *Gell.* 5, 12. Simili nomine Dijovis dictus est et Lucetius. *Varr. L. L.* 4, 10. Nam olim Dijovis, et Diespiter dictus, hoc est, aer, et dies pater.

DIJŪDĪCĀTĬO, onis, f. *διάκρισις*, actus dijudicandi. *Cic. Leg.* 1, 21. Nam ista quidem magna dijudicatio est.

DIJŪDĪCĀTRIX, icis, f. quae discernit et dijudicat. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Virtus spectatrix et dijudicatrix omnium rerum, prudentia.

DIJŪDĪCĀTUS, a, um, part. a *dijudico*, judicatus, ut Dijudicata lis, *Hor. Od.* 3, 5, 54. Dijudicata belli fortuna. *Caes. B. C.* 2, 32. Discordiae civium ferro dijudicatae. *Vell.* 2, 3.

DIJŪDĪCO, as, avi, atum, a. 1. *διακρίνω, διαδικάζω*, duas res diversas judicando discerno, dignosco, distinguo. *Caes. B. G.* 5, 43. *extr.* Neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. *Cic. Partit.* 40. Vera a falsis dijudicare et distinguere. *Id. Or.* 3, 50. Tacito quodam sensu, quae sint in artibus recta ac prava, dijudicare. *Id. Acad.* 4, 33. Dijudicare vera et falsa. *Id. Caecin.* 17. Verbis controversias, non aequitate dijudicare. *Id. Fam.* 9, 16. Non facile dijudicatur amor verus et fictus. *Id. Tusc.* 1, 11. Dijudicare inter duas sententias. *Plin. ep.* 9, 26. Acri intentione dijudicandum est, immodicum sit, an grande, etc. *Gell.* 2, 7. Subtilissime dijudicare. *Quint.* 12, 7. Quod ex prima statim fronte dijudicare, imprudentium est. *Liv.* 40, 16. Pronunciavit, se causam eorum dijudicaturum.

DIJŪGĀTĬO, onis, f. separatio. *Arnob.* 2. p. 53. Animarum a corporibus dijugatio. ℙ Legitur et *disjugatio.*

DIJŪGO, as, a. 1. duo veluti jugo copulata sejungo, separo, *ἀποζεύγνυμι*. Translate. *Arnob.* 5. p. 162. Quem pietas dijugare ab infando non valuit appetitu, effusa libido dijunxit. ℙ Legitur et *disjugo.* Unde *disjugatus ab aliquo* est apud *eund. initio l.* 7.

DIJUNCTĬO, onis, f. disjunctio. *Cic. Acad.* 4, 28. Quae conjunctio, quae dijunctio vera sit, quid ambigue dictum sit etc., *h. e.* quae propositio duo quaedam conjungens, quae dijungens; quam vocant propositionem disjunctivam. Eodem sensu *Gell.* 2, 7. *extr.* Deest dijunctioni isti tertium. ℙ Pro divisione, separatione. *Arnob.* 3. p. 120. Dijunctionis dissidentia conservata. ℙ Omnibus in allatis exemplis alii leg. *disjunctio.*

DIJUNCTUS, a, um, part. a *dijungo*, separatus, sejunctus. *Varr. R. R.* 2, 7. *a med.* Pulli dijuncti a matribus. et *ib.* 1, 23. Quae ab agri utilitate sunt dijuncta.

DIJUNGO, is, a. 3. *διαζεύγνυμι*, separo, divido. *Cic. Att.* 16, 3. Dijungor a te. Al. leg. *disjungor.* [*Alia loca ex *epp. Cic.* laudat *Schütz.* in *Clav.* Recepit hanc formam etiam cum *Heind. Orellius* apud *Cic. N. D.* 1, 15. *in f.* Sic reperiri in codd. optimis et antiquissimis docet *Spald.* ad *Quint.* 2, 15, 2. Grammatici veteres fere praeferunt *disjungo.* V. *Drak.* ad *Liv.* 42, 59, 4. ubi in libris *dijungo. Kreyssig.* tamen ad h. l. praefert *disjungere.*] *Varr. R. R.* 1, 2. *a med.* Dijungamus igitur pastionem a cultura. *Id. ib.* 3. Quae dijungenda essent a cultura. et *ib.* 2, 6. Asellum dijungere ab opere. *Pl. Mil.* 4, 8, 18. Fleo, quia dijungimur. ℙ [Scribitur et *diungo* prima syllaba longa. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 712. Neque ullus unquam nos diunxisset, nisi hic tuus fatalis dies. V. DISJUNGO. *F.*]

DĪLĂBĬDUS, a, um, adj. *ὀλισθηρός*, qui facile dilabitur, dissolvitur. *Plin.* 8, 55, 8. Vestes leporino pilo facere tentatum est, tactu non perinde molli, ut in cute, propter brevitatem pili dilabidas.

DĪLĂBOR, eris, apsus sum, dep. 3. *διολισθαίνω, διαῤῥέω*, in diversas partes labor, diffundor, diffluo, diffugio, dissipor. *Cic. Leg.* 2, 3. Amnis divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus, cito in unum confluit. *Id. N. D.* 2, 10. Glacies admixto calore liquefacta et dilapsa se diffundit. *Plin.* 2, 65, 65. Humor in poculis repletis cumulo imminente infusus dilabitur. *Id.* 37, 2, 11. *a med.* Padus dilabitur ad insulas. *Liv.* 41, 2. Qua nebula dilabente ad primum teporem solis. [*Id. 21, 36. nix.] ℙ Item diffugio. *Nep. Eum.* 3. Intelligebat, copias suas simul cum nuncio dilapsuras. *Sall. Jug.* 21. Exercitus, amisso duce, brevi dilabitur. [*Id. *Cat.* 57. ibique *Cort.*] *Suet. Cal.* 48. Dilabi ad resumenda arma. *Liv.* 38, 34. Auxiliares in agros dilapsi. [*Id. 6, 17, 6. ne nocte quidem turba *ex* eo loco dilabebatur. Cf. *Drak.* ad h. l.] ℙ Item corrumpi, dissolvi. *Colum.* 12, 3. Ne vestis condita situ dilabatur. *Liv.* 36, 26. Navis putris et vetustate dilabens. *Senec. ep.* 12. Aedificium dilabens. [*Hor. *Od.* 4, 13, 28. dilapsam in cineres facem. V. *Bentl.*] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 13, 5. Sunt alii plures fortasse: sed memoria mea dilabuntur. *Id. Tusc.* 4, 5. Intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid effugerit. *Auct. ad Her.* 4, 17. Simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes. *Cic. Marcell.* 8. Omnia, quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. *Sall. Jug.* 2. Praeclara facies, magnae divitiae, vis corporis, et alia hujuscemodi brevi dilabuntur. *Id. ib.* 10. Concordia res parvae crescunt, discordia maxumae dilabuntur. *Cic. Off.* 2, 23. Praeclarissime constituta respublica dilabitur. *Id. Phil.* 2, 27. Ut est apud poetam nescio quem, *male parta male dilabuntur*) (proverbium). *Id. Off.* 2, 18. Rem familiarem dilabi sinere, flagitiosum est. *Liv.* 33, 46. Vectigalia partim negligentia dilabebantur, partim, etc. [*i. e. non accurate exigebantur. *Gl. Liv.*] ℙ Pro descendere, devenire, vel transire. *Cic. Off.* 1, 29. *extr.* In aliquam turpitudinem dilabi. *Id. Amic.* 21. A sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio dilabitur. Rectius tamen in melioribus libris *delabi* legitur his et similibus locis, in quibus descendendi ratio aliqua subest. [*Omnino.]

DĪLĂCĔRĀTĬO, onis, f. actus dilacerandi. *Arnob.* 2. p. 74. Morbi, quos infelix mortalitas diversarum sustinet dilaceratione poenarum.

DĪLĂCĔRĀTUS, a, um, part. a *dilacero*, dilaniatus, discerptus. *Ov. Her.* 11, 111. Nate, dolor matris, rapidarum praeda ferarum, Hei mihi! natali dilacerate tuo. *Tac. A.* 2, 71. Acerbitatibus dilaceratus. V. DILANIATUS.

DĪLĂCĔRO, as, avi, atum, a. 1. *διασπαράττω*, idem quod lacero, dilanio, discerpo. *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Spicula, ne quid dilacerent, sic evellenda sunt. *Ov. Met.* 3, 249. mersisque in corpore rostris Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi. *Catull.* 64, 152. Dilaceranda feris dabor. *Tac. A.* 15, 57. Tormentis dilacerare aliquem. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 11. Non vidit distractione humanorum animorum discerpi et dilacerari Deum. Pleriq. omnes leg. *lacerari. Id. Mil.* 9. Dilacerare rempublicam. *Ov. Her.* 1, 90. Viscera nostra, tuae dilacerantur opes. Al. leg. *dilaniantur.* [*V. infra DILANIO.] *Tac. A.* 6, 6. Ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur.

[DĪLĂCRYMO, as, n. 1. idem ac lacymo. *Not. Tir.* p. 121. Dilacrymat. *F.*]

DĪLĂMĬNO, as, avi, atum, a. 1. in duas laminas divido. *Ov. de Nuce* 73. Has (*nuces*) puer aut certo rectas dilaminat ictu, *h. e.* in duas partes dividit. Alii aliter legunt.

DĪLĂNCĪNĀTUS, a, um, part. a *dilancino*, dilaniatus, discerptus. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 155. Cum membra morti obnoxia Dilancinata interficis. [*Ammian.* 22, 15. vitalibus dilancinatis. V. *Lindenbr.* ad *Eund.* 14, 7.]

[DĪLĂNCĪNO, as, a. 1. hinc inde lancino, in frusta disseco. *Not. Tir.* p. 117. Lancinat, dilancinat. *F.*]

DĪLĂNĬĀTUS, a, um, part. a *dilanio. Ov. Am.* 3, 9, 52. inornatas dilaniata comas. Al. leg. *dilacerata. Tac. A.* 11, 36. Dilaniata vestis. *Lucr.* 3, 540. Dilaniata (*anima*) foras dispergitur.

DĪLĂNĬO, as, avi, atum, a. 1. *διασπάω*, in diversas partes lanio. *Festus:* Dilaniare est discindere, et quasi lanam trahere. *Cic. Mil.* 13. Tu P. Clodii cruentum cadaver nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. *Claud. Ruf.* 2, 407. fodiunt hastis artusque trementes Dilaniant. *Tac. A.* 11, 22. Tormentis aliquem dilaniare. *Cic.* vertens carmen *Aeschyli*, *Tusc.* 2, 10. aduncis lacerans unguibus Jovis satelles, pastu dilaniat fero. ℙ [*Translate. *Ov. Her.* 1, 90. tuae dilaniantur opes, quocum comparat *Heins.* illud *Hom. Od. π*, 315. *κτήματα διαρράπτουσιν.* Saepe commutari in codd. cum *dilacerare* docet *Id. ib.* coll. ad *Am.* 3, 9, 52.]

DĪLĂPĬDĀTĬO, onis, f. actus dilapidandi. Translate. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 4, 20, 1. Dilapidatio bonorum.

DĪLĂPĬDO, as, a. 1. *σκορπίζω*, disperdo, dissipo, disjicio, quasi more lapidum huc illuc temere jacio: vel quasi jactis lapidibus decutio, discutio, corrumpo. Pro priori etymologia stare videtur *Donat.* mox citandus. Ad posteriorem adludere videtur *Colum.* 10, 329. Saepe ferus duros jaculatur Juppiter imbres. Grandine dilapidans hominumque boumque labores. ℙ Translate. *Ter. Ph.* 5, 7, 4. Priusquam dilapidet nostras triginta minas. *Donatus:* disperdat. *Firmic. Math.* 6, 10. Dilapidare paternae substantiae facultates. ℙ Vetustissimi, teste *Capro*, dixere *dilapidor, aris*, deponentis forma. *Prisc.* 8. p. 796.

DĪLĂPSĬO, onis, f. actus dilabendi, consumptio, absumptio. *August. Civ. Dei* 22, 12. Corruptiones et dilapsiones corporum mortuorum.

DĪLĂPSUS, a, um, part. a *dilabor*, qui dilabitur. *Virg. G.* 4, 410. de Proteo: aut in aquas tenues dilapsus abibit. *Id. A.* 4, 705. omnis Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. [*Cic. *N. D.* 2, 55. Atque inde aliae (viae) pertinentes sunt, per quas cadit cibus a jecore dilapsus.] ℙ Interdum est solutus, dissolutus, destructus, absumptus, *Virg. G.* 3, 557. dilapsa cadavera tabo. [*Cf. de similibus *Drak.* ad *Liv.* 4, 20.] *Liv.* 4, 20. Aedem Jovis Feretrii, vetustate dilapsam refecit. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 414. *n.* 365. *Imp.* Caes. T. Aelius Hadrianus Antoninus Aug. Pius viam Ae-

miliam vetustate dilapsam operibus ampliatis restituendam curavit a Roma M. P. CLXXXVIII. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 7, 2, 8. *ad f.* Ita rem communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius fore aliquando, relinquatur. *Sall. Jug.* 29. Omnis invidia prolatandis consultationibus, dilapsa foret. *Ov. Pont.* 4, 4, 21. dilapsae curae inter nova gaudia. *Claud. Eutr.* 1, 75. Cum forma dilapsus amor.

DĪLARGIOR, iris, itus sum, com. 4. *διαδίδωμι*, est varie aut diversis largiri, vel valde largiri. *Cic. Agr.* 2, 29. Qui omnia sine ulla religione, quibus voluit, est dilargitus. *Tac. H.* 3, 55. Foedera sociis, Latium externis dilargiri. ℙ Passiva significatione *C. Gracchus* ap. *Prisc.* 8. p. 793. Aerarium dilargitur populo R. Al. leg. *delargitur.*

*DILARGĪTIO, onis, f. et DILARGĪTOR, oris, m. *JCt.* in *Cod. B. A.*

DILARGĪTUS, a, um, part. a *dilargior.* Active. *Tac. A.* 16, 30. Pecuniam magis dilargita. ℙ Passive. *Sall.* ap. *Gell.* 15, 13. Dilargitis proscriptorum bonis.

DILASSO. V. DELASSO.

DILATĀTĬO, onis, f. actus dilatandi, *ἀνευρυσμός. Tert. Anim.* 37. *sub f.* Lamina major efficitur per dilatationem. Adde *Praescr.* 47.

*DILATĀTOR, oris, m. apud *Boethium. B. A.*

DILATĀTUS, a, um, part. a *dilato*, latior factus, *διευρυνόμενος. Varr. L. L.* 4, 22. Globus farinae dilatatus. *Plin.* 17, 27, 42. Dilatata cicatrix. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 14. Haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. *Id. Brut.* 90. Eloquentia, quam dialecticam dilatatam esse putant. *Id. Off.* 1, 22. Dilatatum imperium. Plerique omnes leg. *datum.*

DILĀTĬO, onis, f. *ἀναβολή*, temporis prorogatio sive extensio. *Cic. Phil.* 3, 1. Quae est igitur exspectatio, aut quae minima dilatio temporis? *Id. Manil.* 1. Dilatio comitiorum. *Liv.* 7, 14. Res dilationem non recipit. *Id.* 35, 25. *extr.* Metuens, ne dilationem res non pateretur. *Id.* 5, 5. Molliter et per dilationes bellum gerere. *Vell.* 2, 79. Vir per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. *Id. ib.* 50. Sine dilatione. *Suet. Gr.* 22. et *Plin. ep.* 1, 18. Petere dilationem, in re forensi. et *ep.* 10, 85. et *Quint. Decl.* 3, 19. dare alicui. *Tac. A.* 6, 4. Quaerere alicui dilationem exitii.

DILĀTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνευρύνω, πλατύνω*, latum facio. *Cic. N. D.* 2, 54. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra, dilatantur, quae autem supra, contrahuntur. *Id. Or.* 32. Dilatare manum. *Ov. Met.* 6, 378. rictus. *Liv.* 27, 46. castra. *Id.* 31, 21. aciem. *Plin.* 5, 32, 40. Propontis, ubi dilatat se mare. *Id.* 11, 24, 28. Araneus texere a medio incipit, maculas ex angusto dilatans. *Colum.* 12, 15. *ad f.* Ficum arundine vel digitis divisam dilatare. *Plin.* 33, 9, 45. Dilatari in immensum. [*Hoc modo etiam *homines dilatari* dicuntur, quorum terra late pertinet. *Ammian.* 31, 2. quas (gentes) dilatari ad usque Gangem accepi.] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 74. Se valde dilatandis litteris a similitudine Graecae locutionis abstraxerat, *h. e.* dilatanda pronunciatione, tum voces ipsas, tum litteras late et distincte proferendo. *Id. Flacc.* 5. Sed non dilatabo orationem meam, etenim posset esse infinita. *Id. Partit.* 7. Ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio, *h. e.* ex verbo in plura verba diducatur. *Id. N. D.* 2, 7. *extr.* Haec, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat. [*Id. ib.* 3, 9. et *ib. Heind.*] *Id. prooem. Parad.* Nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum. *Id. Somn. Scip.* 6. *extr.* Cernis quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. [*Ej. *Fragm. Hortens.* ap. *Non.* in continentibus terris vestrum nomen dilatari potest.]

DĪLĀTOR, oris, m. qui differt. *Hor. A. P.* 172. Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri.

DĪLĀTORĬUS, a, um, adj. ad differendum et procrastinandum pertinens. *Cajus Dig.* 44, 1, 3. Exceptiones aut perpetuae sunt, aut dilatoriae.

*DILATRĀTOR, is, m. *Augustin. B. A.*

*DILĀTRO, as, n. 1. *Gell.* et *Hieron. B. A.*

DĪLĀTUS, a, um, part. a *differo*, divulgatus, sparsus. *Nep. Dion.* 10. Celeri rumore dilato, Dioni vim allatam. *Suet. Aug.* 14. Rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem necasset. ℙ Item prorogatus in aliud tempus. *Cic.* ad *Brut.* 1. Omnia in diem ex die dilata. *Id. Fam.* 10, 12. Res in posterum dilata. *Suet. Vit.* 12. Dilatus ad finem muneris. *Plin.* 21, 20, 79. Dilatus in hunc locum. *Id.* 18, 24, 56. Quaestio huc dilata.

DĪLAUDO, as, a. 1. *ἐπαινέω*, varie vel valde laudo. *Cic. Att.* 6, 2. *ad f.* Aut attingere eos libros, quos tu dilaudas.

DĪLAXO, as, a. 1. idem quod laxo, dilato. *Lucil.* ap. *Porphyr.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 125. cruribu' crura Dilaxat.

DĪLECTĬO, onis, f. amor, *ἀγάπη, ἐπιλογή. Tert. adv. Marc.* 4, 27. Dilectio Dei. *Quint. Decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus* 3. Coelibatus sancti pura dilectio.

DĪLECTOR, oris, m. amator. *Appul. Flor. n.* 9. p. 347, 14. Atque ego me dilectorem tuum profiteor. *Tert. c. Marc.* 4, 23. Parvulorum dilector. Adde *August. ep.* 32. et 144. *a med.* et *de consens. Evangelist.* 3. *ult. ad f.*

DĪLECTUS, a, um, part. a *diligo*, *ἀγαπητός. Virg. A.* 1, 348. Magno miserae dilectus amore. *Id. ib.* 12, 391. Phoebo ante alios dilectus Iapyx. *Id. ib.* 4, 31. o luce magis dilecta sorori. *Ov. Met.* 10, 107. puer ante Deo dilectus ab illo. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 74. Laurus luco dilectior omni. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. Luce mihi dilectior fili. *Stat. Th.* 8, 99. Augur Apollineis modo dilectissimus aris. *Suet. Aug.* 99. Unus ex dilectis. *Stat. Silv.* 2, 4, 32. quo tu, Melior dilecte, recluso Nunquam solus eras. ℙ Item electus. V. DELECTUS, a, um. [*Quae sub illo voc. annotavi, iis accedit auctoritas *Kritzii* ad *Sall. Cat.* 36, 3.]

DĪLECTUS, us, m. delectus. *Festus:* Dilectus militum, et is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt. *Id.* in voce *Lacus:* Ut in dilectu censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius. *Front. ad amic.* 2, 7. Quos ego non temere, nec sine dilectu audio. [*V. DELECTUS.]

DĪLEMMA, ătis, n. est argumentatio, in qua utrinque adversarius capitur, sive in qua utra pars ab adversario concessa fuerit, reprehenditur: ut *Si implacabiles sunt iracundiae, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa lenitas.* A *Cic. Inv.* 1, 29. appellatur *complexio*, ab *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. dicitur *syllogismus cornutus*, quia sic argumentationis cornua in eo disponuntur, ut qui alterum effugerit, in alterum incurrat. Est autem a *δίς*, bis, et *λῆμμα*, quod apud dialecticos propositionem significat. Nam in dilemmate duae sunt propositiones, quarum alterutra rem conficit. Utitur Latine *Servius* ad *A.* 2, 675. et ad *ib.* 10, 449.

DILENIMENTUM. V. DELENIMENTUM.

[DĪLĒNIS, e, adj. multum lenis. *Di* enim in compositione saepe augendi vim habet. Legitur in *Not. Tir.* p. 129. Lenis, dilenis. *F.*]

DĪLĪGENS, entis, part. a *diligo*, *ἀγαπῶν*, qui diligit, amans, studiosus. *Nep. Epam.* 3. Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. *Vell.* 1, 6. Cujus disciplinae quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissima floruit. *Gell.* 4, 11. Vir litterarum veterum diligentissimus. *Plin. Pan.* 79. Tam diligens temperamenti, ut nec consulis officium princeps, nec principis consul appeteret. ℙ Item accuratus, sedulus; quia qui diligit, libenter curam impendit, *ἐπιμελής*. [*Nota tamen, *diligens* nonnisi de homine dici posse; quod autem diligentia efficitur, id *accuratum* appellatur.] *Cic. Verr.* 2, 1, 48. Qui in re hereditaria tam diligens, tam attentus esset. *Id. ib.* 3, 21. Homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. *Id. Coel.* 30. Castissimus vir, atque omnis officii diligentissimus. [*Diligens* cum genitivo de homine dicitur, qui accurate et severe in aliqua re versatur. *Nep. Con.* 1. diligens erat imperii, ibique *Brem.*] *Id. Cat.* 1, 8. Quem tu et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum fore putasti. *Id. Verr.* 2, 4, 3. Ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. *Id. Att.* 12, 33. Et medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens. *Plin.* 31, 5, 30. Qui volunt diligentes circa hoc videri. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 3. Myron numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior. *Id.* 13, 4, 7. Arboribus utrumque sexum esse, diligentissimi Naturae tradunt, *h. e.* qui diligentissime scrutantur naturas rerum. *Id.* 32, 3, 13. Sextius diligentissimus vitae, *h. e.* servandae et producendae. *Gell.* 2, 26. et 13, 24. Cicero verborum diligentissimus, *h. e.* magnam adhibens curam in verbis seligendis et usurpandis. [*V. *Graev.* ad *Auct. ad Her.* 4, 21.] *Cic. Or.* 1, 33. Assidua ac diligens scriptura. *Id. Att.* 5, 4. *extr.* Litteras Pomptinio de omnibus rebus diligentes dabis. *Vell.* 1, 4. Diligentior ritus patrii custodia. *Plin.* 3, 5, 6. Si quis id diligenti subtilitate exigat. *Id.* 6, 22, 24. Diligentior notitia. et *Senec. ep.* 95. *ante med.* Ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. ℙ Specialiter dicitur de eo, qui curam habet rei familiaris, parcus, studiosus rei servandae, [*cui opponitur *negligens.* V. *Burm.* ad *Quint.* 7, 2. p. 604.] *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet. *Auct. ad Her.* 4, 34. Si quis hominem prodigum et luxuriosum, parcum et diligentem appellet. *Quint.* 9, 3. *a med.* Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem. *Suet. Gr.* 23. Rei familiaris diligentissimus. *Plin. ep.* 4, 13. *a med.* Qui de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 17.] ℙ Vult *Charis.* 1. p. 101. rectius in sexto casu singulari in *e* terminari, quam in *i.* [*Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* p. 52. ed. IV. collato *Ramshorn.* in censura *Rudim.*, quae legitur in *Ephemm. Jenens.* 1825. *n.* 32.]

DĪLĪGENTER, adv. *ἐπιμελῶς*, cum amore et cura, sedulo, accurate, studiose, sollicite. *Cic.* ad *Planc. post. ep. Att.* 16, 16. *extr.* Studiose diligenterque curare aliquid. *Id. Fam.* 6, 5. Legere librum diligenter, et diligentissime custodire. *Id. Brut.* 22. Multo diligentius meliusque dixit. *Id. Phil.* 1, 15. Benigne ac diligenter audire. *Id. Div.* 1, 4. etiam atque etiam facere aliquid. *Nep. Con.* 5. celare. *Id. Thras.* 4. agere vigilias. *Id. Dat.* 11. notare. *Caes. B. G.* 5, 35. Diligentissime observare praeceptum. *Id. ib.* 6, 12. Diligentius cognoscere aliquid. [**Caes. B. G.* 8, 7. esse undique diligenter demigratum. Est h. l. in malam partem sumendum.] ℙ Item cum delectu. *Varr. L. L.* 5, 8. His magis promiscue, quam diligenter consuetudo est usa. *Cic. Or.* 1, 26. Diligenter et prope fastidiose judicare. *Id. Off.* 2, 15. Saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderate: multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. *Id. Brut.* 45. Latine et diligenter loqui. *Id. Div.* 2, 12. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. ℙ *Diligenter errare*, apud *Martial.* 7, 31. est graviter errare, et quasi data opera.

DĪLĪGENTĬA, ae, f. *ἐπιμέλεια*, studium, cura, sedulitas. Differt ab *opera* et *cura*, quia *diligentia* ad corpus et ad animum refertur, *cura* ad animum tantum, *opera* ad corpus. Praeterea *diligentia* est ejus, qui sponte et cum amore facit; *opera* et *cura* etiam inviti et coacti. Denique *diligentia* latius patet et reliqua complectitur. *Cic. Or.* 2, 35. Reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore: complectar uno verbo, diligentia: qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. *Id. Fam.* 10, 1. Ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. *Id. Att.* 2, 15. *ad f.* Assiduitas tua et diligentia Terentiae est pergrata. *Id. Amic.* 24. Hac in re habenda ratio et diligentia, *Id. Off.* 1, 29. Excitanda est animadversio et diligentia, ut ne quid temere agamus. *Id. Or.* 1, 61. Impedimenta naturae diligentia industriaque superare. [*Quid differant *industria* et *diligentia* intelligi potest ex *Cic. Verr.* 2, 1, 6. quo in negotio industriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo litterarum et testium declaravit. Nempe *diligentia* est quae Graecis *ἀκρίβεια*, cura, providentia; industria est alacritas et studium in labore suscipiendo, urgendo et perficiendo." *Ern.* in *Clav.*] *Id. Inv.* 1, 39. Magna cum cura atque diligentia scribere aliquid. *Pl. Rud.* 3, 5, 40. Curare aliquid magna diligentia. Et *Capt.* 1, 2, 6 asservare. *Cic. Top.* 1. *extr.* Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque excitarem. *Q. Cic. Petit. cons. initio.* Diligentia consequi aliquid. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *sub f.* Nihil de diligentia remittere. *Cic. Quint.* 1. Comparare sibi diligentiam. *Colum.* 3, 4. Adhibere diligentiam alicui rei. Et *Cic. Fam.* 16, 9. ad aliquam rem. Et *ib.* in aliqua re. *Id. Caecin.* 2. Praestare fidem et diligentiam. ℙ Specialiter ponitur pro frugalitate seu cura servandi rem familiarem. *Cic. Off.* 2, 24. Res familiaris conservatur diligentia et parsimonia. *Auct.* ad *Her.* 4, 20. Diligentia comparat divitias. Et 25. Diligentia est accurata conservatio suorum. Adde *Suet. Galb.* 12. *sub f.* ℙ Aliquando in malam partem sumitur cum addito tamen. *Ter. Andr. prol.* 21. Obscura diligentia. *Plin. ep.* 7, 28. Sinistram hanc diligentiam ad alios conferant. ℙ Pro amore. *Symm. ep.* 1, 31. (al. 37.) In amicitia stabili diligentia perseveras. Et *ep.* 35. (al. 41.) Ut in nostri diligentia perseveres. Al. aliter leg. Huc quis fortasse trahat illud *Cic. Mur.* 40. Pro mea summa in rempublicam diligentia. ℙ Videtur etiam sumi pro delectu, discrimine, in illo *Cic. Planc.* 4. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.

DĪLĪGO, is, exi, ectum, a. 3. *ἀγαπάω, φιλέω*, amo: a *di* et *lego*, quasi sit eligere aliquem e multis, quem benevolentia prosequaris: quod *Cic. Fam.* 1, 9. *judicio diligere* dixit. Quomodo ab *amo* differat, in eo verbo dictum est. *Cic. Balb.* 26. Diligere aliquem et carum habere. *Id. N. D.* 1, 44. Dii inter se diligunt et hominibus consulunt (pro *diliguntur*, ut et in AMO observatum est). *Id. Fam.* 5, 8. Me sicut alterum parentem et observat et diligit. *Id. Leg.* 3, 2. Colere et diligere. *Id. Or. init.* Unice aliquem diligere. *Id. Fam.* 1, 9. *post. init.* Eum non solum beneficio, sed amore etiam et perpetuo quodam judicio meo diligebam. *Id. Att.* 12, 33. Mirifice diligere. *Curt.* 3, 6. eximia caritate. Et 5, 5. fideliter. *Plin. ep.* 2, 13. arcte familiariterque. [*Gratum acceptumque habere aliquid, *σεμνύνεσθαι. Cic. Leg.* 1, 18. ibique *Goer.*] ℙ *Quem Dii diligunt* est modus bona verba dicendi, cum de florenti statu et bona valetudine alicujus loquimur, usurpatus. *Pl. Bacch.* 4, 7, 18. Quem Dii diligunt, adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit, hunc senem etc. *Ter. Andr.* 5, 6, 8. *P.* Tum de puero. Dave? *D.* Ah desine: solus est, quem diligunt Dii. *Id. Ph.* 5, 6, 14. Nam sine controversia a Diis solus diligeris, o Antipho. ℙ Tribuitur et aliis rebus, ut *amo. Cic. Or.* 2, 40. Ferae partus suos diligunt. *Plin.* 16, 18, 30. Montes et valles diligit abies, ro-

bur, castaneae. *Id.* 10, 42, 59. de picis: Adamant verba, quae loquantur: nec discunt tantum, sed diligunt. *Cic. Balb.* 28. Alicujus officia observantiamque diligere. *Id. Prov. cons.* 10. *sub f.* consilia alicujus in republica. ℙ Pro eligere. *Nep. Att.* 12. Ut potissimum ejus diligeret affinitatem. Al. leg. *deligeret.* [*Recte.] *Cic. Rep.* 2, 12. Lycurgus regem non diligendum [*leg. deligendum] duxit, sed habendum qualiscumque is foret. ℙ Pro dividere, ut *Non.* 4, 148. docet. *Titin. ib.* Pernam totam diligit. Adde *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 54., ubi alii *dissicio* leg. V. DIRIGO.

DILOGIA, ae, f. *διλογία*, figura, cum ambiguum dictum duas res significat: a *δίς*, bis, et *λόγος*, sermo. Ita *Ascon.* in *Cic. Verr.* 1, 2, 9.

[DILOPHOS, i, m. et f. *δίλοφος*, duplicem seu bipartitam cristam habens. *Capell.* 2. p. 42. Sed dilofon (lege *dilophon*) alitem, quae sit oscinum mitior, in certaminis tentamenta pulsabat Ibis Aegyptia, *nempe* gallum gallinaceum, qui, quod ejus cantu quisque ad negotia peragenda excitatur, apte Mercurio lucrorum potenti consecratur. V. *Fulg. Myth.* 1, 21. et *Albric.* 6. *F.*]

DILORICO, as, a. 1. *διαζώννυμι*, proprie est loricam ante pectus diducere et translate vestem aperire, laxare, solvere. *Cic. Or.* 2, 28. Diloricare tunicam et cicatrices adversas ostendere. *Appul. Met.* 7. p. 191, 16. Diloricatis statim paunulis, in medium profudit duo millia aureorum. Et *ib.* 6. p. 177, 8. Involat eam vestemque plurifariam di or cat.

DILORIS, e, adj. duo lora habens: vox hybrida a Graeco *δίς*, bis, et Latino *lorum. Tunicae dilores* sunt virgatis similes, quae duo lora seu segmenta lorum referentia intexta habent, quemadmodum *clavatae*, quae clavos: *Monolores* eaedem dictae, quae unum tantum haberent adsutum lorum, a *μόνος*, solus: *Trilores* quae tria: *Pentelores* quae quinque: a *πέντε*, quinque. *Vopisc. Aurel.* 46. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi rectas purpureas accepissent: et quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis et usque ad pentelores, quales hodie lineae sunt. V. ibi plura disserentem *Salmas.*

DILUCEO, es, uxi, n. 2. *διαλάμπω*, idem quod luceo seu distincte luceo: et fere refertur ad lucem diei. *Hor. Ep.* 1, 4, 13. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. (Al. leg. *tibid illuxisse.* V. dicta initio hujus Litterae.) *Gell.* 3, 2. Eo die, qui post eam noctem diluxerit. ℙ Translate est apparere, clare videri. *Liv.* 3, 16. Dilucere res magis patribus atque consulibus. [**Id.* 8, 27, 11. fraus.] *Id.* 25, 29. *extr.* Dilucere id quod erat, coepit. *Cic. Phil.* 12, 2. Discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia. *Gell.* 7, 10. Per quod satis dilucet, hanc capionem dici posse. *Id.* 16, 8. *sub f.* Tum denique et emolumentum ejus in animo tuo dilucebit.

DILUCESCIT, impers. *διαγάζει*, lux incipit, dies oritur. *Cic. Cat.* 3, 3. Ad me cum jam dilucesceret, deducuntur. *Liv.* 36, 24. Jam dilucescebat, cum signum consul dedit.

DILUCIDE, adv. *λαμπρῶς, σαφῶς*, lucide, clare, perspicue. *Plin.* 37, 3, 12. Succina flagrant dilucidius diutiusque. ℙ Translate est aperte, plane. *Cic. Vatin.* 15. Lex dilucide vetat. *Id. Or.* 23. *extr.* Dilucide planeque dicere. [*Quod in quo insit docet *Ern. techn. lat.* p. 125.] *Id. Div.* 1, 51. Aliquid explicare dilucide. *Liv.* 39, 47. Dilucide docere. [**Auct.* ad *Her.* 4, 12. haec — in arte Grammatica dilucide discemus. Sed recte dubitat *Oud.*, an sic dici queat. Mihi cum *Schütz.* omittendum esse videtur.] *Ter. Ph.* 2, 3, 52. expedire. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Dilucide atque perspicue. *Cels.* 2, 4. Latius et dilucidius Asclepiades praecepit. *Gell.* 1, 10. Dilucide fabulari. Et 11, 16. demonstrare. *August.* ad *Hieron. ep.* 29, 2. Dilucidissime convincere.

DILUCIDO, as, a. 1. *διαφωτίζω*, illustro: et translate planum facio, declaro. *Auct.* ad *Her.* 3, 4. Rei dilucidandae causa dolum appellavimus.

DILUCIDUS, a, um, adj. lucidus, perspicuus. *Plin.* 37, 5, 18. Smaragdi in sole dilucidi ac liquidi. ℙ Translate planus, apertus. *Cic. Fin.* 3, 1. Dilucida oratio. [*Cf. *Ern.* l. l. supra sub DILUCIDE.] *Id. Or.* 5. *extr.* Omnia docere et dilucidiora facere. *Id. Inv.* 1, 20. *extr.* Dilucidis verbis uti. *Auct.* ad *Her.* 2, 2. Simplex et dilucida expositio. *Gell.* 2, 26. Color dilucidior.

DILUCULAT, abat, impers. dilucescit, *ὀρθρεύει. Gell.* 2, 29. Die crastini, ubi primum diluculabit. *Id.* 7, 1. Priusquam dilucularet.

DILUCULO. V. v. seq.

DILUCULUM, i, n. *ὄρθρος*, prima lux dici, aurora, crepusculum matutinum. In sexto casu (nam in aliis rarum est) *Cic. Quint.* 7. Primo diluculo nuncius Ameriam venit. *Pl. Amph.* 2, 2, 111. Abs te abii hinc hodie cum diluculo. ℙ Duplex est, inquit *Censorin. de die nat.* 24. primum, cum, sole nondum orto, jam lucet: secundum, quod et *mane* vocatur, cum lux videtur solis. Praeter *Censorin.* etiam *Macr. Sat.* 1, 3. *ad f.* habet *diluculum* in recto casu. ℙ Absolute in sexto adverbii vicem praestat, *εἰῶθι, ἐωθεν. Cic. Att.* 16, 13. Cum ante lucem surrexissem venissemque diluculo ad pontem etc.

DILUDIUM, ii, n. intermissio et dilatio ludi. *Hor. Ep.* 1, 19, 47. Displicet iste locus, clamo et diludia posco. Ubi *Acron:* Diludia tempora sunt, quae gladiatoribus conceduntur, ut intra quinque dies pugnent. Haec ille, cui si fides est habenda, translate *Hor.* pro quacumque ludorum intermissione posuit.

DILUMBATUS. V. DELUMBATUS.

DILUO, is, ui, utum, a. 3. *δίημι, ἀπολύομαι, χεράννυμι*, idem quod luo, *h. e.* lavo, eluo, lavando aufero, abstergeo, purgo. *Gell.* 17, 15. Helleboro alvum diluere. *Caes. B. C.* 3, 10. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. *Virg. G.* 1, 325. ruit arduus aether Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores Diluit. *Scrib. Comp.* 24. Diluere ulcus ovi albore. *Petr. Sat.* 136. vulnus cruris aceto. *Plin.* 31, 7, 42. Qui fucus aqua deprehenditur, diluente facticium colorem. *Ov. Pont.* 4, 10, 62. Caeruleus vix est diluiturque color. *Plin.* 31, 4, 39. Mutant saporem (*amnium*) et influentes rivi, victique diluuntur, *h. e.* majore aquarum copia superati, gustum suum amittunt. ℙ Translate est minuere, auferre, abstergere. *Cic. Tusc.* 3, 16. Quae cogitatio molestias omnes extenuat et diluit. *Ov. A. Am.* 1, 238. Cura fugit, multo diluiturque mero. *Id. Her.* 19, 14. Diluitur posito serior hora mero, *h.* e. taedium morae abstergetur. *Sil.* 5, 57. Diluerat nebulas Titan, *h. e.* discusserat. *Prop.* 3, 15, 6. Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo. *Claud.* in *Eutr.* 2, 22. quis vos lustrare valebit Oceanus! tantum crimen quae diluet aetas? *Sénec. ep.* 29. Diluere auctoritatem. *Quint.* 11, 1. *a med.* vires affectuum. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 1. memoriam, *h. e.* delere. ℙ Significat etiam madefacere. *Val. Fl.* 3, 556. artus et pectora sudor Diluerat. *Furius Antias* ap. *Gell.* 18, 11. Sanguine diluitur tellus. ℙ Item miscere, temperare; diciturque fere de iis, quae humore addito solvuntur, liquefiunt et macerantur. *Hor. Sat.* 2, 3, 241. aceto Diluit insignem baccam. *Virg. G.* 1, 344. Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Diluentes cretam. *Id.* 27, 8, 38. Diluitur in vino. *Id.* 25, 12, 91. Diluere aliquid in pastillos. *Cels.* 5, 20. medicamentum aceto. *Colum.* 6, 4. rutam cum mero. *Scrib. Comp.* 247. medicamentum ex aqua. *Liv.* 40, 4. *ad f.* venenum. *Pers.* 5, 100. helleborum. ℙ *Diluere vinum* est aqua miscere. V. DILUTUS. ℙ *Diluere crimen* translate est purgare, refellere, criminibus respondendo et accusationes refutando, *διαλύομαι.* [*Cf. de hac dicendi formula *Drak.* ad *Liv.* 4, 14., ubi simul grammaticorum de discrimine vv. *di* — et *deluere* commenta refutat.] *Cic. Rosc. Am.* 15. Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. *Gell.* 2, 7. Refutare ac diluere aliquid. *Cic. Mil.* 27. Si nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen etc. *Id. Coel.* 15. Diluere aliquid et falsum esse, docere. *Suet. Vesp.* 23. invidiam aliqua cavillatione. *Gell.* 12, 12. Cicero id, quod inficiari non poterat, urbano facetoque dicto diluit. *Id.* 18, 13. Diluere ac refellere sophisma. *Cic. Inv.* 1, 42. Reprehensio est, per quam argumentando aliorum confirmatio diluitur aut infirmatur aut allevatur. ℙ Pro declarare, explicare. *Pl. Rud.* 4, 4, 64. Abstine maledictis et mihi, quod rogavi, dilue. ℙ Pro solvere, satisfacere. *Gell.* 20, 1. *post med.* Injurias aere pauco diluere. ℙ [*Permutantur in codd. *diluere* et *dissuere.* V. ad *Cic. Off.* 1, 33, 120.]

*DILURON, onis, oppidum Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, Eluro appellatum a *Mela* 2, 6. Iluro autem a *Plin.* 3, 3. *B. A.*

DILUTE, adv. diluendo, lavando. *Macr. Sat.* 7, 13. Sordidatum pallium in mari dilute lavi. Plerique alii leg. *diutule. Cic. fragm.* ap. *Ammian.* 15, 12. Gallos post haec dilutius esse poturos, i. e. potum liquidiorem vilioremque facturos, parsimoniae quidem rerumque tenuitatis causa. Sic bene *Ern.* in *Gloss.*] Si *vinum* subaudias, erit adjectivum. [*Illud praestat.]

DILUTUS, a, um, part. a *diluo*, *ἀπολυόμενος, διειμένος*, madefactus, lavatus, abstersus. *Catull.* 99, 7. multis diluta labella guttis, *h. e.* saliva aspera. *Curt.* 8, 10. Terra humore diluta considit. ℙ Item mixtus, maceratus. *Hor. Sat.* 2, 2, 15. Mella diluta falerno. *Lucr.* 6, 929. dilutaque contra Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror. *Plin.* 30, 14, 43. Fimum murinum aqua pluvia dilutum. *Id.* 32, 9, 30. Conchae dilutae in vini sextariis duobus. ℙ *Dilutum* absolute est liquidum illud, in quo aliquid dilutum et maceratum fuit, *ἀπόβρεγμα. Plin.* 27, 7, 28. Bibitur et macerati absinthii dilutum. ℙ Ponitur et pro liquido. *Plin.* 31, 8, 44. Garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. *Cels.* 2, 29. Alvum movent tepida, dulcia, pinguia, elixa, jurulenta, salsa, diluta. ℙ *Dilutum vinum* est aqua mixtum. *Mart.* 1, 107. Diluti bibis unciam falerni. *Cels.* 1, 3. Aqua vel certe diluta potione esse contentos. (Cui *potio meraca*, opponitur *ib. paulo post.*) *Id. ib. ad f.* Vinum dilutius pueris, senibus meracius. Et *mox.* Potio quam dilutissima. ℙ *Dilutus color* dicitur, qui velut aqua admixta, minus intensus est. *Plin.* 22, 22, 46. Rubor dilutus. *Id.* 37, 9, 41. Fulgor dilutus in hyacintho. *Id. ib.* 40. Amethystus dilutior. *Pers.* 3, 14. Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. *Cels.* 2, 6. Urina diluta. [*Hinc translate *Ammian. Cels.* 20, 3. dilutior erit defectus, i. e. apertior, clarior. Nam colores diluti pellucidiores, clariores sunt.] ℙ *Odor dilutus* est tenuis, levis, remissus: cui opponitur acutus, gravis. *Plin.* 15, 28, 33. Malis odor est acutus, persicis dilutus. ℙ Translate *non dilutus honor*, apud *Senec. Ben.* 1, 13. est non imminutus, non obsolefactus, vulgando. Al. tamen rectius leg. *delatum* sine partic. *non. Gell.* 20, 1. Nonne tibi quoque videtur nimis esse dilutum, quod ita de injuria punienda scriptum est? *h. e.* remissum, leve, parum habens austeritatis. ℙ Denique *dilutum* de eo, qui vino madet, dixit *Auson. epist. praefixa Gripho* (quod est *Idyll.* 11.). Sed tu quoque hoc ipsum paulo hilarior et dilutior lege: namque injurium est, de poeta male sobrio lectorem abstemium judicare. ℙ Comp. *Dilutior*, et Superl. *Dilutissimus.* V. in Supp.

DILUVIALIS, e, adj. ad diluvium pertinens. *Solin.* 9. Quas solas (*montium altitudines*) diluvialis irruptio inaccessas reliquit.

DILUVIES, ei, f. idem quod diluvium, inundatio, *κατακλυσμός. Hor. Od.* 4, 14, 27. Aufidus horrendam cultis Diluviem minitatur agris. Adde *ib.* 3, 26, 40., *Lucr.* 6, 291. et *Plin.* 9, 4, 3.

DILUVIO, as, a. 1. diluvie seu aquarum inundatione obruere, *κατακλύζειν. Lucr.* 5, 387. Tantum suppeditant amnes, ultroque minantur Omnia diluviare ex alto gurgite ponti.

DILUVIO, onis, f. diluvium. *Censorin. de die nat.* 18. *a med. Κατακλυσμός*, quam nostri diluvionem vocant. Adde *Tert. Anim.* 46.

DILUVIUM, ii, n. *κατακλυσμός*, inundatio aquarum ab immodicis imbribus marisque aut fluviorum incrementis terras operiens: a *diluo*, lavo. *Senec. Qu. Nat.* 3, 29. Ut conflagrationi et diluvio tempus assignet. *Mamertin. Pan.* ad *Maxim.* 7. Diluvia Rheni. *Plin. ep.* 8, 17. Hic assidue tempestates et crebra diluvia. Adde *Virg. A.* 12, 205. ℙ Diluvii universalis descriptionem habes apud *Ov. Met. a vers.* 1, 262. et *Senec. Qu. Nat.* 27. ℙ Translate. *Flor.* 4, 2. Caesaris furor atque Pompeji Urbem, Italiam, gentes, quodam quasi diluvio et inflammatione corripuit. *Virg. A.* 7, 228. Diluvio ex illo diversa per aequora vecti, *h. e.* vastitate et excidio Trojae. *Val. Fl.* 6, 394. Diluvio tali paribusque Ariasmenus urget Excidiis, *h. e.* numero atque impetu copiarum suarum et curruum falcatorum.

DIMACHAE, arum, m. plur. *διμάχαι, οἱ*, genus equitum apud Macedonas, qui gravi armatura instructi, cum opus erat, etiam pedites pugnabant, ut qui apud nos *dragoni* appellantur: a *δίς*, bis, et *μάχη*, pugna, quasi duplicem pugnam ineuntes. *Curt.* 5, 13.

[DIMACHAERUS, i, m. *διμάχαιρος*, gladiator, qui duobus ensibus in pugna utitur. V. *Lipsium Saturn.* 2, 13. *Inscr.* ap. *Mur.* 613, 3. D. M. et memoriae aeternae Hylatis dymachero (lege *dimachaero*), sive assidario (lege *essedario*) *pugnarum* VII. Vide v. praec. *F.*]

DIMADEO, ades, n. 2. idem quod madeo aut valde madeo. *Lucan.* 6, 678. Solibus et nullis Scythicae, cum bruma rigeret, Dimaduere nives, *h. e.* solutae sunt et diffluxere.

*DIMALLUM, i, oppidum Dalmatiae vel Illyridis. *Liv.* 29, 12. *B. A.*

*DIMANATIO, onis, f. apud *Augustin. B. A.*

DIMANO, as, avi, atum, n. 1. *διαῤῥέω*, diverse sive diversim mano, diffundor. *Cic. Coel.* 3. Meus hic forensis labor vitaeque ratio dimanavit ad existimationem hominum paulo latius etc. *Catull.* 51, 8. tenuis sub artus Flamma dimanat, *h. e.* ignis amoris permanat.

*DIMASTOS, (*Δίμαστος*, i. e. duas mammas vel duos montes vel colles, habens,) mons in Mycono insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. ℙ Item insulae nomen prope Rhodum. *Id.* 5, 31. *B. A.*

DIMENSIO, onis, f. actus dimetiendi, mensura, *διαμέτρησις. Cic. Tusc.* 1, 24. Dimensio quadrati.

DIMENSUS, a, um, part. a *dimetior.* Active. *Virg. A.* 12, 116. Campum ad certamen dimensi. ℙ Passive. *Id. G.* 1, 231. certis dimensus partibus orbis. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna dimensa ad altitudinem fluminis. V. DEMENSUS.

DIMERSUS, a, um, part. ab inusit. *dimergo*, demersus. *Tert. Cult. fem.* 13. Exstare inter dimersos.

DIMETER, tra, um, adj. duo habens metra, *δίμετρος*. V. BIMETER. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* Opus editum tenemus, Dimetra quod arte texens etc. *Diomed.* 3. p. 506. Dimeter versus. ℙ Scri-

bitur et *dimetrus* in nominat. *Terentian. de metr.* p. 2437. Nec non dimetrus ex trimetro redditur.

DĪMĒTĬENS et Demetiens, entis, part. a *dimetior*. *Dimetiens linea* vel *dimetiens* absolute, est diametros medium circulum recta secans. *Plin.* 2, 23, 21.

DĪMĒTĬOR, iris, ensus sum, *διαμετρέω*, metior, mensuram capio. [*Cf. de h. v. *Döderl. Syn.* II. 169. sq.] *Cic. Sen.* 14. Studium dimetiundi coeli atque terrae. *Id. Or.* 43. Dimetiri et dinumerare syllabas. ℙ Significat etiam metiendo disponere: quoniam absque metiendo ordinari vix quidquam potest. *Cic. Sen.* 17. Mirari solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta; et ei Cyrum respondisse: atque ego omnia ista sum dimensus etc. ℙ Passive. *Vitr.* 3, 3. Columnae altitudo dimetiatur in partes duodecim. Adde 5, 9. ℙ Scribitur et *Demetior*.

DĪMĒTĬTUS. V. DEMETITUS.

DĪMĒTO, as, avi, atum, a. 1. metas seu fines describo, dimetior. *Liv.* 8, 38. Tum dictator postquam sine magno incommodo progredi non potest, eum ipsum, in quo constiterat, locum castris dimetari jussit. *Cic. N. D.* 2, 43. Atque ita dimetata signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina solertia appareat. Al. leg. *demetata*, alii *demetita*. [**Dimetata* recte *Heind.*, praeeunte *Gron.* ad *Liv.* l. l. praetulit, quem V., coll. *ib. c.* 62. cursus dimetati.]

DĪMĒTRĬA, ae, f. carmen ex iambis dimetris compositum. *Auson. epist.* 16, 104. Volucripes dimetria.

DĪMĪCĀTĬO, onis, f. *ἀγώνισις*, actus dimicandi, proelium, pugna, certamen. *Caes. B. G.* 7, 86. Omnium superiorum dimicationum fructum in eo die docet consistere. *Suet. Aug.* 17. In serum dimicatione protracta. Et *ib.* 10. In media dimicatione. *Hirt. B. Alex.* 25. Dimicatio maritima. *Id. B. G.* 8, 11. Oppugnare castra dimicatione perniciosa. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 4. Dimicationem Deorum et gigantum caelavit Phidias. [**Liv.* 1, 38. dimicatio universae rei i. q. de un. re. coll. 22, 32. in casum universae dimicationis non veniebant.] ℙ Item discrimen, periculum, quod proelio subitur. *Hirt. B. G.* 8, 18. Nullam dimicationem recusare. *Caes. B. C.* 3, 111. Longe maximam ea res attulit dimicationem. *Liv.* 2, 13. Subeunda dimicatio toties, quot conjurati superessent. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. Nullas insidias hostium, nullam proelii dimicationem pertimescimus. ℙ Translate dicitur de quacumque contentione et discrimine. *Cic. Or.* 13. *extr.* Jam in aciem dimicationemque veniamus. *Id. Sull.* 28. In extremo discrimine ac dimicatione fortunae deserere aliquem. *Id. Planc.* 32. Nullas sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitae dimicationes pro me defugiendas putavit. *Id. Rabir. perd.* 2. In tanta dimicatione capitis, famae fortunarumque omnium. [**Liv.* 10, 24. quum dimicatio (sc. de honoribus) proposita sit.] *Id. Prov. cons.* 9. *ad f.* Subvenire impendentibus periculis cum dimicatione capitis. *Id. Planc.* 32. Neque contentiones, inimicitias, neque vitae dimicationes defugere.

DĪMĬCO, as, avi, *aliquando* icui, atum, n. 1. *ἀγωνίζω*, *διαμάχομαι*, proelior, pugno, certo, contendo: a *di* et *mico*, quia sicut micando digitis controversiae dirimi solent, ita micando gladiis: qua ratione *cernere ferro* dixit *Virg.* V. CERNO. *Cic. N. D.* 2, 2. Cum Postumius dictator cum Mamilio Tusculano proelio dimicaret. *Id. Tusc.* 4, 19. Convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. *Id. Off.* 1, 12. Cum Latinis de imperio dimicabatur. *Curt.* 4, 14. Dimicare de victoria. *Id.* 7, 4. *ad f.* viritim. *Caes. B. G.* 5, 16. magno cum periculo. *Hirt. B. Alex.* 48. magno periculo. *Caes. B. G.* 5, 47. iniquo loco. *Hirt. B. Alex.* 28. navibus in flumine. *Nep. Them*, 3. In terra dimicari magis placebat. *Id. Eum.* 3. Dimicare equitatu. *Liv.* 2, 49. *ad f.* acie cum hoste. *Hirt. B. G.* 8, 29. cum summa contentione. *Nep. Milt.* 1. armis cum aliquo. Et *ib.* 4. adversus aliquem. *Vell.* 2, 85. in ruinam orbis terrarum. Et *ib.* Desperata victoria, dimicabatur in mortem, *h. e.* ut morerentur quidem, at non inulti. ℙ Significat etiam bellum facere. *Nep. Ages.* 2. Satius esse in Asia, quam in Europa dimicare. *Flor.* 2, 17. In Hispania prope ducentos per annos dimicatum est. ℙ Item universim contendere aut discrimen subire. *Cic. Div. Verr.* 22. Quos ut incolumes tueri possimus, omni ratione erit dimicandum. *Id. Arch.* 10. et 11. Dimicare de vita, gloriae causa. *Liv.* 2, 12. *a med.* In hoc discrimen accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo. *Pompejus* ad *Domit. ante ep.* 13. *l.* 8. ad *Att.* Neque eorum militum voluntati satis confido, ut de omnibus fortunis reipublicae dimicem. *Nep. Timoth.* 4. Dimicare de fama, *h. e.* judicio contendere pro fama servanda. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 24, 83.] ℙ Praeterit. *dimicavi* est *Nepotis*, *Caesaris* etc., alterum *dimicui* habet *Ov. Amor.* 2, 13, 28. Hac tibi sit pugna dimicuisse satis. [*Permutantur passim *dimicare* et *micare*. V. intpp. ad *Suet. Aug.* 13. — ad *Liv.* 6, 41, 2.]

DĪMĬDĬĀTIM, adv. *ἥμισυ*, pro media parte. *Pl. Mil.* 3, 1, 167. Sed percellunt se et procumbunt, dimidiatim dum appetunt. Ita legit *Turneb. Adv.* 7, 6., sed communius legitur *dimidiati*, *dum appetunt*, [*i. e. superiore toto corpore proni in cibos].

DĪMĬDĬĀTĬO, onis, f. divisio in duas partes aequales, *ἡμίσευμα*. *Tert. adv. Marc.* 1, 24. Dimidiatio salutis.

DĪMĬDĬĀTUS, a, um, part. a *dimidio*, *ἡμισευθείς*, in duas partes aequales divisus. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Eximunt ex anno unum dimidiatumque mensem. *Id. Tusc.* 5, 23. Versiculi dimidiati. *Cato* ap. *Plin.* 16, 39, 75. Luna dimidiata. *Pl. Men.* 1, 2, 45. Dies est dimidiatus mortuus. *Enn.* ap. *Gell.* 3, 14. Vas vini dimidiatum. *Cato fr. ib.* Homines dimidiatos in terram defodere. *Id. R. R.* 151. Dimidiatum digitum terram altam succernito. [**Suet. Tib.* 34. dimidiatum aprum apposuit.] ℙ *Dimidiatus Menander* a *C. Caesare* ap. *Suet. Vita Ter.* dictus est ipse *Terentius*, quia dimidia parte, *h. e.* puritate et suavitate sermonis Menandrum aequasse creditus est: altera dimidia, *h. e.* vi comica inferior est habitus. ℙ *Dimidiatum* et *dimidium* hoc differunt, quod illud dicitur de re in duas partes divisa: hoc de parte altera rei ipsius bifariam divisae. *Dimidiatum* ergo nisi ipsum quod divisum est, dici haud convenit: *dimidium* vero est, non quod ipsum dimidiatum est, sed quae ex dimidiato pars altera est. Cum igitur partem libri dimidiam legisse volumus dicere aut partem dimidiam fabulae audisse, si *dimidiam fabulam* aut *dimidium librum* dicimus, peccamus. Totum enim ipsum quod dimidiatum atque divisum est, *dimidium* dicis. Haec et alia multa in eandem sententiam ex *Varrone* docet *Gell. l. c.* [*Hoc ideo probe tenendum est, quoniam nos ubique eodem vocabulo utimur, dicentes *einen halben Eber* et *ein halbes Buch* et sic porro. Multi, qui hodie latine scribunt, in ea re peccant.] Sunt tamen contra haec exempla non una. V. DIMIDIUS. ab init.

DĪMĬDĬO, as, a. 1. medium divido, in duas aequas partes divido, *ἡμισεύω*. *Tert. Car. Christ.* 5. Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas fuit.

DĪMĬDĬUM, ii, n. *τὸ ἥμισυ*, pars altera alicujus rei in duas aequales divisae. *Cic. Or.* 2, 86. Se dimidium ejus, quod pactus esset, pro eo carmine daturum. *Liv.* 35, 1. Vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradidit. *Plin.* 22, 25, 72. Cicer nigrum cum gallae dimidio tritum. *Lucil.* ap. *Gell.* 3, 14. Dimidium horae. *Pl. Aul.* 2, 4, 12. obsonii. *Id. Bacch.* 5, 2, 67. auri. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. pecuniae. *Pl. Ps.* 4, 7, 68. Dare alicui dimidium de praeda. *Id. ib.* 1, 5, 37. Bonus animus in mala re dimidium est mali. *γνώμη*. *Hor. Ep.* 1, 2, 40. Dimidium facti qui coepit, habet. (V. *Auson. epigr.* 81.) *Dimidium plus toto*, proverb. Graecum, quo mediocritas laudatur. *πλέον ἥμισυ παντός*.

DĪMĬDĬUS, a, um, adj. *ἥμισυ*, per medium divisus, medius, dimidiatus. Quomodo a *dimidiatus* differat in ea voce dictum est. Illud tamen discrimen non ab omnibus est observatum scriptoribus, iis praesertim, qui post auream aetatem fuere. Nam *Plin. ep.* 6, 2. Dimidiae clepsydrae. *Plin. alter* 2, 59, 60. Dimidia circuli forma. *Juven.* 8, 4. Curios dimidios. *Mart.* 2, 37. Dimidius mullus. *Manil.* 3, 393. annus. *Dimidiatus* enim his omnibus locis dicendum fuit ex sententia *Varronis* vel *dimidium* cum genitivo, *dimidium clepsydrae*, *dimidium formae* etc. ℙ *Dimidio labro basia dare* apud *Mart.* 2, 10. et 22. est summis tantum labris basiare. ℙ *Dimidius*, cum de statuis sermo est, effigiem indicat hominis umbilico tenus, quam Itali *busto* vocant. *Mart.* 11, 19. Vix est dimidio locus Priapo. Huc etiam pertinet jocus *Ciceronis*, qui, teste *Macr. Sat.* 2, 3., cum vidisset clypeatam imaginem Quinti fratris ingentibus lineamentis usque pectus ex more pictam, (erat autem Quintus ipse staturae parvae) ait: Frater meus dimidius major est quam totus. ℙ Fere ab optimis auctoribus cum *pars* conjungitur. Est autem *dimidia pars* ipsum dimidium. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna est major, quam dimidia pars terrae. *Id. Fam.* 13, 29. *a med.* Testamento heres ex parte dimidia et tertia est Capito. *Caes. B. C.* 3, 101. Dimidiae parti classis praeerat Sulpicius, dimidiae Pomponius. ℙ *Ad dimidias* est ad dimidias partes. *Plin.* 26, 12, 73. Verbenaca decocta in aqua ad dimidias. ℙ *Dimidium*, *ii*, absolute est dimidia pars. Hinc *dimidio major*, *minor* etc. *Caes. B. G.* 5, 13. Hibernia dimidio minor, quam Britannia. *Hor. Sat.* 2, 3, 318. Dimidio major. *Cic. Att.* 9, 9. Recte non credis de numero militum: ipso dimidio plus scripsit Clodia. *Id. Dom.* 44. Emit domum prope dimidio carius, quam aestimabat. *Id. Att.* 13, 29. Dimidio minoris constabit. [**Cic. fr. Tull.* §. 13. emit agrum — sane magno, dimidio fere pluris, quam etc. V. *Kreyssig.* ad h. l. (in edit. *Beieri* p. 242.)] *Id. Fl.* 20. Habebat rhetor iste discipulos, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat. *Colum.* 11, 1. *circa med.* Dimidio maturius. V. DIMIDIUM.

DĪMĪNŌRO et Deminoro, as, a. 1. idem quod diminuo. *Tert. Anim.* 33. et *adv. Prax.* 15.

DĪMĪNŬO et Deminuo, is, ui, utum, *μειόω*, minuo, aufero, detraho. [*Omnino duo vocc. sunt *deminuo* et *diminuo*, de quibus *Oudend.* ad *Suet. Caes.* 5. bene ita disserit: „*Deminuitur* id quod decrescit sive minus fit, quam fuerat, ideo quod ejus pars perit sive adimitur. *Diminuitur* vero id, quod contunditur, confringitur et attenuatur aut dissipatur in minutiores partes, sicut bona, opes, vectigalia possunt *deminui* iis quid detrahendo, at *diminui* dilapidando, dissipando vel herciscundo.“ Cf. etiam *Schützii lex. Cic.* s. h. v. et *Burm.* ad *Ov. Trist.* 1, 5, 44. Ex his facile dijudicari poterit, utrum in singulis locis praeferendum sit, id quod interdum etiam ex aliis verbis prope collocatis intelligitur, ut *Cic. Sull.* 1. quantum de mea auctoritate *de*ripuisset, tantum se de hujus praesidiis *de*minuturum speravit.] *Pl. Truc.* 2, 7, 40. De mina una deminui modo quinque nummos. *Cic. Or.* 3, 49. Ne quid de hoc tam exiguo tempore verbo uno meo diminueretur. [*leg. *deminueretur*.] *Liv.* 2, 1. Diminuere [**deminuere*, ut *Livio* e codd. in plerisque locis restitutum est.] aliquid ex regia potestate. *Caes. B. G.* 7, 33. Ne quid de jure aut legibus eorum deminuisse videretur. Et *ib.* 1, 53. Neque ejus calamitate de tanta voluptate quidquam fortunam deminuerat. *Id. B. C.* 1, 52. Militum vires inopia frumenti deminuerat. *Suet. Dom.* 12. Deminuere numerum militum. *Auct.* ad *Her.* 4, 38. aliquid atque extenuare oratione. ℙ Item alienare. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Ne quid de bonis, quae L. Octavi Nasonis fuissent, cui L. Flavius heres est, deminuerent. *In edicto Praetor.* ap. *Ulp. Dig.* 28, 8, 7. Si justa causa esse videbitur, bona interea deminui vetabo. *Ulp. ib.* His verbis praetor non tantum alienationem impedit, verum etiam etc. ℙ Item comminuere: quod cum fit, aliquid ei detrahitur, quem laeseris. [*Si ita explicas, scribendum est *deminuere*. At ubi est i. q. comminuere, i. e. in minutas partes scindere, ut h. l. et seq., praestat sane *diminuere*.] *Pl. Men.* 2, 2, 30. Illi homini diminuam caput. *Ter. Ad.* 4, 2, 32. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum. ℙ *Diminuere hostes* apud *Varr. L. L.* 4, 16. est carpere, obterere, eorum numerum viresque minuere.

DĪMĪNŪTĬO et Deminutio, onis, f. *μείωσις*, actus diminuendi. [*In plerisque sqq. locc. hodie rectius scribitur *deminutio*, ut jam *Forc.* in nonnullis habet.] *Cic. Agr.* 2, 7. Quo animo libertatis vestrae diminutionem ferre possitis. *Id. ib.* 1, 7. Diminutio vectigalium. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. De imperio tanta deminutio facta est. *Cic. Tusc.* 1, 28. Accretione et diminutione luminis luna quasi fastorum notans dies. *Plin.* 34, 13, 38. Honor aut diminutio familiae. *Id.* 15, 1, 2. de oleo: Prima unda preli laudatissima: ac deinde per deminutiones. ℙ Item alienatio. *Liv.* 39, 19. Utique Feceniae Hispalae datio, diminutio, gentis enuptio esset. *Ulp. Dig.* 37, 8, 1. *ad f.* Deminutio ad hos sumptus fieri debet ex pecunia: si ea non fuerit, ex his rebus, quae etc. *Cic. Off.* 2, 21. Ne de bonis privatorum publice diminutio fiat, *h. e.* huic adimendo, alteri assignando. Alio sensu *Suet. Aug.* 99. *extr.* Id magis praesagium, quam mentis diminutio fuit, *h. e.* alienatio. ℙ Item detractio, ablatio. *Cic. Prov. cons.* 15. *extr.* Multare imperatorem deminutione provinciae. ℙ *Diminutio capitis* quid sit, V. in CAPUT. ℙ Denique genus est rhetoricae exornationis. *Auct.* ad *Her.* 4, 38. Deminutio est, cum aliquid esse in nobis aut in iis, quos defendimus aut natura aut industria dicemus egrégium; quod ne qua significetur arrogans ostentatio, deminuitur et attenuatur oratione hoc modo: Nam hoc pro meo jure, judices, dico, me labore et industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem. Et: Huic quidem pater (nolo nimium dicere) non tenuissimum patrimonium reliquit. *Prop.* 1, 12, 16. Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis, *h. e.* plurimum. *Liv.* 30, 45. Polybius haudquaquam spernendus auctor, *h. e.* magni faciendus. *λιτότης* Graece est et *μείωσις*. V. LITOTES.

DĪMĪNŪTĪVE et Deminutive, adv. *ὑποκοριστικῶς*, diminutiva forma et significatione. *Ascon.* in *Cic. Verr.* 1, 2, 2. Dies diminutive diecula dicitur. *Macr. Sat.* 5, 21. Cymbia diminutive a cymba dicta. Adde *Fest.* in *Hira*.

DĪMĪNŪTĪVUS et Deminutivus, a, um, adj. diminutionem significans, ut Nomen diminutivum ex. gr. *doliolum* etc. *Tert. Apol.* 32. Diminutiva vox. ℙ *Diminutivum* absolute, intelligitur nempe nomen. *Prisc.* 2. p. 610. Diminutivum est, quod diminutionem primitivi sui demonstrat, ut rex regulus, id est parvus rex. ℙ *Id. paulo post.* Saepe inveniuntur diminutivorum diminutiva in diversas desinentia formas, ut homo homuncio, homunculus, homullus, homullulus. ℙ Etiam verba diminutiva appellantur. *Prisc.* 8. p. 827. Sunt alia verba in *lo* desinentia, quae diminutiva esse planae significationis ipse sensus ostendit, ut a *sorbeo sorbillo*, *garrio garrulo*, *calvo cavillo* pro *calvillo*.

DĪMĪNŪTUS et Deminutus, a, um, part. a *dimi-*

nno, μειωθείς. [*De scriptura V. supra DIMINUO.] *Caes. B. G.* 1, 18. Diminuta potentia. *Id. ib.* 7, 31. Deminutae copiae. *Cic. Caec.* 2. Pars aliqua juris diminuta. *Id. Planc.* 38. Aliquid de libertate diminutum putat. *In vet. resp. Harusp.* ap. *eund. Har. resp.* 19. Ne patres auxilio diminuti deficiantur, *h. e.* destituti, privati. Al. aliter leg. [*Cic. Or.* 3, 33. distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. Hoc enim loco recte habet *diminuere;* est enim i. q. distributione partium minuere, ut interpretatur *Schütz.* in cl. *Cic.*, nos *zerstückeln.*] ℙ *Deminutus capite* quis dicatur, V. CAPUT. Significat etiam alienatus. V. DIMINUO. *Cic. Sull.* 20. Ut quae causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae possessionis, ea Cincio non fuerit, praediis deminutis. ℙ *Diminutum nomen* apud *Quint.* 1, 5. *a med.* est diminutivum. ℙ Comp. *Diminutior* apud *Tert. adv. Marc.* 2, 9. Transire in aliquam diminutiorem qualitatem.

DIMISSIO, onis, f. *ἄφεσις,* actus dimittendi. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Propter dimissionem propugnatorum atque remigum. *Id. Parad.* 6, 2. Dimissiones libertorum ad fenerandas diripiendasque provincias. ℙ Dimissio sanguinis. Legitur ap. *Gell.* 10, 8. *in lemmate.*

DIMISSOR, oris, m. qui dimittit et veniam dat. *Tert. adv. Marc.* 4, 10. *sub init.* Dimissorem peccatorum Christum recognosce. Adde *August. Hom.* 23, 50, 4.

*DIMISSORĬA, *ἀποσχετική. Gloss. B. A.*

DIMISSORIAE litterae, inquit *Modestin.*, sunt, quae vulgo *apostoli* dicuntur, quod per eas causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur. V. APOSTOLUS.

DIMISSUS, a, um, part. a *dimitto, ἀφιέμενος, ἄφεντος,* huc illuc missus. *Caes. B. C.* 3, 79. Ut pluribus dimissi itineribus a Caesare ad Domitium, a Domitio ad Caesarem, nulla ratione iter conficere possent. Et *ib.* 1, 80. Equites dimissi pabulandi causa. Et *ib.* 3, 102. Nuntii dimissi ad eos, qui etc. ℙ Et translate. *Senec. ep.* 31. *a med.* In populos nominis dimissa notitia. ℙ Item abire permissus. *Caes. B. C.* 3, 4. Milites veterani dimissi ab imperatoribus. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. Dimissum concilium. ℙ Et translate. *Id. Acad.* 4, 4. Philosophia, quae nunc prope dimissa revocatur. *Hor. Ep.* 1, 7, 96. Qui semel aspexit, quantum dimissa petitis Praestent, mature redeat repetatque relicta. *Curt.* 4, 4. Maximarum rerum dimissa opportunitas. ℙ Item abire jussus. *Suet. Tib.* 49. Femina dimissa e matrimonio, i. e. repudiata. [*V. infra: matrimonia *dimittere* et *contrahere.*] ℙ Item depositus, abjectus. *Lucan.* 3, 367. dimissis degener armis. *Id.* 9, 200. Sumpta et dimissa potestas. *Val. Fl.* 5, 173. Retentare vota dimissa. ℙ Item omissus. *Caes. B. C.* 3, 73. Oppugnatio dimissa. [*V. DIMITTO de hac signif.] ℙ *Dimissus creditor* dicitur, cui pecunia debita persoluta fuit. *Scaev. Dig.* 32, 36. ℙ Libertus dimissus obligatione operarum, apud *Papinian. Dig.* 38, 1, 41. est liberatus, obligari desitus.

DIMISSUS, us, m. dimissio: quod apud Latinos in usu fuerit, ostendunt illa *Charisii* verba 2. p. 170. Inter adverbia, quidam haec posuerunt, quae etiam apud veteres observata sunt, translatui, dimissui, receptui, ostentui etc.

DIMITTO, is, isi, issum, a. 3. *ἀφίημι, διαπέμπω,* in diversas partes mitto. *Cic. Quint.* 6. Naevius pueros circum amicos dimittit. *Sall. Cat.* 28. Mallium Faesulas, Septimium in agrum Picenum, Julium in Apuliam dimisit. *Caes. B. G.* 4, 19. et 34. Nuncios in omnes partes dimittere. et 5, 45. litteras alicui, *h. e.* alicui perferendas. *Liv.* 38, 1. litteras passim in alias urbes. *Plin. ep.* 4, 7. Librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam dimisit. *Virg. A.* 1, 580. per litora certos Dimittam, et Libyae lustrare extrema jubebo. *Ov. Met.* 3, 381. aciem *(oculorum)* partes dimisit in omnes. [*Hinc explica *Ov. Met.* 8, 188. ignotas animum dimittit in artes. Ea autem, quae infra sub f. laudat *Forc.*, se *dimittere in causam* etc., ea falsa sunt. ℙ Non raro ad v. *dimittere* hoc significatu quum ponitur, omittitur accusativus, ut *homines, nonnullos, quosdam* etc. *Cic. Tull.* §. 22. Tullius statim dimittit ad amicos. Ad quem locum intpp. laudant *Eund. Quint.* 6, 25. Naevius ipse pueros circum amicos dimittit. *Liv.* 29, 37, 5. lustrum conditum serius, quia per provincias dimiserunt censores (sc. nuntios) ut etc. V. *Duker.* ad h. l. et ad *Cic.* locum *Beier.* et *Kreyssig.*] ℙ Item abire permitto. *Cic. Or.* 28. *extr.* Manu si prehendissem, ne ipse quidem sua eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. *Caes. B. G.* 3, 18. Non prius duces ex concilio dimittunt, quam ab his sit concessum etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 65. Dimittere senatum. *Id. Q. Fr.* 3, 9. *sub f.* Ciceronem dimitto a me, ut a magistris ne abducam. *Id. Leg.* 2, 12. Dimittere concilium. [*Tac. A. 15, 30. convivium buccina.] *Id. Att.* 12, 18. Discedentem te non sine magno dolore dimittam. *Nep. Att.* 4. Aliquem abs se nunquam dimittere. *Id. Ann.* 3. Cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. et 4. Cum Scipione decernit: saucium ac fugatum dimittit. *Cic. Or.* 10. Ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. *Id. Fat.* 4. Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia dimittamus. [*Dimittere equos* dicuntur in militia Rom. equites quum ablegant equos et pedestrem pugnam ineunt. *Virg.* 10, 366. aspera quis natura loci dimittere quando suasit equos. V. *Serv.* ad h. l.] ℙ Translate. *Id. Or.* 30. Demosthenem totum diligentissime cognovisti, neque eum dimittis e manibus. *Id. Planc.* 39. *extr.* Libertatem neque dimisi unquam, neque dimittam. *Caes. B. G.* 7, 52. Exploratam victoriam dimittere. *Nep. Milt.* 3. A fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimittere. *Cic. Or.* 2, 21. Dimittere tempus. ℙ *Dimittere creditores* apud JCtos, est, soluta pecunia iis debita, dimittere. *Papinian. Dig.* 31, 73. Si proprios creditores ex ea pecunia dimiserit. ℙ *Dimittere debitorem* est debitum ei remittendo ab onere solvendi liberare. *Ulp. Dig.* 50, 9, 4. Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem dimiserint, sive largiti sint. ℙ Dicitur *febris, dolor hominem dimittere,* cum desinit. *Cels.* 2, 7. *sub f.* et 4, 22. ℙ Est etiam abire jubeo. *Cic. Sull.* 20. Familiarissimum suum ab se dimittere et mandare in ultimas terras. *Id. Or.* 1, 28. Non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere, dimittebatque. *Id. Pis.* 20. Dimittere exercitum. et *mox:* familiam. *Senec. ep.* 66. *sub f.* Succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit. [*Pl. Rud.* 3, 5, 12. ludos dimittere aliquem. V. *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 3, 4, 47.] ℙ Item remittere, deponere. *Cic. Fam.* 9, 12. Coelum et terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. *Id. Phil.* 13, 1. Si quid de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Caesar dimisisset. *Id. Balb.* 13. Sui quemque juris et retinendi et dimittendi esse dominum. *Id. Amic.* 21. Dimittere amicitias. *Val. Fl.* 7, 240. timorem. *Cic. Att.* 14, 11. Non dimitto istam curam. [*V. similia laudantem *Burm.* ad *Ov. Met.* 1, 209.] *Liv.* 30, 3. Dimittere curam ex animo. Al. leg. *mittere. Nep. Timol.* 2. imperium. [*Lucan.* 1, 317. honores. 9, 200. potestatem.] *Caes. B. G.* 6, 11. principatum. [*Ov. Met.* 8, 47. Me tamen accepta poterat dimittere bellum Obside. Sic enim e codd. scribere debebat *Burm.; deponere* est a glossatoribus. Sic *Prop.* 4, 1, 131. mox ubi bulla rudi dimissa est aurea colla, i. e. deposita, demta. V. *Broukh.*] *Tac. H.* 3, 36. Praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. *Vell.* 2, 52. Neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quam omnes partes (militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret, *h. e.* missas faceret, deponeret, odium partium ex animo ejiceret, factiones oblivisceretur. (militare verbum est *dimitto,* qua significat missionem dare militibus, cum vel bello, vel stipendiis exactis, domum dimittuntur.) *Plin.* 13, 10, 19 Arbor folia dimittens. ℙ Item deserere, relinquere. *Hirt. B. G.* 8, 5. Devicti complura oppida dimiserant. *Nep. Ann.* 12. Vitam alieno arbitrio dimittere. [*Praegnanter hoc dictum est pro vitam dimittere et permittere arbitrio alieno. Dim. vitam etiam alii dixerunt. *Lucan.* 3, 641. nullius vita peremti Est tanta dimissa via, coll. *Cort.* ad h. l.] *Cic. Caecin.* 26. *extr.* patrimonium. [*Id. Tusc.* 1, 6, 12. fortunas.] ℙ Item omittere. [*Quid discriminis sit inter *amittere, omittere* et *dimittere* docet *Döderl. Syn.* III. p. 287. Etenim *amittimus* aliquid negligentia et incuria; *omittimus* quod parvi facimus, *dimittimus* autem vel ea, cum quibus transegimus, quibus nobis non amplius opus est, vel (haec ego addo) quae ob causas externas contra nostram voluntatem omittimus. V. paullo infra. Jam quomodo *Ciceronis*, qui sequitur locus, explicandus sit, V. apud *Död.* l. l.] *Cic. Off.* 3, 26. Sed dimittamus fabulas et externa: ad rem factam nostramque veniamus. *Suet. Caes.* 18. *extr.* Coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere. [*Si diceret *Suetonius: omittere triumphum* hoc diceret: Caesarem lubentem triumpho renuntiasse. Sed *coactus* fecit. *Dimittere* igitur est i. q. *fahren lassen, aufgeben,* quod nolentis est et invite aliquid facientis.] *Cic. Att.* 9, 1. Dimittere usum librorum. *Val. Fl.* 8, 105. moras. *Virg. A.* 11, 706. fugam. ℙ Item liberare. *Paul. Dig.* 48, 19, 31. Ad bestias damnatos favore populi praesides dimittere non debent. *Id. ib.* 3, 10. Ne quis receptam custodiam sine causa dimittat. *Petr. Sat.* 13. Fortuna me a turpissima suspicione dimiserat. *Cajus Dig.* 1, 7, 28. Dimittere filium potestate, *h. e.* potestate patria liberare. Al. leg. *de potestate.* ℙ Item repudiare. *Suet. Aug.* 62. Coegit praegnantem uxorem dimittere. *Id. Cal.* 25. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, non est facile discernere. *Justin.* 11, 11. Olympiadem repudio dimiserat. ℙ Item mittere. *Ov. Met.* 2, 310. imbres dimittere coelo. et 1, 261. ex omni nimbos dimittere coelo. His locis al. leg. *demittere.* [*Burm. ideo praefert *dimittere,* quia in altero loco additum est *ex omni coelo.* Praetera autem utroque loco fortius est *dimittere,* quia in h. v. inest vehementia quaedam, qua nimbi in terram feruntur, quod in *demittere* non est.] ℙ Item mittere, *h. e.* elicere. *Varr. R. R.* 2, 1. Dimittere sanguinem, maxime e capite. Adde *Gell.* 10, 8. ℙ Item immittere. *Ov. Met.* 12, 491. ferrum capulo tenus dimisit in armos. *Id. Pont.* 4, 16, 51. exstinctos ferrum dimittere in artus. *Plin.* 28, 6, 17. Manus in ferventem aquam dimittere. Al. leg. *demittere.* [*Rectius hoc.] ℙ Translate. *Cic. Att.* 7, 12. [*et 10, 8.] Dimittere se penitus in causam. [*Sic *Schütz.* et *Matth.; dimittere* prorsus dici non potest.] *Suet. Rhet.* 6. In comparationem alicujus se dimittere. Hic quoque al. *demittere.* [*Sic *B. Crus.*] ℙ Item remittere, condonare. *Tac. H.* 3, 55. His tributa dimittere, alios immunitatibus juvare. *Caes. B. C.* 1, 8. Caesarem quoque pro sua dignitate debere studium et iracundiam suam reipublicae dimittere. ℙ *Dimittere se* apud *Senec. prooem. Controv.* 1. est remittere animum, et ab opere laxare. ℙ Dimittere laudibus nomen alicujus in longum aevum, apud *Lucan.* 1, 448. est posteritati commendare. ℙ Pro emittere. *Pallad.* 3, 25. de liquamine ex piris: Suspensae eae carnes liquorem dimittunt saporis jucundi. Est qui legat *demittunt.* ℙ [*Permutantur fere ubique *dimittere* et *demittere;* V. DEMITTO., ubi addi potest, male *Goer.* in *Cic. Acad.* II. 25, 79. legi malle: rem eo dimittit Epicurus; unice ferri potest: *demittit.* Porro *mittere* et *dimittere,* V. *Drak.* ad *Liv.* 38, 60, 6. — et *deponere,* V. supra. — et *dividere,* V. DEMITTO.]

*DIMOTIO, onis, apud *Hieron.* esse dicitur. *B. A.*

DIMOTUS, a, um, part. a *dimoveo,* in diversas partes motus, agitatus. *Ov. Her.* 18, 80. Murmur aquae corpore dimotae. *Id. Halieut.* 23. Dimotae cauda arenae. ℙ Item remotus. *Tac. H.* 2, 49. Dimotis omnibus, paulum requievit. *Lact.* 6, 1. *ad f.* Stipati familiarium gregibus per dimotum populum incedant, *h. e.* lictore turbam submovente. V. SUBMOTUS. ℙ Item distinctus, separatus. *Sall. orat. ad Caes.* 1. *circa med.* Considera, quale sit id, de quo consultas: ita bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges.

DIMOVĔO, es, ovi, otum, a. 2. *διακινέω, ἀποτρέπω,* in diversas partes moveo. *Virg. G.* 2, 513. Agricola incurvo terram dimovit aratro. *Hor. Od.* 1, 23, 6. seu virides rubum dimovere lacertae. *Ov. Met.* 8, 641. foco tepidum cinerem dimovit, et ignes Suscitat hesternos. *Cels.* 3, 27. *n.* 3. Pila, similibusque superiores partes dimovendae. *Id.* 2, 14. *ad f.* Dimovere manus. *Id.* 4, 24. Inambulatione leni se dimovere. ℙ *Dimovere os* est hinc inde motis labiis os aperire et loqui. *Ov. Fast.* 5, 638. Raucaque dimovit talibus ora sonis. ℙ Item loco movere, dispellere, removere, (quomodo autem a *demoveo* distinguatur, in eo verbo adnotavimus). *Virg. A.* 4, 7. Humentemque aurora polo dimoverat umbram. *Id. ib.* 5, 838. delapsus Somnus ab astris Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras. *Hor. Od.* 3, 5, 51. Dimovit obstantes propinquos, Et populum reditus morantem. [*Id. ib.* 4, 5, 14. curvo nec faciem littore dimovet. V. *Fea* ad h. l.] *Plin.* 8, 7, 7. Elephanti tanta narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens. [*Plin. Pan.* 49. Dimovit perfregitque custodias Poena.] *Cic. Agr.* 2, 29. *extr.* Dimovere aliquem ex possessione. *Hor. Od.* 3, 8, 10. Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae fumum bibere institutae. *Ter. Ad.* 2, 1, 16. Cave, oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 47. De civitate maluit, quam de sententia dimoveri. [*leg. et hoc et seq. l. *demoveri.*] et *mox.* Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu aut spe, aut metu dimovere. *Id. Planc.* 22. Dimovere [*imo *demovere*,] aliquem loco suo, *h. e.* a constantia removere. *Id. Parad.* 1. *extr.* Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet [*demovet.] *Sall. Jug.* 46. Quos spes societatis a plebe dimoverat, *h. e.* alienaverat. *Hor. Od.* 1, 1, 11. Gaudentem patrios findere sarculo Agros, Attalicis conditionibus Nunquam dimoveas, ut etc., *h. e.* permoveas, persuadeas. *Cic. Or.* 2, 51. Odium in alios struere, atque a nobis dimovere. *Id. Inv.* 2, 28. Remotio criminis est, cum ejus intentio facti in alium dimovetur, *h. e.* transfertur. In plerisque *Cic.* allatis locis, item *Terent.* alii leg. *demoveo* [*omnino]: quod V. ℙ Pro distinguere, separare. V. DIMOTUS. ℙ *Dimovere mores* apud *Senec. Hipp.* 587. est removere, tollere, rumpere.

*DIMULGĀTA, *διαπεφημισμένη. Gloss. Lat. Gr.* Dimulgatio, onis, f. *Gloss.* Dimulgator, oris, m. *JCt.* in *Dig. B. A.*

*DIMULGO, as, a. 1. i. q. promulgo. Laudatur *Cic. Fam.* l. 6. *ep.* 12. Occultius agendum, neque ullo modo dimulgandum. Sed *divulgandum*

dedit *Graevius*, sine mentione alterius lectionis. *B. A.*

*DIMURI, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*DINARĒTUM, i, Cypri promontorium. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*DINDARI, orum, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

DINDYMĒNĒ, es, et Dindymena, ae, f. *Δινδυμήνη*, Cybele: a Dyndymo monte, ubi colebatur. *Mart.* 8, 81. Non per mystica sacra Dindymenes. Adde *Hor. Od.* 1, 16, 5.

*DINDYMIS, idis vel idos, *Δινδυμίς*, oppidum Mysiae. Fuit autem inter nomina antiqua urbis Cyzici. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

DINDYMUS et Dindymos, i, m. et Dindyma, orum, n. plur. *Δίνδυμος* et *τὰ Δίνδυμα*, mons Phrygiae sacer Cybelae Deum matri, ejusque sacris celebratus. *Ov. Fast.* 4, 249. Dindymon et Cybelen et amoenam fontibus Iden etc. *Prop.* 3, 21, 3. Dindymus et sacrae fabricata juvenca Cybebae. *Virg. A.* 9, 618. ite per alta Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum. *Val. Fl.* 3, 20. Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis. et 232. motis ululantia Dindyma sacris. ℙ Adjective sumi videtur in illo *Colum.* 10, 221. Exstimulat vatem per Dindyma castra Cybebes, Perque Cithaeronem etc. et *Auson. epist.* 25. *ad Paulin.* 16. Dindyma Gargarico respondent cantica luco. ℙ Paenultimam produci ne putes in illo *Catull.* 35, 14. Dindymi dominam, ex eo misellae etc. Nam hoc genus carminis eo loco choreum pro spondeo recipere aliquando solet, ut in illo *ejusd.* 1, 2. Arida modo pumice expolitum.

*DINIA, ae, f. oppidum Galliae Narbonensis, hodie *Digne*. *Plin.* 3, 4. ℙ Caput fuit Sentiorum. *B. A.*

*DINIAE, arum, f. Phrygiae majoris oppidum, inter Synnadam et Metropolim. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

*DINIAS, ae, m. insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 8. *B. A.*

*DINOCRĀTES, is, m. *Δεινοκράτης*, architectus pluribus modis memorabili ingenio, quique Alexandriam urbem Aegypti est metatus, ut videre est apud *Plin.* 7, 37. Adde *Val. Max.* 1, 4. *Vitr. praef.* 2. *Ammian.* 22, 40. ℙ *Dinochares* audit *Plin.* 5, 10. et 34, 14. *B. A.*

*DINODO, as, a. 1. solvo nodum, enodo. *Sidonio* tribuitur. *B. A.*

*DINOMĀCHE, es, f. Alcibiadis mater. Hinc per antonomasiam *Pers.* 4, 20. I nunc, Dinomaches ego sum. *ὁ Δεινομάχης*, filius nempe, i. e. nobilis, generosus. *B. A.*

*DINOMĒNES, is, m. *Δινομένης*, statuarius insignis, cujus opera Protesilaum, et Pythodemum luctatorem enumerat *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*DINON vel Dino, onis, m. *Δίνων*, *Δείνων*, historicus Graecus, temporibus Philippi Macedonum regis, pater Clitarchi. Scripsit *Περσικὴν παραγωγείαν*. *Nep. Con.* 5. *Plin.* 10, 49. ℙ Item pictor eximius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*DINOSCIBĪLIS vel Dignoscibilis, e, adj. qui dignosci potest. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *Maio*) *c.* 50. Quoniam harenis aequalibus diu non dinoscibile (*Hammonis sacrum*) est. *B. A.*

DINOSCO. V. DIGNOSCO.

*DINOSIS, is, ios vel eos, f. *δείνωσις*, indignatio. *Martian. Capell.* l. 5. p. 186. *B. A.*

*DINOTATUS, a, um, part. a dinoto male legitur in nonnullis codd. apud *Cic. Acad.* 2, 18, 57. pro *denotatus*. *B. A.*

*DINTRIO, is, n. 4. verbum exprimens vocem mustelae. *Auct. Philomelae* v. 61. Velox mustelaque dintrit. *B. A.*

DINŪDO. V. DENUDO.

DINŪMĒRĀTIO et Denumeratio, onis, f. *διαρίθμησις*, actus dinumerandi. [**Cic. Rep.* 3, 2. dinumerationes noctium atque dierum.] *Paul. Dig.* 38, 10, 10. §. 16. Eadem dinumeratione hic quoque octo personas computabimus. *Id. Sentent. tit.* 5, 33. Dinumeratio dierum. ℙ Inter figuras verborum recensetur a *Cic. Or.* 3, 54., fitque cum multa singillatim enumerantur. *Quint.* tamen 9, 3. *sub f.* omnino figuram non esse docet, Graece *ἀπαρίθμησις* et *συναθροισμὸς* dici videtur.

DINŪMĒRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξαριθμέω*, idem quod numero, distincte numero. *Cic. Off.* 1, 43. Dinumerare stellas. *Id. Verr.* 2, 5, 45. et *Ter. Ad.* 5, 7, 17. pecuniam alicui, *h. e.* numerando persolvere. *Plin.* 2, 73, 75. horas. *Virg. A.* 6, 691. tempora. *Ov. Fast.* 2, 622. generis gradus. [**Plin. Pan.* 76, 2. consulti omnes atque etiam dinumerati sumus. Est igitur nostrum *auseinander zählen*, ubi de multitudine aliqua, in unum confusa, sed segreganda et in partes diversas solvenda, sermo est.]

DINUMMIUM, ii, n. duo nummi seu duo ceratia, *h. e.* denarius. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 14, 27, 2. Quingentos solidos ex dinummio vectigali etc.

[DINUS, i, m. *δεινὸς*, timendus, reverendus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Vernazza, Dipl. di Adrian.* p. 22. C. Julius Victor Dini *filius*. *F.*]

*DIO vel Dion, onis, *Δίων*, Prusiaeus, Pasicratis filius, sophista et philosophus, cognomento *Chrysostomus* ex suavi vividaque ejus oratione. Apud Trajanum plerumque vixit, cujus familiaris fuit, eodemque curru dignatus est. Orationes octoginta conscripsit. Alia quoque ei tribuuntur. ℙ Dio Cassius, historicus, vixit temporibus Septimii Severi. Historiam Romanam Graece scripsit, cujus pars hodie exstat. ℙ Dux Syracusanus. V. *Dion. B. A.*

DIOBOLĀRES Meretrices, quae duobus obolis conducuntur, inquit *Festus* et *Varr. L. L.* 6, 3., a *διώβολον*, pars tertia drachmae Atticae. Hinc *Pl. Poen.* 1, 2, 58. Servulorum sordidorum scorta diobolaria. *Id. Ps.* 2, 2, 64. Apud anum illam diobolarem, cludam, crassam.

*DIOBESSI, orum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*DIOCAESARĒA, ae, f. *Διοκαισάρεια*, Cappadociae urbs. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

[DIOCAS, ae, m. *διώχας*, part. aor. 1. verbi *διώχω*, persequor, qui nempe est persecutus, persecutor. Cognomen Romanum in *Juris Civ. Antejustin.* (ed. *Maio*) p. 57. Marco (*legendum fortasse* Marcio) Diocae. Hic est pro *Diochae*, extrita nempe, ut saepe fit, aspirata. *F.*]

[DIOCHĀRES, is, m. a *Ζεύς*, *Διός*, Jovis, et *χάρις*, gratia, Jovi gratiosus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 477. *n.* 148. L. Metrinius L. L. Diochares. *F.*]

[DIOCHĀRĪNUS, a, um, adj. ad Diocharen pertinens, C. Julii Caesaris libertum, de quo meminit *Cic. Att.* 11, 6. Quaere ex Diochare, Caesaris liberto. *Id. ib.* 13, 45. Quae epistola quamquam ante data erat, quam illae Diocharinae, tamen etc. *F.*]

*DIOCLĒA, ae, urbs Dalmatiae. *Plin.* 2, 23. ℙ Item nomen matris Diocletiani Imperatoris. *Aur. Vict.* in *Epit.* 54. *B. A.*

*DIOCLES, is, m. *Διοκλῆς*, medicus quidam, Carystius. *Plin.* 20, 30. 22, 25. et 26, 2. *Cels.* 3, 24. ℙ Diocles ante audiebat Diocletianus, teste *Aur. Vict.* in *Epit.* 54. *B. A.* [Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 76, 4. C. Appulejo Diocli. Et femin. in apud alia *eund.* 1140, 5. Aurelia Dioclia. *F.*]

*DIOCLETIĀNUS, i, m. Imperator Romanus, scribae filius est creditus, teste *Eutrop.* 9, 19. donec imperium sumeret, Diocles appellatus. Ubi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum convertit. *Aur. Vict.* in *Epit.* 54. et *de Caesar.* 38. *B. A.*

*DIOCLĒUS, a, um, adj. ad Dioclem spectans. *Cels.* 7, 5. Diocleus graphiscus. *B. A.*

DIOCMITAE. V. DIOGMITAE.

*DIODĒLA, ae, f. herba quaedam, cujus meminit *Appul. de herb.* 88. *B. A.*

*DIODORUS, i, m. *Διόδωρος*, peripateticus, Critolai discipulus. *Cic. de Or.* 1, 11. et *de Fin.* 5, 5. ℙ Diodorus, Siculus, historicus, vixit temporibus Julii Caesaris et Augusti. Ejus Bibliothecam meminit *Plin. H. N. Praef.* post med. ℙ Item dialecticus quidam, de quo *Cic. de Fato* 6. *Plin.* 7, 53. ℙ *Diodori insula* in sinu fuit Arabico. *Plin.* 6, 29. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 6. Q. Vivius Diodorus. Et femin. in alia apud *eund.* 638, 1. Messia Q. L. Diodora. *F.*]

*DIODŌTUS, i, m. *Διόδοτος*, Stoicus, praeceptor Ciceronis in dialecticis, domi Ciceronis mortuus est. *Cic. Acad.* 4, 36. *Id. N. D.* 1, 3. *Id. Att.* 2, 20. prope fi. *Id. Fam.* 9, 4. et 13, 16. *med. Id. Brut.* 90. et *Tusc.* 5, 39. *B. A.* [Cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 567, 1. Aelius Diodotus. *F.*]

DIOECĒSIS, is, f. *διοίκησις*, gubernatio, administratio, jurisdictio: a *διοικέω*, administro, rego, guberno. Item locus, in quo quis jurisdictionem exercet. Graeca quidem vox est, et non semel Graece a *Cic.* usurpata, ut *Fam.* 13, 53. et 67. Aliquando tamen etiam positione Latina, cum de Graecorum provinciis loqueretur, ut *ib.* 3, 8. *circa med.* Ut me omnium illarum dioecesium, quae cis Taurum sunt, omniumque earum civitatum magistratus legationesque convenirent. *Dioecesis* vero dicitur portio quaedam provinciae, cujus administratio et jurisdictio propraetori permissa est. Ita *Cicero* praeter Ciliciam tres dioeceses in Asia habebat, Cybariticam, Apamensem et Synnadensem. ℙ Posterioribus temporibus *dioecesis* dicta est plurium provinciarum administratio, quae simul collectae parebant praefecto praetorii, vel ejus vicario. *Ammian.* 17, 7. Aristaenetus affectatam recens dioecesim curans vicaria potestate. *Imppp. Valens, Gratian. et Valentinian. Cod. Theod.* 7, 6, 3. Per Asianam et Ponticam dioecesim. ℙ Latine *jurisdictio* et *praefectura* dici potest. ℙ Apud Ecclesiasticos scriptores est locus jurisdictionis episcopalis. *Sidon. ep.* 7, 6. *a med.* Nulla in desolatis cura dioecesibus parochiisque. *Sever. Sulpic. dial.* 2, 3. Visitare dioeceses. ℙ Aliquando sumitur pro parochia. Ex multis autem parochiis dioecesis episcopalis constat. *Sidon. ep.* 9, 16.

DIOECĒTES, ae, m. *διοικητής*, dispensator seu qui curationem et quasi dispensationem rerum ac bonorum regis vel alicujus e magnatibus ac ditioribus suscepit: a *διοικέω*, administro, rego. Graeca vox, quae Latine scripta reperitur apud *Cic. Rabir. Post.* 8. et 10. cum de rebus ad Aegypti regem pertinentibus (ubi hoc nomen muneris erat in usu) verba facit.

*DIOGĒNES, is, m. *Διογένης*. Cynicus philosophus, qui patriam habuit Sinopen civitatem Ponti. Vixit Alexandri M. aetate, quem dixisse ferunt, ut *Laertius* prodit, *Nisi Alexander esset, velle sese esse Diogenem.* De eo *Cic. Tusc.* 1, 43. 3, 23. cet. *Id. Mur.* 36. *Id. N. D.* 3, 34. ℙ Item alius, Babylonius, Stoicus, Chrysippi auditor, Carneadis et Laelii praeceptor. *Cic. Acad.* 4, 30. prope fi. *Fin.* 2, 8. *Divin.* 1, 3. *extr. Tusc.* 4, 3. *post init.* et *de Senect.* 7. *post med. Gell.* 17, 21. *extr.* ℙ Et insignis pictor, qui aetate vixit Demetrii Poliorcetae. *Plin.* 35, 11. ℙ Diogenes Apolloniates, physicus, vixit Anaxagorae temporibus. Aera Deum fecit. *Cic. N. D.* 1, 12. Cf. *Laert.* 9, 57. ℙ Diogenes, Graecus, M. Coelii Rufi amicus. *Cic. Fam.* 2, 12. et 8, 8. ℙ Item nomen servi. *Cic. pro Cluent.* 16. ℙ Diogenes Laertius, sive, ut *Tzetzes* vocat, Diogenianus, Epicureus, decem libros scripsit de Vitis Philosophorum. V. *Voss. de Hist. Graec.* 2, 13. *B. A.* [Est cognomen frequens apud Romanos. *Inscr.* ap. *Mur.* 803, 6. M. Casius Diogenes. ℙ Prima syllaba in arsi anceps est. *F.*]

[DIOGĒNĒTUS, i, m. *Διογένητος*: a *Ζεύς*, *Διός*, Jovis, et *γενητὸς*, genitus, Jove genitus. Est nomen servile. *Inscr.* ap. *Grut.* 107, 9. Genio Caesarum Diogenetus *vilicus fecit*. Haec eadem habetur etiam ap. *Fabrett.* p. 38. *n.* 186., in qua legitur per syncop. *Diognetus*, mendose quidem, ut videtur; nam *Diogenetus* est etiam in eadem apud *Smetium* p. 34. *n.* 3. *F.*]

[DIOGĒNIĀNUS, i, m. derivat. a *Diogenes*. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 887, 7. Myrtilus Caesaris (*servus*) Diogenianus. *F.*]

DIOGMITAE, arum, m. plur. levis armaturae milites, quos maxime ad frenandas latronum incursiones in provinciarum finibus constituebant imperatores. *Ammian.* 27, 9. Adhibitis semiermibus paucis, quos diogmitas appellant. *Capitolin. Anton. philos.* 21. Armavit et diogmitas. ℙ Scribunt aliqui *diocmitae*. Dicti sunt autem a *διωγμὸς*, persecutio, quod a *διώκω*, persequor, quia armatura levi instructi, ad persequendos hostes idonei erant.

*DIOGNĒTUS, i, itinerum Alexandri dimensor appellatus a *Plinio* 6, 17. una cum Baetone, cui comes fuit. V. *Baeton. B. A.*

*DIOMEDĒA, ae, f. *Διομήδεια*, uxor Iphicli, Iolai mater. *Hygin. fab.* 103. *B. A.*

DIOMĒDES, i, m. *Διομήδης*, filius Tydei et Deiphiles, nepos Oenei, rex Aetoliae, qui cum reliquis Graecis ad Trojam profectus, adeo strenue se gessit, ut post Achillem et Ajacem Telamonium fortissimus haberetur. Fuit Ulyssi amicissimus. Una cum illo rapuit Palladium et cineres Laomedontis. Certamen singulare habuit cum Hectore et Aenea. Martem quoque in eo bello vulneravit, item Venerem in dextra manu, dum Aeneam illa protegere conaretur. Quam ob rem Dea irata Agialae uxori Diomedis tantam libidinem immisit, ut cum Cyllabaro (al. *Comete*) Stheneli filio concumberet. Hac re cognita, Diomedes domum reverti noluit, sed in Apuliam profectus, a Dauno filiam in uxorem accepit et regni partem, ibique Arpos vel Sipontum apud Garganum montem, item Venusiam, Beneventum, Equum Tuticum et oppida alia condidit. Ibi legationem accepit a Latino rege Aboriginum auxilia petente adversus Aeneam. Venulo legato narravit, Graecos omnes, qui bello Trojano militavissent, poenas dedisse; (V. *Ov. Met.* 14, 441. *et seqq.* et *Virg. A.* 11, 271., ubi narrant in aves fuisse conversos et quidem vivo Diomede: *Serv.* autem *ib.* post mortem ejus, cum sui ducis interitum insolabiliter quererentur) itaque precatus, ne se ad id bellum impellerent, hortatus est ad pacem. Quidam ferunt, Diomedem in Apulia repente evanuisse, alii ab Aenea dolo occisum fuisse, alii ab Illyriis. *Serv.* in *comment. A.* variis in locis. ℙ Diomedis campi, inquit *Fest.*, in Apulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt. Fuerant autem ad Aufidum amnem, ubi Cannae, vicus Romana clade nobilis. ℙ Diomedes alter, rex Bistoniae vel potius universae Thraciae. Hic cum in Tyria oppido equos suos peregrinorum et hospitum carne aleret, victus ab Hercule, equis ipsis ad devorandum objectus est. *Serv.* ad *A.* 8, 300. et ad *ib.* 1, 756.

DIOMĒDĒUS, a, um, adj. *Διομήδειος*, ad Diomedem pertinens. *Ov. Met.* 15, 806. Et Diomedeos Aeneas fugerat enses, *h. e.* Diomedis regis Aetolorum. *Claud. VI. Cons. Honor.* 479. Et Diomedeis tantum praeclarior ausis, *h. e.* rebus ab eodem Diomede furtim et noctu gestis, cum Palladium Trojae suffuratus est etc. Quo pertinet illud

Statii Silv. 5, 3, 179. Qui Diomedei celat penetralia furti. ℙ *Diomedei agri* ap. *Mart.* 13, 93. sunt campi Aetoliae, ubi Diomedes regnavit. ℙ *Diomedea insula* ap. *Plin.* 3, 26, 30. est contra litus Apulum, nunc *Tremiti*, conspicua monumento Diomedis. Alia prope hanc, nunc *Caprara* seu *Capperaria;* alia nunc *S. Donnino.* Ceterum quinque hoc nomine insulas iis locis enumerant geographi, quos V. ℙ *Diomedeas arces* appellat *Stat. Silv.* 3, 3, 163. aliquot oppida, quae Diomedes in Italia condidit. ℙ *Diomedeae aves*, quas Graeci *ἐρωδιοὺς* dicunt, habitabant in una ex insulis Diomedeis. De his dicitur, quod Graecis navigiis laetae occurrebant, Romana aversabantur. Fuerunt socii Diomedis in ea conversi, ut in v. praeced. dictum est. *Serv.* ad *A.* 11, 271. et *Plin.* 10, 44, 61. ℙ *Diomedei equi* fuerunt Diomedis Thraciae regis humanis carnibus vesci assueti. *Claud. Rapt. Pros. praef.* 12. de Hercule: Et Diomedeos gramine pavit equos. *Auson. Idyll.* 19, 9. Diomedeae quadrigae, *h. e.* quatuor illi equi Diomedis Thracis. V. v. praeced.

*DION (Dium), i, n. Syriae urbs, in tractu Decapolitano. *Plin.* 5, 18. ℙ Item Euboeae insulae oppidum. *Plin.* 4, 12. ℙ Et Macedoniae, in Pieria. *Liv.* 44, 2. seqq. ℙ Et Cretae, ubi et promontorium cognomine. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*DION vel DIO, onis, *Δίων*, dux Syracusanus, Dionysii tyranni cognatus. Vitam ejus scripsit *Nepos:* item *Plutarchus.* ℙ V. et *Dio. B. A.*

DIONAEUS, a, um, adj. *Διωναῖος*, ad Dionem pertinens. *Virg. A.* 3, 19. Sacra Dionaeae matri, divisque ferebam. *Id. Ecl.* 9, 47. Ecce Dionaei processit Caesaris astrum, *h. e.* Julii Caesaris, qui genus ducit ab Aenea filio Veneris. *Claud. Epith. Pallad. et Celer.* 102. Mira Dionaeae sumit velamina telae, *h. e.* vestem Diones matris Veneris. *Stat. Silv.* 3, 5, 80. Dionaea columba. *scil.* quia sacra est Veneri. *Colum.* 10, 286. Jamque Dionaeis redimitur floribus hortus. *ob eand. rationem.* ℙ *Dionaeum antrum* ap. *Hor. Od.* 2, 1, 39. est sub Nysa, altero Parnassi jugo, quod Baccho sacrum est. Ita *Acron.* Fortasse autem ita vocatur, quia jocis ibi et ludo (qui Veneris comitatus est) datur opera: vel quia Venerea carmina, et res ibi dicuntur, qualia nimirum *Horat.* leviore plectro canere se velle, ibi profitetur. [*Omnino. V. *Mitscherl.*]

DIONE, es, *et Latina positione* Diona, ae, f. *Διώνη*, nympha Oceani et Tethyos filia, quae ex Jove Venerem tertiam (*h. e.* quae Vulcani uxor, et Martis mater fuit) peperit. Ita *Cic. N. D.* 3, 23., ubi Latina positione utitur: poetae autem fere Graeca. *Hygin. praef.* Aetheris et Terrae filiam facit. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 433. Venerem quaerat deserta Dione. ℙ Saepissime hoc nomine ipsa filia Venus appellatur. *Ov. Fast.* 2, 461. Terribilem quondam fugiens Typhona Dione. *Id. A. Am.* 3, 3. Alma Dione. Adde *Fast.* 5, 309. etc. ℙ Colles Isthmiae Diones apud *Stat. Silv.* 2, 7, 2. sunt montis Acrocorinthi in Isthmo, in quibus templum fuit Veneri sacrum. ℙ [*Item uxor Tantali, Niobes Pelopisque mater. *Hygin. fab.* 9, 82 et 83. *B. A.*]

DIONYSIA, orum, n. plur. Bacchanalia, festa in honorem Dionysi seu Bacchi, quae in plerisque Graeciae urbibus triennio quoque celebrabantur, ut docet *Donat.* ad illud *Ter. Heaut.* 1, 1, 110. Dionysia hic sunt hodie: apud me sis volo. Adde *Pl. Curc.* 5, 2, 45. V. TRIETERICUS. ℙ [**Dionysia, ae, f.* sc. *insula*, in mari fuit Aegaeo. *Plin.* 5, 31. ℙ Fuit et *Dionysia* nomen saltatriculae Romanae, datum illi forte, quod in Dionysi, i. e. Bacchi, tutela totum genus fuit histrionum et spectaculorum. *Gell.* 1, 5. Cum L. Torquatus Hortensium... non jam histrionem esse diceret, sed gesticulariam Dionysiamque eum notissimae saltatriculae nomine appellaret: tum voce molli atque demissa Hortensius, *Dionysia*, inquit, *Dionysia malo equidem esse, quam quod tu, Torquate, ἄμουσος, ἀγροδίαιτος, ἀπρόσιτος. i.* inelegans, agrestis, aditu difficilis. (Ita ed. *Venet.* 1494.) *B. A.*

DIONYSIACUS, a, um, adj. ad Dionysum sive Bacchum pertinens. *Auson. Ecl. de Feriis Rom.* Et Dionysiacos Latio cognomine ludos Roma colit, Liber quae sibi vota dicat.

DIONYSIAS, ădis, f. *διονυσιάς*, nomen gemmae nigrae ac durae, mixtis rubentibus maculis: quae ex aqua trita saporem vini facit, et ebrietati resistere putatur. *Plin.* 37, 10, 57. ℙ [**Dionysias* (sc. *insula*) vetus nomen fuit Naxi insulae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*]

[DIONYSIPOLITAE, arum, m. plur. incolae urbis Dionysipolis in Phrygia, in cujus nummis ap. *Eckel. D. N. V. T.* 3. p. 150. ΔΙΟΝΤΣΙΠΟΛΕΙΤΩΝ legitur. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Dionysipolitas, qui erant inimicissimi, lenivi. *F.*]

DIONYSIUS et Dionysus, i, m. *Διονύσιος* et *Διόνυσος*, illud adj., hoc substant., unum est ex cognominibus Bacchi: a *Διός*, Jovis, et *Νύσα* urbe Arabiae, ubi educatus fuit: vel, ut est apud *Macr. Sat.* 1, 18., quasi *Διὸς νοῦς*, Jovis mens. Frequenter ita appellatur a Graecis, a Latinis non item. *Auson. epist. ante centon. nuptial.* Ne aut Thyonianum mireris, aut Virbium, illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. *Id. epigr.* 30. Ogygia me Bacchum vocat, Osirin Aegyptus putat, Mysi Phanacen nominant, Dionyson Indi existimant. *Pl.* quoque *Stich.* 5, 2, 13. Bacchum *Dionysum* dicit: item *Accius* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. ℙ [Dionysius, a, um, adj. idem ac Bacchicus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 583, 3. M. Ulpio Aug. Lib. Dionysio. Alia apud *eund.* 387, 6. Petronia Dionysia. *F.*]

*DIONYSIUS, ii, Heracleotes, Zenonis Cittiei discipulus, propter oculorum dolorem a Stoicis discisci et fit Epicureus seu Cyrenaicus, unde *μεταθέμενος* dictus est. *Cic. Acad.* 4, 22. *ad f.* de *Fin.* 5, 31. *post med.* et *Tusc.* 2, 25. Cf. *Laert. Fin.* 7, 166. seqq. ℙ Item Stoicus, Ciceronis aequalis, qui versus orationi nullo dilectu admiscebat. *Cic. Tusc.* 2, 11. Cf. *Laert.* 6, 43. ℙ Dionysius, Magnes, rhetor temporibus fuit Ciceronis, qui cum eo in Asia adolescens multum fuit. *Cic. Brut.* 91. *post med.* ℙ Fuit et hoc nomine servus Ciceronis, anagnostes, qui eum bello civili deseruit, quamvis valde apud eum honoratus fuerat. *Cic. Fam.* 5, 10. et 13, 77. *Id. Att.* 9, 12. ℙ M. Pomponius Dionysius, servus aut libertus Attici, quo Cicero usus in instruenda bibliotheca. *Cic. Att.* 4, 8, 11 et 15. *Id. Fam.* 12, 24. contra Carthaginenses, dein his pulsis occupatoque totius insulae imperio, copias in Italiam trajecit adversus Graecos, qui proxima Italiae litora tenebant. Itaque Locros prius expugnat, deinde Crotoniatas aggreditur, qui Locris auxilium tulerant. In Rhegium, post undecim menses expugnatum, saevissimus. Tandem, assiduis belli certaminibus a Carthaginensibus victus, insidiis suorum interficitur. Sed de mortis genere variant auctores. Sacrilegiis infamem, malae conscientiae Furiis eo usque exagitatum ferunt, ut ne uxori quidem nec filiabus suis fideret. *Justin.* 20, 1. *Nep.* in *Dione* 1 et 2. *Plin.* 8, 42. et 12, 1. *Cic. Tusc.* 5, 20. seq. et *N. D.* 3, 33 et 34. ℙ Dionysius, Dionysii superioris filius natu maximus, patri militum favore successit. Initio tyrannidis populum sibi libertate conciliavit, tria millia captivorum e vinculis exire permittens. Tributa insuper populo per triennium remisit, sublatisque fratribus ac propinquis, quos metuebat, paulatim in ceteros grassatus est. Itaque ob crudelitatem invisus Syracusanis, bello expugnari coeptus, in arcem se recepit. Tandem vi pulsus ex arce, profugus clam in Italiam Locros concessit, qui sub ejus erant potestate; a quibus ignaris, quod exul esset, exceptus, solitam in eos sex annis saevitiam exercuit. Tandem a Locrensibus ejectus, in Siciliam rediit, ibique Syracusas, securis omnibus, post longum pacis intervallum, per proditionem recepit. Cumque gravior esset, iterata conspiratione duce Dione Syracusano, cum Corinthiorum auxilio obsideretur, deposito imperio, arcem Syracusanis tradidit, atque in exilium Corinthum profectus est, ibique ludimagistrum agens pueros in triviis docuit. Erat enim eruditus, utpote olim Platonis auditor. Accepto tragicae victoriae nuncio, gaudio obiit. De eo *Nep.* in *Dione* 3. seq. *Cic. Fam.* 9, 18. et *Tusc.* 3, 12. *Justin.* 21, 1 — 5. *Plin.* 2, 100. 7, 30. et 53. ℙ Dionysius, cognomine Periegetes, scripsit Geographiam versibus hexametris Graecis, quae hodie exstat: quod opus *ἰστοριχὸν καλοῦσιν οἱ παλαιοὶ*, ut ait *Eustathius.* Patria fuit Alexandria, non illa Aegypti aut Syriae, sed oppidum Susianae ad sinum Arabicum, inter Tigrim et Eulaeum flumina. *Plin.* 6, 27. Hoc in loco genitum esse Dionysium, terrarum orbis situs recentissimum auctorem constat, quem ad commentanda omnia in orientem praemisit divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res majore filio. ℙ Dionysius Halicarnassensis, historicus insignis, Augusti temporibus floruit; quod satis indicat *Strabo* ejusdem temporis scriptor. Sic enim ille l. 14. *Καὶ καθ' ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς.* Ac ne alium hunc Dionysium putes, ipse in praefatione scribit, in Italiam se venisse, simul ac Caesar Augustus finem imposuit bello civili. Ex viginti libris, quos omnes se legisse testatur *Photius*, undecim tantum hodie supersunt. V. *Voss. de Hist. Graec.* 2, 3. ℙ Dionysius Cato. V. *Cato.* ℙ Dionysius Longinus. V. *Longinus.* ℙ Dionysius Thrax, patria Alexandrinus seu Rhodius vulgo dictus, Aristarchi, qui Romae tempore Pompeii docuit, fuit discipulus. Varia grammatica et commentaria scripsit, teste *Suida.* Hujus *Γραμματικὴν*, omnium, quae exstant, ait *Blomfieldius*, operum hujuscemodi vetustissimum, primus edidit *Fabricius* in *Bibl. Graec.* T. 4. p. 26. seq. plenius vero nuper *Immanuel Bekkerus.* V. ejus *Anecdota Graeca*, T. 2. p. 627. Fuit autem, ut ex *Scholio ibid.* p. 723. vulgato discimus, Byzantius, Thrax generatim dictus. *Τὸ μὲν γένος ἦν Βυζάντιος, ἐκαλεῖτο δὲ Θρᾴξ, τῷ μᾶλλον κοσμούμενος τῆς χώρας ὀνόματι.* Ceterum dubium jamdudum nonnullis fuisse, Dionysiine Thracis an alius cujusdam esset haec *Γραμματικὴ*, patet ex *Schol. ibid.* p. 672. Textus *Fabriciani* collationem cum Codice optimo *Venet. S. Marci Biblioth.* habes in *Villoisoni Anecd. Graec.* T. 2. p. 99. seq. ℙ Dionysius, qui Magonem transtulit. V. *Mago.* ℙ Fuit et Dionysius cognomen Ptolemaei decimi tertii. V. in *Ptolemaeus.* ℙ Dionysius, Musonii filius, sacerdos fuit templi Solis. Scripsit *ἱστορίας τοπικὰς* libris sex, orbis descriptionem, et historicae institutionis libros decem. *Tertull. de Anima* 46. V. *Solin.* 27. ℙ Fuit autem insignis pictor hoc nomine. *Plin.* 35, 10. Dionysius nihil aliud quam homines pinxit, ob hoc Anthropographus cognominatus. Adde 11. ℙ Item statuarius. *Plin.* 36, 5. ℙ Et medícus. *Plin.* 20, 11. *Cels.* 6, 18. Forte idem, qui Sallustius Dionysius audit *Plin.* 32, 7. *B. A.*

[DIONYSOCLES, is, m. Bacchi gloria: ex *Διόνυσος*, Bacchus, et *κλέος*, gloria. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1125, 10. L. Statius Dionysocles. *F.*]

*DIONYSODORUS, i, m. *Διονυσόδωρος*, insignis fuit geometra, Melius. *Plin.* 2, 109. ℙ Item nobilis statuarius. *Id.* 34, 8. ℙ Et pictor insignis. *Id.* 35, 11. ℙ Et medicus. *Id.* 37, 1. ℙ Quibus omnibus in locis ed. *Basil.* 1530. habet *Dionysiodorus.* Neque aliter *Hofmannus* ac *Moréri* in Lexicis suis. *B. A.*] [Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 135, 3. C. Julius Dionysodorus. *F.*]

[DIONYSONYMPHAS, ădis, f. *διονυσονυμφὰς*, herbae genus ap. *Plin.* 24, 17, 102. V. CASIGNETE. *F.*]

*DIONYSOPOLIS, is, f. *Διονυσόπολις*, *Διονύσου πόλις*, Phrygiae majoris oppidum, cujus incolae *Dionysopolitae*, quod v. suo loco. ℙ Item oppidum Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum, in confinio Thraciae, nunc *Varna. Mela* 2, 2. *B. A.*

DIOPĒTES, is, m. *διοπετὴς*, genus ranae, quam per imbres coelo delabi vulgus putat: a *Ζεύς*, *Διός*, Juppiter, aer, et *πέτομαι*, volo, ās. *Plin.* 32, 7, 24. Ranae, quas diopetes, et calamitas vocant. et *ib.* 10, 50. Jecur ranae diopetis. ℙ Sunt qui utroque loco leg. *dryophytes*, ut intelligatur ranae genus in arboribus nascens, atque habitans: a *δρῦς*, quercus, arbor, et *φύω*, nascor.

[DIOPHANTUS, i, m. a *Ζεύς*, *Διός*, Jovis, et *φαίνω*, ostendo, Jovem ostendens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1034, 4. P. Nanonius Diophantus. *F.*]

[DIOPITHES, is, m. a *Ζεύς*, *Διός*, Jovis, et *πειθεὶς*, [*??] obediens, Jovi obediens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1613, 8. L. Passieno Diopithi. *F.*]

DIOPTRA, ae, f. *διόπτρα*, geometris est instrumentum, quo turrium, montiumque altitudines ex intervallo dimetiuntur: a *διοπτεύω*, perspicio. Ejus usus est etiam in librandis aquis, hoc est ad investigandam altitudinem, aut profunditatem fontis, unde aqua alio per aquaeductum ducenda est. *Vitr.* 8, 6. Libratur autem dioptris, aut libris aquariis, aut chorobate: sed diligentius per chorobaten, quod dioptrae libraeque fallunt. ℙ Item in perspiciendis solis umbris, unde cognoscatur recta earum linea in aequinoctiis ante et post meridiem, aut altitudo et depressio in solstitiis, etc. *Plin.* 2, 69, 69. Nisi terra in medio mundi esset, aequales dies noctesque haberi non posse, deprehendunt et dioptrae, cum aequinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, etc.

*DIORYCTOS, i, m. *Διώρυκτος*, locus fuit Acarnaniae, trium stadiorum longitudine, ubi Leucadia insula olim opera accolarum a continenti fuit abscissa, eidemque reddita, ventorum flatu congeriem arenae accumulantium. *Plin.* 4, 1. ℙ Nempe a *διορύσσω*, *perfodio*, dictum est nomen, ut et *Dioryx*, quod V. *B. A.*

DIORYX, ῑgis, f. *διώρυξ*, fossa, canalis: a *διορύττω*, perfodio. *Mela* 3, 8. *a med.* Manu factus amnis, ideoque referendus, quod ex Nili alveo dioryge adductus.

DIOS BALANUS, f. *Διὸς βάλανος*, *h. e.* Jovis glans, castanearum genus, quas nos *marroni*, ut opinor, dicimus. *Plin.* 15, 23, 25.

*DIOSCORĪDU (*Διοσκορίδου*), i. e. Dioscoridis, sc. insula, prope Arabiam fuit. *Plin.* 3, 10. Fuit autem Dioscorides, a quo dicta est, insignis medicus et scriptor temporibus Antonii et Cleopatrae. *B. A.*

DIOSCŌRON vel Dioscūron, *h. e.* *Διὸς κούρων*, insula in finibus Italiae, e regione Lacinii promontorii. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

[DIOSCORUS, i, m. ex *Ζεύς*, *Διός*, Jovis, et *κόρος*, juvenculus. Hinc Dioscori vel Dioscuri, *Διόσκοροι*, vel *Διόσκουροι* appellati sunt Castor et Pollux Jovis filii. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 409. C. Valerius Dioscorus. *F.*]

*DIOSCURĪAS vel Dioscorias, adis, f. *Διοσκουριὰς Straboni*, urbs in Colchide nunc deserta, quondam adeo clara, ut nonnulli prodiderint, in eam trecentas nationes, quae dissimilibus linguis uterentur, descendisse, et postea a Romanis centum triginta interpretibus negotia ibi gesta fuisse. *Plin.* 6, 5 et 28. *Mela* 1, 19. *Isidor.* 15, 1. *Dioscoris* audit *Hygin. fab.* 275. *B. A.*

*DIOSCYAMOS, i, f. herba onisymphaca. *Appul. de herb.* 4. *B. A.*

[DĬOSHĬĔRĪTAE, arum, m. plur. incolae urbis in Lydia circa Caystrum, cui nomen *Διὸς ἱερὸν*, Jovis fanum, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 100. *ΔΙΟΣΙΕΡΕΙΤΩΝ* legitur. *Plin.* 5, 29, 31. Hypaepeni, Dioshieritae. *F.*]

*DIOSHIERONĪTAE, arum, populi Galatiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*DIOSPAGE, es, oppidum Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

DIOSPNEUMA, ătis, n. *Διὸς πνεῦμα, h. e.* Jovis spiritus. Ita a nonnullis dicitur rorismarini quoddam genus. *Appul. Herb.* 79.

*DIOSPOLIS, is, f. *Διόσπολις*, i. e. Jovis oppidum, nomen alterum fuit Thebarum Aegyptiarum. *Plin.* 5, 9. ℙ Item antiquum nomen Laodiceae, urbis Phrygiae majoris. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

DIOSPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Diospolin pertinens, ut Diospolitana Synodus, *Hieron. ep.* 143. *n.* 2.

*DIOSPOLĪTES, ae, sc. nomos, una ex Aegypti praefecturis fuit, cujus caput Diospolis. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

*DIOSPYROS, i, m. *διόσπυρος*, herba de qua *Plin.* 27, 11. Inter omnes herbas lithospermo nihil est mirabilius. Aliqui aegonychon vocant, alii diospyron, alii heracleos (leg. *heracleon*). *B. A.*

*DIOS TECNOSIA, (*Διὸς τεκνωσία*, Jovis partus,) fons mirae naturae. *Plin.* 2, 103. In Andro insula templo Liberi patris fontem Nonis Januariis semper sapore vini fluere Mucianus ter COS. credit: Dios technosia vocatur. *Harduinus* mutavit in *Διὸς θεοδοσία*. Ed. *Basil.* 1530. habet *Diostechnosia*, uno verbo. *B. A.*

DĬOTĂ, ae, f. *διώτη*, vas seu dolium fictile duas ansas habens, ad servandum vinum accommodatum: a *δίς*, bis, et *οὖς, ὠτὸς*, auris. *Hor. Od.* 1, 9, 8. Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota. ℙ Sunt qui scribant *dyota* a *δύο*, duo.

[DĬOTĪMUS, i, m. Jovem venerans: a *Ζεὺς, Διὸς*, Jovis, et *τιμάω*, honoro, veneror. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1033, 5. L. Tullius Diotimus. *F.*]

[DĬOTRŌPHES, is, m. a *Ζεὺς, Διὸς*, Jovis, et *τρόφις*, alumnus, Jovis alumnus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 372. *n.* 159. A. Vegetius Diotrofes. nempe littera *f* pro *ph*, ut saepissime apud Latinos. *F.*]

DĬOX, genus piscis frequens in Ponto. *Fest.*

[DĬPHĬLUS, i, m. *Δίφιλος*, architectus fuit in perducendis ad finem operibus tardissimus, adeo ut locum fecerit proverbio *Diphilus Diphilo tardior. Cic. Q. Fratr. ep.* 3, 1. Apud herum recte erat: in Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. ℙ *Juven.* 3, 120. Diphilum ponit per antonomasiam pro familiari Graeculo. Al. leg. *dysphilus*, *δύσφιλος*, ut sit amicus parum sincerus. ℙ Plures Diphilos recenset *Voss. de Hist. Graec.* 3, 360. *B. A.* Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 43, 4. Sex. Erbonius Sex. L. Diphilus. *F.*]

DIPHRYGES, is, f. *τὸ διφρυγὲς*, metallicum excrementum, quod tum ex lapide pyrite fit cremato in caminis, donec excoquatur in rubricam; tum ex luto cujusdam specus in Cypro, arefacto prius, deinde sarmentis usto; tum in fornacibus aeris, faece subsidente. Differentiae siquidem, quod aes defluit, scoria extra fornaces, flos supernatat, diphryges remanet. *Plin.* 34, 13, 37. Facile ab ea discernitur, quam in officinis diphrygem vocant, etc. Deinde subdit ea, quae modo dicta sunt. Est autem a *δίς*, bis, et *φρύγω*, torreo. *Cels.* 5, 7. enumerat inter ea, quae corpus exedunt. Habet enim usus aliquot in quibusdam medicamentis, ut videre est apud *eund. ib.* 22. et *Scribon. Comp.* 227. et 247.

DIPHTHONGUS, i, f. *δίφθογγος*, duas habens voces: a *δίς* bis, et *φθόγγος*, sonus. Graeca vox est et adjectiva; et usurpatur a grammaticis, cum duae vocales, quae singulae suam vocem habent, in unam contrahuntur, ut *ae*, *au*, *oe*. *Capell.* 3., *Prisc.* 1. p. 561. etc. ℙ Reapse est vox adjectiva; etenim intelligitur syllaba. Hinc *Isid. Orig.* 1, 16. Diphthongae syllabae Graeco nomine dictae, quod in eis binae vocales jungantur. ℙ Hae vero binae vocales divisim pronunciabantur, nam *Mart.* 1, 72. Naevia sex cyathis, septem Justina bibatur. V. BIBO.

DĬPHYES, *διφυὴς*, duplicem naturam habens: a *δίς*, bis, et *φυω*, nascor, sum. Apud *Plin.* 37, 10, 57. (ut quidem legit *Harduin.*) nomen est gemmae duplicis, candidae et nigrae, maris et feminae, genitale utriusque sexus distinguente linea. [*Vulgo legitur *Diphris*. ℙ Item herbae nomen. *Appul. herb.* 47. *B. A.*]

DIPLANGĬUM, ii, n. a. *διπλοῦν*, duplex, et *ἀγγεῖον*, vas, *h. e.* vas fictile quoddam, in aliud aeneum immissum, [quo prunis imposito, liquor calore vaporatus, mox frigescens stillatim defluit, quod Graeci *δίπλωμα* dicunt. Hinc *Scribon. Comp.* 73. Deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. *F.*] *Reines. Variar. lect.* 3, 11. haec verba citat *Theod. Priscian.* 1, 19. Amurca diplangio cocta.

[DIPLĂSĬUS, a, um, adj. *διπλάσιος*, duplex, duplo major. *Capell.* 9. p. 330. Per genus, cum diplasium, aut hemiolium simul jungimus, vel quod ex pluribus aequaliter copulatur. *F.*]

[DIPLE, es, f. *διπλῆ*, scilicet *γραμμή*, linea: ita appellatur signum criticum, duplici linea formatum sic ≻ vel ≺, in margine apponi solitum, ad aliquid majoris momenti legentibus indicandum, de cujus signi forma et significatione multa habet *Isid. Orig.* 1, 21. Graece vero scribit *Cic. Att.* 8, 2. Vibullii res gestae sunt adhuc maximae. Id ex Pompeji litteris cognosces: in quibus animadvertito illum locum, ubi erit *διπλῆ*. *F.* ℙ [De hac nota consulas velim *Villoison. Prolegom. ad Homer.* p. 19. *Eschenbach. ΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ Vett. Critt.* p. 319. seq. *Montfaucon. Palaeogr. Gr.* p. 372. *Menag.* ad *Laert.* 3, 66. *Troz.* ad *Hugonem de Orig. scrib.* p. 280. Quibus adde *Schol.* ad *Aristoph. Nub.* pluribus in locis. *B. A.*]

DIPLINTHĬUS, a, um, adj. constans duorum laterum ordine, ut diplinthius paries, apud *Vitr.* 2, 8. a *δίς*, bis, et *πλίνθος*, later. Sic triplinthius paries, *Vitr. ib.*

DIPLOIS, idis, f. *διπλοΐς*, vestis genus amictui aptum, non indutui. Videtur autem esse pallium ita involutum corpori, ut altera ejus pars alteri super injecta duplici amictu tegat: a *διπλόος*, duplex: quamquam et universim pro quocumque superiori vestimento accipi potest. *Sulpic. Sev. Hist. sacr.* 1, 35. David diploidem ejus (Saulis) abstulit. [*Vulg. interpr. Reg.* 1, 24, 5. de eodem *praecidit oram chlamydis* habet. *F.*] *Novius* ap. *Non.* 4, 219. Cretanus si me diploide a recta grassatur via. [Hic *Bothe* conjicit legendum *si me dediploidat*, *recta*, etc., *h. e.* si me diploide spoliat. *Acron* ad illud *Hor. Ep.* 1, 17, 25. Quem duplici panno patientia velat; haec habet: Cum Plato invenisset illum naufragum diploide, id est panno duplici, involutum, etc. Ex his patet, pallium philosophorum, et chlamydem regiam, diploidem appellari. ℙ Est etiam id, quod *Cato R. R.* 76. solum placentae appellat, ita vocata, quia ceteris tractis crassior esse debet. *Apic.* 4, 2. Ita ut per singula coria substernas diploidem in (*lege* inde) laganum. *F.*]

DIPLOMA, ătis, n. *δίπλωμα*, litterae principis, aut magistratus, quibus aliquid alicui conceditur: ita dictae a forma, quia formabantur in modum tabellarum duplicium, de quibus V. DUPLEX. Est enim vox Graeca a *διπλόομαι*, duplico. *Cic. Fam.* 6, 12. Diploma statim non est datum. *et mox.* Perceleriter se ablaturum diploma, *h. e.* quo Caesar Balbo, qui a Pompejo steterat, reditum concedebat. *Id. Att.* 10, 17. De diplomate admiraris, *h. e.* facultate excedendi Italia. *Modestin. Dig.* 48, 10, 27. Qui falso diplomate usus commeavit, *h. e.* facultate discedendi e castris. *Suet. Ner.* 12. Quibus post editam operam diplomata civitatis R. singulis obtulit, *h. e.* litteras quibus jus civitatis concedebatur. *Plin. ep.* 10, 121. Neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi tuam, *h. e.* facultatem utendi in itinere cursu publico, quae et *evectio* dicitur. *Id. ib.* 14. Festinationem tabellarii diplomate adjuvi. Sic *Venul. Dig.* 45, 1, 37. *post init.* Diplomate diebus et noctibus iter continuare. *et paulo post.* Si diplomate usus aut felici navigatione, maturius pervenerit Ephesum. Eod. sensu a *Senec. Clem.* 1, 10. *extr.* usurpatur. *Suet. Aug.* 50. In diplomatibus libellisque et epistolis signandis sphinge usus est. ℙ *A diplomatibus* est inter officia domus Augustae: cujus munus erat diplomata scribere. *Inscr.* ap. *Murat.* 885, 4. T. Aelius Aug. Lib. Saturninus a diplomatibus. ℙ Est qui scribat *duploma*, quod a *διπλοῦς* fiat *duplus*.

[DIPLOMĂRĬUS, a, um, adj. ad diploma pertinens, ut *tabellaris diplomarius*, qui nempe principis diplomata ferebat ad cursum publicum usurpandum. *Inscr.* in tessera aenea ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 421. *edit. Pat.* Thoantis Ti. Caesaris Aug. dispensatori (pro *dispensatoris*) ab tobis (pro *tubis*). De statione Caesaris Aug. tabellaris diplomari discede. *Id. ib.* haec addit ad inscriptionem illustrandam. *Tabellarem* et *tabellarium* dixisse veteres, verisimile est, ut *tabularem* et *tabularium* dixerunt. *Diplomari* vocativo casu scriptum vel ex usu, vel quod littera *e* deest, ut *s* in *dispensatori*. Extremo verbo *discede* viam tabellarius inire jubebatur. Hic vero Thoans *tabellaris de statione Caesaris* dicitur, quod fortasse in ea statione maneret, in qua princeps morabatur, et, tuba signo dato, ubi ad municipia is stationesque appropinquaret, se ex tabellariorum principalium numero esse praenunciaret. *F.*]

DĬPONDĬĂRĬUS et Dupondiarius, a, um, adj. ad dipondium pertinens. *Colum.* 4, 30. Perticae cacuminum, modicae plenitudinis, quae tamen dipondiarii orbiculi crassitudinem non excedant, optime panguntur, h. e. circuli tam lati, quam est moneta duorum assium, quam *dipondium* vocabant. ℙ *Dupondiarius as* idem est, quod dipondius. *Plin.* 34, 2, 2. Aes Marianum aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque. ℙ [*Dupondiarius dominus* ap. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm.* et *dupondiarius homo ib.* 74. est dominus et homo diobolaris, nullius pretii, qui dupondii est aestimandus. Hinc *Id. ib.* 58. ait: Dupondii non facio matrem. *F.*]

DĬPONDĬUS et um, vel Dupondius et um, m. aut n., sed m. usitatius, moneta Romana duos valens asses. Pondo enim libram significat: porro asses initio librae pondo facti sunt, et *assipondia* dicti: cusa est etiam moneta, quae duos asses valeret: haec est *dipondius:* quae procedente tempore, ad diminutionem assis ipsa quoque diminuta est. *Varr. L. L.* 8, 49. Dicitur a multis duobus modis, hic dupondius et hoc dupondium. *et paulo post.* Dupondius dictus, quod duo asses pendebat. (Adde *ib.* 4, 36.) *Petr. Sat.* 14. Praeter unum dupondium, nihil ad manum erat. ℙ Per catachresim sumitur pro mensura duorum pedum. *Colum.* 11, 2. *post init.* Solum defoditur in altitudinem dipondii semissis, operis quinquaginta. *Id.* 3, 13. Sulcus altus dupondio et dodrante. Adde 4, 1. ℙ Ad scriptionem quod attinet, magis Latinum videtur si per *du* scribatur, nempe a *duo*, quam si per *di*, quod Graeco *δίς*, bis, proxime accedit.

DIPSĂCOS, i, f. *δίψακος*, (dipsacus fullonicus *Linn. Cardendistel*), herba est folia habens lactucae, bullasque spinosas in dorsi medio, caulem duum cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula ejus binis foliis amplectentibus, concavo alarum sinu, in quo subsistit ros salsus. Haec *Plin.* 27, 9, 47. Inde nomen traxit a *δίψα*, sitis, quia tanquam sitibunda humorem in ejus foliis colligit. Eadem ab *eod.* 25, 13, 108. labrum Veneris appellatur.

DIPSAS, ădis, f. *διψάς*, genus viperae, cujus morsu icti siti perire dicuntur, quod ipsa quoque semper sitire creditur: a *δίψα*, sitis. *Lucan.* 9, 610. in mediis sitiebant dipsades undis. et *ib.* 718. torrida dipsas. et *ib.* 754. fatique minorem Famam dipsas habet, terris adjuta perustis. *Sil.* 3, 312. rabidas effervescente veneno Dipsadas immensis horrent Garamantes arenis. Adde *Plin.* 23, 8, 80. ℙ Est etiam nomen lenae valde accommodatum, quam *Ovidius* insectatur, quod puellam suam meretricia arte instrueret, *Amor.* 1, 8, 1. Est quaedam (quicumque volet cognoscere lenam, Audiat) est quaedam nomine Dipsas anus. ℙ [*Est et nomen fluvii in Cilicia, ex Tauro monte profluentis. *Lucan.* 8, 255. Jam Taurum, Tauroque videt Dipsanta cadentem. Al. leg. *Dipsonta. B. A.*]

*DIPSĬUS, a, um, adj. *δίψιος*, i. e. siticulosus, aridus. Hinc *Argos Dipsium*, Inachium, vel Hippium. *Plin.* 4, 5. V. *Argos. B. A.*

DIPTĔROS, a, um, adj. *δίπτερος*, duas alas habens: a *δίς*, bis, et *πτερὸν*, ala. A *Vitr.* 3, 1. dicitur *aedes dipteros*, quae duas habet veluti alas columnarum, quibus aspectus ipse aedis formatur. Dipteros, inquit, octastylos et pronao, et postico: sed circa aedem duplices habet ordines columnarum, uti est aedes Quirini, etc. ℙ [Et Latina terminatione *Dipterus* est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 7. Ti. Claudius Divi Claudii Lib. Dipterus. *F.*]

DIPTOTĂ, orum, n. plur. *δίπτωτα*, dicuntur nomina duos tantum casus habentia, ut *Suppetiae*, *suppetias*. Sic triptota, tetraptota, pentaptota, quae tres, quatuor, quinque casus habent: a *δίς*, bis, et *πτῶσις*, casus. *Diomed.* 1. p. 288. et *Priscian.* 5. p. 672. Sic monoptota, quae unam tantum positionem habent, ut *nequam*. *Prisc. ibid.* ℙ In singulari num. diptotos, tetraptotos forma, dicitur a *Consent. in Arte*, *ib.* p. 2034.

DIPTYCHUS, a, um, adj. *διπτυχὴς*, plicatus, duplicatus: a *πτυχὴ*, plicatura. Diptycha, *δίπτυχα*, sunt tabellae plicatiles, quae panduntur et clauduntur, habentque usum litteris, praesertim amatoriis, conscribendis: et Latina appellatione *duplices* appellari possunt. *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal.* 9, 36. Blandis epistolis et diptychis sollicitare. ℙ Diptycha consulum, quaestorum, etc. erant tabellae eorum nominibus inscriptae, et imaginibus adornatae, quas ipsi ad amicos mittebant apophoreti vice, et in vulgus spargebant ipso die magistratus initi. *Symmach. ep.* 2, 80. (al. 81.) et *ib.* 5, 54. (al. 56.) et *ib.* 9, 109. (al. 119.) et *Cod. Theod.* 15, 9, 1. ℙ Ea tacito nomine designare videtur *Claud. II. Laud. Stilich.* 346. et seqq. ℙ Fuerunt et episcoporum diptycha, de quibus *Venant. carm.* 10, 7, 34. Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis, Cui hodie in templo diptychus edit ebur. ℙ *Diptychon* inscribitur libellus *Prudentii*, quo tetrastichis vetus et novum testamentum ille complectitur: quae sunt veluti duae tabulae, quibus universa divina lex et institutio continetur. ℙ Qui *dypticus* scribunt, male scribunt.

DĬPYLUM, i, n. *δίπυλον*, nomen portae Athenarum, quae in Academiam ferebat. *Cic. Fin.* 5, 1. et *Liv.* 31, 24., qui etiam describit. Dicta est a *δίς*, bis, et *πύλη*, porta: quia major erat quam ceterae.

DĬPYROS, i, adj. *δίπυρος*, bis ustus: a *δίς*, bis, et *πῦρ*, ignis. *Mart.* 4, 47. Encaustus Phaethon tabula depictus in hac est. Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis?

[DĪQUĂDRĂTUS, i, m. quadratus per omne latus; nam praepositio *di* significat in diversas par-

tes, sive huc et illuc, positionem. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1562, 2. Cn. Sulpicius Cn. L. Diquadratus. *F.*]

DIRADIO, as, a. 1. radios hinc inde emitto. Translate *diradiare vitem* apud *Colum.* 5, 6. *sub f.* est eam in ramos diducere, et traducibus dispergere in modum radiorum. Al. melius leg. *disrarare.*

DIRAE, arum, f. plur. *ἀραὶ*, exsecrationes et imprecationes, quae horrende in aliquem effundebantur, Deos quosdam inauditos compellando, quibus quisquis devotus erat, credebatur maximo affici infortunio: a *δεινὸς*, terribilis, gravis. [*Cf. DIRUS, ubi aliam etymologiam proponemus.] Vulgo *diras*, quasi Deorum iras dici ajunt. Sunt enim *Dirae* Deae, Noctis filiae, eaedem quae Furiae et Eumenides, Jovis ministrae, quarum opera morbos, letum, bellum, et cetera mala mortalibus immittit. Sed priori vocabulo appellantur in coelo, altero in terris, tertio apud inferos: quamvis hoc perpetuum non est. *Virg. A.* 12, 845. Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae, Quas, et Tartaream Nox intempesta Megaeram, Uno eodemque tulit partu, etc. V. ibi quae sequuntur. *Id. ib.* 7, 324 et 454. Dirae sorores. *Id. ib.* 4, 473. Ultrices dirae. *Val. Fl.* 1, 803. mors sera viam, tentataque claudat Effugia, et nostras nequeat praecurrere diras. *Tibull.* 2, 7, 35. Tunc tibi, lena, precor diras. *Tac. A.* 6, 24. Meditatas compositasque diras imprecari. *Plin.* 8, 7, 7. Ut diras Pompejo, quas ille mox luit, imprecaretur. *Id.* 4, 8, 19. de Orco amne: Poenales aquae dirisque genitae. *Flor* 2, 6. Saguntinorum ultimae dirae. *Hor Epod.* 5, 89. Diris agere aliquem. *Aur. Vict. Epit.* 21. Fratrem suum interemit: ob quam causam furore poenas dedit Dirarum insectatione: quae non immerito ultrices vocantur. ℙ *Dirae* etiam dicuntur obscenae volucres, et alia tristia signa mali ominis. *Cic. Div.* 1, 16. M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnunciatione neglecta. *Plin.* 28, 2, 4. In augurum disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint. *Id. ib.* 5. Sternutamento revocari ferculum, inter diras habetur. ℙ In singulari num. usurpavit *Serv.* ad *A.* 5, 7.

DIRAPIO, is, pro *diripio*, dixit *Appul. de Deo Socr. sub f.* De quo quidem nescio qua ratione dirapimur, *h. e.* distrahimur, avellimur. Al. leg. *disrapimur.*

DIRARO. V. DISRARO.

DIRCA. V. DIRCE.

DIRCAEUS, a, um, adj. *Διρκαῖος*, Thebanus, a Dirce fonte. *Virg. Ecl.* 2, 24. Amphion Dircaeus. *Hor. Od.* 4, 2, 25. cycnus, *h. e.* Pindarus. *Stat. Th.* 2, 142. heros, *h. e.* Polynices rex Thebarum. *Lucan.* 4, 550. semine Cadmi Emicuit Dircaea cohors. *Claud. I. Laud. Stil.* 320. Dircaea arva. *Id. IV. Cons. Honor.* 532. tela. *Prop.* 3, 15, 33. Thebae Dircaeae. *Stat. Ach.* 1, 12. Dircaeus ager. *Senec. Oedip.* 588. dens, *h. e.* serpentis a Cadmo Thebarum conditore occisi, ex quo dente nati sunt homines, qui se mutua caede confecerunt.

DIRCE, es, f. *Δίρκη*, Lyci Thebarum regis uxor, quam ille duxerat repudiata Antiopa. Verita, ne Antiopam revocaret, impetravit a marito, ut posset illam in vinculis detinere. Antiopa vero tempore partus soluta, gemellos, quos ex Jove conceperat, peperit, Amphionem et Zethum. Hi Lycum interfecerunt, Dircen vero caudae indomiti tauri alligarunt, quae diu ita per terram raptata, tandem Deorum commiseratione, quia Liberi patris Baccha fuerat, in sui nominis fontem conversa est, non procul a Thebis, qui in Ismenium fluvium labitur. *Prop.* 3, 13., *Hygin. fab.* 7 et 8. ℙ Hic fons est in Boeotia, teste *Ov. Met.* 2, 239. et *Plin.* 4, 7, 12. Hinc *Stat. Th.* 1, 38. Caerula cum rubuit Lernaeo sanguine Dirce. ℙ Ipsa quoque regio Dirce dicta est. *Stat. Th.* 2, 322. Dircen, Cadmique negatas Apparat ire domos, *h. e.* in Boeotiam et Thebas. ℙ *Dirca* pro *Dirce* positione Latina. *Pl. Ps.* 1, 2, 65. Quasi Dircam olim duo gnati Jovis devinxere ad taurum.

DIRCENNA, ae, f. fons Hispaniae gelidissimus apud Bilbilim urbem, in Salonem fluvium labens. *Mart.* 1, 50. Avidam rigens Dircenna placabit sitim.

DIRECTĀRIUS, ii, m. qui furandi causa in alienas domos se dirigit, idest ingreditur. *Ulp. Dig.* 47, 11, 7. Item qui directarii appellantur, hoc est ii, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, plus quam fures puniendi sunt. *Paul. Sentent.* 5, 4. Quoties alicujus domus introitur ab iis, qui vulgo directarii appellantur.

DIRECTĒ, adv. *κατευθὺ*, recta, directo. *Cic. Acad.* 4, 20. Phoenices eo directius gubernant, quod eam tenent, quae cursu interiore, brevi convertitur orbe, *h. e.* Ursam minorem. ℙ Translate. *Id. Partit.* 7. Ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur.

DIRECTIANGŪLUS, a, um, adj. directum habens angulum. *Capell.* 6. p. 230.

DIRECTILINĔUS, a, um, adj. *εὐθύγραμμος*, directam habens lineam. *Capell.* p. 6, 229.

DĪRECTIM, adv. directe, recta. *Macr. Sat.* 7, 14. *circa med.* Oculorum profluvium per lucem directim pergit, quamdiu corpus offendat. et *ib.* 12. *ad f.* Maris inundatio directim in Aegaeum pergit. *Appul. Flor. n.* 23. p. 365, 19. Lapis directim caesus. ℙ Translate. *Id. Dogm. Plat.* 3. p. 34, 27. Directim dico inferri, cum eadem particula subjecta est tam in conjugatione, quam in ipsa illatione: reflexim vero, cum hoc fit viceversa.

DIRECTIO, onis, f. *εὐθυνσις*, *εὐθυβολία*, actus dirigendi. *Vitr.* 7, 1. Coagmentorum compositio planam habeat inter se directionem. *Quint.* 3, 6. *ante med.* Conjectura dicta est a conjectu, id est directione quadam rationis ad veritatem. ℙ Linea directa. *Appul. de Mundo* p. 57, 23. A polis, velut a cardinibus directio quaedam profecta, axis est dictus. Al. perperam leg. *discretio.*

DIRECTŌ, adv. *εὐθύς*, *εὐθὺ*, *κατευθὺ*, idem quod directe, recta. *Cic. N. D.* 1, 25. Atomum pondere et gravitate directo deorsum ferri. *Caes. B. C.* 2, 9. Supra ea tigna directo transversas trabes injecerunt. ℙ Translate. *Cic. Partit.* 13. Argumentandi duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat, alterum se inflectit ad motum. *Liv.* 1, 11. *extr.* Directo petiisse arma. Al. aliter leg. *Senec. ep.* 66. *post init.* Quaedam prima bona sunt, tanquam gaudium, pax, salus: quaedam secunda, tanquam tormentorum patientia, etc. Illa directo optamus nobis; haec si necesse erit, *h. e.* illa absolute, haec sub conditione, uti loquuntur Scholae. *Martian. Dig.* 40, 5, 55. Directo libertas data ancillae, *h. e.* immediate, et non per alium. *Scaev. ib.* 32, 1, 103. Non directo, sed per successionem ad filium hereditas patris pervenit. *Paul. ib.* 9, 4, 26. Directo agere cum aliquo.

DIRECTORĬUS, a, um, adj. Directoriae litterae sunt, quibus quippiam aliquo dirigitur, mittiturque. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 14, 15, 3. Frumenta attingere nullus audeat, aut mutatis directoriis, quoquam, praeter sacram urbem, transmittere.

DIRECTŪRA, ae, f. directio, opus directe structum. *Vitr.* 7, 3. Quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmior erit.

DIRECTUS, a, um, part. a *dirigo*, *εὐθύς*, *κατευθύς*, recto ordine positus. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna directa ad perpendiculum. *Id. ib.* 7, 72. Fossam ducere directis lateribus, ut ejus solum tantundem pateat, quantum summa labra distant. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua in terram directa. *Tibull.* 4, 1, 93. Directo cursu contendere. *Catull.* 22, 7. Membrana directa plumbo. *Ov Met.* 1, 98. Tuba aeris directi. V. AES. *Cic. Caecin.* 8. Oleae directo ordine definiunt. *Id. Senect.* 17. Ordines arborum in quincuncem directi. *Varr. R. R.* 1, 40, *extr.* Cacumen ramuli directum ad coelum. *Cic. N. D.* 2, 57. Auditus flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret. *Quint.* 5, 13, 11. Toto corpore obniti, et, ut sic dixerim, directa fronte pugnare. [*Comparat *Spald.* 2, 15, 3. 4.] *Liv.* 37, 23. Directae in frontem naves. *Vellej.* 2, 47. Saepe directa acie, saepe in agminibus, saepe eruptionibus, *h. e.* acie instructa et versa in hostem, et signis justo proelio collatis. *Gell.* 9, 1. Ut ictus directiores fiant. *Id.* 2, 22. Ventus directus in Austrum. *Plin.* 5, 22, 18. Altitudo montis per directum quatuor millia passuum est. *Senec. Qu. Nat.* 6, 20. Cadere in directum. *Varr. L. L.* 6, 2. In directo pedum octo esse, in anfracto sexdecim. *Gell.* 2, 1. Ore atque oculis eundem in locum directis. ℙ *Directus paries* est, qui parieti communi extrema sui parte ita adhaeret, ut figuram referat litterae ⊢ prostratae; ita ut linea transversa sit paries communis, recta vero directus, qui cum communi angulos rectos faciat. Ita *Hotoman. in Lex. Juris. Cic. Top.* 4. Omnibus est jus parietem directum ad parietem communem adjungere. ℙ *Directus locus* in rectum abruptus, et praeceps. *Caes. B. C.* 1, 45. Praeruptus locus erat, utraque ex parte directus. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 18. O praeclaram beate vivendi, et apertam, et simplicem, et directam viam! *Id. Coel.* 17. Iter directum ad laudem. et *ib.* 18. Non semper superet vera illa et directa ratio: vincat aliquando cupiditas, etc. ℙ Aliquando ponitur pro rigido, severo, et qui nulla ratione flecti potest. *Id. ib.* 16. Huic tristi ac directo seni responderet Coelius. Al. leg. *decrepito.* [*Male. Cf. *Ern.* in *Clav. Cic.*] *Id. Rosc. Com.* 4. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex: quid est in arbitrio? mite, moderatum. ℙ *Directa oratio* dicitur a *Justino* 38, 3. *extr.* quae directa loquendi ratione tribuitur illi, qui loqueus inducitur: cui opponitur, quae per infinitum modum perpetuo effertur. Utriusque exempla passim apud *Livium.* V. OBLIQUUS. ℙ *Directa actio* dicitur, quae legitima est, et recta ex verbis legis descendit: item quae in solidum alicui competit: item quae contrariae opponitur. *Paul. Dig.* 3, 5, 46. Nec refert, directa quis, an utili actione agat. Adde *ib.* 9, 4, 26. et *Ulp. ib.* 3, 5, 19. etc. ℙ *Directa verba* sunt, quae missis ambagibus, directo et simpliciter aliquid significant. *Liv.* 21, 19. Haec directa percunctatio belli magis ex dignitate populi R. visa est, quam, etc. ℙ Apud JCtos directa verba sunt *heres esto*, *do*, *lego*, *praecipio*, et hujusmodi: quibus opponuntur verba fideicommissi, vel precaria, et inflexa. *Imp. Constantin. Cod.* 6, 23, 15. etc. Sic *directae*, *et fideicommissariae* libertates opponuntur. *Ulp. Dig.* 29, 4, 12. et *Terent. Clem. ib.* 28. Sic *institutio directa* et *precaria* apud *Ulp. Dig.* 29, 1, 19. ℙ *Directus* pro *dissectus* V. in DIRIGO. ℙ Comp. *Directior* supra. ℙ [*Permutantur *directus* et *decretus* (quoniam olim in multis libris scribi solebat *derectus*). V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 30, 6. — et *dejectus*, *id. ib.* 2, 62, 1. — et *diremptus*, *id. ib.* 32, 10, 8. — et *direptus*, *id. ib.* 37, 31, 5.]

DIREMPTIO et Diremtio, onis, f. *διάλυσις*, divisio, separatio: item productio temporis vel rei in aliud tempus etc. a *dirimo. Cic. Planc.* 6. Nihil est, quod populo supplicetur, nihil, quod diremptio [*leg. *diribitio*, quod V.] nihil, quod supplicatio magistratuum exspectetur. V. DIRIBEO. Adde *Val. Max.* 4, 7. *init.*

DIREMPTUS et Diremtus, a, um, part. a *dirimo*, separatus, disjunctus. *Lucr.* 1, 114. an anima nascentibus insinuetur, Et simul intereat nobiscum morte dirempta. *Plin. Pan.* 32. Dirempta mari gens. *Liv.* 32, 10. Quia dirempti medio amne fuerant. ℙ De illo *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Cato diremptis [*leg. *diribitis*] tabellis etc. V. in DIRIBEO. ℙ [*Permutatur cum *directus*. V. hoc voc. — cum *direptus*. *Drak.* ad *Liv.* 32, 10, 8. 37, 32, 7.]

DIREMPTUS et Diremtus, us, m. diremptio. *Cic. Tusc.* 1, 29. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur. Al. [*male] leg. *direptus*. [*V. de hac confusione *Gesner.* ad *Varr. R. R.* 3, 5. et *Drak.* ad *Liv.* 24, 49.]

DIRĒPO. V. DEREPO.

DIREPTIO, onis, f. *διαρπαγή*, actus diripiendi. *Cic. Fam.* 4, 1. Urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide relictam direptioni et incendiis. *Id. Cat.* 1, 7. Vexatio direptioque sociorum. *Id. Fam.* 4, 13. Direptiones bonorum. *Suet. Claud.* 21. *a med.* Expugnatio et direptio oppidi.

DIREPTOR, oris, m. qui diripit. *Cic. Phil.* 3, 11. Urbis direptor et vexator Antonius. *Id. Cat.* 2, 9. Praedatores et direptores.

DIREPTUS, a, um, part. a *diripio*, *διαρπαγείς*. *Cic. Manil.* 9. Res bello ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat. *Id. Att.* 5, 20. *ante med.* Direpto et vastato Amano. *Caes. B. G.* 2, 17. Legio pulsa et impedimenta direpta. *Virg. A.* 2, 563. Direpta domus. *Ov. Met.* 3, 731. membra viri manibus direpta nefantis, i. e. lacerata.

DIREPTUS, us, m. direptio. *Spartian. Sever.* 19. Invadentibus multis rempublicam res Romana praedonibus direptui fuit. V. etiam DIREMPTUS, us.

DIRIBĔO, es, ui, [*itum,] a. 2. divido, distribuo. De etymo alii alia. V. *Voss.* in *Etymol.* [Ceterum videtur esse a *dis* et *ribeo*, quod a *ῥίπω*, unde *ῥίβω*, mox *ῥίπτω*, jacio. *Sic *F.*, qui ut h. l., ita multis aliis, mirum in modum graecis vocabulis in etymologiis comminiscendis abutitur, eaque exputat graecorum verborum formas, quae ingenio gr. linguae prorsus repugnant.] P. Manutius: *Diribere* et *dirimere:* illud tabellarum, hoc suffragiorum video proprium verbum fuisse, neutrum autem satis fuisse manifestum. Diribere tabellas, significat distribuere. Diribebantur autem iis, qui suffragium laturi essent. Nec dubito quin legendum sit *diribeantur*, non *diripiantur*, apud *Cic. Pis.* 40. An exspectas, dum de te quinque et septuaginta tabellae diripiantur? Ita hoc verbum non in comitiis solum, verum etiam in judiciis usurpatum patebit. Nam hoc proximum exemplum satis plane judicium, quod Pisoni Cicero minatur, significat. *Plinius* autem ad alias res transtulit hoc verbum. Ait enim 36, 15, 24. *n.* 8. *Hic est ille domitor orbis populus*, *qui gentes et regna diribet.* Quod autem in oratione pro *Planc.* 6. vir diligens et eruditus legendum putat pro *direptio*, *diribitio*, rectius, opinor, sensisset, si *diremptio* reponere maluisset. Cum enim populus aut judices tabellas, voluntatis indices, in cistas deposuerant, tum, ut intelligeretur, quae tabellae legem probarent, quae rejicerent aut quae reum absolverent, quae condemnarent, omnes dinumerari et separari necesse erat. Id autem *dirimere*, eaque actio *diremptio* vocabatur. Id ita esse plane demonstrat *Varro R. R.* 3, 2. *Comitiis*, inquit, *aediliciis*, *cum ego atque Axius suffragium tulissemus*, *Axius mihi*, *Dum dirimuntur*, *inquit*, *suffragia*, *vis potius Villae publicae utamur umbra?* Sic enim scriptum est in veteribus libris, non, ut a quibusdam hujus verbi vim ignorantibus nimis temere est intrusum, *diribentur. Cic.* quoque *Q. Fr.* 3, 4. *Cato*, inquit, *diruptis tabellis de circulo se subduxit*, ubi *diremptis*, legi malim. Perspicue autem hujus verbi sententiam demonstrat *Lucan.* 5, 392. *fingit solemnia campus*, *Et non admissae dirimit suffragia*

plebis, pro *dinumerat* et *discernit*. Haec *Manut.*, cujus sententiae confirmandae facit et illud *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Dum tabellae diribentur, dum sitella differtur, dum aequantur sortes etc. et *Varr. R. R.* 3, 5. *extr.* Narrat, ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum. Alii leg. *cum dirimerent.* Et *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in Maenianum conscendit. [Hic quoque rectius alii leg. *dum sententiae dirimerentur.* Itaque, ut *Garatonius* ad *Cic. Planc. l. c.* dicit, *diribere tabellas* est eas distribuere judicibus suffragium laturis; *dirimere sententias* vel *suffragia* est ea separare et ad candidatorum numerum dispertiri, ut quot ad quemque pertineant, innotescat. Diribitorum vero proprium fuit munus utrumque. *F.* *Intacta haec reliqui, ut *Forc.* disseruit, adjectis paucis illis a *Furlanettone.* Nunc autem in compendium redacta ea adjiciam, quae non minus docte quam vere disputata sunt de hoc voc. a *Wundero* in libro: *Variae lectiones librorum aliquot Ciceronis ex codice Erfurtensi enotatae;* in cujus libri praef. inde a p. CXXVI — CLVIII. in singulari dissertatione agit de *verbo diribere ejusque derivativis.* Quorum summa haec est: *Diribeo* descendit a *dis* et *habeo* (ut *dirimere* a *dis* et *emere* V. *Lünemannum* in *Lexico*, qui utrumque voc. recte ita derivat), et proprie significat: partes rei conjunctas aut confusas sejungere vel segregare, nobis: *auseinanderhalten* (cui opponitur cohibere, *zusammenhalten*). Plerumque autem dicitur h. v., quum de sejungendis diversis tabellis, quae in comitiis judiciisque in unam conjectae cistam erant, sermo est. Hae enim tabellae, diversis litteris inscriptae, et in unam eandemque cistam conjectae, ut quae populi sententia esset cognosceretur, sejungendae et dinumerandae erant. Quod quum vel ita fieri posset, ut tabellarum numerum punctis, in tabula notarent; vel ita, ut in loculos diversos conjicerent: quodammodo *diribere* distribuendi significatum consequitur; minime autem eo sensu, quo putarunt viri docti supra a *F.* laudati, ut sit tabellas *distribuere* s. *dare* suffragia laturis; imo *diribere* semper retinet — quam illa vv. non habent — *segregandi* notionem estque: confusum aliquid conjunctumve sejungere et id, quod sejunctum est, aut aliis dare aut alio in loco collocare. Prorsus autem diversum est *diribere* a *dirimere.* V. DIRIMO. Loci autem, in quibus h. v. plerumque ab editoribus confusum est c. voc. *dirimere* vel *describere*, a librariis c. *diripere* (hoc etiam a *Schol. Persii* ad 1, 6. factum esse, testatur *Cort.* ad *Lucan.* 5, 393., qui locus *Wunderum* latuit) aliisque, hi sunt: *Varr. R. R.* 3, 2. quem locum *F.* supra attulit, ubi V. *Cic. Planc.* 20, 49. vocatae tribus, latum suffragium; diribitae [*tabellae*; hoc enim addit e conjectura certissima *Wunder.*] renuntiatae: longe plurimum valuit Plancius. *Id. ib.* 40, 69. an ego exspectem dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur, de quo jam pridem omnes mortales — judicaverunt? *Id. Qu. Fr.* 3, 4, 1. Quid plura de judicibus? duo praetorii sederunt, Domitius Calvinus: is aperte absolvit, ut omnes viderent; et Cato: is diribitis tabellis de circulo se subduxit et Pompejo primus nuntiavit. *Varr. R. R.* 3, 5, 18. Narrat ad tabulam quum diriberent quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum etc., cujus loci a *Schneidero* pessime explicati interpretationem uberiorem V. apud *Wunder.* l. l. p. CXLIV. *Val. Max.* 9, 12, 7. Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, repetundarum reus, dum sententiae (i. e. tabellae, in quibus sententiae judicum vel damnatoriae vel absolutoriae continebantur) diriberentur, in Maenianum conscendit. ℙ Translate utitur h. v. *Plin.* 36, 15. En hic est ille terrarum victor et totius domitor orbis, qui gentes et regna diribet, jura externa mittit, i. e. disponit totum orbem ita, ut singulis regibus singula regna distribuat, alii regi hoc, illud alii: nos *vertheilen.* Locum *Appul.* V. sub DIRIBITOR.]

DIRIBITIO, onis, f. distributio [*imo: discretio et dinumeratio tabellarum, *die Aussonderung.*] Affertur locus ex *Cic. Planc.* 6. Sed dubia est lectio. V. v. praec. *Gruterus* quoque ex omnibus MSS. et vett. edd. reponit *direptio.* [*Unice vera scriptura *diribitio.* V. *Wunder.* l. l. p. CLII.] At certa est lectio apud *Symmach. Laud. in patres* (ed. *Maio*) 3. Abest cera turpis, diribitio corrupta clientelarum cuneis, sitella venalis, [*i. e. dispositio tabellarum, ut quid in iis scriptum esset cognosceretur. Quod autem a clientibus diribitio corrupta dicitur, eo spectat, quod amici candidatorum diribitores solebant esse aut quod clientes corrumpebant eos, quibus tabellae erant disponendae.“ *Wunder.* l. l.]

DIRIBITOR, oris, m. distributor. *Diribitores* in comitiis et in judiciis erant, qui tabellas dividebant, idest singulis civibus vel judicibus distribuebant, deinde peractis suffragiis tabellas omnes secernebant ex. gr. in tres ordines, ut constaret ex. gr. pluresne absolverent, an condemnarent, an ampliandum putarent. [*Haec igitur corriges ad veriorem illam interpretationem, in superioribus propositam.] *Cic.* in *Senat.* 11. Quando illa dignitate tot rogatores, diribitores custodesque vidistis? [*Adde *Id. Pis.* 15, 36. Hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum *et quae seqq.* Utroque loco, quum *rogatorum* hoc munus fuisse constet, ut tabellas, a singulis centuriis latas, colligerent; sponte intelligitur, *diribitorum*, qui post illos appellantur, hoc debuisse esse negotium, ut conjectas in cistas tabellas disponerent. Ad seq. locum memento eorum, quae supra diximus s. DIRIBITIO ad locum *Symmachi.* In disponendis enim tabellis fraudem committi potuisse et commissam esse a clientibus ibi vidimus.] *Auson. Grat. act.* 5. Nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi. ℙ In conviviis dicti sunt, qui scutellas disponerent et cibos distribuerent carperentque. *Appul. Met.* 2, 32. p. 137. ed. *Oud.* Diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa. [*Etiam hic locus luculente firmat explicationem hujus voc. *Diribitores* enim proprie ii sunt, qui sciderunt cibos et aequales reddiderunt, in quo omnes editores consentiunt. Jam an disposuerint etiam in mensis et suo quosque loco collocarint, id parum hic refert. Adde *Ammian.* 18, 5. (quem locum *Wunderus* non affert): Dum haec in castris Constantii quasi per lustra aguntur et scenam, et diribitores venumdatae subito potestatis pretium per potiores diffunditant domos, Autoninus etc. Sunt hic e sententia *Valesii* diribitores i. q. divisores, quorum opera emebantur suffragia, pecunia inter tribules divisa. Itaque fere eadem est significatio, quanquam alia de re.]

DIRIBITORIUM, ii, n. λογιστήριον, videtur fuisse locus [*s. aedificium], in quo recensebatur exercitus et stipendia numerabantur: a *diribendo*, id est distribuendo [*Imo: disponendo, dinumerando]. *Suet. Claud.* 18., *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. [*Videntur ibi, quod e superioribus sequitur, milites lecti in singulas legiones divisos esse. Cf. locum *Plinii* supra sub DIRIBEO. Huic usui certe posterioribus temporibus destinatus erat. Proprie videtur diribitorum usui inservisse, in quo tabellas disponerent.]

DIRIGEO, es, ui, n. 2. ἀποῤῥιγέω, idem quod rigeo, prae frigore metuve durus, rigidus, immobilis fio. [*Cort.* ad *Lucan.* 2, 77. monstrat, in plurimis non tantum, sed etiam optimis libris scriptum reperiri *derigere*, quod melius sane quadrat. Est enim i. q. *von oben bis unten*, d. i. *gänzlich erstarren.* Rectius igitur hoc verbum illo loco collocaveris.] *Ov. Met.* 5, 232. conanti sua flectere lumina cervix Diriguit, saxoque induruit humor. *Virg. A.* 3, 259. At sociis subita gelidus formidine sanguis Diriguit. Al. leg. *deriguit* eod. sensu. *Ov. Met.* 7, 116. Diriguere metu Minyae. *Id. Fast.* 3, 332. hirsutae diriguere comae. *Lucan.* 3, 617. Diriguitque manus strictis immortua nervis. *Virg. A.* 7, 446. subitus tremor occupat artus: Diriguere oculi. Al. leg. *deriguere* eod. sensu. Est autem hoc mentis extra se positae, stuporis et insaniae signum. Hinc apud *Pl.* medicus eum, quem insanum suspicatur, ita interrogat, *Men.* 5, 5, 24. Dic mihi: solent tibi unquam oculi duri fieri? *Quint. Decl.* 12, 8. Subiit furor et alienatio mentis et tota sui arbitrii fames facta est: animus malis diriguerat etc., *h. e.* obcalluerat nec amplius sentiebat. ℙ Extra praeteritum tempus, nullus est, quod sciam, hujus verbi usus.

DIRIGO, is, exi, ectum, a. 3. κατευθύνω, rectum aliquid colloco, recta linea struo. *Senec. Qu. Nat.* 1, 10. Coronam si diviseris, arcus erit; si direxeris, virga. *Liv.* 31, 27. *extr.* Dirigere aciem, *h. e.* rectis ordinibus instruere. *Id.* 37, 23. *ad f.* Dirigere in frontem. *Hirt. B. Afr.* 13. aciem mirabili longitudine. *Flor.* 4, 12. Per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit. *Liv.* 5, 55. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, *h. e.* recta linea exstruendi. *Curt.* 4, 3. Molem in adversum ventum, non latere, sed recta fronte direxit. *Cic. Div.* 1, 17. Romulus lituo regiones direxit tum, cum urbem condidit, *h. e.* descripsit. *Liv.* 39, 27. Dirigere fines. ℙ [*Hinc translate: *Quint.* 2, 6, 1. materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequebantur, i. e. non solum dispositionem, qua utendum esset ipsis, monstrabant, sed etc.] ℙ Importat etiam motum aliquem et progressionem rei, quae contra aliud recta tendit. *Catull.* 63, 56. Dirigere aciem oculorum ad aliquem. *Virg. A.* 1, 405. qua te ducit via, dirige gressum. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. Cum iter ad Mutinam dirigerem. *Caes. B. C.* 3, 30. Dirigere iter terra secundum naves hostium. Et *ib.* 3, 25. cursum ad litora. *Nep. Chabr.* 4. aliquo navem. *Vell.* 2, 19. cursum in Africam. *Cic. N. D.* 2, 53. Ab Etesiis maritimi cursus celeres certique diriguntur, *h. e.* recto cursu naves impelluntur. *Plin.* 4, 23, 37. Certior mensura ad occasum solis aestivi, per castra legionum Germaniae, ab iisdem dirigitur Alpibus. *Val Fl.* 1, 568. Direxit per inane facem, *h. e.* jaculatus est. *Hor. Od.* 4, 9, 18. Arcu tela dirigere. *Ov. Met.* 8, 400. Aper direxit in inguina dentes. *Virg. A.* 6, 57. qui Paridis direxti tela manusque Corpus in Aeacidae. *direxti* syncope pro *direxisti*. *Curt.* 7, 4. *sub f.* Hastam in os adversarii dirigere. *Senec. Herc. Oet.* 160. vulnera alicui, *h. e.* in aliquem. Adde *Virg. A.* 10, 140. et *Tac. H.* 2, 35. [*maximeque *Drak.* ad *Sil.* 2, 92., qui alia etiam collegit.] *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Occaecare fossas et in alias majores patentioresque dirigere. ℙ Absolute. *Senec. ep.* 53. Protinus per altum ad Nesida direxi, *subaudi* cursum aut navem. *Appul. Met.* 2. p. 122, 15. Cominus, si vir es, dirige, *subaudi* te. ℙ Translate est recta convertere. *Cic. Or.* 71. Nec quidquam adhuc inveni firmius, quo judicium meum dirigerem, quam etc. *Brut.* ad *Cic.* inter *ep.* ad *Brut.* 1, 16. *sub f.* Si flexerit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio. *Cic. Acad.* 4, 20. Meas cogitationes dirigo ad rationes has latiore specie, non ad tenue clima tas: eo fit, ut errem et vager latius. *Id. Top.* 23. Ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est. *Curt.* 8, 5. Haud perplexe in Callisthenem dirigebatur oratio. *Cic. Div.* 1, 14. Divinatio fallit nonnunquam, sed tamen ad veritatem saepissime dirigit, i. e. directo ducit. *Quint.* 11, 3. *a med.* Dirigere gestus in posteriora. Sic 7, 7. Actionem dirigere adversus testes. ℙ *Aliqua re* vel *ad aliquam rem dirigere aliquid* est conformare, disponere, regere, metiri. *Cic. Or.* 3, 49. Non sunt haec rhythmicorum et musicorum acerrima norma dirigenda. *Id. Mur.* 2. Cato vitam ad certam rationis normam dirigens. *Id. Fin.* 2, 22. Voluptate omnia dirigentes Epicurei. *Id. Off.* 3, 21. Honestate dirigenda utilitas est. *Id. Brut.* 37. Nihil non ad rationem et tanquam ad artem dirigebat. *Id. Leg.* 2, 5. *extr.* Illa antiquissima et rerum omnium princeps expressa natura, ad quam leges omnes diriguntur. *Id. Or.* 2. *extr.* Ad similitudinem alicujus rei artem et manum dirigere. *Liv.* 8, 32. sententiam suam ad voluntatem alterius. His locis praeposit. *ad* non significat *versus*, sed *secundum.* [*Vell.* 2, 8, 1. facta ad consilium. *ib.* 2, 30. invidium rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere. V. *Ruhnk.* ad priorem locum.] Sic. *Curt.* 8, 9. *extr.* Idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunae modum dirigunt, i. e. regunt secundum etc. et *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. ad *Att.* Me sine ad hanc opinionem dirigere puerum et tenero ejus animo persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Et *Quint.* 12, 3. Dirigere se ad id, quod est optimum in natura. ℙ Absolute. *Auct. B. Hisp.* 29. Hinc dirigens proxima planities aequabatur, *h. e.* recta se extendens et dilatans. *Tac. H.* 4, 58. *ad f.* Cum Romanae legiones direxerint. *supple* aciem vel *se* et steterint acie instructa, paratae ad pugnandum. ℙ Pro regere. *Ov. Fast.* 6, 484. Bacche, dirige vatis opus. Al. leg. *navis iter. Id. Am.* 1, 6, 7. Ille (*Amor*) per excubias custodum leniter ire Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes. ℙ Pro discindere, diffindere, in duas partes dividere, διχοτομεῖν, usurpasse *Plautum* monet *Festus*, respiciens, ut videtur, ad illud *Curc. a.* 3. *v.* 54. Clypeatus elephantum ubi machaera dirigit. Sed locus ille valde incertus est, et a criticis vexatus, ut et illud *Nigidii* ap. *Gell.* 7, 9. Gallina dirigitur. Et *Albinov.* 2, 109. Directus aries. Sic ubi *Non.* 4, 148. habet: Diligit, dividit. Titinius: Pernam totam diligit: critici utroque loco legunt *dirigit.* [*Agit de hac significatione etiam *Scal.* ad *Virg. Catal.* p. 270. et *Salmas. Exerc. Plin.* p. 838. Sed ea prorsus non admittenda est in h. v.] ℙ Dirigere se in aliquem locum. *Appul. Met.* 6. Sume istam pyxidem, usque ad Inferos te dirige. V. locum *Ulpiani* in DIRECTARIUS. ℙ Translate. *Quint.* 10, 1, 127. Seneca placebat propter sola vitia: et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat, *h. e.* ferebatur, conabatur accedere ad ea imitanda. ℙ *Dirigere aliquid* pro mittere. *Aur. Vict Epit.* 34. Ad quem Ticini positum, per Gallorum Basilium, indumenta regia direxerat. *Claud. epist.* ad *Olybr.* 1. Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos, Nec redit alterno pollice ducta salus? Adde *Sidon. ep.* 7, 9. ℙ [In *Inscr.* allata in V. DERIVO §. 2. *derexserat* legitur pro *direxerat. F.* ℙ *Permutantur *dirigere* et *digerere.* V. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 44., *Drak.* ad *Liv.* 8, 32, 5. coll. *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 4, 1. et, quem laudat, *Drak.* ad *Liv.* 8, 22, 5.]

DIRIMO, is, emi, emptum et emtum, a. 3. διαλύω, separo, divido. *Voss.* ducit a *dis* et *emo*, mutata *s* in *r*, ut a *Fusius Furius* etc. [*Et recte quidem, ut duce *Wundero docuimus* sub DIRIBEO. Ut enim idem docet, *dirimo* proprie est i. q. *auseinander nehmen*, i. e. dicitur de rebus in unum conjunctis, sed in diversas partes solutis. „Quoniam autem, si rem in partes solvas, etiam vim, quippe quae plerumque in partium conjunctione potissimum consistat, necessario tollas, eve-

nit, ut *dirimere* omnino *tollere aliquid*, *irritum facere*, *disturbare interrumpere* significet.“ Hic verbi usus ita obtinuit, ut *Plinius* et *Curtius* (V. paullo infra) soli ab eo recessisse videantur, qui neglecta propria h. v. notione, quae ad conjunctionem aliquam spectat, simpliciter *diremtus* pro *dissitus* dixerunt. De singulis V. in sqq.] *Cic. N. D.* 3, 12. Individuum corpus, quod dirimi distrahive non potest. *Claud.* in *Rufin.* 2, 477. pertentat crimina Minos, Et justis dirimit sontes. *Colum.* 4, 18. Omnem modum agri in semijugera dirimere. *Plin.* 3, 5, 9. Tiberis agrum Latinum a Vaticano dirimens. [*Lucan. 4, 33. Qui (collis) medius tutam castris dirimebat Herdam. *Id.* 10, 312. Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura Regni claustra Philae. V. *Cort.* ad hos ll.] *Plin. ep.* 6, 8. Oppida nostra unius diei itinere dirimuntur, i. e. dissita sunt. *Id. ep.* 8, 14. *a med.* Dirimere sententias occidentis et relegantis, i. e. inter utramque distinguere, alteram ab altera separare. *Lucr.* 6, 1072. colos conchyli mergitur una Corpore cum lanae, dirimi qui non queat unquam, *h. e.* elui et a lanae corpore separari. ℙ *Dirimere aequor*, nave secare. *Stat. Th.* 5, 482. Spumea porrecti dirimentes terga profundi. ℙ *Dirimere tempus* est diem diffindere et in aliam diem prorogare. *Cic. Div.* 1, 39. Quid habet haruspex, cur pulmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus et proferat diem? ℙ Hinc ponitur et pro interrumpere. *Cic. Leg.* 2, 12. Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur *alium* dixerit? *Liv.* 8, 23. *ad f.* Videre aut audire aliquid, quod auspicium dirimat. *Id.* 1, 26. *ad f.* Ut concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. *Sall. Jug.* 64. *extr.* proelium nox diremit. *Caes. B. C.* 1, 40. *extr.* Legionum adventu proelium dirimitur. *Liv.* 1, 13. Dirimere infestas acies. [*Virg. A.* 12, 78. bellum. *Liv.* 4, 6. connubium.] *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Actum (*in senatu*) eo die nihil: nox diremit. *Caes. B. G.* 1, 46. Dirimere colloquium. *Sall. Cat.* 18. *extr.* consilium. [*V. de hac significatione *Drak.* ad *Liv.* 9, 8, 12.] ℙ *Dirimere litem*, *controversiam* etc. est decidere, terminare, dissolvere. *Cic. Off.* 3, 33. Dirimere controversiam. *Ov. Met.* 1, 21. Hanc Deus et melior litem natura diremit. *Id. Fast.* 6, 98. Res est arbitrio non dirimenda meo. ℙ *Dirimere societatem*, *amicitiam*, *nuptias* est dissociare, abrumpere. *Cic. Off.* 3, 5. Dirimere conjunctionem civium. *Id. Sull.* 2. omnium officiorum societatem. *Liv.* 8, 23. hostibus societatem auxilii mutui. *Cic. Coel.* 14. Appius pacem Pyrrhi diremit. *Suet. Caes.* 43. Diremit nuptias praetorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxerat. *Tac. A.* 12, 4. Dirimere affinitatem. ℙ *Dirimere suffragia*, quid sit, V. in DIRIBEO. [*At eam explicationem ferri non posse, supra vidimus: *Dirimere suffragia*, quid h. l. significet, docuit *Wunder*, l. l. p. CLVI. sqq. Verum enim sensum jam scholiastes ad illum locum ita interpretatur: interrumpit ita, quasi missa plebs videretur tulisse suffragia, i. e. suffragia plebis, antequam tota in suffragium missa est, interrumpit Caesar. ℙ Permutantur a librariis *dirimere* et *decernere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 23, 8.]

*DIRĪNI, orum, incolae oppidi cujusdam Italiae inferioris, quae Dira forte vel Dirium audiebat. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

DIRĪPIO, īpis, ipui, eptum, a. 3. *διαρπάζω*, in diversas partes rapio, discindo, distraho, lacero. *Ov. Fast.* 5, 310. et *A. Am.* 1. 338. Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem, Cum consternatis diripereris equis. *Id. Ib.* 601. Diripiantque tuos insanis unguibus artus Strymoniae matres Orpheos esse ratae. *Stat. Th.* 5, 366. lacerant cava nubila venti, Diripiuntque fretum, *h. e.* huc illuc rapiunt, impelluntque. ℙ Item extraho, educo. *Ov. Met.* 10, 475. Pendenti nitidum vagina diripit ensem. Al. leg. *deripit* rectius: quod idem dicito de simili loco *Virg. A.* 10, 475., item *ib.* 3, 267., ubi *deripere funem litore* rectius est quam *diripere*. Item de illo *A.* 4, 593. Deripientque rates alii navalibus, *h. e.* deducent. His enim locis deorsum trahendi significatio aliqua inest, quae per *de*, non per *di* exprimitur, ut et in DERIPIO dictum est. [*Viris doctis, illo loco a nobis laudatis, adde *Drak.* ad *Sil.* 10, 318. et quos laudat; praecipue vero *Hand.* ad *Gron. diatr. in Stat.* l. p. 558., qui de nonnullis locis a *Forc.* ibi laudatis aliter judicat. Etenim in vv. *deripere* et *diripere* dignoscendis primum ait observari debere constructionis rationem; et illud quidem, in quo semper insit trahendi notio, conjungi cum dativo vel ablativo, poetarum ex more, et cum praepositione *de*. Ea autem loca, quae hac lege non alligentur, ita esse digerenda, ut res dicantur *diripi*, quae junctae sint, vel modo discissae possint detrahi. De locis V. ipsum *Handium*, cum quo cf. est *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 8., qui *dis*, inquit, non semper discindi aliquid, quod junctum erat, significat *(eine Zertheilung)*, sed etiam separari aliquid *(eine Absonderung*, ut *dimitto*, *digredior*, *discedo*, *distringo*, *discludo*. Ergo etiam *diripere* nunc est *zerreissen*, nunc *abreissen; deripere* autem i. q. *herunterreissen*. — Sequitur ex his, singulos locos, ubi de scriptura dubitari potest, ubique accuratiori subjiciendos esse examini, nec temere *deripere* corrigendum esse, quod sane nobis ad nostram cogitandi rationem saepe arridet.] Similiter apud *Cic. Sull.* 1. Quantum de mea auctoritate deripuisset: non *diripuisset*, legendum est. Et *Prov. cons.* 6. Hos vos de provinciis deripiendos non putaretis? non *diripiendos*. ℙ Item disjicere, evertere. *Virg. A.* 12, 283. Diripuere aras. ℙ Item auferre, demere. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 2. *extern.* Ut speraverit, et tyranno, et Phalaridi vesanae mentis feritatem a se diripi posse. [*Vix ita dici posse crediderim.] ℙ Item frequentissime praedari, auferre, depopulari, cum plures simul hinc inde rapiunt et asportant. *Virg. A.* 3, 227. de Harpyis: Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant. *Cic. in Senat.* 7. Domus mea diripiebatur, ardebat. *Id. Att.* 8, 2. Patriam diripiendam et inflammandam reliquimus. *Id. Manil.* 19. Expilare socios, diripere provincias. *Sil.* 17, 500. Ire direptum alicui aliquid. *Liv.* 32, 12. Castra regia diripere. *Id.* 23, 16. impedimenta et sarcinas. *Cic. Or.* 3, 1. Tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis. *Tibull.* 3, 6, 28. venti temeraria vota, Aeriae et nubes diripienda ferant. ℙ *Diripi amnis* dicitur a *Stat. Th.* 4, 817. ex quo ab exercitu siti jamdiu laborante, avide hauritur et bibitur. ℙ Praeterea *diripi* dicuntur, quae cara omnibus sunt, et quaesita. *Senec. Brevit. vit.* 7. Diripitur ille toto foro patronus, *h. e.* omnes eum sibi patronum adsciscunt. Est qui malit *dirumpitur*. *Id. Ira* 3, 23. Timagenes historiarum scriptor a tota civitate direptus est. Al. leg. *dilectus:* alii aliter. [*Male.] *Stat. Silv.* 5, 3, 139. de Homero: aliae quem aliis natalibus urbes Diripiunt, cunctaeque probant. (V. *Cic. Arch.* 8. *extr.*) *Id. Th.* 5, 722. matremque avidis complexibus ambo Diripiunt flentes. *Mart.* 7, 76. ad Philomusum scurram: Quod te diripiunt potentiores Per convivia, porticus, theatra. *Suet. Vit. Pers. sub f.* Editum librum continuo mirari homines et diripere (i. e. *reissend wegkaufen*) coeperunt. [*Agit de hac significatione *Gron. diatr.* in *Stat.* l. p. 558. sq. *ed. Lips.* Ibique *Hand.* Non autem cum nonnullis huc referendus est locus *Suet. Caes.* 17., qui proprie intelligendus est. V. *Oudend.* et *B. Crus.* in *Clav.*] ℙ *Dirapio* aut *Disrapio* leg. quidam apud *Appul. de Deo Socr.* V. suo loco.

DĪRĪTAS, atis, f. *δεινότης*, *ἀπήνεια*, saevitia, crudelitas, feritas. *Cic. Vatin.* 3. *extr.* Quamquam sis omni diritate atque immanitate teterrimus. *Suet. Tib.* 21. Diritas morum. *Cic. Senect.* 18. *sub f.* Quanta in altero diritas, in altero comitas. Ita legit *Non.* 2, 246. et 1, 127. Alii *duritas*. [*Illud in notis non damnat *Orellius*, laudato *Oud.* ad *Suet.* l. l.] ℙ Item res quaelibet tristis dirique ominis, calamitas, infortunium. *Cic.* convertens locum Euripidis, *Tusc.* 3, 14. Ut si qua invecta diritas casu foret, Ne me imparatum cura laceraret repens. ℙ *Diritas diei* est dies improsperus, et mali ominis auspicia captantibus, et grande aliquid aggredientibus. *Suet. Ner.* 8. Inter horam sextam septimamque processit ad excubitores, cum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur. V. *Tac. A.* 12. *sub f.*, unde *Sueton.* illustratur. *Gell.* 4, 9. *a med.* Dies religiosi dicti, quos propter ominis diritatem relinquimus.

[DĪRŌDĬUM, ii, n. rota, ex duobus radiis invicem decussatis constructa: vox hybrida, a *δίς*, et *rodium* pro *radium*. *Not. Tir.* p. 81. Rota, radius, dirodium, birodium, trirodium, quatrirodium. *F.*]

[DĪRŪDIS, e, adj. valde rudis. *Not. Tir.* p. 123. *F.*]

DĪRUMPO, is, upi, uptum, a. 3. *διαῤῥήγνυμι*, in diversas partes rumpo, diffindo, scindo. *Pl. Bacch.* 3, 3, 37. Puer paedagogo tabula dirumpit caput. *Cic. Div.* 2, 19. Dividere atque dirumpere nubem. *Appul. Met.* 1. Putris et vetus funis dirumpitur. *Pl. Curc.* 2, 1, 6. Geminos in ventre habere videor filios: nihil metuo, nisi ne medius dirumpar miser. *Cic. Fam.* 7, 1. *a med.* Dirupi me paene in judicio Caninii, vel paene herniosus factus sum. (Sic *Hor. Ep.* 1, 19, 15. Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua. V. *Phaedr.* 1, 24.) *Id. Att.* 7, 12. Dirumpor dolore. *Appul. Met.* 3. *sub init.* risu. *Cic. Fam.* 12, 2. Fratris tui plausu dirumpitur, *h. e.* invidia rumpitur. Sic *Id. Att.* 4, 16. *a med.* Unum omnia posse, dirumpuntur ii, qui me aliquid posse doluerunt. Adde *Dom.* 37. et *Ter. Ad.* 3, 4, 5. ℙ Pro abrumpere, dirimere, dissociare. *Cic. Amic.* 22. *extr.* Repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. *Id. Off.* 3, 5. Dirumpere humani generis societatem. ℙ Obscenam latentem sententiam habet apud *Pl. Cas.* 4, 3, 11. et fortasse etiam *Poen. prol.* 117. V. RUMPO. ℙ In multis ex allatis exemplis alii leg. *disrumpo*. ℙ [*Dirupi et *dirui* vel *diripui* passim confunduntur. V. *Drak.* ad *Liv.* 39, 30, 5.]

DIRUNCĬUNT, depurgant. *Festus.* Alii leg. *diruncant*, alii *diruncinant*.

DĪRŪO, is, ui, utum, a. 3. *καταβάλλω*, dejicio, everto, destruo. *Liv.* 1, 29. Fragor tectorum, quae diruebantur. *Cic. Inv.* 1, 40. Diruere urbem. *Ter. Ad.* 5, 7, 10. maceriam. *Hirt. B. Afr.* 20. atque delere oppida. *Liv.* 39, 18. omnia Bacchanalia, *h. e.* aras atque aedes Bacchanalibus destinatas. *Suet. Aug.* 72. praetoria ad solum. ℙ Hyperbole est in illo *Auctoris B. Hisp. in f.* Decem habere legiones populum Rom., quae non solum vobis obsistere, sed etiam coelum diruere possent.

DIRUPTĬO, onis, f. fractura, discissio. *Senec. Qu. Nat.* 2, 15. Aer necessario vastum, in tam magnorum corporum diruptione, reddit sonum.

DIRUPTUS et Disruptus, a, um, part. a *dirumpo*, fractus, ruptus, *διαῤῥαγείς*. *Petr. Sat.* 96. Foramen valvae, quod ansa ostii disrupta laxaverat. *Inscr.* ap. *Grut.* 163, 6. Pontem bellorum injuria, et amnis violentia diruptum restituit. ℙ Item abruptus. *Liv.* 38, 2. *ad f.* In altiorem diruptioremque tumulum concessere. V. DERUPTUS. ℙ De eo, cui intestina rupta sunt, herniosus. *Cic. Phil.* 13, 12. Homo diruptus dirutusque Q. Coelius. ℙ Translato et obsceno sensu. *Appul. Met.* 7. Mulier misera illa compavita atque dirupta. *scil.* ab asino proculcata, et vehementius stuprata. *Id. ib.* 9. Puer nates candidas illas diu noctuque diruptus, moerens profugit. Graeca constructio: *nates diruptus*, *h. e.* referens nates noctu quidem a stupratoris sui mentula divisas, diu vero, seu mane ab eodem ferula obverberatas.

DĪRUS, a, um, adj. *ἐπάρατος*, crudelis, saevus, atrox, infestus. *Voss.* deducit a *δεινός*, gravis: *Fest.* vero ita dictum putat, quasi *Dei ira natus*. et *Serv.* ad *A.* 3, 235. Sabini, inquit, et Umbri, quae nos mala, dira appellant. [*Döderl. Syn.* 1. p. 46. *dirus* et *durus* eadem vv. esse putat. *Lunemann.* in lexico derivat a Gr. *δεῑρός*, i. e. terribilis, a *δίω* i. e. *δείδω*. Neutrum probabile est. Etenim notiones vv. *dirus* et *durus* nimis differunt, quam ut possint ejusdem etymi esse: notat enim, ut utar vv. *Burm.* ad *Quint.* 8, 2, 9. (p. 672.) animi quandam vehementiam, cum furore, scelere, crudelitate et pernicie aliorum conjunctam; *δεῑρός* autem, quod comminiscitur *Lunemann.*, id primum contrahi non potuit; deinde in hac significatione apud Graecos nunquam in usu fuit. Ego igitur potius eo inclino, ut putem e Sabinorum Umbrorumve dialecto, quod tradit *Servius*, in Rom. linquam transiisse.] *Virg. ib.* dira bellum cum gente gerendum. *Hor. Ep.* 2, 1, 10. Dira hydra. *Id. Od.* 1, 2, 2. grando. *Id. Epod.* 5, 62. venena. *Id. Od.* 3, 6, 36. (ut legit etiam *Quint.* 8, 2.) Dirus Annibal. *Ov. Met.* 9, 179. Diri cruciatus. *Id. Her.* 12, 188. Dira noverca. *Id. Met.* 2, 651. serpens. *Id. ib.* 3, 625. caedes. [*sanguis i. e. humanus. V. *Bentl.* ad *Lucan.* 1, 444.] et *ib.* 11, 371. fames. et *ib.* 14, 278. Dea, *h. e.* Circe. *Val. Fl.* 5, 660. jussa tyranni. ℙ Item severus, asper, rigidus. Ita exponit *Non.* 2, 247. illud *Varron.* Scena, quae senem Latina vidit dirissimum. *Catull.* 25, 5. Dira hiems. ℙ Item terribilis, visu vel auditu horrendus. *Ov. Fast.* 1, 553. de Caco: Dira viro facies. *Id. Met.* 10, 300. Dira canam. *nempe* dicturus de amoribus Myrrhae, quos *ib.* 426. diros amores vocat. *Id. ib.* 2, 590. Dirum crimen, *h. e.* Nyctimenes, quae cum patre coiit. et *ib.* 6, 664. Dirae dapes, *h. e.* Terei, qui suos natos comedit. *Id. Trist.* 3, 3, 5. Dira regio, *h. e.* aspera, horrida. Sic *Virg. A.* 8, 194. de spelunca Caci: facies quam dira tenebat. *Val. Fl.* 3, 132. Dirum lumen. *Virg. A.* 4, 563. nefas. et *ib.* 3, 228. Dira vox. et *ib.* 593. illuvies, *h. e.* tetra, *Serv.* Sic *Plin.* 6, 11, 12. et 7, 15, 15. Dirus odor. ℙ Item noxius. *Plin.* 5, 15, 15. Asphaltites lacus natura dirus. *Id.* 11, 29, 35. Dirae messibus locustae. ℙ Cum infinito. *Sil.* 4, 284. Contorquet nodis et obusto robore diram Vel portas quassare trabem, *h. e.* potentem quassare. Sic Graeci *δεινὸς λέγειν*, *δεινὸς γράφειν*. ℙ Item periculosus, infestus. *Plin.* 4, 11, 18. Scopulus dirus ac pestifer. *Id.* 5, 4, 4. Sinus syrtibus et vadoso mari dirus. ℙ Item ominosus, tristis, gravia atque ingentia mala portendens. *Cic. Leg.* 2, 8. *extr.* Quae augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunto. *Id. Div.* 2, 15. *extr.* Tristissima exta sine capite, quibus nihil videtur esse dirius. *Id. carm. de suo consul. Div.* 1, 11. dirum in tempus cecidere Latinae. *Virg. G.* 1, 488. Diri cometae. *Plin.* 18, 1, 1. Dirae alites. [*Suet. Claud.* 22. dira avis.] *Ov. Met.* 5, 550. Bubo, dirum mortalibus omen. *Val. Fl.* 3, 59. Somnia dira. *Ov. Ib.* 85. Carmina dum capiti malefido dira canuntur, *h. e.* dirum malum imprecantia. Sic Dira detestatio, *Hor. Epod.* 5, 89. Diris deprecationibus aliquem defigere, *Plin.* 28, 2, 4. ℙ Ad illud *Virg. A.* 2, 519. quae mens tam dira, miserrime conjux, Impulit his cingi telis? *Servius:* modo proprie. *dira* enim est Deorum ira. Ergo *quae mens dira*, infusa ex Deo-

rum ira. Simile est illud *G.* 1, 37. Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido, *h. e.* magna et vehemens, ut etiam *Serv.* exponit. Adde *A.* 6, 721. ℙ *Dira religio, superstitio* est magna, venerabilis, horrorem incutiens, et timore animos percellens. *Virg. A.* 8, 349. Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes Dira loci: jam tum silvam saxumque tremebant. ℙ *Dira mendacia* apud *Plin.* 37, 11, 73. sunt monstrosa, et portenti similia. ℙ *Dira spes* apud *Senec. Hipp.* 131. est, qua res dirae et nefandae sperantur, qualis fuit Phaedrae insanientis amore Hippolyti. [*Nimis multas h. v. significationes statuit *Forc.* Omnes enim ad unam eandemque redeunt, quam ab initio posuit, ac nostrum voc. *grässlich* ei in omnibus fere locis egregie respondet.] ℙ *Dirum* adverbii more ponitur. *Senec. Oedip.* 961. et *Herc. Oet.* 1679. Dirum fremens. ℙ *Dira* absolute sunt mala, infortunia. *Senec. Troad.* 423. prosperis rebus locus ereptus omnis: dira, qua veniant, habent. *Tibull.* 2, 5, 115. Dira precari alicui. ℙ Comp. *Dirior* Sup. *Dirissimus.* V. supra. ℙ [*Ubique a librariis confunduntur *dirus* et *durus.* V. *Drak.* ad *Sil.* 14, 126. *Bentl.* (et *Fea*) ad *Hor. Od.* 2, 12, 2. et 3, 6, 36., qui pro omnibus esse possunt.]

DĪRŪTIO, onis, f. ruina. *Inscr.* ap. *Grut.* 3, 9. Aedem ex dirutione restituerunt, dedicaruntque.

*DIRŪTOR, oris, m. *Hieron. B. A.*

DĪRŪTUS, a, um, part. a *diruo*, καθαιρεθείς, destructus, eversus, demolitus. *Nep. Con.* 4. Muros dirutos reficiendos curat. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. Urbes dirutae ac paene desertae. *Prop.* 2, 21, 54. Priami diruta regna senis. ℙ *Aere dirutus* dicebatur miles, cui stipendium esset ademptum ignominiae causa, vel quod, ut ait *Fest.*, aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum: vel quod aere deciderat, ut *diruo* hic pro simplici *ruo*, cado, sumatur: vel simplicius aere eversus, et spoliatus, quemadmodum dicitur *fortunis aliquem evertere* etc. *Varr.* apud *Non.* 12, 53. et *Cic. Verr.* 2, 5, 13. et *Phil.* 13, 12. V. RESIGNATUS. [*et cf. *Intpp.* ad *Liv.* 7, 41, 8.]

DIS. V. DI.

DIS, m. et f. Dite, n. dives, opulentus, copiosus, πλούσιος. Videtur esse a *dives* per syncopen: quod certe in obliquis casibus manifestum est. [*Proprie dixerunt *ditis*, *e.* Sed forma masculini contrahi solita est in dis. Ex breviore hac forma sunt comp. et superl.; ex altera *dives* est *divitior* etc. *Ditis* autem, de Deo quum dicitur, etiam in nominativo reperitur. V. infra locum *Petron.* 120. et *Spald.* ad *Quint.* 1, 6, 34.] Est autem fere poeticum. *Ter. Ad.* 5, 1, 8. Dis quidem esses, Demea, ac rem tuam constabilisses. *Hor. Sat.* 1, 7, 18. Bruto praetore tenente ditem Asiam. *Val. Fl.* 2, 296. Dite solum. *Prop.* 3, 3, 1. Dites Indi. *Hor. Sat.* 1, 1, 40. dum ne sit te ditior alter. *Id. Epod.* 2, 65. positosque vernas, ditis examen domus. *Liv.* 21, 43. Opulentia ac ditia stipendia facere. *Senec. Herc. Oet.* 648. O si pateant pectora ditum! Quantos intus sublimis agit Fortuna metus! *Val. Fl.* 5, 123. spoliis ditissimus amnis. *Ov. Met.* 2, 77. delubraque ditia donis. *Tibull.* 2, 5, 35. Gregis ditis magister, *h. e.* numerosi. *Hor. Sat.* 1, 5, 91. aquae non ditior urna, *h. e.* abundantior. *Sil.* 3, 673. dites sine vomere glebae, *h. e.* frugiferae. et *ib.* 512. commotum promissis ditibus agmen. *Stat. Th.* 5, 187. Ditibus indulgent epulis. *Sil.* 13, 684. Ditior ipse viris, *h. e.* majoribus militum copiis instructus. ℙ Cum genit. *Virg. A.* 1, 347. Ditissimus agri. ℙ Translate. *Sil.* 3, 397. ditissimus aevi, *h. e.* valde senex. *Stat. Th.* 3, 481. Ditior ille animi, *h. e.* fiduciae plenior. *Tibull.* 3, 6, 13. de Baccho: Ille facit dites animos Deus. *Lucr.* 1, 412. largos haustus de fontibu' magnis Lingua meo suavis diti de pectore fundet. ℙ Quod addunt ex *Cic. Amic.* 16. Ditior et affluentior amicitia: *divitior* plerique al. leg. ℙ Praeterea *Dis* et *Ditis*, m. dictus fuit Pluto Deus inferorum, idemque divitiarum praeses: quia opes e terra effodiuntur et in terras recidunt. *Cic. N. D.* 2, 26. ℙ A *Luciano* claudus fingitur in accessu, in recessu vero alatus, quia divitiae longo tempore, magnisque laboribus acquiruntur, et quam velocissime labuntur, nisi caute custodias. Fingitur etiam caecus, quia divitias bonis aeque ac malis, nullo habito discrimine, distribuit. *Severus* in *Aetna* 640. Illos seposuit claro sub nomine Ditis. *Petr. Sat.* 120. Has inter sedes Ditis pater extulit ora. *Cic. l. c.* Dis, ut apud Graecos Πλούτων. Al. leg. *Dives.* ℙ Usurpatur etiam pro ipsis Inferis. *Virg. A.* 6, 126. Noctes atque dies patet atri janua Ditis. ℙ Comp. *Ditior* et Sup. *Ditissimus* V. in superioribus.

[DĪSĀMO, as, a. 1. valde diligo, a *dis* et *amo*, ut *discupio* et *dispereo. Front.* ad *M. Caes.* 3. (ed. *Maio*) *ep.* 3. Ego vero etiam litterulas tuas disamo; quare cupiam, ubi quid ad me scribes, tua manu scribas. *Cod.* habet *dis. amo*, at *Maius* legendum putat *dissuaviari cupiam. Ubi* etc. Fortasse nihil mutandum. *F.*]

DISCALCĔĀTUS, a, um, part. a *discalceo*, sine calceis, ἄβλαυτος. *Suet. Ner.* 51. Ut prodierit in publicum sine cinctu et discalceatus. ℙ Scribitur et *discalciatus.* V. CALCEAMEN.

*DISCALCĔO, as, a. 1. calceos detraho. *Gloss. Philox.* Discalceor, ἀπολύομαι. *B. A.*

DISCĀPĔDINO, as, a. 1. disjungo, laxo: a *capedo. Appul. Florid.* 3. p. 341. 24. Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit: primus duas tibias uno spiritu animavit, *h. e.* manus et digitos alterum ab altero disjunxit, claudendo et aperiendo foramina inter se distantia: vel, quod est veri similius, manum alteram ab altera disjunxit, duas simul tibias inflando, quarum unam dextera, sinistra alteram tenebat et moderabatur.

DISCĀVĔO, es, n. 2. diligenter caveo. *Pl. Men.* 2, 1, 24. Dictum facessas doctum et discaveas malo.

DISCĔDO, is, essi, essum, n. 3. ἀναχωρέω, ἀποχωρέω, hinc inde cedo, in diversas partes cedo, dividor, hisco: a *dis* et *cedo:* et dicitur proprie de iis, quae in partes dividuntur et aperiuntur. *Cic. Off.* 3, 9. Cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit. *Id. Div.* 1, 43. Cum coelum discessisse visum est. Adde *ib.* 44. et *Sisenn.* apud *Non.* 2, 232. [*Alia hujus generis loca reperies apud *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 371. A media coelum regione dehiscere coepit. quo loco bonae notae codd. ita exhibent: A media subito coelum discedere visum est. Graeci hoc sensu ῥαγῆναι et ἀναῤῥαγῆναι dicunt.] Huc pertinet locus *Asconii* in *orat. pro C. Corn. circa med.* de discedentibus ad suffragium ferendum. *Virg. G.* 3, 24. Vel scena ut versis discedat frontibus. *Lucan.* 6, 382. discedit vomere sulcus. [*ib.* 360. palus multos discessit in amnes.] *Prop.* 2, 6, 7. citius paterer caput hoc discedere collo. Et translate. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *a med.* Senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur, *h. e.* dissolverentur, dirimerentur. [*Non absimilis est locus *Liv.* 3, 11. initium rixae erat, quum discedere populum jussissent tribuni, quod Patres se submoveri haud sinebant, i. e. quum tr. in suas quemque tribus discedere jussissent. Cf. infra locum *Tac. A.* 1, 34.] ℙ Saepissime significat ab uno loco abire, proficisci, ἀπέρχομαι. [*Nec tamen sine aliquo discrimine, ut monstrat *Suet. Oth.* 11. qui discedere (i. e. ordines relinquere, *auseinandergehn*) et abire (i. e. a loco proficisci, *abgehn*) coeptabant. Plerumque tamen ita tantum differunt, ut apud nos *weggehn und abgehn.*] *Cic. Att.* 7, 21. Eo die Capua discessi. *Id. Phil.* 8, 7. Illum e Gallia non discessisse. *Caes. B. G.* 5, 1. Discedens ab hibernis in Italiam. *Cic. Att.* 7, 2. *ad f.* Chrysippus discessit a puero, insciente me. *Id. Verr.* 2, 4, 65. *extr.* De foro, cum jam advesperasceret, discessimus. [*Liv. 32, 40. de colloquio.] *Ov. Trist.* 1, 3, 85. Discedere e patria. Al. leg. *a patria. Suet. Caes.* 1. e medio, i. e. secedere seque e medio quam longissime removere. [*Opponitur: *in medio esse*, de qua formula *Brem.* ad h. l. conferre jubet *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 3, 4, 33.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Uxor a Dolabella discessit, *h. e.* divortium fecit. *Cic. Verr.* 2, 4, 15. Pueri Sisennae ab argento digitum non discedere. *Pl. Asin.* 3, 3, 13. Ab ista pedem non discedat. *Cic. Att.* 8, 6. Modo audivi quartanam a te discessisse. *Virg. A.* 10, 246. et dextra discedens impulit altam Puppim. *Ov. Fast.* 4, 365. procul hinc discedite. *Nep. Eum.* 8. Longe inter se discesserant. *Hor. Ep.* 1, 7, 25. si me noles unquam discedere. ℙ Cum casibus motus ad locum. *Nep. Them.* 4. Discedere domos suas. *Virg. A.* 12, 184. Convenit Euandri victos discedere ad urbem. *Tac. A.* 6, 20. Discedere Capreas. *Lucr.* 2, 711. cibis ex omnibus intus in artus Corpora discedunt. *Id.* 3, 401. Anima discedit in auras, Et gelidos artus in leti frigore linquit. *Tac. A.* 1, 34. Concionem discedere in manipulos jubet, *h. e.* dividi, distribui. et *ib.* 49. Iisdem e cubilibus discedunt in partes, ingerunt tela. *Cic. Somn. Scip.* 1. Discedere cubitum. ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Ov. Trist.* 1, 3, 5. finibus Ausoniae. *Id. Met.* 1, 381. templo. *Sil.* 7, 93. signis. Et 3, 88. periclis. ℙ Translate. *Cic. Somn. Scip.* 1. Nunquam ex animo meo discedit illius optimi viri memoria. *Id. Senect.* 23. Ex vita tanquam ex hospitio discedere. *Id. Tusc.* 1, 34. et *Fam.* 2, 2. a vita. *Id. Phil.* 8, 11. ab armis. *Id. Off.* 1, 20. nihil a naturae statu, nihil a dignitate sapientis. *Id. Or.* 2, 33. a judiciis causisque. *Id. Off.* 3, 20. a fide justitiaque. *Id. Or.* 19. a re. [*Discedere ab aliquo, i. e. deficere, desciscere. *Liv.* 43, 6. discessisse se a Persio — quum sub ditione Persei et ante Philippi fuissent. *Tac. A.* 6, 44. fugae specie discessum sc. ab eo.] *Id. Att.* 13, 20. In omni vita a recta conscientia transversum unguem non discedere. *Id. Font.* 1. A consuetudine et cautione et diligentia longe discedere. [*Id. *Brut.* 91. a gloria. Metaphora in his omnibus desumta est a via, quam aliquis relinquit. *Id. Or.* 2, 33. a judiciis causisque. *Id. Fam.* 1, 9. a litteris quum discessi, i. e. quum desii litteris operam dare.] *Id. Div.* 2, 55. Magnitudine timoris a constantia, atque a mente, atque a se discedere, i. e. prorsus alium fieri, totum mutari. Adde *Brut.* 79. [*et *Fin.* 5, 11, 33.] *Caes. B. G.* 2, 7. Hostibus spes potiundi oppidi discessit. *Cic. Fam.* 6, 14. Ex oratione Caesaris hanc in opinionem discessi, ut mihi salus tua dubia non esset. *Id. Fin.* 4, 19. Discedere de sententia. Plerique al. leg. *decedere.* [*quod V.] *Tac. Agr.* 21. Paulatim discessum in delinimenta vitiorum, porticus, balnea. [*Volebat *Pichera: descensum est.* Sed bene observat *Walch.*, in *discedere* inesse *decedere* vel *desciscere* ab aliqua re et *transire* ad aliam.] *Plin.* 11, 23, 27. In tantum discessere mores a lorica gerenda, ut oneri sit etiam vestis. ℙ *Discedere in sententiam* est verbum curiae et significat in alicujus senatoris sententiam ire, alia relicta. Unde et *discessionem facere* eodem sensu et *discedere in alia omnia*, *h. e.* alias omnes amplecti sententias praeter eam, quae dicta ab aliquo est. Mos enim fuit, ut, cum nimis longum esset singulorum senatorum sententias audire, duabus tribusve dictis, reliqui a subselliis suis discedentes, in illorum, quorum sententiae assentiebantur, subsellia transirent. *Liv.* 3, 41. et 28, 45. ℙ Eleganter *discedere ab aliquo* ponitur pro excipere. *Cic. Fam.* 1, 9. Sic enim te existimare velim, cum a vobis meae salutis auctoribus discesserim, neminem esse, cujus officiis me esse devinctum confitear. [*Cf. *Manut.* ad h. l.] *Id. Att.* 1, 17. *circa med.* Amoris erga me, cum a fraterno amore domesticoque discessi, primas defero. Adde *Fam.* 6, 12. ℙ *Discedere* etiam dicitur, qui re confecta quidpiam aut obtinuit aut perdidit. *Cic. Fin.* 4, 19. Haec qui audierit, discedet tamen nihilo firmior, quam venerat. *Id. Brut.* 64. Eorum, qui affuerunt, judicio discessit probatus. *Id. Caecin.* 1. Se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. *Id. Verr.* 2, 4, 30. Si istius haec tanta injuria impunita discesserit. *Id. Att.* 2, 16. *sub f.* Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis, [*i. e. si hac re ita defungi possum vel ita me expedire, ut etc. nos dicimus eodem modo: *wegkommen.* V. *Schütz.* ad h. l.]. *Ter. Ph.* 5, 8, 58. Satin' tibi est? *P.* immo vero pulcre discedo et probe. [*Ov. Rem.* 609. pace. Sed V. *Heins.*] *Nep. Epam.* 8. *extr.* Sic a judicio capitis maxima discessit gloria. [*Id. *Att.* 2, 21. *extr.* spero nos aut cum summa gloria aut sine molestia discessuros. — Pluribus explicat hunc usum *Brem.* ad *Nep. Phoc.* 2, 3.] ℙ Passive impersonaliter. *Ter. Ph.* 5, 2, 8. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat. *Cic. Fam.* 9, 16. Omnia sunt incerta, cum a jure discessum est. *Caes. B. C.* 1, 26. Ut aequis conditionibus ab armis discedatur. [*Cic. *Tull.* §. 20. mature disceditur.] ℙ *Discesti* pro *discessisti* syncope est apud *Pl. Asin.* 2, 1, 3. ℙ [*Permutantur saepissime in codd. *discedere* et *descendere.* V. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 17, 1. ad *Liv.* 9, 14, 7. coll. intpp. ad *Hor. Epist.* 1, 16, 7. ubi *discedens* minime mutari debet — et *deficere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 24, 44, 2.]

DISCENS, entis, part. a *disco*, μαθητής, discipulus seu litterarum seu artis cujuspiam illiberalis. *Quint.* 1, 3. *ad f.* Caedi vero discentes, quamquam receptum sit, minime velim. *Inscr.* ap. *Mur.* 940, 3. M. Aurelio Januario conjux et discentes fecerunt. Et *ib.* 4. Aurelius Sari, Aurelia Alciste Aurelio Carabo discenti suo fecerunt. Adde 968, 7. et *Suet. Gramm.* 7.

DISCENTIA, ae, f. actio discendi. *Tert. Anim.* 24. Discentiae reminiscentiae fiunt. Adde *ib.* 23. Cave imiteris.

DISCEPTĀTĬO, onis, f. διάλεξις, disputatio, contentio, lis, causa. *Cic. Div.* 2, 72. Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est. *Id. Or.* 2, 72. Rem aliquam in discendi disceptationem aut controversiam vocare. *Id. Dejot.* 2. Tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est etc. *Id. Flacc.* 10. *ad f.* Disceptatio et cognitio veritatis, *h. e.* disputatio instituta ad veritatem investigandam. *Id. Or.* 1, 6. Forenses disceptationes judiciorum aut deliberationum. [*Id. *Off.* 1, 11, 34. quum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim. Ubi cf. *Beier.*] *Gell.* 20, 5. Disceptationes dialecticae. *Liv.* 21, 19. Disceptatio verborum. Item cognitio, judicium. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *sub f.* Haec omnia habent disceptationem praetoris. ℙ Item judicatio, *h. e.* quaestio, quae oritur ex ratione rei et infirmatione accusatoris. *Cic. Partit.* 30. V. JUDICATIO.

DISCEPTĀTĬUNCŬLA, ae, f. diminut. disceptationis. *Gell. praef. sub f.* Tempus ad colligendas memoriarum disceptatiunculas conferre.

DISCEPTĀTOR, oris, m. qui de re, de qua disceptatur, sententiam fert, διαγνώμων. *Cic. Partit.* 3. Aut auscultator est, qui audit aut disceptator, i. e. rei sententiaeque moderator. *Id. Fam.* 13, 26. Ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur, *h. e.* ut tu suas controversias cognosceres, non ad alium rejiceres. *Liv.* 35, 45. Reconciliatore pacis et dis-

ceptatore de iis, quae in controversia cum populo Romano essent, utendum censebat. *Val. Max.* 2, 10. *n.* 4. Disceptator de pace. *Liv.* 1, 50. Disceptator sumptus inter patrem et filium. *Quint.* 11, 1. Dicere de re aliqua apud disceptatorem.

DISCEPTĀTRIX, icis, f. quae disceptat, judicat. *Cic. Acad.* 4, 28. Dialecticam inventam esse dicitis veri et falsi quasi disceptatricem et judicem. ℙ Translate. *Lamprid. Commod.* 5. Cum trecentis puberibus exoletis, quos forma disceptatrice collegerat, in Palatio bacchabatur.

DISCEPTO, as, avi, atum, a. 1. *διαχρίνομαι*, disputo, contendo: a *dis* et *capto*, *as*, quia utraque contendentium pars, inquit *Voss.*, aliquid captat ad sui defensionem. [*Est proprie voc. judiciale, quod saepe ad arma transfertur. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 4, 4.] *Cic. Planc.* 36. Sed erat non jure, non legibus, non disceptando decertandum: armis fuit dimicandum. [**Sall. Jug.* 21. jure potius quam bello.] *Id. Fam.* 4, 14. Disceptare armis de jure publico. [**Liv.* 34, 62.] *Id. Verr.* 2, 2, 15. aequo jure cum aliquo. *Id. Brut.* 85. de sapientia. *Liv.* 21, 19. de jure verbis. *Callistrat. Dig.* 48, 19, 28. *ad f.* damni, *supple* actione de damno, ut *furti agere. Plin.* 3, 3, 4. Tarracone disceptant populi XLIII., *h. e.* eo conveniunt ad jura petenda et judicio experiendum. Sic 5, 29, 29. Longinquiores eodem disceptant foro Orthronienses, Halydienses etc. [*Caes. B. G.* 7, 37. Aedui de legibus ad Caesarem disceptaturi. *F.* **Liv.* 38, 35. A concilio, ubi apud Consulem inter Achaeos Lacedaemoniosque disceptatum est. Alii habent *ad consulem*, de qua constructione V. *Drak. l. l.* et 7, 7. Non enim, quod nonnulli volebant, *a consule* leg. est.] ℙ Item pensatis utriusque partis rationibus, cognosco, judico. [*Egregie explicant hanc vim *Duker.* et *Drak.* ad *Liv.* 38, 35, 1.] *Cic. Mil.* 9. Et electi judices et isti praepositus quaestioni, qui haec juste sapienterque disceptet. *Id. Dejot.* 2. Hanc, C. Caesar, causam si in foro agerem, eodem audiente et disceptante te. *Id. Tusc.* 4, 3. Cum Academici Stoicorum controversias disceptarent. *Cic. Leg.* 2, 9. Disceptare bella, *h. e.* cognoscere de justitia aut injuria bellorum suscipiendorum. *Liv.* 34, 62. inter populum Carthaginiensem et regem, in re praesenti, i. e. decidere. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 10, 10. Quamquam in uno proelio omnis fortuna reipublicae disceptat, *h. e.* decertat, experitur, periclitatur. ℙ [*Permutatur interdum cum *disputo*, quod a glossatoribus ascribitur. V. *Drak.* ad *Liv.* 35, 32. *extr.*]

DISCERNENTER, adv. cum discrimine. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. *n.* 81. Alii vero discernenter ajunt hoc adjutorii genus sic adhibendum etc.

DISCERNĪBĪLIS, e, adj. qui discerni potest. *Augustin. Enchir.* 90. Ut in effigie sua cujusque proprietas et discernibilis similitudo servetur.

DISCERNĪCŬLUM, i, n. acus, quae capillos mulierum ante frontem dividit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 155. Euplocamo digitos discerniculumque capillo. Adde *Varr. L. L.* 4, 29. ℙ Translate est discrimen. *Gell.* 17, 15. Duas species hellebori esse, discerniculo coloris insignes, candidi et nigri.

DISCERNO, is, crevi, cretum, a. 1. *διακρίνω*, rem unam ab alia internosco, dijudico, separo: a *dis* et *cerno*. *Cic. Tusc.* 5, 39. Democritus luminibus amissis, alba et atra discernere non poterat. *Virg. A.* 4, 264. et tenui telas discreverat auro, *h. e.* distinxerat, ornaverat, aurum telae intexendo. *Plin.* 16, 10, 18. Discernere aliquid visu. Et *ib.* 19. Nec facile discernuntur in fronde etiam a peritis. *Id.* 8, 17, 23. Pantheras a pardis solo candore discernunt. *Lucr.* 4, 556. verba quoque ipsa Plane exaudiri discernique articulatim. [*Tac. A.* 2, 66. Jus et injuriam discreturi. *F.* **Cic. Harusp.* 18. quam uxorem sororemque non discernis, i. e. nullum earum discrimen facis, altera pro altera uteris.] ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Univ.* 8. Animus discernit, quid sit ejusdem generis et alterius et cetera dijudicat. *Caes. B. C.* 1, 35. Neque sui judicii esse discernere, utra pars justiorem habeat causam. *Cic. Font.* 6. Stultum auditorem a sapienti judice discernere. *Hor. Od.* 1, 18, 10. Fas atque nefas exiguo fine discernere. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 18. Non satis discernitur, an etc. Omissa dubitandi particula. *Liv.* 8, 34. *ad f.* Neque discernatur, interdiu nocte, aequo iniquo loco, jussu injussu imperatoris pugnent. ℙ Item separo, divido. *Varr. R. R.* 2, 7. Interjicere longurios, qui equas discernant, ne inter se pugnare possint. *Liv.* 34, 54. Omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur et concordiae et libertatis aeque minuendae esse. *Cels.* 7, 3. Sed ut haec ipsa fortuna huc illucve discernit, sic medici partium est eniti ad reperiendam sanitatem, *h. e.* dividit et alia in aliis veluti distribuit. *Plin.* 13, 4, 7. Multis lignum hoc a carnibus discernitur tunicis. *Id.* 4, 22, 35. Ana fluvius, quo Lusitaniam a Baetica discrevimus. *Plin. alter ep.* 1, 8. *sub f.* Cum plebem ipsam limine curiae parietibusque discreverim. *Virg. A.* 12, 898. Limes agro positus, litem ut discerneret arvis, *h. e.* ut arva separando, lites dirimeret. *Calpurn. Ecl.* 2, 27. Nec mora, discernunt digitis: prior incipit Idas. *Nemes. Ecl.* 1, 52. ruricolum discernere lites, *h. e.* dirimere et componere. *Paulin. Nolan. carm.* 23, 204. inter iniquos Comdemnatus (*Christus*) obit, nos ut discernat iniquis. ℙ [*Permutantur saepissime a librariis *discernere* et *decernere*, de quorum vv. discrimine exposuerunt *Brem.* ad *Suet. Cal.* 25. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 25, 3. Pugnant uterque contra *Gronovium*, qui *Obss.* III. 13. p. 417. *decernere* in iis locis scribendum esse contenderat, ubi sensus *dijudicandi statuendive* notionem postulat. Quod sane ob codices haud ubique fieri potest. Utar autem *Kritzii* vv., qui *de*, inquit, in compositis auget; jam *decernere* est aliquam rem in suas partes dividendo accurateque examinando plene judicare, unde factum, ut idem fere sit ac *statuere*, *constituere*. *Discernere* vero est, rem aliquam in duas partes sejungere, discrimineque, quod inter utramque intercedit explorato, judicio in alterutram inclinare. — Apparet igitur *decernere* latius patere quam *discernere*, et quamvis saepe utrumque de eadem re dici possit, tamen cogitandi modum multum esse diversum. Haec ille. Quibus *Brem.* rectissime illud quoque addit, multis in locis per cogitandi leges utrumque poni posse, quoniam *discernendi* actio praecedat *decernendi* actui, ac saepe perinde sit, utrum potius ponatur. Cf. *Suet.* l. l. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. *Sall.* l. l. pecuniae minus parceret, haud facile discerneres. Ita codd. utroque loco. *Liv.* 21, 56. neque prae imbre satis discernere (*Gron.* mutat *decernere*, quod non debebam probare, V. DECERNO ab init.), qua suis opem ferrent. Et 7, 9. nec, qui potirentur, incertis viribus, satis discerni poterat. Perperam *Gron.* et *Drak.* corrigi volunt *decerni*; ac multi omnino loci corrigendi essent. V. etiam locos a *Kritz.* allatos, *Caes. B. C.* 1, 35, 3. et *Tac. A.* 5, 6. Prorsus latinis his vocc. respondent nostra *unter-* et *entscheiden*, quae eadem non raro alterum pro altero poni possunt, quanquam cum eo, quo diximus, discrimine.]

DISCERPO, is, erpsi, erptum, a. 3. *διασπάω*, in diversas partes carpo, dilanio, diripio: a *dis* et *carpo*. *Cic. fragm.* ap. *Augustin. contra Acad.* 3, 7. Quem incomptis unguibus bacchantes discerpant. *Suet. Dom.* 15. Ut semiustum cadaver discerperent canes. ℙ Item diffindo, divido. *Lucr.* 2, 828. in parvas partes discerpitur aurum. ℙ Item dissipo, disjicio. *Virg. A.* 9, 312. Multa patri portanda dabat mandata, sed aurae Omnia discerpunt. *Catull.* 64, 142. Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 1. Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnium commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione animorum discerpi et lacerari Deum. *Id. Tusc.* 1, 29. Animus nec secerni nec dividi nec discerpi nec distrahi potest. *Id. Top.* 5. Cum res, quae proposita est, quasi in membra discerpitur. *Catull.* 66, 73. Discerpere aliquem dictis, *h. e.* maledictis proscindere, lacerare.

DISCERPTUS, a, um, part. a *discerpo*, *διασπαραχτὸς*, direptus, dilaniatus. *Liv.* 1, 16. Qui discerptum regem patrum manibus arguerent. *Hor. Sat.* 2, 8, 86. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis. *Cic. Or.* 3, 6. Quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa et quasi discerpta contrectant.

DISCESSIO, onis, f. *ἀποχώρησις*, actus discedendi, discessus, discidium. *Tac. A.* 1, 30. Desolatus aliorum discessione, necessitatem praevenit. [**Id. Agr.* 32. nostris illi discessionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam vertunt. Multo languidius esset, quod nonnulli codd. habent, *dissensionibus*.] *Gell.* 14, 1. Stellarum motus et vias et discessiones et coetus intuentes. *Id.* 2, 12. Seditio et discessio populi in duas partes. ℙ *Facere discessionem* frequens est curiae dictum, cum senatores alicujus sententiam secuti, ex suis in ejus subsellia discedebant, ut in DISCEDO dictum est. *Gell.* 14, 7. Varro docet, senatusconsultum fieri duobus modis aut per discessionem, si consentitur; aut si dubia res esset, per aliorum sententias exquisitas. *Cic. Sext.* 34. *a med.* Cum omnes certatim, alius alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset fieretque sine ulla varietate discessio. *Hirt. B. G.* 8, 53. Sententiis dictis, discessionem faciente Marcello, senatus frequens in alia omnia transiit. *Suet. Tib.* 31. Cum senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem secutus est nemo. *Cic. Phil.* 14, 7. *extr.* Has in sententias meas si consules discessionem facere voluissent, istis latronibus arma cecidissent. *Senec. Vita beat.* 2. Non est, quod mihi illud discessionum more respondeas; haec pars major esse videtur. ℙ Item divortium. *Ter. Andr.* 3, 3, 36. Incommoditas huc omnis redit, si eveniat, quod Dii prohibeant, discessio.

DISCESSUS, a, um, part. a *discedo*. Passive. *Coel.* vel *Caecil.* ap. *Prisc.* 8. p. 869. Custodibus discessis, multi interficiuntur.

DISCESSUS, us, m. *χάσμα*, hiatus, apertio. *Cic. Div.* 2, 28. Terrae fremitus, coeli discessus, [**das Wetterleuchten* interpretatur *Schütz.*] lapideus imber etc. ℙ Item recessio. *Cic. Att.* 12, 50. Ut me levarat tuus adventus, sic discessus affixit. *Id. ib.* 8, 3. Discessus ab urbe. *Att.* ap. *eund. ib.* 9, 10. *a med.* Subitus discessus et praeceps profectio. *Cic. Senect.* 23. Existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore. *Id. Div.* 1, 23. Discessus e vita. [**Caes. B. G.* 7, 41. Fabium discessu eorum (sc. hostium) duabus relictis portis, obstruere ceteras. ℙ *Cicero* per *εὐφημισμὸν* utitur h. v. pro *exsilio*. V. *Goerenz.* ad *Legg.* 2, 17, 1. et 3, 19, 45.] ℙ In plur. numero. *Id. N. D.* 2, 7. Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci.

DISCEUS, i, m. disyllab. *δισκεύς*, genus cometae latae rotunditatis et disco similis. Nam *δίσκος* discum significat. *Plin.* 2, 25, 22.

DISCIDIUM, ii, n. separatio, disjunctio, *διαχώρησις*. Dicitur de separatione corporum: estque a praeterito verbi *discindo*; cum *dissidium* proprie sit discordia et dissensus animorum, a *dissideo*. Quamquam a librariis haec saepe commutantur. [*De utriusque voc. discrimine bene disputat *Gron.* ad *Liv.* 25, 18, 5. et, quos ibi laudat *Drak.*, *Gifan. Ind. Lucr.*, *Broukhus.* ad *Prop.* 2, 19, 16. ad *Tibull.* 1, 5, 1. quibus adde *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Epit.* 41, 5. *Ern.* in *Clav. Cic.* et *Ruhnk.* ad *Muret. Opp.* p. 33.] *Cic. Att.* 4, 1. Eundem te acerbissime discidium nostrum tulisse. *Id. Phil.* 2, 18. Quod desiderium tui discidii ferre non posset. *Lucr.* 3, 851. Sic ubi non erimus: ubi corporis atque animai Discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti. *Suet. Dom.* 3. Uxorem repudiavit: intraque breve tempus, impatiens discidii reduxit. [*Saepe de divortio. V. *Tac. A.* 2, 86. 12, 40. et cf. *Oud.* ad *Suet. Tib.* 7.] *Senec. Const. Sap.* 8. *sub f.* Locorum commutationes, orbitates, discidia. ℙ Item dilaceratio, direptio. *Lucr.* 6, 292. Tantus discidio nubis, ventique procella Mittitur ardenti sonitus cum provolat ictu. *Solin.* 1. *a med.* Cum elata flumina vi terras rupissent, post discessum fluctuum inter plurima humi discidia corpus repertum etc.

DISCINCTUS, a, um, part. a *discingo*, *ἄζωστος*, qui sine cinctu est. *Hor. Sat.* 2, 1, 71. ubi se a vulgo et scena in secreta remorant, Nugari cum illo et discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. *Id. ib.* 1, 2, 132. Discincta tunica fugiendum est et pede nudo. ℙ *Discinctus miles* est, cui cinctus est ademptus, qui est insigne militiae (V. CINCTUS, a, um.) *Liv.* 27, 13. Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, destrictis gladiis discinctos destituit. [*Coll. *Suet. Aug.* 24. Et latiori sensu: *id.* 35, 11. discinctus et inermis eques, i. e. male vestitus.] ℙ Pro exauctorato. *Vulcat. Gallic.* in *Avid. Cass.* 6. Ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret. V. DAPHNENSIS. ℙ Translate *discinctus* est negligens, segnis, mollis, otiosus, dissolutus, luxu diffluens, sive quia molles demissis discinctisque vestibus uti solent: strenui vero et industrii, quo sint ad opus paratiores, succinctis: seu potius adludendo ad eos, qui militia vacant, in qua dies omnes operosi sunt: vel ad eos, qui ob segnitiam militia privantur. *Ov. Am.* 1, 9, 41. Ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus. *Pers.* 3, 31. Non pudet ad morem discincti vivere Nattae? Et 4, 22. Verna discinctus. *Hor. Epod.* 1, 34. nepos. *Senec. ep.* 114. de Maecenate: Non oratio ejus aeque soluta est, quam ipse discinctus? ℙ *Servius* ad illud *Virg. A.* 8, 724. *discinctos Mulciber Afros:* vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat: neque enim hodieque utuntur zonis: vel inhabiles militiae etc. Quod ait *Servius*, zonis eos non uti, confirmat *Sil.* 3, 235. Quare *discinctos Libyas* ipse quoque appellat 2, 56., et discinctos equites Numidas memorat *Liv.* 35, 11. et discinctam Carthaginem *Auson. Grat. act.* 14.

DISCINDO, is, discĭdi, issum, a. 3. *διαχίζω*, *διαπάω*, aperio, findo, dilacero; a *di* et *scindo*. *Cic. Or.* 2, 47. Ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. *Liv.* 1, 36. Te novacula cotem discissurum. [**Sil.* 14, 15. vi turbinis olim Impactum pelagus laceratae viscera terrae Discidit. V. intpp. ad h. l. et quae a nobis disputata sunt sub ABSCINDO. *Suet. Cal.* 33. Cunctantem flagellis discidit.] *Tac. H.* 5, 6. *extr.* Discindere trabes aut saxa securibus cuneisque. *Ter. Ad.* 1, 2, 39. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. et 4, 2, 20. Istam psaltriam usque occidit: vide, ut discidit labrum. *Asper grammatic.*, teste *Donato*, paenultimam hic longam accipit, a caedendo. ℙ Item dividere, dissolvere. *Lucr.* 3, 670. Anima in multas partes discinditur. et *ib.* 660, Ferro discindere caudam serpentis in multas partes. ℙ [*Descindere* seu *discindere carmen* idem valet ac versus in numerum canere, et sonum vocis pulsu pedum modulari, quod *Ov. Trist.* 4, 10, 50. *ferire carmen pede* dixit. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 598. Ibi sacerdotes clusi, succincti, libellis acceptis, carmen descindentes tripodaverunt in verba haec. V. TRIPODO. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Amic.* 21. Tales amicitiae sunt remissione usus eluendae, et, ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam

discindendae, *h. e.* repente praecidendae, ut *Id. Off.* 1, 33. loquitur. ℙ *Discisset* pro *discidisset* legunt nonnulli apud *Sil.* 11, 455., ubi alii aliter. ℙ Paenult. producta in *discidi* (quod non a *scindo*, sed a *caedo* ducendum est) habetur in illo *Lucilii:* Zopyrion labias discidit utrumque secutus. A *Nonio* 3, 120. hic versus corrupte refertur.

DISCINGO, is, inxi, inctum, a. 3. *ἀποζωννύω*, cinctum solvo. *Vell.* 2, 41. Neque unquam aut nocte aut die, aut excalcearetur aut discingeretur. *Sil.* 8, 34. jam discingitur armis, *h. e* cinctum militarem atque arma deponit. V. DISCINCTUS. *Mart.* 9, 102. de gestis Herculis: Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo, *h. e.* devicit, et armis spoliavit. *Juven.* 8, 120. Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros, *h. e.* arma deponere coegerit: vel ita spoliaverit, ut tantum non vestes ademerit: vel usque ad zonam spoliaverit: in zona autem pecuniam portabant. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor, *h. e.* non abjicio, dilabi non patior, [*vel: nihil temere committam, quo ejus amicitiam dimittere videri possim. Sic *Schütz.* Aliam rationem sequitur *Ern.* quem V. in *Clav.*] Hic *Cicero* loquitur de Caesare, et fortasse per jocum tangere videtur laxiorem, qua Caesar uti solebat (*Suet. Caes.* 45.), cincturam. *Sil.* 7, 153. Discinxit ratione dolos fraudesque resolvit, *h. e.* detexit, dissolvitque. Sunt qui malint aliter legi. [*Scil. *Drak.* vel *diffinxit* vel *discussit* legendum esse censet.] *Senec. ep.* 92. *in f.* Diserte Maecenas ait, *Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.* Alte cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset, *h. e.* molle et dissolutum reddidisset. V. DISCINCTUS. *Sidon. ep.* 2, 7. Obsecro, ut inter Alethium et Paulum, quae veniunt in disceptationem, discingas, *h. e.* solvas, dirimas, dijudices. *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 3. Ter vice qui sacra discinxit jurgia judex. *Fragm. Cod. Theod.* 1, 16, 3. (edita a *Clossio*) Pandatur, quis judicum, et in quibus discingendis causis fidelem operam praestitit.

DISCIPLĪNA, ae, f. *μαθητεία, παιδεία, παίδευσις*, ratio vivendi et discendi, quae discipulis traditur, institutio, educatio. Est syncope a *discipulina:* quae vox legitur in quodam nummo Hadriani ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 503., ubi de disciplina militari sermo est. *Cic. Coel.* 17. Dicet aliquis: haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? *Id. Div.* 1, 42. Tradere filium alicui in disciplinam. *Id. Phil.* 2, 2. se in disciplinam alicujus. *Id. Verr.* 2, 3, 69. Instituere atque erudire liberos ad disciplinam civitatis, *h. e.* ad consuetudinem vitae civilis. et *ib.* Educari in disciplina alicujus. *Id. Brut.* 67. Piso quidquid habuit, habuit ex disciplina. *Id. Defot.* 10. Imitari mores et disciplinam avi. *Id. Rabir. perd.* 10. Ignarus disciplinae et consuetudinis nostrae. *Id. Or.* 59. Bona disciplina exercitatus. *Liv.* 1, 28. *ad f.* Adhibere alicui disciplinam. *Caes. B. G.* 6, 13. Convenire in disciplinam. et *ib.* Multos annos in disciplina permanere. *Id. B. C.* 3, 10. Habere aliquid pro disciplina et praeceptis. [**Quint.* 11, 3, 61. (Affectus veri) non sunt disciplina et ratione formandi.] *Pl. Most.* 1, 2, 75. Esse disciplinae aliis. *Cic. Div.* 2, 3. Res, quarum est disciplina, ut litterae. ℙ Pro mala institutione. *Id. Verr.* 2, 3, 68. Ut etiamsi natura puerum a paternis vitiis abduceret, consuetudo tamen eum et disciplina degenerare non sineret. ℙ Item ipsa facultas, doctrina, scientia. *Id. Div.* 1, 41. Magorum disciplinam scientiamque percipere. *Id. Coel.* 30. Aetas dedita disciplinis et artibus. *Id. Manil.* 18. Disciplina navalis. *Id. ib.* 10. militiae. *Id. N. D.* 2, 64. bellica. *Id. Or.* 1, 39. juris civilis. [**Cic. Or.* 1, 34. civitatis s. reipublicae, *Staatsverfassung.*] *Id. Brut.* 44. dicendi. *Id. Fin.* 1, 1. memoriae. *Hirt. B. Alex.* 24. Disciplinis fallacissimis eruditus. *Suet. Cal.* 53. Disciplinae liberales. *Gell.* 15, 17. Disciplina tibiis canendi. *Colum. praef.* 1. ruris, *h. e.* studium rei rusticae. ℙ Item specialis ratio et modus, quo aliquid alicui traditur. *Cic. N. D.* 3, 7. Tres enim trium disciplinarum principes convenistis. *Id. Brut.* 76. Hermagorae disciplina inops ad ornandum, sed ad inveniendum expedita. Adde *Fin.* 3, 11. ℙ [*Deinde i. q. ordo, regula, ad quam quis instituitur, unde saepe i. q. obsequium, (*Zucht, Ordnung, Gehorsam*). *Suet Caes.* 24. legio disciplina cultuque Rom. instituta et ornata. Hinc] speciatim accipitur pro legibus et ratione vivendi, cui subjiciuntur milites. *Liv.* 8, 7. *ad f.* Disciplinam militarem solvere. *et paulo post.* restituere. (Adde *ib.* 32, 34 et 35.) *Hirt. B. Alex.* 65. Dissolvere disciplinam et severitatem. [*Ac de servis: *Tac. G.* 25, 3. non disciplina et severitate, sed impetu et ira. V. intpp. *Suet. Aug.* 65. disc. domus. coll. *Caes.* 48.] ℙ Item universim pro consuetudine, qua quis ex disciplina imbutus est. *Pl. Merc.* 1, 2, 6. Haec hic disciplina pessima est: currenti, properanti, haud quisquam dignum habet decedere. *Ter. Heaut.* 2, 3, 59. Disciplina est eisdem, munerarier Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam. ℙ Haec, quae varia significatione claritatis gratia distinximus, adeo inter se affinia sunt, ut ad unum omnia facile referri possint. Omnis enim institutio et educatio, quatenus est in puero et discipulo, *disciplina* dicitur, quatenus in docente et educante, doctrina, facultas, etc., idem tamen ubique est.

DISCIPLĪNABILIS, e, adj. qui disciplina percipi potest, *διδακτός*. *Auct. ad Her.* 3, 3. Cujus rei aliquam disciplinabilem [*al. *disciplinalem*] scientiam poterimus habere. Alii rectius leg. *disciplinam* aut *scientiam.* [*Omnino. Legitur autem illud voc. apud *Cassiod.* 4, 23. Disciplinales voluntates. Al. leg. *disciplinabiles.*]

DISCIPLĪNABILITER, adv. ex arte et disciplina, artificiose. Est *Cassiodori.* V. PSALTERIUM. [**Sarisb.* 6, 15. Disciplinabiliter eruditus populus. *B. A.*]

*DISCIPLINATĬO, onis, f. et DISCIPLĪNOR, aris, dep. 1. apud *Augustin. B. A.*

DISCIPLĪNATUS, a, um, part. ab inusit. *disciplino*, bonis moribus per disciplinam praeditus. *Alcim. Avit.* 4, 46. de arbore degenerante: Disciplinatos dissuescit promere fructus. *Tert. Fuga in persecut.* 1. *ad f.* Disciplinatior in jejuniis.

DISCIPLĪNOSUS, a, um, adj. qui facile discit. Vox est *M. Catonis*, teste *Gell.* 4, 8. *ad f.* et *Non.* 6, 84., similis aliis ejusdem auctoris, *consiliosus*, *victoriosus.*

DISCIPŪLA, ae, f. quae discit. *Hor. Sat.* 1, 10. *extr.* Discipularum inter jubeo plorare cathedras. *Pl. Aul.* 1, 1, 20. Si respexis, dedam te discipulam cruci, *h. e.* ut ab ea castigere, ut a magistris discipuli. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 43. Irene Cratini pictoris filia et discipula. *Id.* 10, 29, 43. de luscinia: Audit discipula intentione magna et reddit. *Quint.* 12, 10. Latina facundia similis Graecae, ac prorsus discipula ejus videtur.

DISCIPŪLĀTUS, us, m. idem fere quod disciplina. *Tert. Praescript. Haeret.* 22. In discipulatu, in convictu.

DISCIPŪLUS, i, m. *μαθητής*, qui disciplinam ab alio percipit. *Cic. Off.* 1, 1. Orator dulcis, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. *Liv.* 37, 20. Ipse dux summi imperatoris discipulus. ℙ *Discipuli* etiam dicuntur, qui in tabernis vel officinis mercatorum serviunt, et eorum disciplinam addiscunt. Hinc discipulos coquorum *Pl.* memorat *Ps.* 3, 2, 76. et 96. et *Aul.* 3, 1, 4. Hinc *Paul. Sentent.* 8. *tit.* 2. Quod cum discipulis eorum, qui officinis et tabernis praesunt, contractum est, in magistros vel institores actio dabitur. ℙ Translate. *P. Syrus* in *Mim.* Discipulus est prioris posterior dies.

*DISCISSĬO, onis, f. discidium, disjunctio. *Augustin. de Fide et Symbolo* 10. Schismatici discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt. *Id. epist.* 261. Plebis discissione. *B. A.*

*DISCISSŪRA, ae, f. disjunctio. *Ambros. Serm.* 13. Maria ita concepit Dominum, ut toto corpore hauriret, nec ejus discissuram corporis pateretur. *B. A.*

DISCISSUS, a, um, part. a *discindo*, *διάχορος, διαχιζόμενος*, scissus, dilaceratus, discerptus, diffissus, apertus. *Virg. G.* 3, 514. Discissos nudis laniabant dentibus artus. *Stat. Silv.* 1, 1, 11. neque discissis cepissent Pergama muris. *Cic. Div.* 1, 17. Cos discissa novacula. [**Caes. B. G.* 7, 8. altissima nix iter impediebat: tamen discissa nive sex in altitudinem pedum, atque ita viis patefactis etc. V., quibus rationibus firmet hanc scripturam *Herzog.* contra *Oberl.*, qui *discisa* ediderat.] *Curt.* 10, 9. Discissae canis viscera. *Lucr.* 3, 640. Discissa vis animai, *h. e.* disjecta, separata. *Senec. ep.* 89. *a med.* Omnis oratio aut continua est, aut inter respondentem et interrogantem discissa, *h. e.* divulsa, divisa. ℙ [In *Not. Tir.* p. 18. legitur *discisus. F.*]

DISCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. *διακλείω*, seorsim claudo, atque adeo separo. *Virg. Ecl.* 6, 35. Tum durare solum et discludere Nerea ponto. *Cic. Tusc.* 1, 10. Duas separare voluit, iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. *Caes. B. G.* 7, 8. Mons, qui Arvernos ab Helviis discludit. ℙ Item aperio, diffindo. *Lucr.* 6, 238. de fulminibus: et impete tanto Fiant, ut possint ictu discludere turres, Disturbare domos, avellere tigna, etc. *Virg. A.* 12, 782. Discludere morsus roboris. *Macrobium*, qui *Sat.* 6, 4. hoc verbum novum esse et ferire aures scribit, post tantos scriptores, qui illo usi sunt, nihil moror.

DISCLŪSĬO, onis, f. separatio, disjunctio, *διάκλεισις. Appul. de Deo Socr. init.* Non modo loci disclusione, verum etiam, etc.

DISCLŪSUS, a, um, part. a *discludo*, seorsum clusus, separatus. *Varr. R. R.* 3, 17. Ubi dispares disclusos habeant pisces. *Id. L. L.* 4, 7. Aventinus olim paludibus ab reliquis disclusus. *Cic. Tusc.* 1, 33. Perturbationes semotas a mente et disclusas Plato putat.

DISCO, is, didĭci, discitum, a. 3. *μανθάνω*, rem ignotam, aliquo docente, percipio, vel meditando assequor. *Cic. Senect.* 8. Qui Graecas litteras senex didici. *Ter. Heaut.* 5, 2, 18. Disce, quid sit vivere. [**Disce* cum infinito. *Suet. Galb.* 6. disce, miles, militare. *Id. Rhet.* 5. *Lucan.* 5, 331.] *Cic. Fam.* 9, 10. Discere litteras apud aliquem. *Id. Acad.* 4, 30. dialecticam ab aliquo. *Id. Verr.* 2, 1, 45. jus civile. *Virg. A.* 12, 435. Disce, puer, virtutem ex me, fortunam ex aliis. *Ter. Eun.* 2, 2, 30. Coepit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me. *Virg. G.* 3, 414. Disce et odoratam stabulis accendere cedrum. *Caes. B. G.* 1, 13. Se ita a majoribus didicisse, ut magis virtute, quam dolo contenderent. *Sall. Jug.* 107. Didicerat Latine loqui. *Phaedr.* 4, 3. Didici, quam sis utilis. et 18. Ne quis discat prodesse improbis. et 1, 2. Exemplis discimus, a feminis spoliari viros. *Quint.* 5, 10. Discere palaestram. *Plin.* 11, 24, 28. Araneus discit texere. *Cic. Senect.* 8. Discere fidibus. Est autem ellipsis pro *discere canere fidibus. Ov. A. Am.* 3, 315. Discant cantare puellae. ℙ *Discere* dicuntur actores fabularum, sicut poetae ipsi comici *docere* aut *scribere fabulas. Ter. Hec. prol.* 48. Date silentium, Ut lubeat scribere aliis, mihique ut discere Novas expediat. ℙ *Discere* absolute de eo, qui litteras et artem oratoriam didicit. *Cic. Brut.* 71. Vehementer placet, nec vero sine causa. Nam et didicit, et omissis ceteris studiis, id unum egit. [**Id. Or.* 2, 1. si omnino didicisse (i. e. litteris operam dedisse) nunquam putaretur. Etiam de aliis absolute dicitur. *Id. ib.* 42. Cumque discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, sc. juris discendi causa. *Ov. Trist.* 2, 343. Hei mihi, quod didici! quod me docuere parentes, etc. *Id. A. Am.* 1, 428. ne didicisse juvet. V. *Burm.* ad *Petr. Sat.* 58.] ℙ *Didici* aliquando est soleo, assuetus sum: nam quod didicit quis, saepe facere consuevit. *Pl. Amph.* 2, 2, 55. Vera dicere didici. *Lucan.* 4, 239. Ferae hominem didicere pati. *Pareus* affert etiam *fragm. Q. Hortensii.* Contra caput non didici dicere. ℙ Item cognosco, intelligo, rescio. *Cic. Or.* 2, 24. et *Quint.* 12, 9. *extr.* Discere causam. [*Proprie patronus *causam discere* dicitur, qui, quae vel ad accusationem vel ad defensionem scire opus est, e clientis narratione cognoscit. Cliens contra *docet* eum. Sic *Schütz.* in *Clav.*] *Cic. Fam.* 3, 5. Didici ex litteris tuis, te habuisse, etc. [**Id. Fin.* 3, 21, 72. ea, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus. *Id. Acad.* 1, 2. Vides autem eadem ipse; didicisti enim non posse nos Amafanii similes esse etc., i. e. discendo cognovisti, *ἐμαθες*. Sic *Goer.*, quem V.] *Nep. praef.* Hi si didicerint, non eadem omnibus esse honesta etc., non admirabuntur, etc. *Virg. A.* 2, 66. crimine ab uno Disce omnes. *Hor. Od.* 2, 20, 19. Me ultimi noscent Geloni, me peritus Discet Iber. *Virg. A.* 6, 755. et venientum discere vultus. *Ov. Her.* 21, 228. Et discas sponsae languida membra tuae, *h. e.* cognoscas, videas. *Justin.* 14, 2. A quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Plin. prooem. l.* 16. Arbores sive ultro, sive ab homine didicere blandos sapores. *Virg. Ecl.* 4, 42. varios discet mentiri lana colores. ℙ Pro conari, tentare, quia qui discit, conatur. *Virg. A.* 5, 222. et fractis discentem currere remis. Ita interpretatur *Non.* 4, 136. [*Scil. qui discit aliquid, nondum exercitatus est, ejus rei nullum habet usum; ergo conatur.] ℙ Partic. *Disciturus* est *Appuleji fragm.* apud *Prisc.* 10. p. 887. ℙ [*Probabiliter confusa sunt *discere* et *ediscere* ap. *Quint.* 10, 7, 32. ibique intpp. Saepissime substituitur a librariis *dicere*, maxime in perfecto. V. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 3, 326. *Drak.* ad *Liv.* 39, 34, 6. *Goer.* ad *Cic. Fin.* supra l. l. et V. DICO *in f.*]

DISCOBOLUS, i, m. *δισκοβόλος*, qui discum jacit: a *δίσκος*, discus, et *βάλλω*, jacio. Fuit hoc nomine signum Myronis celebris statuarii, eo statu posituque corporis, quem describit *Stat. Th.* 6, 680., [cujusque figuram habes apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. *tab. A. III. edit. Mediol.*, memoratum vero a *Quint.* 2, 13. et *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. *F.*] ℙ Item Naucydis. *Plin. ib. n.* 19., [cujus figura exstat apud *Visc. ib. T.* 3. *tab.* XXVI., accuratam vero illustrationem *ib.* p. 119. *F.*] ℙ Item tabula Taurisci. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 40.

DISCOCTUS, a, um, part. a *discoquo*, valde coctus, plus quam decoctus. *Plin.* 23, 6, 60. Radix decocta succum emittit etc., eadem discocta in aqua, etc., *h. e.* ita cocta, ut resolvatur et deliquescat. *Id.* 22, 25, 70. Lens alvum sistit in cibo; magisque discocta coelesti aqua: eadem solvit minus percocta. *et paulo post.* Lens ex aceto discocta. Adde *Cels.* 6, 9. ℙ Item simpliciter coctus. *Pallad.* 4, 10. *sub f.* Ubi discocta ficus fuerit, in vas fictile conditur. et 1, 29. Discocto farre pascuntur. Al. leg. *decocto.*

DISCOLOR, oris, adj. *ἑτερόχροος*, qui est diversorum colorum. *Mart.* 14, 17. Discolor hic gemino calculus hoste perit. *Cic. Verr.* 1, 2, 13. *extr.* Ut discoloribus signis juratorum hominum sententiae notarentur. *Plin.* 10, 2, 2. Discolores aves. *Varr. R. R.* 3, 17. cerae. ℙ Item colore differens, dissimilis. *Ov. Trist.* 5, 5, 8. Vestis

alba discolor fatis meis. *scil.* quae nigra ac tristia sunt. *Hor. Ep.* 1, 18, 3. Matrona meretrici dispar atque discolor. *Stat. Th.* 9, 338. pelago nec discolor amnis. ℙ Translate. *Pers.* 5, 52. Mille hominum species et rerum discolor usus: Velle suum cuique est, etc. *h. e.* varius.

DISCOLORIUS, a, um, adj. idem quod discolor. *Petr. Sat.* 97. Discoloria vestis.

DISCOLORUS, a, um, adj. idem ac discolor. *Capell.* 4. *init.* Discolora venustate florentibus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 302. Quos lana terret discolora in stipite. Al. leg. *discolor.* [**Symmach. Laud. in Valent. orat.* 2, 1. ed. *Maio*: Discolora serta. *B. A.*]

DISCŌLUS. V. DYSCOLUS.

[DISCONCINNUS, a, um, adj. idem quod inconcinnus. *Front. de orat.* (ed. *Maio*) *ep.* 2. Straboni oculi dispares sunt: potuisse te pares aut impares dicere; disconcinnos hos, illos concinnos dici potuisse; convenientes multo melius. *F.*]

DISCONDŪCIT, impers. non conducit, non prodest. *Pl. Trin.* 4, 2, 85. Sed nihil disconducit huic rei.

DISCONVĔNIENS, entis, part. a *disconvenio*, *Lact. Ira D.* 3. Est disconveniens Deo, ut ejusmodi potestate sit praeditus.

DISCONVĔNIENTIĀ, ae, f. *Tert. Testim. anim.* 6. Suspectam habe convenientiam praedicationis in tanta disconvenientia conversationis.

DISCONVĔNIO, is, ēni, entum, n. 4. *διαφέρω*, non convenio, dissentio. *Hor. Ep.* 1, 1, 99. Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto. et *ib.* 14, 18. disconvenit inter me et te.

*DISCOOPERIO, is, a. 4. *Vulg. Ezech.* 22, 10. Verecundiora discooperuerunt. Adde *Vulg. Levit.* 8, 7. *Hieron. Ep.* 128. *B. A.*

*DISCOOPERTUS, a, um, part. a *discooperio*. *Vulg. Ruth.* 3, 7. *Hieron.* in *Isaj.* 7, 20, 4. Tunc discoopertae sunt nates eorum. *Vulg. Sam.* 2, 6, 30. *B. A.*

DISCŌPHŌRUS, i, m. *διαχοφόρος*, discum ferens. *Hieron. praef. in Daniel. ad f.* vocat *discophorum* Habacuc, qui prandium Danieli, per aera ab Angelo sublatus, portavit, ut habetur *Dan.* 14, 32. Discus enim etiam vas escarium significat. V. DISCUS.

DISCŌQUO, is, oxi, octum, a. 3. valde et diu coquo, *ἀφέψω*, Plus est quam decoquo. Significat enim coquendo resolvere. *Plin.* 22, 25, 72. Discoquere cicer in aqua cum sale. et *ib.* 74. lupinos aqua coelesti. *Id.* 32, 7, 26. Ranarum corda in olei veteris sextario sub aereo testo discoxere, ut infunderent per aurem.

DISCORDABILIS, e, adj. discors, dissentiens. *Pl. Capt.* 2, 3, 42. Inter nos fuisse ingenio haud discordabili.

DISCORDIĀ, ae, f. *διαφωνία*, cordium seu voluntatum dissidium, dissensio, odium. *Cic. Tusc.* 4, 9. Discordia est ira acerbior, intimo odio et corde concepta. *Id. Fin.* 1, 13. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. *Id. Amic.* 7. Dissensiones atque discordiae. *Vell.* 2, 3. Sanare discordias. et *ib.* ferro dijudicare. et *ib.* 126. Summovere discordiam. *Cic. Off.* 1, 25. Inducere seditionem atque discordiam in civitatem. *Id. Mur.* 39. Seditionem ac discordiam concitare. *Tac. H.* 4, 50. Componere discordias. *Cic. Phil.* 1, 1. sedare. *Hor. Epod.* 4, 2. Tecum mihi discordia est. *Sall. Jug.* 10. Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. *Cic. Amic.* 7. Amicitia res contrahit, discordia dissipat. *Ov. Met.* 1, 60. Discordia ventorum. [**Lucan.* 5, 646. ponti. V. *Cort.*] *Id. ib.* 9, 629. mentis, *h. e.* pugna et dissidium variorum affectuum. *Plin.* 18, 25, 57. Eorum unam discordiam ponemus exempli gratia. ℙ In fabulis est Dea, Noctis et Erebi filia, ut *Hygin.* docet *praef. Fabb.* Bellonae et Martis comes, belli, rixae, seditionis, et similium praeses. Narrat *Serv.* ad *A.* 1, 31. cum ad nuptias Pelei Dii plurimi convenissent, et Discordiam secum non admisissent, iratam illam pomum aureum jactavisse, in quo scriptum erat: *hoc est donum Deae pulcherrimae:* ex quo jurgium ortum inter Junonem, Minervam et Venerem, cum sibi quaeque postularet; causamque belli Trojani, multorumque malorum exstitisse. *Virg. A.* 8, 702. Et scissa gaudens vadit Discordia palla. *Petr. Sat.* 124. scisso Discordia crine Extulit ad Superos Stygium caput: hujus in ore Concretus sanguis, contusaque lumina flebant: Stabant aerati scabra rubigine dentes, Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora, Atque inter toto laceratam pectore vestem Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra. *Justin.* 12, 15. *ad f.* Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum Discordiae misisset, ita omnes in aemulationem consurgunt, ut, etc. *μῆλον τῆς Ἔριδος.*

DISCORDIĀLIS, e, adj. *διχοστατικὸς*, discordiam pariens, discordiosus. *Plin.* 37, 10, 74. Hyaenae pelli similem achatem abominantur, discordialem domibus.

DISCORDIŌSUS, a, um, adj. qui discordias et lites serit. *Sall. Jug.* 70. Vulgus Numidarum seditiosum atque discordiosum erat. *Sidon. ep.* 6, 2. *in f.* Discordiosa domus.

DISCORDIS pro discors, dicebant veteres. *Pompon.* ap. *Prisc.* 6. *in f.* Blanda, fallax, impotens, superba, discordis.

DISCORDITAS, atis, f. idem ac discordia, apud veteres. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 216. Ex discorditate cladem importare familiae.

DISCORDO, as, avi, atum, n. 1. *διαφέρομαι*, *ἀντιγνωμονέω*, discors sum, dissideo, dissentio, discrepo. *Cic. Fin.* 1, 13. Intus in animis cupiditates inclusae, inter se dissident atque discordant. et 18. Animus a se ipse dissidens secumque discordans. [**Tac. A.* 1, 10. discordantis patriae remedium.] *Ter. Andr.* 3, 3, 43. Discordant inter se. *Tac. A.* 12, 28. Discordare cum aliquo. *Quint.* 5, 11. Nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. *Hor. Ep.* 2, 2, 193. Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet, et quantum discordet parcus avaro. *Plin.* 25, 7, 35. Jumenta discordantia. ℙ Translate est dissimilem esse. *Quint.* 8, 3. *ante med.* A sermone tenui sublime nitidumque discordat. *Vell.* 2, 53. Fortuna a se discordans, *h. e.* conversa et mutata, ac priori dissimilis. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Ne vox ab oratione discordet. ℙ *Discordantia* absolute apud *Colum.* 2, 2. Qualitatum inter se dissidentium conjunctiones, quas Graeci *συζυγίας ἐναντιοήτων*, nos discordantium comparationes tolerabiliter dixerimus.

*DISCORIO, as, a. 1. corium detraho. *Gloss. Gr. Lat. ἀποδέρω. B. A.*

DISCORS, ordis, adj. *διχογνώμων*, qui corde, *h. e.* voluntate dissidet, dissentiens, contrarius. *Cic. Agr.* 2, 33. *ad f.* Homines contentione et ambitione discordes. *Liv.* 2, 23. Civitas secum ipsa discors. *Id.* 4, 26. Ad alia discordes, in uno consensisse, ne, etc. *Vell.* 2, 37. Filius discors patri. [**Tac. A.* 3, 42. 11, 6.] *Plin.* 23, 1, 19. Discordes medicorum sententiae. *Virg. G.* 2, 459. Discordia arma. *Hor. Od.* 3, 29, 28. Discors Tanais, *h. e.* accolae Tanais ad discordias et bellum propensi. *Id. Ep.* 1, 22, 19. et *Ov. Met.* 1, 433. rerum concordia discors, *h. e.* quatuor elementorum, ex quibus res cunctae constant. *Ov. ib.* 4, 620. Discordes venti. *Paulin. Nolan.* 28, 485. discors agno lupus et tenebris lux. ℙ Item diversus, dissimilis, non conveniens, discrepans. *Curt.* 4, 13. Homines discordes moribus et linguis. *Plin.* 3, 5, 6. Discordes tot populorum linguae. *Id.* 2, 97, 99. Aestus marini tempore discordes, *h. e.* qui non statis, sed incertis temporibus fiunt. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 16. Mixtura generum vini discors. *Hor. A. P.* 374. Symphonia discors. [**Lucan.* 1, 589. monstra, nullo quae semine discors Protulerat natura, i. e. a se ipsa dissentiens et ordinem in foetu formando deserens. Sic *Cort.*, quem V. Apte *ib.* cf. *Martyni Laguna* hos locos: *Manil.* 1, 424. Centauri discordes i. e. monstruosi, sati ex hominibus et bestiis. *Lucr.* 5, 892. discordia membra, V. *Gron.* ad *Senec. Herc. fur.* 93. *Ov. Met.* 8, 133. *Minotaurus* appellatur *foetus discors*, quia monstruosus. ℙ Permutantur a librariis *discors* et *dissors;* V. *Heins.* ad *Sabini epist.* 1, 35. quae legitur in *edit. Burm. tom.* 1. p. 846. coll. Eod. ad *Ov. Met.* 8, 133. Male *dissors* legi vult *Bentl.* in *Hor. Od.* 3, 29, 28., V. supra.]

*DISCRĔBILIS, e, adj. qui discerni potest. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 3, 42. Acuta quaedam vox, sed enim discrebilis et intelligenda. *B. A.*

*DISCRĔDO, is, n. 3. *ἀπιστέω*, non credo. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 3, 58. Quos et cursum agere opinarere, et moveri omnia non discrederes. *B. A.*

DISCRĔPANS, antis, part. a *discrepo*, dissidens, discors, dissimilis. *Solin.* 52. In quantum mores populorum discrepant, habitus quoque discrepantissimus est.

DISCRĔPANTIĀ, ae, f. *διαφορά*, dissensio, discordia. *Cic. Fin.* 3, 12. Majorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse discrepantiam, quam verborum. *Id. Top.* 25. *extr.* Discrepantia scripti et voluntatis. [*Opp. constantiae et aequabilitati vitae et morum. *Cic. Off.* 1, 31. in actiones omnemque vitam nullam discrepantiam conferre debemus.]

DISCRĔPĀTIO, onis, f. idem quod discrepantia. *Liv.* 10, 18. Ea ipsa inter consules discrepatio fuit.

DISCRĔPITO, as, n. 1. frequentat. a *discrepo*. *Lucr.* 2, 1016. Verum positura discrepitant res. *Id.* 3, 804. Quid enim diversius esse putandum est Aut magis inter se disjunctum discrepitansque, quam etc.?

DISCRĔPO, as, avi et ui, n. 1. *διαφωνέω*, *ἀσυμφωνέω*, diverso modo crepare, dissonum esse. *Cic. Off.* 1, 40. *extr.* In fidibus aut in tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet. ℙ Translate est non convenire, discordare, dissentientem, dissimilem, diversum esse. *Cic. Or.* 3, 30. Si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio. [*Restituit *Ciceroni* h. l. *Orell.* alteram formam *discrepuit*, ut jam *Drak.* ad *Liv.* 4, 32, 1. voluerat.] *Non.* 7, 99. legit *discrepuit. Hor. A. P.* 219. Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. *Id. ib.* 152. Primone medium, medione discrepet imum. *Cic. Or.* 3, 50. *extr.* Ipsi sibi singuli discrepantes. *Id. Tusc.* 4, 28. Philosophi de ceteris rebus discrepantes. *Id. Leg.* 1, 10. *extr.* Oratio verbis discrepans, sententiis congruens. *Id. initio Paradox.* Quae non multum discrepant ab opinione populari. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. *ad f.* Neque unquam a tuis consiliis discreparem. *Cic. Fin.* 2, 30. Facta cum dictis discrepant- Et 4, 22. Quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare? *Id. Off.* 3, 21. Ut haec duo verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Eadem dicit, nulla in re discrepat. *Virg. A.* 10, 434. nec multum discrepat aetas, *h. e.* sunt fere aequales. ℙ Absolute. *Liv.* 22, 61. Mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam, quid veri sit, discernere queas. [**Suet. Claud.* 44. ubi autem et per quem dato (veneno mortuus sit) discrepat. *Id. Vit.* 2. sed, quod discrepat, sit in medio. Opp. *convenit.*] ℙ Apud *Vell.* 1, 7. Res multum discrepans auctorum opinionibus, *h. e.* dubia, incerta.

DISCRESCO, scis, crevi, etum, n. 3. valde cresco, *dis* auget, ut in *disamo*, *discrucio*, *discupio*, *distaedet. Lact. Mort. persecut.* 33. *sub f.* Inferior corporis pars, sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat.

DISCRĒTE, adv. *διορισμένως*, separatim, distincte. *Cic. Inv.* 1, 30. *ad f.* Post discrete et electe in genus quodque causae, quid cuique conveniat, ex copia hac digeremus. Al. leg. *descripte.*

DISCRĒTIM, adv. idem ac discrete. *Varr. R. R.* 1, 3. Quoniam discretim de his rebus dicendum est. *Scal.* tamen legit *discretum;* quod rectius videtur, si ejus interpunctionem sequamur. Habet autem *Appul. Met.* 6. p. 173, 36. *init.* Singula Psyche curiose dividit et discretim remota rite componit. *Id. Flor. n.* 9. p. 347, 6. Sigillatim ac discretim.

DISCRĒTIO, onis, f. *διάκρισις*, separatio: a *discerno. Lact.* 7, 12. Quae discretio mors vocatur. *Tryphonin. Dig.* 7, 1, 62. Ne per singula animalia facultatis fructuarii, propter discretionem difficilem, jus incertum sit. Adde *Prud. Ham.* 26. ℙ Item delectus, discrimen. *Auct. decl., quae inscribitur Trib. Marian.* 3. Patere, C. Mari, patiatur tua divina virtus et Romanae ceterum militiae pia discretio.

DISCRĒTIVE, adv. cum discretione et separatione. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1, 2, 43. Nunc discretive dictum est.

DISCRĒTIVUS, a, um, adj. discernendi et separandi vim habens. *Prisc.* 15. p. 1021. et 17. p. 1061. et 1062.

*DISCRĒTOR, oris, m. *Vulg. Interpr. Hebr.* 4, 12. Discretor cogitationum. Adde *Sarisb.* 2, 28. V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 3, 79. *B. A.*

[DISCRĒTORIUM, ii, n. discrimen, id quod discernit et separat. *Coel. Aur. Tard.* 2, 12. Fluores difficiles curatione judicantur et magis, si ex diaphragmate, quod nos jamdudum discretorium dicimus. *F.*]

DISCRĒTUS, a, um, part. a *discerno*, *διακεχωρισμένος*, secretus, separatus. *Liv.* 27, 39. *ad f.* Duae urbes magno inter se maris terrarumque spatio discretae. *Hor. Od.* 2, 13, 23. Sedes discretae piorum. *Plin. ep.* 2, 6. Quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. *Quint.* 6, 1. Partitio est singulorum in partes discretus ordo. *Ov. Met.* 324. septem discretus in ostia Nilus. *Id. Fast.* 2, 194. discretas insula rumpit aquas. *Stat. Th.* 5, 559. saxum, quo discretus ager. *Plin. ep.* 4, 19. Eadem, si quando recito, in proximo, discreta velo, sedet. *Plin. alter* 5, 14, 15. Peraea a ceteris Judaeis Jordane amne discreta. *Id.* 2, 11, 8. Tanto discretus intervallo. *Id.* 33, 2, 7. Decuriae pluribus discretae nominibus. *Vitr.* 5, 8. *sub f.* Vox ingreditur ad aures discreta verborum claritate.

DISCRĪBO pro describo scribi volunt, nonnulli [*citra necessitatem] apud *Cic. Senect.* 2 etc. quoties distributionem ac divisionem notat. [Ita etiam legitur in *Not. Tir.* p. 10. *F.* *Et sic cum ed. *Parei* et *Bipp.* scribi vult *Lünem.* in lexico apud *Ter. Ph.* 5, 7, 30. Ego discripsi porro illis quibus debui, i. e. singulis illis, quibus debebam, perscripsi, *ich habe meinen (verschiedenen) Schuldnern Anweisungen gegeben.* Vulgo scribitur *perscripsi.* Codd. in h. l. accuratius excutiendi sunt. Defendit etiam h. v. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 12, 1. qui *discribere*, inquit, est *diversis distribuere*, laudans *Cic. Q. Fr.* 1, 1. vectigal, quod iis aequaliter Sulla discripserat. *Id. Verr.* 2, 5, 25. pecuniarum summas. *Id. Phil.* 5, 8. bona comitibus. Sed in omnibus his locis nunc scribitur *describere*, ut quod et ipsum illam significationem habeat.]

DISCRĪMEN, inis, n. id, quod res una ab alia discernitur, divisio, separatio, quasi *discernimen*, *διάκρισις*, *διαφορά*. *Cic. Agr.* 2, 32. de Corintho: Ut duo maria paene conjungeret, cum pertenui

discrimine separarentur, *h. e.* brevi intervallo Isthmi, quo Ionium ab Aegaeo mari separatur. *Ov. Pont.* 1, 8, 61. minimum quos inter et hostem Discrimen murus clausaque porta facit. *Lucan.* 5, 75. de Parnasso: Hoc solum, fluctu terras mergente, cacumen Eminuit pontoque fuit discrimen et astris. *Virg. A.* 5, 154. post hos aequo discrimine Pistris Centaurusque locum tendunt superare priorem, *h. e.* pari intervallo et spatio atque adeo aequali celeritate. [**Plin. Pan.* 58, 1. continuatis consulatibus longum quendam et sine discrimine annum facere; scil. nominibus CSS. singuli anni distinguebantur.] ℙ Dicitur de intervallis dentium. *Quint.* 12, 10. *ante med.* de *F* littera: Inter discrimina dentium efflanda est. ℙ Et de fissura ungulae in quadrupedibus. *Colum.* 5, 15. *extr.* et *Plin.* 11, 45, 105. ℙ Et de divisionibus aciei. *Curt.* 4, 12. *ad f.* Caligo agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. ℙ Item de divisione capillorum. *Ov. A. Am.* 2, 302. Compositum discrimen erit, discrimina lauda. [*V. *Burm.* ad h. l., qui legi mavult ex uno cod. *cum positum discrimen erit.*] *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 102. haec morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat. ℙ Et de sulcis et areolis, quibus terra culta dividitur. *Colum.* 10, 95. puro discrimine pectita tellus, Deposito squalore nitens sua semina poscit. ℙ Et de variis lyrae chordis, quae singulae diversum sonum edunt. *Virg. A.* 6, 646. Obloquitur numeris septem discrimina vocum. ℙ *Medium discrimen luci* apud *Grat. Cyneg.* 486. est medium in luco spatium arboribus vacuum, quo una veluti pars silvae ab altera dividitur. ℙ Frequentissime ponitur pro quacumque diversitate ac differentia. *Cic. Balb.* 21. *extr.* Sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes, ut illi vivi fruantur opibus suis, horum etiam mortuorum vivat auctoritas. *Id. Verr.* 2, 2, 50. Omnia jura pretio exaequavit, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulit. *Id. Planc.* 4. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. *Virg. A.* 1, 578. Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. *Suet. Aug.* 32. Rapti per agros viatores sine discrimine. *Sall. fragm.* apud *Non.* 4, 128. Nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine. *Lucil. ib.* Et amabat omnes: nam discrimen non facit. [**Quint.* 10, 2, 10. res simplicissimae, quaeque maxime pares videntur, utique discrimine aliquo discernuntur. *Liv.* 34, 54, 5. omnia discrimina, quibus ordines discernerentur.] *Id. Decl.* 5, 13. Facere aliquod discrimen de liberis. *Justin.* 29, 2. *extr.* Facere bello discrimen imperii, *h. e.* bello id efficere, ut videatur, utrum imperium majus ac potentius sit. *Liv.* 10, 28. Nec dum discrimen fortuna fecerat, qua datura vires esset. *Id.* 5, 46. Adeo regebat omnia pudor, discriminaque rerum, prope perditis rebus, servabant. *Quint.* 12, 10. *a med.* Servare discrimen personarum. *Plin.* 37, 13, 77. Facere discrimen rerum. *Inscr.* ap. *Grut.* 823, 8. L. Junius Avitus optumae conjugi, cum qua vix. an. IX. dulciter sine ullo discrimine, *h. e.* dissensione. ℙ Item saepissime pro periculo, nempe quia illud omne significat, quo ab exitio, morte, gravi damno exiguo intervallo dividimur. *Cic. Phil.* 7, 1. Adducta est res in maximum periculum et extremum paene discrimen. (*Liv.* quoque 3, 18. *periculum discrimenque* conjunxit. Sic *Tac. H.* 1, 68. Ante discrimen feroces, in periculo pavidi. *Liv.* 8, 24. *a med.* Quid in tanto discrimine periculi cunctaretur, interrogans.) *Id. Rosc. Am.* 6. Cum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret. *Id. Or.* 1, 1. Devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen. *Caes. B. G.* 6, 37. Res est in summo discrimine. *Cic. Sull.* 28. In extremo discrimine ac dimicatione fortunae. *Id. Sext.* 20. Adducere aliquem in discrimen vitae. et *Divin. Verr.* 22. existimationis. *Id. Att.* 7, 1. *circa med.* Incidere in discrimen. *Id. Sext.* 1. Se et salutem suam in discrimen offerre pro aliquo. *Brut.* ad *Cic.* inter *ep. ad Brut.* 1, 12. Maximo in discrimine respubl. versatur. *Id. Dom.* 9. *extr.* Summus vir, saepe ad extrema reipubl. discrimina delectus. *Id. Fam.* 7, 2. Cum omnis respubl. in meo capite discrimen esset habitura. *Liv.* 29, 7. In majori discrimine rem verti. [**Id.* 8, 24, 12. quid in tanto discrimine periculi cunctaretur? Ubi V. quos laudat *Duker.*] *Cic. Phil.* 14, 1. Totius belli discrimen in hujus viri fortissimi vita positum est. *Justin.* 41, 2. et *Curt.* 8, 11. Subire discrimen. *Curt. ib.* 10. tentare. et 5, 4. experiri. et 8, 14. Ruere in medium discrimen. *Tac. H.* 2, 60. Adire discrimen. et *ib.* 40. mittere. *Id. A.* 2, 11. Dare in discrimen. et *G.* 12. Discrimen capitis intendere. Sic *Cic. Dejot.* 1. Adducere aliquem in discrimen capitis. [**Quint.* 6, 4, 17. Instant enim et saepe omne discrimen committunt. Varie hoc explicant intpp. *Spald.* apte comparat illud *Livii* 4, 27, 6. rem in casum committere, (ubi V. *Drak.*) explicans *omne discrimen* per *totius causae momentum*, *diremtionem*. Similius etiam est apud *Eund.* 8, 32. utrum resp. in discrimen committenda fuerit. coll. 10, 27. et *Virg. A.* 10, 70.] ℙ Sequentibus particulis, *utrum*, *an*, peculiarem habet significationem. *Cic. Phil.* 3, 11. Res in id discrimen adducta est, utrum ille poenas luat, an nos serviamus. *Id. Quint.* 30. Res in discrimen versatur, utrumne possit se defendere, an, etc. Al. leg. *discrimine.* [*Sic recte *Orell.*] *Liv.* 29, 17. In discrimine est nunc humanum genus, utrum vos, an Carthaginienses principes orbis terrarum videat. *Id.* 8, 35. Quae in discrimine fuerunt, an ulla post hanc diem essent. *Curt.* 4, 9. *sub f.* Audaciae quoque ratio minui potest, quia nunquam in discrimen venit, an temere fecisset.

***DISCRIMINĀLE**, is, n. acus, qua crines dividuntur ad concinnandum caput, Graece *καλαμίς*. *Vulgat. Esai.* 3, 20. Discriminalia et periscelides et muraenulas et olfactoriola. V. *Hieron. adv. Ruf. fin.* 3. *B. A.*

DISCRĪMĪNĀLIS, e, adj. *Discriminalis acus* apud *Hieron. in Ruf.* 3, 42. est discerniculum.

DISCRĪMĪNĀTIM, adv. cum discrimine, *διαχωρίδον*. *Varr. R. R.* 1, 7. Sunt quae non possunt vivere, nisi in loco aquoso, aut etiam in aqua: et id discriminatim, ut alia in lacubus, alia in fluminibus, alia in mari.

DISCRĪMĪNĀTĬO, onis, f. discretio, divisio. *Diomed.* 1. p. 306. Nomen est, quo Deus aut homo propria discriminatione pronunciatur. ℙ [*Est et Discriminatio figura rhetorica, quae et *Paradiastole* vocatur. V. *Paradiastole. B. A.*]

DISCRĪMĪNĀTOR, oris, m qui discernit. *Augustin. Tract. in Joann.* 20, 12. Ipse (animus) considerator istorum omnium, discriminator, distinctor et quodammodo appensor in libra sapientiae. *Appul. de Mundo* Axis divisor et discriminator mundi. Alii [**ed. Vulc.* p. 3. et ed. *Elm.* p. 57, 24.] rectius leg. *disterminator.* V. DISTERMINATOR. [*Permutantur vv. *discrimino* et *distermino* etiam alibi. V. *Heins.* ad *Claud. in Rufin.* 1, 175. ad quem provocat *Drak.* ad *Liv.* 21, 4, 6.] ℙ [Idem esse videtur ac criminator. *Tert. ad Nat.* 1, 10. *ad f.* Nam etsi idcirco damnatus est Socrates, cum poenituerit Athenienses damnationis, discriminatores quoque impenderit (*corrige* impenderint); restituitur testimonium Socrati. Haec eadem aliis verbis habet *Id. Apol.* 14. Tamen cum poenitentia sententiae Athenienses criminatores Socratis postea afflixerint, etc. *F.*]

DISCRĪMĪNĀTRIX, icis, f. quae discriminat et discernit. *Nazar. Paneg. ad Constantin.* 7. Illa vis fandi ac nefandi discriminatrix, quae omnia meritorum momenta perpendit.

DISCRĪMĪNĀTUS, a, um, part. a *discrimino*, distinctus. *Liv.* 21, 4. Vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora.

DISCRĪMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀφορίζω*, *διορίζω*, discrimine separo, discrimen facio, distinguo. *Varr. L. L.* 8, 59. Cum analogiae sui cujusque temporis verba debeant discriminare. *Cic. Phil.* 12, 9. Cassia via Etruriam discriminat. *Senec. ep.* 95. *ad f.* Notae, quibus inter se similia discriminentur. *Plin.* 11, 37, 61. Continuorum dentium qui digerunt cibum, lati et acuti; qui conficiunt, duplices; qui discriminant eos, canini, *h. e.* separant duplices a latis. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 89. nodus, qui sublevat ensem, Album puniceo pectus discriminat ostro. *Varr. R. R.* 1, 23, Nec minus ea discriminanda in conserundo, quae sunt fructuosa propter voluptatem, ut quae pomaria ac floralia appellantur. ℙ [*Permutatur h. v. cum *distermino*. V. DISCRIMINATOR.]

***DISCRĪMĪNOSĒ**, adv. cum discrimine. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 2, 31. In Cydnum una cum armis praecipitat ponte, ac natabundus exit: valetudinem tamen discriminosus vicerat. *B. A.*

DISCRŪCĬĀTUS, a, um, part. a *discrucio*, valde cruciatus. *Cic. Phil.* 13, 18. Si posset, etiam Brutum, Cassium discruciatos necaret.

DISCRŪCĬĀTUS, us, m. cruciatus. *Prud. Ham.* 836. Vermibus et flammis et discruciatibus aevum Immortale dedit.

DISCRŪCIO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνιάω*, valde crucio, torqueo. Fere passive usurpatur, et ad animum refertur. *Pl. Cas.* 2, 3, 58. Ego discrucior miser amore. *Cic. Rosc. Com.* 11. Quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur. *Id. Att.* 14, 6. Discrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri. *Ter. Ad.* 4, 4, 1. Discrucior animi, hoccine de improviso mali mihi objici. *Pl. Aul.* 1, 2, 27. Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi. [*coll. *Mil.* 3, 1, 124.] *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 572. Quid murmurillas tecum et te discrucias?

DISCŪBĬTĬO, onis, f. locus, in quo discumbitur epulandi causa, idem quod accubitum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1985, 2. Pro salute Dom*ini Nostri* Imp. L. Sept*imii* Severi Aug. totiusque domus ejus, Aufaniis matronis, et matribus Pannoniorum, et Dalmatarum Ti. Cl*audius* Pompejanus Trib. Mil. Leg. I. Min. loco exculto cum discubitione, et tabula *votum solvit.* V. ACCUBITUM et STIBADIUM.

DISCŪBĬTUS, us, m. discumbendi actus. In sexto casu singulari *Val. Max.* 2, 1. *n.* 9. Ne senioris adventum discubitu praecurrerent.

DISCŪBO, as, ui, itum, n. 1. legitur apud lexicographos, sed exempla, quae afferuntur, ad *discumbo* referri possunt, cum quo commune habet praeteritum.

[**DISCULPTUS**, a, um, part. ab inusit. *disculpo*, laceratus. *Tert. Pall. de Alex. M.* 4. Pectus squamarum signaculis disculptum, textu pellucido tegendo, nudavit. Alii leg. *discalptum. F.*]

DISCUMBO, is, ubui, ubitum, n. 3. *ἀναπλίνομαι*, *ἀνάκειμαι*, mensae accumbo: quo de more in ACCUMBO dictum est. [*Proprie de multitudine tantum dici potest, quae ad diversos lectulos discedit. V. locos *Suet. Caes.* 48. *ab in.* et *Cal.* 45. Interdum tamen, ut *ib.* docet *Brem.*, de singulis dicitur, ut *Aug.* 74. *Cal.* 37. Cf. infra locum *Curtii.*] *Cic. Att.* 5, 1. Discubuimus omnes praeter illam, cui tamen Quintus de mensa misit. *Virg. A.* 1, 712. toris jussi discumbere pictis. *Ov. Met.* 12, 211. positis ex ordine mensis, Arboribus tecto discumbere jusserat antro. *Stat. Silv.* 4, 2, 33. Discumbere mensis. *Tibull.* 2, 5, 95. in herba. *Petr. Sat.* 22. Alii circa pedes discumbentium sparsi jacebant. *Curt.* 8, 5. Cum quibus cum discubuisset rex, paulisper epulatus, convivio excessit. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Discumbitur: fit sermo inter eos et invitatio, ut Graeco more biberetur. *Virg. A.* 1, 704. stratoque super discumbitur ostro. *Gell.* 3, 19. Apud coenam Favorini cum discubitum fuerat, etc. ℙ Item dormiendi causa decumbere. *Cic. Inv.* 2, 4. Simul coenare, et in eodem loco somnum capere voluerunt: coenati discubuerunt ibidem. *Pl. Merc. prol.* 99. Discubitum noctu ut imus, ecce, etc.

DISCŪNĔĀTUS, a, um, adj. apertus, ac patens: a *cuneus. Plin.* 9, 30, 48. Conchae se contrahunt, sed frustra, discuneatae, *h. e.* quasi immisso cuneo diductae et patefactae. Loquitur de conchis, cum polypi iis insidiantes lapillum injiciunt, quo carnes securi extrahant. [*DISCUNEATIO et DISCUNEATOR apud *August.* legi dicuntur. *B. A.*]

DISCŪPĬO, is, a. 3. *ἐπιθυμέω*, valde cupio. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Te videre, et omnia intima conferre discupio. *Pl. Trin.* 4, 2, 87. Discupio dicere. *Catull.* 106, 2. Discupere vendere.

DISCURRO, is, curri, et cucurri, cursum, n. 3. *διατρέχω*, huc illuc curro, percurro. *Liv.* 1, 9. Signo dato, juventus Romana ad rapiendas virgines discurrit. *Hirt. B. Alex.* 31. Trepidantes in omnes partes discurrere coeperunt. *Val. Fl.* 6, 203. Discurrere equis. *Ov. Fast.* 2, 285. in montibus altis. *Caes. B. C.* 3, 105. Ut in muris armata civitas discurreret. *Petr. Sat.* 114. Discurrunt nautae ad officia trepidantes. *Virg. A.* 12, 577. Discurrunt alii ad portas. *Suet. Cal.* 32. Victor cum palma discucurrit. *Curt.* 4, 15. Victores Persas ad praedam discurrisse. *Id.* 3, 8. *a med.* Festinatio discurrentium. *Virg. G.* 4, 292. de Nilo: Et diversa ruens septem discurrit in ora. *Plin.* 11, 37, 69. Ex hoc fonte duae grandes venae in priora et terga discurrunt. *Id.* 33, 3, 12. Discurrant catenae circa latera. *Id.* 37, 1, 3. Discurrentes maculae in gemma. *Id* 13, 21, 37. Rugosae incisurae discurrunt per tota folia. ℙ Passive impersonaliter. *Virg. A.* 11, 468. Ilicet in muros tota discurritur urbe. *Senec. ep.* 95. *ante med.* Turba ministratorum, per quos signo dato, ad inferendam coenam discurritur. ℙ Translate. *Ov. Rem.* 443. Secta bipartito cum mens discurrit utroque. *Curt.* 4, 1. Fama strenue tota urbe discurrit. ℙ Pro disserere, loqui, ut *διελθεῖν* apud Graecos. *Ammian.* 17, 4. Super quo nunc, quia tempestivum est, pauca discurram. ℙ [*Permutantur *discurrere* et *decurrere*. V. *Bentl.* et *Cort.* ad *Lucan.* 4, 733. et *Drak.* ad *Liv.* 21, 33, 4.]

DISCURSĀTĬO, onis, f. actus discursandi, discursus, *διαδρομή*. *Senec. Brev. vitae* 3. Officiosa per Urbem discuratio. Al. leg. *discursitatio. Front. Strateg.* 1, 5. *extr.* Magna discursatione. *Lact. Opif. Dei* 3. *extr.* Avium per aerem libera discursatio.

DISCURSĀTOR, oris, m. qui discurrit. *Ammian.* 16, 12. Iisdem sparsim miscuere pedites discursatores et leves. *Id.* 29, 5. Hostis discursator et repentinus.

DISCURSIM, adv. discurrendo. *Macr. Sat.* 7, 1. *init.* Discursim variantibus poculis. Al. leg. *discursum.* [*Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 1, 65. Ipse vero cum mille funditoribus totidem obire discursim. *B. A.*]

DISCURSĬO, onis, f. idem ac discursus. *Lact. Opif. Dei* 3. Totos dies in discursione consumunt. Al. leg. *discursatione.*

DISCURSĬTĀTĬO. V. DISCURSATIO.

DISCURSO, as, avi, atum, n. 1. frequentat. a *discurro. Quint.* 11, 3. de oratoris gestu et actione: Discursare ineptissimum. *Id.* 6, 3. *ante med.* Multum in agendo discursans. *Flor.* 3, 18. Duce et auctore belli discursante Popedio.

[**DISCURSUS**, a, um, part. a *discurro*, per-

cursus. *Ammian.* 29, 5. Discursis magnis itineribus. *F.*]

DISCURSUS, us, m. *διαδρομή*, actus discurrendi, discursatio. *Hirt. B. G.* 8, 29. Magno clamore discursuque passim se fugae mandant. *Ov. Fast.* 2, 223. Sic Fabii latis vallem discursibus implent. *Val. Fl.* 5, 428. discursibus et jam deficit. *Lucan.* 3, 640. Discursus animae diversa in membra meantis. *Plin.* 32, 2, 5. Lupus piscis ut haesit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera. *Id.* 17, 20, 33. Inter se radices serpunt mutuoque discursu nentur. *Id.* 16, 15, 26. Acer arbor crispo macularum discursu. *Id.* 34, 12, 29. Lapis gracili venarum discursu. *Id.* 14, 1, 3. Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate, amplo discursu atria media complentes. *Val. Max.* 3, 1. *n.* 1. Discursus telorum. ℙ Translate. *Juven.* 1, 85. Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli, *h. e.* discursationes, conatus, labores ad opes aut dignitates adipiscendas. Adde *Plin. ep.* 8, 23. ℙ Pro sermone, dissertatione. *Macr. Sat.* 7. *initio.* Mensis post epulas jam remotis et discursum variantibus poculis. Al. leg. *discursim. Imp. Constantin. Cod. Theod.* 9, 24, 1. Redempti discursus, *h. e.* collocutiones cum puella.

DISCUS, i, m. *δίσκος*, orbis rotundus, lenticulari forma, lata et plana figura, (et, ut quidam falso docent, in medio perforatus) ferreus vel aeneus aut lapideus, gravis ponderis, quem in altum manibus jactantes, se exercebant ludebantque, victore, qui altius, seu potius longius projecisset: quod genus exercitationis a Graecis et praecipue Spartanis, Latini sumpserunt. V. *Hieron. Mercurial. art. gymnast.* 2, 12. et *Petr. Fabri Agonist.* 2, 1. *Hor. Od.* 1, 8, 11. saepe disco, Saepe trans finem jaculo Nobilis expedito. *Prop.* 3, 12, 10. Missile nunc disci pondus in orbe rotat. *Ov. Met.* 10, 177. Inire certamina disci. *Mart.* 14, 164. Splendida cum volitent Spartani pondera disci, Este procul pueri: sit semel ille nocens. Adde *ib.* 173. Innuit autem utroque loco fatum Hyacinthi pueri ab Apolline imprudente, jactu disci interempti: de quo *Ov. Met.* 10, 162. et *seqq.* Certamen disci describit *Stat. Th.* 6. *a vers.* 646. V. DISCOBOLUS. ℙ *Discum audire malle quam philosophum*, proverbium est apud *Cic. Or.* 2, 5. de iis, qui ludum et levia rebus gravissimis anteponunt. ℙ A figurae similitudine *discus* est apud *Vitr.* 9, 9. *ein Quadrant.* ℙ Item lanx, disci figura similis, cibis continendis. *Appul. Met.* 2. p. 125, 20. Coenarum reliquiis discus ornatus. *Augustin. enarr. in Psalm.* 96. discum appellat linteum illud, quod per visum Petro oblatum fuit, variis animalibus refertum.

DISCUSSĔ, adv. cum examine. *Capell.* 9. *circa init.* Ab ipsa virgine explorandae discussius.

DISCUSSĬO, onis, f. actus discutiendi, concussio. *Senec. Qu. Nat.* 6, 19. In dolio cantantis vox per totum cum quadam discussione percurrit et resonat. ℙ Translate est scrutatio, examen. *Macr. Somn. Scip.* 1, 16. Sequitur illa discussio, quid sit etc. *Symm. ep.* 5, 74. (al. 76.) Bonoso optimo viro, discussionem pontis ac basilicae novae praeceptio Augusta mandavit. *Imppp. Valens Valent.* et *Gratian. Cod.* 10, 30, 1. Inique discussionem fuisse confectam. Adde *Firmic. Mathes.* 3, 12. *n.* 6. et V. v. seq.

DISCUSSOR, oris, m. qui discutit: et translate qui scrutatur, perpendit, examinat. *Macr. Somn. Scip.* 1, 21. Diligens rerum discussor inveniet, quod requirat. [**Ennod. ep.* 4, 13. Novit Deus, discussor sensuum, *ὁ καρδιογνώστης. Claud. Mamert. de statu animae* 1, 1. *extr.* Quis ferat cogitata sua, si discussor absit, adstruere, si adsit, operire? *B. A.*] ℙ In *Cod.* 10, *tit.* 30. *discussores* sunt ii, qui rationes fisci vel reipublicae in provinciis per alios tractatas recognoscebant exigebantque, ne quid fraudis committeretur. [**Adde *Cassiod.* 4, 38. et 9, 10. *Symm.* 5, 76. et 10, 54. ℙ *Vet. Gloss. λογοθέτης*, Ratiocinator, Discussor, Disputator. *B. A.*]

DISCUSSŌRĬUS, a, um, adj. qui discutit, ut Vis discussoria. *Plin.* 30, 8, 22. Cinis inanium cochlearum discussoriam vim habet. V. infra DISCUTIO, quomodo a medicis adhibeatur.

DISCUSSUS, a, um, part. a *discutio*, *διαφορηθείς. Virg. A.* 12, 669. Discussae umbrae. *Lucan.* 5, 700. Discussa nox. *Stat. Silv.* 5, 3, 282. plebs. *Val. Fl.* 5, 175. nix. *Ov. Met.* 15, 70. nubes. Et *ib.* 5, 292. ossa oris. *Virg. A.* 9, 810. Discussaeque jubae capiti. *Cels.* 2, 17. febres. ℙ Translate. *Val. Fl.* 4, 700. Discussa formido. *Lucr.* 4, 994. Discussi terrores. *Lucan.* 1, 119. Morte tua discussa fides, *h. e.* dissoluta. [Damnat hanc scripturam *Bentl.* et assentitur *Mart. Laguna.* Foedus enim, inquit, amicitia, fides scinduntur et discinduntur, non discutiuntur. Legi igitur jubent *discissa.*] *Curt.* 8, 6. Animi corporisque sopore discusso. *Petr. fr. Trag.* 73. *Burm.* Discussa ebrietas.

DISCŪTĬO, ŭtis, ussi, ussum, a. 3. *διασείω*, in omnes partes concutio, huc illuc jacio, dissipo, dispello, disjicio, everto: a *dis* et *quatio. Caes. B. C.* 2, 9. et *Liv.* 21, 12. Ne saxa ex catapultis latericium murum discuterent. *Ov. Met.* 2, 625. dextra libratus ab aure Tempora discussit claro cava malleus ictu. [**Id. ib.* 4, 517. discutit saxo ossa. V. *Burm.*] *Lucr.* 6, 417. de Jove: delubra, suasque Discutit infesto praeclaras fulmine sedes. *Juven.* 10, 145. sterilis mala robora ficus Discutiunt saxa, *h. e.* diffindunt, laxant et disjiciunt. *Lucil.* ap. *Non.* 6, 41. Atque im Percutio dentes- que adversos discutio omnes, *h. e.* excutio. [**Lucan.* 6, 210. et haerentis mota cute discutit hastas. Ubi V. *Cort.*, qui de h. v. permutatione cum *decutio* agit, coll. ad 2, 685. 6, 82. 210.] *Plin.* 28, 8, 29. Percussam aquam discuti, ut quae intus sint, omnia appareant. *Id.* 18, 35, 84. Contectus ignis ex se favillam discutit. *Prop.* 3, 8, 13. pura somnum tibi discute lympha. [**Cf. *Broukh.* et *Burm.*] *Virg. G.* 3, 357. sol discutit umbras. *Plin.* 11, 17, 18. Dimicatio apum injectu pulveris aut fumo discutitur, *h. e.* separatur, dirimitur. ℙ Frequentis est usus apud medicos, quibus *discutere* est collectum aliquid in corpore digerere, dissolvere, exinanire, antequam ad suppurationem veniat. *Cels.* 5, 11. Ad discutienda ea, quae in corporis parte aliqua coierunt, maxime possunt abrotonum, helenium etc. *Scribon. Comp.* 264. Malagma discutit vomicas aut aperit. Et 43. Discutere parotidas. Et 214. duritiem. Et 263. strumas. Adde *Plin.*, qui *Hist. nat.* mille paene locis hoc sensu usurpat. Huc et illa pertinent *ejusd.* 20, 9, 34. Discutere crapulam. Et *ib.* 6, 21. ebrietates. Et 23, 1, 27. fastidia. Et 35, 15, 51. concretum sanguinem. Et 30, 15, 47. coagulationem lactis. *Id.* 23, 4, 40. sudores, i. e. efficere, excitare. *Cels.* 3, 15. *ad f.* febrem. *Id.* 4, 2. dolorem. ℙ Translate elegantes habet usus, dispellendi, removendi, tollendi. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Si ad Lepidum venissem, omnem ejus cunctationem discussissem. *Cic. Att.* 2, 24. *ad f.* Modo caedem timueramus, quam oratio fortissimi senis discusserat. *Id. Mur.* 39. Periculum consilio discutere et comprimere. *Id. Acad.* 4, 15. Ut occurrere possimus interrogationibus eorum, captionesque discutere. Paulo ante *captiones dissolvere* dixerat. *Id. Or.* 3, 57. Discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda. *Cels.* 3, 18. *circa med.* Discutere tristes cogitationes. *Lucr.* 1, 148. terrorem animi. *Plin.* 28, 7, 23. metum. *Tac. H.* 2, 9. Gliscentem in dies famam fors discussit. *Val. Max.* 5, 6, 4. *extern.* Discutere injuriam. *Suet. Caes.* 79. infamiam affectati regii nominis. *Id. Domit.* 2. Discussa res est, i. e. irrita facta est, [**nos: *die Sache zerschlug sich.* Saepe ita loquitur *Liv.*, ut 34, 56. 41, 25. 42, 12. etc. *Id.* 38, 13. discussa est disceptatio. V. Similia in *Gloss. Liv.*] *Curt.* 3, 8. *extr.* Destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discussit, *h. e.* turbavit, impediit, irrita reddidit. *Vell.* 2, 48. Coalescentis conditiones pacis discutere ac rumpere. *Flor.* 3, 18. Nefas proditione discutere, *h. e.* detegere et irritum reddere. *Prop.* 2, 20, 20. mihi discussit talia visa metus. ℙ Pro dissipare, in fugam dare, disjicere. *Cic. Dom.* 21. Eorum advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti. *Liv.* 2, 28. Discutere coetus nocturnos. *Justin.* 2, 15. consilia proditionis. *Vell.* 2, 81. seditionem. Et *ib.* 75. Bellum sepelire atque discutere. *Flor.* 3, 18. *sub f.* Cato discutit Etruscos, Gabinius Marsos. ℙ Apud *Paul. Dig.* 24, 1, 2. discutere matrimonia est dissolvere. Al. tamen leg. *distrahere. Cajus ib.* 2, 2. Discutere sponsalia. ℙ Si quis velit uti hoc verbo pro examinare habet aliquid, quo se tueatur, in *Discusse*, *Discussio* et *Discussor.* ℙ [**Probabiliter hoc verbum restituendum esse pro *discingere* monstrat *Drak.* ad *Sil.* 7, 153.]

DISDĬĀPASON. V. DIAPASON.

DĬSĒMUS, *δίσημος*, duo signa seu duas syllabas habens. *Capell.* 9. p. 330. Disemus appellatur pes, qui per arsim et thesim primus constare dicitur, ut est *Leo.* ℙ Hinc *trisemus*, *tetrasemus*, *pentasemus*, tres, quatuor, quinque syllabas habens. *Id. ib.*

DĬSERTĒ, adv. distincte, expresse, plane, *σαφῶς*, *διαρρήδην. Pl. Amph.* 2, 1, 30. Satin' hoc plane, satin' diserte, here, nunc videor tibi locutus? *Liv.* 21, 19. In Lutatii foedere diserte additum est, id ita ratum fore, si etc. *Id.* 39, 28. *ad f.* Disertissime planissimeque in eo scriptum est. Adde *Afran.* ap. *Non.* 11, 2. ℙ Item facunde, eloquenter, *ἐλλογίμως. Cic. Or.* 1, 10. *sub f.* Ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris. *Mart.* 3, 38. Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso. [***Auct. dial. de Orat.* 26. oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicuntur. V. totum locum.]

DĬSERTIM, adv. idem quod diserte, plane, expresse. *Pl. Stich.* 1, 3, 87. Disertim id fuit nomen tibi. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 11, 3. Mihi narrato omnia disertim. Adde *Titin. ib.* et *Fest.*

DĬSERTĬONES, divisiones patrimoniorum inter consortes. *Festus*, ubi notat *Scalig.* antique dictum esse pro *dissortiones*, [**opponique *consortiones.* V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 8, 12.]

DĬSERTĬTŪDO, inis, f. facultas diserti hominis, facundia, eloquentia. *Hieron. ep.* 50. *n.* 5. Det nobis occasionem respondendi disertitudini suae. *Id. adv. Joann. Jerosol.* 13. Nisi tibi disertitudinis tuae fluvius inundasset. Adde in *Rufin.* 3. *n.* 6. Ubique autem per irrisionem et contemptum loqui videtur.

DĬSERTUS, a, um, adj. *λόγιος*, facundus: a *disero*, ut *Festus* docet. *Varro* quoque, ut olitor (inquit *L. L.* 5, 7.) disserit in areas sui cujusque generis res, sic in oratione qui facit, disertus. [**Alii derivari volunt ab antiquo voc. ARO, Gr. *ΑΡΩ*, unde supersunt vocc. *artus*, *articulus*, *arma.* Commendari videtur haec etymologia loco *Terentii* infra allato, ubi videtur *disertus* esse is, qui aliquid commode et ingeniose facit.] ℙ Differt ab eloquente. Nam *disertus* est ille (inquit *M. Anton.* ap. *Cic. Or.* 1, 21.) qui potest satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere; *eloquens* vero, qui mirabilius et magnificentius augere potest atque ornare quae velit, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertineant, fontes animo ac memoria continet. Hinc M. Antonius in quodam suo libello scripsit, disertos se cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem, ut *ib.* et *Or.* 5. habetur. *Quint. prooem. l.* 8. Disertis satis putat, dicere quae oporteat; ornate autem dicere proprium esse eloquentissimi. ℙ Neque tamen semper id servatur religiose discrimen: sed non raro universim pro facundo, copioso, eloquenti, eleganti ponitur. *Cic. Phil.* 2, 43. Disertissimum novi avum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo. *Cic.* hic loquitur de M. Antonio, qui suo ipsius judicio summus orator fuit; et simul significat propriam notionem verbi (qua notat eum qui plane et aperte et dilucide loquitur, ut dictum est) subdendo *apertiorem.* Sic *Id. Or.* 1, 54. Disertissimus orator Lysias. Ita *Catull.* ad *Cic.* 49. Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli. ℙ Promiscue saepe usurpatur, [**i. e. diserti proxime ad eloquentes accedunt, ut loquitur *Frotscher.* ad *Quint.* 10, 1, 118.] *Cic. Or.* 1, 9. Diserti et ornate dicentes. Et 3, 32. Eloquentior fuit et disertior Socrates et copiosior et melior orator. *Id. Brut.* 26. Historia non ineleganter scripta, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta. *Id. Or.* 1, 54. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri. *Id. Att.* 7, 2. *extr.* Tuae disertissimae epistolae non rescripsi. *Ov. Pont.* 3, 5, 8. Dicta tibi pleno verba diserta foro. *Mart.* 6, 14. Versus disertos scribere. *Senec. ep.* 21. Apertior ista sententia est, quam ut interpretanda sit; et disertior, quam ut adjuvanda, *h. e.* copiosior. *Hor. Ep.* 1, 5, 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? *Ov. Trist.* 3, 11, 21. In causa facili cuivis licet esse diserto. *Nep. Alc.* 2. Hipponicus omnium Graecae linguae eloquentia disertissimus. *Mart.* 4, 55. Arpos vocat disertos, quia in ejus urbis finibus natus est Horatius. ℙ In illo *Ter. Eun.* 5, 6, 10. At etiam primo callidum et disertum credidi hominem, *disertum* intellige ingeniosum, astutum neque enim eo loco facundus aut dilucide loquens ad rem faceret. ℙ Cum genitivo, ut videtur, *Catull.* ad *Asin.* 12, 8. est enim leporum Disertus puer ac facetiarum.

DISGLŪTĬNO, as, a. 1. disjungo, dissolvo. *Hieron. ep.* 66. *n.* 12. Conjuncta disglutinamus, unita dissuimus.

DISGRĔGO, as, a. 1. separo, sejungo, divido. *Capell.* 3. p. 71. probabilis Hic ordo rebus, quique disgregabitur In bina demum. ℙ [In *Not. Tir.* p. 129. legitur *Degregat. F.*]

DISGRĔGUS, a, um, adj. dissimilis, dispar. *Capell.* 9. p. 302. Modo dispares numero, nec disgregae venustate.

DISHĬASCO, is, n. 3. hio, findor, scindor. *Cato R. R.* 12. Confibulas ligneas, qui arbores comprimat, si dishiascent. [**Sic optimi MSS. Al. *dehiscent. B. A.*]

*DISICIO. V. DISJICIO *in f.*

DISJECTO, as, a. 1. frequent. a *disjicio. Lucr.* 2, 553. Disjectare solet magnum mare transtra, guberna, Antennas, proram etc.

DISJECTUS, a, um, part. a *disjicio*, *διεῤῥιμμένος*, dispersus, dissipatus. *Auct.* ad *Her.* 4, 2. Res varias et dispares in tot poematibus et orationibus sparsas et vage disjectas. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 14. Scyphus in duas partes disjectus, i. e. divisus. *Pompej.* ad *Domit. post Cic. ep.* ad *Att.* 12, 8. Nos disjecta manu pares adversariis esse non possumus; contractis copiis spero etc. Et *Hirt. B. G.* 8, 7. *extr.* Pabulatio propter anni tempus cum exigua, tum disjecta. [**Ideo disjecta, quia fit locis dissitis et inter se remotis.] *Nep. Timol.* 3. Urbium moenia disjecta reficere. [***Sil.* 12, 184. disjectae portae, i. e. cum vi patefactae. Praecedit enim: claustra revellunt.] *Id. Milt.* 2. Barbarorum copiae disjectae. *Ov. Met.* 12, 366. foedo disjectus vulnere. Et 252. disjectisque ossibus oris, Acta retro naris, medioque infixa palato est. *Id. Fast.*

3, 525. Plebs venit ac virides passim disjecta per herbas Potat et accumbit etc. *Id. Her.* 12, 63. Disjecta comas. *Plin.* 2, 49, 50. Procella fit, disjecta nube verius, quam rupta. *Tac. A.* 1, 32. Quod neque disjecti vel paucorum instinctu, sed pariter ardescerent.

DISJECTUS, us, m. dissipatio. *Lucr.* 3, 941. Major enim disjectus materiai Consequitur leto.

DISJĬCIO, īcis, jeci, jectum, a. 3. *διαῤῥίπτω, καταβάλλω*, in diversas partes jacio, dejicio, dispergo, dissipo. *Hirt. B. Alex.* 63. Postulat, ut munitiones disjicerentur sibique liber exitus daretur. *Nep. Timol.* 3. Arcem a fundamentis disjecit. *Sall. Cat.* 61. Pauci, quos medios cohors praetoria disjecerat, paulo diversius conciderant. *Id. Or.* ad *Caes.* 2. *De rep. ord.* Inimicorum arma inermis disjecit. *Nep. Milt.* 2. Barbarorum copias disjicere. *Tac. A.* 1, 65. Disjicere obvios, proterere jacentes. *Id. Agr.* 37. hostes in fugam. *Virg. A.* 1, 47. Disjecitque rates evertitque aequora ventis. Et 74. disjicere corpora ponto. *Tac. A.* 2, 23. Auster rapuit disjecitque naves in aperta oceani. *Ov. Met.* 1, 328. Disjicere nubila. *Id. ib.* 11, 386. capillos. ℙ Translate est disturbare, dissolvere, irritum reddere. *Virg. A.* 7, 339. Disjice compositam pacem, sere crimina belli. [*ut *Sil.* 2, 294.] *Nep. Att.* 8. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. *Liv.* 2, 35. Primo tentata res est, si dispositis clientibus, absterrendo singulos a coitionibus, disjicere rem possent. *Id.* 25, 14. Disjicere consilia ducis. *Suet. Caes.* 42. exspectationem novarum tabularum. *Vell.* 1, 10. Cogitationem regis Romana constantia disjecit. ℙ Rem disjicere, ap. *Cic. Coel.* 16., sed dubia est lectio. Sic *disjicere pecuniam* eodem sensu, *Val. Max.* 3, 5. *n.* 2. *extr.* [*In libris interdum scriptum reperitur *dissice* et *disicit.* De his formis V. quos laudat *Drak.* ad *Sil.* 9, 538. coll. intpp. ad *Ov. Met.* 11, 386. et *Beiero* ad *Cic. Off.* V. DEJICIO in f. et DISSICIO. ℙ Saepe confunditur cum *dejicere.* Cf. *Brem.* ad *Suet. Dom.* 15. *Burm.* ad *Virg. G.* 1, 283. *Aen.* 12, 655.]

DISJŬGĀTĬO et DISJUGATUS. V. DIJUGATIO et DIJUGO.

DISJUNCTĒ, adv. separatim. *Festus* in *Sacram viam.* Nec ita appellari debere, ait *Verrius*, sed disjuncte.

DISJUNCTIM, adv. separatim, seorsum, *χατὰ διάζευξιν. Modest. Dig.* 35, 1, 49. Sub diversis conditionibus disjunctim positis liber esse jussus. Adde *Paul. ib.* 28, 7, 5. [**Gaii Inst. Comment.* ed. *Goeschenio* 2. p. 138. ed. *Berol. B. A.*]

DISJUNCTĬO, onis, f. *διάζευξις*, separatio, divisio. *Cic. Sext.* 21. In tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate. *Id. Agr.* 2, 6. Animorum disjunctio dissensionem facit. *Id. Prov. cons.* 17. Ut in disjunctione sententiae conjuncti tamen amicitia maneremus. ℙ Item apud dialecticos, enunciatio, in qua membra disjunctive ponuntur: quae et *disjunctum* dicitur. *Id. N. D.* 1, 25. In omnibus disjunctionibus, in quibus *aut etiam aut non* poneretur, alterutrum verum esse. Adde *Acad.* 4, 30., *Fat.* 16. et *Top.* 14. ℙ Item apud rhetores figura verborum (*ἀντίζευγμα* Graecis, quia opponitur *τῷ ζεύγματι:* item *διαζεύγμενον*) in qua eorum, de quibus dicimus aut utrumque aut unumquodque certo concluditur verbo, sic: Populus R. Numantiam delevit, Carthaginem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Ita *Auct.* ad *Her.* 4, 27. Etiam *Cic. Or.* 3, 54. inter ornamenta verborum disjunctionem recenset.

DISJUNCTĪVUS, a, um, adj. qui disjungendi vim habet. *Disjunctivum proloquium* apud *Gell.* 5, 11. *ad f.* est enunciatio ipsa, quae *disjunctio* dicitur a dialecticis. V. DISJUNCTIO. ℙ *Disjunctivae conjunctiones* apud grammaticos sunt *aut, vel, nec, sive* etc. *Ascon. in orat. Cic. pro M. Scauro. Neque* est conjunctio disjunctiva et semper postulat, ut rursus inferatur. Sic *Papinian. Dig.* 35, 1, 76. Disjunctivo modo conditiones adscriptae, *h. e.* cum particulis *aut si, vel si* etc. et *African. ib.* 45, 1, 63. Disjunctivae conditiones, *h. e.* disjunctivo modo adscriptae. Et *Procul. ib.* 50, 16, 124. Disjunctivum est, veluti cum dicimus, *aut dies, aut nox est:* quorum posito altero, necesse est tolli alterum: item sublato altero, poni alterum.

DISJUNCTUS, a, um, part. a *disjungo*, *διαζευχθεὶς*, separatus, divisus, sejunctus, remotus. *Cic. Pis.* 37. Aetolia procul a barbaris disjuncta gentibus. *Id. Manil.* 4. Loca disjunctissima et maxime diversa. *Id. Verr.* 2, 4, 53. Fons munitione ac mole lapidum a mari disjunctus. *Id. Fam.* 1, 7. Intervallo locorum et temporum disjuncti sumus. *Id. fragm.* [**or. pro Gallio*] ap. *Hieron. ep.* 52. *n.* 8. Quorum aetates non annis, sed saeculis scimus esse. *Colum.* 6, 15. Boves opere disjuncti, *h. e.* ab jugo et opere soluti. Al. leg. *ab opere. Hor. Ep.* 1, 14, 28. bovemque Disjunctum curas et strictis frondibus exples. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 14. Vita maxime disjuncta a cupiditate, et cum officio conjuncta. *Id. Coel.* 21. Mores longissime a tanti sceleris atrocitate disjuncti. *Id. Har. resp.* 25. Quorum mentes et res sunt perditae, longeque a communi salute disjunctae. *Id. Acad.* 4, 20. Nihil est ab ea cogitatione disjunctius. *Id. Or.* 1, 3. Quod longissime est ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum. *Id. Amic.* 12. Populus a senatu disjunctus, *h. e.* alienatus. ℙ [*De hiatu in concursu verborum. *Cic. Partit.* 6. Suave genus erit dicendi primum elegantia verborum; deinde conjunctione, quae neque asperos habent concursus, neque disjunctos atque hiantes.] ℙ *Enunciatio disjuncta*, quae et *disjunctio* dicitur, apud dialecticos est, quae effertur per particulas disjunctivas *aut, vel*, etc. *Cic. Acad.* 4, 30. ℙ Eadem dicitur etiam *disjunctum. Gell.* 5, 11. Non ratum id, neque justum disjunctum esse ait. [*Et plur. numero *disjuncta* i. e. invicem opposita.] ℙ *Disjunctus orator* ap. *Auct. dial. de orat.* 18. videtur esse is, qui conciso dicendi genere utitur, neque longis comprehensionibus colligato et connexo. Sic enim ibi *loc. cit.* Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum. Al. leg. *discinctum. Capell.* 5. p. 176. appellat *disjunctum* etiam eam figuram dicendi, de qua in DISJUNCTIO dictum est. ℙ Apud JCtos *disjuncti* dicuntur, quibus eadem res separatim et diversa oratione relicta fuit, hoc modo: *Titio hominem Stichum do, lego: Sejo Stichum lego*, ut *Justinian. Institut.* 2, 20. docet. His opponuntur *conjuncti*, quibus eadem oratione eadem res legatur. *Ulp. Dig.* 30, 34. Si conjuncti disjunctique commixti sint, conjuncti unius personae potestate funguntur. ℙ Comp. *Disjunctior* et Sup. *Disjunctissimus.* V. supra.

DISJUNGO, is, xi, ctum, a. 3. *διαζεύγνυμι*, separo, sejungo, removeo. *Varr. R. R.* 2, 1. *a med.* Agnos a mamma disjungere. Al. *dijungere. Sall. Jug.* 47. Flumen, quod Jugurthae, Bocchique regnum disjungebat. *Id. fragm.* ap. *Non.* 13, 12. Qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. *Virg. A.* 1, 256. Italis longe disjungimur oris. [*Sine discrimine cum solo ablat. et cum praepos. *a* construitur. V. *Burm.* ad h. l.] ℙ *Disjungere jumenta* et *disjungere* absolute est a jugo solvere. *Cic. Div.* 2, 36. *extr.*, ubi al. leg. *dijungere:* et *Juvenal.* 5, 119. *Plin.* 18, 27, 67. Disjungenti boves ab opere. *Colum.* 6, 14. Cum bos disjungitur ab opere. *Id ib.* absolute *in f.* Disjungere, et *ib.* 15. sine praeposit. Disjungere opere. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 7. Qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto disjungerent. *Id. Fam.* 1, 9. *ad f.* Ab orationibus disjungo (al. *dijungo*) me fere, referoque ad mansuetiores Musas. *Id. Phil.* 2, 10. Pompejum a mea familiaritate disjunxit. *Ter. Hec.* 1, 2, 85. Atque ea res multo maxime disjunxit illum ab illa, *h. e.* alienavit. *Auson. epist.* 24, 34. Pirithoo disjungere Thesea posses. [*Cic. Tusc.* 1, 31. disjungere se a corpore est i. q. abstinere a vitiis, ad quae propter corporis contagium animus inclinat. *Schütz.* in *Clav.*] ℙ Apud dialecticos *disjungi* dicuntur ea, quae efferuntur per *disjunctionem*, ut in ea voce explicatum est. *Gell.* 5, 11. *ad f.* et 16, 8. *a med.*

[DISJURGĬUM, ii, n. idem fere ac jurgium, contentio, et levis quaedam lis etiam inter cognatos et amicos. *Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 712. A Memmio Claro A Memmius Urbanus colliberto, eidem consorti carissimo sibi: inter me et te, sanctissime mi colliberte, nullum unquam disjurgium fuisse, conscius sum mihi. *F.*]

DISLOCENSIS. V. DIALUTENSIS.

DISOMUS, a, um, adj. *δίωμος*, duorum corporum capax: a *δὶς*, bis, et *σῶμα*, corpus. *Inscr.* ap. *Grut.* 751, 11. [et ap. *De Vita AA. BB.* 9. *n.* 2., ubi multa hac super re. *F.*] P. Aelius Venerianus hoc vas disomum sibi et Felicitati suae posuit. V. BISOMUS.

DISPĀLĀTUS, a, um, part. a *dispalor*, dispersus. Passive. *Sisenna* ap. *Non.* 2, 250. Dispalati ab signis, digressi omnes ac dissipati. *Nep. Lys.* 1. Dispalati in agris, in hostium venerant potestatem. Adde *eund. Hann.* 5. ℙ Item divisus, *Sall. orat. ad Caes. De rep. ord.* 2. *ante med.* Multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in varias artes vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens.

DISPĀLESCO, is, n. 3. errantium instar dispergor, item divulgor, palam fio. *Pl. Bacch.* 4, 9, 123. Periisse suavius est, quam illud flagitium vulgo dispalescere.

DISPALOR, aris, atus sum, dep. 1. *περιφέρομαι, διασπείρομαι*, in omnes partes palor, huc illuc vagor, erro. *Nonius* 2, 250. ponit *dispalo, as*, activum, quod separare significet. Sed cum simplex *palor* deponens in usu sit, satius est, compositum ei esse simile. *Sisenna* ap. *Non. ib.* Tanto plures passim dispalantur. *Ammian.* 15, 3. Incomposito agmine milites huc et illuc dispalantes. *Id.* 31, 2. Omnes sine sedibus fixis, absque lare, vel lege aut ritu stabili dispalantur.

DISPANDO, is, di, ansum, a. 3. *διατείνω*, extendo, expando. *Lucr.* 6, 598. Neu distracta suum late dispandat hiatum. *Imp. L. Verus* inter *epist. Front. ad Verum Imp. ep.* 3. An igitur debeas illa omnia corripere, an vero paulo altius dicere, nec tamen ita, ut mox nostra, dispandere, ipse dispicies, *h. e.* pluribus verbis aperire, nota facere, amplificare. [*Not. Tir.* p. 104. Dispandat. *F.*]

DISPANSUS, a, um, part. a *dispando*, expansus. *Plin.* 9, 4, 3. Arbor vastis dispansa ramis. *Suet. Dom.* 19. manus. *Lucr.* 1, 306. Dispansae vestes in sole serescunt.

DISPAR, āris, adj. *ἀνόμοιος*, inaequalis, dissimilis: a par. *Cic. Amic.* 20. Dispares enim mores disparia studia sequuntur. *Id. Senect.* 21. Dispar sui atque dissimile. *Id. Off.* 1, 30. Sunt his alii multum dispares. *Id. Tusc.* 1, 28. Dispares inter se motus. *Id. Fin.* 2, 3. *ad f.* colores. *Id. N. D.* 1, 31. Disparibus temporibus eadem spatia conficere. *Liv.* 1, 24. Fratres nec aetate nec viribus dispares. *Sil.* 8, 570. Bruttius haud dispar animorum.

*DISPARASCO, is, n. 3. *Claud. Mamert* 3, 9. p. 184. Testimonium, quod a nobis disparascere arbitraris, animadvertis nobiscum bene stare. Fuerit ergo (*Gesneri* dicta sunt) *disparascere* idem, quod non convenire. Sed alii *dispar asserere. B. A.*

DISPĀRĀTĬO, onis, f. separatio. *Vitr.* 2, 9. Ab disparatione procreationis liberatum.

DISPĀRĀTUS, a, um, part. a *disparo*, ab aliis sejunctus, separatus. *Cic. Inv.* 1, 28. Disparatum est id, quod ab aliqua re per appositionem negationis separatur hoc modo, sapere, et non sapere, [**Quint.* 5, 11, 31. aliter repugnantia, ut *verum falso;* aliter disparata, ut *dura non duris.*] *Arnob.* 3. p. 105. Ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas.

DISPĀRENS, entis, part. ab inusit. *dispareo. Lact.* 3, 10. Ferae mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia, *h. e.* aperta et patentia. In edit. an. 1468. habetur *differentia*, *h. e.* in varias partes ferentia. [Meliores tamen editiones, *Heumanni* puta, *Bunemanni*, *Cellarii*, *Walchii* habent, et quidem rectius, *dispatentia. F.*]

DISPĀRĬLIS, e, adj. idem quod dispar. *Cic. Div.* 1, 36. Et ex disparili aspiratione terrarum. *Varr. R. R.* 2, 11. Propter loca et pabulum disparile, non usquequaque idem fit. *Plin.* 2, 45, 45. Disparilis ictus siderum errantium. Adde *Prud. in Symm.* 2, 273.

DISPĀRĬLĬTAS, atis, f. dissimilitudo. *Varr. L. L.* 9, 2. Disparilitas vocis. *Gell. praef.* rerum.

DISPĀRĬLĬTER, adv. dissimiliter. *Varr. R. R.* 1, 6. *extr.* Haec ad colendum dispariliter habent momentum. *Id. L. L.* 8, 50. Ut in casus et in tempora dispariliter declinetur.

DISPĀRO, as, avi, atum, a. 1. *διαζεύγνυμι*, separo, sejungo: a *par. Pl. Rud. prol.* 10. Juppiter nos per gentes alium alia disparat, *h. e.* separat et dimittit. *Caes. B. G.* 7, 28. Disparandos deducendosque ad suos curavit. [**Cic. Rep.* 2, 2. Eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent. *B. A.*] *Gell.* 11, 11. Varie et lepide tot sententias in eandem rem disparavit, *h. e.* distinxit. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 888. nexa nervis disparare vincula.

DISPARTĪBĬLIS, e, adj. divisibilis. *Tert. adv. Hermog.* 39. Demutabilis et dispartibilis.

DISPARTĬO et Dispartior. V. DISPERTIO.

DISPECTĬO, onis, f. actus dispiciendi. *Tert. Resurr. carn.* 19. Haec dispectio tituli et praeconii ipsius.

DISPECTO, as, a. 1. frequentat. a *dispicio. Arnob.* 1. p. 13. Non ex gratia, sed ex vero disceptationis hujus dispectare momenta.

DISPECTOR, oris, m. qui dispicit et discernit. *Tert. Anim.* 15. Dispector cordis Deus. *Id. ad Uxor.* 2, 8. Dispectores divinarum sententiarum.

DISPECTUS, us, m. *διάσκεψις. Senec. Ira.* 2, 9. Quod neglecto dispectu officiorum, ad lusus et ineptos aequalium jocos spectent. *Id. ep.* 109. *ad f.* Quibus dispectum utilitatis timor excutit. Adde *ep.* 94. *a med.*

DISPELLO, is, uli, ulsum, a. 3. *διελαύνω*, huc illuc pello, disjicio, discutio, dissipo, removeo. Fere usurpatur in praeteritis. *Virg. A.* 1, 515. ater quas aequore turbo Dispulerat. et *ib.* 542. Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit. *Id. ib.* 5, 839. Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras. *Liv.* 5, 33. Cum equitem passim liberi frenis dispulissent equi [*leg. *distulissent* e sententia *Kreyssigii*, quem V. ad h. l.] *Val. Fl.* 3, 88. densis thoracibus horrens Stat manus, aegisono quam nec fera pectore virgo Dispulerit. *Flor.* 3, 5. Cum Euboea atque Boeotia praesidia regis dispulisset. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 26. Philosophia ab animo, tanquam ab oculis, caliginem dispulit. *Phaedr.* 3, 10. Tenebras dispulit calumniae. ℙ Extra praeterit. rarioris est usus. *Stat. Th.* 5, 335. aerata dispellens aequora prora Pelias. *Senec. Troad.* 452. Dispelle somnos.

DISPENDĬOSUS, a, um, adj. *ζημιώδης*, qui dispendium et damnum affert. *Colum. R. R.* 2, 21.

Cum matura fuerit seges, celeriter demetatur: nam dispendiosa est cunctatio. *Nazar. Pan. ad Constantin.* 5. Dispendiosa revocatio.

DISPENDĬUM, ii, u. *δαπάνη*, detrimentum, sumptus, damnum. *Varr. L. L.* 4. *sub f.* Dispendium ideo, quod in dispendendo solet minus fieri, *h. e.* dispendium est a dispendo, (ducta locutione a more Romanorum, qui ante cusam monetam aes pendebant, non numerabant) cum ponderi detrahitur cum damno nostro. *Pl. Men.* 3, 2, 20. Minore nusquam bene fui dispendio. *Ter. Hec.* 5, 2, 29. Ut gratiam ineat sine suo dispendio. *Id. Eun.* 5, 4, 7. Sine molestia, sine sumptu, sine dispendio. *Plin.* 36, 6, 9. Quod dispendium pauci intelligunt. *Colum.* 4, 24. Afferre dispendium alicui. *Lucr.* 2, 1125. Et plus dispendi faciant, quam, etc. *h. e.* majorem jacturam. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 23. Deum fateri sanguinis dispendio. ℙ Translate. *Virg. A.* 3, 453. Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti. *Claud. VI. Cons. Honor.* 452. Dispendia famae. *Lucan.* 8, 2. Haemoniae deserta petens dispendia silvae, *h. e.* viam longiorem ac difficiliorem, qua iter longius magno temporis dispendio fit: cui contrarium est *compendium.* Sic *Mart.* 9, 100. Tu qui longa potes dispendia ferre viarum. *Rutil. Itin.* 1, 321. Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis, *h. e.* anfractus et flexus viae sinuosae et obliquae, quibus illa fit longior. *Appul. de Deo Socr. sub init.* Luna mensem suis auctibus, ac dehinc paribus dispendiis aestimans, *h. e.* decrementis. *Ov. Am.* 1, 7, 25. In mea vesanas habui dispendia vires. *Auson. Grat. act.* 32. Sine dispendio disciplinae esse lenissimum.

DISPENDO, is, endi, ensum, a. 3. proprie significat hinc et illinc pendere et ponderare, ut fit in lancibus librae: qua ratione sumitur a *Varrone loc. cit.* in v. praec. *ab init.* ℙ Hinc et pro suspendere poni videtur in illo *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 14. de quo V. v. seq. ℙ Translate est distinere, occupatum tenere. *Colum.* 8, 2. Parandi modus est ducentorum capitum, quae pastoris unius curam dispendant. Al. rectius leg. *distendant.*

DISPENNO, is, a. 3. est expandere: tractum a pennis et volatu avium. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 14. Dispennite hominem divorsum, et distendite. Haec *Non.* 1, 30. Alii dictum putant pro *dispendo*, *d* in *n* converso, a *dis* et *pando*, et locum *Plauti* ita legunt: *Distendite hominem divorsum et dispendite.* Utut sit de origine, *dispennere hominem* videtur esse, expansis brachiis alligare, ut se movere amplius non possit. [**Distennere* pariter atque *dispennere* videntur nonnisi vulgi pronuntiatione diversa fuisse a *distendere* et *dispendere.* V. *Meursii Exercc. critt.* c. 5. p. 167. quem laudat *Lindem.* ad h. l.]

DISPENSĀTĬO, onis, f. actus dispensandi, administratio, distributio, *διανομή*. *Cic. Vatin.* 15. Eripueras senatui aerarii dispensationem. *Plin.* 11, 14, 14. In eximendis favis necessaria est dispensatio, quoniam inopia cibi desperant, *Frontin. Aquaed.* 78. Haec dispensatio per nomina aquarum, et regiones Urbis partienda est, *h. e.* erogatio et distributio aquae. *Liv.* 4, 12. *ad f.* Revolutus ad dispensationem inopiae, profiteri cogendo frumentum, et vendere quod usui menstruo superesset. [*Cf. 10, 11.] ℙ Item ipsum dispensatoris munus et officium. *Cic. Rabir. Post.* 10. Si curationem et quasi dispensationem regiam suscepisset. *Suet. Oth.* 5. Servo Caesaris pro impetrata dispensatione decies sestertium expresserat. *Id. Vesp.* 23. Dispensationem petere.

[DISPENSĀTĪVUS, a, um, adj. qui dispensat. *Isid. Orig.* 2, 24. Philosophia actualis dicitur, quae res propositas operationibus suis explicat, cujus partes sunt tres, moralis, dispensativa et civilis. Dispensativa dicitur, cum domesticarum rerum sapienter ordo disponitur. *F.*]

DISPENSATOR, oris, m. [**ἐπίτροπος, διοικητής*], *οἰκονόμος, διανομεύς*, servus, qui domus urbanae rationes curat, et domini pecuniam administrat, expendit, exigit, collocat, nomina facit, rationes conficit, etc. Ita primum dicti sunt, teste *Festo* et *Plin.* 33, 3, 13. et *Varr. L. L.* 4. *sub f.*, qui aera pensantes expendebant, non adnumerabant. Postea cusa pecunia, nomen mansit. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 3, 18. Quid tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare? *Suet. Vesp.* 22. Cum perductae sestertia quadraginta donasset, admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet inferri, etc. *Macr. Sat.* 2, 4. *in f.* Dispensatorem Caesar vocavit, et sestertium mille numerare Graeculo jussit. *Mart.* 11, 39. te noster villicus horret, Te dispensator, te domus ipsa pavet. *Hieron. ep.* 52. *n.* 16. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat. ℙ Etiam qui rusticarum rerum rationes dispensat, ibique habitat, et non multum abest a villico, dispensator esse potest, uti docet *Pompon. Dig.* 50, 16, 166. ℙ Inter officia domus Augustae saepissime *dispensatores* leguntur in antiquis inscriptionibus, et alibi: ex quibus aliquot etiam publicam pecuniam jussu imperatorum curasse videntur: quos appellare possis *Cassirer*, *Schatzmeister.* ut apud *Plin.* 7, 39, 40. dispensator Armeniaci belli, et 33, 11, 52. Hispaniae citerioris. et *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 86. Illyrici, et *cl.* 9. *n.* 99. Augusti dispensator ad census provinciae Lugdunensis, etc., et apud *Don. cl.* 17. *n.* 17. C. Aemilius Aug. L. Epaphroditus decurio dispensatorum. Hi nimirum non solum pecunias privatas fisci principis curabant, sed etiam stipendia militum, (quod munus olim tribunorum aerariorum, et quaestorum fuit) aliasque belli impensas administrabant. Horum alii fuerunt ordinarii, alii extraordinarii, ut constat ex *Suet. Galb.* 12., ubi ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti Galba papyrosidem leguminis pro diligentia porrexisse narratur. Hujusmodi dispensatoris officium videtur describere *Stat. Silv.* 3, 3, 86. et seqq. ℙ Dispensatores pro ratione muneris magna lucra fecisse, patet ex *Plinii* locis citatis: unde et pecunia, patet ex *Plinii* locis citatis: unde et pecunia se, patet ex *Plinii* locis citatis: unde et pecunia dispensatoris officia emere solebant, quod discimus ex *Suet. Oth.* 5. et *Vesp.* 23. ℙ Dispensatoris, qui servus non fuerit, aut libertus, sed ingenuus, exemplum habes in *Inscr.* ap. *Murat.* 907, 8. M. Julio M. F. Frontoni Ti. Claudii Caesaris Aug. Germanici dispensatori. V. *eund.* 883, 6., ubi plura affert in hanc rem.

[DISPENSĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad dispensationem pertinens. *Hieron. in Isaj.* 14, 53, 12. Qui dispensatoriam inter Petrum et Paulum contentionem vere dicunt jurgium fuisse atque certamen.

DISPENSĀTRIX, icis, f. quae rationes pecuniae curat. Est apud *Hieron. Quaest. Hebr.* in *Paralip.* 1. et *Inscr.* ap. *Murat.* 968, 9. Pandorae bonae dispensatrici Q. Camerius Catulinus, ut bene sit.

DISPENSĀTUS, a, um, part. a *dispenso*, distributus, divisus, *διανεμηθείς. Frontin. Aquaed.* 9. Aqua per vicem in dies, modulosque certos dispensata. *Stat. Silv.* 5, 2, 74. pietasque per omnes Dispensata modos. *Senec. Ben.* 1, 10. In petulantiam erumpet male dispensata libertas. *Plin. Pan.* 35. Quae singula quantum tibi gratiae dispensata adjecissent! at tu simul omnia profudisti, *h. e.* singillatim diversis temporibus concessa.

DISPENSO, as, avi, atum, a. 1. *διανέμω, οἰκονομέω*, dispensatorem ago, curo. De prima ac propria ejus vi diximus in DISPENSATOR. *Cic. Att.* 11, 1. De domesticis rebus acerbissime afflictor, quod qui eas dispensavit, neque adest, neque, etc. *Pl. Bacch.* 4, 9, 47. Ducentis philippeis usus est, qui dispensentur Ilio capto, ut, etc. *Nep. Con.* 4. Eligere aliquem ad dispensandam pecuniam. ℙ Item generatim distribuere. *Plin.* 18, 22, 51. Fons certis horarum spatiis dispensatur inter incolas. *Id.* 13, 13, 27. Factumque jam, Tiberio principe, inopia chartae, ut e senatu darentur arbitri dispensandae. [**Liv.* 1, 19. quem (annum) intercalaribus mensibus interponendis ita dispensavit, ut etc.] *Colum.* 4, 24. Vitis aequa portione succum proli suae dispensat. *Juven.* 3, 286. breve lumen Candelae, cujus dispenso et tempero filum. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 31. Inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque disponere. *Hor. Sat.* 1, 2, 74. si modo recte Dispensare velis, ac non fugienda petendis Immiscere. *Ov. Her.* 12, 3. quae dispensant mortalia fila sorores. *Id. Met.* 6, 278. ordine nullo Oscula dispensat natos suprema per omnes. *Liv.* 27, 50. *ad f.* Dispensare laetitiam inter aliquos. Al. aliter leg. *Id.* 38, 47. victoriam, *h. e.* constituere, quo jure, et qua ratione victoria utendum sit erga singulos ex victis hostibus. *Albinov.* 1, 371. Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis. *Senec. Consol. ad Marc.* 10. *extr.* In metus et in dolores humanum pectus dispensandum, *h. e.* animi virtus ita distribuenda est, ut ad plures metus doloresque ferendos sufficiat. *Justin.* 7, 6. Bella, quae ex diversis locis uno tempore confluebant, dispensanda ratus, alia redimit, etc. *Plin.* 16, 26, 44. Quo mense nux ea decerpitur, eodem maturescit alia: et sic dispensatur, ut nullo non mense maturescant. *Pacat. Pan. ad Theodos. sub f.* Quae reversus urbibus Galliarum dispensabo miracula! *h. e.* singillatim narrabo. ℙ Veteres olim usurparunt etiam *dispensor*, *aris*, deponentis forma, teste *Capro* ap. *Prisc.* 8. p. 796.

DISPENSUS, a, um, expansus, distentus: part. a *dispenno*, vel a *dispendo.* Sunt qui putent esse a *pendo*, quasi aequa lance pensus. *Cic. Arat.* 105. Taurus in coelo late dispensus. *Auson.* vel ut quidam putant *Q. Cic. in Eclogar. Auson. de signis mensium*, 8. Autumni reserat portas, aequatque diurna Tempora nocturnis dispenso sidere Libra. *Lucr.* 3, 1002. novem dispensis jugera membris Obtineat. Al. leg. *dispersis.* [*Sic *Eichst.*] *Prud. in Symm.* 1, 584. Et quos panis alit gradibus dispensus ab altis.

DISPERCŪTĬO, ūtis, a. 3. percutiendo disjicio, dissipo, diffringo. *Pl. Cas.* 3, 5, 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu.

DISPERDĪTĬO, onis, f. *ἀνάστασις*, destructio. *Cic. Phil.* 3, 12. Ad interitum nostrum et ad disperditionem urbis.

DISPERDĪTUS, a, um, part. a *disperdo*, idem quod perditus. *Pl. Poen.* 4, 2, 96. Dii hunc disperditum lenonem volunt.

DISPERDO, is, didi, ditum, a. 3. *διαφθείρω*, omnino perdo, male perdo, absumo, dissipo. *Pl. Trin.* 2, 2, 53. Animi causa aliquantum in deliciis disperdidit. *Id. Cas.* 2, 3, 32. Bibe, es, disperde rem. *Cic. Agr.* 1, 1. Ut a majoribus nostris possessiones relictas disperdat et dissipet. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10 Qui tot cives R. occidit, arripuit, disperdidit. *Virg. Ecl.* 3, 27. solebas Stridenti miserum stipula disperdere carmen. *Lucr.* 2, 830. Disperditur color. *Gell.* 15, 31. Imaginem incendio aedium facto, disperdere.

DISPĔRĔO, is, ii, n. 4. *διαφθείρομαι, διαπόλλυμι*, omnino pereo. *Lucr.* 4, 639. serpens hominis quae tacta salivis Disperit. *Varr. R. R.* 1, 11. Minora cum sunt tecta, quam postulat fundus, fructus solent disperire. *Cic. Agr.* 2, 29. Unumne fundum pulcherrimum populi R. caput vestrae pecuniae, fundamentum vectigalium disperire patiemini? *Catull.* 14, 11. Dispereunt tui labores. *Pl. Poen.* 4, 2, 22. Male partum male disperit. *dilabitur* diceret *Cic.* Est autem proverbium. ℙ *Disperii* exclamatio est desperantis, ut *perii*, *interii*, actum est de me. *Ter. Heaut* 5, 2, 17. Disperii! scelestus quantas turbas concivi inciens! Adde *ib.* 2, 4, 24. et *Ad.* 3, 3, 1. et *Plaut.* saepe. ℙ *Dispeream* jurantis est et malum sibi imprecantis. *Prop.* 2, 17, 9. Dispeream, si quidquam aliud, quam gloria, de te Quaeritur. *Hor. Sat.* 1, 9, 47. dispeream, ni Summosses omnes.

DISPERGO, is, ersi, ersum, a. 3. *διασκεδάζω*, in diversas partes spargo. *Cic. Acad.* 4, 38. Cur mortifera tam multa perniciosa terra marique disperserit. *Id. N. D.* 3, 26. ex poeta: membra articulatim dividit, Perque agros passim dispergit corpus. *Colum* 5, 6. *sub f.* Vitem in ramos diducere et traducibus dispergere. *Cic. Inv.* 1, 21. Partes rei gestae dispergere in causam. *Auct. ad Her.* 4, 23. Exornationes in causa tota varie dispergere. *Ter. Ad.* 3, 2, 18. Capite in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam. et 5, 2, 7. An tibi mavis cerebrum dispergi? *Cels.* 2, 6. Brachia et crura inaequaliter dispergere, *h. e.* jactare, agitare *Sil.* 4, 646. flumen rivis dispergere per rura. *Virg. A.* 11, 617. vitam dispergit in auras. *Val. Fl.* 2, 76. Phoebus diem dispersit in undas. *Plin.* 34, 3, 6. Mummius Corinthum quidem diruit, sed compluribus Achaiae oppidis simul aera dispersit. *Id.* 18, 23, 53. Dispergere fimum, priusquam arescat. *Lucan.* 1, 384. Aries (*militaris*) dispergit saxa, *h. e.* disjicit. ℙ Translate. *Virg. A.* 11, 795. voti Phoebus succedere partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras. *Curt.* 10, 9. Primum collegere vires, deinde disperserunt, *h. e.* divisere. *Calp. Ecl.* 3, 47. excusso dispergit lumina somno, *h. e.* huc illuc oculos circumfert. *Tac. A.* 4, 24. Dispergere rumorem et absolute eod. sensu *Id. H.* 2, 1. Vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem. ℙ *Dispergier* paragoge pro *dispergi* est *Prud. Apoth.* 542. ℙ Legitur et *dispargo. Tert. adv. Gnost.* 5. et *Sidon. ep.* 1, 2. *ad f.*, ubi alii aliter.

DISPERNO, is, a. 3. sperno, vel valde sperno. *Juvenc.* 2, 257. Dispernens veterum Samaritum jussa. ℙ Hinc part. *dispretus. Gell.* 7, 18. *ad f.* Ut contempti vulgo, dispretique sint. Al. leg. *discerpti*, h. e. conviciis et probris lacerati.

DISPERSĔ, adv. *σποράδην. Cic. Verr.* 2, 4, 52. Quae disperse a me multis locis dicentur ac dicta sunt. *Id. Inv.* 1, 52. Res disperse et diffuse dictae.

DISPERSIM, adv idem ac disperse. *Varr. R. R.* 1, 1. Qui Graece scripserunt, dispersim alius de alia re. *Suet. Caes.* 80. Consilia dispersim antea habita in unum omnes contulerunt.

DISPERSĬO, onis, f. dispersus, dissipatio. [**Augustin. Conf.* 12, 16. Colligas totum, quod sum, a dispersione et deformitate hac. *B. A.*] *Tert. adv. Jud.* 10. Dispersio vobis obvenit. *Id. ib.* 13. In dispersione gentium. *Veg. Mil.* 3, 8. Noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio occasionem superventibus praestat. [*Cf. *eund. de Resurr.* 30. *Isidor.* 18, 2. V. et *Dispersus*, *us. Vet. Gloss.* Disparsio, *διασπορά. B. A.*]

DISPERSUS, a, um, part. a *disperdo*, *διεσπασμένος, σκεδαστὸς*, sparsus, diffusus, disjectus, variis locis positus. *Cic. Flacc.* 13. Praedones toto mari dispersi vagabuntur. *Id. Manil.* 12. *sub f.* Bellum longe lateque dispersum. *Id. Or.* 1, 42. Quae nunc conclusa sunt artibus, dispersa fuere. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Dispersa et infinita. *Cic. Sext.* 42. Homines fusi per agros ac dispersi vagabantur. *Ov. Met.* 11, 35. jacent dispersa per agros Sarculaque rastrique. *Plin.* 12, 4, 9. Arbor tota India dispersa. *Caes. B. G.* 1, 40. Dispersos hostes adoriri. et 6, 33. In omnes partes dispersa multitudo. et 34. Multos ex fuga dispersos excipere. *Sall. Jug.* 55. Dispersi a suis, pars cedere, alii insequi. *Id. ib.* 45. Plebis vis soluta, atque in multitudinem dispersa. *Plin.* 11, 37, 89. Venae in praetenues fibras subter totam cutem dis-

persaq. *Lucr.* 4, 909. gruum clamor dispersus in nubibus. *Plin.* 16, 30, 53. Arbor in plures dispersa ramos. *Id.* 6, 26, 30. Mesopotamia vicatim dispersa, *h. e.* in vicos divisa. *Lucan.* 10, 84. laceros dispersa capillos. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 55. Incultas dispersa comas. ℙ Item respersus. *Senec. Herc. Fur.* 1007. Cerebro tecta dispersa madent. Al. leg. *disperso.*

DISPERSUS, us, m. dispersio. *Cic. Att.* 9, 9. Dispersu enim illorum actio de pace sublata est. Al. leg. *dispersione*, al. [**Manut.*, *Malaspina*] *discessu.*

DISPERTĪO et Dispartio, is, ivi, et ii, itum, a. 4. vel Dispertior et Dispartior, iris, itus sum, dep. 4. [**De* scripturae diversitate V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 11, 40. et 1, 92. p. 702., cui in analogia compositionis in voc. *expers* acquiescendum esse videtur.] *διανέμομαι, διαμερίζω*, in diversas partes divido, distribuo, distinguo: item huic et illi partes do: a *dis* et *partior. Cic. N. D.* 2, 39. Dispertire ac dividere aliquid. *Id. Mur.* 35. *ad f.* Qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt. *Id. Or.* 3, 29. Conjecturam in quatuor genera dispertiunt. *Id. Cat.* 4, 4. Conjuratos municipiis dispertiri jubet. *Id. Cluent.* 25. Dispertienda pecunia judicibus. *Liv.* 29, 1. Dispertire exercitum per oppida. *Nep. Ages.* 8. Secundam mensam servis dispertiit. *Cic. Off.* 2, 11. Aequabiliter dispertire praedam. *Hirt. B. Afr.* 46. Tirones dispertire inter legiones. *Varr.* ap. *Non.* 2, 181. Quae ad mortales pertinent, quadrifariam dispertierim, in homines, in loca, in tempora, in res. *Pl. Aul.* 2, 4, 3. Dispertire obsonium bifariam. *Id. Curc.* 1, 3, 33. Etiam dispertimini? *Id. Aul.* 2, 5, 5. Injuria dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent. *Id. Ps.* 1, 5, 25. Quod damni et quod fecisti flagitii, populo viritim potuit dispertirier. ℙ Deponentis forma. *Cic. Leg.* 2, 19. Quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur.

*DISPERTITIO, onis, f. *Tert. adv. Herm.* 31. Eadem ratione non potest pati dispertitionem et demutationem. *B. A.*

[DISPERTĪTĪVUS, a, um, *διαμεριζόμενος. Prisc. de figur. numer.* p. 1353. Habent ex omnibus numeris Romani dispertitiva, quae Graeci vocant *διαμεριζόμενα*, quae naturaliter semper pluralia sunt, quippe in multos distribui eundem significant numerum: *ut singuli*, *bini*, *terni* vel *trini*, *quaterni*, *quini*, etc. *F.*]

DISPERTĪTUS et Dispartitus, a, um, part. a *dispertio*, partitus, divisus, distributus, *διαμεμερισμένος. Atticus* ap. *Cic. Att.* 9, 10. *a med.* Satius esse existimo, vos dispertitos et in speculis esse. *Cic. Verr.* 2, 5. *sub f.* Exempla humanitatis hominibus data et dispertita. *Lucr.* 3, 590. Dispertita animae natura. *Hirt. B. Afr.* 67. Trinis castris dispartitae copiae.

DISPESCO, is, a. 3. *διεξάγω*, proprie est, teste *Festo*, pecus a pastione deducere: vel, ut alii [**Voss.* in *Etym.*] volunt, in diversa pascua diducere: a *dis* et *pasco.* Translate est dividere, sejungere, separare, dirimere. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus Africam ab Aethiopia dispescens. *Id.* 2, 68, 68. Mare Africam Europam Asiamque dispescit. *Appul. Flor. n.* 15. p. 350, 22. Samos est exadversum Mileto, nec ab ea multo pelagi dispescitur. *Id. de Deo Socr.* p. 44, 6. Cum habitacula summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat. Apud *Prisc.* 10. p. 885. hic locus ita legitur: Cum habitacula summa ab infimis tanta intercapedine fastigii dispescant, *h. e.* distent, neutrorum more. ℙ Praeteritum *dispescui* agnoscitur a *Prisciano ib.* ℙ De supino *dispescitum* V. COMPESCO.

DISPESSUS, a, um, part. a *dispando*, ut *Gell.* 15, 15. docet, ut *passus* a *pando*, expansus, explicatus. *Pl. Mil.* 2, 4, 7. Dispessis manibus patibulum habebis.

[DISPESTUS, a, um, part. a *dispesco*, separatus, disjunctus. *Appul. Met.* 4. p. 296. *Oud.* Sed ad instar Athracidis, vel Protesilai dispestae disturbataeque nuptiae. Alii [**Ed. Elm.* p. 154, 33.] leg. *dispectae* ab inusit. *dispeciscor*, pactum divello.

[DISPĒTO, is, a. 3. valde peto. *Not. Tir.* p. 39. Dispetit. *F.*]

*DISPEX, icis. *Vet. Gloss.* *ὀξυβλέπτης*, Dispex. *B. A.*

DISPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. *διαθρέω, διαοκοπέω*, huc illuc aspicio, diligenter intueor, oculos intendo. [**V.* pluribus *Ernest.* in *Clav. Cic.*] *Pl. Cist.* 4, 2, 25. Hoc age, ad terram aspice et dispice, oculis investigans, etc. *Lucr.* 3, 564. avolsus radicitus nequit ullam Dispicere ipse oculus rem. *Id.* 6, 648. longe cunctas in partes dispiciendum. *Cic. Fin.* 2, 30. Cum gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, etc. [**Suet. Ner.* 19. tanta oborta est caligo, ut dispicere non posset, i. e. *durchsehen.* Quocum cf. *B. Crus.* in *Clav. Suet.* locum *Cic. Acad.* 2, 19, 61. tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum reliquerunt. V. *ib.* plura.] *Tac. Agr.* 10. Dispecta est et Thule, quam hactenus et nix et hiems abdebant. [*Cic. Fin.* 4, 23. Catuli, qui jam dispecturi sunt, caeci aeque, et hi qui modo nati. *F.*] ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Div.* 2, 39. Imbecilli animi verum dispicere non possunt. *Id. Q. Fr.* 2, 2. *ad f.* In ea re Pompejus quid velit, non dispicio. *Id. Att.* 6, 8. Nunc velim dispicias res Romanas, videas, quid, etc. *Id. Att.* 2, 20. Si dispicere quid coepero, scribam ad te apertius. *Liv.* 40, 10. Dispice insidiatorem et petitum insidiis. [**Id.* 44, 6. quorum nihil quum dispexisset caecata mens.] *Ter. Andr.* 3, 5, 16. Sine, paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam, *h. e.* videro, providebo, excogitabo. *Plin. ep.* 2, 10. Dispice, ne sit parum providum, sperare, etc. *Id. ep.* 1, 18. Dispice, an tu quoque, etc. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. Dispicere de aliqua re, *h. e.* considerare, examinare. [**Gaii Instit. Comment.* ed. *Goeschenio*, p. 56. ed. *Berol.* Ac prius dispiciamus de his, quae in tutela sunt. *B. A.*]

DISPLĀNO, as, a. 1. complano. *Varr.* ap. *Non.* 1, 66. Rutro caput displanat.

DISPLĪCĀTUS, a, um, part. ab inusit. *displico*, dispalatus, disjectus. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes si quando displicatae sunt, cymbalis et plausibus reducunt in locum unum.

DISPLĪCENTIĀ, ae, f. *δυσαρέστησις. Senec. Tranq.* 2. Hinc illud taedium et displicentia sui.

DISPLĪCĔO, es, ui, icitum, n. 2. *ἀπαρέσκω*, non placeo. *Cic. Brut.* 57. Mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displicebat. *Id. Or.* 1, 34. In ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere istam rationem. *Id. Att.* 13, 21. Hoc vehementer displicet. *Id. Dom.* 20. Ut populo de Cyprio rege placeret, de exsulibus displiceret. *Senec. Brev. vitae* 2. Inconstans et sibi displicens levitas. *Ov. Trist.* 1, 1, 49. securus famae, liber, ire memento, Nec tibi sit lecto displicuisse pudor. *Justin.* 2, 7. Si quid pro altero tulisset, alteri displiciturum videretur. ℙ *Displicitus est* pro *displicuit. Gell.* 1, 21. Cum ei displicita esset insolentia et insuavitas illius. ℙ *Displicere sibi* dicitur, qui non bene valet. *Cic. Phil.* 1, 5. Cum de via languerem, et mihimet displicerem. *Id. Att.* 2, 18. Displiceo mihi, nec scribo sine summo dolore. *Hoc loco refertur ad animum. Scrib. Comp.* 188. Aconitum potum protinus facit corpus grave et displicens.

*DISPLICIO, is, a. 3. *Auct. Itin. Alex.* 43. Jampridem addebat quidquid utrique regno possidendum limes Euphratis displiceret. Ita cod. *Maius* e conjectura *dispesceret:* sed prius stare potest, eodem judice in *Emendatt. et Additamentt. ad Itin.* p. 80. ed. *Mediol. B. A.*

DISPLĪCĪNA, ae, f. displicentia, *Pl. Cist.* 1, 1, 18. Nec haec displicina apud te quidquam fuit. Ita legit et tuetur *Meursius:* alii rectius ita: Nec, nisi disciplina, fuit apud te quidquam ibi, quin mihi placeret.

DISPLODO, is, osi, osum, a. 3. *διαχροτέω*, cum sonitu hinc inde diduco: a *dis* et *plodo.* Translate vero ad exteriora flecto, extrorsum vergo, *διαπλαίνω. Varr. R. R.* 2, 5. de bubus: Pedibus non latis, neque ingredientibus qui displodantur. *Id. ib.* 9. de cane: Pedibus magnis, qui ingredienti ei displodantur. V. v. seq. et PLAUTUS.

DISPLOSUS, a, um, part. a *displodo*, ictu aut compressione diductus, diruptus, dissolutus cum sonitu et fragore. *Lucr.* 6, 284. displosa repente Coeli templa. *Id. ib.* 129. plena animae vesicula parva Saepe ita dat pariter sonitum displosa repente. *Hor. Sat.* 1, 8, 46. Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi. ℙ *Displosae nares* sunt apertae et dilatatae. *Arnob.* 3. p. 108. Hos displosis naribus, illos resimis. *Id.* 6. p. 196. Potest fieri, displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam.

DISPLŪVĬĀTUS, a, um, adj. [qui pluviam hinc inde disjicit et dispergit: *cavaedium* vero *displuviatum* dicitur, quod tectum erectum, et quadrifariam fastigiatum habet, in quo stillicidia per delicias deliquescunt, ut apud nos usuvenit: opponitur autem *cavaedio compluviato*, quod quadrifariam depressum est, in quo nempe stillicidia per collicias colliquescunt. Ita statuit *Josephus Riva* in nuperrimo opere, cui titulus: *Dei cavedj, degli atrj ecc. degli antichi Romani*, quod consulesis. *F.*] *Vitr.* 6, 3. Displuviata cavaedia sunt in quibus deliciae arcam sustinentes stillicidia rejiciunt. V. DELICIA.

DISPŌLĬĀBŪLUM. V. DESIDIABULUM.

DISPOLĬĀTĬO, onis, f. spoliatio. *Paulin. Nolan. ep.* 29, (al. 10.) 1. Primorum patrum dispoliatio. Adde *Imppp. Gratian., Valentinian. et Theodos. Cod. Theod.* 9, 17, 6. Affectas dispoliatione quinque librarum auri.

DISPŌLĬĀTUS, a, um, part. a *dispolio. Senec. Cons. ad Marc.* 24. Dispoliatus oneribus alienis. *Appul. Apol.* p. 323, 7. Pudore dispoliato, *h. e.* deposito.

DISPŌLĬO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποδύω*, spolio. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Ut etiam una cum ceteris Siculis dispoliaretur. Adde *Ter. Andr.* 4, 5, 21. sed utroque loco alii leg. *despoliare*, quod est quidem certe usitatius. *Lact.* 6, 11. Hominis se appellatione dispoliat. [**Defendit* hanc scripturam etiam *Drak.* ad *Liv.* 45, 36, 7. dispoliari triumpho.]

DISPOLĬO, is. V. DEPOLIO.

DISPONDĔUS, i, m. *διοπόνδειος*, pes constans ex duobus spondeis, ut *oratores* et *contendebant. Diomed.* 3. p. 476.

DISPŌNO, is, sui, situm, a. 3. *διατίθημι*, res plures diversis locis ordine pono, ordino, distribuo. *Cic. Or.* 3, 34. Pisistratus primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. *Plin.* 17, 11, 15. In disponendis arboribus quincuncialis ordinum ratio necessaria. *Flor.* 3, 10. Disponere insidias in valle. *Caes. B. G.* 7, 55. praesidia custodiasque ad ripas Ligeris. et 34. milites in praesidiis. et *B. C.* 3, 88. cohortes castris praesidio. et 5. omni ora maritima classem. et *ib.* 1, 17. tormenta in muris. et 14. Legiones in Apulia hibernorum causa disposuerat. *Liv.* 3, 15. Disponendae stationes. *Id.* 39, 14. *sub f.* Disponere vigilias per urbem. *Plin.* 9, 8, 9. et *Tac. H.* 2, 41. aciem. *Plin.* 35, 2, 2. expressos cera vultus singulis armariis. *Colum.* 12, 2. Suo quidque loco disponere. *Ov. A. Am.* 2, 45. aliquid in ordine. *Senec. Hipp.* 1257. in ordinem. *Suet. Tib.* 11. aegros per valetudinum genera. *Plin.* 22, 12, 14. Divinitas disponit auxilia in genera, in causas, in tempora. *Tac. H.* 1, 58. Ministeria principatus in equites R. disponere. *Mart.* 12, 83. comas. [**Ov. Am.* 1, 14, 35. crines. Cf. *Bentl.* ad *Lucan.* 10, 84. Frequentius etiam dicunt *componere.* V. *Burm.* ad *Prop.* 1, 15, 5. — *Prop.* 3, 5, 9. corpora disponens mentem non vidit in arte. *Comparat *Burm.* in *Add.* p. 952. Gr. *διαπλάσσων ἄνθρωπον.*] *Id.* 5, 20. tempus. Sic *Plin. ep.* 9, 36., *Suet. Tib.* 11. et *Senec. Cons. ad Polyb.* 25. *extr.* diem. [**Adde *Tac. G.* 30, 4. Significat autem sua cuivis diei parti negotia assignare, ut bene *Gron.* ad h. l.] Sic *Pers.* 5, 43. opus et requiem. *Plin. ep.* 4, 19. Disponit, qui nuncient, quem assensum tulerim. [**Quint. Decl.* 12, 1. levior est enim dolor, qui disponitur i. e. dispensatur. Comparat *Burm.* ad h. l. *Senec. Thyest.* scelus. *Quint.* 6, 2. usum divitiarum. *Decl.* 2, 2. de pariter ardentibus vices disposuit affectus.] ℙ Pro statuere. *Ulp. Dig.* 43, 29, 3. *a med.* Non alienum erit disponi, apud quem puer interim educetur. *Jabolen. ib.* 10, 3, 18. Ut fundus hereditarius non hereditario serviat, arbiter disponere non potest. ℙ [**In *Vet. Gloss.* (inquit *Gesnerus*) Disponit, *διοικεῖ* exponitur, quod est regere et gubernare: videturque hoc verbum junioribus Latinorum (sicut et Ordinare, quod idiotismo Italorum et Gallorum colligitur, ubi *ordre*, *ordonner*, et *ordonnance* de imperiis frequenter usurpatur) poni aliquando solitum. V. e. g. *Multa sine fratre disposuit* ap. *Capitolin.* in *Vero* 8. Hinc etiam *Dispositio*, quod V. *B. A.*]

[DISPORTO, as, a. 1. hinc inde porto. *Not. Tir.* p. 11. Disportat. *F.*]

DISPOSĪTĒ, adv. *εὐτάκτως*, distincte, apte, ordinate, commode. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. *extr.* Non possum disposite istum accusare. *Lact.* 3, 17. Ordinate et disposite mundus effectus est. *Sidon. ep.* 5, 11. Dispositissime aedificare.

DISPOSĪTIO, onis, *διάταξις*, ordinatio, rerum in ordinem collocatio. *Cic. Or.* 2, 42. Ordo et dispositio argumentorum. *Colum.* 12, 2. Quis dubitet nihil esse pulcrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine? ℙ Est item secunda pars officii oratoris. *Cic. Inv.* 1, 7. Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. *Auct. ad Her.* 1, 2. Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. *Auct. ad Her.* 1, 2. Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus in locis sit collocandum. ℙ Accipitur et pro administratione aut regimine. *Capitol. Gordian. III.* 27. *in orat. ipsius Gord.* Cujus ductu et dispositione et haec transegimus, et cetera transigemus. Adde *Sidon. ep.* 3, 6. *extr.* et *Capitolin. Maximin.* 9. ℙ Item pro consilio et ratione. *Veg. Mil.* 3, 26. *a med.* Magna dispositio est, hostem fame magis urgere, quàm ferro. ℙ In pictura dispositio est ordo et situs figurarum, quae in tabula fiunt. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Apelles cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris.

DISPŌSĬTOR, oris, m. qui disponit. *Senec. Qu. Nat.* 5, 18. Dispositor ille mundi Deus aera ventis exercendum dedit. Adde *Lact.* 4, 9.

DISPŌSĬTRIX, icis, f. quae disponit et administrat. *Fortunat. carm.* 7, 6, 22. Floret et egregia dispositrice domus.

DISPŌSĪTŪRA, ae, f. dispositio, ordo. *Lucr.* 1, 1025. Tandem deveniunt in tales disposituras. et 5, 193. in tales disposituras Deciderunt.

DISPŌSĬTUS, a, um, part. a *dispono*, *διατεταγμένος*, ordinatus, distributus. *Cic. Verr.* 2, 1, 19. Signa ad columnas, et omnibus intercolumniis disposita sub dio vidimus. *Lact. Ira D.* 10. *a med.* Mundo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem. *Senec. praef. nat. ad f.* Animo neque formosius est quidquam, nec dispo-

sitius. *Caes. B. G.* 7, 27. Custodiae in muro dispositae. *Id. B. C.* 3, 101. Nuncii allati per dispositos equites. *Nep. Iphicr.* 2. Dispositi milites. *Stat. Th.* 5, 7. Dispositi in turmas. *Ov. Pont.* 3, 3, 16. Dispositae comae. ℙ Translate. *Plin. ep.* 3, 1. Hominum vita disposita. *Id. ep.* 2, 11. *a med.* Vir subtilis, dispositus, acer, disertus, *h. e.* qui in dicendo ordinem servat. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. *ad f.* Ut iis, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum suum cuique munus sit. *Cic. Mur.* 14. Studia ad honorem disposita, i. e. qui inserviunt honoribus assequendis. [*Sive: praesidia honorum consequendorum. Etenim praesidia disponi dicuntur. Sic *Matthiae.*] Alii aliter leg. ℙ *Ex disposito*, ex composito. *Macr. Sat.* 1, 7. An altius quiddam, cui remotis arbitris opus sit, cogitaturi ex disposito convenistis? ℙ Comp. *Dispositior.* V. ab init.

DISPŌSĬTUS, us, m. idem ac dispositio. In sexto casu sing. *Tac. H.* 2, 5. Dispositu provisuque rerum civilium peritus. *τῇ εὐταξίᾳ.* [*V. intpp.]

DISPRETUS. V. DISPERNO.

*DISPROFICĬO, is, n. *Hilar. de Trin.* 10, 33. Dum impietatis atque erroris spiritu plenus sacramentum fidei non intelligis, ex ipso saeculi sensu hebetudine haeretica disproficis. Adde 11, 11. ℙ *Miraeus* post *Erasmum* monet, *Hilarium* verbo *disproficere* pro *degenerare* usum esse. ℙ Hujus verbi notitiam debeo amico meo veteri ac perdocto *Gulielmo Stephano Dobson. B. A.*

DISPŪDET, debat, impers. 2. *ἐπαισχύνομαι*, valde pudet. *Ter. Eun.* 5, 1, 16. Dispudet, mihi sic data esse verba. Adde *Pl. Most.* 5, 2, 44.

DISPULSUS, a, um, part. a *dispello*, hinc illinc pulsus, disjectus, dissipatus. *Cic. Att.* 7, 7. *ad f.* Pecudes dispulsae, sui generis sequuntur greges. *Liv.* 26, 17. *ad f.* Dispulsa sole nebula aperuit diem. Al. leg. *depulsa.*

DISPULVĔRO, as, a. 1. *κονιορτόω*, in pulverem redigo. *Naevius* ap. *Non.* 2, 206. Saxa, silvas, lapides, montes disjicis, dispulveras.

DISPŪMO. V. DESPUMO.

DISPUNCTĬO, onis, f. dati et accepti collatio, recognitio. *Ulp. Dig.* 42, 5, 15. Utrum recognitio et dispunctio concedenda sit creditoribus. ℙ Translate. *Tert. Apol.* 18. Suscitatis omnibus et recensitis ad utriusque meriti dispunctionem, *h. e.* examen et judicium. et *adv. Marc.* 5, 12. Dispunctio boni et mali operis. ℙ Dispunctio vitae, ap. *eund. Testimon. anim.* 4. et *de anim.* 33. *ad f.* est vitae consummatio, *h. e.* ipsa mors.

DISPUNCTOR, oris, m. qui dispungit, examinat, æstimat. *Tert. adv. Marc.* 4, 17. *a med.* Judex et dispunctor meritorum.

DISPUNCTUS, a, um, part. a *dispungo. Tert. adv. Marc.* 4, 10. Specialis medicinae dispuncta prophetia, *h. e.* comprobata, confirmata, quasi collatis rationibus probata et recognita. *Id. de anim.* 57. Animae prompta humatione dispunctae, *h. e.* separatae, remotae a corpore.

DISPUNGO, is, xi, ctum, a. 3. supputare, sive numerare, quasi puncto notare. *Senec. Brev. vit.* 7. Dispunge et recense vitae tuae dies. ℙ Inde *dispungere rationes* pro examinare. *Papin. Dig.* 50, 16, 56. Dispungere est conferre accepta et data. *Sen. Ben.* 4, 32. *extr.* Dispungere rationes expensorum et acceptorum. *Ulp. Dig.* 40, 7, 6. §. 6. Ad examinandas rationes et dispungendas atque excutiendas factum habet. ℙ Translate. *Vell.* 1, 13. Neque quisquam Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, *h. e.* distribuit, distinxit, quasi diligentem iniens rationem horarum et temporis. V. *Cic. Off.* 3. *init.* ℙ Pro examinare, et quasi collatis rationibus perpendere. *Tert. Apol.* 44. Qui sententiis elogia dispungitis. ℙ Et pro absolvere, quasi rationes jam collatas conficere. *Id. adv. Jud.* 9. *ad f.* Dispungamus ordinem coeptum.

*DISPŪO, is, a. 3. *Tert. adv. Marc.* 1, 29. Nec matrimonii res ideo dispuendae, quia intemperantius diffusae in luxuriam inardescunt. *Prud.* Quum dispuenda existimas. ℙ V. *Despuo. B. A.*

DISPŪTĀBĬLIS, e, adj. qui disputari potest. *Senec. ep.* 88. *sub f.* An omnis res in utramque partem disputabilis sit.

DISPŪTĀTĬO, onis, f. *διάλεξις*, actus disputandi. *Cic. Or.* 1, 2. Solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire. *Id. Fin.* 5, 26. Haec omittamus: habent enim et bene longam, et satis litigiosam disputationem. *Id. Att.* 4, 16. Instituere disputationem de republ. *Caes. B. G.* 5, 30. Habere disputationem in utramque partem. ℙ Proprie dicitur de rebus ad rationem vivendi pertinentibus. *Cic. Or.* 2, 24. *in f.* ℙ Aliam notionem V. in DISPUTO.

DISPŪTĀTĬUNCŪLĂ, ae, f. diminut. brevis disputatio. *Sen. ep.* 117. *a med.* Disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Adde *Gell.* 1, 3. *sub f.*

DISPŪTĀTOR, oris, m. *διαλεκτικὸς*, qui disputat. *Cic. Off.* 1, 1. *a med.* Disputator subtilis, orator parum vehemens.

DISPŪTĀTORĬĒ, adv. disputando. *Sidon. ep.* 9, 9. Disputatorie argumentosus.

DISPŪTĀTRIX, icis, f. quae disputat. *Quint.* 2, 20. Dialectica etiam disputatrix virtus erit. Adde 12, 2.

DISPŪTĀTUS, a, um, part. a *disputo*, utrinque putatus, collatus, initus. *Pl. Aul.* 3, 5, 55. Ubi disputata est ratio cum argentario. ℙ Item disserendo tractatus, *διαλεχθείς. Cic. Off.* 1, 2. Multa accurate copioseque a philosophis disputata.

DISPŪTO, as, avi, atum, a. 1. *διαλέγω, διαλογίζομαι:* a *dis* et *puto*, quasi hinc et inde puto, ex utraque parte dissero, sententiam profero, discepto. Quare sicut *putare rationem* dixit *Pl. Cas.* 3, 2, 25., ita et *disputata ratio* legitur apud *eund. Aul.* 3, 5, 55. et *disputatio* pro computatione, in mensuris agrorum, adhibetur a *Colum.* 5, 1. *in f.* ℙ Sumitur autem universim pro disserere, dicendo certare cum alio, vel etiam solum tractare de aliqua re, sermonem habere: et fere de rebus dicitur ad rationem vivendi pertinentibus, ut ex *Cic. Or.* 2, 24. *extr.* colligimus. [*Disputare dicuntur partim philosophi, partim jureconsulti. Cf. *Clav. Cic.* Est etiam verbum proprium et quasi fixum in contentione patronorum cum testibus. Sic *Heinr* ad *Cic. p. Scauro* §. 20. p. 168. *ed. Beier.*] *Varr. L. L.* 5, 7. a *putus* pro *purus* derivat. Sic, inquit, is sermo, in quo pura disponuntur verba, ne sit confusus, atque ut diluceat, dicitur disputare. Ita *Varr.*, sed haec grammaticum sapiunt. *Cic. N. D.* 3, 40. Ea quae disputavi, disserere malui, quam judicare. *Id. Phil.* 13, 10. Dum de singulis sententiis breviter disputo. *Id. Fam.* 3, 8. Idque me arbitror pro tribunali multis verbis disputavisse. *Id. Tusc.* 5, 10. Acute autem disputantis illud est. et *ib.* 3, 9. Non inscite Dionysius ad ea disputat, quae, etc. *Id. Or.* 1, 34. Disputare de omni re in contrarias partes. *Id. Fam.* 11, 27. *ad f.* In utramque partem de aliqua re disputare. *Id. Or.* 1, 25. Neque haec in eam sententiam disputo, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 3. *sub f.* Durum hoc fortasse videatur: neque ego ullam in partem disputo: tantum intelligo, etc. [*Quint. Decl.* 365. in totidem sententias disputare.] *Mart.* 9, 78. Quod optimum sit disputat convivium Facunda Prisci pagina. *Pl. Men. prol.* 50. Ut hanc rem vobis examussim disputem. ℙ [*Permutatur cum *discepto*, quod V.]

DISQUĀMO. V. DESQUAMO.

DISQUĪRO, ris, a. 3. *ἐξετάζω*, per omnes partes quaero, perquiro. *Hor. Sat.* 2, 2, 7. Verum hic impransi mecum disquirite.

DISQUĪSĪTĬO, onis, f. *ἐξέτασις*, disceptatio, inquisitio. *Cic. Har. resp.* 7. Quamquam ad facinoris disquisitionem interest, adesse quam plurimos. *Liv.* 26, 31. In disquisitionem venit, quid ego fecerim. *Id.* 8, 23. Vitione dictator creatus esset, in disquisitionem venit. *Auct. ad Her.* 2, 26. Vitiosum est pro argumento sumere quod in disquisitione positum est. [*„Est quod dialectici recentiores vocant *petitionem principii.*“ *Schütz.* in *Clav.*] *Suet. Ner.* 2. Ad disquisitionem senatus vocavit, *h. e.* accusavit. [*Quaestionem a *disquisitione* sic differre ait *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 22. ut illa sit tota causa, qua quis periclitatur; haec sit pars ejus, qua de veritate facti quaeritur.]

DISRAPĬO. V. DIRAPIO.

DISRĀRO, as, a. 1. *ἀραιόω*, castro, et diversis modis, quod densum erat, rarum facio. *Colum.* 4, 32. de arundineto: Potest intercidi et disrarari, quod opus rustici castrationem vocant. V. etiam DIRADIO. ℙ Legitur etiam *diraro*, eadem ferme significatione, apud *Aur. Acut.* 7, 15. Non aliter et vinum plurimam nutrimenti partem resolvere ac dirarare, et tenuem facere. *Id. ib.* Aliqui phreniticorum dirarato corpore motus causa, deficiunt, *h. e.* nimis transpirante. Adde *ib.* 11.

DISRUMPO. V. DIRUMPO.

DISSĀVĬOR. V. DISSUAVIOR.

DISSĔCO, as, cui, ectum, a. 1. *σχίζω*, in duas partes divido. *Suet. Cal.* 27. Medios homines serra dissecuit. *Plin.* 11, 37, 70. Lacedaemonii pectus dissecuere causa videndi. *Id.* 29, 4, 21. Caput viperae dissecant inter aures ad eximendum lapillum. *Appul. Met.* 8. p. 214, 18. Ancipiti ferro sua quisque brachia dissecant, *h. e.* concidunt, exsecant. ℙ Scribitur et *dissico.*

DISSECTĬO. V. DESECTIO.

DISSECTUS, a, um, part. a *disseco*, bifariam sectus. *Plin.* 30, 9, 23. Mures dissecti impositi. *Id.* 32, 9, 36. Ranas dissectas imponere. *Id.* 9, 35, 58. Unio dissectus. *Id.* 7, 2, 2. Pisces unguibus dissectos sole torrere.

DISSĔMĪNĀTĬO, onis, f. *διασπορά*, actus disseminandi. Translate. *Appul. Met.* 11. *sub f.* Nec extimescerem malevolorum disseminationes. ℙ In bonam partem. *Tert. Fuga in persecut.* 6. Disseminatio Euangelii.

DISSĔMĪNĀTUS, a, um, part. a *dissemino*, sparsus, divulgatus. *Cic. Planc.* 23. Disseminatus dispersusque sermo. *Id. Cat.* 4, 3. Malum latius opinione disseminatum.

DISSĔMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *διασπείρω*, spargo, divulgo. *Cic. Arch.* 12. Spargere ac disseminare in orbis terrae memoriam. *Justin.* 12, 13. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis disseminaverunt. *Appul. Met.* 5. *extr.* Venus passim cupidines populis disseminans.

DISSENSĬO, onis, f. *διχόνοια*, voluntatum et sententiarum contrarietas. *Cic. Or.* 1, 56. Quibus in causis fuit inter peritissimos homines summa de jure dissensio. *Id. Agr.* 2, 6. Animorum disjunctio dissensionem facit. *Id. Brut.* 49. *extr.* Nunquam de bono oratore doctis hominibus cum populo dissensio fuit. *Id. Off.* 1, 25. Qualis fuit inter P. Africanum, et Q. Metellum sine acerbitate dissensio. *Id. N. D.* 1, 1. Qui Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut, etc. *Id. Agr.* 2, 2. Commovere dissensionem. ℙ Translate est dissimilitudo [*s. rerum inter se repugnantia. *Cic. Off.* 3, 13. haec est illa quae videtur utilium fieri cum honestis saepe dissensio.]. *Senec. ep.* 20. Ut ipsa inter se vita unius, sine actionum dissensione, coloris sit. ℙ Pro seditione, rixa, discordia. *Caes. B. C.* 3, 1. Timor novarum tabularum, qui fere bella et civiles dissensiones sequi consuevit. [*Id. B. G.* 7, 1.] *Hirt. B. Alex.* 42. Provincia finitimo bello et dissensionibus vastata. [*Cic. Agr.* 2, 37. tumultus et dissensio civium. *Id. Sull.* 21. hoc dissidio ac dissensione facta.]

*DISSENSOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat. ἑτερογνώμων*, Dissensor. *B. A.*

*DISSENSUS, a, um, part. a *dissentio. Censorin. de die nat.* 4. Haec eadem opinio etiam in Parmenide fuit, pauculis exceptis ab Empedocle dissensis, *h. e.* in quibus aliter sentit Empedocles. *B. A.*

DISSENSUS, us, m. idem quod dissensio. *Stat. Th.* 10, 558. Urbem scindunt dissensu vario. *Claud. B. Gild.* 300. Dissensus acerbus. *Id. Laud. Stil.* 2, 86. mediis dissensibus aulae. *Paul. Dig.* 17, 2, 65. Dissensu solvitur societas.

DISSENTĀNĔUS, a, um, adj. dissentiens, contrarius. *Cic. Partit.* 2. Similia aut dissimilia, consentanea aut dissentanea. Adde *Nigid.* apud *Non.* 2, 240.

DISSENTĬO, is, ensi, ensum, n. 4. *ἀντιγνωμονέω*, aliter atque alii sentio, discors sum, dissideo, discrepo. *Cic. Or.* 63. *ad f.* Quem Aristoteles ut optimum probat, a quo dissentio. *Id. Or.* 1, 2. Soles nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire. *Id. Har. resp.* 25. Dissensit cum Mario L. Sulla. [*Hdf. ad *Cic. N. D.* 1, 33, 93.] *Auct. ad Her.* 1, 11. Cum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. *Senec. ep.* 98. *prope f.* Dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit, etc. *Cic. Fin.* 2, 6. *ad f.* Illi enim inter se dissentiunt. *Id. Phil.* 12, 11. Cives gravissime dissentientes. *Id. Amic.* 9. Longe dissentire ab aliquo. *Hor. Sat.* 2, 1, 78. nisi quid, tu docte Trebati, Dissentis. *Cic. Fin.* 4, 1. Non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissentire. *Quint.* 9, 4. In quibusdam paulum fortasse dissentiam. *Gell.* 3, 11. *a med.* De patria Homeri multo maxime dissensum est. ℙ *Dissentire a se* est inconstantem esse. *Cic. Fin.* 5, 27. Me non quaerere, quid virtus possit efficere, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. *Id. Tusc.* 4, 13. Vitiositas est habitus aut affectio in tota vita inconstans, et a se ipsa dissentiens. ℙ Translate est dissimilem esse [*discrepare.]. *Cic. Font.* 9. *ad f.* Hae nationes a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt. *Plin.* 31, 7, 42. Flos salis odore dissentiens a sale. *Quint.* 1, 5. Cum dissentit ab interrogatione responsum. *Id. ib.* 6. *Lepus* et *lupus* simili positione, casibus numerisque dissentiunt. ℙ Cum dativo. *Senec. ep.* 20. Ne orationi vita dissentiat. *Hor. Od.* 3, 5, 14. mens provida Reguli Dissentientis conditionibus Foedis. ℙ Pro in seditionem ire. *Caes. B. C.* 1, 20. Ab his primo Marsi dissentire incipiunt, eamque oppidi partem occupant. *Auct. B. Hisp.* 37. Caesar reliqua oppida oppugnat, quae propter Pompejum dissentire coeperant. ℙ Olim et *dissentior* deponentis forma usurpatum fuit, ut *assentior. Coel* ap. *Prisc.* 8. p. 801. Qui intelligunt, qui faciunt, dissentiuntur. ℙ [*Permutatur cum *dissidere*, quod V.]

*DISSENTO, as, frequent. i. fere q. dissentio. *Pl. Men.* 5, 2, 58. Dic mihi istuc, quod vos dissentatis. Ita legere vult *Taubm.;* qui tamen edidit *dissertatis*, quae lectio est edd. *Camerar. Douz. Buchner.* et *Gronov.* necnon et MStorum. Alii conjiciunt *disceptatis*, alii *decertatis.* V. *Meurs. Crit. Exerc.* P. 1. p. 148. *B. A.*

DISSĔPĀRĀTĬO, onis, f. separatio, divisio. *Auct. Decl. in Catil.* 31. Disseparationi eorum neque solem orientem unquam, neque occidentem intervenisse.

DISSĔPĀRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *disseparo*, separatus, divisus. *Nazar. Paneg. Constant.* 2. Quae temporibus disseparata sunt, animorum praesumptione junguntur. Al. leg. *disparata.*

DISSĔPĪMENTUM, i, n. id quo aliquid dissepitur et dividitur, ut membranula in nuce. *Festus* in *Naucus.*

DISSĔPĪO, epis, eptum, a. 4. *διαφράττω*, se-

piendo dirimo, discludo, distermino. *Lucr.* 1, 997. Aer dissepit colles, atque aera montes. [*Cic. de Rep.* 4, 4. Tenui sane muro dissepiunt id, quod excipiunt. *B. A.*] *Ov. Met.* 1, 69. Vix ea limitibus dissepserat omnia certis. Alii leg. *discreverat*, alii *descripserat*, alii aliter. *Sil.* 11, 459. ut liquidi dissepset stagna profundi: pro *dissepsisset:* Alii leg. *discisset.*

DISSEPTIO, onis, f. idem quod disseptum. *Vitr.* 2, 8. *sub f.* Nonnullos celeritas, aut inopia, aut in pendenti loco disseptio cogit, *h. e.* paries craticius in loco pendenti ducendus dissepiendi gratia. Ita legitur locus hic in principe editione, et in omnibus ferme MSS. Alii tamen leg. *impendentis loci.*

DISSEPTUM, i, n. id quo aliquid dissepitur et discluditur, ut paries, qui cubicula in aedibus dividit, etc. *Lucr.* 6, 951. Denique per dissepta domorum saxea voces Pervolitant, permanat odos, frigusque vaposque. ℙ Item membrana dividens cor et pulmones a cetero ventre, *διάφραγμα*, septum transversum. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *a med.*, [*p. 45. *ed. Zeun.*] ubi alii leg. *dissiptum*, ea ratione, qua *consiptum* pro *conseptum* dixit *Ennius*, teste *Festo.*

DISSEPTUS, a, um, part. a *dissepio*, disclusus, diremptus, separatus. *Varr. L. L.* 4, 33. Circum cavum aedium erant uniuscujusque rei utilitatis causa parietibus dissepta, ubi, etc. *Senec. Med.* 335. Bene dissepti foedera mundi Traxit in unum Thessala pinus. ℙ Item non septus, disjectus, discissus, eversus, apud *Stat. Th.* 10, 880. dissepto que aggere rursus Utitur, et truncas rupes in templa domosque Praecipitat.

DISSERENAT, abat, impers. 1. *γαληνιᾷ*, serenum fit. *Liv.* 39, 46. Cum undique disserenasset. Alii *conserenasset* legunt. *Plin.* 18, 35, 82. Si cacumina pura fient, disserenabit. [*Not. Tir.* p. 123. Disserenat. *F.*]

[DISSĔRO, as, avi, a. 1. discludo: a *dis* et *sera.* quasi sera remota aperio. *Terentian. de litter.* p. 2385. Vocalia rictum nisi juncta disserarint. *syncop.* pro *disseraverint. F.*]

DISSĔRO, is, evi, itum, a. 3. *διασπείρω*, idem quod sero, aut variis in locis sero. *Colum.* 11, 3. *ante med.* Caeciliana lactuca mense Januario recte disseritur. *Id. ib.* 2. *ante med.* Semina in areolas disserere. *Varr. L. L.* 5, 7. Disserere areas. et *ib.* Olitor disserit in areas sui cujusque generis res. *Caes. B. G.* 7, 73. Taleae in terram defodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur. ℙ Translate. *Tac. A.* 3, 40. Disserere seditiosa per conciliabula et coetus. *Id. ib.* 1, 4. Pauci bona libertatis incassum disserere, *h. e.* mentionem bonorum libertatis apud multos facere. ℙ Praeteritum est *disseri*, si rationem sequaris: tamen et *disserui* invenitur. *Suevius* poeta apud *Macr. Sat.* 2, 14. Hoc genus arboris in praelatis finibu' Grajis Disseruere, novos fructus mortalibu' dantes. Al. leg. *deseruere* a *desero*, unde *desertus* et *desitus*, plantatus. V. DESERTUS et DESITUS.

DISSĔRO, is, erui, ertum, n. 3. *διαλέγομαι*, sermonem instituo de re aliqua, dico, disputo, tracto. Alii ducunt a v. praec. per metaphoram: alii specialem huic originem tribuunt, ut in CONSERO, erui dictum est. *Cic. N. D.* 3, 40. Ea, quae disputavi, disserere malui, quam judicare. [*Haud raro construitur cum accusativo. V. *Duk.* et *Drak.* ad *Liv.* 41, 6, 4. *Ern.* ad *Tac. A.* 2, 27. *Goer.* ad *Cic. Leg.* 3, 8, 19. quos laudat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 5, 9.] *Id. Flacc.* 17. *in f.* De hoc teste disseruit et subtiliter et copiose Hortensius. *Id. Amic.* 10. Ea quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. *Id. N. D.* 1, 5. Disserere contra omnia. *Id. Tusc.* 2, 3. de omnibus rebus in contrarias partes. *Id. Att.* 9, 4. *sub f.* Disserens in utramque partem tum Graece, tum Latine. *Id. Or.* 1, 13. et 4. *Acad.* 6. *a med.* Disserere cum aliquo. *Gell.* 19, 1. *ad f.* super aliqua re. *Quint.* 10, 6. Ideoque aliqua mihi in illum locum disserenda sunt. *Cic. Or.* 2, 38. Ars bene disserendi, *h. e.* dialectica: quam vocat *Fat.* 1. rationem disserendi. et *Or.* 1, 15. subtilitatem disserendi. ℙ Cum accusativo pro exponere, enarrare. *Lamprid. Alex. Sev.* 30. *extr.* De quo in libris suis Marius loquitur, cum Hadriani disserit vitam. ℙ Cum dativo, *disserere alicui*, h. e. apud aliquem, vel coram aliquo, est *Senec. ep.* 52. *a med.* ℙ [*Hieron. praef.* 11. *in Isaj.* Undecimus in Isajam liber magnam partem historiae disserturus est. *F.* *Non raro confunditur cum *dicere* et *discere.* V. *Heuss.* ad *Cic. Off.* 1, 1, 2.]

DISSERPO, is, n. in diversas partes serpo, disseminor. *Lucr.* 6, 546. Quippe cadunt toti montes, magnoque repente Concussu late disserpunt inde tremores.

*DISSERTABUNDUS, a, um, part. qui disserit. *Gell. loco non designato:* Eumque in corona adstantium dissertabundum invenimus. *B. A.* [*Neque ego reperire potui.]

DISSERTĀTĬO, onis, f. *διαλογισμός*, sermo, disputatio. *Plin.* 10, 68, 87. Quapropter ingenium praedictorum, et reliqua subtexetur dissertatio. *Harduin.* in suis MSS. *edissertatio* reperit. *Gell.* 10, 4. Res in philosophiae dissertationibus celebris. *Id.* 14, 3. Turpiter eos mentiri, qui dissertationes istiusmodi Socrati attribuerent. *Id.* 17, 13. Hoc est longioris dissertationis. *Id.* 1, 2. Jussit proferri dissertationum Epicteti secundum librum. *Id.* 19, 12. In ea dissertatione hujuscemodi sensus est. Al. leg. *dissertione* eod. sensu. Eadem varia lectio reperitur etiam 17, 19. Nempe sicut *dissertatio* a *disserto* fit, ita *dissertio* a *dissero.*

DISSERTĀTOR, oris, m. qui disserit. *Prud. Apoth.* 850. Occurrit dubitans hic dissertator et illud Objicit.

DISSERTĬO. V. DISSERTATIO.

DISSERTO, as, n. 1. frequentat. a *dissero.* *Cato* ap. *Fest.* in *Citeria:* Quid ego cum illo dissertem amplius? *Gell.* 7, 14. Seorsum quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt. Adde *Pl. Men.* 5, 2, 58. ℙ Pro enarrare, exponere. *Tac. H.* 4, 69. Vim Romanam, pacisque bona dissertans, sapientissimum quemque metu continuit.

DISSERTOR, oris, m. idem quod dissertator. Utitur eo *Nonius* 4, 253., ubi interpretem exponit obscuri dissertorem.

DISSERTUS, a, um, part. a *dissero*, enarratus, disputatus. *Hieron. in Isaj.* 4, 11. Quam prophetiam per partes volumus explanare, ne simul proposita atque disserta lectoris confundat memoriam.

DISSĬCIO, is, a. 3. vult *Pareus* in *Lex. Crit.* idem esse quod *disjicio*, *h. e.* disseco, discindo, divido. Affert autem primum verba *Prisciani* 14. p. 1002., in quibus recensendo verba, quae a *dis* componuntur secundum ordinem consonantium, post *displiceo*, *disputo*, *disperdo* ponit *dissicio*, *distraho* etc., quod quamvis in libris *disjicio* legatur, apparet tamen ex ipsa serie ita legendum esse. Secundo *Plauti Curc. a.* 3. *v.* 54. Clypeatus elephantum ubi machaera dissicit. Tertio *Lucr.* 3, 639. vis animai discissa simul cum corpore dissicietur. Quarto subtexit loca ex *Cic. Coel.* 16. ex *Virg.*, *Ov.*, *Val. Fl.*, *Liv.*, *Suet.*, *Stat.*, *Val. Max.* etc., quae sane omnia dubia sunt: et fere ubique *disjicio* ab aliis substituitur. [Addas licet locum *Auct. Itiner. Alex. M.* (ed. *Maio*) 62. Sed ferventius obvians, re provisa plerosque Alexander dissicit. Nolim tamen omnino ex Latinarum vocum albo expungi, tum propter auctoritatem *Prisciani*, quae momenti aliquid certe habet; tum propter multorum MSS. consensum. V. nos sub DISJICIO.]

DISSĬDENTĬA, ae, f. idem ac dissidium. *Plin.* 29, 4, 23. Dominante illa eadem rerum dissidentia. Adde *Arnob.* 3. p. 120. ubi tamen *Orell.* habet *differentia.*

DISSĬDĔO, es, edi, essum, n. 2. *στασιάζω*, *ἀνθίσταμαι*: a *dis* et *sedeo.* Proprie est sedibus distare, remotum esse. *Prop.* 1, 12, 4. Tam multa illa meo divisa est millia lecto, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. [*Cf. *Burm.*] *Senec. Thyest.* 124. Isthmi si quis amat regna Corinthii Et portus geminos et mare dissidens, *h. e.* utrinque positum, Isthmo intermedio. *Sil.* 7, 736. qui partitis dissederat ante maniplis, *h. e.* in alium locum se contulerat. Al. leg. *discesserat.* [*Illud praeferunt *Heins.* et *Drak.*] ℙ Translate est vel sententiis discrepare vel discordem esse, [*ut ad simultatem referendum sit.] *Cic. N. D.* 1, 2. Opiniones tam variae tamque inter se dissidentes. *Id. Att.* 7, 6. Mihi non rectum, me in tantis rebus a Pompejo dissidere. *Id. Leg.* 1, 20. *ad f.* Qui de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Id. Verr.* 2, 5, 71. Quasi natura et genere disjuncti sint, ita dissident a nobis animo ac voluntate. *Id. Balb.* 13. Nullam esse gentem tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque dissidio etc. *Id. Marcell.* 10. Non consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. *Phaedr.* 3, 3. Variis dissident sententiis. *Nep. Ann.* 10. Dissidebat ab eo Pergamenus rex bellumque inter eos gerebatur etc. *Plin.* 10, 74, 95. Dissident olores et aquilae. *Tac. A.* 1, 46. Dissidet miles. Et *ib.* 55. Hostis dissidebat in Arminium et Segestem, i. e. alterutri favebat. *Nep. Dion.* 8. Quod inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent. Adde *Plin.* 8, 25, 38. *Hor. Od.* 3, 8, 19. Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis. *Cic. Att.* 1, 13. et 4. *Acad.* 47. Inter se leviter dissident. *Id. ib.* 4, 47. Cum Cleanthe doctore suo quam multis rebus Chrysippus dissidet. *Id. Fin.* 1, 18. Dissidere a se ipso secumque discordare. Et *ib.* 13. Cupiditates intus in animis inclusae inter se dissident atque discordant. *Id. Off.* 2, 2. Temeritas a sapientia dissidet plurimum. *Plin.* 29, 1, 5. Dissederunt hae diu scholae. *Id.* 18, 25, 57. Auctores qui in eadem regione dissedere. *Ov. Her.* 7, 36. Matris ab ingenio dissidet ille suae. ℙ Cum dativo. *Hor. Od.* 2, 2, 18. Dissidens plebi virtus. [*Meliorem esse hanc constructionem, quam alteram cum genitivo, monstrat *Bentl.* ad h. l.] ℙ *Dissidere* aliquando dicuntur, qui tantummodo alieni sunt et diversae ditionis aut imperii. *Virg. A.* 7, 369. Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris Dissidet, externam reor. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Cic. Or.* 1, 31. Ut a sententia scriptum dissideat. *Auct.* ad *Her.* 2, 9. Cum voluntas scriptoris cum scripto dissidere videbitur. *Plin.* 37, 4, 15. Adamas dissidet cum magnete. *Id.* 24, 1, 1. Quercus et olea pertinaci odio dissident. *Ov. Fast.* 3, 662. Fama non dissidet a vera fide. *Id. Pont.* 1, 6, 6. Feritas dissidet a studiis tuis. *Id. Met.* 15, 648. Dissidet et variat sententia. *Gell.* 13, 24. Duo haec verba idem significant neque ulla re aliqua dissident, *h. e.* differunt. ℙ Pertinet aliquando ad divortia matrimoniorum. *Suet. Tib.* 7. Cum Julia primo concorditer et amore mutuo vixit: mox dissedit et aliquando gravius, ut etiam perpetuo secubaret, [*imo i. q. animo ab ea alienatus est. Non esse i. q. *divortium*, hic ipse locus monstrat. Erat *dissidium*, non *discidium*, ut bene *Brem.* V. etiam *Oud.* ad h. l.] ℙ *Toga dissidet impar*, ap. *Hor. Ep.* 1, 1, 96., *h. e.* male sedet humeris, plus una, quam alia parte dependens. ℙ Passive impersonaliter. *Suet. Tib.* 37. Capita factionum et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit. Adde *Flor.* 3, 17. ℙ [*Confunditur in codd. cum *dissentire.* V. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 5, 9. et *Goer.* ad *Cic. Fin.* 4, 1, 2.]

DISSĬDĬUM, ii, n. *διάστασις*, discordia animorum, dissidentia, dissensio. *Cic. Balb.* 13. Odio atque dissidio dissidere ab aliquo. *Id. Att.* 1, 14. *a med.* Ut quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac judicio tuo factum esse videatur. ℙ Item separatio, disjunctio. *Cic.* non uno in loco, *Prop.* et alii. Verum hac notione rectius *discidium* scribitur, (quamquam libri variant) ut in ea voce admonuimus.

DISSIGNO etc. V. DESIGNO.

DISSĬLĬO, is, ilui et ivi, ultum, n. 4. *ἀναπηδάω*, hinc et illinc salio, in diversas partes salio, findor, diffringor. *Plin.* 36, 18, 29. Tusculanum silicem dissilire igni. *Ov. Trist.* 4, 6, 20. Uva pressa pede dissilit. *Virg. G.* 3, 363. de vi frigoris: Aeraque dissiliunt vulgo. *Id. A.* 12, 740. Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit. De freto Siciliae *Id. A.* 3, 414. Haec loca vi quondam et vasta convulsa ruina Dissiluisse ferunt. *Sil.* 16, 548. impius ignis Dissiluit. *Id.* 5, 616. Immugit penitus convulsis ima cavernis Dissiliens tellus. *Plin.* 22, 22, 26. Boves dissilire degustata bupresti, *h. e.* dirumpi. Sic 29, 4, 27. Si praegnans momordit, protinus dissilit. *Senec. ep.* 113. *ad f.* Dissilio risu, cum mihi propono, soloecismum animal esse. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 18, 41. Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi dissiluit, *h. e.* repente dissoluta est.

DISSĬMĬLIS, e, adj. *ἀνόμοιος*, non similis, absimilis, diversus. *Cic. Fam.* 10, 6. *ad f.* Qui te ab impiorum civium, tui dissimillimorum, societate sejungas. *Id. Or.* 2, 19. Artificium non dissimile ceterorum. *Id. Brut.* 93. Sui dissimilior videbatur fieri quotidie. [*De formula sui *dissimilis* V. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 104.] *Id. Fin.* 4, 6. Hoc sic expositum dissimile est superiori. *Id. Brut.* 56. Nihil tam dissimile, quam Cotta Sulpicio. *Id. Sull.* 49. Erat huic judicio longe dissimilis illa contentio. *Id. Or.* 3, 7. Una est ars ratioque picturae; dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles. et *ib.* 2, 29. Cum inter vos in dicendo dissimillimi sitis. *Id. Planc.* 28. Dissimilis est pecuniae debitio et gratiae. *Id. Att.* 2, 3. Quod non est dissimile, atque ire in Solonium. *Id. Tusc.* 1, 25. *sub f.* Motus tarditate et celeritate dissimillimi. *Plin.* 6, 27, 31. Dissimilis colore. *Tac. A.* 2, 39. Aetate et forma haud dissimili in dominum erat. [*V. de hac constructione *Walch.* ad *Tac. Agr.* p. 355.] *Gell.* 18, 4. Res diversae ac dissimiles.

DISSĬMĬLĬTER, adv. *ἀνομοίως*, diverse. *Liv.* 27, 48. Incerti, quorum essent, haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis. (hoc loco casum regit, ut adjectivum.) *Sall. Jug.* 94. Oppidum Thalam ceperat, haud dissimiliter situm munitumque. *Auct. ad Herenn.* 2, 13. Res simili de causa dissimiliter judicatae. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *a med.* Dissimiliter, atque si sub custodia mea sit.

DISSĬMĬLĬTŪDO, inis, f. *ἀνομοιότης*, diversitas, differentia. *Cic. Div.* 2, 46. Incredibilis varietas et dissimilitudo. *Id. Amic.* 20. Morum dissimilitudo dissociat amicitias. *Id. Div.* 2, 46. Dissimilitudo locorum. *Id. Fin.* 5, 7. bonorum malorumque. *Id. Or.* 1, 59. Hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod, etc. *Id. Fam.* 2, 13. Genus institutorum meorum dissimilitudinem habet cum illius administratione provinciae. *Id. Div.* 2, 45. Quarum rerum tantae dissimilitudines saepe sunt, ut, etc.

DISSĬMŪLĀMENTUM, i, n. simulatio. *Appul. Flor. n.* 3. p. 341, 31. Musae cum Minerva dissimulamenti gratia judices adstitere. *Id. Apol.* p. 329, 9. Dissimulamenti causa et deridiculi.

DISSĬMŪLANTER, adv. *εἰρωνικῶς*, dissimulatim. *Cic. Or.* 2, 35. Id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est. *Liv.* 40, 23. Herodorus in custodiam est conjectus, et Demetrius dissimulanter asservari jussus. *Cic. Brut.* 79. Nec vero haec soluta, nec diffluen-

tia, sed varie dissimulanterque conclusis. *Id. Fam.* 1, 5. *sub f.* Partim sunt obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. [*Oc. Her.* 20, 130.]

DISSĬMŪLANTĬA, ae, f. idem ac dissimulatio. *Cic. Or.* 2, 67. Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse.

*DISSIMULĀTE, adv. i. q. dissimulanter. Olim legebatur apud *Cic. de Invent.* 1, 17. *ante med.* Et dissimulate id te defensurum, quod existimeris defensurus. Sed legendum est *dissimulare. B. A.*

DISSĬMŪLĀTIM, adv. idem ac dissimulanter. *Quint.* 10, 1. Saepe praeparat dissimulatim insidias orator. Al. rectius leg. *dissimulat, insidiatur.*

DISSĬMŪLĀTĬO, onis, f. *εἰρωνεία*, actus dissimulandi. Quomodo a simulatione differat, V. in DISSIMULO. *Cic. Off.* 3, 15. Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. *Id. Or.* 2, 68. Valde ridentur, quae a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur. *Tac. A.* 13, 25. Nero veste servili in dissimulationem sui compositus. *Id. ib.* 11, 26. Abrumpere dissimulationem. [*Cf. *H.* 4, 18. per dissimulationem alere conatus alicujus.] ℙ Est Latina appellatio figurae ironiae. *Cic. Acad.* 4, 5. Socrates libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant. Adde *Or.* 3, 53. Monet tamen *Quint.* 9, 2. *ante med.* hoc nomine parum totius ironiae vires ostendi. ℙ Inter ea, quae risum movent, *dissimulatio* est, cum quis parum se aut aliud omnino intelligere fingit. *Quint.* 6, 3. et *Cic. Or.* 2, 68. ℙ Item cum alia dicuntur, ac sentias, quam *Cic. ib.* 67. urbanam dissimulationem appellat. [*De tribus his significationibus, qui plura et accuratiora scire cupit, adeat *Ernest. techn. lat.* p. 130. sqq.] ℙ Significat etiam negligentiam, incuriam. *Veg. Vet.* 4. *init.* Solemnis excusatio negligentium est, dispendia ex dissimulatione venientia Deo imputare, vel casibus. *Veg. alter Mil.* 1, 18. Quem usum usque ad hanc aetatem, licet jam cum dissimulatione, pervenisse manifestum est.

DISSĬMŪLĀTOR, oris, m. *εἴρων*, qui dissimulat et celat aliquid. Quomodo a *simulatore* differat, V. in DISSIMULO. *Sall. Cat.* 5. Animus subdolus, varius, cujuslibet rei simulator et dissimulator. *Quint.* 2, 2. Nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator. et *ib.* 18. Antonius dissimulator artis fuit. *Ov. Met.* 5, 61. et veri non dissimulator amoris. *Hor. Ep.* 1, 9, 9. opis propriae.

DISSĬMŪLĀTUS, a, um, part. a *dissimulo*, tectus, celatus, *εἰρωνευθείς*. *Ter. Andr.* 1, 1, 105. Dissimulatus et celatus amor. *Ov. Fast.* 4, 850. et *ib.* 6, 90. Pietas dissimulata ira. *Id. Pont.* 3, 9, 40. Verbaque profectu dissimulata carent. *Id. Trist.* 2, 437. modo dissimulata Perillae Nomine, nunc legitur dicta Metella suo. ℙ Cum accusativo, more deponentium. *Id. Fast.* 6, 507. et *Stat. Silv.* 1, 2, 13. Dissimulata Deam, *h. e.* celans divinitatem. *Ov. A. Am.* 1, 690. de Achille: Veste virum longa dissimulatus erat. *Id. ib.* 354. Locris in ancillae dissimulata necem, *h. e.* tecta, abscondita. ℙ Dissimulatus consulatus alicujus apud *Tac. H.* 2, 71. est omissus, praeteritus, tanquam si ille consul designatus non fuisset. ℙ [*Suet. *Ner.* 37. dissimulata senatus mentione, i. e. oppressa, praetermissa. qua significatione raro reperitur.] ℙ *Ex dissimulato*, dissimulanter. *Senec. Qu. Nat.* 4. *praef. ante med.* Non est occulte, nec ex dissimulato blandiendum.

DISSĬMŪLO, as, avi, atum, a. 1. *εἰρωνεύω*, diligenter et astute celo, occulto, fingo non esse, quod re vera est. *Cic. Att.* 1, 18. Nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. *Caes. B. C.* 2, 31. Dissimulare et occultare aliquid. *Id. ib.* 1, 19. Res diutius tegi dissimularique non potuit. [*Tibull.* 1, 9, 44. dissimulare annos, quod *Prop.* 3, 23, 31. *celare annos* dicit.] *Cic. Att.* 8, 1. *extr.* Dissimulare non potero, mihi, quae adhuc acta sunt, displicere. *Id. Cat.* 1, 12. Nonnulli sunt, qui ea, quae vident, dissimulant. *Id. Sext.* 15. Silentio dissimulare aliquid. *Hirt. B. Alex.* 48. difficulter odia. *Tac. A.* 11, 32. metum. *Ter. Hec.* 4, 2, 2. et *Ph.* 2, 3, 82. sedulo aliquid. *Sall. Cat.* 48. Vulturcius primo fingere alia, dissimulare de conjuratione. *Paul. Dig.* 40, 13, 4. de conditione sua. *Pl. Mil.* 4, 2, 2. Dissimulabo, hos quasi non videam. et 2, 2, 105. Quem hominem investigando summam operam, hinc dissimulavero. *Ov. Ib.* 52. Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam. *Quint,* 11, 3. *ante med.* Consonantium quaedam, insequente vocali, dissimulantur. *Ov. Her.* 4, 56. Taurus dissimulans Deum, *h. e.* divinitatem celans. (Adde *Fast.* 5, 504.) *Id. Trist.* 4, 9. *extr.* Dissimulare nomen suum. *Id. Her.* 5, 84. Non tamen ut Priamus Nymphae socer esse recuset, Aut Hecubae fuerim dissimulanda nurus, *h. e.* ut Hecuba dedignaretur me nurum suam agnoscere. *Id. ib.* 9, 84. Factaque narrabas dissimulanda tibi, *h. e.* quae tacere debuisses. [*Tac. A.* 11, 30. petens veniam, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset, i. e. reticuisset, occultasset. ℙ *Non dissimulare*, i. e. prae se ferre. *Suet. Aug.* 45. qua (voluptate) teneri se, neque dissimulavit unquam et saepe ingenue professus est. coll. *Vesp.* 12. Et seq. accus. cum infin. i. q. libere profiteri. *Id. Caes.* 10, 73. etc. V. *Clav. Suet.*] ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 2, 372. Zephyrosque audire vocantes Dissimulant. ℙ Pro assimilare, imitari. *Ov. Met.* 2, 373. canaeque capillos Dissimulant plumae. ℙ *Dissimulo* et *simulo* hoc differunt, quod illud de iis, quae re ipsa sunt, usurpatur, ut dictum est; hoc de iis, quae nulla sunt. *Ov. Rem. Am.* 497. Quod non es, simula. *Planc.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. *circa med.* Multa me et simulasse invitum et dissimulasse cum dolore.

DISSĬPĂBĬLIS, e, adj. qui dissipari, et dispergi potest. *Cic. N. D.* 3, 12. *ad f.* Ignis et aer natura cedens est maxime et dissipabilis.

DISSĬPĀTĬO, onis, f. *διασκέδασις*, dispersio. *Cic. N. D.* 1, 25. Ne interitus et dissipatio consequatur. *Id. Phil.* 13, 5. Dissipatio praedae, *h. e.* quae praedando fit. ℙ [*Est etiam figura rhetorica, qua totum aliquid ita partimur, ut loca diversa et dissita exprimantur, ut apud *Virg. G.* 1, 54. *hic segetes, illic* veniunt felicius *uvae*, quem laudat *Quint.* 9, 3, 39. et *Cic. Or.* 3, 54. Contraria huic figurae est *μεταβολή*, de qua V. *Ern. techn. Gr.* s. h. v.]

DISSĬPĀTOR, oris, m. qui dispergit et dissipat. *Prud. praef. Psych.* 34. Abram triumphi dissipator hostici.

DISSĬPĀTUS, a, um, part. a *dissipo*, *διασκεδασθείς*, dispersus, disjectus, dissolutus. *Cic. Tusc.* 1, 25. Qui dissipatos homines congregavit, et ad societatem vitae convocavit. *Id. Dom.* 7. Copiae hostium depulsae et dissipatae. *Id. Sext.* 69. Eversa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata coniux. *Caes. B. G.* 2, 24. Cum equites, funditores, Numidas diversos, dissipatosque in omnes partes fugere vidissent. *Liv.* 28, 20. Quam urbem Punici exercitus e dissipata passim fuga reliquiae tutabantur. [*Id. 2, 59. collectis ex dissipato cursu militibus.] *Id.* 8, 39. Hostes dissipati in fugam. *Cic. Att.* 15, 11. *ad f.* Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum. *Id. in Senat.* 9. *ad f.* Ut cuncti ad me unum hominem fractum et prope dissipatum, restituendum et defendendum venirent. *Liv.* 28, 3. Dissipatum passim bellum. *Cic. Flacc.* 6. Sermo est tota Asia dissipatus, Pompejum contendisse, etc. *Id. Or.* 1, 42. Omnia, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt. ℙ Translate. *Id. Brut.* 59. *extr.* Curio cum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit, i. e. inventa non recte disponere et apte collocare solebat. *Id. Or.* 65. *extr.* Dissipata et inculta et fluens oratio, *h. e.* quae caret numeris. [*Id. *ib.* 70. dissipatae sententiae. *Id. ib.* 71. facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere. Cf. *Quint.* 9, 3, 39. qui voc. *Cic.* explicat per *dispersa.*] ℙ Tmesi dividitur a *Lucr.* 1, 650. Languidior porro disjectis disque sipatis. Al. leg. *supatis.* V. originem verbi *Dissipo* in v. seq.

DISSĬPO, as, avi, atum, a. 1. *διασκεδάζω*, dispergo, diffundo, disturbo, disjicio: ab obsoleto *sipo*, vel *supo*, quod, teste *Festo*, significat *jacere:* unde *dissipare* disjicere (quod *dissupare* aliquoties apud *Lucr.* legitur) *insipare* injicere, *obsipare* objicere: hinc est Italorum *sciupare. Cic. N. D.* 2, 15. Ignis quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. *Stat. Th.* 12, 773. auras Dissipat hasta tremens. *Vitr.* 1, 5, *a med.* Turres quadratas machinae celerius dissipant, *h. e.* perfringunt, everruntque. *Cic. Div.* 1, 34. *extr.* Simia et sortes ipsas, et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit, et aliud alio dissipavit. *Id. Pis.* 38. Statuam deturbare, affligere, comminuere, dissipare. *Id. Tusc.* 1, 9. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere. *Liv.* 30, 5. Ignis extemplo totis se dissipavit castris. *Cic. Manil.* 9. Medeam fratris sui membra in iis locis dissipavisse. *Ov. Met.* 2, 800. piceumque per ossa venenum Dissipat. *Hirt. B. G.* 8, 5. *extr.* Magna parte amissa suorum, dissipantur in finitimas civitates. *Caes. ib.* 7, 34. Dissipare ac perterrere hostes. *Liv.* 6, 12. *extr.* ordines pugnantium. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. classem. *Ov. Fast.* 2, 232. de apro: Fulmineo celeres dissipat ore canes. *Val. Fl.* 7, 626. Dissipare nexus ac vincula galeae, *h. e.* raptim dissolvere, aut scindere. *Senec. Troad.* 468. Cervice fusa dissipans latam comam. *Cic. Agr.* 1, 1. Possessiones a majoribus relictas disperdere ac dissipare. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Nihil superest: libidines totum patrimonium dissipaverunt. *Cic. Phil.* 14, 6. Dissipare famam et *Verr.* 2, 1, 6. *ad f.* Cum sermones hujuscemodi dissipassent, me, etc., et absolute *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *ad f.* Te subrostrani dissiparant periisse. ℙ Hactenus in malam partem: sed aliquando et in bonam sumitur. *Colum.* 2, 10. et 16. Vehes stercoris in jugerum disponere et dissipare. *Hirt. B. G.* 8, 6. Cum Caesar satis haberet convenientes manus dissipare, ne quod initium belli nasceretur, *h. e.* variis locis dis-ponere. *Lucr.* 2, 210. Sol etiam summo de vertice dissupat omnes Ardorem in partes. ℙ A medicis adhibetur eo fere sensu, quo *discutio* et *digero. Cels.* 5, 28. *n.* 7. Dissipare humorem. *Scrib. Comp.* 263. futuram suppurationem. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 3, 2, 56. Saevus ubi e puppi longo clamore magister Dissipat amplexus, *h. e.* dividit, distrahit. *Hor. Od.* 2, 11, 17. dissipat Euius Curas edaces. *Cic. Amic.* 7. Amicitia omnia contrahit, discordia dissipat.

DISSĬPTUM. V. DISSEPTUM.

DISSĬTUS, a, um, part. a *dissero*, *ἀναχθείς*, dispersus, disseminatus. *Lucr.* 3, 144. Pars animae per totum dissita corpus. ℙ Aliquando est etiam remotus. *Appul. Florid. init.* Neque longule dissita, neque proxime adsita possumus cernere. ℙ Est etiam diductus, divaricatus. *Id. Met.* 7. Possim trucem amatorem istum atque insuavem dissitis femoribus emasculare. Alii male leg. *dissectis.*

DISSOCĬĂBĬLIS, e, adj. qui sociari conjungique non potest. *Tac. Agr.* 3. Et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu res olim dissociabiles miscuerit, principatum et libertatem. ℙ *Hor. Od.* 1, 3, 21. Deus abscidit Oceano dissociabili terras, *h. e.* Oceano dissociante, distinente, separante. *Bentl.* haec interpretatio videtur inficeta: itaque legit *dissociabiles*, h. e. terras dissociatas et dissitas. [*At male.]

DISSOCĬĀLIS, e, adj. dissociabilis. *Rutil. Itin.* 1, 384. de Judaeis; Humanis animal dissociale cibis, *h. e.* cibum capere cum gentibus fugiens.

DISSOCĬĀTĬO, onis, f. *διάλυσις*, disjunctio. *Plin.* 22, 21, 30. Adiantum aquas respuit, perfusum mersumque sicco simile est: tanta dissociatio deprehenditur. et 7, 13, 11. Est quaedam privatim dissociatio corporum: et inter se steriles, ubi cum aliis junxere, gignunt, sicut Augustus et Livia. *Id.* 6, 1. Dissociatio terrarum, h. e. divisio et separatio in Bosphoris. *Tac. A.* 16, 34. dissociatio spiritus et corporis.

DISSOCĬĀTUS, a, um, part. a *dissocio*, disjunctus, separatus, divisus. *Cic. Or.* 3, 19. Dissociati a Socrate, deserti a doctis. *Nep. Att.* 2. animi civium, i. e. in factiones divisi. *Ov. Met.* 1, 25. elementa dissociata locis concordi pace ligavit. *Stat. Silv.* 1, 3, 32. dissociata profundo Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum. *Rutil. Itiner.* 1, 330. Longinquo dissociata mari.

DISSOCIO, as, a. 1. *διαζεύγνυμι*, a societate disjungo, separo, dissolvo. *Cic. Am.* 20. Morum dissimilitudo dissociat amicitias. *Lucr.* 3, 810. Arctas partes dissociare. *Hor. Ep.* 1, 16, 5. Continui montes, ni dissocientur opaca Valle. *Tac. A.* 12, 55. Dissociare copias Barbarorum. Et *ib.* 1, 28. Tironem a veterano, legionem a legione dissociant. *Id. H.* 4, 37. Dissociare causam, i. e. sejungere a factione et alterius partes sequi. *Mart.* 7, 24. Et Ledae poteras dissociare genus.

DISSOLŪBĬLIS, adj. *εὐλυτος*, qui facile dissolvi potest. *Cic. N. D.* 3, 12. Mortale igitur omne animal et dissolubile et dividuum sit, necesse est. *Id. ib.* 1, 8. Coagmentatio dissolubilis.

DISSOLVO, is, olvi, lutum, a. 3. *διαλύω*, solvo, resolvo, disjungo quod ligatum aut conjunctum erat. *Cic. Or.* 71. Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere. *Id. Senect.* 20. Opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit. *Id. Or.* 71. Dissolvere scopas. *Lucr.* 6, 355. nodos. Et *ib.* 351. Fulmen dissolvit aes. Et *ib.* 936. Sol dissolvit glaciem. Et 5, 364. Valida plaga aliquid dissolvere. Et 2, 951. Discutere ac dissolvere aliquid. *Plin.* 14, 20, 25. Resina omnis dissolvitur oleo. *Val. Fl.* 1, 123. pinus gracili dissolvere lamna. *Phaedr.* 4, 21. Tempestas et vetustas dissolvit navem. [*Suet. *Cal.* 57. Simulacrum Jovis, quod dissolvi transferrique Romam placuerat, i. e. a basi solvere, loco moveri.] *Varr. L. L.* 5, 8. Luce dissolvuntur tenebrae. *Petr. Sat.* 24. Dissolvere risu ilia. ℙ Apud medicos eum habet usum, quem discutio, digero, dissipo. *Plin.* 24, 6, 24. Ammoniaci natura mollit, calefacit, discutit, dissolvit. *Id.* 20, 12, 48. Dissolvere inflationes et ructum. Et 24, 9, 38. lassitudines. Et *ib.* dolorem capitis. Et 27, 8, 43. stranguriam. Et 32, 9, 31. tenesmum. Et 28, 8, 29. Jocinore chamaeleonis amatoria dissolvi. ℙ Translate. *Cic. Caecin.* 4. Dissolvere argentariam. *Quint.* 6, 3. urbanitate invidiam criminis. *Suet. Aug.* 32. collegia. *Id. Galb.* 12. cohortem. [*Liv. 5, 6. rempublicam et prodere patriam.] *Cic. Rosc. Com.* 13. societatem. Et *Rosc. Am.* 39. amicitiam. *Id. Off.* 3, 32. Fraus adstringit, non dissolvit perjurium. *Id. Or.* 70. Compositi oratoris bene structam collocationem dissolvere permutatione verborum. [*ib. 71.] *Liv.* 40, 29. religiones, *h. e.* infirmare aut tollere. Sic *Cic. Phil.* 1, 8. leges, *λύειν τοὺς νόμους.* Et *Tusc.* 1, 11. harmoniam. Et *Agr.* 2, 13. *ad f.* judicia publica. Et *Mur.* 31. severitatem. *Hirt. B. Alex.* 65. disciplinam. *Nep. Lys.* 3. regiam potestatem. *Sall. Cat.* 50. Mors cuncta mortalium mala dissolvit, *h. e.* aufert vel finit. *Id. Jug.* 20. Senectus plerosque dissolvit. *Cic. fr.* ap. *Serv.* ad

Ecl. 9, 7. Ex alto in campos dissolvi, *h. e.* demitti in planitiem. ℙ Est etiam argumento respondere, ejusque vim infirmare, [*quo sensu etiam Gr. λύειν et διαλύειν usurpant.] *Id. Div.* 2, 4. Mentientem, quem *ψευδόμενον* vocant, dissolvere. *Id. Or.* 2, 38. Dialectici reperiunt ea, quae jam non possunt ipsi dissolvere. *Id. Acad.* 4, 15. Dissolvere interrogationes. *Quint.* 5, 13. *circa med.* Per partes dissolvitur, quod contextu nocet. ℙ Item expedire. *Ter. Heaut.* 3, 1. *in f.* Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem. *Pl. Merc.* 1, 2, 54. Obsecro, dissolve jam me: nimis diu animi pendeo. ℙ Pertinet etiam ad aes alienum, i. e. solvere. *Cic. Verr.* 2, 3, 75. An pecuniam publicam tenueris omnem neque quidquam ulli dissolveris civitati. *Caes. B. C.* 1, 87. Militibus pecuniam pro iis rebus dissolvit. *Cic. Sull.* 20. Aes alienum dissolvere. *Id. Verr.* 2, 5, 13. damna. *Id. Tusc.* 1, 42. poenam. *Catull.* 66, 38. vota. ℙ A poetis saepe solvitur per diaeresin. *Luer.* 5, 361. discedere dissoluique. Et 2, 945. Dissoluuntur enim etc. *Ov. Trist.* 4, 8, 18. In cava ducuntur quassae navalia puppes, Ne temere in mediis dissoluantur aquis. *Catull. l. c.* Pristina vota novo munere dissoluo. *Tibull.* 1, 8, 2. Stamina non ulli dissoluenda Deo. Et *ib.* 11, 62. ornatus dissoluisse comae.

DISSOLŪTĒ, adv. *ἀνειμένως*, remisse, negligenter, ignave. *Cic. Att.* 14, 13. *ad f.* Dissolute et turpiter scribere de restitutione alicujus. *Brut.* ad *Cic. ep.* 1, 4. Neque crudeliter quidquam eripui, neque dissolute quidquam remisi. *Cic. Verr.* 2, 3, 39. *ad f.* Dissolute decumas vendidisti, i. e. pretio viliori. *Id. Phil.* 6, 1. Minus severe rem conficere, non tamen dissolute. *Id. Caecin.* 36. Jus suum dissolute relinquere. *Id. Verr.* 2, 5, 8. Clementer factum, ut dissolute factum criminari. ℙ Dissolute dicere est figura dissolutionis uti in dicendo. *Cic. Or.* 39. *a med.* Cum demptis conjunctionibus dissolute plura dicuntur.

DISSOLŪTIO, onis, f. *διάλυσις*, actus dissolvendi. *Tac. A.* 14, 5. Dissolutio navigii. *Cic. Fin.* 2, 31. et 5, 11. Mors est dissolutio naturae. ℙ Dissolutio stomachi, cum cibus non retinetur aut non concoquitur. *Plin.* 20, 22, 91. Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibere. ℙ Translate est responsio ad crimina vel argumenta. *Cic. Cluent.* 1. Criminum dissolutionem ab oratore quaerere. *Auct.* ad *Her.* 1, 3. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio. ℙ Item infirmatio vel abrogatio. *Cic. Verr.* 2, 4, 59. *extr.* Post judiciorum dissolutiones, *h. e.* postquam judicia severa Romae fieri desierunt, ut *ib.* paulo supra dicitur. *Id. Phil.* 1, 9. Haec utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? *Tac. A.* 13, 50. Dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respublica sustineretur, deminuerentur. ℙ Item remissio animi, mollities, negligentia. *Cic. Fam.* 5, 2. *a med.* Si humanitas appellanda est, in acerbissima injuria remissio animi et dissolutio. ℙ Item mollities, languor, infirmitas. - *Senec. ep.* 3. *ad f.* Haec non est quies, quae motum omnem molestiam judicat, sed dissolutio et languor. *Id. Constant. Sap.* 4. Tanta est animorum dissolutio et vanitas, ut quidam nihil acerbius contumelia putent. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 23. Cum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset. ℙ In re oratoria est figura, quae conjunctionibus verborum e medio sublatis, partibus separatis effertur, hoc modo: Gere morem parenti, parce cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Haec *Auct. ad Her.* 4, 30. Graece est *asyndeton*, *dialyton* et *brachylogia*, quae V. suo loco. *Cic. Partit.* 6. Constructio verborum tum conjunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. *Quint.* 9, 3. docet aptam esse hanc figuram, cum quid instantius dicimus. [*Plura V. ap. *Ernest. techn. lat.* p. 131.]

DISSOLŪTOR, oris, m. qui dissolvit. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 5, 17, 8. et *Imp. Constant. Cod. Theod.* 3, 16, 1. Si sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit.

DISSOLŪTRIX, icis, f. quae dissolvit, ut Mors corporis dissolutrix, apud *Tert. Anim.* 42.

DISSOLŪTUS, a, um, part. a *dissolvo*, solutus, non ligatus, disjunctus, *διάλυτος*, *Pl. Poen.* 1, 1, 20. Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam. *Plin.* 28, 7, 23. Capillus cinctusque dissolutus. *Id.* 24, 9, 40. Dissoluta sparta navium. *Cic. Att.* 15, 11. Dissolutum navigium. *Vitr.* 2, 8. Coagmentorum dissolutae juncturae. ℙ Item maceratus, dilutus. *Plin.* 28, 11, 47. Collyria aqua dissoluta inungere. et *ib.* 12, 52. Fel tauri aridum aqua calida dissolutum. ℙ *Dissolutus stomachus* est, qui cibos non retinet vel non concoquit. *Id.* 20, 23, 96. Semen stomachum dissolutum adstringit. ℙ Translate. *Tac. A.* 14, 7. Collegia dissoluta. *Cic. Or.* 1, 42. Adhibita est ars, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et quadam ratione constringeret. *Id. Leg.* 2, 12. Institutum pontificum negligentia dissolutum est. ℙ Aliquando ad aes alienum pertinet. *Plin.* 33, 3, 13. Dissolutum aes alienum. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Damna dissoluta et compensata. ℙ Saepe est incuriosus, negligens, non attentus. *Cic. Off.* 1, 28. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti. *Id. Verr.* 2, 3, 56. Verres omnium hominum dissolutissimus. [*Cf. *Sylv.* ad *Cic. Cluent.* 62.] *Nep. Alc.* 1. Luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans. *Cic. Quint.* 11. Quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, qui, etc.? *Id. ad Brut.* 1, 3. Liberalitas dissolutior, *h. e.* quae largitur sine discrimine et cura. *Senec. Contr. praef.* 5. Exstant libelli, qui cum fama ejus pugnant, multoque dissolutiores ipsis actionibus, *h. e.* majori negligentia conscripti et minori studio. *Cic. Rosc. Am.* 11. Quis tam dissoluto animo est, qui haec cum videat, tacere ac negligere possit? [*Inprimis de negligentia in observando decoro: *Cic. Off.* 1, 35. Status, incessus, accubitio, metus, oculi, manuum motus teneant illud decorum — Nec vero histrionibus et oratoribus concedendum est, ut iis haec apta sint, nobis dissoluta, i. e. quae nos curare minime necesse sit.] ℙ Item remissus, languidus, non severus. *Id. Verr.* 2, 5, 40. Poterone in eos esse vehemens, qui, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 57. Ecquod judicium Romae tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti? *Id. Att.* 1, 19, 15. Nihil a me asperum in quemquam fit; nec tamen quidquam populare ac dissolutum. *Id. Verr.* 2, 5, 3. Maluit crudelis in animadvertendo, quam in praetermittendo dissolutus videri. *Quint.* 1, 8. Sit lectio non quidem prosae similis, non tamen in canticum dissoluta. *Id.* 2, 2. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas. ℙ Item corruptus, depravatus, a legibus solutus et recta vivendi disciplina. *Cic. Agr.* 2, 20. *extr.* O perturbatam rationem! o libidinem refrenandam! o consilia dissoluta atque perdita! *Id. Tusc.* 4, 25. Adolescens perditus ac dissolutus. *Id. Flacc.* 9. Dissoluta Graecorum consuetudo, impudensque licentia. *Tac. A.* 15, 49. Dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida. *Phaedr.* 1, 2. Dissolutos mores vi compescere. ℙ *Dissoluta* dicuntur a *Quint.* 9, 3. *circa med.* quae per figuram dissolutionem dicuntur. V. DISSOLŪTIO. ℙ *Dissoluta et hians oratio* est apud *eund.* 8, 6. *ad f.* quae non est vincta numeris oratoriis. Adde 12, 2. *a med.* ℙ Comp. *Dissolutior* et Sup. *Dissolutissimus.* V. supra. ℙ *Disolutus* simplici *s*, et prima correpta, habes apud *Paulin. Nolan. carm.* 26, 272.

DISSONANTIA, ae, f. discrepantia. *Claud. Mamert. de statu anim.* 2, 21. et *Hieron. de Script. Eccles. de S. Petro.*

DISSONO, as, ui, itum, n. 1. discrepo, discordo, *διαφωνέω*, *ἀπάδω*. *Colum.* 1, 1. An universa hujus temporis culturae respondeant, an aliqua dissonent. *Quint.* 8, 6. Dissonare ab aliqua re. ℙ Item i. q. *κατηχέω* (*wiederhallen*). *Vitr.* 5, 8, *a med.* Dissonantes loci sunt, in quibus vox prima, cum est elata in altitudinem, offensa superioribus solidis corporibus, repulsaque resiliens in imum, opprimit insequentis vocis elationem. [*Gesnerus legit *desonantes*. V. ipsum in *Catechuntes* (*κατηχοῦντες*). *B. A.*]

[DISSŌNORUS, a, um, adj. idem ac dissonus. *Terentian. de litter.* p. 2387. Compressio porro est in utraque dissonora. *F.*]

DISSONUS, a, um, adj. *διάφωνος*, dissimiliter sonans, discrepans. [*Cic. Oecon.* 1. dissonum quiddam ac tumultuosum (chorus canentium) canere videtur.] *Liv.* 4, 28. Circum agenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus. [*Tac. A.* 1, 34. dissoni questus.] *Id.* 1, 18. Dissonae sermone gentes et moribus. [*Lucan.* 3, 289. Jam variae cultu gentes, tam dissona vulgi ora i. e. tam varie loquentes populi. V. quae comparat *Cort.*, quibus adde *Plin. Pan.* 56, 6. dissonae voces i. e. diversae linguae.] *Stat. Ach.* 1, 457. Sparsa et dissona moles, *h. e.* Graeci universi variis loquendi dialectis, item moribus, et institutis, et locis differentes. *Plin.* 36, 10, 15. Solis cursus dissonus, *h. e.* varius, inconstans. *Stat. Silv.* 2, 2, 114. Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit Carmina, sive minax ultorem stringit iambum, *h. e.* carmen elegiacum, in quo alterni versiculi ab alternis discrepant. *Sil.* 11, 45. collidens dissona corda Seditio. [*Dissonum esse ab aliqua re, i. e. abhorrere. *Liv.* 8, 8. Adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana re, praeter animos, erat.] ℙ *Vapor dissonus* apud *Plin.* 2, 43, 43. est, qui in nube accensus inconditum sonum edit, qualis est ferri candentis in aquam demersi.

DISSORS, ortis, adj. omn. gen. qui dissimilis sortis est, diversus, differens. *Ov. Met.* 8, 132. Quae torvum ligno decepit adultera taurum, Dissortemque utero fetum tulit, *h. e.* semibovem, et semivirum. *Senec. Med.* 773. Typhoeus membra quae dissors tulit, *h. e.* humano trunco pedes anguinos habens. ℙ Item qui est extra sortem, exsors. *Ov. Am.* 2, 12, 11. At mea seposita est, et ab omni milite dissors Gloria: nec titulum muneris alter habet, *h. e.* miles nullam habet partem gloriae meae. *Bentl.* addit locum ex *Hor. Od.* 3, 29, 28. et *Heins.* in *eleg. Sabin.* 3, 35. alia congerit, sed ubique alii *discors* substituunt. [*Cf. nos sub DISCORS.]

DISSORTĪONES. V. DISERTIONES.

*DISSORTĬUM, i, n. *Vet. Gloss. διαχωρισμὸς*, *διάστασις*. Contrar. Consortium. *B. A.*

DISSUĀDĔO, es, uasi, uasum, a. 2. *παραπείθω*, dehortor. *Cic. Off.* 3, 27. Qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. *Id. ib.* 30. Cum de captivis dissuasurus esset. *Id. Agr.* 2, 37. Dissuadere legem. *Gell.* 1, 6. Dissuadere et absterrere. *Id.* 7, 2. Dehortari et dissuadere. *C. Graech.* ap. *eund.* 11, 10. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis. *Vell.* 2, 31. Cum dissuadens legem in concione dixisset. *Liv.* 30, 37. Cum Gisco ad dissuadendam legem processisset. *Senec. Herc. Oet.* 929. Quicumque misero dissuadet mori, crudelis est. [*Sic quoque *Suet. Tib.* 2. societatem cum Pyrrho iniri dissuasit.]

DISSUĀSĬO, onis, f. *ἀποτροπή*. *Cic. Cluent.* 51. In dissuasione rogationis ejus, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur. *Senec. ep.* 94. *a med.* Dissuasiones et adhortationes.

DISSUĀSOR, oris, m. *μεταπείθων*, qui dissuadet. *Cic. Brut.* 15. Cum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset. *Id. Or.* 2, 65. Dissuasor legis. *Lucan.* 4, 248. justi gladius dissuasor. [*Similia habet *Cort.* ad h. l.]

DISSUĀVĬOR et Dissavior, aris, dep. 1. *καταφιλέω*, cum laetitia et voluptate exosculor. *Q. Cic.* ad *Tiron.* inter *Cic. Fam.* 16, 27. Tuos oculos dissuaviabor. [Adde *Front.* ad *M. Caes. ep.* 3, 3. V. DISAMO. *F.*]

DISSUESCO, is, n. desueco. *Alcim. Avit.* 4, 46. disciplinatos dissuescit promere fructus.

[DISSULCO, as, a. 1. idem ac desulco. *Fortunat. Vit. S. Martini* 4, 242. Coelitus est oculis descendere visa columna, Molliter aerio dissulcans nubila lapsu. Alii leg. *disulcans.* V. DESULCO. *F.*]

DISSULCUS, porcus dicitur, cum in cervice setas dividit, et veluti sulcum pilorum facit. *Festus.* Al. scribunt *Disulcus.*

DISSULTO, as, avi, atum, n. 1. *διαχορεύω*, diverse vel frequenter salto: ex *dis* et *salto. Plin.* 37, 4, 15. Ut ferrum utrinque dissultat. *Virg. A.* 12, 923. nec fulmine tanti Dissultant crepitus. *Id. ib.* 8, 240. Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis. *Sil.* 7, 143. Sicut aquae splendor, radiatus lampade solis, Dissultat per tecta. *Id.* 9, 607. subitoque per alta Collucet juga dissultans Vulcanius ardor.

DISSUO, is, ui, utum, a. 3. *ἀποῤῥάπτω*, quod consutum est, discindo, suturas dissolvo. Translate est paulatim dirimere. *Cic. Amic.* 21. Tales igitur amicitiae sunt remissione usus eluendae, et, ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam discindendae. *Id. Off.* 1, 33. Magis decere censent sapientes, amicitias sensim dissuere, quam repente praescindere.

DISSŪPO. V. DISSIPO.

DISSŪTUS, a, um, part. a *dissuo*, *ἀποῤῥαφείς*. Item diductus, apertus, solutus. *Ov. Fast.* 1, 408. Altera dissuto pectus aperta sinu. *Pers.* 3, 58. laxumque caput, compage soluta, Oscitat hesternum, dissutis undique malis.

DISSYLLĀBUS. V. DISYLLABUS.

DISTĀBĔO, es, ui, n. 2. valde tabeo, idem ac distabesco. *Festus* in *Monstrum.* Jecur cum distabuit in coquendo. ℙ Translate. *Augustin. Confess.* 3, 3. In quantas iniquitates distabui!

DISTĀBESCO, is, n. 3. idem ac distabeo. *Cato R. R.* 24. Sinito cum musto sal distabescat.

DISTAEDET, ebat, impers. 2. *διαποροῦμαι*, valde taedet. *Pl. Amph.* 1, 3, 5. Haud quod tui me, neque domi distaedeat. *Ter. Ph.* 5, 8, 22. Me cum hoc ipso distaedet loqui.

DISTAESUS. V. DISTISUM.

DISTANS, antis, part. a *disto*, *διαστατός*, longe positus, remotus, disjunctus. *Cic. Tusc.* 5, 24. Sidera multum inter se aut altitudine, aut humilitate distantia. *Id. N. D.* 2, 66. Terrae ab hujusce, quam incolimus continuatione distantes. *Id. Phil.* 2, 27. Tot res tam dissipatae, tam distantibus in locis positae. *Liv.* 4, 45. Servitia, urbem ut incenderent distantibus locis, conjurarunt. *Caes. B. G.* 7, 23. Trabes distantes inter se binos pedes. *Curt.* 3, 1. Urbs pari intervallo Pontico et Cilicio mari distans. *Plin.* 13, 4, 7. Laxe distans. *Ov. Met.* 5, 54. jaculo quamvis distantia misso Figere doctus erat. *Gell.* 1, 11. Ire ad hostem in conspectu longinquo procul distantem. *Ov. Fast.* 2, 54. spatio distantia longo Tempora. ℙ Translate est dissimilis, differens, diversus. *Hor. Ep.* 2, 1, 71. sed emendata videri, Pulcraque, et exactis minimum distantia, miror. *Cic. Or.* 16. Genera dicendi multum inter se distantia. *Id. ib.* 10. Quid tam distans, quam a severitate comitas? *Plin.* 29, 4, 23. *circa med.* Salamandra nihil aconito distans.

DISTANTIA, ae, f. *διάστημα*, intervallum. *Plin.* 2, 15, 12. Longissimi distantiae fines. ℙ Translate est differentia, diversitas. *Quint.* 7, 10. et *Gell.* 2, 26. Distantiae coloris. *Cic. Amic.* 20.

Tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia.

DISTECTUS, a, um, part. ab inusit. *distego*, idem quod detectus. *Alcim. Avit.* 4, 408. Distectum petiit misero spectamine corpus.

DISTĒGUS, a, um, adj. *δίστεγος*, qui duas contignationes habet: a *δίς*, bis et *στέγη*, tectum. *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 4. Armarium distegum. V. ARMARIUM. ℙ Absolute *distegum*, *i*, n. est monumentum distegum. *Inscr.* ap. *Don.* 2. *n.* 188. Ti. Sabulejus Cyrillus et Sabuleja Liburna distegum fecerunt olla*rum* XII. Adde aliam ap. *Grut.* 827, 6., aliam apud *Spon. Miscell.* p. 292. *n.* 1. V. DISTICHUS.

*DISTEMPĔRO, as, a. 1. *Sarisb.* 5, 10. Curia insipientis distemperatur arbitrio. Cf. *Plin. Valer.* 1, 6. *B. A.*

DISTENDO, is, endi, ensum et entum a. 3. *διατείνω*, in diversas partes tendo, extendo. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 14. Distendite [*leg. *distennite*] hominem divorsum et dispennite. *Lucan.* 4, 140. Distendere pontem in agros. *Caes. B. C.* 3, 99. aciem. *Ov. Met.* 4, 490. brachia. [*Id. ib. v.* 457. novemque jugeribus distentus erat (Tityos). Ad quem locum V. quae collegit *Heins.* de usu h. v.] *Quint.* 1, 11. Ne immodicus hiatus rictum distendat. *Suet. Tib.* 62. Ut larga potione oneratos, repente veretris deligatis, fiducialarum simul, urinaeque tormento distenderet. ℙ Est etiam implere, tractum ab utre, qui cum plenus est, ex omni parte tenditur; vacuus vero laxatur et contrahitur. *Virg. A.* 1, 437. dulci distendunt nectare cellas. [*Id. Ecl.* 9, 31. cytiso pastae distendant ubera vaccae.] *Pl. Cas.* 4, 1, 19. senem Cupiunt extrudere incoenem ex aedibus, Ut ipsae solae ventres distendant suos. *Tibull.* 2, 5, 83. gaudete coloni: Distendet spicis horrea plena Ceres. *Virg. G.* 3, 124. omnes Impendunt curas denso distendere pingui Quem legere ducem, et pecori dixere maritum. *Plin.* 32, 7, 24. Rana viridis, si forte hauriatur, ventres boum distendens. ℙ Translate est distinere, distrahere, impeditum tenere, cum duo simul res diversis partibus curam injiciunt. *Liv.* 27, 40. Consules diversis itineribus profecti, veluti in duo pariter bella, distenderant curas hominum. *Id.* 3, 23. Ut distenderent hostium copias. *Id.* 9, 12. *ad f.* Distendit ea res Samnitium animos. Est qui malit *distinuit*. *Albinov.* 1, 5. Nec tua te pietas distendit amore duorum, *h. e.* dividit amorem tuum in duos. ℙ [*Confunditur cum *distinere*. V. intpp. ad *Liv.* 3, 23, 1.]

DISTENNO pro distendo ab Aeolico *τέννω* pro *τείνω*, est qui legat apud *Pl. Mil. a.* 4. *v.* 14. Qua de re plura *Voss. in Etym.* in *Antenna*. V. DISPENDO et DISPENNO.

DISTENSIO, onis, f. actus distendendi, *διάτασις*. *Augustin. Confess.* 11, 23. *extr.* et 29., sed utro que loco alii leg. *distentio*. V. DISTENTIO.

[DISTENSUS, a, um, part. a *distendo*, idem ac distentus. *Hirt. B. Alex.* 45. Cum propius Tauridem accessisset, distensis suis navibus, navem instructam propugnatoribus animadvertit. *F.*]

DISTENTIO, onis, f. *διάτασις*, *σπασμός*, actus distendendi. *Scrib. Comp.* 89. Terna catapotia in noctem dare ad inflationes, in ipsa distentione, *h. e.* cum quidpiam inflatione distenditur. *Cels.* 2, 4. et 8., et 8, 4. et 25. Distentiones nervorum, *h. e.* cum praeter naturam distenduntur. His *Celsi* locis al. leg. *distentio*.

DISTENTO, as, a. 1. idem quod distendo, vel ejus frequentativum. *Virg. Ecl.* 9, 31. Sic cytiso pastae distentent ubera vaccae. [*Ubi tamen edd. recentiores, e. g. *Heyniana*, habent *distendant*. *Tibull.* 2, 5, 84. Distentet spicis horrea plena Ceres. Al. leg. *distendit*. *B. A.*]

DISTENTUS, a, um, part. a *distendo*, *διάτονος*, extentus. [*Liv. 1, 28. in currus earum distentum illigat Mettium.] *Gell.* 15, 15. Diductis atque distentis manibus. *Ov. A. Am.* 2, 209. distenta suis umbracula virgis. *Id. Met.* 4, 457. [*Suet. *Oth.* 2. distento sago impositum in sublime jactare. V. *Casaub.*] ℙ Accipitur etiam pro pleno, ut in DISTENDO dictum est. *Virg. Ecl.* 4, 21. lacte domum referent distenta capellae Ubera. *Id. ib.* 7, 3. distentae lacte capellae. [*Hinc pecudes ipsae *distentae* dicuntur. *Lucan.* 4, 314. rituque ferarum Distentas siccant pecudes.] *Hor. Sat.* 1, 1, 110. Capella gerit distentius uber. *Plin. Pan.* 49. Distentus coena. [*Suet. *Claud.* 33. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, i. e. cibo vinoque oneratus refertusque.] ℙ Translate est distractus, duplici cura occupatus, implicatus, ut in DISTENDO adnotavimus. Rectius tamen in hac significatione a *Distineo* ducitur. *Cic. Att.* 15, 18. Intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotiis, qua de Bruto. *Id. Q. Fr.* 3, 8. Distentus cum opera, tum animo sum multo magis. *Id. Rosc. Am.* 8. Tot tantisque negotiis distentus, ut respirare libere non possit. *Id. N. D.* 3, 39. Mens divina distenta, coelum versans, terram tuens, maria moderans. *Tac. A.* 16, 8. Distentus circa scelera. *Auct. B. Hisp.* 23. Dum in opere nostri distenti essent.

DISTENTUS, us, m. distentio. In sexto casu sing. *Plin.* 8, 38, 58. Sufflatae cutis distentu ictus hominum, et morsus canum arcent.

DISTERMĪNĀTOR, oris, m. qui disterminat, et separat. *Appul. de Mundo post. in.* p. 57, 24. Axis divisor et disterminator mundi, orbem terrae in medietate constituens. Alii male leg. *discriminator*.

DISTERMĪNĀTUS, a, um, part. a *distermino*, separatus. *Plin.* 4, 20, 34. Disterminati ab Asturia Vettones.

DISTERMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *διορίζω*, separo, vel diversas res termino. *Cic. Arat.* 94. Quas intervallum binas disterminat unum. *Plin.* 12, 21, 45. Arabia Judaeam ab Aegypto disterminat. *Id.* 3, 3, 4. Pyrenaei montes Hispanias Galliasque disterminant. *Paul. Dig.* 10, 1, 4. *sub f.* Praedia urbana communibus parietibus plerumque disterminantur. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 216. qui, ut *Drak.* ad *Liv.* 21, 4, 6. (coll. 4, 59, 3.) saepe cum *discriminare* confundi docet.]

DISTERMĪNUS, a, um, adj. disterminatus, distans. *Sil.* 5, 399. Audit Tartessos latis distermina terris.

DISTERNO, is, stravi, stratum, a. 3. sterno, substerno. *Appul. Met.* 10. Et jam accuratissime disternebatur lectus. Alii leg. *desternebatur*. [*Not. Tir.* p. 90. Distravit. *F.* *V. DISTRATUS. Utroque loco ed. *Oud. disternere* habet.]

DISTĔRO, is, trivi, itum, a. 3. *καταρρίβω*, multum, sive crebro tero, subtiliter et minutim tero. *Cato R. R.* 75. Casei pondo duo bene disterat in mortario: ubi bene distriverit, farinae libram indito. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 24. Eum basiis distrivit.

DISTĪCHUS, a, um, adj. *δίστιχος*, duos habens ordines: a *δίς*, bis et *στίχος*, ordo, versus. Hinc *hordeum distichum* appellat *Colum.* 2, 9. *ad f.* cujus spica duos habet granorum ordines, et *hexastichum*, quae sex: ab *ἕξ*, sex. ℙ *Distichon* absolute, breve est carmen duobus versiculis absolutam sententiam complectens. *Mart.* 8, 29. Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere. *Id.* 3, 11. Cur in te factum distichon esse putas? ℙ *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 627. *n.* 234. M. Lancius M. L Prosper distichum ornavit cal. Mai. Asinio Pollio. et C. Antistio Vet. Cos. *Distichum* seu *distegum*, est aedificium aut sepulcrum duas habens contignationes aut cellarum ordines. V. DISTEGAS. Lapis inscriptus est an. a Chr. n. 23.

DISTĪCO. V. DESTICO.

DISTILLĀRIUS, ii, m. Legunt aliqui apud *Senec. ep.* 56. Et botularium cogita, et distillarium, et omnes popinarum institiores: et probat *Coel. Rhodig.* 16, 46., qui ait, distillationem etiam dici liquaminis genus, quo ad condiendum utimur, et qui id conficiant et vendant, distillarios vocari. Verum emendatiores libri in *Senecae* textu *Crustularium* habent, quod unice probandum.

DISTILLĀTIO et Destillatio, onis, f. *καταστάγμὸς*, *καταῤῥοῦς*, defluxio humoris a capite in fauces, in nares, in pulmones, stomachum, ventrem, etc. Quare videtur rectius per *de* scribi, qua praepositione melius, quam *di*, ut alibi diximus, descensus significatur. *Cels.* 1, 2. Ne modo frigus, modo calor moveat: quae res gravedines, destillationesque concitat. (V. *eund.* 4, 2. *n.* 4.) *Plin.* 22, 13, 15. Destillationes ventris. *Scrib. Comp.* 90 et 93. Destillatio pectoris. *Plin.* 20, 17, 71. Distillationem narium discutere. *Senec. ep.* 78. *a med.* Destillationes, et vis continuae tussis egerens viscerum partes, *h. e.* tabes. Adde *ep.* 120, *a med.* et *ep.* 77.

DISTILLO et Destillo, as, avi, atum, n. 1. *καταῤῥέω*, stillando defluo, stillatim descendo. Dicitur tum de humore defluente, tum de re ipsa humorem stillatim demittente. *Varr. L. L.* 4, 22. Et ideo sudando assum distillat calore. *Virg. G.* 3, 281. lentum distillat ab inguine virus Hippomanes. *Cels.* 4, 2. Distillat humor de capite in nares. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 222. de Tiberi fluvio: Distillant per pectus aquae. *Plin.* 6, 31, 36. Distillantibus arboribus odore mirae suavitatis. *Tibull.* 2, 2, 7. distillent tempora nardo. *Lucan.* 8, 777. lentum Magnus destillat in ignem, *h. e.* cadaver Magni rogo impositum. *Id.* 9, 772. nigra distillant inguina tabe. *Senec. ep.* 78. Succubui, et eo perductus sum, ut ipse destillarem, *h. e.* liquescerem, et *φθίσει* consumerer. ℙ Cum accus. *Plin.* 15, 19, 21. Ficus distillant gummi modo lacrimam. *Harduin. ex MSS.* edidit: *gummium lacrima*. ℙ Malunt critici per *de* scribi, quam per *di*, quia per *de* longe aptius deorsum fluendi motus significatur; quod et in DE et alibi adnotavimus. [*Hanc scripturam etiam apud *Lucan.* 8, 777. praeferunt optimi codd. V. *Cort.*]

DISTĪMŪLO. V. DESTIMULO.

DISTINCTĒ, adv. *διωρισμένως*, rem unam ab alia accurate distinguendo et separando, atque adeo ordinate, distribute, explicate. *Cic. Tusc.* 2, 3. Se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere. [*Refer ad artem acute distinguendi; multa enim in rebus philosophicis ambigua sunt et quae facile confunduntur.] *Id. Or.* 3, 14. Distincte, explicate, abundanter, illuminate dicere. [*Pertinet h. l., ut saepe, ad elegantem oratoris dispositionem.] *Id. Or.* 28. Partite, definite, distincte dicere. *Id. Leg.* 1, 13. Quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. *Id. Phil.* 2, 13. Non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis. [*Liv. 34, 58. Quoniam vobis *distincte* agere libet, et *genera* jungendarum amicitiarum *enumerare*. *Suet. Aug.* 9. quo distinctius demonstrari cognoscique possint, sc. argumento per species s. capita rerum exposito.] *Plin. Pan.* 88. Nec magis definite distincteque designat, qui Trajanum, quam qui optimum appellat. *Id. ep.* 3, 1. Nihil est illo vitae genere distinctius, *h. e.* ordinatius, ut actiones diei sua quaeque hora et ordine apte distribuantur. [*Cf. nos infra sub DISTINCTUS.]

DISTINCTIO, onis, f. *διορισμὸς*, actus distinguendi, divisio, discretio, discrimen. [*Hae sunt duae significationes, altera objectiva, *Unterschied*, altera subjectiva, *die Unterscheidung*, i. e. *ars* s. *ratio distinguendi*. De hac cf. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 19, 62. Jam quia rebus distinguendis apteque disponendis pulchritudo oritur, distinctio significat etiam ornatum ex arte et dispositione ortum.] *Senec. Ben.* 7, 9. Video elaboratam scrupulosa distinctione virgulata, crinita, crispa. *Id.* 10, 11, 12. Volucrum distinctio prima pedibus maxime constat. Aut enim aduncos ungues habent, aut, etc. *Id.* 18, 25, 59. Distinctio anni quadripartita. *Id.* 17, 28, 47. mensurae. *Quint.* 11, 3. *sub f.* Distinctionibus uti in loquendo, *h. e.* mora et pausa. Sic *Auson. Idyll.* 4, 49. distinctio sensum Auget, et ignavis dant intervalla vigorem. *Plin.* 18, 3, 3. Distinctio honosque civitatis, *h. e.* qua civium tribus in rusticas et urbanas dividebantur. *Cic. N. D.* 2, 5. Distinctio, pulcritudo, ordo siderum. *Id. Leg.* 2, 5. *sub f.* Lex est justorum injustorumque distinctio. *Id. Off.* 1, 2. *ad f.* Facilis est distinctio ingenui et illiberalis joci. *Id. Fat.* 19. Causarum distinctio ac dissimilitudo. *Id. Fin.* 1, 19. *extr.* Veri a falso distinctio. *Ulp. Dig.* 47, 2, 44. Haec sententia cum distinctione vera est: ut si hac mente dederit, etc. quod si ita det, etc. *Cic. Or.* 3, 54. Ejusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio, *h. e.* mutatio: intelligit autem traductionem, figuram verborum oratoriam. [*V. hujus figurae descriptionem apud *Eund. Or.* 39. coll. *Auct. ad Her.* 4, 14.] *Id. Or.* 2, 90. Ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi ejus distinctionem atque ornatum relinqueret, *h. e.* dispositionem atque distributionem rerum inventarum. *Quint.* 9, 3, 69. appellat *distinctionem*, *παραδιαστολήν*, speciem contrapositi, quo duo contraria distincte et explicate exponuntur, ut, Odit populus romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. [*V. de hoc et aliis locis *Ernest. lex. techn. lat.* p. 132.] ℙ Apud grammaticos *distinctio* est interpunctio, seu appositio puncti in signum finiti sensus vel pendentis, estque triplex, finalis, media, et ima: prior sensum terminat; altera respirandi spatium legenti dat; tertia lectionis interruptum tenorem, aliud adhuc illatura, suspendit. *Diomed.* 2. p. 432. et *Quint.* 11, 3. *ante med.*

DISTINCTOR, oris, m. qui distinguit. *Gloss. Cyrilli* Distinctor, *διωριστής*. *Ammian.* 22, 3. Judices justorum injustorumque distinctores. Adde 28, 4. et *Augustin. Tract.* in *Joann.* 20, 12.

DISTINCTUS, a, um, part. a *distinguo*, *διεσταλμένος*, *διωρισμένος*. *Cic. Or.* 16. Distincta et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant. *Liv.* 9, 19. Macedonum phalanx immobilis et unius generis; Romana acies distinctior, ex pluribus constans. ℙ [*„Certis rebus per intervalla dispositis notatus. *Cic. Prov. Cons.* 2. via militaris per Macedoniam — castris Thraciis distincta ac notata. *Id. Somn. Scip.* 5. octo cursus septem efficiunt distinctos intervallis sonos.“ *Schütz.* in *Clav.*] ℙ Item ornatus, variatus. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Pocula ex auro, gemmis distincta clarissimis. *Id. N. D.* 2, 37. Coelum astris distinctum. *Id. Flacc.* 12. Provincia cincta mari, portibus distincta. *Ov. Met.* 5, 266. innumeris distinctas floribus herbas. *Id. Her.* 5, 19. Retia maculis distincta. et *Met.* 3, 221. nigram medio frontem distinctus ab albo. ℙ Transfertur et ad orationem. *Cic. Or.* 1, 12. Oratio composita, et ornata, et artificio quodam, et expolitione distincta. *Id. Or.* 2, 80. Narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus. et *ib.* 3, 48. Continuatio verborum articulis membrisque distincta. *Auct. Dial. de Orat.* 18. Graccho politior Crassus, distinctior Cicero, *h. e.* magis perspicuus [*imo: ornatus, luminibus orationis insignis. Sic intelligi debere efficitur e *Brut.* 17. *extr.* Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*. Non verisimile est, quam sit utroque genere et creber et distinctus *Cato*. Ad quem locum *Ellendt. creber*, inquit, figuris saepe etiam ineptus esse potest; *distinctus* autem est ornatus, et apte quidem. Sic jam

intellectus est hic locus ab *Ernest. lex. techn. lat.* p. 133. Locus autem, quem idem comparare jubet *Quint.* 5, 14, 33. is alienus est ab hac significatione. De eo ac simm. V. *Spald.* ad *Quint.* 12, 10, 30. coll. *Ernest.* l. l. Etenim *distincta oratio* et *distincte dicere* saepe tantum ad accuratam rerum dispositionem pertinet, qua efficitur, ne quid perturbate et obscure et promiscue dicatur. Haec duo ubique discernenda sunt.] *Quint.* 5, 14. *sub f.* Sermo purus, dilucidus, distinctus. et *ib.* Argumenta distincta et perspicua. *Id.* 11, 3. *post med.* Distinctus gestus. ℙ [*Confunduntur *distinctus* et *distentus*. V. *Burm.* ad *Ov. A. Am.* 2, 209. et *discretus*. V. *Gron.* ad *Senec. epist.* 122.]

DISTINCTUS, us, m. idem ac distinctio. In sexto casu sing. *Tac. A.* 6, 28. Ore ac distinctu pennarum a ceteris avibus diversum. *Stat. Silv.* 1, 2, 40. viridis cum regula longo Synnada distinctu variat.

DISTINĔO, es, inui, entum, a. 2. hinc et inde teneo, *ἀνθέλκω*. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna binis utrinque fibulis ab extrema parte distinebantur. *Vitr.* 3, 3. Intervalla (*stereobaturum*) solidanda fistucationibus, uti distineantur. ℙ Item disterminare, separare, dividere. *Caes. B. G.* 7, 59. Legiones a praesidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat. *Hor. Od.* 4, 5, 12. Distinere aliquem a domo. [**Coll. Ov. Rem.* 486.] *Virg. A.* 11, 381. distinet hostem Agger murorum. *Ov. Her.* 8, 69. Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos. [*Alia collegit *Heins.* ad h. l.] *Lucr.* 5, 204. Et mare, quod late terrarum distinet oras. ℙ Translate est hinc inde impeditum occupatumque tenere, distrahere. *Caes. B. C.* 3, 52. Plura castella Pompejus, distinendae manus causa, tentaverat. Adde *B. G.* 3, 11. et *ib.* 7, 50. *Cic. Fam.* 7, 2. *extr.* Multitudine et celebritate judiciorum et novis legibus ita distinemur, ut, etc. *Id. Att.* 2, 23. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distinear. Adde *Fam.* 12, 30. [*Cf. *Döderl. Syn.* III. p. 299.] ℙ Item divido, dirimo, in diversa traho. *Liv.* 2, 15. *ad f.* Ne quid meam vobiscum pacem distineat. [*i. e. impediat. V. infra locum *Cic. Phil.* 12, 12.] *Cic. Planc.* 33. Distineor tamen et divellor dolore. [**Plin. Pan.* 68. qui (dies) Principes alios cura et metu distinebat, tibi securus et laetus exit. *Id. ib.* 86, 1.] *Liv.* 5, 20. Duae senatum distinebant sententiae, *h. e.* ambiguum tenebant, in diversa trahebant. [*Cf. 4, 59. ut distinerent Volscos.] *Id.* 7, 21. Fenebris res distinere unanimos videbatur. *Ov. Rem. Am.* 486. Ergo assume novas, auctore Agamemnone, flammas, Ut tuus in bivio distineatur amor. Al. minus recte leg. *detineatur.* ℙ Item universim impedire, morari. *Cic. Phil.* 12, 12. Ne militum multitudo per me pacem distineri putet. *Caes. B. G.* 7, 37. Unam esse Aeduorum civitatem, quae certissimam Galliae victoriam distineat. *Liv.* 44, 35. *a med.* Ut distineret [*leg. *detineret*] regem ab circumspectu rerum aliarum. *Id.* 37, 12. Rem distinebat, quod utrum armati an inermes emitterentur regii, parum conveniebat. [**Id.* 21, 8. ad omnia tuenda atque obeunda distineri coepti sunt. ℙ Confunditur *distinere* cum *distendere* (*desternere*, *deterrere*, *discernere*, V. *Drak.* ad *Liv.* 4, 59, 3. — cum *destinare*, *id. ib.* 5, 19, 4. *Burm.* ad *Ov. Her.* 8, 69. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 700. — et *detinere*, *id. ib.* coll. 3, 23, 1. et *Intpp.* ad *Ov. Pont.* 4, 10, 67. *Burm.* ad *Virg. A.* 11, 381.]

DISTINGUO, is, inxi, inctum, a. 3. alii derivant a *tingo* et antique *tinguo*, ut proprie sit tingendo et colorando discriminare, separare: alii a *stingo*, quod a *stigo*, quod a *στίζω*, pungo, ut proprie sit dispungere, *h. e.* punctis rem a re discriminare. [*Hoc praefer.] Significat autem secernere, separare, discrimen apponere, *διορίζω*. *Cic. Verr.* 2, 4, 41. Unum hoc crimen videtur esse: plura sunt; sed ea quo pacto distinguere ac separare possim, nescio. *Id. Pis.* 28. Distinguere atque dividere aliquid. *Id. Partit.* 40. Vera a falsis dijudicare et distinguere. *Hor. Ep.* 1, 10, 29. vero distinguere falsum. [*Cf. *Schneid.* ad *Hor. Ep.* 1, 18, 4.] *Plin.* 8, 54, 80. Simiae caudis inter se distinguuntur. *Colum.* 1, 6. *circa med.* Sed et lacubus distinguuntur granaria, ut separatim quaeque legumina ponantur. *Cic. Or.* 3, 48. Numerum in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus. *Id. N. D.* 3, 10. Quid inter naturam et rationem intersit, non distinguitur. *Tac. A.* 11, 38. Nunciatum Claudio, periisse Messalinam, non distincto, sua an aliena manu. *Cic. Parad.* 4. *a med.* An tu civem ab hoste, natura ac loco, non animo factisque distinguis? *Id. Brut.* 19. Oratorum genera distinguere a tatibus. *Ov. Met.* 1, 47. aliquid numero eodem. *Lucan.* 5, 399. saecula in fastos. *Plin.* 35, 8, 34. articulis membra. *Tac. H.* 3, 27. Ut discretus labor fortes ignavosque distingueret. *Id. H.* 1, 38. Insignibus suis distingui. *Plin.* 33, 5, 27. Indocta opificum turba eam tribus generibus distinguit. et 37, 7, 28. Distinguit mares austeritas. *Juven.* 1, 127. Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum: Sportula deinde forum, etc. *Id.* 14, 288. qui navem mercibus implet Ad summum latus, et tabula distinguitur unda. *Mart.* 2, 5. Sed duo sunt, quae nos distinguunt, millia passûm. ℙ Refertur et ad argumenta. *Cic. Brut.* 41. et *Or.* 4. et *Fin.* 1, 7. Ambigua distinguere. *Gell.* 18, 2. Fraudes captionum distinguere et resolvere. ℙ Vocem distinguere lingua, apud *Sil.* 1, 75. ℙ *Distinguere comam* est pectere, separare, et suis discriminibus ordinare. *Senec. Troad.* 884. et *Appul. Met.* 2. Sic *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 284. caput acu distinguere. ℙ Apud grammaticos *distinguere* est interpungere, *h. e.* notam distinctionis et separationis inter verba appingere, ut punctum, comma, etc. *Diomed.* 2. p. 432. V. DISTINCTIO. Hinc *distinguere* dicitur etiam qui legit, cum suis locis moratur, prout sententia postulat. *Quint.* 1, 8. Ut puer sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, etc. ℙ Hinc etiam ponitur pro finire, terminare, tollere, quasi puncto adscripto. *Appul. Met.* 2. p. 127, 37. Hanc cunctationem adolescentis sermo distinxit. ℙ *Distinguere lites* est dijudicare et decidere. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Pontificibus tantum detulit, ut quasdam causas a se finitas, iterari, et aliter distingui pateretur. Adde *Imppp. Valentin., Valent. et Grat. Cod.* 3, 12, 5. ℙ Est etiam quibusdam veluti notis, aut punctis, aut coloribus certo intervallo appositis, rem variare, atque adeo ornare. [*Hoc proxime abest a prima significatione, et supra ponendum fuit.] *Hor. Od.* 2, 5, 10. jam tibi lividos Distinguet autumnus racemos Purpureo varius colore. *Senec. Med.* 573. Gemmarum nitor distinguit aurum. *Id. Herc. Oet.* 665. Maeonia acu distinguere. *Plin.* 37, 10, 62. Gemma candorem lineis ex auro distinguit. et *ib.* 54. Distinguentibus eam venis rubentibus. *Curt.* 3, 4. Planitiem crebri rivi distinguunt, *h. e.* intersecant. ℙ Translate. [*Sic a rhetoribus maxime usurpatur, quum loquuntur de orationis ornamentis, quorum virtus et vis in raritate quadam et moderatione sunt. Unde et haec ornamenta passim a rhetoribus *floribus* et *insignia*, *lumina*, *stellae*, *margaritae*, *purpura*, *diademata*, *aurum*, [*ampullae*, Gr. *λήκυθοι*] appellantur. Sunt haec vv. *Ernest.* in *techn. Lat.* p. 132. quem omnino cf. *Cic. Inv.* 2, 15. Distinguere et illustrare orationem. *Id. Or.* 2, 9. Formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. et 13. Distinguere historiam varietate locorum. [**Cic. Fin.* 1, 11, 38. ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit. *Variari* est h. l. Gr. *ποικίλλεσθαι* et alteri voc. explicationis causa additum. V. *Goer.*, coll. ad 2, 3, 10.] *Plin. ep.* 7, 9. Occupationes curasque carmine distinguere. *Id. ep.* 3, 1. Frequenter comoedis coena distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur.

[DISTIRPO, as, a. 1. idem quod exstirpo. *Not. Tir.* p. 130. Distirpat. *F.*]

DISTĪSUM et Pertisum dicebant, quod nunc distaesum et pertaesum, inquit *Festus*. *Massur. Sabin.* ap. *Macr. Sat.* 3, 6. Postquam artis distisus suae est.

*DISTĬTĬUM, i, n. *Iscan. de Bell. Troj.* Distitiis acies vicina propinquis. *B. A.*

DISTĬTO, as, n. 1. frequentat. a disto. *Colum.* 6, 2. Distitent inter se aliquanto spatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. Ita lexicographi quidam, sed melior lectio et vulgatior exhibet: *distentque inter se.*

[DISTĬTŪTUS, a, um, adj. idem ac destitutus. *Not. Tir.* p. 40. Distitutus. *F.*]

DISTO, as, n. 1. *δίστημαι*, *ἀπέχω*, absum, remotus sum, intervallo disjungor: a *di* et *sto*. In praeteritis non videtur esse in usu. *Caes. B. G.* 7, 72. Ut fossae solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant. et *ib.* Quae pedes octoginta inter se distarent. *Ov. Fast.* 3, 362. Cum tantum Phrygia Gallica distet humus. *Hirt. B. Alex.* 7. Cum hi tam parvo spatio distarent ab ipsis. *Hor. Ep.* 1, 7, 48. foro nimium distare Carinas. *Virg. A.* 3, 116. Longo distant cursu. *Plin.* 13, 4, 7. Laxe distare. ℙ Refertur etiam ad tempus. *Hor. Od.* 3, 19. Quantum distet ab Inacho Codrus. *Quint.* 12, 10. Zeuxis et Parrhasius non multum aetate distantes. ℙ Translate est differentem et diversum esse, differre. *Cic. Or.* 1, 49. *ad f.* Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque sejunctae. *Id. Off.* 2, 4. Hominum vita distat a vita et cultu bestiarum. et *ib.* 3, 17. *a med.* Prudentia abest a malitia distatque plurimum. *Cels.* 4, 20. Distat tamen hic casus, eo quod, etc. *Plin.* 19, 6, 32. Distant sapore. *Hor. Ep.* 1, 7, 23. Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis. et *ep.* 18, 4. infido scurrae distabit amicus. *Id. Sat.* 2, 3, 219. Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira. *Id. Ep.* 1, 17, 44. distat, sumasne pudenter, An rapias. Eodem modo *Ep.* 2, 2, 195. locutus est *Lucan.* 8, 487. sidera terrae Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto. [*Quod ad constructionem attinet, usitatissima illa est, qua construitur cum *a* et *ablat.*; deinde haud raro, etiam in scriptoribus, cum *solo ablat.* construitur, V. *Burm.* ad *Quint.* 5, 10, 7. et in *epist.* p. 50. Praepositionem passim ab editoribus additam esse docet *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Epit.* 5.; denique etiam graeco more pro *ablat.* ponitur *dativus*. *Hor. Od.* 4, 9, 29. *Sat.* 1, 4, 48. Qui pluribus de hac constructione egerint laudantur a *Schmidio* ad *Hor. Ep.* 1, 18, 4. Sic adeo apud scriptores, ut monstrat *Zumpt.* ad *Spaldingii Quint.* 2, 21, 10. (*Vol.* V. p. 112.) plurimum statuis differunt vasa; coll. 12, 10, 1. Mire *Jever.* ad *Lucan.* 1, 352. hunc dativum pro genitivo haberi vult, quod nemini hodie persuadebit. Veriora docet *Cort.* ad *Eund.* 8, 487. ℙ *Distat* interdum impersonale est. V. *Spald.* ad *Quint.* 6, 4, 21.]

DISTORQUĔO, es, orsi, ortum, a. 2. *διαστρέφω*, in diversum torqueo. *Ter. Eun.* 4, 4, 3. Ah! illud vide, os ut sibi carnifex distorsit. *Hor. Sat.* 1, 3, 65. Distorquens oculos. *Quint.* 1, 11. Distorquere labra. *Ov. A. Am.* 3, 287. perverso distorquere ora cachinno. ℙ Item torquere. *Suet. Dom.* 10. Conscios novo quaestionis genere distorsit, immisso per obscena igne. *Senec. Ben.* 7, 19. Non contentus simplici morte, distorsit. ℙ Transfertur ad animum. *Id. ep.* 74. Illum videbis alienae uxoris amore cruciari: illum suae: non deerit, quem repulsa distorqueat.

DISTORTĬO, onis, f. *διαστροφή*. *Cic. Fin.* 5, 12. In quibus si peccetur distortione et depravatione, aut motu statuve deformi, etc. *Cels.* 4, 2. *n.* 2. Distortio oris.

DISTORTOR, oris, m. qui distorquet. *Ter. Ph.* 2, 3, 27. apud *Prisc.* 9. p. 871. Bonorum contortor, legum distortor. At reapse apud *Ter. loc. cit.* rectius quidem legitur: Bonorum extortor, legum contortor. *F.*]

DISTORTUS, a, um, part. a *distorqueo*. *Senec. ep.* 67. Nemo votum solvit, quod flagellis caesus esset aut podagra distortus aut equuleo longior factus. ℙ Item i. q. *διάστροφος*, male tortus, perversus, monstrosus. *Cic. Or.* 2, 66. Ostendit Gallum distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus. *Id. Mur.* 29. *ad f.* Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos. *Hor. Sat.* 1, 3, 47. Distorta crura. *Suet. Galb.* 21. Manus et pedes articulari morbo distortissimi. *Quint.* 2, 13. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille discobolos Myronis? *Suet. Aug.* 4, 83. Pumilos atque distortos et omnis generis ejusdem, ut ludibria naturae malique ominis, abhorrebat. *Quint. Decl.* 298. Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate distorti corporis placet. ℙ Translate. *Cic. Fat.* 8. *ad f.* Multa genera sunt enunciandi, nec ullum distortius, quam hoc. *Petr. fr. Trag. Burm.* 55. Distorta cogitatio. ℙ *Distortior. Distortissimus.* V. supra.

DISTRACTĬO, onis, f. *διασπασμός*, actus distrahendi, revulsio, separatio, divisio. *Cic. N. D.* 1, 11. Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnium commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit, distractione animorum discerpi et lacerari Deum. *Pl. Ps.* 1, 1, 67. Harum voluptatum mihi omnium distractio, discidium, vastities venit. *Senec. ep.* 30. *ad f.* In ipsa distractione animi corporisque, *h. e.* in morte. *Gell.* 12, 1. Vis morbi faciebat distractionem cruciatumque membrorum. ℙ Item venditio, qua merces huc illuc distrahuntur. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. *a med.* Praeponere aliquem ad mercium distractionem. *Id. ib.* 2, 15, 8. *circa med.* Distractio fundi. ℙ Item dissidium, alienatio. *Cic. Off.* 3, 6. *ad f.* Nulla nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est. *Varr.* ap. *Non.* 4, 138. Distractione civium elanguescit bonum civitatis.

DISTRACTOR, oris, m. qui distrahit et vendit. Distractores argenti sunt argentarii et collybistae. *Imp. Justin. Cod.* 8, 14, 27. et 12, 35. [**Gloss. Lat. Gr.* Distractor, *διαιρέτης*. *B. A.*]

DISTRACTUS, a, um, part. a *distraho*, *διασπασθείς*, in diversas partes tractus, dispersus, dissipatus. *Cic. Dom.* 25. *extr.* Ex quo judicare potestis, quanta vis illa fuerit oriens et congregata, cum Pompejum terruerit jam distracta et exstincta. *Lucr.* 4, 694. Odor distractus in aeris auras. *Id.* 3, 591. Animae natura distracta corpore in ipso. Et 493. Vis morbi distracta per artus. Et 4, 958. Et divisior inter se ac distractior intus. ℙ Item divulsus, separatus. *Cic. Marcell.* 1. Socius et comes a me distractus. *Cn. Magn.* ad *Domit. post Cic. ep.* 12. *l.* 8. ad *Att.* Ne distracti pares esse adversario non possimus. *Cic. Fam.* 4, 7. *ante med.* Qui non idem consilium secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos. ℙ Item alienatus. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. ad *Att.* Ut Caesarem et Pompejum, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. ℙ Item distentus, diversis negotiis occupatus. *Cic. Manil.* 4. Vos ancipiti contentione distracti, de imperio dimicaretis. *Id. Or.* 3, 2. Ambitionis labore vita distracta. Utroque loco al. leg. *districtus*. *Vell.* 2, 114. Tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. ℙ Comp. *Distractior.* Sup. *Distractissimus.* V. supra.

[DISTRACTUS, us, m. Apud JCtos est resolutio contractus. *Justin. Instit.* 3, 28. §. 6. Is, cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus esse, ut, si certiorem rationem sequamur, magis ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse: nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negotium, quam contrahat. *F.*]

DISTRĀHO, is, axi, actum, a. 3. *διασπάω*, in diversas partes traho, discerpo. *Cic. Quint.* 15. *extr.* Lacerare et distrahere. *Id. Sull.* 20. *ad f.* Membra alicujus divellere ac distrahere. *Id. N. D.* 3, 12. Dirimere vel distrahere corpus. *Liv.* 25, 36. Vallum distrahere et diripere. *Id.* 1, 28. *ad f.* Ut animum ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis. *Pl. Curc.* 2, 1, 21. Renes dolent, pulmones distrahuntur, cruciatur jecur. *Ov. Am.* 1, 8, 112. Distrahere alicui genas. *Plin.* 6, 26, 30. *ad f.* Euphrates fluit ultra Babylonem continuo alveo, priusquam distrahatur ad rigua. *Id.* 5, 26, 21. Fluvius distrahitur in paludes. *Gell.* 2, 6. Huc atque illuc distrahi, raptari, ferri. [**Tac. A.* 1, 4. duo adolescentes, qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant.] ℙ Item separo, disjungo, divido. *Plin.* 5, 27, 27. Taurus mons mediam distrahens Asiam. *Caes. B. C.* 3, 92. Distrahere aciem, *h. e.* diducere et ordines turbare. *Cic. Planc.* 42. Qui a me mei servatorem capitis divellat ac distrahat. [**Id Fin.* 1, 16, 50. nec divelli nec distrahi posse a voluptate, scil. cogitatione. *Goerenzii* utriusque voc. distinctio argutior est, ut docet *Beier.* ad *Off.* l. l.] *Id. Dom.* 37. Distrahi a complexu suorum. *Id. Off.* 3, 3. Qui haec natura cohaerentia, opinione distraxissent. *Senec. Qu. Nat.* 2, 6. *a med.* Parvula semina et quorum exilitas in commissura lapidum locum invenit, in tantum convalescunt, ut ingentia saxa distrahant, *h. e.* disjiciant, divellant. *Cic. Or.* 45. Distrahere voces, *h. e.* ita ponere, ut diductae proferantur concurrentes vocales, neque per synaeresin elidantur. ℙ Transfertur ad animum, [*et quidem duplici modo. Etenim distrahi animus dicitur, vel quum in quam partem decernat, non videt; vel, quum diversis studiis distinetur. Exempla confudit.] *Cic. Off.* 1, 3. In deliberando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. *Id. Ac.* 4, 43. *ad f.* Distrahor: cum hoc mihi probabilius, tum illud videtur. *Id. Or.* 1, 59. Oratoris industriam in plura studia distrahere nolim. *Tac. H.* 4, 60. Obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebat. [**Id. A.* 6, 44. distrahi consiliis.] ℙ Significat et alienare, inimicum reddere. *Cic. Phil.* 2, 10. Posteaquam Pompejus se totum Caesari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? ℙ Item dirimere, decidere. *Cic. Caecin.* 2. Judicia distrahendarum controversiarum causa reperta sunt. Adde *Suet. Caes.* 85. ℙ Item distinere, distendere, pluribus rebus impeditum tenere. *Senec. ep.* 2. Distrahit animum librorum multitudo. V. DISTRACTUS, a, um. Hic *distrahere hostem* est diversis partibus aggredi, quo infirmior sit. *Tac. A.* 1, 6. Caecinam cum cohortibus, distrahendo hosti, ad flumen mittit. ℙ Item dissolvere, dissociare, dirimere. *Cic. Off.* 3, 6. Quae sententia omnem societatem distrahit civitatis. *Suet. Caes.* 42. Distrahere collegia. (*Id. Aug.* 32. dissolvere collegia.) *Ter. Ph.* 3, 2, 33. Horum amorem distrahi, poterin' pati? *Cajus Dig.* 24, 2, 2. Distrahere matrimonium. ℙ Item impedire, disturbare, abrumpere. *Caes. B. C.* 1, 33. Subjicitur Metellus trib. pleb. ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. ℙ Item pluribus alienare, vendere. *Gell.* 20, 1. Bona venum distrahuntur. *Suet. Vesp.* 16. Coemendo quaedam tantum, ut pluris postea distraheret. [*Cf. *Brem.* ad h. l. Adde *Id. Cal.* 39.] Adde *Justin.* 9, 1. *Tac. A.* 6, 17. et *JCtos.* in *Dig.* saepe et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 138. ℙ Item dispergere, dissipare. *Caes. B. C.* 3, 27. Ut pars ad scopulos allisa interficeretur, pars a nostris distraheretur. *Flor.* 3, 19. Qui per fugitivarios distrahi debuissent, praetorios duces profugos proelio ipsi sequebantur. *Cic. Fam.* 4, 13. Careo familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis aut fuga distraxit. ℙ *Distrahi fama* est differri, male audire. *Tac. A.* 3, 10. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur.

DISTRĀTUS, a, um, part. a *disterno*, idem quod stratus. *Appul. Met.* 2. p. 121, 25. Nam et pueris extra limen humi, quam procul, distratum fuerat, *h. e.* stratus lectulus.

[DISTRECTO, as, a. 1. idem ac detrecto. *Not. Tir.* p. 59. Distrectat. *F.*]

DISTRĪBŪO, is, ui, utum, a. 3. *διανέμομαι*, diversis hominibus vel diversis modis tribuo, divido, partior. *Caes. B. G.* 3, 10. Partiendum sibi ac latius distribuendum exercitum putavit. *Id. ib.* 5, 24. Distribuere exercitum in civitates. *Sall. Cat.* 31. *extr.* Decrevere, ut familiae gladiatoriae Capuam et in cetera municipia distribuerentur. *Plin. ep.* 10, 38. Milites in numeros distribuere. [**Cic. Leg.* 3, 3, 7. populi partes in tribus.] *Cic. N. D.* 2, 55. Sanguis a corde in totum corpus distribuitur. *Id. Att.* 7, 14. Commode Pompejus gladiatores distribuit binos singulis patribus familiarum. [*i. e. attribuit, assignavit.] *Id. Cluent.* 27. Pecuniae summam in singulos judices distribuere. *Senec. Ben.* 7, 31. Dii bona sua per gentes populosque distribuunt. *Cic. Tusc.* 1, 28. Orbem in duodecim partes distribuere. *Id. Or.* 1, 23. Designare aliquid verbis, generibus illustrare, partibus distribuere. *Id. Rosc. Am.* 42. Distribuere causam in crimen et in audaciam. *Id. Cat.* 1, 4. et *ib.* 3, 4. Describere et distribuere partes Italiae. *Senec. Ben.* 7, 2. Regula honesti vitae opera distribuere. *Ulp. Dig.* 26, 7, 3. *ad f.* aliquid inter aliquos.

DISTRĪBŪTĒ, adv. *διανεμητικῶς*, distribuendo, ordinate, distincte. *Cic. Tusc.* 2, 3. Se neque distincte, neque distribute scribere. *Id. Inv.* 2, 59. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum et corpus.

DISTRĪBŪTIO, onis, f. *διανομή*, divisio. *Cic. Cluent.* 1. Itaque mihi certum est hanc eandem distributionem invidiae et criminum sic in defensione servare. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. Ne videar aberrasse a distributione mea, i. e. divisione thematis, quam *Auct.* ad *Her.* 1, 10. constare ait enumeratione et expositione. *Vitr.* 1, 2. *sub f.* Distributio est copiarum locique commoda dispensatio, parcaque in operibus sumptus cum ratione temperatio. ℙ Apud rhetores est figura sententiarum, in qua, quibusdam positis, unicuique sua redditur ratio. *Cic. Or.* 3, 53. [*quam *Id. Or.* 40. sic describit: ut orator aliud alii tribuens dispertiat. coll *Auct.* ad *Her.* 4, 35. Distributio est, quum in plures res aut personas negotia quaedam dispertiuntur. V. *ib.* exempla coll. *Ernest. techn. lat.* p. 133.]

DISTRĪBŪTOR, oris, m. *διανομεύς*, qui distribuit. *Appul. Trismeg.* Deus distributor dispensatorque est bonorum. Addunt et *Cic.* locum *Pis.* 15. Vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum. Sed ad leg. *diribitores.* [*Recte. V. h. v.]

DISTRĪBŪTUS, a, um, part. a *distribuo.*, partitus, divisus, tributus, *διαδοθείς*. *Ter. Ad.* 3, 4, 7. Argentum distributum sane est ex sententia. *Cic. Flacc.* 26. Leges Atheniensium in omnes terras distributae. *Caes. B. G.* 7, 67. Equitatus in tres partes distributus. *Curt.* 6, 5. Miles distributus in supplementum.

DISTRICTĒ, adv. stricte: et translate non solute, non remisse, severe, acriter. *Plin. ep.* 9, 21. Acrius severiusque corripui, districte minatus, nunquam me postea rogaturum. *Ulp. Dig.* 3, 3, 13. Haec neque passim admittenda sunt, neque districte deneganda. *Ter. Idol.* 5. Districtius repercuti potest. *Hieron. ep.* 22. *n.* 11. Districtius vivere.

*DISTRICTIM, adv. i. q. districte. *Senec. controv.* 7. Districtim innocens. *B. A.*

DISTRICTIO, onis, f. angustiae, difficultas. *Paul. Dig.* 4, 8, 16. Quod sine ulla districtione ipsius interdum futurum est.

DISTRICTUS, a, um, part. a *distringo*, idem quod strictus aut valde strictus, *περιεσφιγμένος*. *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 1, 2, 9. *Me hoc judicio districtum atque obligatum futurum:* Districtus potest et sine vinculis manu ducentium ferri: obligatus, etiam nodis vinculorum in loco intelligitur. Plus est ergo obligatum esse, quam districtum. ℙ Districtus gladius, manu strictus feriendi causa. *Cic. Cat.* 3, 1. Gladios in rempublicam districtos retudimus. V. DESTRINGO. ℙ Proprie est varie et non uno vinculo et hinc inde constrictus. *Senec. Vit. beat.* 16. *in f.* Alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti quoque. *Lips.* recte monet, *alligati*, mollius; *adstricti*, arctius; *districti*, multiplex vinculum designare. ℙ Translate est propter negotia in angustias redactus, distentus, distractus, occupatus. *Cic. Manil.* 4. Ancipiti contentione districti. *Id. Q. Fr.* 2, 16. Sic habeto, nunquam me a causis et judiciis districtiorem fuisse. *Nep. Ann.* 13. Hic tantus vir tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit litteris. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 15. *extern.* Maximarum rerum cura districtus. *Flor.* 4, 12. Districtum circa mala sua imperium. ℙ Item severus, austerus, rigidus, nempe soluto, remisso, indulgenti contrarius. *Tac. A.* 4, 36. Ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat. *Imppp. Valent. Theodos.* et *Arcad. Cod.* 1, 55, 6. Probatissimi quique et districtissimi defensores adsint disciplinae. *Val. Max.* 8, 2. *n.* 2. Ex amica obsequenti subito districtam feneratricem agere coepit. *Id.* 2, 9. *n.* 6. Districta censura. ℙ Item ambiguus, anceps, utrinque distractus. *Cic. Fam.* 2, 15. Districtus mihi videris esse, quod et bonus civis et bonus amicus es. ℙ Comp. *Districtior* et Superl. *Districtissimus.* V. supra.

*DISTRIGILLO, as, a. 1. *Gloss. Lat. Gr.* Distrigilla me, *περίξυσόν με*. V. *Obstrigillo. B. A.*

DISTRINGO, is, inxi, ictum, *καθαφίγγω*, arte stringo. *Cic. Off.* 3, 32. Fraus distringit, non dissolvit perjurium. Al. leg. *adstringit. Senec. Ben.* 6, 34. Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis, Ave, non nisi suo ordine emittitur? ℙ *Distringere ensem.* V. DESTRINGO. [*Monere oblitus sum, *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 42. in hac formula scribi malle *distringere*, quod *F.*, summos criticos secutus, minus probat. Explicat Vir summus *distringere ensem* per *stringendo distrahere*, *auseinander ziehen.* Quod si probas, cogites necesse est brevius dictum esse pro: vaginam et ensem distrahere. Sed quis ita loquatur? Enses stringuntur sive trahuntur de ea corporis parte, ubi antea erant, quare *destricti* dicuntur, quod inde quoque probabilius est, quia etiam securis (*Liv.* 8, 7.), quae caret vagina, et mucro (*Sil.* 17, 164.), quem nudum gestabant, *destrictus* appellatur. Cf. etiam *Ernest.* in *Clav.* et *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 7. p. 51. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 37, 2.] ℙ *Distringere se.* V. DESTRINGO, ubi et alia invenies huc pertinentia. ℙ Item stringendo conterere, comminuere. *Colum.* 12, 8. Exiguum aridi thymi et cunilae aridae super lac distringito. ℙ Translate est distinere, distrahere, pluribus partibus urgere et premere aliquem. *Liv.* 35, 18. *extr.* Annibalem mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos. *Id.* 44, 35. Populatione maritimae orae distringere copias regias. *Flor.* 4, 2. Distringere incendiis urbem, *h. e.* tot locis urbis ignem injicere, ut cives distracti incertique quo accurrerent, exstinguere non possent. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Innumera rusticos cura distringit. (Adde *Curt.* 3, 3.) *Plin. alter ep.* 7, 15. Quo nosti, distringor officio: amicis deservio, studeo interdum. *Id. ep.* 3, 5. *ad f.* Ego tantum, quantum amicorum officia non distringunt, vaco. *Id. Pan.* 94. Non te, Jupiter, distringimus votis, *h. e.* plura et diversa simul petentes fatigamus. ℙ *Distringere frontem* eodem sensu dicitur, quo perfricare et audaciam sumere. *Quint.* 12, 6. Ut neque praepostere distringatur immatura frons etc., nam et contemptus operis innascitur et fundamenta jaciuntur impudentiae.

DISTRUNCO, as, a. 1. *κολοβόω*, mutilo vel in partes disseco. *Pl. Truc.* 2, 7, 53. Ego te hic agnum faciam et medium distruncabo.

DISTRŪO, is, a. 3. *διοικοδομέω*, separatim vel seorsum struo. *Suet. Cal.* 41. Distructis ac instructis, pro loci dignitate, compluribus cellis. Ita quidam lexicographi. Verum emendati libri habent, *distinctisque et instructis.* Ceterum *distruo* pro *destruo*, legitur in antiquis libris quibusdam eorum scriptorum, quos in DESTRUO et DESTRUCTUS attulimus.

DISTURBĀTIO, onis, f. *καταβολή*, disjectio, demolitio. *Cic. Off.* 3, 11. Utilitatis specie in republica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri.

DISTURBĀTUS, a, um, part. a *disturbo*, eversus, dirutus, ut Disturbata porticus, apud *Cic. Att.* 4, 3. Disturbatos arcus ductus aquae Virginis a fundamentis novos fecit, *Inscr.* ap. *Grut.* 176, 5.

DISTURBO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναστατόω*, disjicio, everto. *Cic. Dom.* 37. Se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas. *Id. ib.* 39. Disturbare porticum. *Caes. B. C.* 1, 26. Rates perrumpere, atque opera disturbare. *Lucr.* 1, 559. Tempus disturbans dissolvensque frangit omnia. *Senec. Hipp.* 1011. Auster disturbat freta, *h. e.* miscet, turbat. *Cic. N. D.* 2, 15. Ignis, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat, *h. e.* penetrat, dividit, disjicit. *Id. Mil.* 33. *ad f.* Concionem gladiis disturbare. *Colum.* 11, 2. *ante med.* Si qua in vineis fossor disturbavit, vinitor restituere debet. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 38. Qui fidem laedit, quantum in ipso est, disturbat humanae vitae societatem, *h. e.* evertit. *Id. Agr.* 2, 37. Legem disturbare ac pervertere. *Id. Sull.* 5. et 25. Judicium ambitus tollere ac disturbare. *Id. Fam.* 11, 21. *ad f.* Cum quidam agrariam curationem ligurirent, disturbavi rem totamque vobis integram reservavi, *h. e.* impedivi, sustuli. *Pl. Ps.* 1, 5, 137. Disturba, quas statuisti, machinas, *h. e.* consilia fraudulenta abjice, depone. *Sall. Orat. Phil. c. Lepid.* Bello disturbare concordiam.

[DISTURPO, as, a. 1. hinc inde turpo. *Not. Tir.* p. 70. Deturpat, disturpat.

DISULCUS. V. DISSULCUS.

DISŪNIO, is, ivi, itum, a. 4. unita separo. *Arnob.* 3. p. 116. Disuniuntur tenacium matrimoniorum nexus. [*Alii leg. *dissuuntur*, quod magis probaverim. Sic ed. *Herald.* Paris. 1605. *B. A.*]

DISYLLĀBUS, a, um, adj. *δισύλλαβος*, duas habens syllabas. *Quint.* 1, 5, 31. Vox disyllaba. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 103. Dicere, tute vide, atque disyllabon elige quodvis. Adde *Terent.* p. 2431., ubi prima brevis itidem est. Male itaque *dissyllabus* alicubi scriptum invenitur.

DĪTĀTOR, oris, m. qui ditat. *Augustin. Confess.* 5, 5. Spiritus S. consolator et ditator Fidelium.

DĪTĀTUS, a, um, part. a *dito*, dives factus. *Auct.* ad *Her.* 4, 53. Urbs triumphis ditata. *Ov.*

Pont. 2, 7, 62. Ditata est spoliis perfida turba meis. ℙ [*Corruptum est a librariis in *vitatus.* V. *Burm.* ad *Ov. A. A.* 2, 261.]

DĪTĒ, adv. V. DĪTIUS, DĪTISSĪME, [*et DIS.]

DĪTESCO, is, escere, n. 3. *πλουτέω*, dives fio: ab inusit. *diteo. Lucr.* 4, 1246. Partu possunt ditescere dulci. *Id.* 5, 1248. feras interficere et ditescere praeda. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 309. largo ditescat arena Sanguine, *h. e.* abundet.

DĪTHYRAMBĬCUS, a, um, adj. ad dithyrambum pertinens. *Cic. Opt. gen. orat. init.* Poematis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, quod magis (*corrige minus*) est tractatum a Latinis, suum quodvis est diversum a reliquis genus.

*DĪTHYRAMBĪOS, herba symphoniaca. *Appul. de herb. c* 4. *B. A.*

DĪTHYRAMBUS, i, m. *διθύραμβος*, [*de quantitate primae syll., quae semper longa est, V. *Porson.* ad *Eurip. Orest.* 5. *Bail.*] versus in honorem Bacchi, qui Dithyrambus et ipse a Graecis dicitur, a *δίς*, bis, et *θύρα*, janua, quia binis foribus sit egressus, quippe bis natus, primum e Semele matre, deinde e femore Jovis, ut habet *Suidas* in V. *Διθυράμβος*, et innuit *Eurip.* in *Bacch. v.* 515-521., vel quia educatus sit in antro *διθύρῳ*, id est bifori. [*Haec prorsus incerta. Alii ducunt a *λῦθι ῥάμμα*, ut sic Jupiter exclamasse videatur, ut Bacchus prodire posset. V. *Voss. Etym. B. A.*] *Hor. Od.* 4, 2, 10. de Pindaro: Seu per audaces nova dithyrambos Verba devolvit, numerisque fertur Lege solutis. ℙ Erat autem hoc genus carminis ita compositum, ut inventione, dictione ac numeris a communi carminis ratione abiret longius et miram licentiam audaciamque referret, utpote quod a Bacchi furore percitis cantari solitum. [Ex eo tragoediam ortam fuisse, docet *Aristot. Poet. c.* 4., ut ex carminibus ithyphallicis originem habuit comoedia. Triplex vero fuisse dithyramborum genus statuit *Roman. de Timkowsky* in *Act. Semin.* et *Societ. Philos. Lips. T.* 1. p. 204-231.: primum constabat oratione tumida et turbata, verbis partim novis, partim novo sensu positis, sententiis nulla certa via procedentibus, versuum vero harmonia sonora et quasi ebria, cujus exemplum exstat apud *Eurip. Bacch. v.* 64-165.: alterum longe moderatius, sanisque sensibus magis conveniens, quale fuit a Pindaro frequentatum, teste *Hor. l. c.*, cujusque fragmentum exstat apud *Dionys. Hal. de struct. orat. c.* 22.: tertium vero genus priori simile ex vana et tumida oratione, vocabulis novis, barbaris perplexisque, cujus meminit idem *Dionys. ib. c.* 19., quodque maxime deridet *Aristoph.* in *Nub. v.* 330. et seqq. Apud Romanos, genus hominum ob probitatem et morum severitatem a Graecis valde discrepans, minori fuit in pretio, ut affirmat *Cic. l. c.* in v. praec., cum etiam Bacchanalia Romae senatusconsulto sublata fuerint. V. BACCHANALIA. *F.*] Exemplum tamen hujus carminis habes apud *Senec. Oedip. v.* 403. et seqq. et apud *Hor. Od.* 2, 19. et *ib.* 3, 25. *Cic. Or.* 3, 48. Ex illis modis procerior quidam numerus effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cujus membra et pedes sunt in omni locupleti oratione diffusa. [*De dithyrambo cf. *Bentl.* ad *Phalaridis epistolas* p. 295. *B. A.*]

DĪTĬO et Dicio, onis, f. *ἐπικράτεια*, plena potestas alicujus rei, quae data ac dedita sit, [*v*Forc.* in 11. ed. ita: locus, regio, ubi quis jus vel imperium exercet,] imperium, dominium. [*Voss.* in *Etym.* a *dite* pro *divite* perperam derivat, cum potius a *δίκη*, jus, judicium, quod quis alicubi exercet, derivanda vox sit: hinc in *Gloss. Cyrill.* et in *Fragm. Jur. Antejustin.* editis ab *A. Maio* p. 60. scribitur *dicio*, ut nempe sit a *dica*, quam vocem videsis suo loco: hoc etymon confirmat quantitas paenultimae. *F.* *Sed cf. nos *in fin.*] *Cic. Leg.* 2, 7. Vi, ditione atque numine Deorum geruntur res. [**Imitatur Plin Pan.* 4.] *Id. Font.* 1. Sub imperium ditionemque alicujus cadere. *Id. Prov. cons.* 13. Redigere in ditionem nostram totam Galliam. *Id. Verr.* 2, 1, 21. Urbes sub imperium populi R. ditionemque subjungere. Et *ib.* 38. Tenere aliquem in sua potestate ac ditione. *Id. Agr.* 2, 27. *extr.* Redigere aliquid in suam ditionem ac potestatem. *Id. Divin. Verr.* 21. Nationes, quae in amicitiam populi R. ditionemque sunt. *Id. Verr.* 2, 4, 27. Esse in regno ac ditione alicujus. [**Liv.* 4, 8. sub ditione magistratus ejus (i. Censoris) esse.] *Virg. A.* 1, 240. et 626. Ditione tenere aliquam regionem aut populum. *Id. ib.* 7, 737. Late ditione premere populos. *Caes. B. C.* 1, 33. Aeduos in servitute atque in ditione Germanorum teneri. *Curt.* 6, 5. Permittere se ditioni alicujus. *Id.* 4, 1. Regionem urbi appositam ditioni ejus adjecit. Et *ib.* 4. Mare suae ditionis fecit. [**Liv.* 30, 7. concedere in ditionem. *Id.* 32, 31. (40, 28.) venire. *Id.* 21, 61. in jus ditionemque recipere. *Id.* 26, 43. in ditionem tradere. *Id.* 7, 31. dare. *Suet. Claud.* 25. redire in ditionem domini.] *Suet. Vesp.* 8. Commagenem ditionis regiae usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit, *h. e.* quae regia consuetudine ac legibus ab uno regebatur. ℙ Dicitur aliquando de privato domino ac potestate. *Gell.* 5, 19. Tutoribus in pupillos tantam esse potestatem fas non est, ut caput liberum alienae ditioni subjiciant. ℙ Odiose dicit *Cic. Quint.* 30. *ad f.* Si fas est respirare Quintium contra nutum ditionemque Naevii. ℙ Translate. *Sil.* 7, 506. sed enim ditione carere Virtutem et poenas vincentibus esse repostas, *h. e.* imperio, auctoritate, potestate, jure. Sunt verba vulgi obtrectantis Fabio cunctatori, qui Minucium magistrum equitum pugnare, se absente, vetuerat. ℙ Negant grammatici, *Serv.* ad *A.* 1, 744., *Diomed.* 1. p. 288. et 316., *Prisc.* 11. p. 924. et alii, hujus vocis rectum casum singularem in usu esse. [*Ideo autem nominativus h. v. non exstat, quia passiva tantum ejus est significatio, non activa; non enim derivandum est a *δίκη*, ut vult *Furl.*, sed etymon est in *dare* = *dere*, unde *detio*, *ditio*. Proprie igitur pertinet ad id, quod regitur, non ad id, quod regit. Mirum omnino, *Furl.* recte explicare (V. ab init.), sed nihilominus contra suam explicationem derivari velle a *δίκη*. ℙ V. etiam DEDITIO.]

*DĪTIONES, um, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

DĪTĬOR et Ditissimus. V. DIS.

DĪTIS. V. DIS.

DĪTISSĪMĒ, adv. superl. *Appul. de Deo Socr.* Domos ditissime exornare.

DĪTIUS, adv. comparat. *Stat. Silv.* 1, 5, 30. non unquam aliis habitastis in antris Ditius.

DĪTO, as, a. 1. *πλουτίζω*, divitem facio. *Liv.* 21, 60. Castra militem ditavere. *Val. Fl.* 6, 145. Mellis honos Torinis: ditant sua mulctra Satarchen. *Hor. Epod.* 1, 32. Satis superque me benignitas tua Ditavit. *Id. A. P.* 56. cum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit, *h. e.* auxerit. *Claud. Conz. Mall. Theod.* 29. Moenia quae quondam famulus ditavit Hydaspes, *h. e.* Macedonia, quam Persae et India debellata ab Alexandro spoliis et praeda ditavit. *Id. VI. Cons. Honor.* 72. tecum praelarga vocavit Ditandas ad dona tribus.

DITROCHAEUS, i, m. *διτρόχαιος*, pes constans ex duobus trochaeis, idem ac dichoreus, ut *civitate*, *dimicare. Diomed.* 3. p. 477.

DĬU, adv. *καθ' ἡμέραν*, die, diei tempore. *Pl. Cas.* 4, 4, 5. Noctuque et diu viro subdola sies. *Id. fragm.* et *Titin.* ap. *Non.* 2, 230. Nec noctu nec diu quietus. *Sall.* ap. *Char.* 2. p. 185. Noctu diuque stationes et vigilias tentare. ℙ Saepe significat multorum dierum continuationem et ponitur pro longo tempore. *Cic. Senect.* 19. Quamquam, o Dii boni, quid est in hominis vita diu? *Id. Marcell.* 9. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? *Id. Cluent.* 71. Hic satis diu in miseriis fuit. *Id. Quint.* 31. Saepe ac diu jacuit. *Pl. Curc.* 1, 2, 27. At jam bibes. *An.* diu fit. *Cic. Phil.* 13, 5. et *Or.* 1, 33. et *Or.* 1. et *Att.* 4, 13. Diu multumque. *Id. Agr.* 2, 32. De Capua multum est ac diu consultum. *Id. Senect.* 2. *ad f.* Cum multum diuque vixeris. *Pl. Ps.* 2, 3, 21. Nimis diu et longum loquor. *Ter. Ad.* 4, 5, 15. Neque diu huc commigrarunt. *Pl. Merc.* 3, 1, 44. Nam illi quidem haud diu est, cum dentes exciderunt. ℙ Pro jamdiu. *Varro* ap. *Non.* 2, 71. Quod arci, quos summo opere jecerat, fessi pondere diu facti, celeriter corruissent. *Cic. Or.* 1, 30. Omnia, quae diu cupimus. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *extr.* Copiae, quas diu simulatione reipublicae comparabant. ℙ *Jamdiu* et *Jam diu* longius tempus designat, quam *diu* et ad praeteritum tempus refertur, *πάλαι*. *Cic. Att.* 1, 19. *ad f.* Conventus, qui initio celebrabantur, jamdiu fieri desierunt. *Ter. Eun.* 5, 7, 1. Nunquam quidquam jamdiu, quod magis vellem evenire, mihi evenit. ℙ Quoties actio adhuc durat, cum praesenti jungitur. *Cic. Div. Verr.* 8. Quod populus R. jam diu flagitat. Et *Verr.* 2, 4, 47. De quorum religione jamdiu dicimus. ℙ *Jamdiu est*, sequente *cum*: raro sequente *quod*, rarius *ut*. *Pl. Asin.* 2, 1, 3. Jamdiu est factum, cum discesti ab hero. *Id. Amph.* 1, 1, 146. Agite pugni: jam diu est, quod ventri victum non datis. *Jam diu est*, *ut* habet *Augustin. Retract.* 1, 1. et *ep. ad Hieron.* 71. ℙ *Jamdiu est*, *postquam* huc pertinet. *Pl. Pers.* 5, 2, 41. Jamdiu factum est, postquam bibimus. ℙ Comp. *Diutius* ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 13. Ne diutius teneam. *Id. Att.* 7, 3. Ne diutius anno in provincia essem. Sup. *Diutissime* apud *eund. Pis.* 37. Quod te diutissime torsit. *Id. Amic.* 1. Qui diutissime senex fuit.

DIVA. V. DIVUS.

DĪVAGOR, aris, dep. 1. *πλανάομαι*, vagor, huc atque illuc oberro. *Lactant.* 4, 3. *ad f.* Animus in multa dispersus huc illuc divagatur. *Id. Ira D.* 9. *extr.* Ne longius divagetur oratio. Ubi alii leg. *devagetur. Imp. Justin. praef. de emendat. Cod. n.* 2. Constitutiones, quae extra corpus ejusdem Codicis divagabantur.

DĪVĀLIS, e, adj. idem quod divinus. *Spartian. Carac.* 11. Divale nomen. *Justin. praef. de emendat. Cod. n.* 4. Divales constitutiones, *h. e.* imperatorum, qui *Divi* appellari solebant. *Coripp.* 1, 42. Divalis origo. ℙ *Divalia*, *um*, dies festus Romae XII. Kal. Jan., ut est in Vet. Kalendario apud *Grut.* 133. [et in Kalend. Praenestino a *Petr. Franc. Fogginio* Romae edito et illustrato, ex quibus patet, *Divalia* fuisse festa *F.*], quae et *Angeronalia* nuncupata sunt.

DĪVĀRĪCĀTUS, a, um, part. a *divarico*, diductus, distentus, extensus. *Vitr.* 10, 2. Tigna a capite fibula conjuncta et in imo divaricata. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 252. Divaricatis cruribus. *Ammian.* 22, 11. pedibus.

DĪVĀRĪCO, as, avi, atum, a. 1. *διαζελίζω*, diduco, in hanc et illam partem distendo, distraho, disjungo. Dictum est autem, inquit *Non.* 1, 147., ab his, qui vitio naturae ita sunt pedibus discretis, ut eos in diversum habeant separatos. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. In ea (*statua*) hominem divaricari ac deligari jubet. *Varr. R. R.* 2, 5. de bove: Nec cujus ungulae divaricent (*subaudi* se), *h. e.* diducantur. *Cato R. R.* 45. Ternas taleas ponito, easque divaricato super terram, *h. e.* in diversum dirigito.

DĪVELLO, is, elli (*saepius quam* vulsi) [*cf. de illa forma, quae affert *Heins.* ad *Ov. Her.* 6, 183.], vulsum, a. 3. *διασπάω*, distraho, disjungo, separo. *Cic. Off.* 3, 18. *extr.* Res a natura copulatas audebit divellere. *Id. Sull.* 20. *ad f.* Qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. *Sall. Cat.* 50. Divellere liberos a parentum complexu. *Curt.* 3, 5. et abripere aliquem. *Ov. Met.* 11, 38. Quae postquam rapuere ferae, cornuque minaci Divellere boves, *h. e.* dissiparunt, disperserunt. *Hirt. B. Afr.* 88. Dum medicus familiaresque vulnus obligare coepissent, ipse suis manibus vulnus crudelissime divellit atque se interemit. *Gell.* 15, 16. Quercum discidit divellitque. *Virg. A.* 4, 600. Non potui abreptum divellere corpus et undis Spargere? Sic *Ov. Met.* 8, 877. suos artus lacero divellere morsu. *Senec. Hipp.* 1173. Membra taurus divulsit. ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Hor. Od.* 1, 36, 19. nec Damalis novo Divelletur adultero. *Ov. Met.* 14, 115. ramumque suo divellere trunco. ℙ *Divellere* pro *depilare* V. DEVELLO. ℙ Est etiam tollere, adimere. *Hor. Ep.* 1, 10, 18. divellit somnos cura. *Cic. Off.* 2, 23. *ad f.* Commoda civium non divellere. ℙ Translate. *Cic. Planc.* 33. Distineor tamen et divellor dolore et in causa dispari offendi te a me, doleo. ℙ Est etiam dirimere, dissociare. *Cic. Quint.* 6. Divellere affinitatem. *Senec. ep.* 6. amicitiam.

DĪVENDĬTUS, a, um, part. a *divendo*. *Liv.* 1, 53. Praeda divendita. Al. leg. *divendenda*. *Tac. A.* 6, 17. Bonis damnatorum divenditis. Adde *Liv.* 3, 13.

DĪVENDO, is, didi, ditum, a. 3. *διαπιπράσκω*, idem quod vendo, vel pluribus et varie vendo. *Cic. Agr.* 1, 3. Bona populi R. divendere. [**Liv.* 1, 53. praedam. V. intpp. Vulgo leg. *dividenda.*]

[DĪVERBĔRĀTUS, a, um, part. a *diverbero*, valde, hinc et inde verberatus. *Curt.* 4, 4. Bellua diverberatis fluctibus allevans semet, utrinque conspecta est. *Lactant.* 2, 7. *ad f.* Antronius Maximus quidam diverberatum servum medio circo ad supplicium duxerat.

DĪVERBĔRO, as, avi, atum, a. 1. *καταπαίω*, idem quod verbero; vel ex hac atque illa parte verbero; vel verberando dirimo. *Virg. A.* 5, 503. Sagitta volucres diverberat auras. Et *ib.* 6, 294. frustra ferro diverberet umbras. *Lucr.* 2, 151. aerias sol diverberat undas.

DĪVERBĬUM, ii, n. pars est comoediae, in qua diversorum personae versantur. In canticis enim una tantum debet esse persona aut, si duae fuerint, una ex occulto audiat nec colloquatur. Ita *Diomed.* 3. p. 489. V. CANTICUM. Quare diverbia soli histriones pronunciabant; cantica vero temperabantur modis, non a poeta, sed a perito musicae artis factis, ut *Donat. prolegom.* ad *Ter. sub f.* docet. *Liv.* 7, 2. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. ℙ Hinc patet *diverbium* dici, quia in eo diversi verba faciunt. ℙ Diverbii partes sunt actus et scenae: item protasis, epitasis et catastrophe, de quibus V. *Voss. l.* 2. *Poetic. institution. c.* 5. ℙ Primus ejus inventor fuit Aeschylus, qui, cum ante unicus foret histrio, adhibuit duos. *Aristoteles*, *Hor. A. P.* 279. et ex his *Voss. l. c. c.* 12. ℙ Apud *Petr. fr. Trag.* 64. *Burm.* legitur *deverbium.*

DĪVERGĬUM, ii, n. locus, ubi amnis in diversum vergit, divortium. *Sicul. Fl. de condit. agror.* ap. *Goes. p.* 21. Territoria inter civitates alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis ac divergiis aquarum. [*Cf. de h. v. *Drak.* ad *Liv.* 38, 45.]

DĪVERRO. V. DEVERRO.

DĪVERSĒ, adv. *κεχωρισμένως*, diversis partibus vel diverso modo. *Hirt. B. Afr.* 40. Horum corpora toto campo prostrata diverse jacebant. *Sall. Cat.* 61. Pauci paulo diversius conciderant. *Ter. Andr.* 1, 5, 25. Quae meum animum diverse tra-

hunt. *Manil.* 5, 330. Garrula quae modulis diverse tibia format. *Suet. Tib.* 66. Quibus diversissime afficiebatur. *Gell.* 7, 17. *a med.* Virgilius verbo isto utitur, a tua sententia diverse. ℙ Olim *diversse* dictum fuit: et apud *Terent.* al. leg. *diversae*, scil. curae.

DĪVERSĬCOLOR, oris, adj. qui variis est coloribus, ποικιλόχροος. *Capell.* 1. p. 6. Diversicolor fluentorum discrepantium unda. *Id.* 8. p. 274. Metalla diversicoloria.

DĪVERSĬTAS, atis, f. διαφορὰ, dissimilitudo, varietas. *Plin. ep.* 7, 30. Quantum diversitas ingeniorum pateretur. *Quint.* 10, 5. Multiplex personarum, causarum, dictorum diversitas. *Plin.* 6, 26, 30. Inconstantiam mensurae diversitas auctorum facit. Et 20, 5, 19. Reliqua inter medicos mira diversitas. [**Tac. G.* 15. delegata domus cura feminis senibusque; ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem, i. e. repugnantia. V. intpp. ad h. l.] *Frontin. Aquaed.* 24. Diversitas inter unciam et digitum.

DĪVERSĬTO. V. DEVERSITO.

DĪVERSĬTOR. V. DEVERSITOR.

DĪVERSOR, aris. V. DEVERSOR.

DĪVERSOR, oris. V. DEVERSOR.

*DIVERSORIARIUS, i, m. πανδοχεὺς *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

DĪVERSORĬŎLUM, i, n. diminut. diversorii. *Cic. Fam.* 12, 20. Sinuessanum diversoriolum contempsisti. Adde *Att.* 14, 8.

DĪVERSORĬUM et Deversorium, ii, n. πανδοχεῖον, hospitium, locus, in quem non habitandi, sed ad tempus commorandi causa divertimus, (ut fit in itinere aut cum amicos visimus et apud eos commoramur) sive publicus sit sive privatus sive meritorius sive non. [*Accurate de vi h. v. et quid differat *diversorium* ab *hospitio* et *taberna* exposuit *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 19. *ab in.* Quod ad scripturam, *Drak.* ad *Liv.* 44, 42. praefert *devers.*; nam, *devertit*, inquit, qui de via deflectens hospitium subit. At *divertit*, qui a regia via discedens semitam inde in diversa tendentem incedit.] *Cic. Fam.* 6, 19. Nam et villa et amoenitas illa, commorationis, non diversorii. *Id. Or.* 2, 57. *extr.* Defessus jam labore atque itinere disputationis, requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diversorio. *Id. Rosc. Am.* 46. Si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae et diversorium flagitiorum omnium. *Id. Fam.* 7, 23. *circa med.* Libentius emerim diversorium Tarracinae, ne semper hospiti molestus sim. Et *Liv.* 21, 63. Diversorium hospitale. Adde *Cic. Phil.* 2, 41., *Senect.* 23. et *Att.* 4, 12. et *Petr. Sat.* 9., ubi de meritorio hospitio sermo est. Ubique autem alii per *de* scribunt. V. DIVERTO.

DĪVERSORĬUS, a, um, adj. ad divertendum seu hospitii causa commorandum pertinens, ut Diversoria taberna apud *Varr. R. R.* 1, 2. *a med.* et *Suet. Ner.* 27. V. DEVERSORIUS.

DĪVERSUS (*olim* Divorsus), a, um, part. a *diverto* (et cum de pluribus sermo est), in aliam partem versus, huc et illuc versus, in varias partes versus. *Pl. Truc.* 4, 3, 13. Omnium primum diversae state, neve inter vos significetis. *Id. Mil. a.* 5. *v.* 14. Distennite hominem divorsum, *h. e.* divaricatis cruribus. *Virg. A.* 11, 855. et *ib.* 5, 166. Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum. *Id. ib.* 9, 415. Diversi circumspiciunt. *Id. ib.* 1, 70. submersas obrue puppes Aut age diversas. *Nep. Dat.* 11. Cum aliquandiu in colloquio fuissent et diversi discessissent. *Liv.* 44, 43. In silvam ventum est, ubi plures diversae semitae erant. *Caes. B. G.* 2, 24. Cum Numidas diversos dissipatosque, in omnes partes fugere vidissent. [**Tac. G.* 28. sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diversas, i. e. divisas. Etiam ad animum refertur. *Prop.* 1, 10, 15. possum ego diversos iterum conjungere amantes. V. *Burm.*] ℙ Item variis in locis positus, dissitus, oppositus. *Sall. Cat.* 20. Sed ego quae mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis [*i. e. alii in aliis locis. Sciendum enim est, *diversus* ut *primus*, *medius*, *ultimus* construi, *h. e.* ita, ut ad nostram loquendi rationem adverbiorum vice fungi videantur. *Hirt. B. G.* 8, 19. diversum proelium, i. e. diversis locis commissum.] et *Cic. Verr.* 2, 4, 52. *sub f.* Portus, qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt. *Id. Somn. Scip.* 6. Duo cinguli terrae maxime inter se diversi, *h. e.* duo circuli polares. *Liv.* 4, 22. Diversissimis locis subeundo ad moenia, ab sensu operis hostes avertebat. [**Lucan.* 2, 467. Varus — per diversa ruens neglecto moenia tergo, — fugit, i. e. per ea moenia, quae aversa erant ab oppugnantibus.] *Tac. A.* 3, 59. Diverso terrarum distineri, *h. e.* longe abesse. *Cic. Manil.* 4. Loca duo disjunctissima maximeque diversa. Et *ib.* 16. Loca tam longinqua tamque diversa. [**Virg. G.* 3, 32. triumphi diverso ex hoste, i. e. quorum alter in occidente, alter in oriente habitat.] *Id. Brut.* 74. Confluxerunt in hanc urbem multi ex diversis locis. *Id. Agr.* 2, 32. Corinthus duo maria, maxime navigationi diversa, paene conjungit, cum pertenui discrimine separentur. *Tac. A.* 3, 2. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii. [**Tac. Agr.* 11. procurrentes in diversa terrae. V. *Gron.* ad h. l. coll. *Walch. Sil.* 17, 546. arva diversa spatio procul a certamine pugnae.] ℙ Item adversus, contrarius. *Liv.* 1, 28. In diversum iter concitati equi. [**Id.* 21, 31. Rhodanus et Arar, diversis ex Alpibus decurrentia, i. e. ex alia atque alia earundem Alpium parte.] *Suet. Caes.* 20. Diversa factio. *Liv.* 34, 4. Diversa duo vitia, avaritia et luxuria. [**Sall. Cat.* 2, 1. reges diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant, i. e. in contrarium abeuntes. *Id. ib.* 5, 8. pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia. V. quos laudat *Kritz.* coll. *Drak.* ad *Sil.* 1, 264. e diversa socios arcessere ripa. *Prop.* 1, 3, 31. diversae fenestrae, i. e. exadverso positae. — Pari modo, ut haec exempla monstrant, de loco ac spatio et de animo dicitur.] *Suet. Aug.* 51. Diversarum partium multi venia donati. *Id. Gramm.* 9. Diversae partis advocatus. *Cic. Acad.* 4, 32. Certa cum illo, qui a te totus diversus est; noli mecum, qui hoc quidem certe tibi assentior. [**Liv.* 32, 38. regionis a se diversae, i. e. sibi inimicae et contrariae.] *Calp. Ecl.* 4, 9. nec te diversus Apollo Respicit, o juvenis. *Tac. A.* 13, 57. Victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, *h. e.* aciem hostium. ℙ Item dissimilis, differens, ἀλλοῖος. *Cic. Or.* 1, 61. Varia et diversa studia. *Id. Inv.* 1, 33. Diversa et dissimilis pars. *Id. Phil.* 5, 18. Longissime diversa ratio. *Quint.* 9, 2, 45. Verba verbis diversa et sermoni sensus. [**Id.* 2, 5, 22. alterum, quod huic diversum est. *Id.* 8, 6, 55. Cf. de hac constructione *Spald.* ad priorem locum.] *Vell.* 2, 75. Diverse praesentibus et contraria exspectatis sperare. *Cic. Brut.* 90. Haec videntur esse a proposita ratione diversa. *Tac. Agr.* 32. Exercitus contractus ex diversissimis gentibus. *Plin.* 12, 19, 43. Pretia nulli diversiora. ℙ Cum genit. *Tac. A.* 14, 19. Ut par ingenio, ita morum diversus. *Id. H.* 4, 84. Qui diversus animi, modo pavescere, modo etc., *h. e.* ambigens et varie animo agitatus. ℙ Sequente *ac* et *quam*. *Plin.* 10, 12, 14. Diversa in hac ac supradicta alite quaedam. *Id.* 19, 8, 44. Eruca diversae est, quam lactuca, naturae. Adde *Quint.* 1, 4, 29. *Pransus* quoque atque *potus* diversum valent, quam indicant. ℙ *Diversa mens*, agitata et cogitatione se in omnes partes versans. *Stat. Ach.* 1, 199. quibus abdere terris Destinet, huc illuc diversa mente volutat. ℙ *Diversi homines* sunt multi et varii. *Cic. Phil.* 2, 37. Sunt ea innumerabilia, quae a diversis emebantur. ℙ In diversum. *Plin.* 11, 45, 101. Cetera animalia in diversum posterioribus articuli pedibus; quam prioribus. *Liv.* 25, 11. *extr.* Utrum priore anno, an hoc facta sit, in diversum auctores trahunt. Adde *Tac. A.* 12, 69. ℙ E diverso, i. e. contra, aliter. *Suet. Dom.* 9. Immo e diverso magna saepe abstinentiae et liberalitatis experimenta dedit. *Plin.* 23, 4, 39. Oleum e diverso, quam in cibos, eligitur. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 7. Ut vites binas accipiant e diverso, i. e. alteram alteri oppositam. *Justin.* 30, 4. Cum in aciem exercitum, instructis e diverso hostibus, produxisset, i. e. ex adverso. [**Aur. Vict. V. Ill.* 14. Vejentes pecora ex diverso in conspectu eorum protulerunt. V. *Arntzen.* ad h. l.] ℙ Ex diverso, i. e. a diversis partibus. *Senec. Brev. vit.* 8. Vires ventorum ex diverso furentium. ℙ Item e contra, e diverso. *Arnob.* 4. p. 138. Sed ex diverso nescio quis, unde, inquit, scimus? etc. [**Tac. H.* 3, 13. quas enim ex diverso legiones? i. e. ab altera parte.] ℙ Per diversum, *Plin.* 36, 25, 62. Necessarium binas per diversum coassationes substerni, i. e. *der Queere*, *queerüber*. [*Aliter *Tac. A.* 15, 15. Reges per diversum iere, i. e. contrarias sententias secuti sunt.] ℙ Comp. *Diversior* (et ap. *Lucr.* 3, 804. et *Gell.* 6, 6. et 20, 1.) Superl. *Diversissimus*. V. supra. ℙ [*Permutantur *diversus* et *divisus*. V. intpp. ad *Tac. G.* 28. ad *Prop.* 1, 10, 15. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 683. 3, 235. 273. coll. *Drak.* ad *Liv.* 21, 55, 2. et 10, 33, 10. — et *desertus*, V. ad *Virg. A.* 3, 4. ℙ Quid differant *varius*, *diversus*, *contrarius* docet *Döderl. Syn.* III. p. 269.]

DĪVERTĬCŬLUM, i, n. ἐκτροπὴ, semita transversa, quae a latere est viae militaris, locus, ubi iter deflectimus. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 44, 42, 2. coll. 1, 51, 8.] *Cic. Pis.* 22. *ad f.* Quos tu Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula flexionesque quaesisti? *Frontin. Aquaed.* 5. Concipitur Appia via Praenestina, diverticulo sinistrorsum passuum septingentorum octoginta. ℙ Diverticulum fluminis est, ubi a recto alveo deflectit, vel ubi pars aquarum ejus alio derivatur. *Martian. Dig.* 44, 3, 7. et *Papinian. ib.* 41, 3, 44. *extr.* Item locus, in quem e via divertimus, diversorium, hospitium. *Liv.* 1, 51. *ad f.* Cum gladii abditi ex omnibus locis diverticuli protraherentur. (Paulo supra *diversorium* dixerat.) *Tac. A.* 13, 25. Nero itinera urbis, et lupanaria, et diverticula veste servili pererrabat. *Ter. Eun.* 4, 2, 7. Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti. ℙ Translate *Liv.* 9, 17. Ut plus justo ab rerum ordine declinarem et legentibus velut diverticula amoena quaererum. *Quint.* 9, 2. *post med.* Rectum genus approbari, nisi maximis viribus, non potest: haec diverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis. *Id.* 10, 1. Depulsi a recta via, necessario ad eloquendi quaedam diverticula confugiunt. ℙ Est etiam declinatio a proposito in dicendo. *Juven.* 15, 72. A diverticulo repetatur fabula. *Rutil. Itiner.* 2, 61. Sed diverticulo fuimus fortasse loquaces: Carmine proposito nunc repetamus iter. ℙ Item suffugium, asylum. *Pl. Capt.* 3, 3, 8. Nec confidentiae usquam hospitium est, nec diverticulum dolis. [**Cic. Rosc. Com.* 17. hoc quum sentit Saturius esse apertum, aliud fraudis et insidiarum eodem vestigio diverticulum reperit, i. e. latebram.] *Cic. Partit.* 39. Ne diverticula peccatis darentur, *scil.* viae effugiendi poenas. *Quint.* 12, 3. *ad f.* Ad diverticula desidiae confugere. *Plin.* 10, 50, 71. Diverticulum inventum in fraudem legum. ℙ Aquarum calidarum diverticula *Plin.* 29, 1, 8. vocat artes medicorum, qui per varias aquarum et medicamentorum vias sanitatem corporibus quaerunt, quae simplici rectaque via parari potest. ℙ Diverticulum significationis *Gell.* dicit 4, 9. cum a nativa propriaque significatione ad aliam in voce quapiam usurpanda transitur. ℙ Multis placet scribi *deverticulum*, ut in DEVERTO et in v. seq. dicitur.

DĪVERTO, (olim *Divorto*) is, erti, ersum, a. 3. et Divertor, eris, ersus sum, ἐκτρέπομαι, de via deflecto, commorandi paulisper causa ab recto itinere decedo, apud aliquem hospitor. Activum est et accusativum *me*, *te*, *se* habet, qui fere omittitur et subauditur. *Cic. Div.* 1, 27. Cum duo una iter facerent, et Megaram venissent, alter ad cauponem divertit, ad hospitem alter. *Id. Att.* 10, 16. *ad f.* Hortensius venerat, et ad Terentiam salutatum diverterat. *Id. Off.* 2, 18. *extr.* Quicumque Laciades in villam suam divertisset. *Id. Mil.* 19. Ad villam suam divertere. *Id. Phil.* 13, 6. Nunciant, se divertisse Massiliam. *Liv.* 42, 1. *a med.* Diverti apud aliquem. *Id.* 44, 43. et *Plin. Pan.* 52. *extr.* Divertere via. *Curt.* 4, 9. ab Aegypto in Africam. et *sub f. ejus lib.* longius. ℙ Passive, *Cic. Att.* 3, 7. Itineris causa ut divertar, primum est devium etc. Al. leg. *ut devorterem*. *Id. Fontej.* 5. Si qui Cobiamacho diverterentur, neque Tolosam ire vellent. *Pl. Poen.* 3, 3, 60. Ut divortatur ad me in hospitium optimum. *Id. Mil.* 2, 2, 85. Divortier hospitio apud aliquem. ℙ Translate est a re proposita deflectere. *Liv.* 35, 40. Consulibus designatis (inde enim diverteram) Quintius et Domitius in provincias profecti sunt. *Cic. Fam.* 12, 25. *a med.* Sed redeamus ad illud, unde divertimus. *Plin.* 2, 7, 7. In haec divertisse non fuerit alienum. *Ov. A. Am.* 3, 425. quid ad medicas, Erato, diverteris artes? *Id. Met.* 9, 62. Inferior virtute meas divertor ad artes. ℙ Sumitur et pro discedere. *Suet. Pers. sub f.* A schola et magistris divertere. *Papin. Dig.* 5, 1, 42. Si uxor a legato diverterit. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *ad f.* Sive diverterit, sive nupta est adhuc, *h. e.* divortium fecerit. *Gell.* 4, 3. Matrimonia divertentia, *h. e.* quae per divortium dissolvuntur. ℙ Et pro, alio, vel in diversas partes vertere. *Lucan.* 2, 469. victor fugientibus instat Divertitque acies. [**Curt.* praefert *devertit*, quem cf. ad h. l. Equidem illud melius quadrare arbitror.] ℙ Item abducere, avertere. *Id.* 6, 317. Tentavere suo comites divertere Magnum Hortatu. et 591. Quaeque suo ventura potes divertere cursu. ℙ Item ire, proficisci. *Ter. Ph.* 2, 1, 81. Deos Penates hinc salutatum domum divertar. *Gell.* 12, 1. Divertere ad domum. ℙ Item translate dissimilem ac diversum esse. *Pl. Epid.* 3, 3, 22. Divortunt mores virgini longe ac lupae. ℙ Malunt critici sane multi (et nos in DEVERTO monuimus) hoc verbum ejusque derivata *diverticulum*, *diversor*, etc. per *de* scribere, quod ita habeatur in opt. MSS. plurimis, et quod quaedam deflectendi et deorsum tendendi actio ubique significetur. Verum quia etiam separatio et disjunctio et discessio quaedam a recto itinere in eo inest, quae rectius per *di*, quam per *de* exprimitur; per *di* quoque recte scribetur. Tu neutrum damnaveris, neutrum praetuleris. [*Certe in permultis locis, prout rem cogitaveris, utrumque recte habere potest. Magna igitur ubique cautio adhibenda et de singulis locis, priusquam corrigatur, accurate quaerendum est.]

DĪVES, vĭtis, adj. πλούσιος, qui rerum copia instructus est, locuples, abundans, copiosus, opulentus, affluens. *Varr. L. L.* 4, 17. Dives a Divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur. *Pl. Trin.* 2, 4, 99. Dei divites sunt, Deos decent opulentiae. *Cic. Parad.* 6, 1. Quem enim intelligimus divitem, aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor, in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit. *Id. ib.* 3. Uter est divitior, cui deest, an cui superat? et *in f.* Non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt. *Ov. Her.* 16, 34. Oppida sunt regni divitiora mei.

Virg. Ecl. 2, 20. Dives pecoris. [*Pro genitivo librarii non raro ablat. substituunt. V. *Drak.* ad *Sil.* 5, 260.] *Id. G.* 2, 468. opum variarum. *Id. A.* 9, 26. exercitus omnis Dives equum, dives pictai vestis et auri *Hor. A. P.* 421. Dives agris, dives positis in fenore nummis. *Ov. Her.* 11, 100. Filia dote dives. *Val. Fl.* 6, 204. dives ab omni armento. ℙ Absolute more substantivi. *Ov. Am.* 3, 7, 50. Dives avarus. ℙ Item qui multi est pretii. *Virg. A.* 6, 195. de ramo aureo: ubi pinguem dives opacat Ramus humum. *Plin.* 7, 29, 30. Ut pretiosissimum humani animi opus (*Homeri libri*) quam maxime diviti opere servaretur, *h. e.* scrinio gemmis, auro et margaritis pretioso. *Ov. A. Am.* 1, 70. externo marmore dives opus. *Id. Fast.* 2, 535. Munus dives. *Prop.* 3, 3, 26. Dives gemma. *Ov. Her.* 16, 189. Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es. *Lucan.* 9, 659. partu Danaes et divite nimbo Ortus, *h. e.* imbre aureo. V. DANAE. ℙ Item quacumque re abundans. *Val. Fl.* 2, 636. Dives ager, i. e. fertilis. *Ov. Fast.* 5, 731. Amphitrite dives aquis. [*Ov. *Am.* 3, 6, 39. Ille fluens dives septena per ostia Nilus. Ubi V. quae comparat *Burm.* Intelligendum enim est de aquarum copia.] *Lucan.* 3, 216. arbustis palmarum dives Idume. *Ov. Pont.* 3, 1, 102. Dives copia flendi. *Virg. A.* 10, 201. Mantua dives avis, *h. e.* cujus majores conditoresque multi fuerunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 121. Dives lingua, i. e. facunda: *Id. A. P.* 509. Vena dives. *Id. Ep.* 1, 15, 19. Spes dives, *h. e.* quae multa promittit. Sic *Ov. Her.* 17, 65. Munera tanta quidem promittit epistola dives, *h. e.* larga in pollicendo. *Cic. Or.* 3, 48. Inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, *h. e.* verbis copiosior. *Non.* 2, 25. quoque ita legit. ℙ Pro *divitior* et *divitissimus* (quod multi leg. apud *Cic. Div.* 1, 36. et *Off.* 2, 17. et *Nep. Phoc.* 1.) usitatiora sunt *ditior* et *ditissimus*, quae V. in DIS. [At *divitior* quidem bis legitur apud *Cic. de Rep.* 1, 17 et 32. et *divitissimus* in *Inscr.* opt. notae ap. *Betti*, *Notiz. d'un Colombajo* etc. p. 269. *edit. Mediol.* C. Gargilius Haemon Proculi Philagri Divi Aug. L. Agrippiani F. peculio pauper, animo divitissimus. *F.*] ℙ In ablativo *divite* habet et *diviti*, ut Diviti cultu, apud *Plin.* 3, 1, 3.

*DIVEXATIO, onis, f. Augustino tribuitur. *B. A.*

DĪVEXO, as, avi, atum, a. 1. varie vexo, huc illuc pro libitu veho, asporto, diripio: a *di*, et *vexo*, quod a *veho* frequentativum est. *Enn.* apud *Cic. Tusc.* 1, 44. Heu, reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas foede divexarier. *Cic. Phil.* 11, 2. Omnia divexare et diripere cupiens. et *ib.* 13, 9. Agros divexat civium optimorum. *Pl. Pers.* 5, 2, 4. Rem meam divexavit. ℙ Item varie jacto, affligo. *Suet. Ner.* 34. Neque divexanda matre quidquam pensi habuit. [*Legi volunt h. v. editores apud *Eund. Cal.* 3.]

DĪVEXUS, a, um, adj. divaricatus, decussatus, hinc inde inclinatus, ut *devexus* deorsum inclinatus. *Augustin. Confess.* 10, 34. Jacob nepotibus suis ex Joseph divexas mystice manus imposuit. V. *Genes.* 48, 14.

DĪVIĀNA, ae, f. eadem quae Diana seu Luna: eo quod *divia*, seu duas vias habens *in altitudinem et latitudinem*, ut docet *Varr. L. L.* 4, 10. ex lectione *Scaligeri*.

DĪVĪDIA, ae, f. molestia, dolor, λύπη, δυσχέρεια. *Pl. Bacch.* 4, 6, 1. Nimio illaec res est magnae dividiae mihi, subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum. et *ib.* 9, 110. Cave, tibi ducenti nummi dividiae fuant. *Id. Stich.* 1, 1, 19. Hae mihi dividiae ac senio sunt. et 3, 1, 40. Venire in dividiam. Adde *Merc.* 3, 4, 34. [*et *Cas.* 2, 2, 10. ubi alii *dividue*] et *Varron.*, cujus verba in DESIDUO attulimus. *Fulgent. de prisco serm.* exponit tristitiam (quod est priori affine) affertque versiculum *Propertii:* Dividias mentis conficit omnis amor. Sed *Petronio* alii tribuunt; quia inter *Propertii* carmina non legitur. Refertur autem inter fragmenta *Petronii* p. 886. *Burmanni.* ℙ *Nonius* 2, 214. allatis *Accio* et *Turpilio*, taedium interpretatur. Sed hoc quoque priori simile est. At *ib.* 254. et *Fest.* discordiam significare docent, nempe a *divido*. *Acc.* ap. *Non. ib.* Ne horum dividiae et discordiae dissipent et disturbent tantas et tam optimas civium divitias. ℙ Dicendum igitur, hanc esse propriam hujus vocis vim: priores illas metaphoricas, quia omnis dolor et taedium dissensio quaedam et discordia animi est, a re molesta refugientis.

DĪVĪDĬCŬLA, dicuntur castella, ex quibus rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit: a dividendo. *Fest.*

DĪVĪDO, is, isi, isum, a. 3. διαιρέω, διαμερίζω, in partes seco, partior, separo: a *di*, et *iduo*, *as*, (cum digammate *Fiduo* seu *viduo*) quod Etrusca lingua dividere est, ut *Macr. Sat.* 1, 15. *a med.* docet. Videntur enim Latini olim *dividuo* dixisse, postea *divido*. *Caes. B. G.* 1, 1. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. *Hirt. B. Afr.* 17. Dividere aliquid medium. *Lucan.* 5, 495. ex aequo. [*Id. 1, 109. regnum ferro.] *Caes. B. G.* 3, 2. Vicus in duas partes flumine dividitur. *Cic. Or.* 33. Dividere et partiri genus universum in species certas. *Id. N. D.* 3, 12. Secare aliquid ac dividere. *Id. Tusc.* 5, 14. Bona dividere tripartito. *Id. Partit.* 9. Quae ad faciendam fidem pertinent, in confirmationem et reprehensionem dividuntur. *Id. Or.* 2, 19. Dividere causam. [*Tac. *A.* 3, 15. defensionem (suam) a marito.] *Nep. Thras.* 1. Cum plurimorum bona publicata inter se divisissent. *Pl. Stich.* 5, 4, 15. Dividere aliquid cum alio. ℙ *Dividere sententiam* locutio est curiae, quam *Ascon.* ita exponit in *Mil.* 6. Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, eae si non omnes probantur, postulatur, ut dividat, id est ut de rebus singulis referatur. Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronunciant, *divide:* quod cum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. Haec *Ascon. Cic. ib.* Divisa sententia est, postulante nescio quo. Adde *Fam.* 1, 2. et *Plin. ep.* 8, 14. Hinc *Senec. ep.* 21. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo. Cum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere sententiam, et sequor. Adde *Vit. beat.* 3. ℙ Est etiam distrahere, divellere, dissitum facere. *Stat. Th.* 3, 165. non dextras miseris complexibus ausim Dividere. *Ov. Pont.* 1, 9, 48. Atque tuis toto dividor orbe rogis. *Virg. A.* 3, 383. Longa procul longis via dividit invia terris. *Id. ib.* 12, 45. quem nunc moestum patria Ardea longe Dividit. *Ov. Trist.* 1, 3, 73. Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam. [*Prop. 1, 12, 9. num me Deus obruit an quae Lecta Prometheis dividit herba jugis? i. e. diducit, solvit. Similia attulit *Burm.* *Suet. Aug.* 87. non dividit verba i. e. non disjungit in plures syllabas.] ℙ Item diffindere. *Hor. Sat.* 1, 1, 99. at hunc liberta securi Divisit medium. *Sil.* 2, 96. Ille vagam coelo divisit saepe volucrem, *scil.* sagitta. [*V. interprr. ad h. l.] *Virg. A.* 9, 750. Et mediam ferro gemina inter tempora frontem Dividit. [*Lucan.* 3, 591. (cruor effluens) dividit animam. i. de eo, qui duobus vulneribus, altero adverso, altero averso, simul acceptis, animam efflat.] *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Dividere marmor cuneis. *Cic. Tusc.* 1, 18. *extr.* Ut ab his perrumpatur et dividatur crassus hic aer. *Hor. Od.* 1, 34, 6. Diespiter Igni corusco nubila dividens. *Virg. A.* 2, 234. Dividere muros. *Prud. περὶ στεφ.* 14, 81. dividere januas coeli, aperire fores. ℙ Item distinguere et ornare. *Virg. A.* 10, 134. Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum. *Plin.* 8, 48, 74. Scutulis telam dividere. ℙ Item distinguere et dignoscere. *Cic. Leg.* 1, 16. Nos legem bonam a mala nulla alia, nisi naturae norma, dividere possumus. [*Id. Or.* 32. Ambigue dicta dividi et explanari oportet. *Tac. A.* 13, 27. dignitatem ordinum, i. e. gradibus distinguere.] ℙ Item distribuere. *Id. Sull.* 15. Tabulas illas dividi passim et pervulgari, atque edi populo R. imperavi: divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias. *Hor. Od.* 1, 36, 5. Caris multa sodalibus dividere oscula. *Virg. A.* 1, 201. Vina dividere sociis. [*Phaedr. 2, 6, 14. alicui dapem.] *Id. G.* 1, 209. de Libra coelesti: Et medium luci atque umbris jam dividit orbem. [*Lucan. 2, 10. Fatorum immoto divisit limite mundum, i. e. descripsit et partitus est mundum in certa fata. Sic *Cort.*, qui simm. laudat.] *Cic. Tusc.* 3, 20. *ad f.* Bona viritim dividere. *Pl. Aul.* 1, 2, 30. Dividere argenti nummos in viros. [*Liv. 40, 59. divisit in singulos — tricenos aeris.] *Ov. Fast.* 3, 671. liba per populum. [*Suet. Caes.* 44. aurum — promercale per Italiam provinciasque divideret (*zum Verkauf ausgeben* vertit *B. Crus.*) Alii volebant *divenderet*, quod glossatori debetur.] *Nep. Eum.* 8. In regione Persidis hiematum copias divisit. *Justin.* 14, 4. *sub f.* Antigonus domitores illos orbis exercitui suo divisit. ℙ Habet etiam obscenum sensum apud *Petr. Sat.* 11. et apud *Pl. Aul.* 2, 4, 4. et 7., quod Graeci dicunt διαμερίζω τὰ παιδικά. V. DIVISIO. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 285. Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. Sic *Catull.* 62, 15. Nos alio mentes, alio divisimus aures. *Hor. Od.* 1, 15, 14. grataque feminis Imbelli cithara carmina divides, *h. e.* alternabis carmina sonitu citharae. *Id. Epod.* 11, 16. Dividere aliquid ventis, *h. e.* spargere, dissipare. *Lucan.* 2, 689. Buccina dividit horas. ℙ *Divisse* pro *divisisse*, *Hor. Sat.* 2, 3, 169., ubi al. *didisse*. ℙ [*Permutantur *dividere* et *divendere*, V. supra locos *Suet.* coll. *Drak.* ad *Liv.* 1, 53, 3. et *dimittere*, *Drak.* ad *Sil.* 2, 96. ad *Liv.* 5, 43, 5.]

DIVIDUE V. DIVIDIA.

DĪVĪDŪĪTAS, atis, f. idem quod divisio. *Cajus Dig.* 35, 2, 80. *sub f.* Legata, quae dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent.

DĪVĪDUS, a, um, adj. divisus. *Acc.* ap. *Non.* 2, 205. Nosque ut seorsum dividos, leto offeras.

DĪVĪDŪUS, a, um, adj. διαίρετος, qui dividi potest. *Cic. N. D.* 3, 12. Omne animal et dissolubile, et dividuum sit, necesse est. *Id. Univ.* 7. Idque interjecit inter individuum, atque id quod dividuum esset in corpore. ℙ Item divisus. *Hor. Ep.* 1, 17, 49. Et mihi dividuo findetur munere quadra. *Senec. ep.* 121. *ad f.* Non vides, quanta sit apibus dividui laboris obeundi concordia? *Ov. A. Am.* 2, 487. In furias agitantur equae, spatioque remota In loca dividuos amne sequuntur equos. *Id. Am.* 1, 5, 10. Coma dividua. [*Id. *Met.* 3, 682. dividuae cornua lunae; alii *dimidiae*. V. *in f.*] *Id. Fast.* 1, 292. Insula, dividua quam premit amnis aqua, *h. e.* in duos ramos findente se flumine, et insulam efficiente. *Plin.* 2, 97, 99. Dividua luna, *h. e.* cum dimidium sui orbis ostendit. *Id.* 16, 30, 53. Arbores dividuae, *h. e.* trunco bifurco. *Ter. Ad.* 2, 2, 33. Dividuum face. ℙ *Dividuum nomen* apud *Prisc.* 2. p. 581. est, quod a duobus vel pluribus ad singulos habet relationem, vel ad plures in numeros pares distributos, ut *uterque*, *alteruter*, *quisque*, *singuli*, *bini*, *terni*, *centeni*. ℙ [*Permutantur *dividuum* et *dimidium*. V. *Heins.* ad *Ov. Am.* 2, 10, 10.]

*DIVIGĒNA, ae, θεογενής *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[DĪVĪNĀLIS, e, adj. ad res divinas pertinens. *Isid. Orig.* 2, 24. Divinalis philosophia dicitur, quando aut ineffabilem naturam Dei, aut spiritales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus. V. INSPECTIVUS. *F.*]

DĪVĪNĀTĬO, onis, f. μαντεία, μαντική, scientia futurorum, quam Chrysippus apud *Cic. Div.* 2, 63. definit vim cognoscentem, et videntem, et explicantem signa, quae a Diis hominibus portendantur. *Cic. Div.* 1, 1. Versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, idest praesensionem, et scientiam rerum futurarum. et 5. *ad f.* Divinatio est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio. *Nep. Att.* 9. Cum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus neque augetur, neque minuitur. ℙ [*De naturali quadam animi praesagitione (*Ahnung*). *Cic. Fam.* 3, 12. quod tamen ipsum, nescio qua permotus animi divinatione, non despero.] ℙ Dicitur etiam *divinatio*, judicium, sive cognitio, quae circa constitutionem accusatoris vel subscriptoris consistit, cum scilicet ex duobus pluribusve accusationem ambientibus deligendus est, qui maxime sit idoneus. Ratio nominis est, quia in aliis judiciis judex ea, quae testibus, tabulis, vel argumentis probata sunt, seqùi debet: cum autem accusator est eligendus, ex rei futurae indiciis et conjecturis judicare debet, et paene divinare, quis maxime sit idoneus ad accusandum. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, ut, quod velint, praesentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, et sine tabulis; et his remotis argumenta sola sequantur judices, et quasi divinent. Hinc prima inter *Verrinas* Divinatio inscripta est. Nam in accusatione Verris certamen erat inter Ciceronem et Caecilium, uter in accusando deberet praeferri. Adde *Quint.* 3, 10. *ad f.* et *Ascon.* initio *Divin. in Verr.* et *Gell.* 2, 4.

DĪVĪNĀTOR, oris, m. προφήτης, divinus. *Firmic. Mathes.* 5, 5. *sub f.* Erunt divinatores, vates, sortilegi.

DĪVĪNĀTRIX, icis, f. *Tert. Anim.* 46. Praesidia divinatricum artium et disciplinarum.

DĪVĪNĀTUS, a, um, part. a *divino*. *Ovid. de nuce* 80. Ut divinatas auferat augur opes.

DĪVĪNĒ, adv. divinando, futura praesentiendo, θείως. *Cic. Att.* 10, 4. Cum cogito, me de republ. nunquam, nisi divine, cogitasse, [*i. e. quidquid cogitavi eventurum esse, id evenisse. Sic *Graev.*, quem V.] *Id. Div.* 1, 55. Plura divine praesensa et praedicta reperiri. ℙ Item excellenter, divinitus. *Quint.* 11, 1. *a med.* Duo tamen, quae sola supererant, divine Cicero servavit. *Id.* 1, 6. Quae Tullius in Oratore divine, ut omnia, exsequitur. *Cic. Sen.* 13. *circa med.* Divine enim Plato escam malorum voluptatem appellat. [*Differunt tamen *divine* et *divinitus*. V. *Markl.* ad *Cic. p. Red. in Sen.* §. 30.]

DĪVĪNĪCONTŪMĀCĬA, ae, f. divinarum rerum contemptus, videtur δι' ἓν dictum ab *Appul. Apol.*, ubi tamen plures divisim legunt *divini contumacia*.

DĪVĪNĪPOTENS, entis, adj. θεοκρατής, qui in divinis potestatem habet. *Appul. Met.* 9. p. 230, 29. Saga et divinipotens.

DĪVĪNĪSCĬENS, entis, adj. sciens rerum divinarum. *Appul. Apol.* p. 290, 34. Magia colendi Deos pergnara, pia scilicet, et divinisciens.

DĪVĪNĪTAS, atis, f. θεότης, deitas, numen, majestas divina, potestas divina. *Cic. N. D.* 1, 13. Modo enim menti tribuit omnem divinitatem: modo mundum ipsum Deum dicit esse. *Id. Div.* 2, 38. Placet igitur, humanitatis expertes habere divinitatis auctores? ℙ Item ipse Deus. *Ascon.* in *Div. Verr.* 13. Tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico. ℙ Item vis et facultas divinandi. *Cic. Div.* 2, 58. Mentis divinitate et conjunctione cum externis membris cerni, quae sint futura. *Plin.* 2, 58, 59. Majoris miraculi divinitatem Anaxagorae fuisse. ℙ Item eximia et singularis excellentia. *Cic. Or.* 2, 74.

Mementote non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed, etc. *Id. Or.* 19. Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit. ℙ In plur. numero. *Vitr.* 9, 4. *circa med.* Divinitates splendoresque astrorum.

DIVĪNĪTUS, adv. *θεόθεν*, a Deo, munere Dei. *Cic. Partit.* 23. Si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse, potuerit videri. *Virg. G.* 1, 415. quia sit divinitus illis Ingenium, et rerum fato prudentia major. *Cic. Or.* 1, 46. Non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videtur. *Suet. Claud.* 13. *extr.* Casu quodam, an divinitus, signa convelli non potuere. [*Id. Caes.* 1. sive divinitus sive aliqua conjectura. *Aur. Vict. Vir. Ill.* 2. exercitus seu sorte, seu divinitus restitit. Scil. Veteres putabant res humanas duobus modis evenire, vel casu aliquo fortuito, vel Deorum consilio, ut docet *Arntzen.* ad h. l.] ℙ Item vi et facultate divinandi, praesensione, praescientia a Deo data. *Cic. Sull.* 15. In quo ego multa divinitus, non mea sponte providi. *Id. Or.* 1, 7. Multa divinitus a tribus illis consularibus deplorata et commemorata. ℙ Item excellenter et supra humanas vires. *Id. in Senat.* 12. Homines de me divinitus meriti. *Id. Fam.* 1, 9. *ante med.* Quae sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus. Adde *Or.* 1, 11. *sub f.* [*Id. Att.* 1, 13. ille locus inductus est a me divinitus.]

DIVĪNO, as, a. 1. *μαντεύομαι*, futura praesagio: a *divinus*, quia divinum quiddam et supra mortalis sagacitatis sortem est, futura praedicere aut occulta in lucem proferre. *Cic. Senect.* 4. *extr.* Quasi jam divinarem, id, quod evenit, illo exstincto fore, unde discerem, neminem. *Id. Div.* 1, 23. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans. et 2, 21. Quaedam casu videntur sic evenire, ut praedicta sunt a divinantibus. *Id. Fam.* 6, 1. *a med.* Neque ego ea, quae facta sunt, fore cum dicebam, divinabam futura. *Id. ad Brut.* 1, 18. *extr.* et *Nep. Ages.* 6. Divinare de aliqua re. *Plin.* 7, 55, 56. Divinare immortalitatem alicui.

DIVĪNUS, a, um, adj. *θεῖος*, ad Deum pertinens: a *divus*. *Cic. Mil.* 30. Qui nullam vim esse ducit, numenque divinum. *Id. N. D.* 2, 23. Divina bonitas erga homines. *Id. Fam.* 13, 4. *extr.* Quasi divino consilio isti negotio praepositus est. *Id. Amic.* 4. Animos hominum esse divinos, *h. e.* a Deo originem ducere. [*Latius omnino patet haec significatio et pertinet ad quaecunque aliquo modo a Diis data. Sic *Prop.* 2, 20, 50. divinae aquae sunt: quae divino beneficio indicatae profluunt. Sic *Passerat.* approbante *Burm.* Sic *divini fontes* sunt sacri, Diis consecrati, quod passim in *Inscrr.* reperitur. V. intpp. ad *Eund.* 1, 18, 27.] ℙ *Res divina* est sacrificium et ceterus Deorum cultus. *Cic. N. D.* 3, 18. Cui Deae rem divinam facere solemus. *Id. Verr.* 2, 4, 8. Res illum divinas apud eos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti. *Pl. Curc.* 4, 2, 46. Rei divinae operam dabo. *Plin.* 18, 2, 2. Far non esse purum ad rem divinam nisi tostum. Adde *Nep. Ann.* 2. ℙ *Divina scelera* ap. *Liv.* 3, 19. *ad f.* sunt admissa in Deos. [*Cf. de h. l. et simili 29, 18. *extr.* (illa omni divino humanoque liberetur scelere) *Ernest.* in *Clav. Cic.*, qui docet *divina et humana* saepe dici absolute pro eo quod est.] ℙ *Divina verba* interdum sumuntur pro piacularibus verbis, quibus prodigia procurantur. *Cato R. R.* 14. Si de coelo villa tacta siet, de ea re verba divina uti fiant. Al. male omitt. *divina*. ℙ Est etiam *divinus* divinandi et praesentiendi vim habens. *Hor. Od.* 3, 27, 10. Imbrium divina avis imminentum. *Cic. Div.* 1, 37. *extr.* Melancholicos habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. et 29. *extr.* Nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius. *Sil.* 3, 344. Fibrarum, et pennae, divinarumque sagacem Flammarum misit dives Gallaecia pubem. ℙ Hinc *divinus* absolute, et *divina*, qui divinat. *Cic. Fat.* 8. Falli sperat Chaldaeos, ceterosque divinos. *Petr. Sat.* 7. Divinam ego putabam. *Hor. Sat.* 1, 6, 113. Fallacem circum vespertinumque pererro Saepe forum: assisto divinis: inde domum me, etc. [*Cf. *Bentl.* ad *Eund. ib.* 9, 30. divina anus.] Adde *Liv.* 1, 36. ℙ Saepe est eximius, excellens, quasi Deo dignus aut par. *Cic. Or.* 1, 10. Divinus homo in dicendo. et 38. Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii. *Id. ad Quirit.* 3. Pisonis divina quaedam et inaudita auctoritas atque virtus. *Id. Phil.* 5, 11. Illae coelestes divinaeque legiones, Martia et quarta. *Id. Mil.* 33. *extr.* Vir divina et incredibili fide. *Id. Fin.* 5, 13. *ad f.* Ratione nihil est in homine divinius. *Id. Leg.* 2, 18. Divinissima dona, *h. e.* maxime Deo digna. ℙ Temporibus imperatorum Romanorum *divinus* dicebatur de iis rebus, quae ad eos pertinebant, quoniam non solum defunctis iis, sed etiam vivis Divorum tituli atque honores per turpem adulationem tribui soliti sunt. Hinc *divinae jussiones*, *aures*, *sanctiones*, *divini apices*, *divinum rescriptum*, et similia his quamplurima in *Cod. Justin.* et *Theodos.* passim leguntur. Sic *divina indulgentia* apud *Jabolen. Dig.* 1, 4, 3. et *divina domus* est familia Augustorum, ap. *Phaedr.* 5, 7. *in f.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 29, 14., 30, 1., 31, 2., etc. ℙ Comp. *Divinior.* Sup. *Divinissimus.* V. supra.

[DIVIONENSIS, e, adj. ad Divionem pertinens, Galliae Lugdunensis urbem, nunc *Dijon. Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 263. Patrono optimo fabri ferrarii Dibionenses clientes. *Dibionenses* pro *Divionenses* ob frequentem mutationem *v* in *b. F.*]

DIVĪPOTES, *θεοὶ δυνατοί*, Dii potentes ac domini. Hoc nomine designari peculiariter videntur Dii Cabiri. *Varr. L. L.* 4, 10., ubi al. leg. divisim *Divi potes.* V. CABIRUS.

DIVĪSE, adv. dividendo, separatim, *δίχα*. *Gell.* 7, 2. Versus separatim ac divise legendus. [*Sic ed. *Gron.* Alii, ut *Longol.* in sua edit., *divisim* habent.] Adde 1, 22. et *Tert. Car. Chr.* 13.

DIVĪSĪBĬLIS, e, adj. qui dividi et distrahi potest, dividuus, *διαιρετός*. *Tert. Anim.* 14. Anima neque dissolubilis, neque divisibilis.

DIVĪSIM, adv. divise. *Appul. Trism* p. 87, 24. Creduntur esse quidem plurima divisim, adunata vero unum, vel potius duo. Illud tamen *divisim* quidam delendum putant, [*et *Elm.* uncinis inclusit.]

DIVĪSĬO, onis, f. *διαίρεσις*, partitio. *Cic. N. D.* 3, 3. Quadripartita fuit divisio tua. *Ascon.* in *Mil.* 6. Postulare divisionem, *h. e.* ut sententia dividatur, ut in DIVIDO est dictum. *Quint.* 7, 9. Divisio verborum. *Id. ib.* 1. Sit igitur divisio, rerum plurium in singulas: partitio, singularum in partes discretus ordo, et recta quaedam locatio, prioribus sequentia annectens: dispositio, utilis rerum ac partium in locos distributio. *Cic. Top.* 5. Definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum: partitionum, cum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur, etc. divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur, etc. (V. PARTITIO.) *Quint.* 4, 5. Divisionem in digitos diducere. [*Accuratius de his disputat *Ernest. techn. lat.* p. 135.] ℙ Item distributio. *Justin.* 11, 13. Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat. [*Tac. A.* 1, 10. divisiones agrorum facere.] ℙ Item erogatio, quae fit singulis civibus, ut in congiariis et similibus. *Marcell. Dig.* 33, 1, 23. Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui. *Paul. ib.* 30, *l.* 122. Quod ad divisionem singulorum civium, vel epulum relictum fuerit. *Inscr.* ap. *Murat.* 1106, 6. Ob cujus statuae dedicationem decurionibus, Augustalibus epulantibus, et populo viritim divisionem dedit. V. DECURIO. ℙ Habet etiam obscenum sensum. *Cic. Fam.* 9, 22. Quid enim? non honestum verbum est divisio? At inest obscenum, cui respondet intercapedo. *Quint.* 8, 3. Sed divisio quoque affert eandem injuriam pudori, ut si intercapedinis nominativo casu quis utatur. *Manutius* putat, *divisio* pertinere ad paediconem, qui pueri nates mentula dividit; *intercapedo* vero ad puerum, qui natibus eandem intercipit. V. DIVIDO. Alii tamen plures perperam arbitrantur, ex *divisio*, extrita priore syllaba, fieri verbum *visio*, quod *pedo* interpretantur; ex *intercapedo* vero, tribus extritis prioribus syllabis, idem *pedo* relictum. At prior interpretatio longe praestat, tum quia verbum *visio*, *is*, sublestae, atque adeo nullius fidei est, ut suo loco ostendemus, tum quia ex *Cic.* et *Quint. l. c.* apparet, integras eas voces, non earum portiones, obsceni aliquid significare, easque tandem non eundem, sed oppositum sensum ibidem habere, ut apud *Cic. Or.* 32. Rhetorica dialecticae respondet. Fatendum tamen est, minime constare, cur *intercapedo* nominativo tantum casu, non itidem ceteris, obsceni aliquid indicet, ut innuit *Quint. l. c.*, praesertim cum eam vocem eodem casu pro simplici interruptione usurpaverit ipse *Cic. Fin.* 1, 18., et alii vetustiores. Nisi quis malit interpretari *pedo inter ca*piendum. Huic similis videtur jocus *Mart.* 7 18., qui sibilum cunni vocat poppysma.

DIVĪSOR, oris, m. *μεριστής*, *δαιτητής*, qui dividit. *Cic. Phil.* 11, 6. Nucula et Lento Italiae divisores. (Adde *Phil.* 5, 7. *extr.*) *Appul. de Mundo* p. 57, 24. Axis divisor et disterminator mundi. ℙ Habet etiam obscenum sensum apud *Cic. Fam.* 9, 22.; ubi tamen alii rectius legunt *divisio*, quam vocem vide. ℙ Speciatim *divisor* erat apud Romanos, qui tributim distribuebat pecunias a candidatis ad aucupanda suffragia. *Cic. Planc* 19. Doce, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. ℙ Hinc Nummius quidam, qui id ministerii susceperat, cognomen accepit Divisoris. *Cic. Or.* 2, 63. ℙ Porro istiusmodi homines infames habebantur, ut qui ambitu inserviebant, rei legibus damnatae. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. In furis ac divisoris disciplina educatus. Adde *Suet. Aug.* 3. [*Cf. *Ernest.* in *Clav. Cic.*]

DIVĪSŪRA, ae, f. divisio, intercisio. *Plin.* 16, 30, 53. Abieti subrecta divisura, ramique in coelum tendentes, non in latera proni, *h. e.* ramorum e trunco exeuntium. *Id.* 25, 13, 106. Caput ejus (*herbae*) numerosa dividitur lanugine, inter divisuras exeunte. et *ib.* 5, 21. Folia scissa pluribus divisuris.

DIVĪSUS, a, um, part. a *divido*, in partes distributus, *διαιρεθείς*. *Cic. Leg.* 2, 3. Fluvius divisus aequaliter in duas partes. *Senec. Thyest.* 760. Ipse divisum secat in membra corpus. *Lucr.* 4, 958. Et divisior inter se, et distractior intus. *In distich. quod Virg. tribui solet.* Divisum imperium cum Jove Caesar habet. *Caes. B. G.* 7, 32. Divisum senatum, divisum populum. Sic *Suet. Ner.* 20. Divisi in factiones. ℙ Item sejunctus, separatus. *Virg. Ecl.* 1, 67. toto divisos orbe Britannos. *Prop.* 1, 12, 3. Tam multa illa meo divisa est millia lecto. ℙ Item distributus. *Ter. Andr.* 3, 1, 18. Non sat commode divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec. *Nep. Dion.* 7. Bona militibus divisa. *Suet. Ner.* 10. Divisi populo nummi quadringeni viritim. *Virg. G.* 2, 116. Divisae arboribus patriae, *h. e.* sua cuique arbori patria est. [*Tac. Agr.* 9. Jam vero tempora curarum remissionumque divisa, i. e. prorsus diversa erant tempora curarum et remissionum, sive: Agricola diversus a se esse videbatur.] ℙ Comp. *Divisior.* V. ab init. ℙ [*Permutatur saepe cum *Diversus*, quod V.]

DIVĪSUS, us, m. divisio. *Liv.* 45, 30. Quanta Macedonia esset, quam divisui facilis, ignorabant. *Id.* 33, 46. Vectigalia publica praedae ac divisui principum erant. Adde 1, 54. *sub f. Gell.* 20, 1. *a med.* Neque pejus ullum facinus existimatum est, quam si cui probaretur, clientem divisui habuisse, *h. e.* res clientis, quae tutandae sunt patrono, quaestui habuisse.

DIVĪTĀTIO, onis, f. ditandi actus. *Petr. Sat.* 117. Genus divitationis sibi non displicere confessus est. Al. male leg. *divinationis.*

[DIVĪTENSIS, e, adj. ad Divitum pertinens, castrum ad Rhenum e regione Coloniae Agrippinae, nunc *Deutsch* seu *Duyts.* Cum milites Dalmatae legionis secundae Italicae sedem diu ibi posuissent, cognominati sunt Dalmatae Divitenses. *Inscr.* ap. *Grut.* 542, 8. Protectori ex ordinario Leg. II. Ital. Divit. Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 256, 6. Miles legionis secundae Divitensium Italicae. Alia *ib.* 218, 4. Exarchus numeri Dalmatarum Divitensium. *F.*]

DIVĪTIAE, arum, f. opulentia, amplae fortunae, opes, copiae, omnium rerum abundantia, *πλοῦτος*. *Cic. Off.* 1, 8. Expetuntur autem divitiae tum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. *Pl. Pers.* 4, 4, 101. Divitias facere ex aliqua re. *Id. Trin.* 3, 2, 56. In divitiis esse. *Nep. Dion.* 1. Augere divitias. *Id. Them.* 2. Ornare aliquem divitiis. *Lucr.* 6, 12. Affluere divitiis. *Cic. Agr.* 2, 26. Augere divitiis aliquem. *Id. Att.* 1, 4. *extr.* Quod si assequor, supero Crassum divitiis. *proverbium. Liv.* 26, 11. Templum inclytum divitiis, *h. e.* donariis magni pretii. *Ov. Fast.* 4, 135. Aurea marmoreo redimicula solvite collo, Demite divitias, *h. e.* inaures, armillas, anulos, ceteraque pretiosa mulierum ornamenta, et praecipue margaritas, quae, ut ait *Plin.* 9, 35, 54., principium sunt culmenque omnium rerum pretii. *Sall. Cat.* 21. Viget aetas, animus valet: contra illis, annis atque divitiis omnia consenuere. *Nep. Epam.* 4. Orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate. *Lucr.* 5, 1117. Divitiae grandes homini sunt, vivere parce Aequo animo. *γνώμη*. *Plin.* 5, 25, 21. Palmira urbs nobilis situ, divitiis soli et aquis amoenis. *Ov. Fast.* 1, 689. de segete: neque pinguior aequo Divitiis pereat luxuriosa suis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 35. In oratione Crassi divitias atque ornamenta ejus ingenii perspexi. ℙ In singulari num. *Accius* apud *Non.* 7, 64. Aeternabilem divitiam partissent. ℙ [*Confunduntur *divitiae* et *deliciae. Ov. Met.* 13, 831. ibique *Burm.*]

*DIVITIARĬUM, i, n. thesaurus. *Ambros. de off. loco incerto:* Sapienti et justo totus mundus divitiarium est. V. *Barth. adv.* 35, 22. *B. A.*

DIVĪTO, as, a. 1. *πλουτίζω*, divitem facio: unde est *dito* per syncopen. *Accius* ap. *Gell.* 14, 1. *ad f.* et *Non.* 2, 201. Augures verbis aures divitant alienas, suas ut auro locupletent domos. *Turpil. ib.* Dii me divitant.

DIUM, ii, n. aer, coelum. *Sub dio* Latini dicunt, hoc est sub coelo: coelum enim Graeci *τὸν δία* dicunt: ita *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 19. et confirmat *Varro L. L.* 4, 10. Habet autem accusativum tantummodo et ablativum, tametsi *Ascon. ib.* ejus declinationem affert per omnes casus singularis numeri: *hoc dium*, *hujus dii*, *huic dio*, *hoc dium*, *o dium*, *ab hoc dio.* [*V. nos sub JUPITER.] *Cic.* ap. *Colum. praef.* 12. Necessarium fuit, foris et sub dio esse, qui labore et industria victum compararet; intus qui tectis reconderet, atque custodiret. *Colum.* 12, 12. Aquam coelestem vasis includunt, et sub dio in sole habent. *Claud. Laud. Stil.* 1, 123. et tardi flabra Bootae Sub dio Rhiphaea tulit. ℙ Dicitur et *divum:* et quidem in opt. lib. et MSS. hoc saepius, quam illud legitur: quemadmodum et *dius* et *divus* h. e. divinus, dicitur, et hoc secundum frequentius, digammate Aeolico inserto. *Hor. Od.* 2, 3, 23. sub divo moreris.

et *ib.* 3, 2, 5. Vitamque sub divo, et trepidis agat In rebus. et *ib.* 1, 18, 12. nec variis obsita frondibus Sub divum rapiam, *h. e.* proferam, divulgabo. et *Suet. Caes.* 72. Humi ac sub divo cubare. et *Cels.* 1, 2. Ambulatio melior est sub divo, quam in porticu. ℙ In recto casu, grammatice tamen, non secundum usum, *Varr. L. L.* 4, 10. Fidii perforatum tectum, ut videatur divum, id est coelum. ℙ [*Fuit et *Dium*, *i*, n. Διον, oppidum Euboeae. *Plin.* 4, 12. ℙ Et promontorium Cretae, secundum *Ptolemaeum*, quanquam oppidi tantum ibi siti mentionem facit *Plin.* l. c. Promontorii nomen hodie est *C. Fraschea.* ℙ Item oppidum Palaestinae, in regione Decapolitana, trans Jordanem, juxta Gadara vel Pellam. *Plin.* 5, 18. *B. A.*]

*DIVODŪRUM, i, n. Διονόδουρον, oppidum Mediomatricorum, in Gallia Belgica, ad Mosellam flumen, hodie *Metz. Tac. H.* 1, 63. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

[DIVOLVO, is, a. 3. huc illuc volvo. Translate. *Ammian.* 26, 4. Multa secum ipse divolvens, *h. e.* reputans.

DIVORTIUM, ii, n. ἐκτροπή, idem quod diverticulum, hoc est locus, in quo a via militari divertimus: a *diverto*, pro quo etiam *divorto* est dictum. *Virg. A.* 9, 379. Objiciunt equites sese ad divortia nota. *Tac. A.* 19. *ad f.* Divortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur. Hic al. leg. *devortia.* ℙ Item ubi aquae in diversas partes defluunt, divergia, ut sunt cacumina montium. *Cic. Att.* 5, 20. Amanus, qui Syriam a Cilicia ima aquarum divortio dividit. et *Fam.* 2, 10. Amanus divisus aquarum divortiis. *Liv.* 38, 45. Prope ipsis jugis ad divortia aquarum castra posuisse. [*V. intpp. ad h. l. coll. 21, 31.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 19. Ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientum jugo sunt doctrinarum facta divortia, *h. e.* varietates, et dissimilitudines. *Colum.* 4, 27. *divortium veris et hiemis* vocat eos dies, quibus hiems desinit, ver incipit, quia inter hiemem et ver medii sunt: qua ratione *Tac. A.* 12, 63. *divortium arctissimum* appellat fretum Bosphori Thracii, quod medium est, ac dividit ab Asia Europam. ℙ De discessione conjugum et dissolutione matrimonii, διαζυγιον. Quomodo a repudio differat V. REPUDIUM. *Cic. Or.* 3, 40. Si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi, ut nexum, quod per libram agitur, ut in uxore divortium; necessitas cogit, quod non habeas aliunde sumere. *Id. Fam.* 8, 7. Valeria divortium sine causa fecit. *Id. Phil.* 2, 28. Illam suam suas res sibi habere jussit, ex duodecim tabulis; claves ademit, forasque exegit, etc. cujus ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium. ℙ Primum Romae divortium fuit an. U. C. 527. V. CARVILIANUS. ℙ *Servius* ad *A.* 3, 139. ex quorundam sententia tradit, ut Veneri conjugia, ita Cereri divortia faciendi potestatem dicatam: fortasse quia per conjugium Plutonis filiam Proserpinam amisit. ℙ Divortii faciendi formula erat: *res tuas tibi habeto*, vel *tuas res tibi agito*, ut refert *Cajus Dig.* 24, 2, 2. et *Cic. Phil.* 2, 28., cujus haec vis est; dotem tuam et mundum muliebrem tecum aufer: rem tuam familiarem tu tibi administra ac tuere, et discede. *Juven.* 6, 145. Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi. Translate. *Pl. Trin.* 2, 1, 31. Apage sis, amor: tuas res tibi habe. Sunt qui priorem illam formulam ita legunt: *res tuas tibi: abeo*, quod placere quidem certe non potest.

DIURĒTICUS, a, um, adj. qui per urinam facile transit, ut Vina diuretica, apud *Pallad.* 11, 14. *a princ.* a διουρητικὸς, urinam ciendi vim habens. Sic Diuretica medicamenta, *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. *n.* 117.

*DIURNĀLIS, e, adj. *Gloss. Lat. Gr.* ἡμερούσιος. *B. A.*

[DIURNĀRIUS, ii, m. ἡμερολόγος, qui diurna conficit seu perscribit. *Impp. Valentin. et Valens Cod, Theod.* 8, 4, 8. Subscribendarii vero, tabularii, diurnarii, logographi, censuales post emensum munus ea condicione curiis aggregentur, si cum in officiis essent vilioribus, nulla eos supplicium macula turpaverit. *F.*]

DIURNO, as, n. *Claud. Quadrigar.* ap. *Non.* 2, 243. et *Gell.* 17, 2. Deteriores sunt incolumiores; neque Dii optimum quemquam inter nos sinunt diurnare. *Gell. ib.* Inusitate dixit diurnare pro diu vivere.

DIURNUS, a, um, adj. ἡμερινὸς, ad diem pertinens: a *die* vel *diu*, sicut *nocturnus* a *noctu. Cic. Senect.* 23. An censes, me tantos labores diurnos nocturnosque suscepturum fuisse? *Id. Off.* 3, 21. Diurni et nocturni metus. *Hor. Ep.* 1, 19, 11. Nocturno certare mero, putare diurno. *Suet. Ner.* 36. *extr.* Diurnum victum quaerere. *Pl. Men.* 1, 2, 62. Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus, *h. e.* usque ad exortum Luciferi, qui et ante auroram in coelo apparet, et multo die durat. *Prud. Apoth.* 697. nox diurna, *h. e.* tenebrae medio die exorientes, quales fuerunt in morte Christi. *Tac. A.* 3, 3. Diurna actorum scriptura, ephemeris, liber, in quo omnium dierum acta perscribuntur; qui et *diurna*, *orum*, [*apud *Dionem* audiunt τὰ δημόσια ὑπομνήματα et τὰ κοινὰ ὑπ.] absolute dicitur, subaudiendo acta, et *diurnum*, *i:* sive de publicis, sive de privatis ac domesticis rebus sermo sit. [*Cf. de *diurnis Lips. Exc.* ad *Tac. A.* 5. et *Ernest. exc. A.* ad *Suet. Aug.* 22. quos laudat *Walch.* ad *Tac. Agr.* p. 114., quem v.] *Id. ib.* 16, 22. Diurna populi Romani per provincias curatius leguntur. *Juven.* 6, 482. longi relegit transacta diurni. *Suet. Claud.* 41. Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis, titulisque operum, *Id. Caes.* 20. Inito honore consulatus primus omnium instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta confierent, et publicarentur. ℙ Si de publicis sermo sit, differunt ab annalibus, quod in his res illustres, diurnis vero leviores scriptis mandantur, ut idem *Tac. A.* 13, 31. docet. ℙ Est etiam *diurnus*, qui diem tantummodo durat. *Ov. Her.* 6, 35. Terrigenas populos civili marte peremptos Implesse aetatis fata diurna suae. V. DIALIS. ℙ Hinc *diurnum* dicitur victus unius diei, quod demensum servis datur, diarium. *Senec. ep.* 80. Diurnum accipit, in centunculo dormit. ℙ Idem ac diuturnus, quotidianus. *Inscr.* ap. *Grut.* 330, 4. Fabia M. et O. L. Arete archimima sui temporis prima diurna. Alia *ib.* 1089, 6. L. Acilio L. F. Pompt. Eutychiae, nobili archimimo, communi mimorum adlecto, diurno parasito Apollinis. *scil.* qui quotidie epulabatur in synhodo Apollinis. *Cic. Tusc.* 3, 30. *extr.* Cogitatio diurna. Alii rectius leg. *diuturna.* ℙ [*Confunduntur *diurnus* et *durus.* V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 11, 624.]

DIUS, a, um, adj. θεῖος, divinus: a Deo ortus, ut *Fest.* docet; a *Διὸς*, *Jovis*, unde *δῖος* et *δῖος*, (unde Dius Fidius est Jovis filius, apud *Varron. L. L.* 4, 10.) vel ab allato *θεῖος*. Interjecto digammate Aeolico, factum est *divus*, quod frequentioris est usus. *Varr. L. L.* 6, 3. Casmillus nominatur in Samothraces mysteriis dius quidam administer Diis magnis. ℙ *Dea Dia* in *Inscr.* ap. *Grut.* 121. est Ceres. V. DEA. ℙ Quibusdam videtur olim *dius* dictus esse pro deus (unde *dii* in plurali numero) praesertim si Jovem intelligas. Quare leg. apud *Varron. L. L.* 5, 2. Toto coelo mundus conjunctus dio. *et mox.* Id ab hoc dio dies appellatur. Al. *deo* utrobique substituunt. ℙ *Dium fulgur*, inquit *Fest.*, appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani: quia diei Juppiter, Summanus tenebrarum et noctis pater est. Ex quo non illud infertur, *dium* significare diurnum, sed a Jove ortum, qui diurni temporis est praeses. ℙ *Dium profundum*, h. e. sacrum mare, apud *Ov. Met.* 4, 536. de Venere: Si tamen in dio quondam concreta profundo Spuma fui. ℙ Ponitur et pro Diis simillimo, excellenti, eximio, ut *divinus. Virg. A.* 11, 657. dia Camilla. *Hor. Sat.* 1, 2, 32. sententia dia Catonis. *Pers.* 1, 31. Dia poemata. *Lucr.* 2, 172. Dia voluptas. et 5, 942. Pabula dia. et 1386. Otia dia. et 1, 22. in dias luminis auras. ℙ Pro coelesti. *Prud. Cath.* 12, 89. Regnum, quod ambit omnia, Dia, et marina et terrea. ℙ Si *Nonio* credimus 2, 248. dixit *Varr.* motibus Diis veget, *h. e.* diutinis et jugibus vegetat: quasi *dius* adjectivum Latinum sit a *diu.* Sed locus *Varronis* dubius valde est et varie agitatus.

DIUSCŬLE, adv. diutule, diminutiv. *Augustin. Trinit.* 11, 2. Cum diuscule attenderimus.

DIŪTĬNE, adv. diu. *Pl. Rud.* 4, 7, 15. Diutine uti bene licet partum bene.

DIŪTĬNO, adv. diutine. *Appul. Apol.* p. 282, 22. In faciundis imaginibus opera diutino sumitur. Al. leg. *diutina.* [*Sic ed. *Elm.* Antiquiores illud.]

DIŪTĪNUS, a, um, adj. πολυχρόνιος, qui diu durat, diuturnus. *Cic. Fam.* 11, 8. Odio diutinae servitutis. *Pl. Mil.* 2, 6, 22. Supplicium virgarum longum, diutinumque a mane ad vesperum. *Liv.* 25, 1. Inculti diutino bello agri. [*Id. 6, 33. pax. 5, 11. militia 25, 7. otium. Cf. *Drak.* ad 28, 24.] *Caes. B. G.* 5, 50. *extr.* Diutina laetatio. Adde *Nep. Timoth.* 2. ℙ Paenultima certe est brevis, ut patet ex *Ter. Ph.* 5, 8, 23.

DIŪTĬOR, adj. longiore durans tempore, diuturnior. *Liv.* 38, 40. Terror diutior alter, sed segnior. Al. leg. *diutinus.*

DIŪTĬUS et Diutissime V. in DIU.

DIŪTŬLE, adv. aliquadiu: diminut. a *diu. Gell.* 5, 10. Cum diutule auditor Protagorae fuisset. et 11, 16. Cum diutule tacitus in cogitando fuissem. Adde *Macr. Sat.* 7, 11. et 13. *a med.* [*Scribitur etiam *diutile.*]

DIŪTURNE, adv. diu. *Cic. Fam.* 10, 6. *ad f.* Spondeo, tibi istam acerbitatem et iniuriam non diuturne fore. Al. leg. *diuturnam. Sidon. ep.* 2, 14. Suspicor diuturnius te moraturum.

DIŪTURNĪTAS, atis, f. χρονιότης, longitudo temporis. *Cic. Off.* 2, 7. Malus custos diuturnitatis metus. *Id. Leg.* 2, 10. Animi labes diuturnitate non vanescit. [*Id. *Senect.* 11. Nec subito frangitur, sed diuturnitate frangitur. Sic passim reperitur absolute ad longiorem temporum seriem significandam. V. *Wopk. Lectt. Tull.* p. 367. *ed. Hand.*] *Id. N. D.* 2, 2. Opinio confirmatur diuturnitate temporis. *Id. Or.* 1, 28. Nihil est tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam, etc. *Id. ib.* 4. Diuturnitas pacis. *Nep. Timol.* 3. belli. *Caes. B. G.* 3, 4. pugnae. *Plin.* 18, 30, 73. frumenti. *Id.* 13, 2, 3. odorum. *Colum.* 3, 2. Confert ad diuturnitatem stirpis. ℙ In plur. numero *Arnob.* 6. p. 202. Salutares moras signorum diuturnitatibus commodare.

DIŪTURNUS, a, um, adj. πολυχρόνιος, qui diu durat. *Cic. Senect.* 8. Quasi diuturnam sitim explere cupiens. et 19. Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. *Id. Phil.* 2, 44. Dum istis consiliis uteris, non potes esse diuturnus. *Id. Sull.* 27. Magni et diuturni morbi. *Id. Prov. cons.* 3. Diuturna pax. *Id. Fam.* 6, 11. Diuturniores molestiae. *Oros.* 5. *in f.* Bellum Mithridaticum longe omnium diuturnissimum. ℙ De eo, qui diu vivit. *Albinov.* 1, 104. Accusatque annos, ut diuturna, suos. *Ov. Fast.* 6, 219. sitque precor nostris diuturnior annis Filia. *Varr. R. R.* 2, 7. Alternis qui admittunt, diuturniores equos fieri dicunt.

DIVULGĀTIO, onis, f. actus divulgandi. *Tert. Testim. anim.* 5. Numquid credendum est, ante litteraturam et divulgationem ejus mutos homines vixisse?

DIVULGĀTUS, a, um, part. a *divulgo*, vulgo expositus, in vulgus prolatus, is cujus copia omnibus facta est. *Cic. in Senat.* 5. Primum tempus aetatis palam ad omnium libidines divulgatum. *Id. Fam.* 10, 26. Magistratus levissimi et divulgatissimi praepropera festinatio. ℙ Item notus vulgo factus, disseminatus, diffusus. *Lucr.* 6, 7. de Epicuro: Cujus et exstincti, propter diviva reperta, Divolgata vetus jam ad coelum gloria fertur. *Tac. A.* 4, 11. Ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris antehabeant. *Id. ib.* 12, 49. Fama divulgatus.

DIVULGO, as, avi, atum, a. l. ἐκφέρω, διαφημίζω, in vulgus edo, commune omnibus facio, vulgo notum facio. *Cic. Att.* 12, 40. Volo eum librum divulgari. *Plin.* 17, 9, 6. Fimum Augeas rex in Graecia excogitasse traditur, divulgasse vero Hercules in Italia. *Cic. Phil.* 2, 4. Quam multa joca solent esse in epistolis, quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? *Id. Font.* 5. Rem sermonibus divulgare. *Suet. Claud.* 39. Identidem divulgavit, neminem unquam, etc. *Justin.* 12, 5. Divulgatur opinio in Macedoniam.

DIVULSĬO, onis, f. actus divellendi. *Hieron. ep.* 117. *n.* 3. Quod desperem in istiusmodi copula divulsionem.

DIVULSUS, a, um, part. a *divello*, avulsus, distractus, discerptus, διασπασθείς. *Ov. Trist.* 3, 9, 27. divellit, divulsaque membra per agros Spargit. *Id. Met.* 8, 138. divulsaque remis Unda sonat. *Plin.* 21, 11, 38. Si oenanthe divulsa crebro prohibeatur in semen abire. *Id.* 29, 4, 29. Lacerta divulsa, mus divulsus. ℙ Translate. *Cic. Har. resp. ult.* Auctoritas principum cecidit, consensus ordinum est divulsus. *Id. Or.* 1, 42. Adhibita est ars, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret. et 3, 6. Qui haec facilius divulsa et quasi discerpta contrectant. *Hor. Od.* 1, 13. *in f.* Amor querimoniis divulsus, *h. e.* dissociatus, disjunctus. ℙ Olim et *divolsus* dictum est.

DIVUM. V. DIUM.

DIVUS, i, et Diva, ae, Θεὸς, Θεὰ, idem quod Deus, Dea, a *dius*, Aeolico digammate inserto. *Liv.* 7, 26. Si Divus, si Diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens propitius adesset. *Id.* 25, 12. *a med. in vet. carm.* Nam is Divus exstinguet perduelles vestros. *Hor. Od.* 1, 3, 1. Diva potens Cypri. *Cic. N. D.* 2, 2. Praesentiam saepe suam Divi declarant. *Virg. Ecl.* 1, 42. praesentes cognoscere Divos. *Id. A.* 10, 2. Divum pater atque hominum rex. pro *Divorum:* quod saepe apud *Virgil.*, qui non semel et *divom* dixit eodem casu, Graeca positione. Quin et *divos* in recto sing. pro *divus*, eadem positione legitur in nummo C. Caesaris, et quibusdam marmoribus: quod non est mirum, cum Graeca vox sito rigine, Latina usu tantum. ℙ Inter *Divos* et *Deos* discrimen facit *Varro* ap. *Serv.* ad *A.* 5, 45. dicens *Divos* esse perpetuos, *Deos* ex hominibus factos. Quod confirmare videtur *Virg. A.* 12, 138. Turni sic est affata sororem, Diva Deam. Ubi *Diva* est Juno, *Dea* Juturna in Deas relata. Contra tamen *Servius* ad *utrumque Virg. loc.* Deos perpetuos, divos ex hominibus consecratos, quod magis probandum videtur. Revera idem omnino utraque vox significat, excepto quod *Deus* frequentioris est usus Latini, quam *Divus.* [*Scil. *Divus*, ubi in scriptoribus legitur, ex usu antiquiorum formularum dictum est.] ℙ *Divi* appellati sunt praecipue imperatores R., post mortem in Deos relati: cujus rei passim suppetunt exempla, praesertim in eorum nummis [et inscriptionibus, de quibus consule *Marin. Frat. Arv.* p. 385., ubi statuit, *Templum Divorum* et *Flamines Divorum* vel *Augustorum*, vel *Divorum Augg.* ad imperatores R., qui consecrati fuerunt, pertinere; eosque usque ad Commodum, recensi-

tis aliquot eorum uxoribus itidem consecratis, sexdecim numero fuisse probat. At *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 113. *edit. Mediol.* putat, in horum numero mares tantum recensendos esse, quos ibi enumerat. *F.*] ℙ *Divi fratres*, qui saepissime in libris JCtorum appellantur, sunt M. Aelius Antoninus philosophus, et L. Aelius Commodus Verus, aliis L. Annius Antoninus Verus, qui simul per annos undecim, primique omnium rei Romanae ambo praefuerunt, cum usque ad ea tempora singuli tantum imperatores fuissent. Fratres autem dicti sunt non sanguine, sed adoptione. V. *Spartian. Ael. Ver.* 5., *Eutrop.* 8, 9., *Aur. Vict. Caes.* 16. ℙ Aliis etiam nominibus in Digestorum libris appellantur. *D. Marcus et Lucius Impp.*, *Antoninus et Verus*, et *Fratres Impp.*, et *Divi Marcus et Commodus*, etc. ℙ Quoties legitur *D. Caesar*, *D. Claudius*, *divus pater*, etc., τὸ *divus* non est adjectivum, sed substantivum, ut si dicas *deus Caesar*, *deus pater*, etc. Nihilominus adjective quoque adhibetur, eadem vi ac divinus. *Naevius* ap. *Non.* 3, 45. Res divas edicit, praedicit castus. *Prud. Psych.* 76. Diva caro. *Alcim.* 5, 64. divae vocis Anubis. ℙ Divam vocat amicam suam *Catull.* 68, 70. Quo mea se molli candida Diva pede Intulit.

DO

DO, pro domum, per apocopen, dixit *Enn.* ap. *Diomed.* 2. p. 436. et *Auson. Technopaegn. Idyll.* 12. *sub f.* endo suam do. Graecos imitati, qui similiter δῶ pro δῶμα et pro δώματα dixere. V. CAEL.

DO, das, dĕdi, datum, a. 1. δίδωμι, tribuo, trado, defero, praebeo: est ab inusit. δάω pro δόω, quod idem significat. Est prope infiniti usus. *Cato R. R.* 157. *a med.* Dato, edat, si poterit, sine pane. et mox. Dato , vinum atrum bibat. *Senec. Herc. fur.* 1229. huc ensem date: Date huc sagittas: stipitem huc vastum date. *Cic. Verr.* 2, 5, 32. Dare alicui praetoris potestatem, honorem, auctoritatem. *Vet. Poeta* ap. *eund. N. D.* 3, 26. Iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo. [*Tac. *A.* 15, 17. exitium.] *Id. Planc.* 42. Nolite dare laetitiam gloriantibus, vos jam oblitos mei. *Id. Or.* 1, 26. Multitudo litium dat locum vel vitiosissimus oratoribus. *Id. Cat.* 3, 5. et 11. *Att.* 25. Dare alicui litteras ad quempiam, *h. e.* alicui tradere alteri perferendas. Sic *Cn. Magnus* ad *Domit. post. ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Dare mandata alicui ad aliquem. [*Dare alicui munera* et *muneri aliquid* utrumque recte habet. *Nep. Thras.* 4. multa millia jugerum agri munera darent. V. *Brem.* ad h. l., et quem laudat, *Drak.* ad *Liv.* 4, 20, 4.] *Ter. Ph.* 4, 3, 28. Quid vis tibi dari in manum, ut, etc.? Ubi *Donat.* Datur ei in manum, qui furtim accipit sine arbitro aut interprete, ut praevaricator aut judex corruptus [*nos dicimus: *Jemandem etwas in die Hand drücken.* — Proverbium erat *dare* (s. tradere) *de manu in manum*, de iis, quae, quia tanquam nostra plurimi facimus, diligentissime aliis tradimus. *Cic. Fam.* 7, 5, 8. Totum hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum tuam; V. intpp.] *Cic. Or.* 3, 15. Dare quempiam alicui comitem ad bellum. *Id. Phil.* 2, 7. Dare corpus ad sepulturam. *Id. Att.* 13, 50. Ad me scripsit, ut juberem mancipio dare servum suum, pro mea parte, Heterejo cuidam fundum Brinnianum. *Pl. Capt.* 2, 3, 89. Dare alicui viaticum a trapezita, *h. e.* a trapezita sumptum. [*Cf. *Cic. Att.* 5, 21. et *Flacc.* 15. Ab A. Sextilio dicit se dedisse et a suis fratribus i. e. non ex arca, sed per attributionem. V. *Ernest.* in *Clav. Cic.*] *Id. Men.* 3, 3, 21. Da sodes abs te, i. e. de tuo. *Cic.* ad *Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Puero quoque hoc a me dabis, i. e. meo nomine. *Id. Cat.* 4, 5. Dare aliquem in custodiam. *Id. Cluent.* 64. *extr.* alicui servum ad supplicium. [*Sed: *supplicium dare de aliquo* est i. q. sumere de aliquo. *Pl. Mil.* 2, 6, 22. nisi mihi supplicium virgeum de te datur etc. Cf. *Lindem.*] *Id. Verr.* 2, 3, 41. quempiam ad injurias alterius. *Id. Att.* 13, 23. *ad f.* servos in quaestionem [*Suet. *Aug.* 16. servos ad remum dare, i. e. remigio destinare.] *Pl. Ps.* 1, 2, 22. Qui nunc? doletne? hem! sic datur, si quis herum servus spernit, *h. e.* sic agitur, sic feritur. [*Similis formula est: *malam rem*, *malum dare*, quod euphemistice dicunt de verberibus. *Pl. Trin.* 4, 4, 38. Hercle istis malam rem magnam moribus dignum est dari. ℙ *Dare exta* proprie dicuntur, qui exta victimarum arae imponunt. *Liv.* 26, 23. *ad f.* flamen Dialis, quod exta perperam dederat, flaminio dederat. V. *Voss.* ad *Virg. G.* 2, 194.] ℙ Cum altero dativo. *Plin.* 14, 16, 18. Dare uvam cibo gallinaceo generi. *Cels.* 2, 13. Dare potui medicamentum. *Plin.* 27, 13, 109. etiam *dare potu* dixit. ℙ *Dare se* est offerre, exhibere: item animum intendere. *Ov. Met.* 12, 594. Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Dare se alicui in conspectum. [*Liv. 9, 27, 4. ibique primum castra in conspectu hostibus data. Sic ob consensum librorum legit *Drak.*; alii *in conspectum*. Sed illud recte habet, pariter atque apud *Eund.* 8, 24. regem aut vivum aut mortuum in potestate daturos. Est hoc brevius dictum pro: in conspectum dare et in conspectu esse, qualia apud Graecos frequentissime leguntur.] Et *ib.* 3, 19. Dare se populo ad coronam. *Id. Pis.* 28. Dare se in consuetudinem alicujus. *Id. Verr.* 2, 4, 43. *ad f.* Dare se in fugam. *Id. Att.* 7, 23. *a med.* Dare se fugae. *Id. Fam.* 14, 12. in viam. *Id. Brut.* 89. Scaevola nemini se ad docendum dabat. *Id. Divin. Verr.* 2. ad defendendos homines. *Id. Fam.* 13, 1. ad lenitatem. *Id. Or.* 3, 16. Socrates quam se cumque in partem daret, omnium fuit facile princeps. *Id. Off.* 1, 34. Dare se jucunditati. *Id. Tusc.* 4, 38. Aegritudini. *Id. Off.* 1, 21. doctrinae, etc. ℙ [*Dare se* est i. q. *se dedere*, sed cum aliquo discrimine. V. *Brem.* ad *Nep. Lys.* 1, 2.] ℙ Dare se alicui, i. e. totum sese tradere s. committere alicui, se accommodare alicujus voluntati. *Cic. Att.* 7, 11. An iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? *Id. Fam.* 2, 8. Da te homini, complectetur, mihi crede. [*Cf. *Manut.* ad h. l. coll. *Drak.* ad *Sil.* 3, 150. quem locum *F.* paullo infra laudat. *Tac. A.* 1, 31. magna spe, fore, ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturis. Alia etiam alius generis exempla excitavit *Gron. diatr. Stat.* p. 187. ed. *Lips.*] ℙ Item i. q. familiariter uti aliquo, [*facere quod alter cupit quodque ei gratum est. V. *Ruhnk.* ad *Ter. l.* infra *l.* et cf. infra, ubi *F.* iterum de hac signif. agit.] *Ter. Eun.* 3, 3, 9. Ipsa accumbere mecum; mihi sese dare; sermonem quaerere. ℙ *Res se dat*, se offert, praebet, occurrit. *Ter. Hec.* 3, 3, 20. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. *Cic. Att.* 3, 23. *extr.* Tu ad me velim proximis literis, ut se initia dederint, perscribas. [*Cf. *Gron.* ad *Liv.* 28, 5.] ℙ *Dii se dant*, h. e. propitios praebent. *Sil.* 3, 150. Dent modo se Superi, Tibris tibi serviet omnis. ℙ Cum duobus dativis est etiam adscribere, imputare. *Cic. Off.* 1, 21. Iis non modo non laudi, sed etiam vitio dandum puto. *Id. Divin. Verr.* 10. Idne alteri crimini dabis, quod tu ipse fecisti? ℙ In disputationibus est concedere, admittere. *Cic. Tusc.* 1, 32. Eo concesso, id certe non dant, ut, etc. *Id. Acad.* 4, 16. Quis enim tibi dederit, aut Deum omnia posse, aut, etc.? *Id. Fin.* 5, 28. Dato hoc, dandum erit illud. *Id. Verr.* 2, 3, 94. Do vobis et concedo, esse multos, etc. ℙ In ludo pilae, calculorum et similium *dare* est ejus, qui aut pilam jacit, aut calculum promovet. *Ov. A. Am.* 2, 204. et V. DATUS. ℙ In re obscena dicitur de muliere, quae copiam sui alicui facit. *Ov. Am.* 1, 4, 64., *Mart.* 4, 71. [*Suet. *Caes.* 49. quid ille tibi, et quid illi tute dederis.] ℙ *Dare poenas* est luere. *Cic. Att.* 9, 10. Do poenas temeritatis meae. ℙ *Dare* absolute pro dare sententiam. *Suet. Claud.* 15. Absentibus secundum praesentes facillime dabat. *Plin. ep.* 7, 6. Finem cognitioni quaestio imposuit, quae secundum reos dedit. Adde *Tac. A.* 4, 43. et *Senec. prooem. Controv.* 3. [*Eodem modo dicunt: *litem dare secundum aliquem*, *i. e.* ita sententiam pronuntiare, ut is causam obtineat. *Cic. Rosc. Com.* 1. lis datur secundum eum. V. pluribus de hac re *Drak.* ad *Liv.* 23, 4, 3. et similiter *Id.* 3, 44. vindicias dare secundum libertatem. ℙ *Dare dicta* i. e. dicere. *Liv.* 7, 33, 11. haec dicta dederat. Alia multa V. apud *Drak.* ad h. l. ℙ *Dare verba*, V. VERBUM.] ℙ Et pro dare litteras. *Cic. Att.* 10, 8. *sub f.* Et ego fortasse discedens ad te aliquid dabo. ℙ *Do*, *dico*, *addico* tria solemnia praetoris verba, V. in ADDICO. ℙ Significat interdum con jicere, impellere. [*Hinc fit, ut in codd. passim cum *jacere* permutetur. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 182.] *Suet. Aug.* 96. Aquila duos corvos afflixit et ad terram dedit. *Caes. B. G.* 5, 49. Celeriter hostes dat in fugam. *Ter. Andr.* 1, 3, 9. Praecipitem me in pistrinum dabit. *Id. Heaut.* 4, 6, 3. Haec deambulatio me ad languorem dedit. *Phaedr.* 1, 22. Dare aliquem leto. Novum est illud de Neptuno Typhoeum comis trahente, apud *Val. Fl.* 2, 27. Implicuitque vadis, torquentemque anguibus undas Sicanium dedit usque fretum, *h. e.* traxit, impulit usque in fretum Sicanium. ℙ Item facere, edere. [*Nihil differt ab antecedente.] Sic enim exponit *Serv.* illud *Virg. A.* 2, 482. ingentem lato dedit ore fenestram. sic 310. dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus. et *G.* 3, 247. Ursi dant stragem. et *A.* 12, 575. animis pariter certantibus omnes Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur. *Liv.* 4, 28. Fabius cum equitatu impetum dederat. [*Pro *edere* praecipue dicitur, ubi de *ludis* sermo est. *Suet. Claud.* 21. munus. ib. daturum se (Palumbum) i. e. productu rum. *Ner.* 4. venationes. V. *Clav. Suet.* Sic etiam de auctoribus fabularum dicitur, eo fere sensu, quo dicunt *docere*. *Cic. Brut.* 18. Livius minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant. Cf. *Id. Cluent.* 31, 84.] ℙ Item dicere, narrare. *Ter. Heaut. prol.* 10. Quamobrem has partes didicerim, paucis dabo. *Cic. Acad.* 1, 3. Sed da mihi nunc, satisne probas? *Virg. Ecl.* 1, 19. iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis. *Ov. Fast.* 6, 434. pius Aeneas eripuisse datur. *Stat. Th.* 7, 315. Asopos genuisse datur. Adde *Claud. Rapt. Pros.* 3, 337. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 107. *Duker.* ad *Flor.* 3, 3. Sic etiam *Liv.* 33, 13. is datus erat locus colloquio.] ℙ Item obsequi, gratificari. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *sub f.* Da hoc illi mortuae, da amicis, da patriae. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Noli putare, me hoc auribus tuis dare [*i. e. me hoc dicere, ut dicam, quod tibi placeat, assentandi gratia. Hujus generis multa reperiuntur. *Liv.* 7, 20. dare aliquem alii i. e. ejus precibus concedere. *Lucan.* 1, 132. famaeque petitor (Pompejus) multa dare in vulgus. Cf. *Cort.*, qui plura affert. Alii male explicabant de muneribus populo dandis. *Quint.* 10, 1, 117. plus stomacho, quam consilio dedit. V. de hoc usu *Gron.* obss. II. 15. *Duker.* ad *Flor.* 4, 2, 57. quos citat *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 7. *Liv.* 40, 57. iter dare i. e. transitum per fines. *coll.* 8, 5. *id.* 39, 28. senatum dare legato, i. e. aditum concedere.] ℙ Item sinere, permittere. *Plin. ep.* 1, 10. et *Paneg.* 29. Quantum mihi cernere datur. *Hor. Ep.* 1, 1, 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *Plin. alter* 10, 63, 83. Neque datur intervenire sine pernicie. [*Amat hanc poetarum constructionem *Plinius*; cf. *Pan.* 50, 4. 51, 4. 79, 3.] ℙ Item afferre. *Cic. Parad.* 4. *circa med.* Reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. *Id. Att.* 7, 13. Dare alicui dolorem. ℙ Item offerre, translate. *Liv.* 3, 69. *sub f.* Insequens dies hostem in conspectum dedit. [*Cf. nos supra.] ℙ Item reperire aut ostendere. *Cic. Verr.* 2, 3, 77. *ad f.* Unum, inquam, da mihi ex istis aratoribus, qui dicat, etc. ℙ Ponitur et pro reddere. *Ter. Heaut.* 5, 1, 77. Si vivo, adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut dum vivat, meminerit semper mei. *Pl. Trin.* 4, 2, 3. Cum juratori recte rationem dedi. *Varr. L. L.* 5, 9. Si quis pro se sive altero dare rationem volet. ℙ Et pro attribuere. *Quint.* 6, 1. *circa med.* Cicero quamquam preces non dat Miloni, tamen, etc., *h. e.* non inducit precantem. *Id.* 12, 10. Dare vocem carentibus. ℙ Et pro mittere, vel tollere. *Plin.* 11, 20, 22. Apes spatiatae in aperto, et in altum datae, gyris volatu editis, etc. [*Suet. Vesp.* 5. quercus — singulos ramos a frutice dedit, i. e. emisit, egit.] ℙ Et pro vertere. *Quint.* 2, 13. Terga etiam dedisse simulata fuga proderit. ℙ Et pro edere. *Lucr.* 6, 109. carbasus Dat crepitum malos inter jactata trabesque. *Ov. Met.* 9, 583. lingua tales icto dedit aere voces. ℙ [*Id quod *conciliare*, *amicum reddere* esse ait *Ern.* in *Clavi Cic.*, laudans *Cic. Att.* 10, 4. Oppios Terentiae dabis. Melius mihi h. l. cepisse videtur *Wielandus* cum aliis, qui vertit: *der Terentia gieb einen Wechsel an die Gebrüder Oppius.* Referendus igitur esset h. l. ad eos, quos supra haud longe ab initio attulimus, significaretque *dare alicui aliquem* i. q. *dare alicui ab aliquo.* ℙ Pro *exhibere*, *destinare*. *Liv.* 26, 41. ea fato quodam data nobis sors est. *Virg. A.* 4, 225. fatisque datas non respicit urbes. *Hor. Sat.* 1, 8, 13. Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat i. e. destinabat, designabat. ℙ Dare manus V. MANUS. ℙ Multas hujusmodi singulorum locorum interpretationes in tam vario h. v. usu addi posse, vix est quod moneam. Sed esset hoc infiniti laboris; quare ea tantum quae nobis memoratu digniora videbantur, addidimus.] ℙ Cum infinito fere poeticum est, et a Graeca consuetudine. *Virg. A.* 5, 248. argenti magnum dat ferre talentum. et *ib.* 9, 362. suo moriens dat habere nepoti, pro *ferenda* et *habenda.* et *ib.* 1, 323. dederatque comam diffundere ventis. *Sil.* 4, 347. dederatque lacum transmittere nando. *Stat. Th.* 4, 178. Huic parere dati, *h. e.* hujus imperio subjecti. et 1, 177. semper ne vicissim Exsulibus servire dabor? [*Nota etiam *Liv.* 3, 4, 9. alteri consulum negotium daretur, videre etc. et *Drak.* ad h. l.] ℙ *Dare*, *donare*, *dicare* formula est, quae adscribi solebat in monumentis votivis rei alicujus dicatae et donatae, per tres D. D. D., vel per duos. Integra autem legitur apud *Cic. Verr.* 2, 4, 29. *extr.*, ubi additur quarta vox *consecrare.* ℙ *Dare*, *facere*, in stipulationibus. *Cic. Off.* 3, 16. Arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona. *Paul. Dig.* 17, 2, 71. Ea, quae supra scripta sunt, ea ita dari, fieri, etc. ℙ [*Bene, *male dare aliquid pro aliqua re* i. e. *das ist ein guter (schlechter) Kauf. Lucan.* 4, 227. Si bene libertas unquam pro pace daretur.] ℙ *Duim*, *is*, *it*, *int*, pro dem, vel dederim, est antiquum, et comicum: legiturque apud *Plaut.* saepe, et *Terent.*, itemque apud *Liv.* 10, 19. in veteri formula votiva. Sic *duitor* pro *dator* imperat. passiv. apud *Plin.* 21, 3, 5. ex *leg. XII. Tab.*, ut quidem legit *Harduin.* Cum *do* sit a Graeco δόω, ut dictum est, prisci Latini fortasse dixerunt *duo*, ex quo *duim* remansit. Quin et ipsum *duo* quidam leg. apud *Pl. Aul.* 4, 4, 8. ℙ Etiam *dano*, *is*, pro *do* prisci dixere, prima correpta: unde *danunt*, pro

dant, habent *Pacuv.*, *Naev.*, *Caecil.* ap. *Non.* 2, 220. et aliquoties *Plautus:* apud quem *Truc.* 2, 4, 22. quidam leg. etiam *dane?* pro *das ne?* et *Cas.* 2, 6, 22. *danam* pro *dabo.* ℙ *Dasi* pro *dari*, teste *Festo*, ea ratione dictum fuit, qua *Papisii*, *Fusii*, pro *Papirii*, *Furii.* V. *Cic. Fam.* 9, 21. ℙ *Dor* prima persona passivi, nullum habet, quod sciam, exemplum. Vidisse se, raro tamen, scribit *Diomed.* 1. p. 375. ℙ Supinum *Datu* ap. *Front. ep. ad amic.* 1, 5. (ed. *Maio*) Nihil postulabit pro sua verecundia, nisi quod probum honestumque sit et tibi datu et sibi postulatu. ℙ *Datu iri* pro *datum iri*, V. PRAESTO, as. ℙ [*Confunduntur *dare* et *donare*, V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 35, 5. — et *navare.* *Id. ib.* 7, 16, 4. Ceterum notandum est, *navare operam* fortius esse, quam *operam dare;* illud est i. q. gnaviter operam dare. V. *Döderl. Syn.* I. p. 112. — et *jacere.* V. supra.]

*DOBERIENSIS, e, adj. ad Doberum pertinens, Macedoniae urbem, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 325. C. Julius Proclus Dobero. ℙ *Doberienses*, *ium* sunt incolae illius urbis *Plin.* 4, 10, 17. Idomenenses, Doberienses, Irienses. *Harduinus* male edidit *Doberi*, *Astraeenses.* *F.* et *B. A.*

*DOCENTER, adv. apud *Martian. Capell.* c. 4. p. 134. legi vult *Barth. Adv.* 34, 19. ex MS., ubi ita edidit *Grotius:* Edictum est Compendio, Quidquid decenter docta disputatio Multo adstruendum contulit volumine. *B. A.*

DOCĔO, es, cui, ctum, a. 2. *διδάσκω*, ostendo, monstro, cognitionem alicujus rei trado. [Est ab inusit. *δόω* pro *δίδωμι*, do, trado, deinde *δόκω*, hinc *δοκέω*. *F. Forc.* habebat hoc tantum: Videtur esse a *δοκέω*, mutata tamen significatione.] *Cic. Att.* 8, 2. Nihil arbitror fore, quod reprehendas: si qua erunt, doce me, quo modo ea effugere possim. *Id. Fam.* 3, 6. *a med.* Ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid agerem. *Id. Planc.* 18. Haec doce, haec profer, huc incumbe, decuriasse Plancium, conscripsisse, etc. *Id. Quint.* 19. Docui, quod primum pollicitus sum, causam, cur postularet, non fuisse. *Caes. B. G.* 5, 29. Quantasvis magnas copias sustineri posse, munitis hibernis, docebant. et 7, 10. Praemittit ad Bojos, qui de suo adventu doceant. *Cic. Fam.* 7, 21. Silii causam te docui. *Id. Or.* 2, 17. Cum docendus est judex, aut dedocendus. *Id. Verr.* 2, 4, 51. Docere judices de injuriis alicujus. *Id. Fam.* 5, 3. Docere et commonefacere aliquem de aliqua re. [**Sall. Jug.* 13, 3. qui eos docerent de caede fratris. Sic passim *indicare*, *dissimulare*, *interrogare* etc. *de re* aliqua. V. *Cort.*] *Id. Off.* 1, 28. *extr.* Docere et explanare quid faciendum sit. *Pl. Poen.* 4, 2, 58. *Sy.* Omnem operam perdis. *Mi.* quid jam? *Sy.* quia doctum doces. ℙ [**Docere* interdum a librariis omittitur, superfluum esse putantibus, ubi aliud vocabulum adesse vident. Sic *Sall. Cat.* 47, 1. omnia, uti gesta erant aperit, docetque. *Cic. Fin.* 4, 4, 9. tradunt et docent. Sed in hujusmodi locis significat *docere* i. q. additis argumentis aliquid esse probare, id quod etiam simpliciter significat, ut *Tac. G.* 9. signum, in modum Liburnae figuratum, docet advectam religionem.] ℙ Saepe ad institutionem refertur et significat erudire, instituere. *Cic. Off.* 1, 44. Studiosos dicendi erudire atque docere. *Id. Div.* 2, 2. Docere atque erudire juventutem. *Id. Senect.* 9. Adolescentulos docere, instituere, ad omne officii munus instruere. *Id. Phil.* 2, 4. Invideo magistro tuo, qui te tanta mercede nihil sapere docuit. *Id. Agr.* 3, 2. Ut doceam Rullum tacere. *Id. Fin.* 2, 5. Graece loqui docendus sum. *Id. Fam.* 9, 22. Docere aliquem fidibus. *Liv.* 29, 1. Docere aliquem equo armisque. Al. leg. *equo tradito.* [*Illud cum optimis libris praeferunt *Drak.* et *Gron.* Praeter locum ex *Cic. Fam.* laudat hic etiam *Eund. Senect.* 8. discebant fidibus antiqui.] *Nep. praef.* Docere aliquem musicam. *Cic. Pis.* 30. aliquem litteras. *Plin.* 16, 36, 66. Canere ipsae tibiae docendae. *Colum.* 6, 2. Docere boves composite ambulare. *Virg. G.* 3, 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos. ℙ Translate. *Virg. A.* 5, 523. docuit post exitus ingens. *Cels.* 2, 7. Ubi pluribus diebus non descendit alvus, docet febriculam instare. *Plin.* 2, 104, 108. Experimenta docent. *Ov. Pont.* 1, 1, 17. Epistola, cui sit missa, docet. *Ter. Heaut.* 4, 1, 35. Male docet te mea facilitas multa. ℙ [*De vate: *Liv.* 5, 15. quod de lacu Albano docuisset, i. e. vaticinatus esset.] ℙ *Docere* absolute i. q. scholam habere. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. Tyrannio docet apud me. (Adde *Or.* 42.) *Suet. Gramm.* 23. Postea manumissus docuit Romae. ℙ *Docere fabulam*, *διδάσκειν δρᾶμα* dicuntur poetae fabularum auctores, sicuti *discere* histriones earum actores. Hinc *Pl. Poen.* 3, 2, 3. Fac modo, ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. *Co.* quin edepol condoctior sum, quam tragoedi aut comici. *Cic. Tusc.* 4, 29. Cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates. Adde *Hor. A. P.* 288. et *Gell.* 17, 21. *ad f.* Hac ratione dixit *Hor. Od.* 2, 19. Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem, Nymphasque discentes, etc. ℙ [**Causam docere* cliens dicitur patronum, quum res ad controversiam intelligendam utiles enarrat. *Cic. Cluent.* 70. quum me hanc causam doceret. Contra patronus *discit.* V. DISCO. Eodem modo judices, pontifices etc. *doceri* dicuntur. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. *Id. Dom.* 12.] ℙ Simpliciter pro dicere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 147. At non sunt similes, neque dant: quid si dare vellent? Acciperesne? doce. [*Quia nisi dicendo loquendoque aliquem docemus, factum est, ut saepe utrumque vocabulum a librariis confunderetur. Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 22, 88. praecipueque *Drak.* ad *Liv.* 39, 47, 3.] ℙ Refertur poetice ad res inanimas. *Hor. Ep.* 1, 14, 29. imber Multa mole docendus aprico parcere prato. [**Id. A. P.* 67.] *Claud. Rapt. Pros.* 2, 145. Insolitisque docet galeam mitescere sertis. ℙ [*Item confunditur cum *docere.* V. quos laudat *Drak.* ad *Liv.* 9, 15, 4. Intpp. ad *Quint.* 10, 1, 32.]

*DOCHĔLĂ, ae, f. herba, quae et chamaepitys dicta. *Appul. Herb.* 26. *B. A.*

*DOCHI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*DOCHIMINUS V. v. seq.

[DOCHMIACUS, a, um, adj. qui ex dochmio pede constat. *Marius Victor. Gramm.* p. 2534. Est autem antispasticum monometrum hypercatalecticum, quod et dochmiacum dicitur, ut *Volat praepes. Plot.* p. 2658. Antispasticum dochmiacum Euripideum trimetrum catalecticum fit antispasto, ditrochaeo, amphimacro, ut *Decreta Musis corona pulcra nos.* ℙ *Capell.* 9. p. 334. Primae species erunt istae, quae dochiminae nominantur. *Dochiminae* videtur esse derivativum a *dochimo.* V. v. seq., sed fortasse mendosa est lectio pro *dochmiacae.* *F.*]

DOCHMĬUS, ii, m. *δόχμιος*, pedis genus in numeris oratoriis, qui constat ex iambo et cretico, ut *reipublicae*, *perhorrescerent.* *Cic. Or.* 64. Dochmius autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc *Amicos tenes*, quovis loco aptus est, dum semel ponatur; iteratus, aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit. Adde *Quint.* 9, 4.: *Dochmios* vero positione Graeca appellatur a *Diomed.* 4. p. 479. ℙ Apud *Cic. l. c.* in quibusdam edd. perperam legitur *dochimus.*

DOCIBĬLIS, e, adj. qui facile docetur. *Tert. Monog.* 12. ℙ *Prisc.* 18. p. 1125. Docilis est, qui facile docetur: docibilis, qui facile discit.

DOCILIS, e, adj. *εὐμαθής*, qui facile docetur vel discit. *Cic. Fam.* 7, 20. O medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam! *Varr. R. R.* 1, 17. Operarius docilis ad agriculturam. *Quint.* 4, 2. *ante med.* Judex docilior et intentior. *Plin.* 10, 42, 59. Habebant luscinias Graeco atque Latino sermone dociles. *Juven.* 14, 40. dociles imitandis turpibus. ℙ Genitivo interdum jungitur, more Graeco. *Hor. Od.* 4, 6. *extr.* Docilis modorum. *Sil.* 3, 233. Fallendi docilis. *Id.* 16, 360. Equus docilis freni. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 1, 14, 13. Capilli dociles, et centum flexibus apti. *Val. Fl.* 6, 237. de hasta: docilis relegi, docilisque relinqui. *Plin.* 33, 5, 27. Chrysocolla bibula et docilis. ℙ Infinito junxit etiam *Sil.* 13, 120. Cerva docilis accedere mensis. ℙ Pro facilis. *Id.* 4, 8. Adstruit auditis, docilis per inania rerum Pascere rumorem vulgi, pavor. ℙ Sup. *Docilissimus* agnoscitur a *Charis.* 2. p. 160.

DOCILITAS, atis, f. *εὐμάθεια*, apprehendendae doctrinae facilitas. *Cic. Sext.* 42. Ii perspecto genere humanae docilitatis atque ingenii. [*Cf. locum *Ejusd. Fin.* 5, 13.] *Suet. Tit.* 3. Docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. ℙ Item lenitas, mansuetudo, mitis animus. *Eutrop.* 10, 7. Affectator justi amoris, quem omnino sibi et liberalitate et docilitate quaesivit.

DOCILITER, adv. agnoscitur a *Diomed.* 1. p. 401.

*DOCIMAEUM, i, n. *Δοκίμαιον* vel Docimēum, *Δοκίμειον*, vel Docimĭa, ae, *Δοκιμία*, oppidum vel vicus Phrygiae majoris. In *Tab. Peut.* Docimeum est. *B. A.*

[DOCĬMEN, inis, n. idem quod documen. *Terentian. de metr.* p. 2425. Livius ille vetus Grajo cognomine, suae Inserit Inonis versu puto tale docimen. *F.*]

*DOCĬMENUS, a, um, adj. ad *Δοκίμειον* s. Docimenum pertinens. *Docimenum metallum* est marmor, quod et Synnadicum, et Phrygium [*lapis Phrygius apud *Hor. Od.* 3, 1, 41. ibique *Fea.*] appellatur. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 28, 9. Trium metallorum debitoribus, Docimeni, Proconnensis et Troadensis, concessimus reliqua. *B. A.*

[DOCIS, ĭdis, f. a *δοχίς*, trabecula, genus quoddam phaenomeni coelestis in trabis formam. *Appul. de Mundo* p. 58, 23. Flammae quaedam ostensae oculis nostris, quas Graeci cometas, et docidas, et bothynos appellant. V. DOCUS. *F.*]

DOCISMUS, i, m. Legitur apud *Senec. Controv.* 2, 11. *sub f.*, et exponitur a quibusdam *ἐνέργεια*, h. e. evidentia, illustratio, cum apto verbo rem penitus significamus, atque ob oculos ponimus. Fortasse repetenda vox est a *δοκιμάζω*, exploro, ideoque interpretanda *experimentum:* alii tamen leg. *idiotismus*, quam vocem vide.

*DOCLĒAS, atis, adj. ad Docleam pertinens, Dalmatiae oppidum, nunc *Drina.* *Plin.* 11, 42, 97. Dalmaticae caseum Docleatem mittunt. ℙ *Doclēātes*, *ium*, sunt incolae illius oppidi, quorum mentio est apud *eund.* 3, 22, 26. *B. A.*

DOCTĒ, adv. *ἐπιστημόνως*, erudite, scite. *Mart.* 7, 46. Maeonioque cupis doctius ore loqui. *Sall. Jug.* 100. Doctissime eruditus litteris Graecis atque Latinis. ℙ Item sapienter, prudenter, cate, callide. *Pl. Epid.* 3, 3, 23. Docte et sapienter dicis. *Id. Mil.* 3, 1, 162, Ut docte et perspecte sapit! *Id. Stich.* 4, 1, 55. Docte versutus. *Id. Ps.* 4, 1, 31. Docte meditari dolos. *Id. Poen. Prol.* 111. Docte atque astu. et 1, 1, 3. Sapienter, docte, et cordate, et cate facere aliquid. *Id. Bacch.* 4, 4, 43. Senem doctum docte fallere. [**Id. Capt. prol.* 40. docte expedire aliquid.] ℙ Item bene, perite. *Hor. Ep.* 2, 1, 32. pingimus atque Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.

DOCTĬCANUS, a, um, adj. qui docte canit. *Capell.* 2, p. 30. Docticanis solers ludere sensibus.

DOCTĬFĬCUS, a, um, adj. doctos faciens. *Capell.* 1. *init.* Virgo armata, decens rerum sapientia, Pallas, Ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis, Ardor doctificus, etc.

*DOCTĬLŎQUAX, acis, adj. idem ac doctiloquus. *Dracont. Hexaem.* 2, 55. Littera doctiloquax apibus cognata probatur. *B. A.*

DOCTĬLŎQUUS, a, um, adj. qui docte loquitur. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Oratores doctiloqui. *Capell.* 9. p. 306. Doctiloquum caris juvenem complexa lacertis. Adde *Sidon. carm.* 22, 82.

DOCTISŌNUS, a, um, adj. qui docte sonat. *Sidon. carm.* 15, 180. Doctisonae artes.

DOCTIUSCŬLE, adv. diminut. *Gell.* 6, 16. Cum esset verbum *deprecor* doctiuscule positum in Catulli carmine, *h. e.* aliquanto eruditius, quam ut a vulgo intelligatur.

DOCTOR, oris, m. *διδάσκαλος*, qui docet, magister, praeceptor. *Cic. Or.* 1, 6. Graeci dicendi artifices et doctores. et 19. De qua nihil rhetorici isti doctores in praeceptis suis reliquissent. *Id. Fam.* 7, 19. Libri juris civilis, quamquam plurimi sunt, doctorem tamen desiderant. *Hor. Sat.* 1, 1, 25. pueris dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. ℙ Doctores fabularum sunt ipsi poetae, qui eas scribunt, ut in DOCEO dictum est. *Donat. proleg.* ad *Terent.* ℙ Etiam lanistae, qui gladiatores ad ludum instituunt, *doctores* appellantur. (Hos in militia, armorum doctores *Veg. Mil.* 1, 13. appellat. [*Doctor cohortis legitur in *Inscr.* ap. *Orell. n.* 1790.]) *Val. Max.* 2, 3. *n.* 2. Ex ludo Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, etc. Adde *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 189. *n.* 434. et p. 234. *n.* 613. et *Quint. Decl.* 302. ℙ Item qui athletas et aurigantes docent. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 143. *n.* 160. Aurelio Heraclidae doctori factionis, etc. ℙ In *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 123. legitur *doctor librarius:* et videtur significare eum, qui scribendi artem [**καλλιγραφίαν*, inq. *Orell.*] librarios docet: vel qui artem docet libros compingendi. Ipse tamen *Reines.* mallet legi *structor.*

DOCTRĪNA, ae, f. *διδασκαλία*, eruditio, actus docendi. *Cic. Or.* 3, 31. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili. et 1, 59. Jus civile summatim percipi sine doctrina potest. ℙ Haec passive de institutione, qua docemur: active de ea, qua erudimus alios. *Id. Sext.* 56. Sed mihi sumpsi hoc loco doctrinam quandam juventuti, qui essent optimates. *Id. Or.* 1, 48. Illa non sunt aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata. ℙ Est etiam ipsa ars, scientia. *Cic. Fam.* 6, 12. *extr.* Est unum perfugium, doctrina ac litterae, quibus semper usi sumus. *Id. Fam.* 4, 3. *a med.* Te ab initio aetatis memoria teneo summe omnium doctrinarum studiosum fuisse. *Id. Verr.* 2, 3, 88. Homo disertissimus, et omni doctrina et virtute ornatissimus. *Id. Or.* 10. In maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinae. *Id. Leg.* 2, 15. Malis studiis malisque doctrinis totas civitates evertere. [**Nep. Att.* 17, 3. neque id fecit natura solum, — sed etiam doctrina. Nos: *aus Grundsätzen.* Saepe ita opponuntur, quanquam non eodem semper sensu, natura et doctrina. Locos collegit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Epit.* 48, 14.] ℙ In specie *doctrinae* (ut doctus, quod v. V.) de philosophica disciplina intelligendum est. *Nep. Epam.* 2, 2. in doctrinis antecedere condiscipulos. Sic *Brem.* ad h. l.] ℙ Item munus ipsum docendi. *Cic. Off.* 1, 42. *a med.* Quibus artibus non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, hae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honesta. ℙ [*Item i. q. ratio quaedam praecipiendi, (*Theorie u. Methode*). *Cic. Or.* 2, 63. ambigui genera, de quibus est quaedam do-

ctrina subtilior. *Ib. c.* 19. doctrina eorum est perridicula.]

[DOCTRĪNĀLIS, e, adj. ad doctrinam pertinens. *Isid. Orig.* 2, 24. Philosophia doctrinalis dicitur scientia, quae abstractam considerat quantitatem: dividitur in quatuor partes, in arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam. V. INSPECTIVUS.

DOCTRIX, icis, f. quae docet. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 159. Quidam etiam afferunt exemplum ex *Appul. Dogm. Plat.* 2., sed alia optima exemplaria habent *ducatrix*.

DOCTUS, a, um, part. a *doceo*, πεπαιδευμένος, doctrina imbutus, eruditus, litteratus, intelligens. *Cic. Brut.* 46. Doctus et Graecis litteris et Latinis. [*Cum solo ablativo legitur *ib.* 45. et *Sall. Cat.* 25, 1. *Mart.* 10, 76.] *Id. Mil.* 4. Ad quam legem non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. *Id. Brut.* 25. Doctus ex disciplina Stoicorum. *Ov. Her.* 21, 182. Doctus in carmine. *Id. Trist.* 2, 256. carmine ab omni Ad delinquendum doctior esse potest. *Cic. Or.* 2, 6. Ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle. *Suet. Gramm.* 7. Nec minus Graece, quam Latine doctus. ℙ Cum genitivo et accus. et infinito, more Graecorum. *Gell.* 13, 12. Labeo legum atque morum populi R. jurisque civilis doctus apprime. (Addunt *Stat.*, *Hor.* et *Plin.*, sed in his dubia est lectio.) *Virg. A.* 10, 225. Doctissima fandi. [**Aur. Vict. Epit.* 11, 5. Sagittarum tam doctus fuit, ut etc. *Arntzen.* comparat *Claud. Eutrop.* 2, 381. doctissimus artis lanificae. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 8, 5. qui simul de graeca cum accusativo constructione agit.] *Stat. Th.* 2, 692. doctus omina. *Gell.* 19, 9. Graeci homines nostras quoque litteras docti. *Hor. Od.* 3, 6, 38. Proles docta versare glebas. et *ib.* 1, 29, 9. Doctus sagittas tendere. *Ov. Fast.* 2, 300. Corpora docta tolerare imbres. [*Cf. *Vechneri Hellenol.* p. 304.] ℙ Saepe dicitur de perito in poesi et in musicis. *Hor. Od.* 3, 9, 10. Dulces docta modos. *Id. ib.* 4, 13, 7. Docta psallere. *Ov. Amor.* 2, 4, 28. doctae manus, *h. e.* in lyra pulsanda. [*Omnino manus in unaquaque arte exercitatae *doctae* appellantur. *Id. A. Am.* 1, 518. de tonsore: sit coma, sit docta barba resecta manu. V. plura apud *Burm.* ad *Quint.* 1, 11. p. 118. et *Cort.* ad *Lucan.* 5, 706.] *Claud. Cons. Mall. Theod.* 273. docti riserunt floribus amnes, *h. e.* fontes Aganippes, unde qui potant, poetae fiunt. ℙ Differunt *doctus* et *eruditus*, si vim vocum spectes, in eo, quod *eruditus* est, qui simpliciter ruditatem exuit: *doctus*, cui praeterea accessit institutio et doctrina. Si vero usum, *eruditus* plus est, quam *doctus*, quod praeter doctrinam in schola acquisitam, multarum sibi rerum cognitionem lectione et studio comparavit. Praeterea *doctus* intelligi potest in gravioribus disciplinis, *eruditus* in litteratura: tametsi haec perpetua non sunt. *Cic. Or.* 1, 22. Graeculus otiosus et loquax, et fortasse doctus atque eruditus. *Id. Brut.* 30. Doctus vir et Graecis litteris eruditus. ℙ Universim *doctus* dicitur in sua quisque arte peritus. *Caes. B. C.* 3, 50. Quibus rebus nostri, usu docti, haec reperiebant remedia, ut alio loco ignes facerent, alio excubarent. *Colum.* 2, 16. Patruus meus doctissimus et diligentissimus agricola. *Petr. Sat.* 84. Veteranus latro, et ipsis lenonibus doctior. Adde *Horatii* et *Ovidii* loca supra allata. [*In specie καθ' ἐξοχήν *docti* appellantur philosophi s. sapientes. V. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 2, 4, 3. *coll.* ad 2, 7, 13. Quod apud *Eund.* legitur *ib.* 1, 9, 7. docti sumus — idem interpretatur de eleganti homine, quem nos dicimus *einen Mann von feiner Bildung*.] ℙ Aliquando est sapiens, prudens, callidus, catus. *Pl. Pers.* 4, 3, 70. Te de aliis, quam alios de te suavius est fieri doctos. *Ter. Eun.* 4, 7, 21. Nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior. *Pl. Ps.* 2, 4, 35. Malus, callidus, doctus. *Id. ib.* 2, 3, 12. Centum doctum hominum consilia, pro *doctorum*. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Ov. Her.* 20, 210. Verba ferens doctis insidiosa notis. *Id. Pont.* 2, 5, 52. Docta vox, *h. e.* facundia. *Pl. Mil.* 2, 2, 93. Doctus dolus. *Hor. Ep.* 2, 1, 131. Docta prece blandus. *Mart.* 7, 29. Docti libelli. *Tibull.* 2, 3, 20. ausae Rumpere mugitu carmina docta boves. *Ov. Met.* 6, 60. Brachia docta movent, *h. e.* perita texendi. Sic *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 177. et pollice docto Jam parat auratas trabeas. *Ov. Amor.* 1, 7, 24. Docta manus in capillis comendis. *Val. Fl.* 1, 122. Docta bipennis. *Prop.* 2, 15, 12. falx. [**Ov. Met.* 9, 742. num me puerum de virgine doctis Artibus efficiet? coll. *Pont.* 1, 3, 18. ℙ Permutantur *doctus* et *ductus*; V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 27, 4. et quos ibi laudat.]

DOCŪMEN, inis, n. idem quod documentum. *Lucr.* 6, 391. Documen mortalibus acre. V. DOCIMEN.

*DOCUMENTATĬO, onis, f. νουθεσία *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

DOCUMENTUM, i, n. δίδαγμα, id quo docemur, admonitio, exemplum. *Cic. Rabir. Post.* 10. Ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiae. *Id. Mil.* 8. *extr.* Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima. *Id. Phil.* 11, 2. Ex quo documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. *Id. ad Brut.* 1, 15. *ad f.* Statuere documentum, ne quis velit, etc. *Id. Agr.* 1. *in f.* Habere aliquem sibi documento, quae via facillime ad dignitatem perducat. [*Recte dicitur utrumque: *esse documento* et *esse documentum*. Illud tamen apud bonos scriptores usitatius. V. *Drak.* ad *Liv.* 24, 8, 20. et quem ibi laudat *Gronov.* coll. ad 7, 6, 11.] *Tac. H.* 4, 60. Miseriarum patientiaeque documentum fuere. *Curt.* 8, 14. Esse documentum ceteris, ut, etc. *Caes. B. G.* 7, 4. *extr.* Esse documento reliquis. [**Suet. Aug.* 94. sero tantum documentis apparuit, ostentum illud Augusti potentiam portendisse, i. e. eventus docuerunt.] ℙ In malam partem. *Cic. Dom.* 48. Homo omnium scelerum flagitiorumque documentum. [*In hunc sensum nos dicimus *ein Ausbund von* etc. In bonum autem sensum: *ein Musterbild*, ut *Id. Rab. Posth.* 10. P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiae.] ℙ Indicium, specimen, [*exemplum.] *Vell.* 2, 42. Documentum tanti mox evasuri viri. *Flor.* 4, 10. Cum Crassus et Pacorus utrinque virium mutuarum documenta fecissent. *Liv.* 32, 7. *a med.* Nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum. *Tac. A.* 1, 30. Pars a centurionibus caesi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. [*In formulis *documento esse* et *doc. dare* saepe quidem additur, quid illud sit, quod res, quae *documento esse* dicitur, doceat; nec raro tamen omittitur et ex sententia supplendum relinquitur. *Liv.* 1, 28. Audeat dehinc talia alius, nisi in hunc insigne jam documentum mortalibus dedero. — Plura hujus generis excitat *Duker.* ad *Liv.* 26, 5, 2.] ℙ Item signum, monumentum, quo aliquid comprobatur. *Impp. Theodos. et Valens. Cod.* 8, 54, 29. Idoneis documentis aliquid comprobare. *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 2, 21, 2. Verissima documenta. ℙ [In *Not. Tir.* p. 88. legitur *docimentum*. *F.*]

DOCUS, i, f. δοκός, trabs, tignum. Dicitur de aeris impressione, ob trabis similitudinem. *Plin.* 2, 26, 26. Emicant et trabes simili modo, quas docos vocant. *Harduin.* Graece δοκοὺς scripsit. V. DOCIS.

*DODECAËDROS, i, m. et f. δωδεκάεδρος, epitheton figurae solidae, duodecim latera aequalia habentis. *Martian. Capell.* 6. *prope f.* p. 154. ed. *Vulcan.* (al. p. 233.) ubi tamen Graecis litteris scribitur. *B. A.*

DODĔCATĔMŌRĬON, ii, n. duodecima pars alicujus rei, δωδεκατημόριον: a δώδεκα, duodecim, et μόριον, pars. Dicitur ab astrologis duodecima pars Signi alicujus coelestis; et usurpatur a *Manil.* 2, 694. Dodecatemoria in titulo signantia causas. Adde *ib.* 699, 711. et alibi.

DODĔCATHĔON, i, n. δωδεκάθεον, genus herbae: quasi herba duodecim Deorum, qui *Consentes* sunt appellati. V. h. v. *Plin.* 25, 4, 9.

DODŌNA, ae, et Dodone, es, f. Δωδώνη, urbs Epiri, in Molossia seu in Thesprotia, in Thessaliae confinio, ex quo Thessalica dicebatur, juxta fluvium Dodonem, qui postea cadit in Acheloum. Dicta est a fluvio Dodone, vel a nympha marina hujus nominis, vel a Dodone Jovis et Europae filia. Ibi ingens silva fuit, tota querna, et templum Jovis, et oraculum, et fons, qui faces exstinctas accendebat et accensas exstinguebat. *Plin.* 2, 103, 106., *Mela* 2, 3. et *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 148. et *A.* 3, 466. Ibi duae fuere columnae, in quarum altera pelvis aerea, in altera signum pueri flagellum tenentis, quod vehementiori vento impulsum pelvim feriebat: quod et ex *Varron.* ap. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. colligimus. *Lucan.* 6, 426. Nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix Aere Jovis Dodona sonet. ℙ Absolute *Dodona* pro sacerdotibus Jovis Dodonaei. *Nep. Lys.* 3. Primum Delphos corrumpere est conatus: cum id non potuisset, Dodonam adortus est. ℙ *Servius l. c.* scribit, in eo nemore columbas fuisse, quae oracula petentibus respondere consueverant: alii vero putant, has fuisse vetulas sapientiores, quae ex lingua veterum Thessalorum πελειάδες pro πολιάδες vocitatae fuerint: πέλεια enim columba est, πολιὸς canus seu senex. Alii quercus ipsas foliorum motu respondisse dicunt: unde et navem Argo ex his compactam, fatidicam fuisse. Alii ex murmure fontis petita ajunt, vate anu interpretante. *Claudian. III. Cons. Honor.* 117. Celsaque Dodone stupuit, rursusque locutae In te Chaoniae moverunt carmina quercus. ℙ [*Absolute Dodona est *oraculum Dodonaeum*, vel *oraculi Dodonaei sacerdotes*. *Nep. Lys.* 3. Dodonam adortus est, *h. e.* sacerdotes muneribus corrumpere tentavit. *B. A.*

DODŌNAEUS, a, um, adj. Δωδωναῖος, ad Dodonam pertinens. *Plin.* 4, 1, 1. et *Mela* 2, 3. Dodonaeus Juppiter. *Ov. Met.* 7, 623. quercus de semine Dodonaeo. *Cic. Att.* 2, 4. Dodonaea quercus. *Id. Div.* 1, 1. Oraculum Dodonaeum. *Virg. A.* 3, 466. Dodonaeosque lebetas, *h. e.* aereos, quales sunt Dodonae in templo, aut nemore Jovi sacro. Vel ita appellavit, quod ibi aes optimum funderetur: ut *Serv. ib.* inepte interpretatur.

DODŌNĬDES Nymphae, Δωδωνίδες, Jovis nutrices fuisse dicuntur, habitantes inter quercus, quae in nemore sunt Dodonaeo. Earum nomina recenset *Hygin. fab.* 182.

DODONĪGĔNA, ae, m. Dodonigenae populi ap. *Sidon. ep.* 6, 12. *a med.* sunt homines glande vesci soliti, priusquam fruges a Cerere monstrarentur. Fuit enim glandis copia apud Dodonam.

DODŌNĬS, ĭdis, adj. f. Δωδωνὶς, quae ad Dodonam pertinet. *Val. Fl.* 1, 32. Dodonida quercum, Chaoniique vides famulam Jovis. *Ov. Met.* 13, 716. Dodonida terram. *Id. Fast.* 6, 711. qua tu, Dodoni Thyene, Stabis, etc. Haec est una ex nymphis Dodonidibus, quas *Hygin.* refert. V. DODONIDES.

DODŌNĬUS, a, um, adj. Dodonaeus. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 31. Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

DODRA, ae, f. potionis genus, quae ex novem rebus fiebat, aqua, vino, jure, oleo, sale, pane, herba, melle, pipere; a *dodrans* mensura novem unciarum. *Auson. epigr.* 86 et 87.

DODRĀLIS, e, adj. ad dodram pertinens. *Dodralis potio* legitur in lemmate *Auson. epigr.* 86., ubi dodram describit.

DODRANS, antis, m. novem unciae: ita dictum a *de* et *quadrans*, quia ad as conficiendum quadrans deest. V. AS. ℙ Item cujuslibet summae, quae in duodecim partes dividatur, partes novem. *Mart.* 8, 9. Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium. *Cic. Att.* 1, 14. *sub f.* Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit. *Nep. Att.* 5. Heredem fecit ex dodrante. ℙ Item alicujus mensurae novem partes, v. g. pedis, qui duodecim continet uncias, jugeri, etc. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 5. Obeliscus centum viginti quinque pedum, et dotrantis. *Frontin. Aquaed.* 65. Fiunt areae pedes octo, dodrans. *Colum.* 5, 1. Dodrans jugeri. *Plin.* 2, 14, 11. Dodrans horae, *h. e. minuti. Colum.* 45, 2, 4. *a med.* Jugerum commode proscinditur duabus operis, una iteratur, tertiatur dodrante. *Id.* 3, 13. Sulcus altus dipondio et dodrante. ℙ Speciatim est palmus major, seu spithama. *Plin.* 7, 2, 2. Pygmaei ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes.

DODRANTĀLIS, e, adj. dodrantem continens. *Plin.* 15, 30, 39. Ramos spargit a radice dodrantales. *Colum.* 5, 6. *ante med.* Stirpem dodrantalem relinquas.

*DODRANTĀRĬUS, a, um, adj. ad dodrantem pertinens. *Tabulae dodrantariae* dicuntur, quae post legem Valeriam (V. VALERIUS, a, um) institutae sunt, in quibus ratio haberetur de dodrante, quem debitores in lucro ponebant, quoties aes alienum, quadrante tantummodo creditoribus soluto, dissolverent. V. QUADRANTARIUS. *Cic. fragm. orat. pro Font.* (ed. *Niebuhrio*) 2. Nam quod in tabulis dodrantariis et quadrantariis, quas ait ab Hirtulejo institutas, Fonteji officium desiderat, non possum, etc. *et paulo post.* Laudas Hirtulejum, quod dodrantarias tabulas instituerit: easdem Fontejus instituit, et eodem genere pecuniae. *A. B.* et *F.*

DOGA, ae, f. δοχὴ, vas, quod βοΐττης in *Gloss. Philox.* dicitur. Alii intelligunt non certum quoddam vas, sed certam v. g. vini quantitatem, vel quantum cupa, aut navis capere potest. Vox est cadentis Latinitatis. *Vopisc. Aurelian.* 48. Facta erat ratio dogae, cuparum, navium et operum.

*DOGARĬUS, i, m. Βουττοποιὸς *Lat. Gr. B. A.*

DOGMA, ātis, n. ψήφισμα, δόγμα, scitum, placitum, decretum. Specialiter dogmata sunt uniuscujusque sectae decreta, quae, ut ait *Cicero*, prodere scelus est, non minus, quam patriam; sine quibus nec sectae philosophorum, nec religionum vires constare possunt. Unde *Laert.* ait, sectam eam non appellari, quae dogmata non habet. *Cic. Acad.* 4, 9. Graece: at Latine, si libris credimus, utitur 43. et *Fin.* 2, 32. et *Mart.* 1, 9. et 9, 48. et *Juven.* 13, 121. et *Lactant. Mort. persecut.* 1. ℙ *Dogma, ae*, f. *Laber.* ap. *Prisc.* 6. p. 679. Nec Pythagoream dogmam doctus. V. SCHEMA.

DOGMĂTĬCUS, a, um, adj. ad dogmata, seu placita et decreta philosophorum pertinens. *Auson. Idyll.* 17, 15. Hinc etiam placitis schola consona disciplinis Dogmaticas agitat placido certamine lites.

*DOGMATISTES, ae, m. δογματιστής. *Hieron. B. A.*

DOGMĂTIZO, as, a. 1. δογματίζω, dogmatis alicujus auctor sum, dogmata trado. Est *Augustini ep.* 57, 8. *extr.*

DOLĀBELLA, ae, f. parva dolabra. *Colum.* 2, 24. Circa crus vitis dolabella dimovenda terra est. *et paulo post.* Si cavata vitis est, dolabella conveniet expurgare quidquid emortuum est. ℙ Est etiam cognomen Romanae familiae in gente Cor-

nelia. P. Cornelius Dolabella fuit Ciceronis gener, consul suffectus post C. Caesarem occisum, hostis reipubl. occupata per fraudem Asia et Syria, tandem Laodiceae obsessus servo suo cervicem praebuit, teste *Vell.* 2, 69. ℙ Alius fuit Dolabella, de quo mentio est apud *Juven.* 8, 104. Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde Sacrilegus Verres.

DOLĀBELLĬĀNUS, a, um, adj. ad Dolabellam pertinens. *Dolabelliana pyra* longissimi pediculi, memorantur a *Plin.* 15, 15, 16. et *Colum.* 5, 10. *a med.* et in generosissimis recensentur, nempe a quodam Dolabella vel illata in Latium, vel insita peculiariter, et exculta.

DOLĀBRA, ae, f. ferramentum ex una parte acie acuta, ex altera fossoria, longo manubrio instructum, ad caedendum et perfringendum. *Lips.* 1. *in f. Poliorcet.* dicit, fuisse forma securis, sed una et simplici acie, parte altera in mucrone acuminata, ut illa ad caedendum, hac ad deruendum uterentur. Est a supino *dolatum* verbi *dolo:* quare semper est paenult. prod. *Curt.* 5, 6. Dolabris pretiosae artis vasa caedebant. *Id. ib. ad f.* Dolabra glaciem perfringere. et 8, 4. Dolabris sternere silvas. et 9, 5. Dolabris perfringere murum. *Liv.* 21, 11. Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quod caementa interlita luto, etc. *Id.* 9, 37. Dolabrae calonibus dividuntur ad vallum proruendum fossasque implendas. *Juven.* 8, 248. munire castra dolabra. ℙ Est dolabrae usus etiam rusticis, quoties runcando caedendae sunt stirpes, radices, cetera hujusmodi. *Pallad.* 3, 21. Hoc tempore rosaria circumfodiuntur sarculis, vel dolabris et ariditas universa reciditur. Adde 2, 3. V. DOLABELLA. ℙ *Paul. Dig.* 33, 7, 18. in instrumento lanionis etiam dolabras enumerat. Quo fortasse referenda Dolabra pontificalis, quam memorat *Fest.* in *Scena:* nempe qua victimae secabantur.

DOLĀBRĀRĬUS, ii, m. qui dolabras facit, vel qui dolabra ligna caedit. *Inscr.* ap. *Grut.* 358, 6. Centuria centonar. dolabrar*iorum* scalar*iorum*. Alia apud *Bertol. Antiq. Aquil.* p. 161. Ti. Claudius dolabrar*ius* coll*egii* fabr*um*.

DOLĀBRĀTUS. a, um, part. ab inusit. *dolabro, as*, dolabra caesus. *Caes. B. G.* 7, 73. Truncis arborum abscissis, atque horum dolabratis, atque praeacutis cacuminibus perpetuae fossae ducebantur. ℙ *Pallad.* 1, 43. in instrumento agrestium recenset etiam *secures simplices vel dolabratas*. nempe altera parte dolabram referentes.

DOLĀMEN, inis, n. laevigatio dolando facta. *Appul. Florid. n.* 1. *post init.* Truncus dolamine effigiatus.

*DOLĀTES, um, populi Umbriae, Salentini cognominati. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

DOLĀTĬLIS, e, adj. qui facile dolari potest, ut Dolatiles lapides, *Auctor de Limitib.* ap. *Goes.* p. 270.

*DOLATĬO, onis, f. dolatus. *Augustin. B. A.*

*DOLĀTOR, oris, m. *Gloss. Vet.* πελεκητής. *B. A.*

DOLĀTORĬUM, ii, n. λαξευτήριον, ferramentum, quo lapides dolantur. *Hieron. ep.* 106. *in f.* Λαξευτήριον ergo dolatorium dici potest.

DOLĀTUS, us, m. idem quod dolamen. *Prud. Psych.* 836. multoque forata dolatu Gemma relucenti limen complectitur arcu.

DOLĀTUS, a, um, part. a *dolo*, laevigatus, politus, dolabratus. *Cic. Acad.* 4, 31. *sub f.* Non e saxo sculptus, aut e robore dolatus. *Juven.* 12, 57. Dolato confisus ligno. *Prop.* 4, 2, 59. Stipes properanti falce dolatus. *Petr. Sat.* 135. Sincipitis vetustissima particula, mille plagis dolata, *h. e.* ex qua millies aliquid caedendo detractum fuerat. ℙ *Dolītus* pro *dolatus*, dixit *Varr.* ap. *Non.* 2, 235. et 5, 55. scyphus Coelo dolitus artem ostentat Mentoris. Sed *Non.* male legit; nam *dolatus* id genus carminis, et loci sensus postulat.

DOLENS, entis, part. a *doleo*, qui dolorem capit. *Hor. Ep.* 1, 2, 53. auriculae collecta sorde dolentes. *Virg. A.* 4, 393. Solando lenire dolentem. *Cic. Parad.* 5, 1. Ut nihil faciat invitus, nihil dolens. ℙ Item dolorem afferens. *Sall. Jug.* 86. Dictitare alia magnifica pro se, et illis dolentia. *Ov. Met.* 4, 245. Nil illo fertur volucrum moderator equorum Post Phaetonteos vidisse dolentius ignes. *Nisi malis esse adverb.*

DOLENTER, adv. *Cic. Phil.* 8, 7. Dolenter hoc dicam potius, quam contumeliose. *Id. Sext.* 6. Dolentius deplorare. *Plin. ep.* 1, 5. Dolenter ferre aliquid, *h. e.* aegre ferre.

DOLENTĬA, ae, f. dolor. *Naevium* poetam antiquissimum usurpasse, testatur *Gell.* 19, 7. *Arnobium* quoque plus vice simplici usum esse, tradunt.

DOLĔO, es, lui, olitum, n. 2. ἀλγέω, λυπέομαι, dolore afficior: et refertur tum ad animum. *Afran.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 20 et 25. Cum dissolutus filius, *Heu me miserum*! tum severus pater: *Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.* (*Adde Cic. Att.* 16, 2.) *Cic. Marcell.* 1. Dolebam et vehementer angebar, cum viderem, etc. *Id. Mur.* 20. Cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit. *Id. Sext.* 69. Quia meum casum luctumque doluerunt. *Id. Att.* 8, 15. *extr.* Ut meam vicem doleres, cum me dederi videres. *Virg. A.* 1, 673. et nostro doluisti saepe dolore. *Liv.* 39, 43. *extr.* Ignominia ne sua quempiam doliturum censeret. (*doliturus* habet etiam *Hor. Sat.* 1, 10, 89.) *Cic. Fam.* 5, 8. Homines laude aliena dolentes. [*Frequentissimae haec cum accusativo et ablativo sunt constructiones. Ille casus autem ponitur, ubi dolere est i. q. conqueri, aegre ferre aliquid λυπεῖσθαί τι; hic autem ubi dolere est i. q. dolore affici aliqua re. De utraque construendi ratione cf. *Drak.* ad *Liv.* 5, 11.] *Id. Att.* 6, 6. De Hortensio te certo scio dolere. *Hor. Ep.* 1, 14, 7. Insolabiliter rapto de fratre dolentis. *Caes. B. G.* 1, 14. Quo gravius homines ex commutatione rerum doleant. et 5, 52. Tantum se deperdidisse, gravissime dolebant. *Cic. Brut.* 1. Si id dolemus, quod eo frui nobis non licet. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Doleo, quia doles. *Ter. Ad.* 2, 4, 8. Hoc mihi dolet, nos paene sero scisse. *Id. Eun.* 3, 1, 40. Dolet dictum imprudenti adolescenti. *Brut.* ad *Attic.* inter *ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. *ad f.* Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis. [*Haec constructio, h. l. excepto, tantum *Plauto* et *Terentio* familiaris est. Cf. *Pl. Capt.* 1, 2, 49. *Cist.* 2, 1, 20.] ℙ Tum ad corpus. *Pl. Cist.* 1, 1, 62. Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine. *Cic. Tusc.* 2, 19. Pes dolet, dolent oculi, latera, pulmones. *Plin.* 24, 5, 10. Si caput a sole doleat. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 28. Diu dolent talia ulcera. *Id.* 20, 21, 84. Deos dolet. *Pl. Truc.* 4, 2, 55. Si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet. ℙ *Dolitus est* pro doluit. *Inscr.* ap. *Grut.* 793, 4. et 794, 2. De qua nihil aliud dolitus est, nisi mortem. Sic *doleatur* pro doleat, in alia apud *eund.* 676, 11. Necesse est doleatur. Quae non sunt imitanda. ℙ Passive. *Stat. Silv.* 2, 6, 97. Eximius licet ille animi, meritusque doleri.

*DOLESCO, is, n. 3. idem ac doleo. *Gloss. Philox.* Ἀχθομαι, doleo, dolesco. *B. A.*

DOLĬĀRIS, e, adj. ad dolium pertinens. *Vinum doliare* dicitur ad differentiam amphorarii: illud enim ex doliis, hoc vero ex amphoris hauritur. *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. §. 4. Si doliare vinum emeris. [*Doliare autem vinum est idem quod recens vinum et opponitur defuso. Bibitur nonnisi a pauperioribus. V. *Abram.* ad *Cic. Phil.* 2, 27.] *Pl. Ps.* 2, 2, 64. Apud anum illam doliarem, cludam, crassam, Chrysidem, *h. e.* ventriosam instar dolii. Al. perperam leg. *diobolarem.* ℙ *Opus doliare in* multis inscriptionib. figlinarum apud *Murat.* p. 497. et seqq. et *alios* est quidquid a figulis venit, dolia, tegulae, lateres, amphorae, vasa fictilia omne genus.

DOLĬĀRĬUS, a, um, adj. ad dolium pertinens. Servus doliarius (*dolearius* habet *Inscr.* ap. *Grut.* 583, 1. [*V. de hac forma *Orell. Inscrr. Latt.* II. p. 374.]) est qui doliis vinum condit et in cella servat. ℙ *Doliarius, ii*, qui dolia facit. *Plin.* 3, 6, 12. Aenaria Graecis Pythecusa dicta, non a simiarum multitudine, sed a figlinis doliariorum. *Harduin* legit *doliorum* ex MSS. *Inscript.* ap. *Don. cl.* 7. *tab.* 4. p. 289. L. Aurelius Sabinus doliarius fecit sibi et suis. ℙ *Doliarium, ii*, est cella, ubi plura sunt dolia. *Cajus Dig.* 18, 1, 35. §. 7. Si ex doliario pars vini venierit.

*DOLICAE INSULAE prope Arabiam fuere. *Plin.* 6, 28. ℙ Scribendum videtur *Dolichae. B. A.*

*DOLĬCHA, ae, vel Doliche, es, f. (a Graec. δολιχή, i. e. longa, sc. urbs, insula,) oppidum Thessaliae, in Pelasgiotide. *Liv.* 42, 53. et 44, 2. ℙ Item oppidum Commagenes. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ Item insula maris mediterranei, postea Icaros vel Icaria nominata. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

DOLĬCHĒNUS, epitheton est Jovis a Doliche, urbe in Commagene provincia, ubi cultus fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 20, 6. Jovi optumo maximo Dolicheno T. Flavius Cosmus jussu Dei fecit. Adde alias *ib.* 4, 5, 7, 8. et 9. [De *Jove Dolicheno* plura habet *Marin. Frat. Arv.* p. 538. et seqq., ubi et numinis figura exstat. *F.*]

*DOLICHISTE, es, f. δολιχίστη, i. e. longissima sc. insula, in mari mediterraneo, prope Lyciam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[DOLICHUS, i, m. et Doliche, es, f. δολιχὸς, δολιχὴ, longus, longa. Est cognomen Romanum. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* an. 1825. mens. decemb. p. 348. C. Appulejus Dolichus. Alia apud *Grut.* 307, 1. Arruntia Doliche. *F.*[

[DOLIDUS, a, um, adj. molestus, dolorem afferens. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 3. Omnis motus dolidus est tumore oppressis. *F.*]

DOLĬŌLUM, i, n. κεράμιον, βιτλον, parvum dolium. *Colum.* 12, 43. *ante med.* Doliola nova, sine pice, in sole siccant. *Liv.* 5, 40. Sacra condita in doliolis, sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere. *Festus* et *Varr. L. L.* 4, 32. *a med.* docent illum ipsum locum, de quo *Liv.*, postea fuisse *doliola* appellatum. ℙ *Doliola florum* vocat *Plin.* 11, 13, 13. et *ib.* 15, 15. calyculos florum, qui instar dolioli turgent in medio, et rotundi sunt; [sed eam lectionem falsam esse putat *Schneiderus* ad *Varr. R. R.* 3, 16. p. 579. *F.*] ℙ *Servius* ad *A.* 6, 238. scribit *Doliola* appellatum esse etiam locum prope Cumas. Cujus rei rationem aliquis viderit.

DOLĬŌNIS, idis, f. V. v. seq.

[DOLĬŌNĬUS, um, adj. ad Dolionidem pertinens, quae et Cyzicus est appellata, Mysiae urbem in Asia, quam Doliones incoluerunt, de quibus mentio est apud *Stephan. Byzant.* et *Apollodor. Biblioth.* 1, 9. *Plin.* 5, 32, 40. Oppidum Milesiorum Cyzicum, antea vocitatum Arctonesos, et Dolionis, et Dindymis. *Val. Fl.* 5, 6. caelataque multa Arte Dolionii donat velamina regis, *h. e.* regis Cyzici, qui Dolionibus populis imperavit. *F.*]

DOLĬTO, as, n. 1. frequentat. verbi doleo. *Cato R. R.* 157. Omnia sana faciet, intro quae dolitabunt.

DOLĪTUS. V. DOLATUS et DOLEO.

DOLĬUM, ii, n. πίθος, vas e majoribus, quibus vinum conditur, et in cellis servatur, capax, rotundum, et ventriosum. Veteres vinum recens in doliis condebant: ubi esset defaecatum, in amphoras et cados diffundebant, ut docet *Proculus Dig.* 33, 6, 15. Hinc *Senec. ep.* 36. Vinum non pati aetatem, quod in dolio placuit. *Prop.* 2, 1, 69. Dolia virgineis idem ille repleverit urnis. ℙ Primo dolia fuere fictilia: unde *Juvenal.* de dolio Diogenis loquens, 14, 311. Sensit Alexander, testa cum vidit in illa Magnum habitatorem, etc. ℙ Ea in cellis vinariis defossa plerumque tenebantur, et solo adhaerentia, terra aggesta, quo essent tutiora; et pice intus illita, ut est apud *Colum*, *Terent.*, *Plin.* et non unis *Digestor.* locis. *Plin.* 14, 21, 27. Imbecilla vina demissis in terram doliis servanda, valida expositis. *Pallad.* 10, 11. In doliis picandis hic modus erit: ut dolium ducentorum congiorum duodecim libris picetur. ℙ Deinde lignea fieri coepere, et capaciora, asseribus vimine constrictis, ut hodieque apud nos. Ita enim figura dolii e saxo antiquo exhibetur apud *Reines. Inscr. cl.* 11. *n.* 62., videturque hac ratione idem esse, quod cupa. Quod vero lignea fuerint, docet etiam *Plin.* 8, 6, 6., ubi rates memorat doliorum consertis ordinibus impositas. *Id.* vero 14, 21, 27. narrat, circa Alpes ligneis vasis vinum condi, circulisque cingi. Adde *Flor.* 3, 20. *sub f.* ℙ *Trebat.* apud *Procul. Dig.* 33, 6, 15. negabat, dolia in vasis vinariis esse numeranda. Cujus opinionis ratio esse potest, quia ad alios quoque usus destinari possunt, ut condendo oleo, frumento, uvisque, cotoneis, et aliis hujusmodi ad cibos. Hinc apud *Varr. R. R.* 1, 22. dolia acinaria et frumentaria. et *Caton. R. R.* 10. dolia amurcaria. In militia adhibita quoque sunt plena saxis, aut pice accensa, quo per declive devolverentur in hostes. Quin et defunctos sese multi fictilibus doliis condi maluere, ut ait *Plin.* 35, 12, 46., quamquam *soliis* [minus recte *F.*] ibi legendum censet *Harduinus* ex quibusdam MSS.; [nam apud Salonam nuper effossa sunt plurima dolia, quibus continebantur integra humana corpora; quo autem commodius intromitterentur, dolia ipsa prius data opera transversim secta, deinde glutine quodam conjuncta, et una cum corporibus in loculis latericiis humi prostrata, et ordinatim disposita condita sunt. V. CUPA. *F.*] *Julianus* tamen *Dig.* 50, 16, 206. docet, in vinario instrumento dolia habenda esse, si vinum habeant; si non habeant, non esse. ℙ De doliis curtis V. CURTUS. ℙ Dolia, in quibus conclusi aluntur glires in consepto villae, memorat *Varr. R. R.* 3, 12. ℙ Dolia plumbea memorantur a *Jabolen. Dig.* 33, 7, 27. ℙ *In dolium pertusum ingerere aliquid*, proverbio est operam perdere. *Pl. Ps.* 1, 3, 135. V. PERTUSUS. ℙ Apud *Cic. Brut.* 83. *ad f.* Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime: sed quandam sequatur aetatem, *h. e.* vinum recens factum, et sine nota anni. Nam in dolia tali mente vina conjicimus, inquit *Procul. Dig.* 33, 6, 15., ut ex his postea vel in amphoras et cados diffundas; vel sine ipsis doliis veneant. Cadis autem et amphoris adscribebatur nota consulum, doliis non item. ℙ A similitudine dicuntur *dolia* in coelo globi ignei, de quibus V. *Pithoeus Manil.* 1, 840. tumidis exaequat dolia flammis Procero distenta utero. [*In *Kalendario rustico Farnes.* ap. *Orell.* II. p. 381. legitur *dolea* pro *dolia*, ut plura in illo, e. g. *Deana* pro *Diana.*]

DOLO, as, avi, atum, a. 1. πελεκάω, dolabra sive ascia caedo, levigo. *Cic. Div.* 2, 41. Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? *Cato R. R.* 31. Dolare materiem. *Id. ib.* 45. Taleas oleagineas dolare aut secare. ℙ Translate, fuste dolare aliquem, apud *Hor. Sat.* 1, 5, 22. Dolare dolum, i. e. dolum effectum reddere, machinam struere. *Pl. Mil.* 3, 3, 63. ℙ *Dolare vermiculos* est necare fricando. *Auct. Priap.* 47. dolemque Cunni vermiculos scaturientes. ℙ Obsceno sensu. *Mart.* 7, 67., ubi alii *vorat* leg., et *Pompon.* ap. *Non.* 2, 742. Dolasti uxorem. V. DEDOLO. ℙ *Dolĕre* in infinito, ut sit 3. conjug., quidam leg. apud *Lucr.* 5, 1266. Hinc *dolitus:* de quo V. in DOLATUS.

DOLO, onis, m. Vox Graeca. *Hesych.* Δόλωνες ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα. *Servius* ad *Virg.*

A. 7, 664. Dolo est aut flagellum, intra cujus virgam latet pugio; aut, secundum Varronem, ingens contus cum ferro brevissimo. Dolones autem a fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, cum speciem praeferant ligni. *Virg. ib.* Pila manu, saevosque gerunt in bella dolones. *Alfen. Dig.* 9, 2, 52. Flagello, quod in manu habebat, in quo dolo inerat, verberare tabernarium coeperat. Apud *Torrentin.* legitur *dolor:* ex quo suspicio est, *dolon* esse in MS. Nam et hanc positionem in recto casu huic nomini quidam tribuunt, cum Graece quoque habeat. [*Restitutum est h. v. e *Ferrarii* conjectura *Suetonio Dom.* 17. lanis fasciisque — ad ipsam horam dolonem interjecit. (Vulgo: *dolum*). Habet *idem Claud.* 13. cum dolone et cultro venatorio.] ℙ Ad muscae aculeum transtulit *Phaedr.* 3, 6. Vide, ne dolone collum compungam tibi. ℙ In navi est minus velum, fortasse quod nunc *trinchetto* (*Besamsegel*) appellant. *Pollux* 1, 9. Ὁ δὲ ἐλάττων ἱστὸς, δόλων. *Hesych.* Δόλωνες οἱ μικροὶ ἱστοὶ ἐν τοῖς πλοίοις. *Liv.* 36, 44. Dolonibus erectis altum petere intendit. et 45. Sublatis dolonibus effuse fugere intendit. Adde 37, 30. Ubique autem de re subita sermo est, cum majora vela expandere celeritas non sinit, ideoque minora tantummodo explicantur.

*DOLON, onis, m. Δόλων, Trojanus, speculator missus in castra Graecorum, a Diomede et Ulysse, qui et ipsi speculatum venerunt, interfectus est. V. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 347. et al. *Hygin. fab.* 113. *Dict. Cret.* 2, 37. *Ov. Met.* 13, 98. ℙ *Dolum* eum *Plautus* vocat *Pseud.* 4, 8, 7. ℙ Item unus ex Priami filiis. *Hygin. fab.* 90. *B. A.*

*DOLONCAE, arum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 12. *Dolonci* audiunt *Solin.* 10. et *Steph. Byz. B. A.*

DOLOPĒIS, idis, f. Δολοπηΐς, quae ad Dolopes pertinet, ut Dolopeis urbs, *h. e.* Ctimene urbs Thessaliae apud *Hygin. fab.* 14.

DOLOPĒĬUS, a, um, adj. ad Dolopes pertinens. *Val. Fl.* 2, 10. vidisse putant Dolopeia busta.

DOLŌPES, um, m. Δόλοπες, populi Thessaliae, in Epiri confinio seu in Epiro, quorum regio Dolopia, inter Peneum ad Or. et Acheloum ad Mer. *Plin.* 4, 2, 3. et *Virg. A.* 2, 7, 29. etc. [*Aetolis annumerat *Plin.* 4, 2. Scyrum aliquando incoluere, teste *Nep. Cim.* 2. *B. A.*] ℙ *Dolops, is,* num. sing. *Liv.* 42, 58. Ionem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis praefecit.

*DOLOPĬA, sc. regio, Δολοπία, sc. χώρα, pars Thessaliae fuit, quam olim Dolopes incolebant. *Liv.* 32, 13, 36. 33, 38, 8. et 39, 26. *B. A.*

DOLOR, oris, m. λύπη, ἄλγος, acerbus animi, vel corporis sensus, cruciatus, moeror. Corporis dolorem ita definit *Cic. Tusc.* 2, 15. Dolor est motus asper in corpore, alienus a sensibus. Animi vero [*ex sententia Stoicorum] ita, *ib.* 4, 8. Dolor est aegritudo crucians. *Id. ib.* 3, 25. Dolor corporis, cujus est morsus acerrimus. *Id. Att.* 1, 5. *extr.* Terentia magnos articulorum dolores habet. *Id. Tusc.* 3, 25. *extr.* Dolor animi pungit. *Id. Fin.* 1, 7. Dolorem suscipere pro patria, pro suis. *Id. Dom.* 36. et *Phil.* 11, 1. Accipere dolorem ex aliqua re. et *Dom.* 58. Sustinere perpetuum dolorem. *Id. Cat.* 4, 1. Omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferre. *Id. Fam.* 1, 5. Affici summo dolore. et 6. Capere dolorem in re aliqua. et *ib.* 4, 6. *ad f.* ab aliqua re. *Id. Coel.* 24. haurire acerbissimum. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *extr.* afferre alicui. et *Att.* 7, 13. dare. et *Phil.* 11, 15. inurere. et *Att.* 12, 18. efficere. et *ib.* 12, 8. facere alicui. *Id. Verr.* 2, 4, 21. *extr.* Haec magnum dolorem commovent. *Id. Fin.* 1, 11. Esse in dolore. et *Fam.* 4, 3, Dolore angi. et *ib.* 13. *a med.* Abjicere omnem dolorem. et *ib.* 4, 6. deponere. et *ib.* Dolori resistere. *Id. Har. resp.* 18. Hoc est mihi dolori. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *sub f.* Sed omnis dolor est, quod optime factis poena est maxima constituta. [*Lucan. 7, 43. edere dolorem i. e. tacendo consumere. V. *Cort.*] ℙ De dolore parturientium. *Ter. Andr.* 1, 5, 33. et *Ad.* 3, 5, 40. ℙ De ira, quae dolor est cum appetitu vindictae. *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 6. p. 689. Uxor pellicatus dolore concitata. *Nep. Lys.* 3. Incensus dolore. [*Coll. *Caes. B. G.* 5, 4. *exardere.* Nos hoc sensu dicimus *Aerger, Kränkung,* prorsus ut supra ipse *Cic.* animi dolorem explicavit. V. etiam *Goer.* ad *Cic. Leg.* 1, 14, 40.] *Serv.* ad *A.* 11, 732. monet, veterum more dolorem dici etiam studii alicujus ardorem, et promptam gloriae cupiditatem: quo sensu et πόνον Graece usurpari. *Virg. A.* 10, 397. Arcadas accensos monitu, et praeclara tuentes Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes. ℙ Translate. *Cic. Or.* 62. Genus hoc orationis detrahit dolorem actionis [*i. e. actione expressum], aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. *Id. Or.* 3, 25. Ut oratio admirabilis sit, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat. [*In his locis, ut *Brut.* 24, 93. naturalis quidam dolor. *ib.* 43, 158. (Crassi) irata et plena justi doloris actio — dolorem „dictum censeo de ea animi indole naturali, qua sensus παθητικοὺς ipsosque affectus facillime concipit; maxime vero eos affectus et sensus, qui cum quodam dolore conjuncti sint." Sic bene *Ernest. techn. lat.* s. v. SENSUS p. 346. Cum locis allatis inprimis cf. est *Cic. Or.* 37 et 38.] ℙ De re, quae dolorem infert. *Ov. Pont.* 3, 3, 73. Quidquid id est, (neque enim debet dolor ille referri) Non potes, etc. *metonymia.* ℙ [*Confunduntur passim *dolor* et *labor.* V. intpp. ad *Virg. A.* 2, 776. 9, 139. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 317. — et *furor, Id. ib.* 6, 228. De vocc. *dolor* et *labor* disputat *Döderl. Syn.* 1. p. 115.]

*DOLORIFĪCUS, a, um, adj. *Onomast. Vet.* ἀλγεινὸς. *B. A.*

DOLOROSUS, a, um, adj. dolorem afferens. *Veg. Vet.* 4, 22. Dolorosi loci. *Coel. Aur. Tard.* 4, 5. Exstantia resistens et dolorosa.

DŌLOSĒ, adv. δολερῶς, cum dolo, versute, subdole. *Cic. Off.* 3, 15. Dolose aut malitiose agere aliquid. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 38. Cupidius accusare et dolosius.

*DOLOSĪTAS, atis, f. *Vulgat. Siracid.* 37, 3. *B. A.*

DŌLŌSUS, a, um, adj. δολερὸς, doli plenus, subdolus, versutus, malitiosus, fallax. *Cic. Rabir. Post.* 2. Pulsus regno Ptolemaeus dolosis consiliis. *Hor. Sat.* 2, 5, 70. Dolosa mulier. *Ov. Met.* 15, 473. Artes dolosae. *Phaedr.* 1, 13. Dolosa vulpes. ℙ Translate. *Pers. prol.* Dolosus nummus, *h. e.* corruptor, seductor. Et cum infinito. *Hor. Od.* 1, 35, 26. diffugiunt cadis Cum faece siccatis amici, Ferre jugum pariter dolosi, *h. e.* qui videbantur quidem fidi, sed versa fortuna fallentes. *Id. ib.* 2, 1, 8. incedis per ignes Suppositos cineri doloso.

DŌLUS, i, m. [est ab obsoleto δέλω, inesco, unde δέλεαρ, esca, fraus; inde etiam δόλος, dolus *F.*] mediae significationis. Antiqui enim, teste *Festo*, etiam in bonis rebus utebantur: unde adhuc dicimus *sine dolo malo*, nimirum quia solebat dici et bonus, *h. e.* solertia, maxime si adversus hostem latronemve quis machinaretur, ut est apud *Ulp. Dig. tit.* 4, 3. *qui est* De dolo malo, *Labeo ib. leg.* 1. Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. [*In v. *dolus* semper inest *studium nocendi*, auctore *Döderl. Syn.* 1. p. 119. coll. III. p. 217. Hoc falsum esse evincitur iis, quae infra disputat de discrimine vv. *dolus* et *fraus.* Saepe enim *dolo* utimur ut fraudem depellamus, non ut in fraudem inducamus. — In medio idem relinquit, utrum *dolus* et *dolor* casu tantum homonyma sint, an pertineat utrumque vocabulum ad *dolere.* Equidem illud potius crediderim; neque tamen, quod supra *Furl.* posuit, ideo probaverim.] *Cic. Off.* 3, 14. *sub f.* et *Top.* 9. Cum ex Aquilio quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum aliud esset simulatum, aliud actum. *Liv.* 38, 11. in formula pacis: Imperium majestatemque populi Romani gens Aetolorum conservato, sine dolo malo. *Ter. Eun.* 3, 3, 9. Erat suspicio, dolo malo haec fieri omnia. Ubi *Donat.* Quod addidit *malo*, aut ἀρχαϊσμὸς est, quia sic in XII. Tab. a veteribus scriptum est; aut ἐπίθετον doli est perpetuum; aut diastole est, quia est et bonus, quo a medentibus falli aegros, non tamen decipi, Lucretius (4, 11.) testatur. ℙ Saepissime absolute adhibetur. *Cic. N. D.* 3, 29. *extr.* Doli, machinae, praestigiae. *Caes. B. G.* 4, 13. Per dolum atque insidias pacem petere. *Sall. Cat.* 29. Parare dolum alicui. et 10. Dolis atque fallaciis contendere. et 14. Dolis aliquem capere. *Ter. Andr.* 3, 2, 13. fallere. et 3, 4, 4. deludere. *Sall. Jug.* 73. Quaerere dolum ad perniciem alterius. et 40. Bellum socordia magis, quam dolo trahere. *Nep. Timol.* 5. Dolo aliquem interficere. *Id. Ann.* 10. Dolo erat pugnandum, cum par non esset armis. *Val. Fl.* 5, 292. Movere dolos. et 2, 568. volutare. et 8, 410. sentire. *Senec. Herc. Oet.* 1467. struere. et *Phoeniss.* 119. nectere. *Virg. A.* 2, 62. versare. etc. ℙ [*Interdum est *dolus* i. q. culpa, vitium. Sic interpretantur Scholiastae locum *Hor. Sat.* 1, 6, 90. magna pars (hominum) suo dolo factum esse negat, quod etc. Conferre jubet *Heind. Brissonium* de. *V. S.*, sed ibi nihil de hac vi monitum reperio.] ℙ Interdum *doli* dicuntur res ipsae, quibus alteri dolus paratur. *Ov. Halieut.* 25. Emica atque dolos saltu deludit, *h. e.* retia. ℙ Inter *dolum* et *fraudem* hoc interest, quod *dolus* est omnis callida machinatio sive in verbis, sive in factis, circumveniendi causa: *fraus* detrimentum aliquod importat et damnum. Itaque omnis *fraus* est *dolus*, non contra. *Cic. Dom.* 14. Ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur. [*De Synonymis aliis V. *Döderl.* posteriore locorum supra laudatorum. Idem discrimen ut inter *dolum* et *fraudem* est in nostra lingua inter *List* et *Betrug*; illud voc. in hoc quoque congruit cum latino (dolus), quod olim erat i. q. *Verstand, Einsicht*, ut *dolus* i. q. sollertia, calliditas in amovenda fraude.] ℙ Apud poetas *Dolus* est Deus, ut Discordia, Pavor, Letum, etc. *Val. Fl.* 2, 205. ℙ [*Permutantur *dolus* et *donum.* V. intpp. ad *Liv.* 1, 48, 10.]

DOMA, ātis, n. δῶμα. Hinc est Gallorum *dôme,* Italice *cupola. Hieron. ep.* 106. *n.* 63. In Aegypto et Palaestina non habent in tectis culmina, sed domata, quae Romae vel solaria, vel maeniana vocant, idest plana tecta, quae transversis trabibus sustentantur. Hinc in Euangelio (*Matth.* 10, 27.) Quae auditis in aure, dicetis super domata, *h. e.* divulgabitis, palam omnibus dicetis, quia domata omnium oculis exposita sunt. κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. *Id. ep.* 58. *n.* 11. Canere in domatibus, quod in cubilibus cognovisses.

DOMĀBĬLIS, e, adj. qui domari potest. *Hor. Od.* 4, 14, 41. Te Cantaber non ante domabilis Miratur. *Ov. Met.* 9, 253. Atque immune necis, nullaque domabile flamma. [*Al. flammae. V. *Burm.*]

*DOMATHA, urbs Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

DOMĀTOR, oris, m. idem ac domitor. *Tibull.* 4, 1, 116. conversus terga domator, etc. *Ammian.* 21, 5. Domator gentium et regum.

DOMĀTUS, a, um, part. a *domo*, domitus. *Petr. fr. Trag.* 74. *Burm.* Curabo, domata sit Cassandra.

*DOMAZANES, um, populi Africae, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

DOMĒFACTUS, a, um, adj. domitus, ut, Terra aratro domefacta nitet, *Petr. Sat.* 99.

DOMESTĬCĀTIM, adv. per varias domos, item per domesticos. *Suet. Caes.* 26. Ea, quae ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat.

DOMESTICĒ, adv. *Symmach. ep.* 10, 36. *ad f.* (al. 43.) Libellus domestice confectus. Adde *Tert. Pall.* 4. *ad f.*

*DOMESTĬCĪTAS, atis, f. *Vet. Interpr. Irenaei* 3, 20. *B. A.*

DOMESTĬCUS, a, um, adj. οἰκειακὸς, οἰκεῖος, ad domum et familiam pertinens, privatus, familiaris. *Cic. Vatin.* 13. Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari coenavit cum toga pulla? *Id. Fam.* 7, 14. Qui gravere litteras ad me dare, homini praesertim prope domestico. [*Plin. Pan.* 43. accusator domesticus.] *Id. Cat.* 1, 6. Ruinae fortunarum, quae ad domesticam tuam difficultatem pertinent. *Id. Dejot.* 2. Dicere intra domesticos parietes. *Id. Fam.* 5, 13. *a med.* Ergo domestica feremus, ut censes; et publica paulo etiam fortius, quam, etc. *Id. Tusc.* 1, 1. Res domesticas ac familiares nos melius tuemur: rem vero publicam nostri majores, etc. [*Plin. Pan.* 37, 1. opponit *heredes extraneos* et *domesticos:* quorum hi intelligendi sunt proximi consanguinei; illi alii cives Romani, qui non ad ipsam familiam pertinebant. V. *Schwarz.* ad h. l. ℙ Sic etiam absolute *domestici* ii dicuntur, qui ad domum s. familiam pertinent, *Hausgenossen. Suet. Aug.* 89. aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad Urbis magistratus, nos *Familienmitglieder.* ℙ De servis intellige apud *Eund. Oth.* 10. divisit et pecunias domesticis. ℙ Ad *clientes* referendum esse docet *Pithoeus*, quem laudat *Beier.* ad *Cic. p. Aem. Scauro* p. 181.] ℙ *Domestica vestis*, qua domi utimur. *Suet. Vitell.* 8. [*Cf. *Cic. Fin.* 2, 24.] ℙ In illo *Hor. Sat.* 1, 6, 127. Pransus non avide, etc. domesticus otior, *h. e.* domi manens otior. ℙ Item intimus, amicus. *Id. Rosc. Am.* 6. Cum Metellis erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. *Ov. Pont.* 4, 3, 15. Ille ego convictor densoque domesticus usu. ℙ Item ad nostram civitatem pertinens. *Cic. Font.* 10. Potestis igitur ignotos notis, iniquos aequis, alienigenos domesticis anteferre? *Id. Off.* 2, 8. Externa libentius in tali re, quam domestica, recordor. *Id. Fam.* 5, 2. Urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere defendere. *Caes. B. G.* 5, 9. Domesticum bellum, *h. e.* intestinum, civile. et *B. C.* 2, 5. Domesticis opibus vel externis auxiliis de salute urbis confidere. ℙ [*Opponuntur etiam domestica et militaria, ut domique bellique. *Cic. Off.* 1, 22, 79. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus.] ℙ In *Cod. Theodos.* 1, 12, 3. dicuntur *domestici*, qui circa aliquem sunt, neque ab ejus latere discedunt. Sic apud *Vopisc. Numer.* 13. sunt *domestici* milites, qui circa principem custodiam corporis agunt.

DOMĬCĬLĬUM, ii, n. οἰκητήριον, domus, sedes domestica, habitatio certa et diuturna. *Caes. B. G.* 6, 29. Aedificium circumdatum silva, ut sunt fere domicilia Gallorum. *Cic. N. D.* 2, 37. Si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis. *Id. Arch.* 4. Cum hic domicilium Romae multos jam annos haberet. *Caes. B. G.* 1, 30. et *ib.* 2, 29. Deligere sibi locum aliquem domicilio. *Nep. Them.* 10. Domicilium Magnesiae sibi constituit. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. Sedes ac domicilium collocare in provincia. *Liv.* 3, 57. Carcer, domicilium plebis Romanae, *scil.* quia ibi multi diu detinebantur. Sic *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Carcer ille, quae Lautumiae vocantur, in istius imperio domicilium civium R. fuit. *Plin.* 9, 32, 51. Cochleae exserentes se domicilio. *Gell.* 7, 16. vocat *domicilia ciborum* regiones, in quibus cibi

alicujus generis optimi nascuntur, ut pavones Sami, attagenae in Phrygia, haedi in Ambracia, etc. ℙ Translate. *Nep. Att.* 3. In ea urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii. *Cic. Or.* 1, 23. In hoc domicilio suberbiae, atque in sedibus luxuriae collocati. *Id. Balb.* 5. Cn. Pompeji sic late longeque diffusa laus, ut ejus gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur. *Vell.* 2, 69. In Vatinio deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. *Gell.* 17, 15. Corrupti in stomacho humores ad domicilia usque animi redundant, *h. e.* ad caput. ℙ Illae fortasse alicui paulo audaciores metaphorae videantur, *Cic. Fam.* 16, 17. Verbo *fideliter* domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae. et *Pis.* 31. Suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus Pompeji collocaverunt.

DŌMĪCOENĬUM, ii, n. *οἰκοσιτία*, coena, quae fit domi. *Mart.* 5, 78. Si tristi domicoenio laboras. *Id.* 12, 77. trinoctiali Affecit domicoenio clientem.

*DOMICŬLA, ae, f. parva domus, apud *Frontum. B. A.*

DŌMĪDŪCUS Deus dictus est, qui sponsae ad mariti domum ducendae praeerat. *Augustin. Civ. D.* 6, 9. ℙ Juno quoque *Domiduca* dicta est et *Iterduca*, quasi praeses pueris iter facientibus et domum redeuntibus: et puellis ad mariti domum pergentibus. *Id. ib.* 7, 3., item *Capell.* 2. p. 37. apud quem al. leg. *interduca.*

*DŌMĪNAEDĬUS. V. DOMNAEDIUS.

DŌMĪNĀ, ae, f. *δέσποινα*, quae in aliqua re dominatur. *Cic. Off.* 3, 6. Justitia omnium est domina et regina virtutum. et 2, 10. Voluptates, blandissimae dominae. *Id. Marcell.* 2. Illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna. *Id. Parad.* 5, 3. Cupiditas honoris, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! ℙ Dicitur de matrefamilias. *Suet. Claud.* 39. et *Ter. Heaut.* 4, 1, 15. et *Virg. A.* 6, 397. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. Ubi *Serv.* aut de Graeco tractum, qui uxorem *δέσποιναν* dicunt. *Ovid.* quoque dominam vocat uxorem suam, *Trist.* 4, 3, 9. et *ib.* 5, 5, 1. ℙ Item de amica, *Ter. Heaut.* 2, 3, 60., *Ovid.* in *amatoriis* saepissime, *Petron.*, *Propert.*, *Martial.* 6, 71. etc. ℙ Deae quoque sic aliquando appellatur. *Virg. A.* 3, 113. Et juncti currum dominae subiere leones. Ubi *Serv.* dominam proprie matrem Deum dici, Varro, et ceteri affirmant. *Inscr.* ap. *Grut.* 82, 2. Dominae Isidi victrici. ℙ Urbs domina *Martiali* 12, 21. est Roma. ℙ In dativo plur. *Curt.* 3, 12. Ut armatos conspexere, rati esse actum de dominis, etc. *h. e.* matre et uxore Darii captivis. V. dicta in ASINA.

DŌMĪNANS, antis, part. a *dominor*, dominus. *Cic. Tusc.* 1, 30. Vetat dominans ille in nobis Deus. *Lucr.* 3, 397. Et magis et animus vitai claustra coercens, Et dominantior ad vitam, quam vis animai. *Tac. A.* 14, 56. Qui finis omnium cum dominante sermonum. *Id. H.* 4, 74. Vitia dominantium tolerare. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 234. inornata et dominantia nomina, *h. e.* propria, ab omnibus passim usurpata, et quodammodo in sermone vulgi dominantia et obtinentia.

DŌMĪNĀTĬO, onis, f. *δεσποτεία*, imperium, dominium, dominatus. *Cic. Inv.* 2, 54. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. ℙ Fere intelligitur dominium unius in multos: quod in libera republica est odiosum: atque ideo Latine saepissime in malam partem accipitur. *Cic. Att.* 8, 3. *a med.* Idem fecero, quod in Cinnae dominatione Philippus. *Id. Phil.* 3, 14. Non modo crudelem suberbamque dominationem nobis, sed ignominiosam etiam et flagitiosam esse ferendam. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Erudire me potuit, quam jucunda libertas, et quam misera sub dominatione vita esset. *Nep. Lys.* 1. Atheniensium impotentem dominationem refringere. [*Ad alia translatum.] *Cic. Verr.* 1, 2, 12. Quoniam haec te omnis dominatio regnumque judiciorum tantopere delectat. [*Id. ib.* 5, 68. dominatio regia in judiciis, sc. per quam omnes causae obtinentur. V. DOMINOR.] *Auct. ad Her.* 4, 19. *ad f.* Ne fortuna magnam in nos habeat dominationem. ℙ In plur. num. *Tac. A.* 3, 26. Postquam exui aequalitas, et pro modestia vis incedebat, provenere dominationes. *Id. ib.* 13, 1. Segnis et dominationibus aliis fastiditus, *h. e.* aliis dominantibus.

DŌMĪNĀTOR, oris, m. *αὐτοκράτωρ*. *Cic. N. D.* 2, 2. Dominator rerum Deus, et omnia nutu regens.

DŌMĪNĀTRIX, icis, f. *κυρία*. *Cic. Inv.* 1, 2. Caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas. *Senec. Hipp.* 85. Magna vasti Creta dominatrix freti.

DŌMĪNĀTUS, a, um, part. a *dominor*, sensu activo, imperium habens. *Virg. A.* 2, 363. Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos. *Plin.* 4, 10, 17. *ad f.* Macedonia in Bactris, Medis, Persis dominata.

DŌMĪNĀTUS, us, m. *κράτος*, imperium, dominatio, et fere in malam partem, ut de DOMINATIO dictum est. *Cic. Dejot.* 11. Fit in dominatu servitus, in servitute dominatus. *Id. Div.* 1, 25. Urbs ab Alexandro tyranno crudeli dominatu tenebatur. *Id. Rabir. Post.* 14. Esse in superbissimo dominatu. *Id. Phil.* 11, 14. Alicui dominatum et principatum dare. *Id. Parad.* 5, 3. Cum dominatus cupiditatum excessit. *Prud. Ham.* 517. quorum (*Daemonum*) dominatibus humidus iste obtemperat aer. ℙ In bonam. *Cic. N. D.* 2, 11. Omnium rerum potestate dominatuque dignissimus. et 60. Terrenorum commodorum omnis est in homine dominatus. [*Nep. Reg.* 1, 2. dominatum imperio tenere.] ℙ In dativo *dominatu* pro *dominatui* dixit *C. Caesar* apud *Gell.* 4, 16. Unius arrogantiae superbiaeque dominatuque. V. ASPECTUS.

*DOMINICĀLIS, e, adj. ut *Dominicales Curiae* ap. *JCt.* in *Dig. B. A.*

*DOMINICUM, i, V. v. seq.

DŌMĪNĪCUS, a, um, adj. *κυριακός*, ad dominum pertinens. *Varr. R. R.* 2, 10. *ad f.* Is sine litteris idoneus non est, quod rationes dominicas, pecuarias conficere non potest. *Petr. Sat.* 31. Vinum dominicum ministratoris gratia est. [*Suet. Vit.* 11. citharoedum admonuit, ut aliquid de Dominico diceret, sc. libro. In eo enim Neronis (sc. Domini) carmina scripta erant. Alii nominativum esse volunt *dominicum.* In *clavi Suet. B. Crusii* h. v., nescio an casu aliquo, excidit.] *Senec. ep.* 47. Obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est. *Colum. prooem.* 9. Dominicae habitationes. ℙ Quod imperatores *domini* appellabantur, *dominicus* ad eos aliquando refertur. [*Inscr.* ap. *Grut.* 637, 1. vinum — de apotheca dominica. Ap. *Orell. n.* 2591. *ib.* 1243. opera. 3351. res. 1721. Genius.] *Imp. Constantin. Cod.* 3, 26, 7. Dominici coloni. Adde 7, 38. qui inscribitur, Ne rei dominicae, vel templorum vindicatio temporis praescriptione submoveatur. ℙ [*Dominicus dies* est, quem Itali nunc vocant *la Domenica*, qui olim et dies solis dicebatur. *Tert.* ita eum appellat, quoties Christianis scribebat, ut *de coron.* 3., *de jejun.* 15.; *solis* vero *diem*, quoties ethnicos alloquebatur, ut *Apolog.* 15. et 1. *ad nation.* 13. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 2, 8, 23. (in *fragm.* ab *A. Peyronio* editis) Die dominico, cui nomen ex ipsa reverentia inditum est, nec ludi theatrales, nec equorum certamina, nec quidquam, quod ad molliendos animos repertum est, spectaculorum, in civitate aliqua celebretur. Natalis vero imperatorum, etiamsi die dominico inciderit, celebretur. Haec an. a Chr. n. 399., at an. 409. *Impp. Honor. e Theodos. ib.* 25. Dominica die, quam vulgo solis appellant, nullas edi penitus patimur voluptates, etsi fortuito in ea aut imperii nostri ortus, redeuntibus in semet anni metis, obfulserit, aut natali debita solemnia deferantur. *F.*] ℙ *Domnicus* syncope est. *Inscr.* ap. *Donium cl.* 7. *n.* 7. Delicatus Augg. adjutor a cognitionibus domnicis, *h. e.* imperatoris. [Adde *Not. Tir.* p. 78. Domnicus. *F.*] ℙ Similiter *domnus* et *domna* pro *dominus* et *domina.* V. DOMINUS.

DŌMĪNĬUM, ii, n. *δεσποτεία*, dominatus, imperium, dominatio, sed rarioris usus. *Varr. R. R.* 2, 6. In mercando emptionibus, traditionibus dominium mutant. Al. leg. *dominum. Suet. Tib.* 59. Impatientes dominii. [*Nunc legitur h. l. impatientibus remediorum. Scil. in codd. est *imp. Romae dominii.*] Adde *Val. Max.* 4, 4. et *JCtos* in *Dig.* saepe et *Plin.* 37, 8, 27. [*De usu, quo apud ICtos h. v. reperitur, integrum librum scripsit *Ballhorn-Rosen*, quem V.] ℙ Quia *dominus* interdum dicitur, qui convivium exhibet, *dominium* pro convivio poni, *Nonius* 4, 125. docet. Melius dixisset pro munere et officio domini convivii. *Lucil. ib.* Primum dominia et sodalitia omnia tolluntur. (Hoc sensu magisteria dixit *Cic. Senect.* 14.) ℙ Pro loco convivii. *Cic. Verr.* 2, 3. 4. *ad f.* Hujus argento dominia vestra, hujus signis et tabulis forum comitiumque ornari. Alii minus recte leg. *domus vestras.*

DŌMĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. *δυναστεύω*, *κυριεύω*, dominium ago, imperium habeo, dominationem exerceo. Refertur tum ad loca, tum ad personas. *Cic. Rabir. post.* 14. Dominatus est Alexandriae. *Id. Senect.* 11. Senectus honesta est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. *Id. Quint.* 30. In capite fortunisque hominum honestissimorum dominari. *Caes. B. G.* 2, 31. Ab his interfici, inter quos dominari consuessent. *Virg. A.* 2, 327. incensa Danai dominantur in urbe. et 1, 285. victis dominabitur Argis. et 6, 766. longa dominabitur Alba. et 7, 70. summa dominarier arce. *παραγωγή*. *Senec. Herc. Oet.* 1590. nulla dominetur aula. *Claud. in Ruf.* 1, 143. toti dominabere mundo. ℙ Passive. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 39. O domus Anci, heu quam dispari domino dominaris! Item *Nigid.* ap. *Prisc.* 8. p. 793. Ut curari et dominari possit. *Lactant. Mort. persecut.* 16. Hic est verus triumphus, cum dominatores dominantur. ℙ Translate. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 65. Ubi libido dominatur, innocentiae leve praesidium est. *Cic. Or.* 2, 8. Usus dicendi in omni libera civitate dominatur. [*Id. Caec.* 7. *dominari in judiciis* dicuntur ii, qui semper obtinent causas etiam injustas. *Id. Verr.* 2, 2, 19. *in auctionibus* ii, quibus omnia quae volunt, etiam levissima licitatione ab iis facta addicuntur.] *Plin.* 29, 4, 23. Dominante eadem illa rerum dissidentia. *Quint. prooem.* 8. Affectus per omnem quidem causam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominantur. *Cic.* ap. *eund.* 11, 3. Unam in dicendo actionem dominari. *Senec. ep.* 101. Quam stultum est aetatem disponere! ne crastino quidem dominamur. *Virg. G.* 1, 153. interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenae. [*Tac. Agr.* 10. mare late dominatur. ℙ [*Permutantur *dominari* et *donari.* V. *Heins.* ad *Claud. in Ruf.* 1, 143.]

*DOMINŪLA, ae, f. parva domina. *Salvian. de gub. Dei* 4. *B. A.*

DŌMĪNŪLUS, i, m. diminutiva vox, et blandiendi causa usurpata, legitur apud *Scaevol. Dig.* 32, 41. §. 4.

DŌMĪNUS, i, m. *δεσπότης*, *κύριος*, proprie est, qui domui praeest, et in familiam imperium habet: a *domus.* Late autem, qui in regnum aut civitatem imperium habet, et cui populi subsunt. *Cic. Off.* 1, 39. Nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. *Id. Planc.* 4. Hic princeps populus et omnium gentium dominus ac victor. *Id. Rosc. Am.* 28. Dominum esse in aliquem. *Id. Phil.* 13, 8. Imponere alicui dominum. *Ov. Met.* 8, 848. Recusare dominum, *h. e.* dedignari et nolle servire. *Curt.* 7, 8. Alienigenam dominum pati. *Senec. Troad.* 974. Dare alicui dominum. *Cic. Tusc.* 1, 21. Liberari gravissimis dominis. ℙ [*Saepe est i. q. possessor, e. g. praediorum. *Cic. Att.* 12, 20. in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate. Aliorum: *Suet. Caes.* 41. insularum 61. equi.] ℙ Item maritus. Ita enim intelligunt *Non.* 4, 125. et *Serv.* illud *Virg. A.* 4, 214. et dominum Aenean in regna recepit. Adde *Ov. A. Am.* 1, 314. V. DOMINA. ℙ Item amasius, amator, in blanditiis. *Ov. Amor.* 3, 7, 11. etc. et *Non. l. c.* ℙ Item herilis filius. *Pl. Capt. prol.* 18. Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit. ℙ Item exhibitor convivii, *h. e.* herus, qui convivium praebet. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Discumbimus mussati: dominus matura ova ad coenam committit. *Sall. fragm.* apud *Non. ib.* Discubuere, etc. alter scriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium et dominum Perpennam. *Cic. Vatin.* 13. Cum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset. Adde *Liv.* 23, 8., *Varr.* ap. *Gell.* 13, 11. et *Petr. Sat.* 34. ℙ Item universim qui cuicumque rei praeest. *Pl. Asin. prol.* Quae mihi atque vobis res vertat bene, gregique huic et dominis atque conductoribus. *Suet. Ner.* 22. Domini factionum. *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 2. M. Aurelio Libero patri, et magistrō, et socio, domino et agitatori factionis prasinae. *Cic. Quint.* 15. ita appellat eos, qui praesunt bonis alicujus auctionandis. et *Att.* 2, 19. muneratorem, qui munus gladiatorium dat. [*Hinc omnino is, qui in aliqua re auctoritate pollet, ut *Cic. Verr.* 2, 1, 9. *dominus comitiorum* is est, qui efficit, ut creentur, quos velit. *Id. Sext.* 19. domini concionum. ℙ Dominus poetice pro poeta, libri auctor. *Ov. Trist.* 1, 1, 1. et 3, 1, 14.] ℙ Est etiam epithetum Dei summi, qui est dominus omnium: item reliquorum Deorum. *Cic. Acad.* 4, 41. Itaque cogimur, dissensione sapientum, dominum nostrum ignorare. *Id. Fin.* 4, 5. Summus rector et dominus. *Ov. Her.* 4, 12. in dominos jus habet ille Deos. *Ov. Met.* 13, 137. meaque haec facundia, si qua est, Quae nunc pro domino, pro vobis saepe locuta est, *h. e.* pro me domino meae facundiae. ℙ [*Opponitur fere dominus *servis*, ut Gr. *δεσπότης*, quoniam servi apud Romanos ad *res*, non ad personas referebantur, adeoque jus vitae et necis in servos illos competebat. *Plin. Pan.* 7, 6. non enim servulis tuis dominum, — sed Principem civibus tuis daturus es. *Suet. Caes.* 27. libertos servulosque cujusque, prout domino patronove gratus quis esset etc. — Debemus haec *B. Crus.*, quem ad h. v. multo cum fructu conferes in *Clav. Suet.*] ℙ In libera republica odiosa fere vox fuit: quare prisci Latini dominum familiae patremfamilias appellaverunt: uti docet *Senec. ep.* 47., [*quod inde repetendum est, quod ex vetere illo apud Romanos instituto patresfamilias vere habebant in liberos dominium. Cf. *B. Crus. l. l.*] et forma reipubl. mutata, qui boni imperatores haberi voluerunt, aversabantur, ut de Augusto refert *Suet. in ejus Vita* 53. et de Tiberio, 27. et de Alexandro Severo, *Lamprid.* 4. Paulatim tamen, adulatione procedente, passim domini appellati, ut patet ex epistolis *Plin.* 10. V. etiam *Suet. Dom.* 13., *Phaedr.* 2, 5. et *Mart.* 5, 8. Edictum Domini Deique nostri. ℙ Pro dominicus. *Stat. Th.* 5, 578. Implorantem animam dominis adsibilat aris. [*Ov. Her.* 3, 100. Saepius in dominum serva vocata torum. Saepius adjective reperiri docent loci ab *Heinsio* ad h. l. allati.] ℙ Officiosae salutationis consuetudine *domini* appellabantur quicumque obvii. *Se-*

nec. ep. 3. Sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos, bonos viros dicimus; quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. *Mart.* 6, 88. Mane salutavi vero de nomine casu, Nec dixi dominum, Caeciliane, meum. ℙ Item fratres. *Senec. ep.* 104. ℙ Blandientis etiam compellatio fuit. *Suet. Claud.* 21. Ut saepe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, dominos identidem appellans. *Mart.* 5, 57. Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere: Saepe etiam servum sic resaluto meum. ℙ *Domnus* et *domna* per syncop. pro *dominus* et *domina*. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 74. Domno *Beleno* sacrum Sex. Baebius, *qui* fuit in classe vestiarius V. S. L. M. Alia apud *Murat.* 201, 1. Statiae Verae domnae meae sanctisimae Aurelius Timarcus. Alia, quae mutila legitur apud *Ursat. Monum. Patav.* p. 133. et *Spon. Miscell.* p. 114., integra vero exstat in *Mus. Lapid. Patav.* Genio Domnorum, Cereri. T. Poblicius Crescens Laribus publicis dedit imagines argen*teas* duas testamento ex HS. ∼ ∼

DŌMĪPORTĀ, ae, f. epithetum cochleae, quod domum suam perpetuo circumferat. *Cic. Div.* 2, 64. *ex vet. Poeta.* Ut sumat terrigenam, tardigradam, domiportam, sanguine cassam.

DŌMĪRĔDĪTĬO, onis, f. reditus domum. *Hygin. fab.* 125., ubi alii divisim leg. *domum reditio.* V. DOMUITIO.

DŌMĪSĔDĀ, dicitur matrona domi sedens et sibi vivens, in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 252. *n.* 35. Hic sita est Amymone pia, pudica, frugi, casta, domiseda. [*Cf. *Burm.* ad *Anthol. Lat.* II. p. 104. et ad *Prop.* 2, 5, 16.]

*DOMITATĬO, onis, f. *Gloss. Gr. Lat.* οἰκιότης, Domitatio. *B. A.*

DŌMĪTĬĀNUS, a, um, adj. ad Domitium pertinens, quod est nomen civis R. proprium, ut Domitiani milites, apud *Caes. B. C.* 1, 16. et 22. ℙ *Domitiana via* a Domitiano Imp. strata, fuit ad latus Appiae, et mari propior, quae Sinuessa, (quo loco ab Appia flectebat, triumphali arcu ornabatur) Puteolos usque per Liternum ducebat. Ejus meminit *Stat. Silvar. praef. l.* 4., describit autem, et laudat *Silv. ib.* 3.

DŌMĪTĬĀNUS, i, m. T. Flavius, Vespasiani filius, Romanorum imperator duodecimus, crudelitate nobilis, muscas per cubiculum venari, et stilo praeacuto configere solebat. Ejus vitam habes apud *Suet.* et *Aur. Vict.* ℙ In ejus honorem mutata sunt duorum mensium nomina, et September *Germanicus*, propter triumphatos Germanos; October *Domitianus*, quod eo mense natus esset, est dictus, ut *Suet. in ejus Vita* 13. narrat: tametsi eae appellationes non diu obtinuere. *Mart.* 9, 2. Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos, Augustus annis commodabit aestates.

DŌMĪTĬUS, a, um, adj. ad Domitium pertinens, quod est nomen civis R. proprium. *Domitia via*, de qua *Cic. Font.* 4., fuit in Gallia provincia: dictamque putant a Cn. Domitio proconsule, qui eam muniverit. ℙ *Domitia gens* Romana, plebeja, in Calvinos et Ahenobarbos divisa fuit. Ex his fuit Nero sextus R. Imp. omnium mortalium turpissimus et crudelissimus. *Suet. in ejus vita.*

DŌMĪTO, as, a. 1. freq. a *domo*. *Virg. G.* 1, 285. Et prensos domitare boves. *Id. A.* 7, 163. domitantque in pulvere currus, *h. e.* equos sub curribus. *Manil.* 4, 234. Quadrupedum omne genus positis domitare magistris. Adde *Plin.* 8, 8, 8.

DŌMĪTOR, oris, m. δαμαστής, qui domat. *Liv.* 21, 43. Domitor Hispaniae. *Cic. Off.* 1, 26. equorum. (Sic intelligenda videtur *Inscr.* apud *Grut.* 1118, 3. L. Virio Liberali domitori T. Virius Proclus patri de se b*ene merenti* fecit.) *Id. Mil.* 13. Vexatorem furoris, domitorem armorum suorum. *Virg. A.* 5, 799. Saturnius haec domitor maris edidit. *Senec. Med.* 2. Tiphys domitor freti. *Id. Herc. Oet.* 1989. Hercules domitor ferarum. *Tac. H.* 2, 76. *extr.* Firmatus usu miles et belli domitor externi. *Senec. Agamemn.* 75. Somnus curarum domitor. *Id. Herc. fur.* 65. malorum. *Plin. Pan.* 55. Infinitae potestatis domitor ac frenator animus.

DŌMĪTRIX, icis, f. quae domat. *Virg. G.* 3, 44. Domitrixque Epidaurus equorum. *Plin.* 36, 16, 25. Ferrum, domitrix illa rerum omnium materia. [*Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 689, 106. ferarum domitrix Diana.]

DŌMĪTŪRĂ, ae, f. δάμασις, domandi actus. *Plin.* 8, 45, 70. Domitura boum in trimatu. Adde *Colum.* 6, 2.

DŌMĪTUS, a, um, part. a *domo*, δεδαμασμένος. *Cic. N. D.* 2, 64. Belluae domitae et condocefactae. *Cic. Font.* 1. Bello domitus. *Id. Or.* 1, 44. Domitas habere libidines. *Ov. Amor.* 3, 11, 5. domitum pedibus calcamus amorem. *Pl. Mil.* 2, 6, 80. Hominem servum suos domitos habere oportet oculos, et manus, orationemque. *Liv.* 21, 30. Domita fluminis vis. *Plin.* 34, 9, 20. Aes attritu domitus, et consuetudine nitoris veluti mansuefactus. *Id.* 18, 13, 34. Rapa sinapis acrimonia domita. *Sever. Aetn.* 10. Domita arva, *h. e.* arata et exculta. Sic *Juven.* 11, 89. Erectum domito referens a monte ligonem. [**Domitus* de homine, qui feritatem bellique amorem exuit. *Lucan.* 4, 373. domiti cessere duces, i. e. quos bellorum satietas cepit.]

DŌMĪTUS, us, m. idem ac domitura. In ablat. sing. *Cic. N. D.* 2, 60. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones.

DOMNA. V. DOMINUS in f.

[DOMNAEDĬUS, ii, m. σταθμοῦχος, dominus aedis, aut is, qui in aede a se conducta habitat, per syncopen a *dominaedius*, quae integra vox legitur apud *Paulin. Nolan.* 20, 104. In *Gloss. Philox.* Domnaedius et coenacularius, ὁ σταθμοῦχος. In *Not. Tir.* p. 78. legitur *domnidius. Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 82. Domnaedius, possessor, colonus sequens, et tu, viator, precor, parce tumulum Narcissi. Haec ita sunt interpretanda: Narcissus colonus seu conductor praedii, in quo sepulcrum sibi paraverat, rogat dominum seu conductorem domus ejus praedii, rogat possessorem praedii ejusdem, rogat colonum, cui postea ipsum praedium colendum tuendumque obtigerit, rogat viatorem, ut suo sepulcro parcant. *F.*]

DOMNĬCUS. V. DOMINICUS.

DOMNIDĬUS. V. DOMNAEDIUS.

[DOMNĬFUNDĂ, ae, f. domina fundi: vox composita a *domnus* et *fundus*. *Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 644. M. Ulpius Euporas filio benemerenti fecit ex auctoritate Caesoniae Ledae domnifundae. *F.*]

[DOMNĬO, onis, m. diminut. domni. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 331, 5. Ti. Cl*audio* Domnioni Suciniano archineanisco. *F.*]

[DOMNIPRAEDĬUS, a, um, adj. dominus praedii, a *domnus* et *praedium*. *Inscr.* ap. *Domin. De Sanctis, Dissert. sopra la villa d' Oraz. edit. Ravennae ann.* 1784. p. 53. Val. Maxima mater domnipredia Val*erii* dulcissima filia, que vixit annis XXXVI. mens*ibus* II. di*ebus* XII. in prediis suis Masse Mandelane etc. Haec inscriptio, cujus plura vocabula diphthongo carent, pertinere videtur ad sequiorem Latini sermonis aetatem: ea vero sic scribenda sunt: *domnipraedia, quae, praediis, Massae, Mandelanae. F.*]

*DOMNOTONUS, i, f. urbs Galliae in Medulis. V. *Scalig. Auson. Lect.* 2, 14. V. *Dumnotonus. B. A.*

[DOMNŬLĂ, ae, f. ita appellat Faustinam uxorem suam *M. Aur.* apud *Front.* 5. ad *M. Caes. ep.* 24. Me adlevant nuntii de Domnula mea commodiora, Deis juvantibus, indicantes. *Id.* apud *eund. Fer. Alsiens. ep.* 1. Lorium autem regressus Domnulam meam febricitantem repperi. *F.*]

DOMNUS. V. DOMINUS.

DOMO, as, ui, *raro* avi, itum, a. 1. δαμάω, jumenta, vel homines, vel rem aliquam feritate, contumacia, vel duritia resistentem vincere, subigere, mansuefacere, mollire: a voce Graeca allata. *Cic. Off.* 2, 4. Domare belluas. *Plin.* 8, 9, 9. fame elephantos. *Colum.* 6, 22. tauros aratro. [*Id. *ib.* aratro terram.] *Cic. Marcell.* 3. Domuisti gentes immanitate barbaras. *Id. Prov. cons.* 13. Acerrimas nationes contrivit, domuit, compulit, imperio populi R. parere assuefecit. *Plin.* 36, 1, 1. Montes natura fecerat ad impetus fluminum domandos. *Id.* 35, 15, 50. Sulphure plurima domantur. *Id.* 36, 27, 68. Igne ferrum domatur. *Id.* 20, 1, 3. Pastillos elaterii in novo fictili igne lento in aceto domare, *h. e.* macerare, mollire. *Ov. Met.* 8, 649. resecat de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis. *Plin.* 29, 4, 25. Carnibus gallinaceorum appositis venena domantur. *Id.* 12, 28, 62. Pinguis lacrima abietis ad domandum oleum, *h. e.* cogendum et spissandum, victo nimio ejus fluore. Adde *Sil.* 8, 501. *Virg. A.* 9, 608. Terram domare rastris. *Stat. Ach.* 1, 328. impexos certo domat ordine crines. ℙ Translate. [*i. e. res asperas horridasque mitigare et lenire. *Sall. Cat.* 7. virtus omnia domuerat, i. e. o. plana, facilia reddiderat.] *Plin.* 37, 10, 54. Domare iracundias. *Hor. Od.* 2, 2, 9. Latius regnes avidum domando spiritum, quam si etc. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 38. virtutibus ille Fortunam domuit. *Stat. Silv.* 2, 2, 125. qui pectore magno Spemque metumque domas, vitio sublimior omni. *Id. Th.* 2, 31. Domare lumina somno. *Virg. G.* 3, 538. acrior illum Cura domat. *Val. Fl.* 1, 600. ingenti gaudens domat aequora velo, *h. e.* navigat, mare, quod antea invium, pervium faciens. *Stat. Th.* 2, 84. lacte novo domare cruorem, *h. e.* temperare, miscere. ℙ Pro altero praeterito *avi*, Vet. poeta (et creditur *Ennius)* apud *Charis.* 4. *sub f.* non quod draconis saevi sopivi impetum, Non quod viros domavi, et segetis armatae manus. Hinc *domatus* et *domator*, quae V. suis locis.

DOMŪĪTĬO, onis, f. reversio domum: a *domus* et *itio*. *Accius* apud *Non.* 4, 330. Desistat exercitum morari, ne me a domuitione arceat. *Cic. Div.* 1, 32. Classi propinquum reditum ac domuitionem dari. *Auct.* ad *Her.* poetae verba referens 3, 21. Jam domuitionem reges Atridae parant. *Appul. Met.* 2. *sub f.* Domuitionem capessere. Adde *ib.* 1, 3, 4, 10. et 11. Apud *Cic.* al. leg. *domum itionem.* [*Sic *Orell.*] ℙ Reperitur etiam *domutio*, extrito *i. Pacuv.* apud *Non.* 2, 209. Domutionem dedit. *Lucil. ib.* Domutionis cupidi. Al. hic quoque leg. *domuitio.*

DOMUNCŬLĂ, ae, f. οἰκίον, οἰκίδιον, parva domus. *Vitr.* 6, 10. Dextra ac sinistra domunculae constituuntur, habentes proprias januas etc. Adde *Ulp. Dig.* 47, 12, 3. *extr.* et *Val. Max.* 4, 4. *n.* 8. [et *Not. Tir.* p. 78. *F.*]

DŌMUS, us, ui, f. et Domus, i, o, f. οἶκος, δόμος, locus ad habitandum, aedes, domicilium: a δέμω, aedifico, exstruo. *Cic. Off.* 1, 39. Praeclaram aedificavit et plenam dignitatis domum. *Liv.* 34, 45. Galli domos abiere. *Cic. Pis.* 7. Me domo mea expulistis, Pompejum domum suam compulistis. *Id. Verr.* 2, 5, 29. Domi apud se esse dixit. *Pl. Amph.* 1, 1, 253. Cur non intro eo in nostram domum? *Ter. Eun.* 2, 3, 90. In domum meretriciam deduci. *Cic. Cat.* 1, 4. Te priori nocte venisse in M. Leccae domum. *Id. Fl.* 6. Qui domo exire nolebant: qui domi stare non poterant. *Liv.* 45, 34. Excire aliquem ex domo. *Cic. Dom.* 40. Sacrificium, quod alienae domi fieret, invisere. et *Tusc.* 5, 39. Diodorus multos annos domi nostrae vixit. *Id. Att.* 1, 12. Deprehensus domi Caesaris. *Id. ib.* 2, 7. Cum in domo Caesaris unus vir fuerit. *Nep. Alc.* 3. *extr.* Quod in domo sua mysteria facere dicebatur. *Cic. Verr.* 1, 2, 9. Siculis denunciatum esse, domum ad illum ut venirent. *Id. Fam.* 3, 8. *sub f.* Neque domum unquam ad me litteras mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. *Id. ib.* 9, 5. Qui se domo non commoverunt. *Caes. B. G.* 1, 5. Cibaria sibi quemque domo afferre jubent. *Nep. Dion.* 9. et *Cic. Dom.* 3. Tenere se domi. Al. apud *Cic.* [*etiam in *Nepote* meliores edd.] leg. *domo.* [*Sic *Orell.*] *Cic. in Senat.* 11. Tenere se domo. *Catull.* 61, 31. Ac domum dominam voca. ℙ Aliquando speciatim dicitur de domicilio urbano. *Colum.* 1, 1. *sub f.* Qui agrum parabit, domum vendat, ne malit urbanum, quam rusticum larem colere. ℙ Item de sacris aedibus. *Virg. A.* 6, 81. Ostia jamque domus patuere ingentia centum Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras. ℙ Item de sepulcro. *Tibull.* 3, 2, 22. Atque in marmorea ponere sicca *(ossa)* domo. Hinc *domus aeterna* eleganter dicitur in *Inscriptt.* apud *Grut.* 790, 5., 903, 6. et 913, 6. [*et *certa*, *Orell. Inscrr. Latt. n.* 4850.] ℙ Item de quacumque sede, habitaculo. *Virg. G.* 1, 371. Eurique Zephyrique domus. *Id. ib.* 2, 209. Antiquasque domos avium. *Stat. Th.* 1, 367. pecorum domos. *Hor. Od.* 1, 7, 12. Domus Albuneae resonantis. *Virg.* de labyrintho, *A.* 6, 27. Hic labor ille domus et inextricabilis error. *Cornea domus* dicitur a *Phaedr.* 2, 6. testa, qua munitur testudo. ℙ Metonymice ponitur pro familia. *Cic. Att.* 4, 12. Domus te nostra tota salutat. *Virg. A.* 1, 288. Cum domus Assaraci Phthiam, clarasque Mycenas Servitio premet, *h. e.* Romani, qui a Trojanis oriundi. V. ASSARACUS. [**Tac. Agr.* 19. primam domum suam coercuit; nos: *das Gefolge, seine Umgebungen.*] *Senec. ep.* 29. *ad f.* Idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici, *h. e.* ex omni familia et secta philosophorum. Sic *Cic. Acad.* 1, 4. Antiocho magis licuerit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere, *h. e.* sectam Academicam. [*V. de hac significatione, ut sit i. q. *secta*, *Gron.* ad *Senec. Benef.* 5, 15. *not.* 6.] ℙ Per synecdochen dicitur de patria. *Virg. A.* 8, 114. Qui genus? unde domo? [*Cf. *Cerdam.*] et *ib.* 10, 141. Maeonia generose domo. et *ib.* 183. Qui Caerete domo. *Inscr.* ap. *Grut.* 520, 3. C. Aninius C. F. Pomp. Gallus domo Arretio etc. *Suet. Vit.* 2. P. Vitellius domo Nuceria. *Cic. Verr.* 2, 1, 17., *Sall. Cat.* 17. et *Curt.* 3. *sub f.* Domi nobilis, *h. e.* inter suos. Sic *Liv.* 7, 19. Vir domi non solum, sed etiam Romae clarus, *h. e.* in patria. [**Id.* 28, 12. nec ab domo quidquam mittebatur, de Hispania retinenda sollicitis, i. e. civibus.] et *Cic. Q. Fr.* 2, 14. *ad f.* Hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum. [*Alia Ciceronis loca V. apud *Man.* ad *Cic. Fam.* 7, 6. *post. in.*] ℙ Huc pertinet *domi bellique*, *domi et militiae*, in pace et in bello. *Ter. Ad.* 3, 5, 49. Una semper militiae et domi fuimus. *Vell.* 2, 27. Vir domi bellique fortissimus. V. BELLUM. ℙ *Domi habere* dicitur, qui aliqua re abundat, neque ex aliis quidpiam foris quaerere opus habet. *Ter. Ad.* 3, 4, 49. Domi habuit unde disceret. *Pl. Mil.* 2, 2, 36. Domi habet animum falsiloquum, domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias. *Ter. Ph.* 3, 2, 19. O fortunatissime Antipho, cui, quod amas, domi est! *Cic. Att.* 10, 14. Quidquid habes ad consolandum, collige; et illa scribe non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est: sed etc. Sic *Juven.* 11, 117. Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas Tempora viderunt. *Cic. Fam.* 9, 3. Sed quid ego nunc haec ad te, cujus domi nascuntur? Γλαῦξ εἰς Ἀθήνας. ℙ *Domo pecuniam solvere* apud *Pl. Curc.* 5, 3, 7. est ex arca

domestica, non aliunde mutua sumpta. Sic *domo afferre* apud *Quint.* 10, 7. *ad f.* est meditata et parata afferre: quibus opponuntur, quae subita atque ex tempore dicimus. ℙ *Domum revocare* in re forensi est fori exceptione uti, et eum qui nos in judicium alibi vocavit, ad judicem in loco, ubi degimus, revocare. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. Dicimus etiam *revocare forum. Id. ib.* 7. ℙ Genitivi *domi* et *domus* hoc differunt, quod ille locum designat, in quo habitamus, ut ex allatis exemplis apparet: *domus* vero aedificium ipsum significat. *Hor. Sat.* 2, 6. *extr.* seu fundi, sive domus sit emptor. [*Malunt nonnulli DOMI non esse genitivum, sed antiquum dativum localem s. locativum, contractum ex *domui.* Similiter enim ut *domi* et *domo* differunt *rure (vom Lande)* et *ruri (auf dem Lande)* et qui passim apud *Plautum* aliosque reperiuntur dativi, ut *Cas. prol.* 71. Carthagini, i. e. *cui C.*] ℙ Pro quo *domuis* prisci dixere. *Varr.* ap. *Non.* 8, 66. Perrexit in interiores partes domuis. *Gell.* 4, 16. *Nigidium* quoque ita locutum esse testatur. V. FRUCTUS *in f. Augustus* vero *domos* dicere solebat pro *domus* eodem casu, teste *Suet. in ejus Vita* 87. ℙ Illud tamen discrimen non est perpetuum. *Ter.* alludens ad illud *domi bellique*, *Eun.* 4, 7, 45. Sanga, ita ut fortes decet milites, domi focique fac vicissim ut memineris. [**Id. ib.* 4, 1, 22. quanquam domi cupio. Sic h. l. laudat *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 7, 45.] *Pl. Trin.* 4, 3, 20. Non fugitivus est hic homo: commeminit domi. ℙ In dativo est *domui* et *domo. Ov. Met.* 4, 66. Cum fieret paries domui communis utrique. *Hor. Ep.* 1, 10, 13. Ponendaeque domo quaerenda est area primum. *Cato R. R.* 134. Uti sies propitius mihi, domo familiaeque meae. [**ib.* 139, 141.] ℙ In abl. est aliquando *domu* pro *domo. Pl. Mil.* 2, 1, 48. Ait sese Athenas fugere ex hac domu. [*Cf. *Schneiders Formenlehre* I. p. 449.] *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 8. L. Flavi Aug. Lib. de domu Aug. ℙ *Domo* pro *domi. Pl. Amph.* 2, 2, 7. Ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio. ℙ In genitivo plur. est *domorum* et *domuum. Virg. A.* 2, 445. turres ac tecta domorum Culmina convellunt. *Juven.* 3, 72. Viscera magnarum domuum. *Plin.* 8, 57, 82. Mures incolae domuum. ℙ Etiam in accus. plur. pro *domos* invenitur *domus. Claud. Quadrigar.* apud *Gell.* 17, 2. Domus suas quemque ire jubet. Adde *Accium* apud *eund.* 14, 1. ℙ [*Apud poetas *domus*, *domi* et *domo* saepe pro una syllaba legenda sunt. V. *Cic. Off.* 1, 39, 139. ex poeta. *Pl. Capt. prol.* 21. *Cic. Mil.* 4, 2, 7.] ℙ In recto, dat. et ablat. plur. est tantummodo quartae declinat., quod et *Prisc.* adnotavit 7. p. 744. ℙ [*Permutantur in codd. *domus* et *modus*, V. interpr. ad *Auct. Eleg. ad Liviam* 50. — et *locus*, *Ov. Met.* 12, 43.]

DOMUSCŬLA, ae, f. diminut. domuncula. *Appul. Met.* 4. p. 154, 16. Mecum nutritus individuo contubernio domusculae. Al. leg. *domunculae.*

[DOMUSĬO, onis, f. usus domi: a *domus* et *usio. Petr. fr. Trag.* 46. *Burm.* Quia volo illum ad domusionem aliquid de jure gustare. Ita *Cod. Trag.*, alii perperam *domus usionem* aut *tuitionem* legendum putant. *F.*]

DOMŬTĬO. V. DOMUITIO.

DONĂBĬLIS, e, adj. *Pl. Rud.* 3, 2, 45. Infortunio hominem praedicas donabilem, *h. e.* donandum, tradendum infortunio.

[DONĂCE, es, f. arundo, idem ac donax. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 106, 13. Junia Donace domestica ejus. Alia apud *eund.* 395, 10. Pompeja Donace. *F.*]

*DONACĔSA, ae, mons Thessaliae. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

DONĂRĬUM, ii, n. *δῶρον*, idem quod donum. *Tac. A.* 1, 44. Citatus ab imperatore, nomen, patriam, numerum stipendiorum, et cui erant donaria militaria, edebat. ℙ Speciatim quae Diis offeruntur in templis. *Aur. Vict. Caes.* 35. Fanum Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis. *Gell.* 2, 10. Ubi reponi solerent signa vetera, et alia quaedam religiosa e donariis consecratis. ℙ Item locus seu conclave prope templum, ubi donaria ipsa reponuntur. *Lucan.* 9, 515. Non illic Libycae posuerunt ditia gentes Templa, nec Eois splendent donaria gemmis. *Virg. G.* 3, 533. ductos alta ad donaria currus. *Appul. Met.* 9. p. 221. Cantharoque et ipso simulacro, quod gerebam, apud fani donarium redditis ac consecratis. [**Id. Flor.* II. *post med.* p. 350, 34. — Ceterum hanc significationem primam et propriam fuisse censet *Scheller.* propter analogiam aliorum vocc. in *—arium.*] ℙ Pro altaribus ponere videtur *Ov. Fast.* 3, 335. Si tua contigimus manibus donaria puris.

*DONATARĬUS, a, um, adj. cui quid dono datur, praesenti vel absenti *l. etiam l. absenti D. de donat. l. nec ambigi C. eod. tit. B. A.*

DONĂTĬCUS, a, um, adj. qui dono datur, ut Donaticae coronae, quibus victores in ludis donabantur, *Fest.* Et Donaticae hastae, *Cato* apud *eund.* in *Optionatus.*

DONĀTĬO, onis, f. *δόσις*, actus donandi, et proprie secundum *Julian. Dig.* 39, 5, 1. dicitur, cum quis ea mente dat, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, et propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem et munificentiam exerceat. Quod si sub conditione fiat, non est vera donatio. *Cic. opt. gen. orat.* 7. Ut corona aurea donaretur, eaque donatio fieret in theatro. *Id. Rosc. Am.* 9. Furta, rapinae, donationes. *Paul. Dig.* 31, 89. *ad f.* Avia donationibus in nepotem patrimonium exinanivit.

[DONĀTĬUNCŬLA, ae, f. diminut. donationis, parva donatio. *Not. Tir.* p. 69. Donatiuncula. *F.*]

DONĀTĪVUM, i, n. munus, quod a principe vel imperatore militibus donatur. *Suet. Dom.* 2. An duplum donativum militi donaret. *Tac. H.* 4, 19. Postulare donativum. ℙ Differt a congiario, quod populo datur. *Suet. Ner.* 7. Populo congiarium, militi donativum proposuit. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter. V. CONGIARIUM. ℙ Adjective. *Inscr.* ap. *Grut.* 421, 1. Impendium bigae, quam populus ex collatione legativi ac donativi epuli offerebat, remisit. V. LEGATIVUM. [*Adjective etiam dictum volebant h. v. apud *Paul. Dig. l.* 35. Sed ibi leg. *donaturus.*]

DONĀTOR, oris, m. *δοτήρ, δότης*, qui donat. *Senec. Hipp.* 1217. Donator atrae lucis, Alcide, tuum Diti remitte munus. *Paul. Dig.* 42, 1, 49. Pinguius donatori succurrere debemus, quam etc.

DONĀTRIX, icis, f. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 171. Illa Sacramenti donatrix mensa. Adde *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 8, 54, 20.

DONĀTUS, a, um, part. a *dono*, *δωρηθείς*, dono affectus. *Cic. N. D.* 2, 2. Agro a senatu et vocatione donatus. *Nep. Dat.* 3. Magnifice donatum ad exercitum misit. *Liv.* 25, 18. *extr.* Magnifice laudatus et donis donatus. *Virg. A.* 5, 305. Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. ℙ Item dono datus, *δωρητός. Id. Ecl.* 3, 14. Et cum vidisti puero donata, dolebas. *Cic. Har. resp.* 4. P. Scipio divino munere donatus reipublicae. *Id. Fin.* 3, 5. Membrorum corporis alia propter usum a natura donata, ut manus, crura: alia ad quendam ornatum, ut cauda pavoni. [**Manil.* 4, 780. donata regna, i. e. ab Nilo addita.] *Brut.* ad *Cic.* inter *ep.* 1. ad *Brut.* 6. *extr.* Dyrrhachini sibi donatum aes alienum a Caesare dicunt, [*i. e. remissum. Adde *Quint.* 10, 1, 91. opera, in quae, donato imperio, juvenis secesserat, i. e. quum renuntiasset imperio militari, s. quum illud condonasset suspicionibus fratris.] ℙ *Donatum facere* est donare. *Inscr.* ap. *Grut.* 1114, 5. Si quis hoc monumentum sociorum vendiderit, sive donatum fecerit etc.

DONĀTUS, i, m. grammaticus doctissimus, D. Hieronymi praeceptor. Scripsit de octo partibus orationis, (quem librum emendatum operi suo adjunxit *Diomedes grammaticus*) et alia quaedam. ℙ Idem Hieronymus testatur, se audivisse Donatum exponentem fabulas Terentii: quamquam *Erasmus* dubitat, utrum is fuerit, an alius, qui Hieronymum docuit Terentiumque explicavit.

DŌNAX, ācis, m. *δόναξ*, calamus crassiore ligno et tenui foramine, longissimis internodiis, quem totum fungosa replet medulla, in aquaticis nascens, sagittis aptissimus. *Plin.* 24, 11, 50. arundinem Cypriam. et 32, 10, 52. calamum Cyprium vocat, quod in ea insula maxime proveniat. Describit autem *Id.* 16, 36, 66. ℙ Est etiam nomen piscis marini, qui onyx etiam et dactylus dicitur. *Id.* 32, 9, 3. ℙ Apud *Ter. Eun.* 4, 7, 4. est nomen militis, fortasse a staturae longitudine. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 302. P. Naevius Donax. *F.*]

DONEC, adv. *ἕως, μέχρι*, quoad, quousque, tamdiu dum: videturque esse a *donicum:* et jungitur cum omnibus fere temporibus. [*Cf. nos sub DUM in f.] *Liv.* 6, 13. Donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit: postquam etc. *Pl. Amph.* 2, 1, 50. Neque credebam primo mihimet, donec ille fecit sibi uti crederem. *Liv.* 4, 13. Increpare Coss., quod expectassent, donec tanta res ad senatum deferretur. *Virg. A.* 1, 277. donec regina sacerdos Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem. [*Quid intersit, utrum cum indicativo an conjunctivo construatur, docet Grammatica. Hoc tantum adjecisse sufficiat, quae sit hujus particulae apud *Tac.* ratio. Et construitur quidem cum indicativo praesentis rarissime vel potius nunquam; nam apud *Tac. G.* 1. de scriptura nondum satis constat; saepissime vero cum indicat. perf. construitur. V. locos *Livianos* apud *Drak.* ad 1, 8, 14. coll. *Tac. A.* 2, 28. 4, 72. 13, 44. etc. rarius cum indicat. impf., ut *H.* 1, 9. 4, 12. Cum conjunctivo praesentis saepe reperitur, ut *A.* 2, 6. *H.* 2, 1. 4, 59. 65. 5, 6. Saepius cum conj. imperfecti, ut *A.* 1, 32. 2, 34. 13, 33. *H.* 1, 13. 35. 46. 66. 79. etc. Ex parte haec desumpsimus e censura in *Ephem. Jen.* 1825. *n.* 94. p. 267.] ℙ Jungitur et cum *usque. Cato R. R.* 88. Id quotidie facito, usque adeo donec sal desiverit tabescere. *Hor. A. P.* 155. usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat. *Ter. Andr.* 4, 1, 38. Nunquam destitit suadere, orare, usque adeo donec perpulit. ℙ Ponitur et pro quamdiu: quae notio facile cum priori confunditur. *Ov. Trist.* 1, 9, 6. Donec eris felix, multos numerabis amicos. *Liv.* 2, 24. *ad f.* Ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret. *Hor. Od.* 1, 9, 17. Donec virenti canities abest.

DONĪCUM, adv. *ἕως*, idem quod donec: sed aliquanto rarius. *Nep. Amilc.* 1. Donicum aut vicissent, aut victi manum dedissent. *Pl. Aul.* 1, 1, 19. Si respexis, donicum ego te jussero. *Cato* apud *Charis.* 2. p. 178. Donicum ille tibi interdixit. *Lucr.* 2, 1114. Donicum ad extremum crescendi perfice finem Omnia perduxit. [*Inscr.* ap. *Murat.* 572., quae pertinet ad annum a Chr. n. 155., quamque *Barpt. Borghesius* ex ipso lapide descripsit, haec habet: Cum pressus necessitate corpora eorum fictili sarcofago commendarem, doniqu is locus, quem emeram, aedificaretur. Sic in lapide, elisa scilicet, ut saepe, littera *m*, et *q* pro *c* adhibita. *F.* **Orell. Inscrr. Latt.* II. p. 279. scriptum exhibet: *doniquies;* perperam ita scriptum esse censet pro *donique is. Hagenbuch. ib.* explicat per: *doniquum eis.*] *Ciceronem* quoque hac voce usum volunt quidam, sed quae afferunt ejus verba, dubiae sunt lectionis. ℙ Etiam pro dummodo usurpatum fuisse, *Charis.* significat *l. c.* p. 200. sed nullo prolato exemplo.

*DONĬFER, era, um, adj. dona ferens, donosus. Laudatur *Augustin. B. A.*

DONĬFĪCANTES, *h. e.* dona invicem dantes, dictum est ab *Hygino fab.* 112. Cave usurpes.

DONO, as, avi, atum, a. 1. *δωρέομαι, δίδωμι*, dono do, largior, liberaliter tribuo, munere afficio. *Cic. Rosc. Am.* 8. *extr.* Non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat. *Id. Pis.* 3. Mihi populus R. aeternitatem immortalitatemque donavit. *Id. Tusc.* 5, 32. Donare munera civibus. Adde *Liv.* 27, 19. *in f.* ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 5, 262. loricam donat habere viro. *Enn.* apud *Prob.* ad *Virg. Ecl.* 6, 31. Atque Anchises doctu', Venus quem pulcra Dearum Fari donavit, divinum pectus habere. ℙ Eleganter ponitur pro remittere, condonare. *Cic. Fam.* 5, 4. Tuas inimicitias ut reipubl. donares, te vicisti. *Senec. Controv. praef.* 5. *a medio.* Multa donanda ingeniis puto: sed donanda vitia, non portenta sunt. *Justin.* 32, 2. Donare filio patrem, *h. e.* patri ignoscere in gratiam filii. Sic 38, 6. Victum filium donare memoriae patris. *Ov. Pont.* 2, 7, 51. Culpa gravis precibus donatur saepe suorum. *Brut.* ad *Cic.* inter *ep.* 1. ad *Brut.* 6. *extr.* Donare alicui aes alienum. *Petr. Sat.* 18. Donare legem, *h. e.* remittere actionem lege datam. [*Exempla collegit *Arntzen.* ad *Aur. Vict. Vir. ill.* 4.] ℙ Ad remittendi significationem pertinet etiam, cum dicimus *donare alicui laborem, molestiam* aut *malum aliquod*, [**iram*, V. ad *Sil.* 15, 603.] *h. e.* remittere alicui, ne subeat. *Justin.* 32, 2. Donare alicui causam, *h. e.* remittere curam causae dicendae. [**Suet. Cal.* 60. nec sine poena, si quis composuisse vel donasse negotium convinceretur, i. e. vel pactum fecisse, vel negotium (i. e. causam, litem) prorsus deposuisse. Comparant edd. *Petr. Sat.* 18. donare legem, i. e. remittere actionem lege datam.] *Sil.* 1, 487. nivalem Pyrenen Alpesque tibi mea dextera donat. *Id.* 2, 325. Quantum, heu, Carthago, donat tibi sanguinis Annon! *Val. Fl.* 1, 473. Donat et Iphiclo pelagus, juvenumque labores Aesonides. Adde *Lucan.* 9, 1016., *Ov. A. Am.* 3, 85. et *Stat. Th.* 7, 556. ℙ Pro assignare, attribuere. *Phaedr.* 4, 4. Agros, vites, et pecora cum pastoribus Donate moechae. ℙ Pro simplici dare, concedere, tribuere. *Sil.* 11, 408. discatque Lyaeo Imbellem donare diem. *Hor. Ep.* 1, 15, 32. Quidquid quaesierat, ventri donaret avaro. *Sil.* 2, 608. Donare flammis praedam. ℙ Translate. *Hor. Od.* 4, 12, 19. Cadus spes longas donare largus. *Id. Ep.* 1, 6, 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos, Et genus, et formam regina pecunia donat. *Ov. Amor.* 1, 3, 12. Me tibi donat Amor. ℙ Saepissime effertur cum accus. personae et ablat. rei. *Cic. Verr.* 2, 3, 80. Donare aliquem anulo. *Id. Arch.* 3. Tarentini hunc civitate ceterisque praemiis donarunt. *Liv.* 29, 35. [*Cf. *Drak.* ad 2, 13, 9.] et *Caes. B. C.* 3, 54. Masinissam insignibus donis donat. *Justin.* 11, 6. *ad f.* Eos, qui cecidere, statuis equestribus donavit. *Cic. Pis.* 11. Donare aliquem statua inaurata. *Vell.* 2, 109. aliquem incolumitate. *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 11. Dii immortales, quibus, et quantis me donatis gaudiis! *Tibull.* 3, 1, 21. Nympham longa donate salute. *Hor. Od.* 4, 2, 9. Pindarus Laurea donandus Apollinari. *Gell.* 9, 16. Vir fortis praemio donetur. ℙ Cum accus. personae et genit. rei. *Appul. Met.* 5. Sic ille novae nuptae sorores auri vel monilium donare concessit. *scil.* concessit novae nuptae donare sorores suas auro vel monilibus. ℙ Absolute sine accusativo. *Mart.* 4, 56. Quid sit, largiri, quid sit donare, docebo. ℙ [*Permutantur *donare* et *damnare.* Cf. *Burm.* ad *Phaed.* 3, 10, 47. coll. *Drak.* ad *Liv. Epit. l.* 8. et *ib.* 35, 5. — et *dare*, *Id.* ad 2,

35, 5. — et *dotare*, *Ov. Met.* 13, 523. ibique *Heins.*]

DONOSUS, a, um, adj. liberalis, qui facile donat. *Pl. Epid.* 2, 3, 14. Argentum accipiam ab donoso sene. *Id. Truc.* 1, 1, 63. Postquam alium repperit, qui plus daret, donosiorem. Utroque in loco al. leg. *danosus*, al. rectius *damnosus*. V. DAMNOSUS.

*DONŪCA, ae, Thraciae mons. *Liv.* 40, 58. *post init. B. A.*

DONUM, i, n. *δῶρον*, est id, quod propitiando Deo datur, aut hominibus ex animi liberalitate: a voce Graeca allata. *Cic. Leg.* 2, 9. Impius ne audeto placare donis iram Deorum. *Virg. A.* 3, 439. dominamque potentem Supplicibus supera donis. *Nep. Paus.* 1. Ejus victoriae ergo Apollini donum dedisse. *Inscr.* ap. *Grut.* 691, 2. Memoriae causa donum dederunt. Alia apud *eund.* 81, 4. Minervae Aug. dono posuit. [**Liv.* 4, 20. dono fixit.] Hinc illae notae in veterib. monum. D. D. *donum dedit* vel *dono dedit:* apud *Grut.* 80, 5. etc.) *Caes. B. G.* 7, 31. Principes civitatum donis pollicitationibusque alliciebat. *Id. B. C.* 3, 54. Militaribus donis amplissime donare aliquem. *Cic. Phil.* 1, 13. Donum aliquod reipubl. afferre. *Id. fragm.* apud *Prisc.* 8. p. 792. Aggredi aliquem donis. *Curt.* 5, 10. excipere aliquem. *Id.* 7, 1. honorare. et 5, 12. Donum ferre hosti caput regis. *Hor. Ep.* 2, 2, 32. Donis honestis ornare. *Ter. Eun.* 1, 2, 83. Dona dare. *Id. ib.* 29. et *Heaut.* 5, 5, 6. Dono dare alicui quidpiam. *Id. Eun.* 1, 2, 55. Emit virginem dono mihi. *Tac. A.* 15, 27. Regnum dono accipere. *Suet. Vit.* 7. Libens eum excepit, velut dono Deum oblatum. *Pl. Ps.* 4, 6, 13. Habeto mulierem dono tibi. *Ter. Eun.* 5, 9, 27. Quodvis donum et praemium a me optato. Ubi *Donat.* donum, ut a largo homine; praemium, ut a praeclaro facinore. *Id. ib.* docet, donum Deorum esse, praemium virorum fortium, munus hominum. Unde *dona ferre* saepissime dicitur de sacrificiis et oblationibus Deo factis. Exempla habes, praeter supra allata, apud *Ov. Met.* 8, 445. et *Fast.* 2, 545. et *ib.* 5, 425. et alibi: item apud *Virg. A.* 7, 86. et *ib.* 9, 626., *Lucr.* 4, 123. et *Senec. Hipp.* 105. ℙ *Ultima dona* sunt funera et exsequiae. *Ov. Amor.* 3, 9, 50., *Val. Fl.* 2, 471. et *Senec. Hipp.* 1273. ℙ Aliud discrimen tradit *Paul. Dig.* 50, 16, 194. Nam *donum* esse genus Labeo ait, *munus* speciem: et *munus* esse donum cum causa, ut natalicium, nuptiale: *donum*, quod nulla necessitate, jure, officio, sed sponte praestatur, ut et *Mart. ib.* 214. confirmat. *Ulp. ib.* 1, 16, 6. *sub f.* Ne donum vel munus proconsul accipiat. [*V. de hoc discrimine pluribus *Duker.* de *Lat. JCtorum* p. 39. ed. *Traj.*] ℙ Non tamen crediderim ad haec respexisse *Cic.*, (neque enim vera; certe perpetua non sunt) cum ait *Or.* 2, 71. Cincius legem de donis et muneribus tulit, et *Cluent.* 24. Tantum donis datis muneribusque perfecerat, ut etc. et *Arch.* 8. Poetae quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur. Adde *Senect.* 12. et *Pl. Mil.* 3, 1, 120. Certe quidem *Ov.* confundit *A. Am.* 3, 653. Munera, crede mihi, capiunt homines que Deosque: Placatur donis Juppiter ipse datis. *Donum munus* non raro junguntur in Pandectis, v. gr. 38, 1, 7. et 37. et 47. V. JCtos. ℙ *Donum* de re perniciosa, per ironiam. *Virg. Ecl.* 6, 79. Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit. ℙ [*Confunduntur *donum* et *bonum*. V. intpp. ad *Caes. B. G.* 7, 31. — et *dolus*, ad *Liv.* 1, 47, 10. — et *domus*, *ib.* 5, 20, 8.]

[DONUSA, ae, f. *δονοῦσα*, agitans, part. a *δονέω*, agito. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 148. *n.* 191. Julia Donusa. ℙ Item insula parva maris Aegaei, nunc *Donussa*, marmore viridi abundans, inter Icariam et Gyarum, quam *Voss.* a crebra terrae concussione dictam putat. *Virg. A.* 3, 125., *Tac. A.* 4, 30. et *Mela* 2, 7. ℙ Sunt qui male legant *Donysa*. *F.*]

*DORA, ae, f. *Δόρη*, fons inclytus Arabiae, non procul a Daulote alio quoque fonte. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[DORCADION, ii, n. herba eadem ac dracontea et dictamnum. *Appul. Herb.* 14. et 62. *F.*]

DORCAS, ădis, f. *δορκάς*, dama, caprea, genus caprae silvestris: a *δέρκω*, video, quia acutissime videt. [*Antilope Dorcas. Cf. *Jahnii Ann.* III. 4, 100.] *Mart.* 13, 98. Delicium parvo donabis dorcada nato. *Id.* 10, 65. Dorcas fugax. ℙ Est etiam *dorca*, *ae*, m. *Grat. Cyn.* 1, 200. pavidosque juvat compellere dorcas. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. V. CAPREENSIS. *F.*]

DORCEUS, i, m. canis dorcades persequens: quasi a *δέρκω*, perspicio. Numeratur ab *Ov. Met.* 3, 210. inter canes Actaeonis. [**Hygin. fab.* 181. *B. A.*]

*DORCIDION, i, n. pulegium. *Appul. de herb. c.* 92. *B. A.*

DORES, um, m. plur. *Δῶρες*, populi Doridis in Graecia, dicti a Doro Neptuni et Ellopis filio, ut *Isid. Orig.* 9, 2. tradit, qui eos *Doros* vocat. At *Dores* appellat *Cic. Fl.* 27. et *Prisc.* 2. et 6. Hunc Dorum Hellenis et Optices nymphae filium facit *Vitr.* 4, 1. atque Achaia et Peloponneso tota regnasse.

DORICE, adv. *Δωρικῶς*, Doricorum more. *Suet. Tib.* 56. Dorice Rhodii loquuntur.

DORICUS, a, um, adj. *Δωρικός*, ad Dores populos pertinens, sive in Graecia, sive in Asia. *Plin.* 6, 2, 2. Dorica gens in Asia. ℙ *Dorica dialectus*, de qua saepissime grammatici, dicta est a Doribus Graeciae. Et *Dorici* vocantur qui ea utuntur. *Gell.* 2, 26. Spadica Dorici vocant avulsum e palma termitem cum fructu. ℙ Ab iisdem sunt et *Doricae columnae*, quae sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent. *Plin.* 36, 23, 56. et *Vitr.* 4, 6. Sic Doricum genus architecturae, et Dorica aedes, et Dorica symmetria etc. *Vitr. ib.* ℙ Per synecdochen Doricus ponitur pro Graeco. [**Burm.* ad *Prop.* 4, 6, 34.] *Virg. A.* 2, 27. Castra Dorica. *Val. Fl.* 2, 573. nox, *h. e.* qua Graeci Trojam incenderunt. Sic *Senec. Agam.* 611. Dorici ignes.

DORIENSIS, e, adj. *Δωριεύς*, idem quod Doricus et *Dorienses* iidem qui Dores. *Justin.* 2, 6. Erant inter Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensae.

*DORILAEI. V. DORYLAEI.

*DORION, i, n. *Δώριον*, oppidum Peloponnesi, in Messenia, juxta quod Thamyris citharoedus Musas ad cantus certamen provocavit. *Lucan.* 6, 353. Pteleos et Dorion ira Nobile Pieridum. *Plin.* 4, 5. Arene, Pteleon, Thryon, Dorion. Adde 5, 29. *Stat. Th.* 4, 181. et cf. *Hom. Il.* B. v. 594. ℙ Item oppidum in Magnesia. *Plin.* 4, 10. ℙ Et aliud in Ionia. *Id.* 5, 29. *B. A.*

DORIS, idis, f. *Δωρίς*, Oceani et Tethyos filia, quae Nereo fratri nupsit, eique ingentem vim marinarum Nympharum peperit, quae Nereides dictae sunt. *Ov. Met.* 2, 268. ipsum quoque Nerea fama est, Doridaque et natas tepidis latuisse sub antris. ℙ Nomina filiarum ejus, ad quinquaginta, recenset *Hygin. praef.* ℙ Metonymice sumitur pro mari. *Virg. Ecl.* 10, 5. Doris amara suam non intermisceat undam. *Ov. Fast.* 4, 678. hac Hyades Dorida nocte petunt. Adde *Stat. Silv.* 3, 2, 89. ℙ Est praeterea *Doris*, *Val Livadia*, regio medit. Achaiae, inter Phocidem ad Or. et Epirum ad Occ. versus montes, et fontes Cephisii fl. a Doro Neptuni filio, vel a Doride filia Oceani et Tethyos. Sed alii scribunt, Dores Achivos fuisse, qui ex bello Trojano regressi, seditione juvenum recepti non fuere, sed acti in exsilium, postea a Dore quodam congregati in patriam deducti sunt, ab illo Dores dici coepisse, et regionem Doridem appellavisse, in qua habitaverunt. *Plin.* 4, 7, 13. et *Mela* 2, 3. ℙ Item regio Asiae minoris, ad mare Carpathium, post Cariae fines, ubi Halicarnassus. *Plin.* 5, 27, 29. et *ib.* 28, 29. ℙ Adjective *Doris* est Dorica, Doriensis. *Suet. Tib.* 56. Cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset, Doridem. ℙ *Doris tellus* apud *Senec. Herc. fur.* 81. est Sicilia, quia in ea plurimae fuerunt Graecorum coloniae, et Dorum maxime. ℙ Sumitur et latius pro Graeca. *Lucan.* 9, 36. Dorida tunc Malean et apertam Taenaron umbris, Inde Cythera petit. ℙ Denique *Doris* est herba anchusae similis, lanuginosior et minus pinguis, tenuioribus foliis et languidioribus, pseudanchusa etiam dicta. *Plin.* 22, 20, 24. ℙ [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1114, 5. Ulpia Doris. *F.*]

*DORISCI, orum, populi Asiae ulterioris, in confinio Ariae, Carmaniae et Drangianae, ad latus Parthiae orientale. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*DORISCUS et Doriscos, i, *Δωρίσκος*, vetus oppidum Thraciae. *Plin.* 4, 11. *bis.* *Mela* 2, 2. *post med.* et *Liv.* 31, 16. ubi *castellum* vocatur. *B. A.*

DORIUS, a, um, adj. idem quod Doricus et Doriensis. *Plin.* 2, 23, 20. Dorius phthongus, *h. e.* sonus gravis et bellicosus, quali delectati sunt Dores, sicuti acuto Phrygii, medio Lydii. *Id.* 7, 56, 57. Lydios modulos invenit Amphion, Dorios Thamyras Thrax. *Hor. Epod.* 9, 5. Sonante mixtis tibiis carmen lyra, Hac Dorium, illis Barbarum. *Appul. Met.* 10. At pone tergum tibicen Dorium canebat bellicosum, et permiscens bombis gravibus tinnitus acutos, in modum tubae: saltationis agilis vigorem suscitabat. [*Ita edd. *Elm.* et *Oud.* In edd. *Vulcan.* et *Pric.* est *Hormum*. *B. A.*] V. LYDIUS.

DORMIO, is, ivi et ii, itum, n. 4. *κοιμάομαι*, somnum capio. *Cic. Div.* 1, 30. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui. *Id. Att.* 10, 13. Ad horas tres dormiit. et *Inv.* 2, 4. Postquam illos arctius jam, ut fit ex lassitudine, dormire sensit. *Juven.* 1, 17. Altum dormire. *Hor. Ep.* 1, 2, 30. in medios dies. *Id. ib.* 1, 18, 34. in lucem. *Id. Sat.* 1, 5, 48. Ire dormitum. *Ov. Her.* 19, 57. Dormire cum aliquo. *Id. Rem. am.* 727. thalamo dormivimus isto. *Plin.* 21, 21, 89. Dormire in molli thymo. *Appul. Met.* 6. de Psyche soporata: Et jacebat immobilis, et nihil aliud, quam dormiens cadaver. ℙ Passive. *Catull.* 5, 6. Nox est perpetua una dormienda. *Mart.* 13, 59. Tota mihi dormitur hiems. ℙ *Non omnibus dormio* proverbium videtur natum a Cipio quodam, qui Pararenchon (*παραρέγχων*, juxtastertens, a *ῥέγχω*, rhoncum edo, sterto) dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius uxor ejus moecharetur. Usus est *Lucil.* apud *Fest.* in *Non.*, et *Cic. Fam.* 7, 24. V. LACUNAR. ℙ Dormire in utramvis aurem, V. AURIS. ℙ Translate est cessare, inertem esse [*ut Gr. *εὕδειν*, V. *Hdf.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 7.] *Prop.* 3, 4, 34. Noctibus illorum dormiet ipsa Venus. *Mart.* 10, 62. Ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum, Cessent, et Idus dormiant in Octobris. *Pl. Curc.* 1, 2, 66. Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessimi, nec mea gratia commovent se ocius. *Ter. Ad.* 4, 5, 59. Quid? credebas dormienti haec tibi confecturos Deos? Adde *Cic. Verr.* 2, 5, 70. ℙ Item securum esse, et nullam de re aliqua cogitationem suscipere. *Ter. Ph.* 5, 8, 15. Clam te uxorem duxit, et inde filiam suscepit unam, dum tu dormis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 17. Vos dormitis, nec haec adhuc mihi videmini intelligere. ℙ *Dormibo* pro *dormiam*, antiquum: et est in verbis 4. conjugat. non infrequens positio. *Pl. Trin.* 3, 2, 100. Dormibo placide in tabernaculo. *Cato R. R.* 5. Valebit rectius et dormibit libentius.

DORMISCO. V. CONDORMISCO.

DORMITATOR, oris, m. usurpatur a *Plauto* pro nocturno fure, qui interdiu dormitat, et noctu vigilat, *Trin.* 4, 2, 20. Mira sunt, ni illic homo est aut dormitator, aut sector zonarius. Sic *Hesiod. Oper. et dies v.* 605. furem vocat *ἡμεροκοίτην*, tota die dormientem. Alii minus recte exponunt amatorem, ob eandem causam.

DORMITIO, onis, f. *κοίμησις*, dormiendi actus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 239. Quid mihi cum somno, si dormitio tollitur? et *ib.* O stulta nostri pectoris dormitio! vigilabis. V. CUBITIO. ℙ Apud Christianos scriptores *Tert. Patient.* 9., *Hieron. ep.* 108. *n.* 15. et *Augustin. Conf.* 9, 9. *extr.* sumitur pro morte. Adde *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 367, 15., ubi ponitur pro quiete cadaveris in sepulcro.

DORMITO, as, avi, atum, n. 1. *νυστάζω*, dormire cupio, vel leviter dormio: frequentat. a *dormio. Pl. Amph.* 2, 2, 175. Te dormitare ajebas! mensa ablata est: cubitum hinc abiimus. *Cic. Att.* 2, 16. Coenato mihi et jam dormitanti, prid. Cal. Majas epistola illa est reddita. ℙ Item dormio. *Id. Div.* 1, 28. Cum magnam partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse. [**Wopk.* in *Lectt. Tull.*, cui assentitur *Hand.* hoc ita explicat: dormitando in somnum arctum gravemque incidi. Est igitur sensu praegnanti dictum. Nam per se *dormitare* nihil est, quam leviter dormio.] ℙ Translate est negligentem esse, otiose agere. *Pl. Epid.* 1, 2, 58. Non nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est. *Hor. A. P.* 359. quandoque bonus dormitat Homerus. *Cic. Or.* 2, 33. Oscitans et dormitans sapientia. ℙ *Dormitans lucerna* ap. *Ov. Her.* 19, 195. est languens, deficiens, et jamjam lumen amissura, atque adeo ad dormiendum invitans.

DORMITOR, oris, m. qui dormit, dormitator. *Mart.* 10, 4. Quid tibi dormitor proderit Endymion?

DORMITORIUS, a, um, adj. ad dormiendum pertinens, *κοιμητικός*. *Plin. ep.* 5, 6. Dormitorium cubiculum. *Id. ep.* 2, 17. membrum. Et absolute. *Plin. alter* 30, 6, 17. Jubent eum in pariete dormitorii ejus tectorio includi.

DORON vel Dorum, i, n. *Δωρόν*, Ciliciae oppidum. *Plin.* 5, 27. ℙ Item aliud, in Phoenicia. *Id. ib.* 19. Fuit oppidum Crocodilon, est flumen: memoria urbium, Dorum, Sycaminum. V. DIDOROS.

*DOROSTORUM, i, n. oppidum Moesiae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

*DOROTHEUS, i, m. *Δωρόθεος*, pictor insignis fuit, Neronis principatu, qui Anadyomenen, quam tabulam Augustus dicaverat, carie consenescentem, renovavit, vel potius aliam pro ea sua manu substituit. *Plin.* 35, 10. *B. A.* Item cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 2064, 7. T. Aurelius Dorotheus. *F.*]

*DOROXANIUM, i, flumen Indiae aurum vehens. *Curt.* 8, 9. Hinc *Prop.* 4, 5. *v.* 21. Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa. Ita legunt *Turneb.* et *Broukh.* Aliis placet *Dorixanium*. *B. A.*

DORSIFER. V. CLUNIFER.

DORSO, onis, m. cognomentum gentis Fabiae, ut C. Fabius Dorso apud *Liv.* 5, 46. *init.* et M. Fabius Dorso apud *eund.* 7, 28. ℙ Formatur a *dorsum*, ut a *labium* fit Labeo, a *mentum* Mento. V. *Sigon. de Cogn. Rom. c.* 5. ℙ Reperitur et *Dorsuo*, *onis*, ut C. Fabius Dorsuo apud *Val. Max.* 1, 1. ubi tamen ed. *Torrent.* habet *Dorso.*

DORSUALIS, e, adj. ad dorsum pertinens. *Appul. Met.* 11. p. 266, 32. Equus, quem diverse distractum, notae dorsualis agnitione recuperaverant. *Ammian.* 22, 15. Ferarum dorsuales crustae. *Solin.* 12. Dorsuales pinnae. ℙ *Dorsualia*, *ium*, *ἐπιώτια*, tegumenta, quae jumentis imponuntur.

Trebell. Gallien. 8. Boves dorsualibus sericis discoloribus praefulgentes.

DORSŪĀRIUS. V. DOSSUARIUS.

DORSUM, i, n. Dorsus, i, m. *νῶτος*, tergum, posterior corporis pars a cervice usque ad clunes: dicta, si *Festo* credimus, quod devexa sit deorsum: nam et *νῶτος* est a *νόω inusit.* pro *νευω*, deorsum inclino. Tribuitur tum hominibus, tum brutis. *Pl. Mil.* 2, 4, 44. Timeo, quid rerum gesserim hic: ita dorsus totus prurit. *Id. Epid.* 1, 1, 85. Ubi senex senserit, sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum. *Hor. Sat.* 1, 9, 20. ut iniquae mentis asellus, Cum gravius dorso subiit onus. *Plin.* 11, 39, 94. Quadrupedum dorsa pilosa, ventres glabri. *Id. ib.* 37, 86. Spina dorsi. ℙ Item aliis rebus. *Liv.* 1, 3. Urbs porrecta in dorso Albani montis. *Suet. Caes.* 44. Viam munire per Apennini dorsum. *Caes. B. G.* 7, 44. Dorsum ejus jugi esse prope aequum. *Plin.* 25, 5, 21. Folia nigriora, et canalium dorso rubescentia, *h. e.* parte convexa folii. *Avien. Perieg.* 217. Dorsa maris, *h. e.* extima pars, superficies. [*Symm. Laud. in Valent. orat.* 1, 2. ed. *Maio:* Fugaces incolas per dorsa fluminum consequeris. *B. A.*] *Stat. Silv.* 4, 3, 43. de via Domitiana: Mox haustas aliter replere fossas, Et summo gremium parare dorso, *h. e.* nucleum parare silici, quo eminentior pars viae sternenda est. V. NUCLEUS et AGGER. ℙ De scopulo in mari sive latenti,, sive exstante, vel cumulo arenae altiore, quam sit reliquus fundus, qui *pulvinus* etiam dicitur. *Virg. A.* 1, 113. Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras, Dorsum immane mari summo. et *ib.* 10, 303. Puppis inflicta vadis dorso dum pendet iniquo. *Plin. ep.* 6, 31. *sub f.* Eminet et apparet saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit et tollit. ℙ Duplici dentalia dorso, *Virg. G.* 1, 172. *h. e.* latere utroque in dorsi figuram exstante et lato.

DORSŪOSUS, a, um, adj. dorsum habens. *Ammian.* 22, 8. Pontus consurgit in brevia dorsuosa. *Solin.* 27. Mare in brevia crescit dorsuosa. Alii utrobique rectius leg. *tortuosa.*

*DORTIGON vel Dortigum, i, n. oppidum Moesiae superioris. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

DORUS, a, um, adj. *Δῶρος*, idem quod Doricus, Dorius. *Prop.* 3, 7, 44. Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis. Philetam Coum alloquitur: Cos enim hujus patria erat insula maris Aegaei e regione Cariae, Caria vero pars erat Doridis. Alii tamen leg. *Coe poeta*, ut saepe ille fuit vocatus a Latinis poetis. V. COUS. ℙ Nutantem hujus vocis auctoritatem his exemplis obfirma, in quibus Dorus est cognomen Romanum a patria Doride, ut alias saepissime, mutuatum; nisi quis repetendum putet a *δῶρον*, donum. *Inscr.* ap. *Murat.* 1690, 1. C. Oppius Dorus. Alia apud *eund.* 2091, 11. Sex. Donnius Dorus. [*Plura ex his addidit *F.* ℙ Fuit et *Dorus, i*, m. filius Hellenis, vel Neptuni, a quo Doris nomen traxit. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 27. Cf. *Apollod.* 1, 7. *B. A.*]

DORYCNĪUM, ii, n. *δορύκνιον*, herba est venenosa, sic dicta, quod lancearum cuspides ea tingerentur in proeliis: a *δόρυ*, cuspis, hasta et *κνίζω*, prurio. *Plin.* 21, 31, 105., et 28, 7, 21. [*Adde *Scribon. Compos.* 191. *B. A.*]

[DORYLAEUS, a, um, adj. et

[DORYLENSIS, e, adj. ad Dorylaeum pertinens, Phrygiae urbem, nunc *Eski-Sciehre*, in cujus nummis apud *Mionnet Descript. des médaill. ant. T.* 4. p. 285. legitur *ΔΟΡΥΛΑΕΩΝ.* ℙ *Dorylaei, orum* et *Dorylenses, ium* sunt incolae illius urbis. *Plin.* 5, 29, 29. Eucarpeni, Dorylaei, Midaei, Julienses. *Cic. Fl.* 17. Venio nunc ad Dorylensium testimonium. *F.*]

*DORYPĔTRON, i, n. *δορύπετρον*, herba, quam alii leontopodion vocant, cujus radix alvum sistit, purgatque bilem, in aquam mulsam addito pondere denariorum duum. Nascitur in campestri et gracili solo. *Plin.* 26, 8. *B. A.*

*DORYPHORIĀNUS, i, m. nomen sive proprium sive officii. *Ammian.* 28, 12. *B. A.*

DŌRYPHŌRUS, i, m. *δορυφόρος*, miles hastatus, cujusmodi sunt satellites, et custodes corporis: a *δόρυ*, hasta, et *φέρω*, fero. Apud *Cic. Brut.* 86. et *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. nomen est statuae talem militem referentis Legitur et *dorifer-rus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 403, 7. ℙ [Fuit quoque cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 477, 5. C. Julius Doryphorus. *F.*]

DOS, dōtis, f. *προῖξ*, id quod datur puellae, quae in matrimonium collocatur, ad alendos liberos: a *δόω*, do. *Cic. Quint.* 31. Cum ipse filiae nubili dotem conficere non posset. *Id. Leg.* 2, 16. Clisthenes Junoni Samiae, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. *Nep. Arist.* 3. Dare dotes filiis de communi aerario. *Caes. B. G.* 6, 18. Accipere pecuniam ab uxore dotis nomine. *Pl. Cist.* 2, 3, 19. Tibi talenta viginti pater det dotis. *Plin. ep.* 2, 4. Conferre nubenti in dotem centum millia. *Ov. Her.* 7, 149. Accipere aliquid in dotem. *Tryphonin. Dig.* 23. *tit.* 3. *qui est* De jure dotium, 78. *ad f.* Dare fundum in dotem. *Julian. ib.* 49. Facere alicui dotem. et *ib.* Ea pecunia est in dotem. *African. ib.* 50. Habere fundum in dotem. *Modestin. ib.* 62. Fundum doti dare, *h. e.* in dotem. Sic *Labeo ib.* 79. Doti promittere. *Papinian. ib.* 69. Promittere in dotem. ℙ [*Dotem non solum id dici, quod sponsa afferat sponso, sed vicissim, quod sponsus sponsae, allatis locis docent *Barth.* et *Drak.* ad *Sil.* 17, 75. quos consulesis.] ℙ Dotem dicere, est pronunciare et decernere, quae in dotem dare quis vult: pertinet autem vel ad patrem puellae, vel ad ipsam sponsam, vel ad debitorem ejus. Hi enim proprie olim dicebantur *dotem dicere*, eaque dictione obligabantur, uti docet *Cajus Institut.* 2, 9. et *Ulp. Regular. tit.* 6. Differunt autem *dicere* et *promittere*, quia illud fit certis quidem verbis, v. gr. *tot tibi erunt*, sed nulla interrogatione praecedente seu stipulatione: hoc vero cum interrogatione et stipulatione. *Ulp. l. c.* Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur. *Afran.* ap. *Non.* 4, 122. Vicino suo perpauperi, cui dicat dotis paululum. *Cic. Caecin.* 25. *extr.* Deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. *Ter. Heaut.* 5, 1, 64. Quid dotis dicam te dixisse filio? *Plin. ep.* 2, 4. Cum ego nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, praeter eam summam, quam pater tuus quasi de meo dixit. ℙ Dicimus etiam *dicere doti* et *in dotem. Cic. Flacc.* 34. *extr.* Doti Valeria pecuniam omnem suam dixerat. *Ter. Heaut.* 5, 1, 69. Me mea omnia bona doti dixisse illi. *Cajus l. c.* Si pecuniam debitor in dotem dixerit. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 11, 5. *ad f.* His quasi praeter dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius. *Vell.* 2, 67. Velut in dotem invitamentumque sceleris, Antonius avunculum, Lepidus fratrem proscripserant. ℙ *Dotes fundorum* sunt res quaedam comparatae ad tolerandos sumptus ipsorum fundorum colendorum, ut dotes instituuntur ad toleranda onera matrimoniorum. *Colum.* 4, 30. Pedaminum, jugorumque, et viminum prospiciendorum tradenda ratio est: haec enim, quasi quaedam dotes, vineis ante praeparantur. *Id.* 3, 3. *a med.* Vineae cum sua dote, id est cum pedamentis et viminibus. *Papinian. Dig.* 33, 7, 2. Dotes praediorum, quae Graeco vocabulo *ἐνθῆκαι* appellantur, cum non instructa legantur, legatario non praestantur. Adde *Scaev. ib.* 20. etc. ℙ Translate *dos* sumitur pro omni eo quod alicui datum est vel a natura, vel ab industria, vel a fortuna. Unde dotes animi sunt virtutes, litterae, etc. corporis pulcritudo, robur, incolumitas, etc. *Cic. Or.* 1, 55. Artem juris civilis cum indotatam esse atque incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. *Plin. ep.* 3, 3. Naturae fortunaeque dotes. *Vell.* 1, 12. Omnibus belli ac togae dotibus. *Ov. Met.* 9, 716. Dos formae. *Id. ib.* 5, 562. oris. *Id. A. Am.* 2, 112. dotes ingenii. *Id. Her.* 15, 146. dos erat ille loci, *h. e.* pretium et ornamentum. *Id. Amor.* 1, 10, 60. Est quoque carminibus meritas celebrare puellas, Dos mea. *Plin.* 9, 35, 56. Dos omnis unionum in candore, magnitudine, orbe, etc. *Id.* 22, 24, 50. Suae mulso dotes constant. *Id.* 19, 8, 41. Teneritas in dote est. [*Quare permutantur in codd. *dos* et *ars. Ov. A. Am.* 1, 596.] ℙ Genitivus pluralis est *dotium*, ut apparet ex titulo 3, 23. *Dig.*, qui *De jure dotium* inscribitur, ut et supra dictum est.

*DOSIĀDES, is, historicus, qui de Creta scripsit. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*DOSITHĔUS, i, *Δοσίθεος*, astrologus, de quo *Plin.* 18, 31. *B. A.*

*DOSSENUS, i, m. a dorso, V. v. seq. Est cognomen Romanum. *Nummus* gentis Rubriae apud *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 296. L. Rubrius Dossenus. ℙ *Fabius Dossenus* vel *Dossennus* fuit poeta comicus, Atellanarum scriptor, cujus mentio est apud *Plin.* 14, 13, 15., *Senec. ep.* 89. et *Hor. Ep.* 2, 1, 173. Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis. *Isid.* in *Gloss.* alucinatus est, qui *Dossennum* putavit fuisse personam parasitorum. *B. A.*

DOSSŪĀRIUS, a, um, adj. dicitur de jumentis, quae dorso portant. Olim enim *dossum* pro *dorsum* dictum fuisse videtur. *Varr. R. R.* 2, 6. *extr.* Aselli dossuarii. et 10. Jumenta dossuria.

DOTĀLIS, e, adj. *προίκειος*, ad dotem pertinens. *Cic. Att.* 15, 20, Hae sunt mercedes dotalium praedorium *Pl. Mil.* 4, 4, 30. Dotales aedes. [*Saepe ad dotem, quam affert maritus sponsae dicitur. *Sil.* 17, 75 Latiaeque soluto Foedere amicitiae, dotalia transtulit arma. V. plura ad h. l. apud intpp.] ℙ *Dotalis servus* dicebatur, quem uxor una cum dote ad maritum adducebat: qui ideo in potestate mariti erat, ut et dos ipsa: contra autem servus recepticius in potestate uxoris erat. V. RECEPTICIUS. *Pl. Asin.* 1, 1, 72. Dotalem servum Saurean uxor tua adduxit. *Senec. Controv.* 3, 21. Eligitur maritus servus, quem sanus pater dotalem dedisset. *Paul. Dig.* 24, 1, 28. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta; non servatur marito, quia ipse ministeriis eorum utitur.

DOTĀTUS, a, um, part. a *doto*, qui dotem, vel potius qui praeclaram dotem habet, *ἐπίπροικος.* Ita interpretanda loca *Prop.* 1, 8, 35. Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae. *Cic. Att.* 14, 13. *a med.* Dotata Aquilia. *Hor. Od.* 3, 21, 19. Nec dotata regit virum Conjux. ℙ Translate. *Plin.* 18, 28, 68. Dotata vite ulmus, i. e. vitibus circumdata. ℙ Dotatae cognomen habuit quaedam Megullia matrona R., quia cum L. millibus aeris mariti domum intravit: cum iis temporibus X. aut XI. millia summa dos esset. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 10. ℙ Item qui aliquibus bonis animi, aut corporis praeditus est. *Ov. Met.* 11, 301. Nata erat huic Chione, quae dotatissima forma Mille procis placuit.

*DOTĬON, i, *Δώτιον*, oppidum Thessaliae, in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

DŌTO, as, a. 1. *ἐπιπροικίζω*, dotem do. *Suet. Vesp.* 14. Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit, dotavitque etiam, et instruxit. *Virg. A.* 7, 318. Sanguine Trojano, et Rutulo dotabere virgo. *Claud. IV. Cons. Honor.* 684. Nurus toto dotanda mari. ℙ Translate. *Plin.* 12, 17, 38. In Arabia et olea dotatur lacrima, qua medicamentum conficitur, *h. e.* in pretio habetur, magni aestimatur propter lacrimam. *Pallad. Insit.* 63. Et steriles spinos, et inertem fetibus ornum Dotat. ℙ [*Permutantur *dotare* et *donare*, V. DONO. — et *ditare*, V. ad *Ov. A. Am.* 2, 261.]

*DŌTO, us, vel onis, f. *Δωτώ*, nympha marina, filia Nerei et Doridis. *Claud. Nupt. Honor.* 169. Mergit se subito, vellitque coralia Doto. *Virg. A.* 9, 102. qualis Nereia Doto. *Val. Fl.* 1, 135. Hanc Panope, Dotoque soror, etc. Apud *Virg.* et *Fl. l.* c. in quibusd. edition. perperam legitur *Cloto* vel *Clotho.* Apud *Homer.* vero *Iliad* 18, 43. *Δωτώ. B. A.* et *F.*

[DOXĀ, ae, f. *δόξα*, gloria. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 351. *n.* 37. Saenia Doxa. *F.*]

DR

*DRACA, ae, f. Dracae canes sunt, quorum articuli et ungues sunt amplissimi. *Colum.* 7, 12. Cf. *Ulit.* ad *Grat. Cyneg. v.* 276. *B. A.*

DRĀCAENĀ, ae, f. *δράκαινα*, de dracone femina, tanquam Latinum agnoscunt *Prisc.* 5. p. 647. et 6. p. 684., *Donat. edit.* 2. p. 1747. et *Cledon.* p. 1896. Sed nullo praeterea firmant Latino scriptore. Graecam vocem esse, notavit etiam *Servius* ad *G.* 3, 245. ut *leaena.*

DRACHMĀ, ae, f. *δραχμή*, *ὁλκή*, pondus constans dimidio sicilico, *h. e.* ternis scriplis seu scrupulis, estque unciae pars octava, vel, ut alii volunt, septima. Hoc pondere cudebatur Athenis nummus argenteus, qui minae Atticae centesimam partem valebat. Haec *Rhem. Fann. de ponderib.* 17. et *Plin.* 21, 34, 109. et V. dicta in DENARIUS. Drachma autem fere denario Romano respondebat, et quatuor sestertiis, sive de pondere loquimur, sive de moneta. *Scribon. epist. ad Callistrat. sub f.* Erit autem nota denarii unius pro Graeca drachma. *Plin. l. c.* Drachma Attica denarii argentei habet pondus: eademque sex obolos pondere efficit. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 52. Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmas ipsi petunt. *Cic. Fam.* 2, 17. Quod scribis ad me de drachmis CCCLIII., nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare. Loquitur *Cicero* de pecunia Asiatica: nam de Romana Latinis nominibus usus fuisset. ℙ *Drachuma* per epenthesin, eo modo quo *Alcumena*, pro *Alcmena*, dicitur a *Pl. Trin.* 2, 4, 23.

DRĀCO, onis, m. *δράκων*, serpens annosus, qui multa aetate in insolitam magnitudinem excrevit: a *δέρκω*, video, quia acutissimi est visus. In deliciis a veteribus habitos fuisse, eos praesertim, quos Epidaurios vocabant, veneno scilicet carentes, exempla reperies apud *Suet. Tib.* 72., *Senec. Ira* 2, 31. et *Mart.* 7, 87. V. etiam *Plin.* 8, 17, 22. ℙ Juxta *Servium* in *A.* 2, 204. draco dicitur in templis, serpens in terra, anguis in aqua. ℙ Dracones a poetis thesaurorum custodiae praeesse finguntur, ut aureo velleri Colchidis, hortis Hesperidum, etc. V. *Phaedr.* 4, 9. ℙ Tribuuntur etiam Aesculapio, quia vigilantissimi putantur: quae res medicinae maxime necessaria est. *Festus.* ℙ Erat draco signum in singulis cohortibus, sicut aquila erat primum signum totius legionis. *Veg. Mil.* 2, 13. Hinc *Prud. Cath.* 5, 56. signaque bellica Praetendunt tumidis clara draconibus. ℙ Est etiam nomen signi coelestis, de quo V. in ANGUIS. *Cic. N. D.* 2, 42. ℙ Draco marinus piscis est *Plinio* 9, 27, 43. et 32, 11, 53. ℙ Est etiam nomen unius ex canibus Actaeonis. *Hygin fab.* 181. ℙ Translate dicitur de vase tortuoso ad aquam calefaciendam. *Senec. Qu. Nat.* 3, 24. Facere solemus dracones, et miliaria, et complures formas, in quibus aere tenui fistulas struimus per declive circumdatas, ut saepe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. ℙ Item de palmite in vitibus: de quo ita *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 24. Nuper repertum, draconem serere juxta arborem: ita appellamus palmitem emeritum, pluribusque induratum annis. Hunc

praecisum quam maxima amplitudine, tribus partibus longitudinis deraso cortice, quatenus obruatur (unde et rasilem vocant) deprimere sulco, reliqua parte ad arborem erecta (*unde ratio nominis*) ocissimum in vite. Haec *Plin.*, qui ejus meminit et *ib.* 22, 35. *n.* 14. et 14, 1, 3. V. MERGUS. P [*Fuit et *Draco* antiquissimus Atheniensium legislator ante Solonem, cujus leges ipse Solon, praeterquam quae de caede erant constitutae, abrogandas curavit propter nimiam severitatem. Nam una omnibus poena constituta erat, ut etiam qui desidiae damnati essent, aut qui olera surripuissent, capite plecterentur. Ob quam causam Demades dicere solebat: Draconem non atramento, sed sanguine leges scripsisse. *Gell.* 11, 18. et *Cic. Or.* 1, 44. P Ita est etiam appellatus Asiae minoris mons. *Plin.* 5, 29, 31. Is in Dracone desinit, Draco in Tmolo, Tmolus in Cadmo, ille in Tauro. *B. A.*] P *Accius* ap. *Charis.* 1. p. 101. dixit *draconteм* pro *draconem*, a recto *draco*, *ontis*, Graeca forma. Idem *Accius* ap. *Non.* 5, 17. Ab dracontis stirpe armata exortus. Sic *Leonte Macharensi* dixit *Cic. Verr.* 2, 5, 6. *extr.* pro *Leone*, ut quidem legit *Prisc.* 6. p. 690. nam alii aliter.

DRĀCONĀRĬUS, ii, m. signifer, qui vexillum portat dracone insignitum. *Ammian.* 20, 4. Torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit. Adde *Veg. Mil.* 2, 7. et 13. et *Not. Tir.* p. 161.

DRĀCONĪGĔNĂ, ae, f. a dracone genitus. *Ov. Fast.* 3, 865. Thebas vocat *Draconigenam urbem*, quia conditae fuerunt a Cadmo, de quo V. suo loco. *Sidon. carm.* 2, 80. Quaeque draconigenae portas non clauserat hosti, Tum demum Babylon nimis est sibi visa placere, *h. e.* Alexandro M., cujus mater Olympias eum se ex serpente ingentis magnitudinis concepisse dicebat, uti narrat *Justin.* 11, 11. et 12, 16.

*DRACŌNON vel Draconum, i, n. *Δράκονον*, maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

DRĀCONTĀRĬUM, ii, n. *Tertull. Cor. mil.* 15. Quid caput strophiolo aut dracontario damnas? *h. e.* torque, qui saepe draconis formam habebat, et quo pro corona interdum usi sunt veteres. V. *Ammiani* locum in DRACONARIUS.

*DRĀCONTĒĂ, ae, f. herba eadem quae et dracontium. *Appul. Herb.* 14. *B. A.*

DRĀCONTĬA, ae, et Dracontites, ae, f. *δρακοντία*, et *δρακοντίτις*, gemma, quae in capite draconum reperiri dicitur, si viventi cerebrum excutiatur. *Plin.* 37, 10, 57. [*ubi ed. *Elzev.* cum aliis *draconites sive dracontia* habet. *Dracontias lapis* audit *Solin. c.* 43. *B. A.*]

DRĀCONTĬAS, ae, m. genus tritici, de quo *Plin.* 18, 7, 12. [**Δρακοντίας πυρὸς* est *Theophrasto. B. A.*]

DRĀCONTĬOS, Vitis, memoratur a *Colum.* 3, 2. *ad f.* fecunditate et generositate celebris. Fortasse ita dicta est a tortuositate ramorum.

DRĀCONTĬUM, ii, n. *δρακόντιον*, herba aro similis, vel eadem cum aro. Triplicem ejus descriptionem refert *Plin.* 24, 16, 9.

DRĀCUNCŪLUS, i, m. parvus draco. *Lamprid. Alex. Sev.* 14. Mater ejus somniavit, se purpureum dracunculum parere. P Item auri tortilis filum, draconi simile, quo duplicato torquis intexitur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 91. Deo Aesculapio . . . torquem aureum ex dracunculis duobus. P Item herba radice subrutila, et draconis convoluti modo. *Plin.* 24, 16, 91. P Item piscis aculeos in branchiis habens, ad caudam spectantes, et sic ut scorpio laedens, dum manu tollitur. *Id.* 32, 11. 53.

DRAGANTUM, i, n. vox corrupta ex tragacanthe, *τραγακάνθη*, significat herbam succo quodam manantem, cujus est aliquis in medicina usus. *Veg. Vet.* 1, 32. et *Theod. Prisc. de diaeta* 9.

*DRAHONUS, i, m. fluvius Dron, qui Mosellae infunditur. V. *Scal. Auson. Lect.* 1, 2. *init. B. A.*

DRĀMĂ, ătis, n. *δρᾶμα*, est actio comoediae, aut tragoediae: a *δράω*, facio: histriones enim *agere* dicuntur. Item ipsum poema comicum, aut tragicum, aut hujusmodi: in quibus poetae persona non admiscetur, sed soli actores colloquuntur. *Auson. epist.* 18, 15. Protulit in scenam quot dramata fabellarum.

*DRAMASA, sic Austrinum polum appellant Indi, teste *Plin.* 6, 19, 22. *B. A.*

DRĀMĂTĬCUS, a, um, adj. *δραματικός*, ad drama pertinens. *Diomed.* 3. p. 480. Dramatici poematis, vel activi genera sunt quatuor: apud Graecos Tragica, Comica, Satyrica, Mimica: apud Romanos Praetextata, Tabernaria, Atellana, Planipes.

*DRANCAEUS et Drangaeus, a, um, adj. ad Drancas vel Drangas pertinens, qui *Plinio* 6, 23, 25. sunt populi Persidis, prope Caramaniam. *Val. Fl.* 6, 106. Drancaea phalanx. et *ib.* 507. legio. Al. leg. utroque loco *Drangaea. B. A.* et *F.*

*DRANGIĀNI, orum, i. q. Drangae. *Justin.* 45, 6. *B. A.*

DRĀPĔTĂ, ae, m. *δραπέτης*, servus fugitivus. Vox Graeca a *δράω*, fugio. *Pl. Curc.* 2, 3, 11. Conferunt sermones inter sese drapetae.

[DRAPPUS, i, m. pannus. Hujus vocis origo ignota est: ea tamen vetus est, nam legitur in *Not. Tir.* p. 161. V. et *Ducangii Gloss. med.* et *inf. Latin.* in V. *Drappus. F.*]

*DRAUCA, ae, nomen mulieris. *Orell. Inscrr. Latt.* II. *n.* 5002. D. M. Draucae vix an. XVIIII. D. XV. Thales pater filiae dulcissimae fecit. *B. A.*

DRAUCUS, i, m. qui mares provectioris aetatis init, conficit, idem ac subactor: a *δράω*, ago, facio. Differt a paedicone, qui pueros stuprat. *Gloss. Philox.* Draucus, *καταπύγων. Mart.* 9, 28. Occurrit aliquis inter ista si draucus, etc.

*DRAUDACUM, i, n. oppidum castellumve Illyridis Graecae, in Penestis. *Liv.* 43, 19. *B. A.*

*DRAUS et Dravus, i, m. *Δράους* et *Δράβος*, Pannoniae fluvius violentior, e Noricis oriens, et in Danuvium semper navigabilis defluens: nunc *die Drau.* Ejus meminit *Plin.* 3, 25, 28. et *Flor.* 4, 12. *B. A.*

DRENSO, as, n. 1. est proprium vocis cycnorum. *Auct. Philom.* 23. Cycni prope flumina drensant.

DRĔPĀNIS, is, f. avis quaedam imbecillimis brevissimisque pedibus. *Plin.* 11, 47, 101.

DRĔPĀNĪTĀNUS, a, um, adj. ad Drepanum pertinens. Est autem Drepanum, *Trápani*, urbs Siciliae maritima in ora occidentali, non longe a Lilybaeo promontorio: quo cum pervenisset Carthagine Aeneas, Anchisem patrem vita functum ludis et justis funebribus prosecutus est, ut est apud *Virg. A.* 3, 707. et *ib.* 5. *post init.* Dictum est autem a *δρέπανον*, falx, vel quod litus habet in modum falcis curvatum; vel quod Saturnus, post amputata virilia Coelo patri, illuc falcem projecerit; vel a falce Cereris, quam ibi, cum Proserpinam quaereret, amisit. *Cato* autem *haec Drepana* pluraliter dicit; et *Sil.* 14, 269. *haec Drepane* num. sing., quia apud Graecos etiam *δρεπάνη* falcem significat. Haec ex *Servio* ad *cit. loc. Aen.* 3. Ad dictos Aeneae ludos respiciens *Sidon. ep.* 2, 2. *sub f.* Moris, inquit, fuit senioribus nostris, agonem Drepanitanum Trojanae superstitionis imitari. *Cic. Verr.* 2, 2, 57. et *ib.* 4, 17. Pupillus Drepanitanus. [**Drepana*, *orum*, habet etiam *Liv.* 28, 41. *Flor.* 2. *Plin.* 3, 8. P Drepanum promontorium, ad quod sita est urbs, meminit *Plin.* 3, 8. P *Drepanitani*, *orum*, oppidani dicti *Plin.* 3, 8. P Fuit et Drepanum oppidum quoddam ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*DREPANIUS, i, m. Latinus Pacatus Drepanius, auctor Panegyrici Theodosii, Aquitanus. *Sidon. Apollin. l.* 8. *ep.* 11. *ad Lupum. B. A.*

*DRILON vel Drilo, onis, flumen Illyrici, juxta Lissum oppidum, hodie *der Drin. Plin.* 3, 22. et 21, 7. *B. A.*

DRĪLOPOTĀ, ae, m. *δριλοπότης*, qui poculo in Priapi formam facto bibit, a *δρῖλος*, lumbricus, item penis, et *πότης*, potor. *Vet. Interpr.* ad *Juven.* 2, 95., ubi alii leg. *veretillopota*, [*illud ex conjectura est *Casauboni* ad *Capitol. Pertin. c.* 8. Al. leg. *drillopota. Glossae: δρίλλος*, Verpus. et Verpus, *δρῖλος. B. A.*] alii *phallopota* eodem sensu.

*DRĪMATI, orum, *Δριμάτοι*, Arabiae populi, non longe a Mizis majoribus et minoribus distantes. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

DRĪMYPHAGĬĀ, ae, f. *δριμυφαγία*, esus ciborum acrem saporem habentium: a *δριμύς*, acrem gustum habens, et *φάγω*, comedo. *Coel. Aur. Tard.* 2, 1.

DRINDĬO, is, n. 4. verbum exprimens vocem mustelae. *Auct. Philom.* 61. mustelaque drindit.

*DRINUS, i, fluvius Illyridis, non procul a Scodra, ut refert *Vib. Sequest. de fluminibus. Drinium flumen* audit *Plin.* 3, 26. Idem videtur esse, quod et Drilon audit. *B. A.*

[DRIPSĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Dripsinum pertinens, oppidum agri Vicetini inter colles, qui Brixianum agrum spectant, nunc *Trissino*, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Murat.* 328, 1. C. Geminius Vitalis Dripsino. P *Dripsinates*, *ium* sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Grut.* 480, 5. Sex. Valerio Sex. Fil. Fab. Poblicolae Vettiliano patrono civitatium Vardagatensium et Dripsinatium. V. *Maff. Ver. illustr.* p. 105. *F.*]

DRŌMAS, ădis, m. cursorius: a *δρόμος*, cursus. Dromades dicti sunt cameli cujusdam generis, ceteris quidem minores, sed aptiores ad cursum, quos dicunt octingenta stadia uno die conficere. [**Diod. Sic. l.* 19. p. 683. adeo MD stadia uno eos die emetiri tradit. V. *Wessel. Tom.* 11. p. 347.] Singula habent in dorso tubera, et ad Arabiam pertinent. V. CAMELUS. *Liv.* 37, 40. Cameli, quos appellant dromadas. *Vopisc. Aurelian.* 28. Cum fugeret camelis, quos dromadas vocitant. Adde *Curt.* 5, 2. P Est etiam nomen canis apud *Ov. Met.* 2, 217. P [Item cognomen Romanum in gen. femin. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 298, 6. Sallustia dromas. *F.*]

DRŌMĔDĀRĬUS, ii, m. idem ac dromas. *Hieron. Vita Malchi n.* 10. Vidimus camelos, quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant. Alii leg. *dromadarios.*

*DROMISCOS, i, insula olim prope Ioniam, non procul a Mileto, continenti postea adjuncta. *Plin.* 2, 89. *B. A.*

DRŌMO, ōnis, m. genus piscis ita dicti a velocitate: nam *δρόμος* est cursus. *Plin.* 32, 11, 53. P Apud *Ter. Andr.*, *Heaut.* et *Ad.* et *Pl. Aul.* 2, 9, 1. est nomen servi. P [Est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 952, 1. C. Postumius Dromo. P Est etiam hoc nomine genus navis longae, transvectionibus aptae, a celeritate dictae, cujus mentio fit in *Cod.* 1, 27, 2. et apud *Cassiod. Variar. ep.* 5, 17. et *Isid. Orig.* 19, 1. P Legitur et *dromon* in recto casu. *F.*]

*DRŌMONĀRĬUS, ii, m. remex dromonum seu navium cursoriarum. *Cassiod. Variar.* 4, 15. Comperimus, dromonarios viginti et unum de constituto numero mortis incommodo fuisse substractos. V. v. seq. *B. A.*

DRŌMOS vel Dromus, i, m. *δρόμος*, cursus: a *δρέμω*, curro: locus, in quo exercitationis causa aurigae currebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 2. Q. Rapidio Q. F. Lem. Sepullio procuratori dromi factionis Venetae etc. P [*Fuit etiam *dromos* appellata planities, in qua juvenes Spartae in cursu certabant. *Liv.* 34, 27. Eductis in campum omnibus copiis, dromon ipsi vocant, positis armis ad concionem vocari jussit Lacedaemonios. P *Dromos Achillĕos*, *δρόμος Ἀχίλλειος*, paeninsula fuit maris Euxini, de qua sic *Plin.* 4, 12, 26. Insula Achillis, tumulo ejus viri clara. Et ab ea centum triginta millia passuum paeninsula, ad formam gladii in transversum porrecta, exercitatione ejusdem cognominata Dromos Achilleos, cujus longitudinem octoginta millium passuum tradidit Agrippa. Adde *Melam* 2, 1. *B. A.* *Dromus fuit etiam canis nomen. *Orell. Inscrr. Latt.* II. *n.* 4730. Dromo et Hylaci (s. Hylactori) canibus venaticis boni...]

[DROPĀCĬSTĂ, ae, m. *δροπακιστής*, qui dropace pilos corporis evellit. *Gloss. Philox. Δροπακιστής*, dropacista, colipilarius, alipilarius, depilator. F.]

*DROPĀCO, as, a. 1. depilo, dropace curo. *Octav. Hor. l.* 4. Liniendus est, ita tamen, ut ante hydropicus toto corpore dropacetur. *B. A.*

DRŌPAX, ācis, m. *δρώπαξ*, unguenti genus ad evellendos e corpore pilos: a *δρέπω*, decerpo, carpo. Fortasse magnam partem resina constabat. *Mart.* 3, 74. Psilothro faciem laevas, et dropace calvam. Adde 10, 65.

[DRŌSUS, i, m. *δρόσος*, ros. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 742. *n.* 509. Ti. Plautius Drosus. *F.*]

*DRŪENTĪCUS, a, um, adj. ad Druentiam pertinens, nunc *Durance*, qui est fluvius Provinciae, in Rhodanum influens. *Inscr.* ap. *Murat.* 977, 4. Aurelius Septimius Demetrianus nauta Druenticus vivus sibi posuit. Alia apud *Grut.* 413, 4. Patrono nautarum Druenticorum. *F.*]

*DRUGERI, orum, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

DRŪĬAS, ădis, et Druis, ĭdis, f. *Δρυΐας*, mulier in Druidibus. *Inscr.* ap. *Grut.* 62, 9. Silvano sacrum et Nymphis loci Arete Druis antistita somno monita. *Vopisc. Aurel.* 44. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, scitantem etc. *Id. Numer.* 15. Druias dixisse fertur: Diocletiane, jocari noli etc. Adde *Lamprid. Alex. Sev.* 60.

DRŪĬDAE, arum, et Druides, um, m. plur. *Δρυΐδαι*, magi seu philosophi et sacerdotes veterum Gallorum, de quibus multa *Caes. B. G.* 6, 13. et deinceps, *Lucan.* 1. *a vers.* 450. et *Ammian.* 15, 9. *extr.* Dicti sunt a *δρῦς*, robur, arbor, ut quidam putant. Alii Celticam vocem esse arbitrantur, ex Celt. *der*, quercus, *wydd*, viscus, et *dyn* vir: unde compositum est *derwyd-dyn*, *h. e.* vir visci quercini. *Plin.* 16, 44, 95. Nihil habent Druides (ita suos Galliae appellant magos) visco et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt: ut inde appellati quoque interpretatione Graeca possint Druides videri. Adde *Tac. A.* 14, 30. et *Melam* 3, 2. P Paenultima longa est, si Graecam scriptionem spectes. Corripi tamen videtur a *Lucan.* 1, 451. Sacrorum Druidae positis repetistis ab armis. Nisi confugias ad synaeresin, aut diphthongum impropriam. P Legitur et *Dryides*, ut *Sylla* pro *Sulla.*

*DRUNA, ae, Galliae fluvius, in Rhodanum cadens, hodieque *Drome* dictus. *Auson.* in *Mosella v.* 479. *B. A.*

DRUNGUS, i, m. cuneus sive globus in acie. *Δροῦγγος* vox est apud Graecos scriptores de re militari sequioris aevi valde frequens, ac *catervam militum*, significat, cui qui praeerat, *δρουγγάριος* fuit appellatus. V. *Ducangii Gloss. med. et inf. Latin.* in vocibus *Drungarius* et *Drungus. Veg. Mil.* 3, 16. Scire dux debet contra quos drungos, hoc est, globos hostium, quos equites oporteat poni. *Vopisc. Aurel.* 19. Omnium gentium drun-

gos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.

DRŪPĂ, ae, f. [*s. druppa], *δρυπεπὴς*, oliva incipiens nigrescere, vél, ut est apud *Colum.* 12, 52., cum primum decolorari coeperit, nec tamen adhuc varia fuerit: quae optima est aetas ad decerpendum oleoque exprimendo. *Plin.* 15, 1, 2. et *ib.* 7, 7. et 17, 24, 37. *n.* 7. et 19, 5, 26. *n.* 1., ubi *olivas drupas* quasi adjective appellat. ℙ Graeci dicunt drypetas, teste *eod. citat.* 15, 1, 2., unde *drupa* facta est: a *δρῦς*, quercus, arbor, et *πέπω*, cado: quia maturescentes tunc sunt praecipue caducae, ut *Plin. l. c.* 17, 24, 37. *n.* 7. scribit. ℙ Legitur et *druppa* et Graece *δρύπη*. *Plin.* 12, 27, 60.

DRŪSĪĀNUS et Drūsīnus, a, um, adj. ad Drusum pertinens, quod est nomen proprium R. hominis. *Fossa Drusiana* ap. *Tac. A.* 2, 8., et *Drusina* ap. *Suet. Claud.* 1. est in inferiori Germania a Rheno fluvio ad Isalam, nunc *Yssel:* ducta a Druso Germanico Liviae filio et Claudii Imp. patre, cum expeditionem in Frisios pararet.

*DRŪSILLĀ, ae, f. diminut. Drusi, cognomen feminarum quarundam illustrium; ut Livia Drusilla, L. Livii Drusi filia, secunda Augusti uxor, quae prius nupserat Ti. Claudio Neroni, ex quo filios duos Tiberium et Drusum peperit. *Nep. Att.* 19. et *Suet. Aug.* 62. ℙ Fuit et *Drusilla*, Germanici ex Agrippina filia, soror Caligulae, primum L. Cassio, postea M. Aemilio Lepido nupta. *Suet. Cal.* 7. et *Tac. A.* 6, 15. *B. A.*

[DRŪSILLĀNUS vel Drūsillīānus, i, m. cognomen Romanum, a Drusilla derivatum. *Plin.* 33, 11, 52. Claudii principatu servus ejus Drusillanus, cognomine Rotundus, dispensator Hispaniae citerioris quingenariam lancem argenteam habuit, cui fabricandae officina prius exaedificata fuerat. Adde *Tert. Pall.* 5. ℙ Idem fortasse fuit, de quo exstat *Inscr.* ap. *Murat.* 893, 2. Cinnamus Ti. Claudii Caesaris Aug. Germanici dispensator Drusillianus. ℙ *Drusilliana*, *ae*, f. *Inscr.* ap. *eund*, *ib.* 3. Cinnamis Caesaris Aug. verna Drusilliana. *F.*]

*DRUSO, onis, imperitus historicus, sub Augusto, debitores suos historias a se scriptas audire coegit, spretas reliquis. *Hor. Sat.* 1, 3, 86. Odisti et fugis, ut Drusonem debitor aeris. *B. A.*

*DRŪSUS, i, m. *Δροῦσος*, Liviae Augustae ex Ti. Claudio Nerone filius, Tiberii Aug. frater et Claudii Aug. pater, Germanicus a Germania magna ex parte devicta cognominatus, in qua obiit. De ejus morte exstat *C. Pedonis Albinovani consolatio ad Liviam.* Illius laudes celebrat *Hor. Od.* 4, 4. et *Senec. Consol. ad Marc.* 3. V. *Suet. Tib.* 7. et *Claud.* 1. ℙ Item Tiberii Aug. filius ex Agrippina, uxoris Livillae et Sejani fraude interemptus, qui et Drusus junior dicitur. *Suet. Tib.* 62. ℙ Et Germanici ex Agrippina filius a Tiberio Aug. necatus. *Id. ib.* 54. ℙ Et Claudii Aug. ex Urgulanilla filius, qui piro per lusum in sublime jacto, et hiatu oris excepto adhuc impubis strangulatus est. *Id. Claud.* 7. ℙ Fuit et M. Livius Drusus genere et eloquentia nobilis, M. Catonis avunculus. *Id. Tib.* 3., *Vell.* 2, 13 et 14., *Aur. Vict. Vir. ill.* 66. ℙ Drusorum familia ex gente Claudia, licet plebeja, octo tamen consulatibus, duobus censuris, triumphis tribus, dictatura, equitum magisterio etc. insignis fuit. Clarissimi M. Livius Drusus Salinator, qui una cum Claudio Nerone collega suo in consulatu Asdrubalem devicit; et Drusus, qui primus hoc cognomen ab interfecto Drauso Gallorum duce tulit. *Suet. Tib.* 3. *B. A.*

DRYĂDES, um, f. plur. *Δρυάδες*, nymphae nemorum incolae et praesides: a *δρῦς*, quercus, arbor. V. HAMADRYAS. *Virg. G.* 1, 11. Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae. *Ov. Met.* 6, 453. Naidas et Dryadas mediis incedere silvis. ℙ In singulari num. *Mart.* 9, 62. Saepe sub hac latuit rustica fronde Dryas. ℙ In dativo plurali *Dryasin* pro *Dryadibus* positione Graeca *ταῖς Δρυάσιν*, dixit *Prop.* 1, 20, 12. Similique ratione *ib.* 32. *Hamadryasin*, et *ib.* 34. *Thyniasin.* Sic *ethesin* dixit *Varro* ab *ethos:* et *schemasin* a *schema*, *atis.*

DRYANTĬĂDES et Dryantīdes, ae, m. *Δρυαντιάδης* et *Δρυαντίδης*, Dryantis filius, qualis fuit Lycurgus rex Thraciae, qui cum Liberum Patrem regno fugasset, quem negabat esse Deum, vinumque bibisset, ebrius factus matrem violare conatus est: arrepta deinde securi, vites recidere coepit, quod malum medicamentum esse diceret, quo mentes hominum immutarentur. Tandem furore a Libero Patre objecto, uxorem et filium interfecit, et a pantheris demum in Rhodope Thraciae monte discerptus est, vel secundum *Hygin. fab.* 242., se ipse interfecit. Alii tradunt, dum vites amputare vellet, inter caedendum in crus sibi securim impegisse. Alii in mare praecipitatum, quod primus aquam vino miscuisset, et rem haustu sinceram venenis corrupisset. Alii insanum factum, quod cum matre concubuisset, altero pede nudo incessisse: quare et *μονοχρηπὶς* dictus est. *Ov. Ib.* 347. Utque Dryantidae Rhodopeia regna tenenti, In gemino dispar cui pede cultus erat. Adde *Serv.* ad *A.* 3, 14. ℙ [*Fuit et *Dryas*, *antis*, m. *Δρύας*, pater Lycurgi, Thraciae regis, Baccho infensi. *Hygin. fab.* 132 et 242. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 14. ℙ Item Martis filius, Calydonius, unus ex iis qui ad aprum Calydonium venandum ierunt. *Hygin. fab.* 173. (ubi Iapeti filius audit,) et *Ov. Met.* 8, 307. ℙ Et Lapitharum unus. *Id. ib.* 12, 290. *B. A.*

[DRYĪTIS, itidis, f. *δρυΐτις*, gemma e truncis arborum dicta (a *δρῦς*, quercus), quae et ligni modo ardet, ut auctor est *Plin.* 37, 11, 73. *F.*]

*DRYMAEUS, a, um, adj. ad Drymas pertinens, Doridis oppidum, quod *Drymae*, *arum* dicitur *Liv.* 28, 7. *Plin.* 4, 3, 4 *Drymaea regio. B. A.*

*DRYMODES, is, (*Δρυμώδης*, *i. e.* silvosa, sc. *terra*,) sic ante dicta est Arcadia. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

[DRYMŬLUS, i, m. diminutivum a *δρυμὸς*, silva querna, nemus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 636, 11. C. Terentius Romulus, sive Drymulus. *F.*]

*DRYMŪSA, ae, f. *Δρυμοῦσα*, insula prope Ioniam, Samo et Lesbo finitima. *Plin.* 5, 31. *Liv.* 38, 39. *B. A.*

[DRYOPĒ, es, f. filia Euryti, soror Ioles, ab Apolline compressa Amphissum genuit, mox Andremoni nupsit; dum vero quadam die prope lacum aquaticae loti flores carperet, ipsa in loton arborem est conversa. *Ov. Met.* 9, 331. ℙ Alia fuit Dryope nympha, quae ex Fauno Tarquitum peperit. *Virg. A.* 10, 551. ℙ Item mulier Lemnia, cujus forma sumpta, Venus consilium dedit Lemniatibus sopitos viros occidendi. *Val. Fl.* 2, 174. *F.*]

DRYOPĒĬUS, a, um, adj. *Ov. Met.* 8, 751. Non tamen abstinuit ferrum Dryopeius, etc. *h. e.* Erisichthon filius vel nepos Dryopis regis Thessaliae. Al. leg. *Triopeius* a Triope vel Triopa patre, Neptuni filio: quod magis placet. Hinc *Triopēis*, *idis*, Metra Erisichtonis filia. *Ov. ib.* 872. Saepe pater dominis Triopeida vendit: at illa, etc.

DRYOPES, um, m. plur. pop. Epiri, quorum regio Dryopis, vel Dryopia, *Aldradina:* vel Phocidis juxta Parnassum montem, vel Thessaliae juxta Oetam montem. *Plin. praef.* 4. ℙ Dryopum rex circa Parnassum montem fuit Thiodamus, qui cum eos contra Herculem, qui fame compulsus sibi aranti bovem abstulerat et devoraverat, concitasset, una cum suis omnibus ab illo internecione caesus est *Ov. Ib.* 489. Tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocantem Juvit inhumanum Thiodamanta Dryops. ℙ *Serv.* ad *A.* 4, 146. scribit, Dryopes subactos ab Hercule atque Apollini donatos fuisse.

*DRYOPIS, idis, f. sc. terra, *Δρυοπὶς* sc. *γῆ*, sic olim dicta est Thessalia. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

DRYOPHONON, i, n. *δρυόφονον*, herbae genus, cauliculis tenuibus, cubitalibus circumdatis utrinque foliis pollicari amplitudine, qualia oxymyrsines, sed candidioribus molfioribusque, flore candido sambuci. Cauliculi decocti sunt edules: semen vicem piperis praestat. *Plin.* 27, 9, 48.

DRYOPHYTES. V. DIOPETES.

DRYOPTĒRIS, idis, f. *δρυοπτερὶς*, herba filici similis, in arboribus nascens, tenui foliorum subdulcium incisura, radice hirsuta. Vis ei caustica est: ideo psilothrum est radix tusa. *Plin.* 27, 9, 48.

DRYOS HYPHĔAR, *δρυὸς ὑφέαρ*, h. e. viscum quercus. *Plin.* 16, 44, 92., ubi *Harduin.* testatur, in MSS. aliter legi.

DRYPĔTES, *δρυπετής*. V. DRUPA.

*DRYS, yos, f. herba, quae et chamaedrys dicta, et drysites. *Appul. Herb.* 24. *B. A.*

*DRYŪSA, ae, f. (*δρυόεσσα* contr. *δρυοῦσσα*, sc. abundans quercubus,) sic olim appellata est Samos insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

DU

DŬĂ. V. DUO.

DŪALIS, e, adj. *δυϊκὸς*, duo continens vel significans. *Dualis numerus* apud grammaticos significat duos: de quo ita *Quint.* 1, 5. *a med.* Fuerunt, qui nobis quoque adjicerent dualem, *scripsēre*, *legēre:* quod evitandae asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro *male mereris*, *male merere:* ideoque quod vocant duale, in illo solo genere consistit, cum apud Graecos et in verbi tota fere ratione, et in nominibus deprehendatur; apud nostrorum vero neminem haec observatio reperiatur, quin e contrario, *Devenere locos* et *Conticuere omnes*, et *Consedere duces*, aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere. Adde *Serv.* ad illud *Virg. A.* 2, 1. Conticuere omnes. *Lact. Opif. D.* 10. de naso: Ex quo intelligitur, quantum dualis numerus, una et simplici compage solidatus, ad rerum valeat perfectionem. ℙ Duali numero carebant Aeoles; hinc etiam Latini, qui in vocibus a Graeca lingua deductis Aeolicam dialectum Doricae simillimam plerumque sunt imitati, eundem minime usurparunt. *Gregor. Corinth. de dialect. Aeol.* §. 29. *τοῖς δυϊκοῖς ἀριθμοῖς οὗτοι (Αἰολες) οὐ κέχρηνται, καθὰ δὴ καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τούτων ὄντες ἄποικοι.*

[DŪĀRĬUS, a, um, adj. *δναδικὸς*, idem ac binarius. *Mar. Vict.* p. 254. Iambica vero et Trochaica, sicut supra docuimus, duaria amplexione subsistunt. *F.*]

*DUATUS SĪNUS, in Aracia Felice. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

DUBĒNUS apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus. *Festus.* Est qui legat *Dubienus*, *qui nunc dubius.*

DŪBIĒ, adv. dubitanter, *ἀμφιβόλως*. *Cic. Div.* 1, 55. Ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum. *Id. Fam.* 15, 1. Etsi non dubie mihi nunciabatur, Parthos transisse Euphratem. *Sall. Jug.* 108. Consul haud dubie jam victor. *Liv.* 2, 23. *ad f.* Nec dubie ludibrio esse miserias suas.

DUBĬĒNUS. V. DUBENUS.

DŪBĬĒTAS, atis, f. dubitatio. *Ammian.* 20, 4. Absentia magistri equitum faciente dubietatem. *Eutrop.* 6, 19. Cum sine dubietate aliqua deferretur.

*DUBINGENIŌSUS, a, um, adj. *ἀφυὴς*, *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*DUBĪNUS, *διττὸς Gloss. Vet.* Corruptum haud dubie (inquit *Gesnerus*) ex *duinus*, ut *duenus*, *benus*, *bonus; duiginti*, *biginti*, *viginti. B. A.*

DŪBĬO, as, n. 1. dubito. *Festus:* dubiat, dubitat.

DŪBĬŌSUS, a, um, adj. *ἄπορος:* dubius. *Gell.* 3, 3. Fabulas a ceteris segregavit, quoniam dubiosae non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur. *Id.* 5, 10. *ad f.* Judices dubiosum hoc, inexplicabileque esse rati.

*DUBIS, is, m. *Δοῦβις*, *Ptol.* [**Δούβιον*] Galliae Belgicae flumen, in Ararim fluens, hodie *le Doubs* appellatum. *Caes. B. G.* 1, 38. ed. *Oud.* In aliis est *Alduabis* vel *Alduadubis. B. A.*

DŪBĬTĂBĬLIS, e, adj. dubius. *Ov. Met.* 1, 223. nec erit dubitabile verum. *Id. ib.* 13, 21. si virtus in me dubitabilis esset. ℙ Pro eo qui dubitat. *Prud. Apoth.* 649. dubitabile pectus.

DŪBĬTANTER, adv. dubie, dubitando, *ἀμφιβόλως*. *Cic. Inv.* 2, 3. Sine ulla affirmatione, dubitanter unumquodque dicemus. *Id. Brut.* 22. Verecunde et dubitanter recipere. *Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Pericula non dubitanter adire.

DŪBĬTĀTIM, adv. dubie. *Sisen.* ap. *Non.* 2, 231. Hostem non dubitatim cum scalis iter facere cernebat. Adde *Coel.* in *Annal. ib.*

DŪBĬTĀTĬO, onis, f. *ἀπορία*, actus dubitandi, dubium, haesitatio. *Cic. Or.* 2, 50. Qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio tractusque verborum, et, *ib.* 2, 49. Pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. ℙ [*Formulae: *sine (ulla) dubitatione* semper hic sensus est: non dubito, quin etc. *ohne den geringsten Anstand.* Probe igitur discernenda est haec formula ab altera: *sine dubio*, i. e. *ohne Zweifel.* V. DUBIUS.] *Id. Off.* 1, 41. Ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines. *Id. Agr.* 1, 4. Si foedus illud habet aliquam dubitationem. *Id. Fam.* 3, 5. Itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurus ne me sis in provincia. *Caes. B. G.* 1, 14. Dare alicui dubitationem. *Cic. Off.* 2, 5. Hic locus nihil habet dubitationis, quin, etc. et *ib.* 3, 2. Alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit, etc. et *ib.* 4. Si quando dubitatio accidit, quale sit id, etc. *Id. Fam.* 15, 21. Nullam apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares. *Id. Cluent.* 28. Injicere alicui scrupulum et quandam dubitationem, quidnam, etc. *Id. Att.* 12, 4. *extr.* Tollere alicui omnem dubitationem. *Caes. B. G.* 5, 46. expellere. *Quint.* 1, 10. eximere. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. Aestuare dubitatione. [*In his duae significationes distinguendae sunt. Vel enim *dubitatio* vere est actus dubitandi (*Zweifel*); vel est, quod *F.* per *haesitatio* exprimere voluit, ubi vim deliberandi habet, quod nos dicimus *Anstand*, *Bedenken.* Hac significatione respondet Gr. v. *ἐποχή*, quam veteres Socrati tribuunt. *Cic. Acad.* 1, 17. illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus et nulla affirmatione adhibita consuetudinem differendi, reliquerunt.] ℙ Est hoc nomine rhetorica figura sententiarum, cum orator dubitare videtur, an sibi dicendum, quid potissimum dicendum sit, unde incipiendum, ubi desinendum, etc. *Cic. Or.* 3, 53., *Auct. ad Her.* 4, 29. et *Quint.* 9, 2. *post init.* ℙ Cum in paucis verbis consistit, inter figuras verborum est enumeranda, ut, Sive me malitiam, sive stultitiam dicere oportet. *Quint. ib.* 3. *ad f.* ℙ [*Confunditur *dubitatio* et *disputatio.* Illam v. praefert *Goer.* ad *Cic. Leg.* 1, 21, 56.; pessimam scripturam dicit *Orell.*]

DŪBĬTĀTĪVĒ, adv. dubitanter. *Tert. Car. Chr.* 23. *extr.* Dubitative pronunciare.

DŪBĬTĀTĪVUS, a, um, adj. dubitationem habens. *Tert. adv. Marc.* 2, 25. *sub f.* Dubitativum exprimens sensum. ℙ Dubitativae particulae apud grammaticos sunt v. g. *forsan*, *fortassis*, etc. *Prisc.* 15. p. 1021.

DŪBĬTĀTOR, oris, m. qui dubitat. *Tert. adv.*

Haeret. 33. Negatores et dubitatores resurrectionis.

DŪBĬTĀTUS, a, um, part. a *dubito*. *Ov. Met.* 2, 20. Venit et intravit dubitati tecta parentis. *Albinov.* 1, 84. Et concors pietas nec dubitatus amor. *Stat. Silv.* 1, 4, 3. dubitataque sidera cernit Gallicus, *scil.* qui ex graviori morbo convaluerat.

DŪBĬTO, as, avi, atum, n. 1. ἀποροέω, dubius sum, haesito, ambigo, in dubium venio. *Cic. Acad.* 4, 17. Dubitant, haesitant, revocant se interdum, iisque quae videntur, imbecillius assentiuntur. *Id. N. D.* 1, 8. Nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur. *Id. Off.* 3, 19. Turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitant. *Id. Att.* 10, 1. Non dubito quid nobis agendum putes. *Virg. A.* 9, 12. Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus. *Vell.* 2, 15. Consule dubitante, quanti se venderet. ℙ Ἄξίωμα est illud apud *Plin. ep.* 1, 18. Quod dubitas, ne feceris. ℙ Translate. *Liv.* 21, 44. *sub f.* Vobis necesse est aut vincere aut si fortuna dubitavit, in proelio potius, quam in fuga mortem oppetere, *h. e.* si anceps et dubia erit. ℙ Cum infinito, praecedente negativa vel cum interrogatione. *Cic. Cat.* 4, 5. Homo mitissimus non dubitat Lentulum aeternis vinculis mandare. *Nep. Alc.* 9. Neque dubitabat, facile se consecuturum etc. *Virg. A.* 6, 807. Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Plin.* 10, 2, 2. Quem falsum esse nemo dubitaret. *Id.* 2, 39, 39. Quis enim aestates et hiemes siderum motu fieri dubitet? ℙ Et sine interrogatione aut negatione. *Curt.* 4, 5. Si forte dubitaret, quod offerret, accipere. Et 10, 8. Iisdem mandatum, ut occiderent, si venire dubitaret. *Stat. Ach.* 1, 250. dubitatque agnoscere matrem, *h. e.* dubitat, an agnoscat. ℙ Et sequente *quin. Cic. Fam.* 5, 20. *a med.* Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quae interesse tua existimem. *Id. Att.* 6, 2. *ante med.* Non dubitabat, quin ei crederemus. ℙ Et sequentibus aliis particulis dubitativis. *Nep. Thras.* 1. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. *Curt.* 9, 1. *a med.* Dubitabant Macedones, deseruissentne urbem incolae, an fraude se occulerent. *Plin. ep.* 6, 27. Dubito, num idem tibi suadere debeam. ℙ Cum infinito negatione praecedente, fere importat fiduciam, constantiam, audaciam nullumque timorem ejus, qui aliquid facit. *Cic. Or.* 1, 40. Cum Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset. *Nep. Pelop.* 5. Non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. *Justin.* 1, 9. Non dubitavit, post sacrilegia etiam parricidium facere. *Plin. ep.* 6, 21. *extr.* Neque enim dubito, futurum, ut non deponas, si semel sumpseris. [*De his constructionibus haec tenenda sunt: Post *non dubito*, i. e. *ich zweifele nicht*, apud *Cic.* semper sequitur *quin;* apud *Nep.* semper infinitivus; post *non dubito*, i. e. *ich trage kein Bedenken*, Cicero utraque constructione utitur, et *infinitivi* et partic. *quin;* Nepos vero sic quoque semper ponit infinitivum. Docuit haec *Brem.* ad *Nep. praef. ab init.*] ℙ Cum accusativo. *Macr. Sat.* 2, 5. Dubitare pudicitiam filiae erubescebat (Augustus). ℙ Passive. *Ov. Met.* 6, 208. An Dea sim, dubitor. *Plin.* 27, 13, 119. Ne illud quidem dubitatur, radicum vim minui, si etc. *Id.* 11, 17, 18. De iis video dubitari. *Cic. Att.* 4, 15. *a med.* Pompejus Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. *Id. Caecin.* 13. *ad f.* In quo judicio non te armis dubitatum, sed de verbis quaesitum esse dicatur. ℙ Hinc part. *dubitandus. Virg. A.* 3, 169. haec laetus longaevo dicta parenti Haud dubitanda refer. *Rutil. Itin.* 1, 433. Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu Luna, *h. e.* adeo tenuis, ut dubitent oculi, neque clare constanterque cernant. *Claud. IV. Cons. Honor.* 183. Visa etiam medio, populis mirantibus, audax Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso. ℙ Eleganter ponitur pro cogitare, quaerere, deliberare. *Virg. A.* 9, 191. percipe porro, Quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat. *Cic. Rosc. Am.* 31. Restat igitur, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit. *Ter. Ad.* 4, 5, 57. Haec dum dubitas, menses abierunt decem. ℙ Interdum cunctari, supersedere. *Curt.* 10, 4. Itaque rursus (nam parumper, quibus imperatum erat, dubitaverant) mergi in amnem jussit. *Pl. Men.* 5, 7, 6. Quid statis, quid dubitatis? jam sublimem raptum oportuit. ℙ Interdum timere. *Stat. Th.* 8, 757. Lumina torva videns et adhuc dubitantia figi. ℙ Dubitantia lumina apud *Sil.* 10, 154. sunt oculi moribundi.

DŪBĬUS, a, um, adj. ἀμφίβολος, ἐνδοιάσιμος, incertus, quid e duobus aut pluribus eligat, ambigens, haesitans, anceps: a *duo*, quemadmodum et Graeci a δύο et poetice δοιῶ formant δοιάζω, dubito. *Cic. Manil.* 10. Quae res est, quae cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? *Pl. Ep.* 4, 1, 17. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam dant. *Liv.* 4, 40. Equites procul visi ab dubiis, quinam essent, mox cogniti. *Curt.* 5, 12. Haud dubius, quin vera deferrentur. *Id.* 9, 7. *a med.* Haud dubius interfici posse. *Hor. Ep.* 5, 85. Dubius unde rumperet silentium. *Id. Sat.* 1, 9, 40. Dubius sum, quid faciam. *Virg. A.* 1, 222. Spemque metumque inter dubii. *Sall. Jug.* 115. Dubius atque haesitans. [*Id. ib.* 51. hostibus dubiis instare, i. e. ad fugam inclinantibus.] *Ov. Pont.* 4, 13, 1. non dubios inter memorante sodales, *h. e.* certos, fidos. ℙ Cum genitivo. *Virg. G.* 3, 289. Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit. *Hirt. B. Alex.* 56. Erat dubius animi, utrum mallet etc. *Lucan.* 7, 611. Dubius fati. *Liv.* 33, 25. sententiae. [*Cf. *Drak.* ad h. l. coll. *Oud.* ad *Hirt. B. Alex.* 56.] *Ov. Fast.* 6, 572. mentis. ℙ *Dubius* enim dicitur, qui est in periculo. *Val. Fl.* 4, 271. Pollux sic providus ictus Servat et Ocbalia dubium caput eripit arte. *Ov. Fast.* 2, 101. dubiam rege, navita, pinum. *Id. Pont.* 3, 4, 8. Ad medicam dubius confugit aeger opem. (Adde *Juven.* 13, 124.) Et cum genitivo. *Id. Trist.* 3, 3, 25. Dubius vitae. *Id. Am.* 2, 13, 2. In dubio vitae lassa Corinna jacet. ℙ [*Dubius* de valetudine quum dicitur, est i. q. aeger, ambiguus quod ad valetudinem. *Stat. Ach.* 1, 117. Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas. Contrarium est *certus.* V. *Gron. diatr.* 1. p. 488. *ed. Lips.*] ℙ Praeterea *dubium* dicitur id omne, de quo dubitari potest. *Liv.* 2, 21. Quia collega dubiae fidei fuerit. *Caes. B. G.* 7, 80. Dubia victoria pugnare. *Plin. ep.* 6, 20. Dubius et quasi languidus dies, i. e. obscurior, non satis clarus. *Juven.* 5, 22. Sideribus dubiis, *h. e.* diluculo, cum sidera non plene apparent et jamjam condenda sunt luce solis. *Virg. G.* 1, 252. Dubium coelum, i. e. nubibus obductum. [*Lucan. 3, 7. et dubios cernit vanescere montes, i. e. qui paulatim incerti fiunt, tandemque cognosci desinunt.] *Ov. Met.* 15, 754. Dubia lanugo, *h. e.* barba modo incipiens et vix apparens. *Mart.* 3, 77. Dubius petaso, *h. e.* corruptioni proximus. *Plin.* 18, 31, 74. Vina dubia, i. e. ea, quae an sint bona evasura, nescias. *Ov. Met.* 12, 61. dubio auctore susurri. *Liv.* 37, 16. Fluctibus dubiis volvi coeptum est mare, *h. e.* inaequalibus atque adeo periculosis. *Sall. Jug.* 99. Quae dubia nisui videbantur, potissimum tentare, *h. e.* ascensu difficilia. Sic *Prop.* 4, 4, 81. Mons erat ascensu dubius. *Ter. Hec. prol.* 8. Dubia fortuna. *Vell.* 2, 55. Dubio Marte pugnare. Et *ib.* 71. Dubiam spem armorum tentare. *Mart.* 3, 68. Schemate non dubio, sed aperte nominat illam. *Suet. Caes.* 4. Nutantes et dubiae civitates, *h. e.* ad defectionem propensae. [*Passiva haec v. *dubius* significatio admodum frequens est, quanquam etiamnum a multis non satis cognita. Sic intelligendus locus *Tac. Agr.* 38. dubia consilia. Adde *Cic. N. D.* 3, 17, 69. spe dubiae salutis. *Sil.* 5, 519. dubiae discrimine pugnae. *Suet. Aug.* 17. societas dubia et incerta. Notabilis est locus *Liv.* 4, 8. sequitur annus haud dubiis consulibus. Ubi eodem cap. opponitur: quorum de consulatu dubitatur.] ℙ *Dubia coena* apud *Ter. Ph.* 2, 2, 28. est, in qua ob multitudinem ferculorum, ut dubites, quid sumas potissimum, ut ipsemet exponit. Possis etiam intelligere periculosam valetudini, cui varietate et multitudine ciborum nocetur plurimum. [*Illud praestat.] *Hor. Sat.* 2, 2, 76. vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia? *Auson. Mosell.* 102. de salmone: dubiae facturus fercula coenae, *h. e.* medium saporem habens inter carnem et piscem. ℙ *Dubiae res* sunt adversae, difficiles, improsperae, in discrimine positae. *Liv.* 2, 50. *extr.* Dubiis rebus populi Romani saepe domi bellique maximum futurum auxilium. *Pl. Ep.* 1, 2, 10. Is est amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus. *Sall. Cat.* 10. Qui labores, pericula, dubias res facile toleraverant. *Hor. Od.* 4, 9, 35. Animus secundis temporibus dubiisque rectus. *Lucan.* 6, 596. Mens dubiis percussa pavet. ℙ Dubia, cervix apud *Sil.* 10, 458. est languentis et jamjam morituri. [*Apud *Eund.* 4, 188. *dubia cuspis* est hasta, quam tenet homo dubitans.] ℙ Dubium est. *Cic. Fin.* 4, 24. Illud dubium est, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. *Caes. B. G.* 1, 3. Non est dubium, quin totius Galliae plurimum Helvetii possint. *Cic. Acad.* 4, 41. Ergo credere dubium est, uter nostrum sit verecundior? *Id. Att.* 11, 6. *ad f.* De Pompeji exitu mihi dubium nunquam fuit. *Id. Caecin.* 11. An dubium vobis fuit, utrum esse vis aliqua videretur, necne? *Plin. Pan.* 8. An dubium est, ut dare posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat? ℙ Cum infinito. *Pl. Mil.* 2, 5, 9. An tibi dubium est, eam esse hanc? Adde *Manil.* 4, 884. ℙ [*Saepius reperitur cum infinit. *Cic. Fam.* 1, 7. si dubium tibi est, posse te illius regno potiri. *Suet. Caes.* 52. ne cui dubium sit omnino, eum — flagrasse infamia. *Liv.* 38, 6. haud dubium erat, expugnari potuisse.] ℙ Omisso *est* eleganter sermoni interseritur et servit dubitationi. *Ov. Trist.* 4, 4, 69. Quo postquam, dubium, pius an sceleratus, Orestes Venerat. *Suet. Caes.* 58. In obeundis expeditionibus, dubium, cautior an audentior. *Flor.* 1, 1. Cujus dum irridet angustias Remus, dubium, an jussu fratris, occisus est. ℙ Dubium habere. *Pl. Capt.* 4, 2, 112. An tu dubium habebis, etiam sancte cum jurem tibi? [*Sall. Fragm. Hist. in or. Macri* §. 8. an dubium habetis, ne officere quid — vobis possit? *Ne* posuit, quia *dubium habere* ad sensum est i. q. *timere.* V. *Cort.*] ℙ In dubium. *Cic. Caecin.* 27. Bona, fortunas, possessiones in dubium incertumque revocare. *Id. Or.* 2, 34. In generum causis atque naturis sita esse, quae in dubium vocarentur, *h. e.* in quaestionem caderent. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Nemo vocabit in dubium, me pro concione dixisse etc. *Cic. Quint.* 2. Non eo dico, quo mihi veniat in dubium fides tua. *Liv.* 3, 13. Summam pecuniae quantam aequum esset promitti, veniebat in dubium, *h. e.* dubitabatur. [*Cic. Att.* 11, 15. Alii non veniunt in dubium de voluntate.] *Caes. B. G.* 6, 6. Sese suas fortunas in dubium non devocaturum, *h. e.* in discrimen. ℙ In dubio. *Ter. Andr.* 1, 5, 53. Dum in dubio est animus. Et 2, 2, 10. Mea certe in dubio vita est, *h. e.* in discrimine. Sic *Sall. Cat.* 54. Libertas et anima nostra in dubio est. *Lucan.* 7, 247. Mens stetit in dubio. *Liv.* 34, 5. Ponere in dubio, utrum etc. *Plin.* 25, 5, 24. Aestate potius, quam hieme dandum, non est in dubio. *In dubium* esse, pro *in dubio. Ov. Her.* 16, 138. In dubium Veneris palma futura fuit. V. IN. ℙ Sine *et* procul dubio. *Cic. Fam.* 2, 18. Et hercle sine dubio erit ignominia. [*Id. Balb.* 13, 31. *Att.* 1, 1. 16, 16. *N. D.* 1, 21, 58. et 3, 10, 25. In his locis est i. q. sine dubitatione, neque fere amplius reperitur.] *Lucr.* 1, 811. Dubio procul. *Plin.* 18, 21, 50. Utilissimum procul dubio est. ℙ Haud dubio. *Liv.* 34, 2. Haud dubio ad culpam magistratuum pertinens. Alii leg. *dubie.* ℙ Quotiescumque huic voci particula negativa praeponitur, non solum significat rem minime incertam esse, sed absque omni controversia certissimam. *Virg. A.* 2, 359. Vadimus in mortem haud dubiam. *Curt.* 3, 9. Haud dubium robur exercitus. [*Nubem exemplorum ex *Livio* collegit *Drak.* ad 34, 43, 5.] *Adde cetera exempla supra allata.* ℙ [*Permutantur a librariis *dubius* et *durus.* Cf. *Burm.* ad *Ov. Her.* 7, 116. ad *Val. Fl.* 6, 545. *Drak.* ad *Liv.* 40, 16, 8. — et *subitus*, V. ad *Ov. Met.* 14, 508. Sic apud *Tac. Agr.* 18. pro *dubia consilia* nonnulli emendatum iverunt *subita.* Sed V. supra.]

*DUBRIS, portus Britanniae, hodie *Dover* dictus. *Anton. Itin.* Ad portum Dubris. *Not. Imp.* Praepositus militum Tungricanorum Dubris, ubi rectus forte *Dubrae*, *arum. B. A.*

DŪCĀLIS, e, adj. ad ducem seu imperatorem pertinens. *Valer. Imp.* ap. *Vopisc. Aurel.* 13. Tunicae ducales russae quatuor.

DŪCĀLĬTER, adv. ducis more. *Sidon. ep.* 5, 13. Ducaliter antecessurus. *Id. ep.* 8, 6. Ferunt, nullum rem militarem ducalius C. Caesare administrasse.

DŪCĀTĬO, onis, f. ductio. Ducatio necessitatis *Tertull.* a quibusdam tribuitur *Cor. mil.* 11., sed ibi alii rectius leg. *advocatio necessitatis*, i. e. excusatio necessitatis.

DŪCĀTOR, oris, m. dux: a *ducare* pro ducere. *Ulp. Dig.* 9, 2, 29. *a med.* Aut in gubernatorem aut in ducatorem actionem competere damni injuriae Alphenus ait. Ita *Torrent.*; at *Haloander* habet *ductorem.* [*Tertull. adv. Judaeos* 13. Cum ducator ejus civitatis in ea pati haberet. *F.*]

DŪCĀTRIX, icis, f. quae ducit. *Appul. Dogm. Plat. post init.* 2. p. 14, 15. Vitiorum ducatrices iracundia et libido.

DŪCĀTUS, us, m. ἡγεμονία, officium et munus ducis, imperium militare. *Suet. Tib.* 19. Confidens ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo. *Justin.* 2, 15. Ducem exercitui deligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Graeciae affectans etc. *Flor.* 3, 21. Ducatum sceleri praebere, i. e. se ducem praebere in bello civili. *Suet. Ner.* 35. Crispinum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari servis ipsius demandavit, *h. e.* pueriliter fingendo imperia militaria et collusoribus, qui ludo vicissent, deferendo.

DŪCĒNĂ, ae, f. dignitas ejus, qui ducentis praeest in schola agentium in rebus. *Imp. Leo Cod.* 12, 20, 4. V. CENTENUS.

DŪCĒNĀRĬĀ, ae, f. dignitas ducenarii. V. v. seq.

DŪCĒNĀRĬUS, a, um, adj. διακοσιοστός, qui ducenta continet. *Plin.* 7, 20, 19. Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. ℙ *Ducenarius* in militia est, qui duabus militum centuriis praecst. Hic olim erat primus hastatus. *Veg. Mil.* 2, 8. ℙ *Protector ducenarius* memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 530, 9. et 531, 2. Sunt qui putent nomen habere a stipendio ducenum HS., ut est apud *Capitol. Pertin.* 2., si modo ibi de militari officio sermo est. ℙ *Ducenarii procuratores* nomen habuere a stipendio ducentorum millium nummum, quod habebant pro exigendis reditibus publicis aut fisci principis etc., [teste *Dione* 53, 15. καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τοῦτο ἀξιώματος ὄνομα ἀπὸ τοῦ

ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων προσγίγνεται. *F.* Forcellinus scripserat: ita *Torrent.* ad illud *Suet. in Cl.* etc.] *Suet. Claud.* 24. Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. [*Inscr.* ap. *Oderic. Dissert.* etc. p. 199. Sex Vario Marcello pro*curatori* aquarum C. (*centenario*), pro*curatori* provinciae Britanniae CC. (*ducenario*), pro*curatori* rationis privatae CCC. (*trecenario*) etc. *Appul. Met.* 7. p. 190. Nam procuratorem principis ducenaria perfunctum fueram aggressus, *h. e.* ducenaria dignitate jam functum. *F.*] ℙ Similes his fuere, qui postea *ducenarii* vocabantur in schola agentium in rebus, de quibus mentio fit in *Cod.* 12, 20, 3., quamquam alii volunt, ita dictos, quia ducentis officialibus in sacro palatio praeerant, ad similitudinem Ducenariorum militarium. V. CENTENUS. Sunt etiam qui putent, quia in eodem *Cod.* 10, 19, 1. mentio fit Ducenariorum in tributis exigendis, dictos esse Ducenarios, qui vectigal exigebant *ducentesimae*, de qua in CENTESIMUS dictum est: sed hi nihil omnino differunt a Ducenariis agentium in rebus, quorum munus, inter alia, fuit etiam tributa exigere. V. AGENS. ℙ A censu ducenum mill. HS. nominati sunt *ducenarii judices*, quos Augustus ad tres judicum decurias, ex inferiore censu addidit, qui de levioribus summis judicarent, uti *Suet. in ejus Vita* 32. narrat: censum autem inferiorem censu equestri intelligit, qui erat quadringentorum mill. Itaque ex iis, qui minimum ducenta habebant, decuriam judicum Augustus novam instituit. V. DECURIA et QUADRINGENARIUS.

DŪCĒNI, ae, a, adj. διακόσιοι, numerus ducentorum distributivus. *Liv.* 9, 19. Censebantur ejus aetatis lustris ducena quinquagena millia capitum. *Plin.* 7, 2, 2. Gentem ducenos annos vivere. *Id.* 9, 3, 2. Pristes ducenum cubitorum. ℙ Extra distributionem. *Id.* 6, 26, 30. Muri ducenos pedes alti.

*DUCENTENI, ae, a, adj. i. q. duceni, ae, a. Exstat haec forma passim in codd., ut *Liv.* 40, 18, 5. De longioribus hisce numeralium formis in universum V. *Drak.* ad *Liv.* 45, 16, 3. qui breviores ubique praeferendas esse censet.

DUCENTĒSĪMUS, a, um, adj. διακοσιοστός, unus ex ducentis. *Ducentesima* (subaudi *pars*) vectigal fuit, de quo in CENTESIMUS dictum est. *Tac. A.* 2, 42. Fructibus ejus levari posse centesimae vectigal professus Tiberius, ducentesimam in posterum statuit. *Suet. Cal.* 16. Ducentesimum auctionum Italiae remisit.

DŪCENTI, ae, a, adj. διακόσιοι, bis centum. *Cic. Agr.* 2, 13. Ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit. *Varr. R. R.* 3, 2. *a med.* Fundus ducentum jugerum, *pro* ducentorum. ℙ *Ducenti*, numerus indefinitus pro innumeris. *Catull.* 37, 7. Centum aut ducenti sessores. *Hor. Sat.* 2, 3, 61. Catienis mille ducentis, Mater, te appello, clamantibus.

DŪCENTIĒS, adv. διακοσιάκις, bis centies. *Cic. Phil.* 2, 16. Amplius ducenties acceptum retuli. Adde *Cels.* 2, 14. *ad f.* ℙ Indefinite, idem ac pluries. *Catull.* 29, 15. Ducenties comesset aut trecenties.

*DŪCENTUM, nomen numerale indeclinabile, bis centum continens. *Colum.* 5, 3. Qui numeri duo (XLIX. et XXV.) inter se multiplicati efficiunt mille ducentum et viginti quinque. *B. A.*

[DŪCĬĀNUS, a, um, adj. ad ducem pertinens. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 15, 11, 2. Officium ducianum, *h. e.* ducis. *Imppp. Theod.*, *Arcad.* et *Honor. ib.* 11, 25, 1. Apparitores duciani, *h. e.* ducum rei militaris. *Imp. Justin. Cod.* 7, 62, 38. Judicium ducianum. ℙ Hinc *ducianus*, *i*, m. est officialis ducis alicujus. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 7, 16, 3. Praesente protectore seu duciano, qui dispositus est. Et plural. *duciani*, *orum. Imp. Justin. Cod.* 1, 27, 2. §. 8. Nullum dispendium a ducibus vel ducianis praedicti limitanei sustineant. *F.*]

DŪCO, is, xi, ctum, a. 3. ἕλκω, ἑλκύω, traho. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ducere aquam per fundum alterius. *Varr. R. R.* 2, 3. naribus spiritum. *Cic. N. D.* 2, 6. *extr.* Aer, quem spiritu ducimus. *Hor. Ep.* 1, 10, 48. Ducere funem. *Id. Od.* 3, 11, 13. tigres comitesque silvas. *Id. ib.* 4, 1, 21. tura naribus. *Cic. Mil.* 28. parietem per vestibulum alterius. *Plin.* 35, 10, 35. *n.* 11. lineam. ℙ Illa quoque huc pertinent *Virg. A.* 7, 634. Aut leves ocreas lento ducunt argento, *h. e.* extendunt, inquit *Serv.* et *ib.* 6, 849. vivos ducent de marmore vultus. *Plin.* 7, 37, 38. Ducere Alexandrum ex aere. [*Quint. 10, 3, 18. sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. — Quo loco *Frotscher.* non dubitare debebat, quin metaphora inde ducta esset, quod artifices e materia molli formas fingunt. Inde enim etiam ad marmor et alia, quae natura sunt dura, transfertur.] *Vitr.* 2, 3. lateres. *Quint.* 6, 3. *post med.* et *Paul. Dig.* 47, 10, 4. colaphum, pugnum alicui. *Sil.* 11, 359. alicui ferrum per viscera. *Phaedr.* 5, 3. sibi gravem alapam. *Mart.* 11, 39. suspiria. *Virg. A.* 4, 463. longas in fletum ducere voces, *h. e.* edere. *Cic. Div.* 2, 33. sortes. *Ov. Met.* 4, 34. lanas. *Juven.* 12, 65. pensa manu. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 5, 12, 63. Nec possum et cupio non ullos ducere versus. Et *ib.* 1, 11, 18. Carmina manu trementi ducere. *Juven.* 7, 237. Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat, *h. e.* effingat, instituat. *Prop.* 1, 7, 1. Dum tibi Cadmeae ducuntur, Pontice, Thebae, *h. e.* carmine conduntur et celebrantur. Al. leg. *dicuntur*. [*Translata est illa quoque significatio, qua est i. q. initium facere ab al. re. *Cic. Or.* 39. ab eodem verbo saepe ducitur oratio. *Id. Att.* 9, 11. belli initium ducetur a fame. *Id. Brut.* 1. hinc Pomponii est ductus sermo.] ℙ Aliquando est haurire, extrahere, bibere. *Scrib. Comp.* 133. Ad hydropicos bene facit chamaelea. Largiter enim aquam ducit. Et *ib.* 158. Ducit enim sanguinem et dolorem levat. *Hor. Od.* 1, 17, 21. Ducere pocula Lesbii innocentis. [*coll. *Sat.* 2, 6, 62. ducere sollicitae jucunda oblivia vitae; nos *in vollen Zügen.*] *Val. Fl.* 4, 536. oblivia, *h. e.* oblivisci. ℙ Item protrahere. *Nep. Them.* 7. Dedit operam, ut quam longissime tempus duceret. *Cic. Fam.* 7, 3. Suadere institui, ut bellum duceret. *Mart.* 12, 36. aureolos, Possint ducere qui duas calendas. *Caes. B. C.* 1, 61. Ducere bellum in hiemem. Et *B. G.* 1, 16. diem ex die. Et *ib.* Ubi se diutius duci intellexit. [*Liv. 3, 41, 6. si leniter ducta res — ad consules redisset.] ℙ Item gerere. *Virg. A.* 8, 55. Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. *Servius:* aut gerunt aut in longum trahunt. Sed secundae interpretationi τὸ *assidue* obstat. [*Minime. Cf. *Nep. Alc.* 8. ut bellum quam diutissime duceret.] *Nep. Dat.* 8. *extr.* Cum bellum duci majore regis calamitate, quam adversariorum videret, ad pacem hortatus est. [*Utroque loco non est i. q. *gerere*, sed eadem, quae in §. antecedente, significatio.] ℙ Item agere. *Hor. Ep.* 2, 2, 202. Ducere aetatem. *Virg. A.* 2, 641. vitam. *Id. ib.* 4, 560. somnos. *Plin. ep.* 6, 31. *a med.* noctem jucundissimis sermonibus. ℙ Item contrahere, crispare. *Mart.* 1, 41. Qui ducis vultus et non legis ista libenter. ℙ Item contrahere, attrahere. *Virg. Ecl.* 9, 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. *Colum.* 3, 18. Ut malleolus decisus celeriter cicatricem ducat. *Quint.* 1, 2. Ducere situm. *Hor. Od.* 4, 2. *extr.* de vitulo: Qua notam duxit, niveus videri, Cetera fulvus, *h. e.* a matre traxit. ℙ *Ducere* est etiam verbum aucupum et piscatorum proprium. *Ov. Her.* 19, 13. Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo. *Id. Met.* 3, 587. calamo salientes ducere pisces. *Mart.* 1, 56. Et piscem tremula salientem ducere seta. ℙ *Ducere os*, variis modis os vultumque agitare et distorquere, (*Gesichter schneiden*) ad varios animi motus significandos. *Cic. Or.* 25. *extr.* Actio vultu multa conficiens, non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuncient. *Quint.* 9, 3. *sub f.* Ducere os exquisitis modis et frontis ac luminum inconstantia trepidare. [*Explicat hanc significationem *Ernest. techn. lat.* p. 427. s. v. *Vultus.*] ℙ *Ducere alvum* est subducere, hoc est clystere per inferna injecto, elicere et purgare. *Cels.* 2, 12. Plerumque alvus lotionibus ducenda est. *Id.* 4, 4. *a med.* Liquanda alvus, interdum etiam ducenda. Et *ib.* 10. Solvere alvum: si aliter non respondet, etiam ducere. Adde *ib.* 3. et 6, 14. ℙ Ad trahendi notionem pertinet et illud *Cic. Acad.* 1, 11. Ducere nomen ex aliqua re. *Id. N. D.* 2, 21. *extr.* principium disputationis ab aliquo. *Id. Fin.* 5, 7. exordium vitae ab aliqua re. *Hor. Od.* 3, 17, 5. originem ab aliquo. *Cic. Or.* 39. ab eodem verbo saepius orationem. ℙ Pro educere. *Sil.* 8, 342. vagina ducitur ensis. Adde locum *Virg. A.* 12, 378. in V. DUCTUS, a, um. ℙ Pro ferre vel ferendo trahere. *Albinov.* 2, 77. de Hercule: Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes Inter lanificas ducere saepe suas. Alii minus recte exponunt nere vel texere. ℙ Et pro percipere, consequi. *Ov. Met.* 10, 680. Praeterita est virgo: duxit sua praemia victor. ℙ Aliquando ita sumitur pro trahere, ut significet trahere volentem, *traho* vero invitum ac per vim. *Senec. ep.* 107. *in vers.* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Sic *Donat.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 4. Ducimus volentes, abducimus invitos. [*Quare utrumque voc. conjunctum reperitur. *Sall. Jug.* 41. sibi quisque ducere, trahere, rapere. Alia hujus generis excitavit *Cort.* ad h. l.] ℙ Saepe significat agere, ἡγέομαι, ἄγω. *Nep. Amilc.* 3. Effecit, ut imperator in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Annibalem. *Id. praef.* Uxorem in convivium ducere. *Id. Dat.* 3. feram bestiam captam. *Virg. Ecl.* 9, 1. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem? *Id. A.* 8, 665. castae ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus. ℙ Ducere se. *Pl. Amph.* 4, 3, 8. Ad regem recta me ducam. *Id. Bacch.* 4, 2, 11. Ducere se ab aedibus. *Pl. Aul.* 4, 8, 8. se deorsum de arbore. *Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Balbus quaestor duxit se a Gadibus, i. e. subduxit, aufugit. ℙ Refertur interdum ad nuptias. *Cic. Sext.* 3. Duxit uxorem optimi viri filiam. Et *paulo supra.* Duxit honestissimi viri, C. Albini filiam. *Caes. B. G.* 1, 9. Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat. ℙ De viris tantum dicitur, ut *nubere* de feminis: reperitur tamen sequiore Latinitatis tempore etiam de his. *Imp. Anton. Carac. Cod.* 5, 18, 3. Si ignorans statum Erotis, ut liberum duxisti et dotem dedisti etc. ℙ Frequenter ad rem militarem pertinet, ducem, imperatorem esse. Hinc ducere exercitum, *h. e.* praeesse, apud *Cic. Mur.* 9. et *Nep. Eum.* 13. Sic *Cic.* ad *Brut.* 1, 8. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit. *Caes. B. G.* 5, 35. Primum pilum ducere. *Cic. Phil.* 1, 8. ordines. *Nep. Epam.* 7. Cum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedaemonios. ℙ Hinc *ducere familiam* dicitur, qui caput familiae est. V. FAMĪLIA. [*Aliam, quam s. h. v. *Forc.* affert *Spald.* ad *Quint.* loco proxime laudando. Putat enim ductam esse hanc formulam a re militari, in qua *ordines ducere* est i. q. centurionem esse.] Sic *ducere classem* apud *Quint.* 1, 2, 24. classis principem esse. [*Compara cum his exemplis locum *Stat. Silv.* 5, 3, 92. quis honor Aonios seno pede ducere campos, i. e. χορηγεῖν in campis, duces esse vatum. Sic optime *Gron.* in *diatr.* p. 512. *ed. Lips.*] ℙ Item ad funebrem. Ducere alicui funus; et dicitur proprie de iis, qui in pompa funeris praeeunt, quales fuisse parentes, conjuges, consanguineos, *Meurs.* docet. *Plin.* 8, 42, 64. Defuncto bucephalo Alexandro duxit exsequias. *Cic. Quint.* 15. Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. ℙ Eadem ratione *ducere choros* dicitur, qui praeest. *Hor. Od.* 1, 4, 5. Jam Cytherea choros ducit Venus. Sic *pompam ducere*, apud *Ov. Her.* 12, 152. Sic *Tac. A.* 1, 51. Pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant: mox prima legio. ℙ [*Ducere ludos* est i. q. edere ludos. *Tac. Agr.* 6. ludos et inania honoris modo rationis et abundantiae duxit. Sic *Walch.*, quem V. Praetor enim, quum ludos edebat, ipse pompae dux erat, unde *Tac.* hanc loquendi formam hausisse videtur.] ℙ Item ad supplicium aut vincula. *Nep. Phoc.* 4. Cum ad mortem duceretur. *Suet. Cal.* 27. A calvo ad calvum duci imperavit. *Senec. Ira* 1, 16. Cum iratus duci jussisset eum, qui etc. *Naev.* ap. *Cic. Or.* 2, 63. Quanti addictus? mille nummum. Nihil addo: ducas licet, *h. e.* in vincula ducas. [*Cf. *Id. Fl.* 48.] Est enim sermo de eo, qui ob aes alienum alteri addicitur, donec solvat. *Liv.* 6, 20. Quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. V. ADDICTUS. ℙ Translate est adducere, inducere, allicere. *Cic. Tusc.* 2, 18. Me ad credendum tua ducit oratio. ℙ *Duci* est impelli, moveri, trahi, *Nep. Cim.* 1. Non magis amore, quam more duci. et *Alc.* 5. Duci caritate patriae. *Id. Dion.* 3. falsa suspicione. *Id. Att.* 12. studio philosophiae. *Cic. Or.* 32. laude eloquentiae. *Id. Off.* 1, 41. errore. *Id. Tusc.* 5, 3. quaestu et lucro. *Id. Rosc. Am.* 41. Litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut, etc. [*Etiam active: *Hor. Sat.* 2, 2, 35. ducit te species, video. *Sil.* 15, 461. ille — ut cantu, ducebat corda Senatus. Cf. de hac significatione *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 88. Plerumque inest notio fraudis et astutiae, qua aliquis ad damnum illicitur.] ℙ Frequentissime significat putare, existimare, habere, qua notione *Fest.* vult esse a δοκῶ, puto. *Cic. Fin.* 3, 3. Nihil praeter virtutem in bonis ducere. *Id. Fam.* 1, 6. Quae ne tu quidem unquam timenda duxisti. et *ib.* 4, 7. Quae non aliena esse ducerem a dignitate tua. [*Cf. *Matth.* ad *Cic. Manil.* §. 17.] *Id. Verr.* 2, 5, 25. et *Caes. B. G.* 6, 31. Ducere aliquem in numero hostium. *Cic. Fin.* 2, 8. Parvi aliquid ducere. *Id. Verr.* 2, 2, 41. Cum docuissem, hanc damnationem duci non oportere. Et *ib.* 16. Pro nihilo ducere. [*Liv. 21, 41. tutelae nostrae duximus, i. e. ad tutelam nostram pertinere existimavimus.] *Sall. Cat.* 12. Innocentia pro malevolentia duci coepit. *Auct.* ad *Her.* 4, 20. Neminem prae se ducit hominem. *Liv.* 8, 31. Ducere se magistrum equitum. *Nep. Ages.* 3. *extr.* Ut omnium opinione victor duceretur. *Cic. Fl.* 27. Si quis despicatui ducitur. *Virg. A.* 6, 690. Sic equidem ducebam animo rebarque futurum. *Plin.* 31, 6, 31. Plerique in gloria ducunt, plurimis horis perpeti calorem earum. ℙ Ducere se esse pro aliquo, *Plauti* modus loquendi est, *Capt.* 2, 3, 76, et *Stich.* 4, 1, 65., *h. e.* gerere se pro aliquo etc. ℙ Ducere laudi, laudi dare, laude dignum putare. *Nep. praef.* Laudi in Graecia ducitur adolescentulis etc. *Ter. Ad. prol.* 5. Laudin' an vitio duci id factum oporteat. ℙ *Ducere rationes* et *ducere* absolute, est i. q. supputare. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 130. Age nunc summam ducat sui aeris simul atque alieni. *Gell.* 1, 20. Sicuti fit, cum ter terna ducuntur. *Cic. Att.* 6, 1. *a med.* Diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico, me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione, *h. e.* computaturum. ℙ *Ducere peraeque.* V. PERAEQUE. ℙ Translate. *Cic.* ad *Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *Att. ad f.* Cum pacis conditiones ad te afferri viderem, duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum arbitrabar. *Id. Fam.* 7, 3. Malui famae cedere, quam salutis meae rationem

ducere, *h. e.* habere. *Id. Sext.* 10. Officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam. [**Suet. Aug.* 42. rationem ducere alicujus. Al. male *deducere.*] ℙ *Ducere dictis* est irretire aut fallere. *Ter. Andr.* 4, 1, 20. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas? *Id. Ph.* 3, 2, 15. Ut phaleratis dictis ducas me. [*Adde *Pl. Capt.* 4, 2, 7. hic ille est senex ductus, cui verba data sunt.] *Prop.* 2, 13, 57. Mentiri noctem: promissis ducere amantem. ℙ Pro adducere, afferre, conciliare. *Tibull.* 1, 1, 65. Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem Nec sonitus placidae ducere possit aquae. ℙ [**Quint.* 9, 40, 140. praecipit: sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere debere. Interpretatur hoc *Ernest. techn. lat.* p. 137. sq. ita: lenia, inquit, ducuntur tum, quum verbis maxime iis utimur, quae numerum ex longis brevibusque pedibus mixtum habent. Cujus interpretationis uberiorem expositionem V. apud ipsum.] ℙ In imperativo habet *duc*, ut dico *dic*, facio *fac*. Sed *ἀρχαϊκῶς* etiam *duce* dictum est a *Pl. Epid.* 3, 3, 18. Duce istam intro mulierem. Adde *Most.* 1, 4, 11. etc. ℙ *Duxti* pro *duxisti* syncope. *Varr.* ap. *Non.* 4, 130., *Catull.* 91, 9. et *Prop.* 1, 3, 27. ℙ [*Permutantur *ducere* et *dicere*, quod pro illo saepe a librariis substitutum est. V. multos locos a *Drak.* excitatos ad *Liv.* 38, 43, 1. et ex aliis scriptoribus ad *Sil.* 12, 221. coll. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 13, 41. — et *discere*, cf. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 3, 34.]

DUCTĂBĬLĬTAS, atis, f. animi imbecillitas, qua quis se facile circumduci et ductari sinit. *Accius* ap. *Non.* 2, 626. Eo plectuntur poetae, quam suo vitio, saepius ductabilitate vestra aut perperitudine.

DUCTĂRĬĒ, adv. ductando, cunctando, remisse, et dicis causa agendo. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* in *Navus.* Nave agere oportet quod agas, non ductarie. Al. exponunt, nave et remis, non fune trahendo. Al. leg. *ductarier.*

DUCTĂRĬUS, a, um, adj. idem ac ductilis, ut Ductarius funis, qui per orbiculos trochleae trajicitur, et inde ad ergatam. *Vitr.* 10, 2, 3 et 5.

DUCTĬLIS, e, adj. *ἑλατὸς*, qui facile duci atque extendi potest. *Plin.* 34, 8, 20. Aes regulare obsequitur malleis, ab aliis ductile appellatum. ℙ Ductile flumen aquae riguae, ap. *Mart.* 12, 31. est rivus a flumine derivatus ad irrigandos hortos. ℙ Ductilem scenam *Serv.* ad *G.* 3, 24. vocat, cum tractis tabulatis hac atque illac, species picturae nudabatur interior.

DUCTIM, adv. ducendo. *Colum.* 4, 25. Major pars operis in vinea ductim potius, quam caesim facienda est, *h. e.* ductu falcis, non ictu, ut mox ipsemet exponit. *Pl. Curc.* 1, 2, 12. Invergere in me liquores tuos sino ductim, *h. e. ἀπνευσὶ*, non respirando: quod aviditatem bibendi notat et copiam. Alii exponunt cum mora, et paulatim, ut diuturnior sit voluptas.

DUCTĬO, onis, f. ducendi actio. *Vitr.* 10, 19. Ductiones et reductiones. *Id.* 1, 1. Aquarum ductiones, *h. e.* deductiones, derivationes. *Cels.* 4, 24. *extr.* et 2, 12. Alvi ductio, *h. e.* subductio *Ulp. Dig.* 43, 29, 3. Hoc interdictum pertinet ad ductionem, ut ducere quis possit eos, in quos habet jus ductionis, *h. e.* redigendi in suam potestatem.

DUCTĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *duco. Pl. Rud.* 2, 7, 26. Venales illic ductitavit, quisquis est, *h. e.* mangonis artem exercuit. *Id. Poen.* 1, 2, 60. Quasi bella sit, quasi eampse reges ductitent, *h. e.* uxorem ducant, vel ducere cupiant. *Id. Ep.* 3, 2, 15. At ego follitim ductitabo, *h. e.* ductabo, fallam, folle argenti fraudabo.

DUCTO, as, avi, atum, a. 1. per syncopen a *ductito* factum, est saepe duco, vel huc illuc duco. *Pl. Most.* 3, 2, 157. Istum, puer, circumduce hasce aedes, et conclavia, nam egomet ductarem, nisi, etc. *Ter. Ad.* 4, 7, 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. V. RESTIS. *Id. Ph.* 3, 2, 15. et *Pl. Poen.* 4, 2, 46. Ductare amicam, *h. e.* ducere, et secum habere. *Pl. Pers.* 4, 4, 85. Omne pro nihilo esse ducto, quod fuit, *h. e.* deridere, ducendo os et distorquendo. *Id. Capt.* 3, 4, 109. et 3, 5, 97. Ductare quem dolis, *h. e.* decipere, fallere. ℙ *Ductare exercitum*, h. e. praeesse, ducem esse, dixere *Sall. Cat.* 11, 17 et 19. et *Jug.* 42 et 73. et *Tac. H.* 2, 100., de qua loquendi ratione ita *Quint.* 8, 3, 44. Vel hoc vitium sit, quod *κακόφατον* [*imo *κακέμφατον*, i. e. ubi *κακόν τι ἐμφαίνεται*] vocatur: sive mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est, ut *ductare exercitus*, et *patrare bellum*, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentur a nobis, si Diis placet: quam culpam non scribentium quidem judico, sed legentium, etc. Haec *Quint.* Et quidem in altera phrasi cacophatum facile deprehenditur, si v. *bellum* de pusione intelligas: at in priore non satis patet, nisi dicas *ductare* ideo in obscenis habitum esse, quia frequenter dicebant *ductare amicam*, *scortum*, ut est ap. *Pl. Asin.* 1, 3, 12. et 5, 2, 13. et *Ter. Ph.* 3, 2, 15., vel si respiciatur ad locum *Juven.* 6, 237. Sunt qui putent latere obscenum in voc. *exercitum*, quasi notari possit *ὁ κιναιδος ἐν τοῖς παιδικοῖς* exercitatus: vel ut sit supinum verbi *exerceo:* unde *exercere scortum* dixit *Pl. Amph.* 1, 1, 132.

DUCTOR, oris, m. *ἡγεμών*, *στρατηγὸς*, qui praest exercitui, dux belli, qui ordines in militia ducit. *Cic. Tusc.* 1, 37. Non modo ductores nostri, sed universi exercitus ad non dubiam mortem concurrere. *Virg. A.* 6, 334. Ductor classis. *Id. G.* 4, 88. Ductores apum. *Stat. Silv.* 3, 5. *extr.* Tibris ductor aquarum. ℙ *Ductor ferreus insularis* ap. *Auctor. Priap.* 33. est qui ferrum ducit, et elaborat in insulis, ubi metalla ferraria sunt, v. g. in Ilva insula maris Tyrrheni, ad quam fortasse *Auctor* iste respicit. ℙ [*Permutantur *ductor* et *doctor.* V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 4, 6, 25. — et *victor*, *Drak.* ad *Sil.* 9, 199.]

DUCTUS, a, um, part. a *duco*, tractus, actus. *Cic. N. D.* 2, 55. Succus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris ductas et directas vias. *Val. Fl.* 6, 125. Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis Jura pati. *Cic. Tusc.* 1, 29. *extr.* Libera contumacia, a magnitudine animi ducta, non a superbia. *Id. Brut.* 60. Sermo ductus e percunctatione filii. *Tac. A.* 6, 2. Ex queis triginta sorte ducti. *Pl. Capt.* 4, 2, 7. Hic ille est senex ductus, cui verba data sunt, *h. e.* deceptus. Al. leg. *doctus. Cic. Brut.* 51. Benevolentia ductus. *Ov. Met.* 3, 257. Domus ab Agenore ducta, i. e. deducta. *Virg. A.* 12, 378. et auxilium ducto mucrone petebat. [**Liv.* 29, 32. cicatrix ducta, i. de vulnere quod vixdum coire coepit.]

DUCTUS, us, m. *ἀγωγὴ*, *ἡγεμονία*, ductio. *Cic. Leg.* 2, 1. Ductus aquarum, quos isti nilos et euripos vocant. (*ductum* absolute pro *aquaeductu* saepissime usurpat *Frontin. Aquaed.*) *Id. Fin.* 5, 17. Qui ductus oris, qui vultus in quoque sit. *Quint.* 1, 1. *a med.* et *Plin.* 8, 3, 3. Ductus litterarum. *Lucr.* 4, 427. Porticus aequali quamvis est denique ductu, aequali parietum et columnarum distantia. *Plin.* 37, 12, 74. Purgatam puramque glebam artificum ingenio varie distribui in venas ductusque macularum. ℙ Saepe dicitur de gubernatione, praesertim exercitus. *Cic. Fam.* 3, 11. *a med.* Omnes vires civitatis se ad Pompeji ductum applicaverunt. *Id. Manil.* 21. Pompejus rem optime suo ductu gessit. *Id. Har. resp.* 2. Qui ductu suo et imperio supplicia a sociorum moenibus prohibere non potuerunt. *Vell.* 2, 78. Virtute et ductu Ventidii. *Hirt. B. Alex.* 43. Res secundas ductu ausuque suo gesserat. *Pl. Amph.* 1, 1, 41. Gessit rempubl. ductu, imperio, auspicio suo. *Curt.* 6, 3. Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui. V. AUSPICIUM. *Vell.* 2, 115. Non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Caesaris, *h. e.* non jam praesentia et consilio solum, sed opera, labore, virtute pugnandi. ℙ Translate. *Quint.* 4, 2. *circa med.* Est quidam etiam ductus rei credibilis, qualis in comoediis, et in mimis, *h. e.* connexio apta rerum, quarum una aliam consequitur, eique cohaeret. [*Pluribus de h. l. agit *Ernest. techn. lat.* p. 138. seq. comparans Gr. *συνάφεια. Spald.* explicat per Francogall. v. *conduite*, nos *Verlauf. Ernest.* porro haec addit: „In sententia autem vel enunciatione singulari *ductus* ap. *Quint.* 9, 4, 30. dicitur certa quaedam verborum collocatio et compositio, a certo dicentis consilio pendens, quos et *elocutionum tractus* appellat 4, 2, 118.“ *Spald.* vero, ego, inquit, nihil aliud agnosco, nisi *περίοδον*, circumductionem orationis. — „Porro apud *Cur. Fortunat. in Rhet. Schol.* p. 41. *Pith.* vocatur *ductus* veluti methodus causae agendae, vel ipsa causae indoles et ratio, quae aptam sibi tractationem desiderat. Itaque quinque genera ductus commemorat, subtilem, simplicem, figuratum, obliquum, mixtum etc.“] ℙ Pertinet apte ad caedentes, secantesque. *Senec. ep.* 47. Alius pretiosas aves scindit, pectus et clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit. *Colum.* 4, 25. *extr.* Utilior putatio est, quae ductu falcis, non ictu conficitur. ℙ Eleganter de dracone aureum vellus custodiente, *Val. Fl.* 167. Qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro) Vellera tot spiris circum, tot ductibus implet.

DŪDUM, adv. *πάλαι*, nuper, jam, antea. Volunt esse a *diu* pro *die*, et *dum.* [**die* quid sibi velit, non intelligo. Recte autem censent ortum esse ex *diu dum.* De vi v. *dum* V. h. voc.] Dicitur autem de exiguo tempore praeterito, sed incerto (ut *Donat.* docet ad *Ter. Andr.* 3, 4, 3.). *Cic. Att.* 11, 24. Quae dudum ad me, et quae etiam ante bis ad Tullium de me scripsisti, ea sentio esse vera. *Id. Or.* 2, 65. Dixi dudum, materiam aliam esse joci, aliam severitatis. *Ter. Andr.* 5, 1, 5. Oro, Chreme, ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes. *Pl. Amph.* 2, 2, 50. Quid tu me deridiculi gratia sic salutas, atque appellas quasi dudum non videris? ℙ Item de tempore praeterito paulo longiore. *Ter. Andr.* 3, 4, 3. Dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem, quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderes. *Cic. Fam.* 4, 5. Dudum enim circumrodo, quod devorandum est. *Pl. Pers.* 4, 3, 28. *To.* E Persia ad me allatae sunt modo istae. *Do.* quando? *To.* haud dudum. *Id. Poen.* 1, 2, 105. Non dudum ante lucem. ℙ Quam dudum? *Pl. Stich.* 2, 1, 38. Vide, quam dudum hic adsto et pulto! *Ter. Eun.* 4, 4, 29. *Do.* Venit Chaerea. *Ph.* fraterne? *Do.* ita. *Ph.* quando? *Do.* hodie. *Ph.* quam dudum? *Do.* modo. *Id. Andr.* 5, 2, 9. Modo introii. *Si.* quasi ego, quam dudum, te rogem. Et omissa interrogatione. *Cic. Att.* 14, 12. *sub f.* Quam dudum nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen. Al. *quamquam dudum* leg. ℙ *Jamdudum* et *jam dudum* longius spatium designat, quam *dudum*, et certius: semper tamen de non longo tempore dicitur: et significat rem jam esse inceptam ac nondum desitam. *Cic. Cluent.* 23. Vocat me alio jamdudum tacita vestra exspectatio. *Id. Amic.* 22. Ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitiae. *Pl. Trin.* 4, 3, 3. Jamdudum factum est, cum abiisti domo. *Prisc.* 15. p. 1018. adverbium *dudum* refert inter ea, quae diversorum temporum sunt, ut *olim*, *quondam.* Itaque de praesenti etiam tempore dicitur, ut in illo *Virg. A.* 2, 103. jamdudum sumite poenas. Aut quod *Serv.* exponit, modo, vel quamprimum. [*Cf. *Id. G.* 1, 213.] Sic *Ov. A. Am.* 1, 317. ingenti jamdudum de grege duci Jussit. Et 2, 457. Candida jamdudum cingantur colla lacertis. *Val. Fl.* 6, 456. visa jamdudum prosilit altis Diva toris. Adde *Senec. Med.* 191. ℙ Et de futuro pro *mox. Stat. Th.* 6, 855. *de cupressu.* urgentes cervicem inclinat in Austros, Vix sese radice tenens, terraeque propinquat, Jamdudum aetherias eadem reditura sub auras.

DŪELLA, ae, f. pars tertia est unciae, et duas sextulas continet: unde nomen. *Rhem. Fann. de ponderib. et mensur.* 23. Sextula cum dupla est, veteres dixere duellam.

DŪELLĀTOR, oris, m. idem ac bellator: a *duellum*, bellum. *Pl. Capt. prol.* 68. Domi duellique duellatores optimi.

DŪELLĪCUS, a, um, adj. bellicus. *Lucr.* 2, 660. Equorum duellica proles. *Pl. Epid.* 3, 4, 14. Quem memorant arte duellica divitias magnas indeptum.

DŪELLIS, is, m. hostis apud veteres. *Arnob.* 1. p. 10. Cur duelles cum pereunt, laevum augurium non sum?

*DUELLĬUM, i, n. *νυφαντὶς Vet. Gloss. B. A.*

*DUELLO, as, *μάχομαι Vet. Gloss. B. A.*

DŪELLONA, ae, f. Bellona. *Varr. L. L.* 4, 10. et *ib.* 6, 3.

DŪELLUM, i, n. *πόλεμος*, idem ac bellum. Veteres enim *du* ponebant pro *b.* Sic legitur *duonum* pro *bonum*, et *duis* pro *bis*, ut ait *Cic. Or.* 45. V. etiam *Quint.* 1, 4. Hinc *Hor. Ep.* 1, 2, 7. Graecia barbariae lento collisa duello. *Id. Od.* 1, 14, 18. Et cadum Marsi memorem duelli. *Cic. Leg.* 2, 18. Aes atque ferrum duelli instrumenta. *Pl. Asin.* 3, 2, 13. Quae domi duellique fecisti. *Hor. Od.* 4, 15, 8. Vacuus duellis Janus. Adde *Liv.* 36, 2., ubi al. leg. *bellum:* et 22, 10. ex veteri formula rogationis. ℙ Pro *praelio*, *Hor. Ep.* 2, 2, 97. Caedimur et totidem plagis consumimus hostem Lento Samnites ad lumina prima duello. ℙ *Duellum* pro *duellorum. Enn.* in *fragm. collect. a P. Merula.* Horrida Romuleum certamina pango duellum.

DŪELLUS. a, um, adj. idem quod bellus, apud veteres, ea ratione, qua dictum est in v. praec. *Titin.* ap. *Non.* 3, 117., item *Quint.* 1, 4, 15., sed utrobique alii aliter leg. [*Scil. *Duellios.* V. *Spald.*] Addunt quidam verba haec *Naevii:* Facies virginis duellae.

DŪĪCENSUS, census seu census cum altero, *h. e.* cum filio; a duis, bis. *Festus.*

DŪĪDENS, hostia bidens. *Fest.*

*DUĪGAE, arum, pro Bigae, arum. *Varr. L. L.* 7, 30. *B. A.*

*DUĪLIS, i. e. bilis, *χολὴ Gloss. Fornerii*, ap. *Gesnerum. B. A.*

*DUILLĬUS vel Duilius, i, m. nomen ducis Romani, qui primus Poenos praelio navali vicit, quam ob causam ei columna posita est rostrata, peculiari libello exposita a *P. Ciacconio.* Subjectus is est *Floro* v. g. *Graeviano.* V. etiam *Drak.* ad *Sil.* 6, 663. seq. De Duilio *Liv. epit.* 17. *Cic. Senect.* 13. *extr. Id. Or.* 45. *med. Id. pro Planc.* 25. *init. Sil.* 6, 665. *Hieron. adv. Jovian.* 1. ℙ In ll. cc. *Cic. Orat.* et *pro Planc.* legitur *Duillius*, geminata *l*, in ed. *Ern.* ℙ Reperitur et *Duellius* et *Duelius*, *Δουέλλιος*, *Δουέλιος.* V. *Maium* ad *Cic. Rep.* 1. [*et *Spald.* ad *Quint.* loco sub DUELLUS laud.] *B. A.*

DUIM, is, it. V. DO, as *sub f.*

*DUĪNI Veteres pro bini. *Varr. L. L.* 7, 30. Et sicut est ab uno Uni, a tribus Trini, a quatuor Quatrini, sic a duobus Duini, non Bini dicerentur: nec non ut quadrigae, trigae, sic potius, Duigae quam Bigae. *B. A.*

DUIS, bis, apud veteres. *Festus.*

DŪĪTAE, arum, m. plur. haeretici Marcionis sectatores, qui duos Deos esse docuerunt, bonorum auctorem alterum, alterum malorum. *Prud. praef. Hamar.* 37. Docet Duitas discrepare a spiritu.

DŪĪTAS, atis, f. numerus duorum. *Labeo* apud *Jabolen. Dig.* 50, 16, 242. Viduam sic dictam esse putat, quasi vecors, vesanus, qui sine corde, aut sanitate est: similiter viduam esse dictam sine duitate. Cave usurpaveris.

DŪĪTOR, dator, vetus imperativum a *duo, is*, pro *do*, de quo V. DO *sub f.* In *XII. Tab.* apud *Plin.* 21, 3, 5. Qui coronam parit ipse, virtutis ergo duitor ei. Al. aliter leg.

DULCACĬDUS, a, um, adj. γλυκύπικρος, mixtum quendam saporem habens ex dulci, et acido. *Seren. Sammon. de Med.* 11, 151. Crudaque dulcacido miscebis rapa liquori. Adde *ib.* 32, 607.

*DULCAMĂRUS, a, um, adj. fictum ex γλυκύπικρος. Sic *Melissus Dulcamaram aquam* dixit *Lacrimas*. Sic de amore utrumque nomen jungit *Pl. Cist.* 1, 1, 71. *Ps.* 1, 1, 61. et 2, 4, 1. et *Truc.* 2, 3, 25. *B. A.*

DULCĀTOR, oris, m. qui dulcat. *Paulin. Nolan. carm.* 23, 237. dulcator fontis amari.

DULCĀTUS, a, um, part. a *dulco*, dulcis factus. *Sidon. carm.* 2, 105. Ferunt exorto flumina melle Dulcatis cunctata vadis.

DULCĔ, adv. γλυκερῶς, dulciter, et translate jucunde, suaviter. *Cic. Brut.* 19. *extr.* Historia scripta dulcissime. *Stat. Th.* 4, 274. Dulce rubens, viridique genas spectabilis aevo. *Id. Silv.* 3, 4, 8. Dulce nitentes comae. *Prop.* 1, 2, 14. Et volucres nulla dulcius arte canant. *Hor. Od.* 1, 22, 23. Dulce ridens, dulce loquens. *Inscr.* ap. *Murat.* 1239, 10. M. Annaeus M. F. Esq. Longinus Maccus vixit dulcissime cum suis.

DULCĔDO, ĭnis, f. γλυκύτης, sapor dulcis. *Liv.* 5, 33. Dulcedo frugum. *Plin.* 14, 22, 28. vini. *Id.* 25, 6, 30. Radix amara cum quadam dulcedine. ℙ Transfertur ad quamcumque suavitatem et jucunditatem. *Cels.* 6, 6. Oculi magnam partem ad vitae simul et usum et dulcedinem conferunt. *Plin.* 8, 25, 37. Dulcedo scabendi. et *ib.* 57, 82. furandi. *Id.* 29, 1, 8. sperandi pro se. *Brut.* ad *Cic.* inter *ep.* 1. *ad Brut.* 16. *ad f.* vivendi. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. iracundiae. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Honoris et pecuniae dulcedine capi. *Cic. Arch.* 10. Dulcedine gloriae commoveri. *Plin. ep.* 2, 5. *extr.* Dulcedo loquendi cum aliquo. *Gell.* 9, 9. Verba non translatitia, sed nativae cujusdam dulcedinis. *Liv.* 2, 42. Dulcedo agrariae legis. *Auct. ad Her.* 4, 21. avium. *Cic. Or.* 3, 40. orationis. *Ov. Pont.* 1, 2, 119. linguae. *Id. Met.* 1, 709. vocis. *Cic. Leg.* 2, 15. Dulcedine (*cantus*) et corruptela depravati mores. *Id. Fin.* 2, 34. Sensus omnes dulcedine quasi perfusi. *Liv.* 5, 13. Dulcedo invasit plebejos creandi [*i. e. cupiditas, ut 6, 41.]. ℙ De scabie vel prurigine, quia scalpendo dulcedinem quandam experimur. *Grat. Cyn.* 408. si deformis lacerum dulcedine corpus Persequitur scabies. Al. aliter leg. *Cic. Leg.* 1, 17. *extr.* Blanditiis voluptatis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernimus satis. ℙ In plurali num. *Vitr. praef.* 7. Reges Attalici magnis philologiae dulcedinibus inducti.

DULCĔO, es, ui, n. 2. γλυκαίνομαι, dulcis fio, dulcesco. *Paulin. Nolan. carm.* 17, 23. unda misso Dulcuit ligno. ℙ Pro *dulceo* dixere *dulco*, ut pro *ferveo fervo*, *strideo strido*, et alia: vel potius haec ipsa *dulceo*, *ferveo*, *strideo* in quibusdam personis ac temporibus usurparunt in tertia conjugatione. *Lucr.* 2, 473. Humor dulcit, ubi per terras crebrius idem Percolatur. *Est qui legat* dulcis: *item qui* dulcet.

DULCESCO, is, n. 3. γλυκαίνομαι, dulcis fio. *Cic. Senect.* 15. Primo est peracerba gustui, deinde maturata dulcescit. *Plin.* 31, 7, 41. Omnis sal pluvia dulcescit. *Id.* 3, 18, 22. Dulcescens mare.

DULCĬA, orum, n. plur. placentae dulces. *Lamprid. Elag.* 27. Dulciarios, et lactarios tales habuit, ut quaecumque coqui de diversis edulibus exhibuissent, illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent. et *ib.* 32. Alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Adde *Prud. Psych.* 429.

DULCĬĀRĬUS, ii, m. qui panes, et mellita concinnat edulia. *Lamprid. Elag.* 27. Dulciarios, et lactarios tales habuit, ut, etc. Adde *Trebell. Claud.* 14. et *Veg. Mil.* 1, 7. ℙ Revera adjectivum est, intelligitur *pistor*, vel *coquus*, vel *artifex* etc. *Mart.* 14, 222. *in lemmate* et *Appul. Met.* 10. p. 244, 30. Pistor dulciarius.

DULCĬCŬLUS, a, um, adj. diminut. dulcis. *Cic. Tusc.* 3, 19. Demus scutellam dulciculae potionis. ℙ In blanditiis amantum. *Pl. Poen.* 1, 2, 177. Dulciculus caseus.

DULCĬFER, a, um, adj. dulcis. *Pl. Ps.* 5, 1, 18. Cantharum dulciferum propinare. *Enn.* ap. *Charis.* 1. p. 103. Dulciferae fici.

[DULCĬFLŬUS, a, um, adj. dulciter et suaviter fluens. *Dracont. Hexaem.* 49. Pars dat dulcifluis undantis fontibus agri. *F.*]

DULCĬLŎQUUS, a, um, adj. ἡδυεπής, dulcia loquens. *Auson. Idyll.* 20, 4. Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget. *Sidon. ep.* 8, 11. *ante med.* Dulciloqua ars Orphei.

DULCĬMODUS, a, um, adj. dulcisonus. *Prud. Psych.* 664. resultant Mystica dulcimodis Virtutum carmina psalmis.

DULCĬNERVIS, e, adj. ut Dulcinervis arcus, apud *Capell.* 9. p. 310.

DULCĬOLA, orum, m. plur. diminut. a *dulcia*, crustula, parvae placentae. *Appul. Met.* 4. p. 115, 12. Mellitis dulciolis ventrem saginare.

DULCĬORĒLŎQUUS, a, um, adj. qui dulci ore loquitur. Ita *Naev.* Nestorem dixit apud *Gell.* 19, 7.

DULCIS, e, adj. γλυκύς, γλυκεροῦς, suavis: ab antiquo *delicis*, quia delicit, *h. e.* allicit, delectat: vel potius a γλυκύς, facta metathesi litterarum et mutatione litterae γ in δ. V. CLUCIDATUM. *Cic. N. D.* 3, 13. Sentit igitur calida et frigida et dulcia et amara. *Ov. Met.* 13, 795. Matura dulcior uva. *Hirt. B. Alex.* 8. et 9. Aqua dulcis. *Plin.* 25, 9, 57. Herba gustu dulcis. *Id.* 18, 10, 20. *n.* 4. Dulcissimus panis. ℙ Transfertur ad omnia, quae quoquo modo jucunda et grata sunt. *Ov. Pont.* 2, 7, 69. Tempus in agrorum cultu consumere dulce est. *Id. Trist.* 5, 4, 29. o dulcior illo Melle, quod in ceris Attica ponit apis. *Id. Am.* 2, 19, 17. Blanditiae et dulcia verba. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. Nomen dulce libertatis. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 69. genas dulces flos juvenilis inumbrat, *h. e.* teneras, laeves. *Hor. Od.* 1, 1, 2. Dulce decus. *Id. ib.* 2, 13, 38. Dulcis sonus. *Cic. Att.* 15, 13. Dulcissima epistola. *Id. Off.* 1, 1. Orator parum vehemens, dulcis tamen. [**Orator* vel in universum *scriptor* is dicitur, qui cum elocutionis naturali quadam gratia, venustate et candore, rerum etiam suavitatem quandam conjungit. Gr. appellant hanc virtutem γλυκύτητα et ἡδονήν. V. *Ernest. techn. lat.* p. 139.] *Id. Brut.* 21. Oratione Laelii nihil est dulcius. *Vell.* 1, 17. Dulces facetiae. *Cic. Leg.* 3, 11. Optime et dulcissime frater. *Mart. Spectac.* 20. Non potuit melius litem finire jocosam. O dulce invicti principis ingenium! *Hor. Ep.* 2, 40. Dulces liberi. *Id. Od.* 1, 37, 11. Dulcis fortuna. *Nep. Att.* 18. Quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui etc, *h. e.* nihil lectu et cognitu jucundius et delectabilius. *Gell.* 16, 3. Homo fandi dulcissimus. [**Dulcem* vocem *Quint.* 11, 3, 40. ad ornatam pronuntiationem refert. Omnino ea, quae cum suavitate quadam ad aures accidit easque demulcet. V. *Ernest. l. l.*] ℙ Pro comi et facili. *Cic. Fam.* 3, 8. *ad f.* Me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. *Pl. Ps.* 1, 1, 61. Dulce amarumque una nunc misces mihi, γλυκυπίκρον. ℙ Cum accusat. Graeca ratione. *Senec. Hipp.* 302. Dulcior vocem moriente cycno. ℙ Substantive. *Ov. Met.* 5, 449. lymphamque roganti Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. V. COCETUM. *Pl. Ps.* 2, 4, 50. Si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet?

DULCĬSONUS, a, um, adj. γλυκύφωνος, dulce sonans. *Sidon. carm.* 6, 5. Dulcisonum quatitur fidibus dum pectine murmur.

DULCĬTAS, atis, f. idem ac dulcedo. *Accius* ap. *Non.* 2, 215. Dulcitas conspirantis animae. *Appul. de Mundo* p. 74, 34. fici.

DULCĬTER, adv. idem ac dulce. *Cic. Fin.* 2, 6. Quae sensus dulciter ac jucunde movet. *Quint.* 4, 2. *ante med.* Invidiose, graviter, dulciter, urbane dicere.

DULCĬTŪDO, ĭnis, f. idem ac dulcedo. *Cic. Or.* 3, 25. Quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur. *Ulp. Dig.* 42, 9, 10. *circa med.* Dulcitudo usurarum. *Inscr.* ap. *Grut.* 752, 3. M. Aemilius M. F. Januarius Catiliae Marcianae conjugi incomparabili, cum qua vixit annis XIII. cum magna dulcitudine. Adde aliam apud *Fabrett.* p. 250. *n.* 4.

*DULCĬUM, i, n. mali genus, casu recto, laudat *D. A. G. Cramer* ad *Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 3. *v.* 188. Dulcium malum, quod stomachum indigestum praestat. Alii aliter intelligunt. *B. A.*

DULCO, as, a. 1. γλυκαίνω, dulce efficio. *Sidon. ep.* 5, 4. Offensae amaritudinem politis affatibus dulcare non desinant.

DULCOR, ōris, m. dulcedo. *Tert. adv. Marc.* 3, 5. Montes destillaturos dulcorem. [**Id. Carm. adv. Marc.* 1, 6. *Theod. Prisc. de Diaeta c.* 12. *B. A.*]

*DULCORARĬUS, i, m. *Sarisb.* 8, 13. *B. A.*

DULCŌRO, as, avi, a. 1. γλυκαίνω, dulcem reddo. *Hieron. ep.* 22. *n.* 9. Dulcoravit amaritudinem.

*DULGIBĪNI, orum, Δουλγούβνιοι, *Ptol.* populi Germaniae, Angrivariis et Chamavis finitimi. *Tac. G. c.* 34. ibique intpp. *B. A.*

DŪLĪCĔ, adv. δουλικῶς, serviliter. *Pl. Mil.* 2, 2, 58. Astitit dulice et comoedice. Alii minus recte leg. *dulce.*

DŪLĪCHĬUS, a, um, adj. Δουλίχιος, ad Dulichiam seu Dulichium pertinens, quae est insula maris Ionii, una Echinadum, in qua Ulysses habitavit regnavitque. *Plin.* 4, 12, 19., *Mela* 2, 7. *Ov. Trist.* 1, 5, 67. Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Sameve. *Prop.* 2, 11, 4. Nec sic errore exacto laetatus Ulysses, Cum tetigit carae litora Dulichiae. ℙ Saepe dicitur de rebus ad Ulyssem pertinentibus. *Virg. Ecl.* 6, 76. Dulichias vexasse rates. *Stat. Silv.* 5, 1, 58. Dulichii proci, *h. e.* Penelopes, cujus vir Ulysses. *Ov. Met.* 13, 425. Dulichiae traxere manus. Et 14, 226. Dulichius dux. *Id. Rem. Am.* 699. Dulichio more. *Sil.* 2, 603. Dulichia Zacynthus, *h. e.* in qua Ulysses regnavit. (V. *eund.* 1, 290.) *Id.* 1, 379. Dulichii nepotes, *h. e.* posteri cujusdam Murri patre Rutulo nati, matre Saguntina. Saguntos autem aucta dicitur a Zacynthiis, quorum rex fuit Ulysses.

*DULOPOLIS, is, f. Δουλόπολις, Cariae oppidum, dictum et Acanthus. *Plin.* 5, 28. p. 172. *B. A.*

[DŪLUS, i, m. δοῦλος, servus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1624, 12. P. Aelius Dulus. *F.*]

DUM, μέχρι τοῦ, adv. temporis et modo pro *quando* [**indem*] ponitur. *Plin.* 7, 53, 54. Nullis evidentibus causis obiere, dum calceantur matutino, duo Caesares. ℙ Modo pro *donec. Ter. Eun.* 1, 2, 126. Exspectabo, dum venit. *Nep. Paus.* 3. Exspectandum, dum se res ipsa aperiret. *Liv.* 4, 21. Virginius, dum collegam consuleret, moratus. Adde *Lucan.* 5, 441. ℙ Modo pro *quamdiu. Cic. Leg.* 1, 1. Dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit. *Ter. Heaut.* 2, 2, 11. Dum moliuntur, dum comuntur (mulieres), annus est. [*Hoc significatu assumit *dum* plerumque imperf., si est i. q. *indem* fere cum praesenti construitur. V. quos in hanc rem laudat *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* §. 91., sed adde *Walch.* ad *Tac. Agr.* p. 401. sq., qui paucis monet de falsa eorum opinione, qui cum *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 72. unquam componi negent *dum* cum imperf. et plusquamperf., ubi significet *indem*. Lege etiam *Voss.* ad *Virg. G.* 4, 559.] ℙ Est etiam conjunctio et significat *modo* vel *dummodo. Sall. Cat.* 5. Neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. [*Refer huc locos, ut *Ov. Met.* 10, 309. Tura ferat — Panchaia tellus, Dum ferat et myrrham. et *Quint.* 2, 12, 7. vocentur — dum tamen constet. Comparat haec *Spald.* ad *Eund.* 1, 12, 17.] ℙ Eleganter ei praeponitur alia particula *vix*, *tantisper. Ter. Heaut.* 1, 1, 54. Ego te meum dici tantisper volo, dum quod te dignum est, facies. *Liv.* 28, 14. Vix dum satis certa luce. *Cic. Att.* 9, 2. *ad f.* Vix dum epistolam tuam legeram, cum ad me Curtius venit. ℙ *Nihil dum*, nihil adhuc. *Liv.* 24, 20. Simulata lenitas nihil dum profuerat. ℙ *Necdum*, non adhuc. *Id.* 21, 6. Legatione decreta, necdum missa. ℙ *Nullus dum*, nullus adhuc. *Ascon. in argum. Milonianae ante med.* Cum mense Januario nulli dum neque consules neque praetores essent. *Liv.* 7, 33. *a med.* Atrox caedes circa signa, fuga ab nulla dum parte erat. Adde 3, 50. *in f.* et 29, 11. [*In omnibus hujusmodi constructionibus est *dum* i. q. nunc, sed ita nonnisi in enuntiationibus negativis reperitur, ut *Pl. Trin.* 5, 2, 1. neque esse quemquam hominum in terra dum arbitror. *Id. Mil.* 4, 2, 2. hoc quasi non videam neque esse hic etiamdum sciam.] ℙ *Dum ne*, dummodo ne. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Interpellent me, quo minus honoratus sim, dum ne interpellent, quo minus respublica a me administrari possit. ℙ Eodem sensu *dum quidem ne* dixit *Pl. Aul.* 2, 2, 34. ℙ Aliquando verbis ipsis imperativi modi, quibusdam adverbiis et nominibus etiam adjungitur, vimque habet quandam excitandi. *Ter. Andr.* 1, 1, 1. Sosia, ades dum: paucis de volo. *Cic. Sull.* 26. Age dum, conferte nunc cum illius vita vitam P. Sullae. *Id. Att.* 14, 14. Itera dum eadem ista mihi. *Pl. Truc.* 2, 7, 67. Sine dum. *Id. Men.* 2, 2, 73. Tace dum. *Id. Cas.* 2, 6, 32. Mane dum. *Ter. Andr.* 3, 2, 39. Facito dum, eadem haec memineris. *Id. ib.* 2, 1, 24. Eho dum dic mihi. *Id. Ph.* 2, 2, 15. Cedo dum. ℙ *Qui dum* pro *cur* vehementius interrogat. *Pl. Amph.* 4, 2, 12., *Epid.* 2, 2, 114. et *Men.* 1, 2, 51. [*V. *Lindem.* l. l. Est i. q. quomodo tandem.] ℙ Aliquando redundat. *Pl. Trin.* 1, 2, 61. Primum dum omnium male dictitatur tibi. ℙ In illo *Catulli* 62, 45. Sic virgo dum innupta manet, dum cara suis est; *Quint.* 9, 3. *ante med.* priore loco *dum* ait significare, *quoad:* posteriore, *usque eo:* ita enim legit eum versum: alii posterius *dum* in *tum* male mutarunt. [*Agit de vi partic. *dum Lindemann.* ad *Pl. Capt.* 1, 2, 71. et uberius in prolusione, edita Zittaviae, a 1824., in qua agit *de adverbio Latino.* V. ibi inde a pag. 15. Summam eorum, quae disputata sunt a V. D., paucis comprehensam subjiciam. Sunt autem haec: ut *tum* et *tunc* ad praeteritum, *num* et *nunc* ad praesens, ita *dum* et *donec* (= *dunc* francog. *donc*, Ital. *dunque*) ad futurum tempus pertinent, habuitque *dum* proprie vim monstrativam, quod inde intelligitur, quod, si encliticum est, hodieque significat *usque ad hoc vel illud tempus*. Eadem futuri temporis monstrati notio videtur inesse enclitico *dum*, si ad verba adhaeret exhortantia, ut *agedum*

etc., quo sensu respondet Gr. δή, ut in ἄγε δή, ἰδοῦ δή etc. et nostro *dann*, quo voc. in nonnullis provinciis ita in his formulis (*komm dann*) utuntur, ut ad sensum sit i. q. *nur*, *doch*, (*komm nur*, *komm doch*). „Cum autem futurum tempus alio modo cogitare nequeamus, quam tanquam praesentis infinitam continuationem, factum est, ut dum semper continuationem temporis praesentis usque ad aliquod futurum momentum declaret, quod momentum quasi monstratur in fut. tempore partic. *dum*. Veluti: *dum hoc fit*, *h. e.* usque ad illud tempus futurum, ubi hoc accidet. Factum deinde usu est, ut cum tenor praesentis temporis respiceretur solus, voc. *dum* notaret etiam: per omne hoc tempus, quod nunc cogitatur praesens, ut *dum hoc fiebat*, i. e. per omne illud tempus, quod praesens tum erat.“ Discrimen autem inter *dum* et *donec* est idem quod inser ἕως et ἕωσγε, inter *tum* et *tunc*, *num* et *nunc*. Additum enim *ce* (*ke*) ut γε in ἔγωγε etc. vim habet restrictivam. Proprium tamen hoc habet *donec*, ut semper continuationem temporis ad certum aliquod futurum momentum significet; contra quod dum solam etiam continuationem temporis denotat. Haec hactenus.] ℙ *Nedum*, *usque dum* etc. V. suis locis.

[DŪMĀLIS, e, adj. dumis obsitus, dumosus. Translate. *Capell.* 4. p. 95. Verum femina dumalibus hirta sedis nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur, *h. e.* hirtis comis praedita. *F.*]

*DUMANA, oppidum Aegypti superioris vel in Aegypti Aethiopiaeque confinio. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

DŪMECTA, antiqui, quasi dumiceta, appellabant, quae nos dumeta. *Fest.*

DŪMESCO, is, n. dumis obducor. Agnoscitur tanquam Latinum a *Diomed.* 1. p. 335., sed nulla confirmatur auctoritate.

DŪMĔTUM, i, n. ἀκανθὼν, locus dumis obsitus, fruticetum. *Cic. Tusc.* 5, 23. Septum undique et vestitum vepribus et dumetis. *Hor. Od.* 3, 29, 22. Jam pastor umbras Rivumque fessus quaerit et horridi Dumeta Silvani. *Virg. G.* 1, 14. cui pinguia Caeae Tercentum nivei tondent dumeta juvenci. *Colum.* 1, 2. Nec absint greges quadrupedum culta et dumeta pascentium. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 35. Cum sit campus, in quo possit exsultare oratio, cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus. Adde *N. D.* 1, 24. *extr.*

[DŪMĔUS, a, um, adj. idem ac dumosus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 353. *n.* 57. Caecilia Dumea. *F.*]

DUMIA Tribus Romana, unde dicta sit, non constat. *Panvinio de civ. Rom.* videtur esse una ex iis, quae bello sociali antiquis tribubus additae fuerant. Ejus mentio nullibi habetur, praeterquam in tribus *Inscr.* ap. *Grut.* 772, 3., 920, 8. et 975, 11., at *ib.* pro *Dum.* legendum videtur *Lem.*, *h. e. Lemonia*, ut suspicatur *Thomas de Simeonibus* in *epist.* inter *Marm. Felsin. Malvasiae* p. 505.

DŪMĪCŌLA, ae, f. qui in dumis degit. *Avien. Perieg.* 895. Dumicolae Arieni.

DUMMODO, adv. modo. *Cic. Off.* 3, 21. Dummodo potentiam consequantur. *Id. Or.* 3, 48. Dummodo ne continuum sit. *Id. Brut.* 82. Dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans. *Prop.* 3, 15, 17. Dummodo purpureo spument mihi dolia musto. ℙ Dividitur etiam, interjecto verbo. *Val. Fl.* 5, 265. nec vulgi cura tyranno, Dum sua sit modo tuta salus.

*DUMNA, ae, insula Scotiae littoralis, prope Orcades. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

*DUMNISSUS, i, oppidum Galliae Belgicae, in agro Treviorum. *Auson.* in *Mosella v.* 8. *Dumnus* audit *Tab. Peut. B. A.*

*DUMNONII, orum, populi Britanniae, ubi hodie *Devonshire*. *Anton. Itin. B. A.*

*DUMNOTŌNUS, i, locus Aquitaniae, in Medulorum regione. V. *Auson. Ep.* 4, 52. et *Ep.* 5, 13. et 29. ℙ Adjective, ut *Dumnotona domus* ap. *eund. Ep.* 7, 56. ℙ Scribitur et *Dumnotinus. B. A.*

DŪMŌSUS, a, um, adj. ἀκανθώδης, dumis obsitus, vepribus plenus. *Fest.* exponit, frondosus. *Virg. Ecl.* 1, 77. Dumosa rupes. *Ov. Met.* 10, 535. saxa. *Colum.* 4, 33. *extr.* Dumosi glareosique montes.

DUMTAXAT, adv. μόνον, solum, tantum. *Prisc.* 15. p. 1015. docet esse ab adverbio compositum et verbo: scilicet a *dum* et *taxo*, ut sit *dum taxetur hoc unum*, *h. e.* aestimetur, inquit *Voss.* in *Etym.* (*eigentlich zu sagen*, *streng genommen*, inde: *nur*, *bloss*). *Cic. Att.* 4, 3. *sub f.* Nos animo dumtaxat vigemus. *Caes. B. C.* 3, 40. Peditatu dumtaxat procul ad speciem utitur; equites in aciem mittit. *Ov. Trist.* 1, 8, 33. Quid, si dumtaxat Romae mihi cognitus esses? ℙ *Non dumtaxat* est non solum. *Paul. Dig.* 26, 7, 11. Cum tutor non rebus dumtaxat, sed etiam moribus pupilli praeponatur. *Liv.* 37, 53. Nec animum dumtaxat fidelem praestitit, sed omnibus interfuit bellis, quae gessistis. ℙ Pro utique aut certe quidem. *Cic. Att.* 5, 10. *ad f.* Valde me Athenae delectarunt; urbs dumtaxat et urbis ornamentum etc. ℙ Pro hactenus. *Id. Brut.* 82. Sin autem jejunitatem, dummodo polita sit, in Attico genere ponunt, hoc recte dumtaxat. ℙ Pro dummodo. *Senec. ep.* 58. *sub f.* Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem nec officientem animo. [*Hunc locum melius ad seq. §. retuleris. Nunquam enim *dumtaxat* est conjunctio.] ℙ Pro saltem aut ad minimum. *Cic. Or.* 1, 58. *ad f.* Cur ergo non iidem in jure civili satis instructi esse possumus, ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini esse videamur? *Ulp. Dig.* 50, 16, 202. Cum in testamento scriptum esset, ut heres in funere dumtaxat aureos centum consumeret; non linere dumtaxat aureos centum consumeret: si amplius vellet, licet, necet minus consumere: si amplius vellet, licet, neque ob eam rem contra testamentum facere videtur. [*Plura de hoc significatu congessit *B. Crus.* in *Clav. Suet.* s. h. v.] ℙ Reperitur et *duntaxat* in *Clav. Suet.* s. h. v.] ℙ Reperitur et *duntaxat* per *n:* sed per *m* multo frequentius est in antiquis monumentis. In his etiam *dum taxat* divisum aliquando legitur, ut in tabula aenea apud *Grut.* 507. *a med.*

DŪMUS, i, m. βάτος, ἄκανθα, spinus, rubus, sentes, vepres. Proprie dici videtur de spino fruticante et silvescente. Volunt autem esse a δρυμὸς, silva querna: a quo per methathesin factum sit *durmus*, deinde *dusmus*, *dumus* denique. Sane *dusmoso in loco* pro *dumoso* dictum fuisse a *Liv. Andron. Festus* testatur. *Scheidius* ad *Lennepii Etydron. Festus* testatur. *Scheidius* ad *Lennepii Etymol. Ling. Gr.* derivandum putat a δέδυμαι praet. pass. verbi δύω, subeo; quo nempe subeunt animalia. *Cic. Tusc.* 5, 23. Animadverti columellam non multum e dumis exstantem. *Virg. G.* 3, 315. Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos. *Id. A.* 8, 657. Galli per dumos aderant, arcemque tenebant. et *ib.* 11, 570. in dumis, interque horrentia lustra. et *ib.* 9, 381. Silva horrida dumis atque ilice nigra.

DŪŌ, ae, o, δύο, nomen numerale, quod in genit. et accusat. mascul. et neutr. est secundae declinationis *duorum*, *duos:* in dat. et ablat. in omni genere, tertiae *duobus*, *duabus:* quae exemplis confirmare supervacaneum est. ℙ In genit. mascul. et neutr. reperitur et *duum*, quod *Prisc.* 7. p. 744. docet in neutris dici differentiae causa: sed hoc verum non est. *Naevius* ap. *Charis.* 1. p. 101. Salvi et fortunati duo duum nostum patres. *Accius* ap. *Cic. Or.* 46. Video sepulcra duo (al. leg. *Accius* ap. *Cic. Or.* 46. Video sepulcra duo (al. leg. *Accius* ap. *Cic. Or.* 46) duorum corporum. *Id. ib.* Mulier una duum virum. ℙ Habet locum praesertim, quando aliud nomen numerale subjungitur. *Lentul.* ad *Coss. Fam.* 12, 15. *ante med.* Naves duum millium amphorum. ℙ Saepe etiam ap. *Plin.* legitur *duum cubitorum*, *duum pedum*, *denariorum*, *obolorum*, etc. ℙ In accus. plural. mascul. saepe *duo* pro *duos* dictum est. *Accius* ap. *Charis. l. c.* Martes duo. *Ter. Ad.* 5, 3, 23. Illos duo. Ita legit *Charis. ib.* Al. duos. *Cic.* ad *Caes. post ep.* 11, 9. *ad Att.* Vos duo delegi. Al. leg. *duos*. *Varr. R. R.* 1, 18. *a med.* Duo villicos. [*Cic. *Rep.* 1, 10 et 13. Duo soles. *Id. ib.* 2, 19. Duo filios. *B. A.*] *Liv.* 35, 21. Duo pontes evertit. Al. leg. *duos*. Sed certae lectionis sunt, quae sequuntur: *Virg. A.* 11, 285. Si duo praeterea tales Idaea tulisset Terra viros. *Cic. Fam.* 7, 25. Praeter duo nos, loquitur isto modo nemo. *Hor. Sat.* 1, 17, 15. duo si discordia vexet inertes. In *Cenotaph. Pis. C. Caes. a med.* Duo viros creare. ℙ Graeci poetae pro *δύο* scribunt et *δύω:* unde ultima produci etiam potest. *Virg. Ecl.* 5, 66. en quatuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo. *Pier.* in antiq. aliquot codd. invenit etiam *duo altaria:* in aliis *duas*, *altaria*, h. e. duas aras tibi, et duas, quae sint altaria, Phoebo; nam majoribus Diis, et superis altaria debentur. *Servius.* Produxit etiam *Auson. ep.* 19, 13. Europamque, Asiamque, duo vel maxima terrae Membra. Qui produci posse negant, confugiunt in his ad caesuram. ℙ Etiam *dua* pro neutro *duo* olim usurpatum fuit. *Quint.* 1, 5. *Dua* et *tre* et *pondo* diversorum generum sunt barbarismi: at *duapondo*, et *trepondo* usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est, et recte dici, Messala confirmat. *Vitr.* 10, 17. Quae ballista duapondo saxum mittere debet. *Scribon. Comp.* 45. Spumae argenteae pondo dua. et *ib.* 245. Cerae P. dua bes.

[DŪŌCĔCĀCHRŌNUS, a, um, adj. qui duodecim tempora habet, idem ac duodecasemus. *Mar. Victorin.* p. 2485. Temporum vero incrementa a duobus ad duodecim procedunt, id est a disemo ad duodecasemum. et *mox.* Ut dictum est a disemo ad duodecasemum, seu a dichrono ad duodecachronum: σημεῖον autem veteres χρόνον, id est, tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quaedam accentuum, quae Graeci προσῳδίας vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponunt, unde tempora signa Graeci dixerunt.

[DŪŌDĒCAS, ădis, f. δυωδεκάς, aliquid duodenarium numerum continens. *Tert. Praescript.* 49. Haec esse aeonum triacontada, quae sit in pleromate ex octoade, et decade, ac duodecade. *F.*]

[DŪŌDĒCĀSĒMUS, a, um, adj. V. DUODECACHRONUS. *F.*]

[DŪŌDĒCĀSYLLĂBUS, a, um, adj. qui duodecim syllabas continet. *Not. Tir.* p. 184. Duodecasyllabus. *F.*]

DŪŌDĔCEMVIR, ĭri, m. qui est in magistratu duodecim virorum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 720. *n.* 419. M. Aure*lio* Consio Quarto juniori, correctori Flaminiae et Piceni, promagistro iterum, duodecemviro Anconitani et Fanestres clientes patrono. ℙ In eadem *Inscr.* ap. *Murat.* 1024, 1. legitur *duodecimviro.*

DŪŌDĒCENNIS, e, adj. δωδεκαετὴς, qui duodecim annos habet. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 10. Puer duodecennis. *Id. Dial.* 3, 2. Paterfamilias duodecennem ab utero mutam puellam Martino coepit offerre. ℙ Quaedam edd. habent *duodennis*, sed *Hieron. de Prato* ex MSS. auctoritate mendosam esse lectionem probat.

[DŪŌDĒCENNĬUM, ii, n. δωδεκαετηρὶς, spatium duodecim annorum. *Imppp. Honor.*, *Theodos. et Constantius Cod. Theod.* 2, 27, 1. §. 3. De cetero sancimus, ut omnes deinceps cautiones intra duodecennium vim contestationis accipiant, quam debitor facta novatione promittat. *F.*]

DŪŌDĒCIĒS, adv. δωδεκάκις. *Liv.* 38, 28. Tiberis duodecies campum Martium, planaque Urbis inundavit.

DŪŌDĒCIM, adv. δώδεκα. *Cic. Leg.* 2, 23. Discebamus enim pueri duodecim, ut carmen necessarium, *h. e.* duodecim Tabularum leges. *et paulo supra.* Qui post duodecim in Urbe sepulti sunt. ℙ In libris notis fere numeralibus scriptum legitur, XII. Intelliguntur autem leges Solonis Atheniensis, et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores, et jura, quae duodecim tabulis descripta Romani in usum suum per decemviros transtulerunt: de quibus V. *Liv.* 3, 31, 33, 34 et 37. et *Cic. Or.* 1, 43 et 45. Harum legum pauca nunc admodum fragmenta restant. ℙ *Duodecim scripta* fuit appellatus lusus quidam apud veteres, de quo V. SCRIPTUM. ℙ [*Duodecem scriptum in *Comment. Ant.* in *Cic. Or. in Vatin.* ed. *A. Maio*, p. 122. ed. *Mediol. B. A.*]

DŪŌDĒCĬMŌ, adv. *Capitolin. Anton. Pius* 1. Natus est sub Domitiano duodecimo, et Corn. Dolabella Coss.

DŪŌDĒCIMVIR. V. DUODECEMVIR.

DŪŌDĒCĬMUS, a, um, adj. δωδέκατος, num. ordinis, a duodecim. *Caes. B. G.* 2, 23. Duodecima legio. Et *ib.* 2. Duodecimo die.

DŪŌDĒMILLĒSĬMUS, a, um, adj. nongentesimus nonagesimus octavus. *Procul. Dig.* 17, 2, 80. Ex duodemillesimis partibus socius. Alii leg. *duomillesimis*, quam vocem vide suo loco.

DŪŌDĒNĀRĬUS, a, um, adj. duodecim continens, a *duodenus. Varr. L. L.* 4, 4. Multa antiqui duodenario numero finiebant.

DŪŌDĒNI, ae, a, adj. num. distrib. a duodecim. *Caes. B. G.* 5, 14. Uxores habent deni duodenique inter se communes. ℙ Saepe accipitur pro duodecim, sine distributione. *Virg. G.* 1, 232. orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra. *Caes. B. G.* 7, 36. Fossa duodenum pedum.

DŪŌDENNIS. V. DUODECENNIS.

DŪŌDĒNON GINTĀ, adj. indeclin. *Plin.* 3, 16, 20.

DŪŌDĒOCTOGINTĀ, adj. indeclin. *Plin.* 3, 5, 9.

DŪŌDĒQUADRĀGĒNI, ae, a, adj. duodequadraginta. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Duodequadragenum pedum columnae.

DŪŌDĒQUADRĀGĒSĬMUS, a, um, adj. trigesimus octavus. *Liv.* 1, 40. Duodequadragesimo ferme anno.

DŪŌDĒQUADRĀGINTĀ, adj. indeclin. triginta octo. *Cic. Tusc.* 5, 20., *Liv.* 35. 40.

DŪŌDĒQUINQUĀGĒNI, ae, a, adj. duodequinquaginta. *Plin.* 2, 8, 6. Signiferi ambitum peragit Venus trecentis et duodequinquagenis diebus.

DŪŌDĒQUINQUĀGĒSĬMUS, a, um, adj. quadragesimus octavus. *Cic. Brut.* 44. Anno duodequinquagesimo usus est. *Colum.* 9, 14. die.

DŪŌDĒQUINQUĀGINTĀ, adj. indeclin. quadraginta octo. *Colum.* 9, 14. et 12, 5.

DŪŌDĒSEXĀGĒSĬMUS, a, um, adj. quinquagesimus octavus. *Vell.* 2, 53. *Colum.* 9, 14.

DŪŌDĒSEXĀGINTĀ, adj. indeclin. quinquaginta octo. *Plin.* 11, 9, 9.

DŪŌDĒTRĪCĒSĬMUS, a, um, adj. vigesimus octavus. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 10.

DŪŌDĒTRĪCĬĒS, adv. *Cic. Verr.* 2, 3, 70., ubi alii aliter legunt. Alii rectius leg. *bis et tricies.*

DŪŌDĒTRĪGĪNTĀ, adj. indeclin. viginti octo. *Auson. Ecl. Quoteni dies*, etc. 7. Unus erit tantum duodetriginta dierum. Adde *Suet. Tib.* 1. et *Liv.* 33, 36.

DŪŌDĒVĪCĒNI, ae, a, adj. distribut. decem et octo. *Liv.* 21, 41. Duodevicenis denariis aestimati hostes.

*DUODEVICESIMĀNI, Milites, a legionis numero. V. *Alex. Genial.* 6, 22. *B. A.*

DŪŌDĒVĪCĒSĬMUS et Duodevigesimus, a, um, adj. decimus octavus. *Varr.* et *Cato* ap. *Non.* 2, 242. Sic *Plin.* 12, 1, 1. Epulari cum duodevicesimo comite, *h. e.* cum comitibus duodeviginti. ℙ Dividitur etiam per tmesin. *Id.* 35, 8, 34. Duo enim devicesima Olympiade interiit Candaules.

DŪŌDĒVĪGINTĒSĬMUS, a, um, adj. duodevi-

cesimus. In *Monum. Ancyr. n.* 3. ap. *Grut.* 231., sed sculptoris error habendus videtur.

DŪODĒVĪGINTI, adj. num. decem et octo. *Auson. Parental. n.* 24. *in f.* Duodeviginti functus Olympiadas. In *τῷ duo* synaeresis est. Adde *Caes. B. G.* 2, 5. *extr.* Sic *Eutrop.* 10, 9. Annis mille centum et duobusdeviginti.

DŪODĒTVĪCĒSĪMĀNI, dicti sunt milites legionis vigesimae secundae, ap. *Tac. H.* 5, 1.

DŪODĒTVĪCĒSĪMUS, a, um, adj. vicesimus secundus. *Fabius Pictor* ap. *Gell.* 5, 4. Duoetvicesimo anno, postquam Galli Romam ceperunt.

[DŪOMILLĒSĪMUS, a, um, adj. bis millesimus. *Procul. Dig.* 17, 2, 80. Ut alter ex millesima parte, alter ex duomillesimis partibus socius esset. Alii leg. divisim *duo millesimis*, ut *duo* sit indeclinabile pro *duabus*. *F.*]

DŪONUS, a, um, adj. idem quod bonus, *Festo* teste. V. CERUS.

DŪŌVIR, etc. V. DUUMVIR.

DŪŌVĪRĀLIS. V. DUUMVIRALIS.

[DŪŌVĪRĀTES, ium, m. plur. qui duumviratu functi sunt, iidem ac duumvirales, et duumviralicii. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. *sub f.* Hoc opus omne facito arbitratu duovir*um*, et duoviratium, qui in consilio esse solent Puteolis, dum ni minus viginti adsient, cum ea res consuletur. Ita in lapide sculptum pro *duoviralium* affirmant *Raym. Guarinius*, et *J. B. Zannonius* testes oculati, qui hanc inscriptionem typis vulgarunt Neapoli an. 1824. et Florentiae an. 1826., et peculiari dissertatione illustrarunt. *F.*]

DUPLARIS, e, adj. *διπλοῦς*, duplum continens. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. et *ib.* 2, 1. Duplaris numerus est, cum de duobus numeris minor bis in majore numeratur, ut sunt quatuor ad duo. ℙ *Duplares milites* dicuntur a *Veg. Mil.* 2, 7. qui praemii loco binas annonas consequuntur, sicuti *simplares*, qui singulas. Sic *torquati duplares*, qui virtutis ergo torque donati, insuper duplam annonam percipiebant. *Id. ib. Inscr.* ap. *Grut.* 448, 8. M. Pedius L. F. Pal. Albinus eques duplaris.

DUPLĀTĬO, onis, f. *διπλασιασμός*, duplicatio. *Paul. Dig.* 9, 4, 31. Duplationis rationem habendam. Ita *Torrentin.*, at *Haloander* edidit *duplicationis*.

*DUPLĀVĪLENSIS, e, adj. ad Duplavilem [**Paul. Diac. Langob.* 2, 12.] pertinens, non ignobilem pagum prope Plavim fluvium in Italia superiore, unde nomen accepit, nunc *Valdobbiadene*. Hinc *Duplavilenses*, *ium* incolae illius pagi. *Venant. de Vit. S. Martin.* 4, 668. Per Cenetam gradiens et amicos Duplavilenses. *B. A.* et *F.*

DUPLEX, icis, adj. omn. gen. *διπλοῦς* et *δίπλαξ*, unde *duplex*, qui rem aliquam bis continet, duplus, geminus: a *duo*. *Cic. Tusc.* 1, 30. Duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. *Auct. ad Her.* 3, 20. Duplices similitudines esse debent, unae rerum, alterae verborum. *Liv.* 39, 5. *extr.* Militibus ex praeda vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti. *Caes. B. G.* 7, 36. Duplicem fossam duodenum pedum a majoribus castris ad minora perduxit. *Id. B. C.* 3, 63. Duplicem eo loco vallum fecerat. et 53. Duplici stipendio milites donare. Sic *Liv.* 7, 37. Milites duplici frumento in perpetuum donati. *Colum.* 1, 8. *ante med.* Duplicia ferramenta, quam numerus servorum exigit. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 1. Ideo duplex, quam ceteris, pretium. *Id.* 16, 24, 38. Folia palmae duplicia, *h. e.* latera bifidata habentia, ut *Id.* 13, 4, 7. loquitur. *Virg. A.* 1, 97. duplices tendens ad sidera palmas. *Gell.* 6, 12. Verbum duplex, *h. e.* duobus compositum. *Vitr.* 5, 9. Uti porticus duplices sient, *h. e.* duos habentes columnarum ordines, exteriores, et medianas. ℙ Duplices tabellae, ita dictae sunt, quod duabus tabellis constarent, quae complicatae conscripta arcana claudebant, tegebantque. V. DIPTYCHUS. *Ov. Rem. Am.* 667. Et manus, et duplices manibus cecidere tabellae. Adde *Amor.* 1, 12, 27. ℙ *Duplex Hylaeus* dicitur a *Stat. Th.* 4, 140. qui Centaurus erat, dimidius homo, dimidius equus. ℙ *Duplices leges*, quae duas habent partes. *Quint.* 7, 7. *extr.* Duplices leges, sicut duae, colliduntur. ℙ Duplex vas, *δίπλωμα*, dicitur, cum vas aliquod minus in patentius aqua ferventi plenum immittitur, ut quae sunt in minori, lenius coquantur. *Scribon. Comp.* 73. Per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Adde *Comp.* 66. V. DIPLANGIUM. ℙ *Duplex* pro duplicato, curvato, inflexo. *Val. Fl.* 6, 509. Semineces duplicesque inter sua tela, suosque Inter equos, saevam misero luctamine versant Congeriem. ℙ *Duplicia* quoque dicuntur, quae densiora et crassiora sunt, latiora vel ampliora. *Hor. Ep.* 1, 17, 25. Duplex pannus. *Cato R. R.* 20. Clavi duplices. *Virg. G.* 1, 172. duplici aptantur dentalia dorso. *Nep. Dat.* 3. Agresti duplici amiculo circumdatus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 426. Cum in gymnasio duplici corpus siccassem pila. Haec alii aliter interpretantur. ℙ *Duplex ficus* est eadem ac duplicata et bifida, seu prius divisa, deinde vel sole vel in furno aliquantisper exsiccata, et cum altera ita conjuncta, ut intra utriusque pulpa adhaereat, extra vero corium sit: has propter similitudinem Siculi nunc vocant *chiappe di fichi*, easque adhuc videre est in *Mus. Neapol.* servatas, quas e Pompejorum ruinis nuper erutas fuisse constat. Harum meminit et *Aristot. Problem. c.* 22. *n.* 9., ubi docet, bifidas, *δίχα ἐσχισμένας*, dulcissimas esse; multifidas, *πολυσχιδεῖς*, nimium exsuccas et insipidas; integras, *ἀσχιδεῖς*, humorem crudum servare. *Pallad. Vet.* 4, 10. *ad f.* Subinde ficus, sicut est divisa, vertatur, ut ficorum coria siccentur, et pulpae tunc duplicatae in cistellis serventur aut loculis, quo genere Campania tota custodit. *Plin.* 20, 6, 23. Diocles hydropicis dedit allium in fico duplici ad evacuandam alvum. *Veg. Vet.* 2, 10. Addisque novem duplices ficus. *Hor. Sat.* 2, 2, 121. tum pensilis uva secundas, Et nux ornabat mensas cum duplice ficu. *Vet. Schol. Cruq.* ad *Hor. l. c.* Cum duplice ficu: bifida. ℙ Translate est fallax dolosus, [*quo sensu etiam Gr. *διπλοῦς* usurpant.] *Hor. Od.* 1, 6, 7. Duplex Ulysses. *Catull.* 68, 51. Duplex Amathusia. Ad hanc significationem respexisse videtur *Ov.* de duplicibus tabellis loquens *Amor.* 1, 12, 27. Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi? ℙ *Duplex judicium* in causis quibusdam centumviralibus, est, quod ab una centumvirorum hasta ad aliam transferri poterat, *h. e.* cum peracto uno judicio apud unam hastam (quatuor enim erant) appellabantur ad aliam. *Quint.* 11, 1. *ad f.* In centumviralibus judiciis duplicibus. *Id.* 5, 2. *sub init.* haec appellat judicia divisa in duas hastas.

DUPLĪCĀRĬUS. V. DUPLICIARIUS.

DUPLĪCĀTĬO, onis, f. *διπλασιασμός*, actus duplicandi. *Senec. Qu. Nat.* 4, 8. Radii solis a terra resiliunt et in se recurrunt: horum duplicatio proxima quaeque a terris calefacit. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. Duplicatio temporis. *Capell.* 7. p. 246. et 257. numeri. ℙ Est etiam repetitio exceptionis. V. QUADRUPLICATIO.

DUPLĪCĀTO, adv. *Plin.* 2, 17, 14. Stella Veneris quindecies pluribus subit: rursus Saturni, et Jovis duplicato digrediuntur: Martis etiam quadruplicato.

DUPLĪCĀTOR, oris, m. qui duplicat. *Sidon. ep.* 3, 13. Sinistrarum opinionum duplicatores.

DUPLĪCĀTUS, a, um, part. a *duplico*, duplex factus, duplus. *Ov. Met.* 11, 549. inducta piceis e nubibus umbra Omne latet coelum, duplicataque noctis imago est. *Plin.* 18, 3, 3. Duplicatus in longitudinem. *Cic. Dom.* 35. *extr.* Duplicata gloria. ℙ *Duplicata verba* sunt, quae per conduplicationem iterantur, ut in illo *Cic. Mil.* 27. Occidi, occidi non Sp. Maelium etc. *Id. Partit.* 6. Verba geminata, atque duplicata, vel etiam saepius iterata. ℙ *Duplicata* dicuntur etiam verba composita, ut *androgynus*. V. DUPLICO. ℙ Praeterea *duplicatus* est curvatus, flexus ob dolorem, vel frigus. *Virg. A.* 12, 926. incidit ictus Ingens ad terram duplicato poplite Turnus. *Stat. Th.* 3, 89. ingentem nixu duplicatus in ictum Corruit. *Ov. Met.* 6, 293. duplicataque vulnere caeco est. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 1. *ext.* Corpus frigore duplicatum. ℙ Item auctus. *Ov. Amor.* 1, 9, 11. Flumina duplicata nimbo.

[DUPLĪCĬĀRĬUS, ii, m. duplaris. *Gloss. Philox. Διπλοάριης*, dupliciarius. *Varr. L. L.* 4, 16. Dupliciarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum. (Hinc apud *Liv.* 7, 37. Milites duplici frumento in perpetuum donati.) *Liv.* 2, 59. *extr.* Centuriones dupliciariosque virgis caesos securi percussit. *Inscr.* ap. *Giovenazzium*, *Aveja* p. 126. A. Arrius Chrysanthus marmorarius Augustal. Puteol. dupliciar*ius* 7 Petron*ii* vivus sibi. ℙ Editiones *Varronis* et *Livii l. c.* habent *duplicarii* et *duplicarios*, et *Inscr.* ap. *Mur.* 45, 3. *duplicar.*, at *dupliciarius* scribendum probat *Giovenazzius l. c. F.*]

DUPLĪCĬTAS, atis, f. duplicatio. *Lact. Opif. Dei* 8. Duplicitas aurium, *h. e.* binarius numerus aurium. et *ib.* 10. narium.

DUPLĪCĬTER, adv. *διττῶς*, duobus modis, vel causis. *Cic. Fam.* 9, 20. Dupliciter delectatus sum tuis litteris. *Id. Acad.* 4, 32. Dupliciter dici, assensus sustinere sapientem, uno modo etc., altero etc. *Brut.* ad *Att.* inter *Cic. ep.* 1. ad *Brut.* 17. Quae in ipsum dupliciter recidunt, quod et plures etc. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. *a med.* Curionem video se dupliciter jactaturum, primum ut etc., inde ut etc. Ambigue et quasi duplici sententia latente. *Arnob.* 5. p. 182. Res dupliciter conscriptae et ambifaria obtentione velatae.

DUPLĪCO, as, avi, atum, a. 1. *διπλόω*, duplicem facio, gemino. *Nep. Iphicr.* 1. Hastae modum duplicavit, gladios longiores fecit. *Cic. N. D.* 1, 22. Duplicare numerum dierum. *Id. Att.* 5, 18. Exercitum duplicaturi eramus. In *Monum. Ancyr. tab.* 4. apud *Grut.* p. 232. *l.* 15. Aquam, quae Martia appellatur, duplicavi, fonte novo in rivum ejus immisso. ℙ *Duplicare verba* est componere. *Liv.* 27, 11. Quos androgynos vulgus (ut pleraque faciliore ad duplicanda verba Graeco sermone) appellat. ℙ Item repetere per figuram conduplicationem. *Cic. Or.* 39. Cum duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur. V. DUPLICATUS. ℙ Ponitur etiam universim pro augere. *Sall. Or. Cottae ad pop.* Senectus, per se gravis, curam duplicat. *Lucej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevari tua te prudentia postulat? *Virg. Ecl.* 2, 67. Et sol crescentes decedens duplicat umbras. *Cic. fil.* ad *Tiron. Fam.* 16, 21. Ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio. ℙ Et pro renovare. *Sall.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Marius victus duplicaverat bellum. ℙ Pro incurvare, flectere. *Stat. Th.* 6, 858. ingentes artus praecelsus Agylleus Sponte premit, parvumque gemens duplicatur in hostem. *Virg. A.* 11, 644. latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore. V. DUPLICATUS.

DUPLĬO, onis, m. *τὸ διπλοῦν*. Duplionem, inquit *Fest.*, antiqui dicebant, quod nos duplum. *Lex XII. Tab.* ap. *eund.* in *Vindiciae*. Fructus duplione damnum decidito. Alia apud *Plin.* 18, 3, 3. Impubem praetoris arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni.

DUPLO, as, a. 1. duplum facio, duplico. *Festus:* Duplabis, duplicabis. Habent praeterea *Ulp. Dig.* 40, 12, 22., *Cajus ib.* 38, 10, 3. et *Paul. ib.* 11, 3, 14. etc.

DUPLOMA. V. DIPLOMA.

[DUPLOMUM, i, n. idem ac diploma. Vox Latine detorta a *δίπλωμα*, ut a *διπλοῦς* est *duplus*, sequiori tamen aetate videtur usurpata fuisse. *Inscr.* ap. *Mur.* 564, 1. Patroni per duplomum a numero nostro cooptati. Haec pertinet ad an. a Chr. n. 261. In *Not. Tir.* p. 124. mendose legitur *duplummum*. In *Gloss.* vero *Isid.* habetur *diplomum*. *F.*]

DUPLUS, a, um, adj. *διπλοῦς*, bis tantus. *Cic. Univ.* 7. Dupla et tripla intervalla explere. *Pl. fragm.* ap. *Prisc.* 7. p. 751. Scrobes effodere duplos sexagenos in dies. ℙ *Duplam agninam* quam vocat *Pl. Capt.* 4, 2, 39. non absurde quidam intelligunt carnem agninam vetustiorem, utpote agni grandioris, atque adeo duriorem in cibis et coctu difficilem: alii tamen leg. *duplo agninam danunt*, *h. e.* vendunt. [*Sic *Both.* Rectius *Lindem.* cum codd. *dupla;* nam *dupla* est i. q. duplum pretium. V. paullo infra.] ℙ *Duplum*, *i*, absolute. *Pl. Poen.* 1, 1, 56. Fur dupli. *Cato praef. R. R.* Furem condemnare dupli. *Plin.* 27, 11, 74. Herba foliis duplo majoribus, quam rutae. *Id.* 2, 21, 19. A terra ad lunam CXXVI. millia stadiorum esse, ab ea usque ad solem, duplum. *Cic. Off.* 3, 16. Dupli poenam subire. *Id. Fl.* 21. Ut si judicatum negaret, in duplum iret, *h. e.* caderet in poenam dupli solvendi. *Ulp. Dig.* 40, 12, 20. Habere actionem in duplum. ℙ *Dupla*, *ae*, est duplum pretii: *simpla* simplex pretium. *Varr. R. R.* 2, 10. Solet, si mancipio non datur, dupla promitti; aut, si ita pacti, simpla. *Ulp. Dig.* 21, 1, 31. *a med.* Si duplae venditor mancipii non caveat. *Jabolen. ib.* 2, 6. Nihil venditor praestabit praeter simplam evictionis nomine.

DŪPONDĬUS. V. DIPONDIUS.

*DURA, orum, n. vel ae, f. oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 24, 1. ℙ Aliud in Assyria. *Id.* 25, 6. *B. A.*

DŪRĀBĬLIS, e, adj. *διαρκής*, qui durare potest. *Ov. Her.* 4, 89. Quod caret alterna requie, durabile non est. *Colum.* 12, 38. *ad f.* Liquor durabilis. *Appul. Appol.* p. 314, 13. Durabilior materies.

DŪRĀBĬLĬTAS, atis, f. *Pallad.* 1, 36. et 12, 7. Durabilitate praecipua esse.

DŪRĀCĪNUS, a, um, adj. qui durum acinum habet; et usurpatur praesertim de uvis, tum etiam de aliis arborum fructibus. V. ACINUS. *Plin.* 14, 1, 3. Uva non aliubi gratior callo, ut inde possit invenisse nomen duracina. *Suet. Aug.* 76. Panis unciam cum paucis acinis uvae duracinae comedi. *Mart.* 13, 22. *Uva duracina.* Non habilis cyathis et inutilis uva Lyaeo: Sed non potanti me, tibi nectar ero. Hanc *Colum.* 3, 2. *firmi durique acini* vocat. *Id.* 3, 2. eam docet esui fuisse, non potui apud Romanos, ut constat etiam ex *Mart. l. c.* Itali appellant *mangiativa* [*Esstraube]. ℙ Duracina persica, quae dura carne sunt. *Plin.* 15, 12, 11. Sed persicorum palma duracinis. *Id. ib.* 28, 34. Persicis duracinis adhaeret corpus, e lignoque avelli nequit, cum in ceteris facile separetur. ℙ *Duracina cerasa* apud *eund. ib.* 25, 30., quae sunt pulpa duriore.

DŪRĀMEN, inis, n. durities. *Lucr.* 6, 527. Et vis magna geli, magnum duramen aquarum, *h. e.* glacies. ℙ *Duramen* quoque dicitur itemque *duramentum*, durius ac firmius sarmentum in vite, ex ipso trunco procedens, ex quo palmites teneriores subinde enascuntur. Etiam *brachium vitis* appellant. *Colum.* 4, 22. Considerandum erit, cujus longitudinis sint duramina. *et mox.* In medio spatio duorum duraminum. Mox *ib.* et *c.* 21. vocat *duramentum:* quo et *Plin.* facit 17, 23, 35. *n.* 23. et *Pallad.* 3, 16.

DŪRĀMENTUM, i, n. brachium vitis, duramen. V. v. praec. ℙ Translate est firmitas, confirmatio. *Senec. Tranq.* 1. Tenera esse virtutum principia, tempore ipsis duramentum et robur accedere.

*DURANIUS, i, m. fluvius Galliae, in Garumnam cadens, hodie *Dordogne*. *Auson. Idyll.* 10, 464. *Sidon. Carm.* 22, 27, 103. ℙ Legitur et *Duranus*. *B. A.*

DŪRĀTEUS, a, um, adj. δουραῖος, δούριος, ligneus: a δοῦρον, lignum. *Lucr.* 1, 476. Nec clam durateus Trojanis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Grajugenarum. ℙ Dicitur etiam *dureus* et *durius*. *Fest.* in *Epeus*. Epeus nomen cujusdam fabri, qui equum dureum fecit. Al. leg. *durium* rectius. V. DURIUS.

DŪRĀTOR, oris, m. qui durat. *Pacat. Pan. Theod.* 33. Hos minax Caucasus, et rigens Taurus, et ingentium corporum durator Ister effuderat, *h. e.* laboribus ferendis apta reddens.

DŪRĀTRIX, icis, f. quae durat seu durare facit. *Plin.* 14, 1, 3. Duratrix firmitas.

DŪRĀTUS, a, um, part. a *duro*, σκληρυνθείς, durus factus. *Liv.* 21, 11. Caementa durata calce. *Ov. Pont.* 4. 9, 85. coit duratus frigore pontus. *Tibull.* 4, 1, 156. Tellus durata in glaciemque nivemque. *Plin.* 29, 3, 11. Durata in aqua ova. *Id.* 6, 30, 35. *ad f.* Locustae igne et sale duratae. *Curt.* 3, 2. *ad f.* Hastae igne duratae. *Ov. Met.* 4, 576. Duratae cuti increscunt squamae. *Val. Fl.* 7, 364. Stygiis durata fontibus harpe. ℙ Translate. *Liv.* 30, 28. Exercitus duratus omnium rerum patientia. *Id.* 42, 52. Tot subacti atque durati bellis. *Id.* 38, 17. *ad f.* Durati tot malis et exasperati. *Id.* 7, 29. *ad f.* usu armorum. *Colum. praef. circa med.* laboribus. *Tac. H.* 4, 59. ad omne facinus. *Phaedr. ep.* 2, 18. Fatale exitium corde durato feram.

DŪRE, adv. σκληρῶς, firmiter, rigide. *Ov. Rem. A.* 337. Durius incedit: face inambulet. ℙ Translate. *Hor Ep.* 2, 1, 66. Quaedam nimis antique, pleraque dure Dicere. *Gell.* 18, 11. Quaedam a poetis ficta dure et rancide. *Hor. Sat.* 2, 3, 22. quaerere amabam, Quid sculptum infabre, quid fusum durius, *h. e.* inelegantius, et minus exprimendo lineamenta: scilicet contrarium τῷ spirantia mollius aera, apud *Virg. A.* 6, 848. [**Caes. B. G.* 1, 48. hi, si quid erat durius, concurrebant, nos: *wie es etwas hart herging*. Pro *difficilius* utitur eodem comparativo *Id.* 5, 29. Si nihil sit durius. V. DURUS.] ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Ligar.* 6. Scelus tu illud vocas: alii errorem appellant: alii timorem: qui durius spem, cupiditatem: qui gravissime, temeritatem. *Id. Att.* 1, 1. *a med.* Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem, et quam homines belli solent. *Id. Fam.* 11, 27. *ad f.* Malevolentia hominum facit, ut nonnulla durius, quam a te facta sint, proferantur. *Id.* 1. ad *Brut. extr.* 3. Nihil disserui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem. *Ulp. Dig.* 47, 14, 1. Durissime punire. *Sen. ep.* 8. Corpus durius tractandum est, ne animo male pareat.

DURĒO, es, ui, n. 2. duresco. *Ov. Met.* 2, 831, Oraque duruerant. ℙ Hujus verbi usus, praeter praet. perf., agnoscitur a *Prisc.* 8. p. 800. et 837. et a *Serv.* ad *G.* 1, 91., nullo tamen allato Latini scriptoris exemplo.

DURESCO, is, n. 3. σκληρύνομαι, durus fio. *Cic. N. D.* 2. 10. Itaque et Aquilonibus, reliquisque frigoribus adjectis durescit humor. *Virg. Ecl.* 8, 80. Limus ut hic durescit. ℙ Translate. *Quint* 2, 5. In Gracchorum et Catonis lectione durescere, *h. e.* durae et insuavi illorum dicendi rationi assuescere.

DURĒTA, ae, f. *Suet Aug.* 82. Contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod Hispanico verbo *Duretam* vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.

DURĒUS. V. DURATEUS.

*DURIA, ae, Δουρίας, geminorum fluviorum nomen est Galliae subalpinae, quorum alter major ex Alpibus Graiis oritur, alter minor decurrit ex Cottiis. Utriusque etiamnum commune nomen *la Doria* est. *Plin.* 3, 16. ℙ Item fluvius Europae Septentrionalis, in Quadorum regione. *Plin.* 4, 12. Plana Iazyges Sarmatae, montes vero — pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem. A Maro, sive Duria est a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos etc. ℙ Item Hispaniae fluvius, i. q. Durius. *B. A.*

DŪRICORDIA, ae, f. durities cordis, σκληροκαρδία. *Tertull.* adv. *Marc.* 5, 4. et 13. ex *Deuteron.* 10, 16.

DŪRICORIUS, a, um, adj. σκληροδέρμος, qui est duri corii. *Macr. Sat.* 2, 16. ex *Cloatio*. Duricoriae ficus, *h. e.* durum corticem habentes.

*DURICORS, ordis, adj. *Sarisb. Epist.* 182. Habitare apud duricordes. *B. A.*

DŪRICUS. V. DURIUS.

DŪRIENSIS, e, adj. ad Durium pertinens. Est autem Durius Hispaniae amnis, qui Lusitanos a Braccarensi tractu disterminat, nunc *Douro*. *Cic. Balb.* 2. Acerrimis illis proeliis et maximis Sucronensi et Duriensi interfuisse. V. *Flor.* 3, 22. et *fr. Sall. Hist. ep. Cn. Pomp. ad Senat.* 3. [*In *Cic. pro Balb. Graec.* et *Ernest.* habent *Turiensi*, recte *Schellero* et *Orell.* judicibus. V. *Turius*. ℙ Aliud ejusdem nominis flumen, in Hispania, prope Valentiam, in mare Mediterraneum influens, hodie *Guadalquivir*. *Plin.* 4, 3. In *Sall. fr.* *Turias* vel *Turia* appellatur. *B. A.*]

*DURINE, es, f. Δουρίνη, oppidum in sinu Persico, quod Alexandri Magni tempore interiit, et ex quo idem Alexander colonos deduxit in Characem urbem a se primum aedificatam. *Plin.* 6. *B. A.*

*DURIS, idis, m. scriptor Samius, temporibus Ptolemaei Philadelphi. *Cic. Att.* 6, 1. *post med.* *Plin.* 7, 2. 8, 40. et 36, 12. *B. A.*

DŪRITAS, atis, f. durities. *Cic. Or.* 16. Alii duritatem et severitatem quandam verbis, et orationis quasi moestitiam sequuntur. *Id. Senec.* 18. Quanta in altero duritas, in altero comitas.

DŪRITER, adv. idem quod dure. *Vitr.* 10, 8. *sub f.* Juga premunt duriter colla *boum*. Sic *Id. ib.* 15. *in f.* Brachia quo longiora sunt, mollius: quo breviora, durius ducuntur. ℙ Translate. *Auct ad Her.* 4, 16. Nova aut prisca verba, aut duriter aliunde translata. *Gell.* 17, 10. *ad f.* Globos quosque flammarum, quod ille τροχοὺς dixerat, duriter et ἀτρόπως transtulit. ℙ Transfertur ad animum, et significat aspere, nimis parce, crudeliter. *Ter. Ad.* 4, 5, 28. Factum a vobis duriter immisericorditerque. Ubi *Donat.* quasi dura mente, id est inflexibili, et quod Graeci dicunt ἀτενές. *Id. ib.* 1, 1, 20. Parce ac duriter se habere. Ubi *Donat.* parce, ad servandum; duriter, ad laborem referendum est. *Id. Andr.* 1, 1, 47. Parce ac duriter vitam agere. Ubi *Donat.* duplex tradit discrimen inter *dure* et *duriter*: alterum quod *dure* refertur ad saevitiam, *duriter* ad laborem. Alterum quod *dure* in alterum, *duriter* in nos aliquid facimus. Neutrum tamen a scriptoribus servatur. *Caecil.* ap. *Non.* 11, 21. Educare aliquem duriter atque aspere. Adde *Nov.* et *Afran. ib.*

DŪRITIA, ae, f. σκληρότης, σκληρία, duritas, duritudo. *Cels.* 5, 28. *n.* 11. Abscessus rubens cum calore et duritia. *Plin.* 23, 7, 64. Lac caprifici coactum in duritiam. *Id.* 37, 11, 73. Duritia adamantina. *Id.* 35, 15, 52. Duritias cicatricum sanare. ℙ Duritia vini est austerus vini sapor. *Plin.* 14, 7, 9. Dulci admixto, vini duritia suavitatem accipit. ℙ In corpore duritia est, ubicumque morbosum aliquid collectum est, et in durique morbosum aliquid collectum est, et in duritiam coactum. *Plin.* 28, 19, 77. Duritiam ventris emollire. *Id.* 31, 3, 21. Cisternae alvo duritias facientes. *Suet. Ner.* 34. Duritia alvi. *Plin.* 23, 4, 47. Collectiones omnes duritiasque lenire. *Id. ib.* 40. Duritias diffundere. *Id.* 28, 19, 77. emollire. Et 21, 18, 69. discutere. Et 25, 5, 22. concoquere et purgare. Et 22, 25, 68. mitigare. Et 27, 9, 37. *sub. f.* sanare. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 36. Eam animi duritiam, sicut corporis, quod cum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem. ℙ Pro asperitate vitae et patientia in laboribus. *Nep. Alc.* 11. Sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret. *Pl. Most.* 1, 2, 74. et *Truc.* 2, 2, 55. Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram. *Cato* ap. *Fest.* in *Repastinari*. Ego jam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui. *Tac. A.* 6, 31. Duritiae et patientiae insuescere; *duritiae* hic ad corpus, *patientiae* ad animum refertur. *Cic. Tusc.* 5, 26. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, consuetudinem patiendi, duritiam virilem. ℙ Item pro impudentia. *Senec. Const. Sap.* 17. Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conviciis didicerat. ℙ Item pro severitate, acerbitate, animo, qui nulla re flectitur aut mitigatur. *Ter. Heaut.* 3, 1, 26. Timet, ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit. *Ov. Trist.* 1, 8, 46. Duritiaeque mihi non agerere reus. *Tac. H.* 1, 23. Duritia imperii. *Id. A.* 1, 35. operum militarium. *Id. ib.* 13, 35. Duritiam coeli militiaeque multi abnuebant. *Suet. Claud.* 14. Duritiam, lenitatemve legum moderari. ℙ Item pro robore et firmitate. *Plin. Pan.* 82. Duritia corporis et lacertorum. ℙ Refertur etiam ad docendi severitatem et austeritatem praeceptorum philosophiae. *Cic. Or.* 3, 17. Ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cinici primum, deinde Stoici manaverunt.

DŪRITIES, ei, f. idem quod duritia, ejusdemque usus. *Lucr.* 4, 268. Durities saxi. *Cels.* 3, 24. praecordiorum. *Plin.* 28, 15, 60. Duritie lapillis similes. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 38. An ego tantam aut animi duritiem habere aut oculorum impudentiam possim, ut etc. *Ov. Her.* 2, 137. Duritie ferrum ut superes adamantaque teque. *Caes. B. G.* 6, 20. A parvulis labori ac duritiei student, *h. e.* asperitati vitae, patientiae, parco cultui.

DŪRITŪDO, inis, f. duritia. *Gell.* 17, 2. *ad f.* Cato in L. Veturium, duritudinem, quam duritiam, dicere, gravius putabat. *Qui illius*, inquit, *impudentiam norat et duritudinem*. Haec eadem habet *Non.* 2, 244.

DŪRIUS, a, um, δούριος, idem quod durateus, hoc est ligneus: a δοῦρον, lignum. *Val. Fl.* 2, 573. manet immotis nox Duria lustris, *h. e.* in qua equus ligneus Graecorum (qui Δούριος ab *Aristophane* dicitur *in Avib. v.* 1128.) viros edidit, qui Trojam excidere. *Aur. Vict Or. gentis R.* 1. E qua illud in secundo Aeneidos, de enumeratione eorum, qui equo durio digrediebantur. Alii apud *Val. Fl.* leg. *Durica* eodem sensu, eademque vocis origine: alii vero plerique, multo verius aptiusque, *Dorica*. ℙ De Durio Hispaniae amne V. in DURIENSIS.

DŪRIUSCŪLUS, a, um, adj. diminut. duri. *Plin. ep.* 1, 16. Inseruit data opera mollibus levibusque duriusculos quosdam versus. ℙ Translate. *Plin. alter praef. H. Nat.* Ille enim (Catullus) permutatis prioribus saetabis duriusculum se fecit, iratus apparuit. V. SAETABUS.

*DURNIUM, i, n. oppidum Illyrici. *Liv.* 43, 30. *B. A.*

*DURNOMĀGUS vel Durnomagum, i, oppidum vel vicus Galliae Belgicae, inter Coloniam Agrippinensem et Novesium. *Anton. Itin.* Hodie, ut ex situ (ait *Cellarius*) et ipsis nominibus apparet, vicus est *Dürsmagen*. *B. A.*

*DURNOVARIA, ae, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

DŪRO, as, avi, atum, a. 1. σκληρύνω, durum, solidum, firmum facio. *Colum.* 6, 37. *sub f.* Aunicula mula montibus aut feris locis pascitur, ut ungulas duret. *Plin.* 34, 15, 43. Ferrum accensum igni, nisi duretur ictibus, corrumpitur. *Id.* 12, 19, 42. Guttae durabantur in grana. *Hor. Sat.* 2, 4, 72. Uvam fumo durare, i. e. siccare. *Cels.* 2, 14. Frictione, si vehemens sit, durari corpus: si lenis, molliri, *h. e.* adstringi. Sic 2, 33. Quae vehementer et reprimunt et refrigerant, durant; quae autem calefaciunt et digerunt, ea emolliunt. *Appul. Met.* 1. Saga et divina, potens fontes durare, montes diluere. ℙ *Durare* etiam dicuntur fullones, qui vestes calcando cogendoque conciliant. Hinc apud *Pl. Asin.* 5, 2, 57. cum dixisset mulier afflicta, *non queo durare;* subdit Parasitus: Si non didicisti fullonicam, Non est mirandum. ℙ Tacito accusativo more neutrorum. *Virg. Ecl.* 6, 35. Tum durare solum et discludere Nerea ponto. *Heynius* interpretatur *orbis mundi coepit durare* etc. ℙ Significat etiam assuefacere labori et malis, ut ea vel minus vel nihil sentias. *Caes. B. G.* 6, 27. Hoc se labore durant adolescentes. *Quint.* 1, 3. Qui objurgatione non corrigitur, is etiam ad plagas, ut pessima quaeque mancipia, durabitur. *Albinov.* 1, 197. iratus vota insuscepta reliquit Duravitque animum, *h. e.* obfirmavit. *Petr. Sat.* 105. Cujus tam crudeles manus in hoc supplicium durassent? *h. e.* insensibiles factae essent ad tantam crudelitatem. *Tac. A.* 1, 6. In nullius unquam suorum necem duravit, i. e. unquam tam durus fuit, ut etc. Cum duobus his li. cf. *Quint.* 9, 2, 88. ut non durat (i. e. durus est) ultra poenam abdicationis, ita abdicat tamen. ℙ Item confirmare, firmum reddere et perseverantem. *Vell.* 2, 78. Caesar patientia periculorum bellique experientia durabat exercitum. *Quint.* 1, 1. *extr.* Multa linguae vitia nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur. ℙ Absolute neutrorum more saepe sumitur pro obfirmari, obdurari, tolerare, patienter ferre, quasi consuetudine et diuturnitate durus factus sit animus et mala non sentiat. [*Multos hujus significationis locos congessit *Heins.* ad *Sil.* 2, 463.] *Virg. A.* 1, 211. Durate et vosmet rebus servate secundis. *Ov. Am.* 3, 11, 27. His et quae taceo, duravi saepe ferendis. *Ter. Ad.* 4, 2, 15. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. *Pl. Truc.* 2, 3, 5. Non quis parumper durare, opperirier? *Di.* quin hercle lassus jam sum durando miser. *Id. Mil.* 4, 6, 34. Durare nequeo, quin eam intro. *Liv.* 23, 18. Exercitus adversus omnia humana saepe ac diu durans. *Id.* 10, 46. Nives jam omnia oppleverant nec durari extra tecta poterat. *Quint. Decl.* 6, 3. Quamlibet duraveris animo, non ferres tamen ista, si videres. ℙ Addito accusativo. *Hor. Od.* 1, 14, 6. ac sine funibus Vix durare carinae Possunt imperiosius Aequor, *h. e.* perferre, sustinere. [*V. *Bentl.* ad h. l.] Sic *Virg. A.* 8, 577. patiar quemvis durare laborem. *Val. Fl.* 7, 338. heu! primo potes hoc durare sub aevo? *Stat. Silv.* 5, 2, 153. Durabis quascumque vias, vallumque subibis. ℙ Frequenter etiam refertur ad tempus et ponitur pro superstitem esse, persistere, permanere. *Lucan.* 4, 52. Non duraturae conspecto sole pruinae. *Pl. Trin.* 2, 2, 13. Lacrimas haec mihi eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi, *h. e.* vixi usque ad hoc genus hominum. *Liv.* 1, 9. Res Romana hominis aetatem duratura erat. *Vell.* 2, 85. Illis, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi duravit constantia. Et *ib.* 79. In tantum duravit odium, ut etc. *Suet. Ner.* 38. Quidquid memorabile ex antiquitate duraverat. *Plin.* 11, 37, 76. Centenis durare annis. *Id.* 31, 9, 45. per saecula. *Ov. Her.* 1, 49. Si maneo, qualis Troja durante manebam. [**Tac. G.* 30. Chatti — non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, —

durant, i. e. agunt, vivunt, adjuncta perpetuitatis notione. V. intpp. et adde *Tac. Agr.* 44. durare in hac beatissimi saeculi luce, nos: *fortleben.* Construitur eodem modo cum accusativo. *Auct. Dial. de Orat.* 17. durare in medium — et ad extremum principatum.] *Petr. Sat.* 96. Ego durante adhuc iracundia, non continui manum. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 4, 519. Victurosque Dei celant, ut vivere durent, Felix esse mori. *Sil.* 10, 653. miranti durarunt prodere Poeno. *Id.* 11, 75. Romuleis durastis, ait, succedere muris? i. e. ausi estis?

*DUROBRĪVAE, arum, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

*DUROCASES (Durocasses), ium, civitas Galliae Celticae sive Lugdunensis, hodie *Dreux. Anton. Itin. Durocassium* audit *Tab. Peut. B. A.*

*DUROCOBRIVIS, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

*DUROCORTŌRUM, i, n. *Δουροκόρτορον, Δουρικόρτορα,* oppidum Galliae Belgicae, Remorum metropolis, hodie *Rheims en Champagne. Caes. B. G.* 2, 44. *Anton. Itin. B. A.*

*DUROLITUM, i, oppidum Britanniae, non procul a Londinio. *Anton Itin. Camdeno* est *Leiton. B. A.*

*DURONĬA, ae, Italiae oppidum, Samnitibus pertinens. *Liv.* 10, 39. *B. A.*

*DURONUM, i, Galliae Belgicae oppidum, in regione Veromanduorum. *Anton. Itin. B. A.*

*DUROSTŌRUM, i, *Δουρόστορον,* oppidum Moesiae inferioris. *Notit. Imper.* ℙ *Dorostorum* audit *Anton. Itin. B. A.*

*DUROVERNUM, i, oppidum Britanniae. *Anton. Itin.* Hodie, aiunt, est *Canterbury.* ℙ Hinc *Durovernensis, e,* adj. ut *Durovernensis ecclesia* apud *Bed. Hist. Eccl.* 2, 18. *B. A.*

DŪRUS, a, um, adj. *σκληρός,* solidus, firmus. Quidam putant esse a *δοῦρον,* lignum. *Hor. Ep.* 5, 30. Duri ligones. *Virg. A.* 4, 366. Durae cautes. *Plin.* 26, 8, 30. Ladanum durissimum tactu. *Id.* 22, 23, 47. Fungi, qui in coquendo duriores fiunt. *Hor. Sat.* 2, 4, 27. Dura alvus. Apud *Cels.* 6, 18. *n.* 9. est dura alvus, quae dura excernit. *Ov. Am.* 2, 9. *extr.* Durior oris equus. ℙ [*Interdum est i. q. gravis, ponderosus. *Plin. Pan.* 13. ac si quod (telum) durius accipienti videretur, ipse vibrares.] ℙ Absolute *durum* in vite est materia aetate jam indurata et robusta, ut truncus et vetus sarmentum, cui opponitur viridis et tenella. *Colum.* 5, 6. *a med.* et alibi. ℙ *Dura vox* est, quae non flectitur. *Cic. N. D.* 2, 58. ℙ Dicitur saepe de iis, quae laedunt corpus. *Virg. A.* 5, 5. Duri dolores. *Pl. Men.* 5, 2, 119. Morbus acer ac durus. Et *ib.* 6, 10. Durum frigus. ℙ Pro acri. *Seren. Sammon.* 3, 40. et 20, 351. Durum acetum. *Colum.* 12, 6. Dura muria, *h. e.* salsissima atque adeo diu durans. *Virg. G.* 4, 102. Durus Bacchi sapor, *h. e.* vinum asperrimum. *Cato R. R.* 156. *ad f.* Vinum atrum durum. *Pallad.* 11, 14. Suave vinum de duro fieri docent, si etc. ℙ *Dura aqua* est, quae tarde putescit, inquit *Cels.* 2, 30. ℙ Translate est laboriosus, *h. e.* qui cum multo labore fit, difficilis, arduus. *Caes. B. G.* 7, 10. Ne ab re frumentaria, duris subvectionibus, laboraret. *Ov. Met.* 4, 307. Duri venatus. *Id. Her.* 7, 106. Durae viae. *Id. Met.* 13, 296. Duri munera belli. [*Hor. Sat.* 1, 10, 26. Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli. coll. *Quint.* 4, 1, 25. si paullo est durior causa, i. e. quae haud facile obtinetur.] *Ter. Ph.* 1, 2, 22. O Geta, provinciam cepisti duram. *Cic. Rabir. Post.* 6. *extr.* Providete, ne duriorem vobis conditionem statuatis. *Pl. Amph.* 1, 1, 12. Dura servitus. *Id. Merc.* 4, 6, 1. Lege dura vivunt mulieres. [*Adde *Quint.* 10, 1, 51. durissima est in simili materia comparatio, i. e. difficillima. Ad quem l. intpp. similia attulere.] ℙ Item qui laboris et malorum patiens est, eaque minus sentit vel consuetudine vel natura. *Liv.* 27, 48. Ligures durum in armis genus. *Cic. Tusc.* 1, 43. Fortes et duri Spartiatae. *Virg. A.* 3, 94. Dardanidae duri. *Hor. Ep.* 3, 4. Dura messorum ilia. *Ov. Trist.* 5, 5, 51. Durus Ulysses. *Plin.* 33, 4, 21. Nisi quod inter omnia auri fames durissima est. V. integr. loc. ℙ Item qui parco ac tenui victu cultuque utitur. *Ov. A. Am.* 3, 109. Si fuit Andromache tunicas induta valentes, Quid mirum? duri militis uxor erat. ℙ Item difficilis, calamitosus, adversus, noxius, asper, molestus. *Liv.* 34, 5. Ut legem latam per bellum temporibus duris, in pace et florente ac beata republica abrogaretis. *Cic. Dom.* 6. Annona in reditu meo facta erat durior. *Ter. Ad.* 5, 4, 5. Duram vitam vivere. *Hor. Od.* 2, 13, 27. dura navis, Dura fugae mala, dura belli. *Hirt. B. Alex.* 14. et 25. Si durior accidisset casus. *Cic. Fam.* 12, 25. *extr.* De Cn. Minucio rumores duriores erant. ℙ Absolute. *Senec. Oedip.* 208. Ubi laeta duris mixta in ambiguo jacent. ℙ Item rudis, impolitus, sine arte. *Ov. Fast.* 3, 517. Et ducunt posito duras cratere choreas. *Cic. Att.* 14, 20. Atilius, poeta durissimus. *Id Fin.* 4, 28. Stoici horridiores, asperiores, duriores et oratione et moribus. *Hor. Sat.* 1, 4, 8. Lucilius durus componere versus. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 31. Mechopanes pictor durus in coloribus. *Cic. N. D.* 1, 34. Sive beatitas sive beatitudo dicenda est: utrumque omnino durum: sed usu mollienda nobis verba sunt. ℙ *Ingenium durum,* quod tardum est aut aridae venae. *Senec. ep.* 58. *ante med.* [*Cf. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 21, 13.] ℙ *Dura memoria,* quae res difficile complectitur et servat. *Quint.* 12, 3. *ad f.* ℙ Item immitis, asper, rigidus, qui nulla re flectitur. *Ter. Ph.* 3, 2, 12. Adeon' ingenio esse duro te atque inexorabili, ut neque misericordia neque precibus molliri queas? *Id. Heaut.* 4, 1, 52. Duro animo esse. *Cic. Verr.* 2, 5, 46. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus? *Id. Arch.* 8. Quis tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte non commoveretur? *Id. Fin.* 2, 19. *a med.* Varius, qui habitus est judex durior. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. ad *Att.* Duriorem se praebere miserae et afflictae fortunae alicujus. *Cic.* ad *Brut.* 2, 7. *sub f.* Si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. *Virg. G.* 3, 258. Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? *Cic. Off.* 1, 35. *a med.* Ne quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum sit. *Virg. G.* 2, 369. Dura imperia exercere. *Ov. Pont.* 3, 1, 166. Duro vultu lacrimas alicujus aspicere. ℙ *Durus ad aliquid* est, qui alicujus rei nulla delectatione capitur. *Cic. Arch.* 9. Ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, jucundus fuit. ℙ *Os durum* est impudens. *Ter. Eun.* 4, 7, 36. et *Ov. Met.* 5, 451. duri puer oris et audax. Sic *durus homo,* qui duri est oris. *Caes. B. C.* 3, 20. Atque ipsis, ad quorum commodum pertinebat, durior inventus est Coelius. ℙ *Durum* adverbii vice positum. *Mart.* 3, 89. Utere lactucis et mollibus utere malvis: Nam faciem durum, Phoebe, cacantis habes. V. NITENS. ℙ *Duras dare* est ellipsis pro *duras contumelias* vel *lites* vel *partes. Ter. Heaut.* 2, 4, 22. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. Simile est illud *ejusd. Eun.* 2, 3, 62. Duras fratris partes praedicas. Hinc *Anton.* inter *epist. Cic. Att.* 10, 8. Quod judicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione tua. [*Confunduntur *durus* et *dubius,* V. DUBIUS in f. — et *dirus.,* V. DIRUS — et *crudus,* V. *Drak.* ad *Sil.* 6, 78. 16, 118.]

[DŪSARĬA, orum, m. plur. festa in honorem Bacchi, qui apud Arabas Dusares vocabatur, unde Dusare, teste *Steph. Byz.,* vocatus est locus editus Arabiae. *Hesych. Δουσάρην ὀνομάζουσιν τὸν Διόνυσον Ναβαταῖοι. Tert. Apol.* 24. Unicuique etiam provinciae et civitati suus Deus est, ut Syriae Astarte, ut Arabiae Dusares, ut Noricis Belenus. *Nummus* Latinus coloniae Germenorum ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 178. Col. Germenorum Actia Dusaria. Alius Graecus coloniae Bostranorum *ib.* p. 501. *Ἄκτια Δουσάρια.* In utroque typus est torcularis, quod ad Bacchum vindemiae praesidem respicit. *Inscr.* ap. *Don.* 56, 6. Dysari sacrum. *F.*]

*DUSARĪTIS, idis, f. myrrhae species. *Plin.* 12, 16. Tertia (*myrrha*) Dianitis —: Sexta quam Dusaritin vocant. ℙ Dicta est forsan a Dusaritide Arabiae quadam regione, ubi nascitur. *Hard.* ad l. provocat ad *Ἰωσαφηνοὺς Ptolemaei,* qui Arabiae, ut videtur, populi fuere; et est *Δυσαρη* Arabiae mons *Steph. Byzant.* Porro *Dusares, Δουσάρης,* dei cujusdam nomen est *Steph. Byzant.* ibi culti. In *Tert. Apol. c.* 24. pro *Disares, h. e.* Dusares, ut Sylla dicitur et Sulla. V. *Selden de Diis Syris syntag.* 2. *c.* 4. *Pamel.* et *Jun.* ad *Tert.* l. c. *B. A.*

DUSĬI, Gallorum lingua sunt Daemones incubi, Silvanis et Faunis similes. *August. Civ. Dei* 15, 23.

DUSMOSUS. V. DUMUS.

DŪUMVIR, iri, m. unus ex magistratu duorum virorum, a *duo* et *vir,* quod duo viri in eo officio essent. Varii generis *duumviri* fuerunt apud Romanos; omnium antiquissimi, qui perduellionem judicare jussi sunt, cum nempe quis parricidium patrasset aut seditiones excitasset vel magistratibus vim intulisset vel regnum affectasset. Hujusmodi judicium instituit rex Tullus Hostilius an. U. C. 85., ante Chr. n. 669., cum Horatius post tres Curiatios fratres devictos sororem suam interfecisset. *Liv.* 1, 26. Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem facio. *Id.* 6, 20. de M. Manlio: Sunt qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores sint damnatum. *Cic. Rabir. perd.* 4. Hic popularis (Labienus) a duumviris, injussu vestro, non judicari de cive Romano, sed indicta causa civem Romanum capitis condemnari coegit. ℙ His nobiliores fuerunt *duumviri sacrorum* vel *sacris faciundis,* qui oracula Sibyllina custodiebant et interpretabantur et sacrarum caeremoniarum antistites erant: hos a Tarquinio Superbo institutos fuisse docet *Dion. Hal.* 4, 62. *Liv.* 3, 10. Libri per duumviros sacrorum aditi: pericula a conventu alienigenarum praedicta. *Id.* 6, 37. narrat, an. U. C. 384. tribunos pl. novam rogationem promulgasse, ut pro duumviris sacris faciundis decemviri crearentur, ita ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret: quod factum tribus post annis ait *Id. ib.* 42. Postea Sulla, qui et reliquorum sacerdotiorum numerum auxit, aliis quinque additis pro decemviris quindecimviros instituisse putatur. V. QUINDECIMVIR. ℙ *Duumviri navales* erant, qui classis ornandae reficiendaeque causa interdum creabantur. *Liv.* 9, 30. et 40, 18. et 41, 1. ℙ Fuere praeterea alii *duumviri,* ut aquae perducendae, *Front. Aquaed.* 6., aedi sacrae faciendae aut locandae, *Liv.* 7, 28. et 22, 33., item dedicandae, *Id.* 2, 42. et 35, 41. etc. Sed dedicationis causa vel unus tantummodo creabatur, qui nihilominus appellabatur *duumvir* vel si duo, unus tantummodo adhibebatur, ut est in modo citatis *Livii* locis. ℙ *Duumviri* vero vel *duumviri juri dicundo* vel *duumviri praefecti juri dicundo* vel *duumviri quinquennales* appellatus fuit magistratus in coloniis et municipiis, qui summo loco civitati praecrat et res publicas administrabat: hi similes fuerunt consulibus Romae eligebanturque ex corpore decurionum: eorum munus annuum plerumque, aliquando semestre erat. *Cic. Agr.* 2, 34. Cum venissem Capuam coloniam, deductam L. Considio et Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, praetoribus: nam primum, id quod dixi, cum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. *Caes. B. C.* 1, 30. Duumviris municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant Brundusiumque deducendas curent. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 1116, 6., hic vero emendata ex ipso lapide, qui in villa Quiriniana prope Patavium exstat: T. Flavio T. filio Tromentina Agricolae decurioni Coloniae Salonitanae, aedili, IIviro jure dicundo, decurioni Coloniae Aequitatis, IIviro QuinQuennali etc. Alia ap. *Grut.* 195, 4. L. Fabius L. F. Gal. Rufinus IIvir, praef. jur. dic. ab decurionibus creatus. ℙ Legitur et *duovir.* In *Cenotaph. Pis. C. Caes.* ap. *Noris.* Utique cum primum per legem coloniae duo viros creare et habere potuerimus, ii duo viri, qui primi creati erunt etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 152, 2. M. Arrius M. F., M. Sextius M. F. duoviri de suo viam faciundam et reficiundam coeraverunt. Adde aliam 168, 6. Et in singulari 445, 5 C. Ofillio Sex. F. Gal. duo viro iterum quinquennali. ℙ Etiam *duomvir,* antiquo more legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 394, 5. T. Cominius T. F. duomvir, aedilis, interren. Alia ap. *eund.* 43, 5. Duomvirei de senatus sententia aedem Herculi faciendam coeravere. Eadem ap. *Nibby Viagg. antiq. T.* 2. p. 209. habet *duomvires* pro *duomvirei.* Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 62. C. Tuccius L. F. Vot. duomvir. [*Melius haec et ad ordinem temporum disposuit, multaque addidit. *F.*]

DŪUMVĪRĀLĬCĬUS, a, um, adj. ad duumviros pertinens. *Duumviralicius vir* est qui duumviratum gessit, idem ac duumviralis. *Inscr.* Canusina ap. *Fabr.* p. 598. *n.* 9.

DŪUMVĪRĀLIS, e, adj. ad duumviratus munus pertinens. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 29. *n.* 129. Gn. Munatius M. F. Pal. Aurelius Bassus flamen perpetuus, duumvirali potestate aedilis, dictator IIII *Vell.* 2, 19. In carcerem Minturnensium jussu duumvirali perductus est. ℙ Absolute *duumviralis* est idem ac duumviralicius, qui aliquando duumviratu functus est. *Ulp. Dig.* 50, 3, 1. Qui duumviratum gesserunt et inter duumvirales antiquissimus quisque prior scribatur. ℙ [In *Not. Tir.* p. 61 legitur *duoviralis. F.*]

DŪUMVĪRĀLĪTAS, atis, f. idem ac duumviratus. *Imp. Constant. Cod.* 5, 27, 1.

DŪUMVĪRĀTUS, us, m. dignitas duumvirorum. *Plin. ep.* 4, 22. Hunc agonem Trebonius in duumviratu suo tollendum curavit. Adde *Ulp. Dig.* 50, 3, 1.

DUX, dūcis, m. et f. *ἀγωγός, ἡγεμών,* qui alium ducit, ductor, imperator. *Ov. Met.* 6, 324. Dare ducem eunti. *Curt.* 5, 4. Sibi quisque dux itineris coeperat fieri. *Cic. Cat.* 3, 9. Diis ducibus hanc mentem voluntatemque suscepi. *Id. Or.* 3, 17. Auctor publici consilii, dux regendae civitatis, sententiae princeps in senatu. *Id. Div.* 1, 52. Ad hostiam deligendam potest esse dux vis quaedam sentiens. *Id. Fam.* 10, 6. Praebere se auctorem, principem, ducem alicui. *Id. Verr.* 2, 3, 21. Dux et magister ad faciendum aliquid. *Caes. B. G.* 7, 88. Sedulius dux et princeps Lemovicum. *Cic. Or.* 1, 2. Belli duces praestantissimi. *Nep. Arist.* 2. Pausanias, quo duce Mardonius erat fugatus. *Hor. Od.* 1, 7, 27. Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Dux et praefectus classis. *Id. Mur.* 25. Dux et signifer calamitosorum. *Id. Am.* 12. Duces impietatis. *Ov. Rem. Am.* 767. nisi dux operis vatem frustratur Apollo. *Id. Fast.* 4, 715. Dux lanigeri pecoris, *h. e.* aries. *Plin.* 11, 5, 4. Apes rempublicam habent ac duces. ℙ De imperatore Romano. *Phaedr.* 2, 5. Tum sic jocata est tanti majestas ducis, *h. e.* Tiberii. ℙ Jungitur et cum vocibus femininis. *Cic. Am.* 5. Natura, optima bene vivendi dux. *Id. Div.* 2, 40. Ad rem gerendam habere rationem ducem. *Id. Tusc.* 1, 12. Mors claris viris dux in coelum solet esse. *Virg. A.* 1, 368. dux femina facti. *Val Fl.* 5, 396. Hac duce ferte gradus. *Ov. Met.* 14, 121.

Cum duce Cumaea fallit sermone laborem. *Flor.* 4, 11. Prima dux fugae regina. *Stat. Th.* 4, 778. Dux tarda. Et *ib.* 12, 226. vesana. ℙ Duces et mari et terra dicuntur a *Nep. Aristid.* 2. et *Timoth.* 2. *θαλαττοκράτορες*, ii scil. populi, ex quibus in bellis Graecorum duces dabantur exercitibus ex universa Graecia comparatis. ℙ In re militari minus est quam *imperator*. Hic enim est, quem penes summa belli et auspicia sunt: ille potest dux dici, quamvis ab imperatore secundus. *Cic. Off.* 3, 26. *a med.* Atilius Regulus cum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Annibalis Hamilcare.

DY

DYAS, ădis, f. numerus binarius, *δυάς*. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6 et 12. et *Augustin. Conf.* 4, 15.

DYMAEI, orum, m. plur. *Δυμαῖοι*, populi Achaiae, quorum urbs Dyme, Romanorum colonia. *Cic. Att.* 16, 1., *Plin.* 4, 5, 6.

DYMANTIS, idis, f. *Δυμαντίς*, Hecuba Dymantis filia, secundum *Homer.*, ut *Hyg. fab.* 111. et *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 320. docent. *Ov. Met.* 13, 620. Ergo aliis, latrasse Dymantida, flebile visum.

*DYMAS, antis, m. *Δύμας*, pater Hecubae, quae inde Dymantis dicta. V. *Dymantis. Hygin. fab.* 91 et 111. *Ov. Her.* 11, 762. ℙ Fuit et Dymas Sogdianae fluvius. *Ammian.* 23, 26. Verum male (ait *Cellarius*) *Ptolemaeum* expressit, ideoque notatus est a *Volesio* p. 379. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 225. *n.* 598. Fausto C. Maecenatis Dymantis *liberto. F.* et *B. A.*

*DYME, es, f. vel Dymae, arum, *Δύμη*, Achaiae, oppidum. *Dyme* est *Plin.* 4, 5. *Dymae* autem *Liv.* 27, 31. 32, 21. et 38, 29. ℙ Hinc *Dymaeus, a*, um, ut *Dymaeus ager* ap. *Liv.* 27, 31. *B. A.*

DYNAMIS, is, f. *δυναμις*. *Pl. Ps.* 1, 2, 77. Quojus amatores olivi dynamin habent maximam, *h. e.* vim, seu copiam. V. OLIVINA. ℙ Ab arithmeticis vocatur *dynamis* numerus quadratus: cur vero, ipsos consule. *Arnob.* 2. p. 60. Percontare, quid sit cubus, aut dynamis, etc. *Capell.* 2. p. 26. potestatem vocat: Itali dicunt *la potenza*. V. POTESTAS. ℙ [*Dynamis, inis* est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 330, 10. Ti. Julius Augustianus cum Dynamine *filia* sua. *F.*]

[DYNAMUS, i, m. potens, validus: a *δύναμαι*, possum. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 288, 5. Ulpius Dynamus. *F.*]

DYNASTES et Dynasta, ae, m. *δυνάστης*, qui dominatum in aliquo loco habet, princeps, dominus, regulus: intellige apud externas nationes; a *δύναμαι*, possum. Dici autem videtur proprie de iis, qui non tam amplam habent ditionem, ut reges appellari mereantur. *Cic. Phil.* 11, 12. Ceteri reges, tetrarchae, dynastaeque. *Caes. B. C.* 3, 3. Magnam imperatam regibus omnibus, et dynastis, et tetrarchis pecuniam exegerat. *Nep. Ages.* 7. Munera ei ab regibus, et dynastis, civitatibusque conferrentur. *Id. Dat.* 2. Thyus dynastes Paphlagoniae, regi dicto audiens non erat. *Id. ib.* 3. hunc eundem Thyum nobilem regem appellat: ex quo apparet, *dynastae* nomine regem quoque significari posse.

[DYNATE, es, f. *δυνατή*, potens. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 619, 5. Coelia Dynate. *F.*]

DYOTA. V. DIOTA.

*DYRASPES, Scythiae fluvius. *Ov. Pont.* 4, 10, 53 et 610. *B. A.*

*DYRIS, is, *Δύρις*, nomen quo montem Atlantem incolae vocabant. *Plin.* 5, 1. Mox amnem, quem vocat Fut, ab eo ad Dyrim: hoc enim Atlanti nomen esse, eorum lingua convenit. *Strab.* 17. *Ὅτι τὸ ἐν Μαυριτανίᾳ ὄρος, τὸν Ἄτλαντα Ἑλληνιστὶ καλούμενον, οἱ βάρβαροι Δύριν καλοῦσι.* ℙ Scribitur et *Diris*, minus bene. *B. A.*

DYRRACHINUS, a, um, adj., ad Dyrrachium, nunc *Durazzo*, pertinens: quod est oppidum Macedoniae cum portu ad mare Adriacum, colonia Romanorum. *Plin.* 3, 23, 26. [**Cic. Fam.* 14, 1. *Mela* 2, 3. *Liv.* 29, 12. et 42, 48.] ℙ Dicitur a *Catull.* 36, 15. Adriae taberna, quia ex Macedonia in Italiam transeuntibus, vel contra, diversorium erat commodissimum. ℙ *Dyrrachini, orum*, sunt ejus urbis cives. *Cic. Att.* 3, 22. ℙ Legitur et *Dyrracheni. Paul. Dig.* 50, 15, 8.

*DYSCELADOS, i, f. insula maris Hadriatici. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

[DYSCOLIUS, ii, m. videtur idem esse ac dyscolus. Est nomen proprium in *Inscr.* ap. *Murat.* 566, 1., ubi tamen *Discolius* legitur. *F.*]

*DYSCOLUS, a, um, adj. *δύσκολος*, difficilis, morosus. *Vulg. Petr.* 1, 2, 18. Laudatur et *Boethius.* Exstat haec vox in *Not. Tir.* p. 163., ubi tamen mendose *discolis* legitur. *F.* et *B. A.*

*DYSCRASIA, ae, f. *δυσκρασία*, prava corporis temperies. *Macr. Sat.* 7, 10. *B. A.*

DYSENTERIA, ae, f. morbus intestinorum, quae exulcerata sanguinem reddunt, torminibusque excruciant. V. *Cels.* 4, 15., qui tamen Graece usurpat, ut et *Cic. Fam.* 7, 26., est enim a *δύς*, male, et *ἔντερον*, intestinum. Latine *Plin.* 28, 9, 33. Si urat dysenteria. *Id.* 26, 8, 28. Aizoi succus alvum sistit, et dysenterias.

[DYSENTERIACUS, a, um, adj. idem ac dysentericus. *Not. Tir.* p. 180. Dysenteria, dysenteriacus. *F.*]

DYSENTERICUS, a, um, adj. *δυσεντερικός*, ad dysenteriam pertinens. *Pallad.* 3, 31. Dysenterica passio. ℙ Item qui dysenteria laborat. *Plin.* 22, 24, 55. Mel datur in sorbitione dysentericis. Adde *Scrib. Comp.* 85.

DYSEROS, otis, m. *δύσερως*, infelix in amore. Graeca vox a *δύς*, male, et *ἔρως*, amor. *Auson. epigr.* 92, 1. Suasisti, Venus, ecce, duas dyseros ut amarem.

*DYSOSMUS, i, *δύοσμος*. Ita vocatur scordium male olens. *Appul. de herb.* 70. *B. A.*

DYSPEPSIA, ae, f. *δυσπεψία*, aegra et difficilis ciborum concoctio, cruditas: a *δύς*, male, et *πέπτω*, coquo. *Cato R. R.* 127. Ad dyspepsiam et stranguriam mederi malum punicum.

DYSPHORICUS. a, um, adj. *δυσφορικός*, infelix: item male patiens. *Firmic. Math.* 8, 12. Dysphorici ac miseri infelicter moriuntur.

DYSPNOEA, ae, f. *δύσπνοια*, spirandi difficultas. *Plin.* 26, 7, 19. Dyspnoeae medetur centaurium majus. *Id.* 23, 4, 47. Balsaminum unguentum dispnoeas lenit.

DYSPNOICUS, a, um, adj. qui dyspnoea laborat. *Plin.* 24, 6, 14. Ammoniacum prodest dyspnoicis, pleuriticis, etc.

DYSPROPHERON, *δυσπρόφερον*, vitium sermonis, cum voces dictu asperae adhibentur, ut *persuasitrices, praestigiatrices, atque inductrices tigres.* Ita *Capell.* 5. p. 167. Est autem Graeca vox, a *δύς*, male, et *προφέρω*, profero.

DYSURIA, ae, f. *δυσουρία*, difficultas et suppressio urinae: a *δύς*, quod notat difficultatem, et *οὖρον*, urina. *Cic.* Graecis litteris scripsit *Att.* 10, 16. At Latinis *Coel. Aur. Tard.* 5, 4.

DYSURIACUS, a, um, [*et DYSURICUS, a, um, *δυσουρικός*. *Cic. Fam.* 7, 26. ubi Graecis literis scribendum. *B. A.*] adj. qui dysuria laborat. *Firmic. Math.* 8. Dysentericos, pleuriticos, hydropicos, dysuriacos.

E

E Quinta Latinorum littera, et inter vocales secunda, [*quam, ut ait *Mart. Cap.* 3. p. 58. spiritus facit, lingua paululum pressiore] a veteribus interdum pro *i* usurpata fuit, ut *here* pro *heri*, *Vergilius*, *Deana* pro *Virgilius*, *Diana* etc. [*De pronuntiatione hujus vocalis haec habet *Cic. Or.* 3, 12. Quare Cotta noster, cujus tu illa lata ... nonnunquam imitaris, ut iota litteram tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari. Quae ita intelligunt interpp.: Cottam verbi gratia filium ut filum pronuntiasse, *e* vero ita dilatasse, ut *ae* diphthongum aequaret, *baene* pro *bene* dicendo. Equidem ita accipio: in nonnullis vocibus Cotta rusticorum more *i* sustulit et ejus loco plenissimum *e* substituit. *Varro R. R.* 1, 2, 14. Rustici etiam nunc quoque *viam veam* appellant et *vellam*, non *villam*. *Quint.* 1, 4, 17. Quid? non *e* loco *i* fuit? ut *Menerva*, *Leber* et *Magester*. *Id.* 9, 4, 34. *E* plenior littera est, *I* angustior. ℙ In lapidibus nonnunquam ita exaratur II, ut FIICIT, pro fecit, BIINII MIIRIINTII pro Bene merenti. Vid. Ind. *Grut.* 19. Lit. II. ℙ Porro tenendum, saepe librarios *e* pro *i* substituisse in Graecis vocabulis, velut in *Not. Tir.* p. 21. Paraclitum, Mathimaticus 80. Ephimeris 124. Sirapis 135. V. *Munck.* ad *Hygin.* p. 341.] Transit in quibusdam verbis in *a*, ut *reor, ratus sum:* in quibusdam in *o*, ut *tego*, *toga*. ℙ Variam fuisse rationem pronunciandi per *e*, et per *ae*, satis testatur *Varro*, qui *L. L.* 6, 5. scribit, alios dixisse *scaeptrum*, alios *sceptrum*, partim *faenus*, partim *fenus*. Posterioribus tamen temporibus haec pronunciandi ratio penitus amissa est. Hinc apud auctores quosdam infimae Latinitatis non solum *e* pro *ae* scribebatur, sed etiam corripiebatur, ut *heresis* apud *Prudent.*, et *erumna* ap. *Paulin.* etc. V. suis locis. [*Vid. exempla apud *Munck.* ad *Hygin. fab.* 223. p. 341. ℙ Saepe permutantur a librariis *e* et *ae*. V. *Munck.* ad *Mythogr. vett.* p. 816. *e* et *i*. *Drak.* ad *Liv.* 9, 24, 10. *e* et *c̄* i. e. con. *Id. ib.* 10, 32, 6. ℙ *E* per compendium significat: *Edilis*, *Ei*, *Ejus*, *Ennius*, *Erexit*, *Ergo*, *Esse*, *Est*, *Etas*, *Exacto*, *Exactor*, *Expressum.* De aliis compendiis, quorum principium est *E*, vide *Gesn. Thes.*]

É, praep. V. EX *in f.*, eosdem enim usus habet, nisi quod *e* nunquam ante vocales adhibetur.

EA, adv. per eum locum. *Liv.* 21, 32. *a med.* Gallisque ad visenda loca praemissis, postquam comperit, transitum ea non esse, etc.

EALE, es, f. fera est in Aethiopia, magnitudine equi fluvialis, cauda elephantis, colore nigra, vel fulva, maxillas apri, majora cubitalibus cornua habens, et mobilia, quae alterna in pugna sistit, variatque infesta aut obliqua, utcumque ratio monstravit. Haec *Plin.* 8, 21, 30. Videtur ita esse appellata ab *ἐάλη* 3. p. aor. 1. pass. verbi *εἴλω*, verto, circumvolvo. [*Adde *Solin.* 55.]

EANUS, i, m. Quidam Jani vocem ab eundo derivant. Hinc *Cornif.* ap. *Macr. Sat.* 1, 9. docet a *Cicerone* non Janum, sed Eanum nominatum fuisse.

EAPROPTER vel Ea propter, propterea, quapropter. [**Ter. Andr.* 5, 5, 5. Ego deorum vitam ea propter sempiternam esse arbitror. ex lect. *Bentl.*] *Solin.* 35. Lignum attrectatum ferro sine mora emoritur: eapropter vitro, aut cultellis osseis vulneratur. *Col.* 8, 14. *extr.* Hoc modo duobus mensibus pinguescunt: et ea propter etiam tenerrima etc. [*Sed *Schneid.* exhibuit: pinguescunt etiam majores; nam tenerrima etc.] *Lucr.* 4, 313. Dextera ea propter nobis simulacra remittunt. [**Cod.* 6, 30, 5. Nec ea propter quod concessit in fatum, tu potes accedere ad successionem.]

EAPSE, ea ipsa: et *eampse*, eam ipsam, ut *Fest.* interpretatur. *Scip. Afric.* ap. *eund.* in *Reque.* Opera, factis, consiliis, reque eapse bene meritus. *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 7. Eampse anum. *Id. Cist.* 1, 3, 22. Ut eampse auditis confiterier.

EARINUS, a, um, adj. *ἐάρινος*, ad ver pertinens: *ἔαρ* enim *ver* significat. *Tertull. Hab. mul.* 8. Si non potuit Deus purpureas, et earinas oves nasci jubere. V. AERINUS. ℙ Fuit *Flavius Earinus* nomen pueri delicati imperatoris Domitiani, de quo multa *Mart.* 9, 12. 13. 14. 17 et 18. et *Stat. Silv.* 3, 4.

EATENUS, praep. *ἐφ' ὅσον*, usque eo, usque ad eum terminum: cui respondet *qua*, *quatenus*, *quoad*, *etc. Col.* 4, 7. Neque enim eatenus plaga consistit, qua vestigium fecit acies, sed latius inarescit. *Id.* 12, 9. Caules depurgati eatenus, qua tenera folia videbuntur. *Cels.* 2, 10. *a med.* Ex ulterioribus locis eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. *Id.* 6, 6. *n.* 38. Mel adjiciunt eatenus, ne ex specillo destillet. *Cic. Univ.* 11. Qui eatenus nobis declarantur, quo ipsi volunt. [**Id. Leg.* 1, 4. Jus civile quod vocant eatenus exercuerunt quoad populum praestare voluerunt.] ℙ Urbane. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 3. Si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges etc., non ut etc. *Id. Opt. gen. Or.* 7. Verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro. *Suet. Tib.* 33. Eatenus intervenie-bat, ne quid perperam fieret. ℙ Absolute. *Pl. Most.* 1, 2, 48. Ad legionem cum itant, adminiculum eis danunt tum aliquem cognatum suum. Eatenus abeunt a fabris, *h. e.* in hoc dissimiles sunt fabrorum. *Capit. Gord. III.* 22. Gordianus adolescens, qui Caesar eatenus fuerat, a militibus, et populo, et senatu Augustus est appellatus.

EB

EBACCHOR, aris, dep. 1. valde bacchor. *Lambr. Elag.* 7. Matris etiam Deum sacra accepit, et adeo ebacchatus est, ut etc. Al. leg. *debacchatus. Salm.* ita leg. Matris etiam Deum sacra accepit, et tauroboliatus est, ut, etc., quod rectius est.

EBENINUS, a, um, adj. *ἐβένινος*, qui est ex ebeno. *Hieron. Ezech.* 27, 16. Hebenina ligna, quae nigri coloris pretiosissima sunt. *et mox.* Hebenini dentes nigri coloris, qui non possunt suam mutare nigredinem. ℙ Alii utrobique scribunt Ebenina et Ebenini.

*EBENOTRICHON, i, n. ruta muraria. *Appul. de herb.* 51. *B. A.*

EBENUS, i, f. et Ebenum, i, n. *ἔβενος:* etymon videtur esse ex Hebr. אֶבֶן petra: ita appellatum ob duritiem, arbor non solum Indica, ut vult *Virg.*, sed etiam Aethiopica, et Libyca, lignum habens sine medulla, intus nigri splendoris, extra buxi colore, adeoque solidum et grave, ut in aqua subsidat. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Spississima ex omni materie, ideo et gravissima, judicatur ebenus, et buxus: neutra in aquis fluitat, etc. *Virg. G.* 2, 117. sola India nigrum Fert ebenum: solis est turea virga Sabaeis. *Plin.* 6, 30, 35. Sita est Aethiopia ab oriente hiberno ad occidentem hibernum. Meridiano cardine silvae ebeno maxime virent. *Ov. Met.* 11, 610. torus est ebeno sublimis in atra Plumeus. *Lucan.* 10, 304. Laeta comis ebeni Meroe. Et *ib.* 117. ebenus Mareotica. ℙ Est qui scribit *hebenus:* sed in Graeca voce nulla aspiratio est.

EBIBITUS, a, um, part. v. *ebibo*, bibendo exhaustus. *Sidon. carm.* 9, 39. Atque hunc, fluminibus satis profundis Confestim ebibitis, adhuc sitisse.

EBIBO, is, bi, a. 3. *ἐκπίνω*, bibendo exhaurio: ab *e*, et *bibo*. *Ter. Heaut.* 2, 3, 14. Aedes nostrae vix capient, scio. Quid comedent! quid ebibent! *Petr. Sat.* 20. Solus tantum medicamentum ebibisti? *Plin.* 8, 12, 12. Elephantos a draconibus ebibi, *h. e.* eorum sanguinem sugendo exhauriri. *Ov. Met.* 6, 342. Uberaque ebiberant avidi lactantia nati. ℙ Translate. *Pl. Curc.* 1, 2, 65. Quae mihi misero amanti ebibit sanguinem. [*Ut hirudo, unde metaphora petita est. Cf. *Theocr. Id.* 2, 56.]

Plin. 5, 15, 15. A lacu amnis ebibitur, *h. e.* totus excipitur. *Id.* 9, 38, 62. Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. *Hor. Sat.* 2, 3, 122. Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres, *h. e.* absumat. ℙ Ebibere imperium alicujus, apud *Pl. Amph.* 2, 1, 84. est oblivisci [*sc. inter potandum.]. V. BIBO.

*EBISCUM, i. q. Hibiscum legitur ap. *Scribon. comp.* 80 et 82. *B. A.*

ĔBĪTO, is, n. 3. V. BETO.

ĔBLANDĬOR, iris, itus sum, dep. 4. *ἐξαρέσκομαι*, est blanditiis aliquid impetrare, vel exprimere, extorquere. *Cic.* ad *Capit. sub f.* 16. *ad Att.* Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut, etc. [*Ubi observa quatuor haec verba cum praepos. *e* composita esse, qua virium contentio quaedam significatur.] *Liv.* 27, 31. Neque enim omnia emebat, aut eblandiebatur, sed vim etiam adhibebat. *Tac. H.* 3, 37. Nec defuit, qui unum consulatus diem, magno cum irrisu accipientis tribuentisque eblandiretur. *Plin.* 9, 8, 8. Arion eblanditus, ut prius caneret cithara. ℙ Translate. *Id.* 16, 27, 51. de arboribus. Quin et protinus moriuntur aliqua, coelo fecunditatem omnem eblandito, *h. e.* postquam coeli et aeris bonitas fecunditatem ex iis omnem, veluti invitando alliciendoque expressit. *Colum.* 7, 5. *a med.* Lac infusum tantum valet, ut eblandiatur igneam saevitiam, *h. e.* evocet, mitiget. *Vitr.* 7, 5. Cum aspectus ejus scenae eblandiretur omnium visus. ℙ Passive. *Colum.* 8, 11. de pavonib. educandis. Sed ne haec tamen aliena est agricolae captantis undique voluptates acquirere, quibus solitudines ruris eblandiantur, *h. e.* quasi blanditiis leniantur et gratiores fiant. Est qui malit *eblandiatur.* [*Atque sic *Schneid.* edidit.]

ĔBLANDĪTUS, a, um, part. ab *eblandior. Prud. Psych.* 328. Eblanditae virtutes, *h. e.* fucatae, simulatae. ℙ Passive pro eo, quod precibus et blanditiis impetratum est. *Cic. Planc.* 4. Eblandita illa, non enucleata suffragia. *Plin. Pan.* 70. *sub f.* Urbana conjuratione eblanditae preces. *Gell.* 11, 13. Aures cadentis apte orationis modis eblanditae, *h. e.* voluptate perfusae.

*ĔBODE, es, oppidum Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*ĔBORĂCUM, i, n. urbs Britanniae, in agro Brigantum, hodie *York. Anton. Itin.* Meminit etiam *Ptol.*, qui *Ἐβόρακον* appellat. *Col. Ebor.* h. e. colonia Eboracensis, audit *Inscr.* ap. *Grut.* p. 485. *n.* 1. *B. A.*

ĔBŎRĀRĬUS, ii, m. artifex eboris. *Imp. Constantin. Cod.* 10, 64, 1. et *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 8. et ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 93, 94 et 122. et ap. *Murat.* 947, 6., ubi legitur *eburarius.*

ĔBŎRĀTUS. V. EBURATUS.

ĔBŎRENSIS, e, adj. ad Eboram, *Ἔβορα*, pertinens, Lusitaniae urbem inter Anam et Tagum fluvios, nunc *Evora*, olim, teste *Plin.* 4, 22, 35. [*Mela* 3, 1.], etiam *Liberalitas Julia* a C. Julio Caesare est appellata. ℙ *Eborenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 4. Terminus inter Pacenses et Eborenses.

ĔBŎRĔUS, a, um, adj. *ἐλεφάντινος*, qui est ex ebore, eburneus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 12. Jovem fecit eboreum in Metelli aede. *Quint.* 6, 3. *circa med.* Oppida eborea in triumpho Caesaris. [*Ulp. *Dig.* 33, 7, 12, 43. Mensae eboreae.]

*ĔBORODŪNUM, i, oppidum Galliae Narbonensis, in regione Caturigum, hodie *Embrun*, judice *Hard.* ad *Plin.* 3, 20. et *Cellario* in *Orb. Descr. Notit. provinc. Eburodunum* audit *Anton. Itin.* et *Eburonum Tab. Peut.* Quin et in *Notit. provinc.* appellatur *Castrum Ebredunense* et *Ebrudunum* in *Notit. Imper. B. A.*

ĔBŎSIA, et Ebusia, ae, f. insula eadem quae Ebusus, de qua V. in EBUSITANUS. *Stat. Silv.* 1, 6, 15. Et quas percoquit Ebosia cannas. Al. leg *caunas.* V. CAUNEUS.

ĔBRIA. V. BRIA.

ĔBRIĂCUS, a, um, adj. idem ac ebrius. *Pl. Aul. fr.* ap. *Non.* 2, 306. Homo ebriacus somno sanari solet. Al. leg. *ebriatus.*

ĔBRĬĀMEN, inis, n. *μέθυσμα.* Vertit *Tertull.* ex S. Script. *de Jejun.* 9. his verbis: De Samuele mater: Vinum, inquit, et ebriamen non bibet.

ĔBRĬĔTAS, atis, f. *μέθη*, status ebriosi, cum quis scilicet ebrius est. [*Cic. *Tusc.* 4, 12. Inter ebrietatem et ebriositatem interest. Nempe ebriositas est proclivitas ad ebrietatem.] *Plin.* 30, 15, 51. Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo praesumptus. *Ov. A. A.* 1, 597. Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit. *Hor. Ep.* 1, 5, 16. Quid non ebrietas designat? operta recludit, Spes jubet esse ratas etc. ℙ Translate. *Plin.* 13, 4, 9. *de caryotis.* Rumpit se pomi ipsius ebrietas, calcatis similis, *h. e.* nimia succi copia. ℙ In ebrietatem multa luculenter *Senec. ep.* 83. *a med.*

ĔBRĬO, as, avi, atum, a. 1. ebrium reddo, *μεθύσκω. Macr. Sat.* 7, 6. *a med.* Mulieres roro ebriantur. ℙ Translate. *Id. Somn. Scip.* 12. *circa med.* Priusquam materialis influxio in corpus venientes animas ebriaret.

ĔBRĬOLĀTUS vel Ebriulatus, a, um, adj. ebrius. *Laber.* ap. *Non.* 2, 306. Ebriolati mentem hilarem accipiunt. Adde *Pl. fragm. ib.* ubi *Non.* habet *ebriacus*, alii *ebriatus.*

ĔBRĬOLUS, a, um, dimin. ebrii. *Pl. Curc.* 2, 3, 15. Tristes atque ebrioli incedunt. *Id. ib.* 1, 3, 36. Etiam me vocas, ebriola?

ĔBRĬOSĬTAS, atis, f. *φιλοινία*, propensio in ebrietatem. *Cic. Tusc.* 4, 12. Inter ebrietatem, et ebriositatem interest, aliudque est esse amatorem, aliud amantem. [*Cf. quae s. v. *ebrietas* dicta sunt.]

ĔBRĬOSUS, a, um, adj. *οἰνόφλυξ*, qui saepe fit ebrius. *Cic. Fat.* 5. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum, et mulierosum fuisse. *Sen. ep.* 83. Plurimum interesse concedes inter ebrium et ebriosum: Potest et qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium, et qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse. *Catull.* 27, 4. Posthumiae ebriosa acina ebriosioris. [*Cod. Theod.* 3, 16, 1. Marito, velut ebrioso, repudium mittere uxori non licet.]

ĔBRĬUS, a, um, adj. *μεθύων*, nimio vini potu alienatus, vinolentus, temulentus. Volunt esse a *bria:* de qua V. suo loco. *Cic. Phil.* 2, 41. Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes. [*Id. *Div.* 2, 58. Quid dicam insanis, quid ebriis quam multa falsa videantur?] *Ov. Fast.* 2, 582. Anus ebria, *Sen. Med.* 69. Huc incede gradu marcidus ebrio. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 19. Ebria Maconio firmat vestigia thyrso. *Tibull.* 3, 6, 36. Verba ebria. *Prop.* 1, 3, 9. Ebria cum multo traherem vestigia Baccho. *Mart.* 10, 47. Nox ebria, *h. e.* quam ebrius quis transigit. *Id.* 31, 1. bruma, *h. e.* quibus diebus perpotari solet. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 250. jam profluat ebrius amnis Mutatis in vina vadis. [*Ebrius vocatur amnis quod ebrios reddit. ℙ Ceterum *ebrius* non semper de temulento ponitur, sed etiam de eo qui ad satietatem usque bibit. *Ter. Hec.* 5, 2, 3. Cum ebria eris. V. *Ruhnk. dict.* p. 232.] ℙ Translate [*de eo quod multum vel nimium est.] *Hor. Od.* 1, 37, 12. Regina fortuna dulci ebria. *Mart.* 14, 154. Ebria Sidoniae cum sim de sanguine conchae, Non video quare sobria lana vocer, *h. e.* optime imbuta. *Id.* 13, 82. Ebria Bajano veni modo concha Lucrino, *h. e.* bene pasta. *Id.* 10, 38. lucerna Nimbis ebria Nicerotianis, *h. e.* probe perfusa. *Plin.* 14, 22, 28. Ebrius jam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens. *Pl. Capt.* 1, 1. *in f.* Aperitur ostium, unde saturitate saepe ego exii ebrius. [*Cf. *Ruhnk. dict.* in *Ter.* p. 232.] Et *Cas.* 3, 6, 18. Facite coenam mihi ut ebria sit, *h. e.* lauta, abundansque. *Lucr.* 3, 1056. Ebrius multis curis, *h. e.* obrutus. *Catull.* 45, 11. Et dulcis pueri ebrios ocellos, *h. e.* amoris plenos. ℙ Discrimen inter *ebrium*, et *ebriosum* dabit *Senec.* allatus in voce praeced.

ĔBULLĬO, is, ivi, et ii, a. 4. *ἀναζέω*, bulliendo emitto. *Ebullire animam* est mori. *Sen. Apocol. c.* 4. et *Petr. fragm. Trag.* 42. et 62. *Burm.* ℙ *Pers.* 2, 10. o si Ebullit patrui praeclarum funus, *h. e.* prodit pompa sumptuosa funeris patrui: quod est dicere, utinam patruus moriatur. Al. leg. *ebullet*, ut sit ab *ebullo*, *as*, dissolvor, crumpor, ad modum bullae evanesco: ut respiciatur ad illud *Varr. R. R.* 1, 1. Homo est bulla. [*Tert. de pall.* 2. Fontium venae ebullant. *B. A.*] ℙ Translate est praedicare, jactare, ostentare. *Cic. Fin.* 5, 27. Dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire nonnunquam. *Id. Tusc.* 3, 18. Qui si virtutes ebullire volent, et sapientias, nihil aliud dicent, nisi eam viam etc. *Appul. Met.* 2. p. 128. 19. Dum risus ebullit, *h. e.* fervescit cachinnatio. ℙ Simpliciter pro fervendo bullas emittere. *Cato R. R.* 105. Ubi ebullibit vinum, ignem subducito, *ebullibit ἀρχαϊκῶς* pro *ebulliet.* Sed alii rectius leg. *bullabit.* V. BULLO.

ĔBŬLUM, i, n. [et EBULUS, i, m.] *χαμαιάκτη*, frutex sambuco similis folio, et bacca, non tamen aeque crescens, neque arborescens. [*Nobis *Attich*, *Niederholunder. Virg. Ecl.* 10, 27. Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem. *Cato* ap. *Plin.* 17, 9, 6. E segete evellito ebulum, cicutam. *Plin.* 26, 8, 49. Ebulum teneris cum foliis tritum, ex vino potum calculos pellit: impositum testes sanat. [*Plin.* 25, 10, 71. Ebuli quoque, quem nemo ignorat, fumo fugantur serpentes.]

ĔBUR, ĕboris, n. *ἐλέφας*, dens elephanti avulsus: qui candore et spissitudine materiae in operibus valde commendatur. Dictum putant quasi *e barro.* [*Etymologia non probanda, licet a *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 57. prolata sit. Vox peregrina esse videtur.] *Virg. G.* 1, 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabaei. *Cic. Par.* 1, 4. Marmorea tecta, ebore et auro fulgentia. *Id. Brut.* 73. Minervae signum ex ebore. [*Id. Leg.* 2, 18. Ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo.] ℙ Per synecdochen dicitur de rebus ex ebore factis. *Stat. Silv.* 1, 2, 2. Cui, Paean, nova plectra moves, humeroque comanti Facundum suspendis ebur? *h. e.* lyram eburneam. *Virg. G.* 1, 480. Et moestum illacrimat templis ebur, aeraque sudant, *h. e.* sigilla, et statuae Deorum. Et 2, 193. Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras, *h. e.* tibiam. *Ov. Met.* 4, 148. ense Vidit ebur vacuum, *h. e.* vaginam ebore ornatam. Et *Fast.* 5, 51. Ebur curule, *h. e.* sella curulis ebore distincta. Et absolute eodem sensu. *Id. Pont.* 4, 5, 18. Conspicuum signis cum premet altus ebur. ℙ Per metonymiam ponitur pro elephanto. *Juven.* 12, 112. quin illud ebur ducatur ad aras. ℙ *Ebur atramento candefacere* proverbium apud *Pl. Most.* 1, 3, 102. significat rem per se pulcram ornando corrumpere. *Ebur* dicebatur candidius fieri in Tiburtinis collibus, et frigore illius coeli. Testes sunt *Mart.* 4, 62., 7, 13. Et 8, 28., *Sil.* 12, 229. et *Prop.* 4, 7, 82.

*ĔBŪRA, ae, *Ἔβουρα*, oppidum Hispaniae Baeticae, Cerealis cognominatum. *Plin.* 3, 1. Hodie, ait *Hard.* est *Alcala la real*, inter Granadam et Cordubam. *B. A.*

ĔBŪRĀRĬUS. V. EBORARIUS.

ĔBŪRĀTUS, et Eboratus, a, um, adj. *ἐλεφαντιακός*, ebore ornatus. *Pl. Stich.* 2, 2, 53. Lecti eburati, aurati. *Id. Aul.* 2, 1, 46. Eburata vehicula. *Lampr. Elag.* 4. Sella eborata, an argentata. Adde *Varr* ap. *Non.* 3, 254.

[ĔBŪRĬCUS, a, um, adj. ad Eburum pertinens, (*Ἔβουρον* apud *Ptol.* 2, 11.) urbem Quadorum in Germania, nunc *Olmutz* in *Moravia. Inscr.* ap. *Grut.* 23, 5. Flavius Veturianus *legionis* IV. reversus ab expeditione Eburica ex voto posuit. *Velserus* legit *Burica*, nempe ad Burios pertinente, qui ex *Tac. Germ.* 43. sunt populi Germaniae ad caput Vistulae positi. *F.*]

[ĔBURĪNI, orum, m. plur. incolae oppidi, cui nomen Eburum, nunc *Eboli*, in Picentinis, deinde Lucaniae attributi, non longe a Picentia, prope Silarum fluvium. *Plin.* 3, 10, 15. Lucanorum Bantini, Eburini, Grumentini. *F.*]

ĔBURNĔŎLUS, a, um, dimin. ab *eburneus. Cic. Or.* 3, 60. Servum cum eburneola solitus est habere fistula. *Gell.* 1, 11. qui eadem verba refert, habet *eburnea.*

ĔBURNĔUS, et Eburnus, a, um, adj. qui est ex ebore, vel ebore ornatus, *ἐλεφάντειος. Cic. Verr.* 2, 4, 1. Signum eburneum. *Hor. Sat.* 2, 6, 104. Eburni lecti. *Virg. G.* 3, 7. humeroque Pelops insignis eburno. V. PELOPS. *Ov. Pont.* 3, 4, 35. Eburnus currus. *Id. A. Am.* 203. Numeros eburnos jactare. *Virg. A.* 11, 11. Ensis eburnus, *h. e.* capulum habens eburneum. *Hor. Od.* 3, 27, 41. Porta eburna, *h. e.* qua vana somnia exeunt (V. *Virg. A.* 6, 899. et *Stat. Silv.* 5, 3, 289.) *Id. ib.* 2, 11, 22. lyra. ℙ Item candidus instar eboris. *Ov. Am.* 3, 7, 7. Eburnea brachia. *Id. Met.* 3, 422. colla. *Id. Her.* 20, 57. cervix. *Id. Met.* 10, 592. terga. [*V. *Drak.* ad *Sil.* 12, 246. *Burm.* ad *Prop.* 2, 1, 9. ad *Anth. Lat.* p. 700.] ℙ Item elephantinus. *Liv.* 37, 59. Tulit in triumpho eburneos dentes mille ducentos viginti. ℙ *Eburnus* cognominatus est Q. Fabius Ambustus a candore cutis. *Fest.* in *Pullus.* [*V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 41, 2.] V. AMBUSTUS. [*Confunduntur a librariis *Eburnus* et *eburneus.* Illa forma ut plurimum poetis relinquenda. V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 41, 2. Porro *Eburnus* et *acernus.* V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 486. *Fast.* 3, 359.]

*ĔBURŌBRĬTĬUM, i, oppidum Lusitaniae. *Plin.* 4, 21. ed. *Hard.* Antea, e. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Eburo*, *Britium.* Hodie est *Alocabaça. B. A.*

*ĔBURODŪNUM, i, oppidum Galliae Narbonensis. V. *Eborodunum.* ℙ Aliud in agro Helvetiorum. *Tab. Peut.* Hodie est *Yverdun* vel *Yverdon. B. A.*

*ĔBURŌNES, um, m. *Ἐβουρῶνες* plur. populi inter Belgas, ubi nunc *Tongern*, gente, nomine, et numero Germani appellati, Condrusis, Menapiis, Aduaticis, Treveris (quorum clientes erant) et silvae Arduennae finitimi: nunc Leodienses (*pays de Liège*) dicti apud Gallos. *Plin.* 4, 18. Populos Galliae Lugdunensis quondam Aulercos appellatos, nunc vero Eburones. Adde *Caes. B. G.* 2, 4. 4, 6. 5, 28. etc. *B. A.* [*Inscr.* ap. *Grut.* 473, 3. IIIIII Vir Eburonum. *F.*]

*ĔBUROVĪCES, um, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, ex gente Aulercorum. *Plin.* 4, 18. *Caes. B. G.* 3, 17. V. *Aulerci.* (Hodie *Evreux*, *Dép. de l'Eure in der Normandie.*) *B. A.*

ĔBUSĪTĀNUS, a, um, adj. ad Ebusum pertinens, insulam maris Iberici contra Dianium promontorium Hispaniae, nunc *Ivica;* vel ad Ebusium, urbem in eadem insula, cujus meminit *Inscr.* ap. *Grut.* 277, 5. Ordo Ebusii. *Plin.* 3, 5, 11. Ebusitana terra. *Mela* 2, 7. humus. ℙ Hujus insulae nomen varie scribitur a Graecis, et Latinis auctoribus, nam et *Ἔβοσος*, et *Ἔβνσος*, et *Ἐβοῦσος*, et *Ἰβόσσια:* hinc *Stat. Silv.* 1, 6, 15. ēbosĭa habet; *Avien. Perieg.* 621. ēbūsus; et *Sil.* 3, 362. ēbūsus.

EC

*ECANTO, as, avi, atum. a. 1. *Gloss. Gr. Lat.* ἐξανλῶ.

ECASTOR, adv. jurandi, et significat *per Castorem.* Videtur esse factum ex *Mecastor*, ablato *m:* vel ex *e*, et *Castor*, ut illud *e* hoc loco vim habeat *praep. per*, ut in *epol* per Pollucem, *ejuno* per Junonem, *equirine* per Quirinum, *eccere* per Cererem etc. Sunt qui scribunt *aecastor*, quasi *per aedem Castoris. Ter. Hec.* 4, 3, 5. Spero ecastor. *Pl. Amph.* 1, 3, 39. Ecastor condignum donum. *Id. Truc.* 2, 6, 22. Salve ecastor Stratophanes. ℙ Fuit juramentum fere a mulieribus usurpatum. Nam in veteribus scriptis, teste *Gell.* 11, 6., neque mulieres R. per Herculem, neque viri per Castorem dejurant: quod *Charis.* 2. p. 183. confirmat. Apud *Pl.* tamen ita jurant Argyrippus adolescens, *Asin.* 5, 2, 80. et Olympio villicus, *Cas.* 5, 4, 13.

ECAUDES versus vocat *Diom.* 3. p. 499. (quasi sine cauda, ut *enodis*) qui in ultima conclusione oratiuncula, vel syllaba fraudantur, vel tempore deficiunt, Graece μείουροι, et οκάζοντες.

ECBASIS, is, f. ἔκβασις, figura est, Latine excursus, seu digressio, cum ab oratione instituta obiter ad alia excurritur. *Serv.* ad *G.* 2, 209.

*ECBATANA, orum, n. τὰ Ἐκβάτανα, metropolis Mediae. *Curt.* 5, 8. init. *Plin.* 6, 13 et 27. *Tac. A.* 15, 31. *Cir. Manil.* 14. *Ecbatana, ae*, audit *Lucil.* ap. *Non.* 13. n. 4. et *Ecbatanae, arum*, *Appul. de mundo post med.* p. 69. (18. *Elm.*) ℙ Fuit et oppidum Persidis. *Plin.* 6, 26. ubi *Magorum oppidum* vocatur. ℙ Item oppidum Phoeniciae. *Id.* 5, 19. *B. A.*

ECBOLA, ae, f. ἐκβολή, telum missile: ab ἐκβάλλω, ejicio. *Pac.* ap. *Varr. L. L.* 6, 6. *extr.* Ecbolas quassant, ejiciunt.

ECBOLAS, ădis, f. ἐκβολάς, genus uvae Aegypti, abortum faciens: ab ἐκβάλλω, ejicio. *Plin.* 14, 18, 22.

ECCA, ECCAM. V. vocem sequent.

ECCE, ἰδού, adv. demonstrandi, post se tum nominativum, tum accusativum habens. *Ter. Ad. in f.* Ecce me, qui id faciam vobis. ℙ Saepe adhibetur ad repentinum aliquid, atque improvisum ostendendum. *Cic. Att.* 13, 16. Ecce tuae litterae de Varrone. *Id. Cluent.* 5. Ecce autem subitum divortium. *Id. Att.* 8, 3. *ad f.* Sed ecce nuncii, scribente me, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium esse. *Id. Fin.* 2, 30. Ecce miserum hominem. *Phaedr.* 4, 1. Putabat, se post mortem securum fore: Ecce aliae plagae congeruntur mortuo. [*V. *Interpp.* ad *Liv.* 7, 35. *Broukh.* ad *Prop.* 2, 22, 20. *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 441. *Ruhnk. dict.* in *Ter.* p. 105. p. 201. ℙ A JCtis saepe ponitur pro: veluti, exempli causa, saepe praeponuntur partic. *ut* et *nam. Ulp. Dig.* 21, 1, 37. Hoc edictum fallaciis venditorum occurrit, ut ecce plerique solent mancipia quasi novitia distrahere. Alia bene multa exempla habet *Brisson.* de *form.*] Eleganter additur dativus *tibi*, quod quidem redundat, sed addit tamen demonstrandi vim. *Cic. Off.* 3, 21. Ecce tibi, qui rex populi R. esse concupierit. *Id. Or.* 2, 22. *extr.* Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium. Adde *Cluent.* 28. [**Ruddim. Inst.* II. p. 316. ℙ Conjunguntur *Ecce autem. Cic. Cluent.* 5. Ecce autem nova turba atque rixa. V. *Gron.* ad *Liv.* 7, 35, 10. *Sed ecce*, quum in narrando posterius aliquid opponitur priori. *Cic. Att.* 8, 3. Cf. *Tursell.* s. v.] Componitur in familiari sermone, praesertim apud comicos, cum variis pronominibus, ut *ecca, eccum, am, os, eccillum, am, eccistum, am*, idest *ecce ea, eum, am, os; ecce illum, ecce istum. Varr. R. R.* 3. *in f.* At strepitus a dextra: et eccum recta candidatus noster designatus aedilis. *Pl. Men.* 1, 2, 66. Ab se ecca exit. *Id. Aul.* 4, 4, 14. Ostende huc manus *St.* eccas. *Id. Bacch.* 3, 2, 19. Sed eccos video incedere patrem et magistrum. *Id. Curc.* 5, 2, 12. Eccum quem quaerebam. *Id. Amph.* 2, 2, 146. Hem tibi pateram: eccam. *Id. Merc.* 2, 3, 98. Eccillum, video. *Id. Rud.* 2, 7, 18. Tegillum eccillud mihi unum arescit. *Id. Mil.* 3, 1, 194. Habeo, eccillam, meam clientam. *Id. Curc.* 5, 2, 17. Certe eccistam video. ℙ Pro *eccillum* leges et *ellum*, per syncopen inde factum. *Ter. Andr.* 5, 2, 14. Nescio qui senex modo venit: ellum: confidens, catus. Sic *ellam* pro *eccillam* apud *Prisc.* 12. p. 949. ℙ Haec interdum dicuntur etiam de absentibus, ostendendo scilicet locum, ubi sunt. *Pl. Amph. prol.* 120. Pater intus nunc est, eccum, Juppiter. *Ter. Ad.* 3, 4, 25. Ellam intus. ℙ Interdum interseruntur sermoni eo modo, quo *opinor, obsecro, amabo* etc. *Plin.* 36, 27, 69. Adeo in rebus damnatis quoque sunt aliqua remedia, ut in carbone ecce, et cinere. Adde *Ter. Andr.* et *Pl. Mil.* et *Rud.* et *Curc.* etc. modo allatos.

ECCENTROS, i. ἔκκεντρος, extra centrum positus. *Capell.* 8. p. 287. Quo fit, ut terra solaris circuli centrum non sit, sed eccentros habeatur. Adde *ib.* p. 299.

ECCERE vel Ecere, νὴ τὴν δήμητρα, adv. jurandi, et significat per Cererem: sed aliquibus est adv. demonstrandi, *Festo* teste: quasi *ecce res*, vel *ecce rem. Pl. Amph.* 2, 1, 4. Eccere jam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides. *Id. Men.* 2, 3, 50. Eccere, perii misera! [**Ruhnk. dict.* in *Ter. Ph.* 2, 2, 5.] ℙ In illis quidem certe pro *ecce* ponitur, *Mil.* 2, 2, 52. Eccere autem capite nutat. et *Pers.* 2, 4, 29. Eccere autem, quem convenire maxime cupiebam, egreditur intus. ℙ Sunt qui scribant *aeccere*, quasi sit *per aedem Cereris.*

ECCHEUMA, ătis, n. ἔκχευμα, effusio: a χέω, fundo. *Pl. Poen.* 3, 3, 87. Ibi te replebo unguentum eccheumatis. Al. leg. ἐκχεύματοιν litteris Graecis.

ECCILLA. ECCILLUM. ECCISTUM. } V. ECCE.

ECCLESIA, ae, f. ἐκκλησία, apud Graecos praesertim est coetus et congregatio populi convenientis ad audiendum de republica, Latine *concio:* ab ἐκκαλέω, evoco, convoco. *Plin. ep.* 10, 111. Denariorum circiter undecim millia donata ei publice, et bule, et ecclesia consentiente, *h. e.* et senatu, et populo. *Cajus in epit. Instit. tit.* 1. Si aut testamento, aut in ecclesia, aut ante consulem manumittantur. [*Haec verba: *aut in ecclesia* manifesto interpolata sunt. V. *Schulting.* ad h. l. Neque enim *ecclesia* apud profanos hujus aetatis scriptores sic occurrit. Alia res est in *Plin.* loco, qui de Graeca civitate loquitur.] ℙ Et coetus quilibet. *Auson. ep.* 24, 93. tum prata virentia, tum nemus umbris Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico. ℙ Apud Christianos scriptores Ecclesia est congregatio fidelium. *Tertull., Lact., August.* etc. ℙ Item locus, quo orandi causa conveniunt. *Aur. Imp. in epist.* ap. *Vopisc.* 20. Quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. *Ammian.* 21, 2. *extr.* Progressus in eorum Ecclesiam, solemniter numine orato, discessit. Adde *ib.* 28. *sub f.* ℙ Non imitandus *Venant.* qui secundam syllabam corripuit, nisi confugias ad synaeresin, *carm.* 3, 6, 24. Ecclesiae juncto corpore crescit honor. Neque *Paulin. Nolan.* qui extrito altero *e* primam corripuit *in carm.* 28, 32. Intra Romuleos veneratur Ecclesia fines. Adde *in carm.* 38, 153., et *carm.* 15, 117.

ECCLESIASTICUS, a, um, adj. ad Ecclesiam pertinens. *Tert. Pudic.* 22. Pacem ecclesiasticam alicui reddere. ℙ [*In *Cod. Theod.* saepe de eo, qui ecclesiae munere fungitur, ponitur. l. 3, 22, 1. Omnia privilegia aut clericorum, decanorum aut aliorum ecclesiasticorum causa praestita, intacta servanda sunt. ℙ Item *Siracchi* liber in bibliis sacris vulgo *Ecclesiasticus* dicitur.]

*ECCLESIECDICUS, i, m. syndicus ecclesiae. *Cod. Theod.* 1, 5. 34, 5. Ecclesiecdici et oeconomi, qui paulo ante dicti sunt singularum ecclesiarum defensores et oeconomi. *B. A.*

*ECCUBI, ἤπου. *Onomast. Vet.* Significat ergo idem quod *An alicubi, an usquam. B. A.*

ECCUM, ECCOS. V. in ECCE.

ECDICUS, i, m. ἔκδικος, ultor, vindex, defensor, assertor. *Ecdici* in municipiis erant, qui Romae tribuni plebis, qui scilicet plebis causam adversus injuriam optimatum, vel suarum civitatum jura apud magistratus populi romani tuebantur. Hi in *Cod. tit.* 1, 55., et *ib.* leg. 2. et 7. dicuntur defensores civitatum. *Cic. Fam.* 13, 56. Se curaturum, ut ecdici Milesii Romam mitterentur. Adde *Plin. ep.* 10, 111. [*Ecdici etiam *syndici* vocabantur. Glossae veteres exponunt ἔκδικος, *cognitor.* V. *Gron.* ad *Sestert.* 4, 3. p. 277. *Justin. Nov.* 15. inscribitur Graece περὶ τῶν ἐκδίκων. *De defensoribus civitatis* titulos e *Cod. Just.* et *Theod.* laudant VV. DD. ad *Plin. Epp.* 10, 111. Ita *Ernest.*]

*ECDIPPA, oppidum Galilaeae, inter Tyrum et Ptolemaidem. *Plin.* 5, 19. *B. A.*

[ECDOTUS, i, m. ἔκδοτος, deditus, dediticius. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 947, 3. Filiis duobus Venusto et Ecdoto. *F.*]

*ECETRA, ae, oppidum Volscorum. *Liv.* 4, 61. et 6, 31. ℙ Hinc *Ecetrāni, orum*, incolae dicti *Liv.* 2, 25. *B. A.*

ECFATUS pro effatus est *Ennii* ap. *Cic. Div.* 1, 20. et *Non.* 4, 196., ubi tamen libri alii *effatus.* [**Ecfatus* non recte scribi statuit *Ter. Scaur.* p. 2260. Sed antiquitus hanc scripturam obtinuisse, non est quod dubites. Cf. *Bentl.* ad *Ter. Heaut.* 4, 4, 23. et *Cort.* ad *Sall. Jug.* 14. (Etiam *ecfari* olim exhibebatur apud *Cic. Tusc.* 2, 17.) Adde quae observata sunt s. v. *Ecfero, Ecfodio.* Prae aliis lege accurate de hac re disputantem *Schneider. Element. Tom.* II. p. 561.]

ECFERO, pro effero *Pareus* testatur legi in quibusdam MSS. non modo apud *Pl. Mil.* 2, 5, 53. et *Aul.* 4, 5, 4. etc., sed etiam apud *Cic. Fam.* 9, 2. et *Att.* 8, 3. *a med.* [*et *Tusc.* 4, 29. in versu ex *Eurip.* expresso: Malum quod non natura humana patiendo ecferat, i. e. vincat, quasi extra ferat. (Etiam apud *Cic. Rep.* 1, 17. legitur *efferre*, teste *A. Majo*, quanquam h. l. editores ad vulgarem rationem conformarunt.) V. *Pearc.* ad *Cic. Or.* 3, 53. Cf. *Efferre* in fine.] Sic *Lucil.* ap. *Non.* 1, 176. mysteria ecferre foras. ℙ Eadem ratione *ecfodere* pro *effodere* dictum est. V. EFFODIO.

*ECFLORESCERE pro *efflorescere*, apud *Cic. Rep.* 1, 29. Cf. *Ecferre, Ecfari. Ib.* 1, 34. legitur Ecfrenāti pro Effrenati. *B. A.*

ECHEA vel Echeia, orum, n. plur. ἠχεῖα, vasa aerea in theatris collocata ad reddendam vocem agentium fabulas, vel canentium, et consonantiorem faciendam: ab ἦχος, sonus. *Vitr.* 5, 5. sed Graeca vox est. [*Adde *Vitr.* 1, 1.]

*ECHEDERMIA, ae, f. *Veg.* 5, 53, 1. Passio, quam Graeci echedermiam vocant. Germanis vocatur *das Herzgespann.* V. not. *B. A.*

ECHENEIS, is, f. ἐχενηΐς, genus pisciculi, quem Latini remoram, Itali *remora* appellant, ab ἔχω, habeo, retineo, et νηῦς, Ionice, pro ναῦς, navis, quia per aquam navem sistere credita est, ei adhaerens, quamvis immensam, et velo et remis concitatam, ne possit iter institutum peragere. *Plin.* 9, 25, 41. et 32, 1, 1. *Lucan.* 6, 674. puppim retinens, Euro tendente rudentes, In mediis echeneis aquis. *Ov. Hal.* 99. Parva echeneis adest (mirum!) mora puppibus ingens. *Cassiod. Var.* 1, 35. mira prorsus de eadem narrat.

*ECHETLIENSES, ium, incolae Echetlae. Fuit autem Echetla, Ἐχέτλα, oppidum Siciliae. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

ECHIDNA, ae, f. ἔχιδνα, vipera femina, uti mas ἔχις Graece, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, quod continet in se fetum usque ad mortem, idest donec pulli nimiam moram pertaesi, eroso matris utero, parenteque necata, erumpant. Nam et Latine *vipera* vocatur a quibusdam, quia *vi parit. Ov. Met.* 13, 313. Stipite te Stygio, tumidisque afflavit echidnis E tribus una soror. ℙ Accipitur etiam pro quovis serpente, et praecipue pro hydra illa Lernaea, quae ab Hercule interfecta est. *Ov. Fast.* 5, 405. Sanguine centauri Lernaeae sanguis echidnae Mixtus. ℙ [*i. q. Echinades. Sic in aliquot editt. legitur apud *Sen. Troad.* 839.]

ECHIDNAEUS, a, um, adj. ad echidnam pertinens. *Ov. Met.* 7, 409. Illud Echidnaeae memorant e dentibus ortum Esse canis, *h. e.* Cerberi. Al. leg. *Echidnaei:* alii *Lernaei:* alii per echidnaeam canem ipsam Hydram intelligunt. [*Edd. *Heins.* et *Burmann.* habent *Echidneae*, ex Graeco ἐχίδνειος. *B. A.*]

*ECHIDNION, i, n. ἐχίδνιον, herba viperina. *Appul. Herb.* 5. *B. A.*

ECHINADES, um, f. plur. insulae quinque parvae maris Ionii, ante os sinus Corinthiaci, inter ostia Acheloi fluvii Acarnaniae, et Araxum promontorium Peloponnesi. Harum una Dulichium, alia Same nominatur. *Plin.* 2, 85, 87. et 4, 12, 19. *Ov. Met.* 8, 588. Continuam diduxit humum, partesque resolvit In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis. ℙ [*Ἔχιναι audiunt *Steph. Byz.* et *Hom. Il.* B. *v.* 625. unde *Echinae* restitutum eunt nonnulli *Senec. Troad. v.* 839. ubi *Echidnae* vel *Calydnae* legitur. *B. A.*]

ECHINATUS, a, um, adj. operculo spinoso veluti echini tectus. *Plin.* 15, 23, 25. Castaneis armatum echinato cortice vallum est. *Id.* 27, 9, 47. In cacumine capitula sunt echinata spinis. *Id.* 22, 9, 11. Echinata folia.

*ECHINEIS, idis, f. Ἐχινηΐς, habet *Cic. Arat. v.* 426. ubi forte est Chios insula. *B. A.*

ECHINOMETRA, ae, f. ἐχινόμητρα, [*Casum rectum rectius statuas *Echinometres* fuisse. *Ruddim. Inst.* I. p. 14.] echinorum genus, spinis longissimis, calycibus minimis, colore rufo, vel vitreo. *Plin.* 9, 31, 51.

ECHINOPHORA. V. ACTINOPHORA.

[ECHINOPOS, ŏdis, f. ἐχινόπους, herbae genus aculeis horrens, similis tribulo. *Plin.* 11, 8, 8. Ceras ex omnium arborum satorumque floribus confingunt, excepta rumice, et echinopode. Alii leg. *echenopode. F.*]

*ECHINOS vel Echinus, i, f. Ἔχινος, Thessaliae oppidum, in Phthiotide, ad sinum Maliacum. *Mela* 2, 3. *Liv.* 32, 33. *extr.* et 34, 23. *Plin.* 4, 7. ℙ Item oppidum Acarnaniae. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

ECHINUS, i, m. ἔχῖνος, piscis quidam ex cancrorum genere, cui spinae pro pedibus sunt, cui ingredi est in orbem volvi: a Graeca voce allata. Capitur fere inter saxa. *Plin.* 9, 31, 51. [**Pall.* 2, 16. Echini salsi. *Ib.* 13, 6. Echini marini condiuntur.] ℙ Item animal terrestre, spinis undique vestitum, al. *erinaceus*, quod *Isid. Orig.* 12, 6. marino nomen dedisse putat. *Claud. de hystrice*, 18. Sed non haec acies ritu silvestris echini Fixa manet. ℙ [*Item cibi aliquod genus, ab echinis dictum, quod ad horum similitudinem spinae undique eminerent. *Petr. Sat.* 69. Cydonia mala spinis confixa, ut echinos efficerent. *Claud. Eutr.*

2, 449. ubi secum volutat coquus, quas verubus figat partes porci, *quae frusta calenti Mandet aquae, quantoque cutem distendat echino*, ubi cutis intelligenda videtur, surculis aut spicis ita trajecta, ut echini similitudinem accipiat.] ℙ Item ornamentum in capitulis columnarum Ionicarum et Doricarum, quia castanearum ordinatim in patentes echinos dispositarum imaginem prae se ferunt. *Vitr.* 4, 3. et 7. V. ANULUS. ℙ Item genus vasis, quod alii aereum volunt esse, in quo calices lavantur, alii ollam fictilem, alii vas salis, alii lignum cum uncinis, in quo calices ponuntur, alii ampullam vitream, alii scorteam, a rotunditate echini se in pilam colligentis, vel quod echini in eo sculpi consueverint. *Hor. Sat.* 1, 6, 117. Astat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex. ℙ Item cortex spinosus castanearum. *Calpurn. Ecl.* 2, 83. Maturis nucibus virides rumpentur echini. Adde *Pall. Insit.* 155., et *Serv.* ad *Ecl.* 7, 53.

*ECHINUSSA, ae, f. Ἐχινόεσσα et contracte Ἐχινοῦσσα, (ab ἐχινόεις, i. e. plenus vel abundans echinis,) insula Euboeae vicina, quae postea Cimolus dicta est. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ĔCHĬON, ii, n. ἔχιον, medicamentum ex vipera (quae Graece ἔχις) combusta, foeniculo, ture, ad suffusiones oculorum, et caligines. *Plin.* 29, 6, 38. ℙ [*Fuit et *Echion* vel Echĭum, ἔχιον, herba eadem quae et Dorias et Alcibiadion appellatur. *Plin.* 25, 8. *Paul.* 7. ait, spinosam herbam esse, quae non modo a serpente commorsis cum vino pota auxiliatur, sed praesumentes quoque ex ictu nihil molestum pati sinit. Cf. *Diosc.* 4, 25. Haec *Gesnerus.* Sed V. *Echios.* ℙ *Echĭon, onis*, m. Ἐχίων, pater Penthei, Agaves Cadmi filiae maritus. V. *Echionides.* ℙ Item Mercurii filius, Argonauta, unus ex iis qui ad aprum Calydonium venandum ierunt. *Hyg. fab.* 14. *Ov. Met.* 8. *v.* 311. ℙ Et unus e Gigantibus, qui coelum adorti sunt. *Claud. Gigant. v.* 104. ℙ Et pictor clarissimus, de quo *Cic. Parad.* 5, 2. *Plin.* 35, 10. ℙ Et statuarius, qui centesima septima Olympiade floruit, teste eodem *Plin.* 34, 8. *B. A.*]

ĔCHĬONĪDES, ae, m. Ἐχιονίδης, filius Echionis, qui fuit unus e Cadmi sociis in Thebis condendis, ut *Ov. Met.* 3, 125. narrat. *Id. ib.* 513. Pentheus Echionides. *Stat. Th.* 4, 568. illum *(Penthea)* Flet pater, et lacerum componit corpus Echion.

ĔCHĬŌNĬUS, a, um, adj. ad Echionem pertinens, de quo in voce praeced. *Ov. Met.* 8, 345. Echionio cuspis contorta lacerto. *Val. Fl.* 7, 301. Saevus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula Deserit. *Id.* 8, 343. Echionius hydrus, *h. e.* quem Cadmus Thebarum auctor interfecit: ex cujus satis dentibus Echion natus est. *Id.* 7, 554. Echionii dentis semina. V. CADMUS. ℙ Sumitur etiam pro Thebano. *Ov. Trist.* 5, 5, 53. Echioniae arces. *Stat. Th.* 1, 169. Echionia plebs. Adde *Virg. A.* 12, 515. Sic Echionius Bacchus, *Pall. Insit.* 45., *h. e.* qui Thebis praecipue colebatur, et matrem habuit Semelen Cadmi Thebanorum regis filiam.

ĔCHĬOS, ii, f. herba duplicis generis: alia pulegio similis foliis coronata: alia lanugine spinosa distincta, cui capitula viperae similia sunt. *Plin.* 25, 9, 58.

*ECHIS, is, m. i. q. echion. *Plin.* 22, 20. *B. A.*

ĔCHĪTES, ae, m. ἐχίτης λίθος, lapilli species, qui vipereas habet maculas, colore viridi subobscuro. *Plin.* 37, 11, 72. Alii hic leg. *echitis* eodem sensu. [*Adde *Solin.* 67. *Isid. Orig.* 16, 14.] ℙ Item herba, quae morsibus viperinis medetur, similis scammonio. *Plin.* 24, 15, 49.

ĔCHĪTIS, idis, f. ἐχῖτις. V. vocem praec.

ĔCHO, us, f. ἠχώ, soni, vel vocis repercussio: ab ἠχέω, sono, resono. Latinis dicitur *imago.* Hinc *Hor. Od.* 1, 12, 4. Quem Deum, cujus recinet jocosa Nomen imago? *Auson. ep.* 10, 23. Turbida congestis referitur vocibus echo. *Pers.* 1, 102. reparabilis assonat echo. ℙ Poetae fabulantur, Echo nympham fuisse, hanc a Junone brevissimo vocis usu esse punitam, quod eam longo sermone tenere solita esset, ne nymphae a Jove amatae ab illa deprehenderentur: cum deinde a Narcisso, cujus amore deperibat, spreta fuisset, longo moerore contabuisse, et corpore demum in saxum converso, nihil nisi vocem retinuisse. *Ov. Met.* 3, 339. et *seqq.* ℙ Fit praecipue in convallibus, et locis concameratis, ubi resultat aer, et acceptae voces numerosiore repercussu multiplicantur. Non enim ibi liberum habet vagandi campum, sed rerum objectu reflectitur. In quibusdam locis etiam pluries multiplicantur. Ex. gr. in urbe Cyzico turres septem acceptas voces multiplicant: et Olympiae porticus fuit, quam Heptaphonon appellabant, quoniam septies, eadem vox ibi reddebatur. *Plin.* 36, 15, 24.

ĔCHŌĬCUS, a, um, adj. ad echo pertinens, ut Echoici elegi, apud *Sidon. ep.* 8, 11. *post carmen.* Ita legit *Sirmond.*, antea enim *Eschoici* legebatur. Tale esse putat *Sirmond.* illud cujusdam *Pentadii* distichon: *Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo, Voxque repulsa jugis per cava saxa sonat.* ℙ In Centimetro *Servii* p. 1826. Echoicum metrum est, quoties sonus ultimae syllabae congruit paenultimae, ut *Exercet mentes fraternas gratia rara.*

[ĔCHUS, i, m. ἦχος, sonus, vox. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 729, 1. Q. Fabio Echo. *F.*]

*ECHYMNĬA, ae, oppidum Thraciae, inter Strymonem fluvium et Athon montem. *Mela* 2, 2. *ad f. B. A.*

ĔCLIGMA, ătis, n. ἔκλειγμα, medicamentum, quod fit lingendi gratia, non edendi, aut devorandi, ut cum aliquid in ore tenetur, et paulatim distillando transmittitur: a λείχω, lambo, lingo. *Plin.* 21, 21, 89. *de thymo.* In ecligmate faciles exscreationes facit, cum aceto et sale. *Id.* 24, 7, 23. Pix exscreationes pectoris adjuvat ecligmate. [*Adde *id.* 26, 8, 35. Sumitur et ecligmate ad pectoris vitia cum melle.]

ĔCLIGMĂTĬUM, ii, n. parvum ecligma. *Theod. Prisc.* 2, 17. Dabo diamoron pro ecligmatio.

ECLIPSIS, is, f. ἔκλειψις, deliquium, defectio: ab ἐκλείπω, deficio. Eclipsis lunae, cum sol per interpositionem terrae ita lunae opponitur, ut illam illuminare non possit: eclipsis solis, cum luna inter solem, et nostrum aspectum interponitur. *Auct.* ad *Her.* 3, 22. Solis eclipses magis mirantur quam lunae, quia hae crebriores sunt. V. *Sen. Ben.* 5, 6. *circa med.*, ubi solis eclipsim describit. ℙ Quoties in oratione aliquid deest, quod facile mente cogitari possit, *eclipsis* dicitur: quod quidam vitium esse putarunt; *Quint.* 8, 6. figuram: quod certe verum est, si nullam pariat obscuritatem. [*Apud *Quint.* Graecis litteris exarata vox. Latinis vulgo *ellipsis* vocatur.] Hinc eclipsis est illud *Virg. A.* 1, 139. Quos ego, ubi deest *affligam*, aut *ulciscar*, ut ait *Serv. ib.* et ad *v.* 69.

ECLĬPTĬCUS, a, um, adj. ἐκλειπτικός, ad eclipsim pertinens. *Plin.* 2, 16, 13. Stationes stellarum fieri in mediis latitudinum articulis, quae vocant ecliptica: scilicet quia ibi contingere eclipses solent. *Manil.* 4, 816. et 846. Ecliptica signa, *h. e.* quae eclipsim patiuntur. *Serv.* ad *A.* 10, 216. Sol cursus agit per eclipticam lineam, quae Zodiacum bifariam dividit.

ECLŌGA, ae, f. ἐκλογή, electio, delectus: [*Qua significatione haec vox nusquam usurpata videtur.] item ipsa res delecta et selecta: ab ἐκλέγω, eligo, deligo. Hoc nomine scriptores nonnulli appellarunt singula poematia breviora, quae edebant in vulgus, quasi essent electa e multis, quae in eo genere scripsissent, et non edidissent. *Plin. ep.* 4, 14. *fin.* Proinde sive epigrammata, sive idyllia, sive eclogas, sive, ut multi, poematia, seu quod aliud vocare malueris, licebit voces: ego tantum hendecasyllabos praesto. *Varr.* ap. *Charis.* 1. p. 97. Eclogas ex annali descriptas. *Stat. Silv.* 3. *praef.* Summa est ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. et *praef. l.* 4. Juncta est ecloga ad municipem meum Julium Menecratem, cui gratulor etc. *Auson. ep. praefixa Idyll.* 6. Quid ego huic eclogae studiose patrocinor? *Id. ep. praefixa Idyll.* 11. eclogam vocat oden decimam novam *l.* 3. *Horatii.* Sic *Suet. Vit. Hor. a med.* Expressitque eclogam, cujus initium est, Cum tot sustineas et tanta negotia solus, *h. e.* epistolam primam libri secundi. Al. leg. *elogium. Sidon. ep.* 9, 1. *carm.* 1. Vernans per varii carminis eclogas, Verborum violis multicoloribus, *h. e.* per varia carminum genera. *Virgilii* quoque Bucolica *Eclogae* inscribuntur: quarum exemplo factum est, ut omnia poemata pastoralia hoc nomine hodieque vocentur. V. IDYLLIUM.

ECLOGARĬUS, a, um, adj. *Eclogarium* inscripsit *Auson.* unum ex libris suis, in quo est collectio breviorum poematum, excerptorum, atque selectorum ex pluribus, quae in eo genere ipse composuerat: ab ἐκλογή, delectus. ℙ *Eclogarii* videntur aliis servi litterati, veluti anagnostae, qui ex libro qui recitabatur, celeriter selecta quaedam et notatu digniora excipiebant excerpebantque: aliis rectius sunt *loci insigniores. Cic. Att.* 16, 2. *ad f.* De Gloria *(libros)* misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarii, quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat. His congruunt, quae habet *Id. ib.* 11. *in.* Nostrum opus *(de Gloria)* tibi probari laetor; ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora visa sunt tuo judicio.

ECNĔPHĪAS, ae, m. ἐκνεφίας, ου, ὁ, ventus ex nube discissa erumpens: ab ἐκ, ex, et νέφος, nebula. Sic dicitur procellae genus, quam pluribus describunt *Sen. Qu. n.* 5, 12. [*ubi vox Graecis litteris exarata est.] et *Plin.* qui sic habet 2, 48, 49. Venti majore illati pondere incursuque, si late siccam rupere nubem, procellam gignunt, quae vocatur a Graecis ecnephias: sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est sine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, idest vibratus ecnephias.

Ē CONTRĂ. V. CONTRA.

ECPHORĂ, ae, f. ἐκφορά, prominentia, projectura. *Vitr.* 6, 2. Columnarum projecturae, mutulorum ecphorae. *Id.* 3, 3. *sub f.* Omnes ecphorae venustiorem habent speciem, quae quantum altitudinis, tantundem habent projecturae.

ECPHRASTES, ae, m. ἐκφραστής, qui edisserit, enarrat, interpretatur, ex una in aliam linguam vertit. Vox Graeca, ab ἐκφράζω, edissero. Opusculum *Fulgentii Planciadis* in editione *Gothofr.* ita inscribitur. Libellus de prisco sermone ad Chalcidium grammaticum Timaei Platonis ecphrasten.

ECPYROSIS, is, f. ἐκπύρωσις, a πῦρ, ignis, Graece est inflammatio. Latinis litteris scripta legitur in verbis *Nigidii* ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 10. et ad *ib.* 6, 41., ubi mundi totius inflammatio significatur.

ECQUANDO, adv. ἦ ποτέ, quando, an aliquando, num aliquando? *Cic. Agr.* 2, 7. Quaero a populari tribuno plebis, ecquando nisi per triginta tribus creati sint. *Liv.* 3, 67. *ad f.* Ecquando unam urbem habere licebit? *Cic. Verr.* 2, 2, 17. Quae, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? *Prop.* 2, 7, 39. Ecquandone tibi liber sum visus? an usque In nostrum jacies verba superba caput? [*Cic. Fin.* 5, 22. Quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis. Vide *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 14. ℙ Saepe confunduntur a librariis *Ecquando* et *et quando.* V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 44, 2. *Burm.* ad *Prop.* 1, 11, 1.]

ECQUIS, ecquae, ecquod, ecquid, ἤτις, numquis, vel an aliquis, ab *et*, et *quis:* vel ab *en*, et *quis*, ut *Prisciano* l. p. 556. placet. [*Ecquis* ita diversum a *quis*, ut, ubi illud ponatur, cum dubitatione aliqua proponatur interrogatio.] *Cic. Att.* 7, 8. Quod quaeris, ecquae spes pacificationis sit. *Id. Acad.* 4, 26. *extr.* Ecquae poterit in agnoscendo esse distinctio? *Id. Inv.* 2, 12. *extr.* Ecquae consuetudo, ecquae actio, ecquod artificium. *Ter. Eun.* 5, 9, 1. Ecquis me vivit fortunatior? *Cic. Verr.* 2, 3, 57. Ecquod judicium Romae tam dissolutum? *Id. Mur.* 33. Eccui non proditur revertenti? *Id. Fam.* 8, 15. Ecquem Caesare acriorem audisti? *Id. Verr.* 2, 2, 27. *ad f.* Ecquam rem putatis esse in Sicilia etc.? *Id. ib.* 62. Rogato, ecquid in tuam statuam contulerit? Et *Fam.* 7, 11. Heus tu, quid agis? ecquid fit? ℙ [*Ponitur etiam in interrogatione indirecta. *Cic. Verr.* 2, 3, 24. Negotium dat comitibus, ut investigent, ecqua virgo sit digna, quamobrem Lampsaci diutius commoraretur. V. TURSELLIN.] ℙ In recto masculino dicitur et *ecqui.* Sic enim habent opt. edit. ap. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. Ecqui pudor est? ecqui metus? Adde *Sext.* 52. ℙ Et in feminino etiam *ecqua. Pl. Men.* 1, 2, 26. Ecqua in istac pars inest praeda mihi? *Id. Mil.* 3, 1, 199. Ecqua ancilla est illi? *Ov. Fast.* 4, 488. hac gressus ecqua puella tulit? Al. leg. *siqua.* Adde non unum ex allatis *Cic.* locis, item *Verr.* 2, 4, 8. et 11., in quibus alii reponunt *ecqua:* nec analogia repugnat: nam et *aliqua*, et *siqua* dicitur. ℙ In plurali num. *Stat. Theb.* 10, 215. Ecqui aderunt, quos ingenti se attollere fama Non pigeat? ℙ *Ecquid* interdum ponitur pro num, numquid, an non. *Cic. Fam.* 7, 17. Quid agatis, et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam. *Ter. Andr.* 5, 2, 30. Age Pamphile, exi Pamphile: ecquid te pudet? *Ov. Trist.* 3, 3, 47. Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente? *Liv.* 4, 3. Ecquid sentitis in quanto contemptu vivatis? *Ov. Trist.* 3, 7, 11. Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhaeres? *Cic. Att.* 2, 2. Sed heus tu, ecquid vides, calendas venire, Antonium non venire? Adde *Liv.* 27, 10. ℙ *Ecqui* pro *ecquid. Cic. Tusc.* 1, 8. Ecqui ergo intelligis, quantum mali de humana conditione dejeceris? Al. [*et nunc quidem optimae editiones] leg. *ecquid.*

ECQUISNAM, ecquaenam, ecquodnam, ecquidnam, idem quod *ecquis*, addita solum majori quadam vi interrogandi. [*Ponitur ut sequentia exempla docent tam in directa, quam in indirecta interrogatione.] *Cic. Vat.* 16. Audire a te cupio, ecquid audieris, ecquisnam tibi dixerit, C. Caesarem dixisse, etc. *Id. Fin.* 4, 24. Illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. *Id. Top.* 21. *ad f.* Cum quaeritur, ecquidnam honestum sit, ecquid aequum. *Catull.* 28, 6. Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum? *Auct. ad. Her.* 2, 17. *ad f.* Quaerendum erit, ecquonam modo obsisti potuerit.

ECQUO, adv. motus, quonam, ποῖ. *Cic. Phil.* 13, 11. Ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus?

*ECRAGĪNO, as, fortasse i. q. aufugio. *Petr. Sat.* 61. *extr.* ed. *Anton.* Ecraginavi. Al. leg. *Egraginavi. B. A.*

*ECRECTĪCE, es, sc. regio, Ἐκρηκτική sc. χώρα, regio Ponti. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

ECSTĂSIS, is, f. ἔκστασις, ab ἐκ, et στάω, sto, excessus mentis extra se positae. *Tertull. Anim.* 45. Hanc vim ecstasin dicimus, excessum mentis, et amentiae instar. *Augustin. de Gen. ad litt.* 12. Quando avertitur, atque abripitur animi intentio

a sensibus corporis, ecstasis est. *Hieron.* 1. *Comm.* in *Isajam prooem.* Neque vero, ut Montanus somniat, prophetae in ecstasi sunt locuti. ℙ Scribitur et *extasis.*

ECTĂSIS, f. ἔκτασις, productio, extensio: ab ἐκτείνω, extendo. Ita dicitur figura poetica, qua syllaba correpta contra rationem producitur. *Charis.* 4. p. 249. et *Diom.* 2. p. 436., sed uterque Graece: Latine *Serr.* ad *A.* 10, 473.

ECTHLIPSIS, is, f. ἔκθλιψις, apud grammaticos est figura poetica, qua littera *m* simul cum vocali praecedenti ob vocalem, vel diphthongum sequentem eliditur, ut in illo *Pers.* 1, 1. O curas hominum, o quantum est in rebus inane! Vox Graeca, ab ἐκ et θλίβω, tero. *Charis.* et *Diomed. loc. cit.* in voce praeced. ℙ [*Item angustia. *Octav. Horat.* 2, 1, 13. *Gesn. Thes.*]

*ECTINI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*ECTOMON (helleborum), ἔκτομον. *Plin.* 25, 5. Nigrum (*helleborum*) alii ectomon vocant, alii polyrrhizon. *Plin.* 25, 5. ed. *Hard.* Al. leg. *entomon. B. A.*

ECTRŌMA, ātis, n. ἔκτρωμα, abortus: ab ἐκ et τιτρώσκω, pario. Translate. *Tertull. adv. haer.* 7. Et quod proxime Valentinus proposuit, unde Deus? scilicet de enthymesi et ectromate [*i. e. ex perversa mente et imaginatione.]

*ECTROMATIUS, a, um, abortum faciens. *Plin.* 14, 16. Vinum ectromatium vocant, quoniam abortus facit. Sic ed. *Basil.* 1530. Al. leg. *phthorium.* V. *Phthorius, a, um. B. A.*

ECTRŌPA, ae, f. ἐκτροπή, diverticulum viae: a τρέπω, verto. *Varr.* ap. *Non.* 4, 422. Et, ne erraremus, ectropas esse multas, omnino tutum esse, sed spissum iter.

ECTYPUS, a, um, adj. ἔκτυπος, qui ἐκ τύπου, ex typo seu forma, premendo calcandoque fit, ex argilla seu creta, ita ut imagines paulo exstantiores appareant. *Plin.* 35, 12, 43. Dibutades, Sicyonius figulus, primus invenit fingere ex argilla similitudines, et personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quae inter initia protypa vocavit: postea idem ectypa fecit. V. ANTEFIXUS et TYPUS. ℙ Translate *extypae imagines*, seu *scalpturae* dicuntur, quae in gemmis non impressione, sed scalpro figurantur: *cammei* Itali vocant. *Sen. Ben.* 3, 26. Coenabat Paulus praetorius, imaginem Tiberii Caesaris habens ectypam, et eminente gemma. *Plin.* 37, 10, 63. Hae sunt gemmae, quae ad ectypas scalpturas aptantur.

*ECULĔO, onis, (ab *Eculeus*,) historiam quampiam de rebus gestis a Tiberio, vel certe de picturis volumen aliquod videtur condidisse. *Plin.* 35, 10. ubi tamen suspicatur *Hard.* scribendum *D. Aculeo*, h. e. Decimus Aculeo; nam vox, ait, Eculeo in Romanis familiis non reperitur. *B. A.*

ĔCŬLĔUS. V. EQUULEUS.

ED

ĔDĀCĪTAS, atis, f. πολυφαγία, ingluvies, voracitas. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. *extr.* Edacitatem pueri pertimesco. [*Id. Fam.* 7, 26. Stoici δυσεντερικὰ πάθη morbum edacitatis esse putant.] *Pl. Pers.* 1, 2, 7. Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.

ĔDAX, ācis, adj. ἀδηφάγος, vorax: ab *edo. Cic. Flacc.* 17. Edacem hospitem amisisti. [*Id. *Fam.* 9, 20. Proinde te para, cum homine edaci tibi res est. Se ipsum intelligit per jocum hortans Paetum, ut se hospitem lautius accipiat.] *Colum.* 6, 2. *ad f.* Boves multi cibi edaces. [*Schneid. vocem *edaces* uncis inclusit.] *Sen. ep.* 60. Vastissimorum, edacissimorumque animalium aviditatem vincere. ℙ Translate. [*Cod. 4, 65, 18. Edaci locustarum pernicie sterilitatis vitium intercessit.] *Hor. Od.* 2, 11, 18. Curae edaces, *h. e.* quae habentes macerant, et consumunt. *Ov. Am.* 1, 15, 1. Livor edax. *Id. Met.* 15, 234. Tempus edax rerum. Sic *Prud. Apoth.* 1141. Edax senium. Et *Virg. A.* 2, 758. Ignis edax. ℙ Est etiam idem quod rapax. *Val. Fl.* 6, 420. Cervos petit Umbro venator edaci. *Ov. Am.* 2, 6, 33. Edax vultur.

ĔDĔĀTRAE, qui praesunt regiis epulis, ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων. *Festus.* Alii scribunt *edeatroe* a recto plural. ἐδέατροι.

ĔDĔCIMĀTUS et Edecumatus, a, um, part. ab *edecimo*, electus, praestans: quasi e decem selectus. *Festus.* Edecimata, electa. *Macr. Sat.* 1, 5. *extr.* Probavere omnes Q. Aurelii judicium, quo edecumatos elegit sodales. Et *ib.* 2, 1. Joci ex multijugis libris edecumati.

ĔDĔCIMO et Edecumo, as, a. 1. eligo, seligo, quasi ex decem. *Symm. ep.* 5, 81. (al. 83.) Ut equos ex Hispania lectissimae nobilitatis edecument. Adde *ep.* 9, 21. (al. 23.)

*EDENĀTES, ium, populi Alpini, ubi nunc fere *Savoy* et *Provence*. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

[ĔDENTĀNĔUS, a, um, adj. idem ac edentulus. *Not. Tir.* p. 111. *F.*]

ĔDENTĀTUS, a, um, partic. ab *edento*, ἀποδοντωμένος, dentibus privatus. *Macr. Sat.* 7, 3. Scomata minus aspera, quasi edentatae belluae morsus.

ĔDENTO, as, a. 1. ἀποδοντόω, edentulum facio excussis dentibus. *Pl. Rud.* 3, 2, 53. Nimis velim, improbissimo homini malas edentaverint.

ĔDENTŪLUS, a, um, adj. ἀνόδους [*τωδός], qui sine dentibus est. *Capell.* 4. p. 116. Edentulum non illum dicimus, qui dentes non habet, sed cui natura inest, ut habeat ex illo tempore, quo natura permittit, ut habeat. Nam neque lapidem recte dicimus edentulum, qui nunquam dentes habet; neque infantem, qui, quamvis aliquando habere possit, nondum tamen illo tempore ut habeat, natura permittit. Haec *Capella*, sed tamen etiam de infantibus dixit *Arnob.* 3. p. 108. Edentulos Deos esse parvulorum ritu credendum est. ℙ De vetulis *Pl. Cas.* 3, 2, 20. Propter operam illius improbi edentuli. *Id. Most.* 1, 3, 118. Vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco occulunt. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 305. Edentularum cantilenae. *Tert. Pall.* 5. Muraena bestia edentula, et exunguis, et excornis. ℙ Translate Vinum edentulum, apud *Pl. Poen.* 3, 3, 86. dicitur, quod vetustissimum est, vel potius quod vires non habet ad inebriandum. Sic *Alexis* ap. *Eustath.* ad *Odyss. β. Οἶνον παλαιότατον σπουδάζομεν, ὅτι οὐ δάκνει, ἀλλὰ ἱλαροὺς ποιεῖ.* ℙ *Edentulus* est etiam cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 21, 8. M. Sulpicius Edentulus.

ĔDĔPOL et Aedepol, νὴ τὸν Πολυδεύκη, adv. jurandi per Pollucem, pro *medepol*, h. e. *me deus Pollux adjuvet*: vel, si diphthongus placeat, *per aedem Pollucis.* Fuit juramentum olim feminarum proprium, ex initiis Eleusiniis acceptum: paulatim vero, ex inscitia antiquitatis, a viris quoque usurpatum, ut *Varr.* ap. *Gell.* 11, 6. docet. *Ter. Andr.* 1, 2, 5. Quaeso edepol Charine. *Id. Hec.* 1, 2, 8. *Sy.* Salve mecastor, Parmeno. *Pa.* et tu edepol, Syra. *Id. Phorm.* 5, 1, 8. Certe edepol meae nutricem gnatae video. *Pl. Mil.* 4, 1, 41. Edepol haec quidem bellula est. *Id. Most.* 5, 1, 34. Imo edepol negat profecto. *Id. Asin.* 3, 2, 14. Nae illa edepol memorari possunt. ℙ Pro *edepol* dictum est etiam *epol*, ut *ejuno*, *ecastor* etc. Itaque *epol* a multis legitur variis in locis *Plauti*, et *Terentii*, et *Caecil.* ap. *Non.* 2, 354., tametsi ubique dubia est lectio.

ĔDĔRĀ. V. HEDERA.

*EDESSA, ae, f. Ἔδεσσα, urbs Macedoniae, in Emathia, inter Pellam et Gordyniam. In ea Macedonum reges sepeliebantur. *Liv.* 45, 29. *Justin.* 7, 1. Aege, Aegae, vel Aegea postea est nominata. Reperitur et *Aedessa* ap. *Plin.* 6, 34. astipulante *Ptol.*, quam tamen formam plane improbat *Vossius* ad *Mel.* 2, 3. *init.* ℙ Item oppidum Mesopotamiae, non procul ab Euphrate, (V. v. seq.) *Tac. A.* 12, 12. *Eutrop.* 7, 11. In Arabia ponit *Plin.* 5, 24. aitque Antiochiam olim dictam esse. Revera in ea Mesopotamiae parte est sita, quam Arabes incoluere. Olim *Rhages* dicta, teste *Hieron. de traditionibus Hebraicis. B. A.*

[ĔDESSAEUS, a, um, et

[ĔDESSĒNUS, a, um, adj. Ἐδεσσηνός, ad Edessam pertinens, Mesopotamiae urbem, olim Osroeni regni caput, nunc *Roha* sive *Orfa*. *Liv.* 42, 51. Trium ferme millium hominum dux erat Antiphilus Edessaeus. *Ammian.* 18, 7. Sabinianus per Edessena sepulcra, quasi fundata cum mortuis pace, nihil formidans, etc. *F.*]

*ĔDĔTĀNUS, a, um, adj. ad Edetam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, quae a *Ptol.* 2, 6. Ἰδηται appellatur, eadem ac Liria. ℙ *Edetani*, *orum* sunt incolae illius urbis, et regionis Edetanae, memorati a *Plin.* 3, 3, 4. *Liv.* 27, 24. eos *Sedetanos* appellat. ℙ *Editanus* etiam scribitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 481, 1. M. Valerio Cereali Editano. ℙ Etiam *Sedetani* vel *Sidetani* audiebant. *B. A.* et *F.*

*ĔDĪBĬLIS, e, adj. qui edi potest. *Gloss. Philox.* Edibilis, βρώσιμος. *B. A.*

ĔDĪCO, is, ixi, ictum, n. 3. παραγγέλλω, διαγορεύω: ab *e*, et *dico*, quasi extra dico, publice et aperte dico, expono. *Ter. Eun.* 5, 5, 20. Dico, edico vobis, nostrum illum esse herilem filium. [*Id. Or.* 39. Nullus fere a Demosthene locus sine conformatione sententiae edicitur. *Leg.* 2, 10. Ut ego, uti rogas, possim edicere. Ain tandem, Attice? non es edicturus aliter. Ubi *Davis.* contendens *edicere* non esse privatorum, sed magistratuum, utrobique reposuit *dicere*, *dicturus.*] *Cic. Amic.* 16. Alius igitur finis verae amicitiae constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. [*Ubi *Cic.* edixero cum vi quadam posuisse videtur.] *Id. Att.* 1, 18. *extr.* Ne absens censeare, curabo edicendum, et proponendum locis omnibus. [*Cic. *Verr.* 2, 3, 7. Censores ... legem his rebus quam (alii: quae) ipsis videretur edicerent, i. e. publice proponerent, ut cognosci conditiones locationis possint. *Id. Off.* 3, 20. Marius a subselliis in rostra recta, idque quod communiter compositum erat, edixit.] *Sall. Cat.* 49. Jussus a consule, quae sciret, edicere. ℙ [*Serioris aetatis scriptores saepius pro simplici *dicere* usi esse videntur. V. *Munck.* ad *Fulg. Mythol.* p. 621. ℙ Item *edicere* est pronuntiare, quod de suffragiis et sententiis judicum dicitur. V. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 30, 5. *init. Cort. Sall. Cat.* 48.] ℙ Item jubeo. *Ter. Eun.* 4, 7, 33. Miles, edico tibi, ne vim facias ullam in illam. ℙ Saepissime dicitur de magistratibus aliquid publice jubentibus, et praecipue de praetoribus jus publice dicentibus. *Cic. Verr.* 2, 2, 27. Si quis eum pulsasset, edixit, sese judicium injuriarum non daturum. *Id. Off.* 3, 20. Id, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. *Id. Pis.* 8. Consulem edicere, ut senatus senatusconsulto ne obtemperet. [*Id. Att.* 12, 7. Antonius edixit, ita ut me et Laelium exciperet. *Id. Vat.* 14. Edixeritne praetor, ... ut adesses die tricesimo. *Id. Fam.* 11, 6. Quum tribuni plebis edixissent, adesset senatus a. d. XIII. Kal. Jan.] *Id. Phil.* 6, 1. Edicere justitium. *Id. Q. Fr.* 2, 2. comitia a. d. XI. cal. Februar. *Liv.* 2, 52. Duo millia aeris damnato multam edixerunt. *Id.* 3, 38. *sub f.* Senatum in diem posterum edicunt. Al. aliter leg. *Id.* 8, 36. *ad f.* Dictator praedam omnem edixerat militibus. [*Cic. *Verr.* 2, 1, 53. Edicere diem. *Ib.* Nondum proscripta, neque edicta die.] *Id.* 31, 11. Edicere exercitui diem ad conveniendum. [*Hinc saepe de duce usurpatur, qui imperata dat militibus. V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 35, 2.] *Id.* 26, 18. diem comitiis. Et *ib.* 51. Tarraconem omnibus sociis edixerat conventum. *Tac. H.* 2, 91. Edicere de caeremoniis. *Suet. Cal.* 26. de natali. *Liv.* 10, 36. Edicto, ut quicumque ad vallum pergeret, pro hoste haberetur. ℙ Cum infinito. *Sil.* 7, 313 Cornibus arentes edicam innectere ramos. Et *ib.* 527. propere capere arma maniplis Edicit. ℙ *Edicere* dicebantur praetores, qui initio magistratus proponebant, ac denunciabant, qua formula, et quibus de rebus jus eo anno essent dicturi. V. ĔDICTUM. *Cic. Fin.* 2, 22. *a med.* Est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in jure dicendo. [*Accurate exposuit de hac voce *Brisson.* de *Form.* s. v. *Edictum.* Adde *Heinecc.* eod. l.] ℙ Partic. *Edicturus* ap. *Liv.* 22, 33. In eam diem, quam jussissent, comitia edicturus. ℙ *Edice* in imperativo pro *edic* habent *Virg. A.* 11, 463. et *Stat. Theb.* 12, 598. [*V. *Ruddim. Inst.* 1. p. 266.] ℙ *Exdeico* legitur in veteri S. C. de Bacchanalib. apud *Fabrett.* p. 427. prisco et obsoleto scribendi more. ℙ [*Confunduntur saepe a librariis *edicere* et *edere*. V. *Interpp.* ad *Suet. Caes.* 18. *Aug.* 72. *Drak.* ad *Liv.* 21, 72, 8. *Edicere* et *dicere. Id. ib.* 33, 14, 11. *Edicere* et *indicere Id. ib.* 31, 49, 12. *Edicere* et *et dicere. Id. ib.* 30, 5, 1.]

ĔDICTĀLIS, e, adj. ad edictum pertinens, ut Edictalis lex, Edictalis bonorum possessio, *h. e.* edicto delata etc. ap. *Ulp. Dig.* 38, 6, 1. [*Cass. *Var.* 1, 31. 2, 24. 7, 42. Edictale programma, i. e. principis edictum.]

ĔDICTĬO, onis, f. idem ac edictum. *Pl. Capt.* 4, 2, 31. Basilicas edictiones atque imperiosas habere. Et *Pseud.* 1, 2, 10. hanc edictionem nisi animum advortitis.

ĔDICTO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιφάσκω, eloquor, enuncio: frequent. ab *edico*, quod interdum pro simplici accipitur. *Pl. Epid.* 1, 2, 2. Atque amorum summam edictavi tibi. *Id. Amph.* 2, 2, 184. Tute edictas facta tua, ex me quaeris quid deliqueris.

ĔDICTUM, i, n. διάταγμα, jussum, litterae consulum, praetorum, et aedilium curulium, tribunorum plebis, et aliorum magistratuum, quibus aliquid imperatur: ab *edico*, quod est promulgare, jubere. *Cic. Quint.* 19. Quod praetor non fieri, sed ex edicto suo fieri jubet. *Id. ib.* 23. Si ex edicto possedisti. [*Cic. *Manut.* 19. ubi edictum ad tribunos plebis pertinet.] *Id. Flacc.* 28. Sanxit edicto, ne frumentum ex Asia exportari liceret. [*Quanquam hunc locum cum *Ernest.* in *Clav.* rectius ad §. 3. retuleris.] *Hor. Ep.* 2, 1, 239. Edicto vetare. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. Hereditatem alicui condonare edicto. *Liv.* 28, 25. Proponere edictum, ut, etc. ℙ Nomine Edicti potissimum Edicta praetorum intelliguntur. Hi, ut scirent cives, quod jus de quaque re dicturi essent, et quomodo dicturi essent, formulam quandam Kal. Jan. proponebant, quae *Edictum Praetoris* dicebatur. Primis temporibus haec edicta mutare praetoribus licuit. Sed tamen id probri loco Verri *Cicero* objecit, cum dixit, eum ne ex edicto quidem suo jus semper dixisse. Post lege C. Cornelii Sullae tribuni pleb. anno U. C. DCLXXXVII. cautum est, ut ex edictis suis perpetuis praetores jus dicerent, ut narrat *Ascon. in argum. orat. pro C. Cornel.* Quare quod semel edictum promulgaverant praetores urbani, id iidem sine reprehensione mutare in provincia, siquam postea obtinuissent, non potuerunt. Hadrianus vero Aug., usus opera Salvii Juliani JCti, et patrui M. Didii Juliani Aug., omnia edicta, quae adhuc erant in usu forensi, uno libello complexus *Edictum perpetuum* edidit, cujus auctoritas diu mansit apud JCtos. *Eutr.* 8, 17. et *Hieron.* in *Euseb. Chron.* ad an. a Chr. n. 133. ℙ

Porro praeter edictum hoc perpetuum, erant edicta praetoris peculiaria, quae in re peculiari dabantur: quorum passim in libris *Digest.* exempla leguntur. *Pers.* 1, 134. His mane edictum, post prandia Callirhoen do, *h. e.* mando, ut mane in foro versentur, in litibus et actionibus forensibus occupati. ℙ Est etiam edictum privati hominis. *Ter. Heaut.* 4, 1, 10. Primum hoc te oro, ne quid credas me adversus edictum tuum facere esse ausum. ℙ Ponitur interdum pro simplici enunciatione. *Senec. ep.* 117. *ante med.* Non corpus est, quod nunc loquor, sed enunciativum quiddam de corpore, quod alii effatum vocant, alii enunciatum, alii edictum.

ĒDICTUS, a, um, part. ab *edico*, denunciatus, indictus. *Plin.* 12, 19, 42. Edicto mercatu rex vendit. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Comitia edicta. ℙ [*Confunduntur a librariis *edictus* et *editus*. V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 62, 7. 22, 10, 8. *Editus* et *eductus*. V. *Id. ib.* 39, 15, 11.]

ĒDILIS, e, adj. ἐδώδιμος, ad esum pertinens. *Gell.* 17, 11. Ut edilia quidem omnia defenderet ab arteria. Al. melius leg. *edulia*.

ĒDISCO, is, didici, a. 3. ἐκμανθάνω, memoriae mando. *Cic. Tusc.* 1, 11. Ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. *Sen. ep.* 123. *in f.* Haec discenda, imo ediscenda sunt. *Cic. Ac.* 4, 44. Ediscendus ad verbum libellus. *Val. Flacc.* 1, 368. Ediscere vultus alicujus. ℙ *Edidici*, memoria teneo. *Tib.* 2, 2, 12. Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos. Adde *Ov. Pont.* 3, 7, 4. ℙ Pro simplici disco, perdisco. [**Cic. Or.* 1, 58. Qui istam artem (juris civilis) primum facillimam non ediscant.] *Ov. Her.* 7, 179. dum tempore, et usu Fortiter ediscо tristia posse pati. *Hor. Ep.* 2, 2, 144. verae numerosque modosque ediscere vitae. ℙ Pro intelligere, vel audire. *Ov. Met.* 13, 246. edidici, quid perfida Troja pararet. ℙ [*Confunduntur a librariis *ediscere* et *addiscere*. *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 939.]

*EDISSA, ae, f. oppidum Siciliae, cum portu cognomine. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. init. ubi tamen pro *Edissae* legere *Cluverius* mavult *Odysseae*, quod nunc e codd. receptum est. *B. A.*

ĒDISSĔRĀTOR, oris, m. qui edisserit, et explanat. *Auson. Sept. Sap. prol.* 61. sed si memoria Rebus vetustis eludit, veniet ludius Edisserator harum, quas teneo minus. Al. leg. *Edissertator*.

ĒDISSĔRĀTUS. V. EDISSERTATUS.

ĒDISSĔRO, is, erui, ertum, a. 3. plane dissero, διεξέρχομαι, explano, declaro. *Cic. Brut.* 17. Quis docendo edisserendoque subtilior? *Id. Leg.* 2, 22. Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae etc. *Liv.* 27, 7. Productus in concionem Laelius eadem edisseruit. Al. aliter leg. *Id.* 34, 52. Senatus Quintio ad res gestas edisserendas datus. [*V. *Gronov.* ad *Liv.* 41, 6, 5. *Drak.* ad *Liv.* 27, 7, 4.] *Virg. A.* 2, 149. mihique haec edissere vera roganti, *h. e.* ordine cuncta narra. *Servius. Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 12. Quod quamquam a me quoque pro qualitate loci sic eddissertum sit. *Tac. Hist.* 3, 52. Cunctandi utilitatem edisserens. *Just.* 31, 5. Viam gerendi belli edisserturus. ℙ [*Confunduntur saepe a librariis *Edisserere* et simplex *disserere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 27, 7, 4.]

ĒDISSERTĀTĬO. V. DISSERTATIO.

ĒDISSERTĀTOR. V. EDISSERATOR.

ĒDISSERTĀTUS, a, um, part. verbi *edisserto*, explanatus, expositus. *Arnob.* 1. p. 34. Illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edissertata sermonibus. *Tert. Resurr. carn.* 33. Nullam parabolam non ab ipso invenias edissertatam. Al. leg. *edissertam*, alii *edisseratam*.

ĒDISSERTĬO, onis, f. edissertatio, dissertatio. *Hieron.* in *Matth.* 21. Vestis Apostolica vel doctrina virtutum, vel edissertio Scripturarum intelligi potest. V. DISSERTATIO.

ĒDISSERTO, as, a. 1. freq. ab *edissero*. *Pl. Amph.* 2, 1, 52. Ordine omne, uti quidque actum est, edissertavit. [**Id. Stich.* 2, 1, 30. Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem. *Liv.* 22, 54, 8. Non aggrediar narrare, quae edissertando minora vero fecero. Sic *Drak.* quem vid.]

ĒDISSERTUS, explanatus. V. EDISSERTATUS.

ĒDĪTĀNUS. V. EDETANUS.

ĒDĪTĬCĬUS, a, um, adj. qui editur, hoc est promulgatur, aut exhibetur. *Editicii judices* apud *Cic. Planc.* 15. et *Mur.* 23. sunt, inquit *Serv.* ad *Ecl.* 3, 50., quos una pars eligit. Plenius autem ita dicuntur, qui in causa sodalitatis (de qua *pro Planc.* sermo est) ab accusatore delecti ex omni populo exhibebantur reo, ut judicarent. Lege enim Licinia cautum erat, ut in crimine sodalitatis a solo accusatore judices ederentur, neque delecti ex solo ordine judicantium, ut in ceteris causis, sed ex omni populo, praesertim vero ex iis tribubus, quae a reo largitionibus corruptae esse dicerentur: qui judices, sine ulla rejectione a reo facta, judicarent, ut colligitur ex *Cic. Planc.* 15, 16. et 17. quam rem Ser. Sulpicius etiam in causa ambitus contra Muraenam tentaverat, ut *Id. Mur.* 23. docet. [*Alibi non videntur commemorari.]

ĒDĪTĬO, onis, f. ἔκδοσις, actus edendi, seu publicandi, omniumque oculis exponendi. *Cic. Planc.* 15. et 16. Editio judicum vel tribuum. V. EDO, edidi. *Liv.* 4, 23. In tam discrepanti editione et Tubero, et Macer libros linteos auctores profitentur. [*i. e. *bei einer so verschiedenen Angabe.*] *Tac. Ann.* 3, 37. Diem editionibus, noctem conviviis trahere, *h. e.* editionibus ludorum: quo sensu usurpant etiam *Vop. Carin.* 20. et *Symm. ep.* 4, 8. et *Inscr.* ap. *Grut.* 404, 2. ℙ De emissione librorum. *Sen. Ben.* 4, 28. *a med.* Monumenta ingeniorum publicavit editio. *Quint. ep. ad Tryphon.* Horatius in arte poetica suadet, ne praecipitetur editio. *Id.* 5, 11. *sub f.* Versus Homeri, qui tamen non in omni editione reperitur. *Plin. ep.* 3, 15. Libelli editione digni. Adde *ep.* 1, 2. ℙ Editio partus, apud *Tertull. adv. Jud.* 1. est ipsa pariendi actio. Sic Editio fetus apud *Ulp. Dig.* 2, 1, 70. ℙ Apud JCtos *editio* est exhibitio, et ostensio actionis, qua actor reum in jure convenit. *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 13. *qui est* De edendo, 1. Editiones sine die et consule fieri debent. Sic *Id. ib.* 4. Editio rationum. [**Burm.* ad *Quint.* 1, 1. p. 5.] ℙ Editio operarum, apud *Nerat. Dig.* 38, 1, 50. est exhibitio, et praestatio operarum, quae quis alicui debet, inserviendo ei, cui obnoxius est, et sui artificii munus fungendo.

ĒDĪTOR, oris, m. qui edit, *h. e.* emittit. *Luc.* 2, 423. Nocturnae editor aurae. Loquitur de fluvio nebulas gignente. ℙ Editores munerum, sive ludorum. *Vopisc. Carin.* 21. Quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua mimis et balatronibus deputarent. *Capitol. Anton. philos.* 23. Populi R. voluptates curari vehementer praecepit per ditissimos editores.

ĒDĪTUS, a, um, part. ab *edo*, altus, excelsus, ὑψηλός. [**Edita* loco opponuntur *planis*, ut *celsa humilibus*. *Tac. A.* 15, 27. Corbulo plana, edita, validos invalidosque pari metu complet. Hinc legitur apud eundem *Tac. H.* 3, 71. Locus editus in altum. Cf. *Döderl. Syn.* II. p. 99.] *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Locus praecelsus atque editus. *Caec. B. C.* 1, 7. Locis editioribus occupatis. [**Sen. N. Q.* 7, 5. Editior coeli pars.] *Hirt. B. Al.* 31. Editissimus locus. *Tac. Ann.* 4, 46. Edita montium. [**Nep. Dion.* 9. In edito conclavi recubuerat, *h. e.* in edita domus parte, ut *Tac. A.* 6, 21. loquitur.] ℙ Ex edito. *Plin.* 31, 3, 27. Quod ex edito quidam speculantur. ℙ In edito. *Suet. Aug.* 72. Erat illi locus in edito singularis. [*i. e. locus in altiore domus parte remotus. V. *interpp.* ad *Nep. Dion.* 9, 1.] ℙ Accipitur etiam pro exhibito, promulgato ἔκδοτος. *Vellej.* 2, 94. Editis virtutum experimentis. *Caes. B. C.* 3, 29. Editus in vulgus. *Cic. Tusc.* 3, 1. in lucem. [**Ov. Fast.* 3, 65. Editus patre. i. e. qui jam pro patre habebatur. V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Item pro electo, ut Editi judices, *Cic. Planc.* 17. V. EDITICIUS. ℙ Viribus editior *Hor. Sat.* 1, 3, 110. est superior. ℙ Est etiam *editus*, natus. *Hor. Od.* 1, 1, 1. atavis edite regibus. *Ov. Her.* 5, 10. Edita de magno flumine Nympha. ℙ Item emissus, egestus. *Plin.* 28, 4, 7. Inter amuleta est, editae quemque urinae inspuere. ℙ *Edita* absolute, mandata, edicta, jussa. *Ov. Met.* 11, 647. Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus Eligit. ℙ *Edita aetas* ap. *Gell.* 3, 15. est acta, decursa, confecta: ea ratione, qua *edere vitam*, pro finire, dixit *Cic. Fin.* 5, 2. Sunt tamen, qui apud *Gell.* aliter legunt. ℙ [*Observa in libris mss. saepe permutari *editus* et *eductus*. V. *Drak.* ad *Liv.* 39, 15.]

ĒDĪTUS, us, m. 4. editio, ejectio. In ablat. sing. *Ulp. Dig.* 32. 53. *a med.* In quibusdam provinciis editu boum ad hanc rem utuntur, *h. e.* stercore.

ĒDO, is, et es, edit, et est, ēdi, ēsum, a. 3. ἐσθίω, φάγω, ἔδω, comedo, vescor. Multas personas, et tempora similia habet verbi *sum:* quae hic subjicientur. [**Cic. Tusc.* 5, 34. Nec esuriens Ptolemaeus ederat. *Id. Fin.* 2, 7. Edere de patella. *Id. Lael.* 19. Verum est multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. *Auct.* ad *Her.* 4, 28. Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas.] *Cic. Att.* 13, 52. Itaque edit, et bibit ἀδεῶς et jucunde. *Cels.* 4, 17. *extr.* Edisse etiam lupinum et allium prodest. *Pl. Most.* 1, 1, 61. Bibite, este, effarcite vos. *Id. Cas.* 2, 3, 32. Bibe, es, disperde rem. *Hor. Sat.* 2, 2, 57. Quinquennes oleas est, et silvestria corna. Et *ib.* 116. Non ego (narrantem) temere edi luce profesta Quidquam praeter olus. *Cic. N. D.* 2, 3. Mergi pullos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. *Ter. Eun.* 3, 4, 2. Ut de symbolis essemus. *Cato R. R.* 156. Brassicam esto vel coctam, vel crudam. *Val. Max.* 4, 3. *extr.* Si Dyonysium adulare velles, ita non esses. *Pl. Pseud.* 3, 2, 35. Herbas in alvum congerunt formidolosas dictu, non esu modo. *Id. Stich.* 1, 3, 29. Nulli negare soleo, si quis esum me vocat. [*i. e. ad edendum me invitat.] ℙ Significat etiam absumere, consumere, corrodere. *Virg. G.* 1, 151. ut mala culmos Esset rubigo. *Id. A.* 5, 683. lentusque carinas Est vapor. ℙ Translate. *Id. ib.* 4, 66. est mollis flamma medullas. [**Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 15, 41. ad *Cons.* ad *Liv.* 134.] *Val. Flacc.* 5, 364. pulcrum longissima quando Robur cura ducis, magnique edere labores. *Mart.* 11, 91. Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi. *Sil.* 13, 665. nec edunt oblivia laudem. *Hor. Ep.* 1. 2, 39. si quid est animūm, differs etc. *Virg. A.* 12, 801. Nec te tantus edat tacitam dolor. [**Pl. Amph.* 1, 1, 153. Edere pugnos. i. e. perculi pugnis.] *Pl. Aul.* 3, 6, 1. Nimium libenter edi sermonem tuum, *h. e.* attente et avide audivi, hausi, devoravi. Graeci quoque dicunt φαγεῖν ῥήματα. [*V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 268. p. 508.] ℙ Infinitum *esse* pro *edere* ponitur pro passivo *edi*, et cum aliis infinitis passivis jungitur in illo *Pl. Most.* 4, 2, 42. Et 43. Triduum unum haud est intermissum hic esse, et bibi, scorta duci, pergraecari. Sunt tamen, qui cum *Lambino* leg. *essi* et *bibi*. ℙ *Estur* passive pro *editur*. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Colubra ipsa tuto estur. *Ov. Pont.* 1, 1, 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. ℙ Alias praeterea personas similes verbi *sum* afferunt grammatici, *es* pro *edis*, *estis* pro *editis*, *estote edite*, *essem ederem*. Docent etiam, quae ab *edo* declinata usurpantur, veterum esse: quae verbi *sum* similia, recentiorum, et magis usitata. *Diom.* 1. p. 357. *Prisc.* 10. p. 893. et *Serv.* ad *Virg. c.* 4. *A.* ℙ Particip. *Edens* ap. *Ov. Met.* 2, 768. videt intus edentem Vipereas carnes. *Esurus* ap. *eund. Her.* 9, 37. Inter serpentes, aprosque, avidosque leones Jactor, et esuros terna per ora canes. Adde *Pl. Rud.* 1, 2, 93. *Edendus* ap. *Ov. Her.* 11, 90. Viscera montanis ferret edenda lupis. ℙ *Eserim* pro *ederim* tribuitur *Appul. Met.* 4. p. 152, 32. Quamquam hordeum jurulentum semper eserim. Al. leg. *ederim*. ℙ *Esus sum* in praeter. pro *edi*, *Sol.* 17. *ad f.* Quas (*carnes*) ubi esae sunt (*tigres*), fauces earum angina obsidentur. [*V. *Salm.* p. 212.] ℙ In supino *estum* quoque dici pro *esum*, docet *Prisc. l. c.* ℙ *Edim*, *is*, *it*, pro *edam* comicum est. *Pl. Aul.* 3, 2, 16. *Poen.* 3, 1, 34. (ubi *edimus* pro *edamus*) et 4, 2, 45. *Capt.* 3, 1, 1. et alibi: item *Caec. Nov.* (qui *editis* dixit pro *edatis*) et *Pomp.* ap. *Non.* 10, 18. Tribuitur et *Virg. A.* 12, 801., item *Hor. Epod.* 3, 3., sed dubia lectione. [*Sed *edit* pro *edat* legitur etiam *Hor. Sat.* 2, 8, 90. ad quem loc. V. *Heind.*] *Cic.* dixit *comedim*. V. COMEDO.

ĔDO, is, edidi, editum, a. 3. ἐκδίδωμι, ab *e* et *do*, quasi extra do, emitto, profero. [**Plin.* 10, 52. Feminam edunt, quae rotundiora gignuntur ova.] *Cic. Div.* 2, 23. Edere magnum clamorem. *Id. Q. Fr.* 2, 10. miros risus. *Colum.* 5, 6. Ulmus edit frondem. *Ov. Fast.* 1, 444. dulces modos. *Id. Met.* 4, 587. questus. *Id. ib.* 9, 207. gemitus. Et *ib.* 4, 450. latratus. Et *ib.* 2, 669. hinnitus. *Val. Fl.* 5, 457. Cum se Sole satus patriis penetralibus edit, *h. e.* exit. Al. leg. *infert*. *Liv.* 38, 13. Maeander ex arce Celaenarum ortus, in sinum maris editur, *h. e.* erumpit, influit. [**Plin.* 28, 4. Edere urinam, i. e. mejere.] *Colum.* 2, 15. *de stercore*. Quod gallinae ceteraeque volucres edunt, *h. e.* egerunt. ℙ Edere corpus in equum, est attollere. *Tibull.* 4, 1, 114. Ipse tamen velox celerem super edere corpus Gaudet equum. [*i. e. insilire.] Hinc *editus*, altus. ℙ Pro *mori* eleganter dicimus cum *Cic. Phil.* 12, 9. Extremum vitae spiritum edere. [**Interpp.* ad *Ov. Met.* 14, 777. *Her.* 9, 61. *Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 36.] *Id. Sext.* 38. animam. Et *Fin.* 5, 2. vitam. ℙ Pro parere. *Id. N. D.* 2, 52. Edere partum. Et poetice *Virg. A.* 7, 660. quem partu sub luminis edidit oras. *Ov. Met.* 6, 336. edidit geminos. *Virg. A.* 8, 137. Electram maximus Atlas Edidit, *h. e.* genuit. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 2, 30. Edere luci. Alius ap. *eund. Tusc.* 1, 48. Edi in lucem, i. e. nasci. ℙ Pro ferre, gignere. *Cic. N. D.* 2, 63. Oves nullum fructum edere ex se, sine cultu hominum et curatione potuissent. *Suet. Gramm.* 23. Vitem manu ejus institutam satis constat trecenta sexaginta vasa edidisse. [**Justin.* 2, 2. Haec continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus, ubi *edidit* positum pro: progenuit. Alii scripserunt *dedit*, quod pro interpretatione habendum.] ℙ Pro fari, dicere. *Virg. A.* 5, 799. Saturnius haec edidit. Et *ib.* 7, 194. Atque haec ingressis placido prior edidit ore. *Val. Fl.* 4, 24. tales edere voces. *Cic. Tusc.* 2, 8. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit? *Ov. Fast.* 4, 318. Hos edit, crine jacente, sonos. Et 910. Edidit haec flamen verba. ℙ Ponitur etiam saepe pro dicere, narrare, exponere, proferre. *Cic. Leg.* 3, 20. Edant et exponant, quid in magistratu gesserint. *Hor. Sat.* 2, 5, 61. Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, edam. *Id. ib.* 4, 10. et *Ov. Met.* 3, 580. Edere nomen et patriam alicujus. *Id. ib.* 61. quis sis, nondum quaerentibus edo. [*V. *Broukh.* ad *Tib.* 2, 7, 55.] *Id. Fast.* 3, 855. Mittitur ad tripodas, certa qui voce reportet, Quam sterili terrae Delphicus edat opem, *h. e.* monstret. *Cic. Leg.* 2, 7. *extr.* Leges eden-

tur a me non perfectae, sed summae rerum, *h. e.* proferam, recitabo. *Liv.* 5, 36. et *Curt.* 10, 8. *a med.* Edere mandata alicujus. *Cic. Off.* 2, 22. Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia, perituram. [*ubi alii legunt *oraculum. Oraculo edere* a Ciceronis usu alienum censent *Graev.* et *Gernh.*] *Ov. Fast.* 1, 91. Edere causam, cur etc. *Id. Am.* 1, 1, 1. Arma et bella edere, *h. e.* describere, dicere, canere. ℙ Pro exhibere, dare. *Liv.* 28, 21. Munus gladiatorium edere. *Tac. A.* 1, 15. proprio sumptu ludos. *Id. A.* 18, 17. et *Suet. Caes.* 44. spectaculum. *Id. Galb.* 6. elephantos funambulos, *h. e.* spectandos exhibere. *Id. Caes.* 39. venationes. [**Drak.* ad *Liv. Ep.* 28.] ℙ Pro divulgare. *Cic. Brut.* 5. Ut illos de republica libros edidisti. *Id. Ac.* 4, 4. Edere librum contra aliquem. *Id. Sull.* 15. Tabulas dividi passim et pervulgari atque edi populo imperavi. *Nep. Dat.* 6. Edit in vulgus, suo jussu Mithrobarzanem profectum. [*Plene dicitur *edere rumorem*, quod habet *Liv.* 3, 33. Adde *Curt.* 3, 3, 7.] ℙ Pro praebere, ostendere. *Ter. Eun.* 5, 7, 71. Uterque in te exempla edent, *h. e.* novis dirisque cruciatibus, quae pro exemplis narrentur aut quae documenta sint ceteris, te punient. *Don. Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Edere exemplum severitatis. *Caes. B. G.* 1, 31. Omnia exempla cruciatus edere in aliquem. Adde *Liv.* 29, 9. *extr.* ℙ Pertinet etiam ad rem forensem. *Edere* enim dicuntur, qui vel formulam actionis proferunt, qua jus suum sunt persecuturi vel tabulas, testes, rationes exhibent judicii causa. *Cic. Quint.* 20. Judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse. *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 13., *qui est* De edendo, l. Edere est copiam describendi facere, vel in libello complecti et dare vel dictare. Adde *ib.* sexcenta in hanc rem. Huc pertinent illa *Plin. ep.* 10, 22. Annos et censum alicujus edere, *h. e.* profiteri. *Cic. Att.* 7, 3. *a med.* Edere rationes alicui. [*i. e. alicui inspiciendas proponere.] *Id. Quint.* 24. et 29. aliquem sibi socium, *h. e.* publice vel scripto vel coram magistratu aliquem sibi socium esse profiteri. [*Plura dat *Briss.* de *Form.* s. h. v.] ℙ *Edere judices* est judices nominare et seligere, qui in aliqua causa sententiam ferant: *edere tribum* est nominare tribum, ex qua judices deligantur. Speciatim vero in causa sodalitatis, tribum et judices edere dicebatur accusator, ut in EDITICIUS dictum est. *Cic. Planc.* 15, 16. et 17. ℙ Aliquando est dare, praestare. *Liv.* 5, 4. Annua aera habes, annuam operam ede. *Id.* 3, 63. Castigati fortium statim virorum operam edebant. ℙ Item frequenter facere, patrare, committere, quoniam et *do* hanc vim habet. [**Cic. Leg.* 1, 13. Ruinas edere, pro: facere, ut ruinae fiant.] *Cic. Leg.* 1, 13. *extr.* Edere minas. *Id. Sext.* 27. scelus in aliquem. *Liv.* 5, 13. *sub f.* caedem. Et 21, 43. certamen. Et 25, 16. *ad f.* pugnam. *Virg. A.* 9, 785. strages. Et 527. funera. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 43, 11.] ℙ Denique pro extra dare, hoc est expellere, *Hyg. fab.* 192. Quas Lycurgus ex insula Naxo ediderat. ℙ Partic. *Edens* ap. *Ov. Met.* 9, 207. Saepe illum gemitus edentem videres. *Editurus* ap. *Suet. Tib.* 14. Cum, an marem editura esset, variis captaret ominibus. *Edendus* ap. *Cic. Fam.* 1, 9. *ad f.* Quos libros jampridem ad te misissem, si esse edendos putassem. ℙ [*Confunduntur a librariis *edere* et *addere*. *Drak.* ad *Liv.* 43, 13, 7. *Edere* et *credere*. *Id. ib.* 1, 18, 2. *Edere* et *prodere*. *Heins.* ad *Ov. Met.* 1, 761. *Her.* 11, 94. *Am.* 1, 1, 2. *Edidi* et *edixi*. *Drak.* ad *Liv.* 34, 56, 12. *Edidit* et *erudit*. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 294.]

ĒDO, onis, m. *φάγος*, edax, manduco. *Varr.* ap. *Non.* 1, 237. Edones Romam, ut turba incendat annonam.

ĒDOCENTER, adv. *διδασκαλικῶς*, docendi more, ad docendum utiliter. *Gell.* 16, 8. In eo nihil edocenter, neque ad instituendum explanate scriptum est.

ĒDŌCĔO, es, ui, ctum, a. 2. *διδάσκω*, diligenter doceo. *Sall. Cat.* 49. Eadem fere, quae Vulturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum edocet. *Liv.* 24, 24. Ordine omnia edocere. [*V. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 48. *Drak.* ad *Liv.* 3, 18, 6. 37, 25, 13. *Ruhnk. dict.* in *Ter. Ph.* 3, 3, 7.] ℙ Item ostendere, monstrare. *Cic. Tusc.* 3, 33. Edocuit tamen ratio etc. [**Id. p. red. in Sen.* 11. Qui causam meam imprudentibus commendarit, imperitos edocuerit. *Auct.* ad *Her.* 2, 23. ex *Pacuvio:* Quod usus reapse experiundo edocet.] *Sall. Cat.* 16. Juventutem multis modis mala facinora edocebat. *Liv.* 40, 27. Nunc, quantus pudor esset, edocens, ab Liguribus Romanum exercitum obsideri. Adde *Suet. Gramm.* 3. et 18. et *Plin. Pan.* 26. ℙ [*Apud serioris aetatis scriptores pro simplici *docere* nonnunquam positum videtur. V. *Munck.* ad *Fulg. Myth.* p. 621. ℙ Confunduntur etiam a librariis *edocere* et simplex *docere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 27, 4.]

ĒDOCTUS, a, um, part. ab *edoceo*. *Liv.* 25, 40. Edoctus belli artes sub magistro. *Sall. Cat.* 45. Edoctus omnia per legatos. *Lucan.* 1, 587. Fulminis edoctus motus, venasque calentes Fibrarum etc. *Liv.* 38, 36. Rogationi cum tribuni intercederent, edocti, populi esse non senatus jus, destiterunt incepto. [**Ulp. Pand.* 11, 1. 11, 12. Epistolis amicorum juris sui edoctus.]

ĒDŌLĂTUS, a, um, part. ab *edolo*, perfecte dolatus. *Colum.* 8, 11. Partes summae lingulas edolatas habent. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 4, 422. Vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contra una pestilentia, hostica acies puncto temporis immanes acervos facit.

ĒDOLO, as, avi, atum, a. 1. *καταξέω*, perfecte dolo, polio: et translate perficio. *Cic. Att.* 13, 47. Quod jusseras, edolavi. *Varr.* ap. *Non.* 6, 1. Ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius?

ĒDŌMĂTOR. V. ENODATOR.

ĒDŌMĬTUS, a, um, part. ab *edomo*, omnino domitus, *Ov. A. Am.* 3, 114. Edomiti orbis opes possidere. *Plin.* 33, 3, 20. Aes edomitum igni. *Colum.* 9, 4. *a med.* Agrestis pastinaca et ejusdem nominis edomita, *h. e.* sativa. *Sil.* 3, 531. edomiti labores. i. e. superati.

ĒDŌMO, as, ui, itum, a. 1. idem quod domo vel omnino domo. *Cic. Fat.* 5. Vitiosam naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina. *Hor. Od.* 4, 5, 22. Mos et lex maculosum edomuit nefas, *h. e.* delevit, sustulit. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 1. Ramum oleae edomari omni tempore, meditatione, [*i. e. consuetudine] curvandi. *Symm. Or. in Grat.* (ed. *Maio*) 6. Audio in edomandis equis equites inscios aptius essedis colla conjungere. [*Sic apud *Arnob.* 5. p. 163. *edomari* legendum videtur pro *edominari*.]

ĒDON, onis, m. *Ἤδων, ωνος*, mons Thraciae, scilicet pars Haemi, Edonis Thraciae populis vicina. *Serv.* ad *A.* 12, 365. ℙ *Edonus, i*, est ap. *Plin.* 4, 11, 18. ℙ Est qui scribat *Aedon*.

*ĒDŌNES, um, populus Scythiae Asiaticae. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

ĒDŌNI, orum, m. plur. *Ἤδωνοὶ*, populi Thraciae. *Plin.* 4, 11, 18. Hinc *Hor. Od.* 2, 7, 27. Non ego sanius Bacchabor Edonis, *scil.* quia in Thracia Bacchi orgia frequentabantur.

ĒDŌNIS, idis, f. *Ἤδωνίς*, mulier ex Edonorum populo, seu ex Thracia. *Ov. Met.* 11, 69. Protinus in silvis matres Edonidas omnes etc. ℙ Dicitur et de Baccha, quia Threissae mulieres orgia Baccho maxime celebrabant. *Prop.* 1, 3, 5. Nec minus assiduis Edonis fessa choreis. ℙ Paenultimam corripuere per figuram systolen, *Sil.* 4, 778. Edonis ut Pangaea super trieteride mota It juga et inclusum suspirat pectore Bacchum. Et *Lucan.* 1, 675. qualis vertice Pindi Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo.

ĒDŌNĬUS, a, um. V. in v. seq.

ĒDŌNUS, a, um, adj. *Ἤδωνός*, ad Edonos Thraciae populos et universim ad Thraces pertinens. *Virg. A.* 12, 365. Edoni Boreae. *Ov. Trist.* 4, 1, 42. Dum stupet Edonis exululata jugis. *Id. Rem. Am.* 593. Edonus Bacchus. *Val. Fl.* 6, 340. Edoni venti. *Stat. Th.* 5, 78. Edonae hiemes. *Id. ib.* 12, 733. Edoni currus Martis. (Al. leg. *Edonii* tum hic, tum apud *Virg. l. c.*, sed minus recte. [*Sed apud *Solin.* 14. legitur: populi Edonii. *B. A.*]) *Sen. Herc. Oet.* 190. Edonae silvae. ℙ Paenultima potest etiam corripi. V. EDONIS.

ĒDOR olim dictum est ipsum ador, teste *Festo* in ea voce. V.

ĒDORMĬO, is, ivi, itum, n. 4. *κατακοιμάομαι* dormio ad satietatem. *Cic. Acad.* 2, 17. Cumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint, intelligunt. ℙ Edormire vinum sive crapulam, est dormiendo concoquere. *Cic. Phil.* 2, 12. Edormi, inquam crapulam et exhala. *Gell.* 6, 10. *extr.* Opperiri, donec discipuli nocturnum omne vinum edormiant. ℙ Edormire tempus, [*i. e. dormiendo consumere.] *Senec. ep.* 99. *ante med.* Ex hoc (tempore) quantum lacrymae, quantum sollicitudines occupant! quantum valetudo, quantum timor! dimidium ex hoc edormitur. Sic *Hor. Sat.* 2, 3, 61. Cum Ilionam edormit, *h. e.* agit Ilionam edormiendo.

[ĒDORMISCO, is, a. 3. idem ac edormio. *Pl. Amph.* 2, 2, 64. Paulisper mane, dum edormiscat unum somnum, *h. e.* dum excutiat sese a somno. ℙ Translate. *Id. Rud.* 2, 7, 28. Abeo hinc, ut edormiscam hanc crapulam. *Ter. Ad.* 5, 2, 11. Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi, *h. e.* concoquam dormiendo paululum hoc vini, quod bibi. *F.*]

*EDOSA, ae, oppidum Africae ulterioris, in sinu maris Troglodytici, ex Africae latere. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*EDRO et Edron, onis, m. portus Italiae, in Venetis, a gemino flumine Medoaco formatus. *Plin.* 6, 29. *Tab. Peut.* Hodie, ait *Hard.*, est *Chioza. B. A.*

ĒDUCĀ. V. EDUSA.

ĒDŪCĀTĬO, onis, f. *ἀγωγή*, *ἐκτροφή*, [**παιδοτροφία*] actus educandi, institutio et disciplina puerilis. *Cic. Or.* 3, 31. Institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili. *Id. Leg.* 3, 13. Cum omni vitio carere lex jubeat, id difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina. *Plin. ep.* 1, 8. Libenter educationis taedium laboremque suscipere. *Tac. G.* 10. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. ℙ Dicitur et de sola nutritione puerorum. *Plin.* 37, 10, 59. Galactitis in educatione nutricibus lactis fecunditatem facere dicitur. ℙ Item arborum et pomorum. *Id.* 16, 25, 39. Pariunt arbores, cum florent: educatio in pomo est. *Macr. Sat.* 1, 7. *a med.* Insertiones surculorum pomorumque educationes. ℙ Item bestiarum. *Cic. Fin.* 3, 19. Bestiarum in fetu et in educatione labor. *Id. Rosc. Am.* 22. *extr.* Etiam feras inter se partus atque educatio conciliat. [**Colum.* 8, 11. *init.* Educatio pavonum.]

ĒDŪCĀTOR, oris, m. *τροφεύς*, nutritor. *Cic. N. D.* 2, 34. Omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator et sator et parens (ut ita dicam) atque educator et altor est mundus. *Id. Planc.* 33. Quis, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores cum grata recordatione in mente versentur? [**Gesn.* h. l. intelligit paedagogos, ut in seq. loco *Tac.* Sed *Ern.* in *Cl.* altores et parentes significari putat, quod sequatur alitus.] *Tac. A.* 14, 3. Pueritiae Neronis educator. [**Ulp. Dig.* 40, 2, 13. Collactaneus, educator, paedagogus, nutrix.]

ĒDŪCĀTRIX, icis, f. quae nutrit atque educat. *Colum.* 8, 11. *a med.* Pulli pavonini cum educatrice transferantur in caveam. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 14. *n.* 39. M. Curatius Zephyrinus fecit Barroniae Galene educatrici. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 24. Earum rerum parens est educatrixque sapientia.

ĒDŪCĀTUS, a, um, part. ab *educo*, *as*, *ἐκτραφείς*, *ἐκπαιδευθείς*, nutritus, institutus. *Cic. Brut.* 58. Filios Corneliae apparet non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. *Id. Or.* 1, 31. Homo ingenuus et liberaliter educatus. *Id. Verr.* 2, 5, 19. Homo in fecialium manibus educatus. Et *Verr.* 2, 3, 24. In dedecore natus, ad turpitudinem educatus. *Hirt. B. Alex.* 78. Disciplinis regiis educatus. [**Dig.* 40, 12, 12, 1. Educatus quasi liber, quum servus esset.] ℙ Item simpliciter nutritus. *Phaedr.* 1, 27. *extr.* Canis trivio conceptus atque educatus stercore. ℙ Translate. *Catull.* 19, 14. Uva pampinea rubens educata sub umbra. *Cic. Or.* 13. *sub f.* Educata hujus nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat et roborat.

ĒDŪCĀTUS, us, m. idem ac educatio. In sexto casu singulare apud *Tert. Resurr. carn.* 60.

ĒDŪCO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκτρέφω*, nutrio. *Varr.* ap. *Non.* 5, 105. Educit obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister. *Id. Non.* 5, 5. Alere, inquit, est victu temporali vitam sustentare; educare autem, ad satietatem perpetuam educere. Hinc *Pl. Men.* 1, 1, 22. Ille homo homines non alit, verum educat, recreatque. *Curt.* 8, 1. Hellanice, quae Alexandrum educaverat, haud secus quam mater a rege diligebatur. *Plin.* 9, 13, 15. Vitulus marinus educat mammis fetum. ℙ Accipitur saepe pro nutriendo instituere. *Pl. Cist.* 1, 3, 24. Educavit eam sibi pro filia bene ac pudice. *Quint. prooem.* 1. Si mihi tradatur educandus orator. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Ov. Met.* 15, 97. Herbae, quas humus educat. Et *ib.* 8, 830. Et *Pont.* 1, 10, 9. Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aer. *Cat.* 62, 50. Vitis educat uvam. *Plin.* 16, 37, 67. Licet populi vitibus placeant, et caecuba educent. *Val. Flacc.* 6, 712. Si quis aquis, et fertilis ubere terrae Educat oleam. *Plin.* 10, 23, 32. Ciconiae genitricum senectam invicem educant, *h. e.* alunt, sustentant.

ĒDŪCO, is, uxi, ctum, a. 3. *ἐξάγω*, extra duco, produco, extraho. *Cic. Inv.* 2, 4. Gladium e vagina educere. *Id. Verr.* 2, 2, 51. sortem. [**Id. Verr.* 2, 2, 17. Educit ex urna tres. Cf. *Agr.* 2, 8.] *Sen. Phoen.* 175. oculos *h. e.* eruere. *Cic. Tusc.* 1, 29. Educi e custodia. *Id. Or.* 1, 40. Educere aliquem de senatu. *Liv.* 8, 15. exercitum ab urbe. *Cic. Div.* 1, 33. exercitum in expeditionem. *Cato* ap. *Gell.* 15, 13. exercitum cohortatum foras. *Nep. Milt.* 5. copias ex urbe. Et *Eum.* 3, exercitum in aciem. [*Et absolute *Educere* in *aciem*. V. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 1, 23, 6. 40, 25, 10.] *Cic. Verr.* 2, 3, 47. aliquem in jus. (Et absolute eod. sensu *ib.* 2, 3, 65. Aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit C. Gallius senator.) [**Quint. Decl.* 270. Eduxit alteram pater ad magistratum. V. *Gron.* ad *Quint. Decl.* 348. p. 735.] *Id. Q. Fr.* 3, 3. *s. f.* Si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus. [**Cic. Planc.* 23. Eductus ad consules. Atque sic, praeeunte *Ern.* in *Clav.*, explicandus est locus *Verr.* 2, 2, 26. Quisquis erat eductus senator Syracusanus, duci debebat. Itaque permulti ducti sunt. i. e. senatores in jus vocati atque deinceps in vincula conjecti sunt.] *Suet. Aug.* 89. Quem grandem natu Apolloniam quoque secum ab Urbe eduxerat. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Colliciae in fossas aquam educunt. *Pl. Truc.* 4, 3, 8. Nisi si ad tintinnaculos voltis vos educi viros, *h. e.* duci ad carnifices, ad supplicium. [*Eximie dicuntur

homines educi, qui cum magistratibus eorum rogatu aut jussu in provincias proficiscuntur; quemadmodum contra deduci, qui e provincia jubentur cum aliquo Romam venire. *Cic. Pis.* 34. Sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti. Haec sunt *Ern.* in *Clav.*] ℙ Cum ablat. sine praeposit. quae latet in ipso verbo. *Virg. ib.* 10, 744. Eduxit corpore telum. *Id. A.* 11, 20. pubemque educere castris. *Plin.* 2, 12, 9. classem portu. *Id.* 7, 20, 19. Milonem athletam, cum constitisset, nemo vestigio educebat, *h. e.* eo loco movebat, quo pedem posuerat. *Val. Fl.* 7, 453. Educere aliquem leto, *h. e.* liberare. ℙ Et cum dativo. *Sen. Vit. beat.* 2. *ad f.* Ut me multitudini educerem et aliqua dote notabilem facerem. ℙ Educere se, *h. e.* se proripere. *Ter. Hec.* 3, 3, 4. Qua me propter exanimatum citius eduxi foras. ℙ Significat etiam traducere, agere. [*Sen. Ep.* 122. Tempus educere epulis. V. *Gron.* ad *Sen. Tr. An.* 3.] *Val. Fl.* 1, 251. et *Stat. Th.* 2, 74. Ludo educere noctem. *Prop.* 2, 7, 97. si forte pios eduximus annos. [*V. *Burm. Sec.* ad h. l.] *Sil.* 11, 405. sub hiberno somnos educere coelo. [*i. e. totam noctem dormire sub coelo frigido.] *Val. Fl.* 2, 371. nimbosque educere luxu. [*V. *Markl.* ad *Stat. Silv.* p. 293.] ℙ Item erigere, attollere. *Virg. A.* 6, 177. aramque sepulcri Congerere arboribus, coeloque educere certant. *Plin.* 19, 8, 42. Thyrsus asparagi caulem educens. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 32, 11, 3.] ℙ Item exhaurire, ebibere. *Pl. Stich.* 5, 5, 18. et 5, 6, 1. Educere poculum. *Id. Amph.* 1, 1, 174. hirneam vini meri. ℙ [*Item derivare. *Paul. Dig.* 8, 3, 29. Aquam educere in fundum inferiorem recte licet.] ℙ Item alere, educare. *Cic. Or.* 2, 28. Non est boni parentis, quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare. *Virg. A.* 8, 413. parvos educere fetus. *Ter. Ad.* 1, 1, 23. Hunc adoptavi mihi, eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo. *Pl. Curc.* 4, 2, 32. Bene ego istam eduxi meae domi et pudice. V. EDUCTOR. ℙ Item gignere. *Sen. Apocol. ante med.* Quae patria, quae gens mobile eduxit caput? [*Plin. 9, 10. de testudinibus. Educunt foetus annuo spatio. *Id.* 10, 25. de avibus quibusdam. Quum foetum eduxere, abeunt. *Id.* 10, 54. Aestate undevicesimo die educunt foetum.] ℙ Translate. *Catull.* 64, 90. Aurave distinctos educit verna colores. ℙ *Educe* pro *educ*, habet *Pl. Pers.* 4, 1, 11. et *Stich.* 5, 6, 1. ℙ *Educier* pro *educi*, parágoge est apud *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 16. ℙ Part. *educturus* apud *Cic. Div.* 2, 30. Cum in expeditionem (*exercitum*) educturus esset Sulla. *Educendus* ap. *Cels.* 7, 7. *n.* 14. Postea educenda recta acus est. ℙ [*Confunduntur a librariis *educere* et *ducere*. *Drak.* ad *Liv* 40, 25, 10. et *deducere*. *Id. ib.* 3, 62, 5. — et *edocere*, *id. ib.* 21, 27, 4.]

ĔDŪCTĬO, onis, f. *Cato* ap. *Fest.* in *Properam.* Tertia e castris eductio celeris, properaque est. Adde *Lact.* 4, 10. *ante med.* ℙ *Pall.* 7, 7. Si apes unius uberis eductione pendebunt, noris, unum regem esse universis: si vero duo, vel plura ubera suspendens se populus imitatur etc., *h. e.* conformatione examinis in modum uberis.

[ĔDŪCTOR, oris, m. idem ac educator, ut *educere* interdum idem est atque *educare*, et *eductus* idem atque *educatus*. V. EDUCO, is, et vocem seq. *Front.* 1. *ad amic.* (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 15. Quo studio me a prima infantia devinctum fuisse saepe audivi ex his, qui mihi eductores, aut magistri fuerunt. *F.*]

ĔDŪCTUS, a, um, part. ab *educo*, *is*, ἐξαχθείς, extra ductus, extractus. *Cic. Div.* 1, 44. Lacus ita eductus, ut ad mare pervenire non possit. *Ov. Met.* 11, 455. Pinus educta navalibus. ℙ Item erectus, sublatus, altus. *Virg. A.* 2, 460. summisque sub astra Eductam tectis turrim. *Sen. Herc. Oet.* 494. Ultra nubes eductus Othrys. *Tac. A.* 2, 61. Instar montium eductae pyramides. ℙ Ad illud *Virg. A.* 6, 630. Cyclopum educta caminis Moenia. V. dicta in CYCLOPS. ℙ Item altus, educatus. *Ter. Andr.* 5, 4, 8. Adolescentuli libere educti. *Tac. A.* 6, 15. Cassius severa patris disciplina eductus. Adde *Liv.* 21, 43. *a med.* V. voc. praec. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 43. *Ruhnk. dict.* in *Ter. Andr.* 1, 5, 39. ℙ Observa *eductus* et *editus* saepe permutari in libris mss. V. *Drak.* ad *Liv.* 39, 15. Item *eductus* et *edictus*. *Id. ib.* 39, 15, 11. et *conductus*, *Id. ib.* 33, 4, 5.]

ĔDULCO, as, γλυκαίνω, dulce facio, indulco, obdulco, *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 15, 25. et *Non.* 2, 295. Quapropter edulcare convenit vitam, Curasque acerbas sensibus gubernare.

ĔDŪLĬA et EDULICA. } V. EDUSA.

[ĔDŪLĬO, onis, f. dimin. edulii. Est cognomen femininum Romanum. *Inscr.* apud *Giovenazzium*, *Aveja* p. 41. C. Curio Suro, Buclejae Edulioni. V. BASIO. *F.*]

ĔDŪLIS, e, adj. βρώσιμος, esui aptus. *Hor. Sat.* 2, 4, 43. Vinea submittit capreas non semper edules. ℙ *Edulia*, *um*, res edules: videntur autem significari omnia, quae cibi gratia apponuntur, praeter panem. *Afran.* ap. *Non.* 1, 117. Commercatis conquisite edulibus. *Varro* quoque habet *L. L.* 5, 8. et *Gell.* 7, 16. [*Ulp. *Pand.* 1, 16. 6, 3. Ne donum accipiat proconsul, pertinet ad ea, quae edulium excedunt usum.] ℙ Dicitur etiam *edulium*, *ii*. *Varr. L. L.* 6, 3. Syncerastum est omne edulium, antiquo Graeco vocabulo. [*Fulgent. *Exp. serm. antiq.* p. 779. Edulium ab edendo dicitur praegustativa comestio.] *Gell.* 19, 9. Ubi eduliis finis et poculis, mox sermonibus tempus fuit. *Suet. Cal.* 40. Pro eduliis, quae tota urbe venirent, certum statumque exigebatur. *Appul. Met.* 5. p. 160, 9. Eduliorum variorum fercula copiosa.

ĔDŪLĬUM. V. in voce praec.

ĔDŪRE, adv. dure. *Ov. A. Am.* 3, 476. Nec tamen edure, quod petit illa, nega. Alia lectio habet: Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.

ĔDŪRESCO, is, n. durus fio. Est *Coelii Aur. Acut* 2, 34.

ĔDŪRO, as, avi, atum, a. 1. σκληρόω, valde durum facio, ad laborem assuefacio. *Colum.* 11, 1. A pueritia rusticis operibus edurandus futurus villicus. Alii minus recte leg. *educandus*. ℙ Est etiam neutrum pro perdurare. *Senec. Brev. vit.* 1. Ut quina, aut dena saecula edurent. Al. melius leg. *educerent*. *Tac. G.* 45. Solis fulgor in ortus edurat. *Gell.* 14, 1. *ante med.* Ut neque tanto aevo potuerint edurare.

ĔDŪRUS, a, um, adj. σκληρός, durus, valde durus. *Virg. G.* 4, 144. Eduramque pyrum, et spinos jam pruna ferentes. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 527. Postibus edurae supplex blandire puellae. Al. leg. *et durae*. V. EDURE. ℙ Quidam apud *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 65. *edurum* interpretantur, non durum, ut *enodis* est sine nodis. Sed deest his certus ad confirmandum scriptoris locus.

ĔDŪSA, ae, f. Dea, quae esui praeerat, sicut Potina Dea potus, Cuba Dea cubandi. Hisce tribus pueros initiare solebant, ubi primum e cunis, et a lacte transierant. *Varr.* ap. *Non.* 2, 310. ℙ Eandem Deam *Don.* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 15. vocat *Eduliam*, et *August. Civ. D.* 4, 11. *Educam:* ubi alii leg. *Edulicam.*

ĔDYLLĬUM et Idyllium, ii, n. εἰδύλλιον, ab εἶδος, species: est poematium, quo aliquid describitur, et poeticis coloribus pingitur. Sic appellantur varia opuscula, brevia illa quidem, epigrammatis tamen longiora, singula singulis de rebus tractantia, ita ut unum ad alterum non referatur. Ita sua inscripsit *Ausonius*, in quibus varii argumenti carmen composuit, versus Paschales, Epicedion in patrem, suae villulae descriptionem etc. V. ECLOGA. [*Accuratissime de significatione vocis *Idyllium* exposuit *Wissowa* in libello qui inscriptus est: *Theocritus Theocriteus*. Vratislav. 1828.] ℙ Rectius prima syllaba per *e* scribitur, quam per *i*, quia Graeca diphthongus saepius in illam, quam in hanc vocalem vertitur.

E E

ĔĔTĬON, onis, m. Ἠετίων, pater Andromaches, qui apud Thebas Ciliciae regnavit. Hinc

ĔĔTĬONĔUS, a, um, adj. possess. *Ov. Met.* 12, 110. Eetioneas implevi sanguine Thebas.

E F

EFFĀBĬLIS, e, adj. qui dici potest. *Appul. Apol.* p. 315. Paucis cogitabilis, nemini effabilis. *Not. Tir.* p. 136. Affabilis, effabilis, ineffabilis. Adde *Virg. l.* in AFFABILIS.

EFFAECĀTUS, a, um, adj. faecibus purgatus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. p. 22, 37. Purgata et effaecata animi voluptas.

EFFAFĪLĀTUM, exsertum, quod scilicet omnes exserto brachio sint exfilati, idest extra vestimentum filo contextum. Haec *Festus:* ubi alii rectius legunt *expapillatum*, quam vocem vide suo loco.

EFFĀMEN, inis, n. dictio, pronunciatio, effatum. *Capell.* 4. *in.* Haec quoque contortis stringens effamina nodis.

EFFARCĬO vel Effercio, is, rsi, rtum, a. 3. φάττω, impleo, vel valde impleo. *Caes. B. G.* 7, 23. Intervalla haec grandibus saxis effarciuntur. *Pl. Most.* 1, 1, 62. Bibite, este, effercite vos, saginam caedite.

EFFĀRIS, atur, atus sum, dep. 1. φωνέω, ab *ex* et *fari*, loquor, dico. Ex *Cic. Or.* 3, 38. discimus, inter prisca, aut poetica enumerandum esse, ita tamen, ut aliquando in oratione dignitatem habeat, si loco ponatur. [*Respexit h. l. *Quinct.* 8, 3, 27. Quaedam tamen adhuc vetera vetustate ipsa grata nitent; quaedam etiam necessario interim sumuntur *nuncupare* et *effari*, ut scribendum vidit *Gesner.* pro vulg. *fari.*] *Virg. A.* 4, 76. Incipit effari, mediaque in voce resistit. Et 456. Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori. *Id. ib.* 6, 560. Quae scelerum facies? o virgo, effare. Et *ib.* 10, 523. Et genua amplectens effatur talia supplex. *Liv.* 5, 15. *ad f.* Celanda effando nefas contrahi, *h. e.* evulgando. *Lucr.* 5, 105. Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res. *Plin.* 3, 21, 25. Populorum pauca effatu digna, aut facilia nomina. *Lucan.* 8, 347. Nil animis fatisque tuis effabere dignum. Praeterea *effamini* habet *Arnob.* 7. p. 248. *effaris*, *Appul. Met.* 7. et *effantur*, *Id. de Mundo*, et *effantes*, *Id. ib.* et *effor* dictum fuisse a veteribus, testatur *Diomed.* 1. p. 735. ℙ Est etiam verbum dialecticum, et significat pronunciare, certis verbis efferre. *Cic. Acad.* 4, 30. Ut verum esse concedat, quod ita effabimur: aut vivet cras Hermachus, aut non vivet. (Hinc *effatum.*) *Id. Dom.* 55. *extr.* Neque institutas caeremonias persequi, neque verbum ullum solemne potuit effari. ℙ *Effari templum* dicuntur augures, cum certis verbis ejus fines designant, et consecrant, ut *Varr. L. L.* 5, 7. significare videtur. *Cic. Att.* 13, 42. *extr.* Opinor, augures nihil habere ad templum effandum. V. EFFATUS.

EFFASCĪNĀTĬO, onis, f. idem ac fascinatio. *Plin.* 37, 10, 54. Eam contra effascinationes auxiliari volunt. Adde 19, 4, 19. *n.* 1.

EFFASCĪNO, as, a. 1. βασκαίνω, idem quod fascino. *Plin.* 7, 2, 2. Esse in Illyriis, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur. [*Et paulo ante: Quasdam familias effascinantium.] *Gell.* 9, 4. Hominum familiae voce atque lingua effascinantium.

EFFĀTĬO, onis, f. actus effandi. Affertur a *Servio* ad *A.* 3, 463. tanquam vox usitata in loquendo.

EFFĀTUM, i, n. λεκτόν, ἀξίωμα, pronunciatum, dictum. *Cic. Acad.* 4, 29. Fundamentum dialecticae est, quidquid enuncietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) id verum esse aut falsum. *Sen. ep.* 117. *ante med.* Enunciativum quiddam de corpore, quod alii effatum vocant, alii enunciatum, alii edictum. ℙ *Effata vatum* sunt dicta, et vaticinia. *Cic. Leg.* 2, 8. Interpretari fatidicorum, et vatum effata incognita. ℙ *Effata augurum* sunt eorum certa verba, et preces, quibus locum aliquem sacrum esse effantur. *Varr. L. L.* 5, 7. et *Serv.* ad *A.* 6, 197.

EFFĀTUS, a, um. part. ab *effor*, locutus. *Virg. A.* 3, 463. Quae postquam vates sic ore effatus amico est. ℙ Passive. *Liv.* 1, 24. Multis verbis foedus peragit, quae longo effata carmine, non operae est referre, *h. e.* pronunciata, dicta. Alii leg. *effatus*. ℙ *Effatum templum* est locus quilibet ab augure certis verbis ac precibus definitus, designatus et consecratus. *Cic. Leg.* 2, 8. Augures, urbemque, et agros templa liberata, et effata habento. *Fest.* in *Minora.* Templum est locus ita effatus, aut ita septus, ut ex una parte pateat, etc. *Liv.* 10, 37. *extr.* Fanum, id est locus templo effatus. *Gell.* 13, 14. Pomoerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, etc. Et *ib.* Intra effatos fines urbis includere. *Serv.* ad *A.* 6, 197. Effatus ager dicebatur, ubi captabantur auguria. *Id.* ad *ib.* 3, 463. Effata dicuntur loca sacra, id est ab auguribus inaugurata. ℙ *Ecfatus* quoque scriptum legitur, q. v.

EFFĀTUS, us, m. affatus, sermo. *Appul. Met.* 4. p. 157, 32. Effatu sanctae vaticinationis accepto. Al. leg. *affatu*. *Tert. Anim.* 6. Ab anima est impingi pedes in incessum, oculos in conspectum, linguam in effatum.

EFFECTĒ, adv. perfecte. *Ammian.* 16, 5. Cum haec effecte pleneque colligeret. *Appul. Flor. n.* 16. p. 357, 1. Sed de hoc tum ego perfectius, cum vos effectius, *h. e.* cum vos rem magis ad effectum perducetis. V. EFFETE.

EFFECTĬO, onis, f. ἀποτελεσμός, actus efficiendi, efficientia. *Cic. Fin.* 3, 14. Quemadmodum opportunitas non fit major productione temporis, sic recta effectio, (*κατόρθωσιν* enim ita appello, quoniam rectum factum *κατόρθωμα*) recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum crescendi affectionem nullam habet. Et *ib.* 7. Artis effectio. *Id. Acad.* 1, 2. Materia ea, quam fingit et format effectio. [*Effectio* hic est causa efficiens quam hodie dicunt.]

[EFFECTĬTO, as, a. 1. frequent. ab *effecto*. *Not. Tir.* p. 36. Effectitat. *F.*]

EFFECTĪVĒ, adv. ποιητικῶς, efficiendo, opus aliquod edendo. *Quint.* 2, 18. Sed effective quoque aliquid simile, scriptis orationibus, vel historiis consequetur.

EFFECTOR, oris, m. qui efficit, ποιητής. *Cic. Or.* 1, 33. Stilus est praestantissimus dicendi effector et magister. *Id. Univ.* 5. *extr.* Effector mundi, molitorque Deus. Et *ib.* 11. Horum operum parens et effector. [*Id. Div.* 2, 26. Magna stultitia est earum rerum deos facere effectores, causas rerum non quaerere.]

EFFECTRIX, icis, f. *Cic. Fin.* 2, 17. Pecunia est effectrix multarum et magnarum voluptatum. *Id. Univ.* 10. Terra diei noctisque effectrix.

EFFECTUM. V. v. seq.

EFFECTUS, a, um, part. ab *efficio*, factus, perfectus. *Cic. Div.* 2, 47. Urbs effecta ex latere et caemento. *Plin. ep.* 8, 4. Non posse perinde inchoata placere, ut effecta. *Id. ep.* 2, 3. Syllogismi circumscripti, et effecti, *h. e.* absoluti et

perfecti. *Ter. Andr.* 4, 2, 2. Effectum aliquid reddere, *h. e.* efficere. Sic *Id. Eun.* 2, 1, 6. Effectum dare. *Appul. Flor. n.* 15. p. 350, 38. Statua, qua nihil videor effectius cognovisse. [*Adde *ib.* 3. p. 357, 2.] *Quint.* 12, 10. *a med.* Aures nitidius aliquid, atque effectius postulantes. ℙ *Effectae res* sunt ipsi effectus. *Cic. Top.* 4. Ab effectis rebus argumentum ducere. ℙ *Effectum*, *i*, n. absolute. *Id. ib.* 3. Alia argumenta ducuntur ex causis, alia ex effectis. Adde *Quint.* 6, 3. et 7, 3.

EFFECTUS, m. ἀποτέλεσμα, res effecta. *Cic. Fin.* 3, 9. Ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu; sic timere, moerere, in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu. *Planc.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, et simulasse invitum, et dissimulasse cum dolore. [*i. e. ut perficerem.] *Liv.* 31, 46. *ad f.* Opera in effectu erant circa Oreum. *Id.* 33, 33. *extr.* Hoc spe concipere, audacis animi fuisse, ad effectum adducere, virtutis. *Id.* 40, 22. *extr.* Omni genere laboris, sine ullo effectu, fatigatis militibus. [*i. e. nulla re impetrata.] *Ov. Am.* 2, 3, 16. Non caret effectu quod voluere duo. *Phaedr.* 5, 20. Effectus impedit segnis mora. *Cic. Tusc.* 2, 1. Effectus eloquentiae est audientium approbatio. *Prop.* 3, 7, 27. Et tibi ad effectum vires det Caesar, *h. e.* ut possis efficere, Et *ib.* 22, 10. tabellae Semper et effectus promeruere bonos. *Sen. Ben.* 7, 13. Quaedam ejus conditionis sunt, ut effectum praestare debeant: quibusdam pro effectu est, omnia attentasse, ut efficerent. *Pallad.* 4, 12. Si in primordiis effectui sibi cessisse senserit. *Petr. Sat.* 140. Cum res ad effectum spectaret. ℙ Apud JCtos *cum effectu* est facto ipso, re ipsa. *Ulp. Dig.* 2, 2, 1. Haec verba, quod statuerit, cum effectu accipimus, non verbo tenus. *Paul. ib.* 40, 7, 1. Fraus cum effectu, lege Aelia Sentia, accipitur. ℙ Est item *effectus* vis efficiendi, quae in quaque re inest. *Cic. Div.* 2, 20. *extr.* Scammoneam, aristolochiamque radicem, quorum causam ignorares, vim et effectum videres. *Plin.* 36, 22, 47. Cotes aqua trahentes aciem acerrimo effectu. *Id.* 27, 13, 119. Omnes herbae vehementiores effectu, viribusque sunt in frigidis lohentiores effectu, viribusque sunt in frigidis lohentiores effectu, viribusque sunt in frigidis lohementiores effectu, viribusque sunt in frigidis lohementiores effectu, viribusque sunt in frigidis lohement

EFFERVENS, entis, part. ab *efferveo*, fervens, vehemens. *Gell.* 2, 27. Laetitia dicitur exsultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. Al. leg. *animi gaudio efferventis ob eventum rerum* etc.

EFFERVĔO, es, bui et ervi, n. 2. et in quibusdam temporibus etiam 3. *ὑπερζέω*, vehementer ferveo, ebullio. *Virg. G.* 4, 556. Et ruptis effervere costis. *Stat. Th.* 4, 664. pulverea Nemeen effervere nube Conspicit et solem radiis ignescere ferri, *h. e.* fumare, exercitu adventante. ℙ Translate. *Tac. A.* 1, 74. Incautius efferbuerat, *h. e.* iratus fuerat. *Cic. Coel.* 31. *ad f.* Si cui nimium effervisse videtur hujus vel in suscipiendis vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia, *h. e.* extulisse se et saevisse.

EFFERVESCO, is, n. 3. incipio effervere. *Colum.* 12, 25. Ut in effervescendo vinum se bene purget. *Varr. L. L.* 6, 2. In fretum saepe concurrit aestus atque effervescit. *Cic. N. D.* 2, 10. Aquae, quae effervescunt subditis ignibus. ℙ Translate. [*de commotione populi. *Cic. Planc.* 6. Illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu. *Id. Prov. Cons.* 4. Quum totum Pontum armatum effervescentem in Asiam atque erumpentem . . . sustinerent. Porro de animo hominis excandescente et irascente. *Cic. Coel.* 31. Si cui nimium effervisse videtur hujus . . . vis. Tandem de concitatiore oratione, ut in locis quos jam affert *Forc.*] *Id. Brut.* 70. Effervescens in dicendo stomacho saepe iracundiaque vehementius. *Id. Or.* 2, 21. Oratione celeri et concitata, quod erat ingenii: et verbis effervescentibus et paulo nimium redundantibus, quod erat aetatis. *Gell.* 1, 26. de irascente: Effervescere in spumam ruboremve. *Id.* 2, 24. *extr.* Effervescentis luxuriae aestus coercere. ℙ Pro fervere desinere. *Cic. Fam.* 9, 2. *a med.* Latendum tantisper, dum effervescit haec gratulatio. [*Notanda rarior haec significatio, quae firmatur loco *Ulp. Dig.* 21, 1, 17, 4. Servum, sin in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domini effervesceret, fugitivum non esse.]

EFFĔRUS, a, um, adj. *θηριώδης*, valde ferus. *Virg. A.* 8, 5. saevitque juventus Effera. *Val. Fl.* 1, 798. Effera corda. *Id.* 5, 517. ira. Et 4, 318. Ponti loca. Et 2, 648. virtus Bebrycis. *Senec. Phoen.* 264. Efferum facinus. *Id. Hipp.* 1246. Effero laniatu dispersa membra.

EFFĒTĒ, adv. *Mart.* 2, 27. Effete, graviter, cito, nequiter, euge, beate, *h. e.* mature, sapienter, ut quidam interpretantur. Al. rectius leg. *effecte.*

EFFĒTUS, a, um, adj. qui fetum edidit. *Colum.* 7, 12. *ad f.* Primus effetae partus amovendus est, quoniam tiruncula nec recte nutrit etc. *Id.* 8, 5. *a med.* Ova silentia removenda sunt, ne incubans inani spe detineatur effeta. *Lucan.* 9, 285. effetas linquunt examina ceras, *h. e.* quae apes emisere. ℙ Item partu editus. *Colum. l. c.* Cum grex (*pullorum*) fuerit effetus, hoc modo deponitur. [*Schneid.* h. l. legit *effectus.*] ℙ Item exhausta partu et lassata, fetibus edendis defecta viribus. *Plin.* 10, 53, 74. de gallinis: Aliquae quotidie pariunt, aliquae bis die, aliquae in tantum, ut effetae moriantur. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Virg. G.* 1, 81. Effetos cinerem immundum jactare per agros. [*Colum. 1. *praef.* Effetum et defatigatum solum.] ℙ Translate *effetus* dicitur, qui suos complevit labores. *Id. G.* 2, 417. Jam canit extremos effetus vinitor antes. ℙ Item viribus exhaustus, infirmus, defectus. [*Colum. 6, 24. Effeti senio tauri.] *Cic. Senect.* 9. Intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. *Virg. A.* 5, 396. frigent effetae in corpore vires. *Id. ib.* 7, 440. Senectus effeta veri, *h. e.* amplius verum non videt; amens, cassa judicii. *Stat. Th.* 6, 873. Flatibus alternis aegroque effetus hiatu, *h. e.* fatigatus, defessus. *Val. Fl.* 4, 300. Spes effeta, *h. e.* vana, irrita. *Plin. ep.* 6, 21. Natura lassa et effeta. *Appul. Flor.* p. 366, 29. Nec oratio argumentis sit effetior nec sententiis rarior. ℙ Scribitur et *effoetus.* ℙ [*Confunduntur a libraris *Effetus* et *effectus.* V. supra et *Virg. G.* 2, 417. — Et *effractus. Drak.* ad *Liv.* 5, 18, 4.]

*EFFICABILĬTER, adv. *Interpr. Iren.* 2, 22. *B. A.*

EFFĪCĀCĬA, ae, f. *ἐνέργεια*, vis ad aliquid efficiendum. *Plin.* 11, 5, 4. Quos efficaciae industriaeque tantae comparemus nervos. [*Ammian. Marc. 16, 12, 25. Serapion efficacia praecurrens aetatem, *h. e.* industria, s. virtute annos praecurrens. *Id.* 14, 8, 5. Nicator Seleucus, efficaciae impetrabilis rex, ut indicat cognomentum.] *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 6. C. Sallio Aristaeneto etc., ad aedilitatem promoto, X. viro stlitibus judicandis, oratori maximo decuriones et plebs Anconitanorum propter humanitatem, abstinentiam, efficatiam, *h. e.* strenue agendi virtutem et negotia perficiendi.

EFFĪCĀCĬTAS, atis, f. vis efficiendi, efficacia. *Cic. Tusc.* 4, 13. Itemque viribus corporis, et nervis, et efficacitati similes similibus verbis animi vires nominantur. *Q. Cic. Pet. cons.* 3. Qui tantum habet audaciae, tantum nequitiae, tantum denique in libidine artis, et efficacitatis, ut etc.

EFFĪCĀCĬTER, adv. *ἐνεργῶς*, cum effectu seu efficientia, acriter, potenter. *Plin.* 28, 11, 46. Capitis ulcera manantia urina tauri efficaciter sanat. *Id.* 26, 12, 79. Efficacissime sanare. *Id.* 24, 6, 14. Auribus purulentis efficaciter infunditur. *Plin. alter ep.* 6, 6. Efficacius rogare. *Sen. Contr.* 3. *prooem.* Affectus efficaciter movere. *Sen. alter Brev. vit.* 6. Ausus est et pupillus adhuc, et praetextatus judicibus reos commendare, et gratiam suam foro interponere, tam efficaciter, ut quaedam judicia constet ab illo rapta. [*Modest. *Pand.* 28, 5, 61. Quaero an efficaciter exheridata sit.]

EFFĪCAX, ācis, adj. omn. gen. *ἐνεργής*, qui ad agendum aliquid vim habet, qui multum efficit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Nosti Marcellum, quam tardus, et parum efficax sit. *Liv.* 1, 9. *extr.* Blanditiae, quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt. *Hor. Epod.* 3, 17. Hercules efficax, *h. e.* nihil non perficiens. [*In hunc sensum saepius *efficax* adhibetur ab *Amm. Marc.* V. *Wagner.* ad 16, 4, 3.] *Id. Od.* 4, 12, 20. Cadus amara curarum eluere efficax, *h. e.* qui certo eluit. *Id. Epod.* 17, 1. Efficax scientia, *h. e.* potens, et maximae virtutis. *Sen. Ben.* 2, 7. *in f.* Ratio efficax ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas. *Liv.* 41, 15. Rebus peragendis continuatio ipsa efficacissima est. *Plin. Plan.* 84. Utrum sit efficacius ad recte vivendum. *Plin. alter* 24, 15, 80. Herba efficacissima adversus venena. *Id.* 13, 21, 36. Frutex efficacissimus contra sagittarum ictus. *Id.* 27, 13, 109. Herba in dolore stomachi efficax. *Id.* 28, 14, 58. Nec minus efficax fimi cinis utrique vitio. Et 27, 9, 50. Oculorum fluxionibus efficax.

*EFFICIALĬTER, adv. *Sarisb. Epist.* 277. *B. A.*

EFFĪCĬENS, entis, partic. ab *efficio*, qui efficit, *ποιητικός*. *Cic. Top.* 14. Proximus est locus rerum efficientium, quae causae appellantur, deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. [*Id. *Fat.* 14. Causae efficientes. Cf. *Div.* 1, 55. *Acad. Post.* 1, 6. *Fin.* 3, 16.] *Id. Off.* 3, 34. Virtus efficiens est voluptatis. Et *ib.* 1, 20. Causa et ratio efficiens magnos viros.

EFFĪCĬENTER, adv. idem ac efficaciter. *Cic. Fat.* 15. Non sic causa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, idem causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat.

EFFĪCĬENTĬA, ae, f. *ἐνέργεια*, vis efficiendi. *Cic. N. D.* 2, 37. Cum aspexissent, solem, ejusque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent. Adde *Fat.* 9. [*Causae cohibentes in se efficientiam naturalem.]

EFFĪCĬO, is, eci, ectum, a. 3. *ἀπεργάζομαι, διαπράττω, ἐπιτελέω*, idem quod facio, vel potius faciendo assequor, praesto, perficio, ad effectum perduco. [*Non commode significationes disposuisse mihi videtur *Forc.*, quae ita fere coarctari possunt, ut dicas *efficere* significare 1) perficere, effectum dare, praestare. 2) in causa esse ut aliquid fiat; aliquid parere, proferre, conciliare. 3) reddere, de agris et de aliis rebus, quae quasi usuram solvunt, debitum reddunt. 4) aliquem v. g. dictatorem efficere, i. e. constituere, auctoritate sua praestare ut aliquis dictator fiat. 5) disputando probare.] *Cic. Att.* 7, 1. Feci igitur, atque effeci, ut etc. Al. *itaque effeci* leg. Et *ib.* 16, 13. *ad f.* Quae nec institui, nec effici potest sine tua ope. *Id. Or.* 2, 28. Hoc primus in nostros mores induxit, maxime auxit, solus effecit. *Id. Amic.* 16. Eniti, et efficere, ut amici jacentem animum excitet. *Auct. Dial. de Or.* 11. In causis agendis efficere aliquid, et eniti possum. *Cic. ad Capit. sub f.* 16. *ad Att.* Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut etc. *Ter. Hec.* 1, 2, 48. Tundendo, atque odio denique effecit senex. [*Cic. *Att.* 10, 10. Quod a Curione effeceram, i. e. impetraveram.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. Caveamus quantum efficere, et consequi possumus, ut ne etc. *Ov. rem. Am.* 31. Effice, nocturna frangatur janua rixa. ℙ Pro simplici facio. [*Non ita est. In omnibus qui jam sequuntur locis verbo efficiendi notio difficultatis vel strenui laboris quo aliquid perficitur subest.] *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Efficere columnam novam ab integro. [*Inprimis de artis operibus dicitur. *Macr. Sat.* 5, 17. Hac materia vel maxime in efficiendis simulacris utuntur. V. *Col.* ad *Quint.* 12, 10. p. 1087. *Burm. Gron.* ad *Stat. Th.* 6, 243.] *Caes. B. G.* 5, 19. Ut tantum hostibus noceretur, quantum labore atque itinere legionarii milites efficere poterant. *Id. B. C.* 3, 102. Quantum itineris equitatu efficere poterat. *Cic. Att.* 13, 26. Heri etiam effeci epistolam ad Caesarem. *Id. Phil.* 2, 42. Efficere mirabilia facinora. [*Ib. 14. Ea dicere reformidat, quae Antonius in Parmensium liberis et conjugibus effecerit. *Id. Mil.* 32. Caedes effecerat. Utroque loco *Ern.* frustra negat ita dici posse.] *Id. Brut.* 78. Tantos progressus efficiebat, ut evolare videretur. *Ov. A. A.* 3, 166. Efficere aliquid suum. *Plin.* 6, 33, 38. Quae computatio efficit vicies quater centena quadraginta millia passuum. [*Inprimis hic usus proprius est Jureconsultis, quorum dicendi gravitati et subtilitati maxime convenit. Sic Effecta est actio; effecta ancilla; effici civem Romanum; effectus compos mentis; efficitur debitor etc. V. *Briss. de Form.* s. v.] ℙ Cum infinito. *Vitr.* 2, 6. Vehementer efficit ea coire, et soliditatis percipere virtutem. *Ulp. Dig.* 38, 2, 14. *ad f.* Causam perorari usque ad sententiam effecit. *Id. ib.* 47, 11, 10. *extr.* Chomata etiam, et diacopi, qui in aggeribus (*Nili*) fiunt, plecti efficiunt eos, qui id admiserint. ℙ [*Frequentissima structura est seq. *ut.* Sed sequitur etiam *ne. Afric. Dig.* 3, 3, 78. Efficiat, ne ad exitum controversia deducatur. *Id. Dig.* 19, 2, 35. Effecit, ne ea conductor frui possit. Item *quominus. Ulp. Dig.* 49, 14, 29. Mortuus corruptor non efficit, quominus agi possit atque retractari caussa.] ℙ Ponitur et pro comparare, conficere. *Pl. Bacch.* 2, 2, 55. Aliquam machinabor machinam, unde aurum efficiam herili filio. *Ter. Heaut.* 3, 3, 23. Efficere argentum. [*Sic *Cic. Verr.* 2, 2, 53. simplex *facere* posuit.] *Liv.* 23, 25. exercitus. [*Ad quem locum v. interpp. *Corte* ad *Sall. Fragm.* p. 998., *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 73.] *Nep. Them.* 2. classem. *Cic. Fam.* 8, 5. *sub f.* Neque adhuc frequentem senatum efficere potuit. ℙ Item pro exsequi. *Cic. Att.* 1, 14. *sub f.* Mandata effice, quae recepisti. *Al. leg.* confice. *Id. Leg.* 1, 5. Cujus muneris colendi efficiendique causa nati simus. *Ov. Her.* 14, 53. jussa parentis Effice. ℙ [*Quint.* 11, 3. Efficere verba. i. e. pronuntiando exprimere. *Id.* 1, 11. Voces quasdam quasi acriores parum efficimus. V. *Gron.* ad *Sen.* de *Ira* 1, 3.] ℙ Item pro facessere, exhibere. *Lent.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. Ut non possit Dolabella durius vobis efficere negotium. ℙ Et pro conciliare. *Ter. Andr.* 3, 4, 16. Efficere alicui nuptias. [*Haec non diversa significatio est; poterat ea §. 4. addi.] ℙ Et proficere. *Quint.* 2, 1. Non id est aestimandum, cujus quisque sit eatatis, sed quantum in studiis jam effecerit. ℙ Item pro reddere. *Caes. B. C.* 3, 84. Quae res in dies confirmatiorem efficiebat exercitum. *Ov. Met.* 2, 654. Efficere aliquem patientem mortis. Et *ib.* 8, 634. paupertatemque ferendo Effecere levem. ℙ Significat etiam, in causa esse, ut aliquid fiat. *Cic. Or.* 1, 33. Efficere admirationes. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Efficiam clamores, si etc. V. CLAMOR. *Hirt. B. Al.* 5. Aqua limosa et turbida varios morbos efficit. *Caes. B. G.* 4, 29. Quae dies aestus maximos in oceano efficere consuevit. ℙ Item disputando concludere, colligere, probare. *Cic. N. D.* 3, 13. Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit, nihil esse, quod sensum habeat, quin id intereat. [*Rarius sequitur accusativus cum infin., plerumque *ut.* V. *Creuz.* ad *Cic. N. D.* 3, 12. p. 535.] *Id. prooem. Par.* Cato minutis interrogatiunculis, et quasi punctis, quod proposuit, efficit. ℙ Item consequi, sequi. *Id. Off.* 3, 5. Ex quo efficitur, hominem homini nocere non posse. Et 1, 17. Efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unum fiat e pluribus. ℙ Item supplere, aut praestare. *Plin.* 23, 4, 51. Nuclei palmarum cremati spodii vicem efficiunt. *Ov. Fast.* 6, 379. Tu modo, quae desunt fruges, superesse putentur, Effice. ℙ Item parere. *Colum.* 7. 6. *a med.* Pessima est fetura, cum matres bimae ternos haedos efficiunt. [*Hinc de agris dicitur, ut *efferre. Cic. Verr.* 2, 3, 63. Agri Leontini, qui plurimum efficit. *Ib.* 47. Ager efficit cum octava. Porro transfertur ad alias res quae commissum s. debitum quasi reddunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 33. Liciti sunt usque eo quoad se efficere posse arbitrabantur, i. e. quantum sperare poterant pecuniam cum fructu inde redituram esse.] ℙ Item creare. *Cic. Att.* 15, 21. Cum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret. [*Rectius ita exponas: operam dedit Antonius ut auctoritate sua eum dictatorem constitueret. Neque enim *efficere* pro creare dici potest.] ℙ Part. *Efficiens* suo loco. *Effecturus* ap. *Caes. B. G.* 7, 26. Non magna jactura suorum sese effecturos sperabant. ℙ *Effexis* pro *effeceris*, vel *efficies* est *Pl. Cas.* 3, 5, 63. et *Poen.* 1, 3, 19. ℙ [*Confunduntur saepe a librariis *efficere* et *effingere.* V. *Burm.* ad *Quint.* 5, 12. p. 456. 10, 1. p. 898.]

EFFĪCTĬO, onis, f. actus fingendi. Figura eadem ac ethopopoeia vel species ethopoeiae. *Auct.* ad *Her.* 4, 49. Effictio est, cum exprimitur et effingitur verbis corporis cujuspiam forma, quoad satis sit ad intelligendum.

EFFĪCTUS, a, um, partic. ab *effingo*, expressus, repraesentatus. *Cic. Rosc. Am.* 16. Haec conficta arbitror a poeta esse, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostrae vitae videremus. [*Id. *Ac. Pr.* 2, 6. Visum impressum effictumque ex eo unde esset, quale esse non posset ex eo unde non esset.]

EFFĪGĬA, ae, f. idem ac effigies. *Pl. Rud.* 2, 4, 7. Veneris effigia haec quidem est. Habet etiam *Afran.* ap. *Non.* 8, 77. et *effigiae* in plur. *Lucr.* 4, 46, 83. et 103.

EFFĪGĬĀTUS, a, um, partic. ab *effigio. Appul. Apol.* p. 282, 18. Imagines variis artibus effigiatae. [*Id. *Met.* 11. p. 262, 27. Urnula miris simulacris effigiata. *Id. Flor. init.* Truncus dola-

mine effigiatus.] *Ammian.* 26, 7. Aurei nummi effigiati in vultum novi principis.

EFFĬGĬĀTUS, us, m. actus effigiandi. *Appul. Flor. n.* 15. p. 350, 36. Magna vis artis, vario effigiatu.

EFFĬGIES, ei, f. *εἰκών*, imago, simulacrum, signum, figura ad vivam alterius similitudinem, vel ad veritatis imaginem efficta, tam in picturis, quam in sculpturis: ab *effingo*. *Cic. Verr.* 2, 2, 65. Effigiem simulacrumque Mithridatis. [*Ubi de statua Mithridatis est.] *Id. N. D.* 1, 37. Deus effigies hominis et imago. [*Ubi *effigies* latiore significatu est de simili quadam alicujus specie. Sic etiam *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Quaedam effigies spirantis mortui. V. *Drak.* ad *Liv.* 26, 41, 25.] *Tac. Hist.* 2, 3. *in f.* de Venere Paphia: Simulacrum Deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio, tenuem in ambitum metae modo exsurgens. [*De imaginibus in memoria artificiali est *Cic. Or.* 2, 86. Ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notaret.] ℙ Usurpatur etiam translate de animo, virtutibus etc. *Cic. Fin.* 2, 18. Reliquit effigiem et humanitatis, et probitatis suae filium. *Id. Arch.* 12. Consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem debemus summis ingeniis expressam et politam. [*Porro significat *effigies* ideam rei. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. Cyrus a Xenophonte non ad fidem historiae scriptus, sed ad effigiem justi imperii, i. e. ad exemplum quasi et normam quam animo conformavimus. Sed usurpatur etiam de re quae ideae respondet. *Cic. Or.* 2. Perfectae eloquentiae speciem (*das Ideal*) animo videmus, effigiem (*die Nachbildung des Ideals in der Wirklichkeit*) auribus quaerimus.] ℙ De spectro, et umbra mortui apparentis. *Sil.* 13, 778. Elysio tendentem limite cernens Effigiem juvenis castam. Adde *Ov. Met.* 14, 358. ℙ In plurali num. *Virg. A.* 3, 148. Effigies sacrae Divum. *Sil.* 17, 398. Caelarat patrui spirantes proelia dura Effigies. ℙ Aliquando ponitur pro instar. *Plin.* 21, 5, 11. Lilium foris striatum, et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxans effigie calathi. *Id.* 5, 10, 11. Metatus est Alexandriam Dinocharres ad effigiem Macedonicae chlamydis. *Sil.* 5, 4. restagnans gurgite vasto Effigiem in pelagi lacus.

EFFĬGĬO, as, a. 1. *εἰκάζω*, ad effigiem formo. *Sidon. ep.* 6, 12. Quem Graecia effigiavit imaginibus. *Prud. Cathem.* 10, 4. Deus, qui hominem effigiasti.

EFFĬGŪRO. V. AFFIGURO.

EFFINDO, is, a. 3. idem quod findo. *Man.* 4, 283. Et frenare ratem, fluctusque effindere rectos.

EFFINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *διατυπόω*, effigiem rei alicujus ad vivum exprimo, ad alterius formam fingo. [*Cic. Leg.* 1, 9. Natura speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effigeret. *N. D.* 3, 9. Nulla vis est naturae ut sui dissimilia possit effingere.] *Cic. Tusc.* 1, 25. Quae tam immensa magnitudo, quae illa multa possit effingere. [*V. *Wopk. Lectt. Tull. l.* 11. p. 67.] *Virg. A.* 6, 32. Bis conatus erat casus effingere in auro. *Id. ib.* 10, 640. Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis. [*Omnino est imitando exprimere. *Cic. Div.* 1, 13. Oris lineamenta effingere.] *Cic. Or.* 2, 43. *ad f.* Mores oratoris effingit oratio. [*i. e. depingit, ante oculos ponit, repraesentat. Sic etiam *Auct.* ad *Her.* 4, 49. Exprimitur et effingitur verbis corporis cujuspiam forma. — Porro de notionibus animo et memoria comprehensis. Sic etiam *Or.* 2, 86. Effingenda animo, quae memoria tenere vellent.] *Quint.* 1, 1. Nutricum verba puer effingere imitando conabitur. *Id.* 10, 1. *a med.* Cicero effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis etc. *Plin. ep.* 1, 3. Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum, *h. e.* scribe, compone, para. *Lucan.* 5, 713. grues Effingunt varias casu monstrante figuras. ℙ Interdum significat extergere. *Cato R. R.* 67. Fiscinas spongia effingat. (*Plin.* 15, 6, 6. ex eod. *Cat.* fiscinas spongia tergendas dixit.) *Cic. Sext.* 35. Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri, e foro spongiis effingi sanguinem. Ita legunt cum *Serv.* ad *A.* 8. 634. multi: vulgo *effundi*. [*V. *Heins.* ad *Ov. Her.* 20, 135.] ℙ *Effingere manus* ap. *Ov. Her.* 20, 134. et 137. est leniter tractare, mulcere: qua ratione etiam *fingo* usurpatur. Est tamen qui utroque loco aliter legit. Simili notione *effingere manus* cadaveris apud *Albin.* 1, 137. est apte componere, extendere, apte collocare. ℙ Particip. *Effingens* ap. *Sil.* 1, 404. horrentes effingens crine galeros. *Effingendus.* ℙ [*Confunduntur *Effingere* et *efficere*. V. s. h. v.]

EFFĬO, is, pro Fio, is. *Pl. Pers.* 5, 1, 9. Haec mihi facilia factu facta sunt, quae volui effieri.

EFFIRMO, as, a. 1. confirmo, firmum reddo. *Accius* ap. *Non.* 4, 64. Tu te ipse effirma et compara.

EFFLĀGĬTĀTĬO, onis, f. actus efflagitandi. *Cic. Fam.* 5, 19. Admonitio, vel potius efflagitatio ad coeundam societatem. [**Id. Fam.* 10, 24. Insulsa cum efflagitatione.]

EFFLĀGĬTĀTUS, a, um, part. ab *efflagito*. *Suet. Ner.* 38. Collationes non receptae modo, verum et efflagitatae.

EFFLĀGĬTĀTUS, us, m. vehemens postulatio. In sexto casu sing. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. Coactu atque efflagitatu meo.

EFFLĀGĬTO, as, avi, atum, a. 1. *λιταρέω*, vehementer flagito. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. *Id. Verr.* 2, 1, 24. Cum iste a Dolabella efflagitasset, ut etc. *Id. Mil.* 34. Efflagitare misericordiam alicujus. [**Id. Caec.* 3. Judiciorum desiderio potestas tribunitia efflagitata est.] *Virg. A.* 12, 759. notumque efflagitat ensem. [**Liv.* 3, 60, 8. Efflagitare pugnam, de militibus pugnandi cupidis.] *Suet. Vesp.* 5. Suppliciter, nec non et minaciter efflagitantes. ℙ Translate. *Auct. B. Hisp.* 29. Aequitas loci adversarios efflagitabat, *h. e.* invitabat, hortabatur. ℙ [*Confunditur cum simplice *flagitare*. V. *Wolf.* ad *Cic. post red.* 5, 11.]

EFFLAMMANS, antis, part. ab inusit. *efflammo*, flammas emittens. *Capell.* 2. p. 45. Stellae efflammantes.

*EFFLATIO, onis, f. Affert *Gesner.* ex *Sarisb.* 8, 6.

EFFLĀTUS, a, um, part. ab *efflo*, flando emissus. *Suet. Aug.* 99. Unum omnino ante efflatam animam signum alienatae mentis ostendit.

EFFLĀTUS, us, m. emissio per flatum. *Senec. Quaest. nat.* 5, 14. Aliquod apertum ad hos efflatus iter occupent. Al. leg. *afflatus*.

EFFLĔO, es, evi, etum, a. 2. flendo consumo. *Quint. Decl.* 6, 4. Cognita clade, rarissimi uxor exempli, et prorsus talis filii mater, totos efflevit oculos. [*V. *Burm.* ad h. l.]

EFFLĬCTĒ, adv. vehementer, impense, effligendo. *Symmach. ep.* 1, 84. (al. 90.) Efflicte diligere. *Appul. Met.* 5. p. 171, 36. Amo te efflicte quicumque es. Al. leg. *efflictim*.

EFFLĬCTĬM, adv. idem quod efflicte. *Pl. Amph.* 1, 3, 19. Efflictim amare. Adde *Cas. prol.* 49. et *Merc.* 2, 3, 107. et *Naev.* ap. *Charis.* 2. p. 178., ubi *Probus* efflictim amare exponit, usque donicum effligatur.

EFFLICTO, as, a. 1. idem quod afflicto. *Pl. Stich.* 4, 2, 26. Non tu scis, quam efflictentur homines noctu hic in via.

EFFLĬCTUS, a, um, partic. ab *effligo*, afflictus. *Capitol. Ver.* 4. ex lectione *Salmasii*: Saepe efflictum livida facie rediisse. V. etiam AFFLICTUS, a, um.

EFFLĪGO, is, ixi, ictum, a. 3. idem quod affligo, percutio, occido, perdo. *Pl. Cist.* 2, 1, 49. Nisi pedatu tertio omnes efflixero. *Cic. Att.* 9, 19. Misit filium ad effigendum Pompejum. Al. leg. *affligendum*. *Pl. Asin.* 4, 2, 9. Quam tu propediem, nisi illa ante occupassit te, effliges, scio. *Senec. Ira* 1, 15. Rabidos canes effligere. Et *ib.* 2, 31. viperas, et natrices. [**Tertull. adv. Marc.* 4, 12. Spicas decerptas manibus efflixerant, i. e. extriverant. *Gesner. Thes.* Cf. *Effrico*.]

EFFLO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπνέω*, flando ejicio, emitto. *Ov. Fast.* 5, 194. Efflare rosas ab ore. *Id. Met.* 2, 85. ignem ore et naribus. *Plin.* 9, 6, 6. Ora balaenae habent in frontibus, ideoque in sublime nimbos efflant. *Id.* 29, 6, 39. Efflare pulverem. *Lucr.* 6, 699. Atque effiare foras, ideoque extollere flammas. Et *ib.* 680. quibus modis flamma vastis Aetnae fornacibus efflet, *h. e.* exeat, neutrorum more. Et *ib.* 5, 651. Sol efflat ignes suos. *Stat. Th.* 5, 209. de ebrio dormiente, et crapulam exhalante: Efflare somno vina. *Lucr.* 5, 904. Chimaera Ora foras acrem efflaret de corpore flammam. *Varr. R. R.* 1, 12. Bestiolae, si quae prope nascuntur, efflantur. ℙ Efflare animam, mori. [*Cic. Tusc.* 1, 9. Agere animam et efflare dicimus.] *Id. Mil.* 12. [*ad quem l. v. *Garat.*] et *Nep. Paus.* 5. Sic efflare vitam, *Sil.* 17, 557. et Efflare extremum halitum, *Cic. Tusc.* 2, 9. *ex poeta. Stat. Th.* 8, 168. Plagae efflantes, *sc.* animam. *Cic. Div.* 1, 47. Abjicit efflantem (*serpentem*) et laceratum affligit in unda. [*Haec verba petita sunt ex *Cic. Mario*. ℙ Efflare aliquid, sc. vocem quam quis simul cum ultimo spiritu edit. *Flor.* 4, 7. Quam verum est, quod moriens efflavit in re esse virtutem ubi comparant, *Stat. Th.* 5, 578. Implorantem animam dominis assibilat aris.] ℙ Efflare colorem, ap. *Lucr.* 2, 831. est amittere.

[EFFLORĔO, es, ui, n. 2. *ἐξανθέω*, valde floreo. *Tertull.* seu *Cyprian. Judic. Domin.* 209. Talia florigeris nunquam nascuntur in hortis Lilia, nec nostris efflorent talia campis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 78. *extr.* Apparebit, res eas non modo non esse communes, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse, *h. e.* emanasse, egerminasse, ut flores ex plantis. [*Rectius h. l. ad v. seq. trahas.]

EFFLORESCO, is, n. 3. valde floresco. Translate. *Cic. Coel.* 31. Laudibus ingenii efflorescere. Et *Or.* 1, 6. Ex rerum cognitione efflorescat, et redundet oportet oratio. *Id. Amic.* 27. Utilitas efflorescit ex amicitia. *Id. Fin.* 1, 20. Cum usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere. *Augustin. lib. quaest.* 83, 9. Corpus in juventam efflorescit.

EFFLŪENTĬA, ae, f. *ἐκροή*, effluvium. *Plin.* 26, 10, 60. Inhibet non solum Venerem, sed effluentiam geniturae. Meliores tamen libri habent *affluentiam*. [*Eodem modo *effluenter* pro *affl.* legitur apud *Appul. Met.* 2. p. 313. *B. A.*]

EFFLŪO, is, uxi, uxum, n. 3. *ἐκρέω*, *ἐκφέρομαι*, extra fluo, effundor. *Cic. Tusc.* 2, 24. Cum una cum sanguine vitam effluere sentiret, *Plin.* 24, 8, 32. Humor e cavis populi nigrae effluens. *Id.* 37, 2, 11. Succina petris effluere. *et paulo post.* Amnis effluens in oceanum. ℙ [*Inprimis de vestibus laxioribus usitatum verbum. *Tib.* 1, 6, 40. Effluit effuso cui toga laxa sinu. Alia vide apud *Gron. Observ.* 2, 7.] Tribuitur et aliis rebus. *Id.* 27, 13, 111. Si capilli effluxerint. [*Ut Graeci *ῥεῖν* et *ἀποῤῥεῖν* dicunt. *Eur. Med.* 1201. *σάρκες δ' ἀπ' ὀστέων ἀπέῤῥεον.*] *Ov. Met.* 6, 669. neque adhuc de pectore caedis Effluxere notae. Et *ib.* 3, 39. Effluxere urnae manibus [*i. e. ceciderunt, elapsae sunt e manibus.]. Et *Ib.* 426. per medias affluat usque manus. [**Quint.* 10, 2. Epicuri figurae e summis corporibus effluunt. V. *Burm.* ad h. l. p. 926.] *Curt.* 8, 14. Telum, quod unum forte non effluxerat, contorsit in eum. *Suet. Aug.* 97. Ictu fulminis ex inscriptione statuae ejus prima nominis littera effluxit. [*V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 670. Olim *Cic. Div.* 143. legebatur: lactis imber effluxit. Recte vere nunc, Davis. suadente, *Orell.* edidit defluxit.] ℙ Translate. *Cic. Dom.* 46. Effluunt multa ex vestra disciplina. [*i. e. emanant.] *Id. Senect.* 2. Praeterita aetas, quamvis longa, cum effluxisset. *Id. Att.* 12, 43. *extr.* Ne aestas effluat. Et *Ov. Rem. Am.* 646. melius sic ulciscere tacendo, Dum desideriis effluat illa tuis. ℙ Eleganter refertur ad oblivionem. *Cic. Fam.* 7, 14. Antequam plane ex animo tuo effluo. *Id. Brut.* 61. Ex tempore dicenti solitam effluere mentem. [*Adde *Cic. Fam.* 6, 19.] *Sil.* 2, 627. dulcesque marito Effluxere tori et subiere oblivia taedae. ℙ Illa quoque eleganter translata sunt, *Ter. Eun.* 1, 2, 41. Utrumque hoc falsum est: effluet. [*i. e. evulgabitur, in vulgus exibit.] *Liv.* 7, 33. Cum effluere jam lassitudine vires sentirent. *Sil.* 6, 245. viso mens aegra effluxit hiatu. *Lucan.* 9, 106. Effluere in lacrimas. *Pers.* 3, 20. quid istas Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens, Contemnere. ℙ Cum accusativo, Graeca syntaxi. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 51. Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus. [*Alios locos vide apud *Munck.* ad *Hyg.* p. 575.]

EFFLŪVĬUM, ii, n. *ῥεῦσις*, effluendi actus, magna vis alicujus rei. *Plin.* 7, 51, 52. Profundi humoris e corpore effluvium. *Tac. A.* 12, 57. Convivium effluvio lacus appositum, *h. e.* loco, unde lacus effluebat.

EFFLŪUS, a, um, adj. qui effluit. *Avien. Progn. Arat.* 1717. Si flammis emicet ignis Effluus. *Id. Perieg.* 1162. In pontum cadit effluus amnis.

[EFFLUXĬO, onis, f. emissarium, et id, quod per idem effluit. *Papin. Dig.* 43, 10. *in.* Aediles studeant, ut quae secundum civitates sunt viae, adaequentur, et effluxiones non noceant domibus. *F.*]

EFFŌCO, as, a. 1. *πνίγω*, suffoco. *Flor.* 2, 11. Cum effocandas invicem fauces praebuissent. [**Vet. Schol.* ad *Juven.* 14, 222. Quae per somnum effocabitur propter dotem. *B. A.*] ℙ Translate. *Senec. Brev. vit.* 2. Bonis suis effocantur.

EFFŌDĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *κατασκάπτω*, fodiendo eruo. *Caes. B. C.* 3, 42. *extr.* Frumentum omne conquisitum, spoliatis effossisque eorum domibus, comportaverat. *Suet. Dom.* 4. Effodere lacum. *Plin.* 9, 51, 76. scrobem in terra. *Petr. Sat.* 88. Donum promittit, si thesaurum effoderit. [**Epit. Liv.* 22. Signa militaria effodere.] *Plin.* 35, 6, 24. Carbones e sepulcris effodere. *Id.* 36, 22, 45. Lapides speculares effodiuntur puteis. *Juven.* 16, 38. Aut sacrum effodit medio de limite saxum. [**Paul. Sent.* 5, 22, 2. Effodere terminos, i. e. lapides, finium causa positos, evellere et ejicere.] *Ov. Met.* 1, 140. Effodiuntur opes irritamenta malorum. *Senec. Qu. nat.* 1, 17. Populus effossurus obruenda. ℙ Effodere alicui oculos. *Cic. N. D.* 3, 39. [*Ubi sensu metaphorico positum. Verba *Cic.* sunt: Critolaus evertit Corinthum, Karthaginem Hasdrubal. Hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt.] *Caes. B. G.* 7, 4., *Pl.* aliquoties, et *Ter. Eun.* 4, 6, 2. [*V. *Intpp.* ad *Vell. Pat.* 2, 52.] ℙ Pro confodere. *Ov. Am.* 2, 14, 27. Vestra quid effoditis subjectis viscera telis? ℙ Translate. *Cic. Marc.* 4. Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Al. leg. *offudit*. At *Effodit* tuetur atque ita explicat *P. Victor. l.* 34. *Varr. lect. c.* 9. *effodit*, inquit, i. e. aperuit, *μεταφορικῶς*, memoria et subita recordatio Marcellorum patefecit sibi viam in animum meum. V. OFFUNDO ad f. Utrumque tamen improbat *Fr. Aug. Wolfius*, quippe qui genuinam hanc esse *Ciceronis* orationem perneget. ℙ Apud *Petr. Sat.* 4. verba atroci stilo effodere, est severe, rigide, censorie examinare, expungere et quasi confodere. ℙ *Ef-*

fodiri antique pro *effodi* dictum est a *Pl. Mil.* 2, 3, 44. ℙ *Effodint* antique pro *effoderint*, ab eodem *Capt.* 3, 5, 66., ubi al. leg. *Effodant.* V. FODO. ℙ *Ecfodere* scriptum reperitur in multis *Tac. Codd. A.* 14, 20. et *exfodere* ap. *Pl. Aul.* 4, 8, 9. et *fr.* ap. *Non.* 3, 207. Ego ecfodiebam in die denos scrobes.

EFFODO. V. FODO.

EFFOEMĪNO etc. V. EFFEMINO.

EFFOETUS. V. EFFETUS.

EFFOR. V. EFFARIS.

[EFFORMIS et Eformis, e, adj. ex forma vel secundum formam factus. *Not. Tir.* p. 110. Forma, formula, formosus, informis, eformis, deformis. *F.*]

EFFŌRO, as, a. 1. idem ac perforo. *Colum.* 9, 1. Compluribus locis per latas efforatur stipes.

EFFOSSĬO, onis, f. actus effodiendi. *Imppp. Grat., Val.* et *Theod. Cod.* 11, 6, 3. Qui venam laboriosis effossionibus persequuntur.

EFFOSSUS, a, um, part. ab *effodio*, ἐξορυχθείς. *Virg. G.* 4, 42. Effossis latebris sub terra fovere larem. *Plin.* 30, 5, 12. Effossum cum sua terra gryllum illinire. *Petr. Sat.* 128. effossa protulit aurum In lucem tellus. *Vell.* 2, 52. effossum alterum imperii lumen. ℙ [*Confunduntur a librariis *effossus* et *effusus.* V. *Interpp.* ad *Vell. Pat.* 2, 52.]

*EFFOTUS, a, um, part. pro *effetus* ap. *Colum.* 8, 5. restitui vult *Sylburg.*, fotu exclusus grex. V. seq. *B. A.*

*EFFŌVĔO, es, a. 2. idem ac foveo. *Veg. Vet.* 4, (al. 2.) 28. Medicamentum catastalticum, quod carnem supercrescentem comedendo effovet, *scil.* carnem succrescentem comedendo, vulnus et sanam carnem effovet elicitque. *B. A.*

EFFRACTĀRĬUS, ii, m. qui effringit, effractor. *Senec. ep.* 68. Vile videtur quidquid patet: aperta effractarius praeterit.

EFFRACTOR, oris, m. qui fracto ostio aut sera in aedes vel arcam alienam irrumpit. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Cognoscit praefectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus. [**Ulp. Dig.* 47, 17, 1. Effractores metalli poena afficiendi sunt. *Sid. Apoll. Ep.* 9, 7. Scrinia tua effractorum manus arguta populabitur. Praeterea in *Dig.* libris nominantur *Effractores diurni* et *nocturni.*]

EFFRACTŪRA, ae, f. effractoris effectus. *Paul. Dig.* 15, 3, 2. Effracturae fiunt plerumque in insulis, in horreisque, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt. [**Scaev. Dig.* 38, 2, 48. Quaero de eo, qui libertum effracturae crimine accusavit.]

EFFRACTUS, a, um, part. ab *effringo. Hor. ep.* 1, 17, 54. Cista effracta. *Stat. Th.* 9, 556. effractamque aperit victoribus urbem. ℙ [*Confunduntur a librariis *Effractus* et *et fractus. Drak.* ad *Liv.* 36, 24, 10.]

EFFRĒNATĒ, adv. ἀχαλινώτως, dissolute. *Cic. Senect.* 12. Cujus voluptatibus avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitantur. *Id. Phil.* 14, 9. Effrenatius in hostem irrumpere.

EFFRĒNĀTĬO, onis, f. dissolutio. *Cic. Phil.* 5, 8. Quae effrenatio impotentis animi?

EFFRĒNĀTUS, a, um, part. ab *effreno*, ἀχάλινος, cui frenum detractum est. *Liv.* 40, 40. Id cum majore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis. ℙ Item qui frenum detrectat et pro arbitrio nostro regi non potest: et translate dicitur de re, quae omnem egreditur modum. *Cic. Har. resp.* 1. Cujus ego de effrenato et praecipiti furore quid dicam? *Id. Off.* 1, 26. Homines secundis rebus effrenati. *Id. Or.* 3, 53. Vox quaedam libera atque etiam effrenatior. *Senec. ep.* 88. *ante med.* Affectibus effrenatissimis abstrahi. *Cic. Cluent.* 6. Libido effrenata et indomita. *Id. Dom.* 44. Projecta et affrenata cupiditas. ℙ Scribitur et *effraenatus.*

EFFRĒNO, as, avi, atum, a. 1. dempto freno dimitto, immitto, freno liberum abire sino. Translate. *Sil.* 9, 495. Regnantem Aetolis Vulturnum in proelia campis Effrenat.

EFFRĒNUS, a, um et Effrenis, e, adj. ἀχάλινος, carens freno, cui frenum detractum est. *Liv.* 4, 33. Effreno equo in medios ignes infertur. ℙ Translate dicitur de indomito et rectorem recusante. *Virg. G.* 3, 382. Gens effrena virum Riphaeo tunditur Euro. *Ov. Met.* 6, 465. effreno captus amore. *Prisc.* 9. p. 868. legit *inopino. Stat. Ach.* 1, 277. Equus effrenae tumidus igne juventae. *Id. Silv.* 5, 3, 101. sive orsa libebat Aoniis vincire modis seu voce soluta Spargere et effreno nimbos aequare profatu, *h. e.* soluta oratione ac libera. Pro altera positione quidam leg. *effreni equo* in loco *Liv.* allato. Sic *Plin.* 8, 44, 69. Mula effrenis et tarditatis indomitae.

EFFRĪCĀTUS, a, um, part. ab *effrico*, fricatus. *Appul. Met.* 4. p. 145, 31. Vinum probe calicibus effricatis affluenter immissum.

EFFRĪCO, as, cui, a. 1. fricando excutio. *Senec. ep.* 95. *circa med.* At illis diu rubigo animorum effricanda est. ℙ Scribitur et *exfrico. Appul. Met.* 1. p. 103, 8. Equi sudorem curiose fronte exfrico. ℙ Praeteritum *effrixi* pro *effricavi* aut *effricui*, legitur ap. *Tertull. adv. Marc.* 4, 12. ex *Lucae* 6. Esurierant discipuli et spicas decerptas manibus effrixerant. [*ubi alii *efflixerant.* V. s. h. v.]

EFFRINGO, is, egi, actum, a. 3. διαῤῥήγνυμι, vi quadam et impetu frangere. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. Cum viderent effringi multorum fores, revelli claustra. *Pl. Amph.* 4, 2, 3. Paene effregisti, fatue, foribus cardines. *Tac. A.* 1, 21. Effringere carcerem. *Flor.* 4, 2. aerarium. *Suet. Aug.* 67. crura alicui. Et *ib.* 43. Questus nepotis casum, qui et ipse crus effregerat. *Senec. Phoen.* 159. Effringe corpus, corque evelle. *Id. Herc. Oet.* 1449. Stipite ingesto impiam effringere animam. ℙ Absolute. *Sil.* 1, 646. Spumeus hic, medio qui surgit ab aequore, fluctus, Si prohibere piget, vestras effringet in urbes, *h. e.* impingetur et franget se.

EFFRONDĚO, es, ui, n. 2. frondes emitto. *Vopisc. Prob.* 19. Totusque Circus ad silvae consitus speciem, gratia novi viroris effronduit.

EFFRONS, ontis, adj. impudens, temerarius, quasi sine fronte. *Vopisc. Num.* 13. Consilii semper alti, nunquam tamen effrontis, sed prudentis.

EFFRŪTĬCO, as, a. 1. fruticem emitto, pullulo, produco. *Tertull. Anim.* 27. Semina hominem ex utraque substantia effruticant. Et *ad Nat.* 1, 5. Ut naevus aliquis effruticet aut verrucula exsurgat.

EFFŪGĬĂ, ae, f. dicebatur hostia, quae effugisset ab aris. *Serv.* in *Virg. A.* 2, 140. V. in fine vocis EFFUGIUM.

EFFŪGĬO, is, ugi, n. 3. fugio, evado, elabor, ἐκφεύγω, idem ac fugio. *Cic. Manil.* 9. Effugere e manibus. Et *Phil.* 2, 29. de proelio. [*De structura vid. *Ruddim.* II. p. 330.] *Pl. Merc.* 3, 4, 75. Clam patrem patria hac effugiam. *Cic. Sext.* 54. *ad f.* A quibus vix vivus effugit. [*h. e. apud quos quum esset, vix eos effugit. Eadem est ratio quum dicitur *eripere aliquem ab aliquo.* Cf. s h. v.] *Ter. Eun.* 5, 5, 3. Huc effugi foras. *Hirt. B. G.* 8, 35. Effugit inde cum paucis Luterius. [*Effugere via, quod dictum ut: ducere clivo. *Liv.* 8, 26, 4. Nolani per aversam partem urbis via Nolam ferente effugiunt, ubi vid. *Drak.*] *Curt.* 4, 15. Vix tentato certamine, effugit ad regem. *Phaedr.* 4, 1. Effugere laqueos. Et *Nep. Paus.* 2. Effugisse simulans ex vinculis publicis. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Lineae visum effugientes. *Ov. Fast.* 3, 406. Arctophylax Mergetur, visus effugietque tuos. [**Ov. Met.* 13, 475. Effugere amorem alicujus. *Sen.* de *Const. Sap.* 17. Ciceronis urbanitatem effugit. V. *Burm. Sec.* ad *Prop.* 1, 9, 30.] *Petr. Sat.* 118. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate. ℙ Est etiam vitare. *Cic. Att.* 7, 24. Non dubito, quin Cnaeus in fuga sit: modo effugiat. *Id. Q. Fr.* 1, 4. Quod ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. *Caes. B. C.* 2, 41. Numidae celeritate impetum nostrorum effugiebant. *Id. B. G.* 4, 35. periculum. *Hirt. B. G.* 8, 3. adventum alicujus. *Curt.* 4, 14. *extr.* mortem. *Cic. Verr.* 2, 1, 40. Offensionem negligentiae vitare atque effugere. *Nep. Chabr.* 3. invidiam. *Pl. Amph.* 1, 1, 295. infortunium. *Cic. Att.* 16, 7. *a med.* vituperationes. *Quint.* 1, 5. cavillationem. *Naev.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare. *Cic. Brut.* 46. Tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis. *Id. ib.* 8. Dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. *Id. Tusc.* 1, 36. Haec morte effugiuntur, etiamsi etc. ℙ Effugit me aliquid, elabitur. *Cic. Or.* 2, 34. *extr.* Ubi eum locum omnem cogitatione sepseris, nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet. [*Colum. 8, 11, 13. Effugiunt somniculosum plurima, ubi olim edebatur somniculoso.] ℙ Pro aspernari, rejicere, *Grat. Cyneg.* 276. Effuge, qui lata plandit vestigia planta.

EFFŪGĬUM, ii, n. ἀποφυγή, ratio et via effugiendi et locus ipse, qua effugere quis potest. *Cic. N. D.* 2, 47. Bestias alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. *Id. Verr.* 2, 5, 64. *extr.* Assequi effugium mortis. *Lucr.* 3, 525 praecludere alicui. *Ov. A. Am.* 2, 21. Praestruere omnia effugio alicujus. *Hirt. B. Alex.* 16. Neque terra neque mari effugium dabatur victis. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 23, 1, 8.] *Liv.* 24, 26. Si effugium patuisset in publicum. *Tac. A.* 15, 63. Senile corpus et tenuatum lenta effugia sanguini praebebat. Et *ib.* 16, 15. Effugia villae claudere. *Id. ib.* 3, 42. Milites effugia insederant. ℙ Item fuga. *Virg. A.* 2, 139. Quos illi fors ad poenas ab nostra reposcent Effugia. Ubi *Serv.* Dicendo *effugia*, verbo sacrorum et ad causam apto usus est: nam hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari vetere more solet; in cujus locum quae supposita fuerat, *succidanea* etc.

[EFFUGO, as, avi, atum, a. 1. ex aliquo loco aliquem fugo. *Hieron. ep.* 18. *n.* 19. Fugetur iniquitas, et, cum iniquitas fuerit effugata, propitietur Dominus. *F.* *Adde *Aug. Serm. Fer.* 1, 2. *Pentecost. P. Chrysolog. Serm.* 13. *extr. B. A.*

EFFULGĚO, es, ulsi, n. 2. ἀπολάμπω, idem quod fulgeo aut valde fulgeo. *Ov. Met.* 2, 144. effulget tenebris aurora fugatis. *Virg. A.* 5, 132. ipsique in puppibus auro Ductores longe effulgent. [**Aen.* 9, 110. Effulsit oculis lux.] *Sil.* 3, 694. ante aras stat veste sacerdos Effulgens nivea. [*Saepe *effulgere* ponitur de iis quae subito emicant, subito fulgore splendent, ut in loco seq.] *Liv.* 22, 1. Ingens lumen effulsisse. [*V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 6, 27. *Drak.* ad *Liv.* 43, 13, 3.] ℙ Translate. *Plin.* 4. *init.* Omnis Graeciae fabulositas, sicut et litterarum claritas, ex hoc primum sinu effulsit. ℙ In infinito aliquando est 3. conjugat., ut sit ab *effulgo. Virg. A.* 8, 677. Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.

[EFFULGŪRAT, abat, impers. 1. idem ac effulget, splendet. V. FULGURAT. Translate. *Enn. ep.* 1, 8. In quibus litterarum commerciis ad unguem politi sermonis splendor effulgurat. *F.*]

EFFULTUS, a, um, part. ab inusit. *effulcio*, fultus, ὑπερειμένος. *Virg. A.* 7, 94. Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus. *Id. ib.* 8, 368. Effultus foliis et pelle Libystidis ursae. (V. FULTUS.) *Stat. Silv.* 3, 1, 5. Grajis effulta metallis Culmina. *Appul. Met.* 2. p. 123, 41. Effultus in cubitum.

EFFŪMĬGĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *effumigo*, fumo expulsus. *Tertull. ad Mart.* 1. Tanquam coluber excantatus, aut effumigatus.

EFFŪMO, as, n. 1. fumum emitto. *Sever. Aetn.* 497. Effumat moles.

EFFUNDO, is, udi, usum, a. 3. ἐκχέω, extra fundo, emitto, profundo; et dicitur proprie de humoribus. Hinc in titulo *Dig.* 3, 9. *qui dejecerint*, solida dejecisse, *vel effuderint*, liquida effudisse intelligendi sunt. [*Aliquando tamen etiam de aridis accipitur. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27, 19. Si quis milium vel frumentum meum effuderit in flumen, sufficit Aquiliae actio.] *Juven.* 3, 277. patulas effundere pelves. *Cic. Planc.* 42. Lacrimae, quas tu plurimas effudisti. *Id. N. D.* 2, 45. Mare neque redundat unquam, neque effunditur. *Plin.* 2, 108, 112. Ganges se in Eoum oceanum effundit. *Curt.* 8, 13. Procella imbrem effuderat. *Pl. Curc.* 1, 2, 28. Age, effunde hoc cito in barathrum, *h. e.* hoc poculum ebibe. [*Hinc pro vomere dictum videtur ap. *Cic. Pis.* 10. Nemo potest dicere, utrum ille plus biberit aut vomuerit, an effuderit. Quem locum tractans *Wunder.* in *Var. Lectt. Cod. Erf.* p. 51. ostendit verba *aut vomuerit* ejicienda esse, quae ad verbum *effuderit* explicationis ergo adscripta erant.] ℙ Transfertur ad alia. *Cic. Fl.* 28. Vox in coronam turbamque effunditur. *Id. Brut.* 9. Haec enim aetas effudit hanc copiam. *Id. Or.* 15. Segetes fecundae non solum fruges, verum etiam herbas effundunt. *Virg. A.* 7, 522. Troia pubes Ascanio auxilium castris effundit apertis. *Cic. Fam.* 12, 25. *a med.* Effundere furorem vinolentum in aliquem [*i. e. evomere.]. *Liv.* 39, 34. iram in aliquem. *Ov. Her.* 12, 139. carmina. *Hor. Sat.* 2, 3, 149. saccos nummorum. *Val. Flacc.* 7, 566. tenebras. *Virg. A.* 5, 723. tales voces, *h. e.* talia verba dare. Et *ib.* 780. tales effundit pectore questus. [*In his *Effundere* in bonam partem dicitur *ex imo promere*, de dicto memorabili. Sed *effundere vocem*, *verba* etc. etiam de inconsiderato et temerario sermone usurpatur. V. infra, *Burm.* ad *Vell.* 2, 14.] ℙ Pro jacere, emittere. [*Sen. Benef.* 5, 6. Sol intercursu lunae vetatur omnes radios effundere. V. *Gron. Observ.* 2, 7.] *Id. A.* 9, 509. telorum effundere contra Omne genus Teucri. Adde *Liv.* 27, 18. ℙ Pro remittere, laxare. *Virg. A.* 5, 818. et 12, 499. effundere habenas. ℙ Pro abjicere. *Plin.* 18, 31, 74. *ad f.* Vina priora effundere. ℙ Pro sternere. *Virg. A.* 11, 485. Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis. *Id. ib.* 12, 531. Murrhanum ingentis turbine saxi Excutit, effunditque solo. ℙ Pro expellere. *Id. A.* 9, 67. qua via clausos Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequor. ℙ Pro excutere. *Id. ib.* 10, 574. de equis territis: Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus. *Val. Flacc.* 8, 357. fluctu puppis labefacta reverso Solvitur, effunditque viros. *Liv.* 22, 3. et *Curt.* 8, 14. Equus effundit equitem. ℙ Pro ejicere. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. §. 4. Effundere alicui oculum. Al. leg. *offundere:* nam cervicis percussione apud medicos constat oculorum lumen offundi. [*Effundere oculum* recte quidem dicitur, sed ita diversum est ab *effodere oculum*, ut hoc fiat animo oculum eruendi, illud vero de eo ponatur, qui cervice vehementius percussa, ex illa capitis concussione oculo privatur. V. *Burm.* ad *Vell.* 2, 52.] ℙ In illo *Celsi* 7, 7. *n.* 4. Homo sic aversus collocandus est, ut in gremium ejus (medici) caput resupinus effundat, *h. e.* inclinet ac deponat. ℙ Refertur ad eos, qui omnia dicunt, quae in animo habent, et ad copiose loquentes. *Cic. Att.* 16, 7. *a med.* Effudit illa omnia, quae tacuerat. *Id. Orat.* 1, 34. *extr.* Effudi vobis omnia, quae sen-

tiebam. *Id. Flacc.* 17. *a med.* Testis effudit, quae voluit omnia. [*Val. Fl.* 7, 434. Prima cupiens effundere voce omnia. V. *Burm.* ad *Vell.* 2, 14.] ℙ Item ad profundentes bona. *Cic. Phil.* 3, 2. C. Caesar adolescens divina mente atque virtute, firmissimum exercitum comparavit, patrimoniumque suum effudit: quamquam non sumus usi eo verbo, quo decuit: non enim effudit, sed in salute reipublicae collocavit. *Justin.* 6, 9. Reditus publicos in classem exercitusque effundere. *Cic. Rosc. Am.* 2. Pecuniam per luxuriam effundere atque consumere. *Id. Agr.* 1, 5. Effundere aerarium. ℙ Et absolute. *Ter. Ad.* 5, 9, 34. Effundite, emite, facite quod vobis lubet. ℙ Et translate. *Cic. Fam.* 2, 16. Ut me existimares tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem, *h. e.* abjicerem, perderem. ℙ Sumitur et generatim pro large, aut sine modo conferre, dare. *Id. ad Brut.* 1, 15. *a med.* Eos per ipsos dies effudi, si ita vis, honores in mortuos. ℙ *Effundere se*, et *effundi* dicitur de multitudine hominum alicunde simul exeuntium, et aliquem in locum concurrentium. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Timore quodam pervulgata civitas tota ad te se cum conjugibus et liberis effundebat. *Liv.* 34, 8. Major frequentia mulierum sese in publicum effudit. *Id.* 26, 19. Legationes ad famam adventus ejus, ex omni se provincia effuderant. *Id.* 38, 6. Omnibus portis ad opem ferendam effunduntur. *Vellej.* 2, 112. Effundere se obviam alicui. [*V. *Periz.* et *Drak.* ad *Liv.* 41, 7, 10. *Id.* ad *Sil.* 2, 151.] ℙ Item de iis, qui latius evagantur. *Caes. B. G.* 5, 19. Cum equitatus noster liberius, vastandi causa, se in agros effunderet. [*Hinc de aquarum vi, quae latius se extendunt. *Mel.* 1, 1. Ubi iterum mare se effundit. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 43.] ℙ Item de iis, qui in aliqua re liberius se gerunt, aut modum non servant. *Cic. Parad.* 3, 1. An temperantem eum dices, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? *Liv.* 34, 6. Effundi ad luxuriam. *Suet. Aug.* 99. in jocos. *Id. Cal.* 32. in cachinnos. *Tac. A.* 1, 54. in amorem alicujus. *Id. ib.* 12, 47. in amplexus. ℙ Absolute. *Val. Flacc.* 1, 700. Saevit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto Vela videt, ne qua se ardens effundere possit. *Cic. Att.* 4, 9. In nos suavissime est effusus [*i. e. maximam in me posuit fiduciam, nihil me celavit.]. ℙ Huc pertinet illa. *Plin.* 23, 1, 23. Quorum stomachus in vomitiones effunditur, *h. e.* saepe cibum rejicit. *Id.* 17, 8, 4. Terra effunditur in herbas, *h. e.* fertiliter herbas gignit. [*Col. R. R.* 3, 2. Effunditur in materiem et frondem vitis.] ℙ *Effundere curam sui* apud *Sen. Ira* 2, 35. est abjicere. [*Cic. Fam.* 1, 9. Effundere odium, est dimittere.] ℙ *Effundere orationem*, perturbate, atque adeo obscure dicere. *Sen. ep.* 100. Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere: adeo larga est, et sine perturbatione, non sine cursu tamen veniens. [*Haec poterant superiori loco poni §. 11.] ℙ Effundere animam apud *Virg. A.* 1, 102. vitam, *Ov. Her.* 7, 181. extremum spiritum, *Cic. Phil.* 12, 12. est mori. ℙ *Effundere gradum*, vel *frena*, ap. *Stat. Th.* 9, 182. dicitur de eo, qui vel pedes, vel eques concito cursu fertur. ℙ *Effundere vires* est omnes vires expromere. *Ov. Met.* 1, 278. vires effundite vestras. ℙ Item vires consumere, exhaurire. *Id. ib.* 12, 106. manus est mea debilis ergo, Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno. Sic *Cic. Fam.* 1, 9. *a med.* Illud odium effudisse me omne arbitrabar. et *Sen. ep.* 11. Omnem verecundiam effundere. ℙ In illo *Pers.* 1, 64. ut per laeve severos Effundat junctura ungues: *effundat* est ire sinat, non remoretur, (V. *Hor. Sat.* 2, 7, 87.) apte conjuncta, et nulla rima diducta. V. UNGUIS. ℙ Partic. *Effundens* apud *Lucan.* 1, 188. Turrigero canos effundens vertice crines. *Effusurus* ap. *Val. Max.* 7, 7. *n.* 6. Effusurus se in nostras provincias. *Effundendus* apud *Cels.* 7, 15. Per hanc membranam effundendus humor est. ℙ [*Confunduntur a librariis *effundere* et *offundere*. *Drak.* ad *Liv.* 33, 7, 8.]

EFFUSĒ, adv. effundendo se, et late vagando: atque adeo libere, effrenate, licenter, immodice. *Sall. Jug.* 113. Qui temere et effuse euntes, numerum ampliorem efficiebant. *Liv.* 34, 16. Effusius, ut sparsis hostibus fuga, praedati sunt. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 3, 9.] *Id.* 1, 10. Effuse vastantibus fit obvius Romulus. *Id.* 3, 22. Effuse fugere. *Curt.* 9, 8. sequi hostem. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 25, 29, 3.] *Liv.* 30, 11. invehens sese hostis. *Sen. ep.* 99. *a med.* Effusissime flere. *Cic. Pis.* 5. Nemo tam effuse petulans conatus est. *Id. Tusc.* 4, 6. Cum inaniter et effuse animus exsultat. *Id. Coel.* 16. *extr.* Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse viveret. *Plin. ep.* 1, 20. *a med.* Non minus non servat modum, qui adstrictius, quam qui effusius dicit, *h. e.* nimis redundanter. [*Cod.* 7, 40, 1. Illud spatium alii effuse interpretabantur, i. e. latissima notione acceperunt.] *Cels.* 6, 6. *n.* 8. Effuse vivere. ℙ Item large, profuse. *Cic. Rosc. Am.* 8. *extr.* Non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat. ℙ *Effuse amare* est impense, vehementer. *Plin. ep.* 6, 26. Amo quidem effuse: judico tamen: et quidem tanto acrius, quanto magis amo. *Id. ep.* 7, 30. Cum omnes, quos probas, effusissime diligas. [*Plin. ep.* 2, 3. Effusissime diligere.] *Id. ib.* 24. Habebat pantomimos, fovebatque effusius, quam principi feminae conveniret. *Suet. Ner.* 22. Rogatus, ut cantaret super coenam, exceptusque effusius. *Tac. H.* 1, 19. Effusius favere.

*EFFUSĪBĬLIS, e, adj. *Interpr. Irenaei* 1, 1. *B. A.*

EFFŪSĬO, onis, f. ἔκχυσις, actus effundendi. *Cic. N. D.* 2, 10. Primus ipse liquor, tum aquae declarat effusio. *Colum.* 3, 2. Vitis vel ad escam, vel ad effusionem deponitur, *h. e.* ut calcetur, et effundatur vini causa. V. ELIQUESCO. ℙ [*De effundatur vini causa. *Cod.* 9, 24, 2. Nummos falsa effusione metallis. *Cod.* 9, 24, 2. Nummos falsa effusione formare, ubi alii *fusione*.] ℙ Translate est prodigalitas, consumptio. *Cic. Rosc. Am.* 46. Quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? ℙ Item irruptio, vel eruptio. *Cic. Pis.* 22. Effusiones hominum ex oppidis. ℙ *Effusio animi* in laetitia, apud *eund. Tusc.* 4, 31. est quaedam animi quasi dilatatio, qua effert se, et effundit: cui opponitur *ib.* contractio in dolore. [*Similiter opponuntur *se effundere* in libidine, et *se continere* in libidine apud *Cic. Parad.* 3.]

EFFŪSOR, oris, m. qui effundit. *August. Serm.* 27. *de divers. in f.* Redemptor tuus, effusor pretii etc.

EFFŪSORĬE, adv. effuse. *Ammian.* 31. *sub f.* Exinde degressi sunt effusorie per Arctoas provincias.

*EFFUSORIUM, ii, n. *Gloss.* ἐκχυτήριον, instrumentum vel canalis, quo effunditur.

EFFŪSUS, a, um, partic. ab *effundo*, ἔκχυτος, fusus, extra fusus, defusus: et proprie de liquoribus dicitur. *Virg. A.* 6, 686. Effusae genis lacrimae. *Id. G.* 4, 312. aestivis effusus nubibus imber. Et *ib.* 288. effuso stagnantem flumine Nilum. *Liv.* 1, 4. Tiberis effusus super ripas. *Plin.* 4, 15, 29. Rhenus in ostia. *Id.* 16, 1, 1. Oceanus in immensum. *Id.* 29, 3, 11. Ovum effusum in fictili novo. ℙ Transfertur et ad res alias. *Id.* 22, 25, 70. Lens trita, et per cribrum effuso furfure, *h. e.* secreto, et rejecto. *Id.* 8, 5, 5. Effusae stipes in sinum, *h. e.* collatae, congestae. *Id.* 9, 33, 52. Margo conchae foris effusus, *h. e.* explicatus, dilatatus. *Liv.* 30, 12. et *Virg. A.* 10, 892. Effusus eques. [*i. e. dejectus. *Liv.* 10, 11. Effusus equo.] Sic *Plin.* 8, 42, 65. auriga. *Virg. A.* 6, 339. mediis effusus in undis. *Sil* 16, 361. Sinuare axem effusum, *h. e.* volantem currum extra tramitem flectere. Et *ib.* 443. Jubae effusae per colla equi. *Stat. Th.* 5, 95. erecta genas, aciemque effusa. *Virg. G.* 4, 337. Nymphae effusae caesariem per colla, *h. e.* habentes caesariem effusam. [*Liv. 3, 7, 8. Effusi crines. V. *Drak.* ad h. l.] ℙ Apud *Sen. Const. Sap.* 13. *reliquiae*, et *effusa* sunt excrementa alvi, et vesicae. ℙ *Effusa loca* ap. *Tac. G.* 30. sunt vasta, plana, et patentia. Sic ap. *Vellej.* 2, 43. effusissimus sinus maris Adriatici. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Est etiam emissus, immissus. *Virg. A.* 5, 317. Corripiunt spatia (*cursores*) effusi nimbo similes. *Id. G.* 3, 104. ruunt effusi carcere currus. ℙ Item laxatus, remissus. *Liv.* 37, 20. Effusissimis habenis stationem hostium invadit. ℙ Item frustra impensus. *Virg. G.* 4, 492. ibi omnis Effusus labor. ℙ Item large impensus, profusus. *Plin.* 7, 25, 25. Effusae opes. *Cic. Rosc. Am.* 24. Sumptus effusi cum probro atque dedecore. *Nep. Milt.* 6. Populi nostri honores quondam fuerunt rari, et tenues; nunc autem effusi, atque obsoleti. ℙ Item largus, vel prodigens. *Cic. Coel.* 6. Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? *Vellej.* 2, 41. Caesar vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus. [*Edit. Basil. *munificentia*, quod a *Ruhnk.* commendatur.] ℙ Et universim qui quacumque in re multus est ac vehemens, et propensus, aut immodicus: sive de rebus, sive de personis sermo sit. *Liv.* 44, 1. Effusa licentia. *Id.* 35, 43. *extr.* laetitia. *Suet. Ner.* 40. Effusissimo studio athletas spectare. *Liv.* 42, 30. Principum pars ita in Romanos effusi erant, ut, etc. *Virg. G.* 2, 352. Effusi imbres. *Petr. Sat.* 139. Amplexu effusissimo invadere aliquem. *Liv.* 3, 5. Effusa fuga. *Plin. ep.* 6, 20. *circa med.* Effusus cursus, *h. e.* citatus. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 50, 6. 28, 7, 7.] *Tac. H.* 2, 45. Effusi in lacrimas. *Virg. A.* 2, 651. lacrimis. *Tac. A.* 1, 54. Effusus in amorem alicujus. *Justin.* 12, 13. totus in laetitiam. *Gell.* 1, 26. in iram. *Quint.* 2, 2. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus. *Liv.* 29, 23. Numidae effusi in Venerem. [*Liv. 25, 20, 6. Effusus in licentiam socordiamque. V. *Drak.* ad h. l.] *Id.* 44, 31. *sub f.* Postremo ad preces lacrimasque effusus, in potestatem sese dedit. ℙ Dicitur et te turba hominum turmatim alicunde exeunte. *Liv.* 1, 14. Plenis portis effusi hostes. *Id.* 30, 5. Ad restinguendum ignem effusi. *Virg. A.* 6, 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat. *Justin.* 32, 1. Populus obviam effusus. *Tac. A.* 15, 23. Omni senatu Antium effuso. ℙ *Effusiora corpora* ap. *Calpurn. Flacc. declam.* 2. sunt fusa et ampla: quibus opponuntur collectiora. [*V. *Burm.* ad *Quint.* 10, 1. p. 900.] ℙ *Effusa membra* ap. *Stat. Th.* 6, 841. sunt plana, aequabilia, multa scilicet carne et sanguine plena, non torosa, aut rugosa. *Liv.* 38, 21. *fusa* dixit. ℙ [*Confunduntur a librariis *effusus* et *effossus*. V. *Interpp.* ad *Vell.* 2, 52. ad *Tac. A.* 4, 25. *Effusus* et *et fusus*. *Drak.* ad *Liv.* 1, 37, 2.]

EFFŪTĪCĬUS, a, um, adj. qui effutitur, ac temere loquendo effunditur. *Varr. L. L.* 6, 5. Euax verbum nihil significat, sed effuticium naturaliter est. Al. leg. *effutitum*.

EFFŪTĬO, is, ivi, itum, a. 4. ψυχρολογέω, proprie est effundo, a *futio* (quod idem significat) teste *Prisc.* 4. p. 631. Et transfertur ad eos, qui silere tacenda nequeunt, aut inaniter temereque loquuntur. *Ter. Ph.* 5, 1, 18. Ne vos forte imprudentes foris effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea resciscceret. *Cic. N. D.* 2, 37. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum suspexisse videantur. *Id. ib.* 1, 30. Quam bellum erat, confiteri potius nescire quod nescires, quam ista effutientem nauseare? *Id. Tusc.* 5, 31. Nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur. [*Id. Div.* 2, 55. de vaticiniis: partim ficta aperte, partim effutita temere, quod dictum puta ob sonos inconditos et obscuros qui ex Pythiae ore prodibant.] *Lucr.* 5, 908. Multa licet simili ratione effutiat ore. *Gell.* 5, 1. Obvias, vulgatasque laudes effutire. *Hor. A. P.* 231. Effutire leves indigna tragoedia versus. ℙ *Nonius* 2, 272. exponit cum mendacio dicere: sed rem non conficiunt, quae affert exempla: sunt autem ea ipsa, quae hic a nobis afferuntur.

EFFŪTĪTUS, a, um, part. ab *effutio*, temere loquendo effusus. *Cic. Div.* 2, 55. Quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, nunquam ne mediocri quidem cuiquam probata sunt.

EFFŪTŪO, is, a. 3. In *carm. jocoso* in Caesarem apud *Suet. in ejus Vita* 51. Aurum in Gallia effutuisti, *h. e.* scortando dilapidavisti.

E G

*EGARA, ae, Hispaniae Tarraconensis oppidum, cis Iberum flumen, non procul a flumine Rubricato. *Inscr.* ap. *Cellar* T. 1. p. 114. *B. A.*

[ĒGĂTHĒUS, i, m. ἠγάθεος, valde divinus, sacer: ab ἦγαν pro ἄγαν, valde, et θεῖος, divinus: cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *A. Maium* in *adnot.* ad *Front.* p. 167. *ed. Rom.* T. Aurelius Egatheus Imp. Antonini Aug. Lib. a codicillis. *Front. ib.* Tantam de thesauris Antonini pecuniam prodigi, quam nescio quae ista altilis alumna accipiat, unde nihil Egatheus acceperit. *F.*]

ĒGĔLĂTUS, a, um, part. ab *egelo*. *Coel. Aur. Tard.* 4, 3. Non frigidum, sed leviter egelatum.

[*ĒGĔLESTĀNI, orum, m. plur. populi Hispaniae Tarraconensis, urbem Egelestam incolentes, quae nunc fortasse *Uniesta*, cujus meminit *Plin.* 31, 7, 39. et *Strab. l.* 3., qui num. plur. Ἐγελάστας; *Ptol.* vero 2, 6. Ἐτέλεσταν appellat. *Plin.* 3, 3, 4. Dianenses, Egelestani, Ilorcitani. *B. A.* et *F.*]

ĒGĔLĬDO, as, a. 1. quod gelatum est, dissolvo. *Sidon. ep.* 4, 1. Egelidarentur fibrae glaciales.

ĒGĔLĬDUS, a, um, adj. χλιαρός, qui de summo gelu aliquid remisit. *Cels.* 4, 18. *extr.* Potio debet esse egelida, et frigidae propior. *Id.* 6, 18. *extr.* Ulcus, si hiems est, egelida, si aliud tempus, frigida aqua fovendum. *Suet. Aug.* 82. Perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta. *Catull.* 46, 1. Jam ver egelidos refert tepores. *Colum.* 10, 282. Nunc ver egelidum, nunc est mollissimus annus. [*Auson. *Ep.* 2, 4. Egelidae stagnantis terga Mosellae. *Ep.* 24, 97. Egelidae ut tepeant hiemes rabidosque per aestus Aspirent tenues frigus subtile aquilones. In omnibus his locis *Egelidus* non multum differt a *tepido* et adjunctam habet jucunditatis notionem.] ℙ Item frigidus, nempe qui gelu quidem caret, frigus tamen habet. *Virg. A.* 8, 610. egelido secretum flumine vidit. [*ubi *Heyn.* mavult *et gelido*.] *Plin.* 31, 2, 6. Albulae aquae egelidae: sed Cutiliae gelidissimae. *Strabo l.* 5. ψυχρὰ Ἀλβουλα. Adde *Cels.* 3, 22. *ad f.* ℙ Item gelu adstrictus. *Auson. Caes.* 21. Impiger egelido movet arma Severus ab Istro. [*Egelidus hic idem fere est quod *gelidus*, sed non: gelu adstrictus. Equidem cum *Gesner.* statuo, nullum reperiri exemplum, quo haec significatio confirmetur.] ℙ Postremam hanc, ac primam significationem conjunxit *Ov. Am.* 2, 11, 10. Egelidum Borean, egelidumque Notum: ut adnotavit *Voss. Instit. orat.* 5, 2. §. 2., quam ob rem ab amicis reprehensus fuit, uti narrat *Senec. Contr.* 2, 10. *in f.* Al. tamen rectius leg. *Et gelidum Borean, egelidumque Notum*. V. SEMIBOS. ℙ [*Saepe confunduntur *egelidus* et *gelidus*. V. supra.]

EGĔLO, as, avi, atum, a. 1. de summo gelu

aliquid remitto. *Coel. Aur. Acut.* 3, 5. Cum ex aliqua parte corporis frigidus torpor visus fuerit egelari.

ĔGENS, entis, part. ab *egeo*, ἐνδεὴς, qui re aliqua eget, cui desunt necessaria ad viyendum. Dicitur, si *Festo* credis, quasi *exgens*, *h. e.* cui ne gens quidem sit reliqua. [**Auct.* ad *Her.* 4, 17, 24. Egens aeque est is, qui non satis habet, et is cui nihil satis potest esse.] *Cic. Amic.* 7. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilli valent. [**Auct. orat. pro dom.*, *Cic.* adscribi solitae, 44, 116. Homo, sua virtute egens, i. e. cui virtus sua est causa egestatis. V. *Wolf.* p. 265.] *Id. Att.* 6, 1. Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. *Id. ib.* 9, 7. *a med.* Egestates tot egentissimorum hominum. *Id. Fam.* 6, 22. Egens rebus omnibus. *Pl. Rud.* 1, 5, 16. Egentes opum. *Hor. Od.* 4, 8, 10. Animus deliciarum egens, *h. e.* cupidus, ea enim cupimus, quibus indigemus. *Catull.* 63, 31. Animo egens, *h. e.* mentis, et consilii inops. [*An absolute ita dici possit, jure dubitatur. *Tac. A.* 4, 69. Anxia et pavens civitas, egens adversum proximos, ubi *Ern.* intelligit *consilii*. Alii locum pro corrupto habent.] *Cic. Rosc. Am.* 8. *sub f.* Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. *Id. Cluent.* 59. *a med.* Est hic Ennius egens quidam, calumniator mercenarius Oppianici. [*Inprimis Egens dicitur de eo qui solvendo non est, qui sine pecunia est. *Ulp. Dig.* 48, 19, 1. Praefecti iis, qui poenam pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.] ℙ Item carens. *Ov. Met.* 1, 17. Lucis egens aer. Et *ib.* 11, 119. mensas posuere ministri Instructas dapibus, nec tostae frugis egentes. ℙ *Egens*, et *inops* in eo differre videntur, quod *egens* ideo talis est, quia *inops:* inopia enim egestatem parit. Itaque egens magis laborat, quam inops. *Suet. Gramm.* 8. Adeo inops atque egens, ut coactus sit etc. [**B. Crus.* in *Ind.* p. 325. Egens est, qui caret rebus necessariis, inops, qui auxilio aliorum indiget. *Ulp. Dig.* 25, 3, 5, 13. Filius patrem inopem alere cogetur; iniquissimum enim quis merito dixerit, patrem egere, quum filius sit in facultatibus. Cf. *Döderl. Syn. Fasc.* 3. p. 112. Opponitur Egens locupleti. *Callistr. Dig.* 22, 5, 3. In persona testium explorandum, an locuples vel egens sit, ut lucri causa quid facile admittat.] V. EGESTAS.

ĔGENŬLUS, a, um, dimin. ab *egenus*. Est *Paul. Nolan. ep.* 29. (al. 10.) 12.

ĔGĒNUS, a, um, adj. ἄπορος, ἐνδεὴς, idem quod egens, sed magis poetis, atque historicis familiare. *Liv.* 9, 6. Omnium egeni corpora humi prostraverunt. *Tac. A.* 15, 12. Commeatibus non egenus. *Id. ib.* 3. Egena aquarum regio. ℙ Item carens. *Id. A.* 4, 30. Egena aquae insula. *Id. ib.* 1, 53. Omnis spei egena. *Sil.* 6, 304. Nulla viro species, decorisque et frontis egenum Corpus. *Lucr.* 3, 1026. lucis egenus Tartarus. ℙ *Res egenae* sunt res afflictae. *Pl. Poen.* 1, 1, 1. Res multas tibi mandavi dubias, egenas, inopiosas consilii. *Id. Capt.* 2, 3, 45. Neque unquam deserui te rebus in dubiis, egenis. *Virg. A.* 6, 91. cum tu supplex in rebus egenis Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes! ℙ *Egenus* et *inops* quid differant, in EGENS. dictum est. *Petr. Sat.* 133. *in carm.* inops, et rebus egenus Attritis.

ĔGĔO, es, ui, n. 2. ἀπορέω, alicujus rei inopia laboro. *Cic. Rosc. Com.* 8. Egebat? imo locuples erat. *Id. Fam.* 9, 3. Gravitas morbi facit, ut medicinae egeamus. *Id. Tusc.* 2, 2. Nec bibliothecis quidem Graecis egebimus. *Auct.* ad *Her.* 4, 54. *extr.* Cum res non egent longae orationis. *Cic.* ad *Brut.* 1, 15. *sub f.* Etiam Themistoclis liberi eguerunt. [*i. e. in paupertate fuerunt.] ℙ Cum accusativo. *Sall. Jug.* 103. Locus magna parte editus et praeceps pauca munimenta egebat. Al. *quaerebat* leg. *Pl. Men.* 1, 2, 12. Lanam, aurum, vestem bene praebeo: nec quicquam eges. ℙ Metonymice est appetere, cupere, velle. *Hor. Ep.* 1, 10, 10. Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso, Pane egeo, jam mellitis potiore placentis. Adde *Art. P.* 154. Item carere. *Cic. Brut.* 67. C. Macer auctoritate semper eguit. *Liv.* 6, 27. Censoribus quoque eguit annus? *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Si quid est, quod utar, utor: si non est, egeo. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere. *Stat. Silv.* 5, 4, 2. Crimine quo merui, donis ut solus egerem, Somne, tuis? ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Ps.* 1, 3, 39. Amatur, atque egetur acriter. ℙ Part. *Egens* V. suo loco. *Egiturus* ap. *Tert. adv. Marc.* 4, 24. Eadem potestas expeditionem suorum per civitates abundaturam circumcidens, sicut et egituram per solitudinem struxerat.

ĔGĔRIA. V. AEGERIA.

ĔGĔRIES, ei, f. ab *egero;* excrementorum emissio, vel ipsa excrementa. *Solin.* 40. *de bonaso animali.* Cum in fugam vertitur, fimum egerit, cujus ardor quidquid attigerit, adurit: ita egerie noxia summovet insequentes. *Paul. Nolan. carm.* 32, 281. per egeriem, qua sese animalia purgant.

ĔGERMĬNO, as, n. idem ac germino. *Colum.* 4, 17. Quae infra trunci caput egerminaverint. Adde *ib.* 27, 32.

ĔGĔRO, is, essi, estum, a. 3. ἐκτέρω, ἐκκομίζω, extra gero. *Plin.* 33, 4, 21. Egerere silices humeris. *Id.* 31, 2, 16. Fons egerens saxa. *Liv.* 6, 3. Victorem vagum invenit, praedam ex hostium tectis egerentem. ℙ Item extrahere. *Hirt. B. Alex.* 22. Egerere ex mari lapides. *Curt.* 7, 10. *ad f.* Nec tamen, humo alte egesta, exsistebat humor. *Id.* 5, 1. *a med.* Limo penitus ad fundamenta jacienda egesto. *Ov. Met.* 11, 488. Egerere fluctus *(e navi).* ℙ Item asportare. *Liv.* 30, 39. *ad f.* Pecuniam ex aerario scribae, viatoresque clam egessisse comperti, damnati sunt. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 22, 3. 6, 3, 5.] ℙ Item emittere, et fere dicitur de vomentibus, aut alia ratione e corpore expellentibus. *Curt.* 7, 5. Aquam vomitu egerere. *Ov. Met.* 6, 664. dapes. *Plin.* 9, 43, 67. Scolopendrae interanea evomunt, donec hamum egerant. *Id.* 31, 6, 33. Phthisi affecti, aut sanguinem egerentes. *Id.* 29, 5, 32. Qui in urinam canis suam egesserit. *Id.* 7, 11, 9. Abortu puerperia egerere. *Solin.* 40. Egerere fimum ventris. [*i. e. alvi excrementa reddere.] ℙ Item exhaurire. *Prop.* 4, 6, 34. Egessitque avidis Dorica castra rogis. [*de Apolline pestilentiam Graecis immittente.] V. EGESTUS, a, um. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 4, 3, 38. Expletur lacrimis, egeriturque dolor. *Lucan.* 2, 63. tales pietas peritura querelas Egerit, *h. e.* effundit. *Val. Fl.* 8, 454. tota querelis Egeritur, fletuque dies, *h. e.* impenditur, transigitur. *Tac. Agr.* 31. Bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum. *Quint. Decl* 5, 17. Egerere totos census in exsequias, *h. e.* effundere, impendere, profundere. [*V. *Burm.* ad h. l.] Et 18. Egerere animam. [**Tac. A.* 15, 54. Ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum, i. e. vim vitalem magna ex parte exhaustam esse.] *Senec. ep.* 66. *post in.* Multi nobis sermones fuerunt, quos subinde egeram, et ad te mittam. Et *ep.* 91. Gravitas coeli egerit populos, *h. e.* expellit, migrare cogit. ℙ Part. *egerendus* ap. *Liv.* 21, 37. Tantum nivis effodiendum atque egerendum fuit.

ĔGERSĬMON, i, n. ἐγέρσιμον, vox Graeca, ab ἐγείρω, excito, expergefacio, usurpatur a *Capell.* 9. p. 308. de carmine suavi, excitandis animis, oblectandisque idoneo.

*EGERĬUS, i, Ἠγέριος, Aruntis, Tarquinii Prisci regis fratris, filii Demarati nepos, qui post patris mortem natus, cum testamento ab avo praeteritus esset, omniaque bona Tarquinio Prisco cessissent, ab inopia *Egerii* nomen habuit. Is, Collatia a Prisco rege capta, ibi praesidio relictus, Collatini cognomen primus invenit, quod diu Collatiae praefuisset. Hujus filius, vel ut aliis placet, nepos fuit Tarquinius Collatinus, Lucretiae maritus. *Liv.* 1, 34. *B. A.*

[ĔGESTA, ae, f. Ἔγεστα, filia Hippotae Trojani, quam, ne marinae belluae ob perjuria Laomedontis secundum Apollinis responsa traderetur, pater impositam naviculae misit, quo sors tulisset; quae tandem ad Siciliam delata, a Criniso fluvio in canem converso compressa Acestem peperit. Hic ex matris nomine urbem Trojanis condidit, quae prius Egesta, post Segesta dicta est. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 550. *F.*]

ĔGESTAS, atis, f. ἔνδεια, indigentia, paupertas: ab *egeo*. *Virg. G.* 1, 146. duris urgens in rebus egestas. *Serv.* ad *hunc loc.* differre ait a paupertate, quod paupertas levior est, et honesta esse potest: egestas gravior, et turpis. *Virg. A.* 6, 276. turpis egestas. *Val. Flacc.* 4, 459. crudelis. *Juven.* 15, 96. dira. *Sen. Thyest.* 303. tristis. *Claud. Rufin.* 1, 36. infelix. *Pl. Asin.* 3, 3, 81. Quid vis egestas imperat. *Id. Trin.* 2, 2, 57. Tolerare egestatem alicujus. [**Tac. A.* 14, 14. Nobilium familiarum posteros, egestate venales, in scenam deduxit.] *Cic. Par.* 6, 1. *extr.* Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem, ac mendicitatem tuam nunquam obscure tulisti. [**Gesn.* in *Thes.* recte addit: Egestas est animi sibi deesse aliquid sentientis.] *Id. Att.* 9, 7. *a med.* Sustinere libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum. *Id. Rosc. Am.* 49. *extr.* Degere vitam in egestate. *Id. ib.* 5. Afferre egestatem alicui. [**Paul. Dig.* 48, 20, 7. Devolvi in egestatem. *Ulp. Dig.* 25, 3, 5, 17. Deduci in egestatem.] ℙ Differt ab inopia, ut a causa effectus. Ex illa enim haec nascitur: atque adeo haec illa gravior. *Id. Inv.* 1, 47. Propter inopiam in egestate esse. V. EGENS. ℙ Translate. *Id. Pis.* 11. Non capiunt angustiae pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi tantam personam. *Lucr.* 5, 1210. Egestas rationis, *h. e.* ignoratio rationis, et causae. *Plin. ep.* 4, 18. Inopia, vel potius, ut Lucretius (1, 831.) ait, egestas patrii sermonis. ℙ Pro deficientia. *Tac. Ann.* 6, 23. Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum, haud dubium: sponte, vel necessitate, incertum habebatur. [*i. e. inedia.]

ĔGESTĬO, onis, f. actus egerendi. *Suet. Ner.* 38. Pollicitus cadaverum, et ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit. ℙ Idem est etiam ac emissio, rejectio. [**Veg. Vet.* 5, 14, 6. Nascitur tumor et cum dolore egestionis foramen angustatur.] *Coel. Aurel. Tard.* 5, 10. Egestio ventris, et urinae. ℙ Translate est effusio. *Plin. ep.* 8, 6. *ante med.* Haec liberalitatis materia gratissima, si Pallantis facultates adjuvare publicarum opum egestione contingeret.

[ĔGESTĪVUS, a, um, adj. qui egerit. *Macer de anetho* 14. Unde minor fieri vis egestiva videtur. *F.*]

ĔGESTŬOSUS, a, um, adj. egenus. *Aurel. Vict. Epit.* 12. Puellas, puerosque natos parentibus egestuosis sumptu publico ali jussit. Al. leg. *egestosis:* at in *Not. Tir.* p. 67. legitur *egestuosus.*

ĔGESTUS, a, um, partic. ab *egero*, ἐκκομισθείς. *Ov. Met.* 7, 243. et *Colum.* 2, 2. *a med.* Scrobibus egestam humum recondere, et recalcare. ℙ Item emissus. *Plin.* 37, 3, 13. Egesta urina. [**Pall. R. R.* 11, 14. Egesto primo amne spumantis musti.] ℙ Item exhaustus. *Stat. Theb.* 1, 37. egestas alternis mortibus urbes. V. EGERO. ℙ Item transactus. *Val. Flacc.* 5, 298. Tristior, at nunquam tantoque paventibus ulla Nox Minyis egesta metu. i. e. transacta.

ĔGESTUS, us, m. actus egerendi, egestio. *Stat. Silv.* 4, 3, 42. alto Egestu penitus cavare terras. *Sen. Quaest. nat.* 3, 30. Quemadmodum corpora nostra ad egestum venter exhaurit.

EGGĔRO, pro Egero, (ab *ex* et *gero*, mutato *x* in *g*) legitur bis apud *Lactantium* 1, 9., in meliorib. tamen edit. legitur *egero.*

ĔGIGNO, is, a. 3. extra gigno, produco, effero. *Lucr.* 2, 702. altos Interdum ramos egigni corpore vivo.

*ĔGITŪRA, ae, f. egestas. *Tertull. adv. Marc.* 4, 24. post init. Per civitates ebundaturam circuiens, sicut et egituram struxerat. *B. A.*

[ĔGLECOPĀLA, ae, f. ita appellatur Celtico vocabulo margae genus a Gallis, cujus vocis etymon ignorari videtur ab ipso *Plin.* 17, 8, 4. Margam columbinam Galliae suo nomine eglecopalam appellant. *F.*]

[ĔGLECTUS, i, m. ἔκλεκτος, electus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 219. *n.* 576 T. Flavius Aug. Lib. Eglectus. Fortasse in lapide est *Eclectus. F.*]

EGNATIĀNUS, a, um, adj. ad Egnatium pertinens, quod est nomen Romani hominis, ut Egnatianum scelus. *Vellej.* 2, 93. V. *ib.* 91., *Sen. Clem.* 1, 9. et *Brev. vit.* 5. et *Suet. Aug.* 19. ubi narratur, M. Egnatium Rufum contra vitam Augusti conspirasse, detectum poenas dedisse.

[EGNATĪNUS, a, um, adj. ad Egnatiam pertinens, dirutam Apuliae urbem ad mare, inter Barium et Brundusium, nunc *Torre d'Agnazzo:* ea ab *Hor. Sat.* 1, 5, 97. dicitur *Gnatia*, quia fortasse vulgo ita appellabatur. *Front. de col.* p. 111. *Goes.* Ager Caelinus, Genusinus, Ignatinus. Lege *Egnatinus. F.*]

*EGNATULEIUS, i, m. nomen proprium Romanum, ut L. Egnatuleius, apud *Cic. Phil.* 3, 6. qui Quaestor cum quarta legione ab Antonio ad Octavium defecit. *B. A.*

ĔGO, ἐγὼ, pronomen primae personae, utriusque generis, a Graecis sumptum, etiam in obliquis casibus, parva mutatione. Sunt autem obliqui casus *mei*, *mihi*, *me:* et in plur. num. *nos*, *nostrum*, vel *nostri*, *nobis*. *Pl. Stich.* 5, 4, 49. Ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus. *Cic. Cat.* 4, 1. Ego sum ille consul, cui non forum, non campus, non domus vacua periculo fuit. *Virg. A.* 11, 392. Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum Arguet? *Cic. Fam.* 12, 18. *extr.* Nihil mihi tam deesse scito, quam etc. Et *ib.* 13, 56. Cluvius valde me observat. *Ter. Ad.* 2, 4, 7. Quasi norimus nos inter nos. ℙ Vocativo caret. Nam cum dicimus, *o ego laevus! o nos felices!* sunt recti casus, in quibus non vocandi ratio inest, sed exclamandi. ℙ Jungitur et aliis pronominibus. *Cic. Cat.* 1, 3. Dixi ego idem in senatu etc. *Id. Tusc.* 1, 17. Ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. *Id. Fam.* 1, 8. Ego is sum, cui vel maxime concedant. *Ter. Ad.* 5, 4, 12. Ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, duxi uxorem. *Virg. A.* 5, 846. Ipse ego paulisper pro te tua munera obibo. ℙ *Egone* est interrogantis. *Cic. Leg. Att.* 1, 13. Hac tu de re quaero quid sentias. *M.* Egone? *Ter. Heaut.* 5, 5, 6. Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens? ℙ Initio orationis ponitur ad significandum, de re graviori nos dicere, vel altius aliquanto incipere. Ter hac ratione usurpatur a *Cic. Fam.* 1, 9. Adde *Ter. Andr.* 3, 4, 3. ubi hoc idem notat *Donat.* [*V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 3, 6.] ℙ Addita syllaba *met* majorem habet vim designandi. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. Eam navem nuper egomet vidi Veliae. *Ter. Phorm.* 1, 3, 20. Nostri nosmet poenitet. *Cic. Fin.* 3, 19.

sub f. Cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. *Id. Quint.* 10. Brevitas mihimet ipsi amicissima est. ℙ Cum *vero* frequentissime jungitur. *Cic. Leg.* 2, 14. *Att.* Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. *M.* ego vero excipio. ℙ Cum *autem* rarius. *Cic. Or.* 3, 9. Ego autem, quamquam memet mei poenitet etc. (Adde *Att.* 9, 15.) *Liv.* 21, 18. Ego autem non censeo quaerendum etc. ℙ [*Post *ergo* ponitur cum emphasi. *Ov. Her.* 10, 119. Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo.] ℙ Aliquando redundat. *Pl. Trin.* 4, 2, 5. Viden', egestas quid negotii dat homini misero mali! Qui ego nunc subigor trium nummorum causa, ut dicam etc. ℙ Saepe emphasin habet, cum *vidi* junctum, praesertim apud poetas. *Virg. A.* 3, 623. Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro Prensa manu magna medio resupinus in antro Frangeret ad saxum. *Tibull.* 1, 4, 29. Vidi ego jam juvenem, premeret cum serior aetas, Moerentem stultos praeteriisse dies. Adde *Ov. Rem. Am.* 101., *Propert.* 1, 13, 14., *Sil.* 2, 340. etc. [*V. *Drak.* ad *Sil.* 2, 340. *Burm.* ad *Ov. Her.* 3, 147.] ℙ Dativus *mihi* aliquando significat ad meam utilitatem, vel damnum. *Ter. Ad.* 1, 2, 35. Si quid peccat, mihi peccat. ℙ Interdum quantum ad meum judicium. *Id. ib.* 5, 6, 5. Is mihi profecto est servus spectatus satis, cum dominus curae est. ℙ Cum participiis in *dus* ponitur pro, *a me. Ter. Heaut.* 3, 1, 89. Syrus est prehendendus, atque exhortandus mihi. ℙ Aliquando in oratione ponitur solius elegantiae causa. Habet enim quandam festivissimam urbanitatem. *Cic. Or.* 1, 38. Tu mihi cum in circulo decipiare adversarii stipulantiuncula, ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Et *ib.* 2, 20. Sit enim mihi tinctus litteris, audierit aliquid, legerit. *Virg. G.* 1, 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere. *Catull.* 24, 3. Mallem, divitias mihi dedisses Isti, cui etc. ℙ Per apocopen *mi* pro *mihi* dicitur. *Varr. R. R.* 2, 5. Veni mi advocatus. Adde *Lucr.* 3, 106. et *Virg. A.* 6, 104. ℙ *Min'* est mihi ne? *Pers.* 1, 2. Min' tu istud ais? ℙ *Mihipte* est mihi ipsi. *Cato* ap. *Fest.* ℙ *A me* est de meo. *Pl. Trin.* 1, 2, 145. A me argentum dedi. [*Potest vero etiam significare: a domo mea. *Cic. Or.* 1, 49. Curii villa abest non longe a me. *Ter. Heaut.* 3, 2, 50. Quisnam a nobis egreditur foras.] ℙ *Ad me* est ad meos, domum meam. *Cic. Fam.* 3, 8. *sub f.* Neque domum unquam ad me litteras mittam, quin adjungam etc. *Ter. Eun.* 3, 5; 64. Eamus ad me. ℙ *Meme* pro *me*, aut *memet. Virg. A.* 9, 427. Meme, adsum qui feci, in me convertite ferrum. Ubi *Serv.*: Meme, subaudi, Interficite; et est interrupta locutio dolore turbati. *Sil.* 9, 651. meme ad graviora reservat. ℙ [*Me* Graecorum more ante infinitivos omittitur, ubi idem manet subjectum. *Sall. Cat.* 52. Eo magis refert, mihi atque vobis timere. V. *Cort.* ad h. l. et ad *Jug.* 4.] ℙ *Me* pro *mihi* posuerunt antiqui, ut *Ennius* cum ait *l.* 2. Si quid me fuerit humanitus. Et *Lucil.* Nunc ad te redeo, ut quae res me impendet, agatur. Haec *Fest.* in *Me. Varr. R. R.* 3, 16. Hereditate me cessa. V. CESSUS. Iidem dixerunt etiam *mehe* pro *me*, ut *mihi* pro *mi* hodieque dicimus. *Quint.* 1, 5. *ante med. Mehe* quoque pro *me* apud antiquos, tragoediarum praesertim scriptores, in veteribus libris invenimus. ℙ Non solum *me* in sexto casu, sed et *se*, *te* praepositioni *cum* anteponitur: *mecum* enim dicimus, *secum*, *tecum*, ut *Cic. Or.* 45. docet: neque *cum me*, *cum se*, *cum te* dici potest. Eadem ratione *cum nobis* non dicimus, quia obscenius concurrerent litterae, ut ait *Cic. ib.* sed *nobiscum:* et ut huic sit simile, etiam *vobiscum*, non *cum vobis:* tametsi hoc si dicas, nullum cacophaton sit: sed ita usus postulat. V. CUM praeposit. ℙ *Mecum* interdum est intra me, cum animo meo, *μετ' ἐμαυτοῦ. Ter. Hec.* 1, 2, 32. Ut tacita mecum gaudeam. *Cic. in Senat.* 12. *extr.* Multa mecum ipse reputavi. ℙ Interdum apud me. *Phaedr.* 2, 5, *extr.* Multo majoris alapae mecum veneunt. *Ter. Ad.* 3, 2, 49. Testis mecum est anulus, quem amiserat. ℙ Jungitur cum *una*, et *simul. Pl. Bacch.* 3, 5, 2. Ut eum mecum ad te adducam simul. *Ter. Hec.* 1, 2, 56. Ut colloqui mecum una posset. *Id. Heaut.* 5, 1, 34. Clinia haec fieri videbat? *Me.* quid ni? mecum una simul. ℙ *Nobis* quandoque usurpatur pro nobiscum. *Ov. Trist.* 5, 10, 29. Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus. *Id. Am.* 1, 4, 1. Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem. Quaedam edit. habent perperam *nobiscum.* ℙ *Mecum* pro *me* accusandi casu. *Pl. Asin.* 3, 3, 72. Hanc, cui daturus hanc, jube petere, atque orare mecum. V. *Tecum* in TU. ℙ *Med* pro *me*, V. in ERGA. ℙ *Mepte* pro *me ipsum* dixit *Id. Men.* 5, 8, 10. ℙ Genitivus pluralis duplex est: *nostrum*, quod ponitur fere post adjectiva partitionis, aut his similia, ut *uterque nostrum* apud *Cic. Q. Fr.* 2, 4. et *omnium nostrum* apud *eund. Agr.* 2, 32. Et *nostri*, quod post verba, ut *nostri miserere* apud *Virg. Ecl.* 2, 7., aut post substantiva verborum vicem praestantia, ut *amor nostri* ap. *eund. G.* 4, 324. et *cura nostri A.* 2, 595. et *nuncius nostri ib.* 4, 237. et *nostri cupido ib.* 7, 263. aut post adjectiva alia, quae partitiva non sint, ut *id. ib.* 7, 438. nec regia Juno Immemor est nostri. ℙ Reperitur etiam *vestrum* post nomina, quae partitiva non sunt. *Cic. Phil.* 4, 1. Frequentia vestrum incredibilis. V. alia huc pertinentia ap. *Gell.* 20, 6. et *Voss. de Gramm.* 5, 57. *ad f.* ℙ Porro in locis omnibus, quae modo attulimus, *nostri* per synecdochen pro *mei* positum est: cum *nostrum* de pluribus tantummodo dicatur, neque de uno, ne per synecdochen quidem usurpari unquam possit. Atque hoc posterius discrimen inter hocce duos genitivos certius multo est, quam primum: quamquam non ausim affirmare esse perpetuum. Quae de *nostrum* et *nostri* dicimus, de *vestrum* quoque et *vestri* dictum puta. ℙ Quid differant *nostrum* et *nostrorum*, V. in NOSTER. ℙ *Nobiscum* pro *nos* in accusativo. *Pl. Poen.* 3, 2, 24. Quasi tu nobiscum advenienus hodie oraveris, ut etc. Sed *ἀρχαϊσμὸς* est non imitandus. ℙ Ultima in *ego*, saepissime [*et ex legitimo usu] brevis est. Longa tamen est ap. *Ov. Her.* 13, 135. Sed quid ego revoco haec? Sed *Codd.* variant. [*De hoc loco jure dubitare licet. V. *Heins.* et *Burm. ad Prop.* 1, 8, 31.] At *Auct. carm. de Vespae jud.* 41. apud *Wernsdorf. Poet. min. T.* 2. p. 233. Pistor ego macto flavas sine sanguine messes. ℙ [*Confunduntur a librariis *ego* et *eo. Drak.* ad *Liv.* 2, 18, 6. — et *ergo. Id. ib.* 37, 53, 11.]

*EGOVARRI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, Namarini cognominati. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

*EGRA, Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[EGRANATUS, a, um, part. ab inusit. *egrano*, granis privatus. *Plin. Valer.* 3, 14. Caricae egranatae. Alii leg. *aegre natae. F.*]

EGREDIOR, eris, essus sum, dep. 3. *ἐκβαίνω*, extra gradior, exeo: ab *e* et *gradior. Ter. Andr.* 1, 3, 21. Egreditur ab ea, *h. e.* ab domo ejus. *Id. Ad.* 5, 7, 25. Egredi foras. *Liv.* 1, 16. obviam. *Plin.* 2, 42, 42. Liquor egreditur in sublime. [*sc. ex inferiore loco. V. *Drak.* ad *Liv.* 10, 32, 4.] *Justin.* 2, 9. Egredi in proelium. *Cic. Quint.* 10. extra fines. *Id. Att.* 6, 8. e portu egrediens. Et *ib.* 13, 16. Pedem e villa adhuc egressi non sumus. [*Constructionis cum praep. *ex* exempla dat *Drak.* ad *Liv.* 2, 48, 10. 37, 30, 9.] *Id. Ligar.* 2. Domo egredi ad bellum. *Suet. Tib.* 40. et *Claud.* 23. ab urbe. Et *Aug.* 53. urbe oppidove. *Curt.* 8, 5. convivio. *Caes. B. G.* 4, 21. et 24. navi. *Cic. Vatin.* 5. e navi. *Liv.* 1, 29. *sub f.* et 3, 57. *in f.* et 22, 55. *sub f.* urbem. *Plin. ep.* 6, 20. tecta. [*Jungitur ergo cum accusativo et cum ablativo. V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 3, 388.] *Id. ep.* 7, 33. *in f.* Historia non debet egredi veritatem. *Quint.* 8, 6. *ante med.* Copia modum egressa vitiosa est. *Val. Fl.* 2, 277. medios egressa metus. *Lucan.* 5, 511. Egressus tentoria. Adde *Curt.* 9, 6. ℙ Est etiam verbum navigantium, pro descendere. *Cic. Verr.* 2, 5, 51. Egressus in terram, ut milites in navibus collocaret. *Caes. B. G.* 4, 23. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum. Adde *Nep. Dat.* 4., *Liv.* 1, 1. et *Ov. Her.* 21, 91. ℙ Item pro portu egredi, sublatis ancoris. *Ov. Trist.* 1, 10, 6. de navi: Occupat egressas quamlibet ante rates. ℙ Ponitur et pro superare, transcendere, evadere. *Tac. Hist.* 3, 30. Tecta altitudinem moenium egressa milite complet. *Id. A.* 16, 10. Muliebri ejulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. *Vell.* 2, 40. Pompejus per omnia fortunam hominis egressus. [*Hanc vim hujus verbi, annotante *Ruhnk.* ad h. l., diligenter illustravit *Markl.* ad *Stat. Silv.* 5, 3, 154.] *Quint. proem. l.* 6. Filius quintum annum egressus. [*Tac. *A.* 3, 30. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa, i. e. ad altiorem dignitatem evecta.] ℙ Item pro digredi. *Cic. Brut.* 21. Ut egrederetur a proposito, ornandi causa. [*Id. Quint.* 10.] *Quint.* 2, 4. *ante med.* Ut eo revertar, unde sum egressus. ℙ *Egredi mandatum* est, ultra mandatum agere, excedere fines mandati. V. MANDATUM. ℙ Item pro ascendere, evadere. *Sall. Jug.* 98. Paulatim prope ad summum montis egressus est. [*Tac. *H.* 3, 29. Is in vallum egressus capta castra conclamavit. Adde *ib.* 3, 71.] *Ov. Met.* 2, 135. Altius egressus coelestia tecta cremabis. ℙ *Egredier* paragoge pro *egredi* est ap. *Pl. Poen.* 3, 4, 32.

EGRĒGIĀTUS, us, m. dignitatis gradus in eo, qui egregii titulo decoratus est. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 4, 3. et 10, 7, 1. et *Imp. Constant ib.* 10, 20, 1. et rursus *Imp. Constant. ib.* 12, 1, 5. V. EGREGIUS. [*V. *Guther.* de *Off. Dom. Aug.* 1, 4.]

EGRĒGIĒ, adv. *ἐξαιρέτως*, eximie, excellenter, praeclare. *Ter. Andr.* 1, 1, 31. Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat; et tamen omnia haec mediocriter. *Cic. Brut.* 73. *extr.* Pauci pingere egregie possunt, aut fingere. *Id. ib.* 9. Egregie subtilis scriptor, atque elegans. *Id. Fin.* 2, 6. *sub f.* Cum uterque Graece egregie loquatur. *Id. Or.* 2, 66. Egregie fortis et bonus imperator. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 6. Si quis est ex servis egregie fidelis. *Id. Att.* 14, 20. *a med.* Hoc mihi egregie placet. Et *ib.* 2, 22. Quod egregie iis gratum esse sentimus. *Pers.* 6, 49. Res egregie gestae. *Plin.* 32, 10, 46. Purgat egregie profluvia. *Caes. B. G.* 5, 9. et 20. Locus egregie et natura, et opere munitus. *Curt.* 3, 11. Egregie se tueri, i. e. fortiter se defendere. [*Liv. 3, 29, 7. Egregie pugnare. *Id.* 9, 38, 14. Egregie vincere. V. *Duk.* et *Drak.* ad *Liv.* 21, 40, 2.] *Hor. Sat.* 2, 5, 106. Funus egregie factum. *Gell.* 4, 3. Egregie diligere aliquem. ℙ Adhibetur in approbationibus et plausu. *Suet. Vit.* 10. Egregie prorsus atque magnifice. *Plin. Pan.* 38. Egregie, Caesar, quod lagnifice. *Plin. Pan.* 38. Egregie, Caesar, quod lacrimas parentum vectigales esse non pateris. ℙ Aliquando ponitur pro valde. *Gell.* 13, 30. Verbum illud egregie vetus. Al. leg. *e Graecia. Lucr.* 1, 735. inferiores Partibus egregie multis, multoque minores. [*Ruhnk. *dict.* in *Ter. Andr.* 1, 1, 31.] ℙ In illo *Liv.* 9, 26. *sub f.* Primique rei facti, adversus nobilium testimonia egregie absolvuntur, *egregie* est cum egregia laude innocentiae. ℙ Sumitur et in malam partem. *Ter. Heaut.* 3, 1, 11. Profecto ingenio egregie ad miserias natus sum. *Gell.* 20, 1. L. Veratius egregie homo improbus. ℙ Comp. *egregius* apud *Juven.* 11, 12. Egregius coenat, meliusque miserrimus horum. ℙ Proprie *Senec. Controv.* 5. *prooem. ante med.* Declamavit non quidem populo, sed egregie, *h. e.* auditoribus paucis, et quasi e grege selectis.

EGRĒGIUS, a, um, adj. *ἐξαίρετος*, excellens, praestans, singularis, quasi *e grege* lectus, ut ait *Fest.* in *Abgregare.* [*Hinc egregius propria vox in re sacra est et dicitur de victimis, quae e grege sumuntur ad sacrificandum. Sic etiam *eximius* usurpatur. *Drak.* ad *Liv.* 7, 37. *Ruhnk.* ad *Ter. Hec.* 1, 1, 9.] *Cic. Or.* 1, 29. Egregia quaedam ac praeclara indoles. Et 3. Minima copia poetarum egregiorum exstitit. [*Liv. 2, 49, 4. Egregius senatus, i. e. qui unice reipublicae utilitati intentus est. V. *Drak.*] *Id. N. D.* 1, 36. Opus magnum et egregium. *Tac. H.* 4, 34. Egregium facinus. [*Liv. 2, 47, 9. Victoria egregia. V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 40, 2.] *Nep. Ages.* 3. Egregius industria. *Caes. B. G.* 1, 28. virtus. Et 19. fides. Et 5, 4. et *Cic. Phil.* 1, 1. voluntas alicujus in aliquem. *Cic. Sext.* 53. Animus constans et egregius. *Id. Brut.* 21. Vir egregius in laude bellica. [*Liv. 28, 7, 15. Vir sicut ad cetera egregius, ita a comitate non aversus, ubi vid. *Drak.*] *Virg. A.* 11, 417. Egregius animi. *Sil.* 5, 77. linguae. *Stat. Th.* 3, 99. fati. Et 2, 152. Egregii juvenum, quos non sine numine regnis Invexit nox dextra meis. *Ov. Met.* 5, 49. Athis egregius forma. *Id. Trist,* 5, 13, 14. et *Hor. Sat.* 6, 67. Egregium corpus, i. e. perpulcrum. *Ter. Ph.* 1, 2, 50. Virgo egregia facie. *Cic. Fin.* 2, 20. Egregius color. *Hor. Sat.* 2, 3, 24. Egregias domos mercari. *Hirt. B. Alex.* 9. Loca egregia ad tenendas ancoras. *Tac. A.* 3, 40. Egregium tempus resumendae libertati. *Id. H.* 1, 15. Egregium est mihi hoc facere, *h. e.* honorificum. [*Adde *A.* 3, 6. idque et sibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur. — Vide de vario vocis usu exponentem *Barth.* ad *Stat. Th.* 2. p. 344.] ℙ *Egregium publicum* apud *Tac. A.* 3, 70. *extr.* est publicum decus, publica majestas: ea ratione qua dicitur *bonum publicum*, et qua *pessimum publicum* dixit *Liv.* 2. *init.* ℙ Absolute *egregia* pro virtutibus. *Tac. A.* 14, 60. Postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt. ℙ Habet etiam suos gradus, sed perrari usus. *Lucret.* 4, 468. Nam nihil egregius est, quam etc. *Pacuv.* ap. *Prisc.* 3. p. 600. [*V. s. *Egregie* §. 6.] Mulier egregiissima forma. *Gell.* 14, 5. Grammatice egregiissime. ℙ Temporibus imperatorum R. *egregii* dicti sunt, qui ad certum dignitatis gradum (qui *egregiatus* dicebatur) post militiam sacri palatii, vel administrationem provinciae, evehebantur, inferiores iis, qui *clarissimi*, et qui *perfectissimi* vocati sunt. *Imp. Const. Cod. Theod.* 6, 22, 1. Hinc *Lact.* 5, 14. *ad f.* Nemo Deo egregius, nisi qui bonus; nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiae largiter fecerit; nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit. ℙ *Egregii* autem *viri* titulo decorabantur primores, et decemprimi civitatum, *Lact. Mort. persec.* 21. et *Inscr.* apud *Grut.* 89, 4.; curatores rerumpublicarum, *inscr.* ap. *eund.* 178, 3. (in qua pro *V. F. Curatore Resi Rejecit*, legendum *V. E. Curat. Reip. fecit, perfecit);* praefecti legionum, alia apud *eund.* 347, 1., imo et 345, 3. et 346, 2., in quarum utraque male legitur VET. pro V. E.; procuratores aquarum, *inscr.* ap. *Fabr.* p. 700. *n.* 218.; procuratores sacrae monetae Urbis, alia apud *Mur.* 260, 3. (ubi pro *Val. Pelagione Proc. SMV.*, legendum *Val. Pelagio V. E. Proc. SMV.);* procuratores summarum, alia apud *Mur.* 172, 2.; rationales imperatorum, alia apud *Grut.* 278, 6.; praetores quindecim populorum Etruriae, alia ap. *Mur.* 1039, 1.; procuratores provinciarum, alia apud *Grut.* 402, 4. Plura hac de re docte commentatus est *Jo. Labusius* in *Dissert. intorno l'ant. Marm. di C. Giulio Ingenuo* p. 34. — 38. ℙ *Gell.* 14, 5. litem refert duorum grammaticorum, quo-

rum alter in vocativo *egregi* contendebat dici debere, alter *egregie*. Sed ab hoc standum. ℙ Olim etiam *exgregius* scriptum fuit. Hinc *Festus* Exgregiae, id est e grege lectae.

EGRESSIO, onis, f. ἔξοδος, actus egrediendi. *Appul. Met.* 8. p. 208, 7. Castellum, unde nos incolae nocturna prohibebant egressione. ℙ Translate est digressio in dicendo. *Quint.* 3, 9. Egressio vero, vel, quod usitatius esse coepit, excessus, sive est extra causam, etc. *Id.* 4, 3. *a med.* Hanc partem παρέκβασιν Graeci vocant, Latini egressum, vel egressionem. *Id.* 11, 3. *a med.* Egressiones fere lenes, et dulces, et remissae sunt.

EGRESSUS, a, um, part. V. EGREDIOR.

EGRESSUS, us, m. ἐξέλευσις, egressio. *Cic. Pis.* 13. *extr.* Frequentia sua vestrum egressum (*in provinciam*) ornando. *Tac. A.* 15, 53. Caesar rarus egressu, domo, aut hortis clausus. [**Id. ib.* 11, 12. Multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, i. e. egredientem prosequi. Adde *Dial. de or.* 6, 11.] *Ov. Fast.* 1, 138. Janitor egressus, introitusque videt. *Id. Met.* 11, 748. Arcere aliquem egressu. [**Col. R. R.* 8, 8. Egressus liber permittitur columbis.] ℙ Item egressus e navi. *Caes. B. G.* 5, 8. Ut eam partem insulae caperet, qua optimum esse egressum cognoverat. *Hirt. B. Afr.* 3. *extr.* Fortuito oblatam occasionem egressus aucupabatur. ℙ Item locus, unde egredi licet. *Petr. Sat.* 91. Tenebrosus et sordidus egressus. *Ov. Trist.* 2, 189. Solus ad egressus missus septemplicis Istri, ad ostia. *Tac. A.* 16, 10. Obsidere egressus. ℙ Item digressio in dicendo. [**Id. ib.* 4, 32. Ingentia illi (sc. qui veteres populi Romani res composuere) bella etc. libero egressu memorabant.] V. EGRESSIO.

EGRĒTUS et Adgretus ex Graeco sunt ducta, a surgendo (ἐγείρομαι) et proficiscendo. Unde et Nyctegresia, quasi noctisurgium. *Festus.*

*EGREX, egis, adj. eximius. *Isid. Gloss. B. A.*

*EGUITŪRI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 4, 20. *B. A.*

EGŪLA, ae, f. sulfuris genus, lanis suffitu mollitiem, candoremque inducens. *Plin.* 35, 15, 50. Fortasse ita appellatur ab αἴγλη, splendor.

EGURGITO, as, a. 1. evomo, effundo. *Pl. Ep.* 4, 2, 12. Egurgitare domo argentum. ℙ Legitur et *exgurgito.*

EH

*EH i. q. Eu vel Heu, legitur ap. *Pl. Poen.* 2, 28. *B. A.*

EHE vel Hehe, interjectio mentis consternatae. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Hehe! ipse clypeus cecidit. *Scalig.* monet in antiquis libris scriptum esse hebae, ut sit αἰβοῖ, quod idem sonat.

EHEM, ὦ, interjectio subito aliquid deprehendentis. *Ter. Eun.* 1, 2, 6. Quis hic loquitur? ehem, tu ne eras hic, mi Phaedria? *Id. Ad.* 2, 4, 2. Ehem, opportune: te ipsum quaerito. Et 3, 4, 9. Ehem Demea, haud aspexeram te.

*EHETĪUM, i, oppidum Apuliae. *Tab. Peuting. B. A.*

EHEU, αἴ, interjectio dolentis. *Virg. Ecl.* 1, 58. Eheu, quid volui misero mihi! Alii leg. *Heu, heu. Ter. Phorm.* 1, 4, 10. et *Sall. Jug.* 15. Eheu me miserum! *Ter. Heaut.* 5, 4, 20. Eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi! ℙ Scribitur et *heheu.*

EHO, o, ὦ, interjectio vocantis, excitantis, admonentis. *Ter. Andr.* 3, 2, 20. Eho, an tute intellexti hoc adsimularier? Et 4, 1, 44. Eho, dic mihi. *Id. Hec.* 4, 4, 97. Eho puer, curre ad Bacchidem. *Pl. Merc.* 1, 2, 77. Eho tu, eho, tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero? ℙ *Ehodum* majorem vim habet. *Ter. Andr.* 3, 5, 10. Ehodum bone vir, quid ais? et 1, 2, 13. Ehodum ad me.

EHODUM. V. in voce praec.

[EHORA, ae, f. ἔωρα, suspendium, vas pensile. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 934, 13. Caesidiae Ehorae libertae. At in lapide, qui etiamnum Patavii exstat, legitur *Cesidiae Horae libertae. F.*]

EI

EI, pro ii. V. in IS. [*Ei pro i longa. V. EIDEM. *B. A.*]

EJĀ et Heja, disyllab. εἶα, adv. excitantis, adhortantis, corrigentis. *Virg. A.* 4, 569. Eja age, rumpe moras. *Id. ib.* 9, 38. Hostis adest, eja. *Plin. ep.* 4, 29. *init.* Eja tu, quoquo modo veni. *Ter. Eun.* 5, 9, 35. Eja, haud sic decet. *Pl. Ep.* 2, 2, 77. Eja vero, age, dic. *Cic. de Rep.* (edente *A. Maio*) 3, 5. Et Pilus, Heia vero, inquit. ℙ Repetentis. *Pl. Amph.* 3, 2, 17. *Alc.* Ita ingenium meum est: inimicos semper osa sum obtuerier. *Jup.* Eja autem inimicos? *Alc.* sic est: vera praedico. ℙ Consolantis. *Id. Bacch.* 4, 3, 16. Eja, bonum habe animum. ℙ Admirantis. *Ter. Heaut.* 5, 5, 19. Eja, ut elegans est! ℙ Ironiae quoque inservit. *Pl. Rud.* 2, 3, 9. Tuus herus ubi, amabo, est? *Tr.* eja vero, quasi non sit intus. ℙ Ultima syllaba brevis est. *Val. Flacc.* 8, 110. eja, per ipsum Scande, age, et adverso gressus, ait, imprime dorso. *Sidonium* habebit auctorem, si quis producat, *carm.* 14, 6. Eja, Calliope, nitente palma. At praeterquam quod *Sidonii* auctoritas parvi est facienda, in hoc carmine phaleucio non infrequenter pro spondaeo adhibetur choreus, *Eja* igitur choreus, sive trocheus semper esto. [*Saepe vox obliterata. V. *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 691. 6, 640. — *Cic. Rep.* 3, 5. Et Philus: Heia vero, inquit, etc. *B. A.*]

EJĀCŪLO, as, avi, atum, a. 1. et *usitatius* Ejaculor, aris, dep. 1. ἐκβάλλω, eminus, seu longe jaculor. *Gell.* 16, 10. *ad f.* Se in saltum ejaculaverat. *Plin.* 4, 12, 23. In cujus forum solstitio Athos ejaculatur umbram. *Ov. Met.* 4, 122. Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas. Et *ib.* 6, 259. Sanguis se ejaculatus in altum Emicat. ℙ [*Passive *Scribon. Larg. compos.* 84. Ejaculabitur. *B. A.*]

[EIAZĪUS, ii, m. Jovis cognomen, fortasse ab ἐάω, sino, ut idem sit ac *Juppiter Consentiens. Inscr.* ap. *Grut.* 21, 2. Jovi Eiazio votum. *F.*]

EJECTĀMENTUM, i, n. excrementum. *Tac. G.* 45. de succino: Diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat.

EJECTĀTUS, a, um, part. ab *ejecto*, ejectus, ut Ejectata favilla. *Ov. Met.* 2, 231.

EJECTĪCIUS, a, um, adj. ἐκβόλιμος. *Plin.* 11, 37, 84. Vulva ejecto partu melior, quam edito: ejecticia vocatur illa, haec porcaria.

EJECTĬO, onis, f. ejiciendi actio, expulsio, ἐκβολή. *Cic. Att.* 2, 18. Mortem et ejectionem timemus. ℙ Ejectio articuli, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. est, cum luxatur. V. EJECTUS, a, um.

*EJECTIUNCŪLA, ae, f. *Marc. Empir.* 10. *B. A.*

EJECTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. ab *ejicio*, ἐκβάλλω, expello. *Ov. Met.* 5, 353. Arenas ejectat. *Sil.* 10, 320 Aufidus undis Ejectat, redditque furens sua corpora ripis. *Stat. Silv.* 3, 3, 89. Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis. Adde *Lucan.* 3, 658.

*EJECTŪRA, ae, f. vox, ut placet *Gesnero*, restituenda *Veg. Art. Vet.* 2, 45. Et si ex ejectura fuerit, prius locis suis reponenda sunt membra, etc. Vel legendum (pergit *Idem* vel pergere vult) *exjectura* pro *ex ejectura. B. A.*

EJECTUS, a, um, part. ab *ejicio*, expulsus. *Lucr.* 4, 920. Anima perturbata, ejectaque foras. *Id.* 5, 982. et *Caes. B. G.* 4, 7. Ejectus domo. *Lucr.* 3, 576. extra. *Nep. Them.* 8. e civitate. *Suet. Aug.* 80. Calculi per urinam ejecti. *Cic. Or.* 2, 66. Distortus, ejecta lingua, buccis fluentibus. ℙ Saepe refertur ad naufragos. *Pl. Rud.* 2, 3, 78. Timidas, egentes, humidas, ejectas, exanimatas accepit ad se. *Virg. A.* 4, 373. ejectum litore, egentem Excepi. *Ov. Met.* 13, 536. ejectum Polydori in litore corpus. *Sen. ep.* 9. *a med.* Ejectus in desertum litus. *Ov. Her.* 7, 89. Ejectus fluctibus. *Id. ib.* 174. Ejecta ratis. [*Observa *ejici* non tantum dici homines, sed etiam navem. *Ulp. Dig.* 47, 9, 36. Qui ejecta nave quid rapuit, hoc edicto tenetur. Ejecta, hoc est quod Graeci ajunt ἐξερράσθη. Eodem sensu *dejici* dicitur a *Paul. Dig.* 14, 2, 7.] *Cic. Rosc. Am.* 26. Commune est mare fluctuantibus, litus ejectis. [**Gron.* ad *Sen. Contr.* 3, 16. *Ruhnk.* dict. in *Ter. Andr.* 1, 3, 18.] ℙ Item ad pauperes, et mendicos, ut naufragi esse solent. *Id. Quint.* 19. *sub f.* Credo aliquem ejectum hominem, egentem, litigosum, improbum. ℙ Item ad pulsos civitate. *Cic. Rosc. Am.* 2. Hoc incolumi, non arbitratur, etc. damnato et ejecto, sperat, etc. ℙ Ejectum articulamentum, ap. *Scrib. Compos.* 206. quo pertinet illud *Virg. A.* 10, 894. Tollit se arrectum quadrupes, effusumque equitem super ipse secutus Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo. ℙ *Ejectus die* ap. *Stat. Th.* 4, 617. de caeco dicitur, qui est exclusus a lumine. [*Confunduntur a librariis *Ejectus* et *electus.* V. *Drak.* ad *Liv.* 28, 36, 7. — et *exsectus. Id.* ad *Liv.* 7, 39, 6.]

EJECTUS, us, m. idem quod ejectio. *Lucr.* 4, 957. Animai altior atque largior ejectus.

*EJERATIO, onis, f. i. q. ejuratio. *Tert. Spect.* 4.

EJĒRO, as, a. 1. idem quod ejuro, legitur ap. *Cic. Orat.* 2, 70. et *Tertull. Spect.* 24. et *Idol.* 18. V. EJURO.

EJICĬO, is, jeci, jectum, a. 3. ἐκβάλλω, extra jacio, expello, exturbo. *Sen. ep.* 54. *extr.* Ejici est inde expelli, unde invitus recedas. *Cic. Or.* 2, 58. Extrudere et ejicere aliquem in viam. *Id. Sen.* 12. Ejicere aliquem e senatu. [*Adde *Plin. Ep.* 10, 115.] *Id. Q. Fr.* 2, 5. de collegio. Et *Off.* 3, 23. de navi. *Id. Rosc. Am.* 19. amorem ex animo. [**Cic. Div.* 2, 72. Superstitionis stirpes ejiciendas.] *Pl. Cas. prol.* 23. et *Liv.* 30, 13. ex animo curam, atque alienum aes. *Plin.* 37, 2, 11. Succinum, oceano exaestuante, ad promontoria Pyrenaei ejici. *Cic. Cat.* 2, 7. Ejicere in exsilium. *Id. Quint.* 26. aliquem praecipitem a suis diis Penatibus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 177. Ejicere abs se amorem. *Pl. Asin.* 1, 3, 9. aliquem domo. *Lucr.* 3, 57. voces pectore ab imo. *Cic. Coel.* 24. *ad f.* Nonne ipsam domum metues, ne quam vocem ejiciat? Al. leg. *eliciat.* [*Recte h. l. vox *ejici* dicitur, h. e. summa cum contentione emitti. ℙ Inprimis dicitur de iis qui exploduntur et exsibilantur. *Cic. Sext.* 55. Cantorum vocibus ejiciebatur. *Cluent.* 31. Explosum atque ejectum est. V. *Ernest. Clav.*] ℙ Cum ablat. sine praepos. *Pl. Mil.* 3, 2, 31. Ejici sagina cellaria. *Id. Asin.* 1, 2, 1. Foras aedibus ejicere aliquem. ℙ Interdum significat e civitate ejicere, in exsilium pellere. *Cic. Mil.* 38. Memoriam Milonis retinebitis, ipsum ejicietis? *Id. Fam.* 14, 3. Ejicere nos magnum fuit: excludere facile est. [**Nep. Lys.* 1. Undique, qui Atheniensium rebus studuissent, ejectis. Saepius vero additur, e republica, e civitate ejicere, ut *Nep. Them.* 8. *Id. Alc.* 4. vel in exsilium. *Id. Pel.* 1, 3. Adde *Cic.* locum supra allatum. ℙ Etiam de histrionibus dicitur, qui exploduntur et exsibilantur. *Auct.* ad *Her.* 4, 47. Citharoedus derisus et contemtus ejicitur. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 28.] ℙ Item abortu fetum expellere. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *a med.* Si mulier pugno, vel equa icta a te percussa ejecerit. ℙ Item vomere. *Cic. Fam.* 14, 7. χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. *Cels.* 1, 3. Qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur. *Plin.* 24, 5, 10. Ejicere sanguinem. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Ejecto modo vomitu declamare. [*V. *Burm.* ad h. l. p. 1003.] ℙ Item luxare. [**Veg. Vet.* 2, 45. Ejicere armum. 2, 41. Ejicere cervicem.] *Hygin. fab.* 57. Decidisse dicitur in campos Aleios, unde etiam coxas ejecisse. [*V. *Munck.* ad h. l. p. 123. *Drak.* ad *Liv.* 7, 39, 6.] V. EJECTUS, a, um. ℙ *Ejicere se* est impetu exire, erumpere. *Cic. Catil.* 1, 14. Si se ejecerit, secumque suos eduxerit. *Caes. B. G.* 7, 28. et alibi saepe. Ejicere se ex oppido. *Liv.* 6, 3. Cum pro se quisque tenderent ad portas, si qua forte se in agros ejicere possent. *Id.* 40, 46. *extr.* Secundani se porta ejecere. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 3, 7.] *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Jam sese in terram e navi ejecerat. *Id. Coel.* 31. Voluptates, quae inclusae diutius, et prima aetate compressae et constrictae fuerunt, subito se nonnunquam profundunt atque ejiciunt universae. Qua ex vita emersit, totumque se ejecit atque extulit. ℙ Pertinet etiam ad naufragium. *Liv.* 44, 28. Pars velis datis ad Chium naves ejecere. *Id.* 23, 34. *extr.* Classis foeda tempestate vexata, ad Baleares insulas ejicitur. *Caes. B. C.* 3, 28. Gubernatorem in terram navem ejicere cogunt. V. EJECTUS, a, um. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 23, 34, 16. 44, 19, 2.] ℙ Est etiam abjicio, rejicio. *Cic. Or.* 1, 32. Non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, ut ante dixi, non ejicio. [**Cic. Off.* 1, 41. Cynicorum ratio est ejicienda. *Id. Att.* 2, 24. Eoque magis id ejectum est.] ℙ *Lucr.* 3, 891. et 4, 1265. ex *ejicit* alterum *j* exterit, et *eicit* disyllabum facit. [*V. *Schneid. Element. Tom.* 1. p. 288. Contra memoratur a grammaticis, velut a *Vel. Long.* p. 2232., etiam scriptum *Ejjicio.* Cf. *Schneid. l. l.* p. 561.]

*EILANE, es, vel Eilana, ae, f. oppidum Arabiae Petraeae, *Aelana Plin.* 5, 11. *B. A.*

*EĪON, onis, Ἠϊών, paeninsula inter Pontum Euxinum et Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 6. *B. A.*

[EĪSŌNOMUS, i, m. congruus legi, ab ἴσος, congruus, et νόμος, lex. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 241, 3. Ti. Claudius Eisonomus. *F.*]

EJŪLĀTĬO, onis, f. ὀλολυγμός, planctus cum vociferatione. *Pl. Capt.* 2, 1, 7. Ejulatione haud opus est. *Cic. Leg.* 2, 23. Lessus, quasi lugubris ejulatio.

EJŪLĀTUS, us, m. idem ac ejulatio. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro: ejulatus vero ne mulieri quidem. [**Id. H. r. Resp.* 18. Gemitus et ejulatus.] *Gell.* 1, 26. Querimonias, gemitus, ejulatusque facere.

EJŪLĬTO, as, n. frequent. ab *ejulo. Lucil.* ap. *Non.* 1, 78. Hic rudet e rostris, atque ejulitabit. Al. aliter leg.

EJŪLO, as, avi, atum, a. 1. ὀλολύζω, est voce in altum sublata plorare: a sono, idest, ab *ei*, vel ab *eheu.* [*De etymo cf. *Doederl. Syn. Fasc.* 3. p. 156.] Quidam *hejulo* dici malunt, ut sonus magis exaudiatur, a voce plorantium, *hoi*, *hei. Cic. Tusc.* 2, 7. Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum ejulantem. *Gell.* 12, 5. *post med.* Ejulans, atque lamentans. ℙ Cum accusat. *Appul. Met.* 3. p. 129, 33. Fortunas meas ejulabam. Et *ib.* 4. p. 153, 24. Altius ejulans sese, et assiduis singultibus ilia quatiens.

EJUNGESCO, is, n. 3. in juncum evado, tenuis fio, gracilesco. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 14. Vitis ejuncescit. Ita legit *Hard.* ex MSS., alii *evanescit.* Sed non est opus hac varietate lectionis, ut appareret ex voce sequenti.

EJUNCĬDUS, a, um, adj. tenuis instar junci, junceus: vox composita ex praeposit. *e*, et *juncidus* pro *junceus. Gloss. Phil.* Ejuncidum, ἐκλεπτωθέν. *Varr. R. R.* 1, 31. Sarmentum ejuncidum. Et *ib.* 2, 10. Mulieres ejuncidae, et contemnendae.

Plin. 17, 22, 35. *n.* 9. Vitis gracilis, atque ejuncida. [*Sic *Hard.* Antea: *emucida. B. A.*]

EJŪNO, formula jurandi per Junonem. *Charis.* 2, 183. V. ECASTOR.

EJŪRĀTĬO, onis, f. abdicatio. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 7. Ignominiosa consulum ejuratione. *Festus:* Ejuratio significat: id, quod desideretur, non posse praestari. *Plautus:* ejuravit militiam. *Sen. Vit. beat.* 26. *a med.* Odisse, et lacessere virtutem, bonae spei ejuratio est, *h. e.* rejectio et abdicatio spei de acquirenda virtute. V. EJURO.

[EJŪRĀTUS, a, um, part. ab *ejuro*, jurando recusatus. *Plin. ep.* 1, 23. Et quasi ejurato magistratu privatum ipse me facerem. V. vocem seq. ℙ Simpliciter recusatus. *Auson. Idyll.* 2, 31. Vitati coetus, ejuratique tumultus. *Stat. Ach.* 2, 187. Ejurata fides, domitorque inimicus. *F.*]

EJŪRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξόμνυμαι*, jurando recuso, detrecto. *Ejurare forum iniquum* est jurisdictionem fori alicujus declinare, interposito juramento, se in eo jus suum obtinere non posse: *ejurare judicem iniquum*, rejicere aliquem judicem, jurando eum sibi iniquum esse. *Cic. Verr.* 2, 3, 60. Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi iniquum ejurare, ubi negotientur: praetor provinciam suam totam sibi iniquam ejurat. *Id. Phil.* 12, 7. Me iniquum ejurabant, de me querebantur. ℙ Dicitur etiam *ejero*, *as*. *Cic. Or.* 2, 70. Ejero: iniquus est. Et *mox*. Non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus. ℙ *Ejurare bonam copiam* est jurando profiteri, sibi non suppetere facultates, seu copiam dissolvendi aes alienum; [*Nos: *seine Insolvenz erklären.*] quemadmodum *jurare bonam copiam* est jurejurando in judicio affirmare, esse sibi tantam copiam rei familiaris, qua creditoribus satisfieri omnino possit. [*V. *Man. ad Cic. Fam.* 9, 16. *Salm. Mod. Usur.* c. 18. p. 805.] *Cic. Fam.* 9, 16. *a med.* Tu autem, quod mihi bonam copiam ejures, nihil est. *Varr. L. L.* 6, 5. Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. Hoc, C. Popilio rogante, Sulla dictatore, sublatum, ne fieret: et omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti. *Tabula aenea Heracleensis* ap. *Mazoch.* p. 423. Qui bonam copiam juravit, juraverit; qui sponsoribus creditoribusve suis renuntiavit, renuntiaverit, se soldum solvere non posse; aut cum eis pactus est, erit, se soldum solvere non posse etc., *h. e.* qui dolo malo creditoribus juravit, se adhuc solvendo esse, ut bonis interim dilapidandis damnum ipsis faceret; aut si is, qui bonam copiam juravit, postea se solidum solvere non posse, renunciaverit. Ita rectissime interpretatus est *G. Th. L. Marezoll.* in *Fragm. Leg. Rom. Heracl.* p. 143. contra vero ac perperam *Mazochius*, quem vide *l. c.* ℙ *Ejurare imperium*, *militiam* etc. est deponere, quasi jurando se imparem oneri esse. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* in *Ejuratio.* Ejuravit militiam. *Tac. A.* 12, 4. Adactus Silanus ejurare magistratum. *Id. H.* 3, 37. Inire, et ejurare consulatum. Et 68. *extr.* Ejurare imperium. ℙ Dimittere, deserere. *Id. H.* 4, 28. Actae utrobique praedae: infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis, ejurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur. *Justin.* 12, 4. A Philippo illum patre tantum degeneravisse, ut etiam patriae nomen ejuraret, moresque Persarum assumeret. *Senec. Cons. ad Marc.* 19. Ejurare liberos, *h. e.* abdicare. *Id. Ben.* 6, 4. Aversari, et ejurare patrem, *h. e.* non agnoscere, nec pro tali habere. ℙ [*Sequente accus. cum inf. *Sen. Suas.* 7. Nec mora fuit, quin ejuraret suas esse, quas cupidissime effuderat orationes. Sed *Gron.* dubitans an hoc sit Latinum satis, duo vocabula *suas esse* delenda censet. — ℙ Confunduntur *Ejurare* et *evitare* ap. *Ov. Pont.* 1, 5, 37.]

*EJUSCEMODI vel EJUSCE MODI i. q. ejusmodi. *Tert. Apol.* 10. *med.* Commentator ejuscemodi antiquitatum. *Appul. Met.* 10. *ante med.* p. 244. (41.) Porcorum, pullorum, piscium et ejuscemodi pulmentorum. *Gell.* 16, 8. *med.* Quod . . . *copulatum* dicimus, quod est ejuscemodi. Sic edd. *Gronov.* et *Amstel.* 1666. ubi ed. *Longol.* habet *ejusdem modi. B. A.*

EJUSDEMMODI, voces duae in unam coalescentes, ut ejusmodi. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 4. Quod non et iis, et si quis est alius ejusdemmodi, committi rectissime putem. *Id. Acad.* 4, 24. Nullum tale esse visum a vero, ut non ejusdemmodi etiam a falso possit esse. *Id. Verr.* 2, 2, 12. Ejusdemmodi totum jus praetorium, ejusdemmodi omnis res judiciaria fuit in Sicilia per triennium, Verre praetore. [*Sequitur *qualis. Cic. Div.* 2, 13. An hoc ejusdemmodi est, quale illud, quod est a te dictum.]

EJUSMODI, *τοιοῦτος*, talis, duo genitivi in unam vocem coalescentes, et adjectivi indeclinabilis naturam induentes. *Cic. Manil.* 2. Genus belli est ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare debet. *Id. Fam.* 4, 11. Reliqua sunt ejusmodi, quibus ego aequo animo carebam: hoc vero ejusmodi esse statuo, ut, etc. *Id. Att.* 5, 1. *a med.* Fuisse ejusmodi, qualem ego vidissem. *Id. Or.* 32. Cum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam ajebat ejusmodi esse. ℙ Praestat etiam vicem adverbii, et ponitur pro adeo. *Cic. Coel.* 7. Est ejusmodi cupidus, ut, etc. Al. leg. *cupidinis.* ℙ Item pro ita, sic. *Id. Verr.* 2, 1, 59. Quam tu viam tensarum atque pompae ejusmodi exegisti, ut, etc. *Id. Tusc.* 4, 37. Ii sunt ejusmodi constituti, quasi mala valetudine animi. Al. leg. ii sunt constituti, quasi, etc. [*Et sequente *qui. Cic. Fam.* 6, 4. Conjectura potes proprius accedere, cum res est ejusmodi, cujus exitus provideri possit. V. *Tursell.*] ℙ Peculiare est illud *Nep. Dion.* 7. Id ejusmodi erat, ut cum milites reconciliasset, amitteret optimates etc. ℙ Inseritur aliquando particula *ce* syllabica. *Gell.* 3, 14. in lemmate. Alia ejuscemodi qui dicat. *Appul. Met.* 10. p. 244, 41. Pullorum, piscium, et ejuscemodi pulmentorum. [*Tertull. Apol.* 10. *med.* Commentator ejuscemodi antiquitatum.]

EL

ĔLĂBOR, ĕris, apsus sum, dep. 3. *ἀποφεύγω*, *ἐξολισθαίνω*, effugio, evado. *Caes. B. C.* 2, 11. Quidquid incidit, fastigio musculi elabitur, *fastigio* est sextus casus. *Ov. Met.* 9, 63. Elaborque viro, longum formatus in anguem, *viro* est dativus. [*Tac. A.* 5, 10. Elapsus custodiae. Rarior tamen onstructio cum dativo apud pedestres scriptores.] *Virg. G.* 1, 244. flexu sinuoso elabitur anguis Circum, perque duas in morem fluminis Arctos. *Id. A.* 1, 245. mediis elapsus Achivis. Et *ib.* 2, 318. telis elapsus Achivum. Et *ib.* 526. de caede. *Vell.* 2, 41. Mutata veste urbe elapsus est. *Liv.* 1, 53. Inter tela, et gladios patris elapsus. *Cic. Att.* 1, 16. *ante med.* Elabi de manibus. *Id. ib.* 10, 4. e manibus. [*Adde *Liv.* 44, 40, 7.] *Caes. B. G.* 5, 36. ex proelio. ℙ Cum accus. *Tac. A.* 1, 61. Pugnam, aut vincula elabi. *Id. ib.* 4, 64. vim ignium. *Id. H.* 3, 59. custodias. [**Flor.* 1, 10, 7. Elapsa custodiam. Cf. *Ruddim. Inst.* II. p. 330.] ℙ *Id. ib.* 4, 81. Elapsi in pravum artus. [*de homine, cui manus officium suum denegant.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 50. Nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. *Id. Dom.* 39. Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? *Id. Verr.* 2, 2, 58. Ex tot tantisque criminibus elapsus est. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Quid essem, si, me agente, esset elapsus? *h. e.* damnationem effugisset. *Id. Tusc.* 1, 11. *ad f.* Dum lego, assentior: cum posui librum, assensio omnis illa elabitur. *Luc.* 9, 80. elapsus felix de pectore Magnus, *h. e.* obliviscor. *Auct. ad Her.* 2, 1, 22. Res e memoria elabuntur. *Cic. Verr.* 3, 39. *ad f.* Homo stultissime, satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si etc. [**Suet. Aug.* 32. Maleficium elabitur impunitate.] *Quint.* 3, 1. *ad f.* Tullius rhetoricos suos (*libros*) adolescenti sibi elapsos esse dicit, *h. e.* festinantius, quam vellet, editos. *Senec. ep.* 77. *ante med.* Quamvis enim mortem sibi consciverit, tamen mollissime excessit, et vitae elapsus est. ℙ Ponitur aliquando pro ascendere, ut evado, egredior. *Virg. G.* 2, 305. ignis Robora comprendit, frondesque elapsus in altas, Ingentem coelo sonitum dedit. ℙ Pro simplici labor, cado, delabor. *Virg. A.* 12, 356. Semianimi, elapsoque supervenit. Ita *Servius.* Alii leg. *lapsoque. Gell.* 10, 12. Fallax illecebra admirationum, qua pleraque capiuntur, et ad perniciem elabuntur ingenia. ℙ [*Confunduntur *Elabi* et *labi.* V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 42, 6.]

ĔLĂBORĀTĬO, onis, f. diligens labor, et cura. *Auct. ad Her.* 4, 22. *extr.* Haec non videntur fieri posse sine elaboratione, et operae consumptione.

ĔLĂBORĀTUS, a, um, part. ab *elaboro*, *ἐκπονηθείς*, factus cum labore, et diligentia, politus, excultus, exornatus. *Cic. Manil.* 1. Nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere. *Justin.* 1, 11. Filius contentus elaborato a parentibus imperio, belli studia deposuit, *h. e.* laboribus parentum parto. *Cic. Brut.* 90. *extr.* Causae diligenter elaboratae. *Id. Or.* 11. Ornati et elaborati versus. [**Cic. Or.* 25. Ne elaborata concinnitas appareat, i. e. nimis anxie quaesita.] *Hor. Ep.* 14, 12. Flevit amorem Non elaboratum ad pedem, *h. e.* versibus inexcultis. *Plin.* 35, 25, 60. Elaborata ars, *h. e.* studiose exculta. *Id.* 7, 3, 3. Effigies magnorum artificum ingeniis elaboratae.

ĔLĂBORĀTUS, us, m. idem quod elaboratio. In sexto casu singulari. *Appul. Flor. n.* 9. p. 346, 8. Hippias elaboratu mirandus.

ĔLĂBORO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπονέω*, multum laboris pono, enitor, sedulam operam do, contendo. *Laborare* est vires in aliquo opere exercere cum molestia et frustratione: *elaborare* vero habet adjunctam significationem aut fructus, quem in laborando spectes, aut finis, quem habiturus labor sit. [*Recte haec tradit *Forc.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 1, 3. *Gernh.* ad *Cat. Maj.* 7, 24. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 7, 25., quos laudat *Döderl.* 1. p. 116.] *Cic. Agr.* 2, 25 *ad f.* Quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? *Id. Senect.* 8. Elaborare in litteris. Et 11. *ad f.* In his exercitationibus ingenii desudans, atque elaborans. *Id. ad Capiton. sub f.* 16. *ad Att.* Enitere, elabora, vel potius eblandire, effice. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 14. Contende atque elabora, ut etc. *Mamertin. in f. gratiar. act. ad Julian.* Eniti, elaborare, efficere. *Cic. Or.* 2, 72. *extr.* Non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim. *Id. Brut.* 72. *ad f.* Studio, et usu elaborare. *Id. Fam.* 2, 6. *sub f.* In hac petitione non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum est. ℙ Passive impersonaliter. *Id. Or.* 12. De industria, non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis respondeant. ℙ *Elaborare aliquid* est studiose, et cum labore aliquid conficere. *Hor. Od.* 3, 1, 18. non Siculae dapes Dulcem elaborabunt saporem. *Plin. ep.* 6, 31. *ad f.* Portus brachium sinistrum firmissimo opere munitum est, dextrum elaboratur. *Plin. H. N.* 34, 3, 6. Privatim Aegina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit. *Val. Max.* 8, 10. *n.* 2. Hortensius paene plus studii in corporis decoro motu elaborando, quam in ipsa eloquentia affectanda impendit. [*V. *Burm.* ad *Quint.* 6, 3. p. 551.] ℙ Et passive. *Cic. Fam.* 3, 13. Haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec elaborantur. Al. leg. *laborantur.* [**Cic. Phil.* 7, 3. Omne auriculum industriae nostrae in foro elaboratum est.] Hinc Elaborata oratio, Elaborati versus. V. ELABORATUS, a, um.

ĔLĂCĀTA, ae, f. *vel Graeca positione* Elacate, es, *ἐλακάτη*, nomen piscis ex genere thynnorum, salsamentis apti: ita dicti, quod colum muliebrem figura refert, quae Graece id nomen habet. *Colum.* 8, 17. ℙ A *Plin.* 32, 11, 53. dicuntur hi pisces elacatenes, *ἐλακατῆες*. Unde *elacatena* dicitur a *Festo* genus salsamenti, quod appellatur vulgo melandrya.

ĔLĂCĀTĒNĂ. V. in v. praec.

ĔLACTESCO, is, n. 3. *λευκαίνομαι*, est album fieri ad modum lactis. *Plin.* 20, 21, 84. Addensari sub dio, atque elactescere. Melior lectio habet *lactescere.*

*ELAEA, ae, f. *Ἐλαία*, Asiae oppidum, in Aeolide, ad littus situm. *Mela* 1, 18. *Plin.* 5, 30. *Liv.* 36, 43. 37, 18. 38, 40. et 44, 28. *B. A.*

ĔLAEEMPORĬA, ae, f. *ἐλαιεμπορία*, olei coemendi cura, mercatura olearia. Vox Graeca ab *ἔλαιον*, oleum, et *ἐμπορία*, mercatura. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. *a med.* Elaeemporia, ut hospitatura, apud Alexandrinos patrimonii munus existimatur.

[ĔLAEENSIS, e, adj. ad Elaeam pertinens, ad sinum cognominem, nunc *Jalea*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 491. ΕΛΑΙΤΩΝ. ℙ *Elaeenses*, *ium* sunt incolae illius urbis. *Liv.* 37, 19. Vastatis Elaeensium primum, deinde Pergamenorum agris. *F.*]

[ĔLAEĬA, ae, f. Dianae cognomen, quam *Strabo* quoque 9. *Ἠλείαν*, dicit. *Nummus* Septimii Severi August. in *Mus. Clement. T.* 2. p. 293. Diana Elaeia. *F.*]

*ELAEOGĂRUM, i, n. garo oleum mixtum. *Apic.* 7, 3. *B. A.*

*ELAEOMALĂCHE, es, f. herba quaedam apud *Appul. de herb.* 40. *B. A.*

ĔLAEŌMĔLI, n. indecl. *ἐλαιόμελι*, oleum saporis mellei; ab *ἔλαιον*, oleum, et *μέλι*, mel. *Plin.* 15, 7, 7. Sponte nascitur in Syriae maritimis, quod elaeomeli vocant: manat ex arboribus pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci. *Id.* 23, 4, 50. Elaeomeli, quod in Syria ex ipsis oleis manare diximus, sapore melleo, non sine nausea, alvum solvit, bilem detrahit etc.

*ELAEOMOLOCHE, es, f. herba quae et ibiscus et malva. *Appul. de herb.* 38. *B. A.*

ĔLAEON, onis, m. *ἐλαιών*, locus oleis consitus: ab *ἐλαία*, olea. *Tertull. adv. Marcion.* 4, 39. *extr.* Ad noctem vero in elaeonem secedebat. ℙ [*Item oppidum Boeotiae. *Plin.* 4, 7. ubi ed. *Hard.* habet *Heleon.* Sed *Ἐλαιών* est *Homer. Il.* B. v. 500. et K. v. 266. ℙ Fuit et campus Macedoniae sic dictus. *Liv.* 43, 23. ubi accusativum *Elaeona* habes in ed. *Drak.* In ed. *Gronov.* impressum *Eleona. B. A.*]

ĔLAEOTHĒSĬUM, ii, m. *ἐλαιοθέσιον*, membrum balinei, in quo oleum, et ceroma reponebatur, et loti, aut certaturi ungebantur, idem ac unctorium: ab *ἔλαιον*, oleum, et *τίθημι*, pono. *Vitr.* 5, 11. Ad sinistram ephebei elaeothesium.

ELAEUS. V. ELEUS.

*ELAEUS, untis, f. *Ἐλαιοῦς*, Thraciae oppidum, ad Hellespontum. *Liv.* 31, 16. *Plin.* 4, 11. *Eleus* appellatur a *Mela* 2, 2. ℙ Item oppidum Cariae, in Doride. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*ELAEŪSA vel Elaeussa, ae, f. insula Ioniae, prope Smyrnam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[*ĔLAGĂBĂLUS, i, m. *Ἐλαγάβαλος*, Deus a Syris hoc nomine cultus apud Emisam Phoenices urbem, ad Orontem fluvium: ex nigro lapide in coni figuram non fabrefactus, sed ita e coelo demissus fuisse putabatur, ex Baetylorum nempe ge-

nere: est autem ita appellatus ab Hebr. אֵל *el*, Deus, et גְּבָל *gebul*, terminus. *Inscr.* ap. *Schönwisner. Iter Pannon. T.* 2. p. 277. Deo Soli Elagabal. *Nummus* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 249. Sanct. Deo Soli Elagabal. Et *ib.* Sacerdos Dei Solis Elagab. ℙ *Elagabalus*, sive *Heliogabalus* (ἥλιος enim a Graecis dicitur sol) fuit etiam cognominatus M. Aurelius Antoninus, filius Sex. Varii Marcelli, qui an. a Chr. n. 218. imperium Romanum adeptus est. *Lampr. Elag.* 1. Hic quidem prius dictus est Varius, post Heliogabalus a sacerdotio Dei Heliogabali, cui templum Romae in eo loco constituit, in quo prius aedes Orci fuit, quem e Syria secum advexit. *Vopisc. Aurel.* 25. Emisam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, donariis ingentibus positis; et Romae Soli templum posuit majore honorificentia consecratum. ℙ Quamvis scriptores Latini saepissime pro *Elagabalus* usurpent *Heliogabalus*, et *Alagabalus* sit in *Inscr.* ap. *Grut.* 32, 12.; prior tamen scriptio potius probanda, utpote quam et vocis etymon, et inscriptiones, nummique supra allati satis confirment. *B. A.* et *F.*]

[ELĀINUS, i, m. ἐλαΐνος, oleaginus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Murat.* 681, 2. M. Aurelio Elaini filio Marcello. *F.*]

ELĀMENTĀBĬLIS, e, adj. lamentis et querelarum plenus. *Cic. Tusc.* 2, 24. Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur: sin erit elamentabilis, si imbecillus, si abjectus etc. Al. melius [*de quo dubito] leg. *lamentabilis.*

*ELAMĪTAE, arum, populi itemque oppidum Arabiae. *Plin.* 6, 28. ubi *Harduinus* mavult *Elaitae* legere, vel *Leanitae. B. A.*

ELANGUĔO, es, ŭi, n. 2. ἐκκάμνω, idem quod langueo vel valde langueo. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 42. *de Annib.* Cum Urbem capere posset, in Campaniam devertit, cujus deliciis elanguit, [*i. e. penitus fractus est.] *Gell.* 16, 3. Post inediam tridui omnis appetitio elanguerit. *Curt.* 4, 15. Proelium, quod elanguerat, accendit. *Val. Fl.* 4, 572. Haesit uterque polo, dubiisque elanguit alis. *Tac. H.* 4, 42. Elanguimus, P. C., nec jam ille senatus sumus, qui etc. *Liv.* 5, 26. Differendo deinde elanguit res.

ELANGUESCO, is, n. 3. verbum inchoativum, idem ac elangueo. *Liv.* 35, 45. Non est elanguescendum. [*Sed in eod. cap. paulo ante e codd. *relanguescit impetus regis Drak.* edidit pro *elanguescat. Liv.* 1, 46, 7. Elanguescendum aliena ignavia est.] *Gell.* 3, 1. Omnis vigor animi elanguescit, et effeminatur. *Plin.* 9, 30, 48. Elanguescit vis. *Vell.* 2, 111. *extr.* Viribus hostis elanguescit. *Sil.* 4, 140. Elanguescens, et jam casura cornus. [*Confunduntur a librariis *Elanguescere* et *relanguescere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 35, 44, 3.]

ELANGUĬDUS, a, um, adj. valde languidus. *Venant.* 1. *de Vita S. Martini* 296. Paulatimque focis elanguida ligna resorbet.

*ELAPHĪTES INSULAE, quasi tu dicas *cervariae.* De his sic *Plin.* 3. *c.* ult. Elaphites numero tres, XV. M. pass. a Melita (a qua Melitaei canes Callimacho dicuntur) distantes. *B. A.*

*ELAPHĪTIS, idis, f. insula prope Ioniam, Chio vicina. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ELĀPHOBOSCON, i, n. ἐλαφόβοσκον, herba (al. pabulum cervi) ferulacea, geniculata, digiti crassitudine, semine corymbi, dependentibus foliis olusatri, commendata in cibis contra serpentium morsus: ab ἔλαφος, cervus, et βόσκω, pasco. *Plin.* 22, 22, 37.

*ELAPHONNĒSUS, i, f. Ἐλαφόννησος, insula in Propontide, ante Cyzicum. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*ELAPHŪSA, ae, f. Ἐλαφοῦσσα, insula ante Corcyram, non procul a duabus insulis, quae Paxae vocantur, ad Leucadiam sita. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ELĀPĬDĀTUS, a, um, part. ab inusit. *elapido*, lapidibus purgatus. *Plin.* 18, 16, 43. Solum elapidatum purgatumque subigitur. Adde 17, 4, 3. et *ib.* 10, 14.

*ELAPSIO, onis, f. JCti in *Dig. B. A.*

ELAPSUS. V. ELABOR.

ELĀQUĔĀTUS, a, um, part. ab *elaqueo*, laqueis expeditus. *Ammian.* 30, 1. Quem elaqueatum fidem rupturum existimabat.

ELAQUĔO, as, a. 2. expedio, laqueis exsolvo. *Prud. adv. Symmach.* 2, 147. Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis prematur. *Sidon. ep.* 8, 9. A vinculo incursi angoris elaqueat.

ELARGĬOR, iris, itus sum, dep. 4. διανέμομαι. *Pers.* 3, 70. patriae carisque propinquis Quantum elargiri deceat. Adde *Cic. Fam.* 1, 5., ubi tamen plerique alii leg. *largior.* Idem dicito de alio loco *Livii initio lib.* 3., ubi multo rectius et *largiendo*, quam *elargiendo* legitur.

*ELARGĪTIO, onis, f. in *Cod.* et ELARGITOR, oris, m. in *Dig. B. A.*

*ELĀRIS, flumen Galliae, in Ligerim influens, hodie *Allier* nuncupatum. *Sidon. carm.* 5. *v.* 209. *Elaver* est *Caes. B. G.* 7, 53. et *Elauris Theod. Aurel. Paraenesi ad Jud. v.* 111. *B .A.*

ELASSESCO, is, n. 3. idem ac lassesco, lassitudine deficio. *Plin.* 16, 25, 41. In arboribus tamen nimia germinatio elassescit.

ELĀTĒ, es, f. ἐλάτη, genus arboris. *Plin.* 12, 28, 62. Est praeterea arbor, quam alii elaten vocant (quod nos abietem), alii palmam, alii spathen. Laudatur Hammoniaca maxime, mox Aegyptia, dein Syriaca, dumtaxat in locis sitientibus odorata, pingui lacrima, quae in unguenta additur ad domandum oleum. Adde 23, 5, 53.

ELĀTĒ, adv. ἀναιτικῶς, alte: ab *elatus.* Translate. *Cic. Opt. gen. or.* 4. Ut Demosthenes certe possit submisse dicere, elate Lysias fortasse non possit. [**Id. Tusc.* 5, 24. Elate et ample loqui.] *Caes. B. C.* 3, 79. De proelio ad Dyrrachium facto, elatius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat. *Nep. Paus.* 2. Pari felicitate in ea re usus, elatius se gerere coepit, majoresque appetere res, *h. e.*, ut *Florus* 1, 26. loquitur, altius se et incivilius efferre. *Gell.* 9, 15. Praefatur arrogantius et elatius, quam aetati ejus decebat.

*ELATĒA vel Elatīa, ae, f. Ἐλάτεια, oppidum Phocidis. *Liv.* 28, 7. 32, 18. *Plin.* 4, 7. ℙ Item aliud, Thessaliae, prope Gonnum et fauces, quibus Tempe adeuntur. *Liv.* 42, 54. *B. A.*

ELATĒIUS, a, um, adj. Ἐλάτειος, et Ἐλατεῖος. *Ov. Met.* 12, 189. Proles Elateia, *h. e.* Caenis filia Elati Magnesii, filii Arcadis ex Callisto. Et 497. Elateius Caeneus. *Hygin.* hunc Elatum memorat *fab.* 14, 173. et 242.

[*ELATENSIS, e, adj. ad Elateam (s. Elatiam, Ἐλάτειαν) pertinens, Phocidis urbem, de qua *Plin.* 4, 7, 12. et *Liv.* 28, 7. ℙ *Elatenses, ium*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 19. Pactus in singulos mnas denas a tyranno Elatensium Mnasone. *B. A.* et *F.*]

ELATĒRĬUM, ii, n. ἐλατήριον, medicamentum ex succo expresso ex semine cucumeris silvestris, et in pastillos redacto: ab ἐλάω, seu ἐλαύνω, pello, depello, moveo, quia inter alia vim habet evocandi, et educendi. *Cels.* 5, 12. et 6, 5., *Scrib. Compos.* 70. et 224. et qui fusius de eo agit, *Plin.* 20, 1, 3.

[ELĀTES, is, m. ἐλάτης, agitator. Est nomen equi in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 277. *n.* 164. quam vide in ANDRAGMO. *F.*]

[ELĀTIENSIS, e, adj. ad Elatiam pertinens Phocidis urbem, in cujus nummis ap. *Sestin. Class. gen.* p. 45. ΕΛΑΤΕΩΝ, nunc *Eleuta.* ℙ *Elatienses, ium* sunt incolae illius urbis. *Liv.* 32, 18. Primo colloquiis rem per principes Elatiensium tentavit. *F.* [*Iidem sunt *Elatenses* et *Elatienses.* Forma tantum differunt.]

ELĀTĪNE, ae, f. ἐλατίνη, herba, quae folia helxinae habet, pusilla, pilosa, rotunda, semipedalibus ramis quinis, senisve, a radice statim foliosis, acerba gustu. *Plin.* 27, 9, 50.

ELĀTĬO, onis, f. actus efferendi, ἔπαρσις. *Vitr.* 8, 10. Suculae cardines porrecti in cheloniis, versando faciunt onerum elationes, *h. e.* onerum egressus in altum, ut paulo ante dixerat. *Plin.* 7, 20, 19. Auctor est Varro in prodigiosa virium elatione, *h. e.* ubi prodigiosas vires magnificat, et in coelum effert. *Cic. Top.* 18. Parium comparatio nec elationem habet, nec submissionem. [*i. e. nec augendae rei nec minuendae prodest.] *Id. Off.* 1, 19. Elatio et magnitudo animi. *Id. Brut.* 17. Elatio atque altitudo orationis. *Id. Fin.* 3, 10. *extr.* Laetitia, gestientis animi elatio voluptaria. Sic dicitur efferri dolore, laetitia etc. V. EFFERO. ℙ Alio sensu *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. Si quid impensum est in elatione mortui. ℙ Superbia. *Arnob.* 2, 88. Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis. ℙ Est etiam actus ferendi aliquid foras. [*Quae primo loco ponenda erat significatio, tum ea quae §. 2. legitur.] *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 402. Piaculum factum ob ferri elationem. Et *n.* 43. Immolavit ob ferri elationem, *scil.* ut liceret ferrum per lucum et ex luco ferre, quod, nisi piaculo facto, et ab nemorensibus Diis petita venia, fieri nequaquam poterat.

ELĀTĪTES, ae, m. ἐλατίτης, lapis ex genere haematitarum, ita dictus a colore elates arboris. *Plin.* 36, 20, 38.

*ELATĪUM, i, Syriae oppidum. *Plin.* 5, 26. *B. A.*

*ELATĪVUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat.* Elativa, ἐκφορικά. *B. A.*

ELĀTORĬĒ, adv. per amplificationem, vel per hyperbolen. *Ascon. in Divin. Verr.* 1.

*ELATOS (us), i, oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ELATRO, as, n. 1. idem ac latro, vel valde latro. *Hor. Ep.* 1, 18, 18. ut non Acriter elatrem.

ELĀTUS, a, um, part. ab *effero*, altus, excelsus, ἐπηρθείς, *Colum.* 2, 4. *ad f.* Modo in elatiora, modo in depressiora clivi agi sulcum oportebit. *Tertull. Apol.* 53. Elatissimae lucernae. ℙ Metaphorice est inflatus, superbus. *Cic. Agr.* 2, 35. Quibus illi rebus elati et inflati. *Id. Or.* 36. Elatis verbis intensa oratio. *Caes. B .C.* 3, 59. Elati barbara arrogantia despiciebant suos. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 51, 1, 2. 37, 12, 4.] ℙ In bonam partem pro magno, excelso. *Cic. Tusc.* 1, 40. Quam me delectat Theramenes! quam elato est animo! *Id. Off.* 1, 18. Splendidissimum videtur, quod animo magno elatoque factum est. ℙ Item sepultus. *Manil.* 4, 71. Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris. *Senec. ep.* 97. *a med.* Non gaudet aegro medicus elato. ℙ Item evulgatus. *Nep. Dion.* 8. Res, multis consciis, elata refertur ad Aristomachen. ℙ Item prolatus. *Lact. Opif. Dei* 6. Adjugatis corporibus elata soboles. ℙ Item sublatus. *Liv.* 7, 26. Corvus e conspectu elatus orientem petit. [**Liv.* 1, 40. Alter elatam securim in caput dejecit. V. *Gron. Observ.* 1, 13.] ℙ Item extra modum abreptus. *Cic. Div.* 1, 24. Elatus cupiditate respexit. *Id. Off.* 1, 29. *ad f.* Ne elati voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. *Id. Har. resp.* 2. Qui dolore me elatum, et iracundia longius prope digressum arbitrabantur. [**Id. Sext.* 64. Elatus exspectatione.] ℙ Item dictus, pronunciatus. *Cic. Or.* 22. Eadem res saepe aut probatur, aut rejicitur, alio atque alio elata verbo. ℙ [*Confunduntur a librariis *Elatus* et *laetus. Drak.* ad *Liv.* 23, 37, 8. — et *alatus. Burm.* ad *Ov. Fast.* 3, 415.]

ELATUS, i, sc. fluvius, vel Elātum, i, sc. flumen, in Arcadia, mulieribus conceptus repraesentare credebatur *Plin.* 31, 2. ℙ Item mons nobilis in Zacyntho insula, inter Achaiam et Cephaleniam, quem montem circa Arginusam cervos non excedere, auribus etiam in monte fissis, scribit *Plin.* 9. paenult. Adde 4, 12. ℙ Elatus, Atraci filius, pater Caenidis. V. *Elateius, a, um.* Ceterum de hoc aliisque hoc nomine consulantur VV. DD. ad *Ov. Met.* 12, 189. *B. A.*

ELAUDĀRE, plus est, quam nominare, inquit *Festus.*

*ELAVER, eris, n. flumen Galliae, in Ligerim cadens, hodie *Allier* dictum. *Caes. B. G.* 6, 34. et 53. V. *Elaris. B. A.*

ELĀVO, as, elavi, elautum et elotum, a. 1. lavando, aufero, probe lavo. *Elavisse bonis* dicitur qui bona amisit: sumptum a naufragis. *Pl. Asin.* 1, 2, 9. In mari reperi, hic elavi bonis. *Id. Rud.* 5, 2, 20. Hac proxima nocte in mari elavi: nam confracta navis est: perdidi quidquid erat, miser ibi omne. V. ELUO.

ELAUTUS, a, um, part. ab *elavo*, bene lotus. *Pl. Rud.* 3, 3, 37. Quae ambae elautae sumus opera Neptuni. *Id. Poen.* 1, 2, 22. Nam quae elauta est, nisi perculta est, meo quidem animo, quasi illauta est. V. ELOTUS.

*ELBORCORII, orum, pop. Lusitaniae. *Plin.* 4, 22. (al. 21.) ed. *Hard. B. A.*

*ELCĔBUS vel Helcebus, i, oppidum Galliae Belgicae, in Triboccorum agro, ubi nunc est *Strasburg. Anton. Itin. B. A.*

*ELDAMARII, orum, populi Arabici Mesopotamiam incolentes. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

[ELEATES, ae, m. et

[ELEĀTĬCUS, a, um, adj. ad Eleam seu Veliam pertinens, Lucaniae urbem, nunc *Castello a mare della Bruca*, quae olim Eleatica philosophorum schola maxime inclaruit. V. VELIA. *Cic. Tusc.* 2, 22. Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendae tyrannidis indicaret. *Id. Acad.* 4, 42. Xenophanem secuti Parmenides, et Zeno; itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. *F.*]

ELECEBRA, ae, f. quae elicit, aufert, spoliat, emungit. *Pl. Truc.* 1, 2, 82. Mala es, atque eadem, quae soles, elecebra. Al. leg. *illecebra. Id. Men.* 2, 3, 26. Sunt hic meretrices omnes elecebrae argentariae. *Festus:* Elecebrae argentariae, meretrices ab eliciendo argento dictae. ℙ Scribitur et *exlecebra. Pl. Bacch.* 4, 9, 20. Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis.

ELECTĀRĬUM, ii, n. medicamenti genus, quod lingitur, vel sorbetur: *Plin.* 21, 21, 89. *ecligma* vocat; est enim ab ἐκλείχω, delambo: sunt tamen, qui *electarium* sive *electuarium* ab *electis* speciebus, quibus conficitur, dictum putent. *Isid. Orig.* 4, 9. Electarium vocatum, eo quod molle sorbeatur. [*Adde *Octav. Hor.* 1, 15. *B. A.*] *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. *ante med.* Ob electarium conficiendum erunt sumenda mala punica recentia etc. *Id. ib. paulo post.* Infuso passo sufficientis quantitatis, quo medicamen electarii crassitudinem sumat.

ELECTĒ, adv., cum electione. *Cic. Inv.* 1, 30. Discrete [*Recentiores editt. habent *descripte.*] et electe digeremus. *Gell.* 18, 7. Veteres, qui electius locuti sunt.

ELECTĪBĬLIS, e, adj. electus, selectus. *Appul. Met.* 10. p. 245, 35. Electibiles partes nusquam comparent.

ELECTĬLIS, e, adj. selectus. *Pl. Most.* 3, 2, 41. Vino et victu, et piscatu probo, et electili vitam colitis.

ELECTĬO, onis. f. ἐκλογή, selectio, approbatio. *Cic. Or.* 20. *ad f.* Id autem est judicium, electioque verborum. [**Tac. A.* 6, 22. Electionem vitae relinquunt, sc. qui fato omnia agi credunt, i. e. libertatem in deligendo vitae genere.] *Vell.* 2, 72. Electionem dare. *Plin. ep.* 10, 4. loci alicui offer-

re. *Auct. dial. de orat.* 35. Vitiatarum electiones. [*Electionem habere, dare, concedere, relinquere, deferre, committere. Haec omnia dicuntur in *Pandect.* Exempla vide apud *Brisson.*]

ELECTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. ab *elicio*, et ejusdem significationis, ut *Festus* docet. *Pl. Asin.* 2, 2, 29. Quae illaec praeda est? ibo advorsum, atque electabo quidquid est, *h. e.* blande alliciendo exquiram, extundam, et resciscam. *Id. Merc.* 1, 2, 111. Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret. ℙ Item frequentativum ab *eligo, is. Id. Truc.* 2, 6, 27. Jamne electat legionem, quam spoliare velit?

ELECTOR, oris, m. *αἱρέτης*, qui eligit. *Auct. ad Her.* 4, 4. Ipsi ab aliis potius eligendi, quam aliorum boni electores existimentur. ℙ *Elector* vocatus est sol, quod homines sine lecto faciat, seu e lecto excitet: est enim *ἠλέκτωρ* pro *ἀλέκτωρ*, ab *a* privat. et *λέκτρον*, lectus. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. Electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit elector.

ELECTRA, ae, f. *Ἠλέκτρα*, filia Atlantis, et Pleiones, sive Oceanitidis, mater Dardani primi Trojanorum regis, ex Jove: et Iasii ex Corytho rege Italiae, cui nupserat. Haec post mortem in coelum translata dicitur, et esse una ex Pleiadibus, quae ob dolorem amissi filii, et Trojani regni excisi apparere desiit, et lucem amisit: tametsi alii hoc de Merope ejus sorore tradunt. *Serv.* ad *A.* 7, 207. et *ib.* 10, 272. *et Hyg. fab.* 155. et 192., *Virg. A.* 8, 135. et *Ov. Fast.* 4, 31. ℙ Alia fuit Agamemnonis et Clytaemnestrae filia, Orestis et Iphigeniae soror, uxor Pyladae Orestis amici. Haec fratrem Orestem neci subtraxit a matre intentatae, ipsamque postea matrem, et Aegysthum ut occideret, auctor fuit, et adjutrix. *Vell.* 1, 1., *Serv.* ad *A.* 4, 171. et *Hyg. fab.* 117. et 122. Hinc *Ov. Trist.* 2, 395. Qui legis Electran, et egentem mentis Oresten. *Electran* accusativus est Graecae positionis. ℙ Alia filia Danai, quae sponsum Hyperantum prima nuptiarum nocte occidit. *Hyg. fab.* 170. ℙ In recto casu *Electre* Graeca positione legitur ap. *Prop.* 2, 11, 5. Non sic Electre, salvum cum aspexit Orestem. [*Burm.* edidit *Electra*, exemplis docens ultimam passim produci in his nominibus, ut in *Phaedra*, *Hypermnestra* etc.]

ELECTRĔUS, a, um, adj. ex electro factus. *Lampr. Alex. Sev.* 25. Alexandri habitu nummos figuravit, et quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. Al. leg. *electrinos.* [*Salm.* ad *Hist. Aug.* p. 205.]

ELECTRĬFER, a, um, adj. electri ferax. *Claud. Fescenn. carm.* 12, 14. Et Padus electriferis Admoduletur alnis.

ELECTRĪNUS, a, um, adj. *ἠλέκτρινος*, electreus, ut Electrina patera, *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann.* 13. Electrina vasa, *Paul. Dig.* 34, 2, 32, 5. Electrini anuli, *Marc. Empir.* 8. *ante med.* Adde *Hieron. ep.* 54. *n.* 19.

ELECTRIS, idis, f. *ἠλεκτρίς*, ab electro. *Electrides* vocaverunt Graeci insulas duas maris Adriatici, falso putantes, electriferas esse: neque tamen quaenam essent designantes. *Plin* 3, 26, 30. et 37, 2, 11. *n.* 1. V. ELECTRUM. ℙ *Electrides petrae* in Britannia fuisse creditae sunt, ex quibus electrum flueret. *Id. ib.*

ELECTRĬUS, a, um, adj. ad Electram pertinens. *Val. Fl.* 2, 431. Electria tellus, Threiciis arcana sacris, *h. e.* Samothrace ita dicta ab Electra Dardani matre.

ELECTRIX, icis, f. quae eligit vel elicit. Affertur locus *Plauti* in *Mil.* 3, 1, 194., [at alii rectius leg. *meretrix. F.*]

ELECTRUM, i, n. *ἤλεκτρος* et *ἤλεκτρον*, gummi quoddam ex certis arboribus fluens, Latine *succinum.* De variis Graecorum circa id opinionibus, deque ejus natura fuse multa *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. et 2. ℙ Dictum est ab *ἠλέκτωρ*, sol, quia solis instar elucet. Hinc fabulae origo, Solis filias, Phaethontis sorores, in ripis Padi, sive Eridani in populos fuisse conversas, ex quibus electrum defluat; et in ostiis ejusdem amnis insulas duas esse, electri feracissimas. Ita fere *Plin. l. c.* ℙ Ceterum ex hoc *Plinii* loco, *Tac. G.* 45., *Solin.* 20. et *Cassiod. Var.* 5, 2. certo constat, Venedos Sueviae populos, ex quibus erant Aestyorum gentes, ad ostia Vistulae, (ubi olim fuit insula Raunonia, seu Raudania, a *Plin.* 4, 13, 27. memorata, et fluvius Raudanes, ex corrupto Eridani nomine ita appellatus, prope urbem, quae nunc *Danzig*) maximam electri, seu succini copiam, quod ipsi glessum nominabant, colligere solitos; quodque per Pannonias in Illyricum ad Transpadanos homines delatum fabulae locum fecit, ad ripas Padi, qui et Eridanus a Graecis dicitur, Venetos populos electrum ibidem natum varios in usus adhibuisse. [*V. *Gesner.* de electro veterum in *Comment. Soc. Gotting. T.* III. p. 110.] ℙ Est etiam metalli genus, scilicet aurum, cui ex *Plin.* 33, 4, 23. quinta, ex *Isid. Orig.* 16, 24. quarta argenti portio inest. Est autem duplicis generis: fossile, cui ea ratione argentum natura est admixtum: et factícium, cui arte portio illa argenti admiscetur, ut *Plin. l. c.* et 9, 40, 65. docet. Ejus natura est, ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Nativum vero venena etiam deprehendit. Namque discurrunt in calicibus arcus, coelestibus similes, cum igneo stridore. *Plin. loc. prius* in hoc §. *cit.* ℙ De electro, seu succino. *Virg. Ecl.* 8, 54. Pinguia corticibus sudent electra myricae. *Id. Cir.* 434. Coralio fragili, ac electro lacrimoso. *Ov. Met.* 2, 364. stillataque sole rigescunt De ramis electra novis. Adde *eund. ib.* 15, 316. ℙ De electro metallo. *Virg. A.* 8, 402. Quod fieri ferro, liquidove potest electro. Alii perperam leg. *liquidove potestur electro.* Et *ib.* 624. tum leves ocreas electro, auroque recocto. Adde *Martial.* 8, 51., *Stat. Th.* 4, 270., *Sil.* 1, 229. et *Juven.* 14, 307.

*ELECTRYON, ōnis vel onis, m. *Ἠλεκτρύων, ωνος* et *ονος*, Persei filius ex Danae, Anaxonis conjux, Alcmenae pater. *Hygin. fab.* 244. *B. A.*

*ELECTUARIUM, i, n. V. ELECTARIUM. *B. A.*

ELECTUS, a, um, part. ab *eligo*, *ἐκλεκτός*, lectus, selectus, atque adeo eximius, egregius, quia optima quaeque eligi solent. *Cic. Agr.* 2, 35. Conquisiti ab Rullo, atque electi coloni. *Id. Verr.* 2, 1, 34. Myoparonem pulcherrimum, de decem navibus electum, L. Magio vendidit. *Id. Quint* 2. Viri electissimi civitatis. *Id. Fin.* 3, 8. Electissimis verbis ornare. *Auct. ad Her.* 4, 26. *in f.* Ut cum ad electius verbum accedas, insigniorem rem facias. [*Petr. Sat.* 36. Res electissimae, de cibis delicatioribus. V. *Burm.* ad *Quint.* 2, 11. p. 167.] *Augustin. Civ. Dei* 20, 29. Potest sensus alius, idemque electior inveniri. [*Olim legebatur apud *Cic. Mil.* 8. Electi judices. Sed recte nunc editur *delecti judices.* V. quae sub v. Eligere scripsimus.] ℙ In malam partem, et *εἰρωνικῶς*. *Catull.* 36, 6. Electissima pessimi poetae scripta. ℙ Cum infinito. *Stat. Silv.* 3, 4, 60. Care puer, Superis qui praelibare verendum Nectar, et ingentem toties contingere dextram Electus. *Id. Achill.* 2, 336. Electus formae certamina solvere pastor. ℙ [*Electa, orum*, absolute sunt loca scriptorum, quae non oscitanter sunt legenda, quaeque *Cic. Att.* 16, 2. *eclogarios*, h. e. loca selecta, vocat; Graeci *χρηστομαθειων* dicunt. *Plin. ep.* 3, 5. Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem, et minutissime scriptos. *B. A.* et *F.*] ℙ Comp. *Electior* et Sup. *Electissimus* V. supra. ℙ [*Confunduntur *Electus* et *delectus.* V. *Cort.* ad *Plin. Epp.* 4, 19, 8. *Oud.* ad *Front.* 1, 1, 9. *Drak.* ad *Liv.* 7, 25, 3. et ad 34, 29, 10. ubi alios locos affert. — et *erectus. Id. ib.* 7, 12, 9. 28, 36, 7. — et *dejectus. Id. ib.* 5, 21, 10. — et *lectus. Id. ib.* 2, 1, 11. 28, 42, 5.]

ELECTUS, us, m. electio. *Ov. Her.* 2, 144. In necis electu parva futura mora est. Al. leg. *electum.*

ELĔĒMOSYNĂ, ae, f. *ἐλεημοσύνη*, miseratio, beneficium pauperibus praestitum, stips pauperibus data: ab *ἐλεήμων*, misericors. *Tertull. Patient.* 7. In causa eleemosynae. *August. Civ. Dei* 21, 27. Qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt. *Id. ib.* Per elcemosynas dimitti posse peccata.

ELĔGANS, antis, adj. omn. gen. *φιλόκαλος, κομψὸς*, qui studiose conquirit ea, quae ad vitam cultumque pertinent: ab *eligendo* dictus, ut docet *Cic. N. D.* 2, 28. quasi *eligens* quod praestantissimum est in re qualibet. Quare in antiquis libris *eligans*, *eligantia* scriptum invenitur. Olim usque ad aetatem Catonis vitii, non laudis fuit, ut *Gell.* 11, 2. tradit. *Cato ib.* et apud *Non.* 6, 98. Avaritiam omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. *Pl. Trin.* 2, 1, 14. Harpago, mendax, cuppes, avarus, elegans, despoliator. ℙ Ex his apparet, elegantem dictum antiquitus non ob ingenii elegantiam, sed qui nimis lecto amoenoque cultu, victuque esset. Postea reprehendi quidem desiit: sed laute nulla dignabatur, nisi cujus elegantia erat moderatissima. Sic M. Tullius L. Crasso, et Q. Scaevolae non meram elegantiam, sed parsimonia mixtam laudi dedit. *Crassus*, inquit (*Brut.* 40.) *erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus.* Haec *Gell.* Adde *Non. l. c.* ℙ Universim accipitur pro mundo, concinno, lauto, et qui judicio, et electione comparat, quae ad victum cultumque necessaria, considerans ubique, quid deceat, et mundum sit. *Cic. Or.* 25. Ut in epularum apparatu a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet. *Id. fr. Clod.* ap. *Non.* 6, 98. (ex *Cic. fr. edit.* ab *A. Peyronio*) Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare vultum, attenuare vocem, levare corpus potes. *Id. Div.* 1, 30. Epicurus sentit nihil unquam elegans, nihil decorum. *Ter. Eun.* 5, 4, 13. Mundus, compositus, elegans. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 3. *extern.* Mulier formosa et elegans. *Nep. Attic*, 13. Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiem, non affluentiam affectabat. *Plin.* 34, 2, 3. Vasa Corinthia, quae isti elegantiores modo in esculenta transferunt, modo in lucernas, aut trulleos, nullo munditiarum respectu. ℙ Tribuitur et rebus ipsis. *Cic. Rosc. Am.* 41. Pueri ex tot elegantissimis familiis lecti. *Id. Tusc.* 1, 25. A quibus mansuefacti, et exculti, a necessariis artificibus ad elegantiora defluximus. [*Hinc artes ingenuae et elegantes opponuntur illiberalibus. *Cic. Fin.* 3, 2.] *Plin.* 15, 8, 8. Amurca aeramenta ungi coloris gratia elegantioris. *Tac. A.* 11, 4. *extr.* Eleganti temperamento inter conjugalem amorem, et senatoriam necessitatem. *Gell.* 13, 5. *in lemmate.* Elegans verecundia. ℙ *Elegans solum* est ager pulcher visu ob culturam et fertilitatem. *Plin.* 14, 4, 5. Neglecta per indiligentiam praedia paraverat, ac ne in pessimis quidem elegantioris soli. ℙ *Elegans pictor* est qui venuste pingit. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 23. Annumeratur his Nicophanes, pictor elegans, et concinnus, ita ut venustate ei pauci comparentur. ℙ Refertur et ad judicium, quo quis pollet in discernendis quae optima sunt in quoque genere. *Ter. Eun.* 3, 5, 8. Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem. Et 3, 1, 18. Regem elegantem narras. Ubi *Donat.* qui eligere sciat, aut qui ipse sit eligendus. [*ad quem loc. v. *Ruhnk.*] *Vell.* 1, 13. Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinae admirator fuit, ut etc. [*V. *Burm.* ad h. l.] *Cic. Fam.* 7, 23. Intelligo te hominem in omni judicio elegantissimum, quaeque me digna putaris, coemisse. (*Intelligens* eodem sensu dicitur ab *eod. Verr.* 2, 4, 2.) *Id. Verr.* 6, 44. *ad f.* Vide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te, atque istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. [*Cic. Fam.* 9, 19. Aures elegantes, i. e. intelligentis ac judicio pollentis hominis.] ℙ Saepissime ad dicendi rationem, et est is, qui electis verbis, propriis, aptis, concinnaque et pura oratione utitur. *Cic. Or.* 2, 59. Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium. *Id. Brut.* 68. Elegans in dicendo. *Id. Att.* 16, 13. Elegantissima epistola. *Id. fr.* ap. *Suet. Caes.* 55. Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? [*Atque hinc elegantia opponuntur popularibus. *Cic. Fin.* 4, 10. Quae adhuc protulisti popularia sunt; ego autem a te elegantiora desidero.] *Nep. Attic.* 12. Elegantissimus poeta. *Gell.* 17, 2. Verba et sententiae elegantes. Et 5, 20. Hujus vocis elegantior in hoc loco sonus est. *Cic. Off.* 1, 29. Duplex jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Quint.* 5, 13. Jucundum et elegans ingenium. [*Hunc locum §. 7. ponendum arbitror.] ℙ Est etiam commodus, aptus, conveniens, rectus honestus, decens. *M. Antonius* apud *Cic. Phil.* 13, 18. Animadvertite, utrum sit elegantius, et partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Caesaris. Reprehendit quidem *Cic.* ibi hanc loquendi rationem, sed odio id hominis fecisse magis videtur *P. Victorio* 22. *var. lect.* 8. quam ratione: eodem enim sensu usurpasse *Livium* 37, 1. (V. in voce seq.) adv. *eleganter*, et *Demosth. pro Ctesiph.* dixisse, *σκόπει, πότερον κάλλιον, καὶ ἄμεινον τῇ πόλει* etc.

ELĔGANTER, adv. *φιλοκάλως, κομψῶς*, cum delectu ac judicio, (ut in v. praec. dictum est) convenienter, apte, concinne, laute, munditer. [*Liv. 35, 14. Neminem elegantius loca cepisse, *h. e.* majore cum delectu. V. *Ruhnk.* in *Ter. Eun.* 3, 1, 18.] *Cic. Senect.* 5. Est enim quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida et lenis senectus. [*h. e.* aetas honeste acta. Adde *Cic.* in *Caec.* 17.] *Liv.* 35, 31. Vir magnae ob eleganter actam vitam auctoritatis. *Plin.* 25, 5, 19. Herba scapo pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestita. *Cic. Att.* 13, 52. Liberti lautiores eleganter accepti. *Sall. Cat.* 26. Saltare elegantius, quam necesse est probae. *Liv.* 37, 1. *a med.* Elegantius facturos, dixit, si judicio patrum, quam sorti eam rem permisissent. [*i. e. melius, justius, ipsi rei convenientius. *Cic. Fam.* 3, 8. Quid a me fieri potuit elegantius aut justius.] Sic *Ulp. Dig.* 10, 3, 7. *a med.* Eleganter dicitur, non esse audiendum, nisi etc. ℙ Saepe refertur ad eloquentiam, et significat adhibito verborum delectu. *Cic. Tusc.* 2, 3. Distincte, distribute, eleganter, ornate scribere. *Id. Brut.* 22. Causam accurate, eleganterque dicere. *Id. ib.* 72. Omnium loqui elegantissime. [*Ib.* 12. Optime novit omnia et elegantissime expedire et ad te deferre potest, i. e. accuratissime.] ℙ Reperitur et *eliganter.* V. v. praec.

ELEGANTIA, ae, f. *κομψότης, φιλοκαλία*, munditia, lautitia, convenientia, cultus, ornatus ex delectu rerum ad victum vitamque pertinentium, ut in ELEGANS dictum est. *Cic. Fam.* 9, 20. Verrium tuum, et Camillum, qua munditia homines! qua elegantia! vocare (*ad coenam*) saepius audemus. *Id. Leg.* 3, 1. *de Attico.* Quid enim est elegantia tua dignius? cujus vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *Nep.* de eodem Attico, *in ejus Vita* 19. Augusti familiaritatem consecutus est nulla alia re, quam elegantia vitae, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, for-

tuna humiliore. *Tac. A.* 5, 8. Pomponius multa morum elegantia, et ingenio illustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit. *Cic. Sull.* 28. *ad f.* Vestra enim, judices, qui cum summa elegantia, et integritate vixistis, hoc maxime interest. *Flor.* 1, 5. Tarquinius Priscus regnum petens, accipit ob industriam et elegantiam. *Phaedr.* 2, 2. Aetatis mediae mulier, annos celans elegantia. [*i. e. ornatu.] *Pl. Merc.* 1, 1, 19. Nimia elegantia. *Suet. Aug.* 73. Instrumenti ejus et supellectilis parsimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sint. *Tac. A.* 2. Elegantia conviviorum. [*Omnino elegantia cernitur in eligendis iis, quae cuique tempori, loco, conditioni accommodata sunt. Hinc elegantia de honestate, quae est in recte factis. Sic componuntur elegantia atque integritas ap. *Cic. Sull.* 28. ad quem locum v. interpp.] ℙ In plur. numero. *Petr. Sat.* 34. Laudatus propter elegantias dominus, *h. e.* elegantem supellectilem, et lautum apparatum convivii. ℙ Item judicium et facultas discernendi, quae optima sunt. *Pl. Mil.* 4, 6, 18. Metus me macerat, quod ille fastidiosus est, ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me, atque ejus elegantia meam extemplo speciem spernat. Hoc est, quod *Ter. Eun.* 3, 5, 18. dixit *elegans formarum spectator.* ℙ De pulcritudine et venusta specie rerum selectarum, et apte compositarum. *Plin.* 2, 4, 3. Quem *κόσμον*, Graeci nomine ornamenti appellavere, eum nos a perfecta absolutaque elegantia, mundum. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 5. Elegantia capilli, venustas oris. *Id.* 13, 9, 18. Materies crispioris elegantiae, *h. e.* venis ligni crispioribus, et pulcris visu. *Id.* 16, 15, 26. Acer operum elegantia ac subtilitate citro secundum. *Id.* 21, 18, 69. Elegantia vitilium. *Id.* 26, 14, 89. Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit ladanum. *Cic. Fin.* 2, 9. Contemnit disserendi elegentiam: confuse loquitur. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. *ad f.* Hispaniarum Laletana *(vina)* copia nobilitantur: elegantia vero Tarraconensia. [*i. e. suavi sapore.] ℙ Saepissime ad dicendi nitorem, et pulcritudinem orationis refertur, *Auct. ad Her.* 4, 12. Elegantia est, quae facit, ut unumquidque pure et aperte dici videatur: haec distribuitur in Latinitatem et explanationem. *Cic. Or.* 2, 7. Catulo non solum nos Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere. [*ubi elegantia, quod in subtili verborum delectu posita est, non multum differt a subtilitate in scribendo opponiturque oratorio ornatui. Quod discas ex *Cic. Brut.* 75. Caesar ad hanc elegantiam latinorum verborum .... adjungit illa oratoria ornamenta dicendi.] *Id. Or.* 23. *sub f.* Elegantia et munditia orationis. *Quint.* 12, 9. Elegantia figurarum. ℙ In plurali num. *Gell.* 1, 4. Julianus rhetor veterum elegantiarum cura, et memoria multa fuit. *Id.* 2, 9. Vocum verborumque elegantias sectari. *Id.* 19, 4. Aristotelis libri, qui problemata inscribuntur, lepidissimi, et elegantiarum genus omne referti, *h. e.* quaestionum electarum et pulcriorum.

ĔLĔGATUS, i, m. piscis genus. *Auson. ep.* 4, 59. Urentes thynni, et male tecti spina elegati. *Turneb. adv.* 1, 23. legit *Elacati;* quem reprehendit *Scal. in not. ad Auson.*

ĔLĔGĬA, ae, f. *ἐλεγεία, ἐλεγεῖον,* carmen flebile ex alternis versibus hexametris et pentametris: ab *ἐ, ἐ,* he, he, interjectio dolentis, vox flentis, quae geminari solet, et *λέγω,* dico, vel ab *ἔλεγος,* luctus. ℙ *Callinus,* seu *Callinous* Ephesius primus elegiam scripsit, de quo multa docte commentatus est *Jo: Valent. Franckius* in *Dissert.* cui titulus *Callinus. Terent. de metr.* p. 2420. Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor: Quidam non dubitant dicere Callinoum. *Vet. Schol.* ad *Cic. Arch.* 3. (ed. *A. Maio*) Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Callinus. ℙ Elegia etiam in rebus laetis, levioribus tamen, usurpari coepit. *Hor. A. P.* 75. Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos. *Mart.* 5, 30. nec te facundi scena Catulli Detineat, cultis aut elegia comis. *Stat. Silv.* 1, 2, 7. Vultu petulans elegia, *scil.* quae lascivos amores tractat. ℙ *Elegia* quoque vocatur a quibusdam arundo obliqua, fruticis modo se spargens juxta terram. *Plin.* 16, 36, 66. Alii tamen rectius leg. *epigia; ἐπίγειος* enim est *humi repens.* ℙ Poetae saepe paenultimam, quae diphthongus est, solvunt, et quinque syllabarum vocem faciunt, *elegeia. Ov. Her.* 15, 7. Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen. *Id. Amor.* 3, 9, 3. Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos: Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit? [*V. *Interpp.* ad priorem locum.] ℙ Saepe etiam ut Dea, vel Musa, vel Nympha ab iis fingitur ac describitur, ut *Ov. Amor.* 3, 1, 7. et *Stat. l. c.* ℙ Scribitur etiam *elegea.* In plurali num. neutro genere Graeco more, *τὰ ἐλεγεῖα, Auson. Parental.* 29. accipe questus, Debent quos cineri moesta elegea tuo. Al. leg. *debet.* V. ELEGION. ℙ Fuit et *Elegia, ae,* Armeniae majoris civitas, quam praeterfluit Euphrates, occurrente illi apud eam Tauro monte, nec resistente, ut tradit *Plin.* 5, 24. Adde *Solin.* 37. (al. 50.)

ĔLĔGĬACUS, a, um, adj. ad elegiam spectans, ut Elegiacum carmen, apud grammaticos. *Diomed.* 3, 507. *Serv. in centimetr.* p. 1824., *Capell.* 5, 168. etc.

ĔLĔGĬDĀRĬUM, ii, n. idem quod elegidion. *Petr. Sat.* 109. Coepit capillorum elegidarion dicere.

ĔLĔGĬDĬON, ii, n. *ἐλεγίδιον,* dimin. ab *elegia. Pers.* 1, 51. Non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres.

ĔLĔGĬON, vel Elegeon pro elegidion, vel elegia, legitur ap. *Auson. epigr.* 94. in zona textum elegion erat. *Graeca positio.*

*ELEGIUM, i, locus Norici, hodie forsan vicus *Erlach. Tab. Peutinger. B. A.*

ĔLĔGO, as, a. 1. extra familiam lego, extraneis lego. *Petr. Sat. fragm. Trag. Burm.* 43. Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium elegavit.

ĔLĔGUS, i, m. *ἔλεγος,* versus elegiacus, elegia. *Hor. Od.* 1, 33, 2. neu miserabiles Decantes elegos. Adde *Ovid., Tibull., Prop. Tac.* etc., semper tamen in plurali numero.

ĔLĔIS, idis, f. *Ἠλητίς,* ad Elidem pertinens. V. in voce seq.

ĔLĔLĔĬDES, um, f. mulieres bacchantes: ab *ἐλελίζω,* clamo, vociferor. *Ov. Her.* 4, 47. Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actae. Alii leg. *Eleides,* ut sit adj. ab Elide urbe Peloponnesi, *Ἠλητίδες.* Quo sensu in *Catalect. Virg. ep.* 11, 32. Saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus.

ĔLĔLEUS, i, m. *ἐλελεύς,* trisyll. cogn. Bacchi: ab *ἐλελίζω,* vociferor clamore bellico. *Ov. Met.* 4, 15. Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Evan. ℙ Eleleus dicitur etiam Sol, ab *ἑλίσσω,* volvo, quia aeterno circa terram cursu volvitur. *Macr. Sat.* 1, 17., sed Graece.

ĔLĔLISPHACOS, i, m. *ἐλελίσφακος,* herba lente levior, et folio minore, sicciore, odoratiore. Ea est sativa. Est et alterum genus, silvestrius, odore gravi, haec mitior, folio mali cotonei effigie, sed minore, et candido. *Plin.* 22, 25, 71. [*Adde *ib.* 25, 10, 73. 26, 15, 89.] V. SALVIA.

ĔLĔMENTA, orum, n. plur. *στοιχεῖα,* sunt principia omnium rerum, ex quibus reliqua omnia componuntur, et in quae resolvuntur. Quibusdam dicta videntur, quasi *alimenta,* quia viventia aluntur iisdem, ex quibus componuntur, et in quae resolvuntur: vel potius derivanda ab inusit. *ἑλω* pro *εἴλω,* volvo. [*Heindorf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 26. commemorat ingeniosam viri cujusdam docti conjecturam, qui *elementa* a litteris *l m n* ita dicta censebat, ut nos dicimus *A B C.* Id quidem certum *elementa* prima significatione de litteris positum, tum vero metaphorica ad rerum principia translatum esse, plane ut Graecorum *στοιχεῖα.*] *Cic. Acad.* 1, 7. Ergo illa initia, ut e Graeco vertam, elementa dicuntur. *Senec. Ira* 2, 18. Cum elementa sint quatuor, ignis, aqua, aer, et terra, potestates pares his sunt, frigida, fervida, arida, atque humida. V. *eund. Q. N.* 3, 12, 13. et 14. [*Cod. Theod.* 9, 18, 6. Multi magicis artibus usi elementa turbare non dubitant.] ℙ [*Col. R. R.* 3, 10, 10. Sacra illa spiritus elementa cum terrenis primordiis miscuit (sc. deus). — Post haec ponendus videtur locus *Quint.* 3, 6. qui legitur infra § 6.] ℙ Item notae litterarum, quia sunt prima principia orationis. Nam ex litteris syllabae, ex syllabis dictiones, ex dictionibus oratio conficitur. *Quint.* 1, 1. [*ubi plene dicuntur: prima litterarum elementa.] cujus verba ita intelligere videtur etiam *Hieron. ep.* 107. *n.* 4. *Hor. Sat.* 1, 1, 26. pueris dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. ℙ Item prima principia artium, ut geometriae, dialecticae etc. Ex iis enim artes oriuntur, et in ea resolvuntur. *Cic. Acad.* 4, 28. *sub f.* Elementa loquendi. [*Cic. Orat.* 2, 11.] ℙ Translate. *Sil.* 3, 77. Vagitumque gravem, atque irarum elementa mearum. *Juven.* 14, 123. Elementa vitiorum. *Ov. Fast.* 3, 179. Parva fuit, si prima velis elementa referre, Roma. *Stat. Theb.* 6, 140. annorum elementa tuorum. ℙ Per metonymiam *elementa* dicuntur primi puerorum conatus in litteris. *Quint.* 1, 2. *ad f.* Vix enim se prima elementa ad spem tollere effingendae, quam summam putant, eloquentiae audebunt. ℙ De iis, quae logici *praedicamenta* vocant. *Quint.* 3, 6. *ante med.* Aristoteles elementa decem constituit, circa quae versari videatur omnis quaestio: *οὐσίαν,* qualitatem, quantitatem etc. ℙ In singulari numero *Juven.* 15, 86. *de igne:* elemento gratulor. *Plin.* 31, 1, 1. *de aqua.* Hoc elementum ceteris omnibus imperat. Adde 11, 36, 42. et 10, 69, 88. item 31, 7, 41., ubi etiam sal *elementum* vocat. [*Amm. Marc.* 17, 13, 15. Per elementum utrumque Sarmatas vincentium ira virtusque delevit, *h. e.* terra marique. Quem sequioris aetatis usum pluribus exemplis firmavit *D'Orvill.* ad *Charit.* p. 579. *Lips.*] ℙ De elementorum natura, et invicem conversione V. *Ov. Met.* 15, 239.

ĔLĔMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad elementum pertinens, ut elementarius puer, qui scil. prima litterarum elementa discit. Sic elementarius senex, quem turpem et ridiculam rem esse, scribit *Senec. ep.* 36. *Capitol. Pertin.* 1. Puer litteris elementariis, et calculo imbutus. [*V. *Barth* ad *Script. Ven.* p. 133. *Gesner.*]

ĔLĔMENTĪCĬUS, a, um, adj. elementarius. *Tertull. A.* 32. Ex elementiciis substantiis censeri.

ĔLENCHUS, i, m. *ἔλεγχος,* unio procerior, fastigata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinens. Hujusmodi suspendere digitis, et binos ac ternos auribus, feminarum gloria est. Cum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum. Haec *Plin.* 9, 35, 56. [*V. *Boettig.* de hac re disputantem in Sabina Tom. II. p. 56.] Hinc *Juven.* 6, 458. Auribus extensis, magnos commisit elenchos. *Paul. Dig.* 34, 2, 32. § 8. Cum inaures, in quibus duae margaritae elenchi, et smaragdi duo, legasset, etc. ℙ Item tabula, index libri, quia *ἔλεγχος,* specimen, documentum, indicem significat. *Post praef. Hist. nat. Plin.* C. Plinii Secundi historiarum mundi elenchos. Adde *Suet. Gramm.* 8., qui tamen locus dubiae est interpretationis.

ĔLENTESCO, is, n. 3. lentus et tener fio. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. Panis elutus, et expressus, ut suae densitatis positu elentescat.

[ĔLĔPHANTĀRĬUS, ii, m. qui elephantes curat, ut aviarius, qui aves, apiarius, qui apes. [*Nobis propria voce dicitur *der Kornak.*] *Inscr.* apud *Jo: Mengottium, de' Plestini Umbri p.* 22. A. Rovitio Geloti elefantario posuit, etc. Hic littera *f* est pro *ph,* ut saepissime in antiquis lapidibus sequioris temporis. *F.*]

ĔLĔPHANTĬA, ae, f. 1. idem quod elephantiasis, *Scrib. Comp.* 250. Hoc etiam lepram, et quam dicunt elephantiam, sanat.

ĔLĔPHANTĬĂCUS, a, um, adj. *ἐλεφαντιακός,* qui morbo elephantiae laborat. *Firmic. Mathes.* 8, 19. *ad fin.*

ĔLĔPHANTĬĂSIS, is, f. *ἐλεφαντίασις,* morbus hominum et armentorum, quo cutis maculatur, et inaequaliter crebris tumoribus exasperatur, similisque fit cuti elephanti, quae naturaliter dura et aspera est, ut *Veg. Veter.* 1, 9. docet. [*Adde *Veg.* 1, 16, 1.] Eum describit *Cels.* 3, 25., sed Graece appellat. Latine autem *Plin.* ipse quoque describens 26, 1, 5. Adde 20, 14, 52. et alibi. [*Apud *Veg. Vet.* 4, 3, 4. scribitur etiam *elephantiosis.* Ita certe edit. *Schneid.*]

ĔLĔPHANTĪCUS, a, um, adj. qui elephantiasi laborat. *Firmic. Mathes.* 8, 28.

ĔLĔPHANTĪNE, es, f. *ἐλεφαντίνη,* insula Nili, Aetiopiae vicina, et in ea urbs, quae elephantis a *Plin.* 5, 9, 10. et *Mela* 1, 9. dicitur. *Varr. R. R.* 1, 7., *Tac. A.* 2, 61.

ĔLĔPHANTĪNUS, a, um, adj. *ἐλεφάντινος,* qui est ex ebore, qui est dens elephanti: vel ebore distinctus et ornatus. *Vopisc. Tac.* 8. Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est, *h. e.* librum qui e tabellis eburneis totus constabat. V. PUGILLARES. ℙ Emplastri cujusdam compositio ex cerussa et oleo, quia percandida est instar eboris, *elephantina* dicitur a *Celso* 6, 19. *n.* 24. Praeterea atramentum ex ebore combusto ab Apelle inventum, *elephantinum* ab eo dictum est, uti narrat *Plin.* 35, 6, 25. ℙ Si reperias apud Latinos scriptores *elephantina pellis, caro,* aut quid simile, quod ad ipsam belluam pertineat, *elephantīnus* paenultima correpta efferes, quia non est hoc Latina ratione formatum, sed Graeca. *ἐλεφάντινος* autem paenultimam corripit.

ĔLĔPHANTĬOSUS, a, um, adj. elephantiacus. *Veg. Veter.* 1, 16., si sana ibi est lectio, et *Augustin.* 9. *de Genes. ad litt.* 10. *a med.*

ĔLĔPHANTĬS, idis, f. poetria, quae libellos scripsit, quibus varia genera concubitus complexa est. *Mart.* 12, 43. Nec molles Elephantidis libelli. Adde *Suet. Tib.* 43. [*V. *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Trist.* 2, 411. *Boettig.* in Sabin. Tom. II. p. 56.] ℙ Item Nili insula et urbs. *Plin.* 5, 9, 10. et *Vitr.* 8, 2. *a med.*

ĔLĔPHANTUS, i, m. et f. idem ac elephas, Latina forma. *Cic. N. D.* 2, 47. *extr.* Manus etiam data elephantis, etc. *Pl. Stich.* 1, 3, 14. Solere elephantum gravidam perpetuos decem esse annos. ℙ De elephantis funambulis V. in CATADROMUS. ℙ *Celerius elephanti pariunt,* proverb. cum res longius opinione protrahitur. *Plin. praef. Hist nat. ad fin.* Homeromastigas audio parturire adversus libellos, quos de grammatica edidi, et subinde abortus facere jam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant. ℙ Proverbii genus est et illud *Plauti Mil.* 2, 2, 80 Herus meus elephanti corio circumtentus est, non suo: Neque habet plus sapientiae, quam lapis, *h. e.* bardus et hebes est. Est enim illi belluae corium crassissimum, et impenetrabile. ℙ Metonymice pro ebore a poetis ponitur. *Virg. G.* 3, 26. In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto Gangaridum faciam. *Id. Aen.* 3, 464. Dona dehinc auro gravia, sectoque

elephanto. *et ib.* 6, 896. Candens elephantus. ℙ Sunt hoc nomine et marinae belluae. *Plin.* 9, 5, 4, et 32, 11, 53.

ĔLĔPHAS, antis, m. ἐλέφας, animal in Asia, et in Africa, omnium terrestrium maximum, idemque ingeniosissimum: ita appellatum fuit ab *Hebr.* אֶלֶף *eleph*, bos, et princeps, et prima alphabeti littera; est enim ob magnitudinem animalium princeps. Elephantes primum vidit Italia Pyrrhi regis bello in Lucanis, et boves Lucas nominavit. Duos habet dentes exstantes, vel potius cornua, quae ebur dicuntur, et ex quibus fiunt opera eburnea. Biennio utero gravescit, nec amplius, quam semel gignit, nec plures, quam singulos. Vivere dicitur annos CCC. Multa de eo *Plin.* 8, 1, 1. et deinceps. Primus fuit Pompejus, qui in circo elephantorum XVIII. pugnam edidit, commissis more proelii noxiis hominibus. *Senec. Brev. vit.* 4, 13. *Mart. Spect.* 17. Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat. *et* 19. Dum facilem tolli sic elephanta putat. Adde *Plin. init. lib.* 8., *Lucan.* 6, 208. *et* 9, 732., *Manil.* 4, 236., *Flor.* 4, 12., *Hor. Ep.* 2, 1, 196., *Senec. ep.* 85. *in fin.* etc. Qui putant hac forma usum etiam *Ciceronem de Sen.* 9., incerta lectione nituntur. ℙ *Elephas* etiam dicitur morbus, de quo in ELEPHANTIASIS dictum est, *Lucret.* 6, 1112. Est elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur Aegypto in media, etc. Adde *Seren. Sammon.* 10.

*ELETHI, orum, populus Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

ĔLĔVĀTĬO, onis, f. schema oratorium, species ironiae, qua rem aliquam dum videmur attollere, deprimimus et irridemus. *Quint.* 9, 2. *circa med.* Et illae elevationes, videlicet *O dii boni! Scilicet is Superis labor est:* et ille pro Oppio locus: *O amorem mirum! o benevolentiam singularem!* [*V. *Ern. Technol. Rhet. Lat.* p. 146.]

[ĔLĔVĀTUS, a, um, part. ab *elevo*, elatus. *Appul. Met.* 4. p. 143, 26. Lumbis elevatis in altum, pedum posteriorum calcibus jactatis in eum crebriter etc. *F.*]

ĔLĔVI. V. ELINO.

ĔLĔVĬES. V. ELUVIES.

ĔLĔVO, as, avi, atum; a. 1. ἐπαίρω, tollo, sursum levo: a *levo*, quod a *levis*. *Caes. B. C.* 2, 9. Quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. Et *mox.* Rursus summam contabulationem, storeasque elevabant. ℙ Item tollo, aufero, demo. *Colum.* 3, 21. Necesse est, ut aut serum fructum cum praecoque elevet, aut si maturitatem serotini exspectet, amittat vindemiam praecoquem. [**Gesn.* vult *levet.* coll. *Ulp. Pand.* 50, 15, 4, 3. Agri tributum in eam civitatem debet levari, in cujus territorio possidetur. Sed idem fortius exprimitur verbo compos.] ℙ Item leve reddo. *Claud. Eutrop.* 1, 295. Elevat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit. ℙ Translate minuo. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? *Cic. Tusc.* 3, 16. Nihil est, quod tam obtundat, elevetque aegritudinem, quam etc. ℙ Saepe est pondus, et auctoritatem alicui rei dicendo detrahere, leve, futile, vile esse ostendere, atque adeo minuere, extenuare. [*Opponitur verbo *elevare* hoc sensu posito *aggravare.* Cf. *Liv.* 6, 27, 3.] *Liv.* 3, 21. Mirer, si vana vestra ad plebem auctoritas est? Vos elevatis eam. *Cic. Amic.* 24. Multae causae suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. *Suet. Cal.* 8. Elevare rei alicujus fidem. *Liv.* 28, 42. praeclara facta alicujus. *Id.* 26, 51. famam captae urbis verbis. *Catull.* 24, 9. Abjicere et elevare aliquid. *Cic. Or.* 2, 56. *extr.* Erat tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo objectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur. [**Burm.* ad *Phaedr.* 3, 10, 7. *Drak.* ad *Liv.* 9, 37, 6.] ℙ *Elevare aliquem* est ejus dicta fidemque minuere et levem hominem esse ostendere. *Cic. Or.* 2, 58. Est plane oratoris movere risum, quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat. *Liv.* 26, 27. Elevabatur index, indiciumque: pridie eum verberibus castigatum ab dominis discessisse: per iram ac levitatem crimen commentum. *Prop.* 2, 24, 44. Elevat assiduos copia longa viros, *h. e.* viliores facit. [**Burm.* ad *Prop.* 1, 8, 12.] ℙ *Elevare perspicuitatem*, minuere. *Cic. N. D.* 3, 4. Si quid est evidens, argumentari non soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur.

ĔLĔUS, a, um, adj. Ἠλεῖος, ad Elidem pertinens, celebrem Peloponnesi urbem, in ora ejus occidentali sitam, in provincia cognomine, in qua, (vel prope quam) certamina Olympica, quinto quoque anno, tota affluente Graecia, cursu equorum, curruum, et hominum, lucta, disco, pugilatu etc. in honorem Jovis Olympici celebrabantur. *Virg. G.* 3, 202. Eleus campus. *Ov. Her.* 18, 166. Ut celer Eleo carcere missus equus. *Lucan.* 1, 264. Eleus sonipes. *Vet. poeta* ap. *Senec. Q. N.* 3, 1. Eleus amnis, *h. e.* Alpheus. Sic *Ov. Met.* 5, 576. Eleum flumen. *Stat. Th.* 2, 185. Eleae valles. *Senec. Agam.* 918. Elea palma. *Prop.* 3, 7, 17. Elea quadriga. Et 3, 1, 58. Jovis Elei carmen. *Val. Fl.* 4, 227. Eleus parens, *h. e.* Juppiter. *Stat. Silv.* 2, 6, 72. Eleum lustrum, *h. e.* quinquennium. ℙ *Elei, orum*, sunt Elidis populi. *Plin.* 10, 28, 40. V. ELIUS. ℙ Sunt qui scribunt *Elaeus*, sed minus recte. ℙ Hi ab Latinis scriptoribus quandoque dicuntur Alii. V. ALII.

*ELEUSA, ae, f. insula prope Achaiam, contra Spiraeum promontorium, in sinu Saronico. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ĔLEUSĪNĬUS et Eleusinus, a, um, adj. *Eleusinia* sunt sacra Cereris, de quibus V. ELEUSIS. *Tertull. Apol.* 7. et *adv. Valent.* 1. ℙ Eadem *Justin.* 2, 8. Eleusina sacra vocat. ℙ *Eleusina mater* est Ceres. *Virg. G.* 1, 163. Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra. *Vitr. praef.* 7. *ad f.* Eleusina Ceres.

ĔLEUSIS et Eleusin, inis, f. Ἐλευσὶν et Ἐλευσῖς, oppidum marit. Atticae inter Megaram, seu Nyssaeam urbem, et Piraeeum portum Atheniensium, in quo regnavit Eleusius, (al. Celeus. V. *Ov. Fast.* 4, 507. et sequentib.) qui cum Cererem filiam quaerentem liberalissime hospitio suscepisset, illa pro munere ostendit ei omne genus agriculturae, filium etiam ejus Triptolemum modo natum per noctem igne fovit, per diem divino lacte nutrivit, cumque grandiusculus factus esset, curru suo, quem alati trahebant serpentes, impositum per totum orbem misit ad usum frumentorum hominibus indicandum. Ob hujus beneficii memoriam Cereri templum dedicatum fuit, et solemnia sacra instituta, quae sacra Eleusina, et Thesmophoria appellabantur, in quibus matronae in curribus per jocum sibi mutuo, et libere conviciari solebant. Rectius fortasse oppidum illud ita fuit appellatum ἀπὸ τῆς ἐλεύσεως, ab adventu, quia Ceres, post errores in quaerenda filia, huc tandem veniens conquievit. *Hygin. fab.* 157. et *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 163. et alibi. *Ov. Her.* 4, 67. Cerealis Eleusin. *Cic. N. D.* 1, 42. Omitto Eleusina sanctam illam et augustam, ubi etc. [*In accusativi forma h. l. codd. admodum variant; alii habent *Eleusinam*, alii *Eleusinem*, quod fortasse probandum, quum constet, accusativi formam in *a* exeuntem aureae aetatis scriptoribus non valde probatam fuisse. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 35, 29. *Drak.* ad *Liv.* 31, 25, 2. Cf. *Ramsh. Lat. Gr.* §. 28. *n.* 3. p. 44. sq.] ℙ Apud *Sidon. carm.* 9, 178. Eleusin est ipsa Ceres, ℙ In recto casu apud *Ov.* al. leg. *Eleusis*, quod agnoscitur etiam a *Prisciano* 6. p. 689., sed alterum est frequentius.

*ELEUTHERAE, arum, oppidum Boeotiae, inter Megaram ac Thebas, ex quo Myron ille, bucula tantopere nobilitatus, ortum traxisse fertur. *Plin.* 4, 7. et 34, 8. *B. A.*

*ELEUTHĔREUS, ei et eos, m. Ἐλευθερεύς, qui ex urbe Eleutheris est, vel ad Eleutheras pertinens. Eleuthereus audit Lycius statuarius, eo quod ex Eleutheris oriundus est. *Plin.* 34, 8. ed. *Hard.* ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Buthyreus. B. A.*

*ELEUTHĔRI, orum, (ἐλεύθεροι, i. e. liberi,) ut *Eleutheri Cadurci* ap. *Caes. B. G.* 7, 75. *B. A.*

ĔLEUTHĔRĬA, orum, n. plur. ἐλευθέρια, solemnia libertatis. Graeca vox, ab ἐλεύθερος, liber. *Pl. Pers.* 1, 1, 29. Basilice ago eleutheria. ℙ *Eleutheria, ae*, f. est ipsa libertas vel libertatis Dea. *Id. Stich.* 3, 1, 21. Volo me Eleutheriam capere advenientem domum. [*V. *Spanh.* de praest. num. diss. 9. p. 674.]

[ĔLEUTHĔRIS, idis, f. et Eleutherus, a, um, adj. ἐλεύθερις et ἐλεύθερος, liber, ra, rum. Est cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Grut.* 612, 11. Acilia Eleutheris. Alia apud *Murat.* 1110, 2. L. Secundius Eleutherus. Et apud *Maff. Mus. Ver.* 154, 10. Gavia L. L. Eleuthera. *F.*]

ĔLEUTHĔRIUS, ii, m. Ἐλευθέριος, hoc cognomine Athenis colebatur Bacchus, qui ideo a Latinis Liber dicitur: illius templi originem narrat *Pausan.* 1, 20. Is tamen ab eodem Ἐλευθερεὺς appellatur. *Arnob.* 6. p. 207. Ubi Liber Eleutherius fuit, cum ejus fanum eadem vis flammae Athenis deleret? ℙ *Eleutherium, ii*, n. monile, ornamentum colli, insigne libertatis. *Gloss. Philox.* Eleutherium, κάθεμα, περιδέραιον. *Not. Tir.* p. 161. Cylindri, catellae, eleutherium.

*ELEUTHERNAE, arum, oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12. V. *Chishul.* p. 123. *B. A.*

*ELEUTHĔROCĬLĬCES, um, m. plur. populi Ciliciae, ita appellati ab ἐλεύθερος, liber, quia in Cilicia liberi a regum legibus vivebant. *Cic. Att.* 5, 20. Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit (feri homines et acres, et omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus vallo, et fossa. Adde *Fam.* 15, 4. *B. A.*

*ELEUTHĔRUS vel Eleuthĕros, i, m. Ἐλεύθερος, flumen juxta Orthosiam urbem, quae erat in radice Libani montis. *Plin.* 9, 10. Testudines in Phoenicio mari ultro veniunt, statuto tempore anni in amnem Eleutherum effusa multitudine. ℙ Notabile est (ait *Gesnerus*) nomen *Eleud* testudinem significare Arabibus: unde forte ipsi fluvio nomen. *B. A.*

[ĔLEUTHĔRUS. V. ELEUTHERIS. *F.*]

ĔLĬACUS. V. HELIACUS.

ĔLĬAS, ădis, f. patronym. Ἠλιάς, ad Elidem pertinens, regionem Peloponnesi, et urbem cognominem, in quam equas optimas mittebat Epirus ad promerendas palmas in ludis Olympicis. *Virg. G.* 1, 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabaei: Eliadum palmas Epiros equarum.

[ĔLĪBĔRO, as, a. 1. idem ac libero vel multum libero. *Not. Tir.* p. 57. Liberat, eliberat. *F.*]

*ELIBERRI, vicus Galliae, olim civitas haud parva, in Gallia Narbonensi, ad Pyrenaeos montes, hodie *Elne. Mela* 2, 5. *extr.* ℙ *Illiberis* audit *Plin.* 3, 4. et *Illiberi Liv.* 21, 24. *B. A.*

*ELICE, es, f. Ἑλίκη, oppidum Achaiae. *Plin.* 2, 92. Audit et *Helice.* V. *Helice. B. A.*

ĔLĪCES, um, m. plur. ἀγωγοί, sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris, ut *Fest.* definit: ab *elicio*, extraho. [**Serv.* ad *Virg. Georg.* 1, 109. Elices, sulci ampliores, ad siccandos agros ducti.] *Colum.* 2, 8. Sulcos aquarios nonnulli elices vocant. *Id.* 11, 2. *a med.* Elices sulcosque aquarios convenit facere. *Plin.* 10, 11, 59. Elices inducunt aquas. [*V. *Salm.* ad *Script. Hist. Aug.* p. 439. ad *Solin.* p. 512.]

*ELICHRYSUM, i, n. herba umbellifera. *Plin.* 21, 25. V. *Heliochrysos.*

ĔLĪCĬO, is, icui, et exi, icitum, a. 3. ἐξάγω, educo, extraho: ab *e*, et *lacio. Cic. Tusc.* 1, 48. Iphigenia Aulide duci se immolandam jubet, ut hostium sanguis eliciatur suo. *Id. N. D.* 2, 60. Itaque ad pingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta est manus admotione digitorum. Et *ib.* E terrae cavernis ferrum elicere. Et 9. Lapidum conflictu elici ignem videmus. *Id. Senect.* 15. Terra elicit ex semine herbescentem viriditatem. *Tac. A.* 12, 47. Elicere cruorem ictu. *Plin.* 25, 11, 89. sudorem. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 2. alvum, *h. e.* solvere, subducere. *Id.* 35, 15, 51. purgationes feminarum. *Stat. Achill.* 1, 186. *de Chirone.* Elicit extremo chelyn, et solantia curas Fila movet. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. Si macra vitis idoneos palmites non habeat, ad terram recidi eam, novosque elici utilissimum. ℙ Translate est evocare, adducere, inducere, extrahere. *Liv.* 5, 15. Causatus, de portenti procuratione consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. *Cic. Or.* 1, 21. Cum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de ratione dicendi. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 2. Elicere aliquem blanditiis ad judicium. *Liv.* 23, 27. hostem ad certamen. *Caes. B. G.* 7, 32. hostem ex paludibus et silvis. Et *ib.* 5, 48. in aliquem locum. Et *ib.* 6, 7. hostes citra flumen. Et *Hirt. B. G.* 8, 12. hostes in insidias. *Tac. A.* 15, 13. in proelium. *Liv.* 2, 62. ad proelium. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 31, 7.] *Cic. Balb.* 9. Propositis praemiis elicere ex civitatibus sociorum fortissimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula. *Pl. Men.* 5, 6, 3. Elicere aliquem foras. *Tac. A.* 2, 42. aliquem litteris arcessere, sed astu tamen quodam, ac dolo: qua ratione etiam *Id. ib.* 14, 4. locutus est. *Cic. Att.* 7, 12. Velim mihi ignoscas, quod ad te scribo toties: tuas enim volo elicere litteras. Et 1. *a med.* Dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. *Liv.* 40, 23. Fide data, arcana ejus elicuit. *Cic. Brut.* 80. Ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet. *Curt.* 8, 5. *sub f.* Elicere iram alicujus. *Liv.* 8, 28. misericordiam. [*V. *Drak.* ad h. l.] *Tac. A.* 16, 14. cupidinem. Et *ib.* 4, 45. veritatem, *h. e.* extorquere. Et *ib.* 15, 53. favorem vulgi. *Pl. Trin.* 2, 2, 13. lacrimas. [**Paull. Sent.* 1, 12, 6. Elicere rescriptum.] *Hor. Od.* 4, 12, 17. Nardi plenus onyx eliciet cadum, *h. e.* efficiet, ut ego promam cadum. ℙ Item eruere, investigare, invenire. *Cic. Div.* 1, 8. Quis igitur elicere causas praesensionum potest? *Liv.* 1, 20. *extr.* Elicere procurationes prodigiorum ex mentibus divinis. ℙ Ponitur et pro emittere, effundere, edere. *Cic. Coel.* 24. *sub f.* Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? *ejiciat* est unus et alter qui malit: [*Recte tamen *eliciat* servavit *Orell.* Recte *Schütz.* in Ind. interpretatus est, quanquam quae ultimo loco scripsit non probo.] ut et in illo *Tusc.* 2, 24. Fauces, e quibus elici vocem, et fundi videmus. ℙ Est etiam verbum magicum, cum Manes aut Deos certa prece, certoque ritu sacri evocabant, exciebantque, consulendi causa de re arcana, aut veneficii faciendi. *Ov. Fast.* 3, 327. et *Plin.* 28, 8, 27. Elicere Deos coelo. *Arnob.* 5. p. 154. Jovem ad terras. *Cic. Vatin.* 6. animas inferorum. *Tibull.* 1, 2, 45. manes sepulcris. Adde *Hor. Sat.* 1, 8, 29., *Lucan.* 6, 733., *Tac. A.* 2, 28. et *Stat. Theb.* 4, 478. ℙ Elicere fulmina est precibus et sacris quibusdam impetrare, ut coelo decidant. *Plin.* 28, 2, 4. V. etiam 2, 35, 36. ℙ Part. *Eliciens* ap. *Suet. Cal.* 10. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium cogentiumque se ad querelas. ℙ *Elexi* in praeterito pro *elicui* habet *Ar-*

nob. l. c. ℙ [*Confunduntur *Elicere* et *dicere. Drak.* ad *Liv.* 9, 43, 8. — et *educere*, *allicere. Id.* ad *Liv.* 34, 14, 4.]

ĒLĪCĪTUS, a, um, part. ab *elicio*, extractus, expressus. *Vell.* 2, 104. Elicitae gaudio lacrimae. *Stat. Theb.* 4, 414. Manes limite mortis eliciti. *Lucan.* 9, 932. Virus elicitum, jussumque exire, *h. e.* incantamentis evocatum.

ĒLĪCĬUS, ii, m. cognomen Jovis, ab eliciendo, quod eum coelo Numae rogatu Picus et Faunus quadam die elicuere, ut doceret ritum pianli fulminis. *Ov. Fast.* 3, 327. Eliciunt coelo te, Juppiter: unde minores Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant. [*ad quem loc. *Burm.* dissertationem suam de Jove Fulgeratore c. 9. laudat.] *Liv.* 1, 20. *extr. de Numa.* Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit. Adde *Varron. L. L.* 5. *sub f.* et *Plin.* 2, 53, 54.

*ĒLĬDENSIS, e, adj. ad Elidem pertinens Peloponnesi urbem. *Gell.* 2, 18. *in.* Phaedon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit. *B. A.*

ĒLĪDO, is, isi, isum, a. 3. *ἐκθλίβω*, frango, confringo, perstringendo effringo: ab *e*, quod hic est valde, et *laedo.* [*Non recte ab hac significatione initium fecit *Forc.*] *Varr. R. R.* 1, 47. Elidere herbas. [**Schneid.* edidit *eligere.* Eademque varietas est ap. *Cic. Tusc.* 3, 34. V. infra §. 5. Adde ad defendendum usum vocis *elidere. Ov. Fast.* 4, 371. Candidus elisae miscetur caseus herbae.] *Caes. B. C.* 3, 27. Tempestate naves eliduntur. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 46. Elidam caput, nisi auscultas. *Id. Mil.* 2, 2, 12. Elidere alicui talos. *Id. Rud.* 3, 2, 45. Jube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui. i. e. eruere. [*V. *Muncker.* ad *Hyg.* p. 123.] *Curt.* 9, 7. *sub f.* Elidere aliquem stipite. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 154. In fauces invadere, animamque elidere alicui. *Virg. A.* 8, 288. *de Hercule.* Ut prima novercae Monstra manu, geminosque premens eliserit angues. *Ov. Met.* 12, 142. Vincla trahit galeae, quae presso subdita mento Elidunt fauces. [*V. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 4, 371.] *Plin.* 8, 11, 11. Elephantus corruens pondere draconem elidit. *Stat. Theb.* 5, 394. Fulmen elidit nubes. *Ov. Her.* 12, 121. Complexos utinam Symplegades elisissent. *Id. Pont.* 4, 9, 21. Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem, *h. e.* comprimerer, et paene suffocarer. [**Flor.* 3, 3, 17. Elidere infantes, *h. e.* enecare.] *Cels.* 1, 7. et *Plin.* 25, 3, 7. Elidere partus, *h. e.* aboriri facere. *Cels.* 5, 28. *n.* 1. et 4, 4. *n.* 1. Elidere spiritum. ℙ Ponitur et pro elicere, excutere, exprimere. *Plin.* 11, 37, 76. Ossa ursis in tanta duritia, ut ignis elidatur, velut e silice. *Id.* 18, 35, 84. Lumina cum ex sese flammas elidunt. *Id.* 31, 1, 1. Quae causa fulmina elidit. ℙ Item pro edere, emittere, ut *elidere sonum*, quia sonus fit collisu corporum. *Cels.* 4, 4. *n.* 2. Propter angustias, per quas spiritus evadit, sibilum elidit. *Senec. Oed.* 734. Lituus aduncо stridulos cantus elisit aere. *Plin.* 11, 51, 112. Elephas citra nares, ore ipso sternutamento similem elidit sonum; per nares autem, tubarum raucitati. *Id.* 14, 22, 28. Nihil ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse. ℙ *Elidere colores* est repercussu emittere. *Id.* 37, 9, 52. Irides, gemmae, colores non nisi ex opaco reddunt, nec ut ipsae habeant, sed ut repercussu parietum elidant. Sic *Lucr.* 4, 294. Imago planitiem ad speculi veniens recta retrorsum eliditur, *h. e.* repercussa redit, reflectitur. ℙ [*Item dejicere. Quo sensu positum videtur apud *Veg. Vet.* 3, 17, 2. Jumentum pridie temperabis a cibo, in loco molli elides, caputque ejus apte collocabis. sc., explicante *Gesnero*, dejici vult jumentum, ut minus reluctans tanto facilius curari possit. Saepissime ita ponitur a serioris aetatis scriptoribus. *August. Conf.* 4, 1. Salubriter prostrati et elisi. V. multa exempla apud *Munck.* ad *Hyg.* cap. 38. ad *Fulg.* p. 758.] ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 2, 11. Poetae nervos omnes virtutis elidunt, *h. e.* frangunt, et infirmant. *Id. Tusc.* 5, 6. Qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem non esse miserrimus? *h. e.* angitur, opprimitur, obruitur. Et *ib.* 3, 34. Stirpes aegritudinis, ipso trunco everso, omnes elidendae sunt. Et *mox.* Hae sunt illae fibrae stirpium persequendae, et omnes elidendae. Al. utroque loco leg. *eligendae.* [*Ad vulgatam lectionem defendendam *Ern.* in *Clav.* affert *Virg. Georg.* 2, 11. 2, 407. 5, 6. Adde quod *Varr. R. R.* 1, 47. elidere herbas dixit. Herbas eligere, quod legitur ap. *Coll.*, significat legendo evellere. Illud autem, ut fortius, l. d. praeferendum.] V. ELIGO. *Hor. Ep.* 1, 15, 6. Elidere morbum, *h. e.* ejus vim frangere, dissipare, tollere. *Cels.* 4, 4. *n.* 3. Tussis, cum vetus facta est, vix eliditur. Et 6, 6. *n.* 37. Difficillime genus id imbecillitatis eliditur. [*V. *Munck.* ad *Lact. Narr. fab.* p. 835.] *Paul. Dig.* 2, 14, 27. Pactus, ne peteret, postea convenit, ut peteret: prius pactum per posterius elidetur, *h. e.* vincetur, abrogabitur. ℙ *Elidere litteras* apud grammaticos est veluti comprimere, exprimere, et excludere. *Gell.* 5, 12. Quod est in elisis, aut immutatis quibusdam litteris *Jupiter*, id plenum atque integrum est *Jovispater. Id.* 16, 5. *Vetus* ab aetatis magnitudine compositum elisumque est, *h. e.* quasi *ve aetas.* ℙ Part. *Elidens* ap. *Senec. Herc. fur.* 221. Et tumida tenera guttura elidens manu. *Elisurus* ap. *Curt.* 9, 7. Elisurus eo stipite victum, ni prohibitus esset a rege. ℙ [*Confunduntur *Elidere*, *allidere* et *eludere.* V. *Schneid.* ad *Col. R. R.* 4, 20, 2.]

ĒLĪGO, is, egi, ectum, a. 3. *ἐκλέγω*, deligo, seligo, lego, opto. *Cic. Div. Verr.* 14. Facere alicui potestatem et optionem, ut eligat, utrum velit. *Tac. H.* 1, 12. Permittere alicui arbitrium eligendi. *Ov. Met.* 14, 135. Elige, quid optes: optatis potiere tuis. *Cic. Phil.* 10, 2. Permitto, ut de tribus eligas, quem velis. *Id. Phil.* 3, 1. Ex malis eligere minima. *Id. Inv.* 2, 2. A multis eligere commodissimum quodque. [**Papin. Dig.* 17, 1, 57. Non oportet eum, qui certi hominis fidem eligit, affici damno. *Hermog. Dig.* 5, 1, 53. Si quis fidem alicujus elegerit, ut numis ejus redimatur, contractus fidem detegendi servo potestas tributa est.] *Curt.* 8, 4. Eligere locum morti. *Nep. Con.* 4. aliquem ad dispensandam pecuniam. [**Vopisc. Aurel.* 14. Ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt. V. *Drak.* ad *Liv.* 42, 32, 1.] *Plin.* 23, 4, 39. Oleum eligitur in cibos. *Varr. R. R.* 1, 54. Uva non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum. *Tac. Agr.* 9. *sub f.* Haud semper errat fama: aliquando et eligit. ℙ [*Eligere pedes e collo, est collum pedibus purgare. *Varr. R. R.* 3, 9, 14. E capite et e collo crebro eligendi pedes.] ℙ *Eligere herbas* aliquando est legendo evellere, eruere. *Colum.* 4, 5. Herbas et praecipue gramina exstirpare, quae nisi manu eliguntur, et in summum rejiciuntur, quantulacumque parte obruta sunt, reviviscunt. *Cic. Tusc.* 3, 34. Stirpes aegritudinis eligere. Al. leg. *elidere:* quod minus placet. [*V. quae supra scripsimus.] ℙ Part. *Eligens* ap. *Justin.* 26, 1. Honestiorem viam eligentes. *Electurus* ap. *Liv.* 40, 35. Loca pacata me ad hibernacula electurum. *Eligendus* ap. *Cic. Am.* 17. Sunt igitur firmi, et stabiles, et constantes amici eligendi. ℙ [*Saepe confunduntur *Eligere* et *deligere.* Sed haec ita sunt diversa, ut *deligi* dicatur is qui ex pluribus et idoneis, *eligi* qui ex promiscua multitudine legitur, quae verba sunt *Heusing.* ad *Corn. Ages.* 1, 3. Adde *Matth.* ad *Cic. Mil.* 8. Porro confunduntur *Eligere* et simplex *legere. Tzschuk.* ad *Eutr.* 1, 2. *Drak.* ad *Liv.* 29, 22, 12.]

ĒLĪMĀTĬO, onis, f. purgatio: a *lima.* Translate. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 11. Elimatio carnis, *h. e.* detractio. *Justin. praef.* 3. *de emendat. Cod.* Constitutiones nocte obscuritatis obductas, nova elimationis luce detegere.

ĒLĪMĀTOR, oris, m. qui elimat et purgat: a *limus. Tertull. adv. Marc.* 4, 35. Christus elimator humanarum macularum.

ĒLĪMĀTUS, a, um, part. ab *elimo*, expolitus, lima abrasus. *Plin.* 34, 18, 50. Alii elimatam scobem in fictili crudo coquunt. Ita edit. vet. anni 1470 et 1472. Aliae cum *Harduino* limatam. ℙ Translate *Cic. Acad.* 4, 20. Rationes latiore specie, non ad tenue elimatae. *Gell. praef. a med.* Qui nullis inter ejusdem Musae aemulos certationibus disceptationibusque, percunctando, scribendo, elimati sunt, *h. e.* eruditi, edocti, politi. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. Elimatae vires, *h. e.* deminutae. ℙ A *limo* purgatus. Translate. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. *in f.* Ubi anima meruerit contagione vitiorum penitus elimata purgari.

*ĒLĪMĒA, ae, f. sc. regio vel terra, pars Illyridis Graecae fuit, postea Macedoniae. *Liv.* 31, 40. 42, 53. et 43, 21. *Elimiotis* audit *Liv.* 45, 30. *B. A.*

[*ĒLĪMES, inis, adj. omn. gen. qui extra limites, seu fines nostros habitat. *Gloss. Philox.* Elimes, *ἄποικος*, *παρόριος. F.* et *B. A.*]

ĒLĪMĪNĀTUS, a, um, part. ab *elimino*, limine, seu patria pulsus. *Sidon. ep.* 4, 10. Soli patrii finibus eliminatus.

ĒLĪMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκβάλλω*, extra limen ejicio, excludo. *Pomp.* apud *Non.* 1, 179. Eliminabo extra aedes conjugem. *Pacuv. ib.* Me miseram! quonam clam vos eliminat? ℙ Et tacito accus. (qui tamen facile subintelligitur) more neutrorum, pro exire. *Enn.* ap. *eund.* 4, 156. Antiqua, herilis fida custos corporis, Quid sic extra aedes exanimata eliminas? *Accius ib.* Egredere, exi, effer te, elimina urbe. ℙ Translate ponitur pro enunciare. *Hor. Ep.* 1, 5, 25. Ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminet. ℙ *Quint.* 8, 3. ubi ex *Accio* refert *gradus eliminat*, (hoc est, ut videtur, effert pedem e limine) hoc verbum recenset inter ea, quae novata a poetis, vix usu recepta sunt.

ĒLĪMO, as, avi, atum, a. 1. *καταῤῥινάω*, lima abrado, polio. *Ov. Met.* 4, 176. graciles ex aere catenas, Retiaque et laqueos, quae lumina fallere possint, Elimat. ℙ Translate est absolvere, perficere. *Gell.* 17, 10. Petivit a suis amicissimis, ut Aeneida, quam nondum satis elimasset, adolerent. *Atticus* ap. *Cic. Att.* 16, 7. Velim *σχόλιον* aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. [**Cic. Ac. pr.* 2, 20. Rationes latiore specie, non ad tenue elimatas, i. e. non nimis subtiliter elimatas.] *August. contra Acad.* 2, 7. Elimare animum. ℙ *Elimare dentes* est dentifricio uti ad eos purgandos a sordibus, quae limi instar, inter edendum, iisdem adhaerescunt. *Tertull. Poen.* 11. Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis. V. DENTIFRICIUM.

[ĒLĪMPĬDO, as, avi, atum, a. 1. purum et limpidum reddo. *Veg. Veter.* 2, 27. Hoc collyrium omnia vulnera elimpidat, atque persanat. *Id. ib.* 4, 24. Tetrapharmacum, quod facit ad omnia vulnera elimpidanda et velocius curanda. *Id. ib.* 1, 26. Et cum bene elimpidaveris. *F.*]

ĒLĪNGO, is, a. 3. idem quod lingo. *Plin.* 25, 13, 97. Hac commanducata, si oculus subinde elingatur, plumbum, quod genus est vitii, ex oculo tollitur.

ĒLĪNGUĀTUS, a, um, part. ab *elinguo*, lingua privatus. *Front. de differ. verb.* p. 2200. Elinguis habet linguam, sed usu ejus caret: elinguatus amisit.

ĒLĪNGUIS, gue, adj. *ἄγλωσσος*, *ἄφωνος*, qui mutus est, et loqui non potest, etiamsi linguam habeat. *Cic. Fl.* 10. Convicit et elinguem reddidit. *Id. in Senat.* 3. Mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. [**Id. Brut.* 26. Fannius nunquam habitus elinguis, i. e. indisertus.]

ĒLĪNGUO, as, avi, atum, a. 1. *ἀπογλωττίζω*, linguam extraho, lingua privo. *Pl. Aul.* 2, 2, 72. Si ego te elinguandam dedero usque ab radicibus.

ĒLĪNO, is, evi, ĭtum, a. 3. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 273. Si hic vestimenta elevit luto. *Nonius* exponit, maculavit.

ĒLĪQUĀMEN, inis, n. *ἐκχυλισμὸς*, quod eliquatum est ex re aliqua, ut ex carnibus, aut piscibus. *Colum.* 9, 14. Ut sunt salsamenta et eorum omnia eliquamina.

ĒLĪQUĀTĬO, onis, f. actus eliquandi. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 32. Cujusque materiae corporis immoderata eliquatio, *h. e.* dissolutio.

ĒLĪQUĀTUS, a, um, part. ab *eliquo*, liquidus et mundus factus. *Colum.* 12, 27. Vinum a faecibus eliquatum. Et 19. Donec videbitur eliquatum omni faece mustum carere. *Senec. Q. N.* 3, 26. *a med.* Fons foeda quaedam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatusque est.

ĒLĪQUESCO, is, n. 3. liquidus fio. *Varr. R. R.* 1, 55. Olea, ut ava, per idem bivium redit in villam. Alia ad cibum eligitur, alia, ut eliquescat, *h. e.* in oleum exprimatur. Simile est illud *Colum.* 3, 2. Vitis vel ad escam, vel ad effusionem deponitur.

ĒLĪQUĪUM, ii, n. [*ἔκχυσις.] quod eliquatur: a *liquo. Solin.* 18. Sinus mediterraneos esse eliquia irrumpentis oceani. [**Salm.* p. 151. ita interpretatur: maria ex oceano arctis faucibus terras intrantia quasi colari.] ℙ Item defectus, deliquium: a *linquo. Id.* 23. *extr.* Meatus oceani commoveri lunae cursibus: adeo ut vicissitudines inter maciem aquarum, et plenitudinem, respiciant adauctus ejus, vel eliquia.

ĒLĪQUO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκτήκω*, ad liquidum purgo, liquidum reddo, percolo. *Colum.* 12, 12. Cum saepius coelestem aquam in alia vasa transfuderint et eliquaverint. Et 50. Cum paululum in labris primis constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debebit, et deinde in sequentia usque ad ultima: nam quanto saepius translatione exercetur, tanto fit liquidius, et amurca liberatur. ℙ Item effundo res liquidas. *Appul. Met.* 10. p. 253, 27. Mons fluviales aquas eliquans. *Id. ib.* 1. p. 103, 11. *de equo.* Quoad lassitudinis incommodum alvi solitum ac naturale praesidium eliquaret. Lege *residuum.* ℙ Translate. *Pers.* 1, 34. vatum et plorabile si quid Eliquat et tenero supplantat verba palato, *h. e.* delicate et molliter pronunciat, et quasi eliquando, paulatim et veluti guttatim vocem effundit. ℙ Liquefacere. *Prud. Hamart.* 260. Eliquare metalla.

ĒLIS, idis, f. *Ἦλις*, regio Peloponnesi, inter Arcadiam, et Achaiam, et mare Ionium, (quae nunc *Belvedere*) cum urbe cognomine, celebri certaminibus Jovis Olympici. *Nep. Alc.* 4. Inde primum Elidem, deinde Thebas venit. *Plin.* 2, 71, 73. et 7, 20, 20. Ex Sicyone Elin mille et ducenta stadia novem diei confecit horis. *Val. Fl.* 1, 389. Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon. *Stat. Silv.* 2, 6, 47. talem Ledaeo gurgite pubem Educat Eurotas: teneri sic integer aevi Elin adit, *h. e.* init certamina Olympica: synecdoche. ℙ *P. Victor.* discrimen esse vult inter urbem, et regionem, quod illa frequenter non crescat in obliquis, haec crescat. Itaque legit apud *Cic. Fam.* 13, 26. *M. Mindio*, *qui Eli negotiatus est.* Et *N. D.* 3, 23. *Venus prima, cujus Eli delubrum videmus.* Sed alii utroque loco *Elide* reponunt. Quod si in accusativo *Elin* dictum fuit, hoc est ideo, quia hujusmodi nomina in eo casu duplicem

terminationem habent. [*Cf. quae s. v. *Eleusis* dicta sunt.]

ĒLĪSIO, onis, f. actus elidendi. *Senec. ep.* 99. *a med.* Hae lacrimae per elisionem cadunt, nolentibus nobis, *h. e.* per compressionem, et expressionem. V. integrum loc. ℙ Apud grammaticos *elisio* litterae est, cum littera excluditur, ut fit in syncope, vel cum vocalis a vocali absorbetur. V. ELIDO.

ĒLISSA, ae, f. Ἔλισσα, eadem quae Dido: de qua V. suo loco. *Virg. A.* 4, 335. nec me meminisse pigebit Elissae. ℙ Scribitur et *Elisa:* sed *Elissa* praeferunt *Heins.*, *Dausqu.* et alii ex constantia MSStorum.

ĒLISSAEUS, a, um, adj. ad Elissam pertinens: et ponitur pro Carthaginiensi, quia Elissa Carthaginem condidit. *Sil.* 6, 346. Elissaei patres. *Id.* 2, 239. Elissaeus tyrannus, *h. e.* Annibal. *Id.* 15, 524. Spicula Elissaeis nuper contorta lacertis. ℙ Scribitur et *Elisaeus.* V. vocem praeced.

ĒLISUS, a, um, part. ab *elido*, ἐκθλιμμένος, compressus, effractus, suffocatus. *Curt.* 9, 2. Flumina in angustiorem alveum elisa, torrentes aquas invehunt. *Virg. A.* 8, 260. Corripit in nodum complexus, et angit inhaerens Elisos oculos. [*i. e. effossos.] *Ov. Met.* 14, 738. Atque onus infelix, elisa fauce, pependit. *Id. Fast.* 4, 371. Candidus elisae miscetur caseus herbae. [*i. e. compressae.] Al. leg. *elixae. Id. Met.* 15, 338. Undae elisae. *Prop.* 4, 6, 73. Vinaque fundantur prelis elisa Falernis. [*i. e. expressa.] *Suet. Tib.* 39. Ingentia saxa desuperne delapsa, multique elisi. [*i. e. suffocati.] *Sen. Troad.* 1111. Ossa gravi casu elisa. *Id. Agam.* 495. Nube dirum fulmen elisa micat. *Virg. A.* 3, 567. Ter spumam elisam, et rorantia vidimus astra, *h. e.* exclusam, expressam. *Servius.* ℙ [*Item fractus, confectus. *Lact. Plac. Narr. fab.* 2. p. 835. Aeson senectute elisus. Ubi v. *Munck.* p. 835.] ℙ Comprimendo emissus. *Ov. Met.* 6, 696. Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes. *Val. Fl.* 4, 663. Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem Lux dirimit. Sic *Lucan.* 7, 475. stridulus aer Elisus lituis. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Vox ultra vires urgenda non est: nam et suffocata, et majore nisu minus clara est: et interim elisa, in illum sonum erumpit, cui Graeci χλωσμὸν nomen a gallorum immaturo cantu dederunt, *h. e.* cum conatu emissa. V. Alia hujus rationis in ELIDO. ℙ Item repercussus, reflexus. *Lucr.* 4, 314. de speculo in speculum transfertur imago: Inde ad nos elisa bis advolat. Et 299. et elisam retro sese exprimat ipsa. ℙ *Elisa littera* apud grammaticos est extrita, exclusa. V. ELIDO.

ELĪTĪGO, as, a. 1. cesso a lite, ut delitigo est valde litigo. *Not. Tir.* p. 34. Litigat, elitigat.

ĒLĬUS, a, um, adj. ad Elidem pertinens. *Elii, orum*, sunt ejus regionis, vel urbis incolae apud *Plin.* 4, 5, 7. qui et *Elei* appellantur. V. ELEUS. *Cic. Div.* 2, 12. Haruspices Etrusci, Elii, Aegyptii.

ĒLIX. V. ELICES.

*ĒLIXA, a liquore dicta. *Festus. B. A.*

ĒLIXĀTIM, adv. *Apic.* 5, 8. *extr.* Elixatim sumpto semine cum ovis. Adde 4, 3. Al. aliter leg.

ĒLIXĀTŪRA, ae, f. res elixata. *Apic.* 9, 1. et *Macer de herb. cap. de spica.* ℙ [*Scribitur et *Elixura. B. A.*]

ĒLIXĀTUS, a, um, part. ab *elixo*, elixus. *Apic.* 2, 1. et 3, 9.

ĒLIXO, as, avi, atum, a. 1. aqua coquo, ἕψω. *Apic.* 3, 6. Cucumeres rasos elixabis.

ĒLIXUS, a, um, adj. ἑφθὸς, in aqua coctus. *Varr. L. L.* 4, 22. Elixum est e liquore aquae deductum. *Non.* 1, 238. inde putat deduci, quod lixam aquam dixere veteres. V. ap. *Voss.* in *Etym.* plura. *Hor. Sat.* 2, 2, 73. simul assis Miscueris elixa. *Plin.* 20, 6, 23. Allium coctum utilius est crudo, elixumque tosto. [*Juv. Sat.* 3, 294. Vervexis elixi labra.] ℙ Translate. *Varro* ap. *Non. l. c.* Elixi calcei, *h. e.* valde madefacti. *Pers.* 4, 39. Elixae nates. [*i. e. mollitae dropace.] Et *Mart.* 3, 7. Balneator elixus, *h. e.* aqua et vaporibus perfusus, et prope coctus.

ELLĔBŌRUM. V. HELLEBORUM.

ELLIPSIS, is, f. ἔλλειψις, figura est, cum aliqua vox deest orationi: ab ἐλλείπω, deficio, ut illud *Virg. A.* 1, 6. Italiam fato profugus, Lavinaque venit Litora. Ubi deest *ad*, vel *in*. Sic *ambulo viam*, *Aegypto venio*, *ne hoc quidem*, quae ap. *Quint.* 1, 5. soloecismi sunt per detractionem, apud alios ad ellipsim referuntur. [*Primum tenendum, hoc substantivum latinis litteris scriptum nusquam legi, sed veteres vel ἔλλειψιν dicunt, vel *detractionem;* deinde neque exempla ejus usus satis apta sunt, licet ex *Quint.* petita sint. Cf. *Aquil. Rom.* p. 191. *Ruhnk.* Ceterum constat doctissimam *Hermanni* disputationem *de ellipsi et pleonasmo* leg. in *Wolf. Mus. antiq. stud.* 1.]

*ELLOPĬUS, a, um, ad Euboeam, quae et Ellopia dicta, pertinens. *Plin.* 4, 12. Ellopiae aquae. *B. A.*

ELLOPS. V. HELOPS.

ELLUM, ellam, etc. V. in ECCE.

ELLYCHNĬUM, ii, n. ἐλλύχνιον, funiculus ille papyraceus, seu sparteus, canabinusve, aut stupeus in lychno, qui oleo affuso incensus flammam nutrit, et lumen praestat: a λύχνος, lucerna. *Plin.* 23, 4, 41. Ellychnia claritatis praecipuae. *Id.* 28, 11, 47. Ellychnium papyraceum. Adde *Stat. Silv.* 4, 9, 29. et *Vitr.* 8, 1. *a med.*

ĔLOCATUS. V. in ELOCO, as.

ĔLŌCO, adv. pro illico, quasi *e loco*, e vestigio, quidam leg. ap. *Pl. Cas. sc.* 3. *a.* 5. *in f.* et *True.* 2, 3, 87.

ĔLŌCO, as, avi, atum, a. 1. idem quod loco, ἀπομισθόω. *Cic. Verr.* 3, 2, 22. Fundum elocatum esse dicebat. *Plin.* 21, 3, 7. Elocare funus. [*i. e. funus s. pompam funebrem alicui faciendam dare.] *Id.* 26, 1, 3. sese curandum. *Colum.* 1, 7. *ad f.* boves. [*i. e. alteri locare ut inde lucrum accipiamus.] *Cic. Fl.* 28. de gente Judaeorum. Quam cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata, *h. e.* quod ejus vectigalia a censoribus P. R. locata. [*Sic exponit *Scal.* ad *Euseb.* p. 153.] *Pl. Epid.* 1, 2, 41. Ni ante solem occasum hoc argentum eloces. Al. leg. *elicias.*

ĔLŌCŪTĬLIS vel Eloquutilis, e, adj. ad eloquendum pertinens. *Appul. Met.* 11. p. 258, 12. Copia eloquutilis facundiae.

ĔLŌCŪTĬO, onis, f. tertia pars officii oratoris, qua res inventae, et in ordinem dispositae ornamentis sententiarum et verborum illustrantur. *Cic. Inv.* 1, 7. Elocutio est idoneorum verborum, et sententiarum ad inventionem accommodatio. *Auct. ad Her.* 4, 12. Elocutio tres res in se debet habere, elegantiam, compositionem, dignitatem. *Quint.* 8, 1. Quam Graeci φράσιν, Latine dicimus elocutionem. Eam spectamus in verbis aut singulis, aut conjunctis. In singulis intuendum est, ut sint Latina, perspicua, ornata, et ad id, quod efficere volumus, accommodata. In conjunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. V. ibi plura, et in prooemio ejus libri. *Id.* 2, 15. Inventio sine elocutione non est oratio. [*Quint.* 5, 12. Et illam vim stricte robusteque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus.] ℙ In plurali numero. *Suet. Gramm.* 4. Instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, periphrases, elocutiones, ethologias. Al. melius leg. *allocutiones.* ℙ Proprie *elocutio* est actus eloquendi, sermo, dictio. *Ulp. Dig.* 22, 5, 12. Pluralis elocutio duorum numero contenta est. [*Ubi edit. *Haloand.* habet locutio.]

[*ELOCUTIUNCULA, ae, f. deminutiva forma subst. *Elocutio. Jul. Rufin. de fig. sent. et eloc.* 1. p. 196. *Ruhnk.* Ironia elocutiuncula Sallustiana commodissime exprimitur, h. e. phrasi, formula.]

ĔLŌCŪTŌRĬUS, a, um, adj. ad eloquendum pertinens. V. v. seq.

ĔLŌCUTRIX, icis, f. quae eloquitur. Hanc et superiorem vocem, ut Latinas agnoscit *Quint.* 2, 14. Oratoria sic efferetur, ut elocutoria; oratrix, ut elocutrix.

ĔLŌCŪTUS, a, um, part. ab *eloquor*, de quo V. suo loco. ℙ Passiva significatione. *Ulp. Dig.* 3, 2, 13. Multum interest, causa cognita aliquid pronunciatum sit, an quaedam extrinsecus sint elocuta.

[ĔLŌGIĀTUS, a, um, part. ab *elogio*, descriptus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. Nomina specialiter elogiata, *h. e.* imposita. *F.*]

*ĔLŌGĬO, as, a. 1. breviter describo. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. Signa elogiavimus, *h. e.* breviter scripta proposuimus. *B. A.*

ĔLŌGIUM, ii, n. brevis titulus, seu inscriptio rei alicujus, quales sub statuis, aut in sepulcris fiunt, et quaelibet brevis expositio, dictum, sententia in laudem cujuspiam, vel vituperationem. [*Sequentes loci docent, veteres vocabulo non usos esse pro quavis laudatione, ut hodie vulgo faciunt, sed tantum de monumentorum titulis vel inscriptionibus, in quibus *defunctorum* honores et res gestae consignatae erant.] *Cic. Tusc.* 1, 14. Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? *Id. Fin.* 2, 35. Non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad portam? Uno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Gloriam, atque gratiam claritudinis inclutissimae decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis. *Suet. Claud.* 1. Elogium tumulo insculpere. *Virg. Cul.* 410. His tumulus super inseritur: tum fronte locatur Elogium, tacita format quod littera voce; Parve culex etc. *Suet. Galb.* 2. Imagines, et elogia universi generis (*prosapiae*) exsequi longum est. *Id. Cal.* 24. Tres gladios in necem suam praeparatos Marti ultori, addito elogio, consecravit. *Id. Vit. Hor.* Maecenas quantopere eum dilexerit, satis monstratur tali ad Augustum elogio: Horatii Flacci, ut mei, memor esto. Adde *Senec. Contr.* 2, 15. [*V. plura exempla apud *Casaub.* ad *Suet. Jul.* 47. *Calig.* 24. *Salm. mod. usur.* p. 670. p. 675.] ℙ Sumitur etiam in malam partem pro brevi inscriptione qua continetur culpa, aut res male gesta alicujus, aut contumelia, et vituperatio. [*Burm.* ad *Quint. Decl.* 2, 15. ad *Petr.* 53. *Perizon.* ad *Ael. V. H.* 14, 43.] *Cic. Cluent.* 48. Quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii patris, idcirco se exheredasse filium, quod etc. [*Significat h. l. titulum vel causam exheredationis, quo sensu saepe ponitur in libris *Digest.* Sic *African. Dig.* 28, 2, 14. Quum elogium pater, quum filium exheredaret, proposuisset et adjecisset propter eam causam exheredare. *Ulp. Dig.* 37, 10, 1, 9. Si sine elogio exheres scriptus esset, non habet bonorum possessionem.] (Adde *Quint.* 7, 4. *circa med.* et *Decl.* 2, 15.) [*V. *Munk.* ad *Fulg. Myth.* p. 623.] *Suet. Cal.* 27. Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, a calvo ad calvum duci imperavit. [*i. e. brevem delictorum indicationem, cuique affixam non inspexit, quod ei faciendum erat, ut ex meritis cujusque sententiam ferret. V. *Vales.* ad *Ammian.* 14, 5. Hinc *elogium* sumitur pro sententia et condemnatione quae causam criminis habet adjunctam. *Ammian. Marc.* 19, 12, 9. Per principis elogium torqueri praeceptus. *Id.* 7, 2. Multos sub uno elogio jussit occidi. V. *Vales.* ad *Amm. Marc. l. l.* Hinc *Vet. Gloss.* elegium exponunt διάταγμα.] *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Desertorem auditum ad suum ducem cum elogio praeses mittet. [*i. e. cum brevi expositione causae. Scilicet *elogium* est vox propria, quum, qui a non competente judice adprehensi sunt, ad suum judicem remittuntur; mittuntur *cum elogio. Cels. Dig.* 48, 3, 11. Cum cognovit et constituit, remittat illum cum elogio ad eum qui provinciae praeest, unde is homo est. Sed *Marcian. Dig.* 48, 3, 6. scribit eos, qui cum elogio missi fuerint, integros audiendos esse, i. e. quaestionem denuo instituendam esse, quia non omnes ex fide bona elogia scribere compertum sit.] *Pl. Merc.* 2, 3, 73. Molesti sint, occentent ostium, impleantur meae fores elogiorum carbonibus. ℙ In lemmate declam. 326. earum quae *Quint.* tribuuntur, *elogium* est petitio, rogatio. Ita enim ibi habetur: Dives decessit, herede instituto bonorum omnium paupere, et elogio tali: Peto, ut hanc hereditatem restituas ei, cui rogavi. ℙ *Ultima elogia*, ultimum testamentum, ultima voluntas perscripta. *Imp. Justin. Cod.* 3, 28, 37. *a med.* Super ipsis tantummodo rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, ultima condere posse elogia. [*In hunc sensum *elogium* saepe in *Cod.* adhibetur, nusquam vero, ut videtur, in *Digest.* libris.] ℙ In aliquo ex allatis *Ciceronis* locis sunt, qui lectionem sollicitant. Sunt etiam, qui de origine vocis disputant, et de scriptione. Alii enim scribi volunt *eulogium*, ab εὐλογεῖον: alii *ellogium*, a simili Graeca ἐλλόγιον: alii *eclogium*, ab ἐκλογεῖον: alii denique qui *elogium* retinent, ab hac quidem descendere, sed usu Latino *c* extritum esse. Atque haec est usitatior scribendi ratio.

ĔLONGO, as, a. 1. παρέλκω, protraho, differo. *Gloss. Philox.* Elongo, μακρύνω, ἀφίστημι. Forum Romanum *Plinio* nescio cui tribuit illa verba: *Quo maximo tempore dies elongantur.* Noli temere uti.

ĔLOPS. V. HELOPS.

ĔLOQUENS, entis, part. ab *eloquor*, λέγων, qui eloquitur, et verbis exponit. *Auct. ad Her.* 4, 53. Cum res muta aut informis fit eloquens et formata. *Appul. Apol.* p. 276, 30. Quis me hoc pacto eloquentior vivat, quippe qui nihil unquam cogitavi, quod eloqui non auderem? ℙ Item saepissime qui novit dicere apposite ad persuadendum, et ad rem, de qua agitur, λόγιος. *Cic. Or.* 29. Is est eloquens, qui humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate potest dicere. Et *mox.* Is erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere. Et 36. Is erit eloquens, qui ad id quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. *Id. Or.* 1, 11. Eloquentes, et in dicendo suaves, atque ornati fuerunt. *Id. ib.* 14. Eloquentem esse in aliqua re. *Id. ib.* 5. Mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis. *Id. Brut.* 39. Ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur. *Quint.* 12, 6. Itaque nonnullos reperias, qui sibi eloquentiores videantur. *Id. prooem.* 8. M. Antonius disertis satis putat, dicere quae oporteat: ornate autem dicere, proprium esse eloquentissimi. V. DISERTUS.

ĔLOQUENTER, adv. cum eloquentia, λογίως. *Plin. ep.* 3, 18. Eloquentius scribere. *Id. ep.* 2, 11. *a med.* Eloquentissime respondere. *Id. ep.* 6, 21. scribere.

ĔLOQUENTĬA, ae, f. λογιότης, εὐφράδια, facultas dicendi opposite ad rem, de qua agitur, dicendi vis et ratio admirabilis, et, ut ait *Cic. Part.* 23., copiose loquens sapientia. Duplici autem ratione sumi potest: vel ut idem sit, quod elocutio, vel facundia, et copia verborum, nempe si ad vim vocis spectes. *Ter. Phorm.* 4, 3, 24. Sudabis satis, si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est. *Sall. Cat.* 5. Satis eloquentiae, sapientiae parum. *Nep. Alc.* 2. Hipponicus omnium Graecae linguae eloquentia disertissimus. [*Id. *Epam.* 5. Fuit etiam disertus, ut nemo ei par esset eloquentia.]

Suet. Rhet. 5. Sex. Clodius Latinae simul Graecaeque eloquentiae professor. ℙ Vel ut significet universam vim facultatemque oratoris, quae quinque rebus, seu partibus constat, inventione, dispositione, elocutione, memoria, et pronunciatione, ut sumitur a *Cic. Brut.* 6. *sub f.* et alibi. *Id. Or.* 28. *extr.* Ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem.

ĒLŌQUĬUM, ii, n. εὐφραδία, idem quod eloquentia, sed historicis, poetisque familiarius. *Vell.* 2, 68. Coelius vir eloquio animoque Curioni simillimus. *Virg. A.* 11, 383. Tonare eloquio. *Ov. Trist.* 1, 9, 46. Quaelibet eloquio fit bona causa tuo. *Id. Pont.* 2, 2, 51. Nitor eloquii. *Stat. Silv.* 4, 4, 65. Potentis eloquii virtus. *Plin.* 11, 17, 18. Suavitas praedulcis eloquii. Adde *Hor. A. P.* 217., *Lucan.* 7, 63., *Juven.* 7, 19. et *Sil.* 3, 619. ℙ Est etiam simpliciter sermo. Siquidem definitur a *Diomed. in. l.* 2. Eloquium est humanae pronunciationis expressa significatio, facilem mentibus exhibens intellectum. [*Haec significatio primo loco ponenda erat.] ℙ Item colloquium. *Mamert. Paneg. Maxim.* 9. Invictas dexteras contulistis; adeo fidum fraternumque fuit illud eloquium. ℙ [**Cod. Justin.* 1, 4, 34, 3. Sacra contrectantes eloquia, i. e. divinas litteras.]

ĒLŌQUOR, eris, cutus, vel quutus sum, dep. 3. ἀπορράσσω, dico, narro, expono, effero, quasi extra loquor, et quae mente concepi, promo, atque ad audientes perfero, ut ait *Quint. prooem.* 8. *Cic. Or.* 2, 38. Omne quod eloquimur, sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse etc. Et 1, 48. Nullum est periculum, ne quid tu eloquare, nisi prudenter. [**Id. Fam.* 9, 22. Memini in senatu disertum consularem ita eloqui.] *Senec. ep.* 83. *ante med.* Per vinum eloqui arcana. *Auct. ad Her.* 4, 19. *extr.* Eloqui res aliquas per hujuscemodi continuationes. *Pl. Cist.* 1, 1, 58. Eloquere nobis utrumque, et quid tibi est, et quid velis nostram operam. *Ter. Heaut. prol.* 3. Id primum dicam, deinde quod veni, eloquar. *Senec. Oedip.* 817. Eloquere nomen, i. e. profer. *Pl. Men.* 1, 4, 6. Elocuta sum convivas: ceterum cura tu. *Id. Amph. prol.* 51. Eloqui argumentum tragoediae, enarrare. Et 1, 1, 264. Elocutus est, i. e. dixit verum. *Id. Cist.* 2, 3, 23. Eloqui de aliqua re. *Id. Epid.* 1, 2, 20. syllabam. *Id. Truc.* 4, 2, 43. uno verbo. *Caes. B. C.* 2, 34. Ille unum elocutus, ut memoria tenerent milites ea, quae pridie sibi confirmassent, sequi sese jubet. *Tac. A.* 3, 65. Graecis verbis eloqui. *Ov. Her.* 15, 129. Eloqui verba simillima veris. *Cic. Off.* 3, 15. Uterque *(emptor et venditor)* si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur, *h. e.* indicandum, et exhibendum pretium rei. *Quint.* 8, 2. Verba, quae plus significant, quam eloquuntur. *Id.* 3, 6. Quos recte sensisse, parum elocutos puto, i. e. sententiam expressisse. ℙ Saepe refertur ad facultatem oratoriam. *C. Caes.* ap. *Cic. Brut.* 72. Cogitata praeclare eloqui. *Cic. Or.* 1, 11. *a med.* Oratoris vis est, composite, ornate, copiose eloqui. [**Id. Off.* 1, 44. Eloqui copiose — melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare.] ℙ Pro colloqui. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 11. *in f.* Quam junctim sedent! quam concorditer eloquuntur! ℙ [*Apud seriores scriptores pro simplici *loqui* nonnunquam positum videtur. V. *Munck.* ad *Fulg Myth.* p. 621.] ℙ *Eloqueret* pro *eloqueretur* quidam legunt in versibus *Ennii* ap. *Gell.* 12, 4. Eloqueret, quae tincta malis, et quae bona dictu. Alii melius leg. *Eloqueretur*, *tincta* etc.

[ĒLŌRĪNUS, a um, et

ĒLŌRĬUS, a, um, adj. Ἐλώριος, ad Elorum pertinens, oppidum, et fluvium Siciliae. *Elorini*, *orum* sunt incolae hujus oppidi. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Murgentinis, Assorinis, Elorinis nihil omnino relictum. *Ov. Fast.* 4, 477. Hinc Camerinan adit, Thapsonque, et Eloria Tempe. ℙ Scribitur etiam *Helorinus*, et *Helorius. F.*]

ĒLŌRUM, i, m. Ἕλωρον, flumen Siciliae in ora orientali inter Pachynum, et Syracusas, campis se, more Nili, superfundens. *Plin.* 3, 8, 14. ℙ Dicitur et Elorus, Ἕλωρος, fuitque olim eodem nomine oppidum ad eum fluvium. *Sil.* 14, 269. undae clamosus Elorus. *Virg. A.* 3, 698. praepingue solum stagnantis Elori. ℙ Frequentius scribitur *Helorum*, et *Helorus.*

ĒLŌTUS, a, um, partic. ab *elavo*, ut Elota oliva, *Colum.* 12, 50. *sub fin.* Elotus in balneis, *Pl. Trin.* 2, 4, 5. Elota cerussa. *Cels.* 6, 6. *n.* 3.

ELPĒNOR, ŏris, m. unus ex sociis Ulyssis, qui a Circe in porcum mutatus, deinde recepta forma, scalis decidens temulentus, misere interiit. *Juven.* 15, 22. Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis. *Ov. Ib.* 487. Neve gradus adeas Elpenore cautius altos, Vimque feras vini, quo tulit ille modo.

[ELPĬDĔPHŌRUS, et melius

[ELPĬDŌPHŌRUS, i, m. ab ἐλπίς, ίδος, spes, et φέρω, porto, spem portans. Est cognomen Romanum. *Inscr.* apud *Murat.* 960, 8. M. Julius Elpidephorus. Alia apud *eund.* 195, 5. Q. Cassius Elpidophorus. *F.*]

ĒLŪACRUM Labrum, apud *Cat. R. R.* 10. *et* 11., si sana est lectio, vas ingens significat ad eluendum, seu lavandum.

ĒLŪCĔO, es, uxi, n. 2. ἐκφαίνομαι, idem quod luceo, vel valde luceo, lucendo appareo. *Cic. Somn. Scip.* 3. Circulus splendidissimo candore inter flammas elucens. *Tibull.* 4, 1, 134. Laetior eluxit structos super ignis acervos. *Virg. G.* 4, 98. *de apib.* elucent aliae, et fulgore coruscant Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis ℙ Translate conspicuum esse, eminere. *Nep. Paus.* 1. Ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. *Cic. Fam.* 4, 3. Quasi lumen aliquod, exstinctis ceteris, elucere sanctitatem, et prudentiam, et dignitatem tuam. *Id. Am.* 14. Si qua significatio virtutis eluceat. *et ib.* 27. Amicitia magis elucet inter aequales. *Id. Or.* 2, 13. Nemo studet eloquentiae, nisi ut in causis atque in foro eluceat. *Id. Off.* 1, 29. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio. [*Hic error aliquis commissus est, qui transiit in *Schell. Lex.* Loco ex *Off.* 1, 29. allato haec leguntur verba, quae huc pertinent: In ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Sed capite 28. haec leguntur quae huc trahenda videntur: Hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum et factorum.] *Id. Part.* 12. Ex quibus proprium quid sit eluceat. *Nep. Epam.* 6. Sed maxime ejus eloquentia eluxit Spartae. *Quintil.* 1, 1. Elucet spes. ℙ De malis rebus. *Cic. Rosc. Am.* 31. Tenuitas hominis ejusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. *Suet. Tib.* 57. Saeva ac lenta natura ne in puero quidem latuit: sed aliquanto magis in principe eluxit.

ĒLŪCESCO, is, n. 3. inchoat. idem fere quod *eluceo. Lact.* 7, 14. Cujus rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. *Al. leg.* eluceat. *August. Retract.* 1, 13. *a med.* Quod apud eos elucesceret. [*Proscripsit hoc verbum *Ruhnk.* ad *Mur. Or.* 11. cum interpp. ad *Lact. l. c.*]

ĒLŪCĬFĂCIO. V. vocem sequent.

ĒLŪCĬFĬCO, as, a. 1. ξοφόω, luce privo, elucum reddo: ab *elucus. Labet.* ap. *Gell.* 10, 17. Sic ego fulgentis splendorem pecuniae volo elucificare exitum aetatis meae. Alii leg. *elucifacere*, ut *Non.* 2, 293.

ĒLUCTĂBĬLIS, e, adj. luctando superabilis. *Senec. Q. N.* 6, 8. Ita implicitae aquis herbae sunt, et aquae nec pediti eluctabiles, nec navigio.

ĒLUCTĀTĬO, onis, f. actus eluctandi, conatus expediendi se ex re aliqua. *Lact.* 3, 11. *a med.* Eluctatio adversus mala, quibus haec vita plena est.

ĒLUCTOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐκπαλαίω, luctando et conando, et cum mora exeo. *Virg. G.* 2, 244. aqua eluctabitur omnis Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae. *Tac. Agr.* 17. *extr.* Super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus. *Senec. Q. N.* 4, 2. Nilus per angusta eluctatus; et *mox:* Tandemque eluctatus obstantia, in vastam altitudinem cadit. *Luc.* 2, 219. *de fluvio.* Tyrrhenas vix eluctatus in undas. *Tac. Hist.* 3, 59. Vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni, etc. *Val. Flacc.* 8, 183. altera ponti Eluctanda via est, *h. e.* vi et labore aperienda. *Liv.* 24, 26. *a med.* Cum tot ac tam validae eluctandae manus essent. ℙ Translate. *Tac. A.* 4, 31. Ipse compositus alias, et velut eluctantium verborum. [*de eo, cui sermo impeditus est.] *Stat. Achill.* 1, 524. *de vate oestro percito.* Tandem fessa tremens longis mugitibus ora Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est. *Symmach. ep.* 1, 14. (al. 21. *extr.*) Eluctari offensam, *h. e.* vitare, effugere. ℙ Olim *elucto*, *as*, activa positione dictum fuisse, tradit *Non.* 7, 6., sed locum affert *Plauti* dubiae lectionis. V. DELUCTOR.

ĒLŪCŪBRĀTUS, a, um, partic. ab *elucubro*, elaboratus, cum diligentia confectus. *Cic. Brut.* 90. *extr.* Orationes non minus diligenter elaboratas, quam elucubratas efferebamus, [**Orelli* cum recentt.: et tanquam elucubratas afferebamus.] *h. e.* ad lucernam elaboratas.

ĒLŪCŪBRO, as, a. 1. et Elucubror, aris, dep. 1. νυκτογράφω, lucubrationibus, idest vigiliis conficio. [**Cic. Brut.* 90. Orationem elucubrare.] *Cic. Att.* 7, 19. Epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. *Colum. praef. l.* 10. Quidquid est istud, quod elucubravimus, propriam sibi laudem non vindicat. *Auct. dial. de Orat.* 9. Elucubrare librum.

ĒLŪCUS, i, m. significat languidum ac semisomnum, vel, ut alii volunt, alucinatorem, et nugarum amatorem, sive halonem, idest hesterno vino languentem, quem ἴωλον vocitant Graeci. Haec *Festus.* Alii ducunt ab ἠλίγη, obscuritas, tenebrae, unde ἠλιγός. ℙ Item *Festus* sub littera H *helucum* ab hiatu, et oscitatione dictum docet; quod est vino languentium. ℙ Alii substantivam vocem esse tradunt: et significare tarditatem quandam animi et stuporem, qui alucinantibus plerumque usu venit: ab ἀλύειν, unde *alucinor*, et *a* in *e* conversa, *elucus.* Haec *Gell.* 16, 12. ex *Cloatio Vero.* [*Sic idem *Gell.* 4, 19. usurpat: Hebetem fieri ad veterni usque aut eluci tarditatem.] Hoc sensu *Tertull. Cor. mil.* 7. Hederae natura est cerebrum ab eluco defensare. ℙ Hinc Itali etiamnum hominem hebetioris ingenii *allocco* appellant. V. ALUCUS.

ĒLŪDO, is, usi, usum, a. 3. proprie significat ludendi finem facere. Unde illa litoris definitio ab Aquilo data, apud *Cic. Top.* 7. *qua fluctus eluderet. Don.* ad *Ter. Eun.* 1, 1, 10. Eludere gladiatorum est, cum vicerunt, et ludo finem imposuerunt. ℙ Sic dicimus *eludere aliquid*, cum ludendo vincimus, et aliquid obtinemus. *Pl. Curc.* 5, 2, 30. Dicas, unde illum habeas anulum, Quem parasitus hic te elusit. [*De duplici accusativo v. *Ruddim. Inst.* II. p. 179.] *Propert.* 4, 1, 139. Nam tibi victrices, quascumque labore parasti, Eludet palmas una puella tuas, *h. e.* extorquebit, eripiet. ℙ Eludere etiam dicuntur gladiatores, qui flexu corporis ictus adversarii evitant. *Mart.* 14, 202. Callidus emissas eludere simius hastas. *Manil.* 5, 163. Ille cito motu rigidos eludere caestus ℙ Translate. *Quint.* 4. 5. *ad fin.* Cujus tamen divisionem in digitos diductam nonnunquam Cicero leviter eludit. *Suet. Aug.* 34. Eludere vim legis. [**Traj.* ad *Pl.* 10, 65. Poenam contumacia eludere.] *Cic. Verr.* 1, 10. magnas accusatoris minas et *Div. Verr.* 14. Eludere aliquem, et omni ratione jactare, *h. e.* quasi prehendere cupientem vitare, atque adeo laborem negotiumque facessere. Quo sensu *Petr. Sat.* 97. Scrutantium eludere manus. [**Tac. Hist.* 1, 26. Quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit. i. e. ei audita refellit.] *Virg. A.* 11, 694. Orsilochum fugiens Eludit gyro interior, sequiturque sequentem. ℙ Saepe usurpatur pro decipere, illudere, διαπαίζω. *Cic. Acad.* 4, 39. Sed et vos ab illo irridemini, et ipsi vicissim illum eludetis. *Tibull.* 2, 1, 19. Seges eludit messem fallacibus herbis. [*V. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 41.] ℙ Pro simplici ludere, seu leviter aliquid facere. *Liv.* 27, 18. *a med.* Levis, et concursator hostis, atque intervallo tutus, cum procul missilibus pugna eluditur: instabilis idem ad cominus conserendas manus. ℙ Translate. *Cic. Opt. gen. or.* 6. Non enim in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus ejus eludit oratio. [*Hunc locum equidem §. 4 primo loco ponendum arbitror.] ℙ Pro irridere, illudere. *Liv.* 9, 6. Circumstabant armati hostes, exprobrantes, eludentesque. *Id.* 28, 44, *sub fin.* Eludere gloriam alterius, et suam verbis extollere. [*V. *Drak.* ad h. l. et, quem ille laudat, *Passer.* ad *Prop.* 4, 1, 139.] *Id.* 1, 36. artem auguris. *Ter. Eun.* 1, 1, 10. Eludet, ubi te victum senserit. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 45, 6.] ℙ Partic. *Elusurus* ap. *Tac. A.* 14, 41. Mox praevaricando ultionem elusurus. *Eludendus* ap. *Suet. Caes.* 59. Ad eludendas vaticinationes. ℙ [*Confunduntur *Eludere* et *claudere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 41, 7.]

ĒLŪGĔO, es, uxi, n. 2. καταθρηνέω, lugere desino, vel luctum depono, expleto tempore justi luctus. *Liv.* 34, 7. Quid aliud, cum eluxerunt, sumunt? *Cic. Fam.* 9, 20. *extr.* Patriam eluxi jam et gravius, et diutius, quam mater unicum filium. [*Potius ad seq. §. pertinere videtur.] *Gell.* 7, 5. Eum luctum cum satis visus est eluxisse, rediit ad quaestum artis. ℙ Item lugere aliquem toto tempore legibus, vel consuetudine definito. *Paul. Dig.* 3, 2, 10. Quae virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet. *Ulp. ib.* 11. Praetor ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur: qui solet elugeri propter turbationem sanguinis. *Fragm. Jur. Civ. Antejustin* (ed. *A. Maio*) *p.* 88. Minores decem annorum liberi tot mensibus elugeantur, quot annorum decesserint. [*Confunduntur *Elugere* et *Educere* ap. *Liv.* 34, 7, 10.]

ELVĪNA CĔRES apud *Juven.* 3, 320. aliis est ita appellata ab Elvino, seu loco, seu fonte juxta Aquinum, ubi templum Ceres habuerit. Aliis ita dicta videtur, quasi *Eluina* ab *eluendo*, quod lavari mos erat, et purgari iis, qui sacra Cereris peragebant. Alii *helvinam* scribunt, hoc est flavam, ab helvo colore: et flava Ceres a *Virg.* et *Ov.* dicitur. *Vetus Schol.* putat, appellationem ductam esse a Gallis Helviis in Gallia Narbonensi, quod apud Aquinum colerentur earum Dearum nomina, quae Galli colebant. Alii denique legi volunt, *Me quoque Eleusinam Cererem*, quae esset durior loquendi ratio.

ĒLUMBIS, e, adj., qui evulsum habet lumbum, vel qui prae lumbi debilitate sese erigere non potest. *Festus:* Elumbem, evulso lumbo. ℙ Translate mollis, solutus, enervis in dicendo, apud *Auct. dial. de or.* 18. *sub fin.* Ciceronem male audivisse a Bruto, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum

atque elumbem. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 216. Elumbe virus contrahere, *h. e.* quod imbecilles facit.

[ELUMĬNĀTIO, onis, f. illuminatio. *Gloss. Philox.* Eluminatio, φωτισμός. *F.*]

[ELUMĬNĀTUS, a, um, part. ab inusit. elumino, lumine oculorum, et visu privatus. *Sidon. ep.* 8, 11. *ad f.* Quis ita gemino obtutu eluminatus, qui, examinati cadavere inspecto, non statim signa vitae colligeret extortae? *F.*]

ELŬO, is ui utum, a., 3. ἐκπλύνω, lavo, lavando aufero, purgo, abstergeo. Quid differat *eluo* a *colluo*, a *lavo*, a *pelluo*, ab *abluo* V. in LAVO. *Pl. Aul.* 2, 3, 3. Vascula intus pure propera, atque elue. *Cels.* 7, 22. *sub f.* Eluendum id est ex aqua, quae salem adjectum habeat. *Colum.* 12, 50. *sub f.* Debent aqua bis, aut ter elui. [*Col.* 7, 21. Eluere aliquid ex aqua. Sic etiam *Cels.* 7, 21.] *Plin.* 15, 24, 27. Tingunt manus succo mora matura, eluunt acerba. *et* 20, 8, 28. Eluere maculas vestium. *et* 35, 6, 25. Atramentum aceto liquefactum aegre eluitur. *Cels.* 3, 4. *bis.* Eluere os, *h. e.* colluere. [*Cels.* 4, 24. Asinino lacte poto ex toto se eluere, i. e. se lavare.] ℙ Translate est purgare, delere, diluere, tollere. [*Sen. Ep.* 59. Diu in istis vitiis jacuimus; elui difficile est; non enim inquinati sumus, sed infecti.] *Cic. Verr.* 2, 5, 46. Errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare. *Id. Phil.* 12, 6. Num elui praedicatio crudelitatis potest? [*Cic. Coel.* 21. Tales amicitiae sunt remissione usus eluendae. *h. e.* sensim minuendae.] *Sil.* 11, 199. hic denique solus Eluerit sanguis maculatas crimine mentes. *Gell.* 7, 3. *a med.* Quod Rhodiensibus objectum erat, mirifica responsionis figura elusit et eluit. *Ov. Met.* 11, 141. Eluere crimen. *Hor. Od.* 4, 12, 20. Cadus amara Curarum eluere efficax. *Senec. Hipp.* 893. Labem hanc pudoris eluet noster cruor. [*V. *Gron.* ad *Sen. Cons.* ad *Marc.* 23.] ℙ Eluere se bonis est naufragorum, ut in ELAVO dictum est. *Pl. Rud.* 2, 7, 20. Eho, an te poenitet, in mari quod elavi, nisi hic in terra iterum eluam? *Id. Stich.* 5, 2, 21. Volo, eluamus hodie, *h. e.* quidquid peculii est, profundamus. *Colum.* 8, 8. *ad f.* Quamquam vel hos magis tolerabiles putem, qui oblectamenta deliciarum, possidendi, habendique causa, gravi aere et argento pensent, quam illos, qui Ponticum Phasim, et Scythica stagna Maeotidis eluant, *h. e.* pretiosis avibus spolient, ut mensas onerent, et una comedant patrimonia mensa, ut ait *Juven.* 1, 138. ℙ Partic. *Eluens* ap. *Plin.* 34, 16, 47. Aqua immissa eluente calculos.

[ELŪSĀNUS, a, um, et

ELŪSAS, atis, adj. ad Elusam pertinens, Aquitaniae in Gallia urbem, nunc *Eauze*, quam memorat *Claud. Rufin.* 1, 137. Invadit muros Elusae. *Elusani, orum* et *Elusates, atium* sunt incolae illius urbis. *Sidon. ep.* 7, 6. Lemovices, Gabalitani, Elusani. *Caes. B. G.* 3, 27. Vocates, Tarusates, Elusates. Adde *Plin.* 4, 19, 33. *F.*]

ELUSCĀTUS, a, um, partic. ab *elusco*, ut Eluscatus servus, *Ulp. Dig.* 13, 3, 3. et 10, 4, 17.

ELUSCO, as, a. 1. πυρόω τὴν ὄψιν, est luscum facere, idest alterius oculi lumine spoliare. *Ulp. Dig.* 9, 2, 5. Aquilia teneri eum, qui eluscavit discipulum in disciplina. Adde *Marcell. Dig.* 20, 1, 27.

[ELŪSĪNENSIS, e, adj. ed Elusam pertinens, Aquitaniae in Gallia urbem, idem ac Elusanus. *Inscr.* ap. *Grut.* 708, 7. D. M. L. Taurini Aurelii civi Elusensi. Corrige *Elusinensi* ex *Jac. Grasseri Dissert. de antiquit. Nemaus. p.* 62. *F.*]

ELŪSUS, a, um, partic. ab *eludo*, deceptus. *Prop.* 2, 17, 13. a Dulichio juvene elusa Calypso. *Ov. Met.* 6, 103. Europe elusa imagine tauri. *et ib.* 12, 102. Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto, Cum sua terribili petit irritamina cornu Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit, *h. e.* sentit ictus suos irritos cecidisse. *Virg. A.* 12, 753. vividus Umber Haeret hians, jam jamque tenet, similisqne tenenti Increpuit malis, morsuque elusus inani est.

[ELŪTĀCĬUS, a, um, adj. qui est ex auro eluto. *Plin.* 33, 4, 21. Gummi inventum est in summo caespite, elutacium, si et auro ea tellus subest. Alii leg. *alutacium. F.*]

ELŪTIA, orum, n. plur. metalla auraria, quae aqua eluuntur: hac enim immissa sordes abluuntur, et verum aurum comparet. *Plin.* 34, 16, 47. Invenitur et plumbum candidum in aurariis metallis, quae elutia vocant: aqua immissa eluente calculos nigros. Alii minus recte legunt *aluta*, vel *alutia.*

ELŪTĬO, onis, f. eluendi actus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Panis calida elutione purgatus.

ELUTRĬO, as, a. 1. μεταγγίζω, est diffundere, hoc est de vase in vas fundere: ab *eluo. Plin.* 14, 17, 21. Suffervefactis decies, mox elutriatis. ℙ *Elutriare lintea* est purgare, quod fit de vase in vas mundioris aquae transferendo. *Laberii* est: referturque a *Gell.* 16, 7. inter illa, quae sunt ab eo praelicenter ficta. Hinc Elutriatum vellus, apud *Plin.* 9, 38, 62.

ELŪTUS, a, um, partic. ab *eluo*, purgatus, lotus, ἐκπλυθείς. *Colum.* 6, 3. Eluta et siccata vinacea. *Plin.* 22, 25, 61. Alica eluta ex aqua mulsa. *Capitol. Pertin.* 8. Vasa eluto auro, *h. e.* probe excocto, et purgato. ℙ Translate est imbecillis, et tenuium virium. *Plin.* 34, 13, 33. Hoc solum distat, quod hujus vis elutior est. *Hor. Sat.* 2, 4, 15. Caule suburbano, qui siccis crevit in agris Dulcior: irriguo nihil est elutius horto, *h. e.* infirmius ad alendum: quia hortensia, cum frequenti irrigatione colantur, ut citius proveniant, saporem habent velut aqua elutum et insipidum: atque adeo imbecillioris alimenti. [*Sed aliter statuit *Hor.* atque vulgi erat opinio. V. *Heind.*] ℙ Purgatus. *Ammian.* 16, 12. *ante med.* Elutis pristinis maculis, Romanae majestati reddere proprium decus.

ELŬVIES, ei, f. defluxus sordium, ut fit in cloacis: ab *eluo*, *is. Plin.* 2, 82, 84. Quod in certis notatur oppidis, quae minus quatiuntur (*terrae motibus*) crebris ad eluviem cuniculis cavata. *Pall.* 1, 40. *a med.* Ita constituantur balneae, ut omnis earum per hortos decurrat eluvies. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 374. Ut si eluviem facere per ventrem velis. Al. leg. *eleviem*, ducuntque a praeterito *elevi* verbi *Elino. Aurel. Vict. Epit.* 9. *in f.* Ventris eluvie fessus. Est qui legit *illuvie.* *Juven.* 3, 32. Siccare eluviem, *h. e.* purgare cloacam. ℙ Item inundatio, excursus, effusio aquae. *Tac. A.* 13, 57. Eluvie maris arescente unda. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 4, 5.] ℙ Item aqua torrens, et decurrendo terram, saxa, stirpes secum rapiens. *Ov. Met.* 15, 266. Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum Fecit, et eluvie mons est deductus in aequor. ℙ Item locus ipse concursu aquarum cavatus, qua eluvies decurrit. *Curt.* 5, 4. *ad f.* Circuiri brevi spatio poterat eluvies Et 6, 4. *ad f.* Torrentesque, et eluvies iter morabantur. Et 8, 11. Voragines eluviesque praeruptae. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 20. *extr.* An, si in ipsa latione tua lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem, atque eluviem civitatis, sine summa vi pervenire potuisti?

ELŪVIO, onis, f. inundatio, vis aquarum omnia rapientium. *Cic. Somn. Scip.* 7. Propter eluviones, exustionesque terrarum. Adde *Off.* 2, 5.

ELUXĀTUS, a, um, part. ad inusit. *eluxo*, idem ac luxatus, loco motus. *Plin.* 20, 9, 33. Sic enim fistulas eluxatas et tumores revocari. Sed *Harduin.* legi jubet: *Sic enim fistulas, et luxata et humores evocari:* multo rectius. Quid enim sunt, inquit, *fistulae eluxatae?*

ELUXŬRIOR, aris, dep. 1. idem ac luxurior, vel valde luxurior. Translate. *Colum. Arbor.* 3. Pampinis magis eluxuriabuntur.

ELYMAEI, orum, m. plur. Ἐλυμαῖοι populi Asiae, quorum regio Elymais, juncta Susianae, et Persidi; nomen habent ab עֵילָם, Aelam filio Semi, cujus posteri eam regionem incoluerunt. *Plin.* 6, 27, 31. et 12, 17, 38. et *Tac. A.* 6, 44.

ELYSĬUM, ii, n. Ἠλύσιον, in fabulis poetarum est locus in medio Inferorum, omni felicitate plenus, amoenis viretis consitus, largaque luce perfusus, nempe sole suo, suisque sideribus illustratus, ubi piorum animae habitant post mortem: quorum Pars in gramineis exercent membra palaestris, Contendunt ludo, et fulva luctantur arena: Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt, ut est apud *Virg. A.* 6, 638. Juxta philosophorum gentilium placita est nomen Insularum Fortunatarum, quae μακάρων νῆσοι beatorum insulae dictae sunt: secundum theologos gentiles est locus circa lunarem circulum piis destinatus, ubi aer purior est, et lux clarior. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 5, 733. non me impia Tartara habent, tristes umbrae: sed amoena piorum Concilia, Elysiumque colo. *Val. Fl.* 1, 649. Elysium quietum. *Mart.* 7, 14. Cujus in Elysio nigra columba volat.

ELYSĬUS, a, um, adj. ad Elysium pertinens. *Virg. G.* 1, 38. Elysii campi. *Prop.* 4, 7, 60. Elysiae rosae. *Ov. Met.* 14, 111. Elysiae domus. *Id. Amor.* 3, 9, 60. Elysia vallis. Et 2, 6, 49. Elysius collis. *Mart.* 6, 58. Elysiae plagae. Et 10, 101. Elysius ager. *Lucan.* 3, 12. Elysiae sedes. *Stat. Theb.* 4, 520. Elysium Chaos. *Mart.* 7, 40. Elysium nemus. Et 10, 24. Elysia puella, *h. e.* Proserpina. ℙ *Elysii, orum* (subaudi *campi*) idem quod *Elysium. Mart.* 9, 52. Tu collis Elysios, nemorisque habitator amoeni etc. *Lucan.* 6, 698. et quos nulla meretur Thessalis, Elysios. ℙ Elysii populi Germaniae, quos memorat *Tac. Germ.* 43., creduntur fuisse ad Vistulam, ubi nunc *Krakau.*

E M

EM, pro eum, ab eo quod est *is. Festus:* Sic *emem* eundem. *Id.* Hinc *in Leg. XII. Tab.* apud *Gell.* 20, 1. *ad f.* Quis endo em jure vindicit. Et *mox.* Qui em vinctum habebit. ℙ Est etiam loco interjectionis *hem*, vel adverbii *en. Ter. Heaut.* 4, 8, 26. Em, istuc volueram. *Varr. R. R,* 1, 2. Em, ibi tu quidquam nasci putas posse? *Id. ib.* 56. Ille, em quin adsum: venio, inquit, ad limen, fores aperi.

EMĀCĔO, es, ui, n. 2. emacresco. *Cels.* 2, 2. Pejus signum est, ubi aliquis contra consuetudinem emacuit. Al. leg. *emacruit. Id. ib.* 8. *sub f.* Mulieri gravidae si subito mammae emacuerunt. Al. *emaccuerunt:* alii *emacruerunt.*

EMĀCĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *emacero*, valde maceratus, subactus, attenuatus, consumptus. *Senec. Cons. ad Marc.* 10. *ad f.* Alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque medios detinebit.

EMĀCĬĀTUS, a, um, part. ab *emacio*, συντετηκώς. *Colum.* 2, 10. Emaciatae vineae. Et 11. Emaciatum armentum.

EMĀCĬO, as, a. 1. ἐκτήκω, macrum, sive aridum reddo. *Colum.* 2, 14. Aliis juvari, et sterdum reddo. *Colum.* 2, 14. Aliis juvari, et sterdum corari agros, aliis rursus peruri, et emaciari. *Id.* 7, 9. *a med.* Ne immaturis herbis citetur alvus, eoque vitio pecus emacietur. *Id.* 4, 24. *circa med.* Medio in brachio commodissime palmae subjicientur, quae nec spem vindemiae destituant, nec emacient stirpem suam.

EMĀCĬTAS, atis, f. ὠμητικὸν, cupiditas emendi. *Colum.* 4, 3. Quosdam emacitas in armentis, quosdam exercet in comparandis mancipiis cura. Adde *Plin. ep.* 3, 7.

EMACRESCO, is, n. 3. valde macresco, ἰσχναίνομαι. *Cels.* 2, 4. Mali morbi signum est, nimis celeriter emacrescere. Adde *ib.* 5. V. EMACEO.

EMACROR, aris, pass. 1. λεπτύνομαι, macer fio. *Plin.* 18, 10, 25. Terram emacrari existimantes hoc satu. Lectio haec tamen est dubia *Harduino.*

EMĀCŬLĀTUS, a, um, part. ab *emaculo*, purgatus. *Gell.* 6, 5. *sub f.* Argentum, omnibus ex eo vitiis detractis, emaculatum et candefactum. *Macr. Sat.* 7, 13. *a med.* Pallium emaculatum. *Ammian.* 29, 1. Domus emaculata odoribus Arabicis.

EMĀCŬLO, as, a. 1. ὁμόργνυμι, maculas aufero. *Plin.* 21, 19, 75. Nigras vitiligines emaculant. *Appul. Apol.* p. 278, 4. Exotico pulvere dentes emaculare.

EMĀDĔO, es, ui, n. 2. idem quod madeo vel valde madeo. *Ov. Trist.* 5, 4, 40. Et te flente suos emaduisse sinus. Al. leg. *demaduisse*, al. *immaduisse.*

*EMANATIO, onis, f. *Vulg. Sap.* 7, 25. *B. A.*

[EMĀNĀTOR, oris, m. qui emanat, diffundit. *Cass. Institut. divin. litter.* 20. Ambrosius lactei sermonis emanator. *F.*]

EMANCĬPĀTIO, onis, f. liberatio a potestate patria, cum quis filiusfamilias e potestate patris exit, et fit sui juris: quod fiebat olim per trinas imaginarias venditiones, adhibito patre fiduciario, atque aere et libra, vel per imperiale rescriptum: postea recta via per competentes judices, vel magistratus, ut *Imp. Justin. Instit.* 1, 12. et *Cajus Instit.* (ed. *Goeschenio*) 1. §. 119. et seqq. docent. *Quint.* 11, 1. *a med.* Inter patres etiam filiosque, cum intervenisset emancipatio, litigatum scio. *Gell.* 1, 12. Vestalis simul est capta, eo statim tempore, sine emancipatione, e patris potestate exit. ℙ Item cujusvis rei alienatio cum translatione dominii in alterum. *Plin. ep.* 10, 3. Nam et fundos emancipavit, et cetera quae in emancipatione implenda solent exigi, consummavit. ℙ *Emancipatio familiae* ap. *Gell.* 15, 27. erat inter tria, quae ibi enumerat, testamentorum genera, cum imaginaria venditione paterfamilias hereditatem familiamque suam, omniaque bona, ac jura sua in alterum transferebat: quod dicitur testamentum per aes et libram. V. TESTAMENTUM.

EMANCĬPĀTOR, oris, m. qui emancipat. *Gloss. Philox.* Emancupator, ἐξωχειριωτής. *Prud. Cathem.* 7, 184. Emancipator servientis plasmatis.

EMANCĬPĀTUS, a, um, part. ab *emancipo*, qui e patris potestate exiit. *Gell.* 1, 12. Quae ipsa, aut cujus pater emancipatus sit. ℙ Item alterius dominio subjectus, ut cum filius in patris adoptivi potestatem veniebat. *Festus:* Emancipati duobus modis intelliguntur: aut ii, qui ex patris jure exierunt, aut ii, qui aliorum fiunt dominii: quorum utrumque fit mancipatione. ℙ Hinc translate est addictus, subjectus, et veluti in mancipium et servitutem deditus et obligatus. *Cic. Phil.* 2, 21. Iste venditum, atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit. *Hor. Epod.* 9, 12. Romanus (eheu posteri negabitis) Emancipatus feminae Fert vallum, et arma miles, et spadonibus Servire rugosis potest. *Cic. Sen.* 11. Ita senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini emancipata est. Al. leg. *mancipata.* [*V. *Gron.* ad *Sen. Ep.* 45. qui multis locis allatis recte tuetur *emancipatus.*] *Appul. Met.* 10. p. 240, 16. Nequissimus servulus, ad omne facinus emancipatus.

EMANCĬPO, as, avi, atum, a. 1. ἐκποιέομαι, filium, quem in potestate habeo, sui juris efficio, et a me dimitto: quasi extra mancipium, hoc est

dominium meum esse jubeo. [*Scilicet, ut *Paul.* ait *Dig.* 4, 5, 3., manumitti nemo potest, nisi in imaginariam servilem causam deductus.] *Cic. Dom.* 14. Adoptatum emancipari statim, ne sit ejus filius, qui adoptarit. *Plin. ep.* 4, 2. Regulus filium emancipavit, ut heres matris exsisteret. ℙ Emancipare alicui est filium a se emancipatum alterius adoptivi patris potestati subjicere. *Cic. Fin.* 1, 7. L. Torquatus illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut etc. ℙ *Emancipare agrum* est alienare, in alterius dominium transferre; e mancipio, idest possessione sua emittere, et alteri possidendum tradere, sive venditione, sive donatione id fiat. *Suet. Oth.* 4. Cuidam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter totum agrum redemit, emancipavitque. *Tac.* hanc eandem rem narrans *H.* 1, 24. Universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dedit. [*Adde *Val. Max.* 8, 6. *Plin. Ep.* 10, 3.] *Quint. Decl.* 298. Emancipare hereditatem. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 21. Ti. Claudio Primigenio columbaria N. IIII. emancipavit T. Flavius Corinthus, *h. e.* vendidit cum evictionis praestatione. [*Columbarium h. l. intellige de loco sepulcri, non de columbarum statione; quod aliis fraudi fuit. Sepulcra mancipatione tradi solebant. V. *Heinecc.* ap. *Brisson. de Form.* s. v. *Emancipare.*] ℙ Translate *emancipare se alicui*, et veteri loquendi more *emancupare*, est se alteri totum tradere, addicere, et veluti in mancipium transferre. *Pl. Bacch.* 1, 1, 60. Nunc ego, mulier, tibi me totum emancupo, tuus sum, tibi dedo operam. *Symmach. ep.* 1, 13. (al. 18.) Totum me, inquies, emancipavit sibi cura Praetorii. Utroque loco al. leg. *mancipo.* V. EMANCIPATUS.

EMANCO, as, a. 1. manus praecido, mancum facio. *Labien.* ap. *Senec. Contr.* 5, 33. *sub f.* Gaudeo me non omnes emancasse. [*Idem verbum *Gron.* restituere volebat loco *Sen. Contr.* 7.]

EMĀNĔO, es, ansi, n. 2. extra maneo. *Stat. Th.* 7, 650. quibus *(lucis)* vetitus emansisse sacerdos. ℙ Est etiam verbum militare. Dicuntur emanere milites, qui diutius sine legitimo imperatoris commeatu absunt a castris. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Is, qui in exploratione emanet, hostibus insistentibus, capite puniendus est. [*V. *Gron.* ad *Sen. Ep.* 54.] V. EMANSIO.

*EMĀNĪCI, orum, populi Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

EMĀNO, as, avi, atum, n. 1. ἐκῥρύω, extra mano, effluo, exeo. *Colum.* 6, 32. Intertrigo sale cum adipe defricatur, dum saniei vis emanat. *Lucr.* 3, 584. ex imo, penitusque coorta Emanat diffusa animae vis. *Cic.* vertens *Homeri* versus *Div.* 2, 30. Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai. *Gell.* 19, 5. Quaedam quasi aura tenuissima exprimitur ex aqua, et emanat. *Appul. Met.* 10. p. 243, 12. Per membra sudor emanat. ℙ Cum accus. *Plin.* 23, 3, 34. Succus olearum utilis saniem emanantibus. *Hard.* ex MSS. legit *sanie manantibus.* Idem dic de alio *Plinii* loco 37, 10, 61. *Cass. Var.* 8, 33. In modum naturalis antri absidis fabricata concavitas perspicuos liquores emanat. ℙ Translate est oriri, nasci, proficisci. [*Inv. 2, 2. Alii alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt. *Coel.* 8. Quaeram ex quo iste fonte senator emanet.] *Cic. Or.* 3, 18. *ad f.* Hinc haec recentior Academia emanavit. Et *ib.* 1, 42. Partes sunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur. *Id. Att.* 7, 21. Mala nostra istinc emanant. ℙ Saepe est vulgari, disseminari, in omnium notitiam venire, *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Invidiosum tibi sit, si emanarit. *Q. Cic. Pet. cons.* 5. Omnis fere sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus. *Cic. Rosc. Am.* 1. Oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. *Liv.* 42, 16. Ne indicium emanaret. *Id.* 3, 24. Multis emanabat indiciis, fratrem Volscii nunquam visum in publico. *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Fama emanavit. *Id. Brut.* 65. Vereris, ne per nos hic sermo tuus emanet. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 24, 4.] ℙ Item diffundi. *Flor.* 4, 9. Emanabat latius malum. ℙ Part. *Emanaturus* ap. *Val. Max.* 1. 6. *extern.* 3. Singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. ℙ [*Confunduntur *Emanare*, et *emanere* et *eminere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 24, 4.]

EMANSIO, onis, f. actus militis emanentis extra castra. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 4. Examinantur autem causae semper emansionis, et cur, et ubi fuerit, et quid egerit. V. EMANEO et vocem sequent.

EMANSOR, oris, m. miles, qui ultra tempus commeatus ab imperatore impetrati abest a castris. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Emansor est, qui diu vagatus ad castra regreditur. *Arrius Menand. ib.* 5. Si emansor, aut negligens suorum etc. Alii leg. *remansor*, quam vocem vide suo loco. [*Adde *Claud. Saturn. Dig.* 48, 19, 16, 5. *Drak.* ad *Liv.* 30, 43, 4.] V. INFREQUENS.

EMARCĔO, es, ui, n. 2. et

EMARCESCO, is, n. 3. idem quod marceo, languidus fio. Translate. *Plin.* 15, 29, 36. Languida auctoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas. *Hieron. in Isajam* 5, 17, 4. Tunc omne praesidium, et pinguissimae carnes, et refugium emarcescet Jacob. V. etiam EMACEO.

EMARCUS, i, m. genus vitis, ita appellatum a Gallis, qui vinaceorum pedem expressum etiamnum *marc* vocant. *Colum.* 3, 2. *a med.* Tres Helvinaciae; earum altera, quam Galliarum incolae emarcum vocant, mediocris vini. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. Duo Helvenacae genera: major, quam quidam longam; minor, quam emarcum appellant.

EMARGINO, as, a. 1. crustas, et margines ulcerum adimo. *Plin.* 28, 9, 41. Sanguis equarum, praeterquam virginum, erodit, emarginat ulcera.

EMASCULATOR, oris, m. qui emasculat, corruptor, draucus. *Appul. Apol.* p. 321, 40. Emasculatoribus suis ad omnia infanda morigerus.

EMASCULO, as, a. 1. εὐνουχίζω, castro, virilitatem aufero. *Appul. Met.* 7. p. 198, 14. Dissitis femoribus emasculare asinum. V. DISSITUS. ℙ Translate est virum ineptum reddere generationi. *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 661. Sacerdotes herbis etiam quibusdam emasculabantur, unde jam coire non poterant.

EMATHIA, ae, f. Ἡμαθία, provincia Macedoniae, ad Or. quae etiam propria Macedonia dicitur, ab Emathione rege fratre Memnonis, qui fuit filius Aurorae, et Tithoni. Habet a Sept. Pelagoniam, et Mygdoniam, ab Aust. Thessaliam, ab Or. Pieriam, et sinum Thermaicum, ab Occ. mare Adriaticum. Sed aliqui Pieriam ei ad Aust. statuunt. *Plin.* 4, 10, 17. et *Capell.* 6. p. 211. ℙ A poetis pro tota Macedonia, item pro Thessalia, et Pharsalia usurpatur. *Virg. G.* 1, 492. et ibi *Serv.* ℙ [*Latius etiam *Emathiae* nomen sumitur de Thracia. V. *Ruhnk.* ad *Jul. Rufin. de fig. sent.* et *eloc.* p. 216.]

EMATHIS, ĭdis, adj. f. Ἡμαθίς, Emathia. *Lucan.* 6, 350. Emathis aequorei regnum Pharsalos Achillis. Et 580. Emathis tellus. ℙ *Emathides* sunt Pierides, filiae Pieri regis. *Ov. Met.* 5, 669. Rident Emathides.

EMATHIUS, a, um, adj. Ἡμάθιος, ad Emathiam pertinens. *Cornel. Sever.* ap. *Senec. Suas.* 7. Emathius Perses. *Ov. Met.* 5, 313. et *Lucan. initio operis.* Emathii campi. Sed *Ov.* Macedonicos, *Lucan.* Pharsalicos intelligit. *Stat. Silv.* 3, 2, 117. Emathii manes, *h. e.* Alexandri. Sic *Ov. Trist.* 3, 5, 39. Emathius dux, *h. e.* Alexander M. In illis *Lucani* 8, 531. Emathia acies. Et 9, 950. clades. Et 33. ruina. Et 245. Emathium ferrum etc., respicitur ad Pharsalicam pugnam, qua Pompejus a Caesare victus fuit. Apud *eund.* 10, 58. Emathia tecta sunt Alexandriae, cujus conditor Emathius seu Macedonius fuit. ℙ *Emathius vertex* est Pelion mons Thessaliae. *Virg. Cir.* 34. Emathio celsum duplicabat vertice Olympum, *h. e.* Pelion Olympo imponebat, ut apud *eund. G.* 1, 281. impositum fuit Ossae. ℙ [*Ponitur etiam pro *Thracius*, latiore significatione. *Lucil.* ap. *Jul. Rufin. de fig. sent.* et *eloc.* p. 216. Ventum prius Emathium tu, Ventum, inquam, tollas, ubi v. *Ruhnk.* — ℙ Confunduntur *Emathius*, et *Haematius.* V. *Ruhnk. l. c.*]

EMĀTŪRESCO, is, urui, n. 3. idem ac maturesco, vel perfecte maturesco. *Gell.* 2, 29. Et videsne, inquit, haec ematuruisse? *Plin.* 25, 4, 17. Si semen non ematuruit. ℙ Translate est mitescere. *Ov. Trist.* 2, 124. si modo laesi Ematuruerit Caesaris ira.

EMĀTŪRO, as, a. 1. maturum facio. *Eumen. Gratiar. act. ad Constant.* 10. Ver fruges elicit, calor ematurat.

EMAX, acis, adj. m. et f. ὠνητικὸς, cupidus emendi. *Cato R. R.* 2. *ad f.* Patremfamilias vendacem, non emacem esse oportet. *Cic. Parad.* 6, 3. Non emacem esse, vectigal est. *Ov. A. Am.* 1, 421. Institor ad dominam veniet discinctus emacem. ℙ Translate. *Pers.* 2, 3. non tu prece poscis emaci, Quae nisi seductis valeas committere Divis, *h. e.* quae emere potius a Diis videatur, quam petere bona, pollicendo iis donaria et victimas, si divitias et opes dederint.

EMBAENETĬCA. V. EMPENETICA.

EMBAMMA, ātis, n. ἔμβαμμα, intinctus, condimentum, quod ad condienda obsonia fit, et orexim excitandam: ab ἐμβάπτω, immergo, intingo. *Colum.* 12, 55. Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris. *Plin.* 20, 14, 53. Mentae sapor excitat aviditatem in cibis: ideo embammatum mixturae familiaris. *Id.* 22, 22, 44. Sonchos albus utilis orthopnoicis lactucarum modo, ex embammate. ℙ Embammatis faciendi rationem docet *Colum.* 12, 34. ut in BAMBATAE dictum est. Agitur autem ibi de aceto, musti certa mensura mixto, quoniam acetum in embammate praecipuum locum obtinet. Hinc *Ulp. Dig.* 18, 1, 9. Si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit, ut embamma. [*Adde *Ulp. Dig.* 33, 6, 9, 1. Si acetum quis legaverit, — embamma legato continebitur; quia aceti numero fuit.]

EMBASĪCOETAS, ae, m. ἐμβασικοίτης, cinaedus ita appellatus, quia virorum cubilia libidinis explendae causa inscendit: ab ἔμβασις, inscensus, et κοίτη, cubile. V. CINAEDUS. *Petr. Sat.* 24. Ad ultimam perductus tristitiam, Quaeso, inquam, domina, certe embasicoetam jusseras dari. Complosit illa tenerius manus, et, O, inquit, hominem acutum, atque urbanitatis vernulae fontem! Quid? tu non intellexeras cinaedum embasicoetam vocari? Adde *ib.* 26. ℙ Translate vero *embasicoetas* est etiam genus poculi capacioris, et in obscenam figuram formati, quod vini plenum exhauriebant veteres in conviviis ad promiscuae libidinis incitamentum: etenim temulenti plerumque solebant ἐμβαίνειν τὰς κοίτας. Huc pertinent loci *Juven.* 2, 95. vitreo bibit ille Priapo; et *Plin. prooem. l.* 33. In poculis libidines caelare juvit, ac per obscenitates bibimus. *Athenaeus* vero *l.* 11. *c.* 5. Τὸ καλούμενον ποτήριον ἐμβασικοίταν οὕτω φησὶ καλεῖσθαι φιλήμων ὁ Ἀθηναῖος. Hanc etiam vocis significationem respexisse videtur *Petr. l. c.*

EMBĀTER, eris, m. ἐμβατὴρ, ballistae foramen ita dictum, quia in illud aliquid ἐμβαίνει. *Vitr.* 1, 2., ubi alii aliter leg.

EMBĀTES, is, m. ἐμβάνης, modulus. *Vitr.* 4, 3. Graece: at Latine *Id.* 1, 2. sed dubia lectione. Est ab ἐμβαίνω, ingredior.

EMBLĒMA, ātis, n. ἔμβλημα, id quod alteri operi inseritur, atque illigatur, et opus ipsum, quod ex rebus insertis constat: ab ἐμβάλλω, conjicio, insero. Emblemata quaedam *vermiculata* dicuntur, ut quae in parietibus fiunt, quae minutis quibusdam veluti vermiculis distincta sunt: quaedam *tessellata*, ut quae in pavimentis, quae ex tessellis structa sunt: quaedam *segmentata*, ut quae in lignis, quae constant ex segmentis. Sed saepe confunduntur. *Lucil.* ap. *Cic. Or.* 44. et *Or.* 3, 43. Quam lepide lexes compostae, ut tesserulae omnes Arte pavimento, atque emblemate vermiculato. *Cic. Brut.* 79. Nullum nisi loco positum, et tanquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres. [*Varro R. R.* 3, 2, 4. Num quod emblema aut lithostrotum.] ℙ Emblemata etiam ornamenta sunt in vasis argenteis, aureis, Corinthiis, quae et inseri, et eximi poterant: de quibus V. CRUSTA. [*V. *Salm.* ad *Solin.* p. 736.] *Cic. Verr.* 2, 4, 23. *extr.* Vasa autem ad Verrem deferuntur, Cibyratae fratres vocantur, pauca improbant; quae probarent, iis crustae, aut emblemata detrahebantur. *Id. ib.* 22. Duo pocula cum emblematis. Et 17. Scaphia cum emblematis. Et 24. Tantam multitudinem collegerat emblematum. Et *ib.* Scite in aureis poculis emblemata illigare, et apte in scyphis aureis includere. [*Ulp. Dig.* 34, 2, 19, 5. Quaeritur, si cui argentum legitur, an emblemata aurea, quae in eo sunt, eum sequantur. *Paul. Dig.* 34, 2, 32, 1. Aurea emblemata, quae in absidibus argenteis essent, et replumbari possent. Ex quo loco discimus, plumbatura, non ferruminatione juncta fuisse. — Ceterum in hunc sensum Latini adhibent *sigillum;* sed post Ciceronis aetatem vox *emblema* magis frequentata est, animadvertente *Ernest.* ad *Suet. Tib.* 71. Cf. *Salm.* ad *Solin.* p. 736. Apponam ipsa *Suet.* verba: In quodam decreto patrum, quum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuit vocem et pro peregrina nostratem requirendam, aut, si non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam. Poterat, ut videmus, *sigillum* dici. Aliter circumscripsit *Ulp. Dig.* 34, 2, 19, 13. accessio, quae rei ornandae causa adhibetur.] ℙ Metaphorice ponitur pro ornamento orationis. *Quint.* 2, 4. *a med.* Ut extemporales eorum dictiones his velut emblematis exornarentur. ℙ Quidam teste *Celso* ap. *Prisc.* 6. p. 680. dixerunt *emblematum*, *i:* unde est dativus et ablativus pluralis *emblematis* in allatis exemplis. Sed verius est, hujusmodi nomina in dativo plurali esse heteroclita. Sic *peripetasmâtis*, *poematis*, *toreumatis*, *malagmatis*, *epigrammatis* etc. V. POEMA.

EMBOLĀ, ae, f. ἐμβολὴ, illatio mercium in naves: ab ἐμβάλλω, injicio, navibus infero. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 1, 2, 10. Jubemus nullam navem, ante felicem embolam, vel publicarum specierum transvectionem, excusari posse, *h. e.* antequam navibus imponantur, et transvehantur publicae species, et annonae, quae quotannis ex Aegypto Romam onerariis navibus portabantur. [*Novell.* 163, 2. Embola ita definitur: annua specierum transmissio, ut in condito et ad militares sumtus habeantur.]

EMBOLIĀRIA, ae, f. mulier scenica, quae mediae fabulae interseri, atque introduci solebat, ut cantu et gesticulationibus spectatores novo artificii genere oblectaret, embolia agitando, quae Itali dicunt *intermezzi.* *Plin.* 7, 48, 49. Galeria Copiola emboliaria reducta est in scenam annum centesimum quartum agens. *Inscr.* ap. *Murat.* 660, 4. Phoebe Vocontia emboliaria artes omnium erudita vixit annis XII. Sic alia apud *Grut.* 655, 1. Eucharis Liciniae L. docta erudita omnes artes virgo vixit an. XIIII. V. EMBOLIUM. ℙ Frustra itaque sunt, qui apud *Plin. l. c.* putant *Emboliaria*

esse alterum feminae illius cognomen; vel quibus *emboliaria* est eadem ac meretrix, quae in porticu, sive ἐν τῷ ἐμβόλῳ degeret, sicut aliae erant, quae in fornicibus prostabant; vel tandem qui *empolaria* legunt, ab ἐμπολή, lucrum, quasi vero significetur mulier scenica, quae corpore quaestum faceret.

EMBOLĬCUS. V. ANABOLICUS.

EMBOLĬMAEUS, a, um, adj. ἐμβολιμαῖος, intercalaris, insertus, interpositus. *Embolimaeus dies* est, qui anno bissexto, Februario exeunte interseri solet: qua de re *Macr. Sat.* 1, 13. et *Solin.* 1. *ante med.* fuse disserunt. *Auson. Eclog. de rat. dier. ann. vertent.* 12. quinto qui protinus anno, Mense Numae extremo, nomen capit embolimaei. [*V. *Scalig. de Emend. Temp.* 1.]

EMBOLĬMUS, a, um, adj. idem quod embolimaeus, ἐμβόλιμος. *Solin.* 1. *ante med.* [*Macr. *Sat.* 1, 13.]

EMBŌLIUM, ii, n. ἐμβόλιον, pars fabulae, cum aliquid eidem interponitur: ab ἐμβάλλω, intersero. [*V. *Salm.* ad *Vopisc.* 42. *Tom.* II. p. 530.] Translate est quidquid alicui operi interseritur. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *sub f.* Mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere. *Id. Sext.* 54. *de Clodio.* Ille ipse maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama, qui omnia sororis embolia novit. Hic *Cic.* respicit embolia fabularum; ludit autem tecte et ambigue, nam, quia ἐμβόλιον est quidquid extrinsecus inseritur et immittitur, traductum est hoc verbum ad significandum pudendum virile, uti docet *Hesych.* ex *Aristoph.* loco in V. Ἔμβολον. Itaque *omnia sororis embolia novit* est acute dictum pro *amores* seu *amatores sororis*, quos inter ipse erat Clodius.

EMBŌLUM, i, n. ἔμβολον, ornamentum in summa prorae navis, quod Latine rostrum dicitur: ab ἐμβάλλω, injicio, quia prorae immittitur et infigitur. *Petr. Sat.* 30. In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis aeneum finiebat.

EMBŌLUS, i, m. ἔμβολος, paxillus, cuneus, aut aliud quippiam, quod in foramen aliquod immitti, inducique ac reduci potest: qualia sunt, quibus clysteres injiciuntur a medicis. Tale quiddam est illud, de quo in descriptione machinae Ctesibicae ad extollendam aquam. *Vitr.* 10, 12. Ita de supernis in modiolis emboli masculi, torno politi, et oleo subacti, conclusique regulis, et vectibus convolvuntur, qui ultro citroque frequenti motu prementes aerem, cogunt et extrudunt aquam in catinum.

EMBRACTUM. V. EMPHRACTUS.

EMĒATUS, a, um, part. ab *emeo*, emensus. *Ammian.* 29, 5. Emeato mari cum classe, quam ductabat, defertur ad Mauritaniae litus.

EMĒATUS, us, m. idem quod meatus. *Ammian.* 17, 4., ubi alii legunt *meatus.*

EMĔDĪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *emeditor*, valde meditatus, passive. *Appul. Met.* 2. p. 126, 39. Emeditatis ad haec illa fletibus, quam sanctissime adjurans etc.

EMĔDULLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *emedullo*, cui medulla est extracta. *Plin.* 22, 22, 43. Graveolentiam alarum emendat radicis emedullatae uncia. ℙ Translate. *Sid. ep.* 8, 6. Virtutes artium per aetatem mundi jam senescentis, lassatis veluti seminibus, emedullatae parum aliquid hoc tempore mirandum ac memorabile ostentant, [**h. e.* enervatae, vigore suo et vitali robore privatae. *B. A.*]

EMENDĀBĬLIS, e, adj. qui emendari potest. *Liv.* 44, 10. In errorem emendabilem lapsus. *Senec. Clem.* 7. Aliquem verbis tantum admonebit, aetatem ejus emendabilem intuens.

EMENDĀTĒ, adv. ἐπανορθωτικῶς. *Cic. opt. gen. or.* 2. Pure et emendate loquentes, quod est Latine. *Vitr.* 10, 11. Emendate descriptus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. Capillum non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituisset.

EMENDĀTĬO, onis, f. ἐπανόρθωσις, correctio. *Cic. Fin.* 4, 9. Haec est correctio philosophiae veteris et emendatio. *Quint.* 2, 4. Ingenia puerorum nimia emendationis severitate deficere. *Id.* 1, 5. Soloecismus unius emendatione verbi corrigi potest. [**Cic. Acad. fr.* Emendatio temeritatis.] *Plin.* 8, 51, 78. Emendatio morum. *Alter Plin. ep.* 1, 8. Emendatio libri. ℙ [*Item castigatio. *Claud. Saturn. Dig.* 48, 19, 16, 2. Verbera, a magistro allata vel parente, emendationis, non injuriae gratia videntur adhiberi. V. *Emendo.*] ℙ Est etiam inter exornationes rhetoricas, scil. species quaedam praesumptionis, sive προλήψεως. Emendationem enim vocat *Quint.* 9, 2. *ante med.* si quis dicat: *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum evectus.*

EMENDĀTOR, oris, m. ἐπανορθωτής, corrector. *Cic. Balb.* 8. et 2. *Phil.* 17. O praeclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostrae civitatis! *Id. Brut.* 74. Emendator sermonis. *Plin. Pan.* 6. Corrector emendatorque disciplinae castrorum. *Id. ep.* 6, 5. Emendator senatus *Id. ep.* 7, 17. *a med.* Timor est emendator acerrimus.

EMENDĀTŌRĬUS, a, um, adj. emendandi vim habens, purgatorius, ut emendatorius ignis, *Aug. in Psalm.* 27. *post in.* [*Adde ejusd. *Epist.* 109.]

EMENDATRĬX, icis, f. ἐπανορθοῦσα, correctrix. *Cic. Leg.* 1, 22. Vitiorum emendatricem legem esse oportet. *Id. Tusc.* 4, 32. Poetica, emendatrix vitae.

EMENDĀTUS, a, um, part. ab *emendo*, mendis carens, politus, perfectus, ἐπανορθωθείς. *Cic. Brut.* 74. Emendata locutio et Latina. *Id. Amic.* 17. Emendati mores. *Petr. Sat.* 126. Mulier omnibus simulacris emendatior. [V. *Gron.* ad *Sen. Ir.* 1, 5.] *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 35. Callimachi sunt saltantes Lacaenae, emendatum opus. *Plin. alter ep.* 8, 22. Ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet. *Id. ep.* 3, 3. Vir emendatus et gravis. *Hor. Ep.* 1, 16, 30. Sapiens et emendatus vir. *Ulp. Dig.* 4, 3, 11. Homo vitae emendatioris. *Quint. ep. ad Tryphon.* Ut libri in manus hominum quam emendatissimi veniant. *Id.* 1, 6. Verba barbara ab emendatis discernere. *Id. ib.* 4. Emendata lectio. *Id.* 11, 3. Emendata vox erit, idest vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Aquae corrivatae, atque emendatae.

EMENDĪCĀTUS, a, um, part. ab *emendico*, mendicando impetratus, precarius, ᾐτημένος. *Suet. Caes.* 54. A sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium aeris alieni. *Imppp. Valent. Gratian. et Theod. Cod.* 9, 2, 14. Emendicatis uti suffragiis. [*Saepius ita ponitur in *Cod. Theod.*, ut dignitas emendicata, insignia consularium emendicata, gratia emendicata. V. *Heinecc.* ap. *Briss. de Form.*]

EMENDĪCO, as, a. 1. ἐπαιτέω, more mendicantium aliquid peto. *Suet. Aug.* 91. Stipem quotannis die certo emendicabat a populo.

EMENDO, as, avi, atum, a. 1. ἐπανορθόω, a menda, *h. e.* culpa et vitio purgo, corrigo. *Cic. Att.* 2, 16. *ad f.* Me rogat, ut annales suos emendem, et edam. *Id. Brut.* 75. Caesar rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. *Id. Mur.* 29. Conformare, et leviter emendare aliquid. *Id. Leg.* 3, 13. Ut cupiditatibus principum et vitiis inici solet civitas; sic emendari et corrigi continentia. *Nep. Them.* 1. Vitia adolescentiae multis emendare virtutibus. *Colum.* 6, 2. *a med.* Fame et siti cubitorem bovem emendare. *Hor. Ep.* 2, 1, 3. Emendare legibus res Italas. *Id. Sat.* 2, 8, 84. fortunam arte. *Ov. Fast.* 4, 596. facta priora novis. *Id. Medic. fac.* 5. Cultus et in pomis succos emendat acerbos. *Plin.* 17, 5, 3. Terram terra emendari, super tenuem pingui injecta. *Prop.* 3, 20, 25. Emendare animum. ℙ Saepe est vitia corporis tollere, curare, sanare. *Plin.* 32, 7, 24. Emendare albugines oculorum. *Id.* 20, 13, 50. dolores capitis et alopecias. Et 24, 10, 47. dysentericos et alvum. Et 20, 16, 62. tussim. Et 36, 21, 42. cicatrices. Et 20, 5, 20. sonitum et gravitatem aurium. Et 28, 8, 27. sterilitatem etc. ℙ Significat etiam punire. *Lampr. Alex. Sev.* 51. Idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, *h. e.* cum fustibus aut virgis aliquem coerceret. [**Papinian. Dig.* 1, 16, 9, 3. Poterit similiter et libertum non obsequentem emendare aut verbis aut fustium castigatioue. *Lact. de mort. persequut.* 22. Domestici et administratores lancea emendabantur.] ℙ Part. *Emendans* ap. *Plin. ep.* 9, 36. Cogito ad verbum scribenti, emendantique similis. *Emendaturus* ap. *Hor. Sat.* 2, 8, 85. Arte emendaturus fortunam. *Emendandus* ap. *Plin. ep.* 5, 13. Ipse praeterea quaedam emendanda annotavi.

EMENSUS, a, um, part. ab *emetior*, passiva significatione. *Liv.* 21, 30. Postquam multo majorem partem itineris emensam cernant. [V. *Drak.* ad *Liv.* 38, 17, 16.] *Val. Fl.* 5, 181. cuncti pariter loca debita noscunt, Signaque commemorant, emensasque ordine gentes. *Id.* 4, 350. Exsilia pelagus emensa juvencae, *h. e.* errores Jus mare tranantis sub forma vaccae: *juvencae* dativus est. *Appul. Met.* 9. *sub f.* Emensis protinus scalis. ℙ Alio sensu *Senec. Q. N.* 4, 4. Poteram me, peracta quaestione, dimittere: sed bene emensum dabo, *h. e.* quasi cumulatam mensuram. ℙ Activa significatione. V. in EMETIOR. ℙ [*Saepe confunduntur *Emensus* et *emersus.* V. *Duker.* ad *Flor.* 3, 10. *Drak.* ad *Liv.* 2, 9, 6.]

EMENTĬOR, iris, itus sum, dep. 4. ψεύδομαι, idem quod mentior, vel palam mentior. *Cic. Part.* 14. Alii ementiti sunt in eos, quos oderant. *Id. Div.* 1, 9. Videmus haec signa nunquam fere ementientia. *Quint.* 8, 6. *ad f.* Hyperbole est ementiens superjectio. ℙ Cum accusativo, aut infinito adhibetur pro simulare, fingere, comminisci, excogitare quod non est. *Cic. Dom.* 19. Me non esse ementitum auctoritatem hujus ordinis. *Id. Balb.* 2. Furari civitatem, genus suum ementiri. *Petr. Sat.* 82. Constantissime centurionem et legionem ementitus. *Liv.* 25, 3. Ementiri falsa naufragia. *Cic. Planc.* 30. Eo me beneficio obstrictum esse ementior, cui ne referri quidem gratia posse videatur? *Curt.* 7, 5. Jussu Alexandri fecisse ipsos, ementiti. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 8, 5.] ℙ Part. *Ementiendus* ap. *Liv.* 9, 18. Piget referre vanitatem ementiendae stirpis. ℙ [*Confunduntur *Ementiri* et *mentiri.* V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 8, 5.]

EMENTĪTUS, a, um, part. ab *ementior*, pass. signif. ἐψευσμένος. *Cic. Phil.* 2, 35. Quod me de ementitis auspiciis putares esse dicturum. *Id. N. D.* 2, 21. Ementita, et falsa, et plena erroris. *C. Memm.* ap. *Prisc.* 8, 793. Quam stulte conficta, quam aperte ementita sunt.

[EMENTUM, i, n. enunciatum, quod nempe a mente proficiscitur, ut commentum, quod cum mente volvitur. *Gloss. Isid.* Ementum, excogitatio. V. EMINISCOR. *F.*]

[EMĔO, as, n. 1. extra meo. *Not. Tir.* p. 131. Meat, emeat. *F.*]

[EMERCĀTUS, a, um, part. ab *emercor*, activae significationis. *Tac. A.* 16, 1. Principis aditum emercatus. ℙ Significationis passivae, emptus *Ammian.* 26, 2. Id frustra creditum videbatur, quod non emercati, sed consoni totius multitudinis paria volentis clamores audiebantur. *F.*]

EMERCOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod mercor. *Tac. A.* 13, 44. Ingentibus donis adulterium, et, ut omitteret maritum, emercatur. [**Id. A.* 12, 45. Avaritiam praefecti emercatur, i. e. avarum hominem pretio inducit.] ℙ Passiva significatione. *Ammian.* 21, 6. Armeniae, et Hiberiae reges cultu ambitioso indumentorum emercabantur et multiformibus donis, damna negotiis Romanis illaturi, si rebus tunc etiam dubiis descivissent ad Persas. [*Adde *Amm. Marc.* 2, 6, 2.]

EMĔRĔO, es, ui, itum, a. 2. idem quod mereo, περιποιοῦμαι. *Pl. Aul.* 4, 10, 5. Quid ego emerui, adolescens, mali? *Cic. Att.* 6, 2. *circa med.* Annuae mihi operae a. d. tert. Cal. Sext. emerentur, *h. e.* annuam administrationem claudo. Respicit autem ad loquutionem *emereri stipendia*, de qua V. EMERITUS. ℙ Cum infinito. *Ov. A. Am.* 3, 409. Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi. *Id. Fast.* 4, 58. Emeruit vocis habere fidem. ℙ Pro lucrari. *Gell.* 6, 7. Acca corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uberem. ℙ Pro demereri, promereri, hoc est gratiam inire beneficium dando. [**Quint. Inst.* 4, 1, 2. Citharoedi prooemium emerendi favoris gratia canunt.] *Ov. Amor.* 2, 8, 24. Unum est e dominis emeruisse satis. *Id. Trist.* 4, 8. *extr.* At vos admoniti nostris quoque casibus este, Aequantem Superos emeruisse virum. Adde *Tibull.* 1, 10, 60. et *Val. Max.* 5, 2. *in f.* [*V. *Heins.* ad *Ov. A. Am.* 3, 409.] — ℙ [*Confunduntur *Emerere* et simplex *merere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 27, 11, 14.]

EMĔRĔOR, eris, itus sum, dep. 2. μισθοδοτοῦμαι, dignus fio re aliqua, commereo, lucror. *Quintil. initio prooem. l.* 4. Altior mihi sollicitudo, quale judicium hominum emererer, accessit. ℙ *Emeritus stipendia.* V. EMERITUS.

EMERGO, is, ersi, ersum, n. 3. ἀναδύομαι, est ejus, qui in aqua mersus, rursus exit, exsisto, evado, exeo e profundo. *Cic. N. D.* 2, 49. Aves, quae se in mari mergerent: quae cum emersissent, etc. *Id. Divin.* 2, 31. Equus ex flumine emersit. *et* 1, 33. Ab infima ara subito anguis emersit, *h. e.* ab infima ara emersit e terra. *Plin.* 13, 18, 32. Emergere extra aquam. *Liv.* 22, 3. de paludibus. ℙ *Emergere se* est exire, eo modo, quo *erumpere se* dicimus. [*Nempe proprie emergere, ut simplex mergere, activum est et cum accusativo construitur. *Drak.* ad *Sil.* 7, 413. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 3, 3, 30.] *Cic. Har. resp.* 25. *extr.* Ista serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit, et fertur illuc. *Sever. Aetn.* 118. torrentem imo se emergere hiatu. *Manil.* 5, 197. Cum jam vicesima Cancri, Septimaque ex undis pars sese emergit in astra. *Avien. Perieg.* 126. qua se lux rursus Eoa Emergit pelago. ℙ Sol etiam et stellae emergere dicuntur, quia e mari exoriri videntur. *Plin.* 2, 14, 11. Stellae emergunt. *Tac. Germ.* 45. Sol emergens. *Val. Flacc.* 5, 1. Lux emersit Olympo. *Cic. Arat.* 2. *N. D.* 44. sese ostendens emergit Scorpius alte. ℙ Pro oriri, nasci. *Plin.* 11, 51, 112. Antequam totus infans emergat utero. *Id.* 21, 17, 66. Emergit flos ex caule. *Id.* 10, 52, 74. Ova emergunt. *Id.* 2, 82, 84. Ventus emersit. *Id.* 31, 4, 30. Fontes amnesque emergunt. *Cic. Sen.* 15. Viriditas herbescens vaginis includitur, e quibus cum emerserit, etc. *Colum.* 11, 3. *a med.* Si radix super terram emerserit. ℙ Et universim pro ascendendo exire, egredi. *Cic. Manil.* 3. Ut se non Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno. *Id. Att.* 2, 12. Emerseram commode ex Antiati in Appiam ad tres tabernas, cum, etc. *Ov. Met.* 14, 155. Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem Troius Aeneas. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 23. Posteaquam emergere coepit auctoritas vestra e fluctibus illis servitutis. *Id. Vatin.* 9. Emergere ex mendicitate. *Id. Verr.* 2, 1, 5. ex judicio

peculatus. Et *ib.* 5, 69. ex paternis probris ac vitiis. *Id. Att.* 5, 8. incommoda valetudine. Et 10. ex aliquo negotio. *Id. Coel.* 21. Emersit jam e vadis, et scopulos praetervecta esse videtur oratio mea. *Id. Verr.* 2, 4, 58. Cum multa ex illo mari bella emerserint. *Id. Att.* 9, 10. Nunc emergit amor: nunc desiderium ferre non possum. *et* 6. *a med.* Deinde emergit rursum dolor. *Ulp. Dig.* 14, 4, 6. *extr.* Si forte alii creditores emerserint. et 7. Si aliud domini debitum emerserit. [**Ulp. Dig.* 47, 10, 5, 11. Publica utilitas ex his emergit.] ℙ Et cum accus. [*V. supra ad §. 2.] *Nep. Att.* 11. Quibus ex malis ut se emersit, etc. *Ter. Andr.* 3, 3, 30. Spero ex illis sese emersurum malis. ℙ Passive impersonaliter. *Id. Ad.* 3, 2, 3. Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest. ℙ Eleganter dicitur de iis, qui a vitiosa vita abstrahuntur, et ad bonam frugem reducuntur. *Cic. Coel.* 12. Multos vidi, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse. [**Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 3, 3, 30. ad *Vell. Pat.* 2, 91.] ℙ Item de iis, qui ex paupere, aut obscuro statu ad divitias aut honores, opesque ascendunt. *Id. Att.* 6, 2. Nullus in imperio meo sumptus factus est: hac re incredibile est, quantum civitates emerserint. *Vell.* 2, 65. Cum Antonius Caesarem admoneret, quam inimicae ipsi Pompejanae partes forent, et in quod jam emersissent fastigium. *Lucret.* 2, 13. Emergere ad summas opes. *Juven.* 3, 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. [**Interpp.* ad *Flor.* 3, 10.] ℙ Pro elucere, apparere. *Cic. Cluent.* 65. Hoc uno modo saepe multorum improbitate depressa veritas emergit. *Id. Off.* 1, 31. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud. [**Flor.* 4, 1, 6. Emergit indicium sceleris.] ℙ Active *emergere aliquid* est prodere, edere, palam facere, emittere. *Ov. Fast.* 3, 367. Dum loquitur, totum jam sol emerserat orbem. Al. aliter leg. *Manil.* 1, 116. Ut possim rerum tantas emergere moles

[ĒMĒRĪTĀNUS, a, um, adj. idem ac Emeritensis. *Inscr.* ap. *Murat.* 1550, 1. Narbonia Calephasis Emeritana. *F.*]

ĒMĒRĪTENSIS, e, adj. ad Emeritam pertinens, quae est urbs Hispaniae ulterioris, seu Lusitaniae, cognomine Augusta, quia ab Augusto colonia deducta fuit, ad Anam fluvium, nunc *Merida. Plin.* 4, 22, 35. Emeritensis conventus. *Inscr.* ap. *Grut.* 13, 16. Emeritensis colonia. Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 426, 5. D. M. S. Januarii Venusti Emeritensis. ℙ *Emeritenses* ejus urbis incolae. *Tac. H.* 1, 78.

ĒMĒRĪTUM, i, n. commodum, praemium, merces, quae datur militibus post expletum militiae tempus. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Qui militiae tempus in desertione explevit, emerito privatur. Et *mox.* Si expleto tempore militiae redeat, ut veteranus restituetur, et emerita accipiet. Ex *Dione* 55, 23., et *Suet. Cal.* 44. constat, legionariis militibus per viginti annorum stipendia, duodecim millia sestertiorum fuisse concessa praemii loco. [**Cf. Interpp.* ad *Suet. Aug.* 24.]

ĒMĒRĪTUS, a, um, part. ab *emereor*, qui meruit. *Miles emeritus stipendia*, et *emeritus* absolute, est qui militiae tempora explevit, et suo munere plene perfunctus, vacationem militiae jam habet, ἀποστρατευάμενος, quod fere post annum vicesimum militiae ei concedebatur, ut ex *Tac. A.* 1, 78. colligitur. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 10. Cornelium fortissime stipendia emeritum vinculis oneravit. *Lucan.* 1, 344. Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur, Quae noster veteranus aret? quae moenia fessis? *Ov. Trist.* 4, 8, 21. Miles ut emeritis non est satis utilis annis, *h. e.* annis, quibus a militia est solutus, non est bello utilis, quia senex est. [**Heins.* ad *Ov. Met.* 15, 186. *Burm.* ad *Prop.* 2, 5, 27.] ℙ Eleganter transfertur ad eos omnes, qui plene suo munere functi sunt. *Plin.* 11, 11, 11. Apes fessae, et jam emeritae. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 24. Palmes emeritus, pluribusque induratus annis. *Ov. Fast.* 1, 665. Emeritum aratrum. *Juv.* 6, 497. Emerita acus. *Mart.* 10, 85. Emerita puppis. *Prop.* 4, 11, 72. Rogus emeritus, *h. e.* qui ardere desiit, absumpto cadavere. *Stat. Silv.* 3, 1, 58. ipsa coronat Emeritos Diana canes. *Senec. Thyest.* 797. Solis currus emeritos solvere, *scil.* nocte adventante. Sic *Ov. Fast.* 4, 688. Dempserat emeritis jam juga Phoebus equis. Et *Stat. Theb.* 1, 336. emeriti confinia Phoebi, *h. e.* occidentis. *Mart.* 7, 63. Emeritos Musis et Phoebo tradidit annos, *h. e.* annos, quos in forensi palaestra insumpserat, et causas agere desierat. ℙ Absolute de eo, qui bene est de aliquo meritus. *Ov. Pont.* 1, 7, 61. emeritis referenda est gratia semper. ℙ Passive *emerita stipendia* sunt peracta, confecta, finita. *Liv.* 39, 19. Ut P. Aebutio emerita stipendia essent. *Suet. Cal.* 44. Commoda emeritae militiae. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 43, 10.] ℙ Et translate. *Cic. Senect.* 14. Animum, tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, cupiditatum omnium, secum esse, secumque vivere. *Id. Att.* 6, 5. Etsi annuum tempus prope jam emeritum habebamus, *h. e.* prope confeceramus annum administrationis provinciae. *Senec. Agamemn.* 908. Emeritus dies. *Ov. Fast.* 3, 43. emeriti cursus. *Lucan.* 3, 622. emerita jam morte. ℙ Dicitur et de his, quae virtuti debentur. *Sil.* 7, 19. emerito sacrum caput insere coelo. Adde 11, 464., *Manil.* 1, 404. et *Sidon. carm.* 2, 209.

ĒMERSUS, a, um, part. ab *emergo*, qui emersit. *Cic. Div.* 2, 68. Emersus e flumine. *Liv.* 1, 13. Equus emersus e profunda palude. *Tac. A.* 1, 65. Emersus paludibus. *Ov. Fast.* 3, 399. Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes. *Id. Halieut.* 35. emersus in auras polypus. ℙ Translate. *Cic. Vatin.* 7. Homo emersus e coeno. *Id. Sext.* 9. subito e tenebris lustrorum. *Liv.* 8, 7. *ad f.* ab admiratione animus. ℙ [*Saepius confunduntur *Emersus* et *Emensus*. V. *Duker.* ad *Flor.* 3, 10. *Drak.* ad *Liv.* 2, 9, 6. Porro *Emersus* et *Eversus*. *Gron.* ad *Sen. N. Q.* 3, 11.]

ĒMERSUS, us, m. emergendi actus. *Plin.* 18, 25, 58. *de ortu et occasu heliaco.* Emersum hoc melius, quam exortum, consuetudo dixisset, et illud occultationem potius, quam occasum. (Adde *Colum.* 7, 3. *ad f.*) *Vitr.* 10, 22. Neque certum locum scire poterant, quo emersum facturi fuissent hostes. *Plin.* 9, 22, 38. Ad emersus fluminis Mincii, *h. e.* ubi Mincius e lacu Benaco exit. *Id.* 22, 22, 46. Ab emersu serpentium usque ad latebram, *h. e.* ab eo tempore, quo emergunt e terra serpentes, usque ad illud, quo se condunt.

*EMESA, ae, urbs Coelesyriae. *Plin. H. N.* 5, 23. Eadem dicitur etiam *Emessa*, ut scriptum extat apud *Vopisc. Aurel. Obr.* 25. et *Emissa*. V. *Interpp.* ad *Avien. descr. orb.* 1085. *Eckhel. doctr. num. Tom.* III. p. 311.

ĒMĒTĬCA. V. EMPENETICA.

ĒMĒTĬOR, iris, ensus sum, dep. 1. proprie est idem quod metiri, vel usque ad extremum metiri. *Virg. A.* 10, 772. Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae. *Gell.* 16, 18. Longitudines et altitudines vocis emetiri. ℙ Saepius sumitur pro conficere viam, et quasi metiendo percurrere. *Liv.* 31, 24. Hemerodromos vocant Graeci, ingens die uno cursu emetientes spatium. [**Gron.* ad *Liv.* 38, 17, 16.] *Virg. A.* 11, 244. Atque iter emensi casus superavimus omnes. *Id. ib.* 5, 627. Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa, Sideraque emensae ferimur. *Plin.* 7, 20, 20. Longissimum iter vehiculis tribus emensus. *Sil.* 4, 53. Ingentesque duces, pelagi, terraeque laborem Diversum emensi. [**Tac. Hist.* 1, 49. Galba tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus.] ℙ Aliquando pro praestare, largiri, quasi metiendo cumulare, tradere, *Hor. Sat.* 2, 2, 104. cur, improbe, carae Non aliquid patriae tanto emetiris acervo? *Cic. Brut.* 4. Illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis: ego autem voluntatem tibi profecto emetiar: sed rem ipsam nondum posse, video.

ĒMĒTO, is, a. 3. idem quod meto, vel metendo effero ex agris. *Hor. Ep.* 1, 6, 21, Ne plus frumenti dotalibus emetat agris.

*EMĒUM, i, appidum Aethiopiae sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

ĒMĬCANS, antis, part. ab *emico*, cum impetu, et celeritate exsiliens, repente existens. *Liv.* 44, 10. Qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. *Plin.* 2, 93, 95. Ignium tot locis emicantium perpetua tot saeculis incendia. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 1. Scatebra fonticuli semper emicans. *Id.* 19, 8, 42. Asparagus viret thyrso emicante. *Quint.* 8, 5. *a med.* Scintillae inter fumum emicantes. ℙ Item existens, se attolens, eminens. *Tertull. adv. Hermog.* 29. Segregatis aquis in cavatiorem sinum, emicantior facta est arida, quae ante aquis tegebatur.

ĒMĬCĀTIM, adv. emicando, exsiliendo. *Sidon. ep.* 2, 13. *sub f.* Emicatim prosiliens refugit divitias.

ĒMĬCĀTĬO, onis, f. actus emicandi, et sese attollendi. *Appul. de Mundo.* p. 71, 29. Torrentium cursus, et humores undarum, emicationesque silvarum.

ĒMĬCO, as, cui, n. 1. ἐκπηδάω, extra mico, exsisto, erumpo, exco. *Virg. A.* 6, 6. juvenum manus emicat ardens Litus in Hesperium. Et *ib.* 5, 318. Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat, et ventis, et fulminis ocior alis. *Ov. Met.* 10, 652. carcere pronus uterque Emicat. *Val. Fl.* 6, 550. Emicat in Sueten, [*i. e. saltum dat. V. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 6, 423.] *Virg. A.* 12, 327. saltuque superbus Emicat in currus. *Plin.* 12, 5, 11. Superiores rami in excelsum emicant. *Colum.* 4, 20. *extr.* Vitis emicat in jugum. *Ov. Met.* 15, 248. dempto quoque pondere, rursus In superos aer tenuissimus emicat ignes. *Virg. A.* 2, 174. *de Palladio.* terque ipsa solo (mirabile dictu) Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem. Ubi *Servius:* exsiluit, quasi quae consistebat invita, locumque damnaret. *Vell.* 2, 50. Cum mucronem gladii admovisset mammillae, ad eum ipsum locum, qua cor emicat. i. e. palpitat. *Pl. Aul.* 4, 3, 4. Cor emicat in pectus. *Plin.* 11, 37, 77. Dracones emicuisse de extis. *Id.* 2, 65, 66. Aqua spiritu acta, et terrae pondere expressa, siphonum modo emicat. *Liv.* 44, 33. Scaturigines aquae emicabant. *Ov. Met.* 9, 130. sanguis per utrumque foramen Emicuit. *Lucr.* 4, 1042. illam Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu. [**Col. R. R.* 4, 13, 1. Nux posita celeriter emicat, i. e. supra terram emergit.] *Plin.* 27, 8, 46. Multi calami ex una radice emicant, i. e. erumpunt. *Petr. Sat.* 126. Emicuere rosae, violaeque, et repente flamma emicuit. *Lucan.* 1, 532. Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit coelo. *Curt.* 8, 4. Ab omni parte coeli emicare fulgura. *Liv.* 44, 10. Saxis tormento emicantibus percutiebantur. *Ov. Met.* 15, 67. emicuit nervo penetrabile telum. *Val. Fl.* 1, 655. Emicuit dies, i. e. apparuit. Et 4, 96. Sol emicuit super terras. *Senec. Oedip.* 232. Emicat vasto fragore major humano sonus. ℙ Translate. *Senec. ep.* 79. *a med.* Cum *(animus)* vitia disjecerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. ℙ Ponitur et pro eminere, altum esse, excellere. *Ov. Met.* 9, 226. in Euboici scopulus brevis emicat alti Gurgite, i. e. tollitur. *Val. Fl.* 6, 595. Aspicis, ut Minyas inter, proceresque Cytaeos Emicet effulgens. ℙ Et pro elucere, splendere. *Suet. Cal.* 46. Altissimam turrim excitavit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent. ℙ Translate. *Tac. A.* 13, 16. Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis quamvis vultu premeretur, emicuit, ut etc. *Justin.* 2, 9. Inter ceteros Themistoclis gloria emicuit, *h. e.* exstitit, effulsit. *Curt.* 7, 6. *a med.* In queis et magnitudinem animi, et claritatem rerum longe emicuisse credebat. *Plin.* 13, 11, 40. *n.* 25. Emicuit longe ante omnes Euphranor. Plerique alii cum *Harduino* leg. *eminuit. Solin.* 1. *a med.* Milon Tarquinii Prisci temporibus emicuit, *h. e.* floruit. *Ammian.* 22, 16. *a med.* Inter quos Chalcenterus emicuit Didymus. Utroque loco alii leg. *eminuit*, aut *enituit.* ℙ *Quint.* 1, 6. reprehendit eos, qui *emicavit* dicere malebant, quam *emicuit*, analogiam nimis religiose secuti.

ĒMIGRĀTĬO, onis, f. actus emigrandi, commigratio, ἐξοίκησις. *Ulp. Dig.* 39, 2, 28. Detrimentum propter emigrationem inquilinorum.

ĒMIGRO, as, avi, atum, n. 1. idem ac migro, extra migro, commigro, abeo, ἐξοικέω. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. [*Verba sunt haec: Hospitium ei renuntiat; domo ejus emigrat atque adeo exit, nam jam antea migrarat; ubi *emigrare* intellige cum *Ern.* sic, Verrem primum suam supellectilem exportari jussisse, tunc eundem *exiisse*, i. e. discessisse ut qui nunquam postea reversurus esset.] *Caes. B. G.* 1, 31. *ad f.* Emigrare domo. [*Ubi *emigrare* eodem modo de iis dictum est qui cum omnibus rebus suis e patria discedunt.] *Cic. Verr.* 2, 5, 12. e domo. [*In *Dig.* libris *emigrare* saepe dicuntur, qui ante finitum conductionis tempus habitationem derelinquunt. *Alfen. Dig.* 19, 2, 27, 1. Si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem, necne?] *Cic. Leg.* 2, 19. e vita, i. e. decedere. *Pl. Men.* 5, 2, 7. aliquo. *Val. Cato* in *Diris* 100. Migrabunt casus aliena in corpora rerum. Quam tua de nostris emigret cura medullis. ℙ *Emigrare se* simile est locutioni *erumpere se*, et *emergere se. Titin.* ap. *Non.* 1, 1. Quot pestes, senia, et jurgia sese meis aedibus emigrarunt. *Bothe* rectius leg. *semet aedibus emigrarunt.* ℙ *Emigrare Scripturas* ap. *Tertull. Cor. mil.* 1. dictum videtur pro declinare, recedere, et nolle sequi: vel potius transilire, transgredi: qua ratione *migro* a *Cic.* usurpatur. ℙ Part. *Emigrans* apud *Stat. Silv.* 4, 8, 47. Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo.

ĒMĪNĀTĬO, onis, f. idem ac minatio: ab *eminor. Pl. Capt.* 4, 2, 19. Quae illaec eminatio est?

ĒMĪNENS, entis, part. ab *emineo*, exstans, prominens, altus, editus, ὄχος, ἔξεχων. *Cic. Tusc.* 5, 23. Columella non multum e dumis eminens. *Id. N. D.* 1, 27. Species ut sit quaedam Deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida. *Id. Vatin.* 2. Repente te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti. *Caes. B. C.* 2, 9. Trabes paulo longiores atque eminentiores, quam extremi parietes. *Sall. Jug.* 98. Ramis modo, modo eminentibus saxis nisus. (Adde *Curt.* 5, 3. *ad f.*) *Plin.* 11, 37, 69. Cor homini infra laevam papillam, turbinato mucrone, in priora eminens. *Suet. Cal.* 48. Statura eminens. *Id. Aug.* 79. Nasus a summo eminentior, ab imo deductior. *Caes. B. C.* 2, 24. Jugum directum eminens in mare. Et 23. Duo eminentia promontoria. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 44, 11, 3.] *Flor.* 1, 7. Eminentia papaverum capita. Et 9. Eminentes aedes, [*i. e. in loco conspicuo positae.] Et 4, 12. *a med.* Eminentissimus mons. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 57. Dis-

cutienda sunt ea, quae obscurant; et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda, *h. e.* quae magis exstant, et facile animadvertuntur aut percipiuntur. *Quint.* 10, 1. Paucos *(auctores)*, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. *Vell.* 1, 16. Eminentissima cujusque professionis ingenia. *Id.* 2, 107. Vir dignitate eminens. Et 72. Eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis vir. Et 75. Livia genere, nobilitate, forma eminentissima. [*Liv.* 2, 5, 8. Inter omne tempus pater vultusque et os ejus spectaculo erat, eminente patrio animo inter publicae poenae ministerium, i. e. interprete *Drak.*, quem vide, animus patris eminebat supra spectaculum vultus et oris, v. magis spectaculo erat quam vultus et os.] *Curt.* 4, 4. Quinqueremis velocitate inter ceteras eminens. *Inscr.* ap. *Mur.* 884, 4. P. Aelio Aug. Lib. Epaphrodito magistro iatraliptae puerorum eminentium Caesaris N. [*Pueri eminentes sunt qui alias dicuntur pueri nobiles, qui in aula educantur et regi ministrant.] ℙ Appellatio *eminentissimi* sub posterioribus imperatoribus tribuebatur praefectis praetorio, et magistris militum. [*et praefectis urbi. V. *Brisson.* de verb. signif.] *Imp. Constant. Cod.* 12, 47, 1. et *Impp. Diocl. et Maxim. ib.* 9, 41, 11. *et alibi.* [*Superlativus *Eminentissimus* a *Vell. Pat.* frequentissime usurpatur, frequentius adeo, quam scriptorem tam elegantem deceat. V. *Ruhnk.* ad 2, 83. ℙ Confunduntur *Eminens* et *enitens.* V. *Drak.* ad *Liv.* 21, 58, 3.]

ĒMĪNENTER, adv. *Sidon. ep.* 1, 11. Non eminentius, quam municipaliter natus, *h. e.* non clariore genere.

ĒMĪNENTĬA, ae, f. exstantia, prominentia, altitudo, ἐξοχή. *Cic. Acad.* 4, 7. Quam multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quae nos non videmus? *h. e.* in partibus colore illustratis et exstantibus. [*Hic locus ponendus videtur ultimo loco. Propria significatione est etiam *Nat. deor.* 1, 38. Si (dii) tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam.] *Plin.* 37, 10, 63. Myrmecias nigra habet eminentias similes verrucis. *Appul. Flor. n.* 18. p. 359, 3. Eminentia culminum. ℙ Translate. *Gell.* 5, 11. Eminentia quaedam formarum. *Ulp. Regul. tit.* 11. Tutores legitimi per eminentiam dicuntur, qui etc. καθ' ἐξοχήν, per excellentiam.

ĒMĪNĔO, es, ui, n. 2. ἐξέχω, emineus sum, exsto, excedo, altus sum, promineo: quasi *extra maneo.* [*Descendit ab antiquo verbo *minere*, quo usus est *Lucr.* 6, 562. et 1193. Non recte agunt, qui primitivam vocem *manere* statuunt. *Ruddim. Inst.* I. p. 221.] *Cic. Div.* 1, 42. Babylonii in camporum patentium acquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi coeli officere posset. *Sall. Jug.* 99. Saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites ascenderent. *Caes. B. G.* 7, 73. Ut stipites non amplius quatuor digitis ex terra eminerent. *Liv.* 8, 7. Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terrae affixit. *Ov. Met.* 5, 137. Torquet in hunc hastam, media quae nare recepta, Cervice exacta est, in partesque eminet ambas. *Plin.* 9, 6, 5. Ut emineret dorso multum supra aquas. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 16. Axibus eminebant veruta binum pedum. *Lucan.* 2, 667. nullae aequore rupes Emineant. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 2. Eminere extra terram. *Id. ib.* 15, 25. Ut gemmascere incipiens legatur calamus, nec plus quam binis ab insito emineret oculis. *Ov. Met.* 15, 697. Eminere alte. *Liv.* 44, 11. in altum, *h. e.* in mare. [*Inprimis *eminere* dicuntur res in pictura, quae primo loco ponuntur; opponuntur *reductiora.* V. *Jun. de pict.* 3, 3. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 8, 3. p. 680.] ℙ Cum accus. *Curt.* 4, 2. Jamque paululum moles aquam eminebat. [*Manil.* 5, 581. Caput eminet undas scindentis. V. *Ruddim. Inst.* II. p. 330.] ℙ Pro emergere, exire. *Pl. Capt.* 3, 2, 4. Ita me miserum restitando, retinendoque lassum reddiderunt: vix ex gratulando miser jam eminebam. ℙ Translate. *Cic. Somn. Scip.* 9. Si animus jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. [*Cic. *de rep.* 2. Justitia foras spectat et projecta tota est atque eminet. *Sen. Tranq. An.* 9. Animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, ubi eandem in translata significatione animadvertes constructionem, qua in propria junxit *Liv.* eminere in altum.] ℙ Saepe est apparere, conspicuum esse. *Cic. Rosc. Am.* 41. *extr.* Quo studiosius ab ipsis opprimitur, et absconditur, eo magis eminet et apparet. *Curt.* 4, 1. Aliorum studium, aliorum indignatio eminebat. Et 8, 1. *extr.* Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas. *Cic. Tusc.* 2, 26. Amplitudo animi maxime eminet contemnendis doloribus. *Ov. Met.* 15, 606. sed per confusa frementis Verba tamen vulgi vox eminet una, quis ille? *h. e.* altior est, et distinctius exauditur. *Id. Fast.* 3, 250. Eminet ante oculos quod petis, ecce, tuos. ℙ Item excellere, praestare. *Cic. Or.* 29. *ad f.* Demosthenes unus eminet inter omnes in omni genere dicendi. *Flor.* 4, 2. Pompejus super utrumque eminebat. *Vell.* 2, 127. Eminere dignitate. Et 130. claritudine. Et absolute *ib.* 49. Cum sine invidia in republ. floruissent, eminuissentque sine periculo. *Quint.* 3, 8. *sub f.* Philippicae Demosthenis iisdem eminent virtutibus. *Ammian.* 17, 7. Inter monumenta multiformium aerumnarum emineret Nicomediae clades. ℙ [*Confunduntur *Eminuere* Nicomediae clades. ℙ [*Confunduntur *Eminuere* et *imminere.* V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 4, 689.]

[*ĒMĪNISCOR, ĕris, ementus sum, dep. 3. commentum, seu quod in mente cogitatum fuit, enunmicio, profero: a praeposit. *e*, et *miniscor.* V. MINISCITUR. *Not. Tir. p.* 125. Eminiscitur, comminiscitur, reminiscitur, subminiscitur. *Nep. Alc.* 2. Ut si ipse fingere vellet, neque plura bona eminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna, vel natura tribuerat. Ita restituit *Heusing.* pro *reminisci.* [*Idque jure probat *Bremi*, quem v.] Ita etiam legendum conjicit ap. *Varr. L. L.* 5, 6. Sic *reminisci*, cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitantur, et cogitando repetuntur. Hic etiam *comminisci* dictum, a *con* et *mente;* cum finguntur in mente, quae non sunt: et ab hoc illud, quod dicitur *eminiscor*, cum commentum pronunciatur. Hactenus *Varro;* alii perperam pro *eminiscor* leg. *reminiscor.* Hinc *Gloss. Isid.* Ementum, excogitatio; Eminiscitur, in memoriam reducit. Rectius tamen interpreteris *e memoria educit.* V. EMENTUM. *F.* et *B. A.*]

ĒMĪNOR, aris, dep. 1. idem ac minor. *Pl. Capt.* 4, 2, 11. Eminor, interminorque, ne quis mi obstiterit obviam.

ĒMĪNŬLUS, a, um, adj. ἀναστώμενος, non multum eminens. *Varr. R. R.* 2, 5. Genibus eminulis, distantibus inter se. *Id. ib.* 9. Spina neque eminula, neque curva. *Id. ib.* Duobus dentibus paulo eminulis.

ĒMĪNUS, adv. πόρρωθεν, a longinquo loco: a *manus.* *Cominus* enim dicimus, cum gladiis pugnamus; *eminus*, cum lanceis, quia gladius a manu non recedit, lancea e manibus emittitur. *Cic. Sen.* 6. Nec excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur. ℙ Differt a *longe*, quia significat tacite quendam motum de loco. Non enim recte dixeris, *Eminus habito*, ut *Longe habito*, sed bene *Eminus jacula mitto. Caes. B. G.* 7, 24. Fasces, atque aridam materiem de muro in aggerem eminus jaciebant. *Hirt. ib.* 8, 13. Qui aut cominus opprimebantur, aut eminus vulnerabantur. *Tac. A.* 13, 41. Oppugnationem urbis eminus incipere. *Ov. Met.* 8, 406. licet eminus esse Fortibus. *scil.* longe pugnando. *Id. Pont.* 1, 6, 17. fer opem, precor, eminus unam. *nempe* mihi longe posito. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 2, 27. Quae eminus facie sua ostentabat, aliquot advorsis cicatricibus, et effosso oculo. ℙ Cum ablativo pro *longe a. Ascon. Verr. de praet. urb.* 3, 48. Eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum.

ĒMĪROR, aris, atus sum, dep. 1. demiror, valde miror, ἐκθαυμάζω. *Hor. Od.* 1, 5, 8. Nigris aequora ventis Emirabitur insolens. [*Hertel. ad *Tac. Agr.* 31. recte explicat ita: mirari incipiet, cum stupore mirabitur: *sie wird aufstaunen.* Scilicet haec est vis praepos. *ex*, in nonnullis verbis, ut initium ejus rei fieri significet, quae in verbo inest. Cf. *Emereri*, *Emunire.*] *Bentl.* aliter legit, et verbum *emiror* toto Latio exsulare jubet. [*Lact. *Plac. Narr. Fab.* 10. Theseo, emiranti casus mortalium, refert etc. *Abresch.* in *Obs. Misc.* Vol. VI. Tom. I. p. 285. *emirari* exponit per *externis signis admirationem summam ostendere.*]

ĒMĪSCĔO, es, a. 2. idem quod misceo. *Manil.* 5, 244. nec parce vina recepta Hauriet emiscens, et fructibus ipse fruetur.

*EMISCHABALES, Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. Oppido XX. mill. passuum, in quo fons, Emischabales, quod significat camelorum oppidum *B. A.*

[ĒMĪSĒNUS, a, um, adj. ad Emisam, sive Emesam, nunc *Hamsa*, pertinens, Syriae urbem, ad Orontem fluvium, imperatoris Elagabali patriam, de qua meminit *Avien. Perieg.* 1085. Emesae fastigia celsa renident. *Ulp. Dig.* 50, 15, 1. Sed et Emisenae civitati Phoenices imperator noster *(Caracalla)* jus coloniae dedit. [*Cf. *Paull. Dig.* 50, 15, 8, 6.] *Inscr.* ap. *Mur.* 1045, 1. Romulo Bizegoni fil. Emiseno. *F.*]

ĒMĪSSĀRĬUM, ii, n. 2. διώρυξ, locus unde aqua emittitur. *Cic. Fam.* 16, 18. Nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. *Plin.* 33, 4, 21. Emissaria in his piscinis quina linquuntur, et repleto stagno, excussis obturamentis, erumpit torrens tanta vi, ut saxa provolvat. *Suet. Claud.* 20. Opera multa perfecit: in his emissarium Fucini lacus. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit aegre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 11. idem describens, *montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum*, ait. ℙ Translate. *Scrib. Comp.* 229. Emissarium vomicae facere. Adde *ib.* 206.

ĒMĪSSĀRĬUS, ii, m. προσαγωγεύς, qui clam submittitur ad aliquid explorandum, aut agendum nomine ejus, a quo mittitur: et fere accipitur in malam partem pro eo, qui ad explorandum deferendi, calumniandique causa subornatur, et emittitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem: petit Naevius Turpio quidam, istius excursor et emissarius. Ubi *Ascon.* Sic vocantur conciliatores furtorum, quae a magistratibus committuntur, atque internuncii. Et *Verr.* 2, 5, 41. *extr.* Quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia praecursorem habere solebat, et emissarium. *Id. Fam.* 7, 2. *a med.* Persuaserat nonnullis invidis meis, se in me emissarium semper fore. *Vell.* 2, 18. *extr.* Quin etiam consulis filium per emissarios factionis suae interfecit. Adde *Suet. Galb.* 15. et *Domit.* 11. ℙ *Emissarius* etiam dicitur palmes, qui emissus ex gemma, in putatione relinquitur, ut ascendat, quo placuerit. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 25. Relicto emissario uno, qui subeat usque quo placuerit.

*EMISSIBILIS, e, adj. qui emitti potest. *Vet. Interpr. Irenaei* 2, 15. *B. A.*

ĒMISSĬCĬUS, a, um, adj. qui emittitur, ut *Oculi emissicii*, extra educti, et foras porrecti, vel qui huc illuc aspectant, et veluti sese ejaculantur. *Pl. Aul.* 1, 1, 2. Exeundum hercle tibi hinc est foras, Circumspectatrix cum oculis emissiciis. [*qui omnia explorant.] *Tertull. Pall.* 3. Chamaeleonti circumspectu emissicii ocelli, imo luminis puncta vertiginant. ℙ *Emissicium*, *ii*, n. absolute pro *emissicia hasta* vel *lancea* usurpatur a *Cic. Leg.* 3, 9 C. vero Gracchus runis, et emissiciis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicae statum permutavit? Alii minus recte leg. *et iis sicis.*

ĒMISSĬO, onis, f. ἐκπομπή, actus emittendi. *Cic. Tusc.* 2, 24. Ut ballistae lapidum, et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent etc. *Id. Div.* 2, 29. *ad f.* Emissio feminae anguis. *Gell.* 5, 16. Radiorum ex oculis in ea, quae videri queunt, emissio. [*Cassiod. *Var.* 4, 32. Emissio chirographi.]

ĒMISSOR, oris, m. qui emittit. *August. Civ. Dei* 7, 3. Liber, et Libera seminum commotores vel emissores.

ĒMISSUS, a, um, part. ab *emitto*, ἐξαπεσταλμένος. *Virg. G.* 4, 58. Emissum caveis agmen. *Hor. Ep.* 1, 18, 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. *Cic. Planc.* 12. *ad f.* Emissus e carcere. *Id. Att.* 4, 15. Lacus Velinus a Curio emissus. [*Ov. Her.* 14, 107. Nilus per septem portus emissus in aequor.] *Liv.* 5, 51. Vox coelo emissa.

*ĒMISSUS, us, m. idem ac emissio. *Lucr.* 4, 206. Cum *(corpuscula)* jaciuntur, et emissum (eorum) res nulla moratur. *B. A.*

[*ĒMĪTESCO, is, n. 3. idem fere ac mitesco, maturesco. *Colum.* 9, 14. *ante med.* Idque *(mel)* optimae notae emitescit autumni aequinoctio. Ita edidit *Schneiderus*, probante *Pontedera:* alii minus recte leg. *enitescit. F.* et *B. A.* — Cf. quae s. v. *Emiror* dicta sunt.]

ĒMĪTTO, is, isi, issum, a. 3. ἐκπέμπω, ἐκδίδωμι, extra mitto, edo, foras mitto. [*Emittere *animalia. Florent. Dig.* 41, 1, 4. de iis animalibus dictum, quae mansuefacta eunt et redeunt. Emittere columbas. *Gaj. Dig.* 12, 2, 1.] *Cic. Verr.* 2, 5, 9. Emittere aliquem de carcere. *Id. Tusc.* 1, 49. Emitti e custodia. [*Id. Sext.* 64. Emitti ex judicio gratia. Hinc absolute ponitur pro: absolvi. *Id. Har. resp.* 18. Te judices emiserunt.] *Id. Har. resp.* 1. Emittere telum. *Id. Div.* 2, 19. Juppiter emittit fulmina. *Id. Coel.* 12. Emittere aculeos in aliquem. [*Id. Or.* 2, 54. Facetum dictum emissum haeret. Utroque loco metaphora a tormentis petita.] *Id. Fam.* 7, 33. aliquid dignum nostro nomine, in vulgus edere. *Liv.* 1, 54. *ad f.* et *Petr. Sat.* 19. Nullam vocem, aut verbum emittere. *Cic. Planc.* 23. Maledicto nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur. [*Id. Or.* 2, 53. Emittere argumenta, i. e. proponere.] *Plin.* 25, 5, 23. Emittere venis sanguinem. Sic *Colum.* 6, 14. sanguinem de aure. *Ov. Met.* 11, 458. lacrimas. [*Nep. Epam.* 9. Animam statim emisit, ubi alii legunt *amisit*, quod ferri non potest. Recte quidem dicitur *vitam amittere*, sed *animam amittere* non item. *Hyg. fab.* 59. Spiritum emisit. V. *Munck.* ad h. l. p. 126.] *Caes. B. G.* 1, 25. scutum manu. Et *ib.* 5, 58. duabus portis omnem equitatum. *Liv.* 24, 1. equites in hostem. *Caes. B. C.* 1, 76. aliquos noctu per vallum. [*Emittere sub jugum. *Liv.* 3, 28, 10. Emittere sub jugo. *Liv.* 9, 6, 12. V. *Drak.* ad utrumque loc.] *Curt.* 7, 11. Collatae aquae per prona montis flumen emittunt. *Suet. Caes.* 44. Emittere lacum, i. e. exsiccare. *Id. Vitell.* 6. et *Macr. Sat.* 1, 11. *a med.* Manu emittere aliquem, manumittere: [*Et hoc quidem multo frequentius est. Habet tamen illud *Liv.* 24, 18. Quos Sempronius ad Beneventum manu emiserat. V. *Ruhnk.* ad *Ter. Ph.* 5, 5, 2. *Drak.* ad *Liv.* 39, 12, 6.] quod *emittere* absolute *Ter. Ad.* 5, 9, 19. dixit. [*Adde *Pl. Ps.* 4, 2, 37.] *Tac. A.* 15, 19. Emittere manu adoptatos. *Cic. Coel.* 28. aliquem de manibus. Et *Liv.* 28, 42. e

manibus. [*et *Emittere manibus. Liv.* 44, 36, 9. V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 3, 10.] *Phaedr.* 1, 13. Emisit caseum ore, i. e. decidere passus est. [*Emittere cautionem. Saepissime in *Cod. Theod.* legitur, nusquam in *Dig.* V. *Brisson.* de Verb. signif.] *Plin.* 11, 24, 29. Emittunt ova aranei. *Id.* 10, 33, 49. pulli hirundinum foris saturitatem, *h. e.* ventrem extra nidum exonerant. *Id.* 18, 20, 49. *n.* 4. Emittere folia. *Id.* 17, 22, 49. *n.* 11. Vitis emittit palmitem. Et 17, 12, 18. Ulmi emittuntur in ramos, *h. e.* sparguntur, diffunduntur. Et 16, 16, 28. Buxum emittitur in metas, *h. e.* crescit in modum metae. ℙ *Emittere se*, prodire, exire, erumpere. *Cic. Div.* 2, 19. Si nubium conflictu ardor expressus se emiserit. ℙ Part. *Emittens* ap. *Cels.* 7, 29. Ore vulvae non emittente, infans abrumpitur. *Emissurus* ap. *Justin.* 11, 15. Supremas voces emissurus. ℙ [*Confunduntur *Emittere*, *Admittere*, *Amittere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 4, 12, 11. *Heins.* ad *Ov. Met.* 15, 650. *Burm.* ad *Phaedr. fab.* 1, 13. Porro *Emisisse* et *Emisse*. *Drak.* ad *Liv.* 35, 5, 5.]

[EMMANES, is, m. ἐμμανὴς, furibundus: ita vocatur herba eadem ac hyoscyamus. *Appul. Herb.* 4. *F.*]

*EMMĂUS (vel Ammaus), untis, f. vicus Judaeae, prope Hierusalem, cui Romani post devictam Judaeam nomen mutarunt, *Nicopolin* a victoria appellantes. *Plin.* 5, 14. Reliqua Judaea dividitur in toparchias decem, — Hiericuntem, Emmaum, Lyddam etc. ℙ Audit et *Emmaum*, indecl. Ἐμμαοὺμ, 1 *Maccab. c.* 3. *v.* 40. et *c.* 4. *v.* 3. ℙ Scribitur et *Emaus*, unica *m. B. A.*

*EMMŌTON, i, n. ἔμμοτον, sc. φάρμακον, (ex ἐν *in* et μοτὸς *linteum carptum*), i. e. medicamentum, quod concerptis linteolis infusum intra ulcera reconditur. *Theod. Prisc.* 1, 28. e lect. *Reines.* ℙ Alias Graecis ἔμμοτον est ulcus cavum, et ἔμμοτος, qui eo laborat. *B. A.*

ĒMO, is, emi, emptum, vel emtum, a. 3. πρίαμαι, ὠνέομαι, pretio aliquid mihi comparo, mercor, coemo. Est ab ἔμω, quod pro ἐμέω cognato τοῦ ἀμάω, attraho, per metonymiam vero *pretio mihi comparo.* Sunt qui derivandum putent ab ἐμὸς, nempe ἐμὸν ποιέω, meum facio: hanc porro primariam esse hujus verbi notionem ostendunt verba composita *demo*, *eximo. Cic. Dom.* 44. Emit domum prope dimidio carius, quam aestimabat. *Id. Att.* 13, 31. Mille jugerum de M. Pilio emit. *Id. Rosc. Am.* 2. Bona Sex. Roscii de L. Sulla duobus millibus nummum se dicit emisse. *Id. Att.* 10, 5. Emere de Canulejo diversorium. *Pl. Rud. prol.* 59. Adolescens, qui puellam ab eo emerat. *Cic. Off.* 3, 14. Emit tanti, quanti Pythius voluit. *Id. Att.* 13, 29. Emere magno aut parvo. *Id. Verr.* 4, 2, 7. minoris aut pluris. Et *Att.* 1, 13. *extr.* Bene emere, i. e. parvo pretio. Et *ib.* 2, 4. male, i. e. magno pretio. [*V. *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 10, 44.] *Plin.* 12, 7, 14. Piper pondere emitur. *Nep. Att.* 9. Emere aliquid in diem. ℙ [*Emere* vectigalia, decumam etc. pro conducere. V. *Gron.* ad *Liv.* 2, 9, 6.] ℙ Proverbium est, *malo emere*, *quam rogare*, apud *Cic. Verr.* 2, 4, 6. *extr.* cum aliquid minimo pretio, aut nulla difficultate haberi potest: tunc enim praestat emere, quam ad rogandum se demittere. Nulla enim res carius constat, quam quae precibus empta est, inquit *Senec. Ben.* 2, 1. ℙ *Emere per aes et libram*, V. in MANCIPIUM. ℙ Translate, emere sententias judicum, fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem etc. apud *Cic. Verr.* 2, 3, 62. est largitione corrumpere judices, aut alios, et sibi obnoxios facere. *Curt.* 4, 1. Emere percussorem in aliquem. *Tac. H.* 4, 57. animos militum. [*Flor.* 3, 1, 9. Emere exercitum, *h. e.* pecunia corrumpere.] *Ov. A. Am.* 3, 652. munere custodem. *Pl. Asin.* 1, 1, 57. beneficiis aliquem. *Claud. III. Cons. Honor.* 188. emitur sola virtute potestas. *Virg. G.* 1, 31. Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis. [*Ov. *Met.* 8, 53. Qua dote vellet emi, ubi v. interpp.] Et *A.* 9, 206. Bene emitur honor vita. [*Ter. *Ad.* 2, 21. Spem pretio non emo. *Ov. A. Am.* 2, 271. Turpiter his emitur spes mortis, ubi v. *Burm.*] *Ov. Amor.* 2, 10, 32. Emere sanguine aeternum nomen. *Stat. Th.* 1, 163. furtisque immanibus emptum est Oedipodae sedisse loco. *Sil.* 7, 620. vel morte emisse volebant Spectari Fabio. *Id.* 10, 287. quantine emptum velit Annibal, ut nos Vertentes terga aspiciat! *Pl. Trin.* 4, 3, 49. Talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. ℙ Antiqui accipiebant pro accipere, sumere, teste *Festo.* V. ABEMERE et REDEMPTOR. ℙ Part. *Emens* ap. *Justin.* 11, 4. Captivorum pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. *Empturus* ap. *eund.* 23, 2. Uxor periculo spiritus sui emptura, ut extremos viri spiritus exciperet. *Emendus* ap. *Cic. Cluent.* 36. Oppianicum judici ad emendas sententias dedisse pecuniam judicatum est. ℙ *Emissim* pro *emerim* antiquum est. *Pl. Cas.* 2, 5, 39. quem locum referens *Fest.* in *Titivillitium*, habet *empsitem.* ℙ [*Confunduntur *Emendus* et *habendus*, ut *Ov. Tr.* 1, 9, 44. *Emisse* et *emisisse. Drak.* ad *Liv.* 35, 5, 5.]

ĒMODĔROR, aris, dep. 1. idem quod moderor. *Ov. Rem. Am.* 130. Ille dolor verbis emoderandus erit.

*EMŌDES et Emodus, Ἔμωδὸς, mons ingens, vel potius montium continuitas. *Plin.* 6, 17. Emodi montes. Et *mox:* Imaus, Emodus. Et *rursum:* A montibus Emodis. Et 22. Ultra montes Emodos. ℙ Junctus, ut videtur, Immao fuit. *Id.* 5, 27. Imaus, mox Emodus etc. ℙ *Emodes* vocatur a *Mela* 1, 15. ℙ V. *Hemodus. B. A.*

*EMŌDĬCUS, a, um, adj. *Macer* ap. *Barth. Advers.* 12, 20. Emodicum fertur cohibere tumorem, *h. e.* immodicum. *B. A.*

ĒMŌDŪLOR, aris, dep. 1. idem ac modulor. *Ov. Amor.* 1, 1, 30. Musa per undenos emodulanda pedes.

ĒMOLĪMENTUM, i, n. opus improbo labore, et magno conamine perfectum: ab *emolior. Imppp. Valens*, *Gratian. et Valentin. Cod. Theod.* 15, 1, 19. Novum opus qui volet in Urbe moliri, sua pecunia absolvat, non contractis veteribus emolimentis, non effossis nobilium operum substructionibus. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 1, 34. Neque exercitum sine magno commeatu atque emolimento in unum locum contrahere posse. Alii leg. *molimento. Varr. R. R.* 3, 14. Nunc de cochleis, ac gliribus quaero, quod reliquum est; neque enim magnum emolimentum est. Non istuc tam simplex est, inquit Appius, quam tu putas. Alii perperam leg. *emolumentum.* V. EMOLUMENTUM.

ĒMOLĬOR, iris, itus sum, dep. 4. conando, moliendoque pervenio aliquo, aliquid ad finem perduco, perficio. *Pl. Bacch.* 4, 5, 2. Magnum molior negotium; metuoque ut hodie possim emolirier. ℙ Saepius usurpatur pro exscreare, expellere. *Cels.* 4, 6. Sicca tussis, quae nihil emolitur. *Colum.* 8, 5. *ad f.* Per nares emoliri pituitae nauseam. ℙ *Emoliri fretum* venti dicuntur, qui illud commovent et exagitant, apud *Senec. Agam.* 478.

ĒMOLĪTUS, a, um, part. ab *emolo*, ut *Emolitum hordeum* ap. *Veg. Vetr.* 3, 24.

ĒMOLLESCO, is, n. mollis fio. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Sine ulla vi clavus emollescit. Al. rectius leg. *mollescit.*

ĒMOLLĬDUS, a, um, adj. *Liv.* 34, 47. Labor, et aestus emollida et fluida corpora Gallorum reddit. Al. leg. *mollia:* quod *Livium* magis decere videtur.

ĒMOLLĬO, is, ivi, itum, a. 4. μαλάσσω, mollem reddo, tenerum facio. *Liv.* 37, 41. Humor arcus, fundasque, et jaculorum amenta emollierat. *Plin.* 10, 60, 80. Ova aceto macerata in tantum emolliuntur, ut per anulos transeant. *Id.* 28, 19, 77. Emollire duritiam ventris. Et 20, 2, 6. et 27, 7, 28. alvum. Et 20, 23, 97. articulos contractos. *Cels.* 8, 4. *med.* Emolliendum id emplastrum adjecto cerato ex rosa. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 9, 47. ingenuas didicisse fideliter artes Emollit mores, nec sinit esse feros. *Tac. Agr.* 11. Plus ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. *Lucan.* 8, 366. emollit gentes clementia coeli. *Liv.* 27, 3. Ne suum quoque exercitum nimia urbis amoenitas emolliret. *Plin.* 37, 10, 59. Gorgonia gemma emollit maria. *Id.* 35, 17, 57. Cimolia veros, et pretiosos colores emollit, *h. e.* jucundiores reddit. *Aurel. Vict. Epit.* 48. Emollire severa praecepta, *mitigare.* Et l. auctoritatem principis, i. e. minuere.

*EMOLLIS, e, adj. valde mollis. *Avien.* Hi celeri emolles currunt pede semper arenas. V. *Barth. Advers.* 28, 16. *B. A.*

ĒMOLLĪTUS, a, um, part. ab *emollio*, μαλαχυνθεὶς, mollis ac tener factus. *Plin.* 18, 7, 17. Triticum emollitum. *Id.* 26, 14, 87. Plantago igni emollita. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. *sub f.* Emollitum ulcus. ℙ Translate. *Liv.* 38, 49. Hostis degener, et emollitus Asiae amoenitate, i. e. enervatus.

ĒMŌLO, is, ui, itum, a. 3. idem quod molo, *Pers.* 6, 26. Messe tenus propria vive, et granaria (fas est) Emole, *h. e.* molendo exhauri, et liberaliter insumendo.

ĒMOLŪMENTUM, i, n. ὠφέλημα, utilitas, lucrum, fructus. Videtur esse ab *emolo*, *is*, ut proprie dicatur de frugibus, quae moluntur, summamque praestant vitae hominum utilitatem. [*V. infra quae *Ruhnk.* sit sententia de origine vocis.] *Cic. Mil.* 12, Boni nullo emolumento impelluntur ad fraudem, improbi saepe parvo. *Id. Fam.* 7, 10. *ad f.* Si tibi esse id emolumento sciam. *Id. Or.* 3, 85. Recte facta suscepta a viris fortibus sine emolumento ac praemio. *Id. Fin.* 3, 20. Emolumenta et detrimenta, quae ὠφελήματα, et βλάμματα appellant. [*Cic. *Off.* 3, 5. Emolumenta rerum fallacibus indiciis vident.] *Gell.* 13, 8. Emolumenta philosophiae. *Pl. Trin.* 3, 2, 68. Emolumentum honoris. *Juven.* 3, 21. artibus honestis Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum. ℙ Ponitur et pro effectu, exitu, quia rerum utilitas et fructus in earum fine, et effectu positus est. *Justin.* 9, 1. Bellum Graeciae inferre statuit: ad cujus rei emolumentum pertinere ratus, si etc., i. e. prosperum successum, faustum exitum. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 7, 53, 2. Rem judicatam praeses provinciae, etiam pignoribus captis ac distractis, ad emolumentum perduci jubebit. *Gell.* 11, 13. Ut consideraremus, quae vis, quodve emolumentum ejus sententiae foret. ℙ *Emolumentum* proprie est fructus, qui ex *emolimento* percipitur; illud ab ēmolo, istud ab ēmōlior. Plerique tamen putant, *emolumentum*, et *emolimentum* non magis differre, quam *monumentum*, et *monimentum:* et cum emolimentum primo significet molitionem, et susceptionem, significare deinde etiam effectum molitionis, profectum atque fructum: quam quidem sententiam non improbandam putamus. [*Egregia est de hac voce disputatio *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 87, unde haec transscribere non gravabor. *Emolimentum* sive *Emolumentum*, ab *emoliri* derivatum, primum significat molitionem difficilis rei, atque adeo ipsam difficultatem, ut apud *Caes. B. G.* 1, 34. deinde id, quod emoliendo efficitur, effectum, profectum, efficaciam. Qua potestate *Vell.* delectatur. 1, 17. Congregatio ingeniorum, et in studium par et idem emolumentum. Hinc vocabula *émolumentum*, *profectus*, *effectus* tanquam eandem rem significantia inter se permutantur. *Vell.* 2, 105. 2, 114. 2, 115. *Just. H.* 9, 1. *Plin. H. N.* 18, 4. 28, 14. *Gell. N. A.* 10, 22. 11, 13. ubi vid. *Gron.*, vocis vim breviter quidem, sed docte declarantem. 13, 8. *Imp. Ant.* Lib. 2. *Cod.* de Exec. rei jud. Quod ad vocis orthographiam attinet, *Gesner. Thes.* scribi vult *emolimentum.* Nostri quidem libri satis constanter habent *emolumentum.* Fortasse utraque scribendi ratio usitata fuit, ut in *monumentum* et *monimentum.* Adde *optumus* et *optimus*, *maxumus* et *maximus.*]

ĒMORĬOR, eris, ortuus sum, dep. 3. ἀποθνήσκω, idem quod morior, [*Non recte praecipit; emori fortius est quam mori.] vel omnino morior. [*Pl. *Ps.* 4, 7, 122. Actum est de me, jam moriar. — Hercle haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur, ubi *moriar* est: morti propinquus sum, *emoriri*, totum interire, plane exstingui. Sed *Epicharmi* versum apud *Cic. Tusc.* 1, 8. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil aestimo, jam noli in hunc finem afferre. Nam, quod nexus ejus loci ostendit, non sibi opponuntur *Emori* et *mori.* Cf. *Döderl. Synon. Fasc.* 3. p. 184.] *Cic. Or.* 1, 57. Nasci prius oportere, quam emori. *Id. Fam.* 2, 15. Pro Pompejo emori possum. *Id. Off.* 3, 32. Aut vincere, aut emori. [*Cic. *Sen.* 19. Quid autem tam secundum naturam, quam senibus emori. Recte animadvertit *Döderl. l. c. emori* hic dictum esse, non mori, quod senes mortui quodammodo jam videntur, sed non sunt emortui. *Sall. Cat.* 20. Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam ... per dedecus amittere, *h. e.* quam vitam miseram trahere ac paulo serius tamen amittere. Cf. *Döderl. l. c.*] *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 3. Sorbus arbor emoritur. *Id.* 16, 6, 8. Carbo emoriens, desinente flatu. *Vitr.* 2, 9. *med.* Ulmus et fraxinus, simul vetustate sunt aridae factae, qui inest iis liquor stantibus, emoritur, fiuntque duriores, *h. e.* absumitur, siccatur. ℙ Dicitur et de membro aliquo sensum amittente. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. *extr.* Membrum, quod paulatim emoritur, abscindere. [*Hoc quoque loco propriam suam vim exserit *Emori.* Dictum puta: quod paulatim quidem, sed tamen omnino moritur.] Et *ib.* 28. *n.* 14. Clavum radere commodissimum etc., si sanguinis quoque aliquid emissum est, saepe emoritur. ℙ Translate. *Cic. Par.* 2. Quorum laus emori non potest. *Cels.* 2, 10. Emoritur vis, si quae superarat. *Quint.* 12, 10. *ad f.* Evanescunt haec atque emoriuntur comparatione meliorum. *Ov. Rem. Am.* 654. Perque gradus molles emoriatur amor. ℙ [*Gernhard.* ad *Cic. Sen.* 19, 71. observat, apud *Ciceronem* infinitivum tantum hujus verbi in usu esse. Quod casu magis accidisse arbitror, quam ideo, quod non in usu fuerit.] ℙ *Emoriens terra* apud *Curt.* 4, 7. est, quae veluti mortua, nullam vim habet progignendi. ℙ In infinito olim fuit quartae conjugat. *Pl. Ps.* 1. supra allato. *Ter. Eun.* 3, 2, 42. Risu omnes, qui aderant, emoriri.

ĒMORSUS, a, um, part. ab inusit. *emordeo*, morsus. V. locum *Plinii* 24, 11, 57. in ALYSSON.

ĒMORTŪALIS, e, adj. qui ad mortem pertinet, ut *Emortualis dies* est, quo quis mortuus est. *Pl. Ps.* 4, 7, 139. Certum est mihi hunc emortualem facere ex natali die.

ĒMORTŪUS, a, um, adj. idem quod mortuus, *Pl. Poen.* 4, 2, 18. Emortuo verba facere. *Id. Aul.* 4, 5, 1. Emortuum ego me mavelim leto malo. *Plin.* 20, 9, 34. Emortuos partus pellere. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 19. Ne emortuo lacte sanguinem lambat. *Pl. Ep.* 1, 2, 14. Auxilium emortuum, *h. e.* quod nullum est.

ĒMŌTUS, a, um, part. ab *emoveo*, ἀποκινηθεὶς, loco motus, amotus, remotus. *Virg. A.* 2, 493. emoti procumbunt cardine postes. Et 610. magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. *Colum.* 3,

18. Quidquid emoti soli vineis praeparatur, consuetudo repastinatum vocat. [*Col. 3, 13, 10. Emota terra.] *Liv.* 27, 3. Milites emoti aedificiis, i. e. exclusi. *Senec. Contr.* 13. *ante med.* Differebatur distortis manibus, emotis articulis. *Virg. A.* 6, 382. His dictis curae emotae, pulsusque parumper Corde dolor tristi. *In formula voti* apud *Liv.* 41, 21. Pestilentia ex agro Romano emota. *Id.* 38, 47. *sub f.* Antiochus ultra juga Tauri emotus. *Id.* 45, 15. Emotus senatu. ℙ Commotus, turbatus. *Sil.* 17, 284. Venus emoti facie conterrita ponti. *Senec. Cons. ad Polyb.* 37. Emota mens, *h. e.* insana. V. MOTUS, a, um.

EMOVĔO, es, ovi, otum, a. 2. *ἀπάγω, ἀποκινέω*, loco moveo, amoveo, removeo. *Liv.* 6, 38. Lictores, qui de medio plebem emoverent, misit. *Id.* 25, 1. Emovere e foro multitudinem. Al. leg. *removere. Id.* 45, 15. Senatu emovere aliquem. *Id.* 30, 23. Emotis curia legatis. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 42, 50, 6.] *Hor. Sat.* 2, 3, 28. Novus morbus veterem emovit. ℙ Apud *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5. emovere flammam spiritu, est excitare. ℙ *Emovere labia* est in anteriorem partem movere, projectis labiis aliquid pronunciare, ut cum dicimus *vos.* Ita *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. ℙ *Emostis* syncope est pro *emovistis. Liv.* 37, 53. *ad f.* Ultra Tauri juga Antiochum emostis. Al. leg. *emovistis.* ℙ Reperitur etiam *exmoveo. Pl. Truc.* 1, 1, 59. Suum nomen omne ex pectore exmovit meo. ℙ [*Confunduntur *Emovere* et *amovere. Liv.* 26, 34, 10.]

EMPANDĂ, ae, f. paganorum Dea, apud *Fest.* Alii dictam putant, quod patentibus pagis, non clausis more urbium, praeesset. Alii a *pane dando*, et intelligi Cererem. V. PANDA.

EMPĔDOCLES, is, m. Ἐμπεδοκλῆς, philosophus Agrigentinus, de rebus naturalibus versibus scripsit, et egregium poema fecit. Dixit ex concordia et amicitia elementorum cuncta constare, eorum discordia et inimicitia dissipari et dissolvi. De ejus morte narrant, illum clam, relictis sociis, Aetnam Siciliae montem ascendisse, et in ardentem ejus craterem se conjecisse, eo consilio, ut, cum nunquam appareret, crederetur factus esse immortalis, sed ejectis impetu ignis ferreis ejus crepidis, rem fuisse deprehensam. *Cic. Or.* 1, 50., *Amic.* 7. et *Hor. Ep.* 1, 12, 20. et *Art. P.* 464.

EMPĔDOCLĔUS, a, um, adj. Ἐμπεδόκλειος, ad Empedoclem pertinens. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. Si Sallustii Empedoclea legerit. Adde *Tusc.* 1, 17. *extr.*

EMPĔNĔTĬCĂ, ae, f. *ἐμπεινητική*, vox ficta ab *ἐμπεινάω*, valde esurio, ars nempe strenue esuriendi. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuerit, te a Q. Pompejo in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompejum Baulis empeneticam facere, et usque eo, ut ego misererer ejus esurici, non sum commotus. Hic *Coelius* salse deridet Q. Pompejum, qui exsilio damnatus Baulis degebat in summa rei familiaris inopia, ut constat ex *Val. Max.* 4, 2. *n.* 7., quemque propterea, cum *Catull.* 21, 1., recte dixeris *patrem esuritionum.* Dicitur autem *empeneticam facere*, ut alibi *navicularium*, vel *argentariam facere*, sive *exercere.* [*Adde *Salm.* ad *Solin.* p. 707.] ℙ Sunt tamen qui legere malint *embaeneticam*, artem scilicet navicularium, ab *ἐμβαίνω*, navim conscendo; alii *emeticam*, ab *ἐμέω*, vomo, quasi vero Q. Pompejus quotidie vomendo vorandi facultatem moliretur, quod frequentatum fuisse constat a Romanis, ac praecipue ex *Cic. Att.* 13, 52. *de Caesare.* Unctus est, accubuit, *ἐμετικὴν* agebat; alii denique alia comminiscuntur minus probanda.

EMPETROS, i, f. herba eadem quae calcifraga, quam vocem vide suo loco. *Plin.* 27, 9, 51.

EMPHĂSIS, is, f. *ἔμφασις*, significatio: Graeca vox, ab *ἐν*, et *φημὶ*, dico, qua notatur figura oratoria, cum verba ponimus, quae plus significent, quam eloquuntur, ut ait *Quint.* 8, 2. Ejus duae sunt species: altera, quae plus significat, quam dicit, ut in illo *Virg. A.* 2, 262 *demissum lapsi per funem.* Nam sic altitudo equi Trojani demonstrata est. Altera, quae etiam id quod non dicit, ut *Cic. Ligar.* 5. *Sin hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines: intelligo, quid loquar* etc. *Quint.* 8, 3. *sub f.* [*Cf. *Ernest. Lex. Technol. lat.* p. 357.] ℙ A *Cic. Or.* 3, 53. Latine dicitur *ad plus intelligendum, quam dixeris, significatio:* et inter figuras sententiarum enumeratur. Adde *Or.* 40. *extr.* Etiam *Auct. ad Her.* 4, 53. *Significatio est*, inquit, *quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione.* V. ibi cetera. [*Possis etiam *pondus* dicere. V. *Ernest. Lex. Technol. lat.* p. 293.] ℙ Ipsa autem vox *Emphasis* Latinis litteris legitur apud *Quint. locis cit.* Sic *Ascon. in Verr.* 1, 9. Magna emphasi *divitias* dixit: et significat breviter etc.

EMPHRACTUS, a, um, adj. undique tectus, ab *ἐμφράσσω*, obstruo, obturo, infercio: ut *emphractae naves*, h. e. tectae, apud *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. *a med.* ubi tamen alii aliter. ℙ *Emphractum, i*, n. absolute est opsonii intriti genus, quod rebus invicem mixtis et coactis obduratisque coagulatum quasi apparet: ejus condiendi rationem docet *Apic.* 9, 14., ubi alii perperam leg. *ambractum.*

EMPHRAGMĂ, ătis, n. obturamentum, obex, ab *ἐμφράσσω*, obstruo. Apud *Veg. Vetr.* 1, 47. est morbus, quo jumentorum intestina obstruuntur. [*Latinis hic morbus *praeoccupatio* dicitur. Cf. *Veg.* 1, 40.]

EMPHYTEUMĂ, ătis, n. *ἐμφύτευμα*, plantatio, insitio, et praecipue opera diligens ejus, qui *Emphyteuta* est circa fundum emphyteuticum, vulg. *melioratio:* vox Graeca ab *ἐμφυτεύω*, planto. *Imp. Zeno Cod.* 4. *tit.* 56., qui *De Jure emphyteutico* inscribitur, leg. 3., ubi alii Graece, alii aliter.

EMPHYTEUSIS, is, f. *ἐμφύτευσις*, insitio, sive plantatio, a *φυτεύω*, planto. Apud JCtos est contractus juris civilis, quo praedium quoad dominium utile alicui ad longum tempus, vel in perpetuum conceditur, ea conditione, ut certam pensionem solvat. [*ut respondeat nostrum *Erbpacht.*] Olim agri inculti, ac minus fructiferi hoc modo dabantur, ut plantatione et cultu meliores utilioresque redderentur. Postea usus obtinuit, ut etiam agri fecundi in emphyteusim darentur. *Imp. Zeno loc. cit. in voce praeced. leg.* 1. et 2. [*Adde *Inst.* 3, 25, 3.]

EMPHYTEUTĂ, ae, m. qui fundum, vel agrum alicujus in emphyteusim acceptum colit. *Imp. Zeno Cod.* 4, 56, 3.

EMPHYTEUTĬCĀRĬUS, a, um, adj. idem quod emphyteuticus, ut jus emphyteuticarium, *Imp. Zeno loc. sup. cit.* ℙ *Emphyteuticarius, ii*, idem qui Emphyteuta. *Imp. Constant. Cod.* 11, 62, 1.

EMPHYTEUTĬCUS, a, um, adj. ad emphyteusim pertinens, ut Emphyteuticum praedium, *Imp. Diocl. et Maxim. Cod.* 5, 71, 13. Emphyteuticum jus, *Imp. Zeno Cod.* 4, 66, 3. *Macer Dig.* 2, 8. 15. Qui vectigalem, vel amphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur.

EMPĪRĬCE, es, et Empirica, ae, f. *ἐμπειρική*, Medicinae pars, quae sola experientia curat: ab *ἐμπειρία*, experientia. *Plin.* 29, 1, 4. Alia factio (ab experimentis cognominant empiricem) coepit in Sicilia. *Marc. in carm. de Medicin.* 6. Quod logos, aut methodus, simplexque empirica pangit.

EMPĪRĬCUS, i, m. medicus nempe, qui sola experientia medetur, ab *ἔμπειρος*, usu peritus. *Cels. praef.* Qui se *ἐμπειρικοὺς*, ab experientia nominant. *Cic. Acad.* 4, 36. Nec eo tamen ajunt empirici notiora esse illa, quia etc. ℙ *Empirica, orum*, sunt empiricorum dogmata. *Plin.* 20, 12, 48. Diodotus scribit in empiricis etc. ℙ Multa de empiricis *Cels. praef.*

EMPLASTRĀTĬO, onis, f. unctio per emplastrum. Translate dicitur de arboribus, cum cortex eximitur inoculationis gratia, ut aptari queat cortex par ex altera arbore. *Plin.* 17, 16, 26. *Colum.* 11, 2. *ante med.* et 5, 11. et *Pall.* 7, 5. etc. V. INOCULATIO.

EMPLASTRĀTUS, a, um, part. ab *emplastro*, emplastratione insitus. *Pall.* 12, 7. *de pomis sub f.* Emplastratis pluribus gemmis.

EMPLASTRO, as, a. 1. emplastratione inserere. *Colum.* 5, 11. *a med.* Alterius arboris, quam emplastraturus es, nitidissimum ramum eligito. Adde *ib.* 11, 2. *ante med.* et *Pall.* 12, 7. *de pomis sub f.*

EMPLASTRUM, i, n. *ἔμπλαστρον*, medicamentum, quod ex variis rebus conflatur, et exterius imponitur: ab *ἐμπλάσσω*, illino. Differt a malagmate, quod maxime ex floribus, eorumve surculis fit: emplastrum vero plerumque ex metallicis. Differt a pastillo, quia pastillus tantummodo ex aridis fit, emplastrum utique liquati aliquid accipit. Haec *Cels.* 5, 17. [*Emplastra in instrumento medici esse testatur *Paull. Sent.* 3, 6, 52.] Utuntur praeterea hac voce *Cato R. R.* 39. *Plin.* saepe, et *Scribon.* ℙ Ad hujus medicamenti similitudinem *emplastrum* dicitur, et *emplastratio* insitionis genus, quo gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam arbor recipit. Plura de ea *Colum.* 5, 11., *de arborib.* 26., *Plin.* 17, 14, 23. et *ib.* 16, 26. et *Pall.* 3, 17. V. INOCULATIO. ℙ Translate. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7. *extr.* Quid est jusjurandum? emplastrum aeris alieni. *Gell. ib.* notat, quosdam sui temporis semidoctos dixisse *emplastra, ae*, f.

EMPLECTON, i, n. *ἔμπλεκτον*, ab *ἐμπλέκω*, implico, innecto: est structurae muri genus, in quo latericiis frontibus tantummodo expolitis, interiora temere caementis farciuntur et replentur, alternis tamen coagmentis, seu frontatis laterculis, alligantur: in eo vero differt a *diamicto*, quod hujus binae frontes latericiae nullis coagmentationibus connectuntur. *Plin.* 36, 22, 51. et *Vitr.* 2, 8. V. DIAMICTON.

EMPLEUROS, *ἔμπλευρος*, plena et bona latera habens. Vox Graeca a *πλευρά*, latus: quae legitur apud *Lucil.* cujus verba V. in MAMPHULA.

[EMPNEUMĀTOSIS, is, f. *ἐμπνευμάτωσις*, inflatio, flatuum generatio, morbi genus. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. Conjicienda est inflationis medela, quam Graeci empneumatosin vocant. Adde *Marcell. Empir.* 20. *F.*]

[EMPOLUS, i, m. ab *ἐμπολεύς*, mercator. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1782, 35. L. Appulejus Empolus. *F.*]

*EMPONĒMA, atis, n. *ἐμπόνημα*, Latinis *Melioratio* dicitur; et est Jus, quod emphyteuta acquirit. Primum enim sic coepit contractus emphyteuticus, ut sterilia tantum concederentur, in melioratum plantationibus reddenda. Exstat vox apud *Justinianum* in l. ult. C. *de jur. emphyteut.* Suas meliorationes, quae Graeco vocabulo *ἐμπονήματα* dicuntur. Cf. *l.* 2. ubi *emponemata* Latinis literis scribitur in *Gothofr. B. A.*

EMPORĔTĬCUS, a, um, adj. *ἐμπορητικὸς*, ad mercaturam pertinens, ab *ἐμπορέω*, mercaturam facio. *Charta* vero *emporetica*, dicitur, in qua mercia a mercatoribus involvuntur, Itali dicunt *carta straccia* aut *da involti*, [*nos: *Packpapier.*] quaeque scribendo inutilis est. *Plin.* 13, 12, 23. Nam emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque in mercibus usum praebet, ideo a mercatoribus cognominata. Et *mox.* Emporeticae brevitas sex digitos non excedit.

*EMPORĬA, orum, n. *τὰ Ἐμπόρια*, (ab *ἐμπόριον*, *emporium*,) regio Africae propriae, juxta minorem Syrtem, ubi Leptis parva. *Liv.* 29, 25. [*V. *Duk.* ad *h. l.*] et 34, 62. ℙ *Punica emporia* audit *Liv.* 29, 33. *extr. B. A.*

*EMPORĬAE, arum, Ἐμπορίαι, oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Mela* 2, 6. *Liv.* 21, 60. et 28 42. [*Cf. *Drakenb.* ad priorem *Liv.* locorum.] *Plin.* 3. *Sil.* 3. *v.* 369. ℙ Colonia fuit Phocaeensium, ut patet ex *Plin.* et *Sil. l. l.*, collato *Liv.* 1, 26, 19. et 34, 9. qui in posteriore loco refert gemina proprie Emporias fuisse oppida, quorum unum a Graecis, alterum ab Hispanis habitabatur. ℙ Hodie, ut videtur, est *Ampurias* sive *Castellon de Ampurias* in Catalonia. *B. A.*

EMPORĪTĀNUS, a, um, adj. ad Emporias pertinens, quae est urbs Hispaniae Tarraconensis ad mare, quam *Liv.* 34, 9. describit, nunc *Ampurias* dicta. ℙ *Emporitani, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Id. ib.* 16.

EMPORĬUM, ii, n. *ἐμπόριον*, locus mercatus, forum nundinarium, ubi res venales exponuntur; ab *ἔμπορος*, mercator, vel ab *ἐμπορέω*, negotior. *Cic. Att.* 5, 2. Cum per emporium Puteolanorum iter facerem. *Plin.* 6, 20, 23. Perimulae promontorium, ubi est celeberrimum Indiae emporium. *Liv.* 35, 10. *extr.* Aediles porticum unam posuerunt extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto. Adde 41, 27. *Pl. Amph.* 4, 1, 4. Apud emporium, atque in macello, in palaestra, atque in foro quaeritando. ℙ Etiam ad Padum duo olim emporia fuerunt prope Placentiam. *Liv.* 21, 57. Emporium prope Placentiam fuit, et opere magno munitum, et valido firmatum praesidio: ejus castelli expugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Annibal. Et *mox.* Ad Victumvias ire pergit oppugnandas Annibal. Id emporium a Romanis Gallico bello fuerat munitum.

EMPŌROS, i, m. *ἔμπορος*, mercator. Graeca vox, quae Latinis scripta litteris legitur ap. *Pl. Merc.* 1, 1, 9. Hinc *Auson. ep.* 22, 28. Novusque pollet emporus.

EMPSĪTO. V. EMPTITO.

EMPTĬCĬUS, a, um, adj. qui est de numero eorum, quae empta sunt, vel emi solent. *Varr. R. R.* 3, 2. Hic aprum glans cum pascit empticia, facit pinguem: illic gratuita exilem. [*Varr. R. R.* 3, 17, 6. Emptitia salsamenta.] *Petr. Sat. fr. Trag.* 47. *Burm.* Empticius, an, inquit, domi natus es? Neutrum, inquit cocus, sed testamento Pansae tibi relictus sum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1111, 14. sed emendatior apud *Passion. cl.* 4. *n.* 6. Dis Manibus Alypi Imp. Aug. servi ministratoris et vernae Spendon, et Hermes empticii de suo fecerunt: vixit ann. XXIIII.

EMPTĬO et Emtio, onis, f. *ὠνή*. *Cic. Caec.* 6. Emptionem facere. *Id. Att.* 12, 3. Tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta, aut delegationem, etc. *Tac. H.* 3, 34. Aspernari emptionem mancipiorum. *Suet. Aug.* 24. Imminere emptioni. [*i. e. propensum esse ad emendum.] *Id. ib.* 98. Absumere pecuniam in emptionem mercium. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Emptio equina similis fere, ac boum, et asinorum. *Gell.* 12, 12. *extr.* Competitores emptionis. *Plin.* 33, 3, 13. Emptiones, quae mancipii sunt. V. MANCIPIUM. ℙ Apud *Scaev. Dig.* 32, 1, 102. et *Ulp. ib.* 33, 7, 12. *sub f.* emptiones sunt tabulae, seu instrumenta emptionum. ℙ Formulam veterem emptionis ovium habes ap. *Varr. R. R.* 2, 2., suum vero *ib.* 4. et boum *ib.* 5.

EMPTĬŌNĀLIS, e, adj. *Cic. Fam.* 7, 29. Si inter emptionales senes venale proscripserit. Sed legendum est *Coemptionales;* quam vocem V. suo loco.

EMPTĪTĀTUS, a, um, partic. ab *emptito*, frequent. *Colum.* 8, 10. *ad f.* Ternis denariis singuli emptitati.

EMPTĪTO et Emtito, as, a. 1. frequenter emo.

Tac. A. 14, 41. Qui talem operam emptitasset, vendidissetque, perinde poena teneretur, ac, etc. *Pl. Cas.* 2, 5, 39. Non ego istuc verbum emptitem titivillitio. *Festus* in *Titivillitio* habet *empsitem;* plures *emissim*, aut syncop. *Emsim* pro *Emerim. Plin. ep.* 6, 19. Quidquid venale audiunt, emtitant.

EMPTĪVUS, a, um, adj. empticius. *Emptivus miles* est mercenarius. *Festus.*

EMPTOR et Emtor, oris m. *ὠνητὴς*, qui emit. [**Ulp. Dig.* 21, 1, 19, 5. Emtorem accipere debemus eum, qui pretio emit; sed si quis permutaverit, dicendum erit, utrumque emtoris et venditoris loco haberi.] *Cic. Off.* 3, 12. Ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret. *Id. Q. Fr.* 2, 2. Tusculano emptor nemo fuit. *Hor. Ep.* 2, 2, 167. Emptor Aricini quondam, Vejentis et arvi, Emptum coenat olus. *Id. Sat.* 1, 2, 88. Emptor hians. *Id. Od.* 3, 6, 32. Emptor pretiosus, *h. e.* qui magno pretio res coemit. *Sall. Jug.* 39. *extr.* Urbem venalem, et mature perituram, si emptorem invenerit. [*Adde *Plin. Epp.* 10, 97.] *Pl. Poen.* 1, 2, 128. Invendibili merce, oportet ultro emptorem adducere: proba merx facilé emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est. ℙ *Emptores bonorum* sunt sectores, qui damnatorum, debitorum, et proscriptorum bona sub hasta venalia emunt: quod genus hominum semper male audivit, *Cic. Quint.* 15. *extr.* et *Sall.* apud *Gell.* 18, 4. ℙ *Emptor familiae* erat emptor imaginarius, qui abhibebatur in illo testamenti genere, quod *Gell.* 15, 27. appellat *per emancipationem familiae*, seu per aes, et libram, in quo testator cuipiam res et familiam suam imaginaria venditione alienabat, hicque aere ac libra adhibita emere se simulabat, ob id solum, ut testator vivens quodammodo alienasse videretur, quae demum post mortem ejus is, qui tum fictum emtorem agebat, tanquam legitimus heres acciperet. V. COEMPTIONALIS. Aliquando tamen hujusmodi emptor alius erat ab herede, ut in testamento Augusti, de quo *Suet. Ner.* 4. Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiae pecuniaeque in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est.

EMPTRIX et Emtrix, icis, f. quae emit. *Modest. Dig.* 21, 2, 63. Cum emptrix non provocaverit. [*Adde *Cod.* 4, 54, 1.]

EMPTŪRIENS, entis, partic. ab inus. *empturio*, cupiens emere. *Varr. in prooem. l.* 2. *de R. R.* 6. Propterea quod te empturientem in campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes.

EMPTUS et Emtus, a, um, partic. ab *emo*, pretio comparatus, coemptus. *Hor. Ep.* 2, 2, 168. Emptum coenat olus: emptis Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum. *Pl. Poen.* 4, 2, 20. Servi pretiis maximis empti. *Ov. A. A.* 3, 165. Femina procedit densissima crinibus emptis. *Id. Am.* 1, 10, 39. Turpe reos empta miseros defendere lingua. *Suet. Gramm.* 13. Staberius hero suo emptus de catasta. *Id. Aug.* 64. Cajum, et Lucium adoptavit domi, per assem et libram emptos a patre Agrippa. V. EMANCIPATIO et EMANCIPIUM. ℙ Translate est largitione corruptus. *Cic. Att.* 16, 15. Cum eam defendere coepisset, non modo deseruit emptus pecunia, sed etiam evertit. *Id. Pis.* 15. Duo tribuni plebis de lapide empti. V. LAPIS. *Id. Att.* 1, 18. Emptum judicium. ℙ *Ex empto*, aut *vendito* aliquid agere, apud JCtos est ex contractu emptionis, aut venditionis agere. *Cic. N. D.* 3, 30. Quae ex empto aut vendito, conducto aut locato, contra fidem fiunt. *Paul. Dig.* 21, 2, 18. Ex empto conveniri. *Ulp. Dig.* 17, 1, 14. Teneri judicio ex empto. Et *ib.* Ex empto obligatus. *Id. ib.* 19, 1. qui *De actionib. empti, et venditi* inscribitur, *leg.* 14. Ex empto actione is, qui emit, utitur. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 2, 55. empta dolore voluptas, *h. e.* comparata, et *Ep.* 18, 48. pulmenta laboribus empta. *Lucan.* 10, 107. Pax empta donis. Et 7, 282. aut emptum minimo vult sanguine quisquam Barbarus Hesperiis Magnum praeponere rebus? etc. *Virg. A.* 10, 503. Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum Intactum Pallanta. *Sil.* 5, 601. seroque emptum volet impia Roma Non violasse, etc. ℙ Ad scriptionem quod attinet, qui *emptus* inserto *p* scribunt, nituntur antiquis lapidibus ac monumentis, quae multo plura sunt, quam quae sine *p* exhibent, ut vel ipsi *Dausq.* et *Cellar.* fatentur, quamvis hi conjuncti cum aliis multis criticis ipsum *p* extritum velint. Nam tribus, aut quatuor pro se allatis lapidibus addunt auctoritatem grammaticorum veterum, *Terentii Scauri*, et *Marii Victorini*, quibus *p* supervacua videtur. Addunt et rationem, quod ea littera in praesenti verborum *emo*, *sumo*, *como*, *demo* nulla sit: nullam ergo ne in supinis quidem esse debere. Quae omnia id efficiunt, ut qui *emtus*, *sumtus*, *comtus* scribit, reprehendi non debeat. Sed qui antiquitatis consensum sequetur, quae frequentius *emptus* etc. exhibet, mihi videtur laudandus magis.

*EMPŪLUM, i, n. oppidum Latii. *Liv.* 7, 18. *B. A.*

[EMPYĪCUS, i, m. *ἔμπυος*, qui abscessu thoracis laborans, ibidem collectum pus e pulmonibus exscreat: a praeposit. *ἐν*, in, et *πύον*, pus. *Marc. Empir.* 7. Empyicis, vel haemoptoicis, id est, qui sanguinem de visceribus per os ejectant, etc. *Theod. Prisc.* 2, 10. Empyici frequenter fiunt, ulcere in interioribus, vel apostemate praecunte. *F.*]

EMŪCĬDUS, idem quod mucidus. V. EJUNCIDUS.

EMŪGĬO, is, ivi, itum, a. 4. *ἐκμυκάομαι*, idem, ac mugio, vel cum mugitu profero. *Quint.* 2, 12. *a med.* Clamant ubique, et omnia, levata (ut ipsi vocant) manu, emugiunt. *Sever Aetn.* 294. et longas emugit buccina voces.

EMULGĔO, es, ulsi, ulctum, a. 2. *ἐξαμέλγω*, mulgeo, mulgendo tollo. *Colum.* 7, 3. *a med.* Sed priusquam hoc fiat, exiguum emulgendum est, quod pastores colostram vocant.

*EMULGO, as, a. 1. Unius cod. lectio ap. *Liv.* 9, 46, 5. V. *Drak.* ad h. l.

EMULSUS, a, um, partic. ab *emulgeo. Catull.* 68, 110. Siccare emulsa pingue palude solum, *h. e.* exhausta.

EMUNCTĬO, onis, f. actus emungendi. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Cum emunctio etiam frequentior non sine causa reprehendatur.

*EMUNCTORĬUM, i, n. in instrumento candelabri refertur. *Vulgat. Exod.* 25, 38. *B. A.*

EMUNCTUS, a, um, partic. ab *emungo*, emungendo purgatus, et dicitur proprie de naribus. Hinc translate *emunctae naris homo* dicitur, qui est acris ingenii ac judicii, solers, perspicax, acutus ad indagandum, dijudicandum, intelligendum: ducta ex eo metaphora, quia emunctae nares acriorem sensum habent, et acutius distinctiusque odorantur. *Phaedr.* 3, 3. Aesopus naris emunctae senex, Natura nunquam verba cui potuit dare. *Hor. Sat.* 1, 4, 7. *de Lucilio.* facetus, Emunctae naris, durus componere versus. Nisi malis legere: *Emunctae naris durus componere versus*, h. e. durus in componendis versibus emuncta nare factis. Ceterum etiam *acutae naris*, et *obesae naris homo* (de quibus V. in NARIS) ad ingenium transferuntur. *Don.* ad *Ter. Phorm.* 4, 4, 1. *emunctae naris* interpretatur elegantem, et facetum: quasi ducatur metaphora ex eo, quod qui elegantiae student, et munditiei, nunquam non emunctas nares habent. Sed haec ad *Horatii*, aut *Phaedri* sententiam non faciunt. ℙ Praeterea *emunctus* dicitur, cui aliquid ablatum est, spoliatus, fraudatus, exhaustus *Pl. Bacch.* 5, 1, 15. Sic miserum me auro esse emunctum! *Hor. A. P.* 238. audax Pythias emuncto lucrata Simone talentum. ℙ Item qui in dicendo pressus est, et purgata, nitida, nihilque supervacui aut sordidi habente oratione utitur: ducta translatione ab emunctis naribus, et sordium vacuis. *Quint.* 12, 10. Attici limati quidem, et emuncti, nihil inane, aut redundans ferebant: Asiana gens tumidior alioqui, atque jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est.

EMUNDĀTĬO, onis, f. actus emundandi. *Tertull. Baptism.* 5. et *adv. Marcion.* 4, 9.

EMUNDĀTUS, a, um, partic. ab *emundo. Colum.* 3, 15. Seritur ergo prius in emundata pastinatione. *Id.* 11, 2. *med.* Torcularia et fora diligenter emundata, lotaque.

EMUNDO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκκαθαρίζω. Colum.* 2, 15. Quaedam pluviis diebus, ut bubilia, et ovilia, debent emundari. *Id.* 8, 4. Pulvere et cinere gallinae plumas, pennasque emundant. *Id.* 11, 2. *ab in.* Emundare segetes. Et 12, 23. vinum, *h. e.* a faecibus purgare. Et 50. *a med.* faeces et amurcam. ℙ *Part. *emundans* ap. *Vulgat. Malach.* 3, 3. *B. A.*

EMUNGO, is, nxi, nctum, a. 3. *ἀπομύττω*, nares purgo. *Varr.* ap. *Non.* 7, 111. Eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur. Joculariter *Pl. Cas.* 2, 6, 39. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos. (Graeca constructio.) *Auct. ad Her.* 4, 54. Ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. *scil.* hujusmodi artifices, cum sordentes habeant semper manus, si quando nares emungere opus est, cubito id facere coguntur. *Suet. in vit. Hor.* Quoties ego vidi patrem tuum cubito se emungentem? *Juven.* 6, 146. Jam gravis es nobis, et saepe emungeris: exi, *h. e.* vetula es, et pituita stiriaque nasi laboras. ℙ Translate est fraudare, spoliare, fraude extorquere. *Ter. Phorm.* 4, 1. Emunxi argento senes. *Pl. Bacch.* 4, 4, 50. Emungam hercle hominem probe hodie. [*Adde *ib.* 5, 1, 15. Miserum me auro esse emunctum. Latini sequuti sunt in hac loquutione Graecos, qui *ἀπομύττειν* in hunc usum adhibent, animadvertente *Ruhnk.* ad *Ter. l. d. Burm.* ad *Prop.* 2, 13, 8.] ℙ *Emunxti* syncope pro *emunxisti* legitur ap. *Pl. Most.* 5, 1, 59.

EMUNĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *χαταφράττω*, idem quod munio, vel probe munio. *Col.* 5, 6. *a med.* Vites ab injuria pecoris caveis emuniri. *Senec. Clem.* 1, 19. In adscensum arduos colles emunire. *Virg. A.* 8, 227. fultosque emuniit objice postes. ℙ *Emunire silvas* est purgare, pervias facere, et itineri aptas: *Emunire paludes*, siccare, et calcabiles reddere; quo sensu etiam *munire vias* dicimus. *Tac. Agric.* 31. Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. [*Scilicet praepositio initium ejus rei fieri significat, quae in verbo inest, animadvertente *Hertel.* Cf. *Emereri*, *Emirari* etc.] ℙ *Emunire toros* ap. *Stat. Theb.* 1, 518. est instернere, et discumbendi gratia parare. ℙ Translate. *Senec. Contr.* 3, 17. *a med.* Olim jam adversum hunc metum emunivit animum.

EMŪNĬTAS, atis, f. immunitas. Usus est *Tert. Resurr.* 58., ubi alii melius leg. *immunitas.*

EMŪNĪTUS, a, um, partic. ab *emunio*, *χαταφραχτός. Liv.* 24, 21. *extr.* Locus arcis in modum emunitus. *Id.* 21, 7. Murus supra ceterae modum altitudinis emunitus. [*Cf. plura exempla apud *Drak.* ad h. l.] *Colum.* 1, 6. *a med.* Sic emunita sola, et latera horreorum prohibent curculionem, *h. e.* tectorio convestita, et amurca perfusa. *Liv.* 26, 46. Locus opere emunitus.

EMUSCO, as, a. 1. muscum adimo, purgo. *Colum.* 11, 2. *ante med.* Oleae putantur, et emuscantur. Al. leg. *muscantur.*

EMUSSĬTĀTUS, adamussim factus. *Fest.* Adde *Pl. Mil.* 3, 1, 38., ut quidem legit *Non.* 1, 28. Et 6, 48. et alii. Reponunt plerique omnes *amussitatus.* Est enim ab *amussis.*

EMŪTĀTUS, a, um, part. ab *emuto*, mutatus, *Quint.* 8, 2. *ad f.* Emutatis in perversum dictis.

EMŪTĬO, is, n. 4. *γρύζω*, sileo. *Pl. Merc.* 5, 2, 55. Etiam emutis? omnia commonstrabo. Ita quidam Lexicographi. At meliores libri habent, *etiam metuis?* quod etiam magis consonum iis, quae ibi dicuntur.

EMŪTO, as, avi, atum, a. 1. idem quod muto. *Manil.* 5, 149. appositis caput emutare capillis. V. etiam locum *Quint.* in EMŪTĀTUS.

EMYDES, um, f. plur. *ἔμυδες*, a Graecorum nonnullis appellatur genus testudinum in dulci aqua viventium. *Plin.* 32, 4, 14. Harum meminit et *Aristot. l.* 8. *Hist. anim. c.* 2.

EN

ĒN, adv. *ἠρὶ*, Hebr. הֵן, ecce: factum per apocopen a vocibus Graeca et Hebraica allatis. *Cic. Dejot.* 6. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. [*De sequente nominat. aliud exemplum est ap. *Hor. Sat.* 1, 1, 15. Cf. *Ruddim. Inst.* II. p. 315.] *Id. Fam.* 13, 15. En, hic ille est de illis maxime, qui irridere me solitus est. etc. *Plin.* 21, 3, 8. En, ego sum illa, quam, etc. *Virg. Ecl.* 1, 72. en, quo discordia cives Perduxit miseros. *Id. ib.* 6, 70. hos tibi dant calamos, en accipe, Musae. *Pl. Pseud.* 1, 2, 82. En, excetra tu, quae tibi amicos tot habes, etc. ℙ Cum accus. *Virg. Ecl.* 5, 67. en quatuor aras, Ecce tuas tibi, Daphni. *Pl. Suppos. Amph. scena, quae incipit:* Di vostram fidem! *v.* 54. En tectum, en tegulas, en obductas fores. ℙ Aliquando est hortantis, excitantis. *Virg. G.* 3, 42. en age segnes Rumpe moras. Adde *Sil.* 3, 179. ℙ Aliquando admonentis. *Virg. A.* 4, 534. En, quid ago! rursusne procos invisa priores Experiar? ℙ Interdum irridentis, et per ironiam loquentis. *Cic. Verr.* 2, 1, 37. Haec est istius praeclara tutela. En, cui tu liberos committas: en memoria mortui sodalis: et metus vivorum existimationis. [*Cic. *Phil.* 3, 9. En cur magister ejus ex oratore arator factus possideat. V. *Matth.* ad *Cic.* pro *Sext.* 59.] ℙ Et admirantis. *Varr. R. R.* 1, 2. En, ibi tu quicquam nasci putas posse, aut coli natum? ℙ Jungitur et ipsis verbis. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. En mediocri me dolore putas affici, cum, etc. Al. leg. *Et.* [*Inter media verba interjicitur. *Liv.* 22, 6, 3. Consul, en, inquit, hic est, populariibus suis. *Id.* 28, 27, 9. In castris, en, meis. V. *Drak.* ad 2, 6, 7.] ℙ Et quibusdam adverbiis. *Cic. Phil.* 3, 9. En, cur magister ejus ex oratore arator factus sit. Al. leg. *Hem. Id. Sext.* 27. En, cur ceteri reges arbitrentur, etc. ℙ *En unquam* est ecquando, unquamne? *Liv.* 9, 10. En unquam futurum, ut congredi armatis cum Samnite liceat? *Virg. Ecl.* 8, 7. en erit unquam Ille dies! Adde *ib.* 1, 68. et *Ter. Phorm.* 2, 2, 15. et 2, 3, 1. [*Est formula eorum, qui per interrogationem vel optant vehementer vel indignantur. Sic *Ruhnk.* ad *Ter. Phorm.* 2, 2, 15. qui laudat interpp. ad *Liv.* 24, 14. 30, 21. Adde *Drak.* ad *Liv.* 4, 3. ℙ Aliquando repetitum invenitur. *Sil.* 11, 552. Dextra en, en dextera. V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 15, 677.] *En ecce* pleonasmus est: et majorem tamen habet vim demonstrandi. *Senec. Oedip.* 1004. En, ecce, rapido saeva prosiluit gradu. Sic Graeci *ἠρὶ ἰδοῦ*, aut *ἦν ἰδοῦ*. Simile est illud *Ov. Met.* 3, 283. tostos en aspice crines. ℙ Quod legitur a quibusdam *Aspis en Argo* ap. *Hygin. fab.* 170. *sub f.* sunt ea Graeca verba (si sana est lectio) Latine scripta, *Ἀσπὶς ἐν Ἄργῳ*, vel, ut alii emendant, *Ἀσπίδος*: et illud *en* valet *in* praepositionem. ℙ [*Saepissime confunduntur a librariis *En* et *et.*

V. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 6, 60. *Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 2, 10. *Met.* 15, 677. et qui hos laudat *Drak.* ad *Liv.* 2, 12, 13.]

*ENAECADLOAE, arum, regionis silvestris incolae ad mare Hylaeum. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* habet *Enoecadloae. B. A.*

*ENAGORA, ae, f. insula prope Lyciam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ENALLAGE, es, f. ἐναλλαγή, scil. permutatio; figura est, qua pars pro parte ponitur, vel accidentia partium permutantur, ut *vivere* pro *vita*, *nullus* pro *non* etc. Sed vox Graeca est, et Graece adhibenda.

*ENARGIA, ae, ἐνάργεια, non ἐνέργεια, quam lectionem esse corruptam *Budaeus* censet, Latine *evidentia* vel *illustratio* a *Cicerone* dicitur, auctore *Quint.* 6, 2. Commemoratur inter figuras sententiarum, quae amplificandi, ornandi vel delectandi gratia rem, ceu coloribus expressam, in tabula spectandam proponit, ut depicta, non narrata, spectata, non lecta videatur: ut, *Ipse inflammatus scelere ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat etc.* Constat descriptione rerum, temporum, locorum et personarum etc. Fuit τὸ τῆς ἐναργείας ὄνομα Epicureis valde tritum, qui contendebant, judicium omnium rerum esse penes τὰ φαινόμενα ταῖς αἰσθήσεσι. V. *Hieron. Wolf. annotat. ad vitam Isocrat.* p. 795. *Cic. Acad.* 4, 6, Propterea quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci; nos, si placet, perspicuitatem aut evidentiam nominemus. Adde *Quint.* 4, 2. et 8, 3. Sed Graeca plane vox est, et Graecis litteris scribenda. *B. A.*

ENARRABILIS, e, adj. qui enarrari, seu dici potest. *Quint.* 6, 3. *sub in.* Non ratione aliqua, sed motu quodam, nescio an enarrabili, judicatur. *Virg. A.* 8, 625. clypei non enarrabile textum. Adde *Senec. ep.* 121. *a med.*

ENARRATE, adv. enarrando, explicando. *Gell.* 13, 12. Id ipsum postea in M. Varronis libro enarratius scriptum invenimus, *h. e.* fusius, explicatius, apertius. Et 10, 1. Quod Varro breviter et subobscure, Tiro Tullius enarratius scripsit.

ENARRATIO, onis, f. actus enarrandi, explicatio. *Quint.* 2, 5. Exigitur a grammaticis poetarum enarratio. Adde 1, 4.

[ENARRATIVUS, a, um, adj. ἐξηγητικός, idem ac enunciativus. *Diom.* 3. *p.* 479. Poematis genera sunt tria. Aut enim activum est, vel imitativum; aut enarrativum, vel enunciativum; aut commune, vel mixtum. *F.*]

ENARRATOR, oris, m. qui enarrat atque interpretatur. *Gell.* 13, 30. Satyrarum M. Varronis enarrator. Et 18, 4. Enarrator Sallustii. Et 6. Idonei vocum antiquarum enarratores.

ENARRO, as, a. 1. ἐξηγέομαι, idem quod narro, vel plene planeque narro. [*Quo sensu opponitur verbo dicere. *Cic. Inv.* 1, 20. Saepe satis est, quod factum sit, dicere, non ut enarres quemadmodum sit factum.] *Ter. Ad.* 3, 2, 53. Abi, atque Hegioni rem enarrato omnem ordine. *Cic. Marcell.* 2. Nulla est dicendi tanta vis, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. *Id. Div.* 1, 26. Enarrare alicui somnium. ℙ Est etiam explicare, interpretari quae intellectu difficilia sunt, pluribus verbis exponendo, quae sunt dicta breviter. *Plin.* 36, 13, 19, *n.* 2. *de labyrintho.* Positionem operis ejus, singulasque partes enarrare non est. *Quint.* 1, 2. Si grammaticus historias exponat, poemata enarret. *Gell.* 18, 9. Varronem quoque hunc versum Plauti sic enarrasse. *Id.* 13, 10. Ad enarrandam et illustrandam linguam Latinam. Adde 3, 16. ℙ [*Confunduntur *Enarrare* et simplex *narrare. Drak.* ad *Liv.* 27, 50, 3. ad 28, 44, 21.]

ENASCOR, eris, atus sum, dep. 3. ἐκφύομαι, idem quod nascor, orior, nascendo exeo. *Varr. R. R.* 1, 41. E quibus enasci coliculi vix queunt. [*Liv.* 32, 1, 10. In Herculis aede capillus enatus. *ib.* 32, 1, 12. Laurus in puppi navis longae enata. V. *Drak.* ad *Liv.* 43, 13, 5.] *Tac. A.* 2, 14. Enata humo virgulta. *Suet. Aug.* 94. Soboles ex arbore enata. [*Col. 15, 4, 2. Stratae vites, quae ab enata stirpe confestim vel projectae per humum porriguntur, i. e. a stirpe e qua enatae sunt vites.] *Id. Domit.* 23. Gibba enata pone cervicem. *Plin.* 28, 8, 28. Crocodilea illita molestias in facie enascentes tollit. *Id.* 11, 37, 45. Cornua ceterorum ossibus adhaerent, cervorum tantum cutibus enascuntur. *Varr. R. R.* 2, 9. Enati ex mento duo dentes. *Curt.* 2, 8. *extr.* Enata medio alveo insula. [*Et cum praepositione *in. Procul.* in *Dig.* 41, 1, 56. Insula est enata in flumine contra frontem agri mei. *Paull.* in *Dig.* 41, 2, 1. Insula enata in mare. Alia exempla supra allata. ℙ Translate. *Flor.* 2, 15, 4. Enata quasi classis: de inexspectata, et quae, unde tam subito prodiret, ignorabatur.]

ENATO, as, avi, atum, a. 1. ἐκνήχομαι, natando evado. *Hirt. B. Alex.* 18. Se in mare praecipitaverunt, et octingentorum passuum intervallum ad oppidum enataverunt. *Hor. A. P.* 20. si fractis enatat exspes Navibus. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 31. Reliqui habere se videntur angustius: enatant tamen, *h. e.* se expediunt. ℙ [*Confunduntur *Enatare* et *Innatare.* V. *Vir. doct.* ad *Pallad.* 4, 10, 22.]

ENATUS. V. ENASCOR.

ENAVIGATUS, a, um, part. ab *enavigo*, navi trajectus. *Plin.* 9, 3, 2. Vastus sinus, duodecim dierum et noctium remigio enavigatus.

ENAVATUS, a, um, part. ab inusit. *enavo*, diligenter confectus. *Tac. H.* 3, 74. Praemia enavatae operae petebant. Vulgati libri multi habent, *navatae.*

ENAVIGO, as, avi, atum, a. 1. ἐκπλέω, navigando exeo, vel trajicio. *Plin.* 6, 17, 21. Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta navigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque enavigare. *Hor. Od.* 2, 14, 11. Unda omnibus enavigauda. *Suet. Tib.* 11. Tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. *Scaev. Dig.* 45, 1, 122. Enavigare de loco aliquo. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 14. Ex quibus, tanquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio.

ENCAENIA, orum, n. plur. ἐγκαίνια, festus dies propter dedicationem alicujus novi operis celebratus: a καινός, novus. Usus est *August. tract.* 84. *in Joann.* ubi ait: Quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, encaenia vocantur. Jam et usus habet hoc verbum: si quis nova tunica induatur, encaeniare dicitur etc. Habet et *Quint.* 7, 2. sed Graece. [*ad quem locum v. *Burm.* p. 605.]

ENCAENIO. V. in v. praec.

*ENCANTHIS, idis, f. tuberculum in angulo oculi, quod palpebras vix diduci patitur. *Cels.* 7, 7, 5. Sed rectius Graece scribitur. *B. A.*

ENCARDIA, ae, f. gemma, in qua cordis effigies eminet: e καρδία, cor. *Plin.* 37, 10, 58.

ENCARPI, orum, m. plur. ἔγκαρποι, pancarpiae coronae, ita appellatur florum, frondiumque, et pomorum implexus, atque contextus, ornatus causa alicubi pictus, vel sculptus. *Vitr.* 4, 1. Encarpis pro crinibus dispositis frontes ornaverunt. [*Festons.*] Est a καρπός, fructus. V. PANCARPIUS. ℙ *Alii nominativum malunt esse *Encarpa*, *orum*, n. ἔγκαρπα. *B. A.*

*ENCAUSTES, ae, m. ἐγκαύστης, qui igne pingit. Laudatur *Vitr.* 7, 9. Quod facere ab encauste dicerat. *B. A.*

[ENCATHESMA, ătis, n. ἐγκάθεσμα, collectio humoris. *Appul. Herb.* 38. Haec omnia teres, et encathesmatis impones. *Encathesmatis* est pro *encathesmatibus. F.*]

ENCAUSTICUS, a, um, adj. ἐγκαυστικός, ad encaustum, picturae genus pertinens. *Plin.* 35, 11, 39. Aliquanto vetustiores encausticae picturae extitere. ℙ *Encaustica*, *ae*, absolute, est ipsa ratio encaustica pingendi, ἐγκαυστική. *Id. ib. paulo post.* Quod profecto non fecisset, nisi encaustica inventa.

ENCAUSTUS, a, um, adj. ἔγκαυστος, inustus: ab ἐγκαίω, inuro. Dicitur de picturae genere a veteribus artificibus usurpato, quod triplex fuit, ut *Plin.* 35, 11, 41. docet: unum, quo pingebant ceris discoloribus tabulae illitis, et igne admoto candefactis: alterum, quo stilo ferreo igne candefacto imagines faciebant in ebore: tertium, resolutis igni ceris, et penicillo inductis: quae pictura in navibus nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur. Hoc tertium genus (de quo verba facit etiam *Vitr.* 7, 9.) distabat a primo in eo, quod in hoc tertio illinebant penicillo ceras igne liquefactas, deinde postquam refrixissent, rursus igne admoto aequabant, poliebantque: in illo ceras frigidas sine penicillo inducebant in tabulas cestro, seu viriculo insculptas, vel postquam induxissent, viriculo figuras insculpebant, deinde inurebant, et poliebant. De primo genere intelligendum est illud *Ov. Fast.* 3, 831. Quique moves coelum, tabulamque coloribus uris! De primo item vel de tertio illud *Auson. epigr.* 26. ceris inurens januarum limina. Verum hoc totum artificium jampridem usu desiit. *Mart.* 4, 47. Encaustus Phaeton tabula depictus in hac est. Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis. *Plin. l. c.* Encausta pingere, et docere. Et Encausto pingendi duo genera etc. ℙ *Imp. Leo Cod.* 1, 23, 6. sacrum encaustum appellat confectionem coloris ex *cocto murice, et conchyllii triti ardore*, quo utebantur imperatores in suis rescriptis subscribendis. Hinc itali *inchiostro* vocant atramentum scriptorium. *August. contra Faustum* 3, 18. Imputet ergo sibi encausti munditia, quae corio inhaesit agnino, *h. e.* membranae. [*Seriores scriptores *encaustum* omnino ponunt pro atramento. *Isid. Gloss.* Sepia, encaustum. *Macer. cap.* 3. Encausto, vino quo sit macerata, soluto, Si scribis chartam, mus non teret amplius illam. V. *Munck.* ad *Fulg. Myth.* 1. p. 612.]

ENCAUTARIUM, ii, n. tabularium, libri publici censuales civitatum, et provinciarum, in quibus scriptum erat encauto [*ex quo loco patet etiam veteranis licuisse, ut encauto uterentur. ℙ Encautum etiam pro *encautario* dictum videtur in *Cod. Just.* 11, 17, 1. Sed lectio ibi incerta.] *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 13, 10, 8.

ENCAUTUM, i, n. genus scripturae, quae fit per adustionem, et cestrum: a καίω, uro, a quo et καυστός fit, et καυτός. Eo utebantur rectores provinciarum in subscribendo. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11, 16, 4. Rectores provinciarum manu propria perscribant, atque encauto nomina adnectant. *Id. ib.* 7, 20, 1. Encauto et cerussa conscribere.

ENCELADUS, i, m. Ἐγκέλαδος, filius Terrae, et Tartari, gigantum maximus, quem Juppiter fulmine ictum Aetnae monti supposuit, cujus corpore semiusto, pars ea, quae vivit, ignem spirat prae ira ac furore. *Virg. A.* 3, 578., *Hygin. Mythol. praef.* et *Claud. Idyll. de piis fratrib.* 32.

[*ENCHELIAE, arum, m. plur. Ἐγχελέαι, et Ἐγχελεῖς, gens in Illyride, ubi Cadmus, et ejus uxor Hermione in serpentes versi sunt: nempe ἔγχελυς *anguillam* significat. *Plin.* 3, 21, 25., *Mela* 2, 3., et *Lucan.* 3, 189. nomine prisco Encheliae versi testantes funera Cadmi. Alii pro *funera* leg. *sibila. F.* et *B. A.*]

ENCHIRIDION, ii, n. ἐγχειρίδιον, manuale, exiguus quivis libellus: ab ἐν, et χείρ, *manus*, quia manu nullo negotio circumferri potest. Exstat hujusmodi libellus *Augustini* ad Laurentium inscriptus. *Pomponius* quoque JCtus opusculum hoc nomine inscripsit, ut habetur in *lemmate legis tit.* 2, 2. *lib.* 1. *Digest.* ℙ Item gladiolus chirurgorum, [*eine Lanzette.*] Sic enim, quoniam eodem sensu Graece etiam usurpatur, eruditi quidam interpretantur in *Inscr.* ap. *Grut.* 70, 8. Deo Aesculapio Valerius Symphorus, et Protis signum Somni aereum, torquem aureum ex dracunculis *A.* P. S. 7. ⚌— (h. e. *duobus pondo semis unciarum quinque*), enchiridium argenteum P. ⚌— S, (h. e. *pondo* unciarum *quinque semis*), anabolium ob insignem circa se numinis ejus effectum V. S. L. M.

ENCHORIUS, a, um, adj. regionalis, indigena, ἐγχώριος. Vox Graeca, a χῶρα, regio. Latinis litteris scripta legitur apud *Philargyr.* ad *Virg. G.* 4, 298.

ENCHYTUM, i, n. ἔγχυτον, genus placentae, cujus meminit *Cato R. R.* 80., quae ita dicta videtur, quod liquidior esset, et aliis cibis infunderetur: quod liquido unguine perfunderetur: ab ἐγχέω, infundo. Al. leg. *encytum* ex ead. derivatione, omissa nempe, ut saepe alias, aspiratione. [*et sic exhibet *Schneid.*]

ENCLIMA, ătis, n. [*Apud *Gesner.* supra mediam syllabam lineola transversa, productionis signum, ex errore posita est, qui error in *Scheller. lex.* transiit.] ἔγκλιμα, inclinatio, curvatura, clima: ab ἐγκλίνω, inclino. *Vitr.* 9, 9. Hemicyclium excavatum ex quadrato, ad enclimaque succisum Berosus dicitur invenisse.

ENCLITICUS, a, um, adj. ἐγκλιτικός, inclinans, ut Conjunctiones encliticae, *que*, *ve*, *ne*, quoniam accentum a se inclinant, apud grammaticos.

ENCOLPIAE, arum, m. plur. ἔγκολπαι, venti, qui e mari veniunt per sinus: a κόλπος, sinus. *Appul. de Mundo* p. 61, 40. *Elm.* Habet etiam *Senec. Q. N.* 5, 8. sed Graece.

[ENCOLPISMUS, i, m. ἐγκολπισμός, clyster uterinus. *Theod. Prisc.* 3, 5. Pesso cum nardino, vel roseo prius resoluto, encolpismo uti conveniet. *F.*] [*Cf. *Reines. Var. Lect.* p. 515.]

[ENCOLPIUS, a, um, adj. ἐγκόλπιος, qui in sinu gestatur. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Murat.* 1335, 5. A. Crispino Encolpio, Crispinae Encolpiae Crispina Nice conjugi, et *filiae* fecit. ℙ Scribitur etiam *Encolpus*, *i*, quod tamen fortasse mendosum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 55, 2. C. Betutius Encolpus. *F.*]

[ENCOLPIZO, as, a. ἐγκολπίζω, clysterem uterinum injicio. *Theod. Prisc.* 4, 1. Diffumigatur mulier de storace, et encolpizatur pigmentis. *F.*]

ENCOMBOMATA, um, n. plur. ἐγκομβώματα, ab ἐγκομβόω, nodo constringo, significat genus vestis, quae nodo substringebatur corpori. *Pollux.* 4, 18. recenset inter ornatus comicos servorum his verbis: Τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξώμιδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόσκειται λευκὸν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται, ἢ ἐπίβλημα. *Varr.* ap. *Non.* 14, 38. Ut puellae habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac parnacidas (lege *arnacidas*), quam togas.

[ENCOMIOGRAPHUS, i, m. ἐγκωμιογράφος, qui encomium, seu laudationem scribit. *Imp. M. Aurel.* ad *Front.* 2. *ad M. Caes.* (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 9. Encomiographos istos audimus Graecos scilicet, sed miros mortales. *F.*]

[*ENCOMIOLOGICUS, a, um, adj. qui ad eum pertinet, qui alicujus encomium dicit: ab ἐγκώμιον, laudatio, et λέγω, dico. *Encomiologicum metrum* dicitur, quo utuntur panegyristae. *Plotius de metr.* p. 2662. inter varia carminum genera recenset *Encomiologicum Stesicherium*, et *Encomiologicum Archilogium:* prioris exemplum est, *Mollibus in pueris, aut in puellis:* posterioris, *Jam Cytherea choros Venus dat. F.* et *B. A.*]

[ENCRATITAE, arum, m. plur. ἐγκρατῖται: ita appellati sunt haeretici, qui, duce Tatiano circa annum a Chr. n. 151., nuptias, carnis animalium, et vini usum damnabant: ab ἐγκρατέω, temperanter ago, contineor. *Hieron.* 1. *adv. Jovin. n.* 3. Neque vero nos Marcionis, et Manichaei dogma se-

ctantes nuptiis detrahimus: nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus, qui non solum nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. *F.*]

ENCRĪNOMĒNOS, i, m. ἐγκρινόμενος, *h. e.* secretus, egregius, eximius, prae ceteris probatus: ab ἐγκρίνω, secerno, segrego: nomen est statuae aereae ab Alcamene Phidiae discipulo factae, qua pentathlon repraesentabatur. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 12. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 420, 3. P. Cl. Comicus sibi, et Florentino Lib. et Encrinomeno liberto.

ENCYCLĬOS, ii, ἐγκύκλιος, orbicularis, circularis: a κύκλος, orbis, circulus. *Encyclios disciplina*, Graeca dicendi ratione, est doctrina ex omnium scientiarum cognitione collecta, quae et ἐγκυκλοπαιδεία dicitur. *Vitr. praef. l.* 6. Disciplina, quae non potest esse probata sine litteratura, encyclioque doctrinarum omnium. Adde 1, 1. *a med.*

*ENDERODŪNI, orum, incolae Enderi. *Plin.* 3, 22. Fuit autem *Enderum*, *i*, oppidum Dalmatiae, hodie *Endero* sive *Endaro*. *B. A.*

*ENDĪDAE, arum, Rhaetiae oppidum. *Anton. Itiner. B. A.*

ENDYTUM. V. ENCHYTUM.

ENDĒLĒCHIA. V. ENTELECHIA.

ENDIADYS, vel Hendiadys, ap. *Serv.* ad *A.* 1, 65. est vox male conflata ex Graecis vocibus ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, quibus significatur figura poetica, qua unum per duo nomina exprimitur, seu in duo dividitur, ut cum ait *Tibull.* 1, 7, 13. Tum succos herbasque dedi, *h. e.* succos herbarum. Et *Virg. G.* 2, 192. pateris libamus et auro, *h. e.* pateris aureis. Et *Aen.* 2, 627. ferro et bipennibus, *h. e.* bipennibus ferreis. Et *ib.* 1, 653. pallam signis auroque rigentem, *h. e.* aureis signis. Et *ib.* 3, 223. ipsumque vocamus In praedam partemque Jovem, *h. e.* in partem praedae. Et ib. 1, 65. molemque et montes insuper altos Imposuit, *h. e.* molem montium. Et *G.* 1, 56. maculis insignis et albo, *h. e.* albis maculis. Et *Aen.* 11, 554. libro et silvestri subere clausam, *h. e.* libro suberis. Sic apud *Quint.* 8, 5. *a med.* Clavus et purpurae loco insertae, *h. e.* clavus purpureus. *Ov. Met.* 7, 251. Placare Deos precibus et murmure longo, *h. e.* precibus submissa voce conceptis. Adde *Virg. A.* 6, 734., *Senec. Agam.* 988., *Sil.* 3, 388. et *Lucil.* 29. ap. *Non.* 4, 392. tecta et testudines, *h. e.* tecta testudinea. *Cic.* quoque est hoc modo locutus aliquando: velut. *Tusc.* 3, 18. *extr.* Hunc sertis redimiri jubebis et rosa.

ENDO, praepos. a priscis Latinis usurpata pro *in:* vel ab ἐν τῷ vel ab ἔνδον, intus. *Cic. Leg.* 2, 8. Quos endo coelo merita vocaverint. Al. aliter leg. *Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. endo foro lato, sanctoque senatu. Al. leg. *indu*, quod idem est. V. INDU. *Id.* ap. *Charis.* 4, 249. Et *Auson. Monosyll. Grammaticomast.* 18. endo suam do, *h. e.* in suam domum. In *vet. rogatione* apud *Gell.* 5, 19. Uti ei vitae necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est. Et in *vet. lege*, *ib.* 20, 1. *a med.* Ni quis endo em jure vindicit, *h. e.* in eum. *Lucr.* 2, 1094. Endo manu. Et 4, 773. Endo statu. Et 6, 809. endo mari. *Festus:* Endo procinctu.

*ENDOCLŪSUS, a, um, part. inclusus. *Gloss. Vet.* Endoclusa, ἐνικεκλεισμένη (l. ἐγκεκλεισμένη). *B. A.*

ENDOCOEPTUS, a, um, part. ab inusit. *endocoepi*, inceptus, apud *P. Merul. ad fr. Ennii*, p. 192. Endocoepta per se temeriter face missa.

ENDOGRĔDI, idem quod ingredi, ab *endo*, et *gradior. Lucr.* 1, 82. viamque Endogredi sceleris. Adde 4, 318. et 367. Al. leg. *indugredi* eodem sensu.

ENDOJĂCĬTO, injicito. *Lex XII. Tab.* apud *Fest.* in *Struere.* Si calvitur, manum endojacito. [*Lucil.* ap. *Non.* s. v. *Calvitur:* Si calvitur, endo ferto manum.]

ENDOĪTĬUM, initium, apud veteres. *Festus.*

ENDOMŪNĪTUS, a, um, part. ab inusit. *endomunio*, intus munitus, munitus. Legitur a quibusdam apud *Liv.* 5, 39. *ad f.* ubi alii *inde munitus.* [*Endomunito ap. *Liv. l. c.* sola *Lipsii* conjectura nititur, hodieque ab editt. jure derelictum est.]

ENDOPĒDĪRI, est impediri: ab antiquo *endo* pro *in. Lucr.* 4, 68. quanto minus endopediri Pauca queunt. ℙ Sic *endopeditus* pro impeditus. *Id.* 1, 124. minus aut magis endopedita. Adde 2, 101. et alibi. Alii autem legunt *indupediri*, *indupeditus*, sed eod. sensu.

*ENDOPĒDĪTĒ, adv. ἀρχαϊκῶς pro impedite. *Lucr.* 1, 241. Res inter se nexas minus aut magis endopedite. *B. A.*

ENDOPĔRĀTOR, oris, m. idem quod imperator: ab antiquo *endo* pro *in Lucr.* 4, 964. et 5, 1226. Endoperatores pugnare, ac proelia obire. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Omnis cura viris, uter esset endoperator. Adde apud *Gell.* 18, 9. Utroque autem loco alii leg. *induperator:* quod habetur etiam apud *Juv.* 4, 29. V. INDU.

ENDOPLŌRĀTO, implorato, quod est cum quaestione inclamare. *Festus. Cic. fr. orat. pro M. Tullio* (ed. *A. Peyronio*) p. 108. *n.* 50. Quod si fur repugnaverit, endoplorato, hoc est conclamato, ut aliqui audiant, et conveniant. *Gloss. Philox.* Endoplorato, ἐπικάλεσον.

ENDOTŪĒTŪR, intuetur: ab antiquo *endo* pro *in. Enn.* ap. *Non.* 4, 385. ubi alii leg. *inde tuetur.*

[ENDŌTUS, i, m. cognomen Romanum in mendosa *Inscr.* ap. *Grut.* 651, 4., quae, cum adhuc exstet, quamvis mutila, in *Mus. Patav.*, ex fragmento nunc deperdito, sed allato a *Scardeon. Antiq. Urb. Pat.* p. 74., ita supplenda, et interpretanda est:

M . AVRELIVS
XENODOTVS
VET . EX . 7 . SIBI . ET
AELIAE . AQVILEIAE
CONIVGI . DVLCISS .
VIVVS . POSVIT
S . Q . H . A . P . E . S . S . A . V . D . F . HS . . . .

h. e. Marcus Aurelius Xenodotus *veteranus* ex centurione sibi, et Aeliae Aquilejae conjugi dulcissimae vivus posuit. *Si quis hanc arcam post excessum supra scriptorum aperire voluerit, dabit fisco* sestertia . . . . Haec inscriptio pertinet ad militem classis Ravennatis, qui M. Aurelii Antonini imperatoris tempore vixit. *F.*]

ENDOVĔLLĬCUS, i, m. nomen numinis apud Celtas: vox composita ex *Endo*, nomen proprium numinis; hinc illius nominis vestigia saepe inveniuntur in Hispaniarum urbium nominibus: et *Vellicus*, ex quo appellata est Vellica urbs Cantabriae, nunc *la Guardia*, vel *Medina del Pomar*, cujus meminit *Ptolemaeus* 2, 6. et *Flor.* 4, 12., ubi perperam legitur *Belgica.* De hoc numine multa disserit *Reines.* in *Append.* ad *Inscr. antiqu. n.* 6. Illius mentio est in pluribus *Inscr.* ap. *Grut.* 87, 9. 10. 11. 12. et 88, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8., in quibus legitur etiam *Endovelicus*, *Endovollicus*, *Enolicus*, et apud *Reines. l. c.* item *Endobobolicus*, mendose fortasse ubique. *Inscr.* in *Hist. de l'Acad. des Inscr. et B. L. de Paris T.* 3. p. 178. Herculi Patri Endovellico Toletum, Urbs Victrix Osca Deis tutelaribus compeditos ursos, tauros, aves Libycas quod annis Dant Dedicant. Ex hac *Inscr.* patet, Toletum, nunc *Toledo*, et Oscam, nunc *Huesca*, Hispaniae urbes, ursos, tauros, et struthiocamelos ad circi spectacula paratos Deo patrio dedicasse, ideoque nomine *Endovellici* Herculem ab Hispanis cultum fuisse.

ENDOVOLANS, tis, part. ab inusit. *endovolo*, involans. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. tamen endovolans secum abstulit hasta. Al. leg. *induvolans*, quod idem sonat: alii *inde volans.*

ENDROMĬDĀTUS, a, um, adj. endromide vestitus. *Sidon. ep.* 2, 2. Tu endromidatus exterius, intrinsecus fasceatus.

ENDROMIS, idis, f. vestis hirsuta longiore villo: a δρόμος, cursus, quod illa in cursu uterentur, ne scil. e stadio exeuntibus post exercitationem calefacta corpora refrigescerent. *Mart.* 4, 19. docet ejus usum fuisse in magno frigore, in exercitationibus trigonis, follis, harpasti, in cursu, et pluvio tempore: ne scilicet post ludum corpora nimis refrigescerent, ut dictum est, neve imber et venti iter facientem laederent. Ibi etiam in accusativo *endromida* dixit Graeca positione pro *endromidem.* Et 14, 126. docet fuisse quidem parvi pretii, a divitibus tamen usurpatam. *Juven.* 3, 102. igniculum brumae si tempore poscas, Accipit endromidem. ℙ Fuerunt tamen etiam molliores et delicatiores endromides, e molli lana et purpura factae, quas *Tyrias* appellat *Id.* 6, 246. et a feminis quoque, in palaestra luxus causa se exercentibus, usurpari solitas significat.

ENDYMĬON, onis, m. Ἔνδυμίων, Aethlii (Αἰθλίου) filius formosissimus, qui primus Lunae cursum invenit. Fabulantur, hunc a Luna adamatum fuisse, et ab ea in Latmio Cariae monte consopitum, ut eum dormientem oscularetur: et nondum experrectum adhuc dormire. *Cic. Tusc.* 1, 38. ℙ [*Pro specioso juvene *Endymion* dicitur. *Juven.* 10, 318. (apud *Gesner.* ex errore 10, 381. legitur.) Tuus Endymion dilectae fiet adulter Matronae. *Appul. Met.* 1. p. 107, 31. Hic est carus Endymion, hic catamitus meus.] ℙ Hinc *Endymionis somnus* in proverbium abiit. *Id. Fin.* 5, 20. Ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari. ℙ Quae de Endymione dicta sunt, ad Pana Deum Arcadiae transferre videtur *Virg. G.* 3, 392., ubi *Servius* narrat, spretum eum a Luna, candidissima pecora pavisse, et sic eam ad se illexisse. *Phylarg.* vero, niveis velleribus se circumdedisse, ut illi formosus videretur, atque ita cepisse. ℙ *Endymiones satyra *Varronis*, quam saepe laudat *Nonius*, v. g. *c.* 1. *n.* 229. Varro Endymionibus. *B. A.*

ENDYMĬONĒUS, a, um, adj. Ἐνδυμιώνειος, ab Endymione. *Auson. Idyll.* 6, 41. Endymioneos solita affectare sopores, Cum face, et astrigero diademate Luna bicornis.

[*ENEBULO, are. *Tertull. Apol.* 35. ubi alii simplex *nebulabant* habent.]

ENĔCATRIX, icis, f. quae enecat. *Tertull. adv. Marc.* 1, 29. *sub f.* Duritia Pharaonis nascentium enecatrix.

ENĔCĀTUS, a, um, part. ab *eneco*, necatus. *Plin.* 30, 12, 34. Mus araneus pendens enecatus. *Id.* 18, 13, 34. Rapacia in horreis enecata, *h. e.* raporum cauliculi et folia in horreis constructa, et veluti suffocata, donec flavescant, seu flaccescant.

ENĔCO (et Enico *saepe apud comicos*) as, cui, ctum, et avi, atum, a. l. ἀποκτείνω, neco, occido, suffoco. *Ter. Ph.* 5, 8, 5. Abi, tange: si non totus friget, me eneca. *Pl. Truc.* 1, 2, 99. Abortioni operam dare, et enecare puerum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 98. pisces ut saepe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter. [*Plin.* 11, 19. Enecant alveos aranei. Vox hominis de molestia queritantis, ut docuit *Casaub.* ad *Theoph. Char.* p. 135, 54. *Gesner.*] *Pl. Amph.* 5, 1, 62. Puer ambo angues enicat. *Hirt. B. Afr.* 84. Cum elephantus in lixam impetum fecisset, eumque pondere suo premeret atque enecaret. *Tac. A.* 14, 64. Praefervidi balnei vapore enecatur. *Plin.* 25, 13, 9. Quos cicuta enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. *Id.* 23, 2, 31. Vini faeci tanta vis est, ut descendentes in cupas enecet. *Suet. Gramm.* 3. In podagrae morbum incidit, cujus impatiens, veneno sibi perunxit pedes, et enecuit. [*ita ut, quod *Suet.* addit, ea corporis pars praemoriretur.] *Lucan.* 9, 434. exurit messes, et pulvere Bacchum Enecat. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. Est herba, quae cicer enecat, et ervum, circumligando se. ℙ Translate est valde molestum esse, et gravem, obtundere vel nimis dicendo, vel exspectantem ut dicas, fraudando. *Pl. Merc.* 1, 2, 45. Lassitudinem verba tua mihi addunt: enicas. *Ter. Andr.* 4, 1, 36. Cur me enicas? hoc audi. *Id. Eun.* 3, 5, 6. Qui me sequatur, quique jam rogitando obtundat, enecet. *Pl. Asin.* 5, 2, 71. Me quidem miseram odio enicavit. *Id. Merc.* 3, 2, 14. Jurgio enicare aliquem. ℙ Vel hercle enica, non tacebo, quoddam est imprecationis genus apud *Pl. Rud.* 5, 3, 45. et *Aul. a.* 5. *in f.* ℙ Part. *Enecans* ap. *Plin.* 21, 31, 105. Aspidum vis enecans sopore. *Enecandus* ap. *Cels.* 6, 7. *n.* 5. Vermes medicamentis enecandi. ℙ *Enicasso* pro *enicavero*, *Id. Most.* 1, 3, 55. et 66.

[ENECTO, is, a. 3. dissolvo: a praepos. *e*, et *necto. Not. Tir.* p. 122. Nectit, enectit, connectit. *F.*]

ENECTUS, a, um, part. ab *eneco*, enecatus. *Plin.* 26, 15, 90. Radix in tantum purgat, ut partus enectos extrahat. *Id.* 7, 9, 7. Enecta parente gigni, *h. e.* nasci caeso matris utero. *Senec. Herc. Oet.* 916. Enecta serpens. *Suet. Ner.* 36. Enecti veneno aut fame. *Prud.* περὶ στεφ. 8, 18. Enectus gladiis alter, et alter aquis. Lege *evectus.* V. eam vocem. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 3. Nimio gaudio enectus. ℙ Macie confectus, et prope mortuus, διεφθαρμένος, ἐκκαχωθείς. *Cic. Div.* 2, 35. Si avis inclusa in cavea, et fame enecta in offam pultis invadit. Et 69. Nonnullae valetudinis significationes, ut hoc ipsum, pleni, enective simus etc. *Id. Tusc.* 1, 5. Siti enectus Tantalus. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 23, 3.] ℙ Translate. *Cic. Att.* 6, 1. Appius cum ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit, detraxerit, mihi tradidit enectam. *Id. Div.* 1, 29. Ea pars animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluens.

ENĒMA, ătis, n. id quod clystere per anum injicitur, ἔνεμα: ab ἐνίημι, injicio. *Theod. Prisc.* 2, 1.

*ENĒMĬON, ii, n. ἠνέμιον, idem ac papaver. *Appul. Herb.* 53. *B. A.*

ENERGĒMA, ătis, n. ἐνέργημα, opus, effectus, efficacia, vis, seu ἐποτέλεσμα, quod operationem sequitur. *Tertull. Praescr.* 30. et *Car. Christ.* 34. Adde *Prud. Apoth.* 468., ubi *energima* scribitur, et paenultima, contra naturam syllabae, corripitur.

ENERVĀTĬO, onis, f. debilitatio. *Arnob.* 3. p. 105. Voluptatis enervatione languescere.

ENERVĀTUS, a, um, part. ab *enervo*, nervis privatus, ἀπονευρωθείς. *Claud. in Eutrop.* 1, 315. Dum spado Tiresias, enervatusque Melampus Reptet, *h. e.* castratus. *Aurel. Vict. Epit.* 10. *de Tito.* Enervatorum greges abire praecepit, *h. e.* exoletorum, pathicorum. Nam *Suet. Tit.* 7. eosdem vocat *delicatos. Apic.* 7, 7. Enervata cerebella. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 10. Cum hominibus enervatis atque exsanguibus consulatus, tanquam gladius, esset datus. *Id. Att.* 2, 14. Usque eo sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim ἐννυαννεῖσθαι, quam cum optima spe dimicare. *Id. Or.* 1, 52. Philosophus mollis, languidus, enervatus. *Id. Tusc.* 4, 17. Mollis et enervata oratio. Et *ib.* 2, 6. Enervata muliebrisque sententia. *Id. Pis.* 33. Afflictus, infirmus, enervatus reus. *Gell.* 19, 12. *extr.* Ignava, et quasi enervata vita. *Senec. Prov.* 4. Enervata felicitas. *Liv.* 38, 34. Velut enervata civitas Lacedaemoniorum, diu Achaeis obnoxia fuit.

ENERVIS, e, adj. ἄνευρος, sine nervis, debilitatus, mollis, effeminatus. *Senec. Thyest.* 176.

ignavus, iners, enervis. *Quint.* 9, 4. *ad f.* Si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem. *Plin. Pan.* 33. Spectaculum non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret, sed quod ad contemptum mortis accenderet. *Appul. Apol.* p. 322, 1. Mox in juventute saltandis fabulis exossis plane et enervis.

ENERVO, as, avi, atum, a. 1. ἐκνευρίζω, nervos adimo. *Appul. Met.* 8. p. 215, 40. Fuit unus, qui poplites meos enervare securi saeva comminaretur. *Apic.* 4, 2. Accipies cerebella quatuor, enervabis, coques. Et *infra.* Tursionem enervabis, concides minutatim. ℙ Item debilitare, infirmum facere. *Cic. Sen.* 10. Non plane me enervavit, nec afflixit senectus. *Hor. Ep.* 8, 2. Enervare vires. *Ov. Met.* 4, 286. Enervare et remollire artus. ℙ Translate. *Id. Rem. Am.* 753. Enervant animos citharae. [*Cic. Or.* 68. Tantum abest ut enervetur oratio compositione verborum.] *Petr. Sat.* 2. Enervare corpus orationis. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 39, 6.] ℙ Quoties primam hujus vocis syllabam corripit *Prud.*, ut *Cathem.* 8, 64. Corpus enervans. Et *contra Symmach.* 2, 143. Robur enervatum gereret sine laude palaestrae: *Salm.* ad *Spart. in Vero* 1. *extr.* contendit *inervo* legendum esse, ex vet. lib. Quod tamen, ut verum sit, non est imitandum.

ENERVUS, a, um, adj. idem ac enervis. *Appul. Met.* 1. p. 104, 3. Enervam et exossam saltationem explicat. Ita *Elmenhorst.* Alii melius *enervem* et *exossem.*

[ENFRACTĀRIUS, ii, m. vox originis, et significationis ignotae, quae legitur inter *Not. Tir.* p. 132. Anfractarius, enfractarius. ℙ Fortasse est pro *emphractarius*, ab ἐμφράσσω, obstruo, ita ut *anfractarius* sit, qui, ne quid facere invito animo cogatur, per anfractus fugit; *enfractarius*, qui eadem de causa obicem alicui opponit: idemque significet ac refractarius, Italice *refrattario. F.*]

*ENGADDA, oppidum Judaeae, inter Hierichuntem et lacum Asphaltitem. *Plin.* 5, 17. *Solin.* 35. *Engaddi* audit *Hieron.* et 1 *Sam. c.* 24. *v.* 2. *B. A.*

ENGĪBATA, n. plur. ἐγγείβατα, τά, apud *Vitr.* 10, 12. dicuntur fuisse machinae hydraulicae, in quibus icunculae et sigilla arcano aquarum impulsu varios motus ac miros ederent. At praestat legere *anchibata*; ἀγχιβάτης enim, ab ἀγχί, prope, et βατέω, accedo, Graece dicitur qui propius accedit: quod ad illas icunculas maxime convenit; cum contra ἐγγείβατα nullibi scriptum apud Graecos inveniatur.

ENGŌNĀSI et Engonasin, m. indecl. vox conflata ex Graeca praeposit. ἐν, in, et γόνασι, vel γόνασιν, genibus: nomen est sideris undeviginti stellarum, qui in fabulis dicitur esse Hercules, qui dextro genu nixus, sinistro pede caput draconis custodis Hesperidum opprimere conatur, sinistra manu projecta pellem leonis, dextra clavam tenens. Fabulantur ita dictum, quod in quodam proelio cum Liguribus, cum eum tela defecissent, multitudine hostium defessus se ingeniculaverit. Jovem autem misertum, lapidum copiam ei suppeditasse, quibus tandem hostes fugaverit. Alii putant esse Theseum, qui Troezene saxum extollere videtur, sub quo erat gladius, quem mater ejus a vate admonita fuerat, ut priusquam Athenas mitteret, patri referendum curaret. Alii Cetea Lycaonis filium, patrem Megistus, qui filiam in ursam conversam querens, genu nixus, palmisque extensis ad coelum, Deos orare videtur, ut ei formam restituant. *Hyg. Astr.* 2, 6. et *ib.* 3, 5. ℙ Situm est in coelo inter circulum Arcticum, et Tropicum Cancri, Lyram habens ad dexteram, et Coronam caputque Ophiuchi ad laevam. Latina voce appellatur *Ingeniculus* et *Nixus. Cic. Arat. N. D.* 2, 42. Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur. *Manil.* 5, 645. Nixa genu species, et Grajo nomine dicta Engonasi, ingenicla juvenis sub imagine constans. *Cic. Arat.* 373. flexo confidens corpore Nixus. Adde *Ov. Met.* 8, 182.

ENGONĀTON, i, n. ἐγγόνατον, genus horologii solaris, quod Hercules, genu sinistro flexo, humeris et ambabus manibus in collo gestabat, quale olim marmoreum fuisse Ravennae ostendit *J. - B. Passerius, Sagg. della Soc. Lett. Ravenn. T.* 1. *p.* 68. et seqq., quodque vulgo vocabant *Conchincollo*, quia horologium in conchae formam collo gestabat. Hujus horologii mentionem facit *Vitr.* 9, 9., ubi tamen ex antiq. MSS. legendum est *ecgonatos*, nempe ἐκ γόνατος, ex genu, *h. e.* Hercules ingeniculatus. V. vocem praec.

[*ENGYNUS, a, um, adj. ad Engyon pertinens, Siciliae urbem inter Himeram, et Symaethum fluvios, nunc *Gangi*, cujus meminit *Sil.* 14, 249. lapidosique Engyon arvi. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Engyna civitas. ℙ *Engyni*, seu *Enguini*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Matris magnae fanum apud Enguinos est. Adde *Plin.* 3, 8, 14. *F.* et *B. A.*]

ENHAEMON, i, n. ἔναιμον, medicamentum ex olea Arabica, sistendo sanguini, et contrahendis vulnerum cicatricibus singulari effectu, ab εἷμα, sanguis. *Plin.* 12, 17, 38.

ENHARMŌNICUS, a, um, adj. idem quod harmonicus, ἐναρμονικός. *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. *ad f.* Cum sint melodiae musicae tria genera, enharmonicum, diatonum, et chromaticum. Al. leg. *enharmonium*, quod idem est; et *enarmonium. Capell.* 9. *p.* 315. Enarmonion modulandi genus.

ENHYDRIS, idis, f. ἔνυδρις, colubra in aquis degens: ab ἐν, *in*, et ὕδωρ, *aqua. Plin.* 30, 3, 8. Et 32, 7, 26.

ENHYDROS, i, f. ἔνυδρος, gemma rotunditatis absolutae, in candore laevis, sed ad motum fluctuat intus in ea, velut in ovis, liquor. *Plin.* 37, 11, 73. *Adde *Sol.* 37, 67. *B. A.*

*ENHYDRUS, i, m. i. q. enhydris. *Solin.* 45.

ENĪBER, ra, um. V. INEBRAE.

ENĪCO. V. ENECO.

ENIM, γάρ, nam, namque, etenim: conjunctio causalis, quae fere post unum, aut alterum verbum ponitur. [*Statim in principio indicare mihi liceat, quam rationem in iis, quae de particulis agunt, retractandis secutus sim. Scilicet quum haec inprimis pars operis *Forcell.* manca sit parumque accommodata ad incrementa, quae hae litterae apud nos nacta sunt, spreto ac rejecto plane eo, quod *Forc.* habet, fundamento aliud et novum quidem nobis fuerat superstruendum. Sed quum hoc jam ob redemtoris honestissimi rationes facere non licuisset, quod in reliquo opere nobis agendum esse putavimus, id hic quoque praestare voluimus, scilicet ut prorsus falsa emendaremus, omissa adderemus, et viros doctos, qui rectius de his rebus traderent, laudaremus. *Wüstemann.*] *Cic. Att.* 11, 14. Video difficile esse consilium: sum enim solus. *Id. Mil* 1. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat. *Id. Or.* 2, 11. Ex his enim fontibus licebit etc. *Id. Att.* 14, 6. Odiosa illa enim fuerant, legiones venire. *Liv.* 33, 30. Eas quoque enim placere liberas esse. *Id.* 27, 7. His quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium. Al. leg. *his quoque enim*, ut 45, 39. alii omittunt *enim. Lucr.* 1, 680. Nil referret enim quaedam discedere. Et 3, 236. Rara quod ejus enim constat natura, necesse est etc. ℙ *Nec*, et *neque enim* saepe ponitur pro *non enim. Cic. Senect.* 10. Nec enim unquam sum assensus etc. *Id. Parad.* 1, 2. Neque enim expletur unquam cupiditatis sitis. ℙ [*Saepe ponitur ad afferendam rei causam quam falsam vel absurdam esse omnes sciunt; inservit igitur ironiae. *Cic. Phil.* 7, 1. An equites Romanos amplectetur? Occulta enim fuit eorum voluntas. *Id. Arch.* 5. Census nostros requiris. Est enim obscurum etc.] Reddit etiam causam rei non dictae, sed quae facile intelligi potest. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. Amicum enim nostrum in judicium vocabas, *h. e.* te non invitavimus, quia amicum nostrum in judicium vocabas. [*Res satis nota. Ut ex multis paucos afferam, v. *Wopkens. Lect. Tull.* 1, 11. p. 64.] ℙ Eleganter locum habet in enumerationibus, quando plurium mentio facta est, et de postremo singulare quippiam est dicendum. *Liv.* 4, 3. *a med.* Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipse Romulus etc. Dixerat prius de Numa, Tarquinio, et Ser. Tullio. ℙ Aliquando adhibetur tum ad afferendam causam, tum simul ad continuandam orationem. *Cic. Phil.* 2, 13. Attende enim paulisper, cogitationemque sobrii hominis suscipe. *Caes. B. C.* 2, 32. Desertos enim se a vobis dicunt etc. *Cic. Manil.* 2. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim ejusmodi etc. Al. aliter leg. ℙ Interdum habet quandam vim affirmandi. *Pl. Most.* 3, 1, 24. Quid tute tecum? *Tra.* nihil enim. Et *Cas.* 2, 4, 1. Te uxor ajebat tua me vocare. *Sta.* ego enim vocare jussi. *Ter. Ad.* 2, 1, 14. At enim non sinam. [*Scilicet hoc fit tum, ubi ea quae praecedunt comprobantur, ratione addita. V. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 848., qui laudat *Graev.* ad *Cic. or.* pro *Scaur.* 24. Haud absimilis est usus part. *enim*, quum res aliqua conceditur, sed ita ut simul indicetur, non pertinere ad id de quo nunc agitur. *Ramsh. l. l.* — Contra negativam vim habere videtur *enim*, quum ea quae praecedunt improbantur. *Ramsh. l. l.*] ℙ *At enim* servit etiam occupationibus. V. in AT. [*Ramsh. p. 848.] ℙ Ponitur eleganter *enim* in responsione post occupationem. *Cic. Phil.* 11, 8. At enim Caesari imperium extraordinarium dedi. Ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat. ℙ Videtur etiam aliquando poni pro *autem*, aut *vero.* [*Nempe ita ponitur, ut mente cogitanda sit enuntiatio, quae sententiae antecedenti opposita est. *Cic.* de *Off.* 1, 9. Facile, quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, judicare. Est enim difficilis cura rerum alienarum, ubi cogita: at non facile possumus, est enim. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 848.] *Caes. B. G.* 5, 7. Ille enim revocatus resistere, ac se manu defendere coepit. *Pl. Ps.* 1, 1, 29. Lege, vel tabellas redde. *Ps.* imo enim pellegam. *Id. Most.* 4, 2, 7. Qui parasitus sum? *Ser.* ego enim dicam. [*Ruhnk. ad *Ter. Andr.* 5, 1, 4. ad *Phorm.* 4, 4, 13. *Goerenz.* ad *Cic. Leg.* 1, 16, 45.] ℙ Interdum vacare, et redundare videtur: addit tamen elegantiam orationi. *Virg. G.* 3, 69. Semper erunt, quarum mutari corpora malis. Semper enim refice. *Id. A.* 1, 23. Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat. Et *ib.* 8, 84. in litore conspicitur sus, Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Juno, Mactat. *Pl. Amph.* 2, 2, 34. Qui tibi istuc in mentem venit? *So.* quia enim sero advenimus. [*Apud *Pl.* antique ironico sensu ponitur. *Lindem.* ad *Capt.* 4, 2, 104. *Ramsh.* p. 851.] *Ter. Lindem.* ad *Capt.* 4, 2, 104. *Ramsh.* p. 851.] *Ter. Heaut.* 1, 2, 14. et 4, 5, 52. *quia enim* dixit. Et *Andr.* 5, 1, 4. immo enim. Et *Cic. Or.* 2, 54. quippe enim. [*Ruhnk. ad *Ter. Andr.* 3, 2, 23.] ℙ [*Plerumque secundo loco ponitur. Sed tertium etiam locum occupat. Hoc fit in primis post verbum substantivum in ejusmodi enuntiationum initiis: hic est, hoc est, quis est, nullus est, nihil est, necesse est. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 29. p. 226. 1, 38. p. 278. *Gernh.* ad *Cic. Sen.* 6, 27. *Ramsh.* p. 847. Sed etiam post alia vocabula tertiam et quartam adeo sedem habet. *Ruddim. Inst.* 1. p. 322.] Reperitur etiam in principio positum. *Ter. Hecyr.* 2, 1, 41. Enim lassam oppido tum esse ajebant: eo admissa non sum, *h. e.* quia etc., ideo etc. *Pl. Aul.* 3, 5, 26. Enim mihi quidem aequum est purpuram dari. *Lucr.* 6, 1275. nec numina magni Pendebantur, enim praesens dolor exsuperabat. Addunt etiam *Cic. Att.* 4, 11. et *Tusc.* 4, 13., sed utrobique lectio est dubia: item *Senec. Benef.* 7, 5. probante *Lipsio* [*et *Gron.*], ubi alii *enimvero.* [*Ruhnk.* ad *Ter. Phorm.* 4, 4, 13. judicat solis comicis usitatum esse hanc particulam ab initio ponere, comicos unicum *Apulejum* imitatum esse *Lucr.* oblitus est adjungere, quem certum est eadem licentia usum esse. Aliis scriptoribus eandem concedunt *Gronov.* ad *Liv.* 34, 32, 13. *Ramsh.* p. 850. *Ruddim. Inst.* 1. p. 323.] ℙ Pro enimvero, profecto. *Liv.* 23, 45. *sub f.* Romam vos expugnaturos jactabatis. Enim nunc minor est res. Al. leg. *en. Id.* 34, 32. Enim ut jam ita sint haec, quid ad vos, Romani? Al. leg. *at enim. Pl. Cas.* 5, 2. 14. Enim jam magis appropero. *Id. Bacch.* 4, 4, 51. Numquid nos vis facere? *Ch.* enim nihil, nisi ut ametis, impero. ℙ [*Saepe omittitur haec particula, quum nova disputatio instituitur. *Cic. Off.* 1, 29. Duplex est omnino jocandi genus; etsi antea jam de joco dictum erat; sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. *Gernh.* ad *Off.* 1, 28. ℙ Confunduntur a librariis *Enim* et *non.* V. *Wunder. Lect. Cod. Erfurt.* p. XXXVII. *Enim* et *autem. Wunder. ib. Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 43. *Enim* et *et. Drak.* ad *Liv.* 34, 50, 7. *Enim* et *etiam. Drak.* ad *Liv.* 36, 41, 3. *Enim* et *ei. Drak.* ad *Liv.* 9, 19, 5. 31, 14, 4. 36, 12, 8. *Enim* et *cum. Drak.* ad *Liv.* 27, 17, 11. *Enim* et *tum. Drak.* ad *Liv.* 4, 44, 9. — ℙ Saepe additum est a librariis. *Drak.* ad *Liv.* 8, 39, 14. 10, 39, 4. 32, 7, 3. *Wunder. Lectt. Cod. Erf.* p. XXVI. p. CXXIV.]

ENIMVĒRO, ἀλλὰ μήν, certe, profecto. *Pl. Pers.* 2, 2, 2. Ain' vero, verbereum caput? *Poe.* Ajo enimvero. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Enimvero iste ridere, ac mirari etc. [*Ubi in initio orationis ponitur, rem gravissime affirmat. *Drak.* ad *Liv.* 1, 51, 8. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 64. *Ramsh. Gr.* p. 848.] ℙ Nonnunquam alicui verbo postponitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 39. Illi enimvero se ostendunt, quod vellet, esse facturos. *Liv.* 2, 36. Tum enimvero Deorum ira admonuit. *Ter. Phorm.* 3, 2, 43. Sic-cine hunc decipis? *Do.* immo enimvero hic me decipit. ℙ Junctum cum verbis negantibus vehementius negat. *Pl. Amph.* 2, 2, 126. Tun' te abiisse hodie hinc negas? *Am.* nego enimvero. *Ter. Andr.* 1, 3, 1. Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae, neque socordiae. Ubi *Donat.*, Habet, inquit, significationem nimium permoti, atque irritati animi. *Liv.* 2, 45. *a med.* Enimvero non ultra contumeliam pati Romanus posse. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Enimvero ferendum hoc non est. ℙ Habet etiam vim adversantis, ut *sed*, *at. Tac. A.* 2, 64. Primo subdola concordia egere: enimvero audita mutatione principis, immittere latronum globos etc. Adde *Flor.* 2, 7. *a med.* ℙ Pro scilicet, nimirum. *Cic. Verr.* 2, 3, 60. Postulat a te, ut Romam rejicias. Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum etc. [*Est igitur vox indignantis ac dolori exprimendo accommodata. *Gron.* ad *Liv.* 27, 30, 13. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 3, 1. ℙ Confunduntur a librariis *Enimvero* et *enim. Drak.* ad *Liv.* 5, 25, 6.]

[ENIOCHUS, i, m. ἡνίοχος, frena tenens. auriga. Est nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 611, 10. Eniochus Aug. N., *h. e.* Augusti nostri *servus. F.*]

ENIPEUS, m. trisyll. Ἐνιπεύς, fluv. parvus Thessaliae, qui ex Olympo monte profluit, Pharsalum urbem alluit, ac in Peneum Apidano mixtus delabitur. *Lucan.* 7, 116. Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus. ℙ Fuit et *Enipeus* fluvius Macedoniae, ex valle Olympi montis decurrens, in-

fra Dium in sinum Thermaicum exiens. *Liv.* 44, 8. ℙ In fabulis est, amasse eum nympham Tyro Salmonei filiam, vel potius ab ea fuisse adamatum: quae cum ad ejus ripas sederet conquerens, a Neptuno sumpta Enipei forma, compressa est, duosque ei filios, Neleum et Pelian peperit. *Prop.* 1, 13, 21. et 3, 17, 13. *Ov. Amor.* 3, 6, 43. et *Met.* 6, 116. et *Hyg. fab.* 157. ℙ Scribitur et *Enipheus.*

ĒNISUS. V. in ENITOR.

ĒNĪTĔO, es, tui, n. *διαλάμπω*, idem quod niteo, vel valde niteo. *Virg. A.* 4, 150. tantum egregio decus enitet ore. *Catull.* 61, 21. Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis. *Gell.* 19, 1. Ubi coelum enituit, et deferbuit mare. ℙ Translate emineo, clareo, eluceo, appareo, illustris ac nobilis sum. *Cic. Fl.* 7. Athenae non solum in Graecia, sed prope cunctis gentibus enitebant. *Id. Att.* 2, 1. In eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat Demosthenes. *Id. Mur.* 14. et *Liv.* 4, 3. *a med.* Quo in bello virtus enituit egregia M. Catonis. *Id. Inv.* 1, 3. Studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituerunt. *Liv.* 22, 27. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. [*Plura ad h. l. dedit *Drak.*] ℙ Refertur etiam ad arva et segetes, quae *enitere* dicuntur, cum culta, et laeta sunt. *Virg. G.* 2, 211. rudis enituit impulso vomere campus. *Enn.* apud *Cic. Tusc.* 2, 5. Fruges enitent. ℙ [*Saepe confunduntur *Enitere* et *nitere.* V. *Heins.* ad *Vell. Pat.* 1, 17, 2, 9. *Enituisse* et *enicuisse. Drak.* ad *Liv.* 22, 27, 4.]

ĒNĪTESCO, is, n. 3. inchoat. at idem significat quod eniteo. *Colum.* 9, 14. Mel optimae notae enitescit autumni aequinoctio. [*Apud *Schneid.* rectius h. l. legitur *emitescit.*] ℙ Translate. *Gell.* 17, 21. *a med.* Jam fama virtusque felicitatis Romanae apud exteras gentes enitescere incoeptabat. *Auct. ad Her.* 4, 44. *ad f.* Gloria cum summa laude quotidie magis enitescit. *Sall. Cat.* 57. *ad f.* Bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. *Quint.* 2, 5. *ad f.* Deterso rudis saeculi squalore, noster hic cultus clarius enitescet. *Id.* 10, 5. *a med.* Alitur atque enitescit, veluti pabulo laetiore, facundia. V. similia in voce praec.

ĒNĪTOR, eris, enisus, et enixus sum, dep. 3. *πειράομαι, σπουδάζω*, idem quod nitor, aut valde nitor, elaboro, conor, contendo. *Caes. B. C.* 2, 6. Tantum Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. *Cic. Att.* 9, 15. Tu nunc omni amore enitere, ut nos juves. *Id. Q. Fr.* 3, 9. In quo enitar non minus, quam enisus sum in nostro (consulatu). *Id. Off.* 3, 10. et *Fam.* 9, 13. *extr.* Eniti et contendere. *Id. ad Capit. sub f. l.* 16. *ad Att.* Eniti et elaborare. *Id. Fam.* 13, 29. *a med.* Enitere, contende, effice, ut etc. *Id.* 14, 14. *ad f.* Omni ope atque opera eniti, ut etc. *Id. Fam.* 3, 10. *ante med.* Pugnare et eniti, ne etc. *Id. Phil.* 2, 10. Nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin etc. *Id. Amic.* 16. Eniti et efficere, ut etc. *Id. Fam.* 10, 4. Quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potuero. *Suet. Caes.* 26. Precibus enitens, ut disciplinam singulorum susciperent. [*Ruhnk. ad *Ter. Andr.* 3, 4, 17.] ℙ Cum accus. communi. *Cic. Att.* 1, 6. Scribis, in coelum ferri profectionem meam, sed ita, si ante cal. Jan. redeam: quod quidem certe enitar. ℙ Cum infinito. *Ter. Andr.* 3, 4, 17. Corrigere mihi gnatum porro enitere. ℙ Passive impersonaliter. *Sall. Jug.* 27. Ab iisdem summa ope enisum, ne tale decretum fieret. ℙ Significat etiam nitendo ascendere. [*Quae significatio erat in initio ponenda.] *Ov. Met.* 2, 63. Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enitantur equi. *Caes. B. C.* 2, 34. Adeo erat impedita vallis, ut in ascensu, nisi sublevati a suis, primi non facile enitierentur. *Plin.* 18, 28, 68. Sol per ardua enisus. *Curt.* 7, 11. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Et *ib.* Enituntur in verticem montis. *Vell.* 2, 127. Quibus novitas familiae haud obstitit, quominus ad multiplices consulatus, triumphosque, et complura enitierentur sacerdotia. [*Bentl. ad *Hor. Od.* 3, 3, 30.] ℙ Cum accus. *Tac. A.* 2, 20. Eniti objectum aggerem. [*Col. 2, 2, 27. Totum spatium bos agilius enititur. *Tac. H.* 1, 23. Pyrenaeum et Alpes et immensa viarum spatia aegre sub armis enituntur.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 4. Nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. ℙ Item nitendo exire, se expedire. *Tac. A.* 16, 5. Dum per angustias aditus, et ingruentem multitudinem enituntur. *Id. A.* 1, 65. Enisae legiones in aperta et solida. ℙ Item saepe, parere, partu in lucem edere, quia multo id nisu fit, qua significatione part. *enixus* magis est in usu, quam *enisus.* [*Caeterum libri apud *Liv. nisus* et *enisus* in plurimis locis constanter exhibent. *Drak.* ad *Liv.* 2, 50, 9.] *Liv.* 40, 4. Archo Poridi nupsit, et apud eum plures enisa partus, decessit. [*Ex aliquo eniti. *Ulp. Dig.* 2, 4, 10, 10. Si liberta ex patrono fuerit enixa. *Marcian. Dig.* 49, 15, 25. Si uxor ex marito enixa sit.] *Curt.* 10, 6. Roxane praegnans est: optamus, ut marem enitatur. *Virg. A.* 3, 391. Sus triginta capitum fetus enixa. *Ov. Met.* 3, 344. Enixa est utero infantem. [*Et absolute, omisso accus. *partum* etc. *Tac. A.* 5, 1. Ne spatio quidem ad enitendum dato.] *Colum.* 8, 11. *de matricibus pavonum.* Includendae sunt enitentes, ne extra clausum fetum edant. ℙ Part. *Enisurus* ap. *Liv.* 29, 15. Vix, si simplum ex formula imperetur, enisuros. ℙ [*Confunduntur a librariis *Enisus* et *emensus. Liv.* 30, 24, 8. *Enitens* et *eminens. Drak.* ad *Liv.* 21, 58, 3.]

ĒNIXĔ, adv. *φιλοτίμως*, studiose et cum magno conatu. [*Pl. Trin.* 3, 2, 26. Enixe expetere. Cf. *Lindem.* ad *Vit. duumv.* p. 246.] *Cic. Sext.* 16. Meam causam omnes boni proprie enixeque susceperant. *Suet. Caes.* 5. Auctores restituendae tribuniciae potestatis enixissime juvit. *Liv.* 23, 7. *a med.* Id non obedienter modo, sed enixe factum est. *Id.* 29, 1. Eoque enixius ad bellum adjuverunt. *Id.* 31, 11. Si quid opus esse judicasset, enixe id populum R. praestaturum. *Id.* 37, 16. Civitates imperata enixe fecerunt. *Id.* 6, 40. Enixe operam dare. *Id.* 8, 17. Enixe dimicare. *Id.* 36, 25. Enixe diem ac noctem aut in operibus, aut in proeliis esse. [*Drak. ad *Liv.* 4, 26, 12.] *Justin.* 15, 1. Bellum terra marique enixe instruere.

ĒNIXIM, adv. idem quod enixe. *Sisenn.* apud *Non.* 2, 301. Eniximomnia facere ac dicere contra fortunas, atque honores hujus ordinis.

ĒNIXUS, a, um, part. ab *enitor. Liv.* 6, 24. *sub f.* Sensit eventus virtutis enixae opem. ℙ *Enixa* est quae peperit. *Plin.* 25, 8, 52. Cervae enixae a partu, *h. e.* partu functae, et fetu levatae. V. ENITOR. ℙ [*Enixa* est etiam quae parere desiit, effoeta. *Col.* 6, 22, 1. vaccae enixae. ubi v. *Schneid.*] ℙ Passive *Justin.* 43, 2. In luco Martis enixi sunt, i. e. partu editi. ℙ Est etiam adj. et dicitur de iis rebus, quae cum cura et conatu fiunt. *Plin.* 9, 8, 9. Sed enixioris operae, quam in unum diei praemium, conscii sibi, opperiuntur in posterum. *Liv.* 42, 3. Faciebat enixo studio, ne etc. Adde *Senec. Ben.* 6, 17. [*Papin. *Dig.* 31, 2, 77, 23. Enixae voluntatis preces.] ℙ Scribitur et *enisus.* Statuit *Diomed.* 1. p. 371. discrimen inter *enisus*, et *enixus*, ut illud ad quemlibet virium conatum referatur, hoc ad partum tantummodo. Sed contra stant MSS. in quibus promiscue scribitur. V. NIXUS, a, um.

ĒNIXUS, us, m. partus. [*Scheller. *Livii* 24, 39. adscripsit, sed ibi verba non reperi.] *Plin.* 10, 63, 83. Post unum diem ab enixu. *Id. ib.* 64, 84. Circumacto sub enixum fetu. *Id.* 7, 6, 5. Oscitatio in enixu letalis.

ENNAEUS et Hennaeus, a, um, adj. ad Ennam, sive Hennam pertinens, quae est urbs mediae Siciliae, in monte, celebris templo Cereris, cujus filiam eo loco raptam a Plutone fabulantur (V. *Cic. Verr.* 2, 4, 48.), a quodam Enno Syracusano condita. *Ov. Met.* 5, 385. Ennaea moenia. *Sil.* 14, 245. Tum rapta praeceps Ennaea virgine flexit, *h. e.* Proserpina. *Id.* 1, 93. Ennaea diva. ℙ *Hennoeus* scribi malunt permulti critici: nam in *Inscr.* opt. notae apud *De-Lama, Guida al Mus. Parm.* p. 55. Viximus: Hennaeae sine me docuere rapinae. In nummis etiam apud *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 206. modo *Hennaeus*, modo *Ennoeus* scriptum est; perperam vero quidam in *Aetnaeus* mutant.

ENNAM, etiamne. *Festus.*

ENNĒACRŪNOS, *ἐννεάχρουνος*, novem habens scaturigines: ab *ἐννέα*, novem, et *κρουνὸς*, scaturigo. *Plin.* 4, 7, 11. V. CALLIROE.

ENNĒAPHARMĂCUM Emplastrum, *ἐννεαφάρμακον*, medicamentum ex novem rebus constans (ab *ἐννέα*, novem, et *φάρμακον*, pharmacum) quae enumerat *Cels.* 5, 19. *n.* 10., ubi in lemmate Latine, at in textu Graece legitur.

ENNĒAPHTHONGOS, *ἐννεάφθογγος*, novem habens sonos: ab *ἐννέα*, novem, et *φθόγγος*, sonus, ut Enneaphthongos chelys. *Capell.* 1. p. 17.

ENNĒAPHYLLON, i, n. *ἐννεάφυλλον*, herba naturae causticae, foliis longis novenis, lumborum doloribus et coxendicum utilissima: ab *ἐννέα*, novem, et *φύλλον*, folium. *Plin.* 27, 9, 54.

*ENNEAPOLIS, is, f. *Ἐννεάπολις*, urbs Peloponnesi. *Mela* 2, 3. *post med.* Enneapolim de Pylo, Elidis urbe, intelligit *Vossius* ad *l. c. B. A.*

[ENNĔAS, ădis, f. *ἐννεάς*, novenarius numerus, spatium novem annorum. *Censor. de die nat.* 14. Annus tertius et sexagesimus, quem vel hebdomades novem, vel septem enneades conficiunt. *F.*]

ENNĒĂTĬCUS, a, um, adj. *ἐννεαδικὸς*, nonarius. *Anni enneatici* dicuntur a *Firmic. Mathes.* 5, 3. qui post octavum quemque annum recurrunt: sicut *hebdomatici*, qui post sextum.

ENNĒĒMĪMĒRIS, is, f. apud grammaticos est sectio versus heroici, cum caesura fit post quartum pedem, et in nonam fere syllabam incidit: ab *ἐννέα*, novem, *ἥμισυς*, semis, et *μέρος*, pars. Sed vox Graeca est et Graece usurpanda.

ENNENSIS et Hennensis, e, adj. idem quod Ennaeus, ut Ennenses legati, *Cic. Verr.* 2, 4, 51. Ennensis Ceres, *Id. Or.* 62. ℙ *Ennenses, ium*, sunt ejus urbis cives. *Id. ib.* et *Verr.* 2, 3, 83. ℙ De scriptione V. ENNAEUS.

ENNĬĂNISTA, ae, m. Ennii imitator. *Gell.* 18, 5. Eamus auditum nescio quem istum Ennianistam.

ENNĬĂNUS, a, um, adj. possess. ab Ennio. *Senec.* ap. *Gell.* 12, 2. *a med.* Ennianus populus, *h. e.* qui Ennii opera lectitant, et admirantur. *Id. ep.* 108. Enniani versus. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 18. Ennianum hemistichium. *Gell.* 5, 15. *extr.* Ennianus Neoptolemus, *h. e.* ab Ennio inductus.

ENNĬUS, praenomine Q., poeta Latinus vetustissimus (*antiquissimum vatem* appellat *Plin.* 18, 8, 19.) natus est Rudiis, quod est oppidum Calabriae, ubi nunc *Terra d'Otranto*, prope Tarentum: quare Tarenti natus dicitur ab *Hieron.* in *Chron. Euseb. Olymp.* 135. Sed Rudinum fuisse testantur *Cic. Arch.* 10., *Sil.* 12, 396., *Mela* 2, 4. et *Auson. in Monosyll.* seu *Grammaticom.* 17. Natus est, inquam, an. U. C. DXV. C. Mamilio Turino, Q. Valerio Faltone Coss., ut est apud *Cic. Tusc.* 1, 1. *extr.* et *Brut.* 18., vixitque usque ad annum septuagesimum. Ejus enim mors incidit in consulatum Cn. Servilii Caepionis, et Q. Marcii Philippi iterum, ut *Cic.* tradit *Sen.* 5. et *Brut.* 20. Absumptus est podagrae morbo ex nimio vini meri potu contracto, relicto herede M. Pacuvio poeta tragico, sororis suae filio, ut est apud *Plin.* 35, 4, 7. sepultusque est via Appia intra primum lapidem, in sepulcro Corneliorum, in quo ejus statuam erigi jussit Africanus major, ut quidem putant *Cic. Arch.* 9. et *Liv.* 38, 56., affirmant vero *Plin.* 7, 30, 31., *Val. Max.* 8, 14. *n.* 1. et *Ov. A. Am.* 3, 409. In adolescentia stipendia fecit primum bello Aetolico sub consule M. Fulvio Nobiliore, ut ait *Cic. Tusc.* 1, 2., a cujus filio Q. Fulvio, triumviro coloniae deducendae, quem eruditerat, civitate donatus fuit, ut *Cic. Brut.* 18. testatur: deinde in Sardinia sub T. Manlio Torquato munere centurionis, uti docet *Sil. l. c.*, ubi etiam addit, eum ex antiqua Messapi regis stirpe fuisse: quod idem de se dicere solitum ipsum Ennium, tradit *Serv.* ad *A.* 7, 691. Strenuam nihilominus litteris operam cum dedisset, et linguas tres apprime callerst, Graecam (quam Catonem in Sardinia docuit, teste *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 47.) Oscam, et Latinam, (quare tria corda habere se dicebat, teste *Gell.* 17, 17.) specimenque illustre poeticae facultatis, summique ingenii exhibuisset, principibus viris apprime carus, Romam venit, domumque habuit in Aventino, ut ex *Varr. L. L.* 4, 34. colligitur. *Festus* in *Solitaurilia* scribit, ipsum induxisse consuetudinem duplicandi consonantes in scriptione: utpote Graecum, Graeco more usum. Plurima scripsit, quae longa vetustate perierunt, comoedias, tragoedias, annalium libros, bellum Punicum secundum. Transtulit etiam e Graeco *Euhemerum Agragantinum* de sacra historia, teste *Arnob.* 4. p. 147. et *Lact.* 1, 11. Sed horum omnium fragmenta tantummodo supersunt apud *Cic., Quint., Senec., Gell., Macr., Fest., Non.* et veteres grammaticos. Stilus ejus fuit horridior, incomptaque oratio, ut illis temporibus: ceterum legi dignus, et a quo multa disci possint. Apud Ciceronem (inquit *Senec.* ap. *Gell.* 12, 2.) invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intelligas, illum non perdidisse operam, quod Ennium legit, *h. e.* multa fuisse imitatum: quod tametsi *Seneca* ibi reprehendit, pluris tamen apud nos Ciceronis ipsius judicium esse debet. Virgilium quoque, cum aliquando ipsum in manu haberet, rogatum, quidnam faceret, respondisse, se aurum colligere de stercore Ennii, narrat *Don.* in *Virg. Vita a med.* De eo *Ov. Trist.* 2, 424. Ennius ingenio maximus, arte rudis. Et *Quint.* 10, 1. Ennium, sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. ℙ Alius fuit hoc posterior, qui de litteris, syllabisque, item de metris, et de augurandi disciplina scripsit. *Suet. Gramm.* 1.

ENNOEA, *ἔννοια*, notio, intelligentia, insita et ante percepta cognitio, ut *Cic. Acad.* 4, 7., *Fin.* 3, 6., *Tusc.* 1, 24. et *Top.* 7. definit, sed ubique Graece utitur. ℙ Apud *Tertull. adv. Valent.* 7. unus est ex aeonibus Valentiniani.

ENNOSĪGAEUS, i, m. *Ἐννοσίγαιος*, Neptunus terram quassans: ab *ἐνόω*, moveo, et *γαῖα*, terra. *Juven.* 10, 182. *de Xerxe:* Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum. *Senec. Q. N.* 6, 23. *extr.* Quisquis primas litteras Graecas didicit, scit, Neptunum apud Homerum *Ἐννοσίγαιον* vocari. Meminit et *Ammian.* 17, 7. *ad f.* ℙ Scribitur et *Ennosigaeus*, Enosigaeus.

[ENNYCHUS, i, m. *ἔννυχος*, nocturnus. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Rosinium, Dissert. Isagog. ad Herculan. tab.* 15. *col.* 2. M. Magius, M. L. Ennychus. ℙ Et omissa, ut saepe apud Latinos, aspiratione. Alia apud *Murat.* 1573, 9. L. Crassicius L. L. Ennycus. *F.*]

ĒNO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπήδομαι*, extra no,

nando exeo, enato. *Pl. Rud.* 1, 2, 81. At in vado est: jam facile enabit. *Cic. Fin.* 3, 19. Is, qui enat e concha. *Liv.* 44, 28. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, in Erythream enarunt. *Id.* 33, 41. Multae naves ita haustae mari, ut nemo in terram enaverit. ℙ Translate. *Virg. A.* 6, 16. *de Daedalo.* Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos, *h. e.* volavit. Adde *Sil.* 12, 95. Sic *Lucr.* 3, 592. *de anima.* Quam prolapsa foras enaret in aeris auras. ℙ Cum accusativo. *Val. Fl.* 5, 316. tantumque fretis enavimus orbem, *h. e.* navigando trajecimus. *Sil.* 3, 662. Has observatis valles enavimus astris, *h. e.* terrestri itinere trascucurrimus. *Id.* 15, 375. Forsan et enasset rapidi freta saeva pericli, *h. e.* evasisset. Al. leg. *evasset* syncope pro *evasisset.* ℙ [*Confunduntur *Enare* et *enatare. Drak.* ad *Liv.* 21, 7, 5. *Oudend.* ad *Front.* 1, 4, 7. *VV. DD.* ad *Valer. Max.* 3, 2, 23. Porro *Enavi* et *evasi. Drak.* ad *Liv.* 33, 41, 7.]

ĒNODĀTĒ, adv. nodis sublatis, et translate sublatis difficultatibus intelligendi, clare, perspicue, *δήλως. Cic. Inv.* 1, 21. *extr.* Sua diligenter et enodate narrando. *Id. Fin.* 5, 9. *extr.* Haec nobis enodatius explicanda sunt. *August. Confess.* 5, 6. Enodatissime expedire. Adde *Retract.* 2, 57.

ĒNODĀTIO, onis, f. purgatio a nodis. Translate explicatio, expositio. *Cic. N. D.* 3, 24. Quid vos delectat illa explicatio fabularum, et enodatio nominum? Adde *Top.* 7.

ĒNODĀTOR, oris, m. qui enodat et explicat. *Tertull. Pall.* 6. Primus enodator vocis. Al. minus recte leg. *edomator.*

ĒNODĀTUS, a, um, part. ab *enodo*, a nodis purgatus. *Cato R. R.* 33. Vitem bene enodatam deligato recte, *h. e.* ab nodis atque superfluis ramis diligenter purgatam. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 2, 2. Praecepta perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit.

ĒNODIS, e, adj. *ἀνάμματος*, sine nodo. *Virg. G.* 2, 78. Aut rursum enodes trunci resecantur. *Plin.* 5, 1, 1. Proceritas arborum enodi nitore spectabilis. ℙ Translate ponitur pro eo, quod sine difficultate est. *Plin. ep.* 5, 17. Scripta erant elegis fluentibus, et teneris, et enodibus, sublimibus etiam verbis. *Claud. in Eutrop.* 2, 361. Quis magis enodes laterum detorqueat artus? quod est mollium et effeminatorum.

ĒNODO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξαμματόω*, nodis purgo, nodis exsolvo. *Cato R. R.* 44. Bene enodato, stirpesque laeves facito. *Colum.* 5, 6. *ante med.* Ulmi summae virgae falce debent enodari. ℙ Per metaphoram accipitur pro explicare, declarare. *Auct. ad Her.* 2, 10. Contrariae legis enodabimus voluntatem. *Cic. N. D.* 3, 24. In enodandis nominibus laboratis, *h. e.* in explicanda origine, atque etymo. *Gell.* 13, 10. Enodare laqueos juris. *Accius* ap. *Non.* 1, 49. Tu autem quod quaero abs te, enoda, et quis sis, explana. *Turpil. ib.* Ab initio ut res sit gesta, enoda mihi. *Varr. ib.* Enodare aliquid subtilius. [**Appul. Met.* 2. p. 120, 24. Enodare fata, i. e. praedicere.] ℙ *Enodare arcum* apud *Appul. Met.* 5. p. 172, 25. est solvere, et adempto nervo inutilem reddere.

ĒNORCHIS, is, f. *ἔνορχις*, gemma, quae divisa segmentis, testium effigiem repraesentat: ab *ὄρχις*, testiculus. *Plin.* 37, 10, 58.

[ĒNORMĀTĒ, adv. *Gloss. Isid.* Enormate: cui addi, minuive nihil potest, *scil.* enormis est, aut ita magnus, ut major esse nequeat, aut ita parvus, ut minor esse non possit. *F.*]

ĒNORMIS, e, adj. *ἄμετρος*, qui est extra normam, aut mensuram: et fere dicitur de iis, quae excedunt. [**Sen. de brev. vit.* 12. Quanta arte scindantur aves in frusta non enormia, i. e. modicae magnitudinis.] *Plin.* 17, 12, 17. Breves sunt umbrae, quamvis magnarum arborum, quae in orbem ramos circinent, ut in malis, pirisque: eaedem enormes cerasis, lauris. *Id.* 9, 35, 56. Uniones enormes. *Stat. Silv.* 1, 3, 51. Enormes colossi. *Suet. Cal.* 50. Statura fuit eminenti, corpore enormi. *Id. Vitell.* 17. Enormis proceritas. *Tac. A.* 2, 14. Enormes hastae. *Id. Agr.* 36. gladii. *Id. A.* 15, 38. Huc et illuc flexi, atque enormes vici, *h. e.* non directi, sed sine ordine tortuosi. V. *Liv.* 5. *in f.* Rursus *Tac. Agr.* 10. Immensum et enorme spatium. *Quint.* 11, 3. *a med.* Togam rotundam esse, et apte caesam velim: aliter enim multis modis fiet enormis. *Spart. Get.* 6. Animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, i. e. stipendia haud vulgaria. ℙ Translate. *Plin. ep.* 9, 26. Omnis enim advertit, quod eminet, et exstat: sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit, an grande; altum, an enorme. *Petr. Sat.* 2. Ventosa et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit. *Senec.* ap. *Gell.* 12, 2. *a med.* Virgilius duros quosdam versus, et enormes, et aliquid supra mensuram trahentes interposuit. *Spart. Ael. Ver.* 1. *extr.* Nec debet prologus enormior esse, quam fabula. [*V. *Munck.* ad *Fulg. Myth.* 1, 1. p. 623.] ℙ Apud *Appul. Met.* 9. p. 232, 16. enormis senecta est valde antiqua. [*Caeterum ex omnibus his locis patet adj. *enormis* argenteae aetatis proprium esse. Idem dictum puta de vocibus *enormitas* et *enormiter.*]

ĒNORMĪTAS, atis, f. figura extra normam. *Quint.* 9, 4. *ante med.* In structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit, cui applicari, et in quo possit insistere. ℙ Item excessus a norma. *Senec. Constant. sap.* 18. Exilitas crurum, enormitas pedum. *Spart. Carac.* 2. Enormitate stipendii militibus placatis, i. e. insolita magnitudine. [**Veg. Art. vet.* 3, 54, 2. Enormitas onerum. *Ib.* 3, 59, 3. Enormitas ponderum.]

ĒNORMĪTER, adv. sine mensura, extra normam, *ἐκνομίως. Plin.* 36, 10, 15. Enormiter ejamam, *ἐκνομίως. Plin.* 36, 10, 15. Enormiter ejaculari umbram. Et 37, 6, 23. Si ex alio colore in se admittat aliquid enormiter. [**Veg. Art. vet.* 2, 8, 2. Enormiter ablatus sanguis. Adde 2, 28, 10.] *Senec. Q. N.* 1, 7. Virgula vitrea conatur quidem reddere imaginem solis, quia laevis est materia, et ad hoc habilis: sed non potest, quia enormiter facta est. [**wegen der unregelmässigen Gestalt.*]

*ĒNOSIS, is, f. *Ἔνωσις*, parva insula prope Sardiniam, hodie *S. Antioco*, ut *Cluverio* placet. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

ĒNŌTĀTUS, a, um, part. ab *enoto*, notatus, animadversus. *Appul. Met.* 9. p. 220, 22. Sorte unica casibus pluribus enotata. Et *ib.* p. 237, 9. Signis nostris enotatis, investigationi dabant operam. V. ENOVATUS.

ĒNOTESCO, is, tui, n. 3. *γνωρίζομαι*, notus fio. *Suet. Oth.* 3. Qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit. *Plin. ep.* 2, 10. Enotuerunt quidam tui versus, et invito te, claustra tua fregerunt. *Tac. H.* 3, 34. Quod ubi enotuit etc. [*i. e. quum in vulgus emanasset.] *Senec. Ben.* 3, 32. Ut eloquentia per gentes enotesceret.

ĒNŌTO, as, avi, atum, a. 1. idem quod noto. *Plin. ep.* 1, 6. Meditabar aliquid enotabamque. (Adde *ep.* 6, 16.) *Quint.* 1, 7. Cui tribus, quas proposui, litteris enotamus.

ĒNOVĀTUS, a, um, part. ab *enovo*, innovatus. *Petr. Sat.* 93. Et pictis anas enovata pennis. Alii melius leg. *enotata*, h. e. distincta.

ĒNOVO, as, avi, atum, a. 1. innovo. *Cic. Acad.* 1, 3. Haec ne obsolescerent, enovabam, cum licebat, legendo. Al. melius leg. *renovabam.*

[ENRHYTHMĪCUS, a, um, et

ENRHYTHMUS, a, um, adj. *ἐνρυθμικὸς* et *ἔνρυθμος*, rhythmis et numeris constans. *Capell.* 8. p. 328. Tempora enrhythmica. *Id. ib.* p. 327. Genus musicae enrhythmon. *F.*]

ENS, entis, part. praesentis temporis a verbo *sum.* Testatur *Prisc.* 18, 1140. Caesarem hoc participium protulisse (in libris, opinor, de Analogia) et quidem non incongrue. Nam inde sunt *praesens*, *absens*, *potens. Quint.* 8, 3. a Sergio Flavio rhetore scribit *ens*, et *essentia* formata fuisse: quae tamen, inquit, dura admodum videntur. *Id.* 2, 14. huic eidem Flavio tribuit haec duo *essentia*, atque *entia:* ubi vox *entia* videri potest substantivum. Utcumque se res habet, non usurpaverim, quamvis *Prisc.* tam gravem Caesaris auctoritatem interponat. De *essentia* V. infra suo loco.

ENSĪCŪLUS, i, m. *ξιφίδιον*, parvus ensis. *Pl. Rud.* 4, 4, 112. Ensiculus aureolus litteratus. ℙ *Probus* apud *Prisc.* 3, 618. ponit etiam *ensicula, ae:* sed nullo probat exemplo.

ENSĪFER, a, um, adj. *ξιφηφόρος*, qui ensem fert. *Ov. A. Am.* 2, 56. Ensifer Orion aspiciendus erit. Al. leg. *ensiger. Lucan.* 1, 665. Ensiferi nimium fulget latus Orionis. *Val. Fl.* 3, 406. Ensifer Celeneus. *Stat. Th.* 4, 321. Ensiferae catervae. *Id. Ach.* 2, 414. Ensiferi tumultus, *h. e.* ad arma vocantium.

ENSĪGER, a, um, adj. ensifer, qui ensem portat. *Ov. Fast.* 4, 388. Ensiger Orion aequore mersus erit. Adde *A. Am.* 2, 56. Utroque autem loco al. leg. *ensifer.*

[ENSĪLIA, um, n. plur. locus, in quo reponuntur enses. *Not. Tir.* p. 126. Ensis, ensilia. *F.*]

ENSĪPOTENS, entis, adj. fortis, strenuus, qui ense valet. *Coripp. Laud. Justin.* 4, 368. Nec non ensipotens membrorum robore constans.

ENSIS, is, m. *ξίφος*, gladius militaris. Vox poetica, in cujus assignanda origine, valde laborant Etymologi. *Quint.* 10, 1. *ante med.* Sunt autem alia verba hujus naturae, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit; ut ensis, et gladius. *Cic.* vertens Homeri versum, in *fragm.* ap. *Gell.* 15, 6. Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense. *Hor. Od.* 3, 1, 17. Destrictus ensis. *Id. Sat.* 2, 1, 40. vagina tectus. *Virg. A.* 7, 743. Micat aereus ensis. Et 526. late Horrescit strictis seges ensibus. Et 10, 387. Ensem alicui in pulmone recondere. *Hor. Epod.* 17, 71. Ense pectus recludere. *Val. Fl.* 2, 181. armare manus. *Ov. Pont.* 2, 1, 66. auferre alicui caput. *Albin.* 1, 235. perire arma inter et enses, *h. e.* in bello et acie. Et 312. Terga dare ensibus, *h. e.* aciei, armis, viribus et impetu militum. ℙ In illo *Virg. A.* 4, 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat: *ensis* vel pro capulo, vel pro vagina ponitur, synecdoche. Simile est illud *ib.* 11, 11. ensem collo suspendit eburnum. ℙ Per metonymiam usurpatur pro imperio, cujus est insigne inter alia et ensis. *Lucan.* 5, 61. saevum in populos puer accipis ensem. ℙ Et pro bello et proeliis. *Stat. Silv.* 4, 7, 45. Tu tuos parvo *(filio)* memorabis enses, Quos ad Eoum tuleris Orontem. *Sil.* 7, 167. ensibus ignotis, *h. e.* cum nulla bella essent: quod fuit aurea aetate. ℙ *Ensem tradere* est militem facere, apud *Stat. Silv.* 5, 2, 177. [*Non recte *Schell.* in *Lex.* ex hoc loco verba *dare militem* excitat.] ℙ Est *ensis* coeleste sidus, nempe Orion, qui a poetis *ensifer* dicitur. *Val. Fl.* 2, 67. quo sidere vibret Ensis, et Actaeus niteat qua luce Bootes. ℙ [*Confunduntur *Ensis* et *ignis.* V. *Vir. doct.* ad *Ov. Met.* 14, 574.]

[ENTĀTICOS, i, f. *ἐντατικὸς*, vim intendendi habens. Ita vocat *Appul. Herb.* 15. herbam satyrion, quod valeat ad intendendum penem. [**Fulg. Mythol.* 3, 7. Emplastrum entaticum, i. e. quod facit arrigere. V. *Munck.* ad h. l. p. 723.] *F.*]

ENTĒLECHIA vel Endelechia, ae, f. *ἐντελέχεια*, et *ἐνδελέχεια*, ab *ἐντελεχής*, perfectus. *Cic. Tusc.* 1, 10. Aristoteles, cum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere, et docere etc. in horum quatuor generum nullo inesse putat: quintum genus adhibet vacans nomine: et sic ipsum animum *ἐντελέχειαν* appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem. [*Duas voces diversas *ἐντελέχεια* et *ἐνδελέχεια* confudisse videtur Cicero. V. *Davis.* et alios viros doct. ad h. l.] *Tertull. Anim.* 32. Si et atomos Epicuri tenerem, et numeros Pythagorae viderem, et ideas Platonis offenderem, et entelechias Aristotelis occuparem.

ENTELLĪNUS, a, um, adj. ad Entellam pertinens, quae est urbs Siciliae ad Crimisum amnem, condita ab Entello Trojano Aeneae comite. *Cic. Verr.* 2, 3, 87. Entellinus senatus. ℙ *Entellini, orum*, sunt ejus urbis cives. *Plin.* 3, 8, 14.

ENTĔROCĒLE, es, f. *ἐντεροκήλη*, hernia intestinorum, quando ea prolabuntur vel ad inguina, vel ad scrotum, et tumorem gignunt: ab *ἔντερον*, intestinum, et *κήλη*, tumor scroti. *Martial.* 10, 56. Enterocelarum fertur Podalirius Hermes. *Id.* 11, 84. Mitior implicitas Alcon secat enterocelas. *Plin.* 26, 13, 83. Equisetum enterocelen cohibet.

ENTĔROCĒLĪCUS, a, um, adj. qui enterocele laborat. *Plin.* 26, 8, 49. Quinquefolium enterocelicis dari, atque illini, utilissimum est. *Arnob.* 7. p. 240. Deos lienosos, et enterocelicos dicere. *Martial.* 12, 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor.

ENTHĒĀTUS, a, um, part. ab inusit. *entheo*, numine afflatus, divino furore percitus, entheus. *Mart.* 12, 57. Nec turba cessat entheata Bellonae, *h. e.* sacerdotes Bellonae, qui se cultris feriebant, et furentes vaticinari credebantur.

ENTHĒCA, ae, f. *ἐνθήκη*, repositorium pecuniae: Graeca vox ab *ἐντίθημι*, infero. *August. serm.* 42. *de divers.* Enthecam nobis habere non licet. Non enim est episcopi servare aurum. ℙ Latius etiam sumitur pro dote praedii, de qua in DOS dictum est: habenturque non uno in loco hujus significationis testimonia in libris Digestorum: Graece tamen plerumque. Nam quod afferunt ex *Ulp. Dig.* 32, 1, 68. Praediis, cum his enthecis, quae in ea possessione sunt, relictis etc. *Haloander* edidit *σὺν ταῖς ἐνθήκαις.* ℙ Est etiam dos, vel assignatio quaecumque ad aliquid faciendum. *Inscr.* apud *Lupulum, de inscr. Corfiniensi* p. 124. Idem ad lavacrum balnearum publicarum ligni duri vehes N. CCC. enthecae nomine imperpetuum obtulit. ℙ *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 15, 1, 12. vocant *enthecam populi romani* repositorium annonae publicae, seu potius ipsam annonam. *Iidem ib.* 14, 3, 7. *enthecam pistrinorum* omne instrumentum, et dotem pistrini.

[ENTHĒCĀTUS, a, um, adj. repositus in theca. Translate. *Fulgent. Mythol.* 1. Quidquid Helicon verbalibus horreis enthecatum possederat. *F.*] [**Ambros.* in *Lucam*, quem loc. *Munck.* ad *Fulg.* p. 611. affert, *enthecatum dicendi genus* pro polito et phalerato posuit.]

ENTHĒUS, a, um, adj. *ἔνθεος*, numine afflatus, divino numine plenus, percitus, furens, sacer, divinus: ab *ἐν*, in, et *Θεὸς*, Deus. *Mart.* 11, 84. Cum furit ad Phrygios enthea turba modos. *Stat. Silv.* 3, 5, 97. Enthea fatidicae templa Sibyllae. Et *ib.* 1, 2, 227. Enthea lauro tempora premere. *Senec. Med.* 382. Incerta qualis entheos cursus tulit, Cum jam recepto Maenas insanit Deo. *Id. Troad.* 674. Deo percussa Maenas entheo silvas gradu, Armata thyrso terret. *Id. Oedip.* 628. Enthea gnatos manu lacerare. ℙ *Enthea mater* apud *Mart.* 5, 41. est Cybele, sacerdotes suos in furorem vertens.

ENTHYMĒMA, ătis, n. *ἐνθύμημα*, ab *ἐνθυμέομαι*, in animo verso, perpendo, cogito, a *θυμός*,

animus. *Quint.* 5, 16. Enthymema (quod nos commentum sane, aut commentationem interpretamur, quia aliter non possumus, Graeco melius usuri) unum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat: alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certam quandam argumenti conclusionem, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus. ℙ Prima significatio tota Graeca est: secunda refertur ad argumentum: tertia ad argumentationem, hoc est ad argumenti elocutionem, et figuram. *Id. ib.* 14. Igitur enthymema et argumentum ipsum, id est rem, quae probationi alterius adhibetur, appellant, et argumenti elocutionem. Eam vero dixi duplicem: ex consequentibus, quod habet propositionem, conjunctamque ei protinus probationem: quale pro Ligario (*c.* 6): *Causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam Dii adjuverunt.* Habet enim propositionem, probationemque: non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Ex pugnantibus vero, quod etiam solum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone (*c.* 29.): *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis.* Hactenus *Quint.* ℙ Itaque cum enthymema dicitur imperfectus syllogismus, vel ideo dicitur, quia per pauca effertur, sive deest propositio, sive conclusio: vel ideo, quia non necessario concludit. *Id.* 5, 10. Apodixis est evidens probatio. Hanc et ab epicheremate differre Caecilius putat solo genere conclusionis, et esse apodixim imperfectam, epicherema; eadem causa, qua diximus, enthymema a syllogismo differre. ℙ Enthymemata praecipue rhetorum sunt, et ex contrariis fiunt. *Cic. Top.* 13. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quae ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur; sed ut Homerus, propter excellentiam, commune poetarum nomen efficit apud Graecos suum; sic cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possidet. Ejus generis sunt: *Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accusas, damnas. Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id, quod scis, prodest nihil; id, quod nescis, obest.* Haec *Cic.* Adde aliud exemplum ex eodem apud *Gell.* 1, 4. [**Jul. Rufinian.* p. 28. Enthymema fit, cum periodus orationis ex contrariis sententiis adstringitur.] ℙ Neque vero ita solum oratorum proprium est, ut non et a philosophis dialecticis adhibeatur, uti docet *Cic. Top.* 14. Quare *Juven.* Dialecticae tribuit, 6, 447. Non habeat matrona tibi quae juncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes. [**Cf. Ernest. Lex. Technol. lat. rhet.* p. 149.]

ENTHYMĒSIS, is, f. ἐνθύμησις, animatio, animae infusio: item cogitatio, inventum. *Tertull. adv. Valent.* 9. *extr.* Totam enthymesin, idest animationem cum passione, quae insuper acciderat, exposuit. Adde *adv. Haeret.* 7.

[ENTĪMUS, i, m. ἔντιμος, pretiosus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 315. *n.* 394. C. Egnatius Entimus. *F.*]

*ENTŌCHUS, i, m. *Ἔντοχος, nobilis statuarius vel marmorarius sculptor; cujus opera recenset *Plin.* 36, 5. *B. A.*

[ENTŌLĒ, es, f. ἐντολή, praeceptio. Est cogn. Rom. *Inscr.* apud *Grut.* 581, 13. Claudia Entole. *F.*]

[ENTRŌPĂ, ae, f. et

[ENTRŌPES, ēnis, f. ἐντροπή, verecundia. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Murat.* 936, 1. Aemilia Entropa. Alia apud *Maff. Mus. Ver.* 296, 5. Aetiliae Entropeni. *F.*]

ENŪBILĀTUS, a, um, part. ab *enubilo*, sine nubibus, serenus, clarus. *Paul. carm.* 21, 667. Enubilatam veritatem cernimus.

ENŪBĪLO, as, avi, atum, a. 1. a nubibus purgo, clarum facio. *Tertull. Apol.* 35. Clarissimis lucernis vestibula enubilabant. ℙ Translate. *August.* 4. *Doctr. Christ.* 10. *a med.* Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat; sic onerosus est, qui cognita inculcat. *Tertull. Anim.* 3. Ea erunt Christianis enubilanda, *h. e.* declaranda.

ENŪBO, is, psi, ptum, n. 3. ἐγγαμίζω, est extra suum ordinem nubere. *Liv.* 10, 23. Virginiam A. F. patriciam plebejo nuptam L. Volumnio Cos., quod e patribus enupsisset, matronae sacris arcuerant. Adde 4, 4. [**V. Gron.* ad *Liv.* 39, 19, 5. — ℙ *Enubere* latiore significatu est e paterna domo in mariti domum transire. *Liv.* 26, 34, 3. Filiae quae enupsissent prius, quam in populi Romani potestatem veniunt. V. *Sigon.* ad h. l. — ℙ Confunduntur *Enubere* et *nubere*. *Drak.* ad *Liv.* 4, 4, 7.]

ENŪBRO, inhibenti. *Fest.* Videtur autem loqui de auspiciis, quae contraria sunt, et aliquid fieri prohibent. *Gloss. Philox.* Enubra, ἐναντία. V. INEBRAE.

ENUCLĒĀTĒ, adv. καθαρῶς, enucleando, aperte, nude, simpliciter. *Non.* quoque 1, 296. exponit purgate, exquisite, et sine asperitate, aut duritia: ab eo quod nucibus separatis, idest testis, nucleorum utilis usus habeatur. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. De aqua, et via nihil praetermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. *Id. Brut.* 30. Enucleate et polite dicere. [**Id. Or.* 9. Eleganter enucleateque.] *Id. ib.* 9. Subtiliter, presse, enucleate dicere: nihil contra grande, incitatum, ornatum. *Id. Fin.* 4, 3. Qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. *Id. Tusc.* 4, 14. Quae de perturbationibus enucleate disputabant Stoici, quae logica appellant, quia disseruntur subtilius. *August. Enchirid.* 83. Enucleatissime disputare.

ENUCLĒĀTUS, a, um, part. ab *enucleo*, cui nucleus est extractus, ut Enucleatae baccae juniperi, apud *Marc. Empir.* 20. ℙ Translate est purgatus, purus, simplex. *Cic. Planc.* 4. Illud debes putare, comitiis aedilicius studium esse populi, non judicium: eblandita illa, non enucleata esse suffragia. *Id. Or.* 26. *extr.* Genus dicendi enucleatum, *h. e.* quo utitur submissus orator, et tenui stilo utens, in quo orationis ornamenta parcissime adhibentur. [Cf. *Ernest. Lex. Technol. lat. rhet.* p. 149.] (Adde *Or.* 3, 9.) *Gell.* 4, 7, 3. *a med.* Neque tenues istas, et enucleatas voluntatum in rebus illicitis reprehensiones, qualia in philosophorum otio disputantur, magni facit, *h. e.* puras et nudas reprehensiones voluntatum nudarum et inanium, ut *ib. mox* loquitur. V. integrum loc. *Cic. fr. pro Scauro* (ed. *A. Peyronio*) p. 78. Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso, coacto, solicitatoque perjurio subtiliter, neque acu quaedam enucleata argumenta conquiram. [**Herennius Modestin.* librum singularem edidit, qui inscriptus erat *Enucleati casus.* Ex eo plures leges in *Dig.* libros translatae.]

ENUCLĔO, as, avi, atum, a. 1. id quod esui est, e nuce aliisque pomis extraho, atque a putamine, aut nucleo purgo. *Apic.* 4. *extr.* Duracina purgas, enucleas. ℙ Translate est purgare, digerere. Quo spectat *tit.* 17. *lib.* 1. *Cod. Just.* qui inscribitur *De veteri jure enucleando.* ℙ Item aperire, explicare, ab obscuritatibus, aut difficultatibus purgare. *Cic. Tusc.* 5, 8. Haec nunc enucleare non ita necesse est. *Id. Partit.* 17. Cito arescit lacrima, praesertim in alienis malis: nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit. *Gell.* 19, 8. Quaeri ista omnia, et enucleari, et excuti ab hominibus negotiosis non queunt.

ENŪDO, as, a. 1. idem ac nudo. Translate ponitur pro exponere, interpretari. *Cic. Leg.* 1, 9. Et rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enudavit. [*Locus multis dubitationibus obnoxius. *Goerenz.* edidit *enodavit*, quod defendit *Schütz* in *Ind.* loco ex *Top.* 7. allato. *Orell.* cum Aurato *inchoavit* legendum censet.] *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 102. Cum nec tota latet, nec tota enudat amorem, *h. e.* membra amabilia.

ENŪMĔRĀTĬO, onis, f. ἐξαρίθμησις, actus enumerandi. *Cic. Leg.* 3, 10. Enumeratio malorum. *Id. Brut.* 36. Versari in enumeratione oratorum. ℙ Speciatim est pars perorationis, in qua res disperse, et diffuse dictae unum in locum coguntur, et reminiscendi causa unum sub aspectum subjiciuntur, ut *Cic. Inv.* 1, 52. definit, ἀνακεφαλαίωσις. [*Latine possis cum *Sulpic. Vict. Inst. rhet.* p. 249. *renovationem* dicere. Cf. *Cic. Inv.* 1, 52.] Adde *Auct. ad Her.* 2, 30., et *Quint.* 6, 1. [*Cf. *Ernest. Lex. Techn. lat. rhet.* p. 150.] ℙ Item exornatio oratoria, qua pluribus rebus expositis, et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur: ut si dicas; Si iste occidit, aut inimicitiae causa id fecit, aut spei, aut metus, aut alicujus amici gratia: aut si horum nihil est, non occidit. Constat autem, neque inimicitiam interfuisse, neque metum etc. Ergo non occidit. *Cic. Inv.* 1, 29.

ENŪMĔRĀTUS, a, um, part. ab *enumero*, numeratus, recensitus. *Liv.* 3, 58. Septem et viginti enumeratis stipendiis. *Caes. B. C.* 3, 105. Repetitis atque enumeratis diebus, quo die etc.

ENŪMĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἐξαριθμέω, idem quod numero, vel plene, et usque ad ultimum numero, recenseo. [*Proprie de pecunia praesente quae numeratur. *Pl. Asin.* 2, 4, 9. Peculium non potest enumerari.] *Cic. Rosc. Am.* 46. Authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut qui praetereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. *Id. ad Quirit.* 2. Nemo est, qui vestrorum multitudinem beneficiorum non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. *Id. N. D.* 2, 47. Enumerare possum, quae sit in figuris animantium, et quam solers subtilisque descriptio partium etc. *Prop.* 2, 1, 44. Enumerat miles vulnera, pastor oves. *Nep. Lys.* 2. Ne de eodem plura enumerando fatigemus lectores, i. e. enarrando. *Id. Hann.* 5. Longum est enumerare proelia etc. *Id. Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, i. e. recensuit. ℙ Part. *Enumerans* apud *Curt.* 6, 3. Nescio, an enumeranti mihi etc. *Enumeraturus* ap. *Cic. Verr.* 3, 33. Dixi jam antea, me non omnia istius, quae in hoc genere essent, enumeraturum.

ENUMQUAM, ecquando. *Festus.* V. EN.

[ENUNCŪPO, as, a. 1. palam nuncupo. *Not. Tir.* p. 73. Nuncupat, enuncupat. *F.*]

ENUNDĪNO, as, avi, atum, a. 1. mercari. *Tertull. Idolol.* 9. Spiritum Sanctum enundinare.

ENUNTĬĀTĬO et Enunciatio, onis, f. explicatio, expositio, ἀπόφανσις. *Quint.* 7, 3. Finitio est rei propositae propria, et dilucida, et breviter comprehensa verbis enuntiatio. ℙ Item manifestatio. *Id. Decl.* 272. Enuntiatio voluntatem habet, et animum non coactum: confessio expressam dolore multo necessitatem. ℙ Item propositio, enuntiatum, effatum. *Cic. Fat.* 10. Non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit. *Id. ib.* 12. Haec enuntiatio vera esse non potest: capiet Numantiam Scipio.

ENUNTĬĀTĪVUS, a, um, qui enuntiandi, seu manifestandi vim habet. *Senec. ep.* 117. *ante med.* Motus animorum enuntiativi corporum. Et *mox.* Dico, Cato ambulat: non corpus quidem est, quod nunc loquor, sed enuntiativum de corpore: quod alii effatum vocant, alii enuntiatum, alii edictum.

[ENUNTĬĀTOR, oris, m. qui enuntiat. *Inscr.* ap. *Cardinal. Iscriz. Velitern. n.* 87. L. Marius Auctus enuntiator ab scaena Graeca, *scil.* qui in scaena prologum recitabat, vel qui actorum recitationem docebat, et moderabatur. *F.*]

ENUNTĬĀTRIX, icis, f. quae enuntiat. *Quint.* 2, 15. *circa med.* Theodorus Gadareus ita dicit (ut ipsis eorum verbis utar, qui hoc ex Graeco transtulerunt): Ars inventrix, et judicatrix, et enuntiatrix decente ornatu etc., *h. e.* rhetorica. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 771. lingua interpres animi, enuntiatrix sensuum.

ENUNTĬĀTUM, i, n. enuntiatio, effatum, ἀξίωμα. *Cic. Fat.* 9. Epicurus concedens omne enuntiatum aut verum aut falsum esse. Adde *ib.* 12.

ENUNTĬĀTUS, a, um, part. ab *enuntio*, dictus, loquendo expressus, manifestatus, ἀποφασμένος. *Quint.* 2, 5. Sermo rectus, et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur. *Cic. Fin.* 2, 7. Gravissimae sunt ad beate vivendum breviter enuntiatae sententiae. *Id. Mur.* 11. Si quid fuit in isto studio admirationis, id, enuntiatis vestris mysteriis, totum est contemptum, i. e. evulgatis. *Caes. B. G.* 1, 4. Res alicui per indicium enuntiata.

ENUNTĬO et Enuncio, as, avi, atum, a. 1. ἀποφαίνω, ἐκφέρω, pronuntio, dico, exprimo. *Cic. Acad.* 4, 29. Fundamentum dialecticae est, quidquid enuntiatur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) aut verum esse, aut falsum. [*Hunc locum nollem in principio posuisset *Forc.* Hoc sensu verbum dialecticis proprium; recentiores dicunt *praedicare.*] *Id. Or.* 3, 42. Videtis profecto genus hoc totum, cum inflexo, commutatoque verbo res eadem enuntiatur, ornatius. *Id. Acad.* 1, 2. Quibusnam quisquam enuntiare verbis poterit haec ipsa de vita, et moribus etc.? *Caesell.* ap. *Gell.* 7, 2. Masculino genere *cor* enunciavit Ennius. *Quint.* 1, 6. Enuntiare litteras. *Id.* 12, 10. Quae proprie signari poterant, circuitu coeperunt enuntiare. ℙ Item aperire, edere, evulgare, et quod arcanum erat, detegere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. Optimae mentis cogitata jampridem, maturo tempore enuntiare. *Cic. Or.* 1, 47. *ad f.* Enuntiare mysteria dicendi. *Caes. B. C.* 1, 30. Jurejurando, ne quis enuntiaret. Et 17. Consilia nostra hostibus enuntiari. *Pl. Poen.* 4, 2, 66. Ne enuntiet id esse facinus ex te exortum. *Caes. B. G.* 1, 4. Enuntiare alicui per indicium. [**V. Gron.* ad *Liv.* 9, 16.] ℙ Part. *Enuntiaturus* ap. *Liv.* 10, 38. Adigebatur jurejurando, quae visa, auditaque in eo loco essent, non enuntiaturum. *Enuntiandus* ap. *Suet. Tib.* 71. Per ambitum verborum vim enuntiandam censuit. ℙ [*Saepe confunduntur *Enuntiare* et *nuntiare*. Sunt autem ita diversa, ut enuntientur consilia et arcana, nuntientur visa et audita. *Drak.* ad *Liv.* 25, 9, 4.]

ENUPTĬO, onis, f. actus enubendi. *Liv.* 39, 19. Ut Hispalae Feceniae datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio ita esset etc. V. ENŪBO.

ENUTRĬO, is, ivi, itum, a. 4. idem quod nutrio, vel perfecte, et complete nutrio, ἐκτρέφω. *Colum.* 3, 3. Sata non ita enutriunt, ut convalescant. *Plin.* 12, 1, 4. Ut mero infuso enutriantur. *Ov. Met.* 4, 288. puerum diva Cythereide natum Najades Idaeis enutrivere sub antris.

ENUTRĪTUS, a, um, part. ab *enutrio*, nutritus. *Plin.* 9, 37, 61. Purpurarum genus lutense, putri limo, et algense enutritum alga. ℙ Translate. *Vitr.* 2, 1. *ad f.* Unde origines aedificiorum sint institutae, et quibus rationibus enutritae et progressae sint, gradatim ad has finitiones.

ENYALĬUS, ii, m. Mars, vel alius belli Deus:

ab ἐνύω, pro ἀνύω, conficio, occido. Aliquibus dictus videtur Bellonae filius: ab ἐννὼ, Enyo, et υἱὸς, filius. *Macr. Sat.* 1, 19. sed Graece.

ENYO, us, f. contract. Ἐννὼ, Bellona Dea belli: ab ἐνύω, pro ἀνύω, conficio, occido. *Stat. Th.* 8, 657. Et face mutata bellum integrabat Enyo. Adde *Sil.* 10, 203. ℙ Metonymice accipitur pro bello vel proelio. *Martial. Spect.* 24. Ne te decipiat ratibus navalis Enyo.

EO

EO, is, ivi, et ii, itum, n. anom. ἔω, εἶμι, πορεύομαι, ambulo, vado, pergo, iter facio: a prima Graeca voce allata. *Cic. Phil.* 2, 32. Celeriter isti, redisti. *Liv.* 44, 43. Celerius, quia recta expedita via ierant, pervenerunt. *Id.* 42, 34. *a med.* A Ti. Graccho rogatus, in provinciam ii. *Pl. Stich.* 2, 1, 20. Pedibus ire non queo, [*i. e. pedibus incedere non valeo. Alio sensu apud *Liv.* 28, 17. Pedibus ire, i. e. iter terrestre facere.] *Senec. Herc. fur.* 196. Ire curru. *Ov. Her.* 1, 46. equis. *Id. A. Am.* 1, 214. Quattuor in niveis aureus ibis equis, *h. e.* quadrijugo curru vectus. [*ubi v. *Burm. Drak.* ad *Liv.* 1, 14, 9.] *Justin.* 41, 3. Ire super equos. [*Et *ire* simpliciter de eo qui equo vehitur. *Virg. A.* 5, 554. Quos omnis euntes mirata fremit juventus.] *Martial.* 3, 47. in rheda. *Ov. Her.* 19, 180. puppibus, i. e. navi. *Id. Amor.* 1, 6, 10. tenebris. Et 7. per excubias custodum. *Lucan.* 8, 564. celsa de puppe carinae In parvam jubet ire ratem. *Ter. Eun.* 3, 2, 42. Ire in via cum aliquo. *Liv.* 42, 36. per Italiam. *Ter. Andr.* 1, 1. *in f.* Eamus nunc intro. *Id. ib.* 3, 4, 15. Domum modo ibo. *Id. Ph.* 5, 6. *in f.* Ire ad mercatum. *Id. Eun.* 3, 2, 6. ad coenam. *Id. Ph.* 2, 1, 82. ad forum. Et 23. obviam alicui. *Id. Andr.* 3, 4, 20. ad aliquem, *h. e.* ad domum alicujus. *Id. ib.* 1, 1. *in f.* I prae, sequar. *Id. Ph.* 5, 7, 37. I in malam rem. [*εἰς κακὸν ἐρρεῖν. Et cum solo accusativo. *Ter. Eun.* 3, 3, 30. Malam rem hinc ibis.] *Pompej.* ad *Lentul. post. ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ire subsidio alicui. *Pl. Trin.* 3, 3, 4. Puella it in matrimonium sine dote. *Liv.* 34, 19. Ire in colloquium ad aliquem. [*Ire in jus, id est vocantem sequi. *Auct.* ad *Her.* 2, 13. tu jus ut eas, quum voceris. *Pl. Truc.* 4, 3, 66. Eamus in jus. Quid vis in jus me ire. V. *Hein.* ad *Brisson. de Form.* s. v. *Ire.*] *Cic. Verr.* 2, 1, 48. in possessionem. [*Saepius in *Dig.* libris legitur. *Papin. Dig.* 43, 16, 18. Emtor in vacuam possessionem it. Plura vide ap. *Brisson. de Form.* s. v. *Ire.* — Ire in creditum. *Paul. Dig.* 12, 1, 2. *Alfen. Dig.* 19, 2, 31.] *Plin.* 26, 8, 47. in somnum, i. e. cubitum ire. *Ov. Trist.* 5, 14, 44. Vela damus, quamvis remige puppis eat. [*Heins. ad *Ov. Rem. Am.* 488.] *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Ille iit passim, ego ordinatim: quacumque iit, ergastula solvit, i. e. profectus est, agitur enim de iter faciente cum exercitu. ℙ Saepe jungitur cum supinis aliorum verborum. [*Distingue ea exempla in quibus *ire* proprio sensu positum est, ut supinum in *um* finem ac consilium motus indicet, ab iis, in quibus *ire* pro μέλλειν dictum. Hic usus, apud antiquiores frequens, a Cicerone alienus est. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 170. p. 656.] *Ter. Eun.* 5, 2, 53. Nutricem arcessitum iit. *Cato* ap. *Fest.* in *Parsi.* Quod uti prohibitum irem, meo labori non parsi. *Liv.* 32, 22. Neu pertinacia sua gentem universam perditum iret. [*Alia ex *Liv.* aliisque scriptoribus attulit exempla *Drak.* ad *Liv.* 3, 63, 5.] *Cic. Rosc. Am.* 23. Ire cubitum. *Hor. Od.* 1, 2, 15. dejectum. *Pl. Poen.* 3, 1, 9. operam datum alicui. *Id. Cist.* 1, 1, 4. habitum honorem alicui. Et 39. depressum. *Id. Mil.* 3, 1, 27. opitulatum. *Id. Bacch.* 5, 2, 52. oppugnatum. *Sall. Jug.* 90. Bonorum praemia ereptum eunt. [Omittitur etiam *ire* hoc significatu. *Sall. H.* 3. *in fragm.* ap. *Cort.* p. 973. Neque ego vos ultum injurias hortor.] ℙ Cum infinito. *Prop.* 1, 1, 12. Ibat et hirsutas ille ferire feras. Et *ib.* 6, 33. Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis Ibis. *Stat. Th.* 3, 61. pudet ire fateri, *h. e.* pudet fateri. [*ubi alii legunt *pudet ore fateri.*] Adde *Pl. Most.* 1, 1, 63., *Ter. Hec.* 1, 2, 114. et *Stat. Silv.* 5, 3, 10. ℙ Et cum dativo. *Virg. A.* 5, 451. It clamor coelo, [*i. e. tendit ad coelum.] (Adde *Val. Fl.* 3, 277.) *Prop.* 1, 15, 8. Ut formosa novo quae parat ire viro. Et 1, 20, 32. Hylas ibat Hamadryasin. *Sil.* 15, 327. Cogitur ire sorori germanus amatae. ℙ Et cum accusativo motus ad locum vel per locum. *Val. Fl.* 3, 371. Ignotas jubet ire vias, *h. e.* per vias. *Ov. Her.* 10, 125. Ibis Cecropios portus, *h. e.* ad portus. *Sil.* 12, 368. Sardoos isse recessus. *Grat. Cyneg.* 64. Ire freta. *Stat. Th.* 5, 279. gemini qua brachia muri Litus eunt, *h. e.* procurrunt, atque extenduntur usque ad litus. [*Heins. ad *Ov. Her.* 7, 40. 18, 135. inprimis ad *Fast.* 1, 122.] ℙ *Ire in aliquem* est aggredi. *Virg. A.* 9, 423. simul ense recluso Ibat in Eurialum. *Val. Fl.* 3, 308. Ire in hostes. *Ov. Her.* 11, 92. et *Amor.* 1, 7, 64. inque meas unguibus ire genas. [*Eodem sensu, quanquam rarius, ponitur *ire ad aliquem. Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 5. Itur ad me, quasi ad hostem. *Ciof.* ad *Ov. Nux.* 140.] ℙ Et omissa praepositione. V. COMINUS. ℙ Et sequente dativo. V. *ib.* ℙ Cum ablativo est abire, discedere. *Ov. Met.* 6, 201. Ite sacris, properate sacris, laurumque capillis Ponite. Deponunt infectaque sacra relinquunt. ℙ Ponitur et pro incedere, ingredi. *Petr. Sat.* 129. Negant medici sine nervis posse ire. *Virg. A.* 6, 589. mediaeque per Elidis urbem Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem. *Pl. Epid.* 5, 1, 21. Ire otiose. *Id. Ps.* 1, 3, 13. placide. ℙ Item pro exire. *Val. Fl.* 3, 3. It tectis Argoa manus. ℙ Item pro venire, quemadmodum *venio* pro *ire* adhibetur. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *ante med.* Cum aliquo exibimus, eat nobiscum, puerumque ducat. (Adde *Att.* 10, 16.) *Pl. Bacch.* 5, 2, 56. I, i hac mecum intro. *Ter. Eun.* 2, 3, 13. Unde is? *Ch.* egone? nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam. *Id. Andr.* 3, 4, 1. Ad te ibam. Adde *Liv.* 28, 41. *ad f.*, *Stat. Th.* 7, 229. et 433., 8, 514. et 12, 360. et *Virg. A.* 2, 375. ℙ Translate est fluere. *Stat. Th.* 4, 776. Langia perennes Servat aquas: solet et rapidi sub limite cancri Semper, et Icarii quamvis juba fulguret astri, Ire tamen. *Virg. A.* 8, 726. Euphrates ibat jam mollior undis. *Id. ib.* 2, 173. salsusque per artus Sudor iit. [*Broukh. ad *Tib. El.* 1, 10, 38. ℙ Alvus it, i. e. exoneratur. *Cat.* 157, 7. ubi alvus non it ex nimio cibo.] ℙ Item praeterire, transire, abire. *Pl. Ps.* 1, 3, 12. It dies: ego mihi cesso. *Ov. A. Am.* 3, 62. eunt anni more fluentis aquae. *Id. Her.* 15, 61. Sex mihi natales ierant, cum etc. ℙ Item procedere. *Ov. A. Am.* 1, 147. cum pompa frequens coelestibus ibit eburnis. *Id. Amor.* 2, 1, 24. Carmina revocant niveos solis euntis equos. ℙ Item vagari, discurrere. *Id. Met.* 6, 146. Phrygiaeque per oppida facti Rumor it. *Juven.* 1, 145. It nova nec tristis per cunctas fabula coenas. *Quint.* 1, 8. Comoedia it per omnes et personas et affectus. *Id.* 7, 1. *extr.* Nunc eamus per singulas causarum judicialium partes. ℙ [*Hinc circumscriptioni inservit. *Ov. Fast.* 1, 15. Conor per laudes ire tuorum, i. e. in tuorum laudibus versari. Sic Graeci ἰέναι vel χωρεῖν διὰ τινός. *Valcken.* ad *Eur. Phoen.* 482. 1554.] ℙ Item abire, aut perire. *Lucan.* 2, 263. Nec tanta in cassum virtus eat. *Lucr.* 3, 527. hominem paulatim cernimus ire, Et membratim vitalem deperdere sensum. ℙ *Res it*, procedit, succedit. *Cic. Att.* 14, 20. *ad f.* Haec contra Antonium concio mihi profecisse permultum videtur: prorsus ibat res. Et *ib.* 15. Incipit res melius ire, quam putabam. Et 12, 24. *extr.* De Attica, optime it. *Tac. A.* 12, 68. Vulgabat ire in melius valetudinem principis. *Lucan.* 4, 143. Omnia eunt fatis Caesaris. *Curt.* 8, 5. *a med.* Dii propitii eodem cursu, quo fluxere, res ire patiantur. *Lucan.* 2, 304. Sic eat. Simile est illud *Liv.* 1, 26. Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem. ℙ *Ire in aliquid* est evadere, fieri. *Ov. Met.* 10, 492. mediaque manente medulla, Sanguis it in succos, in magnos brachia ramos, In parvos digiti. *Stat. Th.* 6, 234. lapsusque putres jam Mulciber ibat In cineres. *Nemes. Cyneg.* 29. Myrrha ivit in arboreas frondes. *Colum.* 2, 12. *ad f.* et *Plin.* 18, 17, 45. Seges it in articulum. *Cato R. R.* 161. Asparagus it in semen. *Quint.* 2, 10. Nunquam haec poetica themata juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? *h. e.* quasi pinguescant. Similia sunt illa *Virg. A.* 4, 413. et *Stat. Th.* 11, 193. Ire in lacrimas. *Flor.* 2, 4. in sudorem. *Ov. Met.* 5, 668. Ibimus in poenas. [*Avian. *Fab.* 14, 10. Ire in risum. Sic ire in famem, in pestilentiam etc. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 43, 7.] ℙ Ire in duplum, V. DUPLUS. ℙ Ire infitias, V. INFITIAS. ℙ *Ire in sententiam*, et *ire pedibus in sententiam* est accedere ad sententiam alicujus, non verbo solum, sed etiam corpore. Haec ratio inventa est in senatu R., quod nonnunquam longum erat audire singulos, neque mos ferendi suffragia erat in curia. Cum igitur duae tresve sententiae dictae erant ab iis, qui primi rogabantur, ceteri in illorum, quibuscum sentiebant, subsellia transibant, ut res expeditius ageretur: cumque hoc modo sententiae dicebantur, solebat consul ita pronunciare: *Qui haec sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in eam partem ite, qua sentitis*, ut est apud *Plin. ep.* 8, 14. Hinc *Liv.* 5, 9. In quam sententiam cum pedibus iretur etc. *Cic. in Senat.* 4. Ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Ibatur in eam sententiam. V. OMNIS. ℙ Hinc sunt illa *ire*, vel *discedere*, vel *transire in alia omnia*, h. e. ab auctore sententiae alicujus dissentire. *Cic. Fam.* 1, 2. De tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. V. DISCEDO et DISCESSIO. ℙ Ire in saecula, celebrari fama apud posteros. *Plin. Pan.* 55. Ibit in saecula, fuisse principem, cui etc. *Sil.* 12, 311. factoque in saecula ituro Laetatur tribuisse locum. ℙ Est etiam verbum funebre. Nam ad illud *Ter. Andr.* 1, 1, 90. Effertur, imus: *Donat.* Efferri, inquit, dicuntur cadavera mortuorum, et *ire* proprie ad exsequias. *Virg. A.* 11, 24. Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus. Hinc *ire exsequias*, V. EXSEQUIAE et *ire pompam funeris* ap. *Ov. Fast.* 6, 663. V. POMPA. ℙ *Ire ad aliquid* pro accedere, adjungi. *Senec. Herc. fur.* 1316. Eat ad labores hic quoque Herculeos labor. ℙ *Ire ad arma*, *ad saga* est ad arma, ad saga sumenda. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15., *Cic. Phil.* 14, 1. [*V. *Interpp.* ad *Liv.* 9, 32, 1.] ℙ Elegans est illa loquendi ratio apud *Ter. Eun.* 1, 2, 75. At ego nesciebam, quorsum tu ires, *h. e.* quorsum tuis verbis tenderes. Et *Ad.* 5, 6, 35. Mane: scio: istuc ibam, id dicturus eram. [*Id. Heaut.* 3, 1, 78. Ibat ad illud, i. e. eo tendebat.] ℙ *Ite, si itis*, formula loquendi similis atque, *fac, si facis*, et *age quod agis*, et est hortantis, excitantis, urgentis: habeturque apud *Pl. Poen.* 5, 4, 67. ℙ *I*, et *i nunc* est adhortantis cum ironia, atque irridentis. *Virg. A.* 9, 634. i, verbis virtutem illude superbis. *Ov. Her.* 3, 25. pugnas, ne reddar, Achille. I nunc, et cupidi nomen amantis habe. Et *Senec. Cons. ad Polyb. sub in.* Eat nunc aliquis, et singulas comploret animas. Et *mox.* Eat aliquis, et fata sibi non pepercisse conqueratur. Adde *Liv.* 7, 6. *ad f.*, *Martial.* 1, 43., *Petr. Sat.* 115., *Virg. A.* 7, 425., *Prop.* 3, 16, 17., *Ov. Amor.* 3, 3, 1. et *Juven.* 6, 305. [*Drak. ad *Liv.* 1, 26, 7. 8, 7, 19.] ℙ *Eat* eodem sensu dixit *Sil.* 11, 390. et *Suet. Ner.* 35. ℙ *Ire* pro esse, exsistere. [*Ex *Ov.* collegit exempla *Heins.* ad *Cons.* ad *Liv.* 472.] *Senec. Herc. Oet.* 282. Non ibo inulta. *Claud. IV. Cons. Honor.* 108. Non dabitis murum sceleri: qui vindicet, ibit. ℙ Pro vendi, venire. *Plin.* 18, 23, 53. Justum est, singulas vehes fimi denario ire. *Claud. in Eutr.* 1, 203. Tot Galatae, tot Pontus eat, tot Lydia nummis. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 2, 1. *circa med.* Non esse itum obviam, ne tunc quidem, cum iri maxime debuit. *Virg. A.* 6, 179. Itur in antiquam silvam. *Petr. Sat.* 118. Non viderunt viam, qua iretur ad carmen. *Pl. Truc.* 3, 1, 21. Ibitur: ne me morari censeas. *Senec. Med.* 460. Eatur: regius jussit gener. [*Et cum supino junctum, quod activam significationem retinet. *Cat.* ap. *Gell.* 10, 14. Contumelia mihi per hujusce petulantiam factum itur, pro: contumeliam mihi factum eunt.] ℙ Infinitum *iri* cum part. praeteriti temporis, futuri passivi vim habet. [*Credam equidem non part. praet. temp., sed supinum esse. V. quae infra notavimus.] *Cic. Att.* 2, 10. Pompejus addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri, *h. e.* occidendum esse etc. *Id. ib.* 15, 25. Brutum, ut scribis, visum iri a me, puto. *Sall. Jug.* 120. Neque hominem nobilem in hostium potestate relictum iri, *h. e.* fore, ut relinqueretur. *Ter. Ad.* 1, 1, 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet. *Pl. Rud.* 4, 7, 16. Mihi istaec videtur praeda praedatum irier. ℙ Non semper tamen futuri significationem habet, sed aliquando etiam praesentis. Nam teste *Gell.* 10, 14. vulgo dicebatur, *illi injuriam factum iri*, et *contumeliam dictum iri*, hoc est, ut ipsemet explicat, iri ad injuriam faciendam, seu operam dari, quo fiat. *Cic. Att.* 9, 18. Senatui non placere, in Hispanias iri, nec exercitus in Graeciam transportari. *Cato* autem paulo ab hoc usu remotius locutus est apud *Gell. l. c.* Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quae mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicae miserear, *h. e.* quae paratur contra me. V. *Gell. ib.* et de tota hac ratione loquendi *Voss. l.* 7. *de Gramm. c.* 54. multa contra *Sciopp.* disputantem. Insolentius est etiam illud *Quint.* 9, 2. *ad f.* Reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatum iri videbatur. Ubi qui *damnatus* reponi malunt, contra omnium librorum fidem facere, testatur *Voss. l. c.* [*Rectius statuas supinum cum verbo *iri* conjungi, quod hoc ipsum ex *Quint.* exemplum satis probare videtur. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 656. Eodem nos ducunt exempla aliquot supini in *u* post *iri* positi, quae in *Dig.* libris leguntur, sed antiquum loquendi usum, in legibus conscribendis servatum, retinent adeoque certa sunt, ut corrigere vix audeas. *Marc. Dig.* 33, 8, 18. Nisi ei caveatur defensu iri adversus creditores peculiarios. *Ulp. Dig.* 33, 4, 9. Cavere debere defensu iri heredem adversus maritum. Ergo et maritus idem debebit cavere, adversus mulierem defensu iri, si prior agat. Et *mox:* Si caverit, heredes adversus mulierem defensu iri. Scilicet forma in *u* antique posita pro dativo *defensui iri*, quod eodem redit ac si dicas *defensum iri.*] ℙ Part. sunt *iens*, *euntis*, et *iturus*. *Cic. Att.* 4, 9. Iens in Pompejanum, bene mane haec scripsi. Et *ib.* 16, 1. Postridie iens ad Brutum. *Retroiens* dixit *Senec. Q. N.* 7, 21. De obliquis casibus, ac de *iturus* exempla passim. Pro *euntis* aliquando *ientis* dictum est: non tamen imitandum. *Inscr.* ap. *Mur.* 337, 5. et 439. in agro Volusi Basilides ientibus ab urbe parte sinistra etc. ℙ

Eundus passive usurpatur a *Claudiano*, ubi ait, *in Eutr.* 2, 419. non explorantur eundae, Vitandaeque viae. ℙ Ceterum *eundum est*, h. e. ire oportet, vulgo passimque dicitur. *Ov. Trist.* 3, 1, 14. Dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum. ℙ *Issem*, *es*, *et*, et *isse*, syncope est pro *ivissem*, *ivisse*. *Cic. Phil.* 12, 12. et *Verr.* 3, 44., *Ov.* non semel, *Prop.*, *Pl.*, *Stat.*, *Sil.* etc. [*Ii pro *ivi*. *Drak.* ad *Liv.* 42, 34, 10.] ℙ *Isti* pro *ivisti* est *Turpilii* ap. *Non.* 4, 242. Et *istis* pro *ivistis*, habet *Lucan.* 7, 834. [*Iere pro *ivere*. *Drak.* ad *Liv.* 45, 2, 7.] ℙ In futuro pro *ibo*, *is*, *it*, in compositis *iam*, *ies*, *iet*, inveniri quidam putant, ut *inietur* ap. *Cic. Agr.* 2, 25. *extr.*, et *transiet* ap. *Tib.* 1, 4, 23., ubi tamen *Heynius* contendit legendum *transiit*, et *iniet* ap. *Senec. Ben.* 2, 1., et *redies* ap. *Appul. Met.* 6., et *exiet* ap. *Tertull. adv. Jud.* 13. ex *Matth.* 2, 6., item in *Inscr.* apud *Grut.* 755, 1. quam affert *Achill. Stat. ad l. c. Tibulli*, at ap. *Grut. l. c.* legitur *exsiat* pro *exeat*, et *obiet* ap. *eund. Grut.* 1119, 4., et *prodient* ap. *Lact.* 7, 16. *in f.* Verum omnes hi loci dubiae sunt lectionis (excepto *Tertull.* et *Sapient.* 16, 29., ubi habetur *disperient* pro *disperibit:* et Inscriptione altera, quae tamen optimae notae non est) et cum probata consuetudine pugnant. ℙ [*Confunduntur *Iere* et *ire*. *Drak.* ad *Liv.* 45, 2, 7. *Ierat* et *erat* id. ad *Liv.* 39, 21, 6. *Isse* et *esse*. id. ad *Liv.* 27, 44, 3. *Itis* et *ruitis*. id. ad *Liv.* 3, 43, 7.]

ĔO, ἐκεῖ, ἐκεῖσε, ablativus pronominis *is*, *id*, adverbii more adhibitus, et multa significans. Primo enim est illuc, in eum locum. *Caes. B. G.* 1, 25. Eo se recipere coeperunt. *Liv.* 1, 7. Ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant. *Varr. R. R.* 3, 16. *a med.* Si apes eo transtuleris ubi, etc. *Cic. Att.* 2, 16. *a med.* Eo unde discedere non oportuit, revertamur. *Id. Mur.* 9. Ut eo, quo intendit, perveniat. *Cato R. R.* 18. Quod loci supererit, robore expleto: eo plumbum infundito: superiorem partem arborum digitos sex altam facito siet: eo capitulum robustum indito. *Caes. B. G.* 1, 42. Statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, legionarios eo milites imponere, *h. e.* in eos equos. [*Et adjecto genit. *loci*. *Tac. A.* 15, 74. Templum exstrueretur eo loci, ex quo ferrum promserat. Et omittitur. *Liv.* 26, 46, 2. Intentis omnibus ad opem ferendam, unde periculum ostendebatur, ubi vide *Gron.*] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 10, 21. Accessit eo, ut milites etc. *Id. Att.* 1, 11. Eo accedebat hortator assiduus Sallustius. ℙ Saepe est, usque ad id, in tantum, εἰς τοῦτο, sequente ut. *Liv. prooem.* Quae ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut magnitudine laboret sua. *Cic. Rosc. Am.* 34. Eo rem jam adducam, ut nihil divinatione opus sit. [*Cum genit. *loci*. *Tac. A.* 14, 61. Non eo loci res suas agi dicebat, ut de matrimonio certet.] *Plin. Pan.* 16. Eo insolentiae furorisque processit, ut etc. *Flor.* 3, 12. Eo magnitudinis crescere, ut etc. *Liv.* 25, 8. Eo consuetudinis adducta res est, ut etc. *Justin.* 3, 5. Eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut etc. ℙ Item ad eum finem cum particulis *quo*, *ut*, *ne*. *Nep. Them.* 4. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum cogerentur, *h. e.* spectabat, tendebat. *Cic. Att.* 8, 9. Eo scripsi, quo plus auctoritatis haberem. *Id. Fam.* 16, 1. Marionem ad te eo misi, ut etc. *Id. Or.* 3, 49. Eo te non interpellavi, ne quid de hoc tempore diminueretur. ℙ Item ideo, propterea, vel absolute, vel sequentibus particulis *quo*, *quod*, *quia* etc. *Liv.* 23, 19. Nocte et mittebantur, et perveniebant: eo custodias hostium fallebant. *Cic. Div.* 2, 20. Frater es: eo vereor. *Id. Fam.* 6, 20. Dederam triduo ante litteras ad te: eo ero brevior. *Id. Quint.* 2. Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides. *Pl. Trin.* 2, 2, 60. Non eo hoc dico, quin quae tu vis, ego velim, et faciam lubens. *Liv.* 9, 2. Eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat. *Cic. Att.* 13, 36. Eo mihi jucundius est, quod tu eo laetaris: certiusque eo est, quod a te dicitur. *Id. Fam.* 9, 16. *ante med.* Quod eo nunc magis facit, quia etc. *Ter. Eun.* 3, 1, 25. Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? [*Alios locos vide ap. *Graev.* ad *Cic. Ep. div.* 13, 70. *Burm.* ad *Luc.* 7, 406. *Drak.* ad *Liv.* 1, 11, 8. et alibi.] ℙ *Eoque* in principio periodi habent *Vell.* 2, 60. et 67. et *Plin.* 31, 3, 21. In medio *Tac. A.* 1, 64. Caecina secundarum, ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. ℙ *Eo quo* est tanto, quanto, cum comparat, τοσούτῳ, ὅσῳ. *Cic. Rosc. Am.* 9. Unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiae, i. e. tanto plus quanto minus. *Id. Att.* 11, 11. Eo gravior est dolor, quo culpa major. *Cels.* 8, 4. Quo mitior ictus fuit, eo facilius os restitisse, credibile est. *Id. ib. ad f.* Eadem servanda sunt eo magis, quo periculosius haec pars afficitur. [*Et *eo* sequente *quantum*. *Liv.* 44, 7, 6. Quantum procederet longius, eo majorem omnium rerum inopiam sentiens: ubi vide *Drak.*] ℙ Aliquando *eo* omittitur. *Plin.* 24, 14, 78. *ad f.* Sarcocolla melior, quo candidior. *Id.* 34, 18, 53. Melior haec, quando magis aurei coloris. [*Drakenb. ad *Liv.* 26, 20. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 92. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 17. *Ruddim. Inst.* 11. p. 104.] ℙ *Eo magis* continuat, augetque orationem. *Cic. Off.* 2, 14. Si vero inest in oratione mixta modestiae gravitas, nil admirabilius fieri potest: eoque magis, si ea sunt in adolescente. *Id. Att.* 10, 11. Quae scribis, molesta sunt; eoque magis, quod ea tempora nostra sunt etc. *Id. Off.* 3, 22. Eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicae pertinebat. *Id. Att.* 10, 8. *sub f.* Discedens dabo ad te aliquid: eo etiam magis, quod Tullia etc. Sic *Id. Off.* 2, 14. *sub f.* Maxime autem gloria paritur defensionibus: eoque major, si quando accidit etc. Et *Nep. Con.* 1. Sed tum abfuit: eoque pejus res administrata est. ℙ *Eo minus* contrarium est verbis: eo magis. *Cic. Att.* 15, 9. Hoc tempore quod scriberem nihil erat: eoque minus, quod dubitabam etc. Et *ib.* 10. *ad f.* Etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc. ℙ *Eo usque* (quod et *eousque* conjunctim scribitur) est usque ad eum locum, vel tempus, sequentibus particulis *dum*, *donec* etc. *Colum.* 4, 30. Perticae panguntur eo usque, dum ad solidum demittantur. *Liv.* 23, 19. Eone usque, dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum? *Id.* 40, 8. *ad f.* Eo usque me vivere vultis, donec etc. *Cic. N. D.* 2, 40. Usque eo premere earum capita mordicus, dum etc. *Colum. Arbor.* 6. Si eo usque exaruit, ut curvari non possit. *Tac. A.* 3, 13. Vulgus militum eo usque corrupisse, ut etc. *Lampr. Alex. Sever.* 45. et *Oros.* 6, 1. *a med.* Et id quidem eo usque, quamdiu ad fines barbaricos veniretur. ℙ *Eo* pro *ibi* rarum videtur. *Cic.* ad *Brut. ep.* 1, 2. Quinque cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, cum tu eo quinque legiones haberes? [*Scilicet hoc ita explica: quum tu eo legiones misisses atque missas ibi haberes. Haud absimilis est loquendi ratio ap. *Cic. Sext.* 31. Res erat eo loci, *h. e.* res in eum locum pervenit atque in eo est. Alterum ejusmodi exemplum affert *Ruddim.* 11. p. 317. not. 6. ex eod. *Cic. Epp.* ad *Att.* 1, 13. Res eodem est loci quo reliquisti. V. *Matth.* ad l. ex *orat.* pro *Sext.* ℙ Confunduntur *Eo* et *ego*. *Drak.* ad *Liv.* 2, 18, 6.]

*EODANDA, deserta insula, prope Arabiam. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ĔODEM, ὁμόσε, αὐτόσε, ablat. pronom. *idem* adverbii more usurpatus, et significat in eundem locum. *Caes. B. G.* 1, 4. Omnes clientes suos eodem conduxit. *Cato R. R.* 108. Vini sextarium eodem infundito. *Nep. Paus. in f.* Eodem inferri oportere, quo etc. *Id. Timoth.* 3. et *Caes. B. G.* 5, 11. Eodem, unde erat profectus, se recepit. [*Adde *Caes. B. G.* 4, 28.] ℙ Translate. *Cic. Amic.* 18. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis. *Caes. B. G.* 1, 14. Quod tam diu se impune tulisse injurias admirarentur, eodem pertinere. *Liv.* 27, 34. *a med.* Eodem honores poenasque congeri, *h. e.* in eundem civem. ℙ [*Pro *ibidem* ponitur, ut *eo* pro *ibi*. *Cic. Epist.* ad *Att.* 1, 10. Res eodem est loci quo reliquisti. *Tac. A.* 4, 4, 2. Arduum est eodem loci potentiam et concordiam esse.]

[*EOIEI, exclamatio ad dolorem significandum. Scribitur etiam *Oiei*. V. *Bentl.* ad *Ter. Eun.* 4, 4, 47. *Heaut.* 1, 1, 31. *Phorm.* 4, 3, 58.]

EON, onis, f. *Plin.* 13, 22, 39. Alexander Cornelius arborem eonem appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quae nec aqua, nec igni possit corrumpi: nulli alii cognitam, quod equidem sciam. *Id. in indice* 1, 13. *n.* 39. Eon arbor. Fortasse scribendum est *aeon*, ut sit ab αἰών, ῶνος, aevum, tempus, ut denotetur illius navis aeternitas, quae scil. inter sidera est relata. V. ARGO.

ĔOPSĔ, eo ipso. *Pl. Curc.* 4, 3, 6.

[ĔORDAEI, orum, m. plur. et

ĔORDENSES, ium, m. plur. sunt populi Macedoniae, qui Eordaeam regionem cum oppido cognomine incolebant: hinc quidam derivant Italorum *orda*, nempe barbarorum agmen. *Liv.* 45, 30. Macedoniae quartam regionem Eordaei, et Lyncestae, et Pelagones incolunt. *Plin.* 4, 10, 17. Ab Axio amne Paeoniae gentes, Paroraei, Eordenses, Almopii, Pelagones, Mygdones. *F.*]

[ĔORTĒ et Ĕhortē, es, f. ἑορτή, dies festus, feriae. Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 672, 4. Claudia Eorte. Alia ap. *eund.* 88, 12. Aelia Ehorte. *F.*]

ĔOS, f. ἠώς, et ἑώς, aurora. Graeca vox. *Ov. Fast.* 4, 389. Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos. *Senec. Herc. Oet.* 614. Noctem submovet Eos. ℙ Translate. *Lucan.* 9, 544. populi, quos miserat Eos, *h. e.* regiones orientales. ℙ Obliqui casus singularis numeri (nam plurali caret) eadem erunt positione, qua *Dido*. V. ℙ [*Confunduntur *Eos* et *hora*. V. *Heins.* ad *Ov. Her.* 3, 57.]

ĔOUS, a, um, adj. ἠῷος, et ἑῷος, ad auroram pertinens, orientalis: ab ἠώ, et ἑώ: vel ἠώς, et ἑώς, aurora: quare prima syllaba communis est. *Val. Fl.* 2, 643. Eoa lux. *Id.* 5, 245. patriumque precatur Numen, et eoo surgentes litore currus. *Hor. Od.* 1, 35, 35. et juvenum recens Examen eois timendum Partibus, Oceanoque rubro. *Ov. Amor.* 2, 6, 1. Eoi Indi. *Virg. G.* 2, 115. Eoae domus Arabum. *Mart.* 3, 35. Eoum tus, *h. e.* quod in Arabia, quae orientalis regio est, abunde provenit. *Stat. Silv.* 3, 3, 33. Eoa germina, *h. e.* odoramenta, quae mittit oriens. ℙ *Eoi*, *orum*, absolute sunt populi orientales. *Ov. Amor.* 1, 15, 29. Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois. ℙ *Eous*, *i*, est Lucifer. *Virg. G.* 1, 288. cum sole novo terras irrorat Eous. *Prud. Cathem.* 2, 67. Eoum sidus. [*Heins. ad *Ov. Ep.* ex *Pont.* 2, 6, 38.] ℙ Item orientis plaga. *Ov. Trist.* 4, 9, 22. Ibit ad occasum quidquid dicemus ab ortu: Testis et Hesperiae vocis Eous erit. ℙ Item unus ex equis Solis. *Ov. Met.* 2, 153.

ĔOUSQUĔ. V. in EO adverb.

EP

ĔPACTAE, arum, f. plur. ἐπακταὶ, (supple ἡμέραι) ab ἐπάγω, induco, adjicio. *Isid. Orig.* 6, 17. *sub f.* Epactas Graeci vocant, Latini adjectiones annuas lunares, quae per undenarium numerum usque ad tricenarium in se resolvuntur.

[ĔPACTĬCUS, i, m. ἐπακτικὸς, qui attrahit, sive allicit. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 270, 5. Cn. Arrius Epacticus. *F.*]

[ĔPAENĔTUS, i, m. ἐπαινετὸς, laudabilis, laudandus. Est nomen servile Romanum. *Inscr.* ap. *Donat.* 404, 16. Dis Manibus Epaeneti Epaeneti filii. *F.*]

[ĔPAGĂTHUS, i, m. ἐπαγαθὸς, perquam bonus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 206. *n.* 50. L. Serbilius Aepagathus. Lege *Servilius Epagathus*. *F.*]

*EPAGERĪTAE, arum, populi Asiae, non longe a mari Caspio. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

ĔPAGOGĒ, es, f. ἐπαγωγὴ, Latine *inductio:* ab ἐπάγω, induco: figura est, quae fit ex multarum rerum similium collatione, uti docet *Quint.* 5, 10. *a med.* ubi tamen Graece usurpat. At Latine *Tiro* ap. *Gell.* 7, 3. *a med.* Induxisse eum, quam dialectici epagogen appellant etc; et ipse *Gell. ib. paulo post.* Sed enim Cato non nudam, neque solitariam, neque improtectam hanc epagogen facit. [Cf. *Ern. Lex. techn. Gr.* p. 115.]

*EPAGRIS, idis, f. sic antea appellata est Andros insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ĔPĂLIMMĂ. V. EPILIMMA.

*EPAMINONDAS, ae, m. Ἐπαμεινώνδας et Ἐπαμινώνδας, Thebanorum dux praestantissimus, *cum quo Thebanorum gloria et nata est et exstincta*, ut ait *Just.* 6, 8. Apud Mantineam, cum Lacedaemoniis congressus, vicit et cecidit. *Nep.* in *vit. Epamin. Cic. Fam.* 5. 12. *med.* Cf. *Plutarch.* in *Pelop.* 3, 12. et in *Agesil.* 32, 34, 35. *Aelian. Var. Hist.* 2, 42. et 13, 42. qui eum inter optimos Graecorum, sed pauperrimos numeravit *B. A.*

ĔPĂNĂDIPLOSIS, is, f. ἐπαναδίπλωσις, figura est repetitionis, cum verbum aliquod, quod versus initium fuit, eundem claudit, ut in illo *Juven.* 14, 139. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Vox Graeca, et Graece usurpanda: ab ἀναδιπλόω, reduplico. *Adde *Rufinian. de schem. lex.* p. 233. ed. *Ruhnken. B. A.*

ĔPĂNĂLEPSIS, is, f. ἐπανάληψις, repetitio sententiae post aliqua interjecta. [*Cf. *Ern. Lex. techn. Gr.* p. 117.] Exemplum habes ap. *Virg. G.* 2, 4. ubi ait: Huc pater o Lenaee etc. Sed vox Graeca est, et Graecis litteris scribitur a *Quint.* 8, 3. (ubi tautologiae affinem facit) a *Charis.* 4, 250. et *Diom.* 2, 440. ℙ Etiam cum verbum unum repetitur, epanalepsis dicitur, ut in illo *Hor. Od.* 2, 14. Eheu fugaces, Postume, Postume, Labuntur anni. *Diom. ib.* ℙ *Latinis litteris scribitur apud *Mart. Capell.* 5. *post med.* p. 115. ed. *Vulcan.* (al. p. 174.) et *Rufin. de schem. lex.* p. 30. ed. *Ruhnken. B. A.*

ĔPĂNĂPHORĂ, ae, f. ἐπαναφορὰ (Graeca vox) repetitionis species est, cum scilicet ab uno verbo plures sententiae inchoantur. *Virg. Ecl.* 10, 42. Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori, Hic nemus etc. V. ANAPHORA. Hac voce utuntur *Capell.* 5, 175., *Aquila Rom. de fig. sent. et Rufin. de schem. lex.* [*Cfr. *Ern. Lex. Gr. techn.* p. 117.]

ĔPĂNĂSTROPHĒ, es, f. ἐπαναστροφὴ, repetitio contigua, cum verbum in fine praecedentis, et in principio sequentis sententiae repetitur. *Virg. Ecl.* 8, 55. Sit Tityrus Orpheus, Orpheus in silvis etc. Vox Graeca et Graece scribenda: ab ἀναστρέφομαι, revertor, redeo.

ĔPĂNŎDOS, i, f. ἐπάνοδος, (vox Graeca ab ἀνὰ, retro, et ὁδὸς, via) regressio est ad eandem vocem, diversum quiddam in partibus per πρόληψιν significans, ut *Virg. A.* 2, 434. divellimur inde Iphitus, et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo Jam gravior. *Quint.* 9, 3. Ἐπάνοδος dicitur Graece, nostri regressionem vocant. Latinis tamen litteris usurpat *Rufin. de schem. lex.* [*Cfr. *Ernest. Lex. Gr. techn.* p. 117.]

ĔPĂNORTHOSIS, is, f. ἐπανόρθωσις, correctio

qua interdum verbum, interdum sententia tollitur, ut *Cic. Planc.* 41. Brundusium, vel potius ad moenia accessi. *Id. Off.* 2, 22. Italiam ornare, quam domum suam maluit: quamquam Italia ornata domus ipsa mihi videtur ornatior. [**Jul. Rufin.* p. 238. *Ruhnk.*] ℙ Vox Graeca est, et Graecis litteris scribenda: ab *ἀνορθόω*, corrigo.

*EPANTERII, orum, populi Alpini, prope Liguriam. *Liv.* 28, 46. *B. A.*

*EPANTHĔMON, i, n. herba quae et chamalaea et lacteris dicitur. *Appul. de herb.* 111. Al. leg. *eupantheon. B. A.*

ĔPAPHAERĔSIS, is, f. *ἐπαφαίρεσις*, apud Graecos est ablatio, detractio, ab *ἐπαφαιρέω*, iterum aufero. Transfertur ad tonsionem barbae. *Mart.* 8, 52. Expingitque cutem, facitque longam Detonsis epaphaeresin capillis.

[ĔPAPHRĀ, vel Ĕpaphras, ae, m. idem ac Epaphroditus. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 699. *not.* 140. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 295, 9. M. Antonius Epaphra. *F.*]

ĔPAPHRODĪTĬĀNUS, a, um, adj. ad Epaphroditum pertinens, quod est nomen liberti Neronis, ejusdemque a libellis, ut est ap. *Tac. A.* 15, 55. et *Suet. Ner.* 49. et *Dom.* 14. Hujus fortasse fuerunt *Epaphroditiani horti*, quos memorat *Frontin. de aquaeduct.* 68.

[ĔPAPHRODĪTUS, i, m. *ἐπαφρόδιτος*, venustus. Est cogn. Rom. [**Tac. A.* 15, 55. *Suet. Ner.* 49. *Dom.* 14.] *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 448. T. Pomponius Epaphroditus. *F.*] **Epaphroditus, i*, m. libertus et a libellis Neroni, a Domitiano capite damnatus, quod Neronem in consciscenda sibi nece sua manu adjuvisset. V. v. anteced.

[ĔPAPHUS, i, m. *Ἔπαφος*, filius Jovis ex Io, sive Iside. Hic a patre Aegypti oppida communire, ibique regnare jussus, oppidum primum Memphin, et alia plura constituit, et ex Cassiopeia uxore procreavit filiam Libyen, a qua terra Libya est appellata. *Hyg. fab.* 149. et *Ov. Met.* 1, 748. *F.*] ℙ *Fuit et quidam hoc nomine, qui cum Antiopa rem habere voluit, ut refert *Hyg. fab.* 7. *B. A.*

ĔPAR. V. HEPAR.

ĔPASTUS, a, um, part. ab inusit. *epascor*, qui pastus est. *Ov. Halieut.* 119. Ut scarus epastus solas qui ruminat escas. Al. leg. *epastas solus*; rectius ut sit passivum.

ĔPĂTĬCUS. V. HEPATICUS.

ĔPAUXĒSIS, is, f. *ἐπαύξησις*, accessio. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1167, 1. T. Flavio Hyllo Flavia Epauxesis filio piissimo.

*EPĔI, orum, *Ἐπειοί*, populi Peloponnesi, Elii postea appellati. *Plin.* 4, 5. Eliorum ager, qui antea Epei vocabantur. *B. A.*

ĔPENDYTES, ae, m. *ἐπενδύτης*, genus vestis, quae aliis superinduitur: ab *ἐπενδύομαι*, superinduo. *Hieron. in vita Hilarionis n.* 4. Pelliceum habens ependyten, quem illi Beatus Antonius proficiscenti dederat. *Id. ib. n.* 44. eandem vestem *cucullam* appellat.

ĔPENTHĒSIS, is, f. *ἐπένθεσις*, ab *ἐπενίθημι*, impono, insero: figura est, qua littera, vel syllaba in medio vocis inseritur, ut *trahea* pro *traha*, *navita* pro *nauta*, *Mavors* pro *Mars*, *relliquias* pro *reliquias. Serv.* ad *G.* 1, 164. qui Latine, et *Donat. de schematib.* p. 1772. qui Graece usurpat.

[ĔPĔRASTUS, i, m. *ἐπέραστος*, peramabilis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 623. *n.* 201. L. Funisulanus Eperastus. *F.*]

*EPETĪNUS, a, um, ad Epetium pertinens. Hinc *Epetini, orum*, incolae dicti *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*EPETĬUM, i, *Ἐπέτιον*, oppidum Dalmatiae. *Tab. Peutinger. B. A.*

ĔPĔUS, i, m. *Ἔπειος*, nomen fabri, qui equum durateum Graecis aedificavit, ut est ap. *Virg. A.* 2, 264. et *Fest.* et *Hyg. fab.* 108. Ap. *Pl. Bacch.* 4, 9, 13. est *Epius. Varr L. L.* 6, 3. *ante med.* etiam coquum fuisse dicit: ideo *Pl. ib.* fumificum appellare.

ĔPEXĒGĒSIS, is, f. *ἐπεξήγησις*, Graece est narrationi juncta narratio: ab *ἐπεξηγέομαι*, insuper narro. Sumitur autem pro figura, qua plures voces ad idem significandum opponuntur: unde et *appositio* a nonnullis vocatur, ut *urbs Roma*. Hinc *Servius* epexegesin appellat illud *Virg. A.* 6, 7. pars densa ferarum Tecta rapit, silvas.

EPHALMĀTOR, oris, m. saltator: ab *ἐφάλλομαι*, insilio. *Firm. Math.* 8, 15. Petaminarius, ephalmator, orchestropalarius.

EPHĒBĀTUS, a, um, adj. ephebus factus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 552. Ephebatum mulieravit. Al. leg. *ephebitum.*

EPHĒBĒUM, i, n. *ἐφήβειον*, locus in palaestra, ubi ephebi seu puberes exercebantur. *Vitr.* 5, 11. Alii leg. *ephēbium*, eodem sensu, et eadem derivatione.

EPHĒBĬĂ, ae, f. *ἐφηβεία* et *ἐφηβία. Don.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 24. Ephebia prima aetas adolescentiae est; adolescentia extrema pueritiae.

EPHĒBĬCUS, a, um, adj. *ἐφηβικός*, ad ephebum pertinens, puerilis. *Appul. Met.* 10. p. 253, 32. Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica clamyda sinistrum tegebat humerum.

EPHĒBĬUM. V. EPHĒBEUM.

EPHĒBUS, i, m. *ἔφηβος*, pubes, seu qui jam ad annos pubertatis pervenit: ex *ἐπὶ*, et *ἥβη*, pubes. *Cic. N. D.* 1, 28. E gregibus epheborum vix singuli reperiebantur. [**Nep.* 15, 2, 4. Ephebus factus est.] *Ter. Andr.* 1, 1, 24. Excedere ex ephebis. *Hor. Ep.* 2, 1, 171. Quo pacto partes tutetur amantis ephebi. ℙ *Censor. de die nat.* 14. statuit, ephebum proprie dici a Graecis eum, qui decimum sextum annum attigerit.

EPHĒDRA, ae, f. *ἱππουρις*, genus herbae arbores scandens, et ex ramis propendens, folio nullo, cirris multis, radice pallida. *Plin.* 26, 7, 20.

*EPHĒLIS, idis, f. *ἔφηλις*, asperitas quaedam cutis et durities mali coloris: ab *ἐπὶ*, in, et *ἥλιος*, sol, quia in sole potissimum contrahi solet. *Cels.* 6, 5. Paene ineptiae sunt, curare varos, et lenticulas, et ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest. Et *ib. ad f.* Ephelidem tollit resina, cui etc.

EPHĒMĔRIS, idis, f. *ἐφημερὶς*, diarium, acta diurna, liber, in quo res gestae per singulos dies scribuntur: ab *ἐπὶ* et *ἡμέρα*, dies. [*Latini diurnum vel diurnos commentarios vocant. V. *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 64.] *Cic. Quint.* 18. Ad ephemeridem revertitur, invenitur dies profectionis. *Prop.* 3, 22, 20. Et ponit duras inter ephemeridas. [**Nep.* 25, 13, 6. Scimus ex ephemeride, de libello quotidianarum expensarum et erogationum.] *Senec. ep.* 123. *a med.* Sic coenas, tanquam ephemeridem patri approbaturus, *h. e.* parco sumptu coenas, tanquam rationes impensarum in ephemeride perscriptas redditurus patri, et ostensurus frugaliter te vivere. [**Plin. H. N.* 29, 1. Ephemeris mathematica, scilicet in qua siderum motus in dies singulos consignatus est *(der astronomische Theil des Calenders).*] ℙ *Procurator ab ephemeride* in *Inscr.* ap. *Grut.* 474, 4. est inter officia domus Augustae. ℙ [Libellum *Ephemeridis* nomine scripsit *Ter. Varro*, testibus *Non.* 2, 22. et *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 6. Si Terentius Varro Gneo Pompejo olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos sub nomine laboravit, ut in habiles res eidem gressuro scire esset ex facili inclinationem oceani atque omnes reliquos motus aerios praescientiae fide peteret, ut declinaret; cur ego etc. *F.*]

EPHĒMĔRON, i, n. *ἐφήμερον*, herba folia habens filii, sed minora, caulem parem, florem caeruleum, semen supervacuum, radicem unam digitali crassitudine. *Plin.* 25, 13, 107.

*EPHESĬA, ae, f. herba quae et artemisia vel aristolochia. *Appul. de Herb.* 10. et 19. *B. A.*

EPHĒSĪNUS, et

EPHĒSĬUS, a, um, adj. *Ἐφέσιος*, ad Ephesum pertinens, quae fuit urbs Asiae in Ionia prope oram Caystri fluvii: condita ab Amazonibus, ut *Justin.* 2, 4. narrat: celebris templo Dianae, quod inter septem orbis miracula numerabatur, impensis totius Asiae, et opere CCXX. annorum exstructum: in quo fuere columnae CXXVII. a singulis regibus factae LX. pedum altitudine, ex quibus XXXVI. coelatae, una a Scopa, ut est apud *Plin.* 36, 14, 21. Incensum fuit a quodam Herostrato eadem nocte, qua natus est Alexander, teste *Cic. Div.* 1, 23. Hinc Ephesia Diana, *Cic. ib.* Ephesia pecunia, *Caes. B. C.* 3, 33. *h. e.* in templo Dianae Ephesiae deposita. ℙ *Ephesii, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 4. ℙ *Ephesina mulier* affertur a quibusdam ex *Cic. Phil.* 3, 6.; sed plerique alii leg. *Ephesia.*

[EPHESTAS, antis, m. *ἐφεστὰς*, pro *ἐφιστὰς*, praesidens, part. verbi *ἐφίστημι*, praesum. Est cognomen libertinum Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 19, 2. Ephestas liber*tus. F.*]

[EPHESTĬON, onis, m. *ἐφεστίων*, familiarior, comparat. ab *ἐφέστιος*, familiaris. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 156. *n.* 254. P. Rufinius Ephestion. *F.*]

EPHĬALTES, ae, m. Neptuni, aut Aloei filius, Oti frater: (V. ALOEUS) quos ambos, cum ingenti corporis mole et viribus confisi in coelum ascendere niterentur, Apollo, et Diana sagittis confixerunt. *Claud. B. Get.* 75. ℙ Ephialtes etiam dicitur incubus, *h. e.* morbus, quo dormientes vi quadam opprimi se, et paene suffocari videntur: ab *ἐπὶ*, et *ἅλλομαι*, insilio. Itali *fantasima* [*Germani *Alp*] vocant. *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. sed Graece, ut et *Serv.* ad *A.* 6, 776. ℙ *Ephialta* in recto casu dixit *Sidon. praef. carm.* 7, 25.

[EPHIPPĬĀRĬUS, ii, m. qui ephippia aut conficit, aut vendit. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 712. *n.* 339. P. Caecilii P. L. Hermetis ephippiarii. In lapide est *epippiari*, omissa nempe, ut saepissime apud Latinos, aspiratione; et gemino *i* de more lapidario in unum contracto. *F.*]

EPHIPPĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *ephippio*, ephippio instructus. *Ephippiati equites* apud *Caes. B. G.* 4, 2. sunt, qui sedent equis ephippio instratis.

EPHIPPĬUM, ii, n. *ἐφίππιον*, stragulum equi, sedendi causa, *(stragulum* vocat *Mart.* 14, 86. cujus lemma est *Ephippium)* ab *ἐπὶ*, super, et *ἵππος*, equus. *Varr. R. R.* 2, 7. *ad f.* Aliter eligit equos quadrigarius, ac desultor: neque idem, qui vectarios facere vult, ad ephippium, aut ad rhedam. *Caes. B. G.* 4, 2. Ephippiis uti. *Gell.* 5, 5. Equitatus frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgens. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 312. ℙ Proverbium est apud *Hor. Ep.* 1, 14, 43. Optat ephippia bos etc. V. BOS. *Cic. Fin.* 3, 4. Puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis, et acratophoris potius, quam proegmenis, et apoproegmenis, concedatur.

EPHODUS, i, f. *ἔφοδος*, Graece est insinuatio, *h. e.* oratio per simulationem, et circuitionem obscure subiens auditoris animum. ℙ *Firmic. Mathes.* 6, 32. *in lemmate.* Generales cujusque geniturae ephodi, *h. e.* ingressiones, initia, institutiones.

EPHORI, orum, m. plur. magistratus Spartanorum a Theopompo institutus ad refrenandam potentiam regis et senatus, ut apud Romanos tribuni plebis consulibus oppositi fuere: ab *ἐφοράω*, intueor, quod ad civitatis salutem oculos intentos haberent; quinque erant numero, et annui, ut narrat *Aristot. Polit.* 2, 10. Horum potestas tyrannica fuit, quae tanta erat, ut nec regi assurgerent, ac regem etiam in vincula conjicere possent. *Cic. Leg.* 3, 7. et *Tusc.* 1, 42. ℙ [*Genit. plur. *ephorum. Nep. Ages.* 4. Nuntius ei venit ephorum jussu, ad quem loc. v. interpp.] ℙ *Ephorus, i*, est cogn. Rom. *Inscr* ap. *Mur.* 201, 1. L. Lucretius Ephorus. ℙ **Ephorus, i*, m. *Ἔφορος*, Historicus Cymaeus, Isocratis auditor, et Theopompi condiscipulus. *Cic. de Or.* 2, 13. et *Or.* 51. *Gell.* 3, 11. *Quint.* 10, 1. *B. A.*

EPHYRA, ae, et Ephyre, es, f. Corinthus primum dicta fuit *Ἔφυρα. Plin.* 4, 4, 5. Colonia Corinthus, antea Ephyra dicta. [**Ov. Her.* 12, 27. Ephyren bimarem.] *Stat. Silv.* 2, 2, 34. si subeas Ephyres Baccheidos altum culmen. ℙ Nomen traxisse volunt ab Ephyre Nympha, Oceani et Thetidis filia, quam *Virg.* memorat *G.* 4, 343. [**Hygin. c.* 275. Ephyre Nympha Oceani filia Ephyren condidit.]

EPHYRAEUS. V. in EPHYREIUS.

EPHYRĒĬĀDES, ae, m. Corinthius. *Stat. Th.* 6, 651. duo gentis Acheae, Tres Ephyreiadae, Pisa satus unus, Acarnan Septimus.

EPHYRĒĬAS, adis, f. patronym., Corinthia. *Claud. B. G.* 629. Scilicet Argolicas, Ephyreiadasque puellas Coeperat, et pulcras jam fastidire Lacaenas.

EPHYRĒĬUS, Ephyraeus et Ephyrēus, a, um, adj. Corinthius. *Rutil. Itin.* 1, 319. Ephyreius Isthmos. *Lucan.* 6, 17. Ephyreaque moenia servat, *h. e.* Dyrrhachium, quod coloni Corinthiorum Corcyraei condidere. *Virg. G.* 2, 464. Illusasque auro vestes, Ephyreiaque aera, *h. e.* aeris Corinthii opera. *Stat. Th.* 6, 253. Ephyraea litora. *Sil.* 14, 180. Ephyraea moenia, *h. e.* Syracusae, quam urbem coloni multi ex Corinthiis condidisse dicuntur ab *eod. ib.* 52. et a *Tertull. Pall.* 2. *sub f.*

*EPHYRI, orum, *Ἔφυροι*, populi Aetoliae. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

ĔPĪBADES. V. EPIBATEGOS.

ĔPĪBĀTA, ae, m. *ἐπιβάτης*, qui navi vehitur: ab *ἐπιβαίνω*, navem conscendo. Sumitur speciatim pro milite, qui in navi stipendia facit, Latine *classiarius. Hirt. B. Alex.* 11. Omnes naves epibatis nudatae. *Id. B. Afr.* 63. Navis onusta remigum, epibatarumque. *Vitr.* 2, 8. *a med.* Celatis remigibus et epibatis. *Id. paulo post.* Militibus et remigibus impositis.

ĔPĪBĀTĒGOS, i, f. *ἐπιβατηγὸς*, navis solis vectoribus transvehendis inserviens: ab *ἐπιβάτης*, vector, et *ἄγω*, duco. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. §. 12. Quaedam enim naves onerariae, quaedam, ut ipsi dicunt, *ἐπιβατηγοὶ* (id est, vectorum conductrices) sunt. Ubi vides Graecis, non Latinis litteris vocem esse scriptam. Alii tamen perperam *epibades* leg.

*EPIBOLE, es, f. *ἐπιβολὴ*, figura rhetorica, cum pluribus et diversis sententiis aut unum et idem verbum singulis praeponitur: aut varietas verborum, quae tamen eandem vim inter se habeat. *Rutil. Lup. de fig. sent. et eloc.* 1, 7. p. 24. ed. *Ruhnk. B. A.*

[ĔPĪCARPĬUS, a, um, adj. *ἐπικάρπιος*, fructifer. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 347. *n.* 9. Cassia C. L. Epicarpia. *F.*]

ĔPĪCĒDĬON, ii, n. *ἐπικήδειον*, carmen funebre, quod in laudem defuncti canitur: ab *ἐπὶ*, super, vel ad, et *κῆδος*, exsequiae, funus. *Stat. ep. l.* 2. *Silv.* Hujus amissi recens vulnus Epicedio prosecutus sum. *Id. Epicedion* inscripsit *silvam* 3. *l.* 5. qua mortem patris deflet, et 5. qua filii. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 5, 14. Epicedion est, quod dicitur, cadavere nondum sepulto, ut (*v.* 20.) *Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin.* Epitaphion autem post completam sepulturam dicitur, ut (*v.*

43.) *Daphnis ego in silvis hinc usque ad sidera notus.*

[*ĒPICHĂRIS, is, f. *Ἐπίχαρις*, gratiosa. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 588, 2. Claudia Epicharis. ℙ *Epicharis*, is, f. *Ἐπίχαρις*, mulier libertina fuit, quam in conjuratione Pisoniana, jussu Neronis per omnia foeda exempla cruciatam, non verbera, non ignes, non torquentium ira pervincere potuit, ut se consciam fateretur. *Tac. A.* 15, 51. et 57. *F.* et *B. A.*]

ĒPICHARMĪUS, a, um, adj. *Ἐπιχάρμειος*, ad Epicharmum pertinens, qui fuit philosophus Syracusanus, Pythagorae auditor, et poeta comicus. Scripsit de natura rerum, et de medicina pecudum. *Q. Cic. Petit. cons.* 10. Epicharmium illud teneto, nervos atque artus esse sapientiae non temere credere. Al. scribunt Graecis litteris. Adde *Gell.* 1, 15. *Cic. Tusc.* 1, 8. Epicharmum vocat, *ut Siculum, acutum, nec insulsum hominem.* Meminere hujus etiam *Colum.* 1, 1. et 7, 3. et *Plin.* 20, 9, 34. et 36. etc.

*EPICHARMUS, i, philosophus Siculus. V. in *Epicharmius, a, um.* ℙ Est et Epicharmus nomen unius ex Ennii poematis. *Cic. Acad.* 4, 16. *extr. B. A.*

ĒPICHĪRĒMĂ, atis, n. *ἐπιχείρημα*, ab *ἐπιχειρέω*, argumentis adstruere et tueri conor: si vim nominis spectes, significat conatum mentis excogitantis aliquid, quod probationem ac fidem faciat. Itaque *Valgius* ap. *Quint.* 5, 10. aggressionem vocat. Est autem, si logice accipiatur, argumentatio, quae opponitur demonstrationi, quatenus demonstratio per propria et necessaria rem manifestat, epichirema per communia et probabilia. Differt porro ab enthymemate, quemadmodum demonstratio a syllogismo, quia scilicet demonstratio et epichirema proprie ad materiam referuntur, syllogismus et enthymema ad formam. *Quint.* 5, 10. *Ἀπόδειξις* est evidens probatio. Hanc et ab epichiremate differre Caecilius putat solo genere conclusionis: et esse apodixim imperfectam, epichirema: eadem causa, qua diximus et enthymema a syllogismo distare. Al. leg perperam *esse apodixim, imperfectum epichirema.* Hinc apparet, cur rhetores argumentationes suas enthymemata, et epichiremata vocent. Utroque enim nomine significatur argumentatio conclusionis non necessariae, sed primum refertur ad formam, secundum ad materiam. Ceterum et alterum pro altero, et utrumque varia significatione ab iis adhibetur, ut est apud *eund. ib.* 14. Celeberrima est illa, qua epichirema sumitur pro tota aliqua argumentatione, pluribus membris, eorumque probationibus conflata: unde est fortasse ratio nominis. V. *ib.* 2. ℙ Scribitur et *epicheremа.* *V. *Maium* ad *Comment. Ant.* (forte *Ascon. Pedian.*) *in Cic. pro Plancio orat. fr.* p. 115. ed. *Mediol. B. A.*

ĒPICHYSIS, is, f. *ἐπίχυσις*, Graece est infusio, ab *ἐπιχύω*, infundo. Significat etiam genus poculi, quod *Varr. L. L.* 4, 26. docet successisse una cum cyatho in conviviis e Graecia in locum simpuli. Videtur autem esse poculum, ex quo minutatim vinum sumitur, quia simpulum quoque tale fuit. *Pl. Rud.* 5, 2, 32. Sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.

ĒPICITHĂRISMĂ, ătis, n. *ἐπικιθάρισμα*, symphonia quae post fabulam canitur. *Tertull. adv. Valent.* 33. Producam denique, veluti epicitharisma post fabulam tantam, etiam illa, quae ne ordini obstreperent, hunc malui in locum distulisse.

[*EPICLERUS, i. Sic fabula Menandri inscripta erat. *Cic. Am.* 26. *Quint. Inst.* 10, 1, 70.]

ĒPICLINTAE, arum, f. plur. *ἐπικλινταὶ*, ab *ἐπικλίνω*, incumbo, Graece appellantur terrae motus obliquis lateribus proxima quaeque jactantes, et acutis angulis mobiles. *Appul. de Mundo* p. 65, 23. V. CLIMATIAE.

[ĒPICNĒMĪDII, orum, m. plur. *Ἐπικνημίδιοι*, Graeciae populi ita appellati, teste *Strab. l.* 9., a monte Cnemide. *Plin.* 4, 7, 12. Locri deinde, Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati, per quos amnis Cephissus defertur in mare. *F.*]

ĒPĪCOENUS, a, um, adj. *ἐπίκοινος*: ab *ἐπὶ*, super, et *κοινὸς*, communis. Epicoena dicuntur a grammaticis ea nomina (Latine *promiscua*) in quibus sexus uterque per alterum apparet, hoc est per aliam vocem, quae illis adjungitur, ut cum dicimus *passer femina, lepus mas. Quint.* 1, 4, 23. et 6, 12. Lepus epicoenum est, lupus masculinum. ℙ Differunt a communibus, quia communia duos habent articulos, ut *hic, et haec sacerdos:* epicoena unum tantum. Neque enim dicimus *haec passer, haec lepus. Cledon. in Art. p.* 1862.

ĒPĪCOPUS, a, um, adj. *ἐπίκωπος*, remis instructus: ab *ἐπὶ*, in, et *κώπη*, remus. *Cic. Att.* 14, 16. Quinto Non. conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi litteras. Alii minus recte leg. *episcopum.*

*EPICRĀNE, es, f. (Dorice pro *Ἐπικρήνη*), fons Boeotiae. *Plin.* 4, 7. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* cum aliis *Epigranea.* Adde *Mart. Capell.* 6. *med. (de tertio situ orbis)* p. 139. ubi ed. *Vulcan.* habet *Epicrene. B. A.*

ĒPICRĀTES, is, m. *Ἐπικράτης*, nomen proprium rhetoris, vel philosophi Atheniensis, cujus meminit *Cic. fil. Fam.* 16, 21. ℙ Graece sonat *omnia tenens*, [*quo sensu scribendum *ἐπικρατής*.] ab *ἐπικρατέω*, praevaleo, imperium obtineo. Quare hoc nomine Pompejum designare videtur *Cic.* scribens ad *Att. ep.* 2, 3. Epicratem suspicor, ut scribis, lascivum fuisse.

ĒPICRŌCUM, i, n. genus amiculi, croco tinctum, tenue, et perlucidum, ut *Festus* describit: ab *ἐπὶ*, et *κρόκος*, crocus. *Naev.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *post med.* Diabathra in pedibus habebat, et erat amictus epicroco. *Varr.* ipse ap. *Non.* 4, 227. Utrumque mulieres, et epicrocum viri quoque habitarunt, *h. e.* epicroco usi sunt. ℙ Adjective et translate. *Pl. Pers.* 1, 3, 15. Nisi cremore crasso est jus collyricum, nihil est macrum illud, epicrocum, pellucidum, *h. e.* tenue, ac liquidum jus instar epicroci amiculi.

[ĒPICTĒSIS, ēsĭdis, *vel* ēsis, f. *ἐπίκτησις*, acquisitio. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 145. *n.* XX. Fariae Epictesidi Epictetus *pater.* Alia ap. *Grut.* 598, 6. Junia Epictesis Aureliae Epictesi. *F.*]

[ĒPICTĒTUS, i, m. *Ἐπίκτητος*, (*ἐπίκτητος*, acquisitus, nomen verbale ab *ἐπικτάομαι*, acquiro) philosophus Stoicus, Hierapoli Phrygiae natus, floruit imperantibus Trajano, et Hadriano. Primum Epaphroditi, Neronis liberti, servus fuit, deinde ab eodem manumissus Romae vixit vir probus, et ab omni fastu et arrogantia alienus. Postea Domitiani edicto cum aliis philosophis Roma, et ex Italia pulsus Nicopolin Epiri discessit, ubi summa viguit auctoritate, et discipulorum frequentia. Ex illius dogmatibus et disputationibus ab Arriano collecta sunt, et in brevem commentarium redacta praecipua doctrinae Stoicae recentioris capita in libello, qui *Enchiridii* nomine adhuc exstat. Is obiit circiter an. a Chr. n. 117. Illius meminit *Gell.* 1, 2., 2, 18., 17, 19. et 19, 1. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 536, 1. T. Flavii Epicteti funeri acerbissimo T. Flavius Natalis, et Flavia Epictesis parentes. *F.*]

ĒPĪCUREUS et Epicureius, a, um, adj. *Ἐπικούρειος*, ad Epicurum pertinens, ut Epicurei philosophi, Epicuri sectatores, et doloris medicamenta Epicurea, ap. *Cic. Tusc.* 3, 21. et *Fin.* 2, 7. ℙ Vulgo Epicurei male audiunt, ut voluptatibus unice dediti. *Sidon. carm.* 15, 125. Ast Epicureos eliminat undique virtus. V. *Sen. Ben.* 4, 2. et 13. ℙ Abjecta diphthongi praepositiva in paenultima more Graecorum, potest ea corripi. *Auct. Priap.* 12. Ut credas Epicurios citari. Al. melius leg. *Epicuron oscitari.*

ĒPĪCŪRUS, i, m. 2. *Ἐπίκουρος*, Atheniensis, filius Neoclis et Chaerestratae, natus in pago, seu oppido Gargetto prope Athenas, quod ad tribum Aegeidem pertinebat, (unde et *Gargettius* dictus est) in Samo insula educatus dicitur: unde Athenas reversus decimo octavo aetatis anno, primo grammaticam docuit: lectis deinde Democriti, atque Aristippi libris, ad philosophiam adjecit animum, novamque in ea sectam instituit, novis inductis, vel probatis sententiis, praesertim de natura Deorum, de summo bono, et fine hominis, de animorum mortalitate, etc. Maximus fuit voluptatis patronus, ejus quidem, ut aliis videtur, quae sensibus corporis percipitur, ut aliis vero, quae animo sine dolore: quare illi dissolutum hominem fuisse tradunt, et delicias undique conquirentem: hi castum, honestum, temperatum, et frugi. V. *Cic. Tusc.* 3, 20. et *Sen. Vit. beat.* 13. Sive igitur ipse luxu vivendi, et pravis doctrinis; sive ejus discipuli, qui multi et celebres fuere, scripta magistri prave interpretantes, et voluptuosi, effecere, ut Epicuri schola hodieque male audiat. Multa de eo *Cic. l. c.* et alibi, *Lact.* 3, 17., item *Seneca* passim, et quidem saepe cum laude: v. gr. *l. c.* In ea quidem ipse sententia sum (invitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum, et recta praecipere, et, si propius accesseris, tristia. Voluptas enim illa ad parvum et exile revocatur: et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturae, etc. Maxime vero eum *Lucr.* suspexit, qui haec de eo cecinit 3, 1056. Ipse Epicurus obit decurso lumine vitae, qui genus humanum ingenio superavit, et omnes Praestrinxit, stellas exortus uti aetherius sol. ℙ Dicitur valde hortorum cultu delectatus, ut qui olerum victu contentus fuerit. Cujus rei meminere *Juven.* 13, 122. et 14, 319., *Prop.* 3, 20, 26. et *Stat. Silv.* 1, 3, 94.

ĒPĪCUS, a, um, adj. qui est carminis heroici: ab *ἔπος*, carmen: et proprie hexametrum, seu heroicum: ut *poeta epicus*, qui versibus heroicis scribit, *poema epicum*, quod heroicis carminibus contextum est. *Cic. Opt. gen. Or.* 1. Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur. [**Id. ib.* Epicum poema. *Quint. Inst.* 10, 1, 62. Epicum carmen.]

ĒPĪCYCLUS, i, m. *ἐπίκυκλος*, circulus parvus apud astronomos, qui deferendi infixus, motu illius circumagitur, et impactum sibi planetae corpus peculiari suo motu circa proprium centrum circumducit. Graece sonat circulum supra circulum vel in circulo: ab *ἐπὶ*, *in*, aut *super*, et *κύκλος*, circulus. *Capell.* 8. p. 297. Mercurii, et Veneris circulos epicyclos esse.

ĒPĪDAETIA Venus, ab *ἐπιδαιτέομαι*, epulor, quasi praeses convivii, vel convivio superveniens dicta est. Alexis, et Meliboea mutuo se amore cum diligerent, fidemque invicem matrimonii jurejurando dedissent, parentes puellae eam alteri desponderunt. Amissae itaque sponsae impatiens Alexis, sponte exsulatum abiit: illa ne alteri nuberet, ipso nuptiarum die se de tecto praecipitavit: quo casu nil laesa, celeri fuga relicta domo, ad litus pervenit, ubi nacta naviculam, conscendit, solutisque sua sponte ancoris, voluntate Deorum delata est eodem loci, ubi Alexis morabatur, eique forte convivium cum sodalibus agenti insperato supervenit. Ille voto potitus, Veneri templum constituit, quam, quod ancorae sponte solutae erant, *automatam;* quod vero sponsa epulanti supervenerat, *epidaetiam*, vel *epidaeti*, quasi *ἐπὶ δαιτὶ* cognominavit. Haec *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 720.

ĒPĪDAMNĪENSIS, e, adj. Epidamnius. *Pl. Men* 5, 7, 11. Epidamnienses subvenite cives.

ĒPĪDAMNĪUS, a, um, adj. qui ex Epidamno est, ut Epidamnia natio, *Pl. Men.* 2, 1, 33. Est autem Epidamnium, nunc *Durazzo*, *Ἐπίδαμνος*, urbs Macedoniae in Albania, in ora occidentali maris Ionii. Dicta est ab Epidamno rege conditore, et Dyrrhachium a Dyrrhacho ejus nepote ex filia, qui portum urbi adjecit. Porro a Romanis altero hoc nomine vocabatur, ad evitandum malum omen, quia, velut in damnum ituris, omen id visum est (a Graeco *ἐπὶ*, *in*, et *damnum*), ut ait *Mela* 2, 3. *ad f.* Adde *Plin.* 3, 23, 26. Hinc *Pl.* joculariter *Men.* 2, 1, 42. Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.

[ĒPĪDAPHNAEUS, a, um, adj. ad Antiochiam pertinens, Syriae urbem, quae, teste *Plin.* 5, 20, 18., Epidaphnes (*h. e. ἐπὶ Δάφνης, scil.* prope Daphnen. V. DAPHNENSIS) cognominata est, et Oronte amne dividitur. *Licent. carm. ad August.* 66. vasti deserta cacumina Cassi, Queis Epidaphnaeas aequat sibi Cassia rupes, *h. e.* regio Cassia, seu Casia, ubi mons Casius. V. CASIUS Mons. *F.*]

*EPIDARUM, i, n. oppidum Cypri insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ĒPĪDAURĒUS, a, um, adj. *Ἐπιδαύρειος*, ad Epidaurum pertinens. *Avien. Arat.* 207. Ture Epidaureae fumant altaria sedis.

ĒPĪDAURĪTĀNUS et Epitauritanus, a, um, adj. ad Epidaurum pertinens, Dalmatiae urbem. V. EPIDAURIUS. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 455. P. Vibii Maximi Epitaur*itani* Eq. R. ℙ *Epidauritani, orum*, sunt incolae illius urbis, *Hieron. Vit. Hilarion. n.* 40. ℙ Hi et *Asclepitani* sunt appellati, quia Asclepium, sive Aesculapium praecipue venerabantur. *Liv.* 45, 26. Scodrensibus, et Dassarensibus, et Asclepitanis, ceterisque Illyriis vectigal dimidium ejus, quod regi (Gentio) pendissent. Pleraeque editiones perperam habent *Selepitanis*, aliae *Sclepitanis. Inscr.* ap. *Appendinium*, *Not. Stor. di Ragusa T.* 1. p. 29. M. Tuscennio M. F. Rogato veterano bene*ficiario* praefecti alae Dalmata*rum* colo*niae* Asclepit*anae* Epidaur*itanorum*, militavit an. XXVIII. vix*it* ann. LIII. M. IX. D. XVI., M. Justejus P. F. Ceraun*us* domo Rizin*io* contubernali bene merenti ponendum *curavit*, et *sibi posterisque suis.*

ĒPĪDAURĪUS, a, um, adj. posses. ab Epidauro urbe, idem ac Epidaureus, nam *Ἐπιδαύρειος*, extrita praepositiva diphthongi, fit *Ἐπιδαύριος*, *Lat.* Epidaurius. *Stat. Th.* 4, 123. Et qui rura domant Epidauria. *Ov. Pont.* 1, 3, 21. Afferat ipse licet cunctas Epidaurius herbas, *h. e.* Aesculapius, qui Epidauri colebatur. *Hor. Sat.* 1, 3, 27. tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, *h. e.* draco: dicuntur autem dracones esse oculatissimi, unde et nomen habent, nam *δέρκειν* est videre. Addit autem *Epidaurius*, quia circa Epidaurum frequentes dracones erant: et Aesculapium sub forma draconis Epidauro Romam advectum fuisse, fabulose narrat *Epitome Liv.* 11. et *Ov. Met.* 15, 626. et seq. V. AESCULAPIUS. ℙ Porro Epidaurus, vel Epidaurum, *Ἐπίδαυρος*, de quo hic sermo, urbs est Peloponnesi, quae nunc *Pidavra*, in ora orientali, ad sinum Saronicum, ubi celebre templum Aesculapii fuit. *Plin.* 4, 5, 9., *Liv.* 45, 28. *Virg. G.* 3, 44. domitrixque Epidaurus equorum. ℙ *Epidaurus Limera* fuit alia urbs Peloponnesi in Laconia, quae nunc *Malvasia vecchia. Plin.* 4, 5, 9. ℙ Alia fuit urbs *Epidaurus* in Dalmatia, ubi nunc *Ragusa vecchia*, de qua *Plin.* 3, 22, 26. A Narone amne C. mill. pass. abest Epidaurum colonia. *Lucan.* 2, 624. Illyris Ionias vergens Epidaurus in undas. Alii leg. *Epidamnus.* Adde *Hirt. B. Alex.* 44.

[ĒPĪDECTUS, i, m. *ἐπιδεκτὸς*, exceptus: ab *ἐπιδέχομαι*, excipio. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 8. M. Antonius Epidectus. *F.*]

ĒPĬDĒMĔTĬCĂ, orum, n. plur. ἐπιδημητικά, de quibus est *titulus* 41. *l.* 12. *Cod. Just.*, sunt domus in urbe aliqua, vel earum domuum partes destinatae pro hospitio militum aliunde advenientium: ab ἐπιδημέω, ad urbem advenio. Alii intelligunt pretia, quae extorquebantur e militibus, vel potius ultro solvebantur ab incolis, ut ab onere praebendi hospitium essent immunes. [*nobis *Quartiergelder.*]

*EPIDEMETĬCI, de quibus est *tit.* 41. *l.* 12. *Cod. Just.* sunt Hospitiorum metatores in urbe, *h. e.* qui in valvis januarum faciunt inscriptiones, quibus significatur, quis in ea domo sit hospitaturus. Ἐπιδημέω idem valet, quod *ad civitatem in rem praesentem venio.* Vulgus *forrerios* vocat. Haec *Alciat.* in tres post *l. Cod.* Cf. *Coel.* 7, 14. Aliter *Jac. Gothofr.* ad *tit. Cod. Theod.* (7, 8.) qui *epidemetica* hoc loco intelligit. V. *Epidemetica. B. A.*

ĒPĬDĒMUS, i, adj. ἐπίδημος, versans in populo: ab ἐπὶ, in, et δῆμος, populus. *Ammian.* 19, 4. Prima species luis pandemus vocatur (πάνδημος, *ad universum populum pertinens*), quae efficit, in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: secunda epidemus, quae tempore ingruens, acies hebetat luminum, et concitat periculosos humores: tertia loemodes (λοιμώδης, pestilens: a λοιμὸς, pestis), quae itidem temporaria est, sed volucri velocitate letabilis.

[ĒPĬDERMIS, ĭdis, f. ἐπιδερμὶς, cuticula sensu destituta, et veram hominum, et animalium cutem tegens. Translate. *Veg. Vet.* 2, 61. Sed commodius est pulmunculum decussatim ferro secare, et eximere, ita ut pellem admodum praecidas, ne, cum cicatricem duxerit, inveniatur epidermis, *h. e.* obducta ulceri crusta, ut vocat *Cels.* 5, 9., quam Graeci dicunt ἐφελκίδα. *F.*]

[ĒPĬDEXĬUS, ii, m. ἐπιδέξιος, qui est ad texteram. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1391, 1. Pomponius Epidexius. *F.*]

ĒPĬDĬCAZOMĒNOS, ἐπιδικαζόμενος, is de quo in judicio contenditur. Erat apud Graecos ejus comoediae titulus, quam *Ter.* Latine *Phormionem* inscripsit, ut habetur in ejus prologo *v.* 26. Est ab ἐπιδικάζω, adjudico.

ĒPĬDĬCTĬCUS, a, um, adj. ἐπιδεικτικὸς, demonstrativus, ab ἐπιδείκνυμι, ostendo. Eloquentia epidictica, seu genus dicendi epidicticum est, quod versatur circa laudationes, vituperationes, suasiones, seu praeceptiones, scriptiones, seu historias, et alia omnia praeter quaestiones judiciales, et deliberativas. Dicta est a demonstrando, seu probando. Nam cum tria orator debeat facere, docere, movere, et delectare; quemadmodum movere proprium est eloquentiae oratoriae, seu forensis, ita docere, et delectare proprium est eloquentiae epidicticae. Denominata vero est a docendo, quia docere magis praecipuum est, quam delectare. *Cic. in Or.* 11. et 61. sed Graece. Latine autem *ib.* 13. *ad f.* Dulce igitur orationis genus, et solutum, et effluens in illo epidictico genere, pompae, quam pugnae aptius, gymnasiis et palaestrae dicatum etc.

[ĒPĬDĬCUS, i, m. ἐπίδικος, contentiosus, qui adhuc est sub judice. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. *col.* 3. M. Annius M. L. Epidicus. *F.*]

ĒPĬDĬPNĬDES, um, f. ἐπιδειπνίδες, quae in extremo coena inferuntur: ab ἐπὶ, post, et δεῖπνον, coena. *Mart.* 11, 31. Has prima feret, alterave coena: Has coena tibi tertia reponet: Hinc seras epidipnidas parabit. ℙ In singulari num. *Petr. fragm. Trag.* 69. *Burm.* Epidipnis est allata, turdis, siligine, uvis passis, nucibusque fartis.

[ĒPĬDĬUS, ii, m. cui praenomen Cajus, ludum dicendi aperiens, rhetoricen docuit praeter ceteros M. Antonium, et Augustum, ut ait *Suet. Rhet.* 4. In cujus Commentariis arbores locutae reperiuntur, teste *Plin.* 17, 25, 38. ℙ *Epidium Nuncionum*, unde se ortum *C. Epidius* praedicabat, ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo post cum cornibus exstitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque Deorum habitum. *Suet. l. c. F.*]

ĒPĬDĬXIS, is, f. ἐπίδειξις, specimen, demonstratio, ostentatio: vox Graeca a δείκνυμι, ostendo, demonstro. Histriones artis suae specimen dantes *epidixi ludere* dicuntur in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 127, 4.

ĒPĬDRŌMUS, i, m. ἐπίδρομος, ab ἐπιδρομέω, discurro: funis est in imo et summo reti, quo per anulos discurrente ipsum rete aut contrahitur, aut expanditur. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. Vidimus plagas tantae tenuitatis, ut anulum hominis cum epidromis transirent, uno portante multitudinem qua saltus cingerentur. ℙ *Cato R. R.* 13. inter torcularii, et cellae oleariae instrumenta enumerat *epidromum*, quem alii intelligunt lorum, aut funem, quo lectus subtenditur (ut *ib.* 10. lectos loris subtentos); alii virgam ferream, per quam anuli velum sustinentes transmittuntur, a similitudine epidromi in reti; alii tignum transversum latum, per quod discurri possit ad varia munera olei faciendi. Sed magis probabilis est eorum sententia, qui putant hic *epidromum* esse lectum pensilem, quem Itali *branda* [*nos: *eine Hängematte.*] vocant.

[ĒPĬGAMUS, i, m. ἐπίγαμος, nubilis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 1077. *col.* 1. M. Cornelius Epigamus. *F.*]

[*EPIGENES, is. Graecus scriptor, Rhodi natus, qui de agri cultura, de astrologia scripsit. *Varr. R. R.* 1, 1, 8. *Col.* 1, 1, 9. *Sen. N. Q.* 7, 3.]

ĒPĬGĬA, ae, f. ἐπίγεια, humi repens, ab ἐπὶ, super, et γέα, terra: ita vocatur arundo quaedam. *Plin.* 16, 36, 66. Est et obliqua arundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens, suavissima in teneritate animalibus. Vocatur a quibusdam epigia. Alii perperam leg. *elegia. F.*]

ĒPĬGLOSSIS, ĭdis, f. ἐπιγλωσσὶς, membrana in modum operculi, qua asperae arteriae meatus obstruitur, dum cibum, potumve capimus, ne quid in eam incidat: ab ἐπὶ, et γλωσσὶς, rima seu foramen asperae arteriae. *Plin.* 11, 37, 66. Sub uva minor lingua, epiglossis appellata, nulli ova generantium. V. *Cic. N. D.* 2, 54., *Gell.* 17, 11. [*ubi vox Graece scripta est.] et *Macr. Sat.* 7, 15.

ĒPĬGONI, ἐπίγονοι, dicti sunt ii, quos susceperunt milites Alexandri M. ex Asiaticis feminis, *h. e.* postea nati: ab ἐπὶ, post, et γίγνομαι, nascor. *Just.* 12, 4. ℙ Eadem ratione Epigoni sunt appellati, qui secundum bellum Thebanum suscepere, nempe filii, posterique eorum, qui priore bello ad Thebas occubuerant. Coacto enim exercitu, ut parentum mortem ulciscerentur, duce Alcmaeone Thebas diruerunt. Hujus argumenti est tragoedia *Accii*, quae *Epigoni* inscribitur. [**Cic. Off.* 1, 31. Etiam aliorum poetarum. *Cic. Tusc.* 2, 25. de opt. gen. or. 6.] ℙ *Epigonus* est etiam secundis nuptiis natus. Est cogn. Rom. *Inscr.* apud *Maff. Mus. Ver.* 291, 8. P. Aimilius Epigonus. *Hygin. fab.* 71. *Cic. Off.* 1, 31. et *Tusc.* 2, 25. [*Et clarus apud Graecos sculptor. *Plin.* 19, 29. 24, 8.]

ĒPĬGRAMMA, ătis, n. ἐπίγραμμα, proprie dicitur inscriptio, elogium, seu titulus, qui donis inscribebatur, quae Diis sacrabant: ab ἐπὶ, super, et γράφω, scribo. *Nep. Paus.* 1. Cum ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, cujus haec erat sententia: *suo ductu Barbaros esse deletos.* Hinc notae illae, quae servis fugitivis inurebantur, *fugitivorum epigrammata* dicuntur a *Petr. Sat.* 103. Ap. *eund.* 115. Epigramma mortuo facere. [**Ulp. Dig.* 47, 10, 5, 10. Eadem poena tenetur is qui epigrammata, id est inscriptiones, aliudve quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit.] ℙ Quoniam autem hujusmodi tituli versibus plerumque constabant, hinc epigramma ponitur pro brevi aliquo poemate, [*V. de epigrammatis apud Graecos origine atque progressu disputantem *Fr. Jacobs.* in praef. ad Anthol. et ad del' epigr.] *Cic. Arch.* 10. Epigramma in eum fecit tantummodo alternis versibus longiusculis. [*Adde *Tusc.* 1, 34. in *Verr.* 2, 4, 57. ad *Att.* 1, 13.] ℙ In dativo, et ablat. plurali habet *epigrammmatis*, ut in EMBLEMA §. 4. dictum est. *Cic. Att.* 1, 16. *ad f.* Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus. In genitivo plurali *epigrammaton* Graeca positione, ἐπιγραμμάτων, dixit *Mart. ep. l.* 1. *ad lector.* et *epigr.* 1. et 118., at *epigrammatum* Latina *Suet. Aug.* 85.

ĒPĬGRAMMĂTĀRIUS, ii, m. qui epigrammata scribit. *Vopisc. Florian.* 3. Quidam epigrammatarius in eum ita lusit.

ĒPĬGRAMMĂTĬCUS, a, um, adj. ad epigramma pertinens. *Spartian. Ael. Ver.* 5. Martialis epigrammaticus poeta.

ĒPĬGRAMMĂTĬON, ii, n. ἐπιγραμμάτιον, breve epigramma. *Varr. L. L.* 6, 3. Pomponii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam.

ĒPĬGRAMMĬSTA, ae, m. idem ac epigrammatarius. *Sidon. ep.* 4, 1. Si quid heroicus arduum comicus lepidum, epigrammista lascivum condiderunt. Al. leg. *epigrammatista.*

[ĒPĬGRŌMA, ătis, n. tabula, in qua ab agrimensore descripti sunt limites et mensurae agrorum [*nobis: *das Flurbuch*] ab ἐπὶ, in, et γνώμα, instrumentum agrimensoris; hinc est etiam *gromaticus. Not. Tir.* p. 124. Commentarium, epitoma, epigroma. *F.*]

ĒPĬGRUS, gri, m. clavus ligneus, quo lignum ligno adhaeret, ut *Isid. Orig.* 19, 19 definit. *Pall.* 12, 7. *circa med.* Si poma decurrant, oleastri epigrum terebratae infige radici. *August. Civ. D.* 15, 27. Lignum ligno per subscudines, epigros, clavos, et gluten bituminis non potest adhaerere: *epigros* clavos ligneos, *clavos* ferreos intelligit. De clavis socco suppactis, sive ferreis, sive argenteis, aureisve, *Sen. Ben.* 2, 12. *extr.* Nisi in os senatoris ingessisset imperator epigros suos. [*Ad quem l. v. doctam *Gron.* animadv.] ℙ Volunt esse ab ἐπίχουρος, clavus ligneus, extrita diphthongo, et versa χ in γ. Alii melius ab ἐπίουρος. V. EPIURUS. ℙ Ceterum apud *Pall.* et *August.* plerique alii leg. *epiurus.* Apud *Sen.* quoque *epiuros* quidam mallent: alii leg. *pigros*, quos *Turneb. Adv.* 9, 30. ingeniose magis, quam vere, pedes ipsos imperatoris interpretatur.

ĒPĬLĒPSĬA, ae, f. ἐπιλεψία, morbus comitialis, et sonticus, quo totius corporis constitutio convellitur, homo crebro et subito concidit, ex ore spumae moventur, deinde interposito tempore ad se redit, et per se ipsum consurgit, ut *Cels.* 3, 23. describit: ab ἐπιλαμβάνω, occupo, invado, corripio. *Lampr. Elagab.* 20. Quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur.

[ĒPĬLEPTĬCUS, i, m. ἐπιληπτικὸς, qui epilepsia, seu morbo comitiali interdum corripitur. *Fragm. Jur. civ. antejustinian.* (ed. *A. Maio*) p. 38. Sive autem quis arthriticus, sive posicus (lege *sonticus*), sive epilepticus, sive orbus, et his similia, excusantur (a tutela). *F.*]

ĒPĬLĒUS, i, m. ἐπιλεῖος, genus accipitris, qui solus omni tempore apparet. *Plin.* 10, 8, 9. *ex lect. Hard.* Nam alii aliter.

ĒPĬLĪMMĂ, ătis, n. genus vilissimi unguenti. *Fest.* ubi al. leg. *epalimma*, ut sit ab ἐπαλείφω, ungo.

ĒPĬLŌGUS, i, m. ἐπίλογος, postrema pars orationis, qua congregantur et repetuntur ea, quae dicta sunt: Latine peroratio, cumulus, conclusio: ab ἐπιλέγω, insuper dico, dictis addo, repeto. [**Auct. ad Her.* 2, 30. Conclusiones, quae apud Graecos epilogi nominantur, tripartitae sunt.] *Cic. Brut.* 33. Exstat ejus peroratio, qui epilogus dicitur. *Id. Or.* 2, 69. Cum in epilogo misericordiam se movisse putaret. *Id. Planc.* 34. Ut miserabiliores epilogos possem dicere. *Id. Att.* 4, 15. Publius diserto epilogo criminans mentes judicum moverat.

[ĒPĬMĂCHUS, i, m. ἐπίμαχος, expugnabilis, et juxta *Hesych.* auxiliator in pugna. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Amaduttium Anecd. Litt.* T. 3. p. 473. *n.* 22. Flavius Aug. Lib. Epimachus. *F.*]

ĒPĬMĒDĬON, ii, n. ἐπιμήδιον, caulis est non magnus, hederae foliis denis, atque duodenis, nunquam florens, radice tenui, nigra, gravi odore: nascitur in humidis, et spissandi, refrigerandique vim habet. *Plin.* 27, 9, 53. ℙ Est quoque repagulum, quo scalarum latera muniuntur ad prohibendum ascendentium et descendentium lapsum, Itali dicunt *murello, sponda* [*Germani, *das Gelaender.*]: est ab ἐπιμήδομαι, contra struo aliquid prudenter. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 11. Graecinia Myrinna gradus, et epimedia *sua pecunia fecit.*

ĒPĬMĒLAS, ănos, f. ἐπιμέλας, *h. e.* nigricans (ab ἐπὶ, super, et μέλας, niger) fit, cum candidae gemmae superne nigricat colos, inquit *Plin.* 37, 10, 58.

ĒPĬMĒLES, is, m. ἐπιμελὴς, *h. e.* diligens, accuratus. Ita inscribitur liber primus *Apicii*, in quo diligenter condimentorum genera perscribuntur. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Tabula Vellej.* ap. *De-Lama col.* 2. *l.* 98. M. Petronio Epimele.

[ĒPĬMĒLĬA, ae, f. ἐπιμελεια, diligentia. Est nomen proprium ancillae, quae philologiae inservit apud *Capell.* 2. p. 37. Epimelia, et Agripnia delecta virgini (Philologiae) mancipia. *F.*]

ĒPĬMĒNĬDES, is, m. Ἐπιμενίδης, poeta Epicureus fuit, patria Cretensis, aetate Pythagorae, qui a patre Agisarcho in agrum ad custodiendum pecus missus in quodam antro obdormivit annos LVII., post somnum vates factus est. *Plin.* 7, 48, 49. et *ib.* 52, 53.

ĒPĬMĒNĬDĒUS et Epimenidius, a, um, adj. ἐπιμενίδειος, tertium genus bulborum scyllae, gratum in cibis, angustius folio, ac minus aspero. *Plin.* 19, 5, 30. et *Theophr. hist. plant.* 7, 11. *a med.*

ĒPĬMĒNĬUS, a, um, adj. menstruus, ἐπιμήνιος: ab ἐπὶ, in, et μὴν, mensis. *Juv.* 7, 119. siccus petasunculus, et vas Pelamidum, aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi, *h. e.* bulbi, quae sunt munera quot mensibus a mauris missa. Africa enim bulborum copia abundat. Al. leg. *epimenida* syncop. pro *epimenidia.*

ĒPĬMĒRISMUS, i, m. ἐπιμερισμὸς, h. e. repetita distributio, seu partitio: a μερίζω, distribuo, partior. Ita dicitur a *Capell.* 5. *s. f.* cum orator in media oratione, dubitans de memoria judicis, res summatim ac breviter rursus distribuit, ac repetit. [*V. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 126.]

ĒPĬMĒTHEUS, i, m. Ἐπιμηθεὺς, filius Iapeti et Climenes, pater Pyrrhae ex Pandora, frater Promethei. *Hyg. praef.* et *fab.* 142.

ĒPĬMĒTHĬS, ĭdis, f. Ἐπιμηθὶς, Pyrrha filia Epimethei. *Oc. Met.* 1, 390. Inde Promethides placidis Epimethida dictis Mulcet.

ĒPĬMĒTRUM, i, n. ἐπίμετρον, quod supra mensuram modumve datur alicui. *Imppp. Valent., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 12, 6, 15. [*Latini *cumulum* dicunt. V. hanc voc.]

[ĒPĬMĪLĬA, orum, n. plur. ἐπιμήλια, τὰ, munera, quibus aliquis demulcetur. Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 787, 3. Corneliae Epimiliae. Haec eadem mutila legitur ap. *Maff. Mus. Ver.* 155, 1., ubi cognomen *Epimiliae* non apparet. *F.*]

ĒPĬMŌNĒ, es, f. ἐπιμονὴ, h. e. perseverantia:

ab ἐπιμένω, persevero. Hoc nomine appellatur figura quaedam, qua ejusdem dictionis sine intervallo geminatio fit, cum impetu pronunciationis, ut *Virg. A.* 9, 428. Me, me; adsum qui feci; in me convertite ferrum. Et *ib.* 4, 660. Sic moriamur ait, sic sic juvat ire sub umbras. [*Cic. de Or.* 3, 52. vocat *commorationem in una re.*] ℙ Vox Graeca est, et Graece adhibenda. [**Ern. Lex. tech. Gr.* p. 126.]

ĒPĪNEPHRĪDĬUM, ii, n. ἐπινεφρίδιον, pinguedo in renibus. *Fulg. Myth.* 2, 5. Epinephridia formandis fetibus opponuntur. Al. leg. *epomphalia*, h. e. medicamenta, quae umbilico opponuntur: ab ὄμφαλος, umbilicus. [*Recte h. l. scribitur *epomphalia.* V. *Munck.* et *Staver.* p. 674.]

[ĒPĪNĪCE, es, f. et Ēpīnīcus, i, m. ἐπινίκη, et ἐπίνικος, victrix, et victor: ab ἐπὶ, et νίκη, victoria. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Donat.* 417, 18. Cassia Epinice. Alia ap. *Grut.* Epinicus Caesaris servus. Haec eadem tamen legitur ap. *Murat.* 934, 2., ubi pro *Epinicus* est *Elpinicus*, quod postremum minime probandum videtur. *F.*]

ĒPĪNĪCĬA, orum, n. plur. celebritates pro parta victoria, ut ignes nocturni, solemnes supplicationes, carmina etc.: ab ἐπὶ, in, super, et νίκη, victoria. *Suet. Ner.* 43. Sequenti die laetum inter laetos cantaturum epinicia.

[ĒPĪNOMEN, inis, n. idem ac agnomen: vox hybrida, ex ἐπὶ ad, super, et nomen, Italice *soprannome. Not. Tir.* p. 35. Nomen, epinomen. Perperam tamen hic legitur *ephinomen. F.*]

ĒPĪNYCTIS, ĭdis, f. ἐπινυκτίς, pessima pustula, fabae magnitudine, colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba. Circa eam vehemens inflatio est, indeque acer dolor oritur; et cum aperta est, reperitur intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis. Oritur in eminentibus partibus, et fere noctu, ut est ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. [*ubi Graece scribitur.] unde et nomen habet: ab ἐπὶ, in, et νὺξ, nox: vel quia noctu praecipue inquietat, ut *Plin.* 20, 6, 21. docet. *Id. ib.* 2, 6. Folia peponis cum melle epinyctidas sanat. ℙ Item ulcus alio nomine syce, in angulo oculi perpetuo humore manans. *Id. ib.* 6, 21.

ĒPĬPACTIS, idis, f. ἐπιπακτίς, frutex, quem alii helleborinen vocant, parvis foliis, quae pota contra venena, et jocinoris vitia prosunt. *Plin.* 13, 20, 35. et 27, 9, 52. ex *Dioscor.* 4, 109.

*EPIPEDONĪCUS, a, um, adj. qui est ἐν ἐπιπέδῳ, in loci superficie, ut *Terminus epipedonicus* ap. *Front. de Col.* ed. *Goes.* p. 112 et 133. *B. A.*

ĒPĬPETROS, i, f. ἐπίπετρος, herba quaedam nunquam florens. *Plin.* 21, 15, 52.

[ĒPIPHĂNENSIS, e, adj. ad Epiphaniam pertinens, Syriae urbem ad Orontem, ita appellatam ab Antiocho Epiphane, nam pervetustum ejus nomen fuit *Hemath*, hodiernum *Hamah.* In ejus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 312. ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. ℙ *Epiphanenses, ium* sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 5, 23, 19. Reliqua autem Syria habet Arethusios, Beroeenses, Epiphanenses. [*Ed. *Hard.* Epiphaneenses.] *F.*]

[*ĒPIPHĂNES, is, m. Ἐπιφανής (*h. e.* conspicuus, illustris, ab ἐπιφαίνομαι, appareo) cognomen aliquot Antiochorum, Syriae regum, praecipue illius, qui Antiochi Magni filius, Philopatoris frater, pater Eupatoris fuit. V. *Vaillant.* in *Numm. Antiochi* VI. et VIII. et *Spanhem. dissert.* 7. p. 425. et seqq., qui *dissert.* 8. p. 466. observat, Parthos quoque eo cognomine usos fuisse. ℙ Est etiam *Ptolemaeus Epiphanes*, quasi praesens Deus cognominatus, quintus Lagidarum Aegypti regum. *Strab. l.* 17. ℙ Alius rex *Epiphanes* memoratur *Tac. H.* 2, 25. filius Antiochi Commageni. *F.* et *B. A.*]

ĒPIPHĂNĬĂ, ae, f. Ἐπιφάνεια, apparitio, sive manifestatio, ab ἐπιφαίνομαι, appareo. Festum Christianorum quod incidit in diem VIII. Id. Januarii, quod eo die Christus stella indice Magis apparuerit: item quod in baptismo audita sit vox Dei Patris de Christo: Hic est Filius meus dilectus. *Isid. Orig.* 6, 18. ℙ Est etiam cogn. Rom. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 596, 7. Permissu Juliae Epiphaniae. ℙ [*Item nomen urbis in Cilicia. *Cic.* ad *Fam.* 15, 4, 13. et 17. *Plin.* 5, 27, 22. — Et alius urbis in Syria. *Plin.* 5, 23, 19.] *F.*]

ĒPIPHŌNĒMĂ, ătis, n. ἐπιφώνημα, figura sententiarum, qua summa acclamatio fit super aliqua re narrata, vel probata: ab ἐπιφωνέω, acclamo. *Quint.* 8, 5. Est enim epiphonema rei narratae, vel probatae summa acclamatio: (*Virg. A.* 1, 37.) *Tantae molis erat Romanam condere gentem.* [**Jul. Rufin. de fig. sent.* p. 217. qui ita explicat: Haec (sc. figura) sententia in fine expositae rei cum affectu enunciatur.]

ĒPIPHŌRĂ, ae, f. ἐπιφορά, humoris destillatio, et in aliquam corporis partem impetus: unde morbus et dolor: ab ἐπιφέρομαι, impetu feror, irruo. *Cic. Fam.* 16, 23. Balbus ad me scripsit tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit. *Plin.* 29, 6, 38. Incipientem epiphoram inungere. *Id.* 20, 12, 48. Epiphorae oculorum. Et 21, 19, 74. testium. Et 28, 14, 58. Ad omnes epiphoras ventris illini caseum suadent. Adde *Col.* 5, 17. *s. f.*

ℙ Est etiam figura rhetorica, cum nempe plurium sententiarum unum atque idem novissimum ponitur. *Rutil. Lup. de fig. sent.* etc. 1. [*p. 30. *Ruhnk.*] Nos primum impulit Philippus, deinde deseruit nos Philippus, novissime succenset idem Philippus. [*V. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 131.]

ĒPIPHŌRUS, i, m. ἐπίφορος, propensus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1431, 6. L. Aemilius Epiphorus. *F.*]

*ĒPIPLEXIS, is, f. ἐπίπληξις, objurgatio; figura rhetorica. *Jul. Rufin. de fig. sent.* p. 212. ed. *Ruhnk. B. A.*

[ĒPIPLŌCE, es, f. ἐπιπλοκή, implicatio. *Mar. Victor.* p. 2506. Nunc de metrorum connexionibus, quas epiplocas Graeci appellant, dicemus. Dicta autem epiploce, id est amplexio, a metricis, eo quod copulari metra metris diversa his adjectionibus, aut etiam translationibus videantur. [*Cfr. *Quint. Inst.* 7, 1. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 127.] *F.*]

[ĒPĬPŌDĬUS, ii, m. ἐπιπόδιος, pedes irretiens, laqueus, pedica: ab ἐπὶ, in, et ποῦς, ποδὸς, pes. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 761. M. Aurelius Epipodius. *F.*]

*ĒPĬPŌLAE, arum, Ἐπίπολαι, praeruptus locus, Syracusas contingens. *Liv.* 25, 24. Cf. *Thucyd.* 6. *Aelian. V. H.* 12, 44. *B. A.*

ĒPĪRENSIS, e, adj. Epiroticus. *Liv.* 8, 17. Samnites bellum Alexandri Epirensis in Lucanos traxit.

ĒPĪRHĒDĬUM, ii, n. vox hybrida, ex Graeco ἐπὶ, *in*, aut *super*, et Gallico *rheda:* qua tamen nec Graeci, nec Galli utuntur, inquit *Quint.* 1, 5. *s. f.* Romani suum ex alieno utroque fecerunt. Significat autem lorum, seu funem, et collare, quo equus ad rhedam alligatur. *Vet. Schol. Juv.* ad *Sat.* 8, 66. exponit ornamentum rhedae, aut plaustrum. *Juven. ib. de equis.* tritoque trahunt epirhedia collo Segnipedes, dignique molam versare Nepotis. [**Scheff. de re vehic.* 2, 32. cum aliis habet pro genere vehiculi.]

ĒPĪROTAE, arum, m. plur. Epiri incolae. *Liv.* 29, 12. et alibi passim. ℙ In singul. num. *Epirotes*, et *Epirota, ae*, Ἠπειώτης. *Plin.* 3, 11, 15. Alexander Epirotes. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 33. Pyrrhum Epirotam Italia expulit. ℙ Abjecta praepositiva diphthongi, secundam corripuit *Auson. Professor.* 15, 13.

ĒPĪRŌTĬCUS, a, um, adj. Ἠπειρωτικὸς, ad Epirum, vel Epirotas pertinens. *Varr. R. R.* 1, 17. *a med.* Epiroticae familiae. Et 2, 9. Epirotici canes. *Colum.* 6, 1. boves. *Cic. Fam.* 13, 18. *extr.* Quibuscumque officiis in Epiroticis, reliquisque rebus Atticum obstrinxeris. *Id. Att.* 12, 53. Nisi te Epiroticae litterae impedient, *h. e.* missae de negotiis, quae multa habebat Atticus in Epiro: unde Epiroticas ejus possessiones memorat *Nep.* in *ejus Vita* 14. ℙ Graeci *Epirotica mala* appellant, quae Latini *orbiculata*, quod in Epiro primum provenisse dicuntur. *Plin.* 15, 14, 15.

ĒPĪRUS et *Epiros*, i, f. Ἤπειρος, ἡ, regio Graeciae inter Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, et mare Ionium, contra Corcyram. *Plin.* 4, 1, 1. ℙ Ipsa vox Graece terram continentem significat. Quare ita primum a Corcyraeis proxima continens appellata est: inde nomen ab aliis quoque est usurpatum. Fuit optimarum equarum ferax. *Serv.* ad illud *G.* 1, 59. Eliadum palmas Epiros equarum. *Cic. Att.* 2, 4. *ad f.* Quominus Epirum ipsam possidere videamur. Adde *Plin. l. c.* [*In vulgatis *Justini* editionibus 26, 1. *Epirorum urbs* legitur, quod pro *Epirotarum urbs* positum esse volunt. Sed legendum est *Epiorum*, i. e. Eleorum. V. *Duebner* ad h. l.]

*EPIS, vetus oppidum, sed demolitum, Aethiopiae, sub Aegypto, contra Meroem urbem. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

ĒPISCĒNĬUM, ii, n. ἐπισκήνιον, et

ĒPISCĒNOS, i, f. ἐπίσκηνος, superior scenae pars, id quod supra scenam exstruitur, idest columnationis, sive contignationum ordines: ab ἐπὶ, super, et σκήνη, scena. *Vitr.* 7, 5. Praeterea supra eam *(scenam)* nihilominus episcenium, in quo tholi, pronai, semifastigia omnisque tecti varius picturis fuerat ornatus. Et 7, 5. [*Locus est 5, 7.] Si tertia episcenos futura erit etc.

[ĒPISCEPSIS, is, f. ἐπίσκηψις, inspectio. V. in CHORA. *F.*]

ĒPISCŌPĀLIS, e, adj. ad episcopum pertinens, ut Episcopale solium, *Prud. περὶ στεφ.* 33. Adde *Sidon. carm. ep.* 4, 11.

ĒPISCŌPĀLĬTER, adv. more episcopi. *August. Confess.* 5, 13.

ĒPISCŌPĀTUS, us, m. officium, vel dignitas episcopi. *Ammian.* 27, 3. Ad rapiendam episcopatus sedem ardentes. Al. leg. *Episcopalem sedem. Tertull. Baptism.* 17. Officium episcopatus.

ĒPISCŌPUS, a, um, adj. ἐπίσκοπος, Episcopus phaselus, *h. e.* exploratorius, ab ἐπισκοπέω, exploro, ap. *Cic. Att.* 14, 16. Alii aliter leg. V. EPICOPUS.

ĒPISCŌPUS, i, m. ἐπίσκοπος, inspector, praeses: ab ἐπὶ, super, et σκοπέω, video, dispicio. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. Item et episcopi, qui praesunt pani, et ceteris venalibus rebus, quae civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt, personalibus muneribus funguntur. *Inscr.* ap. *Mur.* 626, 1. C. Memmio Macrino agonothetae, episcopo Niciensium. *Cic.* quoque simili sensu utitur, sed Graece, *Att.* 7, 11. *sub f.* Vult enim me Pompejus esse, quem tota haec Campana, et maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, et summa negotii referatur. ℙ Sic etiam nominantur Christiani sacri antistites, seu pontifices, qui alicujus urbis ac territorii sacris praesunt. *Tertull., Augustin., Hieronym.* etc.

[ĒPISCYNĬUM, ii, n. ἐπισκύνιον, supercilium. Translate. *Tert. Pall.* 4. Jamdudum censoriae intentionis episcynio disperso, *h. e.* severitate omissa, deposito nempe supercilio nimis adstricto contractoque. *F.*]

*EPISIBRĬUM, i, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

ĒPISTĀTES, ae, m. ἐπιστάτης, praeses, praepositus alicui rei: ab ἐφίστημι, praefectus sum. *Cato R. R.* 56. Familiae cibaria qui opus facient, per hiemem tritici modios quatuor, per aestatem modios quatuor semis: villico, villicae, epistatae, opilioni modios tres. *Pontedera Op. posth. T.* 1. p. 277. Suspectam habet vocem *epistatae*, totumque locum, non improbante *Schneidero*, ita refingendum putat: villico, villicae modios per aestatem quatuor, per hiemem modios tres. Vides igitur illud *epistatae* pro alieno haberi. [**Aelian. Tact.* 5. Epistates decuriae.] ℙ In certaminibus athletarum epistatae erant, qui certantibus praeerant, et certaminum leges ferebant. Hinc translate *Tert. Mart.* 3. Epistates vester Christus Jesus, etc.

ĒPISTOLĂ, ae, f. ἐπιστολή, litterae, scriptum, quod ad absentes mittitur, alicujus rei significandae causa. Vox quidem Graeca tota est, sed usu Latina facta: ab ἐπὶ, ad, et στέλλω, mitto. Proprie significat ipsam chartam obsignatam, et alicui missam, seu, ut ajunt scholastici: *litterae* autem sensum ipsum, seu *formale* ipsius epistolae. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Venio nunc ad tuas litteras, quas pluribus epistolis accepi [*nos: *in mehreren Sendungen, Paketen.*] ℙ Ceterum alterum frequenter pro altero usurpatur. *Cic. ib.* 1, 1, 13. Illud quod est epistolae proprium, ut is ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, etc. *Id. Fam.* 2, 4. Epistolarum genera multa esse non ignoras, etc. Reliqua sunt genera duo: unum familiare et jocosum, alterum severum et grave. *Id. ib.* 9, 21. Quid simile habet epistola aut judicio, aut concioni? Et *ib.* Epistolas quotidianis verbis texere solemus. *Id. Att.* 6, 5. *extr.* Facere epistolam longiorem. [*facere ad aliquem. *Paul. Dig.* 40, 2, 22.] Et *ib.* 13, 26. efficere. Et *ib.* 15, 1. exarare. *Caes. B. G.* 5, 46. deferre ad aliquem. Et *ib.* intercipere. *Curt.* 3, 7. *ad f.* tradere alicui. Et 7, 2. accipere ab aliquo. *Nep. Paus.* 4. accipere ab aliquo ad aliquem. *Suet. Aug.* 50. signare. *Id. Caes.* 56. *extr.* ad aliquem mittere. *Cic. Att.* 12, 1. *a med.* complicare. Et *ib.* 15, 4. *a med.* solvere. Et *ib.* 10, 12. concerpere. *Nep. Paus.* 4. Epistolae vincula laxare. *Tac. H.* 3, 63. Epistolas componere. *Cic. Att.* 7, 13. *extr.* dictare. *Ter. Phorm.* 1, 2, 17. Pellicere aliquem per epistolas. *Cic. Att.* 1, 20. Cincius eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu ibid. Febr. dederas: ei epistolae litteris his respondebo. *Id. Att.* 6, 3. *post med.* Q. Cicero legit epistolam inscriptam patri suo. Et *ib.* 2, 12. O suaves epistolas tuas, uno tempore mihi datas, duas! Et *ib.* 11. Isti puero da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum. *Suet. Caes.* 56. Epistolae quoque ejus ad senatum exstant, quas primus videtur ad paginas, et formam memorialis libelli convertisse, cum antea Coss. et duces non nisi transversa charta scriptas mitterent. *Plin.* 7, 25, 25. C. Caesar solitus epistolas quaternas pariter librariis dictare. ℙ Quemadmodum *litterae* plur. num. epistolam significat; ita haec ipsa vox plur. num. interdum de unis litteris usurpatur. *Justin.* 1, 6. Lectis ille epistolis, etc. Et 11, 12. Scribit itaque et tertias epistolas. Adde 17, 2. et *Plin. ep.* 10, 5. et 15. ℙ Dicitur *ab epistolis alicujus*, qui conscribendis epistolis illi inservit. Habetur in Inscriptionib. multis ap. *Grut., Reines.* et *Manut.* in quibus plerumque legitur *epistula:* quam scribendi rationem (quae in Pandectis Florentin. dicitur esse perpetua) *Justus Fontan. de Antiquitatib. Hortae* 1, 8. contendit usurpatam fuisse etiam optimis Latinae linguae temporibus, quod plurimis allatis exemplis confirmat *Jo. Labusius* in *Bibliot. Ital. T.* 3. p. 428. Nihilominus et librorum consensus, et vocis origo ipsa, et usus alteram per *o* scriptionem tuentur: quam praeferunt etiam *Scalig., Lips., Manut., Dausqu., Cellar.*, etc. ℙ Dicitur etiam *magister epistolarum*, sub se habens alios, qui ab epistolis sint. *Spart. Hadrian.* 11. Suetonio Tranquillo, epistolarum magistro, successorem dedit. ℙ [*In *Digest.* epistolae saepe ita ponuntur, ut chirographorum et cautionum vicem obtineant. Vid. exempla ap. *Brisson.* de verb. signif. s. v. Etiam aliae

conventiones epistolis conficiuntur. Praecipue vero codicilli epistolarum nomine saepissime veniunt: cujus rei causa est haec, quod codicilli per modum epistolarum concipiebantur. Hinc *codicilli* et *epistolae* promiscue usurpantur. *Cic.* ad *Fam.* 6, 18. 4, 12. *Suet. Cal.* 55.] ℙ Imperatorum rescripta, et jussa, quod per epistolas plerumque edebantur, *epistolae* dicuntur. *Plin. ep.* 10, 66. et 71., *Frontin. aquaeduct.* 105. et saepe in libris *Digestor.* [*Confunduntur *Epistola* et epulae. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 26.]

ĒPISTŌLĀRIS, e, adj. ad epistolam pertinens, ut Epistolaris charta, *Martial.* 14, 11. in *lemmate.* [*nobis: *Briefpapier*, *Postpapier.*] *Augustin. ep. ad Marcell.* 5. Epistolare colloquium. ℙ Apud *Impp. Theod. et Valentin. Cod.* 7, 42, 32. *epistolares* sunt officiales conscribendis imperatorum epistolis, rescriptis, actisque sacri auditorii destinati. [*De quorum officio disseruit *Guther. de offic. domus Augustae* 2, 21. Adde *Tzschuk. in dissert. de Eutr.* p. IX.]

*EPISTOLĀRIUS, i, m. qui epistolam perfert. *Salvian. de Gubern.* 2. p. 174. *Rittersh.* Novi nuncii, novi epistolarii a summis sublimitatibus missi. *B. A.*

ĒPISTOLĬCUS, a, um, adj. epistolaris, ut Epistolicae quaestiones, *Gell.* 14, 7. et 8., ubi citat *Varronis* librum eo titulo. Item 7, 10. ubi eadem inscriptione librum *Catonis* appellat. Unde apparet ab illis quoque eam vocem fuisse usurpatam.

ĒPISTOLĬUM, ii, n. ἐπιστόλιον, parva epistola. *Catull.* 68, 2. Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium.

ĒPISTŌMĬUM, ii, n. ἐπιστόμιον, instrumentum aeneum, vel alterius materiae, in quo est vertibulum pertusum, quo, prout hoc, aut illo modo versatur, clauduntur, et aperiuntur ora salientium, ac fistularum: ab ἐπιστομίζω, os obstruo, quod ab ἐπὶ et στόμα, os. *Senec. ep.* 80. Nisi aquam argentea epistomia effuderunt. Adde *Vitr.* 9. *sub f.* et 10. 13., *Varr. R. R.* 3, 5. *sub f.*, et *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. *ad f.* Ubique autem alii male reponunt *epitonium*, et alicubi pessime *epitomium.*

[ĒPISTRĀTĒGIA, ae, f. ἐπιστρατηγία, jurisdictio supra strategos, seu praefectos provinciarum, seu nomorum Aegypti: ab ἐπὶ, super, et στρατηγία, praefectura. *Inscr.* ap. *Mur.* 686, 6. et 1096, 3. C. Camurio C. F. Lem. Clementi Praef. Fabr. IIII., Praef. I. D. Imper. Caesar. Trajani Aug., Proc. Aug. Epistrategiae septem Nomor. et Arsinoitae. *scil.* pro*curatori* Aug*ustali* Epistrategiae septem Nomor*um*, (h. e. Ἑπταυομίδος in media Aegypto), et Arsinoitae (*h. e.* nomi, qui *Arsinoites* appellatus est ab Arsinoe ejus urbe primaria ad lacum Moeridem. *F.*]

ĒPISTROPHĒ, es, f. ἐπιστροφή, figura est, cum in eadem verba plures desinunt sententiae. Latine conversio dicitur. Graeca vox, et Graece usurpanda: ab ἐπιστρέφω, converto. *Jul.* tamen *Rufin. de schem. lex.* §. 16. p. 238. *Ruhnk.* Latine usurpat. [*Cf. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 127.]

ĒPISTYLĬUM, ii, n. ἐπιστύλιον, trabs, quae summis columnis, superque earum capitulum transversa imponitur, et omnes tecti trabes sustinet: ab ἐπὶ super, et στύλη, columna: item in lapideis architecturis membrum illud supra capitulum, quod eam trabem refert. *Vitr.* 3, 5. *ad f.* Membra omnia, quae supra capitula columnarum sunt futura, idest epistylia, zophori, coronae, tympana etc. Adde *Varr. R. R.* 3, 5., *Plin.* 36, 14, 21. et *Festum.*

ĒPISYNĀLOEPHĒ, es, f. ἐπισυναλοιφή, figura eadem, quae synaeresis, cum duae vocales in unam contrahuntur, et quodammodo conglutinantur: ab ἐπὶ et συναλοίφω, commisceo, confundo. Graeca vox, et Graece adhibetur a *Charis.* 4, 249. et *Diomed.* 2, 437.

[ĒPĪTĀGĒ, es, f. ἐπιτάγη, praeceptio. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 936, 7. Claudia Epitage. *F.*]

ĒPĪTAPHĪŌLUM, i, n. breve epitaphium. *Epotafiolum* legitur in *Inscr.* ap. *Mur.* 162, 2. quod ipse perperam interpretatur *epitaphiolum*, cum legendum sit *cepotaphiolum*, quam vocem V. suo loco.

ĒPĪTAPHISTĂ, ae, m. epitaphiorum scriptor. *Sidon. ep.* 11, 9. *ad f.* Epitaphistarum neniae. [*Ubi orationem popularem dicit, qua mos sit Athenis laudari eos qui sint in proeliis interfecti.]

ĒPĪTAPHĬUM, ii, n. ἐπιτάφιον, inscriptio, quae sepulcris inciditur in laudem defunctorum: ab ἐπὶ, super, et τάφος, sepulcrum. *Auson.* in *praef. Epitaph.* vertit *titulos sepulcrales.* At *Cic. Tusc.* 5, 12. Quid vero in epitaphio? quomodo idem? etc. Designat hic *Cic.* opusculum *Platonis*, quod inscribitur *Μενέξενος*, ἢ ἐπιτάφιον, continens orationem in defunctos Athenienses, qui in bello pro patria vitam dederant: de qua loquitur et in *Or.* 44. [*Nisi casus rectus fuit *epitaphius*, sc. λόγος. Aliud est *epicedion*, cogitato μέλος.] ℙ Quomodo differat ab *epicedio*, V. in EPICEDION.

ĒPĪTĀSIS, is, f. ἐπίτασις, ab ἐπιτείνω, intentionem, et emphasim significat apud grammaticos. ℙ In comoediis dicitur illa pars turbulenta, et contentiosa ante catastrophen. *Donat. praef. Andr. Terent.* Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe paene tragica. *Id. de trag. et comoed.* Comoedia per quatuor partes dividitur, prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Adde *Not. Tir.* p. 124., ubi tamen mendose legitur *epytarsis.*

[ĒPĪTERPES, is, m. ἐπιτερπής, jucundus. Est nomen servile. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 309. *n.* 325. Epiterpes Caesaris (*servus.*) *F.*]

[ĒPĪTEUXIS, is, f. ἐπίτευξις, acquisitio. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 252. Vettia Epiteuxis. *F.*]

ĒPITHALĀMĬUM, ii, n. ἐπιθαλάμιον, carmen nuptiale; ab ἐπὶ, super, et θάλαμος, thalamus. Solebat autem cantari a puellis, sponsam in thalamum comitantibus. [*Cf. de variis epithalamiorum generibus *Interpp.* ad *Theocr. Id.* 18.] *Quint.* 9, 3. Catullus in Epithalamio: dum innupta manet, dum chara suis est. Sumit hoc *Quint.* ex *v.* 45. *carm.* 62. quod inscribitur *Carmen nuptiale. Trebell. Poll. Gallien.* 11. Hujus est illud epithalamium, quod inter centum poetas praecipuum fuit. Et *mox.* Cum omnes poetae Graeci, Latinique epithalamia dixissent.

ĒPITHĒCĂ, ae, f. ἐπιθήκη, additio, adjectio, ab ἐπιτίθημι, adjungo. *Pl. Trin.* 4, 3, 18. Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper.

ĒPITHĒMĂ, ătis, n. ἐπίθεμα, medicamentum, quod exterius imponitur: ab ἐπιτίθημι, impono. *Scrib. Comp.* 160. Epithemate uti oportet. Adde *Marc. Empir.* 20.

ĒPITHĒMĀTĬUM, ii, n. ἐπιθεμάτιον, parvum epithema. *Marc. Empir.* 20. *circa med.* et 27. *extr.*

ĒPITHĒRĀPEUSIS, is, f. ἐπιθεράπευσις, nomen rhetoricae exornationis, qua dictum aliquod atrocius non emendatur, leniturve, sed subjecta ratione confirmatur. Exemplum affert *Ascon. prooem. action. in Verr.* seu *Verr.* 1, 9. *ad f.* An me taciturnum tantis de rebus, etc. Graece possis ipsam vocem interpretari obsequium, quasi orator tam sit veritatis amans, ut in ejus obsequium invidiam ejus quem dicto laeserit, subire non dubitet.

*EPITHĒRAS (ἐπὶ θήρας s. ἐπὶ θήραις, *i. e.* ad venatum), ita cognominatum est Ptolemais oppidum, in terra Troglodytica, a Philadelpho conditum ad venatus elephantorum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*EPITHĒSIS, is, f. ἐπίθεσις, praeter vulgatas illas apud Graecos significationes, quibus pro Impositione sive aggressione sumitur, apud Jurisconsultos etiam usurpatur pro Inscriptione quadam apposita, in contumeliam fraudemve alicujus facta. *Ulp. l.* 5. *lex. Cornel. D. de injur. et famos. libel.* §. 10 Eadem poena ex Senatus consulto tenetur is, qui epithesin, aliudve quid, sive scripturam in aliorum notam produxerit. Sic *Haloand.* Sed *Gotofr.* ἐπιγράμματα. *B. A.*

ĒPITHĒTON, i, n. ἐπίθετον, adjectivum, appositum, vox alteri addita explicandi, designandi, atque illustrandi gratia. V. APPOSITUM. ℙ De epithetis Virgilianis multa *Macr. Sat.* 6, 5., ubi et vocem Latine usurpat. ℙ Ne audias *Servium*, qui ad *Virg. Ecl.* 3, 38., et ad *A.* 3, 70. vitiosum esse ait in Latinitate, si duo epitheta uni substantivo jungantur. Multa collegit *Broukhus. ad Tibull.* 3, 5, 22. [*Burm.* ad *Ov. Met.* 15, 230.] ex probatis auctoribus, qui nullum in ea re vitium agnoverunt.

[ĒPITHYMĒTĒ, es, f. ἐπιθυμητή, et

ĒPITHYMĒTUS, i, m. ἐπιθυμητός, desiderabilis. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 228. Acilia Epithymete. Alia ap. *eund. ib.* p. 229. T. Flavius Epithymetus. *F.*]

ĒPITHYMON, i, n. ἐπίθυμον, flos thymi. *Plin.* 26, 8, 35. Alvum purgat epithymon, qui est flos e thymo, saturejae simili. Adde *ib.* 11, 66. et 12, 81.

*EPITIMĬA, ae, f. ἐπιτιμία. *Modestin. in l.* 21. §. 2. *D. de tut. et curat.* Sed et si quis a parentibus prohibitus fuerit tutor esse; neque creari hunc oportet. Et si creatus sit, nec recusaverit; prohiberi eum esse tutorem, manente epitimia. ℙ Disputatur (ait *Gesnerus*) quid hoc nomine sibi velit *Modestinus.* Videbatur naturale, intelligi ignominiam ex parentum illa nota, certe diffidentia. Sed *Alciat. Parerg.* 2, 29. docet, accipi hic pro existimatione et fama. Voluit igitur filium quidem submoveri, sed tamen non ideo notari infamia aliqua, vel dedecore, quo suspecti remotique tutores afficiuntur. Non enim talis fuit mens parentum, ut filio suo vellent ullam notam inurere. Removebitur igitur *manente epitimia*, i. Illabefacta nominis honorisque sui fama. Et sane ἐπιτιμίας nomen ita interdum accipi, ut vult *Alciatus*, *Suidas* docuit. *B. A.*

ĒPITOGĬUM, ii, n. amictus, qui supra togam gestatur. Vox hybrida ex Graeco ἐπὶ, super, et Latino *toga.* Affert *Quint.* 1, 5. *ad f.* in exemplum vocis ex duabus Graeca, et Latina conflatae. In *Not. Tir.* p. 157. legitur *epitogum.*

[ĒPITŌLĬUM, ii, n. sella balnearis: etymon vocis ignotum est. *Not. Tir.* p. 158. Tritolium, epitolium. Et p. 184. Solium, epitolium. V. TRITOLIUM. *F.*]

ĒPITOMĀ, ae, f. V. EPITOME.

ĒPĪTOMĀ, ātis, n. V. vocem seq.

ĒPĪTOMĀTUS, a, um, part. ab *epitomo*, in epitomen redactus. *Veg. Mil.* 1, 8. *extr.* Nihil mihi auctoritatis assumo, sed horum, quos supra retuli, quae dispersa sunt, velut epitomata conscribo. *Januar. Nepot. in epist. ad Victor.* (habetur in *Biblioth. Latin. Fabric.* 2, 5.) et est proemium epitomes *Valerii Max.* Et cum integra fere in occulto sint, praeter nos duo, profecto nemo epitomata cognoscat. ℙ Ex duobus his locis alii *epitoma*, ātis, n. dictum fuisse conjecerunt.

ĒPĪTŌMĒ, es, *et positione Latina* Epitoma, ae, f. ἐπιτομή, fit cum pluribus resectis, id, quod fuse pluribus dicebatur, paucis complectimur, et brevius facimus, summa tantum capita persequentes: ab ἐπιτέμνω, amputo, abbrevio. *Cic. Att.* 12, 5. Conturbat me Bruti epitoma Fannianorum, *h. e.* historiae Fannii. Et *ib.* 13, 8. Epitomen Bruti Coelianorum velim mihi mittas. *Colum.* 1, 1. *circa med.* Diophanes totum Dionysium, per multa diffusum volumina, sex epitomis circumscripsit. *Auson. ep.* 19. *post v.* 10. Cogere aliquid in epitomen. *Id. prooem. ad perioch. Iliad.* In epitomae speciem, belli Troici causam, apparatusque retexere.

ĒPĪTŌMO, as, a. 1. in epitomen redigo. *Trebell. Poll.* XXX. *Tyrann. de Zenob.* 30. *ad f.* Historiae Alexandrinae ita perita, ut eam epitomasse dicatur.

ĒPĪTŌNĬUM, ii, n. ἐπιτόνιον, ab ἐπιτείνω, intendo, significat instrumentum, quo aliquid intenditur, quale est, quo in manubrio lyrae intenduntur fides, [*nos: *der Wirbel*]; aut lignum illud rotundum, quo in machinis involvuntur, atque intenduntur funes, et a similitudine etiam verticulum, cujus conversionibus aqua e fistulis emittitur, aut clauditur. Postrema hac significatione legi putatur apud *Varr.*, *Vitr.* et *Ulp.* locis citatis in EPISTOMIUM, [quod postremum unice probandum; nam a Graecis quidem scriptoribus ἐπιτόνιον saepe fuisse priori significatione usurpatum ostendit *Schneiderus* ad *Vitr.* 10, 13., a Latinis vero nunquam *epitonium. F.*]

ĒPĪTOXIS, ĭdis, f. ἐπιτοξίς, a *Vitr.* 10, 15. dicitur ea pars cava in catapulta, quae telum suscipit. ℙ A τόξον, quod arcum significat, derivatur.

ĒPITRĀPEZĬUS, a, um, adj. ἐπιτραπέζιος, ab ἐπὶ, super, et τράπεζα, mensa. *Hercules epitrapezius* inscribitur *Silv.* 6. *l.* 4. *Stat.* in qua describitur, et laudatur mensarium vas, quod profecto, ut Itali dicunt, *ad uso di dessert* inserviebat, opus Lysippi referens Herculem dextra poculum, sinistra clavam tenentem, substrata pelle leonis. Laudatur etiam a *Mart.* 9, 44. unde lux magna Statiano carmini accedit.

ĒPĪTRĪTUS, i, m. ἐπίτριτος. Numerus epitritus (qui a *Vitr.* 3, 1. *tertiarius* dicitur: alii autem leg. *adtertiarius*, ut Graecam vocem propius voluerit exprimere) est, qui habet totum aliquem numerum, et ejusdem partem tertiam, ut quatuor ad tres, duodecim ad novem, quadraginta ad triginta. Haec *Gell.* 18, 14. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. ℙ *Epitritus pes*, qui et *hippius* dicitur, constat quatuor syllabis, quarum una est brevis, longae reliquae: quae quidem brevis si priore loco sit, est epitritus primus, ut *sacerdotes:* si secundo, secundus, ut *innocentes:* si tertio, aut quarto, tertius, quartusque dicitur, ut *discordiae*, *consolamur.* Haec *Diomed.* 3, 477. [*Cf. *Herman. Elem. doctr. metr.* p. 647.]

ĒPITROCHASMUS, i, m. ἐπιτροχασμός, est figura, qua res magnas diversasque celeritate quadam percurrimus: a τρέχω, curro. Tale est illud *Caesaris* ap. *Suet.* 37. Veni, vidi, vici. Sed vox Graeca est, et Graece scribenda.

ĒPITROPĒ, es, f. ἐπιτροπή, vox Graeca, ab ἐπιτρέπω, committo, permitto, figura est, Latine *concessio*, qua orator alicui rei valde confidens, judici permittit, ut, quemadmodum sibi visum fuerit, de ea constituat. Item cum orator ficte permittit judici aliquid certo sciens non amplexurum. Item cum, re manifesta, permittit judici, ut quo nomine libuerit, appellet. Graece habet *Charis.* 4 *in f.* Latine *Jul. Rufin. de fig. sent.* [*Cf. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 130.]

ĒPITRŌPOS, i, m. ἐπίτροπος, procurator, villicus. Vox Graeca ab ἐπιτρέπω, curae alicujus trado. *Auson. ep.* 22, 1. Philon, meis qui villicatus praediis, Ut ipse vult, Epitropos. Nam gloriosum Graeculus nomen putat, Quod sermo fucat Doricus. ℙ *Epitropus*, i, est etiam cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 1151, 10. Ti. Claudio Epitropo.

*EPITUS, i, mons Macedoniae, in Pallene paeninsula. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

[ĒPĪTYCHES, is, m. ἐπιτυχής, voti compos. Est nomen libertinum Romanum. *Inscr.* ap. *Don.* 328, 5. Epityches Aug. L*ibertus.* *F.*]

[ĒPĪTYNCHĀNUS, i, m. assecutus, adeptus, ab

ἐπιτυγχάνω, assequor. Est cogn. Rom. *Inscr.* apud *Mur.* 1101, 4. L. Antonius Epitynchanus. *F.*]

ĒPĪTYRUM, i, n. ἐπίτυρον, genus edulii ex oleis conditis. *Cato R. R.* 119. Epityrum album, nigrum, variumque sic facito. Ex oleis albis, nigris, variisque nucleos ejicito. Sic condito. Concidito ipsas. Addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, foeniculum, rutam, mentam. In orculam condito. Oleum supra siet; ita utitor. *Colum.* 12, 47. paulo aliter hoc idem describit, additque hoc genus conditurae in civitatibus Graeciae plerumque usurpari: quod scribit etiam *Varro L. L.* 6, 5., ubi haec affert verba *Plauti* (*Mil.* 1, 1, 24.) Si unum epityrum edam apud illum esuriens insane bene. ℙ Videtur esse a πιτυρὶς, ἴδος, quod genus oleae est. Alii verius statuunt ita dici, quod ἐπὶ τυρὸν, post caseum, vel una cum caseo, mensae inferebatur.

*EPĪUM, i, n. Ἔπιον, Arcadiae oppidum. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

[ĒPĬUS, ii, m. ἤπιος, placidus, mitis. Est cogn. Romanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 251. *col.* 2. L. Marcius Epius. *F.*]

ĒPĪCRUS, i, m. ἐπίουρος, apud Graecos inspectorem, et custodem significat. Translate est paxillus, qui alicujus rei servandae, et sustentandae causa affigitur. *Pall.* 12, 7. de pruno. Oleastri epiurum infige radici. V. EPIGRUS. In *Gloss.* ἐπίουρος est sudes.

ĒPIZEUXIS, is, f. ἐπιζευξις, figura est, quae unam vocem sine intervallo repetit, cum vehementia affectus, et impetu pronunciationis: Latine *conduplicatio*, ut illud *Hor. Ep.* 6, 11. Cave, cave: namque in malos asperrimus Parata tollo cornua. Ab ἐπιζεύγνυμι, adjungo, conjungo. *Charis.* 4, 250. *Diomed.* 2, 440. et *Donat. Schemat.* p. 1774., sed omnes Graece. [*Cf. *Ernest. Lex. techn. Gr.* p. 123.]

ĒPIZYGIS, ĭdis, f. ἐπιζυγὶς, ab ἐπιζεύγνυμι, insuper innecto: apud *Vitr.* 10, 17. volunt esse ferreum axiculum, qui orificio modioli appositus, transversos nervos continet, dum in ipsa modioli versione torquentur, atque intenduntur. *Bald.* in *Lex. Vitr.*

ĒPODES, um, m. plur. pisces marini, lati generis, quorum nude meminere *Ov. Hal.* 127., et ex eo *Plin.* 32, 11, 54.

ĒPODOS, i, ἐπῳδὸς, ab ἐπὶ et ᾄδω, cano. *Diomed.* 3, 482. Epodi dicuntur versus quolibet modo scripti, et sequentes clausulas habentes particularum, quales sunt epodi Horatii, in quibus singulis versibus singulae clausulae adjiciuntur, ut (*Epod.* 15, 1.) *Nox erat, et coelo lucebat luna sereno;* deinde *Inter minora sidera;* et (*Epod.* 16, 1.) *Altera jam bellis teritur civilibus aetas;* deinde *Suis et ipsa Roma viribus ruit*, et quicumque sunt similes. Dicti autem epodi συνεχδοχικῶς a partibus versuum, quae legitimis, et integris versibus ἐπᾴδονται, idest accinuntur. Haec *Diomed.*, cui accedit *Terent. de metr.* p. 2422. Talis epodos erit: *Tibia docta, precor, tandem mihi dicere versus Desine Maenalios.* Hoc doctum Archilochum tradunt genuisse magistri: Tu mihi, Flacce, sat es. Aliter *Mar. Victor. Gramm.* l. p. 2501. Antiqui Deorum laudes carminibus comprehensas, circum aras eorum euntes, canebant: cujus primum ambitum, quem ingrediebantur ex parte dextra, στροφὴν, strophen vocabant; reversionem autem sinistrorsum factam, completo primo orbe, antistrophen appellabant. Dein in conspectu Deorum soliti consistere, cantici reliqua prosequebantur, appellantes id epodon. Nam epodos est tertia pars, aut periodus lyricae odes. Igitur quae post στροφὴν strophen, et ἀντιστροφὴν antistrophen, ἐπῳδὸν dicebant. Ἐπᾴδειν quidem est supercanere. Hinc sumptum vocabulum in has epodos, quae binos versus impares habent. Nam ut illae canticum finiebant, sic hae sensum versu insequenti. Hactenus *Victorin.* [*De epodis vid. *Herm. Elem. doctr. metr.* p. 670.] Verum haec, quod ad *Horat.* spectat, improbat *Scalig. Poet.* 1, 44. Ideo autem ait, *Epodon* inscribi librum *Horatii*, quia post quatuor odarum libros illum addidit, quasi *post odas*, ab ἐπὶ, post, et ᾠδὴ, ode. *Torrentius* vero rejecta *Scaligeri* sententia, quod constet multas priorum librorum, et omnes fere libri IV. odas post Epodon ab *Horatio* fuisse editas, opinatur, nomen habere ab incantationibus, quae in eo libro (*Od.* 5, 17. et 18.) describuntur. Nam ἐπῳδὸς Graece incantator dicitur, et ἐπαείδειν est etiam incantare. Alii putant, quod *Horat.* in prioribus libris Alcaeum et Sapphonem imitatus sit, in isto autem Archilochum, qui primus dicitur epodos invenisse. Dubium tamen est, *Horatius*ne, an alii titulum illum ei libro apposuerint. In eo quoque titulo lis est, utrum sit *epodon* ἐπῳδῶν genit., an *epodos* ἐπῳδός. *Victorinus l. c.* semel atque iterum effert feminino genere, *Ausonius* masculino *ep.* 16., ubi *paucos epodos* appellat carmen iambicum constans centum amplius iambis dimetris: cujusmodi sunt breviores versiculi in epodis Horatianis. ℙ [Quidquid tamen sit de sententia tum *Mar. Victorini*, tum *Scaligeri*, et *Torrentii*, cum certo constet, Archilochum iamborum inventorem ejusmodi quoque iamborum genus invenisse, quos ἐπῳδοὺς appellaret, teste *Plutarch. de music.*, quia in illis, ut *Diomed. l. c.* affirmat, versuum partes, *h. e.* versus breviores legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, *h. e.* accinuntur: *Hephaestion* vero *de metr.* 12. haec habeat: ἐπῳδοὶ δὲ καλούμενοι, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρεται; ipse tandem fateatur *Hor. ep.* 1, 19, 23. Parios ego primus iambos Ostendi Latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben: et ejus liber Epodon (h. e. ἐπῳδῶν) carmina contineat mordaciora, eoque metri genere exarata; nemo profecto eat infitias, *Horatium* ea carmina ita appellasse, quia Archilochi exemplar in iisdem secutus fuerit. *F.*] ℙ In recto casu sing. *epodos* habetur ap. *Quint.* 10, 1. Quamquam illi (iambo) epodos intervenire reperiatur.

ĒPOGDOUS Numerus, ἐπόγδοος, *h. e.* super octavus, est qui intra se habet minorem numerum, et insuper ejus octavam partem, ut novem ad octo, quia in novem et octo sunt, et insuper octava pars eorum, idest unum. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. *a med.*

ĒPOL. V. EDEPOL.

ĒPOLONOS dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. *Festus.*

[ĒPOMPHĀLIUM, ii, n. ἐπομφάλιον. V. EPINEPHRIDIUM. *F.*]

ĒPONĂ, ae, f. Dea asinorum, equorum, stabulorum, et mulionum praeses: ab ἐπὶ, super, et ὄνος, asinus: nam prius asinorum, quam equorum, usus fuit apud veteres. *Tertull. ad nation.* 1, 11. Sane vos totos asinos colitis, et cum sua Epona et omnia jumenta, et pecora, et bestias, quae perinde cum suis praesepibus consecratis. *Juven.* 8, 157. jurat Solam Eponam, et facies olida ad praesepia pictas. *Prud. Apoth.* 197. Nemo Cloacinae, aut Eponae super astra Deabus Dat solium, quamvis olidam persolvat acerram. *Appul. Met.* 3. p. 141, 3. Respicio pilae mediae, quae stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Eponae Deae simulacrum residens aediculae, quod accurate corollis roseis, et quidem recentibus, fuerat ornatum. Adde *Tertull. Apol.* 16., *Minuc. Fel. Octav.* 28. et tres *Inscr.* ap. *Grut.* 87, 4, 5. et 6., quarum postremam ita emendat *Jo. Frickius* in *Act. Soc. Lat. Jenensis T.* 5. p. 214. Campestribus (*Deabus*) et Eponae ala I. *singulariorum* Thracum, cui praeest Aelius Bassianus praefectus, V. S. L. M. ℙ Quare frustra sunt, qui *Hippona* ap. *Tertull.* et alios substituunt, quamvis *Plutarch.* in *Parallel.* haec habeat: Φούλβιος Στέλλα μισῶν γυναῖκας ἅπαν συνεμίσγετο, ἡ δὲ κατὰ χρόνον ἔτεκε κόρην σύμμορφον, καὶ ὠνόμασεν Ἵππωναν, ἐπὶ δὲ θεὸς προνοουν ποιουμένη ἵππων. [*Plurima h. l. addidit. *F.*]

*EPOPEUS, i, m. gubernator navis, de quo *Ov. Met.* 3, 619. *B. A.*

*EPOPOS, i, Ἐπωπεὺς *Straboni*, mons Pithecusae insulae, qui, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri aequatus est planitie. *Plin.* 2, 88. *B. A.*

ĒPOPS, opis, m. ἔποψ, upupa, avis in quam conversum fuisse Tereum Thraciae regem, fabulae narrant. *Virg. Cul.* 252. Orbus Epops moeret volucres evectus in auras. V. *Ov. Met.* 6, 671.

ĒPOPTĂ et Epoptes, ae, m. ἐπόπτης, inspector: ab ἐπὶ, in, et ὄπτομαι, video. Hinc *epoptae* in sacris Eleusiniis fuere, qui tertium supremumque sacrorum gradum attigissent, quique propterea ad interiora sacra admittebantur. *Tertull. adv. Valentin.* 1. Cum epoptas ante quinquennium instituant. *et mox.* Ceterum tota in adytis divinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguae, simulacrum membri virilis revelatur. Alii perperam leg. *Cum et portas*, et *suspiria portarum.*

ĒPOREDIAE, arum, m. appellantur a Gallis boni equorum domitores, *Plin.* 3, 17, 21. ℙ *Eporedia, ae*, f. Ἐπορεδία, urbs est in Salassis ad Duriam fluvium, nunc *Ivrea* in *Piemonte. Id. ib.* **Brut.* in *Cic. Fam.* 11, 20. *extr. Tac. H.* 1, 70. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*EPORENSIS, e, adj. ad Eporam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, nunc *Montoro. Inscr.* ap. *Grut.* 105, 11. Ordo municipii Eporensis. Alia apud *eund.* 499, 1. Respublica Eporensis. *B. A.*

ĒPOS, n. ἔπος, Graeca vox, qua significatur verbum, vox: ab ἔπω, dico. Item carmen heroicum: unde *epicus. Diomed.* 3. p. 480. Hoc sensu *Hor. Sat.* 1, 10, 43. forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit. *Martial*, 12, 95. Scribebamus epos: coepisti scribere: cessi. *Auson. Profess.* 5, 10. Epos ligasti metricum. ℙ In reliquis obliquis casibus Latine non est, quod sciam, in usu. ℙ [*Confunduntur *Epos* et *opus.* V. *Heins.* ad *Ov. Rem. Am.* 396.]

ĒPOTO, as, avi, atum, a. 1. potando exhaurio. *Sidon. ep.* 1, 5. *a med.* Etiam Romae naumachias videbar epotaturus. ℙ Translate. *Martial.* 2, 29. Quaeque Tyron toties epotavere lacernae, *h. e.* purpura Tyria tinctae fuerunt.

ĒPOTUS, a, um, adj. potando haustus, ἐκπεπωμένος: ab *e* et *potus. Cic. Cluent.* 60. Quem statim, epoto poculo, mortuum esse dixistis. [**ib.* 62. Venenum epotum in venas permanat.] *Phaedr.* 3, 1. Anus jacere vidit epotam amphoram. *Liv.* 8, 18. Epoto medicamento, suamet ipsae fraude interierunt. *Juven.* 10, 176. credimus, altos Defecisse amnes, epotaque flumina, Medo Prandente. *Mart. Spect.* 3. epoto Sarmata pastus equo, *h. e.* epoto sanguine equi. Unde *Virg. G.* 3, 463. Et lac concretum cum sanguine potat equino. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 4, 10, 28. de Charybdi. Ter licet epotum ter vomat illa fretum. Sic *Id. Met.* 15, 273. de Lyco fluvio. Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu, Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore. *Lucr.* 5, 384. cum sol et vapor omnis, Omnibus epotis humoribus exsuperarint, *h. e.* exhaustis.

*EPPONĪNA, ae, mulier Gallica, Julii Sabini uxor. *Tac. H.* 4, 67. *B. A.*

ĒPŬLAE, arum, f. plur. edulium, dapes, cibus, esca, βρῶμα, δαὶς. Volunt quidam ab *edendo* dici, quasi *edipulas. Plin.* 33, 1, 6. *a med.* Rapiendae comparantur epulae, pariterque qui rapiant eas. *Ov. Pont.* 1, 1, 31. et *Sall. Jug.* 79. Onerari epulis et vino. *Cic. Tusc.* 5, 21. Mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. *Ov. Met.* 8, 571. Epulis instruere mensas. *Virg. G.* 4, 378. onerare. *Id. A.* 1, 220. Epulis eximere famem. *Id. ib.* 4, 484. Epulas draconi dare. *Hor. Sat.* 2, 3, 118. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca. [*Hinc *vinum et epulae* conjunguntur. *Liv.* 8, 16, 10. Hostes vino epulisque sopiti. V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 18, 4.] ℙ Saepius dicuntur de lautiore coena, convivio, sive publico, sive privato, ἑνωχία [*Errat *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 706., dum dapes regum esse ait, epulas privatorum. V. *Ciof.* ad *Ov. Met.* 6, 488.] *Cic. Brut.* 19. Carmina cantitata in epulis a singulis convivis de clarorum virorum laudibus. *Id. Off.* 2, 16. Epulis et viscerationibus pecunias profundere. *Id. Flacc.* 38. Sepulcrum epulis celebrare. *Liv.* 25, 23. *a med.* Epulas vino largius celebrare. *Ov. Am.* 1, 4, 1. Adire epulas. *Cic. Leg.* 2, 25. inire. *Virg. A.* 1, 83. epulis accumbere Divum. *Hor. Od.* 4, 8, 30. interesse. *Curt.* 9, 7. Invitare ad epulas. *Virg. A.* 5, 63. Adhibere aliquem epulis. *Sall. Jug.* 70. et *Curt.* 3, 12. Inter epulas facere aliquid. *Liv.* 26, 13. et *Sen. Thyest.* 62. Epulas instruere et parare. *Caes. B. G.* 6, 27. Amplissimae epulae. ℙ Vitellius, narrante *Suet.* 13. epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et coenas, comissationesque. ℙ Translate. *Cic. Top.* 5. Avidum hominem ad has discendi epulas recepi. *Id. Div.* 1, 29. Animus saturatus bonarum cogitationum epulis. *Pl. Poen.* 5, 4, 2. Oculis epulas dare. ℙ *Festus* docet, antiquos *epulam* etiam singulariter posuisse. Sic et *delicia* pro *deliciae* olim dictum est. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *Maio*) 35. *extr.* Victor ad Darii epulam et acutorium subit. *B. A.* [*Confunduntur *Epulae* et *epistolae. Burm.* ad *Suet. Caes.* 26.]

ĒPŬLĀRIS, adj. ad epulas pertinens, θοινητικός. *Cic. Senect.* 13. Bene majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt. *Id. Or.* 3, 19. Ludorum epulare sacrificium facere, *h. e.* sacrificium cum epulo. *Suet. Dom.* 13. Epularis dies. *Appul. Met.* 2. p. 123, 11. sermo. ℙ *Epulares*, inquit *Festus*, appellabantur, qui in quibusdam ludis noctu epulabantur.

[ĒPŬLĀTĬCĬUS, a, um, adj. qui epulis dat operam. Ita *Gloss. Isid. F.*]

ĒPŬLĀTIO, onis, f. actus epulandi, epulum. *Cic. fragm.* ap. *Colum.* 12, 3. Vasa, quae ad mensam quotidianam, atque epulationem pertinerent. *Petr. Sat.* 141. Humanas edere carnes: nec quidquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantum, ne esurirent. *Inscr.* ap. *Mur.* 615, 4. Honesta epulatione universos prosecutus. *Suet Cal.* 18. Panaria cum obsonio viritim divisit: qua epulatione etc. Adde *Val. Max.* 2, 5. *n.* 4. *extern.* et horum antiquissimum *Lucil.* ap. *Non.* 3, 87.

ĒPŬLĀTUS. V. EPULOR.

ĒPŬLO, onis, m. δαιτυμὼν, qui epulum praebet, qui epulo praeest. Apud Romanos tresviri epulones erant, qui epulas indicendi Jovi ceterisque Diis potestatem habebant, ut *Fest.* docet in *Epolonos.* In ipsis enim templis mos erat, Diis majorum gentium Junoni, Minervae, Neptuno etc. tanquam epulaturis, mensas cibis instruere, et lectos sternere (unde *lectisternium*), eosque ad epulas solemni ritu invitare; idque placandae Deum irae, malique alicujus averruncandi causa fiebat. Eas epulas ipsi sibi postea sacerdotes et ministri vorabant. Initio ipsi pontifices ad haec curanda instituti a Numa fuere; sed propter sacrificiorum multitudinem, tresviros epulones esse voluerunt, ut *Cic.* docet *Or.* 3, 19., qui illud epulare sacrificium facerent: quod actum est, *Livio* teste 33, 42. circa annum U. C. DLVI., iisque, ut pontificibus, lege datum togae praetextae habendae jus. Procedente tempore septemviri facti sunt, ut cognoscimus ex *Gell.* 1, 12., *Lucan.* 1, 602. et *Plin. ep.* 2, 11. ℙ [Mercurius *Epulo* est cognominatus, quia conviviis praeerat: hinc *ministrator* etiam dicitur (V. hanc vocem §. 1.), et οἰνοχόος ab *Athenaeo*

10, 7. *Inscr.* ap. *Mur.* 49, 10. Sacrum Mercurio Epuloni Euphrosyno. V. hanc vocem. *F.*] ℙ In singulari num. *Ennius* ap. *Varr. L. L.* 5, 8. Vos epulo postquam spexit. *Liv.* 40, 42. P. Manlius triumvir epulo. ℙ Dicitur aliquando de ipsis convivis epulantibus. *Appul. Met.* 2. p. 123, 11. Sic paratus coenae me commito. Frequens ibi numerus epulonum etc. Adde *ib.* 10. p. 246, 36. Hinc *coepulonus* ap. *Plaut.* ℙ Item de voratore, et heluone, V. BIBO, onis.

ĒPULONUS, i, m. ut *coepulonus*, idem quod epulo, *h. e.* conviva. *Appul. Met.* 9. p. 235, 26. Inter epulonos caseum dividere. Al. melius leg. *epulones.*

ĒPŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐσθίω, εὐωχέομαι, epulas sumo, cibum capio, convivor. *Plin.* 11, 37, 66. Epiglossis arteriam in epulando operit, ne spiritus etc. *Senec. Thyest.* 1004. Epulatus ipse es impia gnatos dape. [*De structura vocis *epulari* cum ablativo v. *Munck.* ad *Lact. Narr. fab.* 1. p. 850.] *Cic. Tusc.* 1, 47. Epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse. *Id. Fin.* 2, 28. Negat contemptissimis escis minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. *Nep. Paus.* 3. Epulabatur more Persarum luxuriosius, quam etc. *Curt.* 8, 10. Ne epulantes quidem, et sopitos mero aggredi ausus est hostis. *Suet. Aug.* 35. Jus publice epulandi, *h. e.* sacras coenas adeundi augurales, pontificales, triumphales etc. *Liv.* 24, 7. *ad f.* Epulari in publico. *Cic. Att.* 5, 9. saliarem in modum. *Id. Sen.* 13. modice cum sodalibus. *Tac. H.* 3, 38. et *Vell.* 2, 101. ap. aliquem. ℙ [*Jungitur etiam cum accusativo. *Plin. h. n.* 8, 43. Pullos earum (asinarum) epulari Maecenas instituit. V. *Ruddim. Inst.* 11. p. 199.] ℙ Part. *Epulaturus* ap. *Val. Max.* 3, 6. *n.* 4. Quotiescumque C. Duilius epulaturus erat. *Epulandus* ap. *Ov. Met.* 15, 110. Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt, *h. e.* comedenda. *Senec. Troad.* 1108. gregibus membra Diomedes suis Epulanda posuit. ℙ Veteres dixere etiam *epulo*, *as*, si fides *Prisciano* 8. p. 797.

ĒPŪLUM, i, n. ἑσθίασις, θοίνη, convivium solemne et publicum religionis causa susceptum, ut ea, quae habebantur in dedicatione templi, in triumpho, in ludis placandae Deum irae, in funeribus etc. *Cic. Mur.* 36. Cum epulum Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo R. daret. *Id. Vatin.* 12. Ut in epulo cum toga pulla accumberes. Et *mox*.. Epulum funebre. Et 13. magnificentissimum. [*Nep. *Pel.* 2. Epulum magistratuum Thebanorum solemne.] *Liv.* 25, 2. *extr.* et 27, 36. Ludi plebeji per biduum instaurati, et Jovis epulum fuit ludorum causa. Et 39, 46. Ludi funebres per triduum facti: post ludos epulum, in quo cum toto foro strata triclinia essent etc. *Suet. Caes.* 38. Adjecit epulum, ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam duo prandia. *Tac. H.* 1, 76. Epulum plebi, ob laetitiam recentis imperii, obtulerat. *Vell.* 2, 56. Epuli per multos dies dati celebratio. *Plin. ep.* 4, 1. Diem dedicationis epulo celebrare. ℙ Dicitur et de quolibet convivio. *Suet. Aug.* 98. Ephebis exercentibus epulum in conspectu suo praebuit, permissa diripiendi licentia. *Juven.* 3, 228. culti villicus horti, Unde epulum possis centum dare Pythagoreis. [*Nep. *Dion.* 4. Vino epulisque obrui. i. e. ad luxuriem trahi. Cf. *Wopkens.* ad *Hyg. fab.* 176. p. 294.]

*EPYTĬDES, ae, m. sic dictus est Ascanii praeceptor. *Virg. A.* 5, 547. quem ad locum notat *Heynius*, Epytidem ex Homerico Periphante, Epyti filio (*Il.* P. 323. seq.), adumbrasse videri Virgilium. *B. A.*

*EPYTUS, i, m. Albae rex. *Ov. Fast.* 4, 44. Proximus est titulis Epytus, Alba, tuis. ubi *Burm.* legit *Epitus.* ℙ Alius est *Stat. Th.* 10, 400. (al. 394.) *Epytus* an *Aepytus*, unus comitum Amphionis. *B. A.*

EQ

ĔQUA, ae, f. ἵππος, et θῆλυς ἵππος, femina in equino genere. *Hor. Od.* 2, 16, 35. tibi tollit hinnitum Apta quadrigis equa. *Id. ib.* 3, 11, 9. latis equa trima campis Ludit exsultim, metuitque tangi. [*Ulp. *Dig.* 6, 1, 5, 2. Si equam meam equus tuus praegnantem fecerit, meum est quod natum est.] ℙ In dat. plurali (nisi discrimine opus sit ad ambiguitatem vitandam) habet *equis* magis Latine quam *equabus*, ut in ASINA dictum est. *Varr. R. R.* 2, 1. *a med.* Ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. *Colum.* 6, 37. Asinus a tenero conversatus equis, earum consuetudinem appetit. *Plin.* 11, 41, 96. Lac tenuissimum camelis, mox equis. Adde *Ulp. Dig.* 50, 13, 2. ℙ *Equabus* tamen dixit *Pallad.* etiam ubi nullus erat ambiguitatis metus, 4, 13. Admissarii generosi equabus admittendi sunt. Et *paulo post.* Eadem in equabus consideranda sunt etc. [*V. *Schneiders Formenlehre.* 1. p. 26.]

ĔQUĀRĬUS, a, um, adj. ad equos pertinens, ἱππικός. *Val. Max.* 9, 15. *n.* 2. Herophilus equarius medicus. [*Thierarzt.] ℙ *Equarius*, *ii*, est equorum pastor, custos. *Solin.* 45. de bucephalo. Cum ab equario suo alias etiam molliter sederetur. ℙ *Equaria*, *ae*, grex equorum. *Varr. R. R.* 2. *extr. prooem.* Pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, et in Reatino equarias.

ĔQUES, ĭtis, m. et f. ἱππεύς, homo equo insidens. *Plin.* 10. *in.* Struthiocameli Africi altitudinem equitis insidentis equo excedunt. [*Labeo. ap. *Javiolen.* in *Dig.* 9, 2, 57. Si equitis culpa factum esset, cum equite, non cum equi domino agi potest: ubi eques de eo dicitur, qui equum a domino commodavit.] *Mart.* 12, 14. Quid te frena juvant temeraria? saepius illis, Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem. [*V. *Duk.* ad *Liv.* 33, 26, 7.] ℙ Item ipse equus, cui homo insidet, uti quidem *Gell.* 18, 5., *Philargyr.*, *Serv.*, et *Macr. Sat.* 6, 9. censent *Virg. G.* 3, 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos. Adde *Mart.* 11, 21. et *Enn.* ap. *Gell.* et *Macr. l. c. Ennii* verba sunt: Denique vi magna quadrupes eques, atque elephanti Projiciunt sese. Ubi appositum *quadrupes* apertius ostendit, *equitem* de equo dici. Aliud simile fragmentum ex eod. *Enn.* affert *Non.* 2, 296. [V. tamen *Heynium* ad *Virg. l. c.*, qui contrariam sententiam tenet. *F.*] ℙ Saepissime miles, qui equo meretur. *Cic. Dejot.* 10. Cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus. Adde *Caes. Liv.* et historicos omnes passim. ℙ Per synecdochen dicitur de equitatu: quemadmodum *pedes* pro peditatu. *Liv.* 33, 7. *extr.* Is longe tum optimus eques in Graecia erat. *Auct. B. Hisp.* 15. Ita exiguo tempore eques pedestre, pedes equestre proelium facere coepit. *Curt.* 3, 2. Persarum erant centum millia, in queis eques triginta millia implebat. *Suet. Galb.* 2. Classiarios immisso equite disjecit. [*V. *Interpp.* ad *Liv.* 2, 20, 12. 7, 35 2. 8, 38, 6.] ℙ *Eques* dicitur etiam pro equestri ordine. *Suet. Aug.* 34. Abolitionem legis, publico spectaculo, pertinaciter postulante equite. Adde *eund. Cal.* 26. et *Mart.* 5, 8. ℙ Romulus trecentos equites, ex singulis curiis denos, *h. e.* tres centurias ad sui corporis custodiam elegit, qui primo *Celeres*, deinde *Flexumines*, postea *Trossuli*, denique communi nomine *Equites* sunt appellati. (*Plin.* 33, 2, 9.) Tullus vero Hostilius, tertius Romae rex, teste *Liv.* 1, 30., ex devictis Albanis, Romamque deductis, equitum decem turmas, *h. e.* alteros tercentos equites legit: deinde Tarquinius Priscus, quintus Romae rex, ut constat ex *Cic.* 2. de Rep. (ed. *A. Maio*) 20., et *Liv.* 1, 36., prioribus equitum partibus secundas addidit, numerumque eorum duplicavit, ita ut M. ac CC. equites in in tribus Ramnensium, Tatiensium, et Lucernum centuriis essent. (Ap. *Liv.* tamen *l. c.* in editionibus perperam legitur *mille et octingenti equites*, quod ex eo factum est, quia, cum summae antiquitus notatae, non perscriptae fuissent, ut affirmat *Suet. Galb.* 5., in Codd. MSSptis *Livii* illud M. AC. CC. ab amanuensibus, littera *A* pro nota *D* accepta, M. DCCC. lectum, ac postea litteris perscriptum fuit *mille et octingenti.*) Servius tandem Tullus, Tarquinii successor, censu habito, equitum XII. centuriis a Romulo, Tullo Hostilio, et Tarquinio jam institutis sex item alias adjecit (quae a *Cic. l. c.* et *Festo* in V. *Sex* vocantur *sex suffragia*) sub iisdem tamen, quibus inauguratae priores erant nominibus; aere etiam ex publico iis attributo ad equos emendos, alendosque. V. CENTURIA, cujus vocis §. 5. ex modo allatis est corrigendus. ℙ Insignia iis addita praeter equum publicum fuerunt hujusmodi: annulus aureus, quo distinguebantur a plebe, et angustus clavus, quo a senatoribus. Post reges exactos equum accipiebant a censoribus, et quotannis Idib. Quintil. recensebantur (V. TRANSVECTIO §. 2.), et si qua in re minus officio satisfecisse comperti essent, puniebantur pro modo culpae vel equi ademptione, vel translatione ad aerarios, aut ad pedestrem militiam. Neque vero hic omnis ordo belli tempore militabat, sed ex eo eligebantur, quot satis essent instruendis equitatu legionibus, qui ideo a *Veget. Mil.* 2, 2. dicuntur *legionarii equites*, ut ab alariis distinguerentur. Habuere praeterea equites suum in circo et theatro spectandi locum, medium inter senatores, et plebem. V. QUATUORDECIM. Hinc *spectare in equite*, h. e. in quatuordecim gradibus equestri ordini assignatis, ap. *Suet. Dom.* 8. Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi cohibuit. V. *eund. Ner.* 11., *Tac. A.* 15, 32., et *Mart. l. c.* ℙ Census eorum, Servio rege, minimus fuit C. aeris, *Liv.* 1, 43., maximus CX. aeris, *Plin.* 33, 3, 13. at, ex *Gell.* 7, 13., tempore Catonis minimus fuit CXXV aeris, quem tamen, C. Julio Caesare dictatore, et deinceps CCCC. HS. sive aeris, semper fuisse, apparet ex *Suet. Caes.* 33., *Hor. Ep.* 1, 1, 57., *Plin.* 33, 2, 8., *Plin. altero ep.* 1, 19., *Juven.* 1, 106. etc. nempe duplo minorem senatorio, qui fuit DCCC. HS. ℙ Equitibus stipendium primo decretum fuit an. U. C. 353., et quidem triplex illius, quod peditibus. V. STIPENDIUM. ℙ Post primos illos a Servio institutos, ut quis in hoc ordine censeri, et eques R. haberi posset, satis erat, si ostenderet, se censum equestrem habere; Tiberii vero principatus anno nono (*Plin.* 33, 2, 8.) constitutum est, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno census equester fuisset. Quod in senatoribus non fuit item; hi enim quamvis senatorium censum haberent, non erant senatores, nisi vel a dictatore, vel a censore, vel ab imperatore in senatum eligerentur; plerumque tamen ex equitibus assumebantur: quare equites *seminarium senatus* vocat rex Perseus ap. *Liv.* 42, 61. ℙ Magna quoque auctoritas et honor accessit equitibus, cum Ti. et C. Gracchi fratres tribuniciam legem Sempronium tulerunt de judiciis a senatu ad equites transferendis. V. JUDICATUS, *us.* *Cic. Font.* 8. Illi equites R., quos nos vidimus, qui nuper in repub., judiciisque maximis floruerunt. *Ov. A. Am.* 1, 461. Quam populus, judexque gravis, lectusque senatus, Tam dabit eloquio victa puella manus. ℙ Cum vero C. Marius consul an. U. C. 647., omnium primus, teste *Sall. Jug.* 91., milites scribere non more majorum neque ex classibus, sed, uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque coepisset; ex illo tempore equites R., cum vidissent equestris militiae honorem cum plebe communicatum fuisse, vectigalibus, decumis pascuis, portoriis, operibus publicis, et annonae etiam militari redimendis, quaestus sui causa, operam plerumque dabant; quo factum est, ut ipsi publicanorum nomine illustres maximas sibi divitias domi, repudiatis belli periculis, acquisierint, ut habemus ex *Ascon. Divin. in Verr.* 10. Hinc Cicerone etiam in suo consulatu equitibus praecipue favente, utpote qui ex eorum ordine esset, tertius factus est in repub. equester ordo, teste *Plin.* 33, 2, 8., seu potius secundus, ut constat ex Augusti nummo apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 126., in quo legitur: Consensu senatus, et equestris ordinis, populique Romani: et, inverso ordine, quem fortasse metri necessitas turbavit, *Martial.* 8, 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus. Haud secus in municipiis et coloniis paulo post Augustales, qui prius sacerdotes erant in honorem Augusti a Tiberio instituti, secundus fuerunt ordo inter decuriones, et plebem. V. AUGUSTALIS. [*Sub imperatoribus equites complures censum Senatorium habebant et lato clavo utebantur. Quibus hoc insigne concessum erat, ii *equites illustres* s. *insignes* dicebantur, docente *Lips.* et *Ern.* ad *Tac. A.* 11, 4. Apud *Cic.* quoque *Verr.* 2, 3, 24. equites illustres commemorantur, sed ibi in universum *illustres* appellantur ob generis nobilitatem ac splendorem et opponuntur *obscuris.* Adde *Duk.* ad *Liv.* 30, 18, 15.] ℙ Itaque apud Romanos equites dicti sunt primum, qui equo stipendium merebant, censum equestrem habebant, et comitiis centuriatis in equitum centuriis suffragium ferebant, ut ait *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 91. *edit. Pat.* Hi *equites Romani* apud scriptores passim, et in vetustis inscriptionibus dicuntur. Non omnes tamen, quibus census equester esset, equum publicum etiam habuisse putandi sunt; quippe equum censores dabant fere spectatis adolescentibus et senatorum filiis, nec singulis, sed plerisque: at vero qui in equitum centuriis suffragium ferrent, eos omnes equum publicum habuisse, declarat *Cicero.* Cum enim *Id. Phil.* 6, 5. dixisset, positam esse L. Antonio statuam ab *equitibus R. equo publico*, eundem L. Antonium patronum *centuriarum equitum R.*, eorum nempe qui statuam posuerant, dixit *Id. Phil.* 7, 6. Cum igitur centuriae equitum ad primam classem pertinerent, manifestum est, *equites equo publico* eos fuisse, qui ceteris auctoritate ac dignitate praestabant. Jam vero, quia imperatores censoria dignitate praediti equum ipsi publicum honoris causa dare coepissent iis etiam, qui minime militabant, et puerili admodum erant aetate, idcirco ad ejus honoris memoriam institutum est, ut in honorariis titulis adscriberetur *Eq. R. equo publico.* *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 460. *n.* 88. C. Vellejo C. F. Pal. Urbano honorato equo publico ab Imp. Antonino Aug., cum ageret aetatis annum V. ℙ Qui denique ex ordine equestri ingenio et morum probitate maxime supra ceteros emineret, in judicum centuriis a censoribus primum, mox ab imperatoribus tum Romae, tum in municipiis et coloniis adscribebatur, ita ut qui judex ex tribus, vel quatuor, vel quinque decuriis diceretur (V. DECURIA), is equestris ordinis plenitudinem consecutus fuisse videatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 479, 6. C. Valerio C. F. Pap. Mariano judici selecto decuriis trid. (*corrige* tribus): ita enim legitur in lapide, qui etiamnum Tridenti exstat. Alia apud *Mur.* 760, 1. P. Virgilio P. F. Pol. Laureae judici de IIII. decuriis. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 365, 3. C. Nonio C. F. An. Caepiano equo publico ex quinque decuriis judicum. [*Egregie hujus loci curam gessit. *F.*]

ĔQUESTER, stris, stre, adj. ἱππεῖος, ad milites equo utentes pertinens. *Caes. B. G.* 3, 2. Equestre proelium committere. *Cic. Fin.* 2, 34. Eque-

stres et pedestres copiae. *Id. Phil.* 9, 6. Statua inaurata equestris. *Liv.* 8, 7. Equestria spolia. *Id.* 27, 42. Equester terror, *h. e.* terror ab equite incussus. *Festus*: Equestre aes, quod equiti dabatur. *Tac. G.* 32. Tencteri equestris disciplinae arte praecellunt. *Suet. Claud.* 25. Equestris militia. ℙ Item ad ordinem pertinens equitum R. *Cic. Planc.* 35. Aderat mecum cunctus equester ordo. *Id. Agr.* 1. *extr.* Habeat me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco consulem videt. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu. [**Vell. Pat.* 2, 88. de Maecenate: Equestri, sed splendido genere natus, i. e. non patricio, sed equestri tantum, attamen splendido. V. *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 3, 8.] *Liv.* 5, 7. Quibus census equester erat. *Hor. Sat.* 2, 7, 53. Equestri anulo. *Plin.* 5, 1, 1. Equestris ordinis vir. *Nep. Att.* 1. Equestris dignitas. *Plin.* 33, 2, 8. et sqq. plura habet de ordine equestri. V. EQUES. ℙ [**Apud *Tacitum*, sed apud hunc solum scriptorem *equester* pro *eques*. *Ann.* 13, 10. Julius Densus equester. *ib.* 12, 60. Apud equestres, qui Aegypto praesiderent. V. *Duk.* ad *Liv.* 33, 26, 7. *Boettich. Lex. Tacit.* s. v. *militaris.*] ℙ *Equestria*, *ium*, sunt loca assignata equitibus ad spectandum. *Sen. Ben.* 7, 12. Equestria omnium equitum R. sunt: in illis tamen locus meus est proprius, quem occupavi. Adde *Suet. Cal.* 26., *Petr. Sat.* 126. et *Sen. Contr.* 3, 18. *ad f.* ℙ Item ad equum pertinens, equinus. *Sen. Theb.* 395. Fumoque similes campus in coelum erigat Nebulas, equestri fracta quas tellus pede Submittit. ℙ De Neptuno Equestri, V. NEPTUNUS. ℙ *Equester* est etiam incola coloniae Juliae Equestris, sive Neviduni in Helvetia, nunc *Nyon* prope Genevam, ab C. Julio Caesare deducta ob irruptionis Helvetiorum metum, et equestribus copiis instructa. *Inscr.* ap. *Murat.* 1045, 7. Civitas Equestrium. Alia ap. *eund.* 1111, 2. II. Vir Juliae, *Equestris.* Alia ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 167. Flamen in colonia Equestre.

[ĒQUĬCŬLUS, i, m. diminut. equi. Est cognomen Romanum ap. *Varr. R. R.* 2, 7. Q. Modius Equiculus. *F.*]

ĒQUĬDEM, adv. *μέν τοι, καὶ δῆτα μέν*, quidem, sane, certe: ab *ego* et *quidem*: unde primis verborum personis saepius jungitur. [**Ortum est ab *e* et *quidem*. V. infra.] *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Equidem doleo. *Id. Fam.* 2, 10. Equidem nunquam domum misi epistolam etc. Et *ib.* 6, 4. Equidem putabam. *Id. Fin.* 3, 2. *f.* Non equidem recuso. *Id. Att.* 14, 14. Quod demiror equidem. *Ter. Eun.* 2, 3, 86. Jocabar equidem. *Plin.* 2, 98, 101. Quod equidem noverim. Et *ib.* 25, 23. Quod equidem sciam. ℙ Jungitur et cum aliis personis. *Cic. Att.* 3, 3. Adhuc equidem valde me poenitet. Al. leg. *quidem*. *Id. Div.* 2, 70. Huic equidem Antipho, baro, inquit, etc. *Manut.* hic suspicatur de mendo. *Id. Att.* 13, 26. Equidem credibile non est, quantum scribam die. *Sall. Catil.* 55. *sub f.* Quare vanum equidem hoc consilium est. *Pl. Aul.* 2, 1, 18. Decet te equidem vera proloqui. *Id. Men.* 2, 2, 35. Insanit hic equidem. *Pers.* 5, 45. Non equidem hoc dubites. Adde *Justin.* 38, 5. et 39, 3. *a med.* et *Suet. Cal.* 6. [**Equidem* etiam cum secunda et tertia persona jungi posse pronuntiant *Drak.* ad *Liv.* 5, 54. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 77., addubitant *Cort.* ad *Sall. Cat.* 51, 15. et *Ern. Clav. Cic.*, ut alios mittam. Res ita se habet. *Equidem* ortum est non ex *ego quidem*, ut multi opinantur, sed ex *e* intensivo et *quidem*, ut dicitur *ecastor*. Hinc fit, ut nonnunquam jungantur *equidem ego*. V. §. 6. Quamobrem *equidem* etiam tertiae et secundae personae addi potest, licet hoc rarius fiat, quoniam in prima loquentis persona major plerumque posita est vis. Atque aureae quidem aetatis scriptores tam raro hunc usum sibi indulserunt, ut, quamvis certissima ejus reperiantur exempla, tamen imitandus non videatur. V. *Ruddim. Inst. T.* I. p. 322. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 191. p. 598.] ℙ Et cum plur. num. *Varr. R. R.* 1, 5. Equidem innumerabiles mihi videntur. *Plin.* 18, 35, 86. Equidem et montium sonitus praedicunt. ℙ Et cum aliis particulis affirmativis. *Virg. Ecl.* 9, 7. Certe equidem audieram. *Pl. Amph.* 1, 1, 291. Equidem certo idem sum, qui semper fui. ℙ Et cum adverbiis jurandi. *Pl. Most.* 1, 3, 22. Equidem pol. *Id. Poen.* 3, 1, 5. Equidem hercle. *Id. Men.* 4, 2, 94. Equidem ecastor. ℙ Cum *ego* est pleonasmus non improbandus. *Sall. Jug.* 10. Equidem ego regnum vobis trado firmum. Et *Orat. ad Caes. de Republ. ordin.* 2. Equidem ego sic statuo. *Pl. Merc.* 2, 1, 40. Amavi hercle equidem ego olim in adolescentia. ℙ [**Confunduntur *Equidem* et *equitem. Drak.* ad *Liv.* 6, 12, 10. — et *et quidem. Drak.* ad *Liv.* 5, 54, 3. 34, 5, 8.]

ĒQUĬFĔRUS, i, m. equus ferus. *Plin.* 28, 13, 55. In primis efficax est potus equiferorum sanguinis. Adde *ib.* 10, 45. ℙ In *Not. Tir.* p. 175. legitur *equifer*.

ĒQUĪLA. V. EQUULA.

ĒQUĪLĒ, is, n. *ἱπποστασία*, stabulum equorum. *Varr. R. R.* 2, 7. *ad f.* Si frigus erit, in equili faciendus ignis. Adde *Caton. R. R.* 14. et *Suet. Cal.* 55.

ĒQUĪMENTUM, i, n. merces, quae datur pro admissura equi. *Varr.* ap. *Non.* 2, 9. An si equam emisses quadrupedem, ut meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem, dedisses equimenti? *Non. l. c.* scribit *aequimentum*, quod minus rectum videtur.

ĒQUĪMULGĂ, ae, vel Equimulgus, i, m. qui equum mulget. *Sidon. ep.* 4, 1, 43. Ad equimulgas Gelonos. Al. leg. *equimulgos.*

ĒQUĪNUS, a, um, adj. *ἱππικός*, ad equum spectans. *Cic. Tusc.* 5, 21. Gladius seta equina appensus. *Varr. R. R.* 2, 7. Pecus equinum. Et *ib.* Emptio equina. Et *ib.* 11. Equinum lac. Et 1, 38. stercus. *Plin.* 4, 13, 27. Homines equinis pedibus, Hippopodes appellati. *Hor. A. P.* 1. Equina cervix. ℙ *Equinus* est etiam idem ac equus, ut interdum humanus idem est ac homo. V. HUMANUS. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 67. de equa veloci: Gaetula harena prosata, Gaetulo equino consita, Cursando flabris compara, Speudusa, Lethen incolis.

ĒQUĬO, is, n. *ἱππομανέω*, de equabus dicitur, cum coitum appetunt. *Plin.* 10, 63, 83. Equas domitas sexaginta diebus equire. [**Partic. *equiens* legitur in pluribus codd. *Col. R. R.* 6, 38, 1. ubi vulgo editur: Febrienti mulae cruda brassica datur.]

ĒQUĪRĬĂ, um, n. plur. ludi a Romulo instituti in honorem Martis ab equorum cursu, quod in iis equi currebant. Duplicia fuere: prima celebrabantur III. Kal. Martii, altera pridie Idus. Fiebant in campo Martio, vel in parte montis Coelii, (qui *campus minor* dicitur a *Catullo* 55, 3.) si campum Martium aquae occupassent. *Ov. Fast.* 2, 859. Ex vero positum permansit equiria nomen. Adde *Fast.* 3, 519. *Varr. L. L.* 5, 3. et *Fest.* in *Equiria*, et in *Martialis campus.*

ĒQUĪRĪNE, adv. jurandi per Quirinum. *Fest.* V. ECASTOR.

EQUISETIS. V. v. sq.

ĒQUĪSĒTUM, i, n. herba quaedam folio pilis simili, vel potius equinis setis, unde et nomen traxit, hippuris a Graecis dicta, *ἱππουρὶς*, h. e. cauda equina. *Plin.* 26, 13, 83. [**Dicitur haec herba etiam *Equisetis*. *Plin.* h. n. 18, 28. 67, 4.]

ĒQUĪSO, onis, m. *ἱπποκόμος*, equorum domitor et curator. *Varr.* ap. *Non.* 2, 288. Ut equiso doceat tollutim incedere. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 2. *extr.* Darius acumine equisonis sui prosperum exoptatae rei effectum consecutus est. *Id. ib. n.* 1. etiam agasonem aselli *equisonem* vocat. *Appul. Met.* 7. p. 194, 19. Equiso armentarius. V. ARMENTARIUS. ℙ *Equisones nautici* dicuntur a *Varr. l. c.* et *Non.* 6, 15. qui fune navem per flumen trahunt. V. AMBIVIUM.

ĒQUĪTĂBĬLIS, e, adj. *ἱππάσιμος*, in quo equi facile inambulare possunt. *Curt.* 4, 9. Equitabilis, et vasta planities.

ĒQUĪTĀTĬO, onis, f. *ἱππασία*, actus equitandi. *Plin.* 28, 4, 14. Equitatio stomacho et coxis utilissima.

*EQUITATŪRA, ae, f. *Sarisb. Ep.* 285. Equitaturas et expensas praeparare. *B. A.*

ĒQUĪTĀTUS, a, um, part. ab *equito*, equitando percursus. *Claud. B. Get.* 192. equitataque summi Culmina Taygeti. *Sidon. carm.* 23, 249. fluxis equitata Bactra Parthis. ℙ *Equitata cohors*, equites habens peditibus admixtos. *Inscr.* ap. *Murat.* 1122, 4. C. Saguro C. F. Clu. Prisco Praef. Coh. III. Lingon. Equitatae. V. COHORS.

ĒQUĪTĀTUS, us, m. *ἵππευσις*, equitatio. In sexto casu sing. *Plin.* 28, 15, 61. Femina equitatu atteri, et aduri, notum est. ℙ Item militum equo utentium numerus, *ἱππικὸν στράτευμα. Cic. Att.* 9, 13. Hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus etc. *Id. Fam.* 7, 1. Armatura varia peditatus et equitatus. *Nep. Annib.* 3. Equitatui omni praeesse. Adde *Caesar. Liv. Tac. Curt.* etc. passim. ℙ In purali num. *Caes. B. C.* 1, 61. *a med.* Hinc magnos equitatus, magnaque auxilia exspectabant. *Auct. B. Hisp.* 37. Peditatibus et equitatibus ad persequendum celeriter iter faciens. Adde *Sall. Jug.* 50. et *Flor.* 3, 11. *a med.* ℙ Item ipsi equi. *Caes. B. C.* 3, 58. *ad f.* Frumento atque hordeo equitatum tolerare. ℙ Est etiam a verbo frequentativo *equito* pro simplici *equio*, eamque vocem significat, quam edere solet equa coitum appetens. *Lucil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Quantum hinnitum, atque equitatum! ℙ Item equester ordo. *Plin.* 33, 2, 9. Equitum etiam nomen ipsum saepe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. *Auson. Idyll.* 11, 78. Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu. ℙ *Equitatu praeesse* pro *equitatui* quidam legunt ap. *Caes. B. G.* 1, 18. et 52. V. dicta in ASPECTUS, us.

ĒQUĪTĀRĬUS, ii, m. qui equitio praeest, *ἱπποκόμος. Firm. Math.* 8, 13. Aut mulomedicus, aut equitiarius.

ĒQUĪTĬUM, ii, n. *ἱπποφόρβιον*, equorum armentum. *Tac. G.* 15. Mos est civitatibus ultro equitium conferre principibus. Al. rectius leg. *ultro ac viritim conferre*, etc. [**Col. R. R.* 6, 27, 1. Summam sedulitatem et largam satietatem desiderat equitium. Sic *Schneid.*, alii habent *equinum pecus.*] *Ulp. Dig.* 6, 1, 1. Idem de armento, et equitio, ceterisque, quae gregatim habentur, dicendum est. Adde *ib.* 7, 8, 12. et alibi. [**Gloss. vet.* Equitium est grex equorum.]

*EQUĪTĬUS, i, m. cognomen familiae Romanae, ab equino pecore deductum. V. *Varr. R. R.* 2, 1. *B. A.*

ĒQUĪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἱππεύω*, equo iter facio. *Cic. Dejot.* 10. Cum is in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus. *Hor. Sat.* 2, 3, 248. Equitare in arundine longa. *Jabolen. Dig.* 9, 2, 57. in equo. *Plin.* 23, 1, 26. Lassitudo equitandi. *Justin.* 41, 2. Et equitare, et sagittare magna industria docent. *Hor. Od.* 1, 2, 51. Neu sinas Medos equitare inultos, *h. e.* discurrere equitatu, et loca vastare. Et *ib.* 4, 4, 42. Dirus per urbes Afer (*Annibal*) ut Italas, Ceu flamma per taedas, vel Eurus per Siculas equitavit undas. [**Translate, pro: insolentius se in aliqua re jactare. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Jactabit se et in his equitabit equuleis.] ℙ Passive. *Plin.* 8, 18, 26. de camelis: Omnes autem jumentorum ministeriis dorso funguntur, atque etiam equitantur in proeliis. *Hard.* leg. *equitatu.* ℙ *Flor.* 3, 4. Minutius toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur, *h. e.* equitando transitur. Al. leg. *per perfidum*, ut sit deponens. ℙ *Equitare* etiam dicitur ipse equus incedens. *Lucil.* ap. *Gell.* 18, 5. et *Non.* 2, 297. Currere equum nos, atque equitare videmus. ℙ Equitare dicebant veteres, pro equo publico mereri. *Fest.* ℙ *Equitare* est etiam in obscenis. *Juven.* 6, 311. de impuris mulieribus: Inque vices equitant, et luna teste moventur. ℙ [**Et translate *equitare in equuleis.* V. h. v.] ℙ Part. *Equitans* ap. *Plin.* 8, 25, 38. Dorso equitantium modo impositi.

ĒQUŬLĂ, ae, f. parva equa. *Varr.* ap. *Non.* 2, 290. Quin summa diligentia eligat asinum, qui saliat equulam. Al. leg. *equilam. Pl. fragm.* apud *Prisc.* 3. p. 677. Adhinnire equulam. Aliter tamen legendum docet *Cod. Plautinus* ap. *Maium.* V. ADHINNIO.

ĒQUŬLĔUS, i, m. *ἱππάριον*, pullus equinus. *Liv.* 23, 31. *sub f.* Ad Sinuessam bos equuleum peperit. [**Cic. Hortens. fr.* Fame debilitatur equuleorum nimis effrenata vis.] *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Jactabit se, et in his equitabit equuleis. *Cic.* intelligit sigilla argentea equuleos referentia. ℙ Est etiam tormenti genus, nempe machina lignea in equi modum compacta, in qua distendebantur, et torquebantur ii, de quibus alicujus criminis quaestio habebatur. *Curt.* 6, 10. Tot conscii, ne in equuleum quidem impositi, verum fatebuntur? *Cic. Mil.* 21. *extr.* Facti in equuleo quaestio est, juris in judicio. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 109. Eviscerandum corpus equuleo eminus Pendere, et uncis vinculisque crescere. ℙ Scribitur et *eculeus.*

ĒQUŬLUS, i, m. diminut. equi. *Cic. N. D.* 2, 14. Omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equulo, in cane, quam catulo. *Varr. R. R.* 2, 7. *ad f.* Post annum et sex menses equulum domari posse. [**Adde* 2, 8, 6.]

ĒQUUS, i, m. *ἵππος*, animal quadrupes, quo vehimur sive itineris, sive militiae causa, rhedas, currusque trahimus, etc. [**Equus* factum a Graeco *ἴκκος*, pro *ἵππος*, quam formam nobis servavit *Etym. M.* p. 474, 12. Cf. *Schneider.* Elementarl. Tom. I. p. 334.] Multa, ac mira de equis *Plin.* 8, 42, 64. Generosi equi notas *Varr. R. R.* 2, 7., *Colum.* 6, 29., *Pallad.* 4, 13. et *Virg. G.* 3. a *v.* 75. recenset. *Varr. R. R.* 2, 7. Equi alii sunt ad rem militarem idonei, alii ad vecturam, alii ad admissuram, alii ad cursuram, alii ad rhedam. V. CABALLUS et CANTERIUS. *Cic. Amic.* 19. Nemo est, qui non equo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. *Id. Dejot.* 10. Optime uti equo. Et *ib.* Haerere in equo. [*insidere equo.] Et *Verr.* 2, 5, 10. *extr.* Sedere in equo. *Ov. Trist.* 5, 7, 14. Ire in equo. *Val. Flacc.* 1, 147. Equo fugere. *Cic. N. D.* 2, 2. Castor et Pollux ex equis pugnare visi. (quod *Prop.* dixit 3, 9, 13. ab equo oppugnare.) *Id. Div.* 2, 68. Vehi in equo. Et *ib.* 1, 28. Equo advectus ad fluminis ripam. *Nep. Dat.* 4. Equo concitato vehi ad hostem. *Liv.* 6, 7. Insilire in equum. Et *Cic. Sen.* 10. *ad f.* Ascendere in equum. Et *Auct. B. Hisp.* 13. Equum conscendere. Et *Suet. Ner.* 48. inscendere. *Cic. Sen.* 10. Ex equo descendere. *Caes. B. G.* 4, 2. desilire. Et *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 5, Equo descendere. [**Cic. Lael.* 17. Equum tentare, h. e. periculum facere, an sit itineri faciendo idoneus.] *Cic. l. c.* Equo iter ingredi. *Id. Cluent.* 62. Cadere ex equo. *Nep. Pelop.* 5. Equum concitare in aliquem. *Caes. B. G.* 1, 22. admittere. *Curt.* 7, 4. agere. *Ov. A. Am.* 2, 732. admisso subdere calcar equo. *Cic. Acad.* 4, 29. Equum susti-

nere. *Caes. B. G.* 6, 29. *extr.* Inferre aliquem in equum. *Cic. Dejot.* 10. tollere. *Curt.* 3, 11. imponere. *Sall. Cat.* 62. Equo circum ire. *Ov. Met.* 2, 118. et *Virg. G.* 3, 114. jungere equos. *Cic. Att.* 6, 1. *ad f.* Rheda equis juncta. *Curt.* 3, 8. Equum frenare. Et 4, 15. regere. Et 3, 11. mutare. *Petr. Sat.* 134. flectere. *Justin.* 41, 3. de Parthis. Equis omni tempore vectantur: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. *Suet. Caes.* 61. Equus patiens sessoris. *Cic. Off.* 1, 26. ferocitate exsultans. *Nep. Eum.* 5. calces remittit. *Ov. Trist.* 5, 9, 29. acer. Et 4, 6, 3. animosus. *Id. Am.* 2, 9, 30. durior oris. Et 1, 2, 15. Asper equus duris contunditur ora lupatis. *Quint.* 5, 11. optimus, generosissimus. *Ennius* ap. *Cic. Sen.* 5. fortis. *Ov. A. Am.* 1, 20. magnanimus. *Val. Fl.* 2, 386. bellator. *Ov. Trist.* 4, 8, 20. languidus. *Plin.* 8, 18, 25. recens. *Liv.* 30, 17. phaleratus. [*Cic. Sen.* p. red. 11. Equis insignibus et curru aurato reportari, h. e. triumphalibus. ℙ *Equus* non potest poni pro *equa*. Hinc recte *Schneid.* ap. *Varr.* 2, 7, 11. aliis praeeuntibus edidit. Alternis qui admittant, diuturniores equas et meliores pullos fieri dicunt, ubi vulgo *equos*. Alia res in loco *Marc. Dig.* 32, 3. 65, 6. Equis legatis et equae continentur.] ℙ Cognomina equorum ultra octoginta habentur in tabula marmorea ap. *Grut.* 341. item 337. et 338. ubi de ludis circensibus agitur: nomina vero aliquot *Stat Th.* 6, a *v.* 461. ℙ *Mereri equo* est equo belli stipendia facere. *Ov. Fast.* 3, 130., *Cic. Phil.* 1, 8., *Liv.* 5, 7. et *Suet. Gramm.* 9. ℙ Rescribere ad equum. *Caes. B. G.* 1, 42. *extr.* ℙ *Stare*, vel *esse alicui ad equum* est quod Itali dicunt *alla Staffa*. *Cic. Att.* 13, 52. *ad f.* ℙ *Vir equo clarus* ap. *Appul. Met.* 8. p. 201, 19. est equestri genere natus. ℙ *Equi hipedes* sunt marini, qui priores pedes habere finguntur, et pro posterioribus caudam piscis. *Virg. G.* 4, 389. et in *Perv. Vener.* 10. V. HIPPOCAMPUS. ℙ Equi alati poetice finguntur venti. *Catull.* 66, 52. cum se Memnonis Aethiopis Unigena, impellens mutantibus aera pennis, Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus. *Val. Flacc.* 1, 610. fundunt se carcere laeti Thraces equi, Zephyrusque, et nocti concolor alas Nimborum cum prole Notus. ℙ Equus ligneus *Plauto* est navis *Rud.* 1, 5, 10. Nempe equo ligneo per vias caeruleas estis vectae. Hinc *aurigam* vocant gubernatorem navis *Ov. Trist.* 1, 3, 118. et *vet. Poeta* ap. *Charis.* 4. p. 243., et *habenas* classi tribuit *Virg. A.* 6, 1. *Homerus* quoque naves ἁλὸς ἵππους, *equos maris* esse hominibus dixit *Odyss.* 4. *v.* 708. ℙ *Equis virisque* significat omni contentione. *Liv.* 5, 37. Quacumque ibant, equis virisque longe ac late fuso agmine immensum obtinentes loci. *Cic. Phil.* 8, 7. fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus. [*Nep. Ham.* 4. Equis, armis, viris, pecunia locupletare.] *Flor.* 2, 7. Quatiebat omnia equis virisque. [*V. de hac formula *Drak.* ad *Liv.* 21, 27, 5. *Burm.* ad *Virg. A.* 8, 3.] ℙ Translate est omni conatu agere, tentare omnia: simile est apud Italos *colle mani e co' piedi*. *Cic. Off.* 3, 33. Cum his, viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri sententia est, decertandum est. Alii leg. *velis equisque:* quod Itali dicunt *per mare e per terra*. *Id. Fam.* 9, 7. Dubitandum non est, quin equis, viris. Alii hic quoque equis, velis. Huc pertinet illud ejusdem *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Cursu corrigam tarditatem tum equis, tum vero quadrigis poeticis. [*Rectius *Schütz.* in *Ind.* comparat Graecorum ἵππῳ κέλητι et τεθρίππῳ. Significat *Cic.* se laudes Caesaris partim orationibus aliisque scriptis prosaicis, partim versibus celebraturum.] ℙ Equi donati dentes non inspiciuntur, [*einem geschenkten Gaul sieht man nicht in's Maul.*] proverb. aliud *Hieron. prooem. epist. ad Ephes.* ℙ Est hoc nomine machina bellica. postea *aries* appellata, ad muros urbium quatiendos: quam primus invenisse dicitur Epeus in obsidione Trojae, ut *Plin.* 7, 56. tradit: cujus machinae ferramenta Metapontinos ab Epeo conditos, olim in templo Minervae ostentasse, auctor est *Justin.* 20, 2. Hinc *Prop.* 3, 1, 25. Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces? ℙ Hinc data occasio aliis equum ligneum Trojanum comminiscendi, in quo abditi viri, et in urbem recepti, noctu Graecis portas aperuerint, ut est ap. *Virg. A.* 2., *Hyg. fab.* 108. et alios. Proverbiali locutione dicitur *Equus Trojanus* de occulta conjuratione, et latente pernicie. *Cic. Mur.* 37. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus: a quo nunquam, me consule, dormientes opprimemini. ℙ *Equus Sejanus* aliud proverbium, V. SEJANUS. ℙ [*Equus obscoeno sensu, de figura coitus. *Hor. Sat.* 2, 7, 50. Agitavit equum lasciva supinum, ad quem l. v. *Heind., Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 260.] *Equus Hectoreus* translate vocatur ipse Hector, cum rem haberet cum uxore sua Andromacha illo Venerio schemate, quod et *Venus pendula* dicitur ab *Appul. Met.* 2. p. 122, 19., quodque *Petr. Sat.* 140. satis petulanter describit. *Ov. A. Am.* 3, 775. nunquam Thebais Hectoreo nupta resedit equo. *Mart.* 11, 104. Hectoreo quoties sederat uxor equo. V. PENDULUS. ℙ [*Equus* erat nomen saxi, in quo Daphitas periit. *Cic. Fat.* 3. *Val. Max.* 8, 8. *extr.*] ℙ Fuit equus Marti sacer propter usum belli, et quotannis ei Romae immolabatur. Lacedaemonii eo faciebant Ventis, propter velocitatem: Sallentini Jovi, Rhodii Soli, integram quadrigam in mare jacientes. *Festus* in *October*. Sunt qui putant, non quotannis, sed quot lustris Romae immolari solitum, ex illo *Prop.* 4, 1, 20. Qualia nunc curto lustra novantur equo. *Curtum* dicit, quia cauda ejus amputata deferebatur in regiam. *Fest. ib.* V. et CAVIARES. Aliter tamen *Passerat. Propertii* locum intelligit. Etiam Persae Soli sacrificare solebant, Ne detur celeri victima tarda Deo, inquit *Ov. Fast.* 1, 386. ℙ In coelo est sidus hoc nomine, decem et octo, vel viginti stellis constans, inter Tropicum Cancri, et Arcticum circulum, Aquarii manum dexteram cervice sua conjungens. Hunc fabulantur esse Pegasum Neptuni et Medusae filium, qui in Helicone fontem ungula aperuit, et Bellerophontem per aera vexit. *Hygin. Astron.* 2, 18. et *ib.* 3, 17., *Plin.* 18, 26, 65. et *Colum.* 11, 2. Duodecimo Cal. April. Equus mane occidit. ℙ *Equus fluviatilis* ap. *Plin.* 8, 21, 30. est hippopotamus. ℙ *Equum* pro *equorum* habes in *Sil.* 12, 681.

[ĒQUUSTŪTĪCUS, m. vel Equumtuticum, n. oppidum Hirpinorum in Samnio, prope Calorem fluvium, et XXII. mill. pass. a Benevento urbe, quae et Equus magnus dicitur in *Itin. Hieros.*, nam Osce *tuticus* significat magnum. V. TUTICUS. *Ptolem.* 3, 1. τουτικον vocat. In ejus locum successit nunc *S. Eleuterio*. Sunt qui putent, *Hor. Sat.* 1, 5, 87. his verbis: Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est; idem oppidum significasse: at contrarium docet *Romanellius Topogr. Napol. T.* 2, 333. et seqq.; etenim ibidem Asculum a poeta indicari probat. *Cic. Att.* 6, 1. Litterae Equotutico, et Brundisio datae. *F.*]

ER

ĒRĀDĪCĀTĬO, onis, f. evulsio a radice. Translate *Tertull. Resurr. carn.* 27. *extr.* Post antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.

ĒRĀDĪCĀTUS et Exradicatus, a, um, part. ab *eradico*, a radice evulsus. *Varr. R. R.* 1, 27. Quae sunt ex terra enata, priusquam ex iis quid seminis cadat, ut sint exradicata. [*Scriptura *Exradicatus* rara quidem, sed non eliminanda. Cf. *Schneider.* Elementarl. *Tom.* II. p. 562.] ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 5, 1, 6. Perditus sum, atque etiam eradicatus sum, omnibus exemplis crucior.

ĒRĀDĪCĬTUS, adv. ῥιζόθεν, vim majorem videtur habere, quam *radicitus*. *Pl. Most.* 5, 1, 62. Malefacta reperire non radicitus quidem, verum etiam eradicitus. ℙ [Translate de eloquentia usurpat *Front. de oration.* (ed. *A. Maio.*) *ep.* 1. Subvertendam censeo radicitus, immo vero, Plautino irato verbo, exradicitus. Inde patet etiam ap. *Pl. l. c.* scribendum *exradicitus*, non *eradicitus*. *F.*]

ĒRĀDĪCO, as, avi, atum, a. 1. ἐκριζόω, una cum radice evello. *Pl. Epid.* 3, 3, 52. Cum militabam, pugnis memorandis meis Eradicabam hominum aures, quando occoeperam. ℙ Translate. *Id. Aul.* 2, 4, 21. Clamat suam rem periisse, seque eradicarier. *Ter. Heaut.* 3, 3, 28. Dii te eradicent, *h. e.* perdant funditus.

ĒRĀDO, is, si, sum, a. 3. ἀποξύω, aufero, amputo, seco, caedo. *Varr. L. L.* 4, 31. Rastris eradere terram, atque eruere. *Colum. Arbor.* 9. Malleolum scindito, medullamque omnem eradito. [*Col. R. R.* 4, 24, 7. Muscus ferro destringendus et eradendus est.] *Plin.* 24, 7, 20. Zopissam eradere navibus. ℙ Translate est delere, expungere. *Tac. A.* 4, 42. Merulam senatorio albo erasit. [*Paull. Sent.* 1, 21, 8. Eradere titulos inscriptos monumento.] *Hor. Od.* 3, 24, 51. Eradenda elementa pravi cupidinis. *Senec. ep.* 11. Eradere vitia. *Id. ep.* 91. Nobilium civitatum vestigia quoque tempus eradet, *h. e.* delebit. *Phaedr. prol.* 3, 21. Curamque habendi penitus corde eradere. [*V. *Heins.* ad *Ov. Trist.* 4, 9, 5.]

*ERĀNA, ae, f. vicus Ciliciae, in Amano monte. *Cic. Fam.* 15, 4. Eranam autem, quae fuit non vici instar, sed urbis etc. *B. A.*

ĒRĀNISTA, ae, m. ἐρανιστής, curator erani. V. vocem sequ. Hac appellatione milites tantum apud Latinos praediti fuisse inveniuntur. *Inscr.* apud *Gud.* 146, 5. L. Aelius Aug. Lib. Cynips eranista, et procurator militum emeritorum. Alia ap. *Grut.* 541, 11. T. Flavio Jucundo eranistae Leg. XXX. Ulpiae. Adde alias ap. *eund.* 528, 1. et 548, 5. et ap. *Murat.* 782, 7. et 785, 2.

*ERANNOBOAS, ae, m. Ἐρανοβόας, Indiae flumen, in Gangem cadens. *Plin.* 6, 18. *B. A.*

*ERANTHĒMON, i, n. ἐράνθεμον, unum ex nominibus anthemi herbae: sic dictum, quod vere floreat. *Plin.* 22, 21. *B. A.*

ĒRĀNUS, i, m. ἔρανος, ab ἐράω, amo, Graece significat collectam pecuniam, quam in multis Graecis urbibus institutae sodalitates adservare solebant, conferentibus ipsis sodalibus, ut si quis eorum egestate premeretur, sublevari ea posset: ita tamen, ut si quando ad pristinam rediret fortunam, tantundem sodalitati restitueret, quantum accepisset. Simile est, quod de Christianis narrat *Tertull. Apolog.* 39., fuisse apud eos veluti sacrum aerarium, in quod singulis mensibus exiguam quisque pecuniam conferret, egenis alendis, humandisque, pueris et puellis re ac parentibus destitutis, senibus, infirmis, naufragis, et hujusmodi sublevandis etc. *Plin. ep.* 10, 93. Datum mihi publice libellum ad eranos pertinentem. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 94. Si legibus istorum concessum est eranos habere. *Cic. Att.* 12, 5. quoque habet, sed Graece, pro symbola. De hujusmodi collatione stipis menstruae militibus permissa consule *Mart. Dig.* 47, 22, 1.

*ERANUSA, ae, f. insula inferioris Italiae, Bruttiorum regioni adjacens. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

*ERAPHIUS, i, rex Aegypti, qui obeliscum subrexit. *Plin.* 36, 9. *B. A.*

ĒRĀSĪNUS, i, m. fluvius Arcadiae, qui a Stymphalide palude ortus (unde et Stymphalus dicitur) postquam terras subiit, rursus in Argolico agro erumpit, atque Erasinus appellatur. *Ov. Met.* 15, 275. Sic modo combibitur, recto modo gurgite lapsus Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis. ℙ *Erasinus* est etiam cogn. Rom.; videtur esse ab ἔρασις, amatio, et significare amatorem. *Inscr.* ap. *Grut.* 268, 1. Claudius Erasinus.

*ERASISTRĀTUS, m. Ἐρασίστρατος, medicus insignis, ex Iulide urbe Ceae insulae Juliates et Ceius appellatus, Aristotelis Stagiritae ex filia nepos, Chrysippi medici vel, ut plerisque placuit, Theophrasti discipulus. Ab eo Erasistrateorum medicorum schola nomen accepit, quam ab Hicesio Smyrnae excitatam Strabo prodidit. Horum sectam *Galenus* damnavit, pluribus adversus Erasistratum ejusque asseclas scriptis voluminibus tomo operum decimo. *Plin.* 29, 15. *Val. Max.* 5, 7. *Macr. Sat.* 7, 15. *Coel. Aurel.* 2. *Chron.* 7. *Cels.* 3, 4. *post in.* 4, 4. *extr.* et 11, 12. cet. *B. A.*

[ĒRASMĬUS, ii, m. ἐράσμιος, amabilis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 386. *n.* 228. Cn. Aemilius Erasmius. *F.*]

[ĒRASTĒ, es, f. ἐρασνή, et

ĒRASTES, ēnis, f. ex ea forma nominum Latinorum, de qua silent omnes grammatici, docte vero disserit *Lupius*, *Epitaph. S. Severae* p. 160. et seqq. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Murat.* 1158, 3. Dasumia Eraste. Alia ap. *Lupium. l. c.* L. Pompejus Eratus Pompejae Erasteni filiae. *F.*]

[ĒRASTES, is, m. ἐρασνής, amator. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 1. (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 10. Numquam tu tamen, erastem tuum, me dico, depuleris. *F.*]

[ĒRASTUS, i, m. ἐραστός, amabilis. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 68, 2. Cn. Domitius Erastus. *F.*]

ĒRĀSUS, a, um, part. ab *erado*, abrasus. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 5. Erasa medulla. *Prop.* 4, 8, 26. Erasae genae. *Plin. alter Paneg.* 25. In locum erasorum subditi fuerant, *h. e.* eorum, quorum nomina e publicis tabulis erasa fuerant. *Sen. Thyest.* 519. Ponatur omnis ira, et ex animo tumor erasus abeat.

ĒRĀTO, us, f. Ἐρατώ, una ex Musis, quae choreis, et cantibus amatoriis praeest: ita enim est appellata ab ἐράω, amo. V. MUSA. In summo gentis Pomponiae ap. *Morell. tab.* 3. *n.* 4., et ap. *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1, 139. *tab.* 21. videre est hanc Musam lyra canentem. *Ov. A. A.* 2, 15. Nunc mihi, si quando, Puer et Cytherea, favete: Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes. *Auson. Idyll.* 20, 6. Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu. *Petr. Afran.* in *Anth. Lat. Burm. T.* 1, 51. *epigr.* 73. Fila premens digitis Erato modulamina fingit. ℙ Pro quavis Musa. *Virg. A.* 7, 37. Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum, qui Latio antiquo fuerit status etc. Adde *Claud. consul. Mall. Theod.* 282.

*ERATONES, insulae in sinu Arabico. *Plin.* 6, 29. *ante med.* ed. *Hard. B. A.*

*ERATOSTHĒNES, is, m. Ἐρατοσθένης, Cyrenaeus, Aristonis Chii et Callimachi poetae discipulus, Plato minor a quibusdam ob doctrinam vocitatus, praefuit bibliothecae regiae. Scripsit, praeter philosophica, poemata, geographica, historias, astronomica, de sectis dialogos. *Caes. B. G.* 6, 24. *Cic. Att.* 2, 6. *Varr. R. R.* 1, 2. *Plin.* 2, 108. *Quint.* 1, 1. et 11, 2. *B. A.*

[ĒRĀTUS, i, m. ἐρατός, amabilis. Est cogn. Rom. V. in ERASTE. *F.*]

*ERAVISCI, orum, populi Pannoniae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

[ERCAVĪCENSIS, e, adj. ad Ercavicam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, nunc *Santaver*, de qua *Liv.* 40, 50. *Inscr.* ap. *Grut.* 382, 9. M. Calpurnio M. F. Lupo Flamini Provinciae Hispaniae Citerioris ex conventu Cesaraugustano Ercavicensium. *Plin.* 3, 3, 4. appellat *Ergavicenses*. At nummi ap. *Eckh. D. N. V. T.* 1, 50. praeferunt *Ercavica*. *F.*]

ERCISCO. V. HERCISCO.

ERCTUS. V. HERCTUS.

ĒRĔBĔUS, a, um, adj. Ἐρεβεῖος, ad Erebum pertinens. *Ov. Ib.* 270. Pectoraque unxerunt Erebeae felle colubrae.

*EREBINTHODES, is, insula Propontidis. *Plin.* 5, 32. ed. *Hard.* Antea legebatur *Erebindus. B. A.*

ĒRĔBUS, i, m. est ab עֶרֶב vesper, hinc Ἔρεβος, Graece, et Latine *Erebus*, filius Demogorgonis, et Terrae, vel, ut *Hyg. praef. Myth.* docet, Chaus et Caliginis; frater Noctis et Diei, idemque sororis suae maritus. *Fest.* tamen ex *Varrone* Noctis patrem facit. *Cic. N. D.* 3, 17. Aether, et Dies, eorumque fratres, et sorores: qui a genealogis antiquis sic nominantur, Amor, Dolus, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia: quos omnes Erebo, et Nocte natos ferunt. *Virg. A.* 4, 511. Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque, Tergeminamque Hecaten. ℙ Significat etiam profunditatem Inferorum, et interiores densioresque Tartari tenebras, uti docent *Fest.* et *Serv.* ad illud *G.* 4, 471. At cantu commotae Erebi de sedibus imis etc. et ad *A.* 4. *cit.* Sic *Senec. Oed.* 160. Rupere Erebi claustra profundi Turba sororum face Tartarea. ℙ Ponitur et universim pro ipsis inferis. *Val. Fl.* 2, 120. de Fama. Non Erebi, non Diva Poli. *Id.* 4, 407. Erebi virgo, *h. e.* Tisiphone. *Senec. Herc. Oet.* 1369. Rector Erebi. ℙ Legitur et *Herebus.*

ĒRECHTHĒUS *vel* Erichtheus, a, um, adj. Ἐρεχθεῖος, possess. ab Erechtheo rege Athenarum, ut Erechtheum litus, *Val. Max.* 6, 1. *n.* 1. *extern.* Erechtheae arces, *h. e.* Athenae: ut legit *Heins.* ap. *Ov. Met.* 8, 547. Erechthea domus, *Id. Fast.* 5, 204. ℙ Porro Erechthei, seu, Erichthei (cujus rectus casus est trisyllab. Ἐρεχθεύς) regis meminit *Cic. Fin.* 5, 22., *Tusc.* 1, 48. et *Sext.* 21. cujus filias virgines pro salute civium mortem contempsisse, commemorat. Adde *Just.* 2, 6. Ab aliis *Erichthonius* vocatur: ab aliis distinguitur. Fuit autem pater duorum filiorum, totidemque puellarum, quarum unam Orithyiam raptam Boreas in Thaciam transtulit, et Calais, Zethisque matrem fecit, ut est ap. *Ov. Met.* 6. *s. f.* ℙ Fuit etiam *Erechtheus* titulus tragoediae *Ennii*, cujus fragmentum affert *Gell.* 6, 16.

ĒRECHTHĪDAE, arum, m. plur. Ἐρεχθεῖδαι, Athenienses, ab Erechtheo eorum rege. *Ov. Met.* 7, 430. Nullus Erechthidis fertur celebratior illo Illuxisse dies.

ĒRECHTHIS, ĭdis, f. Ἐρεχθίς, Orithyia filia Erechthei. *Ov. Her.* 16, 343. Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces. ℙ Est etiam Procris altera Erechthei filia. *Id. Met.* 7, 726. Vix aditu per mille dolos ad Erechthida facto.

[ĒRECHTHOMĒNUS, i, m. ἐρεχθόμενος, molestia affectus, partic. ab ἐρέχθω, molestia afficio. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Grut.* 605, 10. Ti. Claudius Erechtomenus. Aspirata more Latinis usitato hic desideratur. *F.*]

ĒRECTĒ, adv. cujus comparativum habetur ap. *Gell.* 7, 3. *s. f.* Commodius, erectiusque de his meis verbis existimabit, judiciumque faciet, qui etc. *h. e.* fidentius. *Ammian.* 15, 5. Erectius loqui, *h. e.* liberius.

ĒRECTĬO, onis, f. actus erigendi, ἀνάστασις. *Vitr.* 10, 5. *extr.* Sine tignorum erectionibus. [*ib.* 8. *praef.* Erectio firma. i. e. vis procreandi.]

ĒRECTUS, a, um, part. ab *erigo*, rectus, stans, sublatus, ἀνυψωθείς. *Cic. N. D.* 2, 56. Deus homines humo excitatos, celsos et erectos constituit. *Id. Or.* 59. Status erectus et celsus. [*Tac. H.* 1, 53. Erecto incessu.] *Cels.* 7, 16. Resupinandus homo est, coxis erectioribus. [*Petr. fragm. Trag.* 52. Erectis supra frontem manibus. Vid. *Heins.* ad *Vell. Pat.* 2, 71.] *Cic. Sen.* 15. Herbescens viriditas culmo erecta geniculato. *Auct. ad Her.* 4, 55. Sudans oculis ardentibus, erecto capillo. *Senec. Herc. Oet.* 707. Erectus horret crinis. *Sil.* 2, 668. Squalentemque erecta comam. Al. leg. *arrecta. Ov. Met.* 3, 43. Serpens media plus parte leves erectus in auras. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 24. Palmes erectus ad arborem. *Virg. A.* 1, 504. Pyra erecta sub auras. *Stat. Th.* 6, 502. Equus erectus in armos. *Liv.* 8, 7. Equus prioribus pedibus erectis, excussit equitem. *Id.* 4, 22. Erecta in arcem via. *Curt.* 8, 11. Petra in metae modum erecta. *Caes. B. G.* 3, 13. Prorae admodum erectae. *Pall.* 1, 8. Praetorii situs sit loco aliquatenus erectiore, et sicciore. *Claud. carm. de Apono* 11. Alto colle minor, planis erectior arvis. *Petr. Sat.* 132. Erectus in cubitum. ℙ Pisces erecti ap. *Colum.* 8, 17. *a med.* opponuntur prostratis, planis, cubantibus. V. JACENS. ℙ Translate. *Cic. Font.* 11. Eos hic sagatos, bracatosque versari, animo demisso atque humili: hi contra vagantur laeti atque erecti passim toto foro. *Id. Sen.* 20. Legiones nostras in eum saepe locum profectas alacri animo, et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. [*Atque ita *erectus* etiam animalibus tribuitur. *Auct. ad Her.* 2, 19. Feras bestias videmus alacres et erectas vadere, ut alteri bestiae noceant.] *Id. Tusc.* 5, 14. Vir celsus et erectus, et ea, quae homini accidere possunt, omnia parva ducens. [*Hinc *erectus* de habitu hominis sibi confidentis. *Cic. Or.* 1, 40. *Font.* 11.] *Id. Dejot.* 13. Magno animo et erecto esse, nec unquam succumbere inimicis. *Id. Phil.* 4, 5. Ardentes et erecti ad libertatem recuperandam. *Id.* ad *Brut.* 1, 10. Erectior senatus erat non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. *Petr. Sat.* 88. Erectus his sermonibus. i. e. firmatus. *Tac. H.* 2, 74. Erectus in spem. *Cic. Off.* 1, 30. Homo paulo erectior, *h. e.* superior voluptate corporis, neque se facile abjiciens atque prosternens ad turpia et flagitiosa. *Id. Fam.* 5, 12. Cujus studium in legendo non erectum Themistoclis fuga redituque retinetur? [*i. e. attentum. Sic *erectus* de auditore attento *Cic. Brut.* 54. Adspicere erectos, intuentes judices.] *Liv.* 3, 47. Cum civitas in foro exspectatione erecta staret. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 54, 8.] *Quint.* 1, 3. Mens erecta circa studia. *Id.* 11, 3. *sub f.* Erecta et concitata voce dicere. et *ib.* 1. *ante med.* Neque tam plenum et erectum, et audax, et praecultum eloquentiae genus senibus convenit, quam pressum, et mite, et limatum. ℙ *Sup. *Erectissimus* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*), 1, 31. In eo obeliscos quoque duos videt proceritudinis erectissimae. *B. A.* ℙ [*Confunduntur a librariis *Erectus* et *Adrectus*, *Drak.* ad *Liv.* 8, 37, 2. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 23. *Verheyk.* ad *Eutr.* 10, 2. — et *Electus. Drak.* ad *Liv.* 28, 36, 7. — et *Ereptus. id.* ad *Liv.* 3, 5, 7.]

ĒRĒMĪGĀTUS, a, um, part. ab *eremigo*, remigando, seu navibus emensus. *Plin.* 2, 67, 67. Parvo brevius quam totus, septentrio eremigatus.

ĒRĒMĪGO, as, avi, atum, a. 1. remigando, et navigando emetior. *Sil.* 14, 190. Innatat albus olor, pronoque immobile corpus Dat fluvio, et pedibus tacitas eremigat undas.

ĒRĒMĪTA, ae, m. ἐρημίτης, qui in eremo habitat. *Sulpic. Sev. Dial.* 17. V. ANACHORETA.

ĒRĒMĪTIS, ĭdis, adj. f. ἐρημῖτις, quae est ab eremo. *Sid. ep.* 9, 3. Palaestra congregationis eremitidis.

ĒRĒMODĪCĬUM, ii, n. ἐρημοδίκιον, vadimonium desertum, vel desertio causae negligentia partium facta, et poena, quae pro tali desertione infligitur, ab ἔρημος desertus, et δίκη, judicium. *Ulp. Dig.* 46, 7, 13. Ex eremodicio sententiam pati. *Id.* 4, 4, 7. *extr.* In eremodiciis eis subvenitur. *Imp. Just. Cod.* 3, 1, 13. *ante med.* Eremodicium contrahere.

ĒRĒMUS, i, m. et f. ἔρημος, Graeca vox adjectiva, desertum, solitarium, solum significans, et subintelligitur locus, vel regio. *Tertull. Idolol.* 5. Moyses in eremo simulacrum serpentis ex aere fecit. *Impp. Grat., Valent. et Theod. Cod.* 11, 57, 4. Loca sterilia, atque erema, his quae culta atque opima sunt, compensentur. Adde *Hieron. de vita Pauli pr. Erem.* et *Sulp. Sev. Dial.* 1, 15. ℙ Corripuit mediam non imitandus *Prud. Cathem.* 5, 89., *Psychom.* 371. et *Enchir.* 12.

ĒRĔPO, is, epsi, eptum, n. 3. ἑρπύζω, rependo exeo. *Varr. R. R.* 3, 15. Tota maceria tectorio intrinsecus incrustatur, ne ex ea *(glis)* erepere possit. *Stat. Th.* 11, 580. profundis erepsit tenebris. *Sil.* 15, 617. Erepit suspensa ferens vestigia castri. *Pl. Aul.* 4, 4, 1. Foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo. *Juven.* 6, 524. inde Superbi Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis Erepet genibus, *h. e.* genibus rependo emetietur. ℙ Item rependo ascendere. *Suet. Tib.* 60. Quod is a tergo insulae per aspera et devia erepsisset ad se. *Hor. Sat.* 1, 5, 79. Montes quos nunquam erepsemus, *h. e.* transissemus. syncope pro *erepsissemus.* [*V. *Burm.* ad *Prop.* 1, 3, 27.] ℙ Translate. [*Hoc sensu restituere voluit *Gron.* ad *Sen. N. Q.* 6, 8. hoc verbum *Val. Max.* 1, 5, 6. In capite ejus subito velut cornua erepserunt. ubi alii *emerserunt*, *eruperunt*, *erexerunt.*] *Stat. Silv.* 2, 2, 30. Inde per obliquas erepit porticus arces, *h. e.* ascendendo, et descendendo extenditur.

ĒREPTĬO, onis, f. *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Putabat ereptionem esse, non emptionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret.

ĒREPTO, as, avi, atum, n. 1. frequentat. ab *erepo.* Translate. *Sen. ep.* 101. *sub init.* Pecunia circa paupertatem plurimum morae habet, dum ex illa ereptat, *h. e.* exit, expeditur.

ĒREPTOR, oris, m. qui eripit. *Cic. Quint.* 8. Iste homo acerrimus bonorum possessor, expulsor, ereptor. *Id. Dom.* 30. *ad f.* Ereptor civitatis. [*Id. Sext.* 51. Ereptor libertatis.] *Tac. A.* 13, 55. Terrarum ereptores.

[*EREPTORIUS, a, um. Hanc vocem probabiliter restituendam censet *Hugo* in *Ulp. Fragm.* 19, 17. Lege nobis acquiritur, velut caducum, vel ereptorium.]

ĒREPTUS, a, um, partic. ab *eripio*, raptus, ademptus, ablatus. *Hirt. B. G.* 8, 50. Ereptus Galbae consulatus. *Curt.* 9, 7. *ad f.* Ereptus gladius alicui. *Nep. Epam.* 4. Ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem. *Ov. Pont.* 4, 7, 26. Ereptae opes. *Virg. A.* 3, 330. Erepta conjux. *Ov. Her.* 10, 43. Ereptus oculis. *Id. Met.* 15, 136. ereptae viventi pectore fibrae. ℙ Item morte raptus. *Val. Fl.* 3, 316. Primis conjux ereptus in annis. *Albin.* 1, 65. Vidimus erepta moerentem stirpe sororis. *Curt.* 10, 5. In flore aetatis ereptus rebus humanis. ℙ Item detractus. *Virg. A.* 11, 679. Pellis erepta juvenco. *Liv.* 23, 45. Ereptus ex equo. *Ov. Met.* 10, 386. erepta vincula collo. ℙ Item subductus. *Hor. Ep.* 2, 60. Haedus ereptus lupo. *Cic. Rosc. Am.* 51. Sex. Roscii vita erepta de manibus sectorum. *Caes. B. G.* 1, 53. Ereptus e manibus hostium. *Cic. Catil.* 1, 8. Vita multis suppliciis justis debitisque erepta. *Id. Arch.* 9. Urbs ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus erepta. *Virg. A.* 1, 600. Aeneas libycis ereptus ab undis. *Prop.* 1, 21, 7. per medios ereptus Caesaris enses. *Hor. Od.* 4, 8, 25. Ereptus Stygiis fluctibus Aeacus. *Virg. A.* 3, 711. tantis nequicquam erepte periclis. *Ov. Met.* 1, 358. Ereptus fatis. *Just.* 13, 1. praesenti morte. ℙ [*Item extortus, expressus. *Cic. Verr.* 1, 30. Non per Neronem judicatum, sed per Dolabellam ereptum existimabatur.]

ĒRES, is, m. χήρ, ericius, sive erinaceus. *Nemesian. Cyneg.* 57. Implicitumque sinu spinosi corporis erem Ferre domum. *Pl. Capt.* 1, 2, 81. I modo, venare leporem, nunc erem tenes. *Id. Men.* 3, 2, 28. cui ego aeque ac eres haeream. Alii melius leg. *heres eram.* ℙ Scribitur et *heres;* aspirata enim Latini usi sunt aliquando pro Graeca littera X, aliquando etiam eandem omisere.

*ERESSOS vel Eressus vel Erēsos, i, f. Ἔρεσσος, Ἔρεσος, oppidum Lesbi insulae, ubi natus Theophrastus. *Mela* 2, 7. *post init. Plin.* 5, 31. *B. A.*

ĒRĔTĪNUS, a, um, adj. ad Eretum pertinens, Graece Ἤρητον, montem et vicum Sabinorum in via Salaria, in colle edito, qui nunc *Monte rotondo* dicitur, cujus meminere *Liv.* 3, 29. et 26, 11. et *Virg. A.* 7, 711., ubi *Servius:* Oppidum est dictum a Junone, ἀπὸ τῆς Ἥρας, quae illic colitur. Omissa vero est aspiratio, ut saepe a recentioribus Latinis: hinc in *vet. Inscr.* ap. *Lanzium Sagg. di lingua Etr. T.* 2. p. 618. legitur *Hiretum.* [*Heretum* audit *Solin.* 2. (al. 8.) *B. A.*] *Tib.* 4, 8, 3. an villa sit apta puellae, Atque Eretino frigidus annus agro. Alii minus recte leg. *Aretino frigidus amnis agro.* [*Addidit nonnulla. *F.*]

ĒRĔTRĬA, ae, f. genus coloris nativi, nomen habens a loco, ubi nascitur, nempe circa Eretriam Euboeae. Est autem terra alba et cinerea. *Vitr.* 7, 14. et *Plin.* 35, 6, 21. ℙ Habet et in medicina varios usus. *Cels* 5, 15. et 6, 3., ubi *terram Eretriam* vocat, et *Plin. l. c.*, qui *ib.* et 33, 13, 57. *Eretriam cretam* appellat.

ĒRĔTRĬĀCUS, a, um, adj. Eretriaci philosophi denominati sunt a Menedemo, qui Eretriam Euboeae (ut est apud *Plin.* 4, 12, 21.) patriam habuit, quique docuit, omne hominis bonum in mente positum esse et mentis acie, qua verum cernitur, uti docet *Cic. Acad.* 4, 42. ℙ Iidem *Eretrici* dicuntur ab *eod. Or.* 3, 17. et *Tusc.* 5, 39. et ab *Sen. ep.* 88. *sub f.*

ĒRĔTRĬAS, ădis, m. et f. qui est ex Eretria urbe Euboeae. *Cic. Acad.* 4, 42. Menedemus, qui fuit Eretrias.

ĒRĔTRĪCUS. V. ERETRIACUS.

[*ĒRĔTRĬENSIS, e, adj. ad Eretriam pertinens, Euboeae urbem. *Nep. Paus.* 2. Gongylus Eretriensis. ℙ *Eretrienses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Liv.* 35, 38. Eo miserunt, qui orarent Eretrienses Carystiosque. *F.*]

ĒREUTHODĀNUS. V. ERYTHODANUS.

ERGA, praepos. e regione, versus, ἀντίον. *Pl. Truc.* 2, 4, 52. Tonstricem Suram novisti nostram, quae modo erga aedes habet? Al. leg.: *quae erga aedes sese habet.* ℙ Item prope vel circa. *Appul. Dogm. Plat.* 1. p. 9. 21. Sed et machinamenta, quibus sensus instructi sunt, ibidem erga regiam capitis constituta esse, in conspectu Rationis. ℙ Saepe refertur ad personas. *Cic. Or.* 2, 49. *sub f.* Ut in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. *Ter. Hec.* 3, 5, 36. Quae nunquam quidquam erga me commerita est, quod nollem. ℙ [*Apud *Tac.* etiam ad inanimas res transfertur. *Ann.* 2, 2. Fastu erga patrias epulas. 4, 20. Diligentia erga pecuniam alienam. Vid *Boetticher.* Lex. *Tac.*] ℙ Saepissime significat propensam voluntatem, studium in aliquem. *Cic.* ad *Planc. post ep.* 16. *l.* 16. ad *Att.* Tua voluntas erga me meaque erga te, par atque mutua. *Id. Am.* 16. Ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos. *Id. N. D.* 2, 23. Id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. *Id. Att.* 8, 3. Merita Pompeji summa erga salutem meam. *Id. Dom.* 56. Omne erga meam dignitatem studium et judicium. *Id. Off.* 1, 15. Habere benevolentiam erga aliquem. ℙ Postponitur interdum suo casui. *Ter. Heaut.* 1, 2, 15. Timet omnia, patris iram et animum amicae, se

erga ut sit suae. Et 2, 3, 24. Est animus te erga idem ac fuit. ℙ Aliquando ponitur pro adversus. [*Qua significatione scriptores quo sunt recentiores, eo saepius ponunt.] *Nep. Dat.* 10. Odio communi, quod erga regem susceperant. *Id. Alc.* 4. Crudelitas erga nobiles. *Pl. Ep.* 3, 3, 8. Quasi quid filius meus deliquisset med erga. Adde *Asin.* 1, 1, 5. Est autem illud *d* additum voci *me* ad vitandum hiatum et elisionem vocalium. V. in littera D. ℙ [*Apud *Tac. A.* 4, 74. nihil est nisi *quod attinet ad.* Verba sunt: Anxii erga Sejanum. ℙ Mirum in modum adhibent serioris aetatis scriptores, veluti *Ammian. Marc.*, qui nonnunquam ponit, ubi prorsus abesse debebat. Sic 14, 1, 8. Adolescebat obstinatum propositum erga haec et similia multa scrutandi, ad quem loc. *Wagn. affert* 16, 10, 7. 21, 16, 1.]

[ERGĀSĪMUS, i, m. ἐργάσιμος, elaboratus vel qui elaborari potest. Est cognomen Romanum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1571, 1. C. Antistius Menophili L. Ergasimus. *F.*]

ERGASTĒRĬUM, ii, n. ἐργαστήριον, officina, in qua artifices operantur: ab ἐργάζομαι, operor. *Imp. Constant. Cod.* 1, 3, 2. Quod ex eorundem ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit. Adde *Impp. Arc.* et *Honor. ib.* 12, 41, 2.

[ERGASTĪCUS, a, um, adj. ἐργαστικός, operarius. *Capell.* 6. p. 231. Alia schemata dicuntur ergastica, alia apodictica: ergastica sunt, quae faciendae cujuslibet formae praecepta continent; apodictica, quae probandi, quod asseverant, afferunt documenta. *F.*]

ERGASTŪLĀRIS, e, adj. ad ergastulum pertinens. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. a med.* In tenebris ergastularibus constitutus.

ERGASTŪLĀRĬUS, a, um, adj. praefectus compeditis ad eorum custodiam et ad opera exigenda. *Ammian.* 14. *sub f.* Eunus quidam ergastularius servus ductavit in Sicilia fugitivos. ℙ *Ergastularii* absolute ap. *Colum.* 1, 8. *a med.* sunt servi soluti, qui compeditis in ergastulo praesunt.

ERGASTŪLUM, i, n. ἐργαστήριον, carcer rusticus, locus scil. in agris, ubi servi ad faciendum opus vincti detinebantur: ab ἐργάζομαι, operor. *Appul. Apol.* p. 304. 37. Quindecim liberi homines, populus est; totidem servi, familia; totidem vincti, ergastulum. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Quacumque iit, ergastula solvit, homines arripuit. *Cic. Cluent.* 8. Esse in ergastulo apud aliquem. *Liv.* 2, 23. Ducere aliquem in ergastulum et carnificinam. [*ad quem locum *Drak.* contendit Livium veterem rem recentiore vocabulo expressisse.] Et 7, 4. Dare quempiam in carcerem atque in ergastulum. *Cic. Rabir. perduell.* 7. Etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus. *Colum.* 1, 6. Ergastulum subterraneum. [*Cf. *Salm.* ad *Spart.* 18. T. I. p. 172.] ℙ Per metonymiam ponitur pro ipsis servis, qui in ergastulo sunt. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Coli rura ab ergastulis, pessimum est, et quidquid agitur a desperantibus. (Posset hoc et ad sequent. dictionem referri.) *Juven.* 14, 24. Quem mire afficiunt inscripta ergastula. [*Flor. 4, 8, 1. Quum ergastula armasset, *h. e.* servos ergastularios.]

ERGASTŪLUS, i, m. servus, qui ergastulo inclusus, ex vinculis, seu compedibus opus facit. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 102. Ut nemo sententiam liberè, quasi ergastulus, possit dicere. *Nonius* interpretatur ergastuli custodem, sed improbat *Lipsius Elector.* 2, 15.

ERGĀTA, ae, m. ἐργάτης, machina tractoria, axe recto, ac stante, quae ambientibus, et obnitentibus vectiariis versatur: et exonerandis praecipue navibus, aliisque magnis ponderibus trahendis inservit. *Vitr.* 10, 4. Alter funis refertur ad ergatam.

[ERGĀTĪCUS, a, um, adj. ἐργατικός, ad ergatam pertinens. *Not. Tir.* p. 177. Ergata, ergaticus. *F.*]

*ERGETĪNI, orum, incolae Ergeti urbis. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*ERGĒTUM, i, n. urbs Siciliae. *Sil.* 14, 250. ubi et *Hergentum* legitur. Ἔργετιον est *Steph. Byzant. B. A.*

*ERGEUS, ei et eos, pater Celaenus, ex qua Euphemum, Lycum et Nyctaeum Neptunus genuit. *Hygin. fab.* 157. *B. A.*

*ERGĪNOS vel Erginus, i, m. Ἔργινος, Thraciae amnis, circa Propontidem. *Mela* 2, 2. *med. Plin.* 4, 11. ℙ Item filius Neptuni, Argonautarum unus. *Hygin. fab.* 14. *B. A.*

ERGO, χάριν, διὰ, usurpatur loco ablativi *gratia*, aut *causa*, et significat *propter*. Regit autem genitivum, et suo casui semper postponitur. *Cic. Opt. gen. orat.* 7. Eum donari virtutis ergo, benevolentiaeque, quam erga populum Atheniensem haberet. *Cic. Leg.* 2, 25. *extr.* Ne mulieres fessum funeris ergo habento. *Nep. Paus.* 1. Ejus victoriae ergo Apollini donum dedisse. [*Observa solemnem esse in ejusmodi donariis atque inscriptionibus hujus vocis usum.] *Virg. A.* 6, 670. illius ergo Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnes. *Cic. Att.* 3, 23. Si quid contra alias leges ejus legis ergo factum sit. *Lucr.* 5, 1245. formidinis ergo. ℙ In hac significatione ultimam habet semper longam, ut affirmat *Festus.* Volunt enim esse ab ἔργω, dativo vocis ἔργον, opus, res: quasi valeat *re vera.* [*Omnino antiquiores poetae producunt ultimam hujus vocis. V. *Heusing. Observ. antibarb.* p. 438. *Huschke.* ad *Tib.* 1, 1, 19. p. 15. 3, 2, 9. p. 440. *Broukh.* ad *Prop.* 3, 5, 1. Apud recentiores saepe corripitur.] ℙ Saepius est Apud recentiores saepe corripitur.] ℙ Saepius est conjunctio, qua unum ex alio inferimus, igitur, itaque, ἄρα, οὖν. *Cic. Fin.* 5, 9. Ergo instituto veterum, hinc capiamus exordium. *Id. Acad.* 4, 23. Num ergo is excaecat nos? *Ter. Ph.* 5, 7, 55. Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini? *Pl.* Quid vos, malum! ergo me sic ludificamini? *Ca. Ps.* 1, 1, 38. Tace, dum tabellas pellego. *Ca.* primum magnitudo periculi etc. *Liv.* 2, 28. Correpti consules, cum, quid ergo se facere vellent percunctarentur, decernunt etc. *Id.* 23, 12. *extr.* Hostium quidem ergo adhuc nimis multum superest. ℙ Servit eleganter conquestioni [*Heind. ad *Hor. Sat.* 2, 5, 101. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 5, 33.] et indignationi. [*Scilicet hoc fit tum quum argumentatio est a minore ad majus. Alia exempla habet *Matth.* ad *Cic. Arch.* 8. *Beier.* ad *Off.* 1, 31. *Goer.* ad *Fin.* 1, 21. 2, 33.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 17. Ergo me potius in Hispania fuisse tum, quam Formiis, cum tu profectus es ad Pompejum? *Ov. Amor.* 2, 7, 1. Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper? *Prop.* 3, 21, 1. Ergo tam doctae nobis periere tabellae. Et *ib.* 5, 1. Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae. *Liv.* 2, 40. Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? ℙ Aliquando, rarius tamen, ultimam habet brevem. *Juven.* 13, 204. Reddidit ergo metu, non moribus. Et 14, 64. Ergo miser trepidas etc. [*V. quae supra annotavimus.] ℙ *Ergo igitur* quasi *itaque re vera*, saepe numero ab *Appulejo* dictum est *Met. l.* 2. 3. 4. 5. 7. et 9., quin et *Pl. Trin.* 3, 3, 27. Quo pacto ergo igitur? ℙ Interdum ponitur pro merito. *Virg. Ecl.* 5, 58. Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas, Panaque, pastoresque tenet. Ubi *Servius:* Antiqui *ergo* pro *merito* dicebant, sicut hic accipitur. Plautus in Persa (1, 1, 24.) *Sa.* Satin' tu usque valuisti? *To.* haud probe. *Sa.* Ergo edepol palles. Item in Milite (11, 61.) Hiccine Achilles est, inquit, mihi? imo ejus frater, inquam. Innuit illarum altera: Ergo mecastor pulcher. Haec *Servius:* item *Philargyr.* ad *Virg. G.* 2, 393. ℙ Post interjectam sententiam longiusculam, vicem gerit v. *inquam. Cic. Phil.* 12, 9. Tres viae sunt ad Mutinam, quo etc. Tres ergo, ut dixi, viae. *Id. Fam.* 15, 10. Cum id accidit, quod mihi etc., cum ergo ita accidit, ut etc. *Id. Tusc.* 1, 7. Omne pronunciatum (sic enim mihi etc.) id ergo est pronunciatum etc. [*V. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 2, 34, 113. p. 289.] ℙ Pro *inquam* est etiam in illo *Ter. Andr.* 5, 2, 8. *Si.* Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? *Da.* mihine? *Si.* ita. *Da.* mihine? *Si.* tibi ergo. Et *Pl. Poen.* 5, 2, 90. Nam mihi tuus pater, pater tuus ergo hospes Antidamas fuit. ℙ Reperitur et pro *sed*, *verum*, adversandi vi. *Albin.* 2, 9. Nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici: Lollius hoc ergo conciliavit opus. Et 113. Redditur arboribus florens revirentibus aetas? Ergo non homini, quod fuit ante, redit. ℙ Et pro *at*, *atqui. Pl. Bacch.* 1, 2, 17. Non hic placet mihi ornatus. *Pi.* nemo ergo tibi hoc apparavit: mihi paratum est, cui placet. *Id. Cas.* 3, 4, 9. nempe tute dixeras, Tuam arcessituram esse hinc uxorem meam. *Sta.* Ergo arcessivisse ait sese. ℙ Et pro *tum*, *deinde. Prop.* 3, 2, 27. Hic erat affixis viridis spelunca lapillis, Pendebantque cavis tympana pumicibus. Ergo Musarum, et Sileni patris imago Fictilis, et calami, Pan Tegeaee, tui. ℙ Et pro *vero*, *autem. Pl. Men.* 2, 2, 51. Jam ergo haec madebunt, faxo: nihil morabitur. [*Burm. ad *Prop.* 3, 2, 29.] ℙ Videtur et pro *sane*, *certe. Id. Amph.* 1, 1, 20. Ergo in servitute expetunt multa iniqua. Adde *Asin.* 2, 2, 49. Nisi malis, his et similibus locis continuandae tantummodo orationi inservire. *Prisc.* 18. p. 1170. Similiter *nam*, *enim*, *ergo*, non solum causales vel rationales, sed etiam completivae et confirmativae inveniuntur, et praepositivae et subjunctivae, quomodo δή apud Graecos. Et p. 1192. Similiter nostri frequenter *ergo* repletivi loco accipiunt. Deinde ponit verba *Terentii* supra allata ex *Andr.* 5, 2, 8. Certe continuat orationem in illo *Virg. Cir.* 29. Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae. Et *Grat. Cyn.* 105. Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis. ℙ [*Confunduntur *Ergo* et *ego. Drak.* ad *Liv.* 37, 53, 11. — et *igitur. Id.* ad *Liv.* 21, 40, 6. — et *gratia. Id.* ad *Liv.* 1, 18, 6. 22, 38, 4. 37, 47, 4. — et *caussa. Id.* ad *Liv.* 22, 38, 4.]

ERGŌLĀBUS, i, m. operarius, qui opus aliquod faciendum conducit, redemptor: ab ἔργον, opus, et λαμβάνω, suscipio. *Imp. Zeno Cod.* 4, 59. Aedificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores, etc.

ĒRĪCAEUS, a, um, adj. ex erice factus, ut Ericaeum mel dicitur, quod apes colligunt ex floribus erices arboris, serotinum, et minus probum. *Plin.* 11, 16, 15.

ĒRĪCĒ, es, f. ἐρείκη, et ἐρίκη, frutex non multum a myrice differens, colore rorismarini, et paene folio. Adversari serpentibus tradunt. *Plin.* 24, 9, 29. et 11, 16, 15.

ĒRICHTHĒUS, a, um, adj. idem quod Erechtheus. *Virg. Cir.* 22. Qualis Erichtheis olim portatur Athenis. *Sidon. carm.* 2, 167. Quidquid Erichtheis Cynicorum turba volutat Gymnasiis.

ĒRICHTHĒUS, i, m. V. in ERECHTHEUS.

ERICHTHO, us, f. Ἐριχθώ, saga celebris in Thessalia, cujus ope Pompeji M. filius usus est ad exploranda belli fata. V. *Lucan.* 6, 507. et sqq. Meminit etiam *Ov. Her.* 15, 139. vel hanc eandem intelligens, vel pro quavis saga usurpans.

ĒRICHTHŌNĬUS, a, um, adj. V. v. seq.

ĒRICHTHŌNĬUS, ii, m. Ἐριχθόνιος, vel Erichtheus, Ἐριχθεύς, Atheniensium rex, e semine Vulcani in terram projecto editus, ab ἔρις, lis, et χθών, terra. Nam cum Vulcanus Diis arma fecisset, eique Juppiter optionem dedisset praemii, quod vellet, postulandi, jurassetque per infernam paludem, se nihil negaturum, tum ille Minervae nuptias postulavit. Hic Juppiter abnuere non potuit, Minervam tamen monuit repugnare, pudicitiamque defendere. In illa colluctatione Vulcanum in terram profudisse ajunt semen, atque inde editum esse puerum draconum pedibus nomine Erichthonium. Minerva puerum suscepit, educavit, et Atheniensibus regem dedit. Hinc Athenae *Erichtheae*, Athenienses *Erichthonii* dicti sunt. Cum adolevisset, ut pedum deformitatem tegeret, primus cursus usum adinvenit. Filios reliquit Procrin, Orithyam, Pandionem. Post mortem in coelum translatus est, factumque sidus ex tredecim stellis constans: quod alio nomine *auriga* dicitur, de quo V. suo loco. *Hygin. fab.* 166. et *Serv.* ad illud *Virg. G.* 3, 113. Primus Erichthonius currus et quatuor ausus Jungere equos. ℙ Fuit etiam unus ex Trojanorum regibus, Dardani filius, Assaraci, vel, ut alii volunt, Trois pater. *Ov. Fast.* 4, 31. et *Serv.* ad *A.* 8, 130. ℙ Hinc adjective Erichthoniae arces, *h. e.* Troja, ap. *Virg. Cul.* 335. Erichthonius populus, ap. *Prop.* 2, 5, 4. est Atheniensis.

ĒRĪCĬUS, ii, m. χήρ, ἐχῖνος, idem ac eres, et erinaceus. *Varr.* ap. *Non.* 1, 241. et 2, 292. Se circumspexe, atque invenisse, cum dormire coepisset tam glaber, quam Socrates, Calvum esse factum ericium pilis albis cum proboscide. ℙ Item machina militaris, scilicet trabs prominentibus ferreis aculeis munita (ita dicta a similitudine ericii) quae transversim portae praetensa aditum praecludebat. Galli nunc *cheval de frise* vocant [*nos: *spanische Reuter*]. *Caes. B. C.* 3, 67. Erat objectus portis ericius. *Sall.* ap. *Non.* 18, 16. Axe vinctae trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum. Adde *Isid. Orig.* 12, 3. ℙ Scribitur et *hericius.* V. ERES.

*ERICŪSA, ae, f. Ἐρικοῦσα, una ex septem insulis Lipareis, quam ab arbustis vocatam, et ad pascua prorsus omissam tradit *Strabo Plin.* 3, 9. ℙ Item insula prope Corcyram. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ĒRĪDANUS, i, m. Ἠριδανός, vetus est, et Graeca, et fere poetica appellatio Padi, maximi Italiae fluvii. Etymon est ab ἦρ, ἦρος, ver, (quia verno maxime tempore fluvii ex nivibus liquescentibus intumescunt) et *dan*, antiquissima Celtarum voce, qua plures Europae septentrionalis fluvii sunt appellati: ut *Danuvius; Tanais* pro *Danais*, qui nunc *Don* dicitur; *Danaper* vel *Danapris*, nunc *Dnieper* vel *Nieper; Danaster*, nunc *Dniester* vel *Niester;* et *Dania* provincia, quam mare undique alluit. Hujus vero appellationis haec fuisse causa videtur. Cum antiquitus Graeci homines, apud quos in Attica esset fluvius Ἠριδανὸς in Ilissum influens, auditione accepissent, ut constat ex *Herod.* 3, 115., apud Venedos in Germania septentrionali ad ripas Redani fluvii (qui nunc *Rodaune* appellatus urbem *Danzica* alluit, et in Vistulam influit) electrum seu succinum colligi solitum; cumque id postea vel per Danuvium, vel pedestri itinere per Pannonias, et Illyricum ad ostia Padi invectum, et a Venetis magna copia ibidem divenditum fuisset, Padum ipsum, nominis similitudine decepti, Eridanum vocitarunt, et ad ejusdem ripas electrum inveniri, fabulati sunt. V. *Cluver. Ital. antiq.* 1, 34. *Virg. G.* 1, 481. Proluit insano contorquens vortice silvas Fluvjorum rex Eridanus, camposque per omnes Cum stabulis armenta tulit. *Prop.* 1, 12, 4. Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano. Adde *Virg. G.* 4, 371. et *Plin.* 3, 16, 20. V. ELECTRUM. ℙ In fabulis est Phaethon Solis filius, qui impetrato patris curru, cum eum male regeret, ab Jove fulmine ictus, in Padum decidit, eique nomen dedit, ut *Serv.* narrat ad *A.* 6, 659., quo loco *Virg.* Eridanum ponit apud Inferos, idque ea de causa fingit, quia Padus oritur ab ea parte Alpium, quae mare inferum spectant, ac usque ad superum tendit: vel quia omnia flumina ex terrae visceribus oriri putantur. *Serv. ib.* ℙ Est

etiam Sidus austrinum in coelo, quod fabulantur Eridanum inter astra translatum esse propter multas utilitates, quas affert regionibus circa positis. Alii tamen putant esse oceanum: alii rectius Nilum, qui Eridano major est, suisque regionibus longe utilior: praesertim cum non procul ab eo stella sit, quae Canopos dicitur: quo nomine et insula Aegypti, quae flumine Nilo alluitur. *Hyg. Astron.* 2, 32. et *Capell.* 8. p. 282. Porro hoc sidus incipit ad femora Orionis prope aequatorem, et flexuoso ambitu pectus Ceti alluens, usque ad Hydri caput, non procul ab antarctico circulo, se demittit.

ERĬGĔRON, ontis, m. ἠριγέρων, Latine senecio, herba est trixaginis specie et mollitia, cauliculis subrubicundis: nascitur et in tegulis, et in muris. Nomen hoc ei Graeci dederunt, quia vere canescit (ab ἦρ, ἦρος, ver, et γέρων, senex). Caput ejus numerosa dividitur lanugine, qualis est spinae, inter divisuras exeunte. Haec *Plin.* 25, 13, 106., qui 22, 25, 64. in dativo *erigeronti* dixit.

ERĪGĬDUS, a, um, adj. valde rigidus. *Petr. fr. Sat.* p. 681, *ed.* 1. *Burm.* Erigidus strictis qui regnat in ossibus horror. *Id.* tamen *Burm.* in 2. *edit. habet:* Frigidus adstrictis. Idem vero et alii receperunt.

ERĪGO, is, exi, ectum, a. 3. in rectum colloco: ab *e*, et *rego*. *Petr. Sat.* 136. Consurrexi equidem turbatus, anumque non sine risu erexi. *Curt.* 7, 3. Erigere jacentem. *Cic. Fin.* 5, 14. Ars agricolarum, quae arborem circumcidit, amputat, erigit, extollit, adminiculatur. *Id. ib.* 15. Connituntur (*pueri*) ut sese erigant, et manibus utantur. *Id. Leg.* 1, 9. Cum natura ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad coelique conspectum excitavit. [*V. *Heins.* ad *Val. Fl.* 1, 157.] ℙ Item tollo, extollo, excito. *Caes. B. C.* 1, 26. Turres cum ternis tabulatis erigebat. *Flor.* 3, 2. *ad f.* Saxeas erexere turres. *Lucr.* 4, 405. Aliquid alte erigere. *Plin.* 10, 21, 24. in sublime. *Virg. A.* 3, 422. sub auras. Et 9, 240. Erigitur fumus ad sidera. [*Tac. Agr.* 12. Extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras. V. *Hertel.* ad h. l.] *Quint.* 2, 3. Statura breves in digitos eriguntur [*sie treten anf die Zehen]. Sic 11, 3. Erigi in ungues. *Val. Fl.* 8, 367. fundoque iterum violentus ab imo Erigitur. *Tac. G.* 46. Quidquid silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. [*Omnino ap. *Tac.* haec vox frequentissime propria significatione reperitur. V. *Böttich. Lex. Tac.*] *Colum.* 8, 15. Erigere in gradus. [*Stufenweise sich erheben.] *Liv.* 32, 14. scalas ad moenia. *Sil.* 3, 529. gradum, *h. e.* ascendere. [*Tac. Agr.* 18. Erexit aciem, i. e. in arduum montem duxit. V. *Hertel* ad h. l.] *Liv.* 3, 18. aciem in clivum Capitolinum. [V. *Drak.* ad h. l. et ad 10, 26, 3.] ℙ Item dirigere. *Hirt. B. Afr.* 51. Ab suis castris per medium campum duo brachia instituit duci, et ita erigere, ut ad angulum dextrum sinistrumque ejus oppidi convenirent. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 44. *extr.* Oratio non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem capere potest. *Id. Planc.* 13. Ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa civilibus, extollere jam caput, et aliquando recreata se erigere debebat? [*Cic. Sext.* 31. Res erat et causa nostra eo jàm loci, ut erigere oculos et vivere videretur.] *Pomp.* ad *Dom. ep.* 3. *f. post epist.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Possumus etiam nunc rempubl. erigere, si communi consilio negotium administrabimus. *Cic. Cluent.* 70. Spe vestrae aequitatis erigere animum, et paulum respirare a metu coepit, *Id. ib.* 21. Animum demissum et oppressum erigere. *Id. Verr.* 2, 3, 91. Provinciam afflictam et perditam erigere atque recreare. *Nep. Them.* 1. Quae contumelia non fregit eum, sed erexit. [*h. e. ad emendationem ei profuit, eum excitavit.] *Cic. Dom.* 10. Civitatem fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu ad aliquam spem libertatis, et pristinae dignitatis erexit. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *circa med.* Erige te, et confirma, sis fortis, ut *ib. in f.* dicitur. *Id. Dejot.* 14. Erigere se, et ab omni sollicitudine abstrahere. *Tac. H.* 1, 4. Erigere aliquem in spem. *Sall. Jug.* 25. Suos hortando ad virtutem erigere. [*Rut. Lup. de fig. Sent.* 1, 14. p 51. Erigere mentes ad virtutem, ubi v. *Ruhnk.*] *Curt.* 8, 13. Ea pugna multum fiduciam Pori erexit. *Lucan.* 8, 76. Erigere mentem, *h. e.* bene sperare; cui contrarium est *demittere mentem*, desperare, ap. *Virg. A.* 12, 609., ut *Servius* docet. *Gell.* 1, 11. *ad f.* Orationem aut jacentem erigere, aut ferocientem cohibere. *Cic. Coel.* 12. Erigere, et emittere aculeos severitatis in aliquem. ℙ Absolute *erigi* est animum recipere. *Hor. Sat.* 2, 8, 57. Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli Sensimus, erigimur. ℙ Item se ad audiendum parare. *Cic. Or.* 35. In quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum. [*Hinc *erigere se* dicuntur auditores, quum attentiores fiunt, admirantur aliquid in oratione. *Cic. Rosc. Am.* 22.] ℙ *Erigere aures* est attente audire: ductum ab iis animalibus, quae auriculas habent mobiles. *Cic. Sull.* 11. Erigite mentes, auresque vestras, et me de invidiosis rebus dicentem attendite. ℙ Ponitur et pro excitare, acuere. *Auct. ad Her.* 4, 2. Auctoritas antiquorum erigit omnium cupiditates, et acuit industriam, cum spes injecta est, posse imitando Gracchi, aut Crassi consequi facultatem. *Stat. Th.* 7, 670. Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris Erexit rabiem. *Plin. ep.* 8, 3. Erigere exspectationem alicujus. ℙ Pertinet etiam ad eos, qui rebellant, quod erigunt se, assurguntque adversus dominos. [*Omnino ad eos qui se parant ad resistendum. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. Ne te obrui negotii magnitudine sinas, sed contra erigas atque resistas.] *Flor.* 2, 12. Dum aliae, aliaeque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit. Et *ib.* 15. Lusitanos Viriatus erexit. [*Flor.* 1, 21, 2. Erigere libertatem in dominos, h. e. libertate a dominis data adversus ipsos uti.] ℙ Partic. *Erigens* ap. *Liv.* 21, 32. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani. ℙ [*Saepe confunduntur *Erigere* et *arrigere*. V. quos s *v. Erectus* laudavimus. *Erigere* et *exigere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 6, 2, 1. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 51. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 6, 4. p. 570.]

ERĪGONE, es, f. Ἠριγόνη, filia Icarii, quae patrem ab ebriis interfectum insepultumque, cane indicante, cum invenisset, adeo doluit, ut suspendio se necaret. Ob quam pietatem in coelum translata est, factumque sidus, quod *Virginis* appellatur. *Hyg. fab.* 130. et 254. et *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 33. Qua locus Erigonen inter, chelasque sequentes Panditur. V. VIRGO. In ejus inferiis oscilla suspendebantur. V. OSCILLUM. ℙ Alia fuit *Erigone*, filia Aegisthi, et Clytaemnestrae, quam Diana ab imminente caede rapuit, et in Attica sacerdotem fecit. *Hyg. fab.* 122. et *Dyct. Cret.* 5, 2.

ERĪGONĒĬUS, a, um, adj. ad Erigonem pertinens. *Ov. Fast.* 5, 723. Nocte sequente diem Canis Erigoneius exit. V. ANTECANIS.

*ERĪGONUS, i, m. flumen Illyridis Graecae et Macedoniae, in Axium influens. *Liv.* 31, 39. ℙ Ap. *eund.* 39, 54. *Erigon* appellatur. Ἐριγών, ῶνος, est *Straboni*. ℙ Item insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

ERĪGŬO. V. ERIVO.

*ERĪMANTHUS, i, m. nom. propr. cujusdam mathematici, seu divini, quasi contentionum vates. *Juven.* 3, 120. *B. A.*

ERĪNACĔUS, i, m. ἐχῖνος, animal spinis horridum, qui, ubi venatores senserit, contractis ore et pedibus convolvitur in formam pilae, ne quid praeter aculeos comprehendi possit. *Plin.* 8, 37, 56. Praeparant hiemi et erinacei cibos, ac volutati super jacentia poma, affixa spinis, unum amplius tenentes ore portant in cavas arbores. ℙ Scribitur et *Herinaceus*. V. ERES.

*ERĪNEON (um), i, n. oppidum Doridis. *Plin.* 4, 7. *Mela* 2, 3. *ante med. B. A.*

ERĪNEOS, i, f. ἐρίτεος, ἐρῖνος, herba est palmum alta, cauliculis quinis fere, ocimi similitudine, flore candido, semine nigro, parvo: decerpta manat lacte multo, et dulci. *Plin.* 23, 7, 65. ℙ Fuit et Erineos Achaiae oppidum. *Plin.* 4, 5.

*ERĪNNĒ, es, f. Ἠρίννη, poetria Lesbia, Sapphonis aequalis, quae circa olympiadem CVI. floruit, cujus meminit *Prop.* 2, 2, 32. Carminaque Erinnes non putat aequa suis. Illius mentionem facit et *Plin.* 34, 18, 19. *n.* 3. et *Hieron.* in *Chronic.* ad olymp. CVI. 4. *B. A.*

ERĪNNYS, yos, f. Ἠριννύς, una ex infernalibus Furiis, quam in illo *Virg. A.* 2, 337. quo tristis Erinnys, Quo fremitus vocat, etc. *Serv.* interpretatur animi impatientiam, quae in furorem impellit. Dicta videtur ab ἔρις, contentio, et νοῦς, mens, quia contentionibus bellisque gaudet. Hinc ἐριννύειν est indignari: quod est rixantium. Hinc etiam Helena dicitur a *Virg. ib.* 573. Trojae ac patriae communis Erinnys, quia causa fuit belli Trojani: et *civilis Erinnys* ap. *Lucan.* 4, 187. est ipsum bellum civile. Alii deducunt παρὰ τὸ ἀράς ἀνύειν, quod exsecrationes exaudiat, et impleat: alii ἀπὸ τοῦ ἐν τῇ ἔρᾳ ναίειν, quod in terra habitet, h. e. inter homines versetur. ℙ Saepe accipitur ut commune nomen omnium Furiarum. *Prop.* 2, 16, 29. Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes. *Ov. Her.* 11, 103. Ferte faces in me, quas fertis Erinnyes atrae. *Stat. Th.* 11, 345. caeco nec Erinnyas ore rogavi. *Ov. Met.* 1, 725. Horriferamque oculis, animoque objecit Erinnyn Pellicis Argolicae. *Virg. A.* 7, 447. et 570. Erinnyn vocat ipsam Alecto.

ERĬOPHŌROS, i, m. ἠριοφόρος: ab ἔριον, lana, et φέρω, fero: genus bulbi circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, est lanea natura, ex qua impilia, vestesque conficiant. *Plin.* 19, 2, 10. ex *Theophr. Hist. plant.* 7, 13. V. BULBUS.

ERĬOXYLON, i, n. ἠριόξυλον: ab ἔριον, lana, et ξύλον, lignum: est Graece genus lanae, quae ex quibusdam arboribus colligitur. Videtur esse idem ac gossipium, *cotone* Italis dictum. *Ulp. Dig.* 32, 70. §. 9., ubi tamen Graecis litteris scribitur.

ERĬPHĬA, ae, f. ἠριφίη, herba, de qua V. locum *Plin.* in AVENA. ℙ [*Eriphia, Ἠριφίη, fuit Nais, Oceani filia. *Hyg. fab.* 182. *B. A.*]

ERĬPHYLA, ae, et Ĕriphylē, es, f. Ἠριφύλη, Talai filia, Adrasti soror, uxor vero Amphiarai, quae accepto a Polynice Thebarum rege aureo monili, maritum latitantem, ne ad bellum Thebanum traheretur, ubi se moriturum sciebat, prodidit. Quare a filio Alcmaeone post mortem patris interfecta est. *Hyg. fab.* 73. V. ALCMAEON. *Prop.* 3, 11, 57. Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos, Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis. *Ov. A. Am.* 3, 13. Si scelere Oecliden Talaionidae Eriphyles Vivus, et in vivis ad Styga venit equis. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 18. et *Invent.* 1, 50. et *Virg. A.* 6, 445. V. *Stat. Th.* 2. a *v.* 265. et 4. a *v.* 205.

ERĬPHYLAEUS, a, um, adj. Ἠριφυλαῖος, ad Eriphylen pertinens. *Stat. Th.* 4, 211. Sic Eriphylaeos aurum fatale penates Irrupit, scelerumque ingentia semina movit. V. ALCMAEON.

ERĬPĬO, is, ui, eptum, a. 3. ἐξαρπάζω, ab *e*, et *rapio*, est vi tollere, rapere, et, ut ait *Pomp.* ap. *Paul. Dig.* 2, 7, 4., de manibus auferre per raptum. *Cic. Parad.* 6. *sub f.* Virtus nec eripi, nec surripi potest unquam. *Pl. Pers.* 1, 2, 11. Ire aliena ereptum bona. *Id. Aul.* 2, 4, 37. Pulmentum pridem eidem eripuit miluus. *Id. Cas.* 3, 5, 7. Eripite isti gladium, quae sui est impos animi. *Id. Capt.* 2, 2, 61. Libertatem alicui eripere. *Cic. Quint.* 11. Pecuniam, sanguinem, vitamque hominis propinqui eripere. *Id. Div.* 2, 37. alicui regnum. *Id. Agr.* 2, 7. *extr.* Id totum eripere vobis, atque e manibus extorquere conatus est. *Id. Fam.* 1, 5. Vereor ne eripiatur nobis causa regia. [*Cf. §. 9.] Est qui legit *a nobis*, ut *Ter. Eun.* 4, 6, 14. Haec ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. [*Ruhnk.* ad h. l.] Et *ib.* 1. Ut illam a me eripiat. [*Ter. Ad.* 3, 2, 30. A lenone eripuit, quod recte explicat *Ruhnk.* ex aedibus lenonis.] Et *Acc.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. A me regnum fortuna atque opes eripere quivit. [*In his locis haec est praepos. *a* vis; ut sit: ab alicujus latere. Sic explica illud: miles illam a me eripit, h. e. illam quae nunc apud me est. Et similis est ratio constructionis cum praepos. ex. *Liv.* 41, 14. Coloniam ex hostibus eripere, h. e. ex manibus hostium, quae nunc penes hostes est. Cf. *Duker.* ad h. l. ℙ Apud JCtos, eripi etiam dicitur, quod aufertur, quasi ab indigno, aut alias fisco vindicatur. Sic eripi dicitur hereditas paterna heredi filii, qui patris sui testamentum aboleverit. V. locos ex *Dig.* ap, *Brisson. de Form.*] ℙ Significat etiam adimere. *Cic. Att.* 10, 4. *a med.* Haec si falsa sunt, me libente, eripies mihi hunc errorem. [*Cic. Tusc.* 4, 31. Hic error est eripiendus, ubi observa eripere absolute positum, nullo adjuncto dativo. V. multa exempla ap. *Beier.* ad *Off.* 2, 3.] *Id. Catil.* 1, 7. *extr.* Discede, atque hunc mihi timorem eripe. ℙ [*Item abripere, tollere, rapere, quo sensu sine dativo personae poni solet. *Corn. Nep. Alc.* 10. Familiaris sui subalare telum eripuit, i. e. celeriter comprehendit, ad se rapuit. Quem locum immerito editores vexaverunt. *Justin.* 28, 1. Aetolis partem Acarnaniae eripere volentibus. *Aur. Vict. Caes.* 39. Cari morte cognita, imperium avens eripere, i. e. sibi vindicare. V. doctam *Munck.* animadv. ad *Hyg. fab.* 174. p. 291. Cf. infra *Eripere fugam.*] ℙ Item extrahere. *Ter. Ad.* 2, 1, 44. Domo me eripuit, verberavit. [V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 25.] *Virg. A.* 4, 579. vaginaque eripit ensem. [*V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 10, 475.] *Ter. Ad.* 3, 2, 20. Eripere alicui oculos. *Ov. Fast.* 2, 608. linguam. *Id. Met.* 15, 845. animam membris. Et *ib.* 8, 457. torrem ab igne. Et *ib.* 3, 71. hastile tergo. [*Et insolentiori junctura ap. *Tac. A.* 11, 32. Vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat. i. e. quo purg. hortis erepta avehuntur. ℙ Item detrahere. *Liv.* 23, 45, 8. Eripere aliquem ex equo, quod paulo insolentius dictum, sed constanti librorum lectione defensum est.] ℙ Item subducere, auferre, intercipere. *Virg. A.* 1, 92. Eripiunt subito nubes coelumque diemque Teucrorum ex oculis. *Id. ib.* 8, 254. Eripere prospectum oculis. *Hirt. B. Afr.* 18. Terror hominibus mentem consiliumque eripit. *Ov. Met.* 2, 433. Posse loqui eripitur. Et *ib.* 12, 142. respiramen iterque animae eripere. Et *ib.* 15, 282. nisi vatibus omnis Eripienda fides, etc. *Pl. Merc.* 1, 2, 64. Eripere alicui orationem ex ore. *Id. Most.* 3, 1, 63. Responsiones omnes hoc verbo eripite, *h. e.* facultatem respondendi. *Cic. Cat.* 4, 4. Eripere alicui spem. *Tac. A.* 1, 6. Campum, quem hostis insederat, eripi jubet, *h. e.* occupari, hoste inde pulso. ℙ Saepe est liberare, eruere. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 1, 52. Eripite nos ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas, etc. *Cic. Fam.* 9, 13. Ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. *Id. Verr.* 2, 5, 6. Ex media morte eripere et liberare aliquem. *Id. Div.* 2,

10. Quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. *Id. Verr.* 2, 5, 67. *a med.* Si qua vis istum de vestra severitate eripuerit. *Id. Mur.* 38. Cum ego ex istorum insidiis ac mucronibus eripiar atque evolem. *Ter. Phorm.* 2, 2, 9. Eripere aliquem ex crimine. *Caes. B. G.* 4, 12. periculo. *Cic. Cluent.* 26. ex periculo. *Petr. Sat.* 30. poenae. *Val. Fl.* 4, 538. curis. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 8, 6. *a med.* Integritas tua te purgavit, pudor eripuit, vita anteacta servavit. [*Inprimis de reo noxio quum aut artibus aut eloquentia efficitur, ut absolvatur. *Cic. Verr.* 1, 8. Eripi accusatori reum. *ib.* 1, 4. Cui reus tam nocens impune eripi possit. Et sine dativo personae. *Liv.* 2, 54, 7. Jure an injuria esse eripiendos reos, ad quem loc. vid. *Drak.*] *Tac. A.* 3, 17. Senatui aliquem eripere, *h. e.* judicio senatus. *Virg. A.* 6, 365. Eripe me his, invicte, malis. *Ov. Met.* 2, 315. Equi colla jugo eripiunt. Et *ib.* 1, 538. Eripi morsibus. Et *Her.* 10, 43. oculis. *Id. Met.* 5, 11. Nec mihi te pennae, nec falsum versus in aurum Juppiter eripient. *Virg. A.* 12. *sub f.* tune hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi? etc. ℙ *Eripere se*, se subducere. *Sen. ep.* 19. Si potes, subduc te istis occupationibus: si minus, eripe. *Virg. A.* 2, 134. Eripere se leto. Et 289. teque his, ait, eripe flammis. *Cic. Sext.* 24. Cum ego me e complexu patriae, conspectuque vestro eripuissem. *Suet. Ner.* 49. Eripere se contumeliis. *Caes. B. G.* 1, 4. Per eos, ne causam diceret, se eripuit. *Curt.* 5, 13. Fuga eripere se hosti. Adde *Liv.* 29, 32. [**Paul. in Dig.* 21, 1, 43. Jumenta, qua semet ipsa eripiunt.] Elegans est illud *Cic. Brut.* 97. Efflce, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum, *h. e.* separes, distinguas a turba, tollas te supra vulgus patronorum. ℙ *Eripere fugam* est capere, arripere. ab aliquo, *Hor. Sat.* 2, 2, 23. Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin Hoc potius, quam gallina tergere palatum. *Tibull.* 1, 10, 35. Illis eriperes verbis mihi, sidera coelo Lucere, et puras fluminis ire vias, *h. e.* efficeres, ut negarem: auferres mihi scientiam rei exploratae, quod sidera luceant, etc. ℙ Part. *Eripiens* ap. *Curt.* 4, 3. Eripientibus navigia classicis. *Erepturus* ap. *Caes. B. G.* 1, 17. Aeduis libertatem sint erepturi. ℙ [*Confunduntur *Eripere* et *excipere*. V. *Drak.* ad *Liv.* 27, 36, 13. — et *accipere*. *Id.* ad *Liv.* 36, 24, 7. — et *diripere*. *Heins.* ad *Ov. Met.* 10, 475. — et *abripere*. *Burm.* ad *Prop.* 2, 7, 1.]

[ĔRIS, ĭdis f. Ἔρις, Deae nomen quae apud Romanos Discordia est appellata. *Hyg. fab.* 92. Jovis, cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes Deos convocasse, excepta Eride etc. V. DISCORDIA. *F.*]

[ĔRISCUS, i, m. demin. ab ἔρως, vel ἔρος, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1024. 5. M. Ulpius Aug. L. Eriscus. *F.*]

ĔRĬSICHTHON, ŏnis, m. Ἐρισίχθων, Thessalus quidam, qui cum nemus Cereri consecratum excidisset, unamque praecipue quercum, in qua illa habitabat, irata Cerere, tanta fame correptus fuit, ut sua ipsius membra comederet. *Ov. Met.* 8, 738. et seqq. *Adde *Lact. Placid. Narr. fab.* 8, 11. ed. *Munker. B. A.*

ĔRISMA, ae, f. et Erisma, ătis, n. V. ANTERIDES.

ĔRISTĂLIS, is, f. nomen gemmae candidae, quae ad inclinationes rubescere videtur. *Plin.* 37, 10, 58. *Hard.* putat legendum erythria, ab ἐρυθρὸς, ruber.

ĔRITHACE. V. ERYTHACE.

ĔRITHĂCUS, i, m. ἐρίθακος, avis genus ex iis, quae formam simul coloremque mutant. Nam aestate *phoenicurus* vocatur. *Plin.* 10, 29, 44.

ĔRITHĂLES, n. ἐριθαλες, h. e. valde pullulans, virens, ab ἔρι, particula inseparabilis, augens significationem, et θάλλω, vireo, genus est aizoi minusculi, quod alii *trithales*, τριθαλὲς, quia ter floreat, alii chrysothales, χρυσοθαλὲς, aureo colore virens, alii isoetes, ἰσοετὲς (ab ἴσος, similis, et ἔτος, annus) appellant. In muris, parietinisque nascitur, et tegulis, fruticosum a radice, et foliosum usque ad cacumen, foliis angustis, mucronatis, succosis, caule palmum alto. *Plin.* 25, 13, 102.

*ERITĪUM, i, n. oppidum Thessaliae. *Liv.* 36, 13. ed. *Drak.* In ed. *Gron.* est *Phricium*. *B. A.*

ĔRĪTŪDO, servitudo. *Festus.* Videtur esse ab ἔρος, unde est εἰρεμος, captivitas.

ĔRĪVO, as, a. 1. rivis factis educo, evacuo. *Plin.* 17, 26, 40. Etiam pluvias autumni aquas erivari convenit. *Salm.* in *Solin.* legit *eriguare*, eod. sensu a *rigo*, *as*.

[ĔRIZAEUS, a, um, adj. Ἐριζαιος, et

ĔRIZĒNUS, a, um, adj. Ἐριζηνος, ad Erizam pertinens, Cariae urbem ad Chaum amnem a *Liv.* 38, 14. memoratam. ℙ *Erizaei*, *orum* sunt illius urbis incolae. *Plin.* 5, 30, 32. Apolloniatae a Rhyndaco amne Erizaei, Miletopolitae. Alii perperam leg. *Erezii*. *Inscr.* ap. *Amadutium Anecd, litt. T.* 3, 471. C. Valerio C. F. Messenno nat*ione* Erisao. Ex quadratarii imperitia, seu potius ex idiotismo littera duplex ζ in *s* mollita est, et diphthongus ει in *a* mutata. ℙ *Erizena regio* est ap. *Plin.* ae in *a* mutata. ℙ *Erizena regio* est ap. *Plin.* 10, 43, 60. et in nummo ap. *Sestinium cl. gen.* 88. est *EPIZHNΩN*. *F.*]

[ERNĂGĪNENSIS, e, adj. ad Ernaginum pertinens, Galliae Narbonensis urbem inter Arelatem, et Caballionem ab *Anton. Itin.*, *Ptolemaeo*, et *Tab. Peutingeriana* memoratam, nunc *Saint-Gabriel*. *Inscr.* ap. *Grut.* 413, 4. Patrono nautarum Druenticorum, et utriclariorum Ernaginensium. *F.*]

ERNEUM, i, n. placenta cocta in hirnea fictili. *Cato R. R.* 81. Erneum tanquam placentam facito: eadem omnia indito, quae in placentam: id permisceto in alveo. Indito in hirneam fictilem; eam demittito in aulam aheneam aquae calidae plenam: ita coquito ad ignem. Ubi coctum erit, hirneam confringito: ita ponito. ℙ Al. scribunt *herneum*.

ERO, onis. V. AERO.

ERODO, is, osi, osum, a. 3. ἀπεσθίω, ἐξεσθίω, rodendo aufero, abrodo. [*Proprie de animalibus. *Cic.* ap. *Plin.* h. n. 30, 5. Vites in campania erodunt.] *Cels.* 5, 28. *sub f.* His vitiligo perungitur, deinde non ita multo post, ne nimis erodatur, eluitur. *Colum.* 10, 323. teneras audent erodere frondes Implicitus conchae limax, hirsutaque campe. *Plin.* 31, 2, 19. Aes ac ferrum illa aqua eroditur. Et 34, 15, 46. Ad purganda vulnera, et omnem callum erodendum. Et 24, 11. Ebenum medici et inter erodentia assumunt.

ERŌGĀTĬO, onis, f. ἔκδοσις, actus erogandi, distributio, collatio, impensa. *Cic. Att.* 15, 2. *sub f.* Movere ista videntur, in primis erogatio pecuniae. *Callist. Dig.* 50, 4, 14. Administratio reipubl. sive cum sumptu, sive sine erogatione. *Ulp. Dig.* 25, 1, 3. Erogatio facta propter utilitatem agri. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 35. Necessariae erogationes. *Appul. Met.* 11. p. 271, 26. Erogationes urbicae pristinis illis provincialibus antistabant. [**Papin.* in *Dig.* 33, 1, 10. Certam formam erogationis annuae habent.] *Front. Aquaed.* 3. et 64. Erogationes aquarum, *h. e.* distributiones ex aquaeductibus per fistulas certa mensura factae. ℙ Ap. *Tert. Idol.* 5. *erogatio legis* est abrogatio, abolitio, quasi *exrogatio*.

ERŌGĀTOR, oris, m. [*Prima significatione est is qui erogat. Sic in *Cod. Just.* 12, 38, 16. Erogator manu sua sine ullo dolo et fraude singulis militibus enumeret, i. e. qui erogationem militaris annonae emetitur.] *Erogator virginis* ap. *Tertull. Pud.* 16. est qui virginem nuptui tradit. *Erogare* enim est pendere, rem dare, quae ad nos reditura non sit: atque ita erogator virginis dici potest, qui ejus virginitatem quodammodo perdit, et alteri per matrimonium non amplius redituram concedit. V. EROGO.

ERŌGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad erogandum, ac distribuendum pertinens. *Front. Aquaed.* 34. Cum in erogatorio modulo minus invenitur, in acceptorio plus, apparet non errorem esse, sed fraudem, *h. e.* quo aqua distribuitur, et conceditur privatis.

ERŌGĀTUS, a, um, part. ab *erogo*, distributus, datus, expensus. *Cic. Verr.* 2, 3, 71. et *Fl.* 13. Pecunia publica ex aerario erogata in classem. *Paul. Dig.* 20, 1, 29. Sumptus erogati in exstructionem aedificii. *Ulp. Dig.* 25, 6. §. 7. Alimenta in ventrem erogata. ℙ Item valde rogatus. *Appul. Met.* 5. p. 165, 1. Supplicis anxiae piis precibus erogatus. [*ubi alii explicant: precibus commotus.]

ERŌGĪTO, as, a. 1. vehementer rogo, καταδέομαι. *Pl. Capt.* 5, 1, 32. Ego ex hac statua verberea volo Erogitare, meo minore quid sit factum filio. *Sil.* 10, 475. quinam ille sinistrae Depugnet morti juvenis, nomenque decusque Erogitat.

ERŌGO, as, avi, atum, a. 1. ἐκδίδωμι, expendo, impendo, insumo, distribuo, confero. Proprie dicitur tantum de pecunia, quae publice impenditur, et distribuitur quasi *rogato* prius *populo*, ut id facere liceat: haec enim eadem ratio in *abrogo*, *derogo*, et ceteris est a *rogo* compositis, ut a *roganrogo*, et ceteris est a *rogo* compositis, ut a *roganrogo*, et ceteris est a *rogo* compositis, ut a *roganr

bus erotundata, *h. e.* elaborata, composita et perfecta.

ĒROTYLOS, i, f. ἐρωτύλος, gemma est eadem atque amphicome et hieromnemon, quae a Democrito laudatur in argumentis divinationum. *Plin.* 37, 10, 58.

ERRĂBUNDUS, a, um, adj. πλανώμενος, ἀλήμων, valde errans, vagabundus. *Liv.* 1, 29. Nunc in limitibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum eas visuri, pervagarentur. *Virg. Ecl.* 6, 58. Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris Errabunda bovis vestigia. *Hirt. B. Afr.* 2. Naves vento dispersae atque errabundae, diversa loca petierunt. *Curt.* 8, 4. Ordinibus solutis, per totum saltum errabundum agmen ferebatur.

ERRANS, antis, omn. gen. partic. ab *erro*. *Virg. Ecl.* 4, 19. Hederae errantes. *Lucan.* 1, 253. Domus errantes. Respiciuntur Scythae, qui domos suas plaustris circumferunt. *Plin.* 2, 6, 4. Sidera errantia, planetae, quos *Cic.* quoque *N. D.* 2, 20. et *Tusc.* 1, 25. stellas errantes appellat. *Val. Fl.* 4, 561. Errantesque per altum Cyaneae. *Cic. Har. resp.* 17. Quod sacrificium tam occultum est, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes, *h. e.* qui huc illuc casu circumferuntur. [*Errantes oculi sunt ii, qui temere in aliquam rem incidunt et opponuntur curiosis, qui rem sedulo quaerunt. Cfr. *Statii* locum s. v. *Errare.* §. 3.] *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 16. Homo, qui erranti comiter monstrat viam. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 1. Est enim et philosophi et pontificis de Diis immortalibus habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam. *Id. Fin.* 2, 22. Ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. ℙ *Errantes genae* ap. *Val. Fl.* 8, 163. non ullus tibi tum color aegraque verba Errantesque genae, *h. e.* oculi huc illuc circumlati et incerti, ut in nova magnaque perturbatione fit. Alii legere malunt *arentes*, *h. e.* macilentae.

ERRANTĬA, ae, f. erratio. *Accius* ap. [*Non.* 3, 86. Neque ego errantia animi prave morigerabor.

[ERRĂTĬCĬUS, a, um, adj. *Front. de differ. voc.* p. 2199. Erraticus et potest errare et solet: erraticius (editio *Gothofredi* habet *errativus*) animus est, qui solet errare et desinit. *F.*]

ERRĂTĬCUS, a, um, adj. πλανητικός, πλανητός, errans, errabundus. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 10. et *Sen. Quaest. nat.* 7, 23. Stellae erraticae, *h. e.* planetae. *Gell.* 9, 2. Erraticus homo, *h. e.* circumforaneus. *Plin.* 26, 13, 84. Erraticus sanguis. *h. e.* crysipelas vel impetigo. *Ov. Met.* 6, 333. Erratica Delos, *h. e.* olim oras, et litora circum errans, ut poetae fabulantur. *Virg. A.* 3, 75. ℙ Dicitur de plantis, quae sua sponte hic illic nascuntur: item quae serpunt et errabundo flexu huc illuc prorepunt. *Plin.* 19, 8, 39. Intubum erraticum. *Id.* 20, 9, 36. et *Cato R. R.* 157. Silvestris sive erratica brassica. *Plin. ib.* 2, 4. Cucumis anguinus sive erraticus. *Cic. Sen.* 15. Vitis serpens multiplici lapsu et erratio. ℙ [*Confunduntur *Erraticus* et *aerius*. Vid. *Vales.* ad *Amm. Marc.* 15, 5, 24.]

ERRĀTĬO, onis, f. πλάνησις, actus errandi, vagatio. *Cic. Univ.* 6. Motum dedit coelo eum, qui figurae ejus sit aptissimus: sex autem reliquos motus ab eo separavit: itaque eum ab omni erratione liberavit. [*Cic. *N. D.* 2, 21. Nulla in coelo erratio inest.] *Ter. Ad.* 4, 2, 41. Sane hac multo propius ibis et minor est erratio. *Pl. Rud.* 1, 2, 90. Errationis facere compendium. ℙ Translate. *Lactant.* 5, 17. Stultitia igitur est in factis dictisque, per ignorantiam recti bonique, erratio.

ERRATIVUS. V. ERRATICIUS.

[ERRATRIX, icis, f. *Front. de differ. vocab.* p. 2199. Erratrix per se rapta est, ut venatrix: erratica, ut hedera, vitis. *F.*]

ERRĀTUM, i, n. σφάλμα, error, peccatum. [*et proinde tam de opinionis errore, qui ab imprudente parum cavetur, quam de peccato quod quis sciens admittit, usurpatur, ut sequentes loci docent.] *Cic. Fam.* 16, 21. Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata meae aetatis, ut etc. *Id. Att.* 6, 1. *a med.* Illud de Flavio et fastis commune erratum est. *Id. Cluent.* 48. Nullam ob turpitudinem, nullum ob totius vitae non dicam vitium, sed erratum. *Id. Sull.* 23. Petere errato alicujus veniam. *Id. Ligar.* 1. Errati veniam impetrare. *Ov. Pont.* 2, 3, 66. Diceris erratis ingemuisse meis. *Sall. Jug.* 109. Errata officiis superare. [*Cic. *Rull.* 2, 5. Cui errato nulla venia, recte facto exigua laus.]

ERRĀTUS, a, um, partic. ab *erro*, errando emensus, pererratus. *Virg. A.* 3, 690. Talia monstrabat relegens errata retrorsum Litora Achaemenides. *Val. Fl.* 4, 447. diversis erratus casibus orbis. *Ov. Fast.* 4, 573. immensum est erratas dicere terras: Praeteritus Cereri nullus in orbe locus.

ERRĀTUS, us, m. erratio, erratum. *Plin.* 37, 5, 18. Sed et vitia demonstrari oportet in tam proclivi erratu, *h. e.* cum errare tam facile sit. *Ov. Met.* 4, 566. longisque erratibus actus Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines.

ERRO, as, avi, atum, a. 1. πλανάομαι, ἀλάομαι, incertus viae ignarusque huc illuc feror. *Cloatius Verus* ap. *Gell.* 16, 12. docebat esse ἀπὸ τοῦ ἐρρέειν, quod est aegre ire, item inauspicato accedere. Confirmat *Varr. L. L.* 5, 10., ut quidem *Scalig.* legit. *Cic. Cluent.* 62. Cum vagus et exsul erraret, atque undique exclusus Oppianicus. *Virg. A.* 1, 336. ignari hominumque locorumque Erramus, vento huc et tempestatibus acti. *Hirt. B. Afr.* 44. Navis una ab residua classe cum erravisset delataque esset vento ad Thapsum etc. *Justin.* 2, 2. Errare per incultas solitudines. *Ov. Pont.* 4, 16, 14. Ulyxen Errantem saevo per duo lustra mari. *Virg. A.* 2, 739. Errare via. [*von dem Wege abkommen.] *Id. ib.* 3, 200. Excutimur cursu et caecis erramus in undis. Et *ib.* 1, 36. Errabant acti fatis maria omnia circum. *Ov. Fast.* 2, 335. Errare huc illuc. ℙ *Errare* etiam dicuntur, qui libere ultroque et nullo sibi proposito itineris fine vagantur. *Cic. Att.* 8, 9. Arpini volo esse prid. Cal., deinde circum villulas nostras errare. [*i. e. loca adjacentia invisere, prouti occasio et lubido id ferunt.] *Virg. Ecl.* 1, 9. Ille meas errare boves, ut cernis et ipsum Ludere quae vellem, calamo permisit agresti. *Id. Ecl.* 2, 21. Mille meae Siculis errant in montibus agnae. Et *ib.* 6, 40. Rara per ignotos errant animalia montes. *Hor. Od.* 3, 18, 13. Inter audaces lupus errat agnos. *Ov. Met.* 11, 357. Pars gradibus tardis illuc errabat et illuc. *Virg. A.* 7, 557. super aetherias errare licentius auras. ℙ Translate. [*Hor. *Ep.* 1, 12, 17. Stellae sponte sua jussaene vagentur et errent. *Cic. Rep.* 1, 14. Stellarum, quae errantes et quasi vagae appellantur.] *Virg. G.* 1, 452. de sole: Ipsius in vultu varios errare colores. *Val. Fl.* 6, 674. extremus roseo pudor errat in ore. *Virg. G.* 3, 14. tardis ingens ubi flexibus errat Mincius. *Ov. Fast.* 2, 391. Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres. *Id. Met.* 9, 201. pulmonibus errat Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus, *h. e.* discurrit. [*Saepissime apud poetas capilli soluti ac fluitantes *errare* dicuntur. *Barth.* ad *Claud. de R. P.* 2, 31. *Burm.* ad *Prop.* 2, 1, 7.] *Claud. Rapt. Pros.* 2, 2. de Aurora: tremulis vibravit in undis ardor et errantes ludunt per caerula flammae. [*Cic. Or.* 1, 48. Hoc explanetur, ne vagari et errare dicatur oratio. *Acad.* 2, 20. Eo fit ut errem et vager latius. Cfr. *Doederl. Etym. Fasc.* 1. p. 90.] *Tibull.* 4, 1, 106. At non per dubias errant mea carmina laudes, *h. e.* versantur in dubiis laudibus canendis. *Virg. A.* 5, 435. erratque aures et tempora circum Crebra manus, *h. e.* manus crebris ictibus aures et tempora pulsat. *Stat. Th.* 10, 150. *de iis, qui gravi somno occupantur*, errare oculi resolutaque colla, Et medio affatu verba imperfecta relinqui. [*Cfr. quae s. v. *Errans* dicta sunt.] *Liv.* 31, 12. de prodigiis: Foeda omnia et deformia, errantisque in alienos fetus naturae visa, *h. e.* degenerantis. [*Ov. *Met.* 8, 473. Thestias haud aliter dubiis affectibus errat. *Fast.* 4, 261. Obscurae sortis Patres ambagibus errant, ubi *Heins.* frustra conjicit *haerent.*] *Ov. Fast.* 3, 543. Rumoribus errant, *h. e.* varios rumores spargunt, alii alia narrantes. ℙ Passive impersonaliter. *Virg. G.* 3, 249. Heu male tum Libyae solis erratur in agris. ℙ Saepe est a vero deflectere, labi, falli. *Cic. Phil.* 12, 2. Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Et *Tusc.* 1, 17. Errare mehercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire. [*Apud eund. *Ligar.* 10. junguntur errare et labi, ubi illud ad judicium, hoc ad factum referendum.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. *sub f.* Malo in hanc partem errare, ut, quae non desideras, audias, quam etc. *Caes. B. G.* 5, 40. Errare eos dicunt, si etc. *Ter. Heaut.* 1, 1, 53. Erras, si id credis. *Cic. Phil.* 2, 9, *extr.* In eo non tu quidem tota re, sed temporibus errasti. *Id. Or.* 2, 19. Quod haec narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare. *Ter. Eun.* 2, 2, 14. Tota erras via. *Macr. Sat.* 3, 12. Toto coelo errasse Virgilium, cum etc. *Pl. Amph.* 3, 3, 20. Qui me Amphitruonem rentur esse, errant probe. *Sall, Jug.* 89. *sub f.* Homines superbissumi procul errant. *Ter. Ad.* 1, 1, 40. Longe errare. *Cic. Acad.* 4, 32. vehementer. *Lucr.* 1, 711. magnopere a vero. *Ter. Heaut.* 2, 3, 22. de aliqua re. [*Et cum praepos. *circa*. *Modestin.* in *Dig*, 38, 5, 35. Circa inscriptionem errare.] *Plin.* 28, 2, 3. Quoties precatio erraverit, sic repente extis adimi capita vel corda. *Ov. Fast.* 3, 155. Errabant etiamnum tempora. ℙ Cum accus. communi. *Ter. Andr.* 3, 2, 18. Teneo, quid erret. *Id. Phorm.* 5, 3, 21. Hoc tu errasti. *Pl. Most.* 1, 3, 30. Mone, quaeso, si quid erro. ℙ Pro ignorare aut non intelligere. *Id. Mil.* 3, 1, 197. Erro, quam insistas viam. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Fin.* 4, 20. *sub f.* Si erratur in nomine. ℙ *Errato mihi*, pro, mihi, qui erravi vel cum erravero, dictum putant ad *Cic. Agr.* 2, 2. *extr.* Cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum mihi praeter ceteros, cui errato nulla venia; recte facto exigua laus proponitur. Simile est ajunt illud *Ter. Hec.* 5, 1, 10. Jam aetate ea sum, ut non sit peccato mihi ignosci aequum. Al. tamen apud *Cic.* leg. *cum errato* vel *cujus errato* etc. V. etiam CERTATUS, a, um. [*Utrumque locum et *Cic.* et *Ter.* recte explicat *Ruhnk.* in *Dict.* ad *Ter.* Nimirum *errato* et *peccato* sunt ablativi absoluti, pro: quum erratum est, quum peccatum est.] ℙ Errandum est. *Ov. Her.* 7, 109. Si fuit errandum, causas habet error honestas. ℙ [*Confunduntur a librariis *Errare* et *ardere*. *Burm.* ad *Ov. Met.* 8, 473. — et *horrere*. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 1, 495.]

ERRO, onis, m. πλανήτης, vagabundus, errans, aberrans. *Tibull.* 2, 6, 5. Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit, Atque iterum erronem sub tua signa voca. *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. *a med.* Errones appellantur servi, qui non quidem fugiunt, sed frequenter sine causa vagantur et temporibus in res nugatorias consumptis, serius ad dominum redeunt. [*Dig. 49, 16, 4, 14. Levius delictum emansionis habetur, ut erronis in servis, desertionis gravius, ut in fugitivis. Vid. *Interpp.* ad *Liv.* 30, 43, 11.] *Colum.* 9, 10. de apum rege: Velut quadam compede retinebimus erronem ducem, detractis alis. *Hor. Sat.* 2, 7, 113. teque ipsum vitas fugitivus et erro. [*Vid. *Heind.* ad *h. l.*] Adde *edictum Aedil.* ap. *Gell.* 4, 2. ℙ *Nigid.* ap. *Varr.*, teste *Gell.* 3, 16. et 14, 1., errones appellat stellas, quas alii erraticas.

ERRONĔUS, a, um, adj., qui huc illuc errat et vagatur, πλανήτης. *Colum.* 7, 12. *ante med.* de canibus: Maxime debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui. [*Ubi *errones* mavult legere *Ruhnk.* *Ulp.* in *Pandect. l.* 21. *tit.* 1. leg. 25. Si (*servus*) aleator forte vel vinarius vel erroneus sit, *h. e.* erro, vagabundus: ubi pro *erroneus sit* vulgo legitur *erro evasit. B. A.*]

ERROR, oris, m. πλάνη, deflexio a via, huc illuc vagatio, cum viae ignari extra institutum iter deflectimus. *Justin.* 36, 3. Quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. *Curt.* 5. *ult.* Jumenta, nullo regente, decesserant militari via et errore delata per quatuor stadia etc. *Hirt. B. Afr.* 11. Subito navium pars, de qua timebat, ex errore eodem conferebatur. *Ov. Her.* 16, 29. neque tristis hiems, neque nos huc appulit error. *Id. Met.* 8, 166. de labyrintho: Ita Daedalus implet Innumeras errore vias. *Virg. A.* 6, 532. pelagine venis erroribus actus? Et *ib.* 1. *in f.* Dicere errores suos. Et *Ov. Trist.* 4, 10, 109. Longis erroribus actus. *Id. Met.* 1, 582. amnes In mare deducunt fessas erroribus undas. ℙ Aliquando *error* dicitur id, in quo, vel cujus causa errari facile potest. *Virg. A.* 6, 27. Hic labor ille domus et inextricabilis error. *Id. ib.* 10, 381. simillima proles Indiscreta suis gratusque parentibus error. *Catull.* 64, 115. inobservabilis error. ℙ Saepissime refertur ad animum, qui decipitur, falsove opinatur. *Cic. N. D.* 2, 28. Quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos. Et *ib.* 1, 1. In summo errore atque in maximarum rerum ignoratione versari. *Id. Sull.* 14. In tantis tenebris erroris et inscitiae. *Plin.* 37, 7, 28. In magno errore sunt, qui etc. *Cic. Leg.* 2, 17. Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. *Id. Tusc.* 3, 1. Paene cum lacte nutricis errorem suxisse videmur. Et *ib.* 5, 27. Aegyptiorum mentes imbutae pravitatis erroribus. *Id. Off.* 1, 41. Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut arbitretur etc. *Id. Phil.* 12, 2. Eodem captus errore, quo nos. [*Cic. *Acad.* 2, 36. Tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire persuaserit.] *Nep. Ann.* 9. Ducere quempiam in errorem. *Cic. Brut.* 85. Imperitos in errorem inducere. *Id. Q. Fr.* 3, 9. *sub f.* Labi per errorem. *Quint.* 4, 2. *ante med.* Errore labi. [*Errorem errare* alicunde affert *Taubm.* ad *Plaut. Mil. Glor.* 2, 4, 47. Locum nondum reperi. Cfr. *Lindem.* ad *Vit.* duumvir. p. 71. Errorem volvere apud *Liv.* 27, 47, 10., ubi vide *Gronov.*] *Cic. Caecin.* 25. Objicere alicui errorem. [*zum Irrthum verleiten.] Sic *Sen. ep.* 67. *circa med.* Separa ista: nihil erit, quod tibi faciat errorem. [*Liv. 27, 14, 4. Castra nihil aucta errorem faciebant. Vid. *Duker.* ad *Liv.* 25, 10, 4.] *Id. Off.* 3, 21. Avertere (al. *avellere*) aliquem ab errore. *Id. Divin.* 2, 28. Errorem depellere. *Id. Phil.* 8. *sub f.* deponere. *Id. Att.* 10, 4. *a med.* eripere alicui. *Hor. Ep.* 2, 2, 140. demere. *Plin.* 21, 6, 16. corrigere. *Phaedr.* 4, 4. solvere. *Virg. A.* 10, 110. Errore teneri. *Ter. Hec.* 5, 2, 26, errore exsolvere aliquem. ℙ Ponitur et pro ignorantia, imprudentia. *Ov. Fast.* 5, 361. Lumina restabant, quorum me causa latebat, Cum sic errores abstulit illa meos. *Tac. H.* 2, 72. Quidam militum errore veri, seu turbarum studio, certatim aggregabantur. *Nep. Epam.* 7. Cum dux esset electus belli imperitus, cujus errore eo esset deducta illa militum multitudo, ut omnes de salute pertimescerent. *Liv.* 24, 17. Id errore viarum, an exiguitate temporis exsequi non potuerit, incertum est. ℙ Item pro dolo, fraude. *Virg. A.* 2, 48. Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri. ℙ Item pro delicto, errato, peccato. *Ov. Pont.* 4, 8, 19. Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros; Errorem misero detrahe, labe carent. *Cic.*

fragm. ap. *Lact.* 6, 24. Errorem poenitendo corrigere. *Id.* ap. *August. de Trin. sub f.* Admiscere atque implicare se hominum vitiis atque erroribus. *Hor. A. P.* 308. Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error. ℙ Item pro furore, amentia. *Virg. G.* 3, 513. Dii meliora piis erroremque hostibus illum. *Cic. Att.* 3, 13. Nam quod scribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici; mihi vero mens integra est. *Hor. A. P.* 454. Fanaticus error. ℙ Item pro timore ac perturbatione animi. *Ov. Fast.* 3, 555. Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim Amisso dubiae rege vagantur apes. ℙ Et pro amore. Amor enim errare plerumque compellit, ut ait *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 8, 41. Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error! [*Vid. *Heins.* ad *Ov. Met.* 10, 342. *Am.* 1, 2, 35. 1, 10, 9.] ℙ Item pro peccato contra grammaticam, historiam, aut ejusmodi. *Quint.* 1, 6. Summorum in eloquentia virorum judicium pro ratione et vel error honestus est magnos duces sequentibus. *Liv.* 4, 20. Qui si ea in re sit error, quod veteres annales A. Cornelium Cossum consulem habeant etc. ℙ Item pro re ambigua et incerta, de qua quaeritur. *Vulcatius Sedigit.* ap. *Gell.* 15, 24. Multos incertos certare hanc rem vidimus, Palmam poetae comico cui deferant. Eum meo judicio errorem dissolvam tibi. ℙ Poetice *error oculorum* est eorum versatio et circumactus. [*Sed *errare* etiam in prosa dicuntur oculi, qui temere in aliquam rem incidunt. Vid. s. h. v.] *Stat. Th.* 12, 776. emicuit per mille foramina sanguis Impius: ille oculis extremo errore solutis Labitur. *Val. Fl.* 6, 277. extremus cum lumina corripit error Voxque repressa gelu percussaque vertice tellus. [*Burm. ad *Ov. Met.* 14, 198.] ℙ [*Confunduntur *Error* et *horror.* Vid. *Wagn.* ad *Amm. Marc.* 29, 5, 49. *Burm.* ad *Ov. Met.* 14, 198. *Drak.* ad *Liv.* 39, 8, 4. — et *terror. Id.* ad *Liv.* 24, 30, 6. *Gron.* ad *Liv.* 10, 14, 20. *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 2, 35. — et *ardor. Heins.* ad *Ov. Am.* 1, 10, 9.]

ĒRŪBESCENTIA, ae, f. verecundia, pudor. *Tertull.* ad *Nation.* 1, 16. Exemplum erubescentiae scelerum. Adde *Poenitent.* 10.

ĒRŪBESCO, is, ubui, n. 3. *ἐρυθραίνομαι*, rubens fio, rubore suffundor. *Ov. Am.* 2, 8, 16. Vidi te totis erubuisse genis. *Id. Met.* 4, 329. pueri robur ora notavit Nescia quid sit amor: sed et erubuisse decebat. *Id. Pont.* 2, 1, 36. Saxaque roratis erubuisse rosis. ℙ Translate est pudere, quia pudorem rubor oris sequitur. *Cic. Leg.* 1, 19. Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. *Id. Fam.* 5, 12. Epistola enim non erubescit. *Id. Leg.* 1, 14. *extr.* O rem dignam, in qua etiam agrestes erubescant! *Val. Max.* 6, 2. *sub f.* Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit. *Curt.* 10, 5. *a med.* Quae Alexandro esse superstes erubuit. *Sen. Contr.* 2, 11. *ante med.* Necesse est, de aliis querar, de aliis erubescam. *Spart. Sev.* 15. Cum de sorore multum imperator erubesceret. ℙ Cum abl. sine praepos. *Liv.* 40, 14. Non est res, qua erubescam, si etc. [*ad quem loc. vid. *Drak.*] *Ov. Met.* 5, 584. Dote corporis erubescere. *Id. Fast.* 2, 168. Erubuit falso virginis illa sono. *Curt.* 4, 5. Ubi paucitate suorum erubescendum sit. ℙ Cum genit. *Curt.* 5, 5. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortunae. Al. rectius leg. *fortuita.* Nam et cum accusativo reperitur. *Prop.* 3, 12, 19. Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse Deos. *Sen. ep.* 95. *ante med.* Grammaticus non erubescit soloecismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens. *Virg. A.* 2, 541. jura fidemque Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro Reddidit Hectoreum, *h. e.* reveritus est, religiose servavit. Adde *Quint.* 6, 4. *ante med.*, ubi tamen incerta est lectio. [*ad quem locum alia exempla attulit *Burm.* p. 571.] *Cicero* quoque videtur active usurpasse *N. D.* 1, 40. Se ne intelligere quidem ullum bonum, quod sit sejunctum a voluptatibus: quas quidem non erubescens, persequitur omnes nominatim. *Id. Vatin.* 16. Cognati (*te*) respuunt, tribules exsecrantur, vicini metuunt, affines erubescunt. [*Cfr. *Burm.* ad *Ov. Ib.* 352. ad *Prop.* 3, 12, 19. *Drak.* ad *Liv.* 40, 14, 1.] ℙ Hinc partic. *erubescendus* significatione passiva. *Hor. Od.* 1, 27, 14. quae te cumque domat Venus, Non erubescendis adurit ignibus. [**Val. Max.* 2, 7, 1. Erubescenda sentina. *Flor.* 2, 14, 13. Erubescenda causa belli. *Ib.* 3, 12, 3. Erubescendi anni.] ℙ Cum dativo habet *Tertull. Testim. anim.* 1. *extr.* ℙ Illud *Ter. Ad.* 4, 5, 9. *Erubuit: salva res est*, in proverbium abiit atque adhibetur ad significandam probitatem alicujus, tametsi quidpiam peccaverit. Nam qui male factis erubescit, ostendit se poenitere et damnare quae admiserit, dum ea resciri ab aliis pudore suffunditur.

ĒRŪCA, ae, f. *κάμπη*, genus vermis, qui in olerum folia repit, abroditque praesertim brassicas: a rodendo, vel a rugis, quia reptans se corrugat. *Colum*, 11, 3. *sub f.* et 10, 333. et *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 7. ℙ Est etiam herba Venerem excitans: ab urendo, quasi urica, vel ab erodendo, quia linguam rodit acrimonia sua. *Col.* 10, 110. et 372. *Plin.* 19, 8, 44. *Juven.* 9, 134., *Mart.* 3, 75. et *Hor. Sat.* 2, 8, 51. [*V. *Heind.* ad h. l.] ℙ Scribitur et *aeruca.*

ĒRUCTĀTĬO, onis, f. actus eructandi. *Appul. de Mundo* p. 60, 40. Exhalatio terrenis eructationibus surgit. Adde *Firm. Math.* 4, 12. Ap. *Appul.* est qui minus recte legit *reluctationibus.*

ĒRUCTO, as, a. 1. *ἐξερεύγω*, ructando aliquid ejicio, emitto: a *ructo;* sed aliqui censent, *eructo* simplex esse a Graeco *ἐρεύγω*, et ex eo *ructo* fieri per aphaeresin. *Festus* in *Erugere* docet esse verbum frequentativum. *Cic. Pis.* 6. Unde tu nos turpissime eructando ejecisti. *Virg. A.* 3, 632. de Polyph. saniem eructans ac frusta cruento Per somnum commixta mero. [**Heins.* ad *Ov. Met.* 14, 211.] ℙ Per translationem accipitur pro quovis modo ejicere. *Virg. A.* 6, 297. atque omnem Cocyto eructat arenam. [**Varr. R. R.* 3, 14, 2. Eructant aquam mammillae in fontibus.] *Val. Fl.* 4, 345. rigidos eructat Bosphoros amnes. *Varr. R. R.* 1, 4. Si propter odorem, quem eructat, pestilentior est fundus. [**Col. R. R.* 1, 5, 6. Eructare virus.] *Lucr.* 3, 1026. Tartarus horriferos eructat aestus. ℙ *Eructare se*, se emittere, erumpere se. *Avien. Perieg.* 345. Undique se totis eructent flumina terris. ℙ Absolute. *Sen. Thyest.* 909. Resupinus ipse purpura atque auro incubat, Vino gravatum fulciens laeva caput, Eructat. Adde *Plin. Pan.* 49. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 2, 5. Accubantes in conviviis eructant sermonibus suis caedem bonorum, atque urbis incendia, *h. e.* inter ructandum meditantur, et jactant. ℙ *Eructuare* legitur a quibusdam apud *Tertull. Resurr. carn.* 32.

ĒRUCTUS, a, um, adj. *Gell.* 11, 7. Furfureum panem esitare, vinumque eructum et foetidum potare, *h. e.* impurum, faeculentum, sordidum, corruptum, quasi ructu et vomendo emissum, ab *ἐρεύγω*, eructo. Alii *crudum*, vel *eruptum* leg.

ĒRŪDĒRĀTUS, a, um, part. ab *erudero*, rudere purgatus, ut Eruderatum solum, *Varr. R. R.* 2, 2. ℙ Translate. *Sid. ep.* 5, 15. Volumen de supervacuis sententiis eruderatum.

ĒRŪDĒRO, as, a. 1. *ἐξερείπω*, ruderibus expurgo. Translate. *Sid. ep.* 5, 7. Aures susurronum faece completas opportunitate salsi sermonis eruderat, *h. e.* expurgat. V. v. praec.

[ĒRŪDĪBĪLIS, e, adj. qui erudiri potest. *Fulg. de contin. Virg.* p. 747. *Staver.* Neque enim eruditur, nisi quod erudibile nascitur. *F.*]

*ĒRUDĪMENTUM, i, n. *Interpr. Irenaei* 2, 30. *B. A.*

ĒRŪDĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *παιδεύω*, e rudi doctum facio, artibus expolio, instituo, ad humanitatem informo. *Cic. Off.* 1, 44. Studiosos dicendi erudire atque docere. *Id. Div.* 2, 2. Docere atque erudire juventutem. *Id. Verr.* 2, 3, 69. Filios instituere atque erudire ad majorum instituta, atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia, neque ad tuas turpitudines debuisti. *Id. Fam.* 1, 7. *extr.* Lentulum, eximia spe adolescentem, cum ceteris artibus, tum in primis imitatione tui fac erudias. *Nep. Iph.* 2. Erudire exercitum omni disciplina militari. *Id. Att.* 1. filium omnibus doctrinis. [*de patre qui filium non ipse instituit, sed erudiendum curavit. Cf. quae infra diximus. Etiam de matre, quae filiam artem aliquam docet. Vid. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 294.] *Id. Them.* 10. Erudiri litteris et sermone Persarum. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. His in rebus jam te usus ipse erudivit. *Id. Or.* 1, 59. *extr.* Oratorem erudire in jure civili. *Id. Tusc.* 2, 14. Laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Et *ib.* 1, 26. Philosophia nos ad Deorum cultum, ad jus hominum, ad modestiam, magnitudinemque animi erudivit. *Ov. Her.* 1. *sub f.* natus, qui mollibus annis In patrias artes erudiendus erat. *Id. Fast.* 3, 294. qua possint, erudit, arte capi. *Quint.* 2, 17. *ad f.* Gladiatores erudiri sub eodem magistro. *Suet. Caes.* 26. Tirones per lanistas in ludo erudire. [*i. e. erudiendos curavit. Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 1, 11, 37. Sic Graeci *διδάσκειν* pro *διδάσκεσθαι.* V. *Heind.* ad *Plat. Prot.* 41.] *Cic. Fam.* 2, 12. Obviae mihi velim sint litterae tuae, quae me erudiant de omni republica. [*i. e. quae me certiorem faciant.] ℙ Cum duobus accusativis. *Val. Fl.* 2, 49. nec me tantum Tritonia cursus Erudiit; saepe ipsa manu dignata carinam. *Stat. Th.* 10, 506. Et quae te leges, praeceptaque fortia belli Erudiit genitrix. ℙ Cum infinito. *Ov. Fast.* 3, 819. stantes radio percurrere telas Erudit. *Sil.* 11, 351. an tristia vincla, Et Decius non erudiunt componere mentem. *Plin.* 33, 11, 53. Erudita civitate amare etiam, non solum admirari opulentiam externam. ℙ Gerund. *erudiendi* passiva significatione. [*Accurate si rem expendis, gerundium non passive positum est. Rem docte explicuit. *Kritz. Schulzeitung* 1830. nro. 110.] *Just.* 17, 3. Athenas quoque erudiendi gratia missus; quanto doctior majoribus suis, tanto et gratior populo fuit. [*Cf. *Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 59.] ℙ Translate. *Ov. Am.* 1, 14, 30. Erudit admotas ipse capillus acus. *Id. Rem. Am.* 690. Ut flerent, oculos erudiere suos. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Polycletus judicatur toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse. [*i. e. absolutam perfectamque reddidisse.] ℙ Part. *Erudiens* ap. *Cic. Fin.* 3, 2. Quod si facerem quasi te erudiens etc. *Erudiendus.* ℙ [*Confunduntur *Erudire* et *edere. Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 294.]

[ĒRŪDIS, e, adj. ab *e*, et *rudis. Not. Tir.* p. 123. Rudis, erudis. *F.*]

ĒRŪDĪTĒ, adv. *Colum.* 1, 1. Volumina duo composita facetius et eruditius posteritati tradenda curavit. *Cic. Sen.* 1. Qui si eruditius videbitur disputare etc. *Id. Or.* 52. Litterae eruditissime scriptae. *Quint.* 1, 5. *circa med.* Illud eruditius quaeritur, an in singulis quoque verbis possit fieri soloecismus. *Gell.* 18, 5. *extr.* Erudite simul, et affabiliter dicere.

ĒRŪDĪTĬO, onis, f. *παιδεία*, actus erudiendi, institutio. *Quint.* 2, 3. *ad f.* Potiorem in scholis eruditionem esse, quam domi. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. *extr.* De ejus eruditione quod labores, nihil est, quoniam ingenium ejus nosti, studium ego video. ℙ Item ipsa doctrina, quae eruditione acquiritur. *Cic. Or.* 2. *in.* Antonium omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse. *Id. Off.* 1, 33. Praeclara eruditione atque doctrina ornatus. *Id. Acad.* 1, 2. Quae sine eruditione Graeca intelligi non possunt. *Id. Tusc.* 1, 2. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. *Suet. Aug.* 89. Eruditione varia repletus. *Id. Gramm.* 6. Composuit variae eruditionis aliquot volumina. *Id. Cal.* 53. E disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 29. Athenion austerior in colore, et in austeritate jucundior, ut in ipsa pictura eruditio eluceat. ℙ In plur. numero. *Gell. praef.* Quas breviter, et indigeste, et incondite eruditionibus, lectionibusque variis feceramus. *eruditionibus*, quae ab aliis didicimus; *lectionibus*, quae ipsi legimus. *Vitr.* 1, 1. *a med.* Cum haec disciplina sit abundans eruditionibus variis ac pluribus. ℙ In illo *Senecae ep.* 47. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet; *Lips.* sapientiam intelligit, Stoicorum lingua, qui rudes, stultos habebant: quod pluribus illustrat *Id. manuduct. ad Stoic. philosoph. dissert.* 2, 1.

ĒRŪDĪTOR, oris, m. *παιδευτής*, qui erudit, doctor. *Hieron. vit. Hilarionis*, et *Tertull. Pall.* 4.

ĒRŪDĪTRIX, icis, f. quae erudit. *Flor.* 2, 6. *a med.* Africa Annibalis eruditrix.

ĒRŪDĪTŪLUS, a, um, dimin. eruditi. Translate Veneris peritus. *Catull.* 57, 7. Uno in lectulo erudituli ambo.

ĒRŪDĪTUS, a, um, part. ab *erudio*, *πεπαιδευμένος*, institutus, litteratus, doctus. Quomodo a *erudito* differat, V. DOCTUS. Adde, quandoque *eruditum* opponi *artifici;* quatenus artifex eum significat, qui artem quampiam profitetur; eruditus contra eum, qui non omnino rudis est artis illius, sed ejus cognitione censetur, [*i. e. *ein Mann vom Fach.*] Hinc *Don.* ad *Ter. Eun.* 5, 4, 19. Haec ergo artificibus, et eruditis, cetera spectatoribus poeta exhibet. *Cic. Fin.* 1, 7. *extr.* Vellem equidem, aut ipse doctrinis fuisset instructior (est enim non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur) aut ne deterruisset alios a studiis. *Id. Att.* 4, 16. *a med.* Mancipia litteris, aut musicis erudita. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 7. *extr.* Homo doctrina, atque optimarum artium studiis eruditus. *Id. Or.* 3, 34. Homines Socraticis disputationibus eruditi. *Id. Tusc.* 1, 3. Oratorem celeriter complexi sumus: nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum. *Id. Or.* 1, 39. Scaevola eruditissimus disciplina juris civilis. *Id. Brut.* 82. Calvus orator, litteris eruditior, quam Curio. [*Litteris eruditus opponitur ei qui experientia et usu aliquid percepit. *Cic. Font.* 15. Homines non litteris ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis et victoriis eruditi. *h. e.* qui bellum gerere usu didicerunt.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Graeci diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. *Id. Balb.* 20. Marius stipendiis, et legationibus bellicis eruditus. *Id. Planc.* 9. Eruditus artificio simulationis. *Id. Fam.* 5, 14. Animus eruditus, qui semper aliquid ex se promit, quod alios delectet. *Quint.* 8, 6. *Vario Marte pugnatum est*, eruditus est sermo. *Gell.* 2, 21. Eruditus Graecas res. *hellenismus.* Sic 19, 12. *sub f.* Fiduciam peccandi imitatione falsa eruditus. ℙ Cum infinito. *Tac. Agric.* 18. Eruditus utilia honestis miscere. ℙ Est etiam Veneris peritus. *Auct. Priap.* 41. Inter eruditos Ficosissimus ambulet poetas. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Cic. prooem. Parad.* Alia est erudita, alia popularis oratio. Et *Parad.* 5, 2. Nos quoque oculos eruditos habemus. [*h. e. qui judicare possunt de picturis.] *Id. Att.* 12, 18. Quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit. *Quint.* 10, 1. *ante med.* Illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius. *Tac. A.* 16,

18. Petronius habebatur non ganeo, et profligator, sed erudito luxu, *h. e.* eleganti, [**von feinem, ausgesuchtem Geschmack.*] *Colum.* 8, 16. Docta et erudita palata fastidiunt fluvialem lupum. ℙ *Eruditi* absolute. *Plin.* 11, 37, 49. Cerebrum aliud esse, quam medullam, eruditi docent. *Id.* 20, 11, 44. Apud eruditos.

ERŪDITUS, us, m. eruditio. In sexto casu singulari habet *Tert. adv. Valent.* 29.

ERŪGĀTĬO, onis, f. cutis extensio, rugis sublatis. *Plin.* 28, 12, 50. Candorem, cutisque erugationem praestat.

ERŪGO, as, a. 1. ἐρυσσάω, est cutem extendere, et rugas tollere. *Plin.* 21, 19, 74. Lilii radices erugant corpora. *Id.* 28, 12, 50. Cutem in facie erugari, et tenerescere, et candorem custodire, lacte asinino putant. *Id.* 13, 12, 26. Charta erugatur, atque extenditur malleo.

ERŪGO, is, a. 3. ἐρεύγω. *Festus.* Erugere semel factum significat quod eructare saepius. Illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae.

ERVĪLĬA, ae, f. ὄχρος, cicera minor, cicercula, genus leguminis folio longiore, quam ceterorum, grano rotundo. *Col.* 2, 14., *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5., *Varr. R. R.* 1, 32., ubi alii leg. *Ervila Seren. Samm.* 585. resinas ex terebintho In speciem erviliae parvos glomerabis in orbes. *Festus:* Ervum et ervilia a Graeco sunt dicta, quia illi ervum ὄροβον, erviliam ὀρόβινον appellant. V. *Pontedera Oper. posth. T.* 1. p. 34.

ERUMPO, is, upi, uptum, n. 3. ἐξορμάω, celeleriter, vi, et cum impetu exeo, prorumpo. *Cic. Catil.* 2, 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Ignes, qui ex Aetnae vertice erumpunt. *Plin.* 6, 22, 24. Ex stagno duos amnes erumpere. *Ov. in Ib.* 155. Stygiis erumpere nitar ab oris. *Lucr.* 6, 888. Erumpere foras. *Caes. B. G.* 3, 5. Signo dato e castris erumpere. *Id. B. C.* 3, 44. Ne quo loco erumperent Pompejani, et nostros post tergum adorirentur. *Sall. Jug.* 104. Erumpere portis. *Plin.* 2, 52, 53. Fulmina terra erumpunt. *Lucan.* 6, 555. Erumpit sanguis jugulo. *Sall. Cat.* 44. Simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent, *h. e.* ex Urbe ad Catilinam celeriter se conferrent. *Curt.* 6, 3. Ego vero ad penates meos, ad parentem, sororesque, vel renitentibus vobis, erumperem. *Id.* 3, 4. *ad f.* Ne occultus hostis in subeuntes erumperet. *Id.* 9, 9. Apes erumpunt ad pugnam. *Sall. Jug.* 107. Solus inter tela hostium vitabundus erumpit. *Plin.* 22, 6, 6. Erumpere per castra hostium, *Id.* 9, 8, 7. Delphini solent in terram erumpere. ℙ Sumitur et simpliciter pro exire, emergere, nasci. *Id.* 13, 6, 12. Lentor resinosus e cortice erumpit. *Id.* 15, 14, 15. Geminum folium e latere erumpit. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 2. Erumpit a primo satu hordeum die septimo, legumina quarto. *Id.* 23, 6, 60. Flosculi erumpentes. *Sen. Brev. vit.* 6. Cum verba eruperunt, affectus ad consuetudinem relabuntur. *Plin.* 11, 37, 64. Dentes erumpentes. *Id.* 20, 9, 40. Theodorus bulbis curat erumpentia in capite, *h. e.* ulcera erumpentia. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 4. Cum illa conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset. *Id. Sull.* 24. Furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi. *Id. Cat.* 1, 3. Si illustrantur, si erumpunt omnia. [*i. e. patefiunt omnia.] *Id. Dom.* 24. Erumpere in actum. Al. aliter leg. V. ACTUS, us. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Dolore erumpunt lacrimae. *Liv.* 34, 61. Hoc mox in omnium perniciem erupturum est. *Cic. Har. resp.* 3. Videbam, erupturum illud malum ad perniciem civitatis. *Suet. Ner.* 27. Nulla dissimulandi cura, ad majora vitia palam erupit.' [*Plura exempla v. ap. *Gron.* ad *Liv.* 36, 7. *Drak.* ad *Sil. Ital.* 7, 355.] *Cic. Mur.* 23. Ut odia occulta civium in fortunas optimi cujusque erumperent. [*Cic. *Mur.* 38. Omnia in hos dies erumpunt. i. e. hoc potissimum tempore eveniunt mala.] *Id. Phil.* 10, 9. Erumpat aliquando vera, et me digna vox. *Id. Att.* 2, 20. *a med.* Haec quo sint eruptura timeo. *Ter. Phorm.* 2, 2, 11. Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. *Quint.* 8, 3. Erumpere in aliquem voluntatis affectum. Et 11, 3. Vox elisa in illum sonum erumpit, qui etc. *Just.* 10, 2. Exacerbatus juvenis in jurgia patris erupit. *Solin.* 1. *ad f.* Atys Croesi filius, mutus ad id locorum, in vocem erupit vi timoris. *Symm. ep.* 4, 1. Prior in verba salutationis erupi. *Minuc. Fel. Oct.* 41. Caecilius sic erupit. ℙ Active pro emittere, effundere, cum accusativo. *Ter. Eun.* 3, 5, 2. Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? [*Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Att.* 16, 3. Ne in me stomachum erumpant, cum tibi sint irati. [*i. e. ne in me iram effundant.] *Id. Arat.* 111. Aestiferos validis erumpit flatibus ignes. *Liv.* 36, 7. *circa med.* Ut erumpere diu coercitam iram in hostes communes posset. Al. leg. *coercita ira. Petr. Sat.* 124. Atque has erumpit furibundo pectore voces. Al. leg. *inque has. Tibull.* 4, 1, 86. Fontibus ut dulces erumpat terra liquores. [*Gron. ad *Liv.* 36, 7. *Burm.* ad *Suet. Aug.* 14.] ℙ Item pro exire, cum accusativo loci. *Virg. A.* 1, 584. jamdudum erumpere nubem Ardebant. *Val. Fl.* 5, 466. Admonet hic socios, nebulamque erumpit Iason. *Ulp. Dig.* 29, 5, 3. *ante med.* Erumpere vincula. *Exeo* quoque, et *evado* hac ratione usurpantur. Eandem exeundi vim, licet non cum accus., habet etiam in illo *Quint.* 4, 3. *extr.* Qui ex media probatione erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit, *h. e.* qui in media confirmatione digressionem facit. *Erumpere se* est cum impetu exire, ea ratione, qua *emergere se* dicimus. *Caes. B. C.* 2, 14. Portis se foras erumpunt. *Virg. G.* 1, 445. media inter nubila sese Diversi erumpent radii. Et *ib.* 4, 368. unde altus primum se erumpit Enipeus. *fluvius Thess. Vat.* ap. *Non.* 1, 222. Ventique frigido se ab axe eruperant. Adde *Acc.* ap. *Non.* 3, 235. et *Lucr.* 4, 1108. ℙ Hinc passive. *Lucr.* 6, 581. incita cum vis Exagitata foras erumpitur. *Scrib. Comp.* 84. Sanguinem cogunt magis erumpi per vulnus. ℙ Pro rumpere. *Cato R. R.* 157. Brassica tumida concoquit: eadem erumpit. *Inscr.*, non optimae tamen notae, ap. *Mur.* 1013, 5. Si quis eruperit legem praeteriti (fortasse legendum est propositi) mei etc.

[ERUNCĪNO, as, a. 1. runcina erado: ex *e*, et *runcino. Not. Tir.* p. 157. Runcinat, eruncinat. *F.*]

ERUNCO, as, a. 1. ἐκβοτανίζω, herbas noxias, et spinas, frutetaque exstirpo: ab *e*, et *runco. Colum.* 2, 11. Omnes alterius generis herbas eruncato. *Id.* 11, 3. *post in.* Eruncare areas.

ERŪO, is, ui, ūtum, a. 3. ἐξεύω, ἐξορύττω, effodio, extraho: ab *e*, et *ruo*, quasi quae terra obruta sunt, terram amoliendo, educo. *Cic. Fin.* 4, 4. Qui sciet, ubi quidque positum sit, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere. *Ov. Am.* 3, 8, 53. Aurum terra eruere. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. *extr.* Profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit: et inde tamen aliquando eruam. *Plin.* 28, 8, 29. Eruere alicui oculum. [**Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 52. *Sen. Ep.* 99. Multis vitalia eruuntur, ad quem locum v. *Gron.*] *Plin.* 21, 11, 36. herbam radicitus. *Virg. G.* 1, 319. Venti eruunt segetem ab radicibus imis. *Plin.* 8, 30, 44. Eruit sepulcra hyaena, inquisitione corporum. *Val. Fl.* 5, 145. cubilia ferri. Et 6, 101. glaciem securi. *Virg. A.* 2, 611. Neptunus tridenti totam a sedibus urbem eruit. *Sen. Troad.* 663. et 685. Eruere busta funditus. *Ov. Met.* 12, 268. Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo, Eruiturque oculos, ex Graecorum usu Et 476. jactanti talia Ceneus Extentum cursu missa latus eruit hasta, *h. e.* haurit, perfodit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 34. Scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus. *Id. Agr.* 1, 1. Indagare, invenire, e tenebris eruere. [**Cic.* ad *Fam.* 5, 10. Illum eruam, de servo fugitivo quem latentem alicubi se inventurum spondet.] *Id. Mur.* 7. Ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae. *Id. Or.* 2, 41. Cura, et cogitatione eruere aliquid. [**Cic. Or.* 2, 88. Memoriam eruere exercitatione, si nulla est naturalis, i. e. elicere usu,] *Stat. Th.* 3, 555. Eruimus, quae prima dies, ubi terminus aevi, Quid bonus ille Deum genitor, quid ferrea Clotho Cogitet, *h. e.* inquirimus, scrutamur. Sic *Plin.* 2, 46, 45. Ista plures sine praemio alio, quam posteros juvandi, eruerunt. [**Liv. Ep. l.* 102. Ea conjuratio industria Ciceronis eruta est, i. e. detecta, patefacta.] *Sen. Troad.* 580. Dolor pectore imo condita arcana eruet, *h. e.* prodet, eliciet, manifesta reddet. [*Item significat: eripere. *Cic. ad Att.* 12, 6. Fanum fieri volo neque hoc mihi erui potest, i. e. hoc eripi mihi non patiar, *ich lasse es mir nicht ausreden.* Porro tollere, diruere, propria significatione, ut in seqq.] *Virg. A.* 2, 4. Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai, *h. e.* diruerint, everterint. *Tac. H.* 4, 72. Eruere civitatem, i. e. evertere. [**Tac. A.* 14, 16. Ut contraria adseverantium discordiae eruerentur, i. e. detegerentur ac frangerentur.] *Stat. Th.* 5, 75. Cura viris tumidos adversa Thracas in ora Eruere, et saevam bellando frangere gentem. ℙ [*Nota formam imperativi *eruito* ap. *Colum. R. R.* 12, 58, 1. Radicem eruito mense Januario, ita *Schneid.* ex *Cod.*] ℙ [Part. *Eruturus* ap. *Justin.* 5, 8. Negarunt se Spartani, ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos. *F.*]

ERUPTĬO, onis, f. ἐξόρμησις, ἔξοδος, actus erumpendi, exitus. *Plin.* 24, 15, 86. Inhibere eruptiones sanguinis. *Id.* 8, 7, 7. Elephanti universi eruptionem tentavere, circumdati clathris ferreis. *Id.* 16, 10, 19. Omnia haec genera accensa carbonem repente exspuunt, cum eruptionis crepitu. *Id.* 18, 17, 44. *n.* 1. Si cariosum fuit semen, cum sereretur, prima statim eruptione agnoscitur. ℙ Saepe est verbum medicorum, quo significatur exitus pusularum, ulcerum, pituitae, et similium, quae alias exanthemata, tubercula, papulae, pustulae appellantur. *Plin.* 24, 9, 38. Oris ulcera et eruptiones sanare. *Id. prooem.* 23, 5. Oenanthe siccat manantes capitis eruptiones. *Id.* 20, 7, 26. et *ib.* 8, 27. Eruptiones papularum. Et 26, 11, 73. pituitae. Et 28, 6, 18. in corpore infantium. ℙ Item militare, *h. e.* egressio subita militum ex oppido aut castris, aggrediendorum hostium causa, [**ein Ausfall.*] *Liv.* 3, 28. Per media castra eruptionem facere. *Caes. B. G.* 7, 24. Duabus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat. Et *ib.* 3, 5. Si, eruptione facta, extremum auxilium experirentur. Et 21. Eruptionem tentare. Et *ib.* 7, 24. Resistere eruptionibus. Adde *Cic. Att.* 7, 14., *Liv.* 26, 4., *Nep. Thras.* 4., *Sall.*, *Tac.*, *Flor.*, *Justin. Vellej.* etc. ℙ Item excursio. *Caes. B. G.* 7, 7. Magna coacta manu, eruptionem in provinciam facere contendit. ℙ Translate. *Sen. Clem.* 1, 2. Eruptio vitiorum.

ERUPTOR, oris, m. qui erumpit, seu eruptionem facit. *Ammian.* 24, 5. Eruptores perterriti reverterunt.

ERUPTUS, a, um, part. ab *erumpo*, qui erupit, emissus. *Lucr.* 1, 724. de Aetna: Faucibus eruptos iterum vis evomat ignes. *Stat. Th.* 7, 683. Eruptusque sinus vicit cruor. Al. leg. *erumpensque. Scrib. Comp.* 84. Cum sanguis eruptus est. ℙ [*Confunduntur *Eruptus* et *ereptus. Drak.* ad *Liv.* 4, 32, 7.]

*ERUSCUS, i, idem ac rubus. *Appul. de herb.* 87. *B. A.*

ERŪTUS, a, um, part. ab *eruo*. extractus, effossus, ἐξορυχθείς. *Cic. Div.* 1, 27. *extr.* Mortuum erutum esse. *Virg. A*, 5, 449. radicibus eruta pinus. *Hor. Epod.* 5, 17. Sepulcris erutae caprificus. *Ov. Fast.* 1, 352. Sata eruta ore suis. *Stat. Silv.* 4, 7, 15. Fossor eruto concolor auro. *Martial.* 8, 28. Erythraeis eruta gemma vadis. *Tac. A.* 2, 69. Solo erutus. *Ov. Her.* 5, 54. remis eruta canet aqua, *h. e.* convulsa, et ab imo agitata. *Plin.* 28, 8, 27. Dentes de sinistra parte eruti. *Id.* 25, 8, 50. Eruti oculi. ℙ Item dirutus. *Sil.* 3, 213. Eruta convulsis prosternes oppida muris. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 1, 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Plin.* 18, 4, 5. Causa rerum et ratio eruta. *Curt.* 4, 14. Viros fortes nunquam ignorari: at imbelles ex latebris suis erutos, nihil praeter nomina afferre. *Stat. Th.* 10, 817. sedet eruta multo Ungue genas, ἑλληνισμός.

ERVUM, i, n. genus leguminis, siliqua cylindracea, fructu lignoso, quo armenta pinguescunt, ab ὄροβος, quod idem significat. *Colum.* 2, 11. *ad f.* Ervum laetatur loco macro, nec humido, quia luxuria plerumque corrumpitur. *Virg. Ecl.* 3, 100. Eheu quam pingui macer est mihi taurus in ervo! Al. leg. *arvo*, quod *Pierius* improbat. V. ERVILIA.

*ERYANNOS, i, Asiae Minoris fluvius, in Aeolide, vel Mysia. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

ERYCĪNUS, a, um, adj. ad Erycem montem, et oppidum pertinens. V. ERYX. *Erycina* dicta est Venus, quod in eo oppido nobile templum habuit. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Venus Erycina. *Ov. Her.* 15, 57. Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos. *Hor. Od.* 1, 2, 33. Sive tu mavis, Erycina ridens. *Stat. Silv.* 1, 2, 159. Non secus alma Venus, quam si Paphon aequore ab alto, Idaliasque domos, Erycinaque templa subiret. *Prop.* 3, 11, 6. Et venit e rubro concha Erycina mari, *h. e.* concha, ex qua sunt margarita. Fabulantur autem, Venerem e mari natam, concha marina ad Cypri litus delatam esse. ℙ *Erycini, orum*, sunt ejus oppidi cives. *Plin.* 3, 8, 14. ℙ *Erycina thapsos* ap. *Lucan.* 9, 919. est ferulago, cujus copia in Sicilia in Eryce monte. ℙ Videtur etiam *Erucinus* scriptum olim fuisse. Nam in nummo gentis Considiae ap. *Morell. Thesaur. Fam. R.* exstat templum Veneris Erycinae, cui subest inscriptio ERUC.

[*ERYCIUS CLARUS, nomen viri. Memorantur duo viri hujus nominis, quorum alter praefectus urbi fuit, ap. *Spartian. Sev.* 13. et ap. *Gell. N. A.* 6, 6. Diversos eos fuisse ostendit *Heinecc.* in *Brisson.* libro de verb. signif. s. v.]

ERYCUS, i, m. idem ac Eryx, mons Siciliae. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Qui Erycum montem obtinebat. *Tac. A.* 4, 43. Aedes Veneris, montem apud Erycum vetustate delapsa.

ERYMANTHAEUS et Erymanthĭus, a, um, adj. Ἐρυμανθαῖος et Ἐρυμάνθιος, ab Erymantho; ut Erymanthius aper, *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *extr.* Erymanthaeum monstrum. *Val. Fl.* 1, 374. Erymanthia mater, *Stat. Th.* 12, 805., *h. e.* Athalanta ex Tegea urbe Arcadiae, mater Parthenopaei ex Meleagro. ℙ Scribitur et Erymantēus, Ἐρυμάντειος.

ERYMANTHĬAS, ădis, f. ab Erymantho, ut Erymanthiades Nymphae, ap. *Stat. Th.* 4, 329.

ERYMANTHĪNUS, a, um, adj. Erymanthaeus, ut Herculi Erymanthino in nummo Postumi apud *Hard.* ad *Plin.* 6, 29, 35. *Tab.* 5. p. 344. et *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 443.

ERYMANTHIS, ĭdis, f. patronym. pro ipsa Arcadia. V. ERYMANTHUS. *Ov. Met.* 2, 500. Nexilibus plagis silvas Erymanthidos ambit. Al. rectius leg. *Erymanthidas*, ut sit adject. [*V. *Burm.* ad h. l.] ut ap. *eund. Trist.* 1, 4, 1. custos Erymanthidos ursae, *h. e.* Arctophylax.

ĔRYMANTHĬUS. V. ERYMANTHAEUS.

ĔRYMANTHUS, i, m. Ἐρύμανθος, mons Peloponnesi in Arcadia, in cujus silvis Hercules aprum immanem ac furiosum interfecit. *Martial.* 11, 69., et *Serv.* ad illud *A.* 6, 802. Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi Placarit nemora. ℙ Item fluvius ex eo monte in Alpheum defluens. *Plin.* 4, 6, 10., *Mela* 2, 3. [*V. *Interpp.* ad *Ov. Met.* 2, 244.] ℙ Est etiam fluvius in Perside, quo transmisso ex Arachosia in Orangianam iter est. *Plin.* 6, 23, 25. Amnis Erymanthus praefluens Parabesten Arachosiorum.

*ĔRYMNAE, arum, Ἔρυμναὶ, Thessaliae oppidum, in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

ĔRYNGE, es, f. et Eryngion, ii, n. ἠρύγγη, et ἠρύγγιον, herba est ex aculeatarum genere, dura, fruticosa, spinosis foliis, caule geniculato, cubitali et majore aliquanto, radice odorata. *Plin.* 22, 7, 8. et *Scrib. Comp.* 153. et 165. [*Colum. *R. R.* 6, 5, 2. Eryngii radices foeniculi seminibus miscendae. Adde *Veg.* 4, 3, 7. 1, 17, 14.]

ĔRYSĪMON, i, n. ἐρύσιμον, herba est in Asia, Graeciaque, inter frumenta connumerata, eademque cum ea, quam Latini irionem vocant, nisi pinguius esset. *Plin.* 18, 10, 22.

ĔRYSĪPĔLAS, ātis, n. ἐρυσιπέλας, ἐρυθροπέλας, morbus, cum super inflammationem rubor ulcus ambit, isque cum dolore procedit: ab ἐρεύθω, traho, et πέλας, prope, qui attrahit partes vicinas: vel potius ab ἐρυθρὸς, ruber, et πελὸς, aut πελιὸς, niger, lividus, quia rubedini nonnihil alterius admixtum coloris. *Cels.* 5, 16. *n.* 31. et 33. ubi Graece, et *ib.* 28. *n.* 11. ubi Latine legitur.

[*ĔRYSISCEPTRUM, i, n. ἐρυσίσκηπτρον, frutex, Inter odoramenta refert *Plin.* 24, 13, 69. Sed et frutex humilior, aeque spinosus, in Nisyro, et Rhodiorum insulis, quem alii erysisceptrum, alii adipsatheon, sive diacheton vocant. Adde 12, 24, 52. V. ASPALATHUS. *F.* et *B. A.*]

[ĔRYSĪTHĂLES, is, f. ἐρυσιθάλης, herba flore luteo, foliis acanthi, bibiturque e vino. *Plin.* 26, 13, 85. *F.*]

ĔRYTHACE, es, f. ἐρυθάκη, alio nomine sandaraca, et cerinthus, quiddam est ex rore verno, et arborum succo conflatum, et ab apibus congestum, earum cibus dum operantur: saepe invenitur in favorum inanitatibus sepositus, amari saporis, ut *Plin.* 11, 7, 7. narrat. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Erythacen vocant, quo favos extremos inter se conglutinant: quod est aliud melle, propoli: itaque in hoc vim esse illiciendi: quocirca examen ubi volunt considere, eum ramum, aliamve quam rem oblinunt hoc, admixto apiastro. Haec *Varro.* ℙ Scribitur et *erithace.*

ĔRYTHĒA et Erythia, ae, f. Ἐρύθεια, insula in mari Gaditano, ex qua Geryoni armenta abduxit Hercules. *Prop.* 4, 9, 2. et *Plin.* 4, 22, 36., ubi addit, ita dictam esse, quia primi incolae ab Erythraeo mari orti ferebantur. Quidam volunt, fuisse Geryonis filiam, ex qua Mercurius Noracem genuit, quae insulae nomen dederit. ℙ Adjective. *Sil.* 16, 195. Herculeas Erythia ad litora Gades. Al. leg. *Erythraea*, eod. sensu.

ĔRYTHĒIS, ĭdis, f. patronym. ab Erythea. *Ov. Fast.* 5, 649. secumque boves Erytheida praedam Abstrahit. Et *ib* 1, 543. Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros.

ĔRYTHEOS et Erythĭus, a, um, adj. Ἐρυθεῖος, ad Erytheam insulam pertinens. *Sil.* 16, 195. ipsas Gades *Erytheas* cognominat. Sunt enim, qui Erytheam, et Gades unam eandemque insulam faciunt.

ĔRYTHĪNUS, i, m. ἐρυθρῖνος, piscis marinus rubro colore: unde et *rubellio* Latine dicitur: ab ἐρυθρὸς, ruber. *Ov. Halieut.* 104. caeruleaque rubens erythinus in unda. *Plin.* 9, 16, 23. In quodam genere omnino non sunt mares, sicut in erythinis, et chanis. ℙ Est qui leg. *Erythrinus.*

ĔRYTHRAE, arum, f. plur. Ἔρυθραὶ, urbs Graeciae in Boeotia ad Cithaeronem montem. *Plin.* 4, 7, 12. Dites pecorum appellat *Stat. Th.* 7, 265. Dictae sunt ab Erythro filio Leuconis, Athamantis nepote. *Pausan.* in *Eliacis.* ℙ Item in Locride, in ora sinus Corinthiaci. *Liv.* 28, 8. ℙ Item Ioniae ad Aleum fluvium, inter Clazomenas et Teon, urbes. *Plin.* 31, 2, 10.

ĔRYTHRAEUS, a, um, adj. Ἐρυθραῖος, ad Erythras pertinens, ut *Erythraea Sibylla*, quae ex Erythris Ioniae fuisse dicitur. *Cic. Div.* 1, 18., item *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 36. ubi tamen non Erythras urbem, sed Erythram Asiae insulam nominat. *Erythraea terra* ap. *Liv.* 36, 45. et *Erythraea* absolute 44, 28. h. e. Erythrarum Ioniae. *Erythraeae triremes* ab eisdem Erythris dictae, *Id.* 37, 11. et *Erythraei, orum*, ejusdem urbis cives, *Id.* 38, 39. [*Drak. ad *Liv.* 37, 12, 10. et 44, 28, 12.] ℙ Haec vox Graece rubrum significat, ab ἐρυθρὸς, rubeus: unde *Erythraeae oves* dictae sunt a rutilo vellere, teste *Plin.* 8, 48, 76. Adde *Colum.* 7, 3. *extr.* [*Adde 7, 2, 4. Nec minus Asia rutilos, quos vocant erythraeos.] Hinc etiam dictum putatur *Erythraeum mare*, qui est sinus Arabicus, nunc *mar della Mecca*, et mare rubrum: item sinus Persicus, ubi nunc *golfo*, aut mare Arabicum, ἐρυθρὰ θάλασσα. De eo ita *Plin.* 6, 23, 28. Irrumpit deinde et in hac parte geminum mare in terras, quod Rubrum dixere nostri, Graeci Erythraeum, a rege Erythra, aut, ut alii, solis repercussu talem reddi colorem existimantes: alii ab arena, terraque: alii tali aquae ipsius natura. Sed in duos dividitur sinus. Is qui ab oriente est, Persicus appellatur etc. Rursus altero ambitur sinu, Arabico nominato, etc. *Curt.* 8, 9. Mare, quo alluitur India, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythra rege inditum est nomen, procter quod ignari rubere aquas credunt. Adde *Mela* 3, 8. a quo diligenter describitur. *Martial.* 10, 16. Quidquid Erythraea niger invenit Indus in alga, *h. e.* margarita, quorum ferax illud mare esse dicitur. Porro Indos nominat, quia Indus in sinum Persicum influit. Sic *Id.* 5, 37. et *Stat. Silv.* 4, 6, 18. Erythraei lapilli. *Martial.* 13, 100. Erythraeus dens, *h. e.* ebur, dens elephanti, quo Indi abundant. *Stat. Th.* 7, 566. Erythraeis victor ab oris Liber, *h. e.* ab India. *Martial.* 8, 26. Erythraei triumphi, *h. e.* quos egit Liber de victis Indis. *Claud. IV. Cons. Hon.* 563. Erythraei smaragdi, *h. e.* qui circa sinum Arabicum reperiuntur. ℙ Erythraeus color in mare ovium dicitur a *Colum.* 7, 2. *extr.* qui ad rubrum accedit.

ĔRYTHRĂICON, i, n. ἐρυθραϊκὸν, genus satyrii cortice rubeo: ab ἐρυθρὸς, ruber. *Plin.* 26, 10, 63.

ĔRYTHRĂNON, i, n. ἐρύθρανον, genus hederae, acinis rubentibus: ab ἐρυθρὸς, ruber. *Plin.* 16, 34, 62.

ĔRYTHRĪUS, a, um, adj. *Erythrius pulvis* ap. *Catull.* 6, 206. sunt arenae Cyrenaicae: ab *Erythro* ejus regionis parte. Al. aliter leg.

ĔRYTHRŌCOMI Frondes, ἐρυθρόκομοι, h. e. rubrae, in quodam malorum granatorum genere: sicut *leucocomi*, albae, in alio ejusdem pomi genere: ab ἐρυθρὸς, ruber, et λευκὸς, albus. *Plin.* 13, 19, 34.

ĔRYTHRŌDĂNUS, i, f. ἐρυθρόδανος, Latine rubia, herba est apta tingendis lanis, et coriis perficiendis. *Plin.* 24, 11, 56. Alia res erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos rubiam.

ĔRYTHROS, a, um, adj. ἐρυθρὸς, ruber. *Plin.* 21, 31, 105. Hoc est venenum, quod appellavere erythron. ℙ *Erythros rhus*, semen est fruticis, qui rhus vocatur: a colore sic dictum. *Plin.* 24, 11, 55.

ĔRYX, ycis, m. Ἔρυξ, nomen est magni excelsique montis, et oppidi in eo positi in Sicilia, in ora occidentali prope Drepanum. Ibi fuit nobile templum Veneris, quae inde *Erycina* dicta est. Nomen habuit ab Eryce Butae, sive Neptuni et Veneris filio, Siciliae rege, qui advenas caestibus provocabat, victosque perimebat: quo in certamine ab Hercule occisus fuit, atque in eo monte sepultus. *Serv.* ad *A.* 1, 574. ubi *Erycis fines* vocat *Virg.* ipsam Siciliam, et *A.* 5, 412. Erycem germanum Aeneae dicit, quia uterque Veneris filii.

E S

ĒSAIĀNUS, a, um, adj. ad Esaiam prophetam pertinens. *Sulpic. Sever. epist.* 2. ad *Aurel.* Esaianum supplicium.

*ĒSAIAS, ae, m. Ἡσαΐας, propheta V. T. a quibusdam dictus *Evangelista.* V. *Augustin.* T. 5. p. 1078. ℙ Vox trisyllaba *Prud. Apoth.* v. 663. (al. 595.) *Date, pandite, librum Evomuit, spirante Deo, quem sanctus Esaias.* Sed idem quatuor syllabis prima longa, altera brevi, tertia longa, *Perist.* carm. 5. v. 524. *Secto Esaiae proximum.* Est iambicus dimeter. Sed fluctuat lectio. Tribus syllabis longis, vel forte prima longa, brevibus altera ac tertia, *Tertull. adv. Marc. carm.* 3. v. 163. *Isaias loculpes vates. B. A.*

*ĒSAR, Ἔσαρ, Aegyptiorum, qui Psammetichum fugerunt, oppidum, dierum duodecim itinere a Meroe distans, in quo produntur annis trecentis habitasse. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

[*ĒSBŌNĪTĂ, ae, m. ad Esbum vel Esebon vel Hesebon, pertinens, Arabiae urbem, nunc *Esebòn*, in cujus nummis apud *Echkel. D. N. V. T.* 2. p. 503. ΕΣΒΟΥ. ℙ *Esbonitae, arum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 5, 11, 12. Haec Catabanum et Esbonitarum et Scenitarum Arabum vocatur. *F.* et *B. A.*]

ESCA, ae, f. ἔδεσμα, cibus: ab *esum* sup. verbi *edo. Cic. N. D.* 2, 23. Dii nec escis aut potionibus vescuntur. Et 64. Sus vero quid habet praeter escam? *Ov. Am.* 2, 19, 26. dulcis esca. *Cic. Fin.* 2, 28. Contemptissimae escae et potiones. *Pl. Pers.* 3, 1, 9. Libenter escis alienis studes. *Hor. Sat.* 2, 2, 27. Esca simplex. Et *ib.* 8, 5. Quae prima iratum ventrem placaverit esca. [*Contra apud *Col. R. R.* 12, 1, 2. escae de bellariis, *Näschereien.* Villica ab escis remotissima, i. e. quae non liguriat.] *Mart.* 13, 87. Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis: et, non est hoc satis, esca sumus. Murices loquuntur. *Colum.* 3, 2. Vitis vel ad escam vel ad effusionem deponitur. [*Adde *Col.* 11, 2, 72. Ad escam serere fascolum.] *Varr. L. L.* 4, 13. Mergus, quod mergendo in aquam captet escam. ℙ *Escae maximae esse*, ap. *Pl. Men.* 1, 1, 24. est multi cibi esse, large coenam parare. ℙ Saepe dicitur de cibo, quod projicitur avibus, feris et piscibus, decipiendi gratia, δέλεαρ. *Petr. Sat.* 3. Sic eloquentiae magister, nisi tanquam piscator, eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo. *Mart.* 4, 56. Callida sic stultas decipit esca feras. *Pl. Asin.* 1, 3, 67. Aedis nobis est area, auceps sum ego, Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves. *Cic. Sen.* 13. Divine Plato escam malorum, voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces. ℙ [*Item de cibo medicato. *Veg. Art. vet.* 4, 6, 1. Parvos coliculos decoques et ex oleo ac liquamine per os digeres, eamque escam jejuno dabis.] ℙ Translate. *Liv.* 25, 39. Pars semisomnes hostes caedunt: pars ignis escas, stramenta arida tectis injiciunt. Al. leg. *ignes casis stramento arido.* ℙ *Escas* in genit., ut *familias, monetas, vias* etc. *Liv.* in *Odyss.* ap. *Prisc.* 6. p. 679. Atque escas habemus mentionem.

ESCĀLIS, e, adj. ad escam pertinens. *Modest. Dig.* 33, 10, 8. An videretur et argentum escale et potorium legato contineri. V. CAPTOR.

*ESCAMUS, i, Moesiae amnis. *Plin.* 3, 26.

ESCĀRĬUS, a, um, adj. idem quod escalis. *Plin.* 36, 26, 67. Escaria vasa, quae *escaria* absolute *Juven.* 12, 46. appellat. *Varr. L. L.* 4, 25. escaria mensa. *Paul.* ex *Festo:* Escariae mensae quadratae vocantur, in quibus homines epulantur. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *post med.* Si cui escarium argentum legatum sit, solum debebitur quod ad epulandum in ministerio habuit, idest ad cibum et potum. *Paul. ib.* 33. Argento potorio vel escario legato. *Id. ib.* 33, 10, 3. Vitrea escaria et potoria. ℙ Item quod comeditur aut comedi potest. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Escarfae uvae. *Pl. Men.* 1, 1, 18. Istaec nimis lenta vincla sunt escaria: Quam magis extendas, tanto adstringunt arctius, *h. e.* alienus cibus, quo parasiti capiuntur.

[*ESCARUS, i, genus piscis. Ex falsa, ut videtur, lectione hoc nomen ortum pro *scarus.* Vitium tamen satis antiquum, quod *Isidor.* 12, 6. Escarum pro scaro posuit et ab *esca* dictum finxit. Vid. *Ulit.* ad *Ov. Halicut.* 9.]

ESCĀTĪLIS, e, adj. escarius. *Tertull. Poenit.* 5. Post mannae escatilem pluviam. Adde *advers. Marc.* 1, 1.

ESCENDO, is, n. 3. [*De origine vocis vide quae disputat *Schneider.* Elementarl. T. II. p. 552.] pro ascendo, usurpasse optimae notae auctores, sed in plerisque editionibus esse immutatum in *ascendere, Grut., Gron.* ad *Liv.* 2, 28. [*Adde interpp. ad *Liv.* 8, 17. 11, 29. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 7, 27. ad *Suet. Caes.* 61. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 48. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 212. *Burm.* ad *Phaedr.* 4, 21, 9. Cfr. quae s. v. ASCENDERE dicta sunt.] et alii docti viri testantur. [*Sed non possunt promiscue usurpari. *Escendere* est nostrum *aufsteigen*, quod tam propria quam metaphorica significatione locum habet, quum de altitudine et virium contentione agitur; *ascendere* est *besteigen*, editiorem aliquem locum consequi. Vid. qui accuratissime de hac re egit *Schneider.* Elementarlehre Tom. II. p. 552.] Itaque sic legendum censent ex MSS. apud *Nep. Them.* 8. Hic in navim omnibus ignotus escendit. et apud *Cic. Off.* 3, 20. Ut omnes simul in rostra post meridiem escenderent. Et *Plaut. Mil.* 4, 4, 14. Cum ex alto puteo ad summum escenderis. *Pareus* alia multa hujusmodi ex *Varr., Ov., Caes., Sall., Gell.* congerit in *Lex. Crit.* ℙ Item pro descendere. *Liv.* 8, 10. *ad f.* Ubi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum escendere, fas non esse. Al. leg. descendere. ℙ Et pro navi egredi. *Liv.* 29, 11. Legati Asiam petentes, Delphos cum escendissent. [*Gron. ad *Liv.* 8, 17. haec habet: Memineris distinguere inter *Escendere* et *exscendere.* Illud est sursum niti scandendo, hoc e navi descendere. Hanc sententiam probat *Drakenb.* ad *Liv.* 8, 17. Sed *Schneider.* l. d. recte animadvertit, exempla, quibus haec significatio adstruatur, valde dubia esse et bonos scriptores eo sensu *egredi* dixisse. ℙ Confunduntur saepissime a librariis *Escendere* et *ascendere.* V. supra et quae s. v. *Ascendere* dicta sunt. Passim etiam *Escendere* et *excedere.* Vid. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 48.]

*ESCENSUS, a, um, partic. pass. ab *escendo. Ammian.* 16, 12. Escensis navigiis. *B. A.*

ESCENSUS, us, m. ascensus. In sexto casu sing. *Tac. A.* 13, 39. Capta escensu munimenta. [*Cfr. *Drak.* ad *Liv.* 2, 28, 6. 34, 28, 2. *Schneider.* Elementarlehre Tom. II. p. 552.]

ESCHĀRA, ae, f. ἐσχάρα, crusta, quae ferro ardendi aut medicamento caustico cuti inducitur: item quae sponte sua ulceribus adnascitur. Graeca vox, quam Latine usurpat *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *ad f.* ℙ [*Eschara*, proprie focus seu craticula. Mechanicis est in balista et testudine basis. V. *Vitr.* 10, 17, 20. Causa appellationis a similitudine craticulae in foco. *B. A.*]

*ESCHARĪTES, ae, m. ἐσχαρίτης, panis genus,

de craticula sic dictum, apponi solitum sub coenae finem. Hinc *Plaut.* (ut aiunt, nesciente *Genero* quam bene) *Escharulas mulieres* appellat, de panificii ratione. Hujus panis meminit *Athenaeus* 3, 109. E. et 115. E. ed. *Casaub. Coel. Rhodig.* 20. *Pollux* 6, 11. *B. A.*

ESCHĂROTĬCUS, a, um, adj. ἐσχαρωτικὸς, escharam inducens. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *extr.*

*ESCHATOCOLLĬON vel *Eschatocollon*, i, n. ἐσχατόκολλον, ἐσχατοκόλλιον, quasi tu dicas ultimam glutinationem, scheda s. pagina ultima in scapo chartae vel in libro, ut *protocollon* est prima. V. *Salmas.* ad *Vopisc. Firm.* p. 704. b., ubi suam *Martiali epigr.* 2, 6. lectionem restituit, nempe hanc: *Lectis vix tibi paginis duabus, Spectas eschatocollion, Severe*, i. e. ultimam plagulam et schedam. Legebatur antea ἐσχατοκωλικὸν et ἐσχατοκώλιον, quasi a κῶλον, *membrum*, esset, non a κόλλα, *gluten. B. A.*

ESCĬFER, a, um, adj. escam et cibum ferens. *Paul. Nol. carm.* 19, 223. Quamquam et ut Eliam, sic istum pascere posset, Esciferas volucres jejuna per avia mittens.

ESCIT pro *erit*, dictum est, *Festo* teste. *Lucr.* 1, 612. Ergo rerum inter summam minimamque quid escit? *Lex XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. Si morbus, aevitasve vitium escit. ℙ Hinc sunt *obescit* oberit, *superescit* supererit, apud *eund. Fest.*

ESCO, as, a. 1. escam peto aut vescor. *Solin.* 40. *extr.* Ciconiae serpentes escandi gratia insectantur.

*ESCO, onis, oppidum Vindeliciae, ad Licum amnem, ubi nunc fere *Schonga. Tab. Peutinger. B. A.*

[ESCOLIMBUS, i, m. In *Inscr.* ap. *Mur.* 484, 3. mendose legitur *escolimbum a colo constituit*, quod legendum videtur *et colymbum a solo constituit.* V. COLYMBUS. *F.*]

[*ESCRIBO pro *Exscribo.* V. *Cort.* de usu orthogr. p. 78. *Schneider.* Elementarl. Tom. II. p. 553.]

*ESCŪA, ae, f. Ἔσκουα, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

ESCŪLA, ae, f. dimin. ab esca. *Pl. Men.* 3, 1, 10. In dies qui singulas esculas edunt. Plerique omnes leg. *escas.*

ESCŪLENTUS, a, um, adj. τρώξιμος, esui aptus. *Cic. N. D.* 2, 56. In ea parte oris, qua esculentis et poculentis iter natura patefecit. *Id. Phil.* 2, 25. *extr.* Is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit. *Colum.* 11, 3. *a med.* Esculenta merx. *Plin.* 8, 55, 81. Innoxia et esculenta animalia. *Gell.* 4, 1. *a med.* Penus, est, quod esculentum aut potulentum est. [*Ulp. in *Dig.* 33, 9, 3, 2. Penus esculenta. *Ib.* 3. Esculenta utrum ea, quae esse, an et ea per quae esse solemus.] *Hieron. ep.* 22. *n.* 11. Non posse a vino et esculentioribus cibis abstinere, *h. e.* delicatioribus et magis alibilibus. *Plin.* 8, 25, 37. Crocodilus ore semper esculento, *h. e.* cibi pleno.

[*ESCULPO pro *Exsculpo.* V. *Cort.* de usu orthogr. p. 78. *Schneider.* Elementarl. Tom. II. p. 553.]

ESCŪLUS cum derivatis. V. AESCULUS.

ESERNĬA, etc. V. AESERNIA.

ESIT, quod est in *XII. Tab.* V. in SUM.

ESĪTĀTUS, a, um, partic. ab *esito*, frequenter comesus. *Gell.* 4, 11. De χνάμῳ non esitato.

ESĪTO, as, avi, atum, a. 1. καταιρώγω, frequentativum ab *esus* partic. verbi *edo*, ut *Gell.* 9, 6. docet: et fere consuetudinem edendi significat. *Pl. Capt.* 1, 2, 85. Asper meus victus sane est. *Par.* sentesne esitas? *Id. Pseud.* 3, 2, 40. Vel ducenos annos poterunt vivere Meas qui esitabunt escas. *Plin.* 20, 9, 33. Urina ejus, qui brassicam esitaverit. *Cato R. R.* 157. Lotium ejus, qui brassicam esitarit. *Gell.* 4, 11. Pythagoram non esitavisse ex animalibus.

[ESOCĪNA, ae, f. stagnum, seu lacus, in quo esoces servantur. *Not. Tir.* p. 182. Piscis, piscina; esox, esocina. *F.*]

*ESOPĬA, sedilia *Festus* voce *Sesopia*, ubi vide. Etiam *Pl. Truc.* 2, 8, 5. Quo pacto excludis quaeso esopiis planius. Sic saltem *Meurs. Exerc. Crit.* 1, 4. et *Gutbert. de Saliis* p. 155. Sed *Gron.* legit Quo pacto excludis? quaeso potin' planius. *B. A.*

[ESOR, oris, m. qui multum edit. *Front. de fer. Alsiens.* (ed. iterum *A. Maio ep.* 3. *ante med.* Scimus (Hadrianum) prandiorum opimorum esorem optimum fuisse. *F.*]

ESOX, ocis, m. ἔσοξ, genus piscis, qui in Rheno insigni magnitudine crescit, alii lucium, alii salmonem putant, alii probabilius eundem faciunt ac Italorum *storione*, qui et attilus dicitur. *Plin.* 9, 15, 17. Silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado inertia pinguescens. Adde *Sulpic. Sever. Dial.* 3, 10. ℙ *Isocem* vocat *Isid. Orig.* 20, 2.

ESPECTO. V. in EXSPECTO.

ESPĬCIO pro aspicio quidam leg. ap. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 8. Si mihi rides, espice.

ESQUĪLĪAE. V. EXQUILIAE.

[ESSĔDĀRĬA, ae, f. quae essedum ducit. *Petr. Sat. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Mulier essedaria. *F.*]

ESSĔDĀRĬUS, ii, m. qui essedum regit, et miles, qui ex essedo pugnat: quam pugnandi rationem *Caes. B. G.* 4, 33. describit. *Cic. Fam.* 7, 6. In Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto. *Caes. B. G.* 5, 19. Essedarios ex silvis emittebat, et magno cum periculo nostrorum equitum, cum iis confligebat. ℙ Gladiatores quoque fuere, *essedarii* dicti, nempe e curru pugnantes. *Suet. Cal.* 35. et *Claud.* 21. [*Loquitur de iisdem. *Cic. Epp.* 7, 10. *Sext.* 59. ad quem loc. vide *Abram.*] ℙ Item qui esseda facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 959, 8. C. Julius Jucundus essedarius.

ESSĔDŌNĬUS, a, um, adj. ad Essedones pertinens. Sunt autem Essedones, Ἰσσηδόνες, populi Scythiae circa paludem Maeotin, Colchis contermini. *Val. Fl.* 6, 750. ubi serus Iber, Essedoniaeque phalanges. Adde *Plin.* 6, 7, 7. et *ib.* 17, 19.

ESSĔDUM, i, n. et Essēdă, ae, f. vehiculum, birotum Gallorum et Britannorum, apud Belgas primo repertum, vehendis quidem hominibus, oneribusve aptum, sed a Gallis praecipue Britannisque usurpatum in bello, cum ex eo pugnare soliti essent: cujus pugnae rationem *Caes. B. G.* 4, 33. et *ib.* 5, 16. tradit. Paulatim transiit ad usum Romanorum, tum ad itinera, tum oneribus vehendis. *Essedum* dictum videtur ab ἄϊσσω, cum impetu feror; hinc Italorum *aizzare*, instigo. *De la Cerda* vero ad *Virg. loc. mox citand.* ait, apud Belgas nunc quoque *hissem* esse incitare ad cursum: et his essedum esse *hessichdum*, quo sermone etiamnum aurigae Belgici utuntur. *Virg. G.* 3, 204. Belgica vel molli melius feret esseda collo, *feret*, inquit, non *trahet*, quia cum sint binis tantum rotis instructa, partim quidem trahuntur ab equis, partim tamen etiam feruntur *Cic. Att.* 6, 1. *ad f.* Venit mihi obviam cum duobus essedis, et rheda equis juncta, et lectica, et familia magna. *Id. Phil.* 2, 24. Vehebatur in essedo tribunus plebis. (hoc dicit ad reprehensionem, quod civis R. peregrino luxu, et externis vitae instrumentis uteretur.) *Ov. Pont.* 2, 10, 33. Seu rate caeruleas picta sulcavimus undas, Esseda nos agili sive tulere rota. *Prop.* 2, 23, 43. Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur? *Mart.* 10, 104. Altam Bilbilin, et tuum Salonem Quinto forsitan essedo videbis, *h. e.* quinto itineris die. *Suet. Cal.* 51. Essedo iter facere. *Id. ib.* 26. Quosdam summis honoribus functos ad essedum sibi occurrere togatos, per aliquot passuum millia, passus est. *Id. Galb.* 6. *extr.* Ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrit. *Sen. ep.* 56. In iis, quae me sine avocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono. [*Vide de essedis *Scheff.* de re veh. 2, 23.] ℙ De oneribus vehendis *Sid. ep.* 4, 18. Nulla sarraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.

ESSENTĬA, ae, f. οὐσία, φύσις, natura, ratio. *Quint.* 8, 3. *ante med.* Multa ex Graeco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut ens et essentia: quae cur tantopere aspernemur, nihil video: nisi quod iniqui judices inter nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. *Id.* 3, 6. *ante med.* Οὐσία, quam Flavius *essentiam* vocat: neque sane aliud est ejus nomen Latinum. Et 2, 14. Haec interpretatio non minus dura est, quam illa Flavii essentia, atque entia. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Et haec est essentia, quam individuam, eandemque dividuam Plato in Timaeo expressit. Et 2, 14. *a med.* Si animae essentia motus esset, etc. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Τὰς οὐσίας, quas essentias dicimus, duas esse ait. ℙ *Cicero* pro *essentia* fere *naturam* dixit: aliquando tamen et illa voce usus est, teste *Seneca*, qui *ep.* 58. Cupio, inquit, si fieri potest propitiis auribus tuis, *essentiam* dicere: sin minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem: si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum et elegantem, orationis ad nostrum fastidium nitidae. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία, res necessaria, naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque, permittas mihi hoc verbo uti. Haec *Seneca*, qui quem laudat Fabianum, idem est cum Flavio *Quintiliani*, nempe *Ser. Flavius Papirius Fabianus.* At *Spaldingius* ad *Quint. l. c.* contendit, pro *Sergio Flavio* legendum *Verginio Flavo*, quem nempe laudat etiam *Tac. A.* 15, 71. Etiam *Sidon. ep. praef. carm.* 14. *ad f.* Lecturus es hic etiam novum verbum, idest essentiam: sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem, nam essentiam, nec non indoloriam nominavit addens: *licet enim novis rebus nova nomina imponere*, et recte dixit. Nam sicut ab eo, quod est, v. gr. sapere et intelligere, sapientiam et intelligentiam nominamus; regulariter et ab eo, quod est, essentiam non tacemus, et in ipso *carm.* 102. Invenit hic (*Plato*) princeps quid prima essentia distet A summo sextoque bono.

ESSENTĬĀLĪTER, adv. οὐσιωδῶς, secundum essentiam. *August. de Trin.* 7, 2. Sapientia essentialiter intelligitur.

[ESTĬA, ae, f. ἑστία, domus, focus, Lar. Est etiam cognomen masculinum Romanum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 262, 8. L. Vibius Estia. Hic more Latinis usitato aspiratio Graecorum excidit. *F.*]

ℙ **Estia*, ae, palus grandis in Germania. *Mela* 3, 3. *med. B. A.*

ESTRIX, īcis, f. quae edit plurimum. *Pl. Cas.* 4, 1, 17. Illae autem senem cupiunt extrudere incoenem ex aedibus, ut ipsae solae ventres distendant suos. Novi ego illas ambas estrices.

ESTUR. V. in EDO.

*ESUBĬĀNI, orum, m. populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*ESUBOPES, is, m. rex Colchorum fuit, qui terram virginem nactus, plurimum auri et argenti eruisse dicitur in gente Suanorum, et alioquin velleribus aureis inclito regno. Sed et illius aureae camerae, et argenteae trabes narrantur, et columnae atque parastatae, victo Sesostre Aegypti rege, tam superbo, ut prodatur annis quibusque sorte reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, sicque triumphare. Haec *Plin.* 33, 3. *B. A.*

*ESŪLA, ae, f. oppidum inter Tibur et Praeneste. *Hor. Od.* 3, 29, 6. *B. A.*

ESŪRĬĀLIS, e, adj. ad esuriendum pertinens. Joculariter parasitus ap. *Pl. Capt.* 3, 1, 8. *esuriales ferias* vocat dies, quibus ad coenam vocatur a nemine, et esurire cogitur: quemadmodum dicuntur *feriae novendiales, denicales*, etc. *Front. de fer. Alsiens.* (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Numquid tu esuriales ferias celebras?

ESŪRĬENTER, adv. *Appul. Met.* 10. p. 246. Esurienter escas appetere.

ESŪRĬES, ei, actus esuriendi, esuritio, esurigo, πεῖνα. *Plin.* 12, 7, 14. Cui in appetenda aviditate, esurie non fuit satis. Al. rectius leg. *esurire. Hieron. ep.* 125. *n.* 33. Quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit. ℙ Item universim inopia, paupertas, ex quibus esuries est. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *sub f.* Ut ego miserer ejus esuriei. ℙ Translate. *Sid. ep.* 6, 6. Avidam nostrae ignorantiae pascat esuriem.

ESŪRĪGO, inis, f. idem ac esuries. *Varr.* ap. *Non.* 2, 291. Quod esurigo findebat costas.

ESŪRĬO, is, ivi, itum, n. 4. πεινάω, cupio edere, cibum appeto, fame premor. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 17. *extr.* Nostri valde depugnare, et facile algere, et esurire consuerunt. *Pl. Stich.* 1, 3, 65. Ridiculus aeque nullus est, quam dum esurit. *Hor. Sat.* 1, 3, 92. positum ante mea quia pullum in parte catini Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus Sit mihi? *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Ecce autem, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nunciatur etc. *Juven.* 3, 78. Graeculus esuriens, in coelum jusseris, ibit. *Ter. Heaut.* 5, 2, 28. Spes est, nos esurituros satis. ℙ Passive. *Ov. Pont.* 1, 10, 9. Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aer; Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit, *h. e.* quod a me appetatur. ℙ Translate est avide appetere, concupiscere. *Curt.* 7, 8. Quid tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? *Plin.* 33, 10, 47. Nisi totum Parthorum esurisset aurum. *Id.* 17, 2, 2. Arbores fetu exinanitas naturale est avide esurire. *Id.* 9, 39, 64. de conchylio. Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata; tantoque dilutior, quanto magis vellera esuriunt. ℙ Futurum in *ibo* in hac conjugatione frequens est apud veteres. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 90. Non esuribis diutius. *Novius ib.* Mihi algebo, et mihi esuribo. ℙ Significat interdum esitare, saepe comedere. *Plin.* 11, 54, 118. Esuriendi semper inexplebilis aviditas animalium unicuique.

ESŪRĬO, onis, m. πεινάλεος, qui esurit. Jocularitер loquitur parasitus, cui nomen est *Saturio*, ap. *Pl. Pers.* 1, 3, 23. *To.* O Saturio, opportune advenis mihi. *Sa.* Mendacium edepol dicis, atque haud te decet: Nam esurio venio, non advenio Saturio. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* Et quomodo siccitas perseverat! jam annum esurio fui. Ita locum interpungendum putat *Franc. Oriolius.*

*ESURIS, oppidum Hispaniae Baeticae. *Anton. Itin. B. A.*

ESŪRĪTĬO, onis, f. idem ac esuries. *Gell.* 16, 3. Esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibrae. *Id. ib.* Ventris compressione esuritionem posse depelli, creditum est. *Catull.* 23, 12. Atqui corpora sicciora cornu, Sole, et frigore, et esuritione. Et 21, 1. Aureli, pater esuritionum, *h. e.* vehementer esuriens. *Mart.* 1, 100. abisti In tantam miser esuritionem, Ut etc. *h. e.* in tantam avaritiam.

ESŪRĪTOR, oris, m. qui esurit. *Mart.* 3, 14. Romam petebat esuritor Tuccius.

ESUS, a, um, part. ab ēdo, deponentis forma. V. EDO.

ESUS, us, m. actus edendi, cibus. *Esui esse* est aptum edendo esse. *Gell.* 4, 1. *sub f.* Non quae esui tantum et potui forent, sed tus quoque, et cereos in penu esse. *Varr. R. R.* 1, 6. Oleas esui optime condi, scribit Cato. *Tert. Anim.* 43. *a med.* Quid si esum, et potum de naturae sortibus eximas. *Isid. Orig.* 20, 1. Ab esu, et comesu mensae factum vocabulum. ℙ *Esus, i*, m. est nomen numinis apud Gallos, quod a nonnullis Mars, ab aliis rectius Apollo fuisse putatur, cujusque figuram oleagina corona cinctam, cui superscri-

ptum est *Esus*, videsis ap. *Mur.* 1066. *tab.* 2. *n.* 2. Ex *Caes. B. G.* 6, 17. constat, Gallos Apollinem morborum depulsorem venerari; et ex *Lucan.* 1, 445., et *Lact.* 1, 21. Esum humano sanguine placare solitos fuisse. ℙ Scribitur et *Hesus*.

ET

ET, καὶ, τε, atque, ac, conjunctio copulativa: a Graeco ἔτι, etiam, deinde per apocopen ἐτ'. [*De eo quod nobis agendum esse putaverimus in hac particula et iis quae sequuntur, conferas velim, ne plura quam quae ipsi praestare voluerimus a nobis exspectes, quae s. p. *enim* diximus. Ceterum multa docte de hac part. tradit *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188. quem utique evolvas.] *Cic. Or.* 1, 3. Quis ignorat, quam recondita in arte, et multiplici subtilique versentur? *Id. Cat.* 2, 5. Frigore, et fame, et siti, ac vigiliis perferendis. *Id. Dom.* 28. Populi R. populorumque, et gentium omnium. *Id ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Rogo te, et etiam oro, ut etc. *Prop.* 2, 7, 69. Sed vobis facile est verba, et componere fraudes. ℙ [*Notandum part. *et* nonnunquam diversos casus jungere. *Liv.* 2, 18, 7. M. Valerium, spectatae virtutis et consularem virum. ubi v. *Drak.* Interdum etiam ponitur ad jungendam diversae structurae orationem. *Liv.* 36, 31, 7. Diophanes Quintio occurrit; et dimittere exercitum jussit: pro: qui jussit. V. *Drak.* ad h. l., ad 45, 6, 2., *Duker.* ad *Liv.* 28, 12, 13.] ℙ Postponitur nonnunquam ut *que*. *Virg. Ecl.* 2, 10. Thestylis et rapido etc. Et *A.* 4, 418. Puppibus et laeti nautae etc. *Suet. Gramm.* 21. Quare cito manumissus, Augusto et insinuatus est. ℙ Sententiae inchoandae aliquando inservit. *Ter. Phorm.* 1, 3, 19. Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias. Ubi *Donat. Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Al. leg. *Quod si. Quint.* 1, 9. Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur. *Cels. praef. a med.* Et quidam methodici saeculi nostri contendunt etc. [*Saepe *et*, quum in initio positum est, vim habet affirmandi, *profecto. Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 4. *Goerenz.* ad *Cic. Legg.* 2, 3, 7. 3, 10, 24. ℙ Saepe explicandi vim habet, et idem fere valet atque *id est. Cic. Tusc.* 2, 4. Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat. V. *Goerenz.* ad *Acad.* 1, 5. *Beier.* ad *Off.* 1, 10. ℙ Porro *et*, ut *ac*, saepe colligendi et comprehendendi vim habet. *Cic. Acad.* 2, 27. Quanto artificio esset sensus nostros mentemque, et totam constructionem hominis fabricata natura, h. e. ut uno verbo dicam totam constructionem hominis. V. *Goerenz.* ad h. l. ℙ Interdum ita ponitur, ut indicet eam rem, quae per eam cum anteced. copulatur, actam esse atque duravisse per totum illud temporis spatium, quo prior illa agebatur; quo sensu plerumque part. *cum* substituere licet. *Tac. H.* 2, 68. Interim — insimulatur; et ruebat ad convivium miles. i. e. quo tempore etiam miles etc. *A.* 4, 23. Jam tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas. i. e. cum adhuc rapt. V. *Boettich. Lex. Tac.*] ℙ Interdum sine necessitate, elegantiae causa, repetitur. *Cic. Off.* 1, 30. *ad f.* Quod in Catulo et in patre, et in filio, idemque in Q. Mucio Mancia vidimus. *Pl. Amph.* 2, 2, 91. Enimvero praegnanti oportet et malum, et malum dari, ubi luditur in ambiguo pomi, et mali. ℙ [*Interdum praecedenti *et* respondet sequens *que. Cic. Tusc.* 1, 2. Et Epaminondas fidibus cecinisse dicitur, Themistoclesque, quum recusasset lyram, habitus est indoctior. V. *Drak.* ad *Liv.* 29, 12, 5. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 139.] ℙ Interdum sequitur negativa particula; interdum praecedit. *Cic. Fl.* 20. Qui et rem agnoscit, neque hominem ignorat. *Id. Tusc.* 1, 24. Neque nata est, et aeterna est. *Id. Fam.* 10, 1. *ad f.* Nec miror, et gaudeo. [*Exempla part. *et* sequente *neque* dant *Goerenz.* ad *Cic. Legg.* p. 15. *Beier.* ad *Off.* 3, 4. De *neque — et* v. *Matth.* ad *Cic. Sull.* 5. ℙ Post enuntiationem negativam *et* saepe poni pro *sed. Nep. Paus.* 3. Non putabant oportere judicari, et exspectandum, dum se ipsa res aperiret. ad quem loc. vid. *Bremi.* Idem fit licet non praecedat enuntiatio negativa. *Cic. Tusc.* 1, 3, 6. Fieri autem potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit.] ℙ *Et quidem* vim habet augendi. *Cic. Phil.* 2, 17. Duo millia jugerum rhetori assignasti, et quidem immunia. ℙ Etiam omisso *quidem* eandem habet sententiam. *Cic. Cat.* 2, 8. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur: et de eo hoste, qui jam fatetur, se esse hostem? [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 16.] ℙ *Et quidem* ad declarandum. *Id. Att.* 14, 11. *ad f.* Modo venit Octavius, et quidem in villam Pompeji. ℙ [*Junguntur quoque *et item. Ter. Ad.* 2, 2, 22. Complures et item hinc alia. *Ruhnk.* ad *Andr.* 1, 1, 50.] ℙ Item ad comparandum. *Id. Phil.* 11, 4. Cruciatus est a Dolabella Trebonius: et quidem a Carthaginiensibus Regulus. i. e. pari modo. ℙ *Et, et quidem* habet etiam vim adversandi, pro *at, atqui, tamen. Cic. Leg.* 3, 10. At aliquando incenditur: et quidem saepe sedatur. *Id. Sen.* 9. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi: et videtis annos meos. *Hor. Sat.* 2, 1, 23. Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit. *Quint.* 6, 3. *circa med.* Quamvis reus et odit. *Quint.* 6, 3. *circa med.* Quamvis reus sum, et panem candidum edo. ℙ *Et quidem, et vero* sunt affirmantis. *Cic. Am.* 21. *a med.* Rarum genus: et quidem omnia praeclara rara. *Id. ad Planc.* 2. *post. ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Saepe praesens et illi ostendisti, et vero etiam mihi. ℙ Et omisso *quidem*, aut *vero. Quint.* 11, 2. Partem ab iis petere jubebatur: et persolverunt. [*Cic. Tusc.* 3, 20. At laudat, et saepe, virtutem. *Mil.* 25. Te enim appello, et ea voce, ut me exaudire possis, ubi *Matth.* laudat *Heusing.* ad *Off.* 3, 33. *Cort.* ad *Cic. epp.* 11, 29. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 60. Adde *Beier.* ad *Off.* 2, 16.] ℙ Saepe ponitur pro etiam. *Cic. Off.* 3, 6. Verum autem primum: verum igitur et extremum. *Id. Att.* 7, 26. Pueri in Formiano videntur hiematuri: num et ego, nescio. [*Verum tenendum a Cicerone in media sententia rarissime poni *et* pro *etiam*. In plurimis locis enim, in quibus hac vi praeditum legitur, vel codd. inter se dissentiunt vel oratio est ἀνακόλουθος. V. *Creuzer.* ad *Cic. N. D.* 1, 39. *Beier.* ad *Off.* 3, 6, 27. *Matth.* ad *Cic. Sext.* 59. De aliis scriptoribus v. *Drak.* ad *Liv.* 5, 26, 10. 23, 42, 13. 43, 14, 2. *Boett. Lex. Tac. s.* v.] Adde *Virg. A.* 2, 436. ℙ *Et quoque* interjecto verbo, pleonasmus est. *Nep. Ages.* 6. Agesilaus laudavit consilium adolescentulorum, et se id quoque fieri debere animadvertisse. *Liv.* 41, 24. *ad f.* Ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus. *Cels. praef. ad f.* Et causae quoque aestimatio saepe morbum solvit. *Colum. praef. l.* 12. *extr.* Quoniam et villici quoque successerunt in locum dominorum. [*Alia exempla v. ap. *Drak.* ad *Liv. Epit.* 82. *Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 17. ℙ Sic junguntur quoque *et etiam. Varr. R. R.* 2, 4, 10. Et etiam Graeci. *Id.* 1, 48, 1. Et etiam primitus cum spica oritur.] ℙ *Et* pro *etiam* emphasin quandam habet in his: *Cic. Dejot.* 10. Calamitosus Dejotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. *Prop.* 3, 9, 29. de Cleopatra. Et modo quae nostris opprobria vexerat armis, Et famulos inter femina trita suos. Adde *Val. Fl.* 8, 434. ℙ Repetitur etiam *et autem* interposito verbo. *Plin.* 15, 22, 24. Et haec autem Vitellius in Italiam primus intulit. Et 16, 27, 49. Et caprifici autem ab adversis foliis nascuntur. ℙ *Et* indignantis, aut admirantis. *Cic. Mil.* 33. *a med.* Et sunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? *Id. Manil.* 14. *extr.* Et quisquam dubitabit, quin etc. Adde *Virg. A.* 6, 807. [*Inprimis obtinet hic usus in interrogationibus. V. *Gron.* ad *Sen. Contr.* 11.] ℙ Post adjectiva diversitatis ponitur loco particulae *quam. Cic. Coel.* 28. *ad f.* Lux longe alia est solis, et lychnorum. [*Vid. quae de hac re s. v. *ac* a Voigtlaendero allata sunt. ℙ *Et* aliquando post *non tam* pro *quam* ponitur. *Ulp.* in *Dig.* 24, 1, 33, 1. Non tam solemne est annuum, quod maritus uxori pendit, et quod uxor marito praestat.] Pro insuper, praeterea. *Tac. A.* 4, 34. Id perniciabile reo, et Caesar truci vultu defensionem accipiens. ℙ Interdum omittitur. *Cic. Fam.* 4, 28. *a med.* Ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benigne fecisse. Et 24. *ad f.* Peto a te, ut cum tuis officiis, liberalitate complectare. [*Quod fit ad orationem nervosiorem reddendam. Librarii hoc genus dicendi non intelligentes saepe addiderunt *et*. V. *Wund. Var. Lectt. Cod. Erf.* p. XXIX. ℙ Confunduntur a librariis *et* et *ut*. V. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 15. *Drak.* ad *Liv.* 21, 28, 8. — et *at. Drak.* ad *Liv.* 36, 35, 7. — et *e. Id.* ad *Liv.* 40, 26, 7. — et *ea. Id.* ad *Liv.* 3, 31, 4. — et *est. Id.* ad *Liv.* 7, 40, 1. — et *etiam. Id.* ad *Liv.* 22, 47, 9. — et *enim. Id.* ad *Liv.* 34, 50, 7. — et *ex. Id.* ad *Liv.* 26, 45, 1. — et *sed. Id.* ad *Liv.* 21, 26, 6. 35, 11, 3. 40, 58, 1. — et *per. Ov. Am.* 1, 8, 114. Saepissime a praecedente aliqua voce absorpta est. Multa exempla v. ap. *Drak.*]

*ETAXALOS, i, insula prope Aeoliam. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*ETEA, ae, f. Ἥτεια, oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.* Antea legebatur *Elaea. B. A.*

ETENIM, καὶ γὰρ, nam, enim, conjunctio causalis, quae fere initio ponitur. [*Etenim et *enim* ita sunt diversa, ut hoc solum inserviat reddendae rationi praecedentis sententiae, illud adjunctam etiam habeat vim copulativam. Ceterum cf. de hac part. agentem *Ramsh.* Gr. §. 191.] *Cic. Brut.* 6. Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. *Id. Verr.* 2, 3, 20. *extr.* Etenim, quoniam numerum injuriarum non possum exponere, genera ipsa cognoscite. *Id. Rabir. perduell. in f.* Etenim si Scaevae servo libertas data est, etc. *Nep. Eum.* 3. Etenim semper habiti sunt fortissimi. *Ter. Heaut.* 3, 2, 37. Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo. ℙ [*In initio parenthesis ponitur. V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 5, 4.] ℙ Interdum postponitur. *Cic. Sen.* 9. *a med.* Libidinosa etenim, et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. *Id. Coel.* 3. Sunt etenim ista maledicta pervulgata in omnes. *Hor. Od.* 4, 5, 17. Tutus bos etenim rura perambulat.

ETEOCLES, is, *et Graeca positione* ocleos, m. Ἐτεοκλῆς, filius Oedipodis ex incesto locastae ejus matris concubitu, frater Polynicis, cum quo pactus, ut Thebis regnarent alternis annis, cum Eteocles dictis non staret, ortum est bellum Thebanum, quod a *Statio* in *Thebaide* sua describitur, in quo post varias caedes ipsi inter se fratres singulari certamine congressi, mutuis vulneribus concidere. *Stat. ib.* 7, 688. Nec segnem Argolicae sensere Eteoclea turmae. *Eteoclea* accus. Graecae positionis. Et *ib*, 3, 214. multumque nefas Eteoclis acerbat. Et *ib.* 12, 421. Cui torrere datum saevos Eteocleos artus. ℙ [*Eteoclen, in casu quarto, *Auct. fragm. mythol.* p. 106. ed. *B. G. Niebuhrio. B. A.*]

ETEOCLEUS, a, um, adj. ad Eteoclem pertinens, Ἐτεοκλειος. *Appul. Met.* 10. p. 245, 30. Ne silentio procedens simultas, Eteocleas nobis contentiones pariat.

*ETEOCRETES, um, m. plur. Ἐτεόκρητες, Peloponnesi populi, australem oram incolentes, quorum Prasium est pusillum sane oppidum, ubi Dictaei Jovis fanum exstat. V. *Strab.* 5. p. 221. et 10. p. 475. Hinc *Sil.* 14, 41. quidam legunt *Dux Eteocretum.* Sed V. *Drakenb.* ad l. *B. A.*

*ETEONOS, i, f. Ἔτεωνος, Boeotiae oppidum. *Stat. Th.* 7, 266. *B. A.*

ETEREJANUS, a, um, adj. ad Eterejum pertinens, quod est nomen liberti Corellii equitis R. ut Eterejana nux, *Plin.* 17, 17, 26. V. CORELLIANUS.

[ETERODES, is, m. diversum cantum edens: ab ἕτερος, alter, et ᾠδή, cantus. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 251, 1. Ti. Claudius, Ti. F. Eterodes. Aspirata in *Eterodes* deest more Latinis usitato. *F.*]

ETESIACUS, a, um, adj. ad etesios pertinens, ut Etesiaca vitis ap. *Plin.* 14, 3, 4, 7. Arretii propria, quae etesiis variat, et fecunditate cessat.

ETESIAE, arum, m. plur. ἐτησίαι, venti quidam statis temporibus quotannis flantes: ab ἔτος, annus, a quo ἐτήσιος, annuus. Aliqui minus recte deducunt ab αἰτέω, postulo, quasi αἰτήσιαι, eo quod Aristaeus eos a Jove postulaverit. Est enim in fabulis, ut narrat *Hyg. Astron.* 2, 4., cum Atheniensium regio maximis Caniculae caloribus adureretur, hominesque una cum satis omnibus nimio aestu conficerentur, Aristaeum ita ab Apolline patre edoctum, ab Jove petiisse, ut quo tempore Canicula oriretur, per dies quadraginta ventum daret, quo flante aestus minuerentur; itaque factum Jove annuente. ℙ Hujusmodi ventos *Strabo* 3. subsolanos vocat. *Aristoteles*, et *Plin.* 2, 47, 47. aquilones appellant. Testatur praeterea idem *Aristoteles*, nonnunquam eos in Zephyros mutari: quare vere scripsit *Gell.* 2, 22. Etesias alia, atque alia parte coeli spirare: et *Phavorin.* ap. *Appul. de Mundo* p. 63, 28. Sunt, inquit, etesiae spirantes ex omni parte eo tempore aestatis, quo Canis oritur. ℙ Plerumque tamen ab occidente perflant. *Tac. H.* 2, 98. Mare quoque etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. *Caes. B. C.* 3, 107. Ipse etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi. Hinc *Cic. Att.* 6, 7. Rhodum volo puerorum causa; inde quamprimum Athenas, etsi etesiae valde reflant. Adde *Vitruv.* 1, 6. et *Liv.* 37, 23., ubi eosdem esse cum Favoniis significat: Favonii autem sunt Zephyri. ℙ Multa die flare incipiunt, et ad meridiem vergente. *Sen. Q. N.* 5, 11. Etesiae ob hoc somniculosi a nautis, et delicati vocantur, quod mane nesciunt surgere. ℙ Incipiunt flare cal. Aug., inquit *Colum.* 11, 2. *circa med.*, desinunt tert. cal. Septembr. Alii tamen aliter id tempus definiunt. ℙ Haec vox per se adjectiva est: nam *etesius* Graece annuum significat, ut dictum est. *Lucr.* 6, 730. Tempore eo fiunt, quo etesia flabra aquilonum. ℙ *Etesius lapis* legitur ap. *Plin.* 36, 22, 43. Auctoribus curae fuere lapides mortariorum quoque, (h. e. *e quibus fierent mortaria*) nec medicinalium tantum, aut ad pigmenta pertinentium. Etesium lapidem in iis praetulere ceteris. Ita legit *Harduinus*, at *Vitr.* 10, 7. *Ephesium lapidem* candidi coloris memorat, et plures *Plinii* editiones *Ephesium* habent: ut et *Isid. Or.* 16, 4. eadem fere *Plinii* verba referens.

ETESIUS. V. in v. praec.

*ETHELEUS (fluvius) vel Etheleum (flumen), Mysiam perfluebat. *Plin.* 5, 32. Flumen Etheleum, antiquus Troadis finis et Mysiae initium. Et *mox:* Ad flumen Etheleum. *B. A.*

*ETHELUS, i, m. Cyzicenus, ingentis staturae, ab Ancaeo interfectus. *Val. Fl.* 3, 138. *B. A.*

[ETHEMON, onis, m. ἐθήμων, consuetus, ab ἔθος, mos. Nomen proprium viri, qui una cum Phineo in nuptiis Persei pugnavit, a quo et interfectus est. *Ov. Met.* 5, 163. *F.*]

ETHICE, es, vel Ethica, ae, f. pars philoso-

phiae, quae ad mores pertinet: ab ἦθος, mos. *Quint.* 12, 2. *circa med.* Pars illa moralis, quae dicitur ethice, certe tota oratori est accommodata. *Lact.* 3, 13. In sola ethica totius philosophiae vis continetur.

ETHĪCOS, ἠθικῶς, moraliter, mores exprimendo. Adverbium Graecum est Latinis litteris scriptum ap. *Sen. Controv.* 2, 11. *extr.* et 12. ab ἦθος, mos.

ETHĪCUS, a, um, adj., ἠθικός, ad mores pertinens: ab ἦθος, mos. *Sen. Contr.* 2, 10. *sub f.* Declamabat Naso raro controversias, sed non nisi ethicas. *Gell.* 1, 2. Rem vero ethicam, naturamque humani ingenii, virtutumque origines, etc. nulli magis ea esse explorata quam sibi. [*Die Moralphilosophie.] *Sidon. ep.* 8, 11. *circa med.* Ethicam dictionem pro personae, temporis, et loci qualitate variabat, *h. e.* moratam orationem, seu mores exprimentem, ἠθικὸν λόγον. ℙ Cave imiteris *Prud.* qui primam corripuit in *Hamartig.* 583. Si licet ex ethicis quidquam praesumere, vel si De physicis exempli aliquid.

ETHNĪCĀLIS, e, adj. idem quod ethnicus. *Tertull. Spectac.* 5. De instrumentis ethnicalium litterarum. Al. leg. *ethnicarum.*

ETHNĪCĒ, adv. ἐθνικῶς, more gentium, ut Ethnice vivere, *Tert. Pud.* 9.

ETHNĪCUS, a, um, adj. gentilis, ἐθνικός: ab ἔθνος, gens. A Christianis scriptoribus dicitur de iis, qui extra Ecclesiam, vel Synagogam sunt: ex eo ducta appellatione, quod Hebraei *gentes* appellabant eos, qui veri unius Dei cultum nesciebant, fictosque ac plures Deos venerabantur. Qua appellatione etiam Apostoli usi sunt, ut patet *Actor.* 13, 46. Hac ratione *ethnici* intelligendi sunt ap. *Tertull. Pudic.* 9.: *Hieronym.*, *Augustin.*, etc. Sic historici ethnici ap. *Sulpic. Sever. Hist.* 1, 1.

ETHOLOGĬA, ae, f. ἠθολογία, morum, et affectuum cujusque personae expressio: ab ἦθος, mos, et λόγος, sermo. *Quint.* 1, 9. Sententiae quoque, et chriae, et ethologiae, subjectis dictorum rationibus, apud grammaticos scribantur. *Suet. Gramm.* 4. Genera quaedam institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrases, elocutiones, ethologias. ℙ Aliis est idem quod ethopeia, de qua infra. V. etiam dicta in AETIOLOGIA.

ETHOLŌGUS, i, m. ἠθολόγος, morum expressor, qui gestu ipso corporis, et sono vocis ita exprimit mores hominum, ut gestibus loqui videatur. *Cic. Or.* 2, 59. Minorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscenitas. Adde 60. [*Dicuntur etiam *aretalogi*, *biologi*. V. *Salm.* ad *Vop. Aurel.* 42. T. II. p. 530.] *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 20. Dionysio Aug. N. verna hethologo. Corrige *vernae ethologo;* postrema enim vocis prioris littera *E* accepta est pro *H*, et perperam annexa initio vocis subsequentis.

*ETHOPĬA, ae, Athamaniae oppidum. *Liv.* 38, 2. *B. A.*

ETHOPOEĬĀ, ae, f. ἠθοποιΐα, apud rhetores est figura sententiarum, Latine *effictio*, imago, qua vita et mores alicujus describuntur, ab ἦθος, mos, et ποιέω, fingo. *Cic. Agr.* 2, 5. Jam designatus, alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur: vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore, ut oculis et aspectu denunciare vim tribuniciam, et minitari reipubl. videretur. Sed vox Graeca est, et Graecis litteris scribitur a *Quint.* 9, 2. et 3. *sub f.*, at Latinis ap. *Rutil. Lup. de fig. sentent.* 1, 21. et *Jul. Rufin. de schem. dian. n.* 13. [*Cf. *Ernest. Lex. Technol. Lat.* p. 203.]

ETHOS, i, n. ἦθος, mores: item res ethica, *h. e.* philosophia morum. *Sidon. carm.* 15, 101. Physica vel logico, logicum vel jungit ad ethos. *Varr.* ap. *Non.* 4, 377. In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus: τοῖς ἤθεσιν, positio Graeca.

ĔTĬAM, ἔτι, καὶ, quoque, item, vel: ab *et* et *jam*, vel ab ἔτι allato. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188.] *Cic. Fam.* 9, 25. *ad f.* Auctoritate tua nobis opus est, et consilio, et etiam gratia. *Id. Brut.* 75. Voce, motu, forma etiam magnifica. *Id. Verr.* 2, 3. *in f.* Quod si haec feruntur omnia, etiamne haec nova debent edicta, rapinasque perferre, etiamne frumentum gratis dare? etiamne haec tot detrimenta, etc.? [*Nonnunquam ita ponitur, ut vel minimae in aliqua re expectationi locum dandum esse significet, ubi *saltem* substitui potest. *Cic. de Fin.* 5, 21. Beatus, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam assequi possit, i. e. cui saltem in senectute, cui vel in sen. cont. *Id. Parad.* 6, 1. Satiatus est aut contentus etiam pecunia.] ℙ Aliquando est imo, aut quin potius. *Id. Verr.* 2, 5, 39. *sub f.* Hasce ei tabulas nihil profuturas; etiam plus suspicionis in eo crimine futurum. *Id. Or.* 71. Ejusmodi infantia, ut qui ea utantur, non stulti homines haberi possint; etiam plerumque prudentes. ℙ Item adhuc. *Varr. L. L.* 5, 7. Fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit. *Ter. Andr.* 1, 1, 89. Egomet quoque ejus causa in funus prodeo, nihil suspicans etiam mali. [*Ruhnk.* ad h. l. animadvertit rariorem hunc significatum ap. *Terent.* esse.] Et 3, 2, 23. Non satis me pernosti etiam, qualis sim. (Adde *Cic. Tusc.* 1, 6. *a med.*) *Id. Hec.* 5, 1, 19. Mane; nondum etiam dixi id, quod volui. [*V. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 62.] ℙ Item etiamnum. *Pl. Asin.* 3, 2, 40. Os opprime: is est: etiam subauscultemus. [*Hac particula veteres etiam utuntur, quum illis aliquid praeter illa, quae dixerunt derepente in mentem venit. Sic *Ruhnk.* ad *Ter. Hec.* 5, 3, 13. Nihil aliud dicam? — Etiam; cognosse annulum illum Myrrhinam. Laudat *Ruhnk. Manut.* ad *Cic. ad Att.* 1, 13.] ℙ Item etiamsi. *Cic. Fam.* 9, 10. De quo etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio. *Plin.* 8, 30, 59. Cochleae adhaerentes saxis, aut etiam injuria resupinatae, non tamen exeuntes. ℙ Item secundo, iterum. *Pl. Most.* 2, 2, 41. *Tr.* Circumspice dum, num quis est, sermonem nostrum qui aucupet. *Th.* tutum probe est. *Tr.* circumspice etiam. Et *Cic. Verr.* 2, 3, 75. *extr.* Cui pecuniam datam dicit? Dic etiam clarius. ℙ Vim habet interdum affirmandi. *Cic. Acad.* 4, 32. *a med.* Ut probabilitatem sequens, ubicumque haec occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non respondere possit. *Id. Rosc. Com.* 3. Utrum cetera nomina habes, an non? Si non, quomodo tabulas confícis? si etiam, quamobrem, etc.? *Pl. Most.* 4, 3, 7. Numquid processit ad forum hodie novi? *Si.* etiam. Adde *Plin. ep.* 4, 13. ℙ Est aliquando concedentis. *Id. ep.* 6, 2. *sub f.* At quaedam supervacua dicuntur: etiam: sed satius est et haec dici. *Cic. Mur.* 31. Misericordia commotus ne sis: etiam in dissolvenda severitate: sed tamen est laus aliqua humanitatis. [*V. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 97.] ℙ Item imperantis, indignantis, increpantis. [*Burm. ad *Petr.* 21.] *Pl. Most.* 4, 2, 28. Heus reclude: heus, Tranio, etiam aperis? *Ter. Andr.* 5, 2, 8. Etiam tu hoc respondes? [*Ruhnk. ad h. l.] *Id. Eun.* 5, 7, 16. Quid dixisti pessima? etiam rides? *Id. Heaut.* 2, 2, 6. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens? [*Est etiam hortantis. *Serv.* ad *A.* 11, 373. *Bentl.* ad *Ter. Andr.* 5, 2, 8.] ℙ *Etiam quoque* pleonasmus est. [*Noli credere pleonasmum in his locis esse, siquidem *quoque* et *etiam* valde sunt diversa. Velut in illo *Ter.* loco Bacchis ad Lachem dicit: ego quoque etiam timida sum, h. e. tu quidem me mirari credis, et ego quoque miror, at non tantum miror, sed timida etiam sum. Idem dictum puta de aliis locis, in quibus *quoque* et *etiam* ad diversa vocabula pertinent et diversum sensum involvunt.] *Ter. Hec.* 5, 1, 7. Ego pol quoque etiam timida sum. *Pl. Pseud.* 1, 3, 119. Juravisti nempe conceptis verbis. *Ba.* etiam consultis quoque. Adde *Lucr.* 3, 293. [*Alia multa exempla v. ap. *Cort.* ad *Plin. Epp.* 10, 97. ℙ Sed quod *etiamque et* conjuncta reperiuntur in lapide ap. *Grut.* p. 173, 2. Macellum vetustate collapsum pecunia restituerunt, etiamque et mensas lapideas posuerunt, id castigatum scriptorem non decere videtur.] ℙ *Etiam atque etiam* est iterum ac tertio, vel iterum ac saepius. Hinc *Cic. Verr.* 2, 5, 72. cum varios Deos, atque in his Dianam invocasset, paulo post rursus invocans subdit: Teque etiam atque etiam, Diana, quam Pergae spoliavit. *Id. Tusc.* 3, 28. Confitetur multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda. *Liv.* 38, 9. Ut etiam atque etiam, quid agendum esset, consulerent. *Cic. Fam.* 13, 28. Id igitur (puto enim, etiam atque etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Et *mox.* Te vehementer etiam atque etiam rogo. Adde *Hor. Ep.* 1, 18, 76. [*Comici nonnunquam hac significatione simplex *etiam* ponunt. *Ruhnk.* ad *Ter. Hec.* 5, 4, 1.] Hinc ponitur pro magnopere, majorem in modum. *Cic. Fam.* 16, 15. Cura te etiam atque etiam diligenter. ℙ Reperitur quoque *etiam et etiam. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset. Al. leg. *atque.* ℙ *Sed etiam, verum etiam* sequitur post *non solum, non modo. *Cic. Sen.* 11. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. *Id. Mil.* 1. Neque auxilium modo, verum etiam silentium pollicentur. ℙ Et inverso ordine. *Id. Fam.* 4, 14. Secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam. *Id. Off.* 3, 19. Quem Fimbria etiam, non modo Socrates, noverat. [*Hoc recte fit tum, quum id, quod in priore membro ponitur, nunc ipsum locum habet. ℙ Confunduntur a librariis *Etiam* et *enim*. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 12. p. 43. *Drak.* ad *Liv.* 36, 41, 3. — et *et. *Drak.* ad *Liv.* 22, 47, 9. — et *jam. *Id.* ad *Liv.* 5, 7, 2. — et *et jam. *Id.* ad *Liv.* 1, 47, 9. 39, 10, 6.]

ĔTĬAM DUM, et Etiamdum, adhuc. *Ter. Heaut.* 2, 1, 17. Neque etiam dum scit pater.

ĔTĬAM NUM, et Etiamnum, adhuc, etiam dum. *Pl. Men.* 3, 1, 15. Etiam num reliquiarum spes animum oblectat meum. Adde *Stich.* 5, 4, 16. ℙ Et simpliciter pro etiam. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. Mars etiam num sedens, colosseus. Et 37, 11, 71. Est etiam num alia distinctio. Et 18, 3, 4. Cincinnato viator attulit dictaturam, et quidem, ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiam num ore. ℙ [*Significat *praeterea. Sen. Ben.* 5, 10. Etiamnum multum interest inter dare et accipere. *ib.* 12. Etiamnum, ut dicitis, bonus vir omnia recte facit. V. *Gron.* ad *Sen. Ben.* 5, 6.]

ĔTĬAM NUNC, et Etiamnunc, etiam num, adhuc. *Cic. Rosc. Am.* 52. Si vestra bonitas et misericordia manet, salvi etiam nunc esse possumus. *Id. Att.* 3, 17. Aut ad te conferam me, aut etiam nunc circum haec loca commorabor. *Id. Fam.* 10, 10. Non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiam nunc fuit. ℙ Respicit etiam tempus praeteritum. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *extr.* Epistolam, quam Balbo, cum etiam nunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi. ℙ [*Sed *et nunc* probi scriptores non videntur dixisse. Quam ob rem recte *Bremi* ap. *Nep. Hann.* 7. ex uno cod. scripsit *etiam nunc.*]

ĔTĬAM SI, et Etiamsi, εἰ καὶ, quamquam, licet. *Cic. Amic.* 27. Omnia brevia, tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. *Id. Opt. gen. or.* 2. Etiam si est in genere tolerabili, certe non est in optimo. *Id. Att.* 3, 24. *extr.* Ista veritas etiam si jucunda non est, mihi tamen grata est. *Cic. fil.* ad *Tir. Fam.* 16, 26. Etiam si quod scribas, non habebis, scribito tamen. ℙ Aliquando dividitur interjecto verbo. *Cic. Or.* 1, 33. Ut etiam subito si dicat, tamen illa, etc.

ĔTĬAM TUM, et Etiamtum, usque ad id tempus. *Cic. Or.* 2, 22. Omnes etiam tum retinebant illum Pericli succum. *Suet. Tib.* 42. In castris tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius, etc. vocabatur.

ĔTĬAM UT, etiamsi, quamvis. *Cic. Att.* 15, 5. Etiam ut nullum periculum sit.

*ETĪNI, orum, incolae oppidi cujusdam in Sicilia. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

[ĒTOEMUS, i, m. ἑτοῖμος, promptus, paratus. Est cognomen R. *Inscr.* ap. *Grut.* 496, 7. Ti. Claudius Etoemus. At eadem ap. *Jac. Grasserum*, *Antiquit. Nemaus.* p. 44. habet. *Erotemus*, nempe ab ἐρώτημα, interrogatio. Tu, lector, videris, quid amplectendum. *F.*]

*ETOSCA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in regione Ilergetum, non procul ab Herda. *Vellej.* 2, 30. *in.* ℙ *Straboni* audit Πλεόσκη, aliis *Osca:* unde *Oscae* pro *Etoscae* nonnulli censent legendum esse apud *Vellejum.* Et profecto *Oscae* impressum in ep. *Ruhnken. B. A.*

*ETOVISSA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Edetanorum regione, ad Iberum flumen. *Liv.* 21, 22. *B. A.*

ETRŪRĬA, ae, f. nunc *la Toscana*, regio Italiae mediae, Tyrrheno mari, et Apennino, Macra et Tiberi fluviis terminata. *Plin.* 3, 5, 8. *Virg. A.* 12, 232. Fatalisque manus, infensa Etruria Turno. *Id.* 8, 494. Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis. ℙ Sunt qui scribunt *Hetruria* (et *Hetruscus*) quasi sit ab ἕτερος οὖρος, *alius terminus*, quod olim Tiberim habuerit pro termino Latium versus, deinde alius sit assignatus. Sunt etiam qui *Ethruria*, *Ethruscus*, quod sit ἀπὸ τῶν ὀρθρίων a montibus scilicet Apenninis. Sed omnem aspirationem omittunt veteres libri, lapides, et nummi, teste *Manut. in Orthogr.* [*Scripturam *Etruria* probat etiam *Drak.* ad *Liv.* 1, 2, 3. Cf. *Schneider. Elementarl. Tom. I.* p. 186.]

ETRUSCUS, a, um, adj. ad Etruriam pertinens. *Virg. A.* 10, 238. forti permixtus Etrusco Arcas eques. *Id. ib.* 8, 480. Lydia quondam Gens bello praeclara jugis consedit Etruscis. Et *ib.* 10, 180. Alpheae ab origine Pisae, Urbs Etrusca solo. *Suet. Aug.* 97. Etrusca lingua. *Cic. Fam.* 6, 6. et *Plin.* 2, 83, 85. Quod in Etruscae disciplinae voluminibus inveni, *h. e.* scientiae, artisve expiandorum prodigiorum, haruspicinae, et divinationis, quae in Etruria olim maxime excultae fuere, indeque ad Romanos cum multis aliis ritibus translatae sunt. *Id.* 21, 3, 4., et 33, 1, 4. Etruscae coronae, *h. e.* quae ex auro et gemmis constabant: quod confirmat *Tertull. Cor. mil.* 13., ubi docet hujusmodi coronis ex gemmis, et foliis quercinis aureis usos in deducendis tensis. *Liv.* 9, 36. Habeo auctores, vulgo tum (an. scil. U. C. 442.) Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis litteris erudiri solitos. ℙ Etruscum aurum appellat *Juven.* 5, 164. auream bullam, quam una cum praetexta nobiles pueri collo suspensam gestabant amuleti causa, more sumpto ab Etruscis. ℙ *Etrusci*, *orum*, sunt Etruriae populi. *Plin.* 8, 48, 74. etc. ℙ Etruscos coloratos, *h. e.* sole fuscatos, vocat *Mart.* 10, 68. ℙ De orthographia V. vocem praeced.

ETSI, καί τοι, εἰ καὶ, quamvis, licet, etiam si. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. *in.* Etsi non dubitabam, quin hanc epistolam, etc., tamen existimavi, etc. *Id. Mil.* 1. *in.* Etsi vereor, judices, ne, etc., tamen, etc. *Liv.* 38, 41. Etsi iniquo loco, proelio tamen justo dimicandum erat. Et *mox.* Iter etsi non infestum, suspectum tamen. *Id.* 25, 6. De nobis etsi non iniquum, certe triste senatusconsultum factum est. *Cic. Marc.* 5. Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati su-

mus. *Liv.* 2, 43. Etsi non adhortatio invisi ducis, suum saltem flagitium, postmodo periculum cosuum gere potuit gradum accelerare. ℙ Omisso *tamen.* *Pl. Bacch.* 5, 2, 73. Age, id jam, ut ut est, etsi est dedecorum, patiar. Adde *Trin.* 4, 2, 106. ℙ Servit eleganter correctioni, ut quamquam. *Cic. Att.* 9, 10. Do poenas temeritatis meae: etsi quae fuit illa temeritas? *Id. Att.* 16, 7. Etsi, quamvis non fueris suasor profectionis meae, approbator certe fuisti. Et *ib.* 12, 45. Etsi tamen ubicumque sum, illa mecum sunt. ℙ Cum subjunctivo. *Pl. Aul.* 3, 2, 7. Pol etsi taceas, palam id quidem est. *Id. Capt.* 4, 2, 76. Ut tu cupias facere sumptum, etsi ego vetem. *Cic. Fam.* 6, 4. Etsi idipsum nonnullis videatur secus. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 68, 9. 5, 36, 2.] ℙ Aliquando valet *et quamvis*, ac disjunctim scribi debet. *Cic. Amic.* 27 *ad f.* Et si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium. ℙ [*Confunduntur etiam *etsi* et *et si*. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 71, 3.]

ĒTYMŎLŎGĬĂ, ae, f. *ἐτυμολογία*, oratio qua vera origo nominis et ratio exponitur: ab *ἔτυμος*, verus, et *λόγος*, sermo. *Quint.* 1, 6. Etymologia, quae verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est notatio, quia nomen ejus apud Aristotelem invenitur *ὀνμβολον*, quod est nota: nam verbum e verbo ductum, idest veriloquium, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sunt qui vim potius intuiti, originationem vocant. Haec habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: ideoque in definitionibus assignatur etymologiae locus. Nonnunquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut cum Triquetram dici Siciliam, an Triquedram; meridiem, an medidiem oporteat, quaeritur. Continet autem in se multam eruditionem, etc. *Cic. Acad.* 4, 8. Verborum etiam explicatio probabatur, idest qua de causa quaeque essent ita nominata, quam etymologiam appellabant. Adde *Varr. L. L.* 6. *sub f.* et *Gell.* 19, 13.

ĒTYMŎLŎGĬCĒ, es, f. *ἐτυμολογική*, ars verborum origines inveniendi. *Varr. L. L.* 6. *sub in.* De originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum: praesertim cum dicat etymologice, non omnium verborum posse dici causas. Adde *ib. sub f.*

ĒTYMŎLŎGĬCŬS, a, um, adj. *ἐτυμολογικός*, ad etymologiam pertinens. *Gell.* 1, 18. Vocabulum Graecum resolvit in voces Latinas ratione etymologica falsa.

ĒTYMON, i, n. vera nominis, sive appellationis ratio, vel quae saltem pro vera affertur: ab *ἐτός*, vel *ἐτεός*, verus, unde *ἔτυμον*. *Varr. R. R.* 1, 48. Videtur vocabulum etymon habere a glubendo. *Gell.* 18, 4. *extr.* Etyma harum vocum, et origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis. Adde *Macr. Sat.* 1, 17. *a med.*

EU

EU, particula approbantis, seu laudantis, et significat bene, recte, optime, *εὖ*. *Pl. Most.* 1, 4, 26. Eu Philolaches, salve amicissime mihi hominum omnium. *Ter. Phorm.* 3, 1, 14. Eu Phormio. *Id. Eun.* 1, 2, 74. Eu noster, laudo, tandem perdoluit. Ita utreque *Terentii* loco legit *Agroet. de orthogr.* p. 2272., nam alii hoc posteriore *heus:* priore *heu. Pl. Mil.* 4, 4, 10. Eu, probe!

ĒUA, ae, f. *Εὔα*, prima omnium feminarum, uxor Adam, ex ejus costa formata. *Tertull. Virg. vel.* 5. *sub f.* Si enim Eua mater viventium est, etc. *Prud. Hamartig.* 743. Traxerat Eua virum primae ad consortia culpae.

*ĒVĂCĀTĬO, onis, f. idem ac vacatio, quam vocem vide §. 2. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 30. Evacatio militiae. *B. A.*

ĒVĂCŬĀTĬO, onis, f. actus evacuandi. *Tert. adv. Marc.* 4, 24. Fidei evacuatio.

ĒVĂCŬĀTUS, a, um, part. ab *evacuo*, sublatus, ut Evacuatae obligationis vires reparare, *Imp. Gord. Cod.* 8, 43, 4. Adde *Venant. carm.* 1, 21, 62.

ĒVĂCŪO, as, avi, atum, a. 1. *κενόω*, exinanio. *Plin.* 20, 6, 23. Diocles hydropicis allium cum centaurio, aut in fico duplici ad evacuandam alvum. Adde 32, 9, 33.

[ĒVĀDĀTĪCĬAE, arum, f. plur. feriae videntur ita appellatae, seu dies, quibus vadimonium differre licebat; contra vero *vadaticiae*, quibus vadimonium sistendum erat: ut *nundinae* dicebantur feriae, seu dies, quibus rustici, operibus ruri intermissis, urbem mercandi, vendendique causa petebant. *Not. Tir.* p. 120. Vadatur, evadatur; vadaticiae, evadaticiae; vadimonium, evadimonium. *F.*]

[ĒVĀDĪMŌNĬUM, ii, n. videtur esse actus illius, qui vadimonium deserit. V. vocem praeced. et VADIMONIUM. *F.*]

ĒVADNE, es, f. *Εὐάδνη*, conjux Capanei, quem incredibili amore dilexit. Cum audisset, maritum apud Thebas cecidisse, fere in mortis stuporem diriguit, deinde cum celebraretur funus, se in rogum projecit. Filium Sthenelum reliquit. *Virg. A.* 6, 447. *Hyg. fab.* 243. et 256. ℙ Dicta est *διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐδνων*, a copia munerum, quae in nuptiis a sponso accepit. Ab *Hygino cit. fab.* 256. enumeratur inter castissimas. *Ov. Trist.* 5, 14, 38. et 3. *Pont.* 1, 111. appellat Iphiaden, hoc est Iphidis filiam. Alii tradunt, fuisse filiam Martis ex Thebe uxore Asopi.

ĒVĀDO, is, asi, asum, a. 3. *ἐξέρχομαι, ἀποφεύγω*, extra vado, exeo, erumpo, aufugio, evolo. *Varr. R. R.* 3, 16. *sub f.* Si apes ex alvo minus frequentes evadunt, ac subsidit aliqua pars, suffumigandum. *Cic. Cat.* 2, 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. *Id. Coel.* 27. Si evasissent subito ex balneis mulieris amici. *Liv.* 28, 26. Ut pericolo prius evaderet. [**Drak.* ad *Liv.* 22, 33, 5.] *Sall. Jug.* 60. Ni Marius evadere oppido properavisset. *Phaedr.* 4, 8. puteo. *Virg. A.* 9, 99. undis. *Liv.* 22, 49. e manibus hostium. *Cic. Div.* 2, 5. E morbo evasurum aegrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum. *Id. N. D.* 2, 37. Ex illis abditis sedibus evadere in haec loca atque exire potuissent. *Id. Tusc.* 1, 41. Cum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui, etc. *Paul. Nolan. carm.* 18, 296. Non tibi celantur, nec de te evadere possunt. *Liv.* 29, 27. *extr.* Evadere in terram, i. e. escendere e navi. *Virg. A.* 2, 531. Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum, *h. e.* fugiendo pervenit *Caes. B. G.* 3, 19. Reliquos consectati paucos, qui ex fuga evaserant, reliquerunt. ℙ Cum accusativo. *Appul. Met.* 4. p. 140, 16. Vitam evasit, i. e. vita excessit. Et *Tac. A.* 12, 35. Amnem haud difficulter evadit. *Colum.* 7, 4, 9. *adf.* Porci si evaserint haram, miscent se. *Virg. A.* 2, 730. omnemque videbar Evasisse viam. *Ov. Met.* 3, 19. Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva. ℙ Significat etiam ascendere. *Virg. A.* 1, 458. Evado ad summi fastigia culminis. *Liv.* 2, 65. Evadere in ardua. Et 4, 34. in muros. Et 27, 18, *ad f.* per iniquum locum. *Curt.* 7, 11. in cacumen. Et 5, 3. super capita hostium. ℙ Cum accus. *Virg. A.* 4, 685. sic fata gradus evaserat altos. ℙ Item penetrare, transire. *Sall. Jug.* 54. *extr.* Consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere. *Cels.* 4, 4. *n.* 2. Propter angustias, per quas spiritus evadit, sibilum elidit. *Suet. Dom.* 19. In pueri praebentis pro scopo expansam manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. *Virg. A.* 12, 906. lapis vacuum per inane volutus, Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum. [**Drak.* ad *Liv.* 7, 36, 4. 45, 41, 4.] ℙ Item effugere, cum accusativo. *Virg. A.* 9, 560. nostrasne evadere, demens, Sperasti te posse manus? *Id. ib.* 5, 689. flammam. *Tac. A.* 14, 6. gravem casum. *Suet. Caes.* 74. nocturnas insidias. *Phaedr.* 4, 5. necem. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 157. aegritudinem. [**Plin. Ep.* 10, 66. Effractis vinculis evadere poenam.] *Plin. ep.* 2, 1. Caesares, quibus invisus virtutibus fuerat, evasit. *Plin. alter* 6, 31, 36. Hirta feminarum corpora viros pernicitate evasisse. *Id.* 9, 8, 7. Delphini celeritatem nullus piscium evaderet. *Pl. in Suppos. Amph. Sc.* Tun' me mactes? *in f.* Nunquam evades, quin te sacrificem. ℙ Translate. *Ter. Ad.* 3, 5, 63. Nimia illaec licentia profecto evadet in aliquod magnum malum. Sic *Id. Andr.* 1, 1, 100. et *Nep. Dion.* 8. Timeo, quorsum evadas. Et *Pl. Asin.* 1, 1, 69. Demiror, quid sit, et, quo evadat, sum in metu, *h. e.* quo tendat, quid sibi velit. *Cic. Att.* 14, 19. *ad f.* Nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, videro, i. e. quem exitum habitura sint. *Sall. Jug.* 15. Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, etc.? [*Ubi vide quae collegit *Cort.*] *Liv.* 27, 23. Pestilentia magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. *Ter. Eun.* 3, 3, 11. Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater mihi, et mater mortui essent. [*i. e. ad has quaestiones sermonem retulit.] *Cic. Or.* 27. E philosophorum scholis tales fere evadunt. *Id. Or.* 1, 28. Cum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere. *Id. Brut.* 35. Fuerat Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat. [**Evadere* saepe est ad summum pervenire. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 8, 3. p. 707.] *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Sic homines saepe minutatim ex communibus proprii, ex fucosis firmi suffragatores evadunt. *Liv.* 1, 39. Juvenis evasit verae indolis regiae. *Id.* 35, 47. Primum inane coeptum evasit. ℙ Pro eventum habere, contingere, evenire. *Cic. Div.* 2, 59. Totas noctes somniamus, et miramur, id quod somniarimus, evadere? Et 53. Quando aliquod somniarimus, evadere? Et 71. Quomodo distingui possunt somnia vera a falsis, cum eadem et aliis aliter evadant, et iisdem non semper eodem modo? ℙ Pro ire, procedere. *Quint.* 2, 17. *ante med.* Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quaestio evadat. ℙ Partic. *Evadens* ap. *Curt.* 9, 2. *a med.* Quantumcumque flumen intervenit, item futurum discrimen est evadentium in terram. ℙ *Evasti*, (absolute) syncope pro *evasisti*, et *evasset* pro *evasisset*, illud est *Hor. Sat.* 2, 7, 68. et *Sil.* 15, 792., hoc ejusdem *Sil. ib.* 375. ubi al. melius leg. *enasset.* [*V. *Burm.* ad *Prop.* 1, 3, 27. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 80.]

[ĒVĀDOR, aris, dep. vadimonium desero. V. EVADATICIAE et VADOR. *F.*]

ĒVĀGĀTĬO, onis, f. actus evagandi. *Plin.* 2, 17, 14. Ac spatia longitudinis latitudinum evagatione pensant.

ĒVĀGĀTUS. V. in EVAGOR.

ĒVĀGĪNĀTĬO, onis, f. idem ac evagatio, ab inusit. *evaginor* pro *evagor*, ut a *nato* est *natinor*, a *domo* est *dominor*. *Arnob.* 1, 30. Illi (Apostoli) contumaciam canceris saevi ad subeundam cicatricem, circumscriptis evaginationibus, compulerunt.

ĒVĀGĪNĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *evagino*, e vagina eductus. *Just.* 1, 9. Ipse gladio sua sponte evaginato vulneratus. *Hyg. fab.* 164. Evaginato gladio aliquem persequi.

*ĒVĀGĪNO, as, a. 1. e vagina educo. *Vulgat. Interpr. Exod.* 15, 10. et *Judith.* 13, 8. *B. A.*

[ĒVĂGŌGUS, i, m. *εὐάγωγος*, qui facile duci potest, docilis: ab *εὖ*, bene, facile, et *ἄγω*, duco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 516, 7. Q. Haterius Euagogus. *F.*]

*ĒVAGON, onis m. *Εὐάγων*, Pariorum legatus, ex familia Ophiogenum. *Plin.* 28, 3. Quorum e genere sunt Psylli Marsique et qui Ophiogenes vocantur in insula Cypro: ex qua familia legatus Evagon nomine, a consulibus Romanis in dolium serpentium conjectus experimenti causa, circumulcentibus linguis, miraculum praebuit, V. *Salmas.* ad *Solin.* p. 348. *B. A.*

ĒVAGOR, aris, atus sum, dep. 1. *περιφέρομαι*, idem quod vagor, vel extra, aut latius vagor, exspatior. *Colum.* 8, 5. *a med.* Incubantibus gallinis juxta ponendus est cibus, ne longius evagatae refrigerent ova. *Liv.* 22, 47. Frontibus adversis concurrendum erat, nullo circa ad evagandum relicto spatio. *Plin.* 19, 8, 48. Cappari evagatur per agros, et cogit solum sterilescere. *Id.* 10, 33, 49. Nilo evaganti molem opponere. [**Ulp.* in *Dig.* 8, 2, 27, 9. Debet ignem ita munire, ne evagetur. *Paul.* in *Dig.* 9, 2, 30, 3. Ulterius evagatus et progressus ignis.] ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 29. Nam qui appetitus longius evagantur, et tanquam exsultantes, sive cupiendo, sive fugiendo non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem et modum transeunt. *Liv.* 3, 7. Per ignota capita late evagata est vis morbi. *Colum.* 5, 6. *post med.* Vitis praevalens in luxuriam evagatur. *Quint.* 3, 11. *ad f.* Cupiditate laudis, vel dicendi voluptate evagamur, *h. e.* deflectimus in alia a proposito. ℙ Cum accusativo. *Hor. Od.* 4, 15, 9. ordinem Rectum evaganti frena licentiae Injecit, *h. e.* vaganti extra rectum ordinem. ℙ [*Confunduntur *Evagari* et simplex *vagari*. Vid. *Drak.* ad *Liv.* 2, 11, 10.]

ĒVĂLESCO, is, lui, n. 3. *ἐκμαίνω*, validus fio, vires sumo, convalesco. *Plin.* 16, 30, 54. Ramorum aliqui caeci, qui non germinant: quod natura fit, si non evaluere. Et 17, 15, 25. Cum evaluissent flagella pedes binos, *h. e.* crevissent. *Tac. A.* 14, 58. Multa secutura, quae ad usque bellum evalescerent. *Quint.* 2, 8. Adjuta cura, natura magis evalescit. *Tac. H.* 1, 80. Tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluit. ℙ [**Tac. Germ.* 2. Nomen evaluit. i. e. praevaluit, receptum est, ut Graecis *ἐκνικᾶν*. V. *Passor.* ad h. l., qui laudat *Spalding.* ad *Quint. Inst.* 8, 6, 32. 9, 3, 13. *Ulp.* in *Dig.* 8, 5, 6, 2. Evaluit servii sententia. i. e. praevaluit.] ℙ Item posse. *Hor. Ep.* 2, 1, 200. nam quae pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra? *Claud. Rapt. Pros.* 3, 91. ut dubio vix tandem agnoscere visu Evaluit etc. *Stat. Silv.* 5, 2, 78. illa letales componere succos evaluit. *Quint.* 10, 2. Ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut etc. Adde *Virg. A.* 7, 757., *Stat. Silv.* 2, 1, 77. et *Lucan.* 4, 48. ℙ Item pretium habere. *Macr. Sat.* 2, 13. *ad f.* Cum ipsa margarita centies sestertium sine contentione evaluerit.

ĒVĂLĬDUS, a, um, adj. *Evalidam hastam* quidam leg. apud *Sil.* 1, 552., ubi alii *et validam.*

ĒVALLĔFĂCĬO, is, eci, a. 3. expello, et quasi extra vallum ejicio. *Varr.* ap. *Non.* 3, 158. Retrimenta cibi, quae exierant per posticum evallefecerunt.

ĒVALLO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκβάλλω*, expello: quasi extra vallum ejicio. *Varr.* ap. *Non.* 2, 259. Donec foras nos intus evallaverunt. Adde *Titin. ib.*

ĒVALLO, is, a. 3. vannendo purgo, vanno agitando excerno: est verbum diminutivum pro *evannulo*, ab *evanno*, ut *vallus* est diminut. vanni. V. VALLUS. *Plin.* 18, 10, 23. Triticum ante perfundi aqua multa jubet, postea evalli, deinde sole siccatum pilo repeti. Et *paulo post.* Et ipsa autem, quae evalluntur, variam pisturarum rationem habent. Acus vocatur, cum per se pisitur spica etc.

ĒUAN, antis, m. *Εὔαν*, unum ex cognominibus

Bacchi: ab *εὐάν*, quae vox est, qua Bacchae in sacris Baccho acclamabant. *Ov. Met.* 4, 15. Nycteliusque, Eleleusque pater, et Iacchus, et Euan. *Lucr.* 5, 742. graditur simul Euius Euan. ℙ Hinc *Euans*, *antis*, est bacchans, furens, exsultans. *Virg. A.* 6, 517. Illa chorum simulans, euantes orgia circum Ducebat Phrygias. *Catull.* 64, 386. Saepe vagus Liber Parnassi e vertice summo Thyadas effusis euantes crinibus egit. *Sil.* 1, 101. Non ille euantis Massylae palluit aras, *h. e.* Bacchae Massyliae. *Appul. Met.* 8. Attollentes immanes gladios ac secures, euantes exiliunt, incitante tibiae cantu lymphaticum tripudium.

EUANDER et Euandrus, i, m. *Εὔανδρος*, rex, vel potius unus ex nobilibus Arcadiae. Patrem habuit Mercurium filium primi Jovis, matrem Nicostratam filiam Ionii regis Arcadiae, quae a Graecis Themis, a Latinis Carmenta, a rerum futurarum praedictione, vocitata est. Aliis scriptum est, eum fuisse vel filium, vel nepotem, vel pronepotem Pallantis regis Arcadiae, dictum autem Mercurii filium, quod esset eloquentissimus, a Mercurio inventore et Deo eloquentiae. Filium genuit, quem appellavit Pallantem, et filiam nomine Pallantiam. Sed apud alios legas Pallantem Euandri nepotem fuisse, filiam vero Dynam esse appellatam. Cum patrem casu occidisset, seditione populi facta, patriam, quae Pallantium urbs fuit, una cum matre reliquit LX. fere annis ante bellum Trojanum. Venit in Italiam, et humanissime a Fauno exceptus, habitavit non longe a Tiberi, in eo colle, qui postea Palatinus mons, et Palatium dictus est, ibique oppidum Pallantium, seu Pallanteum condidit. Post mortem in numero Deorum habitus, et cultus fuit. Habuit aram apud Aventinum collem, non procul a porta Trigemina. *Virg. A.* 10, 515. Pallas, Euander in ipsis Omnia sunt oculis. Et *ib.* 8, 100. tum res inopes Euandrus habebat. Et *ib.* 11, 55. at non, Euandre, pudendis Vulneribus pulsum aspicies. ℙ Fuit etiam hoc nomine caelator et plastes, quem M. Antonius Athenis Alexandriam secum transtulisse dicitur. *Hor. Sat.* 1, 3, 91., *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10.

EUANDRĪUS, a, um, adj. *Εὐάνδριος*, ad Euandrum pertinens, ut Euandrius ensis, *h. e.* Pallantis Euandri filii, *Virg. A.* 10, 394. Euandria tecta, *Sil.* 7, 18. *h. e.* Romam, eo loci conditam, ubi Euander olim regnaverat. Sic Euandria curia, *Prud. adv. Symmach.* 2, 552. Euandrius mons, *h. e.* Palatinus, ubi quondam habitavit Euander, et postea Caesares, *Claud. VI. Cons. Honor.* 11. et Euandrius collis, *Stat. Silv.* 4, 1, 7. ℙ Est etiam *Euandrēus* in *Inscr.* quae trochaicis versibus constat ap. *Grut.* 47, 3. Cum pia solemne mente fecisset *tuum*, Tradidisti quod Potitis Euandreo *saeculo*.

EVĀNESCO, is, nui, n. 3. *ἀφανίζομαι*, vanus fio, in nihilum redigor, e conspectu abeo, vanesco. *Virg. A.* 9, 658. Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. *Lucr.* 2, 827. Evanescere paulatim, stinguique colorem. Et 5, 536. Evanescere paulatim, et decrescere pondus. *Plin.* 13, 1, 2. Odor celerrime evanescit atque defluit. *Id.* 19, 6, 34. Allium et caepa extra terram quoque germinant, et cauliculo acto evanescunt, *h. e.* vana fiunt, absumpto intus nucleo. *Varr. R. R.* 2, 4. Non prius exigunt pastum, quam pruina evanuit. [*i. e. vento exsiccatur aut sole. Sic *Sen. Q. N.* 3, 24. Aquae calidae ita ferventes, ut non possint esse usui, nisi aut in aperto evanuere, i. e. evaporarunt.] *Ov. Met.* 2, 117. Cornuaque extremae velut evanescere lunae. *Cic. Div.* 2, 57. Vinum et salsamentum vetustate evanescunt, *h. e.* vim amittunt, vapida fiunt. ℙ Translate. *Id. Brut.* 27. Is et orationes reliquit, quae jam evanuerunt, *h. e.* interciderunt. *Id. Or.* 2, 23. Omnis eorum memoria sensim obscurata est, et evanuit. [**Cic. Tusc.* 5, 30. Sententia eorum evanuit. i. e. nullum amplius sectatorem habet.] *Id. Att.* 3, 13. Postea quam extenuari spem nostram, et evanescere vidi. *Id. Brut.* 94. Cum jam paene evanuisset Hortensius, et ego consul factus essem, revocare se ad industriam coepit. V. cap. praecedens. *Ov. Met.* 14, 356. evanuit omnis Herbarum virtus. *Id. Ib.* 135. Evanescit dolor. *Liv.* 28, 25. Cum evanesceret temere ortus rumor. *Tac. H.* 2, 32. Multa bella impetu valida, per taedia et moras evanuisse. *Flor.* 3, 3. *sub f.* Tigurinorum manus, in diversa dilapsi, fuga ignobili, et latrociniis evanuit. *Quint.* 1, 7. Verum haec jam inter ipsas ineptias evanuerunt. Sic *Varr. L. L.* 6, 3. de voce *Adagio*. Quod verbum usque eo evanuit, ut Graecum *παροιμία*, pro eo positum, magis sit apertum. *Ulp. Dig.* 24, 1, 11. Evanescit donatio. Et *ib.* 3, 21. Dotis actio evanescit. ℙ Partic. *Evanescens* ap. *Sen. Ben.* 1, 12. Ipsae res evanescentem memoriam excitent. *Evaniturus*, tanquam a supino *evanitum*, est, *Lact.* 5, 4. *extr.* Evanituras brevi religiones falsas.

EUANGĒLĬCUS, a, um, adj. ad Euangelium pertinens. *Tert. contr. Marc.* 4, 2. Euangelicum instrumentnm Apostolos auctores habet. Et 39. *a med.* Euangelica scriptura. *Prud. Apotheos.* 494. Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas Vox Euangelica.

EUANGĒLISTA, ae, m. scriptor Euangelii, *Εὐαγγελιστής*. *Prud. Cathem.* 6, 77. Euangelista summi fidissimus Magistri.

EUANGĒLĬUM, ii, n. Graece est bonus sive laetus nuncius: ab *εὖ*, belle, feliciter, et *ἀγγελία*, nuntius. Hinc Christiani Euangelium appellarunt Christi sermonem et doctrinam, quia in ea passim felicitas aeterna iis annunciatur. *Tert. contra Marc.* 4, 3. ℙ *Euangelia*, *orum*, sacrificia et supplicationes, quae pro jucundo nuncio decerni consueverunt: item merces allati jucundi nuncii. *Cic. Att.* 2, 3. et 12. et *ib.* 13, 40. sed Graece

EUANGĒLĬZĀTOR, oris, m. qui Euangelium publice praedicat. *Tertull. Cor. Mil.* 9. et *Praescript.* 4.

EUANGĒLUS, i, m. *εὐάγγελος*, laetus nuncius. *Vitr.* 10, 7. Nomen mutaverunt, ut pro Pixodaro Euangelus nominaretur.

EVĀNIDUS, a, um, adj. *ἐξίτηλος*, inanis, evanescens, rarus, non solidus, atque adeo cito periturus, caducus. *Ov. Met.* 5, 435. Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos. *Vitr.* 2, 8. Vetustate evanida facta materia, caementorumque exacta raritate, prorŭunt monumenta, et dissipantur. *Id.* 7, 2. Calx evanida et siticulosa. *Id.* 2, 10. Arbores propter raritatem fiunt inanes et evanidae, ideoque in aedificiis non possunt habere diuturnitatem. [**Col. Arb.* 17, 3. Oleae evanidae.] *Plin.* 37, 5, 18. Quidam e smaragdis senescunt, paulatim viriditate evanida, *h. e.* colore viridi evanescente. ℙ Translate. *Senec. ep.* 35. Gaudium leve et evanidum. *Ov. Rem. Am.* 653. Fallat, et in tenues evanidus exeat auras, Perque gradus molles emoriatur amor.

EVANNO, is, a. 3. *ἀπολιχμάω*, idem quod vanno, aut vannendo purgo, vanno agitando excerno. *Varr. R. R.* 1, 52. *extr.* Ita fit, ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannatur foras extra aream; ac frumentum quod est ponderosum, purum veniat ad corbem. ℙ Translate est ejicere, amovere. *Pompon.* ap. *Non.* 1, 69. In prima vava est; vix haeret miser; evannetur, et, mea ocius opera ut fiat, fecero.

EUANTES. V. EUAN.

EUANTHES, is, m. V. EUANTHUS.

*EUANTHIA, ae, f. *Εὐανθία*, oppidum Graeciae, in Locride, etiam Oeanthe dictum. *Plin.* 4, 3. ℙ Fuit et Tralles, Lydiae oppidum, Euanthia ante appellatum. *Id.* 5, 29. *B. A.*

[*EUANTHUS, i, m. *εὐανθής*, pulcre florens: ab *εὖ*, bene, et *ἄνθος*, flos. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 104, 6. L. Faenius Euanthes. Alia ap. *eund.* 245, 6. L. Sertorius L. F. Volt. Euanthus. ℙ *Evanthes*, *is*, *Εὐάνθης*, auctor Graecus, Milesius, qui temporibus Thaletis floruit. *Plin.* 8, 22. ℙ Duo alii fuere hoc nomine auctores, quorum unus Samius, alter Cyzicenus. V. *Voss. de hist. Graec. F.* et *B. A.*]

EVAPORĀTĬO, onis, f. *ἀναθυμίασις*, humoris exhalatio, *Senec. Q. N.* 1, 1. Terrae omnis generis et varia evaporatio est. *Id. ib.* 6, 13. Semper aliqua evaporatio est e terra, quae modo arida est, modo humido mixta.

EVĀPORĀTĪVUS, a, um, adj. *Coel. Aur. Acut.* 3, 8. *p. med.* Evaporativa virtus.

EVĀPORO, as, avi, atum, a. 1. vaporem exhalo, *ἐκχυμίζω*. *Gell.* 19, 5. Id in ea levissimum est, quod evaporatur. Et *mox*. Quod est salubrius, diffiari, atque evaporari ex nive. ℙ *Exvaporare* legitur ap. *Tertull Pall.* 6. *sxtr.*

*EUARCHUS, i, *Εὔαρχος*, flumen Paphlagoniae. *Plin.* 6, 2. *Val. Fl.* 6, 102. *B. A.*

[EUĀRESTUS, i, m. *εὐάρεστος*, bene placitus, acceptus: ab *εὖ*, bene, et *ἀρεστός*, placitus. Est cogn. R. Titii cujusdam, qui vixit sub Antonio Pio Aug., uti constat ex *Dig.* 36, 1, 16. §. 17. *F.*]

EVASTĀTUS, a, um, partic. ab *evasto*, vastatus. *Liv.* 8, 37. Ager Apulus, Samniumque evastatum. *Id.* 32, 18. Evastata belli cladibus loca. [**Id. fragm. l.* 91. (ed. *Niebuhrio*) p. 96. Evastatis omnibus, proculcatisque segetibus. *B. A.*

EVASTO, as, a. 1. *ἐξερημόω*, idem quod vasto, desolo, destruo, diripio, depopulor. *Liv.* 10, 15. Duo exercitus, diversis vagati partibus, omnia evastarunt. *Id.* 32, 33. Spoliare et evastare templum. *Id.* 28, 44. *f.* Uratur evasteturque invicem Africa. *Sil.* 15, 185. Evastanda tibi tellus.

EVĀSUS, a, um, part. ab *evado*. Evasum malum, quod quis evasit. *Juven.* 12, 17. Nam praeter pelagi casus, et fulguris ictum evasi, densae coelum abscondere tenebrae.

*EUATHLUS, i, rhetor quidam, de quo *Quint.* 3, 1. *B. A.*

EUAX, interjectio gestientis, et exsultantis. Videtur esse ab *εὐάζω*, Euantem, seu Bacchum inclamo. *Pl. Curc.* 1, 2, 3. Ubi ubi est? prope me est: euax! habeo. *Id. Cas.* 4, 4, 13. Euax! nunc pol demum ego sum liber. *Id. Bacch.* 2, 3, 13. *Nic.* venitne? *Chry.* venit. *Nic.* euax! aspersisti aquam. *Id. ib.* 4, 4, 73. Euax nimis bellus, atque ut esse maxime optabam, locus! V. EFFUTICIUS. ℙ *Fuit et *Evax*, *acis*, *m.* nomen regis Indiae, qui de simplicium effectibus scripsit ad Tiberium Neronem. *Plin.* 25, 2. *B. A.*

*EVAZAE, arum, Sarmatarum populi, a Medis orti, et Tanaim fluvium accolentes. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

EUBAGES, um, m. *Οὐάγεις*, Gallorum vates, scrutando seriem et sublimia naturae pandere conabantur. *Ammian.* 15, 9. ubi *Vales.* legit *Euhages*. *B. A.*

[EUBĀLĬUS, ii, m. bene maculatus: ab *εὖ*, bene, et *βάλιος*, maculosus. Est cogn. R. *inscr.* ap. *Fabrett.* p. 58. *n.* 334. Ti. Julius Eubalii L. Scymnus. *F.*]

[*EUBIUS, i. Historicus memoratur, si lectio certa est, ab *Ov. Trist.* 2, 416. ubi vid. interpr.]

EUBOEA, ae, f. *Εὔβοια*, insula Graeciae, Achaiae adjacens ad Or., ab ea angusto freto Euripo dicto divisa. Ponte jungitur continenti Achaiae. [*V. *Liv.* 35, 51, 1.] Insignis est duobus promontoriis, Geresto ad Atticam vergente, et Caphareo ad Hellespontum. *Plin.* 4, 12, 21. et *Ov. Met.* 13, 660. [Ita est appellata, teste *Etymol. M.* et *Aelian. Hist. anim.* 12, 36. ab *εὖ*, bene, et *βοῦς* bos, quia in ea boum pascua fertilia et laeta sunt. *F.*]

EUBOEUS, a, um, adj. *Εὔβοιος*, ab Euboea, ut Plebs Euboea, *Stat. Silv.* 5, 3, 136.

*EUBOĪCE, es, f. *εὐβοΐκη*, scil. *βοτάνη*, herba, quae et ebulum appellatur. *Appul. Herb.* 91. *B. A.*

EUBOĪCUS, a, um, adj. *Εὐβοϊκός*, ad Euboeam pertinens, Euboeus. *Sen. Herc. Oet.* 775. Euboica tellus. *Prop.* 2, 20, 38. Et Danaum Euboico littore mille rates, *h. e.* Aulide, quae est contra Chalcidem Euboeae. *Id.* 4, 1, 114. tu diruta fletum Supprime et Euboicos respice, Troja, sinus, sinus Euboicus, ubi Caphareus. *Mart.* 9, 30. Euboica Sibylla, *h. e.* Cumana. Cumas enim ab Euboea advenae condidisse feruntur, ut *Liv.* 8, 22. et *Serv.* tradit ad illud *Virg. A.* 6, 2. Euboicis Cumarum allabitur oris. *Ov. Fast.* 4, 257. Carminis Euboici fatalia verba sacerdos Inspicit, *h. e.* Sibyllae Cumanae libros, qui Romae asservabantur. *Stat. Silv.* 3, 5, 12. Euboicos penates remeare, *h. e.* Neapolim, patriam, quae Cumis vicina. *Ov. Met.* 14, 4. Euboicus tumidarum cultor aquarum, *h. e.* Glaucus, Deus marinus, filius Polybi ex Anthedone Boeotiae urbe litorali contra Euboeam: quae idcirco ab *eod. Met.* 7, 232. et *ib.* 13, 905. Euboica dicitur. *Stat. Silv.* 1, 4, 125. tu Troica dignus Saecula et Euboici transcendere pulveris annos, *h. e.* annos, quos Sibylla Cumana a Phoebo obtinuit: de qua *Ov. Met.* 14, 136. ego pulveris hausti Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis, Tot mihi natales contingere vana rogavi. ℙ Euboicum talentum nummo Graeco septem millium et quingentorum cistophorum est, nostro quatuor millium denariorum. *Festus.* [*Vid. *Boeckh. Staatshaush. der Athener* T. 1. p. 18.]

EUBOIS, ĭdis, f. *Εὐβοΐς*, Euboica. *Tellus Euboïs* ap. *Statium* est regio circa Neapolim et Cumas, ut in voce praeced. dictum est. Sic enim ille *Silv.* 1, 2, 263. nitidum consurgat ad aethera tellus Eubois et pulcra tumeat Sebetos alumna. At *Achill.* 1, 413. quatitur navalibus ora Eubois: Euboeam ipsam Graeciae intelligit.

*EUBOLĪDES, ae, m. nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[EUBOLĬON, ii, n. idem ac dictamnus. *Appul. Herb.* 62. *F.*]

[EUBŪLIS, ĭdis, f. *εὐβουλίς*, et

EUBŪLUS, i, m. *εὔβουλος*, bene consulens: ab *εὖ*, bene, et *βουλή*, consilium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 28. Ostoria C. F. Satria Eubulis. Alia ap. *Fabr.* p. 695. *n.* 160. L. Roscius Eubulus. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Eubulus* et *Eubulidas*. Vid. *Drak.* ad *Liv.* 37, 45, 17.]

*EUBURIĀTES, um, Ligurum populi, citra Alpes habitantes. *Plin.* 3, 5. *Flor.* 2, 3. *B. A.*

*EUBURO, oppidum Lusitaniae. *Plin.* 4, 21. *B. A.*

[EUCAERUS, i, m. *εὔκαιρος*, opportunus, tempestivus: ab *εὖ*, bene, et *καιρὸς*, opportunitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 430. *n.* 4. Petronius Eucaerus. *F.*]

[EUCARPĒNUS, a, um, adj. ad Eucarpiam pertinens, Phrygiae magnae urbem, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 152. est ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ. ℙ *Eucarpeni*, *orum*, sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 5, 29, 29. *F.*]

[EUCARPĬA, ae, f. *εὐκαρπία*, fructuum ubertas: ab *εὖ*, bene, et *καρπὸς*, fructus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 132. *n.* 79. Umbria Eucarpia. *F.*]

[EUCARPUS, i, m. *εὔκαρπος*, fructuosus: ab *εὖ*, bene, et *καρπὸς*, fructus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 420. C. Julius Eucarpus. *F.*]

[*EUCHĀRIS, ĭtis, m. et f. *εὔχαρις*, cui gratia inest: ab *εὖ*, bene, et *χάρις*, gratia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 379, 6. Sex. Bennius Eucharis. Alia ap. *Grut.* 655, 1. Eucharis Liciniae *libertа*, docta, erodita. *Vulg. Interpr. Siracid.* 6, 5. Lingua eucharis in bono homine abundat, i. e. humana, jucunda aliis. *F.* et *B. A.*]

EUCHĀRISTĬA, orum, n. pl. *εὐχαριστία*, ab *εὐχαριστέω*, grates ago, ap. *Tertull. Praescr. haeret.* 47. Ipsum introducunt ad benedicenda eucharistia

sua, (alii leg. *eucharistica*), *h. e.* oblationes pro gratiarum actione. ℙ *Eucharistia*, *ae*, f. (V. CHARISTIA) Graece *εὐχαριστία*: ab eadem radice: a Catholicis scriptoribus adhibetur pro augustissimo Sacramento Corporis et Sanguinis D. N. J. C. *Cyprian. ep.* 10.

EUCHARISTĬCUS, a, um, adj. *εὐχαριστικός*, ad gratiarum actionem pertinens. V. v. praec. ℙ *Eucharisticon* inscribitur carmen *Stat. Silv.* 4, 2. in quo gratias agit Domitiano, quod convivio ab eo fuerat admissus.

[EUCHARISTUS, i, m. *εὐχάριστος*, gratus: ab *εὖ*, bene, et *χαριστός*, gratus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 34. C. Gallonius Eucharistus. *F.*]

[EUCHARĬUS, ii, m. gratiosus: ab *εὐχαρις* idem significans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 1. P. Ceterius Eucharius. *F.*]

*EUCHATAE, arum, m. *Εὐχάται*, Scythiae populi. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

[EUCHĒ, es, f. *εὐχή*, precatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 435, 7. Aimilia *Publii* et *Caji* liberta Euche. ℙ Scribitur et *Euchi*, *is*, *i* etc., sed labente Latinitate et ab indoctis hominibus, cum nempe Romani in Graecis vocibus uterentur vulgari Graecorum pronunciatione, apud quos olim vulgo, ut etiamnum usuvenit apud Graecos recentiores, littera *η* sonitu litterae Latinae *i* efferebatur. *Inscr.*, quae mendosa quidem ap. *Grut.* 994, 4., ita vero legitur etiamnum in *Mus. Pat. Vivus Fecit.* P. Sepullio P. L. Florenti, Caeciliae O. L. Creni (pro *Crene*, a *κρήνη*, fons), C. Castricio C. L. Calvioni, Castriciae C. L. Euchi, C. Castricio O. L. Martiali. Loc*us* sepult*urae* etc. ℙ Scribitur etiam cum aspiratione. *Inscr.* ap. *Grut.* 942, 11. Julia Helpis fecit Juliae Heuche vernae suae *F.*]

[EUCHĒTAE, arum, m. plur. *Εὐχηται*, haeretici, quibus hoc nomen inditum est ex orationis assiduitate, quod incredibiliter, ut inquit *Aug. de haeret.* 5, 58., perpetuo faciebant, adeo ut monachos fovendae vitae gratia quidpiam facere, impium ducerent, quia sic interpellaretur orandi facultas. *F.*] [*Memorantur etiam in *Cod.* 1, 5, 5.]

*EUCHIR, os, *Εὔχειρ*, insignis statuarius, Atheniensis. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[EUCHOMĒNUS, i, m. *εὐχόμενος*, gloriabundus, partic. ab *εὔχομαι*, glorior. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 215. *n.* 551. Euchomenus Vipstani Aproniani *libertus*. *F.*]

[EUCHRUS, i, m. *εὔχρους* contract. ex *εὔχροος*, bene coloratus, vivido colore in cute praeditus: ab *εὖ*, bene, et *χρόα*, cutis, et color. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 65. *n.* 6. Euchrus Caesaris ser*vus*. *F.*]

[EUCLĪA, ae, f. *εὔκλεια*, celebritas nominis: ab *εὖ*, bene, et *κλεῖος*, gloria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1137, 3. Aurelia Euclia. *F.*]

*EUCLĪDES, is, m. *Εὐκλείδης*, philosophus Megarensis, auctor sectae Megaricae, auditor Socratis. *Cic. Acad.* 4, 12. Cf. *Laert.* 2, 106. seq. Hujus discipuli Megarici appellati. Adde *Gell.* 6, 10. *Sidon. carm.* 2. v. 176. Effigiem ejus exhibet *Spon. Misc. Ant.* p. 140. ℙ Item alius, mathematicus, Alexandrinus, qui vixit temporibus Ptolemaei Philadelphi. *Cic. de Orat.* 3, 33. ℙ De hoc aliisque ejusdem nominis V. *Fabr. B. G.* 3, 4. *B. A.*

[EUCLĪTUS, i, m. bona fama celebratus: ab *εὖ*, bene, et *κλειτός*, celeber. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1462, 6. Falernus Euclito fratri suo. *F.*]

[EUCNĒMOS, i, m. et f. *εὔκνημος*, habens pulcra crura: ab *εὖ*, belle, et *κνήμη*, crus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 21. Strongylion fecit Amazonem, quam ab excellentia crurum euchnemon appellant. *F.*]

[EUCOLPUS, i, m. *εὔκολπος*, apta corporis figura in pectore praeditus: ab *εὖ*, bene, et *κόλπος*, sinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. *col.* 1. C. Cornelius C. L. Eucolpus. *F.*]

[EUCŌMUS, i, m. *εὔκομος*, bene comatus: ab *εὖ*, bene, et *κόμη*, coma. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 980, 4. C. Julius Postumi *libertus* Eucomus. *F.*]

[EUCRĀTES, is, m. *εὐκρατής*, bene temperatus, ab *εὖ*, bene, et *κεράννυμι*, misceo; vel valde potens, a *κρατέω*, impero. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Aread.* an. 1822. *T.* 7. p. 477. L. Licinius Eucrates. *F.*]

[EUCRĪTUS, i, m. *εὔκριτος*, bene selectus: ab *εὖ*, bene, et *κριτός*, electus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 4. C. Canulejus Eucritus. *F.*]

[EUCTUS, i, m. *εὐκτός*, optatus, votivus: ab *εὔχομαι*, oro, voveo. Est cogn. R. *Mart.* 8, 6. Archetypis vetuli nihil est odiosius Euchti. *F.*]

[EUDAEMON, onis, comm. gen. *εὐδαίμων*, felix. *Vopisc. Aurel.* 33. Arabes Eudaemones. *Capitol. Macr.* 12. Pugnavit et contra Arabas, quos Eudaemonas vocant, non minus fortiter, quam feliciter. *Arabas* et *Eudaemonas* est accusativus Graecae positionis. *Mela* 3, 8. Arabia dicitur, cognomen Eudaemon, angusta, verum cinnami et turis aliorumque odorum maxime ferax. Adde *Plin.* 6, 27, 31. ℙ Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 202. *n.* 503. C. Volusius Eudaemon. *F.*]

*EUDEMĬA, ae, f. *Εὐδημία*, insula in Pagasico sinu, non longe a Scyro, Cycladum extima. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*EUDĒMUS, i, *Εὔδημος*, Cyprius, Aristotelis familiaris. *Cic. de Divin.* 1, 25. *B. A.*

EUDĬAEON, lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod clysmos emittitur. *Fest.* Porro *εὐδίαιον* aut *εὐδίαιος* Graece est foramen in navi, quo effluunt pluviae aquae et quae e sentina exhauriuntur: vel clavus seu cuneus ligneus, qui in id foramen infigitur: quo exempto, aquae effluunt: a cujus similitudine lineum illud filum dictum est.

*EUDĬCUS, i, *Εὔδικος*, historicus, de quo *Plin.* 31, 2. *B. A.*

[EUDIUS, a, um, adj. *εὔδιος*, serenus: ab *εὖ*, bene, et *δῖος*, divinus, coelestis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 676, 12. T. Flavius Eudius. Alia ap. *Fabr.* p. 306. n. XXXI. Sulpicia Eudia. *F.*]

*EUDON, onis, fluvius Phrygiae majoris, prope Tralles. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*EUDORUS, i, *Εὔδωρος*, nomen pictoris cujusdam et statuarii. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*EUDOSES, um, populi Germaniae, inter Albim et Vistulam amnes. *Tac. Germ.* 40. *B. A.*

[*EUDOXUS, i, m. *εὔδοξος*, gloriosus: ab *εὖ*, bene, et *δόξα*, gloria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 426, 4. Ti. Junius Eudoxus Aeschinis filius, patria Cnidius, philosophus, geometra, astrologus, summus medicus, Platonis auditor, qui primus annum composuit. *Cic. de Divin.* 2, 42. *Plin.* 6, 31. et 30, 1. *Lucan.* 10, 185. *Petron.* 88. *Mela* 3, 10. Cf. *Voss. de Hist. Graec.* 1, 6. *F.* et *B. A.*]

*EUDRACINUM, i, oppidum Italiae superioris, ad Alpes. *Tab. Peutinger. B. A.*

[EUDRASTUS, i, m. bene ministrans vel agens: ab *εὖ*, bene, et *δράω*, ministro vel ago opus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 497. *n.* 3. Mettius Eudromus. *F.*]

EVECTĬO, onis, f. actus evehendi, sublatio. *Appul. Met.* 5. p. 169, 10. Sublimis evectionis appendix miseranda. [*Sic vocatur Psyche, quae lateri Cupidinis in altum evolantis adhaesit.] ℙ Item diploma sive chartula, signo principis obsignata, qua potestas alicui permittitur utendi equis cursui publico destinatis. Nam sine licentia principis nemini privato licebat cursum publicum currere, qui institutus fuerat solummodo ad principis commoditatem, ut quam cito posset et nuncios mittere per provincias, et ea, quae longe ab Urbe gerebantur, cognoscere, ut est apud *Suet. Aug.* 49. Vide *Cod. lib.* 12. *tit.* 51., qui est *De cursu publico*, ubi multa habentur de jure evectionum. [**Ib. leg.* 8. Sine evectione iter facere.] [*Cato* ap. *Front.* ad *Anton. Aug.* (ed. iterum *A Maio*) *ep.* 1, 2. *extr.* Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecuniam magnam caperent. *F.*] *Symmach. ep.* 4, 6. Evectiones impetrasse me, gaudeo. [**Augustin. Epist.* 55. Zenobius magister memoriae factus est et misit nobis evectionem cum annonis. *F.*]

*EVECTO, as, frequent. *Gloss. Vet.* Evecto, *ἐποχοῦμαι*. *B. A.*

EVECTUS, a, um, partic. ab *eveho*, extra vectus, exportatus. *Cic. Verr.* 2, 1, 20. Omnia ex fanis, ex locis publicis palam plostris evecta asportataque esse. *Ulp. Dig.* 39, 4, 15. Evectae cotes. ℙ Translate. *Quint.* 6, 1. *fin.* Confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela. ℙ Item sublatus. Translate. *Vell.* 2, 53. Vir in id evectus, super quod ascendi non potest. *Tac. A.* 14, 52. Privatum modum evectas opes adhuc augere. *Prud. περὶ στεφ.* 8, 18. Evectus gladiis alter et alter aquis, *scil.* martyr qui gladio et baptizatus, qui baptismo mundatus coelum petit. ℙ Item provectus. *Plin.* 26, 4, 9. Magicae vanitates in tantum evectae, ut abrogare herbis fidem cunctis possent. ℙ V. alia in EVEHO. ℙ [*Confunduntur *Evectus* et *Convectus*. *Drak.* ad *Liv.* 22, 40, 8. — et *Invectus* *Burm.* ad *Ov. Met.* 3, 149.]

EVECTUS, us, m. actus evehendi. *Plin.* 18, 5, 6. Ut operariorum copia prope sit, ut navigiorum evectus vel itinerum, *h. e.* navigia ultro citroque commeantia, quae merces evehant. Vide *Varronis* locum in V. INVECTUS, us.

EVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. *ἐκκομίζω*, *ἐξάγω*, extra veho, exporto. *Plin.* 6, 19, 22. Alii tellurem exercent, merces suas alii evehunt. *Varr. R. R.* 1, 16. *fin.* Quibus utrisque rebus evehi atque invehi etc. *Liv.* 25, 27. *med.* Duae classes infestae circa promontorium Pachynum stabant, ubi primum tranquillitas maris in altum evexisset, concursurae. *Id.* 1, 38. *extr.* Infima urbis loca, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, cloacis e fastigio in Tiberim ductis siccat. *Plin.* 2, 103, 106. Amnes aquas inferunt in lacus et evehunt. ℙ Item in altum vehere, extollere. *Hor. Od.* 1, 1, 5. palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad Deos. *Juven.* 1, 38. Evehere in coelum. *Virg. A.* 6, 130. quos ardens evexit ad aethera virtus. *Auct. dial. de Orat.* 13. Evehere aliquem ad consulatum. [**Vell.* 2, 90. Amicitia principis eum usque in tertium consulatum evexerat.] *Sen. Hippol.* 1070. Quacumque pavidos equos evexit furor, hac ire pergunt. ℙ Saepe passive adhibetur et significat procedere, progredi, provehi, diciturque de iis fere, qui navi aut equo aut curru vecti procedunt. *Liv.* 1, 48. Flectens carpentum, ut in collem Exquiliarum eveheretur. *Id.* 4, 33. Ipse calcaribus subditis evectus, effreno equo in medios ignes infertur. [*Atque ita proprie adhibetur haec vox. Scilicet ex ordine evehuntur, in quo antea constiterant. Vid. *Drak.* ad *Liv.* 9, 40, 12. — Eadem forma etiam in re navali usus est *Liv.* 37, 15, 9. Placuit tamen Regillum tota classe evehi ad portum Ephesi. Ex aliis scriptor. haec habet *Forc.*] *Justin.* 2, 6. Ad regem Thessaliae ratibus evecti sunt. [**Liv.* 22, 19, 10. Alii resolutis oris in ancoras evehuntur, ex lectione *Gron.*, qui in *Observ.* 4, 26. p. 821. ita explicat: contra vel adversus ancoras tenentes.] *Curt.* sine praeposit. 9, 9. Tum aliam insulam medio amni sitam evecti applicant classem, *h. e.* cum accessissent ad aliam insulam. Et *ib. in f.* Evectusque os amnis, quadringenta stadia processit in mare, *h. e.* egressus ostia fluminis. Et 4, 4. Ea navis, quae non cohaerebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus invehebatur. *Tac. A.* 12, 14. Hostem longius evectum integer a tergo globus circumvenit. [*Ceterum nota *Liv.* 29, 34, 12. etiam *se evehere* dixisse. Incaute se evehentes Masinissa excipiebat.] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 13. Ut semel e Piraeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas. Sic *Prop.* 3, 2, 21. Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros? *Vell.* 2, 56. In summum evecti fastigium. [**Curt.* 4, 14, 20. Imperium ad summum fastigium evehere.] *Liv.* 42, 62. Spe vana evectus. *Tac. A.* 12, 36. Fama ejus evecta insulas et proximas provincias pervagata. ℙ Reperitur etiam *exveho*. *Ulp. Dig.* 10, 4, 5. Merces exvehendas conducere.

EVELĀTUM, eventilatum. *Festus*: Evelatum, eventilatum: unde velabra, quibus frumenta eventilantur. *Salmas.* recte corrigit: Evallatum, eventilatum: unde valli, quibus frumenta ventilantur.

EVELLO, is, elli, et ulsi, vulsum, a. 3. *ἀποτίλλω*, extra vello, extraho, exstirpo. *Cic. Divin.* 2, 31. Timide signifer evellebat, quod fidenter infixerat. *Id. Sext.* 28. Linguam se evellisse M. Catoni dixerunt. *Phaedr.* 2, 2. *extrn.* Nam funditus Canos puella, nigros anus evellerat. *Hor. Ep.* 1, 14, 4. Spinas agro evellere. *Id. Sat.* 2, 7, 27. coeno cupiens evellere plantam. *Plin.* 17, 9, 6. E segete evellito ebulum, cicutam etc. Et 8, 42, 64. Relictum equum in coeno haerentem, ut se evellisset, secutum vestigia domini. *Gell.* 10, 16. *med.* Si Hercules eum evellerit e petra. *Ulp. Dig.* 47, 12, 2. Statuam de monumento evellere. *Plin.* 30, 3, 8. Evellere dentes. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 53. Omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae. *Id. Rosc. Am.* 2. Hunc sibi ex animo scrupulum ut evellatis, postulat. *Id. Or.* 28. Inserere novas opiniones, evellere insitas. *Id. Dom.* 13. Radicitus evellere actiones alicujus, *h. e.* rescindere, infirmare, irrita esse ostendere. *Id. Sext.* 14. Si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet. *Sil.* 7, 335. obsessa evellere castra. *Varr. L. L.* 8, 10. Nutrix pueros a lacte non subito evellit, *h. e.* depellit, ut *Virg.* loquitur *Ecl.* 7, 15. ℙ Partic. *Evellens*. *Senec. Oedip.* 592. Luctus evellens comam. ℙ [*De praeteriti forma *evelli* Cf. *Voss.* de Analog. ling. III. 6. *Duker. de latin. vet. jurisc.* p. 367.] Praeterit. *evulsi* pro *evelli* agnoscunt multi grammatici. Et *Flor.* 4, 12. Tertiam aquilam signifer, priusquam in manus hostium veniret, evulsit. Et *Marcell. Empir.* 8. Cum prius pilos evulseris. Et *Quint. Decl.* 12, 8. Pecora cecidimus, campos evulsimus, silvas destruximus. [*V. *Burm.* ad h. l., *Heins.* ad *Ov. Met.* 8, 584. *Her.* 6, 104.] Hinc *evulsus*, optimae notae vox. V. infra suo loco.

*EUELPĪDES, is, *Εὐελπίδης*, insignis ocularius, cujus meminit *Cels.* 6, 6. *B. A.*

*EUELPISTUS, i, *Εὐέλπιστος*, medicus quidam ap. *Cels.* 7. *praef. B. A.*

[*EUEMĒRIA, ae. Nomen ancillae ap. *Paul.* in *Dig.* 40, 1, 10.]

*EVEMĒRUS vel Euhemerus, i, m. *Εὐήμερος*, historicus et poeta, qui vixit temporibus Ptolemaei Lagi. Cassandri fuit amicus. *Lact.* 1, 11. Antiquus auctor Evemerus, qui fuit ex civitate Messene, res gestas Jovis, et ceterorum, qui dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis et inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis templis habebantur — Hanc historiam interpretatus est Ennius, et sequutus etc. Adde *Varr. R. R.* 1, 48. *Cic. N. D.* 1, 42. *p. med. Colum.* 9, 2. *B. A.*

EVENĪNUS, a, um, adj. ad Evenum fluvium pertinens, qui Calydonem urbem alluit. *Ov. Met.* 8, 527. matres Calydonides Eveninae. MSS. hoc loco mire variant.

EVĔNĬO, is, eni, entum, n. 4. *ἀποβαίνω, συμβαίνω*, extra venio, accedo, pervenio. *Hor. Od.* 4, 4, 65. Merses profundo, pulcrior evenit. *Pl. Rud.* 3, 2, 17. Eamque eventuram exagogam Capuam, salvam, et sospitem. Al. leg. *venturam. Id. Cas.* 2, 8, 1. Sine modo, rus eveniat. Al. leg. *veniat.* ℙ Item evado, exitum habeo. *Id. Most.* 2, 1, 48. Istaec blanda dicta quo eveniant, madeo metu. *Ter. Hec.* 1, 2, 118. Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet. [*Pall.* 11, 12, 5. Martialis in trunco inseri jubet. Mihi inter corticem et lignum feliciter semper evenit sc. insitio: *sie ist mir geglückt.*] ℙ Saepissime sumitur pro accidere, contingere tam in bonam, quam in malam partem, et fere impersonaliter. *Cic. Fam.* 6, 21. Timebam, ne evenirent ea, quae acciderunt. *Id. Planc.* 6. Nihil, ut plerumque evenit, praeter opinionem accidet. *Id. Div.* 2, 24. *extr.* Omnia fere contra, ac dicta sunt, evenisse. Et 1, 15. Auspicia, quae sibi secunda evenerint. [*Dicitur utrumque: evenit aliquid prospere et prosperum. *Sall. Cat.* 26. Quoniam quae occulta tentaverat, aspera foedaque evenerant. *Liv.* 37, 47, 4. Ut ea res prospera et laeta eveniret. V. *Gron.* ad *Liv.* 29, 18, 6. *Drak.* ad *Liv.* 21, 21, 9.] *Id. Mur.* 1. Ut ea res mihi, populo, plebique R. bene atque feliciter eveniret. [*Nep. Alc.* 8. Si quid secundi evenisset; si quid adversi accidisset.] *Id. Quint.* 15. Quod homini potest tantum evenire dedecus? [*Nota structuram cum praepos. *in.*, evenire in aliquo l. in aliqua re. *Paul.* in *Dig.* 38, 1, 51. Ut evenit in fratribus ejus, cui adsignatus est libertus. *Id.* in *Dig.* 5, 2, 19. Quod evenit in patrono, qui judicium defuncti amplexus est. *Cels.* in *Dig.* 42, 1, 13. Sicut evenit in omnibus faciendi obligationibus.] *Brutus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Forte evenit, ut in Privernati essemus. *Cic. Fam.* 2, 10. Vereor, ne idem eveniat in meas litteras. [*Et sequente *quo minus. Pompon.* in *Dig.* 30, 1, 45, 1. Ob id, quod furtum fecit servus, evenit, quominus cum domino habere liceat.] — *Ter. Andr.* 5, 4, 4. Quid tu Athenas insolens? *Chre.* evenit. *Pl. Men. prol.* 67. Illi divitiae evenerunt maxumae. *Id. Curc.* 1, 2, 34. Mihi haud saepe tales eveniunt hereditates. *Id. Trin.* 1, 2, 1. Larem, uxor, venerare, ut nobis haec habitatio bona, fausta, felix, fortunataque eveniat. *Ter. Hec.* 5, 4, 1. Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? Et 5, 4, 32. Spero hanc rem esse eventuram nobis ex sententia. *Id. Phorm.* 2, 1, 16. Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. *Pl. Curc.* 1, 1, 39. Male illis eveniat, *h. e.* male sit. *Tibull.* 2, 1, 25. Eventura precari. Et *ib.* 5, 11. et 3, 4, 47. [*Heins.* ad *Ov. Trist.* 1, 9, 41. *Epist.* ex *Pont.* 3, 4, 113.] Procul eventura videre. *Cic. Div.* 2, 51. Nostra interest scire, quae eventura sunt. ℙ *Si quid mihi eveniat* simile est ac *si quid mihi humanitus acciderit*, h. e. si moriar. *Suet. Caes.* 86. Rempubl., si quid sibi eveniret, neque quietam fore etc. *Vopisc. Prob.* 6. *extr.* Ut si quid sibi scienti prudentique eveniret etc. *h. e.* si naturali fato fungi contingeret, et certus de obitu esset. ℙ Significat etiam sorte obvenire. *Sall. Jug.* 39. et 47. Ipsi provincia Numidia, Minutio Macedonia evenerat. (Adde *Liv.* 2, 40. *extr.*) [*V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 6, 8.] *Just.* 11, 13. Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat. [*Ceterum nota *evenire* etiam dici, quae sine sorte a senatu alicui decreta sunt. *Liv.* 23, 25, 9. Duae legiones urbanae alteri consuli decretae sunt. et paulo post: atque inde consul, cui legiones urbanae evenissent, militum sumeret, quantum opus esset. V. *Drak.* ad *Liv.* 24, 44, 3.] ℙ Item provenire. *Sall. Cat.* 9. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque, remque publicam curabant. *Tac. A.* 4, 33. Delecta ex his reipubl. forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. *Pl. Capt.* 2, 3, 55. Merito tibi ea evenerunt a me. *Plin.* 9, 29, 46. Polypum brachia sua rodere, falsa opinio est: id enim a congris evenit ei. *Colum.* 4, 32. de arundinetis. Bulbus anno celerius maturam perticam praebet; talea, et tota arundo serius praedicto tempore evenit. [*i. e. exit e terra.] ℙ *Evenat* pro *eveniat*, antiquum. *Enn.* ap. *Non.* 10, 20. Utinam mortem oppetam prius, quam evenat etc. ℙ [*Confunduntur *Evenire* et *Venire.* V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 12, 1. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 1, 9, 41. *Her.* 7, 21.]

*EUĒNOR, oris, m. *Εὐήνωρ*, pictor illustris, Parrhasii pater et praeceptor. Floruit nonagesima Olympiade. *Plin.* 35, 9. *B. A.*

EVENTĪLĀTUS, a, um, partic. ab *eventilo. Colum.* 1, 6. *sub f.* Frumenta eventilata mundiora sunt, lapillisque carent, et glebulis, *h. e.* ventilando purgata. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 1, 9. Post imperii utriusque opes eventilatas, *h. e.* jactatas, et dissipatas.

EVENTĪLO, as, avi, atum, a. 1. *ῥιπίζω*, ventum agitare, ventilare, ut fit flabellis, aut hujusmodi. *Plin.* 31, 3, 28. Fit altitudine ipsa gravior aer, quem emendant assiduo linteorum jactatu eventilando. *Just.* 44, 1. *extr.* Huc accedunt et marinae aurae undique versus assidui flatus, quibus eventilato terrestri spiritu, praecipua hominibus sanitas redditur.

EVENTUM, i, n. *τὸ συμβαῖνον*, quod casu, fortunave nobis ex aliqua re evenit, tam in bonum, quam malum. Quaecumque enim fiunt, aut *conjuncta* vocantur, aut *eventa.* Conjunctum (inquit *Lucr.* 1, 451.) est id, quod nunquam sine perniciali Discidio potis est sejungi, seque gregari, Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai, Tactus corporibus cunctis, intactus inani. Servitium contra, libertas, divitiaeque, Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum Adventu manet incolumis natura, abituque, Haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare. *Accidentia* scholastici vocant. Adhibetur autem fere in plurali numero; nam in singulari generis est masculini. *Cic. in Part.* 27. De incerto fortunae statu, dubiisque eventis rerum futurarum. *Id. Fam.* 1, 7. *f.* Ut te ex nostris eventis communibus admonendum putarem, ut considerares etc. *Id. fragm.* ap. *Non.* 3, 85. Me adhortatus es, ut aliorum facta et eventa conquiram. ℙ Item effecta, quae ex causis oriuntur. *Id. Top.* 18. Causarum cognitio cognitionem eventorum facit. (Adde *Div.* 1, 6. *f.*) *Id. Rabir. Post.* 1. Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus; et cui bene quid processerit, multum illum providisse; cui secus, nihil sensisse dicamus. ℙ In singulari num. rarum est. *Cic. Att.* 3, 8. *s. f.* Existimato, me stultitiae meae poenam ferre gravius, quam eventi. Adde *Lucr.* 1, 470.

EVENTUS, us, m. *σύμβαμα, τέλος*, quidquid evenit ex re aliqua, quod cognosci, priusquam eveniat, non potest, eventum, exitus, casus. *Cic. Inv.* 1, 28. Eventus est alicujus exitus negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurumque sit. *Id. Phil.* 14, 2. Spei fructum rei et eventui reservare. *Id. Div.* 1, 28. Mihi praedictum est, fore eos eventus, qui acciderunt. *Id. Leg.* 2, 17. Sceleris est poena tristis, et praeter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. *Id. Or.* 1, 26. Ut quisque optime dicit, ita maxime varios eventus orationis pertimescit. Et 27. Nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventus dicendi procedit. [*Liv.* 22, 44, 7. Se omnis culpae exsortem, omnis eventus participem fore dixit.] *Curt.* 7, 7. Explorare sacrificiis eventum rerum. *Id.* 8, 1. *med.* Intentum esse in eventum rei. *Caes. B. G.* 3, 3. *extr.* Rei eventum experiri. Et *ib.* 7, 49. Eventum pugnae exspectare. Et *ib.* 5, 42. Hic dies hunc habuit eventum, ut eo die maximus numerus hostium interficeretur. *Id. B. C.* 2, 5. Neque erat quisquam omnium, qui non in ejus diei casu suarum omnium fortunarum eventum consistere existimaret. [*Nota locutiones *redimere* l. *vendere* eventum litis. *Lamprid.* in *Alex. Briss.* 36. de verborum signif. s. v. Eventus.] *Cic. Att.* 9, 6. *extr.* Quemvis eventum fortiter ferre. *Id. Fam.* 6, 21. Ad omnem eventum paratus sum. [*Ulp. in *Dig.* 1, 18, 6, 7. Medico eventus mortalitatis imputari non debet. *Id.* in *Dig.* 24, 3, 22, 8. Exspectare alterius sanitatem aut mortis eventum.] *Plin.* 11, 17, 18. Ostenta saepe expiata magnis eventibus. *Plin. alter ep.* 5, 20. Egi pro Vareno, non sine eventu. [*i. e. cum prospero successu. *Tac. A.* 2, 26. Satis jam eventuum, satis casuum. *Agric.* 22. Damna aestatis hibernis eventibus pensare.] *Lucan.* 4, 730. Fraudibus eventum dederat fortuna. *Balb. et Opp. ad Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent. (V. *Ov. Her.* 2, 85. et *Claud. in Eutrop.* 2, 489.) *Liv.* 22, 39. Eventus stultorum magister est. ℙ Ponitur aliquando pro fine. *Hor. A. P.* 148. Semper ad eventum festinat, et in medias res auditorem rapit. ℙ Item pro effectu cujuslibet causae. *Cic. Part.* 2. Aut causarum eventus, idest quae sunt effecta de causis. Et 32. Accusatori haec duo prima sunt, causa, et eventus. *Prop.* 4, 2, 47. de Vertumno. At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit. ℙ Bonus Eventus inter Romanorum Deos fuit, Graecis vero *Ἀγαθὸς δαίμων* appellatus, ab agricolis praecipue cultus. *Varr. R. R.* 1, 1. Nec non etiam precor Lympham, ac Bonum Eventum, quoniam sine successu ac bono eventu frustratio est, non cultura. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 16. Simulacrum Boni Eventus, dextra pateram, sinistra spicam ac papaver tenens. Eadem forma in nummis Titi Aug. videre est hujusmodi numen cum inscriptione *Bon. Event.* In *Inscr.* ap. *Mur.* 92, 1. legitur *Bono Evento*, [at *ib. Eventui Aug.* 2. In alia ap. *De-Vita AA. BB. T.* 1. p. 27. Bonevento profectionis orientalis et reditus Augustorum L. Septimii, et M. Aurelii Antonini Col. Julia Aug. Concordia Felix Beneventum devota majestati Augg. V. plura huc spectantia ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 303., et ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 236. *F.*]

EVĒNUS, i, m. *Εὖηνος*, fluvius Aetoliae, qui ex Callidromo monte oritur, ac inter Aetolos, et Locros mare Ionium petit, haud procul ab ora sinus Corinthiaci, Calydonem urbem interluens. Dictus est ab Eveno filio Herculis, qui se in eundem praecipitavit. *Hyg. fab.* 242., *Ov. Id.* 515.

EVERBĔRĀTUS, a, um, partic. ab *everbero. Sen. Q. N.* 5, 12. Cum spiritus everberatus cursu parum libero incaluit. *Curt.* 4, 3. Remis pertinacius everberatum mare. [*Proprio sensu accipe, quum ex imo extunditur mare verberibus. Cfr. alterum *Curt.* locum s. v. Everbero.] *Inscr.* ap. *Jo. Labus.*, *Colonna di Maguzzano* p. 10. Viam Anniam longa incuria neglectam, influentibus paluströbus aquis eververatam, sic et commeantibus inviam, inter plurima indulgentiarum suarum in Aquilejenses providentissimus princeps restituit. *Eververatam* scriptum est labente Latinitate pro *everberatam.*

EVERBĔRO, as, a. 1. idem ac verbero, saepe verbero. [*Sen. N. Q.* 6, 27. Nunquam aura liberior everberat: ut recte reponit *Gron.* e cod.] *Quint.* 2, 4. Qui os, oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret. *Virg. A.* 12, 866. clypeumque everberat alis. [*Ov. Met.* 14, 578. Subvolat et cineres plausis everberat alis.] *Ov. Hal.* 37. At mugil cauda pendentem everberat escam. *Val. Fl.* 6, 737. pectusque suis everberat armis. *Curt.* 9, 4. Remis everberare fluctus. [*Ubi proprio sensu est: ex imo extundere verberando.] ℙ Translate. *Gell.* 1, 23. et *Macr. Sat.* 1, 6. *med.* Silentium rei deberi puer affirmans, animum mulieris ad inquirendum everberat.

EVERGĀNĔAE Trabes, quas memorat *Vitr.* 5, 1. *s. f.*, aliis ita dictae sunt, quod sint affabre politae, et compactae; ab *εὐεργής*, quod idem significat: aliis, quod ea derivatio insolens videatur, sunt ab *evergendo*, quod in aliquam partem vergant et propendeant: sunt etiam, qui vero similius putant, legendum *energaneae*, ab *ἐνεργής*, efficax, quia nempe ex *Vitr. l. c.* constat, eas trabes tecto basilicae sustentando apprime esse destinatas.

[*EVERGĒTES, ae, m. *Εὐεργέτης* (ab *εὖ*, bene, et *ἔργον*, opus, *h. e.* beneficus) cognomen duorum Ptolemaeorum regum Aegypti, tertii nempe, et septimi, ob maxima in civitates merita impositum. *Hieron. in Daniel. c.* 11. Gens Aegyptiorum idololatriae dedita, quia post multos annos Deorum simulacra a Cambyse capta retulerat Ptolemaeus, Evergeten eum appellavit. Ceterum *Champollion-Figeac*, *Annal. des Lagides T.* 2. p. 49. et 143. putat, reges Ptolemaeos, quo die Memphi inaugurabantur, cognomen quoque sumere solitos fuisse. ℙ *Evergetae*, *arum* dicti sunt populi Scythiae, qui et Arimaspi, quod benefici fuerint in Argonautas, maris tempestate, in eorum litora delatos. *Plin.* 6, 23, 25., *Justin.* 12, 5., *Curt.* 7, 3. *F.* et *B. A.*]

EVERGO, is, a. 3. effundo, emitto, *ἐκβάλλω. Liv.* 44, 33. Montes spem faciebant, quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices. *Not. Tir.* p. 72. Vergit, evergit.

EVERRAE, arum, f. plur. dicuntur purgatio quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quae fit per everriatorem, certo genere scoparum adhibito: ab extra verrendo dictae. *Fest.* in *Everriator*, ubi alii scribunt *Exverrae*, et *Exverriae*, et *Exvertae.*

EVERRĬĀTOR, oris, m. qui everrit. Apud *Festum* dicitur, qui accepta hereditate justa facere defuncto debet: quae si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat. Id nomen ductum est a verrendo.

EVERRĬCŬLUM, i, n. *σαγήνη*, rete piscatorium a *verrendo* dictum, vel quod trahatur (nam *verrere* est trahere) vel quod, si quid fuerit piscium natum, everrat, ut *Non.* 1, 146. interpretatur. *Ulp. Dig.* 47, 10, 13. *med.* Everriculum, quod Graeci *σαγήνην* dicunt. *Varr. R. R.* 3. *s. f.* Everriculo pisces educere in litus. *Appul. Apolog.* p. 294, 24. Cum animadvertisset, a quibusdam piscatoribus everriculum trahi, fortunam jactus ejus emisse. ℙ Transfert ad Verrem expilatorem, simulque respicit nomen ejus *Cic. Verr.* 2, 4, 24. Quod unquam, judices, hujusmodi everriculum in illa provincia fuit? ℙ Et ad judicium de dolo malo, quod eo everruntur fraudes hominum e vita civili. *Id. N. D.* 3, 30. Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noster protulit.

EVERRO, is, erri, ersum, a. 3. *ἐκκορέω*, extrahendo purgo, (*verrere* enim est trahere) nitidum facio, scopis mundo. *Colum.* 7, 4. *a med.* Stabula frequenter everrenda et purganda. *Id.* 8. *s. f.* Salsamentorum purgamenta, quae cetariorum officinis everruntur. *Varr. L. L.* 5, 4. Eo die ex aede Vestae stercus everritur. *Id. R. R.* 2, 2. *med.* Solum stabuli oportet esse eruderatum, et proclivum, ut everri facile possit, ac fieri purum. *Sen. Contr.* 4, 25. *a med.* Inter temulentas ebriorum reliquias humanum everritur caput. *Titin.* ap. *Non.* 4, 491. Everrite aedes, abstergite araneas. *Man.* 4, 285. everrere retibus aequor. V. LUCRINUS et VERRO. ℙ Translate est expilare, et asportare. *Pl. Truc. prol. f.* Is cum anima ad eam habentiam *ἔξω* everrerit. [*Bothe* vero edidit: Hisce

anima etiam ad suam habentiam exterebrabitur. *F.*] *Pro *ἔξω everrerit* legendum suspicor *exverrerit*. Cf. *Exloquor*. Ed. *Junt.* 1514. *evorterit*. *B. A.* ℙ [*Confunduntur *Everrere* et *Evertere*. V. *Briss.* de verb. signif. s. v.]

EVERSIO, onis, f. *ἀνάστασις, ἀναίρεσις*, actus evertendi, destructio, ruina, excidium. *Cic. Phil.* 1, 2. Eversio illius exsecratae columnae. *Id. Har. resp.* 2. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris inferre. *Flor.* 2, 17. Gracchus Celtiberos centum et quinquaginta urbium eversione multavit. *Plin.* 22, 17, 20. Herba urceolaris contra lapsus, aut vehiculorum eversiones, singularis, *h. e.* cum quis vehiculo excussus laeditur. ℙ Eversionem urbis oratorie amplificando describit *Quint.* 8, 3. *p. med.* ℙ Item expulsio, ejectio. *Flor.* 3, 13. Reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione? ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 31. et *Fin.* 5, 10. Omnis vitae eversio. (V. *Acad.* 4, 10.) *Id. Sen.* 12. Patriae proditiones, rerumpublicarum eversiones. *Tac. A.* 6, 17. Eversio rei familiaris. (V. v. seq.) *Plin. ep.* 10, 111. dignitatis.

EVERSOR, oris, m. *καθαιρέτης, ἀναστατήρ, ἀναιρετεύς*, qui evertit. *Virg. A.* 12, 545. Priami regnorum eversor Achilles. *Quint.* 8, 6. Eversor regnorum et Numantiae. *Cic. Sext.* 7. Quid dicam consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores hujus imperii, proditores vestrae dignitatis? *Sen. Hippol.* 894. Eversor decoris. *Plin.* 28, 1, 2. Eversores juris humani. ℙ *Cajus epitom. Institut. tit.* 8. eversores vocat nepotes, et prodigos, qui bona sua dilapidant. Similiter in *Cod.* 12, 24, 2. dicitur *eversor* interversor et interceptor pecuniae publicae: et in *Cod. Theod.* 12, 6, 1. *Imp. Constant.* usurpat *evertere rationes* pro conturbare et dilapidare. Et *evertere patrimonium* eod. sensu *Ulp. Dig.* 47, 6, 1.

EVERSUS, a, um, partic. ab *everto, περιῃρημένος, ἀνάστατος*: ab *everto*. *Plin.* 16, 31, 56. Annosa quercus eversa vi tempestatis. *Prop.* 4, 10, 8. Eversus equus. *Ov. Amor.* 3, 9, 7. Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram, Et fractos arcus, et sine luce facem. *Sen. Agam.* 1006. Eversae rates. *Ov. Met.* 12, 222. mensae. *Id. Her.* 7, 42. eversas concitat Eurus aquas, i. e. exagitat. (Adde *Sen. Agem.* 475.) *Val. Fl.* 7, 75. everso campo jacere semina, *h. e.* vomere subacto. *Stat. Th.* 6, 107. non sic eversa feruntur Ismara, cum fracto Boreas caput extulit antro, *h. e.* curvatae, et effractae arbores Ismari montis, Borea perflante. *Ter. Heaut.* 2, 3, 131. Eversae cervices, *h. e.* collum caputque inflexum ad aspiciendum clam aliquid. [*Bene *Ruhnk.* ita: eversae cervices pertinent ad amatorias ineptias et tribuuntur hominibus effeminatis, qui cervices modo huc, modo illuc flectunt. Idem laudat *Gesner.* ad *Claud. in Ruf.* 2, 345. Adde *Hemsterh.* ad *Prop. Tom.* II. p. 921. ed. *Santen.*] *Cic. Sext.* 15. *extr.* Urbs excisa et eversa. ℙ Translate. *Id. Att.* 5, 16. Perdita et plane eversa provincia. [*Cic. *Sext.* 2. Eversa atque afflicta respublica. Quae non recte explicuit *Manut.*, illud fortius. V. *Matth.* ad h. l. Inverso ordine *Cic. Quint.* 23. Afflictus atque eversus. Cf. s. v. *Affligo.*] *Virg. G.* 1, 500. Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo Ne prohibete, *h. e.* afflictis ac perditis rebus totius orbis ob bella civilia. [*Saeculum eversum hic de republica, non perdita quidem, sed ad interitum tamen ruente. Quae significatio part. *eversus* animadvertenda. Sic *Liv.* 30, 16, 6. Civitas, civium temeritate bis jam ante eversa. i. e. cujus potentia labefacta erat, et quae fractis viribus non multum ab interitu et eversione aberat. V. *Duker.* et *Drak.* ad h. l.] *Liv.* 8, 30. *f.* Victa et eversa disciplina militaris. *Cic. Fl.* 5. Spoliati, vexati, fortunis eversi. *Ov. Her.* 3, 76. Eversa domus. *Sen. Herc. fur.* 477. Teuthrantis eversi domus. *Sall. Orat. ad Caes.* 2. *s. f.* Eversam libertatem restituere. *Ov. Met.* 13, 623. Eversa spes. ℙ *Eversus* etiam dicitur, qui lapsu equi, vehiculi, aut hujusmodi laesus est. *Plin.* 26, 13, 85. Agaricum contusis et eversis potum duobus obolis in mulsi cyathis tribus. Adde 21, 19, 77. ℙ Est etiam *eversus* ab *everro*, purgatus, mundatus et translate spoliatus, expilatus. [*Quo significatu positum ap. *Veg. A. Vet.* 3, 30, 2. Post egestis vel eversis omnibus, quae tumorem moverant, medicamentis competentibus.] *Cic. Verr.* 2, 2, 21. *s. f.* Quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? ℙ [*Confunduntur a librariis *Eversus* et *Emersus*. *Gron.* ad *Sen. N. Q.* 3, 11. Pro *Eversus* librarii substituerunt *Excisus*. *Id. ib.* Porro confunduntur *Eversus* et *Inversus*. *Heins.* ad *Ov.* ad *Liv. Aug.* 142.]

EVERTO *et antiquo more* Evorto, is, erti, ersum, a. 3. *ὀνατρέπω, ἀνίστημι*, in contrarium statum verto, inverto, subverto. [*Pall. R. R.* 9, 2. Evertitur lupinum et optimum stercus praebet in vineis.] *Cic. Or.* 1, 38. Duorum scalmorum naviculam evertere. *Curt.* 4, 15. Equi crebra jactatione cervicum currus everterant. ℙ Item miscere, turbare, agitare. *Virg. A.* 1, 47. Disjecitque rates, evertitque aequora ventis. [*ubi equidem exponam: ex imo extundit fluctus. *Sen. Agam.* 475. Rapiunt pelagus infimo eversum solo. *Sen. Ep.* 4. Momento mare evertitur. Ad quem loc. v. *Gron.* Cf. quae s. v. *Everbero* diximus.] ℙ Item prosternere, demoliri, exscindere. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Nec tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. *Virg. G.* 1, 256. silvis evertere pinum. *Hor. Ep.* 2, 2, 34. castellum. *Sil.* 17, 376. funditus arces. *Cic. Off.* 1, 24. Evertere et diripere urbes. ℙ Pro jacere, dejicere. *Ov. Met.* 11, 554. si quis Athon, Pindumve revulsos Sede sua, totos in apertum everterit aequor. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me quacumque ratione posset, non judicio, neque disceptatione, sed vi, atque impressione evertere, *h. e.* de statu dejicere. *Id. Pis.* 35. Evertisti miseras funditus civitates, quae non solum bonis sunt exhaustae, sed etc. *Id. Verr.* 2, 1, 51. Per summam injuriam pupillum fortunis patriis evertere, *h. e.* expellere, spoliare. *Sall. Orat. ad Caes.* 2. *med.* Dignitate alios, alios civitate eversum ire. *Pl. Trin.* 3, 1, 15. Festinat, ut agro evertat Lesbonicum, quando evertit aedibus. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. *extr.* Labefactarat vehementer aratores jam superior annus, proximus vero funditus everterat. *Id. ib.* 2, 2, 19. Evertere leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum. Et *Fin.* 2, 25. Praecepta, quae didicisti, funditus evertunt amicitias. [*Cic. *Cat.* 1, 7. Quaestiones evertere. i. e. perfringere, vi se eripere quaestione.] *Id. Fin.* 5, 3. Honestum ipsum quasi virtutis lumen exstinguere, et virtutem penitus evertere, *h. e.* destruere, tollere. [*V. *Gebh.* ad *Liv.* 30, 32, 4.] *Id. Acad.* 4, 6. *s. f.* Ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere. *Id. Or.* 35. Sua confirmare, adversaria evertere, *h. e.* infirmare, solvere. *Curt.* 8, 8. Funditus evertere gentes, *h. e.* delere. *Sall. Or. ad Caes.* 2. *med.* Dissensio civilis tot illustres familias ab stirpe evertit. Et *Orat. Lepidi contra Sull. med.* Tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma. *Curt.* 8, 5. Opes regum assentatio saepius, quam hostis evertit: *Cic. Acad.* 4, 5. *med.* Constitutam philosophiam evertere. Et 10. Qui negant quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitae, vel potius etiam totam vitam evertunt. *Ulp. Dig.* 47, 6, 1. Ne cum plures furtum admittant, evertant domini patrimonium. (V. EVERSOR.) *Quint. Decl.* 388. *med.* Evertere testem, *h. e.* ei fidem abrogare. ℙ [Est etiam idem ac verto. *M. Aur. Antonin.* inter ep. *Front. ad M. Caes.* 1. (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 3. Quos quidem versus orator egregius quondam evertit. ℙ Partic. *Eversurus* ap. *Liv.* 30, 32. Multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Evertere* et simplex *vertere*. Porro *Evertere* et *Everrere*. V. s. h. v.]

EVESTĪGĀTUS, a, um, partic. a inusit. *evestigo*. [*Ov. *Met.* 15, 146. Magna nec ingeniis evestigata priorum canam. Est vox rarissima.] *Sen. Contr.* 9. *a med.* Tu Crasse, post evestigata illa fugitivorum arma ditissimus. (V. *Vell.* 2, 30. et *Flor.* 3, 20.) V. INVESTIGATUS.

EVESTĪGIO. V. VESTIGIUM.

*EVESTĪGO et Exvestigo, as. *Gloss. Gr. Lat. ἐξιχνεύω B. A.*

EVEXUS, a, um, part. ab *eveho*, simile voc. devexus. *Capell.* 8. p. 275. Sicque habeatur, cum evexum, devexumque mundum dixero, *h. e.* rotunda forma sursum ascendentem.

[EUGĂLACTON, i, n. *εὐγάλακτον*, herba, de qua ita *Plin.* 27, 9, 58. Gaux antiquitus eugalacton vocabatur, cytiso et lenticulae foliis similis: aversa candidiora. Rami in terram serpunt quini, senive, admodum tenues ab radice. Flosculi purpurei exeunt. Invenitur juxta mare. Coquitur in sorbitione similaginis, ad excitandam ubertatem lactis. ℙ Ex his *Plin.* verbis apparet, ita esse appellatam ab *εὖ*, bene, abunde, et *γάλα, ακτος*, lac: quia nimirum lactis ubertatem excitat. *F.*]

[EUGĂMUS, i, m. *Εὔγαμος*, felix nuptiis: ab *εὖ*, bene, et *γάμος*, nuptiae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 297, 6. C. Avidius C. L. Eugamus. *F.*]

EUGĂNĔI, orum, m. plur. populi Galliae transpadanae sub Alpibus, qui olim magno tractu ab Istriae finibus Brixiam usque, et fortasse ultra obtinuere. Eorum oppida triginta quatuor *Cato* ap. *Plin.* 3, 20, 24. enumerabat. Inter eos censebantur Triumpilini, ubi nunc *Val Trompia*, et Camuni, ubi nunc *Val. Camonica*, teste *Plin. loc. cit.* Timavus quoque, qui fluit in Aquilejensi agro, *Euganeus* dicitur a *Mart.* 13, 89. Quod enim hic, non Medoacus, ista appellatione ab eo poeta significetur, satis intelligitur ex *ejusd.* 4, 25., quamvis *Sidon. carm.* 9, 191. per Euganeum Timavum Medoacum intelligit. ℙ Praecipue vero *Euganei* dicti sunt, qui circa Patavinum agrum incoluere, ubi Euganei colles, ap. *Lucan.* 7, 192. Ad Euganeorum collium radices fama est ipsorum populorum primariam urbem fuisse. Fuit etiam Geryonis templum a Graecis conditum. Est item fons Aponi, et Euganeae orae, ap. *Mart.* 10, 93. et Euganei lacus, quae sunt in Euganeis oris, ubi Venetiae, *Id.* 4, 25. ℙ Ea regio laudatissimis lanis hodieque abundat. Hinc *Juven.* 8, 15. et Euganea quantumvis mollior agna. V. ALTINAS, ALTINUM. ℙ Quos Euganeos diximus, expulisse fertur inde Antenor, et Trojanis suis, Henetisque, Patavio condito, locum fecisse: qui postea universi *Veneti* appellati sunt. *Liv.* 1, 1. ℙ Porro Euganei dicti sunt a nobilitate (quasi *εὐγενεῖς*) et antiquitate generis. Crediti sunt enim eorum patres fuisse Herculis socii, qui in ea loca cum duce suo cum pervenissent, sedes posuerunt. Hinc *Plin. l. c.* praestantes genere Euganeos appellat.

EUGĒ, *εὖγε*, interjectio variis inserviens affectibus: a Graeca voce allata, quae *recte*, *sane* significat. Saepe enim est approbantis et laudantis. *Ter. Phorm.* 5, 6, 30. Euge, Geta! *Id. Ad.* 5, 7, 13. Euge! jam lepidus vocor. Adde *Mart.* 2, 27. ℙ Item plaudentis. *Pl. Asin.* 3, 2, 9. Eas nunc legiones, Vi pugnando perjuriis nostris, euge! potiti. Et cum ironia approbantis. *Id. Amph.* 2, 2, 17. *Alc.* lavisti. *Amph.* quid, posteaquam lavi? *Alc.* accubuisti. *So.* euge optime! *Id. Merc.* 3, 4, 41. Dii sciunt, culpam meam istam non esse ullam. *Cha.* Euge, papae! Deos absentes testes memoras: qui ego istuc credam tibi? ℙ Item laetantis. *Id. Aul.* 4, 6, 11. Euge, euge, Dii me salvum et servatum volunt. ℙ Et metuentis. *Id. Cas.* 2, 6, 34. Euge, cave. ℙ Et hortantis. *Id. Most.* 3, 1, 59. Euge, strenue. ℙ Et animadvertentis ex improviso. *Ter. Andr.* 2, 2, 7. O Pamphile! Te ipsum quaero: euge Charine! ambo opportune. *Pl. Merc.* 2, 2, 12. ℙ Et gratulantis. *Id. Pers.* 1, 3, 10. Me dicit: euge! *Id. Rud.* 1, 2, 75. Euge, euge, perbene! ℙ Denique et insultantis, ut docet *Hieron.* in *Ezech.* 2, 6.

[EUGĒNES, ētis, m. et Eugenes, is, f. *εὐγενής*, nobili genere natus: ab *εὖ*, bene, et *γένος*, genus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 676, 6. D. M. S. Ti. Claudii Eugenetis. Alia ap. *Mur.* 886, 8. Amphio Liviae ostiar. dat. (ollam) Liviae Eugeni conjugi. *F.*]

[EUGĒNĒSIS, is, f. bona generatio, nobilitas: ab *εὖ*, bene, et *γένεσις*, generatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 438, 10. Alleja D. F. Eugenesis. *F.*]

EUGĒNIAE vel Eugenēae, arum, f. plur. uvarum genus, quae a nobilitate et generositate sic dictae sunt: nam *εὐγένεια* est nobilitas. *Colum.* 3, 2. *ante med.* Frigidum ac roscidum solum et coelum commodissime sustinent eugeniae, dum sunt in Albano colle: nam mutato loco, vix nomini suo respondent. ℙ Hinc *eugeneum vinum*, quod inde fit. *Cato R. R.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 25. geminum eugeneum vocant: quare duplicis generis fuisse videtur. [*Item vitis. *Plin.* h. n. 14, 2. 4, 3. Ita dictum hoc genus ut apud nos *Gutedel*, et similia.]

*EUGENĪUM, i, n. oppidum Illyridis Graecae. *Liv.* 29, 12. *B. A.*

[EUGĒNĬUS, a, um, adj. *εὐγένιος*, nobilis: ab *εὖ*, bene, et *γένος*, genus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 1. Caesennius Eugenius. Alia ap. *eund.* 809, 11. Caesennia Eugenia. *F.*]

EUGĒPAE, idem quod *euge*, ironice approbantis. *Pl. Amph.* 4, 1, 10. Sed aedes occluserunt: eugepae! Pariter hoc fit, atque ut alia facta sunt. ℙ Exsultantis. *Id. Rud.* 1, 2, 81. At in vado est: jam facile enabit, eugepae! ℙ Mirantis. *Id. Epid.* 1, 1, 11. Eugepae! corpulentior videre, atque habitior. ℙ Sunt qui scribant *eugepoe*, ut sit ab *εὖγε*, et *ποι*.

EUGIUM, ii, n. medium foramen *τοῦ αἰδοίου γυναικείου*, et ipsum *αἰδοῖον*: ab *εὔγειος*, fecundus. *Lucil.* et *Laber.* ap. *Non.* 2, 304. et 8, 56. V. PUELLITOR.

[*EUGRAMMUS, i, m. *Εὔγραμμος* (ab *εὖ*, bene, et *γραμμή*, linea, *h. e.* lineamentis bene distinctus) fictor quidam, de quo *Plin.* 35, 12, 43. Tradunt, Demaratum ex eadem urbe (*Corintho*) profugum, qui in Etruria Tarquinium Priscum regem populi R. genuit, comitatos fictores Euchira, et Eugrammum: ab iis Italiae traditam plasticen. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 127, 7. A. Egrilius Eugrammus. *F.* et *B. A.*]

[EUGRAPTĒ, es, f. bene scripta: ab *εὖ*, bene, et *γραπτή*, scripta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 427, 16. Anicia Eugrapte. *F.*]

[EUHĂGES, um, m. plur. ita appellati sunt apud Gallos viri sanctiores vitae genere insignes, qui naturae arcana scrutari solebant: *εὐαγὴς* enim sanctum significat. Vide *Ammiani* locum in V. BARDI. *F.*]

[EVHELPISTUS, i, m. *εὐέλπιστος*, qui bona est spe: ab *εὖ*, bene, et *ἐλπιστὸς*, sperabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 2. L. Valerius L. F. Evhelpistus. *F.*]

[EVHĒMĔRIS, ĭdis, f. *εὐήμερις*, et

EVHĒMĔRUS, i, m. *εὐήμερος*, dies agens tranquillos: ab *εὖ*, bene, et *ἡμέρα*, dies. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 689, 1. Julia Evhemeris. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 266, 9. Cn. Anneus Evhemerus. *F.*]

[EVHETHES, is, m. *εὐήθης*, bonis moribus praeditus, simplex, ab *εὖ*, bene, et *ἦθος*, mos.

Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1456, 20. M. Kaninius Evhethes. *F.*]

[EVHIPPINUS, a, um, adj. ad Evhippen pertinens, Cariae urbem, a *Plin.* 5, 29, 31. memoratam, in cujus nummis ap. *Sestin. Class. gen.* p. 88. ΕΥΗΙΠΙΕΩΝ. *Plin.* 5, 29, 29. Halydienses, seu Hippini, Xystiani. *Corrige* Alindienses, Evhippini, Xystiani. *F.*]

[EVHODIA, ae, f. εὐωδία, bona fragrantia, et EVHODUS, i, m. εὐώδης, bene fragrans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 791, 6. Julia Evhodia. Alia ap. *eund.* 984, 1. A. Magullius A. L. Evhodus. *F.*]

[EVHORMUS, i, m. εὔορμος, tutam stationem navium habens: ab εὖ, bene, et ὅρμος, statio navalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 377, 2. Cn. Cornelius Evhormus. *F.*]

EUHYAS et Euias, ădis, Εὐνιὰς, Baccha. De ratione scribendi V. EUHYUS. *Hor. Od.* 3, 25, 8. non secus in jugis Exsomnis stupet Euias Hebrum prospiciens, etc.

*EUHYDRIUM, i, oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 13. *B. A.*

EUHYUS et Euius, ii, m. Εὔνιος, h. e. bonus filius, ab εὖ, et υἱὸς, unum est ex cognominibus Bacchi. Nam in bello Gigantum fabulantur Bacchum in leonem se vertisse, ac strenuam Jovi patri navasse operam, uno ex Gigantibus interfecto: atque ab eo, macte virtute esse jubente, εὖ υἱὲ, εὖ υἱὲ fuisse blande appellatum. Usu frequenti poetarum Latinorum vox quoque ipsa Latina facta est, et paulatim Latino more *Euius* scribi coepta. Alii tamen deducunt ab εὐοὶ, euoe, quae vox est Bacchum invocantium: qua ratione nullus est aspirationi locus. *Stat. Th.* 2, 72. praerupti cum te, tener Euie, partus Transmisere patri. *Hor. Od.* 2, 11, 17. dissipat Euius Curas edaces. *Ov. A. Am.* 1, 563. Pars Hymenaee canunt, pars clamant, Euie, euoe! *Pers.* 1, 101. lyncem Maenas flexura corymbis, Euion ingeminat. ℙ Adjective. *Stat. Ach.* 2, 153. quater Euia pulsant terga manu, *h. e.* tympana.

*EVIA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ed. *Hard.* ubi in quibusdam edd. deest. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* p. 550. *n.* 4. *B. A.*

EUIAS. V. EUHYAS.

EVIBRO, as, a. 1. vibro, vel extra vibro. Translate. *Gell.* 1, 11. Ut excitarentur atque evibrarentur animi, quod cornua et litui moliuntur, *h. e.* excitarentur, exstimularentur.

EVICTIO, onis, f. ἐλεγχοις, actus evincendi. Apud JCtos est ejus rei, quam adversarius legitimo jure acquisierat, per judicem recuperatio. *Ulpian., Julian., Cajus, Paulus*, etc. *Dig. l.* 21. *tit.* 2. qui est *De evictione*, ubi illa sunt: evictionem praestare, de evictione satis accipere ab aliquo, evictione aliquid amittere, de evictione teneri, aliquem in evictione vincere, *h. e.* in actione de evictione. Item actio de evictione, et pro evictione, evictionis nomine obligari, etc. [*Plura vide apud *Brisson. de verb. signif.* s. v.]

EVICTUS, a, um, part. ab *evinco*, plane victus, expugnatus, debellatus, ἐλεγχηθείς. [*V. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 7, 2.] *Ov. Her.* 19, 155. de Leandro: evicta per aequora lapsus. ℙ Translate dicitur fere de iis, quae aliquandiu resistunt, tandemque cedunt, ac succumbunt. *Virg. A.* 4, 474. ubi concepit Furias evicta dolore, Decrevitque mori. Et 548. Evicta lacrimis. *Id. G.* 4, 63. Arbor vulneribus evicta supremum congemuit. *Val. Fl.* 2, 186. evictaque matrum Corda sacer Veneris gemitus rapit. *Ov. Fast.* 3, 688. Evictas precibus vix dedit illa manus. *Tac. A.* 11, 37. Evictus ad miserationem. *Id. ib.* 12, 49. donis, i. e. corruptus. *Sil.* 3, 580. Blando desidiae veneno evicta virtus. [*Plura vide ap. *Gron.* ad *Stat. Th.* 9, 839. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 688. ℙ Apud JCtos *evicta* dicitur res, ab aliquo jure acquisita et per judicem recuperata. V. EVINCERE.] ℙ *Evicti rogi* sunt, quos eluctando, et ex igne evolando umbra evasit. *Prop.* 4, 7, 2. Luridaque evictos effugit umbra rogos. ℙ Est item convictus. *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Tam nefariis criminibus, tam multis testibus evictus. Est qui legit *convictus.*

EVIDENS, entis, adj. omn. gen. σαφὴς, qui aperte videtur, manifestus, perspicuus, dilucidus, patens. *Cic. N. D.* 3, 4. Neque ego in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur. *Id. Top.* 26. Narrationes ut planae sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles. *Id. Acad.* 4, 15. Perspicuae et evidentes res. *Id. N. D.* 2, 2. Quid enim est hoc evidentius? *Liv.* 8, 9. Evidentissimum id fuit, quod etc. *Hirt. B. Alex.* 49. Neque ullum genus quaestus aut magni et evidentis, aut minimi et sordidi praetermittebatur. *Cels. praef. l.* 7. Medicinae, quae manu curat, est effectus inter omnes medicinae partes evidentissimus. *Plin.* 21, 17, 64. In lappa flos nascitur non evidens, sed intus occultus. *Id.* 6, 20, 23. Evidens demonstratio. *Id.* 9, 19, 25. ratio. Et 2, 52, 53. argumentum. Et 9, 2, 1. causa. Et 19, 3, 15. Id apud auctores Graeciae evidentissimos invenimus, *h. e.* certissimos. [*Saepissime hac voce usi sunt jurisconsulti in *Dig.* libris. Sic dicitur evidens aequitas, calumnia, mens testatoris, fraus, injuria, evidens et manifestum jus etc. Locos vide ap. *Brisson. de verb. signif.* s. v.]

EVIDENTER, adv. ἐμφανῶς, perspicue, manifeste. *Liv.* 6, 26. Cum tam evidenter poenituerit. *Id.* 42, 29. *extr.* Cotys evidenter Macedonum partis erat. *Plin.* 13, 4, 9. Evidentissime est causa nominis. *Jabolen. Dig.* 23, 3, 57. Nisi evidentissime contrarium approbetur. *Julian. ib.* 18, 5, 5. Ut evidentius appareat. [*In *Dig.* etiam haec leguntur: evidenter velle, exprimere, docere, dissentire, contradicere, acquirere, denotare. V. *Brisson. de verb. sign.*]

EVIDENTIA, ae, f. ἐνάργεια, perspicuitas. *Cic. Acad.* 4, 6. Propterea, quod nihil carius ἐναργείᾳ, ut Graeci: perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus. *Quint.* 4, 2. *med.* Sunt qui adjiciunt, his evidentiam, quae ἐνάργεια Graece vocatur. *Id.* 6, 2. *med.* Insequatur ἐνάργεια, quae a Cicerone illustratio et evidentia nominatur: quae non tam dicere videtur, quam ostendere. (*illustrem explanationem* habet *Cic. Or.* 3, 53.) *Id.* 9, 2 *med.* tradit, figuram hypotyposin a *Celso* evidentiam appellari.

EVIGESCO, is, n. vigorem amitto. *Tertull. Anim.* 38.

[EVIGILANTER, adv. idem ac vigilanter. *Coripp. Johan.* 6, 202. veneranda senectus Evigilanter agit populos. *F.*]

EVIGILATIO, onis, f. *Augustin. Soliloqu.* 1, 1. Deus, pater evigilationis atque illuminationis nostrae.

EVIGILATUS, a, um, part. ab *evigilo*, vigilando confectus. *Cic. Att.* 9, 12. At quam honesta! at quam expedita tua consilia! quam evigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua navigationis! *Gell.* 1, 7. Homo lectione multa exercitus, qui pleraque omnia veterum litterarum quaesita, meditata, evigilataque erant.

EVIGILO, as, avi, atum, n. 1. ἐγείρομαι, expergiscor, vigil fio, de lecto surgo. *Plin. ep.* 1, 5. Evigilaveram: nuncius a Spurina. Et *ep.* 9, 36. Evigilo, cum libuit: plerumque circa horam primam. *Suet. Aug.* 78. Evigilare maturius. *Id. Claud.* 33. Ante mediam noctem plerumque evigilabat. *Stat. Silv.* 5, 3, 127. de Palinuro: puppe magister Excidit, et mediis miser evigilavit in undis, *h. e.* dormiens cecidit, et in undis experrectus est. ℙ Item insomnis sum, vigiliam ago. *Tibull.* 1, 9, 64. Est mihi nox multis evigilanda modis. Translate est incumbere, elaborare, diligentem, attentumque esse. *Cic. ad Brut.* 1, 15. Tanta est industria, tantumque evigilat in studio, ut, etc. *Id. Parad.* 2. Quid enim ego laboravi? aut in quo evigilarunt curae et cogitationes meae? ℙ Active cum accusativo est vigilando conficere, elucubrare. *Ov. Trist.* 1, 1, 108. Quos (*libros*) studium cunctos evigilavit idem. V. v. praec.

EVIGORATUS, a, um, part. ab inusit. *evigoro*, vigore privatus. *Tertull. Pall.* 4. et *Apol.* 17.

EVILESCO, is, lui, n. 3. vilesco, φαυλίζομαι. [*Tac. *H.* 3, 53. Cujus criminationibus eviluissent pericula sua.] *Suet. Claud.* 15. Usque eo eviluit, ut passim ac palam contemptui esset. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 7. Nullis sordibus pretium carae pietatis evilescit.

EVINCIO, is, nxi, nctum, a. 4. idem ac vincio, vel valde vincio, circumdo, ἀναδέω. *Tac. A.* 6, 42. Insigni regio Tiridatem evinxit, h. e. diadema imposuit. *Id. ib.* 15, 2. Diademate caput Tiridatis evinxit.

EVINCO, is, ici, ictum, a. 3. ἐνικάω, idem quod vinco, vel plane vinco, supero. [*Tac. *A.* 3, 46. Evincere Aeduos: quo significatu rarissime apud pedestres scriptores legitur.] *Sen. Herc. Oet.* 562. Cape hunc triumphum: solus evince Herculem. *Petr. Sat.* 79. Certaque liniamenta evicerunt spississimam noctem, et notabili candore ostenderunt errantibus viam. *Virg. A.* 2, 496. aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exiit, oppositasque evicit gurgite moles. *Ov. Trist.* 1, 10, 33. de navi se vehente: Haec (*litora Byzantia*) precor evincat. [*V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 3, 481. 5, 512. ad *Ov. Her.* 19, 155.] Sic *Plin.* 9, 31, 51. Cancri os Ponti evincere non valent: quamobrem regressi circumeunt. *Id.* 18, 21, 50. Quoniam evincit herbas lupinum, runcatur tantum, *h. e.* affligit, ut *Pallad.* 2, 9. seu perimit, ut *Colum.* 2, 12. *circa med.* loquitur. *Colum.* 6, 5. Evincendi sunt quamvis pestiferi morbi, et exquisitis remediis propulsandi. *Hor. Od.* 2, 15, 4. platanusque caelebs Evincet ulmos. *Sen. Hipp.* 457. Arbor celso vertice evincit nemus. *Ov. Met.* 1, 685. molles evincere somnos. [*V. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 688.] *Virg. A.* 4, 548. Evinci lacrimis. *Sen. Consol. ad Polyb.* 36. Perferre, et evincere dolores. [*Evincere propositum laborem ap. *Auct. argum. fab.* 17. in *Ov. Met.* 4. *Tom. II.* p. 294. *Burm.*] ℙ Item pervinco, obtineo. *Liv.* 2, 4. Evincuntque instando, ut litterae sibi ad Tarquinios darentur. Adde 4, 25. et 3, 41. [*V. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 680. *Graev.* ad *Cic. Verr.* 1, 1.] ℙ Item convinco. *Hor. Sat.* 2, 3, 250. Si puerilius his ratio esse evincet amare. ℙ Apud JCtos *evincere* est rem ab aliquo jure acquisitam per judicem recuperare. V. totum titulum secundum, qui est *De evictione l.* 21., *Dig.* et dicta in EVICTIO. *Pomp. ib. leg.* 16. Ut servum quisquam a me, aut ab eo, cui vendidissem, evinceret. [*Quint. *Decl.* 388. Puer evincitur ab assertore.] ℙ [Part. *Evincens* ap. *Quint.* 8, 3. Evincentibus etiam vitiis orationis edendum est. *Evincundus* in *Inscr.* in *Mem. Rom. di AA. e BB. AA. T.* 3. p. 71. Qui ob honores ei habitos HS. L. M. N. dedit, ex quorum usuris evincundis *quotannis* XIII. Kal. Aug. die natali ejus *decurionibus* singulis ✕. V. dentur. *F.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *Evincere* et *devincere.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 7, 3 p. 617.]

EVINCTUS, a, um, partic. ab *evincio*, vinctus, circumdatus, ἀναδεδεμένος. *Virg. A.* 5, 364. evinctis attollere brachia palmis, *h. e.* caestibus armatis. *Id. ib*, 8, 286. evinctus tempora ramis. *Ov. Pont.* 3, 2, 72. Evincti geminas ad sua terga manus. *Virg. Ecl.* 7, 32. purpureo suras evincta cothurno. *Stat. Th.* 1, 554. Evinctus pudica fronte *h. e.* lauro coronatus.

EVIOLO, as, a. 1. Adstruunt quidam huic verbo auctoritatem ex illo *Prop.* 1, 7, 16. Quod nolim nostros eviolasse Deos. Verum ibi alii aliter. *Brouckhus.* et alii quamplures praeferunt *evoluisse* ab *evolvo.*

EVIRATIO, onis, f. virilium exsectio. Metaleptice ponitur pro depilatione, nam pili sunt virilitatis indicia. *Plin.* 29, 1, 8. *f.* Eviratio pilorum.

EVIRATUS, a, um, partic. ab *eviro*. εὐνουχισμένος, castratus: et translate lascivus et effeminatus. *Mart.* 5, 41. Eviratior spadone. *Arnob.* 5. p. 187. Eviratum corpus.

EVIRESCO, is, n. 3. virorem amitto, expallesco. *Varr.* ap *Non.* 2, 258. Atque exsanguibus dolore evirescat colos.

EVIRO, as, a. 1. ἐνουχίζω, castro, virilitatem adimo. [*Vid. quae mox dicemus.] *Catull.* 63, 17. *de Aty.* Corpus evirastis Veneris nimio odio. ℙ Translate effeminatum reddo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 223. Spatale eviravit omnes Venerivaga pueros. [*Veget. 2, 8, 2. Evirat sanguis enormiter ablatus. Adde *ib.* 2, 10, 12. *Coel. Tard.* 1, 5, 178. Corpore evirato animae quoque substantia turbatur. Recte *Gesner.* Credo, ait, non a *viro* derivari, sed a *viribus.*]

EVISCERATUS, a, um, partic. ab *eviscero*, cui viscera exempta sunt. *Cic. Tusc.* 1, 44. *ex Ennio.* Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus Latere pendens. ℙ [*Item visceribus carens. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 2, 64. Eviscerata, inanima cum animali sono.] Item qui ex visceribus alicujus rei extrahitur, ut Unio e concha evisceratus, *Solin.* 53. *f.* ℙ Translate exsiccatus et sceleti formam habens. *Appul. Apol.* Macilenta vel omnino evisceratа forma diri cadaveris. ℙ [*Item metaphorice pro dissipatus. *Cod.* 3, 29, 7. Si mater tua patrimonium suum in fratrem tuum, evisceratis opibus suis, exhausit.]

EVISCERO, as, a. 1. ἐξεντερίζω, exentero, viscera extraho. *Virg. A.* 11, 423. Accipiter columbam pedibus eviscerat uncis.

[*EVISCUS olim saepe legebatur apud *Veget.*, pro *ibisco* l. *hibisco*, quod vide.]

EVITABILIS, e, adj. qui evitari potest. *Ov. Met.* 6, 234. Frena tamen dantem non evitabile telum Consequitur. *Sen. Q. N.* 2, 50. Inevitabilia mala aut evitabilia.

EVITATIO, onis, f. actus evitandi, εὐλάβεια, ut Evitatio incommodorum, *Auct.* ad *Her.* 2, 2. Al. leg. *vitatio.* [*Cfr. quae s. v. *Evitare* scripsimus.] Evitatio periculi. *Sen. Q. N.* 2, 39. fastidii, *Vopisc. Aurel.* 22. malorum, *Quint.* 5, 10. *med.*

EVITATUS, a, um, partic. ab *evito*. *Hor. Od.* 1, 1, 5. Metaque fervidis Evitata rotis. *Ov. Met.* 12, 122. nec fraxinus errat, Inque humero sonuit non evitata sinistro.

EVITO, as, avi, atum, a. 1. idem ac vito, effugio, caveo. *Cic. Am.* 24. Suspiciones et offensiones tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. *Catull.* 116, 7. nos tela ista tua evitamus amictu. *Ulp. Dig.* 42, 4, 7. *med.* Evitare occursum creditoris. *Pers.* 2, 27. Triste jaces lucis, evitandumque bidental. [*Legitur *evitare* etiam apud *Cic. Fin.* 5, 7. Ne vitationem quidem doloris quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset, quem locum pro corrupto habent. Recte vero *Schuetz.* in Ind. ita tuetur, ut inter *vitare* et *evitare* hanc differentiam inesse statuat, ut alterum sit *fugere*, alterum *effugere.* — *Sen. Ep.* 93. Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites, quod evitare non possis: ubi evitare aperte positum de effectu. Sed saepius evitare positum, ubi simplex verbum exspectabas. *Id. ib.* 44. Quantum possumus, evitemus incommoda quoque. V. *Gron.* ad *Sen. Ep.* 5. ℙ Observa constructionem sequente *quo minus. Ulp.* in *Dig.* 25, 3, 1, 16. Non evitabit, quominus quaeratur, quin ex eo praegnas sit mulier.] *Evito* etiam verbum antiquum est, compositum a *vita* et significat vitam eripere, vita spoliare. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 35. et *ib.* 3, 19. Haec omnia vidi inflammari, Priamo

vi vitam evitari. [*ubi *vitam* per abundantiam adjectum est, ut quum dicimus *bellum bellare*. Nam *evitare* jam per se significat *vitam eripere*, ut sequens *Appul.* locus docet. Cfr. *Doederl. Synon. Fasc.* 3. p. 192., qui verbum *evitare* etiam in illo *Plaut. Cas.* 3, 6. Gladium Ancilla Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet, pro vulgato *invitet evitet* legendum esse censet.] *Appul. Met.* 3. p. 133, 3. Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes. Alii leg. *enecasse*.

EUIUS. V. EUHYUS.

*EULAEUS, i, *Εὔλαιος*, Mediae fluvius, in sinum Persicum influens. *Plin.* 6, 27. Adde 31, 3. *B. A.*

[EULĀLUS, i, m. *εὔλαλος*, bene loquens: ab *εὖ*, bene, et *λαλέω*, loquor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 610, 4. Ti. Claudius Aug. L. Eulalus. *F.*]

[EULĪMĒNĒ, es, f. *Εὐλιμένη*, et

EULĪMĒNUS, i, m. *εὐλίμενος*, tutum portum habens: ab *εὖ*, bene, et *λιμήν*, portus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 764, 7. Caecia C. L. Eulimene. Alia ap. *eund.* 241, 2. A. Decius Eulimenus. *F.*]

[EULŌGIĀ, ae, f. *εὐλογία*, benedictio: ab *εὖ*, bene, et *λόγος*, sermo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 424, 24. Cornelia D. L. Eulogia. *F.*]

[EULŌGIĀRĬUS, ii, m. qui eulogias seu munera ab episcopis ex eorum mensa ad privatos missa, conficit vel defert. *Not. Tir.* p. 192. V. *Ducangii Gloss. Lat.* in V. *Eulogia*. *F.*]

[EULŌGUS, i, m. *εὔλογος*, rationi consentaneus: ab *εὖ*, bene, et *λόγος*, ratio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 387. *n.* 235. M. Vipsanius Eulogus. *F.*]

[EUMĀCHUS, i, m. *εὔμαχος*, bene pugnans: ab *εὖ*, bene, et *μάχη*, pugna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 154, 8. Q. Fictorius Q. L. Eumachus. *F.*]

*EUMĀRUS, i, m. Atheniensis, pictor egregius, qui primus in pictura marem feminamque discrevit, omnesque figuras imitari ausus est. *Plin.* 35, 8. *B. A.*

EUMAEUS, i, m. *Εὔμαιος*, subulcus Ulyssis, qui hunc redeuntem, licet non agnitum, hospitio tamen benigne excepit, ut est ap. *Homer. Odyss.* 14. Hinc *Varr. R. R.* 2, 4. Meam gentem suillum cognomen non habere, nec me esse ab Eumaeo ortum.

[EUMATHĬĀ, ae, f. *εὐμαθία*, docilitas: ab *εὖ*, bene, et *μανθάνω*, disco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 838, 13. Veletia L. F. Eumachia. *F.*] [*Voluit igitur *Eumathia*.]

EUMĒCES, is, n. balsami genus levi cortice, ab *εὐμήκης*, bene longus, quod ceteris sit procerius. *Plin.* 12, 25, 54. ℙ Item gemma oblonga figura, silici similis, quae capiti supposita, visa nocturna oraculi modo reddit. *Id.* 37, 10, 58.

[EUMĒDES, is, m. *Εὐμήδης*, (ab *εὖ*, bene, et *μῆδος* consilium) praeco Trojanus, pater Dolonis; ab Hectore in Graecorum castra speculatum missus et pactus praemium currum et equos Achillis, ab Ulysse et Diomede est interfectus. *Ov. Fast.* 3, 4, 27. Non foret Eumedes orbus, si filius ejus Stultus Achilleos non adamasset equos. Adde *Virg. A.* 12, 345. *F.*]

[EUMĒLIS, idis, f. *Εὐμηλίς*, ita est appellata urbs Neapolis ab Eumelo Admeti filio, ex regione Pelasgitide, cujus ductu vel auspiciis ea est condita. *Stat. Silv.* 4, 8, 48. Cujus (*Apollinis*) adhuc volucrem laeva cervice sedentem Respiciens blande felix Eumelis adorat. *F.*]

[EUMĒLUS, i, m. *Εὔμηλος*, (ab *εὖ*, bene, et *μῆλον*, ovis, *h. e.* ovibus abundans) Patrarum rex, Triptolemo coaevus, a quo agricolandi artem didicit. *Ov. Met.* 7, 390. ℙ Item Admeti regis Thessaliae ex Alcestide uxore filius (*Hyg. fab.* 97.), qui ductu vel auspiciis suis Pelasgicam coloniam in Campaniam emisit, quae urbem Parthenopen, postea Neapolin, atque etiam ab ejusdem coloniae conditore Eumelin appellatam condidit. Hic deinde a Neapolitanis tanquam Deus patrius cultus fuit et in illius honorem sodalitas Eumelidarum instituta fuit, de qua consule *Ignarra de phratriis* p. 96. ℙ Et Trojanus vir, de quo *Virg. A.* 5, 664. Nuncius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri Incensas perfert naves Eumelus. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 805. 4. Ti. Claudius Eumelus. *F.*]

[EUMĒNES, is, m. *εὐμενής*, benevolus: ab *εὖ*, bene, et *μένος*, animus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1786, 4. Sex. Gellius Sexti D. (Cajae) L. Eumenes. ℙ *Eumenes, is*, m. *Εὐμένης*, *Εὐμενῆς*, Cardianus, filius Vectoris, ex scriba dux nobilissimus factus, ab Alexandro M. magni habitus, sororem Barsines uxoris ejus duxit. Illo mortuo, Craterum et Antipatrum, Perdiccae auspiciis, devicit. Pulsus Asia ab Antigono in provinciis Orientaliori-bus haesit, Argyraspidum dux, et quia Seleucum in partes suas pertrahere non poterat, illius regionem invasit. Mox viribus auctus, contra Antigonum movit, cui a militibus proditus, fame triduana obiit. V. *Nep.* in *vita Eumenis*, *Justin.* 13, 4. et 6. *Curt.* 10, 4. ℙ Fuit et nomen aliquot regum Pergami: quorum Eumenes I. *amicissimus Romanis* (*Φιλορώμαιος Plutarcho*), ut eum *Nepos* in *Hannibale* vocat, ubi bellum ejus cum Prusia Bithyno, qui Hannibalis consilio ipsum pugna navali devicerat, describit. V. *Liv.* 33, 16. ℙ Eumenes II. Attalo patri successit. De eo V. *Justin.* 31, 8. et 33, 1. *F.* et *B. A.*

[EUMĒNĒTĬCUS, a, um, adj. ad Eumeniam pertinens, Phrygiae majoris urbem, ab Eumene conditore ita appellatam. *Plin.* 5, 29, 31. Amnis Maeandes Apamenam primum pervagatur regionem, mox Eumeneticam. *F.*]

*EUMENĬA, ae, Phrygiae majoris civitas, Cludro flumini apposita. *Plin.* 5, 29. ℙ Item oppidum Thraciae, quod Scythae *Aroteres* cognominati tenuere. *Id.* 4, 11. *B. A.*

EUMĒNĬDES, um, f. *Εὐμενίδες*, Furiae ita dictae per antiphrasin, quasi *εὐμενεῖς*, benevolae, cum revera sint *δυσμενεῖς*, malevolae, a *μένος*, animus. Ita *Serv.* ad *A.* 6, 375., qui ad *A.* 4, 609. Diras ait vocari in coelo, Furias in terris, Eumenides apud Inferos: tametsi haec nomina poetae confundunt. Porro hoc nomen inde habere creduntur, quod Oresti, qui Palladis consilio illas placaverat, benignas se ac placabiles, postquam matrem occiderat, praebuere, uti ex *Sophocle in Oedip.* v. 477. colligitur. *Virg. G.* 4, 483. caeruleosque implexae crinibus angues Eumenides. *Id. A.* 6, 250. Mater Eumenidum, *h. e.* Nox. Et 280. Ferreique Eumenidum thalami. Adde *Cic. N. D.* 3, 18. ℙ In singulari num. *Sil.* 2, 559. disjectaque crinem Eumenis in medios irrumpit turbida coetus. Adde *Stat. Th.* 12, 423.

[EUMETRĬĀ, ae, f. *εὐμετρία*, justa proportio: ab *εὖ*, bene, et *μέτρον*, mensura. *Veg. Veter.* 4, 2. Haec eumetria equi convenit staturae honestae ac mediae *F.*]

[EUMITHRES, ae, f. gemmae species: ab *εὖ*, bene, et *Μείθρης*, Mithras, numen Persarum, quod idem ac Sol. *Plin.* 37, 10, 58. Eumithren Beli gemmam, sanctissimi Deorum sibi, Assyrii appellant, porracei coloris, superstitionibus gratam. *F.*]

EUMOLPĪDAE, arum, m. *Εὐμολπίδαι*, sacerdotes Athenis, praesides quorundam sacrificiorum nocturnorum, quos Eumolpus Musaei vel Orphei vel Neptuni et Chiones filius in honorem Bacchi vel Cereris in ea urbe instituerat: cujus posteri in id sacerdotium jure quodam sanguinis initiabantur. Alii volunt eorum sacrorum Orphea habuisse magistrum. De Eumolpi etiam patria varia traduntur, aliis Thracem, aliis Atheniensem facientibus, aliis Aegyptium. Sunt etiam, qui unum Thracem fuisse dicunt, Neptuni filium, alium Eleusinium vel Atheniensem, Musaei filium, Orphei discipulum. Meminere Eumolpi et Eumolpidarum *Cic. Leg.* 2, 14., *Nep. Alcib.* 4. et *Ov. Pont.* 3, 3, 41. et *Met.* 11, 93. ℙ Scribitur etiam *Eumolphus*.

[EUMOLPUS, i, m. *Εὔμολπος*, bene cantans: ab *εὖ*, bene, et *μολπή*, cantus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 700. *n.* 216. Q. Considius Eumolpus. *F.*]

*EUNEOS, i, gemma quaedam ap. *Plin.* 37, 10. ed. *Hard.* Antea legebatur *eureos*. *B. A.*

[EUNĒTES, ae, m. *εὐνέτης*, concubinus: ab *εὐνή*, cubile. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Vignol. Inscr. sel.* p. 209. Ti. Claudius Eunetes. *F.*]

[EUNĪCĀ, ae, f. *εὐνικὴ*, cubicularia: ab *εὐνή*, cubile. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 933, 11. Eunica Anterotis Liviae liberti. V. *Ducangium Gloss. Lat.* in V. *Eunicus*. *F.*]

*EUNĪCUS, i, *Εὔνικος*, statuarii nomen. *Plin.* 33, 12. et 34, 8. *B. A.*

*EUNOE, es, *Εὐνόη*, uxor Bogud, Mauritaniae regis. *Suet. Caes.* 52. *B. A.*

[EUNOEA, ae, f. *εὔνοια*, benevolentia: ab *εὖ*, bene, et *νοος*, mens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 394, 8. Oppia Sexti et, D. (*Cajai*) liberta Eunoea *F.*]

[EUNOĒTUS, i, m. *εὐνόητος*, facilis intellectu: ab *εὖ*, bene, et *νοητὸς*, intelligibilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 12. Q. Vetinius Eunoetus. *F.*]

[EUNŌMIĀ, ae, f. *εὐνομία*, aequitas: ab *εὖ*, bene, et *νόμος*, lex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1136, 6. Audas Eunomiae fil. dulciss. *F.*]

[*EUNOMIANI. Sic vocantur ii, qui Eunomii de rebus sacris doctrinam sequebantur. Saepe memorantur in *Cod.* De impiis eorum erroribus scripsit *Hieron.* adv. *Vigilant. August. de Haeres.* c. 54.]

[*EUNOMIUS, i. Auctor ejus partis, quae ab eo *Eunomianorum* nomen traxit. Scripsit *ἔκθεσιν*, i. e. fidei expositionem, quem libellum post *Valesium* edidit *Fabric.* bibl. Gr. T. VIII. p. 253.]

[EUNŌMUS, i, m. *εὔνομος*, bonis legibus utens: ab *εὖ*, bene, et *νόμος*, lex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1116, 9. A. Cottius Eunomus. *F.*]

[EUNOSTĬDAE, arum, m. *Εὐνόστιδαι*, ita sunt appellati sodales in honorem Eunosti herois, Tanagrae, Boeotiae urbis, maxime culti, in cujus templum si qua mulier ingressa fuisset, capitali poena multabatur, ut narrat *Plutarch. Quaest.* 40. *rer. Graec.* Huic numini sodalitas consecrata fuit etiam Neapoli, quemadmodum constat ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 456. *n.* 74. P. Sufenati P. F. Pal. Severo Semproniano fretriaco Neapoli Eunostidon. Hic *Eunostidon* est ab *Εὐνοστιδῶν* pro *Eunostidarum*. V. *Ignarra de phratriis* p. 115. et seq. *F.*]

EUNUCHĪNUS, a, um, adj. ad eunuchum pertinens, ut Eunuchina facies, ap. *Hieron. ep.* 22. *n.* 27.

[EUNUCHĪON, ii, n. *εὐνούχιον*, lactucae genus. *Plin.* 19, 8, 38. Quidam vocant eunouchion, quoniam haec maxime refragetur Veneri. *F.*]

EUNUCHISMUS, i, m. eviratio, ut Eunuchismum facere, apud *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4.

EUNUCHIZĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *eunuchizo*, eunuchus factus. *Hieron. contra Jov.* 1, 7. ex *Matth.* 19, 12.

EUNUCHO, as, a. 1. *Εὐνουχίζω*, castro. *Varr.* ap. *Non.* 2, 289. Qui se eunuchat.

EUNUCHUS, i, m. *εὐνοῦχος*, castratus, cui nempe adempti sunt testiculi. Etymon est ab *εὐνή*, lectus, et *ἔχω*, curo, quia lecti et cubiculi mulierum custos habitus fuit: alii vero derivant ab *εὖ*, bene, *νοῦς*, mens, et *ἔχω*, habeo, quasi habens bonam mentem, quia res Venereae amentiam inferant et qui iis abstineant, valde sapere videantur: alii denique deducunt ab *εὖνις τοῦ ὀχεύειν*, *h. e.* privatus, expers concubitus. Priorem notationem confirmant *Claud.* in *Eutrop.* 1, 98. cumque omnibus unica virtus Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos etc. *Id. ib.* 419. Militia eunuchi nunquam praegressa cubile et *Ammian.*, qui 18, 4. *cubicularios* vocat, quos paulo ante *spadones* dixerat. *Gloss. Philox. Εὐνοῦχοι*, cubicularii. Adde *Etymol. M.* in V. *Εὐνουχος*. ℙ Videtur Semiramis Assyriorum regina omnium prima fecisse eunuchos. *Claud. l. c.* 339. Seu prima Semiramis astu Assyriis mentita virum, ne vocis acutae Mollities, levesque genae se prodere possent. Hos sibi conjunxit similes: seu Parthica ferro Luxuries vetuit nasci lanugiis umbram, Servatoque diu puerili flore coegit Arte retardatam Veneri servire juventam. *Ammian.* 14, 6. Semiramis regina, quae teneros mares castravit omnium prima, vim injectans naturae. ℙ Duplex porro fuit eunuchorum genus, eorum nempe, qui ante pubertatem testiculis privarentur, ut virorum, qui praepostera Venere delectarentur, libidini diutius inservirent. Hi praecipue ex Delo insula Romam advehebantur. V. DELIACUS. *Cic. Or.* 70. Multi eunuchi ex Syria Aegyptoque. *Mart.* 3, 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus. *Lamprid. Alex. Sev.* 23. Tertium genus hominum eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a feminis nobilibus. ℙ Alterum vero eorum, qui citra conceptionis periculum feminarum libidini explendae destinati matura jam aetate evirabantur, de quibus loquitur *Juven.* 6, 366. Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia semper Oscula delectent et desperatio barbae, Aut quod abortivo non est opus etc. Ad hos etiam respicit *Hieron. in Jov.* 1, 47. cum ait, eunuchum dominae suae praesto esse in longam securamque libidinem. Adde *Mart.* 6, 67. ℙ Videntur etiam eunuchi vocis gracilitate commendati aliquando fuisse dominis suis, ut apud nos qui *castroni* [*Castraten] vocantur. *Ammian.* enim 18, 4. eos memorat, qui inter ministeria vitae secretioris, gracilitate vocis semper puerilis et blandae aures principis pulsarent. *Lamprid.* vero *Alex. Sev.* 34. eosdem *vocales exoletos* appellat. ℙ Quibusdam eunuchis non modo testes, sed ipse etiam penis amputabatur, ne scilicet ullam possent cum feminis rem habere et earumdem castimoniae custodes essent: hos Graeci sequioris aevi *καριζαμάδας*, Latini vero *carsumatia* vocabant, ut testatur *Ducangius* in *Gloss. Graec.* et *Lat.* in his vocibus. Hujusmodi erant Galli ministri Deae Cybeles. V. GALLI et etiamnum apud Turcarum imperatorem qui gynaeceo [*Serail] inserviunt. ℙ Translate quoque usurpatur de animalibus. *Juven.* 12, 34. imitatus castora, qui se Eunuchum ipse facit. ℙ *Eunuchum suam* feminino genere dixit *Ter. Eun. prol.* 32. comoediam intelligens, quae *Eunuchus* inscribitur. V. CENTAURUS. [*Plurima addidit *F.*]

[EUNUS, i, m. *εὔνους*, οῦς, et Eunōis, ĭdis, f. *εὐνοῖς*, benevolens: ab *εὖ*, bene, et *νόος*, mens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 684, 3. M. Caesio Euno. Alia apud *Grut.* 815, 1. Perperniae Eunoidi. *F.*]

EVOCĀTĬO, onis, f. actus evocandi, *ἔκκλησις*, ut *inferorum evocatio*, ap. *Plin.* 30, 1, 2. et *evocatio Deorum* ex urbibus obsessis, ap. *Macr. Sat.* 3, 9., cujus ibi formulam carmenque refert, multaque de eo antiquorum more disserit. *Hirt. B. Alex.* 56. Edictum proposuerat, ut quibus pecunias impetrasset, neque contulissent, se adirent. Quae evocatio vehementer omnes turbavit. ℙ *Evocatio* etiam dicebatur genus militis per tumultum in re subita collecti, ubi dux alloquitur cives: Qui rempubl. salvam vultis, me sequimini. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 7, 2 et *Serv.* ad *A.* 7, 614. Hinc *Auct.* ad *Her.* 3, 2. Vis decernitur per exercitus, classes, arma, tormenta, evocationes hominum et alias hujusmodi res. [*Duker. ad *Flor.* 3, 17.]

EVŌCĀTOR, oris, m. qui evocat. Item qui tumultuarium et subitum militem cogit, ut in voce praeced. dictum est. *Cic. Cat.* 1, 11. Principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum exire patieris?

*EVOCATORIE, adv. *Theod. Prisc.* 1, 23. *B. A.*

EVOCĀTORIUS, a, um, adj. qui evocat, ut Evocatoria epistola, ap. *Sidon. ep.* 8, 12. [*Adde *Symmach. ep.* 4, 5. 6, 35. et 36.]

EVOCĀTUS, a, um, partic. ab *evoco*, ἐκκλητος, aliunde in aliquem locum vocatus, arcessitus. *Hirt. B. Alex.* 34. Duas legiones in Aegyptum ad Caesarem mittit, litteris ejus evocatas. *Suet. Cal.* 58. Pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati. *Liv.* 23, 43. Evocati ad colloquium. *Id.* 39, 36. ad causam dicendam. V. EVOCO. *Justin.* 13, 4. Evocatos de singulis manipulis seditiosos supplicio tradi jubet. *Id.* 12, 14. Se quoque a Macedonia non ad societatem militiae, sed ad poenam evocatum arbitrabatur. *Plin. ep.* 6, 31. Evocatus in consilium a Caesare nostro ad Centum Cellas, maximam cepi voluptatem. ℙ [*Saepius pro excitatus ponitur. *Cic. Dejot.* 14. Evocata oratione misericordia. *Fin.* 2, 31. Probitas mercedibus evocata. ℙ In re militari evocati proprie dicebantur ii, qui per tumultum ad arma vocati erant. V. *Evocatio* §. 2. Tum latior significatio ea est quam jam affert *Forc.*] In re militari *evocati*, ἀνάκλητοι, erant milites veterani, qui quamvis stipendia explevissent, nihilominus in gratiam consulum aut imperatorum, ab iis largitione, litteris, precibus invitati, militiam resumebant et honoratiore loco in ipsa constituebantur: cujus rei exemplum habes ap. *Cic. Fam.* 15, 4. et *Suet. Aug.* 1, 10. Hinc *Cic. Fam.* 3, 6. *fin.* Antonium praefectum evocatorum misi ad te, cui si tibi videretur, cohortes traderes. *Suet. Aug.* 56. Affuit et clientibus: sicut Scutario cuidam evocato quondam suo. [*Inscr.* ap. *Grut.* 1110, 4. Valerius Rufinus evocatus cohortis tertiae praetoriae. Alia ap. *eund.* 531, 10. M. Aurelio M. F. Secundino vet*erano* evoc*ato* ex coh*orte* III. pr*aetoria*. Alia ap. *Fea*, *Var. di notiz.* p. 87. C. Vedennius C. F., qui Moderatus Antio, milit. in leg. XVI. Gal. a X., transl. in coh. IX. pr., in qua milit. ann. VIII., missus honesta missione revoc. ab imp. facta evoc. Aug., architect. armament. imp. evoc. ann. XXIII. *F.*] ℙ Ad horum similitudinem, *evocatos* appellavit Galba equestris ordinis juvenes, qui manente anulorum aurorum usu, excubias circa cubiculum suum vice militum agerent, ut narrat *Suet. in ejus Vita* 10.

EVOCO, as, avi, atum, a. 1. ἐκκαλέω, ex aliquo loco advoco, arcesso, vocando elicio, invito, provoco, pertraho. *Cic. Or.* 2, 86. Juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent. *Id. Att.* 2, 24. Iis litteris sic te evocabam, ut nihil acrius, neque incitatius fieri posset. *Pl. Asin.* 2, 3, 3. Atriensem Sauream, si est intus, evocato huc. *Id. Mil.* 4, 6, 33. et *Ter. Hec.* 5, 1, 7. Abi tu: illum evocato foras. *Pl. Amph.* 3, 3, 12. Gubernatorem a navi huc evoca meis verbis. *Caes. B. C.* 3, 108. Exercitum a Pelusio clam Alexandriam evocavit. *Id. B. G.* 6, 34, Ad Germanos pervenit fama, diripi Eburones, atque ultro omnes ad praedam evocari. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 4, 9, 9.] Et *ib.* 5, 58. Magna contumelia verborum nostros ad pugnam evocant. [*Drak. ad *Liv.* 4, 10, 1.] *Suet. Aug.* 16. Evocare aliquem ex provincia in auxilium. *Ov. Am.* 1, 8, 17. mortuos sepulcris. *Virg. A.* 4, 242. animas Orco. [*Ov. *Met.* 11, 597. Ales evocat Auroram. *Id. Fast.* 1, 456. Qui vigili roseum provocat ore diem. V. *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 629.] ℙ Aliquando *evocare* est judicis, magistratus, et hujusmodi adesse jubentis ad testimonium, aut causam dicendam. *Caes. B. C.* 3, 108. Queri, atque indignari coepit, regem ad dicendam causam evocari. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. Magistratus et quinqueprimi accitu istius evocantur. Et *Verr.* 2, 2, 67. Evocat ad se Centuripinum magistratum, et decemprimos. [*Nep. *Con.* 5. Tiribazus Cononem evocavit.] *Plin. ep.* 5, 20. Evocare testes. *Ulp. Dig.* 2, 12, 1. Ne quis messium tempore adversarium cogat ad judicium venire etc. sed si praetor per ignorantiam evocare perseveraverit, etc. [*Drak. ad *Liv.* 3, 4, 5. ℙ Sed etiam qui ad aliud agendum adesse jubebantur, dicebantur *evocari*, veluti quos princeps evocaverat. *Plin. ep.* 5, 38. Evocatus in consilium a Caesare.] ℙ *Evocare Deos* quid sit, docet *Macr. Sat.* 3, 9. ut in EVOCATIO dictum est: item *Plin.* his verbis 28, 2, 4. Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem, aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in pontificum disciplina id sacrum: constatque, ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Haec *Plin.* Simile est illud *Ulp. Dig.* 1, 8, 9. Sacrarium est locus, in quo sacrae res ponuntur: quod etiam in aedificio privato esse potest: et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. Habes et ap. *Liv.* 5, 21. et 22. quiddam huc pertinens, in expugnatione Vejorum. ℙ In re militari evocare est veteranos, qui stipendia expleverint, ad militiam precibus et praemiorum spe rursus pertrahere, ut in EVOCATUS dictum est: item quoscumque milites ad subitam et tumultuariam militiam vocare. *Caes. B. C.* 1, 7. Conclamant legionis decimae tertiae, quae aderat, milites: hanc enim initio tumultus evocaverat etc. Et 23. Erant complures adolescentes, et magnus numerus equitum R. et decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat. ℙ Translate. *Quint.* 1, 1. *med.* Contendat interim, et saepius vincere se putet: praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur, *h. e.* alliciatur. *Cic. fragm.* ap. *August. contra Julian. Pelag.* 4, 14. Quae enim deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? [*Pall. R. R.* 1, 6, 12. Tepor evocat ea quae seruntur.] *Sen. Hipp.* 11. Prata rorifera mulcens aura, Zephyrus vernas evocat herbas. *Sil.* 7, 501. Evocat e liquidis piscem penetralibus esca. [*Col. R. R.* 9, 14, 15. Insistentes apes quasi per siphonem succum evocant.] *Plin.* 14, 1, 3. Vites tonsura annua coercentur, et vis earum omnis evocatur in palmites. [*Plin. H. N.* 17, 22. 35, 14. Vitis evocata ad fructum.] *Id.* 17, 22, 35. *n.* 11. Quidam palmitem excaecant, supina falce auferendo oculos, ut longius evocent. *Cels* 4, 14. Fricatione ad extremas partes materiam evocare. [*Col. R. R.* 4, 31, 2. Evocatur in latitudinem salix.] *Plin.* 23, 4, 41. Oleum cicinum capillum evocat. [*Befördert den Wachsthum.] *Cels.* 3, 25. Sudorem labore corporis evocare. [*Schweiss heraustreiben.] *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum vomitiones evocat. *Id.* 28, 19, 77. Evocare abortus, *h. e.* educere, expellere. *Sen. Med.* 754. aquas nubibus siccis. *Plin.* 38, 8, 27. adipis suffitu mulierum menses. *Id.* 2, 53, 54. fulmina, *h. e.* elicere, impetrare. V. ELICIO. [*Cic. Or.* 2, 8. Memoriam evocare. *Hortens. fr.* Quod damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate.] *Sen. Ira* 3, 5. Ira lentos quoque natura et placidos in saevitiam ac violentiam evocat. [*Liv.* 9, 17, 2. Tanti regis mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium, sc. ex animo.] Et *Ben.* 2, 28. Boni consulere, et animum ejus, grate excipiendo, evocare, *h. e.* ejus, qui beneficium dedit, liberalem animum ad insuper benefaciendum allicere, pertrahere. *Id. ep.* 29. Facetiae, quae risum evocare lugentibus possunt, *h. e.* elicere. *Plin.* 28, 4, 12. Evocare indicium. Et *Sen. Ira* 3, 8. iram. *Id. Const. sap.* 4. *extr.* lacrimas. *Id. Ira* 2, 21. aliquem in laetitiam. [*Haec vox Senecae omnino fuit in deliciis. Vide plurima exempla quae affert *Gron.* ad *Sen. ep.* 47.] ℙ [Part. *Evocaturus* ap. *Pl. Mil.* 2, 2, 47. Cor, credo, evocaturus est foras. *Evocandus* ap. *Sen. Oed.* 394. Ipse evocandus noctis aeternae plagis. *F.* ℙ *Confunduntur *Evocare* et *Convocare*. V. *Drak.* ad *Liv.* 4, 24, 4. — et *Provocare*. *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 629.]

[EVODES, is, n. εὐώδης, bene olens, ab εὖ, bene, et ὄζω, oleo. Ita appellatur quoddam collyrium. *Inscr.* ap. *Tochôn*, *cachets des oculist.* p. 65. C. Cintusminii Blandi evodes ad aspritudinem. Alia ap. *eund. ib.* p. 66. Phronimi evodes ad asprit. *F.*]

EUOE et Euhoe, εὐοῖ, vox bacchantium, et Librum Patrem inclamantium et invocantium: quasi εὖ οἱ, bene sit illi. Placet *Dausquio* aspirationem interscribi, *Vossio*, et aliis non placet. Vox est disyllaba: neque ullum adhuc vidimus poetae locum, ex quo necessario conficiatur, esse trisyllabam. *Catull.* 64, 61. Saxea ut effigies bacchantis prospicit euoe. Et 255. Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes. *Hor. Od.* 2, 19, 5. Euoe! recenti mens trepidat metu. Et 7. euoe! parce Liber. Adde *Virg. A.* 7, 389. et *Ov. Met.* 4, 522. ℙ Qui scribunt *euohe*, aut *heuoe*, male scribunt.

*EVOENOS (εὔοινος, i. e. fertilis vino), insula ad Athon, novem M. pass. latitudine, quae hodie Peparethus vocatur. Haec *Plin.* 4, 12. *B. A.*

EVOLĀTĪCUS, a, um, adj. qui volat, ut Evolatici homines, ap. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 27. Al. tamen leg. *volatici.*

EVOLĬTO, as, a. 1. frequentat., saepe evolo. *Colum.* 8, 8. de columbis: Patentibus fenestris, per quas ad requirendos cibos evolitant.

EVOLO, as, avi, atum, n. 1. ἁφίπταμαι, extra, vel in altum volo. *Cic. Brut.* 78. Ut evolare, non excurrere videretur. *Id. Leg.* 1, 1. Aquila ex quercu evolavit. *Varr. R. R.* 3, 9. Evolare extra septa. [*Gaj. in *Dig.* 4, 1, 5, 6. Examen ex alveo nostro evolavit. *ib.* 6. Gallinae turbatae longius evolaverunt.] ℙ Translate est erumpere. *Caes. B. G.* 3, 28. Subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt, et in nostros impetum fecerunt. *Ov. A. Am.* 3, 710. Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias. [*Cic. Or.* 2, 78. Quod totum repente evolet, i. e, omnes suas vires celeriter ostendat.] ℙ Item progredi, ad honores altius evehi, ascendere. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Quem illi esse in principibus facile sunt passi, evolare altius certe noluerunt. Adde *Or.* 2, 52. [*Et *Or.* 12.] ℙ Item eripere se, aufugere. *Cic. Somn. Scip.* 3. Qui ex corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt, *h. e.* extra vincula evolaverunt. [*Cic. *Or.* 1, 35. Evolavit oratio, i. e. celeriter praeteriit, ut vix, quae dicta sint, percipi potuerint.] ℙ Item vitare, effugere. *Cic. Prov. cons.* 6. Quam poenam si tum aliorum opibus, non suis evolarunt, etc. *Id. Verr.* 2, 1, 5. Evolet ex vestra severitate. ℙ Item fugere. *Id. ib.* 2, 5, 34. Evolarat jam e conspectu fere fugiens quadriremis. [*V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 10, 2.] ℙ [Part. *Evolans* ap. *Plin.* 7, 52, 53. Evolans ex ore animam. *Evolaturus* ap. *Varr. R. R.* 3, 16. Cum apes jam evolaturae sunt. *F.*]

EVOLO, as, a. 1. ἁρπάζω, est furari, rapere, quasi in volam recipere. *Pl. Cist.* 4, 2, 65. Cistellam adolescens hic mihi evolavit. Alii rectius leg. Cistella mihi hic, mi adolescens, evolavit.

EVOLVO, is, olvi, ŏlūtum, a. 3. ἀποκυλίω, deorsum, aut extra, aut de loco volvo. *Ov. Met.* 12, 518. modo se super aera frustra Tollere conatur, jactasque evolvere silvas, *h. e.* a se rejicere. *Lucr.* 6, 140. de vento: Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. *Lucan.* 3, 481. nudis evolvunt saxa lacertis. *Id.* 6, 170. cadavera plenis Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes. *Tac. G.* 39. Evolvi per humum. [*i. e. se volvere.] *Cels.* 7, 16. Nonnunquam venter ictu aliquo perforatur, sequiturque ut intestina evolvantur. ℙ Dicitur et de aquis, quia volvendo se decurrunt. *Curt.* 5, 4. Araxes multorum aquas torrentium evolvit in Medum. *Virg. A.* 5, 807. In mare se Xanthus evolvit. *Plin.* 4, 12, 24. Danubius in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur. ℙ Est etiam explicare, et, quod involutum erat, aperire. *Petr. Sat.* 11. Opertum me amiculo evolvit, *h. e.* detexit. *Ov. Met.* 6, 581. Evolvit vestes saevi matrona tyranni, Germanaeque suae carmen miserabile legit. *Id. Her.* 12, 24. Evolvere fusos, volvere usque dum omni filo spolientur. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Evolvere volumen epistolarum. ℙ Hinc translate est digerere, explicare, narrare. *Ov. Met.* 1, 24. Quae postquam evolvit, caecoque exemit acervo, etc. *Virg. A.* 9, 509. Et mecum ingentes oras evolvite belli. *Stat. Th.* 1, 2. sontesque evolvere Thebas. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Totam hanc deliberationem evolvis accuratius in litteris VIII. cal. Mart. datis. *Id. Acad.* 4, 36. Exponere disciplinam sapientiae, naturam rerum omnium evolvere. *Id. Coel.* 23. Cujus ego neque principium invenire, neque evolvere exitum possum. [*Quo loco vide annon metaphora ducta sit a labyrintho, ex quo exire non licet, nisi ei, qui fila de glomo devolvens redit.] *Id. Off.* 3, 19. Animi sui complicatam notionem evolvere. [*V. *Heins.* et *Drak.* ad *Sil.* 7, 435.] ℙ Item legere, ductum a voluminibus, quae legi non possunt, nisi evolvantur. *Cic. Tusc.* 1, 11. *med.* Evolve diligenter ejus eum librum, qui est de animo. *Hor. Sat.* 1, 3, 112. et *Ov. Fast.* 1, 657. Evolvere fastos. *Id. Trist.* 2, 307. versus. Et 238. jocos. ℙ Item secum meditari, versare animo, mente volvere. *Sil.* 3, 216. Promissa evolvit somni, noctemque retractat. *Virg. G.* 4, 509. et gelidis haec evolvisse sub antris. *Sen. Agam.* 116. Tecum ipsa evolve femineos dolos. ℙ *Evolvere se* est se expedire, exire: ductum a cursu aquarum. *Ter. Eun.* 4, 4, 55. Hac re et te omni turba evolves, et illi gratum feceris. *Id. Phorm.* 5, 4, 5. Nullo possum remedio me evolvere ex his turbis. *Lucan.* 9, 876. Imus in adversos axes: evolvimur orbe, *h. e.* egredimur. ℙ Ab eodem aquarum cursu est et illud *Sen. Oed.* 252. de Sole: Qui tarda celeri saecula evolvis rota. Et *Med.* 402. Nitidusque certas mundus evolvit vices. ℙ Item illud *Val. Fl.* 4, 117. Ingemit, ac tales evolvit pectore questus, *h. e.* effundit. ℙ Interdum ponitur pro eruere. *Sen. Oed.* 966. Radice ab ima funditus vulsos simul Evolvit orbes, *h. e.* eruit oculos. Sic *Lucan.* 2, 184. ille cavis evolvit sedibus orbes. ℙ Translate. *Pl. Pseud.* 1, 3, 82. Ego in hoc triduo aut terra, aut mari alicunde evolvam id argentum tibi, *h. e.* eruam, extricabo, et tibi conficiam. ℙ Est nonnunquam deturbare, expellere. Hinc *evolutus bonis:* quod V. infra. *Liv.* 6, 15. Ut istos excubantes publicis thesauris ex praeda clandestina evolvas. [*V. *Drak.* ad h. l.] ℙ Apud poetas diaeresin interdum patitur. *Catull.* 66, 74. Condita quin veri pectoris evoluam. *Ov. Her.* 12, 24. Debuerant fusos evoluisse meos. ℙ [Partic. *Evolvendus* apud *Auct. dial. de orat.* 29. Nec in evolvenda antiquitate satis operae insumitur. *F.*]

EVOLŪTIO, onis, f. evolvendi actio, explicatio, lectio. *Cic. Fin.* 1, 7. Quid historia cognitioque rerum, quid poetarum evolutio?

EVOLŪTUS, a, um, part. ab *evolvo*, ἀναπεπτυμένος, ut Evoluta serpens, et ex oculis elapsa, *Liv.* 26, 19. Evolutum furfure panicum, ap. *Colum.* 2, 9. *extr.* est exutum, purgatum. ℙ Evolutus bonis, *h. e.* deturbatus, *Sen. ep.* 74. Evolutus sede patria, rebusque summis, *Tac. A.* 13, 15. *h. e.* expulsus, ejectus. Evolutus tegumentis dissimulationis, et nudatus, *Cic. Or.* 2, 86.

[EVŌMĬTUS, a, um, part. ab *evomo*, vomendo ejectus. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 2. Diocles inquit, evomitos lumbricos nihil alienum significare. *F.*]

EVŌMO, is, ui, itum, a. 3. ἐξεμέω, vomendo ejicio. *Cic. N. D.* 2, 49. Easque, cum stomachi calore concoxerit, evomere. *Tac. A.* 12, 67. Ille tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur. ℙ Translate est emittere. *Cic. Am.* 23. Apud quem evomat virus acerbitatis suae. *Ter. Ad.* 3, 2, 14. Evomere iram in aliquem. *Cic. Phil.* 5, 7. In me absentem, orationem ore impurissimo evomuit. *Id. Cat.* 2, 1. *extr.* Urbs haec laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit. [**Cic. Pis.* 37. In quo tu acceptam tamen et devoratam pecuniam evomere non poteras, i. e. reddere pecuniam per injuriam acceptam.] *Plin.* 5, 9, 10. Nilus multis faucibus in Aegyptium mare se evomit, i. e. se emittit. [**Colum. R. R.* 8, 15, 3. Evomit herbas stagnum soli.] *Sil.* 17, 594. Evomuit pastos per saecula Vesvius ignes.

EUONYMUS, i, f. εὐώνυμος, arbor insulae Lesbi, non absimilis Punicae, inter eam et laurum folii magnitudine, figura vero et mollitie Punicae, flore candidiore: siliquas fert sesamae similes, in quibus granum quadrangula figura, spissum, letale animalibus: nec non in folio eadem vis. *Plin.* 13, 22, 38. ℙ Item insula Siciliae, minima Aeoliarum, quae nunc creditur *Lisca bianca*. *Plin.* 3, 9, 14.

[EVOPUS, i, m. εὐωπός, qui bene cernit, aut pulcros oculos, seu vultum habet: ab εὖ, bene, et ὤψ, oculus, vultus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Amad. Anecd. litter. T.* 1. p. 469. *n.* 2. C. Oclatius Evopus. *F.*]

*EUPALIUM vel Eupalion, i, n. Εὐπάλιον, oppidum Graeciae, in Locride. *Liv.* 28, 8. ℙ *Eupalia* audit *Plin.* 4, 3. Εὐπαλία *Steph. Byz. B. A.*

[EUPĂTOR, ōris, m. Εὐπάτωρ, ab εὖ, bene, et πατήρ, pater, *h. e.* bono, vel nobili patre natus, cogn. fuit Mithridatis Ponti regis illius famigeratissimi a Pompejo M. devicti. *Plin.* 33, 12, 54. *F.*]

EUPĀTORIA Herba, ap. *Plin.* 25, 6, 29. eadem est, quae agrimonia, a Mithridate Eupatore appellata. V. AGRIMONIA. ℙ Eupatoria fuit etiam urbs prope flumen Amisum in Ponto, sic cognominata ab eodem Mithridate, qui eam condidit. *Plin.* 6, 2, 2.

[EUPATRIA. V. LUPATRIA. *F.*]

[EUPĔLASTUS, i, m. ab εὖ, bene, et πελάζω, appropinquo, bonus propinquus. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 2. L. Baebius Eupelastus. *F.*]

[EUPĔLIOS, ii, f. ab εὖ, bene, et πελιός, lividus: ita appellata herba eadem ac daphnoides, hypoglossa, et victoriola. *Appul. Herb.* 58. *F.*]

[EUPĔRĪLEMPTUS, i, m. bene comprehensibilis: ab εὖ, bene, et περιληπτός, comprehensibilis, quod a περιλαμβάνω, comprehendo. Est nom. libertinum R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 296. *n.* 257. Euperilemptus liber*tus*. *F.*]

EUPĔTĂLOS, εὐπέταλος, pulcra habens folia: ab εὖ, bene, et πέταλον, folium. Dicitur de genere chamaedaphnes, quod daphnoides vocatur, frutice ramoso, crassiore ac molliore, quam laurus, folio, cujus gustatu accenditur os atque guttur, baccis e nigro rufis. *Plin.* 15, 30, 39. ℙ Item de gemma quatuor colores habente, caeruleo, igneo, minii, et mali. *Id.* 37, 10, 56.

EUPHĒMĒ, es, f. Εὐφήμη, nutrix Musarum, Croti mater: qui Crotus in coelo Sagittarius esse dicitur. *Hyg. Astron.* 2, 27.

EUPHĒMISMUS, i, m. εὐφημισμός, bonum omen: ab εὐφημίζω, bene ominor, bona verba dico: est figura rhetorica, qua res ingratas et odiosas mitioribus vocabulis exprimimus, vel ironice, ut cum Furiae Eumenides vocantur; vel extra ironiam, ut *Vell.* 2, 93. Si quid accidisset Caesari, *h. e.* si mortuus esset. Sed vox Graeca est, et Graece adhibenda.

[EUPHĒMUS, i, m. εὔφημος, bonam famam habens: ab εὖ, bene, et φήμη, fama. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 704, 9. Q. Gallius Euphemus. *F.*]

[EUPHĔNGES, is, m. εὐφεγγής, bene splendens: ab εὖ, bene, et φέγγος, splendor. Est nomen libertinum R. *Inscr.* Romae nuper effossa, et a *Barpt. Borghesio* per litteras missa. Theopaedi fecit Euphenges Aug. Lib. fratri bene merenti. *F.*]

[EUPHĪLĒTUS, i, m. εὐφίλητος, bene amabilis: ab εὖ, bene, et φιλητός, amabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Guarinium*, *Campagna Taurasina* p. 42. C. Umbrius Euphiletus. *F.*]

EUPHŌNĬA, ae, f. εὐφωνία, bonus sonus, suavis pronunciatio. A grammaticis dicitur, cum singula verba dulcem ac jucundum sonum edunt: quae a *Quint.* 1, 5. *velut vocalitas* vertitur, *cujus in eo delectus est, ut inter duo, quae idem significant ac tantumdem valent, quod melius sonat, malis.* De hac *Donat.* 2, 1751. Meminerimus, euphoniam in dictionibus plus interdum valere, quam analogiam et regulam praeceptorum.

EUPHORBĬA, ae, f. herba est specie thyrsi, foliis acanthinis, succum emittens lacteum, qui siccatus turis effigiem habet: inventa in monte Atlante ab Euphorbo medico Jubae regis, ut *Plin.* 5, 1, 1. et 25, 7, 35. docet. Dicitur etiam *euphorbium, ii*, n. ab *eod.* 25, 12, 91. et 26, 8, 34. *n.* 10.

EUPHORBUS, i, m. viri Trojani nomen a Menelao occisi, cujus animam Pythagoras, qui metempsychosin commentus est, habere se jactabat. *Ov. Met.* 15, 160. et *Gell.* 4, 11. Hinc *sapiens Euphorbus* pro Pythagora sumitur ab *Hor. Ep.* 2, 50., ubi alii pro *sapiens Euphorbus* rectius legunt *sapiens, et fortis.* ℙ Alius fuit hoc nomine medicus. V. v. praec.

EUPHORĬON, onis, m. Εὐφορίων, poeta Chalcidensis, qui varia scripsit. Elegorum ejus testis est *Diomed.* 3, 482. Poema etiam aliud, in quo multa de agricultura, affert *Suid.* Quam ob causam forte *Varro*, et *Columella* eum inter scriptores rusticos celebrant, uterque *R. R.* 1, 1. Hujus Graeca carmina Gallum Latine vertisse, auctor est *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 10, 50. Ibo, et Chalcidico quae sunt mihi condita versu, etc. V. *Quint.* 10, 1. [*Euphorionis fragmenta collegit et de poetae vita ac scriptis disputavit *Meineke.*] ℙ Item argenti caelator insignis. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 25.

[EUPHORĬUS, ii, et Euphorus, i, m. εὔφορος, ferax, item latu facilis: ab εὖ, bene, et φέρω, porto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1017, 3. M. Ulpius Aug. L. Euphorius. Alia ap. *Grut.* 241, 3. L. Attius Euphor*us*. *F.*]

[EUPHRĂNOR, oris, m. Εὐφράνωρ (ab εὐφραίνω, exhilaro, et ἀνήρ, vir) nomen statuarii pictorisque laudatissimi, Isthmii, qui de symmetria, et coloribus aliquot volumina conscripsit. *Juven.* 3, 217. Hic aliquid praeclarum Euphranoris, et Polycleti. Adde *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 16. et *Quint.* 12, 10. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 865, 12. T. Flavius Euphranor. *F.*]

[EUPHRĂSĬA, ae, f. εὐφρασία, honesta laetitia: ab εὐφραίνω, exhilaro. Est cogn. R. *Inscr.* apud *Mur.* 1330, 1. Clodia Euphrasia. *F.*]

EUPHRĀTES, is, m. Εὐφράτης, fluvius Asiae. Oritur ex Niphate monte Armeniae majoris, in Tigrim cadit, et cum ipso paulo post in sinum Persicum se exonerat. Dictus creditur ab εὐφραίνω, exhilaro, quia aquis suis agros circumjacentes fertilissimos reddit. *Plin.* 5, 24, 20. ℙ Metonymice ponitur pro populis orientis. *Virg. G.* 1, 509. Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum. ℙ In illo *Lucani* 8, 358. Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem: vel caesurae beneficio dic ultimam produci: vel cum *Prisc.* 7, 768. dativum esse Graecum positum pro ablativo Latino τῷ Εὐφράτῃ. ℙ Est etiam nomen liberti Augusti. *Inscr.* in *Mem. Rom. di AA.* e *BB. AA. T.* 3. p. 69. *n.* 17. Euphrates Aug. Lib. procurator ob effecta sibi in hac statione annua centena Genio hujus loci d*at*, d*edicat*.

EUPHRĀTIS, ĭdis, f. quae ad Euphratem posita est, ut Ripa Euphratis, ap. *Sidon. ep. in marm.* 8, 9. *f.*

[EUPHRON, ŏnis, m. εὔφρων, hilaris: ab εὖ, bene, et φρήν, mens. Est cogn. R. *Inscr.* apud *Grut.* 448, 7. L. Pedanio L. L. Euphroni. *F.*]

*EUPHRONĪDES, is, m. Εὐφρονίδης, statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[EUPHRŌNĬMĂ, ae, εὐφρονίμη, bene sentiens: ab εὖ, bene, et φρονίμη, prudens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 315. *n.* 396. Lollia Euphronima. *F.*]

*EUPHRONĪUS, i, m. Εὐφρόνιος, scriptor quidam de re rustica, Atheniensis. *Plin.* 14, 19. *Colum.* 1, 1. ed. *Schneid.* In ed. *Gesn.* est *Euphron. Varr. R. R.* 1, 1. Euphronii duo, unus Atheniensis, alter Amphipolites. Sic ed. *Schneid.* In ed. *Gesn.* impressum *Euphranii duo* etc.

EUPHROSYNE, es, f. Εὐφροσύνη, una Gratiarum ab hilaritate. V. GRATIAE.

EUPHROSYNUM, i, n. εὐφρόσυνον, ita vocatur herba buglossos, cui praecipuum, quod in vino dejecta, animi voluptates auget: ab εὐφροσύνη, hilaritas. *Plin.* 25, 8, 40.

[EUPHROSYNUS, i, m. εὐφρόσυνος, laetitiam afferens: ita est cognominatus Mercurius, quia conviviis praeesse putabatur. V. EPULO. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 672. *n.* 8. L. Pompejus Euphrosynus. ℙ Scribitur et *Euphrosunus* in *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 26. M. Trebellius Euphrosunus. *F.*]

*EUPILIS, lacus Italiae superioris, in Gallia Transpadana, in quem progreditur Lambrus, in Padum defluens. *Plin.* 3, 19. Hodie, ait *Hard.* dictus *lago di Pusiano* (*Pusciano*, *Pussiano*). *B. A.*

[EUPĬSTUS, i, m. εὔπιστος, bene credulus, et credibilis: ab εὖ, bene, et πιστός, credulus, et credibilis. Est cogn. R. *Inscr*, ap. *Mur.* 997, 11. Ti. Claudius Eupistus. *F.*]

[EUPĬUS, ii, m. pro *eupoeus*, ab εὐποιός, beneficus: ab εὖ, bene, et ποιέω, facio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 580, 8. C. Vipstanus Eupius. *F.*]

[EUPLASTUS, i, m. εὔπλαστος, bene fictus: ab εὖ, bene, et πλαστός, fictus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 126, 40. Ti. Claudius Euplastus. *F.*]

*EUPLEA, ae, f. herba, qua perunctos commendatioris esse famae tradunt Magi. *Plin.* 25, 10. Illa virtus (ait *Gesnerus*) potius *Eucleam* suadet, Εὔκλειαν. ℙ Item insula maris Tyrrheni, juxta Neapolim. *Stat. Silv.* 2, 2, 79. Inde vagis omen felix Euplea carinis. Adde 3, 1, 149. *B. A.*

[EUPLĬA, ae, f. εὐπλεία, bene plena: ab εὖ, bene, et πλείη, plena. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 723, 4. Caecilia Euplia. *F.*]

EUPLOCĂMUS, a, um, adj. εὐπλόκαμος, calamistratus: ab εὖ, bene, et πλόκαμος, cincinnus. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 155. Euplocamo digitos, discerniculumque capillo.

[EUPLOEA, ae, f. Εὔπλοια, parva insula Campaniae prope Neapolin, nunc *Cajola*. *Stat. Silv.* 2, 2, 79. Inde vagis omen felix Euploea carinis. Graece enim εὔπλοια est felix navigatio, ab εὖ, bene, et πλέω, navigo. Est etiam cognom. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1257, 5. Fl*avia* Euploea. *F.*]

EUPOLIS, idis, m. Εὔπολις, antiquus poeta comicus, in reprehendendis hominum vitiis liberrimus. Scripsit comoedias decem et septem, ex quibus novem victoriam meruerunt. Periit in proelio navali inter Lacedaemonios et Athenienses commisso. Cujus mors quantum civitati luctum attulerit, illud ostendit, quod publico edicto cautum fuit, ne poetis in posterum militare liceret, uti ap. *Suid.* legitur. *Plin. ep.* 1, 20. Summum oratorem Periclem sic a comico Eupolide laudari. *Vell.* 1, 16. Una aetas priscam illam et veterem sub Cratino, Aristophane, et Eupolidé comoediam illustravit. *Hor. Sat.* 2, 3, 11. Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolin Archilocho? *Pers.* 1, 124. Iratum Eupoliden praegrandi cum sene palles.

*EUPOMPUS, i, m. praeclari pictoris nomen, qui docuit Pamphilum Apellis praeceptorem. *Plin.* 35, 9. *B. A.*

[*EUPŌRĬA, ae, f. εὐπορία, bona copia: ab εὖ, bene, et πορία, copia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 119. Mettia Euporia. Medicamentorum epitheton. *Theod. Prisc.* sive *Oct. Horat. praef.* 1. Adde 21. *F.* et *B. A.*]

[EUPŌRISTUS, i, m. εὐπόριστος, paratu facilis: ab εὖ, bene, et πορίζω paro. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1142, 4. P. Blesius Euporistus. *F.*]

[EUPŌRUS, i, m. εὔπορος, opulentus: ab εὖ, bene, et πόρος, emolumentum. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1112, 6. M. Aurelius Euporus. ℙ *Servus fuit C. Gracchi, qui — dominum ex Aventino fugientem, qua potuit ratione tutatus est, ac super occisum animam, scissis proprio vulnere visceribus, effudit. *Macr. Sat.* 1, 11. *Vell.* 2, 6. *Val. Max.* 6, 8. *Aur. Vict. Epit.* 65. *F.* et *B. A.*]

[EUPRAXĬA, ae, f. εὐπραξία, recta actio: ab εὖ, bene, et πρᾶξις, actio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 353, 10. Aemilia Eupraxia. *F.*]

[EUPRĒPES, etis, m. et

EUPRĒPIUS, ii, m. εὐπρεπής, bene decorus: ab εὖ, bene, et πρέπω, excello. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 158, 1. L. Flavii Euprepetis. Alia ap. *eund.* 1250, 6. Ti. Claudius Euprepius. *F.*]

[EUPROSDECTUS, i, m. εὐπρόσδεκτος, bene acceptus, ab εὖ, bene, et προσδέχομαι, excipio. Est nom. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 361, 9. Euprosdecto alumno dulcissimo M. Poblicius Hilarus. *F.*]

*EUPROSOPON, i, n. Εὐπρόσωπον, promontorium Phoeniciae. *Mela* 1, 12. *Polybio* est θεοῦ πρόσωπον, dei vultus s. facies. *B. A.*

*EUPTĒRON, i, n. herba alias polytrichon. *Appul. de herb.* 51. *B. A.*

[EURAE, arum, f. plur. εὖραι, ferramenta axi curruum infixa, ne a rota teratur. *Pollux Onomast.* 1, 10. Τὰ δὲ τῷ ἄξονι ἐγκείμενα σιδήρια, καὶ τριβόμενα ὑπὸ τοῦ τροχοῦ, εὖραι. Nempe ita appellatae videntur ab εὖ, bene, et ῥέω, fluo, quia ipsae curruum velocitati apprime faciunt. Hinc ob similitudinem ita etiam vocantur ferramenta parieti infixa, quae perticas uncinis clavatas sustinent ad lavantium, vel ludentium vestes in balneis publicis suspendendas. *Inscr.* Aponi effossa apud *Maff. Mus. Ver.* 127, 4. Q. Magurius Q. F. Fab. Ferox Aq*uis Aponi* dicavit curas VIII. et perticas uncinor*um* XII. N. CCLIX. *F.*]

*EURANĬUM, i, n. Εὐράνιον, oppidum Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[EURĒMĂ, ae, f. εὕρημα, inventio: ab inusit. εὑρέω pro εὑρίσκω, invenio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 393, 2. Aetia C. L. Eurema. ℙ *Eurema, ae*, f. pro *Heurema* est sine aspiratione, quae saepissime apud Latinos omittitur, et pro *Eurēmă, ătis*, n. quod item apud eosdem non raro usuvenit. V. SCHEMA. *F.*]

[*EUREMATICA. De iis singularem librum scripserat *Modestinus*, ut apparet ex Indice Florentino. Cf. *Heinecc.* in *Brisson. libr. de verb. signif.*]

[EURĒSIS, is, f. εὕρησις, et εὕρεσις, inventio: ab inusit. εὑρέω pro εὑρίσκω, invenio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 674, 10. Anicia Euresis fecit Calpurniae Euresis (*corrige* Euresi *filiae*). ℙ *Euresis* est pro *Heuresis*. V. EUREMA. *F.*]

[EURĒTUS, i, m. εὔρητος, bene dictus: ab εὖ, bene, et ῥέω, dico. Est cogn. R. *Inscr.* apud *Schiassium*, *Guida al Mus. di Bologna* p. 40. M. Aurelius Euretus. *F.*]

EURĪNUS, a, um, adj. ad Eurum pertinens.

Colum. 11, 2. Cal. Febr. Fidis incipit occidere: ventus eurinus, et interdum auster cum grandine est.

EURĬPĬCE, es, f. *εὐριπική*, genus junci, cujus semine somnum allici, scribit *Plin.* 21, 18, 71.

EURĬPĬDES, is, m. *Εὐριπίδης*, poeta tragicus Atheniensis. Natus est eo die, quo Xerxis exercitus ab Atheniensibus fusus est. Fuit primum in rhetorica Prodici discipulus, deinde Socratis in philosophia: secutus est etiam Anaxagoram. Athenis discedens venit ad Archelaum Macedoniae regem, apud quem summo in honore fuit. Scripsit fabulas septuaginta quinque, ex quibus quinque tantum victoriam meruerunt. Castitate vitae tanta fuit, ut vulgo *μισογυνής*, hoc est osor mulierum, cognominatus sit. Duxit tamen uxores duas. Excessit noctu discerptus a canibus annum agens septuagesimum quintum. Ossa ejus regis jussu Pellam translata, repulsis Atheniensium precibus, qui saepe per legatos tentaverant, ut civis sui reliquias sibi in patriam referre liceret. Haec et alia de eo *Gell.* 15, 20. et *Suidas.* ℙ Paenultima fere corripitur. Producitur minus recte a *Sidon. carm.* 23, 127. Cessissent Sophocles et Euripides. Adde *carm.* 9, 235.

EURĬPĬDĔUS vel Euripidĭus, a, um, adj. *Εὐριπίδειος*, ad Euripidem pertinens. *Cic. Tusc.* 3, 25. Euripideum carmen.

EURĬPUS, i, m. *εὔριπος*, (ab *εὖ*, multum, *ῥιπίζω*, ventilo) fretum maris angustum, ubi aqua aestu vehementiore reciprocat et vehementius agitatur: quale est Thracii Bosphori et alibi. *Cic. Mur.* 17. Quod enim fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? *Plin.* 6, 23, 26. Inde vadosa navigatio palustri similis, per euripos tamen quosdam peragitur. ℙ Celebre est hoc nomine fretum inter Euboeam et Boeotiam, qui et *Euripus* per antonomasiam dicitur (a *Liv.* 31, 24. etc.), ubi mare rapidum (inquit *Mela* 2, 7. *med.*) et alterno cursu septies die ac septies nocte, fluctibus invicem versis, adeo immodice fluit, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur. *Plin.* vero 2, 97, 100. septies die ac nocte reciprocare ait: cui adstipulatur *Sen. Herc. Oet.* 779. Alii sexies tantum, scripsere. Denique *Liv.* 28, 6. non septies die, inquit, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte praecipiti devolutus torrens, rapitur; ita nec nocte, nec die quies navibus datur. Ex recentioribus scriptoribus prodidere quidam, bis tantum die et nocte reciprocare: neque tamen id constanter, sed aliquando pluribus etiam vicibus. [*Lucan.* 5, 235. Euripusque trahit, cursum mutantibus undis, Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim. V. *Tzschuck.* ad *Melae l. c.* multa de Euripo, ejusque causis disserentem. *F.*] ℙ Ab horum similitudine *euripi* dicuntur alvei, fossae aut canales manu facti magnifico opere, qui aquas in morem fluviorum deducunt: quod sicut in marinis fretis, ita in his aquae ripis utrinque angustis inclusae decurrant. Hujusmodi sunt, qui aquas in privatas domos deferunt et qui tubis arctatam in sublime efferunt, tum usus causa, tum deliciarum. Dicuntur etiam *nili*, sed cum discrimine, quia *nili* exiliores sunt et angustiores, *euripi* ampliores. *Cic. Leg.* 2, 1. Magnificas villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno: ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, cum haec videat, irriserit? Adde *Sen. ep.* 83, *Front. Aquaeduct.* 84., *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 10. et *Id. alterum ep.* 1, 3. [*Vid. de euripis *Salm.* ad *Sol.* p. 638.] ℙ Item quaecumque lacunae vel fossae vivam aquam aut stagnantem continentes. *Plin.* 5, 10, 11. Mareotis lacus euripo e Canopico ostio mittitur. *Id.* 8, 26, 40. Primus hippopotamum et quinque crocodilos Romae aedilitatis suae ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit. Hujusmodi fuerunt quos aliquando in circo effodiendos curavit C. Caesar, metu ne elephanti dimicantes effugerent, ut *Plin.* narrat 8, 7, 7. et *Suet. Caes.* 39. Fertur Elagabalus in euripis vino plenis navales circenses exhibuisse. *Lamprid. Elagab.* 23. ℙ [Sequiore vero tempore *euripus* vocata est ea circi pars, quae postea etiam *spina* et in *Gloss. Philox.* dicitur *intermetium*, *h. e.* inter metas, quaeque multa Deorum signa continebat. *Tertull. Spectac.* 8. Frigebat daemonum concilium sine sua Magna Matre; ea itaque illic praesidet euripo. (Hinc ap. *Havercamp. Nummi contorniati tab.* 4. *n.* 8. videre est Cybelen prope obeliscum leoni insidentem.) *Id. advers. Hermog.* 31. Scena autem erat talis et talis et statuae super euripum et obeliscus super omnia ferebatur. *Sidon. carm.* 23, 356. Jam vos (quadrigae) ex oculis velut volantes, Consumpto spatio patentiore (*quod est a carceribus ad metam primam*), Campus clauserat arctus arte factus, Per quem longam, humilem duplamque muro Euripus sibi machinam tetendit. V. *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. p. 225. *Edit. Mediol.* et *Acta Soc. Lat. Jenensis T.* 5. p. 313. et seqq. *F.*]

[*EUROAFRICUS, i. Ventus inter Austrum et Africum. *Isid. Orig.* 13, 11. Auster habet a dextris Euroaustrum, a sinistris Austroafricum.] *Hunc *Isidori* l. citat. *Schell.*, quasi scriptum *Euroafricum* in nonnullis: nisi humani aliquid passus fuerit Vir doctus. *Austroafricum* certe *Gothofr. B. A.*

[*EUROAQUILO, onis. Ventus inter Eurum et Aquilonem. *Vulgat. Act. Apost.* 27, 14.]

[EUROAUSTER, stri, m. ventus oppositus Circio, ab una parte Eurum habens, ab alia Austrum. [**Isid. Orig.* 13, 11. Euroauster dictus, quod ex una parte habeat Eurum, ex altera Africum.] Idem est ac euronotus, qua postrema appellatione praecipue Graeci, Romani vero priore usi sunt, ut constat ex *Inscr.* ap *Grut.* 137, 1. et alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 177., in quibus legitur: *Εὐρόνοτος*, Euroauster. *F.*]

[EUROMENSIS, is, adj. ad Euromum seu Euromen pertinens, Cariae urbem mediterraneam, cujus meminit *Liv.* 33, 30. et *Plin.* 5, 29, 29. in ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 2. p. 581. *ΕΥΡΩΜΕΩΝ.* ℙ *Euromenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Liv.* 45, 25. Mylasenses Euromensium oppida occuparunt. *F.*]

*EUROMUS, i, f. *Εὔρωμος*, et Eurome, es, f. oppidum Cariae. ℙ V. vocem praecedentem. *B. A.*

EURONOTUS, i, m. *εὐρόνοτος*, *φοινικίας*, ventus spirans inter ortum brumalem et meridiem, qui et phoenix seu phoenicias dicitur. *Plin.* 2, 47, 46. et *Colum.* 11, 2. *med.* ℙ Alii docent spirare ab oriente hiberno, eundemque esse ac Vulturnum, Italis *Sirocco-Levante:* euronotum vero dici, quod inter notum et eurum sit (quae tamen etymologia etiam in priori significatione ei convenit). Ita *Gell.* 2, 22.

EUROPA, ae, et Europē, es, f. *Εὐρώπη*, filia Agenoris Phoenicum regis et Agriopes, soror Cadmi, quam Juppiter in bovem versus, dolose tergo exceptam per mare abduxit in Cretam atque ex ea Sarpedonem (al. *Aeacum*), Minoem et Rhadamanthum genuit. Fabulam fuse describit *Ov. Met.* 2, 836. et seqq. Adde *Hor. Od.* 3, 27, 25. et *Hyg. fab.* 155. et 178. ℙ Ex quorundam opinione scribit *Fest.* raptam fuisse Europam a praedonibus Cretensibus, qui nave usi sint effigiem tauri in puppi habente. Alii quae *taurus* appellaretur. Alii a praedone, cui nomen *Taurus* fuerit. ℙ Ab ea denominata est tertia orbis pars (V. ASIA), et pulcherrima omnium: quae a septentrione et occidente oceano clauditur, a meridie mari mediterraneo, quod eam ab Africa disterminat, ab oriente aliqua ex parte Asiae jungitur. *Plin. prooem.* 3. et *ib.* 1, 1. et 4, 23, 37. ℙ Hujus appellationis rationem alii inde ducunt, quod ob pulcritudinem regionis, per simulationem raptae filiae, ea terrarum pars ab Agenore et Phoenicibus occupata sit. *Fest.* ℙ Alii id nomen ductum esse a Phoenicibus, quorum lingua *Europa* terram *λευκοπρόσωπον*, *h. e.* homines habentem facie candida, significet. ℙ *Europai* in genit. sing. ap. *Quint.* 1, 5. diaeresis est in versu usurpata, similis *terrai*, *aquai*. ℙ Si de filia Agenoris loquaris, utraque positione uti licet: si de parte orbis, rectius Latinam usurpabis. *Stat. Achill.* 1, 81. miscere cruentas Europaeque Asiaeque manus. ℙ Romae porticus amplissima in campo Martio, in qua picta erat fabula Europes abductae, frequentata multum otiosis hominibus, *Europe* dicitur a *Mart.* 2, 14. et 3, 20. V. etiam 11, 1. ℙ *Fuit et Europa Thraciae quaedam regio sic vocata. *Sext. Ruf.* 9. ℙ Europa, Tityi filia, quae Euphemum Argonautam ex Euphemo genuit. *Hyg. fab.* 14. *med. B. A.*

EUROPAEUS, a, um, adj. *Εὐρωπαῖος*, ad Europam Agenoris filiam pertinens, ut Europaeus dux, ap. *Ov. Met.* 8, 23. est Minos Europae filius. ℙ Item pertinens ad partem orbis. *Nep. Eum.* 3. Illum opposuerat Europaeis adversariis. *Curt.* 7, 7. Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europaeos vocant, dividit.

EUROPENSIS, e, adj. Europaeus. *Vopisc. Aurel.* 31. Aureliano rebus Europensibus occupato. Al. leg. *Europiensibus*. *Id. Prob.* 13. Recipit omnes Europenses exercitus. V. HISPANIENSIS.

*EUROPUM, i, n. *Εὔρωπον*, Syriae urbs, olim Thapsacum, postea Amphipolis appellata. *Plin.* 5, 24. ℙ Alia ejusdem nominis, apud Parthos cognomento Nomadas. *Id.* 6, 25. *B. A.*

*EUROPUS, i, f. *Εὐρωπός*, Macedoniae oppidum, ad Axium flumen. *Plin.* 4, 10. ℙ Item aliud Macedoniae oppidum, in Almopia, ubi Haemus et Scardus montes se invicem contingunt. *Id. ib.* ℙ Fuit et *Europus*, *i.* m. rex Macedoniae, Macedonis filius et Orithyiae Erechthei filiae. *Justin.* 7, 1. *B. A.*

EUROTAS, ae, m. *Εὐρώτης*, fluvius Peloponnesi, lauris abundans in ripis: oritur in Arcadia et per Laconiam in meridiem decurrit et Lacedaemonem alluens in sinum Laconicum influit. *Plin.* 4, 5, 8., *Ov. Met.* 2, 247 et *Val. Fl.* 1, 430. [*Casu recto Latinis *Eurota* dicitur, velut in versibus apud *Cic. Tusc. Disp.* 2, 15. Virgines, Queis palaestra, Eurota, sol, pulvis studio est. Vid. *Ramsh.* Lat. Gr. §. 26. p. 38.] ℙ Marmor Lacedaemonium, Italice *il serpentino*, significatur in illo *Stat. Silv.* 1, 5, 40. Vix locus Eurotae etc.

EUROTĬAS, ae, m. gemma, quae situ (inquit *Plin.* 37, 10, 58.) videtur operire nigritiam. Est ab *εὐρώς*, situs, mucor, putredo.

EUROUS, a, um, adj. ad Eurum pertinens, orientalis. *Virg. A.* 3, 533. Portus ab Euroo fluctu curvatur in arcum. *Pier. Valer.* ita se legisse testatur in omnibus paene codicibus antiquis, quos versaverit. Est autem *Eurous* ab *Eurus*, ut *Arctous* ab *Arctus*, *Lesbous* a *Lesbus*. Alii tamen minus recte *Eoo* habent.

EURUS, i, m. *εὖρος*, ventus spirans ab oriente brumali, contra eorum, latina appellatione *Vulturnus*. *Colum.* 11, 2. *a med.* Eurus, quem quidam Vulturnum appellant. [*Illi quidam quinam fuerint, vide infra.] *Sen. Quaest. nat.* 5, 16. Ab oriente hiberno Eurus exit, quem nostri appellavere Vulturnum. Et Livius (22, 46.) hoc nomine illum appellat etc. Sed et Eurus jam civitate donatus est et nostro sermoni non tanquam alienus intervenit. Adde *Plin.* 2, 47, 46., *Veg. Mil.* 38. et *Vitruv.* 1, 6. *med.* [*Adde *Col.* 5, 5, 16. Eurus, quem incolae Vulturnum appellant. Intelligit autem Baeticam provinciam. Teste *Livio* 22, 46. et *Floro* 2, 6. Apuli proprie a Volturno flumine flantem ventum Volturnum vocabant.] ℙ Qui quatuor tantum ventos agnovere, non ab oriente brumali, sed aequinoctiali contra Zephyrum spirare affirmant et alium a Vulturno esse, eundem vero ac Apeliotem et Subsolanum. *Gell.* 2, 22. Qui ventus igitur ab oriente verno, id est aequinoctiali venit, nominatur Eurus, ficto vocabulo, ut isti *ἐτυμολογικοὶ* ajunt, *ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων*, *h. e.* ab aurora flans. *Ov. Trist.* 1, 2, 27. modo purpureo vires capit Eurus ab ortu: Nunc Zephyrus sero vespere missus adest. Adde *Met.* 1, 61. et seqq., et *Manil.* 4, 589. ℙ Atque hac ratione accipi videtur a poetis, qui interdum Eurum pro oriente ponunt. *Val. Fl.* 1, 538. regio, quae virginis aequor ad Helles, Et Tanaim tenus immenso descendit ab Euro. *Claud. Laud. Stilich.* 2, 417. Unicus extremo Phoenix procedit ab Euro. ℙ Per synecdochen sumitur pro quovis vento. *Virg. G.* 3, 382. Gens effrena virum Riphaeo tunditur Euro. ℙ In plur. num. *Id. G.* 2, 339. hibernis parcebant flatibus Euri. Et 441. animosi Euri. *Ov. Am.* 1, 9, 13. tumidi. Et *Her.* 15, 9. indomiti. Et *ib.* 9, 9. truculentior Euris. *Furius* ap. *Gell.* 18, 11. *extr.* Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.

EURYALE, es, f. *Εὐρυάλη*, fuit regis Minois filia, quae Neptuno Orionem peperit. *Hyg. Astron.* 2, 35. ℙ Alia fuit Proeti Argivorum regis filia. *Id. fab. praefat.* ℙ Tertia una ex Gorgonibus. *Id. ib.* ℙ Fuit etiam hoc nomine regina Amazonum. *Val. Fl.* 5, 612.

[*EURYALUS, i, m. *Εὔρυαλος*. Joni filius, qui, quum filiam suam stuprare vellet, a serpentibus absumtus est. Vid. *Interpp.* ad *Ov. Ib.* 287. *Catal.* Argonautarum ante *Val. Fl.* s. v. *Euryalus.*] ℙ *Item Nisi amicus. *Virg. A.* 5, 295. et 9, 179. seq. ℙ Item nomen histrionis. *Juven. sat.* 6, 81. ℙ Et tumulus prope Syracusas. *Liv.* 25, 25. *B. A.*

[*EURYANASSA, ae. Insula Aegaei maris prope Ioniam. *Plin.* h. n. 5, 31.]

[*EURYBĀTES, is, m. *Εὐρυβάτης*, (ab *εὐρύ*, late, et *βαίνω*, ambulo) vir Ithacus, Agamemnonis minister, quem Ulysses apud se perpetuum praeconem habuit. Missus est cum Talthybio ab Agamemnone ad Achillis tentoria, ut Briseidem raperet. *Ov. Her.* 3, 9. *F.* et *B. A.*]

[EURYCLĒA et Euriclīa, ae, f. *Εὐρύκλεια*, (ab *εὐρύς*, latus, et *κλεῖος*, gloria) nutrix Ulyssis. *Hyg. fab.* 125. et *Cic. Tusc.* 5, 16. *F.*] [*Ap. *Cic.* aut ex librariorum lapsu aut, quod probabilius est, ex ipsius Ciceronis errore legitur *Anticlea.*]

*EURYDĀMAS, antis, m. *Εὐρυδάμας*, Iri filius, Argonauta. *Hyg. fab.* 14. ℙ Item unus ex procis Penelopes. *Sil.* 2, 178. ℙ Et Hectoris cognomen. *Ov. Ib.* 331. *Sil.* 2, 186. *B. A.*

EURYDĪCE, es, f. *Εὐρυδίκη*, uxor Orphei, pro qua recuperanda ad inferos descendit. *Virg. G.* 4, 486. Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras. Fabulam V. in ORPHEUS. ℙ Latina positione est *Eurydica*, *ae*, ut habetur in versibus *Ennii* ap. *Cic. Div.* 1, 20. [*Item nomen conjugis Gentii. *Liv.* 44, 30.] ℙ *Alia fuit Eurydice, Danai filia. *Hyg. fab.* 170. ℙ Et alia, mater Archemori. *Id. fab.* 273. *B. A.*

EURYLOCHUS, i, m. *Εὐρύλοχος*, socius Ulyssis, qui solus Circes pocula non gustavit, neque in suis figuram est transmutatus. *Ov. Met.* 14, 287. Vidimus Eurylochum: solus data pocula fugit. [**Hyg. fab.* 125.]

*EURYMĀCHUS, i, m. unus ex procis Penelopes, cujus meminit *Ov. Her.* 1, 92. *B. A.*

EURYMĔDON, ontis, m. *Εὐρυμέδων*, pater Periboeae, ex qua Neptunus suscepit Nausithoum regem Phaeacum et Alcinoi patrem. *Homer. Odyss. l.* 7. *v.* 58. ℙ Item filius Fauni, de quo *Stat. Th.* 11, 32. ℙ Item fluvius, qui ex Tauri jugis ortus Pamphiliam secat. *Mela.* 1, 14.

*EURYMĒNAE, arum, f. oppidum Thessaliae. *Liv.* 39, 25. *init. Plin.* 31, 2. *B. A.*

EURYMĪDES, ae, m. filius Eurymi, *Εὐρυμίδης*,

h. e. Telemus. *Ov. Met.* 13, 771. et *Ib.* 272. et *Hyg. fab.* 125. et 128.

*EURYMUS, i, augur, pater Telemachi. *Hyg. fab.* 125. *in.* et 128. *B. A.*

EURYNOMĒ, es, f. *Εὐρυνόμη*, Oceani et Tethyos filia, uxor Orchami Achaemeniorum regis, mater Leucothoes. *Ov. Met.* 4, 210. ℙ Item Apollinis filia, quae Adrastum Argivorum regem et Eriphylen Amphiarai conjugem peperit. *Hyg. fab.* 69. ℙ Item mater Gratiarum. *Id. ib. praefat.*

*EURYONE, es, f. Amyntae Macedonum regis filia, quae patrem a matris insidiis liberavit. *Just.* 7, 4. *B. A.*

[EURYPYLIS, idis, f. ad Eurypylum pertinens Coi regem. V. v. seq. *Prop.* 4, 5, 23. Eurypylisque placet Coae textura Minervae, *h. e.* textura, quae fit a Cois mulieribus. *F.*]

[EURYPYLUS, i, m. *Εὐρύπυλος* (ab *εὐρύς*, latus, es *πύλη*, porta), filius Telephi et Astyoches filiae Priami, *Hyg. fab.* 112. et *Ov. Met.* 13, 357. ℙ Item Evaemonis filius ex Ormenio Thessaliae urbe, qui in expeditione Trojana Agamemnonem secutus Graecorum augur peritissimus est habitus. *Hyg. fab.* 97. et *Virg. A.* 2, 114. ℙ Item Herculis filius, qui regnavit in Coo insula: hinc *urbs Eurypyli* appellatur Cos ab *Ov. Met.* 7, 363. *F.*]

[*EURYSTHENES, i. Unus ex filiis Aegypti, qui a sponsa occisus est. *Hyg. fab.* 170.] ℙ *Item filius Aristodemi, frater Proclis, Heraclidarum unus. *Nep.* in *Ages.* 1. *B. A.*

EURYSTHĔUS, a, um, adj. ad Eurystheum pertinens, *Εὐρυσθειος. Stat. Th.* 6, 311. bella Eurysthea gerentem Amphitryoniaden.

EURYSTHEUS, ei, m. trisyllab. *Εὐρυσθεὺς*, Stheneli Mycenarum regis filius, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quo posset perire. Quare eum *Virg.* durum appellat *G.* 3, 4. quis aut Eurysthea durum nescit? *Eurysthea* est accusat. Graecae positionis.

EURYTHMIA, ae, f. *εὐρυθμία*, concinnitas, convenientia, apta dispositio. *Vitruv.* 1, 2. Architectura constat ex ordinatione, ex dispositione, eurythmia et symmetria. Et *paulo post.* Eurythmia est venusta species commodusque in compositionibus membrorum aspectus. Haec efficitur, cum membra operis convenientia sunt, altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem et ad summam omnia respondent suae symmetriae. Adde 6, 2. *extr.* Videtur autem, inquit *Bald.* in *Lex. Vitruv.*, ea dictione exprimi quod Italice dicitur *garbato, grazioso.*

*EURYTĬON, onis, *Εὐρυτίων*, Centaurus, qui Pirithoi nuptiis interfuit. *Ov. Art. Amat.* 1, 593. V. *Eurytus.* ℙ Et Argonautarum unus. *Id. Met.* 8, 311. ℙ Et Trojanus, Lycaonis filius, Pandari frater, de quo *Virg. A.* 5, 495. ℙ Et faber insignis, qui Pallanti, Evandri filio, arma fabricavit. *Virg. A.* 10, 499. *B. A.*

EURYTIS, ĭdos, f. *Εὐρυτὶς*, patronym. filia Euryti. *Ov. Her.* 9, 133. Eurytidosque Ioles atque insani Alcidae. Adde *Met.* 9, 395.

EURYTUS, i, m. *Εὔρυτος*, Oechaliae rex, pater Ioles, ab Hercule victus et occisus, cum filiam certaminis lege promissam nollet tradere. V. IOLE. ℙ Item Mercurii filius, comes Argonautarum. *Val. Fl.* 1, 438. et 3, 471. et 6, 569. ℙ *Item Centaurus, qui Pirithoi nuptiis interfuit, a Theseo obtruncatus. *Ov. Met.* 12, 220. seq. *Eurytion* audit *Ov. Art. Am.* 1, 593. *B. A.*

EUSCHĒMĒ, adv. *εὐσχήμως*, decore, speciose: praesertim si de vestibus et habitu sermo sit. Vox Graeca, qua utitur *Pl. Mil.* 2, 2, 58. et *Trin.* 3, 1, 24.

[EUSCHĒMON, ŏnis, m. et
EUSCHĒMUS, i, m. *εὐσχήμων*, decens: ab *εὖ*, bene, et *σχῆμα*, species externa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 330, 7. T. Flavio Aug. L. Euschemoni. Alia ap. *Mur.* 945, 10. Ti. Claudius Euschemus. *F.*]

[EUSĒBES, is, et etis, m. et Eusebus, i, m. *εὐσεβὴς*, pius: ab *εὖ*, bene, et *σέβω*, veneror. *Plin.* 37, 10, 58. Lapis eusebes *(dictus est)*, ex quo Tyri in Herculis templo facta sedes, ex qua Dii facile surgebant. Ubi *surgebant* exponit *Hard.* eminebant, exstabant: *Gesnero* placet vetus lectio *difficile* pro *Dii facile*, h. e. difficile surgebant religiosi homines ex ea sella, cujus materia *pius lapis.* ℙ Est etiam epitheton regum praesertim, ut Romae *Pius. Cic. Fam.* 15, 2. Ut regem Ariobarzanem Eusebem, et Philoromaeum tuerer. ℙ Item *Eusebes*, ētis est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 518, 6. C. Valerio C. F. Vel. Eusebeti. ℙ Declinatur quoque *Eusebius*, ii, m. *Inscr.* ap. *eund.* 1139, 5. Aurelius Eusebius. ℙ Hinc illustris *Eusebius* Caesareae Palaestinae episcopus, cognomento Pamphili ob amicitiam Pamphili martyris, teste *Hieron.* in *Ezechiel.* 6, 18. Vir fuit longe clarissimus, et in omni historiarum genere exercitatissimus. Plura scripsit, inter quae *Chronicon*, cujus Latinam interpretationem edidit *Hieronymus. F.*]

*EUSEBIA, ae, uxor Constantii Imperatoris, ingenio et eruditione excellens, sed Arianismo infecta, quem quovis modo annisa est promovere, per maritum, in cujus animo plurimum poterat. *Ammian.* 16, 10. *B. A.*

*EUSEBIUS, ii, V. EUSEBES.

[EUSĔMUS, i, m. *εὔσημος*, bene praesagiens: ab *εὖ*, bene, et *σῆμα*, praesagium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1037, 6. Numisius Eusemus. *F.*]

[EUSTOMĂCHUS, a, um, adj. *εὐστόμαχος*, qui stomacho prodest: ab *εὖ*, bene, et *στόμαχος*, stomachus. *Theod. Prisc. de diaeta.* 7. Ovum molle plus est eustomachum, quam sorbile. *F.*] [*i. e. facilius concoqui potest.

[EUSTŎMUS, i, m. *εὔστομος*, bona verba proferens, ab *εὖ*, bene, et *στόμα*, os. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1549, 6. C. Munatius Eustomus. *F.*]

[EUSTRŎPHUS, i, m. *εὐστροφος*, bene tortilis: ab *εὖ*, bene, et *στρόφος*, cirrus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 936, 9. Claudius Eustrophus. *F.*]

EUSTYLOS. V. DIASTYLOS.

[EUTACTUS, i, m. *εὔτακτος*, bene compositus, modestus: ab *εὖ*, bene, et *τακτὸς*, ordinatus, quod a *τάσσω*, ordino. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 83. M. Licinius Eutactus. *F.*]

[EUTAXĬA, ae, f. *εὐταξία*, disciplina, modestia: ab *εὖ*, bene, et *τάξις*, ordo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 474, 7. Titinia Eutaxia. *F.*]

*EUTELĔTOS, i, f. Africae insula, circa majorem Syrtem. *Mela* 2, 7. *ante med. B. A.*

EUTERPĒ, es, f. *Εὐτέρπη*, una ex Musis, quae *dulciloquis calamos flatibus urget*, ut est ap. *Auson. Idyll.* 20, 4. ab *εὖ*, bene, et *τέρπω*, delecto. *Hor. Od.* 1, 1, 32. si neque tibias Euterpe cohibet. Hujus Musae figuram habes in nummo gentis Pomponiae ap. *Morell. tab.* 3. *n.* 6. et ap. *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 120. *tab.* 18. *edit. Mediol.* V. MUSA.

[EUTHĂLES, is, m. *εὐθαλὴς*, bene floridus: ab *εὖ*, bene, et *θάλλω*, floreo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *De-Lama, Iscriz. Vell.* p. 69. L. Sulpicio L. F. Gal. Nepoti Euthales *libertus. F.*]

*EUTHANE, es, f. Cariae oppidum. *Mela* 1, 16. *Eutane* dicitur a *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[EUTHĔMUS, i, m. *εὐθήμων*, bene positus, concinnus: ab *εὖ*, bene, et *τίθημι*, pono. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 179. *n.* 374. C. Clodius Euthemus. *F.*]

[EUTHENIA, ae, f. et
EUTHENIS, ĭdis, f. *εὐθήνεια*, et *εὐθενία*, abundantia, copia: ab *εὐθηνέω*, vel *εὐθενέω*, vigeo, floreo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 634, 5. Julia Euthenia. Alia ap. *eund.* 783, 7. Flavia Euthenis. *F.*]

[EUTHĔRISTON, i, n. *εὐθέριστον*, *h. e.* quod facile demetitur: ab *εὖ*, bene, et *θερίζω*, meto: balsami genus. *Plin.* 12, 25, 54. Arbori *(balsami)* tria genera: tenui et capillacea coma, quod vocant eutheriston. *F.*]

[EUTHĔTUS, i, m. *εὐθετος*, aptus, conveniens: ab *εὖ*, bene, et *θετὸς*, positus, quod a *τίθημι*, pono. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 370. L. Vitruvius Euthetus. *F.*]

[*EUTHIA, ae, *εὐθεῖα*, sc. *γραμμὴ*, recta linea. *Martian. Cap.* 9. p. 216, 1. *Vulc.*]

*EUTHYCRĂTES, is, m. *Εὐθυκράτης*, Lysippi filius et discipulus, ante omnes aetatis suae laudatos in pictura artifices excelluit. Floruit centesima vicesima Olympiade, constantiamque patris potius aemulatus quam elegantiam, austero maluit genere quam jucundo placere. Haec *Plin.* 34, 8. ubi et ejus opera recenset. *B. A.*

EUTHYGRAMMUS, i, m. *εὐθύγραμμος*, regula recta, qua utuntur architecti in operibus dirigendis: ab *εὐθὺς*, rectus, et *γραμμὴ*, linea. *Vitr.* 1, 1. Geometria euthygrammi et circini tradit usum, e quo maxime facilius expediuntur normarum, et librationum, et linearum directiones.

*EUTHYMĒDES, is, m. *Εὐθυμήδης*, pictor sui temporis non ignobilis, cujus in transcursu meminit *Plin.* 35, 11. *B. A.*

[EUTHYMIA, ae, f. *εὐθυμία*, animi tranquillitas: ab *εὖ*, bene, et *θυμὸς*, animus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 146, 1. Julia Euthymia. *F.*]

[*EUTHYMUS, i, m. *εὔθυμος*, animo tranquillus: ab *εὖ*, bene, et *θυμὸς*, animus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 345, 9. P. Aelius Euthymus. ℙ *Euthymus*, i, pyctes in Locris Italiae, qui Epizephyrii cognominantur, ortus Astycleo patre, vel, ut indigenis persuasum est, Caecino amne genitus, qui Locros a Rheginis dividit. Meminit *Plin.* 7, 47. *F.* et *B. A.*

EUTHYOS, a, um, adj. *Εὔθυος*, pulcre et rite sacrificans. *Accius* ap. *Macr.* 6, 5. O Dionyse, pater optime, vitisator, Semela genitus Euthya. *Voss.* leg. *Euie*, ut ad Bacchum referatur.

[EUTŌCIA, ae, f. *εὐτοκία*, fecunditas: ab *εὖ*, bene, et *τόκος*, partus, quod a *τίκτω*, pario. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 130, 7. Sempronia Eutocia. *F.*]

[EUTŎNUS, i, m. *εὔτονος*, intensus, robustus: ab *εὖ*, bene, et *τείνω*, tendo. Est nomen equi in *Inscr.* ap. *Mur.* 624, 1. Eutono Afro. *F.*]

[EUTRĂPĔLUS, i, m. *εὐτράπελος*, qui facile in omnes partes vertitur, facetus: ab *εὖ*, bene, et *τρέπω*, verto. Est cogn. R. Ap. *Cic. Fam.* 9, 36., et ap. *Nep. Attic.* 12. mentio est P. Volumnii Eutrapeli praefecti fabrum Antonii triumviri, cujus scurrile ingenium *Cic. Fam.* 7, 32. lepide exagitat. *F.*] ℙ *Mentionem facit Eutrapeli cujusdam *Hor. ep.* 1, 18, 31. V. et *Mart.* 7. *epigr.* 83. *B. A.*

[EUTRŌPIUS, ii, (est ab *εὔτροπος*, bene moratus) sophista Italus, cujus meminit *Suida;* scripsit *Breviarium historiae R.*, quod Flavio Valenti Aug. dicavit: militasse se ait sub Juliano Aug., atque expeditioni ejus in Persas interfuisse. ℙ Item eunuchus, qui adeo apud Arcadium Aug. valuit, ut consul designaretur. Superbia, crudelitate, impuritate infamis fuit; episcopis male habitis, pessimae tantum vitae homines dilexit: sed tandem in Cyprum exsul abiit, mox Chalcedone capite plexus. In eum exstant libri duo *Claudiani* poetae. *F.*]

[EUTRŌPUS, i, m. *εὔτροπος*, bonos mores habens; ab *εὖ*, bene, et *τρέπω*, verto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 16, 7. P. Papinius Eutropus. *F.*]

*EUTYCHE, es, f. *Εὐτύχη*, mulier Tralliana, triginta partus enixa, et a viginti liberis rogo illata. *Plin.* 7, 3. *B. A.*

[EUTYCHES, ētis, m. et Eutychus, i, m. *εὐτυχὴς*, felix: ab *εὖ*, bene, et *τύχη*, fortuna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 930, 6 D. M. P. Aelii Eutychetis. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 38. C. Julius Eutychus. *F.*]

[*EUTYCHIA, ae, f. *εὐτυχία*, bona fortuna: ab *εὖ*, bene, et *τύχη*, fortuna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 463, 10. Pompusidia C. L. Eutychia. ℙ *Eutychia* ae, f. *Εὐτυχία*, insula Thessaliae adjacens, ante sinum Pagasicum. *Plin.* 4, 12. *F.* et *B. A.*

*EUTYCHĬDES, is, m. *Εὐτυχίδης*, statuarii nomen, qui centesima vicesima Olympiade floruit. Lysippi discipulus fuit, Eurotamque fecit, in quo artem ipso amne liquidiorem plurimi dixere. *Plin.* 34, 8. ℙ Eutychidis cujusdam pictoris, forte ejusdem cum praecedente, meminit *Id.* 35, 11. *B. A.*

EVULGĀTUS, a, um, partic. ab *evulgo*, vulgatus, editus. *Tac. A.* 14, 14. Evulgatus pudor. *Id. H.* 1, 4. Evulgatum arcanum.

EVULGO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξαγορεύω*, in vulgus edo. *Liv.* 9, 46. Civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgavit. *Tac. A.* 13, 19. Evulgare injurias.

EVULSĬO, onis, f. *ἔκσπασις*. *Cic. N. D.* 3, 22. Qui primus purgationes alvi, dentisque evulsionem invenit.

EVULSUS, a, um, partic. ab *evello*, *ἐκσπασθείς*. *Cic. Att.* 15, 4. Arbor excisa, non evulsa. [*sc. radicibus manentibus.] *Crass.* ap. *eund. Or.* 3, 1. Evulsa lingua. *Curt.* 8, 10. *med.* Evulsum spiculum. *Plin.* 34, 15, 44. Clavi e sepulcro evulsi. *Id.* 26, 1, 4. Acus evulsus pollice. *Id.* 8, 51, 77. Seta dorso suis evulsa. *Id.* 30, 14, 46. Ricini evulsi cani.

*EUXENĬDAS, ae, f. *Εὐξενίδας*, pictor sua aetate celeberrimus, Aristidis praeclari artificis praeceptor. *Plin.* 35, 12. *B. A.*

EUXĪNUS Pontus, mare illud, quod incipiens a Bosphoro Thracio vergit in Or. et Sept., et ad Cimmerium Maeotidi paludi jungitur. Prius *Ἄξενος*, Axenus dictus est, scil. inhospitalis, propter immanitatem eorum, qui ejus maris litora incolebant. Illi enim hospites immolare solebant, et carnibus peresis ex calvis eorum sibi pocula conficere. Postea cum in locis maritimis Iones aliquot oppida condidissent, conhibito Scytharum assueto latrocinio, receptoque Graecorum hominum commercio, *Εὔξεινος* Ionice, Euxinus, hoc est hospitalis, appellatus est. *Ov. Trist.* 4, 4, 55. Frigida me cohibent Euxini litora Ponti: Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. *Plin.* 4, 12, 23. Tota ab Hellesponto longitudo CCXXXIX M. pass. Dein vastum mare Pontus Euxinus, qui quondam Axenus, longe refugientes occupat terras, magnoque litorum flexu retro curvatus in cornua, ab his utrinque porrigitur, ut sit plane arcus Scythici forma. Medio flexu jungitur ostio Maeotii lacus. Cimmerius Bosphorus id os vocatur. *Ov. Trist.* 2, 197. Hactenus Euxini pars est Romana sinistri, *h. e.* pars sinistra Euxini maris. Et *ib.* 5, 10, 13. Euxini mendax cognomine litus. Et *ib.* 4, 8, 42. Euxinum mare. Et *Pont.* 2, 6, 2. Euxinae aquae. Et *ib.* 4, 9, 2. Euxina vada. Et *ib.* 31, 51. Euxinum litus. ℙ Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 960, 2. C. Julius Euxinus.

[EUZĒLUS, i, m. *εὔζηλος*, bonus aemulator: ab *εὖ*, bene, et *ζηλόω*, aemulor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 394, 1. C. Coesidius Euzelus. *F.*]

EUZŌMON, *εὔζωμον*, appellavere Graeci semen erucae herbae, quia multae est suavitatis in condiendis obsoniis: ab *εὖ*, bene, et *ζωμὸς*, jus esculentum. *Plin.* 20, 13, 49.

[EUZOUS, i, m. *εὔζωος*, bene vivens: ab *εὖ*, bene, et *ζωὴ*, vita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1385, 8. C. Cominius Euzous. *F.*]

EX

EX, et E, *ἐκ*, *ἐξ*, *ἀπὸ*, una ex iis praepositionibus, quae ablativum regunt. *Ex* praeponitur omnibus verbis, sive a vocali incipiant, sive a conso-

nante. *E* solummodo a consonante incipientibus. [*Fuerunt qui *ex* ante certas tantum consonas poni posse contenderent. Sed hoc nihili videtur. Credam potius rem saepissime pendere ab aurium judicio, ad quod quum veteres retulerint harum formarum usum, nobis optimorum codd. fides unice sequenda erit. Quanquam non omittendum in certis quibusdam formulis alterutram formam praevaluisse; velut dixerunt veteres *ex tempore*, non: e tempore, *e vestigio*, non: ex vestigio, *ex se*, non: e se. Tum vero in aliis formulis áliquid etiam ad sensum interest, utrum *e* an *ex* ponas. Sic recte dici videtur: Demetrius ex republica clarus est, non: e republica. Contra: hoc est e republica (sc. rei publicae prodest), ubi non dici posse videtur: ex republica. Porro semper dicendum *e regione*, ubi locus significatur ex adverso positum; contra recte dicas: ex regione aliqua proficisci. Cfr. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 2, 5. *Jahns Jahrb. für Philol.* I. 2. p. 311. p. 326.] *Cic. Brut.* 46. *f.* Cum percontaretur ex quadam aniculа. *Ter. Eun.* 3, 2, 38. E flamma petere cibum. *Plin.* 28, 4, 10. Si pollices pedum pungantur, exque his guttae referantur in faciem. [*Nota etiam *exve* dictum. *Ulp.* in *Dig.* 50, 16, 56. Omnes qui sui juris sunt, sive virilis, sive feminini sexus sunt, exve feminini sexus descendentes. *Id.* in *Dig.* 1, 9, 10. Omnes qui geniti ex ipsis exve liberis eorum dicantur.] ℙ Modo locum significat. *Ter. Eun.* 3, 2, 18. Ex Aethiopia est usque haec. [*Atque hinc saepe adjectivi locum obtinet. *Ter. Eun.* 1, 2, 85. Ex Aethiopia ancillula, pro ancilla Aethiopissa. V. *Ruhnk.* ad h. l. *Drak.* ad *Liv.* 35, 32, 4.] *Id. Andr.* 1, 1, 43. Ex Andro commigravit. *Cic. N. D.* 1, 21. Epicurei e Graecia. *Id. Tusc.* 2, 25. Laborare ex renibus. *Virg. Ecl.* 7, 13. eque sacra resonant examina quercu. [**Ex* et *a* quomodo differat, docet *Hand. Tursell.* p. 12.] ℙ Modo tempus, et significat *post*. [*Ex Calendis locare, *vom ersten Tage an vermiethen.* Ex die datur libertas, *von dem Tage an.* Et sic semper in usu forensi. Exempla vide ap. *Brisson. de verb. sign.*] *Cic. Phil.* 1, 1. Ex eo die, quo in aedem Telluris convocati sumus. *Virg. A.* 2, 169. Ex illo fluere, et retro sublapsa referri Spes Danaum. *Cic. Att.* 7, 26. Diem ex die exspectare. *Id. Phil.* 14, 7. Ex cal. Jan. ad hanc horam invigilavi reipubl. *Id. Brut.* 92. Ex consulatu est profectus in Galliam. [**Gron. Obs.* 4, 20. *Duk.* ad *Liv.* 22, 49, 11.] *Id. Sext.* 1. Ex hoc tempore. *Liv.* 28, 39. Ex quo in provinciam venerunt: ex quo tempore. Et 3, 24. Ex quo semel fuit aeger. *Tac. A.* 14, 53. et *Agric.* 33. Quartusdecimus annus est, ex quo etc. *Suet. Caes.* 22. Ex eo se insultaturum omnium capitibus. (Adde *Tac. A.* 12, 7.) *Caes. B. C.* 1, 70. Ex magnis rupibus nactus planitiem. [**Liv.* 21, 5, 16. Ex pavore animum recipere. V. *Drak.* ad *Liv.* 44, 10, 1.] *Ter. Eun.* 4, 2, 3. Aliam rem ex alia cogitare. *Id. Heaut.* 3, 3, 37. Ut aliud ex alio incidit. [*Nempe *ex* recte ponas pro *post*, ubi indicatur res aliam continuo excepisse aut ubi praeter temporis notionem etiam causalis quidam nexus est. Hoc alterum obtinet in his. *Nep. Tim.* 3. Ex maximo bello otium conciliavit. Nimirum otium partum est bello. Cf. *Cort.* ad *Cic. Epp.* 5, 16. *Gron. Obs.* 4, 20. *Interpp.* ad *Vell. Pat.* 2, 33. *Drak.* ad *Liv.* 4, 47, 1.] ℙ Modo materiam, ex qua fit aliquid. *Cic. Arch.* 9. Ennius in sepulcro Scipionum constitutus e marmore. *Id. Verr.* 2, 2, 21. Statua ex aere facta. *Id. ib.* 2, 4, 27. Pocula ex auro. Et *mox*. Vas vinarium ex una gemma praegrandi. ℙ [*Huic generi proxime accedunt haec. *Col.* 12, 47, 9. Ex albo decoloratur. *Id.* 9, 3, 2. Varius ex aureolo. *Id.* 8, 2, 9. et 10. Albicans ex rutilo, flavus ex auro. *Id.* 6, 29, 3. Ex longo rotundum corpus. ℙ Neque multum abludunt haec. Ex exsule consul, *Manil.* 4, 46. Feci ex servo ut esses libertus mihi. *Ter. Andr.* 1, 1, 10. ad quem l. v. *Ruhnk.*, qui affert *Oudend.* ad *Lucan.* 4, 719. Porro: fit aliquis ex dictatore consul. V. *Oudend.* l. c. Pro quo dicitur etiam: fit aliquis ex dictatura consul. *Gron. Obs.* 4, 20. *Drak.* ad *Liv.* 10, 6, 14.] Modo utilitatem. [*Haec non commodum hic obtinent locum, melius conjungenda cum iis, in quibus *ex* pro *secundum* positum est.] *Cic. ad Brut.* 1, 5. Ut tu si arbitrarere utile, eque republ., persequerere bello Dolabellam. *Id. Fam.* 5, 8. *extr.* Statues, ut ex fide, fama, reque mea videbitur. *Ter. Phorm.* 5, 7, 76. Non hercle ex re istius me instigasti. ℙ Modo occasionem, causam, originem, unde aliquid est: et vim habet voc. propter, aut quamobrem. *Cic. Or.* 2, 37. Ex quo etiam quidam, Numam fuisse Pythagoreum ferunt. *Id. Off.* 1, 10. Ex quo illud, Summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium. (*e quo* pro *ex quo* dixit *Vitr.* 1, 1.) *Id. Fam.* 2, 10. Ex quo vereor, ne idem eveniat in meas litteras. *Id. Font.* 8. Inimicum esse alicui ex civilibus studiis, atque obtrectatione domestica. *Id. Invent.* 2, 4. Ex lassitudine arctius dormire. [**Cic. Or.* 2, 61. Claudicare ex vulnere. *Tac. A.* 1, 17. Truncato ex vulnere corpore. pro quo 14, 17. trunco per vulnera corpore.] *Id. Rabir. Post.* 9. Vir ex doctrina nobilis, et clarus. [*Paulo infrequentius dictum *Marcian.* in *Dig.* 48, 6, 3, 3. Eadem lege tenetur, qui ex incendio aliquid rapuerit praeter materiam. i. e. propter incendium. Neque aliter in *Edicto* praetoris in *Dig.* 47, 9, 1. Qui ex incendio quid rapuisse etc. dicetur. Notabilis explicatio *Ulpiani ib.* 2., quam asscribam: Ex *incendio* quemadmodum accipimus? Utrum ex ipso igne, an vero ex eo loco, ubi incendium fit? et melius sic accipietur: propter incendium, hoc est propter tumultum incendii vel trepidationem incendii rapit. *Graev.* ad *Cic.* pro *Mur.* 36. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 12. *Jug.* 7, 5. *Drak.* ad *Liv.* 4, 47, 1.] ℙ Interdum ponitur pro *a*, vel *ab*. *Quint.* 6, 1. *med.* Huic puer, quem, quid fleret, interrogabat, ex paedagogo se vellicari, respondit. *Flor.* 3, 16. In eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum, laetus accepit. [*Hoc magis Graecorum, qui ita ἐκ s. ἐξ ponunt.] ℙ Interdum pro *inter*, et refertur ad numerum, et copiam. *Pl. Most.* 1, 4, 24. Illi ego ex omnibus optime volo. *Cic. ad Brut.* 1, 15. Solon sapientissimus ex septem, et legum scriptor solus ex septem. *Id. Fam.* 13, 1. *a med.* Is non est ex istis. Et 3. Unus ex meis intimis. [**Tac. H.* 4, 50. Massa, e procuratoribus Africae. sc. unus. *Ann.* 1, 23. Qui e servitio Blaesi erant.] *Tac. A.* 2, 1. Tutissima e praesentibus. [**Drak.* ad *Liv.* 30, 15, 4.] ℙ Interdum pro *cum*. *Pl. Merc.* 1, 2, 28. Resinam ex melle devorato. ℙ Et pro *in*. [*Nempe hoc fit aut ad originem rei significandam aut ad motum ex aliquo loco denotandum; velut in his: ex aliquo loco verba facere. *Cic.* pro *leg. Man.* 17. Lucullum ex hoc loco saepe laudavi. *ib.* 8. Insolita ex hoc loco ratio dicendi. Librarii praep. *in* substituerunt nonnunquam. V. *Wund. Var. Lectt. Cod. Erf.* p. LXV.] *Plin.* 33, 5, 26. Pulvis ex aceto maceratur. *Ter. Eun.* 5, 4, 17. Ex jure hesterno panem atrum vorare. [**Col. R. R.* 12, 46, 1. Ex aceto coquere.] *Cels.* 3, 19. Intrita ex vino. [*Sic praepos. *ex* inprimis medicos uti auctor est *Salm. Exerc. Plin.* p. 505., quem laudat *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 5, 4, 15.] ℙ Et pro *de*. *Vell.* 2, 10. Victoria ex Alvernis, et ex Allobrogibus. [**Cic. Fam.* 3, 10. Ex urbe triumphare. Sic triumphum agere ex inimicorum dolore, alia. V. *Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 30. *Drak.* ad *Liv. Epit. libr.* 116.] *Id. ib.* 110. Aliquid ex negotio remittere. ℙ Et pro *sub*. *Id.* 1, 3. Nihil ex persona poetae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerant, dixerunt. [*Proxime ab his abest is usus, quo ponitur apud Ictos. Hi nempe dicunt Cajum ex Titio aliquid scripsisse, ubi Cajus in notis ad Titium aliquid proposuit. Sic *Ulp.* in *Dig.* 18, 2, 4, 6. Ita Pomponius libro nono ex Sabino scribit, i. e. Sabinum commentatus, in expositione ad Sabinum. Multa alia hujus generis vide apud *Brisson.* de verb. signif.] ℙ Saepe pro *secundum*, aut *pro*. *Cic. Fam.* 2, 13. *extr.* Decedere ex provincia ex senatusconsulto. *Ter. Ad.* 2, 1, 22. Ornatus esses ex tuis virtutibus. *Cic. Fam.* 5, 8. *a med.* Et, ut spero, statues ex nostra dignitate. *Ter. Eun.* 1, 2, 95. Utinam istuc verbum ex animo, ac vere diceres: secundum animi sententiam. *Cic. Fam.* 2, 7. *med.* Feliciter et ex mea sententia rempubl. gessimus, i. e. ut in votis erat. *Id. Off.* 3, 29. Quod ex animi tui sententia juraris, *h. e.* secundum id, quod habebas in animo. [*Et omisso verbo *jurandi*. V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 53, 10.] *Plin. ep.* 1, 2. Ex consuetudine. Sic *Liv.* 42, 24. *extr.* Ex instituto. *Tac. H.* 2, 77. Ex aequo, i. e. secundum aequalitatem. [*Sed diversis plane signif. *ex aequo* ponitur, ita ut sensus ex opposito eam docere debeat. Sic *Tac. A.* 15, 13. Pax ex aequo utilis. i. e. integris ab utraque parte viribus. Alia vide ap. *Boetticher. Lex. Tac.* p. 167.] *Liv.* 42, 25. *med.* Ex aequo foedus facere, *h. e.* secundum aequitatem. [*Cf. *Liv.* 39, 36, 1.] *Cic. Inv.* 2, 45. Ex praescripto rem administrare. *Liv.* 5, 14. et 1, 40. Ex composito. *Quint.* 11, 1. Ex professo, *h. e.* secundum id, quod profitemur. *Suet. Galb.* 9. Ex fide, i. e. secundum fidem. Innumera praeterea sunt, quae huc pertinent, *ex sponso*, *ex testamento*, *ex foedere*, *ex censu*, *ex lege*, *ex mandatis*, *ex empto*, *ex pactione*, *ex voluntate*, *ex arte*, *ex re*, *ex tempore*, *ex opinione*, [**Ex conditione*, *ex edicto*, *ex necessitate*, *ex officio.*] etc. *Cic.*, *Nep.*, *Caes.*, *Vell.* et alii. ℙ Saepe resolvit adverbia. *Just.* 11, 4. *extr.* Ex continenti. i. e. statim. *Quint.* 10, 3. Ex intergo. *Id.* 9, 2. et *Plin.* 30, 3, 8. Ex facili. [*V. *Interpp.* ad *Tac. Agr.* 7. *Boettich. Lex. Tac.* p. 167. Omnino hanc dicendi rationem licet nec priores plane spreverint, tamen recentiores maxime frequentaverunt. — Praeter consuetudinem tamen dictum videtur *ex commodo* ap. *Nerat.* in *Dig.* 50, 5, 4. Ex eo tempore vacationis dies incipit ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuisset. i. e. commode.] *Liv.* 1, 56. Ex industria. *Cic. Or.* 2, 60. Ex tempore. *Liv.* 28, 39. Ex insperato. *Cic. N. D.* 2, 48. Ex inopinato. *Ov. Her.* 16, 158. Ex toto, i. e. omnino. ℙ Interdum redundat. *Pl. Merc.* 1, 2, 1. Ex summis opibus viribusque usque experiri, niti. *Flor.* 1, 9. Ex summo studio adnixus est. *Ov. Met.* 2, 109. [*V. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 3, 12, 17.] positaeque ex ordine gemmae. [**Pall. R. R. Oct.* 17, 1. Ex canna agitabis: ubi est ablativus instrumenti. ℙ Contra in aliis locis praepositio *ex* omissa videtur. *Tac. A.* 4, 43. Neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. 12, 38. Ni cito vicis et castellis proximis subventum foret. *Hist.* 3, 15. Et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 5. *Col. R. R.* 10, 310. Plenos sinus urbe reportet.] ℙ Jungitur nonnunquam aliis praepositionibus, ut *exadversum*, *exinde*, *exante*. V. ADVERSUS etc. ℙ Interponitur interdum adject. et substant. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Quo ex tempore. *Id. Tusc.* 1. *in.* Magna ex parte. ℙ Et suo casui postponitur. *Lucr.* 3, 852. et 879. Haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse. *Ov. Her.* 20, 121. Hostibus e si quis etc. ℙ In compositione *E* ponitur ante *b*, *d*, *g*, *j*, *l*, *m*, *n* (*p* raro) *r*, *v*: ut *ebibo*, *edico*, *egero*, *ejuro*, *elargior*, *emano*, *enarro*, *epotus*, *erigo*, *evado*. *Ex* vero his perraro (*n*, et *r* exceptis, quibus nunquam), semper autem *c*, *f*, *p*, *q*, *s*, *t*, et vocalibus omnibus: verum ante *f* in eam suum *x* convertit, ut *excurro*, *effero*, *expedio*, *exquiro*, *exstinguo*, *extrico*, *exaudio*, *exedo*, *exinde*, *exonero*, *exuro*. [*Accuratius exposuit de hac re *Schneider. Elementarlehre* Tom. II. p. 552.] Significant autem aliquando privationem, ut *exspes:* aliquando ordinem, ut *exinde:* aliquando augmentum, ut *exclamo:* et perfectionem, ut *exaudio:* et vim habent praepos. extra, ut *ejicio*, *expono* etc. ℙ [*Saepe *e* et *ex* in compositionibus a librariis omissa, aut eorum loco aliae praepositiones substitutae sunt. Exempla vide ap. *Goer.* ad *Cic. Ac.* 1, 3. Saepe *ex* a praecedenti *et* elisum est. *Drak.* ad *Liv.* 5, 32, 4. 6, 7, 4. a praecedenti *nec* ob sonum affinem. *Id.* ad *Liv.* 8, 36, 9. a sequenti *ea*. *Id.* ad *Liv.* 35, 50, 7. a sequenti *eo*. *Id.* ad *Liv.* 34, 20, 5. Confunduntur *Ex* et *de*. *Id.* ad *Liv.* 21, 6, 5. — et *ea*. *Id.* ad *Liv.* 7, 3, 5. et alibi. — et *et*. *Id.* ad *Liv.* 26, 45, 1.]

[*EXABUSUS. *Amm. Marc.* 25, 7, 8. Exabusus princeps paullatim terris hostilibus excessit: ubi recte observat *Wagner.* p. 114. pro *abusus* positum esse, sed ad significationem augendam additum esse *ex* ex hujus aetatis scriptorum more.]

EXÀCĒO, es, ui, n. 2. ἀποξύνομαι, acidus fio. *Colum.* 12, 17. Deinde cum ficus exacuit, et remisit liquorem etc. ℙ Translate est idem ac exacerbari. *Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 138. Fatear necesse' st, adeo me exacuisse, ut excesserim mente.

EXÀCERBĀTUS, a, um, partic. ab *exacerbo*. *Liv.* 8, 33. Cum affirmarent infestius Papirium exarsurum, agitatum contentione ipsa, exacerbatumque. *Id.* 2, 43. *extr.* Odium irritatum exacerbatumque militum in ducem. *Suet. Tib.* 62. Auxit saevitiam exacerbatus indicio de morte filii. *Mamert. Genethl. Max.* 5. Exacerbatus injuriis.

EXÀCERBESCO, is, n. 3. valde acerbus fio. *Appul. Apolog.* p. 327, 28. Quis est tam mitis, quin exacerbescat?

EXÀCERBO, as, avi, atum, a. 1. παροξύνω, irrito, ad iracundiam provoco. *Suet. Galb.* 16. Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. *Liv.* 2, 35. *extr.* Ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Et 46. Contumeliis exacerbare hostes. ℙ De graviter dolente, *Plin. ep.* 8, 5. Habet quidem Macrinus grande solatium, quod tantum bonum tamdiu tenuit: sed hoc magis exacerbatur, quod amisit. ℙ [*De poenis quae graviores irrogantur. *Claud. Saturnin.* in *Dig.* 48, 19, 16, 10. Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, i. e. asperentur, ut est ap. *Hermogen. ib.* 42. De crimine. *Modestin.* in *Dig.* 48, 4, 7, 4. Crimen majestatis maxime exacerbatur in milites.]

[EXÀCERVANS, antis, partic. ab inusit. *exacervo*, sensu passivo, idem ac exacervatus, acervatim congestus. *Ammian.* 23, 5. Retortis plebs universa cervicibus exacervantia in se tela declinans spargitur passim. *F.*]

EXÀCISCLO, as, a. 1. verbum conflatum ex praepos. *ex*, et *acisclus* per syncopen pro *aciscŭlus*, qui est parvus malleus, vel ascia. *Inscr.* ap. *Mur.* 1028, 2. Si quis hanc arcam, sive hoc moniment. vendere, aut emere, aut exacisclare volet, poenae nomine etc. Alia ap. *Don. cl.* 12. *n.* 27. Si quis hanc arcam aperuerit, aut exacisclaverit, et aliud corpus posuerit etc. *h. e.* dissolverit, fregerit, destruxerit.

EXÀCON Galli vocant herbam, fel terrae Latinis dictam, quoniam omnia mala medicamenta potum e corpore exigat per alvum. *Plin.* 25, 6, 31.

EXACTĒ, adv. accurate, diligenter, ἀκριβῶς. *Sidon. ep.* 7, 9. Ut exacte perorantibus mos est. *Gell.* 1, 3. Theophrastus super hac re exactius, quam Cicero, disserit. *Mela* 1. *prooem.* Dicam alias plura, et exactius. *Sid. ep.* 5, 11. Exactissime pascere.

EXACTĬO, onis, f. εἴσπραξις, acerba et imperiosa petitio, cujusmodi est vectigalium et tributo-

rum collectio. *Cic. Att.* 5, 1. Ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur. *Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Magno pondere auri coacto de publicis exactionibus. Adde *Liv.* 38, 38. ℙ Et quaecumque petitio crediti. *Scaev. Dig.* 42, 8, 24. Si juste exegerit, ceteri creditores neglexerint exactionem. [*Etiam de eo quo repetitur. *Ulp.* in *Dig.* 24, 1, 21. Si quis pro uxore sua solvisset, an exactio fiat, an vero nulla sit donatio.] ℙ *Exactio operis* dicitur, cum certum pensum in singulos dies exigitur. *Colum.* 1, 8. *med.* Nulla est autem major vel nequissimi hominis custodia, quam operis exactio. ℙ Significat etiam ejectionem, expulsionem, ut Exactio regum, ap. *Cic. Or.* 1, 9. ℙ Item operis absolutionem et perfectionem. *Vitr.* 3, 1. Ut etiam in operum perfectionibus, singulorum membrorum ad universam figurae speciem habeat commensus exactionem. *Auson. Idyll.* 11, 5. plenique exactio partus. *Vitr.* 6, 11. Cum magnificenter opus perfectum adspicietur a domini potestate, impensae laudabuntur; cum subtiliter, officinatoris probabitur exactio: cum vero venustate, proportionibus et symmetriis habuerit auctoritatem, tunc fuerit gloria architecti. ℙ [*Confunduntur a librariis *Exactio* et *exauctio*. V. *Interpp.* ad *Tac. Agr.* 19.]

EXACTOR, oris, m. qui aliquid exigit, εἰσπράκτωρ. *Caes. B. C.* 3, 32. Erat plena lictorum, et imperiorum provincia, differta praefectis et exactoribus. Adde *Liv.* 28, 25. [*Inprimis hujus voc. usus est in re forensi. *Ulp.* in *Dig.* 22, 1, 33. Non acerbus exactor, sc. usurarum. *Arcad. Charis.* in *Dig.* 50, 4, 18, 8. Exactores pecuniae pro capitibus.] ℙ Item expulsor. *Liv.* 9, 17. Ita deinde exactores regum Junii, Valeriique. ℙ Item qui aliquid exigit, et peragit, ut Exactor supplicii, qui supplicium sumi imperat, ap. *Liv.* 2, 5. [**Tac. A.* 11, 37. de supplicio Messalinae tribuno et centurionibus mandato: Custos et exactor e libertis Evodus datus. V. *Gron.* ad *Sen. Contr.* 32.] Sic *Colum.* 3, 13. Opus est autem perito et vigilante exactore. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 139. Q. Annio Januario exactori operum publ. et theatri a fundamentis. Alia ap. *Grut.* 594, 1. Caesaris exactor praediorum Lucilianorum. Et 2. Exactor operum dominicorum. Sic Exactor studiorum, ap. *Quint.* 1, 3. *f.*, qui instat, et pensum studiorum exigit. ℙ *Exactor* auri est, qui aurum exigit ad obrussam, et probat. V. OFFICINATOR.

EXACTRIX, icis, f. quae exigit, et postulat. *August. ep.* 135. Epistola mea nova rescriptorum exactrix fuit.

EXACTUS, a, um, part. ab *exigo*, expulsus. *Cic. Or.* 1, 9. Exacti reges. *Hor. Od.* 2, 13, 31. tyranni. *Plin. Pan.* 29. Exactus hostis mari. *Tac. A.* 13, 56. *ad f.* Exacti terris. Et *ib.* 6, 3. curia et Italia. Et *ib.* 16, 17. in Sardiniam. *Ter. Hec. prol.* 2. *v.* 4. Fabulae exactae, *h. e.* exclusae, ut quae populo minime placuerunt. ℙ Item exagitatus, vexatus. *Ov. Trist.* 4, 4, 70. Furiis exactus Orestes. ℙ Item adactus, trajectus. *Sen. Herc. Oet.* 845. Eat per artus ensis exactus meos. Et *Troad.* 1155. dextra ferrum penitus exacta abdidit. *Sil.* 1, 307. telum exactum per viscera. *Ov. Met.* 5, 171. Non circumspectis exactum viribus ensem Fregit, *h. e.* vibratum. *Id. ib.* 138. Torquet in hunc hastam, media quae nare recepta, Cervice exacta est. ℙ Item coactus. *Cic. N. D.* 3, 34. *extr.* et *Pis.* 16. Exactae pecuniae. ℙ *Exactus pecuniam* est is, a quo pecunia exacta est. *Metellus* ap. *Gell.* 15, 14. Socios questum venisse, sese pecunias maximas exactos esse. εἰσπεπραγμένους ἀργύριον. ℙ Item venditus, distractus, extrusus. *Colum.* 10, 317. Exactae merces. [*V. *Schneid.* ad h. l.] ℙ Item praeteritus, transactus. *Virg. G.* 3, 190. At, tribus exactis, ubi quarta accesserit aestas etc. *Stat. Silv.* 2, 2, 47. Exacta lux. *Plin.* 2, 47, 48. Exacto quadriennio. *Hor. Od.* 3, 22, 6. Per exactos annos. *Plin.* 16, 25, 41. Exacto frigore. [**Col. R. R.* 12, 10, 1. Exactis messibus.] *Cic. Tusc.* 1, 39. Exacta aetate mori. [**Cic. Verr.* 1, 18. Temporibus exactis, sc. graviditatis.] *Virg. A.* 6, 637. His demum exactis, perfecto munere Divae etc. *Prop.* 2, 11, 3. Nec sic errore exacto laetatus Ulysses. ℙ Item completus, perfectus, elaboratus, politus, absolutus. *Prop.* 3, 1, 8. Exactus tenui pumice versus eat. Et *ib.* 7, 10. Exactis Calamis se mihi jactat equis, *h. e.* affabre et perfecte elaboratis. Fuit enim Calamis statuarius. [*ubi plura afferunt *Broukh.* et *Burm.*] *Plin.* 17, 27, 42. Exacta falcis acies. *Ov. Pont.* 4, 9, 46. Exacta fides. *Liv.* 3, 5. *f.* Difficile est, quot ceciderint, exacto affirmare numero. *Front. Aquaed.* 89. Praestare exactissimam diligentiam. *Suet. Tib.* 18. Curam exactiorem. ℙ Transfertur etiam ad homines. *Plin. ep.* 8, 23. Quod ille obsequium Serviano, exactissimo viro praestitit? *h. e.* accuratissimo, et exacte omnia facienti. *Mart.* 4, 87. moneoque te, libelle, Ut docto placeas Apollinari: Nil exactius eruditiusque est; Sed nec candidius, benigniusque. ℙ Et cum genit. *Ov. Fast.* 3, 383. Mamurius, morum, fabraene exactior artis, Difficile est dicere. ℙ Exquisitus, examinatus, perpensus. [**Paull. Sent.* 4, 12, 7. Exactum consilium.] *Virg. A.* 1, 311. quas vento accesserit oras, Quaerere constituit, sociisque exacta referre. *Hor. Sat.* 2, 4, 36. Nec sibi coenarum quivis temere arroget artem, Non prius exacta tenui ratione saporum. ℙ [Item examinatus, et publica auctoritate probatus. *Inscr.* in aeneo congio ap. *Fabr.* p. 526. *n.* 372. Imp. Caesare Vespasiano VI., Tito Caesare Augusti filio IIII. Consulibus, mensurae exactae in Capitolio. *Pondo* X. Alia in statera in *Mus. Borbon. T.* 1. *tav.* 55. Imp. Vespasiano Augusto IIX., Tito Imp. Augusti filio VI. *Consulibus*, exacta in Capitolio. V. ARTICULUS. *F.*] ℙ Item deliberatus. *Ov. Her.* 17, 177. Et libet, et timeo, nec adhuc exacta voluntas Est satis. *Grat. Cyneg.* 259. tamen huic (*cani*) exacta voluntas, *h. e.* promptus, paratusque, et constans animus. ℙ *Exactum est*, constitutum est, certum est. *Ov. Fast.* 3, 637. Non tamen exactum, quid agat. *Id. Amor.* 3, 7, 16. Nec satis exactum est, corpus, an umbra forem. ℙ [*Confunduntur *Exactus* et *Exhaustus*. *Burm.* ad *Ov. A. Am.* 1, 771. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 5, 387.]

EXACTUS, us, m. sumitur pro venditione, quia merx, dum venditur, exigitur a nobis, idest emittitur. *Quint. Decl.* 12, 19. Sacrosanctus mercator opportunum mercis exactum, puto, invenit, ἐξαγωγήν.

EXĂCŪO, is, ui, utum, a. 3. idem quod acuo, aut valde acuo, ὀξύνω. *Colum.* 11, 2. *p. in.* Ridicas dedolatas utraque parte exacuere. *Plin.* 34, 14, 42. In exacuendo oleares cotes, aquariaeque differunt. *Virg. G.* 3, 255. dentesque Sabellicus exacuit sus. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Plin.* 19, 5, 30. Scilla nata aceto exacuendo. *Id.* 24, 11, 59. Ros marinum oculorum aciem exacuit. *Id.* 29, 6, 38. Scarabaei natura contuentium visum exacuit. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 9. Mucronem tribunicium exacuere in aliquem. *Plin.* 20, 13, 50. Nasturtium Venerem inhibet, animum exacuit, *h. e.* acutum ac perspicacem reddit. *Cic. Leg.* 1, 23. Exacuere aciem ingenii ad bona deligenda, et rejicienda contraria. *Ov. Pont.* 1, 10, 13. Sapor exacuit palatum. ℙ [*De morbis. *Col.* 10, 392. Exacuit morbos aestatis iniquae.] ℙ Est etiam stimulare, incitare, cohortari, quasique pungere. *Cic. Att.* 12, 36. Velim cohortere et exacuas Cluatium. *Hor. A. P.* 402. mares animos in Martia bella Versibus exacuit. *Plin. ep.* 3, 7. *f.* Ἀγαθὴ ὄ ἔρις, cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. *Nep. Phoc.* 4. Plurimi ira exacuebantur, propter proditionis suspicionem. ℙ [Partic. *Exacuens* ap. *Sil.* 7, 142. exacuens varia ad conamina mentem. *Exacuendus* ap. *Cic. Or.* 1, 29. Ad vos exacuendos accommodavi orationem meam.

EXĂCŪTĬO, onis, f. actus exacuendi. *Plin.* 17, 14, 34. Calami exacutio medullam ne nudet.

EXĂCŪTUS, a, um, part. ab *exacuo*, acutus factus, ὀξυνθείς. *Plin.* 28, 4, 12. Cos, qua ferramenta saepe exacuta sunt. *Id.* 17, 17, 27. Exacutus truncus. *Id.* 11, 37, 46. Cornua in leve fastigium exacuta. *Id.* 29, 6, 39. Blattae exacuta clune. *Id.* 18, 18, 47. Latior cuspis, sed exacutior. *Hard.* legit *et acutior* ex MSS.

EXADVERSUM, etc. V. ADVERSUS, praeposit.

EXADVŌCĀTUS, i, m. qui advocati munere functus est. *Augustin. C. D.* 22, 8.

EXAEDĬFĬCĀTĬO, onis, f. Idem ac aedificatio, vel aedificationis absolutio. Translate *Cic. Or.* 2, 15. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus ac verbis, *h. e.* constructio orationis.

EXAEDĬFĬCĀTUS, a, um, part. ab *exaedifico*, aedificatus. *Cic. Acad.* 4, 40. *extr.* Ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo. *Sall. Cat.* 12. Domus et villae in urbium modum exaedificatae. *Liv.* 30, 3. *s. f.* Hibernacula, congesta temere ex agris materia, exaedificata.

EXAEDĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. ἐξοικοδομέω, idem quod aedifico, vel aedificium absolvo. *Caes. B. C.* 1, 15. Quod oppidum Labienus constituerat, suaque pecunia exaedificaverat. *Cic. Verr.* 2, 5, 19. Capitolium exaedificari atque effici potuit. [**Drak.* ad *Liv.* 35, 31, 9. Etiam de navi, *Cic. Verr.* 2, 5, 19. Exaedificari atque effici potuit.] ℙ Translate est quodcumque opus perficere. *Cic. Or.* 1, 35. *extr.* Ne gravere exaedificare id opus, quod instituisti. *Pl. Trin.* 1, 2, 95. Qui exaedificaret suam inchoatam ignaviam. ℙ Pro domo ejicere, joculariter *Id. ib.* 5, 2, 3. Nam exaedificavisset me ex his aedibus.

*EXAEQUALĬTER, adv. *Appul. Met.* 2. Caetera corporis exaequaliter ad regulam. Ita *Beroald.* sed *Elmenh.* p. 115. *inexplicabiliter. B. A.*

EXAEQUĀTĬO, onis, f. actus exaequandi, ἐξίσωσις. *Liv.* 34, 4. Hanc ipsam exaequationem non fero. ℙ Item id quod exaequatum est. *Vitr.* 5, 12. Deinde insuper eam exaequationem pila struatur.

EXAEQUĀTUS, a, um, part. ab *exaequo*, aequatus. *Varr. R. R.* 1, 40. *s. f.* Cortex cum cortice exaequatus. *Lucr.* 5, 1295. exaequata certamina belli. *Sall. Jug.* 105. Uti militibus exaequatus cum imperatore labor esset.

EXAEQUO, as, avi, atum, a. 1. ἐξισόω, aequalem facio, adaequo. *Cic. ad Quir.* 9. Propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exaequari. [**Gaj.* in *Dig.* 9, 2, 2, 2. Lex Aquillia servis exaequat quadrupedes.] *Id. Amic.* 20. exaequare se cum inferioribus. *Id. Verr.* 2, 2, 50. Iste, qui omnia jura pretio exaequavit, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulit. *Caes. B. C.* 1, 4. Neminem dignitate secum exaequari volebat. [*Alia vide apud *Drak.* ad *Liv.* 3, 39, 8.] ℙ [Item examino, exigo, ad exagium comparo. In grandi lapide Pompejis reperto, novemque cavis mensuris variae magnitudinis insigni haec, quam ipse vidi, et exscripsi, exstat *Inscr.* A. Clodius A. F. Flaccus, N. Arcaeus N. F. Arelliani Celadus Duum Viri Iuri Dicundo mensuras exaequandas ex decurionum decreto (*curarunt*). V. EXACTUS. *F.*] ℙ Item aequalis sum. *Ov. Amor.* 3, 8, 61. exaequet tetricas licet illa Sabinas. *Auct. ad Her.* 4, 20. Ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur, et exaequet. ℙ Translate. *Sall. Cat.* 3. Arduum videtur res gestas scribere, quod facta dictis exaequanda sunt. *Sen. ep.* 20. Unam semel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc omnem vitam tuam exaequa. ℙ Quidam Lexicographi addunt *Exaequor*, *aris*, deponens allato exemplo *Auct. Pan. ad Pis.* 25., sed ibi pro *exaequamur*, alii leg. *exaequamus.* ℙ [*Confunduntur *Exaequare* et *Exsequi.* VV. DD. ad *Sall. Cat.* 3. *Drak.* ad *Liv.* 3, 39, 8.]

[EXAESTĪVO, as, n. 1. idem ac aestivo. *Not. Tir.* p. 113. Exaestivat. *F.*]

EXAESTŪĀTĬO, onis, f. exaestuandi actus. *Solin.* 5. *med.* In medio flumine subita exaestuatione fervescit. ℙ Translate. *Non.* 6, 91. Exaestuatio animi.

EXAESTŪO, as, avi, atum, n. 1. ἐκζυμαίνω, idem quod aestuo, aut valde aestuo, aestuando exundo, ebullio. *Justin.* 1, 2. Bitumen in illis locis passim e terra exaestuat. *Curt.* 4, 2. *med.* Exaestuare semper fretum, quoque arctius voluteture, hoc acrius furere. *Suet. Aug.* 18. Fossae, in quas Nilus exaestuat. *Virg. G.* 3, 240. ima exaestuat unda Vorticibus, nigramque alte subjectat arenam. *Id. A.* 3, 577. de Aetna: fundoque exaestuat imo. ℙ Item aestu, seu calore laboro. *Suet. Tib.* 72. Et ut exaestuarat, afflatus aura in graviorem recidit morbum. *Justin.* 2, 1. Aegyptus torrente calore solis exaestuat. ℙ Translate. *Virg. A.* 9, 798. mens exaestuat ira. *Ov. Trist.* 5, 63. Strangulat inclusus dolor, atque exaestuat intus. *Lucan.* 5, 173. de vate plena Deo: magnoque exaestuat igne, Iratum te, Phoebe, ferens. ℙ Cum accusat. *miseramque exaestuat iram* quidam leg. ap. *Stat. Th.* 11, 297. h. e, effundit, egerit. Alii *misera ira. Lucr.* 6, 816. Hos igitur tellus omnes exaestuat aestus, *h. e.* aestuando emittit. ℙ [Part. *Exaestuans* ap. *Curt.* 6, 4. Exaestuans mare. *F.*]

EXAEVĬO. V. EXSAEVIO.

EXAGGĔRANTER, adv. exaggerando et amplificando. *Tertull. de carne Christ.* 19. Tam exaggeranter inculcavit.

EXAGGĔRĀTĬO, onis, f. σωρεύσις, aggerum constructio. *Justin.* 2, 1. *s. f.* Aegyptus sive exaggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videtur. ℙ Translate ponitur pro altitudine et excellentia. *Cic. Tusc.* 2, 26. Hoc tibi propone, amplitudinem, et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, qui maxime eminet in contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam. ℙ Item pro amplificatione oratoria, cum pluribus verbis una eademque res vehementer dicitur. *Gell.* 13, 24. Num onerandi, vel exprobrandi criminis causa exaggerationem aliquam speciosam facit? *et paulo post.* Apud Homerum ejusdem rei atque sententiae luculenta exaggeratio est.

EXAGGĔRĀTOR, oris, m. *Hieronym. ep.* 22. *n.* 28. Quidquid novum insonuerit, aut auctor, aut exaggerator est famae, *h. e.* amplificans, augens.

EXAGGĔRĀTUS, a, um, part. ab *exaggero*, cumulatus, auctus, σωρευθείς. *Plin.* 36, 14, 21. Aeronibus arena plenis mollis clivus super capita columnarum exaggeratus. *Cic. Cat.* 4, 9. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta Deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene delerit. ℙ Translate. *Cic. Parad.* 5. *f.* Si quidem animo excelso et alto, et virtutibus exaggerato sumus. *Id. Or.* 57. Neque humilem, neque abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat. *Id. Brut.* 17. Catonis luminibus obstruxit haec quasi exaggerata altius oratio. *Gell.* 13, 24. *med.* Neque ornatius fit, additis manubiis; neque exaggeratius, modulatiusve. *Petr. Sat.* 124. Exaggerata verborum volubilitate, unde, aut qui essemus, indicavimus. [**mit einem grossen Wortschwall.*]

EXAGGĔRO, as, avi, atum, a. 1. σωρεύω, in aggerem extollo, coacervo, cumulo. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 2. Cauliculos a terra attollentes se, exaggerando aliam, accumules. *Colum.* 8, 11. *med.*

Pluribus stramentis exaggerandum est aviarium. [*Ulp.* in *Dig.* 19, 3, 14. Exaggerare iter.] *Curt.* 6, 5. *med.* Aggesta humo e montibus, planitiem exaggerare. *Vitr.* 10, 22. Locum operibus exaggerare, *h. e.* aggere circumdare. *Auct. B. Hisp.* 5. Mortem morti exaggerare. ℙ Item augere, amplificare. *Phaedr. prol.* 3. Magnas opes exaggerare. *Cic. Off.* 1, 26. *med.* Rem familiarem omni ratione exaggerantes. ℙ Translate. *Id. Or.* 3, 27. Nihil est ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius. *Id. ib.* 1, 55. Oratione exaggerare aliquid. *Id. ib.* 2, 72. Exornare et exaggerare. *Id. Planc.* 29. Exaggerare aliquid verbis. *Quint.* 6, 2. *med.* injurias suas, *h. e.* majores atrocioresque verbis facere. *Id.* 8, 3. *s. f.* indignitatem. *Cic. Tusc.* 5, 18. Xenocrates exaggerans tantopere virtutem, extenuans cetera et abjiciens. *Vell.* 2, 129. Juventam alicujus exaggerare honoribus.

*EXAGITATĬO, onis, f. *συγκίνησις Gloss. Lat. Gr. H. Steph.* Commotio. A nonnullis *Tacito* tribuitur. *B. A.*

EXĂGĬTĀTOR, oris, m. qui exagitat, et insectatur. *Cic. Or.* 13. Plato quidem exagitator omnium rhetorum, hunc miratur unum.

EXĂGĬTĀTUS, a, um, partic. ab *exagito*, valde agitatus, vexatus, exercitus. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Sedes suas patrias, istius injuriis exagitati reliquerant. *Nep. Them*, 9. Ad te confugi exagitatus a cuncta Graecia. *Sall. or. Philippi contra Lepid.* Scelerum conscientia exagitati. *Cic. Somn. Scip. f.* Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, in hunc locum, nisi multis exagitati saeculis, non revertuntur. ℙ Item tractatus, disputatus. *Cic. Sull.* 21. Colonorum dissensio delata ad patronos est, cum jam inveterasset, ac multos annos esset exagitata. *Sall. Cat.* 30. Res jam antea vulgi rumoribus exagitata.

EXĂGĬTO, as, avi, atum, a. 1. *διαστροφέω, διώκω.* [*Proprie significat ex imo agitare, evertere. *Colum. R. R.* 12, 19, 4. Quicquid fecis subsederit, exagitet (sc. ex fundo vasorum, quod praecessit) et in summum reducat.] — ℙ Valde agito, persequor, vexo, insector, divexo. *Ov. Fast.* 5, 141. Exagitant et Lar, et turba Diania fures. *Sil.* 16, 553. assueti lustra exagitare ferarum Venatu juvenes. *Hor. Sat.* 2, 6, 54. Omnes Dii exagitent me, si, etc. *Val. Fl.* 8, 103. Exagitare aliquem toto mari. *Cic. Att.* 1, 16. *circa med.* Insectari et exagitare nummularios judices. *Prop.* 2, 7, 81. Exagitet nostros manes, sectetur et umbras, Insultetque rogis, calcet et ossa mea. *Suet. Ner.* 34. Confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac taedis ardentibus. *Sall. Cat.* 14. Quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat. ℙ Item commovere, concitare, turbare. *Stat. Th.* 3, 514. Volucres planctum imitantibus alis Exagitant Zephyros. *Ov. A. Am.* 3, 662. Et lepus hic aliis exagitandus erit. [*Quae locutio in proverbium abiisse videtur. Vid. VV. DD. ad *Petr. Sat.* 131. p. 623.] ℙ Translate. *Stat. Th.* 5, 96. rabidis clamoribus urbem Exagitat. *Lucan.* 2, 688. ne litora clamor Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas Praecepit sociis. *Cic. Att.* 3, 7. Non faciam, ut enumerem miserias omnes, ne meum moerorem exagitem, *h. e.* commoveam, et exasperem. *Sall. Cat.* 49. Tanta vis hominis magis leniunda, quam exagitanda videbatur, *h. e.* irritanda. *Lucan.* 8, 43. tristes praesagia curas Exagitant, *h. e.* movent, excitant. *Catull.* 64, 94. exagitans immiti corde furores, *h. e.* versans, concipiens. ℙ Est etiam explodere, improbare, rejicere. *Cic. Or.* 8. *extr.* Quonam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? *Id. Or.* 3, 16. Inventi sunt, qui hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent. *Id. Or.* 44. Quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scaevola. ℙ Item impellere, agere. *Sall. Jug.* 67. At illum jam antea consulatus ingens cupido exagitabat. ℙ Item excutere, examinare. *Cic. Cluent.* 36. Exagitabantur omnes ejus fraudes atque fallaciae: tota vita in ejusmodi ratione versata aperiebatur.

EXĂGĬUM, ii, n. *ἐξάγιον*, ponderatio, pondus. *Edictum L. Turcii Aproniani* praefecti Urbis an. Chr. n. 362. ap. *Grut.* 647, 6. Sub exagio pecora vendere. Sic *Gloss. Philox.* *Ἐξάγιον*, pensatio: *ἐξαγιάζω*, examino. ℙ *Exagium solidi* legitur in nummo aereo Honorii Aug. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 511. fuitque pondus explorando legitimo, solidi ponderi destinatum; solidum vero fuit sexta pars unciae Romanae sub Constantino Aug. et ejus successoribus. *Impp. Theodos.* et *Valentin. Novell.* 25. De ponderibus quoque, ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia, quae sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri. V. plura huc pertinentia ap. *Eckhel. l. c.* ℙ Sunt qui perperam putent scribendum *hexagium*, nempe ab *ἕξ*, sex, et *ἄγω*, pendo, ita ut significet sextulam, *h. e.* sextam unciae partem; aureus enim solidus, qui *Veneto zecchino* fere respondet, sextulam pendet.

EXĂGOGĂ, ae, et Exăgōgē, es, f. *ἐξαγωγή*, evectio, exportatio: item ipsae merces, quae exportantur: ab *ἐξάγω*, exporto. *Festus:* Exagogen, evectionem. *Pl. Rud.* 3, 2, 15. Si speras, hoc anno multum futurum laserpitium eamque eventuram exagogam Capuam salvam. *Id. Truc.* 4, 2, 5. Hic interim restitrix his praesidebo, iste dum sic faciat domum ad te exagogam. ℙ *Exagoga, ae, m. ἐξαγωγεύς*, qui exportat. *Id. ib.* 2, 7, 1. Ite damnigeruli, foras-gerones, bonorum exagogae. Al. leg. *hamaxagogae*, *h. e.* quasi plaustro bona aliena asportantes, ab *ἅμαξα*, currus.

EXALBĀTUS, a, um, partic. ab *exalbo*, dealbatus. *Tertull. adv. Marc.* 4, 8. Nazaraei exalbati sunt super nivem.

EXALBESCO, is, ui, n. 3. albesco, *ἐκλευκαίνομαι. Gell.* 12, 1. An quia spiritu multo et calore exalbuit, non idem sanguis est in uberibus, qui in utero fuit? ℙ Item expallesco. *Cic. Acad.* 4, 15. Tremere et exalbescere objecta re terribili extrinsecus. *Id. Or.* 1, 26. Exalbescere in principiis dicendi et tota mente atque omnibus artubus contremiscere. *Enn.* ap. *eund. ib.* 3, 58. Nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia, Quin refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.

EXALBĬDUS, a, um, adj. albidus. *Plin.* 23, 1, 22. Vina admodum exalbida. *Id.* 24, 19, 112. Folia urticae in medio exalbida. *Id.* 12 17, 39. Arbor exalbidis ramis.

EXALBO, as, a. 1. dealbo. *Tertull. adv. Marc.* 4, 10. Si fuerint delicta vestra tanquam roseum, velut nivem exalbabo.

EXALBURNĀTUS, a, um, partic. ab. inusit. *exalburno*, alburno spoliatus, ut Exalburnatum robur. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3.

[EXĂLE, es, f. *ἐξάλη*, mari exempta: ab *ἐξ*, et *ἅλς*, mare. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 368, 10. Memmia Exale. *F.*]

EXALTĀTIO, onis, f. *Tertull. Cult. fem.* 3. Exaltatio non congruit professoribus humilitatis.

EXALTĀTUS, a, um, partic. ab *exalto*, elatus, sublatus. Translate. *Donat. in Vita Virg. med.* Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romae fabula fuit, Maro vero exaltatior.

EXALTO, as, avi, atum, a. 1. *μετεωρίζω*, in altum elevo, erigo. *Sen. Q. N.* 3. *prooem.* Deus alia exaltat, alia submittit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 748. *n.* 555. Impp. M. Aurelius Antonius et L. Aurelius Verus terminos vetustate collapsos exaltaverunt et restituerunt. ℙ *Exaltare fossam, sulcum*, est profundius cavare. *Colum.* 3, 13. Fodiuntque (*sulcos*) et exaltant in tres pedes. *Id.* 4, 4. Dum exaltare fortius orbem ablaqueationis fossor studet, obliquam vitem plerumque sauciat.

EXĂLUMĪNĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *exalumino*, ad colorem aluminis accedens. *Plin.* 9, 35, 56. de unionibus: Summa laus coloris est exaluminatos vocari.

EXAMBĬO, is, ivi, itum, a. 4. per ambitum quaerere, tentare. *Arnob.* 3. p. 114. Nunquid rex poli libamine aliquo exambitur aut hostia? (Adde 7. p. 222.) *Symmach. ep.* 7, 49. Suffragium tui favoris exambio. *Mamertin. Gratiar. act.* ad *Julian.* 19. Nec viros quidem, sed mulierculas exambibant.

EXAMBĪTUS, a, um, partic. ab *exambio*, ambiendo quaesitus. *Ammian.* 26, 7. Araxius exambita regia praetorio praefectus accessit. [*Observa omnino *Ammian.* aliosque ejus aetatis scriptores libenter his compositionibus usos esse. Vid. *Wagner.* ad 25, 7, 8. *Brisson.* de verb. signif. s. v. *Ex.*]

[EXAMBŪLO, as, n. 1. foras ambulo. *Not. Tir.* p. 146. Ambulat, exambulat. *F.*]

EXĀMEN, inis, n. proprie est apum soboles, quam parentes ex suis alvearibus ad novas sedes quaerendas exire cogunt: item quaecumque apum congregatio: est autem quasi *exagmen*, extrita nempe ob euphoniam littera *g*, ab *ἐξάγω*, exigo: ita etiam Graecis *ἑσμὸς*, dicitur ab *ἵημι*, mitto. V. AGMEN. *Cic. Off.* 1, 44. Apum examina fingunt favos. *Id. Sen.* 15. *extr.* Nec segetibus solum res rusticae laetae sunt, sed hortis etiam et apum examinibus. [*Col. R. R.* 9, 8, 14. Examina silvestria.] ℙ Translate dicitur de quacumque multitudine. [*Cic. Harusp.* 12. Si examen apum in scenam venisset, haruspices acciendos putaremus; videmus examina tanta servorum, et non commovemur?] *Hor. Od.* 1, 35, 30. Et juvenum recens examen. [*Just. 25, 2. Gallorum tantae fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent.] *Id. Ep.* 2, 65. vernarum. *Lucr.* 5, 1363. examina pullorum. *Plin. Pan.* 26. infantium. *Stat. Silv.* 5, 3, 284. vatum. *Plin.* 31, 1, 1. piscium. Et 8, 10, 10. muscarum. *Liv.* 42, 10. locustarum. [*Vid. *Drak.* ad *Liv.* 38, 46, 6.] *Arnob.* 2. p. 46. malorum. Et 1. *initio* moerorum. [*Inprimis hoc dicendi genere delectati sunt serioris aetatis scriptores, etiam ubi minus id aptum, velut *Ammian. Marc.* 21, 5. Examina aetatum. 30, 4. Dilationum examina. Vid. *Wagn.* ad illum locum p. 401., et prae aliis *Hieron.* in *Epist.*, ut 2, 8. Cuncto orientis examina. 2, 14. Examina monachorum. 3, 8. Examina pauperum ac debilium. 3, 5. Examina coturnicum. 3, 13. Examina psalmorum.] ℙ Item est ligula staterae vel librae, quae per mediam aginam vertitur et, cum in neutram partem inclinatur, aequilibrium indicat: ea Graecis *κάνων* dicitur, Latinis vero *examen* ab *exigo*, quia illius ope in statera quidem alicujus rei pondus cum aequipondio, in libra autem duarum rerum pondera inter se comparantur et exiguntur. Ea tamen deest in statera et libra, quae Pompejis repertae, et in *Mus. Borbon. T.* 1. *tav.* 55. vulgatae sunt, tum etiam in aliis antiquis monumentis, de quibus consule *Winckelmann. Monum. ined. T.* 2. p. 174. *tav.* 133. *Virg. A.* 12, 725. Juppiter ipse duas aequato examine lances Sustinet. ℙ Hinc translate ponitur pro exacto judicio et pensiculata alicujus rei investigatione. *Pers.* 1, 6. examenve improbum in illa Castiges trutina. Ubi *Vet. Schol.* examen est ligula vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adaequanda tenet: trutina vero est foramen, intra quod est ligula, de qua examinatio est. *Stat. Silv.* 3, 3, 203. viam morum longaeque examina vitae Poscam. *Ov. Met.* 9, 550. Jura senes norint et quid liceatque nefasque Fasque sit, inquirant legumque examina servent. *Solin. initio epist. ad Advent.* Dare alicui examen opusculi, *h. e.* deferre censuram et judicium. *Fest.* Examen est judicii investigatio. [*Plura debentur h. l. *F.*]

EXĀMĪNĀTĒ, adv. cum examine et judicio. *Ammian.* 25, 7. Dum deliberatur examinatius, quid fieri deberet. *Tertull. Praescr.* 33. Examinate credere. Adde *ib.* 20.

EXĀMĪNĀTĬO, onis, f. actus examinandi et pensitandi. *Vitruv.* 10, 8. de vecte: Non poterit onus elevare, nisi examinatio vectis longius per caput, neque juxta onus fuerit facta. Et *de statera paulo post.* Scapi libratio et examinatio longius a centro recedens. ℙ Translate est investigatio, censura, judicium. *Ulp. Dig.* 3, 5, 7. Si post examinationem reprobatae fuerint compensationes. *Id. ib.* 47, 14, 1. Qui pecora abegit, ad examinationem civilem remittendus est.

EXĀMĪNĀTOR, oris, m. qui ponderat. *Cass. Variar.* 6, 18. *f.* Panis pondera aequus examinator intende. ℙ Translate qui inquirit et judicat, *Tertull. Apol.* 9. et *August. contra Crescon. grammat.* 3, 73.

EXĀMĪNĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad examinandum pertinens. *Tertull. adv. Gnost.* 7. Martyria examinatoria fidei.

EXĀMĪNĀTUS, a, um, partic. ab *examino*, ponderatus. *Cic. Tusc.* 1, 19. Tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur. *Caes. B. G.* 5, 12. Utuntur taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. ℙ Translate est inquisitus, consideratus. *Papin. Dig.* 30, 58. Aedificiorum aetatibus examinatis. *Ulp. ib.* 33, 7, 12. *sub f.* Ceteris patris facultatibus examinatis. *August. Confess.* 7, 6. Examinatissima diligentia. ℙ [*Confunduntur *Examinatus* et *Exanimatus.* Vid. *Drak.* ad *Liv.* 37, 3, 2.]

EXĀMĪNO, as, avi, atum, n. 1. (ab apum examine) dicitur de apibus, cum vernant et per novos fetus crescunt atque in colonias abeunt. *Colum.* 9, 14. Ab exortu Vergiliarum ad solstitium fere examinant alvi: quo tempore custodiri debent, ne novae soboles diffugiant. [**die Bienenstöcke schwärmen.*] ℙ Ab examine librae, est expendere et alicujus rei pondus inquirere, active cum accus. *σταθμάομαι. Cic. Or.* 2, 38. Non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. ℙ *Examinare* dicitur statera vel libra, cum duo pondera aeque utrinque extollendo, examen rectum habet et aequilibrium facit. *Vitr.* 10, 8. *de vecte.* Caput vectis, faciundo motus circinationis, cogit pressionibus examinare paucis manibus oneris maximi pondus. ℙ Translate est inquirere, perpendere, considerare. *Hor. Sat.* 2, 2, 8. male verum examinat omnis Corruptus judex. *Cic. Or.* 8. Diligenter examinans verborum omnium pondera. *Id. Planc.* 32. *extr.* Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 7. Tribuni plebis decreta patrum attentissima cura examinabant. *Gell.* 16, 18. Syllabarum longarum et brevium junctura aurium mensura examinatur. *Plin.* 29, 1, 8. Decuriae (*judicum*) pro more censuris principum examinantur. *Papin. Dig.* 22, 1, 32. Si interpellatus opportuno loco, non solverit: quod apud judicem examinabitur. *Modest. ib.* 5, 2. In testimoniis fides, dignitas, mores, gravitas examinanda est. *Quint.* 1, 5. Emendate loquendi regula vitia orationis examinat.

[EXĂMO, as, a. 1. amare desino. *Not. Tir.* p. 60. Amat, adamat, examat. *F.*]

*EXAMPĒUS, i, *Ἐξάμπεος*, fons Scythiae Europaeae, amaras aquas evomens. *Mela* 2, 1. *med.*, ubi V. *Voss.* *Ἐξαμπαῖος* est *Herodoto.* *B. A.*

EXAMPLEXOR, aris, dep. 1. amplexor, complector. *Auct.* ad *Her.* 4, 52. Et tu per Deos, inquit, hunc examplexare.

EXAMURCO, as, a. 1. *ἀπαμοργέω*, est sublata amurca oleum defaecatum reddere. Translate. *Appul. Met.* 4. p. 149. 14. de corio ursae detracto:

Soli siccandum tradimus: ac dum coelestis vaporis flammis examurcatur etc.

EXĀMUSSIM, adv. perfecte, ad amussim. *Pl. Amph.* 2, 2, 213. Examussim est optima. *Id. Most.* 1, 2, 18. Aedes expolitae, factae probe, examussim. *Id. Men. prol.* 50. Ut hanc rem vobis examussim disputem. *Gell.* 1, 4. Judicium examussim factum. [*Adde *Appul. Met.* 4. p. 150. 33.]

EXANCILLĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *exancillor*, qui ancillae modo alicui servit. *Tertull. Apol.* 17. *ad f.* Anima falsis Diis exancillata.

EXANCLĀTUS. V. EXANTLATUS.

EXANGUIS. V. EXSANGUIS.

EXĀNĪMĀBĬLĬTER, adv. *Naev.* ap. *Non.* 4, 384. Ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi.

EXĀNĪMĀLIS, e, adj. ἄψυχος, qui est sine anima, exanimis. *Pl. Bacch.* 4, 8, 6. Neque Bellona mihi unquam, neque Mars credant, ni illum exanimalem faxo. ℙ Item letalis. *Id. Rud.* 1, 4, 2. Ita male vivo atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.

EXĀNĪMĀTĬO, onis, f. ἔκπληξις, vehemens animi, perturbatio. *Cic. Tusc.* 4, 6. Declinatio a malis, cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus. Et 8. Exanimatio est metus subsequens et quasi comes pavoris. *Id. Off.* 1, 36. Ne in perturbationes atque exanimationes incidamus. ℙ Exanimationes vulvarum, apud *Plin.* 32, 3, 13. sunt, quas *Id.* 20, 5, 15. et 26, 15, 90. suffocationes appellat.

EXĀNĪMĀTUS, a, um, partic. ab *exanimo*, mortuus, occisus. *Liv.* 22, 7. *s. f.* Ferunt, alteram, moestam sedentem, ad primum conspectum filii gaudio nimio exanimatam. *Lucr.* 6, 1254. Exanimi pueri super exanimata parentum Corpora. *Caes. B. G.* 7, 27. Scorpione transjectus et exanimatus concidit. *Suet. Caes.* 39. Prae turba elisi exanimatique sunt plurimi. *Tac. A.* 3, 51. Ductus in carcerem Priscus ac statim exanimatus. [*Appul. Met.* 9. p. 234. Peremtus ac prorsus exanimatus ille juvenis terrae concidit, ubi ad gradationem attende.] ℙ Item spiritu intercepto confectus, delassatus. *Caes. B. G.* 3, 19. Huc magno cursu contenderunt exanimatique pervenerunt. Et *ib.* 2, 23. Milites cursu et lassitudine exanimati. *Cic. Tusc.* 1, 23. Qui doloris speciem ferre non possunt, abjiciunt se atque ita afflicti et exanimati jacent. *Hirt. B. G.* 8, 38. *extr.* Ut verberibus exanimatum corpus securi feriretur. ℙ Item consternatus, exterritus. *Cic. Cat.* 4, 2. Neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia. *Id. Verr.* 2, 2, 77. Itaque illum in jure, metu conscientiaque peccati mutum atque exanimatum ac vix vivum relinquo. *Ter. Ph.* 3, 3, 31. et *Curt.* 7, 3. Exanimatus metu. Et 10, 3. Exanimati pavore, attonitis similes. *Stat. Th.* 4, 759. tu refugas vires et pectora bello Exanimata reple. *Cic. Or.* 1, 26. Adolescentulus sic initio accusationis exanimatus sum, ut etc. *Pl. Cas.* 3, 5, 8. Timidus atque exanimatus. ℙ Item qui est corpore praesens, animo absens. *Id. ib.* 3, 3, 9. Rogitare oportet, adsitne animus ei, necne adsit: si neget adesse, exanimatum amittat domum. ℙ Transfertur ad alia. *Cic. Or.* 3, 11. Nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. ℙ Quod discrimen tradit *Donat.* ad illud *Ter. Andr.* 1, 4, 7. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? ut *exanimatus* perturbatum, *exanimus* mortuum significet, jam satis patet aut nullum esse aut saltem a scriptoribus non servari. [*Hoc quidem discrimen quod statuit *Donat.* ut prorsus falsum est, ita tamen alibi multum interest, utrum dicas *exanimus* an *exanimatus*. Quod intelligas ex illo *Lucret.* loco, ubi si quis ponere vellet: Exanimati pueri super exanima parentum corpora, is ineptus esset. Cfr. *Liv.* 25, 26, 10. ubi *exanimata corpora* haud minus aptum foret. ℙ Confunduntur *Exanimatus* et *Examinatus*. *Drak.* ad *Liv.* 37, 3, 2.]

EXĀNĪMIS, e, adj. ἄψυχος, exanimatus, mortuus. *Liv.* 25, 16. *s. f.* Exanimem eum Mago ad Annibalem misit. [*Id.* 25, 34, 11. Ut exanimem labentem ex equo Scipionem vidit.] *Virg. A.* 5, 481. Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos. *Quint.* 4, 2. Exanime corpus. *Ov. Met.* 2, 336. Exanimes artus. *Id. Ib.* 144. Umbra exanimis. *Stat. Th.* 12, 739. Exanimis et projecta praeda. Et 418. gelidae exanimesque favillae, i. e. exstinctae. Et *ib.* 7, 86. Ut si quando ruit debellatasque reliquit Eurus aquas, pax ipsa tumet pontumque jacentem Exanimis jam volvit hiems, *h. e.* tempestas cessante vento (qui *anima* dicitur) adhuc volvit mare. ℙ Translate est exterritus, perturbatus, quasique, prae timore aut dolore, anima privatus. *Virg. A.* 4, 672. Audit exanimis trepidoque exterrita cursu. *Hor. Sat.* 1, 1, 76. Exanimis metu. Et *ib.* 2, 6, 113. Pavidi magisque exanimes trepidare. ℙ Item pallidus, exsanguis: quae sunt metus indicia. *Lucan.* 6, 657. ipsumque trementem Conspicit, exanimi defixum lumina vultu. *Ov. Amor.* 1, 7, 53. Exanimes artus et membra trementia vidi. *Id. A. Am.* 1, 540. Nullus in exanimi corpore sanguis erat. ℙ [*Saepissime confunduntur *Exanimis* et *Exanimus*. Utrumque probis scriptoribus in usu fuit, ut res unice pendeat ex Codd. auctoritate. Vid. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 1, 3. *Drak.* ad *Sil.* It. 5, 584. ad *Liv.* 7, 21, 5.]

EXĀNĪMO, as, avi, atum, a. 1. φορεύω, anima privo, occido. *Cic. Fin.* 2, 30. Cum ipse gravi vulnere exanimari se videret. *Caes. B. G.* 6, 15. Circumventi flamma exanimantur homines. Et 30. *extr.* Cum laborem belli ferre non posset, taxo se exanimavit. *Curt.* 7, 3. Multos exanimavit rigor insolitus nivis. *Nep. Epam.* 9. *extr.* Tum ferro extracto, confestim exanimatus est. ℙ Item animam, *h. e.* respirationem adimo, lassitudine conficio. *Caes. B. C.* 3, 92. Simul fore, ut duplicato cursu, Caesaris milites exanimarentur et lassitudine conficerentur. ℙ Translate est perturbare, exterrere, dolore aut metu percellere, ἐκπλήττω. *Ter. Andr.* 1, 5, 16. Oratio haec me miseram exanimavit metu. *Cic. Att.* 10, 9. Adventus Philotimi exanimavit omnes, qui mecum erant: nam ipse obdurui. Et *ib.* 11, 6. *a med.* Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat. *Id. Parad.* 2. *s. f.* Te metus exanimat judiciorum atque legum. *Id. Mil.* 34. Me quidem exanimant et interimunt hae voces Milonis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 16. Exanimatus sum tuis litteris. *Hor. Od.* 2, 17, 1. Cur me querelis exanimas tuis? *Id. Ep.* 2, 1, 177. Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru, Exanimat lentus spectator, sedulus inflat. [*Vid. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 127.] ℙ Pro exspirare, difflari, dispergi. *Plin.* 23, 2, 31. de vini faece usta: Celerrime exanimatur, loco non incluso condita, *h. e.* exspirat, διαπνεῖται. ℙ Exanimare folles apud *Sever. Aetn.* 560. est comprimere, ut animam seu ventum emittant efflentque. ℙ [*Sensu neutro ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 33. *extr.* Adhuc tamen saucius odontotyrannus, cum indidem fugiens aquae fluenta irrupisset ibique exanimavisset etc. Ita cod. nisi forte scribendum *exanimatus esset. B. A.*]

EXĀNĪMUS, a, um, adj. ἄψυχος, mortuus, idem est quod *exanimis:* nisi quod translate aut rarius aut fortasse nunquam adhibetur. *Virg. A.* 11, 110. Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis Oratis? *Tac. A.* 1, 32. Tum convulsos laniatosque et partim exanimos, ante vallum projiciunt. *Id. ib.* 16, 13. Domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. *Colum.* 12, 45. Mel exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conservat. Adde *Sen. Hipp.* 585. et *Plin.* 10, 3, 3. ℙ [*Confunditur cum *Exanimis*, quod vide.]

EXĀNIO. V. EXSANIO.

EXANTĒ. V. ANTE.

EXANTHĒMĀTA, um, n. ἐξανθήματα, sunt varii generis pustulae in cute enascentes, ut quae ex urticae tactu, ex morbillis, ex sole, ex natatu, ex frigore, ex varis, lividae, pallidae, nigrae, rubentes, in pueris praesertim erumpunt ac veluti efflorescunt: ab ἐξανθέω, effloresco. Graece habet *Cels.* 5, 28. *n.* 15. Latine autem *Marc. Empir.* 19. et *Aemil. Macer Herb. c.* de camomilla.

EXANTLĀTUS et Exanclatus, a, um, part. ab *exantlo*, exhaustus. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 4, 155. Saepe exantlatum merum scitissime. *Plauti* locus videtur esse *Stich.* 1, 3, 116. ubi habetur: Saepe exantlavit submerum scitissime. *Nonius* tamen affert tanquam ex fragment. *Poenuli.* ℙ Translate *Cic. Tusc.* 2, 8. vertens carmina *Sophoclis*. Quae corpore exantlato, atque animo pertuli, *h. e.* exhausto. ℙ Item toleratus. *Id. Acad.* 4, 34. Herculis quendam laborem exantlatum a Carneade. Adde *Appul. Met.* 6, 7. et 11. V. v. seq.

EXANTLO et Exanclo, as, a. 1. exhaurire, ut *Fest.* et *Non.* 4, 155 interpretantur: a Graeco ἀντλεῖν, quod idem significat. Qui malunt *Exanclo*, deducunt ab obsoleto *anculo*, et per syncop. *anclo*, ministro: unde *ancula*, et *ancilla*, et *furcula*, *furcilla*. In MSS. et edit. libb. varie scribitur, modo per *c*, modo per *t*. Sed si usus spectatur, exhauriendi significatio ei magis convenit, et per *t* rectius scribitur. [*De origine et scriptura hujus verbi vide *Salm.* ad *Vopisc. c. ult.* T. II. p. 774. *Lambin.* ad *Cic. Acad.* 4, 38. *Mur. Var. Lect.* 13, 17. *Davis.* ad *Tusc.* 1, 49. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 1, 6. *Oudend.* ad *Appul. Met.* 1. p. 55.] *Pl. Stich.* 1, 3, 115. Vinum poculo pauxillulo saepe exanclavit. *Enn.* ap. *Non. l. c.* Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerer. *Pacuv. ib.* Non potest, Menalippe, hic sine tua opera exantlari clavus. Est autem locutio allegorica, et proverbialis, h. e. non potest hoc negotium perfici. ℙ Translate est tolerare, perpeti, perferre. *Cic.* vertens *Homeri* versum *Div.* 2, 30. Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos, *h. e.* transigemus, hauriemus laborem (ut *Hor.* loquitur *Sat.* 1, 2, 78.) belli decem annos. *Homer.* hoc loco (*Iliad. l.* 2. *v.* 328.) habet πτολεμίξομεν. *Id. Tusc.* 1, 49. Cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. *Accius* ap. *Non. l. c.* Pertolerarem vitam, cladesque exanclarem impatibiles. *Id. ib.* Fere exantlavimus tyranni saevum ingenium, atque exsecrabile. *Enn. ib.* Cum aerumnis illum exantlavi diem. Adde *Appul. Met.* 1. et 8. *in.* ℙ Sunt qui putent, nullam esse metaphoram, cum pro perpeti ponitur, quod in ea significatione sit ab ἀνατλάω, et ἀντλάω, perfero: ne si placeat quidem *exanclo* scribi, quia quemadmodum a πλήττω fit *plecto*, inquit *Budaeus*, *t* in *c* mutata, ita ab ἀναιλῶ, *anclo* fieri posse: sed vereor, ut verum sit, *plecto* esse immediate a πλήττω, ac non potius a πλήκτης, percussor, quod est a 3. pers. praeter. pass. πέπλεκται. ℙ Hoc verbum inter ea reponit *Quint.* 1, 6. *extr.* quae *ab ultimis*, *et jam oblitteratis* sunt *repetita temporibus*, quamquam *Cic.* bis in prosa oratione usurpaverit, ut hic supra, et in v. praec. retulimus. Nam *Appul.* antiquitatis affectatorem nihil moror.

EXAPĒRĬO, is, a. 4. prorsus aperio. *August. Confess.* 10. Quis exaperit istam tortuosissimam et implicatissimam nodositatem?

EXAPTO, as, a. 1. idem quod apto, ἐξάπτω. *Appul. Met.* 11. p. 271, 19. Visus est quiete proxima, dum magno Deo coronas exaptat, etc. *h. e.* apte imponit, vel apte nectit Dei capiti imponendas.

EXAPTUS, a, um, partic. ab inusit. *exapo*, V. APO, aptus, junctus, connexus, ἐξημμένος, συνημμένος. *Lucr.* 4, 827. Brachia tum porro validis exapta lacertis Esse, manusque datas utraque a parte ministras, ut facere ad vitam possimus quae foret usus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 3. Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Ex quo pendeant exapta catenis tintinnabula. [*Ubi alii habent *excepta catenis.*]

EXĀQUESCO, is, n. in aquam solvor, aqua fio. *Censorin. de die nat.* 18. *a med.* Nam his alternis temporibus (*aestatis*, *et hiemis*) mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur.

EXĀRĀTĬO, onis, f. actus exarandi, seu arando eruendi. *Capell.* 9. p. 204. Etruria Tagetis exaratione celebrata, *h. e.* qua in agro Tarquiniensi, inter arandum Tages ille exstitit, de quo *Cic. Div.* 2, 23. ℙ Translate est scriptio, poema. *Sidon. carm.* 9, 335. Isti qui valet exarationi Districtum bonus applicare theta.

EXĀRĀTUS, a, um, part. ab *exaro*, arando erutus. *Cic. Leg.* 2, 23. Cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. *Id. Div.* 2, 23. et 38. Estne quisquam ita desipiens, qui credat, exaratum esse Deum? *Paul. Dig.* 10, 1, 4. Termini dejecti, vel exarati. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Exaratae radices. ℙ Translate est scriptus. *Suet. Ner.* 52. Versus non excepti, sed plane quasi a cogitante, atque generante exarati.

EX ARCHIĀTRIS, dicitur is, qui archiatri dignitate functus est. *Imp. Constant. Cod.* 10, 52, 6.

EXARCHUS, i, m. ἔξαρχος, qui supra ceteros eminet: ab ἐξ, ex, et ἀρχός, princeps. ℙ [*Praepositus, praefectus. *Justin. Novell.* 133, 4. Exarchus monasteriorum.] ℙ Ita Graeca appellatione vocatus est in militia R. sequiori tempore, qui prius Latina praefectus dicebatur; etenim in *Inscr.* ap. *Grut.* 114, 1. P. Aulus P. F. Pal. Posthumus Acilianus, qui Antonino Pio Aug. imperante vixit, appellatur *Praef. Coh.* 1. *Dalmatarum* 1, cum inscriptiones mox afferendae, quae ad M. Aurelii Valerii Maximiani Aug. tempora pertinere videntur, *exarchus numeri Dalmatarum* praeseferant. *Inscr.* ap. *Grut.* 528, 7. Aurelio Januario signifero ex Numero Dalmatarum Fortensium, et Aurelio Valentiano exarcho posuit Aurelius Justus pater. [Alia ap. *Mur.* 789, 7. Aurelius Pistus exarchus fratri carissimo posuit. Et 791, 8. D. M. Aurelii Maximi exarchi Numeri Dalmatarum Divitensium etc. ℙ *Exarchi* item appellati sunt, qui ab an. a Chr. n. 528. ad an. 752. Ravennae plerunque commorantes, Graecorum imperatorum jussu, provincias Italiae militari et civili imperio administrarunt. Horum mentio est in Graeca *Inscr.* ap. *Mur.* 1881, 4. Ὅντε Ἰσαάκιος, ὅστις ἔξαρχος μέγας ἔργοις ἐδείχθη τῶν Ἰταλῶν στρατευμάτων, ἔκλαυσε πικρῶς etc., *h. e.* Quemque Isaacius, qui exarchus magnus factis inclaruit Italicorum exercituum, flevit amare. Alia vero Latina *Inscr.* Romae effossa an. 1813, et edita a *Guattanio Mem. Enciclop. per l'anno* 1817. p. 40. Optimo clementissimo piissimoque principi Domino N. *Focae imperatori* perpetuo, a Domino coronato, triumphatori, semper Augusto Smaragdus exprae*positus* sacri palatii, ac patricius, et exarchus Italiae devotus ejus clementiae, etc. Haec pertinet ad an. a Chr. n. 608. ℙ Ex his patet, perperam omnino a quibusdam *Hexarcha*, vel *Exarcha* scriptitatum. *F.*]

EXARDESCO, is, arsi, arsum, n. 3. ἐκπυρόομαι, accendor, inflammor, conflagro. *Cic. Or.* 2, 45. *extr.* Nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit. *Plin.* 35, 15, 50. Sulphur exardescens. *Martial.* 3, 67. Exarsit dies, *h. e.* inflammatus est, sole in meridiem verso. ℙ Dicitur et de colore flammeo. *Plin.* 37, 7, 25. Fulgorem carbunculi debere candidum esse positi, si attollatur, exardescentem. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 21. *extr.* Excepi flammam illorum temporum, et pro patria solus exarsi. [*Dubitatur an satis latine construatur *exardescere pro aliqua re.* Cf. *Wolf.*

ad h. l. p. 370.] *Id. Ligar.* 1. Bellum subito exarsit. [*Adde *Nep. Ham.* 2.] *Id. Amic.* 21. Nisi quaedam admodum intolerabilis injuria exarserit, *h. e.* velut ignis exorta sit. *Tac. H.* 2, 27. Seditio exarserat. Et 38. Prima inter patres plebemque exarsere certamina. *Cic. Rabir. Post.* 6. Quamquam tum propter multorum delicta, etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat. *Id. Sull.* 27. Repente tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. ℙ Saepe transfertur ad animi affectus, amorem, iram, cupiditatem, dolorem. *Id. Amic.* 9. Admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. *Id. Verr.* 2, 2, 20. Exarsit iracundia et stomacho. *Virg. A.* 7, 445. Talibus Alecto dictis exarsit in iras. Et *ib.* 11, 376. exarsit violentia Turni. *Liv.* 40, 35. *med.* Milites, si quis impense retineret in provincia, in perniciosam seditionem exarsuri. *Cic. Phil.* 10, 9. *extr.* Tota Italia desiderio libertatis exarsit. Et 11. *Phil.* 2. Ipsi vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandae cupiditatem. *Plin. prooem.* 37. Admiratio gemmarum in tantum exarsit. [*Pertinet hic locus ad §. 6.] Et 33, 3, 14. Paulatim exarsit rabie quadam, non jam avaritia, sed fames auri. *Virg. A.* 8, 219. Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor. *Caes. B. G.* 5, 4. *extr.* Qui ante inimico in nos animo fuisset, multo gravius hoc dolore exarsit. *Liv.* 10, 23. Brevis altercatio in contentionem animorum exarsit. *Id.* 35, 10. Ambitio magis, quam unquam alias, exarserat. *Tac. A.* 6, 25. Tiberius foedissimis criminationibus exarsit. Et 1. Indomitis libidinibus exarserat, *h. e.* impotenter accensus fuerat. ℙ Absolute. *Cic. Verr.* 2, 1, 25. Homo sic exarsit ad id, quod nunquam viderat. [*Cic. Phil.* 11, 2. Exardescere ad cupiditatem libertatis. *ib.* 4, 6. ad spem.] *Id. Or.* 3, 1. Non tulit ille, et graviter exarsit. *Id. Tusc.* 5, 29. Carneadis ingenium contra Stoicos exarserat. *Id. Or.* 29. In omni genere amplificationis exarsimus. *Tac. A.* 1, 41. Exarsere animis, unoque impetu, etc. [*Utroque modo dici potest, exardescit animus alicujus et exardescit aliquis animo. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 30, 2.] *Val. Fl.* 2, 248. Totaque jam sparsis exarserat insula monstris, *h. e.* caedibus et strage arserat. ℙ Transfertur et ad alia. *Suet. Tib.* 34. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse. Eadem ratione et *incendo* adhibetur. V. INCENDO. [*Et simili modo dicitur *excandefacere annonam*, quod cf.] *Lucan.* 7, 139. cotibus asper Exarsit mucro. V. ARDESCO.

EXARĔFĬO, is, n. ἀποξηραίνομαι, aridus fio, exaresco. *Plin.* 26, 10, 66. Fucus marinus omnibus articulorum morbis impositus, antequam exarefiat.

EXĀRĒNO, as, a. 1. ab arena purgo. *Plin.* 31, 3, 20. Aes postea exarenatur, an satis recoctum sit, splendore deprehendente.

EXĀRESCO, is, arui, n. 3. ἀποξηραίνομαι, aridus fio, siccor. *Varr. R. R.* 1, 32. Frumentum dicunt quindecim diebus exarescere, cum sit maturum. *Colum.* 3, 12. Raram terram sole ac vento penitus siccari atque exarescere. *Suet Galb.* 1. Silva omnis exaruit radicitus. *Cic. Pis.* 33. Si montes resedissent, amnes exaruissent. *Pl. Rud.* 2, 7, 20. Vestimenta madida exarescunt. ℙ Translate. *Auct.* ad *Her.* 4, 34. Aliquando reipublicae rationes, quae malitia nocentum exaruerant, virtute optimatium reviruere. *Cic. Brut.* 4. Sic omnis fetus repressus exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit. *Id. Att.* 10, 16. Miror, eas lacrimas tam diuturna miseria non exaruisse. *Id. Brut.* 21. Hujus orationes exiliores sunt et redolentes antiquitatem: itaque exaruerunt, vix jam ut appareant. *Id. Fam.* 8, 18. Illa ipsa facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. *Id. Tusc.* 3, 31. Illa opinio tum non appellabatur recens, cum vetustate exaruit. *Pl. Mil.* 3, 1, 45. Amoris aliquantum habeo, humorisque meo etiam in corpore, Neque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis.

EXĀRĬDUS, a, um, adj. omnino aridus. Translate. *Tertull. Resurr. carn.* 30. Statum enim Judaeorum deformari quodam modo emortuum et exaridum etc.

EXARMĀTUS, a, um, partic. ab *exarmo*, ἀφωπλισμένος, armis spoliatus. *Stat. Th.* 3, 303. pallentes agar exarmatus ad umbras. Sic exarmata veneno serpens. *Calpurn. Ecl.* 5, 94. Exarmata navis. *Sen. Cons.* ad *Helv.* 17. [*Col. R. R.* 7, 3, 5. Mutilus aries, cum se tanquam exarmatum intelligat, mitior est.] Exarmati leones, *h. e.* sine unguibus et dentibus. *Lamprid. Elagab.* 21. ℙ Translate. [*Vell. Pat.* 2, 17. Romani victi afflictisque ipsi exarmati, quam integris universis civitatem dare maluerunt, i. e. ipsi infirmi et debiles facti. Sic recte *Wopkens.* Misc. Obs. VIII. p. 33. et *Duk.* ad *Flor.* 1, 22, 3., quorum interpretationem probat *Ruhnk.* Secus *Burm.*, quem sequitur *Gesner.*, sumit pro exorati, placati. Cfr. *Liv.* 4, 10. Dearmatus exercitus.] *Claud. epigr.* 35. de portu Smyrnensi: 'Hic exarmatum terris cingentibus aequor Clauditur et placidam discit servare quietem.

EXARMO, as, avi, atum, a. 1. ἀφοπλίζω, arma detraho, armis spolio. *Lucan.* 5, 355. Exarmare dextras. *Tac. H.* 2, 76. cohortes. *Lucan.* 8, 387. nam Medos proelia prima Exarmant vacuaeque jubent remeare pharetrae. *Paul. Dig.* 14, 2, 2. Si conservatis mercibus deterior facta sit navis aut aliquid exarmaverit, *h. e.* aliquod ex armamentis amiserit. Hac ratione loqui videtur etiam *Sen. ep.* 30. ℙ Translate. [*Flor.* 1, 23. Inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit.] *Petr. Sat.* 105. Giton mirabili forma exarmaverat nautas, *h. e.* flagella et iram deponere coegerat. *Sil.* 1, 411. serpentem diro exarmare veneno Doctus. *Val. Fl.* 7, 596. alium dehinc turbida Colchis Exarmat taurum, *h. e.* incantationibus debilitat. *Manil.* 4, 235. Exarmare tigres rabiemque auferre leoni. Alii minus recte *exorare* legunt. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Exarmare accusationem, *h. e.* infirmare, testibus subtractis.

EXĀRO, as, avi, atum, a. 1. ξαρόω, arando eruo. *Cato R. R.* 61. et *Plin.* 17, 18, 30. Tenuissimas radices exarare. [*Cic. Leg.* 2, 23. Sepulcra exarata sunt.] *Paul. Sentent.* 5, 22. Qui terminos effodiunt vel exarant. ℙ Ponitur et pro simplici aro vel probe aro. *Varr. R. R.* 1, 10. et *Plin.* 18, 3, 3. Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. [*Col.* 2, 18, 3. Exarare de integro locum frumenti causa.] *Paul. Dig.* 43, 10, 4. Qui viam publicam exaraverit, ad munitionem ejus solus compellitur. ℙ *Exarare frumentum* est arando agros, colendoque serere, et colere. *Cic. Verr.* 2, 5, 38. Aratorum liberi, quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo R. suppeditare possent. Adde *Verr.* 2, 3, 18. Sic *Pall.* 3, 20. Exarare vites. [*Pall. 2, 25, 14. Exarari et effodi non desiderant mala, i. e. terram in qua stant aratro vel bipalio moveri.] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 8, 3. rugis vetus Frontem senectus exarat. ℙ Saepe est scribere, facere: ducta metaph. a stilo, quo tabellae ceratae, sulcis veluti ductis, perscribuntur. [*Sed observa *exarare* apud pedestres scriptores de subita et extemporali scriptione poni, non de meditata. *Suet.* locum *Ner.* 52. nemo opponat.] *Cic. Att.* 12, 1. Undecimo die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi. Et *ib.* 16, 6. *extr.* Itaque statim novum prooemium exaravi. Et *ib.* 13, 38. Ante lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te. *Ov. Pont.* 3, 2, 90. Ad fratrem scriptas exarat illa notas. *Plin. ep.* 7, 4. Id ipsum, quod me ad scribendum sollicitaverat, his versibus exaravi. *Phaedr. prol.* 3. Librum exarabo tertium Aesopi stilo.

[EXARSUS, a, um, part. ab *exardesco*, seu potius ab inusit. *exardeo*. *Imp. Phil. Cod.* 9, 1, 11. Data opera partis adversae res vestras incendio exarsas esse asseverantes, crimen legis Corneliae de sicariis exsequi potestis. *F.*]

[EXARTICŪLĀTUS, a, um, adj. parum articulatus, inarticulatus. *Tertull. ad Nat.* 1, 8. Si ergo Philomela vixit, potuit effutire aliquod obtusum et exarticulatum sonum tinnitumque. *F.*]

EXARTŪĀTUS, a, um, part. ab inusit. *exartuo*, dissectus. Quidam afferunt locum *Cic. Att.* 7, 2., ubi valde incerta est lectio. [*Eandem vocem restituendam censet *Heinecc. Novell. Jul.* 134. 13. Cf. *deartuare*, quod est Plautinum.]

[EXASCIĀTOR, oris, m. qui ascia dolat. *Inscr.* in *Giorn. Pisan.* T. 16, p. 192. Exasciatori in cupa una nummos X. Hic significatur, qui ascia crustam e cupis eradit, quam Itali dicunt *il tartaro*. *F.*]

EXASCIĀTUS, a, um, part. ab inusit. *exascio*, ascia dolatus. Translate. *Pl. Asin.* 2, 2, 93. Jam hoc opus exasciatum est. Al. leg. *exasciandum est.*

EXASPĔRĀTĬO, onis, f. actus exasperandi. *Scrib. Comp.* 222. Lipara ad intertrigines, et exasperationem mirifica. Adde *Tertull.* 2. *adv. Marc.* 16. *med.* ℙ [*Veg. Art. Vet.* 5, 61, 1. Exasperatio faucium gravissimam commovet tussim.]

*EXASPERATRIX, icis, f. exacerbatrix. *Vulg. Interpr. Ezech.* 2, 8. *B. A.*

EXASPĔRĀTUS, a, um, part. ab *exaspero*, asper factus. *Plin.* 22, 23, 48. Silphii radix prodest arteriis exasperatis. *Cels.* 5, 13. Laevant id, quod exasperatum est, spodium, ebenus etc. *Senec. Contr.* 1, 3. Stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis. *Liv.* 37, 12. *extr.* Exasperato fluctibus mari jactari coeperunt. ℙ Est etiam idem ac levigatus. *Appul. Met.* 5. p. 167, 18. Novaculam praeacutam appulsu etiam palmulae lenientis exasperatam latenter absconde. V. *Silii* locum in v. seq. ℙ Translate incitatus, exagitatus. *Colum.* 9, 15. Neque convenit aestu medio exasperatas apes lacessiri. *Liv.* 28, 25. Ad quorum primum adventum exasperati animi, mox ipsis placido sermone permulcentibus, leniti sunt. [*Observa utroque modo dici apud Latinos, exasperatus est animus alicujus, et exarp. aliquis animo. V. *Drak.* ad *Liv.* 28, 25, 4.]

EXASPĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀπαγριόω, aspero, asperum reddo. *Cels.* 1, 3. de vomitu. Si vomitus fauces exasperavit. *Plin.* 31, 6, 34. Nervos excalefacit, et corpus non exasperat. Et 23, 4, 51. Exasperare tussim. *Quint.* 11, 3. *in.* Faucium vitio vox exasperatur. *Ov. Met.* 5, 6. fretum saeva quietum Ventorum rabies motis exasperat undis. *Claud. III. Cons. Honor.* 192. Brontes innumeris exasperat aegida signis, *h. e.* signis exstantibus exornat. *Sil.* 4, 19. saxoque exasperat ensem, [*er schärft.] Sic *Lucan.* 7, 139. cotibus asper Exarsit mucro. ℙ Translate. *Quint.* 4, 2. *med.* Adjecit invidiam, rem verbis exasperavit, *h. e.* atrociorem fecit. *Liv.* 40, 20. *extr.* Exasperare criminibus animum alicujus, i. e. exacerbare. *Curt.* 8, 1. Cum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clytus imponeret; nihil eo remittente, magis exasperabatur. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 3. Cum ob nimis severe gestam censuram, majorem civitatis partem exasperassent. *Eumen. Paneg. ad Constant.* 10. Ut mallent amicitiam colere Romanam, quam exasperare justitiam. [*Appul. Met.* 4. p. 143, 38. Exasperare canes, i. e. immittere.] ℙ Part. *Exasperaturus* apud *Cels.* 3, 5. Si qua sunt, quae exasperatura eorum animos sunt. *F.*]

EXĀTĬO. V. EXSATIO.

EXĀTŪRO. V. EXSATURO.

EXAUCTORĀTUS, a, um, part. ab *exauctoro*, quasi auctoramento privatus. *Exauctorati milites* dicebantur, qui a militia removebantur, data missione honesta, vel ignominiosa. V. EXAUCTORO. *Liv.* 36, 40. *extr.* Postero die concione advocata, de rebus abs se gestis cum disseruisset, milites exauctoratos dimisit. (Adde 41, 5.) *Tac. H.* 1, 20. Exauctorati per eos dies tribuni. ℙ Translate. *Macr. Sat.* 1, 5. Verba, quae cum in ore priscae auctoritatis crebro fuerint, exauctorata tamen a sequenti aetate, repudiataque sunt. [*i. e. omissa, neglecta.]

EXAUCTORĬTAS, atis, f. *Imppp. Valens, Gratian.* Et *Valentin. Cod. Theod.* 8, 5, 35. Militans exauctoritatem subibit, *h. e.* exauctorabitur.

EXAUCTORO, as, avi, atum, a 1. ἀφίημι, est ab auctoramento, idest obligatione militari, et juramento solvere, et liberare: et saepe de ignominiosa missione intelligitur. [*Haec significatio, qua ignominiae notio involvitur, apud antiquiores non videtur in usu fuisse.] *Ulp. Dig.* 3, 2, 2. *a med.* Sed et si ita exauctoraverit, ut insignia militaria detraheret, inter infames efficit. *Lampr. in Alex. Sever.* 12, narrat, eum imperatorem *legiones tumultuantes exauctorasse.* Et ap. *Plin. ep.* 6, 31. Trajanus centurionem adulterii reum exauctoravit, atque etiam relegavit. [*nobis: *cassiren.*] Adde *Suet. Aug.* 24. ℙ Dicitur etiam de illa missione, cum expletis stipendiis honeste milites dimittebantur. *Justin.* 12, 12. Qua modestia obtinuerunt, ut undecim millia militum veteranorum exauctoraret. [*verabschieden.] *Liv.* 8, 34. *f.* Sine commeatu vagi milites, immemores sacramenti, licentia sola se, ubi velint, exauctorent. Adde 36, 40. ut in EXAUCTORATUS retulimus. *Tac. A.* 1, 36. *f.* Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. Describit hic *Tac.* peculiare exauctorandi genus, militaris seditionis infringendae causa usurpatum.

EXAUDĪBĬLIS, e, adj. qui exaudiri potest, dignus cujus preces exaudiantur. *August. Soliloqu.* 1, 1. *med.* Deus, qui nos exaudibiles facis.

EXAUDĬO, is, ivi, itum, a 4. ἐξακούω, idem quod audio, sentio, intelligo. [*Proprie dicitur *exaudire* de eo, qui e longinquo audit. Sic accipe in locis qui nunc sequuntur. V. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 3, 87. *Drak.* ad *Liv.* 3, 56.] *Cic. Att.* 4, 8. Dic, oro te, clarius: vix enim mihi exaudisse videor. *Id. ib.* 13, 48. Heri nescio quid in strepitu videor exaudisse, cum diceres, te in Tusculanum venturum. *Id. Div.* 1, 33. Cum aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum. *Id. Sull.* 11. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam. *Id. Ligar.* 3. Quantum potero voce contendam, ut hoc populus R. exaudiat. *Caes. B. G.* 5, 30. et *B. C.* 3, 94. Vincite, inquit, si ita vultis: et id clariore voce, ut magna pars militum exaudiret. *Nep. Dion.* 9. Fit strepitus, adeo ut exaudiri possit foris. *Plin.* 19, 1, 4. Surdis ictibus, et qui non exaudiantur, arborem caedi. *Id.* 9, 8, 9. Celeriter delphini exaudiunt desideria. *Ov. Met.* 4, 144. et *ib.* 9, 122. Exaudi. [*Inprimis frequens hujus vocis usus est apud *Liv.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 56, 8. ℙ Item fando accipere, de fama. *Cic. Cat.* 4, 7. Quae exaudio, dissimulare non possum.] *Exaudire preces* est non audire solum, sed etiam annuere. *Id. ib.* 13, 855., *Senec. Hipp.* 636., *Lucan.* 6, 706. et *Plin.* 28, 2, 3. Sic, Exaudire rogantem, *Ov. Amor.* 2, 9, 51. Exaudire populi vota, *Senec. Contr.* 1, 3. *med.* Similiter *Plin. Pan.* 94. Capitoline Juppiter, audisti quae malo principi precabamur, exaudi quae pro dissimillimo optamus. [*Exaudire sane ita dicitur nonnunquam, ut sit adnuere precibus utque nostrum *erhören* substituere possis. Sed nolim tamen quisquam credat, tum *exaudire* opponi simplici verbo *audire*. Nam hoc quoque in eundem sensum adhibetur. *Hor. Od.* 4, 13, 1. Audivere dī mea vota. Nempe *exaudire* et *audire* nihil aliud significat

quam sonum l. vocem ad alicujus aures pervenire. Quod quum de deo dicatur, qui propitium habet in hominem animum, est ejus precibus locum dare. V. ne alios offeram, haud indisertam annotationem *Burm.* ad *Ov. Am.* 2, 9, 51.] ℙ Translate est sentire. *Lucan.* 6, 715. licet has exaudiat herbas, Ad manes ventura semel. ℙ Item intelligere. *Cels. Dig.* 33, 10, 7. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. *Id. ib.* 45, 1, 99. Etsi ambigua verba sunt, sic tamen exaudiuntur, si, etc. ℙ [Part. *Exaudiens* ap. *Curt.* 7, 7. Haec, quassa adhuc voce, subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat. *F.*]

EXAUDĪTĬO, onis, f. actus exaudiendi. *August. C. D.* 21, 24. Eorum efficacior est oratio, et exauditione Dei dignior.

EXAUDĪTUS, a, um, part. ab *exaudio*, auditus. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Tanti sonitus fuerunt, ut eos usque istinc exauditos putem. *Virg. G.* 1, 476. Vox quoque per lucos vulgo exauditae silentes. *Hor. Ep.* 1, 20, 14. Monitor non exauditus. *Virg. A.* 11, 157. et *Stat. Theb.* 11, 616. nulli exaudita Deorum Vota, precesque meae.

EXAUGĔO, es, a. l. ἐξαύξω, idem quod augeo, aut valde augeo. *Pl. Stich.* 2, 1, 9. et 32. Benefacta majorum tuorum exauge. ℙ Est etiam idem ac diminuo. *Ter. Heaut.* 2, 2, 3. Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant. [Probabilis tamen est conjectura *F. H. Bothii* legentis: Concurrunt multa, opinionem quae mi hanc nimium exaugeant. *F.*] [*Bentleji* haec est emendatio: Concurrunt multa, opinionem hanc quae mihi animo exaugeant. Vulgata lectio procul dubio vitiosa est.]

EXAUGŪRĀTĬO, onis, f. actus exaugurandi. *Liv.* 1, 55. Nam cum omnium sacellorum exauguraliones admitterent aves etc.

[EXAUGŪRĀTUS, a, um, part. ab *exauguro*, ex sacro profanus factus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 166. M. Sosius Laelianus Pontius Falco loco L. Annii Ravi exaugurati. *F.*]

EXAUGŪRO, as, a. l. ex sacro profanum facio: nam sacrae res augurato consecrabantur. *Cato* ap. *Fest.* in *Nequitum*, et *Liv.* 1, 55. Exaugurare fana sacellaque statuit. *Gell.* 6, 7. Si quadraginta annos nata sacerdotio abire, ac nubere voluisset, jus ei potestasque exaugurandi, atque nubendi facta est. *Capitol. M. Aurel.* 4. Fuit in eo sacerdotio *(Saliorum)* et praesul, et vates, et magister, et multos inauguravit, atque exauguravit.

EXAURĀTUS, a, um, part. ab inusit. *exauro*, inauratus, ut Exaurati crateres apud *Auct. fr. c.* 15. quod cum *Censorino* edi solet.

EXAUSPĪCO, as, avi, atum, n. l. *Pl. Capt.* 3, 5, 108. Exauspicavi ex vinculis: nunc intelligo Redauspicandum esse in catenas denuo, *h. e* auspicium hujus itineris ex vinculis duxi: quare ut malo auspicio huc veni, ita ad vincula mihi denuo redeundum est, quasi ad auspicia repetenda.

EXBALLISTO, as, a. l. ballistae ictu prosterno. Festive *Pl. Ps.* 2, 1, 9. Nunc inimicum ego hunc meum Ballionem exballistabo lepide. Sic *Bacch.* 4, 4, 58. De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem.

[*EXBELLO, as, avi, atum, a. l. Hoc verbum, nulla auctoritate munitum, *Gruter* restituere volebat *Vell. Pat.* 2, 33.]

EXBĪBO, is, a. 3. idem quod ebibo. *Pl. Mil.* 3, 2, 19. Neque illic calidum exbibit in prandium.

EXBŎLA, ae, f. fax aut telum missile: ab ἐκβάλλω, ejicio. *Varr. L. L.* 6, 6. Naevius in Tunicularia: Exbolas quassant, ejiciunt: a Graeca v. ἐκβολή dictum. [*Forma *Exbola* tanto magis offendit, quod etiam in latinis vocabulis *ec* pro *ex* haud infrequens erat. Cf. *Schneider.* Elementarl. Tom. II. p. 563.]

EXBUERES, exinteratas: sive Exbuae, quae ebiberunt, quasi epotae. *Festus*, ubi V. Interpretes.

EXCAECĀTOR, oris, m. qui excaecat. *August. serm.* 43. ex *homil.* 50. Diabolus fuerat excaecator.

EXCAECĀTUS, a, um, part. ab *excaeco*. Translate *excaecata* dicuntur, quae obstructa sunt, et abdita: quemadmodum *caecas fossas* dixit *Colum.* quae apertae non sunt, et caecam domum vocat *Cic.* quae obscura est, et sine fenestris. *Ov. Met.* 15, 271. antiqui tam multa tremoribus orbis Flumina prosiliunt, aut excaecata residunt. Al. leg. *ersiccata Cels.* 7, 7. *f.* Id signum est quasi excaecatorum itinerum, per quae humor ferebatur, *h. e.* obstructorum. ℙ Apud *Plin.* 33, 9, 46. *fulgor excaecatus* in argento est, cum argentum colore tingitur, suumque fulgorem obscurat.

EXCAECO, as, avi, atum, a. l. ἐκτυφλόω, idem quod caeco. *Cic. Acad.* 4, 23. Num ergo is excaecat nos, aut orbat sensibus? ℙ Translate. *Plin.* 17, 22, 49. *n.* 11. Quidam tunc excaecant eum *(palmitem)* supina falce auferendo oculos, ut longius evocent. *Colum.* 11, 3. *med.* Stirpes praefractae augunt oculos spongiarum et quasi excaecant, nec patiuntur asparagum emittere. ℙ Est etiam obstruere, occludere. *Ov. Pont.* 4, 2, 17. Scilicet ut limus venas excaecat in undis, Laesaque suppresso fonte resistit aqua. V. voc. praec. ℙ Excaecare formam est, pulcritudinem velut obscurare, corrumpere. *Petr. Sat.* 128. Nunquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaeco?

EXCALCĔĀTUS, a, um, part. ab *excalceo*, calceis exutus, ἀβλαντος, ἀπέδιλος. *Suet. Vesp.* 8. Jussit post haec excalceatos cursitare. *Mart.* 12, 88. Excalceatus ire coepit ad coenam. *Senec. ep.* 8. Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt! *h. e.* non mimis, et comicis, qui soccis utuntur, sed tragicis, qui cothurnis. *Excalceatos* vocat comicos, quia pro cothurnis, qui altiores erant, et adhibebantur a tragicis, habebant soccos multo humiliores, ita ut prae illis excalceati videri possent. Hinc *Id. ep.* 76. *f.* Illi, quibus sceptrum et chlamydem in scena fabulae assignant, cum praesente populo elati incesserunt, et cothurnati; simul exierunt, excalceantur, et ad staturam suam redeuut. ℙ Scribitur etiam *excalciatus.*

EXCALCĔO, as, avi, atum, a. l. ἐμβάδας ὑπολύω, calceos detraho. *Vell.* 2, 41. Neque unquam aut nocte, aut die aut excalcearetur, aut discingeretur. *Suet. Vitell.* 2. Ut sibi pedes praeberet excalceandos. Adde *Senec. l. c.* in v. praec. ℙ *Excalceor* deponentis forma. *Varr.* ap. *Non.* 7, 86. Qui ibi ad Herculis introeat, nemo se exalceetur. ℙ Scribitur etiam *excalcio* in *Not. Tir.* p. 129.

[*EXCALCĔUS, a, um, adj., idem ac excalceatus. *Paul. Nol. carm.* 21, 321. Qui maluisset confoveri excalceus, quam calceari frigidus. Adde *Salvian. de gub.* 1, 39. *F.* et *B. A.*]

EXCALDĀTĬO, onis, f. θερμολουσία, lavatio in aqua calida. *Anton. Phil.* in *epist.* ap. *Vulcat. Gallic. Avid. Cass.* 5. Ille sane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, et sinu militi excutiet, *h. e.* calida balnea. *Capitol. Albin.* 5. Testudinem infantulo ad excaldationes pueriles dicari jussit.

EXCALDĀTUS, a, um, part. ab *excaldo*, calida lotus, et calefactus. *Apic.* 4, 2. Excaldatus caseus. *Marc. Empir.* 26. Amygdalae excaldatae.

EXCALDO, as, a. l. calida perfundo, et calefacio. *Vulcat. Gallic. l. c. Avid. Cass.* 5. Legiones totae excaldantes se.

EXCALFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. idem ac calefacio. *Plin.* 21, 20, 82. Magis excalefacit, quam crocum ipsum. *Id. ib.* 21, 89. Modice his tamen utendum est, quoniam excalfaciunt. Adde *ib.* 22, 93. etc.

EXCALFACTĬO, onis, f. *Plin.* 31, 9, 45. Sal additur ad excalfactiones.

EXCALFACTORĬUS, a, um, adj. θερμαντικὸς, excalfaciendi vim habens. *Plin.* 25, 13, 95. Natura vini excalfactoria. *Id.* 24, 11, 64. Excalfactorias vires habet. Et 21, 18, 72. Resina excalfactoria.

EXCALFACTUS, a, um, part. ab *excalfacio. Plin.* 37, 10, 55. Calorem tenet excalfacta igni. *Id. ib.* 2, 11. Lacus sole excalfactus.

EXCALFĬO et Excalefio, is, θερμαίνομαι, calefio. *Plin.* 24, 7, 28. Cum quid siccari, excalfierive opus sit. *Scrib. Comp.* 158. Priusquam excalefiant.

EXCALPO. V. EXSCALPO.

EXCANDĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. incendo. *Varr. R. R.* 3, 2, *f.* Triumphus, et collegiorum coenae, quae tunc innumerabiles, excandefaciebant annonam macelli, *h. e.* pretium annonae augebant, incendebant. V. INCENDO. [*Cf. etiam *Exardescere.*] ℙ Dividitur per tmesim. *Id. ib.* 4. Excande me fecerunt cupiditate, *h. e.* inflammarunt.

*EXCANDENS, entis, adj. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Majo*) 3, 59. Excandentes lapides; ni legendum excandescentes. *B. A.*

[EXCANDĔO, es, n. 2. idem ac excandesco, quod vide. *F.*]

EXCANDESCENTĬA, ae, f. ira. *Cic. Tusc.* 4, 9. Ira sit libido puniendi: exscandescentia sit ira nascens, et modo exsistens: quae θύμωσις Graece dicitur. ℙ Item [*ea animi pars qua commotiones existunt.] *Appul. Dogm. Plat.* 1. *f.* p. 11, 28. Tripartitam animam idem dicit: primam ejus rationabilem esse partem: aliam excandescentiam, vel irritabilitatem: tertiam appetitum.

EXCANDESCO, is, ui, n. 3. ἐκπυρόομαι, incendor, inflammor. *Cato R. R.* 95. Nam si in tecto coquas, excandescet. *Plin.* 36, 26, 67. Vitreae pilae sole adverso in tantum excandescunt, ut vestes exurant. ℙ [*Translate de sacro igni, quam pusulam vocant pastores. *Col. R. R.* 7, 5, 16. Pene ad omnem tactum excandescit.] ℙ Translate accipitur pro irasci, quod ira, velut igne quodam, animus soleat incendi. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Id postquam rescivit, excanduit. Al. leg. *incanduit. Colum.* 7, 12. de canib. villaticis. Ut etiam conservos iratius intueantur, semper excandescant in exteros. *Cic. Tusc.* 4, 19. Haec nullam vim habent, nisi ira excanduit fortitudo. *Quint.* 5, 10. *med.* Excandescere verbis. *Petr. Sat.* 85. Tam vehementer excandui, ut etc. *Suet Vesp.* 14. In hunc deprecantem haud ultra verba excanduit. *Flor.* 2, 18. Etiam in ultionem excanduit. *Suet. Rhet.* 6. Cum ita excanduisset, ut, deplorato Italiae statu etc. ℙ In *Not. Tir.* p. 166. habetur *excandet*, nempe ab *excandeo, es*, ex quo etiam est praeteritum *excandui*, non ex *excandesco*, quod est anomalum, et Ionice inflexum, quodque ideo ultra praeteritum imperfectum non declinatur. V. IONICE.

EXCANTĀTUS, a, um, part. ab *excanto*, veneficiis, et magicis artibus elicitus, evocatus, arcessitus, obstrictus: nam incantamenta plerumque carminibus, et cantionibus fiunt. *Hor. Ep.* 5, 45. Quae sidera excantata voce Thessala, Lunamque coelo deripit. *Lucan.* 6, 457. Excantata mens, *h. e.* de statu dejecta. *Id.* 9, 930. Pestis excantata fugit.

EXCANTO, as, avi, atum, a. l. ἐξάδω, incantationibus elicio, evoco, exire facio, traduco, transfero. *Prop.* 3, 2, 49. Ut per te clausas sciat excantare puellas. *Lucan.* 6, 685. Tum vox Letheos cunctis pollentior herbis excantare Deos. *Plin.* 28, 2, 4. et *Senec. Q. N.* 4, 7. Legum in duodecim tabulis verba sunt: Qui fruges excantasset, *h. e.* ex agro vicini in suum incantationibus transtulisset; id enim carminibus posse fieri, vulgo credebant, ut est ap. *Virg. Ecl.* 8, 99., *Tibull.* 1, 9, 19., *Ov. R. A.* 255. et *Capell.* 9, 314. Quo pertinet illud *Varr.* ap. *Non.* 2, 260. Ubi vident, se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt. ℙ *Senec. l. c.* alio sensu videtur intelligere *excantare fruges*, nempe veneficiis corrumpere, imbres avertendo, grandines, aliasque noxias tempestates attrahendo [*nobis *verhexen.*] Nam et haec carminibus fieri, credula putavit antiquitas. ℙ Translate. *Pl. fr.* ap. *Non. l. c.* Nam tu quidem cuivis excantare cor facile potes. *Non.* exponit *excludere*, sed *elicere* vult *Broukh.* ad *Prop.* 3, 2, 49. unde haec desumpsimus. [*Adde *Burm.* ad *Quint. Decl.* 10. p. 220.] ℙ Luxum excantare in *lemmate* ap. *Caton. R. R.* 160. est cantione sanare.

EXCĂPĔRĔ, pro excipere, est *Ennii* ap. *Non.* 2, 769.

EXCARNĪFĪCĀTUS, a, um, part. ab *excarnifico*, dilaniatus. *Cic. N. D.* 3, 33. Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus. *Senec. Ira* 3, 4. Age, si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt! *h. e.* ira cruciati.

EXCARNĪFĪCO, as, avi, atum, a. l. κατακρεουργέω, dilanio, carnem disseco, in partes divido. *Senec. ep.* 24. Mille instrumenta excarnificandi particulatim hominis. *Suet. Vit.* 17. Minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est. ℙ Translate pro cruciare ponitur. *Ter. Heaut.* 4, 6, 9. Hujusmodi mihi res semper comminiscere, ubi me excarnifices.

[EXCASTRĀTĬO, onis, f. idem ac castratio. *Gloss. Philox.* Castratio, ἐκτομή. *F.*]

EXCASTRĀTUS, a, um, part. ab *excastro*, castratus, exsectus. *Gell.* 9, 9. Auctore M. Varrone, is demum Latine caper dicitur, qui excastratus est. *Scrib. Comp.* 9. Sinapi ex aceto tritum, et non excastratum, *h. e.* cui cortex non est ademptus, ita ut vim amitteret aliqua ex parte.

[EXCASTRO, as, a. l. idem ac castro. *Gloss. Philox.* Excastro, ἐκτέμνω. *Not. Tir.* p. 75. Excastrat. *F.*]

EXCĀVĀTĬO, onis, f. actus excavandi, κοίλωσις. *Senec. Q. N.* 4, 3. Stillicidii casus lapidem cavat, et haec ipsa excavatio rotunda fit.

EXCĀVĀTUS, a, um, part. ab *excavo*, cavatus. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Trulla excavata cum manubrio aureo. *Plin.* 33. *in.* Vivimus super excavatam terram, mirantes dehiscere aliquando.

EXCAUDĪCO. V. EXCODICO.

EXCĀVO, as, avi, atum, a. l. κοιλόω. *Plin.* 10, 33, 49. de hirundinib. Tertium est earum genus, quae ripas excavant. *Id.* 9, 27, 43. Cavernam sibi rostro excavat. ℙ Obscena metaphora est idem ac paedico. *Auct. Priap.* 52, 4. Cum quisquis in nos incidit, luat poenas, Et usque curvos excavetur ad lumbos. ℙ [*Confunduntur *Excavare* et *Exsecare. Col. Arb.* 8, 4.]

[EXCAUSĀTUS. V. EXCUSATUS. *F.*]

EXCĔDO, is, essi, essum, n. 3. ἐκχωρέω, ἀπέρχομαι, exeo, egredior, ut et *Fest.* exponit, secedo, abeo. *Cic. Cat.* 2, 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. [*Liv.* 9, 16, 7. Praesidiūm Samnitium excessurum proxima nocte erat, ubi vid. *Drak.*] *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Excedere urbe. *Id. Phil.* 8, 8. Priusquam ex illa circumscriptione excederet. *Caes. B. G.* 2, 25. Excedere proelio. Et *ib.* 4, 33. e proelio. Et *ib.* 3, 4. et *Nep. Epam.* 9. pugna. Et *Annib.* 6. ex acie. *Liv.* 30, 42. finibus. *Caes. B. G.* 7, 33. ex finibus. Et 66. Gallia. Et *B. C.* 1, 44. Pedem referre, et loco excedere. *Ter. Andr.* 4, 4, 21. ex loco. *Caes. B. C.* 1, 79. *extr.* ex itinere. Et *B. G.* 5, 19. ex via. *Liv.* 24, 20. via. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 34, 47, 5.] *Cic. Tusc.* 1, 13. et *Brut.* 75. *extr.* vita. Et *ib.* 20. et *Off.* 1, 53. e vita. [*Cic. *Div.* 1, 25. Quum ani-

mus Eudemi ex corpore excesserit.] *Liv.* 32, 10. possessione. *Cic. Arch.* 3. ex pueris. *Ter. Andr.* 1, 1, 24. ex ephebis. *Id. Hecyr.* 4, 3, 14. e medio, e turba, e publico excedere. *Id. Phorm.* 5, 7, 74. e medio. (*Donat.* de medio). [*i. e. mori. Similiter e medio abire. *Ter. Phorm.* 5, 8, 30.] *Id. Hecyr.* 3, 2, 12. Cura excessit ex corde. *Liv.* 26, 13. Excessit e memoria, quo tempore a populo R. defecerimus? [*Et excedere memoria. *Drak.* ad *Liv.* 2, 33, 9.] *Ov. Met.* 6, 669. de pectore caedis Excessere notae. Al. leg. *effluxere.* [*Curt.* 8, 8. Ubi vero reverentia excessit animis.] *Vell.* 2, 68. *extr.* Excedere natura sua, contra insitam clementiam agere. [*Hirt. B. Afr.* 73. Ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat, i. e. a pristina consuetudine discesserat.] *Pl. Bacch.* 1, 2, 40. Jam excessit mihi aetas ex magisterio. *Triphonin. Dig.* 1, 5, 15. Excedere de utero, *h. e.* nasci. ℙ Cum adverbiis et casibus motus ad locum. *Ter. Andr.* 4, 4, 21. Cave, quoquam ex istoc excessis loco (pro *excesseris* syncope). *Liv.* 31, 26. *extr.* Agro hostium in Boeotiam excessit. *Mart. Dig.* 48, 19, 4. Excedere in exsilium. [*Etiam absolute ita ponitur. *Ulp.* in *Dig.* 48, 22, 7, 17. His qui relegantur dies excedendi dari solet. — Moris est ita pronunciari: Illum provincia illa relego, excedereque debebit intra illum diem. Cfr. *Suet. Vit.* 13. *Tac. A.* 2, 83.] *Cic. Tusc.* 1, 30. *f.* Nae ille laetus ex his tenebris in illam lucem excesserit. *Curt.* 4, 7. *med.* Invictum fore, donec excederet ad Deos, *h. e.* moreretur, et inter Deos referretur. Adde *Vell.* 1, 2. ℙ Cum accusativo. *Senec. Oedip.* 23. Non ego penates profugus excessi meos. *Lucan.* 2, 271. nubes excedit Olympus. Adde 8, 236. Addunt alii *Cic. Cat.* 1, 6., *Sil.* 14, 439. et *Liv.* multis in loc., sed ubique dubia est lectio. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 24, 20. Neque usquam via excessum est. ℙ *Excedere* absolute est excedere vita. *Tac. A.* 1, 5. Excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. *Plin.* 7, 13, 11. Augustus neptis suae nepotem vidit genitum, quo excessit anno. Adde *Suet. Aug.* 5. et *Val. Flacc.* 1, 826. ℙ [*Etiam effluere e memoria. *Sil. It.* 15, 34. Cannaene tibi — excessere Padusque: pro excedere e memoria. *Drak.* ad *Liv.* 7, 32, 15.] ℙ Significat etiam progredi, procedere. *Cic. Univ.* 5. Sic omnes partes collocatae sunt, ut nulla excederet extra. *Cels.* 8, 25. Si nudum os eminet, impedimento semper futurum est: ideo quod excedit, abscindendum est, *h. e.* prominet, protuberat. *Id. ib.* 9. *f.* Si id, quod ex vertebra excedit, aliquo modo factum est, *h. e.* si vertebrae processus. Al. perperam leg. *excidit.* *Plin.* 27, 1, 1. Excedentia in nubes juga. *Just.* 1, 1. Quorum alter in Pontum, alter usque Aegyptum excessit. *Liv.* 34, 1. Intercessit res parva dictu, sed quae studiis in magnum certamen excesserit. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 33, 35, 12.] Et 25, 1. Primo secretae bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad patres etiam, et ad publicam querimoniam excessit res. [**Val. Max.* 5, 6, 4. Respublica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.] *Vell.* 2, 68. In hoc lacessiti principis ira excessit, ut censoria contentus nota etc. [*Tac. *Agr.* 42. Obsequium ac modestia eo laudis excedunt. Cfr. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 13. p. 48.] *Liv.* 30, 26. Haec eo anno in Africa gesta. Insequentia excedunt in eum annum, quo etc. ℙ [*Et absolute praestare, eminere. *Tac. A.* 2, 24. Quanto violentior cetero mari Oceanus, tantum illa clades novitate excessit. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 180. ℙ Porro superare, ultra esse. *Javolen.* in *Dig.* 10, 3, 18. Ultra id quod in judicium adductum est excedere potestas judicis non potest. *Paul.* in *Dig.* 17, 1, 3. Quod si pretium statui tuque pluris emisti, — etiamsi paratus esses, id quod excedit remittere.] ℙ Item degredi, exire a proposito, quasi de via decedere. *Senec. ep.* 77. *circa med.* Excedere in fabellam. *Liv.* 29, 29. Operae pretium videtur, excedere paululum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit. *Plin. ep.* 5, 6. *f.* Ne reprehendar, si longior fuero in hoc, quod excessi. ℙ Active est superare, vincere. *Tac. A.* 1, 14. Excedere numerum. Et *ib.* 4, 40. equestre fastigium. *Plin.* 7, 2, 2. Multos ibi quina cubita constat longitudiue excedere. *Id.* 31, 7, 39. Stagnum altitudine genua non excedens. *Id.* 8, 42. Triennium vitae non excedunt. *Colum.* 6, 21. Cum excesserint annos decem, fetibus inutiles sunt. *Plin.* 13, 3, 4. Excedunt quadragenos denarios librae etc. *Id.* 18, 7, 11. Hordeum raro excedit quindecim libras. *Id.* 7, 21, 21., *Vell.* 2, 51. et *Ov. Met.* 7, 166. Excedere fidem, i. e. incredibile esse. *Liv.* 26, 19. et 28, 25., *Lucan.* 2, 142., *Curt.* 4, 11. et *Vell.* 2, 122. modum. *Justin.* 13, 2. Nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se submitteret, *h. e.* cum nemo tantum ceteros antecelleret, ceteris praestaret dignitate, virtute, fama. ℙ [Part. *Excessurus* ap. *Liv.* 8, 33. Quo ultra iram violentiamque ejus excessuram fuisse. ℙ *Excessis* pro *excesseris* legitur ap. *Ter. Andr.* 4, 4, 21. *F.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *Excedere* et *Escendere.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 13. p. 48. — et *Exire. Drak.* ad *Liv.* 36, 21, 2.]

EXCELLENS, entis, part. ab *excello*, praestans, insignis, προέχων. *Cic. Acad.* 1, 3. Excellens omni genere laudis. *Id. Fin.* 3, 2. *a med.* Vir cum omnibus excellens, tum mecum amicitia conjunctus. *Nep. Alcib. in.* Nihil Alcibiade fuit excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus. *Cic. N. D.* 1, 2. Una excellentissima virtus, justitia. *Id. Brut.* 97. Inter tot aequales unus excellens. *Id. N. D.* 1, 20. Natura excellens atque praestans. *Id. Fam.* 4, 3. *f.* Tua scientia excellens ac singularis. *Vell.* 2, 41. Forma omnium civium excellentissimus. [*Drak. ad *Liv.* 3, 44, 4.] *Suet. Ner.* 20. Insignes excellentissimo cultu. *Liv.* 2, 43. *f.* Excellens ingenium. *Caes. B. C.* 3, 34. *extr.* Profiteri excellens studium. *Plin.* 14, 9, 11. Excellens vinum. Et 29, 3, 11. Excellentiora ova. Et 32, 7, 25. Excellens garum. Et 37, 4, 15. Excellentissimum aurum. *Prud. in Symmach.* 1, 572. Excellentior ordo, *h. e.* senatorius. ℙ Est etiam altus, eminens. *Vell.* 2, 107. Homo corpore excellens. *Auct. B. Hisp.* 8. Oppida excellentibus locis constituta. *Plin.* 18, 18, 47. Excellentius frumentum. [*Fest.* s. v. Lingua. Promontorii quoque genus, non excellentis, sed molliter in planum devexi. V. egregiam *Gron.* animadv. ad *Sen.* de *Vit. beat.* 14.] ℙ **Excellenti* in casu sexto *Cic. de re publ.* 2, 5. ed *A. Maio.* Sic *vaganti* pro *vagante* habet *Id. ib.* 11. et *referenti* 1, 32. Sed mendum forte exceptoris: cave usurpes. *B. A.* ℙ [*Confunduntur a librariis *Excellentissimus* et *Excelsissimus*, quod saepe illi substitutum. *Gron.* ad *Sen.* de *Vit. beat.* 14.]

EXCELLENTER, adv. singulari, ac praestanti ratione, ἐξόχως. *Cic. Off.* 1, 18. Quae magno animo, et fortiter excellenterque gesta sunt. *Id. Sext.* 45. In republ. excellentius se gerere. *Nep. Attic.* 1. Non solum celeriter arripere, sed etiam excellenter pronunciare.

EXCELLENTIA, ae, f. ἐξοχή, praestantia, magnitudo, nobilitas. *Cic. Off.* 1, 28. Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia, praestantiaque animantium reliquorum. Et 5. Animi excellentia et magnitudo. *Id. Amic.* 19. Saepe excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. *Plin.* 35, 14, 49. Excellentia picturae. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 21. crurum. Et *Prud.* περὶ στεφ. 10, 52. Romanus, acris heros excellentiae, *h. e.* magnitudinis animi.

[*EXCELLEO, es, ui, ere 2. *Cic. fragm. ep.* ap. *Prisc.* Effice et elabora ut excelleas. V. verb. seq. §. 5.]

EXCELLO, is, ui, elsum, n. 3. proprie in altum moveri, seu tolli: ab obsoleto *cello*, moveo. Translate *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. et 13, 24. Scio, solere plerisque hominibus, rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis, animum excellere, superbiam atque ferociam augescere, atque crescere. ℙ Active pro in altum tollere. *Festus* in *Recellere.* Recellere, reclinare: et excellere, in altum extollere. ℙ Plerumque usurpatur pro praestare, eminere, excellentem esse, ὑπερέχω. *Cic. Tusc.* 2, 18. *f.* Ab ea virtute, quae una ceteris excellebat, omnes nominatae sunt. *Id. Or.* 2, 54. In jocis tu longe aliis, Caesar, excellis. *Id. Or.* 2. In oratoribus autem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. *Id. Manil.* 14. Ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. *Liv.* 28, 43. Excellere super ceteros. *Appul. Flor. n.* 16. ante ceteros. *Cic. Acad.* 4, 2. Ingenio scientiaque excellere. *Nep. Arist.* 1. abstinentia. *Curt.* 9, 1. sapientia. *Lucr.* 6, 13. bona fama. *Plin.* 37, 6, 23. candore. Et 16, 6, 8. altitudine. *Auct. Dial. de or.* 32. Eminere atque excellere. ℙ In malam partem. [*Cic. *Pis.* 38. Quum haec (mala facinora), quae excellunt, me nosse videas, i. e. quae propter celebritatem notiora sunt.] *Cic. Leg.* 1, 19. Eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus. ℙ Reperitur etiam *excelleo, es*, 2. conjugat. *Cic. fragm.* apud *Prisc.* 8, 838. et 10, 896. Quare effice et elabora, ut excelleas. *Macer Aemilius* ap. *Diom.* 1, 371. Cum laude excellet omnes. Hinc *excellere aliquem re quapiam*, accusativo addito pro dativo, recte dici potest: quod quidam confirmant auctoritate *Lactant.* 7, 8. *f.*, ubi tamen in opt. lib. aliter se res habet. *Plinium* potius attulissent, qui 19, 8, 41. *n.* 3. *de brassicae generib.* Est etiam sua gratia nunquam plantae habitum excellentibus, *h. e.* excedentibus. ℙ Ab *excelleo* est praeter. *excellui*, quod agnoscit praeter alios *Prisc. l. c.*, et usurpat *Gell.* 14, 3. *f.* In quibus illi duo omnium judicio excelluerunt.

EXCELSE, adv. ὑψηλῶς, alte, in sublime. *Colum.* 4, 1. Si vitis scandit excelsius, plus adjumenti desiderat. ℙ Translate est excellenter, sublimiter, magnifice. *Cic. Or.* 34. Omnia profecto excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet. *Plin. ep.* 2, 3. Pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse. *Vell.* 1, 6. Sparta excellsissime floruit.

EXCELSĬTAS, atis, f. ὑψηλότης, altitudo, sublimitas. *Plin.* 2, 64, 64. Montium excelsitas. *Id.* 21, 5, 11. *de lilio.* Nec ulli florum excelsitas major. *Id.* 16, 36, 66. Arundo ad excelsitatem nas scens. ℙ Translate. *Cic. Off.* 3, 5. Excelsitas animi, et magnitudo. Est qui legit *celsitas*: verum *Non.* quoque 8, 22. *excelsitatem* agnoscit, hoc ipso loco allato: et *paulo post*, his verbis respondent: magni animi et excelsi.

EXCELSUS, a, um, part. ab *excello*, ὑψηλός, altus, sublimis, editus. *Caes. B. C.* 1, 80. Monexcelsus. *Id. B. G.* 6, 25. Cornu excelsius. *Plin.* 10, 6, 7. Excelsissimae rupes. *Id.* 11, 37, 49. Cerebrum, excelsissimum viscerum. *Id.* 8, 33, 51. Chamaeleoni excelsiora crura. *Id.* 10, 59, 79. Pavones in excelso cubantes. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* Excelsa porticus. *Id. Verr.* 2, 4, 34. Statua posita excelsa in basi. Et *ib.* Amplum et excelsum signum. *Id. N. D.* 1, 36. Ibes, aves excelsae, cruribus rigidis. *Senec. Phoen.* 546. Excelsos rotis volitare proceres, *h. e.* sublimes in curribus. *Plin.* 6, 16, 38. Excelsa urbis. *Id.* 17, 22, 30. *n.* 15. Vitis in excelsum emicat. *Cic. Cat.* 3, 8. Simulacrum Jovis in excelso collocare. [*Cic. *Somn.* 1. Ostendebat Carthaginem de excelso loco.] *Ov. Her.* 15, 165. Aspicere ab excelso, i. e. ex editiore loco. *Val. Fl.* 1, 405. Hasta excelsa. ℙ Translate. *Cic. Or.* 34. Quem etiam (*oratorem*) quo grandior sit, et quodammodo excelsior, ut de Pericle dixi supra (4. et 9.) ne physicorum quidem esse ignarum volo. *Id. Tusc.* 2, 4. Te natura excelsum quendam, et altum, et humana despicientem genuit. *Id. Off.* 1, 23. Animus excelsus et magnificus. Et 5. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. *Id. Mur.* 29. Magnus homo et excelsus, Cato. *Id. Opt. gen. orat.* 4. Neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat. *Id. Fam.* 2, 5. Excelso et illustri loco sita est laus tua. *Sall. Cat.* 50. Qui magno imperio praediti, in excelso aetatem agunt. *Id. initio Or. ad Caes.* 2. Rex, aut imperator, cujus opes in excelso sunt. *Vell.* 2, 96. Excelsissimae victoriae. Et 114. Excelsissimi duces. *Senec. Thyest.* 911. O me caelitum excelsissimum! ℙ [*Est titulus, quo insignes viri ornantur. Sic Trebonianus in *Instit. Praef.* §. 4. Quod per virum excelsum Trebonianum confecimus. — In *Cod. Theod.* saepe excelsa sedes pro praefectura praetoriana dicitur, ut praefectis frequenter sublimitatis ac celsitudinis elogia tribuuntur. ℙ Nonnunquam librarii voci *Excellentissimus* substituerunt *Excelsissimus. Gron.* ad *Sen.* de *vit. beat.* 14.]

EXCENTŪRĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *excenturio*, exauctoratus. Verbum fictum a *Pl. Curc.* 4, 4, 29., ubi tamen plerique melius leg. *centuriatus*, quam voc. V.

EXCEPTĀCŬLUM, i, n. id quo aliquid excipitur. *Tert. Spectac.* 2. *med.* Non sumpsimus aures ad exceptaculum maliloquii.

[EXCEPTĬCĬUS, a, um, adj. qui excipitur, et excluditur. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Alica, quae in cribro remansit, excepticia appellatur. *F.*]

EXCEPTĬO, onis, f. actus excipiendi, exclusio, pactum, conditio, lex, ἐξαίρεσις, παραγραφή. *Cic. Amic.* 17. Sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione communitas. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Neque te patiar cum exceptione laudari. Omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute commemorant, ut in tuis summis laudibus unam excipiant iracundiam. *Id. Fam.* 6, 5. Polliceor ei studium meum et operam, sine ulla exceptione laboris, aut occupationis, aut temporis; gratiam autem atque auctoritatem cum hac exceptione, quantum valeam, quantumque possim. *Senec. Ben.* 4, 39. Subest tacita exceptio, si potero, si debebo, si haec ita erunt. *Plin. ep.* 1, 2. Nec est quod putes, me sub hac exceptione veniam postulare. *Id. Pan.* 38. *f.* Tu quidem, Caesar, illam exceptionem removisti, *Si modo filius* etc. *Tac. Germ.* 44. Unus imperitat, sine ullis jam exceptionibus. *Quint.* 2, 15. *f.* Albucius, scientiam bene dicendi esse, consentit; sed exceptionibus peccat, adjiciendo, circa civiles quaestiones, et credibiliter. *Flor.* 2, 18. Cum Scipio veram vellet, et sine exceptione victoriam. ℙ In jure *exceptio* est quasi quaedam exclusio, quae interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum est, ut *Ulp. Dig.* 44. *t.* 1. *qui est* De exceptionibus etc. *l.* 2. definit. *Cic. Or.* 1, 37. Ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, Cujus pecuniae etc. Et *mox.* Petitor rursus cum peteret, exceptione excluderetur. *Id. Inv.* 2, 47. *f.* Non ergo omnia scriptis, sed quaedam quae perspicua sunt, tacitis exceptionibus caveri. *Id. ib.* 1, 33. Si addat exceptionem hanc: extra quam si quis etc. ℙ Pro pacto, conditione. *Petr. Sat.* 86. Puero asturconem donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit. *Senec. ep.* 30. Vita cum exceptione mortis data est. *Id. ep.* 6. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, rejiciam. *Plin.* 21, 31. 105. Exceptionem addidere, ne diutius id fieret, [*V. plura ap. *Gron.* ad *Sen. Ep.* 30.]

EXCEPTĬUNCŬLĂ, ae, f. dimin. parva exceptio. *Sen. ep.* 20. Licet illam exceptiunculam non adjicias, ut rectum sit, quod velis.

EXCEPTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. ab *excipio*, accepto, recepto, capto, advenientem admitto et accipio. *Cic. Parad.* 5, 2. Barbatulos mullos exceptans de piscina, et pertractans. *Caes. B. G.* 7, 47. *extr.* Eos ipse singulos exceptans, in murum extulit. *Virg. G.* 2, 273. Ore omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis, Exceptantque leves auras. *Sil.* 9, 368. per pectora saevas Exceptat mortes, et leto dedecus arcet. ℙ Idem significat etiam ac simplex *excipio* in illo *Senec. Ben.* 6, 38. Agricolam annonae caritas erigit, eloquentiae exceptat pretium litium numerus. Alii male leg. *exoptat.*

EXCEPTOR, oris, m. qui excipit, et speciatim qui dictata excipit, notarius, scriba, ταχυγράφος. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *August. ep.* 152. et *Firm. Math.* 3, 6. *med.* et 12., ubi dicitur exceptor earum sententiarum, quae de hominum capitibus proferuntur. ℙ Fuit nomen officii inservientium in scrinio sacri Palatii, ut videre est in *Cod.* 12, 19, 5. et 12. et alibi, et in *Cod. Theod.* saepe, et in *Not. dignit. Imperii*, ubi postremo loco fere ponitur, et infimi gradus officium fuisse videtur. Munus horum erat acta judiciorum, sententias judicum, eorum nomina, qui deferebantur, quaestiones reorum, et responsa etc. describere. Utebantur autem notis, cum celeritate opus erat, ne dictantes morarentur. *Inssr.* ap. *Grut.* 372. *n.* 4. L. Aurelio Marciano Aug. Lib. exceptori etc. ℙ In *Inscr.* sub Decio Imp. ap. *Fabr.* p. 683. *n.* 76. memorantur *argentarii*, *et exceptores*, *itemque negotiantes vini.* Hos *Fabr.* putat fuisse publicorum vectigalium conductores, suamque sententiam recte defendit contra *Reines.* qui *cl.* 3. *n.* 88. legendum putat *excoctores.*

EXCEPTORĬUS, a, um, adj. ad excipiendum, seu recipiendum pertinens. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. Quali vindemiatorii, exceptoriique, in quibus uvae comportantur. ℙ *Exceptorium*, *ii*, n. *Gloss. Philox.* Exceptorium, excipulum conceptaculum. ἐκδοχεῖον. [**Interpr. Iren.* 4, 24. Homo exceptorium bonitatis Dei. *Id. ib.* Homo ingratus exceptorium justi judicii Dei. *B. A.*]

EXCEPTUS, a, um, partic. ab *excipio*, captus, circumventus. *Virg. A.* 6, 173. Aemulus exceptum Triton etc. Inter saxa virum spumosa immerserat unda. Et *ib.* 11, 684. Hunc illa exceptum trajicit. ℙ Item sumtus in manus. *Tac. A.* 4, 10. Exceptum poculum Druso tradidisse. *Mart.* 12, 83. Imputet exceptas ut tibi saepe pilas. ℙ Item sublatus. *Virg. A.* 10, 867. exceptus tergo (*equi*) consueta locavit Membra. ℙ Item scriptus. *Suet. Ner.* 52. Versus non translati, aut dictante aliquo excepti. ℙ Item bene aut male acceptus. *Tac. A.* 13, 54. Quod comiter a visentibus exceptum. Adde *Suet. Caes.* 14. ℙ Item levatus. *Curt.* 9, 5. Exceptum poplitibus corpus. ℙ Item transfixus. *Sen. Thyest.* 144. Exceptus gladio parvulus. ℙ Item receptus. *Curt.* 8, 10. Rex benigne exceptos sequi jussit. ℙ Item missus, omissus. *Cic. Or.* 1, 9. Omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios. ℙ Hinc ablat. *excepto*, quasi adverbialiter usurpatur. *Hor. Ep.* 1, 10, 50. Excepto, quod non simul esses, cetera laetus. *Pers.* 5, 90. Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit. ℙ Item subtracti. *Liv.* 33, 23. Servitute excepti.

EXCĔREBRĂTUS, a, um, partic. ab *excerebro*, cui cerebrum excussum est. Translate. *Tertull. adv. Marc.* 4, 11. *a med.* Excerebratus es novo vino.

[EXCĔREBRO, as, a. 1. cerebrum excutio. *Not. Tir.* p. 128. Excerebrat. *F.*]

EXCERNO, is, crevi, cretum, a. 3. cernendo separo, purgo, secerno, ἐκκρίνω. *Vitr.* 7, 6. Caementa marmorea pilis ferreis contunduntur, cribrisque excernuntur. *Colum.* 2, 21. In area detrita frumenta sic sunt aggerenda, ut omni flatu possint excerni. [**Gratius Cyneg.* 289. Jamque inde excernere parvos. *Curt.* 10, 2. Priusquam excerneret, quos erat retenturus, edixit, ut omnes milites aes alienum profiterentur. Quam lectionem tuetur *Gron.* ad *Liv.* 28, 39, 10.] ℙ Item onus ventris dejicere, excrementa emittere: sic enim separantur ab utili alimento corporis supervacua et noxia. *Cels.* 2, 8. *med.* Si venter per se excernit mollia et figurata. Et *paulo post.* Ea quae per dejectiones excernuntur. Et 7. *med.* Sanguis cum urina excernitur. *Id.* 4, 1. *Ἡυλωρὸς* in inferiores partes ea, quae excreturi sumus, emittit. [**Confunduntur *Excernere* et *Excerpere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 46, 14.]

EXCERPO, is, erpsi, erptum, a. 3. ἀπολέγω, ex multis pauca secerno, et colligo, decerpo, deligo. *Cic. Off.* 3, 1. Non solum ex malis minima eligere oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni. *Id. Inv.* 2, 2. Omnibus in unum locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus. *August.* ap. *Suet. in ejus Vita* 86. Verba, quae Sallustius excerpsit ex originibus Catonis. *Plin. ep.* 3, 5. de avunculo suo. Liber legebatur: adnotabat, excerpebatque, nihil enim legit, quod non excerperet. Adde *Gell.* 17, 21. ℙ Item secernere, eximere, separare. *Ter. Phorm.* 4, 4, 18. Tu id, quod boni est, excerpis: dicis quod mali est, *h. e.* seligis, et abjicis. *Cic. Or.* 2, 11. Excerpere de numero. *Hor. Sat.* 1, 4, 39. Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis, Excerpam numero. *Sen. ep.* 5. Excerpere se consuetudini hominum. Et *ep.* 18. Non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus. [**sich auszeichnen u. den Sonderling machen.*] Et *Brev. vit.* 18. Excerpe te vulgo, et in tranquilliorem portum tandem recede. ℙ [Partic. *Excerpens* ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 272. excerpens semina pomis. *Excerpendus* ap. *Cic. Or.* 2, 11. Non enim eo de numero quoque est excerpendum. *F.*] ℙ [**Confunduntur *Excerpere* et *Excernere.* V. s. h. v.]

EXCERPTIO, onis, f. σύλλεξις, actus excerpendi. *Gell.* 17, 21. Nunc excerptiones variis diversisque in locis factas cursim digessimus.

EXCERPTOR, oris, m. Elogium dedicatoris in simulacro Fortunae barbatae, ap. *Spon. Miscell.* p. 104. L. Aurelius Marcellianus Aug. libertus Excerptor V. S. L. M. *Muratorius* p. 81. *n.* 2. hanc eandem referens legit *Marcianus* pro *Marcellianus*, et *exceptor* pro *excerptor*, quam postremam vocem defendit: et quidem recte; nam idem L. Aurelius Marcianus *exceptor* appellatur in alia *Inscr.*, quam vide in V. EXCEPTOR.

EXCERPTUS, a, um, partic. ab *excerpo*, delectus, selectus, collectus. *Sen. ep.* 33. Non est, quod exigas excerpta, et repetita: continuum est apud nostros quidquid apud alios excerpitur. *Appul. Apol.* p. 325, 40. Verba sola excerpta, et ab ordine suo sejugata. ℙ [*Excerpta*, *orum*, n. plur. absolute sunt flosculi, Anthologiae, *h. e.* ea, quae, cum meliora probatioraque videantur, ex operibus alicujus excerpuntur. *M. Aurel.* ad *Front ad M. Caes.* 2. (ed. iterum *A. Maio*) *ep.* 13. Feci tamen mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. *F.*] ℙ [**Confunduntur *Excerptus* et *Excretus. Drak.* ad *Liv.* 28, 39, 10.]

EXCERVĪCĀTĬO, onis, f. ἐξαυχενισμός, contumacia pervicax. *Hieron. in Naum.* 3.

EXCESSUS, a, um, partic. ab *excedo*, *Tertull. adv. Marc.* 1, 5. Duo enim multitudo, unione jam excessa.

EXCESSUS, us, m. ἐκχώρησις, egressio, discessio: ab *excedo.* Speciatim ponitur pro morte. *Cic. Leg.* 1, 1. Certe non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Julio Proculo dixerit, se Deum esse. [**Vox *excessus* quum hoc significatione magis poetica ideoque sublimior sit, de imperatorum morte usurpari coepta est, ut ante de regibus posita est. Cf. *Cic. de republ.* 2, 30. Post obitum vel potius excessum Romuli. *Tac. A.* 1, 7, 14. et saepius. *Suet. Tib.* 22, 70. Itaque non assentior *Boettich. Lex. Tac.*, qui hujus vocis usum argenteae aetatis scriptoribus tribuit.] *Id. Fin.* 3, 18. In his excessum e vita, et in vita mansionem. *Id. Tusc.* 1, 12. Neque excessu vitae sic deleri hominem. Al. leg. *e vita.* ℙ Item pro ossium processu, apud anatomicos. *Cels.* 8, 1. *s. f.* Os calcis quadam parte sinuatur, quadam excessus habet. ℙ Accipitur etiam pro digressione in oratione. *Plin. ep.* 9, 26. de Demosthenis orat. Quid audentius illo pulcherrimo et longissimo excessu? *Quint.* 3, 9. Egressio vero, vel quod usitatius esse coepit, excessus, sive est extra causam etc. *Plin. praef. l.* 1. Hi libelli non admittunt excessus, aut orationes sermonesve. ℙ Item pro peccato. *Val. Max.* 8, 2. *f.* Verecundiam illius saeculi laudemus, in quo tam minuti a pudore excessus puniebantur. *Prud. in Symm.* 2, 990. Excessus moderaminis.

EXCETRĂ, ae, f. hydra Lernaea, quam Hercules occidit. *Servio* placet ad *A.* 6, 287. dictam esse ab *excresco*, quod uno ejus caeso capite, tria excrescebant. *Cic.* vertens locum Sophoclis, *Tusc.* 2, 9. Haec dextra Lernam tetram, mactata excetra, Placavit: haec bicorporem afflixit manum. Adde *Pl. Pers.* 1, 1, 3. ℙ Est convicium in feminam nefariam, maleficam. *Liv.* 39, 11. Illius excetrae delinimentis et venenis imbutum, nec vitrici, nec parentis, nec Deorum verecundiam habere. *Plaut. Cas.* 3, 5, 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu. Adde *Pseud.* 1, 2, 82.

[**EXCHALCĔO, as, avi, a. 1. aere spolio, ac nummos aufero. *Porphyr.* ad *Hor. Sat.* 1, 8, 39. Voranus Q. Luctatii Catuli libertus, omni loco, omni tempore furacissimus fuisse dicitur. De quo etiam illud traditur: cum deprehensus a nummulario esset, de cujus mensa nummos subtractos in calceos sibi infarcierat; quidam jocans, Belle, inquit, te nummularius ille exchalceavit, cum aspiratione scilicet secundae syllabae; simul ut χαλκὸν, id est aes ablatum ex calceamento objiceret. Ultima haec contractius ex *Vett. Scholl.* Baxterus, Belle, si, te non ἐκχαλκεύει, h. e. verberibus tanquam aes recudat, alludens ad calceos. *F.* et *B. A.*]

EXCĬDĬO, onis, f. eversio, excidium, *Festus:* Excidionem urbis a caedendo dictam manifestum est. *Pl. Curc.* 4, 3, 2. Excidionem facere oppidis.

EXCĬDĬUM, ii, n. ἀνάστασις, καταστροφή, ruina et eversio urbis, aut provinciae, cum ferro et igni vastantur agri, caeduntur homines, moenia solo aequantur: item strages exercitus, eversio familiae etc. ab *ex*, et *scindo*, extrito *s* (unde et *excindo* pro *exscindo* legitur, quemadmodum et *exscidium* pro *excidium*), vel a *cado:* neque enim a *caedo* esse potest, cum secunda syllaba sit brevis. [**Descendit haec vox a verbo *Exscindo*, pro quo antique dicebatur *Exscido*, penultima brevi. Hinc rectius scriberetur *Exscidium*, judice etiam *Schneid. Elementarl.* Tom. II. p. 559. Non recte *Drak.* ad *Liv.* 5, 15. distinguendum censet inter *excidium* et *exscidium*; antepenultima enim semper corripitur, quod fieri non posset, si esset a stirpe *caedo.*] *Sall. fragm. ep. Mithrid.* Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri. *Liv.* 27, 39. *f.* Excidio urbis magnum terrorem ceteris injicere. *Id.* 29, 1. Carthaginis excidia agitabat animo. *Virg. A.* 10, 46. per eversae fumantia Trojae Excidia obtestor. *Id. ib.* 8, 386. ferrum acuunt in me excidiumque meorum. *Hor. Od.* 3, 16, 11. concidit auguris Argivi domus, ob lucrum Demersa excidio. Al. leg. *exitio. Val. Fl.* 5, 538. parare excidium. *Justin.* 8, 5. minari. *Sil.* 1, 12. moliri. *Virg. A.* 1, 26. Venire excidio Libyae. *Stat. Th.* 6, 96. aderat miserabile luco Excidium. *Just.* 32, 3. Quod sacrilegium causa excidii Caepioni, exercituique ejus postea fuit. *Vell.* 2, 98. Gentes ferocissimas, maximo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum. *Tac. H.* 1, 80. Seditio prope urbi excidio fuit. ℙ Metonymice dicitur de bello et armis, quae excidium inferunt. *Virg. G.* 2, 505. Petere excidiis urbem. *Val. Fl.* 6, 394. Diluvio tali, paribusque Ariasmenos urget Excidiis. ℙ Pro casu, procidentia. *Plin.* 36, 21, 39. (ut quidem ex MSS. legit *Hard.*) Alioquin vulvae excidium fit. ℙ Pro occasu. *Prud. Apoth.* 694. rota lurida solis Haeret, et excidium sentit jam jamque futurum. ℙ [**Confunduntur *Excidium* et *Exitium.* V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 18, 12.]

EXCĬDO, is, excĭdi, n. 3. ἐκπίπτω, ex aliquo loco cado, decido, delabor: ab *ex*, et *cado.* [**Excidit sors. *Drak.* ad *Liv.* 21, 42, 3. 23, 3, 7.] *Pl. Bacch.* 4, 4, 17. Num qui nummi exciderunt, here, tibi, quod sic terram obtuere? *Cic. Att.* 9, 10. *ante med.* Sol excidisse mihi e mundo videtur. *Id. N. D.* 2, 51. Cum animal ex utero elapsum excidit. *Id. Pis.* 9. *ad f.* Omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt. *Ov. Fast.* 5, 34. Excidit arce Deus. *Verg. A.* 6, 339. Exciderat puppi. *Sen. Herc. Oet.* 1163. Excidere equo. *Prop.* 4, 4, 20. Interque oblitas excidit urna manus. [***Ov. Her.* 16, 251. Tortilis e digitis excidit ansa meis. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 112.] *Plin.* 25, 6, 30. Cum Herculis pertractanti arma sagitta excidisset in pedem. *Ovid. Ib.* 540. Excidat ante pedes lingua resecta tuos. *Sen. Thyest.* 51. Nox atra fiat, excidat coelo dies. ℙ Translate *excidere aliqua re* est ea frustrari, amittere, non potiri, privari. *Ter. Andr.* 2, 5, 12. Herus, quantum audio, uxore excidit. [***Ruhnk.* ad h. l.] *Curt.* 10, 5. *a med.* Se iterum captas, iterum excidisse regno. [***Liv. Ep.* 29. Masinissa exciderat regno.] *Ov. Met.* 2, 328. Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. *Quint.* 2, 17. *med.* Excidere fine. *Id.* 1, 5. *med. Gladia* qui dixerunt, genere exciderunt, *h. e.* lapsi sunt, peccarunt. *Sen. Clem.* 2, 3. et *Suet. Claud.* 14. Excidere formula. [***Gron.* ad *Sen. Epp.* 122. *Drak.* ad *Liv.* 38, 9, 10.] Ponitur et pro concidere, deficere, perire. *Prop.* 3, 1, 63. At non ingenio quaesitum nomen ab aevo Excidet: ingenio stat sine morte decus. *Ov. Met.* 2, 601. Et pariter vultusque Deo, plectrumque, colorque Excidit. Et *A. Am.* 1, 539. Excidit illa metu, rupitque novissima verba. [**V. *Heins.* ad *Ov. Rem. Am.* 348.] ℙ Item pro cadere, et mori. *Prop.* 3, 5, 7. primo miser excidit aevo. [**Nota *excidere sibi. Senec. Hippol.* 589. Quis me dolori reddit, atque aestus graves reponit animo? Quam bene excideram mihi. Loquitur Phaedra quae animo defecerat. Cf. *Heins.* ad *Ov. Rem. Am.* 348.] ℙ Et pro effugere, effluere. *Cic. ad Brut.* 1, 10. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret e manibus. ℙ Pro elabi, exire. *Virg. G.* 4, 409. atque ita vinclis excidet. ℙ Pro descendere, delabi. *Virg. A.* 9, 112. tum vox horrenda per auras Excidit. ℙ Pro exire, egredi. *Id. A.* 6, 686. et vox excidit ore: Venisti tandem etc. ℙ Hoc sensu saepe dicitur de iis, quae inconsulto ac temere effutiuntur, aut invitis nobis eduntur. *Id. A.* 2, 658. tantumque nefas patrio excidit ore? *Cic. Sull.* 26. et *Dom.* 39. Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? *Quint.* 7, 2. Ne quis mihi putet temere excidisse, quod dixerim etc. *Cic. Or.* 1, 21. Quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit. ℙ Pro verti, delabi, mutari in deterius. *Hor. A. P.* 282. in vitium libertas excidit. ℙ Saepe refertur ad memoriam, et significat oblitum

esse, curamve et cogitationem deposuisse. *Liv.* 27, 3. *f.* Inter multas magnasque res, quae occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinae quidem arcis excidit memoria. *Id.* 29, 19. *extr.* Carthaginem atque Annibalem excidisse de memoria. *Virg. A.* 1, 29. Necdum etiam causae irarum, saevique dolores Exciderant animo. *Liv.* 34, 37. Exciderat pacis mentio ex omnium animis. *Ov. Pont.* 2, 4, 24. Excidere haec credam pectore posse tuo. ℙ Et absolute. *Cic. Fam.* 6, 13. Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset (etenim penitus insederat) vi tamen etc. *Ov. Trist.* 4, 5, 10. Excidit heu nomen quam mihi paene tuum! *Id. Pont.* 2, 10, 8. Excidit tibi cura mei. *Id. Her.* 12, 71. Nostin? an exciderunt mecum loca? *Sen. Thyest.* 511. Excidunt odia animis. *Ov. Met.* 14, 139. Excidit, optarem juvenes quoque protinus annos: pro *excidit, ut optarem:* alii tamen leg. *excidit, ut peterem.* ℙ *Excidens*, cui memoria excidit. *Quint.* 11, 2. *med.* Nam etiam excidentes, unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. ℙ Pro dissentire. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 181. Metuo, ut fieri possit: egoque ab Archilocho excido. ℙ [*Confunduntur *Excidere* et *Occidere*. *Heins.* ad *Ovid. Trist.* 1, 6, 31.]

EXCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. *ἐκτέμνω, ἐκκόπτω*, abscindo, exscindo, caedendo eruo: ab *ex*, et *caedo*. *Lucr.* 5, 1265. Excidere silvas. [**Cic. Fam.* 7, 20. Excidere lucum.] *Plin.* 17, 11, 16. radicem. [**Ulp.* in *Dig.* 43, 27, 1, 2. Excidere arborem a stirpe. ubi alii *exscindere.*] *Cels.* 8, 3. os. *Crass.* ap. *Cic. Or.* 3, 1. *extr.* Haec tibi est excidenda lingua. *Quint.* 9, 4. *in.* Excidere rubos arvis. *Cic. Off.* 2, 3. *extr.* lapides e terra. *Virg. A.* 1, 432. immanesque columnas Rupibus excidunt. *Colum.* 8, 17. Excidere stagnum in petra. *Plin.* 17, 16, 26. Scalpro cortices excidere. *Marcell. Dig.* 11, 8, 2. Partum mulieri excidere, *h. e.* dissecto ventre extrahere. *Ov. Fast.* 4, 361. Gallos, qui se excidere, vocamus, *h. e. τὰ αἰδοῖα ἀπεκόψαντο.* Adde *Ulp. Dig.* 48, 8, 4. *extr.* ℙ Significat etiam diruere, evertere, excidio delere: *Curt.* 4, 13. Terras urere, vicos excidere. *Cic. Dom.* 23. *extr.* Urbes hostium solemus excidere. *Id. Sext.* 44. Aedes sacras, domos inimicorum oppugnare, excidere, incendere. [*V. *Duker.* ad *Flor.* 2, 2, 37. *Gron.* ad *Cic. Off.* 1, 22. *Drak.* ad *Liv.* 5, 15, 9.] ℙ Translate. *Cic. Prov. cons.* 18. Medium illud tristissimum tempus si ex rerum natura non possem evellere, ex animo quidem certe excidere. *Brut.* inter epist. *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Qui illud malum exciderit, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum unquam populum R. [**Sen. de ira* 3, 1. Excidere iram. V. *Gron.* ad *Sen. clem.* 1, 1.] *Plin. ep.* 8, 18. Excidere aliquem numero civium, *h. e.* eximere, expellere. ℙ [*Confunduntur a librariis *Excidere* et *Exscindere*. V. *Gron.* ad *Sen. de clem.* 1, 1.]

EXCĬĔO, es, a. 2. *ἐκκαλέω*, excio, evoco. *Pl. Ps.* 5, 2, 1. Vox viri pessimi me exciet foras. [*Cf. s. v. *Excio.*]

EXCINDO. V. EXSCINDO.

EXCĬO, is, ivi et ii, ītum, a. 4. *ἀναχινέω*, foras moveo, elicio, excutio, commoveo. *Pl. Cist.* 1, 1, 114. Ut mihi excivisti lacrimas! *Virg. A.* 5, 789. Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis Quam molem subito excierit, *h. e.* procellam excitaverit. *Ov. Met.* 10, 710. suem latebris excivere canes. *Lucr.* 2, 329. Aere renidescit tellus, subterque virum vi Excitur pedibus sonitus. *Liv.* 3, 39. Excire tumultum. [*At *Liv.* 7, 11, 11. *Drak.* edidit: Tumultum exciere in hostium portis. V. *Drak.* ad h. l.] *Festus.* Exciet, excutiet. *Pl. Curc.* 2, 3, 16. Eos ego si offendero, ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium. ℙ Item evoco, *ἐκκαλέω. Cic. Phil.* 12, 7. Juventutem omnem ex Italia excivimus. [**Drak.* ad *Liv.* 7, 7, 4. 28, 24, 4.] *Virg. Ecl.* 8, 98. animas imis excire sepulcris. *Liv.* 3, 2. Indignitas rei magis, quam periculum, consulem ab urbe excivit. [**Drak.* ad *Liv.* 7, 39, 10.] *Id.* 32, 13. Excire homines sedibus suis. [*et ex sedibus suis. Nam utroque modo recte dicitur. *Drak.* ad *Liv.* 5, 45, 3.] *Id.* 2, 30. Vastandis agris hostem ad dimicandum acie excivit. *Lucan.* 6, 11. Excire aliquem in pugnam. *Stat. Th.* 4, 146. in arma. [*et cum accusativo loci, in quem quis evocatur. *Liv.* 3, 4, 5. Principibus coloniae Romam excitis. ubi vid. *Drak.*] *Pl. Trin.* 5, 2, 52. aliquem foras. *Liv.* 4, 27. ex somno aliquem. *Tac. A.* 1, 51. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes etc. *Lucr.* 4, 40. Quae nos horrifice languentes saepe sopore Excierunt. *Curt.* 8, 2. Liberiorem poenitentiam solitudo exciebat. ℙ *Excibat* pro *exciebat* habet *Liv.* 32, 13. et *Sil.* 9, 182., quod in quartae conjugat. verbis frequens est. ℙ [Partic. *Exciens* ap. *Suet. Claud.* 21. Exciente buccina Tritone argenteo. *Exciendus* ap. *Liv.* 36, 7. Inter cetera, quae ad exciendum in Graeciam Antiochum dicere est solitus. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Excire* et *Exire*. *Drak.* ad *Liv.* 5, 34, 4.]

[*EXCĬPĬĂBŬLUM, i, n. id, quod excipit, ve-

nabulum. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 131. Venabula autem sic dicta, quia apta venatui, quasi excipiabula. V. quos laudat *Burm.* ad *Quint.* 2, 12. *F.* et *B. A.*]

EXCĬPĬO, is, epi, eptum, a. 3. *ἐκδέχομαι, ἐκλαμβάνω*, excepto, recipio, capio: diciturque fere de iis rebus, quas ad se motu aliquo accedentes, venientesque quis recipit: cum *capio*, et *arripio* de iis sint, quas ultro persecutus quis prehendit. *Cic. Div.* 2, 11. Genus divinationis naturale, quod animus arripit, aut excipit extrinsecus ex divinitate. *Pl. Rud.* 4, 4, 140. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum? [**Quint. decl.* 13, 8. Foetus meis manibus excepti et in tutam conditi sedem. ubi *Burm.*, ad *Bernart.* ad *Stat. Th.* 1, 60. provocans, observat, proprium hoc verbum esse de obstetricibus, quae de matre cadentes excipiunt, vel de parentibus, qui tollunt.] *Colum.* 9, 15. *med.* Favi subjectis duobus brachiis excipiendi, atque ita promendi. *Cic. Brut.* 11. Cum taurum immolavisset, excepit sanguinem patera. [**Cic. Verr.* 2, 5, 45. Filiorum extremum spiritum ore excipere. Porro de velis, quibus ventus concipitur, ut loquitur *Quint. Inst.* 11, 3. *Ov. A. A.* 3, 300. Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras Excipit. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 16. p. 257.] et *Mil. in f.* O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit! [*i. e. in tutelam acceperit. V. *Drak.* ad *Liv.* 4, 43, 9.] *Liv.* 30, 14. Benigno vultu excipere aliquem. *Sen. ep.* 21. *med.* Hic te polenta excipiet, et aquam large ministrabit. *Tac. Germ.* 21. Excipere epulis. *Ov. Her.* 16, 127. hospitio. [**Liv.* 29, 11, 6. Aliquem hospitio excipere; et absolute. *Cic. pro Leg. Man.* 9. Mithridatem in timore et fuga Tigranes excepit. V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 22, 5.] Et *ib.* 18, 101. amplexu. *Cic. Verr.* 2, 5, 36. Excipi clamore. *Virg. A.* 5, 575. plausu. *Cic. Prov. cons.* 9. Subire, et excipere pericula. *Id. Sext.* 10. vulnera. *Id. Verr.* 2, 2, 72. tela. [*Drak. ad *Liv.* 2, 47, 7.] *Lucr.* 2, 809. plagam in se. [**Flor.* 4, 10. Ex aqua, ab hostibus cladem excipere. *Quint. decl.* 330. *s. f.* Calamitatem excipere propter misericordiam alicujus. V. *Burm.* ad h. l. p. 673.] *Cic. Dom.* 24. Omnem impetum discordiarum, omnem vim improborum excepi meo corpore, i. e. sustinui. [*Drak. ad *Liv.* 39, 34, 12.] *Id. Rabir. Post.* 15. Vim frigorum hiememque excipere: tolerare. [**Cic. Harusp.* 21. In me illa flamma conjiciebatur. Excepi.] *Nep. Dat.* 5. magnam invidiam aulicorum. [*h. e. subire.] *Cic. Rabir. Post.* 16. Labentem excipere, corruere non sinere. ℙ *Excipere se in pedes* est pedibus se sistere, inniti. *Liv.* 4, 19. Quem cum ictum equo dejecisset, confestim et ipse hasta innixus se in pedes excipit. *Curt.* 9, 5. Forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet. Et *Sen. ep.* 66. *s. f.* Succisis poplitibus in genua se excepit. ℙ Est etiam suscipere, *Nep. Dion.* 8. Excipit has partes ipse Callicrates. *Cic. Brut.* 69. Labores magnos excipere. *Prop.* 2, 20, 9. Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri, Quaeque tibi, excepi tum, Dea Leucothoe! *h. e.* vota suscepi, et in me recepi. ℙ Item audire, et percipere, *Cic. Planc.* 23. Maledicto nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur. [*Aliquanto plus inest quam percipiendi notio. *Cic. Sext.* 48. Idem dixit, quod exciperent improbi cives. Utroque loco est arripere, memoria tenere, atque etiam imitatione usque comprobare. Sic recte *Manut.*] *Plin. ep.* 4, 19. Avidissimis auribus excipere. [**Liv.* 8, 6, 7. Assensu populi excepta vox consulis. ubi vid. *Drak.*] ℙ Item clam auscultare, et sermonem aliorum captare. *Liv.* 2, 4. Sermonem eorum e servis unus excepit. Et 40, 7. Ad has excipiendas voces speculator missus. *Ov. Amor.* 1, 4, 18. Excipe furtivas, et refer ipsa, notas. Adde *Cic. Dejot.* 9. [**Drak.* ad *Liv.* 40, 7, 4.] ℙ Item a dictante describere, *Suet. Tit.* 3. Notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem. *Manil.* 4, 198. cursimque loquentis Excipiat longas nova per compendia voces. [**Drak.* ad *Liv.* 4, 30, 3. 40, 7, 4.] ℙ Item ferire, *Curt.* 7, 5. *extr.* Adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. *Sen. Prov.* 2. Si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excipit. V. infra. ℙ Item intercipere, nec opinantem capere, incautum opprimere, *Cic.* ad *Pompej.* 2. *post. ep.* 11, 8. *ad Att.* A multis admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Caesare. *Caes. B. G.* 6, 34. Multos ex fuga dispersos excipiunt. *Virg. A.* 3, 332. Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras. Adde *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* [*V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 45, 40, 7. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 1, 25. *Interpp.* ad *Just.* 21, 8. — ℙ Inprimis est verbum proprium venatorum, qui dolis et fraudibus aeque ac vi capiunt feras. *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 11, 6.] ℙ Item generatim captare. *Cic. Or.* 2, 8. Praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos hominum animos, et ad excipiendas eorum voluntates. ℙ Item intercipere, furari, *Virg. Ecl.* 3, 17. caprum excipere insidiis. ℙ Item extrahere, *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 158. Quos e mari, propter vim tempestatis, excipere non potuissent. *Cels.* 7, 12. Tum dens, si fieri potest, manu; si minus, forcipe excipiendus est. ℙ Item consequi, percipere, *Cic. Att.* 1, 14. Posteaquam vidit, illum excepisse laudem ex eo, quod etc. ℙ Item sequi, succedere, *Cic. Sext.* 68. *f.* Herculis vitam et virtutem immortalitas excepisse dicitur. *Liv.* 5, 13. Tristem hiemem pestilens aestas excepit. [**Drak.* ad *Liv.* 2, 61, 1.] *Id.* 2, 61. Turbulentior inde annus excepit. *Flor.* 1, 3. Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius. *Plin.* 21, 11, 39. Violis succedit rosa: rosam cyanus excipit, cyanum amarantus. ℙ [*Et proinde: spatio contiguum esse. *Cic. N. D.* 2, 54. Linguam ad radices ejus haerens excipit stomachus.] ℙ Item rem ab alio interruptam, vel omissam suscipere, et continuare. *Liv.* 38, 22. Ut, primis forte deturbatis, secundi et tegant pulsos, et integri pugnam excipiant. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 30, 18, 9.] *Just.* 11, 5. Excipere vices alicujus. *Cic. Sen.* 6. Sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Cum infinito. *Sil.* 13, 687. Excipit inde suos frater conjungere casus. ℙ Praeterea *excipi* dicuntur, quae alteri rei miscentur. *Cels.* 5, 18. *n.* 20. Calcis, spumae nitri, piperis etc. quae excipiuntur cerato ex rosa facto. Et *ib.* 25. *n.* 5. Croci, anisi, myrrhae, singulorum P. I. miscentur, excipiunturque vino veteri. Adde *n.* 6. et 12. ℙ Saepe *excipere* significat subtrahere, eximere, *Virg. A.* 9, 270. ipsum illum clypeum, cristasque rubentes Excipiam sorti. *Tac. Agric.* 15. Nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum. ℙ [*Inprimis in venditione aut locatione est aliquid recipere s. retinere, cavere ne id venditione comprehendatur, quod hodie barbare dicunt sibi reservare. *Paul.* in *Dig.* 18, 1, 76. Dolia, si non sint nominatim in venditione excepta, venditioni cedunt. *Javol.* in *Dig.* 18, 1, 77. Nemo nec vendit, nec excipit, quod non est. — Hinc elegans locutio: manus injectionem excipere. Solebant enim, qui alienabant rem, sibi interdum servare jus rem alienatam perinde, ac si emptor eam fiduciario tantum jure accepisset, certis casibus propria auctoritate repetendi. Vid. *Gron.* ad *Sen. Cons. Marc.* 10.] Item excludere, *Cic. Cat.* 4, 7. Hosce ego homines excipio et secerno libenter. *Id. Agr.* 2, 8. *f.* Licinia est lex, quae non modo eum, qui etc. sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea postestas, curatiove mandetur. (Adde *Liv.* 3, 30.) *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. In summis tuis laudibus excipiunt unam iracundiam. *Id. Div.* 1, 39. *s. f.* Excepi de antiquis, praeter Xenophanem, neminem. *Pl. Mil.* 2, 2, 12. Senex talos elidi jussit conservis meis: sed me excepit. ℙ Item nominatim includere, aut cavere. *Plin.* 29, 1, 8. Et cum Graecos Italia pellerent, excepisse medicos. *Id.* 14, 1, 3. Vites in tantum sublimes, ut vindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipiat, *h. e.* caveat, et paciscatur, ut rogus sibi ac tumulus impensa ejus paretur, cui vindemiando inservit: idque ob evidens periculum casus in tanta vitium altitudine. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. Cum nominatim lex exciperet, ut ad templum monumentumque *(pecunias)* capere liceret. *Liv.* 5, 14. Perinde ac si omnes candidati essent, non homines modo, sed Deos etiam excipiebant, *h. e.* includebant, in suas partes trahebant, Deos et religionem assumebant ad petitionem roborandam. Sunt qui lectionem sollicitant. ℙ [*Item excipere aliquem, i. e. alicui respondere. *Ov. Met.* 5, 260. Excipit Uranie. ubi vid. *Ciof.*] ℙ Apud JCTOS aliquando significat, exceptione uti, exceptionem opponere. V. EXCEPTIO. *Cels. Dig.* 22, 3, 9. Verum est, quod qui excipit, probare debeat quod excipitur. *Ulp. ib.* 18. Imposita probatione, non ei, qui excepit, se non respondisse, sed actori. *Id. ib.* 44, 4, 4. *med.* In hac exceptione et de dolo servi excipere possumus. *African. ib.* 16, 1, 17. Excipere adversus aliquem. *Papin. ib.* 26, 7, 37. periculi societatem, *h. e.* opponere exceptionem periculi societatis. ℙ [Part. *Excipiens* ap. *Cic. Div.* 1, 7. Nihil est, quod longinquitas temporis, excipiente memoria, assequi non possit. *Excepturus* ap. *Liv.* 36, 5. Petebat, ne se primos impetus Romanorum excepturos temere in causam deduceret. *F.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *Excipere* et *accipere*. V. *Tzschuk.* ad *Eutr.* 3, 10. *Drak.* ad *Liv.* 4, 43, 9. — Porro *Excipere* et *Eripere*. *Drak.* ad *Liv.* 37, 26, 13. — Et suscipere *Ov. Fast.* 6, 246.]

EXCĬPŬLA, ae, f. *vel* Excipulum, i, n. (utroque enim modo in *Glossis* legitur) *ἐκδοχεῖον*, vas, aut quippiam simile, quod sit excipiendo aptum. *Plin.* 25, 7, 39. de herba euphorbia. Vis tanta est, ut e longinquo succus excipiatur: incisae conto, subditis excipulis ventriculo haedino humor lactis videtur effluere. ℙ Item instrumentum, quo aliquid intercipitur, ut septum ex viminibus contextum, vel fossa depressior in ripa ad capiendos pisces. *Id.* 9, 22, 38. de anguillis. Fluctibus glomeratae volvuntur, in tantum mirabili multitudine, ut in excipulis ejus fluminis, ob hoc ipsum fabricatis, singulorum millium globi reperiantur.

EXCĬPŬUM, quod excipitur, ut praecipuum, quod ante capitur. *Festus.*

EXCĪSIO, onis, f. ἐκκοπή, actus excidendi, eversio, excidio. *Cic. Dom.* 58. Bonorum direptio, tectorum excisio, depopulatio praediorum. *Id. Har. resp.* 2. Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris inferre. ℙ [**Pall.* 3, 30. Amurca refrigerata plagae excisio perlinetur, pro plaga excisa.]

[EXCĪSOR, oris, m. qui excidit. *Gloss. Philox.* Excisor, ἐκκόπτης. *F.*]

EXCISORĬUS, a, um, adj. ad excidendum pertinens, ut Excisorius scalper, ἐκτομεύς. *Cels.* 8, 3. Tum excisorius scalper adactus id excidit.

EXCISSĀTUS, laniatus, vulneratus. *Plautus* in *fragm.* Capillo scisso, atque excissatis auribus. Ita *Non.* 2, 309. Alii malunt *excisatus* ab *excisus.*

EXCISUS, a, um, part. ab *excīdo*, ἐκτετμημένος, caesus, abscissus. *Virg. A.* 2, 481. Trabs excisa bipenni. *Plin.* 33, 3, 14. Excisum caput. *Ov. Pont.* 3, 1, 96. Excisa pelta, *h. e.* circumcisa. *Vell.* 2, 115. Excisi agri, *h. e.* caesis arboribus vastati. Et 120. Excisus exercitus. Et 122. Excisa Germania, *h. e.* multis belli cladibus affecta. *Senec. Excerpt. contr. decl.* 10, 4. *f.* Habere excisorum greges, *h. e.* marium exsectorum. ℙ Item excidendo elaboratus. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 3. Excisus obeliscus. Et *ib.* 15, 24. *n.* 12. Excisae inter montes viae. *Virg. A.* 6, 42. Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum. *Plin.* 33, 11, 49. Vasa anaglypta in asperitatem excisa, *h. e.* ut *Virg.* ait *A.* 9, 263. aspera signis. ℙ Item dirutus, eversus. *Hor. Od.* 3, 3, 67. Murus excisus. *Cic. Sext.* 15. *extr.* Urbs excisa et eversa.

EXCĪTĂBILIS, e, adject. ἐγερτικός, excitans. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. *f.* Modulatio jucunda et excitabilis.

EXCĪTĀTE, adv. vehementer. *Quint.* 9, 3. Multa tamen hoc utroque excitatius junguntur interim schemata. *Plin.* 37, 7, 31. Ex his autem (gemmis) mares excitatius fulgent, feminae pigriores sunt, et crassius nitent. *Ammian.* 18, 8. Hostesque adesse, excitatius adesse, excitatius clamitantes.

EXCĪTĀTIO, onis, f. ἐξέγερσις, actus excitandi. *Arnob.* 7, 237. Quid sibi volunt excitationes illae, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus?

EXCĪTĀTOR, oris, m. qui excitat, ἀλείπτης. *Prud. Cathem.* 1, 3. Nos excitator mentium Jam Christus ad vitam vocat.

EXCĪTĀTUS, a, um, part. ab *excito*, ἐξεγερθείς, ἀπόσουτος, expergefactus, commotus, incitatus. *Nep. Alcib.* 10. Sonitu flammae excitatus. *Curt.* 7, 11. *f.* Velut ex alto sopore excitati. *Id.* 8, 14. Ad notam vocem excitatus. *Gell.* 2, 30. *f.* Fluctus ab aquilone excitati. ℙ In re venatica. *Phaedr.* 2, 8. Cervus nemorosis excitatus latibulis, expulsus. Et *Sen. Hipp.* 110. Juvat excitatas consequi cursu feras. V. EXCITO. ℙ Translate. *Cic. ad Brut.* 1, 10. Erectior senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. *Caes. B. G.* 6, 13. Tantis excitati praemiis. *Id. B. C.* 1, 57. Spe libertatis excitati. Et *ib.* 2, 4. Virginum precibus et fletu excitati, ut civitati subvenirent. *Cic. Cluent.* 62. Excitatus pietate ad accusandum. ℙ Item sublatus, erectus, elatus. *Curt.* 7, 5. Caligo immodico terrae fervore excitata. *Id.* 8, 2. *med.* Excitata moles. *Plin.* 30, 5, 12. Excitata a talpis terra. *Id.* 7, 26, 27. Excitata tropaea. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Excitatum verberibus corpus. *Cic. N. D.* 2, 56. Deus homines humo excitatos, celsos et erectos constituit. ℙ Translate. *Id. Fam.* 2, 16. Qui ab excitata fortuna ad inclinatam et prope jacentem desciscerem. ℙ Item surgere jussus, et coactus. *Mart.* 5, 14. Bis excitatus, terque, transtulit castra. ℙ Translate est concitatus, vehemens. *Cic. Somn. Scip.* 5. Summus ille coeli stellifer cursus, cujus conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono. *Liv.* 4, 37. *med.* Clamor excitatior crebriorque ab hoste sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis. *Plin.* 20, 17, 71. Gith optimum quam excitatissimi odoris. *Quint.* 12, 10. *med.* Ac sunt, qui haec excitatiora lumina a componendis orationibus excludenda arbitrentur, *h. e.* sententias, quae feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, ut *ib.* ipse loquitur. ℙ [*Confunduntur a librariis *Excitatus* et *Exercitatus. Gron.* ad *Sen. Contr.* 23.]

EXCĪTO, as, avi, atum, a. 1. (idem quod *excīto*) frequentativum ab *excio*, *is*, *ivi*, *itum*, assertum eunt quidam illo *Silii* 5, 191. ceu ductor ad arma Excitet Tyrius. At *exciret* reponunt ex MSS. *Heinsius*, et alii.

EXCĪTO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκινέω, ἐξεγείρω, extra moveo, evoco. *Pl. Amph.* 1, 1, 9. Herus me hoc noctis a portu ingratiis excitavit. ℙ [*Excitari proprie dicuntur, qui per otium, ignaviam vel similes causas manent in occulto ac proferre se nolunt. *Drak.* ad *Liv.* 8, 10, 3.] *Id. Rud.* 1, 5, 2. Vox precantum me huc foras excitavit. [**Quint. Inst.* 12, 2. Adhibitus ei coenae Simonides nuntio est excitatus. V. *Gron.* ad *Sen.* de *Tranq. An.* 14. *Torrent.* ad *Suet. Aug.* 14. ℙ *Excitari* eleganter dicitur etiam is qui admonetur, ut surgat et ad dicendum prodeat. *Liv.* 9, 8. Haud sum ignarus, ignominiae, non honoris causa me primum excitatum, jussumque dicere. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 105.] *Cic. Somn. Scip.* 2. *extr.* Quaeso, ne me e somno excitetis. [**Drak.* ad *Liv.* 5, 47, 3.] *Curt.* 4, 13. Nempe excitare vigiles soles. *Catull.* 17, 24. Excitare veternum, *h. e.* discutere. *Sil.* 7, 306 aliquem in curas. [*Eleganter etiam ipsae curae aliquem *excitare*, h. e. somnum ei rapere dicuntur. *Turpil.* ap. *Don. de Metr. Com.* p. 1326. Ut solent, me curae somno segregant, Forasque noctis excitant silentio] *Plin.* 10, 21, 24. Gallos excitandis in opera mortalibus natura genuit. ℙ Et translate [*Elicio, gigno. *Cic. Or.* 2, 21. Nova sarmenta cultura excitantur. *Pall. Nov.* 13, 3. Excitantur pascua in novalibus.] ℙ Moveo, commoveo. *Catull.* 39, 3. cum orator excitat fletum Renidet ille. Et 40, 4. Excitare rixam. *Cic. Phil.* 3, 9. risum. [**Cic. Sext.* 57. Excitare fletum etiam inimicis atque invidis.] *Id. Marcell.* 6. bellum civile. *Id. Har. resp.* 3. tempestatem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. varios sermones. *Id. Sext.* 18. suspicionem alicui. *Id. ib.* 58. plausum. *Id. Off.* 1, 5. Facies honesti si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiae. *Id. Mil.* 7. Nunc ejusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat! [**Cic.* pro *Planc.* 18, 44. Bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt, ubi *Wunder.* p. 137.: Rarum dicendi genus pro: impulerunt bonos, ut vehementer in eos qui haec facerent animadvertendum putarent. Nec usurpaturum fuisse Ciceronem puto, si non adjectum verbum *doloris* esset.] ℙ Et renovare, et quodammodo reviviscere facere. *Cic. Or.* 10. *f.* Excitare alicui memoriam illi caram. (Adde *Liv.* 10, 30.) *Id. Top.* 1. *f.* Ut mea diligentia mandatorum tuorum te quoque ad memoriam nostrarum rerum excitarem. ℙ Et in vitam revocare. *Id. Verr.* 2, 5. 49. Quasi ego excitare filium ejus ab inferis possem. *Id. Or.* 1, 57. Aliquem dicendo a mortuis excitare. ℙ Proprie significat etiam expellere. *Quint.* 3, 6. *med.* Si excitatus fuerit de spectaculis, et aget injuriarum. *Cic. Off.* 3, 17. Excitare et agitare feras, *h. e.* de suis cubilibus ejicere, et persequi. Adde *Petr. Sat.* 131. et *Phaedr.* 2, 8. V. EXAGITATUS. ℙ Item surgere facere. *Cic. Or.* 2, 28. Non dubitavit excitare reum consularem, et ejus diloricare tunicam. Adde 47. et *Liv.* 9, 8. [**Cic. Rab. Post.* 2. Testes excitare.] ℙ Item erigere, aedificare. *Cic. Leg.* 2, 27. Excitare sepulcrum e lapide. *Caes. B. G.* 5, 39. Ex ea materia turres CXX excitantur. *Suet. Claud.* 1. Exercitus honorarium ei tumulum excitavit. *Cic. N. D.* 2, 46. Vapores, qui a sole ex aquis excitantur. *Cels.* 8, 4. *med.* Altius excitare caput. *Senec. ep.* 52. Excitare aedificium. *Flor.* 1, 1. urbem. *Prud. Cathem.* 4, 70. faciem in coelum. ℙ Translate. [**Cic. Sext.* 2. Quibus fundamentis hae laudes excitatae sint. Ubi subjungitur *excitatae*, quod praecessit *fundamentis.*] *Cic. Fin.* 4, 7. Principiis a natura datis amplitudines quaedam bonorum excitabuntur, *h. e.* superstruentur. *Id. Marcell.* 8. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae jacere sentis, belli impetu perculsa, atque prostrata. *Id. Amic.* 16. Amici jacentem animum excitare, *h. e.* confirmare, erigere, sublevare. *Id. Att.* 1, 13. *med.* Confirmare, excitare afflictos. ℙ Item suscitare, accendere. *Caes. B. G.* 7, 24. Excitare ignem. *Juven.* 3, 262. Bucca foculum excitat. *Virg. G.* 4, 549. monstratas excitat aras. *Lucan.* 8, 776. Excitat invalidas admoto fomite flammas. [**Heins.* ad *Ov. Fast.* 5, 507.] ℙ Et translate. [**Ulp.* in *Dig.* 48, 5, 29, 5.: Ne crimen quinquennio continuo sopitum excitetur, ubi attende ad adjectum *sopitum*, quod metaphorae originem nos docet. *Id. ib.* 26. Derelictam a marito accusationem ab alio excitari utile est.] *Virg. A.* 2, 594. quis indomitas tantus dolor excitat iras? *Cic. Manil.* 2. Excitare atque inflammare animos. *Id. Phil.* 7, 1. Quae provincia est, ex qua illa fax excitare non posset incendium? *Id. Or.* 1, 46. Motus in animis hominum vel excitare, vel sedare. ℙ Saepe est incitare, hortari, allicere, invitare, stimulos admovere. *Cic. Fam.* 6, 1. *med.* Me eum esse, quem solitus esses auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. *Id. Off.* 2, 6. Hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare. *Id. Planc.* 24. *f.* Excitare aliquem ad laborem, et laudem. Et 28. *f.* Ad alicujus salutem defendendam caritate stimulari atque excitari. *Caes. B. G.* 7, 80. Et laudis cupiditas, et timor ignominiae ad virtutem excitabat. (Adde 6, 13.) Et *ib.* 3, 26. Praemiis et pollicitationibus excitare. *Liv.* 1, 39. Erudire puerum iis artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. *Cic. Fin.* 5, 24. Excitari saepe gloria. Al. leg. *spe gloriae. Id. Fam.* 15, 21. *f.* Excitare et acuere, *Caes. B. G.* 7, 79. Omnium animi ad laetitiam excitantur. Et *ib.* 3, 10. ad bellum. ℙ Item acuere. *Plin.* 20, 5, 17. Siser stomachum excitat, fastidium absterget. Et 23, 1, 7. Uvae in ollis servatae excitant os, stomachum, aviditatem. *Id.* 14, 19, 24. Sale excitare lenitatem vini. *Id.* 27, 9, 58. ubertatem lactis. *Id.* 35, 5, 11. colores. V. INCITO. ℙ [Part. *Excitaturus* ap. *Plin. ep.* 6, 20. Surgebam invicem, si quiesceret, excitaturus. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Excitare* et *Exercitare. Drak.* ad *Liv.* 39, 1, 5. — *Excitari* et *Excuti. Heins.* ad *Ov. Her.* 13, 111.]

EXCĪTUS, a, um, part. ab *excieo*, excitatus, incitatus. *Virg. A.* 4, 301. Thyas commotis excita sacris. *Id.* 7, 376. furit ingentibus excita monstris. *Ov. Met.* 2, 779. Nec fruitur somno vigilacibus excita curis. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 96. Talibus excitus in furias Praetor. *Sall. Cat.* 15. et 38. Conscientia mentem excitam vexabat. *Virg. A.* 7, 722. pulsuque pedum tremit excita tellus. ℙ *Excĭtus*, *a*, *um*, ab *excio*, evocatus. *Virg. A.* 10, 38. ventosque furentes Aeolia excitos. *Auct. B. Hisp.* 4. Pompejus litteris fratris excitus. [**Drak.* ad *Liv.* 27, 12, 7.] *Lucan.* 5, 498. Excitus vocibus. [*Excitus tumultu. *Liv.* 10, 33, 1. ubi vid. *Drak.*] *Sil.* 7, 634. nepotum excitus prece. *Curt.* 10, 8. *med.* E regia Philippus excitus. Et 3, 2. Tot gentium excita sedibus suis moles. [**Drak.* ad *Liv.* 5, 8, 7.] *Lucan.* 1, 239. stratis excita juventus. ℙ [*Confunduntur *Excitus* et *Excitatus. Drak.* ad *Liv.* 28, 24, 4. — et *Exercitus. Id.* ad *Liv.* 5, 26, 7. — et *Exutus. Id.* ad *Liv.* 9, 31, 12.]

EXCĪTUS, us, m. actus exciendi, evocatio. In sexto casu singul. *Appul. Met.* 6. p. 184. Quae vocis excitu procurrens, videt etc.

EXCLĀMĀTIO, onis, f. ἐκφώνησις, actus exclamandi. *Auct. ad Her.* 3, 12. Acutas vocis exclamationes vitare. ℙ Est etiam figura rhetorum, quae, ut *Id.* 4, 15. definit, conficit significationem doloris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuspiam compellationem. Neque solum per adverbium *o* effertur, verum etiam sine eo. V. *ib.* exempla, et ap. *Plin. ep.* 2, 10. ℙ A *Cic. Or.* 3, 54. et *Or.* 39. inter figuras verborum enumeratur: a *Quint.* vero 9, 3. *s. f.* inter sententiarum, *affectus enim est*, inquit.

EXCLĀMĀTUS, a, um, part. ab *exclamo*, clamando vocatus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 6. Excitare aliquem suo nomine exclamatum.

EXCLĀMO, as, avi, atum, a. 1. ἀναβοάω, vociferor, et quasi e medio pectore vocem maximam emitto: quod aut doloris, aut admirationis, aut indignationis causa fieri solet. Absolute *Cic. Tusc.* 2, 23. *extr.* In stadio cursores exclamant quam maxime possunt. Et 24. Qui volunt exclamare majus, num satis habent latera, fauces, linguam intendere? *Pl. Most.* 2, 2, 57. Atque ille exclamat derepente maximum. *Id. Capt.* 3, 2, 11. Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem. *Id. Trin.* 3, 2, 79. Non enim possum quin exclamem: euge, euge, Lysiteles! facile palmam habes. *Cic, N. D.* 2, 6. Itaque mihi libet exclamare, ut Statius in Synephebis, Pro Deum etc. *Id. Or.* 50. Conciones saepe exclamare vidi, cum apte verba cecidissent, *h. e.* acclamare. ℙ Cum accusativo. *Quint.* 2, 11. Qui multa memoria digna exclamaverunt, *h. e.* declamando recitarunt. *Plin.* 34, 18, 50. Nero, lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamans. ℙ *Exclamare aliquem* est exclamando vocare. *Anton.* ap. *Cic. Phil.* 2, 12. M. Brutus cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit. *Pl. Amph.* 5, 1, 68. Voce clara exclamat uxorem tuam. ℙ Translate. *Stat. Theb.* 6, 202. Jam face subjecta primis in frondibus ignis Exclamat, *h. e.* crepitat. *Juven.* 6, 423. dominae femur exclamare coegit, *h. e.* sonitum edere. ℙ [Part. *Exclamaturus* ap. *Quint. decl.* 19, 15. Singultus similis Exclamaturo nescio quid. *F.*]

EXCLĀRO, as, a. 1. *Vitr.* 1, 2. *f.* Ea coeli regio neque exclaratur, neque obscuratur solis cursu.

[EXCLĪNO, as, a. 1. extra inclino. *Not. Tir.* p. 109. Clinat, inclinat, exclinat. *F.*]

EXCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. ἀποκλείω, ἐκκλείω, extra claudo, arceo, prohibeo. *Ter. Eun.* 1, 2, 18. Exclusit hunc foras. (Al. leg. *exclusti* pro *exclusisti*) et 79. Ego excludor, ille recipitur. [*Excludere proprium est verbum in re meretricia: non admittere. *Ruhnk.* ad *Xen. Memor.* 3, 11, 18. ad *Ter. Eun.* 1, 1, 4.] *Hor. Od.* 2, 15, 9. spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus, *h. e.* arcebit solem. [**Ulp.* in *Dig.* 39, 3, 2. Opus quod quis fecit, ut aquam excluderet, quae exundante palude in agrum refluere solet.] *Cic. Balb.* 17. Gaditani Poenos moenibus excluserunt. *Pomp.* ad *Domit. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ut te mecum conjungeres, priusquam Caesar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset. *Cic. Fam.* 5, 15. Ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur. *Nep. Them.* 5. Ut reditu in Asiam excluderetur. *Caes. B. C.* 3, 78. Omni maritima ora hostem excludere. [*Alia exempla dant. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 22, 52, 1.] Et *B. G.* 7, 55. Re frumentaria Romanos excludere. *Stat. Theb.* 8, 412. Exclusere diem telis, stant ferrea coelo Nubila, *h. e.* impedi-

vere, sustulere lucem. ℙ Item separo, disermino. *Plin.* 5, 24, 20. Euphrates Armeniae regiones a Cappadocia excludens. ℙ Item excipio. *Cic. Fam.* 1, 1. Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompejum. *Suet. Ner.* 23. Illos, ut sapientes et doctos viros, debere fortuita excludere. ℙ Item emitto, ejicio, effundo. *Ter. Phorm.* 5, 7, 96. et *Pl. Ps.* 1, 5, 95. Excludito mihi oculum, si dedero. *Scrib. Compos.* 84. In utramque partem liquorem excludere. *Paul. Dig.* 10, 4, 6. Gemma inclusa auro vindicari non potest; sed ut excludatur, agi potest. *Cic. Or.* 15. Cum animos prima aggressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria. ℙ Hoc sensu saepe dicitur de avibus incubantibus, et fovendo ova emittentibus pullos. *Cic. N. D.* 2, 52. Gallinae avesque reliquae, cum ex ovis pullos excluserint, ita tuentur etc. [*Facete hoc transfertur. *Or.* 3, 21. ad discipulos rhetoris: Coracem istum patiamur pullos suos in nido excludere, qui evolent, ubi simul in significatione nominis *Coracis* i. e. corvi luditur.] ℙ Est etiam repellere, removere. *Cic. Or.* 1, 11. Repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina. Et 37. Petitor rursus cum peteret, exceptione excluderetur. *Id. Inv.* 2, 19. Praetoriis exceptionibus multae excluduntur actiones. *Id. Phil.* 5, 7. Excludere consuetudinem libere dicendi. Et 11. Exclusit illum a republica, distraxit, segregavit scelus ipsius. *Id. Cluent.* 11. Excludi ab hereditate fraterna. *Id. Coel.* 9. Si qui se in hoc judicium forte projecerint, excluditote eorum cupiditatem, judices, sapientia vestra. Et 17. *extr.* Excludere auribus omnem suavitatem. *Id. Agr.* 2, 22. Qui honore decemviratus nominatim excluditur. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 180. Qua virtute servitutem excluserit. [*Cic.* de *harusp. resp.* 21, 45. Quod affinis et sodalis excluserat, i. e. rejecerat.] ℙ Pro impedire. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. *extr.* Locat circiter Idus Septembr., temporibus excluduntur omnes. [*Nep. Themist.* 5. Excludi reditu in Asiam, *h. e.* itinere intercluso redire non posse.] V. EXCLUSUS. ℙ Pro negare. *Cic. Har. resp.* 21. Quod Metellus principi Pompejo sententiam dicenti excluserat. Al. leg. *principe dicente:* alii *excusserat.* ℙ Pro claudere, finire. *Stat. in epist. praefixa Silv.* 2. Excludit volumen Genethliacon Lucani. ℙ [Part. *Exclusurus* apud *Tibull.* 2, 3, 73. nulla exclusura dolentes Janua. *Excludendus* ap. *Colum.* 8, 10. Quae fovent ova, totum tempus fecunditatis aut excludendis, aut etiam educandis pullis consumunt. *F.*]

EXCLŪSIO, onis, f. actus excludendi, ἀπόκλεισις. *Ter. Eun.* 1, 2, 8. Ceterum de exclusione verbum nullum. *Vitr.* 1, 6. Exclusio ventorum. *Ulp. Dig.* 44, 1, 2. Exceptio est quasi quaedam exclusio, quae interponi actioni cujusque rei solet.

EXCLŪSOR, oris, m. qui excludit. *Augustin. serm.* 37. *de verb. Dom.* 2. Christus daemoniorum exclusor, *h. e.* expulsor.

EXCLŪSORĬUS, a, um, adj. ad excludendum pertinens. *Ulp. Dig.* 44, 1, 2. Illud tenendum est, omnem exceptionem, vel replicationem exclusoriam esse: exceptio actorem excludit, replicatio reum.

EXCLŪSUS, a, um, part. ab *excludo*, ἀποκλεισθείς, extra clausus, prohibitus, separatus. *Cic. Cluent.* 62. Vagus, et exsul, et undique exclusus. *Caes. B. C.* 3, 21. Exclusus Capua. *Virg. A.* 9, 726. Moenibus exclusi. *Hor. Sat.* 1, 2, 67. Exclusus fore. *Ov. Amor.* 1, 8, 78. Audiat exclusi verba receptus amans. *Pl.* joculariter *Men.* 4, 3, 24. Abiit intro, occlusit aedes: nunc ego sum exclusissimus. ℙ Item impeditus. *Caes. B. G.* 7, 11. Castris ante oppidum positis, diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt. Adde *ib.* 6, 30. ℙ Item repulsus, prohibitus. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. Matres ab extremo complexu liberum exclusae. *Id. Balb.* 9. Socii exclusi praemiis et honoribus. *Stat. Silv.* 3, 3, 106. animoque exclusa voluptas. ℙ Item emissus, editus. *Cic. N. D.* 2, 48. et *Colum.* 8, 5. et 14. Exclusi pulli.

EXCOCTĬO, onis, f. actus excoquendi. *Impp. Theod. et Val. Cod.* 12, 16, 3. Excoctio calcis. *Impp. Arcad. et Honor. ib.* 39, 1. panis.

EXCOCTOR. V. EXCEPTOR.

EXCOCTUS, a, um, part. ab *excoquo*, probe coctus. *Varr. L. L.* 4, 22. Excoctum parum habet succi. *Ter. Ad.* 5, 3, 63. Tam excoctam reddam *(ancillam)* atque atram, quam carbo est. *Gell.* 6, 5. *s. f.* Argentum excoctum, i. e. purgatum. *Plin. Pan.* 52. Truces horrendaeque imagines abjectae, excoctaeque flammis. *Plin. alter* 18, 7, 18. Excocta maturitas hordei, *h. e.* hordeum nimis maturum.

EXCODĬCO, as, a. 1. est circa vitium codicem dolabra terram aperire, et purgatis omnibus velut lacus efficere, ut solis calore, et imbribus provocentur, ut exponit *Pallad.* 2. ℙ Latine est *ablaqueare*, quod Itali *excodicare* dicunt, teste *Pall. ib.* ℙ Apud *Fest.* in *Repastinari* dicitur *ager silvester excodicari*, latiori significatione, cum stirpes ex eo inutiles evelluntur. Hinc pro exstirpare usurpatur in veteri lege ap. *Front. Aquaed.* 129., ubi alii leg. *excorticare.* ℙ Legitur et *excaudico*, et quidem translate, apud *Tertull. Pudic.* 16. Ut intelligas, quanta securi censurae Apostolus omnem silvam libidinum caedat, et eradicet, et excaudicet.

EXCOGĪTĀTĬO, onis, f. actus excogitandi, ἐπινόησις. *Cic. Tusc.* 1, 25. Quid illa vis, quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? *Id. Or.* 2, 27. *f.* Illa, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, *h. e.* facilia inventu sunt.

EXCOGĪTĀTOR, oris, m. ἀλφηστής, qui excogitat, *Quint. decl.* 10, 7. Sic magum protinus, nescia matre, excogitator hic mortis alterius advocat. *Arnob.* 3, 119. Verborum excogitator et nominum.

EXCOGĪTĀTUS, a, um, part. ab *excogito*, ἐπινενοημένος, cogitando inventus. *Cic. Cluent.* 13. Ratio excogitata Larini est: res translata Romam. [*Cic. Or.* 67. O callidos homines, o rem excogitatam, *h. e.* callide inventam. *Hort. fr.* Qui crudelitate excogitata necabantur.] *Curt.* 4, 2. Ferreae manus, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata. *Suet. Cal.* 22. Templum etiam numini suo proprium, et sacerdotes, et excogitatissimas hostias instituit, *h. e.* exquisitissimas.

EXCOGĪTĀTUS, us, m. idem quod excogitatio. In sexto casu sing. *Gell.* 5, 10. *extr.* Captionis versutae excogitatu frustratus. Al. leg. *versute excogitatae.*

EXCOGĪTO, as, avi, atum, a. 1. ἐξευρίσκω, ἐπινοῶ, cogitando invenio, cogitatione assequor. *Cic. Phil.* 8, 6. Excogitare, quae tua ratio sit, Calene, non possum. *Id. fr. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Lex ad scribendum difficilis, aut ad excogitandum recondita. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Mira quaedam excogitare genera furandi. *Id. Dejot.* 7. Quid igitur causae excogitari potest, cur etc? *Id. Catil.* 2, 4. Quid enim mali aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? *Nep. Att.* 8. Excogitatum est quibusdam, ut privatum aerarium constitueretur. *Curt.* 6, 10. Cur me ipse audire noluerit, non excogito. *Cic. Att.* 9, 6. *extr.* Ad haec igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. *Caes. B. G.* 5, 31. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, et periculum augeatur etc. *Plin.* 15, 19, 21. *a med.* Cum recenti fico salitis vice casei vesci, nuper excogitatum est. ℙ [Part. *Excogitans* ap. *Curt.* 5, 12. Nova ludibria subinde excogitante fortuna. *Excogitandus* ap. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 10. *extr.* Ac ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda. *F.*]

[EXCOGO, is, a. 3 idem ac cogo, vel maxime cogo, arguo, colligo. V. COGO *Innocent. agrimens.* ap. *Goes.* p. 222. Si in monte fuerit constitutus, excogimus finem habere. *Id.* p. 227. Terminos excogimus requirendos. *F.*]

*EXCOLĬDUS, a, um, adj. ut *excolidus ager* ap. *Auct. de Limit. Agr.* i. e. incultus. *B. A.*

EXCŌLO, is, ui, ultum, a. 3. percolo, diligenter colo, ἐξεργάζομαι. *Plin.* 14, 4, 5. Excolere vineas. *Id.* 8, 47, 72. Boves victum hominum excolunt. *Claud.* 2. *in Eutr.* 196. Excolere rura. *Ov. A. Am.* 2, 220. Creditur et lanas excoluisse rudes. ℙ Item exornare. [*Nerat.* in *Dig.* 7, 1, 44. Excolendo aedificium domini causam facturus est. *Ulp.* in *Dig.* 7, 1, 13, 7. Fructuarius excolere quod invenit potest, qualitate aedium non immutata. *Id.* in *Dig.* 13, 7, 25. Puta saltum grandem, pignori datum ab homine, qui vix luere potest, nedum excolere, tu acceptum pignori excoluisti.] *Plin. ep.* 9, 39. Emas marmora, quibus solum, quibus parietes excolantur. (Adde *Plin. alter.* 35, 10, 37.) *Suet. Aug.* 28. Urbem excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. Et 72. Praetoria sua non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. *Mart.* 6, 52. vagos resecare capillos Doctus, et hirsutas excoluisse genas. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 30. L. Paulus, devicto Perseo, petit ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum mitterent pictorem ad triumphum excolendum. *Flor.* 4, 12. Marcomanorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in trophaei modum excoluit. ℙ Item perficio. *Plin.* 35, 8, 34. Quique inventa ejus (*pictoris*) excoluit, Cimonem Cleonaeum. *Gell.* 13, 5. Complere et excolere studia doctrinarum. ℙ Translate. *Cic. prooem. Par.* Nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, et tanquam excolatur. *Id. Arch.* 6. Animos doctrina excolere. *Virg. A.* 6, 663. Inventas aut qui vitam excoluere per artes. [*Cic. Oecon.* 1. Utensilia quibus hominum genus excolitur.] *Auct. Dial. de or.* 22. Cicero primus orationem excoluit. *Cic.* 4. *Tusc.* 38. Demus nos philosophiae excolendos. *Quint.* 11, 2. Memoria excolendo augetur. *Curt.* 9, 6. *a med.* Excolere gloriam, *h. e.* extendere, augere. *Ov. Trist.* 4, 10, 15. Protinus excolimus pueri, *h. e.* erudimur, instituimur. *Cic. Or.* 9. Excolere victum hominum, *h. e.* a. ferino more ad humanitatem traducere, [*civilisiren.] ℙ Est etiam venerari, vereri, observare, colere, prosequi. *Phaedr.* 4, 10 verendos excolit pietas Deos. *Ov. Pont.* 1, 7, 59. ut te non excolat ipsum, Jus aliquod tecum fratris amicus habet. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Excolamur et amemur. Al. leg. et *colamur.* ℙ Item instruere, augere, ditare. *Quint. decl.* 8, 12. Fortuna hunc pressit paupertate, illum insperatis opibus excoluit.

EXCOLO, as, a. 1. percolare, liquare, ἐκτήκω. *Pall.* 8, 8. Acetum diligentius excolabis. In *Vers. Vulg. Matth.* 23, 24. Culicem excolantes, *h. e.* vinum, in quod culex inciderit.

EXCOLUBRO. V. dicta in COLUBRA.

[EXCOMĒDO, is, a 3. totum comedo, consumo. *Appul. Herb.* 8. Herba scelerata excomedet putredinem. *F.*]

[EX COMITE, indecl. m. qui comes fuit. *Ammian.* 14, 7. Mandabat Domitiano, ex comite largitionum, praefecto, ut etc. *F.*]

EXCOMMŪNĪCĀTĬO, onis, f. ἀποκήρυξις, ἀνάθεμα, separatio a communione Ecclesiae. *August. de Fide, et operib.* 3. et alibi.

EXCOMMŪNĪCO, as, a. 1. ἀποκηρύττω, ab Ecclesiae communione separo. *Hieron. adv. Ruf.* 2. *n.* 18. Frustra ab Ecclesiis excommunicatum se esse dicat.

EXCONDO, is, a. 3. condo, facio, fingo, vel manifesto. *Tertull. adv. Marc.* 5, 18. Vere eum et visibilem excondis proeliatorem.

EX CONSŪLĔ, indecl. m. vir consularis, qui scil. aliquando consulatum gessit. [*Hae compositiones, velut *ex consule*, *ex duce*, *ex gladiatore* etc., sequiori demum aevo usurpari coeptae sunt, factae scilicet ad normam earum, quas aurea aetas usurpavit, ut *pro consule*, *pro praetore.* Plurima exempla reperiuntur in Inscriptionibus (cf. *Ind. Grut.*), ex quibus apparet rectius divisim scribi haec vocabula. De nominativis *Exconsul*, *exdux* etc., res minus certa est, quod in Inscript. plerumque per compendium scripturae exarati sunt. Ceterum plura exempla si cupis, evolve *Salm.* ad *Lampr. Commod.* 7. p. 493. *Alex. Sev.* 33. p. 937. *Casaub.* ad *Capit. Jul. tert.* 22. p. 112. *Salm.* ad *Treb. Poll. trig. tyr.* 6. p. 264. *Verheyk.* et *Tzschuck* ad *Eutr.* 6, 3. *Brisson.* de verb. signif. s. v. *Ex.*, Index *Wagner.* ad *Ammian Marc.* s. v. *Ex.* et, qui maximam partem horum virorum laudavit et accurate de re exposuit, *Schneider. Elementarl. Tom.* 11. p. 562.] *Imp. Just. Cod.* 1, 17, 2. Quae omnia confecta sunt per virum excelsum, ex quaestore et ex consule, Tribonianum. *Sid. ep.* 1, 11. *med.* Magnus, olim ex praefecto, nuper ex consule. ℙ Dictum est etiam sequiori illo aero *Exconsul*, *lis*, et *Exconsularis.* V. voc. seq. [*Sed forma casus recti *Exconsul* non satis certa est. Cf. *Schneider. Elementarl. Tom.* 11. p. 562.] ℙ Item *ex consulibus. Capitol. Gordian.* 22. [*Veg. R. M.* 2, 9. Legati imperatoris ex consulibus ad exercitus mittebantur. *Capitol.* in *Gord.* 22. Senatus Pupienum et Balbinum Augustos appellavit, ambos ex consulibus. V. *Verheyk.* et *Tzschuck.* ad *Eutr.* 6, 3.] V. EX DUCE.

EXCONSŪLĀRIS, is, m. qui consulari potestate in aliqua provinciali administratione functus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 151, 6. Cl. Posthumius Dardanus V. Jul. et patriciae dignitatis, exconsulari provinciae Viennensis .... adnitente etiam V. Jul. Com. ac fratre memorati viri *charissimi* Lepido exconsulari Germaniae primae etc.

EXCŌQUO, is, oxi, octum, a. 3. valde coquo, ἐξέψω. *Lucret.* 6, 962. terram sol excoquit, et facit are. *Plin.* 37, 12, 74. Glebas melle excoquere. Et 32, 4, 14. Vino testudinem excoquere. *Id.* 34, 13, 37. Lapis excoquitur in rubricam, *h. e.* usque dum rubrum colorem induat. *Tac. H.* 5, 7. Arenae, admixto nitro, in vitrum excoquuntur. *Lucan.* 9, 420. Libyae quod fertile terrae est, In nullas vitiatur opes, non aere, nec auro Excoquitur. ℙ [*Item coquendo absumere. *Cat. R. R.* 107. Usque coquito, dum dimidium excoquas. *Col.* 12, 19. Ad dimidium excoquere.] ℙ Item coquendo purgo. *Virg. G.* 1, 87. illis omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor. *Ov. Fast.* 4, 785. Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis Excoquit. ℙ Item concoquo. *Colum. praef. med.* Quotidianam eruditatem Laconicis excoquimus. ℙ Translate. *Pl. Pers.* 1, 1. *f.* Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum, *h. e.* machinatus fuero, paravero, excogitavero. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 11, 7.] *Senec. Herc. fur.* 105. Concutite pectus: acrior mentem excoquat, Quam qui caminis ignis Aethnaeis furit, *h. e.* agitet, excitet, vexet, ut *Virg. A.* 7, 345. curaeque iraeque coquebant.

[EXCORDOR, aris, dep. 1. excors sum, insanus. *Commod. Instruct.* 21. Excordaris, homo, si putas etc. *F.*]

[EXCŌRĬO, as, a. 1. corium, seu crustas detraho, *Appul.* in *fr. Met.* 10, 717. *Oudend.* Hastam mei inguinis nivea spurcitie pluscule excorians, emundavit. *Gloss. Phil.* Excorio, ἀποδέρω. *F.*]

EXCORNIS, e, adj. ἀκέρατος, qui sine cornibus est. *Tertull. Pall.* 5. Muraena bestia edentula, et exunguis, et excornis.

EXCORS, ordis, adj. omn. gen. *ἄφρων*, *ἄφρων*, stultus, amens, fatuus, vecors, quasi sine corde, in quo veteres animum et sapientiam collocabant. [*Cic. Div.* 2, 16. Affers in tauri opimi extis immolante Caesare, cor non fuisse. ... An quod aspexit vestitu purpureo excordem Caesarem, ipse corde privatus est. Ubi, excordem Caesarem dicit eo, quod habitu suo civium animos offenderet, bovem vero quod Caesarem adspexerit, item excordem factum esse, *h. e.* corde suo privatum esse. Ultima igitur proprio sensu accipio. Secus *Hottinger.*, quem laudat *Schütz.*] *Cic. Tusc.* 1, 9. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes dicuntur. *Id. N. D.* 2, 2. Quae anus tam excors inveniri potest, quae illa extimescat? *Id. Phil.* 5, 2. Hoc qui non videt, excors est. *Id. Dom.* 18. *med.* Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires etc. *Hor. Ep.* 1, 2, 25. Sub domina meretrice fuisset turpis et excors. *Gell.* 18, 4. *s. f.* Stulti et excordes. *Pl. Mil.* 2, 6, 63. Nunc demum scio, me fuisse excordem, caecum, incogitabilem. *Id. Merc.* 1, 1, 26. Temeritas, incogitantia, excors immodestia, petulantia.

EXCORTĬCO. V. in EXCODICO.

EXCRĔMENTUM, i, n. id quod excernendo, cribrandoque excernitur, cretura. *Colum.* 8, 5. *extr.* Vinacea praebenda (*gallinis*), quae satis commode pascunt, adjectis interdum tritici excrementis. [*Adde *Pall. Feb.* 26, 3. — *Pall. Nov.* 20, 4. Excrementa uvae, quae Graeci *γίγαρτα* vocant.] ℙ Saepius significat purgamentum, quod ex corpore animalis, ex superfluo alimenti excernitur, ut stercus, sputum, pituita etc. *ἀφόδευμα*, *περίττωμα*. *Tac. H.* 4, 81. Ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. *Id. Ann.* 16, 4. Excrementa narium. *Plin.* 11, 26, 32. Cicadis nullum ad excrementa corporis foramen. *Id.* 9, 45, 68. Reddere excrementa. ℙ Est etiam ab *excresco*, et significat excrescens sive extuberans aliquid. *Sid. ep.* 1, 2. *De Theodorico rege.* Aream dorsi humilior inter excrementa costarum spina discriminat, *h. e.* inter prominentes costas spina dorsi depressior est.

EXCRĔMO, as, a. 1. idem quod cremo. *Tertull. Cult. femin.* 6. Quodcumque enim immundo spiritui excremari solet etc.

EXCREO etc. V. EXSCREO.

EXCRESCENS, entis, part. ab *excresco*, qui excrescit. *Excrescentia* dicuntur a medicis, quae in corpore praeter naturam excrescunt, ut in ulceribus etc. *σαρκώσεις*, *ἐκσαρκώματα*. *Plin.* 22, 21, 29. Heliotropium radicitus extrahit excrescentia in sedibus. *Id.* 34, 18, 56. Usus plumbi usti contra inanitatem ulcerum, excrescentiave, rimasque sedis. Et 24, 5, 11. Ulcera sordida, et excrescentia in iis cedri succo inungere. *Id.* 36, 17, 28. Excrescentia erodere. *Id.* 20, 9, 36. absumere.

EXCRESCO, is, crevi, etum, n. 3. *ἐκφύομαι*, *ἐπαυξάνομαι*, idem quod cresco, aut valde cresco. *Tac. Germ.* 19. In hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. *Colum.* 4, 21. *med.* Novellis palmis semper vitis renovetur: quae, si satis excreverint, jugo superponantur. *Plin.* 19, 8, 39. Cum ad semipedem lactucae excreverint. *Id.* 16, 30, 54. In longitudinem excrescunt abies, larix, palma. *Lucan.* 4, 11. Collo tumet modico, lenique excrevit in altum Pingue solum tumulo. *Front. Aquaed.* 18. Colles propter frequentiam incendiorum excreverunt rudere. ℙ Saepe dicitur de iis, quae praeter modum, aut contra naturam crescunt. *Quint.* 4, 1. *med. de exordio.* Nec minus evitanda est immodica ejus longitudo, ne in caput excrevisse videatur. *Plin.* 37, 2, 7. Excrescit in dies ejus rei luxus. *Suet. Vesp.* 10. Litium series ubique majorem in modum excreverat. [*Julian.* in *Dig.* 36, 1, 27, 16. Fructus in tantum excrevit, ut quantitatem partis dimidiae bonorum excedat. *Ulp.* in *Dig.* 38, 1, 2. Libertatis causa impositorum praestatio ultra excrevit.] *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. Si quando flumen imbribus ad tempus excrevit. ℙ A medicis *excrescere* dicitur caro in corpore praeter naturam crescens, *ὑπερσαρκόω*. *Suet. Galb.* 21. Excreverat in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut aegre fascia substringeretur. *Plin.* 23, 6, 59. Carnes excrescentes cohibere. *Id.* 34, 18, 56. Arsenicum tollit quidquid excrescit. V. EXCRESCENS.

EXCRĒTUS, a, um, part. ab *excresco*, qui excrevit. *Virg. G.* 3, 398. Multi jam excretos prohibent a matribus haedos, *h. e.* validiores. *Serv.* Sic *Paulin. Nolan. carm.* 27, 292. de vitula. Facta per excretum jam corpus idonea voto. *Lact.* 2, 11. *med.* Nisi forte animalia non tenera nata sunt, sed excreta. ℙ Item cernendo separatus, purgatus, rejectus, ab *excerno*. *Colum.* 8, 4. Furfures modice a farina excreti. *Vitr.* 7, 6. Caementa marmorea, sive assulae dicuntur, pilis ferreis contunduntur, cribrisque excernuntur. Eae autem excretae etc. Sunt qui leg. *excretiae:* sed frustra. ℙ Absolute. *Colum.* 8, 8. Ubi annona est carior, excreta tritici minuta commode dantur. ℙ Item secretus. *Liv.* 28, 39. Ubique ex captivorum numero excretos Saguntinos in patriam remisit.

EXCRĪBO etc. V. EXSCRIBO.

EXCRŪCĬĀBĬLIS, e, adj. qui excruciat: item dignus qui excrucietur. *Pl. Cist.* 4, 1, 1. Nullam ego me vidisse credo magis anum excruciabilem. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 114. Ecce parata ministeria Excruciabilis exitii.

EXCRŪCĬĀTĬO, onis, f. cruciatus. *August. Tract.* 27. *in Joann. f.*

EXCRŪCĬĀTUS, a, um, part. ab *excrucio*, *βασανισθείς*, valde cruciatus. *Caes. B. G.* 7, 38. Ipsos crudeliter excruciatos interficit. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Hominem ingenuum, fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Id. Manil.* 5. Legatum populi R. vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit. *Pl. Bacch.* 3, 4, 24. Mori me mavelim excruciatum inopia. *Tertull. ad uxor.* 2, 5. *extr.* Res excruciata, *h. e.* tormentis extorta. [*Veg. Art. vet.* 1, 26, 1. Quibus jumentis excruciata ungula fuerit. Vocabulum vix sanum est. V. *Schneid.*]

EXCRŪCĬĀTUS, us, m. idem quod cruciatus. *Prud.* 14, 19. *περὶ στεφ.* Corpusque duris excruciatibus Ultro offerebat.

EXCRŪCĬO, as, avi atum, a. 1. *βασανίζω*, valde crucio, torqueo, conficio. *Pl. Mil.* 3, 2, 45. Perii! excruciabit me herus, cum haec facta scibit. *Caes. B. G.* 7, 19. Producit servos, quos fame vinculisque excruciaverat. *Hirt. B. Alex.* 55. Minucium libertis transdit excruciandum. *Lucr.* 5, 1425. Frigus nudos excruciat. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat molestia, dolore afficere, vexare, vehementer angere. *Cic. Att.* 10, 18. *extr.* Non loquor plura, ne te quoque excruciem. *Id. Fam.* 14, 3. Conficior moerore, mea Terentia; nec meae me miseriae magis excruciant, quam tuae. *Id. Fin.* 1, 16. Temeritas, et libido, et ignavia semper animum excruciant, et semper sollicitant. *Pl. Cist.* 1, 1, 61. Excrucior, mea Gymnasium, male maceror, doleo ab animo. *Id. Ep.* 2, 2, 8. Id ego excrucior, *h. e.* ob id. *Id. Rud.* 2, 3, 57. et 68. et *Mil.* 4, 2, 76. et *Ter. Ph.* 1, 4, 10. Hoc sese excruciat animi, quia etc. ℙ Habet usum in imprecationibus. *Pl. Pers.* 5, 2, 50. Dii Deaeque te excrucient. ℙ *Excruciare diem*, ap. *Plaut.* est male consumere. V. LACERO.

EXCŪBĀTĬO, onis, f. actus excubandi, *παννυχισμὸς*, *προφυλακή*. [*Proprio sensu. *Modest.* in *Dig.* 49, 16, 3, 6. Si ab excubatione quis desistit, peccatum desertionis subibit. — ℙ Item metaphorice.] *Val. Max.* 4, 7. *n.* 7. Pro dignitate et salute amicorum perpetua excubatio.

EXCŪBĬAE, arum, f. plur. extra aedes cubatio, *παρακοίτια*. *Pl. Cas. prol.* 53. Is sperat, si ei sit data, Fore sibi paratas clam uxorem excubias foris. ℙ Item *φρουρά*, *προφυλακή*, vigiliae et excubatio, quae a militibus habetur diu noctuque, custodiae causa, extra castra, vel saltem extra tentoria. *Cic. Marcell.* 10. *extr.* Non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, et corporum pollicemur. *Id. Mil.* 25. Si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae etc. *Suet. Aug.* 23. Excubias per urbem indicere. *Ov. Amor.* 1, 6, 7. Per excubias custodum ire. *Virg. A.* 9, 159. Vigilum excubiis obsidere portas. *Tac. H.* 4, 58. et *Ov. Fast.* 3, 245. excubias agere alicui, *h. e.* alicujus custodiendi causa. [*Vide *Heins.* ad h. l.] Eod. sensu *Tac. A.* 13, 18. Excubiae militares, quae ut conjugi imperatoris olim, tum ut et matri servabantur. *Id. H.* 4, 11. Apparatu, incessu, excubiis vim principis complecti. ℙ Referuntur et ad alia. *Hor. Od.* 3, 16, 2. vigilum canum tristes excubiae. *Plin.* 10, 23, 30. Grues excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes. *Virg. A.* 4, 200. Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem, Excubias Divum aeternas. ℙ Ipsi quoque, excubias qui agunt, *excubiae* dicuntur. *Suet. Claud.* 10. Inter excubias militum pernoctavit. *Claud. Nupt. Honor. et Mariae* 80. vinoque madentes Excubiae. *Tac. A.* 14, 44. Num excubias transiret, cubiculi fores recluderet? ubi sermo est de privatis excubiis, quae in potentiorum domibus ad cubiculi fores noctu a servis agebantur: quarum meminit etiam *Quint. decl.* 1, 3.

EXCŪBĬCŪLĀRĬUS, ii, m. qui cubicularii munere apud Impp. functus est. *Imppp. Gratian., Valent. et Theod. Cod.* 10, 47, 12. Cubicularii omnes atque excubicularii ab omnibus sordidis muneribus vindicentur.

EXCŪBĬTOR, oris, m. qui excubias agit, *προφύλαξ*, *Caes. B. G.* 7, 69. *extr.* Haec eadem noctu excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur. *Suet. Claud.* 42. Tribuno excubitori signum de more poscenti. Adde *Sen. Thyest.* 458. ℙ Translate. *Colum.* 7, 12. de canib. Quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? *Virg. Mor.* 2. Excubitorque diem cantu praedixerat ales, *h. e.* gallus.

EXCŪBĬTŌRĬUM, ii, n. *σκοπή*, locus, in quo miles excubias agit. Romae excubitoria fuere totidem, quot regiones, nempe quatuordecim, in quibus excubabant cohortes vigilum ab Augusto institutae ad custodiam Urbis. *P. Victor de regionib. Urbis R. sub f.* V. CUSTODIARIUM. ℙ [Est etiam locus in castris, in quo militaria signa deponebantur. *Inscr.* Aquinci in Pannonia, nunc *Buda*, detecta, et per litteras communicata a *Barpt. Borghesio.* Excubitorium ad tutel*am* signor*um*, et imagin*um* sacrar*um* P. Turranius Priminus veter*anus* excornicul*arius* legi*onis* II. Adjut. Antoninianae pec*unia* *sua* a solo restituit. *F.*]

EXCŪBĬTUS, us, m. excubatio, excubiae. In sexto casu sing. *Auct. B. Hisp.* 6. Ut pedestres copiae in statione et in excubitu castris praesidio esse possent.

EXCŪBO, as, ubui, itum, n. 1. *παρακοιτέω*. Proprie significat extra domum, foris cubare. *Cic. Div.* 1, 43. Atque etiam qui praerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant. Et 50. Moniti Lacedaemonii, ut urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent. *Plin.* 11, 8, 8. Apes noctu deprehensae in expeditione excubant supinae, ut alas a rore protegant. ℙ Quia vero in militia extra castra, vel saltem extra tabernacula, milites delecti stare diu noctuque solent custodiae causa tum imperatoris, tum etiam totius exercitus, saepius accipitur pro vigilare, custodias agere, *προφυλάττω*. *Caes. B. G.* 7, 24. Duae semper legiones pro castris excubabant. Et 11. Duas legiones in armis excubare jubet. *Curt.* 6, 8. Ut qui ad praetorium excubabant, armati vigilarent. Et 8, 6. Excubabant, servatis noctium vicibus, proximi foribus aedis. Et *ib.* Ante fores cubiculi excubituri. Et *ib.* Excubantes ad cubiculi limen. *Sall. Jug.* 105. Excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro casris equites auxiliarios mittere. *Virg. A.* 9, 175. Omnis per muros legio, sortita periculum Excubat. ℙ Et universim vigilare, intentum esse. *Caes. B. G.* 7, 24. Cum Caesar ad opus consuetudine excubaret, militesque cohortaretur. *Id. B. C.* 3, 8. Ipse gravissima hieme in navibus excubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens etc. ℙ Transfertur ad res alias. *Ov. Amor.* 3, 11, 11. Ergo ego nescio cui, quem tu complexa tenebas, Excubui clausam, servus ut, ante domum, etc. *Tibull.* 1, 3, 72. Cerberus aeratas excubat ante fores. *Cic. Phil.* 6, 7. Quamobrem, Quirites, consilio quantum potero, labore plus paene quam potero, excubabo vigilaboque pro vobis. *Id. Tusc.* 4, 17. Sapiens semper animo sic excubat, ut nihil ei improvisum accidere possit. [*Flor.* 1, 1, 15. Inventus ad subita belli excubat.] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. *med.* Ex quo intelligi potest, curam reipubl. summae defendendae jampridem apud nos excubare, *h. e.* curam apud nos et vigilantiam esse in republ. defendenda. *Justin.* 8, 4. Foedum miserandumque spectaculum, Graeciam orbis terrarum principem, alienis excubari sedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem. [*Nos: *vor den Thüren liegen und bitten.*] *Plin.* 35, 7, 32. Rerum, non animi pretiis excubatur, *h. e.* vigilatur, et cura habetur circa pretia rerum, divitias, pecuniam, non circa animi et ingenii opera: pluris enim aestimatur pretiosa materia, quam artificium. *Id.* 35, 10, 37. Omnis eorum ars urbibus excubabat: pictorque res communis terrarum erat, *h. e.* operabatur, et intenta erat urbibus exornandis. [*Appul. Met.* 5. p. 166, 16. Nos, quae pervigili cura rebus tuis excubamus, cladibus tuis misere cruciamur: ubi attende ad structuram verbi.] *Id.* 16, 37, 67. Alni contra erumpentium amnium impetum, riparum muro in tutela ruris excubant. *Id.* 15, 30, 39. Laurus domos exornat, et ante limina excubat. *Hor. Od.* 4, 13, 6. Cupido excubat in genis Chiae, *h. e.* veluti excubitor vigilat ad feriendos capiendosque animos spectantium. *Val. Max.* 5, 5. Eosdem appellavi parentes, eadem pro me vota excubuerunt, *h. e.* donaria voti causa appensa stetere in Deorum templis: vel voventes iidem pro me excubuerunt ad aras Deorum. Simili ratione dixit. *Id.* 4, 8. *n.* 2. *extern.* Pro cujus salute vicinae regiones votis excubabant. ℙ Pro incubare. [*Non significat *incubare* sed *cubando excludere.*] *Colum.* 8, 5. Novellae gallinae magis edendis, quam excubandis ovis utiliores sunt. Al. melius leg. *excludendis.* [*Sunt etiam alii loci, in quibus ita positum est, ut *Col.* 8, 14, 7. ut de lectionis veritate non dubitem.] V. EXCLUDO.

EXCŪDO, is, udi, sum, a. 3. *ἐκχαράττω*, cudendo elicio. [*Plin.* h. n. 16, 40. Ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est. V. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 4, 795.] *Virg. A.* 1, 178. Ac primum silicis scintillam excudit Achates. [*Alia vide apud *Heins.* ad *Ov. Am.* 3, 5, 34.] ℙ Accipitur etiam pro cudendo conficere. *Virg. A.* 6, 848. Excudent alii spirantia mollius aera. *Juven.* 15, 168. Excudere gladios. V. CAELAMEN *f.* [*Pall. Jan.* 15, 17. Canalis longus a summo trunco ad imum debet excudi.] ℙ Et universim pro conficere. *Virg. G.* 4, 56. hinc arte recentes Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt. ℙ Translate est, componere, studiose invenire. *Cic. Att.* 15,

27. Excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. [*Ubi excudere est: cum arte componere, metaphora enim ab artis operibus ducta.] ℙ Item vi, vel precibus aliquid extorquere. *Colum.* 11, 1. Excudit mihi, cultus hortorum prosa ut oratione conscriberem. ℙ Item excludere. *Varr. R. R.* 3, 9. De ovis, quemadmodum incubent, et excudant. Et 10. Anseres aliena ova non excudunt. Et *mox*. Cum excudit, quinque diebus patiuntur esse cum matre. *Colum.* 8, 14. *med.* Pullis formandis excudendisque triginta diebus opus est. ℙ [*Confunduntur *Excudere* et *extundere*, *excutere*. *Heins.* ad *Ov. Am.* 3, 5, 34.]

EXCULCĀTOR, oris, m. qui exculcat. In Notitia Imperii Occident. memorantur inter auxilia Palatina *Exculcatores seniores*, *Exculcatores juniores* etc. qui iidem putantur atque excursatores, aut proculcatores, qui hostium itinera explorant. Quare hanc vocem *Turnebus*, *Stewech.* aliique restituunt *Veg. Mil.* 2, 15. Post hos erant ferentarii, et levis armaturae, quos nunc exculcatores, et armaturas dicimus.

EXCULCĀTUS, a, um, part. ab *exculco*, obsoletus, rejectus, explosus, et quasi antiquitate protritus. *Gell.* 11, 7. Verbis obsoletis exculcatisque.

EXCULCO, as, a. 1. calcando exprimo, excutio. *Pl. Capt.* 4, 2, 30. Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures. *Caes. B. G.* 7, 73. Singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur, *h. e.* calcando firmabantur.

EXCULPO. V. EXSCULPO.

EXCULTOR, oris, m. qui excolit. *Tertull. Monog.* 16. Florum excultor.

EXCULTUS, a, um, part. ab *excolo*, probe cultus. *Prop.* 4, 1, 130. Abstulit excultas pertica tristis opes, *h. e.* pinguia culta agrorum et ruris. *Plin.* 14, 4, 5. Excultae vineae. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 4, 8, 1. Vir studiis excultus. *Cic. Or.* 15. Ingenia disciplinis exculta. *Id. Tusc.* 1, 2. Excultus doctrina. *Id. Leg.* 2, 14. Ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus. *Mart.* 12, 95. Fila lyrae movi doctis exculta Camenis. *Quint.* 6, 3. *med.* Exculta elegantia. ℙ Item ornatus, instructus. *Suet. Caes.* 84. Legionarii injecere flammae arma sua, quibus exculti funus celebrabant. *Id. Aug.* 29. Monumentis vel novis, vel refectis, vel excultis urbem adornare. *Id. Claud.* 21. Circus marmoreis carceribus, auratisque metis excultus. *Id. Ner.* 28. Sporus Augustarum ornamentis excultus.

EXCULTUS, us, m. cultus. *Festus* in *Conitum*. Conitum Afranius pro ornatu, et excultu posuit. Al. leg. *cultu*.

EXCŪNĔĀTUS, a, um, part. ab inusit. *excuneo*, cui non est locus sedendi in cuneis theatralibus, velut exclusus extra cuneum. *Appul. Flor. n.* 16. p. 353, 37. Serus adveniens amicis suis annuit, locum sessui impertiunt: extimus quisque excuneati queruntur.

EXCŪRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *excuro*, probe ac diligenter curatus. *Pl. Cas.* 3, 6, 6. Lepide excuratus incessisti. *Id. Ps.* 5, 1, 8. Excurato victu festive accepti.

EXCŪRIO, as, a. 1. extra curiam ejicio. *Varr.* apud *Non.* 1, 164. Apollonium ideo excuriabant, quia nihil habebat. *Id.* ap. *eund.* 6, 100. Nihilo magis propter argenti facti multitudinem miserat furandum: quod propter censoriam severitatem nihil luxuriosum habere licebat. Quidam pro *miserat furandum* recte putant legendum *jusserat excuriandum:* patet enim, hic sermonem haberi de P. Cornelio Rufino, qui, quod decem pondo libras argenti facti haberet, a censore Q. Fabricio Luscino curia motus fuit, ut narrant *Liv.* 14, 33. et *Gell.* 4, 8. Hic *Lambecius* conjecerat legendum, *jus erat excuriandi*, sed prior lectio praestat.

EXCURRO, is, excurri, et excucurri, ursum, n. 3. ἐκτρέχω, extra curro, discurro, incurro. *Cic. Div.* 1, 5. Quorum animi, spretis corporibus, evolant atque excurrunt foras. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Excurrat aliquis, qui hoc tantum mali filio suo nunciet. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* Cum essent duae viae, altera Varronem, altera Leptam tibi obviam misi: mandavi utrique eorum, ut ante ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire possem. *Plaut. Bacch.* 2, 3, 125. Cum se excucurrisse illuc frustra, sciverit. *Id. Most.* 2, 1, 12. Ego dabo ei argentum, primus qui in crucem excucurrerit. *Senec. Ben.* 2, 34. *f.* Sine ratione in pericula excurrens, *h. e.* incurrens. *Curt.* 3, 1. Fons ex summo montis cacumine excurrens, *h. e.* decurrens. [**Pall. Nov.* 15, 1. Arbores quae caedentur aliquamdiu stare patieris, ut humor, si quis in venis continetur, excurrat.] *Cic. Att.* 10, 15. *extr.* Ego, dum panes et cetera in navem parantur, excurro in Pompejanum. [**mache einen Ausflug*, *Abstecher.*] *Caes.* ap. *Prisc.* 10, 901. Excurristi a Neapoli. ℙ In re militari significat excursionem discursionem, irruptionem facere. *Liv.* 1, 15. In agrum R. excucurrerunt, populabundi magis, quam justi more belli. Al. leg. *excurrerunt*. [*de forma perfecti *excucurri* vide *Drak.* ad h. l et ad 2, 17, 2.] *Cic. Agr.* 2, 32. Carthago excurrere ex Africa, imminere fructuosissimis insulis populi R. videbatur. ℙ Item erumpere. *Liv.* 29, 34. Ne sparsi, sine signis omnibus portis excurrerent. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 8. *extr.* Nullum vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoscique possit. *Id. Or.* 51. Quid est, cur insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? *Id. Or.* 3, 49. Ne oratio insistat interius, ne excurrat longius. *Quint.* 10, 5. *med.* Ideo mihi videtur Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit, *h. e.* haec quoque studia attigit. *Plin.* 17, 2, 2. *med.* Cum praecoces excurrere germinationes, evocatae indulgentia coeli, secutis frigoribus exuruntur, *h. e.* cum arbores maturius germinaverunt. ℙ Pro praeterire, omittere. *Senec. Contr.* 5, 34. *med.* Disertus homo et dicax, a quo multa improbe, sed venuste dicta, ne modum excedam, excurro, et ad Parrhasium revertor. ℙ *Excurrere* dicuntur, quae protenduntur. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Pampini, qui a lateribus excurrunt. *Liv.* 26, 42. Ab intimo sinu paeninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est. *Ov. Met.* 13, 724. Sicania tribus excurrit in aequora linguis. *Curt.* 5, 3. Montes, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. *Plin.* 5, 5, 5. Promontorium per Creticum mare excurrit. [**Drak.* ad *Liv.* 32, 23, 10. *Duk.* ad *Liv.* 44, 10, 3.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 53. Animus aurium nuncio mutila sentit quaedam (*in periodo*) et quasi decurtata; productiora alia, et quasi immoderatius excurrentia. ℙ In hac significatione refertur etiam ad tempus, et quantitatem. *Cajus Dig.* 24, 1, 10. Quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo etc. *Paul. ib.* 16, 3, 26. Debetis mihi ex ratione patris vestri decem, et quod excurrit. Vult *Budaeus*, significari decem aureos, et aliquot praeterea denarios, eo modo, quo Itali dicunt *dieci lire*, *e soldi*, [*Nos: *zehn Goldstücke und etwas darüber.*] non exprimentes id quod decem libras excedit, aliquid tamen esse significantes. *Veg. Mil.* 1, 28. Viginti, et quod excurrit, annorum pax Romanos armorum desuetudine enervavit. [*Ceterum noli hac locutione uti, quae proborum certe scriptorum auctoritate non nititur. Dicendum viginti anni et amplius.] ℙ [Part. *Excursurus* ap. *Justin.* 13, 5. Excursurus cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. *F.*]

EXCURSĀTIO, onis, f. idem quod excursio, καταδρομή. *Val. Max.* 2, 3. *n.* 3. Cum crebris excursationibus equites nostri resistere non possent. [*Valde dubitandum, an vox *excursatio* sit latina. Multum enim variant codd. h. l. V. *Drak.* ad *Liv.* 32, 10, 9., quo loco etiam unus cod. praebet *excursatio*. Adde *eund.* ad *Liv.* 37, 18, 4.]

EXCURSĀTOR, oris, m. excursor: videtur idem esse ac exculcator, et praecursator. *Ammian.* 24, 1. Excursatores quingentos et mille sensim praeire disposuit.

[*EXCURSATUS, us, i. q. excursatio. Sic *Cod.* ap. *Val. Max.* 2, 3, 3. V. *Drak.* ad *Liv.* 37, 18, 4.]

EXCURSIO, onis, f. ἐκδρομή, actus excurrendi. *Plin. ep.* 1, 3. An intentione rei familiaris obeundae crebris excursionibus avocaris? *Scaevola Dig.* 33, 1, 13. *extr.* Longinquae, aut breves excursiones. ℙ Saepe est discursio militaris, et irruptio in hostium fines, καταδρομή. *Cic. Dejot.* 8. Copiae, quibus fines suos ab excursionibus hostium, et latrociniis tueretur. *Id. Prov. cons.* 2. Via excursionibus Barbarorum infesta. *Liv.* 37, 14. Oram maris infestam regiae naves excursionibus crebris faciebant. ℙ Item eruptio. *Caes. B. G.* 2, 30. Primo adventu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant. ℙ Item prima incursio militaris, qua proelium committitur. *Liv.* 30, 11. Castris in propinquo positis, primo pauci equites, ex tuto speculantes, ab stationibus progredi: inde jaculis summoti recurrere ad suos: inde excursiones invicem fieri. Et 8. Tumultuosae hinc inde excursiones. Adde 37, 18. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 10. Sed haec fuerit nobis, tanquam levis armaturae, prima orationis excursio: nunc cominus agamus. *Quint.* 1, 11. Gestus plurimum aberit a scenico, nec vultu, nec manu, nec excursionibus nimius.

EXCURSOR, oris, m. qui excurrit, ἔκδρομος. *Excursores* sunt milites infimi ordinis, et virtutis, qui huc illuc extra aciem excurrunt, vel praedandi causa, vel speculandi, vel proelii committendi. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Petit Naevius Turpio quidam, istius excursor et emissarius. Ubi *Ascon.* Sic vocantur conciliatores furtorum, quae a magistratibus committuntur, atque internuncii. Haec *Ascon.* sed appellatio a militia ducta est. (De eodem Naevio sic habet *Cic. Verr.* 2, 5, 41. *extr.* Quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia praecursorem habere solebat, et emissarium.) *Val. Max.* 7, 3. *n.* 7. Lucanum equitem, paratissimum pro nobis excursorem reddidit. *Cic. Phil.* 4, 6. Est igitur populo R. omne certamen cum excursore, cum latrone, cum Spartaco. Al. leg. *percussore*. *Appul. de Mundo* p. 69, 40. Ex eo numero erant excursores, diurni atque nocturni exploratores. *Id. ib.* p. 62, 20. Excursores venti habentur, qui directo spirant. [*Ultima verba corrupta videntur.] ℙ [Est etiam idem ac cursor. *Inscr.* ap. *Don.* 315, 7. Aurelio Euticiano infelicissimo, excursori privato, qui conficit sub die milia XCIV., qui vixit annos XXV., meses duo, dies octo etc. V. CURSOR. *F.*]

EXCURSUS, a, um, part. ab *excurro*. *Ter. Adelph.* 5, 4, 6. Vitam duram, quam vixi usque adhuc, prope jam excurso spatio, mitto. Al. leg. *decurso*.

EXCURSUS, us, m. idem quod excursio. *Virg. G.* 4, 194. de apib. Excursusque breves tentant, et saepe lapillos Tollunt: his sese per inania nubila librant. *Quint. decl.* 18, 9. Haec quoque intra notos decurrunt juventutis excursus. ℙ De excursione militari. *Caes. B. C.* 3, 92. Ut primus excursus, visque militum infringeretur. *Tac. Germ.* 30. Rari excursus et fortuita pugna. *Id. Agr.* 20. Subitis excursibus populari. ℙ Est etiam extensio, processus. *Plin.* 6, 2, 2. Promontorium vasto excursu. *Id.* 4, 17, 31. Ad Pyrenei montis excursum. ℙ Translate digressio in dicendo. *Plin. ep.* 5, 6. *f.* Non enim excursus hic ejus, sed opus ipsum est.

EXCŪSĀBĪLIS, e, adj. συγγνωστὸς, excusatione dignus. *Ov. Pont.* 1, 7, 41. Quod nisi delicti pars excusabilis esset. *Val. Max.* 8, 11. *n.* 4. Quo excusabilior est error equi.

EXCŪSĀBĪLĬTER, adv. excusate. *August. Trin.* 14, 15. *extr.* Excusabilius peccat.

EXCŪSĀBUNDUS, a, um, adj. se excusans. *Appul. Apol.* p. 324, 14. Etsi magnum me dixisset, posset videri excusabunda se, filio vim meam, quam voluntatem suam causari maluisse.

EXCŪSĀMENTUM, i, n. excusatio. *Capell*, 8, 272. Excusamentum admissi.

EXCŪSĀTĒ, adv. cum excusatione, citra culpam. *Quint.* 2, 1. *extr.* Et fieri id videtur excusate. *Justin.* 32, 2. Excusatius sacrilegia commissurum. *Quint. decl.* 6, 10. Excusatius odisset virum, quam filium. *Tac. A.* 3, 68. Quo excusatius sub exemplo acciperentur. *Plin. ep.* 9, 21. Licebit rursus irasci, si meruerit: quod exoratus excusatius facies. [*V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 282. p. 550.]

EXCŪSĀTĬO, onis, f. ἀπολογία, παραίτησις, actus excusandi, purgatio. *Cic. Amic.* 11. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris. *Id. Sull.* 16. Valent apud me excusationes injuriae tuae. *Id. Pis.* 10. An potest ulla esse excusatio male sentienti consuli? ℙ Item ipsa causa, qua quippiam purgatur. *Id. Or.* 2, 68. Cum excusationem oculorum a me non acciperet. *Id. Coel.* 1. *f.* Sed ego Atratino ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel aetatis. Et 18. *extr.* Vitia alicujus adolescentiae excusatione defendere. *Id. Pis.* 6. Uti excusatione valetudinis. *Id. Sull.* 9. Me neque honoris, neque aetatis excusatio vindicat a labore. *Id. Caecin.* 11. Deprecari odium excusatione stultitiae. *Id. Amic.* 12. *f.* Tegere consensionem improborum excusatione amicitiae. *Id. Rabir. perduell.* 3. Quaerere familiaris funeris excusationem ad moram judicii. *Curt.* 6, 4. Satisfacere alicui excusatione, quod etc. [**Modestin.* in *Dig.* 27, 1, 16. Excusatio a cura necessaria est.] ℙ Promiscua. *Cic. Pis.* 15. *f.* Nemini civi ullam, quo minus adesset, satis justam excusationem esse visam. *Id. Fam.* 16, 25. Uti excusatione justa et idonea de intermissione litterarum. *Id. ib.* 4, 4. Uti excusatione, cur etc. *Id. Phil.* 9, 4. Si excusationem Ser. Sulpicii legationis obeundae recordari volueritis, *h. e.* quo minus legationem obiret. *Id. Phil.* 5, 5. *f.* Habent excusationem legitimam, exsilii causa solum vertisse, nec esse postea restitutos. *Id. Verr.* 2, 4, 57. Nam Sappho, quae sublata de Prytaneo est, dat tibi justam excusationem. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. Praeteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram. *Petr. Sat.* 139. *extr.* Excusationem aliquam idoneam praeparare. *Curt.* 5, 2. *extr.* Res digna excusatione. *Gell.* 1, 12. Mereri excusationem. ℙ Excusatio a tutela est immunitas, liberatio. *Ulp. Dig.* 27, 1, 5. Sic excusatio tutelae, *Id. ib.* 18. et 23.

EXCŪSĀTOR, oris, m. qui excusat. *August. C. D.* 3, 20. Defensores et excusatores Deorum. *Id. serm.* 3, 3. de divers. Cum vis esse excusator tuus, triumphat de te accusator tuus.

EXCŪSĀTUS, a, um, part. ab *excuso*, purgatus. *Cic. Verr.* 2, 1, 40. His omnibus me vehementer excusatum volo, non fore etc. *Mart.* 2, 79. Excusatum habeas me, rogo: coeno domi. [**Pall. R. R.* 1, 28, 3. Excusatae matres ab incubatione, de pavonibus.] *Ov. Trist.* 4, 1, 1. Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis, Excusata suo tempore, lector, habe. *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Hoc et ego excusatior, si forte sum lapsus, et tu laude dignior. *Id. ep.* 4, 5. Quo sit excusatius, quod librum ipsum extendimus. *Sen. Ot. Sap.* 29. Excusatissimus essem, etiamsi etc. ℙ Item in excu-

sationem adductus. *Tac. H.* 1, 78. Excusata necessitas praesentium. *Suet. Ner.* 41. Excusatus languor faucium. ℙ [In *Inscr.* ap. *Grut.* 434, 5. legitur *Excausato a Divo Pio.* Sed in ead. a *J. Fenestres Syllog. Inscr. R.* p. 84. allata legitur *Excusato. F.*]

EXCŪSO, as, avi, atum, a. 1. *ἀπολογέομαι*, purgo, culpam removeo, satisfacio. [*Excusare dictum ab *excaussando*, ut scribitur passim in codd. velut in *Dig.* 21, 1, 55. Significat caussam proferre, ob quam quis vel obligatus non sit, vel imputari quid illi non debeat.] *Cic. Att.* 15, 28. Atticae meae velim me ita excuses, ut omnem culpam in te transferas. [**Cic. Verr.* 1, 40. His omnibus me vehementer excusatum volo, ubi observa adv. *vehementer* cum *excusare* junctum.] *Id. Fam.* 11, 15. Collegae mandasti, ut te mihi per litteras excusaret. *Id. Or.* 2, 62. Titium, cum gregales, eum in campum non venisse, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod, eum brachium fregisse diceret. *Id. Att.* 12, 14. Excusare se apud aliquem. Et 13. Cura, ut excuser morbi causa in dies singulos. *Id. Brut.* Cui Laelius se excusans. *Caes. B. G.* 4, 22. Excusare se de re aliqua, quod etc. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Excusare se alicui in re aliqua. [*Excusare se ab aliqua re. *Modestin.* in *Dig.* 27, 1, 16. Licet Nigidio a curatione se excusare.] *Liv.* 31, 11. errorem et adolescentiam. *Stat. Theb.* 6, 44. crimen lacrimis. *Cic. Att.* 15, 26. *extr.* tarditatem litterarum. *Tac. A.* 1, 44. Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem, *h. e.* quod Agrippina non rediret. *Stat. Theb.* 2, 256. Excusare toros, *h. e.* excusare quod nupseris. [*V. *Markl.* ad *Stat. Silv.* 4, 6, 70.] ℙ Item in excusationem affero. *Cic. Phil.* 8, 1. Antequam sententiam diceret, propinquitatem excusavit. [**Id. Dig.* 7. Excusare statuit morbum, *h. e.* morbum pro causa afferre statuit.] *Caes. B. C.* 3, 20. Excusare inopiam et calamitatem suam, aut temporum. *Liv.* 26, 22. et 6, 22. *f.* valetudinem. *Suet. Tib.* 6. imbecillitatem. *Justin.* 18, 7. necessitatem belli. *Tac. A.* 3, 11. Iis diversa excusantibus. *Cic. Phil.* 5, 5. Si citatus judex non responderit, excuseturque, Areopagites esse etc. *Plin.* 37, 13, 76. Decussi fragmenti paulum, quod in lamina ferrea teratur, efficacissimum experimento excusant mangones gemmarum, *h. e.* afferunt tanquam certum experimentum, quod gemma fictitia non sit. [*V. *Vallae Eleg. ling. lat.* 5, 67. *Burm.* ad *Quint. decl.* 5, 25. p. 266.] ℙ Excusare aliquem re quapiam, *Ulp. Dig.* 27, 1, 9. et ab aliqua re, *Paul. ib.* 11. est liberare, absolvere, immunem reddere ab aliqua re praestanda. ℙ *Excusare se*, se defendere, protegere. *Pall.* 12, 7. Nec plantae a se longe statuendae sunt, ut invicem se a calore excusent. [**Pall. Nov.* 7, 14. Excusante laetamine, ne poma caduca nascantur. V. *Gron. Observ.* 1, 2, 13. p. 242.] ℙ *Excusare se alicui rei* pro *ab aliqua re*, scil. ne eam suscipias, excusationem afferre. *Tac. A.* 1, 12. Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. ℙ [Part. *Excusaturus* ap. *Tac. A.* 1, 59. Germanos homines nunquam satis excusaturos, quod etc. *Excusandus* ap. *Cic. Att.* 12, 14. De me excusando apud Appulejum dederam ad te pridie litteras. *F.*]

EXCŪSOR, oris, m. *χαλκευτὴς*, qui vasa ex aere malleo excudit et fabricatur. *Quint.* 2, 21. *n.* 10. Si quaeram, quae sit materia statuarii, dicetur aes: si quaeram, quae sit excusoris, idest ejus fabricae, quam Graeci *χαλκευτικὴν* vocant, similiter, aes esse, respondeant: atqui plurimum a statuis differunt vasa.

EXCUSSĀBILIS, e, adj. qui excuti, atque abjici potest. *Manil.* 2, 584. Ah quanta est scelerum facies per saecula cuncta! Quamque onus invidiae non excussabile terris! Al. rectius leg. *excusabile*, *h. e.* a quo terrae, seu homines se defendere non possint. V. similem locum *Palladii* in EXCUSO. ℙ **Excussabilis.* Monstrum vocis, tanto minus in Lexica recipiendum, quod non ex editione aliqua veteri, sed ex mera *Scaligeri* conjectura obtrusum est *Manil.* 2, 593. ubi *Bentleius* omnium librorum lectionem restituit: Quantum onus invidiae non excusabile terris? Haec *Ruhnkenius. B. A.*

EXCUSSĀTUS, a, um, partic. ab *excusso*, excussus: et translate diligenter inquisitus, examinatus. *Paul. Dig.* 26, 7, 46. §. 6. Non prius ad eos reverti pupillus potest, quam omnes tutores excussati fuerint. Alii tamen rectius leg. *excussi.*

EXCUSSĒ, adv. excutiendo, ejiciendo, emittendo. *Sen. Ben.* 2, 17. Si cum exercitato et docto negotium est, audacius pilam mittemus: si cum tirone et indocto, non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius.

EXCUSSIO, onis, f. actus excutiendi, seu spoliandi aliquem bonis suis. V. EXCUSSUS. *Gloss. Philox.* Excussio, *ἐκτιναγμός. F.*]

EXCUSSO, as, a. 1. frequent. ab *excutio*, repello, removeo, discutio. *Tertull. Virg. veland.* 7. Virginum flos etiam humanam libidinem excussat. Alii leg. *excusat*, quod ipse loci sensus omnino postulat.

EXCUSSORIUS, a, um, adj. ad excutiendum pertinens, ut Excussorium cribrum, quod transmittit excutitque farinam: et videtur fuisse paulo rarius, quam pollinarium. *Plin.* 18, 11, 29. Cribrorum genera Galli ex setis equorum invenere, Hispani e lino excussoria, et pollinaria.

EXCUSSUS, a, um, partic. ab *excutio*, *ἐκσεισθείς*, quatiendo ex aliquo loco ejectus, expulsus, dejectus. *Virg. A.* 10, 590. Excussus curru, moribundus volvitur arvis. Et *ib.* 11, 640. excussus equo. Et *ib.* 10, 777. hasta volans clypeo est excussa, proculque Egregium Antorem figit. Et *ib.* 9, 476. Excussi manibus radii. *Suet. Caes.* 68. *f.* Excussus oculus. *Ov. Met.* 6, 528. Agna ore excussa lupi. *Virg. A.* 5, 679. excussaque pectore Juno, *h. e.* excidit animo et mente. *Plin. ep.* 4, 6. Tusci grandine excussi: quia grando e spicis grana excutit, e ramis poma decutit. *Sil.* 10, 447. His excussa incepta minis. *Cic. Sull.* 17. Noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari, *h. e.* extractos, evulsos, amissos. Sic *Id. Fam.* 9, 10. Tu adeo mihi excussam severitatem veterem putas, ut etc.? *h. e.* abjectam, depositam. *Virg. A.* 7, 299. excussus patria. *Ov. Fast.* 1, 547. somno. *Virg. A.* 3, 267. excussos laxare rudentes. ℙ Cum accus. more Graecorum. *Sil.* 5, 54. et 9, 644. Excussus consul fatorum turbine mentem, *h. e.* extra se veluti positus, turbatus, amens. Sic *excussa mens* est de statu dejecta, perturbata ap. *eund.* 2, 590. et *Stat. Th.* 3, 93. ℙ Est item agitatus, jactatus, vibratus, *Ov. Her.* 19, 189. et *Met.* 5, 596. excussa brachia jactare per undas. *Id. Her.* 4, 43. excusso jaculum vibrare lacerto. *Sen. Ben.* 2, 6. Interest, utrum tela excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant. [*ubi attende ad ea quae opponuntur: excussus lacertus, et remissa manus.] *Petr. Sat.* 95. Os hominis palma excussissima pulsat. Et 22. Ex cussum forte altius poculum ancillae caput fregit. *Curt.* 5, 3. *med.* Fundis excussi lapides et sagittae ingerebantur. ℙ Item spoliatus, privatus, vacuus. *Hor. Sat.* 2, 3, 19. aliena negotia curo Excussus propriis. *Cic. Har. resp.* 18. Quod te judices emiserunt excussum et exhaustum. *Virg. A.* 6, 353. navis excussa magistro. ℙ Item inquisitus, examinatus, agitatus. *Cic. Mur.* 13. Postea vero pervulgata, atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiae reperta sunt. *Quint.* 8, 5. *med.* Plerique minimis inventiunculis gaudent, quae excussae risum habent, inventae facie ingenii blandiuntur.

EXCUSSUS, us, m. *Prudent. περὶ στεφ.* 5, 226. Scintillat excussus salis, *h. e.* salis minutiae igne excitae crepitant. [**Nonio* restituit hanc vocem *Gron.* in *Observv.* 4, 26. p. 835.]

EXCŪSUS, a, um, partic. ab *excudo*, exclusus. *Varr. R. R.* 3, 6. et 9. Excusi pulli. *Colum.* 8, 14. *med.* Ne noceri possit excusis anserculis. V. EXCUDO.

EXCŪTIA. V. AXICIA.

EXCŪTIO, is, ussi, ussum, a. 3. *ἐκσείω*, *ἐκτινάσσω*, quatiendo ejicio, dejicio: ab *ex* et *quatio. Sen. ep.* 9. Si quis oculum casus excusserit. [*V. *Interpp.* ad *Vell. Pat.* 2, 52.] *Liv.* 8, 7. Cum equus, prioribus pedibus erectis, magna vi caput quateret, excussit equitem. [*V. *Drak.* ad h. l.] *Curt.* 3, 11. Excutere aliquem curru. *Pl. Men.* 1, 1, 10. lapide clavum. *Id. Capt.* 3, 4, 7. lapide alicui cerebrum. *Ov. A. A.* 1, 149. pulvis digitis excutiendus erat. *Petr. Sat.* 129. Excutere vestem. *Ov. Amor.* 6, 24, 32, 40. etc. Excute poste seram. *Ulp. Dig.* 47, 2, 53. *med.* Nummos aureos vel argenteos de manu alicujus excutere. *Plin. Pan.* 81. Lustrare saltus, excutere cubilibus feras. Et 11. Excutere jugum: metaphorice, detrectare imperium. *Ov. Fast.* 1, 624. Visceribus crescens excutiebat onus, *h. e.* abortum faciebat. *Pers.* 3, 101. Tremor excutit poculum e manibus. *Curt.* 4, 4. Ut gubernator in mare excuteretur e puppi. *Ov. Met.* 12, 280. Excutere ignem de crinibus. *Virg. A.* 3, 200. Excutimur cursu, *h. e.* a recto propositoque itinere repellimur. ℙ Ponitur et pro concutere, jactare: *Ov. Met.* 4, 491. Excutere caesariem. [**Quint. Inst.* 11, 3. Excutere comas. i. e. ligatas solvere et ventis jactandas dare. V. *Burm.* ad h. l. p. 1014.] *Virg. A.* 12, 7. de leone: gaudetque comantes Excutiens cervice toros. *Plin.* 10, 41, 57. Gallinae inhorrescunt, edito ovo, excutiuntque sese. [*V. *Interpp.* ad *Petron.* 95.] ℙ Item pro vi elicere. *Nep. Eum.* 5. Excutere sudorem. *Plin.* 16, 40, 77. ignem. Al. leg. *excudere.* [*Et hoc quidem rectius. V. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 4, 795.] *Pl. Merc.* 3, 3, 15. alicui vomitum. *Ter. Heaut.* 1, 1, 15. et *Pl. Capt.* 2, 3, 59. Lacrimas excussit mihi. *Hor. Sat.* 1, 4, 34. Excutere risum. [*De sensu vid. *Heind.* ad h. l. *Ov. A. A.* 2, 241. Deus excutit artes. V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 7, 7. p. 158.] ℙ Item pro jaculari, emittere, *Tac. A.* 2, 20. Excutere tela. *Curt.* 8, 13. In queis erant sagittarii gravioribus telis, quam ut apte excuti possent. *Sen. Agam.* 536. Fulmen reducta Pallas excussit manu. *Stat. Th.* 10, 69. Excutere fulmen in Thebas. ℙ Et pro diruere, evertere, *Id. ib.* 3, 248. Ipse manu Thebas, correptaque moenia fundo Excutiam. ℙ Et pro emittere, effundere. *Curt.* 4, 7. Largum imbrem excusserunt procellae. *Quint.* 11, 3. *med.* Labiorum impulsu subito spiritum excutere. *Petr. Sat.* 115. Spiritum excussit, *h. e.* animam efflavit. ℙ Et pro turbare, instabilem reddere. *Pallad.* 1, 9. Ne gradus ambulantium tremor fabricae titubantis excutiat. [*Sed recte *Schneid.* cum Gesnero scriptit: *tremorem.* Altera lectio nimis hyperbolicam daret sententiam.] ℙ Et translate. *Virg. A.* 12, 158. Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus, *h. e.* turba, rumpe, discute. ℙ Sumitur item pro excitare. *Id. A.* 2, 302. et *Ov. Her.* 13, 111. Excutior somno, [*V. *Heins.* ad h. l. et *Cerd.* ad *Virg.* l. c.] ℙ Et translate. *Cic. Off.* 3, 20. Explica et excute intelligentiam tuam. [*ubi notes explicare et excutere juncta esse. Unde fortasse defendas *Ov. Am.* 1, 8, 45. Excutere rugas frontis: quamquam *Burm.* dubitat, an ita latine dicatur.] ℙ Item pro discutere, expellere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 171. Ipso cum domino calce omnes excutiamus. *Hor. Sat.* 2, 6, 112. Valvarum strepitus lectis excussit utrumque. *Virg. A.* 9, 68. Excutere Teucros vallo. *Flor.* 2, 6. *med.* hostem oppidis et regionibus. [**Cic. Phil.* 2, 22. Consules ex Italia excussos. *Ter. Phorm.* 4, 1, 20. Ut me excutiam. h. e. ut me ejiciam domo, ut hinc fugiam. V. *Ruhnk.* ad h. l., *Broukh.* ad *Tib.* 2, 6, 12.] *Lucan.* 1, 69. orbi pacem. Et *Plin.* 20, 6, 23. Allium potum quartanas excutit. *Sen. Herc. Oet.* 1076. Undis sitim excutere. [**Quint. decl.* 261. Excuti patrimonio. *Hor. Sat.* 2, 3, 19. Aliena negotia curo, excussus propriis. V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 260. p. 486.] ℙ Item pro abjicere, repellere, *Val. Fl.* 2, 185. praecipites excussit ab ubere natos. *Cic. N. D.* 2, 37. Excutere aliquid in terram. ℙ Et translate. *Hor. Od.* 3, 9, 19. Si flava excutitur Chloe, Rejectaeque patet janua Lydiae? *h. e.* si deponitur amor Chloes. ℙ Est etiam concutere scrutandi et explorandi causa. *Phaedr.* 5, 5. Sic porcelli vocem est imitatus sua, Verum ut subesse pallio contenderent, Et excuti juberent. *Pl. Aul.* 4, 4, 18. Dii me perdant, si ego tui quicquam abstuli: agedum, excutedum pallium. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Sexcentis locis excutiuntur, deinde etiam retinentur tabellarii. *Suet. Claud.* 35. Culcitas et stragula praetentare et excutere. [*V. *Burm.* ad *Petr. Sat.* 128. ad *Quint. Inst.* 7, 1. p. 587.] ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 34. Nihil est, Glaucia, quod metuas: non excutio te, si quid forte ferri habuisti: non scrutor. *Id. Agr.* 2, 23. Si iniquum est, hos decemviros portitores omnibus omnium pecuniis constituti, qui etiam imperatores nostros excutiant. *Id. Coel.* 28. Excutiemus omnes istorum delicias, omnes ineptias, si prodierint. *Id. Part.* 36. Explicare et excutere aliquod verbum. *Quint.* 1, 4. Nec poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus. *Plin. ep.* 6, 31. Excutere probationes. Et *ep.* 10, 48. rationem. [*V. *Burm.* ad *Petron.* 88. ad *Quint. decl.* 2, 9. p. 47.] *Ov. Pont.* 4, 8, 17. genus alicujus. *Ulp. Dig.* 17, 1, 42. vires hereditatis. Et *mox.* vires ejus cui eram crediturus, *h. e.* inspicere, num habeat, unde sit solvendo. ℙ Illa quoque, alio sensu, translate eleganter sunt. *Plin. ep.* 1, 18. et *Lucan.* 4, 536. Excutere alicui mentem, *h. e.* valde terrere, turbare. [*Graece *ἐκπλῆττειν φρένας; ausser Fassung bringen.*] *Sen. ep.* 7. Socrati, et Catoni, et Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset, [**Gron.* ad *Sen. de Ir.* 1, 7.] *Pl. Aul.* 2, 1, 29. Mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta, soror: lapides loqueris. *Prop.* 2, 6, 52. Excutit arma pudor. [**Broukh.* ad *Tibull.* 4, 6, 12.] *Petr. Sat.* 98. Excutere alicui indicium, *h. e.* vi extorquere. *Cic. Tusc.* 4, 8. *extr.* Conturbatio est metus excutiens cogitata. *Curt.* 7, 9. Periculi cogitationem praesentia ejus excussit. *Cic. Dom.* 28. Illa calamitas excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat reprehendere consulatum meum: ductum opinor a grandine, quae spicas excutit. Sic *Id. Sull.* 8. Qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutiant tibi istam verborum jactationem. *Id. Phil.* 2, 29. Plus ille poterat: itaque excussis tuis vocibus et ad te, et ad praedes tuos milites misit. *Tibull.* 2, 6, 11. Magna loquor; sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausae fortia verba fores. *Sen. Tro.* 575. Magnifica verba mors prope admota excutit. (*Ov. Am.* 2, 1, 15. similem aliis verbis habet sententiam, qua haec *Tibulli*, et *Senecae* illustratur) *Ov. Met.* 10, 426. Excutere amores. *Id. Fast.* 1, 16. metum de corde. *Id. Met.* 3, 689. corde metum. *Cic. Tusc.* 1, 46. *extr.* sibi radicitus opinionem aliquam. ℙ *Excussit* pro *excusserit* est *Plauti Bacch.* 4, 2, 16. ℙ [*Confunduntur *Excutere* et *excudere. Interpp.* ad *Ov. Am.* 3, 5, 35. ad *Met.* 7, 17. — et *excitare. Heins.* ad *Ov. Her.* 13, 111. — et *exigere. Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 498. — et *exuere. Id.* ad *Met.* 7, 773.]

EXDĒMETRĪCUS, titulus fuit unius ex Satyris Varronianis, teste *Gell.* 19, 8. *extr.*

[EXDĪCO, is, ixi, a. 3, ita scriptum antiquitus pro *edico*. *S. C. de Bacchanal.* ap. *Fabr.* p. 427. Ita exdicendum censuere. *F.*]

*EXDIGNUS, a, um, adj. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 42. Patefecit exdignum se suo nomine existimasse: nisi cum *Maio* mavis *haud indignum* vel *ex dignitate se sui nominis*. *B. A.*

[EXDISPENSĀTOR, oris, m. qui fuit dispensator, ut *exconsul*, qui fuit consul. *Inscr.* ap. *Lup. Epit. S. Sever.* p. 144. Diogeni Augusti servo exdispensatori Aelia Dione conjugi bene merenti. *F.*]

EXDORSŪO, as, a. 1. *Pl. Aul.* 2, 9, 2. Congrum, muraenam exdorsua, quantum potes. *Appul. Apol.* p. 301, 3. Desquamari et exdorsuari pisces. *Non.* 1, 61. exponit, dorso nudare: *Festus* dorsum confringere: alii apud ipsum, eximere.

EX DŪCĒ, qui dux fuit, ut *ex consule*, qui fuit consul. *Capitol. Gord.* 22. Duo ante ipsam aram a Gallicano ex consulibus, et Maecenate ex ducibus interempti sunt. *Salm.* [*Sed dubitatur an casus rectus *Exdux* unquam fuerit in usu. Cf. *Schneider. Elementarl.* Tom. II. p. 562.]

EXDŪTAE, exuviae. *Fest.* Videtur esse a Graeco ἐκδύω, unde fit *exsuo*.

EXĒBĒNUS. V. EXHEBENUS.

EXĒCO. V. EXSECO.

EXECROR, etc. V. EXSECROR.

EXĒCŪTĬO, etc. V. EXSECUTIO.

EXĒDENTŪLUS, a, um, adj. ἀνόδους, edentulus. *Tert. Pall.* 5. *med.* Muraena bestia exedentula, et exunguis, et excornis. Alii melius leg. *et edentula.*

EXĒDO, is, *et* exes, it, *et* exest, ēdi, ēsum, a. 3. κατέδω, edo, rodo, corrodo, consumo. *Ter. Phorm.* 2, 2, 4. Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum. *Varr. R. R.* 1, 63. Frumentum, quod curculiones exesse incipiunt. *Hyg. fab.* 55. Serpens, qui jecur ejus exesset. *Plin.* 33, 6, 32. Argentum vivum exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. *Lucr.* 5, 1251. flammeus ardor Silvas exederat. *Sen. Herc. Oet.* 914. Virus exedit artus. *praeterit. Curt.* 4, 2. Nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae per nexus operum manantes. *Id.* 3, 4. Multa monumenta vetustas exederat. ℙ Urbane *Ter. Heaut.* 3, 1, 53. Atque haec una nox: quid te futurum censes, quem assidue exedent? ℙ Translate est conficere, consumere. *Cic. Tusc.* 3, 13. Aegritudo lacerat, exest animum, planeque conficit. *Val. Fl.* 4, 470. quam te Exedit labor, et miseris festina senectus! *Catull.* 66, 23. Cum penitus moestas exedit cura medullas. *Stat. Th.* 2, 319. exedere animum dolor iraque demens. *Id. Silv.* 2, 1, 154. mors lenta jacentis Exedit pueri decus. *Virg. A.* 5, 785. Exedisse urbem odiis. [*Tac. A. 2, 27. Quae per tot annos rempublicam exedere.] ℙ Absolute. *Pl. Epid.* 3, 1, 1. Exspectando exedor miser, atque exenteror. ℙ Translate et obsceno sensu loquitur cinaedus cum domino suo de asino, quem pullulum, *h. e.* delicium suum, vocat ob penis magnitudinem, ap. *Appul. Met.* 8. p. 213, 33. Cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum, sed nobis quoque, tuis palumbulis, nonnunquam impertias. ℙ *Exedim, is, it*, pro *exedam*, antiquum est, et comicum. *Pl. Pseud.* 3, 2, 30. Non condimentis condiunt, sed strigibus, Vivis convivis intestina quae exedint. ℙ *Exedis, it* pro *exes, exest* rarum est; quod et in EDO is, *et* es supra adnotavimus. *Seren. Sammon.* 7. de phrenes. Sive calens febris jactatos exedit artus. ℙ *Part. *exesurus, a, um. Plin.* 26, 13. *extr.* Nascuntur in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus. De phthiriasi loquitur. *B. A.*

EXEDRA, ae, f. ἐξέδρα, locus apertus in porticu, vel etiam sub dio, solibus atque aeri pervius, in quo multae circum positae sellae colloquendi causa: ab ἕδρα, sella, sedes, ab ἧζομαι, sedeo. Ejus usus ex his locis apparet, quae subjicimus. *Vitr.* 5, 11. Constituuntur in tribus porticibus exedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. *Id.* 7, 9. Apertis locis, idest peristyliis, aut exedris, quo sol et luna possit splendores et radios immittere etc. *Cic. Or.* 3, 5. Cum in eam exedram venisset, in qua Crassus, lectulo posito, recubuisset. *Id. N. D.* 1, 6. Cum ad eum venissem, offendi eum sedentem in exedra, et cum Vellejo disputantem. [*V. disputantem de exedra *Schneid.* ad *Vitr.* 5, 11. et 6, 3, 8.] *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. Oportebit, praetorem aequitate motum dare actionem in eum, ex cujus cubiculo vel exedra dejectum est. *Exedra* hoc loco videtur esse cubiculum in ipsis aedibus, sessioni, et confabulationibus destinatum. ℙ Apud nos quoque *exedrae* dici possunt sedilia lignea, aut lapidea, quae poni solent ante fores aedium, item cubicula ampliora in aedibus religiosorum hominum, quae ipsi *Capitula* vocant. ℙ Translate est quodvis conclave. *Varr. R. R.* 3, 5. Primus in peristylo habuit exedra conclusas aves, quas pasceret objecto rete. ℙ Scribitur et *exhedra:* tametsi aspirationem frequentior Latinus extrivit usus.

EXEDRĬUM, i, m. dimin. ἐξέδριον, parva exedra, *Cic. Fam.* 7, 23. *circa med.* Exedria quaedam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare.

EXĒDUM, i, n. herba, quae et nodia, et mularis, coriariorum officinis nota: vim habens contra veternum, nomas, et scorpiones. *Plin.* 24, 19, 115. Ea nempe ita vocata videtur ab exedendo, quia causticae naturae sit.

[EXĒDURĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *exeduro*, duritie privatus. *Tert. Pall.* 4. de Omphale pellem leoninam Herculis induente. Ne sobriae mulieris quidem, aut viraginis alicujus scapulae sub exuvias bestiae tantae introire potuissent, nisi diu mollitas, et evigoratas, et exeduratas, quod apud Omphalen balsamo, aut telino spero factum. *F.*]

EXEFFĬCĬO, is, a. 3. plane efficio, conficio, perficio. Legitur a nonnullis ap. *Pl. Curc.* 2, 3, 85. et *Truc. a.* 5. *v.* 17. ubi plerique alii melius *efficio.*

EXĒGĒTĬCĒ, es, f. ἐξηγητική, pars est grammaticae narrativa, quae pertinet ad officia lectionis. *Diom.* 2. p. 421.

EXEMPLAR, aris, n. ἀπόγραφον, id, quod ex autographo descriptum est. *Cic. Att*, 4, 5. Cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. *Plin. ep.* 4, 7. Librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam dimisit. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *extr.* Ex litteris, quas Pansae misi, cognosces omnia: nam tibi earum exemplar misi. *Gell.* 7, 20. *extr.* In libros de corruptis exemplaribus factos inciderunt. *Hor. A. P.* 268. vos exemplaria Graeca Nocturna versate manu, versate diurna. *Plin. ep.* 10, 75. Exemplar testamenti. *Plin. alter* 35, 11, 40. Exemplar tabulae, quod apographon vocant. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 7. Verum amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. [*wie sein Ebenbild.] *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. de Timanthe pictore. Sunt et alia ingenii ejus exemplaria, veluti Cyclops dormiens etc. ℙ Item id, quod ad imitandum nobis proponimus. Inter hoc, et *exemplum* statuitur a *Festo* discrimen, ut *exemplar* sit, ex quo simile faciamus, et pertineat ad oculos: *exemplum*, quod imitando sequamur, aut vitemus, et pertineat ad animum. *Cic. Univ.* 2. Si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper est eadem, intuebitur, atque eam sibi proponet exemplar. *Sen. ep.* 33. *med.* Meminisse est rem commissam memoriae custodire: at contra scire est et sua facere, nec ab exemplari pendere. *Id. ep.* 65. In statua id ex quo, aes est, id a quo, artifex est: id ad quod, exemplar est, quod imitatus is, qui facit. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Hinc sumpsit Daedalus exemplar labyrinthi. *Id.* 35, 12, 45. Octavio equiti R. cratera facere volenti, exemplar e gypso factum talento. ℙ Saepe tamen promiscue usurpantur. *Cic. Mur.* 32. *s. f.* Ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. *Id. Caecin.* 10. Falcula exemplar antiquae religionis. [*ubi Falcula ironice sic dicitur.] *Plin. ep.* 2, 1. Exemplar vitae prioris. Et *ep.* 5, 15. Cornuto quid melius, quid sanctius, quid in omni genere ad exemplar antiquitatis expressius? *Tac. A.* 6, 32. Exemplar adulatorii dedecoris apud posteros. *Id. ib.* 15, 23. Certamen ad exemplar Atticae religionis decretum. *Hor. Ep.* 1, 2, 18. quid virtus, et quid sapientia possit, Utile proposuit nobis exemplar, Ulyxem. *Tac. A.* 15, 37. Celeberrimae luxu famaque epulae fuere, quas a Tigellino paratas, ut exemplar referam, ne saepius eadem prodigentia narranda sit. ℙ [*Exemplar, aris*, gen. m. est ap. *Front. ad Antonin. Imp.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Exemplares eorum excerptorum nullos feci. Subintellige *libros*. *F.*]

EXEMPLĀRE, is, n. exemplar, apud veteres. *Lucr.* 2, 122. Dumtaxat rerum magnarum parva potest res Exemplare dare, et vestigia notitiai. V. *Plinii* locum in voce praeced.

EXEMPLĀRIS, e, adj. qui est secundum exemplar. *Macr. Somn. Scip.* 1, 8. Virtutes exemplares sunt, quae in ipsa divina mente consistunt, a quarum exemplo reliquae omnes defluunt.

EXEMPLĀRĬUM, ii, n. exemplar, seu exemplum. *Arnob.* 6, 198. Phryne illa Thespiaca, cum in acumine ipso esset pulcritudinis, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum quae in opinione sunt, Venerum. *Scaevola Dig.* 32, 48. Binae tabulae testamenti eodem tempore exemplarii causa scriptae. *Hieron. adv. Helv.* 8. Nec necesse est nunc de exemplariorum varietate tractare.

EXEMPLĀTUS, a, um, adj. ad exemplum factus, ut Exemplatus libellus, apud *Sid. ep.* 4, 16.

EXEMPLUM, i, n. ἀπόγραφον, id, quod ex alio descriptum est. Est ab ἔξομπλον, aequale, quod *Hesych.* interpretatur ἴσον: ἔξομπλον vero est compositum ab ἐξ, ex, et ὅμπλον pro ὁμλὸν syncop. ab ὁμαλὸν, simile: exemplum itaque est, quod *ex simili* ducitur. [*Ex meo sensu non bene disposuit *Forc.* significationes hujus vocis: cujus rei causa in eo quaerenda videtur quod falso etymo ductus eam significationem primam posuit, quae in medio erat collocanda. Tum §. 5. multa miscuit, quae sejungenda videntur.] *Ov. Trist.* 1, 7, 23. Quae quoniam non sunt penitus sublata, sed exstant, Pluribus exemplis scripta fuisse reor. *Cic Att.* 7, 23. *extr.* Et *ib.* 8, 6. et 11. etc. Caesaris epistolarum exemplum tibi misi. [*quod Graece dicas ἀντίγραφον. Sed alibi significat scriptum aliquod, unde deinde ἀντίγραφα sumuntur. Sic legitur *Cic. Fam.* 9, 26. 7, 28.] *Paul. Dig.* 49, 14, 45. Actorum exemplum edere. ℙ Item saepius illud ipsum, quod aliqua scriptione continetur. [*s. potius formula litterarum in eundem sensum conscripta, vel etiam iisdem verbis concepta.] *Cic. Fam.* 4, 4. Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur saepius ad me litteras uno exemplo dedisses. Et *ib.* 9, 16. Eo quo et tu mihi antea scripseras, bis eodem exemplo. *Id. Att.* 9, 6. Capua litterae sunt allatae hoc exemplo: Pompejus mare transiit etc. *Id. Agr.* 2, 20. Componere exemplum epistolarum. ℙ Refertur et ad res alias. *Pl. Most.* 1, 2, 20. Aedes probant: sibi quisque inde exemplum expetunt. [*ein Modell.] *Suet. Claud.* 20. *extr.* Superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari. *Pl. Ps.* 2, 2, 56. Hic quoque exemplum reliquit mulieris. *Id. Trin.* 4, 2, 76. *Ch.* Nomen patris quod ad exemplum est? *Sy.* ad hoc exemplum est, Char. *Ch.* an Chares? an Charmides? [*mit welchem andern Namen hat er denn Aehnlichkeit? auf welche Art lautet er denn?] *Auct. ad Her.* 4, 6. Si quis purpuram vendens dicat, sume a me, sed hujus exemplum aliunde rogabo. Et *mox.* Si acervos se dicant tritici habere, et eorum exemplum pugno non habeant, quod ostendant. [*das Muster, die Probe.] *Ov. Met.* 4, 621. Nunc huc, nunc illuc exemplo nubis aquosae, Fertur. *Pl. Mil.* 2, 4, 6. Credo, istoc exemplo tibi esse eundem extra portam. Et *Pers.* 3, 1, 7. Ad hoc exemplum te exornavi. *Liv.* 31, 12. Quaestionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius praetor ante habuisset. ℙ Saepe est propositio, seu narratio rei peculiaris, quae ad faciendam fidem, aut ad explicandum quippiam affertur, παράδειγμα. *Auct. ad Her.* 4, 49. Exemplum est alicujus facti aut dicti praeteriti, cum certi auctoris nomine, propositio. *Id. ib.* 3. Hoc interest inter exemplum et testimonium: exemplo demonstratur, id, quod dicimus, cujusmodi sit: testimonio esse illud ita, ut dicimus, confirmatur. *Cic. Inv.* 1, 30. Exemplum est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis aut negotii confirmat, aut infirmat. *Suet. Tib.* 21. Ex quibus in exemplum pauca subjeci. *Cic. Phil.* 13, 2. Exempli causa paucos nominavi. Et *Mur.* 12. Quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt etc. *Plin.* 2, 17, 15. Exempli gratia, in Martis sidere etc. *Nep. Lysandr.* 2. Cujus de perfidia satis est, unam rem, exempli gratia, proferre. [*Observandum, veteres nusquam ita *exempli causa* dicere, quod hodie saepissime ponitur, pro *velut;* sed tum demum ubi expositionis ergo accuratior rei enarratio vel denominatio sequitur.] *Quint.* 10, 2. Assumere aliquid in exemplum. *Id. Div.* 20. Et *ib.* 2, 3. Exemplis grandioribus uti et claris, et illustribus. *Id. Inv.* 2, 51. *extr.* Uniuscujusque constitutionis exemplum supponere non gravamur. *Id. Div.* 1, 30. Divinare morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quendam sex nominasse etc. *Pl. Ep.* 1, 1, 7. Quid tu? agis ut velis? *Th.* exemplum adest, *h. e.* ecce exemplum, ac testimonium ejus rei, quam quaeris. Al. leg. *exemplum habes:* quod eodem recidit. ℙ Item illud ipsum, quod in exemplum affertur, nempe res aliqua insignis, ad cujus similitudinem aliquid fieri potest, et quae imitanda proponitur, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Phil.* 10, 2. Proponere alicui exempla ad imitandum. [*Hinc exemplum est id, unde imago exprimitur, exemplar, archetypum. *Cic. Inv.* 2, 2. In mutum simulacrum veritas ab animali exemplo (*von einem lebendigen Original*) transfertur. *Off.* 3, 17. Feruntur ex optimis naturae et veritatis exemplis. Rarior haec signficatio est. V. *Ruhnk. ad Rut. Lup.* p. 109. Hinc exemplum de scripto unde ἀντίγραφα sumuntur. Cf. §. 1.] *Id. Dejot.* 10. Eum virum, unde pudoris pudicitiaeque exempla peterentur. *Id. Leg.* 3, 14. Vitiosi principes plus exemplo, quam peccato nocent. *Id. Or.* 1, 53. Cum esset ille vir exemplum innocentiae. *Ter. Ad.* 5, 1, 5. disciplinae. Et *Andr.* 1, 1, 65. continentiae. [*Tac. *A.* 16, 35. Tempora quibus firmare animum expediat constantibus exemplis, i. e. exemplis constantiae. Cf. *Hist.* 2, 64. Modestum exemplum. i. e. exemplum modestiae.] *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Cupiisse te, quoniam Smyrnae duos insuisses in culleum, simile in superiori parte provinciae edere exemplum severitatis tuae. *Ov. Art. Am.* 3, 87. Ite per exemplum, genus o mortale, Dearum. *Ter. Eun.* 5, 5, 4. Quae futura exempla dicunt in eum indigna! Et 6. Quid ais? in quem exempla fient? *h. e.* tam graves animadversiones et supplicia, ut exemplo futura sint, vel quae narranda sint tanquam exemplum

saevitiae. [*Tac. A. 14, 44. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, i. e. supplicium. Ann. 12, 20. Meritum quidem novissima exempla Mithridatem, i. e. ultimum s. extremum supplicium.] Caes. B. G. 1, 31. Omnia exempla cruciatus edere in aliquem. [*Etiam exemplum in aliquem facere. Ruhnk. ad Ter. Eun. 5, 4, 24. et quem affert, Drak. ad Liv. 29, 27.] Ter. Heaut. prol. extr. Exemplum statuite in me, ut adolescentuli vobis placere studeant potius, quam sibi. Id. Andr. 4, 1, 27. Capere exemplum de aliquo, h. e. ab aliquo eum imitando. Id. Adelph. 3, 3, 52. Ex aliis sumere exemplum sibi. Id. Heaut. 5, 1, 47. Non tibi ego exempli satis sum? [*Vell. Pat. 1, 5. Homeri ingenium, sine exemplo maximum, i. e. omnium comparationem vincens. V. Ruhnk. ad h. l.] Id. ib. prol. 20. Habet exemplum honorum: quo exemplo sibi licere id facere, quod illi fecerunt, putat. Quint. 10, 2. Intueri aliquid in exemplum, h. e. imitandi causa. [*Hinc exemplum de eo, quod imitatione dignum est. Cic. Rosc. Am. 10. In qua muliere etiam nunc, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. Cf. alios locos infra positos.] Cic. Fam. 4, 3. Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant. [*ubi exemplum est omnino quodvis factum quod alii imitantur. Cic. Verr. 1, 42. Quod fecit, aliorum exemplo institutoque fecit (nach Andrer Beispiel und Vorgang).] Nep. Agesil. 4. Exemplum alicujus sequi. Vell. 2, 116. Adolescens in omnium virtutum exempla genitus. Inscr. ap. Grut. 394, 8. Exemplum periit, castae lugete puellae: Oppia jam non est, erepta est Oppia Firmo. [*Inscr. ap. Don. Class. X. p. 359. Dulcissima, castissima, supra omnia exempla sanctissima. V. Ruhnk. ad Vell. Pat. 1, 5. Et plurali numero. Tac. A. 11, 24. Inveterant hoc quoque, et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit: ubi attende ad duplicem vocis significationem.] Plin. ep. 3, 1. Uxor singularis exempli. Id. ep. 9, 13. extr. Verane haec, affirmare non ausim, interest tamen exempli, ut vera videantur. Et ep. 8, 22. extr. Quem insignire, exempli non nihil: non insignire, humanitatis plurimum refert. Id. ep. 6, 29. Suscipiendas esse causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. [*Tac. A. 1, 38. Bono magis exemplo quam concesso jure.] Id. Pan. 6. Inducere pessimum exemplum. Trajan. ad eund. ep. 10, 98. Res pessimi exempli est. [*Ruhnk. ad Vell. 1, 5. 2, 25. Spald. ad Quint. 4, 1, 7.] Plin. alter. 7, 16, 15. Cum dentibus nasci, in feminis inauspicati fuit exempli. [*Bentl. ad Hor. Od. 3, 5, 16.] ℙ Cum infinito. Sil. 17, 141. tum vincla viro.... Addita, et, exemplum non unquam fidere laetis, Sceptiferas arcta palmas vinxere catena. ℙ In Gloss. Phil. est harpago, fuscina, instrumentum scilicet ad eximendas ex aheno carnes coctas, χρεάγρα. Latine scribens ne usurpaveris. ℙ [*Confunduntur a librariis Exemplum et experimentum. V. Interpp. ad Tac. A. 19. Exemplo et ex templo. Drak. ad Liv. 34, 33, 8.]

EXEMPTĪLIS, e, adj., qui eximi potest, ἐξαιρέσιμος. Colum. 8, 11. Hae perticae idcirco sunt exemptiles, ut cum res exigit, a paxillis deductae liberum aditum converrentibus stabulum praebeant. [*ubi duo codd. habent exemptibiles.] Ulp. Dig. 34, 2, 25. §. 11. Margarita, vel alii lapides exemptiles.

EXEMPTĬO, onis, f. ἐξαίρεσις, actus eximendi. Varr. R. R. 3, 16. f. Exemptionem alvi apiarii facere, h. e. mel eximere, quod castrare alvos apum dixit Colum. 9, 15. Idem Colum. 3, 18. f. Cum per exemptionem imae partes seminum, seu (malleolorum) perfractae sunt, h. e. extractionem. Adde 19. Pomp. Dig. 19, 5, 16. Si post exemptionem cretae fossam replevero. Paul. ib. 2, 7, 4. et Ulp. ib. 5. Exemptio ejus, qui in jus vocatus est, h. e. cum quis vi, aut dolo detinetur, quominus in jus vocatus eat, qua de re toto eo titulo agitur.

EXEMPTOR, oris, m. qui aliquid eximit. Plin. 36, 15, 24. n. 12. Exemptores quoque affirmant, comperi sponte illa montium ulcera. De lapidum fodinis loquitur, et exemptores vocat eos, qui lapides seu marmora eruunt.

EXEMPTUS et Exemtus, a, um, part. ab eximo, ἐξηρημένος, extractus, sublatus, ablatus, detractus. Hor. Ep. 2, 2, 212. Quid te exempta levat spinis de pluribus una? Marc. Dig. 41, 1, 8. Lapis terra exemptus. Plin. 28, 8, 28. Lapillos ventre crocodili exemptos. Et ib. 11, 49. Exemptus dens. Id. 13, 4, 9. Exempta medulla vivunt palmae. Apic. 8, 7. ad f. Exemptae cochleae. Suet. Tib. 73. Exemptum annulum alicui tradere: dein rursus aptare digito. Virg. A. 1, 220. Exempta fames epulis. Just. 11, 11. Illi aucta insolentia, exempta comitas. Curt. 7, 1. Exemptus supplicio. Plin. ep. 2, 12. Exemptus honoribus, h. e. cui ad honores interclusus est aditus. Ov. Fast. 1, 626. Jus exemptum restituere, h. e. ademptum. Al. leg. ereptum. [*Recte tuetur exemtum Gron. ad Sen. N. Q. 6, 18. qui alia hujus signific. affert exempla.] In Edicto Praet. ap. Ulp. Dig. 4, 6, 1. et 26. Exempta actio, h. e. adempta, cum scil. quis desiit posse agere. Pomp. ib. 45, 2, 19. Cum duo eandem pecuniam deberent, si unus capitis deminutione exemptus est, h. e. liberatus obligatione solvendi. Lucr. 1, 974. ut exempta concedas fine patere, h. e. sine fine ac termino. Senec. Q. N. 3, 1. Damna aetatis male exemptae labor sarciat, h. e. subtractae gravioribus studiis. [V. Gron. ad Sen. N. Q. 3. praef.] ℙ Item exactus, transactus. Pall. 11, 15. Exemptis quadraginta diebus, melle addito, uteris. Et 12, 20. Postea, tribus diebus exemptis, auferunt. Et 3, 17. f. Anno exempto. Et ib. 26. Quarto exempto mense pariunt. ℙ [*Confunduntur Exemtus et ereptus. Burm. ad Ov. Fast. 1, 626.]

EXEMPTUS, us, m. idem quod exemptio, ablatio. Vitr. 9, 9. Cuneorum adjectus aut exemptus perficere cogit.

EXENTĔRĀTUS, a, um, part. ab exentero, ἐντερευθείς, visceribus spoliatus. Justin. 1, 5. extr. Epistola exenterato lepori inseritur. Voss. in Etymol. testatur, in quibusdam vet. codicib. legi exinteratus, quasi sit ab intus.

EXENTĔRO, as, a. 1. ἐξεντερεύω, eviscero, interiora aufero, ab ἔντερον, intestinum. V. v. praec. ℙ Translate evacuare. Pl. Ep. 2, 2, 2. Acutum cultrum habeo, qui seni exenterem marsupium. ℙ Item pro cruciare. Id. ib. 3, 1, 1. Exspectando exedor miser, atque exenteror. ℙ Legitur et exintero.

EXĔO, is, ivi, et ii, itum, ἐξέρχομαι, extra eo, egredior. Cic. Or. 2, 65. Exire de triclinio, de cubiculo. Id. Att. 2, 7. s. f. de navi. Nep. Them. 8. ex navi. Cic. Fam. 1, 9. med. et Caes. B. G. 1, 6. et 12. domo. Cic. Pis. 14. a patria. Al. leg. e patria. Id. Fam. 4, 1. extr. ex urbe. [*ab urbe. Liv. 10, 37, 6. ubi vid. Drak.] Curt. 8, 1. extr. de convivio. Ter. Andr. 1, 2, 3. et Pl. Cas. 2, 5, 42. foras. Ter. Eun. 3, 4, 7. ab aliquo, h. e. domo alicujus. [*Cf. Hand. Turs. p. 19. Plin. h. n. 10, 16, 18. Is tradit cornicem a cauda (mit dem Schwanze zuerst) de ovo exire. V. Hand. l. c. p. 20.] Senec. Ben. 1, 1. Verba maligna, et vix exeuntia. ℙ Inter exeo, et emigro differre aliquando aliquid (quamquam fere promiscue semper usurpantur) monet nos Ciceronis locus. Verr. 2, 2, 36. Domo ejus emigrat Verres, atque adeo exit, nam jam ante migrarat. Ex hujus loci sententia emigrare est alio se ad habitandum conferre, vasis tamen relictis; exire vero significat universa sua discedendo secum asportare. [*Non recte explicuit Forc. Nos probamus Ernest. explicationem, quam commemoravimus s. v. Emigrare.] ℙ Exire de nomine familiae, vel absolute de nomine dicebantur monumenta sepulcralia, quae exteras heredes e diversa familia ortos accipiebant. Inscr. apud Grut. 762, 5. Hoc autem monumentum cum aedificio neque mutabitur, neque vaeniet, neque donabitur, neque pignori obligabitur, sed nec ullo modo abalienabitur, ne de nomine exeat familiae suae. Alia ap. Marin. Iscriz. Alb. p. 66. C. Aurelius Apollophanes vivus sibi, uxori, fratri, et libertis libertabusque liberorumque eorum, et posterisque fecit ita, ne de nomine exeat. [*Similia sunt haec. Papin. in Dig. 31, 68, 5. Peto non fundus de familia exeat. Scaevol. in Dig. 32, 38, 3. Ita fiet, ut fundus de nomine vestro nunquam exeat.] Cum casibus motus ad locum. Plin. 9, 57, 83. Exire ad pabula. Et 10, 44, 61. in pascua. Cic. Off. 1, 17. in alias domos tanquam in colonias. Et 32. in solitudinem. Curt. 9, 4. et Liv. 44, 39. in aciem. [*V. Drak. ad Liv. 27, 15, 14.] Virg. G. 4, 67. et Liv. 44, 39. ad pugnam. Lucr. 1, 170. in luminis oras, h. e. nasci. [*Et simpliciter exire pro gigni. Varr. R. R. 2, 6, 2. Unde optimi exeunt asini, i. e. gignuntur. Cic. Verr. 2, 5, 51. et Nep. Alcib. 8. extr. in terram, i. e. escendere. Cic. Fam. 2, 16. Ex Italia ad bellum civile. Plin. 11, 10, 10. ad opera. Caes. B. G. 1, 33. Cum omnem Galliam occupassent, in Provinciam exirent. Ter. Hec. 4, 1, 6. Exire ad aliquem, h. e. domo ad aliquem visendum. Stat. Theb. 11, 353. a nostris in fratrem amplexibus exis, h. e. postquam me amplexus es, prodis ad pugnandum contra fratrem. ℙ Cum accus. Ter. Hec. 3, 3, 18. Exire limen. Ov. Met. 10, 52. donec Avernas Exierit valles. Adde Val. Fl. 4, 698. ℙ Cum infinito. Stat. Achill. 1, 288. Exierant dare veris opes, divaeque severas Fronde ligare comas. ℙ Absolute. Caes. B. C. 1, 6. Paludati, votis nuncupatis exeunt consules, h. e. ex urbe ad bellum proficiscuntur. Sic Nep. Ages. 6. Cum a plerisque ad exeundum premeretur, exire noluit. Id. Alcib. 3. Priusquam classis exiret, i. e. portum relinqueret. Et Them. 6. Solus profectus est: reliqui legati, ut tum exirent, praecepit, cum etc. Cic. Fam. 9, 6. Exire ostiae. Senec. Benef. 3, 16. Feminae exeunt matrimonii causa, h. e. domo et familia ℙ Translate. Cic. Amic. 4. Exire de vita. Id. Fin. 1, 15. e vita. [*Calp. decl. 51.] Nep. Timol. 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. Cic. Or. 2, 22. extr. Isocrates magister istorum omnium, cujus e ludo, tanquam ex equo Trojano, meri principes exierunt. Ov. Met. 9, 630. Exire modum, i. e. excedere. Senec. Benef. 3, 38. Opus laudabile, nunquam a memoria hominum exiturum. [*Liv. 6, 37, 5. Exire memoria, ubi vid. Drak.] Cic. Tusc. 3, 5. Exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia. Et mox. Qui exisse ex potestate dicuntur, id circo dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. [*Id. Tusc. 4, 36. Iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente. Turn. Adv. 2, 11. hanc locutionem ex eo natam putat, quod furiosi non in sua, sed in agnatorum et gentilium erant potestate. Tum translata est ad eos, qui vehementiori aliqua animi affectione teneantur. Adde Davis. ad Tusc. 3, 5. Sed alio sensu dicitur Exire de potestate alicujus, de quo vide §. 10.] Petr. Sat. 90. Quotiescumque coeperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam. Cic. Verr. 2, 2, 25. Cum omnes perspicerent, ad istum illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, revertisse.]*Exire de mercibus quae exportantur. Alfen. Var. in Dig. 39, 4, 15. Consulebatur, num contra legem ex insula cotes exisse viderentur, ubi paulo post: cotes evectae viderentur.] Vell. 2, 82. Fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. Cic. Dom. 14. Exire e patriciis, h. e. ex ordine patricio ad plebejum transire. ℙ Interdum est vitare, declinare. Virg. A. 5, 438. Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit. Lucr. 5, 1329. feros exibant dentis adactus. Id. 6, 1215. procul absiliebat, ut acrem exiret odorem. Virg. A. 11, 750. vim viribus exit, h. e. viribus suis vim impetumque hostis avertit. Adde Stat. Th. 6, 802. ℙ Interdum liberari, Cic. Phil. 11, 6. Aere alieno exire. Lucil. ap. Non. 4, 164. ex aerumna. [*Exire potestate, vel a, vel de potestate alicujus, i. e. dimitti vel liberari. Paul. in Dig. 37, 4, 62. Heres esset futurus patri, si potestate avi non exisset. Ulp. in Dig. 37, 4, 1, 6. Exierunt de patris potestate. Modestin. in Dig. 28, 6, 3. Servus a domini potestate exiit.] ℙ Interdum ascendere, erigi, in altum ferri. Lucr. 6, 886. ignem exspirare foras, exireque in auras. Virg. G. 2, 81. ingens Exiit ad coelum ramis felicibus arbor. Plin. 13, 4, 8. Palmis religant comas, ut in altitudinem exeant. Stat. Th. 6, 838. sic grandibus alte Insurgens humeris hominem super improbus exit. ℙ Interdum vulgari, emanare. Nep. Annib. 9. Magnam secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Cic. Rosc. Am. 1. Nequaquam similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. Id. Att. 13, 13. Libri quidem ita exierunt. Nep. Dat. 6. Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum. Suet. Galb. 20. Exierat in vulgus. Id. Ner. 53. Exiit opinio. [*Gell. N. A. 12, 12. Ea res prodita est et in vulgus exivit. V. Ruhnk. ad Ter. Ad. 4, 4, 17.] ℙ Item terminari, desinere. Plin. 16, 23, 35. Populo albae folia vetustiora in angulos exeunt. Id. 7, 19, 18. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturae. Id. 37, 6, 22. Vitium opali, si color in florem heliotropii exeat. Quint. 1, 5. med. Nomina, quorum prima positio in easdem, quas Castor, litteras exit. (Alio sensu Id. ib. c. 6. Dummodo per eandem litteram in infinito exeant, h. e. eandem litteram in paenultima infiniti habeant.) Cic. Div. 1, 25. Quinto anno exeunte. Liv. 4, 30. f. Induciarum dies exierat. [*Vel simpliciter Exeunt induciae. Drak. ad Liv. 7, 38, 1. 9, 34, 22.] Sen. ep. 8. Nullus mihi per otium dies exit. Lucan. 5, 409. rapiendi tempora belli in segnes exisse moras. Plin. Pan. 68. Securus tibi et laetus dies exit. Quint. 8, 6. Continuus metaphorae usus in allegoriam et aenigmata exit. Et 1, 5. extr. Verba repudiata etiam in jocos exeunt. ℙ [*Apud seriores scriptores pro evadere, exsistere ponitur. Hyg. fab. 84. Qui secum quadrigis certasset victorque exisset. Ad quem locum vide Wopkens. p. 161.] ℙ Interdum germinare, pullulare. Plin. 25, 4, 9. Folia a radice exeunt; vel Id. 11, 30, 36. Formicae semina arrosa condunt, ne rursus in fruges e terra exeant. [*ausschlagen, aufkeimen. Adde Varr. R. R. 1, 45, 1. Col. R. R. 2, 13, 2. Et cum ablat. solo. Col. R. R. 2, 10, 3. Lupinus non exit solo limoso.] Id. 18, 7, 10. n. 5. Fabae in folia exeunt, ac deinde caulem emittunt. [*Et absolute. Col. 2, 12, 3. Vix ulla herba exit. Pall. Febr. 4. Lens sata exit et grandescit.] Val. Fl. 7, 549. Exit messis. ℙ Item extendi, proferri. Sen. Brev. vit. 6. Vestra vita, licet supra mille annos exeat, in arctissimum contrahetur. [*Varr. R. R. 2, 1, 25. Vide ne novenae istae partes non exeant extra pecoris minoris ac majoris nomen.] Plin. ep. 2, 11. med. Probationes in tertium diem exierunt. Plin. alter 33, 7, 37. Nonaginta annis ante Praxibulum: quod tempus exit in Urbis nostrae ducentesimum sexagesimum nonum annum. Ov. Fast. 5, 189. Circus in hunc exit mensem. Lucan. 8, 461. Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum. Sic 5, 380. Appulus Adriacas exit Garganus in undas. Quint. 4, 2. Si tamen adhibitis his quoque artibus, in longum

exierit ordo rerum etc. ℙ Item dicendo egredi a proposito. *Id.* 11, 2. More poetis frequentissimo digressus, in laudes Castoris et Pollucis exierat. *Plin. praef. l.* 1. Ut in quaedam acta exeam. ℙ Pertinet etiam ad sortitiones. *Cic. Att.* 1, 19. Cum de consularibus mea prima sors exisset. *Id. Verr.* 2, 2, 51. Cujus nomen exisset. [*Haec signif, uti ea quae sequitur, inter primas erat ponenda.] ℙ Item ad flumina in mare influentia. *Ov. Am.* 2, 13, 10. de Nilo. Per septem portus in maris exit aquas. *Val. Fl.* 8, 187. de Istro: septem exit aquis, septem ostia pandit. ℙ *Exire in aliquem*, infesto animo ire. *Stat. Th.* 11, 724. in hunc odiis, et regni viribus exis. Et 2, 490. exit in unum Plebs ferro jurata caput. [**Burm.* ad *Ov. A. A.* 3, 419.] Sic 5, 151. ferroque omnes exire per annos, *h. e.* saevire in omnis aetatis homines. ℙ Exire in iram, *Lucan.* 3, 112. irasci. ℙ Passive impersonaliter. *Cato R. R.* 1. Uti inde exiri possit. *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* In Velabro, qua in novam viam exitur. *Caes. B. C.* 1, 67. Non posse clam exiri. *Pl. Cas.* 4, 3, 15. Crepuit ostium: exitur foras. [**Ulp.* in *Dig.* 43, 8, 2, 23. Viae in quas exitur de via consulari.] ℙ Partic. *Exeundus* non est usitatum. V. tamen in EO. ℙ Supin. *Exeundum* ap. *Caes. B. C.* 1, 69. Nemo erat adeo tardus, quin statim castris exeundum putaret. ℙ *Exiet* pro *exibit*, V. v. EO. ℙ [*Confunduntur *Exire* et *Excedere. Drak.* ad *Liv.* 36, 21, 2. — et *Excire. Id.* ad *Liv.* 5, 34, 4. *Exit* et *Haesit. Id.* ad *Liv.* 2, 10, 10. — *Exire* et *Exstare. Burm.* ad *Ov. Met.* 3, 78.]

EXĒQUĪAE. V. EXSEQUIAE.

EXĒQUOR, etc. V. EXSEQUOR.

EXERCĔO, es, ercui, ercitum, a. 2. ab *ex*, et *arceo*, quia quae exercentur, hoc est excoluntur, sub certa lege ac ratione coercentur, continenturque. Alii volunt esse ab ἐξεργέω (simili τῷ εὐεργέω) idem significante, ab ἔργον, opus. Itaque significat colere, excolere, tractare, opere versare, διατονέω. *Virg. A.* 8, 424. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro. *Ov. Met.* 6, 145. exercet aranea telas. *Virg. A.* 10, 141. Pinguia culta exercere. *Id. G.* 1, 219. humum in messem. *Id. A.* 7, 798. vomere colles. [**Pall. Jan.* 13, 2. Exercere agrum multis orationibus.] *Sil.* 1, 363. de falarica. Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis, *h. e.* applicat et quodammodo in pluteis comburendis laborare facit, fatigat. [*Et *Tac. Agr.* 31. Non arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur: ubi vid. *Hertel.*] *Plin. ep.* 1, 20. Vineas, arbusta, campos curare et exercere. ℙ Et translate. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Malitia praemiis exercetur: ubi ea dempseris, nemo gratuito malus est. ℙ Item in opere detinere. *Virg. G.* 1, 21. Exercere tauros. *Nep. Dion.* 9. Navem in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet. *Suet. Aug.* 16. Exercere milites in aliqua re. *Id. Rhetor.* 1. discipulos. *Catull.* 61, 235. juventam. *Pl. Poen. prol.* 13. et *Cic. Or.* 1, 33. vocem, et vires suas. *Virg. A.* 6, 642. in gramineis exercent membra palaestris. *Ov. Am.* 1, 8, 41. animos in armis. *Id. Met.* 6, 375. linguas litibus. *Pl. Amph.* 1, 1, 168. pugnos in aliquo. *Cic. Sen.* 11. memoriam. *Auct. ad Her.* 3, 21. ingenium. [*V. *Gron. Obs.* 2, 3. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 110.] *Cic. Somn. Scip.* 9. animam, mentem in optimis rebus. [**Liv.* 35, 28, 1. Exercere animum ad aliquid.] *Cic. Brut.* 64. *extr.* adolescentem multos annos in studio laudis. *Id. Or.* 14. *extr.* Aristoteles adolescentes in thesi, ad copiam rhetorum, in utramque partem exercuit. *Id. Catil.* 1, 10. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit. *Id. Manil.* 10. Quod genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicae? *Id. N. D.* 2, 64. Exerceri in venando. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur. *Id. Brut.* 90. A Diodoto studiosissime in dialectica exercebar. *Id. Or.* 1, 57. In hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes. ℙ Exercere se. [*Attende ad discrimen inter se exercere et exerceri; hoc fit alio duce, illud si quis sua id facit auctoritate, proprio motu.] *Cic. ad Brut.* 1, 15. Gravi judicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. *Id. Att.* 9, 4. Exercere se in consultationibus. *Id. Or.* 1, 34. ad Ennii versus. *Id. Brut.* 71. Se quotidianis commentationibus acerrime exercuit. *Id. Tusc.* 2, 17. Subduc cibum unum diem athletae: Jovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit. ℙ Et omisso accusativo. *Id. Or.* 2, 71. Cum ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset. ℙ Est etiam factitare, tractare, versari in aliquo munere administrando. *Virg. G.* 1, 268. etiam festis quaedam exercere diebus, Fas et jura sinunt. *Cic. Cluent.* 63. *extr.* Instructam ei, medicinae exercendae causa, tabernam dedit. *Virg. A.* 4, 87. Exercere arma. *Val. Fl.* 3, 161. pharetram et arcum. *Virg. A.* 1, 503. choros. Et *ib.* 9, 62. agni balatum exercent. Et *G.* 1, 403. exercet noctua cantus. *Cic. Manil.* 6. Exercere vectigalia. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. §. 2. navem, caponam, stabulum. V. EXERCITOR. *Id. ib.* 7, 1, 13. fodinas auri, argenti, sulphuris. [**Scaev.* in *Dig.* 26, 7, 58. Negotiationem per Pamphilum et Diphilum, prius servos, postea libertos exercebat.] *Id. ib.* 28, 5, 35. *extr.* pecunias, *h. e.* fenus, ut loquitur *Paul. ib.* 26, 7, 48., vel in merces insumere, unde augeantur. *Hor. Ep.* 1, 14, 44. artem. *Plin.* 12, 14, 30. commercium turis. *Liv.* 31, 26. populationem. *Cic. Fin.* 2, 16. quaestionem inter sicarios. *Id. Leg.* 1, 4. jus civile. Et *Arch. f.* judicium. quod est praetoris, aut judicis quaestionis. [*Saepissime apud Ictos ponitur, pro instituere, intendere. Sic exercere actionem, accusationem, cognitionem, exceptionem, petitionem hereditatis etc. Exempla vide ap. *Brisson.* de verb. signif.] *Plin.* 10, 21, 34. regnum. *Ov. Met.* 9, 275. odium in aliquo. *Pl. Amph.* 1, 1, 168. Exerciturus pugnos in aliquem. *Cic. Phil.* 11, 3. Exercere crudelitatem suam in aliquo. *Id. Div. Verr.* 4. inimicitias. [**Liv.* 42, 1, 12. Exercere iram.] *Id. Off.* 1, 25. *med.* facilitatem et lenitudinem animi. *Sall. Cat.* 9. jurgia, discordias, simultates cum hostibus. *Virg. A.* 6, 543. poenas. *Liv.* 29, 17. scelus, libidinem, avaritiam in socios. *Brutus* ap. *Cic. ad Brut.* 1, 2. iracundiam in superatos. *Liv.* 6, 22. victoriam in captis. [*Adde *Sall. Jug.* 16.] *Cic. Off.* 1, 25. juris aequabilitatem. [**Flor.* 3, 7, 6. Exercere jus victoris. h. e. jure vict. uti.] *Plin. ep.* 1, 10. *f.* justitiam. *Jul. Dig.* 39, 5, 1. liberalitatem et munificentiam. [*Porro Exercere beneficium, damnum, liberalitatem, misericordiam. Exempla dat *Brisson.* de verb. signif.] *Catull.* 68, 69. amores ad aliquam, *h. e.* erga aliquam. *Virg. G.* 2, 370. imperia, *h. e.* imperare. [*Inprimis frequentatur haec vox a *Tacito*. Exempla vide ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 183.] ℙ Item agitare, vexare. *Ov. Her.* 15, 9. Indomitis ignem exercentibus Euris Fertilis accensis ignibus ardet ager. *Hor. Od.* 4, 14, 20. Indomitus undas exercet Auster. *Ov. Met.* 8, 165. de Maeandro. Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum Incertas exercet aquas. ℙ Et translate vexare. *Cic. Tusc.* 5, 1. Eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit etc. *Lucr.* 5, 1422. aurum et purpura curis Exercent hominum vitam. *Virg. A.* 4, 622. Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis. *Id. G.* 4, 453. Non te nullius exercent numinis irae. *Id. A.* 6, 739. Exerceri poenis, veterumque malorum supplicia expendere. *Liv.* 39, 40. Simultates nimio plures exercuerunt eum, et ipse exercuit eas. [**Sall. Cat.* 11. Ambitio animos hominum exercet. V. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 33.] *Cic. Att.* 13, 22. Te de praedio aviae exerceri, moleste fero. [**Cic.* ad *Fam.* 12, 4. Nunc me reliquiae vestrae exercent, h. e. Caesare occiso Antonius mihi molestiam facessit.] *Ter. Ad.* 4, 2, 48. Ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium. [*i. e. nullum tibi quiescendi tempus dabo. Hinc dicuntur servi exerceri ab eo, qui eos otiosos esse non patitur, sed eos opus facere sine intermissione cogit. *Ter. Heaut.* 1, 1, 21. Quod in opere faciundo operae consumis tuae, si sumas in illos exercendo, plus agas. V. *Ruhnk.* ad h. l. *Ulp.* in *Dig.* 33, 7, 8. Homines qui agrum colunt, et qui eos exercent praepositive sunt his; quorum in numero sunt villici et monitores.] *Plin. ep.* 7, 6. Pertinacissime exercere optimum virum. [*Hinc agitare feras. *Tryphon.* in *Dig.* 7, 1, 62. Si vivariis inclusae ferae custodiebantur, num exercere eas fructuarius possit, occidere non possit?] ℙ Item detinere. *Virg. G.* 2, 415. incultique exercet cura salicti. *Sall. Cat.* 11. Primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat. [**Col. R. R.* 8, 11, 7. Exercet mares ineundi cupiditas.] ℙ Exercere sumptum suum, h. e. exercendo se in aliqua arte sumptum sibi necessarium vitae parare. *Ter. Heaut.* 1, 1, 91., ubi al. aliter leg. V. EXSARCIO. ℙ Exercere diem, h. e. exercendo et laborando transigere, *Virg. A.* 10, 808. ℙ Exercere curas, est agitare, in curis versari. *Sil.* 11, 374. ℙ Exercere nomen patris, [**den Namen des Vaters führen.*] *Plin. Pan.* 21. ℙ Exercere pacem et hymenaeos, *Virg. A.* 4, 99. h. e. facere, jungere. ℙ Exercere verba, *Sen. ep.* 40. *med.* h. e. exercere se ad copiam verborum, et ad orationem extemporalem. ℙ Exercere formam, *Stat. Silv.* 1, 2, 166. h. e. alere, fovere, excolere. ℙ Exercere vitam separatam a ceteris civibus, *Justin.* 20, 4. h. e. agere. ℙ Exercere sitim, *Sil.* 1, 260. est ipsam quodammodo sitim vexare, non explendo, sed tolerando. ℙ [*Confunduntur saepissime a librariis *Exercere* et *exserere*. V. *Interpp.* ad *Suet. Tib.* 33. *Drak.* ad *Liv.* 7, 10, 5. *Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 47. ad *Quint. Inst.* 4, 1. p. 310.]

*EXERCIBĪLIS, e, adj. qui praestari potest. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. Regula exercibilis. *B. A.*

EXERCĪO, V. EXSARCIO.

*EXERCĬPES, edis, m. pedisequus, cursor. Ταχυδρόμος, δρομεύς, exercipes *Gloss. B. A.*

EXERCĬTĀMENTUM, i, n. exercitatio. *Appul. Florid.. n.* 15. p. 351, 39. Mentium documenta, corporum exercitamenta.

EXERCĬTĀTĒ, adv. cum exercitatione. *Sen. ep.* 90. *med.* Quae ab imprudentissimis aut aeque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. *Peritius* ad scientiam pertinet: *exercitatius* ad usum. *Arnob.* 3, 113. Neque enim traditor alicujus esse scientiae potis est, ut non ejus, quod tradit, rationem teneat exercitatissime comprehensam.

EXERCĬTĀTĬO, onis, f. γυμνασία, μελέτη, actus exercendi se in re aliqua, usus, consuetudo, tractatio, meditatio. [*militum. *Macer.* in *Dig.* 49, 16, 12, 2. Officium tribunorum est, milites ad exercitationem producere.] *Cic. N. D.* 2, 10. Corpora nostra motu atque exercitatione recalescunt. *Id. Div. Verr.* 15. Hominem non aetate, sed usu forensi, atque exercitatione tironem. *Id. Sen.* 11. *f.* Exercitationes ingenii, curricula mentis. Et 3. Artes, exercitationesque virtutum. *Id. Coel.* 5. Exercitatio, ususque campestris. Et 22. Exercitatio, ususque dicendi. [*Atque simpliciter etiam de usu dicendi ap. *Cic. Or.* 3, 94. ubi stilus i. e. exercitatio scribendi opponitur.] *Id. Off.* 1, 18. Capere consuetudinem exercitationemque rei alicujus. *Id. Div.* 2, 46. Naturae vitium meditatione atque exercitatione tollere. *Id. Fam.* 1, 9. *s. f.* Studia et exercitationes. *Id. Fin.* 3, 12. Vir egregia exercitatione in dialecticis. *Id. N. D.* 2, 67. Exercitationes rhetoricae. Et *ib.* 1, 37. Pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur. [**Cic. Oecon.* 1. A natura comparata est viri opera ad exercitationem forensem atque extraneam.] *Id. Cat.* 2, 5. Catilina stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus. ℙ [**Ulp.* in *Dig.* 46, 1, 8, 3. Siquidem judicati actionis acceptus non est, sed tantum litis exercitationis.]

EXERCĬTĀTOR, oris, m. ἀσκητής, qui alium in re quapiam exercet. *Plin.* 23, 7, 63. Pythagoras exercitator primus ad carnes athletas transtulit. Et 35, 11, 40. *n.* 30. Lecythion agilitatis exercitator. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 49. Exercitator equitum p*raetorianorum*. Alia ap. *Grut.* 1102, 4. Exercitator equit*um* speculator*um* princip*is*. [*Unus Cod. praebet hanc voc. ap. *Liv.* 39, 1, 5.]

[EXERCĬTĀTORĬUS, a, um, adj. ad exercitium pertinens. *Inscr.* in *Transact. philos. T.* 53. p. 134. Basilicam equestrem exercitatoriam jampridem a solo coeptam aedificavit. *F.*]

EXERCĬTATRIX, icis, f. quae exercet. *Quint.* 2, 15. *med.* Duas partes civilitatis corpori assignat, medicinam, et quam interpretantur exercitatricem, *h. e.* artem gymnasticam.

EXERCĬTĀTUS, a, um, partic. ab *exercito*, μελετηρὸς, ἐκπεπονημένος, qui se in re aliqua diu et multum exercuit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 149. Exercitatis videri somnum suavem. [**die viel gearbeitet haben.*] *Cic. Cluent.* 19. Homo in uxoribus necandis exercitatus. *Id. Agr.* 2, 31. Illi miseri, glebis subigendis exercitati. *Id. Acad.* 4, 34. Si res, in quibus versatus exercitatusque sit, nescire se dicat. *Id. Somn. Scip. in f.* Agitatus et exercitatus animus optimis curis. *Nep. Epam.* 5. Exercitatus bello. [**Cic. Font.* 14. Usu bellorum exercitatus.] *Cic. Off.* 2, 15. Paratiores erunt, et tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. *Id. Verr.* 2, 5, 54. Lictores valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. *Cic. Div.* 1, 42. Etrusci ostentorum exercitatissimi interpretes.] *Nep. Ages.* 3. Ornatissimum et exercitatissimum exercitum habere. *Id. Iphicr.* 2. Nullae neque exercitatiores copiae, neque magis dicto audientes fuerunt. ℙ Item agitatus, vexatus, exercitus. *Hor. Ep.* 9, 31. Syrtes exercitatae Noto. [**Tac. Agr.* 5. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. ubi vid. *Hertel.* ℙ Confunduntur a librariis *Exercitatus* et *Exercitus*. V. quae sub h. v. annotavimus. Porro *Exercitatus* et *Excitatus*. Vid. *Gron.* ad *Sen. Contr.* 23.]

EXERCĬTĒ, adv. *Appul. Met.* 11. *f.* p. 272, 6. Mecum ipsas cogitationes exercitius cogitabam, *h. e.* frequentius et attentius.

EXERCĬTĬO, onis, f. exercitatio: ab *exercitus*, ut *Fest.* docet. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. *extr.* Inertia plus detrimenti facit, quam exercitio. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. §. 20. Ad summam reipubl. navium exercitio pertinet. *Papin. ib.* 1, 21, 1. Magistratus publici judicii habent exercitionem. [*Hujus vocis usus tantum ad priscos Latinos et ad jure consultos pertinet, nec temere aliis scriptoribus obtrudendus est. Vid. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 5. p. 87.]

EXERCĬTĬUM, ii, n. exercitatio. *Sall. fragm.* ap. *Veg. Milit.* 1, 9. *extr.* Frequentibus exercitiis praeparare milites ad proelia. *Gell.* 3, 1. *f.* Alicujus rei vel studio vel exercitio teneri. *Vell.* 2, 109. Perpetuis exercitiis ad Romanae disciplinae formam redactus. *Tac. A.* 2, 55. Exercitio equitum interesse.

EXERCĬTO, as, a. 1. frequent. ab *exerceo*. *Mela* 2, 1. *med.* Achilles ibi se ac suos cursu exercitavisse memoratur. *Sall. or. de rep. ord.* 18. Corpus, atque ingenium patriae, non suae quisque potentiae, exercitabat. ℙ [*Confunduntur a librariis *Exercitare* et *Excitare*. *Drak.* ad *Liv.* 39, 1, 5.]

EXERCĬTOR, oris, m. exercitator, qui in re aliqua quempiam exercet. *Pl. Trin.* 4, 3, 9. Cur-

loculio est exercitor: is hunc hominem cursuram dolcet. Et 2, 1, 2. Egomet me macero et defatigo: magister mihi exercitor animus hinc est. *Macr. Somn. Scip.* 2, 14. *med.* Exercitor corporum valentiam luctatoribus praestat. ℙ Item qui quaestus causa artem aliquam exercet. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. Exercitor navis, *h. e.* ad quem obventiones, et reditus omnes locatae navis perveniunt, sive is dominus navis sit, sive a domino navem per aversionem conduxit: ut *Id. ib.* definit. *Cajus ib.* 44, 7, 4. *extr.* Exercitor cauponae, aut stabuli. *Ulp. ib.* 4, 9, 1. De exercitoribus ratium, item lintrariis nihil cavetur. *Inscr.* ap. *Grut.* 492, 5. Exercitores ratium Ulpian*arum*.

EXERCĬTŌRĬUS, a, um, adj. ad exercendum pertinens. *Tertull. Poenit.* 12. Exercitoria jacula. ℙ Item ad exercitorem, seu negotiatorem pertinens, ut exercitoria actio, *Afric. Dig.* 14, 1. (qui de hac ipsa re inscribitur) 7., h. e. quae datur v. gr. naviganti in exercitorem navis etc.

EXERCĬTŪĀLIS, e, adj. ad exercitum pertinens. *Ammian.* 23, 5. Etrusci haruspices, prolatis libris exercitualibus, ostendebant, signum hoc esse prohibitorium, *h. e.* qui de ostentis tractabant, quae ad expeditiones militares pertinent. Al. leg. *ritualibus. Cossiod. Variar.* 11, 1. Exercitualis vir.

EXERCĬTUS, a, um, partic. ab *exerceo*, exercitatus. *Flor.* 1, 3. Mirum in modum exercita juventute, provocare ausus Albanos. *Tac. A.* 3, 20. Impiger manu, exercitus militia. *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 3, 54. Ad rem aliquam exercitus. [*Tac. *A.* 16, 42. Habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus. Alia bene multa exempla ex *Tacito* suppeditat *Boettich. Lex. Tac.* p. 183.] *Claud. in Eutrop.* 1, 193. manus parvis exercita furtis. ℙ Item agitatus. *Virg. G.* 3, 529. Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu Flumina. ℙ Item fatigatus: quod fatigatio ex exercitio nascitur. *Sall. Jug.* 74. Exercito corpore fessus, in lecto quiescebat. ℙ Item vexatus, jactatus. *Cic. Mil.* 2. Quid nobis duobus laboriosius, quid magis sollicitum, magis exercitum dici potest? *Id. Att.* 1, 11. Candidati exerciti omnibus iniquitatibus. *Virg. A.* 3, 182. Nate Iliacis exercite fatis. *Id. ib.* 5, 779. Venus exercita curis. *Ov. Trist.* 5, 5, 49. adversis probitas exercita rebus. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 1, 16. Quae sodalem atque me exercitos habet. ℙ Item laboriosus, gravis. *Tac. A.* 1, 35. Finem tam exercitae militiae orabant. [*Tac. *A.* 1, 17. Duram hiemem, exercitam aestatem.] *Plin. ep.* 7, 2. Aestatem inquietam exercitamque transcurrere. ℙ Gradus sunt *exercitior*, *exercitissimus*, quibus usos veteres *Fest.* in *Exercitionem* testatur. *Plinio* quoque 9, 15, 18. *exercitissimus* a quibusdam tribuitur: at *Hard.* ex MSS. *exercitatissimus.* ℙ [*Saepe confunduntur a librariis *Exercitus* et *Exercitatus.* V. *Oudend.* ad *Front. Strat.* 2, 1, 30. *Drak.* ad *Liv.* 27, 44, 6. Discrimen hoc est: *exercitus* est vexatus, *exercitatus* usu subactus. Porro *Exercitus* et *Exsertus.* V. *Ammian. Marc.* 16, 12, 46. 27, 10, 16. *Exercitus* et *Excitus. Drak.* ad *Liv.* 5, 26, 7. — et *Exterritus. Id.* ad *Liv.* 27, 44, 6.]

EXERCĬTUS, us, *olim* ti, m. στρατὸς, militum copiae: ab *excerceo*, quia, ut ait *Varro L. L.* 4, 16., exercitando fit melior. [*Adde *Veg. R. Mil.* 1, 4.] *Ulp. Dig.* 3, 2, 2. Exercitum, non unam cohortem, neque unam alam dicimus, sed numeros multos militum. *Cic. Mur.* 15. Maximus et fortissimus exercitus. *Nep. Eum.* 4. Pedester exercitus *Virg. A.* 11, 598. equitum exercitus, [*Dux atque exercitus saepe junguntur a *Livio*, ubi id necessarium non est. *Gron.* ad *Liv.* 25, 8, 9.] *Cic. Manil.* 21. Exercitum difficili reipubl. tempore conficere. *Id Phil.* 5, 13. et *ib.* 4, 3. conscribere et comparare contra aliquem. Et *ib.* 5, 8. paucis diebus facere. *Liv.* 2, 43. scribere. [*Drak. ad *Liv.* 6, 28, 5.] *Cic. Phil.* 4, 6. conflare. *Sall. Cat.* 30. parare. *Id. Jug.* 10. cogere. *Caes. B. G.* 1, 34. contrahere. *Cic. Prov. cons.* 2. *extr.* superbissimo delectu et durissima conquisitione colligere. *Id. Mur.* 9. ducere. *Sall. Cat.* 11. Et 17. ductare, *Curt.* 8, 4. movere ex hibernis. Et 4, 9. trajicere. *Caes. B. G.* 1, 13. transducere. *Cic. Manil.* 21. Exercitui praeesse. *Varr. L. L.* 4, 16. praeire. *Id. ib.* 5, 4. Exercitum fugare. *Liv.* 2, 12. fundere. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 8. hostium rumpere. *Cic. Fam.* 15, 4. dissipare. Et *ib.* dimittere in hiberna. Et *ib.* in vicis captis collocare. *Liv.* 2, 9. Infesto exercitu Romam venit. Et 1, 10. Hostibus fit obviam cum exercitu Romulus. ℙ [*Saepissime vocem *Exercitus* sequitur pluralis. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 18, 3. *Drak.* ad *Liv.* 3, 28, 2. ad *Sil Ital.* 13, 308.] Interdum de solo peditatu dicitur. [*Et opponitur equitatui.] *Caes. B. G.* 2, 11. Insidias veritus, exercitum equitatumque castris continuit. [*Exempla suppeditat *Drak.* ad *Liv.* 28, 1, 5. ℙ Interdum notat exercitum terrestrem et opponitur classi. *Liv.* 26, 42, 2. Eodem tempore et exercitus ostendebatur et classis intrabat portum. Vid. *Gron.* ad h. l.] ℙ Interdum de multitudine urbana. *Varr. L. L.* 5, 9. Ad comitia tum vocatur populus, ideo quod alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare. Multa hac de re *Gron. observ.* 1, 1. ℙ Item de quacumque multitudine. *Virg. G.* 1, 382. Corvorum increpuit densis exercitus alis. *Id. A.* 5, 824. Phorcique exercitus omnis. *Sil.* 11, 413. Mittit se coelo niveis exercitus alis, *h. e.* turba Cupidinum ℙ *Exerciti* in genitivo. *Varr.* ap. *Non.* 8, 14. Pro salute exerciti. *Accius ib.* Quo revoces summam exerciti. Adde *Naev.* ap. *Charis.* 1, 103. et nummos exerciti. Adde *Naev.* ap. *Charis.* 1, 103. et nummos Aureliani, Cari, et Carini Imppp. ap. *Mediobarb.* et *Musel.* ℙ *Non. ib.* ponit etiam *exercituis*, sed nullo exemplo confirmat. ℙ Legitur aliquando pro *exercitatione*, γυμνασία. *Pl. Rud.* 2, 1, 7. Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus: echinos, lepadas, ostreas captamus, etc. ℙ Et pro labore, angore, cruciatu, *Pl. Cist.* 1, 1, 60. Noli, obsecro, lacrimis tuis mihi exercitum imperare. Alii aliter. V. *Gron. l. sup. c.* ℙ [*Confunduntur *Exercitus* et *Exitus. Drak.* ad *Liv.* 23, 13, 5.]

*EXERMIS, adj. armis carens, exarmatus, inermis. *Sarisb.* in *carm.* Sit licet exermis, conterit arma tamen. *B. A.*

EXĔRO. V. EXSERO.

EXERRĀTĬO, onis, f. Legitur a quibusdam ap. *Gell.* 15, 2., ubi alii *exercitio*, alii melius *exercitatio.*

EXERRO, as, n. l. extra erro, deerro, aberro, *Stat. Theb.* 6, 444. dum non cohibente magistro, Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion, *h. e.* ad dexteram deflectit. *Arion* est nomen equi.

EXERTUS. V. EXSERTUS.

EXĔRŪGO, is, a. 3. Vetus quidam Grammaticus ap. *Hier. Column.* asserens *eructo* ab *erugo* derivari, producit hunc *Ennii* versum: Contempsit fontes, quibus exerugit aquae vis. *Al. mallent* exaruvit *pro* exaruit.

EXĔSOR, oris, m. pui exedit. *Lucr.* 4, 220. aestus ab undis Aequoris exesor murorum litora circum.

EXESTO, extra esto. Sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier, virgo exesto. Scilicet interesse prohibebantur. Haec *Fest.*

EXĔSUS, a, um, partic. ab *exedo*, adesus, ambesus, corrosus, ἐξεδηδομένος. *Cic. Tusc.* 5, 23. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. *Cels.* 7, 12. Dens exesus. [*Tac. *Hist.* 4, 81. Huic non exesam vim luminis.] *Virg. G.* 1, 495. Exesa scabra robigine pila. Et 2. *ib.* 114. nigris exesa chelydris creta. Et 4. *ib.* 44. exesae arboris antrum. *Colum.* 1, 6. Exesae curculionibus fruges. *Ov. Fast.* 4, 495. specus exesi structura pumicis asper. *Sen. Agam.* 763. Et vestis atri funeris Cingit exesa ilia. ℙ Translate. *Val. Fl.* 2, 136. Eurynome exesa curis, castumque cubile Servans. *Lucan.* 5, 547. Luna orbis medii puros exesa recessus, *h. e.* quasi detrita, atque adeo lucidior.

EXFĪBŪLO, as, a. l. fibula solvo. *Prud. Psychom.* 633. et avulsis exfibulat ilia zonis, Vestis, et usque pedes descendens defluit imos.

EXFĪLĀTUS, exsertus. V. EFFAFILATUM et EXPAPILLATUS.

EXFIT, purgamentum: unde adhuc manet suffitio. *Festus:* ad quae verba adnotant critici, illud *exfit* esse a θύω, sacrifico: unde *exfio* inusitat., et *suffio*, et *suffimentum.* Porro *exfit* nominis vice ponitur: estque genus suffimenti ex sale sordido, sed excocto purgatoque: unde *purgamentum* a *Festo* dicitur. *Fabius Pictor* ap. *Non* 3, 197. Exfit est sale sordidum, quod ustum est, et in ollam fritilem (leg. *fictilem*) abjectum est: postea id sal Virgines Vestales serra ferrea secant. Haec *Fabius.* Hoc idem sal videtur esse, de quo *Fest.* in *Muries* haec tradit: Muries dicebatur sal in pila tunsum, et in ollam fictilem (al. *fritilem*) conjectum, quo dehinc in aquam misso Vestales Virgines utebantur in sacrificio. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 82. sal coctum appellat: eoque admixto cum farre tosto, tunso, et molito molam ter in anno fieri a Vestalibus docet.

EXFODĬO pro *effodio* quidam leg. ap. *Pl. Aul.* 4, 8, 9., [et *ecfossus* legitur ap. *Cic. de Rep.* 2. (ed. *A. Maio*) 36. *F.*]

EXFŌLĬO, as, a. 1. folia decerpo. *Apic.* 4, 2. Exfoliare rosas.

*EXFORNICĀTUS, a, um, adj. *Vulg. Interpr. Ep. Judae* v. 7. Sodoma et Gomorra et finitimae civitates exfornicatae Gr. ἐκπορνεύσασαι. *B. A.*

EXFRĪCO. V. EFFRICO.

EXFUNDĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *exfundo*, funditus eversus. *Coel. Antipater* ap. *Non.* 2, 307. Exfundato pulcherrimo oppido.

EXFŪTI, exfusi (h. e. effusi) ut mertat pro mersat. *Fest.*

EXFŪTŪTUS, a, um, partic. ab inusit. *exfutuo*, futuendo exhaustus. *Catull.* 6, 13. Cur nunc tam latera exfututa pandas.

[EX GLADIATORE, indeclin. m. qui gladiator fuit. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 105. Serigolum nomine ex gladiatore amavit, qui et Ludor dictus est, quia sit diu demoratus in ludo: qui, ut requiem gladiaturae haberet, bellonarium se fecerat: quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare. *F.*] [*Vid. Salm.* ad *Lampr.* 7. *Tzschuk.* ad *Eutr.* 6, 3.]

EXGRĔGĬAE, egregiae, idest e grege lectae. *Festus.* V. EGREGIUS.

EXGRŪMĬNANS, vel

EXGRŪMANS, antis, grumos eruens, vel ex grumis exsiliens. *Varr. R. R.* 3, 14. de cochleis. Ipsae exgruminantes ad propolam vitam diu producunt. Al. leg. *exgrumantes*, alii *exruminantes*, alii denique *ex se ruminantes:* h. e. ruminando suo sibi succo vitam diu producentes.

EXGURGĬTO. V. EGURGITO.

EXHAERĔDO, etc. V. EXHEREDO.

EXHĀLĀTĬO, onis, f. ἀτμὸς, actus exhalandi, exspiratio, vaporis tenuis emissio; itemque ipse vapor emissus, et in aera sublatus. *Cic. Tusc.* 1, 19. Coelum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur, quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. *Plin.* 31, 3, 27. Exhalatio nebulosa. [*Noxia. *Pall. R. R.* 1, 7, 4.] Adde *Sen. Q. N.* 2, 10.

EXHĀLĀTUS, a, um, part. ab *exhalo*, exspiratus, efflatus. *Ov. Met.* 11, 43. in ventos anima exhalata recessit. *Varr. R. R.* 2, 2. Pruina jam exhalata, propellunt in pabulum, *h. e.* cum evanuit.

*EXHĀLĀTUS, us, m. exhalatio, *Capell.* 2, 40. Ex calore superno, atque exhalatu. *B. A.*

[EXHĀLĪTUS, us, m. halitus foras expressus. *Not. Tir.* p. 165. Exhalat, exhalitus. ℙ Hic tamen legitur sine aspiratione *exalat*, *exalitus. F.*]

EXHĀLO, as, avi, atum, a. l. ἐξατμίζω, halando emitto, exspiro, efflo. *Virg. G.* 2, 217. terra, Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucres, *Ov. Met.* 11, 595. nebulae exhalantur humo. *Plin.* 2, 42, 42. Humidam a terra exhalari caliginem, certum est. Et *ib.* 93, 95. Scrobes mortiferum spiritum exhalantes. *Lucr.* 2, 417. Exhalare odores. *Ov. Met.* 15, 343. de Aetna. Spiramenta locis flammam exhalantia multis. *Cic. Phil.* 2, 12. et *Verr.* 2, 3, 11. *extr.* Edormire et exhalare crapulam. Et *Phil.* 2, 17. Exhalandi vini causa declamitare. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 733. exhalas acidos ex pectore ructus. *Virg. A.* 2, 562. Exhalare vitam. *Ov. Met.* 6, 247. animam. *Sil.* 10, 163. supremam lucem in auras. ℙ Absolute etiam usurpat *Ov. Met.* 7, 582. Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes: *scil.* animam, ut etiam apud Italos *spirare.* ℙ [Etiam neutrorum more. *Stat. Theb.* 10, 108. exhalant vestes, et corpore pigro Strata calent. *Lucr.* 3, 433. ubi cernimus alta Exhalare vapore altaria, ferreque fumum. *F.*]

EXHAURĬO, is, hausi, haustum, a. 4. ἐξαντλέω, extra haurio, extraho. *Caes. B. G.* 5, 41. Manibus sagulisque terram exhaurire cogebantur. *Hor. Ep.* 5, 30. Veja ligonibus duris humum exhauriebat. *Cic. Agr.* 2, 36. Cum omnem pecuniam ex aerario exhausissetis. ℙ Translate. *Id. Phil.* 2, 25. Tantum vini exhauseras, ut tibi necesse esset vomere, *h. e.* ebiberas. *Id. Sext.* 21. *extr.* Vitam sibi manu exhaurire. Sic *ib.* 37. Plaga una illa extrema defuit, quae, si accessisset, reliquum spiritum exhausisset. *Id. Pis.* 21. Praeda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhauserat, *h. e.* extorserat, abstulerat, eripuerat. *Id. Fam.* 9, 14. *med.* Libentius omnes meas laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis, *h. e.* detraxerim, deminuerim. *Id. Att.* 2, 21. *med.* Tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset injuria, *h. e.* tolli, auferri, deleri. *Id. Fam.* 5, 16. *med.* Non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto, *h. e.* adimi, levari. *Id. Att.* 1, 18. Multa sunt, quae me sollicitant, anguntque, quae mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse, *h. e.* effundere, atque enarrare omnia, atque adeo, te consilium consolationemque praebente, levari. ℙ Metonymice significat vacuum facere, exinanire. *Cic. Senect.* 6. Exhaurire sententiam. [*Liv. 10, 34, 2. Tecta exhaurire, omnem ex aedibus egerere praedam. V. *Drak.* ad h. l.] *Id. Cluent.* 11. poculum. [*Liv. 39, 50, 8. ibique *Drak.*] *Id. Vatin.* 2. aerarium, rempubl. compilare. *Lucan.* 3, 181. Exhausit totas quamvis delectus Athenas. ℙ Hyperbolice. *Stat. Theb.* 2, 633. singultibus arctum Exhaurit thoraca dolor, *h. e.* paene vacuefacit, contrahente se pectore propter singultus. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. Non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri. *Liv.* 37, 19. Exhaurire commeatibus praebendis socios. *Nep. Annib.* 6. Exhaustis jam patriae facultatibus. [*Drak. ad *Liv.* 34, 13, 6.] *Justin.* 5, 9. Miseras urbis reliquias caedibus et rapinis exhauriunt. *Stat. Theb.* 10, 167. trepidas incerto sanguine reddit, Exhauritque genas. [*i. e. pallidas et exsangues reddit.] Et 295. jam taedet inanes Exhaurire minas. *Lucan.* 4, 622. Exhaurire virum. Rursus *Stat. Theb.* 1, 1, 33. citius genitrix Sipyleia fertur Exhausisse genas, *h. e.* vacuasse lacrimis, et flere desiisse. *Plin. ep.* 5, 1. *med.* Heredem legatis ita exhaurire, ut non

amplius, quam pars quarta remaneat. *Id. ep.* 3, 19. Exhaurire vires. [*V. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 111.] ℙ *Exhaurire laborem*, ap. *eund. ep.* 3, 9. et *Sil.* 17, 351. est excipere, subire, exsequi, ea ratione, qua dicimus *exantlare labores*. *Liv.* 21, 21. Quies inter labores aut jam exhaustos, aut mox exhauriendos renovavit corpora, animosque ad omnia de integro patienda. [*Drak. ad *Liv.* 21, 30, 9.] *Stat. Theb.* 6, 236. positio donec cum sole labores Exhausti, *h. e.* peracti. *Tac. H.* 4, 32. Pericula, quae per viginti annos in castris exhausisset. *Curt.* 5, 9. Major belli moles superest, quam exhausta sit. ℙ *Exhaurire ictum* est vacuum irritumque reddere. *Stat. Theb.* 5, 562. nam mollia colla refusus In tergum serpens venientem exhauserat ictum. ℙ *Exhaurire mandata* est omnia ad unum exsequi, et quasi persequendo et conficiendo consumere. *Cic. Att.* 5, 13. *f.* Deinde exhauri mea mandata; maximeque si quid potest, de illo domestico, scrupulum, quem non ignoras, etc. Et *ib.* 6. Mandavi omnia: quae quidem tu, ut polliceris, exhauries. [*ad *Att.* 7, 1. Reliquum est ut mandata nostra exhaurias. Quae significatio quum in his tantum locis legi videatur, haud scio an familiari sermoni tribuenda sit.] ℙ Poenarum exhaustum satis est, *Virg. A.* 9, 356. h. e. captum est, caede facta hostium. ℙ *Exhaurire aes alienum* est dissolvere. *Liv.* 7, 21. *f.* ℙ [Part. *Exhausturus* ap. *Senec. ep.* 51. Quid mihi cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausturus includitur? *F.*]

EXHAUSTANT, efferunt. *Festus.*

EXHAUSTIO, onis, f. actus exhauriendi. Adhibetur a *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 398. Aspera tamen vox est (vel ipso fatente) si in carmine usurpetur.

EXHAUSTUS, a, um, part. ab *exhaurio*, ἐξηντλημένος, ἐκκενωθείς, hauriendo extractus. *Prop.* 4, 9, 63. exhausto jam flumine vicerat aestum. ℙ Substantivi more. *Virg. G.* 2, 398. de vite. Cui nunquam exhausti satis est, *h. e.* effossio terrae circa eam. ℙ Item hauriendo vacuefactus. *Cic. Cluent.* 11. Exhaustum poculum. *Ov. Met.* 1, 443. Exhausta pharetra. *Cic. Verr.* 2, 3. 70. Inops et exhaustum aerarium. *Hirt. B. G.* 8, 43. Fons perennis exhaustus, i. e. exsiccatus. Sic *Stat. Theb.* 3, 259. exhausti solibus annes. *Curt.* 4, 14. Ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam. ℙ Translate. *Liv.* 6, 5. Plebs exhausta impensis. *Cic. Att.* 6, 1. Provincia sumptibus et jacturis exhausta. [*Eutr. 9, 8. Alamanni, vastatis Galliis, in Italiam penetraverunt, ubi quod libri nonnulli exhibent *exhaustis Galliis* praeferendum videtur.] Et *ib.* 4, 2. *f.* Amicorum benignitas exhausta est in ea re, quae etc. *Suet. Caes.* 79. Exhausta delectibus Italia. *Virg. A.* 1, 603. Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos. *Vell.* 2, 21. Exhaustus bello exercitus. ℙ Est etiam fatigatus, absumptus viribus, confectus, defectus, effetus. *Curt.* 8, 14. Exhaustae erant vires, deficiebatque sanguis. Et *ib.* 4, 16. *f.* Manus fatigatas tantoque cursu corpora exhausta. *Lucan.* 4, 638. exhausti sudoribus artus. Et 9, 171. Exhausta lacrimis. Et 2, 340. Visceribus lassis, partuque exhausta revertor. [*Veg. *Mul.* 4, 1, 11. Exhaustum animal, i. e. macilentum.] *Auct. ad Her.* 4, 10. Scurra exhausto rubore, *h. e.* qui omnem pudorem abjecit. *Stat. Theb.* 5, 420. pariterque exhausta quierant Flamina. Et 10, 383. exhaustasque dolent pallere tenebras. *Cic. Or.* 3, 26. In quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu, et exhausta. ℙ Item exantlatus, toleratus, peractus. *Stat. Theb.* 10, 36. exhaustos iterare labores. *Virg. A.* 4, 14. bella exhausta canebat. Et *ib.* 10, 57. tot exhausta pericula. *Lucan.* 5, 44. nostrum exhausto jus clauditur anno. *Tac. H.* 4, 29. *extr.* Sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit. ℙ [*Confunduntur *Exhaustus* et *Exactus*. *Drak.* ad *Liv.* 3, 39, 3.]

EXHĒBĒNUS, i, f. ἐξέβενος, gemma. *Plin.* 37, 10, 18. Exhebenum Zoroastres speciosam et candidam tradit, qua aurifices aurum poliunt. *Hard.* scribit *exebenus*.

EXHEDRA. V. EXEDRA.

EXHERBO, as, a. 1. ἐκβοτανίζω, est herbas exstirpare. *Colum.* 11, 3. *in.* Cum sationis appropinquabit tempus, ante quintum diem exherbandus erit locus. *Id.* 4, 31. Salix cum germinavit, crebro foditur, atque exherbatur.

EXHĒRĒDĀTIO, onis, f. ἀποκλήρωσις, hereditatis privatio. *Quint.* 7, 1. *med.* Tu impie fecisti, cum exheredationem meruisti. *Ulp. Dig.* 37, 9, 1. Notam exheredationis mereri.

EXHĒRĒDĀTUS, a, um, part. ab *exheredo*, ἀποκληρωθείς, hereditate privatus. *Nep. Them.* 1. A patre exheredatus. *Herm. Dig.* 37, 14, 21. Liberi liberti exheredati facti.

EXHĒRĒDĪTĀTUS, a, um, part. ab *exheredito*, exheredatus. *Papin. Dig.* 3, 2, 25. Exhereditatum quoque filium luctum habere patris memoriae placuit. Ita *Haloander;* at *Torrent.* habet *exheredatum*.

[*EXHĒREDĪTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. verbi *exheredo*, exheredem facio. *Salv. adv. avar.* 3. p. 112. *Rittersh.* Donantes omnia sua etiam se ipsos exhereditavere. *Not. Tir.* p. 85. Exheres, exhereditat. *F.* et *B. A.*]

EXHĒREDO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκληρόω, hereditate privo, exheredem facio. *Cic. Phil.* 2, 16. Igitur fratrem exheredans, te faciebat heredem. *Id. Cluent.* 48. *f.* Ut, cum eum filium exheredaret, quem oderat; et filio coheredes homines alienissimos conjungeret, quem diligebat. [*Auct. *ad Her.* 4, 24. Ab omnibus necessariis exheredatus est.] ℙ Translate. *Plin.* 37, 2, 7. T. Petronius moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam myrrhinam trecentis talentis emptam fregit, *h. e.* ut mensae Neronis auferret, scilicet ne heres Nero trulla illa in mensa uteretur.

EXHĒRES, edis, comm. gen. ἀπόκληρος, qui privatus est hereditate, quae ad eum pertinebat. *Cic. Or.* 1, 38. *extr.* Possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset? *Pl. Most.* 1, 3, 77. Ut ego exheredem meis bonis me faciam, atque haec sit heres. *Quint.* 7, 1. *med.* Qui reo patri non affuerit, exheres sit. *Paul Dig.* 28, 2, 19. In cetera parte exheres mihi erit. Et *mox.* Fundi exheres esse jussus. ℙ Joculariter. *Pl. Bacch.* 4, 8, 8. Neque Bellona mihi unquam creduat, ni illum exheredem fecero vitae suae, *h. e.* occidero.

EXHĪBĔO, es, ui, itum, a. 2. ἀποφαίνω, παρίστημι, quasi *extra habeo*, est extra secretum habeo, videndi tangendique aliquid facultatem praebeo, ut ait *Ulp. Dig.* 43, 28, 3., produco, profero, ostendo, offero. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. Quaestori suo custodes misit, ut omnia sibi integra quamprimum exhiberentur. *Id. Sext.* 50. Pompejus se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo R. exhibuit. *Phaedr.* 4, 23. *extr.* Quorum virtus exhibet solidum decus. Et *ib.* 25. Exhibe vocis fidem. *Suet. Vit.* 17. Exhibere se ministratorem alicui, *h. e.* praestare ministratoris operam. *Id. Cal.* 22. se adorandum adeuntibus. [*Ov. 17, 116. Tres tibi se nudas exhibuere deae, ubi vide Interpp.] *Colum.* 11, 1. fidem ac benevolentiam alicui. *Curt.* 6, 10. *med.* veritatem. *Suet. Tib.* 48. munificentiam. *Plin. Pan.* 33. liberalitatem et justitiam. Et 63. *extr.* se religioni Deorum, et judiciis hominum. *Id. ep.* 1, 25. alicui spectaculum memorabile. *Suet. Ner.* 12. Exhibuit ad ferrum quadringentos senatores, sexcentosque equites, *h. e.* in arenam produxit ludorum causa. ℙ In re forensi est ante judicem sistere, et facere potestatem ei, qui agit, ut experiundi sit copia, [*et dicitur tam de personis, quam de rebus et instrumentis.] *Cic. Mil.* 22. Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum. *Petr. Sat.* 15. Invaserat pallium, exhibiturumque crastino die affirmabat. *Cic. Fl.* 15. Cedo tabulas: non deportavi. Fratres saltem exhibe: non denuntiavi. *Paul. Dig.* 2, 4, 17. Exhibere aliquem apud acta. *Ulp. ib.* 11, 4, 1. fugitivos apud magistratus. *Paul. ib.* 12, 2, 28. debitorem in judicium. *Scaevola ib.* 40, 5, 41. *extr.* rationes. *Suet. Vit.* 14. tabulas testamenti. Adde *Dig.* 10. *t.* 4. qui est ad exhibendum, 43. *t.* 28. de libero homine exhibendo, *t.* 5. te tabulis exhibendis, *t.* 29. de liberis exhibendis etc. ℙ [*Omnino significat tradere, impertire. *Cic. Ac. post.* 1, 5. Quid me putas, qui philosophiam jam professus sim, populo nostro exhibiturum?] ℙ Interdum sumitur pro praestare. *Plin.* 23, 7, 63. Spodii vicem exhibet fruticum cinis. *African. Dig.* 29, 6, 16. Codicilli vicem testamenti exhibent. *Ulp. ib.* 44, 4, 4. *med.* Honorem, reverentiam alicui exhibere. [*Eutr. 3, 1. Hiero ducenta millia modiorum tritici populo dono exhibuit, ubi alii leg. *dono dedit.*] ℙ Interdum praestare, alio sensu. *Id. ib.* 13, 6, 5. In deposito dolus solus praestatur: nisi forte et merces accessit: tunc enim et culpa exhibetur. *Cajus ib.* 18, 6, 2. Exhibere diligentiam. [*Sen. *de provid.* 3. Tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis. *Plin. Epp.* 5, 19. Cui tanto major humanitas exhibenda est. V. *Munck.* ad *Lact. fab. narr.* 6. p. 807.] *Pl. Asin.* 2, 4, 51. Da meo periculo: rem salvam exhibebo. *Ov. Pont.* 4, 5, 34. Exhibere vias tutas. ℙ Interdum repraesentare. *Ov. Met.* 6, 213. et exhibuit linguam scelerata paternam. [*Burm. ad *Ov. Met.* 6, 43.] *Colum.* 5, 2. Ager plurium angulorum formam exhibet. *Plin.* 15, 13, 11. Pruna nucibus insita faciem parentis, succumque adoptionis exhibent. ℙ [*Nonnunquam dicitur *exhibere* aliquem, velut ducem etc., omisso pronomine. *Just.* 8, 4. Thessali orant, ut professum adversus Phocenses ducem Graeciae exhibeat. *Id.* 27, 2. Pro fratre hostem exhibuit. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 12, 2. p. 1058.] ℙ Interdum emittere, edere. *Ov. Trist.* 3, 11, 53. monstratis crudeliter ignibus ustus Exhibuit querulos ore gemente sonos. ℙ Item exercere. *Pl. Cas.* 2, 6, 57. Si quidem me vivo mea uxor imperium exhibet. ℙ Saepe facessere, comparare, creare. *Cic. Att.* 2, 1. Exhibere molestiam alicui. *Id. Off.* 3, 31. negotium cuipiam. [*sc. eo quod alicui dictus sit dies.] *Tibull.* 2, 1, 61. curam. *Colum.* 5, 5. difficilem laborem. ℙ Significat etiam tolerare, alere, sustentare. Haec autem notio inde oritur, quod qui alit, ejus, quem alit, praesentiam et statum exhibet ac praestat. *Justin.* 9, 2. Sterilitas terrae non patrimoniis ditat Scythas, sed vix alimentis exhibet. *Id.* 11, 10. et 22, 1. Exhibere vitam. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. Maxime si aegros se esse dicant, desiderentque a libertis exhiberi. *Id. ib.* 25, 3, 5. Si quis a liberis ali desideret, vel liberi ut a parente exhibeantur. Adde *Paul. ib.* 3, 5, 33. etc. [*In hunc sensum saepissime ap. Ictos. Sic Exhibere parentes, servos, uxorem. V. *Brisson.* de verb. signif. *Duker.* de *Lat. Vet. Ict.* p. 436.]

EXHĪBĪTIO, onis, f. παράστασις, actus exhibendi. *Gell.* 14, 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, chirographi exhibitione, testium intercessione. *Ulp. Dig.* 29, 3, 2. *f.* Exhibitio tabularum testamenti. ℙ Significat interdum alimenta et victum, quo vita exhibetur, hoc est sustentatur, ut in v. praec. dictum est. *Id. ib.* 27, 2, 3. Quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit. Adde *Papin. ib.* 26, 2, 26. *f.* et *Tertull. Idol.* 6. et alibi.

EXHĪBĪTOR, oris, m. παρασταίτης, qui exhibet. *Arnob.* 7, 247. Ludorum exhibitor magistratus. *Non.* 4, 125. Exhibitor convivii, dominus appellatur.

EXHĪBĪTORĪUS, a, um, adj. ad exhibendum pertinens, ut Exhibitorium interdictum. *Ulp. Dig.* 43. *t.* 5. qui est de tabulis exhibendis, 3. *t.* 29. qui est de liberis exhibendis, *l.* 3. *h. e.* quod jubet exhiberi aliquid, et sisti judicio, ut quid juris in eo sit, decernatur.

EXHĪBĪTUS, a, um, part. ab *exhibeo*, productus, prolatus, oblatus. *Ov. Her.* 17, 192. Hypsipyle testis, testis Minoia virgo, In non exhibitis utraque lusa toris, *h. e.* non oblatis, sed furto quaesitis, atque adeo illegitimis.

EXHĪLĀRĀTIO, onis, f. actus exhilarandi. *August. de Gen. ad litt.* 8, 8. Exhilaratio voluntatis.

EXHĪLĀRĀTUS, a, um, part. ab *exhilaro*. *Cic. Fam.* 9, 26. Exhilarata servitus. *Colum.* 6, 24. Pecudes pabulo exhilaratae.

EXHĪLĀRO, as, avi, atum, a. 1. εὐφραίνω, hilarem reddo, laetifico. *Mart.* 8, 50. Exhilarant ipsos gaudia nostra Deos. *Colum.* 11, 1. *med.* Variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes. ℙ Translate. [*Veg. *Mul.* 5, 38. Quo facto statim exhilaratur jumentum, i. e. recreatur.] — ℙ *Plin.* 16, 25, 40. Neque ilex, picea, larix, pinus ullo flore exhilarantur. *Id.* 22, 25, 74. Colorem hominis frequentiores in cibo lupini exhilarant. [*eine gute Farbe machen, ein gutes Ansehen geben.]

EXHINC et Ex hinc, adv. ex hoc tempore, deinde, exinde. *Lucr.* 3, 161. exhinc corpus propellit, et icit. Ita *Prisc.* legit 10, 886. Alii *exin. Suet. Tib.* 9. Exhinc Rhoeticum bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Al. leg. *exin. Appul. Met.* 11. [*In *Scheller. Lex.* per errorem lib. 9. citatus est.] p. 269, 19. Exhinc festivissimum celebravi natalem sacrorum.

EXHONORO, as, a. 1. inhonoro, ἀτιμάζω. *August. tract. in Joann.* 36, 4. Christum ab hominibus exhonorari. *Id. ep.* 118, 3. Exhonorare corpus et sanguinem Domini.

EXHORRĔO, es, horrui, n. 3. περιφρίττω, valde horreo. Cum accus. *Colum.* 10, 154. de planta. Nec mutata loco siccos exhorreat aestus. *Ov. Met.* 4, 134. oraque buxo Pallidiora gerens, exhorruit aequoris instar, Quod fremit, exigua cum summum stringitur aura. *Val. Fl.* 4, 380. Verbere candentes quoties exhorruit armos, κατὰ subintellige, Graecorum more. *Id.* 7, 527. atque omnis spiris exhorruit arbor. ℙ Metonymice est prae timore, ira, aut admiratione turbari, et contremiscere, horrore perfundi. *Val. Fl.* 6, 52. nec Nymphae geminos exhorruit angues.

EXHORRESCO, is, n. 3. idem ac exhorreo, horridus fio, et translate timore perturbor. *Plane.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. *med.* Non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest vulneris. *Cic. Fin.* 1, 13. Sapientia nos exhorrescere metu non sinit. *Id. Or.* 3, 14. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? ℙ Cum accus. more Graecorum. *Virg. A.* 7, 265. vultus neve exhorrescat amicos. *Sil.* 3, 146. Nec tamen incautos laudum exhorresce furores. ℙ Cum infinito. In fragm. orat. Claudii Imp. apud *Grut.* 502, 1, 4. Deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis.

EXHORTĀMENTUM, i, n. exhortatio. *Non.* 2, 637. Excursum et exhortamenta moderari.

EXHORTĀTIO, onis, f. adhortatio, hortamen, παραίνεσις, προτροπή. *Plane.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. Quae et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi. *Colum.* 11, 1. *med.* Variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes. *Justin.* 38, 3. *f.* Milites variis exhortationibus ad

bellum incitare. *Tac. H.* 1, 36. Strepere cuncta clamoribus, et tumultu, et exhortatione mutua. ℙ *Rutilius* et *Celsus* inter figuras sententiarum et *exhortationem* posuerunt: sed excludit *Quint.* 9, 2. *sub f.*

EXHORTĀTĪVUS, a, um, adj. ad exhortandum pertinens. Ita vertit *Quint.* 3, 6. Graeca verba προτρεπτικὸς et παραινετικὸς, ubi de Statu agit.

EXHORTĀTOR, oris, m. προτρέπων. *Tertull. de fuga in persecut. f.* Exhortator omnium tolerantiarum.

EXHORTĀTORĬUS, a, um, adj. παραινετικὸς, exhortativus, ut Exhortatoria epistola, *Hieron. ep.* 2. *n.* 1. et *August. ep.* 209.

EXHORTĀTUS, a, um, part. ab *exhortor. Virg. A.* 12, 159. sic exhortata reliquit Incertum. ℙ Passive. *Cic. Senect.* 12. *f.* Exhortatus in convivio a scorto est, ut etc. Al. rectius leg. *exoratus.*

EXHORTOR, aris, atus sum, dep. 1. προτρέπω, παραινέω, vehementer hortor. *Virg. A.* 7, 472. Certatim Rutuli sese exhortantur in arma. *Ov. Met.* 13, 234. Cives exhortari in hostes. Et *ib.* 7, 35. Tauros exhortari in aliquem. Et *ib.* 5, 402. et nomine quemque vocatos Exhortatur equos. *Petr. Sat.* 140. et *Auct. dial. de or.* 14. Exhortari aliquem, ut etc. Et *omisso* ut, *Plin. Pan.* 69. Nec segnius juvenes nostros exhortatus es, consulatum circumirent, senatui supplicarent. *Plin. alter* 2, 107, 111. Milites ad ultionem exhortans. [*Observa eleganter dici exhortari aliquid pro vulgari exhortari ad aliquid, quae etiam simplicis verbi constructio est. V. *Gron.* ad *Sen. Ep.* 121. Et virtutes exhortabor.] *Petr. Sat.* 109. Exhortantibus universis, odia detumescunt. *Quint.* 10, 7. *med.* Exhortandis in hanc spem, qui foro praeparantur, utile exemplum. *Gell.* 13, 23. Plus hercle promovet ad exhortandam parsimoniam, sustinendamque inopiam, quam etc.

*EXHŪMORO, as, a. 1. humorem detraho. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. *f.* Alii cutis vulnerationem affectandam probant, qua corpus exhumoretur, *h. e.* noxiis humoribus liberetur. *B. A.*

EXHYDRĬAE, arum, m. plur. vocantur venti Atticorum lingua, cum imber effusus conciet flabra, ἐξυδρίαι ἄνεμοι. *Appul. de Mundo.* p. 62, 3.

EXĪBĪLO. V. EXSIBILO.

EXICCO. V. EXSICCO.

EXĪCIĀ. V. AXICIA.

EXĪCO. V. EXSECO.

EXIGNESCO, is, n. 3. ignem, seu calorem concipio, ignis fio. *Censorin. de die nat.* 18. *med.* Mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur.

EXĪGO, is, egi, actum, a. 3. ἐξάγω, extra ago, educo: ab *ex*, et *ago.* [*Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 11, 8.] *Varr. R. R.* 2, 3. Desistente autumno, exigunt a grege in campos. Et 4. Hiberno tempore non prius exigunt pastum, quam pruina evanuit. ℙ Item emitto. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Μυρμήκια, quae radices altius exigunt. [*i. e. emittunt, propellunt.] Et *Colum.* 3, 2. et 6. Vitis fecunda uvas complures exigit. *Cels.* 8, 1. *med.* Vertebrae ab utroque latere processus duos exigunt. *Ov. Her.* 2, 114. Et sacer admissas exigit Hebrus aquas, *h. e.* propellit in mare. [*Burm. ad *Ov. Trist.* 5, 5, 31.] *Quint.* 11, 3. *med.* Dilucida erit pronunciatio, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet. *Ter. Andr. prol.* 27. Spectandae (fabulae), an exigendae sint vobis prius, *h. e.* excludendae, improbandae. [*Exigi dicuntur et fabulae, quae improbantur, et actores, qui explodunturi. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr. Prol.* 27. V. infra.] ℙ Item expello. *Cic. Or.* 2, 48. Neque reges ex hac civitate exigi sine nobilium dissensione potuisse. [*Drak. ad *Liv.* 1, 59, 1.] *Liv.* 3, 61. Pulsum hostem exigere e campo. Et 37, 41. *extr.* Exigere campo. [*Drak. ad *Liv.* 10, 27, 8.] *Val. Fl.* 3, 381. ferroque morantes Exigere hinc animas. *Sen. Ira* 1, 6. Exigere aliquem vita. Et *Naevius* ap. *Non.* 4, 152. Indigne exigor patria innocens. *Plin.* 2, 68, 68. Exigere accolas ultra fines. *Pl. Aul.* 3, 1, 7. Itaque omnes exegit foras. *Liv.* 39, 11. Domo exigere aliquem. [*Dicitur etiam de histrioribus, qui ejiciuntur. *Ter. Hec. Prol.* 11. Partim sum exactus, partim vix steti. V. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 28.] *Sil.* 16, 234. Exigere e stratis corpus. *Hor. Od.* 4, 15, 17. Custode rerum Caesare, non furor Civilis, aut vis exiget otium. [*Cic. *Ph.* 2, 28. Uxorem exigere foras.] *Ter. Hec.* 2, 1, 45. Exigere uxorem *Pl. Mil.* 4, 6, 62. Tua causa exegit virum a se. *Id. Capt.* 5, 4, 4. Ex corpore lassitudinem exigere. *Luc.* ap. *Non.* 4, 152. Vestimentis frigus exigere. [*Suet. *Aug.* 94. In corpore ejus exstitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse unquam exigi. quae est lectio unius cod., probata a *Gronov.* V. *Burm.* ad *Ov. Art. Am.* 2, 653. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 4. ult.] ℙ Item injicio, immitto, adigo. *Virg. A.* 10, 815. validum namque exigit ensem Per medium Aeneas juvenem, totumque recondit. *Flor.* 4, 2. *a med.* Gladium per viscera exegit. *Senec. Consol. ad Marc.* 16. Exigere tela in aliquem. Adde *Stat. Theb.* 6, 717. [*V. *Gron.* a *Sen. Cons.* ad *Marc.* 16. *Burm.* ad *Quint. decl.* 10, 16. p. 228. *Interpp.* ad *Sil. It.* 1, 307. 642.] ℙ Item transfodio. *Val. Fl.* 6, 572. illum exigit hasta, Hunc fugat. [*Genus loquendi poetis non infrequens. Exempla vide apud *Gron.* ad *Sen. Cons.* ad *Marc.* 16.] ℙ Item duco, ultra duco, produco, transmitto. *Val. Fl.* 2, 75. cum primus equis exegit anhelis Phoebus Athon, mediasque diem dispersit in undas. *Prop.* 3, 19, 3. Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes, Phoebe, moraturae contrahe lucis iter. *Stat. Theb.* 2, 41. ubi prona dies, longos super aequora fines Exigit umbra, *h. e.* extendit, producit. *Ov. Amor.* 1, 5, 1. Aestus erat, mediamque dies exegerat horam, *h. e.* adduxerat, vel transierat. ℙ Item trajicio, transcurro. *Plin.* 12, 19, 42. Troglodytae hibernum mare exigunt circa brumam, Euris tum maxime flantibus. ℙ Item transigo, ago. *Petr. Sat.* 115. Cibis corruptis utcumque curati, tristissimam noctem exegimus, [*Tac. *A.* 3, 16. Exquirit qualem Piso diem supremum noctemque exegisset.] *Plin. ep.* 3, 1. Nescio, an ullum tempus jucundius exegerim. *Ter. Heaut.* 2, 3, 39. Quo studio vitam suam te absente exegerit. *Virg. A.* 7, 776. et *Ov. Met.* 12, 208. Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum Exigeret. *Pl. Capt.* 5, 4, 12. Tu cujus causa hanc aerumnam exigo, *h. e.* tolero, perfero. ℙ Item perficio, absolvo. *Hor. Od.* 3, 30, 1. Exegi monumentum aere perennius. *Ov. Met.* 1, 117. Perque hiemes, aestusque, et inaequales autumnos, Et breve ver spatiis exegit quatuor annum, *h. e.* complevit, composuit. ℙ Item distrahere, venale aliquid extrudere. *Liv.* 34, 9. *a med.* Mercari et ipsi ea, quae externa inveherentur, et agrorum exigere fructus volebant. [*ubi vid. *Gron.*] *Colum.* 10, 10, 315. Mercibus exactis etc. ℙ Saepe est reposcere, flagitare, in re pecuniaria: itemque exigendo obtinere. [*Cic. *Brut.* 4. Ego exspectabo ea quae polliceris, neque exigam, et erunt mihi grata ut solveris.] *Cic. Fam.* 13, 11. Ad eas pecunias exigendas, quae a colonis debentur, legatos misimus. *Id. Div. Verr.* 10. *f.* A civitatibus pro frumento pecunias exegerunt. *Id. Font.* 5. Quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegit. *Caes. B. C.* 3, 32. Acerbissime exigere pecunias imperatas. Et 12. obsides ab aliquo. *Petr. Sat.* 8. Pro cella assem exigere. *Cic. Fam.* 3, 7. tributa. Et *ib.* 6, 18. pensionem *Id. Verr.* 2, 1, 10. nomina sua. *Id. Amic.* 21. mercedem. ℙ Extra rem pecuniariam. *Cic. Fam.* 2, 6. Ne id quod petat, exigere magis, quam rogare videatur. Et *ib.* 15, 16. Longiores litteras exspectabo, vel potius exigam. *Id. Fin.* 4, 28. Hanc exigam a te operam, ut audias me. Et *ib.* 2, 35. Exigerem ex te, cogeremque, ut responderes. Et 22. Omnibus ex rebus voluptatem, quasi mercedem, exigit. [*Cic. *Tusc.* 1, 39. Ab hoc acerbius exigit natura quod dederat, de morte immatura.] *Id. Leg.* 1, 1. Non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigunt. [*Sen. *Claud. Apol. in.* Quis unquam ab historico jurato res exegit, *h. e.* jurejurando obstrinxit historicum ad fidem et veritatem eorum quae tradit. ℙ Observa etiam infinitivum sequi hanc vocem. *Paul.* in *Dig.* 29, 7, 8, 2. Exigimus potuisse eum eo tempore testamentum facere. *Ulp.* in *Dig.* 24, 3, 2, 2. Ubi sapit, scire eam exigimus, ut videatur non contradicere.] Et qui exigendo obtinet, *exigere* dicitur. [*Exigere verbum est potestatis et praepositorum negotio, ut rite ac diligenter fiat. Sunt verba *Gron.* ad *Sen. Contr.* 32. quem vide.] *Liv.* 42, 3. Sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda more majorum. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 59. Exigere viam dicuntur magistratus, cum viciniam cogunt munire quam diligentissime sumptu facto. *Cic. ib.* Quam tu viam thensarum atque pompae ejusmodi exegisti, ut etc. [*Suet. *Tib.* 19. Disciplinam acerrime exegit.] *Suet. Claud.* 12. Ut rata essent, quae procuratores sui statuerent, precario exegit. *Ov. Rem. Am.* 333. Exige quod cantet, si qua est sine voce puella. *Id. Met.* 14, 477. antiquo memores de vulnere poenas Exigit alma Venus, *h. e.* pro vulnere. [*Sen. de Ir.* 2, 23. Potest poena delata exigi, non potest exacta revocari.] *Flor.* 3, 19. *extr.* et *Ov. Met.* 8, 531. Exigere supplicium, poenas de aliquo. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 12. ab aliquo. *Liv.* 29, 18. *f.* Exigere ab aliquo gravia piacula. [*Hinc omnino curare, ut aliquid fiat. *Sen. Contr.* 25. In socium nostrum praetor animadvertit, ebrius fortasse, nisi, ut omnia spectaret meretrix, diligenter exegit. Quanquam ibi exigere cum delectu positum, quod de praetore agitur.] ℙ Invenitur etiam *exigere poenas alicui. Ov. Fast.* 4, 230. huic poenas exigit ira Deae. [*Cf. *Burm.* ad *Ov. Art. Am.* 1, 381. *Heins.* ad] *Claud. VI. cons. Honor.* 113. Ense Thyestiadae poenas exegit Orestes. *Id. B. G.* 194. Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes Exegere Getis. ℙ Necessitas exigit, ratio, usus exigit, apud *Quint.* 4, 1., *Colum.* 7, 12. *med.* et *prooem. l.* 9. Ut res exigit, prout res exigit, ap. *Plin.* 27, 4, 5. et 31, 6, 31. Sic *Quint.* 10, 3. Illic opes reconditae, unde ad subitos casus, cum res exiget, proferantur. ℙ Praeterea significat examinare, redigere, ponderare, explorare. *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Nisi forte vis re, explorare. *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Nisi forte vis ad perpendiculum columnas exigere. *Plin.* 36, 25, 63. Materia crassitudine bipedali ad regulam et libellam exigitur. *Suet. Caes.* 47. Margaritarum pondus sua manu exigere. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Exigere aliquid mensura. Hinc translate. *Liv.* 34, 31. *med.* Nolite ad vestras leges et instituta exigere ea, quae Lacedaemone fiunt. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris, cavendum tibi erit, ne etc. *Ov. Art. Am.* 2, 502. Exigere opus ad vires suas. *Quint.* 1, 5. Illa non nisi aure exiguntur, quae fiunt per sonos. Et 4. An cujuslibet auris est exigere litterarum sonos? *Mart.* 7, 28. Exige, sed certa, quos legis, aure jocos, *h. e.* examina, perpende versiculos jocosos. Alii leg. *Excipe. Senec. Q. N.* 4, 5. Si omnia argumenta ad obrussam coeperimus exigere, silentium indicetur. [*Id. *de clem.* 1, 1. Principatus tuus ad anni gustum exigitur. Sic recte conjecit *Lips.* V. *Gron.*] *Virg. A.* 4, 476. Decrevitque mori: tempus secum ipsa modumque Exigit. *Quint.* 1, 9. Aesopi fabellas narrare sermone puro; deinde eandem gracilitatem stilo exigere condiscant, *h. e.* imitari, assequi, exacte assimilare, ad eam gracilitatem stilo se conformare. *Sen. ep.* 11. *f.* Opus est aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant, *h. e.* se conforment, dirigant. V. EXACTUS. [*V. *Gron. Observ.* 1, 8. ad *Sen. Agam.* 934. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 15. p. 124.] ℙ *Exigere quippiam cum aliquo*, agere, tractare deliberare, cum aliquo rem examinare et quasi ad regulas rationis et prudentiae exigere, *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *f.* De his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. *Sen. ep.* 27. In secretum te meum admitto, et te adhibito, mecum exigo. *Plin. ep.* 6, 12. Sentio, quanto opere me diligas, cum sic exegeris mecum, ut solebas cum filio tuo. *Id. ep.* 9, 26. *f.* Dummodo destines diem, quo et de his coram exigere possimus. *Liv.* 22, 49. *med.* Haec exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere. Sic Graece ἐξηγεῖσθαι, sermone agere, colloqui. ℙ *Exigere ab aliquo*, quaerere, exquirere. *Tac. A.* 2, 85. Exactum est a Labeone, cur ultionem omisisset. ℙ Exigere aliquem, vocare, impellere. Juppiter apud *Stat. Theb.* 1, 215. quonam usque nocentum Exigar in poenas? ℙ Passive *Metell. Numid.* ap. *Gell.* 15, 14. *sese pecunias maximas exactos esse* dixit, *h. e.* pecunias a se maximas exactas. Et *Caecil. ib.* et ap. *Non.* 2, 294. *Ego exigor portorium*, h. e. exigitur de me portorium: quas loquendi rationes nove dictas ait *Gell.* et Graecae rationis; Graeci enim dicunt εἰσπράξατό με ἀργύριον, exegit me pecuniam. Simili modo locuti sunt *Pl. Trin.* 2, 4, 26. et *Jabolen. Dig.* 23, 4, 32. *extr.* ℙ [Part. *Exacturus* ap. *Sil.* 7, 280. Arcta fames poenas miserae exactura Sagunti. *F.*] ℙ [*Confunduntur passim a librariis *Exigere* et *erigere.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 15. p. 51. *Drak.* ad *Liv.* 6, 2, 1. — et *Excutere. Burm.* ad *Ov. Met.* 9, 745. — et *Eximere. Id.* ad *Art. Am.* 2, 653. — et *Exsuere. Id.* ad *Fast.* 3, 6, 281.]

EXĪGUĒ, adv. μικρῶς, ὀλίγως, exiguo modo, parum, leviter, tenuiter. *Cic. Or.* 3, 36. Cum de duabus primis celeriter exigueque dixisses. *Id. Att.* 11, 16. Epistola exigue scripta, *h. e.* quae pauca continet, eaque inania. *Ter. Heaut.* 1, 2, 33. Exigue sumptum praebent. *Caes. B. G.* 7, 71. Ratione inita, frumentum se exigue dierum triginta habere, sed paulo etiam longius tolerare posse parcendo, *h. e.* vix. *Cic. Amic.* 16. Hoc quidem est, nimis exigue et exiliter ad calculos revocare amicitiam. *Gell.* 19, 3. Turpius esse exigue atque frigide laudari, quam insectanter ac graviter vituperari. *Id.* 9, 9. *extr.* Virgilius hunc Homeri versum exigue secutus est, *h. e.* parum expressit.

EXĪGŪĪTAS, atis, f. ὀλιγότης, μικρότης, paucitas, parvitas. *Cic. Fin.* 4, 12. In quibus, propter earum exiguitatem, obscuratio consequitur. *Caes. B. G.* 3, 23. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Exiguitas copiarum, *Caes. B. G.* 2, 21. et 33. et *Liv.* 24, 17. temporis. *Caes. B. G.* 4, 30. Paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscere. Et 1. *extr.* Exiguitas pellum. *Justin.* 43, 3. terrae. [*Et simpliciter. *Pall. R. R.* 1, 6, 8. Foecundior est exiguitas (sc. terrae), quam magnitudo neglecta.] *Suet. Claud.* 28. fisci. *Colum.* 7, 5. *med.* cibi maciem facit. [*Adde *Col. R. R.* 7, 5, 5. ℙ Aliquando etiam vilitatem significat. *Ulp.* in *Dig.* 19, 2, 15, 5. Quum quidam de fructuum exiguitate quereretur, non esse rationem ejus habendam.]

EXĪGŪUS, a, um, adj. μικρὸς, ὀλίγος, parvus, exilis, tenuis: est ab *exigo*, ut *ambiguus* ab *ambigo*, unde proprie *exiguus* dicitur, qui nullo negotio exigi, ejicique potest. *Nep. Ages.* 8. Exiguus, et claudus altero pede, i. e. brevis. *Virg. G.* 1, 181. Exiguus mus. *Cic. Div.* 2, 16. Possum suspicari, contactum aliquo morbo, bovis exile, et exiguum, et vietum cor fuisse. *Id. Rabir. perduell.* 3. Exigua et angusta pars. *Id. Parad.* 6, 3. [*Fructus non modo ad sumptum, sed etiam ad fenus exi-

guus.] *Mart.* 12, 83. Exigui capilli, *h. e.* rari. *Cic. Or.* 3, 19. Ex ingenti campo in exiguum gyrum compellere. *Id. Quint.* 1. Exiguae amicorum copiae. *Nep. Milt.* 4. *extr.* Exiguis copiis dimicare. *Lucan.* 3, 182. Exiguae puppes. [*numero paucae.] *Cic. Or.* 1, 4. *extr.* Exiguus oratorum numerus. Et 20. *f.* Exiguum tempus. *Caes. B. G.* 4, 20. Exigua pars aestatis. Et *ib.* 5, 47. Exigua castra. Et *ib.* 7, 17. Civitas exigua et infirma. *Cic. Agr.* 2, 2. *extr.* Exigua laus. *Id. Fam.* 5, 7. Litterae tuae exiguam significationem tuae erga me voluntatis habebant. *Id. Fin.* 1, 19. Exiguam fortunam intervenire sapienti. *Ov. Her.* 14, 115. De fratrum populo pars exiguissima restas. *Plin. ep.* 7, 24. Exiguissima legata. [*Ceterum opponuntur Exiguiora legata plenioribus. *Ulp.* in *Dig.* 32, 46. Ea adjectio legatum alias exiguius, alias plenius efficiat.] *Colum. Arbor.* 28. *f.* Cytisum aridum si dabis, exiguius dato. *Front. Aquaed.* 32. Vicenariam exiguiorem faciunt diametro digiti semisse. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *med.* Licet alii validioris vocis sint, alii exiguioris. *Id. ib.* 43, 11, 1. *med.* Ut aqua exiguior facta minus sit navigabilis. Et 30, 1, 14. *extr.* Exiguius esse praestandum. ℙ Cum genitivo. *Claud. in Eutrop.* 2, 381. Abundans corporis, exiguusque animi. ℙ Substantive. *Ov. Trist.* 5, 2, 20. Exiguum pleno de mare demat aquae. [*Liv.* 22, 24, 8. Exiguum spatii, *id.* 27, 27, 3. Exiguum campi. V. *Drak.* ad *Liv.* 27, 2, 9.] *Plin.* 28, 9, 37. Exiguum mellis adjiciunt. Et 25 13, 106. Cum croco, et exiguo aquae frigidae trita. *Sil.* 4, 248. Exiguum salutis. *Plin. ep.* 7, 27. temporis. ℙ Adverbialiter. *Id. ep.* 3, 6. In hac certe perquam exiguum sapio. *Plin. alter.* 10, 75, 97. Exiguum dormire. *Ov. Her.* 18, 141. exiguum misero contingis amanti, *h. e.* exiguo tempore. *Lucan.* 5, 431. Exiguum tument vela. ℙ *Exiguo* pro *exigue. Scrib. Comp.* 240. Exiguo oras ulceris tangere. ℙ *Exiguo post,* paulo post. *Plin.* 31, 2, 3. Exiguo post obitum ipsius. ℙ Vilem aliquando significat, parvique pretii. *Spartian. Sever.* 19. Tam exiguis vestibus usus est, ut vix tunica ejus aliquid purpurae haberet. [*Ulp.* in *Dig.* 32, 75. Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati videantur.]

EXĬLĬCA. V. EXSILICA.

EXĬLIO. V. EXSILIO.

EXĬLIS, e, adj. λεπτὸς, tenuis, subtilis, gracilis. *Festus* derivat a tenuitate *inarum*, τῶν ἰνῶν, hoc est fibrarum, seu subtilium venularum in chartis intercursantium. At fortasse est derivandum ab *ex* et *ile*, qui nempe exiguis est iliis, seu lateribus, quemque *Hor. Sat.* 1, 2, 93. *brevi latere* dicit. *Cic. Div.* 2, 13. Eadem hora aliae pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliae horridum et exile. [*Colum. R. R.* 1, 4, 2. Exilis ager.] *Id. Agr.* 2, 25. *med.* Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro praestringi non possit? *h. e.* arenosum, vel exigui fundi. *Lucan.* 3, 204. glebis exilis Arisbe, *h. e.* macri soli. *Senec. Q. N.* 1, 1. *med.* Ignes tenuissimi iter exile designant. *Plin.* 13, 4, 9. Caryotae macro corpore exiles. *Ov. Pont.* 1, 10, 27. Exiles artus. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 8. *extern.* Tenues et Exiles virium reliquias fovere. *Plin.* 11, 37, 89. Exilis humor. *Id.* 24, 6, 20. Exilia folia. *Id.* 15, 13, 12. Exilior prunorum caro. *Id.* 11, 51, 12. Feminis vox exilior, quam maribus. *Hor. Od.* 1, 4, 17. vocat *exilem* domum Plutoniam, in qua sunt manes sine corpore, et tenues umbrae. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 3. *f.* Ista ipsa, quae tu breviter, a te quidem apte et rotunde, habes enim a rhetoribus: illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi, *h. e.* inornata, subtilia, sicca, tenuia. *Id. Or.* 2, 38. Genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. Et 77. *extr.* Exile exordium. Et *ib.* 1, 18. Spinosa et exilis oratio. *Pl. Stich.* 4, 1, 21. Ita, me absente, familiarem rem uxor curavit meam: omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum, *h. e.* exsortem, immunem, nulla aegritudine circumdatum, omni cura spoliatum. *Nep. Eumen.* 5. Exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant, *h. e.* tenues, imminutae, adversae et calamitosae. *Gell.* 14, 2. Argumentis admodum exilibus nitebatur. *Hor. Ep.* 1, 6, 45. Exilis domus est, ubi non et multa supersunt etc., *h. e.* pauper, tenuis. *Plin. Pan.* 40. Parva et exilis hereditas. *Appul. Met.* 10. Exilis metus. ℙ [*Sever. de Aetn.* 97. Exiles viae, i. e. angustae. In *Ov. Trist.* 1, 2, 84. Exilem vim interpretabatur *Heins.* per compendiosam; quod latine dici non potest. Cf. *Burm.* ad *h. l.*] ℙ *Exile* adverbii ritu pro exiliter. *Stat. Theb.* 7, 262. redit, atque exile profatur. ℙ Sup. Exilissimus in *Not. Tir.* p. 67.

EXĪLĬTAS, atis, f. λεπτότης, tenuitas, gracilitas. *Plin.* 11, 2, 1. Exilitas aculei apum. *Id.* 24, 19, 118. Folia fastigantur in exilitatem. *Id.* 18, 17, 45. et *Colum.* 8, 16. Exilitas soli. *Quint.* 1, 11. Femineae vocis exilitas. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 12. Qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate non utuntur? *Id. Brut.* 82. Atticum se Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat illa exilitas, quam etc. *Quint. l. c.* Quarundam litterarum vel exilitate, vel pinguitudine nimia laboramus.

EXĪLĬTER, adv. λεπτῶς, tenuiter, graciliter. *Cic. Or.* 3, 11. Nolo, verba exiliter exanimata exire; nolo inflata, et quasi anhelata gravius. [*i. e. sine vi, ut vix intelligi possint.] ℙ Translate. *Id. Or.* 1, 11. *f.* Iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter disputavisse, *h. e.* tenui, et inornato stilo. *Id. Brut.* 27. *extr.* Annales sane exiliter scripti. *Varr. L. L.* 4. *s. in.* De quibus duabus rebus in his libris promiscue dicam, sed exilius de posteriore, *h. e.* parcius, brevius.

EXĬLIUM. V. EXSILIUM.

EXĪMĬE, adv. ἐξαιρέτως, excellenter, egregie. *Cic. Arch.* 9. Marius L. Plocium eximie dilexit. *Juven.* 11, 1. Eximie coenare. *Liv.* 25, 40. Eximie ornatum templum. *Id.* 42, 29. Antiochus omnia per suos legatos senatui eximie pollicitus erat. *Gell.* 13, 8. Eximie atque verissime opinari. Et 11, 13. Eximie et unice delectare. *Plin.* 29, 6, 38. Eximie prodesse. Et 20, 22, 89. Eximie utilis. Et 29, 6, 38. Oculis eximie medetur. Et 27, 12, 104. Proserpinaca anginam eximie curari. [*Col. R. R.* 8, 17, 1. Stagnum censemus eximie optimum, quod sic positum est, i. e. prae aliis omnibus optimum.]

EXĪMĬĒTAS, atis, f. praestantia. *Symmach. ep.* 3, 3. Spondeo tuam eximietatem reperire posse multa, quae tacui. Adde *August. ep.* 32, 231. et 237.

EXĪMĬUS, a, um, adj. ἐξαίρετος, excellens, egregius, quasi exemptus, et extra ceteros positus: est ab *eximo*. Hinc *Cic. Div. Verr.* 16. Neque esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret injurias, te illi unum eximium, cui consuleret, fuisse. *Liv.* 9, 34. Tu unus eximius es, in quo hoc praecipuum et singulare valeat? [*V. *Drak.* ad h. l.] *Ter. Hec.* 1, 1, 9. Utin' eximium neminem habeam? *h. e.* ut neminem eximam, excipiam. ℙ Proprie dicebatur de animalibus ad sacrificium electis, quia in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, teste *Festo*, et *Macr. Sat.* 3, 5., et magis etiam de porcis majoribus, qui ad sacrificandum excepti liberius pascebantur. Nam boves, qui ad hoc electi erant, *egregii* dicebantur, et oves *lectae. Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 1, 9. [*Drak. ad *Liv.* 7, 37.] Sed haec nomina saepe indifferenter usurpantur. *Virg. G.* 4, 538. Quatuor eximios praestanti corpore tauros. ℙ Universim autem, et lato usu accipitur pro excellenti, insigni, singulari, praestanti, ut dictum est. *Cic. Manil.* 1. *extr.* Pompeji singularis eximiaque virtus. *Id. Or.* 2, 28. *extr.* Haec ipsa semper in te eximia et praestantia fuere. *Id. Off.* 1, 20. Ea quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere. *Id. Fin.* 1, 13. Eximiae pulcraeque virtutes. *Id. Verr.* 2, 5, 31. Mulier eximia facie. *Plin* 7, 12, 10. Eximios forma pueros vendidit. [*Drak. ad *Liv.* 6, 11, 3.] *Cic. Fam.* 6, 5. Eximium ingenium. Et *ib.* 1, 7. *extr*, Lentulus eximia spe et summae virtutis adolescens. *Plin.* 21, 5, 11. Eximius candor. *Id.* 27, 12, 104. Proserpinaca est eximii adversus scorpiones remedii. *Id.* 5, 4, 3. Regio fertilitatis eximiae. *Id.* 2, 63, 63. Eximia merita. *Id.* 24, 16, 95. Herba eximii usus ad vulnera. *Id.* 8, 44, 69. de mulis. Animal viribus in labores eximium. *Id.* 21, 20, 86. Caligines oculorum succo inungi, eximium habetur. *Lucan.* 3, 696. Eximius in aliqua re. ℙ Cum infinito. *Id. ib.* pugna fuit unus in illa Eximius Phoceus animam servare sub undis, Scrutarique fretum. ℙ Cum genitivo, Graeco more. *Stat. Th.* 6, 15. Eximii regum. ℙ In malam partem. *Lucr.* 2, 593. Eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae. ℙ Pro *maximus. Liv.* 42, 15. Harpalus quanta eximia celeritate poterat, regressus in Macedoniam. Alii leg. *quanta maxima.*

EXĪMO, is, emi, emptum, vel emtum, a. 3. ἐξαιρέω, extraho, educo, eruo: ab *ex* et *emo*, quod olim *accipere* significabat, *Festo* teste in *Abemito. Cato R. R.* 112. Ubi triduum praeterierit, eximito de dolio. Et 28. Oleas, ulmos bene cum radicibus eximito, cum terra sua quam plurima. *Plin.* 26, 11, 31. Medullam e caule eximere. *Id.* 30, 6, 17. Cani viventi lienem eximere. *Id.* 19, 12, 62. Eximere acetum opsoniis apio. *Cels.* 6, 9. et *Suet. Vesp.* 5. alicui dentem. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. unum diem ex mense. *Hor. Od.* 2, 2, 18. aliquem numero beatorum. *Curt.* 6, 11. *med.* se hominibus. ℙ Item adimo, aufero, tollo. *Hor. Ep.* 1, 5, 18. Sollicitis animis onus eximit. *Id. Od.* 3, 14, 14. Eximere curas. *Justin.* 30, 3. Quae res omnem cunctationem belli senatui exemit. *Cic. Tusc.* 2, 12. *f.* Illud, quod me angebat, non eximis. *Id. Amic.* 7. Eximere ex rerum natura benevolentiae vinctionem. *Liv.* 4, 31. religionem. *Suet. Claud.* 11. aliquid memoriae. *Pl. Merc.* 1, 2, 17. alicui lassitudinem. [*Flor. 4, 7, 13. Eximere alicui sensum rei gestae: de pulvere et strepitu, noctisque tenebris, quae impediunt quominus aliquis quae geruntur s. aguntur sentiat.] ℙ Item subtraho, libero. *Cic. Or.* 23. Eximere aliquem e vinculis. *Id. Inv.* 2, 7. *s. f.* aliquos ex culpa. *Liv.* 38, 15. obsidione. *Cic. Fam.* 5, 6. ex obsidione. *Id. Verr.* 2, 2, 40. *f.* aliquem ex reis. Et *ib.* 2, 4, 19. absentem de reis. *Id. Or.* 2, 67. *extr.* aliquem ex aerariis. *Nep. Att.* 10. quempiam de numero proscriptorum. *Liv.* 6, 40. *med.* se arbitrio alterius. Et 24. *med.* reum crimine. *Id.* 28, 39. *f.* cives servitio. [*Eximere aliquem alicui rei et aliqua re. *Drak.* ad *Liv.* 8, 35, 5. 33, 23, 2. Apud *Tacitum* vero aequalesque ejus scriptores fere cum dativo jungitur. *Boettich. Lex. Tac.* p. 184.] *Tac. A.* 14, 48. morti. *Val. Flacc.* 2, 256. Exime nos sceleri, pater, et miserere piorum. *Gell.* 4, 20. Notae jam destinatae exemptus est. *Pl. Rud.* 1, 4, 13. Eximere aliquem ex metu. *Liv.* 5, 15. rem miraculo, *h. e.* efficere, ut res miraculo, tribuenda non sit. ℙ In re forensi *eximere diem* est extrahere, protrahere, et sic judicio auferre. [*Eximere diem, tempus* est in universum deripere et abstrahere negótiis, sive feriarum causa, sive ne quod opus aut quod institutum erat, agatur et perficiatur. Sunt verba *Gron.* ad *Sen. N. Q. praef.* 3., quem vide.] *Cic. Q. Fr.* 2, 1. *med.* Clodius rogatus, diem dicendo eximere coepit. *Id. Att.* 4, 3. Metellus calumnia dicendi tempus exemit. *Plin. ep.* 5, 21. Dimittuntur centumviri, eximitur dies. Adde *Liv.* 1, 50. *f.* ℙ Translate. *Suet. Oth.* 6. Medium quoque tempus religio, et Seleucus exemit. ℙ [*Impersonaliter, passive. *Tac. A.* 6, 22. Plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur. *Gron.* in *Observ.* 2, 14. ita: *non eximi* est: non potest eximi, non potest opinio ista eripi.] ℙ [Partic. *Eximendus* ap. *Liv.* 24, 29. Id eximendum de foedere est. *F.* *ℙ Confunduntur *Eximere* et *Exigere. Burm.* ad *Ov. A. Am.* 2, 653.]

EXĬN, adv. per apocopen pro *exinde*, metri causa dici, ait *Festus*. Legitur autem ap. *Virg. A.* 6, 891. et *ib.* 7, 341. et alibi, *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48., *Pl. Epid.* 1, 2, 47. et *Poen.* 3, 5, 9. etc. ℙ Sed et a prosae scriptoribus usurpatur. *Cic. Or.* 45. *f.* Dein etiam saepe, et exin, pro deinde et exinde dicimus. *Id. Div.* 1, 26. Exin cuidam rustico visus est venire, etc. *Tac. A.* 3, 36. Exin promptum, quod, etc. ℙ *Reperitur et *exim*, v. gr. ap. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Majo*) 49. Eximque illos solo pingendo paruisse. *B. A.* ℙ [*Sacpius autem confunduntur *Exin* et *Exinde. Drak.* ad *Liv.* 27, 5, 6. 41, 27, 3. 42, 9, 8.]

EXĪNĀNĬO, is, ivi, itum, a. 4. ἐκκενόω, evacuo, inanem reddo. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. Nox illa tota exinaniunda navi consumitur. *Id. ib.* 5, 50. Vastare et exinanire agros. *Id. Div. Verr.* 4. Civitates vastare, domos exinanire, fana spoliare. *Hirt. B. Afr.* 20. Omnem regionem exinanire frumento. *Plin.* 26, 8, 36. Radix et alvum, et bilem, et pituitam exinanit. *Id.* 25, 5, 20. Exinanire lienem. *Id.* 7, 20, 19. onusta vehicula. *Id.* 24, 8, 35. hydropicos. [*abzapfen.] *Id.* 18, 22, 51. Nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus. *Paul. Dig.* 31, 1, 89. *f.* Patrimonium suum donationibus exinanire. *Pl. Truc.* 4, 2, 2. Ama rem tuam: istum (*amatorem*) exinani, *h. e.* emunge, exhauri, spolia. ℙ [Part. *Exinaniens* ap. *Plin.* 36, 14, 21. Paulatim exinaniens imos. *F.*]

EXĪNĀNĪTĬO, onis, f. evacuatio, ἐκκένωσις. *Plin.* 13, 22, 38. Succurrit aliquando praeceps alvi exinanitio. *Id.* 17, 2, 2. Exinanitio florescendi, *h. e.* emissio florum, qua vires arborum exhauriuntur.

EXĪNĀNĪTUS, a, um, part. ab *exinanio*, ἐκκενωθείς. *Cic. Agr.* 2, 27. Regibus atque omnibus gentibus exinanitis. *Id. Verr.* 2, 5, 40. Habet constratam navem, et minus exinanitam. *Sisen.* ap. *Non.* 2, 302. Exinanitis castris. *Plin.* 32, 5, 17. Exinanita clysteribus corpora. *Id.* 17, 2, 2. Exinanitae fetu arbores, *h. e.* viribus exhaustae. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes relinquunt exinanitas alvos.

EXINDĔ, adv., ἐντεῦθεν, ex eo tempore, postea, deinde, et ordinem significat tum loci, tum temporis. Loci. *Cic. N. D.* 2, 39. *f.* Exinde mari finitimus aer, etc. *Pl. Curc.* 2, 3, 84. Ostium ubi prospexi, exinde me illico protinam dedi. ℙ Temporis. *Virg. A.* 6, 743. exinde per amplum Mittimur elysium. *Liv.* 31, 4. Praetores exinde facti Q. Minutius, etc. *Pl. Truc.* 1, 1, 63. Postquam alium reperit, qui plus daret, me exinde amovit loco. *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. *extr.* Videri legatum habere jurisdictionem, non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo, etc. ℙ Significat etiam ex ea re. *Pl. Pseud.* 2, 3, 13. Proinde ut quisque fortuna utitur, ita praecellet; atque exinde sapere eum, omnes dicimus. [*Varr. R. R.* 1, 20, 4. Ad molas alii asellis, alii vaccis ac mulis utuntur, exinde ut pabuli facultas est, *je nachdem das Futter da ist.*]

EXINFŪLĀBAT, exserebat, infulas enim sacerdotum, filamenta vocabant. *Festus.*

EXINTĔRO. V. EXENTERO.

EXJŌCOR, aris, dep. 1. idem quod jocor, ludo. *Catull.* 21, 5. nam simul exjocaris una Haerens ad latus, omnia experiris. Alii multo rectius leg. nam simul es, jocaris una, Heres ad latus, etc. *h. e.* cum illo consuescis, vel edis. [*Scripturam *Exjocares* damnat etiam *Schneid. Elementarl. Tom. II.* p. 562.]

EXISONA. *Vitr.* 4, 7. Uti reliqua exisona, quae solent esse in frontibus, ad latera sunt translata. *Barbarus* vertit *le altre parti uguali*, quasi sit ab ἴσος, aequalis, et *Vitr.* scripserit ἐξίσου, ex cujus corruptione exstiterit paulatim illud *exisona:* quae conjectura est *Baldi* in *Lex.*, ubi addit, placere *Turnebo* lectionem mutari, et *ex his omnia* legi.

EXISTĬMĂBĬLIS, e, adj. qui existimari potest, probabilis, veri similis. Est *Coel. Aurel. Acut.* 2, 5. et 35. et *ib.* 3, 17. *f.*

EXISTĬMĀTĬO, onis, f. ἐκτίμησις, actus existimandi, opinio, judicium. Differt ab *aestimatione*, quod haec fere ad pretia refertur; *existimatio* ad cetera. Praeterea *aestimatio* est de re perpensa et cognita judicium: *existimatio* est de re putata et probabili. Contra alii putant, *aestimationem* esse cogitationis et opinionis, *existimationem* perfecti omnino judicii. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Non est tibi his solis utendum existimationibus, ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. [*Existimatio et judicium quomodo differunt, docet locus *Cic. Cluent.* 30. Nunc quemadmodum audiar sentio, non modo ab iis, quarum judicium ac potestas est, sed etiam ab illis quorum tantum est existimatio, ubi judicium de iis quibus absolvendi aut condemnandi est potestas, existimatio de hominibus privatis.] *Liv.* 4, 20. Qui si in ea re sit error, communis existimatio est. [*V. *Drak.* ad h. l. et ad 4, 41, 2.] *Plin.* 11, 16, 16. Propior vero prior existimatio fieret, ni, etc. *Vitr.* 7, 5. *med.* Indecens status signorum publice civitati vitium existimationis adjecit. Et *Cic. Verr.* 2, 3, 82. In hoc genere facilior est existimatio, quam reprehensio. Et 58. Omnium existimationi satisfacere. [*V. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut. Prol.* 25.] *Suet. Tib.* 58. *extr.* Dictum factumve alicujus existimatione aliqua laedere. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 12. Complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. ℙ Saepius est passivae significat., et sumitur pro bona fama, opinione, auctoritate, honestate, dignitate, εὐδοξία, δόξα, ἐπιτιμία. *Callistr. Dig.* 50, 13, 5. Existimatio est dignitatis illaesae status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, auctoritate legum, aut minuitur, aut consumitur. *Cic. Fam.* 5, 20. Nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam. *Id. Flacc.* 22. Homo egens, sordidus, sine honore, sine existimatione, sine censu. *Id. Or.* 2, 49. Nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse. *Id. Rosc. Com.* 6. Judicia summae existimationis, et paene dicam capitis. *Id. Flacc.* 15. Homo fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus. *Id. Fam.* 13, 73. Alicujus existimationem violare. *Id. Planc.* 2. offendere. *Id. Fam.* 3, 10. *med.* oppugnare. *Suet. Caes.* 75. lacerare. *Cic. Att.* 1, 1. venire contra. Et *ib.* Inopem esse ab amicitia et existimatione. *Auct. ad Her.* 4, 10. Perdere existimationem. *Nep. Cat.* 2. Detrimentum existimationis facere. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Alicujus existimationi consulere. Et 4. Committere alteri existimationem suam. *Suet. Ner.* 12. Existimationis integrae vir. *Nep. Ages.* 4. Bonam existimationem regno praeponere. *Id. Att.* 15. Suam existimationem in ea re agi putabat.

EXISTĬMĀTOR, oris, m. δοξαστής, qui existimat, censet. *Cic. Or.* 31. Ut existimatores videamur loqui, non magistri. *Id. Or.* 3, 22. Stultus alieni artificii existimator. *Id. Brut.* 93. Existimator doctus et intelligens. *Gell.* 20, 1. Existimator non levis. [*Alia v. ap. *Gron.* ad *Liv.* 4, 41.] ℙ Quid ab *aestimatore* differat, collige ex dictis in v. praec.

EXISTĬMĀTUS, a, um, part. ab *existimo*. *Cic. Har. resp.* 13. Dejotarus a senatu regali nomine dignus existimatus. *Plin.* 18, 12, 30. Faba hebetare sensus existimata. *Gell.* 1, 9. Pro existimato captu solertiae. *Id.* 10, 23. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque a judice mulieres refert.

EXISTĬMO, et antique Existūmo, as, avi, atum, a. 1. δοκέω, νομίζω, puto, opinor, censeo: ab *ex*, et *aestimo*, a quo quid differat, in EXISTIMATIO diximus. *Cic. Agr.* 2, 33. Si majores nostri existimassent, quemquam Rulli similem futurum. *Id. Fam.* 15, 21. Non possum existimare, plus quemquam a se ipso, quam me a te amari. *Id. ad Brut.* 1, 4. Quanta sim laetitia affectus, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. *Id. Leg.* 1, 2. De scriptoribus, qui nondum ediderunt, existimare non possumus, i. e. judicare. [*Drak. ad *Liv.* 34, 2, 5.] *Id. Or.* 2, 66. P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax. *Id. Fam.* 1, 7. Ex eventu homines de tuo consilio existimaturos videmus. *Id. Brut.* 21. Orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest. Et 36. *extr.* Ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos. *Id. Att.* 6, 2. et *Off.* 2, 10. Bene aut male existimare de aliquo. *Id. Verr.* 2, 3, 82. Existimare aliquem avarum. *Nep. Phoc.* 2. Qui bene de republica mereri existimabantur. *Caes. B. G.* 5, 13. Huic millia passuum DCCC in longitudinem esse, existimatur. *Plin.* 6, 13, 14. Capillus juxta feminis virisque existimatur in probro. *Id.* 24, 15, 84. Chamaecissos cum floret, existimari potest alba viola. *Id.* 6, 22, 24. Taprobanen alterum orbem terrarum esse, diu existimatum est. *Liv.* 23, 15. *med.* Existimatu facile est. ℙ [*Insolentius positum ap. *Tac. H.* 4, 81. Existimari a medicis jubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabilis forent, i. e. quaeri ac sententiam ab iis ferri. — ℙ Porro observa *existimare* ex urbanitate Graecis inprimis familiari dici non tantum in re dubia, sed saepe de vera et certa. V. *Cic. Ac. Qu.* 4, 47.] ℙ Videtur aliquando poni pro *aestimo*. *Sall. H. in or. Macri Lic. trib. pleb.* 3. Si, Quirites, parum existumaretis, quid interesset, etc. *Id. Jug.* 88. Nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. *Ter. Phorm.* 1, 1, 11. Haud existumans, quanto labore partum. *Id. Heaut.* 2, 3, 41. Ea res dedit existumandi copiam quotidianae vitae consuetudinem. ℙ *Bene*, aut *male existimare de aliquo* non solum est bene aut male opinari, sed etiam per metonymiam bene aut male loqui. *Sen. Ira* 3, 22. Quid facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines et periculosissime, et libentissime faciunt, de rege suo male existimabant? Et *ep.* 68. Quid autem tecum loquaris? quod homines de aliis libentissime faciunt: de te apud te male existima.

EXISTO. V. EXSISTO.

EXĬTĬĂBĬLIS, e, adj. exitium ferens, exitialis. *Cic. Att.* 10, 4. Bellum terra et mari comparat, suis civibus exitiabile. [*Adde *Eutr.* 9, 7.] *Liv.* 29, 17. Exitiabilis tyrannus. [*Adde *Eutr.* 8, 1.] *Suet. Aug.* 23. Clades paene exitiabilis. *Ov. Met.* 6, 257. Telum exitiabile. *Tac. A.* 6, 24. Exitiabilis in suos, infensus reipubl. animus. *Vellej.* 2, 112. Exitiabilis fames. [*Saepe confunduntur a librariis *Exitiabilis* et *exitialis*. V. *Interpp.* ad *Liv.* 27, 23. 29, 17. ad *Suet. Cal.* 50. *Tzschuk.* ad *Eutr.* 8, 1.]

EXĬTĬĂBĬLĬTER. V. EXITIALITER.

EXĬTĬĀLIS, e, adj. ὀλέθριος, exitium afferens, perniciosus, exitiosus. *Cic. Verr.* 2, 5, 6. Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur. *Virg. A.* 2, 31. Donum exitiale. *Id. ib.* 6, 511. scelus. *Plin.* 10, 72, 93. Animalia venenata magis exitialia, si, etc. ℙ [*Saepe confundi *Exitialis* et *exitiabilis* supra animadvertimus.]

EXĬTĬĀLĬTER, adv. perniciose. *August. Conf.* 6, 7. Quia circum exitialiter amabat. Al. leg. *exitiabiliter*, quod idem sonat.

EXĬTĬO, onis, f. exitus. *Pl. Truc.* 2, 6, 30. Quid illi ex utero exitio est?

EXĬTĬOSĒ, adv. perniciose. *August. ep.* 8, 3. Videtur mihi exitiosissime credi.

EXĬTĬOSUS, a, um, adj. ὀλέθριος, exitium afferens, exitialis. *Cic. Cat.* 4, 3. Exitiosa conjuratio. *Id. Planc.* 36. Reipublicae exitiosum fuisset. *Tac. Hist.* 2, 31. Otho luxu, saevitia, audacia reipublicae exitiosior ducebatur. [*ubi nota adject. ad personas relatum, quo usu abstinere videntur antiquiores.] *Tertull. Anim.* 34. Helena exitiosissima Priamo.

EXĬTĬUM, ii, n. ὄλεθρος, pernicies, ruina, extrema calamitas, interitus. Exitium, inquit *Fest.*, antiqui ponebant pro exitu: nunc exitium, pessimum exitum dicimus. [*Hinc tale παρήχημα, qualia amat *Cic. Agr.* 2. Qui extremi exitiorum solent esse exitus.] *Cic. Cat.* 4, 5. Cum de pernicie populi R., exitio hujus urbis tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit. *Id. Q. Fr. ep.* 1, 4. *med.* Ego omnibus meis exitio fuero. *Hor. Od.* 1, 16, 17. Irae Thyesten exitio gravi Stravere. *Lucr.* 5, 96. et *Sen. Med.* 1001. Dare aliquem exitio. *Id. Agam.* 523. Mittere exitio Doricum genus. *Id. Phoen.* 342. Rapere in exitium omnia. *Id. Med.* 513. Trahere in exitium quempiam. *Tac. A.* 1, 22. Armare quempiam in exitium alterius. Et 32. Dedere ad exitium. Et 43. Iras civiles in exitium hostibus vertere. [*Suet. *Aug.* 94. Veliterni paene ad exitium sui cum Romanis belligeraverunt, ubi olim male edebatur *ad exitum sui.*] *Pl. Cist.* 4, 1, 11. Quovis exitio interire. *Plin.* 19, 10, 58. Formicae non minimum hortorum exitium. *Virg. A.* 7, 123. Ponere modum exitiis. *Cic. Mil.* 2. Quos P. Clodii furor rapinis, et incendiis, et omnibus exitiis pavit. [*h. e. exitii generibus. *Ib.* 2. Metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus. *Legg.* 1, 12. Id querebatur caput esse exitiorum omnium.] ℙ Pro exitu, fine, interitu. *Val. Fl.* 1, 809. date fallaci pudibunda senectae Exitia, indecorosque obitus. [*Recte Statuit *Doederl. Syn. Fasc.* 2. p. 65. neque hoc loco, neque iis quos *Rhenan.* affert ad *Tac. A.* 13, 1., *exitium* pro *exitu* dictum esse. Ap. *Val. Fl.* exitium et obitus opponuntur.] ℙ *Exitium* pro *exitiorum* dixit *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 46. et 1. *Div.* 31. ℙ [*Confunduntur *Exitium* et *Excidium*. *Drak.* ad *Liv.* 5, 18, 12. et *Exitus. Drak.* ad *Liv.* 5, 27, 10.]

EXĪTUS, a, um, part. pass. ab *exeo*, apud veteres. *Fest.* in *Ad.* Ad exitam aetatem, ad ultimam aetatem.

EXĪTUS, us, m. ἔξοδος, actus exeundi. *Cic. Par.* 4. *med.* Reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. *Lucr.* 6, 493. per spiracula mundi Exitus introitusque elementis redditus exstat. Et 727. fit liber minus exitus amni. ℙ Item locus, unde exitur. *Varr. L. L.* 4, 32. Exitum non habet, ac pervium non est iter. *Nep. Annib.* 12. Ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet. *Liv.* 39, 51. Septem exitus e domo fecerat. [*Liv. 3, 8, 9. Quum exitus haud in facili essent, circumveniunt. *Vid. Gron.* et *Drak.* ad h. l.] *Caes. B. G.* 7, 28. Cum angusto exitu portarum se ipsi premerent. *Val. Fl.* 4, 718. Et 8. 185. Exitus Istri. *Plin.* 2, 103, 106. In exitu paludis. Et *ib.* 63, 63. Spiritui exitum quaerere. *Id.* 21, 14, 48. Alvorum, cum mel eximitur, illinere exitus. *Colum.* 6, 30. *f.* Obsessos naturales exitus adaperire, *h. e.* intestinorum canales. Sic *cibi exitum* appellat *Plin.* 11, 34, 40. foramen sedis. ℙ *Exitus vitae*, et *exitus* absolute est vitae finis, mors. [*Tribus his, qui jam sequuntur, locis *exitus* non simpliciter est mors, sed mortis genus, moriendi modus, Vid. *Burm.* ad *Quint. decl.* 10, 9. p. 238.] *Nep. Eumen.* 13. Eumenes talem exitum vitae habuit. *Id. Phoc.* 4. Hunc exitum plerique clari viri habuerunt. *Vallej.* 2, 7. Hunc Gracchi vitae mortisque habuere exitum. [*Argutum dicendi genus. *Hunc vitae exitum habuit*, i. e. sic vitam finivit; at *hunc mortis exitum habuit* est hoc violento mortis genere periit. Vid *Ruhnk.* ad h. l., qui laudat *Gron. Obs.* in *Script. Eccles.* 10. p. 106.] *Plin.* 8, 58, 74. Duravere usque ad Sejani exitum. [*Amm. Marc.* 14, 11, 21. Terrore propinquantis exitus jam praesepultus, ubi *Gron.* legendum proponebat *exitii*, quod *exitus* sic absolute dici non posset. Sed vides emendatione non opus esse.] ℙ Dicitur etiam de fine et eventu cujuscumque rei. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. Exitu veris. *Liv.* 30, 26. Exitu superioris anni. *Cic. Marc.* 5. *extr.* Incertus exitus, et anceps fortuna belli. *Id. Mur.* 37. *extr.* In exitu est meus consulatus. *Id. Brut.* 34. Bonis initiis orsus tribunatum tristes exitus habuit consulatus. *Id. Manil.* 1. *extr.* Hujus orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. *Id. Fam.* 3, 12. Quemadmodum expediam exitum hujus institutae orationis, non reperio. [*Cic. N. D.* 1, 2. Tragici poetae, quum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum: ubi exitus argumenti de fabulae catastrophe.] *Id. Fat.* 19. Utrique ad eundem exitum veniunt. *Id. Phil.* 5, 16. Fuga exitum non habebat, *h. e.* non patebat fugiendi locus. [*Cic. Or.* 2, 77. Eae causae sunt plenissimae, quae plurimos exitus dant ad ejusmodi degressionem. *h. e.* transitus.] *Liv.* 43, 17. Rei exitum imponere. *Id.* 35, 10. In exitu jam annus erat. *Hor. Od.* 4, 8, 34. Liber vota bonos ducit ad exitus. *Cic. Tusc.* 5, 6. Adducere quippiam ad exitum. *Id. Fam.* 10, 22. Cum propter tarditatem sententiarum ea, quae consulebantur, ad exitum non pervenirent. [*Zu einem *Resultate*. Sic *Orat.* 33. Nunquam ad exitum perveniri potest.] *Id. Div.* 2, 24. Responsa haruspicum, quae aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios. [*quae aut ad effectum data sunt, aut non sunt. *Cic. Inv.* 2, 40. Lex exitum facilem habet, *h. e.* qui sit legis sensus atque usus facile intelligitur.] *Id. ad Brut.* 1, 10. *f.* Eam rempubl. quam virtute magis, quam eventis rerum liberasti, exitu libera, *h. e.* re ipsa. Sic *Fam.* 6, 1. *med.* Si mihi alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum est. *Planc.* ad *Coss. Fam.* 10, 8. Ut quae reipubl. polliceremur, exitu praestaremus. *Ov. Fast.* 6, 565. Exitus accessit verbis. ℙ Exitum facere. *h. e.* habere. *Suet. Ner.* 46. Daturos poenas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos. Adde *Petr. Sat.* 2. et *Senec. ep.* 115. *a med.* ℙ *Exitus acta probat* ap. *Ov. Her.* 2, 85. genus proverbii est. Quod tamen a sapientibus improbatur. Nam eventus est stultorum magister, ut ait *Liv.* 22, 39. et *Claud. in Eutr.* 2, 489. Improbat etiam *Ov. ib.* [*Callistr.* in *Dig.* 48, 8, 14. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.] ℙ *Exitus verborum* est eorum positio extrema. *Cic. Or.* 49. Verba, quae casus habent in exitu similes. *Varr. L. L.* 9, 3. *med.* Habent exitus aut in *a*, aut in *e*, etc. [*Confunduntur *Exitus* et *Exitium*. *Drak.* ad *Liv.* 5, 27, 10. — et *Exercitus. Id.* ad *Liv.* 22, 13, 5.]

EXJŪRO, as, a. 1. ἐξόμνυμι, idem quod juro, aut valde juro. *Pl. Amph.* 3, 3, 18. Quando istaec omnia exjurasti te mihi dixe per jocum. Ita *Non.* 2, 286., sed in plerisque editionib. *Plauti* hic versus deest.

EXLAETUS, a, um, adj. valde laetus. *Appul. Met.* 3. p. 135, 7. Tandem Fotis mea sui longe dissimilis advenit: non exlaeta facie, sed, etc. Alii divisim scribunt *ex laeta:* alii melius *non enim laeta.*

EXLĔCEBRĂ. V. ELECEBRA.

EXLEX, egis, omn. gen. ἄνομος, qui nulla lege tenetur, qui supra leges est: sive quia non debet, sive quia non vult subjici legibus. *Cic. Cluent.* 34. Non quod illi exlegem esse Sullam putarent. *Liv.* 9, 34. An hoc dicis, lege populum teneri, te unum exlegem esse? Al. leg. *extra legem.* [*vid. *Drak.* ad h. l.] *Hor. A. P.* 224. Spectator potus, et exlex. *Varr.* ap. *Non.* 1, 33. Postremo quaero, parebis legibus, an non? anne exlex solus vives? Adde *Lucil.* et *Sisenn. ib.*

*EX LIBERTO, indecl. qui fuit libertus. V. EX DUCE. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 14, 306. Licinus ille ex liberto Claudii. *B. A.*

*EX MAGISTRO MEMORIAE *Ammian.* 15, 5. i. qui fuit magister memoriae. Ex magistro peditum *ib.* sec. *Falster.* Al. leg. *ex magisterio.* Sed illud rectum. *B. A.*

*EX MEDICO. *Ammian.* 16, 6. *extr.* Dorus quidam ex medico scrutariorum. *B. A.*

EXMENS, entis, omn. gen. demens, amens. *Hor. Ep.* 1, 2, 59. qui non moderabitur irae, Infectum volet esse, dolor quod suaserit exmens. Pleriqu. omn. leg. *et mens.*

EXMOVĔO. V. EMOVEO.

*EX NOTARIO. *Ammian.* 22, 3. Cyrinus ex notario. *B. A.*

[*EX NUNC. *Amm. Marc.* 21, 10, 2. Loci situm ex nunc convenienter ostendam. Factum hoc ad morem Graecorum, qui ἀπὸ νῦν et similia dixerunt. V. *Lindenbr.* ad h. l. p. 409. *Wagn.* et s. v. *Ex tunc.*]

EXOBRŪTUS, a, um, part. ab inusit. *exobruo*, erutus. *Appul. Met.* 9. p. 219, 34. Dolium exobrutum protinus tradatur emptori.

EXOBSECRO, as, a. 1. λιπαρέω, valde obsecro. *Pl. Asin.* 1, 3, 93. Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro.

*EXOCCŪPO, as, a. 1. i. q. occupo. *Sarisb.* 1, 4. ℙ Hinc part. pass. *exoccupatus*, *a*, *um*, apud *eund.* 1, 8. *B. A.*

EXOCHĀDĬUM, ii, n. dimin. ἐξοχάδιον, ab ἐξοχή, prominentia, est tuberculum in ano. *Marcell. Empir.* 31. Exochadia aceto illinere. Adde *Theod. Prisc.* 2, 30.

*EXOCHAS, adis, f. ἐξοχάς, (ab ἐξοχή, i. e. eminentia), tuberculum in ano, idem ac exochadium. *August. ep.* 149. *B. A.*

[EXOCHĒ, es, f. ἐξοχή, eminentia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 688, 11. Julia Exoche. *F.*]

[EXOCHUS, i, m. ἔξοχος, eminens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1685, 7. L. Herennius Exochus. *F.*]

EXOCOETUS, i, m. ἐξώκοιτος, piscis ita dictus, quod in siccum dormiendi causa exeat, ap. *Plin.* 9, 19, 34.: ab ἔξω, extra, et κοῖτος, cubile, vel somnus.

EXOCŪLASSO. V. EXOCULO.

EXOCŪLĀTUS, a, um, part. ab *exoculo*, cui oculi effossi sunt, caecus. *Appul. Met.* 7. p. 188, 24. Caecam et prorsus exoculatam esse fortunam. Adde *ib.* p. 207, 8.

EXOCŪLO, as, a. 1. ἐξοφθαλμίζω, est privare oculis, excaecare. *Pl. Rud.* 3, 4, 26. Si ne ei caput exoculassitis, ego vos virgis circumvinciam. pro *exoculaveritis.* ℙ Quidam ex hoc *Plauti* loco male formant *Exoculasso*, *is.*

EXODĬĀRĬUS, ii, m. in fine fabulae intrabat, recitabatque aliquid extra rem, ad exhilarandos animos tragicis affectibus turbatos, ut *Vet. Schol.* ad *Juven.* 3, 175. docet. *Ammian.* 28, 4. Exodiario, venatori, aurigae, et histrionum generi omni. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 637, 1.

*EXODIOSUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat.* Exodiosa, μεμισημένη. *B. A.*

EXODĬUM, ii, n. ἐξόδιον, Graece est canticum, quod in exitu fabulae canebatur: ab ἔξοδος, exitus, finis. A Latinis exodia (quae initio ab honestis adolescentibus actitabantur, ut est ap. *Liv.* 7, 2., postea mimis relicta) dicta sunt ridicula intexta versibus, quae fabellis potissimum Atellanis conserebantur, ad risum movendum. Aliud omnino fuere posterioribus temporibus, nempe fabulae breviores (ut ex *Suet. Dom.* mox afferendo colligitur) quae praecipue agebantur in fine tragoediarum, ut quidquid lacrimarum atque tristitiae spectatores coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret, ut ait *Vet. Schol. Juven.* ad illud 3, 174. tandemque redit ad pulpita notum Exodium, cum personae pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans. *Id.* 6, 71. Urbicus exodio risum movet Atellanae. *Suet. Tib.* 45. Exodium Atellanicum. Et *Dom.* 10. Quod scenico exodio, sub persona Paridis et Oenones, divortium suum cum uxore taxasset. ℙ Si verbi vim spectes, *exodium* est exitus, finis, ut *Non.* 1, 14. docet, et *Festus* confirmat: apud quem alii leg. *exodum.* Quo sensu *Varr.* ap. *Non. ib.* Cum Socrates bibisset κώνειον in exodio vitae. Et: Ab origine ad exodium. Et: Quod coeperas narrare, ad exodium ducas. ℙ Pro insigni aliqua sententia. *Hieron. ep.* 128. *n.* 1. Ut secundum praeclari oratoris exodium, spes in ea (*infantula*) magis laudanda sit, quam res. Respicit illud *Cic. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 877. Fanni, causa difficilis laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.

EXODORĀTUS, a, um, part. ab *exodoro*, odore privatus ap. *Tertull. Pall.* 4. Alii rectius leg. *exduratus*, quam v. vide.

EXODUS, i, f. exitus, ἔξοδος, *Festus.* V. EXODIUM. Hinc Exodus inscribitur liber Moysi, in quo Israelitarum ex Aegypto exitus narratur. *Tertull. adv. Jud.* 11.

EXOLĔO, es, evi, etum, n. 2. παραχμάζω, proprie est crescere desino. *Prisc.* 9, 872. Exoleo quoque exolevi, unde exoletus, exoleta, exoletum: *Plautus* in *Medico:* Domi reliqui exoletam virginem, id est grandem, quae exoleverat. *Not. Tir.* p. 167. Olet, abolet, exolet. ℙ Item de iis, quibus homines uti, vel quorum meminisse desierunt. *Plin.* 29, 1, 1. Quonam modo exoleverint in medicinae usu, quae tam parata erant. *Id.* 34, 2, 3. Exolevit fundendi aeris ratio. Et 37, 5, 18. Male Calchedonii nescio an in totum exoleverint. *Tac. A.* 6, 25. Nondum is dolor exoleverat. *Liv.* 2, 52. Cum patris favor haud dum exolevisset. *Quint.* 1, 6. Cum in XII. tabulis legeremus, *Ni ita pagunt*, inveniebamus simile huic, *cadunt:* inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat, *pago*, ut *cado:* unde non erat dubium sic *pepigi* nos dicere, ut *cecidi. Curt.* 3, 13. *f.* Nondum in omnium animis memoriam majestatis suae exolevisse cernebat. *Stat. Silv.* 1, 6, 99. Quos ibit procul hic dies per annos! Quam nullo sacer exolescet aevo!

EXOLESCO, is, n. 3. verbum Ionice inflexum ab *exoleo*, et ejusdem omnino significationis: dicitur vero de iis, quae non solum crescere desinunt, sed deficiunt etiam, atque evanescunt. *Colum.* 2, 18. Multa sunt, quae negligentia exolescunt, et fiunt sterilia. *Suet. Aug.* 7. Paene jam exolescentibus litteris. ℙ Item de iis, quae in desuetudinem, et oblivionem abierunt. *Tac. A.* 11, 15. Ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret. [*Omnino frequens est haec vox ap. *Tac.* Exempla vide ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 185.] Et *ib.* 4, 10. Rumor adeo validus, ut nondum exolescat. [*Ulp.* in *Dig.* 4, 2, 14, 2. Quum per metum facta injuria anno exoleverit, i. e. abolita sit. *Pompon.* in *Dig.* 1, 2, 2, 3. Omnes leges haec exoleverunt. *Col. R. R.* 7, 3, 20. Exolescit gratia pascui usu continuo.]

EXOLĒTUS, a, um, part. ab *exoleo*, qui crescere desiit, ut et *Festus* interpretatur. V. EXOLEO. ℙ Hinc *exoleti* dicuntur pueri meritorii adultae jam aetatis, qui tum virorum, tum feminarum libidini satisfacere possunt. *Mart.* 12, 92. Communis tibi cum viro, Magulla, Cum sit lectulus, et sit exoletus. ℙ Universim vero ita appellantur quicumque pueri impudici, et alienae libidini inservientes, quorum publicum usum Philippus Aug., teste *Lampr. Alex. Sev.* 24. et *Elagab.* 32., vel ut testatur *Hieron.* in *Isaj.* 1, 2, 7., Constantinus Aug. omnium primus edicto sustulit. *Cic. Mil.* 21. Clodius, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret, etc. Adde *Martial.* 3, 82. et *Pl. Poen. prol.* 17. ℙ Adjective. *Vellej.* 2, 28. In qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exoleto redditur. *Tac. A.* 15, 37. Remiges exoleti. ℙ Item qui in desuetudinem, vel oblivionem venit etc. *Liv.* 2, 35. *extr.* Exoletum jam vetustate odium. *Id.* 27, 8. Exoleta vetustate annalium exempla. *Suet. Aug.* 86. Exoletas et reconditas voces aucupari. *Id. Galb.* 4. Vetus et exoletus mos. *Quint.* 8, 2. Exoletos auctores scrutari.

EXOLVO. V. EXSOLVO.

*EXOMĀTAE, arum, populi Sarmatiae Asiaticae (vel Scythiae), ad Maeotidem paludem. *Val. Fl.* 6, 146. ed *Heins.* ℙ Iaxamatae et Ixamatae vocantur a *Mela* 1, 19. *B. A.*

EXOMIS, idis, f. ἐξωμίς, vestis substricta, et brevis, proprie veterum Romanorum, et comicorum, sine manicis, ab ὦμος, humerus, sive quod ex ea humeri exsererentur, sive quod illa ex humeris penderet. *Fest.* et *Gell.* 7, 12. sed hic Graece utitur. ℙ [Sunt tamen qui recte putant, ita appellari eam tunicam, quae alterum humerum una cum mamma nudabat, quaeque Graecis ἑτερομάσχαλος dicitur; ea plerumque utebantur Amazones, Bacchantes, et virgines Spartanae, ut videre est ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 3. *tab.* 27. V. EXPAPILLATUS. *F.*]

EXOMĬUM, ii, n. idem quod exomis, ut Exomium pullum, ap. *Quint.* 5, 10. *med.*, ubi alii melius leg. *exordium*, quam v. vide.

EXOMOLOGĒSIS, is, f. ἐξομολόγησις, Graeca vox confessionem significans. *Tertull. Poen.* 9. et *de oratione* 7.

EXONERĀTĬO, onis, f. ut Exoneratio mercedis, *Ulp. Dig.* 19, 2, 15. *f.*

EXONĔRĀTOR, oris, m. qui exonerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1117, 5. Sex. Cornelio Vitalioni exoneratori calcariario, homini dulcissimo etc.

EXONĔRĀTUS, a, um, part. ab *exonero*, onere levatus. *Plin.* 9, 29, 47. Nautilus, emissa omni aqua, velut exoneratus sentina, facile navigat. ℙ Item depositus. [*Exponam: abductus, ablatus. *Liv.* 10, 6. Exonerata plebe coloniis deductis.] *Tac. H.* 5, 2. Exundantem per Aegyptum multitudinem proximas in terras exoneratam.

EXONĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀποφορτίζω, onere levo. *Pl. Stich.* 4, 1, 26. Exonerare navem. *Plin.* 11, 10, 10. Apes onustae remeant: excipiunt eas ternae quaternaeque, et exonerant. *Id.* 8, 26, 40. Profluvio sanguinis morbidum corpus exonerat. *Petr. Sat.* 27. Exonerare vesicam. *Plin.* 10, 44, 61. alvum. *Senec. Excerpt. contr.* 4, 4. jactu navigia. *Mart.* 10, 48. Malvae exoneraturae ventrem. *Petr. Sat.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Plin.* 3, 16, 20. Amnes et lacus in Padum sese exonerantes *Ov. Fast.* 3, 818. Exonerare colos, *h. e.* nendo coli pensum detrahere. ℙ Translate est levare, auferre. *Id. Trist.* 1, 3, 36. hanc odiis exonerate fugam. *Liv.* 2, 2. Exonerare civitatem metu. *Id.* 42, 13. *extr.* Liberare atque exonerare fidem suam. *Curt.* 4, 13. Exonerare animum sollicitudine, Et 6, 8. conscientiam suam. Et eod. sensu 9. Exonerare se, *h. e.* arcanum detegendo. Sic *Sen. ep.* 3. Quidam quae tantum amicis committenda sunt, in quaslibet aures exonerant. *Petr. Sat.* 123. Exonerare dolorem convicio. *Sen. Hipp.* 445. Curas Bacchus exonerat. *Tac. A.* 3, 54. *med.* Exonerari laborum meorum partem fateor. [*i. e. me parte laborum exonerari fateor. *Liv.* 10, 21. Parte curae exonerarunt senatum consulis litterae.] *Id. H.* 4, 40. Fastos adulatione temporum foedatos exonerare. *Pl. Ep.* 3, 4, 34. Ut eam ex hoc exoneres agro, *h. e.* abducas, alio amandes. [*Ulp. in *Dig.* 23, 3, 5, 10. Aes alienum paterfamilias factus exoneravit. Ceterum in Ictorum libris haec fere inveniuntur: Exonerare sortis debitum, pignus, creditorem probandi necessitate; exonerari praestatione, obligatione; exonerandi sunt heredes. V. *Brisson. de verb. sign.*] ℙ [Part. *Exonerandus* ap. *Suet. Claud.* 33. Ut pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Exonerare* et *Exorare.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 47, 2.]

*EXOPĔROR, aris, dep. 1. ἐξεργάζομαι. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[EXOPĪNO, as, n. 1. idem ac opinor. *Petr. Sat. fr. Trag.* 62. *Burm.* Si aliter exopinassent. Alii leg. *exopinissent. F.*]

EXOPTĀBĬLIS, e, adj. desiderabilis, εὐκτός. *Sil.* 11, 387. Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus. *Pl. Stich.* 2, 3, 66. Nuncius exoptabilis.

EXOPTĀTUS, a, um, part. ab *exopto*, valde optatus, εὐγμένος. *Cic. Rosc. Am.* 7. Exoptatum nuncium afferre. *Id. Att.* 5, 15. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius. *Id. ib.* 4, 1. Exoptatissima gratulatio. *Ter. Heaut.* 2, 4, 28. Antiphila, maxime animo exoptata meo. *Pl. Trin.* 4, 3, 65. O mi here exoptatissime, salve.

[EX OPTIONE, indeclin. qui optio, seu vicarius fuit alicujus. V. OPTIO. *Inscr.* ap. *Grut.* 556, 6. Petronius Castus ex optione pro*curatoris* ducenar*ii.* V. DUCENARIUS. *F.*]

EXOPTO, as, avi, atum, a. 1. ἐπεύχομαι, valde opto, expeto, valde desidero. *Cic. Off.* 1, 32. *extr.* Quae majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. [*Non recte, opinor, *Ruhnk.* ad *Ter. Andr. Prol.* 20. h. l. ea ratione accepit, ut ad significationem, quae §. 3. proposita est, pertineat.] *Id. Fam.* 4, 6. *f.* Multis de causis te exopto quamprimum videre. *Id. ib.* 2, 7. Ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto. ℙ Ponitur et pro imprecari. *Cic. Pis.* 40. Omnes te oderunt, tibi pestem exoptant. ℙ Item pro eligere. *Pl. Bacch.* 3, 4, 3. Illum exoptavit potius? habeat. *Id. Asin.* 3, 3, 133. Exopta id, quod vis maxime tibi evenire: fiet. *Id. Men.* 5, 2, 64. Si intra aedes hujus penetravi pedem, omnium exopto ut fiam miserorum misserrimus. [*Ruhnk. l. d.] ℙ [Part. *Exoptans* ap. *Liv.* 9, 25. Exoptantes Samnitium adventum. *F.*]

EXORĀBĬLIS, e, adj. παρακλητός, qui exorari potest, et a quo facile obtinemus, quod petimus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. *extr.* Iracundiae si exorabiles, summa est lenitas. *Sen. Clem.* 1, 20. In suis, quam in alienis, exorabilior injuriis. [*Id. *Ep.* 116. Nullum vitium est sine patrocinio; nulli non initium est verecundum et exorabile.] *Hor. Ep.* 2, 2, 178. metit Orcus Grandia cum parvis, non exorabilis auro. *Sil.* 5, 131. Nulli exorabilis. *Cic. Att.* 1, 3. Experiri aliquem in se minus exorabilem. ℙ Item qui facile exorat. *Val. Fl.* 1, 782. Stygiasque supremo Obsecrat igne domos, jam jam exorabile retro Carmen agens.

EXORĀBŬLA, orum, n. plur. argumenta, preces, illecebrae, quibus aliquis exoratur. *Pl. Truc.* 1, 1, 5. Quot amans exemplis ludificetur, quot modis, pereat, quotque exoretur exorabulis. *Appul. Flor. n.* 18. p. 360, 18. Exorabula judicantium, decipula adversantium, artificia dicentium.

EXORĀTĬO, onis, f. actus exorandi. *Quint. Decl. quae inscribitur* Trib. Marianus, 8. Quid nocentissimo parricidae manium prodest exoratio paternorum? Al. leg. *manuum exauctoratio paternarum.*

EXORĀTOR, oris, m. qui exorat, seu orando

impetrat, *καταδεόμενος*. *Ter. Hecyr. prol.* 2, 1. Orator ad vos venio ornatu prologi: sinite exorator sim.

*EXORATRIX, icis, f. quae exorat. *Salvian. Gubernat. Dei*, p. 93. *Rittersh.* Sic oratio eorum rixa est magis criminum, quam exoratrix. *B. A.*

EXORĀTUS, a, um, part. ab *exoro*, valde oratus, *αἰδεσθείς*. *Ov. Met.* 9, 698. Dea sum auxiliaris, opemque Exorata fero. ℙ Item precibus victus. *Prop.* 4, 11, 6. Non exorato stant adamante viae. *Cic. Prov. cons.* 17. *f.* Sive iratus mihi, sive exoratus. ℙ Item qui orata meruit. *Stat. Theb.* 1, 666. at tu stupefacti a limine Phoebi Exoratus abis.

EXORBEO. V. EXSORBEO.

EXORBITĀTĬO, onis, f. actus exorbitandi, a recta alicujus rei ratione digressio. *Tertull. Idol.* 14. Exorbitatio disciplinae.

EXORBITĀTOR, oris, m. qui exorbitat. *Tertull. adv. Marc.* 3, 6. *extr.* Judaismi exorbitator et destructor.

EXORBĬTO, as, n. 1. ab orbita recedo, a recto tramite aberro. *August. C. D.* 22, 8. *med.* Exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rota puerum obtriverunt. *Lactant.* 2, 5. Stellis exorbitare a praestitutis itineribus non licet. ℙ Translate. *Tertull. adv. Marc.* 3, 2. Suspectum habebitur omne, quod exorbitarit a regula. *Sidon. ep.* 8, 11. *f.* Vereor hujusmodi a catholicae fidei regulis exorbitaturum. ℙ Active. *Sidon. ep.* 5, 16. Nec animum tuum a tramite communium gaudiorum vicinae obsidionis terror exorbitat, *h. e.* expellit, dejicit.

EXORBO. V. EXSORBEO.

EXORCISMUS, i, m. *ἐξορκισμός*, obtestatio, adjuratio, cum daemoni magico carmine, vel efficacibus sacrae Scripturae verbis necessitas parendi imponitur. *Tertull. Cor. mil.* 11. Exorcismis fugare daemones.

EXORCISTĀ, ae, m. *ἐξορκιστής*, qui exorcizat. *Imppp. Val., Valens et Grat. Cod.* 1, 3, 6. et *Firm. Math.* 3, 5. et 9. *f.*

EXORCIZO, as, a. 1. *ἐξορκίζω*, obtestari, per divina daemonem adjurare. Graeca vox. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. Si incantaverit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo in posterum utar) exorcizavit.

EXORDIOR, iris, orsus sum, dep. 4. *προκατάρχομαι*, idem quod ordior, incipio: et proprie de textoribus dicitur fila tramae in tela vel in fune ordinantibus. *Cato R. R.* 136. Funem loreum exordiri oportet longum pedes LXXII., toros tres habeat, lora in toros singulos novem, lata digitos duos: cum tortus fuerit, erit longus pedes XLIX. ℙ Hinc allegorice *Cic. Or.* 2, 33. *extr.* Pertexe, Antoni, quod exorsus es. *Pl. Ps.* 1, 4, 6. Neque exordiri primum, unde occipias, habes, neque ad detexundam telam certos terminos. ℙ Translate est incipere, inchoare. *Id. Asin.* 1, 1, 102. Et ibi consilia exordiar. *Id. Bacch.* 1, 2, 19. Etiam me adversus exordire argutias? Et *ib.* 4, 4, 71. Exordiri facinus. *Liv.* 4, 17. Ab causa tam nefanda bellum exorsi. *Nep. Pelop.* 1. *extr.* De quo scribere exorsi sumus. *Suet. Caes.* 32. Ingenti spiritu classicum exorsus. ℙ Saepe ad initium orationis refertur. *Cic. Div.* 2, 48. Tum ego rursus quasi ab alio principio exorsus sum dicere. *Id. Or.* 2, 79. Ab ipsa re exordiri. *Id. ib.* 19. Jubent ita exordiri, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus, et docilem, et attentum. [**Cic. Or.* 1, 1. In exordienda oratione perturbari.] *Auct. ad Her.* 1, 6. Exordiri a dicto adversarii. *Tac. A.* 3, 50. Lepidus in hunc modum exorsus est. Et *ib.* 6, 6. His verbis exorsus est. ℙ [Part. *Exordiens* apud *Cic. de rep.* 1. (ed. *A. Maio*) 36. Qui magnis de rebus dicere exordiens. *F.*]

EXORDĬTUS, a, um, part. pro *exorsus*, ab *exordior*, et passiva significatione. *Fest.* in *Ordiri.* Ordiri est rei principium facere: unde et togae vocantur exorditae.

EXORDĬUM, ii, n. *ἀρχή*, initium, origo, principium: et proprie dicitur de tela a textoribus ordiri coepta. *Quint.* 5, 10. *med.* Non possum togam praetextam sperare, cum exordium pullum videam. ℙ Translate est quodcumque principium. *Cic. Fin.* 5, 7. A qua totius vitae ducat exordium. *Lucr.* 3, 31. cunctarum exordia rerum. Et 381. exordia prima animai. *Virg. A.* 7, 40. primae revocabo exordia pugnae. *Suet. Claud.* 11. *extr.* Exordium principatus. *Id. Vesp.* 8. Ab exordio Urbis. *Plin.* 3, 1, 3. Aliunde aliis exordium mensurae est. Et 6, 23, 26. Unde ceperunt exordium. *Pallad.* 9, 8. Aquae sub terris exordium de monte sumunt. *Apput. Met.* 5. p. 166, 10. Exordio sermonis hujus quam concolores fallacias attexamus. [**Papin.* in *Dig.* 44, 3, 11. Exordium (possessionis) eo bonae fidei ratio non tuetur.] ℙ Speciatim dicitur de principio sermonis, aut orationis, *προοίμιον*. *Virg. A.* 4, 283. quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? quae prima exordia sumat? *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 3. Hoc exordio praecepta pandere ingressus. *Cic. Or.* 1, 26. Summos oratores in dicendi exordio permoveri. *Id. ib.* 2, 77. *extr.* Uti exordio. Et *ib.* exordium exile, nugatorium, vulgare, commune. *Auct. ad Her.* 1, 3. Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris aut judicis constituitur, vel apparatur ad audiendum. [*Plura vide ap. *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 154.] ℙ *Colum.* 5, 11. *f.*, 7, 5. et 12. et *praef. l.* 10. et 11, 3. *f.* sumit *exordium* non pro initio sermonis, sed pro integro tractatu, seu libro. *Primi* loci verba sunt: Ne longiore exordio legentem fatigemus. *Secundi:* Quamquam pars haec exordii paene tota jam exhausta sit, cum de medicina majoris pecoris disputaremus. *Tertii:* Ut exordio priore sum pollicitus. *Quarti:* Isque, sicut instituerat, prosa oratione prioribus subnecteretur exordiis. *Quinti:* Quamvis villicum eruditum omni opere rustico esse oportere, prima parte hujus exordii censuerim. Adde 4, 1.

[*EXORICA. Incerta lectio et significatio apud *Veg. Mul.* 3, 6, 7. Caput ejus purgabis exorica, ubi *Gem.* conjecit conyza.]

EXORIENS, entis, part. ab *exorior*, qui exoritur, ut Sol exoriens, *Virg. G.* 1, 438. Amnis exoriens, *Lucr.* 6, 723.. Annus exoriens. *Tibull.* 3, 1, 2. ℙ Absolute. *Colum. Arbor.* 3. Plantaria facito ab exoriente. *Albin.* 2, 56. ad extremos exorientis equos, *h. e.* solis. Sic *Prop.* 3, 3, 49. Qua venit exoriens, qua deficit.

EXORIOR, ĕris, ortus sum, dep. 4. *ἀναφαίνομαι*, *ἀναπέλλω*, idem quod orior, nascor, exsisto, erumpo. *Cic. Div.* 2, 44. Post solstitium Canicula exoritur. *Id. Agr.* 2, 33. Non ante exstingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum esset. *Lucr.* 2, 506. Namque aliis aliud praestantius exoreretur. (Adde 1, 180. et V. ORIOR.) *Pl. Amph.* 5, 1, 40. Exorti utero dolores. *Virg. A.* 12, 583. Exoritur trepidos inter discordia cives. Et *ib.* 4, 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui etc. *Ter. Hecyr.* 2, 1, 16. Tu sola exorere, quae perturbes haec tua impudentia. (Ubi *Donat.* Verbum hoc impudentiam notat. *Cicero* (*Dejot.* 1. *extr.*) Exortus est servus, qui quem in oculeo appellare non posset, eum accuset solutus.) *Cic. Agr.* 3, 3. Repentinus Sulla nobis exoritur. *Id. Off.* 3, 9. de Gyge. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae, *h. e.* evasit, factus est, exstitit. [*Exoriri ex aliquo loco. *Liv.* 31, 40, 7. Tot bella repente aliis ex locis exorta sunt, ubi vide *Drak.*] *Ter. Hec.* 4, 4, 10. A Myrrhina haec sunt exorta omnia, *h. e.* profecta sunt. *Cic. Fam.* 1, 5. Subito exorta est nefaria Catonis promulgatio. *Id. Fin.* 5, 23. Honestum, quod ex virtutibus exoritur. *Liv.* 6, 21. *f.* De Praenestinorum defectione fama exorta est. *Cic. Off.* 3, 12. Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. [**Instit.* 4, 18, 8. Lex Julia adversus eos exoritur, qui vim commiserint, i. e. exsurgit, prodita est.] *Caes. B. C.* 2, 12. Nullam exoriri moram posse, quominus diriperentur. *Cic. Att.* 7, 26. Ego nunc paulum exorior, et maxime quidem iis litteris, etc. *h. e.* respiro, recreor, moestitia levor.

EXORMISTON, i, n. *ἐξορμιστόν*, inter pisces regium genus, compar muraenis corpore, colore distans, naribus setosis, saporis jucundi, qui cum spumis fluctuantibus inter aeris confinia coeperit enatare, nescit ad cubilia redire, quae deserit, ferturque super undas velut corpus exanime. Haec et alia *Cassiod. Variar.* 12, 14. de muraenis flutis, quae in Siculo dumtaxat freto occurrunt, quaeque ita appellantur ab *ἐξορμίζω*, navem e portu in altum duco, quia ex profundo maris erumpentes ad ejus superficiem prae pinguedine fluitant, et solis calore torrefactae curvare amplius fibras nequeunt, ut demergantur. V. FLUTA.

EXORNĀTIO, onis, f. *κόσμησις*, exornandi actus, ornamentum. *Cic. fragm. Oeconom.* ap. *Colum.* 12, 3. Quae ad lavationem, quae ad exornationem, quae ad mensam quotidianam, atque epulationem pertinerent. ℙ Speciatim de oratione dicitur. *Auct. ad Her.* 4, 13. Haec in verborum et sententiarum exornationem dividitur. *Cic. Inv.* 2, 3. *extr.* Exponere aliquid simpliciter sine ulla exornatione. ℙ Ipsa quoque schemata, quibus exornatur oratio, *exornationes* dicuntur. *Auct. ad Her.* 4, 8. 14. 16. 22. 23. 24. 29. et alibi saepe. ℙ Etiam demonstrativum genus hoc nomine appellatur. *Cic. Part.* 3. *extr.* Tria sunt genera, judicii, deliberationis, exornationis, quae quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen. ℙ Denique *exornatio* pars est argumentationis rhetoricae. *Auct. ad Her.* 2, 18. Absolutissima argumentatio est ea, quae in quinque partes est distributa, propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Et *mox.* Exornatio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae causa, confirmata argumentatione. Deinde *ib.* 19. hujus rei exemplum proponit. [*Plura vide ap. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 154.]

EXORNĀTOR, oris, m. *κοσμητής*, qui exornat. *Cic. Or.* 2, 12. *extr.* Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

EXORNĀTUS, a, um, part. ab *exorno*, *ἐπικεκοσμημένος*, valde ornatus. *Ter. Eun.* 4, 4, 16. Exornatus varia veste. *Auct.* ad *Her.* 4, 47. Exornatissima cithara, auro et ebore distincta. *Cic. Verr.* 2, 2, 34. Domum ejus exornatam atque instructam iste reddiderat nudam atque inanem. *Id. Har. resp.* 21. Nisi eum mulieres exornatum ita deprehendissent. *Sall. Jug.* 19. Regio aedificiis exornata. *Plin.* 7, 43, 44. L. Fulvius eodem honore exornatus, *h. e.* consulatu. ℙ Jocose *Ter. Heaut.* 5, 1, 77. Adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit mei, *h. e.* probe verberatum. [**h. e.* virgis ita in eum animadvertam. Sic etiam simplex ornare, Ad. 1, 2, 22. Omnino apud comicos tam Graecos quam Latinos plurima verba, quae ornandi significationem habent, comice ad verberationem traducuntur. V. *Koen.* ad *Greg. Cor.* p. 275.] V. DEPEXUS. *Exornatam, et naufragam, h. e.* ornatu privatam, dixit *Tertull. Cult. fem.* 9. gratiam decoris. [Alii tamen leg. *exarmatam. F.*] ℙ Comp. *exornatior* ap. *Auct. eleg.* a *Burm.* editae in *Anthol. Lat.* 1, 692. *v.* 25. Ornatu nullo potest exornatior esse.

EXORNO, as, avi, atum, a. 1. *κοσμέω*, idem quod orno, aut valde orno. *Cic. Fam.* 7, 23. Ea signa emere soleo, quae ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palaestra locum. *Pl. Stich.* 5, 5, 3. et *Most.* 1, 3, 135. Me vobis exornavi, mulier loquitur. *Id. Trin.* 3, 3, 38. Exornari in peregrinum modum. [**Cic. Tusc.* 2, 14. Quid exornamus philosophiam? *h. e.* cur eam laudamus?] *Cic. Tusc.* 2, 5. Philosophiam falsa gloria exornare. *Id. Or.* 3, 38. Illustrare atque exornare orationem. *Id. Verr.* 2, 4, 27. Exornare ample magnificeque triclinium. [**Cic. Tusc.* 5, 4. Pythagorus exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, praestantissimis artibus, i. e. condecoravit.] *Curt.* 8, 13. *f.* Veste regia exornare aliquem. *Prop.* 4, 15, 19. Exornare opus verbis. *Stat. Silv.* 3, 1, 133. aliquem donis. ℙ Item instruo, apparo. *Sall. Jug.* 9. et *Curt.* 8, 5. Exornare convivium omni opulentia. *Sall. Jug.* 95. Pro rei copia satis providenter exornare. Et 56. exornare aciem. Et *Cat.* 37. milites armis. *Pl. Ps.* 4, 7, 65. Hominem exornavit, mulierem qui arcesseret. [**h. e.* subornavit. *Auct. ad Her.* 4, 13. Utrumne aliquem exornari oportuit, qui ista prohiberet.] *Id. Aul.* 4, 10, 54. Exornare nuptias. *Just.* 5, 6. classem maximam industria. *Phaedr.* 4, 21, veste, nummis, familia aliquem. ℙ [Part. *Exornaturus* ap. *Just.* 7, 3. Mulieres cultius exornaturus. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Exornare* et *Et ornare. Drak.* ad *Liv.* 31, 26, 11.]

EXORO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξικετεύω*, vehementer oro, obsecro. *Ov. Pont.* 4, 8, 21. si quid agi sperabis posse precando, Quos colis, exora supplice voce Deos. *Pl. Stich.* 1, 2, 22. Exorando, haud adversando sumendam operam censeo. [*Attende ad gradationem in his *Col.* 5, 9. Eum qui aret olivetum, rogare fructum; qui stercoret exorare; qui caedat, cogere.] ℙ Item orando impetrare, cum accus, rei. *Id. Trin.* 2, 2, 44. Res quaedam est, quam volo ego me abs te exorare. *Virg. A.* 3, 369. caesis de more juvencis, Exorat pacem Divum, *h. e.* litat. *Ter. Andr.* 3, 4, 13. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 3, 11, 43. Facta movent odium: facies exorat amorem. ℙ Et cum altero accus. personae. *Pl. Bacch.* 5, 2, 82. Hanc veniam illis sine te exorem. *Id. Capt.* 2, 1, 17. Unum exorare vos sinite nos. *Stat. Silv.* 2, 7, 121. Unum, quaeso diem Deos silentum exores. ℙ *Exorare aliquem* est orando inducere ad faciendum, quod petitur. *Cic. Or.* 1, 29. Nunc te exoremus necesse est, ut nobis explices etc. *Id. Rosc. Com.* 16. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut pejeret, exorare facile potero. *Hirt.* ad *Cic. post. ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod callidius ineant consilium. *Cic. ad Quirit.* 9. Benemeritos quin colas, exorari fas non est. *Id. Mur.* 29. Viri non esse neque exorari, neque placari. *Ter. Heaut.* 5, 5, 5. Da veniam, Chreme: sine, te exoret. *Id. Andr.* 1, 1, 140. Restat Chremes, qui mihi exorandus est: et spero confore. *Pl. Poen.* 1, 2, 167. Amabo te, mea voluptas, sine, te exorarier. ℙ Ponitur et universim pro placare, reconciliare. *Ov. Trist.* 2, 22. Exorant magnos carmina saepe Deos, Et *ib.* 3, 13, 23. tura nihil exorantia Divos. *Val. Fl.* 1, 155. Exoret Pelias nostris cum matribus undas. *Plin. ep.* 2, 5. Si quis exstiterit, qui putet, nos lautius fecisse, quam orationis severitas exigat, hujus, ut ita dixerim, tristitiam reliquae partes actionis exorare debebunt. *Suet. Tib.* 11. Officii duxit, exorare filiae patrem frequentibus litteris, *h. e.* exorare patrem pro filia. Hic *filiae* est casus dativus. *Justin.* 9, 7. Aliquem a filii caede aegre precibus exorare, *h. e.* deterrere, pervincere, ne filium occidat. [Alii leg. *revocare. F.*] ℙ *Exorare causas*, orare, agere. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *post med.* Turpe esse causas exoranti jus, in quo versaretur, ignorare. ℙ [Part. *Exoraturus* ap. *Claudian. Idyll.* 6, 87. Parcarumque colos exoratura severas. *F.*]

EXORS. V. EXSORS.

EXORSUS, a, um, part. ab *exordior*. *Cic. Coel.* 15. Quid clamore exorsa, verbis parvam rem magnam facis? ℙ Passive. *Pl. Bacch.* 2, 3, 116. Exorsa haec tela non male omnino mihi est. Adde *Visell.* ap. *Prisc.* 8, 793. ℙ *Exorsa, orum* absolute, sunt exordia, initia rerum, aut dicendi. *Virg. G.* 2, 45. non hic te carmine ficto, Atque per ambages, et longa exorsa tenebo. *Id. A.* 10, 111. sua cuique exorsa laborem, Fortunamque ferent.

EXORSUS, us, m. idem ac exordium. *Cic. Manil.* 4. *extr.* Quoniam is est exorsus orationis meae.

EXORTĪVUS, a, um, adj. qui ad ortum spectat. *Plin.* 7, 49, 50. Quemquam nonaginta partium exortivam mensuram transgredi. ℙ Ponitur et pro orientali. *Id.* 18, 34, 77. A parte exortiva solstitialem habebit exortum. *Id.* 37, 2, 11. *n.* 1. A Septentrione in exortivum Oceanum. ℙ Absolute. *Id.* 6, 34, 39. Narbonensis Galliae exortiva.

EXORTUS, a, um, part. ab *exorior*, ut Exorta pestis *Plin.* 10, 50, 71. Jubare exorto, *Virg. A.* 4, 130. Arbusta exorta e terra. *Lucret.* 1, 187.

EXORTUS, us, m. *ἀνατολή*, actus exoriendi, *Varr. R. R.* 1, 12. Quae villa posita est ad exortus aequinoctiales, aptissima. *Auct. ad Her.* 3, 22. Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur. *Plin.* 12, 11, 23. Aperire florem incipit solis exortu. *Id.* 2, 15, 12. Stellae faciunt, *aut* edunt exortus matutinos, *aut* vespertinos. *Id.* 7, 2, 2. Exortus aquilonis. *Id.* 31, 6, 31. Aqua subit altitudinem exortus sui.

EXOS, exossis, comm. gen. *ἀνόστεος*, sine osse. *Lucr.* 3, 721. unde animantum copia tanta Exos, et exsanguis tumidos perfluctuat artus?

EXOSCŪLĀTĬO, onis, f. *καταφίλησις*. *Plin.* 10, 34, 52. de columbis. Mox in satisfactione exosculatio.

EXOSCULĀTUS, a, um, part. activae significationis, ab *exosculor*. [**Plin. Epp.* 5, 17, 4. Multum ac diu exosculatus adolescentem.] *Petr. Sat.* 91. Exosculatus pectus sapientia plenum. *Gell.* 2, 26. *f.* Tum Favorinus scientiam rerum uberem, verborumque ejus elegantiam exosculatus, absque te, inquit etc., *h. e.* blande approbans, et admirans. ℙ Passive, *Appul. Met.* 11. p. 265, 24. Exosculatis vestigiis Deae. Et *ib.* 4. p. 154, 8. Manu ejus exosculata. Adde *Ammian.* 22, 7.

EXOSCŪLOR, aris, dep. 1. *καταφιλέω*, arcte et amanter osculor. *Suet. Vitell.* 7. Quosque militum obvios exosculans. *Id. Cal.* 33. Quoties uxoris collum exoscularetur. *Id. Oth.* 12. Cum fletu manus jacentis exosculati. *Tac. H.* 2, 49. Vulnus, manusque Othonis exosculantes. Adde *ib.* 1, 45.

EXOSSĀTIM, adv. sine ossibus. V. vocem sequent.

EXOSSĀTUS, a, um, part. ab *exosso*, ossibus privatus, *ἐξοστεϊσμένος*. *Pl. Amph.* 1, 1, 162. Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris. *Id. Aul.* 2, 9, 2. Muraenam exdorsua, atque omnia exossata fac sient. *Lucr.* 4, 1265 Atque exossato ciet omni pectore fluctus, *h. e.* pectore ita inflexo, et incurvato, ut sine ossibus esse videatur. Alii leg. *exossatim*, quod eundem facit sensum. ℙ *Exossatus ager* est probe cultus, et lapidibus purgatus, qui sunt velut ossa terrae, ut ap. *Ov. Met.* 1, 393. legitur. *Pers.* 6, 51. Non adeo, inquis, Exossatus ager juxta est. Alii aliter interpr.

EXOSSO, as, a. 1. *ἐξοστεΐζω*, ossa detraho: ab *exos. Ter. Ad.* 3, 4, 14. Congrum istum in aqua sinito ludere; ubi ego venero, exossabitur. *Pl. Amph.* 1, 1, 163. Hic me quasi muraenam exossare cogitat. [**In Indice Script. R. R. Gesneri* laudatur *Colum.* 12, 53, 1. Exossare carnem suis. Sed locum reperire non potui.]

EXOSSUS, a, um, et Exossis, e, adj. exos. *Appul. Apol.* Lepus marinus, cum sit cetera exossis, duodecim ossa in ventre habet. *Id. ib.* In juventute saltandis fabulis exossis plane et enervis, *h. e.* corpore adeo flexibili, ut sine ossibus esse videatur. *Id. Met.* 1. p. 104, 3. Puer flexibus tortuosis enervem et exossam saltationem explicat. Al. leg. *exossem. Plaut.* eod. sensu dixit *Mil.* 3, 1, 73. Ad saltandum non cinaedus malacus aeque est, atque ego.

EXOSTRA, ae, f. *ἐξώστρα*, est pons, qui de turri lignea in murum obsessae urbis repente protruditur, et protenditur, uti docet *Veg. Mil.* 4, 21., quem aliis verbis describit *ib.* 17.: est autem ab *ἐξωθέω*, extrudo, expello. ℙ Item machina lignea in theatro, qua quae intus geruntur et fiunt, versatione rotarum spectatoribus ostenduntur. *Cic. Prov. cons.* 6. *extr.* Quibuscum jam in exostra helluatur: antea post siparium solebat, *h. e.* qui ante clanculum, velut cum histrionibus in scena post siparium, solitus erat helluari, id jam propalam facit. Haec *Turneb. l.* 20. *adversar. c.* 9. Alii apud *Cic.* leg. *orchestra*, alii *exedra*. Dicitur autem fuisse sedes sublicis elata, et strata longuriis, super quibus sella. Ita enim describit *Pollux.* 4, 19. *n.* 128. *τὸ ἐγκύκλημα*, quod idem ac *ἐξώστραν* fuisse affirmat.

EXOSUS, a, um, part. ab inusit. *exodi*, qui odio habet. *Virg. A.* 5, 687. si nondum exosus ad unum Trojanos. Adde *ib.* 12, 517. [**Flor.* 4, 11, 1. Exosus arma. Adde *Drak.* ad *Liv.* 3, 34, 8.] ℙ Aliquando passive sumitur. *Gell.* 2, 18. Non omnes omnimodis Diis exosos esse. [**ubi Gron.* hanc structuram sollicitat. Sed non satis caute. Antiquiores quidem *Exosus* non usurpant passiva significatione, unde *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 435. Perosus et Exosus de eo tantum, qui odit, dicitur. Sed recentiores hoc usu non abstinuerunt. *Eutr.* 7, 23. Ob scelera universis exosus esse coepit.]

EXOTĔRĬCUS, a, um, adj. *ἐξωτερικός*, extra positus, communis, vulgaris. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* et *Gell.* 20, 5. V. ACROATICUS.

EXOTĬCUS, a, um, adj. *ἐξωτικός*, peregrinus, adventicius: ab *ἔξω*, extra. *Pl. Most.* 1, 1, 41. Non omnes possunt olere unguenta exotica. *Id. Men.* 2, 1, 11. magnam Graeciam *exoticam* vocat, quod Graeci ipsi *ἐξωτικοὺς* et barbaros vocabant Graecos Italos, tanquam a se divisos, et aliis moribus utentes. *Gell.* 13, 5. Exoticum vinum. *Appul. Met.* 1. *in.* Exoticus sermo. Et *ib.* 10. p. 246, 28. Pisces exotico jure perfusi. [**Adde Appul. Apol.* p. 278, 4. Neque exotico pulvere dentes emaculet.] ℙ Apud *Pl. Ep.* 2, 2, 48. *exoticum* est vestimenti genus peregrinum, et ab alterius gentis more invectum.

EXPALLĔO, es, ui, n. 2. *ἀπωχριάω*, pallidus sum, pallidus fio. *Ov. Met.* 6, 602. totoque expalluit ore. *Plin. ep.* 1, 5. Expalluit notabiliter, quamvis palleat semper. *Auct. ad Her.* 2, 5. Expalluisse signum est conscientiae. *Pl. Curc.* 2, 3, 32. Viden' ut expalluit? ℙ Cum accus. *Hor. Ep.* 1, 3, 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus.

[EXPALLESCO, is, n. 3. idem ac expalleo. *Not. Tir.* p. 115. Pallescit, expallescit. *F.*]

EXPALLIĀTUS, a, um, part. ab inusit. *expallio*, pallio spoliatus. *Pl. Cas.* 5, 3, 6. Expalliatus sum, miser.

EXPALLĬDUS, a, um, adj. valde pallidus. *Tertull. Resurr. carn.* 57. Corpus frigidum et expallidum. *Suet. Cal.* 50. Statura fuit eminenti, expallido colore. Al. leg. *pallido.*

*EXPALMO, as, a. 1. palma percutio. *Gloss. Gr. Lat. ῥαπίζω*, Expalmo. *B. A.*

*EXPALPATĬO, onis, f. ap. *Tertull. B. A.*

EXPALPO, as, avi, atum, a. 1. valde palpo, blandior, blandiendo extorqueo. *Pl. Poen.* 1, 2, 144. Exora, blandire, expalpa. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 277. Si quid expalpare possim ab illo. ℙ Deponentis forma. *Pl. fragm.* ap. *Non. ib.* et 7, 74. Nunc servus argentum a patre expalpabitur.

EXPALPŌNĬDES nummorum dicitur a *Pl. Pers.* 4, 6, 22. qui blanditiis et fallaciis nummos ab aliquo extorquet. Quin *nummorumexpalponides* joculariter conjunctis vocibus ibi dicitur.

EXPANDĬTOR, oris, m. qui expandit. *Plin. Pan.* 30. de Nilo. Neque enim solum vagus ille et expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat, atque haeserat: *id est*, qui se extra alveum suum expandit et effundit. *Schwarzius* tamen et *Gierigius* legunt: *vagus ille, cum expanditur, amnis.* [**Recte!*]

EXPANDO, is, andi, assum et ansum, a. 3. *ἐκπετάννυω*, extendo, explico, aperio. *Colum.* 12, 13. Hae herbae diligenter purgantur, et sub umbram expanduntur. Et 15. Ficus in sole expandere. *Plin.* 10, 38, 54. Grues expandunt alas. ℙ Translate sumitur pro explicare, idest declarare. *Lucr.* 1, 126. Et rerum naturam expandere dictis. ℙ [Partic. *Expandendus* ap. *Hieronym. ep.* 14. *n.* 10. Expandenda vela sunt ventis. *F.*] ℙ [**Confunduntur Expandere, Expendere, Extendere. Interpp.* ad *Ov. Her.* 15, 159.]

EXPANGO, is, a, 3. figo, constituo. *Plin.* 2, 26, 24. Ac sidera ad normam expangere. *Hard.* ex MSS. legit *expungere.*

EXPANSĬO, onis, f. actus expandendi. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 11. Expansio corporis.

EXPANSUS, a, um, partic. ab *expando*, idem ac expassus. *Plin.* 2, 103, 100. Supra fontem frigidum expansae vestes accenduntur. *Id.* 9, 33, 52. In obliquum, in rectum expansa. Et 31, 6, 37. Expansa vellera circa navim. ℙ *Gell.* 15, 15. negat, veteres *expansus* dixisse, *expassus* affirmat.

EXPĂPILLĀTUS, a, um, part. ab inusit *expapillo. Pl. Mil.* 4, 4, 44. Palliolum habeas ferrugineum: id connexum in humero laevo, expapillato brachio, *h. e.* usque ad papillam renudato, ut *Non.* 2, 266. exponit: vel brachio exserto: quod cum fit, papilla nudatur, ut *Fest.*, quod eodem recidit. Al. ap. *Plaut.* leg. *exfibulato.* Huc pertinet *Effafilatum* ap. eund. *Fest.* V. EXOMIS.

[*EXPARS interdum scribitur pro Expers. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 57, 1. 38, 36, 8.]

EXPARTAE pecudes sunt, quae jam pepererunt. *Gloss. Isid.* Exparta, partu vacua. *Varr. R. R.* 2, 5. Uti sunt hae pecudes aetate potius ad ferendos fructus integrae, quam jam expartae. Ita legit *Scalig.* Alii *expertae.* Etiam *parta* hoc sensu usurpatur. *Colum.* 7, 4. Et parta nutrici consociata minus laboret in educatione fetus sui.

EXPASSUS, a, um, part. ab *expando. Tac. H.* 5, 13. Expassae delubri fores. *Caecil.* ap. *Gell.* 15, 15. et *Non.* 4, 364. Flammeum expassum. *Gell.* ipse *ib.* Ab eo quod est *pando* veteres *passum* dixerunt, non *pansum*, et cum praepositione *expassum*, non *expansum.*

EXPATĬOR. V. EXSPATIOR.

EXPĀTĀRE, in locum patentem se dare sive in spatium se conferre. *Festus.*

EXPATRĬCĬUS, ii, m. qui patriciam dignitatem deposuit. *Imp. Zeno Cod.* 3, 24, 3, Quoties viro forte patricio, vel expatricio, vel ei, qui etc. V. PATRICIATUS.

EXPATRO, as, avi, a. 1. *Catull.* 29, 16. an haec sinistra liberalitas Parum expatravit? an parum helluatus est? *h. e.* libidinibus effudit, absumpsit? Habet enim et *patro* huic similem obscenum sensum. Simile est etiam illud cujusdam poetae ap. *Suet. Caes.* 51. Aurum in Gallia effutuisti.

EXPAVĔFĂCĬENS, entis, part. ab inusit. *expavefacio*, exterrens. *Sen. ep.* 85. *f.* Domitores ferarum saevissima animalia, ad occursum expavefacientia hominem, docent pati jugum. Alii minus recte leg. *exterrentia*, alii *expaventia.* [**Vid. Gron.* ad h. l.]

EXPAVĔFACTUS, a, um, part. ab inusit *expavefacio*, exterritus. *Hyg. fab.* 47. Mugitu tauri equi expavefacti Hippolytum distraxerunt.

EXPĀVĔO, es, avi, n. 2. *ἐκπλήττομαι*, valde paveo, timeo. Vel absolute, vel cum accus. usurpatur. *Stat. praef. l.* 3. *Silvar.* Cum hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas. ℙ Ejus frequens usus est in praeteritis, et cum accusativo. *Liv.* 6, 34. Cum ad id, moris ejus insueta, expavisset minor Fabia. *Hor. Od.* 1, 37, 22. nec muliebriter Expavit ensem. [**Flor.* 3, 4, 6. Expavit tenebras saltuum.] *Petr. Sat.* 26. Nec puella expaverat nuptiarum nomen. *Tac. H.* 2, 76. Nec speciem adulantis expaveris. *Stat. Th.* 11, 316. primam expavit famam. Et *ib.* 8, 637. subito cum pigra tumultu Expavit domus. *Sil.* 3, 464. acres Expavit moles Rhodanus.

*EXPAVESCENTĬA, ae, f. pavor. *Vet. Interp. Irenaei* 1, 1. De expavescentia et aporia elementa facta esse. *B. A.*

EXPĀVESCO, is, n. 3. *περιφοβέομαι*, valde pavesco. *Plin.* 23, 1, 24. Neque expavescentibus repente, nec spasticis, aut rursus torpentibus. *Id.* 10, 75, 97. Ad tumultum aliquem expavescere. *Id.* 21, 11, 36. Anseres a primo conspectu ejus expavescunt. ℙ Cum accus. est valde timere. *Suet. Aug.* 90. et *Tib.* 69. Tonitrua praeter modum expavescebat. *Sen. Oed.* 27. Cuncta expavesco, meque non credo mihi. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus hominem non expavescit. *Id.* 25, 2, 6. Miles a morsu canis incipiens aquas expavescere. *Quint.* 9, 4. *med.* Non tamen id, ut crimen ingens, expavescendum est.

EXPĀVĬDUS, a. um, adj. valde pavidus. *Gell.* 1, 8. *extr.* Expavidus, ictusque pecuniae magnitudine.

[EXPAUSĀTUS, a, um, part. ab inusit. *expauso*, delassatus. *Veg. Veter.* 5, 38. Expausatum jumentum, *h. e.* quod a labore requievit. *F.*] [**Adde Veget. Vet.* 2, 10, 9.]

EXPECTO, as. V. EXSPECTO.

EXPECTO, is, a. 3. *Quint.* 1, 7. Ut *ex* praepositionem si verbum *specto* sequeretur, adjecta secundae syllabae *s* littera *exspecto;* sed si *pecto*, remota *s*, *expecto* scriberemus. [**Cf. Schneider. Elementarl. der lat. Sprache* Tom. II. p. 555.]

EXPECTORO, as, a. 1. *ἀποστηθίζω*, extra pectus ejicio. Prisca vox. *Cic. Tusc.* 4, 8. *ex Ennio.* Tum pavor mihi sapientiam omnem exanimato expectorat. [**Qui locus rectius sic editur: Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat.] *Acc.* ap. *Non.* 1, 52. Eloquere propere, ac pavorem hunc meum expectora. Et. *ib.* Desertum a fortuna, abjectum, afflictum ex animo expecturant.

EXPĔCŪLĬĀTI servi peculio exhausti. *Pl. Poen.* 4, 2, 21.

EXPĔDĬO, is, ivi, *et* ii, itum, a. 4. *ἀπολύω*, solvo, libero, extrico, quasi pedem ligatum libero: cui contrarium est *impedio. Cic. Verr.* 2, 2, 42. Videte in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediret. *Id. Att.* 5, 21. Tum hic nodus expediatur. *Hor. Od.* 1, 27, 23. Vix illigatum te triformi Pegasus expediet Chimaera. *Id. Od.* 3, 24, 8. Non mortis laqueis expedies caput. *Plin.* 32, 10, 46. Cancri menstruas purgationes expediunt. *Pl. Capt.* 2, 3, 95. Expedivi e servitute filium. [**Nep. Att.* 25. L. Julium Calidium, in proscriptorum numerum relatum, expedivit.] *Ter. Ad.* 4, 4, 5. Quomodo me ex hac expediam turba tanta? *Ov. Fast.* 4, 669. Expedit errantem nemori gratissima conjux. *Colum.* 2, 2. Expedire agrum saxosum lectione lapidum. *Caes. B. G.* 7, 86. Expedire aditum. *Liv.* 38, 2. *f.* Per invias atque ignotas rupes iter fugae non expediebant. *Virg. A.* 2, 632. ducente Deo flammam inter et hostes Expedior. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) *in.* Capillus etsi non cotidie acu ornandus, tamen pectine cotidie expediendus est. *F.*] ℙ Expedire discum, jaculum. *Hor. Od.* 1, 8, 12. saepe disco, Saepe trans finem jaculo nobilis expedi-

to. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 30. Haererem, nisi tu me expedisses. *Id. Att.* 2, 25. Expedies nos omni molestia. Et *ib.* 3, 20. Expedire se ab omni occupatione. *Ter. Hec.* 5, 1, 29. se crimine. Et 3, 1, 8. aerumnis. *Id. Phorm.* 5, 4, 4, cura. *Id. Hec.* 3, 1, 17. Impeditum in ea expedivi animum meum. *Hor. Od.* 4, 4, 74. quas curae sagaces Expediunt per acuta pelli. *Val. Fl.* 7, 276. Pelopis duros prior Hippodamia labores Expediit. Et 1, 217. per quot discrimina rerum Expedior? *h. e.* evado. ℙ Significat etiam rem alioqui difficilem conficere et absolvere. *Cic. Att.* 11, 18. Cum Antonio loquare, velim, et rem, ut poteris, expedias. *Id. Fam.* 3, 12. Itaque quemadmodum expediam exitum hujus institutae orationis, non reperio. *Id. Brut.* 42. Expedire et conficere res. *Id. Fam.* 13, 26. Explicare et expedire negotia. *Caes. B. G.* 7, 36. De obsessione non prius agendum constituit, quam rem frumentariam expedisset. *Cic. Att.* 10, 6. Nomina mea, per Deos, expedi, exsolve. [i. e. solvere. Hinc elegans ille jocus in Valerium Calonem, grammaticum, in quem, quum creditioribus satisfacere non posset, *Bibaculus*, teste *Suet.* grammat. 11, his versibus lusit: Mirati sumus unicum magistrum, Summum grammaticum, optimum poetam, Omnes solvere posse quaestiones, Unum difficile expedire nomen.] *Id. Mil* 4. Si vita nostra in insidias, in vim, in tela latronum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. *Tac. A.* 6, 43. Illuvie obsitus et alimenta arcu expediens. *Id. ib.* 14, 55. Qui me non tantum praevisa, sed etiam subita expedire docuisti. *Id. Hist.* 3, 73. Expedire consilia sua. *Pl. Capt. prol.* 40. fallaciam. ℙ Pertinet saepe ad loquendum, et significat rem obscuram implicitamque tum evolvere dictis et explicare, tum paucis exponere. *Ter. Eun.* 4, 4, 26. agedum, hoc mihi expedi Primum: istam, quam habes, unde habes vestem? *Id. Phorm.* 2, 3, 52. Dilucide expedire. *Virg. G.* 4, 286. altius omnem Expediam prima repetens ab origine famam. *Id. A.* 3, 377. Pauca tibi e multis etc. expediam dictis. Et *ib.* 11, 314. quae sit dubiae sententia menti, Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo. *Phaedr.* 3, 14. expedi, quid fecerim. [**Sall. Jug.* 5. Priusquam hujuscemodi rei initium expedio.] *Tac. A.* 4, 1. Nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. [**Corte* ad *Sall. Jug.* 5.] *Id. H.* 4, 48. Ea de caede quam verissime expediam. *Ter. Phorm.* 1, 4, 20. Quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi. [**Alia exempla v. ap. Graev.* ad *Just.* 43, 1.] ℙ Est praeterea depromere, educere, proferre, parare. *Cic. Verr.* 2, 5, 62. Hominem nudari, et virgas expediri jubet. *Virg. A.* 1, 705. Cereremque canistris Expediunt. *Ov. A. A.* 1, 422. Institor expediet merces suas. *Id. Her.* 17, 200. Expedire vela. *Val. Fl.* 2, 341. mediis famulae convivia tectis Expediunt. *Sisen.* ap. *Non.* 4, 165, Funes expediunt, claustra foribus imposita periclitantur. [**Pall. Dec.* 6, 2. Laqueos ad aves capiendas expedire.] ℙ Saepe hoc sensu ad rem militarem pertinet. *Caes. B. G.* 7, 18., *Virg. A.* 4, 592. et *Tac. A.* 2, 79. Arma primo expediere: dein mutua formidine, non ultra jurgium processum est. *Id. ib.* 13, 7. Expedire copias. *Liv.* 24, 26. ferrum. *Hirt. B. Al.* 25. classem, atque instruere. [**Drak.* ad *Liv.* 9, 17, 15.] *Liv.* 38, 25. *f.* tela animosque equitibus jussis. *Val. Fl.* 8, 302. clypeos et tela trabalia dextris. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 165. pecuniam, *h. e.* conficere, colligere, et expendere. ℙ *Expedire aliquid* est conari, tentare, moliri, ut res ad exitum perducatur. *Val. Fl.* 4, 667. Advertere Dei, defixaque numina ponto, Quid scopulis praeclusa ratis, quid dura juventus Expediat. ℙ *Expedire se*, ad exitum perduci. *Id.* 8, 383. expediant donec Junonia sese Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem. ℙ Alio sensu expedire se, remotis impedimentis paratum se, promptumque praebere. *Liv.* 38, 21. Expedire se ad pugnam. [**Drak.* ad *Liv.* 21, 46, 4.] *Tac. H.* 2, 99. Caecinam, et Valentem expediri ad bellum jubet. *Pl. Amph.* 1, 1, 152. Cingitur: certe expedit se. ℙ Absolute. *Tac. H.* 1, 10. Nimiae voluptates, cum vacaret: quoties expedierat, magnae virtutes, *h. e.* expedierat se ad bellum, in expeditionem ierat. *Id. ib.* 88. Multos consularium Otho, comitum specie, secum expedire jubet. ℙ *Expedit*, impersonaliter, utile est, conducit, prodest. *Cic. Att.* 7, 22. Nihil minus Caesari expedit ad diuturnitatem dominationis. *Id. Marc.* 10. Multi dubitabant, quid sibi expediret. *Id. Off.* 3, 19. Facere quod utile sit, quod expediat: *utile sit*, emolumentum, lucrum; *expediat*, facilitatem, et prosperitatem significat. *Id. Phil.* 13, 8. Omnibus bonis expedit salvam esse rempublicam. *Ter. Heaut.* 2, 4, 8. Expedit bonas esse vobis. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. *extr.* Tu, si ita expedit, velim quamprimum conscendas. *Just.* 41, 3. *extr.* Fides promissis nulla, nisi quatenus expedit. *Id.* 34, 1. Expedire omnibus dicunt, ut singulae civitates suas leges habeant. *Justin. Inst.* 1. *t.* 8. Expedit reipublicae, ne sua re quis male utatur. *Pl. Trin.* 2, 1, 10. Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. *Id. Amph.* 1, 3, 23. Nequiter paene expedivit primo parasitatio, *h. e.* paene nocuit. Al. leg. *expetivit.* ℙ *Expedibo* pro *expediam* antiquum est. *Pl. Truc.* 1, 2, 36., item *Pacuv.*, *Acc.*, *Enn.* ap. *Non.* 7, 78. et 10, 5. ℙ [**Confunduntur Expediens* et *Experiens. Drak.* ad *Liv.* 29, 35, 12. *Expedire* et *Experiri. Burm.* ad *Ov. Ep.* ex *Pont.* 3, 7, 12. *Interpp.* ad *Ov. Rem. Am.* 440.]

EXPĔDĪTĒ, adv. *ῥᾳδίως, προχείρως*, facile, plane, celeriter, sine difficultate. *Cic. Fin.* 5, 12. *extr.* Res celeriter expediteque percipere. *Id. Brut.* 67. Expedite explicans quod proposuerat. *Id. Fam.* 6, 20. Ex quo te, quocumque opus erit, facillime et expeditissime conferas. *Id. Inv.* 2, 23. Non implicite et abscondite, sed patentius et expeditius. *Id. Att.* 6, 8. Expeditius navigare. *Colum. Arbor.* 11. Putatio expeditius fit. *Suet. Aug.* 89. Expedite loqui. *Pl. Men.* 1, 2, 63. Expedite fabulatus est.

EXPĔDĪTĬO, onis, f. actus expediendi, absolvendi, perficiendi, confectio. *Auct. ad Her.* 4, 54. *s. f.* Habet paucis comprehensa brevitas multarum rerum expeditionem. ℙ Item exornatio rhetorica, cum rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, ceterae tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus. *Id. ib.* 29. Saepe est apparatus ad rem bellicam, iter militare ad bellum, ipsaque belli exercitatio, *στρατεία. Cic. Div.* 1, 33. Educere exercitum in expeditionem. *Suet. Claud.* 17. Suscipere expeditionem. *Sen. ep.* 96. *f.* Expeditiones periculosissimas obire. *Caes. B. G.* 5, 10. Tripartito milites equitesque in expeditionem misit. *Hirt. B. G.* 8, 34. Nonnunquam expeditionibus nocturnis castella nostrorum adoriuntur. *Curt.* 7, 9. *med.* Haec expeditio deficientem Asiam domuit. *Plin.* 12, 6, 12. Plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri terminus. *Id.* 7, 2, 2. *med.* Expeditionem eam ternis mensibus confici. *Suet. Aug.* 29. Cum expeditione Cantabrica lecticam ejus fulgur praestrinxisset. ℙ Translate. *Plin.* 11, 8, 8. Apes noctu deprehensae in expeditione, excubant supinae.

EXPĔDĪTĬŌNĀLIS, e, adj. ad militarem expeditionem pertinens. *Spartian. Nigr.* 10. Jussit omne argentum submoveri de usu expeditionali. *Ammian.* 31, 16. Ad sortem expeditionalium rerum habilis.

EXPĔDĪTUS, a, um, part. ab *expedio*, *ἀπόλυτος*, solutus, liberatus, non impeditus. *Cic. Quint.* 6. Cum ceteris quae habebat vadimonia, differt, ut expeditus in Galliam proficisci posset. *Id. Fam.* 14, 19. Sed me multa impedierunt, quae ne nunc quidem expedita sunt. *Id. Acad.* 4, 33. Expedita res, soluta, libera, nulla re implicata. *Hor. Od.* 1, 22, 11. Expeditus curis. [**In re pecuniaria est non impeditus ideoque certus. Cic.* ad *Att.* 13, 29. Expeditum nomen, ad *Fam.* 1, 3. Expedita negotia, ad *Att.* 11, 1. Fidem expeditam relinquere. Quo loco opponuntur domesticae res impeditae.] ℙ Item promptus, paratus. *Cic. Mil.* 10. Obviam fit ei Clodius expeditus in equo. *Id. Phil.* 11, 10. *f.* Expedito nobis homine, et parato opus est. *Id. Brut.* 8. *f.* T. Junius facilis et expeditus ad dicendum. *Id. Agr.* 2, 30. Expeditus ad caedem. *Id. Or.* 2, 30. ad pronunciandum. [**Cic.* ad *Fam.* 11, 24. Pecunia expeditissima quae erat, tibi decreta est: de pecuniâ praesenti, parata.] ℙ Item facilis. *Id. Amic.* 4. Reditum in coelum patere optimo et justissimo cuique expeditissimum. *Id. Brut.* 63. Expedita, et perfacile currens oratio. Et 61. Expedita ac profluens dicendi celeritas. *Id. ib.* 76. Inops ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. *Id. Q. Fr.* 2, 5. *f.* Parva sunt, quae desunt, et ea sunt ad explicandum expeditissima. Et *Flacc.* 41. *extr.* Cum illam viam sibi videant expeditiorem ad honores. [**Col. R. R.* 11, 1, 9. Expedita discentibus.] *Id. Fam.* 10, 25. Rationes expeditas habere. *Plin. ep.* 3, 12. Veniam ad coenam: sed jam nunc paciscor: sit expedita, sit parca, *h. e.* paratu facilis, et parvi sumptus. *Plin. alter* 13, 1, 2. Expeditissimum unguentorum. ℙ In re militari *expeditus* dicitur, qui minus habet impedimenti ad iter, ad pugnam, ut levis armaturae miles, aut sine viatico, solis armis instructus, aut sine impedimentis et sarcinis. *Sisen.* ap. *Non.* 1, 285. Inermos armati, impeditos expediti interficiunt. *Cic. Att.* 8, 9. *extr.* Pompejus expeditus praecesserat legiones Luceria. *Liv.* 38, 4. *f.* Cum mille expeditis Ambraciam profectus. [**Drak.* ad *Liv.* 22, 16, 2.] ℙ Cum genitivo. *Id.* 30, 9. Cum omni equitatu expeditisque militum. Al. leg. *expeditissimisque.* [**Drak.* ad *Liv.* 37, 18, 8.] ℙ *In expedito esse*, in promptu esse, et ad manum. *Senec. ep.* 94. *med.* Quaedam sunt quidem in animo, sed parum prompta: quae incipiunt in expedito esse, cum dicta sunt. *Quint.* 10, 7. *med.* Prompta res et in expedito posita. Adde *Plin.* 4, 23, 37.

EXPELLO, is, puli, pulsum, a. 3. *ἐκβάλλω*, extra pello, ejicio, exturbo. *Cic. Pis.* 7. Me domo mea expulistis, Pompejum domum suam compulistis. *Id. Att.* 10, 4. Nisi me civitate expulissent. *Caes. B. G.* 6, 21. Expellere humiliores possessionibus. Et *ib.* 4, 3. hostes finibus. Et *ib.* 7, 55. Romanos ex provincia. Et *B. C.* 3, 110. aliquem regno. *Liv.* 41, 3. ab litore naves in altum. [**Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 197.] *Cic. Fam.* 6, 6. aliquem ex republica. *Id. Quint.* 7. Expelli et ejici e praedio. *Id. Sext.* 13. Expellere cives a patria. [**et* cum solo ablativo Expellere patria. *Drak.* ad *Liv.* 35, 19, 4.] *Id. Agr.* 2, 30. *extr.* Exturbari et expelli plebem ex agris. [**Cic. Mil.* 37. Haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? projicietur?] *Nep. Ep.* 10. Praesidium ex arce expellere. *Ov. Met.* 9, 703. in auras. *Suet. Cal.* 1. quempiam ad componendum Orientis statum, *h. e.* Roma mittere, compellere. [**Ulp.* 38, 2, 6. Patronum expellere. i. e. rejicere, excludere.] Sic *Plin.* 11, 11, 11. Apes fucos in opera expellunt. *Cic. Mur.* 16. *med.* Expellere aliquem vita. Et *Lucr.* 3, 359. Expelli aevo, *h. e.* mori. *Tac. A.* 16, 19. Expellere vitam. [**Hor.* 3, 5, 26. Expellere spiritum, h. e. se interficere.] *Ov. Met.* 6, 617. per vulnera mille Sontem animam expellam. Et *ib.* 8, 381. Arcu sagittam expellere, *h. e.* emittere, jaculari. *Id. Her.* 14, 72. Expulerunt somnos haec mea dicta tuos, *h. e.* abstulerunt. [**Adde Ov. Met.* 8, 828. Ut vero est expulsa quies.] *Id. Fast.* 6, 245. Spem metus expulerat. *Hor. Ep.* 2, 2, 137. Expulit helleboro morbum, bilemque meraco. *Petr. Sat.* 27. Pilas inter manus, lusu expellente, vibrabant. *Id. ib.* 10. Quaestibus paupertatem expellere. *Plin. ep.* 8, 14. *extr.* sententiam, *h. e.* rejicere. *Lucr.* 5, 51. Vitia ex animo dictis. *Caes. B. C.* 1, 34. memoriam beneficiorum. *Pl. Trin.* 3, 2, 24. corde desidiam. *Caes. B. G* 5, 46. *extr.* omnem dubitationem. *Lucan.* 3, 53. curas pectore. *Catull.* 76, 22. ex omni pectore laetitias. *Just.* 9, 5. uxorem propter stupri suspicionem. *Pl. Bacch.* 4, 9, 41. Expuli me periculo, *h. e.* erui, elicui, evasi. ℙ [**Cat. R. R.* 33, 4 Vites subligato, pampinato, uvasque expellito, i. e. soli expone.] ℙ [Part. *Expellendus* ap. *Just.* 38, 1. Auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. *F.*]

EXPENDO, is, endi, ensum, a. 3. *σταθμάομαι*, pondero, pendo, vel pendendo exanimo. *Pl. Asin.* 2, 2, 34. *Le.* quot pondo te esse censes nudum? *Li.* non edepol scio. *Le.* at pol ego, qui te expendi, scio. *Cels.* 5, 19. *n.* 12. Quoties baccam, aut nucem posuero, scire oportebit, antequam expendatur, ei summam pelliculam esse demendam. *Pl. Rud.* 4, 4, 43. Aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur, *h. e.* compensabitur *Id. Bacch.* 4, 4, 1. Hunc hominem decet auro expendi, *h. e.* auro contra aestimari. ℙ Item impendo, quod olim ante pecuniam cusam, aes pondere solvebatur per libram. *Just.* 12, 11. Viginti millia talenta in hos sumptus expensa. *Hor. Ep.* 2, 1, 105. Cautos nominibus certis expendere nummos. *Paul. Dig.* 19, 1, 47. Usuras gravissimas expendere. ℙ Translate a prima significatione est examinare, considerare. *Cic. Or.* 15. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet ac seliget. *Id. in Senat.* 6. *f.* Iidem expendunt atque existimant voluptates, sententiamque dicunt, et judicant etc. *Id. Or.* 2, 76. Argumenta non tam numerare, quam expendere. *Id. Fl.* 5. Testem diligenter expendere. *Virg. A.* 12, 20. tanto me impensius aequum est Consulere, atque omnes metuentem expendere casus. *Ov. Met.* 13, 150. meritis expendere causam. *Id. Amor.* 3, 5, 34. Animo aliquid expendere. *Tac. H.* 1, 87. Belli consilia expendere. *Id. A.* 13, 3. Arte verba expendere. ℙ Translate a secunda est luere, solvere, dare. *Virg. A.* 11, 257. infanda per orbem Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes. *Cic. Tusc.* 2, 10. Poenas Jovi fato supremo expendere. *Sil.* 13, 697. dignas pro talibus ausis Carthago expendat poenas. *Tac. A.* 12, 19. Capite poenas expendere. *Virg. A.* 2, 229 Expendere scelus, *h. e.* poenas sceleris. *Sil.* 7, 712. Poenoque ob mitia facta Dignum expendamus pretium. *Id.* 6, 587. nimium vivacis dura senectae Supplicia expendi. ℙ [Part. *Expendens* ap. *Ov. Amor.* 3, 5, 34. Expendens animo singula visa suo. *F.*]

EXPENSĂ, ae, f. sumptus, impensa, *δαπάνη. Claud. J. Cons. Stilich.* 145. non indecores aeraria lassant Expensae. *Ulp. Dig.* 27, 10, 1. Qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua profundit.

EXPENSĒ, adv. impense, vehementer. *Cic. Att* 5, 2. *med.* Cum me expense e sua villa, numquid quid vellem, rogasset. Alii rectius leg. *ex Pansae villa. Theod. Prisc. de diaeta* 13. Caeliacos expense desiccant.

EXPENSĪLĀTĬO, *et divisim* Expensi latio, onis, f. respondet acceptilationi, et significat, cum in codice expensi perscribit aliquis, se pecuniam expendisse, et alteri numerasse: vel cum stipulatur, et alteri adsentienti declarat, se pecuniam dedisse. *Gell.* 14, 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensae rationibus, chirographi exhibitione etc.

EXPENSĬO, onis, f. actus expendendi, sumtus. *Imppp. Valens, Gratian. et Valentin. Cod. Theod.* 6, 4, 24. Ne quis semel praestitutae expensionis transeat modum. *Symmach. ep.* 5, 74. (*al.* 76.) Cessantibus novis expensionibus.

EXPENSO, as, avi, a. 1. frequent. ab *expendo*, ejusdemque fere significationis, *scil.* pondero, examino, numero. *Pl. Pseud.* 2, 2, 31. Res rationesque heri curo, argentum accepto, expenso, et cui debet, dato. *Scaev. Dig.* 40, 5, 41. *med.* Tutores Cupito servo exactionem commiserunt: isque nummos redactos expensavit eisdem tutoribus. ℙ Pro dispensare. *Macr. Sat.* 1, 13. Alternisque annis binos et vicenos, alternis ternos et vicenos dies intercalares expensabant intercalationibus quatuor.

EXPENSUS, a, um, part. ab *expendo*, pondere examinatus, numeratus: ea ratione, qua in EXPENDO dictum est. *Cic. Flacc.* 28. Ante pedes praetoris in foro expensum est auri pondo centum. *Pl. Most.* 1, 3, 146. Bene igitur ratio accepti et expensi inter nos convenit. ℙ Item aestimatus. *Id. Merc.* 2, 4, 20. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit. ℙ *Expensum ferre*, et *pecuniam expensam ferre*, frequens locutio in rationibus, est scribere v. gr. in codice expensi, se pecuniam expendisse, numerasse, dedisse, ut ait *Ascon.* in *Cic. Verr.* 2, 1, 39. *ἀπογράφω, ἀπολογίζομαι.* V. ACCEPTUS. *Cic. l. c.* Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulit. Et *paulo post.* Satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres. *Id. Rosc. Com.* 5. Haec pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. *Hirt. B. Alex.* 56. Arcessit omnes, qui sibi pecunias expensas tulerant, acceptasque eas jubet referri. ℙ Urbane. *Cic. Fam.* 9, 10. Nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum, et Vidium judicem esse. Profert alter duobus versiculis expensum Niciae: alter Aristarchus hos *ὀβελίζει.* Ego, tanquam criticus antiquus, judicaturus sum, utrum sint *τοῦ ποιητοῦ*, an *παρεμβεβλημένοι.* etc. Loquitur hoc modo *Cic.*, quia hi grammatici erant. ℙ Neque solummodo praescriptionem pecuniae expensae significat, sed etiam ipsam pecuniae numerationem ac praestationem. *Liv.* 6, 20. Homines prope quadringentos protulisse dicitur, quibus sine fenore pecunias expensas tulisset, *h. e.* quibus pecuniam credidisset sine fenore. ℙ Transfertur et ad alia. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Caesari Pompejus, *h. e.* tradidit, uti legitur ap. *Hirt. B. G.* 8, 54. ℙ Translate. *Ulp. Dig.* 36, 4, 3. Ipsam enim facilitati suae expensum ferre debere, quae minus idoneos fidejussores acceperit. *Scaevola ib.* 42, 8, 24. Alii creditores suae negligentiae expensum ferre debent. ℙ Dicitur etiam *expenso ferre. Jabolen. ib.* 33, 10, 10. Qui vestem omnem, et res plurium generum supellectilis nomine expenso ferre solitus erat. ℙ *Expensus gradus* est quasi numeratus, lentus, compositus, muliebri quadam segnitie. *Prop.* 2, 3, 6. Ibat et expenso planta morata gradu. Fortasse est, quod *Ter. Phorm.* 5, 6, 27. dixit *ire suspenso gradu.*

EXPERGĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. *ἀνεγείρω*, excito e somno, et generatim excito. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Si forte expergefacere te posses. *Auct. ad Her.* 4, 34. Hic Italiam tumultus expergefecit terrore subito. *Pl. Curc.* 1, 3, 42. Magnum flagitium probrumque, Phaedrome, expergefacis, *h. e.* excitas, admittis, perpetras.

EXPERGĔFACTĬO, onis, f. excitatio a somno. *August. de vera Relig.* 50. A somno expergefactio.

EXPERGĔFACTUS, a, um, part. ab *expergefacio*, *διεγερθείς. Suet. Cal.* 6. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus. *Id. Claud.* 8. Ut repente expergefactus faciem sibi confricaret. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 412. Ac Musea mele, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant, *h. e.* soni musici, quos exercitatos chordarum pulsatione, organici varie modulantur.

EXPERGĔFĬO, is, pass. anom. expergiscor. Agnoscitur a *Diom.* 1, 372., unde part. *Expergefactus.* V. v. praec.

EXPERGĬFĬCO, as, a. 1. expergefacio. *Gell.* 17, 12. Ingenio expergificando idoneae res.

EXPERGIFĬCUS, a, um, adj. qui expergefacit, *Appul. Flor. n.* 13. p. 349, 21. Galli expergifico carmine occinunt.

EXPERGISCO, is, a. 3. idem ac expergefacio. *Plin.* 22, 13, 15. Urtica infantium sedes tactu resilire cogit: lethargicos expergiscit tactis cruribus. Alii rectius leg. *expergisci.* ℙ Videtur etiam usurpatum neutraliter. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 40. Cum tam clare tonuerit, ut si quis dormitaret, expergisceret.

EXPERGISCOR, eris, dep. 3. *vel potius* pass. 3. *ἐξεγείρομαι*, e somno excitor. *Hor. Ep.* 1, 2, 33. Ut te ipsum serves, non expergisceris? ℙ Translate. *Ter. Ad.* 4, 4, 21. Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Aeschine, expergiscere. *Pl. Asin.* 2, 1, 1. Nunc te melius est expergiscier, Atque argento comparando fingere fallaciam, *παραγωγὴ* pro *expergisci.* [**Cic. Rosc. Am.* 49. Experrecta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit.] *Sall. Cat.* 21. Quin igitur expergiscimini? en illa, quam saepe optastis, libertas. *Id. or.* 2. *ad Caes. de rep. ordin. ante med.* Ut omnes expergiscantur ad libertatem.

EXPERGĬTĔ, adv. *Appul. Met.* 8. prop. fin. Expergite auscultare. Et *ib.* 2. p. 125, 6. Expergite munus obire.

EXPERGĬTUS, a, um, partic. ab *expergor*, ut docet *Diomed.* 1, 372., idem significans quod *experrectus. Lucr.* 3, 943. nec quisquam expergitus exstat, Frigida quem semel est vitai pausa secuta. *Lucil.* ap. *Diomed. l. c.* et *Prisc.* 10. p. 888. E somno pueros cum mane expergitu' clamo, Al. melius leg. *cum mane, expergite, clamo*, ut pertineat ad *expergo. Appul. Met.* 2. p. 121, 10. Tum demum Diophanes expergitus, sensit imprudentiae suae labem. ℙ [**Et metaphorice. *Appul. Apol.* p. 302. Aut ipse animus expergitus cito ad divinam naturam redigatur.] ℙ *Diomed. ib.* et *Fest.* discrimen tradunt inter *expergitus*, et *experrectus*, ut *expergitus* dicatur, qui satiatus somno sponte evigilat; *experrectus* a quiete impeditus, seu ab alio excitatus. Ap. *Fest.* alii leg. *exporrectus.* [**Discrimen hoc nullum esse ostendit. *Gron.* ad *Liv.* 7, 36, 2.]

EXPERGO, is, experrexi, gitum, et rectum, a. 3. *ἀνεγείρω*, a somno excito. [**Gesner.* in *Ind. Script. R. R.*, ita: Est a graeco *σπέργω, σπέρχω*, pergo, expergo, *i. e.* excito, quae est antiquissima notio verbi.] *Acc.* ap. *Non.* 2, 278. Heu vigiles properate, expergite pectora tarda sopore: exsurgite. *Sanctra ib.* omnes vocis expergit sono. *Cic. Att.* 13, 38. Cum simul cum sole experrectus essem. ℙ Translate est excitare. [**Videndum potius annon haec sit antiquior notio verbi. Vide supra.] *Gell.* 6, 10. Cum aliis salubribus exemplis hortabatur ad philosophiam capessendam, tum vel maxime ista re animos juvenum expergebat. ℙ De praeterito, V. PERGO. ℙ *Expergo* a *spargo.* V. EXSPERGO.

EXPĔRĬENS, entis, partic. ab *experior*, qui experitur, *πειρώμενος. Plin.* 8, 32, 50. *med.* Cervi cornua ad arbores subinde experientes. *Id.* 16, 12, 23. Nihil non experiente vita. *Ov. Met.* 1, 414. Inde genus durum sumus, experiensque laborum. ℙ Item navus, strenuus, industrius, omnia experiens. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Promptissimus homo, et experiens. *Id. Cluent.* 8. Vir fortis et experiens. *Liv.* 6, 34. Vir acer et experiens. [**Vid. *Drak.* ad h. l.] *Ov. Amor.* 1, 9, 32. desidiam quicumque vocavit amorem, Desinat: ingenii est experientis amor. *Id. Pont.* 3, 7, 11. Ne gravis uxori dicar, quae scilicet in me Quam proba, tam timida est, experiensque parum. ℙ Item qui multa expertus est, callidus, peritus. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Homo gnavus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. *Ov. Met.* 14, 159. comes experientis Ulyssis. ℙ [**Confunduntur *Experiens* et *Expediens. Drak.* ad *Liv.* 29, 35, 12.]

EXPĔRĬENTĬA, ae, f. *πειρασμός*, actus experiendi, experimentum, periclitatio. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Quae si adventus meus represserit, agam gratias fortunae constantiaeque meae, quae ad hanc experientiam excitavit. *Cic. Rabir. Post.* 16. Equitem R. non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque jacturis, sed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, *h. e.* dum tentat patrimonium augere. [**Cic. Tusc.* 4, 26. Qui id approbari possit, te aegritudinem habere (i. e. angi alieno bono quod ipse non habeas) pro experientia, si quid habere velis, *h. e.* quum si quid habere velis, potius experiri tibi liceat, quo pacto id ipsum assequare.] *Varr. R. R.* 1, 18. *f.* Nos debemus et imitari alios, et aliter ut faciamus, experientia tentare quaedam. *Ov. Met.* 1, 225. haec illi placet experientia veri, *h. e.* hoc modo placet illi verum explorare. *Vellej.* 2, 78. Caesar crebris expeditionibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum. *Id. ib.* 57. Laudandum experientia consilium Pansae est. ℙ Est etiam scientia et cognitio ex multis experimentis acquisita, *ἐμπειρία. Colum.* 10, 338. Ipsa novas artes varia experientia rerum, Et labor ostendit miseris, ususque magister Tradidit agricolis, etc. *Tac. A.* 1, 4. Agrippa non aetate, neque rerum experientia tantae moli par. Et 46. Vir longa experientia. *Virg. G.* 1, 4. apibus quanta experientia parcis, *h. e.* solertia. *Manil.* 1, 61. artem experientia fecit, Exemplo monstrante viam. *Cels. praefat. med.* Ad curandi rationem nihil plus confert, quam experientia. ℙ [**In *Cod.* ponitur tituli loco. *Cod.* 3, 12, 1. Rescribi placuit experientiae tuae.]

[EXPĔRĪMENTĀTUS, a, um, partic. ab inusit. *experimento*, experimento probatus. *Theod. Prisc.* 3, 5. Omnibus experimentatum usibus remedium. *F.*]

EXPĔRĪMENTUM, i, n. *πεῖρα, δοκιμασία*, experientia, tentamentum, argumentum *Cic. Tusc.* 3, 30. Hoc maximum est experimentum, [**der stärkste aus der Erfahrung entlehnte Beweis*,] cum constet, aegritudinem vetustate tolli, hanc vim non esse in die positam, sed in cogitatione diurna. *Sall. Jug.* 50. Metello experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum esse. *Tac. A.* 13, 24. Ut plebs experimentum daret, an, amotis custodibus, modestiam retineret. [**Tac. Agr.* 16. Trebellius nullis castrorum experimentis provinciam tenuit, i. e. rei militaris minime gnarus.] *Vellej.* 2, 94. Praecipua omnium virtutum experimenta edere. *Quint.* 6, 2. *med.* Quae non aliquo tradente, sed experimento meo accepi. *Id.* 3, 8. *med.* Facillime ad consentiendum homines ducuntur experimentis. [**Col. R. R.* 1, 4, 5. Experimentorum nusquam varietas omittenda.] *Plin. Pan.* 43. Probatur experimento, sitne feracius, etc. *Plin. alter* 5, 1, 1. Id plerumque fallacissimum experimento deprehenditur. [**Veg. Mul.* 4, 4, 3. De experimento medicina est.] *Id.* 29, 1, 8. Medici experimenta per mortes agunt. *Id.* 13, 2, 3. Unguentorum experimentum inversa manu capitur. *Id.* 17, 2, 2. Credere experimentis. [*Prud. περὶ στεφ.* 2, 406. Tunc ille: Coctum est, devora, et experimentum cape. *F.*] ℙ [**Confunduntur a librariis *Experimentum* et *exemplum.* Vid. *Interpp.* ad *Tac. Agr.* 19. ℙ Dicitur etiam experimentum de equis, mulabus etc., quos tentamus ante emtionem. *Ulp.* in *Dig.* 19, 5, 20. Inter nos hoc actum, ut experimentum gratuitum acciperes. *ib.* 1. Mulae ablatae fuerint intra dies experimenti. *Cf. experiri.*]

EXPĔRĬOR, iris, expertus sum, dep. 4. *πειράομαι*, probo, tento, periculum facio: ab antiquo *periri*, quod erat conari, factum a *πειράω*, vel *πειράομαι*, ut *Voss.* docet, *Virg. Ecl.* 3, 28. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur? *Plin. ep.* 3, 14. Abjiciunt in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret. *Liv.* 25, 38 Experiri libet, quantum audeatis, duce vestro auctore. *Pl. Trin.* 4, 2, 93. Lubet experiri, quo evasurus est. *Petr. Sat.* 31. Experiri volui, an tota familia cantaret. *Curt.* 6, 11. *med.* Ut experiremur, utrum vino gravatus, etc. *Val. Fl.* 5, 562. Expertique simul, si tela artusque sequantur. *Ter. Phorm.* 3, 3, 5 Rursum ei beneficium experiamur reddere. *Cic. Or.* 1, 26. In me ipso experior, ut exalbescam, etc. [**Liv.* 3, 19, 12. Re ipsa aliquid experiri. Vid. *Drak.* ad *Liv.* h. l.] ℙ Jungitur cum accusat., et varia significatione. *Nep. Amilc. f.* Ut interire, quam non Romanos experiri, mallet, *h. e.* explorare commisso proelio. [**Experiri equos, mulas etc. proprie dicimur, antequam emimus. *Ulp. Dig.* 19, 5, 20. Si tibi equos venales experiendos dedero. *ib.* §. 1. Si mulas tibi dedero ut experiaris (*auf. die Probe geben.*] *Ter. Andr.* 2, 1, 11. Omnia experiri certum est, priusquam pereo, *h. e.* tentare. *Sall. Cat.* 27. Extrema experiri. [**Ulp.* in *Dig.* 37, 13, 1. Eadem pericula experiuntur.] Sic experiri fidem alicujus, vim veneni, terram facilem colendo, et sexcenta alia. *Plaut., Virg., Cic.* etc. *Brut.* ad *Cic.* 1. ad *Brut.* 16. *f.* Experiar et tentabo omnia. [**Experiri aliquem ita ponitur, ut sit: alicujus opera uti. *Pl. Merc.* 4, 4, 29. Vin me experiri. *Ter. Hec.* 5, 2, 12. Hanc experiamur. V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Quint.* 5, 7. Experiri animum alicujus. Et 11, 2. memoriam. *Ov. Fast.* 4, 814. Magna fides avium est: experiamur aves. [**Col. R. R.* 3, 21, 6. Necessitas cogit agricolam musti annonam experiri.] *Cic. Div.* 2, 46. Quadringenta et septuaginta millia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicumque nati essent, Babylonios posuisse, ajunt. *Id. Phil.* 12, 2. De me experior, cujus idem consilium, quod tuum, sentio quam reprehendatur. *Ov. Trist.* 3, 2, 27. Experiri Deos iniquos. ℙ *Experiri jus*, et *experiri* absolute, est jus suum ad rem aliquam in judicio exponere. *Paul. Dig.* 2, 4, 1. In jus vocare, est juris experiundi causa vocare. *Ulp. Dig.* 47, 8, 4. Cum primum de ea re experiundi potestas fuerit. ℙ Huic affine est, *Experiri legibus*, vel *jure*, judicio agere. *Nep. Timol.* 5. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. *Cic. Quint.* 11. Si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur. [**Experiri judicio, actione, per actionem, etc. Vid. *Brisson.* de signif. verb.] ℙ Absolute *Id. ib.* 23. A me diem petivit: ego experiri non potui: latitavit. Adde *Liv.* 40, 29. *f.* [**V. *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 3, 2, 52.] ℙ *Experiri cum aliquo*, universim pro contendere. *Pl. Cist.* 2, 1, 11. Maritimis moribus mecum experitur. ℙ *Experiri libertatem*, ap. *Sall. Jug.* 33., est libertate uti. ℙ *Experiri imperium* est utendo in discrimen adducere. *Liv.* 2, 59. Monentes, ne utique experiri vellet imperium, cujus vis omnis in consensu obedientium esset. ℙ Experiendo. *Cic. Fam.* 1, 7. Experiendo magis, quam discendo cognovi. *Liv.* 44, 41. Pleraque nova commenta experiendo, sine ullo effectu evanescunt. ℙ Experiendum est. *Cic. Amic.* 17. Judicare difficile est, nisi expertum: experiendum autem est in ipsa amicitia: ita praecurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem. ℙ *Expertum est*, experimento compertum est. *Gell.* 15, 7. Observatum in multa hominum memoria, expertumque est in senioribus plerisque. ℙ Partic. *Experturus* ap. *Pl. Truc.* 2, 4, 44. Sese experturum, quanti se penderem. *Experiturus* quidam leg.

ap. *Cat. R. R.* 157., ut alii *experirer* legunt. *Experiendus* ap. *Ov. Fast.* 2, 367. Caestibus, et jaculis, et missi pondere saxi Brachia per lusus experienda dabant. ℙ *Experio* pro *experior* nonnulli legunt ap. *Catull.* 21, 6., sed alii rectius ibidem *experiris* leg. pro experibis. V. locum in EXJOCOR. ℙ *Experiscar* pro *experiar*, ab inusit, *experiscor*, legitur in *Inscr.* non optimae notae ap. *Fea, Var. di notiz. p.* 174. Mevia Sophe, impetra, si quae sunt Manes, ni tam scelestum discidium experiscar diutius hospes. ℙ [*Confunduntur *Experiri* et *Expedire*. *Interpp.* ad *Ov. Rem. Am.* 440. *Heins. ib.* 804.]

[EXPĔRISCOR. V. v. praec. *F.*]

EXPĔRĪTUS, imperitus, quasi qui peritiam exsuit. *Fest.* ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb. p.* 201. *col.* 1. Valerius Experitus.

EXPERJŪRO, as, a. 1. valde juro. *Afran.* ap. *Non.* 7, 45. Experjurabant, exsecrabant se, ac suos.

EXPERRECTUS, a, um, partic. ab *expergo*, excitatus, *διεγερθείς*. V. EXPERGITUS. Translate sumitur pro vigilanti, attento, acri. *Cic. Rosc. Am.* 49. Experrecta virtus rempubl. recuparerit. *Colum.* 9, 7. Ut sint apes experrectiores: nam frigus ignaviam creat.

EXPERS, ertis, adj. omn. gen. *ἄμοιρος*, qui alicujus rei nullam habet partem, privus, vacuus, immunis, tum in bonam, tum in malam partem, ab *ex*, et *pars*. Fere genitivum regit. *Cic. Verr.* 2, 2, 78. Ut nulla ejus vitae pars summae turpitudinis esset expers. *Id. Att.* 8, 8. Omnes nos expertes sui tanti consilii relinquebat. *Id. Or.* 2, 1. Omnis eruditionis expers atque ignarus. Et 19. Homines expertes veritatis. *Id. Off.* 1, 16. Ferae rationis et orationis expertes. *Id. Fam.* 4, 14. *f.* Omnium periculorum expers. *Id. Div.* 2, 38. *extr.* Humanitatis expertes. [*Col. R. R.* 7, 2, 2. Expers frumenti natio.] *Pl. Pseud.* 1, 5, 83. Expertem te amoris nati habui, *h. e.* celavi te amorem nati. *Id. Asin.* 3, 1, 2. Expers imperii matris, *h. e.* non parens, negligens imperium matris. *Stat. Silv.* 5, 5, 60. Expers imperii Fortunae, *h. e.* qui adversam fortunam non est expertus. *Sen. Troad.* 675. Expers sui, *h. e.* sui minime compos. ℙ Cum ablat. *Pl. Pers.* 4, 3, 40. Ea res me domo expertem facit. *Id. Amph.* 2, 2, 81. Eo more expertem te offendi. *Id. Asin.* 1, 1, 31. Expers metu. *Sall. Cat.* 34. Fama atque Fortunis expertes. *Turpil.* ap. *Non.* 9, 10. Et 13. Expers malitiis. ℙ Est qui putet, etiam contrario sensu usurpari, ut sit pro participio *expertus*, et participem significet: legitur enim in *Gloss. Philox.* Expers, *ἄπειρος, καὶ ἔμπειρος. Catull.* 66, 77. *loquitur coma Berenices.* Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers Unguentis, myrrhae millia multa bibi, *h. e.* abundans; alii tamen aliter legunt, et interpretantur. *Pers.* 6, 38. postquam sapere Urbi Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers, *h. e.* sapientia Graeca, et transmarina, quae mare est experta, dum illud transiit, alii interpretantur *masculo robore carens*, alii *sine sale, insulsum*, sed prius praestat. [*Ultimam hujus loci partem pluribus ampliavit. *F.*]

EXPERTĬO, onis, f. verbale ab *experior*, experimentum, probatio. *Vitr.* 8, 5. Expertiones et probationes eorum sic sunt providendae.

EXPERTOR, oris, m. qui tentat et experitur. *Sil.* 12, 502. Turbarum expertor. Sed viris doctis valde suspectus est locus. V. *Dausqu., Barth.* et *Heins.* ap. *Drakenborch.*; [item *Ruperti* adnotata. *F.*]

EXPERTUS, a, um, part. ab *experior*, *πειράσας*, qui periculum fecit. *Virg. G.* 1, 118. haec cum sint hominumque boumque labores Versando terram experti. *Cic. Planc.* 9. Omnia quae dico de Plancio, dico expertus in nobis. *Id. Or.* 2, 17. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam (id quod est majus) expertus. *Ov. Fast.* 5, 674. Si juvat expertis credere, numen habet. *Plin. ep.* 9, 13. Expertus usu, non esse consulendos etc. *Hor. Od.* 3, 14, 10. Puellae jam virum expertae, *h. e.* nuptae. ℙ Passive experimento probatus. *Liv.* 1, 34. *extr.* Ut per omnia expertus, postremo tutor etiam liberis regis testamento institueretur. Et 17. Libertatis dulcedine nondum experta. Et 3, 44. Vir acer, et pro causa plebis expertae virtutis. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 5, 54, 6. 7, 40, 16. 35, 45, 6.] *Suet. Vesp.* 4. Experta industria. *Cic. Balb.* 6. *extr.* Virtus experta atque perspecta. *Suet. Tib.* 19. Confidens ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo. *Tac. H.* 4, 76. et *Virg. A.* 10, 173. Miles vetus expertusque belli. [*Drak. ad *Liv.* 24, 22, 2. 40, 8, 4.] *Id. A.* 3, 17. Artes tam feliciter expertas vertere in aliquem. [*Pall. R. R.* 1, 6, 2. Genera surculorum terris tuis experta committe,] *Plin.* 29, 1, 5. Populus R. expertam medicinam damnavit. Adde *Propert.* 1, 3, 18.

EXPES. V. EXSPES.

EXPĔTESSO vel Expetisso, is, a. 3. antique pro expeto: a *petisso*, vel *petesso*. *Pl. Mil.* 4, 1, 13. Tuam expetissit pulcritudinem. *Id. Trin.* 2, 1, 4. Artem expetessam. *Id. Mil.* 4, 6, 14. Quem amo, quemque expetesso. *Id. Rud.* 1, 5, 1. Qui sunt, qui a patrona mea preces expetessunt? *h. e.* patronam meam precantur. V. in EXPETO.

EXPĔTĪBILIS, e, adj. optabilis. *Tac. A.* 16, 21. Parum expetibilem operam praebuerat.

EXPĔTISSO. V. EXPETESSO.

EXPĔTĪTOR, oris, m. qui aliquid expetit. *Symmach. ep.* 8, 45. (al. 46.) Jamdudum hoc animus meus vestri expetitor efflagitat.

EXPĔTĪTUS, a, um, part. ab *expeto*, valde petitus, optatus, quaesitus. *Senec. Thyest.* 509. Complexus mihi redde expetitos. *Plin.* 6, 20, 34. Fons expetitus navigantibus. *Id.* 8, 10, 10. Manus elephanti expetiti soporis in callo. *Id.* 9, 36, 60. Purpurae flos tingendis expetitus vestibus. *Id.* 16, 10, 18. Abies expetita navigiis.

EXPĔTO, is, ivi, itum, a. 3. *ἐπιθυμέω, ἐφίεμαι*, valde peto, quaero, adscisco, volo, opto. *Cic. Off.* 1, 20. Nihil hominem, nisi quod honestum sit, aut admirari, aut optare, aut expetere debere. *Id. Manil.* 2. Deposcere, atque expetere aliquem. Et 19. Expetere ac postulare. Et 11. Italia ab hoc auxilium absente expetivit. *Id. Or.* 20. In concionibus tracta quaedam et fluens expetitur oratio. *Id. Off.* 1, 8. Expetuntur divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. *Curt.* 6, 6. Paulatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere expetebat. *Pl. Cas. prol.* 12. Intelleximus studiose expetere vos Plautinas fabulas. *Cic. Tusc.* 1, 48. Erechthei filiae cupide mortem expetivere pro vita civium. [*h. e.* subierunt, oppetiverunt.] *Id. Or.* 2, 40. Pecunia tantopere expetitur. [*Cic. Fin.* 5, 13. Ea vita expetitur quae sit animi corporisque expleta virtutibus.] *Id. Verr.* 2, 4, 49. Summa cupiditate expetere aliquid. *Pl. Amph.* 5, 1, 75. Pacem Jovis multis hostiis expetere. *Id. Rud.* 1, 4, 20. Videre te expeto. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 276. Dii me etsi perdunt, tamen esse adjutam expetunt. *Plin.* 6, 23, 26. Emporium Indiae non expetendum, propter vicinos Piratas, *h. e.* non adeundum. *Id.* 25, 8, 53. Herba, quae mire capris expetitur. *Id.* 12, 24, 52. Radix aspalathi mire unguentis expetitur, *h. e.* ad unguenta conficienda. ℙ Pro sciscitari. *Val. Fl.* 5, 577. Ipse autem tantis concita furoribus arma Expetit Aesonides, et amicos ordine reges. ℙ *Expetere consilium*, *h. e.* capere. *Pl. Most.* 4, 1, 3. Servi, qui nihil metuunt, postquam sunt malum Meriti, stulta sibi expetunt consilia: Exercent se ad cursuram, fugiunt. Et *Cas.* 2, 7, 7. Id non tam aegre est, jam vicisse villicum, Quam id expetivisse opere tam magno senem. ℙ Significat etiam repetere, exposcere, sumere, ubi de poena aut jure sermo est. *Liv.* 3, 40. Rempublicam, si a volentibus nequeat, ab invitis jus expetituram. *Cic. Fam.* 6, 17. Alicujus promissum expetere. *Id. Marcell.* 6. Dii poenas a populo R. ob delictum expetiverunt. [*h. e.* exegerunt. Adde *Harusp.* 20.] *Id. Flacc.* 38. Nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur. *Liv.* 1, 23. In omne Albanum nomen poenas expetere ob bellum impium. [*V. *Drak.* ad h. l., et ad 6, 29, 2.] *Id.* 22, 13. Expetere supplicium. ℙ Item impetere, lacessere, aggredi. *Cic. Dejot.* 11. Expetere vitam alicujus. ℙ Item recidere, incidere, neutra significatione. *Liv.* 1, 22. *extr.* Ut in eum omnes expetant hujusce clades belli. *Pl. Amph.* 1, 2, 32. Deum non par videtur facere, delictum suum Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat. Et 3, 2, 14. Insonti mihi illius ira in hanc, et maledicta expetent. Et 2, 1, 42. Cujus hodie in tergum faxo ista expetant mendacia. ℙ Item accidere, usu venire. *Id. ib.* 1, 1, 20. In servitute expetunt multa iniqua. *Id. Mil.* 2, 4, 40. Satin' eadem in vigilantes expetunt, quae in somnis visa memoras? ℙ *Expetere preces* est precari. *In ep. Corneliae matr. Gracchor.* inter fragm. *Nepotis.* Non pudet te eorum Deum preces expetere, quos, etc? Adde *Plaut.* in EXPETESSO. ℙ *Expetere aetatem* est durare, aetatem ferre. *Pl. Poen.* 3, 3, 22, Malo si quid benefacias, id beneficium interit: Bono si quid malefacias, aetatem expetit. ℙ *Expetere aliquem* est ad aliquem se conferre. *Sever. Sulpic. de Vita S. Martini* 5. Hilarium Pictavae episcopum civitatis expetivit, et aliquandiu apud eum commoratus etc. *Paulin. Petrocor. de Vita ejusd.* 1, 179. Doctorem fidei per tot documenta probatum Expetit Hilarium. ℙ [Part. *Expetens* ap. *Cic. N. D.* 2, 45. Mare medium terrae locum expetens. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Expetere* et *Exspectare*. *Drak.* ad *Liv.* 10, 7, 2. — et *Excipere*. *Heins.* ad *Ov. Met.* 7, 476.]

EXPĬABĬLIS, e, adj. qui expiari potest. *Cic. Phil.* 13, 1. *med.* Videndum, an sit aliquod bellum expiabile. Pleriq. omn. leg. *inexpiabile.*

EXPĬĀTĬO, onis, f. *ἁγισμός*, purgatio. *Cic. Leg.* 1, 14. At vero scelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio est. *Liv.* 9, 1. Foederis rupti expiatio. *Cic. Har. resp.* 10. Diis violatis expiatio debetur.

EXPĬĀTOR, oris, m. qui expiat, et purgat. *Tertull. Pudic.* 15. *extr.* Impuritatis expiator.

EXPĬĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad expiandum pertinens, purgatorius. *August. C. D.* 21, 13. Expiatoriae poenae.

EXPĬĀTRIX, icis, f. quae lustrat, et expiat. *Festus* in voce *Piatrix*: Piatrix erat sacerdos, quae expiare erat solita, quam alii expiatricem vocant.

EXPĬĀTUS, a, um, part. ab *expio*, purgatus, sacrificiis a scelere liberatus, *καθαρθείς*. *Cic. Phil.* 1, 12. Expiato foro, dissipato concursu impiorum. *Hor. Od.* 2, 1, 5. arma Nondum expiatis tincta cruoribus. *Flor.* 1, 13. *f.* Civitas expiata et lustrata. ℙ Translate. *Id.* 1, 12. Ea clades ingentibus expiata victoriis. *Hirt. B. G.* 8, 48. Expiato suo dolore. ℙ [*Item purgatus. *Col. R. R.* 8, 5, 11. Paleas expiatas cubilibus injiciunt. Eadem notione positum videtur ap. *Pers. Sat.* 2, 31.]

EXPĬĀTUS, us, m. idem ac expiatio. *Tertull. adv. Valent.* 13. Continet hic ordo enthymeseos, et conjunctae passionis expiatum.

EXPICTUS, a, um, part. ab *expingo*, pictus. *Cic. Tusc.* 5, 39. *med.* Motus hominum expicti.

EXPĪLĀTĬO, onis, f. *περιαύλησις*, actus expilandi. *Cic. Off.* 2, 21, *extr.* Tanta sublatis legibus et judiciis expilatio direptioque sociorum. Adde *ib.* 3, 8. [*Col. R. R.* 7, 2, 2. Expers frumenti natio.]

EXPĪLĀTOR, oris, m. *συλητής*, fur, praedator, direptor. *Ulp. Dig.* 47. *t.* 18. qui est De effractorib. et expilatorib. l., expilatores vocat atrociores fures, et Graece *λωποδύτας*, qua voce significantur qui vestibus spoliant. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. *extr.* Cum domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur.

EXPĪLĀTUS, a, um, part. ab *expilo*. *Cic. Cluent.* 64. Armarium expilatum, pecunia ablata. *Id. Verr.* 2, 4, 27. *f.* Regem spoliatum expilatumque dimisit. [*Liv.* 31, 12, 3. Quaestionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi.] ℙ Quoties hereditariae res a quopiam surripiuntur, antequam hereditas adeatur, vel post aditam, antequam res ab herede possessae sint, actione furti non agitur, sed actione *expilatae hereditatis*, uti docent *Martian.*, *Ulp.*, *Paul.* etc. *Dig.* 47. *t.* 19. *qui* expilatae hereditatis *inscribitur.*

EXPĪLO, as, a. 1. *περισυλάω*, diripio, depraedor. *Cic. Parad.* 6, 1. Si socios spolias, aerarium expilas. [*V. *Cort.* ad *Sall. Jug* 31.] *Id. Manil.* 19. Ad expilandos socios diripiendasque provincias. *Petr. Sat.* 22. Duo Syri expilaturi lagenam, *h. e.* furtim exhausturi. *Ov. Met.* 13, 562. Expilatque genas oculis, *h. e.* spoliat, privat. Al. leg. *exspoliatque*: alii aliter. *Ulp. Dig.* 29, 2, 21. Rem hereditariam expilans. V. v. praec. ℙ [*Confunduntur *Expilare* et *Exspoliare*. *Drak.* ad *Liv.* 31, 12, 3. — et *Expiare*. *Id.* ad *Liv.* 25, 12, 11. — et *Explanare*. *Id. ib.*]

EXPINGO, is, inxi, ictum, a. 3. idem quod pingo, vel cum quadam majore vi, cum *ex* augeat, ad vivum depingere. [*Cic. Tusc.* 5, 39. Qui motus hominum non ita ab Homero expictus est, ut quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit.] *Plin.* 35, 7, 31. Quoniam et pericula expingimus, ne quis miretur et rogos pingi. *Tertull. Cult. femin.* 12. Thamar se expinxerat, et ornaverat. Simili sensu dixit *Mart.* 7, 82. et 8, 52. expingere genas, cutem: de tonsore loquens.

EXPINSO, is, a. 3. idem quod pinso, contundo, tero. *Cato R. R.* 2. Spinas runcari, expinsi far, munditias fieri.

EXPĬO, as, avi, atum, a. 1. *ἁγνίω, ἁφοσιόω*. Est verbum sacrorum, et significat rem pollutam scelere, aut vitio aliquo purgare, lustrare, mundam ac puram, Diisque gratam reddere: ab *ex*, et *pio, as*, quod item valet. *Cic. Div.* 2, 63. Procurare atque expiare aliquid. *Id. Har. resp.* 16. Nomen populi R. tanto scelere contaminavit, ut id nulla re possit, nisi ipsius supplicio expiari. *Id. Att.* 1, 17. *med.* Quae violata sunt, expiabuntur; quae sunt sanctissime conservata, religionem suam obtinebunt. *Id. Rabir. perduell.* 4. Expiare forum a nefarii sceleris vestigiis. *Id. Leg.* 2, 9. Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto: quo expiari poterit, publici sacerdotes expianto. *Id. Har. resp.* 11. Expiare errata. *Hor. Od.* 1, 2, 29. scelus. *Id. Ep.* 5, 90. dira detestatio Nulla expiatur victima, *h. e.* avertitur, averruncatur. *Liv.* 1, 26. Imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis etc. *Pers.* 2, 31. cunis Exemit puerum, frontemque atque uda labella Infami digito et lustralibus ante salivis Expiat. ℙ Metonymice est placare, *Petr. Sat.* 105. Ut tutela navis expiaretur, placuit, quadragenas utriusque plagas imponi. ℙ Translate. *Cic. Pis* 7. A me etiam poenas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis. *Senec. Oct.* 859. Expiare iram. *Cic. Pis.* 35. Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt: *scil.* nostros milites puniendo. *Tac. H.* 4, 11. *extr.* Asiaticus libertus malam potentiam servili supplicio expiavit. *Plin. ep.* 8, 10. Quem errorem magnis detrimentis expiavit, in summum periculum adducta. (Adde *Liv.* 37, 45.) [*V. *Gron.* ad *Sen. Contr.* 5. praef.]

Id. Pan. 33. Miseras voluptates unco et ignibus expiavit. *Juven.* 6, 519. Ut quidquid subiti et magni discriminis instat, In tunicas eat et totum semel expiet annum, *h. e.* a calamitatibus purget ac liberet. *Justin.* 3, 2. Supplicio alicujus regni infamiam expiare. *Flor.* 1, 12. Cladem ingentibus victoriis expiare. *Liv.* 1, 14. Legatorum injurias, regisque caedem expiare. *Cic. Prov. Cons.* 1. *f.* Cujus illi salutem pro pignore tradiderunt, ad expiandas suas cupiditates, *h. e.* ut satisfacerent cupiditatibus, et eas quasi placarent. Al. leg. *explendas.* ℙ [Part. *Expiaturus* ap. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 3. Id luce proxima consulibus sacrificio expiaturis. *F.*]

EXPĪRO. V. EXSPIRO.

EXPISCĀTOR. V. EXPLICATOR.

EXPISCOR, aris, atus sum, dep. 1. diligenter inquiro, indago. [**Cic. Pis.* 28. Simul atque audivit, a philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est, *h. e.* non quaesivit, quomodo haec laus impetranda esset.] *Cic. Fam.* 9, 19. Nescis me ab illo omnia expiscatum? *Ter. Phorm.* 2, 3, 35. Proinde expiscare, quasi non nosses.

[EXPLĀCĀBĪLIS, e, adj. qui valde placabilis. est. *Not. Tir.* p. 106. Placabilis, implacabilis, explacabilis. *F.*]

EXPLĀNĀBĪLIS, e, adj. explanatus, distincte prolatus. *Senec. Ira.* 1, 3. Vox est quidem, sed non explanabilis, et perturbata, et verborum inefficax.

EXPLĀNĀTĒ, adv. *σαφῶς*, aperte. *Cic. Or.* 33. Ut definire rem possit; neque id faciat presse et anguste, sed cum explanatius, tum etiam uberius. *Gell.* 16, 8. In eo commentario nihil edocenter, neque ad instituendum explanate scriptum est.

EXPLĀNĀTĬO, onis, f. *δήλωσις*, explicatio, interpretatio, expositio. *Cic. Div.* 1, 51. Somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, explanationes adhibitae sunt interpretum. *Auct. ad Her.* 4, 16. Uniuscujusque propositionis explanatio. *Plin.* 10, 68, 87. Res arduae explanationis. *Id.* 11, 51, 112. Explanatio animi, quae nos distinxit a feris. *Id.* 7, 16, 14. Dentes cum defuere, explanationem omnem adimunt. ℙ Speciatim est virtus orationis, quae eam apertam ac dilucidam reddit. Ea comparatur duabus rebus, usitatis verbis, et propriis. *Auct. ad Her.* 4, 12. ℙ A *Cic. Or.* 3, 52. enumeratur inter lumina sententiarum *commoratio una in re, et illustris explanatio:* qua re hypotyposin significare videtur.

EXPLĀNĀTOR, oris, m. *σαφηνιστής*, qui interpretatur, et exponit. *Cic. Div.* 1, 51. Sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. [*Adde *Div.* 2, 6, 4.] *Id. fr. de Rep.* 3. ap. *Lact.* 6, 8. Neque est quaerendus explanator aut interpres ejus legis alius.

EXPLĀNĀTŌRĬUS, a, um, adj. qui explanat, *Coel. Aurel. Acut.* 3, 1. Liber explanatorius aphorismorum Hippocratis.

EXPLĀNĀTUS, a, um, part. ab *explano*, explicatus, expansus. *Plin.* 16, 8, 13. Suberi cortex praecrassus, ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 1, 5. In pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impressionem.

EXPLĀNO, as, avi, atum, a. 1. *ὁμαλίζω, καταλειαίνω*, planum facio. Translate est explicare, illustrare, exponere. *Cic. Off.* 1, 27. Qualis differentia sit honesti et decori, facilius intelligi, quam explanari potest, *Id. Fin.* 2, 19. Explanare aliquid, apertiusque dicere. *Id. Brut.* 41. Rem explanare interpretando. *Id. Or.* 2, 19. et *Off.* 1, 28. *extr.* Docere et explanare. *Id. Or.* 2, 69. Conjectura explanare aliquid. [**Ulp.* in *Dig.* 28, 1, 21, 1. Quod vero quis obscurius in testamento vel nuncupat vel scribit, an post solennia explanare possit, quaeritur, i. e. accuratius significare, declarare.] *Ter. Ph.* 2, 3, 33. Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi. *Sall. Cat.* 4. *extr.* De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam. *Plin.* 6, 23, 26. Juxta quod flumen, aut ubi fuerit, non satis explanatur. *Plin. alter Pan.* 64. Expressit explanavitque verba, quibus caput suum Deorum irae consecraret. ℙ [Part. *Explanaturus* ap. *Cels.* 7, 17. *f.* Eam partem explanaturus. *F.*]

EXPLANTO, as, a. 1. *ἀποῤῥιζω*, plantas evello. *Colum.* 4, 14. Ne ventis explantentur. *Id. ib.* 27. *extr.* Quidquid inter brachia viret, explantare. [*Quam plurimos alios locos vid. ap. *Schneid.* ℙ *Colum. R. R.* 5, 9, 8. Antequam explantes arbusculam, i. e. antequam in alium locum transferas. Sed in hunc sensum vox nusquam alibi adhibetur. Quamobrem lectio videtur corrupta. V. *Schneid.*]

EXPLAUDO, is, si, sum, a. 3. idem quod explodo, plaudendo ejicio. *Lucr.* 4, 711. Quin etiam gallum noctem explaudentibus alis Auroram clara consuetum voce vocare. *Explaudere noctem* est quod dixit *Val. Fl.* 8, 82. excutere somnos. *Auson. VII. Sapient. de Thalete, f.* Pars plaudite ergo, pars offensi explaudite.

EXPLĒBĬLIS, e, adj. qui expleri potest. *Cic. Tusc.* 4, 9. Indigentia libido explebilis. Plerique al. leg. *inexplebilis.*

EXPLĒMENTUM, i, n. idem ac expletio. *Senec. ep.* 110. *a med.* Si scieris, cacumina arborum explementum esse ventris. *Pl. Stich.* 1, 3, 19. Inanimentis explementum quaerito, *h. e.* inanem ventrem explere appeto. *Senec. Suasor.* 2. *ad f.* Messala ajebat, hic Virgilium debuisse desinere: quod sequitur, Et in decimum etc., explementum esse.

EXPLENDESCO. V. EXSPLENDESCO.

EXPLĒNUNT, explent. *Festus.*

EXPLĒO, es, evi, etum, a. 2. *ἐκπληρόω*, omnino impleo, compleo: a Graeco *πλέος*, plenus. *Caes. B. G.* 7, 79. Fossam aggere explent. [*Et simpliciter fossam explere, sc. terra ingesta. *Alfen.* in *Dig.* 39, 3, 24, 2.] *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 40. Dum scribo, explevi totas ceras quatuor. *Cic. Univ.* 3. Deus bonis omnibus explevit mundum. *Id Or.* 69. Neque inferciens verba, quasi rimas expleat. *Id. Fin.* 2, 13. Explere aliquid cumulate. *Plin.* 35, 6, 21. Eretria terra explet vulnera. Et 36, 21, 42. Explere cicatrices. Et 34, 18, 55. alopecias. *Id.* 18, 27, 67. *n.* 2. Cum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. *Caes. B. C.* 3, 4. Explere numerum militum. *Plin.* 14, 8, 10. mensuram. ℙ Pro saturare. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 16. et *Cels.* 1, 2. *f.* Explere se. *Virg. G.* 3, 429. anguis piscibus atram Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet. *Phaedr.* 4, 17. Explere famem. *Cic. Senect.* 8. diuturnam sitim. *Lucr.* 4, 874. Sic expletur jejuna cupido. ℙ Plus est tamen satiare, quam explere. *Cic. fr.* ap. *Non.* 5, 13. Libidines infinita quaedem cogunt atque imperant, quae quia nec expleri, nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt. *Lucr.* 3, 117. animi ingratam naturam pascere semper, Atque explere bonis rebus, satiareque nunquam. ℙ Est etiam complere, conficere. *Plin.* 7, 48, 49. Quosdam in Aetolia ducentos annos explere. [*Hinc explere tempus, ante expletum tempus, ad explendum tempus. Exempla vid. ap. *Brisson* de verb. sign.] *Virg. A.* 12, 763. Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt. *Tibull.* 1, 4, 63. Et tercentenas erroribus expleat urbes, *h. e.* percurrat. Et *ib.* 3, 53. fatales explevimus annos. *Tac. A.* 6, 50. Interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse. *Stat. Th.* 9, 753. alio geminatum lumine vulnus Explevit tenebras. *Vell.* 2, 110. Nationum quae rebellaverant, omnis numerus amplius octingenta millia explebat. Et 23. Plurimum laborem explere, *h. e.* perferre, et conficere. ℙ *Non explere tribum, centuriam* dicuntur candidati, cum eum non ferunt obtinentque suffragiorum numerum, qui ad honorem obtinendum necessarius est. *Liv.* 3, 64. et 37, 47. [*V. *Drak.* ad hos loc.] Sic *explere damnationem* ap. *Cic. Caec.* 10. est eum numerum judicum conficere, qui ad condemnandum sint satis. ℙ Significat etiam supplere. *Plin.* 31, 2, 14. Fons explens olei vicem. *Vell.* 2, 129. Senatorum censum libenter explevit. Et *Cic. Brut.* 42. Habet, quod uterque eorum habuit: et explevit, quod utrique defuit. ℙ Alios praeterea translate usus habet. *Ter. Andr.* 2, 2, 2. Explere animum gaudio. *Cic. Or.* 13. Dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. [*Adde *Cic. Or.* 79.] *Id. Fam.* 2, 1. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam. [*i. e. ne non tibi satisfaciam. Huc ego referam. *Ter. Heaut.* 1, 1, 77. quem loc. infra posuit *Forc.*] Et *Part.* 27. Explere cupiditates, satiare odium. *Liv.* 4, 32. *extr.* Factis dictisque explere odium. Et 1, 9. *extr.* desiderium. Et 31, 24. se caede diu optata. *Ov. Trist.* 4, 3, 38. Expletur lacrimis, egeriturque dolor. *Cic. Rosc. Am.* 52. Avaritiam pecunia explere. *Just.* 9, 2. Nullas tibi opes esse, quibus tantum regem expleat. Et 22, 8. Carthaginem captam spem omnium expleturam. *Virg. A.* 1, 713. Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo. Et *ib.* 8, 265. nequeunt expleri corda tuendo. *Cajus Dig.* 17, 1, 27. Explere mandatum. Et *Cic. Fam.* 16, 25. officium. Et *Prov. cons.* 14. susceptum munus. Et *Or.* 1, 47. Omnem exspectationem desiderii nostri expleris, pro *expleveris. Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Explere alicujus meritum, *h. e.* digne remunerari. *Paul. Dig.* 40, 7, 4. conditionem. [*i. e. implere. *Julian. Dig.* 35, 1, 25. Non intelligitur expleta conditio.] *Liv.* 3, 68. damna, i. e. reficere. Et 30, 5. Quantum nox providentiae adimat, tantum diligentia explere. *Justin.* 5, 4. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. [**Burm.* ad *Ov. Rem. Am.* 129.] *Ter. Heaut.* 1, 1, 67. Tot mea solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant. [**dass sie mich zufrieden stellen.*] *Id. Andr.* 1, 2, 17. Dum tempus ad eam tulit, sivi, animum ut expleret suum, [*i. e. ut amori suo obsequeretur. Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] *Id. Hec.* 5, 1, 29. et 2, 19. Explere alicui animum. Sic *Cic. Dom.* 17. Explevi animos invidorum, placavi odia improborum, saturavi perfidiam proditorum. [**Nazar. Pan. Constantin.* 32. Pari studio missum ejusdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut, quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret, i. e. recrearet, reficeret. De qua significatione, rariore quidem, sed eleganti vid. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 56.] ℙ Contrario sensu pro deplere, exhaurire, vacuare. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 545. Navibus explebant sese, terrasque replebant. *Serv.* et *Non.* 4, 169. huc trahunt et illud *Virg. ib.* Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris, *h. e.* minuam discedendo. *Don.* (si salva ibi lectio) illud *Ter. Hec.* 5, 1, 29. Exple animum iis, *h. e.* curis exonera. Alii et illud *Hor. Od.* 2, 7, 21. Oblivioso levia Massico Ciboria exple. Sed excepto *Ennii* loco, in ceteris possumus aliter interpretari. ℙ *Explerier* paragoge pro *expleri* est ap. *Lucr.* 6, 20.

EXPLĒTĬO, onis, f. *ἐκπλήρωσις*, impletio, satietas. *Cic. Fin.* 5, 14. In eaque expletione naturae summi boni finem consistere.

EXPLĒTĪVUS, a, um, adj. ad explendum pertinens, *ἀναπληρωματικός. Expletivae conjunctiones* dicuntur a grammaticis *quidem, equidem, quoque, autem*, et hujusmodi, quae tum significant aliquid, tum explent orationis numerum. *Charis.* 2, 199. et *Don. ib.* p. 1763 *Adde *Isid. Orig.* 1, 11. *B. A.*

EXPLĒTUS, a, um, partic. ab *expleo*, *τέλειος, ἐκπεπληρωμένος. Virg. A.* 3, 630. Expletus dapibus. *Stat. Silv.* 2, 1, 15. Flendi expleta voluptas. *Cic. N. D.* 2, 13. Perfectus expletusque omnibus suis numeris et partibus. *Lucr.* 6, 1201. Sanguis expletis naribus ibat. Al. leg. *pletis ex. Stat. Silv.* 5, 1, 260. expletis humani finibus aevi. *Catull.* 64, 268. spectando Thessala pubes Expleta. *Cic. Har. resp.* 20. Expleta intemperantia. [**Id. Ac.* 2, 7. Expleta rerum comprehensio.] *Id. Fin.* 5, 13. Animi corporisque virtutibus expleta vita.

EXPLĪCĀBĪLIS, e, adj. qui explicari potest. *Plin.* 4, 13, 28. Haud explicabili mensura.

EXPLĪCĀBĪLĬTER, adv. explicabili ratione. Refert agnoscitque ut Latinum, *Diom.* 1, 401.

EXPLĪCĀTĒ, adv. *δήλως*, clare, et aperte. *Cic. Or.* 3, 14. Qui distincte, qui explicate, qui abundanter et rebus, et verbis dicunt.

EXPLĪCĀTĬO, onis, f. *ἀνάπτυξις*, actus explicandi. *Cic. Div.* 1, 56. Sed est quasi rudentis explicatio. ℙ Translate sumitur pro declaratione. *Cic. Fin.* 3, 4. Multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit. [**Cic. Phil.* 7, 1. Quarum rerum facilis explicatio videtur, *h. e.* facile ac paucis verbis, quid de istis rebus statuendum sit, exponi potest.] *Id. N. D.* 3, 24. Explicatio fabularum, et enodatio nominum. *Id. Or.* 2, 27. Explicatio illustris et perpolita. [**Cic. Brut.* 38. In disserendo mira explicatio, *h. e.* perspicuitas et copia.] *Sen. ep.* 114 *init.* Inflata explicatio.

EXPLĪCĀTOR, oris, m. qui aliquid explicat. *Cic. Or.* 9. Sed ita ut rerum explicator prudens, severus, gravis. Adde *Inv.* 2, 2. et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 356., ubi al. leg. *expiscator.*

EXPLĪCĀTRIX, icis, f. quae explicat. *Cic. Acad.* 1, 8. Huic quasi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae.

EXPLĪCĀTUS, a, um, partic. ab *explico*, expansus, effusus, apertus, *ἀνάπτυκτος. Cic. Agr.* 2, 35. Capua planissimo in loco explicata. [**Pall. Aug.* 11, 2. Explicata valle aquam consurgere patiemur.] *Id. Or.* 1, 35. Non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis propalam collocatis, sed his omnibus constructis ac reconditis. ℙ Translate explanatus, apertus, expeditus. *Cic. Acad.* 1, 2. Philosophia diligentissime Graecis litteris explicata. *Id. Planc.* 2. Facilis et explicata causa. *Id. Att.* 16, 3. *f.* Rationes aut negotia explicata. *Id. Prov. cons.* 14. *extr.* Rem prope jam explicatam perturbare atque impedire. *Id. Fam.* 6, 1. Habere explicatam aut exploratam rationem salutis suae. *Id. Off.* 1, 24. Si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali. *Id. Or.* 2, 87. Uti locis illustribus explicatis, etc. *Id. Att.* 9, 7. Litterae tuae, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius. *Id. ad Brut.* 2, 7. *med.* Mihi non erat explicatum, quid agerem. *August. ep.* 34. *f.* Explicatissima responsa.

EXPLĪCĀTUS, us, m. idem ac explicatio. *Plin.* 8, 42, 67. Sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. *Cic. N. D.* 3, 39. *extr.* Quam esset obscura, et quam difficiles explicatus haberet.

EXPLĪCIT, *h. e.* desinit, completus est. Frequens est vox in fine librorum, praesertim manu scriptorum, ut *Explicit liber, Explicit feliciter*, etc. Videtur autem esse ab *explico*, quod significat etiam ad finem adducere, complere: vel potius a forma librorum apud veteres in volumen complicatorum, quos adeo, ut legi possent, evolvere, atque explicare necesse erat. [**Martial. Epigr.* 11, 108. Explicitum nobis usque ad sua cornua librum refers.] Hinc *Car. Ducangius* in *Glossar. Med. et Inf. Latinit.* notat, elegantioris notae codices adscriptum ferre *Explicitus est liber*, etc. Qua ratione *Orosius* 7. *f.* apposuit. *Explicui, adjuvante Christo*, etc. *Hieronym. ep.* 28. *n.* 4. Solemus, completis opusculis, ad distinctionem rei

alterius sequentis, medium interponere *Explicit*, aut *Feliciter*, aut aliquid istiusmodi. [*Cfr. Elmenh.* ad *Appul. Met.* 11. p. 321.]

EXPLĬCĬTUS, a, um, partic. ab *explico*. *Cic. Att.* 9, 7. Quamquam a te ejus quoque rei justa defensio est explicita. Al. leg. *explicata*. ℙ Interdum ponitur pro absoluto. *Mart.* 14, 1. Versibus explicitum est omne duobus opus. *Caes. B. C.* 3, 75 His explicitis rebus, *h. e.* expeditis, peractis. Et *ib.* 1, 78. Ex propositis consiliis duobus explicitius videbatur Ilerdam reverti, *h. e.* facilius, expeditius. [*Vid. *Oudend.* ad h. l.] *Scaevola Dig.* 34, 1, 17. Ex eo tempore, quo templum explicitum fuerit. [*ausgebaut ist.] et *Ulp. ib.* 36, 1, 1. Explicito tractatu, qui ad fideicommissa pertinet, transeamus nunc, etc. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 222. Qui rogatus ab ordine, et populo gladiatorii muneris publici curam susciperet, fecit, et explicito, quod promiserat, impendium bigae, quam populus ex conlatione legativi epuli offerebat, remisit, *h. e.* explicito gladiatorio munere. ℙ Item pro liberato, erepto. *Quint. Decl.* 2, 2. Explicitus flammis. *Sen. Tranquill.* 2. Ex longa et gravi valetudine explicitus. *Petr. Sat.* 79. Cum hora paene tota per omnes scrupos traxissemus cruentos pedes, tandem expliciti sumus acumine Gitonis. ℙ Item pro expanso, extenso. *Val. Fl.* 5, 561. stetit explicito prius agmine pubes. Et pro porrecto ad terram. *Stat. Theb.* 1, 568. *de pythone a Phoebo interempto.* Cyrrhaeique dedit centum per jugera campi. Vix tandem explicitum. V. v. seq.

EXPLĬCO, as, avi, atum, et icui, icitum, a. 1. ἐκπτύσσω, ἀναπτύσσω, aperio, extendo, evolvo, dilato, expono: et dicitur proprie de rebus, quae contractae, involutae, complicatae sunt. *Cic. Rosc. Am.* 35. Veniat modo: explicet suum volumen illud. *Petr. Sat.* 14. Explicuimus mercem. *Mart.* 1, 56. Ante focum plenas explicuisse plagas. *Id. Spectac.* 2. Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras. *Id.* 4, 54. Explicare fusos, *h. e.* evolvere, et exonerare. *Ov. Amor.* 2, 6, 55. Explicat ipsa tuas ales Junonia pennas. *Lucan.* 10, 109. Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu Luxus. *Varr. L. L.* 4, 29. Pectine explicare capillum. *Sall. fragm. H.* 6. ap. *Arusian. Mess.* Explicare pontem. *Hirt. B. Alex.* 14. classem, naves. [*aufstellen, ausbreiten.] et *B. Afr.* 59. equitatum. [*Sic explicare aciem. *Drak.* ad. *Liv.* 44, 38, 5. Explicare agmen. *Id.* ad *Liv.* 2, 59, 7. 10, 20, 3. Explicare ordines. *Id.* ad *Liv.* 2, 46, 3.] et *Caes. B. C.* 3, 93. Equites se turmatim explicare coeperunt. *Virg. G.* 2, 280. cum longa cohortes Explicuit legio. *Liv.* 37, 23. Ut ordo omnium navium ad terram explicari posset. *Albinov.* 1, 251. in longum spatiosas explicat undas. *Virg. G.* 2, 335. Pampinus frontes explicat omnes. *Pl. Mil.* 4, 8, 7. Explicare velum. *Lucan.* 4, 19. Explicat hinc tellus campos diffusa patentes. Sic *Plin.* 5, 29, 31. Explicant se montes. *Stat. Theb.* 1, 146. Atria congestos satis explicitura clientes. *Lucr.* 2, 880. Ignis arida ligna explicat in flammas. ℙ *Explicare orbes* ap. *Ov. Met.* 15, 720. dicitur serpens, qui in longum porrigitur. Hac ratione *Lucan.* 5, 80. adhuc rudibus Paean pythona sagittis Explicuit, *h. e.* occidit, et multa porrectum extendit arena, ut ait *Virg. A.* 9, 589. ℙ *Explicare aedificium* est late construere, ampliare. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* Forum laxare, et usque ad atrium Libertatis explicare. ℙ Translate *Pl. Poen.* 3, 5, 5 Explicavi meam rem post illa lucro, *h. e.* amplificavi. ℙ *Explicare convivium* ap. *Mart.* 1, 100. est instruere, apparare. ℙ *Explicare frontem* est exhilarare, contractam curis frontem tranquillam reddere. *Hor. Od.* 3, 29, 16. et *Sat.* 2, 2, 125, [*Vid. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 69] ℙ *Explicare mare* est turbatum, et veluti plicis corrogatum complanare, atque adeo tranquillum reddere. *Sen. Herc. Oet.* 455. concussi fretum, Cessante vento: turbidum explicui mare. ℙ Significat etiam expedire. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Si ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua ratione explicaris. [*Ulp. in *Dig.* 9, 2, 29, 3. Si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius, nautae funes praecidissent, si nullo alio modo, nisi praecisis funibus, se explicare potuit.] *Plin.* 11, 18, 19. Apes difficile se a lanis ovium explicantes. *Cn. Magnus* ad *Domit.* 3. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Da operam, ut te explices, huc quamprimum venias. [*Vid. *Heind.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 270.] ℙ Et translate, remotis impedimentis expedire, ad exitum perducere, conficere, per difficultates vadentem absolvere. *Cic. Fam.* 13, 26. et *Att.* 5, 12. Ut ejus negotia explices et expedias, cum jure et potestate, tum etiam auctoritate et consilio tuo. [*Ulp. in *Dig.* 1, 16, 10. Proconsul per quem provinciales negotia sua explicant.] *Pompon. Dig.* 27, 7, 1. Ea, quae per defunctum inchoata sunt, per heredem explicari debent. *Flor.* 1, 17. Fabius periculosissimum bellum sine periculo explicavit. *Mart.* 1, 104. Explicat et coenas unica mensa duas. *Plin. ep.* 8, 1. Iter commode explicui, excepto quod, etc. *Phaedr.* 4, 6. Medea per artus fratris explicuit fugam. Etiam *Liv.* 1, 3. *f.* eodem modo locutus est. [*Drak. ad *Liv. Epit.* 48.] *Plin. ep.* 7, 4. Transii ad elegos: hos quoque feliciter explicui: addidi alios, facilitate corruptus. *Cic. Manil.* 11. Provinciam multis cinctam periculis explicavit. *Hirt. B. G.* 8, 4. Explicare rem frumentariam. [*Vide quos laudat *Oudend* ad *Caes. B. Civ.* 1, 78. p. 598.] *Id. B Alex.* 34. Pecunia necessaria ad explicandos sumptus rei militaris. *Callistrat. Dig.* 42, 1, 31. Si qui debitores, quia non possint explicare pecuniam, differant solutionem. [*Vid. *Burm* ad *Calp. Fl. decl.* 14. p. 810.] *Cajus ib.* 30, 1, 68. *med.* Explicare rationes. *Cic. Fam.* 13, 29. Si Faberius nobis nomen illud explicat, noli quaerere, quanti, *h. e.* solvit mihi, quam debet, pecuniam. et *ib.* Si Faberianum explicas, emamus vel magno. [*ad *Fam.* 13, 26. Peto . . . ut ejus negotia explices et expedias.] *Caes. B. C.* 1, 78 Ibi se reliquum consilium explicaturos, *h. e.* expedituros, executuros. *Hor. Sat.* 2, 3, 170. nihilo plus explicet, ac si, etc. *h. e.* efficiat, assequatur, obtineat. ℙ Item excitare, proferre. *Cic. Off.* 3, 20. Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quae sit, etc. ℙ Aliquando est narrare, exponere. *Nep. praef.* Ut ea explicem, quae exorsus sum. *Id. Pelop.* 1. Si res explicare incipiam. *Vitruv.* 10, 22. De scorpionibus et catapultis, a quibus essent inventa, et quemadmodum fieri deberent, explicui. *Cels.* 4, 2. Quae vero auxilia sint capitis, eo loco explicitum est. *Cic. Div. Verr.* 8. Vitam alterius totam explicare, et in oculis omnium exponere. *Id. Att.* 8, 3. Quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. *Id. Fin.* 1. *f.* Explicavi sententiam meam, tuum judicium ut cognoscerem. *Virg. A.* 2, 361. quis funera fando Explicet? ℙ Saepissime est rem intellectu difficilem explanare, expedire, declarare, δηλόω. *Cic. Div.* 2, 2. Explicare philosophiam. *Id. Or.* 1, 34. Summorum oratorum Graecas orationes. *Id. Part.* 36. Explicare et excutere verbum. *Id. Fam.* 5, 12. causas rerum. *Id. Fl.* 4. Explicare se dicendo. *Id. Verr.* 2, 2, 64. *extr.* Apertissime planissimeque explicare. *Id. Fin.* 3, 10. Definitione explicare aliquid. *Id. Brut.* 67. Explicare expedite quod proposueris. *Id. Or.* 1, 35. Dilatare atque explicare aliquid. *Id. Tusc.* 3, 6. Non de aegritudine solum, sed de omni animi perturbatione explicabo. ℙ Item exsequi. *Cic. Or.* 3, 26. *f.* Ipsa ad ornandum praecepta quae dantur, ejusmodi sunt, ut ea quamvis vitiosissimus orator explicare possit. ℙ Notat *Gell.* 1, 7. *f.* praeteritum *explicui* tempore Ciceronis usitatius esse coepisse, quam *explicavi*. [*Livius aliique scriptores frequentius habent *Explicui*. *Cort.* ad *Plin. Epp.* 4, 27, 3. *Drak.* ad *Liv.* 6, 21, 7. 37, 29, 8.]

EXPLŌDO, is, osi, osum, a. 3. ἐκχοτέω, pulsando ejicio, *Sen. Consol. ad Marc.* 10. Alios per incerta nudos jactabit maria, et luctatos cum fluctibus ne in arenam quidem, aut litus explodet, sed in alicujus ventrem immensae beluae decondet. *Afran.* ap. *Non.* 2, 897. In Arpinos, quantum pote, explodam hominem, ut villicetur. ℙ Est etiam rem, quae non placuit, manibus plaudendo improbare, rejicere. *Cic. Or.* 1, 61. Aesopum, si paulum irrauserit, explodi video. *Id. Parad.* 3. *f.* Histrio si paulum se movit extra numerum, exsibilatur et exploditur. *Id. Rosc. Com.* 11. E scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur. ℙ Et generatim damnare, improbare. *Id. Div.* 2, 41. Hoc genus divinationis vita jam communis explosit. [*Cic. *Off.* 1, 2. Aristonis explosa sententia.] *Id. Cluent.* 31. Explodere et ejicere aliquid. [*Cic. *Q. Fr.* 2, 11. Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus est explosus.]

EXPLORANTER, adv. explorate, explorando. *Ammian.* 16, 5. Exploranter curabat. Al. leg. *explorate*.

EXPLORĀTĒ, adv. δεδοκιμασμένως, re explorata et comperta, certo, plane. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *f.* Haec ita sentio, judico, ad te explorate scribo. *Id. N. D.* 1, 1. Res satis explorate percepta et cognita. *Id. Fam.* 16, 8. Ne naviges, nisi explorate. *Planc. ad Coss. etc. Fam.* 10, 8. Non solum bene sperare, sed explorate judicare volumus. *Cic. Fam.* 6, 1. *med.* Cum exploratius possem promittere.

EXPLORĀTĬO, onis, f. actus explorandi, observatio. *Colum.* 3, 9. *med.* Quidquid morae est, in exploratione surculi absumitur. *Tac. H.* 3, 54. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata imperatoris professus, ut cuncta viseret, postulat. [*In re militari. *Modest.* in *Dig.* 49, 16, 3, 4. Is qui exploratione emanet, capite puniendus est.]

EXPLORĀTOR, oris, m. δοκιμαστής, qui explorat: et praesertim in re militari, qui hostium res exploraturi praemittuntur. *Caes. B. G.* 1, 12. Per exploratores Caesar certior factus. *Curt.* 3, 13. Forte in exploratores ab eo praemissos incidit. *Sil.* 16, 80. praenuncius affert Explorator eques. *Festus* in *Explorare* discrimen statuit inter *exploratorem*, et *speculatorem*, quod *speculator* hostilia silentio perspicit, *explorator* pacata clamore cognoscit, *h. e.* rumore, sermonibus, et actionibus hostium cognoscit, quae in pace fiunt. Quae differentia minus vera videtur. ℙ Extra militiam. *Suet. Tib.* 60. In quodam itinere lectica vepribus impedita, exploratorem viae plane ad necem verberavit. *Plin.* 6, 29, 35. Exploratores Neronis renunciavere his modis: a Syene mill. pas., etc. Adde *Pl. Ps.* 4, 7, 71. ℙ Adjective. *Claud. praef. ad III. Cons. Honor.* 11. *de pullo aquilae.* Exploratores oculis qui pertulit ignes, Nutritur volucrumque potens et fulminis heres. *Mart.* 8, 51. nec odit Exploratores nubila massa focos.

EXPLORĀTORĬUS, a, um, adj. ad explorandum pertinens. *Suet. Cal.* 45. Coronas distinctas solis ac lunae siderumque specie, exploratorias appellavit. *Veg. Mil.* 4, 37. Scaphae exploratoriae. V. SPECULATORIUS.

EXPLORĀTUS, a, um, part. ab *exploro*, πρόδηλος, δοκιμασθείς, compertus, perspectus, certo cognitus, manifestus, certus. *Cic. N. D.* 1, 19. Deus habet exploratum, fore se semper in aeternis voluptatibus. *Caes. B. G.* 6, 5. Pro explorato habebat, Ambiorigem proelio non esse certaturum. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* De quo mihi exploratum est, ita esse, ut scribis. *Id.* ad *Quirit.* 6. Cum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum. *Id. Acad.* 4, 17. Cui possit exploratum esse de sua sanitate? *Id. Att.* 3, 15. *f.* Fac, ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas. *Liv.* 42, 13. Res non incertis jactatae rumoribus, sed compertae et exploratae. *Cic. Mur.* 24. Ut ei jam exploratus, et domi conditus consulatus videretur. *Vell.* 2, 84. Longe ante, quam dimicaretur, exploratissima fuit victoria. [*Cic. *Tusc.* 5, 9. Summum bonum firma corporis affectione exploratoque spe contineri. V. alia ap. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 10. p. 36.] *Brut. ad Cic. ad Brut.* 1, 17. Quid mihi exploratius esse potest, quam illius animus in rempublicam? *Cic. Att.* 3, 17. Litterae exploratae a timore. [*die Sicherheit geben.] *Stat. Silv.* 3, 5, 44. Fides tot explorata per usus. ℙ [Ablativus *explorato* absolute positus. *Tac. H.* 2, 49. Et explorato, jam profectos amicos, noctem quietam agit, *h. e.* postquam exploratum est illi et cognitum. *F.*] [*Liv.* 22, 4, 4. Explorato ire. V. *Drak.* ad h. l. et ad 38, 18, 7. ℙ Confunduntur a librariis *Exploratus* et *imploratus*. Vid. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 10. p. 36.]

EXPLŌRO, as, avi, atum, a. 1. σκοπέω, δοκιμάζω, inquiro, indago, observo. *Cic. Att.* 6, 8. Explora rem totam, ut consilium capere possimus. *Nep. Annib.* 2. Ad quem cum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent, etc. [*Drak. ad *Liv.* 35, 23, 2.] *Cic. Verr.* 2, 5, 17. Prospectare exsilium, atque explorare fugam domini videbatur. *Petr. Sat.* 116. Cum diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent. *Plin.* 5, 1, 1. Explorare ambitum Africae jussus. *Sil.* 11, 216. Explorare, an urbs pateat. *Colum.* 12, 2. Explorare, utrum etc. [*Gaj. in *Dig.* 17, 1, 2, 6. Liberum est cuique, apud se explorare, an expediat sibi consilium.] *Ov. Met.* 10, 455. Nutricisque manum laeva tenet: altera motu Caecum iter explorat. *Sil.* 5, 60. mentesque Deorum Explorant super eventu. *Virg. A.* 9, 169. Alta tenent; nec non trepidi formidine portas Explorant, *h. e.* observant diligenter, an firmae, et probe clausae sint. *Id. G.* 3, 537. Non lupus insidias explorat ovilia circum, *h. e.* locum insidiis quaerit. ℙ Saepe ad rem militarem refertur, et dicitur de iis, qui res et consilia hostium indagaturi praemittuntur: unde *Exploratores*. *Liv.* 23, 42. *med.* Ante explorato, et subsidiis positis, et sub signis ad populandum ducebant. *Caes. B. G.* 5, 47. *extr.* Speculatoribus in omnes partes dimissis, explorat, quo commodissime itinere vallem transire posset. *Hirt. B. G.* 8, 18. Explorare consilium hostium. *Cic. Manil.* 12. Nondum tempestivo ad navigandum mari, Siciliam adiit, Africam exploravit. *Sall. Jug.* 39. Itinera, egressusque ejus, postremo loca, atque tempora cuncta explorat. ℙ Est etiam experiri, periculum facere. [*Pall. Jul.* 3, 1. Pirus locis humidis nunc insita me explorante processit, dicit ad suam ipse experientiam provocans.] *Colum.* 1, 8. *f.* et *Tac. A.* 12, 66. Panis potionisque bonitatem gustu explorare. *Pall.* 1, 9. Regula explorare aequale. *Virg. G.* 1, 175. Et suspensa focis explorat robora fumus, *h. e.* probat, an sint optima: quod ex eo noscitur, si fumo siccata rimas non contrahant. *Lucan.* 2, 603. Taurus in adversis explorat cornua truncis. Et 8, 582. Explorare fidem alicujus. *Liv.* 37, 7. et *Ov. A. Am.* 1, 456. animos. *Sil.* 11, 358. Hoc jugulo dextram explora, *h. e.* experire vires tuas in hoc jugulo. *Tac. H.* 1, 15. Secundae res acrioribus stimulis animos explorant, *h. e.* tentant, excitant. ℙ Olim, ut *Fest.* docet, pro exclamare, aut valde plorare usi sunt veteres. Huc afferunt quidam Lexicographi haec *Varronis* verba: *Gemit, explorat, turbam omnem concitat.* Quae unde eruerint, nondum mihi compertum est. ℙ [Part. *Explorans* ap. *Liv.* 37, 28. Inde ex propinquo explorans, quid hostes agerent. *Explorandus* ap. *eund.* 22, 55.

Haec exploranda noscendaque per impigros juvenes esse. *F.*]

EXPLOSĬO, onis, f. actus explodendi. *Coelius* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Multa transĭ, in primis ludorum explosiones et funerum etc. [*ubi explosiones partim sunt eae quibus histriones ejiciuntur, partim eae quibus homines in theatrum spectandi causa venientes exsibilantur et excluduntur.]

EXPLOSUS, a, um, part. ab *explodo*. *Hor. Sat.* 1, 10, 76. non satis est equitem mihi plaudere, ut audax, Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit. *Cic. Fin.* 5, 8. Explosae ejectaeque sententiae.

EXPŌLĬO. V. EXSPOLIO.

EXPŌLĬO, ōlis, ivi, itum, a. 4. proprie est verbum fullonum, vestes, pannosque concinnantium. Translate. *Pl. Poen.* 1, 1, 60. *Ag.* Placet consilium. *Mi.* immo etiam ubi expolivero, magis etc. V. dicta in CONCILIO. *Plin.* 8, 37, 56. Herinacei cute expoliuntur vestes. ℙ Universim ponitur pro perpolire, excolere, exornare, ἀποξέω, κατακοσμέω. *Pl. Poen.* 1, 2, 10. Ex industria ambae nunquam concessavimus Lavari, fricari, poliri, expoliri, pingi. *Plin.* 24, 4, 6. Unguium scabritias expolire. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 2, 1. *extr.* Nihil omni ex parte perfectum natura expolivit. *Pl. Most.* 1, 2, 45. Expoliunt, docent litteras, jura, et leges. *Cic. Or.* 3, 34. Dionem Plato doctrinis omnibus expolivit. Et *ib.* 2, 10. Nox te, inquit, Antoni, expolivit, hominemque reddidit. *Auct. ad Her.* 2, 18. Fere non difficile est invenire: difficillimum vero est, inventum expolire. [*Cic. *Inv.* 1, 41. Neque eadem ratione partitiones expolire.] ℙ In malam partem. *Pl. Truc.* 2, 7, 3. Expolire se improbis artibus, *h. e.* instruere. Al. aliter leg. ℙ [Part. *Expoliendus* ap. *Plin. ep.* 1, 10. Illi te expoliendum, limandumque permittas. *F.*]

EXPOLĪTĬO, onis, f. ἐκλείανσις, ἐπεξεργασία, actus expoliendi, exornatio. *Vitr.* 6. *f.* et 7. *praef. f.* Expolitiones parietum, pavimentorum, *h. e.* cum tectorium, et marmoratum inducitur: de quibus intelligendum et illud *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget ille quidem, et Philotimus. Adde *ep.* 3. Rursus *Vitr.* 7, 9. Si quis voluerit, expolitionem miniaceam suum colorem retinere. ℙ Translate. *Cic. Or.* 55. In verbis inest quasi materia quaedam: in numero autem expolitio. *Id. Or.* 1, 12. Composita oratio, et ornata, et artificio quodam et expolitione distincta. *Id. Inv.* 1, 40. *extr.* Argumentatio est inventi artificiosa expolitio. ℙ Speciatim in re oratoria *expolitio* est, cum in eodem loco manemus, et aliud atque aliud dicere videmur. Ea dupliciter fit, si aut eandem plane rem dicemus, aut de eadem re. Eandem rem dicemus non eodem modo, (nam id quidem obtundere auditorem est, non rem expolire) sed commutate. Commutabimus tripliciter, verbis, pronunciando, tractando etc. Haec et alia multa *Auct. ad Her.* 4, 42. et sequentib.

EXPŌLĪTUS, a, um, part. ab *expolio*, ἐπεξειργασμένος, politus, exornatus, perfectus. *Catull.* 1, 2. Libellus arida modo pumice expolitus. Et 39, 20. Dens expolitior. *Vitr.* 7, 9. Expolitus paries. *Pl. Most.* 1, 2, 18. Aedes expolitae, factae probe, examussim. *Scipio* ap. *Gell.* 2, 20. Agri optime culti, et villae expolitissimae. ℙ Item purgatus. *Colum.* 2, 21. *f.* Frumenta quanto sunt expolitiora, minus a curculionibus exeduntur. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 25. Vir omni vita, atque victu excultus atque expolitus. *Gell.* 15, 11. Graeca doctrina expolitus.

*EXPOMPO, as, a. 1. *August. Serm.* 12. a *Sirmondo* ed. p. 140. Quid times? inveniri et damnari? inveniri et expompari? i. e. dehonestari, publica pompa ad supplicium duci. *B. A.*

EXPŌNO, is, sui, (*raro* exposivi) itum, a. 3. ἐκτίθημι, extra pono, explico, profero, propono. [*Qui de hujus vocis signif. agit, *Heins.* ad *Ov. Met.* 8, 117. multa miscet.] *Cic. Off.* 3, 12. Advexi frumentum, exposui: vendo meum etc. [*Exposui hic non est: venale proposui, sed, quod nexus docet, exoneravi e nave. V. infra §. 4.] *Id. Mur.* 36. Stravit pelliculis haedinis lectulos, et exposuit vasa Samia. *Colum.* 12, 28. Herbam in sole exponere, aut in furno, ut siccescat. *Plin.* 35, 7, 33. Pingi gladiatoria munera, atque in publico exponi coepta. *Gell.* 9, 7. Exponi ad oculos, et ad solem. *Ov. Pont.* 3, 1, 49. Exposuit mea me populo fortuna videndum. ℙ [*Pro simplici *ponere* usurpatum videtur, ap. *Pall. Febr.* 24, 31. Mense Februario seu planta seu semen exponitur.] ℙ Item abjicio, dejicio, a me removeo. *Pl. Cas.* 4, 4, 27. Ut valentula est! paene exposivit cubito. *Id. Truc.* 3, 1, 14. Istos mundulos amasios hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foras. ℙ Hinc *exponere filios suos* dicebantur parentes, qui eos educare nollent, nec tanquam filios habere: quod extra limen aedium eos humi abjicere solebant. *Pl. Cist.* 1, 3, 18. Dat puellam servo exponendam ad necem. *Liv.* 1, 4. In proxima alluvie pueros exponunt. *Suet. Claud.* 27. Claudiam quamvis ali coeptam, exponi tamen ad matris januam, et nudam jussit abjici. Adde *Ter. Heaut.* 4, 1, 37. et *Justin.* 1, 4. V. EXPOSITICIUS. ℙ Etiam nautae cum e navi dimittunt, *exponere* dicuntur. *Nep. Them.* 8. Ephesum pervenit, ibidemque Themistoclem exponit. *Caes. B. C.* 3, 29. Quibus regionibus exercitum exposuisset, et quid militum transvexisset. *Justin.* 22, 5. Exponere in litore. *Caes. B. C.* 1, 31. in terram. [*Utriusque constructionis exempla habent. *Liv.* et *Caes.* V. *Drak.* ad 28, 44, 10. et *Oudend.* ad *Caes. B. C.* 1, 31. p. 557.] *Id. B. G.* 5, 57. milites ex navibus. *Virg. A.* 10, 287. socios de puppibus altis Pontibus exponit. [*Labeo in *Dig.* 14, 2, 10, 1. Certam poenam tibi praestaret, nisi ante constitutum diem merces tuas eo loci exposuisset, in quem devehendas eas merces locasset. Atque sic etiam *Cic.* locum de *Off.* 3, 12, 51. intelligendum esse supra monui. Utroque loco est *ausladen.* Sed *Marcian.* in *Dig.* 39, 4, 16, 8. Si propter necessitatem adversae tempestatis expositum onus fuerit, non debere hoc commisso vindicari, est in mare dejicere, *über Bord werfen.*] ℙ Ad hunc, et superiorem simul verbi usum pertinet illud *Suet. Claud.* 25. Cum aegra et affecta mancipia in insulam Aesculapii, taedio medendi, exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit. ℙ Significat etiam objicere. *Tac. H.* 3, 5. Ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur. *Flor.* 3, 11. Exercitum hosti exponere. ℙ Item vulgare, prostituere. *Lact.* 1, 7. Sciant tamen, quo nomine appellari debeant, ne Deum verum violent, cujus nomen exponunt, dum pluribus tribuunt. ℙ Item exhibere, proponere. *Cic. fr.* ap. *Non.* 2, 375. Vitam suam exponere ad imitandum juventuti. ℙ Frequentissime est dicere, narrare, disserere. [*Exempla e *Livio* attulit *Drak.* ad 7, 32, 8.] *Cic. Rosc. Am.* 5. Ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus. *Id. Or.* 62. Exponere narrationem. *Id. Or.* 2, 12. mandata in senatu, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem. *Id. Div. Verr.* 8. Vitam alterius totam explicare, atque eam non modo in animis judicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere. *Id. Or.* 3, 20. Exponere artes rhetoricas. *Id. Cat.* 3, 6. Ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. *Id. Fin.* 4, 1. Tam multa memoriter, tam obscura dilucide exposuisti. *Liv.* 30, 17. Omnia exposuit ordine patribus. *Nep. Att.* 18. Versibus exposuit, qui honore ceteros populi R. praestiterunt. *Cic. Fin.* 3, 4. *f.* Rem pluribus verbis exponere. *Id. Pis.* 3. *extr.* et *Cat.* 3, 1. Breviter exponere. *Id. Or.* 1, 22. Hoc de quo modo exposuit Antonius. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* De quo coeperam exponere. *Nep. Dion.* 3. De hoc in meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. *Cic. Or.* 1, 53. Quam orationem in Originibus suis exposuit Cato, *h. e.* scripsit atque edidit. ℙ [*Scaev. in *Dig.* 13, 5, 31. Epistolam in eos exposuit, sese debitorem esse, i. e. expistolam emisit; *er stellt einen Schein auf sie aus.*] ℙ *Quintiliano* 4, 2. *exponere* idem est quod narrare, in actione oratoria: sicut *expositio* idem quod oratoria narratio. ℙ [*In re argentaria est assignare, aperire. *Cic.* ad *Att.* 5, 4. De Oppio bene curasti, quod ei DCCC exposuisti, *h. e.* aperuisti, ut scriptum exstat de eadem re 5, 1.] ℙ [Part. *Expositurus* ap. *Tac. A.* 15, 72. Quasi gesta bello expositurus. *F.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *Exponere* et *expromere.* V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 12, 4. p. 244. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 3, 725. *Drak.* ad *Liv.* 7, 32, 8.]

*EXPONTĬFEX, icis, m. qui fuit pontifex. *Sarisb. Polycrat.* 8, 23. *B. A.*

EXPOPŪLĀTĬO, onis, f. populatio. *Colum.* 3, 2. *circa med.* Quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominantur. [Optimae tamen editiones, ut et *Schneideri*, habent *populationem. F.*]

*EXPOPULĀTOR, oris, m. ap. *Marc. Empir. B. A.*

EXPORGO. V. EXPORRIGO.

EXPORRECTUS, a, um, part. ab *exporrigo*, idem fere quod *experrectus.* Nam ita leg. nonnulli ap. *Fest.* verba, quae retulimus in EXPERGITUS. Dicitur autem a porrigendo se, quod facimus recentes a somno. Hinc *Prudent. Hamartig.* 856. Illic purpureo latus exporrecta cubili, *h. e.* prostrata. *Pers.* 3, 82. exporrecto trutinantur verba labello, *h. e.* protenso. *Varr.* ap. *Non.* 1, 229. Si in somnum recideris, et οὐδέποτε eris iterum exporrectus.

EXPORRĪGO, *et per syncop.* Exporgo, is, exi, ectum, a. 3. παρεκτείνω, extra porrigo, extendo. *Fest.* derivat a *porro*, et *ago:* alii a *porro*, et *rego* V. PORRIGO. *Pl. Ps. prol. f.* Exporgi melius est lumbos, atque exsurgier, *h. e.* extendi lumbos, quia sedentibus complicati sunt lumbi, stantibus extensi. *Hirt. B. Afr.* 42. Propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones. Et 78. Suos equites exporrigere coepit in longitudinem. *Plin.* 9, 30, 48. Polypi resupinati exporrigunt se. *Id.* 18, 10, 23. Sesamam exporrigere in sole super lintea. *Id.* 11, 48, 108. Crura exporrigentia se verius, quam crescentia. *Mela* 1, 19. Hinc orti montes longo se jugo exporrigunt. ℙ Translate. *Senec. Brev. vit.* 9. Quid in tanta temporum fuga lentus, menses tibi et annos, et longam seriem exporrigis? *Ter. Ad.* 5, 3, 53. Da te mihi hodie: exporge frontem, *h. e.*. explica, et ad hilaritatem compone.

EXPORTĀTĬO, onis, f. ἐξαγωγή, actus exportandi. *Cic. Off.* 2, 3. *f.* Jam vero earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset. ℙ Interdum sumitur pro exsilio. *Senec. Tranq.* 11. Quae dignitas, cujus non praetextam, et augurale, et lora patricia comitentur et sordes, et exportatio?

*EXPORTĀTOR, oris, m. *JCt.* in *Dig. B. A.*

EXPORTĀTUS, a, um. part. ab *exporto*, elatus. *Justin.* 11, 15. Darius clauso vehiculo per noctem exportatus. *Suet. Dom.* 17. Corpus populari sandapila per vespillones exportatum nutrix in suburbano suo funeravit. *Colum.* 1, 6. *med.* Nec spinarum, vel graminum semina in agrum exportata segetes herbidas reddant.

EXPORTO, as, avi, atum, a. 1. ἐκφέρω, extra porto, aufero. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Per istos, quae volebat, in navem clam imponenda, occulte exportanda curabat. *Id. Fl.* 28. Cum aurum quotannis ex Italia, et ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret. *Varr. R. R.* 2, 5. Taurus, qui exportavit per mare e Phoenice Europam. *Virg. G.* 4, 255. tum corpora luce carentum Exportant tectis, et tristia funera ducunt. *Cic. fr.* ap. *Non.* 5, 34. Phoenices mercaturis inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Graeciam. *Pl. Truc.* 2, 2, 56. Quae nunc ad vos jam exportatur. *Id. ib.* 1, 2, 1. Asservate aedes, ne qui manus attulerit steriles intro ad nos, gravidas foras exportet. ℙ Item in exsilium agere, deportare. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. O portentum in ultimas terras exportandum!

EXPOSCO, is, expoposci, a. 3. ἐξαιτέω, enixe peto. *Cic. Mil.* 34. Misericordia ipse non implorat, ego autem repugnante hoc, et imploro, et exposco. *Liv.* 1, 16. Exposcere precibus pacem. *Id.* 7, 40. Quod Deos immortales inter nuncupanda vota expoposci. *Caes. B. C.* 2, 5. Victoriam ab Diis exposcere. *Virg. A.* 4, 78. Iliacos iterum audire labores Exposcit. *Curt.* 4, 14. *med.* Opem, misericordiam, fidem alicujus exposcere. *Tac. H.* 4, 19. Acriter exposcere. ℙ [*Item significat exigere. *Papin.* in *Dig.* 46, 3, 97. Si major pecunia numerata sit, quam ratio singulorum exposcit, i. e. exigit.] ℙ Aliquando significat ad poenam poscere. *Nep. Them.* 8. Cum ab Atheniensibus exposceretur publice, supplicem non prodidit. Adde *Annib.* 7., *Liv.* 38, 31. et 33. Sic *Tac. H.* 1, 58. Exposcere ad poenam. [*Hoc sensu etiam *deposcere* dicitur. *Caes. B. C.* 3, 10. *Hirt. B. G.* 8, 38.] ℙ [Part. *Exposcens* apud *Liv.* 39, 50. Victa Messene bello exposcentibus Achaeis noxios dedidit. *Exposcendus* ap. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. Cum aliquid exposcendum est. *F.*]

EXPOSĪTĬCĬUS, a, um, adj. qui expositus, et abjectus fuit, ut Expositicia puella, ap. *Pl. Cas. prol.* 79. V. EXPONO et EXPOSITUS.

EXPOSĪTĒ, adv. explanate, explicate. *Gell.* 3, 2. Non exposite et aperte ostendere, sed recondita significatione.

EXPOSĪTĬO, onis, f. ἐξήγησις, actus exponendi. *Auct, ad Her.* 1, 10. Distributio dividitur in duas partes, enumerationem, et expositionem. Expositio est, cum res, de quibus dicturi sumus, exponimus breviter, et absolute. *Id. ib.* 3. Narratio est rerum gestarum expositio. Et Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione. Et 2, 2. Simplex et dilucida expositio. ℙ In illis verbis *Cic. Or.* 3, 53. et rogatio, atque huic finitima quasi *percunctatio*, *expositioque sententiae suae*, describitur subjectio, figura sententiarum, qua orator seipsum interrogat, sibique respondet. [*V. *Ernest. Lex. Technol. Lat. rhet.* p. 157.] ℙ *Quint.* 3, 9. et 4, 1. et 2. narrationem oratoriam *expositionis* nomine appellat. ℙ *Auct. ad Her.* 2, 20. primam propositionem syllogismi oratorii.

EXPOSĪTĬUNCŪLĂ, ae, f. brevis expositio. *Hieron. adv. Jov.* 1. *n.* 37. In Salomonis exemplis breves expositiunculas subdidi.

[*EXPOSĪTĪVUS, a, um, adj. qui exponendus est. *Aggen. Urbic. de limit. agr.* p. 63. *Goes.* Expositivus est status controversiae, quoties finitimorum argumentorum caret demonstratione, et partium magis exigit narrationem, per quam exponendum sit, quo sint genere terminandae, aut persuadendum judici, etiam si loci natura finitimam exhibeat similitudinem. *F.* et *B. A.*]

EXPOSĪTOR, oris, m. explanator. *Firm. Mathes.* 13. *n.* 5. Sortilegi, astronomi, somniorum expositores.

EXPOSĪTUS, a, um, part. ab *expono*, ἐκθετος, prœpositus, extra positus. *Cic. Verr.* 2, 4, 16. Ab hoc abaci vasa omnia ut exposita fuerant, abstulit. *Id. Or.* 3, 57. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores. *Id. Rosc. Am.* 12. Expositus ante oculos. *Id. Or.* 1, 41. Expositae a Cn.

Flavio primum actiones. ℙ Item patens, apertus. [*Pomp. Mel.* 1, 6. Numidia ad ripas exposita fluminis Ampsagae, i. e. extensa, patens. *Burm* ad *Ov. Fast.* 4, 563.] *Stat. Silv.* 1, 2, 34. licet expositum per limen aperto Ire, redire gradu. *Id. ib.* 2, 2, 152. Expositi census, *h. e.* in usum omnium patentes, non sepositi ad avaritiam. [*Luc. Phars.* 5, 102. Hoc tamen expositum cunctis nullique negatum Numen. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 2, 5. p. 152.] ℙ Item objectus. *Plin.* 15, 5, 6. Expositus solibus locus. *Suet. Caes.* 49. Ad omnium convicia expositus. *Plin.* 11, 19, 21. Tot hostibus, tot casibus expositus. *Petr. Sat.* 115. Piscibus, beluisque expositus. ℙ Item e navi dimissus. *Vell.* 2, 79. Legiones expositae in terra. ℙ Item abjectus, ac derelictus. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 72. Qui liberi nati, expositi, deinde sublati a quibusdam, in servitute educati sunt. *Suet. Cal.* 5. Partus conjugum expositi. V. EXPONO. ℙ Item propositus. *Cic. Brut.* 44. Plura etiam dicta, quam scripta sunt: quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest. ℙ Item vulgaris, plebejus, communis, publicus. *Juven.* 7, 53. Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere etc. ℙ Item dicendo explicatus, enarratus. *Cic. Or.* 7. Ille sermo noster, qui est expositus in Bruto. *Varr. L. L.* 7. *in.* Prima parte exposita, de secunda incipiam hinc. [*Et absolute Exposito. *Curt.* 4, 13, 37. Exposito quod nunciatum erat. Multa exempla vide apud *Davis.* et *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 7, 52.] ℙ Interdum sumitur pro comi, affabili, facili, omnibus obvio. *Stat. Silv.* 5, 3, 246. Quid referam expositos, servato pondere, mores? *Plin. ep.* 1, 10. Amari ab eo laboravi: etsi non erat laborandum: est enim obvius et expositus, plenusque humanitate. ℙ Per syncopen *expostus* dicitur. *Virg. A.* 10, 694. Obvia ventorum furiis, expostaque ponto. Adde *Stat. Th.* 7, 197. ℙ **Expositum*, *i*, *n. Appul. de Syllog. Categ.* p. 38. Appellatur a Stoicis Prima constitutio, vel primum expositum. *B. A.*

EXPOSTŪLĀTĬO, onis, f. ἐξαίτησις, actus expostulandi, postulatio, petitio cum querela, aut criminatione. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Fuere nonnulli aculei in Caesarem, contumeliae in Gellium, expostulationes cum absente Pompejo. *Id. Cluent.* 59. Expostulationem facere. *Id. Dom.* 7. Flagitabar bonorum expostulatione. *Tac. A.* 1, 13. Fessus clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim etc. *Liv.* 35, 17. Dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserit. ℙ *Donat.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 15. et *Hecyr.* 1, 2, 105. ita distinguit inter *postulationem*, et *expostulationem*, ut haec sit querela facta apud eum ipsum, qui injuriam intulit, illa apud quemvis alium.

EXPOSTŪLĀTUS, a, um, part. ab *expostulo*, enixe postulatus, et cum criminatione. *Tac. H.* 1, 73. Expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla.

EXPOSTŪLĀTUS, us, m. expostulatio. *Symmach. ep.* 9, 13. Expostulatibus modum facere.

EXPOSTŪLO, as, avi, atum, a. 1. ἐξαιτέω, vehementer postulo, querela adhibita, aut criminatione. Quid a *postulo* differat, ex *Donato* in EXPOSTULATIO est dictum. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Lenis a te, et facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. *Id. Sull.* 15. Iracundius et vehementius expostulare. *Ter. Andr.* 4, 1, 15. Ad eam ne ad eum, et cum eo injuriam hanc expostulem? [*Ruhnk.* ad h. l.] *Pl. Mil.* 3, 1, 102. Obstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi. *Tac. A.* 13, 37. Mittebat oratores, qui suo nomine expostularent, cur, redintegrata amicitia, vetere possessione depelleretur. *Cic. Tusc.* 5, 5. Expostulare et queri, se esse relictum. *Id. Planc.* 24. Ne illum quidem Juventium tecum expostulavi, quem etc., *h. e.* non accusavi factum Juventii, illudque falsum esse, ostendi. [*Ulp. Dig.* 1, 12, 8. Servos de dominis querentes audiat praefectus urbi, non accusantes dominos, sed si verecunde expostulent.] ℙ Pro simplici postulo, flagito. *Pl. Pers.* 4, 3, 25. Expostulare auxilium. *Cic. Rosc. Com.* 17. Quidpiam expostulare ab aliquo, et impetrare. *Plin. Pan.* 75. Qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum est, ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres! *Vell.* 2, 77. Expostulante consensu populi, pax inita. [*Tac. A.* 1, 28. Tarda sunt quae in commune expostulantur.] *Tac. A.* 15, 17. Armeniam praesidiis vacuam fieri, expostulabat. Et 53. Primas sibi partes expostulare. *Id. ib.* 12, 46. Ut Iberi obsidio decedant, expostulat. *Id. H.* 1, 45. Expostulare aliquem ad supplicium, *h. e.* exposcere, deposcere. *Id. A.* 1, 19. Si tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint. *Colum.* 12, 2. Quo facilius, cum quid expostulabit usus, recipere possit.

[EXPOTUS, a, um, adj. idem ac epotus, quam vocem vide. Translate. *Pl. Trin.* 2, 4, 5. *Les.* Quid factum est eo *(argento)*? *Stas.* Comesum, expotum, exunctum, elotum in balineis, *h. e.* comedendo, potando, exungendo, lavando consumptum. *F.*]

EXPRAEFECTUS, i, vel *Expraefecto*, qui praefectus fuit. *Inscr.* apud *Grut.* 151, 6. Exquaest. Expraef. Praet. etc. *Capitol. Maxim.* 20. Maximum Pupienum expraefecto urbi, ignobilem genere, sed virtutibus clarum etc.

EXPRAEPŌSĪTUS, i, vel *Expraeposito*, qui praepositus fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 152, 8. *sub Theodorico*, *et* 161, 1. *sub Justiniano.* Expraeposito sacri palatii.

EXPRAETORĬUS, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Grut.* 524, 8. C. Atucio Albano veterano expraetorio etc. Alia ap. *Mur.* 845, 6. Titius Acceptus veteranus ex praet. etc. Utrobique divisim legendum videtur *ex praetorio*, ita ut significetur miles veteranus ex praetorianis.

EXPRESSĒ, adv. presse, pressa manu. *Scrib. Comp.* 198. Oleo caldo subinde artus perunctos expressius fricare. ℙ Translate est plane, aperte, significanter. *Auct. ad Her.* 4, 7. In praecipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla. *Colum.* 11, 1. *f.* Quod ipsum expressius Hesiodus hoc versu significavit. *Plin. ep.* 2, 14. Ut mihi Atilius noster expresse dixisse videatur, sic pueros etc. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 1. *extr.* Demosthenes cum artis, quam affectabat, primam litteram dicere non posset, vitium tanto studio expugnavit, ut ea a nullo expressius efferretur.

EXPRESSIM, adv. idem quod expresse. *Paul. Dig.* 46, 3, 98. *med.* Si hoc ipsum expressim agebatur. *Modest. ib.* 49, 1, 19. Expressim contra juris rigorem data sententia.

EXPRESSĬO, onis, f. ἔκπιεσμὸς, actus exprimendi. *Vitr.* 9, 9. Ex tactu coeli, et expressionibus spiritus vocesque nasci. *Pallad.* 7, 7. Nobilius mel erit, quod ante expressionem secundam velut sponte profluxerit. *Vitr* 1, 1. et 8, 7. Expressiones aquarum, *h. e.* quibus in altum aquae exprimuntur in aquaeductibus. V. EXPRESSUS, us. ℙ Praeterea *expressiones* appellat idem *Vitr.* 4, 4. *f.* eminentes partes, seu prominentias in aliquo opere.

EXPRESSOR, oris, m. qui exprimit, et extrahit. *Tert. Apolog.* 46. Veritatis integrator et expressor.

EXPRESSUS, a, um, partic. ab *exprimo*, premendo elicitus, vi extractus, ἐκπιεσμένος. *Cic. Div.* 2, 19. Si nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. *Plin.* 7, 44, 45. Fauces intortae, et expressus per aures sanguis. *Id.* 31, 3, 23. Aqua expressa in altum. (Adde *Ov. A. Am.* 1, 82.) [*Voss.* ad *Caes. B. G.* 7, 22. *B. C.* 2, 9. *Burm.* ad *Ov. l. c.*] *Id.* 12, 28, 63. Succus nuci expressus. *Id.* 20, 1, 2. Succus expressus e semine. Et 13, 1, 2. Oleum amygdalis amaris expressum. *Lucr.* 5, 488. Expressus de corpore sudor. ℙ Item pressus, compressus. *Plin.* 31, 11, 47. Spongiae expressae inter duas tabulas. *Id.* 29, 2, 9. Lana ex vino vel aceto expressa. *Id.* 12, 27, 60. Olea adhuc alba expressa. Adde *Colum.* 6, 11. ℙ Item exstans, eminens, prominens. *Cic. N. D.* 1, 27. Species Deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis: sitque pura, levis, perlucida. *Quint. prooem.* 8. Corpora sana, et exercitatione firmata et colorata, et adstricta, et lacertis expressa sunt, *h. e.* exstantes habentia lacertorum toros. [*Id. Inst.* 2, 4. Expressus omnibus membris infans. ℙ *Col. R. R.* 4, 4, 1. Expressi anguli, sunt recti atque opponuntur curvaturis oblique rotundis, quales in alveis.] ℙ Translate est extortus, erutus. *Cic. Verr.* 2, 2, 69. Pecunia vi expressa et coacta. *Suet. Galb.* 10. Expressa cruciatu confessio. *Liv.* 8, 2. Deditionem ultima necessitate expressam aspernari. ℙ Item manifestus, apertus, evidens, quasi exstantibus lineamentis formatus. *Cic. Coel*, 5. Habuit Catilina permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 17. p. 310.] *Id. Rosc. Am.* 22. Exstent oportet expressa sceleris vestigia. *Petr. Sat.* 118. Curandum ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae, sed intexto vestibus colore niteant. *Cic. Off.* 3, 17. Nos veri juris germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. *Quint.* 9, 4. *f.* In prooemiis plerumque summissi, in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati. *Cic. Fam.* 1, 7. *f.* Haec profecto vides quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint. ℙ Item imitando formatus, descriptus, delineatus. *Curt.* 3, 3. Deorum simulacra ex auro expressa. *Plin.* 35, 2, 2. Expressi cera vultus. *Id. ib.* 12, 44. Hominis imago gypso e facie ipsa expressa. *Pl. Pseud.* 1, 1, 54. Reliquit expressam in cera ex anulo suo imaginem. *Hor. Ep.* 2, 1, 248. Nec magis expressi vultus per aenea signa, Quam per vatis opus mores animique virorum Clarorum apparent. *Cic. Fl.* 22. Fateantur in Maeandrii persona expressam faciem civitatis. *Id. Arch.* 6. *f.* Multas nobis imagines fortissimorum virorum expressas scriptores Graeci et Latini reliquerunt. *Id. Or.* 3, 12. *extr.* Vitia imitatione ex aliquo expressa. *Id. Arch.* 12. Consiliorum ac virtutum effigies summis ingeniis expressa et polita. [*V. *Wunder.* ad *Cic. pr. Planc.* 12, 29. p. 101.] *Id. Att.* 9, 15. Omnem illius, meumque sermonem, omnibus verbis expressum, statim mittam. *Id. Leg.* 2, 5. *extr.* Lex est justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam expressa naturam, ad quam, etc. *Plin. ep.* 5, 15. Cornuto autem quid melius, quid sanctius, quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? ℙ Graeca constructione. *Val. Fl.* 1, 398. casusque tuos expressa, Phalere, Arma geris, *h. e.* quae casus tuos insculptos descriptosque habent. Et 2, 655. Pocula bellorum casus expressa recentum. ℙ Expressa arbusto convicia, ap. *Hor. Sat.* 1, 7, 29. sunt petita, deducta, hausta ex more vinitorum, et rusticorum. ℙ Est etiam ab uno in alium sermonem translatus. *Ter. Ad. prol.* 11. Verbum de verbo expressum extulit. *Cic. Fin.* 1, 2. Fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas legere. ℙ Item distincte prolatus. *Id. Off.* 1, 37. Sonus erat dulcis: litterae neque expressae, neque oppressae, ne aut obscurum esset, aut putidum. (Hoc loco in vitio ponitur: in laude *Quint.* 1, 11. Vitia, si qua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quaeque litterae sonis enuncientur.) *Plin.* 10, 42, 59. Minor nobilitas, sed expressior loquacitas generi picarum est. ℙ [*Item apud JCtos, est disertis verbis declaratus. *Ulp.* in *Dig.* 23, 3, 21. Expressa conditio: opponitur tacita.]

EXPRESSUS, us, m. idem ac expressio. *Vitr.* 8, 7. expressum vocat violentum aquarum ascensum per fistulas. Ejus verba sunt: Ita per fistulas plumbeas aquam qui ducent, his rationibus bellissime poterunt efficere et decursus, et circumductiones, et ventres, et expressus.

EXPRĒTA antiqui dicebant, quasi expertia habita. *Festus.* Est autem *expreta* per metathesin dictum pro *experta:* hoc vero ab *experita* factum per syncopen videtur. V. EXPERITUS. *Pl. Bacch.* 3, 3, 42. It magister quasi laterna, uncto expretus linteo. Alii melius leg. *expletus.* Apud *Fest.* vero pro *expreta* leg. *expertia*, et pro *expertia* leg. *extra partem.*

EXPRĪMO, is, essi, essum, a. 3. ἐκπιέζω, valde premo, comprimo, stringo. *Plin.* 11, 11, 12. Apes regias imperatoribus futuris exstruunt separatas, tuberculo eminentes, quod si exprimatur, non gignuntur soboles. *Id.* 21, 18, 73. Rosae volia exprimere. *Ov. A. A.* 3, 224. Venus madidas exprimit imbre comas. *Cels.* 4, 24. *med.* Spongia imposita, quae subinde ex oleo, vel aceto, vel aqua frigida exprimitur. ℙ Item premendo elicio, extraho. *Ov. Met.* 12, 437. liquor rari sub pondere cribri manat, et exprimitur per densa foramina. [*Pomp.* in *Dig.* 8, 3, 15. Fistula quae aquam latius exprimeret. Vid. quos laudavimus s. v. *Expressus.*] *Mart.* 7, 37. Exprimere rorantem frigore nasum, *h. e.* emungere. *Plin.* 6, 28, 32. *med.* Vinum palmis exprimere, oleum sesamae. *palmis*, et *sesamae* dativi sunt. Sic 27, 13, 109. Exprimitur succus radici. *Id.* 21, 19, 74. Succum flore exprimere. *Id.* 12, 26, 59. Ex malobathro exprimitur oleum ad unguenta. *Id.* 28, 9, 39. Medullae liquatae per lintea exprimuntur. *Tac. A.* 15, 57. Fasciae in modum laquei indidit cervicem, et spiritum expressit. *Quint.* 8, 3. Pulcher aspectu athleta, cujus lacertos exercitatio expressit. ℙ Translate est elicere, extorquere. *Cic. Att.* 1, 19. *f.* Blanditiis ab aliquo nummulorum aliquid exprimere. *Suet. Vesp.* 4. et *Oth.* 5. Exprimere alicui pecuniam. *Liv.* 2, 13. Expressa est Romanis necessitas obsides dandi. *Id.* 25, 16. *extr.* Exprimere alicui confessionem. [*Drak.* ad *Liv.* 4, 55, 1. *Interpp.* ad *Cic.* pro *Planc.* 6. p. 81. *Wund.*] *Lucan.* 6, 599. verum. *Caes. B. G.* 1, 32. Cum ab iis saepius quaereret, neque unam omnino vocem exprimere posset. [*V. *Oudend.* ad h. l.] *Curt.* 6, 7. Expressit, ut polliceretur. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. Expressi, ut, conficere tabulas se, negaret. *Hirt. B. Alex.* 56. Victoriae nuncius laetitiam exprimebat. *Nep. Thras.* 4. Huic corona a populo data, quod amor civium, non vis expresserat, nullam habuit invidiam. *Plin. ep.* 4, 7. *extr.* Risum magis potest exprimere, quam gemitum. *Ter. Eun.* 1, 1, 23. Oculos terendo falsam lacrimulam vi exprimere. *Lucr.* 5, 1028. Utilitas expressit nomina rerum. ℙ Significat etiam extollere, in altum educere, (cui contrarium est *deprimere*) ut fit in aquis, quae per angusta tubulorum fluere coactae, in exitu in altum ascendunt. *Vitr.* 8, 7. *med.* Aqua exprimatur in altitudinem summi clivi. *Sen. Const. Sap.* 4. Quae nervo tormentisve in altum exprimuntur. *Hirt. B. Alex.* 6. Aquae magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere. *Caes. B. G.* 7, 22. Turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, adaequabant. [*V. *Voss.* et *Oudend.* ad *Caes. B. C.* 2, 10.] ℙ Saepe est effingere, imitari. *Hor. A. P.* 32. ungues Exprimet, et molles imitabitur aere capillos. *Plin.* 34, 14, 40.

Cum exprimere vellet Athamantis furorem, aes ferrumque miscuit, ut rubigine ejus per nitorem aeris relucente, exprimeretur verecundiae rubor. Et *ib.* 8, 19. *n.* 6. Alexandrum, amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine expressit. Et 35, 12, 44. Hominis imaginem gypso e facie ipsa exprimere. Et *mox.* De signis effigiem exprimere. *Id.* 37, 10, 63. Meconites gemma papaver exprimit. Et *ib.* 61. Idaei dactyli pollicem humanum exprimunt. *Tac. Germ.* 17. Vestis stricta, et singulos artus exprimens. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 49. Exprimere et effingere verbis corporis cujuspiam formam. *Cic. Or.* 2, 43. Exprimere oratione mores alicujus. *Id. Fin.* 2, 2. *f.* Diligenter exprimi oportet, quae vis subjecta sit vocibus. *Id. Or.* 3, 4. In Platonis libris omnibus fere Socrates exprimitur. Et *Rabir. Post.* 2. Tum magnitudine animi, tum liberalitate vitam patris et consuetudinem expresserat. [*Cic. *Arch.* 9. Mithridaticum bellum ab eo expressum est, h. e. ita descriptum, ut quasi rebus ipsi interesse nobis videamur. Exprimere enim ubi de scriptore ponitur, hanc involvit notionem, ut significet: fidam imaginem quasi ante oculos ponere. Hinc est: accurate describere, et opponitur saepe iis quae adumbrata sunt, ut *Cic. Tusc.* 3, 2. V. *Graev.* ad *Cic. Sull.* 18.] ℙ Pro explicare, manifestare. *Suet. Aug.* 86. Sensum animi quam apertissime exprimere. *Plin. ep.* 5, 16. et 10, 2. Exprimere verbis non possum, quantum etc. ℙ Et absolute. *Vell.* 2, 124. Quid tunc homines timuerint, mihi exprimere non vacat. *Plin. ep.* 5, 15. Exprimere non possum, quanto sim gaudio affectus. *Id. ep.* 9, 26. Sunt enim maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt, παράβολα. Et *ep.* 4, 30. *f.* Mihi abunde est, si satis expressi. ℙ *Exprimere aliquid* ap. JCtos saepe est disertis verbis palam aperteque significare, declarare, demonstrare. *Julian. ib.* 34, 5, 14. *med.* Si quis interroget, *eorum quid, quae tibi objiciuntur, fecisti?* ille neget; hoc exprimit, *eorum quid, quae objiciuntur, non feci*, id est *nihil horum feci. Ulp. Dig.* 32, 1, 11. *med.* Haec verba non satis exprimunt fideicommissum. [*Ulp. in *Dig.* 48, 5, 25. In patre id servandum quod in marito expressum est.] *Modest. ib.* 31, 1, 34. Exprimere testamento, a quibus legata praestari velis. Plura vid. ap. *Brisson.* de verb. sign. s. v.] ℙ *Exprimere* etiam dicuntur, qui ex una in aliam linguam transferunt. *Plin. ep.* 4, 18. Quaedam epigrammata aemulari Latine, et exprimere tentavi. *Cic. Acad.* 4, 10. *Καταλήψιν*, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus. V. EXPRESSUS, a, um. ℙ Et qui distincte verba proferunt. *Plin.* 11, 37, 65. Septimo ferme anno lingua sermonem exprimit. *Cic. Or.* 3, 11. Exprimere litteras putidius, aut obscurare negligentius. *Quint.* 9, 4. et 11, 3. Exprimere verba. ℙ [*Confunduntur *Exprimere* et *Expromere. Drak.* ad *Liv.* 34, 61, 8.]

*EXPROBRABĬLIS, e, adj. *Vulg. Interpr. Prov.* 18, 1. *B. A.*

EXPROBRĀTĬO, onis, f. ὀνείδισις, actus exprobrandi. *Ter. Andr.* 1, 1, 17. Istaec commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii. *Just.* 38, 9. Exprobratio levitatis puerilis. Et 1, 8. Exprobratio crudelitatis. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Gari desideria etiam in exprobratione erant. ℙ Cum dativo. *Liv.* 23, 35. Ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunae discordiam inter ordines sereret.

EXPROBRĀTOR, oris, m. qui exprobrat. *Sen. Ben.* 1, 1. Exprobratores, et exactores. *Id. Controv.* 3, 21. *f.* Oderant me patres, quasi publici mali segregem exprobratorem.

EXPROBRĀTRIX, icis, f. quae exprobrat. *Sen. Ben.* 7, 22. Ut haec nimia et exprobratrix memoria subsideret, oblivisci eum, qui dedit, jussimus.

EXPROBRĀTUS, a, um, part. ab *exprobro*, vitio tributus. *Plin.* 2, 63, 63. *extr.* Velut exprobrato furore.

EXPROBRO, as, avi, atum, a. 1. ὀνειδίζω, beneficium alteri objicio: item vitio quidpiam tribuo, probro objicio. *Cic. Amic.* 20. Aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant. Et *mox.* Odiosum genus hominum officia exprobrantium. *Liv.* 37, 49. Prope exprobrantes virtutem suam in Philippi bello. [*Exprobrare aliquid in aliquo. *Cic. de Or.* 2, 75. Exprobrare in adversariis. *Drak.* ad *Liv.* 28, 45, 5. Ap. *Liv. Gronov.* bis legi vult Exprobrare aliquid in aliquem. V. *Drak.* l. c.] *Cic. Fam.* 5, 15. Litterae ipsae quasi exprobrare videntur, quod in ea vita maneam, in qua etc. *Id. Verr.* 2, 5, 50. Num casus bellicos tibi exprobrare, aut objicere videor? *Nep. Epam.* 5. Desine de uxore mihi exprobrare. [*Sen. *Cons.* ad *Helv.* 16. Nunquam te foecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem, puduit.] *Tac. A.* 1, 44. Supplices, et vera exprobrari fatentes orabant, puniret noxios etc. [*Flor. 3, 2, 6. Exprobrare victoriam hostibus domitis, sc. tropaea erigendo.]

EXPROMISSĬO, onis, f. actus expromittendi, serio facta promissio. *Ulp. Dig.* 4, 3, 7. §. 8. Si patronus nolit expromissionem ipsum manumissum accipere. Ita *Haloand.*, alii rectius *expromissorem.*

EXPROMISSOR, oris, m. qui pro se, vel pro altero quocumque modo promittit: expromissor autem est plus quam fidejussor, nam hic, nisi excusso debitore, conveniri non potest; ille vero potest, quia totam obligationem in se recepit: fidejussor porro idem est ac appromissor. *Ulp. Dig.* 42, 1, 4. Idoneum expromissorem habere. *Cajus ib.* 18, 1, 53. Expromissore, aut pignore dato. Adde *Ulp. ib.* 4, 3, 7. §. 8.

EXPROMITTO, is, isi, issum, a. 3. ἐγγυῶμαι, idem quod promitto, recipio vel pro me, vel pro altero: *ex* enim auget. *Varr. R. R.* 2, 2. Cum emptor dixit: tanti sunt mi emptae? et ille respondit, sunt: et expromisit nummos. Al. perperam leg. *exprompsit. Ulp. Dig.* 23, 3, 36. Debitor mulieris, jussu ejus, pecuniam viro expromisit. *Paul. ib.* 16, 1, 22. Si mulieri dederim pecuniam, ut eam creditori meo solvat, vel expromittat. [*Accurate de h. v. exposuit *Gesner.* in *Ind. Script. R. R.* s. v. Adde *Brisson.* de verb. signi. s. v.]

*EXPROMO, as, a. 1. *Apic.* 6, 2. Rupes quoque ut expromari possint, levabis de olla. Ubi *Salmas. Exercit. Plin.* p. 255. legere vult *exbromare*, h. e. purgare, depurare molesto odore et sapore, qui βρόμος est. Cf. *Bromosus, a, um. B. A.*

EXPROMO, is, ompsi, *vel* omsi, omptum, *vel* omtum, a. 3. extra promo, depromo, effero, educo, προφέρω. *Pl. Mil.* 3, 2, 18. Heminas octo exprompsi in urceum. *Plin.* 10, 72, 93. Simia condidit in thesauros maxillarum cibos, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit. *Plaut. Mil.* 3, 1, 72. Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi. *Virg. A.* 2, 280. moestas expromere voces. ℙ Translate. [*Ter. *Andr.* 4, 3, 8. Expromere malitiam atque astutiam.] *Cic. Att.* 2, 12. Deinde suum exprompsit odium. *Id. Mil.* 13. In meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam. *Id. Cat.* 2, 10. Quorum omnis industria vitae, et vigilandi labor in antelucanis coenis expromitur, *h. e.* profertur, adhibetur. *Id. Or.* 36. Cum causa ea inciderit, in qua vis eloquentiae possit expromi. *Sen. Troad.* 106. Nunc vires exprome dolor tuas. *Catull.* 65, 3. Nec potis est dulces Musarum expromere fetus Mens animi, *h. e.* edere. *Pl. Mil.* 4, 2, 64. Exprome benignum ex te ingenium. *Id. Bacch.* 4, 4, 9. Ubicumque opus siet, pectore expromat suo. ℙ Saepe significat exponere, narrare, enunciare, dicere. *Cic. Div.* 2, 72. Conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit, expromere. *Ter. Heaut.* 3, 3, 14. Expromere occulta sua apud aliquem. *Catull.* 64, 223. multas expromam mente querelas. *Tac. A.* 12, 9. Expromere sententiam. *Ov. Fast.* 3, 725. causas. *Liv.* 29, 1. et *Curt.* 4, 10. Quid sentirent, expromere jubet. [*Exempla plurima ex *Liv.* collegit *Drak.* ad *Liv.* 39, 12, 4.] *Tac. A.* 16, 1. Expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa. ℙ [*Confunduntur a librariis *Expromere* et *exponere.* V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 12, 4. p. 244. *Drak.* ad *Liv.* 7, 31, 8. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 1, 32. *Expromere* et *Exprimere. Drak.* ad *Liv.* 34, 61, 8.]

*EXPROMTO vel Exprompto, as, (frequent. ab *expromo*) i. q. expromo. *Fulg. de contin. Virg. in.* Sed ut sciam, me non Arcadicis expromtare fabulam auribus, *i. e.* narrare. *Et paulo ante:* Mens expromtare desiit quae didicit, *h. e.* tamquam e penu quodam memoriae expromere. *B. A.*

EXPROMPTUS, *vel* Expromtus, a, um, part. ab *expromo*, in medium prolatus. *Ter. Andr.* 4, 3, 8. Nunc opus est tua mihi ad hanc rem exprompta malitia, atque astutia. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 234. Thersitae verbis exprompta sententia. *F.*]

EXPRŌPĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *expropero*, valde properatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 669, 10. Hic Aquilae cineres miserabilis urna sepultos Contegit: et fatis exproperata nimis Occidit infelix etc.

*EXPROPITĬO, as, a. 1. ἐξιλάσκομαι *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

EXPROXĬMUS, i, m. qui proximatus dignitate functus est. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 12, 9, 1. Hoc beneficium ad proximos etiam sacrorum scriniorum, et exproximis volumus propagari.

EXPŪDŌRĀTUS, a, um, part. ab inus. *expudoro*, qui omnem pudorem exuit. *Petr. Fragm. Trag.* 39. *Burm.* Habet frontem expudoratam.

EXPUGNĀBĬLIS, e, adj. ἐκπολέμητος, qui expugnari potest. *Liv.* 33, 7. Urbs terra marique expugnabilis est. ℙ Translate. *Stat. Th.* 4, 836. de fluvio: tuus et nulli ruis expugnabilis astro, *h. e.* nulla canicula exsiccari potes. *Id. ib.* 9, 103. situ non expugnabile robur, *h. e.* quod corrumpi non potest.

EXPUGNĀTĬO, onis, f. ἐκπολιόρκησις, actus expugnandi. *Cic. Manil.* 5. Ut ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. *Id. Att.* 11, 23. Nocturnae (*aeditum*) expugnationes. *Caes. B. G.* 7, 36. De expugnatione urbis desperavit. *Suet. Claud.* 21. Edidit in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi. *Vell.* 2, 98. Gentes ferocissimas nunc acie, nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit modum.

EXPUGNĀTOR, oris, m. πολιορκητής, qui expugnat. *Cic. Inv.* 1, 50. Expugnator urbis. *Plin.* 7, 38, 39. Rex Demetrius, expugnator cognominatus. πολιορκητής. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae. *Stat. Th.* 4, 363. pecoris lupus expugnator opimi.

EXPUGNĀTORĬUS, a, um, adj. ad expugnandum pertinens. *Tert. Anim.* 57. Expugnatoria dominatio.

EXPUGNĀTUS, a, um, part. ab *expugno*, καταπεπολεμένος, ut Expugnata moenia mundi, *Lucr.* 2, 1144. Loca multa expugnata, *Nep. Agesil.* 3. Mens expugnata fatiscit, *Stat. Th.* 4, 187. Tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti, *Tac. Agric.* 41. Expugnata paupertas, *Petr. Sat.* 126. victa aucto patrimonio.

EXPUGNAX, ācis, adj. omn. gen. qui valde expugnat. *Ov. Met.* 14, 20. sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro; sive expugnacior herba est, Utere tentatis operosae viribus herbae. Al. leg. *expugnantior.*

EXPUGNO, as, avi, atum, a. 1. καταπολεμέω, pugnando vinco, aut capio. *Caes. B. G.* 2, 12. Id oppidum ex itinere oppugnare conatus, expugnare non potuit. Et *ib.* 3, 15. Singulas naves nostri consectati, expugnaverunt. *Id. B. C.* 3, 55. Nonnullas urbes per vim expugnavit. *Curt.* 6, 6. *med.* Ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. Et 9, 4. Inclusos moenibus expugnat. [*Flor. 2, 2, 16. Expugnati Poeni toto mari.] *Just.* 3, 5. Messenii cum virtute non possent, per insidias expugnantur. *Id.* 7, 6. Thessaliam improvisus expugnat. *Tac. A.* 14, 25. Expugnare praesidium. *Pl. Ps.* 4, 7, 76. carcerem *Ter. Eun.* 4, 7, 3. aedes. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 13. fortunas alicujus. *Id. Coel.* 20. pudicitiam. *Liv.* 37, 56. *ad f.* pertinaciam legatorum. *Colum. praefat. l.* 10. Propositum meum expugnavit frequens postulatio tua. *Mart.* 13, 123. Cum tua centenos expugnet sportula cives, *h. e.* tibi conciliet. *Flor.* 3, 1. Jugurta in Scauro ipsos R. imperii mores expugnaverat, *h. e.* Scaurum pecunia corrumpendo. *Cic. Parad.* 4, 1. Sapientis animum vincere et expugnare. *Id. Verr.* 1, 2. Nihil tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. *Plin.* 6, 27, 31. Fulmina id oppidum expugnavere. *Id.* 5, 24, 20. Euphrates Taurum montem expugnat, *h. e.* irrumpit, perfringit, permeat. *Id.* 28, 10, 45. Lacte equino venena et toxica expugnantur. ℙ Significat etiam vi obtinere, extorquere, pervincere. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. *extr.* Certe aliqua ratione expugnasset iste, ut dies tollerentur. Et *ib.* 2, 1, 16. Quanta iste cupiditate illam sibi legationem expugnavit! *Pl. Bacch.* 4, 9, 7. Expugnavi herili filio aurum ab suo patre. *Petr. Sat.* 108. Aegre expugnavit, ut etc. ℙ Reperitur etiam pro oppugno. *Stat. Th.* 6, 777. ut praeceps cumulo salit unda minantes In scopulos, et fracta redit; sic ille furentem Circuit expugnans. ℙ Pro perficere. *Ov. Met.* 9, 617. Nam primum (si facta mihi revocare liceret) Non coepisse fuit, coepta expugnare secundum. [*ad quem loc. *Burm.* se aliud hujus locutionis exemplum ignorare fatetur.] ℙ *Expugnassere* pro *expugnaturum esse*, prisco dicendi modo, est *Plauti Amph.* 1, 1, 54. Sin aliter sient animati, sese summa vi eorum oppidum expugnassere. ℙ [*Confunduntur a librariis *Expugnare* et *oppugnare.* V. *Duker.* ad *Flor.* 3, 18. 4, 2. *Drak.* ad *Liv.* 21, 57, 6. 40, 33, 9.]

EXPULSĀTUS, a, um, part. ab *expulso*, pulsatus, vexatus, afflictus. *Ammian.* 23, 6. Seleucia per duces expulsata, *h. e.* expugnata.

EXPULSIM, adv. antiqui dixerunt pro expellendo, ut *caesim* pro caedendo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 281. Videbis pueros pila expulsim ludere.

EXPULSĬO, onis, f. ἔξωσις, actus expellendi. *Cic. Parad.* 6, 2. Qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris etc.

EXPULSO, as, a. 1. frequenter pulsando excutio: frequent. ab *expello. Mart.* 14, 46. Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

EXPULSOR, oris, m. ἐλατήρ, qui expellit. *Cic. Quint.* 8. Iste homo acerrimus bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum, et sex menses nihil petit. *Nep. Dion.* 10. Expulsor tyranni.

EXPULSUS, a, um, part. ab *expello. Cic. Cluent.* 5. Expulsa atque exturbata filia. *Virg. A.* 1, 624. Finibus expulsus patriis. *Caes. B. G.* 4, 4. Expulsi agris. *Hirt. B. Alex.* 47. Classis ex illo sinu expulsa. *Senec. Med.* 900. Expulsus pudor. *Tac. A.* 12. Margarita expulsa colligere, *h. e.* ad litus ejecta. *Curt.* 9, 4. Navigia expulsa in ripam. *Ov. Trist.* 2, 2, 17. Procul expulsus.

EXPULTRIX, icis, f. quae expellit. *Cic. Tusc.* 5, 2. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum!

EXPŪMĬCO, as, a. 1. pumice polio. *Tertull. adv. Valent.* 16. Ab omnibus injuriis passionis expumicat.

EXPŪMO. V. EXSPUMO.

EXPUNCTĬO, onis, f. actus expungendi. *Tertull. Idol.* 16. Operae meae expunctio, *h. e.* praestatio. V. v. seq.

EXPUNCTOR, oris, m. qui expungit, et delet, διαφέτης. *Tertull. Or.* 1. Expunctor totius retro vetustatis.

EXPUNCTUS, a, um, part. ab *expungo*, deletus, amotus, expulsus. *Pl. Curc.* 4, 4, 29. Miles pulere centuriatus, expuncto in manipulo. ℙ Alio sensu *Hermogen. Dig.* 44, 3, 4. Reipubl. rationes subscriptae, et expunctae, *h. e.* dispunctae, examinatae, confectae. V. v. seq.

EXPUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. ἐξαλείφω, quod scriptum est, deleo. Hinc milites expungi dicuntur a militia, cum nomina eorum ex albo eraduntur, et ipsi a militia removentur: item judices dicuntur expungi, quando amoventur a judicando, velut erasi ex albo judicum: id enim fiebat punctis circumscriptis: [vel, ut affirmat *A. Maius* in *praef.* ad *Cic. libr. de Rep.* p. 36., superne, raro inferne notatis. *F.*] *Pl. Cist.* 1, 3, 41. Volo persolvere, ut expungatur nomen, nequid debeam. [*V. *Salmas.* de usur. 6. p. 147.] *Papin. Dig.* 49, 16, 15. Ex causa desertionis notatus, temporis, quo in desertione fuit, stipendiis expungitur, *h. e.* privatur stipendiis ejus temporis. ℙ Translate est extrudere, expellere, loco movere. *Pers.* 2, 12. Pupillumve utinam, quem proximus heres Impello, expungam, ℙ Expungere rationes, est ultimam manum calculo imponere. *Hermogen. Dig.* 44, 3, 4. Reipublicae rationes subscriptae et expunctae, adversus eum quidem, qui administraverit, ultra viginti, adversus vero heredem ultra decem annos retractari non possunt. ℙ [*Hinc ap. seriores scriptores omnino facere, perficere. *Tertull. Apol.* 35. Effectum expungere. *Ib.* 21. Adventus expunctus est, i. e. factus est. — Porro celebrare. *Ib.* 35. Vota et gaudia Caesarum expungere.] ℙ Ap. *Pl. in. suppositis Amph. Di vostram fidem*, *v.* 27. expungere gloriam partam, est auferre. ℙ Expungere milites, ap. *Tertull. Coron. mil. in.* legitur alio sensu, quam supra dictum est. Inquit enim: Proxime facta est liberalitas praestantissimorum imperatorum: expungebantur milites laureati, *h. e.* donabantur ab imperatoribus milites; eorum autem nomina, qui donativum accepissent, notabantur, ne bis quis acciperet. Atque hoc sensu saepe usum ipsum hunc auctorem, notant ibi interpretes. Sic apud *Suet. Claud.* 15. Decurias judicum expungere, est discutere, et ordinare, qui retinendi essent, quive dimittendi, ducta metaphora ab expungendis rationibus; de quo modo diximus. Quo pertinet et illud *Senecae ep.* 9. *f.* Quam vocem tu boni consule, etiamsi hunc diem jam expunxi, *h. e.* persolvi quod hoc die debebam: atque adeo hujus diei nomen rationesque confeci. Et illud *Benef.* 4. *s. f.* Rejiciendi genus est, protinus aliquid invicem mittere, et munus munere expungere, *h. e.* beneficio accipiendo, dandoque paria facere. Et *Plin.* 2, 26, 24. Ausus est annumerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expungere, *h. e.* descriptis astrorum nominibus, eorum singula veluti appellare, et eorum nominum rationes conficere. ℙ *Expungere* pro *pungere* legunt nonnulli apud *Mart.* 7, 83. et 8, 52., sed utrobique alii *expingere.* V. EXPINGO.

EXPŪO. V. EXSPUO.

EXPURGĀTĬO, onis, f. actus expurgandi. *Pl. Amph.* 3, 3, 10. Habui expurgationem; facta pax est, *h. e.* excusationem. Adde *Merc.* 5, 3, 4. V. voc. seq.

EXPURGO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκαθαίρω, idem quod purgo, aut omnino purgo. *Colum.* 4, 23. Si trunci pars peraruit, aut cavata vitis est, dolabella conveniet expurgare quidquid emortuum est. Et 2, 9. *med.* Cum amplior messis provenerit, quidquid exteretur, capisterio expurgandum erit. *Plin.* 26, 14, 87. Aristolochia sordida ulcera expurgat. *Id.* 23, 7, 64. Caprificus lepras, psoras, lichenas, lentigines expurgat. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 52. sed, quod non desit, habentem Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae, Ni etc.? *Cic. Brut.* 74. Expurgandus est sermo. [*sc. a barbarie et consuetudine inquinate loquendi.] *Pl. Capt.* 3, 4, 87. et *Mil.* 2, 6, 17. Me expurgare tibi volo. *Tac. A.* 16, 24. Requirens objecta, et expurgaturum asseverans. *Gell.* 7, 3. Legatos miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur, et fidem consiliumque publicum expurgarent.

EXPŪTĀTUS, a, um, part. ab *exputo*, putando caesus. *Colum.* 11, 2. *in.* Palos una opera caedere, et exputatos acuere centum numero potes.

EXPŪTO, as, avi, atum, a. 1. ἀποτέμνω, est ramos superfluos ex arboribus, vel sarmenta ex vitibus resecare: ab *ex*, et *puto*. *Colum.* 3, 15. Velut veteranam vitem totam exputare. Adde 5, 6. *med*, ℙ Translate ponitur pro cogitare, mentem volvere, perpendere, ratiocinari. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *med.* Quae mens eum, aut quorum consilia a tanta gloria avocarint, exputare non possum. [*i. e. conjectando assequi non possum.] *Pl. Trin.* 2, 1, 8. Sic faciam, opinor: utramque rem simul exputem, judex sim.

EXPŪTESCO. V. v. seq.

EXPUTRESCO, is, utrui, *n.* 3. καταπύθομαι, penitus putrefio. *Pl. Curc.* 2, 1, 26. Dum intestina exputrescunt tibi. Al. leg. *exputescunt.*

EXQUAERO, is, a. 3. idem ac exquiro. *Pl. Capt.* 2, 2, 43. Ego ex hoc quae volo, exquaesivero. *Id. Stich.* 1, 2, 50. Quid istuc est, quod huc exquaesitum mulierum mores venis?

EXQUAESTOR. V. in EXCONSULE.

EXQUĪLIAE, arum, f. plur. unus ex septem Urbis Romae collibus prope Viminalem, vicinos habens lucum Fagutalem, et lucum Mephitis, et Junonis Lucinae, ut *Varro L. L.* 4, 8. docet: adjectus urbi, vel cultu auctus a Servio Tullio, qui ibi quoque habitavit, teste *Liv.* 1, 44. Appellantur plurali numero, quia olim duo montes habiti, quorum alter Cispius mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacris appellatur, inquit *Varr. ib.* Dictae sunt vel ab *excubiis* regis, vel ab eo, quod *excultae* a rege Tullio essent, (ex quo patet rectius *Exquilias*, quam *Esquilias* scribi: quod tamen et ipsum frequenter invenitur in libris. V. EXQUILINUS) quam secundam etymologiam magis probat *Varr. ib.* priorem vero *Ov.*, ubi ait *Fast.* 1, 245. Adde quod excubias regi Romanus agebat, Qua nunc Exquilias nomina collis habet. At fortasse nomen est derivatum ab esculo, qua arbore ille mons olim abundaret. [*Neque forma *Esquiliae* aspernenda est quippe quae antiquior videtur altera. V. *Schneider. Elementarlehre Tom.* II. p. 554.] *Prop.* 4, 8. Disce, quid Exquilias hac nocte fugarit aquosas, *h. e.* Exquiliarum incolas, metonymia, *aquosas* dicit, quia ad radices Exquilini montis locus erat humilis atque humidus. ℙ Nomen dederunt regioni Urbis, *Exquilinae* dictae, item portae cognomini, unde via Praenestina incipiebat. ℙ Aliquando informis locus fuit, et sepulcris, atque ossibus cadaverum pauperiorum, et damnatorum seu projectis, seu combustis obsitus, ut notat *Hor. Sat.* 1, 8, 16., unde idem *atras* appellat *Sat.* 2, 6, 32. et *Exquilinas alites*, scilicet cadavera consectantes vultures, nominat *Ep.* 5, 100. et *Exquilinum veneficium*, *ib.* 17, 58. quod hujusmodi loca a veneficis, et sagis frequentari solent. Postea vero purgatus, et excultus, et aliquot jugera donata Maecenati ab Augusto ad hortos exstruendos. *Hor. Sat.* 1, 8. *cit.* et *Suet. Tib.* 15. Quare saluberrimus ad incolendum habitus est, praesertim ob frigiditatem. Hinc *Juven.* 11, 50. Cedere namque foro jam non tibi deterius, quam Exquilias a ferventi migrare Suburra. ℙ Extremis Exquiliis, juxta Maecenatis tumulum Horatius sepulcrum habuit. *Auct. vitae Hor. f.*

EXQUĪLIĀRIUS, a, um, adj. Exquilinus. *Liv.* 1, 48. Ut in collem Exquiliarium eveheretur. Al. leg. *Exquiliarum.*

EXQUĪLĪNUS et Esquilinus, a, um, adj. ad Exquilias pertinens, ut *Exquilina porta*, *Exquilinae alites*, *Exquilinum veneficium*, de quibus V. EXQUILIAE. *Exquilina tribus* aliis secunda, aliis quarta ex urbanis, a loco nomen habuit. *Varr. L. L.* 4, 9., *Plin.* 18, 3. et *Inscr.* ap. *Grut.* 201, 10., 331, 7., et 391, 1., etc., in quibus modo per *s* scribitur, modo per *x*. Quin ap. *Liv.* 45, 15. etiam *Aesquilina* legere est in quibusdam libris. ℙ *Exquilinus campus* ad Exquiliarum radices extra portam Exquilinam fuit, in quo de noxiis supplicia sumebantur. *Tac A.* 2, 32. In P. Marcium Coss, extra portam Exquilinam, more prisco, advertere. *Suet. Claud.* 25. Civitatem R. usurpantes in campo Exquilino securi percussit. ℙ *Esquilinus* fuit etiam cogn. R.. ab incolatu nempe in Esquiliis, ap. *B. Borghes. N. Framm. de Fast. cons.* ad an. U. C. 296, L. Minucius P. F. Esquilinus Augurinus.

EXQUĪLĬUS, a, um, adj. Exquilinus. *Ov. Fast.* 2, 435. Monte sub Exquilio, etc.

EXQUĪRO, is, sivi, itum, a. 3. ἐξετάζω, diligenter inquiro. *Cic. Acad.* 4, 3. Neque nos studium exquirendi defatigati relinquemus. *Id. Manil.* 17. Exquirere veritatem. *Id. Verr.* 2, 4, 5. Noli ejus facta ad antiquae religionis rationem exquirere. *Pl. Aul* 4, 10, 70. Exquire, sitne ita, ut ego praedico. *Cic. Dejot.* 15. Exquire de Blesamio, num quid ad regem contra dignitatem tuam scripserit, i. e. inquire ab aliis de Blesamio. *Suet. Cal.* 33. Exquisiturum se vel fidiculis de Caesonia sua, cur, etc. *h. e.* a Caesonia, etc. *Ter. Hec.* 5, 2, 7. Exquirere cruciatu. *Cic. Att.* 7, 12. A te nihil dum certi exquiro, sed quid videatur. *Id. Div.* 2, 20. Cum ex te causas divinationis exquirerem. *Caes. B. G.* 3, 3. Concilio convocato, sententias exquirere. *Tac. A.* 6, 8. Exquirere abditos sensus alicujus. *Caes. B. G.* 1, 41. Itinere exquisito per Divitiacum [*i. e. explorato]. *Cic. Off.* 1, 41. Secum, et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirere. *Id. Phil.* 4, 2. Singulares honores alicui exquirere, *h. e.* in aliquem conferendos. *Id. Tusc.* 5, 23. Mens rationibus agitandis exquirendisque alitur. *Pl. Capt.* 3, 4, 105. Satis istuc mihi exquisitum est, fuisse hunc servum. *Id. Amph.* 2, 1, 81. et 2, 2, 159. Mi istuc primum exquisito est opus, *h. e.* opus est, me hoc exquirere. [*Paul. in *Dig.* 24, 3, 3. In exigenda et solvenda dote utriusque voluntas exquiritur, i. e. spectatur. *Id. ib.* 18, 7, 3. Heredis voluntas non est exquirenda.] ℙ Urbane. *Cic. Att.* 7, 18. Sed haec non nimis exquiro a Graecis, *h. e.* non exspecto, non postulo. ℙ [Partic. *Exquirens* ap. *Cic. Fat.* 1. Exquirentes ea consilia, quae ad pacem pertinerent. *F.*]

EXQUĪSĪTĒ, adv. ἐξητασμένως, ἀκριβῶς, diligenter perquirendo, atque adeo accurate, exacte, studiose, cum cura. *Cic. Brut.* 80. Cum de eo crimine accurate et exquisite disputavisset. Et 93. Exquisitius studere litteris. *Id. Tusc.* 1, 48. Rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur. *Quint.* 8, 2. *f.* Id demum eleganter atque exquisite dictum putant, quod interpretandum sit. *Gell.* 13, 7. Aristoteles libros de animalibus exquisitissime composuit. *Tiro Tull.* ap. *Gell.* 10, 1. Eam rem Pompejus exquisitissime retulit ad doctissimos civitatis.

EXQUĪSĪTIM, adv. idem quod exquisite. *Varr.* ap. *Non.* 11, 35. Aeger medicos exquisitim convocabas, ut convalesceres.

EXQUĪSĪTĬO, onis, f. inquisitio, investigatio. *Imp. Justin. Cod.* 5, 9, 9. *extr.* Neque aliam in ea re exquisitionem fieri. Adde *ib.* 7, 17, 1.

EXQUĪSĪTUS, a, um, part. ab *exquiro*, ἐξητασμένος, diligenter quaesitus, atque adeo eximius, singularis, excellens, lectus. *Cic. Or.* 1, 58. *f.* Ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos, et exquisita deferunt. *Id. Or.* 49. Verba legenda sunt bene sonantia, sed ea non, ut poetae, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. *Id. Brut.* 27. Semper habuit exquisitos e Graecia magistros. Et 79. Reconditae exquisitaeque sententiae. *Id. Off.* 1, 37. Uti exquisito judicio litterarum. *Id. Fin.* 1, 9. Exquisitis rationibus quidpiam confirmare. *Id. Or.* 2, 41. Non est exquisitae artis praescribere, sed mediocris ingenii judicare. *Id. Fin.* 1. *in princ.* Summis ingeniis, et exquisita doctrina philosophi. *Id. Brut.* 82. Accuratius et exquisitius dicendi genus. *Id. Phil.* 4, 3. Laudare quempiam exquisitissimis verbis. *Id. Off.* 1, 36. Munditia non odiosa, neque exquisita nimis. *Id. ib.* 3, 27. Ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci. *Plin.* 9, 35, 58. Exquisitis epulis saginari. *Id.* 6, 33, 39. Sententia exquisitissimae subtilitatis.

EXRĀDĪCĀTUS. V. ERADICATUS.

*EXRĒGE, qui rex fuit. *Ammian.* 29, 1. Vadomarius exrege Alemannorum. Adde 26, 8. *B. A.*

EXRŌGĀRE, est ex lege vetere aliquid eximere per novam legem. *Festus.* V. ABROGO.

EXRŪMĪNANS. V. EXGRUMANS.

EXSACRĪFĪCO, as, avi, atum, a. 1. idem quod sacrifico. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. Exsacrificabat hostiis balantibus.

EXSAEVĬO et Exaevio, is, ii, itum, n. 4. saevire desino. *Liv.* 30, 39. Stetit ibi, dum reliquum tempestatis exsaeviret. [*De plurimis quae jam sequuntur compositionibus, in quibus duplex est scriptura *exs* et *ex*, omisso *s*, omnino tenendum, rectius addi sibilum, quanquam minime negandum, etiam alterius scripturae exempla haud pauca in numis et inscriptionibus reperiri. V. qui accuratissime de hac re disputavit *Schneid.* Elementarlehre der lat. Sprache. *Tom. II.* p. 554. seqq. Haec in universum hic dicta sint; de singulis tum tantum verbo monebo, quum veterum grammaticorum testimonia afferri possint.]

EXSANGUĪNĀTUS et Exanguinatus, a, um, partic. ab inusit. *exsanguino*, exsanguis, imbecillus. *Vitr. prooem.* 8. Animalia si fuerint sine humoris potestate exsanguinata, et exsucta.

EXSANGUIS et Exanguis, e, adj. ἄναιμος, sine sanguine, sive ex vulnere aut morbo, sive ex metu et pallore. *Virg. A.* 6, 401. Exsangues umbrae, *h. e.* animae defunctorum. *Liv.* 29, 9. Ipsum hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. *Cic. Sext.* 37. Jacens et concisus plurimis vulneribus, extremo spiritu exsanguis, et confectus. *Id. Verr.* 2, 5, 49. Exsanguium corpora mortuorum. *Id. Pis.* 36. Exsanguis et mortuus concidisti. *Id. Sext.* 10. Homines enervati atque exsangues. [*Ubi exsanguis metaphorico sensu dictum de hominibus invalidis, qui ad agendum non facti sunt. Opponitur is, cui, quod *Stat. Th.* 6, 679. habet, collectus est sanguis. V. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 39. *Garat.* ad *Cic. l. l.*] *Id. Har. resp.* 1. Exsanguis atque aestuans se ex curia repente prorupit. *Virg. A.* 2, 212. Diffugimus visu exsangues. *Ov. Met.* 9, 224. Exsanguis metu. Et *ib.* 4, 267. Exsangues herbae. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Lacrimae peredere humore exsangues genas. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 11. Aridum et exsangue orationis genus. *Gell.* 13, 20. Muta, ut *urbis* dicas: nimis exilis vox erit, et exsanguis. *Auct. dial. de Orat.* 18. Calvum Ciceroni visum exsanguem et attritum. *Hor. Ep.* 1, 19, 18. Exsangue cuminum, *h. e.* quod pallidos et exsangues reddit, ut *Plin.* 20, 14, 57. docet.

Sic *Claud. in Ruf.* 2, 130. exsanguis Rufinum perculit horror. *Ov. Met.* 15, 627. Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo. *Id. Trist.* 3, 1, 55. Aspicis exsangui chartam pallere colore? *Stat. Th.* 11, 323. exsangues erudescunt luctibus anni, *h. e.* anni senectutis. Et *ib.* 5, 325. Exsangue imperium, et moestam sine culmine Lemnon, *h. e.* ubi domini occisi.

EXSĀNĬO, as, a. 1. saniem extraho, ἐκπνόω. *Cels.* 5, 27. *in.* Si sal aridus vulneri imponitur, superque id duobus digitis verberatur, exsaniat enim. *Colum.* 12, 53. de salsura carnis: Compositis tergoribus aut frustis vasta pondera imponito, ut exsanietur. [**Col. R. R.* 12, 57, 2. Cum exsaniaveris sinapi. Quod animadvertente *Schneid. in Ind. Scribon. Compos.* 1, 9., excastratum dicit; *Coel. Aur. Tard.* 4, 8. exsuccatum.] ℙ Translate. *Id. ib.* 47. Patimur pondere pressam baccam velut exsaniari. Et 55. Ut omnem amaritudinem et pallorem exsaniet, *h. e.* emittat, et purgetur.

EXSARCĬO et Exarcio, vel Exsercio, is, arsi, artum, a. 3. a *sarcio*, et fere ejusdem cum eo significationis. *Festus:* Exercirent, sarcirent. *Ter. Heaut.* 1, 1, 91. Servos, nisi eos qui opere faciundo facile sumptum exarcirent, (vel, ut leg. *Muretus*, exercirent) omnes vendidi. Al. male leg. *facile victum exercent.* V. EXERCEO. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Cum id petitur, quod honeste promittere non possumus, belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres, quam moleste feras, aliis te id rebus exsarturum esse, persuadeas. Al. leg. *exacturum. Not. Tir.* p. 131. Exsarcit, exarsit.

EXSĀTĬĀTUS, a, um, partic. ab *exsatio. Ov. Met.* 8, 542. Parthaoniae tandem Letoia clade Exsatiata domus. *Curt.* 9, 6. Exsatiatae laudi modum facere. *Liv.* 40, 28. Exsatiati cibo vinoque.

EXSĀTĬO et Exatio, as, avi, atum, a. 1. idem ac satio, κορέννυμι. *Liv.* 38, 54. Ne morte quidem alicujus exsatiari. [**Tac. A.* 3, 31. Patruum sanguine exsatiaret.] *Sil.* 7, 535. Multo cruore exsatiare enses. *Stat. Th.* 9, 14. Exsatiare tela.

EXSĀTŪRĀTUS, a, um, partic. ab *exsaturo*, exsatiatus. *Virg. A.* 7, 296. odiis exsaturata quievi. *Cic. Tusc.* 5, 35. Sardanapalus jussit incidi in busto: Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido Hausit. *Stat. Th.* 6, 176. vulnere justo Exsaturata oculos.

EXSĀTŪRO et Exaturo, as, avi, atum, a. 1. exsatio, saturo, κορέω. *Cic. Verr.* 2, 5, 26. Animum exsaturare alicujus supplicio. *Ov. Met.* 5, 19. Bellua exsaturanda visceribus meis.

EXSCALPO et Excalpo, is, psi, ptum, a. 3. scalpo, excavo, ἐγγλύφω. *Varr. L. L.* 4, 32. Terram unde exscalpserat, fossam vocabant. *Quint.* 2, 19. Si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exscalpere. Al. leg. *exsculpere.* ℙ Contraria significatione. V. in EXSCULPO.

EXSCALPTUS, a, um, part. ab *exscalpo*, scalpendo excavatus. *Cato R. R.* 18. Foramina arborum excalpta digitos sex.

*EXSCATURĬO, is, n. 4. ἐκζέω. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

EXSCENDO, is, n. 3. καταβαίνω, descendo, de iis praesertim, qui navi in terram exeunt. *Liv.* 29, 11. Legati Asiam petentes, protinus Delphos cum exscendissent, oraculum adierunt. Al. leg. *escendissent.* [**Gronov.* ad *Liv.* 8, 17, 9. hoc discrimen interesse statuit inter Escendere et Exscendere, ut illud sit sursum niti scandendo, hoc e navi descendere. Sed hoc non videtur probari posse. Verbum maluerunt dicere *Escendere*, substantiv. *Excensio.* V. v. seq.]

EXSCENSĬO, onis, f. κατάβασις, descensus, eorum praesertim, qui navi egrediuntur. [*Notandum veteres nunquam dixisse *Escensio*, quanquam *Escendere* vulgare est. V. *Interpp.* ad *Liv.* 8, 17. 31, 29. *Schneider.* Elementarlehre *Tom. II.* p. 553.] *Liv.* 44, 10. *f.* Classis exscensionem ad populandum fecit. *Id.* 28, 8. Quinqueremibus septem ad Erythras exscensionem fecit. [**Liv.* 31, 26, 5. Exscensionem a Paesto facientem, i. e. ab ea parte, ubi est Paestum. V. *Tursell. Hand.* p. 11.] *Curt.* 9, 4. Exscensione facta, ducenta stadia processit, depopulatusque regionem, etc. Adde *Liv.* 37, 17. ubi alii *descensionem*, et 27, 29., et 29, 28., et 8, 17., ubi alii *excursionem* reponunt: item 22, 20., ubi pro *excensione ab navibus in terram facta*, al. leg. *exscensu facto.*

EXSCENSUS, us, m. idem quod exscensio. V. in v. praec.

EXSCINDO vel Excindo, is, ĭdi, issum, a. 3. τέμνω, excido, diruo, destruo. *Virg. A.* 2, 177. Exscindere urbem telis. [**Drak.* ad *Liv.* 5, 15, 9.] Et *ib.* 12, 643. domos. *Stat. Silv.* 3, 1, 123. rupes et saxa necantia ferro. *Caes. B. G.* 7, 50. portas. *Virg. A.* 9, 137. Gentem aliquam ferro exscindere. *Tac. A.* 2, 25. Populari et exscindere. ℙ Translate. *Id. Agr.* 19. Causas bellorum exscindere. *Plin. Pan.* 34. exscidisti intestinum malum, et provida severitate cavisti, etc. ℙ *Excidere* pro *exscindere* quidam leg. ap. *Sil.* 7, 643. ut sit a *caedo:* sed tunc *excidere* esset scribendum. ℙ [*Verba *Exscindere* et *Excidere* a librariis confunduntur. *Gron.* ad *Sen. clem.* 1, 1.]

EXSCRĒĀBĬLIS, e, adj. qui exscreari potest, ἐκπτυστός. *Plin.* 20, 14, 55. Pulmonum vitia exscreabilia facit.

EXSCRĒĀTĬO, onis, f. actus exscreandi cum vi quadam, ἔκπτυσις, ut Exscreatio sanguinis, Exscreatio cruenta. *Plin.* 27, 12, 91., et 28, 12, 53.

EXSCRĒĀTUS, us, m. idem quod exscreatio. *Coel. Aur. Tard.* 2, 11. Cum quodam excreatu despuitur.

EXSCRĔO et Excreo, as, avi, atum, a. 1. cum impetu et sonitu exspuo, ἀποπτύω, ἐγχρέμπτομαι. *Plaut. in supposititis Amph. Tun' me mactes, v.* 7. Ut cum dentibus linguam exscrees. *Ov. Her.* 21, 24. Exscreat, et ficta dat modo signa nota. [**Broukh.* ad *Tib.* 1, 7, 36.] *Cels.* 4, 6. Per tussim exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. [*Plin.* 24, 16, 92. Excreantes pura. ℙ Exscreare minime licebat in scena, ut constat ex *Suet. Ner.* 24. et *Tac. A.* 16, 4. *F.*]

EXSCRĪBO et Excribo, is, psi, ptum, a. 3. describo, ex aliquo exemplari scribo, ἀπογράφω. *Cic. Verr.* 2, 2, 77. Tabulas in foro summa hominum frequentia exscribo. *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Exscribere de libris alicujus. *Gell.* 3, 3. Ex Plauti comoedia duos versus exscribere. ℙ De eo qui pingendo describit. *Plin. ep.* 4, 28. Magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines Cornelii Nepotis, et Titi Cassii; petitque, si sunt istic, exscribendas pingendasque delegem. ℙ Translate. *Id. ep.* 5, 16. *f.* Amisit filiam, quae non minus mores ejus, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat.

EXSCRIPTOR, oris, m. qui exscribit. Hinc *Licinius* ap. *Cic. Fin.* 1, 2. de Attilio ita loquitur: Ferreum scriptorem virum opinor, exscriptorem tamen, ut legendus sit. Alii tamen rectius leg. Ferreum scriptorem, verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. Nihili igitur est vox *exscriptor.*

EXSCRIPTUS, a, um, partic. ab *exscribo. Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Complura exscripta e Magonis libris. ℙ Item simpliciter perscriptus. *Pl. Rud. prol.* 15. Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem. Et 21. Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.

EXSCULPO, is, psi, ptum, a. 3. διαγλύφω, perfecte sculpo. *Cic. Att.* 13, 28. Exsculpere aliquid e quercu. *Quint.* 2, 19. signum ex lapide. ℙ Allegorice. *Id. ib.* 4. de ubertate eloquentiae: Materiam esse volo vel abundantiorem: sit modo, unde excidi possit, et quod exsculpi. Erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et quam caelatura altior rumpat. ℙ Significat etiam extrahere, extorquere. *Ter. Eun.* 4, 4, 44. Possumne hodie ex te exsculpere verum? *Lucil.* ap. *Non.* 2, 262. Leoni esurienti ex ore exsculpere praedam. (hoc potest esse proverb. de re valde difficili.) *Pl. Cist.* 2, 2, 6. In quaestione vix exsculpsi, ut diceret. ℙ Ap. *Nepotem* sumitur pro delere quod insculptum est, abradere. Ita enim in *Paus.* 1. Cum tripodem aureum Delphis posuisset, in quo erat haec sententia . . . . hos versus Lacedaemonii exsculpserunt. Al. leg. *exscalpserunt.* ℙ Exsculpere alicui oculum, ap. *Ter. Phorm.* 5, 7. *in f.* est ejicere. Alii tamen leg. *excludere.*

EXSCULPTUS, a, um, part. ab *exsculpo*, exscalptus. *Varr. R. R.* 3, 9. In pariete exsculpta sint cubilia earum. [*ubi *Colum.* habet *Excisa.*] Et *mox.* Cubilia gallinarum in parietibus aut exsculpta, aut afficta firmiter.

EXSĔCO et Execo, as, ui, ctum, a. 1. ἀποτέμνω, excido, extra seco. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes reipublicae, quam quae exsecaret. *Id. Cluent.* 64. Armarii fundum exsecuit, et pecuniam abstulit. *Colum.* 5, 11. Serra exsecare. *Cic. Sext.* 65. Exsecare pestem aliquam, tanquam strumam civitatis. *Id. Agr.* 2, 33. nervos reipublicae. [*V. *Interpp.* ad *Liv.* 7, 39, 6.] *Sen. ep.* 78. *med.* Qui dum varices exsecandas praeberet. [**Sen. Cons.* ad *Helv.* 3. Velut aliena corpora exsecari patiuntur, ubi v. *Gron. Paul. Dig.* 50, 16, 132. Ea non peperit, cui mortuae filius exsectus est.] ℙ Pro castrare. *Mart.* 6, 2. immeritos exsecuisse mares. [*Adde *Cic. N. D.* 2, 24.] V. EXSECTUS. ℙ [**Hor. Sat.* 1, 2, 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat, *h. e.* interprete *Porphyr.*, primi mensis usuras capiti ipsius sortis statim amovet. V. *Heind.* ad h. l.] ℙ Legitur etiam *exsico. Pl. Rud.* 1, 2, 34. Quin tu in paludem is, exsicasque arundines, qui pertegamus villam, dum sudum est? ℙ Quidam hoc a *sica* deducunt, et paenultimam protrahunt. ℙ [*Perfectum est etiam *Exsecavi. Cat. R. R.* 42. Apponito in eum locum, unde exsecaveris in alterum genus, facitoque uti conveniat.]

EXSECRĀBĬLIS, e, adj. exsecratione dignus, detestabilis, κατάρατος. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 15. Exsecrabile ac dirum solum. *Plin.* 9, 48, 72. Sed nihil exsecrabilius etc. ℙ Item qui cum exsecratione conjunctus est, ut Odium exsecrabile. *Liv.* 9, 26. Exsecrabile carmen, *Id.* 31, 17.

EXSECRĀBĬLĬTAS, atis, f. abominatio. *Appul. Dogm. Plat.* 2. p. 21, 5. Vitia pariunt exsecrabilitatem.

EXSECRĀBĬLĬTER, adverb. cum exsecratione. *Augustin. Confess.* 8, 7. Tanto exsecrabilius me oderam.

EXSECRĀMENTUM, i, n. idem ac exsecratio. *Tert. Apol.* 22. et *adv. Jud.* 5., sed utrobique alii aliter leg.

EXSECRĀTĬO, onis, f. ἀρά, κατάρα, actus exsecrandi, sacramenti genus, quo quis diras sibi, vel alteri imprecatur, si fallat. *Cic. Off.* 3, 13. Quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est. *Id. Verr.* 2, 5, 40. Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextrae complexusque? *Sall. Cat.* 23. Humani corporis sanguinem in pateris circumtulisse, inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum. *Cic. Sext.* 7. Hunc Pompejus omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil contra me esse facturum. *Tac. H.* 4, 15. Barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. Adde *Liv.* 26, 25. ℙ Et universim imprecatio, detestatio. *Cic. Sext.* 33. Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vulturii palu dati. *Id. Pis.* 19. Thyestea ita exsecratio est, ut tu naufragio expulsus etc. *Tac. H.* 3, 25. Saevissimi belli exsecratio. *Plin.* 19. *prooem.* Nulla exsecratio sufficit contra inventorem. *Suet. Claud.* 12. Diris exsecrationibus incessere aliquem. [**Interpp.* ad *Liv.* 40, 56, 9.] *Vell.* 2, 22. Precatus Deos in exsecrationem Cinnae partiumque ejus.

EXSECRĀTOR, oris, m. qui exsecratur, et detestatur. *Tertull. Pudic.* 15. Exsecrator impuritatis. Adde *August. ep.* 166. *f.*

EXSECRĀTUS, a, um, part. ab *exsecror. Val. Max.* 3, 2. *n.* 20. Seipsum et suos exsecratus. ℙ Passive est exsecrabilis, κατάρατος. *Cic. Phil.* 1, 2. Eversio exsecratae columnae. *Plin.* 28, 2. 5. Exsecratissima auguria. *Cato* ap. *Prisc.* 8, 792. Exsules duo lege publica, exsecrati, κατηραθέντες, ut *Prisc.* exponit, diris devoti, ea ratione, qua in EXSECRATIO dictum est.

EXSECROR et Execror, aris, atus sum, dep. 1. καταράομαι, male alicui precor, diris devoveo, detestor, abominor: ab *ex*, et *sacer*, quasi, sacrum esse, et irae Deorum obnoxium declaro. *Cic. Pis.* 14. Exsecrari, et male precari. Et 40. Te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur. *Id. Tusc.* 1, 44. Exsecratur Thyestes, ut naufragio pereat Atreus. [**Cic. Legg.* 1, 12. Socrates exsecrari eum solebat, qui utilitatem a natura sejunxisset, i. e. detestatum esse. Adde *Off.* 3, 3.] *Liv.* 30, 20. et 39, 51. *extr.* Exsecratus in se ac suum caput, quod militem Romam non duxisset. *Sall. Cat.* 49. Exsecrari consilia Catilinae. *Just.* 13, 1. severitatem nimiam et assidua belli pericula. Et 39, 1. superbiam regis. *Liv.* 1, 59. *extr.* Tullia domo profugit, exsecrantibus, quacumque incedebat, invocantibusque parentum furias viris mulieribusque. [**Ulp.* in *Dig.* 4, 7, 4, 1. Verecunda cogitatio ejus, qui litem exsecratur, non est vituperanda.] *Ov. Met.* 5, 105. semianimi verba exsecrantia lingua Edidit. ℙ Activa positione. *Afr.* ap. *Non.* 7, 45. Experjurabant, exsecrabant se ac suos. Confirmat *Prisc.* 8, 797. ℙ [Particip. *Exsecrandus* ap. *Cic. Phil.* 2, 26. Exsecrandus populo et detestabilis. *F.*] ℙ *Superl. *exsecrandissimus* ap. *Salv. de Gub.* 7. p. 284. *B. A.*

EXSECTĬO, onis, f. ἀποκοπή, actus exsecandi, ut Exsectio linguae, *Cic. Cluent.* 67. et 64. Cum exsectio illa fundi in armario animadverteretur. *Arnob.* 5, 165. Exsectiones mammarum.

EXSECTOR, oris, m. qui exsecat, seu castrat. *Appul. Met.* 8. Detestabilis exsector virilitatis.

EXSECTUS, a, um, part. ab *exseco*, amputatus, excisus, desectus, ἀποτμητός. *Cic. Cluent.* 66. Stratonem in crucem actum exsecta scitote lingua. *Hor. Sat.* 1, 5, 59. Frons cornu exsecto. *Ulp. Dig.* 28, 2, 12. Filius exsecto ventre editus. *Plin.* 8, 55, 81. Fetus ventri leporis exsectos, vel uberibus ablatos in cibatu habere. ℙ *Exsecti* absolute dicuntur, quibus amputata virilia sunt. *Hirt. B. Alex.* 70. Neque interfectis amissam vitam, neque exsectis virilitatem restituere posse. *Lucan.* 10, 133. infelix ferro mollita juventus, Atque exsecta virum, graeca constructio. ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 12. Quid enim miserius, quam exsectum et exemptum honoribus senatoriis, labore et molestia non carere? ℙ [*Confunduntur *Exsectus* et *Ejectus. Interpp.* ad *Liv.* 7, 39, 6.]

EXSĔCŪTĬO, onis, f. actus exsequendi, praestandi, perficiendi, ἀπεργασία. *Plin.* 35, 8, 34. Instituti operis exsecutio. *Tac. A.* 3, 31. Exsecutionem negotii suscipere, *h. e.* administrationem, et confectionem. [**Id. Ann.* 15, 25. Syriae exsecutio Cincio permissa, i. e. administratio.] *Front. Aquaed. f.* Exsecutio legis. *Ulp. Dig.* 47, 1, 1. Exsecutio quorundam delictorum heredibus data est, *h. e.* persecutio in judicio, donec puniantur. Sic *Id. ib.* 50, 16, 131. *extr.* criminis, sive delicti

exsecutio. [*Ulp.* in *Dig.* 50, 16, 178, 2. Persecutionis verbo continentur extraordinariae, quae non habent juris videnarii exsecutionem.] ℙ Alio sensu. *Sen. praef.* 3. *contr.* Erat et illud in argumentatione vitium, quod quaestionem, non tanquam partem controversiae, sed tanquam controversiam implebat. Omnis quaestio suam probationem habebat, suam exsecutionem, suos excessus, suas indignationes, epilogum quoque suum, *h. e.* amplificationem, qua pluribus verbis argumenta exsequebatur. *Id. ep.* 52. *f.* Differam hoc in praesenti: desiderat enim propriam, et longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit: requirit, ut longiore sermone prosequar explicando, quemadmodum etc. *Plin. ep.* 8, 14. Quae potestas referentibus, quod censentibus jus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, quae exsecutio prioribus aliquid addentium, *h. e.* ratio exsequendi, et disserendi addendo priori sententiae aliquid.

EXSĔCŪTOR, oris, m. qui exsequitur. *Suet. Vesp.* 14. Offensarum inimicitiarumque minime memor, exsecutorve, *h. e.* ultor. *Vell.* 2, 45. Clodius malorum propositorum exsecutor acerrimus. Et *Appul. Met.* 7. p. 197, 37. et *Macer. Dig.* 49, 1, 4. Ab exsecutore sententiae appellare non licet. *Imp. Constantin. Cod.* 8, 17, 7. Exsecutores a judice dati ad exigenda debita ea, quae civiliter poscuntur. ℙ [*In *Cod.* Exsecutores litium dicti sunt viatores vel apparitores judicum. V. *Brisson.* de verb. sign. s. v.]

EXSĔCŪTUS, vel Exsequutus, a, um, part. ab *exsequor. Cic. Att.* 9, 12. Cur non omnes fatum illius exsecuti sumus? *h. e.* secuti. ℙ Passiva significatione. *Justin.* 7, 3. Exsecuto regis imperio.

EXSENSUS, a, um, adj. qui est sine sensu. Unde *exsensam mentem* dixit *Naevius* ap. *Gell.* 19, 7. et *Non.* 4, 345., sed non est imitandus.

EXSĔQUENS, entis, part. ab *exsequor*, qui exsequitur, studiosus. *Gell.* 10, 12. Favorinus philosophus memoriarum veterum exsequentissimus.

EXSĔQUIAE, arum, f. plur. *ταφή, κῆδος, ἐκφοραί*, pompa funeris, comitatus eorum, qui ad sepulturam elatum cadaver sequuntur. Hinc *Tac. H.* 4, 62. Silens agmen, et velut longae exsequiae. *Exsequor* etiam comitandi ad sepulcrum significationem habet. *Cic. Mil.* 13. Clodii cadaver spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione. *Id. Leg.* 2, 17. Sepultura et justis exsequiarum carere. *Id. Quint.* 15. Funus, quo amici conveniunt ad exsequias cohonestandas. *Id. Cluent.* 71. Prosequi exsequias funeris. *Ov. Fast.* 2, 847. Ferre aliquem in exsequias. *Albin.* 1, 218. Exsequias alicui reddere. [*Quint. Decl.* 298. Persolvere.] *Curt.* 10, 5., *Sil.* 16, 306. et *Plin.* 8, 42, 64. Ducere exsequias alicui. *Id.* 11, 18, 20. comitari. *Liv.* 25, 17. celebrare. *Virg. A.* 7, 5. solvere. *Suet. Tib.* 32. frequentare usque ad rogum. *Just.* 38. *f.* et *Ov. Pont.* 1, 9, 52. alicui facere regio more. *Id. Fast.* 4, 849. dare. [*ubi *Heins.*, quum aliud exemplum hujus dictionis desideret, frustra lectionem mutare vult.] *Id. ib.* 2, 818. parare. *Stat. Silv.* 3, 3, 6. Exsequiis adesse. *Justin.* 9, 7. Currere ad exsequias. *Tac. A.* 3, 48. Mortem alicujus publicis exsequiis frequentare. *Id. ib.* 14, 9. Exsequiis vilibus cremare. *Flor.* 3, 20. Ducum funera imperatoriis exsequiis celebrare. *Plin.* 10, 43, 60. Funus innumeris exsequiis celebratum, *h. e.* innumero comitatu. ℙ [*Apud recentiores scriptores ita ponitur, ut non pompa funebris, sed ossa, cineres, omnino reliquias mortui significet. *Sext. Ruf.* 22. Exsequias Romam deduxerunt *Eutr.* 7, 18. Exsequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoravit, ad quem loc. vid. *Tzschuck.* Vir doct. in Miscell. Obss. T. X. p. 53. *Wagner.* ad *Amm. Marc.* 29, 2, 23.] ℙ *Ire exsequias*, ap. *Ov. Amor.* 2, 6, 2. et *Sil.* 15, 395. est ire ad exsequias: ductum a formula vocandi ad exsequias, cujus maximam partem ita refert. *Ter. Phorm.* 5, 8, 37. Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, hem, tempus est: ollus effertur.

EXSĔQUIĀLIS, e, adj. *ἐνταφιος*, ad exsequias pertinens. *Ov. Met.* 14, 430. Carmina jam moriens canit exsequialia cygnus. *Stat. Theb.* 11, 610. justa exsequialia.

EXSĔQUĪOR, aris, dep. 1. exsequias facio. *Varr.* ap. *Non.* 2, 298. Ipsum propter vix liberti semiatrati exsequiantur.

EXSĔQUĪUM, ii, n. idem quod silicernium. *Festus.* V. SILICERNIUM.

EXSĔQUOR, et Exequor, eris, equutus, et ecutus sum, dep. 3. *ἀκολουθέω, ἐπιτελέω*, idem quod sequor, vel usque ad finem sequor, subsequor. *Cic. Phil.* 2, 22. Exsequi fugam alicujus. *Catull.* 63, 15. Sectam meam exsequutae, duce me. *Pl. Epid.* 4, 2, 3. Quae examinata exsequitur adspectum tuum. *Cic. Att.* 9, 12. Cur non omnes fatum illius exsequuti sumus? *Id. Univ.* 2. Aeternitatem exsequi. *Liv.* 5, 40. Suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes. ℙ De iis, qui cadaver ad sepulturam prosequuntur, unde *Exsequiae. Varr.* ap. *Non.* 1, 235. Funus exsequuti laute ad sepulcrum. Al. leg. *exsequiati*, ut ad *Exsequior* pertineat. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 16. Funus tamen exsequi, non est religio. ℙ Absolute *Cic.* vertens *Euripidis* versus *Tusc.* 1, 48. At qui labores morte finisset graves, Hunc omnes amicos laude et laetitia exsequi. ℙ Est etiam persequi. *Caes. B. G.* 1, 4. Cum civitas ob eam rem incitata armis jus suum exsequi conaretur. [*Hinc Exsequi est in judicio persequi. *Tryphon.* in *Dig.* 34, 9, 22. Si ideo non sit exsecutus, quod ad pubertatem pupillus pervenerit, i. e. si reum non peregerit. Sic exsequi causam, accusationem, actionem, injurias etc. Vid. *Brisson.* de verb. sign. s. v.] ℙ Item ulcisci, *Suet. Caes.* 67. Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1013, 5. Julio L. F. Sergio Basso interfecto a latronibus Julius Valerianus frater mortem ejus exsecutus *faciendum curavit. Liv.* 3, 25. *extr.* Deorum hominumque simul violata jura exsequi. Et 5, 11. publicum privatumque dolorem. [*Ulp.* in *Dig.* 29, 5, 33. Si justum dolorem exsequenti domino non restiterunt. Vid. *Gron.* ad *Liv.* 1, 59, 1.] *Plin. ep.* 3, 4. injurias accusationibus. [*Hyg. Fab.* 119. Orestes studebat patris sui mortem exsequi. i. e. vindicare, ulcisci. Vid. *Munck.* ad h. l. p. 211.] ℙ Absolute. *Sen. Ira* 1, 12. Pater caedetur? defendam: caesus est? exsequar. ℙ Item pergere, et quasi protelo continuare, et usque ad finem perficere, absolvere rem inchoatam. *Pl. Men.* 5, 2, 72. Inceptum hoc itiner perficere exsequar. *Id. Truc.* 2, 5, 9. Nullam rem oportet dolose aggredi, nisi astute exsequare. *Cic. Rab. Post.* 2. *extr.* Id est difficile, quod cum magna spe sis ingressus, id non exsequi usque ad extremum. *Liv.* 30, 4. *med.* Incepta exsequi. *Tac. A.* 4, 29. Retractus exsequi accusationem adigitur. *Liv.* 6. 14. Et 9, 16. Exsequebantur quaerendo, ubi tantae rei furtum occultaretur. [*Vid. *Gron.* ad *Liv.* 9, 3. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 2, 4.] ℙ Item praestare, facere. *Cic. Phil.* 9, 4. Exsequi mandata. *Ter. Heaut.* 4, 1, 22. imperium. [*Ulp. in *Dig.* 43, 4, 3. Magistratus jure suae potestatis exsequi oportet decretum suum. Sic Exsequi judicatum, judicium alienum, sententiam. Exempla vide ap. *Brisson.* de verb. sign. s. v.] *Tac. A.* 15, 53. destinata. *Curt.* 4, 3. jussa metu mortis. *Id.* 3, 4. Et 10, 7. consilium. *Liv.* 29, 25. ministeria [*Drak.* ad *Liv.* 4, 28, 6.] *Justin.* 42, 1. ultionem. *Curt.* 3, 11. Jubet, quod is imperasset, impigre exsequi. *Pl. Trin.* 2, 2, 5. Exsequi sermonem cum alio. *Cic. Sen.* 10. *extr.* omnia regis officia et munera. *Id. ib.* 9. Quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere. Et 20. Munus officii exsequi, et tueri. *Ter. Andr.* 1, 5, 24. Quid primum exsequar? tot me impediunt curae, etc. *Pl. Most.* 3, 2, 17. Mihi exsequi certa res est hoc, ut abeam hinc ad forum. *Tac. A.* 15, 4. Partho ad exsequendas obsidiones nulla audacia. *Curt.* 8, 6. Occasio exsequendi sceleris. *Cic. Off.* 1, 23. In exsequendis negotiis. *Pl. Pseud.* 4, 2, 38. Exsequi mortem, *h. e.* sibi consciscere. [*Alio sensu hac locutione usus est *Hygin.* V. supra.] ℙ Item dicere, exponere, narrare, seu potius sequi, pergere, continuare dicendo. *Liv.* 35, 14. Quaerenti Africano, quem fuisse maximum crederet, respondisse etc. quaerenti deinde, quem secundum, dixisse etc. exsequenti, quem tertium etc. [*Drak.* ad *Liv.* 5, 15, 12. *Gron.* ad *Liv.* 9, 3, 11.] *Cic. Fam.* 11, 27. *med.* Habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possum. *Liv.* 27, 27. *f.* Multos circa unam rem ambitus fecerim, si quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. *Curt.* 7, 4. Consilium habes fidele, quod diutius exsequi supervacuum est. *Suet, Galb.* 3. Imagines et elogia universi generis exsequi, longum est. *Liv.* 3, 5. *f.* Exsequi subtiliter numerum. [*ubi est inquirere, pervestigare. V. *Gron.* ad *Liv.* 9, 3. *Ruhnk.* ad *Ter. Hec.* 3, 1, 26.] *Plin.* 20, 9, 33. laudes brassicae. *Virg. G.* 4, 1. Protinus aerii mellis coelestia dona Exsequar. *Phaedr.* 3, 10. Haec exsecutus sum propterea pluribus, Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus. *Tac. A.* 3, 65. Exsequi sententias haud institui, nisi insignes. *Id. ib.* 4, 4. Quod mihi quoque exsequendum reor, quae tum copia in armis, qui socii reges etc. *Gell.* 2, 22. *med.* Sunt alii venti, quos ipse quoque exsecuturus fui, nisi etc. *h. e.* recensuissem. ℙ Item cogitando persequi, versare, meditari assequendi causa. *Plin.* 7. *in.* Si quidem exsequi omnia humanus animus queat. *Liv.* 35, 28. Quem locum ipse capturus esset, cogitando, aut quaerendo exsequebatur. ℙ Item subire, ferre, quasi sequendo subjici. *Pl. Capt.* 2, 1, 1. Si Dii voluere, vos hanc aerumnam exsequi, decet id pati aequo animo. *Id. Trin.* 3, 2, 60. Egestatem exsequi. *Id. Truc.* 2, 5, 8. probrum. ℙ Passive. *Ulp. Dig.* 2, 1, 19. Quaerebatur, an prioris judicis sententia exsequi posset. *Solin.* 17. *extr.* Pardi noti satis, nec latius exsequendi. V. EXSECUTUS. ℙ [*Confunduntur *Exsequi* et *Exaequare. Drak.* ad *Liv.* 3, 39, 8.]

EXSĔRO, et Exero, is, rui, ertum, a. 3. *ἐξελ-ῶ, ἐξαλῶ*, extraho, profero, emitto: ab *ex*, et *sero. Liv.* 7, 10. Gallus linguam ab irrisu exserens. *Id.* 8, 9. Manum subter togam ad mentum exserere. *Plin.* 9, 42, 67. Rana eminentia sub oculis cornicula turbato limo exserit. *Ov. Met.* 13, 838. Caeruleo nitidum caput exsere ponto. Et *ib.* 10, 503. creverat infans, Quaerebatque viam, qua se exsereret. *Id. Trist.* 3, 12, 12. herba Exserit e tepida molle cacumen humo. *Lucan.* 5, 598. Corus ab oceano caput exserit. Et 9, 438. Solum rarasque exserit herbas. *Plin.* 9, 32, 51. Cochleae exserentes se domicilio. *Colum.* 12, 56. Priusquam olusatrum coliculum agat, radicem ejus exserito, *h. e.* evellito. *Id.* 8, 8. *extr.* Dum vincula exserere conantur, *h. e.* crura e vinculis. ℙ Translate. *Plin. ep.* 8, 7. Sumam personam magistri, exseramque in librum tuum jus, quod dedisti. *Sen. Herc. Oet.* 255. Secreta mentis ore confuso exserit, *h. e.* expromit. *Phaedr.* 1, 12. Laudatis utiliora quae contempseris Sacpe inveniri, haec exserit narratio, *h. e.* aperit, exponit. Est qui legit *asserit. Ov. Fast.* 1, 299. Credibile est, illos pariter vitiisque locisque Altius humanis exseruisse caput, *h. e.* extulisse. Ita *Sil.* 1, 29. magnanimis Romam caput urbibus alte Exserere. ℙ [*Confunduntur a librariis *Exserere* et *Exercere*. Vid. sub h. v.]

EXSERTĒ, adv. vocem exserendo. *Appul. Met.* 1. p. 109, 33. Exserte clamitans. *Tertull.* ad *Uxor.* 2, 1. Jam non suadet, sed exserte jubet. [*Amm. Marc.* 16, 12, 46. Exsertius consurgebant, i. e. acrius se corripiebant, ubi *Wagner* laudat *Casaub.* ad *Script. Hist. Aug.* Tom. 1. p. 592.] *Spart. Sev.* 3. Tribunatum severissime exsertissimeque egit, *h. e.* exserendo jus omne, et potestatem. [*Schol. Cic. Planc.* (ed. *A. Maio*) p. 156. Quando pater ejus quaedam liberius et exsertius adversus quosdam primores senatus dixisset. *F.*]

EXSERTO, as, avi, atum, a. 1. frequentativum ab *exsero. Stat. Theb.* 1, 412. tum vero erectus uterque Exsertare humeros, nudamque lacessere pugnam, *h. e.* detracta veste nudare. *Virg. A.* 3, 425. Scyllam Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem, *h. e.* subinde undis proferentem.

EXSERTUS, et Exertus, a, um, partic. ab *exsero*, prolatus, extractus, eductus. *Virg. A.* 1, 496. Aurea subnectens exsertae cingula mammae, *h. e.* nudatae et prominenti. *Plin.* 9, 27, 43. Exserta per os lingua. *Id.* 11, 37, 61. Exserti dentes apro, elephanto etc. *Liv.* 8, 9. Manus subter togam ad mentum exserta. *Ov. Fast.* 3, 814. Ensibus exsertis bellica laeta Dea est. [*Caes. B. G.* 7, 50, 2. Dextris humeris exsertis animadvertebantur, i. e. humeris qui vestibus nudati erant. Vid. *Vos.* et *Davis.* ad h. l.] *Stat. Achill.* 1, 346. humeros exsertaque brachia velat, *h. e.* nuda. *Sil.* 8, 587. Exsertus humero, *h. e.* nudatus. Et cum accus. more Graecorum. *Stat. Theb.* 4, 235. Exserti ingentes humeros. *Virg. A.* 11, 649. Unum exserta latus pugna pharetrata Camilla, *h. e.* expapillata. *Val. Fl.* 2, 207. truces exserta manus. ℙ Absolute. *Lucan.* 2, 543. exsertique manus vesana Cethegi, *h. e.* alte cincti, brachia humerosque nudatos habentis, et expeditos ad pugnam. *Stat. Theb.* 9, 681. *de Latona*: saevis ubi quondam exserta sagittis Fecundam lasso Nioben consumpserat arcu. [*Restituenda haec vox *Veg. Mul.* 1, 25, 6., observante *Schneid.* in *Ind. Scr. R. R.* Si articulus exsertus fuerit. i. e. de loco motus.] ℙ Translate. [*Appul. Met.* 2, p. 35. ed. *Pric.* Exserti oculi, sc. quos palpebrae non tegunt. Vid. *Davis.* ad *Caes. B. G.* 7, 50, 2.] *Stat. Silv.* 5, 2, 38. quod tempus amicum Fraudibus, exserto quaenam bona tempora bello, *h. e.* aperto Marti, et signis collatis. *Pacat. Pan. ad Theod.* 35. Quanto exsertiorem operam navabat tyranno frater, *h. e.* apertiorem, acriorem, impensiorem. ℙ [*Appul. Met.* 1. p. 103, 15. Exsertus cachinnus, i. e. liberior.]

EXSĪBĬLO, et Exibilo, as, avi, atum, a. 1. *ἐκσυρίττω*, sibilum emitto, more anguium. *Sen. Ira* 3, 4. Trementia labra, interdumque compressa, et dirum quiddam exsibilantia. ℙ Translate. *Petr. fragm. Trag.* 64. *Burm.* Opposita ad os manu, nescio quid tetrum exsibilavit, quod postea Graecum esse, affirmabat. *Prudent. περὶ στεφ.* 2, 175. Cui praetor ore subdolo Anguina verba exsibilat. ℙ Est etiam sibilis explodere. *Cic. Par.* 3. *f.* Histrio si paulum se movit extra numerum, exsibilatur et exploditur. Adde *Suet. Aug.* 45. ℙ Item ventorum flatu et sibilo foras asportare. *Appul. Met.* 5. p. 163, 20. Confestim praesentiam nostram gravata, propelli, et efflari, exsibilarique jusserit, *h. e.* venti sibilo asportari; nam ultra domum Psyches sorores ejus a Zephyro spirante fuerant asportatae.

EXSICCĀTUS, a, um, partic. aq *exsicco*, *ξηρανθείς. Cic. Div.* 2, 14. Arbores hiemali tempore exsiccatae. *Q. Cic. Fam.* 16, 26. Lagenae furtim exsiccatae. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 84. Acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum orationis genus, *h. e.* purgatum, defaecatum, castumque: cui opponitur nova, et quasi de musto ac lacu fervida oratio, *ib.* 83.

EXSICCESCO, is, n. 3. aridus fio. *Vitruv.* 2, 9. Uti per eam exsiccescat stillando succus.

EXSICCO, et Exicco, as, avi, atum, [*Illud rectius est. V. *Cornut.* ap. *Cassiod.* p. 2285. *Schneider. Elementarlehre Tom. II.* p. 555.] a. 1. omnino sicco, ξεραίνω. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Sulcos insecuti aestus exsiccant. *Gell.* 12, 5. Cum vulnera ejus a medicis exsiccarentur. ℙ Jocosa translatione ponitur pro exhaurire. *Hor. Od.* 1, 31, 10. Dives aureis Mercator exsiccet cululis Vina. ℙ Translate. *Sen. Q. N.* 20. *f.* Ebrietas, donec exsiccetur, dementia est.

EXSICO. V. EXSECO.

EXSIGNĀTUS, a, um, part. ab *exsigno*, signatus, consignatus, obsignatus. *Liv.* 1, 20. Pontifici sacra omnia exsignataque attribuit.

EXSIGNĬFER, ĕri, m. qui signifer fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1159, 14, C. Senilio Pervinc. veter. exsignifero Leg. III. Italicae.

EXSIGNO, et Exigno, as, a. 1. signo, consigno, obsigno. *Pl. Trin.* 3, 2, 29. Omnia ego istic quae dixisti, scio; vel exsignavero, *h. e.* recensuero, consignavero.

[EXSĬLICA, seu exilica causa, quae adversus exsulem agitur. *Festus. F.*]

EXSĬLIO, et Exilio, is, lui, et lii, [*Rectius *Exsilio.* Vid. quos s. v. *Exsicco* laudavimus.] n. 4. ἐκπηδάω, extra salio, prosilio, erumpo, me propipio. *Pl. Most.* 5, 1, 16. Intra limen adstate illic, ut cum extemplo vocem, continuo exsiliatis. *Id. Cas.* 3, 5, 8. Quid est, quod haec huc timida atque exanimata exsiluit foras? *Id. Amph.* 5, 1, 63. Citus e cunis exsilit. *Hor. Sat.* 2, 6, 98. domo levis exsilit. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. *extr.* Properans de sella exsiluit. *Virg. G.* 3, 433. Anguis stagna colens exsilit in siccum. *Val. Fl.* 6, 107. turba canum Exsilit ad lituos, pugnasque capessit heriles. *Stat. Achill.* 1, 522. exsiliunt crines, rigidisque laborat Vitta comis, *h. e.* arriguntur. *Id. Theb.* 6, 422. gelida non crebrior exsilit Arcto grando. *Ov. Met.* 5, 35. Exsiluit stratis. Et *ib.* 6, 696. Exsiliuntque cavis elisi nubibus ignes. Et *ib.* 12, 252. Exsiluere oculi, disjectisque ossibus oris, etc. *Stat. Theb.* 9, 110. Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma Exsilit, *h. e.* fertur in hostem. Et *ib.* 2, 55. fusca volucer Deus obsitus umbra Exsilit ad superos, *h. e.* revolat. *Sen. Herc. Oet.* 818. In coelum exsilit arundo, *h. e.* sagitta. *Ter. Heaut.* 4, 1, 44. Illico cognovi, ad te exsilui, *h. e.* properavi. [*Cic. Fl.* 13. Exsiluerunt principes, neque in illa concione affuerunt, i. e. celeriter abierunt.] *Plin.* 31, 10, 66. *n.* 1. E medio laci exsiliens fonticulus. ℙ Translate *exsilire* dicimur in aliquo vehementiore affectu. *Ov. Her.* 6, 27. Protinus exsilui, tunicisque a pectore ruptis, etc. *Q. Cic. Fam.* 16, 16. Tuis litteris perlectis, exsilui gaudio. ℙ Alterum praeteritum *exsilii* legunt quidam ap. *Ov. Met.* 9, 314., *Sil.* 7, 46. etc., sed ubique lectio variat. Itaque *exsilui* tutius et usitatius. ℙ [*Confunduntur *Exsilire* et *Existere. Drak.* ad *Liv.* 25, 21, 3.]

EXSĬLĬUM, et Exilium, ii, n. actus exsiliendi, fuga, evitatio. *Pl. Capt.* 3, 3, 4. Neque exsilium exitio est, neque spes. ℙ Item multo saepius privatio soli patrii sive ultro subeatur ad poenam vitandam, vel mutandae sedis gratia: sive lege et damnatione inferatur: ab *ex*, et *solum*, quasi extra solum, vel ab *exsul. Mart. Dig.* 48, 22, 5. Exsilium *(poenale)* triplex est, aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, ut omnium locorum praeter certum locum; aut relegatio in insulam. [*Junguntur exsilium et relegatio ap. *Liv.* 3, 10, 12. ubi vid. *Drak.*] *Cic. Parad.* 4. *med.* Sceleratos exsilio afficere. *Id. Caecin.* 34. Maleficium exsilio multare. *Id. Cat.* 1, 8. Ire, et proficisci in exsilium. Et *ib.* 2, 7. Ejicere in exsilium. *Id. Or.* 2, 13. In exsilium pellere. *Plin.* 7, 30, 31. et *Tac. A.* 4, 63. agere. *Nep. Phoc.* 2. expellere. *Tac. A.* 13, 23. Exsilium irrogare alicui. *Vell.* 2, 62. In exsilio vivere. *Cic. N. D.* 3, 32. Esse in exsilio. *Id. Att.* 9, 14. De exsilio reducere. *Liv.* 27, 34. revocare. *Tac. H.* 4, 28. Ab exsilio revocare. *Id. A.* 6, 18. Statuere exsilium in aliquem. *Pl. Merc.* 5, 2, 106. Exsilio redire. *Tac. A.* 4, 71. Viginti annis exsilium tolerare. *Virg. A.* 2, 638. pati. ℙ De loco extra patriam, quem quis ultro eligit, et patriae praefert. *Curt.* 3, 7. Erat in exercitu Sisines Perses, quondam a praetore Aegypti missus ad Philippum: donisque et omni honore cultus, exsilium patria sede mutaverat. ℙ *Exsilii causa solum vertere* est in exsilium proficisci, et dicitur fere de iis, qui metu poenae ultro sibi exsilium consciscunt. *Cic. Phil.* 5, 6., *Liv.* 3, 38. *f.* etc. ℙ Translate *Plin.* 35, 4, 9. Satius fuisset tabulas omnes signaque publicare, quam in villarum exsilia pelli. ℙ Aliquando dicitur de ipso loco exsilii. *Virg. A.* 3, 4. Diversa exsilia, et desertas quaerere terras. *Curt.* 6, 4. Multa exsilia patere fugienti. *Tac. A.* 13, 55. Tutum exsilium orabant. *Id. H.* 4, 44. Octavium, et Antistium egressos exsilium, in easdem insulas redegit. ℙ *Exsilia* pro exsulibus. *Tac. H.* 1, 2. Plenum exsiliis mare. [*Cfr. *Boett. Lex. Tac.* p. 10.]

*EXSIMULĀTE, adv. i. q. simulate. *Tert. adv. Marc.* 5, 20. *in.* Quod nonnulli ex aemulatione, jam aliqui exsimulate Christum praedicarent: ubi in ed. *Pamel.* impressum *ex simultate. Junius* mavult *ex simulato. B. A.*

*EXSIMŪLO, as, i. q. simulo. *Non.* 4. *n.* 62. ubi alii leg. *simulare. B. A.*

EXSINCĒRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *exsincero*, corruptus, labefactatus. *Pl. Most.* 4, 1, 11. Libet cavere malam rem prius, Quam ut meum tergum exsinceratum fiat, *h. e.* verberibus laceratum, foedatum, corruptum. At haec duo verba *exsinceratum fiat* sunt ex vana conjectura *Camerarii.*

EXSĪNŪĀTUS, a, um, part. ab *exsinuo*, e sinu emissus, expansus. *Prop.* 3, 13, 3. ut mihi praetextae pudor exsinuatus amictu, *h. e.* postquam posui cum practexta pudorem. Alii perperam leg. *est elatus*, vel *est velatus*, vel *exvelatus.* [**Exvelatus* plane rejiciendum. Cf. *Schneid.* Elementarl. *Tom. II.* p. 562.] *Paul. Nol. ep.* 49, (al. 36.) 3. Cum velum videret jam exsinuatum in contos suos.

EXSĪNŪO, as, avi, atum, a. 1. sinum collectum explico, expando, e sinu emitto. *Auson. Idyll.* 14, 21. de rosa: Vertice collectos illa exsinuabat amictus. *Auct. carm. in Anthol. Lat. T.* 1. p. 700. *Burm.* de rosa: Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 221. recessus Qui laterum seriem jugiter exsinuent. V. v. praec.

EXSISTO et Existo, is, exstiti, et extiti, n. 3. ἐξέρχομαι, prodeo, appareo, exeo. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Spelunca infinitae altitudinis, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse. *Id. Div.* 1, 33. Equus submersus voraginibus non exstitit. *Id. Verr.* 2, 1, 37. et *Liv.* 25, 21. Qui, signo dato, simul omnes e latebris exsisterent. [*Ubi nota *exsistere* de eo poni, quod derepente fit, vel cum vi prorumpit. V. *Davis.* ad *Cic. Div.* 1, 28. *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 264. *Drak.* ad *Liv.* 2, 32, 6. 25, 21, 3. et quos laudat *Oud.* ad *Hirt. B. Afr.* 8. et ad *Caes. B. G.* 5, 4.] *Liv.* 39, 37. Quid exspectas? an dum ab inferis ille Malleolus exsistat? *Cic. Div.* 1, 45. Vocem ab aede Junonis ex arce exstitisse, ut, etc. *Lucr.* 2, 870. vivos exsistere vermes Stercore de tetro. *Id. ib.* 213. Sponte sua nequeunt liquidas exsistere in auras. *Varr. R. R.* 1, 34. Quae a bruma sata sunt, quadragesimo die vix exsistunt. *Cic. Rosc. Am.* 27. Ex luxuria exsistat avaritia, necesse est, ex avaritia erumpat audacia. *Id. Brut.* 8. Hujus ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri. *Id. Amic.* 19. Exsistit hoc loco quaestio subdifficilis. *Id. Balb.* 20. Exsistat ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest. ℙ Saepe ponitur pro *esse*, ita tamen, ut aliquem semper motum adsignificet exeuntis, apparentisve. [*Hoc tamen non obtinet in participio *Exsistens*, quod quum *esse* partic. non habeat, simpliciter pro hoc ponitur, velut: non exsistente conditione.] *Cic. Fam.* 10, 6. *med.* Quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rempubl. consulari. *Id. Or.* 2, 2. Talem exsistere eloquentiam, qualis fuerit in Crasso, etc. *Id. Rosc. Am.* 2. His de causis ego huic causae patronus exstiti. [**Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 113.] *Id. Att.* 10, 11. *med.* Exsistere crudelem in aliquem. *Id. Rabir. Post.* 1. Si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo. *Id. Tusc.* 1, 15. Idque in maximis ingeniis exsistit maxime, et apparet facillime. *Id. Div.* 1, 29. *f.* Illa pars animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta. *Id. Or.* 2, 46. *extr.* Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse. *Sen. ep.* 91. Inter placidissima terror exsistit: mala, unde minime exspectabantur, erumpunt. [**Plin. H. N.* 2, 60. Nebulas nec aestate, nec maximo frigore exsistere. V. *Gron.* ad *Liv.* 29, 27, 7.] ℙ [Part. *exstaturus* ap. *Ulp. Dig.* 42, 4, 8. Si diu incertum sit, heres exstaturus, necne sit. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* exstiturus. V. EXSTO. *F.*] ℙ [*Confunduntur *Exsistere* et *Exsilire. Drak.* ad *Liv.* 25, 21, 3. *Oud.* ad *Hirt. B. Afr.* 8. — et *Exire. Interpp.* ad *Hirt. B. Afr.* 7. et 69. — et *Exstare. Drak.* ad *Liv.* 42, 2, 5.]

EXSOLENS. V. EXSULANS.

EXSOLESCO, is, n. 3. desuesco: ab *ex*, et *soleo. Tert. Virg. vel.* 17. Ne sic a disciplina velaminis exsolescatis. Al. leg. *exolescatis.*

[EXSOLĬDO, as, a. 1. idem ac consolido. *Not. Tir.* p. 66. Obsolidus, exsolidat. *F.*]

EXSOLVO et Exolvo, is, olvi, lutum, a. 3. ἀπολύω, ἐκλύω, idem quod solvo, aut omnino solvo, dissolvo. *Pl. Capt.* 2, 3, 37. Properans exsolvi restim. *Lucr.* 1, 220. Exsolvere nexus *Pl. Amph.* 2, 2, 153. cistulam obsignatam. *Stat. Silv.* 1, 5, 53. amictus, *h. e.* exsuere. *Pl. Truc.* 4, 3, 10. Si verum mihi eritis fassae, vinclis exsolvemini. *Tac. H.* 3, 68. Exsolvere pugionem a latere. [*Plurima hujus usus exempla ex *Tac.*, qui hoc verbum prae aliis frequentat, collegit *Boett. Lex.* p. 187.] *Lucr.* 6, 878. Ignis exsolvit glaciem. *Tac. A.* 15, 63. Brachia ferro exsolvere, *h. e.* venas brachiorum incidere. *Lucr.* 3, 697. Animae exsolvunt se omnibus e nervis, atque ossibus, articulisque, *scil.* in morte. Sic *Virg.* de Camilla moriente *A.* 11, 828. Tum frigida toto Paulatim exsolvit se corpore, etc. ℙ Translate est expedire, liberare. *Cic. Fam.* 7, 1. *f.* Si me occupationibus relaxaro: nam ut plane exsolvam, non postulo. *Virg. A.* 4, 652. meque his exsolvite curis. *Mart.* 6, 47. Exsolvere se votis virgine porca. *Liv.* 24, 16. *med.* Et 26, 31. *f.* Exsolvere fidem, fidem liberare, promissa praestando. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 19, 1. Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 10, 78.] *Id.* 24, 18. jusjurandum. *Eod. sensu.* [*Et Exsolvere se jurejurando. *Drak.* ad *Liv.* 22, 61, 5.] Et 3, 20. populum religione. [**Drak.* ad *Liv.* 29, 18, 1.] Et 6, 14. *f.* aere alieno aliquem. *Plin. ep.* 1, 22. *f.* aliquem sollicitudine. *Ter. Hec.* 5, 2, 26. Ilias errore, et te simul suspicione exsolves. *Tac. A.* 3, 39. Exsolvere obsidium. Et *ib.* 14, 12. aliquem poena. Et *ib.* 6, 44. *extr.* pudore proditionis. Et *ib.* 12, 46. Exsolvi custode. Et *ib.* 13, 36. contumelia. [*V. *Boett. Lex. Tac. l. l.*] *Lucan.* 5, 259. Exsolvere metus, *h. e.* deponere, abjicere. *Stat. Ach.* 1, 565. Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem. ℙ Significat etiam aes alienum dissolvere, satisfacere. *Cic. Verr.* 2, 3, 22. Ille vi adductus, tantum decumanis, quantum iste imperavit, exsolvit. *Id. Att.* 16, 6. Nomina mea, per Deos, expedi, exsolve. *Pl. Men.* 5, 6, 26. Exsolvere pretium. *Liv.* 6, 14. multiplicem sortem. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 56. dotem uxori venditis possessionibus. *Plin. ep.* 3, 11. aes alienum. *Tac. A.* 1, 36. *extr.* legata. [*Etiam hac signif. haec vox frequentius ap. *Tac.* ponitur, quam apud alios scriptores. V. *Boett. Lex. Tac.* s. v.] ℙ Translate. *Liv.* 21, 21. et *Pl. Amph.* 3, 2, 67. Exsolvere vota Herculi. *Tibull.* 4, 7, 5. promissa. *Cic. Off.* 3, 2. *med.* De tertio genere se scripsit dicturum, nec exsolvit quod promiserat. *Liv.* 26, 40. Civitatum principibus pro cujusque merito praemia poenasque exsolvere. *Id.* 28, 25. Recte factis alicujus gratiam exsolvere. *Tac. A.* 4, 18. beneficia, *h. e.* aequare remunerando. *Stat. Silv.* 5, 5, 45. et *Val. Fl.* 7, 284. et *Tac. A.* 14, 13. grates. *Val. Fl.* 5, 291. nullos Minyis exsolvet honores, *h. e.* praestabit, reddet. *Tac. H.* 4, 3. Proclivius est injuriae, quam beneficio vicem exsolvere. *Id. Ann.* 1, 10. et *Vell.* 2, 88. Poenas morte exsolvere, luere. ℙ [Part. *Exsoluturus* ap. *Tac. H.* 1, 46. Fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit. *Exsolvendus* ap. *eund. ib.* 3, 39. Ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. *F.*] ℙ A poetis interdum metri causa per diaeresin disjungitur. *Ov. Fast.* 4, 534. Longamque imprudens exsoluisse famen, *h. e.* jejunium rupisse. *Lucr.* 1, 809. vita quoque omnis Omnibus e nervis atque ossibus exsolvatur.

EXSOLŪTE, adv. absolute. *Auct. de casis litter.* p. 241. *Goes.* Rivus finem exsolute facit.

EXSOLŪTĬO, onis, f. ut Exsolutio vectigalis, *Scaev. Dig.* 20, 1, 31. totius debiti. *Id. ib.* 32, 1, 33. *med.* ℙ Item liberatio, ut exsolutio contractae religionis, *Fest.* in *Propudianus.*

EXSOLŪTUS, a, um, part. ab exsolvo, solutus, expeditus. *Suet. Ner.* 49. Exsolutus vinculis. *Stat. Silv.* 1, 6, 4. Compede exsoluta. *Tac. A.* 13, 15. Venenum exsoluta alvo transmisit. ℙ Translate. *Id. ib.* 3, 28. Exsoluti legis nexus, *h. e.* obscuritates explanatae. *Plin. Pan.* 79. Exsolutus curis. *Liv.* 8, 9. *f.* Exsoluti religione animi. ℙ [*Et absolute. *Paul.* in *Dig.* 17, 1, 46. Exsoluta causa mandati, i. e. impleta.]

*EXSOMNIO, as, n. 1. expergiscor. *Gloss. Philox.* Exsomnio, ἐξυπνίζομαι. ℙ Et activo sensu, idem ac expergisco. *Ib.* Exsomniat, ἐξυπνίζει. *B. A.*

EXSOMNIS, e, adj. insomnis, vigilans, ἄυπνος. *Virg. A.* 6, 556. de Tisiphone. Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque. *Vellej.* 2, 88. Vir sane exsomnis, ubi res vigiliam exigeret. Et 127. Animo exsomnis. Adde *Sil.* 9, 5.

EXSONO, as, ui, itum, n. 1. personо. *Petr. Sat.* 19. Omnia mimico risu exsonuerant. Adde *ib.* 109. Navigium exsonat cantibus. Et 73. Ceteri convivae ingenti clamore exsonabant.

EXSORBĔO et Exorbeo, es, bui, a. 2. ἐκροφέω, sorbendo exhaurio. *Plin.* 28, 2, 4. Ut quisque ova exsorbuerit. *Ov. Fast.* 6, 145. (de strigibus) Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis. *Appul. Apol.* p. 276, 10. Continuatio litterati laboris habitudinem tenuat, succum exsorbet. ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 4, 8, 28. Illorum ego animam amborum exsorbebo, *h. e.* extraham, illos occidam. *Cic. Har. resp.* 27. Quantas iste Byzantiorum praedas exsorbuit! *h. e.* devoravit. *Id. Phil.* 2, 29. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras. *Id. Mur.* 9. Multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultates exsorbuit, *h. e.* tulit, toleravit. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 264. Jam ego istam tibi tristitiam exsorbebo, *h. e.* eximam. ℙ Obsceno sensu. *Juven.* 10, 223. quot longa viros exsorbeat uno Maura die.

EXSORDESCO et Exordesco, is, ui, n. 3. valde sordesco, in sordibus jaceo. *Gell.* 9, 2. Nomen philosophiae illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescere.

EXSORS et Exors, ortis, [*Illud rectius est,

teste *Terent. Mauro* p. 2404., apud quem, postulante sensu, *Exsortem* rescribendum esse vidit *Schneider. Elementarl. T. II.* p. 555.] adj. qui est extra sortem, qui sorti non committitur, ἄκληρος. *Virg. A.* 8, 551. Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva: Ducunt exsortem Aeneae, *h. e.* electum de industria, non qui sorte ei contigerit. *Id.* 5, 534. exsortem ducere honorem. *Val. Fl.* 4, 340. exsortia terga Laconi Praecipiunt pecudum. ℙ Item non particeps, expers. *Liv.* 23, 10. Exsors amicitiae et foederis. *Id.* 22, 44. Omnis culpae exsors. *Plin.* 5, 8, 8. Matrimoniorum exsortes. *Virg. A.* 6, 428. Dulcis vitae exsortes. *Tac. A.* 6, 10. Ne feminae quidem exsortes periculi. *Hor. A. P.* 304. fungar vice cotis, acutum Reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi. ℙ Cum dativo. *Sidon. ep.* 8, 12. *f.* Hospitem meum conflictui huic facies exsortem.

EXSORTIUM, ii, n. privatio sortis, seu hereditatis. *Appul. de Deo Socr.* p. 50, 18. Incerta vocatione, ceu quodam exsortio, punitur. Al. melius leg. *exsilio.*

EXSPARGO. V. EXSPERGO.

EXSPÀTIOR, et Expatior, aris, atus sum, dep. 1. παρεκβαίνω, extra spatium vagor, excurro, evagor. *Ov. Met.* 2, 202. Exspatiantur equi, nulloque inhibente, per auras Ignotae regionis eunt. *Id. ib.* 15, 453. Ne tamen oblitis ad metam tendere longe Exspatiemur equis. Et *ib.* 1, 285. Exspatiata ruunt per apertos flumina campos. *Sil.* 17, 95. Ignes exspatiantur in auras. *Plin.* 16, 30, 53. Arbores latissima umbra exspatiantes. Et 3, 5, 9. Exspatiantia tecta. ℙ Translate. *Quint.* 2, 16. Finis non erit, si exspatiari parte in hac, et indulgere voluptati velim. Et 10. Poetica themata juvenibus pertractare permittemus, ut exspatientur, et gaudeant materia.

EXSPECTÀBILIS, e, adj. qui exspectatur. *Tert. adv. Marc.* 3, 16. Nomen Iesu non tam exspectabile apud Judaeos. Quidam addunt *Tac. A.* 16, 21, ubi al. leg. *expetibilis.*

EXSPECTÂMEN. V. ASPECTAMEN.

EXSPECTÀTIO, onis, f. προσδοκία, ὑπομονή, actus exspectandi. *Cic. Rab. perduell.* 5. Harum rerum non solum eventus, sed etiam exspectatio indigna cive R. est. *Id. Brut.* 76. *extr.* Praeteritorum recordatio est acerba, et acerbior exspectatio reliquorum. *Id. Att.* 8, 5. Pendeo animi exspectatione Corfiniensi, in qua de salute reipubl. decernitur. *Curt.* 4, 12. *f.* Macedones sive alacritate, sive taedio exspectationis etc. *Liv.* 5, 19. Profectus cum exercitu exspectatione hominum majore, quam spe. *Hirt. B. Afr.* 14. Cum utrinque exspectatio fieret, neque Caesar se moveret, *h. e.* cum utrinque acies exspectarent. *Id. B. G.* 8, 9. Sive certaminis periculo, sive exspectatione nostri consilii, copias instruunt. *Curt.* 4, 10. Multiplici exspectatione commotus. *Hirt. B. G.* 8, 40. Contra omnium exspectationem. *Cic. Or.* 2, 70. Praeter exspectationem. *Id. Agr.* 2, 25. Suspensum et incertum obscura spe, et caeca exspectatione pendere. *Id. Att.* 3, 13. Plenus sum exspectatione de Pompejo, quidnam etc. *Id. Or.* 2, 71. Exspectationibus decipiendis risus movetur. *Pl. Mil.* 4, 6, 64. Vide ne sis exspectationi. ℙ Saepe in bonam partem accipitur, quando scilicet cum desiderio, aut spe alicujus boni conjuncta est: tum active, tum passive. *Nep. Alc.* 6. Tanta fuit exspectatio visendi Alcibiadis, ut etc. *Cic. Att.* 2, 14. Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Bibuli! etc. Et 12. Quantam mihi exspectationem dedisti convivii istius! Et *ib.* 1, 4. Crebras exspectationes nobis tui commoves. *Id. Or.* 2, 18. Major me exspectatio tenet, quibusnam rationibus ea tanta vis comparetur. *Id. Off.* 3, 2. Sustines enim non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. *Id. Fam.* 2, 1. Tanta est exspectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obsecrare non dubitem, sic ad nos conformatus revertare, ut quam exspectationem tui concitasti, hanc sustinere, tuerique possis. *Id. Or.* 1, 47. Ea si paulo latius dixeris, expleris omnem exspectationem desiderii nostri. *Id. Tusc.* 1, 17. Adducere quempiam in summam exspectationem. *Id. Acad.* 4, 4. Facere magnam exspectationem sui. *Id. Att.* 3, 18. Afferre alicui magnam exspectationem. Et 15. *med.* Varronis sermo facit exspectationem Caesaris, *h. e.* facit, ut de Caesare bene speremus. *Suet. Caes.* 42. Novarum tabularum exspectatione disjecta. ℙ *Esse in exspectatione* active est exspectare. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia, quid in Urbe geratur. *Caes. B. C.* 2, 17. Magna esse in spe atque exspectatione. ℙ Passive est exspectari. *Cic.* ad *Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *Att. med.* Cum res in summa exspectatione esset. ℙ Sic *habere exspectationem* dicitur et res quae exspectatur, et is qui exspectat. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Viri excellentis ancipites casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam etc. *Id. Att.* 7, 16. Nunc has exspectationes habemus duas: unam, quid Caesar acturus sit; alteram, quid Pompejus agat. ℙ Inter spem et exspectationem hoc interest, inquit *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1, 2, 115., quod exspectatio certorum est, spes incertorum: exspectatio propinquarum rerum, spes longinquarum: exspectatio destinat tempus, spes non destinat.

EXSPECTÀTOR, oris, m. spectator. Nam et *exspecto* pro *specto* reperitur. *Paul. Nol. ep.* 6, (al. 42.) 3. Fructus, quo pascuntur oculi temporalium exspectatores. Et *ep.* 31. (al. 11.) 5. *extr.* Illico inter exspectatores suos redivivus incessit. Ita utroque loco MSS. et editi nonnulli. Al. *spectatores. Senec. Med.* 28. Spectat hoc nostri sator Sol generis! exspectator et curru insidens etc. Ita in Cod. MSS. apud nos: alii aliter. Apud *Augustin.* quoque in MSS. non semel *exspectator* pro *spectator* legi, testantur nonnulli critici.

EXSPECTATRIX, icis, f. quae exspectat. *Tert. adv. Marc.* 4, 16. Proinde patientiam docet vindictae exspectatricem.

EXSPECTATUS et Expectatus, a, um, part. ab *exspecto*, προσδεδοκημένος. *Ov. de nuce* 120. Non exspectata cum venit imber aqua. *Curt.* 8, 9. Exspectatam mortem pro dedecore vitae habent. ℙ Item exoptatus, quaesitus, ἐλπισθείς. *Virg. A.* 2, 282. quibus Hector ab oris Exspectate venis? *Liv.* 26, 40. Consul in Siciliam, veteribus novisque sociis exspectatus, cum venisset. *Cic. Fam.* 16, 17. Carus omnibus exspectatusque venies. *Id. Att.* 4, 4. Mihi tuum adventum suavissimum exspectatissimumque esse. [*V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 21. p. 67.] *Id. Fam. ep.* 10, 5. Ut ad me mihi exspectatissimae litterae perferrentur. *Id. Sen.* 19. Fratres tui exspectati ad altissimam dignitatem. *Pl. Most.* 2, 2, 12. Nimio ille potuit exspectatior Venire, qui te nunciaret mortuum. *Catull.* 62, 2. Diu exspectatus. *Val. Fl.* 4, 437. Longum exspectatus. ℙ In illo *Ter. Ad.* 1, 2, 29. Ubi te exspectatum ejecisset foras: *exspectatum* est odiosum, gravem, et cujus mors exspectatur. ℙ *Exspectata* absolute sunt res exspectatae. *Vell.* 2, 75. Sperare aut timere contraria exspectatis. ℙ Exspectato maturius. *Id.* 2, 123. Ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius. ℙ *Ante Exspectatum*, eodem sensu, ἀπροσδοκήτως. *Virg. G.* 3, 848. et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris. *Sen. ep.* 114. Verba ante exspectatum cadentia. Adde *Ov. Met.* 4, 789. et *ib.* 8, 5. ℙ *Non exspectato*, adverbii ritu, idem. *Sil.* 16, 499. Non exspectato, subitusque erumpit.

EXSPECTO et Expecto, as, avi, atum, a. 1. ἐφοράω, προσδοκάω, praestolor: ab *ex*, et *specto*, quia dum aliquid exspectamus, saepe aspicimus. *Plin.* 9, 35, 58. Exspectante Antonio quidnam esset actura. *Curt.* 10, 2. Quidnam dicturus esset, exspectabant. *Caes. B. G.* 2, 9. Paludem si nostri transirent, hostes exspectabant. *Id. B. C.* 2, 34. Vallem uterque, si adversariorum copiae transire conarentur, expectabat. Et *B. G.* 3, 24. Quid hostes consilii caperent, exspectabat. [**Petr. Sat.* 125. Dii deaeque, quam male est extra legem viventibus, quicquid meruerunt, semper exspectant.] *Ter. Andr.* 1, 1, 7. Exspecto, quid velis. *Caes. B. C.* 1, 6. Neque exspectant, ut de eorum imperio ad populum referatur. *Id. B. G.* 4, 13. Exspectare, dum hostium copiae augerentur, summae dementiae esse judicabat. [**Cic. Tusc.* 2, 7. Exspectas dum dicat: exquisitius dictum pro: exspectas eum dicturum esse.] *Cic. Inv.* 2, 28. Ne utile quidem est, quin mox judicium fiat, exspectare, *h. e.* differre. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 122. Si exspectasses, donec me consuleres. *Prop.* 2, 22, 13. Haec te non meritum totas exspectat in horas. *Hor. Sat.* 1, 5, 83. Exspectare ad mediam noctem. *Cic. Att.* 7. *ult.* diem ex die. Et *ib.* 2, 21. transitum tempestatis. [**Cat. R. R.* 3, 2. Lubet caritatem exspectare.] *Caes. B. G.* 6, 9. adventum hostium. Et *ib.* 7, 49. eventum pugnae. Et *B. C.* 1, 5. responsum suis postulatis. [**Hor. Sat.* 1, 5, 9. Exspectare comites coenantes, h. e. exspectare donec coenaverint. V. *Heind.* ad h. l. qui apprime comparat *Tac. A.* 2, 69. Opperiri aegritudinem alicujus, i. e. eventum morbi exspectare.] ℙ Dicitur etiam *exspecto te, ut hoc facias*, pro *exspecto, ut tu hoc facias. Liv.* 42, 40. Exspectari nos arbitror, ut respondeamus litteris tuis. ℙ *Exspectato* ablat. absol. *Tac. A.* 11, 26. Nec ultra exspectato, quam dum etc. Adde *ib.* 12, 7. ℙ Aliquando timorem includit. *Caes. B. G.* 6, 1. et *ib.* 7, 43. Multis de causis majorem Galliae motum exspectans. *Ter. Phorm.* 1, 4, 16. Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum. [**Ruhnk.* ad h. l.] *Id. Hec.* 3, 4, 8. Semper mortem exspectabam miser. [**Virg. A.* 6, 614. Inclusi poenam exspectant.] *Lucan.* 5, 671. Dum metuar semper, terraque exspecter ab omni. *Cic. Tusc.* 2, 12. Quo dedecus majus a philosopho nullum exspecto. [**Plin. Pan.* 35. Exspectant paria praemio damna. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 11, 9.] ℙ Saepe spem ac desiderium. *Caes. B. G.* 7, 85. Romani si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. *Ter. Phorm.* 1, 3, 9. Dum exspecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem. ℙ Hinc saepe ponitur pro cupere. *Ter. Ad.* 5, 4, 20. Illum, ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant scilicet. [*h. e. cupide optant. Hanc verbi vim copiose explicuit *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1. p. 20. ad *Ter. Ad.* 1, 2, 29. Adde *Drak.* ad *Liv.* 28, 27, 9.] (Jocus in ambiguo est in illo ap. *Quint.* 9, 3. Cum Proculus quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret; et ille dixisset, se vero non exspectare: imo, inquit, rogo, exspectes.) *Id. Phorm.* 5, 8, 36. Quid mihi affers, quamobrem exspectem, aut sperem, porro non fore? *Cic. Phil.* 14, 1. Avidissime exspectare aliquid. *Id.* ad *Planc. f.* 16. *ad Att.* Cum magna spe exspectare. ℙ Videtur inesse discrimen aliquod inter *exspectare*, et *optare*. Nam qui exspectat, optat quidem, nihil tamen facit, quo potiatur: at qui optat, magis anxius est. *Sen. Ben.* 5, 17. Quis non patri suo supremum diem, ut innocens sit, optat: ut moderatus, exspectat: ut pius, cogitat? ℙ Eleganter *exspectare* dicitur, qui beneficium sperat ab aliquo. *Cic. Fam.* 11, 5. A te hoc civitas, vel omnes potius gentes non exspectant solum, sed etiam postulant. *Id. Fam.* 3, 10. Omnia volo a me et postules, et exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas. Et 12. *f.* Dixi Servilio, ut omnia a me majora exspectaret. *Caes. B. C.* 2, 28. His pauca ad spem largitionis addit, quae ab sua liberalitate exspectare deberent. ℙ Item illud, quod imminet, aut futurum est: quo sensu etiam *maneo* adhibetur. *Hor. Sat.* 2, 1, 57. seu me tranquilla senectus Exspectat, seu mors atris circumvolat alis. ℙ Item quae requirunt, aut indigent. *Virg. G.* 2, 21. Silvarumque aliae pressos propaginis arcus Exspectant. Et 420. non ulla est oleis cultura, neque illae Procurvam exspectant falcem, rastrosque tenaces. ℙ Metonymice est morari, otiosum esse, tempus terere. *Virg. A.* 4, 224. Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc Exspectat, fatisque datas non respicit urbes, Alloquere. ℙ Pro simplici specto. *Stat. Silv.* 5, 2, 21. qualis per jugera Circi Cum pulcher visu, titulis generosus avitis Exspectatur equus, etc. Illum omnes acuunt plausus etc. *Pl. Aul.* 4, 8, 6. Multo prius me collocavi in arborem, Indeque exspectabam, ubi aurum abstrudebat senex. Al. leg. *spectabam*, vel *aspectabam. Petr. Sat.* 17. Attoniti exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas, Al. leg. *spectavimus.* Adde *Paul. Dig.* 41, 1, 26., ubi edidit *Torrentin.* exspectaretur; *Haloander* spectaretur. Huc pertinere videtur et illud *Ov. Met.* 14, 417. Et frustra conjux oculis animoque Canentis Exspectatus erat. ℙ Quidam hoc sensu scribunt *especto* in locis *Plauti*, et *Petr.* allatis. ℙ Part. *Exspectaturus* ap. *Liv.* 36, 43. Classis ibi aptius exspectatura hostem. *Exspectandus* ap. *Cels.* 2, 10. Exspectanda ergo remissio est. ℙ [*Confunduntur a librariis *Exspectare* et simplex *Spectare.* V. *Interpp.* ad *Vell. Pat.* 2, 14. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 2, 20. *Drak.* ad *Liv.* 6, 33, 1. 30, 23, 7. 40, 54, 3. — et *Expetere. Drak.* ad *Liv.* 10, 7, 2.]

EXSPERGO et Expergo, is, ersi, ersum, a. 3. aspergo, madefacio. V. v. seq. ℙ Item dispergo, dissipo, spargo. *Lucr.* 3, 828. Expergi quo possit vis animai, *h. e.* dilatari, diffundi. ℙ Legitur etiam *exspargo*, seu *expargo. Id.* 5, 371. Nec porro natura loci, spatiumque profundi Deficit, exspargi quo possint moenia mundi.

EXSPERSUS, a, um, part. ab *exspergo*, conspersus. *Virg. A.* 3, 625. sanieque exspersa natarent Limina. Ubi *Serv.* Haec fuit vera lectio, id est madefacta: nam si *aspersa* dixeris, idest inrorata, tapinosis, et hyperbole junguntur.

EXSPES et Expes, adj. ἀνέλπιστος, extra spem positus, desperatus. *Hor. A. P.* 20. si fractis enatat exspes Navibus. *Ov. Met.* 14, 217. Solus, inops, exspes. *Tac. A.* 6, 24. Ubi exspes vitae fuit. *Accius* ap. *Non.* 1, 39. Ille orbus, exspes liberum. ℙ In obliquis casibus exempla nondum vidimus.

EXSPIRÀTIO, onis, f. ἐκπνευσις, actus exspirandi. *Cic. N. D.* 2, 33. Terrae exspirationibus aer alitur.

EXSPIRÀTUS, a, um, part. ab *exspiro*, spirando emissus. *Hirt. B. Afr.* 88. Anima nondum exspirata.

EXSPIRO et Expiro, as, avi, atum, a. 1. ἐκπνέω, spiritum emitto. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 178. Exspirans animam pulmonibus aeger agebat. *Ov. Met.* 3, 120. exspirat, modo quas acceperat, auras. Et *ib.* 5, 106. medios animam exspirat in ignes. *Virg. A.* 1, 48. Exspirare flammas pectore. *Lucr.* 2, 354. Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen. Et 4, 121. Exspirare acrem de corpore odorem. *Plin.* 9, 35, 56. Uniones senescere, coloremque exspirare. *Sil.* 9, 284. unda freti fundo emota minaces Exspirat per saxa sonos. *Stat. Silv.* 5, 2, 70. nescia falcis Silva comas tollit, fructumque exspirat in umbras, *h. e.* luxurians exit in frondes umbrosas pro fructu. ℙ *Exspirare* absolute, mori. *Plin.* 7, 45, 46. Destinatio exspirandi, et quatridui inedia major pars mortis in corpus recepta. Et *Liv.* 2, 20. Inter pri-

mam curationem exspiravit. *Id.* 28, 19. Exspirare inter verbera et vincula. *Curt.* 9, 8. *med.* Barbari veneno tinxerant gladios: itaque saucii subinde exspirabant. *Virg. A.* 10, 731. atram Tundit humum exspirans. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 57. Libertate jam exspirante. ℙ Passive impersonaliter. *Plin.* 11, 37, 67. Quoniam membrana cerebri incisa, statim exspiretur. ℙ Significat etiam spirando exire. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Distento corpore exspiret vis. *Lucr.* 6, 886. exspirare foras, exireque in auras. Et 639. per fauces montis ut Aetnae Exspirent ignes interdum turbine tanto. *Id.* 3, 720. cadavere rancenti jam viscere vermes Exspirant. *Ov. Met*, 15, 299. Vis fera ventorum, caecis inclusa cavernis, Exspirare aliqua cupiens. *Val. Fl.* 4, 493. patriique exspirat Averni Halitus. *Plin.* 13, 3, 4. Unguenta illico exspirant. ℙ Translate. *Catull.* 64, 194. Irae pectoris exspirantes. ℙ Ap. JCtos *exspirare* dicuntur, quae finiuntur solvunturve. *Mart. Dig.* 48, 17, 1. *extr.* Criminis causa exspirat. *Paul. ib.* 45, 1, 58. Prior obligatio exspirat. *Ulp. ib.* 24, 3, 19. Redintegrato matrimonio, judicium exspirat. ℙ Part. *Exspiraturus* ap. *Liv.* 28, 28. Si ego morerer, mecum exspiratura respublica erat.

EXSPISSĀTUS, a, um, part. ab *exspisso*, ut Exspissatum lac. *Plin.* 20, 7, 24., ubi alii plerique leg. *spissatum.*

EXSPISSO, as, avi, atum, a. 1. spissum facio, πυκνόω. *Plin.* 25, 13, 95. Necat, sanguinem exspissando. Al. leg. *spissando.*

EXSPLENDĔO, es, ui, n. 2. et

EXSPLENDESCO et Explendesco, is, n. 3. valde splendesco. *Sen. Q. N.* 2, 23. Ignis, qui exsplendescat, nec exsiliat. *Plin.* 11, 12, 12. Praecipue ipso Sirio exsplendescente fit. ℙ Translate. *Nep. Att.* 1. Clarius exsplendescebat, quam generosi condiscipuli aequo animo ferre possent. *Suet. Tit.* 3. In puero statim animi dotes exspleduerunt.

EXSPŌLIĀTĬO, onis, f. actus exspoliandi. *August. C. D.* 20, 8. *extr.* Ut et ligati, et soluti exspoliatio sequeretur.

*EXSPŌLIĀTOR, oris, m. qui spoliat. *Salv. de gubern. Dei* 7. p. 288. *Rittersh.* Punit exspoliatores domorum, cum sit ipse exspoliator civitatum, atque provinciarum. *B. A.*

EXSPŌLĬO et Expolio, as, avi, atum, a. 1. idem ac spolio, seu omnino spolio, σκυλεύω. *Cic. Att.* 10, 1. Exspoliare aliquem provincia et exercitu. *Sall. Cat.* 50. Exspoliare fana atque domos. *Cic. Dejot.* 9. Auctionatus est, seseque exspoliare maluit, quam tibi pecuniam non subministrare. [*i. e. spoliari ut nihil supersit.] *Hirt. B. G.* 8, 50. Omni honore et dignitate exspoliare aliquem. [*V. *Davis.* et *Oudend.* ad h. l.] *Ov. Met.* 13, 561. digitos in perfida lumina condit, Exspoliatque genas oculis. *Curt.* 9, 5. Ad exspoliandum corpus alacer gaudio accurrit. [*V. *Burm.* ad *Phaedr.* 2, 2. *Heins.* ad *Ov. Met.* 13, 562.] ℙ Deponentis forma. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 7, 100. Ita per sexennium agrum Campanum exspoliabantur. *Vet. Poeta* ap. *Don. de Barb.* p. 1769. Exspoliantur eos, et corpora nuda relinquunt. ℙ [*Confunduntur *Exspoliare* et simplex *spoliare. Oudend.* ad *Caes. B. G.* 7, 77. Porro *Exspoliare* et *expilare. Heins.* ad *Ov. Met.* 13, 562. — et *expellere. Heins. ib.*]

EXSPŪĪTĬO, onis, f. ut Exspuitio sanguinis, *Plin.* 23, 1, 14.

EXSPŪMO et Expumo, as, avi, atum, n. 1. ἐξαφρίζομαι, spumando emano. *Cels.* 6, 7. *n.* 8. Donec inde humor aliquis exspumet.

EXSPŪO et Expuo, is, ui utum, a. 3. ἐκπτύω, salivam, vel aliud quidpiam ore emitto. *Varr. R. R.* 3, 3. *f.* Cum ille gustasset, et exspuisset. *Plin.* 30, 2, 6. Exspuere in mare fas non putant. *Id.* 14, 22, 28. Non respirasse in hauriendo, neque exspuisse. *Id.* 7, 23, 23. Exspuit linguam in os tyranni. Et 35, 16, 53. Prosunt sanguinem exspuentibus. *Scrib. Comp.* 194. Ab ore sanguinem exspuere. ℙ Translate est emittere, ejicere. *Plin.* 16, 10, 19. Taedae carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu. *Id.* 9, 36, 60. Purpuras cum testa vivas frangunt, ita demum rorem eum exspuentes. Et 2, 98, 10. Circa Messanam fimo similia exspuuntur in litus purgamenta. *Catull.* 64, 154. Quaenam te genuit sola sub rupe leaena? Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis? *Plin.* 33, 6, 32. Argentum vivum optime purgat aurum, ceteras ejus sordes exspuens crebro jactatu. ℙ Parum concinnae translationes videntur hae, quae tamen frequentes sunt, *Ter. Eun.* 3, 1, 16. Illam ubi exspueret miseriam ex animo. [*Recte tamen *Ruhnk.* observare videtur aptum hoc verbum esse in ore parasiti. Idem affert *Prop.* 4, 5, 66. ubi de anicula contemtissima: Atque animam in tegetes putrem exsputare paternas. Ad quem l. vid. *Broukh.*] *Lucr.* 2, 1038. Desine quapropter, novitate exterritus ipsa, Exspuere ex animo rationem; sed magis acri Judicio perpende. *Sen. Ira* 3. *f.* Jam ipsum spiritum exspuimus, interim dum trahimus. [*Cf. *Prop.* locum modo allatum.] *Val. Fl.* 3, 107. purpuream singultibus exspuit auram. *Sen. Thyest.* 245. Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat. Adde *Herc. Oet.* 1469. et *Troad.* 1169. ℙ Neque imitanda est illa *Plauti* abusio, *Pseud.* 1, 1, 73. Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrimam exorare ut exspuant unam modo.

[EXSPŪTUS, a, um, part. ab *exspuo*, sputo ejectus. Translate. *Sid. ep.* 1, 7. *f.* In insulam conjectus est, ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus, et a rebus humanis veluti vomitu fortunae nauscantis exsputus vitam trahit, uncum et laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens. *F.*]

EXSTANS et Extans, antis, part. ab *exsto*, ἐξέχων, extra stans, eminens. *Virg. A.* 6, 668. humeris exstans suspicit altis. *Ov. Halieut.* 235. signis exstantibus asper crater. *Stat. Th.* 9, 455. Amnis super ripas utroque exstantior ibat Aggere. *Plin.* 17, 14, 24. *f.* Duos digitos exstans. *Id.* 6, 22, 24. *f.* Aedificia modice ab humo exstantia. *Gell.* 19, 13. Brevi atque humili corpore homines, paulum supra terram exstantes. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 24. Magna prorsus arte in aequo exstantia ostendens, et in confracto solida omnia, i. e. in parte eminenti. ℙ Item qui durat, superstes. *Id. ib.* 4, 7. Hodieque pulcris ejus operibus Veronae exstantibus.

EXSTANTIA vel Extantia, ae, f. ἔξοχή, prominentia. *Colum.* 5, 5. *med.* Capita sine ulla exstantia neque aratro, neque bubus obnoxia. *Coel. Aur. Tard.* 1, 5. Ventris exstantia. *Vet. Gloss.* Exstantiae, ἐξοχαί. *B. A.*

EXSTERNĀTUS, a, um, part. ab *externo*, consternatus. *Ov. Met.* 11, 77. Exsternata fugam frustra tentabat. *Id. ib.* 432. Exsternati equi. *Catull* 64, 164. Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris, Exsternata malo? [*Heins.* ad *Ov. Met.* 1, 641.] *Vet. Gloss.* Externatus, ἐκτὸς φρενῶν. *B. A.*

EXSTERNO et Externo, as, avi, atum, a. 1. prae consternatione dementem facio. *Catull.* 64, 71. Ah miseram, assiduis quam luctibus exsternavit Spinosas Erycina serens in pectore curas. [*V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 1, 641. *Drak.* ad *Liv.* 37, 24, 7.] ℙ Pro externum facere, seu exheredare. *Appul. Apol.* p. 335, 25. Filiam Rufini heredem non reliquit etc. ut intelligeretur potius externare, quam oblitus praeteriisse. Al. leg. *extraneasse.* In hac significatione est ab *extra*, et scribendum est sine *s.* Quamquam et in priore *s* omitti potest, si non a *sterno*, sed ab *externus* ducatur, ut significet externum, et alienatum a mente reddere.

EXSTILLO et Extillo, as, avi, atum, n. 1. ἐκσταλάζω, guttatim defluo. *Colum.* 12. 48. Atque omnem amurcam exstillare. *Pl. Ps.* 3, 2, 29. Sinapi, oculi ut exstillent, facit. *Ter. Phorm.* 5, 7, 82. Exstillare lacrimis.

EXSTĪMŪLĀTOR, oris, m. qui exstimulat, et excitat, ut Acerrimus exstimulator rebellionis, *Tac. A.* 3, 40.

EXSTĪMŪLĀTUS, a, um, part. ab *exstimulo*, valde stimulatus, κεντηθείς. *Plin.* 9, 37, 61. Aculeo exstimulatus. *Ov. Met.* 5, 165. Tigris exstimulata fame. [*Col. R. R.* 8, 11, 8. Exstimulatae libidinis signa.]

EXSTĪMŪLO et Extimulo, as, avi, atum, a. 1. κεντέω, valde stimulo, pungo, incito. *Colum.* 6, 27. Id praecipue armentum libidinis exstimulatur furiis. *Sil.* 1, 32. Corda exstimulare furore bellandi. *Ov. Fast.* 6, 588. His solita est dictis exstimulare virum. *Id. Trist.* 3, 2, 29. Exstimulare fata cessantia, *h. e.* facere ut mors cito sequatur. *Tac. H.* 1, 65. Exstimulare milites, et impellere in eversionem. *Id. A.* 15, 50. animum. [*Et sequente *ut. Tac. A.* 4, 59. Exstimulatur, ut ostenderet.]

EXSTINCTĬO, onis, f. ἀπόσβεσις, actus exstinguendi. *Cic. Tusc.* 1, 49. Supremus ille dies (*mortis*) non exstinctionem, sed commutationem affert loci. [*Cic. Hortens fragm.* ap. *August. de Trin.* 14. *c. ult.* Magna spes est, non molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore.]

EXSTINCTOR, oris, m. σβεστήρ, qui exstinguit. *Cic. Pis.* 11. *extr.* Prope a meis aedibus sedebas, non exstinctor, sed auctor incendii. *Justin.* 16, 1. Cassander exstinctor regiae domus. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 38. Non exstinctor conjurationis, sed auctor et dux. *Id. Har. Resp.* 23. Exstinctor belli. *Id. Sull.* 31. patriae, *h. e.* eversor.

EXSTINCTUS et Extinctus, a, um, part. ab *exstinguo*, ἀποσβεσθείς, ad lumen, ignemve refertur. *Cic. Fam.* 4, 3. Exstinctum lumen. *Id. N. D.* 2, 9. Refrigeratus et exstinctus calor. *Ov Fast.* 5, 425. Exstinctus cinis. Et *ib.* 2, 712. Exstincti ignes. Et *Trist.* 1, 3, 44. foci. *Plin.* 28, 7, 23. Carbo in sanguine exstinctus. *Vitr.* 2, 5. Calx exstincta. [*gelöschter Kalk.*] ℙ Item ad vitam. *Cic. Brut.* 1. Vir egregius alienissimo reipublicae tempore exstinctus. *Virg. Ecl.* 5, 20. exstinctus crudeli funere Daphnis. *Hor. Ep.* 2, 1, 14. exstinctus amabitur idem. *Plin.* 35, 4, 7. Exstinctus nuper in longa senecta. *Id.* 9, 8, 8. Exstinctus morbo. *Tac. A.* 3, 7. subita morte. *Sall. Jug.* 100. et *Tac. A.* 4, 33. Familiae exstinctae. *Ov. Pont.* 1, 9. *extr.* Exstinctis enumerare aliquem. ℙ Item ad alia. *Ov. Met.* 7, 569. Exstincta sitis. *Liv.* 23, 45. spes. *Cic. Amic.* 21. amicitia. *Id. Coel.* 25. consuetudo. *Id. ib.* 30. Memoria non exstincta, sed repressa vetustate. *Plin.* 34, 2, 3. Exstincta artis auctoritas. *Cic. Brut.* 96. vox. *Id. Or.* 3, 1. virtus. *Id. Dom.* 35. Exstinctum maledictum crudelitatis. *Id. Off.* 3, 1. Exstinctus senatus, deleta judicia. *Caes. B. C.* 1, 60. *f.* Rumores exstincti de auxiliis legionum. *Plin.* 7, 26, 27. Exstinctum bellum civile. *Virg. A.* 4, 322. Exstinctus pudor. *Petr. Sat.* 140. Matrona anus, et flore exstincti. Et *Sall. Jug.* 100. Sulla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope jam exstincta majorum ignavia, *h. e.* in qua pauci honores fuerant, et jamdiu cessaverant. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. *med.* Si ante litem contestatam decesserit animal, exstincta erit actio. *Modest. Dig.* 20, 1, 9. Jus pignoris exstinctum est. ℙ [*Confunduntur *Exstinctus* et *Exstructus. Drak.* ad *Liv.* 10, 24, 13. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 2, 534.]

EXSTINCTUS, us, m. exstinctio. In sexto casu singulari. *Plin.* 7, 7, 5. Cum plerumque abortus causa fiat odor a lucernarum exstinctu.

EXSTINGUĪBĬLIS, e, adj. qui exstingui potest. *Lactant.* 7, 20. Ut si animae non exstinguibiles in totum, tamen cruciabiles fiant. Adde *Epitom.* 36.

EXSTINGUO et Extinguo, is, inxi, inctum, a. 3. ἀποσβέννυμι, opprimo, restinguo, deleo: ab *ex*, et *stinguo*, quod idem significat: vel ab *ex*, et *tinguo* pro *tingo*, ut proprie dicatur de igne, qui aqua tinctus opprimitur: qua ratione sine *s* scribi oportebit. [*Rectius scribitur *Exstinguo*, teste *Cornut.* ap. *Cassiod.* p. 2284. Cfr. *Schneider. Elementarlehre T. II.* p. 555.] Refertur itaque primo ad ignem, et lumen. *Cic. Sen.* 19. Sua sponte consumptus ignis exstinguitur. *Id. Fam.* 4, 13. Exstinguere incendium. *Id. Somn. Scip.* 7. Deficere sol hominibus, exstinguique visus est. *Plin.* 2, 103, 106. Fons immersas faces exstinguit. *Id.* 31, 3, 28. Exstinguere lucernam. *Vitr.* 2, 5. calcem, *h. e.* postquam excocta est, aqua perfundere. ℙ Secundo ad vitam. *Cic. Coel. f.* Nolite, hunc jam natura ipsa occidentem, velle, maturius exstingui vulnere vestro. *Id. N. D.* 2, 9. Exstincto calore occidimus ipsi, et exstinguimur. *Ter. Ad.* 3, 2, 16. Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus. *Liv.* 8, 3. Invictum bellis juvenem fortuna morbo exstinxit. *Ov. Met.* 3, 470. Exstingui in aevo primo. ℙ Tertio ad alia plurima, et significat delere, destruere, tollere, evertere, perdere. *Plin.* 20, 23, 97. Semen cannabis genituram virorum exstinguit, *h. e.* tollit, sistit. *Id.* 23, 2, 32. Exstinguere mammas, *h. e.* exsiccare. Sic *Curt.* 6, 4. Vel modico tepore succus exstinguitur. *Plin.* 20, 17, 69. Exstinguere venena. Et 19, 6, 34. odorem allii. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. Ut, si posset, quae antea scripserat, ea plane exstingueret. *Liv.* 5, 16. *f.* Aquam emissam per agros rigare, dissipatamque rivis exstinguere. *Cic. Verr.* 2, 5, 43. Non posse Verrem, testes interficiendo, crimina sua exstinguere. Et *ib.* 3, 18. religionem. *Id. Cat.* 4, 4. nomen populi R. *Id. Mil.* 2. salutem alicujus. *Id. Prov. cons.* 9. inimicitias. *Id. Amic.* 10. familiaritates. *Id. Mil.* 27. memoriam publicam. *Liv.* 27, 16. famam proditionis. *Cic. Har. resp.* 4. Pestem comprimere, exstinguere, funditus delere. *Id. Div. Verr.* 8. Improbitatem exstinguere, atque delere. *Petr. Sat.* 94. iram. *Ov. Met.* 7, 569. sitim. *Sen. ep.* 18. famem. *Cic. Phil.* 6, 7. furorem alicujus. *Id. Balb.* 6. invidiam. *Id. Verr.* 2, 2. 69, infamiam. *Id. Agr.* 3, 2. Tyrannis institutis, leges omnes exstinguuntur atque tolluntur. *Liv.* 39, 8. Discrimen omne pudoris exstinguere. *Cic. Rosc. Am.* 13. Intolerandam potentiam exstinguere atque opprimere. *Id. Fam.* 10, 25. reliquias belli. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. causam dissensionis nascentem. *Auct. ad. Her.* 4, 27. et *Ter. Phorm.* 1, 2, 58. formam. *Nep. Them.* 1. contumeliam. *Quint. prooem. l.* 6, Fortuna vires ingenii exstinguit. *Cic. Somn. Scip.* 7. *extr.* Sermo oblivione posteritatis exstinguitur. *Id. Att.* 15, 1. *med.* Rumor exstinguitur. *Liv.* 23, 22. Vocem hominis temerariam silentio exstinguere. *Id.* 28, 20. Vestigia quoque urbis exstinguere. *Petr. Sat.* 126. Pedum candor Parium marmor exstinxerat. *Cic. Fam.* 1, 1. Gratiam nostram exstinguit hominum suspicio. *Id. Or.* 1, 14. Admovere orationem ad motus animorum vel inflammandos, vel etiam exstinguendos. [*Drak.* ad *Liv.* 39, 8, 6.] V. in EXSTINCTUS alia huc pertinentia. ℙ Illa sunt JCtorum propria, *Ulp. Dig.* 47, 2, 42. Exst inguitur actio, *h. e.* evanescit, intercidit, tollitur, *et ib.* 32, 1, 11. *med.* Exstinguere fideicommissum, et *ib.* Exstinguitur constantia debiti. *Nerat. ib.* 34, 3, 21. Exstinguitur legatum. Et *ib.* Confusione perinde exstinguitur obligatio, ac solutione. *Cajus ib.* 7, 1, 3. usus fructus. *Paul. ib.* 46, 7, 8. stipulatio, etc. ℙ Part. *Exstincturus* ap. *Liv.* 10, 24. Eum ignem se exstincturum ait. ℙ *Exstinxit* pro *exstinxerit. Pl. Truc.* 2, 6, 43. Ne.

ille priusquam spolia capiat, hic nos exstinxit fames. ℙ *Exstinxem* per syncop. pro *exstinxissem* ap. *Virg. A.* 4, 606. et *ib.* 682. *exstinxti* pro *exstinxisti*

EXSTIRPĀTĬO, onis, f. actus exstirpandi, eradicatio, ἀποῤῥίζωσις. *Colum.* 2, 2. Filicis exstirpatio frequens, quae aratro fieri potest.

EXSTIRPĀTUS, a, um, part. ab *exstirpo*, stirpitus evulsus. [**Col. de arb.* 5, 4. Soboles frigoribus exstirpatae.] *Prud. Hamart.* 241. Et cadit immodicis silva exstirpata procellis. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 13. Nisi ex ejus animo exstirpatam humanitatem arbitremur.

EXSTIRPO et Extirpo, as, avi, atum, a. 1. una cum stirpe seu radice evello, ἀποῤῥιζόω. *Colum.* 11, 2. *med.* Silvestris ager decrescente luna utilissime exstirpatur. [**Pall. Jul.* 1, 1. Silvestres agri utilissime exstirpabuntur arboribus atque virgultis.] *Curt.* 7, 8. Arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari. *Mart.* 6, 56. Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto. ℙ Translate est funditus evertere, omnino tollere. *Cic. Fat.* 5. Vitia ex naturalibus causis nata exstirpari, et funditus tolli. *Id. Tusc.* 4, 19. Perturbationes exstirpandas putamus. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Exstirpare nomina inimica libertati, *h. e.* tollere, vetando, ne quis deinceps nomen habeat ejus, qui libertatem violavit, ut in Manlio Capitolino factum narrat *Liv.* 6, 20.

EXSTO et Exto, as, stiti, atum, n. 1. ἐξέχω, extra sto, emineo, promineo. *Virg. G.* 3, 370. summis vix cornibus exstant. *Colum.* 5, 11. Surculos sic inserito, ut semipede, nec amplius de arbore exstent. *Ov. Met.* 9, 128. exstabat ferrum de pectore. *Caes. B. G.* 5, 18. Cum milites capite solo ex aqua exstarent. *Tac. A.* 1, 17. Modo pectore, modo ore tenus exstantes. *Ov. Met.* 11, 358. celsoque exstant super aequora collo. Et *ib.* 8, 804. Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis. *Id. Trist.* 5, 11, 14. Navis exstat aquis. Et *Her.* 13, 103. Sive latet Phoebus, seu terris altior exstat. ℙ Cum accussativo. *Stat. Silv.* 1, 2, 116. quantum egomet Nereidas exsto, *h. e.* procerior sum. ℙ Translate. [**Ov. Her.* 16, 4. Exstat amor, i. e. eminet, in sensus incurrit. V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Val. Fl.* 5, 252. Excubias, Gradive, tene: praesentia luco Arma tubaeque sonent: vox et tua noctibus exstet, i. e. vincat vox tua armorum tubarumque sonum. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 232. Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat Utilior. ℙ Saepe est superesse, exsistere, durare, apparere, esse. *Cic. Balb.* 5. Qui locus est, in quo non exstent hujus fortitudinis impressa vestigia? *Id. Att.* 2, 4. Curabo, ut hujus peregrinationis aliquod tibi opus exstet. *Liv.* 1, 18. Auctorem doctrinae ejus, quia non exstat alius, Pythagoram edunt. *Cic. Planc.* 1. Video hoc in numero neminem, cujus non exstet in me suum meritum. *Id. Inv.* 1, 39. Si litterae non exstarent. *Id. Off.* 2, 14. Exstant epistolae Philippi ad Alexandrum. *Cato* ap. *Cic. Planc.* 27. Clarorum virorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportet. *Id. Div.* 1, 32. Sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum. *Id. Fam.* 1, 8. *extr.* Studium nostrum exstabit in conveniendis magistratibus. *Hor. Sat.* 1, 5, 55. Sarmenti domina exstat, i. e. vivit. *Pl. Trin.* 2, 4, 142. Nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit. *Nep. Tim.* 2. Ejus benignitatis memoriam volebat exstare. [**Markl.* ad *Stat. Silv.* 1. *praef.* p. 2.] ℙ Praeteritum *exstiti* cum *exsisto* commune est. ℙ Part. *Exstans.* V. suo loco. ℙ A supino *exstatum* fit *exstaturus. Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Exstatura vitis duabus gemmis. *Pomp. Dig.* 47, 2, 78. Si rei dominus nemo exstaret, nec exstaturus esset. ℙ [*Confund. *Exstare* et *adstare. Interpp.* ad *Ov. Met.* 3, 78. — et *exsistere. Drak.* ad *Liv.* 3, 38, 2. 42, 2, 5.]

EXSTRUCTĬO, onis, f. κατασκευή, actus exstruendi. *Cic. N. D.* 2, 60. Exstructio tectorum. *Id. Phil.* 14, 13. Eaque exstructione, quae sit ad memoriam aeternitatis. *Vitr.* 7, 1. *med.* Pavimenta struantur sive sectilibus, sive tesseris: cum ea exstructa fuerint, et fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, ut nulli gradus exstent, *h. e.* exstructiones habuerint fastigia, seu prominentias. ℙ Ap. *Tert.* accipitur pro exornatione, et cultu corporis, *ad Uxor.* 2, 3.

EXSTRUCTORĬUS, a, um, adj. qui exstruit. *Tert. Car. Christi* 17. Dei verbum exstructorium vitae.

EXSTRUCTUS, a, um, part. ab *exstruo*, struendo eductus. *Nep. Them.* 6. Cum satis altitudo muri exstructa videretur. *Caes. B. G.* 6, 16. Exstructi tumuli. *Ov. Fast.* 3, 546. Dido arserat exstructis in sua fata rogis. *Appul. de Deo Socr.* p. 54, 20. Species aedificiorum amoenissimae, exstructissimae, ornatissimae. ℙ [*Item translate. *Cic. Fin.* 4, 1. Non modo fundata, sed etiam exstructa disciplina.] ℙ Item cumulatus, instructus. *Ov. Met.* 11, 119. Mensas exstructas dapibus. *Hor. Sat.* 2, 6, 104. Fercula quae exstructis inerant hesterna canistris. *Id. Od.* 2, 3, 19. exstructis in altum Divitiis potietur heres. ℙ [*Confunduntur *Exstructus* et *Extinctus. Heins.* ad *Ov. Fast.* 2, 534. *Drak.* ad *Liv.* 10, 24, 13.]

EXSTRŪO et Extruo, is, uxi, uctum, a. 1. κατασκευάζω, struendo educo, excito. *Cic. Leg.* 2, 27. Exstrui vetat sepulcrum altius, quam etc. *Id. Dom.* 47. Ad coelum exstruxit villam in Tusculano. *Sall. Cat.* 21. Divitias profundere in exstruendo mari, *h. e.* jactis in altum molibus, in mari aedificando. *Caes. B. C.* 2, 1. Aggerem in altitudinem pedum octoginta exstruit. *Id. B. C.* 3. *ult.* Omnem eam materiam pro vallo ad utrumque latus exstruebat. *Tibull.* 2, 5, 99. festas exstruet alte Cespitibus mensas, cespitibusque torum. *Ov. Fast.* 5, 39. Exstruere hi montes ad sidera summa parabant. *Cic. Fin.* 3, 22. Exstruere rogum. [**Cic. ad Att.* 2, 2. Magnum acervum librorum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram.] *Colum.* 6, 3. Stramenta in acervum exstrui debent. *Hor. Ep.* 2, 43. Lignis focum exstruere, *h. e.* ingerere ardenti grandia ligna foco, ut *Tibull.* 2, 1, 22. ait. *Cic. Tusc.* 5, 21. Mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. [*Quod gravius dictum quam *instruebantur.* Verbum *exstruendi* abundantiae, copiae, affluentiae notionem adjunctam habet. V. *Kühner.* ad h. l., *Gernhard.* ad *Cic. Sen.* 13. — Porro a mensis, quae *exstrui* dicuntur, hoc transfertur ad vasa, quae in mensa apponuntur. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 105. q. l. Noster laud. in *Exstructus*] ℙ Translate *Petr. Sat.* 84. Solas exstruere divitias curant. *Cic. Fin.* 5, 24. Exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum. *Petr. Sat.* 118. Exstruere poema. *Auct. ad Her.* 4, 32. Verba, sicut a poetis, in quendam exstruere numerum, *h. e.* construere, componere. *Gell.* 13, 24. Crimen unum vocibus multis atque saevis exstruere, *h. e.* exaggerare. ℙ [Part. *Exstructurus* ap. *Tac. A.* 3, 72. Pompeji theatrum, igne fortuito haustum, Caesar exstructurum pollicitus est. *F.*]

EXSUCCĬDUS, a, um, adj. exsuccus, sine succo. *Tert. Anim.* 32. Arida et exsuccida.

EXSUCCO, as, a. 1. succum extraho, exsicco. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. Exsuccare marrubium.

EXSUCCUS et Exuccus, a, um, adj. ἄχυμος, sine succo. *Sen. ep.* 39. Scis, illum semper infirmi corporis et exsucci fuisse. Plerique omnes leg. *exhausti. Tertull. Anim.* 51. Corporis substantia exsuccior. ℙ Translate. *Quint.* 12, 10. Oratores aridi, et exsucci, et exsangues.

EXSUCTUS et Exuctus, a, um, part. ab *exsugo. Gell.* 20, 8. Luna nunc videlicet senescit; ea re ostrea quoque tenuis, exsuctaque est. *Colum.* 1. *praef.* Exsucto sudore sitim quaerimus. *Vitr. prooem. l.* 8. Animalia exsanguinata et exsucta. *Varr. R. R.* 2, 7. Restibiles segetes sunt exsuctiores.

EXSŪDĀTUS, a, um, part. ab *exsudo*, ut Exsudati labores, *h. e.* sudore exantlati. *Sil.* 3, 531. et *Ammian.* 15, 5.

EXSŪDO et Exudo, as, avi, atum, a. 1. per sudorem emitto, ἀφιδρόω. *Colum.* 12, 48. Cum oliva, quidquid habuit amurcae, exsudavit. ℙ *Exsudare labores* est labores sudando perferre, ap. *Liv.* 5, 5. [**V. Drak.* ad h. l. et ad 4, 13, 4.] Et *exsudare causas*, pro magno labore agere, ap. *Hor. Sat.* 1, 10, 28. Et *exsudare certamen*, ap. *Liv.* 4, 13. ℙ Neutrorum etiam modo usurpatur. *Virg. G.* 1, 88. omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

EXSUFFLO, as, a. 1. sufflando ejicio. Usurpatur a *Sulp. Sev. Dial.* 3, 8., sed ipso quoque fatente, parum Latine dici. Habent tamen et *August. ep.* 105. *f.* et *Tert. Idol.* 11.

EXSŪGO vel Exugo, is, uxi, uctum, a. 3. ἐκθηλάζω, sugendo elicio. *Colum.* 4, 24. Ab uno latere exsugitur. *Pl. Poen.* 3, 2. *f.* Nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Quisquis, exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit. *Vitr.* 2, 8. Exsugere liquorem de materia. *Varr. R. R.* 2, 4. Arenam injicere oportet, aut aliud quod exsugat humorem. ℙ Reperitur et fut. *exsugebo*, quasi ab *Exsugeo, es*, 2. conjugat. *Pl. Ep.* 2, 2, 5. Atque eorum exsugebo sanguinem, Senati qui columen cluent. Adde *Cat.* in EXURGEO. ℙ Part. *Exsugens* ap. *Plin.* 23, 1, 27. Aceto os colluunt venena exsugentes.

EXSUL et Exul, ulis, com. gen. [*Illud rectius est, teste *Flav. Capit.* p. 2241. *Terent. Scaur.* p. 2262. Cfr. *Schneider. Elementarlehre T. II.* p. 555. 559.] φυγάς, ex patria ejectus, exsilio multatus, extorris, quasi extra solum, ut *Fest.* docet in *Solicitare:* et *Non.* 1, 40. Quare melius interjecto *s* scribitur: quod et *Cellar.* probat. De tribus exsulum generibus in EXSILIUM dictum est. *Cic. Dom.* 27. Quid est enim exsul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? re vera, quando est poena peccati; opinione autem hominum, etiam si est poena damnati. *Id. Parad.* 4. *med.* Omnes scelerati atque impii, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarunt. *Id. Or.* 2, 18. Cum Annibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exsul. *Id. Cluent.* 62. Cum vagus et exsul erraret, atque undique exclusus. *Id. Phil.* 1, 1. Restituere exsules. *Id. Fam.* 12, 1. reducere. *Nep. Att.* 20. Exsul his terris. [**Sall. Jug.* 14. Exsul patria, domo. V. *Munck.* ad *Hyg. fab.* 26. p. 73. *Corte* ad *Sall. l. c.*] *Hor. Od.* 2, 16, 19. Exsul patriae. [*Structura cum genit. usitatior est. V. *Duker.* ad *Flor.* 3, 1, 12. *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 159. Sed nunquam struitur cum ablat. et praepositione *a.* V. *Hand. Tursell.* p. 11.] *Lucan.* 8, 837. Exsul adhuc jacet umbra ducis. *Tac. A.* 14, 63. Alia exsul. *Ov. Her.* 14, 129. Exsul Hypermnestra. ℙ Translate. *Ov. Met.* 9, 410. Attonitusque malis, exsul mentisque domusque. *Publ. Syr.* ap. *Petr.* 55. Ciconia avis exsul hiemis, *h. e.* quae aestate apud nos degit, hieme alio migrat, ut *Plin.* tradit 10, 23, 31. *Mart.* 10, 5. Erret per urbem pontis exsul, et clivi, *h. e.* expers pontis et clivi, in quo stipem quaerat, ut solent mendici. *Id.* 10, 34. Libertis exsul non erit ille suis, *h. e.* patronus non erit extraneus libertis suis, quia heres non fuerit.

[EXSŪLĀBUNDUS, a, um, adj. qui exsulat, vel exsulaturus est. *Gloss. Philox.* Exsulabundus, φυγαδικός. *F.*]

EXSŪLANS, antis, part. ab *exsulo*, exsul. *Cic. Tusc.* 5, 37. Jure exsulantem consolari non oportet. Et *ib.* 3, 18. Pulsus patria, exsulans, atque egens. ℙ *Exsulantes animalibus* ap. *Tertull. Cult. fem.* 9. sunt abstinentes animalium carne in cibis. Al. leg. *exsolentes*, h. e. solitum et usitatum usum esus carnium abdicantes.

EXSŪLĀRIS, e, adj. ad exsulem, seu ad exsilium pertinens. *Ammian.* 14, 4. Exsularis moeror. Et 15, 3. poena.

[EXSŪLĀTĬCĬUS, a, um, adj. qui ad exsulem pertinet. *Gloss. Philox.* Exsulaticius, φυγᾶς. *F.*]

EXSŪLĀTĬO, onis, f. exsilium. *Flor.* 1, 22. Clarissimos principes exsulatione multavit.

EXSŪLĀTUS, us, m. exsulatio, exsilium. *Messala Corvin. de prog. Aug.* 29. Tarquinius Junii Bruti opera pulsus, in exsulatum cum scelesta conjuge ac filiis fuga perrexit.

EXSŪLĬUM pro *exsilium*, antique dictum fuit.

EXSŪLO et Exulo, as, avi, atum, n. 1. [*Rectius scribitur *Exsulo.* V. *Terent. Scaur.* p. 2258. et quos laudavi s. v. *Exsul.*] ἀπόλλς εἰμι, φεύγω, exsul sum, in exsilio sum: quasi extra solum eo, vel sum. *Cic. Parad.* 4. *f.* De te privilegium tulit, ut si in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares. *Id. Or.* 1, 39. Qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare jus esset. *Id. Fam.* 4, 8. Aptissimus ad exsulandum locus. *Liv.* 2, 35. Damnatus absens, in Volscos exsulatum abiit. *Pl. Eun.* 3, 5, 62. Domo exsulo nunc. *Ov. Pont.* 4, 9, 41. Mente tamen, quae sola loco non exsulat, utar. *Id. Trist.* 3, 14, 11. per extremas profugus pater exsulat oras. *Curt.* 5, 8. Exsulare in regno. *Pl. Pers.* 4, 4, 7. Exsulare ex patria. *Justin.* 26, 1. In perpetuum cum viris exsulaturae. *Id.* 2, 10. Exsulare apud aliquem. ℙ *Exsulare a patria* affertur ex *Pl. Most.* 3, 1, 69., sed varia ibi lectio est, et incerta. *Mart.* tamen habet *Spectac.* 4. Exsulare ab urbe Ausonia. ℙ Translate. *Cic. Parad.* 4. *med.* Cum omnes meo discessu exsulasse rempubl. putent. *Pl. Pers.* 4, 4, 7. Perfidia ex urbe, et avaritia si exsulant. *Id. Merc. prol.* 42. Amare coepi meretricem: illico res exsulatum ad illam abibat clam patris. ℙ *Exsulare* active, in exsilium pellere. Hinc passive *Hygin. fab.* 26. *de Medea.* Tunc iterum exsulatur.]*V. *Munk.* ad h. l.] *Dict. Creten.* 5, 4. *extr.* Decernitur, Antimachum ex omni Phrygia exsulandum. *Cave imiteris.* [*V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 67, 8.] ℙ Part. *Exsulans* V. suo loco.

EXSULTĀBUNDUS, a, um, adj. exsultans. *Sol.* 5. Exsultabundus ad cantum elevatur. *Justin.* 18, 7. Aususne es moesta ac lugentia castra velut exsultabundus intrare?

EXSULTANS, antis, part. ab *exsulto*, qui exsilit, ἐκπηδῶν. *Cic. Off.* 1, 26. Equi ferocitate exsultantes. *Id. Div.* 2, 70. *extr.* Exsultantes loligines. *Plin.* 18, 35, 88. Pecora exsultantia, et indecora lascivia ludentia. *Lucr.* 2, 195. Sanguis emicat alte exsultans e corpore. ℙ Translate significat superbientem, et successu aliquo elatum. *Cic. Sen.* 4. Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat. *Id. Har. resp.* 1. Hominem furentem exsultantemque continui. *Id. Tusc.* 5, 6. Elatus levitate, inanique laetitia exsultans, et temere gestiens. *Id. Top.* 22. Exsultantem laetitiam comprimere. *Id. Sext.* 44. Furorem exsultantem reprimere. *Virg. A.* 2, 386. successu exsultans animisque Coroebus. *Gell.* 12, 5. Affectiones animi exsultantes opprimere, et obterere. ℙ De oratione, et verbis. *Quint.* 9, 4. *med.* Exsultantissimum verbum, *h. e.* quo veluti subsultat oratio. Hujusmodi sunt, quae plures syllabas breves habent, quae, ut *Id. ib. paulo sup.* dixerat, si miscentur quibusdam vocibus longis currunt; si continuantur, exsultant. *Id.* 12, 10. M. Tullium suorum hominum temporum incessere audebant, ut tumidiorem, et in compositione fractum, exsultantem, ac paene viro molliorem, *h. e.* nimis oratione lasciviente, et petulantem. *Id.* 10, 2. Fiunt pro grandi-

bus tumidi, pressis exiles, laetis corrupti, compositis exsultantes.

EXSULTANTER, adv. σκιρτητικῶς. *Plin. ep.* 3, 18. *f.* Cum ea potius, quae pressius et adstrictius, quam illa, quae hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint videri arcessita.

EXSULTANTIA, ae, f. actus exsultandi, exsultatio. *Gell.* 12, 5. Cum petulantia morbi doloris-que exsultantia colluctantem. *Paul. Nolan. carm.* 21. *v.* 564. ludibrium Hostilis exsultantiae.

EXSULTATIO, onis, f. ἐκπήδησις, actus exsultandi. *Plin.* 8, 54, 80. Simias luna cava tristes esse, novam exsultatione adorare. *Colum.* 7, 3. *med.* Agnum claudi oportebit, ne velut puerili nimia exsultatione macescat. *Quint.* 2, 2. Proni atque succincti, ad omnem clausulam non assurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exsultatione conclamant. ℙ Translate. [*Sen. Ir.* 2, 21. Eum attolli, non gestire patiamur; gaudium enim exsultatio, exsultationem tumor et nimia aestimatio sui sequitur.] *Hirt. B. Afr.* 31. *extr.* Constituerat, gloriam exsultationemque eorum pati, donec etc. *Tac. H.* 1, 72. Par exsultatio, impetrato Tigellini exitio. *Gell.* 2, 27. Laetitia dicitur exsultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore. *Sen. Tranq.* 15. *f.* Animus in exsultationem libertatemque extrahendus.

EXSULTIM, adv. saltando, exsultando. *Hor. Od.* 3, 11, 10. Quae, velut latis equa trima campis, Ludit exsultim, metuitque tangi.

EXSULTO et Exulto, as, avi, atum, n. 1. ἐκπηδάω, exsilio, salio, immoderate, et veluti extra limites salto: ab *ex*, et *salto*. *Nep. Eum.* 5. Equos verberibns cogebat exsultare, et calces remittere. *Sen. Q. N.* 6, 10. *f.* Pila cum cecidit, exsultat, ac saepius pellitur. *Ov. Met.* 2, 864. de tauro. Et nunc alludit, viridique exsultat in herba. *Tac. A.* 14, 34. Hostis exsultare per turmas et catervas. *Virg. A.* 3, 557. Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae. Et *ib.* 7, 464. Exsultant aestu latices. *Lucr.* 2, 631. Exsultare in numerum. *Id.* 3, 142. In corde exsultat pavor et metus, *h. e.* trepidat, salit. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Scamna inter duos sulcos cruda ne relinquantur, glebae ne exsultent. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 13. Sic coercetur impetus materiae, densioresque circa pampini exsultant. Sic *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum uritur in testa opertum, ne exsultet. ℙ Translate. *Cic. Ac.* 4, 35. et *Or.* 8. Cum sit campus, in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias compellimus? *Id. Att.* 1, 16. *med.* Alacris exsultat improbitas in victoria. *Quint.* 9, 4. Verba exsultant. V. EXSULTANS. ℙ Hinc saepe est immodice jactare se gaudio, gestire, efferri, immoderate gaudere. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Graeci exsultant, quod peregrinis judicibus utuntur. *Id. Phil.* 2, 27. Exsultare gaudio. *Id. Att.* 15, 21. et *Cluent.* 5., et *Liv.* 27, 2. Exsultare laetitia, et triumphare gaudio. *Quint.* 6, 4. *med.* vana spe. *Cic. Rosc. Am.* 6. victoria. *Id. Balb.* 26. in ruinis alterius. [*Bene monet *Matth.* ad *Cic. Sext.* 41., ad sensum differre, utrum dicatur *exsultare re*, an *exs. in re*. *In* significat quasi materiam subjectam exsultationi, quae causam praebet; simplex ablativus id, quo efficitur, ut quis exsultet.] *Id. Div.* 1, 29. Exsultare, immoderateque jactari. *Id. fr. de rep.* ap. *Non.* 4, 178. In omni crudelitate sic exsultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur. *Tac. Agr.* 8. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit: ad auctorem et ducem, ut minister, fortunam referebat. ℙ In bonam partem. *Stat. Silv.* 4, 4, 37. Te quoque flammabit tacite repetita parumper Desidia, et solidos novus exsultabis in actus, *h. e.* alacer accedes ad res magnas agendas. ℙ Cum accusativo. *Tac. A.* 11, 28. Dum histrio cubiculum principis exsultaverit, dedecus quidem illatum etc. *h. e.* adulterio infamaverit, contaminaverit, quasique fabulam, ceu in scena, saltaverit. Al. leg. *insultaverit*. [*Vid. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 188.] ℙ Part. *Exsultans* V. suo loco.

EXSŪO. V. EXUO.

EXSŪPĔRĂBĬLIS, e, adj. qui superari potest, superabilis. *Stat. Th.* 1, 214. nec exsuperabile diris Ingenium mortale. ℙ Item active qui superare potest. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. Cujus operam apud Gallos cum prime fortem atque exsuperabilem respublica sensit. *Serv.* huc trahit illud *Virg. G.* 3, 39. Immanemque rotam, et non exsuperabile saxum: *sc.* Sisyphi: non quod, inquit, superari non potest, sed quod superare non valet summum montis cacumen. Idem ab *Homer. Odyss.* 11, 597. λᾶας ἀναιδὴς dicitur.

EXSŪPĔRANS, antis, part. ab *exsupero*, ὑπερέχων, qui exsuperat, praestans, excellens. *Ov. Trist.* 1, 5, 56. Materia vires exsuperante meas. *Sil.* 1, 56. Annibal exsuperans astu, sed devius aequi, *h. e.* abundans. *Gell.* 6, 8. Mulier exsuperanti forma. *Id.* 14, 3. *extr.* De iis apud alios, uter esset exsuperantior, certabatur. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. erud. antiq.* p. 71. J. O. M. summo, exsuperantissimo. Adde aliam ap. *Don. cl.* 3. *n.* 31. In nummo Commodi Aug. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 115. Jovi Exsuper*antissimo*. Hic idem Juppiter a *Callimacho hymn. in Jov. v.* 91. appellatur. Κρονίδης παντπέρτατος. ℙ Item superfluus. *Gell.* 1, 22. Abundans nimis, et affluens et exsuperans.

EXSŪPĔRANTĬA, ae, f. ὑπεροχή, excellentia, praestantia, quae intra mediocritatem non continetur, sed rara est, et singularis. *Cic. Tusc.* 5, 36. An non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Aristides nonne ob eam causam expulsus est patria? *Gell.* 4, 18. Sunt haec duo exempla ejus (*Scipionis Africani*) fiduciae, atque exsuperantiae ingentis. *Id.* 14, 1. *med.* Eos planetas cernere homines non possunt propter exsuperantiam vel splendoris, vel altitudinis.

[EXSŪPĔRANTĬUS et Exuperantius, ii, m. idem ac exsuperans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 21, 3. Aur*elius* Exuperantius sacerdos Silvani. *F.*]

EXSŪPĔRĀTĬO, onis, f. exsuperantia, superlatio. *Auct. ad Her.* 4, 53. Significatio per exsuperationem fit, cum plus dictum est, quam patitur veritas. Al. leg. *exuberationem*.

EXSŪPĔRĀTOR et Exuperator, oris, m. superator, victor. In nummo Constantini M. ap. *Eckh. D. N. V. T.* 8. p. 83. Exuperator omnium gentium.

EXSŪPĔRĀTORĬUS, a, um, adj. *Lamprid. Commod.* 11. Menses quoque in honorem ejus, pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, adulatores vocabant. Et 12. Appellatus imperator V. cal. Exsuperatorias. Commodus autem dici se ὑπεραίροντα, quod idem significat, unice gaudebat. *Salmas.* ex *Dione*.

EXSŪPĔRĀTUS, a, um, part. ab *exsupero*, superatus, victus. *Lucr.* 2, 232. corpus aquae, naturaque tenuis Aeris haud possunt aeque rem quamque morari, Sed citius cedunt gravioribus exsuperatae. *Plin. in. l.* 36. Alpes ab Annibale exsuperatae.

[EXSŪPĔRĬUS et Exuperius, ii, m. idem ac exsuperans. Est cogn. R. *Inscr*, ap. *Grut.* 524, 8. Exsuperius miles. *F.*]

EXSŪPĔRO et Exupero, as, avi, atum, a. 1. ὑπερβάλλω, idem quod supero, aut longe supero, vinco. *Virg. A.* 12, 19. quantum ipse feroci Virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est Consulere. *Ov. Fast.* 6, 372. arma capessant, Et si non poterunt exsuperare, cadant. *Id. Trist.* 1, 5, 56. Materia vires exsuperante meas. *Virg. A.* 7, 591. Exsuperare caecum consilium, *h. e.* furentem populi reprimere impetum. *Vet. Poeta* apud *Cic. Tusc.* 4, 36. impudentia aliquem. *Plin.* 2, 11, 8. latitudine aliquid. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 27. Reditum impendia exsuperant. *Liv.* 28, 43. Laudes alicujus non solum assequi, sed etiam exsuperare. [*Alia exempla e Livio habet *Drak.* ad 7, 24, 2.] *Ov. Trist.* 4, 4, 2. Exsuperas morum nobilitate genus. ℙ Est etiam praeterire. *Val. Fl.* 2, 622. Jam juga Peccotes, Pariumque infame fragosis Exsuperant, Pityamque vadis. *Plin.* 6, 17, 21. Exsuperare amnem. ℙ Item ascendere, *Sen. ep.* 31. Surge, et respira, et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. *Virg. A.* 11, 905. Exsuperatque jugum, silvaque evadit opaca. *Id. ib.* 2, 759. exsuperant flammae, furit aestus ad auras. Et 206. Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubaeque Sanguineae exsuperant undas. *Plin.* 14, 1, 3. Vites ulmos exsuperant. ℙ Item excedere. *Plin.* 18, 18, 17. Nilus exsuperavit sedecim cubita. *Id.* 9, 17, 30. Binas libras ponderis raro exsuperant. ℙ Item superesse, superstitem esse. *Cic. ad Quirit.* 9. Dum anima exsuperabo mea. Al. rectius leg. *spirabo*. *Val. Max.* 5, 9. *extr.* Tu vero, pater, vive, et me quoque exsuperа. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. Vitis vino, quod genuit, aestatem non exsuperans, *h. e.* ultra aestatem non durans.

EXSUPPŪRO, as, a. 1. pus amoveo. Translate. *Tert. Pall.* 5. *extr.* Non facile quis has purulentias civitatis eliciet, et exsuppurabit. Al. leg. *exvaporabit*.

EXSURDĀTUS, a, um, part. ab *exsurdo*, ut Exsurdatus clamoribus, *Sen. ep.* 94. *med.*

EXSURDO et Exurdo, as, avi, atum, a. 1. ἐκχωφόω, surdum reddo. *Plin.* 32, 10, 52. Paniculae flos si aures intraverit, exsurdat. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 3. Graecis actionibus aures curiae exsurdantur. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 8, 38. Fervida quod subtile exsurdant vina palatum, *h. e.* hebetant.

EXSURGO et Exurgo, is, urrexi, rectum, n. 3. ἐξανίστημι, idem quod surgo, consurgo, erigor. *Cic. Or.* 1, 62. *extr.* Et cum exsurgeret, simul arridens etc. *Id. Planc.* 42. Huc exsurge tamen, quaeso: retinebo, et complectar. *Pl. Mil.* 2, 1, 3. Qui auscultare nolit, exsurgat foras. *Id. Bacch.* 4, 4, 105. Ubi erit accubitum semel, ne quoquam Exsurgatis. *Id. Rud.* 4, 2, 10. De nocte multa, impigreque exsurrexi. *Id. ib.* 1, 5, 22. Exsurgite a genibus ambae. *Liv.* 27, 41. Tempus exsurgendi ex insidiis, et aggrediendi hostem. ℙ *Exsurgere* etiam dicuntur, quae attolluntur. *Liv.* 6, 4. Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere aedificiis. [*Vid. *Drak.* ad h. l.] *Plin.* 5, 27, 27. Ubi Taurus ab Indico mari exsurgit. *Id.* 24, 19, 113. Inde alii ramuli exsurgunt. *Sil.* 7, 274. Qua nemorosa juga, et scopulosi vertice colles Exsurgunt. *Tac. H.* 2, 14. Acies ita instructa, ut pars in colles exsurgeret etc. *Sen. Troad.* 536. Generosa in ortus semina exsurgunt suos, *h. e.* enascuntur, crescuntque. *Id. Hippol.* 1012. furenti pontus exsurgit sinu, regnante Coro. ℙ Translate est erigi, recreari, confirmari. *Cic. Agr.* 2, 32. Haec non solum afflixerunt, sed etiam, ne quanto recreata exsurgere atque erigere se possent, funditus sustulerunt. *Id. Phil.* 13, 18. Si causa Pompejanorum esset jugulata, nunquam exsurgeret. *Id. Fam.* 12, 10. *extr.* Auctoritate vestra respublica exsurget, et in aliquo statu tolerabili consistet. *Albinov.* 1, 353. Alta mane, supraque tuos exsurge dolores. ℙ Item ingsurgere, crescere. *Sen. Med.* 49. Gravior exsurgat dolor. *Petr. Sat.* 2. Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida sed naturali pulcritudine exsurgit. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Ps. prol. f.* Exporgi melius est lumbos, atque exsurgier: pro *exsurgi*.

EXSUSCĬTĀTĬO, onis, f. actus exsuscitandi. Translate. *Auct. ad Her.* 4, 42. Si sententiam trajicimus aut ad sermocinationem, aut ad exsuscitationem. Et 43. Mutatur res tractando, si traducitur ad exsuscitationem, cum et nos commoti dicere videamur, et auditoris animum commovemus. [*Cf. *Ern. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 156.]

EXSUSCĬTO et Exuscito, as, avi, atum, a. 1. idem quod suscito, addita *ex* intensiva, ἀνεγείρω. *Liv.* 21, 3. *extr.* Parvus ignis magnum incendium exsuscitat. *Ov. Fast.* 5, 507. Ipse genu posito flammas exsuscitat aura. [*V. *Interpp.* ad h. l.] *Cic. Mur.* 9. *f.* Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 3, 21. Si naturalem memoriam exsuscitaverimus hac notatione. *Cic. Off.* 1, 4. Quae cura exsuscitat animos, et majores ad rem gerendam facit. *Brutus* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Magis tu te exsuscita, ut etc. ℙ [*Confund. *Exsuscitare* et *Excutere*. *Heins.* ad *Ov. Fast.* 5, 507.]

*EXSYNCERASTI, ap. *Pl. Most.* 4, 1, 11. quibusdam dici videntur, quasi Emedullatos dixeris, et citra ullam pinguedinem. Nempe iidem *Syncerastum* Medullam interpretantur, v. g. *Coel. Rhodig.* 25, 24. V. *Exsinceratus* et cf. *Syncerastus. B. A.*

EXTA, orum, n. plur. ἔγκατα, σπλάγχνα, viscera, ac praesertim cor, pulmo, jecur, lien. *Festus*, Exta, inquit, dicta, quod ea Diis prosecentur, quae maxime exstant, eminentque. Alii deducunt ab *exsecando*, quasi *exsecta*. *Plin.* 28, 5, 14. Hippocrates tradit, non prandentium exta celerius senescere. *Id.* 11, 37, 77. Exta serpentibus et lacertis oblonga. Et *ib.* Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana. *Pl. Poen.* 3, 6, 9. Extis satur sum factus probe. ℙ Ab extis multa solebant divinare veteres. Inspiciebantur enim caesae hostiae viscera, quae si felicia essent, (felicissima autem habebantur, si duplicia apparerent: item si integra, sana etc., contra vero tristia, si aliqua confecta tabe, aut si eorum aliquid deesset) coquebantur in foco, deinde secabantur partes, quae Diis essent immolandae, et quae ad vescendum sacrificulis relinquendae. Caput in extis quid sit, in CAPUT dictum est. *Cic. Div.* 2, 12. Si est in extis aliqua vis, quae declaret futura, necesse est etc. Et *mox*. Non dicam gallinaceum fel, (sunt enim, qui vel argutissima haec exta esse dicant) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? Et 13. Extis exquirere aliquid. Et *ib.* Exta inspicere. Et 15. Tristissima exta sine capite. *Curt.* 7, 7. et 9, 4. spectare. *Virg. A.* 4, 63. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta. *Suet. Aug.* 1. prosecare. Et *ib.* et *Virg. G.* 2, 194. reddere Marti pandis lancibus, *h. e.* offere. *Reddi* enim *exta* dicebantur, ut hoc loco *Serv.* docet, cum probata et elixa arae superponebantur. Simile est illud *Liv.* 26, 23. *f.* C. Claudius flamen Dialis, quod exta perperam dederat, flaminio abiit. *Dare* enim *exta* est ea ita distribuere, ut ritus postulat sacrificii: nempe quaedam in extis abscindebantur, et projiciebantur; quaedam Diis in ara offerebantur; quaedam a sacerdote et populo consumebantur, ut ex *Festo* in *Porriciam* colligitur. *Veran.* ap. *Macr. Sat.* 3, 2. Exta porriciunto, Diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebunt. *Mart.* 11, 57. Exta Jovi dare. *Pl. Ps.* 1, 3, 31. Si sacrificem summo Jovi, atque in manibus exta teneam, ut porriciam. (V. PORRICIO.) *Id. Poen. a.* 2. *v.* 18. Omnibus in extis ajebat portendi mihi malum damnumque. *Suet. Caes.* 77. Exta laetiora. *Cic. Div.* 2, 17. Primis extis minari, bene promittere secundis. Et *ib.* Exta bona, aut non bona. *Id. Top.* 20. Praesensio per exta. *Tibull.* 3, 4, 5. venturae nuncia sortis Vera monent Tuscis exta probata viris. ℙ *Muta exta* appellabant, in quibus nihil divinationis animadvertebant. *Fest.* in *Muta*. Hinc fibrae *loqui* dicuntur, cum significant,

ac portendunt. V. FIBRA. ℙ *Regalia exta* appellantur, quae potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis et humilioribus hereditates; filio familiae dominationem. *Id.* in *Regalia.* ℙ Extorum tristium notae quae fuerint omnes, habes ap. *Sen. Oedip.* 353. et sqq. et *Lucan.* 1, 608. et sqq. ℙ Arietum exta non in veru, sed in olla coqui solita in sacrificiis, docet *Varr. L. L.* 4, 19. ℙ *Extum* pro *extorum* dure dixit *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 46. ℙ *Exta, ae,* f. legitur in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 18. Deinde reversus ad aram extas reddidit porciliares; item in circo extam vaccinam reddidit. Et *n.* 42. *lin.* 12. Quorum extae redditae sunt. Et *n.* 43. *lin.* 22. Extas reddit ad aram. Hae *Inscriptiones* pertinent ad an. p. Chr. n. 218. et sqq., imperante Antonio Aug. Elagabalo.

EXTĂBĔO, es, ui, n. 2. et

EXTĂBESCO, is, n. 3. tabe consumor, liquefio, contabesco, *ἐκτήκομαι. Cic. Tusc.* 3, 12. ex *vet. Poeta.* Refugere oculi, corpus macie extabuit, Lacrimae peredere humore exsangues genas. *Suet. Galb.* 7. Fame extabuit. *Not. Tir.* p. 181. Extabuit, extabescit. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 2. Videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse, *h. e.* evanuisse.

EXTAENĬĀTUS. V. EXTENUATUS.

EXTĀLIS, is, m. In *Gloss. Philox.* exponitur *ἀρχὸς,* quod tum podicem, tum intestinum rectum podici commissum significat. *Veg. Vet.* 3, 11. pro intestino recto, quod morbo aliquo ex podice exstet, accipere videtur. [*V. *Gesn. Ind. Scr. R. R.* s. v.] [Hinc *Auct. Vulg. Reg.* 1, 5, 9. Computrescebant prominentes extales eorum, *h. e.* haemorrhoides. *F.*]

EXTANS. V. EXSTANS.

EXTANTĬĀ. V. EXSTANTIA.

[EXTAR, olla, ubi exta coquebantur. Ita *Gloss. Philox. F.*] **Charis.* 1. Omnia quae AR syllaba terminantur, neutralia sunt: ut exemplar, jubar, instar, extar, *θεατρικὸν ἀργύριον,* lacunar, et similia. Sed pro *extar* impressum *lucar* in ed. *Putsch. B. A.*]

EXTĀRIS, e, adj. ad exta pertinens. *Pl. Rud.* 1, 2, 47. Semper petunt aut cultrum, aut veru, aut aulam extarem, *h. e.* ollam extis coquendis, [nam exta aut veru assabantur, aut ollis elixabantur. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 593. *F.*] [*Cf. *Interpp.* ad *Liv.* 25, 16, 3. cui loco *Gron.* hanc vocem restituere voluit.]

*EXTĔLO, as, a. 1. Extelare, *ἐλευθεροῦσαι Gloss.* Fortasse, ex telis hostium eripere. Cf. *Protelo. B. A.*

EXTEMPLO, adv. *αὐτίκα,* statim, continuo, cito. *Cic. Rosc. Com.* 3. Quid respondeat, nescit; quid fingat extemplo, non habet. *Ter. Andr.* 3, 2, 37. Cum intellexeras, id consilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo? *Id. Hec.* 3, 3, 13. Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi. *Liv.* 40, 48. Extemplo fusi, fugati; mox intra vallum compulsi; postremo exuuntur castris. *Virg. A.* 1, 96. Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra. *Ov. Met.* 15, 663. Extemplo somnus abit. Adde *Pl.* plurimis in locis, *Naev., Caecil., Enn., Claud. Quadrigar.* ap. *Gell.* 2, 19, 23. et 26. et 9, 13. ℙ *Cum extemplo* est simul ac. *Pl. Bacch.* 2, 3, 70. Quom extemplo a portu ire nos cum auro vident, subducunt lembum. *Id. Most.* 1, 2, 18. Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, laudant fabrum. ℙ Primo aspectu. *Stat. Achill.* 2, 88. sed nox, illataque fallunt Lumina: et extemplo latuit mensura jacentis. ℙ Videtur quibusdam dictum esse per syncopen ab *extempulo,* quod eodem sensu usurpatur a *Pl. Cist.* 1, 1, 99. et 2, 3, 30., *Bacch.* 4, 9, 44., *Mil.* 2, 5, 51. et *Poen.* 1, 1, 55. Itaque *extemplo* idem esse putant, quod ex tempore, ut a *tempus* factum sit *tempulum,* inde *extempulo, extemplo.* Verius est tamen, illud *u* per epenthesin interjectum esse metri causa, quia semper in fine versus a *Plauto* adhibetur in eo metri genere, quod paenultimam syllabam brevem habet. [*Cfr. *Schneider. Elementarl. Tom.* I. p. 171.] ℙ Ceterum *extemplo* (omissis variis etymologorum sententiis) idem omnino est, ac *illico,* teste *Meursio.* Ut enim hoc ab *e loco* factum est, ita illud ab *ex templo:* templum enim et ipsum locum aliquando significat. Itaque ut *e vestigio* dicimus pro statim; ita *illico, h. e.* e loco et *extemplo.* Porro hac ratione ab auguriis fortasse traxit originem, in quibus augures, auspicio impetrato, continuo ex templo capto discedebant, Deorum exploratam voluntatem nunciaturi. ℙ [*Confunduntur *Extemplo* et *Exemplo.* Vid. *Drak.* ad *Liv.* 34, 33, 8.]

EXTEMPŌRĀLIS, e, adj. *αἰφνίδιος,* qui ex tempore fit: et fere ad dicendum refertur. *Quint.* 2, 4. Extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio, circulatoriae vere jactationis est. *Id.* 10, 7. Extemporalis actio auditorum frequentia excitatur. Et 6. Si aliquis inter dicendum affulserit extemporalis color. Et 11, 2. Extemporalis oratio. *Petr. Sat.* 6. declamatio. *Auct. dial. de Or.* 6. audacia. *Suet. Aug.* 84. facultas. *Mart.* 5, 54. rhetor. *Plin. ep.* 1, 30. Extemporales figurae. [*Cfr. *Ernest.* lex. techn. lat. rhet. p. 159.]

EXTEMPŌRĀLĪTAS, atis, f. *αὐτοσχεδιασμὸς;* facultas ex tempore aliquid dicendi, faciendive. *Suet. Tit.* 3. Latinae Graecaeque linguae vel in orando vel in fingendis poematibus promptus, facilisque ad extemporalitatem usque.

EXTEMPŌRĀLĪTER, adv. extemplo. *Sidon. ep.* 9, 14. Extemporaliter scribere.

*EXTEMPŌRĀNĔUS, a, um, adj. extemporalis. *Gloss. Lat. Gr.* Extemporaneum, *ἀμελέτητον.* Hanc vocem improbat *Voss. de Vit. L. L.* 1, 19. Pervulgatum quidem (inquit *Noltenius*); sed barbarum tamen est. *B. A.*

EXTEMPŌRE. V. TEMPUS.

EXTEMPŬLO. V. EXTEMPLO.

EXTENDO, is, di, nsum et ntum, a. 3. *ἐκτείνω,* extra seu ultra tendo, porrigo, explico. *Colum. Arbor.* 17. Oleae, quae in proceritatem extenduntur, evanidae fiunt. [**Col. R. R.* 4, 20, 3. Quum ad summum palum vitis extenta est.] *Ov. Met.* 1, 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles. *Sen. Ben.* 4, 13. Sol diem extendit et contrahit. *Plin.* 32, 6, 31. Testae ostreorum cinis cutem mulierum extendit. *Id.* 13, 12, 26. Extendere malleo chartam. *Id.* 10, 64, 84. crura in longitudinem. *Petr. Sat.* 20. lodiculam in pavimento. *Pl. Men.* 1, 1, 19. vincula. *Plin.* 9, 59, 85. lineam. *Curt.* 4, 13. *f.* cornua aciei. Et 3, 9. *f.* agmen ad mare. Et *ib.* latius aciem. *Virg. A.* 12, 909. cursum, i. e. currendo progredi. Sic *Caes. B. C.* 3, 77. Magnis itineribus se extendere. *Virg. A.* 10, 407. Ignis extenditur per campos. *Hor. Ep.* 1, 20, 21. Majores pennas nido extendisse, *h. e.* majora ausum esse, quam domestica fortuna ferebat. *Id. A. P.* 208. Extendere agros, i. e. agros agris adjungere. *Plin. ep.* 3, 5. *extr.* epistolam, *h. e.* longiorem facere. *Id. ib.* 2, 13. preces. Et *ib.* 7, 9. *extr.* Immodice epistola me extendi. *Lucret.* 6, 434. trudere et extendere aliquid in undas. ℙ Saepe refertur ad tempus. *Liv.* 27, 2. Extendere pugnam ab hora tertia ad noctem. *Suet. Tit.* 7. ad mediam noctem comissationes. *Mart.* 4, 8. labores in horam quintam. *Virg. G.* 2, 405. curas venientem extendit in annum. *Sil.* 3, 95. Extendere aevum, et *Stat. Silv.* 3, 1, 172. colos. *Plin. Pan.* 49. tempus. Et 61. consulatum. ℙ Ponitur et pro sternere. *Virg. A.* 5, 374. Perculit et multa moribundum extendit arena. *Curt.* 9, 5. *f.* Coepit linqui animo et veluti moribundus extendi. *Virg. A.* 6, 423. Fusus humi totoque ingens extenditur antro. *Curt.* 4, 9. Si qua eminebant, jussit aequari totumque fastigium extendi. ℙ Item pro augere. *Justin.* 11, 4. et *Suet. Cal.* 38. Extendere pretium rerum. *Mart.* 12, 6. breves census. ℙ Translate. *Virg. A.* 10, 468. famam factis. *Hor. Od.* 3, 3, 45. nomen in ultimas oras, *h. e.* diffundere. *Liv.* 28, 43. Longius, quam quantum vitae humanae spatium est, cupiditas gloriae extenditur. Et 34, 4. Extendere se supra vires. *Id.* 24, 48. In Africam quoque spem extenderunt. *Quint. Decl.* 3, 13. Ad altiorem se honorum gradum extendere. [*i. e. provehitur. Vid. *Gron. Observ.* 3, 1. *Munck.* ad *Fulg. Myth.* 1. p. 612.] *Petr. Sat.* 140. Per hanc successionem artem suam perseverabat extendere. *Pl. Bacch.* 3, 3, 26. Extendere aetatem suam in exercitio aliquo. *Quint.* 10, 1. *med.* Extendere verba aut corripere, i. e. producere aliquid addendo per prosthesin, epenthesin aut paragogen. ℙ Illa sunt JCtorum, *Modest. Dig.* 32, 1, 33. *extr.* Nisi specialiter defunctus ad ulteriores voluntatem suam extenderit. *Callistr. ib.* 48, 10, 15. *med.* Quod ad liberas personas extendi non debet. *Scaevola ib.* 20, 4, 21. Ad lapidum venditionem officium suum extendit. ℙ Part. *Extendens* ap. *Suet. Cal.* 38. Pretium extendens.

EXTĔNEBRO, as, a. 1. e tenebris educo, in lucem profero. *Varro:* Atque omnes adeo perquirit atque extenebrat artes. Ita refert *Gevartius* ad *Stat. Silv.* 2, 3, 71., quem penes sit fides, unde enim hoc fragmentum eruerit, non comperi.

EXTENSĔ, adv. late, ample. *Tertull. Idol.* 2. Dominus extensius ista disponit.

EXTENSĬO. V. EXTENTIO. [**Veg. Vet.* 5, 14, 2. Extensiones et tubercula nascuntur in dorso. Sed lectio vix sana.]

EXTENSĬPES, edis, m. ap. *Diomed.* 3, 475. nomen est pedis molossi, qui tribus longis constat.

EXTENSĪVUS, a, um, adj. qui extenditur vel extendi potest. *Paul. Dig.* 38, 17, 6. Cum verba extensiva sunt, poenitentia ejus usque ad annum admittenda est.

EXTENSUS, a, um, part. ab *extendo.* [*Sed forma *extentus* est frequentior.] *Cic. Acad.* 4, 47. Extensis digitis adversam manum ostenderat. *Quint.* 11, 3. Manus extensiores. *Liv.* 21, 32. Castra quam extensissima potest valle collocat. ℙ [*Confunduntur *Extensus* et *Extentus.* Vid. *Burm.* ad *Ov. Art. Am.* 3, 302.]

EXTENSUS, us, m. V. EXTENTUS, us.

EXTENTĔ, adv. extendendo. *Ammian.* 23, 4. (de ballista) Quadratus eminet stilus extentius. Al. leg. *extensus.*

EXTENTĬO, onis, f. *ἔκτασις,* actus extendendi. *Vitr.* 9, 4. *med.* Radii solis extentionibus porrecti. Al. leg. *extensionibus.*

EXTENTO, as, avi, atum, a. 1. experior: ab *ex* et *tento.* Potest etiam duci ab *extendo,* tanquam ejus frequentativum. *Pl. Bacch.* 4, 2, 2. Quaenam istaec est pultatio? Quae te mala crux agitat, ad istum qui modum Alieno vires tuas extentes ostio? *Id. Most.* 3, 1, 65. Quid tu te homo omnium terrime Venisti huc extentatum? *h. e.* ut vires laterum tuorum clamando experireris atque ostenderes? ℙ Ab *extendo* quidem certe est in illo *Lucretii* 3, 491. extentat nervos, torquetur, anhelat. Et *Ammiani* 22, 14. Ridebatur, ut homo brevis humeros extentans angustos.

EXTENTUS, a, um, part. ab *extendo, ἐκτα-θείς,* extensus, intentus, prolatus. *Cic. Or.* 2, 59. Extento brachio, paulum etiam de gestu addidit. *Vell.* 2, 70. Extentam cervicem praebere. *Plin.* 34, 12, 32. Restes super piscinas ligneas extentae. *Ov. Trist.* 4, 6, 9. extentis tumet uva racemis, *h. e.* musto distentis. *Hor. Od.* 2, 15, 3. Stagna latius extenta. *Solin.* 52. Extentissima spatia. *Liv.* 30, 19. Extentis itineribus ire, *h. e.* intento gradu, celeriter. *Curt.* 4, 14. Ordines rari, cornua extenta, media acies vana et exhausta. *Plin.* 10, 29, 43. *de luscinia.* Sonus acutus, creber, extentus. *Hor. Od.* 2, 2, 5. Extento aevo vivere. Sic *Vell.* 1, 11. Extentum vitae spatium. [**Quint. Inst.* 11, 3. Extenti oculi, i. e. eminentes.] Per *extentum funem ire posse* proverbiali locutione dicitur is, qui quamvis rem arduam, difficilem, mirabilem aggredi potest et perficere. *Hor. Ep.* 2, 1, 210. Ille per extentum funem mihi posse videtur Ire poeta, meum qui pectus etc. ℙ [*Confunduntur *Extentus* et *Extensus.* Vid. s. h. v.]

EXTENTUS, us, m. extentio. *Sil.* 4, 617. immensosque per armos *(elephanti)* Et laterum extentus venit atra cuspide vulnus. Al. leg. *extensus* eod. sensu: significantur enim spatia laterum. *Id. Stat. Silv.* 1, 1, 29. *laterum passus,* et *Theb.* 4. 173. *laterum tractus* dixit.

EXTĔNŬĀTIO, onis, f. *λέπτυνσις,* actus extenuandi. *Sen. Q. N.* 2, 57. Aera aut motus extenuat aut extenuatio incendit. *Plin.* 17, 26, 39. Vitium extenuatio et domitura palmitum. ℙ Est hoc nomine figura rhetorica sententiarum, qua res extenuamus dicendo et imminuimus: Graecis *ἐλάττωσις, μείωσις, ἐξουθενισμός. Cic. Or.* 3, 53. Et distincte concisa brevitas et extenuatio. [*Cfr. *Ernest.* Lex. techn. lat. rhet. p. 160.]

*EXTENUATORĬUS, a, um, adj. ut virtus extenuatoria ap. *Theod. Prisc. de diaeta c.* 15. et 10. *B. A.*

*EXTENUATRIX, icis, f. *Macer de Sulphur.* carm. 4, 19. Virtus est ejus, ut dicunt, extenuatrix, *h. e.* extenuatoria. *B. A.*

EXTĔNŬĀTUS, a, um, part. ab *extenuo, λεπτυνθείς,* attenuatus, diminutus. *Cic. N. D.* 2, 39. Aer extenuatus sublime fertur. *Catull.* 64, 295. Extenuata vestigia. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Panici paulatim extenuatus culmus, paene in surculum. *Liv.* 21, 62. Caere sortes extenuatae. *Lipsius* mallet *extaeniatae, h. e.* taeniis, quibus involvebantur, solutae: sed aliis criticis non placet. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Copiolae meae sunt extenuatissimae et inopia omnium rerum pessime acceptae. *Liv.* 31, 22. Media acies, diductis cornibus, extenuata. *Cic. Leg.* 2, 23. *med.* Sumptus extenuatus.

EXTĔNŬISSĬMĒ, adv. superl. Legitur a quibusdam ap. *Sen. Contr.* 1, 4. *f.*, sed lectio admodum varia est.

EXTĔNŬO, as, avi, atum, a. 1. *καταλεπτύνω,* tenuem ac subtilem facio. *Varr. R. R.* 1, 40. *f.* Falce lignum extenuare. *Plin.* 18, 16, 43. Arescit et in pulverem extenuatur. *Ov. Met.* 5, 429. Extenuari in aquas. *Plin.* 31, 3, 21. Aquae cursu percussuque ipso extenuantur. *Cic. N. D.* 2, 54. Dentibus manditur, extenuatur et molitur cibus. *Plin.* 15, 3, 3. Serenitas corpus oleae extenuat. *Liv.* 5, 38. Extenuare aciem, *h. e.* ita disponere, ut in longum tantummodo protendatur. *Plin.* 31, 9, 45. Extenuare et laevare cutem. *Curt.* 7, 7. Modicus cibus et cervicis dolor extenuabat vocem. ℙ Est etiam verbum medicorum, quo minuere, attenuare, discutere significant. *Plin.* 26, 3, 8. Extenuare morbos. *Id.* 29, 6, 38. albugines. *Id.* 21, 21, 89. distillationes. *Cels.* 6, 6. *n.* 8. pituitam. *Plin.* 22, 23, 49. nervorum vitia. *Id.* 20, 6, 73. raucitatem. *Id.* 32, 10, 51. scabiem. [*Adde *Col. R. R.* 6, 13, 1.] *Plin.* 4, 14. cicatrices. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. Locupletissimi cujusque census extenuarant, tenuissimi auxerant. [**sie hatten ihr Vermögen zu gering angegeben.*] *Id. Leg.* 2, 23. *med.* Extenuare sumptus. *Id. Off.* 2, 20. Neque verbis auget suum munus, sed etiam extenuat. *Id. Att.* 3, 13. Spes nostra extenuatur et evanescit. *Id. Tusc.* 3, 16. Quae cogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit. *Id. Verr.* 2, 5, 40. Si hoc crimen extenuare vellet: nam omnino tolli posse, non arbitrabatur. *Liv.* 5, 37. Extenuare famam belli. *Tac. H.* 4, 46. consensum multitudinis. *Ov. Trist.* 3, 3, 57. mala ferendo. *Id. Pont.*

18. Petronius habebatur non ganeo, et profligator, sed erudito luxu, *h. e.* eleganti, [**von feinem, ausgesuchtem Geschmack.*] *Colum.* 8, 16. Docta et erudita palata fastidiunt fluvialem lupum. ℙ *Eruditi* absolute. *Plin.* 11, 37, 49. Cerebrum aliud esse, quam medullam, eruditi docent. *Id.* 20, 11, 44. Apud eruditos.

ERŪDĪTUS, us, m. eruditio. In sexto casu singulari habet *Tert. adv. Valent.* 29.

ERŪGATĬO, onis, f. cutis extensio, rugis sublatis. *Plin.* 28, 12, 50. Candorem, cutisque erugationem praestat.

ERŪGO, as, a. 1. ἐκρυασόω, est cutem extendere, et rugas tollere. *Plin.* 21, 19, 74. Lilii radices erugant corpora. *Id.* 28, 12, 50. Cutem in facie erugari, et tenerescere, et candorem custodire, lacte asinino putant. *Id.* 13, 12, 26. Charta erugatur, atque extenditur malleo.

ERŪGO, is, a. 3. ἐρεύγω. *Festus.* Erugere semel factum significat quod eructare saepius. Illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae.

ERVĪLĬA, ae, f. ὄχρος, cicera minor, cicercula, genus leguminis folio longiore, quam ceterorum, grano rotundo. *Col.* 2, 14., *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5., *Varr. R. R.* 1, 32., ubi alii leg. *Ervila Seren. Samm.* 585. resinas ex terebintho In speciem erviliae parvos glomerabis in orbes. *Festus:* Ervum et ervilia a Graeco sunt dicta, quia illi ervum ὄροβον, erviliam ὀρόβιτον appellant. V. *Pontedera Oper. posth. T.* 1. p. 34.

ERUMPO, is, upi, uptum, n. 3. ἐξορμάω, celeleriter, vi, et cum impetu exeo, prorumpo. *Cic. Catil.* 2, 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Ignes, qui ex Aetnae vertice erumpunt. *Plin.* 6, 22, 24. Ex stagno duos amnes erumpere. *Ov. in Ib.* 155. Stygiis erumpere nitar ab oris. *Lucr.* 6, 888. Erumpere foras. *Caes. B. G.* 3, 5. Signo dato e castris erumpere. *Id. B. C.* 3, 44. Ne quo loco erumperent Pompejani, et nostros post tergum adorirentur. *Sall. Jug.* 104. Erumpere portis. *Plin.* 2, 52, 53. Fulmina terra erumpunt. *Lucan.* 6, 555. Erumpit sanguis jugulo. *Sall. Cat.* 44. Simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent, *h. e.* ex Urbe ad Catilinam celeriter se conferrent. *Curt.* 6, 3. Ego vero ad penates meos, ad parentem, sororesque, vel renitentibus vobis, erumperem. *Id.* 3, 4. *ad f.* Ne occultus hostis in subeuntes erumperet. *Id.* 9, 9. Apes erumpunt ad pugnam. *Sall. Jug.* 107. Solus inter tela hostium vitabundus erumpit. *Plin.* 22, 6, 6. Erumpere per castra hostium, *Id.* 9, 8, 7. Delphini solent in terram erumpere. ℙ Sumitur et simpliciter pro exire, emergere, nasci. *Id.* 13, 6, 12. Lentor resinosus e cortice erumpit. *Id.* 15, 14, 15. Geminum folium e latere erumpit. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 2. Erumpit a primo satu hordeum die septimo, legumina quarto. *Id.* 23, 6, 60. Flosculi erumpentes. *Sen. Brev. vit.* 6. Cum verba eruperunt, affectus ad consuetudinem relabuntur. *Plin.* 11, 37, 64. Dentes erumpentes. *Id.* 20, 9, 40. Theodorus bulbis curat erumpentia in capite, *h. e.* ulcera erumpentia. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 4. Cum illa conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset. *Id. Sull.* 24. Furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi. *Id. Cat.* 1, 3. Si illustrantur, si erumpunt omnia. [*i. e. patefiunt omnia.] *Id. Dom.* 24. Erumpere in actum. Al. aliter leg. V. ACTUS, us. *Quint.* 11, 3. *ante med.* Dolore erumpunt lacrimae. *Liv.* 34, 61. Hoc mox in omnium perniciem erupturum est. *Cic. Har. resp.* 3. Videbam, erupturum illud malum ad perniciem civitatis. *Suet. Ner.* 27. Nulla dissimulandi cura, ad majora vitia palam erupit.' [*Plura exempla v. ap. *Gron.* ad *Liv.* 36, 7. *Drak.* ad *Sil. Ital.* 7, 355.] *Cic. Mur.* 23. Ut odia occulta civium in fortunas optimi cujusque erumperent. [**Cic. Mur.* 38. Omnia in hos dies erumpunt. i. e. hoc potissimum tempore eveniunt mala.] *Id. Phil.* 10, 9. Erumpat aliquando vera, et me digna vox. *Id. Att.* 2, 20. *a med.* Haec quo sint eruptura timeo. *Ter. Phorm.* 2, 2, 11. Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. *Quint.* 8, 3. Erumpere in aliquem voluntatis affectum. Et 11, 3. Vox elisa in illum sonum erumpit, qui etc. *Just.* 10, 2. Exacerbatus juvenis in jurgia patris erupit. *Solin.* 1. *ad f.* Atys Croesi filius, mutus ad id locorum, in vocem erupit vi timoris. *Symm. ep.* 4, 1. Prior in verba salutationis erupi. *Minuc. Fel. Oct.* 41. Caecilius sic erupit. ℙ Active pro emittere, effundere, cum accusativo. *Ter. Eun.* 3, 5, 2. Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? [**Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Att.* 16, 3. Ne in me stomachum erumpant, cum tibi sint irati. [*i. e. ne in me iram effundant.] *Id. Arat.* 111. Aestiferos validis erumpit flatibus ignes. *Liv.* 36, 7. *circa med.* Ut erumpere diu coercitam iram in hostes communes posset. Al. leg. *coercita ira. Petr. Sat.* 124. Atque has erumpit furibundo pectore voces. Al. leg. *inque has. Tibull.* 4, 1, 86. Fontibus ut dulces erumpat terra liquores. [**Gron.* ad *Liv.* 36, 7. *Burm.* ad *Suet. Aug.* 14.] ℙ Item pro exire, cum accusativo loci. *Virg. A.* 1, 584. jamdudum erumpere nubem Ardebant. *Val. Fl.* 5, 466. Admonet hic socios, nebulamque erumpit Iason. *Ulp. Dig.* 29, 5, 3. *ante med.* Erumpere vincula. *Exeo* quoque, et *evado* hac ratione usurpantur. Eandem exeundi vim, licet non cum accus., habet etiam in illo *Quint.* 4, 3. *extr.* Qui ex media probatione erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit, *h. e.* qui in media confirmatione digressionem facit. *Erumpere se* est cum impetu exire, ea ratione, qua *emergere se* dicimus. *Caes. B. C.* 2, 14. Portis se foras erumpunt. *Virg. G.* 1, 445. media inter nubila sese Diversi erumpent radii. Et *ib.* 4, 368. unde altus primum se erumpit Enipeus. *fluvius Thess. Vat.* ap. *Non.* 1, 222. Ventique frigido se ab axe eruperant. Adde *Acc.* ap. *Non.* 3, 235. et *Lucr.* 4, 1108. ℙ Hinc passive. *Lucr.* 6, 581. incita cum vis Exagitata foras erumpitur. *Scrib. Comp.* 84. Sanguinem cogunt magis erumpi per vulnus. ℙ Pro rumpere. *Cato R. R.* 157. Brassica tumida concoquit: eadem erumpit. *Inscr.*, non optimae tamen notae, ap. *Mur.* 1013, 5. Si quis eruperit legem praeteriti (fortasse legendum est propositi) mei etc.

[ERUNCĪNO, as, a. 1. runcina erado: ex *e*, et *runcino. Not. Tir.* p. 157. Runcinat, eruncinat. *F.*]

ERUNCO, as, a. 1. ἐκβοτανίζω, herbas noxias, et spinas, frutetaque exstirpo: ab *e*, et *runco. Colum.* 2, 11. Omnes alterius generis herbas eruncato. *Id.* 11, 3. *post in.* Eruncare areas.

ERŪO, is, ui, ūtum, a. 3. ἐξερύω, ἐξορύττω, effodio, extraho: ab *e*, et *ruo*, quasi quae terra obruta sunt, terram amoliendo, educo. *Cic. Fin.* 4, 4. Qui sciet, ubi quidque positum sit, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere. *Ov. Am.* 3, 8, 53. Aurum terra eruere. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. *extr.* Profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit: et inde tamen aliquando eruam. *Plin.* 28, 8, 29. Eruere alicui oculum. [**Burm.* ad *Vell. Pat.* 2, 52. *Sen. Ep.* 99. Multis vitalia eruuntur, ad quem locum v. *Gron.*] *Plin.* 21, 11, 36. herbam radicitus. *Virg. G.* 1, 319. Venti eruunt segetem ab radicibus imis. *Plin.* 8, 30, 44. Eruit sepulcra hyaena, inquisitione corporum. *Val. Fl.* 5, 145. cubilia ferri. Et 6, 101. glaciem securi. *Virg. A.* 2, 611. Neptunus tridenti totam a sedibus urbem eruit. *Sen. Troad.* 663. et 685. Eruere busta funditus. *Ov. Met.* 12, 268. Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo, Eruiturque oculos, ex Graecorum usu Et 476. jactanti talia Ceneus Extentum cursu missa latus eruit hasta, *h. e.* haurit, perfodit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 34. Scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus. *Id. Agr.* 1, 1. Indagare, invenire, e tenebris eruere. [**Cic.* ad *Fam.* 5, 10. Illum eruam, de servo fugitivo quem latentem alicubi se inventurum spondet.] *Id. Mur.* 7. Ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae. *Id. Or.* 2, 41. Cura, et cogitatione eruere aliquid. [**Cic. Or.* 2, 88. Memoriam eruere exercitatione, si nulla est naturalis, i. e. elicere usu,] *Stat. Th.* 3, 555. Eruimus, quae prima dies, ubi terminus aevi, Quid bonus ille Deum genitor, quid ferrea Clotho Cogitet, *h. e.* inquirimus, scrutamur. Sic *Plin.* 2, 46, 45. Ista plures sine praemio alio, quam posteros juvandi, eruerunt. [**Liv. Ep. l.* 102. Ea conjuratio industria Ciceronis eruta est, i. e. detecta, patefacta.] *Sen. Troad.* 580. Dolor pectore imo condita arcana eruet, *h. e.* prodet, eliciet, manifesta reddet. [*Item significat: eripere. *Cic. ad Att.* 12, 6. Fanum fieri volo neque hoc mihi erui potest, i. e. hoc eripi mihi non patiar, *ich lasse es mir nicht ausreden.* Porro tollere, diruere, propria significatione, ut in seqq.] *Virg. A.* 2, 4. Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai, *h. e.* diruerint, everterint. *Tac. H.* 4, 72. Eruere civitatem, i. e. evertere. [**Tac. A.* 14, 16. Ut contraria adseverantium discordiae eruerentur, i. e. detegerentur ac frangerentur.] *Stat. Th.* 5, 75. Cura viris tumidos adversa Thracas in ora Eruere, et saevam bellando frangere gentem. ℙ [*Nota formam imperativi *eruito* ap. *Colum. R. R.* 12, 58, 1. Radicem eruito mense Januario, ita *Schneid.* ex *Cod.*] ℙ [Part. *Eruturus* ap. *Justin.* 5, 8. Negarunt se Spartani, ex duobus Graeciae oculis alterum erunturos. *F.*]

ERUPTĬO, onis, f. ἐξόρμησις, ἔξοδος, actus erumpendi, exitus. *Plin.* 24, 15, 86. Inhibere eruptiones sanguinis. *Id.* 8, 7, 7. Elephanti universi eruptionem tentavere, circumdati clathris ferreis. *Id.* 16, 10, 19. Omnia haec genera accensa carbonem repente exspuunt, cum eruptionis crepitu. *Id.* 18, 17, 44. *n.* 1. Si cariosum fuit semen, cum sereretur, prima statim eruptione agnoscitur. ℙ Saepe est verbum medicorum, quo significatur exitus pusularum, ulcerum, pituitae, et similium, quae alias exanthemata, tubercula, papulae, pustulae appellantur. *Plin.* 24, 9, 38. Oris ulcera et eruptiones sanare. *Id. prooem.* 23, 5. Oenanthe siccat manantes capitis eruptiones. *Id.* 20, 7, 26. et *ib.* 8, 27. Eruptiones papularum. Et 26, 11, 73. pituitae. Et 28, 6, 18. in corpore infantium. ℙ Item militare, *h. e.* egressio subita militum ex oppido aut castris, aggrediendorum hostium causa, [**ein Ausfall.*] *Liv.* 3, 28. Per media castra eruptionem facere. *Caes. B. G.* 7, 24. Duabus portis ab utroque latere turrium eruptio fiebat. Et *ib.* 3, 5. Si, eruptione facta, extremum auxilium experirentur. Et 21. Eruptionem tentare. Et *ib.* 7, 24. Resistere eruptionibus. Adde *Cic. Att.* 7, 14., *Liv.* 26, 4., *Nep. Thras.* 4., *Sall.*, *Tac.*, *Flor.*, *Justin. Vellej.* etc. ℙ Item excursio. *Caes. B. G.* 7, 7. Magna coacta manu, eruptionem in provinciam facere contendit. ℙ Translate. *Sen. Clem.* 1, 2. Eruptio vitiorum.

ERUPTOR, oris, m. qui erumpit, seu eruptionem facit. *Ammian.* 24, 5. Eruptores perterriti reverterunt.

ERUPTUS, a, um, part. ab *erumpo*, qui erupit, emissus. *Lucr.* 1, 724. de Aetna: Faucibus eruptos iterum vis evomat ignes. *Stat. Th.* 7, 683. Eruptusque sinus vicit cruor. Al. leg. *erumpensque. Scrib. Comp.* 84. Cum sanguis eruptus est. ℙ [*Confunduntur *Eruptus* et *ereptus. Drak.* ad *Liv.* 4, 32, 7.]

*ERUSCUS, i, idem ac rubus. *Appul. de herb.* 87. *B. A.*

ERŪTUS, a, um, part. ab *eruo*. extractus, effossus, ἐξορυχθείς. *Cic. Div.* 1, 27. *extr.* Mortuum erutum esse. *Virg. A*, 5, 449. radicibus eruta pinus. *Hor. Epod.* 5, 17. Sepulcris erutae caprificus. *Ov. Fast.* 1, 352. Sata eruta ore suis. *Stat. Silv.* 4, 7, 15. Fossor eruto concolor auro. *Martial.* 8, 28. Erythraeis eruta gemma vadis. *Tac. A.* 2, 69. Solo erutus. *Ov. Her.* 5, 54. remis eruta canet aqua, *h. e.* convulsa, et ab imo agitata. *Plin.* 28, 8, 27. Dentes de sinistra parte eruti. *Id.* 25, 8, 58. Eruti oculi. ℙ Item diruitus. *Sil.* 3, 213. Eruta convulsis prosternes oppida muris. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 1, 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Plin.* 18, 4, 5. Causa rerum et ratio eruta. *Curt.* 4, 14. Viros fortes nunquam ignorari: at imbelles ex latebris suis erutos, nihil praeter nomina afferre. *Stat. Th.* 10, 817. sedet eruta multo Ungue genas, ἐλληνισμός.

ERVUM, i, n. genus leguminis, siliqua cylindracea, fructu lignoso, quo armenta pinguescunt, ab ὄροβος, quod idem significat. *Colum.* 2, 11. *ad f.* Ervum laetatur loco macro, nec humido, quia luxuria plerumque corrumpitur. *Virg. Ecl.* 3, 100. Eheu quam pingui macer est mihi taurus in ervo! Al. leg. *arvo*, quod *Pierius* improbat. V. ERVILIA.

*ERYANNOS, i, Asiae Minoris fluvius, in Aeolide, vel Mysia. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

ERYCĪNUS, a, um, adj. ad Erycem montem, et oppidum pertinens. V. ERYX. *Erycina* dicta est Venus, quod in eo oppido nobile templum habuit. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Venus Erycina. *Ov. Her.* 15, 57. Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos. *Hor. Od.* 1, 2, 33. Sive tu mavis, Erycina ridens. *Stat. Silv.* 1, 2, 159. Non secus alma Venus, quam si Paphon aequore ab alto, Idaliasque domos, Erycinaque templa subiret. *Prop.* 3, 11, 6. Et venit e rubro concha Erycina mari, *h. e.* concha, ex qua sunt margarita. Fabulantur autem, Venerem e mari natam, concha marina ad Cypri litus delatam esse. ℙ *Erycini*, *orum*, sunt ejus oppidi cives. *Plin.* 3, 8, 14. ℙ *Erycina thapsos* ap. *Lucan.* 9, 919. est ferulago, cujus copia in Sicilia in Eryce monte. ℙ Videtur etiam *Erucinus* scriptum olim fuisse. Nam in nummo gentis Considiae ap. *Morell. Thesaur. Fam. R.* exstat templum Veneris Erycinae, cui subest inscriptio ERUC.

[*ERYCIUS CLARUS, nomen viri. Memorantur duo viri hujus nominis, quorum alter praefectus urbi fuit, ap. *Spartian. Sev.* 13. et ap. *Gell. N. A.* 6, 6. Diversos eos fuisse ostendit *Heinecc.* in *Brisson.* libro de verb. signif. s. v.]

ERYCUS, i, m. idem ac Eryx, mons Siciliae. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Qui Erycum montem obtinebat. *Tac. A.* 4, 43. Aedes Veneris, montem apud Erycum vetustate delapsa.

ERYMANTHAEUS et Erymanthĭus, a, um, adj. Ἐρυμανθαῖος et Ἐρυμάνθιος, ab Erymantho; ut Erymanthius aper, *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *extr.* Erymanthaeum monstrum. *Val. Fl.* 1, 374. Erymanthia mater, *Stat. Th.* 12, 805., *h. e.* Athalanta ex Tegea urbe Arcadiae, mater Parthenopaei ex Meleagro. ℙ Scribitur et Erymantēus, Ἐρυμάντειος.

ERYMANTHĬAS, ădis, f. ab Erymantho, ut Erymanthiades Nymphae, ap. *Stat. Th.* 4, 329.

ERYMANTHĪNUS, a, um, adj. Erymanthaeus, ut Herculi Erymanthino in nummo Postumi apud *Hard.* ad *Plin.* 6, 29, 35. *Tab.* 5. p. 344. et *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 443.

ERYMANTHĬS, ĭdis, f. patronym. pro ipsa Arcadia. V. ERYMANTHUS. *Ov. Met.* 2, 500. Nexilibus plagis silvas Erymanthidos ambit. Al. rectius leg. *Erymanthidas*, ut sit adject. [*V. *Burm.* ad h. l.] ut ap. *eund. Trist.* 1, 4, 1. custos Erymanthidos ursae, *h. e.* Arctophylax.

EXTIRPO. V. EXSTIRPO.

EXTISPEX, ĭcis, omn. gen. qui exta inspicit auguriis capiendis, σπλαγχνοσκόπος, ἡπατοσκόπος. *Cic. Div.* 2, 18. Hac extispicum divinatione sublata, omnis haruspicina sublata est. *Varr.* ap. *Non.* 1, 53. Hostias extispici disputanti relinquo.

EXTISPĬCĬUM, ii, n. extorum inspectio, haruspicium. *Suet. Ner.* 56. Attendit et extispicio, nec unquam litavit.

EXTISPĬCUS, i, m. idem qui extispex. *Inscr.* mutila ap. *Fabr.* p. 677. *n.* 37. L. Veturius Rufio . . . . spex extispicus . . . erdos publicus . . privatus. Quae ita supplenda videtur: *haru*spex extispicus *sac*erdos publicus et privatus. Haec eadem tamen ita perperam legitur ap. *Mur.* 171, 7. avispex extispicus sacerdos privatus.

EXTO. V. EXSTO.

*EXTOLLENTIA, ae, f. superbia. *Vulg. Siracid.* 25, 5. *Sarish. Policr.* 6, 12. *B. A.*

EXTOLLO, is, tŭli, elatum, a. 3. ἐξαίρω, in altum tollo, effero, erigo. *Varr. R. R.* 2, 10. Qui onera extollere in jumenta possint. *Cic. Fin.* 5, 14. Erigere, extollere vites. *Id. Phil.* 2, 12. Cruentum alte extollens pugionem. *Caes. B. G.* 7, 47. Eos singulos exceptans in murum extulit. *Hirt. B. Afr.* 84. Elephantus militem proboscide circumdat, atque in sublime extollit. *Petr. Sat.* 120. extollere molem. *Pl. Most.* 1, 2, 41. aedificium. [*Ulp.* in *Dig.* 8, 5, 6. Si altius extulerit aedificia sua. *Paul.* in *Dig.* 8, 5, 5. Donec tu non extollis, est utilitas servitutis.] *Virg. A.* 2, 688. oculos ad sidera. *Hor. Ep.* 2, 17. decorum mitibus pomis caput Autumnus arvis extulit. *Virg. Ecl.* 1, 25. inter alias caput extulit urbes. *Flor.* 4, 10. Extollere se. (Eod. sensu festive dixit *Pl. Ep. f.* Extollere lumbos). *Cic. Marcell.* 3. Extollere jacentem. *Pl. Most.* 1, 2, 41. liberos, *h. e.* tollere, educare. V. TOLLO. *Novius* ap. *Non.* 7, 49. pedes. V. PES. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 18. Vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis. *Nep. Dion.* 6. Fortuna quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. *Cic. Planc.* 13. Libertas, quae malis oppressa civilibus, extollere jam caput, et aliquando recreta, se erigere debebat. *Id. Har. resp.* 22. Quempiam in coelum laudibus extollere. *Id. Fam.* 12, 25. *extr.* Aliquem ad coelum extollere laudibus. *Id. Planc.* 40. meritum alicujus verbis. *Tac. A.* 4, 17. honoribus aliquem ad superbiam. Et *ib.* 6, 8. quempiam supra ceteros. *Quint.* 11, 1. se supra modum, premere et despicere alios. *Id.* 12, 10. Amplificationibus orationem extollere. *Cic. Part.* 23. et *Lucan.* 8, 345. Extollere animos. ℙ Absolute pro amplificare, augere. *Curt.* 7, 4. Suas vires extollere, hostium paucitatem spernere. *Tac. A.* 2, 88. Vetera extollimus, recentium incuriosi. *Liv.* 28, 31. et *Plin. ep.* 3, 11. Extollere aliquid in majus. [*Pall. Jun.* 7, 1. Vacuae sedes favorum, velut concava aedificia voces, quas acceperint, in majus extollunt.] *Justin.* 12, 6. rerum suarum magnitudinem coelo tenus. *Pl. Most.* 1, 3, 21. Mavis vituperari falso, quam vero extolli? ℙ Pro differre. *Pl. Poen. a.* 2 *v.* 51. Res serias omnes extollo ex hoc die in alium diem. (Adde *Mil.* 3, 2, 47.) *Caecil.* ap. *Non.* 4, 168. Hodie extollat nuptias.

*EXTONSOR, oris, m. qui tonsor fuerat. *Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 10, 225. p. 408. ed. *Cramer.* Quot villas habeat extonsor, eo die, quo me totondit, senator factus.

EXTORPĔO, es, n. 2. obtorpesco. *Ven. Fort.* 1. *de Vita Mart.* 240. Obvia turba riget, gressuque extorpuit aegro.

EXTORQUĔO, es, orsi, ortum, a. 2. torquendo et trahendo evello, extraho. *Petr. Sat.* 136. Pedem mensulae extorsi, coepique pugnacissimum animal armata elidere manu. ℙ Idem luxo. *Sen. ep.* 104. Fregit aliquis crus aut extorsit articulum. ℙ Item torqueo, tormentis adigo verum dicere. *Ter. Ad.* 3, 5, 36. Hunc abduce, vinci, quaere rem. *Ge.* immo hercle extorque, nisi ita factum est. Adde *Sen. ep.* 24. *med.* ℙ Saepius est ἐκβιάζομαι, vi quidpiam elicere, exprimere, eripere. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* A Caesare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorsistis. *Id. Prov. cons.* 3. Nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere. *Id. Brut.* 2. Extorquere arma e manibus civium. *Id. Cat.* 1, 6. alicui sicam de manibus. *Flor.* 2, 6. *f.* Sic factum est, ut inhaerentem atque incubantem Italiae extorqueret Annibalem, *h. e.* extraheret, expelleret, venire cogeret ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 18. Sententias de manibus judicum vi quadam orationis extorquere. *Id. Fin.* 2, 5. Extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus, *h. e.* evellere. *Liv.* 25, 4. per vim suffragium populi. *Lucret.* 6, 1222. extorquet vitam vis morbida membris, *h. e.* expellit, eripit. *Cic. Ligar.* 5. *extr.* Suam citius abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam, *h. e.* coget te, ut humanitatem abjicias. Sic *Sen. Clement.* 1, 1. Temeritas hominum et contumacia, quae saepe tranquillissimis pectoribus patientiam extorsit. *Cic. Tusc.* 1, 7. Extorsisti, ut faterer. *Id. Or.* 48. Extorquere alicui veritatem. *Id. Sen. f.* errorem. *Id. Cluent.* 2. Si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, eam ratio convellet, veritas extorquebit. *Petr. Sat.* 9. Extorquere alicui pudorem, *h. e.* pudicitiam. *Hor. ep.* 2, 2, 56. anni euntes Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum; Tendunt extorquere poemata. *Flor.* 4, 2. Deditionem fames extorsit Antonio, *h. e.* ad deditionem compulit. [*Pallad. R. R.* 4, 10, 14. Si quis hoc genus, ut in regione frigida nutriatur, extorquet, i. e. praeter naturam rerum vult efficere.]

EXTORRĔO, es, n. 2. valde torreo. *Cels.* 3, 7. *n.* 2. Si vero ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio est. *Not. Tir.* p. 149. Extorret.

EXTORRIS, e, adj. ἄπολις, ἐξόριστος, exsul: quasi extra terram patriam pulsus. *Cic. Verr.* 2, 3, 51. Hinc centum triginta septem patresfamilias extorres profugerunt. *Liv.* 5, 30. Ne exsulem, extorrem populum Rom. ab solo patrio ac Diis penatibus in hostium urbem agerent. *Id.* 27, 37. Extorris agro Romano. [*Exempla Liviana collegit *Drak.* ad *Liv.* 2, 6, 2. 7, 4, 4. 31, 29, 11.] *Sall. Jug.* 15. Extorris patria, domo. *Liv.* 26, 41. *med.* Brevi extorre hinc omne Punicum nomen etc. *Id.* 32, 13. *f.* Extorre agmen sedibus suis. *Suet. Aug.* 12. Nursinos grandi pecunia et quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido. [*Vid. *Munck.* ad *Hyg. fab.* 26. p. 73. — Sed observa nunquam strui cum praepositione *a*. Vid. *Hand. Tursell.* p. 11.] *Turp.* ap. *Non.* 1, 48. Extorrem aliquem facere. *Gell.* 2, 12. Is domo, patria fortunisque omnibus careto; exsul extorrisque esto.

EXTORTOR, oris, m. qui vi rapit et aufert. *Ter. Ph.* 2, 3, 27. Bonorum extortor, legum contortor. V. CONTORTOR et DISTORTOR.

EXTORTUS, a, um, part. ab *extorqueo*, distortus, luxatus. *Plin. ep.* 8, 18. *med.* Omnibus membris extortus et fractus, tantas opes solis oculis obibat. *Sen. ep.* 66. *med.* Per longam nervorum contractionem extorti minutatim. Adde *Juven.* 8, 33. ℙ Item torquendo excruciatus. *Liv.* 32, 38. *f.* In servilem modum lacerati atque extorti. Adde 34, 25. *f.* Item vi expressus, ereptus, ἐκβιασθείς. *Cic. Pis.* 35. Si quidem potest vi et metu extortum, honorarium vocari. *Id. Cluent.* 28. *extr.* Pecunia extorta atque erepta. *Id. Mil.* 7. Extorta alicui sica de manibus. *Id. Or.* 48. alicui veritas. *Hor. Ep.* 2, 2, 139. cui sic extorta voluptas. *Claud. in Ruf.* 2, 170. extortas invito principe voces. *Plin. ep.* 3, 9. Cum ea praerepta et extorta defensioni suae cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat.

EXTRĀ, ἔξω, praepos. quae cum casum post se habeat, accusativum regit: cui contraria est *intra* et *intus*: est syncope pro *extera*, nempe *parte*. *Cic. Somn. Scip. f.* Animus inclusus in corpore, et ea, quae extra sunt, contemplans. *Caes. B. C.* 3, 69. Cum extra et intus hostem haberent. *Id. B. G.* 1, 10. Hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi. *Plin.* 6, 33, 38. Abunde orbe terrarum extra, intra indicato. *Id.* 25, 5, 25. Helleborum medetur extra corporis eruptionibus pituitae, etc., *h. e.* externis corporis vitiis. *Id.* 31, 9, 45. Sal extra faucibus illitus. *Id.* 8, 27, 41. Ut extra fiat membranae, quod fuerat intus. *Hor. Ep.* 2, 1, 31. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. *Id. ib.* 1, 19, 36. Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus. *Cic. Fin.* 2, 21. Et in corpore et extra sunt quaedam bona. *Liv.* 38, 8. Extra orbem terrarum. Et 9. Ut Cephallenia insula extra jus foederis esset. *Cic. Or.* 3, 11. Vox extra modum absona. *Id. Off.* 1, 39. Extra modum sumptu prodire, *h. e.* praeter modum. *Id. Verr.* 2, 5, 51. Esse extra culpam. *Id. Att.* 11, 24. Extra periculum belli. *Id. Sull.* 13. *f.* Extra conjurationem, *h. e.* non esse ex conjuratis. *Id. Caec.* 32. Extra causam id est. *Quint.* 11, 3. *f.* Minus contentionis habent ea, quae sunt extra quaestionem. *Id.* 4, 1. Ad causam extra pertinet tempus, locus, habitus. Nihil enim horum est in causa: ad causam tamen pertinet. *Cic. Dom.* 8. Extra ordinem. *Id. Fam.* 7, 16. Extra jocum. *Tac. H.* 1, 49. Ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. ℙ Aliquando ponitur pro praeter. *Cic. Fam.* 7, 3. Extra ducem paucosque praeterea, reliqui rapaces, crudeles. *Ter. Ph.* 1, 2, 48. Neque illi benevolens, extra unam aniculam, quisquam aderat. *Liv.* 26, 34. Ipsos et conjuges vendendas, extra filias, quae etc. ℙ Hac eadem significatione adhibetur etiam sine casu, more adverbii. V. AUCTORATUS. ℙ *Extra quam si* in exceptionibus. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Habeo exceptionem ἰοοδυναμοῦσαν, sed tectiorem, ex Q. Mucii edicto Asiatico, extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat. *Liv.* 38, 38. Neve navigatio citra Calycadnum, extra quam si qua navis pecuniam portabit. Adde *Cic. Inv.* 1, 33. et *ib.* 2, 57. *f.* ℙ Et omissa particula *si*. *Cic. ib.* 2, 20. (si sana est lectio) Postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem: extra quam in reum capitis praejudicium fiat. *Liv.* 26, 34. Campanos omnes, extra quam qui eorum apud hostes essent, liberos esse jusserunt. ℙ Pro sine. *Titin.* ap. *Non.* 2, 199. Desuevi, ne quo ad coenam iret extra consilium meum.

EXTRACLUSUS, a, um, part. ab inus. *extracludo*, relictus, non assignatus, ut Agger, vel locus extraclusus, *Front.* ap. *Goes.* p. 39. et *Aggenus ib.* p. 60. Extraclusa regio, *Hyg. ib.* p. 189.

*EXTRACOLA, ae, m. foris versans. *Gloss. Isid. B. A.*

EXTRACTORĬUS, a, um, adj. ἑξελκτικὸς, qui extrahit. *Plin.* 24, 11, 50. Vulgaris arundo extractoriam vim habet.

EXTRACTUS, a, um, part. ab *extraho*, ἀφελκυσθείς,, eductus, elicitus. *Plin.* 30, 13, 38. Extractae testis cochleae. [*Callistr.* in *Dig.* 14, 2, 4. Merces per urinatores extractae.] *Hor. Sat.* 1, 1, 11. rure extractus in urbem. *Suet. Vitell.* 10. Extractus e latebra. *Cic. Rosc. Am.* 7. Extractum e corpore telum. *Suet. Tib.* 73. Extractus alicui anulus. ℙ Item protractus, productus, prolatus. *Cic Fam.* 1, 4. Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis. *Liv.* 4, 41. Usque ad noctem extractum certamen. *Caes. B. C.* 3, 28. Simulatione deditionis extractum primum noctis tempus. *Tac. A.* 4, 73. Pugna in posterum extracta. ℙ [*Confund. *Extractus* et *Exactus*. *Drak.* ad *Liv.* 2, 46, 4. 22, 18, 9.]

EXTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. ἑξέλκω, extra traho, educo, evello, elicio. *Cic. N. D.* 2, 63. Cervices boum natae ad jugum, tum vires humerorum et latitudines ad aratra extrahenda. *Pl. Rud.* 2, 5, 5. Extrahere aquam: *sc.* e puteo. Et 4, 4, 124. rete ex aqua. *Nep. Ages.* 3. copias ex hibernaculis. *Ov. Met.* 12, 119. telum de vulnere. *Hor. A. P.* 34. vivum puerum alvo. [*Ulp.* in *Dig.* 5, 2, 6. Qui exsecto ventre extractus est.] *Hor. Sat.* 2, 5, 94. turba aliquem. *Cic. Cluent.* 13. domo quempiam. *Liv.* 26, 13. senatores vi in publicum. Et 8, 29. hostes invitos in aciem. *Plin.* 28, 18, 76. et 7, 2, 2. spinas, venena corpori. *Sen. Thyest.* 1. ab sede infausta inferorum. *Sen. Tranq.* 3. Extrahere candidatos. V. CANDIDATUS. ℙ Translate est extricare, liberare, eripere. *Nep. Eum.* 5. Se, ac suos omnes extraxit incolumes. *Cic. Sext.* 4. Urbem ex periculis maximis extrahere. *Sen. Phoen.* 5. Inveniam viam, quae me ab hac vita extrahat. [*Ulp.* in *Dig.* 21, 1, 23, 3. Qui aliquid facit, quo magis se rebus humanis extrahit, i. e. se subducat rebus hum., vel mortem sibi consciscat.] *Id. Troad.* 657. Aliquem poenae extrahere. *Sen. ep.* 95. *med.* Imbecilliores adjuvabit, malisque opinionibus extrahet. *Ter. Hec.* 5, 4, 36. Nescis, Parmeno, ex quanta aerumna extraxeris. ℙ Item evellere, delere. *Cic. N. D.* 1, 43. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem. *Id. Acad.* 4, 34. Ex animis extrahere temeritatem. ℙ Item producere, educere, publicare. *Liv.* 39, 16. *f.* Extrahere scelera ex occultis tenebris in lucem. *Sen. Hippol.* 884. Secreta mentis verberum vis extrahit. ℙ Item in longum trahere, protrahere. *Liv.* 34, 46. Tergiversando, rem in adventum consulis extrahere. *Id.* 2, 23. Jam vero eludi atque extrahi se, multitudo putare. Et 3, 2. Extractum in tertium annum bellum est. *Tac. Germ.* 22. Somnum plerumque in diem extrahunt. [*Duk.* ad *Liv.* 38, 50, 2.] *Quint.* 4, 1. Extrahere aliquid in infinitum. [*Quint. decl.* 319. Extrahet judicium, sicuti adhuc extrahit.] Et *Sen. Ben.* 2, 5, *f.* diem de die extrahere. *Stat. Th.* 1, 322. spes anxia mentem Extrahit, et longo consumit gaudia voto, *h. e.* suspensum tenet, et cruciat animum. *Id.* 3, 574. Bisseno premit ora die, populumque ducesque Extrahit incertis. [*V. *Gron.* ad *Liv.* 22, 18.] ℙ Item trahendo consumere, transigere. *Caes. B. C.* 1, 32. Catone dicendi mora diem extrahente. [*ubi vid. interpp.] Et 33. Triduum disputationibus extrahitur. *Curt.* 10, 2. Prolatando aliquantum extraxerant temporis. *Liv.* 32, 9. Ne, misso e manibus hoste, sine ullo effectu aestas extraheretur. *Val. Fl.* 1, 277. noctem dulci testudine vates Extrahit.

[EXTRĀMĔĀTUS et Extromeatus, us, m. actus meandi extra. *Not. Tir.* p. 85. Meatus, extrameatus, extromeatus. *F.*]

EXTRĀMUNDĀNUS, a, um, adj. Extramundana intelligentia, *Capell.* 9, 308.

EXTRĀMŪRĀNUS, a, um, adj. qui extra murum est, cui opponitur intramuramus. *Lampr. Elag.* 27. Exoleti extramurani, et intramurani. *Auct. Itin. Alex.* 116. *ed. A. Majo. B. A.* V. INTRAMURANUS.

EXTRĀNĀTŪRĀLIS, e, adj. ad naturam non pertinens. *Tert. Anim.* 43. Naturalium et extranaturalium discretio.

EXTRĀNĔO. V. EXSTERNO.

EXTRĀNĔUS, a, um, adj. extrarius, externus: ab *extra*. ἀλλόγνωτος. *Cic. Inv.* 2, 56. et 59. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus. *Id. fragm.* ap. *Colum.* 12. *praef.* (si modo ea *Ciceronis* verba sunt, et non solae sententiae) A natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam: viri autem ad exercitationem

forensem et extraneam. *Auct. ad Her.* 3, 1. Propter aliquam extraneam causam. ℙ Item qui ex alia familia est, aut patria, aut gente. [*Ap. Ictos extranei sunt, qui non sunt affines, vel qui non sunt cognati, vel qui non sunt coheredes, vel omnes praeter conjuges, vel qui non est creditor, vel omnes non domestici, vel qui non sunt in potestate. Exempla larga manu suppeditat *Brisson.* de verb. sign. s. v.] *Suet. Aug.* 69. Filiam extraneorum coetu adeo prohibuit, ut etc. *Id. Claud.* 4. *extr.* Ne heredem quidem, nisi inter tertios, ac paene extraneos nuncupavit. *Tac. Agr.* 44. Finis vitae ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. *Just.* 1, 10. Ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam reversum videretur. Adde *Plin.* 28, 4, 7. ℙ [*Confund. a librariis *Extraneus* et *extrarius.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 7, 4. p. 626.]

EXTRAORDINĀRIUS, a, um, adj. ἐκτακτος, qui est extra ordinem, qui praeter consuetum morem, cursumve rerum fit. *Varr. R. R.* 2, 1. *extr.* Extraordinariae fructuum species duae accedunt magnae, quarum una est tonsura, altera de lacte et caseo, *h. e.* praeter ordinarium, qui est ex fetibus. *Cic. Ph.* 11, 8. At enim C. Caesari extraordinarium imperium mea sententia dedi: ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat. *Caes. B. C.* 1, 32. Se nullum extraordinarium honorem appetisse: sed exspectato legitimo tempore consulatus, eo fuisse contentum. *Cic. Brut.* 63. Extraordinaria consulatus petitio. *Id. Verr.* 2, 5, 14. Extraordinariae cupiditates. Et *ib.* 2, 1, 39. pecuniae, *h. e.* quae neque de reditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima accessione videntur adjectae, ut ait *Ascon.*, sed ex sordidis lucris et furtis. *Liv.* 40, 31. Equites extraordinarii sinistrae alae. Et *ib.* 27. et 34, 47. Extraordinariae cohortes, *h. e.* alariae, ex militibus sociorum selectae, qui erant extra ordinem ac numerum legionum. Vel legionariae quidem, sed extra legionum aciem, separato ordine dispositae. Et *ib.* Extraordinaria porta erumpere, *h. e.* praetoria, inquit *Gron.*, ubi tendebant extraordinarii. Non ideo tamen ita dicta, quia ibi tenderent, sed quia illa porta extra ordinem erumpere jussi sunt, qua robur legionum exire mos erat, non cohortes aliquot extraordinarias. *Lips.* vult, mendum esse, et *ordinaria* reponi, eandem praetoriam intelligendo. ℙ *Extraordinaria* a JCtis dicuntur ea, de quibus nihil lege est constitutum, sed eorum cognitio et judicium extra ordinem ad praetorem pertinet, ejusque arbitrio subjicitur. [*Hinc *extraordinaria judicia* dicuntur ea, quae habebantur aut de crimine, de quo nulla lex erat, aut de eo, quod atrocius existimabatur, quam quod secundum leges puniendum putarent.] Hinc *titulus* 11. *l.* 47. *Dig.* De extraordinariis criminibus inscribitur: et *t.* 13. *l.* 50. De extraordinariis cognitionibus. *Ulp. Dig.* 47, 20, 2. Coercitio extraordinaria.

EXTRĀRIUS, a, um, adj. exterior, externus: ab *extra*, ἐξωτικός. *Auct. ad Her.* 2, 13. Absoluta juridiciali constitutione utemur, cum ipsam rem jure factam dicemus, sine ulla assumptione extrariae defensionis. *Cic. Inv.* 2, 56. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extrariis rebus. Al. leg. *extraneis. Lucr.* 4, 277. Extraria lux oculos perterget. ℙ Item alienus, non domesticus, hoc est qui non est ex nostra domo, patria, gente, aut ditione. [*Forma extrarius Mureto ad h. l. non satis latina videbatur, sed ab idoneis scriptoribus usitatam esse ostendunt *Interpp.* ad *Suet. Vesp.* 5. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 43.] *Ter. Phorm.* 4, 1, 13. Hanc conditionem si cui tulero extrario. Al. leg. *extraneo.* [*Ap. *Flor.* 4. p. 359, 33. Et qui penes extrarios saepenumero promtissime disceptavi, idem nunc penes meos haesito.] *Suet. Vep.* 5. Canis extrarius e trivio. *Quint.* 7, 4. Sub extrario accusatore prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Al. leg. *extraneo. Jabol. Dig.* 38, 2, 36. Libertus, praeterito patrono, extrarios reliquit heredes. *Afran.* ap. *Non.* 2, 268. Extrarium esse ab aliquo. ℙ *Fest.* inter extrarium, et extraneum sic distinguit, ut *extrarius* sit, qui extra focum, sacramentum, jusque sit; *extraneus* ex altera terra, quasi exterraneus. ℙ [*Confund. *Extrarius* et *extraneus.* V. s. h. v.]

EXTRĒMISCO, is, n. 3. idem ac tremisco. Quidam tribuunt *Minucio Octav.* 28., sed plerique leg. *contremiscunt.*

EXTREMĪTAS, atis, f. τὸ ὕστατον, id quod in quaque re extremum est. *Cic. Fin.* 2, 31. Infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas. *Id. Univ.* 6. Mundus globosus est fabricatus: quod σφαιροειδὲς Graeci vocant: cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. Sic *Plin.* 2, 17, 14. Extremitas circuli. *Id.* 35, 10, 35. *n.* 5. Extremitus picturae. [*der Umriss.] *Id.* 6, 30, 35. Extremitates Aethiopiae. *Id.* 31, 7, 39. lacuum tantum inarescunt. *Id.* 28, 6, 17. corporis, vel aurium. *Id.* 23, 1, 24. Febrium accessiones cum frigore extremitatum. *Cic. Acad.* 4, 36. *med.* Extremitas et quasi libramentum, *h. e.* extima superficies, ἐπιφάνεια.

EXTRĒMO, is, ui, n. 3. idem ac tremo. *Sedul.* 4, 286. Extremuit letale chaos. Alii melius leg. *Et tremuit.*

EXTRĒMUS, a, um, adj. ὕστατος, ἔσχατος, extimus, ultimus, postremus, novissimus, summus: superl. ab *extra*, vel *exter. Cic. Div.* 2, 43. Coelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. *Id. Cluent.* 65. *extr.* Ne in extrema quidem, aut media, aut in aliqua quidem parte quaestionis. *Id. Att.* 6, 1. *med.* In extrema fere parte epistolae. [*Liv. 37, 53, 8. Extremus finis: ubi vid. *Drak.* et *id.* ad *Liv.* 6, 12, 10.] *Hor. ep.* 2, 2, 204. Extremi primorum, *Tac. H.* 4, 42. Extremus dominorum. *Cic. Leg.* 2, 21. *extr.* Mensis extremus anni Februarius. *Id. Verr.* 2, 5, 45. Matres ab extremo complexu librum exclusae, quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret. [*Ter. *Eun.* 4, 2, 12. Extrema linea amare, h. e. e longinquo amare, amicam non adire aut tangere.] *Hor. Ep.* 1, 1, 45. Impiger extremos currit mercator ad Indos, *h. e.* positos in extremis terrae regionibus, longe dissitos, remotissimos. Sic *Od.* 3, 10, 1. Extremum Tanaim bibere. [*Virg. *Ecl.* 10, 1. Extremus labor. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 21. p. 67.] *Cic. Brut.* 33. Extrema manus non accessit ejus operibus. *Id. Fam.* 4, 13. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem Et *Att.* 11, 16. *f.* Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse, cum Camillo communices. ℙ [*Item primus, in quem sensum etiam ultimus ponitur. *Liv.* 44, 9, 9. In fronte extrema: quod saltem *Drak.* explicat: in prima fronte. ℙ Translate pro summus. *Cic. Amic.* 8. Belluarum hoc quidem extremum est, sc. voluptas. *Cic. Fin.* 3. Quum enim hoc sit extremum (sentis enim, me quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum).] ℙ *Extremus liber, extrema oratio, epistola*, et similia non solum significat ultimum e multis libris, ultimam e multis epistolis etc., sed ejusdem libri, aut epistolae partem ultimam. *Cic. Off.* 3, 2. In extremo libro tertio. *Id. Or.* 1, 10. Quod vero in extrema oratione sumpsisti. *Id. Verr.* 2, 1, 36. In codicis extrema cera. *Id. Att.* 14, 8. Litterae, quibus in extremis erat, sibi insidias fieri. Et *ib.* 13, 45. Lamia epistolam attulit, in qua extrema scriptum erat etc. ℙ Hujus generis sunt illa quoque: *Caes. B. G.* 6, 28. In extremo ponte turrim constituit. *Cic. Fam.* 15, 4. in extrema Cappadocia. Et *Manil.* 12. *extr.* Extrema hieme. Et 10. Extrema pueritia. Et *Coel.* 12. Extremis digitis attingere. Et *Sil.* 7, 172. et 14, 8. Extremus dies, *h. e.* vesper, et regio occidentalis, ubi sol vespere occidit. Et *Liv.* 2, 64. Extremo anno. Et *Nep. Con.* 1. Praetor fuit extremo Peloponnesio bello. *Varr. L. L.* 5, 2. *f.* Extrema luna, *h. e.* extremus lunae dies. ℙ Dicitur de iis rebus, quas ultra nulla est spes, desperatis, in praecipiti positis. *Cic. Quint.* 15. Ad extrema, et inimicissima jura cupide descendere. *Suet. Ner.* 6. *extr.* Rursusque extremis suis rebus frustra requisivit. *Caes. B. G.* 2, 25. In extremis suis rebus. *Julian. Dig.* 40, 5, 47. In extrema valetudine esse. *Liv.* 22, 29. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, extremi ingenii est. *Caes. B. G.* 2, 27. et 33. Hostes in extrema spe salutis tantam virtutem praestiterunt, ut etc. Et *ib.* 7, 40. In extrema fortuna deserere patronos. Et *ib.* 3, 5. Res ad extremum adducta casum. Et *ib.* Eruptione facta extremum auxilium experiri. *Sall. Jug.* 3. Neque aliud, se fatigando, nisi odium quaerere, extremae dementiae est. *Just.* 35, 1. Subornant quendam sortis extremae juvenem, *h. e.* incertae stirpis, ignotum, egenumque rerum omnium. [*Alia hujus generis dant *Duk.* ad *Flor.* 2, 3. *Ruhnk.* ad *Vell. Pat.* 2, 11.] *Sen. ep.* 70. *f.* Extrema mancipia. *Tac. A.* 6, 24. Orare extrema vitae alimenta, *h. e.* cibos vel vilissimos, dummodo vita trahatur. *App. Met.* 3. p. 131, 32. Extremi latrones, *h. e.* pessimi, nequissimi. ℙ Huc pertinent illa *Flor.* 4, 5. Compellere ad extrema deditionis. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *med.* Descendere ad extrema. *Curt.* 4, 14. *med.* Ad extrema perventum est. *Tac. H.* 4, 59. Famem, ferrum, et extrema pati. *Id. H.* 2, 47. Plura de extremis loqui, pars ignaviae est, *h. e.* de morte. *Julian. Dig.* 40, 5, 47. Esse in extremis. *Sall. Cat.* 55. Respublica est in extremo. Sic *Tac. A.* 14, 61. Vita in extremum adducta. ℙ *Extremum* absolute est extremitas, finis. *Cic. Div.* 2, 50. Quod finitum est, habet extremum. *Sil.* 4, 88. Sub extremum noctis. *Sall. Jug.* 24. Extremum diei. Et 95. aestatis. Et 41. In extremo montis. *Plin.* 11, 37, 68. Summum gulae fauces vocantur, extremum stomachus. *Liv.* 35, 11. Extremo anni. [*Liv. 6, 32, 11. Extrema agminis. *Drak.* ad *Liv.* 21, 34, 7.] *Tac. A.* 4, 74. Extrema imperii. *Flor.* 3, 3. Extrema Galliae. *Plin.* 8, 10, 10. Extrema Africae, qua confinis Ethiopiae est. ℙ Aliquando adverbii loco ponitur. *Ov. Trist.* 1, 3, 15. Alloquor extremum moestos abiturus amicos. *Id. Met.* 14, 431. extremum tenues liquefacta medullas Tabuit. ℙ *In extremum* est usque ad finem. *Ov. Her.* 7, 111. Durare in extremum. ℙ *Ad extremum* est in extrema parte. *Liv.* 21, 8. *f.* Missile telum hastili oblongo, et cetera tereti, praeterquam ad extremum. ℙ Item omnino, vel pertide. *Id.* 23, 2. Improbus homo, sed non ad extremum perditus, cum mallet incolumi, quam eversa republica dominari. ℙ Item usque ad extremum. *Ov. Pont.* 1, 9, 28. Ne sit ad extremum Caesaris ira tenax. Adde *ib.* 3, 7, 20. ℙ Saepius pro tandem, et denique sumitur. *Cic. Att.* 2, 21. Cum diu occulte suspirassent, postea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes, et clamare coeperunt. *Id. Or.* 2, 19. Inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere. *Caes. B. G.* 4, 4. Complures annos Suevorum vim sustinuerunt: ad extremum agris expulsi etc. ℙ *Extremo* eod. sensu. *Nep. Amilc.* 2. Sed extremo Amilcarem imperatorem fecerunt. *Cic. fragm. in Pis.* ap. *Ascon.* Prius Gallus, deinde Gallicanus, extremo Semiplacentinus. *Modest. Dig.* 32, 1, 81. Qui extremo mortuus est. ℙ Comp. *extremior*, et Sup. *Extremissimus:* illud est *Appul.* 1. p. 105, 35. et *Met.* 7. p. 188, 28., hoc *Tert. Apol.* 19. ℙ [*Confund. *Extremus* et *Externus. Drak.* ad *Liv.* 34, 25, 6. — et *aeternus. id.* ad *Liv.* 4, 4, 4.]

EXTRĪCĀTUS, a, um, part. ab *extrico*, exsolutus, expeditus, explicatus. *Hor. Od.* 3, 5, 31. Extricata densis cerva plagis. [*Cic. ad *Att.* 15, 20. Solutio extricata.] *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *f.* Si cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea invito vel inscio viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur, *h. e.* solutas, nullo funiculo colligatas.

EXTRĪCO, as, avi, atum, a. 1. ἐξελίττω, explico, libero: a *tricis. Col.* 3, 11. Silvestris ager etiamsi frutectis aut arboribus obsessus est, facile extricatur. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 1, 26. Putas, eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos? *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico. *Pl. Ep.* 1, 2, 49. Aliqua ope exsolvam, extricabor aliqua. *Hor. Sat.* 1, 3, 88. Mercedem aut nummos unde unde extricat, *h. e.* parat, expedit, eruit. *Phaedr.* 4, 22. Qui magna cum minaris, extricas nihil, i.e. magna jactans pollicitusque, nihil expedis, nihil praestas.

EXTRĪLĪDUS, a, um, adj. impavidus, quasi qui extra laesionem est: ab *extra* et *laedo. Gell.* 19, 1. Hominem conspicimus impavidum et extrilidum. Alii *extrilidum* interpretantur exalbidum, timore pallentem. V. ipsum *Gellii* locum. Alii denique ipsam lectionem sollicitant.

EXTRINSĒCUS, adv. ἔξωθεν, ab exteriori parte. *Cic. Acad.* 4, 40. *f.* Irrumpunt extrinsecus in animos nostros per corpus imagines, nobis dormientibus. *Id. N. D.* 2, 54. Pulmones et cor extrinsecus spiritum adducunt. *Liv.* 2, 33. Extrinsecus imminens bellum. *Cic. Div.* 1, 24. Columna extrinsecus inaurata. *Cels.* 4, 1. Jecur intrinsecus cavum, extrinsecus gibbum. *Id.* 5, 26. *in.* Extrinsecus aut intra se. *Col.* 2, 9. *med.* Extrinsecus albidum, intus candidum. *Lucr.* 1, 528. plagis extrinsecus ictus. *Sen. ep.* 33. Extrinsecus auscultare. ℙ Pro extra rem. *Col.* 1, 6. *med.* Haec etsi extrinsecus, non tamen intempestive videor hoc loco retulisse. ℙ [*Praeterea. *Eutrop.* 9, 25. Castra diripuit; uxores, sorores, liberos cepit; infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem. Quod novo usu dictum est, nisi velis explicare: extra castra, sed hoc minus etiam placet. Cfr. *Tzschuck.* ad h. l.] ℙ Adjective. *Tert. Pall.* 1. Pallium extrinsecus habitus et ipse quadrangulus. Sed non est imitandus.

EXTRĪTUS, a, um, part. ab *extero*, exterendo elicitus, expressus. *Lucr.* 5, 1097. Exprimitur validis extritus viribus ignis. ℙ Item contritus, elisus. *Sen. ep.* 57. *med.* Animam hominis magno pondere extriti permeare non posse. ℙ Item extractus, exemptus, ut Extrita syllaba. *Varr. L. L.* 9, 5. V. EXTERO.

EXTRO, as, n. 1. exeo, apud veteres. *Afran.* ap. *Non.* 2, 279. Simul limen intrabo, illi extrabunt illico.

[EXTRŌMĔĀTUS. V. EXTRAMEATUS. *F.*]

EXTRUCTIO. V. EXSTRUCTIO.

EXTRŪDO, is, usi, usum, a. 3. ἐξωθέω, extra trudo, per vim expello. *Pl. Aul.* 1, 1, 5. Me extrusisti ex aedibus. Et 31. Decies die uno saepe extrudit aedibus. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Domo aliquem extrudere. *Ter. Eun.* 4, 5, 11. Extrudere foras. *Caes. B. G.* 3, 12. Mare aggere ac molibus extrudere. *Mela* 2, 7. Euboea ad meridiem promontorium Geraeston et Capharea extrudit. [*Rutil. Lup.* 2, 7. p. 106. Paullum illud, reliquum quod habet, mentis ac sensus, poculis extrudere festinat, ubi vid. *Ruhnk.*] ℙ Item compello aliquem celeriter proficisci, quadam vi et veluti manu adhibita. *Cic. Or.* 2, 58. Non nimis liberale hospitium meum dices, nam te in viam, simulac perpaulum gustaris, extrudam et ejiciam. *Id. Fam.* 14, 6. Pollicem, si non est profectus, quamprimum fac extrudas. Adde ad *Brut.* 1, 14. Sic *Ter. Hecyr.* 1, 2, 98. Eo invitum Pamphilum

extrusit pater; et *Cic. Phil.* 10, 5. Extrudi a senatu in Macedoniam. ℙ *Extrudere merces* est cupide vendere et quasi invitis emptoribus distrahere. [**los werden, an den Mann bringen.*] *Hor. Ep.* 2, 2, 10. Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

EXTRŪO. V. EXSTRUO.

EXTRŪSUS, a, um, part. ab *extrudo*, expulsus. [**Caes. B. G.* 3. 12. Extruso mari aggere ac molibus, i. e. submoto mari.] *Lucr.* 3, 978. Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas. *Tac. Agr.* 33. A latebris suis extrusi hostes.

*EXTUBĔRASCO, is, n. 3. idem ac extubero. Part. *Extuberascens* ap. *Jul. Val. res gest. Alex. M. (A. Maio)* 1, 29. Eminentias quinque, quibus in cetero aequore extuberascentibus decus urbis est maximum. *B. A.*

EXTUBĔRĀTIO, onis, f. *ὑπερσάρκωσις*, caro ex morbida causa alicubi in corpore excrescens. *Plin.* 31, 9, 45. Luxatis imponitur sal cum farina et melle: item extuberationibus.

EXTUBĔRĀTUS, a, um, part. ab *extubero. Ammian.* 22, 15. Aviditate nimia extuberatus venter. *Solin.* 27. *med.* Enormi corpulentia extuberatus.

EXTUBĔRO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπιφυσάω*, intumesco, excresco. *Plin.* 21, 16, 56. Radice foliosa, ex qua media veluti malum extuberat. *Id.* 37, 8, 33. Gemma velut oculi figura extuberans. [*Legitur etiam in aliquot editt. apud *Pall. Mart.* 10, 25. Extuberat frequens nodus: ubi alii exuberat.] ℙ Nonnunquam active ponitur pro tumescere facio. *Sen. Q. N.* 6, 4. Defert montes, subrigit plana, valles extuberat.

EXTŪLO, is, dicebant antiqui pro extra fero. Itaque legunt nonnulli *in Pl. Most.* 1, 2, 41. Extulunt, parant sedulo etc. Alii *extollunt.*

EXTŪMĔO, es, ui, n. 2. *ἐξοιδέω. Pl. Truc.* 1, 2, 97. Uterum illi nunquam extumere sensi.

EXTŪMESCO, is, n. 3. idem quod extumeo. *Plin.* 37, 5, 18. Smaragdi extumescentes.

EXTŪMĬDUS, a, um, adj. idem ac tumidus. *Varr. R. R.* 1, 51. Aream potissimum rotundam et mediam paulo extumidam.

EX TUNC, adv. ex illo tempore. *Appul. Met.* 7. p. 198, 13. Ex tunc poenae reservatus. Alii melius leg. *Extremae poenae.* Addunt quidam locum *Val. Max.* 1, 5. *f.*, sed ibi *et tunc* est legendum. [*Videndum tamen annon *Ex tunc* defendi debeat. Cfr. *Ex nunc.*]

EXTUNDO, is, tŭdi, tūsum, a. 3. *ἐκκόπτω*, idem quod tundo aut valde tundo. *Sen. Contr.* 5, 33. Alium distorquet, alium delumbat, alterius diminutas scapulas in deforme tuber extundit. *Phaedr.* 1, 21. calcibus frontem extudit. Al. leg. *exterit.* ℙ Item tundendo expello, excutio. *Cels.* 4, 4, *n.* 5. Frequens tussis sanguinem quoque extundit. ℙ Metaphorice. *Hor. Sat.* 2, 2, 14. Cum labor extuderit fastidia. *Bentlej.* perperam *extulerit* legit. [*V. *Heind.* ad *h. l.*] *Auct. Pan.* ad *Pis.* 164. Illo dulce melos Nereius extudit heros Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem, *h. e.* chelyn pulsando elicuit sonum. ℙ Saepe translate sumitur pro tundendo, hoc est precibus instando aut alia quapiam ratione obtinere, extorquere ab invito. *Pl. Most.* 1, 3, 63. Eundem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi, atque olim, priusquam id extudi. *Suet. Vesp.* 2. Latum clavum diu aversatus est, nec, ut tandem appeteret, compelli, nisi a matre, potuit. Ea demum extudit magis convicio, quam precibus vel auctoritate. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 4. Corvi duo in os ejus adversum, velut iter impedientes, advolaverunt; vixque extuderunt, ut domum rediret. *Id.* 5, 2. *n.* 10. Perseveranti postulatione extuderunt, ut etc. *Quint.* 1, 3. Quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit, *h. e.* extorquet, exprimit ab iis, ut litteras addiscant. [*V. *Spald.* ad *h. l.*] ℙ Item pro excutere inveniendi causa, studiose quaerere, expiscari, excogitare. *Virg. G.* 4, 315. Quis Deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem? Et 326. hunc vitae mortalis honorem, Quem mihi vix frugum et pecudum custodia solers Omnia tentanti extuderat etc., *h. e.* pepererat, comparaverat. *Gell.* 17, 20. Eloquentiae unius extundendae gratia Athenas venisse, *h. e.* acquirendae, addiscendae. ℙ Item moliendo facere, conficere. *Auct. dial. de Or.* 9. Ut cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro cogatur, ut sint qui dignentur audire.

*EXTURBĀTĬO, onis, f. *Hieron. B. A.*

*EXTURBĀTOR, oris, m. *August. B. A.*

EXTURBĀTUS, a, um, part. ab *exturbo*, expulsus, dejectus. *Cic. Verr.* 2, 4, 30. Antiochus praeceps provincia exturbatus. *Acc.* ap. *Non.* 1, 48. Extorris regno, exturbatus mari. *Catull.* 64, 108. Pinus radicibus exturbata. *Cic. Cluent.* 5. *extr.* Expulsus atque exturbatus.

EXTURBO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξωθέω, ἐκβάλλω*, per vim ejicio, expello, excutio. *Pl. Poen.* 1, 2, 168. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiae exturbo oculos atque dentes. *Plin.* 20, 10, 42. Radix ex vino pota calculos quoque exturbat. *Pl. Trin.* 3, 3, 76. Cunctos exturba aedibus. Et 1, 2, 100. et 2, 4, 200. Eum exturbasti ex aedibus. Et 4, 3, 77. Nos exturbavit foras. *Id. Curc.* 2, 1, 9. Exturbare ex animo aegritudinem. [**Liv.* 6, 21, 8. Exturbare spem pacis. *Drak.* ad *Liv.* 2, 15, 5.] *Justin.* 14, 3. ex animo facti memoriam. *Cic. Sull.* 25. *f.* homines e possessionibus. *Id. Mur.* 22. hominem e civitate. [**Cic. Rosc. Am.* 8. Nudum ejicit domo atque focis patriis diisque penatibus praecipitem exturbat. Vid. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 13. p. 45.] *Ov. Met.* 15, 175. caede nefanda Exturbare animas, *h. e.* ex corporibus ejicere. *Cic. Quint.* 31. Exturbari fortunis omnibus, *h. e.* spoliari. Et 15. Exturbare quempiam ex numero vivorum. *Id. Cluent.* 5. *extr.* Expellere et exturbare. *Id. Agr.* 2, 31. Exturbare et expellere. *Tac. A.* 11, 12. Messalina in Silium ita exarserat, ut Juniam matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. [**Cic.* pro dom. 42, 110. Quum indemnatum exturbares, ubi vero *Markl.* p. 255. *Wolf.* contendit, Ciceronem in hoc verbo non omittere ablativum, nisi ubi ex alio membro orationis subaudiri possit.] ℙ Item dejicere, evertere. *Ascon. argum. Milon.* Milo exturbari tabernam jussit. V. *Catulli* locum in voce praeced. ℙ Translate. *Brut.* ad *Cic.* 1. ad *Brut.* 16. *f.* Cicero judicium suum tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. Multa convenerunt, quae mentem exturbarent meam, *h. e.* de statu dejicerent. ℙ Est etiam valde turbare, miscere, perturbare. *Pl. Most.* 4, 3, 38. Nunquid Tranio turbavit? *Th.* immo exturbavit omnia. *Stat. Th.* 1, 441. Exturbare odiis tranquilla silentia noctis. ℙ Part. *Exturbans* ap. *Sil.* 16, 481. Ocius effusis nervo exturbante sagittis.

EXTUSSĬO, is, ivi, itum, a. 4. est tussiendo aliquid ejicere. *Cels.* 2, 8. *med.* Vomicam excitat, sic ut extussiatur. *Plin.* 23, 3, 35. Sanguinem ejicientibus et suppurata extussientibus.

EXTUSSĪTUS, a, um, part. ab *extussio*, tussiendo ejectus, ut Extussita sputa. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 16.

EXVĂPORO. V. EXSUPPURO.

EXŪBĔRANS, antis, part. ab *exubero*, uberius abundans. *Gell.* 3, 9. Vigoreque et colore exuberantissimo. *Lactant.* 4, 29. Fons exuberans. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. Calydonia altrix terra exuberantium virum, *h. e.* multorum vel fortium, magnorum, illustrium, virtute exuberantium.

EXŪBĔRANTĬA, ae, f. exuberatio. *Gell.* 2, 26. Phoeniceus color exuberantiam splendoremque significat ruboris. *Id.* in titulo *c.* 7. *l.* 8. Exuberantia memoriae.

EXŪBĔRĀTĬO, onis, f. abundantia. *Vitr.* 1, 4. Exuberationibus aut defectionibus laborare. *V. Exsuperatio. *B. A.*

EXŪBĔRO, as, n. 1. *εὐθηνέω*, superabundo: ab *ex* et *ubero. Virg. G.* 2, 516. pomisque exuberat arbor. Et *ib.* 1, 191. luxuria foliorum exuberat umbra. *Id. A.* 7, 465. alte spumis exuberat amnis. *Val. Fl.* 3, 234. sanguis exuberat ulna, *h. e.* abunde exit. *Suet. Cal.* 40. Lucrum exuberat. *Auct. Dial. de Or.* 30. Ex multa eruditione, ex pluribus artibus exundat et exuberat eloquentia. *Gell.* 7, 22. Luxuriare et exuberare. *Col. prooem.* In Asia Mysiaque densa et glutinosa terra maxime exuberat. Reperitur etiam active. *Id.* 9, 4. Quae favorum ceras exuberant, *h. e.* uberes reddunt. *Id.* 2. 16. Materiam meliorem vindemiis exuberandis.

EXUCCUS. V. EXSUCCUS.

EXUCTUS. V. EXSUCTUS.

EXŪDO. V. EXSUDO.

EXVĔHO. V. EVEHO.

EXVĔLĀTUS. V. EXSINUATUS.

EXVERRAE. V. EVERRAE.

EXVERTO, is, erti, sum, a. 3. praevenire, praeoccupare. *Pl. Poen.* 4, 2, 52. Cito homo exverti potest. Optimi codices habent *perverti.* [*Hoc verbum etiam ap. *Plinium* reperiri auctor est *Seyfert.* Gr. Lat. §. 1640. nro. IV. Sed qua auctoritate hoc contendat nescio. Cfr. *Schneid. Elementarl.* Tom. II. p. 563.]

*EXŪGENS, entis, part. ab *exugo* vel *exsugo. *Fest.:* Exugentes, Exprimentes. *Plin.* 23, 1. *extr.* Aceto os colluunt venena exsugentes. *B. A.*

EXŪGO. V. EXSUGO.

EXVIBRISSO, as, n. 1. idem ac vibrisso. *Tit.* ap. *Fest.* in *Vibrisso.* Si erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses.

EX VĪCĀRĬO, indeclin. qui vicarius fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 5. Caejonius Rufius Volusianus V. C. et ex vicario Asiae. Adde *Ammian.* 22, 11.

EXUL etc. V. EXSUL.

*EXULATICĬUS, *φυγᾶς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

EXULCĔRĀTĬO, onis, f. *ἕλκωσις*, plaga. *Plin.* 20, 3, 8. Et interaneorum, vesicarumque exulcerationibus. *Cels.* 4, 22. Si nulla exulceratio est. ℙ Translate. *Sen. Cons.* ad *Helv.* 1. Verebar, ne haec non consolatio, sed exulceratio esset, *h. e.* doloris renovatio.

EXULCĔRĀTORĬUS, a, um, adj. exulcerandi vim habens. *Plin.* 23, 7, 64. Exulceratorium medicamentum.

EXULCĔRATRIX, icis, f. quae exulcerat. *Plin.* 27, 12, 80. Vis ei styptica et exulceratrix.

EXULCĔRĀTUS, a, um, part. ab *exulcero. Cels.* 4, 16. Cutis exulcerata. *Plin*, 28, 13, 54. Exulceratus stomachus. *Id.* 23, 2, 32. Acetum exulceratis. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 11. Tot suspicionibus certorum hominum, et scelere exulceratus. Sic *Id. Dejot.* 3. Ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. *Liv.* 9, 14. Ira exulceratos ignominia stimulabat animos. *Cic. Fam.* 1, 1. Ut in rebus ab ipso rege, et ab intimis Pompeji clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, et in summam invidiam adductis; ita versamur. *Petr. Sat.* 111. Cetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem revocantur, *h. e.* aegrae, afflictae, moerentes.

EXULCĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξελκόω*, ulcus induco. *Varr. R. R.* 2, 9. de canib. Perungunt aures, et inter digitos, quod muscae et ricini et pulices solent ea exulcerare. [**Col.* 7, 9, 5. Exulcerantur vulvae ferro.] *Cels.* 4, 15. Omnis agitatio exulcerat. *Plin.* 27, 12, 90. Polyanthemum caustica vi exulcerat cicatrices. *Cels.* 3, 21. *med.* Ferramentis candentibus venter exulcerandus est. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 42. Ut ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Et *Or.* 2, 75. Cur aut adversariorum adjumenta confirmant, aut ea, quae sanare nequeunt, exulcerant? *Plin. ep.* 1, 12. Exulcerare dolorem.

EXŪLO. V. EXSULO.

EXULTO etc. V. EXSULTO.

*EXULULATĬO, onis, f. *August. B. A.*

EXŪLŪLĀTUS, a, um, part. ab *exululo*, ululando clamatus. *Ov. A. A.* 1, 507. Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater Concinitur, Phrygiis exululata modis. ℙ Deponentis forma, qui exululat. *Id. Trist.* 4, 1, 41. Usque suum Bacchis non sentit saucia vulnus, Dum stupet Edonis exululata jugis, *ἐξολολύσασα.*

EXŪLŪLO, as, n. 1. *ἐξολολύζω*, valde ululo. *Ov. Met.* 1, 233. nactusque silentia ruris Exululat, frustraque loqui conatur. *Val. Fl.* 8, 171. Sic genitrix, similique implet soror omnia questu Exululans. *Sil.* 12, 598. sparsaeque solutis Crinibus exululant matres. [*V. *Drak.* ad h. l.]

*EXUNCTĬO, onis, f. ap. *Celsum* esse dicitur. *B. A.*

[EXUNCTUS, a, um, part. ab *exungo. Pl. Trin.* 2, 4, 5. Quid factum est eo? *(argento).* Comesum, expotum, exunctum, elotum in balineis, *h. e.* unguentis emendis absumptum. *F.*]

EXUNDĀTĬO, onis, f. *καταχλυσμός*, supereffluentia. *Plin.* 19, 3, 13. Nisi exundatione fluminum invecto semine a Tiaris.

EXUNDO, as, avi, atum, n. 1. *ἐκπλημμυρέω, καταχλύζω*, extra undo, abunde effluo. *Colum.* 8, 17. Rivis, per quos exundat piscina, praefigantur aenei cancelli. *Plin.* 2, 103, 106. Fons tertia noctis hora in sextam exundat. *Sen. Agam.* 222. alto sanguine exundans solum. Et 903. Trunco cruor exundat. *Tac. Germ.* 45. Tura balsamaque in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant, *h. e.* fluunt, feruntur, exeunt in litus. ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Sil.* 3, 314. in Libyam dirum fluxisse cruorem: Inde Medusaeis terram exundasse chelydris. *Id.* 14, 62. Flammarum exundat torrens. *Stat. Theb.* 12, 431. exundant diviso vertice flammae. *Sil.* 5, 456. Spiritus exundans perflavit campum, *h. e.* morientis anima exiens. *Sen. Oed.* 924. Mersus alte magnus exundat dolor. *Id. Med.* 492. Exundat furor. *Auct. Dial. de Or.* 30. Exundat et exuberat eloquentia. *Juven.* 10, 119. Exundans ingenii fons. *Sen. Ira* 1, 7. Temperare iram: eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere. ℙ Cum accus. *Sil.* 2, 630. densum qua turbine nigro Exundat fumum piceus caligine vertex. Al. leg. *exundat fumans.*

EXUNGO, is, a. 3. idem ac ungo. *Pl. Rud.* 2, 7, 21. Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim.

EXUNGUIS, e, adj. qui ungue caret. *Tertull. Pall.* 5. Muraena bestia edentula, et exunguis, et excornis.

EXUNGŬLO, as, a. 1. *ἐξονύζω*, ungues aufero. Affertur locus ex *Pl. Truc.* 2, 2, 57., sed ibi legendum est *sexungula*, quam vocem V. suo loco. ℙ *Exungulare*, neut. signif. pro ungues amittere, habet *Veg. Veter.* 2, 57. Si exungulaverit jumentum.

EXŬO, is, ui, utum, a. 3. *ἀποδύω, ἐκδύω*, indumenta, aut quidpiam aliud corpori adhaerens detraho, aut depono, spolio. Est ab allato *ἐκδύω*, quasi *ecduo*, ut *Voss.* docet, et probat *Cellar.*: opponitur autem voci *induo*, quod ab *ἐνδύω*, subeo. Sunt, qui minus recte ab *ex*, et *suo* ducunt, et *exsuo* scribunt. [*Cfr. *Ruddim. Inst.* 1. p. 225.] *Virg. A.* 5, 423. Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit. *Suet. Ner.* 32. Veste aliquem exuere. *Pl. Men.* 1, 3, 16. Exuere pal-

lam. *Hor. Ep.* 17, 15. membra pellibus. *Virg. A.* 1, 693. Amor exuit alas. Et *ib.* 5, 420. Trojanos exue caestus. *Mart.* 14, 109. Exuere digitos. *scil.* anulis. *Appul. Met.* 1. p. 110, 27. manticam humero. *Ov. Her.* 13, 147. alicui clypeum. *Id. Met.* 2, 419. pharetram humero. *Id. ib.* 7, 773. jamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. se ex laqueis. *Liv.* 35, 17. jugum. Et 34, 13. *extr.* se jugo. *Ov. Met.* 9, 52. amplexus. ℙ Passive, et Graeca constructione. *Id. ib.* 7, 317. minuuntur corporis artus, Cornuaque exuitur, necnon cum cornibus annos. ℙ Pro extrahere, educere. *Stat. Theb.* 9, 287. Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum Exuit. ℙ Pro detegere. *Mart.* 9, 60. mensas et opertos exuit orbes. ℙ Exuere vagina ensem. *Stat. Theb.* 9, 76. Simile est illud *Ov. Med. fac.* 54. hordea Exue de palea, tegminibusque suis. ℙ Translate est spoliare, detrahere, privare, auferre. *Caes. B. G.* 7, 14. Impedimentis exuere hostem. *Sall. Jug.* 93., et *Liv.* 34, 28. armis. *Sall. fr. ep. Mithrid.* classe. *Vell.* 1, 9. et *Liv.* 31, 42., et 41, 12. castris *Sen. ep.* 90. *med.* Sapientia vanitatem exuit mentibus, *h. e.* detrahit, expellit. *Juven.* 13, 188. Paulatim vitia atque errores exuit omnes Prima docens rectum sapientia. *Tac. A.* 14, 31. Avitis bonis aliquem exuere. *Id. ib.* 13, 39. hostem sedibus. [**Flor.* 2, 7, 9. Exuere aliquem castris. Adde *id.* 3, 3, 4.] ℙ Item deponere, abjicere. *Cic. Ligar.* 14. Si clamare coepisses, Caesar cave ignoscas, cave te fratrum misereatur; nonne omnem humanitatem exuisses? *Juv.* 11, 188. Ante meum, quidquid dolet exue limen. *Virg. A.* 4, 319. Exue mentem. *Id. G.* 2, 51. Exuere silvestrem animum. *Mart.* 10, 30. curas. *Ov. Met.* 1, 622. Metum omnem. *Petr.* 122. in carm. moras omnes. *Ov. Met.* 14, 777. animam. *Id. Amor.* 3, 4, 43. Vultus severos. *Id. Fast.* 3, 281. Feritatem. *Liv.* 27, 8. mores antiquos. *Id.* 34, 7. *f.* servitutem. *Sil.* 7, 496. mente monita. *Tac. A.* 1, 75. Virtutes. Et *ib.* 6, 25. vitia et 8. amicitiam alicujus; et 4, 72. pacem et 12, 14. fidem; et 6, 43. pacta; et 13, 44. promissa; et *ib.* 13. obsequium in matrem; et *H.* 3, 5. jus fasque; et *Ann.* 14, 52. magistrum; et *H.* 5, 5. patriam; et *A.* 11, 19. Jussa. [**Exuere bovem, hominem, asinum pro: exuere formam bovis, hominis, asini. *Oudend.* ad *Appul. Met.* 3, 221. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 14, 108.] ℙ Illa quoque eleganter translata sunt *Livii* 2, 23. Exuere se agro paterno: *scil.* divendendo aeris alieni causa. *Sen. ep.* 11. Exuere se omnibus vitiis. *Cic. Fin.* 5, 12. Fugere plane ipse se, et hominem ex homine exuens, naturam odisse videatur. *Stat. Silv.* 4, 3, 50. Exuere montes, *h. e.* spoliare arboribus. ℙ [**Confunduntur *Exuere* et *exigere. Burm.* ad *Ov. Fast.* 3, 281.]

EXŪPĔRO *c. Deriv.* V. EXSUPERO.

*EXUPĔRUS, a, um, adj. *Appul. de herb.* 65. et 72. *B. A.*

EXURDO. V. EXSURDO.

EXURGĔO, es, a. 2. exprimo, elicio: ductum a spongia, quae ut humorem reddat, urgetur et comprimitur. *Pl. Rud.* 4, 3, 69. Ego te itidem quasi penicillus novus exurgeri solet, exurgebo quidquid humoris tibi est. *Cato R. R.* 156. In linteum exurgeto succum. Al. leg. *exsugeto*, ab *exsugeo*. V. EXSUGO.

EXURGO. V. EXSURGO.

EXŪRO, is, ussi, ustum, a. 3. i. q. uro, aut valde uro, peruro. *Hirt. B. Afr.* 26. Villas exuri, agros vastari, pecus diripi. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Domi suae vivus exustus est. *Virg. A.* 1, 43. Exurere classem Argivum. *Curt.* 4, 7. Fervido solo exurente vestigia. Sic *Tibull.* 2, 3, 9. Nec quererer, quod sol graciles exureret artus; et *Plin.* 30, 4. Si ferventia os intus exusserint. *Id.* 17, 9. *f.* Haec omnia segetem exurunt. *Phaedr.* 1, 6, 7. Sol omnes unus exurit lacus. ℙ Translate *Tibull.* 4, 2, 5. Illius ex oculis, cum vult exurere divos, Accendit geminas lampadas acer Amor, *h. e.* amore accendere. *Petr. Sat.* 121. in carm. Nec enim minor ira rebellat Pectore in hoc, leviore exurit flamma medullas, *h. e.* stimulat, ad furorem incitat. *Sen. Agam.* 665. Magis exurunt, quos secretae lacerant curae, *h. e.* pungunt, angunt. *Lucr.* 3, 931. et *Curt.* 4, 16. Sitis exurit fatigatos. *Id.* 1, 10. *extr.* Vim veneni talem esse constat, ut ferrum quoque exurat. *Sil.* 8, 273. Quos plurima passos Tertius exurit lacrimosis casibus annus. [**Amm. Marc.* 21, 1, 22. Pyrrhus Italiam bellis saevissimis exurens, ubi *Erfurdt.* similia attulit p. 320.] ℙ Pro delere, tollere. *Cic. N. D.* 3, 3. Mihi quidem ex animo exuri non potest, esse Deos. Al. aliter leg. *ex conjectura.*

EXUSCĬTO. V. EXSUSCĬTO.

EXUSTĬO, onis, f. *καῦσις*, ustio. *Cic. Somn. Scip.* 7. Propter eluviones, exustionesque terrarum. *Plin.* 17, 24. Exustio solis.

EXUSTUS, a, um, adj. ut Exustus ager ap. *Virg. G.* 1, 107. Sole exustus caseus, ap. *Colum.* 7, 8. Exusta palus. *Virg. G.* 3, 432. Loca exusta solis ardoribus. *Sall. Jug.* 22. et *Sil.* 5, 606. Clausus ubi exusto liquor indiguatur aeno, *h. e.* ferventi. ℙ Allegorice. *Cic. Brut.* 4. Sic omnis fetus repressus, exustusque flos veteris ubertatis exaruit. [**Confunduntur a librariis *exustus* et *exutus*. V. *Munck.* ad *Hyg. fab.* 102. p. 191.] ℙ **Exusta*, *ae*, insula in sinu Arabico. *Plin.* 6, 29. Praeter Exustam. Sic ed. *Hard.* Edd. vett. *exusta*. Ap. *Auct. Peripli maris Erythr.* est *καιακεκαυμένη*. *B. A.*

EXŪTUS, a, um, *ἀποδυσθείς*, spoliatus, detractus. *Mart.* 10, 4. Exutus puer pennis labentibus, *h. e.* Icarus. *Virg. A.* 2, 153. Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas. ℙ Translate *Plin.* 35, 11. Herculem exuta mortalitate, in coelum euntem. *Tac. A.* 3, 17. Exuta dignitas. *Cic. Tusc.* 5, 25. Mens exuta vitiis. Al. aliter leg. *Tac. A.* 16, 33. Omnibus fortunis exutus. *Flor.* 3, 1. Hostis exutus urbibus. *Curt.* 4, 15. Impedimentis. *Virg. A.* 11, 395. Armis. *Liv.* 41, 3. *extr.* Castris. *Suet. Gramm.* 11. patrimonio. *Sall. fr. or. Lepidi.* Imperio, gloria. ℙ Absolute *Tac. A.* 1, 2. Exutus Lepidus, *h. e.* spoliatus auctoritute et potentia. ℙ Cum accus. more Graecorum. *Virg. A.* 4, 518. Unum exuta pedem vinclis. *Stat. Th.* 9, 163. Exutus canos lacero diademate crines; et *ib.* 11, 460. Vittis exuta comam. ℙ Translate *Mart.* 5, 7. Exuta est veterem nova Roma senectam. *Sil.* 6, 109. Exutus senium; et 5, 15. Castumque exuta pudorem, *h. e.* quae abjecit. ℙ Insignis est hypallage in illo *Ov. Her.* 9, 111. Hirsuti costas exuta leonis Aspera texerunt vellera molle latus, *h. e.* Vellera detracta costis leonis. Usitata hypallage erat: Costae exutae vellera. ℙ [**Confunduntur *Exutus* et *excitus*. *Drak.* ad *Liv.* 9, 31, 12.]

EXŪVIAE, arum, f. *ἐνδύματα*, vestes, aliudve quippiam corpori adhaerens, quo quis se exuit: ab exuendo, ut *Fest.* docet. Singulari numero omnino caret. *Virg. Ecl.* 8, 91. Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit; et *A.* 4, 496. Pyram Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit Impius, exuviasque omnes . . . . super imponas. *Fest.* in Tensa. Exuviae deorum, *h. e.* ornamenta, insignia deorum. Sic *Suet. Aug.* 94. Cum fulmine et sceptro, exuviisque Jovis. ℙ Exuviae capitis ap. *Sen. Hippol.* 1181. et *Catull.* 65, 62. Sunt capilli. ℙ Quod ait *Pl. Men.* 1, 3, 9. Induviae tuae, atque uxoris exuviae: intelligit vestem surreptam a Menaechmo uxori, et amicae delatum; et v. 13. *exuvias facere* est se spoliare ad amicam vestiendam. ℙ Dicuntur et de pelle detracta animalibus. *Virg. A.* 2, 473. De angui pellem exuente. Cum positis novus exuviis, nitidusque juventa etc. Et 9, 307. Pellem horrentisque leonis exuvias; et 11, 577. Tigridis exuviae. *Val. Fl.* 6, 19. et 8, 65. Exuviae sacrae pecudis, *h. e.* vellus aureum. *Id. ib.* 358. Bovis exuvias multo frangere olivo. Festive *Pl. Mostell.* 4, 1, 26. Lora ex corio bubulo, quibus caeduntur servi, exuvias bubulas vocat. ℙ Item saepe de iis, quae victo detrahuntur hosti, ut arma vestes, ceteraque spolia omnia, *λάφυρα, ἔναρα*. *Cic. Manil.* 18. *extr.* Rostra ornata exuviis nauticis et classium spoliis. *Virg. A.* 10, 423. Haec arma, exuviasque viri tua quercus habebit; et 2, 275. Hector, qui redit exuvias indutus Achillis. *Tibull.* 1, 1, 54. Ut domus hostiles praeferat exuvias. *Juv.* 10, 133. Bellorum exuviae. Adde *Liv.* 30, 38. ℙ *Exuvium*, *ii*, n. singulare, quod ponitur a quibusdam Lexicographis, caret adhuc idoneo Latino auctore.

F

F littera a *Prisc.* 1, 542. et 560. et 569. inter mutas numeratur, quod vim mutae habeat, tametsi, quia in proferendo a vocali incipit, prolationem habeat semivocalis: a *Diomede* 2, 417. et 419. et aliis inter semivocales. Pronuntianda est non tam fixis labris, ut *ph*, ut *Prisc.* docet *ib.* 543. hoc enim inter illas differt, quod nostra *f* minore spiritu exprimitur, quam Graeca *ph*. Habet autem vim *v* consonantis vocalibus praepositae, sed aliquanto pleniorem: qua de re *Quint.* 12, 10. Illa, quae sexta est nostrarum, paene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimen dentium efflanda est: quae etiam cum vocalem proximam accipit, quassa quodammodo, utique quoties aliquam consonantium frangit, multo fit horridior. *V. *Majum* ad *Cic. de R. Publ.* 1, 2. p. 7. ed. *Lond. B. A.* ℙ Figuram habet Graeci digammatis: et aliquando pro illo adhibita fuit, ut in *Digamma* dictum est. Appingi quoque mos erat loco aspirationis, *fordeum, trafo, vefo*, pro hordeum, traho, veho. *Prisc. ib.* 560. et *Fest.* in *Fedus*. His adde *fostia, fostis, folus, Formiae, fircus:* quae v. suis locis. [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 1, 4, 14.] ℙ Aliquando et pro *b* usurpata est ut in *sifilare* pro *sibilare*, teste *Non.* 12, 49. V. si lubet *Lips. de recta rat. pronunc. lat. ling. c.* 12. ℙ Praeponitur duabus liquidis *e*, et *r*, ut *fleo*, *frigus*.. ℙ In notis *Rom.* saepe filium signif. In illo tamen *Cic. Or.* 48. Festivitate et facetiis C. Julius L. F. et superioribus etc. illud F. fratrem significare quidam putant. Nam C. et L. Julios Caesares fratres fuisse, tum ex *Ascon.* in *or.* pro *Scaur.*, tum ex ipso *Cic. Or.* 3, 3. [**V. *Ellendt. proleg.* ad *Brut.* §. 45.] ℙ In inscriptionibus praesertim sepulcralibus valet *facere*: ut V. F. *vivens fecit.* F. J. fieri *jussit:* F. C. faciendum curavit etc. [**Valet *Faber* in *inscr.* ap. *Orell.* 3953. *Praefec. F.* i. e. (explic. *Orell*) *Praefecto fabrorum*; aliaib. 4089. *Coll. F.* i. e. *collegio fabrûm.* — Item *fastus dies.* V. *Orell.* in *corp. inscr.* 2. p. 382. et 407. — *Fidelis* 464. 4985. — *Filius* 4275. (Fili). — *Florum.* 226. *Felicitas* 3127. Ita *Orell.* al. *Faventia.* — *Foederata* 370. ubi V. — *Fiscus.* 3335. etc. Inversum F. (Ⅎ) denotat filius et filia. V. ap. *Eund.* 2699.] ℙ **In MSS. saepe reperitur pro *ph*. Sic *filosophus, fiala, Formio* etc. scriptum pro *philosophus, phiala, Phormio* etc. V. *D. A. G. Cramer.* ad *Vet. Schol.* in *Juven.* 5, 38. et *Maj.* ad *Cic. R. Publ.* 1, 2. *B. A.* [**Adde *Triumfis* pro *triumphis* in *inscr.* ap. *Orell.* 38. Filippo *ib.* 5075.]

FA

FĂBĂ, ae, f. *κύαμος*, genus legumenis. [***Vicia Faba. L.*] Qui accurate de plantis scripsere, putant fabam Veterum, Gr. *κύαμον*, non esse eam quam nos dicimus *Bohne*, sed aliud legumen fructu rotundo et multo minore, quam nostra est. Hanc autem nostram phaselum fuisse dictam. Viderint alii! [**De genere leguminis, cui fabae nomen a vett. additum, fortasse nostr. *Pferdebohne* vel *Saubohne*, v. *Schneid.* ad *Colum.* 2, 10, 6. et in *Ind. Script. R. R.* Cf. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 215. p. 111. Laudat haec *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 63.] *Plin.* 18, 12. Inter legumina maximus honos fabae, quippe ex qua tentatus sit etiam panis. *Id.* 19, 3. et 27, 5. Faba fracta, aut fresa. *Cic. Div.* 1, 30. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quaerenti vera, contrariam. *Plin. l. c.* Faba hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere: ob haec Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animae sint in ea. [**Cf. *Schol. Cruq.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 63.] *Gell.* 4, 11. Aristoxenus nullo saepius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis, quoniam is cibus et subduceret sensim alvum, et levigaret. *Fest.* et *Plin. l. c.* et *Fab. Pictor* ap. *Gell.* 10, 15. Fabam neque tangere Diali mos est neque nominare: quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et lemuralibus jacitur larvis et parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore ejus luctus litterae apparere videntur. *Ov. Fast.* 5, 436. Nigras accipit ante fabas, Aversusque jacit: sed dum jacit, haec ego mitto, His, inquit, redimo meque meosque fabis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 513. Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu et dicunt, se lemures domo extra januam ejicere. ℙ *Pl. Aul.* 5, 9. Quid reperisti? *Stro.* non quod pueri clamitant in faba se reperisse, *h. e.* non rem nihili, puta hilum, aut curculionem aliumve similem vermiculum, sed rem pretiosam. ℙ *Istaec in me cudetur faba*; h. e. hoc malum in me recidet: prov. ap. *Terent. Eun.* 2, 3, 89. vel inde ductum quod quidam olim male coctam fabam supra caput coqui saxo comminuerit: vel quia cum faba cuditur, solum laborat, in quo cuditur. *Donat.* Alii ducunt ex eo, quod antiqui fabam peccantibus in manum cudebant: unde usus inoleverit, fabam pro culpa, aut poena dici. Alii scuticam servilem significari ajunt, cujus extremum nodos haberet in modum fabae. Sed postremum hoc non placet. [**V. et *Erasm.* in adagiis p. 186.] ℙ *Tam perit, quam extrema faba*, h. e. omnino, certo perit, quod faba, quae est in extremo agro plerumque aut proteritur, aut decerpitur a praeteruntibus. *Fest.* in *Tam.* ℙ In veteri Calendario ap. *Grut.* p. 139. legitur in mense Decembr. Vineas Herc. faba serentes, materias dejicientes: ut sint faba, orum, neutr. gen. Sed illud incertae admodum auctoritatis est. ℙ Transfertur et ad alius generis grana. *Plin.* 18, 10. Fertilissima tritici genera, ramosum aut quod centigranium vocant. Inventus est jam et scapus unus centum fabis onustus, *h. e.* spicis. *Id.* 19, 12. In fabis caprini fimi singulis cavatis si porri, erucae, lactucae, nasturtii semina inclusa serantur mire provenire, *h. e.* globulis fimi fabae magnitudine.

FĂBĂCĔUS, et Fabacius, a, um, fabalis, *κυάμειος*. *Pallad.* in *Novembr.* 1. Ager qui calamos fabaceae messis eduxit. *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* Carnae deae pulte fabacia et larido sacrificatur. ℙ Absolute *Plin.* 18, 12. Quin et prisco ritu fabacia suae religionis diis in sacro est, *h. e.* fabacia puls. ℙ Fabaciae virides ap. *Apic.* sunt caules et siliquae virides fabarum.

FĂBĂGINUS, a, um, fabalis, fabaceus. *Cato R. R.* 54. Paleas triticeas, acus fabaginum, viciam dato.

FĂBĂLIS, e, *κυάμειος*, ad fabam pertinens, fabaceus. *Ov. Fast.* 4, 725. Stipulasque fabales. [**Nota h. l. cinerem fabalium etc. in suffimentis aut februis fuisse. In *Plin.* loco mox cit. ad me-

dicam rem pertinet.] ℙ *Fabalia, um*, n. sunt culmi fabales, ex quibus siliquae pendent. *Cato R. R.* 37. Stercus unde facias, stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus. *Plin.* 22, 25, 69. Fabalium siliquarumque cinis. Adde *Varr. R. R.* 1, 23. et *Col.* 2, 10.

FĂBĂRIS, is, m. *Farfaro*, Italiae fluv. per Sabinos transiens, et in Tiberim influens. *Virg. A.* 7, 715. Qui Tiberim Fabarimque bibunt.

FĂBĂRĬUS, a, um, adj. fabalis, ad fabam pertinens, ut Fabaria insula in Oceano Germanico contra ostia Amasis fluvii, nunc *Ems*, ap. *Plin.* 4, 13. ita dicta a frugis similitudine sponte ibi provenientis. [*Negotiatio fabaria, in *inscr.* ap. *Orell.* 2515. ubi V.] ℙ *Fabariae calendae* dicebantur Juniae, quod in iis fabae recentes rebus divinis adhibebantur *Macr. Sat.* 1, 12. ℙ Pilum fabarium (sc. fabis tundendis) et farnearium inter agrestia instrumenta enumerat *Cato. R. R.* 10. *extr.*

FĂBĂTĂRĬUM, ii, n. vas amplum, in quo fabata reponuntur, h. e. fabarum grana, ut in *Gloss.* ea vox exponitur. *Lampr. Heliog.* 20. Barbas mullorum jubebat exhiberi plenis fabatariis et discis.

FĂBĂTUS, a, um, fabaceus. *Fabata puls* ex faba. *Fest.* in *Refriva.* In sacrificiis publicis, cum puls fabata diis datur, nominatur refriva. ℙ Est cogn. Rom., ut L. Roscius Fabatus, ap. *Patin. de fam. Rom.* p. 240. C. Calpurnius Fabatus, ap. *Grut.* 382, 6. C. Clodius Fabatus *ib.* 772, 8. [*Adde *Cic. Att.* 8, 12. *Id. Fam.* 10, 33.]

FABĒA. V. FAVIA.

FĂBELLA, ae, f. *μυθάριον*, dimin. a fabula, narratiuncula commentitia, anilis et longe a vero remota. [**Tibull.* 1, 3, 85. Adsideat custos sedula semper anus. Haec tibi fabellas referat, etc. *(Märchen.)*] *Hor. Sat.* 2, 6, 77. Aniles fabellas garrire. [**Gr. γραῶν ὕθλος, γραῶν μῦθοι.*] *Id. Ep.* 2, 1, 199. Surdo asello narrare fabellam. (proverb.) *Cic. Div.* 2, 38. Nihil debet esse in philosophia commentitiis fabellis loci. *Phaedr.* 4, 6. Quid ergo possum facere tibi, lector Cato, Si nec fabellae te juvant, nec fabulae? h. e. nec Aesopiae breves humilesque fabulae, nec longiores grandioresque narrationes, cujusmodi in tragicis argumentis tranctantur. ℙ Dicitur etiam de narratione vera. *Sen. ep.* 77. *med.* In fabellam excessi non ingratam tibi, exitum enim amici tui cognosces non difficilem, nec miserum. *Phaedr.* 2, 5, 5. Hanc emendare, si tamen possum, volo: Vera fabella. ℙ [*Idem, quod drama. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Quanquam a te actam fabellam video esse festive (*Συνδείπνους Σοφοκλέους*). Ita melius locum collocasse videmur, quem Noster ab initio iis exemplis inseruerat, quae fictae narratiunculae notionem referunt.]

FABER, fabri, m. *τέκτων, τεχνασιτής*, omnis artifex, qui e quavis duriore materia facit aliquid: a *facio*. Nam qui ex gypso, argilla aut cera aliquid conficit, plastes vocatur. Habet amplam significationem, quae tamen limitatur ex significatione adjectivi adjuncti, ut *faber ferrarius*, qui aliquid ex ferro conficit, [*Absolute *Tibull.* 1, 3, 48. Nec ensem Immiti saevus duxerat arte faber.] *tignarius*, qui tigna ad aedificia concinnat, *aurarius*, qui ex auro aliquid excutit, et sic de ceteris. *Cic. Brut.* 73. Ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. [**Inscr.* ap. *Orell.* 4181. Faber a Corinthiis. Alia ap. *Eund.* 4182. Faber intestinarius, i. e. qui, secundum *Budaeum*, ex ligno opera conficiebat, minutioris artificii, quibus tantum locus est intra aedes. Ita *Orell.* ad h. l. Alia ap. *Eund.* 4185. Faber oculariarius. V. *Reines.* p. 632., qui explicat *Brillenmacher, fabricatore d'occhiali;* sed *Hagenb.:* qui oculos argenteos statuis inserendos facit. Cfr. *Spon.* p. 232, 4. Infra N. 4224. *Orell.*] ℙ In gen. plur. usitatius est fabrum, quam fabrorum. *Cic. Or.* 46. Fabrum, et procum audeo dicere, non fabrorum et procorum. *Caes.* ad *Opp.* post. *ep.* 8. l. 9. ad *Att.* Jam duo praefecti fabrum centuriae. *Plin.* 34, 1. Aerariorum fabrum collegium. ℙ Reperitur tamen etiam fabrorum. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Quantum paucae operae fabrorum tulerunt. *Plin. ep.* 10, 42. Collegium fabrorum instituere. *Plin. alter* 35, 15. Ferrariae fabrorum officinae. *Inscr.* ap. *Don.* 9, 9. Collegio fabrorum D. D. *Pl. Most.* 1, 2, 54. Frugi usque, et probus fui, in fabrorum potestate dum fui. Adde *Vitruv.* 10, 1. *f.* [*De munere fabrorum in rebus bellicis cf. *Veget. R. M.* 2, 11. V. et in *Praefectus.*] ℙ Translate. *Sall.* ad *Caes.* de *R. Publ. ord.* or. 1. Res docuit, id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse quemque fortunae suae. ℙ *Faber* est etiam piscis genus, alio nomine Zeus, propr. Atlantici et Gaditani maris. *Plin.* 9, 18. et *Colum.* 8, 16. *f.* [**Der Sonnenfisch. Zeus Faber.* L.] ℙ *Fabrum caedere, cum ferias fullonem*, proverb. ap. *Arnob.* 6, 195. de iis dictum, qui dum quippiam quaeritant, in aliud deterius incidunt. Al. leg. *cadere.* ℙ Adjective *Prudent. Apoth.* 1034. Solus homo emeruit Domini formabile dextra Os capere et fabro deitatis figmine nasci.

FĂBĒRĬĀNUS, a, um, adj. ad Faberium pertinens, quod est nomen propr. R. civis. *Cic. Att.* 13, 29. Faberiana causa. Et 31. Faberianum negotium. Adde *ib.* 12, 31.

FĂBĬĀNUS, a, um, adj. ad aliquem e Fabiis pertinens. *Nep. Iphicr.* 2. Ut quemadmodum quondam Fabiani, milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Graecos in summa laude fuerint. ℙ *Fabiani* sunt homines tribus Fabiae. *Suet. Aug.* 40. ℙ *Fabiana actio, Fabianum judicium*, a quodam Fabio auctore denominatum, quo revocantur ea, quae in fraudem patroni a liberto quoquo modo alienata sunt, *Ulp. Dig.* 37, 14, 16. et alibi, ubi alii leg. *Favianus*, quia facile *v* et *b* commutantur. Eadem *Fabiana formula* appellatur a *Paul. Sent.* 3, 3. ℙ *Fabianus fornix*, cujus meminit *Cic. Verr.* 1, 7. vel *arcus*, ut est ap. *Senec. Const. Sap.* 1., fuit Romae juxta Regiam, in sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus propterea erecta fuerat. *Ascon.* ad *Cic. ib.* [*V. *Spald.* ad *Quint.* 6, 3, 67.] ℙ *Fabiani* et *Quintiliani* appellabantur, temporibus Romuli, luperci a Fabio et Quintilio, praepositis suis. *Fest. s. l.* et in *Quintiliani.* Fuerunt *Fabiani* Remi socii, *Quintiliani* Romuli. *Ov. Fast.* 2, 377. ℙ *Fabianus pagus* in agro Sulmonensi in Pelignis, nunc urbs *Popoli. Plin.* 17, 26, 41. Asperiora vina rigari utique cupiunt in Sulmonensi Italiae agro, pago Fabiano, ubi et arva rigant.

*FĂBĬĀNUS PAPĪRĬUS, auctoris nomen apud *Plin.* 36, 15. quem naturae rerum peritissimum affirmat. Adde 17, 26, Hujus etiam meminit *Senec. Ep.* 40 et 100. *B. A.*

FĂBĬENSES, ium m. plur. incolae (qui fortasse ad gentem Fabiam pertinebant) urbis cujusdam Latii, ad Albanum montem, non longe ab Alba Longa, cujus nomen *Fabia* vel *Fabii* fuisse videtur. *Plin.* 3, 5, 9. *med.* Fabienses in monte Albano.

FĂBĬI, orum, m. plur. gens Romae nobilissima, dicta a *fabae* satione, quod eo tempore, quo Romani paene omnes agriculturam exercebant, primus qui hoc nomine appellatus est, in faba serenda excelleret, teste *Plin.* 18, 3, 3. Alii volunt dictos esse a *fovea* seu antiquo *favia* vel *favea*, quod Hercules matrem ejus, unde genus hoc coepit, ad foveam compresserit. V. FOVII. Porro primi Fabii matrem Euandri filiam fuisse ex Hercule hospite, tradunt. Hinc *Tiryuthia proles* et *Herculei* dicuntur a *Sil.* 2, 3. et 8, 218. et 7, 43. V. etiam 6, 633. ℙ Fabiorum tanta Romae potentia fuit, ut bellum adversus Vejentes soli cum suis clientibus, et servis in sese receperint. Sed cum ex levibus aliquot proeliis saepius victoriam reportassent, tandem ad Alliam flu. insidiis circumventi, ad unum omnes caesi sunt. Erant autem sex et trecenti. Ex tanta clade unus tantum superfuit, qui nondum armis per aetatem idoneus, in Urbe relictus erat, ex cujus sanguine per longam nepotum seriem natus Fabius ille Maximus, qui dictator adversus Annibalem creatus, cunctabunda quadam prudentia rem Romanam, aliorum imperatorum temeritate labefactatam, primus restituit. *Liv.* 2, 48. et sqq. et 22. *passim*, et 30, 26.

*FĂBILLA, ae, f. *Salm.* ad *Lampr. Heliog.* 20. p. 838. *Hack.* restituendum censet veteri *Epigrammati* pro vulg. *Facela:* et intelligit *Fabam Graecam*, i. Loton arborem. V. *Facela* et *Gillo. B. A.*

FĂBĬUS, a, um, adj. ad Fabiorum aliquem pertinens. *Ov. Pont.* 4, 6, 9. Fabiae lux, Maxime, gentis. *Cic. Planc.* 7. Fornix Fabius. V. FABIANUS. *Prop.* 4, 1, 26. Fabius lupercus. V. FABIANUS. ℙ *Fabia lex* duplex fuit: altera de ambitu, quae definiebat numerum sectatorum, qui candidatos in campum petendi gratia deducerent. Ejus mentio fit a *Cic. Mur.* 34. Altera de plagiariis, ne quis servum alienum, invito, vel insciente domino, celaret, vinctum haberet, emeret sciens dolo malo: item ne quis hominem liberum aut alteri subjiceret, aut oblatum acciperet. *Id. Rabir. perduell.* 3. et *Ulp. Dig.* 48, 15. qui inscribitur *Ad legem Fabiam de plagiariis*, ubi al. leg. *Favia*, ob societatem litterarum *b* et *v:* alii corrupte *Flavia. Id. ib.* 17, 2, 51. Si plagium fecit, vel suppressit, Fabia tenebitur. ℙ *Fabia tribus* una ex rusticis a Fabia gente denominata est, quae numerosissima fuit, ut in FABII dictum est. *Hor. Ep.* 1, 6, 52. hic multum in Fabia valet, ille Velina. *Inscr.* ap. *Grut.* 226, 3. C. Julio C. F. Fab. Scapt. Caesari Augusto, *h. e.* Fabia, Scaptia. In Scaptia enim fuit ratione originis e gente Octavia: in Fabia vero ex adoptione in gentem Juliam, quae Fabiana erat, ut constat ex *Inscr. ib.* 235, 8. Hinc Fabianos, et Scaptienses tribules suos agnoscebat, ut est ap. *Suet. in ejus Vita* 40. ℙ *Fabiae gentis diversae familiae fuere, ut Ambusti, Maximi, Vibulani, Buteones, Dorsones, Pictores. *Plin.* 7, 41. Una (*familia*) Fabiorum, in qua tres continui principes Senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, Q. Fabius Gurges nepos. ℙ Fabius Pictor, homo nobilissimus, juris et literarum antiquitatis bene peritus. *Cic. Brut.* 21. De alio *Quint.* 1, 6. ℙ Fabius Dossennus, Atellanarum scriptor. V. *Dossennus.* ℙ Fabius Persicus, quem impurissimum et obscenissimum omnium mortalium describit *Seneca*, et perpetuis inurit stigmatis: ut *de Benef.* 2, 21. Is plane est, quem *Juvenalis* perstrinxit, quum scripserit *sat.* 8, 13. Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara, Natus in Herculeo Fabius lare, etc. ℙ Fabius Maximus Narbonensis, equestri loco natus, de quo *Hor. Sat.* 1, 1, 14. Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem Delassare valent Fabium. [*V. *Heindf.* ad h. l. et ad 1, 2, 134.] ℙ Alios non persequimur; ne summum quidem virum Fabium Quintilianum hic memoramus. *B. A.*

FABRĀTĒRĬA, ae, f. *Favateria, Falvatera*, colonia et oppidum Volscorum in Latio, prope Lirim fl. in ditione pontificia, et in ipso confinio regni Neapolitani, inter Aquinum et Fregellas. *Cic. Fam.* 9, 24., *Juven.* 3, 224. et *Sil.* 8, 398. Hic Fabrateriae vulgus, nec monte nivoso, etc. [*Vell.* 1, 15. Cassio Longino, et Sextio Calvino Coss. (*h. e.* an. U. C. 630.) Fabrateria deducta est. *F.*]

FABRĀTĒRNUS, sync. pro Fabraterinus, a, um, adj. ad Fabrateriam pertinens, Volscorum urbem. *Fabraterni, orum* sunt ejus urbis incolae. *Liv.* 8, 19. Legati ex Volscis Fabraterni Romam venerunt, orantes, ut in fidem reciperentur. ℙ [Sunt qui putent, duplicem fuisse Fabrateriam, veterem scilicet et novam, in eodem Volscorum agro. *Veteres* enim *Fabraterni* et *Novi* sive *Novani* memorantur. *Plin.* 3, 5, 9. Fabraterni veteres, Fabraterni novi. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. an.* 1825. *decemb.* p. 349. Cultores Herculis Fabraterni veteres. Hinc alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 190, 8. IIIIII. Vir Aug. vetere Fabrateria. Alia ap. *Grut.* 367, 6. Cur*ator* Kal*endarii* Fabraternor*um* novor*um*. Et *ib.* 1095, 6. Fabraterni novani. ℙ Alii tamen statuunt, unam fuisse Fabrateriam, quae bifariam divisa veteres Fabraternos municipes, et novos Fabraternos colonos complecteretur, qui, licet in unam urbem coaluissent, et communes haberent magistratus, diversas tamen urbis regiones incolerent, et veteres quidem suos Deos et templa et leges et patria instituta servassent, novi autem sua sacra colerent, ac Romanas leges et consuetudines sequerentur. Quod item obtinuisse videtur in aliis etiam urbibus: etenim ap. *Plin.* 3, 5, 8. memorantur *Clusini veteres* et *novi;* ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. *Agrigentini veteres* et *coloni*, qui mox *ib.* dicuntur *cives veteres* et *novi;* ap. *Plin.* vero *l. c.* nominantur *Arretini veteres, Fidentes*, et *Julienses.* Hinc *Liv.* 34, 9. Emporiae in Hispania citeriore (nunc *Ampurias in Catalonia*) duo oppida erant muro divisa, quorum unum Graeci habebant a Phocaea oriundi, alterum Hispani, tertium genus Romani coloni ab Julio Caesare post devictos Pompeji liberos adjecti: in unum corpus postea confusi omnes, Hispanis prius, postremo et Graecis in civitatem Romanam adscitis. Hactenus *Liv.* His similia accidisse Puteolis, Pompejis, et Neapoli multis probat argumentis *Car. Rosinius Dissert. Isagog.* 8, 43. et sqq. *F.*]

FABRĒ, adv. *κατατεχνικῶς*, artificiose: a *faber. Pl. Men.* 1, 2, 23. Hoc factum est fabre. *Sil.* 14, 320. Trabs fabre teres, atque erasis undique nodis. Al. legunt Trabs trabe juncta teres, erasis undique nodis. *Appul. Met.* 11. p. 262, 25. Navis faberrime facta.

FABRĒFĂCĬO, is, a. 3. *τεκταίνομαι*, aedifico, artificiose compono. *Aur. Vict. Vir. illustr.* 38. Classem magis validam, quam decoram fabrefecit.

FABRĒFĂCTUS, a, um, part. a *fabrefacio*, fabre et artificiose factus. [**Liv.* 26, 21. Argenti aerisque fabrefacti vis. Cf. 37, 27.] *Appul. Flor. n.* 22. p. 364, 5. Navis bona, fabrefacta. Al. scrib. *divisim. Ammian.* 29, 1. Lanx ex diversis metallicis materiis fabrefacta. ℙ Translate. *Pl. Cas.* 5, 1, 7. Nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta, atque ut haec est fabrefacta a nobis. Al. divisim leg. *fabre facta.*

*FABRĒFĬO, ieri. *Vulg. Exod.* 31, 4. *B. A.*

FABRĪCĀ, ae, f. *ἐργαστήριον*, proprie est fabri officina. [*Ter. Ad.* 4, 2, 45. Apud ipsum lacum est pistrilla, et ex adverso fabrica: ibi est. *De.* Quid ibi facit? *Sy.* Lectulos in sole iligneis pedibus faciundos dedit. *Lucr.* 4, 516. [*514. ap. *Eichstadt.*] Denique ut in fabrica, si prava est regula prima, Normaque si fallax rectis regionibus exit, Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum, etc. *F.*] ℙ *Fabricas armorum*, quas *Caes. B. C.* 1, 34. *officinas armorum* dixit, *Veg. Mil.* 2, 11. eas vocat, quas publicas per singulas provincias Romani sequiori tempore habebant; privatim enim exercere vetitum erat, ut ex *Novell.* 85. constat. [*Not. Imp. Occid.* 32. Fabricae infrascriptae Italiae: Concordiensis sagittaria; Veronensis scutorum et armorum; Mantuana coriaria; Cremonensis scutaria; Ticinensis arcuaria; Lucensis spatharia. *F.*] Porro *fabricenses* dicebantur, qui hujusmodi fabricas exercebant ad arma publica cudenda; quique iis praecerat, *praefectus fabrorum* ap. *Veg. l. c.* et *praepositus fabricae* ap. *Ammian.* 29, 3. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 283, 4. appellabatur. ℙ Est etiam *fabrica* ipsa ars fabrilis. *Vitr.* 1, 1. Fabrica est continuata ac trita usus meditatio,

quae manibus perficitur e materia, cujuscumque generis opus est, ad propositum deformationis. Hinc *fabrica materiaria*, *aeraria*, *ferrea*, etc. ap. *Plin.* 7, 56, 57., *h. e.* ars ducendi ferrum, etc. *Cic. N. D.* 2, 13. Pictura et fabrica ceteraeque artes habent quendam absoluti operis effectum. *Id. ib.* 1, 20. Natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica. *Id, ib.* 2, 60. Omnis fabrica aeris et ferri. *Justin.* 36, 4. Tradere se fabricae aerariae artis. ℙ Item opus ipsum fabricatum. *Cic. N. D.* 2, 47. Admirabilis fabrica membrorum animantium. *Pallad.* 1, 9. In fabricis planis observandum est, ut aequalis et solida contignatio fiat, ne gradus ambulantium tremor fabricae titubantis excutiat. ℙ Translate pro dolo, seu machinatione accipitur. *Ter. Heaut.* 3, 2, 34. Nonne ad senem aliquam fabricam fingit? *Pl. Cist.* 2, 2, 5. Quot admoenivi illi fabricas, quot fallacias! Adde *Mil.* 2, 1, 69. ℙ Adjective. *Paul. Dig.* 33, 7, 19. *extr.* Servus arte fabrica peritus.

*FABRĪCĀBĪLIS, e, adj. qui fabricari potest. *Gloss. Philox.* Fabricabilis, ἐργάσιμος. *B. A.*

*FABRĪCĀRĬUS, a, um, adj. qui fabricando idoneus est. *Gloss. Philox.* Ξύλα ἐργάσιμα, ligna fabricaria. *B. A.*

FABRĪCĀTĬO, onis, f. κτίσις, actus fabricandi, item ipsa fabricae. *Cic. N. D.* 2, 53. Si erit tota hominis fabricatio perspecta. *Vitr.* 2, 1. Fabricationes aedificiorum. *Id.* 9, 2. Pythagoras normam sine artificis fabricationibus inventam ostendit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 42. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione, *h. e.* artificium, artem.

FABRĪCĀTOR, oris, m. τεχνασιής, qui fabricat. *Cic. Univ.* 2. Utrum ille fabricator tanti operis sit imitatus exemplar. *Virg. A.* 2, 264. Doli fabricator. *Lucr.* 3, 473. Nam dolor et morbus leti fabricator uterque est. *Firmic. Math.* 3, 6. *n.* 9. Fabricatores Deorum, *h. e.* qui Deorum signa faciunt. ℙ [Est etiam qui aliquid fabricandum curat. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 100. *n.* 227. Fabricatori ex maxima parte etiam civitatis nostrae, multa et usui et ornatui addenti Umbronio (*Guarinius Ricerche di Eclano* p. 104. ex ipso lapide corrigit *Umbonio*) Mannachio V. C. patrono dignissimo ordo civitatis Aeclanensium statuam ponendam censuit. *F.*]

FABRĪCATRIX, icis, f. quae fabricat. *Lact.* 6, 22. Mortis fabricatrix voluptas. Adde 7, 12. et *Epit.* 9. *ad f.*

*FABRICATŪRA, ae, f. opus fabrile. *JCt.* in *Cod. B. A.*

FABRĪCĀTUS, a, um, part. a *fabrico*. *Virg. A.* 2, 46. in nostros fabricata est machina muros. *Id. ib.* 9, 144. moenia Trojae Neptuni fabricata manu. *Ov. Met.* 8, 669. Pocula fabricata fago *Vell.* 2, 27. Cuniculi miro opere fabricati. *Cic. Univ.* 6. Mundus globosus est fabricatus. [*Suet. *Ner.* 32. Simulacra ex auro vel argento fabricata. *Id. ib.* 12. In amphitheatro ligneo intra anni spatium fabricato, i. e. perfecto.]

FABRĪCĀTUS, us, m. idem quod fabricatio. In sexto casu singulari *Sidon. ep.* 3, 13. *f.* Hoc fabricatu amicitiarum culmen aedificat.

FABRICENSES, ium, m. plur. qui in publicis fabricis ad arma cudenda exercentur. V. FABRICA. *Cod. Justin.* 11, 9. [*V. *Orell.* ad inscript. 4079.]

FABRĪCĬĀNUS, a, um, adj. ad C. Fabricium Scamandrum pertinens, ut Fabricianum venenum, *Cic. Cluent.* 66.

C. FABRĪCĬUS LUSCĪNUS, civis Romanus, frugalissimus, exemplar paupertatis, in cujus domo ex argento patella tantum, et salinum fuit colendorum Deorum causa, ita tamen, ut patella corneo pediculo sustineretur. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 3. A Samnitibus, quos universos in clientelam habebat, decem aeris, et quindecim pondo argenti, totidemque servos sibi missos in Samnium remisit. *Id.* 4, 3. *n.* 6. *Gell.* 1, 14. Censor P. Cornelium Rufinum duobus consulatibus, et dictatura functum e senatu ejecit, quod decem pondo vasa argentea comparasset. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 4., *Flor.* 1, 18., *Gell.* 17, 21., et 4, 8. et *Juven.* 9, 142. Legatus ad Pyrrhum profectus, cum apud eum Cyneum Thessalum narrantem audisset, quendam Atheniensem clarum sapientia suadere, ne quid aliud homines, quam voluptatis causa, facere vellent, pro monstro eam vocem accepit, continuoque Pyrrho, et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 6. Fuit praestantissimus imperator. Adversus Pyrrhum et Samnites gravissima bella gessit. Medicum Pyrrhi domini sui mortem per venenum pollicentem vinctum ad regem remisit. *Flor. l. c. Gell.* 3, 8.

FABRĪCĬUS, a, um, adj. ad aliquem e Fabriciis pertinens. Pons Fabricius Romae in Tiberi insulam Aesculapii Urbi jungit, dictus hodie *ponte di quattro capi*. Factus fuit a quodam L. Fabricio. *Hor. Sat.* 2, 3, 36.

FABRĪCO, as, avi, atum, a. 1. *et frequentius* Fabricor, aris, atus sum, dep. 1. τεκταίνομαι, fabrili arte quidpiam facio. *Cic. Off.* 1, 41. Pictores, et ii, qui signa fabricantur, suum quisque opus a vulgo considerari vult. *Id. Or.* 3, 46. Capitolii fastigium illud non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. *Id. Rabir. Post.* 3. Qui fabricatus gladium est. *Id. Div.* 2, 19. Jovi fulmen fabricati Cyclopes. *Tac. A.* 4, 51. Pontes et scalas fabricati. *Id. ib.* 14, 29. Naves fabricatur plano alveo. *Ov. Met.* 13, 683. cratera fabricaverat Alcon. *Suet. Cal.* 37. Fabricavit et de cedris liburnicas, gemmatis puppibus. *Phaedr.* 4, 6. Fabricasset Argus opere Palladio ratem. *Vell.* 2, 79. Speciosissima fabricata classe. *Appul. Met.* 7. p. 192, 31. Prandium fabricatur opipare, *h. e.* instruit, apparat. ℙ Translate. *Senec. ep.* 16. Philosophia animum format et fabricat. *Manil.* 1, 772. Aetheriusque Platon, et qui fabricaverat illum, Damnatusque suas melius damnavit Athenas, *h. e.* instituerat, docuerat. *Cic. Acad.* 4, 6. Nihil est clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci: perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba. ℙ *Fabricor* passive. *Quint.* 10, 7, 2. Dum illa verba fabricentur et vox praeparetur. [*Scil.* damnat deponens *Quint.*; nec unquam apud ipsum deponenter h. v. occurrit.] ℙ Pro machinari, excogitare fallaciam, [*Gr. μηχανᾶσθαι.] *Pl. Asin.* 1, 1, 89. Fabricare quidvis, quidvis comminiscere, perficito, argentum hodie ut habeat filius. *Id. Bacch.* 4, 4, 42. Compara, fabricare, finge quod lubet. [*Sil. 16, 671. Ne fabricate moras, i. e. struite dolose.]

FABRĪCUS, a, um, adj. fabrilis. V. FABRICA.

FABRĪFĪCĀTĬO, onis, f. *Tert. Apol.* 12. Non sentiunt injurias et contumelias suae fabricationis Dii vestri.

FABRĪLIS, e, adj. τεκτονικὸς, ad fabrum pertinens. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Erratum fabrile putavi. *Liv.* 27, 49. Fabrile scalprum. *Ov. Met.* 4, 175. et quod opus fabrilis dextra tenebat, Excidit. *Id. Amor.* 1, 9, 39. Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit. *Plin.* 14, 1, 3. Vinis gratiam affert fumus fabrilis. *Id.* 28, 11, 49. Fabrile glutinum. *Cels.* 8, 7. Fabrile gluten. *Senec. Ben.* 6, 38. Nullo igne laedantur tecta; jacebit opera fabrilis. ℙ [*Fabriles*, *ium*, m. plur. appellantur vascularii fictiliarii, qui amphoras aliaque vasa ex argilla fingebant. *Inscr.* in quadam amphora ap. *Don. praef.* p. LXXXVI. Fabriles Marcellae Ñ. felicitatem. Artifices scilicet e familia Marcellae Saturnalibus dono eidem dederunt hanc amphoram cum laeta acclamatione. ℙ *Fabriles bulbi.* V. BULBUS. *F.*] ℙ *Fabrilia*, *ium*, n. plur. res fabrorum. *Hor. Ep.* 2, 1, 116. tractant fabrilia fabri. ℙ *Fabrilem uvam* dici ait *Coel. Aur. Tard.* 4, 3. *med.* quae fumi vapore siccata est.

FABRĪLĬTER, adv. artificiose, more fabri. *Prud. Apoth.* 583. Opifex fabriliter aptans Composuit.

[FABRĬO, is, ivi, a. 4. idem ac fabrico. *Venant. carm.* 2, 12, 23. Quod nullus veniens Romana gente fabrivit, Hoc vir barbarica prole peregit opus. *F.*]

FĀBŪLA, ae, f. λόγος, μῦθος, quod in ore omnium versatur, rumor populi, sermo pervagatus, res passim divulgata, sive sit vera, sive falsa: a *fari*. nam, ut ait *Diomed.* 3, 488. Latine fabulae appellantur sive fatibulae. *Ov. Pont.* 3, 2, 97. Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo, Laudarunt omnes facta, piamque fidem. [*Liv. 1, 11. Additur fabulae, quod vulgo Sabini etc. i. e. narrationi, traditioni. Et sic saepissime fabula dicitur de rerum gestarum narratione, cui ob vanam quam vulgus facere solet, detrectationem veritatis fides historica, quae dicitur, deest. Ap. *Liv.* quidem fere semper additamento apposito. Ita in *praefat.* poeticae fabulae, i. e. rerum narrationes ex poetarum more fucatae, ornatusque causa veritate destitutae. Cf. *Thucyd.* 1, 21. *Liv.* 3, 10. Fabula composita Volsci belli. V. plura in *lex. Liv.* p. 250. Cf. *Suet. Rhet.* 1. Saepe fabulis fidem firmare, aut historiis demere. — Hinc ponitur in universum de quacumque narratiuncula cum ornatu quodam prolata *Quint. Inst.* 6, 1, 41. *Spald.* Sed nihil illa circa Cepasios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Quam h. l. *fabulam*, eam 4, 2, 19. *fictam narrationem* appellat, de qua v. in *fictus.*] *Petr. Sat.* 92. Utcumque tamen, tanquam non agnoscerem fabulam, tacui. *Id. ib.* 111. Una igitur in tota civitate fabula erat. Et *Gell.* 19, 12. Ne id accidat, quod cuipiam Thraco venisse usu, fabula est, i. e. narratur. *Hor. Ep.* 1, 13, 8. Asinaeque paternum Cognomen vertas in risum et fabula fias. *Id. Ep.* 11, 8. heu me, per urbem Fabula quanta fui! *Ov. Amor.* 3, 1, 21. Fabula (nec sentis) tota jactaris in urbe. *Suet.* Aug. 70. Coena ejus secretior fuit in fabulis. [*i. e. in ore, in sermonibus vulgi. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 358. quem v.] *Mart.* 1, 91. tibi moechum fabula nulla dabat. Adde *Prop.* 2, 10, 14., [*2, 13, 14.] *Mart.* 12, 52., *Lucan.* 8, 605., *Quint.* 9, 2. *f.* et *Auct. dial. de orat.* 3. [*Cf. *Prop.* 2, 32, 26. Semper formosis fabula poena fuit, i. e. ipsa pulchritudo facit, ut sermonibus differantur formosae. V. *Burm.* ad *Ov. Am.* 3, 1, 21. *Quint. Decl.* 301. p. 581. Inops censu, sed integer, sine crimine, sine fabula. *Id. ib.* 306. p. 599. Cur in fabulas eat? Cur habeant materiam maligni?] ℙ Item confabulatio, sermo, qui privatim inter aliquos fit. *Id.* 2. Quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque, et in publico assectabar, ut fabulas quoque eorum, et disputationes, et arcana semotae dictionis penitus exciperem. *Lampr. Elag.* 25. Cum inter fabulas privatas sermo esset ortus, quanti herniosi esse possent in urbe Roma. Adde *Lucan.* 4, 200. [*Ita etiam intelligendum censet *Spalding.* locum ap. *Quint.* 12, 11, 18. Alias datum fabulis otium. *Id. ib.* laudat *Petron.* 39. *in.* Interpellavit tam dulces fabulas Trimalchio. *Plin. ep.* 8, 18. Habes fabulas urbis. V. *Schaef.* ad *Eund.* 1, 13. et cf. *ib.* 6, 15.] ℙ Interdum dicitur de re, cujus principium et ratio non intelligitur. *Ter. Andr.* 4, 4, 8. Quae haec est fabula? eho, Mysis, puer hic unde est? *Pl. Pers.* 5, 2, 11. Sed quid ego aspicio? quae haec est fabula? ℙ Saepissime de narratione rei fictae. *Ter. Andr.* 5, 4, 22. Fabulam inceptat. *Cic. Div.* 2, 55. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? *Ov. Met.* 10, 561. non fabula rumor Ille fuit, *h. e.* non fuit fictus. *Hor. Od.* 1, 4, 16. Jam te premet nox fabulaeque Manes. [*Hic notanda videtur dicendi ratio ap. *Pl. Mil.* 2, 3, 22. Temere haud tollas fabulam, i. e., interpr. *Lindem.*, non sine justa ratione, nec nisi urgente necessitate hujus fabulae auctorem te profiteare. Noli evulgare hanc rem. (De patribus sumta dicendi ratio, qui infantem agnoscunt et educari volunt.] ℙ Quomodo ab apologo differat, V. APOLOGUS. ℙ Adhibetur eleganter in responsionibus, ubi quis narranti non credit. *Ter. Andr.* 1, 3, 18. Ibi tum hanc ejectam Chrysidis patrem recepisse orbam parvam. Fabulae. *Id. Heaut.* 2, 3, 95. vera causa est. *Clit.* Fabulae. ℙ Speciatim fabulae sunt narrationes rerum confictarum ad delectationem et utilitatem inventae: cujusmodi sunt Aesopi, et Phaedri, de quibus *Id. prol. l.* 3. Nunc, fabularum cur sit inventum genus, Brevi docebo etc. ℙ Hujus generis sunt, quae in tragoediis et comoediis exhibentur. *Cic. Brut.* 18. Atque hic Livius', qui primus fabulam C. Clodio Cacci F. et M. Tuditano Coss. docuit. *Id. Sen.* 19. Neque histrioni, ut placeat, peragenda est fabula; modo in quocumque fuerit actu, probetur. ℙ Hujusmodi autem fabulae diversa sortiuntur nomina pro habitu et qualitate personarum, quae in eis introducuntur. Aliae enim *Togatae* dicebantur, quarum personae togis et Romanorum cultu erant ornatae. Aliae *Palliatae*, cum personae Graeco more palliis indutae in scenam prodibant: erat enim pallium Graecis peculiare, ut Romanis toga. Deinde togatarum genera quatuor erant, *Praetextatae*, *Tabernariae*, *Atellanae*, *Planipediae*. *Praetextatae* erant, in quibus regum vel magistratuum, qui praetexta induti erant, acta comprehendebantur. *Tabernariae* illae erant, quibus humiles et privatae personae inducebantur, quales fere sunt mercatores et institores, qui in tabernis merces suas vendere consueverunt. *Atellanae* erant, in quibus ridiculae personae inducebantur jocis et salibus vellicantes: dictae ab Atella Campaniae oppido. *Planipediae* dictae sunt a planis histrionum pedibus, qui ob humilitatem argumenti et vilitatem personarum, neque cothurnis utebantur neque soccis. ℙ *Docere fabulam* dicuntur, qui fabulas, seu comoedias componunt, et agendas dant histrionibus. V. supra et DOCEO. ℙ *Dare fabulam* eodem fere sensu dicitur. *Id. Tusc.* 1, 1. Annis fere DX. post Romam conditam Livius fabulam dedit. *Ter. prol. Hec.* 1. Hecyra est huic nomen fabulae; haec cum data est nova etc. ubi *Donatus:* Ita dicitur, data est fabula, ut data est coena, datum est prandium. Et dari dicitur fabula, cum agitur: stare, cum placet. ℙ *Facere fabulam* idem est, quod docere: *agere* ad histrionem pertinet. *Varr. L. L.* 5, 8. Poeta facit fabulam, et non agit: contra actor agit, et non facit. ℙ [*Fabulam serere* ap. *Liv.* 7, 2. Qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, i. e. qui coepit scribere carmina in scenis agenda, quae uno argumento tota constarent, inter seque partibus omnibus cohaererent, non varias res, ut saturae miscerent. Cf. *B. Patruum* ad *Cic. Coel.* 27. *Lex. Liv.* p. 54. s. v. *argumentum.* ℙ *Cantare fabulam*, quid sit, V. in *cantare.*] ℙ *Lupus in fabula* proverb. est, quo utimur, cum is ipse, de quo adhuc collocuti sumus, repente adest. *Cic. Att.* 13, 33., *Ter. Ad.* 4, 1, 21. ℙ Est etiam *fābula* diminut. a *faba*. *Pl. Stich.* 5, 4, 8. Hoc convivium est, nucibus, fabulis, ficulis.

FĀBŪLĀRIS, e, adj. idem ac fabulosus, ut Historia fabularis, in qua multa falsa. *Suet. Tib.* 70. Maxime tamen curavit historiae fabularis notitiam. [*i. e. temporis mythici. *Brem.*]

*FĀBŪLĀTĬO, onis, f. faceta narratio vel collocutio. *Capell.* 6, 189. Cura districtior tibi forensis fabulationis partibus alligata aciem industriae melioris obtudit. *B. A.*

FĂBŬLĀTOR, oris, m. [*μυθοποιός.] facetus collocutor, sive vera, sive falsa narret. *Senec. ep.* 122. *med.* Pedonem Albinovanum narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantissimus), habitasse se etc. *Suet. Aug.* 78. Lectoribus aut fabulatoribus arcessitis, somnum resumebat. *Gell.* 2, 29. Aesopus ille e Phrygia fabulator.

FĂBŬLĪNUS, i, m. Deus, qui pueris primo fari incipientibus praeesse putabatur, cui etiam Romani sacrificabant, cum primum liberi eorum fari incipiebant. *Non.* 12, 56. ex *Varrone.*

FĂBULIS, e, adj. idem quod fabalis, ut *seges fabulis* ap. *Varr. R. R.* 1, 31. et *fabulia inarare*, h. e. fabae segetem, *Id. ib.* 23. Alii tamen leg. *fabalis* et *fabalia.*

FĂBŬLO, as, avi, atum, a. 1. idem quod fabulor. *Pl. Mil.* 2, 4, 18. Quae cum hoc insano fabulem. Et *ib.* 2, 5, 33. Stulta, quae vobiscum fabulem. Alii tamen his locis legunt *fabuler. Afran.* ap. *Non.* 4, 1. De vita ac morte domini fabulavere advorsum fratrem illius ac dominum suum. ℙ Hinc passive *fabularier*, per paragogen, pro *dici. Plaut. in supposit. Amph. sc. Dii vostr. fid. v.* 3. Verum est, quod olim est auditum fabularier.

FĂBŬLO, onis, m. congerro, qui nugas loquitur: item fabularum inventor, ut legitur in *Gloss. Isid. Macr. Sat.* 2, 1. Planipes et fabulo impudica verba jaciens. Al. aliter leg.. V. SABULO.

FĂBŬLOR, aris, atum sum, dep. 1. μυθέομαι, loquor, dico: a *fari. Pl. Poen.* 3, 4, 8. Age, ambula; ibi reliqua alia fabulabimur. *Id. Amph.* 1, 1, 144. Clare advorsum fabulabor: hic auscultet quae loquar. *Id. Cist. a.* 5. *v.* 1. Quid hoc negotii est, quod homines fabulantur per vias mihi esse filiam inventam? *Ter. Ph.* 4, 3, 49. Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler, aliquantulum quae afferret etc. *Gell.* 19, 13. Stabant forte una in vestibulo palatii Fronto et Festus fabulantes. *Id.* 15, 1. Vir laeta inter fabulandum venustate. *Pl. Epid.* 2, 2, 53. Fabulari inter se. *Suet. Cal.* 22. Fabulari cum aliquo. ℙ Item rem falsam fictamque narrare, inepte garrire. *Pl. Capt.* 3, 4, 2. Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? *Id. Truc.* 1, 2, 79. et 80. Non didici fabulari. *Liv.* 45, 39. *f.* Tu miles, quid de imperatore Paulo senatus decrevit potius, quam quid Servius Galba fabuletur, audi. *Plin.* 29, 1, 1. Ars medendi, ictum fulmine Aesculapium, fabulata.

FĂBŬLOSĒ, adv. μυθικῶς, cum fabula. *Plin.* 32, 11, 53. Accedat his Taprobane, insulaeque aliae oceani fabulose narratae. *Id.* 5, 1, 1. Colonia a Claudio Caesare facta Lixos vel fabulosissime ab antiquis narrata. *Ammian.* 23, 6. Ut Homerus fabulosius canit. *Plin.* 7, 48, 49. Hesiodus fabulose multa de hominum aevo referens; et reliqua fabulosius in phoenice.

FĂBŬLOSĪTAS, atis, f. fabulantium vanitas. *Plin.* 7, 52, 53. Corvi effigie, magna quidem fabulositate. Et *ib.* 28, 29. Si recipiatur poetica fabulositas. *Diomed.* 3, 474. Sed nativitatis eorum *(Idaeorum Dactylorum)* causam vetusta fabulositas docet hanc fuisse.

FĂBŬLOSUS, a, um, adj. μυθώδης, qui fabulis et figmentis celebratur, de quo multa finguntur, commenticius. *Hor. Od.* 1, 22, 7. quae loca fabulosus Lambit Hydaspes. *Curt.* 3, 1. Marsyas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclytus. *Suet. Caes.* 81. Res fabulosa aut commenticia. *Plin.* 11, 39, 95. Fabulosum arbitror de strigibus, ubera eas infantium immulgere. *Id.* 5, 1, 1. Mons Atlas fabulosissimus. *Id.* 33, 1, 4. Fabulosior anulus. *Appul. Met.* 1. Nihil hac fabula fabulosius.

FĂBŬLUM *vel* Fabulus, i, m. vel n. faba, vel fabae granum. *Cato R. R.* 70. Rutae folia tria, vitis albae caules tres, fabulos albos tres. *Colum.* 6, 4. ubi haec fere verba repetit, habet *valvulos ervi.* Dubia igitur est lectio ap. *Catonem. Gell.* 4, 11. Pythagoram abstinuisse fabulo, quem κύαμον Graeci appellant.

FĂCĔLA, ae, f. olusculum, quod aceto maceratum mensae apponitur, unde sequens *facelare. Auct. incert. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 369. *Burm.* Augustum penitus torret Phaethonitus ardor, Quem recreat fessum gillo, facela, melo. *Burm.* hic recte legendum putat *tabella*, quae flabellum significat, quo utebantur veteres ad aestivos calores refrigerandos.

FĂCĔLĀRE, is, n. acetarium, *Lampr. Elag.* 20. Barbas mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis, apiastris, et facelaribus exhiberet plenis fabatariis, et discis. Alii melius leg. *faselaribus*, h. e. siliquis faselorum seu phaseolorum conditis; nam faseli una cum siliquis ex aceto apponebantur ad orexim initio coenae excitandam.

FĂCĔLĪNUS. V. PHACELINUS.

[*FĂCĔLIS et FACELITIS. V. FASCELIS.]

FĂCESSO, is, essi, et sivi, situm, ere, n. 3. facio, praesto, exsequor: frequentativum (παραγωγὸν vocant *Diomed.* 1, 375. et *Charis.* 3, 227. desiderativum alii) a *facio*, ut *capesso* a *capio. Ov. A. Am.* 3, 367. Mille facesse jocos: turpe est, nescire puellam Ludere. Al. leg. *fac esse vel face esse. Virg. A.* 4, 295. Imperio laeti parent ac jussa facessunt. *Id. G.* 4, 548. matris praecepta facessit. *Enn.* et *Afran.* ap. *Non.* 4, 196. Facessere dicta. *Pl. Rud.* 4, 4, 17. Ego, opinor, qui rem facesso, *h. e.* qui litem facio, actionem intendo. Est qui legit *reum facesso.* ℙ Item exhibeo, creo, affero, in malam partem. *Cic. Div. Verr.* 14. Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. *Id. Fam.* 3, 10. De temeritate eorum, qui tibi negotium facesserent. Et passive. *Id. Cluent.* 37. *f.* Si cui forte hac lege negotium facessetur. *Id. Verr.* 2, 4, 64. Cum audissent ei negotium facessitum. ℙ Item abire, discedere, recedere. *Ter. Ph.* 4, 3, 30. Haec hinc facessat: tu molestus ne sies. Ubi *Donatus:* pro *hinc se faciat*, id est abeat: *huc se faciat*, huc accedat, significat. *Liv.* 4, 58. Ni facesserent propere urbe finibusque. *Id.* 6, 17. *extr.* Facesserent propere ex Urbe, ab ore atque oculis populi R. Et 1, 47. Facesse hinc Tarquinios aut Corinthum. *Cic. Leg.* 1, 13. *f.* Ab omni societate reipubl. paulisper facessant, rogamus. *Enn.* ap. *Non.* 4, 196. Vos ab hoc facessite. *Titin. ib.* Facessere aedibus. *Appul. Met.* 2. cubiculo. Et *ib.* 6. cubitum. Et *ib.* 10. e conspectu. *Justin.* 34, 4. Facessere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriae intercedant. *Appul. Met.* 3. Ignavia omnis facessat e pectore. ℙ Cum accus. pro removere. *Pl. Men.* 2, 1, 24. Dictum facessas doctum, et discaveas malo. ℙ In illo *Tac. H.* 4, 43. Nulli unquam periculum facessisset: volunt quidam grammatici *facessisset* esse pro *facessivisset* a praeterito *facessivi*, quod simile est in *capesso* et *lacesso.* Quod si verum est, etiam illud *facesseris*, quod ex *Cic. Div. Verr.* supra attulimus, pro *facessiveris* dictum erit.

FĂCĔTE, adv. κομψῶς, salse, venuste, urbane, eleganter. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *extr.* Nunquam tantum mali est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant. Et *Rosc. Am.* 44. Nosque ab isto nebulone facetius eludimur. *Id. Or.* 2, 55. Facetissime tres libellos tribus legendos dedit. Et 1, 57. Non modo acute, sed etiam ridicule ac facete. *Id. Fin.* 1, 11. Facete et urbane irridere Stoicos. *Pl. Men.* 1, 2, 22. Facete verba dare. *Gell.* 2, 23. Praeclare et apposite et facete scripsit. *Plin.* 14, 1, 3. Facete ludere in aliqua re. *Pl. Capt.* 1, 2, 73. [*VV. haec sunt: Propterea te vocari mi ad coenam volo. *Ep.* Facete dictum. (Tanquam voluptas, quam ex Hegionis verbis capit, non in re ipsa, h. e. invitatione illa, sed in formula verborum insit. Nos: *schön gesagt.* Haec *Lindem.*, quem v.] Et *Ter. Eun.* 2, 2, 57. Facete dictum! ℙ Significat etiam apte, commode. *Pl. Mil.* 1, 1, 39. Facete advertis animum tuum ad animum meum. *Id. Pers.* 4, 1, 7. Hanc ego rem exorsus facete et callide: igitur proventuram bene confido mihi. *Id. Stich.* 1, 3, 114. Hoc vide, satin' ut facete atque ex pictura hic adstitit! Et *Capt.* 1, 2, 72. Propterea te vocari ad coenam volo. *Parasitus.* Facete dictum: Huc pertinet cum adhibetur in acclamationibus. *Ter. Eun.* 3, 1, 37. Facete, lepide, laute, nihil supra.

FĂCĔTĬAE, arum, f. plur. εὐτραπελία, dicta arguta et salsa ad delectandum et risum movendum, deliciae quaedam sermonis, urbana dicta sine scurrilitate, joci, sales, lepores, urbanitates, argutiae. *Cic. Brut.* 34. P. Scipio omnes sale facetiisque superabat. Et 48. Festivitate et facetiis praestare omnibus. *Id. Or.* 1, 34. Libandus ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos. Et 5. Accedat oportet lepos quidam facetiaeque. Et 57. Sale et lepore et politissimis facetiis pellicere. Et *Att.* 1, 13. Facie magis, quam facetiis ridiculus. *Vell.* 1, 17. Dulces Latini sermonis facetiae. *Tac. A.* 14, 1. Per facetias incusare aliquem. Et *ib.* 15, 68. Asperis facetiis illudere aliquem. Et 25. *extr.* Facetiis insectari quempiam. Et *ib.* 5, 2. Acerbis facetiis irridere. *Pl. Stich.* 5, 2, 7. Facetias facere. *Pl. Mil.* 3, 1, 187. Mulier, cui facetiarum cor corpusque sit plenum et doli. ℙ Duo sunt genera facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus superior, cavillatio: haec altera dicacitas nominata est. *Cic. Or.* 2, 54. ℙ Aliquando *facetiae* dicuntur de solo illo priori genere. *Id. Or.* 26. Salium duo genera sunt: unum facetiarum, alterum dicacitatis etc. ℙ In sing. numero. *Pl. Stich.* 5, 4, 47. Haec facetia est, amare inter se rivales duos. (Hoc loco *facetia* non pro dicto, sed pro re singulari, admirabili ponitur.) *Gell.* 3, 3. Facetia sermonis. *Appul. Apol.* p. 316, 27. Nonnullos facetiae sibi habere, res divinas deridere.

FĂCĔTIOR, aris, dep. 1. facetiis utor. *Sid. ep.* 3, 13. Qui, quod verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam incestant, granditer sibi videntur facetiari.

FĂCĔTOSUS, a, um, adj. idem ac facetus. *Cic. Fin.* 2, 31. Et in quantam hominum facetosam urbanitatem incurratis. Ita quidam leg., sed *facetorum* omnino reponendum est cum optimis quibusque libris.

FĂCĔTUS, a, um, adj. εὐτράπελος, qui salibus et sermonis urbanitate, citra scurrilitatem tamen, abundat, festivus, salsus, urbanus, scitus in dictis, venustus. A *facio* ducunt etymologi, qua ratione, ap. *Voss.* leges. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Cic. Phil.* 2, 8. At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id, Dii boni, non decebat! *Id. Off.* 1, 30. Dulcem et facetum festivique sermonis, atque in omni sermone simulatorem Socratem accepimus. Et 29. Duplex jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id. Brut.* 16. Homo acutus, elegans, facetus. Et 85. Ironia faceta et elegans. *Just.* 39, 2. Faceti joci. *Plin.* 35, 10, 37. Argutiae facetissimi salis. *Cic. Or.* 1, 8. Facetus sermo. Et 2, 54. narrator. Et 56. Facetus et urbanus. Et *ib.* Facetus et salsus. *Id. Brut.* 47. Facetus cum aculeo et maledicto. Et *Leg.* 2, 15. Aristophanes, facetissimus poeta veteris comoediae *Lucil.* apud *Fest.* in *Redarguisse.* Quo facetior videare, et scire plus quam ceteri. [*Cf. *Terent. Heaut.* 3, 2, 11. Mulier commoda et Faceta haec est meretrix.] ℙ *Quint.* 6, 3. *Facetus* non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius (*Sat.* 1, 10, 44.) facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis, et excultae elegantiae appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero *(in fragm.)* haec Bruti refert verba: Nae illi sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles. Quod convenit cum illo Horatiano: molle atque facetum Virgilio. Hactenus *Quint.* Advertendum autem, facetum carmen *Virgilio* tribui ab *Horatio* praesertim in Bucolicis et Georgicis. Ait enim: molle atque facetum Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camenae. Significat ergo amoenum, elegans, jucundum, eruditum, floribus poetici leporis respersum. Quo pertinet illud *Colum.* 1, 1. *med.* Duo volumina similium praeceptorum de vineis Julius Graecinus composita facetius et eruditius, posteritati commendavit. [*V. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 161. sq.] ℙ *Facetus victus* est elegans et lautus. *Pl. Most.* 1, 1, 41. Non omnes possunt olere unguenta exotica, si tu oles: neque tam facetis, quam tu vivis, victibus. ℙ Praeterea *facetus* est etiam qui blande loquitur, et ad voluntatem alterius. *Hor. Ep.* 1, 6, 54. frater, pater, adde, Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta. ℙ Item scurra, quique per turpia aut indecora risum captat. *Id. Sat.* 1, 2, 270, 6. Malchinus tunicis demissis ambulat: est, qui Inguen ad obscenum subductis usque facetus. [*Facetus h. l. non scurra, qui risum aliorum captat, sed is videtur intelligendus, quem nos dicimus *Sonderling*, qui decorum quaerit in rebus, non per se quidem, sed in quem abhibeantur usu ridiculis. Qualis est, quem *Hor.* h. l. describit, qui rudem centurionis habitum eumque parum convenientem civibus, recte venustatis affectandae causa et dignitatis sumsisse sibi videtur.]

FĂCIES, ei, f. πρόσωπον, (vocis etymon vide infra) pars anterior capitis humani, constans fronte, oculis, naso, malis, ore, mento. *Plin.* 11, 37, 51. Facies homini tantum: ceteris os aut rostra. *Id.* 7, 1, 1. Jam in facie vultuque nostro cum sint decem, aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies exsistere. *Cic. Phil.* 2, 16. Velim, mihi dicas, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura. *Id. Pis.* 32. *extr.* De facie nosse aliquem. *Ter. Eun.* 3, 2, 20. Homo facie liberali. *Id. Ph.* 1, 2, 50. Virgo facie egregia. [*Tibull. 1, 5, 43. Non facit hoc verbis; facie tenerisque lacertis Devovet et flavis nostra puella comis. *Id.* 1, 9, 15. Uretur facies, urentur sole capilli. V. plura hujus significationis exempla in *B. Crus. cl. Suet.* p. 360.] *Juv.* 3, 280. Cubare in faciem. *Id.* 9, 146. Multas facies fingere. ℙ Pro pulcritudine. *Ov. A. Am.* 3, 105. Cura dabit faciem, facies neglecta peribit. ℙ *Perfricare faciem*, ut perfricare os, frontem, est pudorem abjicere. *Plin, Praef. H. N.* 1. Perfricui faciem; nec tamen profeci. ℙ *Vertere se in omnes facies*, est facere, experiri omnia, ad Proteum respiciendo. *Virg. A.* 12, 891. Verte omnes te te in facies et contrahe quidquid Sive animis, sive arte vales. ℙ Aliquando latiore significatione accipitur pro universa forma et modo et factura corporis totius, uti docent *Gell.* 29, 13. et *Non.* 1, 262. Est enim a faciendo dicta, ut ab aspectu *species*, a fingendo *figura. Senec. ep.* 33. Non est formosa, cujus crus laudatur, aut brachium, sed illa, cujus universa facies admirationem singulis partibus abstulit. *Pl. Poen.* 5, 2, 151. Earum nutrix qua sit facie, mihi expedi. *Mi.* Statura haud magna, corpore aquilo, Specie venusta, ore parvo, atque oculis pernigris. Et *Pacuv.* ap. *Gell. l. c.* et *Non.* 1, 262. Aetate integra, feroci ingenio, facie procera virum. *Pl. Ps.* 4, 2, 9. Peregrina facies videtur hominis. [*Lucr. 5, 1111. Reges — Et pecudes et agros divisere, atque dedere, Pro facie quoiusque, et viribus in-

genioque. Nam facies multum valuit, vireisque vigebant. Adde *ib.* 1173.] Translate *Quint.* 1, 5. *med.* Quaedam faciem soloecismi habent, et dici vitiosa non possunt. *Id.* 8, 5. *med.* Inventiunculis gaudent, quae excussae risum habent, inventae facie ingenii blandiuntur. *Tac. A.* 13, 38. Dum positis loricis et galeis, in faciem pacis veniretur. ℙ Hac ratione differt a vultu, qui de ore tantummodo dicitur. *Cic. Or.* 1, 28. Non quaeruntur ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. *Sall. Cat.* 15. Prorsus in facie vultuque vecordia inerat. ℙ Aliud discrimen *vultus* et *faciei* V. in VULTUS. ℙ De rebus inanimis. [*Est forma cujuscunque rei externa, id quod oculis spectandum objicitur.] *Pl. Rud.* 4, 4, 105. et 111. Crepundia qua facie sunt? responde ex ordine. *Pa.* ensiculus est aureolus litteratus: post est securicula anceps etc. Eodem modo adnotante *Gell. l. c.* prope dicitur *montis* et *coeli* et *maris facies. Sall. fr. ib.* Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani. *Virg. G.* 4, 360. Unda curvata in faciem montis. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Intermissa tecta villarum, quae praestant multarum urbium faciem. *Ov. Trist.* 1, 3, 26. Haec facies Trojae, cum caperetur erat. *Gell.* 15, 30. Faciem vehiculi ementitus est longe alienam falsamque. *Plin.* 12, 14, 31. Nec, arboris ipsius quae sit facies, constat. *Id.* 6, 17, 21. Alia illius coeli facies, alii siderum ortus. *Id.* 35, 4, 10. Tabulae, quae pictam belli faciem habent. *Id.* 25, 2, 4. Herbae quadripartitis varietatibus anni faciem mutant. *Gell.* 10, 18. Ossa contusa in faciem pulveris. [*Alia exempla haec sunto: *Tac. A.* 4, 67. Antequam Vesuvius, mons ardescens, faciem loci verteret. *Plin. ep.* 5, 6, 9. Vineae unam faciem longe lateque contexunt. Cf. *Eund. Pan.* 51, 4. *Sil.* 7, 367. Facie subita Flammarum, i. e. aspectu flammarum ex improviso allato. *Plin. Pan.* 35, 1. Memoranda facies, i. e. spectaculum. *Ib.* 56, 5. decora facies! V. *Gierig. ib.* 82, 3. foeda facies. *Tac. A.* 1, 85. Armorum civilium facies. *Virg. A.* 6, 560. Tam multae scelerum facies. *Sil.* 4, 593. Mille leti facies. Notandae porro sunt dicendi formulae *Tibull.* 4, 1, 100. Faciem componere pugnae, i. e. aciem instruere. *Inscr.* ap. *Or.* 3297. Praetorium in ruinam conlapsum ad novam faciem restitutum, i. e. ex integro aedificatum, ita ut novum videretur.] ℙ Illa quoque translata sunt, et formam, conditionem, speciemque rei significant. *Cic. Fl.* 22. Fateantur, in Maeandrii persona esse expressam faciem civitatis. *Id. Phil.* 8, 8. Senatus faciem legatus secum attulerat, auctoritatem reipubl. [*Facies in his dignitatem quandam involvit.] *Sall. Cat.* 32. Quibus rebus permota civitas, atque immutata facies urbis erat. *Quint.* 8, 2. *med.* Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies, *h. e.* imago, species alicujus rei descripta verbis per hypotyposin. ℙ *Prima facie. Cajus Dig.* 16, 1, 13. Cum prima facie quidem alienam re vera autem suam obligationem suscipit. **Id. Inst.* 4, 1. (ed. *Goesch.*) §. 126. Exceptio, quae prima facie justa videatur etc. *B. A.* ℙ *Facie alicujus rei* est specie, praetextu. *Tac. H.* 2, 54. Quod publici consilii facie discessum Mutina, desertaeque partes forent. ℙ Dicitur et in quibusdam rebus, qua parte melius apparent, et conspiciuntur. *Plin.* 9, 25, 54. de margaritis: Quibus una tantum est facies, et ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympania nominantur. ℙ Ponitur et pro ratione, modo. *Pl. Cist.* 1, 1, 73. Ad istam faciem est morbus, qui me macerat. ℙ In secundo et tertio seu sexto casu plurali, *facierum, faciebus* vix est in usu. *Cato* ap. *Prisc.* 7. *in f.* Exempla earum facierum. ℙ Olim declinabant *facies* hujus *facies* et hujus *facii*, et in dativo huic *facie:* cujus rei testis est *Gell.* 9, 14. Sic *dies dii, fames famii* etc. V. DIES.

FĂCĬLĔ, adv. ῥᾳδίως, εὐχερῶς, nullo negotio, sine labore. *Cic. Fam.* 1, 2. *s. f.* Injuriis, quae propositae sunt a Catone, facile resistemus. *Id. Or.* 2, 57. Facile ediscere aliquid. *Id. Coel.* 9. Facillime fingere quidpiam. *Caes. B. G.* 5, 24. Facillime mederi inopiae frumentariae. Et *ib.* 1, 11. Non facile ab oppidis hostium vim prohibere. Et 2. Minus facile finitimis bellum inferre. *Gell.* 1, 6. *s. f.* Facile et procliviter persuasit. *Nep. Them.* 1. Facile explicare oratione aliquid. *Id. Alc.* 9. Sperabat se facile consecuturum. *Id. Con.* 4. Facile induci ad credendum. *Id. Milt.* 6. Quo facilius intelligi possit. *Plin.* 2, 3, 3. et *Curt.* 6, 7. *extr.* Non facile dixerim. ℙ Pro libenter, aequo animo. *Cic. Tusc.* 1, 32. *extr.* Te aberrare a proposito facile patiebar. *Ter. Andr.* 1, 1, 35. Facile omnes perferre ac pati. *Cic. Top.* 18. et *Nep. Phoc.* 1. Facile carere aliqua re. *Id. Epam.* 3. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut etc. *Cic. Att.* 13, 26. Locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturae. *Id. Verr.* 2, 1, 36. Vina ceteraque, quae in Asia facillime comparantur, [*h. e.* quae sine negotio, copiose, parvo pretio ibi emuntur. Hic locus ad §. anteced. pertinet. Cf. *Liv.* 45, 44. Facile Nicomedis commendationem accipere. *Lucr.* 4, 1278. Ut facile insuescat secum vir degere vitam. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 7.] ℙ Pro longe, certo, aut multo. *Cic. Tusc.* 1, 33. Facile deterrimus. *Id. Or.* 3, 11. Eruditissimos Asiaticos quivis Atheniensis indoctus facile vincit. *Id. Fam.* 6, 10. Tui ordinis facile princeps. *Pl. Trin.* 3, 2, 80. Facile palmam habes: hic victus. *Ter. Andr.* 4, 3, 5. Facile hic plus mali est, quam illic boni. Ubi *Donatus*: adverbium confirmantis est, id est liquido, manifesto. Veteres dicebant *facile* pro certo. [*Ita praeter *Don.* docent *Nolten. Antib., Valla Elegg.* 1, 18., *Ruhnk.* ad *Terent.* l. l., *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 48., *Cort.* ad *Sall. Cat.* 37., quos laudat in *cl. Cic.* s. h. v. *R.*, qui ib. contendit, non augendi, sed extenuandi quodammodo et imminuendi vim inesse v. *facile*, ubi nominibus superlativis, s. vv. eminentiam significantibus addatur; tanquam dictum sit: facile fieri posse, ut res ita se habeat. V. locos, quos in hanc sententiam ib. laudat.] ℙ Pro valde vel optime. *Pl. Ep.* 3, 4, 66. Novistin' fidicinam? *Fi.* tam facile, quam me. ℙ Pro bene, laute, beate, ex sententia. *Ter. Ad.* 3, 5, 56. Quam vos facillime agitis, quam estis maxime potentes, dites, fortunati; tam maxime vos oportet etc. *Pl. Curc.* 5, 2, 6. Nugas garris. *Curc.* soleo: nam propter eas vivo facilius. [*Suet. Ter.* 1. Facillime agitare. V. *Wolf.*] *Petron. fragm. Trag. Burm.* 43. Facile est, ubi omnia quadrata currunt.

FĂCĬLIS, e, adj. εὐχερής, ῥᾴδιος, qui fieri potest, qui est sine labore, expeditus, explicatus, proclivis: a *facio. Ter. Heaut.* 4, 6, 1. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam invitus facias. Et 4, 3, 26. Bonam rem imperas et factu facilem. *Id. Hec.* 3, 1, 15. Cuivis facile scitu est, quam fuerim miser. *Nep. Dion.* 9. Cuivis facile intellectu fuit. *Virg. A.* 3, 621. Nec visu facilis, nec dictu effabilis. *Tac. H.* 4, 39. Facilis corrumpi. [*Liv.* 7, 33. Faciles vincere ac vinci. Ceterum quos aurea aetas tulit prosae orationis scriptores, ii hoc dicendi genere abstinuerunt.] *Lucan.* 2, 656. Roma capi facilis. *Caes. B. G.* 1, 6. Iter multo facilius atque expeditius. *Cic. Part.* 27. Res facilis et proclivis. *Id. Planc.* 5. Causa facilis et explicata. *Id. Caecin.* 3. Facilius et commodius judicium. *Id. Or.* 2, 45. Materies facilis ad exardescendum. [*Similes loci sunt *Tusc.* 1, 32. Illud autem facile ad credendum est. *Off.* 3, 6. Haec ad judicandum sunt facillima.] *Id. Phil.* 2, 17. Materia facilis, in te dicta dicere. *Id. Manil.* 14. Aditus faciles ad eum privatorum. *Virg. G.* 1, 79. Facilis labor. *Id. A.* 11, 771. quae sit fortuna facillima, tentat. *Id. G.* 1, 40. Da facilem cursum, i. e. felicem. Et 122. colendi haud facilis via. Et *ib.* 2, 460, Facilis victus, *h. e.* copiosus. Et *A.* 1, 449. Facilis victu gens, *h. e.* abundans, dives. *Petr. Sat.* 93. Atque Afrae volucres placent palato, Quod non sunt faciles, *h. e.* non facile inveniuntur. Sic *Hor. Sat.* 1, 2, 119. Facilis et parabilis. *Lucan.* 1, 173. Irae faciles, *h. e.* quae facile accenduntur. *Virg. A.* 2, 646. facilis jactura sepulcri, *h. e.* quae aequo animo ferri potest. [*Tac. H.* 4, 28. Facile damnum. *Liv.* 5, 39. Facilem jacturam esse seniorum, relictae in urbe utique perituraе turbae.] *Juven.* 4, 63. facilis cardo, *h. e.* qui facile movetur, et vertitur. *Hor. Od.* 2, 11, 8. et *ib.* 3, 21, 4. facilis somnus, *h. e.* qui facile capitur. *Val. Fl.* 1, 109. faciles arcus, *h. e.* qui facile gestantur vel flectuntur. *Curt.* 4, 6. Facilis humus, *h. e.* quae facile effoditur. *Plin.* 16, 43, 84. Fagus facilis. [*i. e. ad tornandum haud difficilis. *Tibull.* 1, 1, 40. Pocula, de facili composuitque luto, i. e. argilla, quae tractari et fingi facili negotio potest. V. quae de loco *Ov. Met.* 15, 169. notavimus in *fragitis.*] Et 13, 4, 7. Palmae faciles ad scandendum. [*Cic. Fin.* 2, 20. Cibus facillimus ad concoquendum. Quod aliter *Plin.* 19, 4. Acetaria facilia concoqui.] *Prop.* 4, 10, 4. Jugum facile. *Nemes. Cyn.* 50. facilis canis, *h. e.* agilis, celer: vel qui facile impellitur ad venandum, paratus, promptus. *Plin.* 8, 32, 50. Feminae faciliore utentes utero, *h. e.* facilius edente partum. ℙ Cum refertur ad personam, significat eum, qui facile quidpiam facit. *Cic. Brut.* 48. Facilis et expeditus ad dicendum T. Junius. *Suet. Tit.* 3. Latine Graeceque vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus et facilis, ad extemporalitatem usque. [*Adde *Tib.* 71. ubi, *intp. B. Crus.*, *promptus* significat, ei copiam linguae, s. materiam nunquam defuisse; *facilis*, eum in usu hujus copiae sine haesitatione esse versatum.] ℙ Item de eo, qui facile cedit, non repugnat, se dat alteri, et submittit. *Cic. Div.* 2, 52. Etiamsi faciles nos ad concedendum habuerit. *Id. Fam.* 7, 1. *med.* Facilem populum habere. *Val. Fl.* 1, 151. Haccine nos animae faciles rate nubila contra Mittimur? *Stat. Th.* 8, 571. faciles grassatus cuspide turmas. *Lucan.* 2, 314. ad juga faciles populi. *Hor. Od.* 2, 12, 26. Saevitia facilis, *h. e.* quae facile placatur. ℙ Item de eo, qui mitis, lenis est, et humanus, affabilis, comis communis. *Cic. N. D.* 3, 29. et *Ter. Heaut.* 2, 1, 5. Facilis et liberalis pater. *Id. Ad.* 5, 9, 29. Facilem et festivum esse alicui. *Id. Hec.* 5, 1, 35. Facilem benevolumque lingua tua tibi me reddidit. *Cic. Balb.* 16. Comes, benigni, faciles, suaves homines *Id. Q. Fr.* 1, 1, 11. Facilem se in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque praebere. *Ov. Her.* 16, 280. Sic habeas faciles in tua vota Deos. [*Id. Fast.* 2, 5. Certo ego vos (Elegos) habui faciles in amore ministros] *Virg. Ecl.* 3, 9. Nymphae faciles. Ubi *Serv.* mites, exorabiles. [*Suet. Vesp.* 21. Nec ullo tempore facilior aut indulgentior traditur. Plura v. ap. *B. Crus. Cl. Suet.* p. 360.] ℙ *Facilis* pro agili, celeri, et facile se movente. *Virg. A.* 8, 310. et *Manil.* 1, 647. faciles oculos fert omnia circum. ℙ Item pro navo, solerti, industrio. *Tibull.* 1, 1, 7. Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus, et facili grandia poma manu. [*Alia exempla haec sunto: *Ov. Fast.* 1, 444. Facili dulces editis ore modos. *Id. ib.* 3, 536. Et jactant faciles ad sua verba manus.] ℙ Res faciles sunt expeditae. *Cic. Fam.* 6, 5. Res et fortunae tuae quotidie faciliores mihi, et meliores videntur. Adde *Liv.* 23, 11, 10., ubi al. leg. *feliciores.* ℙ Cum infinito. *Prop.* 2, 21, 15. edit. Kuinoelii. Ah nimium faciles aurem praebere puellae! *Val. Fl.* 4, 723. Pontus et exorta facilis concrescere bruma. *Stat. Th.* 1, 606. lecti juvenum, qui robore primi, Famam posthabita faciles extendere vita. *Lucan.* 2, 460. Terror facilis vertere mentes. Et 10, 310. Facilis cedere. *Sil.* 12, 163. Planities facilis adiri. [*Id. 1, 225. Prodigá gens animae, et properare facillima mortem.] ℙ Cum genitivo. *Liv.* 26, 15. Facilis impetrandae veniae Claudius. *Val. Fl.* 5, 407. Rex alloquii facilis. *Claud. laud. Serenae* 54. Hispania dives equis, frugum facilis, *h. e.* copiosa, fertilis. ℙ Cum ablativo. *Sall. Jug.* 100. Facundus, callidus, amicitia facilis, *h. e.* facile sibi amicos parans. ℙ Cum dativo, *facilis alicui rei*, est aptus, idoneus. *Sil.* 15, 721. Milites nec soli faciles longique laboris anhelos, *Id.* 12, 464. audendi pravus facilisque periclis. *Lucan.* 4, 506. Morti faciles animi, *h. e.* parati ad mortem subeundam. *Tac. A.* 2, 27. Juvenis improvidus et facilis inanibus, [*i. e. pronus, faciles aures praebens inanibus. *Id. H.* 2, 17. Faciles occupantibus et melioribus incuriosos. *Liv.* 40, 58. Neque Thraces commercio faciles erant. *Tibull.* 1, 3, 37. Quod facilis tenero sum semper Amori. Ita etiam constr. c. *in* praepos. *Tac. Agr.* 21. Homines — rudes eoque in bella faciles; item c. *ad: Id. A.* 14, 4. Facili feminarum credulitate ad gaudia.] *Virg. G.* 2, 223. Terra facilis pecori, *h. e.* quae facile et abunde suppeditat alendo pecori. [*Liv.* 33, 17. Campus operi facilis, *h. e.* ubi facile opera, munimenta exstrui possunt. *Id.* 45, 30. Facilis divisui (Macedonia). Huc etiam referri potest locus *ejusd.* 9, 19. Romana acies distinctior, ex pluribus partibus constans: facilis partienti, quacumque opus esset, facilis jungenti.] ℙ Passive. *Quint. Decl.* 1, 16. p. 35. Caecus contumeliae opportunus, injuriae facilis, *h. e.* cui facile inferri injuria potest. [*Ita legitur etiam ap. *Suet. Caes.* 22. Negante quodam, facile hoc ulli feminae fore (nos: *thunlich*).] ℙ Facile est, sequente infinito, vel *ut* particula et conjunctivo. [*Huc pertinet locus, a nostro §. 1. laudatus *Ter. Ad.* 5, 4, 8. Id esse verum, cuivis facile est noscere.] *Curt.* 6, 10. Verba innocenti reperire facile est. *Plin.* 3, 5, 6. Nec situs, originesque persequi, facile est. *Plin. Pan.* 44. et 87. Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit, quam ut velit. ℙ *Ex facili* est facile. [*Hoc quoque poetarum maxime, e more Graecorum desumptum dicendi genus est. Adde *Tac. A.* 2, 2, 55. *Plin.* 37, 4. Plura v. ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 167. seq.] *Plin.* 30, 3, 8. Cinis conjectus exesis dentibus, ex facili cadere eos cogit. *Cels.* 7, 9. *med.* Ita adducendum, ut ex facili subsequatur. *Colum.* 6, 1. Quae in emendis bubus sequenda, non ex facili dixerim. *Ov. A. Am.* 1, 356. Quod petis, e facili, si volet illa, feres. ℙ *In facili* idem significat. *Liv.* 3, 8. Cum exitus haud in facili essent. Al. aliter leg. [*Cf. 28, 34.] *Tryphonin. Dig.* 26, 3, 8. Quod in facili est. ℙ *De facili* idem est, sed rarius. *Firmic. Math.* 5, 6. De facili ab eis superabuntur.

FĂCĬLĬTAS, atis, f. ῥᾳστώνη, habitus, quo quis facile quidpiam facit, promptitudo, facultas. *Cic. Tusc.* 4, 12. *extr.* Haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur: in malis proclivitas. *Suet. Gramm.* 23. Capiebat homines facilitate sermonis. *Quint.* 1, 12. Facilitas puerilis aetatis, *h. e.* qua facile omnia discunt. *Id.* 10, 7. oris, *h. e.* pronunciandi. *Senec. ep.* 11. corporis, *h. e.* proclivitas ad erubescendum. [*Tac. A.* 11, 26. Facilitate adulteriorum in fastidium versa.] *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Proscindi jugerum uno die, si sit facilitas soli. *Id.* 21, 24, 95 Facilitas pariendi. *Id.* 16, 10, 18. Picea tonsili facilitate. *Id.* 37, 5, 16. Smaragdi sensim radiantes, et visum admittentes, ad crassitudinem sui facilitate translucida, *h. e.* facile penetrante lumine usque ad interna crassitudinis. ℙ [*Est etiam *fa-*

cilitas singularis quaedam oratoris virtus, qua sine nimio impetu et rapida celeritate, expedite tamen fluunt verba, et decora quadam aptaque mobilitate labuntur. *Sen. ep.* 40. Fabianus disputabat expedite magis, quam concitate, ut possis dicere, facilitatem esse illam, non celeritatem. Gr. *εὐκολία, εὐχωρία, εὐροια.* Oppon. *tarditas loquendi Cic. Brut.* 66. — *Firma facilitas*, Gr. ἕξις, *Quint. Inst.* 10, 1. *in.*, est qua assequimur, ut, quae dicamus aut scribamus, habeamus in promptu, de praeceptis vel artis disciplina minus solliciti, cf. *ib.* §. 59. De alio facilitatis genere dicit *Quint.* 12, 10, 77. ubi naturalis quaedam loquendi dexteritas, quam *Id.* 10, 2, 12. in virtutibus oratoris non imitabilibus numerat. Huc denique pertinet etiam *extemporalis illa* facilitas, de qua *Quint.* 10, 2, 7. et 12, 9, 21. disputat. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 162. sq.] ℙ In malam partem. [*Leichtsinn.] *Suet. Claud.* 29. In XXXV. senatores et CCC. amplius equites R. tanta facilitate animadvertit, ut, etc. ℙ Translate est humanitas, lenitas, qua nos faciles praebemus, mites, exorabiles, benignos. *Cic. Mur.* 31. *extr.* Si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati severitatique asperseris. *Nep. Att.* 15. Ejus comitas non sine severitate erat; neque gravitas sine facilitate. *Suet. Caes.* 72. Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut etc. *Cic. Manil.* 14. Ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. *Id. Fam.* 12, 1. *extr.* Immoderate et ingrate facilitate nostra abutuntur. Et *ib.* 13, 24. Pro tua facilitate et humanitate. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 7. Facilitas in audiendo, lenitas in decernendo. *Id. Att.* 12, 40. Quis congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? [*Liv. 40, 46. Facilitas censorum.] ℙ Etiam in plurali num. usurpari posse, colligi videtur ex *Quint.* 9, 4. *med.*, ubi pro exemplo duplicis pedis uno verbo comprehensi ponit *facilitates, temeritates.* [*ℙ Confund. *facilitas* et *facultas.* V. *Spalding. Quint.* 4, 1, 61. et ad 10, 5, 1.]

FĂCĬLĬTER, adv. idem quod facile. *Quint.* 1, 6. Inhaerent quidam molestissima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur. His permittamus et *audivisse* et *scivisse* et *tribunale* et *faciliter* dicere. *Vitr.* 1, 4. Ferrum percalefactum faciliter fabricatur. Et 2, 1. Manibus et articulis, quam vellent rem, faciliter tractarent. Adde 3. *et alibi.*

FACINOROSUS, a, um, adj. κακοῦργος, qui mala facinora perpetrat, flagitiosus, scelestus. *Cic. Cat.* 2, 10. Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum. *Id. Sext.* 38. Respublica a facinorosissimis sicariis oppressa. *Id. Leg.* 1, 14. Deterrere aliquem ab injuriosa facinorosaque vita. *Just.* 2, 1. Impius et facinorosus animus. *Id.* 16, 4. Clearchus exsilio facinorosior redditus.

FĂCĬNUS, ŏris, n. ἀνδραγάθημα, insigne factum: a *facio.* Vox est mediae singnificationis, et in utramque partem sumitur tum de honesto ac laudabili, tum de malo pravoque. Prima significatione. *Ter. Heaut.* 2, 1, 8. Is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora! *Antonius* ap. *Cic. Phil.* 13, 17. Qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus. *Cic. Rabir. perd.* 6. Id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. *Auct. ad Her.* 4, 55. Quasi facinus praeclarissimum fecisset. *Tac. A.* 3, 21. Rarum ea tempestate facinus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 73. Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile. *Sall. Jug.* 2. Ingenii egregia facinora. ℙ Altera notione, quae frequentior est, κακούργημα. [*V. *Doederl.* 2, 144. sqq. ubi plurima egregie de hoc vocabulo disputata leguntur.] *Ov. Fast.* 1, 249. Nondum Justitiam facinus mortale fugarat. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Facinus est, vinciri civem R.; scelus, verberari; prope parricidium, necari: quid dicam in crucem tollere? *Id. Mil.* 27. Cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine. *Id. Agr.* 2, 28. Homines ad vim, facinus, caedemque delecti. *Id. Verr.* 2, 5, 72. Inaudita et singularia facinora sceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, avaritiae, crudelitatis. *Id. N. D.* 3, 18. Furiae vindices facinorum et sceleris. *Id. Fin.* 2, 29, Vide, ne facinus facias, cum mori suadeas. *Id. Cat.* 1, 10. Obire facinus. *Id. Fam.* 3, 10. committere. *Sall. Jug.* 34. suscipere. *Id. Cat.* 18. patrare. *Caes. B. G.* 3, 9. in se admittere. *Ov. Trist.* 2, 207. Nec tamen est facinus molles evolvere libros. Et *ib.* 4, 4, 43. abfuit omne Peccato facinus consiliumque meo. Et *ib.* 1, 2, 98. A culpa facinus scitis abesse mea. *Id. Her.* 16, 213. heu facinus! Sic *Ter. Eun.* 1, 1, 25. et *Cic. Verr.* 2, 4, 66. O indignum facinus! *Ov. Her.* 10, 6. per facinus, *h. e.* per scelus. ℙ Inter *flagitium* et *facinus* hoc differt, quod *flagitium* est quidquid agit cupiditas indomita ad corrumpendum animum et corpus suum: *facinus*, quod agit, ut alteri noceat. Ita *August. de doctrin. Christ.* 3, 10. Praeterea flagitium infamiam semper habet, facinus non semper. *Liv.* 39, 13. Nihil facinoris, nihil flagitii praetermittere. *Sall. Cat.* 24. Homo flagitiis atque facinoribus coopertus. Adde *Cic. Cat.* 1, 6. *Scelus* vero utrumque complectitur: et praeterea significat ipsam turpitudinem, aut malitiam flagitii et facinoris. Ad haec *facinus* etiam in bonam partem accipitur, *flagitium* et *scelus* semper in malam. *Cic. Fam.* 9, 3. Cum omnes in omni genere et scelerum et flagitiorum volutentur. *Id. Mil.* 16. Scelus, et facinus prae se ferens, et confitens. ℙ Universim *facinus* est quodcumque factum, aut res. *Pl. Mil.* 2, 4, 24. et 58. Nimis mirum est facinus, quomodo haec hinc potuerit transire! *Id. Rud.* 1, 2, 73. Quod facinus video! *Dae.* quid vides? *Sc.* mulierculas Video sedentes in scapha solas duas.

FĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. ποιέω, ἐργάζομαι, efficio, ut aliquid sit, ago, conficio. Verbum est latissimae significationis atque usus; accommodaturque omnibus fere actionibus. *Papin. Dig.* 50, 16, 218. Verbum facere omnem omnino faciendi causam complectitur, donandi, solvendi, judicandi, ambulandi, numerandi. *Cic. Fam.* 11, 14. Ego plus, quam feci, facere non possum. *Id. Sen.* 3. Faciam, ut potero, Laeli. *Id. Att.* 16, 15. Noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam. *Id. ad Brut.* 1, 2. Quod scribis, statuisse te ducere exercitum in Cherronesum, facis ex tua dignitate et e repub. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 3. Orabat, ut ad te scriberem: quod facio, et vehementer rogo, ut, etc. *Id. Quint.* 8. Recte aut perperam facere. *Id. Rosc. Com.* 7. Facere per malitiam. [*In talibus v. *facere* saepe omittitur. *Cic. Brut.* 49. Sed hoc quidem ignoratione. *Id. Mil.* 14. Nihil per vim unquam Clodius.] *Id. Att.* 12, 27. Facere non possum, quin ad te mittam. Et eodem sensu *ib.* 11, 21. et *ib.* 8, 14. Non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres. *Id. Amic.* 2. Amice facere. *Ter. Eun.* 4, 1, 10. Facere alicui aegre. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Fecit humaniter Licinius, quod ad me venit. *Id. Att.* 7, 7. Bene hoc fecit, quod mihi sui cognoscendi facultatem dedit. *Id. ib.* 12, 24. Bene fecit Silius, qui transegerit. *Id. Leg.* 1, 1. Faciunt imperite, qui a pueta veritatem exigunt. *Id. Sext.* 13. et *Verr.* 1, 2, 16. Quid hoc homine faciatis? *Pl. Bacch.* 2, 3, 100. Nescit, quid faciat auro. Et *Cas.* 5, 4, 6. Quid fecisti scipione? (modus interrogandi, re amissa.) Sic 9. Quin respŏnde, tuo quid factum est pallio? *Cic. Caec.* 11. et *Att.* 7, 3. Quid tu huic homini facias? [*Gr. τί χρήσει τούτῳ;] Et *Acad.* 4, 30. Quid enim faceret huic conclusioni? si lucet, lucet, etc. cederet scilicet, [*i. e. quomodo refelleret? Caeterum formulae, *quid huic faciam* et *quid hoc faciam* et *quid de hoc faciam*, nonnisi elocutione differunt. *Rahmsh. Gr. Lat.* p. 424.] ℙ *Facere cum aliquo*, et *ab aliquo* est convenire, favere, stare ab aliquo: cui contrarium est *facere adversus aliquem. Cic. Sull.* 13. Si respondisset, idem sentire, et secum facere Sullam. *Id. Quint.* 3. Veritas cum illo facit. Et *Caecin. f.* Auctoritas sapientissimorum hominum nobiscum facit. *Ov. A. A.* 3, 762. Cum Veneris puero non male, Bacche, facis. *Cic. Inv.* 1, 48. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit. *Id. Quint.* 1. Facere contra aliquem. *Id. Att.* 7, 3. *med.* Omnes damnatos, omnes ignominia affectos illac facere, *h. e.* a Caesare. Al. leg. *illic*, al. *illuc. Nep. Eum.* 8. Neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. ℙ *Facere ad aliquid* et *facere* absolute, in re medica est conferre, prodesse. [*Agit de hac dicendi formula *Burm.* ad *Quint. Decl.* 8, 4. p. 169.] *Colum.* 7, 5. *med.* Facit autem commode ea compositio, quam, etc. Et 8, 17. *med.* Facit etiam ex pomis viridibus adaperta ficus. *Scrib. Comp.* 108. et 176. Medicamentum, quod adversus solutionem stomachi facit. Et 122. Ad coli dolorem faciunt. *Plin.* 22, 18, 21. Chamaeleon facit ad difficultatem urinae. ℙ Et translate. *Quint.* 6, 4, 5. Plurimum facit, totas diligenter nosse causas. [*Id. *ib.* 11, 3, 171. Hic etiam fusca illa vox, qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire faciet: ubi *Spalding.* sibi videri dicit, propriam esse locutionem *mire facere in aliqua re* pro: *praeclarum esse*, et *multam virtutem exerere;* coll. *ib.* §. 173. mire facit in peroratione — confessio.] *Ov. Am.* 1, 2, 16. Frena minus sentit, quisquis ad arma facit. ℙ *Facere alicui* cod. sensu. *Plin.* 22, 19, 22. Radix coronopi coeliacis praeclare facit, in cinere tosta. *Plin. Valer.* 2, 1. Mirifice pulmoni facit. ℙ Absolute. *Ov. Trist.* 3, 8, 23. Nec coelum, nec aquae faciunt, nec terra, nec aurae (*sie bekommen mir nicht*). ℙ *Facere alicui* et *ad aliquem* est etiam convenire, aptum esse. *Propert.* 3, 1, 19. Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae: Non faciet capiti dura corona meo. *Ov. Her.* 16, 189. Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es: Ad talem formam non facit iste locus. ℙ *Facere bene* vel *male alicui*, prodesse vel nocere. *Ter. Ad.* 5, 8, 25. et 5, 7, 19. et *Pl. Most.* 3, 2, 22. et *Capt.* 5, 2, 23. ℙ Cum casibus pretii est aestimare. *Cic. Fam.* 3, 10. In quo perspicere posses, quanti te, quanti Pompejum, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem. Et 4. Te quotidie pluris feci. *Id. Fin.* 2, 13. Voluptatem virtus minimi facit. Et 27. Dolorem nihili facere. *Pl. Pers.* 2, 2, 42. Nihil facio scire. Al. leg. *nihili. Sall. Jug.* 89. Non sunt composita verba mea: parum id facio. *Pl. Stich.* 1, 1, 42. Si illi improbi sint, atque aliter nos faciant, quam aequum est. ℙ [*Hic commemoranda erat constructio v. *facere* cum genitivo ditionis, quem discunt. Magnum ejus generis exemplorum numerum congessit *Rahms. Gr. Lat.* p. 297.] ℙ Interdum est instituere, creare. *Cic. Verr.* 2, 1, 43. Testamento fecit heredem filiam. *Id. Senect.* 5. Anno undevicesimo post ejus mortem hi consules facti sunt. *Id. Mur.* 21. *f.* Alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat. *Justin.* 9, 6. Aliquem regem facere. ℙ Item pro componere, lucubrare. *Cic. Pis.* 29. Facere poema. *Id. Arch.* 10. epigramma in aliquem. *Id. Q. Fr.* 3, 5. *med.* versus. *Id. Or.* 3, 14. orationem. [*Cf. de h. l. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 161.] ℙ Item pro edere. *Cic. Att.* 15, 10. Ludos vero non facere quid foedius? *Pl. Most.* 5, 1, 66. Exempla edepol faciam ego in te. ℙ Item pro emittere. *Colum. Arbor.* 54. Rapa et napi antequam caulem aut cymam faciant. *Id.* 2, 15. Maxime columbinum stercus probamus: secundum deinde, quod homines faciunt. *Id.* 6, 19. Facere urinam. ℙ Item pro exercere. *Cic. in Senat.* 5. Egestate et improbitate coactus piraticam fecit. *Id. Verr.* 5, 2, 28. Facere mercaturas. Et 59. argentariam. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 2. topiariam. *Id. Fam.* 6, 8. haruspicinam et praeconium. ℙ Item pro cogere, colligere, conflare. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. Maximam pecuniam facere. *Id. Caecin.* 11. Manum facere, copias parare. *Sall. fragm.* ap. *Senec. ep.* 114. et *Vell.* 2, 109. exercitum. *Tac. A.* 6, 33. auxilia mercede. *Varr. R. R.* 1, 7. Ex arvo male consito minus multum, et minus bonum faciebant vinum. ℙ Item pro afferre. *Cic. Fam.* 14, 7. Statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur. *Plin.* 30, 6, 17. Facere remedium lieni. *Colum.* 2, 2. Ager pestilens mortem facit. *Tac. H.* 2, 70. Perniciem alicui facere. ℙ Et pro dare, concedere. *Ov. Amor.* 2, 19, 6. Et faciat voto rara repulsa locum. *Vell.* 2, 105. Ubi negotia fecissent otio locum. *Virg. Ecl.* 1, 6. Deus nobis haec otia fecit. *Cic. Cat.* 3, 5. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. ℙ Cum infinito. *Id. Phil.* 2, 3. Fac, potuisse. *Id. Tusc.* 1, 29. Quae est animo natura? propria puto, et sua: sed fac igneam, spirabilem: nihil ad id, de quo agimus. Et 34. Fac, quod isti volunt, animos non remanere post mortem. *Virg. A.* 4, 540. Quis me autem (fac velle) sinet? ℙ Item pro comparare, acquirere. *Cic. Fl.* 37. Facere lucrum. *Id. Verr.* 2, 1, 59. Qui manubias sibi tantas ex Metelli manubiis fecerit. *Pl. Pers.* 4, 4, 100. Divitias facere ex re aliqua. ℙ Et pro reddere, efficere, in causa esse, ut aliquid fiat. *Cic. Phil.* 6. *f.* Senatum bene firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis. *Id. Verr.* 2, 2, 26. Omnes istius injurias rescindere et irritas facere. *Id. Manil.* 10. Quae res est, quae cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? *Id. Phil.* 2, 39. Facere aliquem sanum, disertum. *Id. Or.* 1, 51. Iratum adversario judicem facere. *Id. Dej.* 10. Quos concursus facere solebat! *Sall. Jug.* 10. Tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti. [*Tac. *A.* 1, 74. Formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum fecerunt. *Id. ib.* 3, 54. *H.* 2, 76. *Id. A.* 14, 19. *efficere* ead. signif. adhib.] ℙ Cum infinito. *Liv.* 22, 13. Casilinum pro Casino ducem accipere fecit. Al. leg. *dux ut acciperet. Varr. R. R.* 3, 5. Aspectus et desiderium arborum macrescere facit volucres inclusas. *Colum.* 12, 38. Mel ter infervere facito. *Virg. A.* 2, 538. qui nati coram me cernere letum Fecisti. *Ov. Her.* 17, 174. illum Securum probitas, forma timere facit. *Sall. fragm.* ap. *Sen. ep.* 114. *med.* Quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere, i. e. induxere ad se dedendos. ℙ Et cum conjunctivo et particula *ut. Cic. Att.* 2, 4. et *Fam.* 5, 19. *extr.* Quidquid indagaris, facito, ut sciam. *Id. Acad.* 1, 2. Ea, quantum potui, feci, ut essent nota nostris. *Id. Cluent.* 60. *extr.* Fecisti, ut, ne cui innocenti moeror tuus calamitatem afferret? ℙ Et omisso *ut. Id. Fam.* 5. *extr.* Fac, cupidus mei videndi sis. Et *ib.* 11, 3. Fac, cogites. *Ter. Eun.* 3, 2, 53. Domi adsitis, facite. [*Alia hujus generis exempla sunt. *Cic. Fam.* 16, 11. Fac ne quid aliud cures, nisi, ut quam commodissime convalescas. Apud poetas imperativus circumscribi etiam solet per *facias velim.* Inservit v. *facere* etiam circumscribendo futuro, cum urbanitate, comitate pro imperativo posito. *Cic. Fam.* 14, 8. Si quid acciderit novi, facies, ut sciam. — Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 619. sq. Porro commemorandi sunt loci *Pl. Capt. Prolog.* 65. Ego faciam ut pugnam inspectet non bonam: ubi, cum *Sciopp., Susp. Lect.* 1, 11., hanc dicendi formulam illustrans, eam nonnisi circumscriptionem futuri dixerit, ita *Lindem.* emendat: inesse

huic dicendi generi sententiam: affirmo tibi, pro certo habeas: et adhiberi cum jocosa affirmandi ratione, ita, ut quod necessario aut fortuito eventui tribuendum, sibi arroget confabulator, quasi ipse efficere possit, V. quibus locis V. D. egregie sententiam confirmet.] ℙ Ponitur et pro parere, translate. *Cic. Or.* 34. Controversiam aut res facit, aut verba. ℙ Et pro excitare. *Cic. Brut.* 95. Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. ℙ Et pro fingere, inducere. *Id. Planc.* 27. Me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. *Id. Fam.* 9, 8. Feci sermonem inter nos habitum in Cumano. *Id. Brut.* 60. In eo libro, ubi se exeuntem e senatu, et cum Pansa colloquentem facit. [*Cf. *Goer.* ad *Cic. Acad.* 2, 22, 70.] ℙ Et cum infinito. *Id. N. D.* 1, 8. Plato construi a Deo atque aedificari mundum facit. *Plin.* 25, 5, 19. Hanc etiam (*herbam*) praecisos nervos glutinare faciunt, *h. e.* putant, docent, volunt. *Cic. Fam.* 15, 18. Facio, me alias res agere. *Id. N. D.* 3, 16. *med.* Herculem Homerus conveniri apud Inferos facit ab Ulysse. *Ter. Heaut. prol.* 31. Qui nuper fecit, servo currenti in via Decesse populum. *Cic. Fam.* 7, 23. Fac, quaeso, qui ego sum, esse te. [*Nos: *gesetzt.*] ℙ Cum conjunctivo. *Stat. Ach.* 2, 241. Fac, velit: ipsam illic matrem sprevisset Achilles. ℙ Et pro addere, adjungere, conciliare. *Cic. Div. Verr.* 13. Facere audientiam orationi. *Id. Manil.* 15. auctoritatem. *Id. Att.* 7, 8. fidem. *Quint.* 4, 1. *med.* favorem. ℙ Hinc *facere aliquem suum*, sibi conciliare. *Ter. Ad.* 5, 6, 10. Paulatim plebem facio meam. *Ov. A. Am.* 2, 259. Fac plebem (mihi crede) tuam. *Stat. Ach.* 2, 377. Paulatim fecere suam. ℙ Ponitur et pro inferre, afferre. *Pl. Merc.* 2, 1, 11. et *Cic. Fam.* 10, 16. Convicium alicui facere. *Ter. Ph.* 5, 7, 9. contumelias. *Cic. Or.* 68. gravem plagam. *Id. Ph.* 9, 4. injuriam. *Id. Att.* 11, 8. dolorem alicui. [**Tac. H.* 2, 70. Mox perniciem ipsis fecere. *Id. A.* 13, 13. Tanquam insonti periculum fecissent. *Id. H.* 3, 48. Inopiam ac discordiam hosti facturus. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* unde haec transscripsimus.] ℙ Et pro exsequi. *Cic. Flacc.* 20. *extr.* Cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est. ℙ Et pro gignere, procreare. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* et 9. *f.* Volucres ova et pullos faciunt. *Plin.* 11, 18, 19. Apes faciunt sobolem. ℙ Et pro agere, degere, vivere. *Senec. ep.* 66. Quamvis paucissimos una fecerimus dies. Est qui legat *egerimus*, invito *Gronovio. Ulp. Dig.* 40, 7, 14. Is servus fugerat, et annum in fuga fecerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 838, 12. et 842, 7. Cojugi Karissimae, cum qua fecit ann. IX. men. VI. dieb. XXV. Adde aliam 447, 3. et quatuor ap. *Reines. cl.* 14. *n.* 119. et *cl.* 20. *n.* 216. 311. et 445. ℙ *Facere aliquid in aliquem* vel *alicui*, est statuere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 55. Si id non facis, ego quod me in te sit facere dignum, invenero. Et 1, 2, 24. Vereor ne quid in illum iratus faxit pater. *Id. Eun.* 5, 5, 31. Causam quaerebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret iis. ℙ [*Insolentius quidem, sed non eum in modum, ut *Osannus terminum facere ad aliquem* non Latinum esse recte contendere posse videatur, dictum est ap. *Tac. Dial.* 19. Terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, i. e. producunt. *Boett. Lex. Tac.* p. 191. Hinc lucem accipit locus *Liv.* 22, 26. Pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris fortunae fecit, i. e. extulit.] ℙ Habet etiam vim patiendi, et subeundi. *Cic. Verr.* 2, 4, 9. Facere detrimentum. *Id. Brut.* 33. damnum. *Id. Fin.* 2, 24. jacturam. *Id. Fam.* 16, 9. naufragium. [**Hor. Sat.* 1, 1, 64. Libenter quatenus id facit, i. e. quatenus libenter est miser. Eodem modo Gr. dicunt δρᾶν. Cf. *Heindf.* ad *Plat. Sophist.* §. 81. p. 403.] ℙ Pertinet saepe ad rem divinam: ut *facere sacrum*, item *facere* absolute, i. q. sacrificare. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. Res illum divinas apud eos Deos in suo sacrario quotidie facere vidisti. *Cic. Balb.* 24. Sacra pro civibus facere. *Id. Brut.* 14. Sacrificium publicum cum laena facere. *Id. ad Brut.* 1, 15. Larentiae vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis. *Colum.* 2, 22. Facere catulo. *Virg. Ecl.* 3, 77. Cum faciam vitula pro frugibus. [*Gr. ὀτ-ζειν. Cf. FIO. *V. *Cramer.* ad *Vet. Schol.* in *Juven.* 9, 117. *B. A.*] ℙ Aliquando ad rem obscenam. *Catull.* 8, 6. Ibi illa multa tam jocosa fiebant. *Juven.* 7, 240. ne turpia ludant, Ne faciant vicibus. Adde *Paul. Dig.* 2, 14, 27. *med. Petr. Sat.* 87., *Ov.*, *Mart.* etc. ℙ Refertur etiam ad positionem nominum, et verborum. *Quint.* 1, 6. Cur *aper apri*, et *pater patris* faciat. [*Simili ratione *Id. ib.* 14, 15, 27. Paulo aliter *ib.* 1, 5, 63. Sic genitivus Achilli et Ulixi fecit. Ita *Don.* ad *Ter. Andr.* 1, 2, 23. Genitivus Oedipi faciet.] ℙ Eleganter circumlocutioni servit, et quodam pleonasmo pro curare et efficere usurpatur. *Cic. Sen.* 12. Invitus quidem feci, ut L. Flamininum e senatu ejicerem, *h. e.* invitus quidem ejeci. *Id. Fam.* 6, 12. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus plane ita faciunt, ut me unice diligant. *Id. Att.* 11, 23. Acusius tardius iter faciebat: eo feci, ut celeriter eunti darem. In *vet. Edicto censorio* ap. *Suet. Rhetor.* 1. Iis, qui eos ludos habent, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. [*Hoc loco imprimis notandae videntur urbanitatis formulae, *faciendum est*, *putavi*, *visum est*, *existimavi*, *censui*, ut *Cic. Leg.* 3, 20. Si de sacrorum alienatione dicendum putavi, faciendum tibi est, ut magistratibus lege constitutis, de potestate tum de jure disputes. *Id. Off.* 11, 31. Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus. *Id. Cluent.* Hoc loco faciendum mihi est ut nobis breviter illa crimina exponam. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 977. ℙ Contra ex brevitatis quodam dicendi genere omittitur *facio*, etc. cum elegantia, sine detrimento sententiae. Ita imprimis post vv. *nihil aliud*, *nihil amplius*, quid aliud, quam etc. *Nep.* 17, 2. Contra ea Tissaphernes nihil aliud, quam bellum comparavit. *Liv.* 6, 41. Quid aliud, quam tollit, etc. Ita Gr. οὐδὲν ἄλλο, τί ἄλλο, ἤ. *Cic. Tusc.* 1, 9. M. Ea quae vis, ut potero, explicabo. A. Tu, ut videtur; nos ad audiendum parati sumus. Plura, si cupias, v. apud *Ramsh. Gr. Lat.* p. 984.] ℙ In veteribus Inscriptionibus, praesertim sepulcralibus, passim legitur *fecit*, aut *faciendum curavit*, etc. sola F. littera adscripta, aut F. C. hoc est tumulum, sepulcrum construxit. Hinc ludit in ambiguo *Mart.* 9, 16. Inscripsit tumulo septem celebrata virorum, Se fecisse Chloe: quid pote simplicius? *h. e.* se tumulum fecisse, aut se fuisse, quae veneno viros sustulerit. ℙ *Fieri fecit*, jussit, curavit. *Inscr.* ap. *Rader.* ad *Mart.* 1, 93. Q. Titio Pastorali filio naturali L. Axilius Musejus pater amantissimo fil. fieri F. ℙ Cum variis accusativis innumeros prope usus habet: quorum hic aliquot subteximus. *Quint.* 4, 1. *med.* Aditum sibi facere ad aliquem. *Liv.* 25, 11. *f.* et *Senec. ep.* 115. Facere alicui admirationem alicujus rei, *h. e.* ingerere. *Cic. Att.* 1, 46. Aes alienum facere, [*i. e. contrahere.] *Plin. ep.* 6, 17. aliquid in studiis, [*i. e. proficere.] *Liv.* 25, 11. alicui animum. Sic 1, 3. Divitiae animos faciunt. *Hor. Od.* 4, 7, 21. Facere arbitrium de aliquo, [*i. e. ferre sententiam.] Alio sensu *Liv.* 43, 15. Alicujus in re quapiam arbitrium facere, [*i. e. optionem dare.] Et 29, 34. audaciam hosti. Et 1, 34. et *Hor. Ep.* 1, 1, 86. auspicium alicui. *Ter. Ad.* 5, 8, 25. bene aliquid alicui. Sic *Heaut.* 4, 5, 15. cuipiam aliquid boni. Et *Pl. Poen.* 5, 4, 46. multa bona alicui. *Plin.* 11, 16, 16. *med.* calorem. *Cic. Fam.* 15, 4. castra. Et *Att.* 9, 13. *f.* coenam, *h. e.* apparare et praebere, quod est heri coena alios excipientis. [*Et hoc proprie. V. *Burm.* ad *Petron.* 26.] *Liv.* 1, 3. cognomen alicui, i. e. dare. Et 5, 15. commercium sermonis. *Colum.* 7, 6. conceptum. *Caes. B. G.* 4, 30. conjurationem. Et *B. C.* 3, 106. concitationes. *Cic. Fam.* 13, 24. consuetudinem alicui cum altero. *Liv.* 35, 42. consilium alicui. *Cic. Coel.* 25. constitutum cum aliquo. *Id. Off.* 1, 38. contentionem cum aliquo. *Liv.* 7, 13. militibus copiam pugnandi. *Phaedr.* 3, 7. corpus. [*V. in CORPUS.] *Justin.* 11, 8. cursu quingenta stadia, *h. e.* conficere, explere. *Liv.* 3, 34., et 7, 24. alicui desiderium rei cujuspiam. *Ov. Fast.* 2, 375. et *ib.* 3, 515. dicta. *Quint.* 10, 3. difficultatem. Et 7, 2. discrimen. *Ter. Ad.* 2, 2, 33. dividuum, i. e. dividere. *Quint.* 7, 1. dubium. *Sen. ep.* 111. dulcedinem. Et *ep.* 67. errorem. Et *ep.* 114. *med.* ex *Sall.* exercitum. Et *ep.* 115. *med.* Et *Quint. Decl.* 8, 3. exitum. *Cic. Verr.* 2, 2, 73. alicui recte judicandi facultatem. *Ter. Andr.* 1, 3, 7. fallaciam. *Quint.* 11, 2. *f.* et 12, 5. alicui famam ingenii. *Liv.* 3, 1. fastidium. Et 42, 14. *extr.* favorem alicui. *Plin.* 10, 31, 46. fetus, *Cic. Cat.* 3, 2. fidem alicui. Et *ad Planc. f. l.* 16. *ad Att.* finem. *Colum.* 10, 123. fletum alicui. *Tac. H.* 3, 10. formidinem. *Quint.* 9, 2. et *Senec. Controv.* 1, 8. fortiter. *Liv.* 24, 22. et parare magnam fortunam. *Pl. Mil.* 2, 2, 9. et *Cic. Att.* 4, 12. fraudem legi, senatusconsulto. Et *Dom.* 25. fugam. [*De hoc et proxime sequentibus locis V. in FUGA.] Alio sensu *Liv.* 8, 9. *f.* et *Ter. Eun.* 4, 7, 17. *Justin.* 9, 2. *extr.* genus equarum. *Plin.* 14, 1, 3. gloriam alicui. *Cic. Or.* 2, 61. gradum. [*Nos: *einen Schritt thun.*] Alio sensu *Id. Verr.* 2, 2, 1. *f.* [*Verba sunt: Itaque majoribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est, i. e. initium factum est Africae in ditionem Romanam redigendae, (nos: *von Sicilien aus geschah der erste Schritt zur Unterjochung Africa's*)]. *Liv.* 3, 56. *med.* et 8, 34. gratiam alicujus rei. *Cic. Fam.* 11, 18. et *Senec. ep.* 6. gratulationem alicui. *Ter. Eun.* 4, 4, 55. gratum. *Cic. Balb.* 18. hospitium cum aliquo. *Censorin. de die nat.* 2. hostiam, *h. e.* mactare. *Auct. B. Hisp.* 9. jactum. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. ignem ex lignis viridibus. [*Differunt *facere aliquid aliquo* et *facere aliquid ex aliquo.* Hoc partem tantum spectat materiae, quae efficiendae rei inservit; illud totam comprehendit. Cf. *Plin. H. N.* 34, 18. Sp. Carvilius reliquiis limae suam statuam fecit. V. *Analect. litt.* ed. *Wolf.* 1820. 4. p. 345.] Et *Fin.* 1, 10. et *Liv.* 25, 11. impetum in hostes. Et 3, 38. incursionem. *Cic. Verr.* 2, 1, 57. indicium. Et *Phil.* 8, 7. inducias. *Id. Agr.* 2, 29. initium. Et *Mil.* 9. insidias. *Quint.* 6, 1. iram. *Cic. Att.* 3, 1. et *ib.* 4, 1. iter. Et *ib.* 7, 23. judicium. *Sen. Clem.* 2, 1. juramentum. Al. aliter leg. *Liv.* 32, 13. jus alicui. *Ov. Fast.* 1, 379. et *Caes. B. G.* 2, 3. jussa, imperata. *Cic. Fin.* 1, 7. laetitiam. Et *Tusc.* 3, 20. largitionem. Et *Acad.* 4, 2. *f.* Et *Pl. Asin.* 4, 1, 22. litteram. *Justin.* 27, 2. litteras ad aliquem. *Plin.* 12, 25, 54. maculas. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. valde magnum. *Phaedr.* 1, 8. et *Pl. Men.* 1, 1, 23. medicinam, i. e. adhibere. Alio sensu *Phaedr.* 1, 14. [*i. e. exercere artem medicam.] *Quint.* 11, 2. memoriam. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. mentionem. *Colum.* 2, 11. messem. *Tac. A.* 6, 36. metum. *Just.* 22, 3. *extr.* ministerium alicui. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Missum facere aliquem. *Liv.* 4, 50. modum irae. *Cic. Att.* 16, 2. moram. Alio sensu *Pl. Most.* 1, 1, 72. moram alicui. *Liv.* 35, 35. sibi morem alicujus rei. Et 28, 46. motus. *Cato* ap. *Gell.* 11, 1. multam alicui. V. MULTA. *Id. R. R.* 2. munditias. *Cic. Sext.* 12. et *Off.* 1, 33. mutationem. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 5. multa alicui, quae voluit. *Just.* 21, 4. et *Quint.* 5, 12. negotium innocenti, *h. e.* facessere, exhibere. *Titin.* ap. *Non.* 4, 112. noctem de die. *Liv.* 8, 15. nomen alicui. *Cic. Off.* 3, 14. nomina. [*V. *Beier.* ad h. l., et quae notata sunt ad v. NOMEN.] Alio sensu *Sen. V. B.* 24. i. e. pecuniam occupare, unde fenus lucreris. *Plin.* 20, 18, 76. odium vitae. *Ter. Ph.* 4, 5, 12. officium suum. *Cic. Am.* 10. omnia amici causa. Et *Att.* 7, 3. *med.* omnia, ne armis decernatur. *Id. Div. Verr.* 14. alicui opinionem. *Nep. Thras.* 3. pacem inter aliquos, *h. e.* conciliare. Alio sensu *Id. Dion.* 5. *extr.* et *Cic. Off.* 3, 30. [*nos: *Friede machen.*] *Nep. Ann.* 11. palam. *Cic. Or.* 2, 9. partes. *Id. Verr.* 2, 5, 53. pecuniam. *Ter. Eun.* 3, 2, 23. periculum. Et *Tac. A.* 16, 19. pericula. [**Ter. Heaut.* 2, 1, 9. Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu sit, nos: *Du must dir ein Beispiel an Andern nehmen.*] *Cic. Rosc. Am.* 19. planum. Et *Cat.* 3, 5. potestatem. *Caes. B. G.* 4, 34. praedam. *Nep. Chabr.* 2. praedas ab aliquo. *Cic. Off.* 3, 25. promissum. *Vell.* 2, 38. Siciliam provinciam. *Liv.* 3, 31. pudorem. Et 28, 39. ratum. Et *Cic. N. D.* 1, 22. aliquid reliquum, *h. e.* relinquere. Sic *Caes. B. G.* 2, 26. *extr.* Nihil reliqui sibi facere. *Ter. Ad.* 2, 2, 12. et *Hor. Ep.* 1, 1, 65. rem. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. aliquem reum rei capitalis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. et *Quint.* 6, 1. risum. *Quint.* 10, 3. robur. *Hirt. B. Afr.* 85. salutationem. *Liv.* 2, 30. *extr.* et 35, 51. sanguinem, *h. e.* per caedes effundere. *Cic. Balb.* 1. et *Att.* 5, 18. *extr.* et *Or.* 1, 37. et *Brut.* 5. satis alicui. *Appul. Met.* 5. *in.* se intra limen. *Liv.* 36, 41. alicui securitatem. *Pl. Curc.* 1, 1, 36. semitam per fundum. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. sermonem. *Caes B. G.* 2, 32. significationem. *Liv.* 24, 7. *extr.* silentium. V. SILENTIUM. *Plin.* 20, 7, 36. somnum. [**Prop.* 2, 7, 11. Cf. *Commentatt.* ad *Ov. A. A.* 2, 636.] *Liv.* 39, 31. *f.* speciem. *Cic. Att.* 3, 16. et *Liv.* 30, 3. et 4. spem. *Liv.* 30, 11. spiritus. Et 5, 7. stipendia. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* stomachum. *Pl. Asin.* 4, 1, 53. suavium cuipiam. *Cic. Fl.* 33. suspicionem. *Liv.* 4, 57. *f.* taedium rei alicujus. Et 34, 11. *extr.* aliquem testem. Sic *Ter. Ad.* 2, 1, 48. testes faciet illico, vendidisse me. *Ulp. Dig.* 28, 5, 35. *med.* Facit quidem totum voluntas defuncti: nam quid senserit, spectandum est. *Liv.* 26, 25. alicui transitum. *Colum.* 11, 2. *plus semel.* Facere transitum in aliquem locum. *Ter. Eun.* 4, 1, 2. turbam. *Cic. Quint.* 18. vadimonium. Et *Tusc.* 4, 4. *extr.* vela. [*i. e. latius tractare. Sensu proprio ap. *Virg. A.* 5, 281.] *Alfen. Dig.* 8, 5, 17. Paries ventrem facit, i. e. intumescit media sui parte, ac ruinam minatur. *Pl. Cas.* 3, 5, 15. et *Ter. Eun.* 3, 5, 47. ventulum alicui. Et *Andr.* 1, 2, 7. [*Verbum facere h. l. i. q. *Id. ib.* 2, 4. *f.* Nunquam tecum commutaturum verbum. Differt sequens locus, cui aptius convenit ap. *Eund. ib.* 4, 4, 14. Verbum unum mihi, praeter quam quod te rogo, faxis cave.] Et *Cic. Verr.* 2, 4, 65. *extr.* verbum. et 66. verba, i. e. dicere. Et *Id. Or.* 20, 24. et 52., et *Or.* 3, 38. novare: quod fit vel conjungendis verbis ut *expectorat*, *versutiloquus*, vel sine conjunctione, ut *genitalis*, *incurvesco. Id. Rabir. Post. f.* vestigium. *Liv.* 3, 5. sibi viam. Et 38, 24., et 3, 5. vim alicui et in aliquem. *Quint.* 10, 3, 3. vires. [*i. e. acquirere, colligere, alere. Adde 7, 10, 14. et 10, 1, 42, 87.] *Pl. Pers.* 4, 8, 4. bonam vitam cuipiam. *Cic. Top.* 3. Parietes vitium faciunt. *Plin.* 19, 1, 6. umbram. *Quint.* 10, 3, 28. usum. *Ov. Her.* 21, 210. vulnus. [**Liv.* 27, 17 Quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operae eorum pretium faceret, i. e. constitueret. *Id.* 9, 24. Quos reliquos fortuna ex nocturna caede ac fuga fecerat: nos: *übrig gelassen hatte.*] ℙ *Quid facerem? quid faciat?* formula est excusantis. *Virg. Ecl.* 1, 41. Quid facerem? neque servitio me exire licebat, etc. Et *Ov. Met.* 6, 572. Quid faciat Philomela? fugam custodia claudit. ℙ *Faciebat*, mos fuit pingendi fingendique conditoribus subscribere operibus suis:

raro admodum *fecit*. *Plin. praef. H. N. f.* ℙ *Si quid me factum sit*, ominis mali et tristioris verbi vitandi causa dicitur, ea ratione, qua *si quid mihi acciderit*, h. e. si moriar. *Cic. Manil.* 20. Si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri? Simile est illud *Pl. Poen.* 5, 1, 23. Eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit, *h. e.* obiisse. ℙ Similia sunt et illa, in quibus accidere, evenire significatur. *Pl. Capt.* 5, 1, 32. Volo erogitare, meo minore quid sit factum filio. Et *Most.* 3, 1, 101. Quid eo est argento factum? Adde *Plin.* 8, 6, 6. [*Haec pluribus illustrantur s. v. FIO.] ℙ *Fac*, *si facis*, eodem fere sensu, quo *age quod agis*, formula est hortantis, instantisque cum querela, ut quod quis incepit, celeriter conficiat. *Senec. Ben.* 2, 5. Inde illae voces, quas ingenuus dolor exprimit: Fac, si quid facis etc. *Mart.* 1, 47. Fac, si facis. Sic *Pl. Pers.* 1, 3, 66. Hoc si facturus, face. ℙ *Factum est* ad tempus refertur. *Pl. Merc. prol.* 12. Biennium jam factum, postquam abii domo. Et *Trin.* 4, 3, 3. Jamdudum factum est, cum abiisti domo. ℙ *Face* in imperativo pro *fac*, praeter *Pl.* habet et *Cato* saepissime, et *Ov.* non semel, ut *Medicam. fac.* 60. in haec solidi sexta face assis eat. [*V. *Heins.* ad *Or. Ep.* 2, 98.] Et *Val. Flacc.* 7, 179. Tu face, luciferae citus ad delubra Dianae Deveniat. *Nep. Paus.* 2. Certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur. ℙ *Faciem* pro *faciam* olim dictum fuit a *Catone*, teste *Quint.* 1, 7., et legitur a quibusdam ap. *Pl. Asin.* 3, 3, 136. ℙ Item *facior* pro *fio*. (de quo V. infra suo loco.) *Nigid.* ap. *Non.* 10, 19. *Ποιεῖ*, facit, *ποιεῖται*, facitur. *Titin. ib.* et ap. *Prisc.* 8, 801. Ut parvi faciatur. *Petr. fr. Trag.* 71. *Burm.* Faciatur, si tibi videtur, et triclinia. Al. leg. *faciantur*. ℙ *Faxim*, *faxo* etc. V. suo loco. ℙ [*Confund. *Fecerint* et *fuerint*. V. *Spalding.* ad *Quint.* 6, 1, 19. et 9, 4, 14. et quem laudat *Drak.* ad *Liv.* 40, 50, 5.]

*FACITERGIUM, i, n. linteum, quo abstergitur facies. *Isid. Orig.* 19, 25. *B. A.*

*FACTICIOSUS, a, um, adj. qui multum, vel recte factitat. *Gloss. Philox.* Factiosus, *πολυμήχανος*. *B. A.*

FACTĬCĬUS vel Factitius, a, um, adj. *τεχνικός*, manu et arte factus: cui opponitur naturalis, nativus. *Plin.* 31, 7, 39. Facticium sal. *Id.* 37, 7, 26. Facticiae gemmae. *Id.* 31, 7, 42. Factitii colores. *Id.* 12, 17, 37. Terrenum ladanum friabile, facticium lentum. ℙ *Facticium nomen* dicitur a *Prisc.* 2, 581. quod a proprietate sonorum per imitationem factum est, ut *tintinnabulum*, *turtur*.

FACTĬO, onis, f. *ποίησις*, actus seu facultas faciendi, confectio. *Cic. Top.* 11. Tabulae, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. *Id. Fam.* 7, 21. Factionem testamenti non habere. ℙ Item ordo, societas, sodalitas, conspiratio plurium in idem consentientium, honestum initio vocabulum, inquit *Fest.*, unde adhuc factiones histrionum, quadrigariorum, medicorum, divitum et nobiliorum, quibus suas quisque partes, sectatorum, clientium, fautorum copia tuentur, et se mutuo juvant. [**Factio* pr. homines, quibuscum facimus, *h. e.* a quorum partibus stamus; tum ordo civium, quum, qui unius sunt ordinis, ut plurimum, ejusdem sint in rebus civilibus sententiae, earundem partium. *Lindem.* ad *Pl. Trin.* 2, 4, 51.] *Plaut. Cist* 2, 1, 17. Neque nos factione tanta, quanta tu, sumus; neque opes nostrae tam sunt validae, quam tuae. *Plin.* 29, 1, 4. Alia factio (ab experimentis cognominant empiricen) coepit in Sicilia. *Id.* 30, 1, 2. Est et alia factio magices, a Mose etc. *Cato* ap. *Charis.* 2, 198. Utrinde iram, utrinde factiones tibi pares. ℙ De factione forensi et ejus origine V. *Liv.* 4, 9, 46. ℙ Quatuor Romae fuere nobiles aurigarum factiones, Albata, Prasina, Russata, et Veneta, ab albo, prasino seu viridi, russeo seu rubeo, Veneto seu caeruleo colore tunicarum, quibus in certamine utebantur, cognominatae; quas quidam quatuor anni temporibus, alii quatuor mundi elementis assimilarunt, albatam scilicet nivosae hiemi vel aeri; prasinam viridanti veri vel terrae; russatam aestati flammeae vel igni; Venetam nubilo autumno vel aquae. Verum antiquitus duae tantum fuisse videntur: etenim Oenomaum Pisarum regem in Elide omnium primum Circensium ludorum colores viridem et caeruleum invenisse, ut terrae, ac maris quasi certamen repraesentaret: ita ut si color viridis vicisset, terrae fertilitatem agricolae; si caeruleus, maris tranquillitatem nautae sperarent: Romae vero Romulum (imitatum Etruscos a Graecis oriundos, ut constat ex *Tac. A.* 4, 55. et *Tert. Spect.* 5.) quatuor pro duabus factionibus, totidem anni tempora vel mundi elementa referentibus, usum fuisse, affirmat *Auct. Chronici Paschal.* seu *Alexandr.* p. 110. His alias duas a Domitiano additas fuisse narrat *Suet. Dom.* 7.; quo mortuo ad quatuor iterum redierunt Romani. At cum apud Latinos scriptores passim *prasinae* tantum et *Venetae*, et apud *Capitol. Ver.* 6. *prasinianorum* et *Venetianorum* factionis mentio sit, verosimile videtur, quatuor quidem fuisse factiones, in duas tamen partes ita divisas, ut Albata Prasinae, Russata Venetae adjuncta fuerit: hinc ap. *Sidon. carm.* 23. albati aurigae collegae dicuntur prasinorum, et russati Venetorum. *Tert. Spectac.* 9. Quadrigas Soli, bigas Lunae sanxerunt. Romae Romulus quadrigas primus ostendit. Initio duo soli fuerunt colores, albus et russeus. Albus Hiemi ob nives candidas, russeus Aestati ob solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate, quam superstitione provecta, russeum alii Marti; alii album Zephyris consecraverunt; prasinum vero Terrae matri vel Verno; Venetum Coelo et Mari vel Autumno. *Suet. l. c.* Duas Circensibus (ludis) gregum factiones aurati, purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Hinc *Sidon. l. c.* 320. Uno e quatuor axe forte lecto, Curvas ingrederis prementes habenas. Id collega tuus, simulque vobis Pars adversa facit; micant colores, Albus, vel Venetus, virens, rubensque. Et 362. Fit collega tuus prior duobus, Qui te transierant; ita ipse quartus Gyri conditione tum fuisti. Et *Mart.* 10, 48. De prasino conviva meus, Venetoque loquatur. Adde *Cassiod. Variar.* 3, 51. V. AURIGA. ℙ Saepe in malam partem accipitur pro consensu et conspiratione eorum, qui omnia posse volunt in republica, etiam contra leges: item pro nimia potentia et plus quam civili. *Sall. Jug.* 34. *extr.* Haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. *Caes. B. G.* 6, 10. In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque pagis, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt: earumque factionum sunt principes, qui etc. *Id. B. C.* 1, 22. Ut se, et populum R. paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. [*Gr. *στάσις*. *Cic. Brut.* 44. (Scaevolae,) oratio, in qua invidia concitatur in judicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. *Liv.* 32, 19. Principem factionis ad Philippum trahentium res.] *Cic. Att.* 7, 9. *med.* Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et factionem datos. [*Nos: *Anhang.* Adde *Herenn.* 1, 5. In invidiam trahemus si vim, si potentiam, si factionem, divitias proferemus.] *Nep. Att.* 8. Officia amicis sine factione praestanda sunt. *Tac. H.* 1, 13. Circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. *Pl. Bacch.* 4, 8, 2. Meamne hic ut per vim retineat mulierem? quae haec factio est? [*Hinc idem, q. conspiratio, conjuratio. *Suet. Claud.* 13. Sed et a singulis, et per factionem et denique civili bello infestatus est.] ℙ [Si vero de forma rei publicae sermo sit, factio eam significat, quam *oligarchiam* Graeco vocabulo vocamus. *Cic. Rep.* 1, 45. Illa in contraria vitia convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio. *Id. ib.* 3, 14. Sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni; sed se Jovis optimi nomine malunt reges vocari. Cum autem certi propter divitias, aut genus, aut aliquas opes rem publicam teneant, est factio; sed vocantur illi optimates. Si vero populus plurimum potest, omniaque ejus arbitrio reguntur, dicitur illa libertas; est vero licentia. *F.*] ℙ Sumitur et pro caterva. *Suet. Ner.* 20. Quinque millia e plebe robustissimae juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi. *Petr. fr. Trag.* 59. *Burm.* Intravit factio statim, hastisque scuta concrepuit. *Festus* in *Factio*. Factiones quadrigariorum et histrionum.

FACTĬONĀRĬUS, ii, m. ita dicitur, qui praeest factionibus aurigarum. *Imppp. Valentin.*, *Valens et Gratian. Cod. Theod.* 15, 10, 1. Equos vendendi solitam factionariis copiam non negamus. *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 3. Cl. Aurelio Polyphemo domino et agitatori factionis Russatae sui temporis primo et solo factionario.

FACTĬOSE, adv. per factionem. *Sidon. ep.* 4, 24. Dixit sacerdotio fungi, quo recusantem factiose ligasset civicus amor.

FACTĬOSUS, a, um, adj. *στασιώδης*, *στασιωτικός*, qui factionem habet; qui homines sibi adjungit factionis comparandae causa, qui princeps est factionis, qui factionibus se libenter adjungit: et plerumque in malam partem. [**Auct.* ad *Her.* 2, 26. Si quis potens et factiosus in concione dixerit: satius est uti regibus, quam malis legibus.] *Plin. ep.* 1, 5. Est enim locuples factiosus: curatur a multis, timetur a pluribus. *Pl. Aul.* 2, 2, 49. Venit hoc mihi in mentem, te esse hominem divitem, factiosum: me item esse hominem pauperum pauperrimum. *Nep. Lys.* 1. Cum antea semper factiosus audaxque fuisset. *Id. Ages.* 1. Homo factiosus et potens. *Sall. Cat.* 37. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore certabat. Et 51. Scelesti et factiosi homines. *Plin. ep.* 4, 9. Factiosissimum quemque offendere. *Aur. Vict. Caes.* 21. Mulier factiosior, *h. e.* magis studiosa potentiae sibi adsciscendae. [**Cic. Rep.* 1, 29. Factiosa tyrannica illa, vel regia etc. *B. A.*] ℙ In illo *Pl. Bacch.* 3, 6, 11. quos cum censeas Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis, Lingua factiosi, inertes opera etc. *factiosi* sunt, qui verbo factiosi, inertes opera etc. facturos, re nihil praestant: multa pollicentur se facturos, re nihil praestant: quae primaria videtur vocis hujus significatio. Hinc *Tac. H.* 1, 35. Ignavissimus quisque, et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces.

FACTĬTĀMENTA, sunt res factae, ap. *Tertull. Anim.* 18. *f.* ex *D. Paulo ad Rom.* 1, 20.

FACTĬTĀTĬO, onis, f. actus factitandi, ut Factitatio corporum, ap. *Tert. adv. Hermog.* 31. et 32.

FACTĬTĀTOR, oris, m. qui factitat. *Tert. adv. Prax.* 18. Idolorum factitatores atque cultores. Adde *Apol.* 21.

FACTĬTĀTUS, a, um, part. a *factito*. *Cic. Off.* 2, 24. Haec apud majores nostros factitata. *Id. Or.* 42. Alterum factitatum est, alterum novum.

FACTĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *facio*, *ἐνεργέω*, saepe facio. *Ter. Eun.* 4, 7, 12. Ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. *Thr.* idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *Pl. Epid.* 3, 3, 50. stultitia est, me illi vitio vortere, Egomet quod factitavi in adolescentia. *Gell.* 19, 5. *f.* Factitare inducias cum aliquo. *Plin.* 37, 6, 23. Gemmae tantae magnitudinis, ut inde capulos factitarent. *Id.* 13, 9, 17. Simulacra ex ea arbore factitavere. *Hor. A. P.* 470. Factitare versus. *Cic. Phil.* 2, 16. Quem palam heredem semper factitarat. *Id. Brut.* 17. Verba compone, et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt. Et 34. Iisdem temporibus M. Brutus accusationem factitavit. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 43. Artem pudere proloqui, quam factites. Sic *Quint.* 7, 2. Fadere proloqui, quam factites. Sic *Quint.* 7, 2. Faectitare medicinam. Et *Gell.* 5, 3. vecturas onerum corpore suo. *Suet. Vesp.* 1. coactiones argentarias *Tac. H.* 2, 10. delationes. [*Maxime frequentatur h. v. ap. *Tac.* V. *Boettich.* l. l. p. 192. qui factitare saepe irritum conatum et contemptum involvere dicit. Adde *Hor. A. P.* 470. Nec satis apparet, cur versus factitet; etc. v. 457. dicit: Dum sublimis versus ructatur et errat.]

FACTO, as, a. 1. freq. a *facio:* sed pro ipso *facio* usurpatur a *Pl. Merc. prol.* 93. Omnes merces, ut volui, vendidi ex sententia, Lucrum ingens facto. Et *Truc. a.* 5. *v.* 23. Neque ruri, neque hic operis quicquam facto. [*Sic ed. *Gronov.* quanquam utrobique ed. *Junt.* 1514. habet *facio*. Neque aliter *Douza. Epidic.* 5, 1, 54. Minoris multo facto, quam dudum, senes. Sic ed. *Junt.* ubi edd. *Parei* et *Gron.* legunt *facio*. Citat *Gesnerus Pl. Truc.* 3, 2, 22. ubi tamen edd. *Gron.*, *Parei*, *Junt.* etc. *facio*. *B. A.*]

FACTOR, oris, m. *ποιητής*, qui efficit. *Pall.* 1, 6. Cuparum doliorumque factores. *Coripp.* 1, 340. Factor solis, *h. e.* creator, *sc.* Deus: quo sensu etiam a *Tert. Apol.* 11., et a *Lact.* 2, 8. *med.* usurpatur. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 6. *extr.* Qui praepositum suum non protexit, cum posset, in pari causa factori habendus est, *h. e.* illi, qui fecit injuriam. *Macer ib.* 48, 3, 7. Solent praesides scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur, *h. e.* rei, qui scelus fecerunt. *Ulp. ib.* 29, 5, 1. *med.* Conscii, vel factores sceleris. ℙ Speciatim *factores* dicuntur, qui oleas premunt oleumque conficiunt. *Cato R. R.* 64. Factores volunt, ut olea in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius efficiant. Adde *eund.* 13. et 66. [*Adde 67.] ℙ *Factor* etiam dicebatur, qui in pilae ludo pilam ab alio datam excipiebat. *Pl. Curc.* 2, 3, 18. Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via, Et datores, et factores omnes subdam sub solum. V. DATOR. ℙ [Est etiam officium militare, non absimile fortasse actori et procuratori, cujus partes erant pecunias et res ducum, vel commilitonum curare et administrare: Itali quoque etiamnum *fattore* vocant. *Inscr.* ap. *Grut.* 542, 9. Fulvio Atratino frumentario, in Leg. VII. G. P. F., factore Cos. Legendum videtur *factori* Consulis. Alia in *Mus. Vatic.*, quam vidit *Barpt. Borghesius*. Vexillarius L. Loter L. F. Sab. Constitutus Volaterra, Optio C. F. Julius Cam. Primitivus Ravenna, Fac. 7 (*h. e.* factores centuriae) scholam vetustate corruptam pecunia publica reficiundam curarunt. *F.*]

FACTORĬUM, ii, n. instrumentum, quo fit oleum, quod qui conficiunt, *factores* dicuntur. *Pall.*, 11, 10. Olivam quam recentissimam colligis, et expandis, ne calefiat. Ubi compleveris modum factorii etc.

FACTUM, i, n. V. FACTUS, a, um.

FACTŪRA, ae, f. *ποίησις*, compositio rei, quam facimus. *Plin.* 34, 14, 41. Aliubi vena bonitatem ferri praestat, aliubi factura. *Gell.* 13, 29. Facies est forma omnis, et modus, et factura quaedam corporis totius. ℙ Item opus ipsum factum. *Prud. Apoth.* 792. Anima factura Dei est. Adde 856.

FACTUS, a, um, part. a *facio*, effectus, confectus, tam lata significatione, quam ipsum *facio*, *πεποιημένος*. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Pocula Mentoris

manu, summo artificio facta. Et 12. Phalerae pulcherrime factae. Et 18. Argentum optime factum. *Hor. Sat.* 1, 5, 95. iter factum corruptius imbri. *Val. Fl.* 4, 624. Factus finis. Et 1, 210. facta silentia vati. *Virg. A.* 5, 763. Factus honos aris. *Quint.* 1, 10. Prodigium divinitus factum. *Ulp. Dig.* 32, 1, 68. *med.* Linum factum. ℙ Translate *Nep. Att.* 13. Artifices domi nati domique facti. *Hor. Sat.* 1, 10, 58. Versiculi magis facti et cuntes mollius, i. e. artificiosiores. *Cic. Att.* 2, 24. *med.* Qui illuc factus institutusque venisset. *Liv.* 1, 56. Ex industria factus ad imitationem stultitiae, *h. e.* compositus. *Cic. Or.* 3, 48. Orationem, quae quidem sit polita atque facta, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere. *Id. ib.* 52. et *Fin.* 3, 15. et *Part.* 21. Verba facta, *h. e.* de novo ficta et inventa. V. *Facere verba* in FACIO. *Id. Or.* 42. Verbum factum, i. e. compositum. *Hor. Sat.* 1, 5, 33. ad unguem factus, *h. e.* perfectus. V. UNGUIS. ℙ Tabulae publicae rationem aliae erant pecuniae acceptae et expensae, aliae *pecuniae factae.* Hae memorantur in *vet. Tabula aenea* ap. *Mur.* 582, 1, 40., et ex *Mazochii* sententia in *Comment. Tab. Heracl.* p. 344. sunt pecuniae paratae et quaesitae, nondum tamen numeratae et acceptae. [At *Marezollius* in *Comment. Tab. ejusd.* p. 99. putat, ut privatorum tabulae expensi et accepti dicuntur, ita publicas pecuniae factae dictas fuisse: nisi forte levi mutatione *pecuniae pactae* pro *pecuniae factae* legendum sit, quod magis vero simile videtur; plura enim sunt in ea tabula sculptoris menda. *F.*] ℙ *Factus ad aliquid* est natus, aptus, idoneus. *Cic. Mil.* 4. Est haec non scripta, sed nata lex; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. *Id. Off.* 1, 29. Neque ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. *Id. Att.* 14, 18. Ego Erotem, ad ista expedienda factum, mihi videbar reliquisse. *Id. Brut.* 80. Sive quod non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive quod non posset. ℙ [*Cum Dativo. *Prop.* 4, 5, 49. Nec tibi displiceat miles non factus amori, i. e. comparatus, ut amore neminem movere possit.] ℙ *Factus*, creatus. In *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. Cens. T. Manlius Torquatus, T. Fulvius Flacc. vitio facti abdicaverunt. ℙ *Factum velle* est affirmantis et confirmantis. *Pl. Bacch.* 3, 3, 91. Serva tibi sodalem et mihi filium. *Mnesil.* factum volo. ℙ *Factum velle alicui* est ejus causa cupere, favere, bona precari. *Ter. Ad.* 5, 7, 20. Dii tibi benefaciant, cum te video nostrae familiae tam ex animo factum velle. *Gell.* 7, 3. *med.* Cum et utiles essent, et vellent regi esse factum, nihil tamen adjuvandi ejus gratia fecerunt. [*Vim formulae hujus explanarunt *Casaub.* ad *Appul. Apol.* p. 166. *Salmas.* ad *Tertull. de pall.* p. 120. et in primis *Gron.* ad *Gell.* l. l. *B. A.*] ℙ *Facto est opus* aut *usus*, faciendum est. *Ter. Andr.* 3, 2, 10. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae. Et 4, 2, 32. Ita facto est opus. *Id. Ph.* 5, 1, 35. Quid opus facto sit, vide. *Id. Hec.* 3, 1, 47. Non usus facto est mihi nunc intro sequi. *Tac. H.* 1, 62. Facto magis, quam consulto opus est. ℙ [*Ap. *Lucr.* 1, 789. Quot facere haud ullo debent primordia facto: est: ullo modo. Adde *Eund. ib.* 941.] ℙ *Dictum factum* celeritatem rei significat. *Ter. Heaut.* 5, 1, 31. Dictum factum, huc abit Clitipho. ℙ *Factum bene*, *optime* sunt exclamantis ex laetitia, et gratulantis ap. *Ter. Andr.* 1, 1, 78. et 3, 4, 14. et *Pl. Ps.* 4, 6, 37. Et *factum* omisso *Mart.* 7, 15. O bene, quod silva colitur Tirynthius ista! ℙ *Factum male* est damnantis et improbantis. *Cic. Att.* 15, 1., *Pl. Most.* 2, 2, 27. et *Ter. Ph.* 5, 1, 24. [*Catull. 3, 16. O factum male, o miselle passer.] ℙ *Factum*, h. e. Factum est, in responsionibus affirmat. *Ter. Eun.* 4, 4, 40. *Phae.* Chaerea tuam vestem detraxit tibi? *Do.* factum. *Phae.* et ea est indutus? *Do.* factum. ℙ *Factum*, *i*, n. est actio, facinus, res gesta, πρᾶξις, ἔργον, in utramque partem. *Cic. Sull.* 26. Ecquod hujus factum aut commissum etc? *Liv.* 6, 40. Neque ullum factum dictumve nostrum contra utilitatem vestram vere referri posse. *Ov. Met.* 14, 36. unoque duos ulciscere facto. *Hor. Ep.* 1, 2, 40. Dimidium facti, qui coepit, habet. *Virg. A.* 1, 368. dux femina facti. *Liv.* 45, 24. Distinguere voluntatem a facto. *Cic. Dom.* 36. Factum laudabile. *Id. Phil.* 2, 44. praeclarum atque divinum. *Id. Fam.* 10, 16. egregium. *Nep. Arist.* 2. illustre. *Id. Thras.* 1. magnificentissimum. *Cic. Fin.* 1, 11. Facta illustria et gloriosa. *Curt.* 7, 1. fortia. *Hor. Ep.* 2, 1, 237. splendida. *Cic. Att.* 8, 14. Quod unquam eorum in republ. forte factum exstitit? Contra *Catull.* 23, 10. Facta impia. *Ov. Met.* 3, 248. fera. *Id. Her.* 14, 16. nefanda. *Id. Met.* 6, 533. dira. *Quint.* 1, 2. turpia. *Juven.* 13, 126. Factum detestabile. *Sen. Thyest.* 636. trux. [*Saepius addi v. *factum* in edd., ubi ex more lat. non inusitato omitti a scriptoribus soleat, docent *Gruner.*, *Verheyk.* ad *Eutr.* 5, 3.] ℙ Absolute. *Virg. A.* 10, 468. famam extendere factis, Hoc virtutis opus. *Val. Fl.* 3, 455. nostrive luant ea facta minores. *Ov. Her.* 10, 60. vacat insula cultu: Non hominum video, non ego facta boum. ℙ *Bonum factum est*, [*de re, necopinato, feliciter alicui contingente.] *Pl. Ps.* 1, 2, 52. Nunc adeo hoc factum est optimum, ut nomine quamque appellem suo. ℙ In edictis *bonum factum* praefari mos fuit, ominis causa: ut ap. Graecos: Ἀγαθῇ τύχῃ. Quem morem significat. *Tert. Pudic.* 1. O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum. Hinc *Suet. Caes.* 80. Peregrinis in senatum allectis, libellus propositus est. Bonum factum: ne quis senatori novo curiam monstrare velit. *Id. Vit.* 14. Exacerbatus, quod post edictum suum, quo jubebat etc. statim libellus est propositus: et Chaldaeos edicere, Bonum factum, ne Vitellius etc. Quo pertinent illa *Pl. Poen. prol.* 16. Bonum factum est, edicta ut servetis mea. Et 44. Haec, imperata quae sunt pro imperio histrico, Bonum hercle factum, pro se quisque ut meminerit. Et *Aurelii Vict. vir. illustr.* 49. Hac die Carthaginem vici: bonum factum: in Capitolium eamus, et Diis supplicemus. ℙ [*Factum* dicitur etiam de edictis, vel rescriptis imperatorum qualia ad proconsules et reliquos provinciarum praesides mitti solebant. V. *J. Capitol. Gord. tres.* 5. Nam quum quadam die factum imperatorium legeret, atque a proconsulibus scipionibus coepisset, acclamatum est etc. Cf. ad h. l. *Salm.* cujus haec interpretatio est.] ℙ Comp. *Factior* est ap. *Pl. Trin.* 2, 3, 6. Miser ex animo fit: factius nihilo facit. Alii leg. *factius nihil facit*, h. e. nihil magis curatum et explicatum reddit. [*Non opus hac emendatione. V. *Gronov.* ad h. l. ℙ Permutantur *facta* et *fata.* V. Intpp. ad *Plin. Pan.* 17, 2. et 80, 5. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 333. p. 703., et quos ibi laudat. — *Factum* et *tractum.* Intpp. ad *Eutr.* 3. 1. — *Facta* et *acta.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 5, 10, 33. et quem laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 6, 28, 2. — *Facti* et *fere. Quint. Inst.* 6, 4, 15. — *Factus* et *fictus. Quint. Inst.* 10, 2, 11. *Facta* et *fama. Burm.* ad *Virg. A.* 6, 807.]

FACTUS, i, m. et us, m. et Factum, i, n. tanta olearum quantitas, quanta uno tempore et opere commolitur. *Varr. R. R.* 1, 24. Hostum dicunt, quod ex uno facto olei reficitur (lege *efficitur*): factum dictum, quod uno tempore conficiunt, quem alii CLX. ajunt esse modiorum, alii ita minus magnum, ut ad CXX. descendat, et exinde, ut vasa olearia quot et quanta habeant, quibus conficiunt illud. *Plin.* 15, 6, 6. Premi plus quam centenos modios, non probant: factus vocatur. *Cato R. R.* 67. Factoribus det in singulos factus, olei sextarios. *Colum.* 12, 50. *f.* Cum facti unius mensuram rusticus sub tecto reposuerit. Et *mox.* Cum fisci expresserint facta, statim ferventissima debent aqua bis aut ter elui. ℙ *Factus villae* est structura. *Varr. R. R.* 3, 1. *extr.* Quo ornatior villa esse posset fructu, quam factu.

FĂCUL, idem quod facilis vel faciliter, apud veteres. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 331. Haud facul femina invenietur bona. Et *Varr. ib.* Utrum sit magnum, an parvum, facul, an difficul. Adde *Lucil.*, *Afr.* et *Acc. ib.* et *Fest.*

FĂCŬLĂ, ae, f. diminut. facis, λαμπάδιον, parva fax, seu frustum ligni aptum facibus. *Varr. L. L.* 4, 31. Utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas. *Cato R. R.* 37. Palos siccos dolato, faculas facito. *Prop.* 2, 22, 5. Quorum alii faculas, alii retinere sagittas. ℙ Translate. *Pl. Pers.* 4, 3, 46. Nequicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult, *h. e.* occasionem, viamque lucrandi praebere. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* inedita, ex Dalmatia, nunc in *Mus. Patav.* L. Statius L. F. Facula quinquennalis Matri Deum aedem de pecunia sua fecit ex voto. Ap. *Liv.* 26, 33. et *Val. Max.* 5, 2. *n.* 1. *Cluvia Facula* memoratur meretrix Capuana. *F.*]

[FĂCŬLĂRĬUS, ii, m. qui faculam fert. *Gloss. Philox.* Facularii, δᾳδοῦχοι. *F.*]

[FĂCULTĂLIS, e, adj. ad facultatem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 435. *n.* 22. L. Sassinas Facultalis. *F.*]

FĂCULTAS, atis, f. δύναμις, proprie est facilitas agendi: ab antiquo *facul* pro facilis. Hinc omnis ars facultas appellatur, quia dat regulas et rationem faciendi aliquid. *Ter. Andr.* 1, 4, 5. Dii date facultatem huic pariendi. *Cic. Inv.* 1, 27. *extr.* Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest. ℙ Sed *Plinius* distinguit *facultatem* a *facilitate*, illam vocans gratiam ac virtutem faciendi, hanc promptitudinem dumtaxat. Sic enim inquit *ep.* 6, 29. Quia nimia assiduitate facilitas magis, quam facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur. ℙ Distinguit etiam *Fest.* in *Facul*, quod *facilitas* ad mores pertinet, *facultas* ad res, opes, artes. ℙ Ceterum universim significat commoditatem, potestatem, vim, occasionem faciendi aliquid, sive a natura sit, sive a fortuna, ab arte, ab ingenio, industria etc. *Cic. Quint.* 2. Hortensius, cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. *Id. Flacc.* 8. Libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur. *Id. Rosc. Am.* 33. Videamus, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. *Id. Q. Fr.* 3, 9. Cave, quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo, et maxima tua facultate, cogitaris. *Id. Mil.* 17. Miloni manendi nulla facultas, exeundi etiam necessitas fuit. *Id. Font.* 6. Dare alicui facultatem ad dicendum. *Id. Or.* 2, 84. Ut opes et copiae non superbiae videantur aut libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. *Id. Caecin.* 25. et *Rabir. perd.* 6. Dare alicui facultatem, ut etc. *Id. Or.* 32. et *Brut. et Cass. ad Anton. Fam.* 11, 2. Habere facultatem alicujus rei faciendae. [*Cic. *Fam.* 7, 8. *f.* Quin tu urges istam occasionem et facultatem, qua melior nunquam reperietur. *Man.* ad h. l. haec notat: Plus est *facultas*, quam *occasio*; nam *facultas*, posse rem fieri, demonstrat; *occasio* suadere videtur, ut fiat.] *Cic. Off.* 2, 6. Assequi hanc facultatem, ut hominum studia complectamur. Et *Or.* 2, 12. Comparare facultatem. *Caes. B. G.* 3, 6. Facultatem sui colligendi relinquere hostibus. *Cic. Verr.* 2, 2, 73. Facere facultatem alicui honeste judicandi. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Si res facultatem habitura videatur, ut etc. *Id. Phil.* 2, 17. Quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum largitur. *Id. Cat.* 3, 2. Facultatem mihi oblatam putavi, ut etc. *Id. Or.* 1, 14. Neque Asclepiades in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae. Et 31. Omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa est. Et 2, 7. Res mihi videtur esse facultate praeclara, arte mediocris. *Auct. Dial. de Or.* 33. Neque enim arte et scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri. *Cic. Or.* 2, 84. *f.* Virtutes, quae positae sunt in aliqua ingenii facultate. [*Facultas* significat h. l. *vim ingenii*, *Talent*, *Naturanlage.* Adde *Eund. Fam.* 5, 12. Materies digna facultate et copia tua. V. *Manut.* ad *Fam.* 5, 20.] (Adde *Nep. Epam.* 1.) et 53. Omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis, *h. e.* ut in utramque partem tractari possint. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. *f.* Si facultas tui praesentis esset. [*Suet. *Aug.* 15. Facultate L. Antonii ducis praebita, i. e. dum licebat Antonio duce uti.] *Colum.* 4, 29. Si sit sarmentis alendis facultas. *Caes. B. G.* 7, 50. Hinc abite, dum est facultas. *Cic. Inv.* 2, 3. Quoad facultas tulit. ℙ [*Facultas dicendi*, i. q. eloquentia. V. *Schaef.* ad *Plin. ep.* 1, 20, 18. *coll.* 2, 3, 1. *Suet. Galb.* 3. Modicae in dicendo facultatis. *Id. Aug.* 84. Quamvis non deficeretur ad subita extemporali facultate. *Ael. Spart. Adrian.* 20. Fuit memoriae ingentis, facultatis immensae: ubi v. *Salm.*] ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 3, 16. tibi enim superum data, virgo, facultas Nosse animos rerumque vias. Adde *Stat. Th.* 4, 513. et 12, 36. [*Auct. *B. Afr.* 78. Ut haberent facultatem turmas Julianas circumfundi et nihilo minus fortissime acerrimeque pugnare.] ℙ In plurali numero. *Cic. Part.* 35. Facultatum infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum etc. *Id. Rosc. Am.* 33. Age nunc ceteras facultates quoque consideremus. *Id. Att.* 3, 10. Ecquis unquam tam ex amplo statu, tam in bona causa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiae, concidit? [*Caes. *B. G.* 6, 1. Tantas videri Italiae facultates, ut, si quid esset in bello detrimenti acceptum, non modo id brevi tempore sarciri, sed etiam majoribus adaugeri copiis posset: ubi facultates ad militum numerum, abundantiam pertinere videntur.] ℙ Differt, si proprie loquaris, *facultas* a potestate. *Cic. Inv.* 2, 7. Aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas: potestas, si aut nescisse, aut non adfuisse dicetur: facultas, si ratio, adjutores, adjumenta defuisse demonstrabuntur. ℙ Sumitur saepe pro copia et abundantia. *Cic. Quint.* 4. Romae ubi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret. *Caes. B. G.* 1, 38. Omnium rerum, quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas. Et *ib.* 3, 9. Habere facultatem navium. *Colum.* 8, 17. *med.* Ut ex his aliqua, quorum erit facultas, praebeamus. *Id.* 12, 38. *f.* Si facultas ejus succi sit copiosior. ℙ *Facultates* sunt bona, patrimonium. *Cic. Off.* 2, 4. Effectumque, ut dando et accipiendo mutandisque facultatibus et commodis, nulla re egeremus. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Quasi vero nunc me non tuae facultates sustineant. *Quintil. f. prooem.* 6. Facultates patrimonii nostri aliis relinquemus. *Suet. Galb.* 3. Attritis facultatibus, urbe cessit. *Petr. Sat.* 112. Quidquid boni per facultates poterat, coemebat. [*Plin. *ep.* 6, 32. Modicus facultatibus. ℙ *Facultates* sunt etiam impensae ad rem gerendam necessariae. *Cic. Agr.* 2, 30. Facultates belli sustentantur hoc vectigali.] ℙ Interdum *facultas* est quantum quisque potest re sua familiari. *Cic. Off.* 2, 16. Facultas sumptuum. Et *ib.* 1, 14. Videndum, ne major benignitas sit, quam facultas. Al. leg. *facultates.* *Caes. B. G.* 1, 18. Et suam rem familiarem auxisse, et facultates ad largiendum magnas comparasse. *Paul. Dig.* 26, 7, 11. Mer-

cedes praeceptoribus pro facultate patrimonii constituet. [*Suet. Aug. 29. Pro facultate quisque. Gr. ἐκ τῶν παρόντων, ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, coll. ib. 57. Quatenus suppeteret facultas.] ℙ A *Celso* 5. *in praef.* et *ib.* 17. dicitur *facultas* virtus, quae inest in medicamentis, herbis, aliisque rebus ad sanandum. ℙ *Facultatium* in genit. plur. dixit *Paul. Dig.* 32, 1, 78. (al. 76.) ut *Torrent.* edidit. ℙ [*Facultas* et *facilitas* confunduntur. V. in FACILITAS. f.]

[FACULTĀTĬCŪLĂ, ae, f. dimin. eadem ac facultatula. *Not. Tir.* p. 51. Facultas, facultaticula. *F.*]

FACULTĀTŪLĂ, ae, f. dimin. parva facultas. *Hieron. ep.* 108. *n.* 10. Pro facultatula sua, pecunia pauperibus distributa. Adde *Augustin. ep.* 45. *med.*

FĂCULTER antiqui dicebant pro facile. *Fest.* in *Facul.*

FĂCUNDĒ, adv. εὐφραδῶς, diserte. *Liv.* 28, 18. Ut hostem etiam infestissimum facunde alloquendo sibi conciliaret. *Pl. Mil.* 4, 4, 5. Nimis facete nimisque facunde mala est. [*i. e. quae malitiam suam, dolos et fraudes, verbis scite exornare et docte explicare potest. *Lindem.*] *Tac. A.* 1, 39. Quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur. Et *ib.* 12, 58. Facunde exsequi aliquid. [*Front. B. Parth.* (ed. *A. Maio*) p. 204. Nemo unquam neque Romana, neque Graecorum lingua facundius laudatus, quam Cn. Pompejus in ista oratione. *F.*] *Gell.* 13, 8. Vitia facundissime accusare. *Senec. Suasor.* 2. *med.* Locum facundissime describere.

FĂCUNDĬĂ, ae, f. λογιότης, facultas disserendi. *Sall. Cat.* 57. Facundia Graecos ante Romanos fuisse. *Hor. Od.* 4, 7, 21. Cum semel occideris, non te facundia, non te Restituet pietas. *Plin.* 7, 30, 31. Facundiae Latiarumque litterarum parens Cicero. *Quint.* 1. *prooem. f.* Alere facundiam, vires augere eloquentiae. *Sall. Jug.* 32. Memmii facundia clara pollensque. *Gell.* 19, 14. Facundia praestanti vir. Et 18, 5. Vir facundiae florentis. Et 19, 9. Clamator tantum et facundia rabida jurgiosaque. *Sall. Jug.* 67. Graeca facundia se exercere. *Id. fr.* ap. *Lact.* 6, 18. Caninam facundiam exercere. *Gell.* 11, 13. *f.* Ne vos facile praestringeret modulatus aliquis currentis facundiae sonitus. *Id.* 4, 15. Facundia verborum Sallustii, *h. e.* vis significandi, verba valde exprimentia, et veluti gravida sententiae. ℙ In plur. num. *Gell.* 3, 17. Facinus Graecarum facundiarum magniloquentia condignum. ℙ Differt quidem ab eloquentia, ut ex allato *Quintiliani* loco colligitur. Est enim *facundia* facilitas dicendi et copia: *eloquentia* addit insuper, ut bene apteque facilitas illa et copia adhibeatur. Facundi enim, docente *Varr. L. L.* 5, 7., sunt qui facile fantur: eloquentes, qui facile et bene. Saepe tamen pro eloquentia ponitur, ut ap. *Sall. l. c.*, *Tac. A.* 11, 6., *Petr. Sat.* 83., *Ov. Pont.* 2, 5, 55. etc.

FĂCUNDĬOSUS, a, um, adj. facundus. Prisca et obsoleta vox. *Sempron. Asellio* ap. *Gell.* 4, 9. *f.* Facta sua spectari oportere, dicta non, si minus facundiosa essent.

FĂCUNDĬTAS, atis, f. idem quod facundia, sed minus usitatum. *Pl. Truc.* 2, 6, 13. Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit.

FĂCUNDUS, a, um, adj. εὔφραδής, verbis copiosus, disertus, eloquens. Est a *fando*, ut *Varr.* docet *L. L.* 5, 5, 7., et proprie significat eum, qui facile loquitur, cuique verba non desunt: in quo differt ab *eloquente*, ut in FACUNDIA dictum est: tametsi aliquando cum eo confunditur. *Sall. Jug.* 100. Sulla facundus, callidus, et amicitia facilis. *Id. fr.* ap. *Quint.* 4, 2. et *Gell.* 1, 15. M. Atilius loquax magis, quam facundus. *Suet. Cal.* 53. Minimum eruditioni, eloquentiae quamplurimum attendit, quantumvis facundus et promptus. [*V. *Brem.*] *Ov. Met.* 13, 92. facundus Ulyxes. *Hor. Od.* 1, 10, 1. Mercuri, facunde nepos Atlantis. *Tac. H.* 1, 8. Rufus, vir facundus. [*Liv. 28, 25. Ut ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus fecunda.] *Quint.* 12, 2. *med.* In exemplum bene dicendi, facundissimum quemque proponet sibi ad imitandum. Et 10. *med.* In omnibus gentibus alius alio facundior habetur. *Ov. Fast.* 4, 245. Facunda vox. Et *ib.* 5, 698. Facundum os. Et *Her.* 15, 195. Facunda pectora. Et *Met.* 13, 127. dicta. *Hor. Od.* 4, 1, 35. Facunda lingua. *Sall. Jug.* 89. Facunda et composita oratio. *Mart.* 12, 43. Facundi versus.

*FADĬA GENS, e qua Pompeianus miles, cujus meminit *Asinius Pollio* ap. *Cic. Fam.* 10, 32. V. et *Cic. Fin.* 2, 17. *Fam.* 7, 20. *Att.* 3, 23. etc. Q. Fadium libertinum, cujus filiam nupsit Antonius, memorat *Cic. Phil.* 2, 2. *B. A.*

[FĂDUS, a, um, adj. a φάω, splendeo, unde et φαιδρὸς, splendidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 634. *n.* 293. A. Numisienus Fadus. *F.*]

FAECĀRĬUS, a, um, adj. ad faecem pertinens, ut Faecariae sportae ap. *Caton. R. R.* 11., quibus inclusa faex musti praelo supponitur, ut vinum faecatum exprimatur: quod explicat *Id. ib.* 153. V. v. seq.

FAECĀTUS, a, um, adj. τρυγώδης, e faecibus expressus. *Cato R. R.* 153. Vinum faecatum sic facito: Fiscinas olearias Campanicas duas illac rei habeto: eas faecis impleto, sub praelum subdito, exprimitoque. *Plin.* 14, 10, 12. Tertium est faecibus vini expressum, quod faecatum Cato appellat. Hoc idem *Colum.* 12, 40. *loram* vocat.

FAECĬNĬUS et Faecinus, a, um, adj. qui multum faecis habet, ut Faeciniae uvae ap. *Colum.* 3, 2. *med.*, quae plus quam ceterae, faecis afferunt; eaedem ab *eod. ib.* a colore *rubellianae*, et a loco *Nomentanae* vocantur. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. easdem *fecenias* appellat, quod in *faecinias* mutandum videtur. Hinc apud *Colum.* 12, 45. *f.* Faecinum vinum.

FAECŌSUS, a, um, adj. faeculentus, faece abundus. *Mart.* 13, 102. Accipe faecosum, munera cara, garum. *Garum* enim faex quaedam est liquore denso: quare quo magis faece abundat, eo est pretiosius. Alii leg. *fastosum*, h. e. dite homine dignum.

FAECŪLĂ, ae, f. genus liquaminis et condimenti (quod et *alec* dicitur) de quo V. in FAEX. *Lucr.* 2, 430. et quae Titillare magis sensus, quam laedere possunt, Faecula jam quo de genere est inulaeque sapores. ℙ Distincta ab hac, quamvis et ipsa liquamen et condimentum, est quae *Coa* appellatur ab *Hor. Sat.* 2, 8, 9., sive quod in Co insula optima fiebat, sive quod ex Coi vini faece constaret. Hanc *Hor.* hoc loco ab alece distinguit, *siser*, *alec*, *faecula Coa:* illam autem priorem cum eo conjungit *Sat.* 2, 4, 73. *ego faecem primus et alec* etc. (ea ratione qua *Virg.* dixit *pateris libamus et auro*) item *Plin.*, ut in FAEX dicemus. Quare *faecula Coa* erit liquamen faecula seu faece multo pretiosius et sumptuosis coenis aptum, qualis est, quae ab *Hor.* in illa *Sat.* 8. describitur, ut aper (animal propter convivia natum, ut ait *Juven.* 1, 141.) et nobilia vina illata satis ostendunt.

FAECŬLENTĬĂ, ae, f. faecis abundantia. *Sid. ep.* 3, 13. Faeculentia par cloacali, quae quo plus commota, plus foetida est. ℙ [Translate. *Fulg. Contin. Virg.* p. 756. *Staver.* Dum quis in temporales gurgitis coenositates, morumque faeculentias transit. *F.*]

FAECŬLENTUS, a, um, adj. τρυγώδης, faecibus plenus. *Cels.* 5, 26. *n.* 19. Faeculentum pus. *Colum.* 2, 2. *a med.* vinum. *Sol.* 33. Faeculentior superficies. *August. de vera relig.* 40. Quorum aliud faeculentissimum redditur terrae, *h. e.* excrementa. ℙ Sardonyches faeculentae, ap. *Plin.* 37, 6, 23. sunt colore veluti faece conspurcato. ℙ Translate. *Arnob.* 3, 119. Semeleius Liber faeculentae hilaritatis dator. ℙ De orthographia V. in FAEX.

FAECŪTĪNUS, a, um, adj. idem quod faecatus. *Val. Prob.* ap. *Gell.* 13, 20. Non eas finitiones praeferendas, neque faecutinas grammaticas spectaveris. Al. leg. *foetutinas*, a *foeteo.*

FAENUM, cum derivatis et composit. V. FOENUM.

FAESŬLĀNUS, a, um, adj. ad Faesulas (seu Faesulam, nam *Sil.* 8, 477. eam sing. num. appellat) pertinens, quod est oppidum Etruriae, supra, nec longe a Florentia: nunc *Fiesole. Cic. Mur.* 24. Faesulani coloni. *Id. Cat.* 2, 6. Faesulanus ager. ℙ Scribunt et *Fesulanus*, *Fesulae:* sed *Manut.* diphthongum praefert.

FAEX, cis, f. multarum rerum excrementum, praesertim liquidarum, purgamentum subsidens, aut supernatans, ἰλύς. Sunt qui scribunt *fex*, sed contra *Prisc.* 2, 572. *Manut., Dausq., Cellar.*, qui diphthongum tuentur: non tamen ob eam rationem, quod ita distinguatur in dativo a praeterito *feci*, quae levis admodum est et nugatoria. Etymon est a πῆξις, coagulum, quod a πήγνυμι sive πήγω, cogo, mutata tamen littera *p* in affinem *f.* Latine vero diphthongum recipit, ut etiam *scaena*, licet haec sit a σκηνή. Quodnam sit discrimen inter *faecem olei* et *amurcam*, vide in §. 1. hujus vocis. *Hor. Od.* 3, 15, 16. Poti faece tenus cadi. *Id. A. P.* 277. peruncti faecibus ora. *Id. Sat.* 2, 4, 55. Falerna faex. *Ov. Met.* 1, 68. Aether nihil terrenae faecis habens. *Plin.* 28, 16, 62. Faex aceti. *Id.* 23, 2, 33. sapae. Et 31, 7, 42. salis Et 33, 6, 34. plumbosissima stibii. Et 34, 13, 37. aeris. *Mart.* 14, 13. Si quid adhuc superest de nostri faece locelli, *h. e.* de reliquiis pecuniae. ℙ Est etiam genus condimenti (idem quod *alec*) ex pisciculis quibusdam sale maceratis et putrefactis, faeculento liquore innatante, vitium gari a *Plin.* 31, 8, 44. appellatur, quia est gari imperfecta nec colata faex: sed primo a pauperioribus adhiberi coeptum, transiit paulatim in luxuriam, creveruntque ejus genera in infinitum. *Hor. Sat.* 2, 4, 73. ego faecem primus et alec etc. V. dicta in ALEC. *Ov. Met.* 8, 665. Conditaque in liquida corna autumnalia faece. ℙ Item fuci, quo faciem pingunt mulieres, qui ab *Ov. medic. fac.* pluribus describitur. *Id. A. Am.* 3, 211. Quem non offendat toto faex illita vultu, Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus? ℙ Translate dicitur de vilioribus hominibus et abjectis. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. *med.* Apud illam perditissimam atque infimam faecem populi. Et *Att.* 1, 16. *med.* Apud sordem urbis et faecem. Et *ib.* 2, 1. *f.* Dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli faece sententiam. *Id. Verr.* 2, 1, 39. Ex ea faece legationis, quaestoriaeque tuae procurationis illa sunt nomina. *Lucr.* 5, 1140. Res itaque ad summam faecem turbasque redibat, *h. e.* ad regimen infimae plebis. ℙ *De faece haurire* proverbium est de eo qui viliora quaeque et abjectiora persequitur. *Cic. Brut.* 69. Tu quidem de faece hauris, idque jamdudum, *h. e.* infimos quosque oratores enumeras. ℙ *Dies sine faece* est lux pura. *Mart.* 8, 14. Hibernis objecta notis specularia puros Admittunt soles, et sine faece diem, *h. e.* sine pluvia, aut nive, quae diei lucem quodammodo foedant. ℙ In genitivo plur. *faecum* habet, teste *Charis.* 1, 114. non *faecium.*

FAFAE, interjectio, cum putoris aliquid perhorrescimus et aversamur. *Charis.* 2, 213, si sanus est ille locus.

FĂGĔUS, a, um. V. FAGINUS.

*FAGIFULĀNI, orum, populi Italiae, in Samnio, ut probabile. *Plin.* 3, 12. ubi codd. apud *Hard.* legunt *Fagifugali. B. A.*

FĂGĬNĔUS, a, um, et

FĂGĬNUS, a, um, adj. qui est ex fago arbore, φήγινος, φηγίνεος. *Plin.* 16, 44, 91. Fageum nemus. Et 5, 6. Fagea glans. *Cato R. R.* 21. Faginea materia. *Colum.* 12, 45. Arcula faginea. *Ov. Fast.* 4, 656. Bis sua faginea tempora fronde premis. *Virg. G.* 3, 172. faginus axis. Et *Ecl.* 3, 37. fagina pocula. ℙ *Faginus* pro *fagus. Calpurn. Ecl.* 2, 59. Inter pampineas ponetur faginus ulmos. Sic *humani* pro *homines* ap. *Lucr.* 3, 79.

FĂGUS, i, f. φηγός. [*Fagus Silvatica. *L.*] arbor glandifera, quales praeter eam sunt tres aliae, robur, quercus, aesculus. Dicta est a φήγω pro φάγω, comedo, quia glandes primis mortalibus cibus fuisse dicuntur. *Virg. Ecl.* 1, 1. patulae recubans sub tegmine fagi. *Caes. B. G.* 5, 12. Materia cujusque generis in Britannia est, praeter fagum et abietem. *Plin.* 16, 5, 6. Dulcissima omnium fagi glans, ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio, tradat Cornelius Alexander. *Id. ib.* 6, 7. eam accurate describit: *Id.* vero 24, 5, 9. ejus et foliorum usus in medicina exsequitur. ℙ Reperitur etiam in quarta declin. *Virg. Cul.* 139. Umbrosaeque manent fagus, hederaeque ligantes Brachia.

FĂGŪTAL, et

FĂGŪTALIS, locus Romae in Exquiliis, ubi fagus fuit, Jovi sacra, et sacellum ejus, qui inde Fagutalis cognominatus est. *Varr. L. L.* 4, 32., *Plin.* 16, 10, 15 et *Fest.* et lucus Fagutalis, *Varr. ib.* 8.

FĂLĂ, ae, f. turris lignea militaris, ex qua missilia jaciebantur: unde *falarica.* Dicta est, inquit *Fest.*, ab altitudine, scil. a *falando*, seu *falanto*, quod apud Etruscos coelum significat. Possis etiam ducere a Graeco φάλαι, quae sunt ὄρη, σκοπιαὶ, ut *Hesych.* docet, *h. e.* montes, arces, speculae. Quare aliis placet, *phala* scribi et *phalarica.* Quamquam apud *Hesych.* alii aliter legunt. *Enn.* ap. *Non.* 2, 351. Malos defindunt, fiunt tabulata falaeque. *Pl. Most.* 2, 1, 10. Isti, qui hastis trium nummorum causa subeunt sub falas, *h. e.* gravissima subeunt pericula, ut qui sub hostium turres ligneas accedunt. ℙ *Falae* etiam sunt appellatae septem illae ligneae turriculae, in ovi seu coni similitudinem formatae, quae ad singulos bigarum vel quadrigarum circuitus designandos in Circo supra columnas, quemadmodum et supra alias totidem delphinorum simulacra, erigebantur; quod fuit inventum M. Agrippae, teste *Dione* 49, 43.: has memorant *Non. l. c.* et *Serv.* ad *Virg. A.* 9, 705. qui tamen locus corruptus videtur. *Juven.* 6, 589. Consulit ante falas delphinorumque columnas. V. OVUM. ℙ Translate ponitur pro machina, fallacia. *Nov.* apud *Non.* 2, 316. Me non vocavit: ob eam rem hanc feci falam. Alii scribunt *fallam*, quasi a *fallo*, *is*, ducatur.

FĂLĂCER, cris, m. unus ex quindecim flaminibus, quos Romani, aucta civitate, atque adeo et sacerdotiis, constituerunt. Nomen habet a Deo Falacre, quem *Turnebus* putat praefuisse falis Circi. Illius mentionem facit tantummodo *Varr. L. L.* 4, 15. Flamen Falacer a divo patre Falacre. *Id. ib.* 6, 3. Flamines Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis: obscura est eorum origo: Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona. ℙ [*Falacer* fortasse significat flaminem; φαλακρὸς enim (ex φαλὸς, crista, et ἄκρον, apex) illum denotat, cujus caput acuto tegmine seu pileo tegitur, quod erat proprium flaminis. *Inscr.* ap. *Mur.* 10, 6. T. Flavia Primigenio Falacri Deae Pomonae T. Flavius T. F. Nigrinus ornamentarius. *F.*]

*FALĄCRĪNUM, i, n. vicus Italiae, in Sabinis,

ultra Reate, in quo Vespasianum natum fuisse testatur *Suet. Vesp.* 2. Adde *Anton. Itin.* V. *Phalacrine. B. A.*

FĂLĂRĪCĂ, ae, f. *φαλαρικὴ, χειροβαλίστρα*, genus teli ad modum hastae, valido ferro praefixum: a *falis*, unde jaciebatur. *Festus* et *Non.* 18, 20. Alii derivant a *φαλὸς*, splendidus: et *phalarica* scribunt. ℙ Saguntinorum falaricam in obsidione Annibalis his verbis describit *Liv.* 21, 9. Erat missile telum hastili abiegno, et cetera tereti, praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat: id, sicut in pilo, quadratum stuppâ circumligabant, linebantque pice: ferrum autem tres longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiam si haesisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod, cum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus praebebat. Haec *Liv.*, cui addendus *Sil.* 1, 350. Armavit clausos ac portis arcuit hostem librari multa consueta falarica dextra, Horrendum visu robur, celsisque nivosae Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima cuspis, Vix muris toleranda lues; sed cetera pingui Uncta pice, atque atro circumlita sulphure fumant. Fulminis haec ritu summis e moenibus arcis Incita, sulcatum tremula secat aera flamma. Et *mox.* Haec ictu rapido pugnantum saepe per auras, Attonito ductore, tulit fumantia membra. Haec vastae lateri turris ceu turbine fixa, Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis, Arma, virosque simul pressit flagrante ruina. Adde *Veg. Mil.* 4, 18. et *Serv.* ad *Virg. A.* 9, 705. ℙ [Falaricae figuram habes in lapide sepulcrali C. Firmidii Rufi, militis cohortis VI. praetoriae ap. *Bartoli, AA. di Aquileja* p. 153. *F.*] ℙ Duplex fuit: una major, quae catapulta; altera minor, quae manu mittebatur. De hac *Virg. l. c.* tum Bitian sternit, Non jaculo: neque enim jaculo vitam ipse dedisset: Sed magnum stridens contorta falarica venit, Fulminis acta modo. Et *Grat. Cyn.* 342. Terribilemque manu vibrata falarica dextra Det sonitum. Et *Liv.* 34, 14. Ut emissis soliferreis falaricisque, gladios strinxerunt. Adde *Enn.* ap. *Non.* 18, 20.

*FALARIENSES, ium, m. *φαλάριοι*, incolae Falariae vel Faleriae, Italiae urbis, in Piceno. *Plin.* 3, 13. ℙ *Falerienses* audiunt *Inscr.* ap. *Grut.* p. 1082. *n.* 2. *B. A.*

FALCĂRĬUS, ii, m. qui falces conficit, *δρεπανοποιός*. Hinc factum nomen vico cuidam Romae, quod ibi falcarii habitarent. *Cic. Cat.* 1, 4. Dico te priori nocte venisse inter falcarios. Adde *Sull.* 18. V. LIGNARIUS.

FALCASTRUM, i, n. *Isid. Orig.* 20, 14. Falcastrum a similitudine falcis vocatum. Est autem ferramentum curvum cum manubrio longo ad densitatem veprium succidendam. Hi et runcones dicti, quibus vepres secantur, a runcando dicti.

FALCĀTUS, a, um, adj. *δρεπανοειδὴς*, formam falcis habens. *Plin.* 10, 21, 24. In sublime caudam quoque falcatam erigens. *Id.* 17, 10, 11. Serendas *(amygdalas)* quam maxime falcatas, et e novella, *h. e.* quae maxime altera sui parte in modum falcis curvatae sint. Sic *Id.* 15, 24, 26. Digitorum omnis longitudo illis (praedulcibus siliquis) et interim falcata. *Sil.* 3, 378. Falcatus ensis. *Ov. Met.* 11, 224. Est sinus Haemoniae curvos falcatus in arcus. Et *ib.* 3, 681. de delphinis: falcata novissima cauda est. ℙ Item falcibus instructus, armatus, ut Falcati currus, quadrigae, axes, ap. *Liv.* 37, 41., *Curt.* 4, 9., *Hirt. B. Alex.* 75. et *Val. Fl.* 6, 105. et 387. Horum curruum usus fuit in proeliis, concitatis equis in medias acies permittendo, ut prominentibus a temone hastis, ad axes falcibus et ad rotarum radios, quidquid incurrerent, abscinderent, lacerarentque. Pluribus eos describunt *Liv.* et *Curt. ll. cc.*

FALCĬCŪLĂ, ae f. parva falx. *Pallad.* 1, 43. Falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere. Adde *Arnob.* 6, 209.

FALCĬDĬĂ Lex, lata fuit a P. Falcidio trib. pl. in triumviratu Augusti, ut ne liceret testamento legare ultra dodrantem, idest novem uncias, adeo, ut semper quarta pars hereditatis heredi conservaretur; quod si testator dodrantem excessisset, liceret heredi minuere legata, et quartam suam implere. *Paul. Dig.* 35, 2. *qui inscribitur* Ad legem Falcidiam, l. [*Inscr.* ap. *Grut.* 1100, 6. Quorum (*fundorum*) partem VI. (corrige IV.) legis Falci*diae* nomine, deductam ab tutoribus Septimiae Priscae matris suae Lepidia Septimina populo concessit. *F.*]

FALCĬDĬĀNUS, a, um, adj. ad Falcidium pertinens, quod est nomen propr. Romani hominis, ut Falcidianum crimen, *Cic. Fl.* 36. *med.*

FALCĬFER, a, um, adj. falcem ferens. *Sil.* 17, 418. Agmina falcifero circumvenit arcta covino, *h. e.* falcato. ℙ Speciatim est cogn. Saturni, quod primus in Italia agriculturae usum credatur indicasse: vel quod tempus omnia metat, exsecet, et incidat, ut *Macr. Sat.* 1, 7. et 8. docet. Hinc *Ov. Ib.* 218. falciferum senem vocat. Sic *Mart.* 5, 16. Falciferi defendere templa Tonantis.

FALCĬGER, a, um, adj. idem ac falcifer, et eodem usu. *Auson. Ecl. de Fer. Rom.* 36. Falcigerum placant sanguine Caeligenam.

FALCĬPĒDĬUS, a, um, adj. qui pedes habet in modum falcis curvatos, vel crura, simulant quae cornua Lunae, ut *Mart.* 2, 35. jocatur. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* V. FULCIPEDIA.

FALCO, onis, m. *ἱέραξ, φάλκων* ap. *Suidam*, avis ex accipitrum genere, quod ungues more falcis habeat introrsum flexos. *Serv.* ad *A.* 10, 145. ℙ *Falcones* etiam illi homines dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis. *Fest.* et *Serv. ib.* ℙ [Est etiam cogn. R. Q. enim Pompejus Falco fuit Plinii Secundi familiaris, ad quem ipse scripsit. *Ep.* 1, 23. *F.*]

FALCŪLĂ, ae, f. *δρεπάνιον*, parva falx. *Cato R. R.* 11. Falculae vineaticae, ruscariae. *Colum.* 12, 18. Falculae et ungues parandi et exacuendi sunt. A similitudine falculae, appellantur curvae acutaeque ungues quorundam animalium, ut felium, pardorum, etc. *Plin.* 8, 15, 17. Pardos, pantheras, leones, et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur, hebeteturve, ingredi; aversisque falculis currere, nec nisi appetendo protendere. ℙ [Est cogn. R., ut C. Fidiculanius Falcula ap. *Cic. Cluent.* 37. et *Caecin.* 10. *F.*]

FĂLĔRĔ, is, n. verbum est architecturae. *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Subter columnarum stylobatem est lapis, a falere pedem et dodrantem altus: ipsum falere ad duos pedes altum a stagno, latum ad quinque. Ad quem loc. *Scalig.* Falere vocat id, quod magis proprie esset pila: *χηλὴν* vocat Thucydides, *Virg.* saxeam pilam. Sustinet autem falere omne peristylii onus, et stagno oppositum, et oppilatum est. Itaque pilae litoribus immolitae a veteribus *faleria* dicuntur, quia ante *haleria* dicerentur *παρὰ τὴν ἅλα*, sal. Argumento, quod Falerii populi ita dicti sunt, quia apud eos sal fieret; antea Halerii dicti, auctore *Festo.* Nisi sit, quod omnia alta *φάληρα* vocabant Graeci. Hactenus *Scalig.* [At *Turnebus* interpretatur crepidinem lapideam stagnum ambientem, nomine scilicet a candore lapidis imposito; Graece enim *φαλῆρὸς* significat candidum; unde etiam Athenis portus Phaleraeus a candido lapide dictus. *F.*]

*FALERĬA, ae, f. portus Hetruriae, non procul a Populonia oppido et Ilva insula. *Rutil. itin.* 1, 371. ℙ *Falesia* audit *Anton. Itin. B. A.*

[FĂLĔRĬENSIS et Falerionensis, e, adj. ad Falerionem pertinens, Piceni urbem, nunc *Falerone*, in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 402. *n.* 298. memoratam. [*V. *Orell.* 85.] *Plin.* 3, 13, 18. Intus Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani, Falarienses. *Corrige* Falerienses. *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 2. Imp. Caesar Domitianus Aug. salutem dicit IIII. viris, et decurionibus Faleriensium ex Piceno. [*Ap. *Orell.* est 3118. ubi v.] *Balb. de limit.* p. 142. *Goes.* Ager Falerionensis. *F.*]

*FĂLĔRĬI, orum, m. plur. urbs Etruriae. V. FALISCUS. *B. A.*

FĂLĔRĪNĂ Tribus rustica, in Campania posita, dicta est ab agro Falerno, descripta et constituta anno U. C. CCCCXXXV. *Liv.* 9, 20. Adde multas *Inscr.* ap. *Grut.* in quibus *Fal.* legitur.

FĂLĔRNUS, a, um, adj. Falernus ager fuit in Campania, inter Calenum et Sinuessam, incipiens a ponte Campano (cui nunc vicinus pagus appellatur *S. Giovanni a ponte Campano*) Savoni fluvio imposito, laeva petentibus Urbanam coloniam Sullanam, Capuae contributam, uti docet *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 2. Finiebatur autem ad radices Massici montis. In hoc agro generosisimum et Latinis celebratissimum vinum fiebat, secundae nobilitatis a Caecubo, maxime quod in campis Faustianis (nunc *Falciano*, incolis *vino razzese*, inquit *Hard.*) colligebatur. Trium generum fuit, austerum, dulce, tenue. Sed austerum praecipue ac vetus laudant *Hor.* qui *ardens* appellat *Od.* 2, 11, 19. et *severum*, *Od.* 1, 27, 9. et *forte*, *Sat.* 2, 4, 24. et *Mart.* 9, 94, 1. qui *immortale*, maxime enim omnium ferebat aetatem, et *Tibull.* 2, 27. qui *fumosos Falernos*, h. e. Falerni cados, et *Pers.* 3, 3. ac *Lucan.* 10, 163. qui *indomitum* et *Juven.* 13, 216. qui *acre.* Ejus enim tanta vis fuisse dicitur, ut solum vinorum flammam accenderet, teste *Plin. l. c.*, ut hodieque facit quae dicitur *acquavite.* Ideo ditiores et delicatiores Chio, quod dulce erat, solebant miscere, ut est ap. *Hor. Sat.* 1, 10, 24. et *Tibull. l. c.* ℙ Hinc Falernae vites, *Hor. Od.* 1, 20, 10. uvae, *Id. ib.* 2, 6, 19. cellae, *Virg. G.* 2, 96. prela Falerna, *Prop.* 4, 6, 73. musta, *Mart.* 13, 120. etc. Ap. *Flor.* 2, 6. Falerni saltus. Et 1, 16. Falernus mons, *h. e.* Massicus, qui Falerno agro est junctus. *Cic. Ph.* 13, 5. memorat *Falernum*, h. e. praedium, quod Pompeji fuerat. ℙ De origine hujus vini fabellam texit *Sil.* 7, 162. *et seqq.*, forte in eam regionem venisse Bacchum in Hispaniam proficiscentem, hospitioque a Falerno sene exceptum, cum vina in coena nulla essent, fecisse, ut subito pocula vino plena apparerent, tum dedisse agro vicinoque monti Massico eam vim, ut sequenti luce vites racemis onustae exsisterent, quarum bonitas paulatim experta omnibus, in eam auctoritatem transiit, ut palmam facile inter vina consecuta sit. ℙ *Falerna pira* genus pirorum sunt, succi magna vi abundans, qui *lacte* vocatur. *Hard.* ad *Plin.* 15, 15, 16. dici ait Gallice *poire sucre:* lexicographi Etrusci vertunt *pere bergamotte. Plin. l. c.* Cunctis Crustumia gratissima: proxima iis Falerna, a potu, quoniam tanta vis succi adundat: lacte hoc vocatur etc.

FALERO. V. FALERIENSIS.

FALISCA, ae, f. V. v. seq.

FĂLĬSCUS, a, um, adj. *Falisci, orum*, populi Etruriae inter Ciminum montem et Tiberim: quorum urbs Falisca, (*Falerii* a *Liv.* 5, 27. appellata, quae nunc *Civita Castellana*) Romanorum colonia, ap. *Plin.* 3, 5, 8. ab Haleso Argivo condita, teste *Solin.* 2. et *Ov. Am.* 3, 13, 32., vel Halisco, ut ap. *Serv.* ad *A.* 7, 695. legitur. Aequos *Virg. ib.* appellat, quia populus R., missis decemviris, ab ipsis jura fecialia, et nonnulla supplementa XII. Tabularum accepit, ut *Serv. ib.* docet. ℙ Faliscus ager pascuis optimus: unde Faliscam herbam laudat *Ov. Am.* 3, 13, 14. et *Fast.* 1, 84. et *Pont.* 4, 4, 32. et *ib.* 8, 41., laudat, inquam, ob id maxime, quod candida armenta gignebat, et propterea apta victimis: quod *Plin. l. c.* virtuti aquarum ejus regionis adsignat. ℙ Quas *Cato R. R.* 4. memorat *bonas praesepes*, *faliscus clathratas*, et 14. *praesepes bubus hibernas*, *aestivas faliscas*, putat *Turneb. Advers.* 14, 2., intelligendas esse praesepes lignis in clathri modum intervallo distinctis confectas, in quibus pabulum gramineum et herbaceum bubus apponitur: ideoque easdem dici *aestivas*, quia aestate foenum herbaeque dantur: eum hibernas perpetuo ligno in modum canalis constare oporteat, quia hieme pabulum minutum iis datur, hordeum, lupinum, ervum, et hujusmodi, quae clathratis lignis contineri non possent. Porro *faliscas* vel dictas esse a *falis*, vel potius a Faliscis populis, qui hujusmodi praesepibus usi sint. Alii putant dici, quasi *paliscas*, a palis, seu lignis, quibus clathri constant. ℙ *Faliscus venter* et *faliscus* absolute est venter suillus aut alterius animalis, farcimine plenus, conditusque more a Faliscis usurpato. *Varr. L. L.* 4, 22., *Stat. Silv.* 4, 5, 35. et *Mart.* 4, 46. ℙ *Faliscum metrum* constat tribus dactylis, et pyrrhichio, ut est hoc, Docta Falisca Pheronyme paras. *Serv.* in *Centimetr.* p. 1824. ℙ Scribitur et *Phaliscus.*

FALLA. V. FALA.

FALLĂCĬA, ae, f. *ἀπάτη, δόλος*, quidquid ad fallendum fit, aut dicitur, praecipue vero cum aliud promittitur, aliud praestatur. *Varr. L. L.* 5, 7. A fando falli, falsum, fallacia, quae propterea quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione, ut a pede nostro pes lecti, ac pes betae. *Cic. N. D.* 3, 29. *extr.* Doli, machinae, fallaciae, praestigiae num sine ratione esse potuerunt? *Id. Rosc. Com.* 7. Ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur. *Id. Or.* 2, 46. Nihil est opus simulatione et fallaciis *Id. Att.* 1, 1. Prensare sine fuco et fallaciis. *Hirt. B. Alex.* 24. Fallaciis aliquem eludere. *Pl. Ps.* 2, 4, 15. Per malitiam, et per dolum et fallaciam. *Id. ib.* 4, 7, 97. Fallaciis ab aliquo mulierem abducere. *Id. Asin.* 2, 1, 2. et 4. Fingere fallaciam. *Id. Cas.* 5, 1, 6. et *Ter. Andr.* 1, 3, 7. Astutam fallaciam facere. *Pl. Poen.* 3, 5, 29. componere. *Ter. Heaut.* 3, 2, 2. intendere in aliquem. Et 3, 3, 36. invenire. *Pl. Poen.* 1, 1, 67. Et *Ps.* 2, 4, 75. Fallaciam ferre, *h. e.* inferre, adhibere. Sic *Ter. Andr.* 2, 6, 1. portare alicui. *Pl. Cist.* 2, 2, 5. Admoenire fabricas et fallacias. *Phaedr.* 3, 16. Fallacia aggredi aliquem. Et 1, 31. Consilium vertere ad fallaciam. *Petr. Sat.* 125. Fallaciam proditione detegere aut detexere. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Colum.* 11, 2. *med.* Nonnulli gustu explorare uvae maturitatem tentaverunt: sed haec ipsa res habet aliquam fallaciam. ℙ De fascinatione et praestigiis magicis. *Prop.* 1, 1, 19. At vos, deductae quibus est fallacia lunae, Et labor in magicis sacra piare focis.

FALLĂCĬES, ei, f. *Appul. Met.* 5. p. 171, 5. Fallacie germanitatis inducta.

FALLĂCĬLOQUENTĬĂ, ae, f. sermo fallax. *Accius* ap. *Cic. Fin.* 4, 25. *malitiae fallaciloquentiae*, ut quidem legit *Non.* 2, 345. vel *fallacis loquelae:* alii vero melius *fallaciloquae.* [*Sic *Orell.*]

FALLĂCĬOSUS, a, um, adj. *ἀπατηλὸς*, fallaciis plenus. *Gell.* 14, 1. *f.* Quibus hujusmodi ambages fallaciosae confutantur. *Id.* 7, 3. *med.* Argumenta vafra et fallaciosa. *Appul. Met.* 8. p. 205, 40. Fallaciosa promissio. Et *ib.* 9. Fallaciosa mulier.

FALLĂCĬTER, adv. *δολερῶς*, per fallaciam, dolose. *Cic. Dom.* 29. Qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt. *Id. Off.* 3, 17. Ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. *Id. Div.* 1, 18. Fallaciter portenta in-

terpretari (*lügnerisch*). *Id. Part.* 25. Voluptas boni naturam fallaciter imitando adulterat. *Id. Har. resp.* 23. Fallacissime se venditare alicui. *Plin.* 12, 16, 35. Myrrha fallacissime adulteratur.

FALLAX, acis, f. adj. omn. gen. ἀπατηλός, qui fallit, *h. e.* promittit, et non praestat vel aliud promittit, aliud praestat, dolosus, mendax. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Cic. Div.* 1, 19. Astrologi vani atque fallaces. *Id. Dom.* 9. Homo teterrimus, crudelissimus, fallacissimus. *Id. Phil.* 12, 2. *extr.* Spes falsa atque fallax. *Id. Acad.* 4, 15. Fallaces et captiosae interrogationes. *Id. N. D.* 3, 30. Malitia est versuta et fallax nocendi ratio. *Id. Acad.* 4, 46. Fallax imitatio simulatioque virtutis. *Id. Rabir. Post.* 14. Merces fallaces et fucosae. *Val. Fl.* 3, 186. tenebris fallacibus acti. *Ov. Rem. Am.* 687. At tu nec voces (quid enim fallacius illis?) Crede, nec aeternos pondus habere Deos. *Cic. Div.* 2, 43. Oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quae ratione atque animo videre debebant. *Id. Am.* 19. Ut tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat. *Ov. A. Am.* 1, 401. Non semper credenda Ceres fallacibus arvis. *Virg. G.* 1, 195. Siliquae fallaces. *Id. A.* 5, 850. Credere fallacibus Austris. *Plin.* 8, 8, 8. Convallis manu facta et longo tractu fallax, *h. e.* quae exitum habere videtur, sed re vera non habet. *Id.* 5, 31, 34. Fallacia vada. *Id.* 3, 6, 12. Planaria insula a specie dicta, aequalis freto, ideoque navigiis fallax. *Virg. Ecl.* 4, 24. fallax herba veneni, *h. e.* quae non videtur, et est venenata. ℙ Absolute *Plin.* 36, 25, 62. Subdialia pavimenta Graeci invenere, talibus domos contegentes tractu tepente: sed fallax, ubicumque imbres gelant. ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 16, 32. Homines specie bonarum artium falsi et amicitiae fallaces. ℙ *Fallacum* in genit. plur. pro *fallacium*, habet *Catull.* 30, 4. Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent.

*FALLENTER, adv. *Novatian. de Trin.* 26. *B. A.*

*FALLIBILIS, e, adj. qui fallit, non qui fallitur. Affert ex *Gloss. Vet. Salmas.* in *Solin.* p. 615. *B. A.*

*FALLIENĀTES, um, incolae oppidi cujusdam Umbriae, quae fortasse Falliena vel Fallienum audiebat. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

FALLO, is, fefelli, falsum, a. 3. ἐξαπατάω, ψείδω, decipio, induco. Proprie videtur esse ejus, qui verbis decipit: latius vero ejus, qui quacumque ratione. Nam *Varr. L. L.* 5, 7. ducit a *fando.* V. FALLACIA. Alii melius a σφάλλω, supplanto, everto. Refertur tum ad res, tum ad personas. *Cic. Rosc. Am.* 40. Induxit, decepit, destituit, omni fraude et perfidia fefellit. *Ter. Eun.* 2, 3, 93. Referam gratiam atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur. *Id. Andr.* 3, 2, 13. Fallere aliquem dolis. *Id. Heaut.* 3, 1, 61. Falli te sinas technis per servulum. *Virg. G.* 1, 139. et *Ov. Met.* 15, 474. volucrem viscata fallere virga. *Curt.* 4, 9. Cum lubrica saxa vestigium fallerent. *Hor. Ep.* 1, 5, 31. Atria servantem postico falle clientem. *Plin.* 10, 42, 59. Falli memoria. *Stat. Silv.* 4, 3, 117. visu. *Gell.* 20, 1. Nisi me fallit memoria. *Cic. Fam.* 1, 6. et *Caes. B. C.* 3, 86. Opinionem alicujus fallere. *Auct. decl. Sall.* 12, 1. Longe opinione falli. *Nep. Ages.* 3. In quo eum opinio fefellit. *Id. Alc.* 8. Neque ea res illum fefellit. *Cic. Sull.* 4. Nam id me multum fefellit. *Plin.* 33, 1, 6. Fallit plerosque, quod arbitrantur etc. *Ter. Hec.* 5, 1, 2. Nec pol me multum fallit, quin quod suspicor, sit quod velit. *Ov. A. Am.* 1, 450. dominum sterilis saepe fefellit ager. *Hor. Ep.* 16, 45. Germinat et nunquam fallentis termes olivae. *Phaedr.* 3, 5. spes fefellit impudentem audaciam. *Cic. Phil.* 12, 8. *extr.* Is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, periculis perfecerim, ut etc. *Id. Rosc. Am.* 17. Permultos et ego novi, et (nisi me fallit animus) unusquisque vestrum. *Id. Att.* 8, 7. Nisi me omnia fallunt, deseret. *Sen. ep.* 95. *med.* Omnia me fallunt, nisi etc. *Cic. Fam.* 5, 20. *med.* Nisi quid me fallit. Jocose *Ter. Ph.* 1, 4, 44. Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit. Absolute *Cic. Att.* 14, 12. Qui quidem semper erunt clari: sed nos, nisi me conscientia fallit, jacebimus. *Id.* ad *Brut.* 1, 18. *f.* Maximus autem (nisi me forte fallit) in republ. nodus est, inopia rei pecuniariae. ℙ Passive. *Virg. A.* 5, 49. Jamque dies, ni fallor, adest. *Val. Fl.* 4, 674. sequor o, quicumque Deorum, Aesonides vel fallor, ait. Et *ib.* 8, 351. Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos Ipsa movet? *Hor. A. P.* 42. Ordinis haec virtus erit, et venus, aut ego fallor. *Nep. Ep.* 5. Quod me Agamemnonem aemulari putas, falleris. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 7, 288. coelumque tremens cum lancea transit, Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto. ℙ Eleganter *fallere* dicuntur, quae latent et scientiam visumve nostrum effugiunt. (*Gr. λανθάνειν.] *Curt.* 4, 16. Nulla adeo avia lacuna erat, quae vestigantium sitim falleret. [**Suet. Caes.* 43. Si qua (obsonia) custodes fefellissent, *h. e.* celata, clam custodibus relata fuissent.] *Ov. Met.* 4, 85. Fallere custodes nocte silenti. Et *ib.* 13, 462. Mors tantum vellem matrem mea fallere posset. *Id. Trist.* 1, 2, 98. acta Deos nunquam mortalia fallunt. *Hor. Ep.* 1, 6, 45. Exilis domus est, ubi non et multa supersunt et dominum fallunt. *Quint.* 8, 2. Fallunt etiam verba vel quibusdam regionibus familiaria vel artium propria, *h. e.* ignorantur. *Hor. Od.* 3, 14, 19. Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa, *h. e.* latere. Sic *Liv.* 22, 33. Speculator Carthaginiensium, qui per biennium fefellerat, Romae deprehensus. [*Perquam familiaris haec dicendi ratio *Liv.*, cf. 25, 9. 8, 20. Fallit hostis ad urbem accedens. Gr. λανθάνει προσιών. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 41, 2. Plura dabit *Gloss. Liv.* p. 254.] *Ov. Trist.* 4, 2, 17. Nos procul expulsos communia gaudia fallunt. *Id. A. Am.* 3, 627. Littera fallit oculos. *Cic. Att.* 3, 23. In lege nulla esse ejusmodi capita, te non fallit. *Id. Or.* 1, 60. Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint genera dicendi. *Plin.* 2, 103, 106. *med.* Quem fallit? *Ter. Heaut.* 3, 2, 3. Num me fefellit, hosce id struere? *Pl. Bacch.* 2, 3, 64. Non me fefellit: sensi: eo examinatus fui. *Plin.* 9, 50, 74. Tanta celeritate, ut visum fallant. ℙ *Fallere pro aliquo* est, videri esse aliquem. *Gell.* 7, 14. Plerumque inflati atque tumidi (*in dicendo*) fallunt pro uberibus. ℙ Proverbium est *vivens falle*, λάθε βιώσας, quo monemur vitare turbam, abstinere a republ. et nobiscum habitare. *Hor. Ep.* 1, 17, 10. Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. ℙ Cum genitivo. *Pl. Ep.* 2, 2, 55. Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen. *Lucr.* 5, 98. Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti accidat. [*Adde 1, 137. 921.] ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 7, 114. Vino et somno fallere curam. *Ov. Met.* 14, 121. sermone laborem. Et *ib.* 8, 651. sermonibus horas. *Id. Her.* 1, 9. spatiosam fallere noctem. *Id. Trist.* 3, 2, 16. Fallebat curas aegraque corda labor. Et *ib.* 5, 7, 39. Detineo studiis animum falloque dolores. *Val. Fl.* 3, 319. tenui luctum solamine fallens. *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium pueris dedere in fico sicca, ut amaritudinem fallerent. ℙ Interdum ponitur pro violare, scil. non praestando, quod exspectabatur. *Cic. Off.* 1, 13. Fidem alicui datam fallere. *Curt.* 7, 10. promissum. *Tac. A.* 1, 73. Jovem perjurio. *Hor. Od.* 2, 8, 9. matris cineres opertos, et toto signa cum coelo. *Ov. Her.* 16, 284. legitimi fallere jura tori. *Plin.* 7, 37, 38. Fefellit imperium militaris imprudentia, *h. e.* non exsecuta est. *Ov. Met.* 9, 696. mandata alicujus. *Id. Fast.* 2, 837. Brutus adest, tandemque animo sua nomina fallit, *h. e.* contra agit, ac suum nomen Bruti significabat. ℙ *Si sciens fallo, tum me Juppiter* etc. formula est jurantis et sibi mala precantis, si fidem fefellerit. *Cic. Fam.* 7, 1., *Plin. Pan.* 64. et *Fest. in Lapidem.* Sic *Prop.* 2, 16, 15. Ossa tibi juro per matris et ossa parentis: Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis. Adde 4, 7, 53. et *Liv.* 21, 45. ℙ *Fallere* pro fraudare. *Ov. Met.* 5, 480. arvaque jussit Fallere depositum, vitiataque semina fecit. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Aut tu illum fructu fallas aut etc. ℙ Et pro evitare, effugere. *Ov. Her.* 20, 190. Fallere casses. Et 45. retia. ℙ Et pro fingere, simulare decipiendi causa. *Virg. A.* 1, 687. Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo et notos pueri puer indue vultus. ℙ Et pro abscondere, tegere. *Ov. Fast.* 3, 22. Et sua divina furta fefellit ope. *Prop.* 4, 5, 14. Et sua nocturno fallere terga lupo, *h. e.* formam suam sub forma lupi tegere. ℙ *Fallier* pro *falli*, est ap. *Pers.* 3, 50. ℙ Praeteritum passivum *falsus sum* V. FALSUS pro quo *fefellitus sum* habetur ap *Petr. fr. Trag. Burm.* 61.

FALSĀRIUS, ii, m. μεταγράφων, qui decipiendi gratia scripta publica corrumpit, ut testamenta etc. *Suet. Ner.* 17. Adversus falsarios tum primum repertum, ne tabulae, nisi pertusae, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur. *Id. Tit.* 3. Imitari chirographa, quaecumque vidisset, ac profiteri, se maximum falsarium esse potuisse.

FALSĀTIO, onis, f. *Hieron. in Rufin.* 2, 5. Falsatio Apostolorum ab haereticis.

FALSĀTUS, a, um, part. *a falso*, corruptus, adulteratus. *Hieron. in Rufin.* 2, 5. *med.* Liber Hilarii falsatus ab haereticis.

FALSĒ, adv. ψευδῶς, fallaciter, inaniter. *Cic. Acad.* 4, 46. Assentiri false alicui rei. [*Legendum *falso.* Sic recentiores edd.] *August. Confess.* 10, 13. Quae adversus haec falsissime disputantur. *Sisenn.* ap. *Charis.* 2, 179. Judicium false factum.

*FALSĪDĪCENTĬA, ae, f. falsiloquium. *Jul. Val. rest. gest. Alex. M.* 2, 2. Increpare vatem falsidicentiae coeperat. *B. A.*

FALSĪDĪCUS, a, um, adj. ψευδολόγος, qui falsa consuevit dicere. *Pl. Capt.* 3, 5, 13. Me meamque rem tuis scelestis falsidicis fallaciis dilaceravisti. Adde *Trin.* 3, 3, 40. et *Acc.* ap. *Prisc.* 6, 709. *Auson. epigr.* 118, 17. Falsidici vates, temerant qui carmine verum.

FALSĪFĪCĀTUS, a, um, part. *a falsifico*, falsus, falsificus. *Prud. Hamart.* 551. Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis Terrarum spoliis stulto oblectamine libans.

FALSĪFĪCUS, a, um, adj. ψευδοποιός, qui facit fallacias. *Pl. Mil.* 2, 2, 36. Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium.

FALSĪJŪRĬUS, a, um, adj. qui falsa jurat, ψευδομύων. V. v. praec.

FALSĪLŌQUĬUM, ii, n. mendacium. *August. prooem. Retract. f.* Ex multiloquio incidunt in falsiloquium.

FALSĪLŌQUUS, a, um, adj. ψευδολόγος, qui falsa loqui consuevit. V. FALSIFICUS. Adde *Prud. Apoth.* 107.

FALSĪMONĬA, ae, f. vel Falsimonium, ii, n. ἐξαπάτη, fraus, fallacia. *Pl. Bacch.* 3, 6, 12. Quos cum censeas tibi amicos, reperiuntur falsi falsimoniis.

FALSĪPĂRENS, tis, adj. qui falsum habet parentem, id est cujus pater is esse creditur, qui minime est. *Catull.* 68, 111. Quod quondam caesis montis fodisse medullis Audit falsiparens Amphitryoniades.

FALSĪTAS, atis, f. ψεῦδος, vitium, quo id asserimus esse, quod non est: item ipsa res falsa. *Cic. Cluent.* 2. Etenim sicut aliis in locis parum firmamenti, et parum virium falsitas habet etc. Alii leg. *veritas habet. Arnob.* 1, 33. Inditae scriptis falsitates.

*FALSĪTESTIS, is, m. falsus testis *Gloss. Philox.* Falsitestis, ψευδομάρτυς. *B. A.*

FALSO, adv. ψευδῶς, non vere. *Cic. Manil.* 14. Hoc incredibile omnibus, et falso memoriae proditum videbatur. [**Id. Verr.* 2, 5, 41. Non enim possum quemquam insimulare falso. *Ov. Fast.* 5, 683. Sive ego te feci testem, falsove citavi Non audituri numina magna Jovis. His locis i. q. fallaciter, cum studio fallendi.] *Nep. Alc.* 9. Alcibiades in Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime fortunam suam occuli posse. Falso: nam Thraces insidias ei fecerunt etc. *Cic. Off.* 3, 18. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso, nam etc. [*Insolentius jungitur ap. *Tac. Germ.* 36. Inter inpotentes et validos falso quiescas, i. e. falluntur qui putant — quiesci posse. *Boettich. Lex. Tac.* p. 193.] *Id. Fam.* 5, 5. Ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te ajunt falso in me solere conferri. *Pl. Amph.* 2, 2, 181. Vir ego tuus sim? ne me appella falsò falso nomine. *Caes. B. C.* 1, 14. Falso nunciare. *Curt.* 8, 8. Quod falso creditum est. *Pl. Amph.* 3, 2, 7. Falso insimulatus probri. Et 21. Falso aliquid dicere. *Id. Bacch.* 3, 6, 43. Habere aliquem falso suspectum. *Id. Most.* 1, 3, 21. Et 22. Falso laudari, aut vituperari. *Tibull.* 3, 3, 20. falso plurima vulgus amat, i. e. immerito. Sic *Sall. Jug.* 1. Falso queritur de natura sua genus humanum. Et *Curt.* 5, 2. Verone an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat. [*De discrimine inter *falso*, *fallaciter*, *perperam* disputat *Döderl.* 1, 66.]

FALSO, as, a. 1. falsum facio. *Modest. Dig.* 48, 10, 32. Qui pondera, aut mensuras falsassent.

FALSUS, a, um, part. a *fallo. Ter. Andr.* 4, 1, 23. Me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo! *Pam.* falsus es. *Pl. Men.* 5, 2, 3. Id quam facile sit mihi, haud sum falsus. *Id. Aul.* 2, 1, 4. Haud falsa sum, nos odiosas haberi. *Ter. Eun.* 2, 2, 43. Ut falsus animi est! [*Ita maxime comici; alia exempla haec sunto: *Sall. Jug.* 85. Nae illi falsi sunt, qui — exspectant. *Liv.* 4, 46. Nec falsus fates fuit, i. e. verum viderat. *Tac. H.* 2, 17. Ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent. *Ov. Met.* 3, 250.] *Sil.* 13, 886. de Annibale: Assyrio famulus regi, falsusque cupiti Ausoniae motus, *h. e.* frustratus spe excitandi in Romanos belli. [*Gr. ἐσφαλμένος.] ℙ Saepe transit in nomen, et de eo dicitur, qui fallit, decipit, ψευδής. *Cic. Div.* 2, 11. Testes aut casu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt. *Catull.* 30, 1. Alfene immemor, atque unanimis false sodalibus. [**Virg. G.* 1, 463. Solem quis dicere falsum Audeat?] *Sall. Cat.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. [**Tac. A.* 1, 7. Quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes vultuque composito. *Id. ib.* 3, 2. Ne falsi intelligerentur. *Id. ib.* 6, 44. Falsus in amore. Plura dabit *Boettich.* l. l. p. 193. Adde *Suet. Caes.* 81. *Tib.* 14.] *Ov. Her.* 7, 67. falsae perjuria linguae. ℙ Saepissime est fictus, simulatus, vanus, inanis, mendax. [*Hujus § exempla secundo loco poni debebant.] *Sall. Cat.* 51. *extr.* Falsum aliquid pro vero credere. *Pl. Rud. prol.* 13. Qui falsas lites falsis testimoniis petunt. *Hor. Ep.* 1, 16, 39. Falsus honor juvat, [*i. e. immeritus. *ib.* 38. eod. signif. opprobria falsa.] *Cic. Rosc. Am.* 38. Pro re certa spem falsam domum retulerunt. *Id. Div.* 2, 62. Falsa et mendacia visa. Et *ib.* Visa falsa et inania. *Id. N. D.* 2, 21. Omnis ordo, veritas, ratio, constantia: quaeque his vacant, mentita et falsa, plenaque erroris eunt etc. *Id. Or.* 2, 45. Nihil nisi falsum, et imitatione simulatum. *Id. Fl.* 17. Falsae et corruptae litterae. [**Liv.* 40, 55. Falsas esse litteras et a scriba vitiatas. *Suet. Aug.* 19. Falsarum tabularum rei, i. e. ad-

ulteratarum, *verfälscht, untergeschoben.*] *Id. Phil.* 12, 2. *extr.* Spe falsa atque fallaci errare. Et *ib.* 11, 2. Summae benevolentiae falsi indices. *Plin.* 16, 22, 34. Falsa definitio. *Quint.* 12, 10. *med.* ratio. *Id.* 9, 29, 46. Falsa opinio. *Hor. Od.* 3, 7, 14. Falsa crimina. [**Id. Ep.* 2, 1, 212. falsi terrores.] *Ter. Hec.* 5, 4, 2. Falsum gaudium. *Id. Eun.* 1, 1, 22. Falsa lacrimula. *Col.* 1, 6. *med.* Id autem falsissimum est. *Plin.* 33, 9, 46. Falsa moneta, falsus denarius. *Cic. Or.* 3, 25. Molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae. [**Falsetten.*] ℙ Cum genitivo. *Plin.* 12, 18, 41. Felix appellatur Arabia, falsa et ingrata cognominis. ℙ De eo, qui videri vult, aut qui putatur is esse, qui re vera non est. *Virg. A.* 3, 302. in luco, falsi Simoentis ad undam, Libabat cineri Andromache. *Val. Fl.* 8, 265. neque enim fugit aequore raptor Juppiter, aut falsi sequimur vestigia tauri. *Stat. Th.* 7, 739. Lernaeum falso simulans Aliagmona vultu. ℙ *Falsum habere* est fallere, decipere. *Sall. Jug.* 10. Neque ea res falsum me habuit. ℙ *Falsum, i,* res falsa, falsitas. *Cic. Att.* 7, 14. De quibus ante ad te falsum scripseram. [**Tac. A.* 6, 58. Mox patuit breve confinium artis et falsi. *Id.* 3, 56. Modica de moribus adolescentis neque in falsum aucta retulit. *Lucr.* 4, 477. Notitiam veri quae res falsique crearit; et saepius *al.* In sequentibus hujus §. locis neutrum adj. adverbii loco, ex Graecorum more, positum est.] *Ov. Am.* 3, 3, 11. Jurare falsum. [**Id. Met.* 10, 427. 13, 559. *Tac. A.* 6, 60. Tiberius torvus aut falsum renitens vultu. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 37.] ℙ *Falsa, orum,* sunt res falsae. *Ov. Met.* 9, 138. falsa addere veris. *Hor. Sat.* 2, 2, 6. Acclinis falsis animus. [*Frequens est hoc loquendi genus ap. *Tac. A.* 2, 82. Nec obstitit falsis Tiberius. *Id. ib.* 6, 45. Simulationum falsa in sinu avi perdidicerat. *H.* 2, 70. Falsa, vera aut majora vero miscebant.] ℙ *Crimen falsi* est, si quis chirographum alienum imitetur, aut libellum, aut rationes intercidat, vel describat, si falsam monetam cudat, testamentum supponat, pro advocatione, testibusve pecuniam accipiat etc., de quibus JCti *Dig.* 48, 10. qui *Ad leg. Cornel. de falsis* inscribitur. Hinc falsum facere, et committere *Mart. ib. leg.* 1. accusare aliquem falsi, *ib.* subjici poenae falsi, *ib.* falsi reus, *Papin. ib. leg.* 12. et sexcenta hujusmodi. Absolute. *Quint.* 7, 2. *f.* In falso quoque ratio similis: aut enim plures in culpam vocantur, aut unus. ℙ Tela in falsum jacere, *Tac. A.* 4, 50. *extr.* est in vanum, et sine ictu. [*Nullum hujus locutionis simile exemplum inveneris.] ℙ Comp. *Falsior:* de quo *Festus:* Falsius et falsior cum rationabiliter dici possint, non tamen sunt in consuetudine. *Petr.* tamen *Sat.* 132. *extr.* Nihil est hominum inepta persuasione falsius, nec ficta severitate ineptius.

[FALTO, onis, m. cogn. R. originis, et significationis incertae. *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. P. Valerius Falto. *F.*]

FALX, falcis, f. *δρέπανον,* ferramentum incurvum seu aduncum, ad varios usus in re rustica: aliud est, quo segetes metuntur, aliud quo foenum secatur, aliud quo putantur arbores, aliud quo vepres, rubi abscinduntur, etc. [Videtur *falx* esse pro *falex* ex *πέλεκυς,* securis, quod ab Hebr. פָּלַח, *palach,* secuit. At minus recte *F.*] *Varr. L. L.* 4, 31. Falces a farre, littera commutata: hae in Campania seculae, a secando: a quadam similitudine harum aliae, et quod apertum, unde falces foenariae et arboreae; et quod non apertum, unde lumariae falces et sirpiculae. *Cic. Tusc.* 5, 23. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. *Varr. R. R.* 1, 22. *f.* Falces silvaticae, arborariae, rustariae. *Cato R. R.* 10. foenariae, stramentariae. Et 11. vineaticae. *Pall.* 1, 43. putatoriae, messoriae. ℙ Vinitoriae seu putatoriae falcis figuram, partes, usum accurate describit *Col.* 4, 25. Ad hanc pertinent illa *Plin.* 17, 14, 24. Falce levigare truncum. Et *ib.* 22, 35. *n.* 10. Supina falce oculos vitis auferre. Et *ib.* Vitem falce curare. *Hor. Od.* 1, 31, 9. Falce vitem premere. *Col. l. c.* Ductu falcis putationem conficere. *Quint.* 2, 4. Frondibus adhibere falcem. *Virg. Ecl.* 3, 11. Vites falce incidere. [**Prop.* 2, 19, 12. Illic assidue tauros spectabis arantes, et vitem docta ponere falce comas.] ℙ Ad messoriam pertinent illa *Virg. G.* 1, 348. maturis falcem supponere aristis. *Ov. Am.* 3, 10, 12. Falce subsecare. *Id. Fast.* 4, 912. Sata falcibus apta, *h. e.* matura. *Id. A. A.* 2, 322. plena falce metere. ℙ [*Signif. etiam securim, vel aliud fabrorum lignariorum instrumentum. V. *Prop.* 4, 3, 59. Stipes acervus eram, properante falce dolatus (de Priapi statua loquitur).] ℙ Est etiam bellica falx, similis, opinor, iis quas hastili oblongo, ferroque partim curvo et falcato, partim acuto rectoque *Hellebarden* vocamus. *Cic. Mil.* 33. *f.* Cum facibus ad Curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. *Id. Sull.* 5. *f.* Ille arma misit, cornua, tubas, falces, signa, legiones. *Curt.* 9, 2. Elephantos securibus falcibusque mutilare. *Caes. B. G.* 3, 14. Falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis: non absimili forma muralium falcium. Et *ib.* 7, 86. Falcibus vallum et loricam rescindunt. *Stat. Ach.* 2, 416. didici, quo Paeones arma rotatu, Quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine caestum Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus etc. Adde *Tac. H.* 3, 27. et *Sisen.* ap. *Non.* 18, 29. ℙ Falces murales, quas *Caes.* memorat, erant majora ferramenta adunca, cuspide curvata et solida, ad perfodiendum aggerem, evellendos lapides, murumque subruendum. Graeci *δορυδρέπανα* appellant. *Id. B. G.* 7, 22. Laqueis falces avertebant; quas cum destinaverant, tormentis introrsus reducebant. ℙ In genitivo multitudinis *falcium* habet, non *falcum. Charis.* 1, 114.

FĀMA, ae, f. *φήμη,* idem ac rumor, idest quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonum, sive in malum: a Dorico *φάμα* pro *φήμη,* quod a *φημὶ,* dico. *Cic. Att.* 7, 26. Bona de Domitio, praeclara de Afranio fama est. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. Constante fama, atque omnium sermone celebratum est. *Id. Phil.* 14, 6. Cum tristis a Mutina fama manavit. *Id. Fl.* 6. Si quid audistis communi fama atque sermone. *Id. Att.* 9, 3. A Brundisio nulla adhuc fama venerat. *Id. Verr.* 2, 4, 36. Fama percrebuit. *Id. Mil.* 35. fines imperii peragravit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. magna illico surrexit. *Caes. B. G.* 5, 51. Ad Labienum de victoria Caesaris fama perfertur. Et *ib.* 6, 19. Si quis quid de republ. a finitimis rumore aut fama acceperit. (*Rumor* est res sine teste, sine indice, ut ait *Quint. Decl.* 18, 6., vel sine capite, sine auctore, ut *Cic. Fam.* 12, 10.: at *fama* est communis et consentiens opinio: tametsi hoc discrimen non est perpetuum.) *Id. ib.* 20. Reliquos ne fama quidem acceperunt. *Cic. N. D.* 2, 37. Cum accepissent fama et auditione, esse etc. [**von Hören sagen.*] *Nep. Ages.* 2. Fama exierat, Artaxerxem comparare classem. *Vell.* 2, 93. Ut fama loquitur. *Just.* 18, 4. Fama hanc rem loquebatur. *Id.* 2, 13. Fama in majus omnia extollens. [**Suet. Caes.* 33. Promissumque jus annulorum cum millibus quadringenis fama distulit: ubi v. *B. Crus.* Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut. prol.* 16.] *Plin.* 35, 10, 36. n. 13. Famam dispersit, se emere. *Cic. Fam.* 12, 4. Fama nunciabat, te isse in Syriam. *Id. Sull.* 4. Vix ad aures meas istius suspicionis fama pervenit. *Nep. Them.* 10. Fama fuit venenum sua sponte sumpsisse. *Caes. B. C.* 1, 82. Contra opinionem famamque omnium. *Tac. H.* 2, 73. Esse in ore et fama. ℙ In fabulis Fama est Terrae filia, Coei et Enceladi soror, in Gigantum ultionem a matre edita: nam per ipsam Deorum crimina vulgata sunt, ut ait *Serv.* ad *A.* 4, 179. ubi *Virg.* eam describit pedibus celerem, et pernicibus alis, Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumae, Tot vigiles oculi subter, tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures etc. Ejus domum describit *Ov. Met.* 12, 39. V. etiam *Val. Fl.* 1, 116. ℙ Saepe dicitur de nominis celebritate et existimatione, tum bona, tum mala. *Liv.* 10, 24. Ad famam P. R. pertinere, *h. e.* ad gloriam. *Cic. Quint.* 15. Cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur. *Id. Sext.* 66. Bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominatur, expetere, [*i. e. laudem, honorem quem boni tribuunt. Adde *Fam.* 6, 6, 10. Intelligit te hominem — vel ingenio vel gratia vel fama populi Romani parem, non posse prohiberi re publica diutius.] *Id. Off.* 2, 20. *extr.* Perpetua commendatio et fama. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Famam inconstantiae pertimescere. *Id. ib.* 9, 16. *med.* Abjicere famam ingenii. *Id. ad Brut.* 1, 18. Subire famam temeritatis. *Id. Att.* 5, 10. et *Nep. Them.* 1. Servire famae. *Vell.* 2, 115. et *Sall. Cat.* 50. consulere. *Quint.* 3, 6. *med.* studere. *Sall. Cat.* 26. et 56. parcere. *Nep. Lysand.* 1. Magnam sui famam relinquere, magis felicitate, quam virtute partam. *Cic. Div. Verr.* 22. Ante collectam famam conservare. *Quint.* 7, 1. *med.* Affectare famam eloquentiae. Et 2, 12. quaerere. *Plin. praef. H. N. f.* aucupare. *Hor. Sat.* 1, 4, 83. captare. *Plin.* 36, 5, 5. *n.* 15. *extr.* consequi. *Cic. Brut.* 74. conficere alicui. *Id. Fam.* 3, 8. Detrahere de fama alicujus. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. et *Quint.* 12, 5. Alicui famam facere. *Tac. A.* 16, 18. Proferre quempiam ad famam. *Sall. Jug.* 101. et *Plin. ep.* 3, 7. Famam laedere. *Id. ep.* 4, 9. *f.* ferre justitiae et constantiae. *Plin. alter* 36, 21, 39. magnam habere. [*Hic non omittendi videntur loci *Cic. Tusc.* 3, 4. (Vera) gloria non est bonis viris repudianda. Illa autem quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque in considerata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit. *Ib.* 5, 16. Omitto nobilitatem famamque popularem stultorum improborumque consensu excitatam: ubi *fama popularis* est gloria, existimatio, quam quis malis artibus, laudando populi vitia, sibi comparavit. — *Forensis fama* ap. *Eund. Pet. Cons.* 5. Fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus: est gloria e rebus forensibus fortiter feliciterque gestis reportata.] ℙ Pro infamia. *Virg. A.* 4, 170. neque enim specie, famave movetur, Nec jam furtivum Dido meditatur amorem. *Ter. Ad.* 2, 3, 10. Maledicta, famam, meum, amorem, et peccatum in se transtulit. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 193. Opplere aliquem fama et flagitiis. ℙ In plurali num. *Sall. fragm.* ap. *Sen. ep.* 114. *med.* Inter arma civilia aequi boni famas petit. *Arruntius ib.* Ingentes esse famas de Regulo. *Senec.* hoc in Arruntio reprehendit, ut nimis affectatum. *Pl. Trin.* 1, 2, 149. Maledictas famas ferunt. Al. aliter leg. *Arnob.* 7, 219. Inhonestas famas adjungere Diis. ℙ Est etiam *fama* inveterata res et firmata in opinione hominum. *Virg. A.* 6, 4. Daedalus (ut fama est) fugiens Minoia regna etc. *Cic. Har. resp.* 10. Mitto illam veterem ab ipsis Diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriae datam disciplinam. *Virg. A.* 4, 218. nos munera templis Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem. *Non.* 4, 193. interpretatur spem profuturi numinis.

[FĀMĀTUS, a, um, part. ab inus. *famo,* idem ac pervulgatus vel diffamatus. *Cic. fragm.* pro *Scaur.* p. 22. Quibus criminibus haec tota apud ignaros aut invidos famata causa est. *Cramerus* barbaricum et insiticium, *Heinrichius* vero et *Peyronius* antiquum et genuinum verbum putant, atque ita interpretantur: Quorum criminum gratia, haec causa famam obtinuit apud ignaros facti vel Scauro invidos. *F.* *Retinuit etiam *Beier.*]

*FĀMEL, servus apud Oscos. *Festus.* V. FAMILIA. *B. A.*

[FĀMĔLĬCĔ, adv. esurienter. *Gloss. Phil.* Famelice, *λιμοξηρός. F.*]

FĀMĔLĬCOSUS, a, um, adj. *Gloss. Phil.* Famelicosus, *βουλιμιώδης. Festus.* Famelicosam terram, terram palustrem vocabant, *h. e.* plenam famelicorum. [Alii tamen rectius leg. *famicosam,* quae nempe alibi scaturiginosa dicitur. V. FAMIX. *F.*]

FĀMĔLĬCUS, a, um, adj. *βουλιμῶν,* fame laborans, esuriens. *Ter. Eun.* 2, 2, 29. Ad coenam vocant, adventum gratulantur. Ubi ille miser famelicus videt etc. *Pl. Rud.* 2, 2, 6. Salvete fures maritimi, famelica hominum natio. *Plin.* 10, 10, 12. Milvus rapacissima et famelica semper ales. *Phaedr.* 1, 20. canes famelici. *Juven.* 14, 146. Nocte boves macri lassoque famelica collo Armenta ad virides hujus mittuntur aristas. *Appul. Met.* 1. *f.* Famelicum convivium, *h. e.* nimis parcum et famelicos dimittens convivas.

FĀMĔLLĀ, ae, f. diminutivum famae. *Fest.*

FĀMES, is, f. *λιμὸς,* edendi cupiditas. *Cic. Cluent.* 25. Bestiae fame dominante, plerumque ad eum locum, ubi pastae aliquando sunt, revertuntur. *Id. Div.* 2, 35. Fame enectus. *Id. Verr.* 2, 5, 51. confectus. *Plin.* 37, 8, 32. pressus. *Id.* 9, 8, 7. concitus. *Caes. B. G.* 7, 20. *extr.* consumptus. *Cic. Fin.* 1, 11. Cibo et potione famem sitimque depellere. *Id. Dom.* 23. Famem explere. *Ov. Fast.* 6, 530. et *Met.* 4, 98. deponere. *Id. Her.* 14, 96. levare. *Val. Fl.* 2, 347. vincere sacris extis. *Tibull.* 2, 1, 38. querna pellere glande. *Tac. A.* 14, 24. et *Colum.* 2, 10. propulsare. *Prop.* 4, 3, 22. pascere. *Caes. B. G.* 7, 17. extremam sustentare. *Sen. Thyest.* 64. solvere ad mensam. Et 165. accendere. *Ov. Pont.* 1, 2, 87. tolerare. *Tibull.* 1, 6, 17. Fames stimulat. *Val. Fl.* 4, 499. saevit. *Quint. decl.* 12, 9. urit. *Curt.* 9, 10. urget. *Hor. Sat.* 1, 2, 6. dura. *Sil.* 7, 280. arcta. *Ov. Met.* 8, 791. jejuna. Et 845. dira. *Quint. decl.* 12, 8. ignea, *h. e.* vehementissima. *Hor. Od.* 1, 21, 13. misera. *Virg. A.* 6, 421. rabida. Et *ib.* 9, 340. vesana. *Lucan.* 7, 413. insana. *Plin.* 30, 10, 24. In fame diutius vivere. Et 11, 18, 20. mori. Et 17, 24, 37. *n.* 2. laborare. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Plebem fame necare. *Caes. B. G.* 7, 20. excruciare. ℙ Famis poeticam descriptionem habes ap. *Ov. Met.* 8, 788. et sqq., et famelici hominis *ib.* 823. et sqq. ℙ Metonymice ponitur pro annonae caritate. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Fames, quae tum erat in hac mea Asia: messis enim nulla fuerat. *Curt.* 10, 8. Fames esse coepit. ℙ Et pro inopia et paupertate. *Ter. Ph. prol.* 18. Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere. ℙ Et pro abstinentia victus, quae imperari a medicis solet. *Cels.* 8, 10. *n.* 7. Primis diebus fames: deinde liberalius alimentum. Et *ib.* In principio fame utendum. ℙ Metaphorice dicitur de quacumque vehementiori cupiditate. *Virg. A.* 3, 57. Auri sacra fames. *Hor. Od.* 3, 16, 17. Crescentem sequitur cura pecuniam Majorumque fames. *Id. Ep.* 1, 18, 23. Quem tenet argenti sitis importuna famesque. *Plin.* 33, 4, 2. Inter omnia auri fames durissima est. *Flor.* 3, 21. Inexplebilis honorum Marii fames. ℙ Olim habuit in genitivo *famii* et *fami.* Unde *Cato* ap. *Gell.* 9, 14. Pueri atque mulieres extrudebantur fami causa. *Lucil. ib.* Rugosum atque fami plenum. ℙ In sexto casu singulari *e* productum habet more quintae declinationis: nisi velis ad caesurae jura recurrere. *Virg.*

A. 6, 421. Objicit: ille fame rabida tria guttura pandens. Adde *Lucan.* 10, 158., *Juven.* 15, 102., *Mart.* 1, 100., *Ov., Tibull.* etc. ℙ In recto reperitur etiam *famis. Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Algor eas et famis macrescere cogit. *Prud. Psych.* 479. spoliatque suos famis impia natos.

FĀMĬCOSUS, a, um. V. FAMELICOSUS.

FĀMĬGER, ĕri, m. qui fert famam, nuncius. *Gloss. Phil.* Famiger, *ἀγγελιαφόρος, Varr. L. L.* 5, 7. Hinc etiam famiger, affabile, et sic composita alia item, ut declinata multa. [Alii rectius leg. *famigerabile* pro *famiger*, illic enim de fama sermo est, ejusque derivatis tantum. *F.*]

FĀMĬGĔRĀBĬLIS, e, adj. celebris, clarus, fama notus. *Appul. Met.* 1. p. 105, 16. Satis famigerabile spectaculum. Et 2. p. 124, 5. Provincia famigerabilis. V. v. praec.

FĀMĬGĔRĀTĬO, onis, f. *διαβόησις*, famae disseminatio. *Pl. Trin.* 3, 2, 66. Haec famigeratio te honestet, me conlutulet.

FĀMĬGĔRĀTOR, oris, m. qui fert famam, qui rei alicujus famam spargit. *Pl. Trin.* 1, 2, 178. Ego de verbis eorum famigeratorum inscius prosilui.

FĀMĬGĔRĀTUS, a, um, part. a *famigero*, divulgatus, celebris. *Appul. Flor. n.* 15. p. 350, 32. Famigeratum antiquitus fanum. *Mela* 2, 7. *med.* Creta multis famigerata fabulis, adventu Europae, Pasiphaes et Ariadnae amoribus.

*FĀMĬGĔRO, as, a. 1. evulgo. *Gloss. Phil.* Famigero, *διαφημίζω. B. A.*

FĀMĬLĬA, ae, f. *δουλεία, οἰκία,* si originem spectas, primo et proprie significat servorum coetum in aliqua domo. Est enim ab Osco *famel* servus (uti docet *Fest.* in *Famuli*), pro quo *famul* dixit *Enn.* ap. *Non.* 2, 322. Hinc *Appul. Apol.* Quindecim liberi homines, populus est: totidem servi, familia: totidem vincti, ergastulum. [*Nonnisi certo igitur servorum numero, ad hominem privatum aliquem pertinente, hoc cognomentum proprie additum. Facit huc locus *Cic. Caec.* 19. Neque dubium est, quin si ad rem judicandam, verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quae constet ex servis pluribus; quia unus homo familia non sit. Adde *Dig.* 50, 16, 40, 3. Unicus servus familiae appellatione non continetur. Ne duo quidem familiam faciunt. — Tum vero v. *familia*, numeri servorum ratione nulla habita, in universum de famulitio, quo quis uteretur, etiamsi unico servo constaret, usurpatum. Quod praeter locum, quem Noster mox laudat, *Phaedr.* 3, 19., haec exempla docent. *Paul. rec. sent.* 5, 6, 3. Familiae autem nomine etiam duo servi continentur. (*Schulting. Jurispr. Ante-Just.* p. 456.) *Dig.* 42, 16, 1, 17. Verius est, in hoc interdicto, etiam si unus servus vi dejecerit, familiam videri dejecisse.] *Varr. R. R.* 1, 18. Familiam Cato dirigit ad duas metas: ad certum modum agri et genus sationis. *Cato R. R.* 5. Villicus familiam exerceat: consideret, quae dominus imperaverit, fiant. *Col.* 11, 1. *med.* Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate. *Phaedr.* 3, 19. Aesopus domino solus cum esset familia. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. *Id. Brut.* 22. Cum insimularetur familia, partim etiam liberi, societatis ejus. *Liv.* 8, 15. Minucia Vestalis jussa sacris abstinere familiamque in potestate habere. V. POTESTAS. *Nep. Att.* 13. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. [*Conjuncti leguntur in sepulcralibus titulis *familia* et *liberti. Inscr.* ap. *Orell.* 2981. Familiae et Liberto*rum* T. Septumi Sabini Januarius Aug. et Atilia Eustasia maceriam tempestate lapsam restituerunt sine injuria priorum etc. ℙ Dicitur *familia* etiam de corpore servorum ad rem publicam pertinentium. Hinc ap. *Cic. Cluent.* 15. Martis familia, i. e. servi Martis, publice constituti, qui Martiales alias dicuntur. Alia exempla praebent inscriptiones, v. c. *Familia publica*, i. e. servorum certus quidam numerus publicae utilitati inservientium, ap. *Orell.* 2851. Banaeus de familia publica regionis VIII.: ubi haec notata leguntur: De familiis, una publica, altera a Tiberio instituta non tam arcendis incendiis, ut dicit *Gud.*, sed tutelae ductuum causa paratis, v. *Front. Aquaeduct.* 2. p. 256. *Keuch.* Adde 2850. Corpori familiae publice libertorum et servorum, i. e. Corpori libertorum (publicorum) et familiae publicae servorum. Consule *Cannegiet. Nom. Rat.* p. 42. *Orell.*] ℙ Secundo extenditur ad liberos homines unius domus, partemque gentis significat: et ab aliis ejusdem gentis familiis cognomine distinguitur: v. gr. in Aemilia gente familiae fuere Mamercorum, Barbularum, Scaurorum, Lepidorum etc. Sunt, qui hanc esse primam hujus vocis notionem putent: confugiuntque ad Graecam originem *ὁμιλία*, et Aeolice *ϝομιλία*, conversatio, consuetudo. *Festus* quoque, licet primum etymon probet, docet tamen, primo in liberis hominibus dici, postea in servis. Ut ut sit, complectitur hac ratione parentes, filios, nepotes, affines etc. una in domo simul viventes, quorum princeps et caput *paterfamilias, materfamilias* appellatur. *Nep. Att.* 18. Sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. *Cic. Phil.* 9, 2. Qui primus in eam familiam, quae postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum. *Id. Mur.* 8. Ex familia vetere et illustri. Et 7. Amplae et honestae familiae plebejae. *Caes. B. G.* 7, 32. Antiquissima familia natus. Et 37. amplissima. *Hirt. B. Afr.* 57. Homo familia, dignitate honoribusque praestans. ℙ Aliquando ita accipitur, ut omnes tum liberos, tum servos, qui unam aliquam domum constituunt et sub uno patrefamilias sunt, complectatur. *Caes. B. G.* 1, 4. Orgetorix ad judicium omnem suam familiam, ad hominum millia decem, undique coegit. [*Hotomannus sic describit: qui vel in possessionibus ejus ac rusticis rebus vel in vectigalibus exercendis operam dabant.] ℙ Aliquando dicitur de ipsa gente. Nam *Liv.* 2, 48. et 49. narrans de Fabiis Vejens bellum suscipientibus, quam primo *gentem Fabiam* appellaverat, postmodum *familiam* dicit. [*Ita etiam *Eutrop.* 1, 16. ubi eandem rem narrat.] *Tac. A.* 3. *f.* Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae *(in funere). Gell.* 13, 19. *extr.* Cum librum commentariorum de familia Porcia legeremus. *Nep. Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit. ℙ Aliquando de tota re et possessione familiae. *Cic. Or.* 1, 56. et *Caecin.* 7. Familiae erciscundae causam agere. *Ulp. Dig.* 50, 16, 195. Familiae appellatio varie accepta est: nam et in res et in personas deducitur: in res, ut puta in lege XII. Tab. his verbis: Agnatus proximus familiam habeto. Adde *Dig.* 10, 2. qui inscribitur *Familiae erciscundae*, ubi de dividenda universa hereditate agitur, tum quae in servis, tum quae in pecunia ceterisque bonis continetur. Huc pertinet illud *Ter. Heaut.* 5, 1, 36. Decem dierum vix mihi est familia. ℙ Transfertur ad sectas philosophorum, coetum, corpus. *Cic. Or.* 1, 10. Et cum universi *(philosophi)* in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. Instaret Academia etc. *Id. Div.* 2, 1. Tota Peripateticorum familia. *Id. Fin.* 4, 18. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit. ℙ *Gladiatorum familia*, manus gladiatorum sub uno lanista aut domino. *Suet. Aug.* 42. [*Verba sunt: Quum venalicias et lanistarum familias — urbe expulisset; ubi *venaliciae familiae* (ap. *Quint. Inst.* 7, 2, 26. *venalis familia*) sunt servi venales, *Dion.* 55, 26. *τὰ ἀνδράποδα τὰ ὠνια; lanist. fam.* greges gladiatorum, *οἱ μονομαχοῦντες.*] *Cic. Sull.* 19. ℙ *Familiam ducere* dicitur, qui princeps est in familia: ductum a familia venalium servorum, in cujus capite pulcriora et vendibiliora ponebantur. [*Aliam hujus formulae originem v. in DUCO.] Hinc translate. *Cic. Phil.* 5, 11. L. quidem frater ejus, utpote qui peregre depugnarit, familiam ducit. *Id. Fin.* 4, 16. Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit, [*i. e. quae caput est vestrae philosophiae moralis] honestum quod sit, id esse solum bonum etc. *Id. Fam.* 7, 5. *f.* Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili, singularis memoria, summa scientia, *h. e.* quod caput est. Alii ita distinguunt: Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili: singularis memoria etc. [*V. ad h. l. *Manut.*, cujus non improbanda videtur sententia.] ℙ Translatum est et illud *Quint.* 1, 4. Grammatici versus censoria virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subditicios, submovere familia, permiserunt sibi. ℙ Genitivus *familias*, ut *Monetas, Latonas, fortunas* etc. antiquus est: haeretque adhuc tribus his vocibus *pater, mater, filius* aut *filia.* V. suis locis. [*Antiquam hanc genitivi scripturam nunquam exhibet Tacitus. Ceterum plerique omnes in alterutrius vocis usu sibi constant: *Cic.*, *Nep.*, *Hirt.*, *Plin. maj.*, *Quint.* semper exhibent *familias* in illo dicendi genere, *Liv.* contra et *Caes. familiae* (cf. *Drak.* ad *Liv.* 34, 2, 1.); *Sen.* variat. *Boettich. Lex. Tac.* p. 193.]

FĀMĬLĬĀRESCO, is, n. 3. *Sidon. ep.* 7, 2. Summatibus agnosci, innotescere, familiarescere. *Cave usurpes.*

FĀMĬLĬĀRĬCUS, a, um, adj. ad familiam pertinens. *Vitr.* 6, 10. Circum autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam, et cellae familiaricae constituuntur, *h. e.* in quibus familia, *h. e.* servi habitant. *Cato R. R.* 14. cellas familiae vocat. *Varr. R. R.* 1, 13. In eoque *(sterquilinio)* quidam sellas familiaricas ponunt, *h. e.* loca ventri exonerando. Sunt qui *sellas* reponunt etiam in allatis *Vitruvii* et *Catonis* locis: sed ibi hae locum non habent: ap. *Varr.* recte habent. *Ulp. Dig.* 34, 2, 23. ap. *Torrent.* (24. ap. *Haloandr.*) Vestimenta familiarica sunt, quae ad familiam vestiendam parata sunt. *Haloand.* habet *familiaria.*

FĀMĬLĬĀRĬS, e, adj. *οἰκεῖος*, [**οἰκέτης*], ad familiam pertinens: et refertur ad servos. Itaque *familiaris* dicitur, qui cum aliis ejusdem familiae servus est. *Pl. Ep.* 1, 1, 2. (ubi duo conservi colloquuntur) *Ep.* Heus adolescens. *The.* quis properantem me prehendit pallio? *Ep.* familiaris. *Id. Amph.* 1, 1, 203. *Sosia:* me esse hujus familiae familiarem praedico. *Sen. ep.* 47. *med.* Majores nostri hominum, patrem familiae appellaverunt; servos (quod etiam in mimis adhuc durat) familia. ℙ Item ad liberos. *Pl. Asin.* 2, 2, 1. Ubi res. nunc requiram familiarem filium? [*De h. l. v. in FILIUS.] ℙ Item ad rem familiae. *Auct.* ad *Her.* 1. *in.* Negotiis familiaribus impediti. *Col.* 11, 1. *med.* Circa focum familiarem epulari. *Pl. Stich.* 1, 2, 88. Rem familiarem curare, *h. e.* facultates, bona. Sic *Liv.* 2, 16. Copiis familiaribus adeo exiguis, ut funeri sumptus deesset. *Tac. A.* 4, 15. Pecuniae familiares. Et *ib.* 11, 7. curae. Et *ib.* 6, 16. rationes. *Cic. Tusc.* 1, 1. Res domesticas et familiares tueri. *Id. Vatin.* 13. Familiare funus. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 26. Familiare parricidium, *h. e.* quo interficitur aliquis sanguine conjunctus. *Plin.* 31, 3, 23. Familiare exemplum, *h. e.* quod domi capitur. *Pl. Cist.* 4, 2, 6. Familiaris moeror. *Id. Asin.* 5, 2, 24. Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit. *Liv.* 8, 9. Decio caput jecinoris a familiari parte caesum haruspex dicitur ostendisse, *h. e.* ab ea parte, quae *familiaris* ideo vocabatur, quia ex ea petebantur auguria rerum domesticarum, amicorum et suae reipublicae: cum altera *hostilis* esset, ex qua quid hostibus portenderetur, consulebant. Ita enim divideb ant haruspices vel jecur vel omnia exta vel totam victimam: tametsi de jecore praecipue haec dici videntur. *Lucan.* 1, 621. Cernit tabe jecur madidum venasque minaces Hostili de parte videt. *Sen. Oedip.* 363. Hostile valido robore insurgit latus. *Cic. Div.* 2, 13. Fissum familiare et vitale tractant: caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant. ℙ Saepissime *familiaris* dicitur, qui notus est, amicus, necessarius, intimus, cum quo saepe et libenter vivimus. *Nep. Eum.* 2. Alexandro mortuo, cum regna singulis familiaribus dispartirentur. *Suet. Tib.* 55. Veteres amici ac familiares. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos Cratippus adduxit, hominibus probatissimis. *Cic. pater Fam.* 3, 1. Biduo factus est mihi familiaris. Et *ib.* Valde hominem diligo: est ex meis domesticis atque intimis familiaribus. *Id. ib.* 13, 27. Unus est ex meis familiarissimis atque intimis. *Id. Q. Fr.* 1, 4. Intimus, proximus, familiarissimus quisque pertimuit. *Id.* ad *Capiton. f. l.* 16. *Att.* Homo familiarissimus et mihi omnibus rebus conjunctissimus. *Hirt. B. Afr.* 68. C. Mutius Scipioni familiarissimus. ℙ Translate. *Liv.* 24, 5. Quibus solis aditus in domum familiarior erat, *h. e.* frequentior et liberior tanquam familiaribus. Et *ib.* Jam inde a puero in omnia familiaria jura assuetus, i. e. jura familiaritatis. *Cic. Off.* 2, 11. Familiares sermones conferre. *Suet. Caes.* 78. Minus familiari vultu aliquem respicere. [*Nostr. *vertraulich, freundlich.*] *Id. Aug.* 61. et *Pl. Pers.* 1, 3, 46. Interior ac familiaris vita. *Cic. Or.* 3, 19. Hic, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenes. *Col.* 6, 2. *med.* Quo boves familiariores bubulco fiant. *Id.* 8, 15. Viridia aquae familiaria, *h. e.* herbae, quae aquas amant. *Plin.* 34, 7, 13. Ars statuaria familiaris Italiae atque vetusta. *Id.* 33, 3, 19. Color argenti militaribus signis familiarior. *Id.* 16, 18, 30. Facibus familiarissimae carpinus et corylus. Et *ib.* 31, 57. Prostratas arbores restitui, vulgare est: et familiarissimum hoc platanis. *Id.* 2, 9, 9. Luna terris familiarissimum sidus. *Plin. alter ep.* 4, 24. *extr.* Mihi familiare est, omnes cogitationes meas tecum communicare. *Petr. Sat.* 100. Vox auribus meis familiaris, *h. e.* nota, alias saepe audita. [*Magnum hujus generis exemplorum numerum congessit *Schulting.* q. v. ap. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 1, 8. p. 21.] ℙ In ablativo fere in *i* desinit. *Brutus* ap. *Charis.* 1, 105. A Sceptio familiari meo. *Cic. Div.* 1, 37. In Aesopo familiari tuo. ℙ Aliquando et in *e. Varr.* ap. *Charis. ib.* A Lare familiare. *P. Rutil. ib.* Pro L. familiare veniebam.

FĀMĬLĬĀRĬTAS, atis, f. *συνήθεια*, consuetudo inter familiares et amicos. *Cic. Fam.* 13, 73. Cum Antipatro Derbete mihi non solum officium, verum etiam summa familiaritas intercedit. *Id. Off.* 2, 8. Familiaritates fidas habere amantium nos amicorum. *Id. Fam.* 13, 65. Summa familiaritas consuetudoque. *Id. Dejot.* 14. Familiaritatem consuetudo affert. *Id. Fam.* 7, 15. Venire in familiaritatem alicujus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. intrare penitus. *Id. Caecin.* 5. se insinuare. *Id. Verr.* 2, 2, 70. sese dare. *Id. Phil.* 2, 32. Recipere quempiam in familiaritatem. *Id. Cluent.* 16. Applicare se in familiaritatem alicujus. *Id. Balb.* 26. Versari in alicujus intima familiaritate. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Familiaritate devincire. *Plin. ep.* 3, 11. Aliquem arcta familiaritate complecti. *Nep. Att.* 19. Familiaritatem alicujus consequi. Et 9. Uti intima familiaritate alicujus. Et 12. Intima cuipiam familiaritate conjunctus. *Ter. Ph.* 4, 1, 17. Familiaritas intercedit. *Id. Heaut.* 1, 2, 10. magna mihi cum eo fuit semper, jam inde usque a pueritia. *Id. Eun.* 5, 2, 35. magna conflata est. ℙ *Familiaritates* pro ipsis familiaribus. *Suet. Tib.* 51. Omnes amicitias et familiaritates, etiam quibus ea

funeris curam moriens demandaverat, intra breve tempus afflixit.

FĂMĬLĬĂRĬTER, adv. *οἰκείως*, amice et libere more familiarium. *Cic. Div. Verr.* 12. Jam hoc, extra hanc contentionem, familiariter tecum loquar. *Ter. Heaut.* 1, 1, 6. Audacter et familiariter monere aliquem. *Id. Andr.* 1, 1, 108. Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres, rejecit se in eum flens quam familiariter. *Cic. Att.* 9, 4. Quae soluto animo familiariter scribi solent. [**Offenherzig und vertraulich.*] *Id. Div. Verr.* 9. Cum aliquo familiarissime atque amicissime vivere. *Id. Coel.* 23. Licentius, liberius, familiarius vivere cum aliquo. *Nep. Phoc. f.* et *Eum.* 4. *extr.* Familiariter aliquo uti. *Plin. ep.* 9, 19. Familiariter aliquem diligere. [**Liv.* 41, 20. Vix notis familiariter arridere.] *Quint.* 1, 2. Fieri alicui familiariter amicum. *Ter. Andr.* 1, 1, 84. Familiariter ferre alicujus mortem, *h. e.* aegre, graviter, ut nostrorum domesticorumque amissionem magis dolemus, quam alienorum. *Pl. Epid.* 1, 1, 2. Odio es nimium familiariter. *Quint.* 5, 7, 7. Totas causas non diligenter modo, sed etiam familiariter nosse, i. e. eo modo, quo noscuntur res nostrae familiares. [**Id. ib.* 6, 4, 8. Adde 2, 7, 3. Jam familiarius animo suo affigent.] ℙ Per familias. *Front. de Colon.* p. 119. *Goes.* Agros in montibus Romani acceperunt familiariter. ℙ Metaphorice. *Colum. Arbor.* 1. *med.* de vitib. Quod ex longinquo petitur, parum familiariter nostro solo venit.

FĂMĬLĬŎLĂ, ae, f. parva familia. *Hieron. ep.* 108. *n.* 2. Familiola, quam de servis et ancillis in fratres sororesque mutaverat.

FĂMĪNO, dicito. *Festus.* V. FOR.

FĂMIS. V. FAMES.

[FĂMIX, ĭcis, m. abscessus: a *φῦμα*, tumor, ut a *χύλιξ*, calix, q. v. v., hinc *famicosus:* V. FAMELICOSUS *Colum.* 6, 12. Hic idem sanguis, nisi emissus fuerit, famicem (vulgo male *saniem*) creabit, qui, si suppuraverit, tarde percurabitur. Ita *Pontedera Antiq. Gr. et Lat.* p. 541. ex *Politiano* legendum putat; *Schneiderus* vero ex *Codd.* in textum recepit. *Veg. Vet.* 4, 19. Refrigerato ad famicem et cicatrices reducendas uteris. *Gargil. fragm. de cura boum, f.* Famicem si boves habuerint, sale et aceto diligenter eluito. In quibus tamen omnibus locis *Morgagni* in *Epist.* legit *ramicem. F.*]

FĂMOSĔ, adv. cum fama. *Tert. adv. Marc.* 1, 22. Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum, quo pretiosius, aut famosius curet?

FĂMOSĬTAS, atis, f. *Tert. Spectac.* 23. Damnandi in quendam scopulum famositatis.

FĂMOSUS, a, um, adj. *πολύφημος* [**ἔνφημος*], celebris, qui famam habet. [**Hor. A. P.* 469. Ponet famosae mortis amorem, i. e. sermonibus hominum celebrandae. Post *Hor.* nonnisi ap. argenteae aetatis scriptores hanc significationem reperies. *Duk.* ad *Flor.* 3, 7, 6. Addi possunt *Tac. H.* 1, 10. *Plin. ep.* 2, 11. et 6, 23. *Suet. Cal.* 19.] *Tac. H.* 5, 2. Sed quia famosae urbis supremam diem tradituri sumus, *h. e.* Hierosolymorum. *Id. ib.* 3, 38. Nota per eos dies Junii Blaesi mors, et famosa fuit. *Gell.* 7, 3. Cum superbia illa Rhodiensium famosissima multorum odio flagraret. *Flor.* 3, 7. *extr.* Nec quicquam amplius de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit. *Appul. Met.* 11. p. 267, 1. Vir gravis et sobriae religionis observatione famosus. ℙ Saepius in malam partem accipitur pro infami [**δύσφημος, berüchtigt.*] *Pl. fragm.* ap. *Non.* 4, 193. Qui etiam me miserum famosum facit flagitiis suis. *Hor. Sat.* 1, 4, 5. Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus. *Sall. Jug.* 18. Largitionem famosam impudentemque. *Cic. Or.* 2, 68. Nam me ad famosas vetuit mater accedere, nempe ad meretrices. [**Id. Rep. fr.* 4. Si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. V. *Heins.* ad *Ov. l. prox. seq.*] *Ov. Her.* 9, 78. Famosa hera. Et 134. Famosus Hymen. Adde *Amor.* 3, 6, 78., *Justin.* 22, 1. et *Mart.* 2, 39. et 47. [**Tac. A.* 3, 7. Famosam veneficiis Martinam (2, 74. eadem dicitur infamis veneficiis). 6, 47. Multorum amoribus famosa Albucilla. Plura praebet *Böttich. Lex. Tac.* p. 194. ℙ Mediam significationem habet ap. *Suet. Vit.* 2. Famosus coenarum magnificentia. *ib.* 13. Famosissima coena.] ℙ Interdum in activa significatione sumitur pro eo, [**quod rebus ignominiosis repletum, calumnias, crimina spargit. Tac. A.* 1, 72. Famosi libelli, quibus illustres viri feminaeque diffamantur.] *Suet. Aug.* 55. Sparsos de se famosos libellos nec expavit etc. *Id. Caes.* 73. Famosa epigrammata. *Hor. Ep.* 1, 19, 31. Famosum carmen. *Titulus* 10. *lib.* 46. *Dig.* inscribitur *De injuriis et libellis famosis*, ubi praetor judicium se daturum profitetur in hujus criminis reos. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Justin.* 9, 36, 1. et *Cod. Theod.* 9, 34, 7. capitali sententia eos puniunt.

FĂMŬL, idem quod famulus. *Enn.* ap. *Non.* 2, 322. mortalem fortuna repente Reddidit, ut summo e regno famul infimus esset. Adde *Lucr.* 3, 1049. eadem fere verba repetentem. Simile autem est illis, *volup, facul, capital*, etc.

FĂMŬLA, ae, f. serva, ancilla, *θεραπαινίς. Virg. A.* 4, 391. suscipiunt famulae, collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo. Et *ib.* 1, 703. Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo Cura penum struere. *Juven.* 14, 81. Sed leporem aut capream famulae Jovis, et generosae In saltu venantur aves, *h. e.* aquilae. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 1. Si virtus famula fortunae est. Et *ib.* 1, 31. Res familiaris est ministra et famula corporis. ℙ Differt a serva, ut a servo famulus. V. FAMULUS. ℙ *Famulum* pro *famularum* habet *Val. Fl.* 3, 282.

FĂMŬLĂBUNDUS, a, um, adj. famulatorius. *Tert. adv. Marc.* 3, 7. ex *Daniel. c.* 7. Omnis gloria famulabunda.

FĂMŬLANS. V. in FAMULOR.

FĂMŬLANTER, adv. suppliciter, in modum famuli. *Accius* ap. *Non.* 2, 332. Famulanter pete.

FĂMŬLĀRIS, e, adj. *δουλείος*, pertinens ad famulum, sive famulam. *Cic. Tusc.* 1, 18. Qui se in medios immisit hostes famulari veste. *Senec. Troad.* 747. Famulare jugum collo subire. *Stat. Ach.* 2, 67. Turba famularis mensas instruit. ℙ *Jura famularia dare*, est imperare populo regia potestate. *Ov. Met.* 15, 597. Si Romam intrarit, famularia jura daturum. ℙ *Famulares hederae* ap. *Val. Fl.* 2, 268. sunt, quas Bacchae Bacchi ministrae in ejus sacris capiti circumdabant. Porro *famulus* de ministro Deorum saepe dicitur. ℙ *Famulare*, adverbii more, servilem in modum. *Stat Silv.* 3, 1, 40. Nec famulare timens.

FĂMŬLĀTĬO, onis, f. famulorum famularumque multitudo. *Appul. Met.* 2. p. 115, 10. Et ecce mulierem quampiam frequenti stipatam famulatione. Et *ib.* 6. p. 176, 20. Proximanti occurrit una de famulatione Veneris.

FĂMŬLĀTORĬUS, a, um, adj. ut Famulatoria mendicitas, *Tert.* ad *Nat.* 2, 14.

FĂMŬLĀTRIX, icis, f. quae famulatur, serva. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 3. Coquina medicinae famulatrix est. *Sidon. carm.* 2, 128. Lusit venturas famulatrix penna coronas.

FĂMŬLĀTUS, a, um, part. a *famulor*, in famulatum redactus. *Tert. Resurr. carn.* 47. ex *D. Paulo ad Rom.* 6. Nunc vero liberi facti a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum etc.

FĂMŬLĀTUS, us, m. *δουλεία*, servitus. *Cic. Amic.* 19. *f.* Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis et generis in famulatu fuerint. *Id. Off.* 3, 33. Quam miser virtutis famulatus servientis voluptati! *Senec. Hipp.* 991. Famulatus gravis. *Arnob.* 1, 26. In famulatum subeunte natura.

FĂMŬLĬTAS, atis, f. servitus. *Accius* ap. *Non.* 2, 319. Postquam parvos vos oppressit famulitas. Adde *Pacuv. ib.*

FĂMŬLĬTĬUM, ii, n. servitus. Afferunt Lexicographi haec verba *Varronis:* Apud ignavum dominum duro famulitio astrictus. Adde *Festum.* [**Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 27. Haec bestia famulitium quoddam templis praestare videbatur. *B. A.*] ℙ Item servorum copia. *Macr. Sat.* 1, 7. Unus e famulitio, cui provincia erat admittere volentes dominum convenire. *Capell.* 5. p. 227. Si propere Venus cum deliciis, famulitioque tam comi appulsa est lascivire. *Spart. Sever.* 6. Occurrente omni famulitio aulico. Adde *Appul. Apol.* p. 285, 1. et *Met.* 8. p. 179, 36. ed. *Harald.* (al. p. 271.)

FĂMŬLOR, aris, dep. 1. *λατρεύω*, servio, famuli officio fungor. *Plin* 2, 63, 63. Terra omnibus cruciatur horis, multoque plus ut deliciis, quam ut alimentis nostris famuletur. *Cic. Rep.* 3. ap. *Non.* 2, 313. Est genus injustae servitutis, cum hi sunt alterius, qui sui possunt esse; cum autem hi famulantur, [ita supplendum putat *A. Maius* ad *Cic. de Rep.* 3, 25. *qui sibi moderari nequeunt, nulla injuria est. F.*] *Catull.* 64, 161. tibi jucundo famularer serva labore. ℙ Ap. *Tert.* legitur *famulo, as*, et accipitur pro famulos constituere, pro famulis uti: *Apol.* 21. Cum elementa ipsa Christus famularet. ℙ Part. *Famulans* ap. *Stat. Silv.* 3, 3, 58. famulantis fistula Phoebi. *Claud. B. G.* 513. semper iniquos, Fortuna famulante, premit.

FĂMŬLOSUS, a, um, adj. quidam tribuunt *Catoni* ap. *Gell.* 9, 12., sed ibi meliores editiones habent *fabulosus*, qua voce is denotatur, qui fabulis locum praebet, seu qui ludibrii causa multus est in ore hominum.

FĂMŬLUS, a, um, adj. servilis, famularis, *δουλικός*. Vox poetica. *Ov. Fast.* 1, 286. Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas. *Id. Pont.* 2, 2, 79. Nec dedignata est abjectis Illyris armis Caesareum famulo vertice ferre pedem. *Sil.* 13, 360. Famulae turbae. *Lucan.* 4, 207. Famulae dextrae. *Claud. in Rufin.* 2, 386. Catenas famulas alicui imponere. *Id. III. Cons. Honor.* 202. jam Bactra teneri Legibus, et famulis Gangen pallescere ripis. *Val. Fl.* 1, 749. Quin rapis hanc animam, et famulos citus effugis artus? Adde *Sil.* 10, 647. et *Mart.* 9, 2.

FĂMŬLUS, i, m. *ὑπηρέτης*, minister, pedisequus, servus. Est ab Osco *famel*, teste *Festo:* unde et *familia. Cic. Off.* 2, 7. Iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos. *Id. Amic.* 15. Parare pecuniam, equos, famulos. *Id. Tusc.* 2, 21. Hos, ut famulos, vinclis prope ac custodia arceamus. *Cic. Leg.* 2, 9. Idaeae matris famuli. ℙ Ad usum quod attinet, differunt *servus* et *famulus*, quod haec vox est poetis familiarior usitatiorque. *Virg. A.* 1, 701. Dant famuli manibus lymphas. *Hor. Od.* 3, 17, 13. cras genium mero Curabis, et porco bimestri, Cum famulis operum solutis. *Ov. Her.* 20, 77. Utque solent famuli, cum verbera saeva verentur, Tendere submissas ad tua crura manus. ℙ Est etiam discrimen, quod ad significationem attinet. Nam *famulus* dicitur etiam de ingenuo homine alteri inserviente ac ministrante. Hinc *Ulp. Dig.* 21, 1, 25. docet, *familiae* nomine contineri omnes, qui in servitio sunt, etiam liberos homines, qui bona fide serviunt. Hinc etiam *famulus* saepe dicitur de ministris Deorum. *Val. Fl.* 3, 20. Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis (pro *famulorum:* quod habet etiam 1, 752. et *Stat. Silv.* 3, 4, 57.). *Id.* 6, 642. Hinc puero cognomen erat, famulumque ferebant Phasidis, intonso nequicquam crine, parentes. *Ov. Met.* 3, 574. comes famulusque sacrorum. Adde *Senec. Agam.* 255. et *Herc. fur.* 100., ubi Furias, famulas Ditis vocat. ℙ Item de heroibus et locorum geniis. Singula enim numina habent inferiores potestates ministras, ut Venus Adonim, Diana Virbium, Bacchus Silenum, ut docet *Serv.* ad *A.* 5, 95. Porro genios locorum credebant sub variis animalium formis apparere, anguium praecipue. *Hor. A. P.* 239. custos famulusque Dei Silenus alumni. Multa *Heinsius* hac de re ad illud *Sil.* 13, 124. Numen erat jam cerva loci, famulamque Dianae Credebant ac tura Deum de more dabantur. [Plura vero *Heynius* ad *Virg. A.* 5, 84. et 95., ac praesertim *Rupertius* ad *Sil.* 2, 584. *F.*] *Sil.* 6, 288. de angue: famulumque sororum Naiadum violare manu. *Virg.* itidem *de angue l. c.* 95. Incertus, geniumne loci, famulumne parentis Esse putet. *Val. Fl.* 3, 457. Libavitque dapes: placidi quas protinus angues, Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis. *Ov. Met.* 8, 272. Sus erat, infestae famulus vindexque Dianae. [Hi porro omnes vocantur *Famuli Divi* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32. Famulis Divis immolavit verveces duos. *F.*]

FĂNĂ. V. FATUA.

FĂNĂTĬCĒ, adv. furiose. *Appul. Met.* 8. p. 214, 14. Absonis ululatibus constrepentes, fanatice pervolant.

FĂNĂTĬCUS, a, um, adj. *ἱερατικὸς, ἔνθεος*, proprie dicebatur de sacerdotibus Isidis, Bellonae et Cybeles, a *fanum;* item de iis, qui circa fana bacchari et vaticinari solent. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 1. Q. Caecilio Apollinari, fanatico de aede Bellonae Pulvin*ensis*. Alia ap. *eund.* 312, 7. L. Cornelio Januario, fanatico ab Isis, Serapis, ab eadem (*lege* ab aede) Bellonae Rufiliae. *Juven.* 4, 123. sed ut fanaticus, aestro Percussus, Bellona, tuo. *Lact.* 1, 21. Sacerdotes Bellonae non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exserentes currunt, efferuntur, insaniunt. *Juven.* 2, 112. de ministris Cybeles: et crine senex fanaticus albo Sacrorum antistes. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1061. Cultrum in lacertos exserit fanaticus, Sectisque matrem brachiis placat Deam. [**Lucan.* 1, 566. Crinemque rotantes Sanguineum populis cecinerunt tristia Galli.] Adde *Liv.* 37, 9. V. BALLATOR. ℙ De fanaticis non sacerdotibus *Ulp. Dig.* 21, 1, 1. §. 9. Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret etc. Et *mox* §. 10. Quamvis aliquando circa fana bacchatus, responsa reddiderit etc. ℙ Quia vero hi oraculum edituri, divino furore corripi putabantur, eamque opinionem crebra capitis quassatione, et aliis insanientium indiciis adjuvabant, inde est, quod *fanaticus* etiam sumitur pro furioso atque insano. *Cic. Dom.* 40. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium, quod alienae domi fieret, invisere? *Liv.* 39, 13. Viros velut mente captos, cum jactatione fanatica corporis vaticinari. *Quint.* 11, 3, 71. Jactare caput, et comas excutientem rotare, fanaticum est. *Cic. Div.* 2, 57. Philosophi superstitiosi et paene fanatici. *Hor. A. P.* 453. Ut mala quem scabies aut morbus regius urget, Aut fanaticus error. *Liv.* 4, 33. Multitudo velut fanatico instincta cursu. *Flor.* 3, 19, 4. [**Cf. Duker.* ad h. l.] Fanaticus furor. *Tac. A.* 14, 30. Fanaticum agmen. ℙ *Fanaticum carmen* est, quo quippiam vaticinando praedicitur. *Liv.* 38, 18. *med.* Galli Matris Magnae occurrere, vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis viam belli et victoriam dare. ℙ *Fanatica* etiam dicitur arbor fulmine icta, quasi numine afflata. *Fest.*

FANDO. } V. FOR.
FANDUS. }

FĂNĔSĬI, orum. V. PANOTII.

FĂNESTER, et

FĀNESTRIS. V. FANUM.

FANNIA Lex sumptuaria, quae lata est a C. Fannio Strabone Cos. anno U. C. DLXXXXIII. ad nimium conviviorum luxum compescendum. Haec ludis Romanis, item ludis plebejis, Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris omnibus diebus denos. *Macr. Sat.* 2, 13. et *Gell.* 2, 24.

FANNIĀNUS, a, um, adj. ad Fannium pertinens, quod est nomen gentilicium R. hominis. *Cic. Att.* 12, 5. Conturbat enim me in Bruti epitome Fannianorum scriptum, quod erat in extremo: idque ego secutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii: sed tu me *γεομετρικῶς* refelleras. ℙ *Fanniana charta* dicta est, quae in officina Q. Rhemnii Fannii Polaemonis grammatici Vicetini Romae fiebat, ut constat ex *Plin.* 13, 12, 23. *Id. ib.* 24. Fanniana charta denos digitos latitudinis habet.

FĀNO, as, a. 1. dico. *Varr. L. L.* 5, 7. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, idest, ut fani lege sit, id dicitur. ℙ *Fanor, aris*, depon. furo, insanio: unde *fanaticus*. Tribuitur *Maecenati* a *Lips.* in *not.* ad *Sen. ep.* 114

FANS. V. FOR.

FANTŪĀ. V. FATUA.

FĀNŬLUM, i, n. parvum fanum. *Fest.* in *Hanula*. Hanula parva delubra, quasi fanula.

FĀNUM, i, n. *ἱερὸν, ναὸς*, sacer locus, templum. *Varr. L. L.* 5, 7. Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem. *Fest.* Fana, quod fando consecrantur. *Id.* Fanum a Fano (al. *Fauno*) sive a fando, quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur. [**Liv.* 10, 37. Inque ea pugna Jovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat: sed fanum tantum, id est locus templo affatus, sacratus fuerat. V. *intpp.* ad h. l.] *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 20. Fanum, religiosissimum templum, unde fata petuntur. *Voss.* tamen ducit a Graeco accus. *ναὸν*, a quo per metathesin sit *ἀνὸν*, et spiritu in *f* abeunte *fanum*. Sunt etiam qui a Fauno, vel quod is primus fana instituerit; vel quia ei primum instituta sint; vel quia (ut *Cinc.* et *Cass.* tradunt ap. *Serv.* ad *G.* 1, 10.) cum *Faunus* nomen sit, quo Euander Deos appellavit, inde templa Diis facta *fana* sint dicta. Differt a templo et delubro aliquid quidem certe: sed in quo sit discrimen, obscurum est. Videtur autem proprie significare quemvis locum Diis sacrum, sive aedes sit aliqua, sive nihil adhuc exstructum sit. *Senec. Ben.* 7, 7. A sacris profana discerni, et non omnia licere in angulo, cui nomen fani impositum est, quae sub coelo et conspectum siderum licent. *Cic. Rabir. perd.* 10. Pro patriis fanis atque delubris propugnare. *Id. Cat.* 4. *f.* De aris ac focis, de fanis ac templis. *Suet. Caes.* 54. Fana templaque Deum expilavit. [*Discrimen in magnitudine et sanctitate religionis esse videtur, quae templis major. V. *Popm. de different. verb.* s. h. v. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 364.] ℙ Quaecumque tamen illa differentia sit, passim pro eodem sumuntur. *Cic. Inv.* 2. *in.* Templum Junonis egregiis picturis locupletare; et *mox.* propter fani religionem. *Nep. Lys.* 3. Sacerdotes fani Jovis Hammonis. *Caes. B. C.* 3, 32. Fanum Dianae Ephesi. *Sall. Cat.* 50. Fana exspoliare. *Cic. N. D.* 3, 34. expilare. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 17, 2. *med.* violare. *Nep. Timol.* 3. Fana delecta reficere. *Cic. Fam.* 5, 20. Pecuniam in fano deponere. ℙ *Fanum Fortunae* et absolute *Fanum*, urbs est Umbriae in ora maris Adriatici, quae et *Colonia Julia Fanestris* est appellata, quod illuc Augustus coloniam deduxerit, nunc *Fano*, inter Pisaurum, et Senogalliam. *Tac. H.* 3, 50. Exercitus, ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt. *Caes. B. C.* 1, 11. Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat. *Vitr.* 2, 9. In colonia Fanestri. Et 5, 1. Colonia Julia Fanestris. *Fanestres, ium*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 433, 1. Curator rer*um* publicar*um* Pisaur*ensium* et Fanestr*ium*. Alia ap. *Mur.* 1045, 4. C. Virgisius (*fortasse* Virgilius) C. F. Pamphilus Sexvir Fanestrium. Alia *ib.* 3. Camoniae Severin*ae* conjugi M. Plutius Fanester. Est hic fortasse cognomen, sed ad rem nostram adhuc pertinet, nam ex patria, ut saepe alias, derivatur. ℙ Etiam *fanus, i*, m. Latine dici contendit *Voss.* ad *Melam.* 2, 3. p. 453., quod in antiquissimo suo codice legatur ap. *Cic. N. D.* 3, 18. Eumenidum, quarum et Athenis fanus est. [Alii tamen omnes leg. *fanum*. *F.*]

FAR, farris, n. *ζέα*, alio nomine ador, adoreum, et semen adoreum, genus est frumenti omnium durissimum, et contra hiemes firmissimum, patiens frigidissimos locos, et minus subactos, vel aestuosos, sitientesque. Difficulter excutitur: ideoque convenit cum palea sua condi, stipula tantum et aristis liberatum. *Plin.* 18, 8, 19. et *ib.* 30, 72. et *Varr. R. R.* 1, 63. ℙ Ejus quatuor genera recenset *Col.* 2, 6. ℙ Fuit per trecentos annos Romanorum cibus, qui pultibus ex farre plurimum primis illis temporibus usi sunt. Praecipue vero vescebantur eo igni tosto, quoniam esset salubrius: et in sacris quoque et nuptiis adhibebant: unde mola salsa. *Plin.* 18, 2, 2. et *ib.* 8, 19. ℙ In plur. num. *Virg. G.* 1, 73. Farra flava. Et 101. laetissima. Et 219. robusta. *Ov. Fast.* 6, 180. dura. Et *ib.* 2, 519. Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant: Primitias Cereri farra resecta dabant. *Val. Fl.* 2, 448. tracto pars frangit adorea saxo Farra. *Ov. Fast.* 1, 693. passuraque farra bis ignem, *h. e.* semel cum torrentur, iterum cum facto pane coquuntur. ℙ Pro farina adhiberi videtur a *Colum.* (fortasse quia olim solam ex farre farinam noscebant) illis verbis 8, 4. Possunt etiam objici gallinis furfures modice a farina excreti: qui si nihil habent farris, non sunt idonei, nec tantum appetuntur. *Id. ib.* 11. *f.* memorat *far hordeaceum vino respersum*, et 5. *f. far triticeum:* ubique autem farinam intelligit. Agit enim de alendis pullis pavoninis recens natis. Hoc idem *Pall.* 1, 29. vocat *far hordei, cui vini imber aspergitur*, agens de cibo phasianis dando, primis, quibus nati sunt, diebus. Similiter *Varro R. R.* 3. farinam significat, cum ait 14. *extr.* Ollam cum foraminibus incrustent sapa et farre. Ap. *Caton.* discrimen est inter *farinam* et *far*. Ubi enim agit de villica, ait *R. R.* 145. *extr.* Farinam bonam et far subtile sciat facere. [Ceterum consule *Pontederam Oper. post. T.* 1. p. 21. ubi accurate de farris generibus disputat, ac triplex esse statuit, far nempe Clusinum, *τίφην* Graecorum, Italorum *farro;* alterum venuculum, Graecorum *ὄλυρων*, Italorum *speltone;* tertium trimestre, seu halicastrum, Graecorum *ζέαν*, Germanorum *Spelt. F.*]

FARCIMEN, inis, n. *ἄλλας*, intestinum varie ac minutim concisa carne refertum. *Isid. Orig.* 20, 2. Farcimen caro concisa et minuta, quod eo intestinum farciatur, hoc est, impleatur, cum aliarum rerum commixtione. *Varr. L. L.* 4, 22. A fartura in extis farcimina appellata. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7. botulum pro farcimine appellat. *Arnob.* 7, 229. Quae sunt nomina, et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.

FARCIMINOSUS, a, um, adj. ad farciminum pertinens. *Veg. Vet.* 1, 14. Farciminosus autem morbus, a similitudine farciminis appellatus est; quia velut per fistulas quasdam inter cutem, et carnem corruptus humor emanat, et per totum corpus collectiones plurimas facit, et aliis velut minuentibus aliae rursum nascuntur. Adde *ib.* 7.

FARCIMINUM, i, n. genus morbi in jumentis, de quo vide in voce praec. *Veg. Vet.* 1, 7. Sed contraria ista curatio est: nam affectis farcimino, quidquid superest virium, tollit.

FARCĪNO, as, a. 1. farcio, confercio. Translate. *Capell.* 9. *f.* Fandis tacenda farcinat, *h. e.* miscet, conjungit.

FARCĪO, is, arsi, tum, a. 4. *σάττω, συμπληρόω*, sine delectu ac acervatim congerendo et inculcando impleo. *Vitr.* 2, 8. *med.* Nostri celeritati studentes, erecta coria locantes, frontibus serviunt, et in medio farciunt, fractis separatim cum materia caementis. *Plin.* 36, 22, 51. Medios parietes farcire caementis. *Apic.* 2, 3. Botellum sic facies: ex ovis vitellis coctis, nucleis pineis etc. et sic intestinum farcies. ℙ Item ingero, infercio, congero, inculco. *Plin.* 25, 8, 45. *n.* 34. Ischaemon *(herba)* farcitur in nares. *Senec. ep.* 108. Edaces, et se ultra, quam capiunt, farcientes. *Id. Ira* 3, 19. Cum spongiae non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit. *Id. ep.* 70. *med.* Lignum id, quod ad emundanda obscena, adhaerente spongia, positum est, totum in gulam farsit. ℙ Sumitur et pro saginanare, quod fit congesto affatim cibo. *Cato R. R.* 89. Gallinas et anseres sic farcito. Et *mox.* Bis in die farciat, *h. e.* cibum praebeat farciendi causa. *Varr. R. R.* 3, 9. *f.* Gallinas ex triticeo pane intrito in aquam, mixto bono vino, farcire. Et *ib.* 2, 5. Boves farcire ad victimas. *Col.* 8, 7. Haec fere communis est cura farcientium. ℙ Allegorice. *Pl. Epid.* 3, 4, 19. Hic non est locus: proin tu alium quaeras, cui centones farcias, *h. e.* quem gloriosis mendaciis, et consarcinatis fabulis impleas, obtundas, obruasque.

FARCTUS etc. V. FARTUS.

FARFĂRUS, i, m. Sabinorum fluvius, idem qui Fabaris. *Ov. Met.* 14, 330. et amoenae Farfarus umbrae. ℙ Item herba, quae et farfugium, et chamaeleuce dicitur, nascens secus fluvios, folio populi, sed ampliore. *Plin.* 24, 15, 85. ℙ Fortasse eadem est cum illa, de qua *Fest.* Farfenum virgulti genus. Ubi al. leg. *Farferum*. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 32. Prosternebant folia farferi. Quidam putant esse *ungulam caballinam* seu *populaginem*.

FARFĔRUS. } V. v. praec.
FARFŪGIUM. }

FARI. V. FOR.

FĂRĪNĂ, ae, f. *ἄλφιτον*, proprie est far tostum, pinsitum, molitumve, et in pulverem redactum. Ut enim far primus fuit Romanorum cibus; ita eo molito, farinae nomen est factum. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Farinam a farre dictam, nomine ipso apparet. ℙ Dicitur tamen de omnibus frumentis, quibus vescimur. *Plin. ib.* Siliginea farina. *Id.* 20, 13, 51. hordeacea. Et 22, 25, 67. triticea. Et *ib.* avenacea etc. *Mart.* 8, 16. de pistore: Et panem facis, et facis farinam, *h. e.* rem tuam familiarem teris, et consumis. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Quae sicca moluntur, plus farinae reddunt. *Pers.* 3, 112. cribro decussa farina. *Plin.* 16, 5, 6. Farinam molere. *Id.* 18, 7, 14. Hordeum in subtilem farinam molere. ℙ Item de omnibus, quae in pulverem teri possunt. *Plin.* 23, 9, 81. Folia myrti siccantur in farinam. *Id.* 36, 24, 59. Gypsum resolvitur in farinam. Et 33, 7, 40. Minium tunditur in farinam. Et 34, 18, 50. Plumbum ustum terere in farinam. *Id.* 28, 9, 37. Farina testae salsamentariae. Et *ib.* 7, 23. *f.* caminorum. Et *ib.* 11, 49. cornus cervini. Et 17, 20, 34. tofi. Et 32, 7, 26. marmoris. Et 22, 25, 60. qua chartae glutinantur. *Ov. Med. fac.* 61. Jamque ubi pulvereae fuerint confusa farinae, Protinus in cribris omnia cerne cavis. ℙ Translate. *Pers.* 5, 115. cum fueris nostrae paulo ante farinae, *h. e.* naturae, et morum: cum fueris nobis omnino similis. *Suet. Aug.* 4. Cassius Parmensis, non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina.

*FĂRĪNĂCĔUS, a, um, adj. qui farinae formam habet. *Gloss. Philox.* Farinaceus, *ἀλευρώδης*. *B. A.*

*FĂRĪNĂRĬUM, ii, n. locus in quo farina asservatur. *Gloss. Philox.* Farinarium, *ἀλευρών*. *B. A.*

FĂRĪNĂRĬUS, a, um, adj. ad farinam pertinens. *Cato R. R.* 76. et *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Farinario cribro secernunt.

FĂRĪNOSUS, a, um, sdj. farinarius. *Veg. Vet.* 2, 30. Farinosa congeries.

FĂRĪNŬLĂ, ae, f. dimin. *Fest.* in *Insipere*. Farinulam jacere pultis. [**Vulg. Interpr. Reg.* 1, 17, 13. *B. A.*]

FĂRĪNŬLENTUS, a, um, adj. farinosus. *Appul. Met.* 9. p. 222, 33. Farinulento cinere sordide candidati.

FĂRIO, onis, m. piscis in Mosella degens, qui media aetate sic appellatur, sequente salmo, praecedente salar. Quidam vocant *tructa:* fortasse nostr. *Lachsforelle. Auson. Mosell.* 128. Teque inter species geminas, neutrumque, et utrumque, Qui nec dum salmo, nec jam salar ambiguusque Amborum, medio fario intercepte sub aevo. *Isid. Orig.* 12, 6. *varios* vocat a varietate, quos vulgo *tructas* dicunt.

FĂRIOR, aris, dep. 1. olim dictum fuisse videtur pro for, loquor. *Lex XII. Tab.* ap. *Gell.* 15, 13. *extr.* Ni testimonium fariatur. Al. leg. *fari iatur*.

FARNĔUS, a, um, adj. ad farnum pertinens, ut Farnei fungi, ap. *Apic.* 7, 13., ubi alii leg. *faginei*.

FARNUS, i, f. arbor de genere quercuum, quae describitur ab *Aldrovand.*, habens folia cerro similia, longiora tamen, angustiora, duriora, et ad atrum inclinantia, quibus incisurae sunt minus latae, cum asperitate aliqua in parte superna. Meminit hujus arboris *Vitr.* 7, 1. Adde *Pall.* 1, 9., ubi tamen al. leg. *fraxinus:* dubitant etiam de loco *Vitruvii*.

FARRĂCĔUS et Farracius, a, um, adj. ad far pertinens, farreus. *Plin.* 24, 7, 22. Bruttia pix cum polline farraceo. *Varr. R. R.* 1, 31. *f.* Farracia seges.

FARRĂGĪNĂRĬĂ, orum, n. plur. farragines, seu varia frumentorum genera simul commixta ad pecora per hiemem pascenda. *Col.* 11, 2. *med.* Farraginaria quoque, pecori futura per hiemem praesidio. [Ita leg. *Gesn.*, sed *Pontedera Antiq. Gr. et Lat.* p. 583. monuit, hoc esse monstrum verbi, et multis argumentis probavit pro *farraginaria* legendum *farrago hordearia*, quam quidem lectionem in textum recepit *Schneid.;* hinc supra allatam vocem toto Latio exsulare jubemus. *F.*]

FARRĂGO, inis, f. *πολυμιγία*, far, hordeum, vicia, et legumina viridia, caesa, antequam spicam siliquamve gignant, admixtaque pabuli causa, ut *Varr. R. R.* 1, 31. *f.* docet. His enim equi et jumenta cetera per hiemem aluntur, purgantur, saginantur. Dicta est *farrago*, quia praecipue ex farre constat. *Fest.* Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur jumentis. *Plin.* 18, 16, 41. Farrago ex recrementis farris praedensa seritur, admixta aliquando et vicia. Eadem in Africa fit ex hordeo. V. *Col.* 2, 11., ubi ejus serendae rationem docet. *Virg. G.* 3, 205. Tum demum crassa magnum farragine corpus Crescere jam domitis sinito. *Nemes. Cyn.* 283. Pasce igitur sub vere novo farragine molli Cornipedes. ℙ Translate. *Juven.* 1, 85. Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli, *h. e.* commixtio et compositio, materia, argumentum. *Pers.* 5, 77. et in tenui farragine mendax, *h. e.* in re levi, et parvi pretii, ut est farrago.

FARRĂRĬUS, a, um, adj. ad far pertinens. *Scaev. Dig.* 7, 1, 58. Sempronio do, lego ex redactu fructuum, oleris et porrinae, quae habeo in agro Ferrariorum. Alii leg. *farrariorum*, sed prius

praestat, et videtur locum denotare, in quo ager sit. *Cato R. R.* 10. Farraria fistula. ℙ *Farrarium* absolute. *Vitr.* 6, 9. *f.* Horrea, foenilia, farraria, pistrina, extra villam facienda videntur, *h. e.* locus, ubi farrago et similia jumentorum pabula, praeter foenum, conduntur.

FARRĀTUS, a, um, adj. ad far pertinens, ut Farrata olla, in qua puls e farre cocta est. *Pers.* 4, 30. tunicatum cum sale mordens Caepe, et farratam, pueris plaudentibus, ollam. *Juven.* 11, 109. Ponebant igitur Tusco farrata catino Omnia tunc, *h. e.* omnes cibi, quos mensae inferebant, erant e farre, ut in FAR dictum est.

FARRĒĀRIUS, a, um, adj. farrarius, ut Farrearium pilum, quo far pinsitur. *Cato R. R.* 10.

FARRĒUM, i, n. *Festus.* Horreum antiqui dicebant farreum a farre.

FARRĒUS, a, um, adj. ex farre confectus. *Col.* 7, 12. *med.* Canes farreo vel triticeo pane satiandi sunt. ℙ *Farreum, i*, absolute, est libi genus ex farre, ut *Fest.* docet. *Plin.* 18, 3, 3. In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat: novaeque nuptae farreum praeferebant. Adde *Ulp. lib. regular. tit.* 9. ℙ Farreum spicum *Fest.* in *Restibilis* vocat semen quodlibet spicam ferens.

FARRĪCŬLUM, i, n. dimin. farris, et significat libum ex farre factum. *Pallad.* 9, 21. Ex novo tritico purgato farriculum facies, et ex musto curabis infundere, ita ut modio farris lagenam musti adjicias: deinde sole siccabis et item similiter infundis ac siccas. Hoc cum tertio feceris, panes ex eo brevissimos ad modum facies musteorum; et in sole siccatos vasculis novis fictilibus recondis et gypsas. Pro fermento, quo tempore anni musteos facere volueris, hoc uteris.

FARSĪLIS, e, adj. idem ac fartilis, ut Farsilis porcellus, ap. *Apic.* 8, 7., *h. e.* variis condimentis fartus coctusque cibi causa.

FARSŪRA. V. FARTURA.

FARSUS. V. FARTUS.

FARTĪCŬLUM, i, n. parvum fartum. *Tit.* ap. *Non.* 4, 270. Farticula, cerebellum, lactes agninas.

FARTĪLIS, e, adj. qui farciri, *h. e.* saginari potest. *Fartilia* enim sunt animalia, quae cibi causa saginari solent, ut anseres, gallinae et hujusmodi. *Plin.* 10, 22, 27. Fartilibus *(anseribus)* jecur in magnam amplitudinem crescit. *Appul. Met.* 3. p. 187, 6. Insuticius et fartilis asinus, *h. e.* exenteratus, et vivae puellae corpore, mediae alvo insuto, fartus. ℙ Translate. *Tert. adv. Valent.* 27. Fartilia nescio quae commenti et hominum et Deorum suorum, *h. e.* animale quiddam et corporeum spiritali ac divinae naturae veluti infarcientes.

FARTIM, adv. farciendo, implendo. *Appul. Met.* 2. p. 117, 30. Suis dominis parabat viscum fartim concisum, et pulpam frustatim consectam, *h. e.* minutatim: nam quae farciendo pārantur, minutatim conciduntur, ut in botellis et lucanicis. *Id. ib.* 3. p. 130, 12. Aditus etiam, et tectum omne fartim stipaverant, *h. e.* cumulatim, acervatim.

FARTOR, oris, m. *ἀλλαντοπώλης*, qui farcit, qui isicia et farcimina facit, ut *Donat.* docet ad illud *Ter. Eun.* 2, 2, 26. Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. Quae verba *Cic.* quoque refert *Off.* 1, 42. ubi fartorum artem inter eas recenset, quae sunt ministrae voluptatum. Horum artificio fingebantur interdum ex farina animalia avesque variae nucibus, uvis passis, aliisque condimentis fartae, qualis fuit epidipnis illa ap. *Petr. fr. Trag. Burm.* 69. *Pl. Truc.* 1, 2, 11. De nostro saepe edunt, quod fartores faciunt: *scil.* quia de iis, quae ad eos deferimus, ut farcimina nobis conficiant, partem detrahunt sibi et vescuntur. Adde *Hor. Sat.* 2, 3, 229. ℙ Item qui aves saginat, quae fartiles dicuntur, *οἰτευτής, ὀρνεοτρόφος. Col.* 8, 7. Pinguem quoque facere gallinam, quamvis fartoris, non rustici sit officium etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 580, 15. Antigonus Drusi Caesaris avium fartor. Adde aliam ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 12. V. ALTILIARIUS et AVIARIUS, ii. ℙ Translate *fartores* dicti sunt nomenclatores, qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati. *Festus.*

FARTUM, i, n. et Fartus, us, m. quidquid farcit et implet. *Plin.* 28, 8, 29. (de chamaeleone.) Intestina et fartum eorum, cum id animal nullo cibo vivat etc. *Col. Arbor.* 21. Ea res efficit uberiorem fructum et fartum speciosius ac plenius. *Id.* 5, 10. Ea res efficit uberiorem fructum et fartum fici pleniorem et meliorem. Quod hic *fartum fici* vocat, *Pallad.* 4, 10. *f.* pulpam fici appellat. *Arnob.* 7, 231. Quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fartibus confectionis jure multiplici atque impensarum varietate conditis? ℙ *Fartum vestis* jocularіter dicitur corpus ipsum vestitum. *Pl. Most.* 1, 3, 13. Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum. ℙ *Fartum facere*, est farcire. *Id. Mil.* 1, 1, 8. Machaera gestit fartum facere ex hostibus, *h. e.* ita minutatim concidere, ut solent coqui carnes dissecare farciminibus faciendis. Al. minus recte leg. *fratrem facere.* ℙ Legitur etiam *farctum.*

FARTŪRA, ae, f. quidquid ad farciendum implendumque congeritur, immittitur et inculcatur. *Vitr.* 2, 8. *med.* Tres suscitantur in structura *(parietum)* crustae, duae frontium et una media farturae. Et *paulo ante.* Monumenta facta e marmore intrinsecusque medio calcata farturis. Adde *Varr. L. L.* 4, 22., ubi de intestinis farciendis in usum cibi verba fiunt. ℙ Item saginatio, eo modo, quo in FARCIO dictum est. *Varr. R. R.* 3, 8. de turturibus. Tunc pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. *Col.* 8, 9. Turtures farturae destinantur. Adde *ib.* 7. *extr.* ℙ Scribitur et *farctura.* Quin ap. *Tert. adv. Valent.* 27. etiam *farsura* legitur: ut et ap. *Varr. R. R.* 3, 9., dubia tamen lectione.

FARTUS vel Farctus, a, um, part. a *farcio*, farciendo impletus. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Pulvinus perlucidus, Melitensi rosa fartus. *Plin. ep.* 10, 48. Parietes caemento medii farti. *Plin. alter* 29, 4, 16. Mustelae ventriculus coriandro fartus. *Cic.* vertens versus *Aeschyli Tusc.* 2, 10. Jecore opimo farta et satiata affatim. *Appul. Flor. n.* 16. p. 353, 37. Fartum totum theatrum. *Vitr.* 8. *med.*. Neque is rex ab inopia hoc fecit: infinitis enim vectigalibus erat fartus, *h. e.* dives, abundans. ℙ Item accumulatus, congestus. *Mart.* 3, 58. Hinc farta premitur angulo Ceres omni. ℙ Translate. *Catull.* 28, 12. nihilo minore verpa Farti estis, *h. e.* ab aeque turpi homine male multati estis, sumpta ob scena metaphora ab irrumatione, quam qui patitur, contumeliam ferre putabatur. ℙ *Farsus* etiam legitur a quibusdam in *Epit. Livii* 50., ap. *Hyg. fab.* 126., *Petr. fr. Trag.* 69., *Burm.* et *Apic.* 4, 2. et 8, 8.

FARTUS, us. V. FARTUM.

FAS, neutr. indeclin. (in recto, quarto et quinto casu), quod justum, pium licitumque est. Derivant etymologi a *fando*, quasi fatum, *h. e.* dictum sit a Diis aut sacerdotibus. Nam *fas* ad Deos ac religionem refertur; sicut *jus* ad homines, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. G.* 1, 268. festis quaedam exercere diebus, Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla religio vetuit etc. *Cic. Har. resp.* 16. Oratores contra jus fasque interfectos. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Delere omne jus fasque. *Liv.* 7, 31. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios precatum mittemus. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. *extr.* Contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas atque humanas religiones. *Virg. A.* 9, 95. Mortaline manu factae, immortale carinae Fas habeant? ℙ Hinc dicitur aliquando de ipsis Numinibus. *Sen. Herc. fur.* 658. Fas omne mundi, teque dominantem precor Regno capaci, *h. e.* omnes Deos superos. Ap. *Auson.* est ipsa Themis *Technopaegn. Idyll.* 12. de Diis: prima Deum fas, quae Themis est Grajis. In veteri formula publice repetentium res, ap. *Liv.* 1, 32. Audi Juppiter, audite fines, audiat fas. ℙ Frequentissime sumitur pro omni eo, quod licet et justum est per quascumque leges, mores, voluntatemve hominum. *Cic. Agr.* 2, 7. Domitius, quod per caeremonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret. *Id. Mil.* 16. Ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset aut per leges liceret. *Id. Dom.* 13. *extr.* Factus es ejus filius, contra fas, cujus per aetatem pater esse potuisti. *Id. Cluent.* 5. Generi sui, contra quam fas erat, amore capta. *Hor. Od.* 3, 29, 31. trepidare ultra fas. *Cic. Mur.* 37. Cives, si eos hoc nomine appellari fas est. *Id. Dom.* 35. Cum mihi uni opera mea hanc urbem esse salvam, jurato dicere fas fuisset. *Virg. A.* 5, 800. Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis. *Cic. Tusc.* 5, 13. Humanus animus cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. *Ov. Pont.* 4, 8, 55. Dii quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt. *Pl. Asin.* 3, 1, 11. Neque te accuso, neque me id facere, fas existimo. *Tac. A.* 14, 30. et *G.* 9. et *Quint.* 3, 8. fas habere. Sic *Pl. Trin.* 2, 2, 10. Quod manu non queunt tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant, *h. e.* solum putant, fas esse abstinere manus ab iis, quae tangere et rapere non possunt. *Ov. Trist.* 2, 205. Fas prohibet, Latio quemquam de sanguine natum, Caesaribus salvis, barbara vincla pati. ℙ Fas gentium, ap. *Tac. A.* 1, 42. est, i. q. jus gentium, et *H.* 4, 58. Fas armorum, i. q. jus armorum, et *A.* 2, 10. Fas patriae, i. e. jus patriae, quod patria a bonis civibus postulat exigitque. Sic *ib.* 1, 19. Fas disciplinae, *h. e.* quod disciplinae ratio postulat. ℙ Saepe jungitur cum *nefas. Hor. Od.* 1, 18, 10. Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum discernunt. *Ov. Met.* 6, 585. Fas nefasque confundere. Adde *A.* 1, 739. et *Tac. H.* 2, 56. Significatur autem hac ratione loquendi, nullam rationem discrimenque haberi aequi et iniqui, honesti et inhonesti. ℙ Ad *fas* in universum et illa pertinent *Virg. A.* 3, 55. Fas omne abrumpere. *Tac. H.* 3, 5. exuere. *Id. A.* 13, 5. Neque fas, neque fidem pensi habere. *Id. H.* 4, 67. Fas et foedera respicere. ℙ *Fas est* aliquando significat, fieri potest. *Ov. A. Am.* 3, 151. Nec mihi tot positus numero comprendere fas est. *Virg. A.* 7, 692. Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro. *Ov. Trist.* 3, 12, 41. Fas quoque, ab ore freti, longaeque Propontidos undis Huc aliquem certo vela dedisse Noto. Fortasse ita quoque verti potest, quotiescumque cum *licet* jungitur. *Id. Fast.* 1, 25. Si licet et fas est, vates rege vatis habenas. *Stat. Th.* 8, 90. Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est Manibus. *Lucan.* 1, 359. Si licet, et fas est veras expromere voces. ℙ Aliquando adjectivi vim habet. *Ov. Her.* 4, 134. Juppiter esse pium statuit, quodcumque juvaret: Et fas omne facit fratre marita soror. ℙ Refertur et ad dies fastos, ut nefas ad nefastos. *Varr. L. L.* 5, 4. Dies, qui vocatur sic, Quanto rex comitiavit, fas. Et *mox.* Ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Et mox. Dies vocatur, Quando stercus delatum, fas.

[FASCĀLIS, e, adj. ad fascem pertinens. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 274. *n.* 154. Maximo fascali Aug. N. Victoria cojugi incomparabili. Idem *Fabrettus* hic adnotat, fasces hinc inde cum securibus in lapide repraesentari, unde intelligimus, hunc Maximum fuisse Augusti cujusdam lictorem, cujus professio hac voce cadentis Latinitatis propria significatur. *F.*]

FASCĒLĪNUS, a, um, adj. ad Fascelidem Dianam pertinens. *Sil.* 14, 260. Thoanteae sedes Fascelina divae, *h. e.* Dianae Tauricae in Siciliam translatae. Al. leg. *Facelina Dianae*, et dictam docent a *face*, cum qua pingitur, propter quam et *Lucifera* cognominatur: vel rectius *Phacelina* a *φάκελος*, fasciculus, fascis, propter ea, quae dicuntur in v. seq.

FASCĒLIS, idis, et Fascelitis, idis, f. cogn. Dianae, ex eo sumptum, quod Orestes cum Iphigenia sorore simulacrum ejus e Taurica Chersoneso, ut asportare tuto posset, in fasce lignorum involvit et Ariciam in Italiam detulit: vel, ut alii volunt, prope Syracusas in Siciliam. *Serv.* ad *A.* 2, 116. et *prooem.* ad *Virg. Bucol.*, ex quo descripsit *Hyg. fab.* 261. ℙ Alii malunt scribi *Phăcēlitis*, correpta secunda syllaba, et adjectivum *Phăcēlĭnă*, a Graeco *φάκελος*, fasciculus: quod sane magis placet: nam ex Latino *fascis* non apte formatur *fascelis, idis*, quod Graecam positionem sapit. *Lucil.* ap. *Prob. de vita Virg.* freta Messanae, et Rhegina videbis Moenia, tum Liparam et Phacelinae templa Dianae. Al. leg. *Phacelitidi.* [et ap. *Sil.* 14, 260. Thoanteae sedes Phacelina Dianae. V. *Heyn.* hac super re docte disputantem ad *Donati* vit. *Virg.* §. 85. *F.*]

FASCIA, ae, f. *ἐπίδεσμος, σπαργανον*, pannus lineus vel laneus, oblongus et angustus, ad obligandum, vestiendumve, quales sunt, quibus infantes aut vulnera obvolvuntur. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 13. Puero fasciis opus est, pulvinis, cunis. *Cic. Brut.* 60. Devinctus erat fasciis et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. *Suet. Dom.* 17. Brachium lanis fasciisque obvolvere. *Id. Galb.* 21. Latus fascia substringere. *Gell.* 16, 3. Fasciis ventrem strictissime colligare. ℙ Fuit fasciarum usus etiam vestiendi et sustentandi et obtegendi causa: ut quas adhibebant viri cruribus fovendis, amiciendo pedi, ne in calceo aut laederetur aut nataret: et quas iidem herniis sustinendis: et quas mulieres tegendo pectori et papillis. De prioribus *Cic. fr.* ap. *Non.* 14, 2. Cum vincirentur pedes fasciis, cum calvatica capiti accommodaretur. V. CALVATICA. *Quint.* 11, 3. *med.* Fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia et aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo. *Cic. Att.* 2, 3. Epicratem suspicor lascivum fuisse: etenim mihi caligae ejus, ut fasciae cretatae, non placebant. De Pompejo loquitur, de quo et *Val. Max.* 6, 2. *n.* 7. Candida fascia crus alligatum habenti, Favonius: Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. *Plin.* 8, 57, 82. Fasciae, quibus in calceatu utebatur. *Lampr. Alex. Sev.* 40. Fasciis semper usus est, *h. e.* pedulibus: de quibus multa ibi *Salmas.* disserit. *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. Fasciae crurales pedulesque loco vestium sunt. *Grat. Cyn.* 338. tegat imas fascia suras. Adde *Justin.* 38, 1. *ad f.* et V. CRURALIS. De alteris V. VINCTURA. De tertiis *Ov. A. Am.* 3, 274. Inflatum circa fascia pectus eat. *Prop.* 4, 9, 49. de Hercule: Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus. *Mart.* 14, 134. cujus lemma est *fascia pectoralis.* Fascia crescentes dominae compesce papillas. V. PECTORALIS et STROPHIUM. [*Gr. στηθοδεσμὸς vel στηθοδεσμίς. Zonae genus erat, quod supra mammas necti a feminis solebat. V. *Lessing. Opp.* ed. *Berol.* ap. *Voss. T.* 14. p. 36. sq.] ℙ *Fascia* coronae addita regium erat insigne, nempe diadema. *Suet. Caes.* 79. Cum quidam statuae ejus coronam lauream candida fascia praeligatam imposuisset, et tribuni pleb. coronae fasciam detrahi hominemque duci in vincula jussissent. *Sen. ep.* 80. *extr.* Vides illum Scythiae regem, insigni capitis decorum? Si vis illum aestimare, fasciam solve: multum mali sub illa latet. ℙ *Fascia junci* ap. *Plin.* est involucrum e junco, 15, 17, 18. *n.* 4. Uvas sole siccas junci fasciis involvit cadisque conditas gypso includit. ℙ Quas in publico epulo Caligulam pue-

ris et feminis fascias purpurae ac conchylii distribuisse, narrat *Suet.* 17., fuisse videntur institae praetexendae in ima toga et fasciae pectorales. ℙ *Fascias* lecti cubicularis memorant *Cic. Div.* 2, 65., et sunt, quibus culcita ipsa sustinebatur. *Mart.* 5, 62. Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos: Putris et abrupta fascia reste jacet. Et 14, 159. cui titulus *Tomentum Lingonicum.* Oppressae nimium vicina est fascia plumae. ℙ Aliquando cornicem significat, inquit *Non.* 6, 18. afferens illud *Varronis:* Libyssa citrus fasciis cingit fores. Quae verba affert etiam *Id.* 2, 132., et intelligenda sunt de opere vermiculato, in quo veteres utebantur citreis laminis ad fores, mensas, subsellia, lectos et reliquam domorum supellectilem ornandam. V. CITRUS. ℙ *Non es nostrae fasciae, h. e.* nostrae sortis, conditionis, ordinis: proverb. ap. *Petr. fr. Trag.* 46. *Burm.*, in quo alii respectum volunt ad fascias infantium, alii a mercatorum consuetudine, unius generis merces eadem fascia involvendi: alii a fasciis cruralibus, quas ditiores ex pretioso panno, ex sordido pauperes gestare solent. ℙ In architectura *fasciae* per similitudinem dicuntur membra quaedam oblonga et angustiora in epistyliis longe eodem tenore procurrentia et fasciae instar extensa. Referunt enim speciem adpactarum regularum. *Vitr.* 3, 3. *med.* Corona cum suo cymatio praeter simam, quantum media fascia epistylii. ℙ Etiam zonae in coelo *fasciae* dicuntur. *Capell.* 6, 196. Orbi terrae in quinque zonas, sive melius fascias dico, discernitur. ℙ Nubes quoque in modum fasciarum longo per coelum tractu protensae et tempestatis nunciae. *Juven.* 14, 294. Nil color hic coeli, nil fascia nigra minatur. ℙ Olim et *fascea* scriptum fuit.

FASCĬĀTIM vel Fasceatim (nam et *Fascea* olim scribebant) adv. per fasces. V. in ATTRACTIO.

FASCĬĀTUS, a, um, part. a *fascio*, *fasciato.* *Mart.* 12, 57. Nec fasciato naufragus loquax trunco.

FASCĬCŬLĀRĬĂ, um, n. plur. quae in fasciculum colligantur, et fascis modo portantur. *Veg. Mil.* 2, 19. *extr.* Fascicularia tamen, id est lignum, foenum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant.

FASCĬCŬLUS, i, m. *δεσμὶς, φάκελλος*, parvus fascis. *Cic. Tusc.* 3, 18. *extr.* Fasciculum *(florum)* ad nares admovere. *Id. Q. Fr.* 2, 12. Fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat et mea, et Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse. *Plin.* 19, 1, 3. Linum in fasciculos manuales colligatum siccatur in sole. *Hor. Ep.* 1, 13, 12. ne forte sub ala Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum.

FASCĬGER, a, um, adj. fascem vel fasces gerens. *Paul. Not.* 321. Te duce fascigerum gessi primaevus honorem, *h. e.* consulatum.

[FASCĬNA, ae, f. fascis sarmentorum, et virgarum. *Cato R. R.* 37. De vinea, et arboribus putatis sarmenta degere, et fascinam face. *Schneiderus* omnium primus in textum pro *fiscinam* recepit ex *Pontederae* conjectura, qui in *Antiquit. Gr. et Lat.* p. 51., codicis *Politiani* auctoritate fultus, Lexicis hanc vocem addendam censuit, cum et Itali, et Galli eandem admiserint a vetustissimis Latinis vulgo eam usurpantibus mutuati. *F.*]

[FASCĬNĀBELLUM, et

[FASCĬNĀBULUM, i, n. diminut. fascini. *Not. Tir.* p. 182. fascinum, fascinabulum, fasciuabellum. *F.*]

FASCĬNĀTĬO, onis, f. *βασκανία*, actus fascinandi. *Plin.* 28, 2, 5. Cur et fascinationibus adorationе peculiari occurrimus? Et *ib.* 4, 7. Fascinationes repercutere. Et *ib.* 8, 27. Fascinationibus resistere.

*FASCĬNĀTOR, oris, m. *Vet. Gloss.* Fascinator, *βάσκανος. B. A.*

FASCĬNĀTORĬUS, a, um, adj. ad fascinandum pertinens. Est *Servii* ad *Virg. Ecl.* 7, 28. Lingua fascinatoria. V. *Catulli* loc. in v. seq.

FASCĬNO, as, a. 1. *βασκαίνω*, malefico aspectu, aut alio quovis veneficio alicui noceo. *Virg. Ecl.* 3, 103. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. *Plin.* 13, 4, 9. Contra fascinantes. *Catull.* 7, 11. Quae *(basia)* nec pernumerare curiosi Possint, nec mala fascinare lingua.

FASCĬNOSUS, a, um, adj. bene peculiatus, magno pene praeditus. *Auct. Priap.* 80, 4, 79. Non es poeta fascinosior nostro. Al. leg. *sarcinosior* eod. sensu, sed prior lectio verior est. V. v. seq.

FASCĬNUM, i, n. *βασκανία*, quoddam incantationis genus, quo homines ita ligantur, ut liberi non sint nec mentis compotes, et saepe ad extremam corporis maciem deveniant: a *βάσκανος*, ut *Cloatius Verus* ap. *Gell.* 16, 12. docet. *Plin.* 7, 2, 2. scribit ex *Cic.*, mulieres omnes, quae duplices habent pupillas, oculis fascinum circumferre. Translate. *Symm. ep.* 1, 7. (al. 13.) Nullo fascino felicitas publica mordeatur. ℙ Usurpatur etiam pro veretro, quia veteres adversus fascinationem veretro utebantur. Nam omnia turpia malos invidorum oculos ab instituto avertunt atque avocant. Ut igitur aves inauspicatae foribus affixae amoliri inforтunium credebantur, sic veretra, quorum in fascinando usus erat, fascinum etiam depellere censebantur. Hinc, teste *Varr. L. L.* 6, 5., pueris figura veretri pro amuleto de collo suspendebatur; quod etiamnum apud nostrates obtinet, etsi propter hujusce rei ignorationem alia de causa id fieri plerique putent. Et *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 1. Hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio satyrica signa, *h. e.* tenta veretra. *Coel.* vero *Rhodiginus Antiq. lect.* 4, 6. ex *Varr.* narrat, in sacris Bacchi veretrum magna celebritate plaustris per agros et per urbes circumferri solitum fuisse, ut fascinatio a plantis et segetibus, ab agnis et aliis bestiis, ab hominibus etiam averteretur. [Hinc est, quod paucis abhinc annis Pompejis supra furni os repertum fuerit lapideum veretrum, cum hac inscriptione: *Hic habitat Felicitas.* V. *Mich. Arditi* dissert. *Il fascino presso gli antichi. Napoli* 1825.; ex quo sane invento magna lux affunditur *Symmachi* loco supra allato. *Hor. Epod.* 8, 18. Minusve languet fascinum. *Petr. Sat.* 138. Profert Enothea scorteum fascinum, *h. e.* veretrum e corio. *Arnob.* 5, 176. Simulacra virilium fascinorum. *F.*] ℙ Est etiam *fascinus, i*, m. ap. *Virg. Catal.* 5, 19. Non me vocabis pulcra per Cotyttia Ad feriatos fascinos.

FASCĬNUS, i, m. Dei nomen apud veteres, qui nihil aliud fuit, quam veretrum, de quo sic *Plin.* 28, 4, 7. Religione mutatur et Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium, custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit, medicus invidiae etc. V. v. praec.

FASCĬO, as, a. 1. *σπαργανόω*, est fascia ligare, *Capitolin. Antonin.* 13. Tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. **Vulg. Ezech.* 30, 21. *B. A.*

FASCĬŎLĂ, ae, f. *ἐπιδέσμιον*, parva fascia. *Cic. Har. resp.* 21. A muliebribus soleis, purpureisque fasciolis. *Varr. L. L.* 4, 29. Fasciola, qua capillum in capite colligarent. *Hor. Sat.* 2, 3, 255. ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Vopisc. Aurel.* 4. Vinctum fasciola Aurelianum aquila innoxie de cunis levavit.

FASCIS, is, m. *δέσμη, φάκελλος*, lignorum alteriusve rei congeries simul colligata. *Virg. Ecl.* 9, 65. ego hoc te fasce levabo. *Hirt. B. G.* 8, 15. Fasces stramentorum ac virgultorum, per manus inter se transditos, ante aciem collocaverunt. *Pl. Ep.* 1, 1, 26. Viminei fasces virgarum. *Tac. A.* 13, 35. Fascem lignorum portare. *Virg. G.* 3, 347. injusto sub fasce viam carpere, *h. e.* sub gravi pondere sarcinae militaris: (quod illustrat *Cic. Tusc.* 2, 16.) *Id. ib.* 4, 203. de apib. Saepe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere, *h. e.* sub onere florum. ℙ Translate. *Plin. ep.* 3, 9. Tot crimina, tot reos uno velut fasce complecti. ℙ Apud Romanos *fasces* erant virgarum, seu bacillorum fasciculi, plerumque ex betulla arbore, quibus simul colligata erat securis, ferro ejus exstante. Hi a lictoribus praeferebantur magistratibus, tanquam eorum insigne, atque animadversionum instrumenta: bini quidem praetoribus urbanis, seni proconsulibus, et praetoribus provincialibus, duodeni consulibus, vigintiquatuor dictatori. Duumviris quoque municipalibus in suis municipiis, primo bacillos, deinde fasces binos cum securibus habere, mos fuit. V. *Cic. Agr.* 2, 34. et *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 10, 31, 53. Quaestores etiam in provinciis fascibus usos, colligitur ex *eod. Cic. Verr.* 2, 2, 4. V. LICTOR. Vetuloniam Etruriae urbem fasces cum securibus invenisse tradit *Sil.* 8, 483. Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis: Bissenos haec prima dedit praecedere fasces, Et junxit totidem tacito terrore secures. Si castigatione opus erat, virgis; si graviori supplicio, securi utebantur: quamquam interdum virgis quoque ad necem usque caesos quosdam legimus. Quod autem colligata haec potestatis instrumenta instituta sint, eo pertinuit, ut intelligerent magistratus, eorum iram non debere esse in puniendo praecipitem: et ut dum solvuntur fasces, expediunturque secures, mora afferretur aliqua iratis animis, et cunctando res maturius deliberaretur, ut est ap. *Plutarch. Quaest. Rom.* ℙ Praeferebantur a lictoribus sublati in humerum sinistrum: quod si forte majori magistratui in via minor occurreret, demittebantur ex humero, honoris habendi causa. Hoc dicebatur *fasces submittere:* quod primum fecisse Valer. Poplicolam Cos., qui submissis fascibus (et securi vacuefactis, ut est ap. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 1.) in concionem ascendit, narrat *Liv.* 2, 7. gratum multitudini spectaculum, veluti confessionem, populi, quam consulis, majestatem vimque esse majorem. Simile quiddam de Pompejo narrat *Plin.* 7, 30, 31. Hinc *submittere fasces* translate est cedere seque minorem fateri. *Cic. Brut.* 6. Cum tibi aetas nostra jam cederet fascesque submitteret. ℙ Inter consules ita comparatum aliquando fuit, ut non ambo, sed alter fasces imperiumque haberet, si ambo adessent, alternis aliquando diebus, [ut constat ex loco *Livii* mox citando, minime vero ex auctoritate *Diarii consularis* ap. *Mur. Inscr. T.* 2. p. 610., quod spurium esse et ficticium multis probat argumentis *Jo. Labusius* in *adnot.* ad *Morcelli Dissert. dei littori de' magistr. R.* p. 30. *F.*] plerumque mensibus; altero vel securim tantummodo, vel fasces ipsos omnino domi attinente. Cum vero jus esset primi mensis fasces sumere, pluribus docet *Gell.* 2, 15. ex lege Julia. *Suet. Caes.* 20. Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores ponе sequerentur. *Liv.* 8, 12. Aemilius, cujus tum fasces erant, collegam dictatorem dixit. *Val. Max. l. c.* Ad quem, quia major natu erat, priores fasces transferri jussit. ℙ A Poplicola jam laudato mos institutus, ut in Urbe consules fascibus sine securi uterentur: cujus rei exemplum habes ap. *Liv.* 24, 9., non item dictatores, et decemviri, quia sine provocatione erant: qua de re V. *eund.* 3, 36. et quae diximus in DICTATOR. ℙ [*Fasces coronati* erant, quibus laurea corona praefixa erat, quosque in nummis videre est a *Spanhem. de usu et praest. numm. T.* 2. p. 88. et sqq. illustratis. *F.*] *Laureati* vero, qui lauri tantum folia praeferebant, insignia nempe imperatorum post reportatam victoriam, quemadmodum et litterae, quas publice de hoste victo mittebant Romam, iisdem foliis exornabantur; [quae videre est ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 117. et ap. *Winckelmann. Monum. Ined. T.* 2. *tab.* 178. et alibi. *F.*] *Caes. B. C.* 3, 71. Neque in litteris, quas Pompejus scribere est solitus, neque in fascibus insignia laurae praetulit. *Cic. Div.* 1, 28. Visus C. Marius cum fascibus laureatis. Adde *Att.* 8, 3. *med.* et *Tac. A.* 13, 9. ℙ Metonymice *fasces* ponuntur pro magistratu, praesertim vero pro consulatu, *Virg. G.* 2, 495. Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit. *Hor. Sat.* 1, 6, 96. Parentes honesti fascibus et sellis. *Id. Ep.* 1, 16, 34. Deferre, et detrahere fasces indigno. *Ov. Pont.* 4, 9, 61. alterna feretis Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis. *Juv.* 5, 110. et titulis et fascibus olim Major habebatur donandi gloria. Adde *Sil.* 11, 152.

FĂSĒLUS. V. PHASELUS.

FĂSĔŌLUS. V. PHASEOLUS.

FASSUS. V. FATEOR.

FASTI, orum, m. plur. *ἡμερολόγιον*, libri, in quibus perscribebatur Romae a pontifice maximo, itemque in aliis civitatibus, quid quoque anno ac die accideret in republica, res gestae tum belli, tum pacis, victoriae, triumphi, honores ac praemia, templorum dedicationes, consulum ceterorumque magistratuum nomina, ratio et ordo dierum festorum fastorumque, et forensis administrationis, sacra, epulae, ludi, feriae etc. Hac ratione differunt ab annalibus nihil. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Ego D. Bruto liberato, cum laetissimus ille civitati dies illuxisset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. *Id. Verr.* 2, 4, *extr.* Illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent etc. *Ov. Fast.* 1, 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Hor. Od.* 4, 13, 14. tempora, quae semel Notis condita fastis Inclusit volucris dies. Et *ib.* 14, 4. et *ib.* 3, 17, 4. memores fasti. Et *Sat.* 1, 3, 112. Tempora si fastosque velis evolvere mundi. ℙ Dicti sunt a *diebus fastis*, quorum praecipue ratio singulis annis diligenter describebatur, et suis deinde temporibus populo edicebatur: qua ratione ab *annalibus* differunt, qui latius plura complectuntur. V. ACTA, orum. [*Cf. *Gierig.* ad *Ov. Fast.* 1, 7.] Hinc *Fastos* opus suum *Ov.* inscripsit, in quo singulorum totius anni dierum festos dies, et sacra enumerat describitque, originem et causas exponit. Quod cum facit, illud simul efficit, ut sciatur, qui fasti dies sint, quive nefasti, quibus diebus lege agi in foro liceat, quibus non liceat. Quae ratio cum primis temporibus de industria in penetralibus pontificum celaretur, quidam Cn. Flavius scriba Appii Caeci pontificis maximi clam descripsit, et publicavit, tanta gratia apud populum, ut eum aedilem curulem creaverit, uti narrant *Cic. Mur.* 11. et *Liv.* 9, 46. ℙ Saepe *Fasti* ea ratione usurpantur, qua magistratuum nomina continent: unde et *consulares* dicuntur, et *Capitolini* ab eruditis vocantur. *Cic. Fam.* 5, 12. Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri saepe excellentis ancipites casus habent admirationem, etc. *Liv.* 9, 18. *med.* Paginas in annalibus magistratuum fastisque percurrere licet, consulum, dictatorumque, quorum etc. *Cic. Sext.* 14. Si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet. [*Id. Att.* 4, 8. Si vero id est quod nescio an sit, ut (Pompejus) non minus longas jam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeat quam factorum, quid illo (Domitio) miserius? Hic fasti codicillorum sunt fasti privati, et Cicero facete suspicatur Pompejum jam in plurimos annos consules, quos velit creari, designasse. *Schütz. cl. Cic.*] *Stat. Silv.* 4, 1, 20. da gaudia fastis Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro, etc.

Adde *Plin. Pan.* 58. ℙ Sunt etiam *Fastus, uum,* 4. decl. *Varr.* ap. *Prisc.* 6, 711. Honoris causa Julii Caesaris, qui fastus correxit. *Lucan.* 10, 187. Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus. [*Inscr.* ap. *Marin. Iscr. Alb.* p. 20. Ostia, et fastus de sua pecunia fecerunt. *F.*] *Colum.* 9, 14. *med.* In hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi, et Metonis, antiquorumque fastus astrologorum. Adde *Sil.* 2, 10. et *Claud. ep. ad Probin.* 15. ubi alii aliter leg. ℙ De fastis diebus V. FASTUS, a, um.

FASTĬDĬBĬLIS, e, adj. fastidium afferens, ut Fastidibilia judicia, *Tert. Anim.* 33. *f.*

FASTĬDĬENTER, adv. fastidiose. *Appul. Met.* 5. p. 166, 11. Parentibus fastidienter appellatis.

FASTĬDĬLĬTER, adv. fastidiose. *Varr.* ap. *Non.* 2, 336. Quibus instabilis animus, ardens mutabiliter avet habere, et non habere, fastidiliter, inconstanti pectore.

FASTĬDĬO, is, ivi, itum, a. 4. ἀποστρέφομαι, respuo, recuso, abhorreo, aversor, aspernor: a *fastus*, ut sit proprie cum fastu despicio, rejicio. [*Docet *Doederl.* 2, 184. *Fastidire* non utique de superbia intelligendum, neque *fastus*, sed *fastidium* esse, quem denotet, affectus originem, ita ut corporis aliquam, sive innatam, s. fortuitam offensionem contineat, quae vel ipsam rerum satietatem sequatur, vel similitudinem quandam ejus referat. Ita differre a *spernere*, quod ad eum pertineat, qui cum boni rectique sensu, rationis causarumque conscius aliquid aspernetur. Hinc ea videtur primo loco ponenda significatio, qua de stomacho dicitur.] *Pl. Curc.* 5, 2, 34. Ut fastidit gloriosus! *Id. Most.* 4, 2, 4. Vide, ut fastidit simia! *Cic. Mil.* 16. Non modo improbitati saepe irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt, [*i. e. fastidiose judicant de r. f.] Al. delent *in. Hor. Ep.* 2, 1, 21. et nisi quae terris semota suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. *Just.* 14, 2. Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant. *Curt.* 6, 10. Fastidire mores alicujus. *Quint.* 1, 4. tanquam parva, grammatices elementa. *Mart.* 3, 31. minores. *Liv.* 34, 5. *extr.* preces alicujus. *Hor. Sat.* 1, 3, 43. pater ut gnati, sic nos debemus, amici Si quod sit vitium, non fastidire. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. *med.* Aures et plena sentiunt, et parum expleta desiderant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia fastidiunt. *Mart.* 5, 44. te Cum fastidierit popina dives, Antiquae venies ad ossa coenae. *Hor. Od.* 3, 1, 21. somnus agrestium Lenis virorum non humiles domos Fastidit, umbrosamque ripam. *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 6. Aestus fastidit amictum. *Plin.* 16, 32, 59. Fastidit balsamum alibi nasci. ℙ Cum infinito. *Petr. Sat.* 127. Ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere. *Liv.* 10, 8. Ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. *Curt.* 4, 14. *med.* An creditis, aequo animo iis servire, quorum reges esse fastidiant? *Phaedr.* 4, 6. jocorum legere fastidis genus. *Ov. R. A.* 305. Diligit ipsa alios: a me fastidit amari. ℙ Cum genit. *Pl. Aul.* 2, 2, 67. Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei. *Titin.* ap. *Non.* 9, 3. Quo te avortisti? mei fastidis? *Lucil. ib.* Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum. ℙ Saepe refertur ad stomachum cibos respuentem. *Pl. Stich.* 5, 4, 33. Bibendum hercle hoc est: quid hic fastidis? *Hor. Sat.* 1, 2, 115. num esuriens fastidis omnia praeter Pavonem rhombumque? *Id. Ep.* 1, 17, 15. olus. *Phaedr.* 3, 7. pulmentarium. *Vet. epigr.* ap. *Suet. Tib.* 59. vinum. *Sen. ep.* 2 Fastidientis stomachi est multa degustare. *Plin.* 21, 16, 57. Cactos non fastidiunt in cibis, inveteratos quoque. *Col.* 8, 16. Docta palata fastidiunt fluvialem lupum. ℙ Ad nares. *Pl. Men.* 1, 2, 58. Olfacta igitur hinc. ut fastidis! *Plin.* 25, 7, 38. Euphorbiae succus fastidiendum odorem habet.

FASTĬDĬOSE, adv. ἰσεμοπικῶς, cum fastidio. *Cic. Planc.* 27. Huic ego jam stomachans fastidiose, Immo ex Sicilia, inquam. *Id. Or.* 2, 89. Quem ego paulo sciebam vel pudentius, vel invitius (nolo enim dicere de tam suavi homine, fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. Et *ib.* 1, 26. Diligenter et prope fastidiose judicare, [*i. e. ad nauseam usque et justo severius omnia vituperando. *Id. ib.* 61. Quod ego non tam fastidiose in nobis, quam in histrionibus puto: ubi *fastidiose* denotat eam spectatorum erga histriones severitatem, quam freti jure et fiducia judicandi tanquam cum taedii quodam affectu adhibere solent explodendis omnibus iis, quae neglectae artis vel minimam significationem referre videantur. *Quint. Decl.* 388. p. 787. Ita habitas, ut tibi etiam tranquillitates eligere fastidiose liceat.] *Cic. Att.* 2, 1. Lente ac fastidiose probare. *Phaedr.* 3. *prol.* 23. Fastidiose in coetum recipi. *Petr. Sat.* 13. Tanquam mendici spolium, etiam fastidiose venditabat, [*i. e. cum contemtu, taedio rei, quam venderet.]

FASTĬDĬOSUS, a, um, adj. qui fastidit, abhorrens, difficilis, δύσκολος. *Cic. Brut.* 70. Fastidiosus litterarum Latinarum. *Id. ib.* 57. Antonius facilis in causis recipiendis erat, fastidiosior Crassus. [*Hoc quid sit, explicatum pluribus quaere ap. *Gron. Obss.* 4, 10. p. 627.] *Auct. ad Her.* 4, 40. In aequos et pares fastidiosus. *Id. ib.* 23. Aurium sensus fastidiosissimus. *Sen. Ben.* 1, 11. Fastidiosus aestimator, *h. e.* qui pluris aestimat, quam res postulat. *Plin. ep.* 8, 6. *med.* Fastidiosissimum mancipium, *h. e.* superbissimum. *Id. ep.* 6, 17. *f.* Res difficilis, ardua, fastidiosa, et quae eos, a quibus contemnitur, dedignatur. ℙ Cum genit. *Hor. Od.* 3, 1, 36. Dominus terrae fastidiosus, *h. e.* fastidiens aedes, quas in terra habet, in mari aedificare parat. ℙ Idem qui fastidium affert. *Hor. Od.* 3, 29, 9. Fastidiosam desere copiam. Respicit *Hor.* ad fastidium ciborum: de quo *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Vaccae cum parere coeperunt, secundum stabula pabulum servari oportet integrum, quod egredientes degustare possint: fastidiosae enim fiunt.

FASTĪDĪTUS, a, um, part. a *fastidio*, fastidio habitus, rejectus, aspernatus, contemptus, καταφρόνητος. *Ov. Trist.* 1, 6, 31. laudatus abunde, Non fastiditus si tibi, lector, ero. Et *ib.* 2, 119. Turbaque doctorum Nasonem novit, et audet Non fastiditis enumerare viris. *Id. Pont.* 4, 1, 19. oro, ne fastidita repellas Verba. *Lucan.* 7, 844. Latiae pars maxima turbae Fastidita jacet. *Plin. praef. H. N. med.* Res ardua vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam. ℙ [*Sensu transitivo is, qui contemtui, taedio aliquid habet; a depon. forma *fastidior.* Laudat *Ramsh. Gr. Lat.* p. 185. *Petr.* 48. Ne me putes studia fastiditum. Adde *Tac. A.* 13, 1. Non, quia (Silanus) ingenii violentia exitum irritaverit, segnis et dominationibus aliis fastiditus, ut C. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit.]

FASTĪDĬUM, ii, n. καταφρόνησις, aversatio, taedium, offensio, contemptus. Fere dicitur de offensione stomachi, cibum respuentis, aut non retinentis: quae et nausea appellatur. *Cic. Inv.* 1, 17. *extr.* Cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur. *Hor. Sat.* 2, 4, 78. Magna movet animo fastidia, seu puer unctis Tractavit calicem manibus, sive etc. [*ib. 2, 6, 86.] *Ov. Pont.* 1, 10, 7. Os hebes est, positaeque movent fastidia mensae: Et queror, invisi cum venit hora cibi. *Sen. Q. N.* 3, 18. Tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die captum piscem. *Juven.* 14, 183. gratae post munus aristae Contingunt homines veteris fastidia quercus. *Plin.* 22, 24, 50. Mel stomachum inflat, fastidium creat. *Id.* 14, 16, 18. Fastidium alicui gignere uvas appetendi. *Col.* 6, 8. afferre cibo. *Plin.* 29, 5, 32. Sentire fastidium. *Id.* 23, 9, 81. abigere. Et 26, 7, 25. abstergere. Et 10, 8, 38. auferre. Et 22, 25, 74. detrahere. Et 23, 1, 27. discutere. Et 25, 8, 51. Fastidium deducunt canes herba canaria, *sc.* vomitum excitando. Sic 8, 27, 41. purgare. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 25. Ea quae specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienamur. *Id. Fin.* 1, 3. Insolens domesticarum rerum fastidium. [*Plin. Pan.* 55, 4. Ut appareat, non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare: ubi nota conjunctionem vv. *superbia* et *fastidium.* V. infra l. *Cic. Off.* 1, 26.] *Id. Tusc.* 4, 10. Habere ad certas res vitiosam offensionem atque fastidium. *Id. Or.* 1, 61. Non tam ea, quae recta sunt, probari, quam quae prava sunt, fastidiis adhaerescere. Et *ib.* 3, 50. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec etc. *Plin.* 12, 17, 40. Nulla voluptas est, quae non assiduitate fastidium pariat. *Cic. opt. gen. Or.* 4. Intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, *h. e.* quo vix quidquam audiunt, quod placeat, velut qui vix cibum inveniunt, quod non fastidiant. Sic *Suet. Ner.* 44. Exegit pari fastidio et acerbitate nummum asperum etc. [**Fastidium* h. l. est morositas in accipienda vel spernenda re, *Gall. caprice*, ut monet *BCrus.* in Cl. *Suet.* p. 364.] Et *Hor. Ep.* 2, 1, 214. qui se lectori credere malunt, Quam spectatoris fastidia ferre superbi, (i. e. *die Launen*). *Cic. Fin.* 1, 2. Rudem esse omnino in nostris poetis, aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. *Id. Phil.* 12, 10. Non possum animo aequo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes: nec id fit fastidio meo, sed caritate reipublicae, *h. e.* superbia, aversatione, odio, comtemptu. (Adde *Fam.* 2, 16.) *Id. ib.* 10, 9. Quorum, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. *Virg. Ecl.* 4, 14. tristes Amaryllidis iras, Atque superba pati fastidia. [**Tibull.* 1, 8, 69. Oderunt Phoebe, moneo, fastidia divi.] (V. FASTUS, us.) *Suet. Aug.* 44. Cacozelos, et antiquarios pari fastidio sprevit. *Cic. Off.* 1, 26. Superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugere. *Hor. Ep.* 12, 13. Agitare verbis fastidia alicujus, *h. e.* movere, excitare, augere. *Plin. praef. H. N. med.* Adducere quidpiam in fastidium. *Sen. ep.* 9. *extr.* Omnis stultitia laborat fastidio sui. *Plin.* 11, 2, 1. Fastidio damnare aliquid. *Id.* 7, 1, 1. Ne sit fastidio Graecos sequi. *Curt.* 4, 10. Patriam fastidio esse, abdicari Philippum patrem. *Plin.* 12, 19, 42. Esse in fastidio, *h. e.* rejici, contemni. *Id.* 10, 29, 41. Parcere fastidio. Et *Macr. Sat.* 5. *f.* Si fastidium facere non timerem, ingentia poteram volumina de his implere. [**Plin. Pan.* 20, 3. Nullum circa hospitia fastidium.] ℙ In arboribus *fastidium* est ap. *Plin.* 16, 32, 58. cum in aliam terram translatae non proveniunt difficultate comprehendendi.

FASTĪGĀTĬO, onis, f. actus fastigandi. *Plin.* 17, 14, 24. Ut fastigatio laevi descendat cuneo. *Appul. Florid. n.* 9. p. 346. Strigilecula, recta fastigatione clausulae, flexa tubulatione ligulae. Al. leg. *fastigiatione.* V. v. seq.

FASTĪGĀTUS et Fastigiatus, a, um, in fastigii morem declivis, devexus, ut sunt tecta domorum, inclinata ad deferendam pluviam. *Liv.* 44, 9. Scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis, et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent. *Plin.* 2, 25, 22. Fastigiatus in mucronem. *Id.* 9, 35, 56. Margaritas proceriores, elenchos appellant, fastigata longitudine. *Vitr.* 8, 7. Solum rivi libramenta habeat fastigiata, ne minus in centenos pedes semipede. Et 7, 4. *f.* Pavimentum fastigatum. ℙ Item erectus. *Liv.* 37, 27. *f.* Collis in modum metae in acutum cacumen a fundo satis lato fastigiatus. Et *Solin.* 32. *extr.* Pyramides turres sunt in Aegypto, fastigatae ultra excelsitatem omnem, quae fieri manu possit. ℙ Translate. *Sid. carm.* 2, 5. quamquam diademate crinem Fastigatus eas, *h. e.* diademate in modum coni erecto ornatus. *Id. ep.* 2, 4. Ita sibi videbitur ad arcem fastigatissimae felicitatis evectus; et *ep.* 1, 9. Duo fastigatissimi consulares, *h. e.* dignitate sublimes. ℙ Lis est inter criticos utra ex duabus his vocibus retinenda sit; alterutram enim rejiciunt. Est qui excludat *fastigiatus:* est qui *fastigatus* expungat. Utraque sane in MSS. reperitur, sed posterior ista frequentius: quod et de *fastigo* et *fastigio* verbo dicendum est. [*Longe major vv. dd. numerus, freti vetustissimorum eorumque optimorum cdd. auctoritate praeferendum censent *fastigare.*]

FASTĪGĬUM, ii, n. ἄρκα, κορυφή, ἀέτωμα, summitas, cacumen a latitudine surgens et paulatim in acumen desinens. [*De hujus v. etym. et signif. bene disputat *Doederl.* 2, 109. sqq.] Dicitur primo de tectis sacrarum aedium, quae olim ex una tantum parte inclinata erant et in unum locum pluviam demittebant; postea inventum est, ut medio sui assurgerent altius, atque ex utraque parte pluviam dejicerent. [*Ein *Satteldach.*] *Cic. Or.* 3, 46. Capitolii fastigium illud et ceterarum aedium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est: nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est: ut etiam si in coelo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur. *Liv.* 40, 2. Atrox tempestas fastigia aliquot templorum a culminibus abrupta, foede dissipavit. ℙ A sacris aedibus transiit ad Caesarum domos, postquam divinos honores Romani illis tribuere coeperunt. *Cic. Phil.* 2, 43. de Jul. Caes.: Quem is majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? *Flor.* 4, 2. *f.* de eod.: Omnes unum in principem congesti honores: circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in coelo. V. AETOMA. ℙ Hujusmodi fastigia ornabantur signis fictilibus, aereis, lapideis, ut colligitur ex *Vitr.* 3, 2. *Liv.* 26, 23. et *Plin.* 35, 12, 43. et 36, 5, 4. *n.* 2. [*Addebantur etiam inscriptiones et elogia rerum gestarum atque honorum, quibus imperatores functi essent. Hinc *Plin. Pan.* 54, 4. Excessurosque templorum fastigium titulos — nomini Caesarum dicabamus.] ℙ Neque vero putes, in privatis aedium tectis nulla fuisse fastigia. Nam contra habes ap. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. ubi de aedibus Q. fratris Romae positis verba facit. Verum quod in sacris aedibus alia peculiarique ratione formata erant et exquisitiore ornatu et altiore ad dignitatem cacumine et acroteriis impositis, quae fere constabant fictilibus vel aereis signis Deorum: *fastigia* veluti per antonomasiam appellata sunt. Certe *Plin. cit. l.* 35, 12, 43. ab ectypis signis fictilibus fastigia templorum orta fuisse, tradit: et 36, 2, 2. *fictilia Deorum fastigia* appellat. ℙ Per synecdochen dicitur de tecto ipso. *Virg. A.* 8, 491. et *ib.* 9, 568. ignem ad fastigia jactant. ℙ Sumitur etiam pro quacumque summitate paulatim in angustum desinente. *Plin.* 10, 52, 74. Aquatilium ova rotunda: reliqua fere fastigio acuminata. *Id.* 11, 37, 45. Cornua in leve fastigium exacuta. Et 16, 33, 60. Cupressus meta in fastigium convoluta. Et *ib.* 36, 64. de arundine: Gracilitas nodis distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina. *Caes. B. G.* 7, 69. Colles pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. Et 73. Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad summum fastigio, *h. e.* summis earum parietibus angustioribus, quam imis. *Lucr.* 4, 825. Fastigia

surarum ac feminum pedibus fundata. *Val. Fl.* 2, 553. fastigia muri. *Curt.* 4, 2. Opus nondum aquae fastigium aequabat. *Liv.* 1, 38. *f.* Cloacis e fastigio in Tiberim ductis. Al. delent *e*: i. e. per proclive. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Trabs e larice, longa pedes CXX., bipedali crassitudine aequali: quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad mucronem aestimantibus. ℙ Dicitur aliquando de ipsa declivitate fastigii. *Caes. B. C.* 2, 10. Columellas inter se capreolis molli fastigio conjungunt. Et *ib.* 1, 45. Declivis locus tenui fastigio vergebat etc. *Curt.* 6, 6. *med.* Rupes leniore submissa fastigio. *Virg. Ecl.* 9, 8. hoc idem significaturus, *mollem clivum* dixit. *Varr. R. R.* 1, 14. Fossa ita idonea, si totam aquam, quae e coelo venit, recipere potest aut fastigium habet, ut exeat e fundo. ℙ Et de superficie. *Id. ib.* 20. Spectandum, quo fastigio sit fundus? in confragoso enim ac difficili haec valentiora parandum. Adde *ejusd.* locum infra laud. ℙ Item de profunditate. *Virg. G.* 2, 288. Forsitan et scrobibus quae sint fastigia, quaeras. Sic *altus* non sublimem solum, sed etiam profundum significat. ℙ Et de prominentia, exstantia. V. locum *Vitruvii* in EXSTRUCTIO. ℙ Translate dicitur de dignitate altoque fortunae statu. *Nep. Att.* 10. Tanta varietas fuit fortunae, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo. *Vell.* 2, 69. In consulare fastigium provectus. [**Liv.* 6, 38. Dictaturae fastigium. 3, 35. Ejusdem fastigii cives. 2, 27., ubi de centurione primi pili *fastigium* dicitur. *Plin. Pan.* 61, 2. Collatione fastigii tui.] *Val. Max.* 1, 6. *n.* 1. Ad regium fastigium evehere aliquem. *Vell.* 2, 131. Quidquid numinum hanc R. imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit. *Plin. Pan.* 52. Sic fit, ut Dei summum inter homines fastigium servent. [*V. *Gierig.*, qui ita legit: Sic fit, ut summum inter homines fastigium serves, cum Deorum ipse non appetas. Recte quidem! modo v. *Dei* non ablegasset, quod fieri vetat et cdd. auctoritas et loci ratio. Sententia haec esse videtur: Tu summam Dei auctoritatem et sempiternam tenes, licet divinum honorem nunquam concupiveris. Cum vi quadam opp. *Dei* et *Deorum.*] *Curt.* 3, 12. *f.* Et praeteritae fortunae fastigium capio et praesentis jugum pati possum. *Nep. Att.* 14. Pari fastigio stetit in utraque fortuna, *h. e.* modo et cultu vitae. *Curt.* 9, 10. *med.* Animus super humanum fastigium elatus. [**Suet. Cal.* 22. Admonitus et regum et Principum se excessisse fastigium. *Tac. A.* 15, 74. Tanquam mortale fastigium egressus. *Liv.* 27, 31. Submittendo in privatum fastigium, quo minus conspectus eo solutior erat.] *Juven.* 3, 39. Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. *Plin. ep.* 1, 7. Vide, in quo me fastigio collocaris, cum etc. *Quint.* 12, 1. Stetisse Ciceronem in fastigio eloquentiae, fateor. *Plin.* 30, 1, 1. Magice in tantum fastigii adolevit, ut hodieque in magna parte gentium praevaleat. ℙ Item de fine ac termino cujusque rei. *Cic Off.* 3, 7. Quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tanquam fastigium imponimus. ℙ *Fastigia summa rerum* sunt summa capita. *Virg. A.* 1, 345. longa est injuria, longae Ambages, sed summa sequar fastigia rerum. (*Serv.* exponit primordia) Similiter ap. *Varr.* ponuntur *fastigia* pro generibus. Ait enim *R. R.* 1, 7. *in.* E quibus tribus fastigiis simplicibus, *h. e.* tribus generibus agrorum, campestri, collino et montano; et *med.* Propter haec tria fastigia formae, discrimina quaedam fiunt sationum. Et *in f.* Haec atque hujuscemodi tria fastigia agri etc. ℙ Denique *fastigia* quidam grammatici vocant accentus, qui verborum syllabis appinguntur, quod sint veluti quaedam fastigia vel fastigatae lineolae ipsis impositae. *Capell.* 3, 60. et 63. et *Diomed.* 2, 428. V. v. seq. [*Confunduntur *fastigia* et *vestigia*. *Snakenb.* ind. commentarii ad *Curt.* s. v. fastigium.]

FASTĪGO, as, a. 1. ὀξύνω, acumino, in fastigium erigo. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Frumenta hieme in herba sunt, verno tempore fastigantur in stipulam. *Id.* 24, 19, 118. Folia in exilitatem fastigantur. *Sil.* 5, 48. Ore levem patulo texens de vimine nassam, Cautius interiora ligat mediamque per alvum Sensim fastigans, compressa cacumina nectit. [*V. *Drakenb.* ad h. l. *Mela* 2, 1, 5. Post spatiosa modice, paullatim se ipse fastigat et quasi in mucronem longe colligens latera facie positi ensis adlecta est. Adde 1, 4, 1. et 3, 10, 5.] ℙ Translate. *Sidon. ep.* 3, 6. Qui statum celsitudinis tuae titulorum parilitate fastigat, *h. e.* extollit. ℙ Significat etiam vocalibus fastigium appingere, sic A, ut longas esse omnibus innotescat. *Capell.* 3, 59. Ut fastigetur longa brevisque (lege *brevisve*) fuat. ℙ Reperitur et *fastigio*. V. dicta in FASTIGATUS.

FASTŌSUS, a, um, adj. superbus, fastu plenus, ὑπέροφρων. *Petr. Sat.* 131. Quid est, fastose? ecquid bonam mentem habere coepisti? *Mart.* 10, 13. Ad nocturna jaces fastosae limina moechae. [**Id.* 13, 102. (al. 99.), 2. Fastosum garum, ubi al. leg. *faecosum*. *B. A.*] *Auct. Pan.* ad *Pis.* 107. Domus fastosa. ℙ [In *Not. Tir.* p. 93. legitur *Fastuosus*. *F.*]

FASTUS, us, m. ἀλαζονεία, superbia et elatio quaedam animi, nimia sui existimatio cum contemptu aliorum. *Plin.* 11, 37, 51. Supercilia maxime indicant fastum. *Id.* 9, 35, 58. Superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix. *Ov. Fast.* 1, 419. Fastus inest pulcris sequiturque superbia formam. *Hor. Ep.* 2, 2, 92. aspice primum, Quanto cum fastu, quanto molimine circum Spectemus. *Prop.* 2, 19, 61. assumere fastus. Et 3, 11, 10. terere, *h. e.* proculcare. Et *ib.* 15, 3. compescere. Et *ib.* 17, 11. et *ib.* 23, 35. pati alicujus, *h. e.* superbiam et repulsas amicae: quo sensu *Id.* 4, 5, 42. de Medea: Nempe tulit fastus, ausa rogare prior. Et *Virg. Ecl.* 4, 14. superba pati fastidia. Et *Ov. Met.* 14, 461. O mea lentos Pone, precor, fastus et amanti jungere, Nymphe. *Id. A. Am.* 2, 241. fastus exuere. *Tac. A.* 2, 2. Fastus erga patrias epulas. *Petr. Sat.* 96. Fastum facere alicui, *h. e.* eum despicere et a se repellere. Phrasis minus imitanda. ℙ *Fastus, uum*, in plur. num. sunt Fasti, in quibus magistratuum nomina perscribebantur. V. FASTI.

FASTUS, a, um, adj. quod cum voce *dies* solum conjungitur et dicitur de iis diebus, quibus lege agi licet et forensem jurisdictionem exercere. *Ov. Fast.* 1, 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur: Fastus erit, per quem lege licebit agi. ℙ Dies fasti illi erant, quibus praetoribus licebat lege agere, idest jurisdictionem exercere et absolvere ac condemnare: a *fando*, quod illis diebus permissum erat praetoribus fari tria illa verba solemnia in jurisdictione exercenda: *Do*, *Dico*, *Addico*. Alii erant festi, alii profesti, alii senatorii, alii non senatorii, alii comitiales, alii non comitiales. Sed divisio celebrior est, qua in tres species dividuntur. Prima erat eorum, qui erant *fasti proprie et toti: proprie*, quia praetor semper et poterat et solebat lege agere, nisi cum casus aliquis extra ordinem interveniebat: *toti*, quia horis omnibus lege agere licebat. Hi simpliciter *fasti* dicebantur et in calendario littera F. signabantur. Erant in toto anno XXXVIII. Secunda eorum erat, qui *proprie*, *sed non toti fasti* erant, siquidem praetor omnibus his diebus quidem, sed non omnibus horis poterat lege agere. Notabantur his litteris Fp., Np., En., Q. Rex C. F., Q. St. Df. idest *Fastus primo*, *Nefastus primo*, *Endotercisus*, *Quando rex comitio fugit*, *Quando stercus defertur*. Erant LXV. Tertia eorum, qui *non proprie*, *sed casu fasti* erant, cujus generis erant comitiales. Interdum enim comitia non habebantur et tunc lege agere licebat. Hi interdum erant fasti toti, idest cum nulla comitia habebantur, interdum ex parte, idest, cum comitia fiebant, sed non toto die. Erant CLXXXIV. Ex *Manut.* De veterum dierum ratione. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* tradit, lege Hortensia nundinas quoque *fastas* fuisse. V. in HORTENSIUS, a, um.

FĀTA, ae, f. Parca: a *fatum*. Parcae enim fatales Deae dicuntur. In nummo Diocletiani ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 6. Fatis victricibus. [*scil.* tribus Parcis, quae omnia vincunt; ibi enim videre est tres mulieres cum cornu copiae et gubernaculo. Ceterum illud *fatis* derivari etiam potest ex *fatum*, *i*, nam adjectivum *victrix* saepe cum nominibus substantivis neutrius generis conjungitur. V. VICTRIX et FATUM. *F.*]

FĀTĀLIS, e, adj. εἱμαρμένος, ex fato impendens, fato destinatus: et tam de iis dicitur, quae exitium afferunt, quam de iis, quae salutem. *Cic. Cat.* 4, 1. Meus consulatus ad salutem reipubl. prope fatalis fuit. [**Id. Harusp.* 4. Scipio quasi fatali eventu solus Carthaginem evertit. *Tibull.* 2, 5, 57. Roma, tuum nomen terris fatale regendis.] *Cic. Cat.* 3, 4. Hic annus fatalis est ad interitum hujus Urbis. *Id.* in *Senat.* 2. Ille annus, quem ego mihi, quam patriae, malueram esse fatalem. *Id. Phil.* 6. *f.* Fuit aliquis fatalis casus, nunc si quis erit, erit voluntarius. *Id. Part.* 21. Si quae accidisse videbuntur divina atque fatalia. *Id. Acad.* 1, 7. *extr.* Fatalis et immutabilis continuatio ordinis sempiterni. *Id. Marc.* 10. Miserum fataleque bellum. *Id. N. D.* 1, 20. Illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis. *Id. Fat.* 13. Tam fatale est, medicum adhibere, quam convalescere. *Hor. Ep.* 2, 1, 11. de Hercule: Notaque fatali portenta labore subegit. [**Tibull.* 1, 3, 53. Fatales anni, i. e. a fatis definiti, admensi. *Inscr.* ap. *Orell.* 4851. Fatales annos pensare. *Tibull.* 1, 7, 1. Fatalia stamina.] *Ov. Fast.* 4, 257. Fatalia verba, *h. e.* fatum continentia. *Id. Pont.* 1, 8, 64. Fatales Deae, *h. e.* Parcae, quae fatum suum cuique statuunt. [*Saepissime est telorum epitheton, i. q. letalis. *Ov. Met.* 5, 182. Jaculum fatale parabat. V. *Burm. Virg. A.* 12, 919. Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat. *Sil.* 2, 400. Multis fatalem millibus hastam. Hinc *fatalis dies*, quo quis moritur. *Inscr.* ap. *Orell.* 3023. (repet. 4777.) — — Neque ullus unquam nos diunxisset, nisi hic tuus fatalis dies. Alia ap. *Eund.* 4758. — Nullum dolorem accepi tui, nisi quod fatalem diem celeriter peregisti. *Suet. Ner.* 49. Nondum adesse fatalem horam. *Ael. Spart. Adrian.* 4. Si quid mihi fatale contigerit, Gr. ἐάν τι πάθω, ἐάν τι συμβῇ.] ℙ *Fatalis mors* [*In Vet. *Glossis Lat. Gr.* redditur ἴδιος θάνατος.] ap. *Vell.* 2, 6. et 49. est quae fato et secundum naturam venit: et opponitur violentae. Sic *fato mori* dixit *Tac.* et *fataliter mori*, *Eutrop.* ℙ *Fatales libri* sunt, quibus vaticinia et fata continentur, cujusmodi erant Sibyllini. *Liv.* 5, 14. et 15., 22, 9. et 42, 2.

FĀTĀLĪTAS, atis, f. fati necessitas. *Imp. Zeno Cod.* 1. Quod fatalitate ingruebat.

FĀTĀLĪTER, adv. secundum fata vel ex fatis, πεπρωμένως. *Cic. Div.* 2, 7. Ex omni aeternitate dicis definita esse fataliter. *Ov. Met.* 12, 67. Hectorea primus fataliter hasta, Protesilae, cadis. [**Suet. Caes.* 59. Vaticinationes, quibus felix et invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur.] ℙ *Fataliter mori*, ap. *Eutrop.* 1, 11. est fato mori. V. FATALIS.

FĀTĔOR, eris, fassus sum, dep. 2. ἐξομολογέω, confiteor: et fere dicitur de iis, qui in culpa sunt vel qui aut coacti aut impulsi ea dicunt, quae alioquin tacerent. Est a φατὸς, dicendus. [*Imo a *fari*.] *Pl. Aul.* 4, 4, 16. Facisne injuriam mihi, an non? *Eu.* fateor, quia non pendes, maximam: Atque id quoque jam fiet, nisi fatere. *Stro.* quid fatear tibi? *Ter. Ad.* 2, 1, 34. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium. *Cic. Caecin.* 9. Ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur. (V. CONFITEOR.) *Id. Rabir. perd.* 5. *f.* Fateor atque etiam profiteor et prae me fero, te ex illa crudeli actione esse depulsum. *Caes. B. C.* 3, 20. Qui se debere fateantur. *Ter. Ad.* 1, 1, 52. Hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis. *Pl. Truc.* 4, 3, 10. Si verum mihi eritis fassae, vinclis exsolvemini. *Liv.* 34, 5. et *Curt.* 6, 9. De se fateri, celare alios. *Cic. Inv.* 2, 26. De facto turpi aliquo aut inutili aut utroque fateri. *Id. N. D.* 2, 63. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas, fatendum est. *Id. Part.* 14. Multi in tormentis mori maluerunt falsum fatendo, quam inficiando dolere. *Ov. Met.* 8, 633. paupertatemque fatendo Effecere levem. *Id. Her.* 21, 204. Fateri sensus suos. *Hor. Ep.* 2, 2, 147. quod quanto plura parasti, Tanto plura cupis, nulli ne faterier audes? *Curt.* 6, 3. et *Plin.* 27, 1, 1. Si verum fateri volumus. *Eum. Grat. act.* 1. Ut verius fatear. ℙ Interdum sumitur pro indicare, prodere, manifestare. *Ov. Trist.* 2, 525. Vultu iram fateri. *Plin.* 36, 26, 65. Belus amnis non nisi refuso mari arenas fatetur. *Id.* 9, 57, 83. Patinarum calore pisces vitalem motum fateri. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* Laterensis nostri et fidem et animum singularem in rempubl. semper fatebor, *h. e.* testabor, praedicabo. *Juven.* 10, 172. mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula. ℙ Hinc *fatendi modus* in verbis est indicativus, apud grammaticos. *Varr. L. L.* 8, 58. et *Quint.* 1, 6. [*Ubi v. *Spalding.*] ℙ *Fateor* passive. *Cic. Agr.* 2, 21. *f.* Quae est ista aequitas, ceteros agros, etiam si privati sint, permittere, ut publici judicentur; hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur? Alii leg. *quem publicum esse fateantur:* tametsi etiam *confessus* passive usurpatur, quam v. v. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.*, p. 175. ubi laud. *Ov. A. A.* 2, 556. Fassus ab ore pudor.] ℙ Impersonaliter. *Paul. Dig.* 30, 1, 39. *f.* Vulgo fatebatur, utique minorem eum legasse.

[**FĀTĪBŬLA**, ae, f. *Diom.* 3, 488. Dramata Latine fabulae appellantur, sive fatibulae. *F.*]

FĀTĪCĂNUS, a, um, adj. qui fata canit, idest, futura praedicit. *Ov. Met.* 9, 417. Haec ubi faticano venturi praescia dixit Ore Themis. Al. leg. *faticino*, al. *fatidico*, al. *vaticino*.

FĀTĪCĪNUS. a, um, adj. idem ac faticanus. *Ov. Met.* 15, 436. sic dicere vates, Faticinasque ferunt sortes. Al. aliter leg., ut in v. praec.

FĀTĪDĬCUS, a, um, adj. χρησμολόγος. *Varr. L. L.* 5, 7. Qui futura praedivinando solent fari, fatidici dicti. *Virg. A.* 8, 340. Vatis fatidicae, cecinit quae prima, futuros Aeneadas magnos. *Cic. N. D.* 1, 8. Anus fatidica Stoicorum. *Plin.* 15, 29, 36. Fatidicum et memorabile augurium. *Id.* 2, 43, 43. Fatidica fulmina. Et *ib.* 93, 95. Fatidici specus. *Ov. Met.* 2, 640. fatidicos concepit mente furores. *Id. Fast.* 2, 262. Fatidicus Deus, *h. e.* Phoebus. *Val. Fl.* 1, 304. Fatidicae silvae. ℙ Absolute. *Cic. Leg.* 2, 8. Interpretari fatidicorum et vatum effata incognita.

FĀTĪFER, a, um, adj. μόρσιμος, mortifer, fatum, idest mortem afferens. *Virg. A.* 8, 621. Fatiferumque ensem. *Id. ib.* 9, 631. Fatifer arcus. Al. leg. *letifer*. *Ov. Amor.* 3, 3, 27. fatifero Mavors accingitur ense. Adde *Met.* 6, 251.

FĀTĪGĀBĬLIS, e, adj. qui fatigari potest. *Tert. Anim.* 32. Ascensu scalorum fatigabilis. [Adde *Not. Tir.* p. 118. *F.*]

FĀTĪGĀTĬO, onis, f. κόπος, κάματος: plus est quam lassitudo. *Cels.* 1, 2. *med.* Exercitationis finis esse debet lassitudo, quae citra fatigationem sit. *Liv.* 32, 15. Fatigatio equorum atque homi-

num. *Curt.* 6, 8. Illum fatigatione resolutum somnus oppresserat. *Id.* 7, 11. Affectus fatigatione. *Colum.* 4, 18. Minuere fatigationem. *Quint.* 11, 3. *f.* Fatigatione deficere. Adde *Tac. H.* 2, 60. et *Senec. Ira* 3, 9. ℙ Item dictum jocosum, facetiae, cavillatio, qua risus causa quempiam fatigamus. *Sidon. ep.* 1, 8. Morari me Romae gratularis: id tamen quasi facete, et fatigationum salibus admixtis. *Sulpic. Sever. dial.* 1, 4. *med.* Aliquantum erubescens, dum fatigationem meam accepit. [*Eutr.* 9, 19. Qui cum in auditorio vel levi fatigatione taxaverant; ubi v. *Tzschuck.*] V. FATIGO.

FĂTĪGĂTŌRĬUS, a, um, adj. *Sidon. ep.* 5, 17. Verba erant dulcia, jocosa, fatigatoria, *h. e.* faceta. V. v. praec.

FĂTĪGĂTUS, a, um, part. a *fatigo*, καταπονηθείς. Si *Servio* credere libet ad *A.* 8, 232., proprie refertur ad corpus, ut *fessus* ad animum: quamquam haec saepius confunduntur. [*De discrimine inter *fatigatus*, *fessus* et *lassus* doctissime disputat *Döderl.* 1, 102. seq.] *Cic. Top.* 20. Verberibus, tormentis, igni fatigati, quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere. *Hor. Od.* 3, 6, 42. Juga demere bobus fatigatis. *Ov. Her.* 18, 83. fatigatis humero sub utroque lacertis. *Caes. B. C.* 3, 95. Milites magno aestu fatigati. *Nep. Eum.* 12. Triduo fame fatigatus. *Hor. Od.* 3, 4, 11. Ludo et somno fatigatus: nam somnus, etiam adventans, vires capit. ℙ Translate. [*Vell. Pater.* 2, 69. *f.* Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum et Cassium.] *Ov. Amor.* 3, 11, 2. Cede fatigato pectore, turpis Amor. *Id. Her.* 13, 97. Inter mille rates tua sit millesima puppis: Jamque fatigatas ultima verset aquas. *Id. A. A.* 2, 227. de Hercule. Ille fatigatae perdendo monstra novercae. *Sall. Jug.* 70. fatigati supplíciis. Et *ib.* 11. Fatigatus a fratre, *h. e.* precibus exoratus. V. et v. seq. ℙ [*Permutantur *Fatigatus* et *laboratus*. V. *Stat. Theb.* 1, 341.]

FĂTĪGO, as, avi, atum, a. 1. καταπονέω, κοπόω, vires urgendo, instandoque cuipiam adimo, lasso, ad lassitudinem deduco, domo. Esse volunt a *fatim ago*, hoc est valde ago, agito, vexo. *Nep. Lys.* 2. Ne de eodem plura enumerando, fatigemus lectores. *Cic. Off.* 3, 18. Sicarii, venefici, fures non verbis sunt, et disputatione philosophorum, sed vinculis et carcere fatigandi. [*i. e. castigandi. Adde *ib.* 1, 25, 88. *Tac. A.* 4, 6. Plebes acri — annona fatigabatur, i. e. premebatur.] *Sall. Cat.* 28. Neque insomniis, neque labore fatigari. *Liv.* 8, 10. Aliquandiu pugna atroci cum semet ipsi fatigassent. [*Vell. Paterc.* 2, 34. Per triennium Romanos exercitus fatigaverat.] *Ov. Met.* 8, 824. petit ille dapes sub imagine somni, Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat. *Virg. G.* 3, 132. cursu quatiunt, et sole fatigant. *Id. A.* 11, 306. quos nulla fatigant Proelia, nec victi possunt absistere ferro. ℙ Translate. *Id. A.* 6, 78. Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. *Sall. Cat.* 11. Secundae res sapientium animos fatigant, *h. e.* eorum virtutem et constantiam vincunt. *Id. Jug.* 60. Fatigare aliquem dolis. *Id. or.* 2. *ad Caes. de rep. ordin. med.* Curis fatigatur animus. [*Sil.* 7, 125. Infractasque minas dilato Marte fatigat, i. e. irritas, vanas facit.] *Stat. Th.* 9, 280. Mille modis leti miseros mors una fatigat. *Hor. Od.* 4, 14, 18. Devota morti pectora liberae Quantis fatigaret ruinis, *h. e.* urgeret, obrueret. *Val. Fl.* 7, 348. Te ducente sequor: tua me grandaeva fatigant Consilia, et monitis cedo minor, *h. e.* meam animi firmitatem vincunt. *Hor. Od.* 2, 11, 11. quid aeternis minorem Consiliis animum fatigas? *Tac. A.* 15, 71. Fatigare dextram osculis, i. e. obtegere, vel lassare dexteram osculis jaciendis. *Val. Fl.* 1, 635. miscent suprema paventes Verba alii, junguntque manus, atque ora fatigant. Et 2, 120. Fama terras fatigat, *h. e.* implet rumoribus suis, turbat, vexat. Sic *Virg. A.* 1, 280. aspera Juno, Quae mare nunc, terrasque metu, coelumque fatigat, *h. e.* miscet, sollicitat, exercet. *Val. Fl.* 5, 142. arma fatigant Ruricolae, Gradive, tui, *h. e.* ferramenta in usum belli fabricando, ictibus malleorum quasi fatigant. *Ov. Met.* 5, 485. lolium tribulique fatigant Triticeas messes, *h. e.* obruunt, nec crescere sinunt. Et *ib.* 1, 573. fluvius sonitu plus quam vicina fatigat, *h. e.* molestia afficit. *Sil.* 12, 496. curasque ita corde fatigat: Quo mens aegra vocas? etc. *h. e.* agitat, versat. [*Adde 1, 675. Inde agitant consulta patres, curasque fatigant, i. e. exercent.] *Stat. Silv.* 5, 1, 8. Fatigare curas artificum. *Virg. A.* 9, 605. Fatigare silvas, *h. e.* silvis veluti molestum esse venatu, clamoribus, agitatione ferarum: quod et *Val. Fl.* 3, 21. imitatus est. ℙ *Fatigare aliquem precibus* est adeo instare, obtundere, molestum esse, enecare precando, donec victus se exorari sinat. *Liv.* 9, 20. et 27, 45., *Justin.* 18, 1., *Hor. Od.* 1, 2, 26. et *Val. Fl.* 8, 386. Sic fatigare questu, *Id.* 7, 311. gemitu moestaque voce, *Stat. Th.* 2, 244. Deos in vota, *Val. Fl.* 4, 69. votis Jovem, *Mart.* 7, 60. lacrimis, *Tac. H.* 3, 31. Sic *Virg. A.* 7, 582. Undique collecti coeunt, Martemque fatigant, *h. e.* flagitant, instanter rogant Martem, ut adsit: quod est, bellum deposcunt. *Val. Fl.* 8, 86. atque omnem linguaque manuque fatigat Vim Stygiam, *h. e.* magicis verbis ac signis petit, arcessit, invocat Nam dicimus etiam *fatigare* absolute pro fatigare precibus. *Sall. Jug.* 17. Quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid statuatis. *Tac. H.* 1, 29. Fatigare Deos. [*Prop.* 2, 20, 3. Quidve mea de fraude Deos — fatigas?] ℙ Aliquando est impellere, stimulare, agitare, quia impulsi, et ad cursum incitati fatigantur. *Virg. A.* 1, 320. qualis equos Threissa fatigat Harpalice, volucremque fuga praevertitur Hebrum. Et *ib.* 11, 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. Et *ib.* 9, 609. versaque juvencum Terga fatigamus hasta. Et *ib.* 5, 253. jaculo cervos cursuque fatigat. ℙ Translate. *Id. ib.* 4, 572. Corripit e somno corpus, sociosque fatigat: Praecipites vigilate viri, etc. *Id. ib.* 6, 533. quae te fortuna fatigat, ut etc? Et *ib.* 9, 63. collecta fatigat edendi Ex longo rabies. [*Sil.* 1, 63. Laudum spe corda fatigat; et 12, 192. Socios voce fatigat. 16, 331.] ℙ *Fatigare diem* est totum in opere occupando veluti lassare. *Virg. A.* 8, 94. Olli remigio noctemque diemque fatigant. *Val. Fl.* 5, 602. Marte diem noctemque fatigat. [*Prop.* 4, 11, 81. Sat tibi sint noctes, quos de me, Paulle, fatiges, i. e. cum dolore transigas, ut Gr. μοχθεῖν ὕπνον, δειμὸν etc. V. *Heyn.* ad *Virg. l.* proxime praeced.] ℙ Ap. *Sidon. ep.* 6, 2. fatigari argutiis, est per argutias molestia affici, vexari. Sic *Sulpic. Sever. dial.* 1, 4. Nullam occasionem omittis, quin nos edacitatis fatiges. Et *ib.* 5. Sed supersedendum est, ne Gallus se aestimet fatigari. V. FATIGATIO. ℙ [*Permutantur in cdd. *fatigare* et *castigare*. V. *intpp.* ad *Cic. Off.* 1, 25. et 3, 18.]

FĂTĬLĔGUS, a, um, adj. fatum, seu mortem colligens. *Luc.* 9, 821. Toxica fatilegi carpunt matura Sabaei.

[FĂTĬLŌQUĬUM, i, n. praedictio. *Appul. de Deo Socr.* Vel Sibyllae fatiloquia versificet. *F.*]

FĂTĬLŌQUUS, a, um, adj. idem ac fatidicus. *Liv.* 1, 7. Carmenta mater, quam fatiloquam ante Sibyllae in Italiam adventum miratae hae gentes fuerant.

FĂTIM, adv. abundanter, teste *Serv.* ad *A.* 1, 127., unde *affatim*. *Fulg. Myth.* 2, 8. Conceptionem fatim subministrat. Al. leg. *conceptionale fatum*.

[FĂTIS, is, f. fama, gloria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 989, 5. Aelia Fatis. *F.*]

FĂTISCO, is, n. 3. χαίνω, findor, aperior, hisco; viribus fractis deficio, ita ut solvar, dissolutus proruam: a *fatim* et *hisco*, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 1, 127. Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt. *Id. A.* 9, 809. saxis solida aera fatiscunt. *Id. G.* 1, 180. Area pulvere victa fatiscit. Et *ib.* 2, 249. Pinguis tellus haud unquam manibus jactata fatiscit, Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo. *Sol.* 35. *med.* Pomum fatiscit in pulverem. *Tibull.* 1, 6, 31. Heu canimus frustra, nec verbis victa fatiscit Janua: sed plena est percutienda manu. Al. leg. *patescit*. *Plin.* 11, 45, 105. Camelo ungues in longiore itinere sine calceatu fatiscunt. ℙ Saepe ponitur pro deficere. *Colum.* 2, 14. Omni solo, quod praedictorum leguminum segetibus fatiscit, una medicina est, ut stercore adjuves. *Val. Fl.* 7, 598. ille fatiscens, In caput, inque humeros ipsa vi molis, et irae Proruit. *Stat. Silv.* 5, 5, 21. Fatiscere clamore. *Colum.* 7, 3. *med.* Ovis fatiscit post annum septimum. Et 9. *f.* Scrofa celerrime fatiscit, quae plures educat. *Val. Fl.* 3, 395. viri resides In lacrimas, humilesque metus, aegramque fatiscunt Segnitiem. *Tac. H.* 3, 10. Donec fatisceret seditio. *Id. A.* 14, 24. Ipse exercitusque per inopiam et labores fatiscebant. Et *ib.* 6, 7. Scriptores copia fatiscunt. Et *ib.* 16, 5. Manibus nesciis fatiscere. [*V. *Boettich. lex. Tac.*] ℙ Cum infinito. *Stat. Silv.* 5, 1, 35. exsiccata fatiscet Mater Achilleis hiemes affrangere bustis. ℙ Passiva voce et significatione. *Lucr.* 5, 309. delubra Deum, simulacraque fessa fatisci. *Varr.* ap. *Non.* 4, 197. et 7, 91. Altera ira, altera vulneribus fatiscuntur. *Pacuv. ib.* Si unquam fatiscar facere quod quibo boni. *Accius ib.* Haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. [*Front. Princip. hist.* (ed. *A. Maio*) p. 318. Primus ipse in agmine haud saepius equo vehi, quam pedibus fatisci. ℙ In *Not. Tir.* p. 149. scribitur *fatescit*. *F.*]

FĂTOR, aris, dep. 1. multum loquor, frequent. a *fari*. *Fest.* Fatantur, multa fantur.

FĂTŪĂ, ae, f. eadem quae Bona dea: a *fando*. *Cornel. Labeo* ap. *Macr. Sat.* 1, 12. V. BONA Dea et FAUNA. *C. Bassus* ap. *Lact.* 1, 22. sic nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. V. FATUOR. ℙ *Capell.* 2. p. 41. Fatuas (quas etiam *Fantuas* appellari docet et *Fanas*) enumerat inter longaevos et fatidicos, cujusmodi sunt Sibyllae.

FĂTŪĒ, adv. more eorum qui fari nesciunt, stulte, insipienter. *Quint.* 6, 4, 8. (si sanus est locus) Alioquin et tacendum est saepe, et aliis, subjicientibus, plerumque studio loquendi fatue modo accedendum. Alii leg. *fatuae modo*. V. FATUUS. *Varro* quoque hanc vocem agnoscit *L. L.* 5, 7., et a *fari* derivat.

FĂTŪELLUS, i, m. Deus idem qui Fatuus et Faunus et Inuus, et Graece Ἐφιάλτης. *Serv.* ad *A.* 6, 776. et ad *ib.* 7, 47., ubi Fatuam ei uxorem assignat.

[FĂTŪĪNUS, a, um, adj. idem ac fatuus. *Appul. Herb.* 64. Itali paeoniam, alii rosam fatuinam vocant. *F.*]

FĂTŪĪTAS, atis, f. εὐήθεια, insipientia, stultitia, stoliditas. *Cic. Att.* 1, 25. Ego hujus miserrima fatuitate conflictor. Al. pleriq. leg. *facultate*. *Id. Inv.* 2, 32. Non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere.

[*FĂTŪĪTO, adv. idem ac fataliter. *Prisc.* 15, 1016. *B. A.* Similiter a fato fatuito, μοιρῆθεν, fato, et fataliter, μοιραίως. *F.*]

FĂTUM, i, n. dictum, effatum, quo quippiam futurum monstratur, ut sunt oracula et responsa vatum: a *fari*. [Hinc *Front. de nep. am.* (ed. *Maio*) 2. Fata a fando appellata ajunt. *F.*] *Cic. Cat.* 3, 4. Lentulum sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis, haruspicumque responsis, se esse illum etc. *Id. Div.* 1, 44. Ex fatis, quae Vejentes scripta haberent. Et *mox*. In iisdem fatis scriptum Vejentes habere. *Virg. A.* 5, 703. Oblitus fatorum. *Liv.* 5, 15. Interpres fatis oblatus. *Rutil. Itin.* 2, 52. Sibyllinae fata cremavit opis. ℙ Item (ut *Cic.* definit *Div.* 1, 55.) ordo seriesque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignit, Graece εἱμαρμένη: ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Hoc fatum *physicum* nonnulli appellant. Sed est et *astrologicum* seu *mathematicum*, ex astrorum praecipue vana observatione pendens, *h. e.* necessitas quaedam ante Deos, qua quippiam ex liberis causis fieri aliquando statutum est: idque necessario futurum est, ne ipso quidem Jove immutare (bene tamen differre ad decem annos, inquit *Serv.* ad *A.* 8, 398. ex *haruspicinae libris*, et *sacris Acherontiis*) valente, ut Stoici docuere, qui scelera quoque necessitate patrari putabant. (V. *Gell.* 6, 2. et *Cic. de Fato.* 4. *f.*) Quae omnia tum aliorum philosophorum sanior doctrina, tum certissima omnium Christiana veritas, falsa et insana esse demonstrat. Porro haec ideo fata dicuntur, quia illa Jovem *fari* et tradere Parcis fabulantur, quae suo quaeque tempore exsequenda curent. Quare ipsae quoque *Fata* dictae sunt, ut Graece μοῖραι, teste *Appul. de Mundo f.* [*Prop.* 4, 751. Juro ego fatorum nulli revocabile stamen: ita leg. *Broukh.*, q. v. Cf. etiam *Munck.* ad *Fulg.* 1, 7. et *Barth.* ad *Stat. Silv.* 5, 259. *Theb.* 8, 26.] Et dominas Fati, *Ov. Trist.* 5, 3, 17. appellat. *Cic. Fat.* 3. Si Daphitae fatum fuit, de equo cadere. Et 12. Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere. Et 15. Stoici omnia fato fieri dicunt. *Id. Div.* 2, 7. Omnia, quae fiunt, fato contineri. Et *ib.* 1, 1. Praedicere, quo quisque fato natus fit. *Id. Balb.* 26. Fuit hoc sive meum, sive reipubl. fatum, ut etc. Et *Phil.* 2, 1. Quonam meo fato fieri dicam, ut etc. *Id. Font.* 16. Ea conditione atque eo fato se in his terris collocatam esse, ne etc. *Id. Marcell.* 5. Ad illa arma fato nescio quo misero funestoque compulsi. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Qua quidem in re singulari sum fato. *Hor. Epod.* 7, 17. Acerba fata Romanos agunt. *Virg. A.* 5, 709. quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur. *Id. G.* 1, 199. omnia fatis In pejus ruere. *Id. A.* 1, 43. vetari fatis. Et 36. agi fatis. *Ov. Pont.* 1, 7, 56. fuit in fatis hoc quoque, credo, meis. *Id. Fast.* 1, 481. Sic erat in fatis. *Id. Trist.* 3, 2, 1. Ergo erat in fatis, Scythiam quoque visere, nostris? [*Quint. Decl.* 11, 3. p. 233. Bellum mihi fatumque publicae sollicitudinis credidistis. Ita *Flor.* 1, 3. Fata populi R. commissa fratribus tergeminis. Adde 4, 2. Campis Philippicis urbis imperii, generis humani fata commissa sunt.] ℙ Aliquando *fatum* dicitur voluntas, et placitum Deorum, ut *Non.* 6, 42. docet. *Virg. A.* 7, 293. Heu stirpem invisam et fatis contraria nostris Fata Phrygum! Adde 50. ℙ Item res ipsa, qua fatum alicujus continetur. *Pl. Bacch.* 4, 9, 29. Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi forent exitio: signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors: tertium, cum portae Scaeae limen superum scinderetur. *Justin.* 20, 1. *extr.* Herculis sagittae, quae fatum Trojae fuere. ℙ Interdum casus, calamitas, infortunium. *Cic. Cat.* 2, 5. Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et poenas jamdiu improbitatis debitas instare. Contra *Hor. Carm. saec.* 27. bona fata, *h. e.* prosperas res dixit. Sic *Lucan.* 7, 252. Nil opus est votis: jam fatum arcessite ferro, *h. e.* bonam fortunam, victoriam. *Juven.* 7, 189. exempla novorum Fato-

rum transi. ℙ Saepe interitus, pernicies, mors. *Cic. Dom.* 58. Si in illo paene fato reipubl. objeci meum caput civium furori. *Caes. B. G.* 1, 39. Suum fatum queri, et commune periculum miserari. *Quint.* 3, 7. Fato fungi. *Plin. Pan.* 11. concedere! *Liv.* 26, 13. cedere. *Modest. Dig.* 34, 3, 20. Concedere in fatum. [*Gr. ἀπελθεῖν εἰς τὸ χρεών. Adde *Curt.* 9, 6, 26. Si me praeceperit fatum, i. e. mors praeoccupaverit. *Id.* 8, 9, 32. Apud hos occupare fati diem, pulchrum. *Inscr.* ap. *Orell.* 1123 et 4474. Fatum fecit. *ib.* 4593. Fatis peractis.] ℙ Cum mortem significat, de illa intelligitur, quae naturae lege cuique obvenit, et violentae atque inopinatae opponitur, quod et *Gell.* 13, 1. observat. Huic tamen sententiae videtur adversari locus ille *Ov. Her.* 19, 118. Jamdudum peccas, si mea fata petis. Hic enim loquitur Hero, quae ait, se morituram ex dolore, si Leander diutius moratus fuerit ad illam venire. *Cic. Phil.* 1, 4. Multa autem impendere videbantur praeter naturam praeterque fatum. *Id. Coel.* 32. Nolite hunc maturius exstingui vulnere vestro, quam fato suo. *Virg. A.* 4, 696. quia nec fato, merita nec morte peribat. *Tac. A.* 6, 10. L. Piso pontifex, rerum in tanta claritudine, fato obiit. V. FATALIS. ℙ Metonymice de eo dicitur, qui perniciem, interitum affert. *Cic. Sext.* 43. Duo illa reipublicae paene fata, Gabinium et Pisonem. ℙ Eadem ratione *fata* reliquias funeris, ossa, cineres significant (quamquam alii aliter explicant) in illo *Prop.* 1, 17, 11. An poteris siccis mea fata reponere ocellis? ℙ *Fato inscribere* ap. *Tert. Anim.* 37. dicebantur veteres eo die, quo filiis nomina imponebant, et *fata scribundo advocare*, *ib.* 39., quia eo die quodcumque bonum omen arripere poterant, id ad filii futuram vitae prosperitatem arripiebant. V. *Scalig. l.* 2. *lection. Auson. c.* 22. ℙ *Fata* pro Diis habita ostendunt duo inscripti lapides apud *Grut.* 98, 1. et 2., quorum prior: *Fatis Q. Fabius Nysus ex voto.* [*Inscr.* (quam vide in V. COLLUSTRIUM) *Fatis fatalibus.* Aliae ap. *Labus. Ant. Monum. Bresc.* p. 109. *Fatis divinis*, et *Fatis Augustis. F.*] In nummo Diocletiani ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 6. *Fatis victricibus.* [*Ap. *Orell.* 4579. Fatis male judicantibus.] Figurae enim tum hic, tum in allato *Gruteri* lapide insculptae tres exhibent mulieres stantes, quarum singulae cornu copiae et gubernaculum manu tenent, quae signa cum Fortuna, Parcis et Nemesi communia sunt. Sic in lapide ap. *Maff. Mus. Ver.* 170, 3. Debita cum Fatis venerit hora tribus. *Procop. B. Goth.* 1, 25. *f.* Τύλα φάτα Ῥωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν. ℙ [*Permutantur *fata* et *facta*. V. *intpp.* ad *Quint. Decl.* 338. p. 703. ad *Plin. Pan.* 80, 5. *Drak.* ad *Sil.* 1, 277. et 11, 9. *Graev.* ad *Flori praef.* — et *letum. Burm.* ad *Quint. Decl.* 4, 8. p. 91. *Heins.* ad *Claud. Ruf.* 2, 19. — et *pacta*, *acta. Intpp.* ad *Curt.* 7, 8, 29.

FĀTŪOR, aris, dep. 1. est divino furore corripi, a Fatua uxore Fauni. *Justin.* 43, 1. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quae assidue divino spiritu impleta velut per furorem futura praemonebat: unde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. ℙ Est item ineptire. *Senec. Apocol. med.* Audi me et desine fatuari.

FĀTUS, a, um, part. a *for.* q. v. v.

FĀTUS, i. m. idem quod fatum. Legitur *in fr. Trag. Petr.* 42. *Burm.* malus fatus. Et 77. fatus meus. Et *Inscr.* ap. *Grut.* 661, 6., 663, 5. Fatus malus. Et ap. *Fabr.* p. 123. *n.* 28. Fatus infelix. Et ap. *Mur.* 660, 4. Fatus suus. [*Sunt hae inscrr. fidei suspectae.]

FĀTUS, us, m. dictum, verbum. *Prud. Apoth.* 599. Promite secretos fatus. Alii leg. *fastus.*

FĀTUUS, a, um, adj. ἀόρητος, insipiens, stultus, insulsus: a *fando*, qua notat vaticinari. Nam veteres vates suos *fatuos* a fatu vocabant, quomodo et ipsum nomen vates est a φάτης: sed quia vates furore correpti vaticinarentur, inde *fatuus* pro vesano sumi coepit. Fatuus, et stultus differunt, quia stultus est obtusis sensibus, fatuus nullis. *Afran.* (ut quidam putant) ap. *Isid. Orig.* 10. in *Stultus.* Ego meipsum stultum esse existimo, fatuum esse non opinor. *Ter. Eun.* 5, 9, 49. Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies. *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Cic. Dejot.* 7. Non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens es. *Pl. Trin.* 2, 2, 18. [*22.] Fatui mores et turbidi. [*Ap. *Lindem.* loc. ita legitur: Nil ego in te istos moror Facetos mores turbidos.] *Cic. Or.* 2, 24. Hoc praeceptum est magis monitoris non fatui, quam eruditi magistri. ℙ *Fatuus*, *i*, et *Fatua*, *ae*, qui fatuus est, et risus causa in ditiorum domibus ali solet. *Senec. ep.* 50. Harpasten, uxoris meae fatuam, scis, hereditarium onus in domo mea remansisse. Ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum: si quando fatuo delectari volo, me rideo. Haec fatua subito desiit vivere. ℙ Translate de cibis dicitur, qui insipidi sunt. *Mart.* 13, 13. Ut sapiant fatuae, fabrorum prandia, betae. ℙ Fortasse huc pertinet illud *Varronis* ap. *Non.* 4, 291. Quod Cal. Jun. et publice, et privatim fatuam pultem Diis mactat, *h. e.* sine sale: et fortasse intelligit libum ex farre, et faba, quod eo ipso die Carnae Deae offerri solitum tradit *Ov. Fast.* 6, 170. [At *Aloys. Lanzius*, *Saggio di ling. Etr. T.* 2. p. 674. putat, *pultem* esse interpretationem vocis *fatuam*, nam in *Tab. Eugub.* puls appellatur *fatua. F.*]

FAUCES, ium, f. superior, interiorque gulae pars ad linguae radices, ubi os contrahitur, et cibus incipit descendere in stomachum. Duae sunt: altera, qua cibus in stomachum, quae φάρυγξ: altera, qua spiritus ad pulmones fertur, quae λάρυγξ dicitur. Praecipue tamen de priori a Latinis usurpantur. *Plin.* 11, 37, 68. Summum gulae fauces vocantur, extremum stomachus: quibus fauces non sunt, ne stomachus quidem est. *Cels.* 4, 1. Exigua in arteria sub ipsis faucibus, lingula est, quae cum spiramus, attollitur. *Pl. Curc.* 2, 3, 39. Lippiunt fauces fame. *Hor. Sat.* 1, 2, 114. Sitis fauces urit. *Pl. Asin.* 1, 1, 27. Excreare ex penitis faucibus. *Id. Curc.* 1, 2, 25. Ingurgitare se in merum faucibus plenis. *Plin.* 27, 4, 3. Mederi faucibus scabris. *Id.* 23, 8, 74. Nuces videntur fauces exasperare. *Id.* 28, 9, 33. Lac gargarizatur faucibus exulceratis utilissime. *Cels.* 5, 25. *n.* 11. Fauces tussientes. ℙ Accipiuntur et pro ipsa gula. *Id.* 7, 44. Intortae fauces et expressus per aures sanguis. *Pl. Most.* 1, 3, 62. Fauces alicui prehendere, atque enecare. *Ov. Met.* 10, 378. Laqueo fauces innectere. *Lucan.* 2, 154. Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit. [*Suet. *Caes.* 62. Retinens singulos, et contortis faucibus convertens in hostem. (*Plutarch.* καταισχὼν ἐκ τοῦ αὐχένος.)] Translate. *Pl. Cas.* 5, 3, 4. Omnibus modis occidi miser: manifesto faucibus teneor. *Cic. Cluent.* 31. Istam conciliationem gratiae Stalenus tum, recenti re, cum faucibus premeretur, excogitavit. *Id. Verr.* 2, 3, 76. Timarchides premit fauces defensionis tuae. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 6. *extr.* Cujus tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti. *Crass.* ap. *Cic. Or.* 1, 52. Eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. *Cic. Arch.* 9. Urbem Cyzicenorum ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse. *Appul. Met.* 7. p. 191, 5. E mediis Orci faucibus ad hunc evasi modum. ℙ Saepe dicitur de loco quovis angusto, unde in patentiorem exitus est. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus multis faucibus in Aegyptium mare se evomit. *Id.* 6, 1, 1. Fauces Bosphori. *Cic. Agr.* 2, 32. Corinthus posita in angustiis atque in faucibus Graeciae. *Id. Verr.* 2, 3, 62. Aemilius sedens in faucibus macelli. *Liv.* 29, 32. Masinissam persecutus in valde arcta, faucibus utrinque obsessis, inclusit. *Curt.* 7, 4. In Ciliciae angustissimis faucibus. *Caes. B. C.* 1, 25. Fauces portus angustissimae. Fauces pictas *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. vocat carceres, unde emittuntur quadrigae in ludis circensibus. *Cato R. R.* 38. Cum fornacem facies, fauces, praecipites deorsum facito. [*Lucr.* 6, 640. Per fauceis montis ut Aetnae Exspirent igneis interdum turbine tanto.] ℙ Usurpatur et in sexto casu singulari. *Ov. Her.* 9, 98. Praegrave, compressa fauce, pependit onus. *Id. Met.* 14, 738. Atque onus infelix, elisa fauce, pependit. *Hor. Ep.* 14, 3. Pocula arente fauce trahere. *Phaedr.* 1, 8. Os devoratum fauce cum haereret lupi. Et 1. Lupus fauce improba incitatus, *h. e.* fame. Adde *Mart.* 7, 37. ℙ In recto singulari *faux* non est, quod sciam, in usu: et dici posse negant *Charis.* 1, 72. et *Varr. L. L.* 9, 4. *extr.* Sane omisit *Auson.* in *Technopaegn.*, ubi studiose conquisita membrorum nomina monosyllaba collegit.

FAUCIA, Curia. V. SANCIUS.

FAVĔA, ae, f. ita vocabantur apud Latinos ancillae, quia dominis suis favebant seu serviebant. *Pl. Mil.* 3, 1, 202. Quasique hunc anulum faveae suae dederit. Hinc in *Gloss.* [*Lat. Graec. MSS. Sangerman.* ap. *Ducang. Gloss. Lat. F.*] Fabea, παιδίσκη, puella: Fabeus, παῖς, puer. *Juven.* 6, 363. Et faveam, cui det mandata, puellam Conducit. Alii leg. *flaveam.*

FAVENTĪA, ae, f. favor, εὐφημία. *Festus.* Faventia bonam ominationem significat. Nam praecones clamantes, populum sacrificiis favere jubebant. *Accius* ap. *Non.* 3, 93. et 4, 330. Edicite per urbem, ut omnes ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscena dicta segregent, *h. e.* faveant linguis. V. FAVEO. ℙ Est etiam hoc nomine triplex oppidum: alterum in Hispania, quae et Barcino, nunc *Barcellona:* secundum itidem in Hispania in conventu Cordubensi, quod et Vesci: tertium in Italia, in Aemilia, nunc *Faenza. Plin.* 3, 1, 3. et *ib.* 3, 4. et *Varr. L. L.* 7, 40.

FAVENTĪNUS, a, um, adj. ad Faventiam oppidum pertinens, ut Faventinus ager, *Varr. R. R.* 1, 2. et *Col.* 3, 3. Faventinis linis in Aemilia secundam palmam tribuit *Plin.* 19, 1, 11. ℙ *Faventini*, *orum*, Faventiae incolae. *Id.* 3, 15, 20.

FAVĔO, es, favi, fautum, n. 2. συμφάττω, favore complector, prodesse cupio, studeo, amo. *Cic. Fam.* 12, 7. Favebam et reipubl., cui semper favi, et dignitati ac gloriae tuae. Et *ib.* 1, 7. Favere laudi alicujus. Et *ib.* 15, 4. *med.* voluntati. [**Id. Ligar.* 3. industriae et gloriae.] Et *Planc.* 8. honoribus alicujus. *Id. Tusc.* 1, 23. sententiae. *Nep. Att.* 2. et *Liv.* 45, 22. Dissociatis animis civium, cum alii Sullanis, alii Cinnanis partibus faverent. *Caes. B. G.* 6, 6. rebus Gallicis. Et *ib.* 1, 18. Favere et cupere alicui. *Ter. Andr. prol.* 24. Favete, adeste aequo animo. *Cic. Planc.* 1. Invidos huic accusationi esse fauturos. [**Ov. Met.* 15, 367. Rura colunt operique favent. *Hor. A. P.* Ille (chorus) bonis faveatque (i. e. juvet) et consilietur amicis. *Ov. Met.* 7, 721. Favet huic Aurora timori, i. e. auxilio est. Hinc solennes formulae, cum deorum voluntas, auxilium precibus exposcitur. *Tibull.* 2, 5, 1. Fave, Phoebe. *Id.* 3, 3, 34. Faveas, Cypria. *Ov. Met.* 3, 613. O faveas. *Tibull.* 4, 5, 9. Faveto votis (Geni). *Ov. Fast.* 4, 722. Si favet alma Pales. *Virg. G.* 1, 18. Favens adsis. Huc pertinent porro *Tibull.* 1, 10, 30. Favente Marte. *Suet. Galb.* 10. Faventibus Diis etc. ℙ Pertinet *favere* etiam ad eos, qui vana quadam fiducia, voluptate rei tenentur. *Ov. Met.* 3, 388. (Echo) Et verbis favet ipsa suis, i. e. delectatur, ipsa placet sibi propter verba sua. Ita *Gierig.* h. l. explicat, coll. *Amor.* 2, 5, 11. Nimiumque suo favet illa dolori.] ℙ Passive impersonaliter. *Id. Off.* 2, 13. Non modo non invidetur illi aetati, verum etiam favetur. (Adde *Or.* 2, 51.) *Spartian. Pescenn.* 2. Huic Romae ita fautum est, ut etc. ℙ *Favere linguis* praeco jubebat in sacris publicis boni ominis causa. *Cic. Div.* 1, 45. Omina majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, *quod bonum*, *faustum*, *felix*, *fortunatumque esset*, praefabantur: rebusque divinis, quae publice fierent, *ut faverent linguis*, imperabatur: inque feriis imperandis, *ut litibus et jurgiis se abstinerent.* Porro haec loquendi ratio duo significat. *Fest.* in *Faventia.* Faventia bonam ominationem significat. Nam praecones clamantes, populum sacrificiis favere jubebant: *favere* enim est bona fari. At veteres poetae pro silere usi sunt *favere.* Haec *Festus. Enn.* ap. *Philargyr.* ad *G.* 4, 230. Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt, protecti gladiis sub scutis, ore faventes. Itaque *favere linguis*, *ore*, *animis* etc. est εὐφημεῖν, bona verba dicere, votis, faustis ominibus, precibus sacrum ipsum et sacerdotem preces et vota concipientem comitari aut sequi. *Ov. Fast.* 1, 71. Prospera lux oritur: linguis animisque favete: Nunc dicenda bono sunt bona verba die. *Tibull.* 2, 2, 1. Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras. Quisquis ades, lingua vir mulierque fave. Al. leg. *venit Natalis.* Ad aras Quisquis ades etc. *Ov. Met.* 15, 677. Et, Deus en, Deus en: linguis animisque favete Quisquis ades, dixit: sis, o pulcherrime, visus Utiliter, populosque juves tua sacra colentes. Quisquis adest jussum venerantur numen, et omnes Verba sacerdotis referunt geminata, piumque Aeneadae praestant et mente et voce favorem. Adde *Trist.* 3, 13, 18. et *ib.* 5, 5, 6. ℙ Et in malam partem. *Id. Ib.* 97. peragam rata vota sacerdos: Quisquis ades sacris, ore favete, meis. Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba etc. Hinc *Lactant.* 1, 21. docet sacra Herculis non εὐφημία, bonis verbis, sed exsecratione et maledictis celebrari solita, et pro violatis haberi, si inter faciendum cuipiam vel imprudenti bonum verbum excidisset. ℙ Deinde significat etiam tacere, silentium sacris praestare, non quidem absolute, sed eatenus, quatenus abstinebatur profanis vocibus et mali ominis, ne sacri religio violaretur et publice precantibus obstreperetur. Aliquando enim favetur sacris bona verba dicendo, aliquando tacendo: quod et in Christianis sacris usuvenit. Hoc sensu videtur locutus *Plin.* 28, 2, 3. Vidimus, certis precationibus obsecrasse Magistratus, et ne quid verborum praetereatur, aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem: rursusque alium custodem dari, qui attendat: alium vero praeponi, qui faveri linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur. *Sil.* 16, 295. Mente favete pari, atque aures advertite vestras. *Senec. V. B.* 26. *extr.* Quoties mentio sacra litterarum intervenerit, favete linguis. Hoc verbum, non, ut plerique existimant, a favore trahitur: sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla mala voce obstrepente. Haec *Senec.*, ubi illa *hoc verbum*, et deinceps, nonnullos criticos adsciticia putare, et addita a nescio quo interpretandi causa, jam adnotavit *Lipsius. Aristoph. in Thesmoph. v.* 39. Εὔφημος τῆς ἔστω λεὼς στόμα ἀγγελίοις. ℙ In alterutram partem trahi possunt illa *Prop.* 4, 6, 1. Sacra facit vates? sint ora faventia sacris. *Hor. Od.* 3, 1, 2. Favete linguis: carmina non prius Audita Musarum sacerdos Virginibus, puerisque canto. *Virg. A.* 5, 71. Ore favete omnes et cingite tempora ramis. ℙ Interdum *faveo* ad circum et theatrum pertinet, et significat non solum studiosum esse, sed etiam plaudere, fausta acclamare. [*Cf. intpp. ad *Liv.* 1, 25, 9.] *Cic. Planc.* 8. Quorum honoribus agri prope dicam ipsi montes-

que faverunt. *Ov. Am.* 3, 2, 43. Aurea pompa venit: linguis animisque favete: Tempus adest plausus. *Id. A. A.* 1, 148. Tu Veneri dominae plaude favente manu. *Sil.* 16, 315. Fluctuat aequoreo fremitu rabieque faventum, Carceribus nondum reseratis, mobile vulgus. *Lampr. Commod.* 15. Cum illi saepe pugnanti, ut Deo, populus favisset. Adde *Plin. ep.* 9, 6. et *Mart.* 14, 131. [**Suet. Cal.* 30. Infensus turbae, faventi adversus studium suum. *Liv.* 1, 25. ad q. l. v. *Bauer.* p. 38. — Dicitur *favere* etiam in universum de iis, qui spectantes dictis et factis declarant, cui parti dediti sint. *Ov. Met.* 5, 152. Hac pro parte socer frustra pius, et nova conjux Cum genitrice favent ululatuque atria complent. Hinc intelligendus locus ap. *Cic. Div.* 2, 26. Galli silentio noctis, ut ait Ennius, favent faucibus russis cantu, plausuque premunt alas.] ℙ Interdum cupere, velle. *Ov. Her.* 6, 99. adscribi factis procerumque tuisque Se favet. *Enn.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 18. Matronae moeros complent, spectare faventes. ℙ *Venti faventes*, secundi, prosperi. *Ov. Met.* 15, 49. ventisque faventibus aequor Navigat Ionium. ℙ *Claud. Cons. Mall. Theod.* 179. Gleba, quae favet frugibus, *h. e.* quae fertilis est. [**Virg. G.* 2, 228. Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho; etc.] ℙ *Charis.* 5, 265. aeque Latine dici ait, *faveo tibi* et *faveo te:* sed nulla auctoritate fulcit.

*FAVERĪA, ae, f. oppidum Istriae. *Liv.* 41, 15. *B. A.*

FAVILLA, ae, f. cinis illa tenuior ac levior, quae, exstincto igne, remanet, fuligo, *αἰθάλη, οποδος*: a *φάω*, luceo. [**Ernest.* in *synonym.* deducit a *fovere*, quasi *fovilla.*] *Ov. Met.* 7, 79. Ut solet a ventis alimenta resumere, quaeque Parva sub inducta latuit scintilla favilla, Crescere, et in veteres agitata resurgere vires. *Ter. Ad.* 5, 3, 60. Atque ibi favillae plena, fumi, ac pollinis coquendo sit faxo, et molendo. *Vitr.* 8, 7. Coagmenta fistularum favilla oblinere. *Plin.* 18, 35, 84. Cum contectus ignis ex se favillam discutit, scintillamve emittit. *Id.* 36, 25, 63. Sabulo, calce, ac favilla mixtis. *Id.* 26, 11, 72. *med.* E carbone exstincto favilla digito sublata. Adde 3, 8, 14. et 19, 1, 4. ℙ Saepe dicitur de rogi cineribus. *Virg. A.* 6, 227. Relliquias vino, et bibulam lavere favillam. *Tibull.* 3, 2, 10. Candidaque ossa super nigra favilla teget. *Hor. Od.* 2, 622. ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici. [**Ov. Fast.* 3, 561. Mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae.] *Prop.* 1, 19, 19. Quae tu, vita, mea possis sentire favilla. Adde *Lucan.* 6, 537. ℙ Est etiam ignis favilla tectus, cinis igne mixtus, scintilla. [*Imo cinis calens, candens, *die glühende, glimmende Asche*; quae prima est v. significatio: oppon. *cinis*, i. q. reliquiae rerum igne consumptarum. Hinc ab initio poni debebant hujus §. exempla.] *Suet. Tib.* 74. Cinis e favilla, et carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus. *Stat. Silv.* 2, 1, 2. ante rogos, et adhuc vivente favilla. *Sil.* 17, 105. Ardenti volitant per nubila summa favilla. *Ov. Met.* 8, 670. Ovaque non acri leviter versata favilla. Sic *Mart.* 11, 52. ova tenui versata favilla. *Claud. B. G.* 25. Et juga taurorum rapidis ambusta favillis. ℙ Translate. *Prop.* 1, 9, 17. Nec tum etiam palles, vero nec tangeris igni: Haec est venturi prima favilla mali, *h. e.* principium, indicium. ℙ *Favilla salis* ap. *Plin.* 31, 7, 42. est pars ejus levissima, et candidissima.

FAVILLĀCEUS et Favillaticus, a, um, adj. a favilla, ut Fuligo favillacea, *Solin.* 35. Favillatica humus, *Id.* 27. *med.*

FAVILLESCO, is, n. 3. in favillas redigor. *Fulg. Contin. Virg. med.* Amor sepultus in oblivionis cinere favillescit.

FAVISSAE, arum, f. plur. locum sic appellabant, inquit *Festus*, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem qui putent, favissas esse in Capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quae in templo vetustate erant facta inutilia. Haec *Festus.* [In nostris quoque templis etiamnum hujusmodi locus eidem usui est destinatus, et *sacrario* dicitur. In *Giorn.* vero *Arcad. T.* 3. p. 119. ubi Faesulani veteris aedificii, nunc *Chisa di S. Alessandro*, reliquiae describuntur, sermo est de tribus subterraneis cellis ibidem repertis, in quibus cornuum, ferreorum utensilium, idolorum etiam aeneorum, et fictilium ollarum lucernarumque, et vitreorum phallorum fragmenta constipata fuerant, unde, quinam fuerit illarum cellarum usus, satis apparet. *F.*] Etiam *Varro* ap. *Gell.* 2, 10. et *Non.* 2, 341. interrogatus, quid essent *favissae Capitolinae*, eadem fere tradit, quae *Festus.* Addit etiam ex *Val. Sorano*, Graeco nomine thesauros appellari: priscos Latinos *flavissas* dixisse, quod eo *flata*, signataque pecunia conderetur. Conjectare igitur se, detractam esse ex eo verbo secundam litteram, et *favissas* dictas esse cellas quasdam et specus, quibus aeditui Capitolini uterentur ad custodiendum res veteres religiosas. [Hinc porro legitur in *Gloss. Philox.* Favissae, *θησαυροὶ. F.*]

FĀVISSOR, oris, m. favitor. *Appul. Apol.* p. 333, 4. Ego quietis, et concordiae, et pietatis auctor, conciliator, favissor. Alii plerique leg. *favitor.* [*Not. Tir.* p. 134. Favor, fautor, favissor. ℙ Unica etiam littera *s* scribitur. *Symmach. Laud. in patres* (ed. *Majo*) 3. Vetustas tribus evocet libertina ac plebeja faece pollutas, nos patricios favisores. *F.*]

FĀVĪTOR, oris, m. fautor: ab obsoleto supino *favitum* pro fautum. *Charis.* 1, 66. *Fautor* antiqui dixerunt: at *favitor* nec auctoritate nec ratione dicitur. Ceterum nugatorem hic, non grammaticum agere videtur *Charisius:* etenim haec habet ap. *Non.* 2, 326. Favitor, fautor: *Lucil. ib. XXIX.* Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes. *Pl.* vero *Amph. prol.* 78. Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper, qui recte facit.

[FĀVĪTUS, a, um, part. a *faveo*, idem ac *fautus* a supino *fautum.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 233. ... sia Q. L. Favita. Alia ap. *Mur.* 729, 4. Petilia Q. L. Favita. *F.*]

*FAULĀ, ae, f. meretrix. *Lactant.* 1, 20. Nec hanc solam (Accam) Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse, Verrius scribit. V. *Bunem.* ad h. l. *B. A.*

FAUNĀ, ae, f. eadem quae Fatua et Bona Dea, filia Pici, soror et uxor Fauni: ita dicta a *fando*, quod vivens mulieribus fata canere consuevisset. Post mortem Dea est habita et culta. Alii tradunt, fuisse filiam Fauni, qui incesto ejus amore ardens, ut corrumperet, inebriavit, et repugnantem adhuc virgis myrteis cecidit. Alii narrant, ideo verberasse, quod, eo inscio, vini amphoram ebibisset. Tandem in serpentem versus deceptam vitiavit. Ideo vini amphoram opertam in ejus sacris constitui solitam, virgas myrteas in ejus templum inferre nefas fuisse, in templo serpentes apparuisse, qui nec nocerent, nec extimescerent, etc. *Cornel. Labeo* scripsit hanc Majam dictam fuisse, eandem esse ac Opim seu Tellurem seu Terram: dictam esse Fatuam a *fando*, quod infantes partu editi non prius vocem edunt, quam terram attigerint: Faunam, quod omni usui animantium *favet:* Opem, quod ipsius *ope* vita constet: Bonam Deam, quod omnium nobis ad vitam *bonorum* causa est. *Macr. Sat.* 1, 12., ubi plura in hanc rem. Adde *Lactant.* 1, 22. et *Arnob.* 5, 168.

*FAUNĀLIA, orum, n. festa in Fauni honorem instituta. *Porphyr.* ad illud *Hor. Od.* 3, 18, 1. Faune Nympharum fugientum amator. Et 10. Cum tibi nonae redeunt Decembres, Festus in pratis vacat otioso Cum grege pagus; *haec habet:* Nonis Decembribus Faunalia sunt, hoc est, dies festus Fauni, in cujus honorem pecudes lasciviunt. Adde *Acron. ib. B. A.*

FAUNI, orum, m. plur. Panes, Satyri, Silvani, filii Fauni vel Saturni, ut alii volunt, qui ab ethnicis Dii agrorum, montium, silvarum habiti sunt, sed credebantur post longum tempus interire, quod et ipsi e terra geniti essent. Inter se sic distinguuntur, ut Fauni, et Panes essent Dii agrorum, Satyri silvarum campestrium, Silvani silvarum, quae sunt in montibus. Fortasse Fauno hi filii fuere, Faunus, Pan, Satyrus, Silvanus, quorum filii Fauni, Panes, Satyri, Silvani appellati sunt. Habiti autem sunt Dii agrorum, etc. quod in agris, montibus, silvis sibi a rege patre assignatis habitavissent. Sed verisimilius est, hos Deos Arcadum fuisse; dici autem filios Fauni, quod cum Picus Euandrum Arcadem excepisset, in causa fuit, ut hi Dii in Italia consecrarentur. *Ov. Met.* 6, 392. ruricolae silvestria Numina, Fauni, Et Satyri fratres. *Id. Ib.* 81. Vos quoque, plebs Superum, Fauni, Satyrique, Laresque. ℙ Faunos eosdem esse ac Incubos, credebant antiqui, ab iisque infestari dormientes, et opprimi. *August. C. D.* 15, 23., *Serv.* ad *A.* 6, 776. et *Plin.* 25, 4, 10. et 8, 40, 62.

FAUNĪGĔNAE, arum, m. plur. Italiae, seu Latii populi a Fauno rege. *Sil.* 8, 358. Faunigenae socio bella invasere Sicano, Sacra manus, Rutuli. ℙ In sing. num. *Id.* 5, 7. Quae vada *(Trasimeni)* Faunigenae regnata antiquitus Auno.

FAUNUS, i, m. Fatuus, Fatuellus, Pan, Aegipan, Silvanus, Inuus, filius Pici, nepos Saturni, rex Aboriginum: a *φαύω*, vel *φάω*, quod est fari, quoniam viris fata canere consuevisset, ut Fauna mulieribus. Ex uxore Fauna vel Fatua, quam quidam illi etiam sororem, alii filiam fuisse ajunt, genuisse fertur Faunos, Panes, Satyros, et Silvanos, item Acim ex Symetride Nympha, item Eurymedontem, item, ut aliqui volunt, Sentam Faunam, item Latinum ex Nympha Marica. *Justin.* 43, 1. scripsit, Latinum ex filia Fauni, et Hercule, qui eodem tempore victo Geryone armenta victoriae praemia per Italiam ducebat, stupro procreatum fuisse. Post mortem Deus habitus est. *Ov. Her.* 5, 137. Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta Faunus. *Id. Fast.* 3, 84. Pinigerum Fauni caput. Et *ib.* 5, 99. Bicornis Faunus. Et 101. Faunus semicaper. Et *ib.* 2, 424. Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet. *Hor. Od.* 3, 18, 1. Faune Nympharum fugientum amator, Per meos fines et aprica rura Lenis incedas, abeasque parvis Aequus alumnis. Si tener pleno cadit haedus anno etc. *Prop.* 4, 2, 34. Faunus plumoso sum Deus aucupio.

*FAVONĬĀLIS, e, adj. ad Favonium pertinens. *Gloss. Philox.* Favonialis, *Ζεφύριος. B. A.*

FAVONĬĀNUS, a, um, adj. ut Favoniana pira, genus pirorum rubrorum, a quodam Favonio insitore. *Plin.* 15, 15, 16. et *Col.* 5, 10. *med.* ℙ [*Dalechampius* affirmat, aliquos putasse, Favoniana fuisse appellata, quod Favonio flante formentur. *F.*]

*FAVONIENSES, ium, m. populi in sexta regione Italiae, Nucerini cognominati, ut refert *Plin.* 3, 14. *B. A.*

FĀVŌNĬUS, ii, m. *Ζέφυρος*, ventus, al. Zephyrus, qui spirat ab occasu aequinoctiali, contra Subsolanum: a *favendo*, quia favet geniturae, siquidem est spiritus genitalis mundi, quo plantae hiberno frigore enectae reviviscunt, et quo hausto quaedam animalia concipere existimantur. Aliqui derivant a *fovendo*, quasi Fovonium, quia fovet sata. *Plin.* 2, 47, 46. et 18, 34, 77. *n.* 2., *Senec. Q. N.* 5, 16., *Gell.* 2, 22. et *Vitr.* 1, 6. ℙ Hujus ortum Latini rustici assignabant circa Id. Februar., teste *Varr. R. R.* 1, 28., quod eo primum tempore tellus moveri, et plantarum non paucae virere incipiant. Hinc *Id. ib.* 29. In primo intervallo inter Favonium, et aequinoctium vernum haec fieri oportet: Seminaria ut serantur etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Veris initium iste non a Favonio notabat; sed cum rosam viderat etc. *Hor. Od.* 1, 4, 1. Solvitur acris hiems grata vice veris, et Favoni. *Catull.* 64, 282. Aura parit flores tepidi fecunda Favoni. *Lucr.* 1, 11. Genitalis aura Favoni. *Ov. Met.* 9, 660. Lene spirans Favonius. ℙ *Veg. Mil.* 4, 38. Favonium eundem facit ac Iapyga, et ad dexteram Zephyri spirare ait. Hic autem ventus Corus et Argestes dicitur, ab occidente solstitiali. ℙ [*Favonius est etiam viri nomen, Stoicam sectam professi, et instituta Catonis ridicule aemulantis, unde et *simia Catonis* appellabatur. *Val. Max.* 2, 10. *Suet. Aug.* 13. *B. A.*]

FĀVOR, oris, m. *εὐφημία*, voluntas, studium: a *faveo.* Vox haec hac significatione nova erat Ciceronis aetate. Ita enim legitur in *fragm. ep. ad Brut.* ap. *Quint.* 8, 3, 34. Eum amorem, et eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabis. [*V. *Spald.*] *Id. Sext.* 54. Ei vero, qui pendet a rebus levissimis, qui rumore, et, ut ipsi loquuntur, favore populi tenetur et ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. V. infra. ubi ex locis ibidem allatis apparet, vocem fuisse propriam populi in ludis theatralibus et gladiatoriis et in concionibus. *Sall. Jug.* 76. Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat. Et 13. Ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha venit. *Liv.* 7, 25. Triumphus a Popillio de Gallis actus, magno favore plebis. *Vell.* 2, 54. Ingens partium Pompeji favor bellum excitaverat Africum. *Hor. Ep.* 2, 1, 9. Ploravere, suis non respondere favorem Speratum meritis. *Quint.* 4, 1. Est enim naturalis favor pro laborantibus. *Tac. H.* 1, 53. *extr.* et *A.* 15, 48. Favor militum in aliquem. *Flor.* 1, 9. Velificari favori civium. Et 3, 12. Plebis favorem conciliare. Et 13. Studium ac favorem populi aucupari. *Quint.* 4, 1. emereri. Et *ib.* facere, *h. e.* parere, conciliare. Et 4, 1. captare ex aliqua re. *Tac. A.* 15, 53. elicere. Et *ib.* 1, 52. quaerere. *Liv.* 2, 56. Amplecti favore aliquem. *Just.* 27, 1. Favorem afferre alicui. Et 13, 6. Sollicitare quempiam in favorem sui. Et 33, 1. In favorem sui trahere. Et 17, 2. Cum in gratiam memoriae Ptolemaei, et in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset. Et 5, 1. *extr.* Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. ℙ Saepissime, ac proprie dicitur de studio et plausu spectantium in theatro vel circo, *ἐπιβόησις, εὐφημία*: ideoque nova vox visa est Ciceroni in priori usu. Nam in his et ipse, sine ulla veniae petitione, usurpat *Rosc. Com.* 10. Quod studium, et quem favorem secum in scenam attulit Panurgus? *Id. Leg.* 2, 5. Quae sunt autem varie, et ad tempus descripta populis, favore magis, quam re, legum nomen tenent. *Phaedr.* 5, 5. Jam favor mentes tenet, Et derisuri, non spectaturi sedent. ℙ Hinc ponitur et pro plausu et acclamationibus. *Suet. Claud.* 21. Cum essedario, magno omnium favore, indulsisset rudem. *Ov. Trist.* 2, 506. Plauditur, et magno palma favore datur. *Val. Fl.* 4, 228. Nec sonat Oebalius caveae favor. *Virg. A.* 5, 343. Tutatur favor Euryalum. *Stat. Silv.* 1, 6, 81. Tollunt innumeras ad astra voces, Et dulci dominum favore clamant. *Vopisc. Aurel.* 48. *extr.* Ipsum primum donasse oraria populo R., quibus uteretur populus ad favorem. *Macr. Sat.* 7, 15. de plausu conviviali. His dictis favor ab omnibus exortus est. ℙ In fabulis *Favor* Deus est minorum gentium, teste *Capell.* 1, 16. eadem sorte, qua Invidia, Fortuna etc.

FĂVORĂBĪLIS, e, adj. active dicitur de eo, qui favorem affert, [*Haec vox primum a Vellejo usurpatur 2, 34. Luculli et Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeji apud optimum quemque fecit favorabilem; adde *ib.* 40., quem locum frustra tentasse videntur. *Coll. Tac. A.* 2, 36. et *Dial.* 7. — In *Liv.* l. seq., non defendenda Vulg. videtur *Liv.* 22, 26. Auram favorabilis populi ex dictatoria invidia petiit. Al. leg. *favoris popularis. Plin. ep.* 5, 14. Ut deprecari magis (id enim favorabilius et tutius) quam defendi videretur. *Quint.* 11, 10. *f.* Jucundior ac favorabilis eloquentia. ℙ Passive de eo, qui favorem habet. *Id.* 11, 1. *med.* Ut quisque honestus, humilis, invidiosus, favorabilis erit. *Id.* 12, 11. *f.* Facilis et favorabilis causa. [*Cf. ad h. l. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 163. sq.] *Sen. Ira* 3, 2. Modo eloquio favorabilis habitus, iram suae concionis excepit. *Plin.* 20, 8, 30. Succo cichorii cum oleo perunctos, favorabiliores fieri, et quae velint, facilius impetrare. *Plin. alter ep.* 4, 9. *f.* Fecerat eum favorabilem renovata discriminum vetus fama. *Flor.* 4, 4. Octavius Caesar aetate et injuria favorabilis. [*Adde *Sen. Clem.* 10. Clementia gratum ac favorabilem reddit. *Tac. H.* 2, 97. *Suet. Cal.* 4. *Ner.* 57. *Eutrop.* 8, 23. 10, 6.]

FĂVORĂBĪLĬTER, adv. *ἐσπουδασμένος*, cum favore. *Quint.* 4, 3. In aliquem laetum atque plausibilem locum, quam maxime possint, favorabiliter excurrere. *Suet. Ner.* 7. Trojam favorabiliter lusit. *Paul. Dig.* 40, 4, 10. Tunc favorabilius respondetur, liberum fore.

[FĂVORĀLIS, e, adj. idem ac favorabilis. *Not. Tir.* p. 134. Favor, favoralis, favorabilis. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1118, 5. T. Sallustius Favoralis. *F.*]

*FĂVORĪNUS, i, m. philosophus, Arelate oriundus, Dionis auditor, eunuchus, Adriano principi infensus. Ideo tria de se mira narrare solebat, se Gallum graecissare, eunuchum moechum putari et inimicum Imperatori vivere. Ob quam causam statua ejus disjecta Athenis, ubi vivebat. Hunc Herodes Atticus patrem solebat appellare, haeresque librorum ab eo factus est. Haec ex Philostrato. *Gell.* 1, 3. *p. med.* et 15. *p. med.* 2, 12. 3, 1. *med.* et 3. *med.* etc. *Spart.* in *Hadr.* 15. *extr. B. A.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 243, 3. M. Aurelius Favorinus. *F.*]

FAUSTĔ, adv. *εὐτυχῶς*, feliciter, fortunate. *Cic. Mur.* 1. Ut his hominibus ea res fauste, feliciter prospereque eveniret.

[FAUSTĪANENSIS, e, adj. ad Faustianam pertinens, urbem provinciae Byzacenae in Africa. ℙ *Faustianenses, ium*, sunt illius urbis incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 363, 1. Quod Q. Aradium Valerium Proculum V. C. praesidem provinciae Valeriae Byzacenae Faustianenses patronum cooptarent etc., *mox* splendidissimus ordo ejusdem civitatis Faustianensis legationem prosecutus est. *F.*]

FAUSTĪANUS, a, um, adj. ad Faustum pertinens, ut Faustianus ager et Faustianum vinum ap. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 2. Secunda nobilitas Falerno agro erat, et ex eo maxime Faustiano. [Faustianus autem circiter quatuor milliaria vico prope Caedias. Tria ejus vini genera, austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt: summis collibus Gauranum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum. *Front. fer. Alsiens.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Ut homo ego multum facundus et Senecae Annaei sectator, Faustiana vina, de Sulla Fausti cognomento, felicia appello: neque enim me decet, qui sim jam homo doctus, vulgi verbis Falernum vinum appellare. ℙ Ex quibus patet, agrum et vinum Faustianum fuisse appellatum a L. Cornelio Sulla dictatore, cui Felix seu Faustus cognomen fuit, quique in eundem agrum Falernum Urbanam coloniam deduxit, quam Capuae contributam ideo *Plin. l. c.* Sullanam dixit. Vicus autem *Faustianus*, nunc *Falciano*, vinum vero *Faustianum*, nunc *vino Razzese* cognominatur. ℙ *Faustianus* vel *Faustinianus* fuit etiam dictus populus Pannoniae superioris, qui Faustum vel Faustinum, ignotum illius regionis oppidum, incolebat. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 269. Candidio Valentino equiti Numeri Singularis natione Pannoniae, civi Faustiano etc. Alia ap. *Mur.* 821, 4. Julius Nero oriundus in Pannonia superiore, pede Faustiniano etc., *h. e.* ubi pes, sive pedismus, sive limes est Faustinianus. *F.*]

[FAUSTILLUS, a, um, dimin. Fausti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 231, 3. C. Vibius Faustillus. Alia ap. *Grut.* 785, 4. Fonteja Faustilla. *F.*]

FAUSTĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Faustinam seniorem et juniorem pertinens, [quarum prior Antonini Pii Aug., altera M. Aurelii Aug. uxor fuit. *F.*] *Capitol. Anton.* 8. Puellas alimentarias, in honorem Faustinae, Faustinianas constituit. [*Id. M. Aurel.* 26. Novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae. Nummus ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 40. Puellae Faustinianae. Ubi vide ejusd. adnotationem. V. ALIMENTARIUS, CUPRENSIS et MUMMAEANUS. [**Inscr.* ap. *Orell.* 1895. Schola Faustiniana, i. e. ad usum puellarum alimentariarum Faustinianarum destinata.] ℙ *Faustinianus populus.* V. FAUSTIANUS. *F.*]

*FAUSTĪNA, ae, f. uxor Antonini Pii. *Capitol.* in *Anton. Pio* 1. ℙ Item filia ejusdem. *Id. ib.* 10. ℙ Et uxor Antonini philosophi. *Id.* in *M. Anton. Philos.* 6. *B. A.*

*FAUSTĪNI VILLA, locus in Britannia. *Anton. Itin. B. A.*

*FAUSTINOPŌLIS, is, f. oppidum Cappadociae. *Anton. Itin. B. A.*

[FAUSTĪNUS, i, m. deriv. a fausto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 344, 4. M. Acilius Faustinus Cos. *scil.* anno a Chr. n. CCX. *F.*]

[FAUSTĪO, onis, m. dimin. Fausti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 2. Q. Fabius Faustio. *F.*]

FAUSTĪTAS, ātis, f. *εὐτυχία*, felicitas. *Hor. Od.* 4, 5, 18. Nutrit rura Ceres almaque Faustitas. Videtur *Hor.* significare Deam feturis armentorum praesidem. Nihil enim rusticis hominibus faustius, quam si fetura gregem suppleret: et faustulum porcellum *Fest.* interpretatur feturam porcorum.

[FAUSTŪĀRĬUS, a, um, adj. qui faustitate gaudet. *Not. Tir.* p. 152. Faustus, faustuarius, faustuosus. *F.*]

FAUSTŬLUS et vetustiori forma Fostlus, i, m. fuit nomen magistri regii pecoris, qui Romulum et Remum fratres a lupa lactatos invenit, ut refert *Liv.* 1, 4. Hinc *Fostlus* cogn. R. Nummus ap. *Morell.* in *G. Pompeja tab.* 3. *n.* 5. Sex. Pompejus Fostlus. In quo Romulus et Remus infantes sub ficu, cui picus insidet, lupae ubera sugunt, eisdem adstat pastor. ℙ *Faustulus, a, um*, adj. *Festus.* Faustulum porcellum feturam porcorum.

[FAUSTŬOSUS. V. FAUSTUARIUS. *F.*]

FAUSTUS, a, um, adj. s. part. a *faveo* pro *fautus*, *εὐτυχής*, prosper, felix, cui fortuna favet. *Cic. Div.* 1, 45. Idcirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset, praefabantur. In *formula censoria* ap. *Varr. L. L.* 5, 9. Quod bonum, fortunatum felixque salutareque siet populo Romano Quiritium etc. *Pl. Trin.* 1, 2, 2. Ut nobis haec habitatio bona, fausta, felix fortunataque eveniat. *Ov. Fast.* 3, 27. Utile sit faustumque, precor, quod imagine somni Vidimus. Et *ib.* 1, 63. Faustus annus. *Id. Her.* 21, 182. Faustum carmen. Et *ib.* 19, 153. Fausti ignes. *Liv.* 7, 25. *med.* Faustum omen. *Ter. Andr. a.* 5. *sc.* 4. *extr.* O faustum et felicem hunc diem! *Hor. Ep.* 2, 2, 37. i pede fausto, Grandia laturus meritorum praemia. *Lucr.* 1, 804. nisi tempestas indulget tempore fausto Imbribus, *h. e.* idoneo, opportuno. ℙ [*Faustus* fuit etiam cognominatus filius L. Cornelii Sullae dictatoris, ut constat ex nummis in gente Cornelia ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 192. et ex *Cic. Sull.* 19., quin et ipse dictator tum *Felix*, tum *Faustus* fuit cognominatus. ℙ *Fausta* fuit cognominata Cornelia Sullae dictatoris filia, quae T. Annio Miloni nupsit. *Cic. Att.* 5, 8. et *Hor. Sat.* 1, 2, 64. *F.*]

FAUTOR, oris, m. *σπουδαστής*, qui favet: syncope a *favitor. Lucil.* ap. *Gell.* 9, 14. Qui te diligat, aetati (al. *aetatis*), facieque tuae se Fautorem ostendat, fore amicum polliceatur. *Cic. Planc.* 1. Cum multos et bonos viros ejus honori viderem esse fautores. *Id. Fam.* 12, 25. Ego tuorum consiliorum auctor dignitatisque fautor. Et *ib.* 1, 9. *med.* Cujus ego dignitatis ac adolescentiae fautor, in consulatu adjutor etiam exstitissem. Et *ib.* 10, 12. *f.* Tuae dignitatis non modo fautor, sed etiam amplificator. Et *Att.* 1, 16. *med.* Studiosi et fautores illius victoriae. *Id. Planc.* 23. Multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae. *Liv.* 1, 48. Clamor ab utriusque fautoribus oritur. Sic *Id.* 9, 46. Populus fautor et cultor bonorum. Et *Sall. Jug.* 27. Fautores regis. Et *Varr. R. R.* 3, 5. *extr.* Fautores competitorum. Et *Hor. Sat.* 1, 10, 2. Quis tam Lucili fautor inepte est, ut etc. ℙ In malam partem *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Fautores illius flagitii. *Hor. Ep.* 1, 15, 33. Nequitiae fautores. ℙ De iis, qui in circo et theatro favent ac plaudunt. *Id. Ep.* 1, 18, 66. Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum. [**Suet. Tit.* 8.] *Pl. Amph. prol.* 67. Si cui fautores delegatos viderint, Ut his in cavea pignus capiantur togae. Adde *Tac. A.* 1, 25. et 28. et loca allata supra in FAVITOR.

FAUTRIX, icis, f. quae favet. *Ter. Eun.* 5, 9, 22. Thais nostrae omni est fautrix familiae. *Nep. Ages.* 8. Ut naturam fautricem habuit in tribuendis animi virtutibus; sic maleficam nactus est in corpore. *Cic. Fin.* 1, 20. Amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum, tam amicis, quam sibi. *Id. Planc.* 9. Tota illa nostra fidelis et simplex et fautrix suorum regio. *Ter. Hec. prol.* 2, 40. Facite, ut vestra auctoritas meae auctoritati fautrix adjutrixque sit.

FĂVUS, i, m. *κηρίον*, loculus, quem apes fingunt multicavatum e cera, cum singula cava sena latera habeant, quot singulis pedes dedit natura. Ita *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* describit: [est autem a *φάω*, findo, separo. *F.*] *Cic. Off.* 1, 44. Apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos. *Varr. l. c.* Eximendorum favorum primum putant esse tempus vergiliarum exortu. *Colum.* 11, 2. *med.* Nonnullis locis favi demetuntur, *h. e.* eximuntur et mellatio fit. *Tibull.* 2, 1, 50. apis complet dulci sedula melle favos. *Ov. Fast.* 4, 152. expressis mella liquata favis. *Virg. G.* 1, 344. Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho, *h. e.* mel. *metonymia. Vitr.* 7, 1. de pavimentis: Ita fricentur, uti, si sectilia sint, nulli gradus in scutulis aut trigonis aut quadratis seu favis exstent. ℙ *Crescere tanquam favum*, proverbio dicuntur ea, quae feliciter, parvo impendio et occulte augentur, ita ut prius crevisse intelligas, quam incrementi initia deprehenderis. *Petr. fr. Trag.* 43. et 76. *Burm.*

FAUX. V. FAUCES.

FAX, ăcis, f. *δαΐς*, *λαμπάς*, frustum ligni, ut pinus, taedae, laricis etc., cera aut oleo inunctum aut etiam per se solum; vel alterius materiae igni concipiendo aptae, ad lumen faciendum ignemque circumferendum, frequenti usu praesertim ap. rusticos: videturque esse a *φάω*, splendeo, unde *φάος*, lumen. *Plin.* 16, 18, 30. Facibus carpinus et corylus familiarissimae. *Id.* 19, 2, 7. Faces e sparto. *Id.* 18, 26, 63. Reliqua opera nocturna maxime vigilia constant: qualos texere, faces incidere, ridicas praeparare. *Virg. G.* 1, 291. seros hiberni ad luminis ignes Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto. *Varr.* ap. *Non.* 2, 340. Cum a nova nupta ignis in face afferretur. ℙ [*1. q. ligna arida, quae ignem mox concipiunt. *Liv.* 22, 16. Faces undique ex agris collectae.] ℙ *Fax prima noctis* est primum noctis tempus, cum faces accendi incipiunt. *Macr. Sat.* 1, 3. *f.* Tempus diei occiduum, mox suprema tempestas, hoc est diei novissimum tempus: deinde vespera: ab hoc tempore prima fax dicitur, deinde concubia etc. *Gell.* 3, 2. Post mediam noctem proficiscuntur et post primam facem, ante mediam sequentem, revertuntur. Adde 12, 1. et *Appul. Met.* 2. p. 119, 20. ℙ Mos fuit, novae nuptae ad sponsum transeunti facem e foco ejus accensam praeferri, ab ingenuo puero patrimo et matrimo vel in honorem Cereris, quae facibus filiam Proserpinam, a Plutone raptam, diu conquisivit; vel ut nova nupta, ignem, quod maxime necessarium est vitae elementum, cum marito communicare videretur; vel quia (quod verius est) olim non nisi noctu nubentes ducebantur ab sponsis, ut *Varro* docet ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 29. Haec autem fax auspicatissima erat ex spina alba, quoniam inde fecerant pastores, qui rapuerunt Sabinas, ut ex *Masurio* tradit *Plin.* 16, 18, 30. et *Fest.* in *Patrimi*, itemque *Varr.* ap. *Non.* 2, 340., ubi quod quidam leg. *fax e pinu ablata esset*, corrigendum *e spina alba esset.* Ideo autem haec arbor praelata ceteris, quia noxis pellendis aptissima habita est, ut ex *Ov. Fast.* 6, 129. colligitur. Quamquam et alia materia nonnunquam adhibita est. *Virg. Cir.* 439. Pronuba nec castos accendet pinus odores. *Festus* in *Rapi* tradit, morem fuisse, ut raperetur fax, qua praelucente nova nupta deducta erat, ab utrisque amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte poneret aut vir in sepulcro comburendam curaret: quo utroque mors propinqua alteriusutrius captari putabatur. ℙ Quidam tradunt, non unam, sed quinque faces praeferri solitas, in honorem Jovis, Junonis, Veneris, Suadelae et Lucinae. *Virg. Ecl.* 8, 29. Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor. *Pl. Cas. a.* 1. v. 30. huic lucebis novae nuptae facem. *Catull.* 61, 98. viden? faces Aureas quatiunt comas: Prodeas nova nupta. ℙ [*Hinc metaph. *faces nuptiales* dicuntur pro nuptiis. *Liv.* 30, 13. Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam. Adde *Ov. Met.* 7, 49. Te face solemni junget sibi, i. e. non concubinae loco tenebit, sed in verum matrimonium ducet.] ℙ Celebris est etiam fax funerea, qua defuncto conjunctior sanguine aversa facie rogum accendebat. *Ov. Fast.* 2, 561. Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris Aufer: habent alias moesta sepulcra faces. *Prop.* 4, 11, 46. Viximus insignes inter utramque facem. ℙ Funereae quoque illae erant, quae adhibebantur in exsequiis eorum praesertim, qui immatura morte efferrentur: quia noctu efferri solebant, ut *Tac. A.* 13, 17. et *Serv.* ad *A.* 11, 143. docent, ne funere immaturo sobolis domus funestaretur: quod praecipue servabatur in filiis eorum, qui erant in magistratu. *Sen. Tranq.* 11. Totiens in vicinia mea conclamatum est: totiens praeter limen immaturas exsequias fax cereusque praecessit. *Id. B. V. f.* Mehercule istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces et cereos ducenda sunt. *Id. ep.* 222. Quantulum enim a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt. *Virg. A.* 11, 142. de funere Pallantis: Arcades ad portas ruere et de more vetusto Funestas rapuere faces: lucet via longo Ordine flammarum etc. ℙ Facum usus plurimus est in inferendis incendiis. *Cic. Cat.* 1, 13. Malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare. *Suet. Galb.* 3. Illitis galbano facibus

oppidum succendit. *Curt.* 5, 7. Subdere faces urbi. Et *ib.* Adgerere faces. *Tac. H.* 4, 60. Direptis castris faces injicere. *Cic. Har. resp.* 18. Ardentes faces in vicinorum tecta jactare. *Id. Pis.* 2. *extr.* Ego faces jam accensas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, exstinxi. [*Hinc *Virg. A.* 10, 77. Quid, face Trojanos atra vim ferre Latinis? ℙ Omnino varius erat facum usus: in sacrificiis. *Liv.* 45, 33. Cetera omnis generis arma, cumulata in ingentem acervum, precatus Martem etc., ipse imperator, face subdita, succendit. — Item in itineribus, ubi e ligno querno faces habere solebant viatores, *Gr.* γάβρια. *Ov. Fast.* 2, 500. Sed proculus Longa veniebat Julius Alba; Lunaque fulgebat; nec facis usus erat. *Id. Met.* 1, 493. Ut facibus sepes ardent, quas forte viator vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit. Adde *Fast.* 4, 167. De qua viatorum vel negligentia, vel petulantia, unde saepe incendia, v. *Casaub.* ad *Suet. Caes.* 31. Commemorandus etiam locus videtur ap. *Liv.* 4, 33., ubi faces telorum loco adhibentur: Ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico instincta cursu, in hostem ruit. V. *intpp.* ad h. l.] ℙ Translate. [*a) De malorum facinorum auctoribus, hominibus pestiferis. Huc pertinet *Cic. Harusp.* 2, Cum his furiis et facibus bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum; et, quem l. Noster infra laudavit, ap. *eund. Cat.* 1, 6. Cui tu adolescentulo— non ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti?] *Id. Dom.* 5. *extr.* Ne in hanc tantam materiem seditionis ita funesta fax adhaeresceret. *Id. Phil.* 2, 19. Antonius omnium Clodii incendiorum fax. *Plin.* 7, 8, 6. Cajus et Nero totidem faces generis humani, *h. e.* exitium, pernicies. *Plin. Pan.* 8. Irritamentum irarum et fax tumultus. *Id. ep.* 4, 9. Princeps et fax accusationis et origo, *h. e.* qui primus accusationem, quasi incendium aliquod, quo reus conflagraret, accendit et instituit. *Vell.* 2, 25. Sertorius belli fax, *h. e.* auctor. Et 48. Subjicere facem bellis civilibus. [*Liv.* 21, 10. Juvenem tanquam furiam facemque hujus belli. *Tac. H.* 2, 86. *Liv.* 32, 38. Duas faces (rogationes) novantibus res ad plebem in optimates accendendam.] *Tac. H.* 1, 24. Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens. *Cic. Mil.* 35. Subjicere faces invidiae alicujus. *Lucr.* 3, 304. Fax irae, *h. e.* ardor ac vis. [*b) De impetu dolorum. *Cic. Tusc.* 2, 25. et *ib.* 5, 27. Dolor faces ardentes intentat.] *Id. Off.* 2, 10. Dolorum cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur. [*c) De corporis stimulis.] *Id. Tusc.* 1, 19. Cum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates. [*d) De oratione ad commovendos auditorum animos composita. Gr. τὰ πάθη.] *Cic. Or.* 2, 51. Neque parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces. [*V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 164. Adde *Cic. Or.* 3, 1. Verborum faces adhibere.— Tum transfertur ad animum et significat incitamentum quo quis ad bonam rem suscipiendam commovetur, instigatur. *Quint. Inst.* 1, 2, 5. Acriores ad studia dicendi faces subdere.] *Sil.* 6, 332. traxitque virum fax mentis honestae Gloria, *h. e.* stimulus, incitamentum. *Ov. Pont.* 1, 7, 28. Hortator studii, causaque faxque mei. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 67. incitator et fax omnium. ℙ Poetice soli ac sideribus tribuitur. *Sen. Hipp.* 379. Phoebea fax. *Id. Thyest.* 835. Aeternae facis exortus. *Lucr.* 5, 974. Rosea fax solis. [*Cic. Div.* 1, 11. Fax Phoebi. *Hor. Od.* 4, 6, 38. Rite crescentem face Noctilucam.] ℙ Item Cupidini. *Tibull.* 2, 1, 82. [*opp. placidus amor; Gr. ὁμαλοὶ Ἔρωτες.] Et *ib.* 5, 114., *Prop.* 3, 14, 16., *Ov. Rem. Am.* 140. et *Amor.* 3, 9, 8. [*Hor. *Od.* 3, 9, 13.] etc. De amore ipso. *Stat. Achill.* 1, 304. et 637. ℙ Item Furiis. *Virg. A.* 7, 337., *Val. Fl.* 4, 493. et *Sen. Herc. Oet.* 1014. ℙ Poetice item dicitur de pulcris oculis. *Prop.* 2, 2, 24. oculi, geminae, sidera nostra, faces. *Val. Fl.* 5, 38. Has ego credo faces, haec virginis ora Dianae. *Stat. Ach.* 1, 164. tranquillaeque faces oculis. ℙ Sunt etiam *faces* ignes in aere apparentes et brevi evanescentes. *Plin.* 2, 26, 25. Emicant et faces, non nisi cum decidunt, visae. Duo genera earum: lampades vocant plane faces: alterum bolidas. Distant, quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte: bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem. *Virg. A.* 2, 694. de coelo lapsa per umbras Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit. *Lucan.* 1, 528. coeloque volantes Obliquas per inane faces. Adde *Cic. N. D.* 1, 5. et *Lucr.* 2, 206. et 3, 1190. [*Cic. Cat.* 3, 8. *Liv.* 41, 21. 29, 14.] ℙ Olim in recto singulari *faces* dictum fuit, teste *Festo.* ℙ In genitivo plurali est *facum*, ut *Charis.* docet 1, 113. Sic *dux* habet *ducum* et *vox vocum.* Neque tamen, si quis *facium* dixerit, damnare ausim.

FAXIM et Faxo, is, it, pro faciam, fecerim et fecero, in aliquot personis usitata sunt, quae in subjectis exemplis enumerantur. *Pl. Amph.* 1, 3, 13. Ego faxim, te Amphitruonem esse malis, quam Jovem. *Id. Trin. a.* 1. *sc.* 2. *extr.* Pauci sint, faxim, qui sciant quod nesciunt. *Ter. Andr.* 4, 4, 14. Unum praeterquam quod te rogo, faxis, cave. *Cic. Leg.* 2, 8. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. *Pl. Truc.* 1, 1, 40. Quos cum celamus, si faximus conscios etc. *Liv.* in solemni precatione Scipionis solventis in Africam, 29, 27. Hostium ulciscendorum copiam faxitis. *Ter. Heaut.* 1, 1, 109. Utinam ita Dii faxint. *Cic. Verr.* 2, 3, 35. Dii immortales faxint, ne sit alter. *Id. Fam.* 14, 3. Dii faxint, ut tali genero mihi frui liceat. *Pl. Poen.* 1, 1, 45. At ego jam faxo scies. *Ter. Ph.* 5, 8, 66. et 2, 1, 78. Jam faxo hic aderit. *Id. Heaut.* 2, 3, 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum. *Pl. Curc.* 4, 4, 31. Faxo reperias. *Virg. A.* 12, 316. ego foedera faxo Firma manu. Adde *Enn.* ap. *Non.* 10, 21. ℙ *Faxo* et *faxim* interdum est minitantis. *Virg. A.* 9, 154. Haud sibi cum Danais jam faxo et pube Pelasga Esse putent. *Liv.* 6, 35. Faxo, ne juvet vox ista, veto. *Ov. Met.* 3, 271. mater de Jove vult fieri: tanta est fiducia formae. Fallat eam, faxo. Et *ib.* 12, 594. Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim, Sentiat. *Pl. Merc.* 4, 6, 10. Ecastor faxim, si itidem plectantur viri, Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres. *Sil.* 17, 236. Faxo, ut vallata revocetur Scipio Roma. Al. *omittunt* ut. *Faxim* habet etiam *Enn.* ap. *Non.* 10, 22. ℙ Reperitur etiam *faxem* pro facerem aut fecissem. *Pl. Ps.* 1, 5, 84. Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.

FE

FEBRESCO, is, n. 3. febri laboro. *Solin.* 19. *med.* Patuit, nunquam eos febrescere.

[FEBRĬBILIS, e, adj. qui febrem excitat. *Coel. Aur. Tard.* 4, 8. *med.* Diocles lumbricos vivos vel plenos ac sanguinolentos febribiles dixit. *F.*]

FEBRĬCĬTO, as, n. 1. πυρέττω, febri laboro, febri corripior. *Sen. Ben.* 4, 39. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxerim: sed non, si febricitavero. *Colum.* 6, 9. Febricitanti bovi convenit abstinere cibo uno die. *Cels.* 3, 6. Scire oportet, non febricitare eum, cujus venae naturaliter ordinatae sunt. *Id.* 2, 7. *f.* Ab eo die, quo primum febricitavit aliquis. *Mart.* 11, 98. Febricitantem basiabit et flentem.

FEBRĬCOSUS, a, um, adj. *Veg. Vet.* 1, 38. Ex qua re fiunt hydropici, febricosi.

FEBRĬCŪLA, ae, f. πυρέτιον, parva febris. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. *f.* Qui ex labore in febriculam incidit assiduam et satis molestam. *Cic. Att.* 6, 9. Febriculam habere. *Cels.* 2, 17. Lentis febriculis diu detineri.

FEBRĬCŪLENTUS, a, um, adj. febriculosus. *Marc. Empir.* 22. Febriculento potionem dare.

FEBRĬCŪLOSUS, a, um, adj. πυρετώδης, qui saepe habet febrem. *Catull.* 6, 4. Verum nescio quid febriculosi Scorti diligis. *Gell.* 20, 1. Non morbus his febriculosus aut nimium gravis. ℙ [Item qui febrem excitat. *Front. de or.* (ed. *Maio*) *ep.* 1. Partim Senecae mollibus et febriculosis pruneis insita. *F.*]

FEBRĬFŪGĬA, ae, f. herba vim habens fugandae febris, alio nomine centaurea minor. *Appul. Herb.* 35.

*FEBRĪLIS, e, adj. ad febrem pertinens. *Gloss. Phil.* Febrile, πυρέτιον. *B. A.*

FEBRĬO, is, ivi, itum, n. 4. πυρέττω, febrem patior. *Cels.* 4, 4. *n.* 2. Si non febrit, venter solvendus est. *Colum.* 6, 38. Febrienti mulae cruda brassica datur. *Macr. Sat.* 7, 4. Febrienti simplicem cibum dare.

FEBRIS, is, f. πυρετὸς, est intemperies calida totius corporis: a *ferveo* seu *ferbeo*, unde est *ferbis*, et per metathesin *febris. Varr.* ap. *Non.* 1, 225. Appellamus a calendo calorem, a fervore febrim. *Cic. Fam.* 16, 15. Is mihi nunciavit, te plane febri carere. *Id. Fat.* 8. Febrem habere. *Id. Att.* 6, 9. Te Romam venisse cum febri. *Id. Cat.* 1, 13. Aestu febrique jactari. *Plin.* 7, 51, 52. Febre corripi. *Juv.* 10, 218. calere. *Cels.* 2, 17. Liberari febre. *Plin.* 26, 11, 71. A febre liberari. *Ov. Pont.* 1, 10, 5. febribus uror anhelis. *Cels.* 3, 5. *f.* Febris instat, incipit, augetur, consistit, decedit, finitur. Et *ib.* 3. Febres aliae ab horrore incipiunt, aliae a frigore, aliae a calore. Et *ib.* 4. Febris accedit, desinit, inhaeret, se inclinat. Et 2, 14. remittit. Et 3, 9. remittitur. Et *ib.* 14. ex toto intermittit. Et 2, 14. increscit. Et *ib.* levatur. Et 3, 6. conquievit. Et *ib.* decrescit. Et *ib.* 7. *n.* 2. ardens extorret. Et *ib.* 9. intenditur. Et 3. quotidiana, tertiana, quartana. Et 2, 8. ardens, continens, assidua. Et 14. increscens. Et 3, 5. consistens. Et 9. lenta. Et 4. recidiva. Et *ib.* inclinata, sed tamen adhuc inhaerens. Et *ib.* continua. Et 3, 7. tenuata aut levata. Et 8. Febris accessio et decessio. Et 9. remissio. Et 12. circuitus, hinc periodicas febres, *Plin.* 20, 3, 8. dixit. *Id.* 25, 9, 59. Febres abigere. Et *ib.* 4, 17. depellere. Et 28, 8, 28. arcere. Et 24, 9, 38. solvere. Et 28, 8, 31. *f.* sanare. *Cels.* 2, 17. tollere. *Quint.* 2, 17. quiete et abstinentia mitigare. *Cels.* 3, 21. submovere. *Hor. Ep.* 1, 2, 48. deducere corpore aegroto. Et *ib.* 7, 9, adducere. *Cels.* 7, 18. *sub f.* afferre. *Mart.* 2, 16. facere. ℙ Urbane *Pl. Ps.* 2, 2, 48. scio, hoc tibi febrim esse, quia non licet hoc injicere ungulas, *h. e.* cruciare te instar febris. ℙ A Romanis ut Dea culta est, ne noceret, ejusque fanum in Palatio prope Velabrum, alterum in area Marianorum monumentorum, in monte Exquilino, tertium in summa parte vici Longi Aquilae in regione Transtiberina publice dedicatum fuit, teste *Plin.* 2, 7, 5. Et *Val. Max.* 2, 5. *extr.* in eaque remedia, quae corporibus aegrorum admota fuerant, deferebantur. *Cic. N. D.* 3, 25. Febris fanum in Palatio. *Id. Leg.* 2, 11. Araque, quae vetustissima est in Palatio, Febris. *Inscr.* ap. *Grut.* 97, 1. Febri divae, Febri sanctae, Febri magnae Camilla amata pro filio male affecto P. [De cultu huic Deae a Romanis tributo doctam *Dissertat.* editit Romae an. 1814. *Jos. de Matthäis*, quam legesis. *F.*] ℙ In quarto, et sexto casu singulari duplicem habet terminationem, in *e* et in *i:* passimque occurrunt exempla: et quidem in quarto saepius in *e*, in sexto saepius in *i* desinit.

FEBRŪA, orum, n. plur. καθάρματα, dicebantur sacra expiatoria, et omne id, quod vim purgandi habere existimabatur: a *ferveo* seu *ferbeo*, unde est *ferbuum*, et trajectis litteris *februum.* Nam lustratio fiebat plurimum igne, aut undis fervent ibus. *Ov. Fast.* 2, 19. Februa Romani dixere piamina patres: Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem. Pontifices ab rege petunt, et flamine lanas, Queis veteri lingua Februa nomen erat. Quaeque capit lictor domibus purgamina certis, Torrida cum mica farra, vocantur idem. Nomen idem ramo, qui caesus ab arbore pura, Casta sacerdotum tempora fronde tegit. Ipse ego flaminicam poscentem Februa vidi: Februa poscenti pinea virga data est. Denique quodcumque est, quo pectora nostra piamus, Hoc apud intonsos nomen habebat avos. Addit *Serv.* ad *A.* 8, 343. ipsam caprinam pellem, qua Luperci mulieres feriebant, *februum* dictam esse *Ov. Fast.* 4, 725. Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales Saepe tuli plena, Februa casta, manu. Et *ib.* 5, 423. pia Februa. *Varr. L. L.* 5, 3. Februum Sabini appellant purgamentum: et id in sacris nostris verbum.

FEBRUĀLIS. V. FEBRULIS.

FEBRŪĀMENTUM, i, n. expiatio, purgatio. *Censorin. de die Nat.* 22.

FEBRŪĀRĬUS, ii, m. Φεβρουάριος, unus est ex mensibus anni, dictus a *februis*, quod tum februaretur populus, id est expurgaretur. Nam Luperci primo die, qui *februatus* dicebatur, omnem urbem veterem, pelles caprinas in manibus gestantes, circumcursabant, idque piamen censebatur. Praeterea duodecim diebus continuis pro defunctorum manibus februa, idest, sacrificia expiatoria fiebant. *Ov. Fast.* 2, 31., *Varr. L. L.* 5, 4. *extr.* et *Fest.* Sed aliqui dictum putant a Deo Februo, idest, Plutone vel Plutonis patre, cui eo mense sacrificabatur. Nam Januarium Diis superis, Februarium Diis manibus consecraverunt, inquit *Is. Or.* 5, 33. Sed res eodem recidit. Nam *Macr. Sat.* 1, 13. hunc tradit Deum esse lustrationum potentem. V. *Ov. Fast.* 2, 19. et sqq. ℙ Adjective. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 6. Ab idibus Februariis in aequinoctium. *Cic. Leg.* 2, 21. Februarius mensis.

FEBRŪĀTĬO, onis, f. lustratio, purgatio. *Varr. L. L.* 5, 3.

FEBRŪĀTUS, a, um, part. a *februo*, lustratus. purgatus. *Varr. L. L.* 5, 3. et *Festum* in *Februarius.*

FEBRŪLIS vel Februalis dicta est Juno a Romanis, quod ipsi Februario mense sacra fiebant. *Fest.* et *Capell.* 2, 37. ℙ Ap. *Arnob.* 3, 118. legitur *Februtis*, quod mendosum videtur pro *Februlis.*

FEBRŪO, as, a. 1. καθαρίζω, lustro, expio, purgo, expurgo: a februis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 355. In eorum enim sacris, liba cum sint facta, injicere solent farris semina, ac dicere, se ea februare, idest pura facere. Adde *Festum* in *Februarius.*

FEBRŪTIS. V. FEBRULIS.

FEBRŪUS, i, m. Pluto, vel pater Plutonis. V. in FEBRUARIUS. ℙ *Februum*, purgamentum. V. FEBRUA.

FĔCĬALIS. V. FETIALIS.

FĔCĬLITRĀ. V. VOLSGRA.

FĔCUNDĔ, adv. γοητικῶς, εὐφόρως, multo fetu aut fructu. *Varr. L. L.* 6. *s. in.* Fecundius ferre fructum. *Plin.* 16, 36, 65. Arundo recisa fecundius resurgit. *Id.* 29, 4, 30. Cantharides nascuntur fecundissime in fraxino. *Appul. de Mundo.* At quam pulcre et fecunde Horae procreantur! Al. leg. *pulcrae et fecundae.*

FĔCUNDĬA, ae, f. idem ac fecunditas. *Not. Tir.* p. 122. Facundus, facundia, fecundus, fecundia. *F.*]

FĔCUNDĬTAS, atis, f. εὐφορία, εὐγονία, copia fetuum, aut fructuum, feracitas, fertilitas. *Cic. N. D.* 2, 60. *extr.* Aquarum inductionibus terris fecunditatem damus. *Id. Phil.* 2, 24. O miserae mulieris fecunditatem calamitosam! *Colum.* 3, 8. Natura parem legem fecunditatis dixit virentibus, atque hominibus, ceterisque animalibus. *Justin.*

25, 2. Gallorum tantae fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. *Plin.* 37, 10, 59. Galactitis nutricibus lactis fecunditatem facit. *Id.* 14, 18, 22. Vinum fecunditatem feminis importat. *Id.* 28, 19, 77. Fecunditatem afferre. *Id.* 16, 44. 95. dare. *Id.* 37, 10, 66. addere. *Id.* 10, 59, 79. corrumpere. *Id.* 29, 4, 27. Fecunditas aliquarum plena liberis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 21. Volo, se efferat in adolescente fecunditas, *h. e.* stili ubertas. *Plin. praef. H. N.* Fecunditas animi. *Id.* 35, 2, 2. Fecunditas voluminum M. Varronis. ℙ Fecunditati, quasi deae, templum Romae exstructum fuit in gratiam Poppaeae uxoris Neronis. *Tac. A.* 15, 23.

*FECUNDĪTO, as, a. 1. i. q. fecundo. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 169. *B. A.*

FECUNDO, as, avi, atum, a. 1. εὐδαιμονίζω, fecundum facio. *Virg. G.* 4, 291. Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena. *Claud. I. Cons. Stilich.* 239. Quod pulcro Mariae fecundet semine regnum. *Pallad.* 3, 9. Pampinarius in suo loco fecundatur a matre: translatus vero tenet sterilitatis vitium.

FĔCUNDUS, a, um, adj. γόνιμος, εὔφορος, qui fetu aut frugibus abundat, uber, fertilis, ferax. *Cic. Sen.* 15. *med.* Fossiones agri repastinationesque, quibus fit multo terra fecundior. *Id. N. D.* 2, 64. Sue, quod erat ad vescendum hominibns apta, nihil genuit natura fecundius. *Id. Or.* 15. Segetes fecundae et uberes. *Justin.* 2, 1. Solum Aegypti ita fecundum, ut alimentorum nulla terra feracior fuerit. *Colum.* 9, 4. Regio fecunda fruticis exigui, et maxime thymi, aut origani. *Plin.* 19, 7, 36. Nihil ocimo fecundius. *Ov. Met.* 10, 220. et *Plin.* 33, 4, 21. Tellus fecunda metallorum. *Tac. A.* 4, 65. Mons silvae frequens, et fecundus *Lucan.* 9, 696. sterilis tellus fecundaque nulli Arva bono. ℙ Translate. *Tac. A.* 6, 27. Aemilium genus fecundum bonorum civium. *Lucan.* 10, 303. nigris Meroe fecunda colonis. *Val. Fl.* 6, 470. fecundaque monstris Cingula. *Hor. Od.* 3, 6, 17. Fecunda culpae saecula. *Pl. Cist.* 1, 1, 71. Amor et melle, et felle est fecundissimus. *Sil.* 13, 490. veri fecunda sacerdos. *Id.* 2, 498. Fecundum in fraudes hominum genus. *Plin.* 36, 10, 15. Fecundum ingenium. Et 34, 8, 19. *n.* 6. Fecundissima ars. *Varr. L. L.* 7, 3. Duo genera verborum: unum fecundum, quod declinando multas ex se parit dispariles formas: alterum sterile. ℙ Dicitur et de iis, quae fecundant. *Plin.* 5, 9, 10. Fecundus Nilus. *Ov. Fast.* 2, 427. Excipe fecundae patienter verbera dextrae, *h. e.* Lupercorum ferientium pelle caprae mulieres, unde fecunditas iis dari credebatur. ℙ Ponitur et universim pro copioso, abundanti *Hor. Ep.* 1, 5, 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? *Cic. Har. resp.* 20. Quaestus fecundus et uber. *Id. Or.* 4. Pericles uber et fecundus: scil. in dicendo copiosus. *Plin. Pan.* 31. Fecundissima gens, *h. e.* annona et frugibus dives. *Ov. Met.* 3, 31. Specus Uberibus fecundus aquis. Et *ib.* 14, 791. Fecundus fons. ℙ Legitur et *foecundus:* fuit etiam qui *faecundus* scriberet: sed omnem diphthongum tollunt *Varr.* ap. *Gell.* 16, 12. et ap. *Non.* 1, 266., item *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.* et *Voss.* in *Etymol.* Nummos quoque prope innumeros Augustarum ap. *Rasch. Lex. num. T.* 2. p. 930. et *seqq.* habes, in quibus omnibus *Fecunditas* et *Fecundus*, et ap. *Marin. Iscrtz. Alb.* p. 137. Diffidens fecunditati suae. Derivant autem etymologi ab absoleto *feo:* unde etiam *fetus* et *fenus* oriri ajunt: eandemque esse in omnibus scribendi rationem.

FĒDUM antiqui dicebant pro hedo. *Festus.* V. DIGAMMA.

FEL, fellis, n. χολή, bilis flava, quae in corpore animalis vesicula continetur sub hepate: etymon hujus vocis cum *bilis*, facili duarum priorum litterarum permutatione, cognationem quandam habere videtur. *Plin.* 11, 37, 74. In jecore est fel, non omnibus datum animalibus. In Euboeae Chalcide nullum pecori: in Naxo praegrande, geminumque. Equi, muli, asini, cervi, capreae, apri, cameli, delphini non habent etc. *Cels.* 4, 1. Jecur a dextra parte sub praecordiis: ex inferiore parte ei fel inhaeret. *Cic. N. D.* 2, 12. Fel gallinaceum. *Plin.* 31, 10, 46. n. 4. Felle suffusorum pruritus nitrum comprimit. ℙ Quod est amarissimi gustus, ita ut a canibus non attingatur, ut ait *Plin. l. c.*, hinc translate *Pl. Truc.* 1, 2, 76. In melle sunt linguae sitae vestrae, atque orationes, lacteque: corda felle sunt lita, atque acerbo aceto. *Ov. Trist.* 2, 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi. *Id. A. Am.* 2, 519. Litore quot conchae, tot sunt in amore dolores: Quae patimur, multo spicula felle madent. *Auson. prof.* 2, 31. Nullo felle tibi mens livida, *h. e.* nullus tibi livor. *Tibull.* 2, 4, 11. Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est: Omnia jam tristi tempora felle madent. *Mart.* 7, 25. Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper, Et cerussata candidiora cute; Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis Gutta sit; o demens, vis tamen ista legi! *h. e.* severitas, acrimonia, quae dulcedinem veluti corrigat. ℙ Dicitur et de succis venenatis. *Virg. A.* 12, 856. Sagitta armata felle veneni. *Ov. Pont.* 1, 2, 17. mortis saevo geminent ut vulnere causas, Omnia vipereo spicula felle linunt. Adde *Trist.* 5, 7, 16. Scribit *Plin.* 29, 4, 16. mustelarum silvestrium fel contra aspides efficax dici, cetero venenum esse. ℙ De ira, ut bilis. *Virg. A.* 8, 219. Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor. ℙ Fel nigrum est atra bilis, insaniae causa homini, morsque si totum reddatur. *Plin.* 11, 37, 75. ℙ *Fel terrae* herba est, de qua V. CENTAUREUM. [*Fumaria officinalis *L.*] ℙ In plurali num. *fella* habet *Seren. Sammon.* 19, 333. Lutea si crescunt, et cunctis noxia fella. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 3, 19. et *Tard.* 1, 4. *f.* et *Tertull. Cor. mil.* 14.

FĒLES et Felis, is, f. αἴλουρος, animal quadrupes domesticum, acutis unguibus, mira velocitate, oculisque etiam noctu cernentibus praeditum, muribus et avibus infestissimum: [est a Graeca voce allata αἴλουρος, praefixo Aeolico digammate F; ea vero composita est ab ἀεὶ εἰλεῖν τὴν οὐρὰν, quod felis proprium est, ut etiam leonis, pardi, aliorumque animalium ejusdem generis. *F.*] *Phaedr.* 2, 4. Feles cavernam nacta, in media pepererat. *Plin.* 6, 29, 35. Oppidum, in quo felis aurea pro Deo colebatur. *Cic. Tusc.* 5, 27, Aegyptii quamvis carnificinam prius subierint, quam aut felem, aut canem, aut crocodilum violent. *Plin.* 10, 73, 94. Feles quidem quo silentio, quam levibus vestigiis obrepunt avibus! quam occulte speculatae in musculos exsiliunt! Excrementa sua effossa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem sui esse. *Id.* 11, 37, 65. Leonibus, pardis, omnibusque generis ejus, etiam felibus lingua imbricatae asperitatis, ac limae similis. Et *ib.* 55. Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. ℙ Item fera illa, quae et *martes* dicitur, altilibus avibus infestissima, et praecipue gallinis. *Varr. R. R.* 3, 11. de septo anatum: Omnes parietes tectorio levigantur, ne feles aliave bestia introire ad nocendum possit. *Colum.* 8, 14. *f.* de anseribus: Ne coluber, ne vipera, felesque, aut etiam mustela possit aspirare. ℙ In fabulis, metu Gigantum Diis bellum inferentium, Fele soror Phoebi, nivea Saturnia vacca, Pisce Venus latuit, ut est ap. *Ov. Met.* 5, 330., *h. e.* in eas bestias sese transformarunt. ℙ Translate. *Auson. epigr.* 70. de paedicone: feles nuper pullaria dictus. *Pl. Pers.* 4, 9, 14. de lenone: Scelesta feles virginaria. *Id. Rud.* 3, 4, 43. Tu ne hic, feles virginalis, liberos parentibus Sublectos habebis? ℙ Reperitur etiam *felles:* et aliquando etiam *faeles*, quod in allatum vocis etymon apprime convenit.

[FĒLICILLA, ae, f. dimin. felicis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 809, 4. Felicilla *bene merenti fecit. F.*]

[*FĒLĪCIO, onis, m. dimin. felicis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 25. Q. Octavio Felicioni Octavius Felicio *filio.* Adde *Sen. ep.* 12. ℙ Translate. *Petr. fr. Trag.* 67. *Burm.* Scintilla de cervice sua capsellam detraxit aureolam, quam Felicionem appellabat. *B. A.* et *F.*]

FĒLĪCITAS, atis, f. εὐδαιμονία, status, et conditio ejus, cui res omnes secundae fluunt, bona fortuna, prosperitas, beatitudo. *Cic. fr.* ap. *Ammian.* 21, 16. Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas. *Id. Phil.* 2, 24. Fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. *Id. Brut.* 96. de Hortensio: Illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis vindicasse. *Curt.* 6, 5. Perpetua felicitate florere. *Plin. ep.* 10, 7. Felicitas temporum. *Plin. alter* 7, 44, 45. Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitae rumpit. ℙ In plurali num. *Ter. Eun.* 2, 3, 32. Nec quemquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonae felicitates omnes adversae sient. ℙ Dicitur de imperatoris bona fortuna militari. *Cic. Manil.* 10. In summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Et 16. et *Nep. Timol.* 2. Incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. *Caes. B. C.* 2, 31. Felicitas rerum gestarum exercitus benevolentiam imperatoribus, et res adversae odia conciliant. ℙ Item de fecunditate, ac fertilitate terrae, aut plantarum. *Plin. ep.* 3, 19. Agri sunt fertiles, pingues, aquosi: sed haec felicitas terrae imbecillis cultoribus fatigatur. *Plin. alter* 18, 18, 47. Excellentius Thebaidis regionibus frumentum: similis ratio, sed felicitas major Babyloniae Seleuciae, Euphrate atque Tigri restagnantibus. ℙ Ap. Romanos Dea fuit, templo, ara, sacris culta. *August. C. D.* 4, 18. et 23. V. et *Suet. Tib.* 5. ℙ [*Felicitas Julia dicta est Olisippo colonia, teste *Plin.* 4, 22. *B. A.*]

FĒLĪCITER, adv. εὐδαιμόνως, prospere, beate, fortunate. *Cic. Fin.* 3, 7. *extr.* Omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere. *Id. Phil.* 4, 15. Respublica et bene, et feliciter gesta. *Id. Mur.* 1. Ut ea res fauste, feliciter, prospereque eveniret. *Id. Verr.* 2, 2, 38. Satis feliciter navigare. *Id. Fam.* 7, 28. *f.* Sapienter haec reliquisti, si consilio; feliciter, si casu. *Caes. B. C.* 1, 7. Rempublicam felicissime gessisse. *Hor. Ep.* 2, 1, 166. Nam spirat tragicum satis et feliciter audet. *Ov. Met.* 10, 247. niveum mira feliciter arte Sculpsit ebur. *Id. Ib.* 305. Nec tua, quam Pyrrhi felicius ossa quiescant. *Id. Her.* 7, 161. Ascanius- que suos feliciter impleat annos. ℙ *Feliciter*, frequens est acclamandi, et bene precandi formula. *Phaedr.* 5, 1. Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt, Feliciter, succlamant. *Cic. Att.* 13, 42. Feliciter velim, inquam, teque laudo. *Suet. Claud.* 7. Acclamanti populo, feliciter, partim patruo imperatoris, partim Germanici fratri. Adde *Dom.* 13., *Juven.* 2, 119. et *Flor.* 3, 3. *f.* Sic *feliciter quod agis* ap. *Senec. ep.* 67. *f.* ℙ Refertur aliquando ad feracitatem terrae, et facilitatem proveniendi in herbis, et arboribus. *Virg. G.* 1, 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvae.

[FĒLĪCĬTO, as, a. 1. frequent. felicem identidem reddo. *Donat. in vita Virg.* 4. Rogat, quam ad felicitandos homines facultatem haberet. *F.*]

[FĒLĪCŬLA et saepius Fĕlĭclă, ae, et

[FĒLĪCŬLUS, i, m. diminut. felis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 604, 4. Aelia Aug. L. Feliciula. Alia ap. *Fabr.* p. 187. *n.* 423. Calpurnia Felicla. *Id. ib.* adnotat, in lapide felem gradientem insculptam esse, ut nempe ad mulieris nomen, ut saepe alias in lapidibus et nummis idem obtinet, alluderetur. Alia ap. *Grut.* 661, 6. Feliculo infanti dulcissimo. *F.*]

FĒLĪNĔUS, a, um, adj. ut Felinci oculi, ap. *Serv.* in *Virg. G.* 3, 82.

FĒLĪNUS, a, um, adj. felineus. *Cels.* 5, 18. *n.* 15. Malagma, quod habet visci, felini stercoris, resinae, sulphuris pares portiones. [*Targa* putat legend. *suilli stercoris*, quia illius memorat in medicina usum *Plin.* 28, 17, 70. *F.*]

*FĒLĬO, is, n. 4. verbum exprimens vocem pardi. *Auct. carm. Philom.* 50. Panther caurit amans, pardus hiendo felit. Alii derivant a *Felo, is*, 3. conjugat. *B. A.*

FĒLIS. V. FELES.

FĒLIX, icis, adj. omn. gen. εὐδαίμων, μακάριος, is cui omnia succedunt, fortunatus, florens, beatus. *Cic. Phil.* 2, 26. Caesar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia, si quis reipubl. sit infelix, felix esse non potest. *Sall. Jug.* 100. Sulla felicissimus omnium ante civilem victoriam. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 10. In te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo. *Id. Brut.* 16. Ille Graecus ab omni laude felicior. *Id. Font.* 15. Virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem. *Virg. A.* 6, 787. Felix prole virum. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Praxiteles quoque marmore felicior, ideo et clarior fuit. ℙ Interdum est dives, beatus. *Ov. Amor.* 1, 8, 27. Tam felix esses, quam formosissima, vellem: Non ego, te facta divite, pauper ero. ℙ Cum genitivo. *Hor. Sat.* 1, 9, 9. o te, Bolane, cerebri Felicem. *Sil.* 4, 359. Felix uteri, εὐτεκνος. Et 398. leti. Et 731. famae. *Plin.* 14. *prooem.* Beatus felixque gratiae. [*Virg. G.* 1, 277. Felices operum dies.] ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 9, 772. quo non felicior alter Ungere tela manu, ferrumque armare veneno, *h. e.* peritior, inquit *Servius.* Significat autem, semper successum babuisse inferendae necis tela ab eo venenis illita. [*Id. G.* 1, 284. Septuma post decumam felix, et ponere vitem, Et prensos domitare boves etc.] Adde *Sil.* 13, 126. ℙ Cum de re dicitur, prosperum significat, secundum, utilem, commodum. *Cic. Div.* 1, 45. Omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefabantur. *Varr. L. L.* 5, 9. Quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo R. etc. *Liv.* 22, 30. Quod tibi mihique sit felix, sub imperium tuum redeo. *Ov. Amor.* 1, 2, 51. Felicia arma. Et *Trist.* 1, 2, 103. saecula. Et *Pont.* 2, 1, 35. felix omen. *Plin.* 37, 9, 40. Amethysti Indicae absolutum felicis purpurae colorem habent, *h. e.* praestantis, et pretiosae, et quam habere, felix fortunatumque est. *Mart.* de librario suo defuncto, 1, 102. Illa manus quondam studiorum fida meorum, Et felix domino. [**Virg. G.* 2, 127. Felix malum, i. e. salubre contra venenum. *Quint. Inst.* 9, 4, 27. Felicissimus sermo, i. e. ad commovendos auditores aptissimus.] ℙ Aliquando est propitius, seu qui alios facit felices. *Virg. A.* 1, 334. Sis felix, nostrumque leves quaecumque laborem. *Id. Ecl.* 5, 65. Sis bonus, o, felixque tuis. Adde *Prop.* 3, 11, 15. ℙ Interdum frugifer, ferax. *Festus:* Felices arbores Cato dixit, quae fructum ferunt, infelices, quae non ferunt. [*Haec prima est vocis significatio. Etym. habet ab obsoleto *feo* quod cum gr. φύω cognatum, tam de parturiente quam de fecundante natura dictum fuisse videtur, ut satis intelligitur ex intensivo *feto.*] *Liv.* 5, 24. Nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. *Hor. Epod.* 2, 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. *Plin.* 3, 5, 9. Felix Campania. *Ov. Pont.* 2, 10, 51. Felicior regio. *Val. Fl.* 6, 711. si quis aquis, et fertilis ubere terrae Educat, ac ventis oleam felicibus implet.

Claud. Cons. Mall. Theod. 179. Quis felix oleae tractus. ℙ In sacris *felices arbores* habebantur, quercus, aesculus, ilex, suber, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus: atque hae Diis superis sacrae erant. Contra *infelices* ficus atra, filix, acrifolium, ruscus, pirus silvestris, rubus, sentes, alaternus, salix, et quaecumque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt: quae inferum Deorum in tutela erant. Haec ex *Veranio de verbis pontificalib.* et *Tarquinio Prisco* habet *Macr. Sat.* 2, 16, 2. [At *Front.* 2. *ad amic.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Leges pleraeque poena sanciunt, ne quis felicem arborem succidat. (*Dig.* 47, 72. et *Paul. sentent. recept.* 5, 20.) Quaenam est arboris felicitas? rami fecundi et frugiferi, bacis et pomis onusti. Nemo cannam et harundinem, quamvis proceram, felicem dixerit. *F.*] ℙ Nonnunquam *felix* dicitur de mortuo, ut Graece μακάριος et μακαρίτης. *Hor. Sat.* 1, 9, 28. Omnes composui: felices: nunc ego resto. V. BEATUS. ℙ Sunt qui scribant *foelix*: sed male. Contra enim sunt libri veteres, lapides, nummi, *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.* ℙ [*Felix* fuit etiam cognomen frequentissime a Romanis usurpatum, ac primo quidem a L. Sulla dictatore, teste *Plin.* 7, 44, 44. Unus hominum ad hoc aevi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sulla. Deinde inter Augustos primus Commodus eo est usus, mox plurimi imperatores. V. FAUSTIANUS. *F.*]

FELLĀTOR, oris, m. qui fellat. Dicitur de corvo, quia corvos ore coire et parere vulgus arbitratur, falso tamen, ut *Plin.* 10, 12, 15. docet. *Mart.* 14, 74. ℙ Item qui obscena utitur libidine, de qua V. FELLO. *Mart.* 11, 30.

FELLEBRIS, e, adj. a fellando. *Solin.* 2. *med.* de boa serpente: Uberibus bovis se innectit, suctuque continuo saginata, ita fellebri satietate extuberatur, ut etc., *h. e.* copioso lactis suctu. Alii leg. *celebri*, alii *funebri*.

FELLES. V. FELES.

FELLĒUS, a, um, adj. χολώδης, ad fel spectans. *Plin.* 26, 12, 76. Sudores felleos movent. *Coel. Aur. Tard.* 3, 6. Urina fellea.

FELLĪCO, as, a. 1. frequent. a fello, ut *vellico* a *vello*. *Solin.* 45. *f.* Nequaquam mater pullo ubera praebet fellicanda. Alii leg. *fellĭtanda* vel *felitanda*, eodem sensu. *Arnob.* 2, 70. Exsugerent fellicantes mammas. Al. leg. *fellitantes*. *Gloss. Isid.* Fellitat, sugit.

FELLIDŪCUS, a, um, adj. a felle, ut Felliduca medicamenta, ap. *Coel. Aur. Tard.* 3, 4.

FELLIFLŪUS, a, um, adj. felle fluens. *Coel. Aur. Acut.* 3, 19. de cholera: Felliflua passio.

FELLĪTO, as, a. 1. frequent. a fello, ut *coenito* a *coeno*. V. FELLICO.

FELLĪTUS, a, um, adj. V. FELLOSUS. [Idem ac fellosus, felle imbutus. *Ruf. Fest. Avien.* in *Anthol. Lat. Burm. T.* 1. p. 495. *Epigr.* 58. fellitus amarans Ora sapor. V. AMARANS. *Pelag. Veter.* 1. In morbo regio aut sulfurei oculi aut felliti admodum sunt. *F.*]

FELLO, as, a. 1. θηλάζω, lac exsugo, ab Aeolico φηλάω pro θηλάω, mammam sugo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 344. Tum cum lac humanum fellasse. *Id. ib.* 4, 25. Lupam alumni fellarunt olim. ℙ Refertur et ad obscenam infandamque libidinem. *Mart.* variis in locis, γλωττοδερέω, ore morigeror. ℙ Sunt qui contendant *felo* scribendum esse.

FELLOSUS, a, um, adj. felle imbutus, felle abundans. *Coel. Aur. Tard.* 4, 6. Fellosa aut saniosa ventris egestio.

FĒLO. V. FELIO.

FELSĪNA, ae, f. eadem ac Bononia. *Plin.* 3, 15, 20. Intus colonia Bononia, Felsina vocitata, cum princeps Etruriae esset. V. *Liv.* 33, 37.

FELTRĪA, ae, f. urbs Venetiae, olim Rhaetorum, intra Alpes Tridentinas, ad Asonem fl. *Inscr.* ap. *Grut.* 409, 8. Alia ap. *Gud.* 129, 2. ℙ Populi *Fertini* dicuntur a *Plin.* 3, 19, 21. Ita enim in libris omnibus legitur, teste *Hard.* At *Cass. Var.* 5, 9. *Feltrinos* vocat. *Feltrienses* etiam dici Latine possunt. *Inscr.* ap. *Gud.* 65, 5. Collegium fabrorum ferrar. Feltriens. et Altinatium sacellum hoc perfecer. ℙ Dictum est etiam *Feltriae, arum. Inscr.* ap. *Mur.* 782, 4. T. Apicius T. F. Men. Secundus Feltris miles Coh. X. etc. (pro *Feltriis*). Alia *ib.* 1095. L. Magius Statutus Feltris, L. Valerius Rufinus Roma, Sex. Pisonius Saturninus Capua, etc. Est fragmentum laterculi militaris, in quo singulis militibus sua patria adscribitur.

FELTRĪENSIS. } V. in v. praec.
FELTRĪNUS. }

FĒMELLA, ae, f. γύναιον, parva femina. *Catull.* 55, 7. Femellas omnes, amice, prendi.

[FĒMELLĀRIUS, ii, m. qui femellas consectatur. *Isid. Or.* 10. Femellarius, feminis deditus, quem antiqui mulierarium appellabant. *F.*]

FĒMEN. V. FEMUR.

FĒMĪNA, ae, f. γυνή, idem quod mulier: latius tamen patet usus, cum aeque dicatur de omnibus animalibus: mulier vero de homine tantum. Etymon vocis vide infra. *Cic. N. D.* 1, 34. Et mares Deos et feminas esse dicitis. *Id. Tusc.* 1, 12. Mors in claris viris et feminis. *Id. N. D.* 2, 51. Bestiae aliae mares, aliae feminae sunt. *Id. Div.* 2, 29. Femina anguis. *Id. Leg.* 2, 22. *extr.* Porco femina piaculum pati. *Colum.* 7, 9. Femina sus. *Plin.* 9, 50, 74. et *Ov. A. Am.* 2, 482. Femina piscis. *Plin.* 29, 5, 33. Sanguis feminae anatis. *Cic. Phil.* 3, 6. Tua conjux bona femina. *Id. Fam.* 5, 8. Praestantissima omnium feminarum uxor tua. Et 11. primaria. *Id.* ad *Brut.* 1, 18. prudentissima et diligentissima. *Id. Phil.* 3, 6. sanctississima atque optima. *Id. Caec.* 4. probatissima. *Petr. Sat.* 111. singularis exempli. *Virg. A.* 4, 569. varium et mutabile semper, Femina. ℙ [*Solemni quadam formula dicuntur *feminae puerique*, ap. *Liv.* 36, 24., aliosque scriptores. Opponuntur viri. *Id.* 28, 19. Non militaris modo aetas, aut viri tantum, sed feminae puerique supra animi corporisque vires adsunt.] ℙ Translate etiam de gemmis usurpat *Plin.* 37, 7, 25. et *Vitr.* 9, 9. *med.* cardinem *masculum* a cardine *femina* distinguit. V. MASCULUS. ℙ Aliquando convicium est in virum effeminatum et mollem. *Ov. Met.* 12, 470., *Justin.* 1, 3., *Sil.* 2, 361., *Curt.* 3, 10. *f.* et 6, 11. Quo pertinet illud *Virg. A.* 9, 617. O vere Phrygiae; neque enim Phryges; et *Homeri*, Ἀχαιάδες, οὐχετ' Ἀχαιοί. ℙ *Femina turba* pro *feminea* dictum est a *Prop.* 2, 23, 4. ℙ Scribitur et *faemina* et *foemina*. Priorem pauci: alteram plures cum *Dausquio*: nostram vero, qua diphthongum omnem excludimus, tuentur *Manut.*, *Cellar.* et *Voss.* in *Etymol.* cum antiquis libris et lapidibus. [Est autem ab inusit. φέω pro φέτω, unde Latinum *feo* et *fendo* vel *findo:* ait enim *Isid. Or.* 11, 2. Femina a partibus femorum dicta, ubi sexus species a viro distinguitur. Ita *Isid.* Hinc femina Hebr. נְקֵבָה, *h. e.* perforata appellatur. Unde etiam repetenda sunt *fetus*, *fecundus*, *femur*, aliaque quamplurima his similia et ex iisdem derivata. *F.* *Quam vere haec dicta sint, v. in *Felix. B. A.*]

FĒMĪNAL, alis, n. femineum pudendum, interfeminium. *Appul. Met.* 2. p. 122, 11. Glabellum feminal rosea palmula potius obumbrans de industria, quam tegens verecundia. Adde *Apol.* p. 296, 13.

FĒMĪNĀLIA, ium, n. plur. παραμήρια, περισκελίδες, tegumenta feminum et subligacula. *Suet. Aug.* 82. Hieme quaternis tunicis et feminalibus (al. *femoralibus*) et tibialibus muniebatur. Ubi notat *Casaub.* per *feminalia* et *tibialia* non intelligi quod hodie *bracas* et *tibialia* dicimus, sed fascias quibus antiqui pedes, tibias, et femina tegebant vel valetudinis vel mollitiei vel inclementis coeli causa: neque enim tunc in usu fuisse, ut bracati et calceati essent. Quae omnia confirmat *Ferrar. l.* 2. *elector. c.* 2. [*Hieron. ep.* 64. *n.* 10. Hoc genus vestimenti Graece περισκελῆ, a nostris feminalia vel bracae usque ad genua pertinentes. *Isid.* in *Exod.* 59. de pontifice: Feminalia vero illa, quibus induitur, castitatem corporis Christi et integritatem ostendunt. V. BRACA. *F.*]

*FEMINĀMAS, aris. *Tert. adv. Val.* 10. In imagine sua feminamare. [*Duabus vocibus scribendum est.] Id, quod *Iren.* 1, 1. his verbis exprimit, In *imagine sua sive conjuge masculofemina B. A.*

FĒMĪNĀRĬA. V. SEMINARIA.

*FEMINATIO, onis, f. *Const. Afer* 6, 1. Causa in feminis feminationis. *B. A.*

FĒMĪNĀTUS, a, um, adj. *Cic.* vertens particulam *Trachin. Sophocl. Tusc.* 2, 8. *extr.* Sic feminata virtus afflicta occidit, *h. e.* effeminata, infracta, perdomita.

FĒMĪNĔUS, a, um, adj. θηλυκὸς, ad feminam pertinens, muliebris. *Virg. A.* 2, 488. cavae plangoribus aedes Femineis ululant. *Val. Fl.* 4, 603. Femineae catervae. *Plin.* 36, 16, 25. Femineus sexus. *Ov. Met.* 6, 651. Feminea sors. Et *ib.* 12, 610. Marte femineo cadere. *Id. Am.* 3, 2, 40. Femineus amor, *h. e.* quo femina amatur. *Id. ib.* 1, 13, 23. et *Tibull.* 2, 1, 63. labor, *h. e.* lanificium. *Ov. Met.* 9, 151. dolor, *h. e.* quo femina dolet. Et *ib.* 14, 341. Feminea vox. *Virg. A.* 2, 583. nullum memorabile nomen Feminea in poena est, *h. e.* qua punitur femina. *Juv.* 9, 53. Calendae femineae, *h. e.* cal. Martii. V. CALENDAE. *Ov. Met.* 10, 80. Feminea Venus, *scil.* libido, qua quis utitur in feminis vitiandis; quemadmodum *mascula libido* dicitur, qua mulier utitur tum in feminis, tum in maribus tribadum more constuprandis. V. MASCULUS. ℙ Saepe est effeminatus, languidus, imbellis, mollis. *Auct.* ad *Her.* 3, 15. Si utemur amplificatione per conquestionem, femineo plangore et capitis ictu uti oportebit. [*Pertinet locus ad v. *Femur*. Jam dudum enim, explosa lectione *femineo plangore*, in textum receperunt VV. DD. *feminis plangore*.] *Ov. A. Am.* 3, 286. Sed leve nescio quid, femineumque sonent. *Id. Met.* 13, 693. Pectus non femineum. *Plin.* 2, 101, 104. Lunae femineum ac molle sidus. *Virg. A.* 11, 782. Femineo praedae et spoliorum ardebat amore, *h. e.* impotenti, nimio, quales sunt feminarum affectus.

FĒMĪNĒ, adv. feminino genere. *Arnob.* 1. p. 36. *Fest.* in *Petronia*, et *Charis.* 1, 55.

FĒMĪNĪNUS, a, um, adj. femineus. *Varr. R. R.* 3, 5. Femininum nomen. *Plin.* 10, 68, 87. Neque est iis (*salamandris*) genus masculinum femininumve. *Quint.* 1, 4. Nomina quae feminina positione mares, neutrali feminas significant.

*FEMĪNO, as, semet prostituo. *Coel. Aur. Tard.* 4, 9. Nemo corpus pruriens feminando correxit. *B. A.*

FĒMŌRĀLĬA, ium, n. plur. tegumenta femorum. *Isid. Or.* 19, 22. Femoralia appellata, eo quod femora tegant. V. FEMINALIA.

FĒMUR, feminis, *frequentius quam* femoris, n. μηρὸς, membra duo in corpore animalis, crassa et carnosa, post ossa imi ventris ad crus pertinentia. In quadrupedibus posteriora intelliguntur. *Cels.* 8, 1. *med.* Ima spina in coxarum osse desinit etc. Inde femina oriuntur. *Cic. Brut.* 80. Frons non percussa, non femur. *Quint.* 11, 3, 123. Femur ferire et usitatum est, et indignantes decet et excitat auditorem. [*Hic poterat constitui locus, quem in v. *Femineus* male positum notavimus.] *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Signum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine nomen Myronis erat inscriptum. *Appul. Apol.* Votum in alicujus statuae femore assignasti. *Liv.* 21, 7. *extr.* Adversum femur tragula graviter ictus. *Caes. B. G.* 7, 73. Teretes stipites feminis crassitudine. *Plin.* 28, 15, 6. Femina atteri adurique equitatu, notum est. *Colum.* 6, 2. Ventri quoque (*boum*) et sub femina manum subjicere, ut ricini, qui plerumque feminibus inhaerent, eximantur. *Mart.* 6, 75. Femur leporis. *Id.* 2, 37. pulli. *Varr. R. R.* 3, 9. Galli feminibus pilosis, cruribus brevibus. *Ov. Met.* 14, 64. Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque. (Adde *Lucan.* 9, 771.) *Virg. A.* 10, 788. ensem Eripit a femine. *Tibull.* 1, 9, 26. Sed nocuit femori conseruisse femur. ℙ *Femur bubulum* appellatur herba, nervis et ipsa utilis, recens in aceto ac sale trita. Ita *Plin.* 27, 9, 56. nihilque de ea praeterea neque ipse, neque alii. ℙ In architectura *femur* dicitur a *Vitr.* 4, 3. Graece μηρός, pars triglyphi in zophoro Dorico, quandam habens cum humano femore similitudinem. ℙ Lis est non una inter grammaticos de hoc nomine. Negat primo *Charis.* 1, 105. in recto casu *femen* a veteribus usurpatum: agnoscunt tamen, ut Latinum, *Caper* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 344. et 778. et *Prisc.* 6, 701., quamquam in raro usu esse fateantur. Sunt etiam qui id legant ap. *Appul. Met.* 2. p. 122, 11., sed ille locus est legendus, ut eum retulimus in V. FEMINAL. Deinde discrimen quidam inducunt hujusmodi, ut *femora* exteriores eorum partes, *femina* interiores mollioresque significent. Sed hoc nullum est. Tertio sunt qui scribant *foemen*, quos refellit *Dausq.* in *Orthogr.* Etiam *femus* dici contendit *Oudend.* ad *Appul. Met.* 8. p. 590. ℙ Obliqui casus *femoris*, *femori* etc. leguntur etiam ap. *Tibull. l. c.* et *Ov. Am.* 1, 4, 43. et *ib.* 3, 7, 10. [*Adde *Suet. Caes.* 68. *Aug.* 80. Ita habent etiam cdd. aliq. ap. *Cic. N. D.* 1, 35, 99. Quae rarior est forma ap. aureae aetatis scriptores et poetarum magis.]

FENDĪCAE, arum, f. plur. hirae. *Arnob.* 7, 230. Non enim placet fendicas nominare, quae et ipsae sunt hirae, quas plebis oratio ilia solet, cum eloquitur, nuncupare. *Fendicae* dictae a *findo*, quod e fissis dissectisque intestinis fiant.

FENDO, is, a. 3. ad iram concito apud veteres. Verbum est obsoletum, cujus composita *offendo* et *defendo* sunt in usu. *Prisc.* 11, 923. [*Ex *Adelung.* sententia *fendere* idem est quod nostr. *finden.*] ℙ In *Gloss. Isid.* legitur *fensus*, iratus.

FĒNEBRIS, e, adj. δανειστικὸς, ad fenus pertinens. *Liv.* 35, 7. Cum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset. *Suet. Cal.* 41. Praebere alicui pecuniam fenebrem. *Tac. A.* 6, 16. Vetus urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa.

*FENECTĀNUS, a, um, ad Latii oppidum quoddam spectans, quod Fenectum forte vel Fenecta audiebat. *Liv.* 8, 12. ante med. Fenectanis campis, ubi pro *Fenectanis* legitur etiam *Pedanis*, a Pedo *scil.* Latii oppido. *B. A.*

FĒNĔRĀLIA, ium, n. plur. Affertur pro hac voce, qua significari ajunt tempus, quo fenus cessabat et finiebatur, locus *Liv.* 35, 7., sed ibi rectius legitur *Feralia*.

FĒNĔRĀRĬUS, ii, m. fenerator. *Firm. Astron.* 3, 8. *f.*

FĒNĔRĀTĪCĬUS, a, um, adj. ad fenus pertinens, feneratorius. *Imp. Justin. Cod.* 4, 30, 14. ℙ Feneraticia cautio. Alii leg. *feneratica*. Et *ib.* Feneraticium instrumentum.

FĒNĔRĀTĬO, onis, f. actus fenerandi, δανεισμός. *Cic. Fl.* 23. *extr.* Haec pecunia ab honoribus translata est in quaestum et fenerationem. *Id. Fin.* 2, 35. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio. *Colum. praef.* 1. An feneratio probabilior sit, etiam iis invisa, quibus succurrere videtur?

FĒNĔRĀTĪCUS. V. FENERATICIUS.

FĔNĔRĀTO. V. FENERATUS.

FĔNĔRĀTOR, oris, m. δανειστής, qui pecuniam dat fenori. *Cic. Off.* 1, 42. Improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. *Hor. Ep.* 2, 67. Haec ubi locutus fenerator Alfius, Omnem relegit Idibus pecuniam; Quaerit Calendis ponere. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Acerbissimi feneratores. [*Cf. *Brem.* ad *Suet. Tib.* 48., qui eo loco intelligit homines ditiores, qui aliis pecunias mutuo dabant, *Capitalisten.*]

FĔNĔRĀTORĬUS, a, um, adj. ad fenus pertinens, fenebris. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 11. Avara et feneratoria Gallorum philosophia.

FĔNĔRĀTRIX, icis, f. quae fenori dat. *Val. Max.* 8, 2. *n.* 2. Ex amica obsequenti subito districtam feneratricem agere coepit, nummos petendo.

FĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *fenero*, fenori datus. *Ascon. Div. Verr.* 7. *f.* Pecunia gravioribus usuris fenerata, quam pro consuetudine. *Scaev. Dig.* 26, 7, 46. Pecunia fenerata a tutoribus. Adde *Paul. Dig.* 46, 3, 100. ℙ Item [*translate] fenore multiplicatus, cum fenore redditus. *Ter. Ph.* 3, 2, 8. Feneratum istuc beneficium tibi pulcre dices. ℙ *Fenerato* adv. sub fenore, ἐπὶ τόκῳ. *Pl. Men.* 4, 2, 40. Nae illam mecastor fenerato abstulisti. Sic *Asin.* 5, 2, 52. Nae ille ecastor fenerato funditat.

FĔNĔRO, as, a. 1. et Feneror, aris, dep. 1. δανείζω, pecuniam do sub fenore. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. Pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fenerabatur. *Mart.* 1, 86. nil debet: fenerat immo magis. *Paul. Dig.* 22, 1, 11. Fenerare pecuniam sub usuris. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. Binis centesimis [*zu 24 *Procent*] fenerari. Adde *Off.* 2, 25. ℙ [*Significat etiam feneribus faciendis exhaurire. Notandus locus ap. *Cic. Parad.* 6, 2. Dimissiones libertorum ad fenerandas diripiendasque provincias: ubi male alii *defenerandas.*] ℙ Cum accus. personae. *Mart.* 1, 77. nummos habet arca Minervae. Haec sapit, haec omnes fenerat una Deos. ℙ Translate. *Cic. Am.* 9. Benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium feneramur), sed etc. ℙ Significat etiam mutuam dare pecuniam, etiam sine usuris: atque ita intelligendum videtur in verbis S. C. Macedoniani ap. *Ulp. Dig.* 14, 6, 1. Hinc translate *Plin.* 2, 6, 4. Sol suum lumen ceteris quoque sideribus fenerat, *h. e.* commodat, largitur. *Sen. Suasor.* 7. Juba et Petrejus mutuis vulneribus concurrerunt et mortes feneraverunt. ℙ Significat etiam reddere cum fenore. *Ter. Ad.* 2, 2, 9. Metuisti, si de tuo jure concessisses paululum, Atque adolescenti esses morigeratus, ne non tibi istuc fenerare? [*V. quos laudat ad h. l. *Ruhnk. Donatus.* et *Schulting.* ad *Sen. Suasor.* 3, 57.] ℙ *Feneror* est etiam sub fenore accipio. *Ulp. Dig.* 46, 3, 35. Si quis pecuniam dominicam a servo feneratus esset. [*V. quos laudat *Ramsh. Gr. lat.* p. 185. sq.]

FĔNĔSTĔLLA, ae, f. θυρίδιον, diminut. fenestrae. *Colum.* 1, 6. Granaria modicis fenestellis Aquilonibus inspirentur. Adde 8, 3. et 9, 5. ℙ L. Fenestella historicus fuit Augusti tempore obiitque extremo Tiberii principatu, ut *Plin.* 33, 11, 52., qui ejus testimonio saepe utitur. Dictus est a calvitie. Qui enim in medio capite calvi essent, eos antiqui Fenestellas appellabant, quod fenestrae similitudinem prae se ferrent. Ita *Alciatus l.* 12. *parerg. c.* 5., quem penes sit fides. ℙ Alter Fenestella, cujus tractatus exstat de sacerdotiis et magistratibus Rom. recentior est. *Plinium* enim ipsum citat; praeterea meminit episcoporum et archiepiscoporum: quae voces *Plinio* ignotae fuere. Sub hoc nomine latuit aliquandiu *Andreas Dominicus Fiocchi* Florentinus, qui vixit saeculo Christi decimoquinto, ejusque libri verus auctor est. ℙ *Porta Fenestella* Romae fuisse dicitur, inde nomen sortita, quod Dea Fortuna per fenestellam furtim ad Servium regem accesserit et cum eo connubium inierit. *Ov. Fast.* 6, 578. Nocte domum parva solita est intrare fenestra: Unde Fenestellae nomina porta tenet. Al. leg. *Fenestralis.*

FĔNESTRA, ae, f. θυρίς, foramen in pariete ad aedem illustrandam: item valvae, quibus id foramen clauditur: a *φαίνω*, luceo, quasi phaenestra, vel ab aoristo ἔφανον, vel a *φαντζω*, quod a *φανεῖν*, unde *φάνισταρα*, vel tandem a *φέρω*, findo, ita ut fenestra idem sit ac fissura. *Cic. Tusc.* 1, 20. Eae partes quasi fenestrae sunt animi. *Id. Att.* 2, 3. Fenestrarum angustias reprehendere. *Caes. B. C.* 2, 9. *extr.* Fenestras, ad tormenta mittenda, in struendo, reliquerunt. Has fenestras *Hieron. in Ezech.* 40, 16. vocat obliquas, *Symmachus* vero *ib.* τοξικὰς a τὸ τόξον, sagitta. *Ov. A. Am.* 3, 807. lucem in thalamos totis admitte fenestris. *Id. Pont.* 3, 3, 5. bifores intrabat luna fenestras. *Id. Met.* 14, 752. Patulae fenestrae. *Juven.* 6, 31. altae caligantesque. *Hor. Od.* 1, 25, 1. Junctas fenestras quatere. *Virg. A.* 2, 482. ingentem lato dedit ore fenestram. *Paul. Dig.* 8, 2, 40. Fenestram immittere, *h. e.* aperto pariete fenestram facere. *Juven.* 1, 104. Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae Arguerint, *h. e.* foramina, e quibus inaures pendent. [Ap. *Varr. R. R.* 3, 7. *fenestra Punicana* est, quae etiam cataracta dicitur, eadem *ib.* 5. *cochlea* vocatur, quod similis sit operculo cochlearum. *F.*] ℙ In illo *Plauti Cas.* 1, 1, 44. Quid facies? *Ol.* concludere in fenestram firmiter, Ut auscultare possis, cum etc., *fenestra* videtur esse armarium excavatum in pariete cum valvis. Ut autem constet ratio illius versiculi, monent critici, *festram* legi oportere. V. FESTRA. ℙ Translate ponitur pro aditu, via, et occasione. *Ter. Heaut.* 3, 1, 72. Hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! *Tiberius* ap. *Suet. Tib.* 28. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis. [*V. *Casaub.* ad h. l.]

FĔNESTRĀLIS, e, adj. qui est fenestrae. *Ov. Fast.* 6, 578. Porta fenestralis. Alii leg. *Fenestellae*, quam vocem vide.

FĔNESTRĀTUS, a, um, part. a *fenestro*, θυρωτὸς, fenestras habens. *Varr. L. L.* 7, 14. Fenestrata triclinia. *Vitr.* 10, 19. *med.* Turris tabulatorum decem, singulis partibus fenestratis. ℙ Translate. *Id. praef.* 3. Oportuit hominum pectora fenestrata et aperta esse.

FĔNESTRELLA, ae, f. fenestella. *Pallad.* 1, 24., ubi alii rectius leg. *fenestella.*

FĔNESTRO, as, a. 1. fenestras aperio, fenestram facio. *Plin.* 11, 37, 55. Media oculorum cornea fenestravit pupilla.

FĔNESTRŬLA, ae, f. dimin. fenestrae. *Appul. Met.* 9. *f.* Dum obliquata cervice per quandam fenestrulam, quidnam sibi vellet tumultus ille, prospicere gestio.

[FENGUSA, ae, f. pro phengusa, a φέγγουσα, splendens. Est cognomen R. *Inscr.* ap. *Grut.* 776, 9. Cornelia Fengusa. *F.*]

*FENNI vel Finni, orum, populi Scandinaviae, quorum regio Finlandia in ortum vergens, sub Suecis, in Moschorum confinio. *Tac. G.* 46. *B. A.*

*FENSUS, a, um, part. in *Gloss. Isid.* Iratus redditus: est enim i. q. infensus. *B. A.*

FĒNUM etc. V. FOENUM.

FĔNUS, oris, n. τόκος, lucrum ex pecunia proveniens, cum creditur alteri pecunia ea lege, ut et aliquando tota restituatur, et interim, dum abest, aliquid ab eo, qui accepit, quotannis, aut quotmensibus creditori solvatur. Quis fenoris modus apud Romanos fuerit, *Tac. A.* 6, 16. docet. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 12. et *Non.* 1, 266. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 6.] Fenus dictum a fetu, et quasi a fetura quadam pecuniae parientis, atque increscentis. *Fest.* Fenus appellatur naturalis terrae fetus: ob quam causam et nummorum fetus fenus est vocatum, et de ea re leges fenebres. Addit *Varr.* Catonem, et ceteros antiquiores sine *o* littera *fenus* pronunciasse, ut *fetus* et *fecunditas.* Ex quo intelligimus rectius sine diphthongo scribi: quod *Manut.* et *Cellar.* probant, itemque *Voss.* in *Etym.*, qui ab obsoleto *feo* deducit, unde et *fecundus* et *fetus.* [*Quae vera videtur vocis originatio. Hinc proprie significat id, quod terra, accepto semine procreat. Exempla v. §. 2. Adde *Cic. Sen.* 15. Terra nunquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, alias majore cum foenore, *h. e.* cum foetu ac fructu.] Alii ducunt a ποῖνος, merces, pretium, et scribunt *foenus, foetus, foecundus:* quae scriptio *Dausquio* et aliis minus recte placet. *Cic. Att.* 5, 21. *f.* Senatusconsultum factum est, ut centesimae perpetuo fenore ducerentur, [*i. e. ut centesimae usurae in singulos annos ducerentur in supputatione, non autem etiam centesimarum usurae. V. *Gronov. Mantiss. Vet. P.* p. 414. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. v. *perpetuus.*] Et *ib.* 6, 3. Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. Et *ib.* 4, 15. Fenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. Et *ib.* 6, 1. *med.* Graeci solvunt tolerabili fenore. Et *ib.* 16, 15. *f.* Iniquissimo fenore versuram facere coactus est. *Id. Coel.* 18. Fenore trucidari. *Pl. Curc.* 4, 2, 22. lacerare homines. *Nep. Att.* 9. Pecuniam sine fenore alicui credere. *Cic. Fl.* 21. Pecuniam adolescentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. *Id. Verr.* 2, 2, 70. Pecuniam alicui dare fenori. *Pl. Curc.* 4, 1, 19. Dare fenore. *Cic. Verr.* 2, 3, 72. Fenus accipere ab aliquo. *Pl. Asin.* 1, 3, 95. Si mutuas *(minas)* non potero, certum est, sumam fenore. *Id. Curc.* 4, 1, 19. Accipere fenore. Et *Men.* 4, 2, 14. Fenore rem partam habere. *Id. Asin.* 2, 4, 23. Quaeritare argentum in fenus. *Id. Most.* 3, 1, 34. Dare alicui fenus, et sortem argenti. *Modest. Dig.* 12, 1, 33. Exercere fenus. *Ulp. ib.* 17, 1, 12. *med.* Majoribus usuris fenus accipere. *Scaev. ib.* 26, 7, 46. Dare pecunias in fenus. *Ulp. ib.* 32, 1, 11. *med.* Certam summam usuris certis fenori dare. *Id. ib.* 16, 3, 7. Pecunias fenore apud nummularios exercere. *Hor. A. P.* 421. Nummi positi in fenore. *Varro L. L.* 5, 7. Pecunia, quae est in fenore. *Hor. Ep.* 1, 1, 80. Multis occulto crescit res fenore. [*De infanda fenerum negotiatione V. quos laudat *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 25, 89. p. 169.] ℙ Transfertur ad quodcumque lucrum et accessionem significandam. *Tibull.* 2, 7, 3. spes sulcis credit aratis Semina, quae magno fenore reddat ager. *Manil.* 5, 273. Seminaque in fenus sulcatis credere terris. *Plin.* 18, 17, 47. Sic quoque cum quinquagesimo fenore messes reddit exilitas soli: verum diligentioribus cum centesimo. *Prop.* 1, 7. *extr.* Saepe venit magno fenore tardus amor. Et 3, 1, 22. At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fenore reddet honos. ℙ [Etiam de ipsa sorte *fenus* dicitur, *h. e.* de pecunia fenebri seu fenori data. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scaevola, fenus et impendium recusare. V. IMPENDIUM. *F.* *Quint. Decl.* 9, 8. p. 199. Cf. *Salmas.* de *Usur.* p. 24.] ℙ Translate. *Plin.* 2, 63, 63. Quam bona fide terra creditum fenus reddit!

FĔNUSCŬLUM, i, n. parvum fenus, lucellum. *Pl. Ps.* 1, 3, 52. amabas? invenires mutuum, Ad danistam devenires, adderes fenusculum.

FĔRA, ae, f. θήρ, animal non mansuefactum, et naturalem feritatem habens sive saevum sit, sive non, bellua, bestia: a voce Graeca allata. V. BELLUA. *Cic. Off.* 1, 16. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum. Sunt enim rationis et orationis expertes. *Caes. B. G.* 6, 27. Uri neque homini, neque ferae, quam conspexerint, parcunt. *Ov. Her.* 7, 38. te saevae progenuere ferae. *(de homine crudeli, duro, inexorabili.) Curt.* 6, 5. Ritu ferarum virgulta subire soliti. *Cic. Rosc. Am.* 26. Feris corpus objicere. *Id. Off.* 3, 17. Excitare et agitare feras. *Ov. Fast.* 2, 163. venari. Et 286. concitare. Et *Met.* 2, 498. sequi. Et *ib.* 10, 546. lacessere. Et *A. Am.* 3, 144. petere. *Senec. Herc. Oet.* 752. domare. *Id. Thyest.* 497. Umber vestigat feras. *Ov. Her.* 11, 118. Ferae avidae. Et 111. rapidae. Et *ib.* 9, 34. terribiles. *Senec. Troad.* 566. immanes. *Id. Herc. Oet.* 1295. horridae. *Stat. Th.* 8, 71. rabidae. *Ov. Fast.* 2, 216. montanae. *Lucr.* 2, 597. montivagae. ℙ De serpentibus dixit *Hyg. Astron.* 2, 14., de formica *Mart.* 6, 15. ℙ *Ferai* pro *ferae* habet more suo *Lucr.* 1, 404.

FĔRĀBĪTĒ, positum pro agresti. *Sisenn. hist. l.* 4. Et partim ferabite, partim lauro et arbusto, ac multa pinu, ac myrtetis abundant. Ita *Non.* 2, 347., sed legendum est *fera vite.*

FĔRĀCĬTAS, atis, f. εὐφορία, fertilitas, fecunditas. *Colum.* 3, 2. *f.* Ubi nihil erit, quod proritet, feracitatem vitis potius sequemur.

FĔRĀCĬTER, adv. εὐφόρως, fertiliter. *Liv.* 6, 1. Velut ab stirpibus laetius feraciusque renata urbs

*FERACŬLUM, i, n. *Ulp.* in l. *quemadmodum* §. *si navis D. ad legem Aquil.* Parvi refert, navem immittendo, an feraculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis. Sed varie legitur. Alii *serraculum*, alii *verriculum*, alii *servaculum*, alii denique *lenunculum* legunt. *Serraculum* probat *Cujac. Obs.* 14, 13. v. v. *B. A.*

FĔRĀLĬA, ium, n. *Festus.* Diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus appellata. [*Neutrum fortasse recte; a ferendis potius mortuis, cineribus, unde etiam ferculum, feretrum. Ita *Böttticher.* in *Lex. Tac.* p. 195.] *Varr. L. L.* 5, 3. Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare. Celebrabantur mense Februario per aliquot dies, quorum ultimus erat dies decimus septimus, ut est apud *Ov. Fast.* 2, 567. *Id. ib.* 569. Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem. Ultima placandis Manibus illa dies. *Cic. Att.* 8, 14. Caesarem a Corfinio profectum esse Feralibus. ℙ Alii dicunt fuisse diem decimum nonum, alii vigesimum primum, ut in *Calendar.* ap. *Grut.* p. 133., alii vigesimum tertium ejus mensis. Quod vero prima syllaba fere a poetis producitur, mallet *Jos. Scalig.* legere ap. *Ov.* dicunt Feralia. [*V. quae in hanc rem disputat *Gierig. in ind. rerum* ad *Ov. Fast.*] ℙ *In *Liv.* 35, 7. *Diem finiri placuit Feralia*, corrupte plerique *Foeneralia.* Sed veram lectionem restituere *Gelen.*, *Gron.*, *Drak. Macr. Sat.* 1, 4. Varro *Feralium* diem ait a *ferendis* in sepulcra epulis dici: non dixit Feraliorum, ubi corrupte adhuc editur, etiam in *Gronov. Ferialium*, *Feriatiorum. B. A.*

FĔRĀLIS, e, adj. ad Feralia pertinens. *Ov. Fast.* 2, 34. placatis sunt tempora pura sepulcris, Tunc cum ferales praeteriere dies. *Id. Fast.* 5, 486. Ferale tempus. *Colum.* 10, 191. Feralis mensis, *h. e.* Februarius. ℙ Item universim ad mortuos pertinens, funebris, funestus, νεκρικός. *Ov. Ib.* 103. Ferales vittae. *Id. Trist.* 3, 13, 21. Feralis cupressus. Et 3, 81. exstincto feralia munera ferre. *Virg. A.* 4, 462. Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri. *Petr. Sat.* 120. Enyo feralis. *Sil.* 10, 535. Ac, ferale decus, moestas ad busta cupressos. *Id.* 3, 223. Letiferum murmur, feralique horrida cantu Buccina. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 1. Idus Mart. ferales Caesari. *Sil.* 6, 216. Feralis aula, *h. e.* sedes, cubile immanis serpentis, in Africa ab exercitu occisi. *Tac. H.* 5, 25. Ferale bellum, *h. e.* exitiosum. *Id. A.* 4, 64. Feralis annus. *Prud.* περὶ στεφ. 5, 312. domus, *h. e.* carcer. [*Frequentissimus est hujus

vocabuli ap. *Tac.* usus; exempla v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 195.] ℙ *Ferâle* adverbii ritu, feralem in modum. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 130. Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt.

[FĔRĂLĬTER, adv. more ferarum. *Fulg. Myth.* 3, 1. *a med.* Ut leo feraliter invadit. *F.*]

FĔRĀTRĪNA, ae, f. vivarium, locus, in quo ferae inclusae servantur. *Non.* 1, 320. Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut feratrina, ut foetutina. Alii leg. *seratrina. F.*]

FĔRAX, acis, adj. omn. gen. *εὔφορος*, fertilis, frugifer, uber, fecundus: a *fero. Caes. B. G.* 2, 4. Agri feracissimi. *Hor. Od.* 1, 31, 3. opimae Sardiniae segetes feracis. *Virg. G.* 2, 79. Feraces plantae. [**Suet. Aug.* 18. Aegyptum, — ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet etc., ubi *B. Crus.* haec notat: Non est i. q. fertiliorem. Terra natura est fertilis, sed arte ita potest succurri, ut largiorem proventum dare queat, *h. e.* feraciorem reddere.] ℙ Cum genitivo. *Plin. ep.* 2, 17. Terra ferax arborum. *Plin. alter* 15, 24, 29. Acini feraces musti. *Hor. Epod.* 5, 22. Hiberia venenorum ferax. *Ov. Met.* 7, 470. nitidaeque ferax Peparethos olivae. *Val. Fl.* 6, 102. niveumque ferax Euarchus olorum. ℙ Cum ablat. *Ov. Am.* 2, 16, 7. Terra ferax Cerere, multoque feracior uvis. Al. leg. *Cereris* et *uvae. Virg. G.* 2, 222. Illa ferax oleo est. Ita leg. *Non.* 9, 10., et ita in codice vetustissimo Romanae notae, et in Mediceo haberi testatur *Pierius:* al. leg. *oleae.* ℙ Translate. *Cic. Off.* 3, 2. Nullus feracior in philosophia locus est, nec uberior, quam de officiis. *Id. Or.* 15. Nihil est feracius ingeniis, iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt. *Hor. carm. saec.* 19. prolisque novae feraci lege marita. *Plin. ep.* 4, 15. Ferax saeculum bonis artibus. *Id. Pan.* 43. Sitne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, si etc.

FERBŬI. V. FERVEO.

*FERBUNCŬLUS, i, dimin. a *fervo* pro *fervunculus*, i. e. furunculus. *Prisc.* 1. *B. A.*

FERCTUM. V. FERTUM.

FERCŬLUM, i, n. missus ciborum, qui singulis vicibus mensae inferuntur, sive ex pluribus lancibus constet patinisve, sive ex singulis tantum: a ferendo. [**Ferculum* in mensa est vas, cui cibi uno tempore consumendi imponuntur; inde pro cibis ipsis, ut Gr. *παράθεσις* ap. *Polyb.* 31, 4, 5.; ita quidem, ut modo singulos cibos denotet, nostr. *Gericht, Schüssel;* modo certum quendam ciborum numerum, ordine compositum, comprehendat, qui una mensae comedendi imponuntur, nostr. *Aufsatz, Gang, Tracht.* Contractam esse hanc vocem ex *Fericulum*, patet ex voce *Praefericulum.* V. et *Fericulus.*] *Petr. Sat.* 35. Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum. Repositorium enim rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, super quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum, super Taurum bubale frustum etc. Et 36. Videmus in altero ferculo altilia et sumina etc. *Suet. Aug.* 74. Coenam ternis ferculis aut cum abundantissime senis praebebat. *Plin.* 33, 10, 47. Ptolemaeum mille convivas, totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis, saginasse. *Juven.* 1, 94. quis fercula septem Secreto coenavit avus? *Id.* 7, 184. Fercula docte componere. *Id.* 11, 64. cuncta singillatim enumerat fercula coenae suae. *Hor. Sat.* 2, 6, 104. Multaque de magna superessent fercula coena, *h. e.* multi cibi. ℙ Item machina, gestamen, quo signa Deorum in pompa circensi et in triumphis simulacra oppidorum ac regionum etc. et in exsequiis cineres aut majorum imagines transvehebantur: plaustra appellat *Tert. Spect.* 7., vehicula alii. *Liv.* 1, 10. Spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit. *Suet. Caes.* 37. Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum, Veni, vidi, vici. Et 76. Sedem auream in curia, thensam et ferculum circensi pompa, templa, aras etc. recepit. [**Ferculum* est i. q. pulpitum, cui incubantes Dii in tensis per Circum vehebantur. V. *interprr.* ad h. l.] (Adde *Val. Fl.* 3, 539.) *Id. Cal.* 15. Matris fratrisque cineres Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis mausoleo intulit. *Cic. Off.* 1, 36. Cavendum ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. [**Fercula Mich. Heus.* et *Schütz.* in *Lex. Cic.* sic interpretantur, ut Circensi pompa nihil aliud fuisse videantur, quam tensae. *Beier.* h. l. accipi vult pro ipsis deorum simulacris. Alii intelligunt homines fercula gestantes, coll. *Hor. Sat.* 1, 3, 10. — Res haec est: fercula (ex propr. v. notione) in pompis significant gestamina, machinas, quae onustae rebus cujuscumque generis ostentandis vel a hominibus portabantur, vel curribus ferendae imponebantur. V. locos a Nostro laudatos. Mansit ferculum solennis vox, sive hominis, qui ferret, sive tensae, cui impositae res essent, sive earum rerum prae primis rationem habuerint, quae spectandae in ferculis collocatae essent.] ℙ *Fercula funerum* sunt etiam ferales epulae, quas Manibus placandis ad sepulcra afferre mos fuit. *Plin.* 10, 10, 12. Milvus rapacissima et famelica semper ales nihil esculenti rapit unquam ex funerum ferculis.

FĔRĔ, adv. *μικροῦ δεῖ*, ferme, paene, prope. [**Restrictiva* vocis vis est. V. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 905.] *Cic. Att.* 14, 20. Eadem fere hora, qua veni. *Ter. Hec.* 5, 3, 24. Abhinc menses decem fere. *Nep. Arist.* 1. Sexto fere anno post. *Cic. Or.* 2, 6. Semper fere cum Scipione solitum rusticari. *Id. Fam.* 6, 10. Omnes fere familiarissimi Caesaris me observant. *Ter. Andr.* 1, 1, 77. Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt, Chrysis moritur. *Cic. Fin.* 2, 31. Totidem fere verbis interpretatus sum. *Id. Cluent.* 16. In quibus quantus splendor sit, quam fere omnium constans ratio vitae, nemo ignorat. *Id. Off.* 1, 18. Ab iis rebus quemadmodum ducatur officium, satis fere diximus. *Id. N. D.* 3. *f.* Haec fere dicere habui de natura Deorum. *Id. Att.* 7, 1. Haec fere sunt in illa epistola. Et 6. Nec adhuc fere inveni, qui non concedendum putet Caesari. *Ter. Heaut.* 1, 1, 3. Nec rei fere sane amplius quidquam fuit. *Cic. Sext.* 24. Non fere quemquam invidia consecuta est. ℙ Item plerumque. *Cic. Inv.* 1, 29. Probabile est id, quod fere fieri solet. *Id. Off.* 1, 18. *extr.* Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari. *Id. Manil.* 9. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus. *Id. Am.* 1. Sermo, qui tum fere omnibus erat in ore. *Cels.* 6, 2. Fereque id in capillo fit: rarius in barba: aliquando etiam in supercilio. *Cic. Top.* 21. Nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem. Et 16. Illud genus causarum errorem afferre non fere solet. *Auct.* ad *Her.* 2, 18. Fere non difficile est invenire, quid etc. ℙ Junctum cum *plerumque* pleonasmus est, non inelegans tamen. *Ter. Ph.* 1, 2, 39. Hic solebamus fere plerumque eam opperiri. [**Noli* de pleonasmo cogitare.] ℙ Habet etiam eandem vim ac *valde* aut *omnino. Cic. Brut.* 40. *extr.* Aetates vestrae nihil aut non fere multum differunt. *Ter. Heaut.* 1, 1, 70. Domum revertor moestus, atque animo fere Perturbato atque incerto prae aegritudine. ℙ Secunda syllaba ab *Auson.* corripitur *epigr.* 105, 5. praeter morem veterum meliorumque poetarum, ut *Virg. A.* 3, 135. et *ib.* 5, 327. et 835., et *Ov. Her.* 19, 45., *Am.* 1, 5, 4. et *Met.* 7, 804. ℙ [**Confunduntur Fere* et *fuisse* et *fore.* V. *Heind.* ad *Cic. N. D.* 1, 34, 93.]

FĔRENS, entis, part. a *fero*, *φέρων*, qui fert. *Virg. A.* 1, 193. cervi capita alta ferentes Cornibus arboreis. *Sil.* 9. 586. Clamantemque ferens calcata per agmina portant, *h. e.* sustinens. *Ov. Am.* 1, 8, 77. Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti, *h. e.* ferenti munera. *Virg. A.* 4, 430. et *Plin. Pan.* 31. Venti ferentes, i. e. eo ferentes, quo tendimus. *Hor. Ep.* 2, 1, 141. Animus spe finis dura ferens. *Tac. H.* 5, 6. Corpora salubria et ferentia laborum. ℙ [**Sensu pass.* i. q. fertur. *Nep.* 14, 4. Quem procul Aspis conspiciens, ad se ferentem, pertimescit. V. *Brem.* ad h. l. — *Ramsh. Gr. Lat.* p. 171.]

FĔRENTĀNI, orum, m. plur. populi Apuliae, quorum oppidum Ferentum, cujus meminit *Hor. Od.* 3, 4, 16., nunc *Forenza. Plin.* 3, 11, 16. Cannenses, Ferentani, Genusini. Alii leg. *Forentani. Cic. Cluent.* 69., ubi tamen alii rectius leg. *Frentani.* ℙ [**In* loco *Horatii* pro *Ferenti* edd. *Cuningh.* et *Jani* habent *Forenti.* Cf. *Liv.* 9, 20. ℙ In sing. num. *Tac. A.* 15, 53. Ferentano in oppido, ubi pro *Ferentano* mavult *Cluverius* legere *Ferentino. B. A.*]

FĔRENTĀRĬUS, a, um, adj. *ἀκροβολισταὶ*, levis armaturae milites, a *ferendo*, quia ea tantum arma habebant, quae feruntur, non quae tenentur, quippe qui fundis lapidibusque, vel arcu et telis pugnabant, ut *Fest.* docet, itemque *Varr. L. L.* 6, 3. et ap. *Non.* 12, 8. Sed *Non.* 18, 15. ferentarios vocat milites levis armaturae auxiliatores, ense et telis instructos, a ferendo auxilio, quia, quicquid opus erat, opem ferebant, et tela pugnantibus ministrabant. *Sall. Cat.* 60. Postquam eo ventum est, ut a ferentariis proelium committi posset. [**V. Cort.* ad h. l. *Tac. A.* 12, 35. Eo quoque irrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conserto gradu.] *Veg. Mil.* 1, 20. Erant inter pedites, qui dicebantur funditores, et ferentarii, qui praecipue in cornibus locabantur, et a quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi et velocissimi, et exercitatissimi legebantur. *Varr. l. c.* etiam equites ferentarios nominat. ℙ *Ferentarius amicus, Pl. Trin.* 2, 4, 55. dicitur qui celer et expeditus est ad opem ferendam. [**V. Lindem.* ad h. l.] Quod vero hunc eundem locum *Varro ib.* referens, *ferentarium* exponit, inanem et sine fructu; censet *Turneb.* alludi ab eo ad levem ferentariorum armaturam, a *Plauto* vero ad vocem ipsam, nempe a *ferendo.* Certe quidem *Varronis* interpretatio ad *Plauti* integram sententiam minime facit. [*Bothe* ad *Plaut. l. c.* leg. *ferentaneum*, ita enim in MSS. esse affirmat. *F.*]

FĔRENTĪNĀTES, ium, m. plur. cives, et incolae Ferentini, quod fuit oppidum Latii in finibus Hernicorum, nunc *Ferentino. Liv.* 4, 51. et 9, 43. et *Plin.* 3, 5, 9. ℙ *Ferentinatis* in recto sing. pro *Ferentinas. Titin.* ap. *Prisc.* 4, 629. Ferentinatis populus Graeca studet.

[FĔRENTĪNENSIS, e, adj. ad Ferentinum pertinens, Etruriae oppidum, cujus meminit *Suet. Oth.* 1. et *Plin.* 3, 5, 8. *Front. de colon.* p. 131. *Goes.* Colonia Ferentinensis lege Sempronia est assignata. In edit. male leg. *Ferenticensis. F.*]

*FERENTĪNUM, i, n. oppidum Latii, olim Hernicorum. *Liv.* 4, 51 et 60. 7, 9. 32, 2. et 10, 34. ubi *Gron.* mavult *Trerentinum*, probante *Drak.* V. *Ferentinates.* ℙ Item oppidum Hetruriae. *Plin.* 3, 5. *Suet. Oth.* 1. *Hor. ep.* 1, 17, 8. Ferentinum ire jubebo. ubi tamen dubitat vetus interpres sitne Tusciae oppidum, an Hernicorum: plures tamen de Etrusco interpretantur, idque ex textu probat *Cluverius. Vitr.* 2, 7. est *municipium Ferentis. Frontino* autem *de Tusciae coloniis* audit *colonia Ferentinensis. B. A.*

FĔRENTĪNUS, a, um, adj. ad Ferentinum oppidum pertinens, V. FERENTINATES. *Sil.* 8, 395. Sulla Ferentinis, Privernatumque maniplis etc. ℙ *Aqua Ferentina* ap. *Liv.* 1, 51. *extr.* alio pertinet. Nempe fuit prope Albam Longam, ubi et *Lucus Ferentinae* (*ib.* 50. et 52.), quae creditur fuisse Diva eadem cum Aegeria.

FĔRĔOLĂ Vitis. Fortasse a *ferendo*, h. e. ab illius feracitate, ita est appellata De ea sic *Col.* 3, 2. *f.* Nuper mihi cognitas pergulanam, et irtiolam, fereolamque, non facile asseverem, quo gradu habendae sint. Alii leg. *ferreolam*, [**quod* fortasse ad colorem referas.]

FĔRETRĬUS, ii, m. *Φερέτριος*, Jovis cognomen, quod illi a Romulo impositum est, non a pace *ferenda*, (ut quibusdam visum est) sed a *ferendis* spoliis ducis: vel a *feriendis* hostibus, ut vult *Plut. in Romul.* et *Prop.* 4, 10, 46. Nam Romulus devictis Caeninensibus, hostium spolia, ferculo ad id facto, in Capitolium detulit, ibique ex quercu suspensa Jovi consecravit: eodem in loco Jovi Feretrio templum condidit, auctorque fuit posteris, ut eo capta ex regibus, ducibusque hostium opima spolia deferrent. *Liv.* 1, 10. et *Flor.* 1, 1. Deinde an. U. C. 317. A. Cornelius Cossus de Larte Tolumnio Vejentium rege; an. vero 532. M. Claudius Marcellus de Virdomaro Gallorum Insubrium duce, sua manu caesis, opima spolia retulerunt. *Prop.* 4, 10, 23. et *ib.* 40. ℙ Translate vetus poeta ap. *Terentian. Maur.* p. 2442. Opima adposui senex Amori arma Feretrio.

FĔRETRUM, i, n. *φέρετρον*, capulus, instrumentum, quo cadavera egeruntur ad sepulturam. Vox Graeca est, sed usu Latina facta. *Virg. A.* 6, 222. pars ingenti subiere feretro, Triste ministerium etc. *Val. Fl.* 5, 11. positumque feretro Congemuere. *Ov. Met.* 3, 508. Jamque rogum, quassasque faces feretrumque parabant. ℙ Item ferculum portandis imaginibus in exsequiis, spoliis in pompa triumphali etc. *Sil.* 10, 567. celsis de more feretris Praecedens prisca exsequias decorabat imago. Et 5, 168. quis opima volenti Dona Jovi portet feretro suspensa cruento. Et 17, 630. Ante Syphax, feretro residens captiva premebat Lumina. *Grat. Cyn.* 488. et viridi fumantia liba feretro, *h. e.* ferculo e frondibus composito. Apud *Liv.* quoque 1, 10. haec vox a nonnullis reponitur pro *ferculo*, ubi de Romulo spolia opima Jovi Feretrio dicante sermo est: docentque fuisse truncum arboris ramosum, vel duo lingna transversa, e quibus suspendebantur arma hostibus capta in morem trophaei.

FĔRĬAE, arum, f. plur. *ἑορταί, ἡμέραι*, dies cessationum ab opere. Aliquibus dictae videntur a *feriendis* victimis: aliis ab epulis *ferendis*, quod in iis fiebant epulationes ex proventu fetus pecudum et frugum. *Cic. Leg.* 2, 12. Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et jurgiorum, in servis operum et laborum. ℙ Aliae erant cum festo, ut *Saturnalia*, quibus epulationes adjungebantur; aliae sine festo, ut *Nundinae.* Deinde aliae erant publicae, aliae privatae. Feriarum publicarum quatuor erant genera, *stativae, conceptivae, imperativae, nundinae*, de quibus V. suis loc. Privatae feriae erant vel propriae quarundam familiarum, vel singulorum hominum. Feriae propriae familiarum erant, quas quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observabat, ut *Feriae Claudiae, Aemiliae* etc. Propriae singulorum erant, ut natalium dierum, quae nataliciae dicebantur, expiationes fulgurum, et funerum. *Liv.* 3, 5. Ferias indicere in triduum. [**Hoc* loco dictum est pro supplicationibus. Saepissime conjungi solent *feriae* et *supplicatio.* V. *Liv.* 40, 19. 41, 21.] *Cic. Leg.* 2, 22. *extr.* Habere triduum ferias. *Varr.* ap. *Gell.* 1, 25. Feriae belli. *Pl. Capt.* 3, 2, 18. Venter gutturque resident esuriales ferias, *h. e.* jejunant. *Hor. Od.* 4, 5. *extr.* Praestare Hesperiae longas ferias, *h. e.* longam pacem. *Plin.* 35, 2, 2. Custodire ferias. Et *Macr. Sat.* 1, 16. observare. *Petr. Sat.* 24. Agere ferias.

Suet. Cal. 23. Solemnibus feriis celebrare victorias. *Cic. Or.* 3, 22. *extr.* Forenses feriae. ℙ *Feriis* et *per ferias*, diebus feriarum. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergeri, vias muniri. *Colum.* 2, 22. Feriis licet flumine abluere greges. Et *mox.* Feriis ritus majorum illa permittit, far pinsere, faces incidere etc. ℙ *Sine ullis feriis*, proverb. sine ulla intermissione. *Arnob.* 1, 9. Nunquam omnino respirasse mortalia, et sine ullis, ut dicitur, feriis, multiplicium formas sustinuisse discriminum. ℙ In singulari numero *Festus.* Feria a feriendis victimis appellata.

FĔRĬĀTĪCUS, a, um, adj. idem quod feriatus seu festus, ut Feriatici dies, *Ulp. Dig.* 2, 12, 2., ubi al. leg. *feriati.*

FĔRĬĀTUS, a, um, adj. qui otiosus et quietus est et nihil agit vel in quo nihil agitur: a feriis. *Cic. N. D.* 1, 37. Deum sic feriatum volumus cessatione torpere. *Id. Or.* 3, 15. Feriatus a negotiis publicis. *Varr. R. R.* 1, 16. Familia ambulet feriata. *Prud. περὶ στεφ.* 6, 156. feriata freta, *h. e.* tranquilla. ℙ *Feriati dies* sunt in quibus feriae aguntur, *Plin. ep.* 10, 24. Et sequens mensis complures dies feriatos habet. Adde *ep.* 3, 14. [*Confunditur hac significatione in codicibus *feriatus* et *festus* ap. *Eutrop.* 10, 1.] ℙ *Male feriatus* dicitur, qui intempestivo otio deditus est. *Hor. Od.* 4, 6, 14. Male feriatos Troas et laetam Priami choreis Falleret aulam. Adde *Gell.* 10, 22. *f.* *De ista futili atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promovente: in qua id genus homines consenescunt male feriati, quos philosophos etc. *B. A.*

*FERICŬLUM, i, n. pro *Ferculum* ap. *Petr.* 60. legit *Reines.* ubi editur: Sacrum esse periculum tam religioso apparatu perfusum. Receperat etiam in contextum *Hadrian.* Ita etiam *Heinsius* 39. restituit pro *Fericulusta*, quae vox in *Nodot.* ed. plane omissa est, reddita in *Burm.* sed non explicata. Cf. *Praefericulum. B. A.*

[FĔRĬCŬLUS, a, um, dimin. feri, aliquantisper ferus, subagrestis. *Petr. fr. Trag. Burm.* 39. Nam mihi nihil novi potest afferi, sicut illi. Fericulus tamel (*h. e.* tamen ille) habuit praxim, *h. e.* callebat tamen, quae magistra rerum experientia docet. Ita restituit locum ex Cod. Tragur. *Fr. Oriolius* in *Opusc. letter. di Bologna T.* 1, 63. *B. A.* et *F.*]

FĔRĪNUS, a, um, adj. θήρειος, ad feras pertinens. *Cic. Inv.* 1, 2. Victu ferino sibi vitam propagare. *Ov. Met.* 2, 523. Ferini vultus. *Id. Trist.* 5, 12, 55. Ferina vox. *Virg. A.* 11, 571. Ferinum lac. *Ov. Met.* 7, 675. Sum nemorum studiosus, ait, caedisque ferinae. *Lucr.* 5, 1417. Ferina vestis, *h. e.* ex pellibus ferarum. *Gell.* 19, 2. Ferinae voluptates. *Plin.* 13, 4, 9. Pomum sapore ferino, quem ferme in apris novimus. *Id.* 6, 28, 32. et *Sall. Jug.* 21. et 94. Ferina caro. Et absolute eod. sensu *Virg. A.* 1, 219. Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.

FĔRĬO, is, a. 4. πατέω, τύπτω, κόπτω, percutio, vulnus infero, caedo, pulso. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Instat, ut quamprimum securi feriantur. *Sall. Cat.* 7. Hostem ferire. *Virg. A.* 12, 294. Telo trabali graviter ferire. *Hor. Od.* 2, 10, 11. feriuntque summos Fulmina montes. *Ov. Fast.* 3, 755. Ille cadit praeceps, et calce feritur aselli. *Id. Ib.* 483. venenato ab angue feriri. *Virg. Ecl.* 9, 25. Caper cornu ferit. *Tibull.* 2, 5, 85. ferit pede rusticus uvas. *Sall. Jug.* 79. Murum ferire arietibus. *Cic. Coel.* 24. parietem. *Id. Att.* 1, 1. frontem. *Ov. Met.* 4, 553. plangore pectora. *Cels.* 6, 7. *f.* malleo tabulam. *Senec. Herc. Oet.* 834. ore terram languidus prono ferit. *Lucan.* 4, 786. ferientia terram Corpora. *Pl. Men.* 1, 2, 63. Jam fores ferio? *Me.* feri, *Ov. Met.* 6, 57. subtemen inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. *Senec. Troad.* 833. Tinnulas plectro feriente chordas. *Lucan.* 10, 244. Venti aquas assidue feriunt. *Virg. A.* 3, 290. Certatim socii feriunt mare, *h. e.* remis pulsant. *Calp. Ecl.* 4, 128. Seu cantare juvat, seu ter pede laeta ferire Gramina: ter pede humum pulsare, ut ait *Ov. A. Am.* 1, 112. (Al. leg. *lenta ferire carmina*, h. e. cantum carminum lenta saltatione exprimere, et sequi. Simile est illud *Ov. Trist.* 4, 10, 50. de Horatio: Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.) *Id. Ecl.* 2, 11. ales ferit aera pennis. *Ov. Trist.* 1, 11, 40. caeruleis charta feritur aquis. Et 2, 47. Nec levius tabulae laterum feriuntur ab undis, Quam grave ballistae moenia pulsat onus. *Hor. Od.* 2, 17, 32. Nos humilem feriemus agnam. *Lucan.* 9, 396. Me calor aetherius feriat. *Lucr.* 4, 260, Acre ferit frigus. [*Notandae videntur etiam hae locutiones. *Sil.* 5, 395. Oceanus Tethye Calpen ferit, i. e. Calpe mari adluitur. *Id.* 14, 678. Feriente ruina, i. e. ingruente calamitate. *Quint. Decl.* 3, 16. p. 72 Ferienda fossa, i. e. effodienda. V. *Burm.* ad h. l.] ℙ *Ferire pecuniam* est cudere. *Plin.* 33, 3, 13. Constitutumque, ut asses sextantario pondere ferientur. Hinc illa in vet. nummis et lapidibus *Triumvir. A. A. A. F. F.* h. e. auro, argento, aere flando, feriundo. ℙ Translate. *Senec. Hipp.* 293. Cupido virginum ignoto ferit igne pectus. [*Dicitur hac significatione absolute. *Lucret.* 4, 1051. Unde feritur, eo tendit, gestitque coire.] *Id. Herc. Oet.* 1944. Sonus trepidas aures ferit. *Hor. Sat.* 2, 3, 274. ferire verba palato, *h. e.* exprimere, loqui lingua palatum veluti icente. *Lucan.* 7, 580. libertas ultima mundi, Quo steterit ferienda loco. *Id.* 5, 774 feriat dum moesta remotas Fama procul terras, *h. e.* rumoribus suis impleat. *Lucr.* 6, 692. Res feriunt oculorum acies, visumque lacessunt. [*V. *Lips.* ad *Sen. ep.* 33. *Drakenb.* ad *Sil.* 3, 694.] Et 242. Propterea fit, uti speciem quo vertimus, omnes Res ibi eam contra feriant forma atque colore, *h. e.* incurrant in oculos. *Cic. Fam.* 15, 16. His spectris etiam si oculi possunt feriri, animus qui possit, non video. *Claud. cons. Probi, et Olybr.* 122. de hastae cuspide: tremulisque ferit splendoribus Hebrum. *Lucan* 6, 742. pessime mundi Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis, Et subito feriere die, *h. e.* percellam, perstringamque tuos oculos subita, tibique invisa luce. *Ov. Met.* 7, 804. Sole fere radiis feriente cacumina primis. *Virg. A.* 5, 140. ferit aethera clamor. ℙ Aliquando est dolo fraudare, fallere, per fraudem quippiam alicui auferre, multare. *Pl. Trin.* 2, 1, 19. Ubi illa pendentem ferit, jam amplius orat. [*Alluditur h. l. ad gravissimam illam servorum poenam, qui pendentes, *h. e.* de tigillo suspensi virgis caedi solebant. Hoc igitur vult: ibi gravissime amatorem punit mulier, tum jam plane eum depeculatur. *Lindem.* ad h. l.] *Ter. Ph.* 1, 1, 13. Porro autem Geta ferietur alio munere, ubi hera perpererit. *Prop.* 4, 5, 44. Cum ferit astutos comica moecha Getas. *Id.* 3, 2, 50. Qui volet austeros arte ferire viros. [*Verbum proprium in hoc re. V. *Broukh.* ad *Propert.* 4, 5, 44. et interppr. ad *Terent. Phorm.* 1, 1, 13.] ℙ *Ferire foedus* est jungere, facere, quia in foederibus faciendis mactabatur victima, et caesa jungebant foedera porca, ut ait *Virg. A.* 8, 641. (V. *Liv.* 1, 24.) *Id. ib.* 10, 154. Tarchon jungit opes, foedusque ferit. *Cic. Dom.* 50. Foedera feriebantur provinciarum. *Id. Coel.* 14. Amorum turpissimorum foedera ferire. [*V. de h. loquendi genere *Ruddim.* 2, 156. Caeterum notanda videtur dicendi formula, qua in foederibus faciendis h. vocabulum cum exsecrandi ratione adhiberi solet ad denotandam laesi foederis poenam. *Liv.* 1, 24. Si prior defexit publico consilio, dolo malo: tu illo die, Jupiter, Pop. Rom. sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Adde *Eund.* 9, 5.] ℙ Interdum ponitur pro contingere. *Hor. Od.* 1, 1. *extr.* Sublimi feriam sidera vertice. *Val. Fl.* 1, 384. puniceo cui circumfusa cothurno Palla imos ferit alba pedes. ℙ Caret praeterito et supino, et cum opus est, ab *ico* aut *percutio* mutuatur. *Charis.* tamen 3, 222. integram ejus conjugationem referens, *ferii, ferieram, ferierim, ferissem, ferisse, feritum ire* ei tribuit, sed sine exemplis. *Feriturus* usurpavit *Serv.* ad *A.* 7, 498. *Feribo* pro *feriam* ponit *Charis. l. c.*, quae positio est in verbis quartae conjugationis apud antiquos usitata. [*Cf. *Ruddim.* 1. p. 260.] ℙ *Ferinunt* pro *feriunt* antiquum est. *Festus* in *Nequinunt.* ℙ [*Confunduntur *Ferire* et *petere.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 301. p. 584.]

FĔRĬOR, aris, atus sum, dep. 1. σχολάζω, ferias ago, ab opere cesso, otiosus sum. Usum habet maxime in praeteritis. *Varr. L. L.* 5, 3. Qui Fornacalibus suis non fuerunt feriati. *Macr. Somn. Scip.* 1, 7. Achilles recenti lacessitus injuria, ab armis cum suo milite feriabatur. V. alia in FERIATUS. ℙ Part. *Feriaturus* ap. *Sidon. ep.* 9, 11. *med.* Animus tandem feriaturus.

FĔRĪTAS, atis, f. ἀγριότης, natura ejus, qui ferus est, *h. e.* nullo cultu mitigatus, aut mansuefactus, silvestris, non domitus, ferae similis, mores ferini, naturae asperitas, immanitas, crudelitas. *Cic. Off.* 1, 44. Magnitudo animi, remota communitate conjunctioneque humana, feritas est quaedam et immanitas. *Id. Sext.* 42. Ex feritate ad justitiam atque mansuetudinem traducere homines. *Hirt. B. G.* 8, 25. Trevirorum civitas cultu et feritate non multum a Germanis differebat. *Ov. Pont.* 2, 2, 112. Scythici loci feritas. Sic *Stat. Silv.* 2, 2, 33. feritas inamoena viae. *Plin.* 14, 20, 25. Compescere nimiam musti feritatem. *Id.* 16, 12, 23. Arbor feritatis paulum mitigatae satu. *Colum.* 11, 3. *med.* de menta: Quae res feritatem detrahit atque edomitam reddit. *Ov. Fast.* 4, 217. Feritas mollita. Et 103. deposita. Et *ib.* 3, 281. Feritatem exuere. [*Sen. Clem.* 2, 4. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati saevitia est. — Docet *Döderl.* 1, 44. esse v. *feritas* synonym. v. *saevitia*, ita tamen discrimine interposito, ut hoc crudelitatem significet cum studio et voluptate alios cruciantem: illud eam animi ferociam denotet qua naturae vi, sicut ferae, ad crudelitatem impellimur.] ℙ Pro fertilitate videtur usurpari a *Tert. carm. de Sodoma* scilicet a *ferendo.*

FĔRĪTANS, antis, part. ab inusit. *ferito*, frequentat. a ferens. *Solin.* 56. Palmeta caryotas feritantia. Alii leg. *ferentia.*

*FERĪTOR, oris, m. Liguriae amnis. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

FERMĔ, adv. σχεδόν, quasi, fere, propemodum. [*V. FERE.] *Cic. ad Brut.* 1, 2. *f.* De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo [2, 2, 38.] Mihi quidem aetas acta est ferme. *Liv.* 30, 24. In conspectum ferme Africae prospero cursu vectus. *Ter. Hec.* 3, 1, 32. Illae mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia. *Id. Ph.* 5, 7, 20. Ferme eadem omnia, quae etc. *Cic. Brut.* 43. *extr.* Ut nihil eo ferme quisquam possit addere. ℙ Item fere, plerumque, praecedente negativa particula, *Ter. Andr.* 3, 1, 1. Fidelem haud ferme mulieri invenias virum. *Pl. Poen.* 4, 2, 40. Facio, quod manifesto moechi haud ferme solent; Refero vasa salva. *Liv.* 22, 9. *f.* Quod non ferme decernitur, nisi cum etc. *Cic. Tusc.* 5, 38. Sapientis cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. *Juven.* 13, 256. Mobilis et varia est ferme natura malorum. ℙ Et omissa negatione. *Tac. A.* 2, 2. Et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia. Et 54. Certis e familiis, et ferme Mileto accitus sacerdos. ℙ Item circiter. *Liv.* 30, 9. *extr.* Abest ab Carthagine quindecim millia ferme passuum. Et 10. *f.* Sex ferme onerariae abstractae sunt. ℙ Idem valde, aut omnino. *Liv.* 36, 43. Ita numero non ferme impares futuros. *Gell.* 14, 2. Eum constabat virum esse ferme bonum, notaeque et expertae fidei, et vitae inculpatissimae. [*Usitatissimum est hoc vocabulum Tacito; exempla v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 196.]

FERMENTĀTĪCĬUS, a, um, adj. fermento imbutus, ut Fermentaticius panis apud *Is. Or.* 20, 2. Alii leg. *fermentarius*, vel *fermentatius*, sed *fermentaticius* retinendum; nam *clibanicius* etiam, et *focacius* alius dicitur. *F.*]

FERMENTĀTUS, a, um, part. a *fermento*, ζυμωθείς, fermento imbutus. *Plin.* 18, 11, 26. Validiora esse corpora, quae fermentato pane aluntur. Adde *Cels.* 2, 25. et 29. ℙ Translate. *Varr. R. R.* 2, 9. de notis optimorum canum: Debent esse pedibus magnis, digitis discretis, unguibus duris, solo nec ut corneo, nec nimium duro, sed ut fermentato ac molli, *h. e.* leviter intumescente simul et lentescente. *Colum.* 11, 3. Vis frigoris excoquit terram, fermentatamque solvit. *Id.* 4, 1. Si deprimantur semina in regesto, quod est fermentatum plus dipondio semisse, *h. e.* solutum, laxumque, et velut fermento quodam intumescens, ut *ib. paulo post* dicit, atque adeo in altitudinem crevit. ℙ *Fermentati mores* ap. *Prud. Apoth.* 354., *h. e.* corrupti, mali. Fermentum enim ex corruptis rebus, et acescentibus fit, ut videre est ap. *Plin. l. c.*

FERMENTESCO, is, n. 3. ζυμόομαι, est crescere, et rarescere, addito fermento, et proprie de pane dicitur. Translate de terra cum densitas illa glebarum rarefit, et resolvitur. *Plin.* 17, 2, 2. Tellus quoque illo modo (*h. e. ex nive diutius sedente*) fermentescit. *Id.* 28, 8, 28. Crocodilea, cum teratur inter digitos, fermentescens.

FERMENTO, as, avi, atum, a. 1. ζυμόω, fermento imbuo. Dicitur tum de pane, tum de aliis rebus, quae resolvuntur, rarefiunt, et intumescunt. *Plin.* 18, 11, 26. Cum fieret panis hordeaceus, ervi aut circerculae farina ipse fermentabatur. *Varr. R. R.* 1, 38. et *Colum.* 2, 15. De his praestare columbinum stercus, quod calidissimum sit, et fermentare possit terram. *Id.* 12, 17. Ficus viridis in amphoras conditur, et ibi sinitur fermentari: deinde cum exacuit etc. ℙ Translate. *Paulin. Nolan. carm.* 10, 263. et male dulces Fermentare jocos satyrae mordentis aceto.

FERMENTUM, i, n. ζύμη, intritum ex farina aqua subacta, et macerata sine sale, donec acescat, ut *Plin.* 18, 11, 26. docet: a *fervendo* quasi *fervimentum*, quia massam ad panificium subactam, cui injicitur, quasi fervefacit et attollit turgidamque reddit. *Plin. ib.* 7, 12. *n.* 2. Spuma item concreta pro fermento utuntur. ℙ Translate dicitur de eo quod terram resolvit, et raram ac tumidam reddit. *Colum.* 4, 1. Repastinata humus, dum est recens, soluta, laxaque velut fermento quodam intumescit. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Solum apricum bidente pastinari debet, ternos pedes bipalio alto, marra rejici quaternum pedum fermento, ita ut in pedes binos fossa procedat. Ita *Hard.* legit ex MSS. (al. *ferramento*) et interpretatur: humus e fossa duum altitudinis pedum extracta, ad pedum quatuor altitudinem debet crescere, cum laxior facta est repastinationis ope. ℙ Ap. *Virg. G.* 3, 379. et pocula laeti Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis: *fermentum* est cervisia, quae fit ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corrupto, ut ait *Tac. G.* 23. ℙ Item dicitur de ira, quia animus ira, tanquam fermento, et acescit, et turgescit. *Pl. Merc.* 5, 3, 3. et *Cas.* 2, 5, 17. Mea uxor tota in fermento jacet. *Juven.* 3, 188 accipe, et illud Fermentum tibi habe, *h. e.* causam irascendi, et indignandi. ℙ *Solin. ep. ad Advent.* Cui libro, si animum propius in-

tenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quam bracteas eloquentiae deprehendes, *h. e.* res ejusmodi, unde cognitio multiplex augeatur, quemadmodum fermentum massae farinae adjectum eam crescere facit.

FĔRO, fers, tuli, latum, anom. *φέρω*, porto, gero, veho. Verbum compositum ex tribus primitivis, *fero*, *φέρω*, *tulo*, inde *tollo*, et inusit. *lao* a *τλάω*: hinc *ferens* a *fero*, *tuli* a *tulo*, *latum* a *lao*. *Caj. Dig.* 50, 16, 235. *ferri* inquit proprie dicimus, quae quis suo corpore bajulat: *portari* ea, quae quis in jumento secum ducit: *agi* ea, quae animalia sunt. *Liv.* 39, 54. Arma deinde sibi, et postremo omnia, quae ferrent agerentve, adempta. Haec tamen discrimina inter *fero* et *porto* non fere observantur. [**Ferre* de minoribus oneribus imprimis dicitur, portare de majoribus. V. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 1. *Donat. ib.* et ad *Hec.* 3, 5, 60. et *Burm.* ad *Petr.* c. 124. p. 592.] *Ter. Andr.* 2, 2, 32. Olera et pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni. *Pl. Asin.* 3, 3, 142. Pater nos ferre hoc jussit argentum ad te. *Cic. Phil.* 2, 41. Operta lectica latus est per oppidum. *Petr. Sat.* 122. Ferre aliquid humeris. *Ov. Met.* 2, 873. mediique per aequora Ponti Fert praedam. [**Liv.* 25, 9. venationem ferre, i. e. praedam venando captam ferre.] *Virg. A.* 8, 549. pars cetera prona Fertur aqua. Et *ib.* 11, 730. Tarchon fertur equo. Et *ib.* 3, 490. Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Et *Stat. Ach.* 1, 339. Sic ergo gradus, sic ora, manusque, Nate, feres. ℙ Seq. infinito. *Stat. Ach.* 1, 133. natum ad Stygios iterum fero mergere fontes. ℙ Ponitur et pro nunciare, narrare. *Ter. Ph.* 5, 6, 18. Quod fers, cedo. *Virg. A.* 2, 160. promissis maneas, si vera feram. *Tac. A.* 6, 47. Tormentis servorum Macronem praesedisse, commentarii ad senatum missi ferebant. ℙ Et pro jactare, praedicare. *Vell.* 1, 11. Qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat. [**Suet. Vesp.* 23. Qui ingenuum se et Lachetem mutato nomine coeperat ferre.] ℙ Est etiam gignere. *Cic. Leg.* 2. *ult.* Terra fruges ferre et cibos suppeditare potest. *Cato. R. R.* 6. Si in loco crasso severis, ferundo arbor peribit. [**Gr. καρπὸν φέρειν.*] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 12. Haec aetas prima Athenis oratorem perfectum tulit. [**V. Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 42.] ℙ Item auferre. *Virg. Ecl.* 9, 51. Omnia fert aetas, animum quoque. Et *ib.* 5, 34. postquam te fata tulerunt. ℙ Item diripere et asportare. *Virg. A.* 2, 374. alii rapiunt incensa feruntque Pergama. *Liv.* 40, 49. Cum ferret passim cuncta atque ageret. [**V.* AGO.] ℙ Item afferre, dare. *Ter. Hec.* 4, 2, 17. Nihil pol jam mihi istaec res voluptatis ferunt. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Ea contentio mihi magnum fructum tulit. *Id. Cluent.* 64. *extr.* Mulieri crudelissimae servum fidelissimum in quaestionem tulit. Et *Att.* 8, 1. Ut quemcumque fors tulerit casum, subeam. [**Liv.* 39, 50. Missusque, qui venenum ferret. 1, 43. Datum munus, ut machinas in bello ferrent.] ℙ Item offerre. *Cic. Rosc. Am.* 11. Hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit etc. [**Liv.* 9, 9. Ferre caput luendae sponsionis causa.] Hinc saepe ad sacra refertur, ut ferre liba, tura, preces. *Virg.*, *Ov.*, *Tibull.* etc., quae loca congessit *Broukhus.* ad *Tibull.* 1, 8, 54. ℙ Item inferre. *Just.* 25, 4. Nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere voluit. ℙ Item consequi, reportare, in utramque partem. *Cic. Planc.* 38. Fructus ex republica non laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem. *Id. Rosc. Am.* 37. Qui ab eo partem praedae tulerunt. *Liv.* 39, 51. *med.* Victoriam ex inermi ferre. *Id.* 3, 34. Jus incorruptum ferre a magistratibus. *Cic. Att.* 4, 15. *med.* Palmam ferre. *Ter. Eun.* 5, 9, 27. Quodvis donum et praemium a me optato, id optatum feres. *Liv.* 4, 12. Gratiam et gloriam annonae levatae tulit. *Cic. Brut.* 49. Cotta et Sulpicius omnium judicio facile primas tulerunt. *Id. Or.* 2, 60. et *Tusc.* 5, 19. A vano populo repulsam tulit. [**Id. Fam.* 8, 8. Calumniam ferre, i. e. damnari calumniae: de eo, qui calumnia accusasse convincitur. *Ernest.* in *cl.*] *Id. Planc.* 20. et 22. et *Phil.* 2, 2. Ferre tribum, centuriam, *h. e.* consequi tribus vel centuriae suffragia. [*Adde *Liv.* 8, 37. Ita *Suet. Caes.* 13. suffragia ferre, i. q. accipere.] *Ov. Fast.* 2, 522. Multaque peccato damna tulere suo. *Caes. B. G.* 7, 62. Omnes interfecti sunt: eandem fortunam tulit Camulogenus. *Juven.* 13, 105. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. *Cic. Cat.* 1, 8. Id a me responsum tulit. ℙ Item perferre, tolerare. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Qui potentissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem hujus asseclae? *Ter. Heaut.* 4, 3, 14. Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me. Et 1, 2, 28. Quem ferret, si parentem non ferret suum? [**Quint. Inst.* 8, 5, 8. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si judicet in dicendo, et quodammodo praecipiat. *Id. ib.* 6, 3, 31.] *Cic. Att.* 5, 2. *extr.* Nondum satis huc erat allatum, quomodo Caesar ferret de auctoritate perscripta. Et *ib.* 6, 8. Numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre etc. *Id. Sen.* 1. et *Tusc.* 4, 17. Ferre moderate et modice et sapienter aliquid. *Id. Fam.* 6, 1. *f.* moderato animo. *Id. Att.* 15, 26. *f.* iniquo. *Id. Verr.* 2, 5, 48. Aequo animo ferre aliquid. *Id. Att.* 14, 13. fortiter ac sapienter. Et *ib.* 1, 2. humaniter. Et *ib.* 6, 1. clementer. Et *Q. Fr.* 3, 9. levissime. *Id. Fam.* 4, 6. toleranter. *Id. Sen.* 1. facile. *Id. Verr.* 2, 1. 58. graviter et acerbe. *Id. Fam.* 4, 5. graviter molesteque. *Id. Tusc.* 4, 27. Aegre ferre, se pauperem esse. [**Cic. Phil.* 9, 4. Aures ferant cohortationem, i. e. non sentiunt, non moventur ea, non paremus cohortationi. *Ernest.* in *cl. C.* s. v.] ℙ Item permittere, pati. *Hor. Ep.* 15, 12. Nam si quid in Flacco viri est, Non feret, assiduas potiori te dare noctes. ℙ Item subire, pati. *Ov. Trist.* 4, 10, 107. Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter Occultum stellae conspicuumque polum. *Id. Pont.* 2, 6, 6. Et mala me meritis ferre minora, docet. *Ter. Ad.* 4, 2, 6. Me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis. *Virg. A.* 2, 144. miserere animi non digna ferentis. *Caes. B. C.* 1, 84. Satis se supplicii tulisse. ℙ Item sustinere. *Caes. B. G.* 3, 19. Ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent. ℙ Item dicere: et dicitur fere de iis, quae non ab uno, sed vulgo in ore et sermone habentûr. *Virg. A.* 2, 229. scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt. *Cic. Or.* 1, 11. Homo omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimus et copiosissimus. *Id. N. D.* 3, 23. Quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Id. Or.* 1, 11. Si ornate locutus est, sicut fertur, et mihi videtur. *Hor. Od.* 2, 19, 26. Non sat idoneus pugnae ferebaris. *Virg. A.* 1, 19. Quam Juno fertur coluisse. *Phaedr.* 1, 10. Dixisse fertur simius sententiam. Et 27. Fertur locutus. *Virg. A.* 7, 208. Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur. ℙ Item ducere, deducere. *Cic. Or.* 1, 30. Studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. *Liv.* 1, 7. Pergit ad speluncam, si forte eo vestigia ferrent. *Caes. B. C.* 1, 27. Itinera duo, quae extra murum ad portam ferebant. ℙ Item efferre, extollere. *Cic. Fam.* 10, 26. Tantae laudes, quibus te omnes in coelum jure et vere ferunt. *Liv.* 7, 10. *extr.* Miris pro concione eam pugnam laudibus tulit. [**Suet. Oth.* 12.] *Cic. Or.* 40. Saepe rem dicendo subjiciet oculis; saepe supra feret, quam fieri possit, *h. e.* hyperbole utetur. [*Notandus l. *Liv.* 21, 32. Ferre in majus vero incertas res fama solet. *Id.* 4, 5. Ferte sermonibus et multiplicate fama bellum.] *Virg. A.* 10, 548. coeloque animum fortasse ferebat. [**Id. ib.* 1, 629. *Plin. ep.* 8, 18. Alii contra hoc ipsum ferunt laudibus, quod sit frustratus improbas spes hominum. Huc pertinet etiam locus *Cic. Arch.* 9. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi R. fama celebratur. Ferri h. l. est efferri, extolli, ut gloria, pretium rei apertius conspici possit.] ℙ Absolute. *Cic. Or.* 3, 56. Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? ℙ Item proponere aliquid deliberandum decernendumque. Dicebatur enim magistratus *ferre ad populum* et *ferre* absolute, cum pro concione interrogabat, velletne juberetque aliquid fieri: id si faceret in senatu, *referre* dicebatur. *Cic. Phil.* 2, 43. Nescis, te ipsum ad populum tulisse, ut etc.? *Id. Off.* 2, 21. Perniciose Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari, facile passus est. *Id. Parad.* 4. *f.* De te privilegium tulit, ut etc. *Id. Att.* 7, 6. Cum ut absentis ratio haberetur, ferebamus. [*Porro h. l. notandae videntur locutiones ap. *Liv.* 3, 25. Ferre occultam fraudem, i. e. lege ferenda intendere. coll. 3, 18. Quae fraus ab tribunis occulta in lege ferretur.] ℙ *Ferre legem alicui*, ap. *eund. Dom.* 30. *f.*, h. e. in favorem alicujus. ℙ Item ostendere, palam facere. *Cic. Planc.* 14. Eum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius. *Id. Att.* 14, 13. Laetitiam apertissime tulimus omnes. *Id. Phil.* 9, 3. Auctorem senatus exstinctum, laete atque insolenter tulit. *Id. Cluent.* 19. *f.* Neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat. *Liv.* 31, 47. Haud clam tulit iram adversus praetorem, quod absente se rem gessisset. ℙ Pro ostendere, palam habere, saepe dicimus *prae se ferre*, quod et conjunctim scriptum *praeseferre* in omnibus personis reperitur. *Cic. N. D.* 1, 5. Cujus rei tantae facultatem consecutum esse me, non profiteor: secutum me esse, prae me fero. Et *ib.* 2, 17. *extr.* Noli quaeso prae te ferre, nos plane expertes esse doctrinae. *Id. Att.* 2, 23. Non mediocres terrores jacit, et Sampsiceramo negat: ceteris prae se fert, et ostentat. *Id. Agr.* 2, 2. Non tabellam, vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. [*Significat prae se ferre etiam, *ante se* ferre *Suet. Cal.* 19. Prae se ferens (in essedo) Darium puerum. Unde orta videtur palam habendi translata significatio.] ℙ Est etiam requirere, postulare, velle. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Tamdiu pependit in arbore socius populi R., quamdiu voluntas Apronii tulit. Et *Verr.* 2, 5, 40. Dicit, se statuisse animadvertere in omnes navarchos; ita sui periculi rationes ferre ac postulare. ℙ Huc quodammodo pertinent illa *ejusd. Pis.* 2. Provinciam, quod ita existimabam tempora reipubl. ferre, in concione deposui. Et *Agr.* 2, 28. Paulisper, si ita commodum vestrum feret, connivebo. Et *Q. Fr.* 1, 4. *f.* Ad me ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, vere perscribe. Et *Fam.* 1, 7. *med.* In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu perspicies. Et *Ter. Andr.* 1, 2, 17. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum. Et *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Si occasio tulerit. Et *Cic. ad Brut.* 1, 9. Accusasti me gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. Et *Verr.* 2, 2, 34. Prout Thermitani hominis facultates ferebant. Et *Ter. Ad.* 1, 1, 28. Clanculum patres faciunt, quae fert adolescentia. Et *Cic. Cluent.* 60. Ut aetas illa fert. Et *Manil. f.* Si vestra voluntas feret. Et *Ov. Met.* 1, 1. Fert animus dicere. Et *Cic. Somn. Scip.* 5. Natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Et *Att.* 2. *ult.* Ut opinio, et spes, et conjectura nostra fert, *h. e.* ut opinor, spero, conjicio. ℙ Aliquando est impune ferre. *Pl. Amph.* 1, 1, 152. Non feret, quin vapulet. *Cic. Att.* 2, 30. Cetera si reprehenderis, non tacitum feres. ℙ *Ferri* aliquando est circumferri, esse in manibus hominum. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 186. Et sola ex multis nunc nostra poemata ferri. *Cic. Brut.* 7. Pericles, cujus scripta quaedam feruntur. [**Quint. Inst.* 7, 2, 24. Nam ceterae (declamationes), quae sub nomine meo feruntur. *Suet. Caes.* 55. Feruntur quaedam ejus orationes. Plura v. ap. *B. Crus.* in *ind. Suet.*] ℙ Cum variis accusativis multiplices habet usus. *Ferre se* est ire, incedere. *Cic. Planc.* 40. Ferre se obviam alicui. *Nep. Dat.* 4. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit. [*Hic locus huc non pertinet; v. FERENS.] *Virg. A.* 2, 672. meque extra tecta ferebam. *Id. ib.* 11, 779. captivo ut se ferret in auro. ℙ Etiam *ferri* hoc sensu dicitur, sed velocitatem atque impetum plerumque significat. *Caes. B. C.* 3, 78. Timens, ne praeoccuparetur, ad eum omni celeritate et studio incitatus ferebatur. *Virg. A.* 9, 553. fera saltu supra venabula fertur. Et *ib.* 11, 530. Huc juvenis nota fertur regione viarum. Et *ib.* 2, 511. densos fertur moriturus in hostes. [**Hor. Od.* 2, 20. Non usitata nec tenui ferar Penna, biformis per liquidum aethera Vates. — Porro *ferri* dicuntur navigantes. *Cic. Or.* 23. Jam quidem, quocumque feremur, vela danda sunt. *Quint. Inst.* 12, 10, 37. Non tamen alto semper feremur.] Et Translate. *Nep. Alc.* 9. Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. *Id. Att.* 10. Tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut etc. *Cic. Cluent.* 70. Mater, quam caecam crudelitate et scelere ferri videtis. *Id. Quint.* 11. Fervere et ferri avaritia. *Plin.* 10, 33, 51. Ferri rabie. *Hor. Sat.* 1, 4, 30. Per mala praeceps fertur. [*V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 15, 140. Adde *Quint. Inst.* 6, 2, 6. Aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur. *Id. ib.* 6, 4, 10. Nullus enim rationi magis obstat affectus, et fert extra causam, etc., i. e. vi quasi a proposito deducit. Et sic ad immensum posset augeri exemplorum numerus, ubi de diis dicitur, qui prae nimia animi commotione et cupiditate nesciunt, quid agant, deque furentibus.] *Cic. Or.* 28. Eloquentia, quae cursu magno sonituque fertur. [*i. e. quae remotum a communis vitae usu, magnificum quoddam dicendi genus sequitur. Ita saepissime occurrit ap. *Quint. Inst.* 5, 14, 31. (Eloquentia) feratur igitur non semitis, sed campis. *Id. ib.* 9, 4, 17. Et historiae, (quae currere debet et ferri) etc. Adde 9, 4, 112.] ℙ *Ferre acceptum alicui*, V. ACCEPTUS. ℙ *Ferre arbitrium ad judicem*, h. e. deferre. *Petr. Sat.* 91. arma, [*i. e. bellum gerere, inferre.] *Nep. Att.* 4. Cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. *Liv.* 38, 11. Hostes eosdem habeto, quos populus R. armaque in eos ferto, bellum pariter gerito. [**Sil.* 1, 386. Fer bella Jovi.] ℙ Auxilium, opem, praesidium alicui. *Ter. Ad.* 2, 1, 1., *Cic. Fam.* 5, 4. et *ad Brut.* 1, 18. ℙ Crimina in aliquem, *Tac.* itidem pro accusare dixit *A.* 12, 4. [*Hic l. huc non pertinet, legitur enim *serere crimina.*] ℙ Complexum alicui. *Liv.* 2, 40. Ab sede sua cum ferret matri obviae complexum. ℙ Expensum. V. EXPENSUS. ℙ Famam et fama. *Pl. Pers.* 3, 1, 24. Nam inimici famam non ita, ut nata est, ferunt. *Liv.* 1, 42. Ut Servium conditorem posteri fama ferrent. ℙ Fidem alicui rei, *h. e.* habere. *Virg. A.* 10, 792. Si qua fidem tanto est operi latura vetustas. ℙ Finem. *Id. ib.* 7, 117. ea vox audita laborum Prima tulit finem. ℙ Grates et laudem Deo. *Sil.* 16, 655. ℙ Impune aut inultum. *Caes. B. G.* 1, 14. et *Ter. Heaut.* 5, 1, 45. ℙ Ferre judicem, [*i. e. accusare.] *Liv.* 8, 33. Provoco ad populum, eumque tibi judicem fero. *Cic. Rosc. Com.* 15. *extr.* Quem ego si ferrem judicem, refugere non deberet. Adde *Or.* 2, 70. et *Liv.* 3, 24. ℙ Ferre manum. *Pl. Truc.* 1, 2, 24. Et conserere, congredi. *Virg. A.* 5, 403. [**Sil.* 9, 101. Vestigia ferre, i. e. ire. *Id.* 3, 180. fer agiles gressus. *Id.* 9, 243. Vagos ferre cursus, i. e. vagari (de

equitatu).] ℙ Ferre nomen alicujus, [*i. e. habere, gerere. Plura exempla V. in *ind. Suet.* p, 368.] *Cic. Off.* 3, 18. et *Hor. Ep.* 1, 6, 15. ℙ Aliquem in oculis, [*i. e. prae ceteris amare, caritate amplecti.] *Cic. Phil.* 6, 4. Oderat tunc, nunc fert in oculis. Adde *Q. Fr.* 3, 1, 3. et *Har. resp.* 23. et *Q. Cic. Fam.* 16, 27. [*Hoc loco non *in oculis* sed *oculis fero* legitur.] ℙ Osculum. *Ov. Pont.* 1, 4, 50., *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 193., *Pl. Epid.* 4, 2, 4. et *Val. Fl.* 7, 216. ℙ Partum. *Plin.* 8, 32, 50. Cervi octonis mensibus ferunt partus. [*V. Plura in *ind. Suet.* p. 368. *Sil.* 7, 666. Quem tulerat mater Laconi, i. e. pepererat.] ℙ Pedem. *Ter. Andr.* 4, 5, 13., *Virg. A.* 2, 756. et *Val. Fl.* 7, 112. ℙ Personam alicujus, [*i. e. repraesentare. *Suet. Vesp.* 19. Archimimus personam ejus ferens.] *Liv.* 3, 36. Ille finis Appio alienae personae ferendae fuit. ℙ Preces. *Virg. A.* 8, 6. Junoni fer rite preces. ℙ Sacra. *Id. ib.* 3, 19. Sacra Dionaeae matri Divisque ferebam. ℙ Sententiam. *Cic. Cluent.* 26. *extr.* et *Verr.* 2, 4, 47. [*Adde *Eund. Balb.* 15. ubi de populo suffragia ferente dicitur. Nimirum pertinet haec locutio ad judices et populum, quia tabellas in quibus sententia scripta erat, conjicere in cistellam, Ciceronis quidem tempore, solebant. Deinde in universum ponitur pro *sententiam dicere* Hinc de Senatoribus *Cic. Verr.* 2, 2, 31.] ℙ Similitudinem. *Plin.* 12, 7, 15. ℙ Spem. *Virg. A.* 9, 291. Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo etc. ℙ Tributum. *Curt.* 3, 1. *extr.* ℙ Ventrem. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* et *Liv.* 1, 34. i. e. gravidam esse. ℙ Veniam petere et ferre, ap. *eund. Liv.* 8, 9. in formula devotionis Decii, est ea ratione dictum, qua *ferre preces, grates, vota*, estque velut synonymum v. *petere.* ℙ Vota Diis. *Sil.* 12, 327. ℙ Vetustatem, annos, aetatem, ferre, dicitur de vino, quod non fugit, sed durat. *Cic.* ap. *Macr. Sat.* 2, 3. et *Amic.* 19. et *Quint.* 2, 4. Hinc in multis inscription. praesertim ap. *Fabrett.* p. 257. *n.* 83. et p. 325. *n.* 452. et 453. idem est *tulit annos* quod *vixit annos.* ℙ *Ferris* per syncopen pro *fereris*, *h. e.* diceris, est ap. *Auson. epigr.* 114. ℙ Praeteritum *tetuli* pro *tuli* non semel apud poetas legitur. Habet enim *tetuli Pl. Amph.* 2, 2, 84. et alibi: *tetulit*, et *tetulissem Ter. Andr.* 5, 1, 13. et 4, 5, 13.: *tetulero Pl. Cist. a.* 3. *v.* 19.: *tetulisse Id. Rud.* 4, 1, 2. Adde *Acc.* et *Caecil.* ap. *Non.* 2, 839. [*Confunduntur *Ferre* et *facere* V. *Drak.* ad *Liv.* 9, 15, 5. *Ferri* et *fieri.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 10, 3. p. 931. *Drak.* ad *Liv.* 5, 54, 6. Porro permutantur in codd. *ferre* et *efferre* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 60, 151. et 3, 14, 34. ad quem locum v. quae notavit *Orell.*]

FĔROCĬA, ae, f. idem ac ferocitas. *Cic. Har. resp.* 1. Duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris, ferociamque compressi. *Id. fragm.* ap. *Non.* 8, 55. Effrenata ferocia. *Id. Agr.* 2, 33. intoleranda. *Pacuv.* ap. *Non l. c. ferocitatem* et *ferociam* conjunxit, quasi illa naturam, haec actionem significet. *Tac. A.* 2, 72. Exuere ferociam. *Ov. Halieut.* 58. stolidaeque ferocia mentis. *Vell.* 2, 115. ingeniorum. ℙ Accipitur etiam in bonam partem pro virtute, [*animo efferatiore, caeco impetu in pericula ferente.] *Liv.* 9, 6. Habere Samnites victoriam, non praeclaram solum, sed etiam perpetuam: cepisse enim non Romam, sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque. Adde *Tac. H.* 2, 76. et *Liv.* 37, 49. ℙ Translate. *Plin.* 14, 19, 24. Sapa infusa ferociam vini frangere. [*De v. *ferocia*, ejusque synonym. disputat *Doederl.* 1, 44.]

FĔROCĬO, is, n. 4. *ἀγριόομαι*, ferox fio, ferociam exerceo. *Quint.* 10, 3. Ferocientes equos frenis coercere. *Gell.* 1, 11. Quam si permulcti sonis mitioribus non immodice ferocirent. *Id. ib. f.* Ferocientem saevientemque orationem cohibere. *Festus.* Ferocit apud Catonem, ferociter agit. Adde *Tert. Apol.* 5. Reperietis, Neronem in hanc (*accusatorum*) sectam ferocisse.

FĔROCĬTAS, atis, f. natura ejus, qui ferox est, feritas, saevitia, *ἀγριότης*: a *ferus.* Dicitur proprie de brutis, translate de moribus hominum, aliisque rebus. *Cic. Off.* 1, 26. Equos ferocitate exsultantes domitoribus tradere. Et *ib.* 2, 11. Viriati Laelius ferocitatem ita repressit, ut etc. *Id. Vatin.* 1. Alicujus ferocitatem comprimere, et audaciam frangere. *Id. Marcell.* 6. Victoriae ferocitatem extimescere. *Suet. Vitell.* 12. Gravari aliquem ob nimiam contumaciam et ferocitatem. Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 8, 55.

FĔROCĬTER, adv. *ἀγρίως*, cum ferocia. *Cic. Planc.* 13. Publicanorum in Q. Scaevolam aspere, et ferociter, et libere dicta commemorem? *Id. Q. Fr.* 2, 13. C. noster Lamia paulo ferocius exagitatus est. *Liv.* 23, 8. Cum qua ferocissime pro Romana societate adversum Punicum foedus steterat. *Id.* 9, 22. Ferociter adequitare. *Sall. Jug.* 112. Ferocius decernere. *Pl. Amph.* 1, 1, 58. Ferociter increpare. *Liv.* 2, 55. dictae sententiae. *Tac. H.* 2, 29. Haec ferociter jactando, ipsum invadunt. *Curt.* 10, 2. *extr.* Ferocissime obloqui. Et 3, 1. Ferociter in laevum cornu hostium invehi. *Liv.* 3, 47. Strenue et ferociter facta in bello plura memorari possunt, *h. e.* fortiter.

FĔRŌCŬLUS, a, um, dimin. ferocis. *Hirt. B. Afr.* 16. Quid tu, miles tiro, tam feroculus es? *Turpil.* ap. *Non.* 2, 60. Ne me attigas, atque aufer manum: eja, quam ferocula es!

FĔRŌNĬA, ae, f. *Φερωνία*, nemorum Dea. Colebatur praesertim in Etruria, ubi lucum habuit in Cimino monte, in Lucensi agro, et in Pomptinis paludibus. Origo haec traditur. Lacedaemonii quidam, quo tempore Lycurgus leges condebat, illam legum severitatem moleste ferentes, ex urbe excesserunt, deinde longo maris tractu enavigato venerunt, quo terrarum primum appulissent, se ibi habitaturos: delati ad Campos Pomptinos agrum Feroniam vocarunt ab ipsa maris navigatione, in qua ipsis contigerat, ut illuc ferrentur, et Deae Feroniae templum erexere, cui vota nuncuparant. Haec *Dionys. Halic.* 2, 49., qui addit 3, 32. a Graecis eam modo vocari *ἀνθηφόρον*, florigeram, modo *φιλοστέφανον*, sertis gaudentem, modo *Φερασφόνην*, Proserpinam: et suo tempore *Faroniam* dictitari. Tradunt, cum aliquando lucus arsisset fortuito incendio, et ob id transferre inde Deae simulacrum incolae vellent, nemus subito eviruisse, ut *Serv.* narrat ad illud *Virg. A.* 7, 800. viridi gaudens Feronia luco. Adde *Liv.* 1, 30., 22, 1., 26, 11. et 27, 4., *Hor. Sat.* 1, 5, 24., *Plin.* 2, 55, 56., *Sil.* 13, 84. ℙ Tres fuisse videntur *Feroniae* luci: primus in Etruria, inter Vejos, et Tiberim, in agro Capenate, ad Montem Soractem, de quo *Virg. A.* 7, 800. et *Liv.* 27, 4.; alter in eadem Etruria inter Lunam, et Pisas ad Vesidium fluv., si fides habenda *Inscr.* ap. *Grut.* 220.; tertius ad Tarracinam sive Anxur in Latio, et via Appia, de quo *Virg. A.* 8, 564. et *Hor. Sat.* 1, 5, 24. V. plura ap. *Fabr. Inscr.* p. 451. et sqq. ℙ Quamvis autem primam syllabam Graeci per ε scribant, producitur a *Virg.*, *Hor.*, et *Sil. l. c.* ℙ Fuit haec etiam Dea libertorum, in cujus templo servi, raso capite, pileum libertatis insigne accipiebant. *Serv.* ad *A.* 8, 564., et colligitur etiam ex *Liv.* 22, 1. *f.* V. PILEUS. Addit *Servius*, Varronem tradere, dictam esse quasi *Fidoniam:* quae notatio mihi videtur futilis. ℙ Hoc nomine etiam Juno virgo in Pomptino tractu colebatur, teste *Serv.* ad *cit. A.* 7. Hinc in antiqua *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 451. *n.* 65. ℙ Juno Feronia legitur. V. ib. plura hac de re. ℙ Feroniae imaginem videre est in nummis gentis Petroniae ap. *Morell. Fam. Rom. tab.* 2. *n.* 1. et 2.

FĔROX, ocis, adj. omn. gen. *ἄγριος*, qui nimium confidit, nihil metuit, atque adeo vehemens, insolens, superbusque est: a *ferus:* a quo ita quidam differre volunt, ut *ferox* ad mores referatur, *ferus* ad naturam, et dicatur proprie de brutis iis, quae nullo septo servantur, nullaque cura mansuefacta sunt, quamvis saeva non sint. *Cic. Att.* 10, 11. Indulgentia ferocem, atque arrogantem, et infestum facit. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 192. Vereor, ne ferociorem eum faciant tua tam praeclara de eo judicia. *Id. Fam.* 4, 9. Victoria civilis, etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit. *Id. Vatin.* 2. Nimium es vehemens feroxque natura. *Liv.* 7, 40. Ut potuerim tres et viginti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solum plebi, *h. e.* in patres, et plebem. *Tac. H.* 3, 69. Miles ferox adversus pericula. *Liv.* 1, 7. Pastor nomine Cacus, ferox viribus. *Pl. Mil.* 5, 4, 13. Moechus, qui forma est ferox. *Liv.* 7, 5. Stolide ferox. *Sall. Jug.* 114. Ille animo feroci negat, se toties fusum Numidam pertimescere. Et 99. Secundis rebus ferocem esse. *Hor. Od.* 1, 15, 13. Praesidio Veneris ferox. *Pl. Mil.* 4. 8, 13. Quia tecum eram, propterea animo eram ferocior. *Flor.* 3, 10. *med.* Ferocibus dictis ad jus pristinae libertatis erexit. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 192. ferox oratio. *Gell.* 1, 3. *f.* Duas ferocissimas affectiones amoris atque odii coercere. *Lucan.* 5, 211. Feroces oculi. ℙ Sequente infinito. *Pl. Asin.* 2, 4, 62. Ferox est viginti minas meas tractare sese, *h. e.* quia tractat. *Sil.* 11, 8. Atque odium renovare ferox in tempore Samnis, *h. e.* ferociter paratus. ℙ Cum genitivo. *Ov. Met.* 8, 612. Deorum Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus. *Tac. H.* 1, 35. Ignavissimus quisque nimii verbis, linguae feroces. *Id. A.* 4, 12. Ferox scelerum, *h. e.* propter scelera. [*Imo *pronus ad scelera.* Nempe praeferenda videtur vocis a *ferendo*, originatio, qua eum significat, qui compelli se ad rem suscipiendam facile patitur.] ℙ Ponitur et pro forti, strenuo, bellicoso. *Hor. Od.* 1, 32, 6. Ferox bello. *Liv.* 1, 12. In eum haec gloriantem, cum globo ferocissimorum juvenum Romulus impetum facit. *Tac. H.* 2, 24. Ferocissimi auxiliarium. *Mart.* 14, 179. de Minerva: Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis, et hasta etc. Adde *Sil.* 9, 457. ℙ Item pro duro, immiti, indomito. *Ov. Her.* 15, 189. o scopulis undaque ferocior illa. *Virg. A.* 10, 711. de apro: infremuitque ferox et inhorruit armos. *Nep. Eum.* 11. Ferocissimus elephantus. *Pl. Men.* 5, 2, 110. Equi indomiti, feroces. ℙ *Ferocum* pro *ferocium* in gen. plurali. *Albin.* 1, 275. inque illa ferocum Invitis lacrimas decidere ora genis. ℙ [*Saepissime confunduntur *ferox* et fortis. V. *Drak.* ad *Liv.* T. 1. p. 61.]

[FERRĀGO, inis, f. id, quod ferro caeditur. Ita legendum putat *Pontedera Antiq. Gr.* et *Lat.* p. 139. locum *Varr. R. R.* 1, 31. Legumina viridia, quod ferro caesa, ferrago dicitur. *Gesneri* editio habet: Legumina viridia, quod far ferro caesa, farrago dicta. *Schneid.* in sua editione *Pontederae* conjecturam probavit, et textum ad illius mentem refinxit. *F.*]

FERRĀMENTĀRĬUS, ii, m. qui ferramenta conficit. *Firmic. Math.* 3, 13. *f.* Aerarii, ferramentarii, statuarii.

FERRĀMENTUM, i, n. *αὐδήριον*, quodvis instrumentum ex ferro. *Varr. R. R.* 1, 22. De ferramentorum varietate Cato scribit permulta, et genere, et multitudine qua sint, ut falces, palas, ranere, et multitudine qua sint, ut falces, palas, ranere, et multitudine qua sint, ut falces, palas, ran

bella. Et *ib.* 12, 183. Ferrea praecordia. *Cic. Fin.* 1, 2. Atilius ferreus scriptor, *h. e.* qui duro dicendi genere utitur. ℙ *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 2, 63. Ferrea proles, *h. e.* ferreae aetatis homines. V. AETAS. ℙ Item impudens. *Cic. Pis.* 26. Si os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. ℙ Item fortis, durus, validus. *Virg. A.* 6, 625. et *G.* 2, 44. Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum, Ferrea vox, etc. *Liv.* 39, 40. *f.* de Catone: In parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animique. [*Ferreus h. l. significat eum, qui summis et animi et corporis labores facile perfert, nusquam viribus destituitur.] ℙ Item gravis, molestus. *Virg. A.* 10, 745. et *ib.* 12, 309. Olli dura quies oculos, et ferreus urget Somnus, *χάλκεος ὕπνος*. *Ov. Trist.* 5, 3, 28. me Ferrea sors vitae, difficilisque premit. ℙ Item ater, ferrugineus. *Stat. Th.* 1, 104. de Tisiphone: sedet intus abactis Ferrea lux oculis, qualis per nubila Phoebes Atracia rubet arte labor. Et *ib.* 2, 31. de Cerbero: Ferrea tergemino domuisset lumina somno, *h. e.* atra, torva, rigida, et simul fortia, et contra somnum vigilacia.

FERRICRĔPĪNUS, a, um, adj. *Ferricrepinae insulae* dicuntur joculariter a *Pl. Asin.* 1, 1, 21. ergastula, ubi servi ferro vincti laborabant. Ibi enim assiduus compedum catenarumque crepitus exaudiebatur.

FERRĪFODĪNA, ae, f. ferraria, ubi ferrum foditur. Improbat hanc vocem *Varr. L. L.* 7, 33., non quod sit contra analogiam, sed quod in usu non sit.

FERRĪTĔRĬUM, ii, n. locus, ubi ferrum teritur, *h. e.* ubi servi compedibus ferreis vincti asservantur. *Pl. Most.* 3, 2, 55. Inde in ferriterium, postea in crucem recta.

FERRĪTĔRUS, a, um, adj. servus vinctus ferreis compedibus, quia ferrum terit. *Pl. Trin.* 4, 4, 14.

FERRITRĪBAX, ācis, adj. omn. gen. idem ac ferriterus: a *ferrum*, et *τρίβω*, tero. *Pl. Most.* 2, 1, 9.

FERRŪGĪNANS, antis, part. ab inusit. *ferrugino*, ferrum sapore referens. *Tert. adv. Valent.* 15. Guttae bituminosae, ferruginantes, et sulphurantes.

FERRŪGĪNĔUS, a, um, adj. *σιδηροειδής*, colorem habens, qualis est ferri longa rubigine exesi, qui ex rufo et nigro commixtus est, quem hodie colorem castaneum vocant. Interdum hic color dicitur *thalassicus*, quod nautae et piscatores eo uti soleant in mari. [*De ferrugineo colore cf. *Non.* p. 549. ubi hic Plauti versus citatur. Adde: *Ueber die Farbenbenennungen der Alten*, in *Göth. Farbenlehre II.* p. 58.] *Pl. Mil.* 4, 4, 43. Palliolum habeas ferrugineum: nam is color thalassicust. *Lucr.* 4, 73. Vela lutea, russa, ferruginea. *Virg. A.* 6, 303. de Charonte: Et ferruginea subvectat corpora cymba. *Id. ib.* 410. hanc eandem *caeruleam puppim* vocat, quia affines hi valde colores sunt, fusci videlicet. V. CAERULEUS. *Id. G.* 4, 183. Ferruginei hyacinthi. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 275. Ferrugineus Plutonis amictus. *Stat. Th.* 2, 13. ferrugineum nemus Inferorum. Et *ib.* 1, 600. ferruginea frons strigis. ℙ *Ferrugineus sapor* est ferri sapor, quem aquae contrahunt ex ferri metallis erumpentes. *Plin.* 31, 2, 8. Fons ferruginei saporis. V. *Senec. loc.* in FERRATUS. ℙ In allata *Lucr.* versiculo al. leg. *ferrugina*, ut metrum constet. [*Ita *Eichstadt.*]

FERRŪGĪNUS, a, um, adj. ferrugineus. V. v. praec.

FERRŪGO, inis, f. *ἰὸς σιδήρου*, rubigo ferri. *Plin.* 23, 8, 79. Illitaque inde ferrugo incipientes lichenas sanat. ℙ Item color rufus nigrioris rubedinis, similitudine coloris ferrei rubigine exesi, ipsaque res talem colorem habens. *Id.* 15, 10, 9. Fructus grandissimus pineis nucibus, intus exiles nucleos includit, vestitos alia ferruginis tunica. *Val. Fl.* 1, 775. multa pallens ferrugine taurus. *Virg. G.* 1, 467. Sol caput obscura nitidum ferrugine texit. *Ov. Met.* 15, 789. vultum ferrugine Lucifer atra Sparsus erat. Et *ib.* 13, 960. de Glauco Deo Marino: Viridis ferrugine barba, *h. e.* colore fusco, aut caeruleo, qui marinis rebus tribuitur, ut in FERRUGINEUS dictum est. *Virg. A.* 9, 582. Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Ibera, *h. e.* purpurea veste, vel purpureae admodum simili. Nam purpurae optimae color ex rubro ad nigrum accedit. Sic *ib.* 11, 772. peregrina ferrugine clarus et ostro. ℙ Translate. *Auct. Pan. ad Pis.* 95. animusque mala ferrugine purus, *h. e.* ab invidia liber, quae ita exest animum, ut rubigo ferrum.

FERRUM, i, n. *σίδηρος*, metallum notissimum et plurimi usus. *Cic. Leg.* 2, 18. Aes, atque ferrum, duelli instrumenta. *Id. N. D.* 2, 60. E terrae cavernis ferrum elicere, rem ad colendos agros necessariam. ℙ Per synecdochen dicitur de gladio, ense, falce, aliisque hujusmodi ferreis instrumentis. *Nep. Alc.* 10. Ferro aggredi aliquem. *Cic. Caec.* 9. In aliquem cum ferro invadere. *Id. N. D.* 3, 33. Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. *Liv.* 31, 7. *med.* Urbes et agros ferro atque igni vastare. [*Ita saepius *ferrum* et *ignis*, quasi per speciem proverbii, junguntur. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 10.] *Cic. Phil.* 11, 14. Huic urbi ferro ignique minitantur. *Hirt. B. Alex.* 60. Ferro flammaque agros consumere. *Virg. A.* 12, 186. ferro haec regna lacessent; *h. e.* bello, et armis. Sic *Lucan.* 7, 228. Atque omnis, Latio quae servit, purpura, ferro, *h. e.* omnes reges, qui armis subacti, R. imperio parent. *Virg. A.* 12, 282. decernere ferro, *h. e.* proelio, pugna. *Suet. Ner.* 12. Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos senatores, *h. e.* qui gladiis depugnarent, *scil.* in gladiatorio. *Cic. Tusc.* 2, 17. Quis mediocris gladiator, cum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? *Plin.* 10, 32, 47. Halcyonum nidi ferro intercidi non queunt. *Hor. Od.* 4, 6, 9. mordaci icta ferro pinus. *Virg. G.* 1, 50. aequor ferro scindere, *h. e.* terram vomere. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 4, 439. glebas proscindere ferro. *Senec. Hipp.* 884. vincire aliquem ferro, *h. e.* catena. *Virg. A.* 12, 100. crines vibratos calido ferro. *Ov. Met.* 11, 181. ferro resecare capillos. ℙ *Ferrum resipere* mustum dixit *Varr. R. R.* 1, 54. quod postremum ex vinaceis expressum est, *h. e.* ferri saporem habere. V. FERRUGINEUS. ℙ Metaphorice est durities morum. *Id. Met.* 9, 613. Nec rigidas silices solidumve in pectore ferrum, Aut adamanta gerit. Adde *Trist.* 1, 8, 42. ℙ Item de patientia ac duritia in malis. *Id. Pont.* 4, 10, 3. Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum Duritiae confers, Albinovane, meae? ℙ *Ferrum meum in igne est* proverb. ap. *Senec. Apocoloc. med.*, h. e. mea nunc res agitur. Simili sensu Itali dicunt, *si legge sul mio libro.*

FERRŪMEN, ĭnis, n. *σιδήρου κόλλησις, σιδήρωμα*, quoddam quasi gluten, junctura, qua ferrum ferro jungitur, et generatim qua etiam aliae res consolidari solent. *Petr. Sat.* 102. Nec vestem atramento adhaesuram, quod frequenter, etiam non arcessito ferrumine, infigitur. *Plin.* 36, 23, 55. Quod furto calcis sine ferrumine suo caementa componuntur. *Pompon. Dig.* 41, 1, 27. Cum partes duorum dominorum ferrumine cohaererent. ℙ Translate. *Gell.* 13, 26. Esse videtur Homeri simplicior et sincerior, Virgilii autem *νεωτεροικώτερος*, et quodam quasi ferrumine immisso, fucatior, *Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι*, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo: v. *pulcher* ferrumen *Gell.* appellat. ℙ Est etiam ferrugo, rubigo, aut color ferri. *Plin.* 37, 2, 10. Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube etc. Ita *Harduin.* ex MSS., alii *ferrugine.*

FERRŪMĪNĀTĬO, onis, f. actus ferruminandi, *συγκόλλησις. Paul. Dig.* 6, 1, 23. Dicit enim, si statuae ferruminatione injunctum brachium sit, unitate id majoris partis consumi. Non idem est in eo, quod applumbatum sit, quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem: plumbatura vero non idem efficit. [*V. quae in hanc rem congessit *Duk. lat. Ict.* p. 215, sq.]

FERRŪMĪNĀTUS, a, um, part. a *ferrumino*, *κολληθείς*, ferrumine junctus. *Plin.* 35, 15, 21. Bitumen calcis quoque usum praebuit, ita ferruminatis Babylonis muris. *Id.* 10, 33, 50. Surculo super bina ova imposito, ac ferruminato alvi glutino. *Petr. Sat.* 32. Anulus totus aureus, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatus.

FERRŪMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *συνάπτω, κολλάω*, jungo, consolido; et dicitur proprie de ferro primum, aliisque rebus, quae materia sua altera alteri conglutinantur: latius vero de aliis. *Plin.* 34, 11, 24. Squama decussa vi clavis, in quos panes aerei ferruminantur. Et 31, 7, 39. Muros domosque massis salis faciunt, ferruminantes aqua. *Id.* 35, 6, 33. Ad ferruminandas fracturas, ossaque contusa. *Id.* 11, 37, 86. Cruribus canum fracta ossa non ferruminantur. *Id.* 36, 26, 67. Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem. *Pompon. Dig.* 41, 1, 27. Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris, aut alieno argento ferruminaveris. *Plin.* 16, 36, 64. Arundinis coma, ubi lignosiore callo induruit, contusa et interjecta navium commissuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. Festive *Pl. Mil.* 4, 8, 25. Labra [*ab] labellis ferruminant. [*V. *Lindem.* ad h. l.]

FERTĀTUS. V. FESTATUS.

FERTĪLIS, e. adj. *εὔφορος*, ferax, fecundus, uber, fructuosus. *Cic. Verr.* 2, 3, 51. Agros laetos ac fertiles desererent. *Liv.* 5, 34. Fertilis hominum frugumque Gallia. *Ov. A. Am.* 1, 349. Fertilior seges est alienis semper in agris. *Cic. Agr.* 2, 19. Opimi ac fertiles agri. Et *Div.* 1, 42. Agri uberrimi, maximeque fertiles. *Prop.* 4, 8, 14. fertilis annus. [*Tibull. 4, 1, 51. Fertiles horae. Gr. *ὧραι ἔνκαρποι.*] *Hor. Sat.* 2, 4, 31. Mare fertile testae. *Id. Od.* 2, 15, 7. Oliveta fertilia domino. *Sever. Aetn.* 553. quantis fornacibus Aetna Uritur, a sacro nunquam non fertilis igne. *Plin.* 6, 23, 26. Flumen auro fertile. Et *ib.* 22, 24. Populi auri, margaritarumque fertiliores, quam Indi. Et 5, 5, 5. Ager a litore arboribus fertilis; intus frugibus tantum. *Id. ib.* 19, 17. Arenae vitri fertiles. Et 2, 78, 80. Tractus fertilis ad omnia. *Ov. Fast.* 3, 240. Fertilis herba. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Milium omnium frugum fertilissimum. *Id. prooem.* 14. Fertilissimus quaestus. *Liv.* 29, 25. Fertilissimus ager. *Ov. Her.* 9, 95. Fertilis serpens, *h. e.* Hydra, cui uno ex multis reciso capite, aliud statim renascebatur. *Id. Fast.* 5, 127. Fertile cornu nutricis, *h. e.* cornu copiae. [**Plin. H. N.* 7, 5. Fertilis centena quinquagena fruge campus. Ceterum hic et aliq. modo allati *Plin.* loci docent, non solum apud poetas cum ablat. construi v. *fertilis*, sed etiam apud prosae orationis auctores non semel cum eo casu jungi.] ℙ *Fertilia* etiam dicuntur, quae fertilitatem inducunt. *Ov. Met.* 5, 624. Dea fertilis, *h. e.* Ceres. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. *Tibull.* 1, 8, 32. et *Val. Fl.* 7, 608. Nilus fertilis. ℙ Translate *Ov. Pont.* 4, 2, 11. Fertile pectus habes, interque Helicona colentes Uberius nulli provenit ista seges. *Prop.* 4, 6, 75. Ingenium potis irritat Musa poetis: Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo. *Plin. prooem.* 14. Priscorum cura fertilior et industria felicior fuit.

FERTĪLĪTAS, atis, f. *εὐφορία*, feracitas, ubertas, fecunditas, abundantia. *Cic. Div.* 1, 57. Quae sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. *Plin.* 3, 5, 6. Frugum et vitium olearumque fertilitas. *Id.* 3, 20, 24. Italia metallorum fertilitate nullis cedit terris. *Cic. Tusc.* 2, 15. Virginibus Lacaenis magis palaestra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara, *h. e.* mollis luxus, et delicatus cultus, ornatusque corporis, quae ex copia rerum, ac divitiis auri, gemmarum, ac pretiosarum vestium constat. [*Versiculi sunt, quorum ap. *Orell.* haec ratio est: Apud Lacaenas virgines; Queis magi palaestra, Eurota, sol, pulvis, labor, Militia studio est, quam fertilitas barbara. — Mirum in modum propter v. *fertilitas* tentatus locus est. V. ap. *Orell.*, qui recte *vulgatam* ita interpretatur, ut fertilitas nihil aliud significet, nisi, quod Camerarius vidit, *πολυτεκνίαν*, et, quae ejus causa videbatur poetae, *μοχλοούνην*. Obversabantur ei septemdecim Hecubae liberi, quinquaginta Priami, Danai, Aegypti.] ℙ Pro fecunditate prolis. *Ov. Fast.* 4, 201. Saepe Rhea questa est, toties fecunda, nec unquam Mater, et indoluit fertilitate sua. *Plin.* 8, 42, 66. Fertilitas animalium ad generandum. ℙ Translate. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 20. de Protogene: Artis ejus summa intentio, et ideo minor fertilitas, *h. e.* pauciora opera fecit.

FERTĪLĬTER, adv. unde Comp. *fertilius* ap. *Plin.* 34, 17, 49. Derelicta metalla fertilius reviviscunt.

*FERTINĀTES, ium, incolae insulae cujusdam prope Liburniam, quae Fertina appellabatur. *Plin.* 3, 21. ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Fulsinates. B. A.*

FERSĪNI. V. in FELTRIA.

FERTOR, oris, m. qui fert, vel fortasse qui ferto libat. *Varr. L. L.* 7, 32. In *Glos. Isid.* Fertores ferto libantes.

FERTŌRĬUS, a, um, adj. ad ferendum aptus, ut lectus, sella fertoria, *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. et *ib.* 5, 1.

FERTUM seu Ferctum, i, n. libi opimi genus: a *fertus*, seu *ferctus*, bonus, apud veteres, vel a *fartum*, quod pluribus variisque rebus farciretur. *Pers.* 2, 48. Attamen hic extis, et opimo vivere ferto Intendit. Al. leg. *farto.* Adde *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15., *Cato R. R.* 134 et 141. et *Fest.* V. STRUES.

FERTUS, a, um, part. ab inusit. *fercio*, pro *farcio*, plenus, refertus, effertus. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 49. Frugifera et ferta arva Asiae tenet.

FERVĒFĂCIO, cis, eci, actum, a. 3. *θερμαίνω*, fervere et bullire facio. *Cato R. R.* 156. *med.* Eodem addito et oleum, postea fervefacito. *Pl. Ps.* 3, 2, 44. Eae ipsae se patinae fervefaciunt illico. *Cels.* 4, 24. Muriam fervefacere. ℙ Per tmesin divisit *Cato R. R.* 157. *med.* Postea ferve bene facito: ubi ferverit, in catinum indito.

FERVĒFACTUS, a, um, part. a *fervefacio*, *ἀνάβραστος*, fervens factus, fervidus. *Caes. B. G.* 7, 22. Fervefacta pix. Et *ib.* 5, 42. Fervefacta jacula in casas jacere coeperunt. *Plin.* 20, 3, 8. Vinum cum colocynthide fervefactum.

FERVENS, entis, part. a *ferveo*, *ζέων*, qui fervet. *Colum.* 12, 50. *f.* Baccae eluantur non ferventissima aqua, verum modice calida. *Pl. Capt.* 4, 2, 67. Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus. *Ov. Pont.* 1, 8, 68. Fervens rota. *Id. Met.* 4, 120. vulnus. *Plin.* 11, 37, 45. cera. *Id.* 25, 8, 50. In cinere ferventi leniter decoquere. *Id.* 30, 4, 9. Si ferventia os intus exusserint. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 17. Ferventes horae diei. *Id.* 25, 8, 53. Dictamnum fervens et acre gustu. *Pl. Amph.* 4, 2, 11. Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris. *Justin.* 4, 1. Aestus fervens. *Plin.* 2, 80, 82. Sonus raucus in recurvis, resultans in duris, fervens in humidis.

Ferventis auri saccum *Mart.* dixit 10, 74., *h. e.* crumenam refertam aureis nummis recenter cusis, nitidis, radiantibus instar auri igne ferventis. ℙ Translate. *Ov. Met.* 8, 466. Fervens ira oculis. *Hor. Od.* 1, 13, 4. Fervens jecur bile tumet. *Id. Sat.* 1, 10, 62. ingenium rapido ferventius amni. *Cic. Off.* 1, 15. Fortis animus et magnus in homine non perfecto, nec sapiente, ferventior plerumque est. *Claud. in Rufin.* 1, 100. lucri cupidine fervens. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Ut non quidquam impedimentorum ab illis ferventibus latronibus interciperetur, [*i. e. furiosis.]

FERVENTER, adv. *θερμῶς*, cum fervore. Translate. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Et de damnatione ferventer loqui est coeptum. *Id. ib.* 6. *f.* Curio ferventissime concerpitur. *August. de Genes. ad litter.* 2, 5. Moles, quae celerius circulari motu agitur, utique ferventius.

FERVĔO, es, fervi et ferbui, n. 2. *ζέω*, igni vel aestu commoveor, agitor, aestuo, bullio, calefio, inflammor. In quibusdam personis et infinito praesenti aliquando est tertiae conjugationis, praesertim apud poetas. [**Etym.* ducunt a *Gr. θέρω*. At *Doederl.* 2, 132. *fervere* et origine et significatione cognatum censet cum v. *ferri*. V. quae plura in h. rem disputantur l. l. et 3, 93.] *Cato R. R.* 157. *med.* Ferve bene facito: ubi ferverit, in catinum indito. *Pall.* 2, 20. Baccas bullire facies? et ubi diu ferbuerint etc. *Stat. Silv.* 4, 5, 15. exemptusque testa, Qua modo ferbuerat, Lyaeus. *Plin.* 14, 9, 11. Fervere mustum prohibetur: sic appellant musti in vina transitum. *Gell.* 2, 29. Sol fervit. *Plin.* 32, 5, 18. Ossiculo in aquam ferventem dejecto, refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exempto. *Id.* 5, 1, 1. Loca inhabitabilia fervere, quamquam hiberno tempore. ℙ Aliquando est *fervo, is*, n. 3. *Lucil.* ap. *Quint.* 1, 6. et ap. *Non.* 10, 1. Fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet ad annum. *Barth. Advers.* 56, 9. hinc eruit discrimen inter *fervit* et *fervet*, quod illud dicatur de aqua, quae nunc aestuat caletque; hoc de aqua, quae fervorem diu retinet. *Quint. ib.* vult v. *fervit* esse simile non v. *legit*, sed v. *servit*. At fortasse *Lucilius* litem illam grammaticam, utrum recte diceretur *fervit*, an *fervet*, ita diremsit, ut pronunciaret, utrumque pro diverso tempore recte dici, *fervit* nempe pro praesenti, *fervet* pro futuro ex *fervo, is*, tertiae conjugationis. Ita enim utitur hoc verbo *Virg. G.* 1, 456. et 471., ut et *A.* 4, 409. et *ib.* 8, 677. V. *Servium* ad utrumque locorum posteriorum. [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* l. modo laudatum. — Exempla scriptorum, qui v. *fervere*, corrupta med. syllaba, usi sunt, diligenter collecta v. ap. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 208.] ℙ *Fervat* etiam pro *ferveat* dixere *Pomp.* et *Accius* ap. *Non.* 10, 3. et *fervitur* pro *fervit*, *Afr. ib.* 8. Sed haec perantiqua sunt. *Virg. G.* 1, 455. Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis Fervere: non illa etc., *h. e.* agitari, misceri, turbari. ℙ Translate refertur ad vehementiores perturbationes, quibus animus incalescit agitaturque. *Acc.* ap. *Non.* 10, 1. Cor ira fervet caecum: amentia rapior fererque. *Ov. Met.* 2, 602. animus tumida fervebat ab ira. *Id. Fast.* 2, 732. Et fervent multo linguaque corque mero. *Hor. Ep.* 1, 1, 33. Fervet avaritia miseroque cupidine pectus. *Cic. Quint.* 11. Usque eo fervet (al. *fervit*) ferturque avaritia, ut etc. *Ter. Ad.* 4, 1, 18. Cum fervet maxime, tam placidum, quam ovem reddo. *Prisc.* 9, 866. legit *fervit*. *Sil.* 17, 567. leti fervebat amore. ℙ Cum infinitivo. *Claud.* in *Ruf.* 2, 295. sceptrumque capessere fervet, *h. e.* vehementer cupit. Et *B. Gild.* 350. jam stagna secare fervet. ℙ Item ad ea, quae studio diligentiaque fiunt. *Virg. G.* 4, 169. Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella. ℙ Item de locis dicitur, quae opere et turba frequentantur. *Virg. A.* 4, 407. opere omnis semita fervet. *Mart.* 2, 64. fora litibus omnia fervent. *Ov. Fast.* 1, 379. fervent examina putri De bove. *Virg. A.* 8, 677. totumque instructo Marte videres Fervere Leucatem. [*Similis usus est v, FLAGRO, q. v.] ℙ *Vulc. Sedig.* ap. *Gell.* 15, 24. Dein Naevius, qui fervet, pretio in tertio est, *h. e.* studiose passim legitur. Al. aliter leg. ℙ Alterum praeteritum *ferbui* locum habet in compositis *deferbui*, *conferbui*.

FERVESCO, is, n. 3. incipio fervere. *Lucr.* 6, 851. Terrae fervescunt sole. Adde 427. et 1162. et 176., et 3, 290., quibus omnibus locis al. leg. *fervisco*. *Plin.* 33, 6, 35. Fervescentis materiae spuma. *Pl. Capt.* 4, 4, 9. Possentne seriae fervescere.

*FERVĬDE, adv. *ζεστῶς*. *Pl. Truc.* 2, 4, 2. Fervide ut tota floret, ut oleum nitide nitet. Vulgo legitur *Ver vide*. *B. A.*

FERVĬDUS, a, um, adj. *ζεστὸς*, *θερμὸς*, valde fervens, praecalidus. *Ov. Trist.* 3, 10, 72. cumulant altos fervida musta lacus. *Cic. N. D.* 2, 10. Quarta pars mundi tota natura fervida est. *Curt.* 3, 5. Diei fervidissimum tempus. *Hor. Sat.* 1, 1, 38. Fervidus aestus. *Virg. G.* 3, 107. volat vi fervidus axis. *Hor. Od.* 1, 9, 10. Venti aequore fervido deproeliantes. *Plin.* 20, 11, 44. Herba sapore acri et fervido. *Hor. Ep.* 11, 14. Fervidius merum. ℙ Translate est vehemens, acer, incensus. *Virg. A.* 12, 950. ferrum adverso sub pectore condit Fervidus. Et 325. subita spe fervidus ardet. Et 9, 736. mortis fraternae fervidus ira. *Liv.* 27, 33. *f.* Praeproperum ac fervidum ingenium. *Ov. Met.* 14, 485. Fervidus ingenio. *Hor. A. P.* 115. Maturusne senex, an adhuc florente juventa Fervidus. *Id. Od.* 1, 30, 5. Fervidus puer, *h. e.* Cupido. *Cic. Brut.* 68. *extr.* Fervidum quoddam et petulans et furiosum genus dicendi. Et 28. Appii volubilis et paulo fervidior erat oratio. [*Alius hic notandus locus videtur ex eod. *Brut.* 83, 288. quem ap. *Ellendt.* ita emendatum legimus: Sic ego istis censuerim et novam istam, quasi musteam ac de lacu fervidam orationem fugiendam etc., ad quem loc. v. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 164.] *Virg. A.* 12, 894. Fervida dicta, *h. e.* irae plena et minarum. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 17, 414. Fervidus ingenii Masinissa et fervidus aevi. *Liv.* 2, 52. *f.* Fervidus animi vir. Al. leg. *fervidi*. ℙ *Fervida cura* est amoris plena. *Tibull.* 4, 12, 1. Ne tibi sim, mea lux, aeque jam fervida cura, *h. e.* ne aeque ferventer amer a te. ℙ *Fervida virtus* est ardens, vivida, studiosa. *Catull. carm.* 64, 218.

FĔRŪLĀ, ae, f. *ῥάοθηξ*, [*V. *Schneid. Lex. Gr.*] arbor est externa, ex genere earum, quae corticis loco lignum forinsecus habent, ligni autem loco fungosam intus medullam, ut sambuci vel inanem cavitatem, ut arundines. [**Pfriemenkraut. Ferula L.*] Nascitur calidis locis atque trans maria geniculatis nodata scapis. Duo ejus genera: nartheca Graeci vocant assurgentem in altitudinem: narthecyam vero semper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, ut quaeque terrae proxima. Cetero natura eadem, quae anetho et fructu similis. Nulli fruticum levitas major; ob id gestatu facilior (nempe a *fero* dicta, non a *ferio*, ut habet *Isid. Orig.* 17, 9. [*Praefert *Doederl.* 3, 264. *Orig.* etym., propterea, quod in duobus vetustissimis locis ap. *Hor.* et *Ov.* in fine laudatis *ferula* instrumentum feriendi significat. Caeterum nihil statuendum ipsi videtur, utrum *ferula*, genus fruticis, et *ferula*, qua pueri et puellae caedi soleant, homonyma sint, necne.]) baculorum usum senectuti praebet. Haec *Plin.* 13, 22, 42., qui 7, 56, 57. ignem in ferulae medulla asservare, inventum Promethei fuisse tradit (detulit enim in ferula Prometheus ignem e coelo in terras, ut est in fabulis, ap. *Hyg. fab.* 144. et *Serv.* ad *Ecl.* 6, 42.) et 24, 1, 1. ferulas gratissimo asinis in pabulo esse, ceteris vero jumentis praesentaneo veneno: qua de causa id animal Libero Patri assignari, cui et ferulam. Ejus usus est etiam includendis ossibus fractis, dum conferveant. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Ferulae superaccommodandae sunt, quae fissae compositaeque ossa in sua sede contineant. ℙ Dicitur etiam de exilioribus ramis aliarum arborum. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 1. Vitium surculis et quarundam arborum, quibus fungosior intus natura est, geniculati scaporum nodi intersepiunt medullam: ferulae ipsae breves et ad summa breviores, articulis utique duobus internodia includunt. *Id.* 8, 82, 50. *ferulas* vocat parvos ramos cornuum cervinorum. ℙ Item de virga, qua caedebantur puerorum manus aut nates a magistro in ludo litterario. *Mart.* 14, 80. cujus titulus *Ferulae*. Invisae nimium pueris grataeque magistris, Clara Prometheo munere ligna sumus. *Id.* 10, 62. Ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum. *Juven.* 1, 15. Et nos ergo manum ferulae subduximus, *h. e.* jam in litteris aliquid profecimus: jam desiimus in ludo litterario versari. *Appul. Met.* 9. Quam altissime sublato puero, ferula nates ejus obverberans etc. V. CATOMIDIO. Lepide vero ferulae et scuticae mentionem facit *Capell.* 3, 49. Grammatice quoddam etiam medicamen acerrimum, quod ex ferulae flore caprigenique tergoris resectione, rubri admodum coloris, exprompsit, quod monebat faucibus admovendum, cum indocta rusticitate vexatae foetidos ructus vitiosi oris exhalant. ℙ Servos quoque in levioribus peccatis ferula, in gravioribus scutica, in gravissimis flagello caesos fuisse colligitur ex *Hor. Sat.* 1, 3, 119. Ne scutica, dignum, horribili sectere flagello: Nam, ut ferula caedas meritum majora subire Verbera, non vereor. *Juven.* 6, 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, Hic scutica. [*De discrimine inter *verber*, *ferula* et *fustis*. V. *Doederl.* 3, 265.] ℙ Item jumenta ab equitantibus aut agasonibus. *Ov. A. Am.* 1, 546. Quadrupedem ferula dum malus urget eques.

FĔRŪLĀCĔUS, a, um, adj. ad ferulam pertinens, ferulae similis, *ραοθηκοειδείς*. *Plin.* 19, 9, 56. Cetera sunt ferulacei generis, ut foeniculum etc. *Id.* 27, 10, 62. Herba caule ferulaceo. ℙ Item e ferula factus. *Id.* 34, 18, 50. Versare rudibus ferreis aut ferulaceis.

FĔRŪLĀGO, ĭnis, f. frutex ferula humilior, cetera omnino similis. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 12. Thapsia, quam nos ferulaginem dicimus. Hanc *Plin.* 13, 22, 42. narthecyam appellat.

FĔRŪLĔUS, a, um, adj. ex ferula factus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. Alearis tabella aut ferulea. *Plin.* 16, 43, 83. Stamineam probant venam et vocant feruleam argumento similitudinis, quoniam laciniose crispa. Ita *Hard.* quem consule.

FERVO, is. V. FERVEO.

FERVOR, oris, m. *ζέσις*, agitatio, aestus, calor vehemens, qualis est ignis vel solis. [**Doederl.* 3, 93.] *Cic. N. D.* 2, 11. Mundi fervor ille purior. [**Lucr.* 6, 237. Quod solis vapor aetatem non posse videtur Efficere, usque adeo cellens fervore corusco.] *Id. Prov. cons.* 12. Fervor maris *Lucan.* 4, 460. contorii vorticis undae Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim. *Plin.* 14, 20, 25. Fervor musti. *Id.* 31, 9, 46. febris. Et 37, 13, 76. terebrarum. *Id.* 9, 16, 25. et *Virg. G.* 3, 154. mediis fervoribus. *Plin.* 15, 4, 5. Fervores capitis. ℙ Translate sumitur pro impetu, amore etc. *Hor. Od.* 1, 16, 22. Me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor. *Cic. Sen.* 13. Fervor aetatis. [**Sil.* 7, 25. Fervore carentes Augebant anni, i. e. senectus.] Et *Or.* 1, 51. mentis. [**Id. Tusc.* 4, 10. Fervor animi, i. e. perturbatio. Pertinet huc etiam propter translatam vocis significationem, locus supra allatus *Cic. Prov. cons.* 12. ubi *fervor maris* de mari dicitur piratis infesto.] *Gell.* 20, 1. *med.* Leges pro vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutari atque flecti. ℙ *Fervor* dicitur etiam morbi vis, quam et impetum Latini, (i. e. *Entzündung*) appellant. V. IMPETUS. *Inscr.* ap. *Tochon cachets des ocul.* p. 62. M. Julii Charitonis diarhodon ad fervorem, *h. e.* ad impetum oculorum. *F.*]

FĒRUS, a, um, adj. *ἄγριος*, agrestis, silvester, indomitus, nullo cultu mitigatus: cui opponitur cicur, mansuetus, domesticus, et dicitur de brutis, quae domita non sunt, quamvis saeva non sint: item de hominibus aliisque rebus incultis et agrestibus. Volunt esse ab Aeolico *φῆρ* pro *θήρ*, unde et *fera*, licet obstet prioris syllabae modus, qui tamen saepissime a Latinis in Graecis vocibus mutatur. *Cic. N. D.* 2, 39. Quae vero, et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! Et 64. Immanes et ferae belluae. *Plin.* 30, 7, 20. Palumbus ferus. *Virg. A.* 4, 152. Ferae caprae. *Stat. Th.* 6, 7. fera oliva, *h. e.* oleaster. *Virg. G.* 2, 36. fructusque feros mollire colendo. *Id. Ecl.* 5, 28. feri montes. *Festus:* Ferus ager, incultus. Sic *Catull.* 63, 89. fera nemora. *Varr. R. R.* 1, 7. In locis feris arbores plura ferunt, in his, quae sunt culta, meliora. *Plin.* 14, 20, 25. Ferae arbores. *Id.* 12, 17, 37. Ferus odor, et quodammodo solitudinem redolens. *Cic. Phil.* 3, 9. Cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus. *Ter. Andr.* 1, 5, 43. Adeon' porro ingratum putas, aut inhumanum, aut ferum, ut etc? *Cic. Or.* 1, 8. Homines a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. Adde *Hor. Ep.* 1, 1, 39. ℙ Item saevus, durus, crudelis, immitis, barbarus. Valde enim affinia sunt incultum esse et saevum. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. Hostis ferus et immanis. [*Quid differant *ferus* et *immanis* v. ap. *Döderl.* 1, 45. sq.] *Nep. Alc.* 6. Ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrimarit. *Hor. Od.* 2, 8, 14. ferus et Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta. *Val. Fl.* 6, 516. ferus furor. *Virg. A.* 2, 326. ferus omnia Juppiter Argos Transtulit. *Id. ib.* 10, 12. fera Carthago. *Ov. Her.* 8, 60. ferus ensis. Et *ib.* 3, 123. fera bella. *Id. Trist.* 4, 2, 38. fera caedes. *Id. Pont.* 4, 16, 31. fera dicta. *Id. Met.* 13, 454. fera sacra. Et *ib.* 15, 85. Ingenium immansuetum ferumque. *Id. ib.* 13, 317. feros requie lenire dolores. *Id. Trist.* 1, 1, 42. fera hiems. *Hor. Od.* 3, 29, 40. Fera diluvies quietos Irritat amnes. ℙ In amatoriis *ferus* est, qui nulla re ad amandum trahi potest. *Senec. Hipp.* 272. Tentemus animum tristem et intractabilem: Meus iste labor est aggredi juvenem ferum etc. *Tibull.* 2, 5, 5. Ure, puer, quaeso, tua qui feras otia liquit. Adde *Senec. l. c.* 415. ℙ Inter *ferum* et *ferocem* hoc statuit *Nonius* 20, 16. discrimen, quod *ferus* saevum, *ferox* fortem significet: verius dixisset, *ferum* esse incultum, agrestem, non domitum, sive saevus sit, sive non, ut dictum est: *ferocem* vero supra ferum addere vim, impetum, fortitudinem, sine timore. ℙ Pro feroci, in bonam partem *Prud. περὶ στεφ.* 3, 36. Sed pia cura parentis agit, Virgo animosa domi ut lateat, Ne fera sanguinis in pretium Mortis amore puella ruat. ℙ *Ferus, i*, absolute, ut *fera*, de quavis bestia. De equo. *Virg. A.* 2, 51. inque feri curvam compagibus alvum. Et *ib.* 5, 818. spumantiaque addit Frena feris. De cervo *Id. ib.* 7, 489. Pectebatque ferum. De leone *Phaedr.* 1, 21. Asinus ut vidit ferum impune laedi etc. Adde *Ov. Her.* 9, 114. De apro *Phaedr,* 4, 3. Sonipes iratus fero. De bobus *Ov. Fast.* 1, 550. Traxerat aversos Cacus in antra feros. Al. leg. *boves*. De serpente *Sil.* 6, 268.

[FĒRUSA, ae, f. cognomen R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 347. *n.* 8. Annaia Ferusa. *F.*]

[FERVUNCŪLUS, i, m. idem ac furunculus, a fervendo dictus. *Arnob.* 2. p. 49. Fervunculum,

scabiem, aut inhaerentem spinulam sanare. Alii leg. *furunculum:* metuunt quippe, ne quid peccatum sit ab insciente librario, sed *fervunculum* melius servat etymon suum, et haec habet *Caper de verb. dub.* p. 2248. Fervunculum a fervore, non furunculum. V. FURUNCULUS. *F.*]

FESCENNĪNĪCOLA, ae, m. et f. qui Fescennina colit, Fescenninos amans. *Sidon. carm.* 21, 1. Quid me, etsi valeam, parare carmen Fescenninicolae jubes Dione?

FESCENNĪNUS, a, um, adj. ad Fescenniam pertinens, quod est oppidum Etruriae ad Tiberim, teste *Plin.* 3, 5, 8., cujus conditores ab Atheniensibus oriundos facit *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 695. et Fescennium vocat: perperam autem in Campania ponit. *Virg. ib.* Hi Fescenninas acies, aequosque Faliscos etc. ℙ Ab hoc oppido ortum habuit genus quoddam carminis incompositi ac rudis, simulque obsceni, jocosi, et dicteriis pleni, quod tum diebus festis relaxandi animi causa, tum praecipue in nuptiis canebatur, ut *Serv. ib.* docet. *Festus* tamen aliam etiam appellationis causam ponit, nempe a *fascino*, quod fascinum putabatur arcere. *Hor. Ep.* 2, 1, 145. Fescennina per hunc inventa licentia morem Versibus alternis opprobria rustica fudit. *Liv.* 7, 2. Fescennino versu similem, incompositum temere, ac rudem alternis jaciebant. *Macr. Sat.* 2, 4. Fescenninos scribere in aliquem. *Senec. Contr.* 21. *med.* Inter nuptiales Fescenninos in crucem generi nostri jocabantur. *Catull.* 61, 126. Nec diu taceat procax Fescennina locutio. *Plin.* 15, 22, 24. Nuces juglandes nuptialium Fescenninorum comites. *Calpurn. Fl. decl.* 44. Civis ergo, nisi faces accenderit, et Fescennina cecinerit, pater esse non poterit. *Sidon. ep.* 8, 11. In Fescennina materia vernans verbis. ℙ Hujus carminis exemplum in nuptiis Honorii Augusti edidit *Claudianus.* ℙ *Fescenninus homo*, ridicularius, obsceni sermonis, et dicax. *Cato* ap. *Fest.* in *Spatiatorem.* In coloniam mehercules scribere nolim, si triumvir sim, spatiatorem atque Fescenninum. ℙ *Fescenninus pes* ap. *Diomed.* 3, 475. est amphimacrus, constans longa, brevi, et longa, ut *divites.*

FESNOE vocabantur, qui depellere fascinum credebantur. *Festus*, ubi *Scal.* leg. *fascinoe*, h. e. fascini. *Alii Fescinoe. *B. A.*

*FESSAE, arum, *Reines. Var. Lect.* 3, 4. p. 394. *fessas ovium* vocat pediculos, oves infestantes, quas *Plin. Valer.* cum creta necari dicit. *B. A.*

FESSONĬA, ae, f. Dea, quam propter fessos invocabant. *Augusl. C. D.* 4, 21.

[FESSŬLUS, a, um, dimin. fessi, aliquantulum fessus. *Appul. Ἀνεχομ.* 19. Trepida in decursu Venere, et anima fessula. *F.*]

FESSUS, a, um, *κατάπονος*, fatigatus, defessus. *Diomed.* 1, 372. suae originis vocem esse putat: *Prisc.* 8. p. 825. videtur tanquam part. verbi *fatiscor* agnoscere. Sane participii formam ac vim habet in illo *Phaedr.* 1, 21. Qui postquam caede fessus est, asinum evocat. Videtur itaque esse *fessus* pro *fetsus*, ab inusit. *fetiscor* pro *fatiscor*, quod maxime evincitur ex *Lucr. l. infra citando. Cic. Att.* 15, 9. Rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando fessus sum. *Id. Planc.* 10. Fessum inedia fluctibusque recreare. *Id. Acad.* 1. *in.* Fessus de via. *Id. Div.* 1, 44. *f.* Vejentes bello fessi. *Hor. Od.* 3, 13, 11. Fessi vomere tauri. Et *ib.* 2, 7, 18. Longa militia fessum latus deponere. *Val. Fl.* 2, 69. Cereris munere fessas vires restituere. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 124. Fessaque post primos haeserunt viscera partus, *h. e.* exhausta. *Lucr.* 2, 1036. fessus satiate videndi. *Ov. Met.* 11, 274. fessus curaque viaque. Et *ib.* 9, 293. malis. *Id. Trist.* 3, 3, 85. vox mihi fessa loquendo. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 1, 182. fessi rerum, *h. e.* navigatione, tempestate, penuria, labore. *Stat. Th.* 3, 395. fessus bellique viaeque. *Sil.* 2, 234. Dum pavitant trepidi rerum, fessique salutis, *h. e.* defessi quaerere et sperare salutem. ℙ Eleganter refertur ad morbos et senium, quia utraque res vires adimit. *Ov. Met.* 9, 439. Fessus annis. *Virg. A.* 2, 596. aetate. *Liv.* 1, 25. *f.* vulnere. *Tac. H.* 3, 2. valetudinibus. *Symmach. ep.* 1, 14. (al. 21.) *f.* virium. *Plin.* 8, 1, 1. Elephanti fessi aegritudine. ℙ Absolute pro aegroto. *Hor. Carm. saec.* 63. Phoebus, Qui salutari levat arte fessos Corporis artus. *Ov. Her.* 21, 14. Adjuvor et nulla fessa medentis ope. ℙ Et pro longaevo. *Stat. Silv.* 3, 3, 14. fessique senectus Longa patris. *Tac. A.* 14, 33. Fessa aetas. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 309. delubra Deum, simulacraque fessa fatisci. *Virg. A.* 2, 29. Fessae naves. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Cardines fessi et turbati. *Id.* 2, 7, 5. Vespasianus fessis rebus subveniens, *h. e.* afflictis. *Stat. Silv.* 2, 2, 48. fessa dies, *h. e.* nocti proxima. *Ov. Met.* 1, 582. amnes In mare deducunt fessas erroribus undas. *Val. Fl.* 4, 66. Fessa cum silvis juga. ℙ *Verrius* ap. *Diomed. l. c.* discrimen statuit inter fatigatum, et fessum: quod ille sit ab alio laborare compulsus, ut *lassatus:* hic qui ultro laborans deficit, ut *lassus. Fronto* vero *de Differ. vocabul.* statuit *defatigatum* de animo, *fessum* vero de corpore usurpari. Sed contra est, quod Manutius ad *Cic. Fam.* 10, 19. affert. [*V. *Döderl.* 1, 103. qui accuratissime de his rebus disputans ad Verrii sententiam ita accedit, ut *fatigatus* passivum, *fessus* neutrum dicat.]

FESTĀTUS, a, um, adj. ad festum paratus. *Fabius Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Dialis quotidie festatus est. Al. leg. *fertatus*, h. e. ferto instructus: alii *feriatus:* alii etiam aliter.

FESTĪCĒ, adv. laete. *Varr.* ap. *Non.* 6, 22.

FESTĪNĀBUNDUS, a, um, adj. festinans. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 5. Festinabunda manu. *Augustin. Confess.* 1, 11 Festinabunda mater.

FESTĪNANTER, adv. *διὰ σπουδῆς*, celeriter, cito. *Cic. Fin.* 5, 26. Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur. *Plin.* 17, 11, 15. Quia festinantius germinant. *August. ep.* 250. *f.* Festinantissime respondisse.

*FESTĪNANTĬA, ae, f. i. q. festinatio. *Cod. Theod. l.* 16. *tit.* 5. leg. 22 vel 52. *Bernhard.* in *Vita Malachiae. B. A.*

*FESTĪNĀTE, adv. i. q. festinanter. *Tac. A.* 10, 3. Festinatius agerent. Ubi tamen edd. recentiores e. g. *Ern.* habent *festinantius. Gell.* 10, 11. prope fi. Coactius quid factum et festinatius. Sic ed. *Amstel.* (1666.) edd. *Gron.* et *Long.* legentibus *festinantius. B. A.*

FESTĪNĀTIM, adv. festinanter. *Sisenn.* ap. *Non.* 11, 37. Praetor festinatim de castellis ad castra maxima milites conducit. Adde *Pomp. ib.*

FESTĪNĀTĬO, onis, f. *σπουδή*, properatio. *Cic. Phil.* 3, 1. Mea festinatio non victoriae solum avida est, sed etiam celeritatis. *Id. Fam.* 12, 25. Ventis remis in patriam omni festinatione properavi. *Id. Rosc. Am.* 34. Quid hic incredibilis cursus, quid haec tanta celeritas festinatioque significat? *Id. Att.* 5, 14. *extr.* Habes epistolam plenam festinationis et pulveris. *Id. Off.* 1, 36. Cavendum, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. *Nep. praef. extr.* Plura persequi prohibet festinatio, ut etc. *Colum.* 11, 2. *in.* Adhibere festinationem. *Curt.* 8, 2. *med.* Morari alicujus festinationem. *Petr. Sat.* 80. Conditionem praecipiti festinatione rapui. [*Liv. 42, 16. Uxoris petendae praematuram festinationem fratri objicere.]

FESTĪNĀTO, adv. festinanter. *Quint.* 4, 2. Nihil festinato fecisse videtur Milo. *Gell.* 10, 11. Quod non segnius, sed festinatius fit. *Justin.* 38, 10. *f.* Cum equites festinato misisset.

FESTĪNĀTOR, oris, m. qui festinat. Legitur a quibusdam ap. *Quint. Decl.* 2, 19. *f.*, ubi plures alii *festinatio.*

*FESTĪNĀTUS, us, m. *Zeno Veronens.* Quantus festinatus populi. *B. A.*

FESTĪNĀTUS, a, um, part. a *festino. Quint. prooem.* 6. Festinata maturitas celerius occidit. *Lucan.* 8, 24. Honores festinati. [*Adde *Plin. Pan.* 69, 5. *Scil.* qui ante annum, quo per leges annales peti possunt, suscipiuntur.] *Ov. Pont.* 4, 5, 8. Festinatum iter. *Suet. Aug.* 69. Festinatae nuptiae. *Tac. A.* 1, 52. Festinata missio. *Mart.* 7, 40. Annis festinatis raptus, *h. e.* morte immatura.

FESTĪNĒ, adv. idem ac festinanter. *Cic. Att.* 4, 14. Festine odorari. Al. leg. *festive.*

FESTĪNIS, e, adj. festinus. *Titin.* ap. *Non.* 8, 3. Haec res me fecit festinem.

FESTĪNO, as, avi, atum, n. l. *σπεύδω*, propero, accelero, in magno et continuo sum motu agendi aliquid, unde *confestim* seu *confertim.* [*V. *Döderl.* 2, 131.] Absolute. *Hor. Ep.* 2, 1, 192. Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves. *Cic. Fam.* 12, 22. *extr.* Plura scripsissem, nisi tui festinarent. *Id. Phil.* 1, 1. Ad singulare Antonii factum festinat oratio. Sic *Quint.* 4, 3. Judex ordine audito, festinat ad probationem. Et 6, 3. Contentio festinantium in provinciam. *Hor. Ep.* 1, 16, 68. Festinare in re augenda. *Cic. Fam.* 7, 23. *f.* Ut tanto opere migrare festines. ℙ Cum accusativo est properare. *Virg. A.* 4, 575. festinare fugam. *Hor. Ep.* 1, 2, 61. poenas. *Sil.* 8, 52. pyram. *Stat. Silv.* 2, 1, 128. vestes. *Tac. A.* 14, 33. *extr.* Caedes, patibula, ignes, cruces festinare. *Id. ib.* 4, 28. Festinare in se mortem. Et *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 425. Soleas festinate, *scil.* dare. *Ennius* ap. *eund.* ad *A.* 9, 401. et *G.* 4, 171. Festivum festinant diem, *scil.* agere, celebrare. *Stat. Th.* 2, 478. Festinare vias, *scil.* ire. [*V. *Ruddim.* 2, 223.] ℙ *Festinare se*, properare. *Gell.* 14, 2. *med.* Viri exercitati, atque in patrociniis et in operis fori celebres, semperque se, circumundique distrahentibus causis, festinantes. ℙ Passive. *Tac. H.* 3, 37. *extr.* Consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus, cum belli civilis praemia festinarentur. Et 2, 82. Ea cuncta per idoneos ministros festinabantur. *Id. G.* 20. Sera juvenum Venus: nec virgines festinantur, *h. e.* festinato despondentur. [*V. *Hess.*] ℙ Aliquando est trepidare, satagere ob metum, aut urgens negotium. *Ter. Eun.* 4, 3, 8. Quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris, Pythias? *Sall. fragm.* ap. *Donat. ib.* Festinantibus in summa inopia patribus. *Hor. Od.* 4, 11, 9. Cuncta festinat manus, huc et illuc Cursitant mixtae pueris puellae. ℙ *Festina lente*, *σπεῦδε βραδέως*, proverb. quo significatur, sedulitate quidem in rebus agendis opus esse, sed quae tamen sit cum consilii maturitate conjuncta. Hoc Graece saepe *Augustus* usurpabat, teste *Suet. Aug.* 25. V. MATURE. ℙ Inter *properare* et *festinare* discrimen assignabat *Cato* ap. *Gell.* 16, 14. et *Non.* 5, 81. et *Festus* in *Properare*, his verbis: Qui unum quid mature transigit, is properat: qui multa simul incipit, neque perficit, is festinat. Ipse vero *Non.* in eo differre ait, ut *properare* ad animum, *festinare* ad corpus pertineat. *Cic. Phil.* 9, 3. At ille properans festinansque, mandata nostra conficere cupiens, perseveravit etc. ℙ Neutrum tamen discrimen perpetuum est. ℙ De vocis origine. V. *Gell. l. c.*

FESTĪNUS, a, um, adj. *ταχύς*, festinans, properus. Vox fere poetica. *Cic. Att.* 9, 9. Festino enim simillimus decurro. Al. recte leg. *Σοφιστεύω* enim, simul ut rus decurro. *Virg. A.* 9, 488. noctes festina diesque. *Ov. Met.* 11, 347. cursu festinus anhelo. *Val. Fl.* 6, 325. festinaque taedia vitae, *h. e.* immatura. Sic *Stat. Th.* 9, 716. cruda festinaque virtus. ℙ Cum genitivo. *Id. Silv.* 5, 3, 135. Festinus laudum. *Id. Th.* 6, 75. Festinus voti. ℙ *Festinae cohortes* in fragmento *Sallustii* ap. *Serv.* ad *A. citat.* 9. videntur esse levis armaturae milites. [*De significatione et synonym. h. v. v. *Doederl.* 2, 134.]

FESTĪVĒ, adv. *τερπνῶς*, lepide, facete, jucunde. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Quamquam a te actam fabellam video esse festive. *Gell.* 9, 15. *extr.* Atque ibi Julianus festivissime, nolite quaerere, inquit, etc. *Cic. Or.* 3, 26. Quare, *bene* et *praeclare* quamvis nobis saepe dicatur: *belle* et *festive* nimium saepe nolo. *Id. Dejot.* 6. *extr.* Quam festive crimen contexitur! *ironia*, quae in sequentibus quoque inest. *Div.* 2, 15. Quam festive dissolvitur! *scil.* argumentum. Et *Acad.* 4, 28. *extr.* Dialectica primo progressu festive tradit elementa loquendi. ℙ Item hilariter, comiter, laete. *Pl. Ps.* 5, 1, 9. In loco festivo sumus festive accepti.

FESTĪVĪTAS, atis, f. laetitia, jucunditas, qualis festis diebus haberi solet. *Pl. Capt.* 4, 1, 1. Juppiter supreme, servas me, offers mihi Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias. ℙ Hinc adhibetur in blandis appellationibus. *Id. Cas. a.* 1. *v.* 46. Mi animule, mea vita, mea festivitas. Adde *ib.* 3, 3, 14. et *Poen.* 1, 2, 176. ℙ Speciatim est i. q. *ἀστειότης* sive urbanitas et lepor sermonis, jucunditas, gratia, laetitiam quandam et facilitatem animi in verbis prae se ferens. *Cic. Brut.* 48. Festivitate et facetiis C. Julius omnibus praestitit. *Id. Or.* 2, 56. Oratio lepore et festivitate condita. Et *ib.* 1, 57. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta. *Id. Fam.* 9, 15. Imago antiquae et vernaculae festivitatis. *Id. Or.* 52. Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur. [*Festivitates h. l. sunt opposita, ad augendam vim orationis facta, imprimis cavillationes, facetiae, in toto sermone fusae, Gr. *εἰρωνεία.*] ℙ Refertur etiam ad mores. *Ter. Eun.* 5, 9, 18. An fortunam collaudem, an mei patris festivitatem et facilitatem. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 4.] ℙ Pro festo die, seu pro apparatu ludicro ac laeto, qui festis diebus haberi solet. *Lampr. Alex. Sev.* 63. Addita et festivitas matris nomine. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 15, 5, 3. Ne festivitatem impediant in cunctis oppidis celebrandam. *Iidem ib.* 6, 8, 1. Solemnes festiviates frequentare. *Impp. Arcad. et Honor. ib.* 6, 4, 30. Festivitates natalium principis.

FESTĪVĪTER, adv. festivo more, laete. *Naev.* ap. *Non.* 11, 10. O domus parata pulcrae familiae festiviter! ℙ Item jucunde, lepide, urbane. *Gell.* 1, 2. Severe simul ac festiviter sejunxit a vero Stoico, qui esset *ἀκώλυτος.* Et 22. Festiviter respondere.

*FESTĪVO, as, a. l. *Onomast. Vet.* Festivo, *ἑορτάζω.* Quidam Lucretio tribuunt, sed non occurrit. *B. A.*

FESTĪVUS, a, um, adj. festus, hilaris, jucundus, laetus; festis enim diebus cuncta solent laeta esse et hilaria: item qui sermone aut aspectu hilares facit. *Pl. Mil.* 2, 1, 5. Nunc qua assedistis causa in festivo loco, Comoediae argumentum eloquar. *Id. Cas.* 4, 1, 2. Neque usquam ludos credo tam festivos fieri, quam, etc. *Id. Poen.* 1, 2, 95. Facinus lepidum et festivum. Et 3, 3, 82. Dare alicui hospitium festivum. *Cic. Att.* 2, 6. Libris me delecto, quorum habeo Antii festivam copiam. *Justin.* 38, 8. *extr.* Festivissimum convivium. *Gell.* 18, 13. Saturnalibus alea quadam festiva et honesta lusitabamus. ℙ Absolute. *Lampr. Elag.* 11. *med.* Ferunt multi, ab ipso repertum, ut in vindemiarum festivo multa in dominos jocularia dicerentur. ℙ Aliquando refertur ad ea, quae venusta sunt et jucunda visu. *Cic. Parad.* 5, 2. Nonne igitur sunt illa festiva? sunt: nam nos quoque oculos eruditos habemus. *Pl. Epid.* 5, 1, 16. Contempla, Epidice: usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima. *Plin. ep.* 2, 17. Area

parvula, sed festiva. ℙ Saepissime dicitur de iis, qui urbani ac lepidi sunt in sermone, jucundi, hilares, faceti, et laetitiam festivitatemque in verbis prae se ferunt: quod signum est facilitatis comitatisque: item de dictis et factis hujusmodi. *Ter. Ad.* 5, 9, 27. O pater mi festivissime. *Cic. Fam.* 6, 4. *med.* Pueri, quibus nihil potest esse festivius. *Id. Verr.* 2, 4, 22. Festivum acroama. *Id. Off.* 1. 30. *med.* Festivus sermo.

FESTRA, ae, f. antiquis idem fuit, quod apud nos fenestra, teste *Festo:* non tamen quaelibet, sed ostiolum minusculum in sacrario (intellige primis urbis temporibus) ut ex *Antonio Gniphone* docet *Macr. Sat.* 3, 12., ubi et *Ennium*, hac voce usum ait. In *fr. Petr.* p. 872. *Burm.* Deridet festram, Romuleamque casam. V. FENESTRA.

FESTŪCA, ae, f. *χάρφος*, herbae aut paleae exile frustum, stipula. *Colum.* 8, 15. *f.* Festucae surculique in aviariis passim spargendi sunt, ut colligere possint aves, quibus nidos construant. *Plin.* 10, 41, 51. Gallinae, edito ovo, festuca aliqua se et ova lustrant. *Id.* 18, 27, 67. *n.* 2. Cum herba creverit in festucam, arcere aquas. *Varr. L. L.* 4, 31. Homo in pratis per foenisecia rastello festucas abradit. ℙ *Festuca liber* dicitur, qui e servo in libertatem assertus fuit. Nam Romani, quos in libertatem vindicabant, eorum corporibus stipulam tenuem [*virgam] injiciebant, *χάρφος αἰτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασιν*, ut *Plut. in opusc. de his, qui sero a numine puniuntur*, tradit. Alii *festucam* hic intelligunt virgam, per quam leviter pulsabantur ii, quos praetor vindicta liberos esse jubebat. Haec vero habet *Cajus Institut.* 4. (ed. iterum *Goesch.*) §. 16. Festuca autem utebantur quasi hastae loco, signo quodam justi dominii; maxime enim sua esse credebant, quae ex hostibus cepissent: unde in centumviralibus judiciis hasta praeponitur. *Pl. Mil.* 4, 1, 15. Quid? ea ingenuan', an festuca facta e serva libera est? *Pers.* 5, 174. hic hic, quem quaerimus, hic est, Non in festuca, lictor quam jactat ineptus. ℙ Est etiam hoc nomine herba, quae et aegilops dicitur, quae inter hordeum nata, ipsum enecat. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3.

FESTŪCĀRĬUS, a, um, adj. ad festucam pertinens. *Gell.* 20, 10. *in f.* Conferens vim illam civilem et festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, *h. e.* vim et facultatem vindicandi in jure. V. cap. totum *Gellii*, et v. praec.

FESTŪCŬLĂ, ae, f. tenuis festuca. *Pallad.* 5, 8. Dorsa apum bibentium tangamus, illo liquore tincta festucula.

FESTUS, a, um, adj. *ἑορτάσιμος*, feriatus, festivus, laetus, jucundus, cessatione ab opere, sacrificiis, aut ludis, aut conviviis, apparatuque laetitiae, aut his omnibus simul celebratus. *Cic. Verr.* 2, 4, 62. Cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum. Et 48. *extr.* Dies festos anniversarios agere. *Id. Pis.* 22. Dies festos ac solemnes Deorum immortalium celebrare. *Sall. Jug.* 70. Dies festus celebratusque per omnem Africam. *Ov. Trist.* 5, 5, 42. Festa lux. *Id. Fast.* 6, 239. dies. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Mense Decembri sub dies festos. *Nep. Timol.* 5. Ejus natalem, festum habuit universa Sicilia. *Justin.* 24, 3. Diem festum urbi indicere in adventum alicujus. *Sil.* 12, 752. et 11, 272. Festa urbs. Sic *Hor. Od.* 3, 18, 11. Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. *Sil.* 7, 198. et *Val. Fl.* 3, 159. Festae mensae. *Arnob. in. l.* 5. Laetitias festas exercere. *Mart.* 3, 58. Festi Lares. Et 1, 1. Festi lusus. *Virg. A.* 4, 459. Templum festa fronde revinctum. *Hor. Ep.* 2, 1, 140. Festum tempus. *Ov. Met.* 3, 111. Festa theatra. *Id. Trist.* 5, 12, 8. Festos choros agere. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Tectum festis clamoribus personat. *Claud. IV. Cons. Honor.* 642. Festae taedae. *Ov. Met.* 10, 598. Festa corona. *Claud. B. Get.* 206. Festae aures, *h. e.* laetae, laetis nunciis imbutae. *Stat. Silv.* 2, 7, 134. Festus dolor, *h. e.* publicus et solemnis. [*Cf. de h. l. *Gronov. diatr. Stat.* 1, 220. et 2, 170.] *Ov. Met.* 2, 795. et *Plin.* 14, 1, 1. Festa pax. *Claud. III. Cons. Honor.* 3. Festior annus. *Vopisc. Tac.* 11. Festissimi dies. ℙ *Festus dies* est aliquando blanda amantis compellatio. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 49. Mi animule, mea vita, meus festus dies. ℙ Et laetantis. *Ter. Eun.* 3, 5, 12. O festus dies hominis! amice, salve. ℙ *Festum* absolute est dies festus. *Ov. Fast.* 4, 877. Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant, Quaeritis? Et *ib.* 1, 190. Pars mihi de festo ne labet ulla tuo. Et *ib.* 4, 182. Idaeae festa parentis erunt. *Id. Amor.* 3, 13, 3. Casta sacerdotes Junoni festa parabant. *Id. Met.* 4, 390. profanare festum. Et 33. turbare festa. *Id. ib.* 5, 328. vovere festa annua numinibus. *Id. Fast.* 6, 179. colere. ℙ In illo *ejusd. Fast.* 2, 247. Forte Jovi festum Phoebus solemne parabat: *festum* convivium significare videtur. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 2, 7, 9. O nunquam data festa longa summis! *h. e.* res laetae et prosperae. ℙ [*Festa* significant etiam sacros illos ritus, solemnes precationes, quibus fungi solebant Veteres in concionibus senatus, cet., antequam ad res se tractandas accingerent. *Jul. Capitol. Max.* et *Balb.* 13. Ubi post illa, quae communia solent esse festa, dictum est etc. — Hinc in universum *festa dicere* et *fieri* dicitur de iis, quae festum diem decent, fausta verba, bona et boni ominis. *Vopisc. Aurel.* 1. Hilaribus, quibus omnia festa et fieri debere scimus et dici. V. *Salmas.* ad h. l. — *Festi*, et *Festi diei homines*, Gr. *καλήμεροι*, qui libenter genio indulgent, et sibi amicisque morem gerunt, festivi, hilares, jocosi. *Id. ib.*]

FESTUS, Sex. Pompejus Festus, homo grammaticus, incertum cujus aetatis, certe quidem post *Martialem*, quem citat in voce *Vespa* (quamquam nonnullis locus ille suspectus est) immo sub Christianis imperatoribus, ut *Voss.* censet; in compendium redegit libros *Verrii Flacci* (qui sub Augusto floruit, nepotumque ejus praeceptor fuit, ut est ap. *Suet. Gramm.* 17.) *de verborum significatione*, in quibus plurima sunt, immo fere omnia utilissima linguae Latinae illustrandae; sed integer ad nos non pervenit, mutilatus contractusque a Paulo diacono, qui tempore Caroli M. alterum ex eo compendium conficere adortus, suis admixtis verbis paene corrupit. V. *Andreae Dacerii* praefationem in *Festum* a se editum, et illustratum.

FESŪLĀNUS. V. FAESULANUS. *Faesulae* enim scribendum esse, praeter *Manutium* ibi citatum, probant *Dausquius* et *Gorius Inscr. Etr. T.* 2. p. 81., qui ita scribere affirmat omnes Graecos auctores, et antiquos lapides. *Inscr.* ap. *Gud.* 116, 1. T. Averrius (lege *Verrius*) Q. F. Scapt. Flaccus Eq. Rom. Faesulanus.

FĔTĬĀLIS, is, m. Fetiales erant sacerdotes vel legati populi Rom., quos penes rerum publice repetendarum, imperandae decessionis ex finibus, belli indicendi susciplendique, et jungendorum foederum potestas erat, et administratio. Hi causas armorum inferendorum examinabant, consulebaturque eorum collegium a regibus, aut consulibus, juste ne posset bellum indici, quia bellum aliquod inire, quod pium non videretur, magna religio erat. Id indicturi, hastam ferratam in fines hostium jaciebant: pace comparata, foedus feriebant. Quae omnia colliguntur ex *Varr. L. L.* 4, 15. et *Liv.* 1, 32., 4, 30., 7, 6. et 9., 9, 5., 10, 12., 30, 43., 31, 8., et 36, 3. ℙ Adjective. *Cic. Off.* 1, 11. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi R. jure praescripta est. [*V. *Beier.* ad h. l.] *Liv.* 9, 11. *f.* Legatus fetialis. ℙ Ad scriptionem quod attinet, per *t* scribunt *Manut.* et *Cellar.* ex consuetudine Graecorum, apud quos est *φητιάλεις* et *φετιάλεις* et *φητιάλεις*, et ex lapide, quem ipse *Manut.* affert: cui adde alium ap. *Grut.* 457, 2. *Dausquio* placet per *c* ex etymologia, quam tradit *Fest.*, nempe a *faciendo;* cui suffragari videntur lapides alii ap. *Grut.* 360, 3. et 1107, 4. [Sed *Marinius Frat. Arv.* p. 708. et 714. probat ex plurimis aliis *ib.* cit. scribendum omnino *fetialis. F.*]

FĔTĬFER, a, um, adj. fetificus, fecundus. *Plin.* 7, 3, 3. Supra tergeminos nasci, inter ostenta dicitur, praeterquam in Aegypto, ubi fetifer potu Nilus amnis.

FĔTĬFĬCO, as, a. 1. fetum edo, pario, *εὐγονέω. Plin.* 10, 58, 79. Columbarum pulli quinquemestres fetificant. Et *ib.* 8, 9. Accipitres humi fetificant.

FĔTĬFĬCUS, a, um, adj. *εὔγονος*, fecundus, fetifer. *Plin.* 9, 51, 74. Fetificus humor.

FĔTO, as, a. 1. fetum edo, *τίκτω*. De avibus ova edentibus *Colum.* 8, 15. *f.* Anates circa paludes plerumque fetant. Et 12. Gallinae silvestres in servitute non fetant. Adde 8. ℙ Item fecundo. *August. de cons. Euangelist.* 1, 25. In fetandis feminis. *Id. C. D.* 5, 7. Admittendis maribus, quibus equarum fetentur armenta.

*FĔTOSUS, a, um, adj. a *fetus*, ut *fetosae oves* in *Vulg. Psalm.* 143. v. 13. *B. A.*

FĔTŪOSUS, a, um, adj. ut a *fructus*, *fructuosus*, a *luctus*, *luctuosus* etc. *Hieron. adv. Jovinian.* 1, 19. Liam deformem, atque fetuosam. Al. leg. *fetosam.*

FĔTŪRĂ, ae, f. tempus, quo animal conceptum fetum gerit, usque ad partum, ut *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* definit. ℙ Item generatio, proles, fetus. *Id. ib.* 10. Quod ad feturam humanam pertinet pastorum, facile est, quod habeant conservam in villa etc. *Virg. Ecl.* 7, 36. Si fetura gregem suppleverit. *Id. G.* 3, 62. bos feturae habilis. *Ov. Met.* 13, 827. Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni. *Plin.* 10, 53, 74. Optima gallinarum fetura ante vernum aequinoctium. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 12. Vitis in macro, etiamsi vires habebit, recisa intra jugum moretur, omnis fetura sub eo exeat. ℙ Translate. *Id. praef.* Libros naturalis historiae, novitium camenis Quiritium tuorum opus, natum apud me proxima fetura etc.

FĔTŪRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *feturo. Tert adv. Valent.* 25. Semen feturatum in corpore, *h. e.* formatum in fetum.

FĔTUS, a, um, adj. *ἔγκυος*, fetum habens, fecundus, gravidus, plenus. *Virg. Ecl.* 1, 50. Non insueta graves tentabunt pabula fetas. *Cic. N. D.* 2, 62. Terra feta frugibus, et vario leguminum genere. *Ov. Pont.* 1, 7, 13. regio nec pomo feta, nec uvis. ℙ Item plenus. *Virg. A.* 1, 55. loca feta furentibus austris. Et *ib.* 2, 237. scandit fatalis machina muros Feta armis. *Sil.* 17, 448. colla serpentis feta veneno. ℙ Translate. *Id. ib.* 380. feta viri bello praecordia. Et 13, 592. feta furore Megaera. Et 11, 203. praecordia feta ira. [**Id.* 10, 14. Fetus Gradivo mentem, i. e. *ἔνθεος* ex Marte.] ℙ Cum genitivo. *Claud. B. Get.* 25. fetasque novales Martis. ℙ Est etiam partu levatus. *Virg. A.* 8, 630. et *Ov. Fast.* 2, 412. Venit ad expositos (mirum!) lupa feta gemellos. *Id.* Met. 13, 803. feta truculentior ursa. *Varr.* ap. *Non.* 4, 211. Veniebant ad fetam amicae gratulatum. Adde *Colum.* 7, 3. *f.* ℙ De ratione scribendi V. v. seq.

FĒTUS, us, m. *γονή*, id quod genitum est partumque. Volunt esse ab obsoleto *feo*, unde et *fecundus*, et *fenus:* scribuntque sine diphthongo: quod *Manut.* et *Cellar.* placet ex auctoritate *Varron.* ap. *Gell.* 16, 12. et ex libris veteribus. Contra *Dausq.* cum *Scalig.*, *Pier.* et aliis *foetus* et ipsi ex antiquis MSS. etc. ut in FECUNDUS et in FENUS dictum est: ducuntque *ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν.* Dicitur non solum de partu animalium, sed et de quovis plantarum ac terrae fructu. *Cic. N. D.* 2, 51. Quae multiplices fetus procreant, ut sues, canes, his mammarum data est multitudo. Et *mox.* Ova aqua sustinentur, et fetum fundunt. *Plin.* 8, 55, 81. Fetus ventri exsecti, vel uberibus ablati. *Virg. G.* 1, 55. Arborei fetus alibi, atque injussa virescunt Gramina. Et *ib.* 2, 390. largo pubescit vinea fetu. Et 429. fetu nemus omne gravescit. Et *Ov. Fast.* 1, 693. Triticei fetus. *Virg. G.* 2, 69. fetus nucis, *h. e.* surculus. *Cic. Or.* 2, 30. Ager novatus et iteratus, quo meliores fetus possit et grandiores edere. ℙ Item ipse pariendi et gignendi actus, fetura. *Cic. Leg.* 1, 8. Quae frugibus atque baccis, terrae fetu profunduntur. *Id. Fin.* 1, 19. Labor bestiarum in fetu, et in educatione. *Plin.* 10, 12, 14. Cornix inauspicatissima fetus tempore. *Id.* 12, 18, 41. Annuo fetu. *Colum.* 11, 2. *med.* Secundi fetus pecudes signari oportet. *Pl. Amph.* 1, 2, 25. Uno fetu. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 49. Nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. [*Gr. *γενέθλη.*] *Id. Tusc.* 5, 24. Ex quo triplex ille animi fetus exsistet, unus in cognitione rerum positus etc. ℙ *Fetis* pro *fetibus* dixit *Accius* ap. *Non.* 8, 44. Cithaeron frondet viridantibus fetis.

FEX. V. FAEX.

FI

FI, fi, vox est, qua foetida abiguntur. *Pl. Cas.* 3, 6, 7. Fi, fi, foetet tuus mihi sermo. Al. leg. *Hei, hei:* alii vero *Heu, heu.* ℙ *Fi*, imperativ. V. FIO.

FĪBER, bri, m. *κάστωρ*, animal quadrupes, amphibium, de quo satis in CASTOR dictum est. *Varr. L. L.* 4, 13., *Plin.* 8, 30, 47. et 32, 3, 13., *Sil.* 15, 487. et *Fest.* ℙ *Varr. l. c.* et *Fest.* inde docent hanc vocem derivari, quod ab extrema ora fluminis id animal soleat videri: *fibrum* autem antiquos extremum dixisse. [Sed fortasse est ab inusit. *feo* pro *findo;* hoc enim animal horrendi morsus dicitur a *Plin. l.* prius *c. F.*]

FĪBLĀ pro *fibula* legitur ap. *Apic.* 8, 7. et in quadam *Inscr.* non optimae notae ap. *Grut.* 474, 4., ubi quidam libertus Severi Alexandri R. Imp. dicitur *praepositus a fiblis.* [*V. *Salm.* ad *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 9.]

FĪBLĀTŌRIUS. V. FIBULATORIUS.

*FĪBLO, as, a. 1. *Apic.* 8, 7. Porcellum imples, fiblabis. Al. leg. *infiblabis. B. A.*

FĪBRĂ, ae, f. *ἴς, ἰνός*, extremitas cujuscumque rei: ab obsoleto *fiber*, extremus, testibus *Varr. L. L.* 4, 13. et *Festo.* [**Doederl.* 3, 22. *fibra* et *filum* ejusdem originationis esse docet, ut nostr. *Faser* et *Faden.*] Praesertim vero significat extremitatem quorundam extorum, ut pulmonis, jecoris etc. *Cels.* 4, 1. Pulmo in duas fibras, ungulae bubulae modo dividitur. Et *mox.* Jecur in quatuor fibras dividitur. *Cic. Div.* 1, 10. Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio. *Plin.* 8, 28, 42. Pericula praemonent, non fibris modo extisque, sed alia quadam significatione. *Id.* 11, 37, 76. Ranarum rubetarum altera fibra (scil. *jecoris*) a formicis non attingitur. ℙ Significat etiam ipsa integra exta seu viscera. *Val. Fl.* 7, 355. Promethea fibra, *h. e.* jecur, quod a vulture carpitur. *Ov. Fast.* 4, 935. Tura focis, vinumque dedit, fibrasque bidentis. *Senec. Thyest.* 1064. gracili trajectas veru Mugire fibras vidi. [*V. *interprr.* ad *Sen. Oedip.* p. 357.] ℙ *Loqui* et *significare* dicuntur fibrae in haruspicina, quod Deorum mentem et futura demonstrant. *Prop.* 4, 1, 100. sibi commissos fibra locuta Deos. *Sil.* 1, 138. fibraeque repente Conticuere: latent casus, longique labores. *Tibull.* 2, 1, 25. viden', ut felicibus extis Significet placidos nuncia fibra Deos? Et 1, 9, 3. conscia fibra Deorum. *Manil.* 1, 92. Consultare fibras, et rumpere vocibus angues. ℙ Translate. *Pers.* 1, 47. neque

enim mihi cornea fibra est, *h. e.* non sum ita hebes et duris praecordiis, ut laudis gustum non habeam. V. JECUR. Sic 3, 32. Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum Pingue. *Plin. in. l.* 33. Persequimur omnes terrae fibras: de metallis enim loquitur. ℙ Saepe dicitur de extremis venis, radicibusque in capillamenta quaedam desinentibus, foliorumque oblongis, et laciniosis cacuminibus etc. *Cic. Senect.* 15. Viriditas herbescens, nixa fibris stirpium, sensim adolescit. *Id. Tusc.* 3, 6. Non solum ramos amputare, sed omnes radicum fibras evellere. *Plin.* 19, 2, 11. Tubera undique terra circumdata, nullis nixa fibris, aut saltem capillamentis. Et 11, 37, 89. Venae in praetenues postremo fibras subter totam cutem dispersae, adeo in angustam subtilitatem tenuantur, ut etc. *Colum.* 10, 112. jam teneris frondens lactucula fibris. *Id.* 11, 2. Cum enata frumenta quatuor fibrarum esse coeperunt. Et 3. *med.* Cum ternas fibras emiserunt spicae alii, sarriantur. *Mela* 3, 2. Peloponnesos, ob sinus et promontoria, queis, ut fibris, litora ejus incisa sunt, platani folio simillima. *Cic. fr.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 120. Fibrae cincinnorum madentes. *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea spondylo brevi, atque non carnoso, nec fibris lacinioso. ℙ *Serv.* ad *G.* 1, 120. et 484. venas quoque, et nervos per jecur decurrentes, *fibras* appellari tradit. *Plin.* quoque 11, 37, 76. et *Lucil.* ap. *Gell*, 20, 8. ubi tradunt, in murium jecinoribus fibras numero dierum lunae congruere crescendo, et decrescendo, venulas in iis et nervos intercurrentes intelligere videntur. Neque enim de duabus illis extremitatibus, quas supra ex *Celso* diximus, intelligi potest, ut earum numerus augeatur. *Gell.* quoque consimili significatione *fibras* usurpat, cum ait 16, 3. Esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibrae, et cava intus ventris ac stomachi vacua et hiantia.

FIBRĀTUS, a, um, adj. fibras habens. *Plin.* 27, 12, 8. Fibrata radix. *Hard.* legit *fimbriata* ex MSS. *Auct. Priap.* 52, 22. Acresque caepas, alliumque fibratum. Hinc *Virg. Mor.* 88. cum spissis allia fibris.

*FIBRĒNUS, i, m. flumen Latii, prope Arpinum, in Lirim praecipitans. *Cic. Leg.* 2, 1. et 3. *Sil.* 8, 400. *B. A.*

FIBRĪNUS, a, um, adj. ad fibrum pertinens. *Plin.* 32, 9, 36. et *ib.* 10, 42. Fibrinae pelles.

FIBRUM antiqui dicebant extremum: unde in sagis extrema, fimbriae, et in jecore extremum, fibra. *Varr. L. L.* 4, 13.

FĪBŬLA, ae, f. πόρπη, ἔνετή, instrumentum, quo vestes subnectuntur, vel sagi, chlamydis, pallii, aut baltei pars alteri adnectitur. *Virg. A.* 4, 139. Aurea purpuream subnectit fibula vestem. *Id. ib.* 5, 312. pharetra, lato quam circumplectitur auro Balteus, et tereti subnectit fibula gemma. Et *ib.* 12, 274. laterum juncturas fibula mordet. Et *ib.* 7, 815. fibula crinem Auro internectit. *Ov. Met.* 2, 412. Fibula vestem coercet. *Sidon. carm.* 2, 397. Fibula mordaci refugas a pectore vestes Dente capit. ℙ Tales fibulae ex auro, argento interdum fiebant, et gemmis item ornabantur. Recensentur a *Liv.* inter dona militaria 39, 31. et 27, 19., et inter insignia equitum et nobiliorum a *Mart.* 5, 41. Adde *Plin.* 33, 3, 12. ℙ Alias est insigne pauperiorum, et infimae sortis hominum, ut in illo *Nemes. Ecl.* 7, 79. O utinam nobis non rustica vestis inesset! Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes, Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu Obfuerunt. ℙ Fibulae usus fuit valetudinis causa olim pueris, quorum nempe praeputio perforato circellus sive anulus argenteus inserebatur, et a fabro, ne facile solveretur, ferruminabatur, ad coercendam Venerem: qua de re multa habet *Cels.* 7, 25. *n.* 3. Hinc *Plin.* 33, 12, 54. Cum paedagogia ad transitum virilitatis custodirentur argento. V. INFIBULO et REFIBULO. ℙ Alterum vero fuit fibulae genus, quo tragoedi, comoedi, citharoedi, choraulae, et palaestritae utebantur tum verecundiae causa ad virilia obtegenda, tum conservandae vocis gratia ad Venerem coercendam, tum etiam fortasse ad inguina comprimenda, ne scilicet nimia vocis, vel corporis contentione herniosi fierent: ea porro praeter anulum thecam habebat aheneam, vel alutaciam cingulo quodam suspensam atque constrictam in modum fasciae inguinalis, de qua V. VINCTURA, quam *Cic. Off.* 1, 35. *f.* subligaculum. *Juven.* 6, 73. Solvitur his *(mulieribus)* magno comoedi fibula. Et 379. Si *(mulier)* gaudet cantu, nullius fibula durat Vocem vendentis praetoribus. Huic loco haec adnotat *Vet. Schol.:* Fibulam dicit circellos, quos tragoedi sive comoedi in pene habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant. *Mart.* 7, 82. Menophili penem tam grandis fibula vestit, Ut sit comoedis omnibus una satis. Hunc ego credideram (nam saepe lavamur in uno) Sollicitum voci parcere, Facce, suae. Dum ludit media, populo spectante, palaestra, Delapsa est misero fibula; verpus erat. *Id.* 11, 75. Theca tectus ahenea lavatur Tecum, Caelia, Servus; ut quid, oro, Non sit cum citharoedus aut choraules? Servo, Caelia, fibulam remitte. Adde 7, 35. et 14, 215. ℙ Hinc translate. *Tert. Cor. mil.* 11. Fibulam laxare voluntariis delictis. *Id. Pudic.* 16. Hujus boni fibulam quis nesciat illum *(D. Paulum ad Corinth.* 1, 7, 26.) invitum relaxasse, ut fornicationi obviam isset? *Senec.* ap. *Lact.* 1, 16. Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam imposuit? *Auct. Priap.* 68, 21. Neve imponite fibulam Priapo. ℙ Item constringendis vulneribus. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Si vulnus hiat, neque in unum orae facile attrahuntur, sutura quidem aliena est: imponendae vero fibulae sunt (ἀγκτῆρας Graeci nominarunt) quae oras contrahant. *Id.* 7, 4. Excidendus callus est, superque fibulae dandae. Et *mox.* Fibula oris cutis injicienda est. ℙ Hujusmodi chirurgorum fibulae fiunt saepe acia et acu: inter quas, et suturam hoc interest, quod sutura filo perpetuo constat, quo os vulneris totum consuitur, donec omnis hiatus committatur: in fibula quotiescumque filum per utrumque labrum vulneris, (sed per intervalla) trajectum est, nodo constringitur et praeciditur. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Comprehendi vero sutura, vel fibula non cutem tantum, sed etiam aliquid ex carne oportebit. Utraque optima est ex acia molli, non nimis torta etc. Et *mox.* Fibulae latius vulnus esse patiuntur, sutura oras jungit. *Id.* 7, 19. *f.* Ubi fibulae sunt, hae incidendae: ubi linamentum, id mutandum est. V. *Joann. Rhod. de Acia c.* 10. et seq. ℙ *Fibula* quoque dicitur vinculum ferreum, vel ligneum colligandis inter se trabibus, aliave materie, περόνη. *Caes. B. G.* 4, 17. Trabes binis utrinque fibulis ab extrema parte distinebantur. *Vitr.* 1, 5. In crassitudine perpetuae taleae oleagineae ustulatae quam creberrime instruantur, uti utraeque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatae aeternam habeant firmitatem. Quas memorat *Cato R. R.* 31. fibulas iligneas, ulmeas, ficulneas, videntur esse lignei circuli compingendis corbulis apti.

FĪBŬLĀTĬO, onis, f. conjunctio et colligatio per fibulam. *Vitr.* 10, 3. Eadem ratione in summo fibulationibus, in imo sucularum versationibus expediundum.

FĪBŬLĀTŌRĬUS, a, um, adj. *D. Claud. Imp.* in quadam *epist.* ap. *Trebell. XXX. Tyrann.* 10. Duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, cum ipse miserim de nostris. (Al. leg. *fiblatoria.)* h. e. fibulis instructa.

FĪBŬLĀTUS, a, um, part. a *fibulo*, fibulis instructus. *Valerian. Imp.* in quadam *epist.* ap. *Vopisc. Prob.* 4. Huic dari jubebis pallia Gallica duo fibulata.

FĪBŬLO, as, avi, atum, a. l. πορπάω, fibula necto. Translate. *Colum.* 1, 6. *med.* Omnes parietum et soli juncturae testaceis pulvinis fibulantur, *h. e.* connectuntur, committuntur.

*FICĀNA, ae, Φίκανα, oppidum in Latio, Romae propinquum. *Liv.* 1, 33. *Plin.* 3, 5. Cf. *Fest.* in *Puilia*, ubi inquit: Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana via Ostiensi ad lapidem undecimum. *B. A.*

FĪCĀRĬA, ae, f. ficetum. *Pallad.* 4, 10. de ficu: Aliqui inter ficarias caprifici arborem serunt, ut non sit necesse per singulas arbores pro remedio eadem poma suspendi. ℙ **Ficaria, ae*, f. insula prope Sardiniam. *Plin.* 3, 7, 13. *B. A.*

FĪCĀRĬUS, a, um, adj. ad ficum pertinens. *Cato R. R.* 48. Eo sarmenta, aut crates ficarias imponito, quae frigus defendant, *h. e.* quibus fici in sole expansi conteguntur ea ratione, quam *Colum.* 12, 15. tradit. *Plin.* 11, 35, 41. Ficarios culices caprificus generat. *Festus* in *Orca:* Ficaria vasa. ℙ *Fauni ficarii* appellati ita videntur a salacitate. *Hieron.* in *Isaj.* 5, 13, 21. Vel incubones, vel satyros, vel silvestres quosdam homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant, aut daemonum genera intelligunt. Adde *Isid. Orig.* 8, 11. *f.*

[FĪCĀTUM, i, n. adj. est, ut Graece συκωτὸν, ficis saginatum, adhibetur tamen substantive, ac proprie significat jecur anseris ficis saginati, deinde etiam jecur aliorum animalium, inde Itali suum habent *fégato:* de quo *Hor. Sat.* 2, 8, 88. Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi. *Plin.* 8, 51, 77. Adhibetur et ars jecori feminarum suum, sicut anserum, inventum M. Apicii, ficu arida saginatis, ac satie necatis, repente mulsi potu dato. Adde *eund.* 10, 22, 27., *Juven.* 5, 114., *Pers.* 6, 71. et *Mart.* 13, 58. *Apic.* 7, 3. Ficatum praecidis ad cannam. *Marcell. Empir.* 22. *med.* Ficatum lupi integrum foliis lauri involves. *Gloss. Isid.* Ficatum, quod Graeci συκωτὸν vocant. V. SYCOTUM. *F.*]

FĪCĒDŬLA, ae, f. συκαλὶς, avis quaedam ita dicta, quod ficu pinguescit, ut *Varr. L. L.* 4, 11. docet. *Mart.* 13, 49. *cujus lemma* Ficedula: Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis, Cur potius nomen non dedit uva mihi? *Plin.* 10, 29, 44. Alia ratio ficedulis: nam formam simul coloremque mutant: hoc nomen autumno: non habent posthea: melancoryphi vocantur. *Gell.* 15, 8. Praefecti popinae atque luxuriae negant, ullam avem, praeter ficedulam, totam comesse oportere. *Petr. Sat.* 33. Pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam. [*Ficedula* videtur esse etiam nomen dimin. fici arboris: nam in *Not. Tir.* p. 169. enumeratur inter alias arbores. *F.*] ℙ Secunda syllaba in versu est communis. *Mart.* 13, 5. Cerea quae patulo lucet ficedula lumbo Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper. *Juven.* 14, 9. Boletum condire, et eodem jure natantes Mergere ficedulas didicit, nebulone parente.

FĪCĒDŬLENSIS, e, adj. a ficedula. Hinc Milites ficedulenses *Pl.* appellat *Capt.* 1, 2, 60. jocose et ambigue, *h. e.* gulosos, et ficedularum hostes. Quidam volunt, alludi ad *Ficedulam*, qui vicus Romae fuerit, de quo tamen non constat.

*FICELĬAE, arum, locus in monte Quirinali, ubi habitabat Nepos vicinus *Martialis:* qui 6, 27. sic scribit: Bis vicine Nepos, nam tu quoque proxima Florae Incolis, et veteres tu quoque Ficelias. Cf. *Donat. de Urb. Rom.* 3, 15. *Nardin. Rom. Vet.* 4, 9. *B. A.*

FĪCĒTUM, i, n. συκῶν, locus, ubi ficus consitae sunt. *Varr. R. R.* 1, 41. In locis frigidis ficeta fieri non possunt. Adde *Plin.* 15, 19, 21. ℙ Translate ponitur pro obscenis partibus ficosis, id est multis ulceribus, quae ficos vocant, obsitis. V. FICUS. *Mart.* 12, 33. Ut pueros emeret, Labienus vendidit hortos: Nil, nisi ficetum, nunc Labienus habet, *h. e.* pueros, quorum podices ficosissimi facti sunt.

FĪCĪTAS, atis, f. ficorum fructuum abundantia, ut olivitas olivarum. *Nov.* ap. *Non.* 2, 317. Ficitores omnes cupiunt ficitatem; merx est sine molestia.

FĪCĪTOR, oris, m. συκολόγος, ficorum collector seu cultor.. V. *Nonnii* loc. in v. praec.

FICOLĒA, palus ficulneus. *Festus.*

*FĪCOLENSIS et Ficulnensis, e, adj. ad Ficoleam seu Ficuleas seu Ficulneam pertinens, Latii oppidum prope viam Nomentanam, septem ab Urbe pass. mill., et tribus a Nomento, de quo *Mart.* 6, 27. Incolis et veteres tu quoque Ficuleas. *Liv.* 3, 52. Via Nomentana cui tunc Ficulnensi nomen fuit, profecti. ℙ *Ficolenses, ium*, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 42. M. Aurelio Antonio Aug pueri et puellae alimentarii Ficolensium. *B. A.* et *F.*]

FĪCOSUS, a, um, adj. ficis seu ulceribus et tuberculis in podice plenus. *Mart.* 7, 71. Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus. *Auct. Priap.* 42. inter eruditos Ficosissimus ambulet poetas. *Id. ib.* 51. Ficosissima me puella ludit. V. FICUS.

FICTĒ, adv. simulate, πεπλασμένως. *Cic. Fam.* 3, 12. *extr.* Ne cui suspicionem ficte reconciliatae gratiae darem. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 4. Ficte et simulate, quaestus causa, in aures alicujus insusurrare. *Id. Dom.* 29. Non ficte et fallaciter, sed vere et sapienter popularem esse.

FICTĪCĬUS, a, um, adj. πλασματώδης, fictus, simulatus. *Plin.* 37, 13, 76. Ficticiis gemmis pusulae in profundo apparent. *Id.* 14, 16, 18. Ficticium vinum, *h. e.* quod ex alio, quam ex uva factum est. *Id.* 15, 7, 7. Ficticium oleum. *Ulp. Regul. tit.* 28. *extr.* Ficticiae actiones. ℙ Alii ap. *Plin. ll. cc.* leg. *facticiis* et *facticium.*

FICTĬLIĀRĬUS, ii, qui fictilia facit, figulus. *Inscr.* ap, *Grut.* 643, 1. Casato Caratio fictiliario Felici P. C. [**Gloss. Gr. Lat.* ὀστρακοποιὸς, Fictiliarius. *B. A.*]

FICTĪLIS, e, adj. qui a figulo factus est, πλαστὸς. *Cic. N. D.* 1, 26. In ceris aut fictilibus figuris fingere aliquid. *Id. Div.* 1, 10. Summanus fictilis. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Fictilia vasa. *Tibull.* 1, 1, 39. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula. Et absolute eod. sensu. *Ov. Met.* 8, 668. Omnia fictilibus. *Juven.* 3, 168. Fictilibus coenare pudet. Et 10, 25. nulla aconita bibuntur Fictilibus. *Plin.* 29, 2, 9 In fictili crudo componere quidpiam. Et 12, 25, 54. Balsamum novo fictili conditur. *Id.* 35, 12, 46. Fictilia dolia. V. DOLIUM. Ioculariter *Pl. Poen.* 4, 2, 14. amphoras, cadosve vini plenos, quibus vini aetas, adscripto consule, inscripta est, *litteratas fictiles epistolas* appellat. ℙ Fictilium laudes habes apud *Plin.* 35, 12, 43.

FICTĬO, onis, f. πολήσις, actus fingendi et formandi. *Quint.* 6, 3, 61. et 8, 6, 31. Fictio nominum, adjectis, detractis, mutatis litteris. *Gell.* 18, 11. Furium veterem poetam dedecorasse linguam Latinam hujuscemodi fictionibus vocum. *Lactant. de opific. D.* 12. Fictio *(animalis in utero)* a capite sumit exordium. *Id.* 4, 4. et 2, 9. Fictio hominis, *h. e.* creatio. ℙ Item simulatio. *Quint.* 9, 2. In ironia voluntatis fictio est. *Id. ib.* 3, *f.* et 11, 1. Fictio personae, *h. e.* prosopopoeja. *Lactant.* 1, 21. *f.* Poetarum fictionibus credere. ℙ Item [*ratio ducendi argumenti a rebus in cogitatione positis, i. q. Gr. καθ' ὑπόθεσιν dicunt. V. *Ernest. Lex. technol. lat.* p. 165.] *Quint.* 5, 10, 95. Utitur fictione: si miles, si infans sit, si reipubl. causa absit. [*V. *Spalding.* ad h. l.]

¶ *Fictio legis* dicitur cum per legem aliquam cuipiam conceditur, ut alia conditione censeatur, atque in praesenti est: v. gr. lex Cornelia sanxit, ut qui apud hostes morerentur, eorum testamenta perinde valerent, ac si in civitate decessissent. Itaque lex quodammodo fingit, eos in civitate testamentum condidisse, quamvis inter hostes fecerint. *Paul. Dig.* 35, 2, 1. et 18., et 41, 3, 15.

FICTOR, oris, m. πλαστής, qui fingit et format, figulus, statuarius. *Cic. N. D.* 1, 29. Deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt. *Id fr.* ap. *Lact.* 2, 8. Faber non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae sit parata: fictorque item e cera. ¶ *Fictores* etiam dicti, qui liba in sacris faciebant, teste *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* ex Ennio. De hujus artificii causa ita *Serv.* ad *A.* 2, 116. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi. Unde cum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum, de pane, vel cera fiunt, et pro veris accipiuntur. Adde *eund.* ad *A.* 4, 512. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 270, 6. Cum Statilio Dionysio discipulo fictorum pontificum. Et 1081, 1. In agro Aurelii Primiani fictoris pontificum. Et 311, 1. Q. Veturius Memphius V. E. fictor V. V. *h. e. vir egregius* fictor *Virginum Vestalium.* Prior inscriptio pertinet ad an. a Chr. n. CCII., altera ad an. CCLII., tertia ad an. CCV. Alii putant, fictores fuisse, qui pontificibus vel virginibus vestalibus inservirent Deorum signis ornandis, vel faciendis l*V. *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 5.] ¶ Translate *Pl. Trin.* 2, 2, 84. Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi. Eo ne multa (*h. e.* non multa) quae nevolt, eveniunt, nisi fictor malus est. Multa est opera opus ficturae, qui se fictorem probum vitae esse agendae expetit. *Id. Epid.* 3, 4, 85. Legum atque jurium fictor, conditor cluet. *Virg. A.* 9, 602. fandi fictor Ulysses. Ubi *Servius:* aut fallax, aut λογοδαίδαλος, id est qui dolum celat sermonis ornatu. ¶ [Est etiam cognomen R. *Liv.* 3, 13. L. Volscius Fictor. *F.*]

FICTRIX, icis, f. quae fingit et format. *Cic. N. D.* 3, 39. Ejus universae materiae fictrix, et moderatrix divina est providentia.

FICTŪRA, ae, f. fictio, compositio. *Gell.* 10, 5. *Avarus* ab uno solum verbo inclinatum, quod est *aveo*, eademque fictura, qua est *amarus.* Adde *Plauti* locum in V. FICTOR.

FICTUS, a, um. part. a *fingo*, πλαστὸς, effictus, formatus. *Cic. Pis.* 25. Ex argilla et luto fictus. *Id. Or.* 1, 25. Sunt quidam ita naturae muneribus in iisdem rebus habiles, ut non nati, sed ab aliquo Deo ficti esse videantur *Id. Fam.* 5, 12. Picta aut ficta imago. *Hor. Ep.* 2, 1, 264. Fictus vultus in pejus. *Id. A. P.* 52. nova victaque verba. Al. leg. *facta.* Item simulatus, praeter verum excogitatus. *Cic. N. D.* 2, 28. Commenticii et ficti Dii. *Id. Off.* 3, 9. Ficta et commenticia fabula. *Id. Caecin.* 5. Fictum officium et simulata sedulitas. *Phaedr. epil. l.* 2. Fictae arte fabulae. *Mart.* 6, 57. Capilli ficti. *Hor. A. P.* 338. Ficta voluptatis causa sint proxima veris. *Virg. G.* 2, 45. Fictum carmen. *Ov. Met.* 6, 565. Fictos gemitus dare. *Tac. A.* 1, 46. Cunctatione ficta ludificari aliquem. [*Lucr. 4, 1188. fictus amor.] ¶ *Fictum* absolute est res ficta. *Ov. Met.* 9, 767, jam consumpserat omnem Materiam ficti. *Virg. A.* 4, 188. ficti pravique tenax. ¶ Et adverbii vice est *ficte. Stat. Th.* 6, 876. fictumque in colla minatus, Crura subit. ¶ Est etiam fictus, qui fingit. *Hor. Sat.* 1, 3, 61. pro pene sano, Ac non incauto, fictum astutumque vocamus. [*Plin. *ep.* 8, 18. Alii fictum (eum), ingratum, immemorem loquuntur. Hac etiam significatione positum videtur vocab. apud *Cic. N. D.* 1, 2, 3. In specie autem fictae simulationis etc., ubi dubito, an recte *Heindf. ficta* emendasse sibi visus sit.] ¶ Item compositus, ornatus. *Pl. Stich.* 5, 5, 4. Mulier bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen. *Id. Truc.* 2, 2, 34. Ficti, compositi, crispi cincinni. ¶ Est etiam part. a *figo*, pro *fixus. Varr. R. R.* 3, 7. Sub ordines singulos tabulae fictae ut sint bipalmes, quo columbae utantur vestibulo, ac prodeant. *Lucr.* 3, 4. inque tuis nunc Ficta pedum pono pressis vestigia signis. Al. leg. *fixa.* V. CONFICTUS.

*FICTUS, us, m. *Sarisb.* 2, 27. Disciplinae fictum effugere. *B. A.*

FICŪLA, ae, f. parva ficus *Pl. Stich.* 5, 4, 8. Nucibus, fabulis, ficulis. [*Etiam *Poen.* 5, 2, 45. legit *Acidalius*, Ficulas, favulas (fabulas) ait se advexisse et nuces. Sed *Gronovius* retinuit *Ligulas canalis ait etc. Ficulus* autem plane, putat *Gesnerus*, auctorem non habet. *B. A.*]

*FICULĒA vel Ficulnăa, ae, f. vetus Latinorum oppidum, in Sabinis. *Liv.* 1, 38. ubi in ed. *Drak.* impressum *Ficulea*, ed. *Gronov.* praebente *Ficulnea.* ¶ Hinc

*FICULEĀTES, ium, m. incolae Ficuleae, apud *Varr. L. L.* 5, 3. qui *Plin.* 3, 5. *Ficolenses* audiunt. *B. A.*

FICULNENSIS. V. FICOLENSIS.

FICULNĔUS et Ficulnus, a, um, adj. σύκινος. ad ficum arborem pertinens. *Varr. R. R.* 3, 16, *extr.* Cinis e ficulneis lignis. *Colum.* 6, 3. *f.* Ficulnea folia. *Hor. Sat.* 1, 8, 1. Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

FICUS, i, et us, f. συκῆ, arbor quae ficos fructus profert. [Est ab Hebr. פָּגַג *fag*, gressus, quod a Chald. פַּגַּג egressus est, sic dictus, quod nec stamina habeat, nec ex calyce floris, sicuti ceteri fructus, enascatur, sed ex ipsa arbore formatus egreditur. *F.*] *Cic. Or.* 2, 69. Uxorem suam suspendisse se de ficu. *Plin.* 16, 31, 55. Radices copiosae fico, robori, platano. Et *ib.* Fici, quarum radices longissimae. Et *ib.* 27, 50. Ficus biferae. Et 7, 2, 2. In India sub una ficu turmae conduntur equitum. V. 12, 5, 11. ubi mira de Inda ficu tradit. ¶ Item ejus arboris fructus, σῦκον. In secunda declin. perraro est masculini generis: in quarta feminini tantum. *Cic. Fl.* 17. Fiscinam ficorum alicui objicere. *Varr. R. R.* 1, 41. Fici semen naturale intus in ea fico, quam edimus. Et *ib.* Per ficos, quas edimus. *Cels.* 4, 7. Ficus arida incocta. *Macr. Sat.* 2, 16. Grossi appellantur fici, qui non maturescunt. *Hirt. B. Afr.* 67. Magno invento hordei, olei, vini, fici numero, atque recreato exercitu, rediit in castra. *Hor. Ep.* 1, 7, 5. Dum ficus prima calorque. [*Signif. *Hor.* tempus autumni, quo fici maturitatem trahunt, et solis fervor perniciosam in corpore vim habet. *Döring.* ad h. l.] ¶ Ficorum varia genera *Cloatius* enumerat ap. *Macr. l. c.* Ipse autem *Macr. ib.* addit, ficum, tanquam non pomum, secerni a pomis apud idoneos scriptores. *Cic. fragm. ib.* Oleum, ficos, poma non habet. *Afran. ib.* Pomum, olus, ficum, uvam. *Ov.* tamen *Fast.* 2, 253. Stabat adhuc duris ficus densissima pomis. Et *Plin.* 16, 26, 49. Excepta fico, cui folium maximum, et supra id pomum. Adde 12, 5, 11. ¶ *Ficus duplex* quid sit, V. in DUPLEX. ¶ *Plin.* 13, 7, 14. pluribus verbis accurate describit sycaminum, vel sycomorum, quam ipse appellat ficum Aegyptiam. ¶ Praeterea *ficus*, i, m. genus est ulceris, quod nascitur in capite tum in capillo, tum in barba, inque aliis etiam locis, quae pilis integuntur, ita dictum, quia desuper fundit se ad similitudinem fici fructus. *Cels.* 6, 3. συκωσιν Graece appellat. ¶ Huic simile et morbi genus eorum proprium, qui muliebria patiuntur. V. MARISCA. *Mart.* 1, 66. Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci, Dicemus ficos, Caeciliane, tuos. Huc pertinent dicta in V. FICOSUS et FICETUM. ¶ Denique nomen est marini fruticis, sine foliis, rubro cortice. *Plin.* 13, 25, 49. ¶ Grammaticorum lites de genere et declinatione hujus nominis, praesertim qua morbum significat, V. ap. *Voss. de gramm.* 3, 14. ¶ *Valde exercuit *Ficus* Grammaticos veteres et novos, cum de Genere et Declinatione disputarint a *Martialis* inde temporibus, cujus est hoc epigramma 66, 1. Cum dixi *ficus*, rides quasi barbara verba, Et dici *ficos*, Caeciliane, jubes. Dicemus *ficus*, quas scimus in arbore nasci, Dicemus *ficos*, Caeciliane, tuos. Infinitum fuerit omnia huc referre, quae de hoc ipso loco disputata sunt ab antiquis et recentioribus, e. g. *Charisio* 1, 103. *Prisc.* 6, 713. *Valla Eleg.* 4, 1. In quibus multus est *Raderus.* Itaque haec modo monemus: primo lectionem, quam dedimus, esse omnium suffragiis certam, praeter *Ramiresii*, qui *Ficus* etiam *v.* 4. vult legi, et in hoc reprehendi Caecilianum, qui *ficos* tantum dici secunda Declinatione putavit. Deinde pronomen *tuos* quibusdam non videri adjective adjunctum ad *ficos*, ut inde possit probari, quod facit *Priscianus*, *ficos* pro morbo esse generis Masculini: verum hoc velle *Martialem*: Si omnino *Fici* tibi ita probantur, dicemus *Ficos* eos, qui tuae libidinis fructum tulere morbum illum ficosum, tuos homines, tuos pullos etc. Placuit hoc jam *Charisio* 1, 103. cum dicit, in eo versu esse ἀοίνθετον. Reliqua disputatio cum tota ad exempla et auctoritates redeat, in quibus satis fuimus copiosi; hic supersedere ea longiore possumus. *Ficum* arborem et fructum tutius Feminino genere, *Ficum* insuper Declinatione secunda, *Ficum* morbum Masculino, et secunda Declinatione adhibere malim: sed secus facientes facile tulero. Ex GESNERO haec addidit *Bail.*

FIDĀMEN, inis, n. fiducia. *Tertull. carm. ad senat.* 83. Corrige delictum fidamine.

FIDĒ, adv. fideliter, πιστῶς. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Quae mihi a te ad timorem fidissime atque amantissime proponuntur. *Gell.* 12, 8. *extr.* Fidissime amicissimeque vixerunt.

FIDĔDICTOR, oris, m. fidejussor. *Bonifacius* in *ep. ad August.* ap. *hunc ep.* 23. *med.*

FIDĒICOMMISSĀRIUS, ii, m. qui fidei commissionem recepit. *Ulp. Dig.* 32, 1, 11. Fideicommissario restituere. Et *ib.* Si fideicommissarius ante decesserit. ¶ Est etiam adj. ut Fideicommissaria hereditas, quae ex fideicommisso venit. *Papin. Dig.* 31, 1, 77. §. 24. ¶ Fideicommissarius praetor, qui de fideicommissis cognoscit. *Ulp. Regular. tit.* 25. *de fideicommissis.* ¶ *Fideicommissarius heres.* V. FIDUCIARIUS.

FĪDĒICOMMISSUM, i, n. species dispositionis ultimae voluntatis, cum testator alicujus fidei aliquid committit, quod alteri traditurus sit. Dictum est fideicommissum, quia ex fide ejus, cui committebatur, pendebat. Sed postea fideicommissa, ut omnis fraudis humanae occasio amputaretur, ab Augusto ad necessitatem juris sunt retracta, justisque legatis exaequata. V. JCtos *Dig. lib*, 30, 31. et 32. et alibi. Habet hanc vocem etiam *Quint.* 3, 6. *med.* ¶ *Per fideicommissa aliquid tradere* proverbiali locutione ap. *Arnob.* 6, 195. est ita tradere, ut non illi, cui tradimus, sed alteri detur, seroque ad illum, et fortasse nunquam perveniat: quemadmodum hereditas fideicommisso relicta, non ad illum, cui relinquitur, sed ad heredem pertinet, qui sero, et (si loquamur secundum veterum fideicommissorum jus) nunquam fideicommissario tradet, si noluerit.

FIDĒICOMMISSUS, a, um, adj. qui fideicommisso relictus est. *Ulp. Dig.* 19, 1, 43. Fideicommissa libertas. [**Fragm. Vet. ICti de jure fisci*, (ed. *Goesch.*) p. 348. ed. *Berol.* Aut fideicommissam libertatem praestet. *B. A.*]

FIDĒICOMMITTO, is, a. 3. fidei alicujus committo, fideicommissum do. *Scaev. Dig.* 32, 1, 36. Pater filium praedia alienare prohibuerat, sed conservare liberis, et ceteris cognatis, fideicommiserat. *Papin. Dig.* 35, 2, 14. Avia nepotibus fideicommisit, ut solida legata fratribus solverent. *Martian. Dig.* 30, 1, 111. Quidam ab eo, cui fundum legaverat, fideicommiserat, ut eum fundum post mortem suam restitueret Sempronio.

FIDEJŪBĒO, es, jussi, jussum, n. 2. ἐγγυάομαι, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω, pro altero fide mea spondeo, fidem meam pro alio obligo. *Ulp. Dig.* 46, 1, 10. Filiusfamilias pro patre poterit fidejubere. ¶ Dicitur etiam divisim, *fide mea esse jubeo. Id. ib.* 45, 1, 75. *med.* Fidejussores et ita interrogantur: id fide tua esse jubes? *Scaev. ib.* 17, 1, 60. Scias, quodcumque ab ea stipulatus fueris, id me mea fide jussisse, salvum te habiturum.

FIDEJUSSIO, onis, f. ἐγγύησις, obligatio fidei pro alio. *Jabolen. Dig.* 46, 1, 20. Servus fidejussionis nomine obligari non potest.

FIDEJUSSOR, oris, m. ἐγγυητής, sponsor, qui pro alio aliquid promittit. V. EXPROMISSOR. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1, 2, 59. Fidejussor est auctor credendi. V. *Ulp.*, *Pompon.*, *Paul.* et alios *Dig.* 46. *tit.* 1. qui est *De fidejussoribus.*

FIDEJUSSORIUS, a, um, adj. ad fidejussorem, seu fidejussionem pertinens, ut Fidejussoria causa ap. *African. Dig.* 46, 3, 38. *extr.*

*FIDEIPROMISSOR. V. FIDEPROMISSOR. *B. A.*

FĪDĒLĒ, adv. idem ac fideliter. *Pl. Capt.* 2, 3, 79 Fac, fidele sis fidelis. *Non.* 11, 25. adverbium agnoscit. Verum alii rectius leg. *Fac. fideli sis fidelis.* [**Fac fidele sis fidelis* veram esse hujus loci lectionem, quam et sensus et Plautiusus dicendi postulet, satis demonstravit *Lindem.*] *Prud.* tamen περὶ στεφ. 10, 428. Nunquam aliter precabor, quam fidele ut militent. Quae potest esse enallage, ut *dulce ridere.*

FĪDĒLIA, ae, f. κεράμιον, genus vasis, plerumque fictilis, variis rebus servandis: est a πίθος, dolium. *Pers.* 3, 21. sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo. *Id.* 5, 183. tumet alba fidelia limo. *Colum.* 12, 56. Medullam radicis in fideliam vitream, vel novam fictilem conjicito. *Id. ib.* 13. Hae herbae diligenter purgantur, deinde quarto die sal in fundis fideliarum substernitur, et separatim unaquaeque componitur. *Pl. Aul.* 4, 2, 15. Si reperero, o Fides, mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. ¶ *Duos parietes de eadem fidelia dealbare*, proverb. ap. *Curium* ad *Cic. Fam.* 7, 29., *h. e.* una opera duos velle demereri, vel universim duas res conficere. *Cic.* dixit *Rosc. Am.* 29. Una mercede duas res assequi velle. Simile est illud *Pl. Cas.* 2, 8, 40. Jam ego uno in saltu lepide apros capiam duos.

FĪDĒLIS, e, adj. πιστὸς, qui fidem praestat, cui credere tuto possumus, constans, fidus. *Cic. Amic.* 15. Amicitiae fideles. *Id. Coel.* 6. Firmus ac fidelis amicus. *Sall. Jug.* 79. Amicitia societateque impetrata, semper boni fidelesque mansere. *Cic. Att.* 5, 18. Sociis multo fidelioribus utimur. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Fidelissima conjux. *Sall. Cat.* 9. In suppliciis Deorum magnifici, in amicis fideles erant. Al. leg. *in amicos.* Et *Cic. Mil.* 10. Servi animo fideli in dominum. *Id. Phil.* 11, 13. Dejotarus fidelis populo R. [**Liv.* 22, 37. Quibus a bonis fidelibusque sociis bella juvari soleant. Sic proprie socii dicuntur: cf. 9, 2. 29, 17. *Lex. Liv.* p. 262.] *Id. Agr.* 2, 2. *extr.* Fidele consilium. Et *Caecin.* 5. Fidelis opera. *Hor. Od.* 3, 2, 25. Fidele silentium. *Id. Od.* 1, 1, 27. Fideles canes. *Id. A. P.* 181. Fideles oculi. *Ov. Her.* 14, 127. Fideles lacrimae, *h. e.* verae. Et *ib.* 1, 104. Cura fidelis. [**Hor. Od.* 4, 5, 15. Fidelia desideria.] ¶ Absolute. *Cic. Fam.* 4, 1. *med.* Si quem tuorum fidelium voles, ad me mittas. ¶ Tribuitur et rebus inanimis. Nam et doctrina, et domus, et ars, et ager fidelis dici potest, ut *Cic.*

Fam. 16, 17. docet. Sic *Ov. Trist.* 4, 5, 5. fideles portus. *Virg. A.* 9, 707. duplici squama lorica fidelis, et auro. *Plin.* 13, 6, 12. Terebinthi materies fidelis ad vetustatem. *Id.* 28, 17, 71. Fidelissimum glutinum. *Id.* 16, 36, 64. Glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 167. fumoque fideli Lambit contiguas innoxia flamma pruinas. *Front. Aquaed.* 123. Structura fidelis. [*De discrimine inter *fidelis* et *fidus*. V. in FIDUS.]

FĬDĒLĬTAS, atis, f. πιστότης, virtus ejus, qui est fidelis, constantia in fide. *Cic. Phil.* 12, 9. Ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universae civitatis oculi custodiunt. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 17. Illi fidelitas erga patriam non defuit. *Pl. Trin.* 5, 2, 2. Fides fidelitasque erga amicum. *Fides* et *fidelitas* differre dicuntur in eo, quod illa animo, haec re spectetur. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 16, 16.]

FĬDĒLĬTER, adv. πιστῶς. *Liv.* 33, 35. Constanter et fideliter permanere in amicitia populi Rom. *Plin. Pan.* 56. Fidelissime narrare. *Cic. Fam.* 11, 21. *extr.* Quo fidelius ad te litterae perferantur. *Id. Off.* 1, 26. *extr.* Vivere simpliciter, fideliter, vitaeque hominum amice. *Ov. Pont.* 2, 9, 47. Discere fideliter artes ingenuas. *Id. Her.* 15, 67. Fideliter monere. Et *Fast.* 6, 41. Fideliter iras ponere. Et *Plin. ep.* 6, 24. Fidelius judicare. *Gell.* 17, 12. Qui quartanam passus convaluerit, fidelius constantiusque postea valiturum. *Id.* 15, 2. *f.* Fideliter continentem et temperantem esse. *Plin.* 33, 3, 19. Simulacrum fidelissime inauratum, *h. e.* magna cum fide et sumptui nihil parcendo. *Flor.* 3, 5. *med.* Exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt, *h. e.* parva cum cura, et non omnino. *Plin. ep.* 7, 31. Fideliter amicos colere. *Id. ep.* 10, 28. Mensuras fideliter agere. ℙ *Valetudini fideliter inservire* dixerat *Tiro* ad *Ciceronem* scribens, qui id velut ἄζυγον, *h. e.* improprium reprehendit *Fam.* 16, 17. At non improprium, inquit *Cortius*, videbitur iis, qui de officiis erga se ipsum tam multa disserunt. Potest *Tiro* respexisse ad mandatum patroni, quod summa fide se exsecuturum promittit: potest sumpsisse pro exacte, probe, ut *Flor. l. c.* Simillimum *Tironis* est illud *Ov. Met.* 7. 563. de pestilentia. Quo propior quisque est, servitque fidelius aegro, In partem leti citius venit. Denique ipse *Cic. ib.* fatetur, multas esse hujus vocis migrationes in alienum: quod videtur non debuisse dicere, si ἄζυγον volebat ostendere.

FIDENAE, arum et Fidena, ae, f. oppidum et colonia Latii, haud procul a Tiberi, [quinque ab Urbe pass. mill. distans: *Castel Jubileo*, ubi exstitisse Fidenae vulgo putantur, uno fere milliario ab hoc loco distat. V. *Nibbyum*, *Viagg. antiq. T.* 1. p. 85. *F.*]: condita est ab Ascanio Aeneae filio, vel ab Aenea Silvio: capta et eversa a dictatore Mamerco Aemilio, quod a Romanis rebellaverat. *Plin.* 16, 4, 5., *Virg. A.* 6, 773., *Liv.* 1, 2. et 4. ℙ Prima ejus syllaba corripitur a *Virg. l. c.*, producitur ab *Hor. Ep.* 1, 11, 8., *Prop.* 4, 1, 36., *Sil.* 15, 90. et *Juven.* 6, 57. et 10, 100.

FIDENAS, atis, adj. ad Fidenas pertinens. *Liv.* 1, 15. Belli Fidenatis contagione irritati Vejentium animi, et consanguinitate: nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt. ℙ *Fidenates*, *ium*, sunt Fidenarum incolae. *Liv. ib.* ℙ *Fidenas* fuit etiam cognomen R. *Liv.* 4, 17. L. Sergius Fidenas.

FIDENS, entis, part. a *fido*, θαρσαλέος, qui fidit. *Cic. Tusc.* 3, 7. Qui fortis est, idem est fidens (quoniam confidens mala loquendi consuetudine in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est) qui autem est fidens, is profecto non extimescit. *Id. Off.* 1, 23. Animus prudentia consilioque fidens. *Id. Att.* 6, 6. *med.* Puer bene sibi fidens. Et *ib.* 10, 8. Fidens rebus suis. *Virg. A.* 11, 351. fugae fidens. Et *G.* 3, 31. fidens fuga Parthus. *Cic. Tusc.* 1, 46. Fidenti animo gradietur ad mortem. *Id.* vertens *Homeri* versus *Div.* 2, 30. Tum Calchas haec est fidenti voce locutus. *Plin.* 8, 16, 21. Dum fortuitu fidens non est contra feram. *Ammian.* 16, 12. Romanus fidentior. *Id.* 27, 10. Fidentissimo impetu acies motae. ℙ Cum genit. *Virg. A.* 2, 61. Fidens animi. Adde *Tac. A.* 4, 59. [*Lucan. 9, 373. Fidens armorum.] ℙ *Fidens*, h. e. fidem habens, credens. *Pl. Asin.* 3, 2, 15. Ubi fidentem fraudaveris.

FIDENTER, adv. τεθαῤῥηκότως, intrepide, cum fiducia. *Cic. Div.* 2, 31. Timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Paulo vellem fidentius. *Ammian.* 17, 1. Ausi omnes accedere fidentissime.

*FIDENTES, ium, cognomen Aretinorum. *Plin.* 3, 5. Aretini veteres, Aretini Fidentes, Aretini Julienses. *B. A.*

FĬDENTĬA, ae, f. θάρσος, firma animi confisio, et fortitudinis pars, ut *Cic. Inv.* 2, 54. definit, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit. *Id. Tusc.* 4, 37. Et, si fidentia, id est, firma animi confisio, scientia quaedam est, et opinio gravis, non temere assentiens, metus quoque est diffidentia exspectati, et impendentis mali. ℙ [*Fuit et *Fidentia*, *ae*, *f.* oppidum Italiae superioris, V. v. seq. ℙ *Julia*, *Fidentia* cognominata, urbs fuit Hispaniae Baeticae, prope Cordubam. *Plin.* 3, 1. Julia, quae Fidentia (cognominatur). *B. A.*]

[FĬDENTĪNUS, a, um, adj. ad Fidentiam pertinens, Aemiliae urbem, inter Parmam et Placentiam, nunc *Borgo S. Donnino*, de qua meminit *Vell.* 2, 28. [*Liv. Epit. l.* 88. *Anton. Itin.*] Hinc *Fidentini*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 15, 20. Faventini, Fidentini. ℙ *Fidentinus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 767, 4. Calvius Fidentinus. *F.*]

[FĬDEPROMISSOR, oris, m. qui fide sua aliquid se facturum promittit. *Cajus Instit.* 3. (ed. iterum *Goeschenio*) §. 115. Pro eo qui promittit, solent alii obligari: quorum alios sponsores, alios fidepromissores, alios fidejussores appellamus. Sponsor ita interrogatur: idem dari spondes? fidepromissor: idem fidepromittis? fidejussor ita: idem fide tua esse jubes? Sponsoris vero, et fidepromissoris similis condicio, fidejussoris valde dissimilis. Nam illi quidem nullis obligationibus accedere possunt, nisi verborum: fidejussor vero omnibus, id est, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contractae fuerint obligationes, adjici potest. Praeterea sponsoris, et fidepromissoris heres non tenetur: fidejussoris autem etiam heres tenetur. Item sponsor, et fidepromissor biennio liberantur, et quotquot erunt numero eo tempore, quo pecunia peti potest, in tot partes deducitur inter eos obligatio, et singuli viriles partes debent: fidejussores vero perpetuo tenentur, et quotquot erunt numero, singuli in solidum obligantur etc. *F.*] ℙ *Scribitur et *fideipromissor*. *Gloss. Philox.* Fideipromissor, πιστικελευστής. *B. A.*

[FĬDEPROMITTO, is, isi, a. 3. fide mea aliquid me facturum promitto. V. v. praec. *F.*]

FĪDES, ei, f. πίστις, virtus est consistens in constantia promissorum, itemque, ut ait *Don.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 7., in commendatorum fida exsecutione vel observantia. *Cic. Off.* 1, 7. Fundamentum justitiae fides, idest dictorum conventorumque constantia et veritas: ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sunt ducta; credamusque, quia fit, quod dictum est, appellatam fidem. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 1. *f.*] *Vossio* haec derivatio non placet: ducitque a *fido*, hoc a πείθω. [*Salmas. *de usuris* docuit, *Lat. fides* esse ex *Gr.* πίστις, pro quo Aeoles dixerint πίττις. V. *Beier.* et quos laudat ad l. *Cic.* modo laudatum.] *Cic. Part.* 22. *extr.* Justitia in rebus creditis fides nominatur. *Ter. l. c.* Opus est fide et taciturnitate. *Cic. Att.* 16, 7. Quid debet, qui consilium dat, praestare, praeter fidem? *Id. Phil.* 12. *f.* Suam fidem reipubl. constantiamque praestare. *Id. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio. *Id. Fam.* 1, 5. Ut meam erga te fidem et benevolentiam experirere. *Id. Rosc. Am.* 49. Si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit. *Id. Fam.* 1, 1. *f.* Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. *Caes. B. G.* 5, 52. Aeduos praecipuo honore Caesar habuit, pro vetere ac perpetua erga populum R. fide. Et *ib.* 2, 14. Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Aeduae fuisse. [*In locis, ubi de subditis sermo, fides est, i. q. fidele obsequium, nostr. *Treue*, *treue Pflichterfüllung*, *Gehorsam*. Ita *Suet. Caes.* 4. Nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. *Id. Rhet.* 1. Uti ei e Rep. fideque sua videretur, h. e. salutare, officio suo consentaneum. *Liv.* 40, 34. Sincera fide in pace Ligures esse. Plura v. in *lex. Liv.* p. 263. sq.] *Ter. Andr.* 1, 5, 55. Te oro per tuam fidem, ne etc. *Id. Ad.* 3, 4, 79. Homo antiqua virtute ac fide. [*nostr.: *Ein Mann von altem Schrot und Korn.* — Ex multis porro, quae h. l. addenda videntur, pauca notemus. *Plin. Pan.* 23, 6. Quisque iteraturus gaudii fidem, etc. i. e. gaudium fidele, sincerum, minime fictum. *Id. ib.* 73, 4. Comprobasti et ipse acclamationum nostrarum fidem lacrymarum tuarum veritate. *Liv.* 1, 1. Fidem futurae amicitiae sanxisse. *Id.* 32, 33. De pace cum fide agere. *Prop.* 4, 3, 11. Haecne marita fides, etc. Dicitur ut marita lex *Hor. C. S.* 20. *Tibull.* 1, 9, 32. Non gemmis vendere velle fidem.] ℙ Saepe ponitur pro pollicitatione *Cic. Fin.* 2, 20. Regulus sua voluntate, nulla vi coactus, propter fidem, quam dederat hosti, ex patria Carthaginem revertit. *Id. Vatin.* 6. Servare in aliqua re fidem. *Id. Off.* 1, 13. Fidem datam hosti fallere. [*Id. Inv.* 1, 39. Per fidem fallere.] *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Fidem dare alicui de altero. *Id. Phil.* 5, 18. Audebo obligare fidem meam vobis populoque R. *Plin. ep.* 1, 14. *extr.* Fide mea spondeo, futurum, ut etc. *Cic. Fam.* 13, 28. Te rogo, ut cures, ut illi satisdetur fide mea. *Id. Rabir. perd.* 10. Fidem violare. *Id. Rosc. Com.* 6. frangere. Et *Rabir. perd.* 10. In fide non stare. Et *Dom.* 25. In fide manere. *Sall. Jug.* 60. Fidem mutare. *Liv.* 3, 19. et 24, 16. *med.*, et 27, 5. Fidem exsolvere, *h. e.* praestando promissa liberare: Sic *Cic. Fam.* 12, 7. et *Flacc.* 20. Fidem liberare. *Plin.* 7, 1, 1. et *alter ep.* 4, 13. obstringere. *Nep. Lys.* 1. *extr.* Fide confirmare, se fore etc. *Id. Eum.* 10. Fidem amittere, *h. e.* abjicere, perfidum esse. [*Liv. 30, 15. Prima fides — secunda fides, i. e. prima et secunda pars promissi.] ℙ Interdum est promissio de securitate, et impunitate, vitam donando, poenam remittendo, (*Schutz*). *Cic. Cat.* 3, 4. Introduxi Vulturtium: fidem ei publicam jussu senatus dedi. *Id. Att.* 2, 24. Fidem publicam postulare. *Sall. Cat.* 48. Vulturtius ubi fide publica dicere jussus est, omnia aperit. *Cic. Brut.* 23. Lusitani contra interpositam fidem interfecti. *Liv.* 38, 33. Fide accepta ab legatis, vim abfuturam. *Id.* 36, 16. et 17. Oppidani oratores veniam fidemque petentes miserunt. ℙ Hinc saepe dicitur de patrocinio, defensione, tutela. *Ter. Eun.* 5, 9, 9. Commendare se alicui in clientelam et fidem. *Cic. Rosc. Am.* 37. Conferre se in fidem et clientelam alicujus. Et *Fam.* 7, 17. In amicitiam et fidem cujuspiam se conferre. *Liv.* 38, 31. Tradere aliquem in fidem et tutelam alicujus. Et *ib. f.* In fidem ditionemque populi R. oppidum accipere. *Cic. Off.* 1, 11. Nationes devictas bello in fidem recipere. *Id. Planc.* 41. Municipia, quae in fide mea sunt. [*Conferantur de his dicendi rationibus *Duk.* ad *Flor.* 3, 1, 3. *Drak.* ad *Liv.* 8, 1. *extr.* et ad 36, 38, 4. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 4, 17. qui satis longam de hac re disputationem dedit.] ℙ Et de ope, auxilio. *Id. Mur.* 40. Fidem vestram oro atque obsecro, judices. Et *Verr.* 2, 1, 9. Deum atque hominum fidem implorabis. *Pl. Cist.* 4, 1, 11. Dii, obsecro vostram fidem! servate nos. *Ter. Andr.* 4, 3, 1. Nihilne esse proprium cuiquam? Dii vestram fidem! ℙ Inter negotiatores fides est constantia illa promissorum, quae in creditis pecuniis adhibetur: unde est existimatio fidelitatis, qua facile invicem perficiuntur contractus, et pecuniae, mercesque creduntur, [*Credit.] *Cic. Manil.* 7. Scimus, Romae, solutione impedita, fidem concidisse. *Id. Cat.* 2, 5. Res eos jampridem, fides deficere nuper coepit. [*Id. Agrar.* 2, 3. Fides de foro sublata est.] *Caes. B. C.* 3. *in.* Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur. [*Liv. 6, 61. Altera (rogatione Sextii) fidem abrogari, cum qua omnis societas humana tollitur, i. e. quum debitores solvere non teneantur. cf. *c.* 11. ubi eodem sensu *fidem* moliri, i. e. labefactare. Hic etiam notandus locus *Hor. Ep.* 1, 6, 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque et amicos, Et genus et formam regina Pecunia donat. Hinc eleganter transfertur *fides* ad alias res, a quibus creditum aliquid cum foenere restituendum putamus. *Hor. Od.* 3, 16, 30. Fides certa segetis meae. *Plin. Pan.* 32, 4. Non equidem reposcimus fenus: putet tamen esse solvendum, fallacemque minus anni fidem, omnibus annis omnibusque postea saeculis tanto magis, quia non exigimus, excuset. *Tibull.* 2, 3, 62. At tibi — Persolvat nulla semina terra fide. Adde *Quint. Inst.* 12, 10, 25.] ℙ *Bona fides* primo contraria est dolo, calliditati, fraudi, astutiis: contra *mala fides* haec ipsa significat. *August. contra Acad.* 2, 5. *f.* Bona fides est, ex animi sententia. *Cic. N. D.* 3, 30. Tot judicia de fide mala. *Afric. Dig.* 40, 4, 20. Ut bona fide, et citra fraudem tutoris id fiat. ℙ Deinde idem est, quod aequum et bonum. Hinc *judicia bonae fidei* dicuntur a JCtis, in quibus judici non praescribitur formula, ex qua judicet, sed potestas permittitur, ut ex bono et aequo aestimet, quantum actori restitui debeat, ut *Justin. Inst.* 4, 1. *med.* docet. Quo pertinet illud *Cic. Off.* 3, 17. Scaevola summam vim esse dicebat in iis omnibus arbitriis, in quibus adderetur, ex fide bona: fideique bonae nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis etc. V. ARBITER. Hinc *fides* et *bona fides* dici potest, quam dicimus [*Gewissenhaftigkeit*, *Gewissen*, *gutes Gewissen*.] nempe studium et amor honestatis, et justitiae quo quis peccare metuit, et alterum injuria laedere: quemadmodum in judiciis bonae fidei non praescriptum legis aut praetoris judex sequitur, sed quod sibi aequitatis ratio et conscientia dictat. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. *Id. Fam.* 13, 72. Peto, ut memineris, te omnia, quae tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse! *Pl. Aul.* 4, 10, 42. Dic bona fide: tu id aurum non surripuisti? ℙ Tertio significat innoxiam ignorationem, qua quis aliquid sibi licere putat, quamvis revera non liceat: ut si quis rem, quam possidet, suam esse putat. Contra *mala fides* est in eo, qui sciens rem agit injustam, v. gr. possidet alienum. *Pompon. Dig.* 41, 3, 24. Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. *Paul. ib.* 41, 2, 1. Per eum, quem bona fide possidemus, quamvis alienus sit, possessionem acquirimus: quod si mala fide possideamus, non puto etc. *Ulp. ib.* 6, 2, 7. *med.* Bonae fidei emptorem esse. *Julian. ib.* 41, 5, 8.

Bona fide emptorem esse. *Cajus ib.* 41, 1, 9. Si bona fide possessor fuerit. *Ulp. ib.* 11, 7, 14. Quia bonae fidei possessor est. ℙ *Bona fide* translate, [*i. e. plane, prorsus. Cf. *Quint. Decl.* 12, 1. ibique *Burm.*; item *Sen. Contr. praef.* 5. *Duk.* ad *Flor.* 2, 1. *Gesner. Thes.* v. *Bonus* p. 625. Interdum respondet Graeco ἀτεχνῶς, ut in illo *Decl.* loco. Haec *Spald.* ad *Quint.* l. mox laudatum.] *Quint.* 10, 3, 23. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest. ℙ Praeterea *fides* dicitur de rebus inanimis, quae sincera sunt, incorrupta, et veluti legitima, ut iis credi tuto possit. *Cic. Arch.* 5. Cum Gabinii levitas omnem tabularum fidem resignasset. *Id. Fl.* 9. Litterae auctoritatem et fidem habent. *Id. Acad.* 4, 18. Hae res fidem nullam habent. *Gell.* 1, 7. Liber spectatae fidei, Tironiana cura atque disciplina factus. *Plin.* 36, 8, 13. Lapis parum distans ab onyche in unguentorum fide, *h. e.* in unguentis incorrupte servandis. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 165. de Aetna. Scit nivibus servare fidem. Adde *Front. Aquaed.* 123. *f.* ℙ Saepissime significat firmam opinionem ac persuasionem, quam habemus de aliquo. *Cic. Part.* 9. Narratio est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes et fundamentum constituendae fidei. *Id. Brut.* 50. Credit iis, quae dicuntur, qui audit oratorem. vera putat, assentitur: fidem facit oratio. *Id. Agr.* 2, 8. *extr.* Fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem quaerere. *Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Statim quae sentiemus, ad te scribemus: et tibi fidem faciemus, nos ea suadere, quae nobis videntur tuae dignitati esse utilissima. *Caes. B. C.* 2, 37. Nunciabantur haec Curioni, sed aliquandiu fides fieri non poterat. [**Suet. Oth.* 10. Qui, quum cladem exerc. nunciaret, nec cuiquam fidem faceret, i. e. quum nemo ei crederet. *Id. Ner.* 7. Et fidem somnio Nero brevi fecit, h. e. verum prabavit. *Lucr.* 1, 402. Fidem corradere dictis. i. q. *Id.* 2, 479. dicit: fidem ducere.] *Ov. Met.* 9, 705. Res fidem habuit. [**Plin. Pan.* 1, 6. Utque omnibus, quae dicentur a me libertas, fides, veritas constet. Fides h. l. est, ejus, qui aversatus crimen adulationis ea tantum profert, quae veritati perspexit consentanea. Adde *Eund. ep.* 7, 17, 3. Historia non ostentationi, sed fidei veritatique componitur.] *Ov. Her.* 18, 119. Si qua fides vero est. *Suet. Vesp.* 7. Fides est, rem successuram. [*Locus est: quum vix fides esset, rem ullo modo successuram, h. e. vix veri simile, vix credi posset.] *Plin. Pan.* 74. et *Ov. Fast.* 2, 20. Dare fidem vocibus, *h. e.* dictis fidem facere. *Cic. Div.* 2, 55. Adjungere fidem rebus commenticiis. *Id. Fam.* 5, 20. et *Verr.* 2, 5, 57. Habere fidem. [**Id. Rosc. Am.* 4. Quod mihi cum fide semel impositum est, i. e. propter opinionem de fide mea.] Sic *Id. Div.* 3. Tribuere fidem. (*Adhibere fidem* pro *habere*, V. in ADHIBEO.) *Pl. Pers.* 5, 2, 8. Ei fidem non habui argenti, *h. e.* nolui ei credere argentum. *Cic. Or.* 34. Commemoratio antiquitatis et auctoritatem orationi affert, et fidem. *Id. Or.* 2, 37. extr. Imminuere alicujus rei fidem. *Id. Font.* 7. Derogare alicui fidem. *Ov. Her.* 21, 136. Dictis fidem addere. [*i. e. quae promissa sunt, facere, promissis stare.] *Auct. ad Her.* 1, 10. et *Caes. B. G.* 6, 22. Cuipiam fidem abrogare. *Plin.* 28, 4, 13. Excedit finem impudens cura, qua etc. [**Suet. Claud.* 29. Nam illud omnem fidem excesserit.] *Plin.* 34, 7, 17. Supra humanam fidem. [**Suet. Caes.* 57. Laboris ultra fidem patiens erat.] [*Inscr.* opt. notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 138. Fidem exuerem, mutarem certa dubiis. *F.*] *Plin. alter ep.* 3, 14. Fidem peractae mortis implevit. *Sen. ep.* 92. *med.* Hoc est extra fidem. *Id. Q. N.* 4, 3. Historici cum unam aliquam rem nolunt spondere, adjiciunt: penes auctores fides erit. ℙ *Est fides*, creditur. *Stat. Th.* 7, 577. domus omnis, et omnia sacris Templa calent: ipsumque fides intrasse Lyaeum. ℙ Nonnunquam *fides* dicitur id ipsum, quod fidem facit. *Petr. Sat.* 97. In lance argentea indicium, et fidem praeferebat. [**Prop.* 4, 6, 60. Sum Deus; en nostri sanguinis ista fides. V. *Duk.* ad *Flor.* 1, 2. et *Burm.* ad *Ov. Met.* 12, 365.] *Ov. Pont.* 1, 5, 32. Sumque fides hujus maxima vocis ego. ℙ Hinc partem illam orationis, quae confirmatio dicitur, in qua ponuntur, quae ad faciendam fidem pertinent, et πίστις dicitur ab *Aristot. l.* 3. *Rhet. c.* 34. et alibi; et *fides* a *Cic. Top.* 12. Quoniam in confirmationem et reprehensionem diviseras orationis fidem. [*Cf. *Ernest. lex. techn. lat.* p. 307.] *Ter. Andr.* 5, 2, 16. Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides, *h. e.* vis persuadendi, et faciendae fidei, ἀξιοπιστία. *Just.* 9, 2. *extr.* Capta pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides inopiae Scythicae fuit. *Liv.* 6, 13. *f.* Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit; nec hominum de plebe, sed principes quidam juventutis inventi: manifesta fides, publica ope Volscos hostes adjutos. Adde *Stat. Th.* 2, 417. ℙ *Mira fides!* formula admirantis, cum res narratur, quae supra fidem esse videtur. *Stat. Ach.* 2, 205., *Silv.* 4, 4, 81. et *ib.* 3, 3, 21., etc. Sic *Silv.* 1, 3, 20. miranda fides! ℙ *Fides* Dea habita est Romanis, constantiae dictorum, servandi promissi, removendaeque fraudis ac doli praeses: quam *Hor. Od.* 1, 22, 21. albo panno velatam facit. [*Fidei templum consecratum est a rege Numa, teste *Liv.* 1, 21. aliisque.] ℙ *Per fidem*, jurandi formula. *Auct. dial. de Or.* 35. Controversiae, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae! ℙ In genit. singul. *fide* pro *fidei*, eo modo quo *die* pro *diei*, *facie* pro *faciei*, non caret exemplis. *Ov. Met.* 3, 341. Prima fide, vocisque ratae tentamina sumpsit Caerula Liriope. Et *ib.* 6, 506. Utque fide pignus etc. Sic enim utroque loco legit *Prisc.* 7, 781. et defendunt critici *Heins.*, *Burm.* et alii ex MSS. alia ejusdem poetae loca congerentes 7, 728. et 737. etc. [**Hor. Sat.* 1, 3, 95. adde *Od.* 3, 7, 4. Constantis juvenem fide. V. *Bentl.* ad h. l. et *Cort.* ad *Sall. Jug.* 52, 3. *Ruddim.* 1, 105.] *Plaut.* quoque *Aul.* 4, 6, 1. *fide* pro *fidei* in dativo posuit, ut quidem leg. *Charis.* 1, 53., item *Sall. Jug.* 19., sed lectio variat. ℙ Paenultimam in *fidei* producit *Lucr.* 5, 103. Nec jacere endo manus, via qua munita fidei. Et *Ennius* (ut multi leg.) ap. *Cic. Sen.* 1. Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei. Adde *Paul. Nolan. carm.* 6, 143. et *carm.* 15, 127. et alibi. ℙ [*Conf. *fides* et *finis*. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 24, 15. et *Spalding.* ad *Quint.* 4, 2, 118.]

FĪDES et Fidis, is, f. λύρα, κιθάρα, quodvis musicum instrumentum, in chordis habens harmoniam, lyra, cithara: videtur esse a σφίδες. *Hesych. Σφίδες, χορδαὶ μαγειρικαί.* At *Festus.* Fides, genus citharae dicta, quod tantum inter se chordae ejus, quantum inter homines fides, concordent; cujus diminutivum fidicula est. *Varr. R. R.* 2, 5. Hoc secundum astri exortum facio, quod Graeci vocant λύρας, fidem nostri. *Ov. Her.* 5, 139. Me fide conspicuus Trojae munitor amavit, *h. e.* Apollo. Et *ib.* 15, 23. Sume fidem, et pharetram: fies manifestus Apollo *Id. Fast.* 5, 104. Inventor curvae, furibus apte, fidis, *h. e.* Mercuri. *Id. Met.* 11, 167. Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis Sustinet a laeva: tenuit manus altera plectrum. *Hor. Ep.* 13, 9. fide Cyllenea Levare duris pectora sollicitudinibus. *Id. Od.* 1, 12, 11. de Orpheo: Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. *Id. Ep.* 2, 2, 143. verba sequi fidibus modulanda Latinis, *h. e.* Lyrico carmine. *Sid. carm.* 16, 5. Phoebum, et ter ternas decima cum Pallade Musas Sperne, fidis. ℙ Prosae scriptores utuntur solummodo in plurali numero. *Cic. Brut.* 54. Ut enim ex nervorum sono in fidibus quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet; sic, etc. *Id. Leg.* 2, 15. *extr.* Illa severa Lacedaemon nervos jussit, quod plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi. *Id. Tusc.* 1, 2. Fidibus canere praeclare. Et *ib.* 5, 39. Fidibus uti. *Id. Sen.* 8. discere. *Id. Fam.* 9, 22. docere aliquem. *Ter. Eun.* 1, 2, 53. scire. *Pl. Epid.* 3, 4, 63. cantare. ℙ Interdum *fides* sunt chordae, seu nervi in lyra contenti. *Prud. Cath.* 3, 81. Quae veterum tuba, quaeve lyra Flatibus inclyta, vel fidibus etc. ℙ *Nihil cum fidibus graculo*, proverbium, quo significatur, imperito homini, et a studiis ac doctrina imparato, nullum cum Musis commercium esse debere: Habet *Gell. praef. f.* ℙ Est etiam nomen signi coelestis, quae et *Lyra* dicitur. *Cic. Arat.* 381. Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda Delphinus. *Colum.* 11, 2. Cal. Febr. Fidis incipit occidere. Et *ib.* Tert. Id. Majas Fidis mane oritur. Et *ib. f.* Non Januariis Fidis exoritur mane. Adde *Sidon. carm.* 16, 5. ubi quoque *fidis* habetur: quod in recto videtur rectius: inde est enim *fidicula* non *fidecula*.

FĪDĬCEN, cinis, m. κιθαριστής, qui fidibus canit, citharista. *Cic. Fam.* 9, 22. Socratem fidibus docuit nobilis fidicen. *Hor. Od* 4, 3, 23. Romanae fidicen lyrae, *h. e.* poeta lyricus. Sic *Ep.* 1, 19, 33. Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus Vulgavi fidicen.

FĪDĬCĪNA, ae, f. κιθαριστρια, quae lyra canit, citharistria. *Ter. Ph.* 1, 2, 59. et *Plaut.* multis in locis. V. PSALTRIA.

*FĪDĬCĪNĀRĬUS, ii, m. idem ac fidicen. *Gloss. Philox.* Fidicinarius, λυριστής. *B. A.*

FĪDĬCĪNĬUS vel Fīdĭcīnus, a, um, adj. ad fides, et fidicinem pertinens. *Pl. Rud. prol.* 43. Eam vidit ire e ludo fidicinio domum. Al. leg. *fidicino.*

FĪDĬCĪNO, as, n. 1. fidibus cano. *Capell.* 9. p. 314. Megaris, saxum, ad ictum pulsus cujus cumque fidicinat. **Gloss. Philox.* Fidicino, λυρίζω. *B. A.*

FĪDĬCŪLA, ae, f. λυρίον, parva cithara, diminut. a *fide* seu *fidibus*. *Cic. N. D.* 2, 8. Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? ℙ Item signum coeleste. V. LYRA. *Colum.* 11, 2., *Plin.* 18, 26, 59. ℙ *Fidiculae, arum*, sunt nervi aut chordae tenuiores, quibus arcte constringuntur ac torquentur rei, sive in equuleo, sive extra: a similitudine fidium. Neque enim placere potest, quod tradit *Isid. Orig.* 5, 27., inde dictas esse, quod iis rei in equuleo torquentur, ut *fides* inveniatur. *Senec. Ira* 3, 3. Apparatus illi reddendus est suus, equulei, et fidiculae, et ergastula, et cruces. *Suet. Tib.* 62. Excogitaverat etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinaeque tormento distenderet. *Id. Cal.* 33. Exquirere fidiculis de aliquo. *Quint. Decl.* 19, 12. Tendebam fidiculas. *Imppp. Valentinian., Valenset Gratian. Cod. Theod.* 9, 35, 1. Fidiculas perferre. ℙ *Fidicla* syncope est *Prud. περὶ στεφ.* 10, 481. et 550.

*FĪDĬCŪLAE, arum, f. Italiae oppidum. *Val. Max.* 7, 6. Ex Apulia et a Fidiculis—emit. Alii ducunt a recto *Fidiculi, orum, m.* ut populorum nomen sit, non oppidi. *Cluverius* legit *Paediculis* vel *Pediculis;* nam Pediculi Apuliae populi. V. *Plin.* 3, 5. et 11. *Pighius* mavult *Aequicolis.* ℙ *Fidiculae*, nervi. V. in *Fidicula. B. A.*

*FĪDĬCŪLANĬUS, i, m. incola vel civis Fidicularum, qualis ille Falcula, de quo *Cic. pro Caecin. c.* 28. ubi forsan legendum *Fidiculanus. B. A.*

[FĪDĬCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad fidiculas pertinens, qui fidicularum seu chordarum more flexilis, et contortus est. *Front. de eloq.* (ed. *Maio*) p. 229. Discere autem ceratinas, et soritas, et pseudomenus, verba contorta et fidicularia, *nempe* captiosa. *F.*]

FĪDĬS. V. FIDES, is.

FĪDĬUS, ii, m. Dius Fidius et Deus Fidius est Jovis filius, quem *Sancum* vel *Sangum* Sabina lingua, Herculem Graeca appellari putabant, ut *Varr. L. L.* 4, 10. docet. *Fest.* in *Medius:* Mediusfidius compositum videtur et significare Jovis filium, idest Herculem, quod Jovem Graeci Δία: ac fidium pro filio: quod saepe antea pro L littera D utebantur. *Ov. Fast.* 6, 213. Quaerebam, Nonas Sanco, Fidione referrem, An tibi, Semo patter; cum mihi Sancus ait: Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo. Nomina trina fero: sic voluere Cures. *Varr. l. c.* 8. Apud aedem Dei Fidii in delubro. *Pl. Asin.* 1, 1, 8. Per Deum Fidium quaeris. *Varr.* ap. *Non.* 8, 93. Itaque domi rituis nostri, qui per Deum Fidium jurare vult, prodire solet in compluvium. ℙ *Medius fidius*, et copulatis vocibus *Mediusfidius*, vel *Medius Fidius* juramenti genus est, quod valet *me dius Fidius juvet* vel *amet*, ut *mehercules*, *mecastor*, h. e. *me Hercules*, *me Castor juvet* vel *amet:* Aliis illud *me* adverbium esse videtur, ut quod Graeci μὰ Δία dicebant, hoc est per Jovem, Latini *medius* dixerint. *Cic. Fam.* 5, 21. Unum medius fidius tecum diem libentius posuerim, quam, etc. *Plin. ep.* 4, 3. Hominemne Romanum tam Graece loqui? non, mediusfidius, ipsas Athenas tam Atticas dixerim. *Festus l. c.* aliorum item opinionem refert, qui *mediusfidius* id. esse putabant, ac *per divi fidem:* et aliorum, qui *per diurni temporis*, id est *diei fidem.* Hoc juramentum est proprium virorum, ut notat *Charis.* 1, 183. ℙ Quia Graece Δίος Ἰδιτιος Dius Fidius dicitur, quidam putant *v. Fidius* non pro filio, sed pro fido et fideli accipiendum: nam πίστις fides est.

FĪDO, is, n. 3. θαῤῥέω, fiduciam habeo, spem pono, confido. *Cic.* vertens *Arati* versus *Acad* 4, 20. et *N. D.* 2, 41. de Cynosura: Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto. *Virg. A.* 9, 378. celerare fugam in silvas et fidere nocti. *Hor. Ep.* 1, 19, 23. Qui sibi fidit. *Id. Od.* 1, 14, 14. Nil pictis timidus navita puppibus Fidit. *Ov. Met.* 7, 545. fidere cursu. Et *ib.* 9, 125. Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina. *Sall. Jug.* 120. Parum fidere alicui. *Plin. ep.* 4, 13. *extr.* Fidere ingenio suo. [*Ex locis allatis patet, *fidere* et cum dativo et cum ablativo construi; sed ubi persona significatur, dativo solum utendum est. V. *Ruddim.* 2, 140.] ℙ Cum infinito. *Hor. Ep.* 1, 19, 44. fidis enim manare poetica mella Te solum. *Lucan.* 4, 615. parum fidens pedibus contingere matrem. Adde *Sil.* 1, 432. ℙ Praeteritum est *fisus sum. Charis.* 1, 222. *Diomed* 1, 352. et *Prisc.* 8, 818. V. FISUS. ℙ *Fidebo* antique pro *fidam. Naevius* ap. *Non.* 10, 36. Tibi cum fidebo, fidelis ero.

FĪDŪCĬA, ae, f. opinio et spes certa, confidentia, securitas, θάρσος. Est autem plus, quam spes, major nimirum ac certior. [**Scil.* in rebus nititur fiducia, quae praesto sunt, quarum eventus vel apparet, vel parum dubius adest. V. *Brem.* ad *Suet. Claud.* 10. Adde *Liv.* 45, 8. Populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis praebet.] *Senec. ep.* 16. Dicam tamen quid sentiam: jam de te spem habeo, nondum fiduciam. *Cic. Amic.* 15. Haec enim est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia. *Id. Verr.* 1, 2, 14. Se habere hominem potentem, cujus fiducia provinciam spoliaret. *Pl. Bacch.* 3, 3, 9. Nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam, *h. e.* fiducia tui. [**Sil.* 8, 609. Maxima tot populis rector fiducia Brutus ibat, etc.] *Plin ep.* 4, 29. Nihil est, quod in dextram aurem fiducia mei dormias. *Liv.* 25, 37. *med.* Mirabundi, unde tanta audacia, tanta fiducia sui fictis ac fugatis. [*Ita *Suet.* absolute *Claud.* 25. Simplicitate eorum et fiducia motus. *Id. Galb.* 19. Prodiit tanta fiducia: ubi est, quod nos dicimus *Zuversichtlichkeit.*] *Virg. A.* 1, 136. Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? *Cic. Q. Fr.* 2, 12. *f.* Nihil esse, quod posthac arcae nostrae fiducia conturbaret. *Caes. B. G.* 7, 19. Hoc se colle Galli,

fiducia loci, continebant. Et 76. Alacres et fiduciae pleni. *Liv.* 34, 46. Stolidam fiduciam hosti augere. *Hirt. B. G.* 8, 10. Fiduciam alicui afferre. *Caes. B. C.* 2, 37. Habere magnam fiduciam rerum suarum. [**Suet. Ner.* 31. *f.* ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam imperii, etiam spe quadam repentina immensarum et reconditarum opum impulsus est.] *Liv.* 6, 23. Superbam fiduciam ostentare. *Phaedr.* 5, 7, insolentem arripere. *Quint.* 5, 13. *med.* prae se ferre. Et 4, 1. *med.* jactare. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* omnem in re aliqua reponere. *Justin.* 12, 16. Alexander tantam fiduciam sui militibus fecit, ut illo praesente, nullius hostis arma, nec inermes timuerint, *h. e.* attulit. *Quint.* 12, 8. Fiducia memoriae. *Prop.* 3, 24, 1. formae. [*Involvit fiducia h. l. superbiae notionem. Ita *Suet. Vesp.* 8. Victoriae fiducia.] *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 82. Tibi eam fiduciam diligentiae habeo, ut, etc. ℙ Est etiam fidelitas, fides. *Pl. Trin.* 1, 2, 79. Quid tu adolescentem, qui tuae mandatus est fidei et fiduciae, quin eum restituis! [**Fides* et *fiducia* in his sic differunt, ut *fides* sit dignitas ejus, cui creditur; *fiducia* autem constantiam illius virtutis notet. Haec *Lindem.* ad *Pl. Trin.* 1, 2, 105.] ℙ In re forensi *fiducia* est res, quae pignori datur creditori, ea lege, ut, soluta ad diem pecunia, restituatur: ita dicta, quod debitor creditoris fidei quodammodo commendat pignus, donec, soluta pecunia, ad se redeat. *Cic. Flacc.* 21. Pecuniam adolescentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. Hanc fiduciam commissam tibi dicis: tenes hodie ac possides, *h. e.* dicis, hoc, quod fiduciae et pignoris causa ab adolescentulo acceperas, tuum proprium factum esse, quia ille debitam pecuniam non solvit. V. COMMISSUS. ℙ Praeterea quaelibet alienatio, aut venditio, traditiove rei, adjectâ restituendi aliquando obligatione sub quibusdam conditionibus, *fiducia* dicitur, quia alterius fidei veluti servanda committitur. Praecipue vero locum habuit in emancipationibus liberorum, in quibus per trinam fictam venditionem a patre factam, et restitutionem ab emptore, manumissio fiebat. Dicebatur enim pater vendere sub spe ac fiducia, ut ab emptore sibi restitueretur. Sed de his consulendi JCti. *Cic. Off.* 3, 17. Scaevola fidei bonae nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis. *Id. Caecin.* 3. Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciae rationem fraudavit quempiam, etc. ℙ *Fiduciam accipere* dicitur is, qui quidpiam sub obligatione remittendi accepit. *Cic. Top.* 10. Si tutor fidem praestare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit; debet etiam procurator. ℙ *Judicia fiduciae* sunt, in quibus agitur de violata fide ab eo, qui sub fiduciae ratione, hoc est sub conditione restitutionis, aliquid accepit, neque, cum debuit, restituit, sed fraudavit. In iis solemnis erat illa formula, *ut inter bonos bene agier*, quam *Cic. Off.* 3, 15., *Top.* 17. et *Fam.* 7, 12. commemorat. Porro gravissima haec judicia habebantur, et paene capitalia. Qua de re haec habet *Id. Rosc. Com.* 6. Si qua sunt privata judicia summae existimationis, et paene dicam capitis, tria haec sunt, fiduciae, tutelae, societatis. Aeque enim perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quae continet vitam; et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; et socium fallere, qui se in negotio conjunxit.

FIDŪCIĀLĬTER, adv. cum spe ac fiducia. *August. Confess.* 9, 13. Fiducialiter speramus.

FIDŪCIĀRĬUS, a, um, adj. ad fiduciae contractum spectans. *Res fiduciaria* est, quae alteri ea lege traditur, ut postea tradenti reddatur. *Liv.* 32, 38. Eam urbem Nabidi veluti fiduciariam dare. Hinc *Caes. B. C.* 2, 17. operam legati vocat fiduciariam; quia legatus potestatem suam ab imperatore accipit, quam redeunti ad exercitum imperatori debet cedere. *Curt.* 5, 9. Fiduciarium imperium. ℙ *Fiduciarius heres* est, qui nunc fideicommissarius dicitur, quod hereditatem velut fiducia videtur accepisse, quam mox alteri traditurus sit. *Jabolen. Dig.* 36, 1, 46. [*Adde *inscr.* ap. *Orell.* 3524.] ℙ [**Fiduciarius tutor* ap. *Cajum. Inst.* 1. (ed. *Goesch.*) §. 172. est, qui se tutelae oneri subjecerit, ideoque legitimus tutor habetur, et non minus huic, quam patronis honor praestandus est. *B. A.*]

FIDŪCIĀTUS, a, um, adj. *Tert. Idol.* 23. Sub pignoribus fiduciati. [**Gloss. Philox.* Fiduciatus, ὑποτιθέμενος. *B. A.*]

FIDŪCIO, as, a. 1. fiduciae contractu aliquid dare. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 4. M. Ulpius Aug. Lib. Symphorus sibi, et Ulpiae Helpidi uxori fecit, et libertis libertabusque, ea condicione, ne fiducient, ne vendant, neve alio quo genere id sepulcrum alienare ulli potestas sit. Adde aliam ap. *Mur.* 794, 1. *Gloss. Philox.* Fiduciat, ὑποτίθεται.

*FIDŪLUS, i, m. nomen viri proprium, de quo *Cic. in Vatin.* 31. C. Fidulus atratus. Al. aliter. Videtur (ait *Ernestus*) senator fuisse, aut eques certe. *B. A.*

FĪDUS, a, um, adj. πιστός, is, cui fidi potest, fidelis. *Cic. Amic.* 15. Se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos. *Id. Fam.* 14, 4. *extr.* Mea Terentia, fidissima atque optima uxor. *Liv.* 40, 3. Fidiora haec genera hominum fore ratus. *Hor. Od.* 4, 9, 40. Bonus atque fidus judex. Et *ib.* 2, 12, 15. bene mutuis fidum pectus amoribus. *Nep. Dat.* 8. Pax et amicitia fida. [*Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 5, 4.] *Hirt. B. Afr.* 79. Ne fidissimos suis rebus Thapsitanos amitteret. *Cic. Off.* 2, 8. *f.* Fidae familiaritates. *Id. N. D.* 2, 63. Canum fida custodia. *Val. Fl.* 3, 710. Fida ministeria. *Virg. A.* 6, 524. Fidus ensis. *Ov. Met.* 10, 382. fidae aures. Et *ib.* 7, 192. Nox arcanis fidissima. Et *ib.* 13, 319. Fida sententia. *Id. Ib.* 299. fida pocula, *h. e.* in quibus nulla veneni suspicio. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 330. fida incendia, *h. e.* ignes arte facti, qui non exurunt. *Virg. A.* 2, 281. spes fidissima Teucrum, *h. e.* certissima. *Val. Fl.* 5, 104. amnis ante alios Triviae fidus, *h. e.* gratus, carus, dilectus. *Plin.* 11, 49, 109. Camelino genitali arcus intendere, orientis populis fidissimum, *h. e.* tutissimum. *Tac. H.* 5, 6. Montem tantos inter ardores opacum et fidum nivibus. [*Amat *Tacit.* ex poetarum more v. *fidus* ad res inanimas referre. *Ann.* 15, 15. 3, 1. Plura v. ap. *Boettich. lex. Tac.* p. 198.] ℙ Cum genitivo pro nominativo, Graeco more, et vice superlativi. *Stat. Th.* 2, 483. juvenum fidos, lectissima bello Corpora, sollicitat pretio etc. ℙ Cum genitivo pro dativo. *Virg. A.* 12, 659. Regina tui fidissima. ℙ *Fidus animus* aliquando est fidens et constans. *Liv.* 25, 15. Inconditam Thurinorum turbam, nec satis fido animo, unde pugnabat, stantem, extemplo in fugam averterunt. ℙ Ex illo *Plauti Trin.* 4, 4, 4. Mea commendavi bona amico probo et fideli et fido, et cum magna fide; inter *fidum* et *fidelem* quidam non unum discrimen statuunt, ut *fidus* dicatur in maximis, *fidelis* in minoribus: *fidus* sit amicus, *fidelis* servus: [*V. *Drakenb.* ad *Liv.* 33, 38. ubi servi *fidi* dicuntur.] *fidus* natura sit, *fidelis* virtute ac studio: *fidus*, cui fidendum, *fidelis*, qui fidem praestat. Verum haec discrimina vel nulla sunt, vel non servantur.

FĪDUSTĀ a fide denominata, ea, quae maxime fidei erant (ut a *vetus vetustus*, ab *onus onustus*.) *Festus.*

*FIDUSTĬUS, i, m. M., senator, a Sulla nulla alia de causa proscriptus, quam quia proscriptus fuisset. *Plin.* 7, 43. *B. A.*

*FIGLINARĬUS, i, m. i. q. figulus. In *Digestis. B. A.*

FIGLĪNUS, a, um, adj. ad figulum pertinens, figularis, κεραμεος. Est per syncopen a *figulinus. Varr. R. R.* 3, 9. Ulcus oblinunt figlina creta. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 4. Zeuxis fecit et figlina opera. ℙ *Figlina* absolute est ars et officina figuli. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Figlinas exercere. *Plin.* 3, 6, 12. Inarime, Graecis Pithecusa, a figlinis doliorum. *Id.* 7, 56, 57. Figlinas invenit Coroebus Atheniensis. Ap. *Gud.* p. 76, 77. et 78. multae de figlinis, *h. e.* officinis Inscriptiones veteres leguntur. ℙ *Figlinum* absolute, est opus figuli, v. gr. vas fictile. *Plin.* 31, 3, 27. Si figlinum humidum, ruptumve reperiatur. *Id.* 34, 18, 50. Alii limatam scobem in fictili crudo coquunt in caminis, donec percoquatur figlinum. ℙ Integrum *figulinus* legitur ap. *Plin.* 31, 11, 47. In cruda olla figulini operis. Et *Arnob.* 6. p. 200. Simulacra fornacibus incocta figulinis.

FIGMEN, inis, n. figmentum, simulacrum. *Prud. Apoth.* 798. Factor utroque hominem meditans de figmine junctim Aedificare sui similem. Adde 1035. Et *Capell.* 3. p. 49.

FIGMENTUM, i, n. πλάσμα, proprie res ficta et formata, simulacrum. *Gell.* 5, 12. Ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat. *Ammian.* 22, 9. Figmento Deae coelitus lapso. ℙ Translate est commentum. *Lact.* 7, 22. Figmenta poetarum. *Appul. Met.* 4. p. 155, 7. Figmenta somniorum. ℙ Figmenta verborum ap. *Gell.* 20, 9. sunt novorum verborum formationes, qualia sunt illa *Cn. Matii*, *ib. columbatim*, *venenare* etc. ℙ Exempla autem, quae afferunt quidam lexicographi ex *Plin.* 10, 54, 75. et ex *Cic. Or.* 2, 45., nihil huc pertinent. Nam ap. *Plin.* pro *figmentis* legendum est *fimetis*; ap. *Cicer.* vero *pigmentis.*

FĪGO, is, ixi, ixum, [**fictum* obsol., nonnisi in composs. obvium. V. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 115. *Ruddim.* 1, 240.] a. 3. πήγνυμι, immitto, adigo, affigo. *Cic. Phil.* 14, 3. Dubitare, utrum mucrones in cive, an in hoste figantur. *Pl. Mil.* 4, 4, 4. Figere palum in parietem. *Prop.* 2, 10, 2. Spicula pectore figere. *Virg. A.* 10, 701. vertice figere cristas. *Val. Fl.* 8, 368. Figere aliquem sub aquis. *Virg. A.* 7, 457. fumantes fixit sub pectore taedas. *Tibull.* 1, 9, 38. in collo figere dente notas. *Plin.* 17, 14, 24. Figere cuneos. *Justin.* 38, 10. caligas auro, *h. e.* aurum suffigere caligis. *Cato R. R.* 21. Imbrices medias clavulis figere. *Mart.* 14, 24. Figat acus tortas, sustineatque comas. *Virg. A.* 1, 316. in frusta secant, verubusque trementia figunt. *Id. G.* 4, 115. feraces Figat humo plantas, *h. e.* serat. *Cic. Verr.* 2, 5, 6. Damnatis servis crucem figere. *Justin.* 21, 4. Figere aliquem in cruce Al. leg. *in crucem.* ℙ Translate. *Senec. ep.* 11. Figere in terram oculos. *Pers.* 3, 80. Obstipo capite, et figentes lumine terram, ὑπαλλαγή, pro *lumina terrae.* Et *Virg. A.* 12, 70. figitque in virgine vultus. Et *ib.* 6, 159. cui fidus Achates It comes, et paribus curis vestigia figit. *Val. Fl.* 5, 116. vagus hos ibi fixerat error, *h. e.* stiterat, statuerat. *Id.* 7, 559. Figere gradus. *Juven.* 3, 2. sedem figere Cumis. [*Ita *Tac. A.* 13, 34. Jamque fixerant domos, semina arvis intulerant.] *Virg. A.* 1, 691. oscula dulcia figere. *Lucr.* 4, 1172. foribus miser oscula figit. *Hor. Od.* 3, 15, 2. figere modum nequitiae. *Cic. Fam.* 2, 6. Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi. *Stat. Ach.* 1, 380. Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit Auribus. *Virg. A.* 3, 250. Accipite ergo animis, atque haec mea figite dicta, *h. e.* memori pectore condite. *Juven.* 9, 94. Et tacitus nostras intra te fige querelas, *h. e.* reconde in animo tuo, ne vulgentur. *Senec. Tranq.* 15. Adeo penitus hoc se malum fixit, ut etc. *h. e.* invaluit, obtinuit, radices egit. [**Cic. Verr.* 2, 5, 21. Ut hoc beneficium quemadmodum dicitur clavo trabali figeret, i. e. confirmaret. Porro *Id. Harusp.* 18. Deorum tela in impiorum mentibus figuntur.] ℙ Est etiam ferire, vulnerare, trajicere. *Hirt. B. Alex.* 30. *extr.* et *Virg. A.* 10, 382. Telis figere hostem. *Senec. Prov.* 3. Figunt cutem clavi. *Virg. Ecl.* 2, 29. Figere cervos. *Mart.* 1, 61. figere vulnus. *Senec. Herc. Oet.* 519. figere mortem, *h. e.* figendo mortem inferre. [**Sil.* 1, 305. Figit per arma Caicum. *Tibull.* 2, 1, 71. Fixisse puellas gestit (Amor).] ℙ Translate. *Cic. Or.* 26. Tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, *h. e.* dictis, et salibus feriet. *Id. N. D.* 1, 34. Figere aliquem maledictis. [*A sagittariis ducta dicendi ratio.] ℙ Significat praeterea affigere, suspendere. *Virg. A.* 3, 287. clypeum postibus adversis figo. Et *ib.* 12, 768. nautis venerabile lignum, Servati ex undis ubi figere dona solebant Laurenti Divo. *Val. Fl.* 1, 529. Quippiam Marti dono figere. In quodam S. C. ap. *Plin. ep.* 8, 6. Figere aliquid ad statuam. [**Suet. Claud.* 17. Nav. coronam fastigio Palat. domus juxta civicam fixit.] ℙ *Figere arma* dicuntur milites defuncti jam bello, et gladiatores rude donati. *Virg. A.* 1, 251. Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troia. *Hor. Ep.* 1, 1, 4. Vejanius armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro. Adde *Sil.* 15, 494. et 678. ℙ *Figere leges* est ferre, quia mos erat aere incisas publice suspendere, ut legi vulgo possent. Contra *refigere* est tollere, abrogare, rescindere. *Cic. Att.* 14, 12. Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani. *Id. Phil.* 2, 36. Ne qua post Idus Martias immunitatis tabula figeretur. *Virg. A.* 6, 622. leges fixit pretio, atque refixit.

FĪGŪLĀRIS, e, adj. κεραμικός, ad figulum pertinens. *Pl. Epid.* 3. 2, 35. Versutior es, quam rota figularis. *Colum.* 8, 2. et 6, 17. Figularis creta.

*FIGULARĬUS, i, m. *Gloss. Lat. Gr.* Figularius, κεραμεύς. *B. A.*

FĪGŪLĀTĬO, onis, f. compositio. *Tert. Anim.* 25. Animam non in utero concipi, nec cum carnis figulatione compingi.

*FIGULĀTOR, oris, m. *Gloss. Vet.* κεραμεύς, Faber figulator. *B. A.*

FĪGŪLĀTŪRIT, Figulum (cognomen civis R.), et Fimbriaturit, Fimbriam imitatur, aut colit: voces sunt fictae ab *Asinio* ap. *Quint.* 8, 3.

FĪGŪLĀTUS, a, um, part. a *figulo*, formatus, fictus. *Tert. Car. Chr.* 9. Corpus hoc nostrum de limo figulatum.

FĪGŪLĪNUS. V. FIGLINUS.

[FĪGŪLO, as, a. 1. formo, effingo in morem figuli. *Tert. adv. Valent.* 24. Figulat ita hominem Demiurgus, et de afflatu suo animat. *Id. Exhort. cast.* Nam cum hominem figulasset. Alii hic leg. *figurasset. F.*]

FĪGŪLUS, i, m. κεραμεύς, fictor, qui ex argilla opera facit: a *fingo*. *Plin.* 35, 12, 43. Dibutades Sicyonius figulus primus invenit ex argilla fingere similitudines. *Juven.* 10, 171. de Alex M.: Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem, Sarcophago contentus erit, *h. e.* Babylonem cocto latere exstructam. Adde *Colum.* 11, 1. *med.* [**Inscr.* ap. *Orell.* 4191. Figilus sigillator, i. e. Sigillorum fictor. Alia apud *Eund.* 4190. Figulus ab imbricibus.] ℙ In quibusdam municipiis et coloniis figulorum fuit collegium. *Inscr.* prope *Spalatro* in Dalmatia reperta. A. Servilio V. C, provinciae Dalmatiae praesidi clarissimo integerrimoque collegium figulorum D. D. ℙ Fuit cognomen civis R. (V. NIGIDIUS) ideo datum P. Nigidio, quod regressus a Graecia dicit se didicisse, orbem ad

celeritatem rotae figuli torqueri. Ita *vet. Schol.* ad *Lucan.* 1, 639.

FIGURA, ae, f. σχῆμα, conformatio rei, forma, species: a *fingo*. [*De discrimine inter *figura*, *forma*, *species*, v. quae disputavit *Doederl.* 3, 25. sqq.] *Cic. Off.* 3, 6. *extr.* Feritas bestiae in figura hominis. *Id. Rosc. Am.* 22. Esse aliquem humana specie ac figura, qui tantum immanitate bestias vicerit. [*Eadem ratione conjuncta sunt vv. *figura* et *species* ap. *Liv.* 29, 17. In hoc legato vestro nec hominis quidquam est, praeter figuram et speciem. *Caes. B. G.* 6, 28. Usi sunt specie et colore et figura tauri: ubi species, in universum bovis formam significans accuratius describi videtur per vocabula *color* et *figura*. — Et *mox. ib.* Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. *Species* nostr. *Aussehen*, *Ansehen.*] *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Signum in muliebrem figuram habitumque formatum. Et *ib.* 3, 21. *f.* Non solum numerum signorum, sed etiam magnitudinem, figuram, statum definire. Ubi *Ascon.* figura est circa gestum, situmque membrorum; status circa ornatum et habitum vestis, insignium, et armorum. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Figura et lineamenta alicujus. *Id. Fin.* 5, 12. Corporis nostri partes, totaque figura, et forma, et statura, quam apta ad naturam sit, apparet. [*Ejusdem generis sunt loci apud *Eund. Or.* 3, 45. *Tusc.* 1, 16. coll. *Or.* 2, 23. *Opt. gen. dic.* 5. etc.] *Id. Or.* 1, 25. Conformatio quaedam et figura totius oris et corporis. *Id. N. D.* 1, 32. Hoc dico, non ab hominibus formae figuram venisse ad Deos. [*Ita saepius *forma* et *figura* conjungi solent. *Lucret.* 4, 67. Veterem formae servare figuram. *Id.* 5, 731. Ordine formarum certo certisque figuris.] *Nep. Eum.* 12. Homo non tam magno corpore, quam figura venusta. *Ov. Her.* 10, 134. Dii facerent, ut me summa de puppe videres: Movisset vultus moesta figura tuos. *Caes. B. G.* 4, 25. Figura navium. *Just.* 15, 4. ancorae. *Plin.* 2, 25, 22. doliorum. *Id.* 13, 4, 9. *f.* rotunditatis aut proceritatis. *Caes. B. G.* 6, 25. Bos cervi figura. *Plin.* 13, 22, 38. Granum quadrangula figura. *Id.* 3, 16, 20. Padus triquetram figuram inter Alpes, atque oram maris facere proditus. *Id.* 27, 12, 98. Semen nigrum, latum, ad lenticulae dimidiae figuram. *Varr. L. L.* 5, 8. Figuram imponere. Et *ib.* 4, 22. Facere figuras. *Ov. Met.* 11, 253. mentiri figuras centum. Et *ib.* 3, 399. lapidis figuram trahere. Et *ib.* 8, 615. Dii dant, adimuntque figuras. P [*Dicitur etiam de parte aliqua corporis. *Tibull.* 3, 4, 89. Scyllave virgineam canibus succincta figuram, i. e. partes corporis virginis. P Porro *figura* ponitur pro *puella*. *Propert.* 1, 4, 9. Nedum si levibus fuerit collata figuris, Inferior duro judice turpis eat. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 15, 2. p. 307. Cf. FORMA. P Apud *Lucret.* *figura* interdum habet notionem σχήματος, *h. e.* atomi, sive individui corpusculi. *Eichstadt.* in *Ind.* ad *Lucret.* V. 2, 385. Dicere enim possis, coelestem fulminis ignem, Subtilem magis, e parveis constare figureis. Adde 3, 191. et al.] P *Figurae* dicuntur mortuorum umbrae, φαντάσματα, quas viventibus apparere putabant veteres. *Virg. A.* 10, 641. Morte obita quales fama est volitare figuras, Aut quae sopitos deducunt somnia sensus. *Lucret.* 4, 38. cum saepe figuras Contuimur miseri, simulacraque luce carentum. [*Inscr.* ap. *Orell.* p. 4847. Cum vita functus jungar tis (pro *tuis*) umbra figuris.] P Translate. *Cic. Inv.* 1, 27. Majus et minus ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur. *Id. Or.* 3, 55. Ut figuram orationis plenioris et tenuioris, et item mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus, *h. e.* stilum, genus dicendi. Et *ib.* 2, 23. Verborum gravitate et elegantia et copia suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi. *Ov. Her.* 10, 81. Occurrunt animo pereundi mille figurae, *h. e.* modi. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 43. Figuram veri ducere, *h. e.* imaginem habere, verum imitari. *Cajus Dig.* 39, 6, 30. Mortis causa capitur, cum propter mortem alicujus capiendi occasio obvenit, exceptis his capiendi figuris. *Maecian. ib.* 35, 2, 30. *med.* Id, quod non figura conditionis accipere jussus est, *h. e.* sub conditione, vel sub ratione conditionis. *Auct. ad Her.* 3, 15. Figura vocis, *h. e.* conformatio et forma. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 131. Te quoque flebilibus moerens, hyacinthe, figuris, *h. e.* notis, litteris. P Apud grammaticos et rhetoras figura est conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione, ut *Quint.* 9, 1, 4. definit. Duplicis autem est generis, verborum et sententiarum: illud in singulis verbis, hoc in integra sententia fit. Utriusque generis plurimas enumerat *Cic. Or.* 3, 53. et 54. et *Or.* 39. et 40. et *Quint.* 9, 2. et 3. P Differt a tropo. V. TROPUS. P Dicitur aliquando de scommate et dicto. *Quint.* 9, 2. *med.* Nemo se tenuit, agens pro patre, quin figuras in filium faceret. *Suet. Vesp.* 13. Amicorum libertatem, causidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissime tulit. [*V. *Brem.* ad h. l. Adde *Dom.* 10. ubi *figurae* in *historia* sunt loci ita dicti, ut appareret, tecte peti Domitianum, nostr. *Anspielungen.*] P Apud grammaticos significat etiam positionem, casum. *Quint.* 1, 4. *extr.* Quaedam verba tertiae personae figura dicuntur, ut *licet*, *piget*. *Varr. L. L.* 8, 28. et *ib.* 9, 1. Et 3. Figura verbi. Et *ib.* 8, 36. Nomina quod quinque habent figuras, habere quinque casus. P Denique aliquando apud rhetoras *figura* dicitur integra oratio, vel orationis bona pars, in qua aliquid describitur obliqua forma, et ex qua aliud intelligatur: unde *figuratis controversiis* nomen est factum: item descriptio artificiosa alicujus rei, vel ut magis placeat, vel ut plenius percipiatur, vel ut magis id conficiat, quod volumus: quo sensu cum *colore* nonnihil convenit. *Senec. Contr.* 4, 29. *med.* Totam hac figura declamavit: non sum, inquit, vobis dicturus etc. Et *ib.* 5, 33. *med.* Hoc genere insectatus saeculi vitia, egregia figura, inquinatum et infamem reum majorum criminum impunitate defendit. *Quint.* 9, 2. *med.* Quaesitum etiam est, quomodo responderi contra figuras oporteret: et quidam semper ex diverso aperiendas putaverunt, sicut latentia vitia rescinduntur. P Similis est ironiae, nisi quod ironia contrarium dicit, figura aliud. *Senec. Benef.* 2, 11. Haec ipsa non verniliter, nec ea figura, qua quidam rejiciunt, quae magis ad se volunt attrahere. [*V. *Ernest. lex. technol. lat.* p. 165. sqq. ubi plurima de hujus verbi ap. Rhetores usu disputantur. Adde *Spalding.* ad *Quint.* 10, 5, 3. et 4, 2, 118.]

FIGURALIS. V. FIGULARIS.

[FIGURALITAS, atis, f. figuratus dicendi modus. *Fulgent. de contin. Virg. med.* Ergo sub figuralitate historiae plenum hominis monstravimus statum. *F.*]

FIGURALITER, adv. ἐσχηματισμένως, figurate. *Tert. Testim. anim.* 2., *Sidon. ep.* 8, 14. *med.*

*FIGURANTER, adv. i. q. figurate. Apud *Diomed. Grammat. B. A.*

*FIGURANTIA, ae, f. apud *Augustin. B. A.*

FIGURATE, adv. per figuras. *Ascon. in. Verr.* 2, 6. Figurate dixit. *Sidon. ep.* 5, 8. Figuratius quem pungere.

FIGURATIO, onis, f. σχηματισμός, actus figurandi, itemque ipsa figura et conformatio. *Plin.* 11, 37, 88. Nervi hic terctes, illic lati, ut in unoquoque poscit figuratio. *Vitr.* 9, 4. Zona duodecim signis conformata exprimit depictam a natura figurationem. P [Item idem ac figura. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Cum quaedam Apollinis figuratio (*h. e.* ipsius Apollinis phantasma, sive ipse Apollo) Perictione se miscuisset, Plato natus est. *F.*] P Item imaginatio. *Quint. Decl.* 6, 15. Si quisquam figuratione quadam in hac malorum conditione judicem ponat. Et *ib.* 12, 27. Si spei figuratione tardius cadit. Et *ib.* 6, 4. O vanae figurationes, et pectora hominum alto errore confusa! P Item figurarum usus in dicendo, exornatio. *Lactant.* 1, 11. *med.* Officium poetae est in eo, ut, quae gesta sunt vere, in aliquas species obliquis figurationibus, cum decore aliquo conversa, traducat. [*Front.* 1. *ad Antonin. Aug.* (cd. *Maio*) *ep.* 2. Quisquam illorum his figurationibus uteretur, quae Graeci schemata vocant? *F.*] P Item positio, casus. *Gell.* 17, 2. *med.* Inusitate dixit *diurnare*, pro diu vivere: sed ex ea figuratione est, qua dicimus perennare.

FIGURATO, adv. figurate. *Tert. adv. Marc.* 3, 14. Licuit Christo ense sermonis Dei praecingi figurato. Ubi tamen alii putant *figurato* esse adjectivum.

FIGURATOR, oris, m. qui figurat, et fingit. *Arnob.* 6, 196. Vobis ducibus et figuratoribus, luna femina est.

FIGURATUS, a, um, part. a *figuro*, conformatus. *Cic. N. D.* 2, 63. Boum terga declarant, non esse ad onus accipiendum figurata. *Tac. G.* 9. Signum in modum liburnae figuratum. *Petr. Sat.* 33. Ova figurata ex farina pingui. P Item simpliciter figuram habens: cui opponitur liquidus et fluens. *Cels.* 2, 3. *med.* Venter ei, qui a periculo tutus est, reddit mollia, figurata. Adde *ib.* 8. *med.* P Item figuris dicendi exornatus, ἐσχηματισμένος, ut Figurata oratio, *Quint.* 9, 1. *med.* et Figuratum verbum, *Id.* 8, 1. P Figuratae controversiae, ἐσχηματισμένοι λόγοι, sunt, in quibus tota oratione dissimulatio adhibetur, et causa non aperte et simpliciter, sed oblique agitur, et quasi furtim, ut per quandam suspicionem, quod non dicimus, intelligatur: quod fit, cum palam dicere vel tutum non est; vel non decet; vel si ea ratione major causae venustas ac probabilitas acquiratur. Hujus rei exemplum volunt quidam esse Aeschinis et Demosthenis orationem contra et pro Ctesiphonte. *Quint.* 9, 2. Hinc *Hieron. ep.* 81. *n.* 1. Praefatiuncula tua oblique, imo aperte petor. Poteram et ego, qui saepissime figuratas controversias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere, et tuo te more laudare. Sed absit a me, ut, quod in te reprehendo, imiter.

FIGURO, as, avi, atum, a. 1. σχηματίζω, figuram formamque induco, formo, effingo. *Cic. Univ.* 6. Mundum ea forma figuravit, qua una omnes reliquae formae concluduntur. *Senec. ep.* 65. Figurare aes in habitum statuae. *Petr. Sat.* 102. Barbam peregrina ratione figurare. *Plin.* 16, 38, 72. Ficis humor lacteus: huic ad caseos figurandos coaguli vis. *Id.* 36, 22, 45. Medullae in ossibus in lapidis naturam figurantur. *Id.* 8, 36, 54. de fetibus ursinis. Hi sunt candida informisque caro: hanc lambendo paulatim figurant. *Lucr.* 4, 551. Lingua figurat voces. P Translate est informare, instituere. *Hor. Ep.* 2, 1, 126. Os tenerum pueri balbumque poeta figurat. P Item figuris rhetoricis exornare. *Quint.* 9, 1. *med.* Tam translatis verbis, quam propriis figuratur oratio. *Senec. Contr. prooem. l.* 3. Affectus efficaciter movit: figurabat egregie: praeparabat suspiciose. P Item imaginari, fingere. *Id. Contr.* 3, 17. *med.* Qui in crepidine viderat Marium, in sella figuravit. *Senec. alter Ira* 2, 35. *med.* Quales ad bella excitanda exeunt Furiae, talem nobis iram figuremus. *Curt.* 7, 1. *f.* Utinam prudentius esset sollicita pro filio, et non inanes quoque species anxio animo figuraret. *Quint. Decl.* 9, 6. *extr.* Figurare potestis, qui tunc animus mihi, quae cogitatio fuerit. *Id. ib.* 12, 7. Figura tibi exesos vultus, decrescentem populum, jam praemortuas vires. P *Prud. Psych.* 66. matrona sub umbra Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat, *h. e.* typus et figura est nostrorum temporum.

FILAMEN. V. FLAMEN, inis, m.

FILATIM, adv. per fila, vel filorum in modum. *Lucr.* 2, 828. Ut fit, ubi in parvas partes discerpitur aurum, Purpura puniceusque color clarissimu' multo, Filatim cum distractus disperditur omnis.

FILIA, ae, f. θυγάτηρ, proles femina. *Cic. Cluent.* 61. Despondit et filiam suam. *Ter. Ph.* 4, 3, 40. Filiam suam unicam locare. *Id. Ad.* 3, 2, 3. Herilis filia. *Id. Heaut.* 3, 3, 41. Filia adolescentula. *Id. Ad.* 3, 4, 20. virgo. P *Filiafamilias* dicitur, quae patrem vivum habet, et sub ejus potestate est. *Sen. Col. ad Helv.* 14. Tu filiafamilias locupletibus filiis ultro contulisti. *Ulp. Dig.* 14, 6, 9. Filiaefamilias mutuum dare. Et *ib.* Hoc senatusconsultum ad filias quoque familiarum pertinet. V. FILIUS. P In dativo plurali habet *filiis*. *Liv.* 38, 57. Huic Graccho minorem ex duabus filiis nuptam fuisse convenit. Adde *Pl. Stich.* 4, 1, 61., *Enn.* ap. *Prisc.* 7, 733. et *Hirt. B. Alex.* 33. P Item *filiabus*, si distinctione opus sit, ut in ASINA est dictum. *Inscr.* ap. *Grut.* 750, 6. Bene sit filiis, filiabus meis, qui me bene coluerunt. P Quamquam et ubi distinguere non est opus, *filiabus* usurpatum legitur. *Liv.* 24, 26. Cum duabus filiabus virginibus. *Cato* ap. *Prisc. l. c.* Dotes filiabus suis non dant. Adde *Sen. Q. N.* 1. *f.* P Translate. *Paul. Nol. carm.* 21, 305. posita Gallorum solo Massilia Grajum filia, *h. e.* cujus cives a Grajis oriundi. *Hor. Od.* 1, 14, 11. Pontica pinus, Silvae filia nobilis. *Mart.* 13, 35. Filia Picenae venio lucanica porcae. P [*Permutantur *filia* et *familia*. V. FAMILIA.]

*FILIALIS, e, adj. ad filium pertinens, qualiter filium decet. *August. Serm. Fest. Pentecost.* Cui non filiali obediebant amore. *B. A.*

FILIASTER, tri, m. privignus. Legitur in *Inscr* ap. *Grut.* 645, 4., 681, 8. et 682, 9., et ap. *Mur.* 1135, 1. et 1152, 4. et ap. *Maff. Mus. Ver.* 319, 2. et ap. *Don. cl.* 10. *n.* 67. [Est tamen non probae notae verbum, seu potius plebis Romanae proprium. At melioris notae est *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 11. p. 45. M. Clodio Satyro Antonia Fortunata filiastro suo *bene merenti*. *F.*]

FILIASTRA et Filiatra, ae, f. privigna. Vox ejusdem notae cum praecedenti. [*Inscr.* non malae tamen notae in *Giorn. Arcad. T.* 8. p. 147. L. Domitius Eutychus fecit filiastrae piissimae. *F.*] Alia ap. *Mur.* 1958, 6. Vitalis patrater filiatrae suae Victoriae.

*FILIATIO, onis, f. agnitio filii. *JCt. B. A.*

FILICATUS, a, um, part. ab inusit. *filico*, filicis folia insculpta habens. *Cic. Par.* 1, 3. Minusne gratas Diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? *Id. Att.* 6, 1. *med.* In filicatis lancibus et splendidissimis canistris. P Legitur et *felicatus*.

*FILICINA, ae, f. herba similis filici, alias radiolus. *Appul. de herb.* 83. *B. A.*

FILICONES, mali et nullius usus: a filice dicti. *Festus.*

FILICTUM, i, n. locus filice obsitus. *Colum.* 2, 2. Locus filictis, aliisque frutetis impeditus. *Pall.* 9, 3. Exstirpare carecta atque filicta. P Legitur et *filectum*.

FILICULA, ae, f. parva filix, herba. *Plin.* 26, 8, 37. Detrahit bilem polypodion, quam nostri filiculam vocant: similis enim est filici. Radix in usu, pilosa, coloris intus herbacei, crassitudine digiti minimi, acetabulis cavernosa, ceu polyporum cirri, subdulcis, in petris nascens aut sub arboribus vetustis. Adde *Caton. R. R.* 157., ubi et *felicula* legitur. [*et *Cels.* 2, 12. *post init. Colum.* 6, 27. ed. *Gesner.*, ubi ed. *Schneider.* habet *feliculam*. *B. A.*]

FĪLĬŎLĂ, ae, f. *θυγάτριον*, parva filia. *Cic. Div.* 1, 46. Filiolam suam Tertiam animadvertit esse tristiculam. Adde *M. Aurel.* ap. *Front.* ad *M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 5, 53. et *Juven.* 6, 241. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 10. Quoniam mihi videris, hanc scientiam juris, tamquam filiolam, osculari tuam. ℙ Dicitur per contemptum de homine imbelli ac molli. *Id. Att.* 1, 14. *med.* Totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, *h. e.* C. Curione C. F. ℙ Translate de litteris a Cadmo inventis. *Auson. ep.* 7, 52. Nec jam fissipedis per calami vias Grassatur Gnidiae sulcus arundinis, Pingens aridulae subdita paginae Cadmi filiolis atricoloribus.

FĪLĬŎLUS, i, m. *τεττίξ*, diminut. filii. *Cic. Att.* 1, 2. Filiolo me auctum scito, salva Terentia. Adde *Juven.* 6, 390. et 9, 83.

FĪLĬUS, ii, m. *υἱός*, proles masculina, gnatus. Videtur esse a *φίλιος*, foederatus, quod a *φίλος*, amicus, vel a *φῦλον*, genus, mutata littera *v* in *i*, ut saepe alias. *Cic. N. D.* 3, 38. Ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset. *Id. Fin.* 2, 18. Sex. Peducaeus, qui hunc nostrum reliquit, effigiem et humanitatis et probitatis suae filium. *Ter. Ad.* 4, 5, 13. Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse aut hoc est filium esse? *Id. Heaut.* 1, 1, 41. Filium unicum adolescentulum habeo. *Id. Ph.* 2, 1, 23. Phaedria, mei fratris filius. *Cic. Dom.* 14. Qui filii tibi loco per aetatem esse potuit. *Id.* in *Sen.* 15. Frater, qui in me pietate filius, consiliis parens inventus est. *Quint. prooem. l.* 6. Filios eniti. *Id.* 4, 2. *med.* educare. *Cic. Dom.* 14. Adoptare sibi aliquem filium. Et *ib.* Aliquem filium instituere. *Eod. sensu.* ℙ *Fortunae filius* dicitur, cui omnia ad votum succedunt. *Hor. Sat.* 2, 6, 49. [*Sic *παῖς τῆς Τύχης Sophocles Oed. Reg.* 1073. et *Eurip.* ap. *Plutarch. de solert. animal.* p. 965.] Eodem sensu dicitur *albae gallinae filius* a *Juven.* 13, 141. ℙ *Terrae filius*, cujus pater genusque ignoratur, ignobilis, obscurus: terra enim communis omnium parens est. *Cic. Att.* 1, 13. *f.* Et huic terrae filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Adde *Fam.* 7, 9. et *Pers.* 6, 59. ℙ Contra *coeli filius* de admirabili ac nobili viro dicitur. *Lactant.* 1, 11. *ex Minutio Fel.* Saturnum, cum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Coeli filium dictum, quod soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut repentino advenerint, de coelo cecidisse dicere: terrae autem, quod ignotis parentibus natos, terrae filios nominemus. Eadem habet *Tert. Apol.* 10. ℙ Ap. *Catull. carm.* 37, 18. Celtiberiae filius, *h. e.* incola, civis, natione Celtiber. ℙ [**Filii* dicuntur etiam liberi utriusque sexus. V. *Quint. Inst.* 9, 3, 63. Ita *Val. Max.* 2, 4, 5. (de duobus filiis et filia loquens) dicit: Valesium ludos et lectisternia continuis tribus noctibus fecisse, qui totidem filii periculo liberati erant. *Tac. A.* 11, 38, 3. Non cum adspiceret filios moerentes, i. e. filium filiamque, Britannicum et Octaviam. *Ruddim.* 2, 36. sq., ubi vide VV. DD. in hanc sententiam confirmandam laudatos.] ℙ *Filiusfamilias* dicitur, qui sub patris adhuc est potestate. *Cic. Coel.* 15. *f.* Illum filiumfamilias, patre parco ac tenaci, habere devinctum non potes. V. FILIA. ℙ [**Filiusfamiliaris*, i. q. nos dicimus: *Sohn vom Hause. Pl. Capt.* 2, 2, 23. cf. *Asin.* 2, 2, 43. Contra non dici potest *pater familiaris, mater familiaris. Lindem.* ad *l. Pl.* prius laud.] ℙ [*Castrorum filius* appellari voluit Caligula, teste *Suet. Cal.* 22., quia a puero in castris educatus fuerit: V. CALIGULA; quemadmodum nonnullae Augustorum uxores dictae fuerunt *castrorum matres:* V. MATER. ℙ In quibusdam inscriptionibus optimae notae sigla *F.* vel *Fil.*, vel integra vox *Filius* iteratur, ut nempe ille, cujus mentio ibi fieret, a patre vel ab alio aliquo distingueretur, qui eodem praenomine, nomine et cognomine praeditus esset. Hinc *Inscr.* ap. *Catalanium, Antich. Firm.* p. 39. L. Papirii C. F. Lem. Adoptati F. Alia *ib.* L. Scribonius L. F. Libo pater, L. Scribonius L. F. Libo fil. Alia *ib.* M. Laevius T. L. Dionysius hoc monum*entum* fecit M. Laevio M. F. Pal. Nigro *filio suo. F.*] ℙ In plur. numero *filii familias* videntur esse, qui sunt ejusdem familiae: *filii familiarum*, qui plurium. *Sall. Cat.* 44. Uti filii familiarum parentes interficerent. ℙ Dicitur aliquando de brutis animalibus. *Colum.* 6, 37. Ejusmodi admissarius nepotibus magis, quam filiis, utilior est. ℙ *Fili* in vocativo pro *fili* obsoletum est. *Liv. Andr.* ap. *Prisc.* 7, 741. Pater noster, Saturni filie.

FĪLIX, icis, f. *πτέρις*, (*Farnkraut*) herba est, de qua ita *Plin.* 27, 9, 55. Filicis duo genera nec florem habent, nec semen. Pterin Graeci vocant, cujus ex una radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graves odore: hanc marem existimant. Alterum genus thelypterin Graeci vocant: est autem singularis atque non fructicosa, brevior, molliorque et densior, foliis ad radicem canaliculata. Folia utriusque lateribus pinnata: radices longae in obliquum, nigrae etc. *Virg. G.* 3, 297. filicumque maniplis Sternere humum. Et *ib.* 2, 189. Filix invisa aratris, *scil.* quia radicibus remoratur. *Hor. Sat.* 1, 3, 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. ℙ Translate de pilis circa virorum genitalia nascentibus usurpat *Pers.* 4, 41. Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

*FILO, as, a. 1. *νήθω*, *μηρύω*, filum duco: cujus passivum est *filor*. A quo fit compositum *effilo*. Cf. *Fortun. de Mart. carm.* 3. v. 112. *B. A.*

*FILTRUM, i, n. *Vet. Dict.* Filtrum dicitur a Filum, quia ex filis, i. e. pilis animalium fit. Nempe sic vocantur, tum opus illud coactile, quo ad pileos fere utitur Europa cultior, quae nomen etiam usurpat *filtz*, *feltro*, *feutre* (Angli *felt*): tum colum chymicum, pannus villosus vel charta emporetica. *B. A.*

FĪLUM, i, n. *νῆμα*, quod ex lino lanave trahendo ducitur: itemque aliud quidlibet huic simile. *Varr. L. L.* 4, 23. Filum, quod minimum est hilum, id enim minimum est in vestimento. *Isid. Or.* 19, 29. Fila dicta vel quia ex pilis animalium sunt, vel quia lanificium filis tenuibus constat in modum pilorum, id est, quasi filorum. Haec *Isid.* [*V. *Doederl.* 3, 20.] Sunt etiam qui *filum* pro *fixillum* dictum autumant, ut *velum* pro *vexillum*; quippe quo conseritur, et configitur vestimentum. *Ov. Met.* 4, 36. levi deducens pollice filum. *Mart.* 6, 3. fila trahere. *Virg. A.* 6, 30. caeca regens filo vestigia. *Ov. A. Am.* 3, 445. Toga filo tenuissima. Et 267. pleno velamina filo. *Id. Met.* 6, 68. lentum filis immittitur aurum. *Cels.* 7, 16. Filum in acum conjicere. ℙ De re quapiam subtili et filo simili. *Enn.* ap. *Non.* 2, 364. Deducunt habiles gladios filo gracilento. *Ov. Met.* 15, 372. solent canis frondes intexere filis agrestes tineae. *Id. Fast.* 1, 342. fila croci. *Lucr.* 3, 384. aranei tenuia fila. *Mart.* 11, 52. porris fila resecta suis. *Colum.* 10, 375. asparagi corruda simillima filo. *Ov. Am.* 1, 8, 60. Tractat inauratae consona fila lyrae. *Plin.* 36, 15, 22. Filum aureum commissuris omnibus politi lapidis subjecit artifex. *Id.* 21, 6, 16. Foliorum exilitas usque in fila attenuata. *Id.* 11, 15, 19. Mel thymosum non coit et tactu praetenuia fila mittit. ℙ *Filum* dicitur etiam velamen capitis flaminis. V. APICULUM. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 4, 3, 35. Omnia sunt hominum tenui pendentia filo: Et subito casu, quae valuere, ruunt. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. Hac noctu filo pendebit Etruria tota, *h. e.* in summo discrimine versabitur. *Val. Max.* 6, 4. *n.* 1. Cum admodum tenui filo suspensa reipublicae salus ex sociorum fide penderet. ℙ Saepe dicitur de textura verborum ac stilo. *Hor. Ep.* 2, 1, 225. tenui deducta poemata filo. *Colum.* 10, 228. gracili connectere carmina filo. *Cic. Or.* 3, 26. Silva rerum ac sententiarum comparanda est: haec formanda filo ipso et genere orationis. Et *ib.* 2, 22. Omnes etiam tum retinebant illum Periclis succum, sed erant paulo uberiore filo. *Id. Fam.* 9, 12. Oratiunculam pro Dejotaro tibi misi, quam velim sic legas, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magno opere dignam. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, *h. e.* stilo tenui et nihil elaborato, ut vestes, quae crasso filo texuntur. Nam, ut idem ait *Or.* 36., si tenues causae, tum etiam argumentandi tenue filum, et in docendo et in refellendo. [*Paulo aliter intelligendum videtur *filum* in loco ap. *Cic. Lael.* 7, 25. Sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuae. Nimirum non ad ornatum orationis electu verborum atque compositione factum, sed ad rerum, quas sermo continet, genus rationemque spectat. V. de hujus v. ap. rhetores usu *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 171.] ℙ A poetis saepe dicitur de stamine vitae, quod nere Parcas fabulantur. *Virg. A.* 10, 815. extremaque Lauso Parcae fila legunt. *Ov. Pont.* 1, 8, 63. tibi nascenti Nerunt fatales fortia fila Deae. *Sil.* 4, 28. Grandaevi senes ducentes ultima fila. *Ov. Her.* 12, 3. quae dispensant fatalia fila, Sorores, Debuerant fusos evoluisse meos. Et *ib.* 15, 82. ita nascenti legem dixere Sorores: Nec data sunt vitae fila severa meae, *h. e.* mores severi. *Id. Trist.* 5, 10, 45. O duram Lachesin, quae tam grave sidus habenti Fila dedit vitae non breviora meae! *Mart.* 11, 36. rupta Sororum fila, *h. e.* vita amissa. Et 10, 5. Et cum supremae fila venerint horae. Adde *Hor. Od.* 2, 3, 15. ℙ Aliquando dicitur de figura et lineamentis. *Pl. Merc.* 4, 4, 15. Satis scitum filum mulieris. *Gell.* 1, 2. Mores naturasque hominum conjectatione quadam, de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. Et 14, 4. Forma atque filo virginali, aspectu vehementi etc. *Ammian.* 14. *f.* Fuit forma conspicuus Bona, decente filo corporis. *Petr. fr. Trag. Burm.* 46. Ingeniosus est, et bono filo, *h. e.* bona specie, bene habitus. *Arnob.* 6, 199. Filum capitis prostituti Cythereia in simulacra traducere. ℙ Interdum de figura et textura cujusque rei. *Lucr.* 4, 85. formarum vestigia certa, Quae vulgo volitant subtili praedita filo. *Id.* 2, 340. non omnia prorsum Esse pari filo similique affecta figura. [*Saepissime dicitur ap. *Lucr. filum* de corporum rerumque extremitate, s. circumcaesura. V. *Eichstadt.* in *Ind. Lucr.* p. 414.] ℙ Etiam *filus*, *i*, m. usurpatum aliquando fuisse, testatur *Arnob.* 1, 36.

FĪMBRĬA, ae, f. *θύσανοι*, *κράσπεδον*, extremitas vestis, aliusve rei, praesertim si incisuras habeat. *Varr. L. L.* 4, 13. Antiqui fibrum dicebant extremum: unde in sagis extrema, fimbriae. *Festus* in *Fiber* fere eadem habet. [*V. *Döderl.* 3, 20.] *Plin.* 7, 51, 62. Jam signa letalia, in furoris morbo risum, sapientiae vero aegritudine, fimbriarum curam, et stragulae vestis plicaturam. *Cels.* 2, 6. Mors denunciatur, si quis in febre, aut acuto morbo, ut in insania, pulmonisve dolore, vel capitis, in veste floccos legit, fimbriasve diducit. [Ita in secunda editione legendum *Targa* putat. *F.*] *Cic. Pis.* 11. Erant illi compti capilli et madentes cincinnorum fimbriae. *Appul. Met.* 11. p. 258, 27. Palla ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat. ℙ [Est quoque cognomen R. ap. *Vell.* 2, 24. C. Flavius Fimbria. *F.* ℙ *Fuit et *Fimbria* cognomen Flaviorum, e quibus fuit ille C. Fimbria, crudelitate insignis, qui quum Scaevolae, quem graviter vulneraverat, diem insuper dixisset, quaerentibus quid in Scaevola esset accusaturus, *quod*, inquit, *non totum corpore ferrum receperit. Cic. Rosc. Amer.* 33. Cf. et *Off.* 3, 19 et 22. et *Verr.* 3, 70. etc. *B. A.*]

FĪMBRĬĀNUS, a, um, adj. ad Fimbriam pertinens, quod est nomen proprium R., ut Fimbriana seditio, *Sall. fragm.* ap. *Non.* 3, 151.

FIMBRĬĀTŪRIT. V. FIGULATURIT.

FIMBRĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *fimbrio*, *θυσανωτός*, fimbrias habens, laciniosus. *Suet. Caes.* 45. Usus est lato clavo ad manus fimbriato. *Plin.* 21, 15, 55. Urtica caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 3. Milii comae granum complexae, fimbriato capillo curvantur. *Appul. Met.* 8. p. 214, 30. Flagrum contortis taeniis lanosi velleris prolixe fimbriatum.

FĪMĔTUM, i, n. *κοπρών*, sterquilinium, quo fimus congeritur. *Plin.* 17, 9, 8. Fimeta sub dio, concavo loco, et qui humorem colligat. Adde 24, 19, 110. et 10, 54, 75.

FĪMUS, i, m. et Fimum, i, n. *κοπρός*, excrementa animalium, quibus agri stercorantur: [videtur esse a *θύημα*, suffimentum; inde etiam fumus. *F.* **Döderl.* 2, 39. putat, *fimum* proprie significare id, quod segetem crescere faciat, siquidem vera sit vocis, una cum *fecundis* et *fenum*, a *fuo*, *φύω*, originatio.] *Liv.* 38, 18. Fimo bubulo pro lignis utuntur. *Virg. G.* 1, 80. arida tantum Ne saturare fimo pingui pudeat sola. *Colum.* 2, 14. Asinus bene confectum atque idoneum protinus arvo, fimum reddit. *Plin.* 30, 9, 32. Palumborum fimus articulorum doloribus illinitur. *Id.* 28, 17, 71. Caprarum fimus sine cicatrice sanare dicitur. Et *ib.* 11, 48. Fimum asini recens cum rosaceo instillatur. Et 29, 5, 32. Prodest et fimum gallinaceum, dumtaxat rufum, ex aceto impositum. ℙ In femin. gen. *Appul. Met.* 7. *f.* Liquida fimo strictim egesta. Ita *Elm.*, [at *Oudend.* melius leg. *liquido f. s. egesto. F.*] ℙ Dicitur et universim de luto. *Virg. A.* 5, 332. pronus in ipso Concidit immundoque fimo, sacroque cruore. Adde 358. ℙ Carere plurali numero docent *Diomed.* 1, 314., *Phocas* p. 1708. et *Beda de Orthograph.* p. 2332.

FĪNĀLIS, e, adj. ad fines pertinens, *ὅριος*. *Papin. Dig.* 10, 1, 11. In finalibus quaestionibus vetera monumenta, et census auctoritas sequenda est, *h. e.* quae de agrorum finibus instituuntur. Adde *Callistrat. Dig.* 47, 21, 3. et *Sidon. ep.* 8, 14. ℙ Item ad finem pertinens, *τελικός*. *Macr. Somn. Scip.* 2, 5. *med.* Terram dividit orizon, idest finalis circulus. *August. C. D.* 19, 4. *extr.* Finalis beatitudo. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 5, 18. *finalem causam* vocat controversiam status finitivi.

FINDO, is, fĭdi, fissum, a. 3. *σχίζω*, scindo, diffindo, aperio, divido: est ab inusit. *ἴδω*, ex quo Latinum *iduo*, deinde *fido* cum F digammate nempe Aeolico, unde est etiam *divido*. *Cic. Leg.* 2, 3. Ventum in insulam est: hoc enim quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus aequaliter in duas partes, latera haec alluit. *Cels.* 8, 4. *med.* de calvaria fracta. Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, et os altera fiderit. *Virg. A.* 10, 295. inimicam findite rostris Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina. *Id. ib.* 6, 540. Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas. *Id. G.* 2, 353. hiulca siti findit Canis aestifer arva. Et 78. enodes trunci resecantur, et alte Finditur in solidum cuneis via. *Plin.* 36, 22, 45. Specularis lapis finditur in quamlibet tenues crustas. *Ov. A. Am.* 2, 671. vomere findere terras. *Hor. Od.* 1, 1, 11. findere agros sarculo. *Id. Epod.* 13, 13. Assaraci tellus, quam frigida parvi Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois, *h. e.* interfluunt, intersecant. ℙ Translate. *Id. Od.* 4, 11, 15. Idus tibi sunt agendae, Qui dies mensem Veneris marinae findit Aprilem. *Ov. Met.* 4, 666. Et liquidum motis talaribus aera findit. Et *Her.* 16, 31. et *Prop.* 3, 7, 35. fretum merces portante carina Findere. Et rursus *Ov. ib.* 19, 208. spes est vicinae pacis in undis: Tum placidas tuto pectore finde vias. *Stat. Th.* 12, 255. de tauro:

Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aera findit. *Id. Silv.* 3, 1, 155. nubila disco findere. Et absolute sine ablat. *Ov. Trist.* 1, 4, 3. Ionium non nostra findimus aequor Sponte, *h. e.* navigamus. ℙ *Findi* aliquando est prae ira rumpi. *Pers.* 3, 8. turgescit vitrea bilis: Findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas. *Pl. Bacch.* 2, 3, 17. Cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur, istius hominis ubi fit mentio. *Ov. Medic. fac.* 39. Marsis finduntur cantibus angues. ℙ De praeterito haec habet *Prisc.* 10. p. 890. Findo quoque *fidi* facit: licet quidam *fisi* putaverunt. Deinde affert exempla de *diffindo*. [*Quod *fidi*, contra praeteritorum bisyllaborum consuetudinem, primam corripiat, inde apud *Ruddim.* 1, 233. *n.* 66. parum videtur ineptum esse creditu, *fefidi* olim aut *fifidi*, pro *fidi* a *findo*, antiquos dixisse.]

FĬNGĬBĬLIS, e, adj. qui fingi potest. *Coel. Aur. Tard.* 1, 4. *n.* 104. Aurium tinnitus, vel prae oculis scintillarum fingibilis visus.

FĬNGO, is, finxi, fictum, a. 3. *πλάττω*, est verbum generale ad omnia, quae ingenio et manu artificiose formantur, et significat formare, rem veram imitatione exprimere, componere, efficere: a *σφίγγω*, stringo, premo, in solidum cogo: hinc est *figulus*, qui nempe tenuem ac liquidam fere materiam compingit. [**Döderl.* 1, 160. docet *fingere* et *facere* formas ejusdem quidem generis cognatas esse, ut nostr. *wischen* et *waschen*, lat. *stringere* et *trahere*.] *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Ab Apelle pingi, a Lysippo fingi volebat. *Ov. Trist.* 2, 489. de humo fingere pocula. *Cic. Verr.* 2, 4, 13. Fingere e cera. *Id. Off.* 1, 44. Apes fingunt favos. *Id. Mur.* 29. Natura te finxit ad honestatem. *Virg. A.* 2, 79. nec, si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. *Hor. A. P.* 382. Fingere versus. [*Ita *Cic. Brut.* 3. Fingitur oratio commodius, i. e. elaboratur. *Plin. Pan.* 3, 1. Nullum esse neque fucerius, neque acceptius genus gratiarum, quam quod illas acclamationes aemuletur, quae fingendi non habent tempus.] *Cic. N. D.* 2, 59. *f.* Lingua vocem immoderate profusam fingit et terminat, [*i. e. facit, ne ut in brutis, sine distinctione litterarum et syllabarum erumpat. *Ernest.* in *cl.* — Dicitur *fingere* etiam de Fortuna, in mutandis rebus humanis, et efformandis, ut Gr. *πλάττειν*. *Pl. Capt.* 2, 2, 54. Fortuna humana fingit arctatque ut lubet.] ℙ Significat etiam simulare. *Cic. Fam.* 3, 12. Suscipe meas partes, et eum te esse finge, qui ego sum. *Sall. Cat.* 48. Fingere alia omnia. *Caes. B. G.* 1, 39. Neque vultum fingere, neque interdum lacrymas tenere poterant. [*V. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut.* 5, 1, 4.] ℙ Item docere, instituere. *Hor. Ep.* 1, 2, 64. Fingit equum tenera docilem cervice magister Ire viam. [**Ter. Heaut.* 5, 1, 25. Sed ille quoque tuus Syrus, idem mire finxit filium, i. e. formavit, erudivit. V. quos laudat *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Item imaginari. *Cic. Acad.* 4, 36. *f.* Finge, aliquem nunc fieri sapientem. *Id. Mil.* 29. Fingere cogitatione. *Id. Rosc. Am.* 9. Homines antiqui, qui ex natura sua ceteros fingerent. *Ov. Her.* 4. *extr.* lacrymas finge videre meas. [**Plin. Pan.* 4, 4. Fingere et formare sibi principem, i. e. formam, s. imaginem perfecti principis ingenio concipere. — Huc pertinent loci *Tibull.* 2, 6, 51. Tunc mens mihi perdita fingit, Quisve meam teneat, quot teneatve modis. *Prop.* 3, 20, 17. Tecum finge triumphos. Cf. *Ov. Her.* 9, 105. *Am.* 1, 7, 35.] ℙ Item excogitare, comminisci. *Ter. Eun.* 1, 2, 58. Fingit causas, ne det. *Pl. Asin.* 2, 1, 2. Argento comparando fingere fallaciam. [**Ter.* 3, 2, 34. Nonne ad senem aliquam fabricam fingit?] ℙ Item componere, ornare, excolere. *Ov. Rem. Am.* 341. Proderit et subito, cum se non finxerit ulli, Ad dominam celeres mane tulisse gradus. *Virg. G.* 2, 407. falce vitem putando fingere. ℙ Et speciatim capillos comere. *Phaedr.* 2, 2. Cum se putaret fingi cura mulierum, Calvus repente factus est. *Virg. A.* 4, 148. mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro. *Ov. A. Am.* 1, 306. Quid toties positas fingis inepta comas? *Prop.* 3, 8, 14. Et nitidas presso pollice finge comas. Adde *Tibull.* 1, 5, 50., *Stat. Th.* 5, 228. et *Senec. Hipp.* 372. ℙ Item meditari, parare, struere. *Pl. Capt.* 2, 1, 13. At fugam fingitis. *Ca.* nos fugiamus? *Senec. Consol. Marc.* 26. Nec parricidia aut fingi, aut cogitari. ℙ Item leniter tractare, mulcere. *Ov. Fast.* 5, 409. Saepe manus aegras manibus fingebat amicis. [*Cf. *Non. Marcellus* p. 308.] ℙ Item comparare, componere, accommodare. *Cic. Or.* 8. Omnes qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. [**Id. Att.* 6, 3. Formam totius reipubl. velim mittas, quae mihi obviam fiat, ex qua me fingere possim.] ℙ In re oratoria aliquando *fingere* est proponere aliquid, quod si verum sit, aut solvat quaestionem, aut adjuvet: deinde id, de quo quaeritur, facere illi simile. Ita *Quint.* 5, 10. *post med.* [*Nos dicimus *einen Fall setzen*, *annehmen*.] V. FICTIO. ℙ Pro persuadere, *Sil.* 1, 440. Daunum etiam, grata quo non spectatior alter Voce movere fora, atque orando fingere mentes. [**Cic. Brut.* 38, 142. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit etc. ℙ Permutata videntur *Heindf.* in *cdd. fingere* et *gignere*, ap. *Cic. N. D.* 1, 20, 56. Sed falsam esse, *V. D.* sententiam, *fingere sibi molestiam*, *taedium*, *laborem*, cet., dici latine non posse, probat l. *Virg. A.* 7, 438. Nec tantos mihi finge metus. Adde *Ecl.* 8, 108. *Lucr.* 1, 105. *Quint. Decl.* 9, 16. p. 204. Num animum mihi ipsi finxi?]

FĬNIENS, entis, part. a *finio*, qui finit. *Cic. Div.* 2, 44. Illi orbes, qui coelum quasi medium dividunt, et aspectum nostrum definiunt, qui a Graecis *ὁριζοντες* nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt. *Senec. Q. N.* 5, 17. Hanc lineam, quae inter aperta et occulta est, Graeci *ὁριζοντα* vocant, nostri finitorem dixere, alii finientem.

FĬNIO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *τελέω*, finem impono. *Caes. B. C.* 3, 51. Si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. *Curt.* 4, 14. Hic dies imperium aut constituet, aut finiet. *Plin.* 18, 2, 2. Honos is non nisi vita finitur. *Vell.* 2, 33. Finire honores aequo animo, *h. e.* deponere. *Petr. Sat.* 99. Osculo finire iram. Et 122. Vix dum finierat, *scil.* loqui. *Ov. Met.* 1, 566. Finierat Paean. *Id. A. Am.* 1, 755. Finiturus eram: sed etc. *Id. Fast.* 3, 883. Luna finit tempora mensis. *Id. Met.* 15, 602. Finire metum morte tyranni. *Id. Pont.* 1, 6, 41. gladio finire dolorem. *Hor. Ep.* 2, 2, 146. Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae, Narrares medicis. *Id. Sat.* 2, 4, 22. Finire prandia moris. *Cic. Or.* 3, 49. *f.* Ut sententiae verbis finiantur, *h. e.* verbis, non autem nominibus claudantur. *Quint.* 1, 5. *med.* Nomen Latinum, quod *o* et *n* litteris finitur, non reperiebant. Et *ib.* Verbum acuto sono finire. *Plin.* 6, 19, 23. et 8, 42, 64. Voluntaria morte, aut inedia vitam finire. *Ov. Trist.* 3, 7, 49. Ense alicui vitam finire. *Id. Met.* 7, 591. Non exoratis animam finivit in aris. Et absolute *Tac. A.* 6, 50. Sic Tiberius finivit octavo et septuagesimo aetatis anno. [*Amat *Tac.* hanc dicendi consuetudinem. V. *Böttich. lex. Tac.* p. 199.] *Plin. ep.* 1, 12. Illis, qui morbo finiuntur. [**Sen. prov.* 6. Mors vos aut finit aut transfert. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 123., qui etiam e Cicerone locos affert.] *Quint.* 9, 4. *f.* Denique ut semel finiam, sic fere componendum, quo modo pronunciandum erit. [*Elegans forma sibi quasi ipsius instantis, et suam tarditatem indignantis. Cf. 8, 3, 55. 9, 4, 138. 11, 3, 59.] ℙ Refertur etiam ad fines locorum. [*Haec est prima vocis significatio; scil. finibus aliquid circumdare, alicujus rei fines, modum constituere. Deinde sequi poterant exempla, quae ab initio posita sunt.] *Caes. B. G.* 4, 16. Populi R. imperium Rhenum finire. *Ov. Met.* 11, 152. Tmolus Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis. *Id. Fast.* 2, 222. Riparum clausas margine finit aquas. *Liv.* 1, 18. Signum contra, quo longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit. *Vell.* 2, 126. Quidquid meridiano aut septentrione finitur. [**Liv.* 42, 47. Finire locum, in quo dimicaturi essent.] ℙ Item ad tempus. *Cic. Att.* 8, 3. Finire provincias Gallias, *h. e.* praescribere tempus imperii in Gallia habendi. *Id. Fam.* 15, 9. Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatusconsulto, et lege finisti. [**Caes. B. G.* 6, 18. Galli spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt.] *Suet. Aug.* 101. Quibus solvendis annuum diem finiit. *Liv.* 1, 17. Quinque dierum spatio finiebatur imperium. ℙ Et ad numerum. *Curt.* 4. *ult.* Cecidere Persarum, quorum numerum victores finire potuerunt, millia XL. Al. leg. *inire*. ℙ Et ad modum. *Cic. Leg.* 2, 26. Sepulcris novis finivit modum: nam super terrae tumulum noluit quid statui. *Id. Fin.* 2, 20. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate, i. e. moderabatur. *Id. ib.* 9. Illud ipsum non nimium probo, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus, *h. e.* intra certos fines circumscribendis. ℙ Ponitur etiam pro definire, seu explicare quid res sit. *Quint.* 2, 15. Quid sit rhetorice, quae finitur quidem varie, sed etc. Adde 6, 3. *f.* et 7, 3. ℙ Item pro statuere, definire, decernere. *Liv.* 40, 44. *med.* De pecunia finitur, Ne major causa ludorum consumeretur, quam etc. ℙ *Finiendi modus* est indicativus. V. FINITIVUS.

FĪNIS, is, m. et f. *τέλος*, terminus, extremitas in unaquaque re, exitus, modus. *Cic. Or.* 1, 34. Oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere. *Id. Verr.* 2, 2, 48. Modum aliquem et finem orationi nostrae, criminibusque faciamus. *Id. Off.* 1, 29. Finem et modum transire. *Id. Cluent.* 3. Reperire finem atque exitum rei cujuspiam. [*Dicitur etiam ut *exitus*. *Cic. Fam.* 4, 9. Qui finis istius consilii est. *Hor. Ep.* 1, 2, 56. Certum voto pete finem. *Id. ib.* 2, 1, 141. Animus spe finis dura ferens.] *Cic. Or.* 2, 55. Facere finem scribendi. *Ter. Heaut. prol.* 34. facere maledictis. *Caes. B. G.* 1, 33. injuriis. *Quint.* 12, 11. His dicendi virtutibus usus orator, finem quoque dignum et optimo viro, et opere sanctissimo faciet. *Cic. Phil.* 6, 1. Etiamsi ille dies vitae finem mihi allaturus esset. *Id. Somn. Scip.* 8. Quod ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat, necesse est. *Ter. Andr.* 1, 1, 12. Rebus finem praescribere. *Cic. Verr.* 2, 1, 2. constituere. *Virg. A.* 10, 106. et *Tac. H.* 4, 3. Finem capere, *h. e.* habere vel facere. *Virg. A.* 6, 76. finem dedit ore loquendi. Et *ib.* 3, 145. fessis rebus finem ferre. Et *ib.* 4, 639. curis imponere finem. *Tac. A.* 6, 40. *extr.* Finem vitae sibi ponere. *Lucr.* 2, 1114. ad finem perducere. Et 6, 24. finem timoris statuere. *Ter. Hec.* 1, 2, 21. statuere orationi. *Plin. ep.* 9, 28. Polliceris in fine, te statim ad nos evolaturum. *Liv.* 30, 1. Scipioni non temporis, sed rei gerendae fine prorogatum imperium est. [**Sil.* 3, 122. Tibi gloria fine caret, i. e. tibi gloriae cupido est infinita. Hinc *finis* dicitur, quod in quaque re summum. *Cic. Fin.* 1, 17. finis bonorum et malorum. *Id. Planc.* 25. Finis honorum populi est consulatus. *Id. Tusc.* 2, 1. finis sperandi: est summum, quod quis sperare potest, aut sperat. *Tac. A.* 3, 27. Finis aequi juris. — Est etiam summa alicujus rei, s. eorum, quae quis facturus dicturusve fit, brevis ab initio posita enucleatio. *Cic. Or.* 2, 34. Hujus quidem loci hic est finis.] ℙ *Quem ad finem* est quamdiu. *Cic. Cat.* 1, 1. Quem ad finem se se effrenata jactabit audacia? *Id. Verr.* 2, 5, 29. Piratam vivum tenuisti: quem ad finem? dum cum imperio fuisti. ℙ *Ad eum finem* est tamdiu. *Nep. Epam.* 2. Exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. *Cic. N. D.* 2, 51. *f.* Amor bestiarum in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere. Adde *Verr.* 1, 6. ℙ *Ad finem*, usque ad finem. *Ov. Met.* 11, 750. ad finem servatos laudat amores. *Id. Amor.* 2, 7, 14. Et stetit ad finem longa tenaxque fides. *Liv.* 10, 32. Non venit ad finem tam audax inceptum. ℙ *Fine* ablativus (quod et *fini*, ut *igne* et *igni*) est tenus, usque ad. [*Quid differant *fine* et *tenus*. V. ap. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 467.] *Hirt. B. Afr.* 85. Per mare umbilici fine ingressi. *Sall. fragm.* ap. *Arusian. Mess.* Fine inguinum ingrediuntur mare. *Cato R. R.* 113. Amphoras nolito implere nimium ansarum infimarum fini. *Caes. B. G.* 7, 47. Matresfamiliae de muro pectoris fine prominentes. Alii male leg. *pectore nudo*. ℙ Et cum ablativo. *Cato R. R.* 28. Oleas, ulmos, ficos in scrobem cum pones, summam terram subdito; postea operito terra radicibus fini. ℙ *Nullo fine*, *dempto fine*, est sine fine. *Plin.* 14, 1, 3., *Ov. Amor.* 1, 9, 10. et *Pont.* 1, 1, 74. et *Her.* 1, 50. ℙ Interdum *finis* dicitur de fine vitae. *Tac. H.* 1, 37. Septem a Neronis fine menses sunt. Adde *A.* 15, 63. et *alibi saepe*, et *Vell.* 2, 123. [*Cf. de hoc *Tac.* usitatissimo dicendi genere *Böttich. lex. Tac.* s. h. v.] ℙ Saepe de causa et proposito, cujus gratia fit aliquid, et ad quod referuntur omnia. Est enim illud ultimum ac summum, quod ab operante quaeritur. Dubitare quodammodo videtur *Cic.* hoc sensu usurpare. Sic enim loquitur *Fin.* 3, 7. Cum enim hoc sit extremum (sentis enim, credo, me jamdiu, quod *τέλος* Graecus dicat, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere) etc. *Id.* tamen sine dubitatione utitur, ut *Off.* 1, 39. Domus finis est usus. Et 16. Liberalitas referenda est ad illum finem etc. [**Id. Inv.* 1, 5. Officium ejus facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem: finis, persuadere dictione. V. *Spald.* et quos laudat ad *Quint.* 2, 15, 6.] *Tac. A.* 14, 64. Quod ad eum finem memoravimus, ut etc. ℙ Saepissime de limite, termino et extremitate locorum, *ὅρος*. Hanc volunt quidam etymologi esse primam ac propriam vim et significationem. [*Est vero.] Adhibetur autem fere in plurali numero. *Ter. Heaut.* 3, 1, 93. Vicini nostri hic ambigunt de finibus. *Cic. Off.* 1, 10. Terminare fines agrorum. *Id. Prov. cons.* 12. Finium imperii propagatio. *Id. Dejot.* 8. Tueri fines ab excursionibus hostium. *Id. Or.* 41. Suas regiones finesque defendere. [**Sil.* 1, 141. Hominum fines Gades. Dicitur etiam sensu augurali. *Liv.* 1, 18. Inter eos fines, quos feci. *Regere fines*, quid sit, v. in REGERE.] ℙ In singulari num. *Liv.* 33, 37. Redeuntes inde Ligurum extremo fine. Et 40, 16. Fere ad extremum finem provinciae Galliae. [*Eodem significatu finis absolute dicitur. *Id.* 38, 15. Nulla legatio ad finem praesto fuerat, Cf. 4, 58. it. 10, 35. et *Drak.* ad 35, 27.] *Cic. Caec.* 8. Intra finem ejus loci, quem oleae terminabant. *Ov. Amor.* 3, 6, 19. Tu potius ripis effuse capacibus amnis (Sic aeternus eas) labere fine tuo. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 49. Crassus mihi visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis paene, describere. *Id. Quint.* 10. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi

non possim. *Id. Har. resp.* 3. Illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem non posse arceri otii finibus. *Hor. Sat.* 1, 1, 49. Intra fines naturae vivere. ℙ Aliquando *fines* sunt ipsa regio. *Sall. Jug.* 15. 'Ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus R. dedit. *Caes. B. G.* 1, 2. *extr.* Fines Helvetiorum in longitudine millia passuum ducenta quadraginta, in latitudinem centum octoginta patebant. Et *ib.* 6, 31. In mediis Eburonum finibus. Et *ib.* 1, 6. Ut per suos fines eos ire paterentur. [*Liv.* 28, 44. Multum interest, alienos populare fines, an tuos uri exscindive videas. Ita etiam accipiendum in formula deditionis ap. *Eund.* 9, 9. Urbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitium esse.] *Ov. Trist.* 5, 1, 21. Scythicique in finibus Istri Ille pharetrati lusor Amoris abest. ℙ *Finis* pro definitione. *Quint.* 2, 15. Est igitur frequentissimus finis rhetorices, vis persuadendi. Sic pluries eo cap. [*Ita *Aristoteles* et Euclides utuntur τῷ ὅρῳ ἀντὶ τοῦ ὁρισμοῦ. *Cic.* quidem haec v. *finis* significatio ignota. *Spald.* ad h. l.] ℙ Feminino genere. *Virg. A.* 2, 554. Haec finis Priami fatorum, hic exitus illum Sorte tulit. *Cic. Leg.* 2, 22. Necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae etc. *Gell.* 7, 3. *med.* Eo consilio atque ea fini. *Id.* 1, 3. *f.* et 13, 20. Hac fini ames, tanquam etc. *Liv.* 22, 57. Quaenam futura finis tantis cladibus foret. Adde *Lucr.* 1, 107. et 551. et *alibi*, *Colum.* 5, 11. et *Varr., Sisenn., Cass. Hemin., Caecil.* et *Accium* ap. *Non.* 3, 90. ℙ *Qua fini* vel *fini qua* est, catenus, quatenus. *Cato R. R.* 21. Cupam qua fini in modiolos erit, utrinque secus imbricibus ferreis quatuor desues. *Papin. Dig.* 16, 2, 19. Obligatio pristina remanebit: sed dabitur ei compensatio peculii, fini, qua servus publicus habebit. ℙ Non semel apud eund. JCtum *finis* pro modo accipitur, ut *Dig.* 20, 1, 1. *med.* Placuit, ut fructus hypothecarum usuris compensaret, fini legitimae usurae. Et 21, 2, 66. *extr.* Finem pretii deminuere vel excedere. Et 49, 17, 17. Cogetur ad finem peculii perpetuo legata praestare. ℙ [*Confund. *finis* et *fides. Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 118.]

FĪNĪTĒ, adv. intra certos fines. *Cic. Fin.* 2, 9. Ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum. *Gell.* 14, 1. *med.* Referri oportere ad senatum aut infinite de republ., aut de singulis rebus finite.

FĪNĪTIMUS, a, um, adj. πρόσορος, vicinus, propinquus, proximus, qui fines nostros attingit. *Cic. Manil.* 4. Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset. *Id. ib.* 2. Regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus. *Ov. Trist.* 4, 10, 111. finitimis quamvis circumsoner armis. ℙ Translate ponitur pro simili, conjuncto. *Cic. Acad.* 4, 21. Ita finitima sunt falsa veris. *Id. Brut.* 42. Artium studiorumque quasi finitima vicinitas. *Id. Or.* 2, 44. Motus, qui finitimi sunt, et propinqui his animi perturbationibus. *Id. Tusc.* 4, 30. Aegritudini finitimus est metus. *Id. Sull.* 25. Autronii nomen finitimum maxime est hujus periculo et crimini. *Gell.* 1, 4. *extr.* Verbum verbo finitimum.

FĪNĪTIO, onis, f. finium assignatio, circumscriptio, divisio. *Hyg. Astron.* 1, 6. *extr.* Si non in triginta partes unumquodque hemisphaerium dividatur, sed in alias quotlibet finitiones. ℙ Item finis, terminus, status. *Vitr.* 2, 1. *f.* Liber hoc non profitetur, unde architectura nascatur, sed unde origines aedificiorum sint institutae, et quibus rationibus enutritae et progressae sint gradatim ad hanc finitionem. *Id.* 8, 1. Visum ad libratam altitudinem certa finitione designare. Adde 5, 4. *f.* ℙ Item definitio. *Quint.* 7, 3. Finitio est rei propositae propria et dilucida, et breviter comprehensa verbis enunciatio. Adde 2, 15. *et al.*, et *Gell.* 15, 9. etc. ℙ Item propositio, regula. *Colum.* 5, 11. *f.* Illam quasi finitionem, qua nos paulo ante usi sumus, veluti quandam legem sanxerunt, eos tantum surculos posse coalescere, qui sint cortice consimiles. ℙ [Item mors. *Inscr.* ap. *Grut.* 810, 10. Naevia Prisca, si permanserit usque in diem finitionis suae, recipiatur ibi juxta maritum suum. Alia *ib.* 827, 3. Hos ab animo potuit disjungere nemo, nisi finitio fati. *F.*]

FĪNĪTĪVUS, a, um, adj. qui definit. Hinc *finitivus status* apud rhetores dicitur, in quo quaeritur, quid quis fecerit. *Quint.* 3, 6. et 2, 1. et finitiva causa, 7, 3. *extr.* ℙ Apud grammaticos *finitivus modus* verborum est, cum quasi definita et simplici utimur expositione, ut *accuso*, *accusabam:* qui et *indicativus* dicitur, et a *Quint.* 1, 6. *finiendi modus* appellatur. *Diomed.* 1, 328. ℙ *Finitiva littera* dicitur, quae vocem claudit, et finit. *Capell.* 3, 54. Littera *f* nullum claudit finitiva sermonem.

FĪNĪTOR, oris, m. ὁρίζων, terrae mensor, aut etiam alius arbiter, qui lite de agrorum finibus exorta, suos cuique limites praescribit. *Cic. Agr.* 2, 13. *extr.* Quaestori permittant, finitorem mittant. [*Cf. *c.* 17. 20.] ℙ *Finitor* etiam dicitur, qui cuicumque rei quocumque modo finem facit. *Stat. Th.* 8, 91. de Plutone: O cunctis finitor maxime rerum. ℙ *Finitor circulus* est *der Horizont.* V. FINIENS. ℙ Translate. *Pl. Poen. prol.* 48. Argumenti regiones, limites, confinia Determinabo: ei rei ego sum factus finitor. Paenultimam hic *Pl.* corripit, quasi non a verbo *finio*, sed a nomine *finis* ducens, ut a *vino* est *vinitor.* Alii tamen melius ordinem verborum sic mutant, *ei rei ego finitor factu' sum.*

FĪNĪTUS, a, um, part. a *finio*, qui cessavit, desiit, peractus est. *Justin.* 15, 1. Finitum certamen. *Flor.* 2, 13. bellum. *Ov. Trist.* 3, 2, 17. Via finita. *Hor. Od.* 1, 19, 4. Finiti amores. *Id. Ep.* 2, 2, 104. Finita studia. *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 1. Finiti frigoris indicium. *Id.* 19, 3, 15. Finitus sudor. *Quint.* 1, 6. Nomina *us* littera finita. *Flor.* 2, 15. Carthago finita, *h. e.* eversa, sublata. ℙ *Finito*, re finita. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Finito, incipit respondere Vejento. Al. leg. multo rectius: *Finio. Incipit respondere*, etc. ℙ Item certis finibus conclusus, certus, determinatus, definitus, circumscriptus, ὡρισμένος. *Cic. N. D.* 2, 59. In ore sita lingua est, finita dentibus. *Id. Part.* 18. Duo sunt quaestionum genera: quorum alterum finitum temporibus et personis: alterum infinitum, nullis neque personis neque temporibus notatum. [*Id. Tusc.* 3, 25. Mors est omnibus finita.] *Plin.* 2, 53, 54. Ventura finito die praecinere. *Ov. Fast.* 5, 65. finitaque certis Legibus est aetas, unde petatur honos. *Vell.* 1, 10. Egredi finito arenae circulo. ℙ Apud grammaticos *finitus articulus* est, qui certum quippiam significat, ut *hic*, *haec: infinitus*, qui incertum, ut *quis*, *quae.* Ita *Varr. L. L.* 9, 1. ℙ [*Est etiam numerose cadens. *Cic. Or.* 51. Finita pronunciare. V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 271.]

FIO, fis, factus sum, n. passiv. anom. γίνομαι, efficior, evado. Est passivum verbi *facio*, et aeque late patet. Volunt etymologi esse a φύω, nascor, sum. *Pl. Amph.* 3, 1, 4. Interdum fio Jupiter, quando lubet. *Hor. Ep.* 2, 2, 211. Melior fis accedente senecta. *Nep. Alc.* 5. Ab exercitu recipitur praetorque fit. [*Fieri* de magistratu creando usurpari et ad *Quint. Inst.* 5, 10. p. 425. et ad *Vell.* 2, 17. docet *Burm.* satis magna exemplorum copia.] *Id. Dion.* 9. Fit strepitus. *Cic. Div.* 2, 7. Omnia quae fiunt, quaeque futura sunt. Et *mox.* Nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire. *Id. Rosc. Am.* 9. Ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Pl. Rud.* 4, 3, 16. Dominus, cui furtum fiebat. *Id. Aul.* 2, 4, 31. Ut det, qui fiamus liberi. *Ter. Heaut.* 5, 4, 14. Non patiar flagitiis tuis me infamem fieri. *Id. Andr.* 1, 3, 20. Mihi non fit verisimile. [*Huc pertinent *ll. Liv.* 42, 8. Arma fieri — in ea gente. *Id.* 9, 45. Bellum fieri Aequis jussit. It. de castris. 10, 21. de comitiis 5, 52. de ludis 10, 23. Notandus etiam usus, quo dicitur de iis, quae in statum aliquem transeunt. Construitur cum *Gen.* ditionis, quem dicunt. *Cic. Top.* 4. Omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. *Liv.* 33, 13. Thebae populi Romani jure belli factae sunt. V. de hujus constructionis ratione *Ramsh. Gr. Lat.* §. 109. *Quint.* 6, 3, 7. Fieri commodioris valetudinis. *Liv.* 35, 34. Ita Demetrias Aetolorum facta est. Item cum *Ablat. Virg. G.* 4, 408. Fictfulva cervice leaena.] ℙ *Fieri potest*, *fieri non potest* est quod minus Latine dicitur possibile, impossibile est. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 70. Potest fieri, ut iratus dixerit. *Cic. Amic.* 21. Neque fieri potest, ut, etc. *Id. Tusc.* 1, 3. Fieri potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. ℙ Quandoque est aestimari. *Nep. Dat.* 5. Illum unum pluris, quam se omnes, fieri videbant. *Cic. Amic.* 16. Ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. [*Id. Fam.* 3, 4. Plurimi fieri.] ℙ Item rem divinam peragi. *Cic. Att.* 1, 13. Cum pro populo fieret. [*Omnino est hoc vocabulum in re sacra usitatum. V. *Liv.* 37, 3. Quibus diis decemviri ex libris ut fieret, ediderunt. *Tibull.* 4, 6, 14. Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero. Gr. ῥέζεται.] ℙ Item esse. *Cic. Fam.* 3, 7. Scilicet contempsi te: nec fieri potest me quidquam superbius. *Pl. Merc.* 4, 3, 1. Miserior mulier me nec fiet, nec fuit. ℙ Item gigni, produci. *Varr. R. R.* 3, 12. *med.* Lepores in Gallia fiunt permagni, in Hispania mediocres. *Pl. Trin.* 4, 2, 90. Arabia, ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea ℙ Item evenire, accidere in tertiis personis. *Cic. Att.* 16, 2. Fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. *Id. Amic.* 21. Si morum commutatio quaedam (ut fieri solet) facta erit. Et 20. Ne imtemperata quaedam benevolentia (quod persaepe fit) impediat magnas utilitates amicorum. *Id. Att.* 7, 12. *f.* Si ita factum esset, ut ille senatum offenderet. ℙ *Quid illo* vel *de illo fiet? Cic. Fam.* 14, 4. Quid Tulliola mea fiet? *Id. Acad.* 4, 33. Quid fiet artibus? *Id. Att.* 6, 1. *med.* Quid illo fiet, quem reliquero? quid me autem, si non tam cito decedo? *Ter. Ad. f.* De fratre quid fiet? *Pl. Epid.* 1, 2, 48. Quid de illa fiet fidicina? [*Ramsh. Gr. Lat.* §. 141. — Interdum et dativo jungitur. *Ov. Art. Am.* 1, 536. Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? Quae *Ramsh. l. l.* nonnisi elocutione differre ab antecedentibus docet.] ℙ *Si quid me factum sit*, V. FACIO. ℙ Fiet aliquid. *Ter. Andr.* 2, 1, 13. Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies: interea fiet aliquid, spero. *Pl. Merc.* 2, 4, 25. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. ℙ *Fit nihil* dicitur, cum vanus est conatus et opera luditur, nihil conficitur. *Pl. Curc.* 5, 3, 5. Postquam nihil fit, clamore hominem posco, *h. e.* argentum non redditur. *Cic. Fam.* 7, 18. An hoc significas, nihil fieri, frigere te? *Gell.* 2, 29. Sol fervit, et fit nihil. ℙ *Ut fit*, *ita ut fit*, ut fieri solet. *Cic. Or.* 53. Praesertim cum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent. *Id. Verr.* 2, 2, 23. Queri cum multis, ita ut fit, incipiunt. *Liv.* 3, 1. Fecit statim, ut fit, fastidium copia. ℙ Est etiam sequi, nasci. *Ter. Andr.* 2, 3, 11. Ex ea re quid fiat, vide. *Plin.* 2, 75, 77. Sic fit, ut longissimus dies duodecim horas colligat. *Nep. Dion.* 2. Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret. *Id. Alc.* 7. Ex quo fiebat, ut, etc. [*Cic. Tusc.* 3, 5. Ita fit, ut, pro: ex quo sequitur: ex arithmeticis ducta ratio dicendi.] ℙ *Fiat* est concedentis, permittentis, annuentis. *Pl. Ps.* 1, 5, 146. Fiat: geratur mos tibi. *Id. Most.* 1, 3, 44. I mecum hac, obsecro, una simul. *Si.* fiat. Adde *Senec. f. prooem.* 3. *Contr.* ℙ *Fi*, *fite* et *fitote*, voces sunt imperativi modi. *Pl. Pers.* 1, 1, 39. Age, fi benignus, subveni. *Hor. Sat.* 2, 5, 38. fi cognitor. *Pl. Curc.* 1, 2, 63. fite causa mea Lydi barbari. *Id. Poen. prol.* 8. saturi fite fabulis. *Id. in suppos. Amph. scena quae incipit*, Quis tam, *f.* Id si fuat, Amphitruones fitote gemini. Adde *Caton., Crassum*, *Liv. Andron.* in *Odyss.* ap. *Non.* 7, 62. ℙ *Fimus* legunt quidam ap. *Ter. Heaut.* 3, 1, 74. Deteriores omnes fimus licentia. Al. *sumus.* Sed *Arnob.* 2, 53. Causae, quibus mali fimus et pessimi. ℙ *Fiens* part. ponitur a *Diomed.* 1, 352. et 377., rarum tamen esse dicitur. Certe caret, quod sciam, exemplis. ℙ Olim et *fior* usurpatum fuit. *Cato* ap. *Prisc.* 8, 789. Postquam diutius fitur. *Id. ib.* Graeco ritu fiebantur Saturnalia. *Liv.* in *Odyss.* ap. *Non.* 7, 62. fitum est.

FIRCELLĪNUS, a, um, adj. ad Fircellium pertinens. *Varr. R. R.* 3, 4. Sexaginta millia *(turdorum)* Fircellina. Est autem Fircellius nomen propr. R., ut Fircellius Pavo ap. *eund. ib.* 2. et 6.

FIRCUS Sabinis est hircus. *Varr. L. L.* 4, 19.

FIRMĀMEN, inis, n. *Ov. Met.* 10, 491. Porrigitur radix, longi firmamina trunci.

FIRMĀMENTUM, i, n. στερέωμα, id quo quippiam firmatur, ne vacillet aut ruat. *Caes. B. C.* 2, 15. Ubi imbecillitas materiae postulare videretur, pilae interponuntur, transversaria tigna injiciuntur, quae firmamento esse possint. *Gell.* 13, 22. Nervi sunt vincula et firmamenta membrorum. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 2. Parum firmamenti et parum virium veritas habet. *Id. Mur.* 28. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis. *Id. Planc.* 9. Flos equitum Rom., ornamentum civitatis, firmamentum reipubl., publicanorum ordine continetur. *Id. Amic.* 18. Firmamentum stabilitatis constantiaeque ejus, quem in amicitia quaerimus, fides est. *Id. Tusc.* 4, 4. Firmamentum disciplinae. *Id Flacc.* 37. Si ullum firmamentum in illo teste poneres. [*Tac. H.* 5, 8. Honor sacerdotii firmamentum potentiae adsumebatur. *Sen.* etiam haud raro usurpat hanc vocis significationem, e. g. *Ira*, 1, 16, 28. 2, 1, 2. *Böttich. Lex. Tac.* p. 199. Etiam in re bellica. *Liv.* 29, 2. Dum cedenti duodecimae legioni — tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum ducit.] ℙ Apud rhetores *firmamentum* est illud, quod ab accusatore opponitur contra rationem defensoris; ad firmandam scilicet suam accusationem, quae sine eo omnino corrueret. [*Gr. τὸ συνέχον. V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 172.] *Cic. Part.* 29. Distinguendi gratia rationem appellamus eam, quae affertur a reo ad recusandum, depellendi criminis causa; quae nisi esset, quid defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Eadem habet *Auct. ad Her.* 1, 16. ℙ Item *Cic. Inv.* 1, 14. quae adolescens multo ante scripserat, aliter *firmamentum* definit, ac in *Partitionibus*, nempe firmissimam argumentationem non accusatoris, sed defensoris. [* *Ernest. l. l.*] ℙ *Firmamentum* pro coelo, in quo stellae fixae sunt, usurpatur ab *August.* 2. *de Gen. ad litt.* etc.

*FIRMĀNI, orum, populi, quorum meminit *Cic. Phil.* 7, 23. Firmani ad oppugnandum Antonium pecuniam polliciti. V. v. sq. *B. A.*

FIRMĀNUS, a, um, adj. ad Firmum pertinens, oppidum Italiae in Piceno, olim coloniam Romanam, nunc *Fermo:* hoc oppidum trib. mill. passuum a mari distat, totidem vero ex eodem remotus est locus, qui *Porto di Fermo* nunc dicitur, ubi Firmanorum navale seu castellum olim fuit. Alii tamen statuunt, idem Firmanorum navale fuisse ab oppido Firmo sex mill. pass. remotum, eo nempe loci, ubi nunc *il fosso Cognólo* in mare

se exonerat. *Vellej.* 1, 14. Initio primi belli Punici Firmum, et Castrum colonis occupata, *scil.* Firmum oppidum et Castellum Firmanorum, ut appellat *Plin.* 3, 13, 18. *Liv.* 44, 40. Firmana cohors. [**Catull.* 111, 1. firmanus saltus. *B. A.*]

FIRMĀTOR, oris, m. qui firmat. *Tac. A.* 2, 46. Missus tamen Drusus pacis firmator. *Plin. ep.* 10, 38. Firmator disciplinae militaris.

FIRMĀTUS, a, um, part. a *firmo*, roboratus, confirmatus, στερεωθείς. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Vitium gracilitas firmata circumligatis hastilibus. ℙ Translate. *Cic. Div.* 1, 1. Vetus opinio est, omnium gentium firmata consensu. *Id. Cluent.* 5. Animus consilio et ratione firmatus. *Id. Coel.* 18. Firmata jam aetas. *Caes. B. G.* 4, 28. Firmata pax. *Sall. fr.* ap. *Arusian. Mess.* Firmatus animi. *Pl. Mil.* 2, 5, 43. Nisi das firmatam fidem, te huc intro ituram. *Liv.* 4, 7, Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus, quia tertio mense, quam inierunt, honore abiere. *Curt.* 7, 5. Milites mature cibo ac potione firmati.

FIRMĒ, adv. firmiter, stabiliter. *Ov. Her.* 19, 67. Firmius o cupidi tandem coeamus amantes. *Plin.* 35, 12, 46. Ut firmius durent, calce addita. *Vitr.* 5, 12. Pulvinus quam firmissime statuatur. *Suet. Cal.* 26. Firme insistere. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 21. Firme graviterque aliquid comprehendere. Et *ib.* 2, 2. Habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo. *Id. Att.* 10, 14. *f.* Firmissime asseverare aliquid. *Id. Fin.* 3, 9. Assensus suos firme sustinere. [**h. e.* cavere, ne elabatur nobis assensus, rebusque incertis tamquam certis assentiamus. *Ernest.* in *cl.*] *Plin. ep.* 6, 13. Graviter et firme respondere. *Quint.* 11, 2. Firme continere aliquid, *h. e.* optime meminisse.

FIRMĬĀNUS, a, um, adj. Firmiana vasa argentea, dicta sunt a quodam Firmio artifice. *Plin.* 33, 11, 49., ubi alii leg. *Furniana.*

*FIRMĬCUS, i, m. est cogn. R. Nam Julius Firmicus Maternus fuit scriptor Siculus, qui vixit imperante Constantino M.; cum adhuc idolorum cultum sequeretur, edidit libros octo *Matheseos;* cum vero christianam religionem esset amplexus, alium vulgavit *De errore profanarum religionum. B. A.*

*FIRMĬDĬUS, nomen gentis, ut ille factionis Clodianae, de quo *Cic. Sext.* 112. *B. A.*

[FIRMILLUS, a, um, diminut. firmi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 286. *n.* 189. Firmillo, qui vixit an. XX. Vennulanus fratri *bene merenti* fecit. Alia ap. *Grut.* 353, 6. Anneja Firmilla. *F.*]

[FIRMĪNUS, a, um, adj. ad Firmum pertinens. Est cogn. R. Hostilii Firmini legati proconsulis Africae, cujus meminit *Plin. ep.* 2, 11. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 428, 2. M. Laetilius Fab. Cassianus Laetiliis Firminae et Severae filiis. *F.*]

[FIRMĬO, onis, m. dimin. firmi. Est cogn. libertinum R. *Inscr.* ap. *Grut.* 103, 12. Firmio Bitynitis *libertus. F.*]

FIRMĬTAS, atis, f. stabilitas, soliditas, constantia, στερεότης, βεβαιότης. *Pl. Most.* 3, 2, 133. Age, specta, postes cujusmodi! quanta firmitate facti, et quanta crassitudine! *Caes. B. C.* 2, 11. Ictum firmitas materiae sustinet. *Vitr.* 2, 6. Pulvis *(Puteolanus)* commixtus calce et caemento aedificiis praestat firmitates. *Plin.* 35, 12, 46. Cois amphoris laus maxima, Adrianis firmitas. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 8. Uva sine ullis vasis in vite servabilis: tanta est contra frigora, aestus, tempestatesque firmitas. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 3. Aegyptio lino minimum firmitatis. *Id.* 20, 5, 20. Firmitas valetudinis. *Id.* 35, 12, 46. Fastigia templorum mira caelatura et arte aevique firmitate sanctiora auro. Sic 14, 2, 4. *n.* 1. Firmitas vini. *Cic. Phil.* 2, 25. Gladiatoria totius corporis firmitas. *Gell.* 2, 3. Firmitas et vigor vocis. [**Plin. Pan.* 4, 7. Firmitas corporis, i. e. robur. Adde 15, 1.] ℙ Translate. *Cic. Sext.* 44. Virtus et firmitas animi. *Id. Fam.* 9, 11. Firmitatem et constantiam, si modo fuit aliquando in nobis, eandem cognosces quam reliquisti. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Universus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus. [**Suet. Vesp.* 7. firmitas imperii.]

FIRMĪTER, adv. στερεῶς, firme. *Pl. Epid.* 1, 1, 77. Nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere. *Cic. fr.* ap. *Non.* 11, 24. Firmiter stabilita matrimonia. *Lucil. ib.* Firmiter hoc, pariterque tuo sit pectore fixum. *Caes. B. G.* 4, 26. Neque ordines servare, neque firmiter insistere poterant. *Pl. Ps.* 3, 2, 111. Firmiter alicui promittere. *Gell.* 13, 8. Firmiter meminisse. [**Suet. Vit.* 14. firmiter imperare.]

FIRMĪTŪDO, inis, f. στερεότης, firmitas. [**Caes. B. G.* Firmitudo operis (de ponte).] *Auct. ad Her.* 3, 11. Firmitudinem vocis maxime natura comparat, nonnihil adauget, et maxime conservat exercitatio declamationis. *Pl. Asin.* 2, 2, 54. et *Cic. Fam.* 5, 13. Firmitudo gravitasque animi. *Id. Att.* 11, 14. Salus ab isto data nihil habitura est firmitudinis. [**Haec vox saepissime usurpatur Tac.*, ut *Ann.* 3, 6. 4, 8. 6, 46. 15, 62. cet.]

FIRMO, as, avi, atum, a. 1. στερεόω, firmum stabilemque reddo, stabilio, ne vacillet, aut ruat. *Curt.* 4, 9. *med.* Gradum firmare vix poterant, cum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. *Virg. A.* 3, 659. Trunca manum pinus regit, et vestigia firmat. *Tac. A.* 4, 73. Aestuaria aggeribus et pontibus, traducendo graviori agmini, firmat. *Plin.* 21, 31, 105. Remedium ad dentium mobiles firmandos. *Id.* 18, 6, 8. *n.* 3. Fossas in solutiore terra sepibus firmari, ne procidant. Et 35, 15, 51. Bitumen aeramentis illinitur, firmatque ea contra ignes. ℙ Est etiam munire. *Caes. B. G* 6, 28. Praesidium pontis tuendi causa ponit, magnisque eum locum munitionibus firmat. *Sall. Jug.* 25. Turres exstruit, easque praesidiis firmat. *Hirt. B. Afr.* 13. Sinistrum cornu magnis equitum copiis firmaverat. *Virg. A.* 11, 465. aditus urbis firmare. [**Liv.* 9, 17. Praesidiis aciem firmare. V. *Gronov.* et *Drakenb.* ad *Eund.* 2, 31.] ℙ Item reficere, roborare. *Liv.* 27, 13. *extr.* Firmare cibo corpora. *Curt.* 9, 10. Vexatos milites quiete firmare. *Cic. Tusc.* 2, 15. Corpora juvenum labore firmare. *Id. Brut.* 97. Firmare vocem. *Colum.* 6, 27. *med.* Major praegnantibus adhibenda cura est, largoque pascuo firmandae. *Virg. G.* 3, 209. non ulla magis vires industria firmat, Quam venerem et caeci stimulos avertere amoris. ℙ Item sistere. *Cels.* 1, 3. et *Plin.* 14, 18, 22. Uva, quae alvum solutam firmat. ℙ Item confirmare, securum reddere. *Virg. A.* 3, 610. dextram Anchises Dat juveni, atque animum praesenti pignore firmat. *Caes. B. C.* 3, 65. Cujus adventus Pompejanos compressit, nostrosque firmavit, ut se ex maximo timore colligerent. *Justin.* 2, 11. Leonidas cum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. *Id.* 22, 4. Animos firmare in obsidionis patientiam. *Tac. A.* 16, 35. Firmare animum constantibus exemplis. [**Liv.* 3, 55. Quum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio firmassent. *Tac. A.* 1, 71. Cunctos alloquio et cura sibique et proelio firmabat.] ℙ Item tutum, stabilem et constantem reddere. *Hirt. B. G.* 8, 27. Complures civitates in fidem recipit, obsidibus firmat. [**Liv.* 9, 3. Cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque.] *Cic. Sull.* 11 Qui filium suum vita privavit, ut in ceteris firmaret imperium. *Id. Off.* 2, 11. *extr.* Alicujus opes firmare atque augere. [*Id. Rep.* 2, 18. Ancus Marcius ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. *F.*] [**Sil.* 1, 291. Firmavit tenues ortus pubes.] *Virg. A.* 2, 691. Da deinde auxilium pater, atque haec omina firma. *Hor. Od.* 3, 5, 45. Donec labantes consilio patres Firmaret. *Quint.* 1, 1. et 2, 4. Firmare memoriam. ℙ Item rationibus probare, ostendere. *Cic. Har. resp.* 14. Tabulis hoc censorum, memoria multorum firmabo ac docebo. *Id. Fat.* 5. *extr.* Si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur. *Id. Leg.* 2, 7. Multa firmantur jurejurando. *Virg. A.* 12, 212. Talibus inter se firmabant foedera dictis. ℙ Item ratum facere. *Ter. Andr.* 3, 1, 3. Pamphilus firmavit fidem. Nam quod peperisset, jussit tolli *Id. Hec.* 4, 2, 5. fidem alicui rei firmare, *h. e.* facere, ut magis credatur. [**Sil.* 9, 62. Firmabis nostro dicta Sibyllae sanguine.] ℙ Item affirmare, asseverare. *Hirt. B. G.* 8, 48. Seque ibi futurum, ubi praescripserit, et ea facturum, quae imperaverit, obsidibus datis firmat. *Tac. H.* 2, 9. Paratis omnium animis, reversuros firmaverunt. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 199.] *Pallad.* 11, 12. Alii amygdalo inseri posse firmarunt. Et passive. *Id.* 10, 3. Sata bene provenire firmantur. ℙ [*Permutantur *firmare* et *formare.* V. interprr. ad *Quint. Decl.* 8, 7. p. 172.]

[FIRMO, onis, m. perquam firmus, seu firmissimus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1041, 13. Arbitratu L. Cornelii Firmonis. *F.*]

[FIRMŬLUS, i, m. diminut. firmi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 649. *n.* 423. L. Sullius Firmulus. *F.*]

*FIRMUM, i, n. oppidum cum castello in Italia, in Piceno, hodie *Fermo. Mela* 2, 4. *Vell.* 1, 14. *Cn. Pompei.* in *Cic. Attic.* 8. post *ep.* 12. in *ep.* 2. *ad Domit. Straboni* est Φίρμον Πικηνόν, i. e. Firmum Picenum, *Plin.* 3, 13. Castellum Firmanorum. V. *Firmanus, a, um.* ℙ Sexti Firmum cognomine Julium, oppidum fuit Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. V. *Sextus. B. A.*

FIRMUS, a, um, adj. βέβαιος, στερεός, qui non vacillat, aut ruit, qui dimoveri, aut labefactari non potest, stabilis, fixus, durus, ἀπὸ τοῦ ἕρματος, quod est fulcrum, *Festo* dictum videtur: aliis ab εἱρμὸς, nexus: aliis a βρμὸς, fortis, validus. *Ov. Pont.* 1, 4, 35. Nos fragili vastum ligno sulcavimus aequor: Quae tulit Aesoniden, firma carina fuit. *Id. Fast.* 1, 370. firma vincula. *Id. Amor.* 2, 12, 3. janua. *Id. Pont.* 1, 2, 24. sera. *Id. A. Am.* 2, 652. arbor. *Virg. A.* 2, 481. firma robora. *Curt.* 5, 1. Firmum solum. *Plin.* 9, 33, 52. Firmioris testae murices. ℙ Refertur et ad vires corporis. *Nep. Eum.* 11. Fuit viribus ad laborem ferendum firmis. *Cic. Fam.* 16, 8. Effice ut valeas, et ut ad nos firmus ac valens quamprimum venias. Et 5. Mihi placebat, si firmior, esses, ut te Leucadem deportares. *Id. ib.* 11, 27. Nondum satis firmo corpore cum esset, ad me mane venit. *Vell.* 2, 84. Firmissimi remiges. [**Sil.* 3, 84. Firmior aetas, i. e. adolescentia. Quamnam *firmam* vocem intellexerit *Quint. Inst.* 11, 3, 40. V. ap. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 172.] ℙ Item ad ea, quae diu durant. *Virg. G.* 2, 97. Sunt etiam Amineae vites, firmissima vina. *Plin.* 26, 3, 7. Durabat antiquitas firma. ℙ Dicitur et de cibis, qui sunt solidioris alimenti, et vires addunt. *Cels.* 2, 18. Firmius est triticum, quam milium: ipsum, quam hordeum: ex tritico firmissima siligo. *Varr. R. R.* 2, 11. Firmo cibo pasta pecus. ℙ Transfertur etiam ad vires militares et robur reipublicae. *Liv.* 23, 25. Exercitus satis firmos ad tantum bellum efficere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 15. Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur. [*V. *Ruddim.* 2, 113.] *Cn. Magnus* ad *Coss. post. ep.* 12. *l.* 8. ad *Att.* Domitius non satis firmus esset ad castra facienda. *Nep. Eum.* 3. Cum neque magnas copias, neque firmas haberet, quod inexercitatae, et non multo ante erant contractae. *Cic. Fin.* 1, 10. Laus et caritas sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. *Id. Fam.* 15, 4. Evocatorum firma manus, et equitatus sane idoneus. *Caes. B. G.* 5, 52. Senones, quae est civitas in primis firma. [**Id. ib.* 1, 3. firmus populus, i. e. potens, qui non facile vinci potest.] ℙ Saepissime ad animi vires et constantiam, qua nulla re quis a proposito dimoveri potest. *Cic. Phil.* 6, 7. Senatum sua sponte bene firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis. *Id. Balb.* 27. Firmiorem esse in sententia. *Id. Mil.* 33. *f.* Vir et in republica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus. *Id. Div. Verr.* 9. Accusator firmus et verus. *Tibull.* 3, 2, 6. Non ego firmus in hoc. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Firmo constantique animo quippiam facere. *Virg. A.* 6, 261. Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo. *Plin. ep.* 2, 11. Vir egregius, et pro veritate firmissimus. *Vell.* 2, 63. Firmus proposito. *Ov. Met.* 7, 457. firmissimus ira. *Hor. Sat.* 2, 7, 26. Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres, *h. e.* non es constans in defendendo. ℙ Item ad fidelitatem. *Cic. Fam.* 15, 4. *f.* Ut ex infidelissimis sociis firmissimos redderem. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Non brevis et suffragatoria, sed firma et perpetua amicitia. *Cic. Coel.* et *Nep. Lys.* 2. Firmus amicus ac fidelis. *Cic. Amic.* 17. Amici firmi, et stabiles, et constantes. ℙ Item ad alia. *Cic. Off.* 1, 2. Praeccepta officii firma, stabilia, conjuncta naturae. *Id. Brut.* 30. Opinio firma et stabilis. Et 78. Argumenta firma ad probandum. *Id. Acad.* 1, 11. *extr.* Firma et constans assensio. *Id. Att.* 7, 25. Attulit a te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut soles, *h. e.* in quibus certae res atque exploratae narrantur. Et *ib.* 2, 25. Firmissima benevolentia hominum munitum esse. *Id. Fam.* 6, 5. *extr.* Spem firmissimam habere. *Id. Acad.* 4, 46. Illud ratum, firmum, fixum fuisse vis. *Id. Or. f.* Ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, quam etc. *Id. Att.* 16, 5. Nisi judicassem, hoc quod dico, firmum fore. *Id. Verr.* 2, 5, 29. Utrum tandem tibi ad defensionem firmius fore putasti? *Ter. Heaut.* 2, 3, 96. Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum. [*Firmus candidatus ap. *Cic. Att.* 1, 1. est, qui propter gratiam suam et amicorum, magnam spem habet consulatus consequendi. *Ernest.* in *cl.*] ℙ Cum infinito. *Hor. Ep.* 2, 17, 47, Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus, *h. e.* non valens, non sufficiens. ℙ [*Augusta firma cognominatum est Astigi oppidum, vel Colonia Astigitana, in Hispania Baetica *Plin.* 3, 1. V. *Astigi.* Cf. *Flavia.* ℙ Firmus fuit cognomen R. ex gente Plotina. *Plotium Firmum* meminit *Tac. H.* 1, 46. et 82. 2, 49. etc. *B. A.*]

FISCĀLIS, e, adj. ad fiscum pertinens. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. Res fiscales quasi propriae et privatae principis sunt. *Vopisc. Aurelian.* 48. Fiscalia vina. *Papin. Dig.* 2, 14, 42. Fiscale jus. *Paul. ib.* 49, 14, 45. *med.* Debitores fiscales. *Suet. Dom.* 9. Fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit, *h. e.* delationes, et poenas quibus in utilitatem fisci cives a delatoribus accusati afficiebantur. *Aurel. Vict. Caes.* 41. Fiscales molestiae severius pressae, *h. e.* acerbae exactiones rerum fiscalium. ℙ *Fiscalis cursus* est cursus publicus, privata visci impensa institutus. V. CURSUS. *Spart. Hadrian.* 7. Statim cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere gravarentur. ℙ Gladiatores fiscales, *h. e.* e fisco principis alti. *Capitol. Gord. III.* 33. Gladiatorum fiscalium paria mille. ℙ [*Fiscalia, ium*, absolute sunt res ad fiscum pertinentes. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 634. *n.* 290. feci Secure solus semper fiscalia manceps, *h. e.* manceps seu publicanus ea, quae ad fiscum pertinent, vectigalia conduxi a procuratore Caesaris locata. Alia apud *Maffej. Antiq. Gall.* p. 84. In provincia Lugdunensi quinque fiscalia *cum*

agerem, plerosque viros bonos perspexi etc. Priori loco fecit fiscalia manceps quaestus sui causa, altero vero egit fiscalia procurator Caesaris reipublicae commodo. *F.*]

FISCĀRĬUS, ii, m. fisco aliquid debens. *Firmic. Math.* 3, 13. *med.* Annuae fiscariorum praestationes.

FISCELLĀ, ae, f. *θίβη, ταλαρίσκος*, parvus fiscus, vas ex virgis salicis aut junco aliave materie textum: quale est, in quo caseus exprimitur, uvae deferuntur, etc. *Virg. Ecl.* 10, 71. gracili fiscellam texit hibisco. *Tibull.* 2, 3, 15. Tunc fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero. *Ov. Fast.* 4, 743. Libaque de milio milii fiscella sequatur. *Colum.* 12, 18. de vindemia: Si vineta grandia sunt, fabricandae decimodiae, et trimodiae, et fiscellae texendae, et picandae. ℙ A similitudine ita dicitur capistrum e vimine aut funiculis, quo boum ora inter arandum coercentur, *φιμός*. *Cato R. R.* 54. *extr.* Boves fiscellas habere oportet, ne herbas sectentur, cum arabunt. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistrari oportet, ne germinum tenera praecerpant. ℙ Item ad prohibendas oves a salientibus arietibus. *Varr. R. R.* 2, 2. Deterrent ab saliendo fiscellis e junco, aliave qua re, quod adligant ad naturam.

[FISCELLĬO, onis, m. dimin. fiscelli. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1189, 4. Masclio Fiscellioni filio fecit. *F.*]

FISCELLUS, i, m. idem quod fiscella. *Colum.* 12, 38. *med.* Baccas myrti fiscello ligneo inclusas exprimito. ℙ Ita etiam appellatur casei mollis appetitor: ut catillones, catillorum liguritores. *Festus.*

*FISCELLUS Mons, *Monte Fiscello, Monte di Norcia, Monte della Sibilla*, pars Apennini M. in Umbria, juxta Piceni, et Sabinorum confinia, ex quo Nar fl. profluit, ubi etiam antrum Sibyllae esse fertur. *Varr. R. R.* 2, 1. et 3., *Sil.* 8, 519. et *Plin.* 3, 12, 17. *B. A.*

FISCĪNĀ, ae, f. *τάλαρος*, omne genus vasis ex vimine, junco, sparto, aliave materie contexti. *Cic. Fl.* 17. Homini Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset, fiscinam ficorum objecisti. *Virg. G.* 1, 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. *Naevius* ap. *Serv.* ad *h. l.* Quod quaeso ut in pectus tuum demittas, tanquam vindemiator in fiscinam. *Colum.* 12, 39. *f.* In fiscina nova uvas premito. Et 50. *med.* Baccam oleae in fiscinis novis includi, prelisque subjici. *Mart.* 1, 44. Rustica lactantes nec misit fiscina metas, *h. e.* metam lactis. *Ov. Fast.* 4, 754. data est aegrae fiscina frondis ovi. *Plin.* 18, 31, 74. Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die justum habet. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 7. Equus cum fiscinis.

FISCUS, i, m. *τάλαρος*, vas vimineum, junceum, aut ex simili alia materia, ad eos praesertim usus, quos in *Fiscina* et *Fiscella* exemplis indicavimus, corbis, quasillus, cista, sporta: est a *φύσκος*, botulus, hinc *φύσκη*, vesica, quae a *φυσάω*, sufflo, flatu distendo. *Colum.* 12, 50. *f.* Fiscis novis oleum premi oportebit. Et 52. Oleam in novo fisco adjicito, subjectamque prelo sic premito, ne vasa intorqueas. ℙ Mos fuit majoris summae pecuniam in fiscos condi: quare *fiscus* saepe loculum, arcam, saccellum, cophinum, follem pecuniae significat. *Cic. Verr.* 1, 8. Fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem R. esse translatos: ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos esse. *Phaedr.* 2, 7. Mulus ferebat fiscos cum pecunia. *Juven.* 14, 259. aerata multus in arca Fiscus. ℙ Dicitur speciatim de pecunia publica, quia haec majoris summae est, quam privata. *Cic. Verr.* 2, 3, 85. Quaternos HS, quos mihi senatus decrevit, et ex aerario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. [*Adde *Eund. Quint. Fr.* 3, 4. De fisco quid egerit Scipio, quaeram: ubi *Manut.* aerarium intelligit.] ℙ Sub imperatoribus *fiscus* dicta est pecunia et patrimonium principis, sicut *aerarium* reipublicae. *Sen. Ben.* 7, 6. Caesar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua. *Juven.* 4, 54. Quidquid conspicuum pulcrumque ex aequore toto est, Res fisci est, ubicumque natat. *Paul. Dig.* 39, 4, 9. *extr.* Fiscus ab omnium vectigalium praestationibus immunis est. *Suet. Dom.* 12. Judaicus fiscus acerbissime actus est, *h. e.* exacta pecunia, quae a Judaeis fisco debebatur ex tributi impositione. [**Suet. Aug.* 101. Quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigalibus residuis. *(Kaiserliche Kassen).* Adde *Tac. A.* 1, 37. Cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Quid differat in his *fiscus* ab *aerario.* V. in AERARIUM.] ℙ Postea *fiscus* appellata est omnis pecunia publica, itemque jus ac dominium reipublicae in agros, vectigalia, et ceteras res, unde reditus in publicum veniunt. Hinc *Eutr.* 2, 16. aperte fiscum pro aerario posuit.

*FISĪDA, vicus Africae, in regione Syrtica. *Anton. Itin. B. A.*

FISSĬCŬLO, as, avi, atum, a. 1. findendo divido. *Appul. de Deo Socr.* p. 45, 28. Daemonum cuique tributa provincia, vel somniis conformandis, vel extis fissiculandis, vel praepetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis etc., *h. e.* extis minutatim ita dividendis, ut appareat *fissum jecoris.* V. FISSUS. [**Capell.* 1. p. 5. In fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denunciata pecudum caede fissiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur. *Id.* 2. p. 38. Haec numina haruspicio exta fissiculant admonentia quaedam, vocesque transmittunt, auguratisque loquuntur omnibus. *B. A.*] Adde *Fronton.* loc. *in* DIFFISSUS.

FISSĬLIS, e, adj. qui findi potest, *σχιστός*. *Virg. A.* 6, 181. cuneis et fissile robur Scinditur. *Plin.* 16, 36, 64. Arundo fissilis praeacuta semper acie. Et *ib.* 39, 63. Lignum nullis rimis fissile. Et 36, 17, 27. Lapis fissili vena scinditur. *Pl. Aul.* 3, 2, 25. Ad focum si adesses, non fissile haberes caput.

FISSĬO, onis, f. *σχίσις*, actus findendi. *Cic. N. D.* 2, 63. Quibus cum terrae subigerentur fissione glebarum etc.

FISSĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. qui pedes seu ungulas fissas habet. *Auson. epist.* 5, 3. Fissipedes juvencae. ℙ Translate. *Id. ib.* 7, 49. Fissipes calamus.

*FISSUM. V. FISSUS, a, um.

FISSŪRĀ, ae, f. *σχισμή*, rima vel divisio, quae fit findendo. *Plin.* 10, 63, 83. Quorum in digitos pedum fissura divisa est. *Colum.* 4, 29. Totius obtruncatione vitis, et cum ejusdem resectionis fissura praecipit fieri. *Plin.* 33, 6, 33. Lapis friabilis, fissurisque, non globis dehiscens. *Id.* 28, 12, 55. Asini sevum labrorum fissuris cum adipe anserino.

[FISSŪRĀRĬUS, ii, m. qui fissuras facit. *Not. Tir.* p. 122. Fissura, fissurarius. *F.*]

FISSUS, a, um, part. a *findo, σχιστὸς, ἐσχισμένος*, findendo scissus. *Ov. Met.* 4, 65. Paries fissus tenui rima. Et 585. Lingua fissa in partes duas. *Cels.* 8, 10. Ferulae fissae circumpositaeque ossa in sua sede contineant. *Plin.* 17, 27, 43. Fissa radice inditur lapis. *Suet. Caes.* 61. Equus ungulis fissis in modnm digitorum. ℙ Translate. *Prud. Psych.* 760. fissa voluntas Confundit variis arcana biformia fibris, *h. e.* divisa, dissentiens. ℙ *Fissum, i*, est fissura. *Cels.* 7, 30. Si qua fissa in ano vetustate induruerunt, jamque callum habent, *ῥαγάδες*: fissuras ani diutinas *Scribon.* 223. vocat. V. RHAGADES. ℙ *Fissum jecoris* apud haruspices est scissura et divisura, qua jecur in duas partes, seu *λοβοὺς* dividitur, quarum unam familiarem dicebant, hostilem alteram. (V. FISSICULO et FAMILIARIS). *Cic. Div.* 1, 52. Non placet Stoicis, singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse Deum. Et *ib.* 2, 13. Fissum familiare, et vitale tractant. Et *ib.* 1, 10. Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quae causa sit, nescio. Adde *N. D.* 3, 6.

FISTŪCĀ, ae, f. instrumentum utrinque ansatum, ponderosum, quo alte plurium manibus sublato pali magna vi terrae infiguntur: ab *ἱστάω*, statuo, ut videtur. *Caes. B. G.* 4, 17. Haec tigna cum machinationibus demissa in flumen defixerat, fistucisque adegerat etc. [*Hoc loco non ea machina, quae manu opificis levata tundit, videtur intelligenda, sed haec, quae trochleis levata et rursus delapsa subjectos palos pondere et ictu infigit.] ℙ Item crassum lignum, aut ferrum, quo pavimenta paviuntur, areae complanantur, calcantur, et solidantur. *Plin.* 36, 25, 6. Pavimenta in Italia fistucis pavita. *Cato R. R.* 28. Operito terra radicibus fini, deinde calcato pedibus bene: deinde fistucis vectibusque calcato quam optime poteris.

FISTŪCĀTĬO, onis, f. actus fistucandi, calcatura, solidatio. *Vitr.* 7, 1. Si congesticius locus fuerit, fistucationibus solidetur. Et 10, 3. Pali resupinati defodiantur et circum fistucatione solidentur.

FISTŪCĀTUS, a, um, part. a *fistuco*, fistuca pavitus, calcatus. *Vitr.* 7, 4. *f.* et *Plin.* 36, 25, 63. Solo fistucato inducitur rudus. ℙ *Fistucatum* est fistucatio. *Plin.* 17, 11, 16. *f.* Terram circa radices fistucato spissandum.

FISTŪCO, as, a. 1. fistuca pavio, calco, solido. *Cato R. R.* 18. *med.* Fundamenta primum fistucato, postea caementis struito. *Plin.* 36, 25, 62. Rudus pedali crassitudine fistucari.

FISTŪLA, ae, f. *σύριγξ*, avena, musicum instrumentum pastorale, quod inflando sonum edit, ex pluribus calamis, imparibus, varii sonoris, cera compactis conflatum, cujus inventor Pan primus fuisse dicitur a *Virg. Ecl.* 2, 32., ab *Ov. Met.* 1, 690. et sqq. et a *Plin.* 7, 56, 57. Volunt esse quasi *φήσηλα*, a *φυσάω*, inflo. [*Quid a tibia differat, ibi dicetur. *Tibull.* 2, 5, 31. Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo: Nam calamus cera jungitur usque minor. *Virg. Ecl.* 2, 36. Est mihi disparibus septem compacta cicuta Fistula. Et *ib.* 3, 25. aut unquam tibi fistula cera Juncta fuit? *Ov. Met.* 13, 784. Sumptaque arundinibus compacta est fistula centum: Senserunt toti pastoria sibila montes. Adde *Cic. Or.* 3, 60. *Mart.* 14, 63. et *Lucr.* 4, 590. ℙ Potest etiam dici de tibia, quae unius calami est. *Macr. Sat. praef. l.* 1. *med.* Vides, quam multorum vocibus chorus constet; una tamen ex his omnibus redditur: aliqua est illic acuta, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris feminae, interponitur fistula. ℙ Est etiam tubus, canalis opertus claususque, per quem aqua fluit, *αἰφων, αὐλήν*. *Cic. Rabir. perd. f.* Fistulas, quibus aqua suppeditabatur Jovis O. M. templis ac sedibus, praecidi imperarat. *Plin.* 2, 103, 106. Aquae dulces juxta mare, ut fistulis, emicantes. Adde 31, 6, 31., ubi quinarias, octonarias, denarias fistulas describit: itemque *Front. Aquaed.* 25. et seqq. ℙ Item quicumque cavatus tubus fistulae similis, per quem quid defluit, ut in animalibus aspera arteria, intestinorum ductus etc., in ossibus cannisque foramen cavitasque medullae etc. *Plin.* 11, 37, 66. Sub uva minor lingua, epiglossis appellata: opera ejus gemina, duabus interpositae fistulis. (Adde *Gell.* 17, 11.) et *ib.* 72. Pulmo spongiosus ac fistulis inanibus cavus. *Id.* 9, 7, 6. Haec duo genera fistulis spirant, quae ad pulmonem pertinent, balaenis a fronte, delphinis a dorso. *Id.* 28, 8, 27. Extrema fistula intestini. *Id.* 31, 11, 47. Spongiarum alias mares existimavere, tenui fistula: alias feminas, majoribus fistulis ac perpetuis: e maribus duriores alias, tenuissimis fistulis atque densissimis. *Id.* 11, 37, 62. Dentes aspidi tenui fistula perforati, *h. e.* intus cavi ad modum calamorum in fistula. Et *ib.* 28, 34. Muscarum generi lingua evidens fistula est, *h. e.* perforata, aculeus fistulosus. *Id.* 30, 3, 8. Ossiculis gallinarum in pariete servatis, fistula salva. *Id.* 19, 5, 23. Cucumeres, in fistula flore demisso, mira longitudine crescunt, *h. e.* cannae inserto, cui prius omnes nodos perforaveris, ut *Pallad.* 4, 9. *med.* explicat. *Plin.* 12, 22, 48. Fistula calami odorati, *h. e.* internodium intus pertusum. *Id.* 34, 11, 25. et *ib.* 12, 32. Impellere et inspirare aliquid in aures flatu per fistulam. *Pers.* 3, 14. *fistulam* vocat calamum scriptorium. Et *Plin.* 17, 14, 23. ferramentum sutorium, quo coria inciduntur. ℙ Quam *Cato R. R.* 10. memorat *fistulam farrariam*, est pilum praeferratum multis ferramentis oblongis obtusisque et ad modum calamorum in fistula musicali, in capite pili infixis compactisque: simile opinor iis, quibus teruntur lineipanni ad chartam faciendam. *Plin.* 18, 10, 23. Etruria spicam farris tosti pisit pilo praeferrato, fistula serrata et stella intus denticulata, ut nisi intenti pisant, concidantur grana ferrumque frangatur. ℙ Denique *fistula* est ulcus oblongum, angustum et profundum in corpore sive ex vitio, sive ex morbo, pus trahens. *Nep. Att.* 21. Tanta vis morbi in unum intestinum erupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Al. leg. *fistula puris. Cels.* 7, 4. Adversus fistulas, si altius penetrant, si tortuosae sunt etc. Et *ib.* Solent inter costas fistulae subter ire etc. *Plin.* 20, 9, 33. Fistulas et humores evocare. Et 24, 11, 51. Laxare et siccare fistulas etc. Et *ib.* 8, 32. Tumores sanant extrahuntque per fistulas. ℙ Est etiam baculus teres, quo pistores et bellarii tracta, ex quibus lagana fiunt, complanant. *Apic.* 42. Unum laganum fistula percuties.

FISTŪLANS, antis, part. ab inusit. *fistulo*, fistulatus, fistulosus, fistulam agens. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 1. Terra bibula et pumicis vice fistulans. *Hard.* legit *fistulosa* ex MSS.

[FISTŪLĀNUS, i, m. ad fistulam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1092, 4. Q. Caesius Fistulanus. *F.*]

FISTŪLĀRIS, e, adj. ad fistulam pertinens, ut Fistulare medicamentum, *Veg. Vet.* 2, 13. ℙ *Fistulares versus* ap. *Diomed.* 3, 498. dicuntur qui ab una syllaba ad plures surgunt, ideoque fistulae figuram repraesentant.

FISTŪLĀRĬUS, ii, m. qui fistula canit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 625. *n.* 218. Q. Grisidio (leg. *Caesidio*) Q. F. Sabiniano fistulario, cantori etc.

FISTŪLĀTIM, adv. per fistulas. *Appul. Met.* 4. p. 144, 3. Fimus fistulatim excussus.

FISTŪLĀTOR, oris, m. qui fistula canit, *συριακτής*. *Cic. Or.* 3, 61. Sed fistulatorem domi relinquetis.

FISTŪLĀTORĬUS, a, um, adj. ad fistulatorem pertinens, ut Fistulatoriae artes. *Arnob.* 2. p. 73.

FISTŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *fistulo*, cavatus in morem fistulae. *Arnob.* 2. p. 84. Venae fistulae et commeabiles. *Sidon. carm.* 4. *post ep.* 13. *l.* 9. Aera fistulata. *Suet. Ner.* 31. Coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Ita recte leg. *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 46., ita etiam edidit *B. Crus.* [*praeeunte *Oud.*]: alii aliter.

FISTŪLESCO, is, n. in fistulae morem pertundor. *Fulg. Myth.* 2, 19. Crementis lunae abscissa ligna furfuraceis tinearum terebraminibus fistulescunt.

FISTULO. V. FISTULANS.

FISTŪLOSUS, a, um, adj. in modum fistulae in-

tus cavatus, pertusus. *Plin.* 11, 2, 1. Telum cuticis fodiendo acuminatum, sorbendo fistulosum. Et *ib.* 37, 65. Quibus aculeus in ore fistulosus, iis nec lingua nec dentes. ℙ Item fistulis seu foraminibus oblongis abundans. *Colum.* 7, 8. Caseus neque fistulosus, neque salsus, neque aridus. *Plin.* 27, 8, 45. Spongia densitatis fistulosae. Et 17, 5, 7. Terra arida, fistulosa, scabra. Et 36, 23, 53. Fistulosus lapis. ℙ Item fistulae morbo laborans. *Cato R. R.* 157. Fistulosus cancer subtus suppurat sub carne.

FISUS, a, um, part. a *fido*, confidens. *Ov. Pont.* 4, 9, 78. Hic arcu fisos terruit ense Getas. *Id. Met.* 15, 827. taedae non bene fisa. *Lucan.* 5, 577. Fisus cuncta sibi cessura pericula, Caesar.

FITILLA. V. FRITILLA.

*FIVĔRE pro Fugere, Antiquum. *Festus.* Haec *Gesnerus.* Locum non reperio. *B. A.* Neque ego.

FIXĒ, adv. figendo, inhaerendo. *August. ep.* 6. *extr.* Ubi tenacius habitabit et fixius.

FIXIO, onis, f. *Vet. Gloss.* Fixio, καθήλωσις, πῆξις. *B. A.*

FIXŪLAS, fibulas. *Festus.*

FIXURA, ae, f. *Tert. adv. Gnost.* 1. *med.* Perire sine causa, prima fixura.

*FIXUS, us, m. i. q. fixio. *Auct. Itin. Alex.* (edente *A. Maio*) 112. Sed enim hanc quoque obtinet fixu vitium. *B. A.*

FIXUS, a, um, part. a *figo*, affixus, infixus. *Cic. Div.* 1, 34. Arma fixa in parietibus. *Hor. Ep.* 1, 1, 4. Arma fixa ad postem Herculis. *Virg. A.* 4, 495. arma fixa thalamo. *Enn.* ap. *Cic. Pis.* 19. saxis fixus asperis. *Ov. Trist.* 5, 7, 19. fixo dare vulnera cultro. *Id. Met.* 8, 382. Arundo fixa sub aure feri. *Id. Fast.* 5, 398. Sagitta laevo pede fixa. *Plin.* 29, 4, 14. Canes vivi in furca fixi. *Ov. Met.* 7, 87. in vultu lumina fixa tenet. *Virg. A.* 1, 486. solo fixos oculos tenere. Et *ib.* 11, 507. oculos in virgine fixus. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 45. Id non ita fixum esse deberet, ut convelli non liceret. *Sil.* 2, 364. et 3, 114. Fixum est hoc facere, *h. e.* certum est, statutum, omnino deliberatum. *Cic. Balb.* 28. Illud fixum in animis vestris tenetote, vos de beneficio Pompeji judicaturos. *Id. Rabir. Post.* 9. Illud maneat et fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest. *Lepid.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. *f.* Quae perpetuo animo meo fixa manebunt. *Virg. A.* 4, 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet, Ne cui me vinclo vellem sociare jugali. *Cic. Acad.* 4, 46. Ratum, fixum, firmum fuisse vis. *Id. ib.* 9. Decretum stabile, fixum, ratum. *Id. Mur.* 30. Dixisti quippiam: fixum et statutum est. *Id. Att.* 8, 14. Scito, labare meum consilium illud, quod satis jam fixum videbatur. *Arator Act. Apost.* 1, 322. Arva tremunt concussa locis, tu fixior haeres: quo sensu *Virg.* quoque *A.* 2, 650. Talia perstabat memorans fixusque manebat. ℙ Est etiam transfixus. *Virg. A.* 12, 537. fixo stetit hasta cerebro. ℙ Translate. *Id. ib.* 7, 291. acri fixa dolore. ℙ Stellae fixae in coelo, quas *Cic.* appellat inerrantes, sunt de quibus *Manil.* 2, 35. Ceteraque ex variis pendentia casibus astra, Aethera per summum voluerunt fixa revolvi. ℙ [*Permutatur *fixus* et *nixus*. V. *Burm.* ad *Propert.* 1, 3, 34.]

F L

FLĂBELLĬFER, a, um, adj. Flabelliferae ancillae, quae flabellum ferunt et ventilationem faciunt. *Pl. Trin.* 2, 1, 22. Flabelliferae, sandaligerulae, cantrices etc

FLĂBELLO, as, a. 1. *Tert. Pall.* 4. Cum calor in affectationem flabellatur, *h. e.* flabello agitatur et accenditur.

FLĂBELLŪLUM, i, n. diminut. parvum flabellum. *Ter. Eun.* 3, 5, 50., ubi alii leg. *flabellum.*

FLĂBELLUM, i, n. diminut. flabri, φιλίδιον, instrumentum, quo fit ventilatio ad refrigerandum vel ad ignem excitandum. *Ter. Eun.* 3, 5, 47. Cape hoc flabellum: ventulum huic sic facito. *Mart.* 3, 82, Et aestuanti tenue ventilat frigus Supina prasino concubina flabello. ℙ Per similitudinem dicitur de cauda avium. *Prop.* 2, 18, 59. Et modo pavonis caudae flabella superbi. [*Scilicet delicatiores Romanorum feminae caudis pavonum utebantur ad ventilandum, refrigerandum. V. interprr. ad h. l. et *Boettig. Sab.*] ℙ Translate. *Cic. Fl.* 23. Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata.

FLĂBĬLIS, e, adj. spirabilis, aereus. *Cic. Tusc.* 1, 27. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. ℙ De spirituali Christianorum significatione. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 347. Aedem sibi ipse (Deus) mente in hominis condidit Vivam, serenam, sensualem, flabilem, Solvi incapacem posse, nec destructilem. Alii minus recte leg. *stabilem* vel *flebilem.*

FLABRĂLIS, e, adj. flabilis, ad flabrum pertinens. *Prud. Apoth.* 841. Cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum Spiritus exsistit. Al. leg. *flabrare*, h. e. flare, ab inusit. *flabro, as.*

[FLABRĂRĬUS, ii, m. qui flabello muscas abigit a cadaveribus publice expositis. *Isid. Gloss.* Flabrarius, custos corporum. Alii mendose leg. *flabarius* et *porcorum.* V. VENTILO. *F.*]

FLABRO, as. V. FLABRALIS.

FLABRUM, i, n. πνοή, πνεῦμα, flatus, flamen venti: hujus etymon vide in FLO. Vox poetica. *Prop.* 2, 20, 70. neque hic Boreae flabra, neque arma timet. *Lucr.* 6, 427. freta ferviscunt spirantibus incita flabris. *Virg. G.* 2, 293. non hiemes illam, non flabra, neque imbres Convellunt. *Val. Fl.* 6, 665. Lenibus alludit flabris levis auster. ℙ In singulari num. exempla nondum vidimus: quod et *Serv.* adnotavit ad *Virg. l. c.*

FLACCĔO, es, cui, n. 2. flaccus fio, languesco, marcesco, παραμάζω, μαραίνομαι: [est a βλακεύω, torpeo, langueo, mutata scilicet littera β in *f*, ut saepe alias, et geminata *c. F.* Nemini persuadebit.] *Varr. R. R.* 1, 13. Stercus quod infertur recens, minus bonum: id cum flaccuit, melius. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 323. Lorum flaccet. *Lact. Opif. Dei* 8. Aures pendulae atque flaccentes. ℙ Translate. *Afran.* ap. *Non. l. c.* Disperii: perturbata sum: jam flaccet fortitudo. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *f.* Messala flaccet, *h. e.* languet, in petitione consulatus deficit. (V. *Att.* 4, 15. *med.*) *Appul. Apol.* p. 290, 8. Oratio vestra rebus flaccet, spiritu viget.

FLACCESCO, is, n. flaccere incipio, languesco. *Col.* 12, 7. Foeniculum cum legeris, sub tecto exponito, dum flaccescat. *Vitr.* 2, 9. flaccescente fronde. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 24. Cum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio. [*Doederl.* 1, 107.] *Arnob.* 4, 142. Flaccescentium voluptatum ardorem restituere. *Id.* 7, 237. Ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt, *h. e.* iram ac vires deponunt, placantur, mitescunt. ℙ Legitur et *flaccisco. Pacuv.* ap. *Non.* 8, 37. Flucti flacciscunt, silescunt venti. Ita etiam *Liv. Andron.* ap. *Non.* 3, 267. Flaccisscent utria.

FLACCIĀNUS, a, um, adj. ad Flaccum pertinens, quod est cognomen Romani hominis. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 1. Flacciana arca diu penatibus vacua.

FLACCĬDUS, a, um, adj. μαλθακὸς, χαλαρὸς, languidus, et ob debilitatem, aut lenitudinem pendulus. *Varr. R. R.* 2, 9. de canib. et *Col.* 7, 6. de capro, et *Plin.* 8, 51, 77. de sue. Aures flaccidae et praegravantes. *Plin.* 15, 30, 39. Flaccidum folium. *Lucr.* 5, 631. Flaccidiore turbine fertur, *h. e.* cursu remissiore ac tardiore. *Appul. Met.* 7. Vestis muliebris in sinus flaccidos abundans. Al. leg. *floccidos*, h. e. floccis abundantes. *Id. Florid. n.* 23. p. 365, 7. Vela pendula et flaccida. ℙ Translate. *Arnob.* 7, 251. Argumentatio flaccida est, *h. e.* infirma, levis.

[FLACCILLĀ, ae, f. dimin. flaccae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 93, 2. Avitus Proculi F. pro salute Flaccillae Flacci (F.) uxoris suae. *F.*]

[FLACCĪNĀTOR, oris, m. videtur significare, qui flaccere facit. Est cogn. R. *Liv.* 9, 20. M. Foslius Flaccinator consul. *F.*]

[FLACCĪNILLĀ, ae, f. dimin. Flaccini. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 433, 5. Macrinia Flaccinilla. *F.*]

[FLACCĪNUS, i, m. qui ad Flaccum pertinet. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1109, 10. T. Flavius Flaccinus. *F.*]

FLACCŪLUS, a, um, dimin. flacci. *Trebell. Poll. Gallien.* 8. Pugiles flacculis, non veritate pugnantes, *h. e.* pilis flaccidis et mollibus, innoxium ictum inferentibus. Ita legit et exponit *Salmas.* Alii *sacculis.*

FLACCUS, a, um, adj. flaccidus. De homine dicitur, cui sint auriculae solito majores, mobiles, ac pendulae. *Cic. N. D.* 1, 29. Ecquos Deos paetulos esse arbitramur? ecquos silos? flaccos, frontones, capitones, quae sunt in nobis? ℙ Hinc factum cognomen Romanis gentibus non unis, ut Corneliae, Horatiae, Valeriae, Fulviae etc. *Plin.* 11, 37, 50. Aures homini tantum immobiles: ab iis Flaccorum cognomina.

*FLĂGELLĀTĪCĬUS, ii, m. flagellis dignus, verbero. *Gloss. Philox.* Flagellaticius, μαστιγίας. *B. A.*

FLĂGELLĀTĬO, onis, f. διαμαστίγωσις, actus flagellandi. *Tert. ad Martyr.* 4. *f.* V. locum.

FLĂGELLĀTUS, a, um, part. a *flagello*, flagellis caesus. *Plin.* 9, 30, 48. Canes extremis polypi crinibus flagellati. ℙ Translate. *Id.* 2, 45, 45. Radiorum multiformi jactu flagellatus aer. *Stat. Th.* 3, 36. Ima flagellatis, signum lugubre malorum, Ponderibus trepidavit humus, *h. e.* concussis, emotis, agitatis.

FLĂGELLO, as, avi, atum, a. 1. μαστιγόω, flagello, virgis, fuste caedo: cujus etymon vide in FLO. *Ov. Met.* 3, 93. Pondere serpentis curvata est arbor, et imae Parte flagellari gemuit sua robora caudae. *Quint.* 11, 3. *med.* ubi de gestu: Repetito ultra laevum humerum gestu flagellare in tergum. *Plin.* 8, 16, 19. de leone: In principio iracundiae terra cauda verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. *Id.* 25, 8, 55. Serpentes sese interimunt flagellando. *Id.* 18, 30, 72. Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur. *Suet. Cal.* 26. Quaestorem suum in conjuratione nominatum flagellavit, veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. ℙ Translate et poetice *Mart.* 4, 42. Lumina sideribus certent, mollesque flagellent Ora comae: tortas non amo, Flacce, comas, *h. e.* prolixae, extensaeque comae jactatu vultum verberent. Sic *Stat. Th.* 10, 169. Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat, *h. e.* diverberat, agitat, concutit. *Pers.* 4, 48. Si puteal multa cautus vibice flagellas. V. PUTEAL. ℙ *Flagellare opes* dicitur arca ditis avarique hominis, quae multam pecuniam continet; coercet, premit, avareque custodit, ne aut insumatur, aut surripiatur. *Mart.* 2, 30. et 5, 13. ℙ *Flagellare annonam* est vexare, arctare, continendo apud se, ne copia sit, et difficilis coemptio fiat. *Plin.* 33, 13, 57. Pretia rerum, quae usquam posuimus, non ignoramus, alia in aliis locis esse, et omnibus paene annis mutari, prout navigationes constiterint, aut ut quisque mercatus sit, aut aliquis praevalens manceps annonam flagellet.

FLĂGELLUM, i, n. dimin. flagri, μάστιξ, lorum, seu aliud quodvis flexile verber, quo servos nudatos caedere solebant, quod poenae genus gravius erat, quam fustibus caedi. *Cic. Rabir. perd.* 4. Porcia lex virgas ab omnium civium R. corpore amovit, hic misericors flagella retulit. *Marcell. Dig.* 48, 19, 10. Ex quibus causis liber fustibus caeditur, ex his servus flagellis caedi, et domino reddi jubetur. *Hor. Sat.* 1, 2, 41. flagellis ad mortem caesus. *Id. Ep.* 1, 11. Sectus flagellis praeconis ad fastidium. *Catull.* 25, 10. Ne laneum latusculum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent. *Ov. Ib.* 185. tibi de Furiis scindet latus una flagello. *Juven.* 6, 478. hic frangit ferulas: rubet ille flagellis. ℙ De mala conscientia. *Lucr.* 3, 1033. mens sibi conscia facti Praemetuens adhibet stimulos, torretque flagellis. *Juven.* 13, 195. Occultum quatiente animo tortore flagellum. ℙ Dicitur etiam de scutica, qua aurigae utuntur, quae excussa clarum reddit sonum. *Virg. A.* 5, 579. signum clamore paratis Epitides longe dedit, insonuitque flagello. *Sil.* 4, 440. Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello. *Col.* 2, 2. *f.* Boves admonere flagello. ℙ Item de summa palmitis parte, et de virgis flexilibus aliarum arborum, βλαστὸς: a *flagellum*, qua notat lorum, quia sarmentorum et virgarum usus in caedendo fuit. *Varr. R. R.* 1, 31. Ejuncidum sarmentum non potest ex se ejicere vitem, quam vocant minorem, flagellum; majorem, unde uvae nascuntur, palmam. *Col.* 4, 4. *med.* Nonnulli fructus avidius eliciunt, extrema et media flagella submittendo. *Virg. G.* 2, 299. neve flagella Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas. *Catull.* 62, 52. Jam jam contingit summum radice flagellum. ℙ ℙ Item de crinibus, brachiisque polyporum. *Ov. Met.* 4, 366. Utque sub aequoribus deprensum polypus hostem Continet, ex omni dimissis parte flagellis. *Sidon. ep.* 1, 2. Aurium legulae crinium superjacentium flagellis operiuntur. ℙ [*Item tribula. *Hieron.* in *c.* 28. *Esaiae:* Sed virga excutiuntur et baculo, quae vulgo flagella dicuntur. V. *Du Fresne Glossar. B. A.*]

FLĂGĪTĀMENTUM. V. FLAMENTUM.

FLĂGĪTĀTĬO, onis, f. actus flagitandi, αἴτησις. *Cic. Top.* 1. *f.* Nolui deesse ne tacitae quidem flagitationi tuae. *Just.* 2, 4. Quindecim annis pacandae Asiae immorati, uxorum flagitatione revocantur. *Tac. A.* 13, 50. Crebrae populi flagitationes, immodestiam publicanorum arguentis.

FLĂGĪTĀTOR, oris, m. qui flagitat. *Cic. Brut.* 5. Hunc video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen et acrem fore. *Liv.* 8, 12. *med.* Triumphi ante victoriam flagitator. *Id.* 2, 45. *f.* Flagitator pugnae. ℙ Speciatim dicitur de creditore, qui debitum reposcit. *Pl. Cas. prol.* 23. Ejicite ex animo curam, atque alienum aes: ne quis formidet flagitatorem suum. *Id. Most.* 3, 2, 81. Quasi flagitator astans usque ad ostium. Adde *Gell.* 17, 6. *f.*

FLĂGĪTATRIX, icis, f. quae flagitat. *August. ep.* 140. Epistola vehemens flagitatrix.

FLĂGĪTĀTUS, a, um, part. a *flagito*, vehementer petitus. *Tac. A.* 1, 32. Eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. ℙ *Flagitatus inter cutem* olim obscenum sensum habuit. *Fest.* in *Inter: h. e.* flagitium passus. Ita *Cato* ap. *Prisc.* 6, 719. Intercutibus stupris flagitatus. V. FULLO.

*FLAGITĬO, as, a. 1. *Lact.* 6, 23. Pudicitiam flagitiavit. Ex lectione *P. Manutii* et Codicum novem. V. *Bunemann.* Veruntamen pleraeque edd. habent *profligavit.* In ed. *Bunemann.* (consentientibus plurimis codd.) impressum *flagitavit*, eadem significatione. *B. A.*

FLĂGĪTĬOSĒ, adv. βδελυρῶς, αἰσχρῶς, turpiter, inhoneste, foede, cum infamia et probro. *Cic. Fin.* 3, 11. Quis animo aequo videt cum, quem

impure et flagitiose putet vivere? *Id. Verr.* 1, 15. Patres conscriptos judicia male et flagitiose tueri. *Id. Div. Verr.* 22. Ut turpissime, flagitiosissimeque discedat, nihil de suis veteribus ornamentis requiret. *Id. Cat.* 2, 4. Aliorum amori flagitiosissime servire. *Id. Att.* 7, 15. *f.* Sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia. *Id. Font.* 11. Legationes flagitiose obitae. *Id. Fin.* 5, 31. Flagitiose desciscere ab aliquo. *Arnob.* 4, 141. Flagitiosius procreare liberos.

FLAGĬTĬOSUS, a, um, adj. *βδελυρὸς, αἰσχρὸς*, flagitiis contaminatus, vitiosus cum dedecore, turpis, foedus, infamis, impurus. *Cic. Tusc.* 4, 32. Ut turpes sunt, qui efferunt se laetitia, cum fruuntur Veneris voluptatibus; sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. *Id. Verr.* 2, 2, 78. Homo flagitiosissimus, libidinosissimus, nequissimusque. Et 54. Flagitiosae libidines. *Id. Fin.* 2, 28. Vitiosa et flagitiosa vita. *Id. Rosc. Am.* 9. Bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio. *Sall. Jug.* 88. Quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et 37. Flagitiosissima facinora facere. *Tac. H.* 2, 31. Egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere. *Sall. Cat.* 5. Civitas paulatim immutata, ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima facta est. *Id. Jug.* 118. Regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum. *Tac. A.* 3, 54. Tot a majoribus repertae leges, tot, quas divus Augustus tulit, illae oblivione, hae (quod flagitiosius est) contemptu abolitae.

FLAGĬTĬUM, ii, n. a. *flagito:* proprie est strepitus. *Pl. Poen.* 3, 2, 32. hae fores fecerunt magnum flagitium modo. *Add.* Quid id est flagitii? *Co.* crepuerunt clare. At saepe est acris, turpisque efflagitatio cum convicio ac tumultu. Hinc *Id. Pl. flagitium* vocat, cum puellae causa protervi juvenes aliorum ostia occentant, et carbonibus elogia inscribunt. *Merc.* 2, 3, 82. Neque propter eam quicquam eveniet nostris foribus flagitii. Et acrem molestamque creditoris petitionem debiti. *Epid.* 3, 4, 77. Fides non reddis? abiero: Flagitio cum majore post reddes tamen, *h. e.* efflagitatione, convicio, quo tibi usque molesta ero, usque donec reddas. V. *Voss. Etym.* [*Cf. *Döderl.* 2, 143. qui deducit a *flagrare*, frequentat. v. *flagitare*, primamque hanc vocis significationem ponit. *Tac. A.* 1, 27. Militiae flagitia aspernari. 3, 17. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens.] P Speciatim est appellatio virginis de stupro, ipsumque stuprum, ut est ap. *Non.* 4, 215. Item quodvis facinus cum dedecore infamiaque conjunctum, praesertim libidinosum, impurum, sordidum, unde certissima infamia est, *βδελυρία, αἰσχρότης. August. Doctr. Christ.* 10. Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur. [*V. *Döderl.* 2, 145.] *Cic. Senect.* 12. Stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. *Tac. G.* 12. Scelera ostendi oportet, dum puniuntur, flagitia abscondi. [*V. integrum l., prae ceteris demonstrantem, ita esse distingendum inter scelera et flagitia, ut scelus damni inferendi notionem vel maxime contineat. *Hor. Od.* 3, 5, 26. Damnum flagitio additis. Cf. *Döderl.* 2, 144. sq. qui nubem hujus generis exemplorum congessit.] *Cic. Verr.* 2, 5, 10. *f.* Noctis longitudo stupris et flagitiis conterebatur. *Id. Tusc.* 4, 34. *extr.* Quasi vero non propter libidinem tanta flagitia et faciat, et dicat. Et 33. Versari in flagitio. *Id. fr. in C. Anton.* ap. *Ascon.* Stupris se ac flagitiis contaminare. *Id. Brut.* 61. Flagitium committere. *Id. Cluent.* 46. Flagitium rei militaris admittere. *Id. Rosc. Am.* 9. Scelera et flagitia facere. *Ter. Ph.* 5, 2, 5. Aliquid flagitii conficere. *Liv.* 39, 16. Minus tamen esset, si flagitiis tantum effeminati forent; a facinoribus manus, mentem a fraudibus abstinuissent. (V. FACINUS). *Sall. Cat.* 14. et 38. Qui alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret. Et 24. Flagitiis atque facinoribus coopertus. Et *Jug.* 90. Dedecorare se flagitiis. *Pl. Cas.* 5, 3, 1. Flagitio ardere. *Cic. Pis.* 18. Ingurgitare se in flagitia. *Id. Tusc.* 1, 30. Flagitiis se inquinare. *Ter. Heaut.* 5, 4, 14. Flagitiis infamem fieri. *Id. Ad.* 1, 2, 32. Non est flagitium, facere haec adolescentulum? P De aliis rebus, quae dedecus aliqua ratione afferunt. *Id. Heaut.* 5, 1, 49. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse auxiliarier? *Cic. Brut.* 61. vocat *flagitium*, cum quis in scriptis obliviscitur, quid paulo ante posuerit. *Id. N. D.* 1, 24. Democriti *flagitia* appellat, quod atomos in philosophia invexerit, ex quibus mundus effectus sit: tanquam sit hoc immanis error, et opinio ejusmodi, quae dedecus ipsi pepererit. *Id. Rosc. Am.* 18. Qui praeesse agro colendo, flagitium putas, profecto illum Atilium hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. P Per metonymiam dicitur de infamia, quae flagitium consequitur. *Cic. Att.* 16, 7. *med.* Id erat meum factum flagitii plenum et dedecoris. *Liv.* 42, 60. Consul moveri flagitio timoris fatendi. *Id.* 25, 15. *f.* Flagitium imperio demere. *Nep. Almic.* 1. *extr.* Periturum se potius, quam cum tanto flagitio domum rediret. *Sall. Or. Macri Licinii ad pleb. f.* Neque gloria movemini, neque flagitio. P *Flagitium hominis* ap. *Pl. Cas.* 2, 1, 8., *Men.* 3, 2, 24. et 5, 1, 9. est homo flagitiosissimus. Sic *Truc.* 2, 7, 60. Scelus viri, *h. e.* scelestissimus. [*Eodem modo dicitur deliciae pueri, monstrum hominis, al.] P *Flagitii stabulum* ab eodem dicitur, qui flagitiorum plenus est. *Truc.* 2, 7, 31. Eodemque sensu *flagitii flagrantia. Rud.* 3, 4, 28. velut qui flagitiosis omnibus cupiditatibus ardet. P In illo *Lucilii l.* 29. praebent rectius multo, et sine flagitio; *Non. loc.* supra *cit. flagitium* exponit periculum: quam recte, alii viderint.

FLĂGĬTO, as, avi, atum, a. l. *ἐξαιτέω*, plus est, quam *postulo*, et significat vehementer et acriter postulare, idque interdum cum clamore et convicio. [*De etymo V. FLAGITIUM ab init.] *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 90. Flagitatio a strepitu dicitur, unde *flamma* et *flagella* et *flagitare*, id est personare, intelligimus dici: nam haec omnia sine strepitu crepituque non sunt. *Cic. Fam.* 9, 8. Metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. *Id. Planc.* 19. Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen. *Id. Har. resp.* 22. Cupientem Italiam, populum R. desiderantem, flagitantes vos excitavit. *Id. Rabir. perd.* 3. Alicujus auxilium implorare et flagitare. *Id. Tusc.* 1, 15. Mercedem ab aliquo flagitare. *Id. Verr.* 2, 5, 4. Pater filium abs te flagitat. *Id. Fam.* 3, 11. *med.* A te tua promissa per litteras flagitabam. *Caes. B. G.* 1, 16. [*Verba sunt: Quotidie Caesar Aeduos frumentum, quod essent polliciti, flagitabat. Notanda est h. loci structura, quod v. *flagito*, aliaque id genus plura, quando cum duplici accus. construuntur, ad rem significandam rarius substantivi accus. utuntur. V. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 387. *Ruddim.* 2, 176.] Et *Cic. Dom.* 6. Me frumentum flagitabant. *Id. Or.* 2, 45. Haec sunt illa, quae me ludens Crassus flagitabat. *Pl. Merc.* 1, 2, 66. Flagitas me, ut eloquar. *Cic. Phil.* 5, 11. Ut primum senatus haberi potuit, semper flagitavi, ut convocaremur. *Id. Sext.* 11. Flagitabatur ab his quotidie, ut meam causam susciperent. *Id. Fam.* 15, 18. *extr.* Sed flagitat tabellarius. *Id. Fin.* 1, 5. A philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner: si non habeat, non admodum flagitem. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Populus magnis theatri clamoribus, reponi Apoxyomenon, flagitavit. Et 35, 10, 35. *n.* 3. Flagitavit ostendi picturam. *Virg. A.* 2, 123. quae sint ea numina Divum, Flagitat. P Passive *Caes. B. C.* 1, 87. Petrejus atque Afranius, cum stipendium ab legionibus flagitarentur, Caesar ut cognosceret, postulant. Al. multo rectius *flagitaretur. Cic. Dom.* 7. Flagitabar bonorum expostulatione. *Id. Vatin.* 11. Ejus sceleris quaestio in te flagitatur. P Est etiam requirere, exigere. *Cic. Phil.* 5, 19. Facilius apparabitis ea, quae tempus et necessitas flagitat. *Id. Quint.* 3. *extr.* Tametsi causa postulat; tamen quia postulat, non flagitat, praeteribo. *Id. Fam.* 4, 13. *med.* Quid acta tua vita, quid studia, quid artes, quibus a pueritia floruisti, a te flagitent, tu videbis. P Dicitur et de creditoribus assidue et moleste, clamoribus, convicio debitum reposcentibus. *Pl. Ps.* 1, 5, 143. Si non dabis, clamore magno, et multum flagitabere. *Id. Poen.* 3, 1, 36. Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat. *Id. Men. prol.* 46. Illum clamore vidi flagitarier, *παφαγωγή. Cic. Or.* 3, 5. Admonitum te venimus, non flagitatum. P Pro arcessere. *Plin.* 19, 5, 28. Siser Tiberius nobilitavit, flagitans omnibus annis e Germania. P Habet nonnunquam usum in re turpi, ut *flagitium* et *flagitatus*, nempe ardenter ad stuprum sollicitare: immo stupro contaminare, corrumpere. *Ulp. Dig.* 47, 1, 2. Si quis ancillam alienam subripuit et flagitaverit. [*Flagitare h. l. non corrumpere, contaminare significat, sed appellare, sollicitare. V. *Briss. Verb.* Signif. s. v.] *Lactant.* 6, 23. Pudorem exstinxit, pudicitiam flagitavit. *Appuleji* locum *Met.* 8. V. in CINAEDUS. P Aliquando est postulare ad judicium, accusare. *Tac. H.* 1, 53. Compertum publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit.

FLAGRANS, antis, part. a *flagro*, qui flagrat. *καιόμενος. Virg. G.* 1, 331. ille flagranti Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Dejicit. *Cic. Div.* 1, 32. Noctu flagrantes onerarias, quas incenderant milites, videbatis. *Liv.* 44, 36. Flagrantissimo aestu. *Cic. Or.* 3, 2. Bello flagrans Italia. P Item splendidus, nitens. *Virg. A.* 12, 167. sidereo flagrans clypeo. Et 65. flagrantes perfusa genas, *h. e.* rubore veluti accensas. *Sil.* 12, 731. flagrantior aethere lampas, *h. e.* sol splendidior. P Item cupidus, vehemens. *Catull.* 64, 91. Non prius ex illo flagrantia declinavit Lumina. *Juven.* 13, 11. flagrantior aequo Non debet dolor esse viri. *Cic. Mur.* 31. Recentibus praeceptorum studiis flagrantem usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. *Id. Att.* 7, 4. Flagrans desiderio tui. *Id. Or.* 2, 45. odio. *Virg. A.* 11, 225. Hos inter motus medio in flagrante tumultu. *Cic. Tusc.* 4, 19. Flagrans cupiditas. *Prop.* 1, 13, 23. amor. *Hor. Od.* 2, 12, 25. Flagrantia oscula, *h. e.* cupida, amore ardentia. *Prop.* 3, 17, 13. Thessalico flagrans Salmonis Enipeo. *Cic. Fat.* 2. Nec enim oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam. *Tac. A.* 11, 29. Flagrantissima gratia esse, *h. e.* maxime gratiosum et carum esse. [*Plura de hujus *Tacito* longe usitatissimi verbi significatione v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 200. sq.] P *Just. Cod.* 9, 13, 1. §. 1. Ubi inventi fuerint in ipsa rapina, et adhuc flagranti crimine comprehensi: *auf der That*, in ipso crimine perpetrando.

FLAGRANTER, adv. *φλεγομένως*, ardenter, cupide. [*Front.* ad *Anton. Aug.* (ed. *Maio*) *ep.* 2. Et spondeo, quanto saepius audierit, tanto flagrantius amabit. *F.*] *Ammian.* 31, 10. Germani exarsere flagrantius. *Tac. A.* 1, 3. Destinare consules, specie recusantis, flagrantissime cupiverat.

FLAGRANTĬA, ae, f. *φλογμὸς*, actus flagrandi, ardor. *Gell.* 17, 10. de Aetna: Quod de natura atque flagrantia montis ejus compositum est. P Et Translate. *Id.* 12, 1. *f.* Vigor maternae flagrantiae. *Pl. Rud.* 3, 4, 28. Etiam vim opprobras, flagitii flagrantia? *h. e.* omnibus pravis cupiditatibus ac flagitiis flagrans. *Cic. Coel.* 20. Flagrantia oculorum, *h. e.* amor vehemens, qui ex oculis, velut flamma, emicat. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 734. sedare omnem pectoris flagrantiam, *h. e.* cupiditatem, desiderium.

FLAGRĀTOR, qui mercede flagris caedi se permittit. *Fest.*

FLAGRĬFER, a, um, adj. qui flagrum gestat. *Auson. ep.* 14, 10. Flagrifer Automedon.

FLAGRĬONES, um, m. plur. dicti sunt servi, quod flagris subjecti sint. *Afr.* ap. *Non.* 1, 117.

FLAGRITRĪBA, ae, m. qui assidue vapulando flagra terit. *Pl. Ps.* 1, 2, 5. Eo ingenio sunt flagritribae.

FLAGRO, as, avi, atum, n. l. *φλέγομαι*, ardeo, accensus sum, conflragro, *Virg. A.* 2, 685. crinemque flagrantem Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes. *Val. Fl.* 5, 35. geminis flagrantia cernens Corpora cara rogis. *Ov. Fast.* 6, 439. Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes. *Plin.* 16, 7, 10. Flocci molles et sine oleo flagrant. *Curt.* 7, 5. Arenas vapor aestivi solis accendit, quae ubi flagrare coeperunt etc. P Translate. [*i. e. laborare, vexari aliqua re.] *Cic. Att.* 7, 17. *med.* Totam Italiam flagraturam bello, intelligo. *Sen. Thyest.* 98. Flagrat incensum siti cor. *Ov. Met.* 4, 347. flagrant quoque lumina Nymphes, *h. e.* ardent oculi. *Cic. Att.* 4, 18. et *Verr.* 1, 2. Coss. flagrant infamia et invidia, *h. e.* ardent, valde laborant. *Sall. or. Philippi contra Lepid.* inopia. *Hor. Sat.* 1, 4, 125. rumore malo. *Flor.* 2, 18. ignominia et pudore. *Cic. Coel.* 5. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. *Id. Verr.* 2, 4, 32. Convivia stupris flagitiisque flagrant. *Sall. Cat.* 4. Ut cujusque studium ex aetate flagrabat. P Cum accusativo. *Prop.* 1, 13, 23. coelestem flagrans amor Herculis Heben, *h. e.* ardenter amans. *Ἑλληνισμός. Stat. Silv.* 5, 2, 119. novercales ibat venator in agros Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam, *h. e.* amore accendebat. P *Flagrare cupiditate aliqua* dicitur, qui illa vehementer accensus est. *Cic. Att.* 5, 11. Non dici potest, quam flagrem desiderio urbis. *Id. Verr.* 2, 4, 34. Flagrare cupiditate atque amentia. *Id. Tusc.* 4, 33. *extr.* amore. *Id. Or.* 2, 45. odio, *h. e.* vehementer odisse. Et *ib.* 1, 4. incredibili studio dicendi. [*Id. *Verr.* 2, 2, 73. Flagrabat domus studio et cupiditate hominum, i. e. plena erat hominibus, in quibus esset studium et cupiditas. Similis est ap. poetas usus verbi *fervere* de locis, in quae homines studiose frequentesque coeunt. V. in FERVEO. Hinc, licet insolentius dictum, sana tamen videtur lectio ap. *Sil.* 1, 126. Lacus flagrantes sanguine, *h. e.* cum fervore spumantes, abundantes. *Drakenb.* parum recte cum *Burm.* putat, *flagrantes* esse *rubentes. Heins.* contra cdd. auctoritatem conj. *fumantes.*] *Colum.* 6, 27. ardore alicujus rei, *h. e.* cupiditate. *Id. prooem. l.* 12. *med.* aemulatione diligentiae. *Suet. Gramm.* 24. libidinibus. *Ascon. argum. or. pro C. Cornel. med.* magna infamia. *Ov. Met.* 6, 460. vitio gentis suoque. *Sil.* 5, 589. dulcedine laudis. P Cum infinito. *Claud.* in *Ruf.* 2, 433. flagrant elidere saxis Prodigiale caput. *Stat. Th.* 10, 221. flagrant comitari et jungere casus.

FLAGRUM, i, n. *μάστιξ*, lorum, scutica, flagellum ad caedendum: a *flagro*, quia flagris caesus uritur. [*Doederl. 2, 142. sq. etym. h. v., una cum *plaga* et *plectere*, *ad* Gr. *πλήγω, πλήσσω*, refert.] *Pl. Amph.* 4, 2, 11. Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris. *Liv.* 28, 11. Caesaque flagro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat. *Juven.* 5, 172. nec dura timebis Flagra pati. *Suet. Oth.* 2. A prima adolescen-

tia prodigus, et procax adeo, ut saepe flagris objurgaretur a patre. *Pl. Cas. a.* 1. *r.* 36. Ego te implebo flagris. *Id. Merc.* 2, 3, 81. Pinsere flagro aliquem. *Ulp. Dig.* 47, 10, 9. Servum flagris rumpere. *Pl. Asin.* 2, 2, 31. Gymnasium flagri, salveto. ℙ Translate. *Id. Poen.* 1, 2, 177. de amica: Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, hujus jecur, hujus studium, hujus flagrum, *h. e.* ardor, ignis, amor: vel flagellum, quo assidue in amore vapulat et cruciatur. Al. leg. *savium.* ℙ Videtur proprie dici de eo, quo caeduntur servi, nam *Mart.* 14, 79. *cujus lemma* Flagra: Ludite lasciva, sed tantum ludite servi. Haec signata mihi quinque diebus erunt. *Juven.* 10, 109. Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites, *h. e.* in servitutem redegit: *h. e.* Jul. Caesar.

FLAMEARIUS, ii, m. infector flamei coloris, ut habet *Festus* in *Flamearius:* vel potius flameorum confector aut venditor. *Pl. Aul.* 3, 5, 35. Ciniflones, patagiarii, indusiarii, flamearii, violarii.

FLAMEN, inis, m. ἱερεύς, sacerdos apud Romanos. Dicti flamines, testibus *Varr. L. L.* 4, 15. et *Festo*, quod capite velato erant semper, et caput cinctum habebant filo, quasi *filamines.* [Quod etymon confirmat *Inscr.* ap. *Grut.* 227, 6. Divo Augusto Albinus Alb. F. filamen Divae Aug. provinciae Lusita*niae. F.*] Alii a pileo, quem gestabant, quasi *pileamines:* alii a flameo, quod idem fere significat, dictos putant. De hoc ita *Serv.* ad *A.* 8, 664. Flamines in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga, desuper habens lanae aliquid: quod cum per aestus ferre non possent, filo tantum capita religare coeperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere, nefas fuerat. Unde a filo, quo utebantur, flamines sunt dicti, quasi *filamines.* Verum festis diebus, filo deposito, pilea necesse erat accipere, quae secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta. Alii dicunt, quia cum sacrificarent apud Laurolavinium, et eis exta frequenter aves abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgae, non breves, ut in Urbe. Haec *Servius.* [V. pilei figuram cum virga eminente in nummo gentis Quinctiae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* 5. *F.*] ℙ Initio tres a Numa instituti fuere, Jovis, Martis, Quirini, ut est ap. *Liv.* 1, 20. Deinde ad magnum numerum crevere paulatim, adscitis variis Diis ac religionibus: quin singulis imperatoribus suos instituere mos fuit, in Deorum numerum relatis. Appellabantur autem cognomine ejus, cujus sacra curabant, ut Dialis, Martialis, Quirinalis, Floralis, Vulcanalis etc., suberantque omnes pontifici maximo. *Cic. Leg.* 2, 8. Divis aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. *Id. Phil.* 2, 43. Quem Caesar majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? *Id. Mil.* 10. Iter solemne Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum. [*i. e. creandum. Est enim hoc proprium in ea re verbum.] *Liv.* 27, 8. Inaugurare flaminem.

FLAMEN, inis, n. πνεῦμα, venti, aerisve flatus: a *flo*, *as.* Vox poetica. *Sil.* 7, 243. sinusque Destituat tumidos, subducto flamine, ventus. *Virg. A.* 5, 832. ferunt sua flamina classem. Et *ib.* 10, 97. ceu flamina prima, Cum deprensa fremunt silvis et caeca volutant Murmura. Et *ib.* 4, 241. talaria, quae sublimem alis rapido pariter cum flamine portant. *Val. Fl.* 3, 732. Flamina conticuere: jacet sine fluctibus aequor. *Ov. Am.* 1, 6, 54. Borea, surdas flamine tunde fores. *Id. Fast.* 3, 599. Figitur ad Laurens ingenti flamine litus Puppis. *Hor. Od.* 3, 19, 19. cur Berecynthiae Cessant flamina tibiae? Adde *Nemes. Ecl.* 1, 16.

[*FLAMENTUM, i, n. idem ac flamen, haec poetica, illa prosaica vox. *Fulg. Myth. praef.* 1. Egredimur nautarum more, quos tempestatum flamento confractos exoptata reduces excipit ripa. *B. A.* et *F.*]

FLAMEOLUM, i, m. diminut. flamei. *Juven.* 10, 333. sedet illa parato Flameolo.

FLAMEUM, i, n. κρόκιος πέπλος, genus veli crocei seu lutei, quo sponsae utebantur, ne proderetur virginis pudor. Nonnulli dictum putant, quia flammae colorem referret; verum potior est eorum sententia, quibus placet dici a flaminica flaminis uxore, quae, ut *Festus* ait, semper flameo utebatur: hinc institutum fuisse, ut etiam novae nuptae hoc amiculi genus gestarent boni ominis causa, et in signum indissolubilis conjugii, quia flamini non erat permissum cum uxore divortium facere. Aliqui dicunt fuisse albogalerum seu velamentum capitis, quo flamen Dialis utebatur: vocatum fuisse flameum a flammeo colore; hujus coloris fuisse, quia erat sacerdos Jovis Tonantis, cui is color convenit propter telum fulminis: item vestimentum flaminicae Dialis, quae et ipsa Jovi sacra faciebat. Aliis flameum erat pileus, quem flamines omnes generatim gestabant, in coni figuram desinentem: hic *apex* dicebatur, quam vocem vide ab init., summum fastigium vocabant *tutulum*, infra mentum amenta, quae et *offendices* dicta, pileum retinebant. *Plin.* 21, 8, 22. Lutei coloris video honorem antiquissimum, in nuptialibus flameis totum feminis concessum. *Lucan.* 3, 361. Lutea demissos velarunt flamea vultus. *Juven.* 6, 225. Flamea conterit, *h. e.* saepius nubit. ℙ Ap. *Non.* 14, 31. legitur *flameus*, *i.* gen. masc. ℙ Sunt qui scribant *flammeum*, ut sit a flammeo colore, sed per unicum *m* in veterib. libris scriptum reperiri, testatur *Manut.* in *Orthogr.* V. FLAMMA.

FLAMINA, ae, f. mulier flaminio praedita. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 9. L. Praesentio L. F. Lem. Paeto L. Attio Severo Praef. Coh. I. Afr. C. R. Eq., judici selecto ex V. Dec., Pr. Auximi, Pat. Col., aedili II. Vir. Anconae Vibia L. F. Marcella flamina August. marito omnibus exemplis de se bene merito.

FLAMINALIS, e, adj. qui flaminatu functus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 325, 3. C. Varinio flaminali provinciae Baeticae. Alia ap. *eund.* 478, 2. Statua inter flaminales viros posita.

FLAMINATUS, us, m. flaminis munus, et dignitas. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 7. Functus flaminatu provinciae Hispaniae citerioris. Alia ap. *eund.* 268, 3. ob honorem de*curionatus* et flam*inatus.*

FLAMINIA, ae, f. domus flaminis. *Fab. Pictor* ap. *Gell.* 10, 15. Ignem e flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi in sacrum, efferri jus non est. ℙ Item sacerdotula, quae flaminicae Diali praeministrabat: eaque patrem matremque adhuc vivos habebat. *Festus.*

FLAMINIATUS, a, um, adj. ad flaminios pertinens, ut Flaminiana ostenta. *Cic. Div.* 2, 31. quae C. Flaminio consuli stragem exercitus ad Trasimenum lacum portenderunt.

FLAMINICA, ae, f. uxor flaminis. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. Eaedem ferme cerimoniae sunt, quas flaminicas Diales seorsum ajunt observitare. *Tert. de exhort. ad castit.* 13. Certe flaminica non nisi univira est, quae et flaminis lex est. Adde *Fest.* in *Flaminia* et in *Flameo. Tac. A.* 4, 16. Sed lata lex, qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret.

[FLAMININUS, i, m. ad flamen pertinens, cognomen R. ab adepto flaminatu derivatum, ut T. Quinctius T. F. Flamininus consul an. U. C. DLVI. in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 293., is nempe, qui de Philippo rege Macedonum victoriam retulit. Hinc in nummis gentis Quinctiae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* V. videre est in antica nummi parte apicem flaminum proprium, in postica vero litteras T. Q., quibus ad T. Quinctium Flamininum alludi vero simile est. *F.* *Frequenter in libris confunditur h. v. cum nomine *Flaminius:* quod vel primus vel inter primos observavit *P. Merula* ad fragm. *Enn.* p. 504. et ostendit, ap. *Cic. de sen.* init. sic legendum: *Licet enim iisdem versibus adfari te, Attice, quibus adfatur Flamininum: Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei:* ut *adfatur Flamininum* sit ipsum quoque hemistichium *Ennii.* Est autem sic Ennianus *T. Quinctius Flamininus* Consul cum *S. Aelio Paeto*, A. U. C. *DLV.* De illa confusione *Flaminiorum* et *Flamininorum* monuerunt etiam *Creverius* et *Drakenborchius* ad *Liv.* 39, 51. *in.* ubi est *Ad Prusiam regem legatus T. Quinctius Flaminius.* Alios *Quinctios Flamininos* dabunt *Glandorp. Onom.* et Indices Liviani etc. *B. A.*]

FLAMINIUM, ii, n. dignitas flaminis, sacerdotium, ἱερατεία. *Cic. Phil.* 13, 19. Caesaris flaminium cur reliquisti? *Liv.* 26, 23. *extr.* C. Claudius flamen Dialis, quod exta perperam dederat, flaminio abiit. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. Flaminio decedere. *Tac. A.* 4, 16. Flaminium apisci.

FLAMINIUS, a, um, adj. ad flaminem pertinens, ἱερατικός. *Festus:* Flaminiae aedes, domus flaminis Dialis. *Id.* Flaminius camillus, puer ingenuus, qui flamini Diali praeministrabat: *Id.* Flaminius lictor, qui flamini Diali sacrorum causa praesto est. ℙ Item ad Flaminium pertinens, quod est nomen proprium civis R. *Liv.* 3, 54. *extr.* Ea omnia in pratis Flaminiis acta, quem nunc Circum Flaminium appellant. Et 63. *med.* In prata Flaminia, ubi nunc aedes Apollinis est (Circum jam tum Apollinarem appellabant) avocavere senatum. *Circus Flaminius* fuit in regione Urbis nona, dictus vel a Flaminio campo, in quo aedificatus fuit, ut *Varr.* docet *L. L.* 4, 32., vel a C. Flaminio censore, qui consul iterum ad Trasimenum lacum ab Annibale caesus fuit (ut est ap. *Fest.*), qui illum in censura an. U. C. DXXXIV. vel exornaverat, vel, ut est in *Epit. Liv.* 20., exstruxerat. Secundus fuit antiquitate et usu post Circum maximum, multis decoratus sacris aedibus, de quibus *Donat. l.* 3. *de Urbe Roma c.* 14. et alii. Olim fuit extra Urbem, ut praeter alia colligitur ex *Liv.* 39, 5. *extr.* Ibi fuit vitrorum officina, quibus parvi pretii pocula, et ferventibus aquis resistentia fiebant, teste *Mart.* 12, 74. ℙ *Flaminia via* ab eodem Flaminio censore dicta, strataque, a via lata Urbis, porta Flumentana, et ponte Milvio, per Umbriam Ariminum usque pertinebat. In ea plurima erant Romanorum sepulcra. Hinc *Juven.* 1, 170. experiar, quid concedatur in illos, Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

FLAMMA, ae, f. φλόξ, vapor accensus, qui ex re flagrante egreditur, mobilis ac splendens ignis: ita appellata proprie est fornacis flamma, teste *Isid. Orig.* 19, 6., quod flatu follium excitetur: est vero a φλέγμα, Aeolice φλέμμα, quod a φλέγω, inflammo. *Cic. Or.* 54. *extr.* Dicere ajunt Ennium, flammam a sapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat. *Nep. Alc.* 10. Sonitu flammae excitatus. *Hor. Od.* 4, 11, 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum. *Virg. A.* 4, 670. flammae furentes volvuntur per culmina. Et *G.* 1, 473. undantem ruptis fornacibus Aetna. Et *G.* 1, 473. undantem ruptis fornacibus Aetnam Flammarum globos volvere. *Id. A.* 1, 179. Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam. *Cato R. R.* 38. Flamma minus fumosa exibit. *Sen. Hipp.* 644. agilis altas flamma percurrit trabes. *Id. Herc. Oet.* 121. Flamma rapax. [**Tibull.* 1, 9, 49. Flamma rapida.] *Virg. A.* 7, 74. omnem ornatum flamma crepitante cremari. *Liv.* 30, 6. Effusa flamma pluribus locis reluxit: dein per continua serpens, uno repente omnia incendio hausit. *Caes. B. G.* 5, 42. Cum undique flamma torrerentur. Et *ib.* 6, 15. Circumventi flamma exanimantur homines. Et *B. C.* 2, 14. Uno tempore agger, plutei, testudo, turris flammam concipiunt. *Quint. prooem. l.* 6. Flammis aliquid injicere. *Sen. Phoen.* 663. Flammis dare patriam, penates. *Virg. A.* 4, 640. permittere flammis. *Curt.* 4, 10. Tectis flammas injicere. *Sen. Agam.* 602. Flamma muros populans. *Ov. A. Am.* 3, 463. exstinguere flammas. *Id. Met.* 10, 173. et *Quint.* 5, 13. alere. *Ov. Fast.* 5, 507. exsuscitare aura. *Id. Her.* 16, 229. compescere. *Id. Met.* 2, 210. flammis corripi. *Liv.* 30, 7. conflagrare. *Hor. Ep.* 5, 24. aduri. *Ov. Trist.* 4, 3, 15. polo fixae flammae, *h. e.* sidera. *Id. Fast.* 3, 285. Deum genitor rutilas per nubila flammas Spargit, *h. e.* fulgura, aut fulmina. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 16, 11. et *Att.* 16, 7. Incidi in ipsam flammam civilis discordiae, vel potius belli. *Id. Or.* 3, 3. Sulpicius, qui in eadem invidiae flamma fuisset. *Id. Brut.* 24. Omnis illa vis, et quasi flamma oratoris exstinguitur. *Sall. Jug.* 4. Memoria rerum gestarum ea flamma egregiis viris in pectore crescit, *h. e.* ardor animi, cupiditas. *Cic. Or.* 3, 23. Galba se tum eripuit flamma, *h. e.* judicii et damnationis periculum evasit. [**coll. Brut.* 23, 90.] *Ov. Met.* 8, 845. implacataeque vigebat Flamma gulae, *h. e.* cupiditas, fames. ℙ De igneis oculis Charontis. *Virg. A.* 6, 300. stant lumina flamma. Al. leg. *flammae.* ℙ De colore flammeo. *Plin.* 35, 6, 27. Reddit enim flammam excellentis purpurae. ℙ Saepissime dicitur de amore, praesertim turpi. *Catull.* 64, 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus, atque imis exarsit tota medullis. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Amoris turpissimi flamma conflagrare. *Hor. Od.* 1, 27, 20. Digne puer meliore flamma. *Virg. G.* 3, 271. avidis subdita flamma medullis. *Ov. Met.* 7, 17. Excute virgineo conceptas pectore flammas. *Id. Rem. Am.* 485. novas flammas assumere. *Sil.* 17, 294. ignifero mentes furiabat in iram Hortatu, decorisque urebat pectora flammis. ℙ *Unda dabit flammas* dictum de re, quae fieri non potest. *Ov. Trist.* 1, 8, 4. ℙ *E flamma cibum petere*, prov. ap. *Ter. Eun.* 3, 2, 38. de eo, qui quidlibet audeat, patiaturve cibi et victus causa: ductum, ut videtur, ab iis, qui prae paupertate rapiebant de rogo coenam, ut *Catull.* loquitur 59, 3. V. COENUM. ℙ *Flamma fumo est proxima: fumo comburi nihil potest, flamma potest*, alia prov. ap. *Pl. Curc.* 1, 1, 53, quibus monemur vitandam esse occasionem peccandi, et fugienda illa mala leviora, ex quibus gravius malum sequi fere solet. ℙ *Flammai* pro *flammae* in secundo casu est ap. *Lucr.* 1, 725. et 5, 1098. ℙ Etiam *flama* in quibusdam codicibus scriptum legi (unde et *flameus* ap. *Manut.* in *Orthogr.* et *flamearius*) notant *Voss.* in *Etym.* et *Dausqu.* in *Orthogr.*, sed hoc priscae scribendi rationi tribuendum videtur, et antiquo mori litteras non geminantium. ℙ Fuit etiam cogn. R. in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 291. L. Volumnius C. F. Flamma.

FLAMMABUNDUS, a, um, adj. flammis abundans. *Capell.* 1. p. 22. Tunc subsellia flammabunda coetum suscepere sidereum.

FLAMMANS, antis, part. a *flammo*, inflammans, accendens. *Val. Fl.* 1, 568. et ingenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem. ℙ Item flammatus, ardens. *Prop.* 4, 4, 75. super raros foeni flammantis acervos Trajicit immundos ebria turba pedes, (de Palilibus loquitur. V. *Ov. Fast.* 4, 727. et 781.) *Virg. G.* 3, 434. flammantia lumina torquens. *Senec. Med.* 241. Os tauri ferocis flammans, *h. e.* flammas emittens.

FLAMMATRIX, icis, f. quae inflammat. *Capell.* 5. p. 137.

FLAMMATUS, a, um, part. a *flammo*, qui flammas concepit, ignitus, accensus, φλογούμενος. *Lucr.* 2, 671. quaecumque igni flammata cremantur. *Catull.* 64, 291. sorores flammati Phaethontis.

℗ Translate. *Virg. A.* 1, 54. Talia flammato secum Dea corde volutans. *Colum.* 10, 209. flammata cupidine tellus. *Val. Fl.* 8, 300. sponsae flammatus amore. *Id.* 1, 108. tela flammata veneno, *h. e.* veneno more ignis adurente. Al. leg. *armata.* ℗ Refertur et ad colores. *Mart.* 5, 19. Flammata toga. *Val. El.* 4, 655. flammata pudore juventus *Senec. Med.* 387. Flammata facies, *h. e.* rubore suffusa prae furore.

FLAMMĔO, es. V. FLAVEO.

FLAMMĔOLUS, a, um, adj. flammae colorem habens, dilutiorem tamen, dimin. a *flammeus. Colum.* 10, 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha.

FLAMMESCO, is, n. flammas concipio, ignesco. *Lucr.* 6, 669. Ignis abundare Aetnaeus, flammescere coelum.

FLAMMĔUM cum deriv. V. FLAMEUM.

FLAMMĔUS, a, um, adj. φλογερὸς, ignitus, accensus. *Cic. N. D.* 2, 46. Sunt stellae natura flammeae. *Colum.* 5, 5. *med.* Velut flammeo halitu fluctus uritur. *Ov. Her.* 12, 107. Lumina flammea. *Mart.* 10, 62. Albae leone flammeo calent luces. ℗ Translate. *Catull.* 64, 337. Flammea praevortet celeris vestigia cervae, *h. e.* concitata. *Sidon. Ep.* 1, 7. Acres et flammei viri. *Enn.* ap. *Non.* 1, 140. Flammei versus. ℗ Refertur et ad colores. *Plin.* 21, 11, 38. Viola alba, purpurea, flammea. *Val. Fl.* 5, 361. flammea murice cerno tegmina.

FLAMMĪCŌMANS, antis, et

FLAMMĪCŌMUS, a, um, adj. flammeas comas habens. *Juvenc. in Matth.* 25, 4, 202. Taedae flammicomantes. *Prud. Psych.* 775. Flammicomi ignes.

FLAMMICRĔMUS, a, um, adj. flammis crematus. *Fortunat. carm.* 1, 15, 47. Nullaque flamicremae senserunt damna ruinae.

FLAMMĪDUS, a, um, adj. idem quod flammeus. *Appul. de Mundo* p. 66, 37. Humida aridis, glacialibus flammida confundit. Et *Met.* 11. p. 158, 22. Roseo rubore flammida.

FLAMMĪFER, a, um, adj. flammam ferens, inflammatus. *Cic. Acad.* 4, 28. ex *vet. Poet.* Pestem abige a me, flammiferam hanc vim, quae me excruciat. *Val. Fl.* 1, 4. flammifero consedit Olympo. *Ov. Met.* 15, 849. Flammiferumque trahens spatioso limite crinem Stella micat. *Sil.* 5, 55. flammiferum tollentes aequore currum Solis equi. *Lucan.* 5, 400. Iliacae numen quod praesidet Albae Vidit flammifera confectas nocte Latinas, *h. e.* facibus illustrata: quia Latinae noctu peragebantur.

FLAMMĪGĔNA, ae, com. gen. e flamma genitus. Flammigena fur apud *Sidon. carm.* 13, 9. est Cacus Vulcani filius, atros Ore vomens ignes, ut ait *Virg. A.* 8, 198.

FLAMMĪGER, a, um, adj. ut Sol flammiger, *Val. Fl.* 5, 582. et *Lucan.* 1, 415. Flammiger ales, *h. e.* aquila, *Stat. Th.* 8, 676.

FLAMMĪGĔRO. V. v. seq.

FLAMMĪGO, as, n. 1. flammas emitto. *Gell.* 17, 10., et qui ab eo exscripsit, *Macr. Sat.* 5, 17. Interdiu fumare Aetnam, noctu flammigare.

FLAMMĪPES, edis, adj. qui ignitos pedes habet. *Juvenc. Matth.* 11, 4, 554. Flammipedes quadrijugi.

FLAMMĪPOTENS, entis, adj. Vulcani cognomen. *Arnob.* 3. p. 112. Flammipotens Vulcanus fabricatur enses.

FLAMMĪVOLUS, a, um, adj. cum flammis volans. *Arator. Act. Apost.* 2, 531. Flammivolo sub sole jacet.

FLAMMĪVŎMUS, a, um, adj. πυροεκβόλος, qui flammas vomit. *Juvenc. prol.* 23. flammivoma descendet nube coruscans Judex.

FLAMMO, as, avi, atum, a. 1. φλέγω, incendo, inflammo. *Tac. A.* 15, 44. Aut crucibus affixi, aut flammandi. *Appul. de Mundo.* p. 59, 18. Ignes illi immortalis Dei vivacitate flammantur. ℗ Translate. *Stat. Ach.* 1, 297. Illius roseo flammatur purpura vultu. ℗ Pro incitare, accendere. *Sil.* 16, 303. Sic donis vulgum, laudumque cupidine flammat. Et 1, 55. juvenem facta ad Mavortia flammat. *Tac. H.* 4, 24. His inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatae a Vespasiano litterae. Et *ib.* 2, 74. Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium a Vitellio militum, *h. e.* ad iram incitaverat, offenderat, irritaverat. *Stat. Th.* 8, 390. flammantur in hostem Cornipedes. ℗ Pro implere. V. INCENDO.

[FLAMMOSUS, a, um, adj. idem ac ardens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 32. Febris celerrima est, et flammosa. *Id. ib.* 3, 17. Carbones non flammosi. *F.*]

FLAMMŬLA, ae, f. φλόγιον, parva flamma. *Colum.* 9, 14. *med.* Papiliones dum circa flammulam volitant, aduruntur. ℗ *Flammulae* fuerunt apellata vexilla equitum ex con is suspensa, flammei seu purpurei coloris. *Veg. Mil.* 2, 1. Equitum alii alares dicuntur, qui nunc vexillationes vocantur a velo, quia velis, hoc est flammulis utuntur. Adde *ib.* 3, 5. V. *Ducang. Gloss. Gr.* et *Lat.* in V. Φλάμουλον et *Flammula.*

*FLAMONĬA, ae, f. Italiae oppidum, in Gallia transpadana, circa Tilaventum amnem. ℗ Hinc FLAMONIENSES, ium, cognomento Vanienses, incolae Flamoniae dicti. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

*FLAMONĬUM, i, n. i. q. flaminum, flaminis sacerdotium. *Sidon. ep.* 5, 7. Invident flamonia municipibus. V. ibi *Sirmond.* qui ex *Glossis* et *Inscr. Dacica* idem confirmat, p. 56. *B. A.*

*FLANĀTES, ium, populi Liburniae. *Plin.* 3, 21. ℗ Hinc FLANATĪCUS, a, um, adj. ad Flanates pertinens, ut *Flanaticus sinus* ap *Plin. ib. B. A.*

*FLANONA, ae, f. oppidum Flanatium. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

FLASCĀ. V. PHLASCA.

FLĀTĬLIS, e, adj. idem quod flabilis. *Ammian.* 30, 1. Flatili sonitu, *h. e.* qui flando fit. *Prud. Ham.* 533. flatile virus, *h. e.* qui flatu immittitur. *Arnob.* 6, 201. Laminarum flatilium crates, *h. e.* conflatilium.

FLĀTO, as, a. 1. frequentat. a *flo. Arnob.* 2, 69. Cantores, tibia, calamoque flatantes.

FLĀTOR, oris, m. tibicen: a *flo*, quod tibias inflet. *Fest.* ℗ Item qui conflat. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Aeris, argenti, auri flatores. V. FLATURARIUS.

FLĀTŪRA, ae, f. idem quod flatus. *Arnob.* 1, 7. Ventos jamdiu non esse, et coeli conquievisse flaturas. ℗ Item conflatura. *Vitr.* 2, 7. *med.* In aeris flatura. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 16. P. Calvius P. F. Justus, manceps officinarum aerariarum quinque, item flaturae argentariae, etc. Adde alias ap. *Mur.* 319, 2. et 3.

FLĀTŪRĀLIS, e, adj. ad flandum pertinens. *Tert. Anim.* 10. Quaedam spiritu carent, quia flaturalibus artubus structa non sunt.

FLĀTŪRĀRĬUS, ii, m. flator, qui nempe metallum monetae cudendae destinatum conflat. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 4. M. Ulpius Aug. Lib. Symphorus flaturarius auri et argenti monetarii. *Imp. Constantius Cod. Theod.* 9, 21, 6. Comperimus, nonnullos flaturarios pecuniam non minus criminose, quam crebre, separato argento ab aere, purgare. ℗ [Alii erant, qui privatim suoque sumptu signa, statuas, et alius generis vasa ex metallo conflabant. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 6. C. Junio Thalationi C. Maecenatis liberto flaturario sigillariario. Alia apud *Fabr.* p. 720. *n.* 415. T. Flavio T. F. Largonio fabro flaturario sigillariario. *F.*] Alia ap. *Don. cl.* 8. *n.* 61. C. Sellius Onesimus flaturarius de via sacra.

FLĀTUS, a, um, part. a *flo*, *Hirt. B. Afr.* 52. Pulvis vento flatus omnium prospectui offecit. ℗ Item conflatus, fusus. *Gell.* 2, 10. Flata signataque pecunia conderetur. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Aes flatum pecore, *h. e.* pecunia pecore signata.

FLĀTUS, us, m. πνοὴ, flamen, spiritus, ventus. *Plin.* 36, 26, 66. Flatu figuratur vitrum. *Ov. Fast.* 1, 428. Ipsa sui flatus ne sonet aura, cavet. *Virg. G.* 3, 111. humescunt spumis flatuque sequentum. Et *ib.* 2, 339. hibernis parcebant flatibus Euri. *Ov. Met.* 13, 418. flatuque secundo Carbasa mota sonant. *Suet. Claud.* 32. Flatum crepitumque ventris emittere. ℗ De sonitu tibiae *Hor. A. P.* 205. et *Phaedr.* 5, 7. ℗ Translate. *Cic. Off.* 2, 6. Cum prospero flatu fortunae utimur, ad exitus pervehimur optatos: et cum reflavit, affligimur. ℗ Dicitur et de fastu ac superbia. *Virg. A.* 11, 345. Det libertatem fandi flatusque remittat. *Ov. A. Am.* 1, 715. Si tamen a precibus tumidos accedere flatus Senseris, incepto parce referque pedem. *Val. Fl.* 3, 699. Non hi tum flatus, non ista superbia dictis, Cum, etc. *Stat. Th.* 3, 192. magniloquos luit impia flatus. Et *ib.* 1, 321. Attollit flatus ducis. ℗ De anima. *Prud.* περὶ στεφ. 3, 168. Pax datur artubus exanimis, Flatus in aethere plaudit ovans.

*FLAUCORUM *corymbion* edidit *Burmannus* quoque *Petr.* c. 110. Sed corruptum putatur; plerique inclinant ad *Flavicomum. B. A.*

FLĀVĔO, es, n. ξανθίζω, flavus sum. *Colum.* 10, 311. Sed cum maturis flavebit messis aristis. In quodam MS. leg. *flammebit*, ut sit a *flammeo, es:* a quo *flammesco. Paulin. Nolan. carm.* 20, 124. de lychno: Funditus albet aqua, super undam flavet olivo. ℗ [Part. *Flavens* ap. *Virg. G.* 4, 126. Flaventia culta. *Id. A.* 10, 324. Clytius flavens prima lanugine malas. *Ov. Met.* 8, 670. Flaventes cerae. *F.*]

FLĀVESCO, is, n. 3. flavus fio, ξανθίζομαι. *Virg. Ecl.* 4, 28. Molli paulatim flavescet campus arista. *Mart.* 9, 24. O, cui virgineo flavescere contigit auro, *h. e.* decoratum esse aurea corona dono data in ludis Minervae. *Id.* 7, 67. Flavescere haphe. Adde *Ov. Amor.* 2, 5, 39. ℗ In illo *ejusd. Met.* 8, 699. casa parva Vertitur in templum: furcas subiere columnae: Stramina flavescunt: *flavescere* est aureum vel auratum fieri. ℗ *Flavescere* etiam dicuntur folia plantarum, quae virorem amittunt, et ad ariditatem accedunt aut corruptionem. Flavum enim tunc colorem induunt. *Plin.* 15, 29, 36. Quae *(myrtus)* postquam evaluit, flavescente patricia etc. Ita *Hard.* ex MSS. Alii *flaccescente. Id.* 16, 6, 7. Folium fagi celerrime flavescens. *Id.* 19, 8, 47. Menta aestate viret, hieme flavescit.

*FLAVĬA, ae, f. (a *Flavius, a, um,*) scil. urbs, civitatum diversarum nomen fuit. ℗ *Flavia Aeduorum*, urbs fuit Galliae Lugdunensis, dicta et Augustodunum, nunc *Autun. Eumen.* in *gratiar. act. ad Flavium Constantin. Augustum* c. 1. et 14. ext. Sed V. in *Flaviensis.* ℗ Item Caesarea urbs Palaestinae Flavia dicta est, colonia sc. a Vespasiano constituta. *Plin.* 5, 13. ℗ Flavia Firma Sura appellata est Sura Syriae urbs, in Palmirena. *Notit. Imper. Orient.* ℗ *Flavia Julia* fuit in Callaica. *Plin.* 3, 3. ℗ *Flaviae aquae*, locus Vindeliciae. *Tab. Peutinger. B. A.*

FLĀVĬĀLIS, e, adj. ad Flavium pertinens. *Flaviales* dicti sunt sacerdotes Divorum gentis Flaviae, quos, teste *Stat. Silv.* 5, 1, 239., Domitianus Aug. instituit. *Suet. Dom.* 4. Assidentibus Diali sacerdote, et collegio Flavialium. ℗ Hi Romae quindecim fuisse videntur, quibus flamen seu pontifex praefuit. *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr. T.* 2. p. 18. C. Bellicius Natalis XV. vir. Flavialium. Alia ap. *Grut.* 359, 4. L. Appaeo L. F. Pup. Pudenti flamini Flaviali. Alia ap. *eund.* 361, 1. L. Aradio Valerio Proculo pontifici Flaviali. ℗ In coloniis fuerunt etiam *seviri Flaviales.* Alia apud *eund.* 96, 10. Pro salute coloniae, et ordinis decurionum et populi Tudertis L. Cancrius Clementis libertus Primigenius sexvir Augustalis, et Flavialis. [*Multa et his addidit. *F.*]

FLĀVĬĀNUS, a, um, adj. a Flaviis deductum, ut Flavianae partes, ap. *Tac. H.* 2, 67. et *ib.* 3, 1., *h. e.* eorum, qui T. Flavio Vespasiano favebant. ℗ Jus civile Flavianum, ap. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *med.* est dictum a Cn. Flavio libertini filio, scriba Appii Claudii, a quo cum ad formam forenses actiones redactae fuissent, ipse Flavius clam subreptas vulgavit in populum: cui adeo gratum fuit, posse, si quid jure agere vellent, non egere ope jurisconsultorum, qui eas, tanquam mysteria, omnes celabant, ut ipsum Flavium et tribunum plebis, et senatorem, et aedilem curulem fecerint. Plura V. ap. *Liv.* 9, 46. Adde *Cic. Or.* 1, 41. et *Mur.* 11., *Val. Max.* 2, 5. *n.* 2. ℗ [Fuit etiam cogn. R. ap. *Tac. H.* 2, 86. T. Ampius Flavianus. *F.*]

*FLAVIAS, adis, f. sc. urbs, in Cilicia fuit. *Anton. Itin. B. A.*

FLĀVĪCŌMANS, antis, et

FLĀVĪCŌMUS, a, um, adj. flavam comam habens, ξανθόκομος. *Petr. Sat.* 110. Flavicomum corymbion. Al. leg. *flavum. Prud. Apoth.* 495. Armiger e cuneo puerorum flavicomantum.

FLĀVĪDUS, a, um, adj. idem quod flavus, ut Fel flavidum, *Coel. Aur. Acut.* 3, 20. Flavida rapacia, *Plin.* 18, 13, 34., ut quidem legit *Hard.* ex MSS. nam alii *flaccida.* V. FLAVESCO.

FLĀVĪENSIS, e, adj. ad Flaviam urbem pertinens. *Flavia Aeduorum* est Augustodunum, nunc *Autun*, in Aeduis, ita appellata ab *Eumen. Grat. Act. ad Fl. Constantinum Aug.* 1. ut ipsi imperatori gratificetur. *Flavienses* autem sunt ejus cives, *ib. in lemmate.*

FLĀVĪNĬUS, a, um, adj. ad oppidum Flavinium, seu Flavinam pertinens, in Faliscis Etruriae, ad fines montis Soractis. *Virg. A.* 7, 696. Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva. *Sil.* 8, 492. Quique tuos, Flavina, focos, Sabatia quique Stagna tenent. *Serv.* ad *l. c. Virg.* vocat *Flavinium.*

[FLĀVĪNUS, a, um, adj. ad flavum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 810, 1. C. Dellius M. F. Pom. Flavinus. Alia ap. *Grut.* 325, 4. Viria Flavina. *F.*]

*FLAVIOBRĪGA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis maritimum, *Marianae (Hist. Hispan.* 4, 4.) vel *Vermeo* (Bermeus) est, vel prope sita *Bilbao.* Meminit *Plin.* 4, 20. *B. A.*

[FLĀVĬOPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Flaviopolim pertinens. Duplex fuit urbs hujus nominis: altera Bithyniae, prius Cratia appellata, nunc *Bajudir*, altera Ciliciae. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 316. *n.* 399. Diogenes Rhodonis L. Flaviopolitanus. *F.*]

FLĀVĪSSAE. V. FAVISSAE.

FLĀVĬUS, a, um, adj. *Flavia gens* Romana a Flaviis dicta est, quorum qui primus id nomen habuit, a flavis capillis duxisse videtur. De ea *Suet. Vesp.* 1. multa: unde Vespasianus, Titus, Domitianus Imppp. prodiere. *Mart.* 9, 2. Manebit altum Flaviae decus gentis. *Id.* 9, 4. et 35. Flavia templa, *h. e.* a Domitiano exstructa. *Juven.* 4, 37. Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem Ultimus, *h. e.* Domitianus. ℗ De Cn. Flavio, qui Fastos primus protulit, V. in FASTI et in FLAVIANUS. ℗ *Inscr.* ap. *Grut.* 566, 5. C. Valerius C. F. Flavia Spectatus Siscia, Mil. coh. VIII. etc. *Flavia* videtur nomen esse tribus Romanae, ex adjectis bello sociali, ut de *Camilia* dictum est: vel ab Augustis e gente Flavia, quales fuerunt Vespasianus, Titus et Domitianus. ℗ *Flavium Solvense* oppidum fuit Norici. *Plin.* 3, 24. ℗ Dictum et Solva. *B. A.*

[FLĀVŬLA, ae, f. diminut. flavae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 312, 1. Terentia Flavula. *F.*]

FLĀVUS, a, um, adj. ξανθὸς, qui eo colore est, qui in spicis maturis videtur, in auro, melle et similibus. De hominibus etiam dicitur, qui co-

mas habent flavas, et de fluviis, qui arenas, etc. *Virg. G.* 1, 96. Flava Ceres. Et 316. arva. *Id. A.* 1, 596. Flavum aurum. Et *ib.* 12, 605. Flavi crines. *Hor. Od.* 1, 5, 4. Flava coma. *Id. ib.* 4, 4, 4. Flavus Ganimedes. Et *ib.* 2, 4, 14. Flava Phyllis. *Catull.* 64, 98. in flavo saepe hospite suspirans puella. *Sil.* 9, 414. flavusque comarum Curio. *Hor. Od.* 1, 8, 8. Flavus Tiberis. *Mart.* 1, 56. Flava mella. *Virg. A.* 5, 309. Flava oliva, *h. e.* quae ex viridi ad flavum colorem accedit. *Auson. ep.* 4, 44. crinem flavus niveusque lacertos. *Mart.* 12, 65. An de moneta Caesaris decem flavos? *h. e.* aureos nummos. Al. perperam leg. *Flavios*, h. e. Flavii Domitiani imagine percussos. ℙ Quia flavus color ex albo ad rubentem accedit, *flavus* dicitur a *Seneca* pudor, quo erubescimus, *Hipp.* 652. Et ora flavus tenera tingebat pudor. ℙ Cogn. fuit R. in gente Lucretia, ut L. Lucretius Flavus, ap. *Liv.* 5, 29.

FLĔBILIS, e, adj. *πολύδακρυς*, fletu dignus, fletu plenus, lugubris, luctuosus: a *fleo*. Adhibetur tum passive de eo, qui fletur, vel flendus est. *Cic. Phil.* 11, 3. Ponite ante oculos miseram illam et flebilem speciem. *Id. Planc.* 42. O flebiles vigilias, o noctes acerbas! *Ov. Am.* 2, 1, 32. Flebilis Hector. *Hor. Od.* 1, 24, 9. Multis ille bonis flebilis occidit, Nulli flebilior, quam tibi, Virgili. ℙ Tum active de eo, qui multum flet. *Ov. Am.* 3, 6, 68. Spargebat tepidos flebilis imbre sinus. *Hor. Od.* 4, 2, 23. Flebili sponsae raptus juvenis. ℙ Item de eo, qui alios flere facit. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 67. Flebile caepe. *Ov. Her.* 13, 48. Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris! *Sil.* 9, 502 Flebile dictu. ℙ Item de eo, qui est fletu plenus. *Cic. Tusc.* 2, 24. Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur: sin erit elamentabilis, si imbellicus, si abjectus, si flebilis; ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. *Hor. Od.* 2, 9, 9. Tu semper urges flebilibus modis Mysten ademptum. *Ov. Am.* 3, 9, 3. flebilis elegia. *Quint.* 11, 3. Vox flebilis. ℙ Neutrum *flebile* adverbii more ponitur. *Ov. Rem. Am.* 36. exclusus flebile cantet amans. *Stat. Th.* 12, 426. simulque Flebile gavisae. *Sil.* 7, 648. medio sed (flebile!) mento Armigeri Cascae penetrabilis haesit arundo.

FLĔBILĬTER, adv. cum fletu, *θρηνητικῶς*. *Cic. Tusc.* 2, 17. Flebiliter respondere. Et 21. lamentari. Et *ib.* 1, 35. canere. *Hor. Od.* 4, 12, 5. gemere. *Paulin. Nolan. carm.* 20, 57. Daemones flebilius ululant.

FLECTO, is, xi, xum, a. 3. *κάμπτω*, torqueo, detorqueo, inflecto. Videtur esse a *πλεκτὸς*, plexus. *Cic. Div.* 1, 53. Animal omne membra quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit. *Caes. B. G.* 4, 33. Equos moderari ac flectere. *Hirt. B. Alex.* 64. *extr.* Flectere navem, aut directam tenere. *Nep. Eum.* 9. Flectere iter. *Ov. Trist.* 1, 10, 17. Fleximus in laevum cursus. *Cic. Verr.* 2, 5, 30. Currum de foro in Capitolium flectere. *Virg. A.* 6, 788. Huc geminas, huc flecte acies. *Ov. Met.* 8, 864. in nullam lumina partem Gurgite ab hoc flexi. *Petr. Sat.* 126. Flexit se in daphnona. *Curt.* 6, 5. Teneros ramos manu flectere. *Ov. Met.* 4, 302. Flectere arcus. *Plin.* 6, 26, 30. Euphrates ad meridiem flectitur. Et *ib.* 17, 21. Pars terrarum, qua flectitur in meridiem. *Caes. B. G.* 6, 44. Hercinia silva pertinet ad fines Dacorum, hinc se flectit sinistrorsus. *Plin.* 18, 28, 68. Sol ad Aquilonem scandens, ab ea (*Caneri*) meta incipit flecti et digredi ad Austrum. *Ov. Met.* 2, 718. Milvus flectitur in gyrum. *Plin.* 16, 36, 66. Tibia apertioribus ligulis ad flectendos sonos. *Lucr.* 5, 1405. Ducere multimodis voces et flectere cantus. *Ov. Amor.* 2, 4, 25. haec dulce canit, flectitque facillima vocem. [**Flectere vocem* ap. *Quint. Inst.* 4, 2, 39. At nunc, velut campum nacti expositionis, hic potissimum et vocem flectunt, et cervicem reponunt; h. e. ea vocis varietate et modulatione utuntur, quae nimiam contentionem vel affectum significent. Plura v. ap. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 172. ℙ Ponitur et intransitiva signif., ut gr. *στρέφειν*, nostr. *umwenden*, *umlenken*. *Liv.* 28, 16. Hasdrubal, clauso transitu fluminis, ad Oceanum flectit. *Id.* 3, 8. Ex Gabino in Tusculanos flexere colles. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 19. *Suet. Tiber.* 20. Priusquam in Capitolium flecteret. *Tac. H.* 2, 70. Inde Vitellius Cremonam flexit. Plura v. ap. *Boettich. lex. Tac.* p. 201. sq. Ceterum nota: hanc dicendi rationem nonnisi ap. *Liv.*, *Tac.* aliosque ejusdem et sequioris aetatis scriptores inveniri. Ex Aureae aetatis scriptoribus prosae orationis nullus est, qui hac constructione utatur. Raro a poetis usurpatur. *Virg. A.* 9, 372. Cum procul hos laevo flectentes limite cernunt.] ℙ *Flectere promontorium* est navigando proram flectere ad promontorium superandum. *Cic. Div.* 2, 45. Cum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas saepe sentiant. *Id. Att.* 5, 9. Leucaten flectere molestum videbatur. ℙ Ponitur et pro vitare, viam alio dirigendo. *Id. ib.* 11, 18. Intellexi ex Oppii sermone, quae istorum via esset: sed ut eam flectas, te rogo. ℙ Item pro divertere. *Val. Fl.* 2, 2. neque enim patrios cognoscere casus Juno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis. [*V. quae modo notav.] ℙ Item pro avertere. *Lucr.* 5, 107. Omnia conquassari in parvo tempore cernes: Quod procul a nobis flectat natura gubernans. ℙ Saepe translate sumitur. *Cic. Leg.* 1, 10. Opinionum vanitas imbecillitatem animorum torquet et flectit. *Id. Balb.* 17. Ab omni studio sensuque Poenorum mentes suas ad nostrum imperium nomenque flexerunt, *h. e.* converterunt. *Hor. A. P.* 163. Juvenis cereus in vitium flecti. *Ov. Trist.* 5, 1, 23. animos ad publica carmina flexi, *h. e.* verti, et applicavi animum ad epistolas carmine scribendas. *Tac. A.* 13, 3. Postquam ad providentiam sapientiamque flexit. *Id. ib.* 4; 37. Arguebatur in ambitionem flexisse. [*V. *Boettich. lex. Tac.* p. 201. sq.] *Id. ib.* 6, 29. Additis versibus, qui in Tiberium flectebantur. *Ter. Hec.* 4, 3, 2. Qui ubicumque opus sit, animum possis flectere, *h. e.* advertere. *Liv.* 28, 22. Si quem a proposito spes mollitiave animi flexisset, *h. e.* deflexisset, deduxisset. Et 44. *med.* Oblata casu flectere ad consilium, *h. e.* vertere. [*Plura suppeditat *Böttich. lex. Tac.* p. 202.] ℙ Frequenter est movere, exorare. *Cic. Sull.* 6. Quibus rebus ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem. *Id. Phil.* 1, 14. Oratione aliquem flectere. *Id. Or.* 2, 52. *extr.* Commutare animos, atque omni ratione flectere. *Sall. Jug.* 108. Ingenium alicujus aversum flectere. *Virg. A.* 2, 689. precibus si flecteris ullis. *Id. ib.* 7, 312. Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. ℙ Pro mollire. *Stat. Silv.* 5, 1, 119. fovet anxia curas Conjugis, hortaturque simul, flectitque labores. *Id. ib.* 3, 5, 65. voce paterna Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit. ℙ *Flectere syllabam* est circumflexo accentu notare. *Quint.* 1, 5. ℙ Flectere verbum de Graeco, *h. e.* traducere, derivare. *Gell.* 4, 3. *extr.* Ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Graeco flexum est. ℙ *Flecti* etiam dicuntur nomina et verba, cum in casus et personas declinantur. *Varr. L. L.* 9, 1. *f.*

FLEGMA. V. PHLEGMA.

FLĔMĬNA, um, n. plur. dicuntur, cum ex labore viae sanguis effluit circa talos. *Fest.* ℙ Dicta sunt a *φλεγμονή*, tumor. Quidam censuere, idem esse ac varices, et dici quasi flegmina a *flectendo*, ut quae flexuosa sint, et obtorta. *Pl. Ep.* 5, 2, 5. Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Plin.* 23, 1, 17. Bryonia in jumento, homineque flemina, aut sanguinem, qui se ad talos dejecerit, circumligata sanat. Ita *Hard.* ex MSS., alii *phlegma*. *Caper de Orthogr.* p. 2243. Flemina sunt, ubi abundant crura sanguine: plemina, cum in manibus vel in pedibus callosi sulci sunt.

*FLENĬUM, i, n. Galliae Belgicae oppidum, in insula Batavorum. *Tab. Peut. B. A.*

FLĔO, es, evi, etum, a. 2. *δακρύω*, lacrimas effundo. [*Differunt *lacrimare* s. *lacrimari*, et *flere*. *Lacrimare* dicitur quatenus animi commotione corpus ad emittendas lacrimas cogatur. *Flere* pertinet ad eos, qui animi dolorem levare lacrimis cupiant. V. *Döderl.* 3, 153.] *Ov. Her.* 10, 45. Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent? *Caes. B. G.* 1, 20. Haec cum pluribus verbis flens a Caesare peteret. *Hor. Epod.* 5, 74. O multa fleturum caput! [*Ita saepius *flere* (ut alias *plorare*) dicitur de iis, qui querelas de misera sua sorte fundunt, ut Gr. *οἰμώζειν* et *κλαίειν* (exempla v. ap. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 91.). *Hor. Sat.* 2, 1, 46. Flebit, et insignis tota cantabitur urbe. Item *graviter ferre* aliquid. *Id. Od.* 1, 25, 10. Invicem moechos anus arrogantes Flebis in solo levis angiportu.] *Cic. Verr.* 2, 1, 30. Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. *Id. Or.* 1, 57. *extr.* Pater complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset: lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegisset. *Id. Phil.* 2, 31. Cum mulier fleret uberius. *Catull. carm.* 3. *extr.* Flendo turgiduli rubent ocelli. *Prop.* 1, 12, 15. Felix qui potuit praesenti flere puellae, *h. e.* coram puella. [* *Tibull.* 1, 10, 64.] (Sic *plorare suae* dixit *Tibull.* 2, 5, 103.) *Val. Fl.* 5, 430. flebant Phaethonta sorores. Et 8, 94. seque suumque flevit alumnum. *Ov. Ib.* 16. miseri funera flere viri. *Id. Amor.* 1, 12, 1. Flete meos casus. *Id. Met.* 4, 426. inultos flere dolores. *Tac. A.* 6, 10. Quod filii necem flevisset. *Phaedr.* 1, 2. Flere servitutem tristem. *Pl. Capt.* 1, 2, 36. Ne fle. *Par.* egone illum non fleam? egone non defleam Talem adolescentem? [*Sequitur *ob. Tibull.* 1, 1, 52.] *Colum.* 10, 350. feralia carmina flere, *h. e.* flebiliter canere. [**Hor. Ep.* 14, 11. Testudine flevit amorem. *Tibull.* 4, 15, 3. Fleret qui molles amores elegis. — Pertinet etiam ad Deos. *Prop.* 2, 16, 54. Deceptus quoniam flevit et ipse Deus. V. *Broukh.* ad h. l. Dicitur etiam de animalibus. *Suet. Caes.* 81. de equis.] ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 1, 633. Haec iterant, segni flentes occumbere leto. [**Prop.* 1, 7, 18.] ℙ Passive. *Ter. Andr.* 1, 1, 101. Ad sepulcrum venimus: in ignem posita est: fletur. *Sil.* 5, 186. Nec jam ultra monitus, et verba morantia Martem Ferre valet: longo Aeneadis quod flebitur aevo. *Senec. Herc. Oet.* 1835. Virtus Herculem fleri vetat. *Tibull.* 2, 4, 45. centum licet annos Vixerit, ardentem flebitur ante rogum. *Ov. Her.* 19, 124. Mersaque roratis nata fleatur aquis. ℙ Translate est rorare, stillare. *Lucr.* 1, 349. In saxis ac speluncis permanat aquarum Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis. *Prud. Cath.* 5, 24. Imbrem de madido fiere cacumine. Et *περὶ στεφ.* 10, 705. plaga flet sanguinem. *Senec. Thyest.* 702. Flevit in templis ebur. ℙ *Flesse* pro *flevisse* legitur ap. *Ov. Met.* 6, 404. et *Liv.* 30, 44. *flesset* pro *flevisset*, ap. *Stat. Silv.* 2, 1, 145. *flesti* pro *flevisti*, ap. *Ov. Her.* 5, 43. et 45. *flerunt* pro *fleverunt*, ap. *Virg. G.* 4, 461., *Stat. l. c.* 175. et *Inscr.* ap. *Don. cl.* 10. *n.* 10.

FLĔTĬFER, a, um, adj. a *fero*, et *fletus*, qui flet: et translate stillans, rorans. *Auson. Idyll.* 6, 74. Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.

*FLETIO, onis, oppidum Galliae Belgicae, in insula Batavorum. *Tab. Peut. B. A.*

FLĔTUS, a, um, part. a *fleo*, defletus. *Virg. A.* 6, 481. multum fleti ad superos, belloque caduci Dardanidae. *Stat. Th.* 4, 103. Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron. ℙ Item qui multum flevit. *Appul. Met.* 7. *f.* Mater pueri, mortem deplorans acerbam filii, fleta et lacrimosa. ℙ Item rorans, stillans. *Lucr.* 2, 632. de Gallis Cybeles: Ludunt, in numerumque exsultant, sanguine fleti. Alii leg. *pleti* vel *lacti*.

FLĔTUS, us, m. *θρῆνος*, ploratus, ejulatus cum lacrimis. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. *f.* Quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas in hisce rebus? *Id. Rosc. Am.* 9. Quod usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Id. Planc.* 31. Multas lacrimas, et fletum cum singultu videre potuisti. *Id. Att.* 11, 7. *f.* Non possum prae fletu et dolore diutius in hoc loco commorari. *Id. Or.* 1, 53. Fletum populo movere. *Catull.* 39, 3. excitare. *Albin.* 1, 467. comprimere. *Caes. B. G.* 1, 32. Magno fletu auxilium petere. *Virg. A.* 4, 463. longas in fletum ducere voces. Et *ib.* 2, 271. largos effundere fletus. Et *ib.* 3, 344. longos fletus ciere. Et *ib.* 6, 699. largo fletu ora rigare. *Petr. Sat.* 89. Fletibus manant genae. *Val. Fl.* 5, 341. lumina rumpere fletu. *Ov. Pont.* 3, 1, 157. fletu verba scindere. *Id. Met.* 2, 340. fletus et lacrimas dare. *Quint.* 5, 11. *med.* Fletibus natos prosequi, laetitia defunctos. *Virg. A.* 4, 439. nullis ille movetur Fletibus.

*FLEVĬA, ae, f. oppidum ad Olympum montem. *Hygin. fab.* 14. *in.* si lectio certa. *B. A.*

*FLEVO, onis, Rheni fluminis ostium. *Mela* 3, 2. *extr.* Donec effluat Rhenus — primo angustus — post ripis longe et late recedentibus, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur. V. FLEVUM. *B. A.*

*FLEVUM, i, n. castellum Frisiorum, ad dextram Rheni ripam. *Tac. A.* 4, 72. Flevum castellum esse prope Rheni in Oceanum exitum, a quo aut sumtum nomen, quod alveo daretur, aut certe mox ab alveo natum, retentum est. ℙ Alterum ostiorum Rheni Flevum, alterum Helium appellatum, teste *Plin.* 4, 15. V. FLEVO. *B. A.*

*FLEXABULA. V. FLEXIBULA.

FLEXĂNĬMUS, a, um, adj. animum flectens. *Cic. Or.* 2, 44. Quae recte a bono poeta (*Pacuvio*, teste *Non.* 2, 349.) dicta est flexanima, atque omnium regina rerum, oratio. *Catull.* 64, 330. Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore. ℙ Item passiva significatione flexus animo, *h. e.* a recto statu deflexus, perturbatus, commotus. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 36. Flexanima, tanquam lymphata, ut Bacchi sacris commota, in tumulis Teucrum commemorans suum. [*V. *Hotting.* ad h. l.]

FLEXĪBĬLIS, e, adj. *καμπτὸς*, qui flecti potest. *Cic. N. D.* 3, 39. Materiam rerum totam esse flexibilem et commutabilem. *Ov. Amor.* 3, 3, 29. Flexibiles arcus curvare. *Plin.* 16, 18, 29. Betulla circulis flexibilis, item corbium costis. Et *ib.* 43, 83. Ulmus ad currus flexibilis. Et 36, 26, 66. Excogitatum vitri temperamentum, ut esset flexibile. *Cic. N. D.* 2, 58. Genera vocis permulta, canorum, fuscum: laeve, asperum: grave, acutum: flexibile, durum. De voce flexibili V. etiam in FLEXUS a, um. ℙ Translate est mollis, tener, mutabilis. *Cic. Or.* 16. Oratio mollis, et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. *Id. Att.* 10, 11. Nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere. *Id. ad Brut.* 1, 18. Videtur in eo esse indoles: sed flexibilis aetas, multique ad depravandum parati. *Plin. Pan.* 45. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. ℙ Item inconstans, varius. *Cic. Amic.* 25. Quid potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

FLEXĪBĬLĬTAS, atis, f. facilitas flectendi. *Solin.* 52. *med.* Circumferunt cornua flexibilitate, qua volunt.

FLEXĪBŬLA, ae, f. Satyrae nomen ap. *Varr.*

aliquoties a *Non.* citatae, ut I, 109. et 113. et alibi: quae vox ex Latino *flectere*, et Graeco βουλὴ coaluisse videtur, ut sit Flexibula, quasi consilium flectens. Sed alii aliter legunt.

FLEXĬLIS, e, adj. flexibilis, εὔκαμπτος. *Plin.* 16, 40, 79. Ulmus, et fraxinus flexiles. *Id.* 11, 37, 67. Cervix e multis vertebratisque orbiculatim ossibus flexilis, ad circumspectum. *Ov. Amor.* I, 14, 26. Sinus flexilis comae, *h. e.* flexus, inflexus. *Sidon. carm.* 16, 79. cum solis torridus ignis Flexilibus rimis sitientes scriberet agros, *h. e.* flexuosis. *Ammian.* 22, 4. Pluma et flexiles lectuli. *Appul. Met.* 6. *in.* Videt spicas frumentarias in acervo, et alias flexiles in corona.

FLEXĬLOQUUS, a, um, adj. qui ambigua et obscura loquitur. *Cic. Div.* 2, 56. Oraculis partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis et obscuris. [*Hic *flexiloquus* distinguitur ab ambiguo, ut illud significet quaesitam verborum obscuritatem, hoc vero duplicem verborum sensum, ubi uter verior sit, ambigi possit. *Schütz* in *cl.* s. v.]

FLEXĬO, onis, f. κάμψις, actus flectendi, flexura. [*Sic proprio sensu, de corporis inclinatione. *Cic. Or.* 18. Trunco toto se ipse moderans, et virili laterum flexione. Hinc dicitur de voce *Id. ib.* ubi *flexiones vocis Cic.* appellantur modulationes quaedam argutae, atque ex nimia variandi ornandique affectatione molles, et gravem oratorem non decentes. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 173. V. et in FLECTERE. Tum pertinet etiam ad cantum. *Cic. Leg.* 2, 15. Illa quae solebant quondam compleri severitate jucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant! ut cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus, torquent, i. e. cantuum modulationibus. V. *Schütz.* in *cl.* s. v. *Id. Or.* 3, 25. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae: Hic flexiones sunt, *interpr. Ernest.* in *cl.*, modi fracti et varie crispati voce, quibus mollis et suavis cantus efficitur, quae Gr. καμπαὶ ap. *Aristoph.* dicuntur *Nub.* 966. Cf. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 173. Denique idem est, quod nos dicimus *Krumme Wege*, *Ausflüchte.*] *Cic. Pis.* 22. Quos tu maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula flexionesque quaesisti! *h. e.* vias a recto itinere deflectentes.

FLEXĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. qui flexis est et curvis pedibus. *Ov. Met.* 10, 99. Vos quoque flexipedes hederae.

FLEXĬVĬCE, flexuose. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 68. *med.* Nihil conjectura quivi interpretarier, quorsum flexivice contenderet.

FLEXO, as, a. 1. frequentativum a flecto. *Cato R. R.* 49. Vineam statuito, alligato, flexatoque.

FLEXŪMĬNES, um, m. plur. equites Romani erant, a flectendis equis dicti. *Plin.* 33, 2, 9. Equitum nomen saepe variatum est. . . . Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde Flexumines, postea Trossuli.

FLEXŪOSĒ, adv. cum flexu. *Plin.* 18, 35, 84. Si flexuose volitet flamma.

FLEXŪOSUS, a, um, adj. στρεβλὸς, varios, vel multos habens flexus. *Cic. N. D.* 2, 57. Flexuosum iter habet auditus, ne quid intrare possit. *Plin.* 11, 37, 79. Intestina flexuosissimis orbibus. *Id.* 10, 24, 35. Hirundini flexuosi volatus. Et 5, 27, 27. Taurus mons flexuosus. ℙ Translate. *Prud. Cath.* 6, 143. Flexuosae fraudes.

FLEXŪRA, ae, f. flexio, flexus, curvatura, κάμψις. *Lucr.* 4, 312. Flexura lateris. *Senec. ep.* 71. *med.* Virtus recta est: flexuram non recipit. *Suet. Ner.* 38. Offensus angustiis, flexurisque vicorum. [*Nostr. *Krümmungen.*] ℙ Flexura nominum, aut verborum est eorum inflexio et declinatio. *Varr. L. L.* 9, 1. *med.*

FLEXUS, a, um, part. a *flecto*, κεκαμμένος, inflexus, curvatus, declinans. *Virg. A.* 5, 500. flexos incurvant viribus arcus. *Id. G.* 4, 123. aut flexi tacuissem vimen acanthi. *Ov. Met.* 4, 340. Flexum genu submittere. *Juven.* 6, 492. et *Mart.* 10, 65. et *Petr. Sat.* 126. Flexi crines, flexa coma. Sic *Mart.* 3, 63. flexo qui digerit ordine crines. *Tac. A.* 1, 16. Flexus in vesperam dies. *Cic. Fin.* 5, 12. Flexi fractique motus, quales protervorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt. [**Flexum mare* insolentius de sinu. *Tac. A.* 14, 4. Id villae nomen est, quae promontorium Misenum inter et Bajanum lacum flexo mari adluitur. *Böttich. Lex. Tac.* p. 202.] ℙ *Flexus onyx* ap. *Stat. Silv.* I, 2, 149. est marmor hujus nominis varie elaboratum. ℙ Translate. *Val. Fl.* 3, 615. animum flexus dictis instantis Iason. *Ov. Trist.* 3, 5, 43. Neve hominum referam flexas ad mitius iras. *Tac. A.* 3, 16. Caesar flexo in moestitiam ore, etc. ℙ *Flexum*, *i*, absolute, idem est ac flexio. *Minuc. Fel. Octav.* 17. Quid loquar apte disposita erecta montium, collium flexa, porrecta camporum? ℙ *Flexa syllaba* ap. *Quint.* 1, 5. et 12, 10. *med.* est, quae circumflexo accentu notatur, atque ita pronunciatur, ut acuti pariter et gravis accentus vim habeat: v. gr. in voce *amarus* paenultima ita efferenda est, quasi duplex *a a* sit, et acuto prior extollatur accentu, posterior gravi deprimatur, et in longum producatur. Dicitur autem *flexa*, quia non uno rectoque tenore effertur, sed inflexo et mutato. Similiter *flexa vox* in ipsa oratione dicitur, quae non uno eodemque sono emittitur, sed vario, mutato, et inflexo; partimque attollitur, partim deprimitur: quod praecipue fit in miseratione movenda. *Quint.* 11, 3. *med.* Vox in metu contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa et flebilis. *Cic. Or.* 3, 57. Vocis plura genera laeve, asperum; contractum, diffusum; fractum, scissum, flexo sono, attenuatum, inflatum. Et 58. Aliud vocis genus sibi sumat miseratio et moeror, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce: *Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? Domum paternamne? anne ad Peliae filias?* Et illa, *O pater, o patria, o Priami domus! Id. Or.* 17. *extr.* et *Or.* 2, 46. *f.* vocat *inflexam;* [sed *Schützius* corrigit *flexam*, nam statim sequitur *inflexus sonus* alia significatione. ℙ Comp. *Flexior* ap. *Capell.* 8, 297. Zodiacum circa Cancrum, Capricornumque flexior aequinoctialem paene directum secat. *F.*] ℙ [*Confunditur *flexus* et *plexus.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 44, 113. et quos *ib.* laudat *Burm.* ad *Phaedr.* 5, 9, 3. et *Heins.* ad *Ov. Met.* 13, 894.]

FLEXUS, us, m. κάμψις, flexio, flexura. *Cic. N. D.* 1, 58. Aures duros, et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus. *Id. Att.* 16, 13. Cum venissem ad pontem Tirenum, in quo flexus est ad iter Arpinas. [**Liv.* 22, 12. In aliquo flexu viae. *Id.* 32, 4. Confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias. *Tac. Germ.* 1. Rhenus — modico flexu in occidentem versus.] *Id. A.* 12, 12. Non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt, *h. e.* flectendo iter. *Pers.* 3, 63. Flexus metae. *Quint.* 9, 2. *med.* Ut qui cursu parum valent, flexu eludunt. *Catull.* 64, 114. Labyrinthei flexus. *Quint.* 8, 2. Vertex est contorta in se aqua: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis. *Ov. Amor.* 1, 14, 13. Capilli dociles et centum flexibus apti. *Plin.* 5, 29, 31. Maeander ita sinuosus flexibus, ut saepe credatur reverti. *Id.* 8, 15, 16. Fera nullo suffraginum flexu. *Id.* 4, 12, 24. Pontus Euxinus medio flexu jungitur ostio Maeotii lacus. *Id.* 16, 10, 19. Picea mollior flexu. ℙ Translate *flexus aetatis* est transitus ab una aetate ad aliam in decursu totius vitae: ductum a circo, ubi plures flexus faciendi erant, et septies totum spatium percurrendum, antequam victoria contingeret: iique flexus erant tum in medio cursu, tum praesertim ad metam. *Cic. Coel.* 31. In hoc flexu quasi aetatis fama adolescentis paululum haesit ad metas. *Id. Or.* 1, 1. Si infinitus forensium rerum labor, decursu honorum, etiam aetatis flexu constitisset. ℙ *Flexus autumni* est, cum incipit ad brumam vergere. *Tac. H.* 5, 23. Flexu autumni, et crebris pluvialibus imbribus. [**Lucr.* 5, 615. Nec ratio solis — quo pacto — brumales adeat flexus. (Gr. τροπὰς χειμερινὰς) *ib.* 639.] ℙ *Flexus vocis* est ejus inflexio et mutatio. *Quint.* 1, 8, 3. Superest lectio, in qua puer ut sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, quid quo flexu, quid lentius, quid concitatius dicendum, etc. *Id.* 7, 9. Ambiguitas fit per flexum: *Quinquaginta, ubi erant centum*, inde *occidit Achilles. Id.* 11, 3. *f.* Flexus vocis, et flebilis suavitas, qua praecipue franguntur animi. [*De significatione h. v. in rebus oratoriis ap. *Quint.* obvia satis longam disputationem edidit *Ernest.* in *Lex. techn lat. rhet.* p. 174.] ℙ *Flexus verborum*, aut *nominum* est eorum per casus aut tempora declinatio ac positio. *Id.* 1, 6. Quid vero? quae tota positionis ejusdem, in diversos flexus exeunt? cum *Alba* faciat *Albanos* et *Albenses; volo, volui* et *volavi.* ℙ Sumitur etiam pro callida declinatione, et artificiosa vitatione rei difficilis: et cum non recta, sed quasi per anfractus aliquid petitur. *Id.* 5, 13. Quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio. Hinc mille flexus, et artes desiderantur. [*Omnino notandum, saepius multo poetas et arg. aet. scriptores hac voce uti, quam priores solutae orationis auctores.]

FLICTUS, us, m. afflictus, collisio, παράτριψις, ἀραγμός. *Virg. A.* 9, 666. tum scuta cavaeque Dant sonitum flictu galeae: pugna aspera surgit. *Sil.* 9, 322. galea horrida flictu Adversae ardescit galeae, clypeusque fatiscit Impulsu clypei. *Pacuv.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Flictus navium.

FLĪGO, is, ixi, ictum, a. 3. ὀλίβω, percutio, affligo. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 2, 328. Ipse se in terram saucius fligit cadens. *Accius ib.* Nec perdolescit, fligi socios morte, campos contegi. Et *rursus.* Heu, civitatis stirpem funditus fligi studet! ℙ Item confligo, alii rei impingo. *Lucr.* 2, 85. Obvia cum flixere, fit, ut diverva repente Dissiliant.

FLO, as, avi, atum, a. 1. πνῶ, flatum emitto, spiro, exspiro. *Caes. B. G.* 5, 7. Corus ventus in his locis flare consuevit. *Cic. Att.* 7, 2. Belle nobis flavit ab Epiro lenissimus ventus. *Plin.* 3, 9, 14. Quinam flaturi sint venti. *Varr. L. L.* 5, 2. Hieme anima, quae flatur, omnium apparet. *Ov. Fast.* 4, 182. inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit, *h. e.* sonabit. Et 341. Exululant comites, furiosaque tibia flatur, *h. e.* inflatur. ℙ Proverbium est de duabus rebus dissimilibus, et natura disjunctis, quae simul eodem tempore fieri non possunt, illud *Pl. Most.* 3, 2, 104. Simul flare sorbereque, haud facile Est: ego hic esse, et illic simul haud potui. ℙ [*Significationis transitivae praeter locum *Varr.* supra allatum exemplum habes ap. *Lucret.* 5, 904. Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una — Ore ferox acrem flaret de corpore flammam? V. *Flatus, a, um.*] ℙ Ponitur et pro conflare, *h. e.* flando metalla igne mollire, et fundere. *Plin.* 36, 19, 36. Phrygius lapis uritur vino perfusus, flaturque follibus, donec rubescat. *Ulp. Dig.* 48, 10, 9. Qui argenteos nummos adulterinos flaverit. Al. leg. *conflaverit.* Hinc Triumviri A. A. A. F. F., *h. e.* auro, argento, aere flando, feriundo. V. FLATUS, a, um. ℙ Translate. *Quint.* 12, 6. *med.* Omisso magna semper flandi tumore, in quibusdam causis loquendum est, *h. e.* inflate dicendi, et magnifice. *Prud.* περὶ στεφ. 3, 21. Spernere succina, flare rosas, Fulva monilia respuere, *h. e.* abjicere, projicere, contemnere.

FLOCCĬDUS. V. FLACCIDUS.

FLOCCĬFACTĒON. Hanc vocem afferunt quidam ex *Cic. Att.* 1, 16. *f.* Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον, id quod tu facis; et istos consulatus non floccifacteon, *h. e.* flocci faciendum: ut sit Latina vox joculariter formata ad rationem Graecae φιλοσοφητέον. Alii miras ibi varietates partim e MSS., partim ex conjectura comminiscuntur: verum allata interpretatio potior videtur.

FLOCCOSUS, a, um, adj. floccis plenus. *Appul. Herb.* 62. Floccosis vel lanugineis adnationibus.

FLOCCŬLUS, i, m. dimin. flocci. *Plin.* 16, 7, 10. Nascuntur in robore pilulae nucibus non absimiles, intus habentes flocculos molles. Alii leg. *floccos.*

FLOCCUS, i, m. χροκὶς, lanarum particula divisa a velleribus inutiliter evolans. *Varr. R. R.* 2, 11. Diligentiores tegeticulis subjectis oves tondere solent, nequi flocci intereant. ℙ Dicitur etiam de vestium villis, idest de particulis quibusdam lanae eminentioribus. Hinc *Celsus* 2, 6. scribit, signum mortis esse, si quis in febre et acuto morbo, manibus in veste floccos legit fimbriasque diducit. ℙ Translate dicitur de re nullius pretii. *Pl. Trin.* 4, 2, 152. Tu qui sis, qui non sis, floccum non interduim. Dixit *Id. Rud.* 2, 7, 22. ciccum non interduim. ℙ *Flocci facere* aut *pendere* est parvi quidem, aliquo tamen pretio aestimare, non contemnere. *Ter. Eun.* 2, 3, 10. Ut illum Dii Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est; Meque adeo, qui restiterim, tum autem qui illum flocci fecerim. Ubi *Donat.* notat *flocci fecerim* et *contemnere* et *non contemnere* significare: ut nunc qui illum *flocci fecerim*, deest *vel*, ut sit *vel flocci fecerim. Pl. Men.* 5, 7, 5. Cave quisquam, quod illic minitetur, vestrum flocci fecerit. *Id. Most.* 3, 2, 121. Cave tu ullam flocci facias mulierem. ℙ *Non flocci facere* aut *pendere* est nihili facere, ne tanti quidem, quanti floccus valet, contemnere. *Cic. Att.* 13, 50. Prorsus aveo scire, nec tamen flocci facio. Et *ib.* 4, 15. Intellectum est, τρεῖς ἀρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique rempubl. flocci non facere. *Ter. Eun.* 3, 1, 20. Invidere omnes mihi, Mordere clanculum: ego non flocci pendere. *Pl. Most.* 1, 1, 73. Neque quod dixi, flocci existimat. Al. leg. *aestimat.* ℙ Etiam omissa negatione est parvi admodum facere, *h. e.* tanti quanti floccus est. *Id. Cas.* 2, 5, 23. Unus tibi hic dum propitius sit Juppiter, Tu istos minutos Deos flocci feceris. *Id. Epid.* 3, 2, 12. Dum tibi ego placeam, atque obsequar, meum tergum flocci facio. *Id. fr.* ap. *Fest.* in *Muneralis.* Rogata fuerint necne, flocci aestimo. *Id.* ap. *Fulg. Exposit. serm. antiq.* Flocci pendo, quid rerum gerat. ℙ *Flocco habere* idem significat. *Id. Asin.* 3, 3, 111. Perii! illic habebit flocco jam homo lumbos meos. In multis libb. haec ibi verba desunt. ℙ Placet nonnullis junctim scribere: *floccifacio, floccipendo.*

FLOCES, um, f. plur. στέμφυλα, faex, et speciatim vini ex vinaceis expressa, quia ei insint flocci quidam, et panni. *Gell.* 11, 7. Hic eques Romanus apludam edit, et floces bibit. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 354. Neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo. *Gell. l. c.* ut nimis antiquam, et obsoletam desitamque vocem, damnat.

[FLOGĬUM, ii, n. dimin. a φλόγιον, flammula. Est nomen collyrii. *Inscr.* ap. *Tochôn, cachets des ocul.* p. 70. Q. Junii Tauri flogium ad genas, et claritatem. *F.*]

FLŌRA, ae, f. Χλῶρις, Dea florum, tum qui in herbis, tum qui in arboribus, et segetibus nascuntur: a Graeco nomine, vel a flore. *Ov. Fast.* 5, 195. Chloris eram, quae Flora vocor: corrupta Latino Nominis est nostri littera Graeca sono. ℙ Hujus fabulam V. in CHLORIS. Historiam vero ita narrat *Lact.* 1, 20. Meretricem fuisse ajunt quae, cum magnas opes corporis quaestu quaesi,

visset, populum Rom. scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, qui appellarentur *Floralia* vel *ludi Florales;* quod quia senatui flagitiosum tractu temporis visum est, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur, et Deam finxerunt esse, quae floribus praeesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus bene prospereque florescerent. Celebrabantur illi ludi omni cum lascivia, convenienter memoriae meretricis. Nam praeter verborum licentiam nudabantur, flagitante populo, meretrices, quae mimarum functae officio, in conspectu multitudinis ad satietatem usque impudicis motibus detinebantur. *Arnob.* 7, 113. Flora illa meretrix, et sancta obscenitate ludorum, bene curat, ut arva florescant. *Mart.* 6, 80. Tantus veris honos, et odorae gratia Florae, Tantaque Paestani gloria ruris erat. *Id.* 1, 1. jocosae dulce sacrum Florae, Festosque lusus, et licentiam vulgi etc. ℙ Plura de hujus numinis vi et sacris *Ov. Fast.* 5, 195. et seqq. [*V. *Gierig.* in ind. rerum ad *Ov. Fast.* s. v. *Flora. Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 182.]

FLŌRĀLIA, um, n. plur. *Ἀνθιστήρια*, dies festi ludique in honorem Florae instituti. Celebrabantur fine Aprilis, et initio Maji. *Macr. Sat.* 1, 4. Varro Floralium, non Floraliorum ait, cum non ludos Florales illic, sed ipsum festum, Floralia, significaret. *Justin.* 43, 4. Solemni Floraliorum die. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 3. Prisci Floralia quarto Cal. Maji instituerunt, Urbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllinis, ut omnia bene deflorescerent. *Varr. R. R.* 1, 1. Florae ludi Floralia instituti. V. FLORA. [*Cf. *Gierig.* in ind. rerum ad *Ov. Fast.* s. v. *Floralis.*] ℙ [Ex *Plinii l. c.* constat, an. U. C. DXVI., seu potius DXIV., ut probat *Fogginius* ad *Verrii Fl.* Fastos p. 68., instituta fuisse Floralia, quae cum deinde fuerint intermissa, an U. C. 581., ut affirmat *Ov. Fast.* 5, 329., a. C. Servilio C. F. aedili plebis primum publice instaurata sunt, quod indicat nummus ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 308. Florali*a* primus C. Servili*us* C. F. *fecit. F.*]

FLŌRĀLĪCĬUS, a, um, adj. ad Floralia pertinens. *Mart.* 8, 67. Et Floralicias lasset arena feras, *h. e.* quae Floralibus in Circo dabantur.

FLŌRĀLIS, e, adj. ad Floram pertinens, ut Floralis flamen, *Varr. L. L.* 6, 3. Florale sacrum, *Ov. Fast.* 4, 947. Rursus *Varr. L. L.* 4, 32. *f.* Clivus proximus ad Florales usus versus. ℙ Item ad florem pertinens, qui flores gignit. *Id. R. R.* 1, 23. Nec minus ea loca discriminanda in conserundo, quae sunt fructuosa, propter [*Pontedera* legend. monet *praeter F.*] voluptatem, ut quae pomaria, et floralia appellantur.

FLŌRENS, entis, part. a *floreo*, *ἀνθῶν*, floridus. *Virg. Ecl.* 10, 25. Florentes ferulas et grandia lilia quassans. ℙ Translate qui aliqua re viget et abundat. *Cic. Fam.* 2, 13. M. Brutus florens aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, amicis. *Id. Rosc. Am.* 18. Majores nostri ex minima tenuissimaque republ. maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Et 6. Gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. *Id. Dom.* 19. Cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares. *Id. Parad.* 2. *extr.* Quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri. *Id. Planc.* 35. Quos ego florentes atque integros sine ferro viceram. *Id. Quint.* 30. Ab afflicta amicitia transfugere atque ad florentem aliam devolare. *Id. Or.* 2, 52. Invidere praestanti florentique fortunae. *Id. Div.* 1, 33. Postumius florentissima Samnitium castra cepit. *Caes. B. G.* 1, 30. Helvetii florentissimis rebus, domos suas reliquerunt. Et *ib.* 4, 3. Civitas ampla atque florens. [*Liv. 1, 2. Ad florentes Etruscorum opes confugiunt.] ℙ Refertur etiam ad vigorem aetatis. *Virg. Ecl.* 7, 4. Florentes aetatibus. *Lucr.* 5, 1073. florenti aetate juvencus. *Petr. Sat.* 132. Anni primo florentes vigore. *Hor. A. P.* 115. Florens juventa. [*Sil. 1, 226. Namque ubi transcendit florentes viribus annos.] ℙ Et ad orationis ornatum. *Cic. Att.* 16, 11. Nostrum opus tibi probari, laetor: ex quo *ἀνθῆ* ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo judicio. *Id. Or.* 3, 41. de metaphora: Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. *Gell.* 19, 9. Florentis facundiae homo. Et 15, 28. *f.* Florens oratio. ℙ Ponitur et pro illustri. *Lucr.* 3, 911. Florentia facta. Al. aliter leg. ℙ Item pro nitido, splendenti. *Id.* 4, 451. florentia lumina flammis. *Stat. Th.* 1, 210. arcano florentes lumine postes. Et *ib.* 2, 276. arcano florentes igne smaragdos. *Virg. A.* 7, 804. florentes aere catervas. Ubi *Servius:* Ennius, et Lucretius florere dicunt omne, quod nitidum est. *Gell.* 5, 5. Exercitus insignibus argenteis et aureis florens. Sic *flos' ignis* est splendor et nitor ignis. *Lucr.* 1, 898. flammai fulserunt flore coorto. A Graecis haec sumpta sunt. *Hesychius: Πυρὸς ἄνθος, τὸ λαμπρότατον. Homer.* ap. *Dan. Pareum* et *Gifan. in Lex. Lucr. Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπαυτο, παύσατο δὲ φλόξ.* ℙ Item pro hilari, laeto. *Gell.* 6, 13. *Ἀνθυμήματα* quaedam lepida et minuta, et florentem vino animum lacessentia. ℙ De genis primam barbam emittentibus. *Mart.* 3, 6. Libat florentes haec tibi prima (*dies*) genas. ℙ Denique dicitur de iis etiam, quae variis coloribus picta sunt: v. gr. de avium plumis. *Nemes. Cyn.* 318. illic sine fine greges florentibus alis Invenies avium.

[FLORENTER, adv. idem ac floride. Translate Sup. *Florentissime* ap. *Hier. Chron. Euseb.* ad an. Chr. 358. Minervius Burdigalensis rhetor Romae florentissime docet. *Id. ib.* Alcimus, et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent. *F.*]

*FLORENTIA, ae, f. urbs Etruriae. *Flor.* 3, 21. prope fi. edd. *Grüv.* et *Duker.* ubi aliae edd. *Fluentia* habent. V. *Florentinus, a, um.* ℙ Item oppidum Italiae superioris, in Gallia cispadana. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ Et oppidum Pannoniae inferioris. *Notit. Imper.* ubi tamen fortasse (ait *Schellerus*) legendum *Floriana.* ℙ Est et *florentia, ae,* vitis genus, Tuscis peculiare. *Plin.* 14, 3. *B. A.*

[FLORENTILLA, ae, f. diminut. florentis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 366, 8. Lepidia C. F. Florentilla. *F.*]

[FLORENTĪNĀRĬUS, ii, m. fortasse qui florentia, vel uvam e vite florentia, vendit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 293, 6. . . . . o L. F. Quir. Successino florentinario, etc. *F.*]

FLORENTĪNUS, a, um, adj. ad Florentiam pertinens, quae est urbs Etruriae ad Arnum fluvium Hinc *Florentini, orum,* ejus urbis cives, quos *Plin.* 3, 5, 8. *Fluentinos* appellat. *Tac. A.* 1, 79. Orantibus Florentinis, ne, etc. *Frontin. de colon.* p. 112. *Goes.* Colonia Florentina deducta a III. viris, assignata lege Julia.

FLORĔO, es, ui, n. *ἀνθέω*, florem emitto, floresco. *Cic. Div.* 1, 10. Haec arbor una ter floret. *Virg. Ecl.* 8, 53. narcisso floreat alnus. *Id. G.* 2, 6. pampineo gravidus autumno Floret ager. *Ov. Pont.* 2, 7, 26. multis floreat Hybla thymis. *Id. Fast.* 5, 327. si bene floreat annus. *Plin.* 21, 1, 1. Quae spectatissime florent, celerrime marcescunt. [*Cic. N. D. 2, 7, 19. Possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? *Lucr.* 5, 215. Quom jam per terras frundent atque omnia florent.] ℙ *Florere* dicitur vinum, cum parvae cuticulae fragmenta in eodem innatant. *Ov. Fast.* 5, 269. Vina quoque in magnis operose condita cellis Florent: et nebulae dolia summa tegunt. V. FLOS. ℙ Ponitur aliquando pro nitere, splendere. *Stat. Th.* 1, 704. aetherii dono cessere parentes Aeternum florere genas, *h. e.* imberbem et nitidum esse. Est enim de Phoebo sermo. *Cato* ap. *Charis.* 2, 185. Omnem classem ventus Auster lenis fert: mare velis florere videres. V. FLORENS. [*Uterque locus parum videtur aptus qui vocabulo *florere* splendendi, nitendi significationem firmet. Nam *florere genas* (*blühende Wangen*) in universum h. l. significat juvenilem Phoebi faciem, barba rugisque carentem; et: *Mare velis floret* de abundantia navium intelligendum, ut infra in loco *Lucr.* 5, 1441.] ℙ Quia vero plantae tum maxime vigent, cum flores emittunt, hinc saepissime per translationem sumitur pro vigere, excellere, illustrem esse, abundare, prospere agere. *Cic. Verr.* 2, 5, 49. In sua patria multis virtutibus, ac beneficiis floruit princeps. [*Id. *Flacc.* 7. Haec Graecia jam diu suis consiliis perculsa et afflicta est; illa vetus, quae quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum.] *Id. Or.* 3, 2. Privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipubl. dignitate. Et 35. Isocrates discipulorum nobilitate floruit. *Id. Fam.* 1, 9. In sententiis senatoriis, et in omni actione et administratione reipubl. florere. *Id. Acad.* 4, 6. cum acumine ingenii, tum lepore dicendi. [*Id. *Brut.* 95. *f.* Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio, et florentem facultate audire potuisses. V. *Ellendt.*] *Id. Or.* 1, 1. honoribus et rerum gestarum gloria. *Id. Fam.* 9, 14. laudibus. Et *ib.* 4, 13. gratia, auctoritate. Et *ib.* studiis et artibus. *Id. N. D.* 1, 3. Domus nostra semper floruit doctissimorum virorum familiaritatibus. *Id. Inv.* 2, 1. Florere omnibus copiis. *Nep. Reg.* 1. fama justitiae. *Id. Epam.* 5. in re militari. *Tac. H.* 2, 81. aetate et forma. *Lucr.* 1, 255. laetas urbes pueris florere videmus, *h. e.* abundare. Sic 5, 1441. Tum mare velivolum florebat navibu' pandis, *h. e.* frequentabatur, celebrabatur. *Cic. Font.* 14. Praeturae, quae et ceteris ornamentis, et existimatione innocentiae maxime floruerunt. *Id. Sext.* 63. Meus ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat. *Lucr.* 5, 330. tot facta virum Aeternis famae monumentis insita florent, *h. e.* vigent durantque in memoria hominum. [*Id. *ib.* 1163. quae nunc in magneis florent sacra rebu' loceisque!] *Plin. ep.* 1, 10. Urbs nostra floret studiis liberalibus. ℙ Absolute. *Nep. Eum.* 1. Ea tempora, quibus Macedones florebant. *Cic. Off.* 3, 33. Cyrenaicis obsoletis, floret Epicurus. *Hor. A. P.* 62. verborum vetus interit aetas, Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque. [*Suet. Ner.* 6. Quae familia, quamquam plebeja, tamen et ipsa admodum floruit. *Id. Rhet.* 1. Magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut, etc. Ita dicitur de animalibus, juvenili robore vigentibus. *Lucr.* 5, 881. sq. Principio, circum tribus acteis impiger annels Floret equus; puer haud ita quaquam.]

FLORESCO, is, n. 3. florere incipio. (*Aufblühen.*) *Cic. Div.* 2, 14. Pulegium aridum florescere ipso brumali die. *Varr. R. R.* 1, 30. Antequam (*plantae*) gemmas agant, et florescere incipiant. [*Lucr. 5, 669. Florescunt tempore certo arbusta.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 3. Sulpicio ad summam gloriam eloquentiae florescenti, ferro erepta vita est. *Id. Coel. f.* Nolite hunc nunc primum florescentem, firmata jam stirpe virtutis, tanquam turbine aliquo aut subita tempestate pervertere. *Id. Marcell.* 4. Haec tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis, *h. e.* crescet, illustriorque fiet. [*Id. *Brut.* 88. Hoc igitur (Hortensio) florescente Crassus est mortuus.] *Lucr.* 2, 73. Illa senescere, at haec contra florescere cogunt. *Plin. ep.* 5, 12. Patria nostra florescit. ℙ [*Florescendus* ap. *Verr. Flacc.* in *Fast.* a *Fogginio* editis ad IIII Kal. Majas. Eodem die aedes Florae, quae rebus florescendis praest, dedicata est. *F.*]

FLORĔUS, a, um, adj. qui est ex floribus, *ἀνθεινός.* Vox poetica. *Pl. Aul.* 2, 8, 15. Floreae coronae. ℙ Item floreus, *ἀνθηρός. Virg. A.* 1, 434. Florea rura. *Val. Fl.* 5, 344. Florea juga Hymetti. ℙ Translate est pulcher, nitidus. *Servius* ad illud *Virg. A.* 12, 605. manu flavos Lavinia crines: haec adscribit: Antiqua lectio *floreos* habuit, idest florulentos, pulcros: et est sermo Ennianus. Probus sic adnotavit: Neotericum erat *flavos*; ergo bene *floreos*, nam sequitur: Et roseas laniata genas. Accius in Bacchis: Nam florei crines vide ut propexi jacent. In iisdem: Et lanugo florea nunc demum irrigat: Pacuvius Antiopa: Cervicum floreos dispergite crines. Haec *Servius.* Si *floreos* legis ap. *Virg.*, ad synaeresin confugiendum est.

[FLORĬĀNUS, i, m. ad Florum pertinens. Est cogn. R., ut M. Annius Florianus Aug., frater uterinus Taciti Aug., qui an. a Chr. n. CCLXXVI. imperium post fratris mortem arripuit, et per tres ferme menses obtinuit, cujus vitam scripsit *Fl. Vopiscus.* ℙ [*Floriana, ae,* f. oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*]

*FLORIARĬUM, i, n. floretum. *Zeno Veron. Serm. de Laz. B. A.*

FLORĬCŌLOR, oris, adj. qui est floridi ac vividi coloris. *In vet. epigr.* incertae auctorit. *inter pseudepigr. Petron.* p. m. 217. Hoc sibi lusit opus de stamine floricolore Hesperies tenerae officiosa manus.

FLORĬCŌMUS, a, um, adj. floridas comas habens. *Auson. ep.* 4, 49. Floricoma Aetna.

FLORĬDĒ, adv. *Apul. Met.* 11. *f.* Vestis floride depicta. *Lact. Mort. persecut.* 3. Ecclesia clarius ac floridius enituit.

FLORĬDŬLUS, a, um, diminut. floridi. *Catull.* 61, 193. Ore floridulo nitens.

FLORĬDUS, a, um, adject. *ἀνθεινός*, floreus. [*Sensu proprio de varietate colorum ex floribus. *Cic. Tusc.* 3, 18. Expones, quae spectet, florida et varia.] *Tibull.* 1, 2, 14. cum posti florida serta darem. Al. leg. *florea.* Eademque lectionis varietas est in illo *ejusd.* 1, 1, 12. Seu vetus in trivio florida serta (*habet*) lapis. Item *Ov. Fast.* 6, 312. Et velant scabras florida serta molas. Itali dicunt *festoni.* V. ENCARPI. ℙ Item floribus plenus. *Id. Trist.* 5, 6, 38. Florida quam multas Hybla tuetur apes. *Lucr.* 5, 783. Florida prata. ℙ Translate refertur ad pulcritudinem et ornatum. *Ov. Met.* 13, 790. Galatea Floridior pratis, longa procerior alno, *h. e.* pulcrior. *Catull.* 68, 16. [*Suet. *Galb.* 20. Laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam et vegetam.] Jucundum cum aetas florida ver ageret. Et 61, 57. puellula florida. ℙ Et ad amoenum genus dicendi. [*Gr. *ἀνθηρόν.* V. *Ernest. lex. teckn. lat. rhet.* p. 175.] *Quint.* 2, 5. *med.* Floridius genus ad alenda primarum aetatum ingenia magis accomodatum. *Cic. Brut.* 82. Demetrius Phalereus est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides. *Auson. ep.* 17. Floridissimus tui sermonis afflatus. ℙ *Floridus color, ὀξὺ χρῶμα*, color valde nitens, cui opponitur austerus. *Plin.* 35, 6, 12. Sunt autem colores austeri, aut floridi. Floridi sunt minium, Armenium, cinnabari, chrysocolla, Indicum, purpurissum. Adde *ib.* 10, 36. *n.* 18. ℙ *Florida aetas*, adolescentia. *Sil.* 12, 482. Aevi floridior Fabius rapida arma ferebat. Adde *Catull. l. c.* in §. 3. Sic Graeci *ἀνθῶν ἐν ὥρᾳ*, et *ἀνθῶν ἀχμὴν*, et *ἥβης ἄνθος.*

FLORĬFĔR, a, um, adj. *ἀνθοφόρος*, ferens flores. *Lucr.* 3, 11. Floriferis ut apes in saltibus omnia libant. *Lucan.* 9, 289. de apibus: studiumque laboris Floriferi repetunt. Al. leg. *florigeri.*

FLORĬFERTUM, i, n. *ἀνθοφορία*, dies erat fe-

stus apud Romanos, ita dictus, quod eo die spicae ad sacrarium Cereris ferebantur. *Fest.*

[FLORĬGĔNA, ae, adj. comm. gen. qui florem gignit. Translate de juvenum malis, quae primam barbam, juventae florem appellatam, emittunt. V. FLOS. *Epithalam. Laurentii v.* 12. in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 633. *Burm.* Florigenas plenaque decens lanugine malas Mollia votifero dempsisti vellera ferro. V. MALA. *F.*]

FLORĬGER, a, um, adj. idem ac florifer. *Sedul.* 2, 2. Expulerat primogenitum saevissimus anguis Florigera de sede virum. Adde *Venant. Fortun. carm.* 3, 9, 1. et V. FLORIFER.

FLORĬLĔGUS, a, um, adj. *ἀνθολόγος*, qui flores legit. *Ov. Met.* 15, 366. Florilegae nascuntur apes.

[FLORĪNUS, a, um, adj. ad Florum, seu Floram pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 407, 4. Jul. Fabius Florinus. Alia ap. *eund.* 792, 9. Paternia Florina. *F.*]

[FLORĬPĂRUS, a, um, adj. qui flores parit, ut Floriparum ver, *Auson. Idyll.* 12, 1. de vere: Annus ab exortu cum floriparum referat ver. *F.*]

FLORĬTĬO, onis, f. florum emissio. Legitur in *Homil.* 2. *in Cantic.* quam ex *Orig.* vertit *Hieronymus.*

FLORĬUS, a, um, adj. Floralis, ad Floram pertinens. *Gell.* 9, 12. Inveniet apud M. Catonem de re Floria ita scriptum, *h. e.* in eo libro, ubi Floralium licentiam et flagitia insectatur.

FLORŬLENTUS, a, um, adj. *εὐανθής*, floribus plenus. *Pervigil. Vener.* 19. de rosis: Hinc pudorem florulentae prodiderunt purpurae. *Solin.* 7. Florulentus Hymettus. ℙ Translate de scorto masculo in primo juventutis flore. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 191. Mox flevit impuratus occisum gravi Disco, et dicavit florulentum succubam, *h. e.* Hyacinthum puerum, Apollinis amasium, ab eodem imprudenter disco percussum.

FLORUS, a, um, adj. antiq. pro *Floreus. Pacuv.* ap. *Fest.* in *Genas.* Nunc primum opacat flora lanugo genas. Al. leg *flore. Decimus Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Florum cacumen nostrae famae frangere. Al. leg. *floris.* Ita quoque legunt aliqui ap. *Virg. A.* 12, 605. floros Lavinia crines, Et roseas lacerata genas. Al. *floreos*, al. *flavos.* V. FLOREUS. ℙ [Nutantem hanc vocem, in cognominibus R. frequentissimam, ejusque significationem obfirmat nummus in gente Aquillia ap. *Morell. Fam. R. n.* V., qui promit cyanum florem opertis foliis cum inscriptione *L. Aquillius Florus III. vir.* Ex quo patet, ad cognominis significationem allusum fuisse. *F.*]

FLORUS, i, m. L. Annaeus Florus (sunt qui L. Julium Florum vocant) origine Hispanus, domicilio Romanus, historicus, breviarium rerum Romanarum ab Romulo usque ad Augustum quatuor libris composuit cum laude concinnae floridaeque brevitatis. Et quia in multis Livium sequitur. ejus historiarum epitomen confecisse visus est, quamvis in multis etiam ab eo dissentiat. Vixit temporibus Trajani et Hadriani Impp., nempe initio saeculi Christi II. Ejus stilus, ut historici, floridus est, amoenus, et ad poeticum valde accedens: Latinitas vero hujusmodi, ut si quis imitari velit, (paucis quibusdam exceptis) non omnino sit poenitenda. ℙ [*Fuit et Florus poeta quidam, qui vixit Hadriani temporibus. *Spartian.* in *Hadriano* 16. Floro scribenti ad se (*Hadrianum*), *Ego nolo Caesar esse* — rescripsit (*Hadrianus*), *Ego nolo Florus esse*, cet. *Vossius* credit eundem fuisse Florum hunc cum historico: quae sententia est *Salmasii.* ℙ Julius Florus, a Portio Latrone in arte dicendi instructus, princeps eloquentiae in Gallia fuit. *Quint.* 10, 3. *Senec. controv.* 4, 25. *med.* ℙ Gessius Florus, Clazomenius, praefectus Judaeae, vixit temporibus Neronis. Ob avaritiam cum crudelitate conjunctam, belli Judaici contra Romanos auctor. *Tac. H.* 1, 10. Cf. *Suet. Vesp.* 4. ℙ Florus, praenomine Julius, nobilissimus Treverorum, qui civitatem suam, ob magnitudinem aeris alieni, ad rebellionem exstimulavit. *Tac. A.* 3, 42. *B. A.*]

FLOS, oris, m. *ἄνθος*, quidquid in herbis et arboribus inter folia coloratum enascitur, fructus initium ac spem continens. *Plin.* 16, 25, 40. pleni veris indicium et gaudium arborum appellat. *Cic. Sen.* 17. Suavitates odorum, qui afflantur e floribus. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Laetissimi flores omni tempore anni. *Ov. Trist.* 3, 12, 7. Prataque pubescunt variorum flore colorum. *Id. Fast.* 5, 255. decerpere pollice florem. *Id. Met.* 4, 315. legere. *Plin.* 21, 6, 17. Crocum folio florem expellit. *Id.* 20, 23, 99. Carduus florem purpureum mittit inter medios aculeos. *Hor. Od.* 3, 15, 15. Flos purpureus rosae. Et *ib.* 29, 3. Merum cum flore rosarum, et Pressa tuis balanus capillis Jamdudum apud me est. *Id. ib.* 1, 4, 10. Flore impedire caput, *h. e.* corona florea. [*Id. *Ep.* 2, 1, 79. Recte, necne, crocum floresque perambulet Attae fabula etc., i. e. pulpita, croco odorifero perfusa et floribus conspersa. Nota etiam solennem quandam dicendi rationem ap. *Suet. Aug.* 31. Compit. Lares ornari bis anno instituit, vernis floribus et aestivis. *Ner.* 57. Non defuerunt, qui — vernis aestivisque floribus tumulum ejus ornarent. Ita Gr. *στεφανωματικὰ ἄνθη* distinguunt in *ἑαρινὰ* et *θερινα.*] ℙ Florum nomina varia habes ap. *Colum.* 10, 96., *Ov. Fast.* 4, 435., *Claud. Rapt. Pros.* 2, 128. et seqq. ℙ [**Flores* signif. etiam succum florum, quem apes in cellulas apiarii comportant. *Virg. Georg.* 4, 39. Neque illae (apes) Nequidquam in tectis certatim tenuia cera Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras explent. Adde *Plin.* 11, 7, 6. et *Tibull.* 2, 1, 49.] ℙ Dicitur translate de multarum rerum parte tenuiore, puriore, pulcriore et praestantiore. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Justum est e grano Campanae, quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque: praeterea floris semodium. *Id.* 15, 6, 6. Flos olei, *h. e.* quod post molam primum est. Et 34, 11, 24. aeris, *h. e.* cum aere fuso et in alias fornaces translato, ibi crebriore flatu excutiuntur velut milii squamae: has enim vocant florem, ut *ib.* dicitur. *Id.* 31, 7, 41. et *Cato R. R.* 88. salis, *h. e.* purissimum sal et candidissimum. *Id.* 36, 17, 28. lapidis Assii, *h. e.* veluti farina mollis ei adhaerens. *Id.* 21, 14, 49. cerae, *h. e.* candidissimae ejus particulae. *Id.* 14, 20, 25. et 10, 11, 22. resinae, *h. e.* ipsa resina recens collecta et nondum percocta. *Id.* 26, 4, 10. visci, *h. e.* pars ejus levior, quae coquendo supernatat. *Cato. R. R.* 11. Cola, quae florem vini demant. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 69. flos juvenilis, *h. e.* prima barba. Sic flos genae, ap. *Lucan.* 6, 562. *Virg.* quoque *A.* 8, 160. et *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Genas* eadem metaphora usi sunt. *Lucr.* 1, 898. Flos flammai, *h. e.* lux et nitor. V. FLORENS. *Colum.* 12, 20. *extr.* flos marmoris vel gypsi, *h. e.* farina tenuior et purior. Sic *Pallad.* 1, 41. calcis. *Cic. Brut.* 87. Volvendi sunt libri Catonis: intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. ℙ *Flos vini* est interdum vinum praestantissimum, ejusque vis atque odor. [**Blume.*] *Lucr.* 3, 222. Bacchi cum flos evanuit aut cum Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. *Pl. Cas.* 3, 5, 16. Nisi haec meraco se uspiam percussit flore Liberi. (Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 6.) *Id. Curt.* 1, 2, 1. Flos veteris vini meis naribus objectus est. ℙ *Flos vini* etiam dicitur illius vitium, cum nempe cuticulae tenuis fragmenta vino innatant, quodque Itali etiamnum *fiore del vino* appellant. *Colum.* 12, 30. Si vinum florere incipiet, saepius curare oportebit, ne flos ejus pessum eat et saporem vitiet. *Plin.* 14, 21, 27. Flos vini candidus probatur, rubens triste signum est, si non is vini colos sit. Quod celeriter florere coeperit, odoremque trahere, non fore diutinum. ℙ *Flos coenae* est praestantissimum coenae ferculum. *Favor.* ap. *Gell.* 15, 8. ℙ Illa vero festiva et commoda sunt. *Cic. Brut.* 15. ad illud *Ennii: Flos delibatus populi:* Ingenii lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt. [**Id. ib.* 4, 16. Sic omnis foetus repressus, exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit. Elegans figura de plantis aquam et irrigationem poscentibus deducta, quam nisi accipiunt, exarescunt. Ita recte *Ellendt.*, quem v.] *Liv.* 37, 12. Quod floris, quod roboris in juventute fuerat, amiserant. *Cic. Phil.* 2, 15. Flos nobilitatis et juventutis. Et *Phil.* 3, 5. Provincia Galliae flos Italiae, firmamentum imperii populi R. *Id. Balb.* 6. Virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. [**Flos vitae* ap. *Eund. Or.* 3, 3. est: summa dignitas et gloria, qua quis, dum vivit, fruitur.] *Stat. Ach.* 1, 625. Primus flos animi, *h. e.* primus vigor et vis. *Liv.* 42, 15. Perseus jam bellum volebat, in flore virium se credens esse. [**Thucyd.* 1, 1. *ὅτι ἀκμάζοντες ἦσαν παρασκευῇ τῇ πάσῃ.*] ℙ Flos aetatis et pueritiae est pueritia ejusque pulcritudo, vigor et gratia. *Cic. Phil.* 2, 2., *Liv.* 20, 30., *Justin.* 42, 1. et *Curt.* 4, 8. Hinc *Plin. ep.* 5, 9. In flore primo tantae indolis juvenis exstinctus est. [**Lucr.* 3, 771. Cupitum aetatis florem tangere. Gr. *ἀκμή.*] *Catull.* 17, 14. Viridissimo flore puella. ℙ *Flos aetatulae* est ipsum pudendum muliebre. *Appul.* de nuda puella, Venerem imitante et tenui tantum pallio bombycino pubem suam inumbrante, haec habet *Met.* 10. *med.* Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat, ut, dimota, pareret flos aetatulae; nunc luxurians aspirabat etc. ℙ Interdum *flos* significat decus virginitatis in puellis, in pueris vero corporis pudicitiam. *Catull.* 62, 46. Cum castum (*virgo*) amisit, polluto corpore, florem. *Liv.* 21, 2. Flore aetatis, uti ferunt, primo Amilcari conciliatus Asdrubal. [**Suet. Caes.* 49. Florem aetatis contaminatum. Laudat *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. *Xenoph. Symp.* 8, 14. *τὸ τῆς ὥρας ἄνθος. Theocrit. Idyll.* 7, 121. *τό τοι καλὸν ἄνθος ὑποῤῥεῖ.*] ℙ Item prosperum statum, potentiam, splendorem. *Cic. N. D.* 3, 33. In ipso Graeciae flore. ℙ *Flos animi* est senectus, ap. *Sen. ep.* 26. quia sicut flore aetatis viget corpus, ita senectute animus. ℙ *Flores* aliquando dicuntur excerpta rerum pulcriorum. Graece *Cic. Att.* 16, 11. Nostrum opus tibi probari, laetor: ex quo *ἄνθη* ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo judicio. *Plin. prooem. l.* 14. E tantis, quae retulit, flores modo rerum decerpsit. [*Hinc *flores* in rhetorum lat. scriptis ubicunque sive verborum, sive sententiarum, s. totius orationis commemorantur, pertinent ad ornatum, qui utroque genere adhiberi potest, sive is sit e tropis et figuris, s. ex singulari quadam elegantia et acumine, quo distincta oratio illustratur. Appellantur etiam lumina et insignia orationis, *Cic. Or.* 3, 25. *Brut.* 17. et 66. *Ernest.* in *lex. techn. lat. rhet.* p. 175.] ℙ Item astra, poetice. *Manil.* 5, 726. Tum conferta licet coeli fulgentia templa Cernere seminibus densis, totisque micare Floribus. ℙ *In floribus ipsis* est in media voluptate ac deliciis. *Lucr.* 4, 1126. medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat. ℙ In architectura *Florem* vocant ornamentum summi tholi, referens rosam seu papaver, seu pineam, quod cavum illud complectitur et claudit, de quo multa habet *E. Q. Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 7. p. 204. *ed. Mediol. Vitr.* 4, 7. Quanta diametros totius operis futura erit, dimidia altitudo fiat tholi, praeter florem. Flos autem tantam habeat magnitudinem, quantam habuerit in summo columnae capitulum, praeter pyramidem. ℙ Sunt etiam *flores*, qui scalpuntur in singulis frontibus summi capituli columnarum, praesertim in ordine Corinthio: de quibus *Vitr.* 4, 1. *f.* ℙ [**Flores* et *colores* confundi docet *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 40, 112.]

FLOSCELLUS, i, m. diminut. flosculus. *Appul. Herb.* 49. Ad solis cursum floscelli se vertunt.

FLOSCŬLE, adv. floride. *Coel. Aur. Acut.* 1, 6. Corpus floscule vividum et naturali habitudine plenum.

FLOSCŬLUS, i, m. *ἀνθήλιον*, diminut. floris. *Cic. Off.* 2, 12. Ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt. *Id. Sext.* 56. Non sum tam ignarus, judices, causarum, ut omni ex genere orationem aucuper et omnes undique flosculos carpam atque delibem. *Quint.* 2, 5, 22. Ne recentis hujus lasciviae (*in dicendo*) flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur. *Id. prooem. l.* 6. *med.* Non enim flosculos, sed jam decimum aetatis ingressus annum, certos atque deformatos fructus ostenderat. [*Bono sensu *Sen. ep.* 33. *flosculos* dicit sententias eminentiores, quas memoriae causa et propter illarum elegantiam et vitae usum excerpere e praeclaris scriptoribus solemus: *Sentenzen, Denksprüche. Ernest.* in *lex. technol. lat. rhet.* p. 175.] *Catull.* 24, 1. O qui flosculus es juvenculorum. Alii leg. *Juventiorum. Gell.* 17, 21. Ut Noctes istae quadantenus his quoque historiae floscu lis leviter injectis aspergerentur. ℙ *Flosculos pomorum* vocat *Colum.* 12, 45. eorum vertices, ubi flos fuit: contra quos est pediculus. Poma, inquit, sic componi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent.

FLUCTĬCOLA, ae, m. et f. adj. in fluctibus habitans. *Sidon. carm.* 10, 1. Flucticolae cum festa nurus Pegasaea per antra, etc.

[FLUCTĬCOLOR, oris, m. et f. caeruleum colorem referens. *Capell.* 1, 18. Cui gemmis insitum diadema pretiosis: nam neque Scythidis vireta, nec cerauniorum vibrans fulguransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas, *h. e.* cui diademati inerant virides smaragdi, (V. SCYTHIS) et carbunculi ignei et caerulei hyacinthi. *F.*]

FLUCTĬCŬLUS, i, m. diminut. *Appul. Apol.* Quamlibet leviter motis flucticulis.

FLUCTĬFER. V. FLUCTIGER.

FLUCTIFRĀGUS, a, um, adj. fluctus frangens. *Lucr.* 1, 305. fluctifrago suspensae in litore vestes.

FLUCTĬGĔNA, ae, m. et f. adj. in fluctibus natus. *Capell. carm.* 1, 2, 9. Fluctigena spectans qualis sub gurgite Nereus. *Id.* 9, 310. Nantes fluctigenas chorumque Phorci.

FLUCTĬGĔNUS, a, um, adj. fluctigena. *Avien. Arat.* 1157. Fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.

FLUCTĬGER, a, um, adj. fluctum ferens vel fluctuum patiens. *Cic.* ap. *Isid. Or.* 19, 1. Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni. Al. leg. *fluctifero.*

FLUCTĬO, onis, f. idem quod fluxio. *Plin.* 31, 11, 47. Spongiae imponuntur et integris partibus, sed fluctione occulta laborantibus. Ita *Hard.* ex MSS.; alii *fluctuatione*, quod locum hic habere non videtur.

FLUCTĬSŌNUS, a, um, adj. fluctibus sonans et strepens. *Sil.* 12, 355. Insula fluctisono circumvallata profundo. *Sen. Herc. Oet.* 836. Fluctisona litora.

FLUCTĬVĀGUS, a, um, adj. *ποντοπόρος*, qui fluctibus vagatur aut agitatur, ut Nautae fluctivagi, Undâ fluctivaga, *Stat. Silv.* 3, 1, 84. et *Th.* 1, 271.

FLUCTŪĀTIM, adv. jactanter, ex eo nempe sumptum, quod qui magnifice incedunt, laxam ve-

stem, et, ut ait *Pl. Epid.* 3, 3, 55., suam undantem chlamydem quassando facit. *Afran.* ap. *Non.* 2, 333. Magnificę volo fluctuatim ire ad illum.

FLUCTŬĀTĬO, onis, f. κύμανσις, actus fluctuandi: et translate perturbatio, confusio. *Liv.* 9, 25. In ea fluctuatione animorum opprimi incautos posse. *Senec. Ira* 2, 35. Tunc artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio.

FLUCTŬĀTUS, a, um. V. FLUCTUOR.

FLUCTŬO, as, avi, atum, n. 1. κυματίζομαι, fluctibus agitor. [*Prima vocis notio pertinet ad motum fluctuantem maris, aeris, al. Hinc *Ramsh. lat. Gramm.* p. 186. non male videtur *fluctuor* pass. accipiendum. V. et infra. Deinde transfertur ad res, quae correptae motu illo fluctuante agitantur, ut exempla allata docent.] *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Quadriremem in salo fluctuantem reliquerat. *Id. Rosc. Am.* 26. Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? *Plin.* 2, 95, 96. Quaedam insulae semper fluctuant. *Pl. Rud.* 4, 1, 12. Fluctuare video vehementer mare. ℙ Transfertur ad lumen repercussum, et huc et illuc motu rei repercutientis volitans. *Virg. G.* 2, 281. Directaeque acies, ac late fluctuat omnis Aere renidenti tellus. ℙ Et ad turbam populi, more undarum, alium alios impellentis. *Gell.* 10, 6. Exiens turba undique confluentis fluctuantisque populi. Adde *Tac. H.* 1, 40. ℙ Et ad comas vagantes solutasque. *Gell.* 5, 14. Leo toris comisque cervicum fluctuantibus. ℙ Et ad aerem commotum. *Lucr.* 6, 366. Ignibus et ventis furibundus fluctuat aer. ℙ Et ad segetes vento agitatas. *Senec. Herc. fur.* 699. Adulta leni fluctuat Zephyro seges. ℙ Et ad lumbos in concubitu agitatos. *Auct. Priap.* 19, 4. Telethusa Crissabit tibi fluctuante lumbo. *Arnob.* 2, 73. Et ad ultimum, clunibus et coxendicibus sublevatis, lumborum crispitudine fluctuaret. ℙ Item saepe ad animum, et significat agitari, turbari, dubium esse. *Pl. Merc.* 5, 2, 49. *Eu.* Potin' ut animo sis tranquillo? *Ch.* quid si animus fluctuat? *Eu.* Ego istum in tranquillo et tuto sistam tibi. *Virg. A.* 10, 680. Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. Et *ib.* 4, 532. magnoque irarum fluctuat aestu. *Val. Fl.* 3, 637. ingenti fluctuat ira. *Catull.* 65. 4. Mens animi tantis fluctuat ipsa malis. *Cic. Att.* 1, 20. Fluctuantem alicujus sententiam confirmare. *Liv.* 6, 24. Fluctuans acies. [*Id.* 9, 35. Fluctuans et instabilis acies, 29, 2. Signa fluctuantia: ipsae copiae dicuntur, in quas pressio facta est. Ceterum notandum est, Livium, praeter hoc participium, quod videri possit activae vocis esse, nihil ejus in hoc verbo magnopere usurpare, semperque deponentialiter omnia dici. *Lex. Liv.* p. 268.] *Auct. ad Her.* 4, 11. Genus dicendi fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc. [*Fluctuans oratio* ap. *Eund. Or.* 58. est, quae non aequabiliter et constanter numerosa est, sed mox fluens et lenis, mox hiulca et aspera. Simili ratione. *Or.* 3, 49. vagari oratio dicitur. Denique ap. *Senec. Controv.* 3, 19. fluctuans oratio est, oratoris nimis violenti et concitati. Verba sunt: (de Calvo) compositio quoque ejus in actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene est: omnia et citata et fluctuantia. *Ernest.* in *lex. techn. lat. rhet.* p. 178.] *Cic. Acad.* 4, 9. *med.* Non debere Academicos in suo decreto fluctuare. *Augustus* in quadam *ep.* ap. *Suet. Claud.* 4. Fluctuare inter spem et metum. [*Liv.* 42, 59.] *Senec. ep.* 52. inter varia consilia. ℙ Significat etiam fluitare, supernatare. *Plin.* 36, 16, 26. Lapidem integrum fluctuare, comminutum mergi tradunt.

FLUCTŬOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod fluctuo. [*De forma media fluctuari v. *Oudend.* ad *Suet. Claud.* 4. *Drakenb.* ad *Liv.* 26, 10.] *Quint.* 9, 3. *med.* Pleraque utroque modo efferuntur, luxuriatur, luxuriat; fluctuatur, fluctuat; assentior, assentio. *Senec. Vit. beat.* 14. Deprehensi in mari Syrtico modo in sicco relinquuntur, modo fluctuantur. *Plin.* 4, 12, 22. Delos diu fluctuata. ℙ Est etiam fluitare, supernatare. *Plin.* 16, 38, 73. Lignum in longitudinem fluctuatur, ut quae pars fuit ab radice, validius sidit. ℙ Translate. *Liv.* 23, 33. et 32, 13. Utrius populi mallet victoriam esse, fluctuatus animo fuerat, *h. e.* dubitaverat. *Senec. ep.* 111. Sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa et difficilia. *Curt.* 4, 12. *med.* Fluctuari animo rex, et modo suum, modo Parmenionis consilium perpendere. *Senec. Agam.* 109. Quid, segnis anime, fluctuaris? *Plin.* 27, 4, 11. Ambrosia (*herba*) vagi nominis est, et circa alias herbas fluctuati.

FLUCTŬOSUS, a, um, adj. κυματώδης, undosus, inquietus. *Pl. Rud.* 4, 2, 5. In mari fluctuoso. ℙ Gemmae fluctuosae, quae maculas habent fluctuum quandam similitudinem referentes. *Plin.* 37, 5, 18. de smaragdis: Ii sunt fluctuosi, et rerum imagines complexi, ut verbi gratia, papaverum, aut avium, pinnarumque vel catulorum et similium.

FLUCTUS, us, m. κῦμα, unda, aquarum motus, et agitatio: a *fluo*. *Senec. Q. N.* 5, 1. Parum diligenter comprehendet quod vult, qui dixerit, Fluctus est maris agitatio: quia tranquillum quoque agitatur. At ille abunde sibi caverit, cujus haec definitio fuerit: Fluctus est maris in unam partem agitatio. [*Fluctus* proprie significat actum fluctuandi, quo mare, aer, aliaque similia moventur. Quid differat a *fluentum*, et *unda*, v. suis locis.] *Virg. G.* 3, 237. Fluctus ut, in medio coepit cum albescere ponto, Longius ex altoque sinum trahit: utque volutus Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso Monte minor procumbit. *Cic. Rosc. Am.* 26. Ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur. *Caes. B. G.* 4, 24. Navibus desilire, et fluctibus consistere. *Cic. Leg.* 3, 16. Excitare fluctus. *Curt.* 8, 13. *extr.* Navem fluctus petrae illiserat. *Virg. Ecl.* 9, 43. insani feriant, sine, litora fluctus. *Id. G.* 4, 195. cymbae instabiles, fluctu jactante, saburram Tollunt. *Id. A.* 1, 107. procella fluctus ad sidera tollit. Et 70. mulcere fluctus et tollere vento. Et 90. vastos volvere ad litora. Et 139. motos componere. Et *ib.* 1, 539. subito adsurgens fluctu nimbosus Orion. Et *ib.* 5, 2. fluctus atros Aquilone secare. Et *ib.* 8, 672. fluctu spumabant caerula cano. *Ov. Her.* 18, 137. Fluctibus immodicis aequora canent. *Id. Met.* 11, 497. Fluctibus erigitur, coelumque aequare videtur Pontus. *Val. Fl.* 4, 726. hiems tumido riget ardua fluctu. Et 8, 382. vastis mare fluctibus perfurit. *Manil.* 5, 147. tortos in fluctum ponere crines, *h. e.* undarum modo inflexos, undulatos. ℙ *Fluctus* dicitur etiam motus fluctuans in re Venerea. *Lucr.* 4, 1265. Atque exossato ciet omni pectore fluctus. V. FLUCTUO. ℙ Translate est perturbatio, periculum. *Cic. Mil.* 2. Tempestates et procellas in fluctibus concionum subire. *Id. Har. resp.* 23. Emergere auctoritatem vestram e fluctibus servitutis. *Id. Or.* 1, 1. Hoc tempus omne objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. *Id. Fl.* 26. Massilia cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluitur. *Plin.* 5, 17, 15. Quos vita fessos ad mores eorum fortunae fluctus agitat. *Hor. Ep.* 2, 2, 83. rerum Fluctibus in mediis, et tempestatibus Urbis. *Nep. Attic.* 6. Civilibus fluctibus se committere. *Virg. A.* 12, 831. Irarum tantos volvis sub pectore fluctus. *Lucr.* 6, 33. Volvere curarum tristes sub pectore fluctus. [*Id.* 3, 299. Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.] *Id.* 5, 1289. fluctus belli miscere. ℙ A poetis ponitur aliquando simpliciter pro mari. [*Nescio quidem, an huc pertineat locus *Cic. Fin.* 5, 2. Qui in Phalericum etiam descenderim: quo in loco ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere; sed recte ponitur alius *Liv.* 24, 33. Cujus murus fluctu alluitur. Cp. seq. est mari alluitur.] *Hor. Od.* 3, 27, 43. ire per longos fluctus. *Val. Fl.* 1, 265. currere fluctu. *Virg. A.* 3, 270. medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. *Id. ib.* 5, 182. salsos rident revomentem pectore fluctus. [*Tibull.* 4, 1, 74. Vel si sublimis fluctu consurgeret imo, (Charybdis), i. q. Gr. βυσσόθεν. Commemorari etiam hic possunt ll. *Hor. Od.* 1, 1, 15. Icarii fluctus. *Ib.* 1, 28, 26. Hesperii. *Ep.* 2, 51. Eoi, cet. Item de flumine *Hor. Od.* 4, 8, 25. Stygii fluctus.] ℙ Dicitur et de fluxione et profluvio. *Lucr.* 6, 553. aquae fluctu terra vacillat. *Id.* 4, 675. res multas esse necesse est, Unde fluens volvat varius se fluctus odorum. *Val. Fl.* 7, 572. atro volvens incendia fluctu. ℙ Olim fuit secundae declinationis. *Accius* ap. *Non.* 8, 37. Fluctī cruoris. *Pacuv. ib.* Fluctī flacciscunt, silescunt venti, mollitur mare. ℙ Praeterea *fluctuis* in genit. sing. dixere *Varr.* et *Nigid.* teste *Gell.* 4, 16. V. FRUCTUS.

FLŪENS, entis, part. a *fluo*, ῥέων, qui fluit. *Ov. A. Am.* 3, 62. eunt anni more fluentis aquae. *Id. Her.* 6, 63. lacrimae fluentes in ora. *Lucan.* 8, 246. spirat de litore Coo Aura fluens. *Prop.* 2, 2, 23. comae per levia colla fluentes. *Id.* 3, 15, 32. et *Ov. A. Am.* 3, 301. Vestes fluentes, *h. e.* amplae, laxae et sinuosae. [*Vestes fluentes* non solum ad amplitudinem, sed ad longitudinem etiam referri nonnunquam aptius posse videntur, Cf. *Propert.* 3, 17, 32. Et feries nudos veste fluente pedes.] Sic Virg. A. 1, 324. nodoque sinus collecta fluentes. *Id. ib.* 5, 179. madidaque fluens in veste Menoetes. *Id. ib.* 3, 626 membra atro fluentia tabo. *Ov. Met.* 9, 57. sudore fluentia multo Brachia. *Curt.* 8, 14. *med.* Rex fluentibus membris, omissisque armis, vix sui compos, *h. e.* languentibus, cadentibusque. *Mart.* 11, 41. Cedentes oneri ramos, silvamque fluentem Vicit, *h. e.* arborem mobilem, fluctuantem, se inclinantem. *Virg. G.* 2, 370. ramos compesce fluentes, *h. e.* latius et liberius excrescentes. Et 190. vites praevalidae, multoque fluentes Bacho, *h. e.* vini feraces. *Id. A.* 11, 828. ad terram non sponte fluens, *h. e.* cadens. Sic *Plin* 27, 4, 4. Capillum fluentem continere. *Lucan.* 9, 789. Letum fluens, *h. e.* lues pestifera, qua contactis membra tabefacta fluunt, et absumuntur. Sic *Id.* 7, 412. Fluentes morbi. *Cels.* 2, 6. Alvus fluens, *h. e.* cita, soluta. *Hor. Ep.* 9, 35. Caecubum fluentem nauseam coercet. ℙ *Fluentes morbi* ap. *Cels. praef. med.* sunt, in quibus fluit aliquid, ut sanguis, bilis, alvus, etc. vel noxius humor aliquo in membro erumpit: quibus oppo- nuntur *compressi*. ℙ *Fluentes buccae* sunt buccae detumescentes, et laxata cute demissae ac pendentes. *Cic. Or.* 2, 66. Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus, [*h. e.* ut alii loquuntur, labentibus, propter vim morbi, aut senectutem, aut corpus male quacumque de causa constitutum. V. *Gron.* ad *Sen. Hippol.* 364. et *Intpp.* ad *Suet. Aug.* 99. *Ernest.* in *cl.* s. v.] *Id. in Senat.* 6. Vini, somni plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et tenulenta. *Id. Pis.* 11. Erant illi compti capilli et madentes cincinnorum fimbriae, et fluentes cerussataeque buccae, dignae Capua, sed illa vetere, [*i. e. cerussa et reliquo fuco interpolatae et correctae, quae calore et sudore fluunt. *Ernest.* in *cl.* s. v.] ℙ Translate. *Id. Off.* 3, 26. Res prosperae et ad voluntatem nostram fluentes. *Tac. H.* 3, 48. et *Justin.* 23, 3. Cunctis super vota fluentibus, *h. e.* succedentibus. [*Sall. Hist.* 6. p. 1005. Rebus supra votum fluentibus. *Quint. Decl.* 3, 12. p. 69. Ad omne votum fluente fortuna. *Tac. Dial.* 5. Rebus prospere fluentibus.] *Vell.* 2, 16. *extr.* Fluentem procumbentemque rempublicam restituere, *h. e.* labentem, et veluti prono cursu ad interitum properantem. [*Similia laudat *Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Or.* 20. Tracta quaedam et fluens, non contorta et acris oratio. *Quint.* 9, 4, 7. Orationis contextus lenis et fluens. Et *ib.* In locis ac descriptionibus fusi sumus ac fluentes. *Gell.* 19, 9. Fluentes carminum deliciae [*De hoc et proxime praecedente loco V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 177.] *Val. Fl.* 3, 158. insignis cithara, cantuque fluenti; (liquidum vocat *Lucr.* 4, 978., liquefactum *Sil.* 11, 417.) *Tac. A.* 14, 16. Species carminum non impetu et instinctu, nec ore uno fluens. *Hor. Sat.* 1, 7, 28. Homo salsus multumque fluens, *h. e.* verbis et conviciis abundans. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Gell.* 11, 15. *extr.* Larga et fluens vis et copia. *Quint.* 1, 2. Pueri soluti ac fluentes, *h. e.* deliciis abundantes, molles, enervati, languentes, effeminati. *Senec. Tranq.* 15. Incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentes. *Augustin. C. D.* 7, 26. Madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo. *Vell.* 1, 6. et 2, 88. Otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens.

FLŪENTER, adv. fluendo. *Lucr.* 4, 225. omnibus ab rebus res quaeque fluenter Fertur. [*Id.* 6, 520.] *Appul. Met.* 2. p. 122, 7. Capillo fluenter undante. ℙ Nonnulli etiam tribuunt *Cic. Att.* 7, 14. Cum fluenter lippirem, has litteras dedi. Al. [rectius *F.*] leg. *leviter*. [*At quaeritur!]

FLŪENTĬA, ae, f. *Ammian.* 30, 4. Eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi.

FLŪENTĪNI, orum, m. plur. Italiae populi, ita dicti, quod praefluenti Arno appositi sunt, ut ait *Plin.* 3, 5, 8.; ita enim ibi legitur in MSS. plerisque, librisque editis. Alii tamen leg. *Florentini*. [At in *Inscr.* ap. *Grut.* 220., quae ad Desiderium Langobardorum regem pertinet, *Fluentini* itidem appellantur. V. FLORENTINUS. *F.*]

FLŪENTĪSŌNUS, a, um, adj. fluctibus sonans. *Catull.* 64, 52. Litus fluentisonum.

*FLŪENTO, as, a. 1. humecto. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 642. Pergis ad Augustam, quam Vindo, Lycusque fluentant. *B. A.*

FLŪENTUM, i, n. ῥεῦμα, ῥόος, aquae decursus, flumen. [*Döderl.* 2, 9. docet: *Fluentum* significare undam nonnisi sensu proprio dictam, et singularem quidem, velut a reliquis sejunctam. Hinc differre a *fluctus*, quod, cum proprie de actu fluctuandi dicatur, nunquam, si ipsius undae notionem referat, sine aliqua conjunctionis ratione intelligi possit.] Saepius adhibetur plurali num., estque vox fere poetica. *Virg. A.* 4, 143. Xanthique fluenta Deserit. *Id. ib.* 6, 327. rauca fluenta Cocyti. Et *ib.* 12, 35. Tiberina fluenta. *Lucr.* 5, 947. fluenta lubrica. *Flor.* 2, 8. Cum inter fluenta tibiis fidibusque concineret, *h. e.* ad ripam Euripi. ℙ In singulari num. usurpant *Auson. Idyll. Mosell.* 10, 59. arcanique patet penetrale fluenti. Et 419. spatiumque novi metare fluenti. Et *Avien. Perieg.* 32. et inserto freta pellit vasta fluento. Et *Prud. περὶ στεφ.* 12, 32. regio canens olivo, murmurans fluento. ℙ Dicitur et de fluxione aeris. *Lucr.* 5, 276. quodcumque fluit de rebus, id omne Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra Corpora retribuat rebus, recreetque fluentis, Omnia jam resoluta forent, et in aera versa.

FLŪESCO, is, n. 3. fluidus fio, liquesco. *August. C. D.* 21, 5. *f.* Salem in aqua fluescere. Et *ib.* 7. *med.* Palea fluescere nivem non sinit. Alii utrobique leg. *fluiscere*. [*ut ap. *Dracont. Hexaem.* v. 577. *B. A.*]

FLŪĬBUNDUS, a, um, adj. fluidus, diffluens. *Capell.* 1, 21. *f.* Fluibunda luxu puella.

FLŪĬDO, as, a. 1. fluidum reddo. *Coel. Aur. Tard.* 5, 11. Liquore fluidantur.

FLŬĬDUS, a, um, adj. fluens, ῥευσταλέος. [*Fluidus signif. id, quod nullo impedimento obstrictum, libere fluit; opp. *haerens*, *stans*.] *Col.* 8, 16. Piscium reditum alienissimum agricultoribus puto: quid enim tam contrarium, quam terrenum fluido? *Virg. G.* 3, 484. Fluidus liquor. Et *A.* 3, 663. fluidus cruor. *Seren. Sammon.* 29. *extr.* Fluidam alvum morari. *Ov. Met.* 14, 167. iterum Polyphemon, et illos Aspiciam fluidos humano sanguine rictus, *h. e.* unde fluit et stillat cruor comesorum cadaverum. *Lucr.* 2, 596. Fluidae frondes, *h. e.* caducae. *Ov. Met.* 15, 362. quaecumque mora, fluidove calore Corpora tabuerint, in parva animalia verti, *h. e.* calore corrumpente, macerante, et marcida fluentiaque corpora reddente. ℙ Item mollis, languidus, cui opponitur *solidus*. *Sen. ep.* 52. *med.* Fundamenta in mollem ac fluidam demissa humum. *Liv.* 34, 47. Labor et aestus mollia et fluida Gallorum corpora decedere pugna coegit. [*Recte comparat *Döderl.* 2, 20. *Tac. H.* 2, 32. fluxa corpora Germanorum; ita discrimine inter *fluidus* et *fluxus* disposito, ut illud significet id, quod natura debilis est et viribus destitutum; hoc, quod tempore, causa extrinsecus accedente firmitatem amisit.] *Ov. Met.* 15, 229. fletque Milon senior, cum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos. *Plin.* 9, 30, 50. Locusta, nisi viva ferventi aqua incoquatur, fluida carne non habet callum. *Auct. Pan. ad Pis.* 90. Talis inest habitus, qualem nec dicere moestum, Nec fluidum, laeta sed tetricitate decorum Possumus, *h. e.* mollitie effusum. ℙ *Fluida vestis* est fluitans, laxa, ampla. *Sen. Oed.* 422. Inde tam molles placuere cultus, Et sinus laxi, fluidumque syrma. Adde *Just.* 41, 2. [*Opp. collecta. *Pl. Capt.* 4, 2, 9. Ubi *Lindem.* notat, illud esse eorum, qui otiose deambulent; hoc eorum, qui gnaviter et celeriter aliquid acturi sint.]

FLŬĬSCO. V. FLUESCO.

FLŬĬTANS, antis, part. a *fluito*, fluens, supernatans, fluctuans, ἐπιπολαστικός. *Cic. Sext.* 20. Navis fluitans in alto. *Curt.* 4, 9. *med.* Cumuli sarcinarum passim fluitantes. *Liv.* 1, 4. Cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset. *Plin.* 16, 36, 66. Fluitantes insulae. *Id.* 2, 88, 89. Magna circa insulam multitudo piscium fluitans, *h. e.* confluens, adnatans. *Alter Plin. ep.* 8, 8. Jucundum utrumque per jocum ludumque fluitantibus, *h. e.* navigantibus. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 433. Fluitantia lora, *h. e.* laxata, remissa. *Id. Met.* 11, 470. Vela summo fluitantia malo. *Tac. G.* 17. Vestis non fluitans, sed stricta, et singulos artus exprimens, *h. e.* fluxa, laxa, ampla. [*V. *Döderl.* 2, 20. sq.] *Catull.* 64, 68. Fluitans amictus. *Tac. H.* 5, 18. Praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant, *h. e.* vacillantem, nutantem, dubium inter pugnam et fugam. [*Id. *ib.* 3, 27. Disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur.] *Claud. B. G.* 247. Fluitans fides.

*FLUITANTER, adv. ap. *Mart. Capell. B. A.*

*FLUĬTAS, atis, f. Reperitur haec vox ap. *Schol. Antiq. in Juven. sat.* 1, 29. p. 576. ed. *Cramer.* Docet Poeta multam his esse fluitatem gloriae, *h. e.* vanitatem, ut probabile. *B. A.*

FLŬĬTO, as, avi, atum, n. 1. ἐπιπολάζω, ἐπιῤῥέω, frequentativum a *fluo*, fluxu aquae feror, fluctuo, supernato. *Plin.* 13, 7, 14. Materies primo sidit, postea fluitare incipit. *Id.* 31, 2, 17. In lacu Apuscidamo omnia fluitant, nihil mergitur. *Sen. Agam.* 503. Navis lacera et omni decore populato, levis fluitat. *Id. Met.* 631. Orphei caput tristi fluitavit Hebro. *Plin.* 29, 3, 12. Fluitare contra aquas. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 3. Ebenus in aquis non fluitat. *Id.* 28, 9, 35. Fluitare in summo. *Petr. Sat.* 123. Jam classes fluitare mari. ℙ Translate est nutare, vacillare, fluctuare, dubium, aut inconstantem esse. *Tac. H.* 2, 93. *extr.* Unde primum creditur Caecinae fides fluitasse. *Hor. Ep.* 1, 18, 110. ne fluitem dubiae spe pendulus horae. Ap. *Lucr.* 4, 78. et 75. fortasse est *flutant* pro *fluitant*. V. FLUTO.

FLŪMEN, inis, n. fluxio, decursus aquae, defluxus amnis, aqua decurrens: a *fluo*. *Liv.* 5, 16. *f.* Aquam Albanam in mare manare suo flumine. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Tiberis flumen vomit in mare salsum. *Virg. A.* 2, 305. rapidus montano flumine torrens. *Hor. Od.* 2, 14, 16. ater flumine languido Cocytus errans. *Val. Fl.* 8, 189. inde sequemur Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo Perferat. *Ov. Met.* 14, 788. Nymphae venas et flumina fontis Elicuere sui. *Caes. B. G.* 7, 58. Secundo flumine iter facere; et 60. Adverso flumine proficisci. Et *Virg. A.* 2, 719. flumine vivo abluere se. ℙ [*Item fluctus, undae. *Hor. Ep.* 13, 14. Frigida Scamandri flumina. *Virg. A.* 9, 585. Symaethia circum flumina. Quod eodem modo dictum est, ut ap. *Hor.* Stygii fluctus.] ℙ Item amnis, fluvius, ποταμός. [*Imo ῥεῦμα, ποταμὸς enim *Lat.* est amnis. V. *Döderl.* 2, 8. ubi etiam, quid differant *amnis*, *fluvius* a *flumine*, probe intelliges. Sunt, qui dicant, esse quoque *fluentum* synonym. v. *flumen*. Quod negat *Döderl. l. c.* V. *Fluentum*.] Differt a *rivo*, ut major a minore: a *torrente*, quia flumen perpetuum est: torrens subinde siccatur. (Celebriora multorum fluminum nomina recitat *Ov. Met.* 2, 239. et sqq.) *Cic. Div.* 1, 35. *extr.* Flumina in contrarias partes fluxerunt: in amnes mare influxit. [*Id. *N. D.* 2, 60. Nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus.] *Caes. B. G.* 1, 1. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen dividit. Et 2. Continentur flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit, *h. e.* qui Rhenus etc. *Hor. A. P.* 18. Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. ℙ *Flumen maritimum* est aqua maris in piscinas immissa. *Varr. R. R.* 3, 17. Posteaquam L. Lucullus maritima flumina immisisset in piscinas, quae reciproce fluerent, ipsi Neptuno non cedere de piscatu. ℙ Poetice per hyperbolen ponitur pro fluxu copioso. *Lucr.* 2, 354. Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen. *Id.* 6, 255. persaepue niger quoque per mare nimbus Ut picis e coelo demissum flumen etc. *Petr. Sat.* 123. rigido concussae flumine nubes Exonerabantur, *h. e.* imbre, pluvia. *Virg. A.* 1, 469. Multa gemens, largoque humectat flumine vultum. *Lucr.* 6, 1062. Magnesii flumina saxi, [*i. e. primordia, s. semina a magnete fluentia.] Et *Sil.* 12, 185. Effusaeque ruunt inopino flumine turbae, *h. e.* eruptione instar fluminis exundantis. Simile est illud *Virg. G.* 2, 462. salutantum totis vomit aedibus undam. Et *A.* 11, 236. fluuntque ad regia plenis Tecta viis. ℙ Saepe refertur ad ingenii copiam, et verborum ac dicendi vim. *Cic. Marc.* 2. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia. *Id. Acad.* 4, 38. Flumen orationis aureum fundens Aristoteles. *Id. Or.* 2, 45. Tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum. *Id. N. D.* 2, 7. *f.* Orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur. *Petr. Sat.* 5. *extr.* sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. Et 118. Neque concipere, neque edere partum mens potest, nisi ingenti flumine litterarum inundata. ℙ *Flumine vicino stultus sitit*, prov. ap. *eund. fragm.* p. 899. *Burm.* de iis, qui bonis, quibus affluunt, uti nesciunt.

FLUMENTĀNUS, a, um, adj. ad flumen pertinens, ut Flumentana porta in veteri urbis Romae circuitu inter collem Capitolinum, et flumen Tiberim, huic vero proxima fuit, ubi nunc via est, quae *di ponte Rotto* dicitur; hinc itur ad aliam novi circuitus portam, nunc *porta del Popolo* appellatam, unde via Flaminia incipit. *Festus.* Flumentana porta Romae appellata, quod *(ad)* Tiberis partem eam fluxisse (lege *flexisse*) affirmant. *Varr. R. R.* 3, 2. Qui habitant extra portam Flumentanam. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 254. L. Sempronius L. L. Cephalio aurifex extra portam Flumentan*am*. Adde 35, 9. et 18. [*Plurima ex his addidit *F.*]

*FLŪMĬCELLUS, i, m. dimin. parvum flumen. *Innocent. de cas.* p. 227. *Goes.* Sub via habet flumicellum, et trans flumicellum aquam vivam. *B. A.*

FLŪMĬNĀLIS, e, adj. flumineus, ut Fluminalis navigatio, *Coel. Aur. Tard.* 1, 1. et Cancri fluminales, *ib.* 4.

FLŪMĬNĔUS, a, um, adj. ποτάμιος, ad flumen pertinens, fluvialis. *Ov. Her.* 8, 67. Flumineus cycnus. *Id. Fast.* 2, 46. Aqua fluminea. Et *ib.* 5, 519. ulva. Adde *Stat. Th.* 9, 266. [*Sil.* 4, 494. Fluminea classis, i. e. qua in flumine utebatur Hannibal. *Id.* 3, 458. Fluminea alnus.] ℙ Translate. *Claud. Fescenn. de nupt. Honor.* 2, 28. Geminaque parte ductum Caesareum flumineo Stemma recurrit ortu, *h. e.* perenni et non interrupto successionis cursu, tanquam fluminis. Al. leg. *femineo*.

*FLUMINĬA, ae, f. *Innocent. de casis* p. 227. In ipsum jugum fluminia excurrit; et *alibi*. *B. A.*

FLŬO, is, uxi, uxum, n. 3. ῥέω, decurro, labor, mano, defluo: et dicitur de humoribus: est a βλύω, scaturio, ex quo etiam *pluo*. *Cic. Div.* 1, 35. *extr.* Tantos terrae motus factos esse, ut flumina in contrarias partes fluxerint. Et 43. *f.* Fluvius atratus sanguine fluxit. *Caes. B. G.* 1, 6. Rhodanus inter fines Allobrogum fluit. *Hor. Epod.* 7. *f.* Fluxit in terram cruor. *Ov. Fast.* 2, 820. fluunt lacrimae more perennis aquae. *Lucan.* 6, 61. sanguis terras fluxurus in omnes. *Ov. Met.* 11, 656. madidis fluit unda capillis. *Id. Pont.* 4, 4, 2. Non intermissis ut fluat imber aquis. *Id. Met.* 12, 435. Perque cavas nares, oculosque, auresque cerebrum Molle fluit. Et *ib.* 9, 173. fluit de corpore sudor. Et *ib.* 12, 325. fluit e gutture sanguis in toros, et carchesia. *Id. Rem. Am.* 190. nudo sub pede musta fluunt. *Id. Met.* 2, 251. fluit ignibus aurum. ℙ Item de aere et terra. *Lucr.* 1, 280. Venti fluunt stragemque propagant. Adde *Cic. N. D.* 1, 15. et V. FLUENS. ℙ Item de igne discurrente. *Sil.* 17, 102. fluit undique victor Mulciber, et rapidis amplexibus arma virosque Corripit. ℙ [*Ponitur etiam pro *fluitare*. Laudat *Gesn. Mart.* 4, 66, 14. Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis. Adde *Quint. Inst.* 10, 1, 2. Et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit: ubi, quum *Spald.*, dubitans de verbo *fluere* pro *fluitare* posito, scribere mavelit *fluitat* pro *fluit*, ut in loco plane gemino ap. *eund. Quint.* 7. *praef.* 3., Censor ejus publicus *Jenensis* a. 1821. *Suppl.* nr. 77. opportune laudat *Claud.* locum in *Rufin.* 1. pr. Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem, Curarent superi terras, an nullus inesset Rector, et incerto fluerent mortalia casu. Hinc scrupulosiorem quam veriorem dicit *Spaldingii* dubitationem *Zumpt.*, qui haec laudat in *Suppl.* ad *Quint. Inst.* p. 409.] ℙ *Fluere* etiam dicuntur, quae humore aliquo manant, madentve. *Val. Fl.* 6, 360. pingui fluit unguine tellus. *Liv.* 38, 17. Fluunt sudore et lassitudine membra. *Ov. Met.* 7, 343. Ille cruore fluens, cubito tamen allevat artus. *Cels.* 4, 19. Uno die fluere alvum, saepe pro valetudine est. *Virg. G.* 3, 524. Ad terramque fluit devexo pondere cervix. ℙ Item quae decidunt, dilabuntur, dissipantur. *Plin.* 27, 4, 4. et *Cels.* 6, 1. Capilli fluunt. *Lucr.* 4, 917. Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque. *Lucan.* 9, 770. surae fluxere: sine ullo Tegmine poples erat. *Ov. Am.* 4, 14, 24. Quid poma vellis acerba manu? Sponte fluent matura sua. *Cic. Phil.* 12, 3. Excident gladii, fluent arma de manibus. ℙ Item quae abundant et diffluunt, ut vites, et oleae, quarum fructus expressi mustum et oleum reddunt. *Colum.* 12, 50. Acerbum oleum facere rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit. *Id.* 3, 2. *med.* Graeculae vites acinorum exiguitate minus fluunt. Et *p. in.* Talis nobis eligatur vitis vel mediocriter fecunda: si modo is locus habetur, in quo gustus nobilis pretiosusque fluit: nam si sordidus aut vilis est, feracissimam quamque serere conducit, *h. e.* vinum generosi saporis provenit. [*Hinc de vasis, ita repletis, ut abundent. *Sil.* 7, 190. Vilisque rubenti fluxit mulctra mero, etc.] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 23. tarda fluunt ingrataque tempora. *Ov. Pont.* 4, 2, 20. Et carmen vena pauperiore fluit. *Cic. Senect.* 10. Ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio. [*Varius est hujus vocabuli, cum de rebus oratoriis usurpatur, significationis usus. *Cic. Or.* 3, 49. *Fluere oratio* dicitur, quae nullis numeris adstricta, nulla lege fertur soluta, minus numerosa est. Ita etiam *Quint. Inst.* 10, 1, 2. quem locum supra commemoravimus. V. *Drak.* ad *Liv.* 7, 29, 5. *Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 16. 2, 88. — Porro dicitur de ea, quae est ita apte composita verbis ac sententiis et vincta numero, ut nusquam neque in ore, neque in auribus veluti offenderet, sed leni fluxu prolaberetur. Sic *Cic. Brut.* 78. De oratione Calidii: Ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret. *Id. Or.* 12. Cf. *Quint. Inst.* 9, 4, 7. et 20. Denique *fluere oratio* dicitur etiam de eo, cui sponte et illaborata quasi in mentem veniunt, quae vix alius intentissima cura consequi possit. V. *Quint. l. l. inf.* 10, 1, 11. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 177. sq.] *Atticus* ap. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Videamus, et Cnaeus quid agat, et illius rationes quorsum fluant. [*Ita saepissime dicitur pro: aliquid spectare, aliquo devenire. *Cic. Att.* 4, 8. Res fluit ad interregnum *Tac. A.* 11, 9. Cuncta in Mithridatem fluxere, i. e. ad eum conversa sunt. *Id. A.* 15, 5. Nec praesentia prospere fluebant.] *Cic. Tusc.* 4, 1. Pythagorae doctrina cum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem, *h. e.* diffunderetur. Et *ib.* 2, 22. Cum voluptate liquescimus, fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus, *h. e.* labefactamur. *Curt.* 9, 3. Luxu omnia fluere, *h. e.* diffluere. *Tibull.* 2, 6, 33. Jam veniant praedae, ... Ut mea luxuria Nemesis fluat. *Pl. Mil.* 4, 8, 12. Fluere facetiis, *h. e.* abundare. ℙ Eleganter ponitur pro dilabi, praeterire, evanescere, dissipari, [*perire.] *Cic. Or.* 3. Cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. *Id. Fin.* 2, 32. Fluit voluptas corporis, et prima quaeque avolat. *Id. Marcell.* 8. Omnia quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. [*Cf. *Gron.* ad *Liv.* 27, 17.] ℙ Item pro derivari, proficisci, ortum habere. *Cic. Fin.* 2, 11. Ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. *Id. N. D.* 2, 19. *extr.* Multa a luna manant et fluunt, quibus animantes aluntur. Et *ib.* 3, 19. Haec omnia ex eodem fonte fluxerunt. *Stat. Th.* 1, 225. Perseos alter *(sanguis)* in Argos Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas. *Id. Silv.* 1, 1, 2. caelone peractum Fluxit opus. [*Quint. *Decl.* 258. p. 473. Animus iste ad contemnendum periculа paratus ex meo fluxit. Cf. de hoc dicendi genere *Heins.* ad *Claud. Fescen.* 63.] ℙ Vetustissimi *fluctum* in supino pro *fluxum*, et *flucturus* pro *fluxurus* soliti sunt dicere, teste *Prisc.* 9. p. 817. [Hinc legitur in *Not. Tir.* p. 120. Fluo, fluctum. Hinc etiam *fluctio*, *fluctus* et *fluctuo*. *F.*] ℙ [*Confunduntur *fluit*, *furit*, *fuit*. V. *Spald.* ad *Quint.* 9, 4, 7. *Heins.* ad *Claud. Fescen.* 63.]

FLŪONĬA, ae, f. Juno, quam mulieres colebant, quod ea sanguinis fluorem in conceptu retinere putabatur. Haec *Festus*. Apud *Arnob.* 3. p. 118. alii

leg. *Fluvionia;* apud *Capell.* 2. p. 37. *Fluvonia.* V. MENA.

FLŪOR, oris, m. fluxus, ῥοή. *Cels.* 3, 6. *sub f.* Quisquis fluore aeger est, *h. e.* ventris fluxu. *Scribon. Compos.* 108. Solutio et fluor stomachi. *Apul. Apol.* p. 283, 25. Imagines jugi fluore a corporibus manantes. *Id. Flor. n.* 10. p. 348, 18. Fluores amnium. *Solin.* 18. Fluor maris. *Arnob.* 6. p. 196. Ventos aeris esse fluorem. ℙ Item liquor. *Nemes. Cyn.* 227. Mox lactis liquidos sensim superadde fluores.

*FLŪSOR, oris, Italiae fluvius, in Piceno. *Tab. Peut. B. A.*

FLUSTRA dicuntur, cum in mari fluctus non moventur: quam Graeci μαλαχίαν vocant. *Festus.* Adde *Tert. Pall.* 2. [*V. *Döderl.* I, 81.]

FLŪTA, ae, f. πλωτή, quod a πλώω, navigo, fluito: genus muraenae praegrandis et praepinguis, frequentisque in freto Siculo, et prae pinguedine in summa fere unda fluitantis, ut *Mart.* 13, 80. docet. *Varr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. In Sicilia manu capi muraenas flutas: quod hae in summa aqua prae pinguitudine flutentur. Al. leg. *flutent. Id. R. R.* 2, 6. Muraenae optimae flutae sunt in Sicilia. *Colum.* 8, 7. Item flutas, quae maxime probantur, muraenas. V. EXORMISTON.

FLŪTO, as, n. I. idem quod fluito. *Lucr.* 3, 190. Namque movetur aqua, et tantillo nomine flutat. Al. leg. *fluctat* vel *fluctuat.* V. v. praec. et FLUITO.

FLŪVIA, ae, f. fluvius: apud vet. *Sisenn.* ap. *Non.* 3, 100. Inter duas fluvias. *Id. ib.* Transgressus fluviam, quae etc.

FLŪVIĀLIS, e, et

FLŪVIĀTICUS, a, um, et

FLŪVIĀTILIS, e, adj. ποτάμιος, ad flumen pertinens. *Virg. A.* 9, 70. Septus fluvialibus undis. *Id. G.* 2, 414. Fluvialis arundo. *Vitr.* I, 2. *f.* arena fluviatica. *Colum.* 8, 15. Fluviatica animalia. *Cic. N. D.* 2, 48. Fluviatiles testudines. *Liv.* 10, 2. *med.* naves. *Colum.* 8, 17. Meminisse etiam in fluviatili negotio, quod in terreno praecipitur, *Et quid quaeque ferat regio.*

FLŪVIĀTUS, a, um, part. ab inusit. *fluvio*, in partes, quasi in fluvios, divisus. *Plin.* 16, 39, 76. *n.* I. ex *Theophr. Hist. plant.* 5, 2. Communia his *(larici* et *abieti)* pinoque, ut quadripartitos venarum cursus, bifidosque habeant, vel omnino simplices *(Theophr. l. c.* τετραξόους habet, διξόους, et μονοξόους). Ad fabrorum intestina opera medulla sectilis: optima quadripartitis materies, et mollior quam ceterae. Abietis quae pars a terra fuit, enodis est: haec, qua diximus ratione, fluviata decorticatur, atque ita sapinus vocatur. [Perperam *Hard.* vox *fluviata* idem videtur esse ac flumine mersa: at *Schneiderus* ad *Vitr.* 2, 9. et *Pallad.* 12, 15. legendum monet *diffluviata* vel *quadrifluviata.* V. DIFFLUVIO et QUADRIFLUVIUM. *F.*]

FLŪVIDUS, a, um, adj. idem ac fluidus, apud veteres usitatum ab antiquo praeterito *fluvi* verbi *fluo. Lucr.* 2, 463. Sed quod amara vides eadem, quae fluvida constant. *Id. ib.* 465. Nam quod fluvidum est, a levibus atque rotundis Est. Syllaba ult. *dum* more veterum non eliditur, sed brevis est ob concursum vocalis in voce sequenti.

FLŪVIONIA, et

FLUVONIA. V. FLUONIA.

FLŪVITO, as, pro fluito, legit *Salmasius* ap. *Solin.* 35. p. 578.

FLŪVIUS, ii, m. ποταμός, amnis, flumen, a *fluo*, idest ab antiquo ejus praeterito *fluvi. Cic. N. D.* 2, 2. Cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri devicissent. *Virg. A.* 1, 611. In freta dum fluvii current. *Pl. Curc.* 1, 1, 86. Quisnam istic fluvius est, quem non recipiat mare? *proverbium. Id. Bacch.* 1, 1, 52. Fluvius rapidus. *Virg. A.* 8, 31. amoenus. Et 86. tumens. Et *ib.* 12, 886. altus. Et *ib.* 7, 36. opacus. Et *G.* 1, 272. saluber. Et *A.* 8, 77. corniger. V. CORNU. *Pl. Truc.* 2, 7, 12. De fluvio aquam derivare sibi. *Virg. G.* 1, 106. satis fluvium derivare. Et *A.* 7, 404. fluvio secundo defluere. Et *ib.* 8, 651. fluvium innare. *Stat. Th.* 9, 239. transmittere nando. ℙ Fluviorum varia nomina habet *Ov. Met.* 2, 239. et seqq. ℙ Pro aqua fluente. *Plin.* 34, 14, 41. Perfusa certo fluvio terra. *Stat. Th.* 9, 573. gelidas ibat Ladonis ad undas, Purgatura malum fluvio vivente soporem. *Virg. G.* 3, 301. Arbuta sufficere, et fluvios praebere recentes, *h. e.* aquam vivam. Adde 126., ubi eadem ratione locutus est. ℙ *Fluvium* pro *fluviorum* habet *Val. Fl.* 6, 391. ℙ *Virg. G.* 1, 482. ob metri necessitatem *fluviorum* trisyllab. dixit, ut saepe alias ārjētē pro ārietē: alii vero putant eundem *ib.* anapaestum pro dactylo usurpasse.

FLUXĒ, adv. fluenter. *Varr. R. R.* 2, 11. de lacte: Quod fit ab hordeo et firmo cibo pecude pasta, id alibile: ad perpurgandum, id quod a viridi pascuo; et eo magis fluxe ex herba, quae ipsa sumpta perpurgare corpora nostra solet, *h. e.* eo magis fluenter purgat. ℙ Translate est remisse, lente, negligenter. *Ammian.* 18, 7. More vitae remissioris fluxius agens.

*FLUXIBĬLIS, e, adj. *Vet. Interpr. Iren.* 2, 29. Eliquatio cum fluxibili materia. *B. A.*

FLUXĬLIS, e, adj. fluens, fluxus. *Tert. adv. Valentin.* 24. Fusile et fluxile liquoris est qualitas.

FLUXIO, onis, f. ῥοή, διαῤῥοια, actus fluendi, fluor, decursus. *Cic. Div.* 1, 49. Aquarum fluxiones. *Plin.* 22, 18, 21. Contra fluxiones, quas Graeci rheumatismos vocant. *Id.* 24, 19, 119. Sanguinis fluxiones e naribus. Et 28, 7, 21. Fluxiones oculorum. Et 23, 5, 53. Fluxiones vulvae et ventris sistere. Et 30, 7, 19. Dysentericos recreant femina pecudum decocta; et, si major fluxio sit, addunt, etc.

FLUXIPĒDUS. V. in v. seq.

FLUXIPĪLA Vestis videtur esse, quae fluxo est, longoque pilo. *Avien. Arat.* 287. de sidere Virginis: viduataque vertice summo Fluxipilae vestis vestigia. Al. leg. *Fluxipedae*, h. e. ad pedes fluentis: rectius.

FLUXURĀ, ae, f. fluxus, fluxio. *Colum.* 3, 2. *med.* Nam duae lanatae *(vites)* quamvis frondibus, et palmitum pari facie, fluxurae qualitate sunt dispariles, *h. e.* musti fluentis, dum uva exprimitur.

FLUXUS, a, um, part. a *fluo*, ῥευστὸς, qui fluit. *Plin.* 9, 38, 62. de purpuris: Capi eas post canis ortum, utilissimum; quoniam cum cerificavere, fluxos habent succos *Appul. de Mundo.* Elementa arida, atque fluxa, glacialia, et ignita. ℙ Translate. *Tac. H.* 2, 99. Lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi, *h. e.* quasi fluentia e manibus. *Sall. Cat.* 1. Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est. Et *Jug.* 112. Res humanae fluxae et mobiles. *Tac. A.* 13, 19. Nihil rerum mortalium tam instabile et fluxum est, quam fama potentiae. ℙ Fluxa fides est, quae cito deficit. *Sall. Jug.* 119. Fluxa fide uti. *Pl. Capt.* 2, 3, 79. fluxam fidem gerere. *Liv.* 28, 6. Fides fluxa et vana. *Id.* 40, 50. Veram pacem non fluxa, ut ante, fide Celtiberos fecisse. ℙ [*Item vanus, irritus. *Tac. A.* 3, 50. Studia illi, ut plena vecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quidquam grave ac serium ex eo metuas.] ℙ *Fluxus* etiam dicitur, qui defluxit, et decidit, vel qui prope est, ut decidat. *Tac. H.* 2, 22. Murorum neglecta, aut aevo fluxa cominus aggredi. ℙ Translate. *Id. ib.* 1, 21. Dum Galbae fluxa auctoritas, Pisonis nondum coaluisset. *Id. A.* 6, 38. Fluxam senio mentem alicui objicere. *Cic. Att.* 4, 2. et *ad Brut.* 1, 10. Res nostrae, ut in secundis, fluxae; ut in adversis, bonae. ℙ Sumitur et pro imbecillo, molli, enervi. *Tac. H.* 2, 32. Germanos fluxis corporibus, mutationem soli coelique haud toleraturos. [*V. de h. l. et de discrimine inter *fluxus* et *fluidus* in FLUIDUS.] *Mart.* 5, 41. Spadone cum sis eviratior fluxo. ℙ Item pro laxo. *Suet. Caes.* 45. Fluxiore cinctura cingi. *Lucan.* 2, 362. Fluxos amictus adstringere. *Tac. A.* 11, 31. Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens. ℙ Translate pro remisso, languido, negligenti. *Suet. Tib.* 52. Drusus animi fluxioris, remissiorisque vitae erat. *Tac. H.* 3, 76. Duces non vigilias agere, non intuta moenium firmare, noctu dieque fluxi, et amoena litorum personantes. *Sall. Cat.* 14. Animi molles, et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. *Plin. Pan.* 33. Spectaculum non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret, sed quod ad pulcra vulnera contemptumque mortis accenderet. *Gell.* 4, 20. de oscitatione: Indicium vagi animi, et alucinantis, et fluxae atque apertae securitatis, *h. e.* solutae, et manifestae confidentiae. ℙ Passive. *Appul. Met.* 2. Fontanos latices de corporibus humanis fluxos crederem. ℙ Denique *fluxus* dicitur, qui humore fluit, manatque. *Lucr.* 6, 19. Fluxum pertusumque vas. ℙ *Fluxi versus* dicuntur, qui soluto modo, et uberi metro vacillantes quatiuntur. *Diomed.* 3, 499.

FLUXUS, us, m. fluxio, fluor. *Cels.* 4, 19. in lemmate: De ventris fluxu. *Plin.* 2, 43, 44. Ventus non aliud intelligitur, quam fluxus aeris. Al. leg. *fluctus. Id.* 9, 25, 41. Fluxus gravidarum utero sistens. *Id.* 23, 1, 24. Picem meminisse debemus non aliud esse, quam combustae resinae fluxum. ℙ Translate. *Senec. ep.* 52. *med.* Impudicum et incessus ostendit, et manus mota, et relatus ad caput digitus, et fluxus oculorum. Alii leg. *flexus. Tert. Pall.* 4. *med.* Maeandrico fluxu delicatam vestem humi protrahere.

FO

[FŌCĀCĬUS, a, um, adj. in foco excoctus, ut Focacius panis (hinc est Italorum *focaccia*) ap. *Isid. Orig.* 20, 2. Subcinericius panis cinere coctus et reversatus; ipse est focacius. Alii leg. *focarius*, alii *focatius. F.*]

FOCALE, is, n προσγναθίδιον, fascia, qua aegroti et recituri obvolvebant fauces sive collum et aures: a *faux*, *faucis. Hor. Sat.* 2, 3, 254. ponas insignia morbi, Fasciolas, cubital, focalia. *Quint.* 11, 3. Fascias, quibus crura vestiuntur, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo. *Mart.* 14, 142. Si recitaturus dedero tibi forte libellum, Hoc focale tuas asserat auriculas, *h. e.* hoc focale non collo et faucibus, ne raucescant, sed auribus admoveas, ne mala carmina audias. ℙ *Cels.* 4, 2. *f.*, *Gell.* 11, 9. et *Mart.* 4, 41. et 6, 41. qui *fauces* memorant *multa lana circumdatas*, focale intelligunt. Quare nihil dicunt, qui in loco *Horatii* allato legunt *fasciolas*, *cubitale*, *focalia* prima correpta, et a *focus* derivata, putantes, significari vestem, qua aegri ad focum uterentur. [*V. *Heindf.* ad *Hor.* l. l.]

FOCĀNĔUS, a, um, adj. ad fauces pertinens, ut Focaneus palmes, ap. *Colum.* 4, 2. Vocatur etiam focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere, et idcirco eum praedicto vocabulo rustici appellant, quod inter duo brachia, qua se dividit vitis, enatus velut fauces obsidet. Adde 5, 6. *f.* et *Pallad.* 3, 12.

FOCĀRĬUS, a, um, adj. ad focum pertinens. *Focarius servus* est, qui circa focum ministrat. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. *med.* Caupones et stabularios aeque eos accipimus, qui cauponam et stabulum exercent, institoresve eorum. Ceterum si quis opera mediastini fungitur, non continetur, ut puta atriarii, et focarii, et his similes. *Id. ib.* 33, 7, 12. Instrumento putat contineri mulieres, quae panem coquant: item molitores: item focariam et villicam. *Pomp. ib.* 15. Et in cauponia institores, et focaria. ℙ Volunt etiam amicam militis *focariam* dici, quia focum ei struit. *Imp. Anton. Cod.* 5, 16, 2. Donationis causa, focariae tuae nomine instrumentum emptionis esse conscriptum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1107, 3. D. M. M. Aurelii Vitalis militis classis praetoriae Ravennatis Valeria Faustina focaria, et heres ejus bene merenti posuit. [*V. quae notavit ad hanc inscr. *Orell.* 2671. Idem 2672. aliam exhibet: A. Livinius negotiator suarius empto solo in dimidia *parte* sua monumentum sibi et Catiniae focariae obsequentissimae posuit.] ℙ *Focarius panis.* V. FOCACIUS.

FOCILLĀTIO, onis, f. *Festus.* Focus, fomenta, focillationes, foculi a fovendo, id est calefaciendo dicta sunt.

FOCILLĀTUS, a, um, part. a *focillo*, fotus, recreatus, confirmatus. Translate. *Suet. Aug.* 17. M. Antonii societatem semper dubiam et incertam varijsque reconciliationibus male focillatam abrupit. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Majo*) 5. *ep.* 40. habet *focilatus. F.*]

FOCILLO, as, a. I. et Focillor, aris, dep. I. ἀναλαμβάνω, foveo, calefacio, recreo, instauro: a *focus.* [*Nostr. *aufbäckeln.*] *Sen. ep.* 13. *f.* Pudet me sic tecum loqui, et tam levibus remediis te focillare. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 7, 110. Non in commune spectant, sed suum diversi commodum focillantur, *h. e.* fovent, curant, student.

FOCILO, as, avi, atum, a. I. idem quod focillo, foveo, θωπεύω. *Casaub.* derivat a faucibus, ut proprie sit aegras fauces apposita lana fovere. *Auct. Pan. ad Pis.* 114. Sed miserum parva stipe focilat, ut pudibundos, etc. Ubi al. rectius leg. *munerat.*

[FOCĬMENTUM, i, n. idem ac fomentum. *Not. Tir.* p. 134. Fomentum, focimentum, focis, focillat. *F.*]

[FOCIS, is, f. videtur idem esse ac focillatio. V. v. praec. *F.*]

FOCULA, orum, n. plur. τροφαὶ, nutrimenta ignis, teste *Non.* 1, 31.; at potius *focula* neutro genere est pro *foculi. Pl. Pers.* 1, 3, 24. Intus ventris fumant focula. *Id. Capt.* 4, 2, 67. Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus. Al. leg. *coculis.* V. COCULA.

FOCŪLO, as, a. I. est calorem foculo restituere, fovere. Ita *Non.* 1, 31., sed sine exemplo Latini scriptoris.

FOCŪLUS, i, m. parvus focus. *Pl. Capt.* 4, 2, 67. Laridum, atque epulas foveri foculis ardentibus. V. FOCULA. ℙ Ejus usus fuit etiam ad sacrificia. *Liv.* 2, 12. Dextram accenso ad sacrificium foculo injicit. *Cic. Dom.* 47. Bona Metelli consecravit, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Majo*) *ep.* 6. Apud omnes foculos, aras, lucos sacros, arbores sacratas, nam rure agebam, supplicavi. V. v. seq. *F.*] ℙ Per metonymiam idem est ac parvus ignis. *Juven.* 3, 262. patellas Jam lavat, et bucca foculum excitat. V. v. seq.

*FOCUNĀTES, ium, populi Alpini, in Rhaetia. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

FOCUS, i, m. ἑστία, id, quo ignis servatur: sive sit stabili loco in aedibus, sive qui possit quolibet circumferri. *Varr.* ap. *Isid. Orig.* 20, 10. et *Fest.*, et *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 118. a *fovendo* dictum putant. Sic *Ov. Fast.* 6, 301. At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus. *Plin.* 19, 1, 4. Ardentes in focis conviviorum ex eo vidimus mappas. Et 18, 11, 26. Offae ferventi foco, vel fictili patina torrentur. *Tibull.* 1, 1, 4. Dum meus assiduo luceat igne focus. *Cic. Senect.* 16. Sedere ad focum. *Hor. Epod.* 2, 43. Sacrum vetustis exstruat lignis focum. *Id. Od.* 1, 9, 5. ligna super foco Large reponens. ℙ Per synecdochen dicitur de privatis domibus. Hinc etiam Itali nunc

dicunt *città di cinquecento fuochi*, *h. e.* quae quingenas domos habet. [*Nostr. *Feuerstätte.*] *Hor. Ep.* 1, 14, 2. Agellus habitatus quinque focis. *Cic. N. D.* 3, 40. Certare pro aris et focis. *Id. Dom.* 40. Uniuscujusque vestrum sedes, aras, focos, Deos penates subjectos esse libidini tribuniciae. [*V. de formula: *pro aris et focis* in ARA. Huc etiam pertinere videtur locus ap. *Ter. Eun.* 4, 7, 45. Domi focique fac vicissim ut memineris.] ℙ De ara, seu potius de foculo, qui vel fictilis, vel aeneus, vel argenteus, et duabus ansis instructus circumferri solebat sacrificandi causa: hinc saepissime *ara focusque* simul nominantur a Latinis scriptoribus. *Veranius* ap. *Macr. Sat.* 3, 2. Exta porriciunto, Diis danto, aramve, focumve. *Cic. N. D.* 2, 27. Vis autem Vestae ad aras, et focos pertinet. *Tibull.* 1, 9, 74. Nec prodest sanctis tura dedisse focis. *Ov. A. A.* 1, 637. Expedit esse Deos, et, ut expedit, esse putemus. Dentur in antiquos tura merumque focos. Adde *Met.* 4, 752. et *Fast.* 4, 953. et *Prop.* 4, 5, 64. etc. V. v. praec. [ac praecipue *Marin. Frat. Arv.* p. 311. et seqq. de foculo docte disserentem. *F.*] ℙ De rogo. *Virg. A.* 11, 212. confusa ruebant Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae. ℙ Pro vase ferreo, aeneo, aut fictili, in quo cibi coquuntur. *Cato R. R.* 75. Panem in foco caldo sub testu coquito leniter. Et 76. Unguitoque ubi tracta erunt, focum, ubi coquas; calfacito bene et testum. (Adde 10. et 11.) *Senec. ep.* 78. *f.* Quia non circa coenationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est. Ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, coenam culina prosequitur. *Petr. Sat.* 35. clibanum vocat. V. CLIBANUS. ℙ De igne aut flamma. *Prop.* 4, 11, 54. Exhibuit vivos carbasus alba focos. *Id. ib.* 9, 10. de Caco: Per tria partitos qui dabat ora focos. Alii leg. *sonos.*

FODANS, antis, part. antiquum a *fodo* pro *fodio*. *Enn.* ap. *Fest.* in *Sibinam.* Illyrici restant, sicis sibinisque fodantes, *h. e.* transfodientes, vulnerantes. Al. leg. *fodentes*, ut sit a *Fodo*, *is.* V. FODO.

*FODICĀTOR, oris, m. ap. *Hieron. B. A.*

FODĪCO, as, a. 1. *νύττω*, frequent. a *fodio*, sed fere ponitur pro stimulare, pungere. *Hor. Ep.* 1, 6, 51. Emamus, qui fodicet latus. Al. leg. *fodiat.* ℙ Per translationem pro angere, sive dolore afficere. *Cic. Tusc.* 3, 16. Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinamur, dissimulatio, vel oblivio. *Pl. Bacch.* 1, 1, 30. Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt, animum fodicant.

FODĪNA, ae, f. *μέταλλον*, locus, ubi quid effoditur. *Ulp. Dig.* 27, 9, 3. Si lapidicinas, vel aliqua metalla pupillus habuerit, vel si cretae, argenti fodinas etc. Sic *auri*, *ferri fodina*, quae et junctis vocibus scribi solent.

FODĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *ὀρύττω*, terram, aliudve quippiam eruo, effodio. [*Derivant a gr. *βόθω* = *βοθρεύω*. Hinc prima vocis significatio intrans. est.] *Cic. Div.* 2, 65. Fodit: invenit auri aliquantum. [*Id. Or.* 2, 41. Quibus cognitis ille sibi ipse foderet, et id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore, inveniret. *Ter. Heaut.* 1, 1, 16. Quin te in fundo conspicer fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique. *Bentl.* pro *ferre* ex libris antiquis *facere.* ℙ Hinc *trans.* fodiendo colere. Sic *Pl. Poen.* 5, 2, 59. Fodere hortum; *Ov. Met.* 11, 33. Fodere arva; et trop. *Sil.* 14, 359. Fodere aequora remis. *Ov. Fast.* 3, 456. Cum levis (sc. Gorgoneus equus) Aonias ungula fodit aquas. ℙ Item quod effodere, maxime de metallis. *Liv.* 28, 3. Ager frugifer, argentum etiam incolae fodiunt. *Plin.* 36, 24, 59. Fodere e terra gypsum. *Colum.* 4, 13. Salix cum germinavit, crebro foditur, atque exherbatur. *Virg. Cul.* 392. Gramineam ut viridi foderet de cespite terram. ℙ Fodiendo facere.] *Plin.* 28, 2, 4. Fodere fundamenta. *Pl. Rud.* 2, 4, 19. puteum ferramentis. *Virg. G.* 1, 183. Aut oculis capti fodere cubilia talpae. *Caes. B. G.* 7, 73. Scrobes trium in altudinem pedum fodiebantur. ℙ Significat etiam pungere, stimulare, transfodere, [*Aucta scil. v. significatione.] *νύττω*. *Pl. Men.* 5, 5, 48. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies. *Virg. A.* 6, 882. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. *Mart. Spect.* 7. Vel domini jugulum foderat ense nocens. *Ov. Ib.* 627. Sic tua conjectis fodiantur pectora telis. *Tac. H.* 4, 29. Hostem pugionibus fodere. [*Id. A.* 2, 21. nuda ora fodere *H.* 1, 79. Levi gladio inermem Sarmatam cominus fodiebat. *Liv.* 8, 10. Hastis ora fodientes. *Id.* 21, 55. *Curt.* 4, 15, 31. Plura congessit *Drakenb.* ad *Liv.* 8, 10, 6. *Ov. Met.* 11, 535. Aliis murum fodientibus extra. ℙ Translate *Cic. Tusc.* 2, 14. Pungit dolor: vel fodiat sane. *Id. Phil.* 2, 34. Num exspectas dum te stimulis fodiam?] ℙ Item turpi sensu mulieres, et pueros vitiare. *Mart.* 7, 102. Quo fodiatur ager non habet, uxor habet. *Auct. Priap.* 53. Qui cum te male foderint jacentem Pulcre pensilibus peculiati, etc. ℙ Translate. *Sil.* 5, 159. fodiant magnas quae pectus in iras, *h. e.* ad iracundiam excitent stimulentque. Et 7, 511. Patrum Saturnia mentes Invidiae stimulo fodit. ℙ *Fodere latus* et *fodere* absolute, est alicui latus leviter manu icere admonendi causa: quod praecipue fiebat a nomenclatoribus, cum salutationis officium alteri in via dictabant. *Hor. Ep.* 1, 6, 50. Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum Qui fodiat latus, etc. *Ter. Hec.* 3, 5, 16. dic jussisse te. *Phid.* noli fodere: jussi. ℙ In infinito aliquando est quartae conjugationis. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse hortum fodiri. *Colum.* 11, 2. *med.* Seminaria commode fodiri possunt. *Pl. Mil.* 2, 4, 21. Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi fodiri. *Ulp. Dig.* 45, 1, 75. *f.* Fossam fodiri, domum aedificari. ℙ [Part. *Fodiens* ap. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 50. Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum. *Fossurus* ap. *Plin.* 21, 7, 19. Irin Pisidicam fossuri tribus ante mensibus hoc veluti placamento terrae blandirentur. *Fodiendus* ap. *Hirt. B. Alex.* 3, 9. Dat centurionibus negotium, ut reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferant. *F.*] ℙ [*Confunduntur *fodere* et *subire.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 7. p. 247. sq.]

FODO, as, a. 1. pro fodio, is, dixere veteres. *Festus.* Hinc *effodo*, *as* legunt aliqui ap. *Pl. Capt.* 3, 5, 66. octonos lapides alii effodant. Al. *effodint* pro *effoderint.* V. EFFODIO. Hinc *Fodans*, *antis*, quod V. supra suo loco.

FOECUNDUS cum derivatis, V. FECUNDUS.

*FOEDATĬO, onis, f. ap. *Symm. B. A.*

*FOEDATOR, oris, m. ap. *Gell. B. A.*

FOEDĀTUS, a, um, part. a *foedo*, pollutus. *Ov. Trist.* 1, 3, 93. crines foedati pulvere turpi. *Id. Met.* 14, 190. Brachia tabo foedata. ℙ Translate est contaminatus, violatus, corruptus. *Cic. Har. resp.* 15. Sanctissima sacella suffossa, incensa, inaedificata, oppressa, summa denique turpitudine foedata. *Virg. A.* 7, 575. foedatique ora Galesi, *h. e.* cruentati, et caesi. *Tac. H.* 3, 77. Julianus verberibus foedatus, in ore ejus jugulatur. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 3, 241. Ferro foedati jacent. *Val. Fl.* 2, 275. sine, foedatum te funere pontus Expiet. [*Tibull.* 4, 1, 57. Victa Maroneo foedatus lumina Baccho.] *Tac. A.* 4, 19. Foedata per avaritiam victoria.

FOEDĒ, adv. turpiter, inhoneste, deformiter, flagitiose. *Liv.* 3, 51. Nova fama de Virginia adeo foede ad libidinem petita motum accenderat. *Pl. Trin.* 4, 1, 14. Absque te foret, distraxissent satellites tui me miserum foede. *Id. Pers.* 2, 2, 48. Foede servire. *Liv.* 25, 8. Tam foede interempti. *Sall. Jug.* 33. Quam foede, quamque inulti perierint vestri defensores. *Tac. H.* 1, 41. Ceteri crura brachiaque foede laniavere. *Virg. A.* 10, 497. una sub nocte jugali Caesa manus juvenum foede. *Flor.* 1, 18. Legationem foede, per obscenam turpemque dictu contumeliam, violare. *Liv.* 6, 1. Ad Alliam cum exitio urbis foede pugnatum est. Et 2, 51. Foedius inde pulsi, quam etc. *Cic. Att.* 9, 7. *med.* Causam foedissime agere.

FOEDĔRĀTĪCUS, a, um, adj. ad foedera vel foederatos pertinens, ut Foederaticae discussiones, et expensae, ap. *Imp. Justin.* in *novell. constitut.* 147, 2. et 148, 2., quarum tamen authographum Graece exaratum fuit, Latina vero interpretetio ad sequiora pertinet tempora, ideoque nullius sunt auctoritatis.

*FOEDERATĬO, onis, f. *JCt.* in *Digest. B. A.*

*FOEDERĀTOR, oris, m. *JCt.* in *Cod. B. A.*

FOEDĔRĀTUS, a, um, part. a *foedero*, *συμμαχος*, qui foedere icto cum alio in societatem coivit. *Cic. Or.* 1, 40. Si quis apud nos servisset ex populo foederato. *Id. Arch.* 4. Si qui foederatis civitatibus adscripti essent. *Id. Verr.* 2, 4, 11. Mamertinorum foederatum atque pacatum solum. *Id. Balb.* 8. Ut omnium beneficiorum nostrorum expertes faciat foederatos. Et *ib.* Ut quibusdam populis sive foederatis, sive liberis permittendum esse videatur. ℙ Foederatae civitates, vel foederata oppida erant, quae cum populo Rom. amicitiam aliquo foedere contraxerant, sed suis legibus, et magistratibus vivebant. Nam nullum aliud jus habebant, quam societatis et foederis. Harum aliquae erant omnino liberae, aliquae vectigales, aliquae stipendiariae. Deinde aliquae erant foederatae foedere seu jure Latii, ut Praeneste, et Tibur; aliquae foedere Italico, ut Heraclea, Neapolis, Velia; aliquae foedere provinciae Galliae, ut Ravenna. Quaelibet urbs foederata suam rempubl. habebat ab aliis distinctam. Sed urbes foederatae provinciae Galliae minore erant libertate, et dignitate, quam Latii, et Italiae. Nam praeter suos magistratus communem praetorem Romanum, vel proconsulem habebant, qui imperium et jurisdictionem exerceret. [V. *Spanhem. Orbis Rom. exercit.* 2, 10. et *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 271. et seqq. *F.*]

FOEDĔRO, as, avi, atum, a. 1. foedus facio, concilio. *Ammian.* 31, 4. Cum foederaretur concordia. Et 25, 7. Foederata pace. *Hieron. ep.* 5. *n.* 1. Nascentes amicitias foederemus reciprocis epistolis, *h. e.* firmemus.

FOEDIFRĀGUS, a, um, adj. *παράσπονδος*, qui foedera frangit. *Cic. Off.* 1, 12. Poeni foedifragi, crudelis Annibal. ℙ Ex *Gell.* 19, 7. videtur colligi, etiam *foederifragus* dici posse.

FOEDĪTAS, atis, f. *αἰσχρότης*, turpitudo, deformitas. *Cic. N. D.* 2, 50. *extr.* Multae belluae insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Hipponacti notabilis foeditas vultus erat. *Id.* 35, 6, 35. Foeditates cicatricum. *Id.* 11, 33, 39. Foeditas, qua Sulla obiit. *Cic. Phil.* 12, 6. Cujus scelere in hac vestitus foeditate fuerimus, *h. e.* in sagis. Deforme enim erat (nisi belli legitimi causa intercederet) in Urbe sagis uti. *Liv.* 1, 28. de Mettio quadrigis discerpto: Avertere omnes a tanta foeditate spectaculi animos. *Cic. Off.* 3, 29. *med.* Si turpitudo in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et foeditas turpificati animi debet videri? *Quint.* 1, 5. Foeditas barbarismi ac soloecismi. *Liv.* 21, 58. Transeuntem Apenninum adeo atrox tempestas adorta est, ut Alpium foeditatem prope superaverit. Al. leg. *feritatem.*

FOEDO, as, avi, atum, a. 1. *μιαίνω*, *φθείρω*, polluo, inquino, corrumpo. *Ov. Met.* 8, 528. et *Virg. A.* 12, 99. Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles Foedat humi fusus. *Id. ib.* 3, 227. Harpyiae contactu omnia foedant immundo. Et *ib.* 2, 502. Aras sanguine foedare. *Plin.* 36, 23, 55. Nulla tectoria eorum rimae foedavere. *Virg. A.* 11, 86. Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora. *Id. ib.* 2, 241. obscenas ferro foedare volucres, *h. e.* ferire. *Pl. Amph.* 1, 1, 91. Foedant et proderunt hostium copias. [*Videtur haec vulnerandi significatio, fortasse a Livio quoque recepta, v. *Drak.* ad *Liv.* 8, 10, 6., ap. *Tac.* obtinere. V. *Walch.* ad *Agr.* 36. Miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare. *Boettich. Lex. Tac. s. v.*] *Liv.* 3, 26. Foedare agros. *Claud. VI. cons. Honor.* 538. aer assiduo noctem foedaverat imbre. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 286. Nubes foedavere lumen. ℙ Translate. *Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Nos quoque dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos, appellatione foedant. *Pl. Trin.* 3, 2, 30. Ut rem patriam, et gloriam majorum foedarim meum. *Tac. A.* 2, 33. Vestis serica viros foedat. *Id. G.* 46. Peucini procerum connubiis mixtis, nonnihil Sarmatarum habitum foedantur. *Id. A.* 11, 6. Sordidis ministeriis foedare eloquentiam. *Cic. Pis.* 23. Romam ipsam foedavit adventus tuus. *Id. Har. resp.* 23. Domestici belli exstinctorem nefario scelere foedavit, *h. e.* violavit, laesit. *Tac. H.* 4, 58. Si vobis non fuit cordi, haec castra incorrupta et intemerata servari; at certe pollui foedarique a Classico ne sinatis. Et 37. Egregia erga populum R. merita mox rebelles foedarunt. *Cic.* vertens *Aeschyli* versus *Tusc.* 2, 10. Qui me perenni vivum foedat miseria.

*FOEDUM, Antiqui dicebant pro Hoedo; Folus pro Olere; Fostem pro Hoste; Fostiam pro Hostia. *Festus. B. A.*

FOEDUS, a, um, adj. *αἰσχρός*, *μιαρός*, turpis, maculosus, deformis, foetidus, teter, corruptus. *Quint.* 6, 3. *med.* Cum ipse foedissimus esset, eum, contra quem aderat, ne faciem quidem liberi hominis habere dixit. (Adde *Ter. Eun.* 4, 4, 15. et sqq.) *Sall. Cat.* 55. Loca tetra, inculta, foeda, formidolosa. *Hor. Od.* 3, 6, 4. Foeda nigro simulacra fumo. *Id. Sat.* 1, 5, 60. at illi foeda cicatrix Setosam laevi frontem turparverat oris. *Id. ib.* 2, 3, 125. caput impexa foedum porrigine. *Id. A. P.* 392. homines victu foedo deterruit Orpheus. *Plin.* 29, 4, 17. Cimices foedissimum animal. *Id.* 20, 16, 63. Herba odoris foedi. *Lucr.* 2, 401. Foedus sapor. *Cic. Pis.* 14. Immanissimum ac foedissimum monstrum. *Liv.* 3, 32. Pestilentia foeda homini, foeda pecori. *Id.* 25, 7. et *Virg. G.* 1, 323. Tempestates foedae. *Liv.* 24, 47. *f.* Foedum incendium. *Ov. Met.* 9, 166. letiferam conatur scindere vestem: Qua trahitur, trahit illa cutem: foedumque relatu, Aut haeret membris frustra tentata revelli; Aut laceros artus et grandia detegit ossa. ℙ Translate est inhonestus, turpis, pudendus, infamiam afferens. *Cic. Att.* 15, 10. Ludos vero non facere, quid foedius? *Id. Har. resp.* 24. Foedior atque inquinatior in Pompejo accusando. *Id. Att.* 8, 11. *med.* Nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. *Id. Off.* 1, 34. Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. *Sall. Cat.* 19. Foedum hominem a republica procul esse volebat. *Val. Fl.* 6, 723. fuga foeda ducum. *Hor. Od.* 3, 5, 14. Foedae conditiones. *Id. Ep.* 2, 1, 236. scriptores carmine foedo Splendida facta linunt. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 2. Foeda exprobratio. *Ov. A. Am.* 3, 247. Foedus pudor. ℙ Aliquando ponitur pro crudeli simul, et turpi. *Virg. A.* 7, 619. aversusque refugit Foeda ministeria, *h. e.* recludendi templum Jani, et belli indicendi. *Cic. Att.* 7, 26. Ego bellum foedissimum futurum puto. *Ter. Eun.* 5, 5, 1. Facinus foedum. *Liv.* 3, 69. Spoliati vulneratique in agris, foediora iis, quae oculis subjiciebantur, nunciabant. Et 23, 7. Aestu

anima interclusa, foedum in modum exspirare. *Ov. Met.* 12, 366. Foedum vulnus, *h. e.* ingens, et horrendum. Et *ib.* 1, 165. Foeda convivia, *h. e.* in quibus humana caro infertur. *Flor.* 3, 5. *med.* Classem tempestas foeda strage laceravit. ℙ [*Item perniciosus, damnosus. *Liv.* 3, 32. Duo simul mala ingentia exorta, fames pestilentiaque, foeda homini, foeda pecori.]

FOEDUS, eris, n. *σπονδή*, pactio, fides, amicitia regum et populorum lege et religione sancita. *Cic. Sen.* 6. Cum sententia senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho. *Justin.* 12, 3. Foedus amicitiamque facere. *Cic. Phil.* 2, 35. Societatem foedere confirmare. *Id. Agr.* 1, 4. Agri, de quibus foedere cautum est. *Id. Arch.* 4. Heraclea, quae est civitas amplissimo jure ac foedere. *Id. Off.* 3, 31. Foedere devincire fidem cum hoste. *Liv.* 26, 24. Foedere jungi alicui. *Justin.* 24, 1. Alligari in foedera societatis. *Virg. A.* 11, 330. firmare. Et *ib.* 12, 822. jungere. Et *ib.* 10, 902. pangere cum aliquo. Et *ib.* 15. componere. *Tibull.* 1, 10, 1. foedera alicui dare, *h. e.* foedere alicui fidem dare. *Cic.* ad *Quir.* 5. sanguine sancire. *Virg. A.* 11, 292. coire in foedera. Et *ib.* 4, 334. venire in foedera. *Caes. B. G.* 6, 2. Aliquem sibi societate et foedere adjungere. *Liv.* 20, 19. Stare foedere. *Sall. Jug.* 17. Foedera nova accipere. *Ov. A. Am.* 1, 641. servare. *Justin.* 43, 5. summa fide custodire. *Virg. A.* 10, 91. solvere. Et *ib.* 12, 633. turbare. *Vell.* 2, 90. rescindere. *Cic. Balb.* 5. *extr.* negligere, violare, rumpere. *Id. Pis.* 12. frangere. *Id. Balb.* 4. Facere contra foedus. *Cato* ap. *Gell.* 10, 1. *extr.* De foedere decedere. *Plin.* 34, 5, 11. Praestare aliquid ex foedere. *Liv.* 20, 10. Res repetere ex foedere. Et 18. Licet per foedus hoc facere. ℙ *Icere, percutere, ferire foedus* ap. *Cic. Balb.* 15. et *Dom.* 50. et *Justin.* 42, 3. est facere, quia caesa victima mos fuit foedus jungere: cujus rei rationem ac ritum habes ap. *Liv.* 1, 24. et 9, 5. et *Virg. A.* 12, 161. et seqq. ℙ Duplex fuit apud Romanos foederis genus: primum *foedus aequum* appellatum inter eos populos vel reges, qui nunquam hostes fuerant aut bello pares exstiterant, in quo utrinque aequo jure societas et amicitia jungebatur, quale fuit cum Carthaginiensibus ante primum bellum Punicum; alterum vero *foedus iniquum*, inter victores et victos, in quo his leges ab illis imponebantur, quale saepissime cum Graecis civitatibus, et regulis, quin etiam et cum regibus majorum gentium inierunt Romani. *Liv.* 23, 5. Adjicite ad haec, quod foedus aequum deditis. *Id.* 7, 30. Ut qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus. *Id.* 35, 46. Nullam enim civitatem se in Graecia nosse, quae aut praefectum habeat, aut stipendium Romanis pendeat, aut foedere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. V. *Spanhem. Orbis Rom. exercit.* 2. c. 10. V. FOEDERATUS. ℙ Alia foederum genera, *pactio*, *sponsio* et *foedus* proprie dictum: de quibus V. in PACTIO. Sed haec communi *foederis* significatione non raro denotantur: nam sponsionem Caudinam *Cic. Inv.* 2, 30., *Gell.* 17, 21. *med.* et *Florus* 2, 18. vocant *foedus;* item Numantinam *Off.* 3, 30. ℙ Translate dicitur de privatis cujuscumque rei pactionibus. *Cic. Fin.* 2, 26. Foedus quoddam inter se facere sapientes, ut quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos. *Id. Coel.* 14. Foedera amorum. *Justin.* 7, 3. Pignus ac foedus hospitii. *Ov. Trist.* 3, 6, 1. amicitiae. *Id. Met.* 7, 403. thalami, *h. e.* conjugium, quod *Stat.* foedera vitae *Theb.* 2, 112. appellat: et foedera, absolute, *ib.* 166. Rursus *Ov. Pont* 4, 13, 43. communia foedera studii. [*Plura exempla praebet *Gloss. Liv.* s. h. v.] ℙ Item de lege et ordine certo rerum. *Virg. G.* 1, 60. Continuo has leges, aeternaque foedera certis Imposuit natura locis. *Id. A.* 1, 66. regemque dedit (*ventis*) qui foedere certo, Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas. *Colum.* 10, 220. secretaque foedera coeli. [*Ita saepissime ap. *Lucret.*] ℙ *Foedus* pro foeditate. *Ulp. Dig.* 23, 2, 47. Nec enim honos ei servatur, quae se in tantum foedus deduxit. Ita *Torrent.* Al. *scelus.* ℙ [*Permutantur in codd. *foedus* et *fides.* V. *Drak.* ad *Liv. Ep. l.* 9.]

FOELIX. V. FELIX.

FOEMEN. V. FEMUR.

FOEMINA etc. V. FEMINA.

FOENĀRĬUS, a, um, adj. *χορτώδης*, ad foenum pertinens. *Varr. L. L.* 4, 31. Foenariae falces.

[FOENĀRĬUS, ii, m. foeni venditor. Foenariorum collegium, eorum nempe, qui foenum in foenilibus asservatum divenderent, Romae erat, *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 9. M. Ulpius Aug. L. Aeglus procurator Mausolaei imaginem Corintheam Trajani Caesaris collegio faenariorum D. D. *F.* *V. ap. *Orell.* 4187 et 4194.]

FOENĔUS, a, um, adj. *Cic. fr. pro Cornel. de majest.* ap. *Ascon.* Homines foeneos in medium ad tentandum periculum projectos. Ubi haec adnotat *Ascon.* Simulacra effigiesque hominum ex foeno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum praebendum tauri incitarentur. [*V. *Salmas.* ad *Spartian. Pescenn.* 12. Occurrit et in cod. *Theod.* et junguntur foenei defectique. V. *Gothofr. Gloss. Cod. Theod. Ernest.* in *cl.*]

FOENĬCŬLĀRĬUS, a, um, adj. ad foeniculum pertinens, [ut *Foenicularius* campus, locus nempe in Hispania Tarraconensi, ita appellatus, teste *Strab.* 3, 4., a copia foeniculi, quam gignit. *F.*] *Cic. Att.* 12, 8. Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in Foenicularium, an in Martium campum cogitet, *h. e.* utrum Caesar bellum in Hispania sit persecuturus, an Romam ad comitia venturus; seu utrum candidatos in campum Foenicularium, an in campum Martium evocare cogitet, utrum scilicet liberam sit creandorum magistratuum potestatem permissurus, necne. Ita recte interpretantur *Lips. Elector.* 2, 20. et *Schützius* ad *Cic. l. c.* [*Ultima addidit *F.;* nam *Forc. Manutii* tantum interpretationem attulerat.]

FOENĬCŬLUM, i, n. *μάραθρον*, herbae species. *Plin.* 20, 23, 95. Foeniculum nobilitavere serpentes, gustatu senectam exuendo, oculorumque aciem succo ejus reficiendo: unde intellectum est, hominum quoque caliginem praecipue eo levari.

FOENĪLĔ, is, n. *χορτοδοχεῖον*, locus, in quo asservatur foenum. *Virg. G.* 3, 321. nec tota claudas foenilia bruma. Adde *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. et *Colum.* 1, 6.

FOENĪSĔCA, ae, m, idem ac foenisex. *Colum.* 2, 18. Ut necubi ferramentum foenisecae possint offendere. *Pers.* 6, 40. Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes, *h. e.* oleo condire coeperunt pultes, quas olim nullis vitiatas condimentis edere solebant. V. *Plinii* locum in FOENISEX.

FOENĪSĔCĬA seu Foenisicia, ae, f. idem ac foenisecium. *Varr. R. R.* 1, 49. Atque addere foenisiciae cumulum. Adde 47. et 56.

FOENĪSĔCĬUM vel Foenisicium, ii, n. *χορτοκοπία*, foeni sectio, et veluti messis foeni. *Colum.* 2, 18. Altero tamen anno minora pecora post foenisecia permittemus admitti. *Varr. R. R.* 1, 17. Vindemias ac foenisicia administrare. Adde 2, 11. et 3, 2. et *L. L.* 4, 31.

FOENĪSECTOR vel Foeni sector, oris, m. foenisex. *Colum.* 11, 1. *med.* Arator reperitur aliquis bonus, et optimus fossor aut foenisector.

FOENĪSEX, ĕcis, m. *χορτοκόπος*, qui foenum secat. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 5. Fuit hoc (*foenisecium*) majoris impendii apud priores: Creticis tantum transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato foenisex incedebat. *Varr. R. R.* 1, 49. Falcibus consectanda, quae foeniseces praeterierunt.

FOENUM et Faenum et Fenum, i, n. *χόρτος*, herba resecta et arefacta in pabulum. *Cic. Or.* 2, 57. Docebo sus, ut ajunt, oratorem eum, quem cum catulus nuper audisset, foenum alios ajebat esse oportere. ℙ Foeni secandi et condendi rationem docent *Varr. R. R.* 1, 49., *Colum.* 2, 19. et *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. et 5. ℙ In plurali num. *Appul. Met.* 3. *f.* In asini faciem foena rodebam. Al. melius leg. *frena.* ℙ *Foenum habet in cornu*, proverb. ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 34. de iis, qui ad ulciscendum paratissimi sunt, si vel minime laedantur, tractum a bobus cornupedis, quorum in cornu bubulci manipulum foeneum alligare solent, ne ictu noceant, et obvii ad cavendum admoneantur. ℙ *Foenumgraecum* et *foenum Graecum* [*Fönnkraut, Bockshorn.*] herba est, alio nomine silicia, aut siliqua, quae in babulum bubus seritur, levi aratione proscisso agro: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. *Plin.* 18, 16, 39. et *Colum.* 2, 11. *med.* ℙ Ad scriptionem quod attinet, per diphthongum *ae* scribi in *Pandect. Florent.* testatur *Dausq.* in *Orthogr.* Sunt etiam qui *fenum* malint, ut sit ab eadem origine, unde *fecundus* et *fetus*, inter quos est *Fest.* in *Fenus.* Frequentior tamen est ea scriptio, qua *oe* adhibetur, teste eodem *Dausquio:* [ita enim scriptum in Inscriptione, quam vide in V. FOENARIUS, ii; adde pluries in antiquis lapidibus mentionem fieri gentis *Faeniae*, quae a *foenum* derivari videtur, nunquam vero Foeniae. *F.*]

FOENUS, oris etc. V. FENUS.

FOETĔO vel Feteo, es, n. 2. *δυσωδέω*, male oleo. *Mart.* 5, 4. Foetere multo Myrtale solet vino. *Pl. Asin.* 5, 2, 44. An foetet anima uxori tuae? *Colum.* 9, 14. Abstineat a foetentibus acrimoniis allii, vel caeparum.

*FOETERŌSUS, a, um, adj. *Zeno Veron.* Panni foeterosi, *h. e.* foetidi. *Id.* Prandia foeterosa. *B. A.*

*FOETESCO, is, n. idem ac foeteo. *Isid. Orig.* 20, 3. Aqua vetusta foetescit. *B. A.*

FOETĬDĬTAS, atis, f. idem ac foetor. *Senec. ep.* 110. *med.* At mehercule ista sollicite scrutata, varieque condita, cum ventrem subierint, una atque, eadem foetiditas occupavit. Meliores tamen libri habent *foeditas.*

FOETĬDO, as, a. 1. foetidum reddo. *Pl. Merc.* 3, 3, 13. Jejunitatis plenus animam foetidas. Ita legit *Non.* 4, 2., ubi potius legendum videtur: Jejunitatis plenus, anima foetida. Alii vero minus recte: Jam plenus aetatis, animaque foetida.

FOETĬDUS, a, um, adj. *δυσώδης*, male olens. *Cic. Pis.* 6. Et cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasset. *Cels.* 3, 2. Foetidiores dejectiones. ℙ Translate. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 245. Foetida libido.

FOETOR, oris, m. *δυσωδία*, malus odor. *Colum.* 12, 18. Ne quem redoleat foetorem acoremque. *Plin.* 28, 8, 27. Foetores oris emendare. [*Cic. *Pis.* 10. Jacebat in suo et Graecorum foetore atque vino. ℙ Translate *Suet. Aug.* 86. Reconditorum verborum foetores.]

*FOETŌSUS, a, um, adj. i. q. foetus. *Sarisb.* 8, 17. Oves foetosae. Adde *Vulgat. Psalm.* 143. v. 13. *B. A.*

FOETŪLENTER, adv. cum foetore, ut Foetulenter mingere. *Veg. Vet.* 3, 4. [*Ed. *Gesn.* habet: *faeculentum.*]

FOETŪLENTUS, a, um, adj. foetidus. *Arnob.* 7. p. 225. Foetulenta viscera. *Appul. Apol.* Nihil immundum pati ac foetulentum.

FOETUS, a, um. } V. FETUS.
FOETUS, us, etc. }

FOETŪTĪNA, ae, f. locus foetore oppletus. [*Non.* 1, 320. Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut feratrina, ut foetutina. *F.*] ℙ Translate. *Appul. Apol.* p. 278, 7. Lingua mendaciorum praeministra semper in foetutinis et olenticetis suis jaceat. [*Prob. Valer.* apud *Gell.* 13, 20. *in.* Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis, non finitiones illas praerancidas, neque foetutinas grammaticas spectaveris; sed aurem tuam interroga, *h. e.* ineptas grammaticorum leges. *F.*]

[*FOLEUM, i. q. oleum. *Inscr.* ap. *Orell.* 5037. ubi corruptam lapidis scriptuarum FOLCUM ita restituens, notandam hanc pronuntiationem docet *Osann.*]

[FOLĬA, ae, f. nomen proprium mulieris. *Hor. Ep.* 5, 41. Non defuisse masculae libidinis Arminensem Foliam. *F.*]

FOLĬĀCĔUS, a, um, adj. *φύλλινος*, ex foliis factus, vel foliis similis. *Plin.* 19, 7, 36. Paucis foliacea, et lata, ut atriplici, sunt semina. Adde *ib.* 3, 15.

FOLĬĀTĪLIS, e, adj. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 535. Vento motus iners simulans foliatilis umbrae.

FOLĬĀTŪRA, ae, f. ratio, et modus foliorum, *Vitr.* 2, 9. *a med.* Arboris ejus sunt similes cupresseae foliaturae.

FOLĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *folio*, foliis instruo, folia habens. *Plin.* 21, 16, 59. Caule foliato est et crepis, et lotos. Adde *ib.* 15, 54. et *Pall.* 4, 10. *de citreo, f.* ℙ *Foliatum, i*, subaudi *unguentum*, est unguenti genus, constans omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo, ut *Plin.* 13, 1, 2. docet. Dicitur *foliatum* a folio nardi; unde et *nardinum* appellatur. V. FOLIUM. *Juven.* 6, 464. Moechis foliata parantur. *Mart.* 11, 27. At mea me libram foliati poscat amica. *Id.* 14, 110. Hac licet in gemma, quae servat nomina Cosmi, Luxuriose, bibas, si foliata sitis, *h. e.* si foliato in potionibus tuis uti volueris: nam, teste *Plin.* 13, 3, 5., etiam in potus unguenta addere; aliquando mos fuit.

FOLĬOLUS, a, um, adj. *φυλλώδης*, foliis abundans. *Plin.* 25, 13, 102. Aizoum fruticosum a radice, et foliosum usque ad cacumen. *Id.* 12, 11, 23. Arbor foliosior, roscique floris.

FOLĬUM, ii, n. *φύλλον*, germen arborum, herbarum, et florum: a Graeca voce, quae allata est, quia duobus *λλ* concurrentibus Latini interdum posterius in *i* mutant, ut *ἄλλος*, alius. *Cic. Or.* 3, 46. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam. *Id. Pis.* 40. Arida folia laureae. *Plin.* 16, 24, 28. Latissima folia fico, angusta myrto, capillata pino, aculeata aquifolio, carnosa cupresso, circinata piro, mucronata malo, angulosa hederae, insecta pectinum modo piceae, sinuosa robori: disposita myrto, concava buxo, inordinata pomis, ramulosa ulmo. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 3. Raphani folia angulis horrida. *Id.* 25, 13, 102. pinguia, alia in terram convexa, alia stantia. *Id.* 21, 15, 55. fimbriata. *Id.* 26, 8, 29. multis incisuris. *Id.* 16, 23, 35. Populo nigrae folia in juventa circinatae rotunditatis sunt, vetustiora in angulos exeunt. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 5. faseolis venosa. ℙ *Pluma et folio facilius moveri*, proverbialis locutio ap. *Cic. Att.* 8, 15. de homine levissimo, et minime constanti. ℙ Translate. *Appul. Met.* 1. p. 106, 8. Folia sunt artis, et nugae merae, *h. e.* res vanae, et nullius pretii. *Juven.* 8, 126. Credite me vobis folium recitare Sibyllae, *h. e.* rem certam proponere. Sibylla enim oracula sua foliis inscribebat, ut est ap. *Virg. A.* 3, 444. et *ib.* 6, 74. et *Varr.* ap. *Serv. ib.* In foliis palmae interdum notis, interdum scribebant sermonibus. ℙ Dicitur et de chartis. *Plin.* 37, 7, 29. Gemmas a sole excalfactas, aut digitorum attritu paleas, et chartarum folia ad se rapere. Ita *Hard.* ex MSS. Al. leg. *fila.* ℙ *Folium nardi* frutex est

gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui, situm redolente, ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque: cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote nardi spicas et folia celebrant. Usum habet in unguentis, ac praesertim in eo, quod *foliatum* dicitur. *Plin.* 12, 12, 45.

[*FOLLĔĀTUS, a, um, part. ab inus. *folleo, as*, pro *folleo, es*, follicans. *Isid. Orig.* 19, 34. Lingulati calcei sunt, quos nos folleatos vocamus. V. LIGULA. *B. A.* et *F.*]

FOLLĔO, es, n. 2. more follis laxus sum. *Hieron. ep.* 22. *n.* 28. Si pes laxa pelle non folleat. V. v. seq.

[FOLLESCO, is, n. 3. idem ac folleo. *Not. Tir.* p. 159. Follis, follescit. *F.*]

FOLLĪCANS, antis, part. ab inus. *follico*, frequent. a *folleo*, more follium se contrahens, dilatansque. *Appull. Met.* 9. p. 222, 38. Muli senes, vel cantherii debiles circa praesepium capita demersi, contruncabant moles palearum, cervice cariosa vulnerum putredine, follicantes nares languidas assiduo pulsu tussedinis hiulci. *Tert. Pall.* 3. Chamaeleon oscitans vescitur, follicans ruminat: de vento cibus. *Hieron. ep.* 22. *n.* 34. Laxae manicae, caligae follicantes, *h. e.* in quibus pes vagus natat, ut ait *Ov. A. A.* 1, 516.

FOLLĪCŬLĀRIS, e, adj. Folliculare appellatur pars remi, quae folliculo est tecta: a quo vita follicularis. Haec *Festus*, quibus videtur significare partem remi pelle munitam, qua scalmo incumbit: quam Graeci *ἀοχωμα* appellant, *Hesychio* teste: vel lorum, quo remus scalmo alligatur. Et *vitam follicularem* videtur intelligere eorum, qui remo sunt addicti.

[FOLLĪCŬLŌSUS, a, um, adj. folliculis plenus. *Appul. Herb.* 53. Papaver agreste, folliculosum. Mecona Latini papaver dicunt. Ejus alia est usualis *(species)*, quae etiam folliculosa vocatur, alia agrestis. Al. leg. *follicosum*, et *follicosa*, eodem tamen sensu. *F.*]

FOLLĪCŬLUS, i, m. *θυλάκιον*, dimin. follis, et generatim accipitur pro omni eo, quod turgidum est et laxum in morem follis: speciatim pro majore pilae genere, quod ex aluta conficitur, et solo vento impletur, quod tamen *follis* frequentius appellatur. *Suet. Aug.* 83. Post bella civilia ad pilam folliculumque transiit. ℙ Item pro sacculo, et saepe pro sacco coriaceo. *Liv.* 9, 13. *f.* Eques in castra folliculis frumentum veheret. *Auct. ad Her.* 1, 13. et *Cic. Inv.* 2, 50. Statim folliculo lupino os obvolutum est. ℙ Translate dicitur de thecis, seu siliquis frumenti, leguminum, et cujuslibet alterius rei, quae granum, aliudve quippiam continet involutum. *Col.* 2, 8. Quoniam folliculum, quo continetur, firmum et durabilem adversus longioris temporis humorem habet. *Sen. ep.* 124. Cum spica se exserit folliculo. *Petr. Sat.* 135. Dentibus folliculos fabae perite spoliare. *Varr. R. R.* 1, 48. Gluma est grani folliculus. Et *ib.* Folliculus fici. *Plin.* 24, 9, 40. Semen genistae in folliculis, faseolorum modo, nascens. Et *ib.* 8, 33. Humor in folliculis ulmi nascens cuti nitorem inducit. *Id.* 30, 12, 37. Folliculus fellis animalium. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 136. folliculum muliebrem appellari ait vulvam, qua fetus continetur. ℙ Pro corpore, quo continetur anima, vel pro cute, qua ipsum corpus involvitur, *Lucil.* ap. *Non.* 2, 327. Ego, si quis sum, et quo folliculo sum indutus, non queo.

[FOLLĪGĔNĂ, ae, adj. comm. gen. folle genitus, ut Folligenae bombi, qui nempe excitantur in organo pneumatico. *Laurentii Epithalam.* in *Antholog. Lat. Burm. T.* 2. p. 64. Jubila folligenis exclamant organa bombis. Ita legend. probat *Wernsdorf.* in *not.* ad *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 402. pro mendosa lectione *Huia folligeris e. o. vocis.* V. ORGANUM. *F.*]

FOLLIS, is, m. *φῦσα*, instrumentum, quo attrahitur ventus atque emittitur ad ignem excitandum: a sono, quem sufflando edit. *Cic. N. D.* 1, 20. Formae, quas vos effici sine follibus, et sine incudibus non putatis. [*Liv.* 38, 7. Folle fabrili flando accenderunt.] *Virg. G.* 4, 171. alii taurinis follibus auras Accipiunt, redduntque, alii stridentia tingunt Aera lacu. *Id. A.* 8, 449. ventosi folles. *Hor. Sat.* 1, 4, 19. conclusas hircinis follibus auras. *Pers.* 5, 11. Folle ventos premere. ℙ Item pilae genus omnium maximum, constans ex aluta vento inflata, quod etiam hodie Italis plurimo est in usu, ita dictum, quod instar fabrilis, vel coquinarii follis vento turget. *Mart.* 14, 47. Folle decet pueros ludere, folle senes. *Pl. Rud.* 3, 4, 16. Ego te follem pugillatorium faciam. ℙ Quandoque accipitur pro marsupio, receptaculoque nummorum, ex pelle aut corio confecto. *Juven.* 14, 281. et tenso folle reverti Inde domum possis, *h. e.* pleno sacculo. *Callistrat. Dig.* 35, 1, 82. Non utique si servus in folle reliqua obtulerit, liber erit, *h. e.* si pecuniam in marsupio, non inspiciendam numeratamque obtulerit. *Veg. Mil.* 2, 20. auctor est, ex disciplinae militaris consuetudine decem folles, hoc est, decem saccos, per singulas cohortes solere disponi, in quibus militum pecunia condebatur. ℙ Pro ipsa tandem pecunia coepit usurpari. *Lampr. Elag.* 22. Cum haberet in sorte centum aureos, et mille argenteos, et centum folles aeris. [*V. *Salmas.* ad h. l.] *August. C. D.* 22, 8. *med.* Quasi a martyribus quinquaginta folles, unde vestimentum emeret, petivisset. *Id. adv. Crescent.* 3, 29. Populo dedit viginti folles. *Id. ib.* Grandem piscem trecentis follibus vendidit. De follis valore. V. *Gronov. de pecun. vet.* 4, 13. et 16. Hinc etiamnum apud Turcas certam pecuniae summam Itali *borsa (Beutel)* appellant. ℙ Follis etiam dicebatur pulvillus sedentibus subjectus, qui non tomento, aut pluma inferciebatnr, sed vento inflabatur. *Lampr. Elag.* 25. Vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes. ℙ Translate. *Juven.* 7, 111. de causidicis: Tunc immensa cavi spirant mendacia folles, *h. e.* pulmones, vel buccae et fauces magno spiritu causas perorantes. *Macr. Sat.* 7, 4. *med.* Ventris duo sunt orificia, quorum superius recipit devorata, et in follem ventris recondit.

FOLLĪTIM, adv. cum folle, per follem. *Pl. Epid.* 3, 2, 14. Nihil moror vetera et vulgata verba, Peratim ductare; at ego follitim ductitabo. Est autem *follitim ductitare*, argento circumducere, quantum nempe in folle gestatur: *peratim* vero *ductare*, minore quidem, nam pera minor folle est.

FŌLUS, antiqui dicebant pro holus. *Fest.* in *Fedum.* V. DIGAMMA.

FOMENTĀTIO, onis, f. idem ac fomentum. *Ulp. Dig.* 32, 1, 70. Ne ea quidem, quae fomentationis gratia parata sunt, vel medicinae, lanarum appellatione continentur.

FOMENTO, as, a. 1. fomenta admoveo, foveo. *Veg. Vet.* 2, 8. Caput fomentando vaporare. *Coel. Aur. Acut.* 1, 9. Caput oleo fomentare.

FOMENTUM, i, n. *θάλψις*, calefactio, nutritio: a *foveo*, quasi sit syncop. pro *fovimentum*. Hinc ap. medicos *fomenta* dicuntur applicationes rerum calidarum et humidarum ad partes corporis laesas, medendi gratia. [*Bähungen.] *Cels.* 2, 17. *med.* Fomenta calida. *Colum.* 6, 30. Adhibere fomenta. *Hor. Sat.* 1, 1, 82. Assideat, fomenta paret, medicum roget. [*Suet. Aug.* 81. Quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus.] ℙ Translate ponitur pro remedio et mitigatione. *Cic. Tusc.* 2, 24. *extr.* Haec sunt solatia, haec fomenta sum morum dolorum. [*Id. Fin.* 2, 29. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet. *Tac. A.* 1, 46. Militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.] *Appul. Met.* 2. p. 124, 8. Paupertati suae fomenta conquirere. ℙ Item pro alimento et pabulo. *Hor. Ep.* 1, 3, 26. frigida curarum fomenta relinquere. [*Id. Ep.* 11, 17. Ut haec ingrata ventis dividat Fomenta (amoris), vulnus nil malum levantia.] ℙ Et pro fomite ad alendum ignem. *Clodius* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 180. Se ex arboribus fomenta excidisse.

FŌMES, itis, m. *ὑπέκκαυμα*, materia arida, idonea ut facile ignescant: a *foveo*, qui ignem fovet, et alit. *Virg. A.* 1, 178. silici scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam. *Lucan.* 8, 776. Excitat invalidas admoto fomite flammas. *Plin.* 16, 40, 77. Quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillimo conceptu. ℙ Translate. *Gell.* 15, 2. Fomitem esse quendam dicens et incitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagraret. *Prud. Apoth.* 942. fomes peccati. ℙ Quidam veteres auctores apud *Fest.* putant *fomites* vocari scintillas, quae ex ferro candenti malleis excutiuntur, [vel assulae, quae sunt securibus excussae. *F.*]

*FOMĪTO, as, idem esse videtur *Is. Vossio* ad *Catull. carm.* 19. v. 3. quod *defomito*, ubi est Priapi periphrasis, *Quercus arida rustica Fomitata securi*, h. e. desecta, et fomitibus resecandis atque abradendis polita. *B. A.*

FONĒMA. V. PHONEMA.

*FONES, Dii silvatici in *Gloss. Isidor.* Cf. *Martian. Capell.* 2. p. 41. Idem fortasse qui Fauni, nisi plane ex hoc corrupta vox. Alii ap. *Capell.* legunt *Fines*, quod non displicet *Grotio. B. A.*

[FONĪO, onis, m. vel f. nomen incerti Numinis apud Aquilejenses. *Philippus a Turre* Martem, a *φόνος*, caedes; *Muratorius* vero *loc.* mox *citand.* Famam fuisse putat, a *φωνή*, vox. *Inscr.* ap. *Mur.* 101, 2. Fonioni sacrum Seja Ionis magistra D. D. Alia ap. *eund.* Annia M. F. Magna, et Cornelia Ephyre magistrae Bonae Deae porticum restituerunt, aediculam Fonionis. *F.*]

FONS, fontis, m. *πηγή, κρήνη*, locus, unde perennis aqua erumpit, et ipsa aqua jugis erumpens: [*Döderl. 2, 155. originem vocis invenire sibi videtur in gr. v. *πίνω, πόω.*] *Varr. L. L.* 4, 26. Fons, unde funditur e terra aqua viva. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium. *Id. Top.* 8. Rivorum a fonte deductio. *Hirt. B. G.* 8, 41. Magnus fons sub oppidi murum prorumpebat ab ea parte, etc. *Caes. B. C.* 3, 49. Fontes celeriter aestibus exarescunt. *Ov. Met.* 14, 788. flumina fontis, *h. e.* aquae currentes. *Id. Fast.* 5, 210. hortus liquidae fonte rigatur aquae. *Hor. Od.* 4, 14, 45. Nilus, qui fontium celat originem. *Id. Ep.* 2, 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus: Somnos quod invitet leves. *Id. Od.* 1, 26, 6. Fontes integri. *Lucan.* 4, 266. largi. *Val. Fl.* 3, 553. Fons nitidus. *Ov. Met.* 14, 791. fecundus. Et *ib.* 15, 550. gelidus. Et *ib.* 3, 407. illimis, nitidis argenteus undis. Et 161. tenui perlucidus unda. *Hor. Od.* 3, 13, 1. splendidior vitro. *Lucan.* 10, 40. Nilum a fonte bibere. Et 279. Nilum de fonte bibere. ℙ Per synecdochen dicitur de aqua. *Virg. A.* 12, 119. fontemque ignemque ferebant. *Lucan.* 5, 336. si cuncta minentur Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes. ℙ Translate est origo, principium, causa, unde quippiam abunde suppetit. *Pl. Truc.* 2, 7, 50. Meo ne hero tu, improbe, male dicere audes, fons vitii et perjurii? *Petr. Sat.* 24. O hominem acutum, atque urbanitatis vernulae fontem! *Cic. Or.* 2, 27. Tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre. *Id. ad Brut.* 1, 10. Sceleratissimorum consiliorum fontes aperire. *Id. Or.* 1, 10. Greges philosophorum ab illo fonte et capite Socrate. *Id. Tusc.* 1, 3. *extr.* Fontes philosophiae. *Quint.* 6, 1. *f.* eloquentiae. *Plin.* 17, 5, 3. *med.* Fons ingeniorum Homerus, *h. e.* unde omnes hauriunt discendi causa. *Cic. fr.* ap. *Lact.* 3, 16. Omnis justorum disputatio uberrimos fontes virtutis et scientiae continet. *Id. N. D.* 3, 19. Haec omnia ex eodem fonte fluxerunt. *Id. Or.* 2, 11. Ex his fontibus omnia ornate dicendi praecepta sumuntur. *Flor.* 3, 6. *med.* Cilicia origo et fons belli. *Lucr.* 3, 82. Fons curarum est timor. *Hor. A. P.* 309. Scribendi recte sapere est et principium et fons. Et 52. verba quae Graeco fonte cadunt. *Id. Od.* 3, 6, 19. Hoc fonte derivata clades Inque patres, populumque fluxit. *Liv.* 39, 15. *med.* Is fons mali hujusce fuit. *Hor. Sat.* 2, 4. *extr.* fontes ut adire remotos, Atque haurire queam vitae praecepta beatae. *Juven.* 10, 119. Largus et exundans ingenii fons, *h. e.* vis, copia, flumen. *Plin. ep.* 4, 13. *f.* Altius aliquid, et quasi a fonte repetere, *h. e.* ab origine prima. *Justin.* 13, 6. Placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem et caput regni, ubi Olympias esset, mater Alexandri. Adde *Liv.* 27, 4. ℙ In ablativo etiam *fonti* pro *fonte* dici posse, colliges ex *Varr. L. L.* 8, 64.

FONTĀLIS. V. FONTANALIS.

*FONTĀNĂ, ae, f. idem ac fons. *Innocent. de casis* p. 245. *Goës.* Casa sub se habet aliam fontanam. *B. A.*

FONTĀNĀLĬĂ seu Fontinalia, um, n. plur. feriae erant fontibus dicatae III. Id. Octobr. quo die et coronae in fontes conjici, et putei coronari solebant. *Varr. L. L.* 5, 3. et *Festus. Vet. Kalend. Amitern.* ap. *Foggin. Fast. Verrii Flacci* p. 100. III. Kid. Octobr. Fontinalia. Feriae Fonti.

FONTĀNĀLIS seu Fontinalis, e, adj. fontanus. *Vitr.* 8, 3. Fontanalis aqua. *Fest.* Fontinalis porta Romae. [Haec porro fuit in veteri Romae ambitu inter portas Coelimontanam, et Ferentinam, ejusque meminit etiam *Liv.* 35, 10. et *Inscr.* ap. *Grut.* 624, 11. Dis Manibus A. Apidii Majoris tabellarii a porta Fontinali. *F.*] ℙ *Fontinalis*, substant. pro Deo fontium. *Pl. Stich.* 5, 4, 17. Utrum Fontinali, an Libero imperium te inhibere mavis. Est qui legit *Fontali*, quod improbat *Taubman.* ℙ [*Fontinalis* fuit etiam cognomen R., nempe A. Aternii consulis an. U. C. CCC. V. ATERNIA. *F.*]

FONTĀNĔUS, a, um, adj. idem ac fontanus. *Solin.* 37. *extr.* Enydros *(gemma)* exsudat, ut clausam in eo putes fontaneam scaturiginem.

FONTĀNUS, a, um, adj. *πηγαῖος*, qui ex fonte est. [*Cels.* 2, 18. Aqua levissima pluvialis, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo. *F.*] *Colum.* 12, 9. Extrinsecus munda spongia vasa pertergere, et aqua fontana quam recentissima refrigerare. *Ov. Fast.* 1, 269. ora fontana, *h. e.* fontium scaturigines. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 773, 1. A. Acilius L. F. Fontanus. ℙ *Fontani, orum*, m. plur., fontium curatores, quorum collegium Romae fuit: huic praeerant sex magistri. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 279. *n.* 170. Illud servabitur fontanis, quod obtinuerunt apud suos judices. Alia ap. *eund.* p. 332. *n.* 495. Minervae Aug. sacrum *(sequuntur nomina sex magistrorum)* Magistri fontani pecunia sua posuerunt. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 556. P. Clodius Fortunatus QuinQuennalis collegio fontanorum. Alia ap. *Cardinal. Iscriz. Velit.* p. 59. Cornelius Meponius classi fontanorum pavimentum, areae straturam, exhibuit, *h. e.* collegio fontanorum. *F.*]

FONTEJĀNUS, a, um, adj. ad Fontejum pertinens, quod est nomen propr. civis R., ut Fonte-

janum nomen, *Cic. Har. resp.* 27. Fontejanus ager, *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 10.

*FONTEIUS, i, m. nom. propr. virorum R., ut P. Fonteius, cujus causam egit *Cicero* in *Orat. pro Font.* ℙ *Fonteia, ae, f.* nom. propr. feminarum, ut Fonteia virgo Vestalis, Fonteii supradicti soror. *Cic. pro Font.* 17. *B. A.*

FONTĪCOLA, ae, adj. comm. gen. qui ad fontem habitat. *Aug. Mus.* 3, 7. Ite igitur Camenae, Fonticolae puellae.

FONTĪCŬLUS, i, m. πηγήδιον, diminut. parvus fons. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 1. Exsiliente dulci fonticulo. *Hor. Sat.* 1, 1, 56. Ex fonticulo sumere.

FONTĪGĒNAE, arum, f. plur. Musae, Nymphae, quod circa fontes libenter habitent, vel ex fontibus ortum trahant. *Capell. carm.* 6, 1. O sacra doctarum prudentia fontigenarum. Et 9, 308. Fontigenarum virginum chorus.

FONTĪGER, ra, rum, adj. fontem habens. Inscr. sublestae fidei ap. *Grut.* 93, 11. Numine fontigero grates ex undique solvens.

FONTĪNĀLIS. V. FONTANALIS.

FOR, aris, fatus sum, fari, dep. 1. λαλέω, loquor, dico, narro: a φάω, aperio, unde Latinum *faor*, deinde *for, aris*, ut ab ἀμάω, *amo, as*, et *amor, aris*. Verbum est defectivum, cujus primam et secundam personam *for, aris* agnoscunt *Diomed.* 1, 375. et *Prisc* 8, 791. et alii; usitata vero tempora, personae, modi in subjectis apparent exemplis. Quod ad significationem attinet, vult *Varr. L. L.* 5, 7. proprie dici de pueris, cum primum significabilem vocem ore emittunt: ab eo, antequam ita faciant pueri, *infantes* dici; cum id faciunt, jam fari. Hinc *Suet. Aug.* 94. Cum primum fari coepisset, obstrepentes ranas silere jussit. *Gell.* 5, 9. Filius Croesi, cum jam per aetatem fari posset, infans erat. *Hor. Od.* 4, 6, 18. fari nescios pueros. *August. Conf.* 1, 8. Non enim eram infans, qui non farer. ℙ Dicitur tamen universim de omni aetate. *Cic. Univ.* 11. Tum ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur. *Id.* vertens *Homeri* versus *Iliad.* 7, 90. ap. *Gell.* 15, 6. Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria vivet. *Val. Fl.* 8, 184. cursu, quem fabor, eundum est. *Prop.* 4, 4, 1. Tarpejum nemus, et Tarpejae turpe sepulcrum Fabor, et antiqui limina capta Jovis. *Virg. A.* 1, 261. fabor enim, quando haec te cura remordet. *Id. ib.* 6, 389. Fare age, quid venias. Et 531. age, fare. Et *ib.* 11, 242. ita farier infit, pro *fari*, paragoge. *Val. Fl.* 5, 552. fare, an patriam spes ulla videndi. Et 2, 131. Adfore jam luxu, turpique cupidine captos Fare viros. *Lucan.* 2, 241. farique his vocibus orsus. *Val. Fl.* 3, 616. sociosque simul sic fatur ad omnes. Et 641. nil super Hercule fari. *Senec. Troad.* 197. Haec fatus alta voce. *Varr. L. L.* 5, 4. Praetor, qui tum fatus est. *Virg. A.* 2, 323. Vix ea fatus eram. Et 50. Sic fatus. *Id. ib.* 12, 25. sine, me haec haud mollia fatu Sublatis aperire dolis. *Solin.* 3. *med.* Lapis fatu dignissimus. *Virg. A.* 10, 225. fandi doctissima Cymodocea. Et *ib.* 1, 524. data copia fandi. Et *ib.* 4, 293. mollissima fandi Tempora. ℙ Interdum *fari* est vaticinari, divinare. *Senec. Oed.* 328. Quid sit parens, effare. *Tir.* quid fari queam Inter tumultus mentis attonitae vagos? Et 291. Sacrate Divis, proximum Phoebo caput, Responsa solve: fare, quem poenae petant. *Ennius* ap. *Prob.* ad *Virg. Ecl.* 6, 31. Atque Anchises doctu', Venus quem pulcra Dearum Fari donavit, divinum pectus habere. Adde *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 31. infra. ℙ *Fando* duplicem vim habet activam, et passivam, ut adnotarunt *Diomed.* 1, 333., et *Prisc.* 9, 811. Activam, ut in illo *Virg. A,* 2, 6. quis talia fando Temperet a lacrimis? *Val. Fl.* 4, 170. his fando si nuncius exstitit oris. *Stat. Th.* 1, 655. quid fando tua tela, manusque Demoror? Passivam, (et dicitur de iis, quae rumore et fama accipiuntur) ut ap. *Cic. N. D.* 1, 29. Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim violatum ab Aegyptio. *Pl. Amph.* 2, 1, 41. neque fando unquam accepit quisquam. *Sil.* 10, 484. si Porsena fando Auditus tibi. Adde *Ov. Met.* 15, 497. ℙ *Fatur* passive, *h. e.* dicitur. *Suet.* ap. *Prisc.* 8, 793. Fasti dies sunt, in quibus jus fatur. ℙ *Famino* imperat., fare, dicito, *Festo* teste. *Cato R. R.* 141. Janum Jovemque vino, prece famino, *h. e.* affare, adora. Alii leg. *Vino praefamino.* ℙ Part. *Fans* ap. *Pl. Pers.* 2, 1, 7. Tu meum ingenium fans non edidicisti atque infans. *Virg. A.* 6, 46. cui talia fanti. *Prop.* 3, 5, 19. Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus. *Fandus* est *Pacuvii* ap. *Cic. Div.* 1, 31. Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet. *Lucan.* 2, 176. inexpleto non fanda piacula busto. Et 1, 634. non fanda timemus, Sed venient majora metu. *Virg. A.* 1, 547. At sperate Deos memores fandi, atque nefandi, *h. e.* justi, et injusti. *Catull.* 64, 406. Omnia fanda, nefanda malo permixta furore Justificam nobis mentem avertere Deorum.

FORĀBILIS, e, adj. qui forari potest. *Ov. Met.* 12, 170. Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu.

FORĀGO, inis, f. ilum est, auctore *Festo*, quo textrices opus diurnum distinguunt: a forando dictum, quia forabant eo filo telam, ut signo hoc distinguerent pensa. *Symm. ep.* 6, 68. (al. 67.) Residens inter pensa et foragines puellarum. *Gloss. Isid.* Forago, trames diversi coloris.

FORĀMEN, inis, n. ὀπή, parva apertura: a *foro, as. Cic. Tusc.* 1, 20. Foramina illa, quae patent ad animum a corpore, *h. e.* aurium, oculorum, etc. *Plin.* 11, 28, 34. Crebris foraminibus excavare. *Hor. A. P.* 203. Tibia tenuis, simplexque foramine pauco. *Ov. Met.* 4, 122. vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues, stridente foramine, longe Ejaculatur aquas. *Colum.* 9, 15. *med.* Foramina parietum et fenestrarum. ℙ Item aditus, exitus. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 348. Neque porta, neque ullum foramen erat, qua posset eruptio fieri.

FORĀMĪNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *foramino*, foraminibus scil. instruo, ut Foraminatus paries, *Sidon. ep.* 2, 2.

FORĀMĪNOSUS, a, um, adj. τρηματώδης, foraminibus abundans. *Tert. Pat.* 14. Foraminosa caro.

*FORARĬA, ae, f. appellatur mulier, quae fructus villae venales, poma, nuces, etc. defert in *forum. Blond. Triumph. Rom.* 9, 182. A. *B. A.*

FORAS, adv. ἔξω, extra, adv. motus ad locum. *Cic. Coel.* 23. Domus, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit. *Ter. Ph.* 3, 1, 20. Eccum ab sua palaestra exit foras. *Virg. Ecl.* 8, 101. Fer cineres, Amarylli, foras. *Pl. Mil.* 2, 3, 37. Edere se foras, *h. e.* exire, erumpere. *Ter. Eun.* 5, 5, 3. Misera huc effugi foras. Et 1, 2, 18. Foras quempiam excludere. Et 3, 5, 51. Promere se foras. *Id. Ph.* 5, 7, 65. et *Cic. Phil.* 10, 3. Efferre foras. Et *Att.* 13, 22. dare. *Id. Cat.* 2, 1. Evomere, forasque projicere. *Id. Somn. Scip. f.* Eminere foras. *Pl. Stich.* 1, 3, 66. auctionem facere decretum est mihi; Foras necessum est, quidquid habeo, vendere. *Id. Ep.* 1, 2. *f.* Ambulare foras. *Ter. Ad.* 5, 8, 26. Agellus, quem locitas foras, *h. e.* extraneis locas. ℙ Cum genitivo. *Appul. Apol.* Quae tabes si foras corporis prospiravit, etc. ἐκτὸς τοῦ σώματος. ℙ Cum accusativo. *Hieron. Comment. in Matth. c.* 27. *v.* 33. Extra urbem, et foras portam. ℙ *I foras* formula viri divortium cum uxore facientis. *Pl. Cas.* 2, 2, 36. I foras, mulier. *Mart.* 11, 104. Uxor vade foras, aut moribus utere nostris. ℙ *Feri canem foras*, h. e. feriendo ejice, Latine dicebant, teste *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 2, 3, 66. Homo certe quatietur cum dono foras, *h. e.* quatiendo ejicietur. ℙ Cum verbis status, v. gr. *coenare foras.* V. FORIS adv. ℙ *Malum foras*, formula proverbialis malum deprecandis. *Tert. adv. Valent.* 10. *f.* Malum, quod ajunt, foras.

FORAS-GĔRŌNES, um, m. plur. qui omnia foras exportant. *Pl. Truc.* 2, 7, 1. Ite damnigeruli, foras-gerones, bonorum hamaxagogae.

*FORATH, Asiae oppidum, in Susiana, ad Pasitigrim fluvium. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

FORĀTUS, a, um, part. a *foro. Colum.* 5, 10. *f.* Forata arbor. *Macr. Sat.* 7, 3. Bene foratas habere aures. *Senec. Brevit. vit.* 10. Forati animi, *h. e.* nihil excipientes, ac servantes, quasi pertusi.

FORĀTUS, us, m. τρῆσις, actus forandi. In sexto casu sing. *Lact. Opif.* 8. A quo foratu frontem nominatam Varro existimavit. Adde *Tert. Pall.* 4. Aurem foratu effeminatus.

FORBĒA, ae, f. φορβειὰ vel φορβή, omne genus cibi: a voce Graeca allata, quae a φέρβω, pasco. *Festus.*

FORCEPS, cipis, m. et f. πυράγρα, instrumentum fabrum ferrariorum, chirurgorum, aliorumque, ad aliquid capiendum retinendumque. A *formus* et *capio* derivant, quasi *formucapes.* V. FORMUCALES. *Virg. G.* 4, 175. Cyclopes versant tenaci forcipe ferrum. Et *A.* 12, 404. prensatque tenaci forcipe ferrum. *Ov. Met.* 12, 277. ferrum, quod curva forcipe faber eduxit. *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 74. et uncis Forcipibus dentes evelleret. *Cels.* 7, 5. telum forcipe extrahere, educere. Et 12. Dentem forcipe excipere. Et *mox.* Recta forceps ducendus est, ne, etc. *et paulo post.* item 8, 4. *med.* Radix dentis ad id facto forcipe, quam ῥιζάγραν Graeci vocant, eximenda est. ℙ In machina tractoria forceps est ferramentum cuneatum, quod oneri infixum, apprehendit et continet. *Vitr.* 10, 2. Ad rechamum imum ferrei forcipes religantur, quorum dentes in saxa forata accommodantur. V. FORFEX. ℙ Per similitudinem dicuntur *forcipes* de extremitatibus brachiorum, et veluti manibus in cancris, scorpionibus, et similibus. *Plin.* 11, 28, 34. Cornua praelonga quibusdam scarabaeis bisulcis dentata forcipibus in cacumine, cum libuit, ad morsum coeuntibus. *Id.* 9, 31, 51. Cancris bina brachia denticulatis forcipibus. ℙ In re militari est genus aciei. V. FORFEX. In genitivo plurali habet etiam *forcipium* pro *forcipum.* Ita enim jubent critici legi illud *Lucil.* ap. *Charis. l. c.* scalprorum forcipiumque Millia viginti.

FORCILLO. V. FURCILLO.

FORCTIS pro *fortis* olim dictum fuit. Itaque ubi ait *Festus:* Fortis, frugi, et bonus, sive validus: *forctis* alii legi volunt. Adde *eund.* in *Sanates*, ubi apparet esse verbum XII. Tabular. [*V. *Eund.* s. v. Horctus, a gr. ἕρκτος, i. e. munitus. *B. A.*]

FORCŬLUS, i, m. Deus apud veteres, qui foribus praeerat: a *foris*, quasi Foriculus. *August. C. D.* 4, 8. *extr.* [*Adde *Tert. Idol.* 15. *De cor. mil.* 13. *B. A.*]

FORDA, ae, et antiquitus Horda, f. βοῦς ἡ ἐγκύμων, bos praegnans: a *ferendo*, quia fert in ventre, vel ab accus. φορράδα, *bestiam gravidam. Ov. Fast.* 4, 631. Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo. *Col.* 6, 24. Post unum coitum forda non admittit taurum.

FORDĪCĪDĬUM, ii, n. sacrificium, quo boves fordae, idest gravidae, immolabantur: a *forda* et *caedo. Varr. L. L.* 5, 3. et *Festus.* V. HORDA. ℙ Celebrabantur fordicidia in honorem telluris, XVII. Cal. Maji, ut colligitur ex *Ov. Fast.* 4, 629. et sqq. [*V. *Gierig.* in *Ind.* rerum ad *Ov. Fast.*]

FORE, ἔσεσθαι, futurum infinitivi anomal. verbi *sum. Caes. B. G.* 1, 39. *extr.* Nonnulli Caesari nunciabant, non fore dicto audientes milites. *Cic. Or.* 3, 61. Fore, dicis? Ego vero esse jam judico. *Sall. Jug.* 118. Nunquam ego ratus sum fore, ut etc. [*De constructione *fore, ut, qui*, circumscribendo infinitivo serviente, aut in rebus, quarum ad incertum aliquod tempus futurum eventus pertineat; aut in verbis infinitivo futuri carentibus. V. *Ramsh. Gr. lat.* p. 630. sq. ubi largam utriusque generis exemplorum copiam habebis.] ℙ Interdum nullam futuri temporis significationem habet, et ponitur pro *esse.* Est enim *fore* (si etymologis credimus) pro *fure* seu *fuere*, quod est praesens infiniti ab inusit. *fuo*, sum. *Gell.* 15, 1. Si quid posset remedii fore, ut ne tam assidue domus Romae arderent. *Cic. Att.* 5, 21. *in.* Deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum. *Liv.* 6, 42. *f.* Deûm immortalium causa libenter id facturos fore *Id.* 37, 39. Instare hiemem, aut sub pellibus habendos milites fore, aut etc. [*Prae ceteris *Tacitus* hunc dicendi usum frequentat. Praeter *Tac. Livius* quoque multus est in his vocibus, praecipue cum conditionem exhibet sententia, ut — *foret — nisi.* Ita *Böttich.* in *lex. Tac.* s. h. v. Recte quidem! Sed nunquam *fore* absolute ponitur pro *esse;* semper enim conditionis ratio quaedam subest, ut recte docet *Ramsh. Gr. Lat.* p. 604. sq. ubi nubem exemplorum invenies.]

FOREM, es, et, et in 3. pers. num. plur. forent, idem est ac essem. *Sall. Jug.* 26. Vellem, ut et haec, quae scribo, vana forent. *Nep. Lys.* 3. Quam vere de eo foret judicatum. *Pl. Rud.* 1, 3, 37. Qui minus servio, quam si forem serva nata? *Virg. A.* 8, 130. Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis. ℙ Et pro fuissem. *Phaedr.* 3, 10. Qui cum de puero multa mentitus foret, Adjecit, id, quod etc. *Ov. Her.* 6, 144. si intrasses portus etc. Hiscere nempe tibi terra roganda foret. Adde *Phaedr.* 5, 5. Sed haec ad enallagen pertinere possunt, qua tempus pro tempore ponitur. [*V. quae notavimus in v. praecedente.]

[FORENSĬANUS, i, m. idem ac forensis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 104, 8. L. Hermonius Forensianus. *F.*]

FORENSIS, e, adj. δικανικὸς, ad forum judiciale pertinens, ut *Forenses causae*, quae in foro judiciali agitantur, *Forensis homo*, qui in foro versari, et causas agere consuevit, *Forensis rhetorica*, quae foro judiciisque est accommodata. *Cic. Fin.* 2, 6. Sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi. *Ov. Pont.* 4, 6, 29. Marte forensi valere, *h. e.* eloquentia. *Quint.* 5, 10. *med.* Rusticus, forensis, negotiator, miles aliud atque aliud efficiunt. ℙ *Forensis turba* dicebatur ingens hominum numerus, qui praeter aerem lucemque nihil possidebant: sic dicti, quia in foro otiosi, quasi agrariis et frumentariis largitionibus inhiantes, versabantur, et seditiosissimo cuique magistratui facile se dedebant. His adjutoribus P. Clodius Ciceronem ex urbe expulit. *Liv.* 9, 46. Ex eo tempore in duas partes discessit civitas: aliud integer populus, fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat. [*Hinc cum contemptu quodam dicitur ap. *Quint. Inst.* 12, 1, 25. Non enim forensem quandam instituimus operam, nec mercenariam vocem, etc.] ℙ *Forensia vestimenta* erant, quibus in forum prodeuntes utebantur, his opponuntur domestica. *Suet. Aug.* 73. Forensia autem et calceos nunquam non intra cubiculum habuit. Adde *Liv.* 33, 47. *extr.* Latius hoc intelligi potest de iis, quae foris fiunt, et opponuntur, quae domi. *Col. praef.* 12. *med.* A natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri ad exercitationem forensem et extraneam. V. integr. loc. Addit *paulo post.* Quod necesse erat foris et in aperto victum quaerentibus etc.

*FORENTĀNI, orum, incolae Forenti. *Plin.* 3, 7. Fuit autem *Forentum, i, n.* Apuliae oppidum, hodie *Forenza. Liv.* 9, 20. *Hor. od.* 3, 4, 16. edd. *Cuningh.* et *Jani*, ubi aliae edd. habent *Ferenti*, minus recte. *B. A.*

FORES. V. FORIS.

*FORETĀNI, orum, populi Italiae, inter Isteros, vel Venetos. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

*FORETĬI, orum, φωρήτιοι, Latii populi. *Plin.* 3, 5. ubi *Harduinus* legere mavult *Forienses* (Forenses), provocans ad *Festum* in *Novae curiae:* ubi *Forensis (curiae)* mentio fit. Ad quem locum notat *Scaliger: Forenses* sunt, quos Strabo *Forulos*, Plinius *Foretios* vocat. *B. A.*

FORFEX, icis, f. ψαλίς, instrumentum ferreum, quo filum, telam, pannos, et alia incidimus. Differt a *forcipe*, quia *forfice* incidimus, *forcipe* capimus. *Col.* 12, 43. Alii cum legerunt uvam, si qua sunt in ea vitiosa grana, forficibus amputant. *Calp. Ecl.* 5, 73. ne sit acuta Forfice laesa cutis. *Cels.* 7, 21. Omentum forfice praecidere. *Mart.* 7, 95. Qualem *(barbam)* forficibus metit supinis Tonsor Cinyphio Cilix marito. ℙ Quamquam haec differentia non est perpetua: nam *forfex* pro *forcipe* passim legitur. *Vitr.* enim 10, 2. ferreos forfices (et masc. genere usurpat) appellat ferrea manubria, quae in saxa ferrata immittuntur ad ea tractoriis machinis sublevanda. Al. tamen leg. *forcipes.* ℙ Est etiam *forfex* genus aciei instructae in militia, ad figuram forficis apertae: et cuneo opponitur. *Cato* ap. *Fest.* in *Serra*, *Gell.* 10, 9. et *Veg. Mil.* 3, 18.

FORFĬCŬLA, ae, f. ψαλίδιον, dimin. forficis. *Plin.* 25, 5, 23. Quod incisum forficulis, cribrant. ℙ Translate dicitur de extremitatibus brachiorum, et veluti manibus, in cancris, scorpionibus, et quibusdam locustis. *Plin.* 32, 11, 53. Praeterea brachia duo binis articulis, singulisque forficulis denticulatis. Al. leg. *forficibus.*

FORI, orum, m. plur. καταστρώματα, sunt tabulata navium, vel locus in navi apertior, qui iter navem perambulantibus praebet. *Isid. Orig.* 19, 2. scripsit, Fori, navium latera concava, a ferendo onere dicta: sive tabulata navium, quae sternuntur, dicta ab eo, quod incessus ferant, vel foris emineant. Sunt igitur parvae illae semitae intra naves, per quas nautae ultro citroque discurrunt: item loca, ubi sedent vectores: item ubi nautae sedentes remigant, ut *Charis.* 1, 19. et *Diomed.* 1, 314. docent. *Virg. A.* 6, 411. Inde alias animas, quae per juga longa sedebant, Deturbat, laxatque foros. *Cic. Sen.* 6. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. ℙ In singulari num. *Gell.* 16. *ult.* Arion stans in summae puppis foro, carmen voce sublatissima cantavit. Adde *Enn.* ap. *Isid. l. c.* ℙ In neutro genere *fora* navium dixit *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 55. ℙ Item *fori* dicuntur circensia spectacula, id est, loca erecta, ut ex iis spectetur. *Liv.* 1, 35. Ubi sibi spectacula quisque faceret, fori appellati. Adde 45, 1. et *Fest.* in *Forum.* ℙ *Fori* etiam in agris sunt angustiores quidam sulci, et oblongi, qui sarculo effodiuntur in horto excolendo. *Col.* 10, 93. Angustosque foros adverso limite ducens, Rursus in obliquum distinguat tramite parvo. ℙ De variis favorum ordinibus, ubi apes consistunt: ea ratione, qua *foruli* dicuntur capsulae librorum. *Virg. G.* 4, 249. Incumbent generis lapsi sarcire ruinas, Complebuntque foros, et floribus horrea texent. ℙ *Forus aleatorius* ap. *Suet. Aug.* 71. est tabula, seu alveus lusorius, ut volunt *Salmas.*, *Gron.*, *Burm.*, nam alii aliter judicant. V. FORUM. Huc trahit *Gron. de pec. vet.* 4, 3. illud *Manilii* 5, 317. ponitque forum, se datque Lyaeo, *h. e.* statuit in mensa alveum lusorium, eoque, et vino se oblectat. Alii interpretantur, seponit forenses curas.

FORIA, orum, n. plur. stercora liquidiora: unde *conforio*, et *foriolus. Non.* 2, 352. ℙ *Foria, ae*, ap. *Varr. R. R.* 2, 4. est morbus suum: et videtur solutionem alvi significare.

FORICA, ae, f. ἀφεδρών, locus, in quem alvi stercora dejicimus: et dici videtur proprie de publico: ut de privato latrina: a *foriis. Juven.* 3, 38. Quemlibet occidunt populariter: inde reversi Conducunt foricas. ℙ [Sunt tamen, qui rectius putant, *foricas* (quae et *foriculae* vel *foriculi* fortasse appellatae fuerunt, unde est *foriculiarium*) *fuisse tabernas publico sumptu fabricatas*, et *foro vicinas* (vel potius ad portum Ostiensem positas), ut ait *Vet. Schol.* ad *Juven. l. c.*, in quibus promercalia deponebantur, quaeque similia videntur fuisse iis, quae nunc in nostris emporiis *dogane di transito* dicuntur. V. FORICULIARIUM. *F.*]

FORICĀRIUS, ii, m. foricarum conductor. *Paul. Dig.* 22, 1, 17. §. 5. Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit; ut solet a foricariis, qui tardius pecuniam inferunt, item ex vectigalibus. Perperam quidem leg. *Fornicariis.*

FORICŬLA, ae, f. valvulae ad fenestras occludendas. *Varr. R. R.* 1, 59. Ut oporothecae fenestras habeant, atque ut eae perflentur, curant: neque tamen sine foriculis, ne, cum humorem *(poma)* amiserint, pertinaci vento victa fiant. ℙ Est etiam diminutivum foricae, quam voc. v.

*FORICULĀTA VESTIS laudatur ex *Plin.* 8, 48. Undulata vestis prima e laudatissimis fuit: inde foriculata defluxit. Sed fluctuat lectio, nec inter se consentiunt VV. DD. Alii leg. *soriculata*, alii *surculata*, alii *sororiculata. B. A.*

FORICŬLIĀRIUM, ii, n. vectigal, quod mercatores pro mercibus in publicis alicujus emporii foricis seu foriculis, depositis solvere solebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 6. et *Mur.* 573, 4., eadem vero emendatior ap. *Mar. Iscriz. Alb.* p. 28. Imp. Caesar M. Aurelius Antoninus Aug. Germanicus Sarmat., et Imp. Caesar L. Aurelius Commodus Aug. Germanicus Sarmat. hos lapides constitui jusserunt propter controversias, quae inter mercatores et mancipes ortae erant; uti finem demonstrarent vectigali foriculiarii, et ansarii promercalium secundum veterem legem semel dumtaxat exigundo. Alia *ib.* Quidquid usuarium invehitur, ansarium non debet. In *Cod. Hermog.* 3. ap. *Schulting. Jurisprud. ante-Just.* p. 710. Ideo proconsul, si partium vestrarum allegatione solutam ansariam pro aliena re cognoscit, ut tradat vobis hanc ipsam cum fructibus rem, aequitatis ratione provisum est. *Hic videtur legend.* solutum ansarium. ℙ *Murat. l. c.* putat, *foriculiarium* (quod ipse, aliique contra lapidis tidem *foricularium* scribunt) fuisse vectigal, quod foricarum, seu latrinarum nomine impositum aliquando fuerit, quemadmodum urinae imposuit Vespanianus Aug. (V. *Suet. Vesp.* 23.): item *ansarium* fuisse, quod ob vasa ansata ad ventrem exonerandum, solvebatur. ℙ At ex locis veterum supra allatis, illud vero similius videtur, *foriculiarium* fuisse vectigal, quod Romae in foro, sive potius ad portum Ostiensem, mancipes ex mercatoribus semel tantummodo exigebant pro mercibus rerum promercalium in foricis seu foriculis publicis (V. FORICA) depositis, quae loca nunc vocamus *dogana di transito (Transitozoll):* aliud porro vectigal, *ansarium* appellatum, fuisse, quod nunc Itali vocant *ancoraggio (Ankerzoll)*, pro navibus intra portum ad ancoras deligatis, quarum navium funes ansis, *h. e.* ferreis anulis detinerentur. Hujusmodi interpretationem probant illa supra allatae Inscriptionis verba *vectigali foriculiarii, et ansarii promercalium semel dumtaxat exigundo*, quae profecto *Muratorii* sententiae minime congruunt; obfirmat etiam vox *promercalium*, qua nempe significantur res promercii causa omnibus in portu occurrentibus mercatoribus venui prostantes, pro quibus vectigal foriculiarii et ansarii, *h. e. magazzinaggio (Niederlagezoll)* et *ancoraggio*, mancipibus seu foricariis, qui foricas publicas conduxerant, erat solvendum; cum e contrario *usuariae* merces dicerentur, pro quibus in usus civium illic degentium sepositis mercatores portorium tantum, *h. e. (Eingangszoll)* portitoribus, seu publicanis solvere solebant. Hinc *Gell.* 4, 2. *f.* distinguit *promercalia* ab *usuariis;* illa enim promercii tantum causa exteris mercatoribus, haec annuo civium usui reservabantur. Eadem fere habet *Paul. Dig.* 33, 9, 4. §. 2. et *Alfen. ib.* 32, 1, 60. §. 2. [*Hujus loci, quem paucis *Forc.* absolverat, egregiam curam gessit F.]

*FORICŬLUS, i, m. deus putabatur, qui foribus praeerat: sicut Cardinea, dea quae cardinibus; Limentinus, deus qui limini. Al. leg. *Forculus.* V. *Forculus. B. A.*

FORĪNA. V. FURINA.

FORINSĔCUS, adv. ἔξωθεν, ab exteriori parte: a *foris*, ut *intrinsecus* ab *intra. Plin.* 13, 22, 42. Lignum omnes corticis loco habent, hoc est forinsecus. *Col.* 8, 3. Ab cohorte forinsecus fenestellis scandulae injungantur. ℙ Est etiam idem ac foras. *Appul. Met.* 9. p. 138, 34. Insuper plagis castigatum puerum forinsecus abjicit.

FORIO, is, n. 4. ventrem deonero, excrementa liquida ejicio: videtur esse a φορύνω, foedo; hinc ap. *Hesych.* φόρυς, podex. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 3, 38. Forire est onus foras ejicere, deonerare ventrem.

FORIŌLUS, i, m. qui ventre soluto est, et foria facile emittit: a *foriis. Laber.* ap. *Non.* 2, 352. Foriolus esse videris, in coleos cacas.

FORIS, is, et plur. Fores, um, f. θύρα, janua exterior aedium, et saepius valvae ipsius: videturque esse a Graeca voce allata, seu potius a πόρος, transitus. Frequentius adhibetur in plurali, quam in singulari numero. *Cic. N. D.* 2, 27. Fores in liminibus profanarum aedium, januae nominantur. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Ut januam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat. *Id. Tusc.* 5, 28. Extra fores limenque carceris. Et 20. Fores claudere. *Liv.* 1, 14. *extr.* et 5, 13. *extr.* et 26, 29. *f.* et 28, 6. Fores portarum objicere. *Ter. Ad.* 2, 1, 13. aperire. Et 1, 2, 8. effringere. Et 4, 5, 4. pellere, *h. e.* aperiendi causa commovere. Et *Heaut.* 2, 3, 34. pultare. Et 37. Foribus pessulum obdere. *Pl. Curc.* 1, 3, 1. Sonitum prohibe forum et crepitum cardinum. Est qui legat *forium.* ℙ Mos erat, ut aedium privatarum fores intus aperirentur, ne si quis opperiens ad januam esset, in eum impingerentur in reserando. Narrant *Plutach. in Poplic.* et *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 6. ejus fratri L. Valerio domum publice aedificatum esse, cujus fores extra aperirentur, et janua in publicum rejiceretur: idque honoris causa, ut significaretur, quotidie eam domum aliquid publice admissuram. ℙ Dicuntur etiam de aliis quibusvis ostiis. *Cic. Tusc.* 5, 20. Fores cubiculi. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Labyrinthi crebrae fores. ℙ Et de quocumque foramine, per quod est aditus. *Cic. Off.* 3, 9. Aeneus equus, cujus in lateribus fores essent, quibus etc. *Plin.* 32, 2, 5. Fores nassarum. *Id.* 21, 14, 48. apum. *Col.* 8, 17. Praefigantur aenei exiguis foribus cancelli. Al. leg. *foraminibus.* ℙ In singul. num. *Pl. Amph.* 1, 2, 34. et *Ter. Ad.* 2, 3, 11. Foris crepuit. *Ov. Her.* 12, 150. Constitit ad geminae limina prima foris. *Id. Pont.* 2, 2, 42. Forem obdere alicui. *Liv.* 6, 34. Forem virga percutere. *Hor. Sat.* 1, 2, 67. Exclusus fore, cum Longarenus foret intus. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 13, 10. *f.* In omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiae fores aperiantur. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 1. Ab hoc fores artis apertas Zeuxis intravit. *Id.* 2, 8, 6. Rerum fores aperire.

FORIS, adv. ἔξω, exterius, extra: et ad statum in loco pertinet. *Cic. Sull.* 5. Ille relictus intus, exspectatus foris. *Nep. Dat.* 6. Cum et intra vallum, et foris caederentur. *Cic. Fam.* 7, 16. Ego si foris coenitarem, familiari tuo non defuissem. ℙ Aliquando ad motum de loco. *Nep. Dion.* 9. Illi inermes, telum foris flagitantes, vivum tenebant. *Lucr.* 5, 544. At quaecumque foris veniunt, impostaque nobis Pondera sunt, laedunt. ℙ Videtur etiam poni pro *foras. Ter. Ph.* 5, 1, 19. Ne vos forte imprudentes foris effutiretis. *Plin.* 10, 33, 49. Foris saturitatem emittere, *h. e.* excrementa e nido. Et 21, 3, 5. *ex XII. Tabulis.* Mortuum foris efferre. ℙ Contra *coenare foras* pro *foris*, legitur ap. *Petr. Sat.* 30. Est autem *coenare foris*, apud amicum coenare, non domi: quod parasiti factitant. *Id. ib.* 10. Ut foris coenares, poetam laudasti. *Mart.* 2, 53. Liber eris, coenare foris si, Maxime, nolis. Adde 69. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 22. Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi. *Id. Or.* 2, 39. Omne quod sumitur in oratione, aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris. *Id. Fin.* 3, 7. Ut in ipsa arte insit, non foris petatur extremum. *Id. Part.* 14. Ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata etc. *Ter. Heaut.* 5, 1, 49. Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, Foris sapere; tibi non posse auxiliarier? *Cic. Rosc. Am.* 47. Et domi dignitatem, et foris auctoritatem retinere. *Hor. Sat.* 1, 10, 29. patriis intermiscere petita Verba foris malis, Canusini more bilinguis. ℙ *A foris* est ab exteriori parte. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. In ulcus penetrat omnis a foris injuria. *Aforis* conjunctim quidam leg., sed minus recte: nam *a foris* etiam legitur ap. *Auct.* incert. *de limit.* p. 314. *Goes.* ℙ *Foris canere.* V. ASPENDIUS. ℙ Ultima syllaba longa est, *Lucr.* 2, 158. et 1043. et *alibi.*

FORMĂ, ae, f. μορφή, σχῆμα, τύπος, figura, species, ratio et dispositio partium exterior in qualibet re; item delineatio, et exemplar futuri operis: a μορφή per metathesin. [*In sofern die Gestalt der sichtbare Abdruck, und das Gepräge des innern Wesens ist und diesem entspricht. Döderl.* 3, 25. *Id. ib. etym.* v. non a μορφή, sed a *ferre* fieri aptius putat.] *Cic. Fin.* 5, 12. Corporis nostri partes, totaque figura, et forma, et statura, quam apta ad naturam sit, apparet. *Id. N. D.* 1, 14. Fingere formam quandam et speciem Deorum. Et *Mil.* 32. Clarissimorum virorum formae. Et *N. D.* 2, 37. Formae litterarum. Et *ib.* 1, 32. Figura formae. Et *Tusc.* 5, 39. Formae species. *Id. Fam.* 2, 8. et *Suet. Ner.* 16. Forma aedificii. (Adde *Suet. Caes.* 31., *Plin. ep.* 9, 39., *Gell.* 19, 10.) *Hor. Ep.* 1, 16, 4. Forma et situs agri. *Plin.* 12, 4, 8. Forma Aethiopiae allata Neroni. *Hygin. de limit.* p. 192. *Goes.* Si qua compascua, aut silvae fundis concessae fuerint, quo jure data sint, formis ingeremus. Et *mox.* Haec in forma similiter comprehensa ostendemus. Lex ap. *Grut.* 202. Ager, quem in terra Italia III. vir dedit, assignavit, reliquit, inve formas tabulasque retulit, referrive jussit. *Plin.* 2, 59, 60. Dimidia circuli forma. *Id.* 36, 22, 49. Formae, in quibus aera funduntur. *Liv.* 25, 31. et *Sil.* 14, 677. Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat. *Prop.* 4, 2, 61. formae caelator ahenae. *Colum.* 8, 7. Formis buxeis caseum exprimere. *Hor. Sat.* 2, 3, 106. Formae sutorum. *Ulp. Dig.* 9, 2, 5. §. 3. Si sutor forma calcei cervicem puero discenti percussit. *Plin.* 35, 14, 49. Excisum latericiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturae, ligneis formis inclusum Romam deportavere. *Id.* 34, 5, 10. Statuam maxima forma ponere. *Id.* 30, 7, 20. Sacellum crudis laterculis, ad formam camini. *Ov. Am.* 2, 11, 47. Inque tori formam molles sternentur arenae. *Vell.* 2, 61. In formam justi coiere exercitus. ℙ Saepe dicitur de pulcritudine corporis. *Cic. Tusc.* 5, 21. Eximia forma pueros delectos jussit consistere. [*Hujus generis exempla satis multa congessit *Böttticher.* in *lex. Tac.* p. 204. Cf. etiam, quem *id. ib.* laudat, *Drak.* ad *Liv.* 1, 9, 11. Porro laudandus locus est ap. *Suet. Caes.* 44. ubi *forma*, *habitus* et *cultus* distinguuntur. *B. Crus.* in *cl.* p. 375. haec notat: *forma* a natura datur, *habitus*

s. modus habendi corpus consuetudine acquiritur, *cultus* s. vestitus tegit et ornat corpus.] *Ter. Andr.* 2, 5, 17. Virgo forma bona. *Id. Eun.* 3, 5, 18. Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem. *Justin.* 13, 1. *med.* Formae pulcritudo et proceritas corporis. *Ov. Her.* 15, 31. Si mihi difficilis formam natura negavit. *Id. A. Am.* 2, 113. Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad annos, Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo. *Prop.* 2, 21, 53. Et quot Iona tulit vetus, et quot Achaia formas, *h. e.* puellas formosas. [*Ita saepissime absolute *forma* dicitur pro *puella*. *Ter. Eun.* 2, 3, 6. Taedet quotidianarum harum formarum. Ejus generis multa exempla collegit *Burm.* ad *Quint. Decl.* 15, 2. p. 307.] ℙ Translate, [*i. e. genus, modus, species, facies. *Tac. A.* 1, 74. formam vitae inire. *Id. ib.* 4, 60. Diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur.] *Cic. Tusc.* 2, 15. Qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt. [**Suet. Aug.* 18. In provinciae formam redigere regionem. *Id. Caes.* 25. Ejusdem generis est rarior locutio: *in forma alicujus esse*, pro conditione, statu consuetudine alicujus frui. *Quint. Decl.* 13, 9. p. 283. Sunt in ceterorum animalium forma. Adde *Tertull. Apol.* 7. Cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur.] *Cic. Fam.* 3, 11. *med.* Ad me quasi formam communium temporum, et totius reipublicae misisti expressam. *Id. Off.* 1, 29. Forma officii. Et 5. Forma et tanquam facies honesti. *Id. Or.* 3, 9. Innumerabiles paene sunt quasi formae figuraeque dicendi. *Id. Brut.* 85. Orationes ejus valde laudo: significant enim quandam formam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem. *Id. Or.* 11. *f.* Laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium suasionum formam complecti, *h. e.* rationem modumque dicendo persequi. *Id. Fam.* 2, 8. Exspecto, ut cum formam reipublicae viderim, quale aedificium futurum sit, scire possim. *Papin. Dig.* 31, 1, 79. *extr.* Certaminis formam declarare, quam quis celebrari singulis annis voluit. *Gell.* 2, 8. Forma et ordo syllogismi. *Vell.* 1, 16. Formam propositi excedere. *Ulp. Dig.* 45, 1, 52. In conventionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant. *Paul. ib.* 2, 8, 14. et *Ulp. ib.* 3, 6, 8. Forma edicti. *Martian. ib.* 30, 1, 111. *med.* Secundum vulgarem formam juris. ℙ A dialecticis sumitur pro specie subjecta generi. *Cic. Top.* 3. Genus est uxor: ejus duae formae: una matrumfamilias earum, quae etc., altera earum, quae etc. Et 7. Formae sunt, in quas genus dividitur. *Virg. A.* 6, 626. omnes scelerum comprendere formas. Et 615. quae forma viros fortunave mersit, *h. e.* quae species delicti. [*Duo, quae Noster h. l. e *Virg.* exempla attulit, pertinent ad §. praecedentem.] ℙ A grammaticis pro positione et declinandi ratione sumitur. *Varr. L. L.* 8, 49. Numeri usque a quatuor ad centum, triplices habent formas, quod dicuntur hi quatuor, hae quatuor, haec quatuor. *Quint.* 10, 1, 10. Nosse verborum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque. [*Forma h. l. eo pertinet, ut sciamus, cui quodque verbum rei accurate conveniat, mensura autem, quam late pateat, sitne latius, an angustius. Sic ibi bene *Gesnerus* explicuisse locum dicitur ab *Ernest.* in *lex. techn. lat. rhet.* p. 179.] *Gell.* 12, 10. Aeditimus ea forma dictum, qua finitimus. ℙ Poetice *forma alicujus animalis* est ipsum illud animal. *Virg. A.* 7, 18. ac formae magnorum ululare luporum. *Ov. Met.* 2, 78. per insidias iter est, formasque ferarum. *Sil.* 15, 86. Cum pecudes volucrumque genus, formasque ferarum, etc. *Ov. Met.* 1, 73. Astra tenent coeleste solum, formaeque Deorum. ℙ Praeterea *forma* de signata pecunia dicta est; nam forma nummi est character signumque in eo impressum. *Senec. ep.* 34. Omnia facta, dictaque tua inter se congruant, ac respondeant sibi, et una forma percussa sint. *Quint.* 1, 6. Utendum plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. *Lamprid. Alex. Sev.* 39. Formas binarias, ternarias, et quaternarias, et denarias etiam resolvi praecepit, neque in usu cujusquam versari, *h. e.* monetas duum, trium aureorum etc. [*Adde *Tac. G.* 5. Formas quasdam nostrae pecuniae agnoscunt. Cf. *Hess.* ad *Germ.* 45. Formas aprorum gestant. *Sen. Ben.* 5, 29. Denarius formae publicae.] ℙ Item de canali, fistula, tubo, per quem aqua ducitur: quia adhibitis ligneis formis exstruitur. *Ulp. Dig.* 7, 1, 27. Forma aquaeductus, quae per agrum transit. *Front. Aquaed.* 75. Formas rivorum perforare. *Sidon. ep.* 1, 5. *med.* Patuit Roma conspectui: cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 11, 42, 3. Usum aquae ex castellis, aut ex ipsis formis elicere. ℙ De ipsis aquaeductibus. *Front. Aquaed.* 126. Vicinales vias agrestesque per ipsas formas dirigunt. ℙ Item de epistola, rescripto, aut constitutione principis. *Capitol. Anton.* 6. Neque de provinciis, neque de ullis actibus quidquam constituit, nisi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum sententia formas composuit. *Justin. Cod.* 1, 2, 20. Ex sacra forma annonam militarem ad clericos transferre. ℙ Denique si *Festo* fides, forma appellatur etiam puls miliacea ex melle. ℙ [*De synonymis *forma*, *figura*, *species*, v. quem in FIGURA laudavimus *Döderl.* 3, 25. sqq. Miscetur in codd. *forma* et *figura*. V. *Quint. Decl.* 15, 2. p. 307. ibique *Burm.*]

FORMĀBĪLIS, e, adj. qui formari potest. *Prud. Apoth.* 1034. Solus homo meruit Domini formabile dextra Os capere. *August. Trinit.* 11, 2. *f.* Primordia formabiliora.

FORMĀCEUS, a, um, adj. *Plin.* 35, 14, 48. In Hispania ex terra parietes, quos appellant formaceos, quoniam in forma, circumdatis utrinque duabus tabulis, inferciuntur verius, quam instruuntur, aevis durant, incorrupti imbribus, etc.

FORMĀLIS, e, adj. ad formam pertinens. *Plin.* 34, 9, 20. Formalis temperatura aeris, *h. e.* ad formas faciendas: sicut paulo supra *temperatura tabularis* ad faciendas tabulas aereas. ℙ Translate. *Suet. Dom.* 13. Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: Dominus et Deus noster sic fieri jubet, *h. e.* quae eadem forma ad plures scribebatur, ἐγκύκλιος. *Ulp. Dig.* 35, 2, 62. Corpora, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem aestimanda erunt, hoc est, secundum praesens pretium: nec quidquam eorum formali pretio aestimandum esse sciendum est, *h. e.* pretio, quod communiter, et certa veluti forma et taxatione perpetua his tribui solet. *Imp. Justin. Cod.* 6, 23, 26. In testamentis sine scriptis faciendis omnem formalem observationem penitus amputamus, *h. e.* ritum, modum, qui in forma testamenti a jure praescribitur. Et *ib.* Etiamsi non ante praedixerit testator illa formalia verba: *Ideo eosdem testes convenisse*, etc.

FORMĀMENTUM, i, n. formatio, res formata. *Lucr.* 2, 817. et omnia principiorum Formamenta queunt in quovis esse nitore. *Arnob.* 3, 109. Formamenta divina, *h. e.* formae et figurae Deorum.

FORMASTER, aliquantum formosus, vel exornatus. Antiqua vox *Titinii* ap. *Fest.* in *Obstrudant.*

FORMĀTIO, onis, f. actus formandi. *Vitr. prooem. l.* 2. Formationem puto probandam, locum improbandum. *Id.* 5, 1. Oblonga fori formatio, et ad spectaculorum rationem utilis dispositio. *Id.* 4, 1. Formationes columnarum. ℙ Translate. *Senec. ep.* 117. Ista jam a formatione morum recesserunt.

FORMĀTOR, oris, m. qui format. *Senec. cons. ad Helv.* 8. Quisquis formator universi fuit. ℙ Translate. *Colum. praef. l.* 1. Animi sibi quisque formatorem, praeceptoremque virtutis e coetu sapientum arcessat. *Plin. ep.* 8, 23. Me formatore morum, me quasi magistro utebatur. *Quint.* 10, 2. *med.* Praeceptor rector est alienorum ingeniorum atque formator. *Pallad.* 1, 1. Formator agricolae.

FORMATRIX, icis, f. quae format. *Tert. Monog.* 17. de Didone: Regina tantae civitatis formatrix.

FORMĀTŪRA, ae, f. conformatio. *Lucr.* 4, 548. Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro Exprimimus, rectoque foras emittimus ore, Mobilis articulat verborum daedala lingua, Formaturaque labrorum pro parte figurat. *Arnob.* 2, 50. Res formatura varia.

FORMĀTUS, a, um, part. a *formo*, factus, figuratus, μεμορφωμένος, ποιηθείς. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Signum in muliebrem figuram habitumque formatum. *Suet. Ner.* 51. Coma formata in gradus. *Ov. Met.* 3, 419. e Pario formatum marmore signum. *Id. Pont.* 3, 4, 25. gentes formatae mille figuris. *Id. Met.* 5, 328. formatus cum cornibus Ammon. *Plin. ep.* 7, 12. Libellum formatum a me misi tibi, *h. e.* confectum quidem, sed nondum perfectum limatumque. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 3, 7. Formatas esse in animis hominum Deorum notiones. *Quint.* 10, 7. Semper nostram vocem provisa et formata cogitatio excipiat. *Colum.* 11, 1. *med.* Villicus complurium agrestium formatus artibus, *h. e.* institutus. *Suet. Claud.* 37. Formatus in admirationem, *h. e.* compositus, [*simulans admirationem.] *Justin.* 18, 3. Ab eo formatus. V. integr. locum. [**Liv.* 44, 1. Ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite.]

FORMELLA, ae, f. parva forma. *Apic.* 9, 13. Si volueris, in formella piscem formabis, *h. e.* in vasculo, quod pro forma piscis faciendi esse possit.

FORMIĀNUS, a, um, adj. ad Formias pertinens, ut Formiani colles. *Hor. Od.* 1, 20. *extr.* Sunt autem Formiae, Hormiae prius olim dictae, teste *Plin.* 3, 5, 9., (quia circa ea loca crebrae stationes tutaeque erant, unde proficiscebantur navigaturi, ut *Fest.* docet: ὁρμή autem et profectionem significat) oppidum Latii non longe a Cajetano portu, sedes quondam Laestrygonum: nunc *Mola di Gaeta.* ℙ *Formiani dies* ap. *Mart.* 10, 30. sunt, qui Formiis transiguntur. ℙ *Formianum*, scil. praedium, villa fuit Ciceronis, in Formiano agro. *Id. Att.* 2, 4. ℙ *Formiana saxa*, locus in agro Campano, ad Liternum amnem, prope oram maritimam. *Liv.* 22, 16.

FORMĪCA, ae, f. μύρμηξ, [*Ap. *Hesych.* βύρμαξ.] exiguum animal, sed admirabilis solertiae, aestate congerens et condens sub terra, quae hieme victui sint: a voce Graeca allata; Aeoles enim, a quibus verba plerumque derivant Romani, μ in β et υ in ο mutant. Porro ineptum est illud *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 402. Sane formica dicta ab eo, quod ore micas ferat. Adde et *Isid. Or.* 12, 3. *Cic. N. D.* 3, 9. Num idcirco existimas, formicam anteponendam esse huic pulcherrimae urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? *Virg. G.* 1, 186. inopi metuens formica senectae. Et 379. tectis penetralibus extulit ova Augustum formica terens iter. *Id. A.* 4, 402. Ac veluti ingentem formicae farris acervum Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt. *Ov. Met.* 7, 624. frugilegas aspeximus agmine longo Grande onus exiguo formicas ore gerentes. *Pl. Trin.* 2, 4, 8. Confit cito, quasi tu objicias formicis papaverem. Proverb. de re, quae cito fit. ℙ De formicarum solertia copiose. *Plin.* 11, 30, 36., qui *ib.* 31, 36. narrat in India septentrionali formicas e cavernis aurum egerere. Adde *Prop.* 3, 11, 5.

FORMĪCĀBĪLIS, e, et

FORMĪCĀLIS, e, adj. formicans. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 27. Pulsus latens aut formicabilis, quem Graeci μυρμηκίζοντα vocant. *Id. Tard.* 2, 14 Formicalis pulsus.

FORMĪCANS, antis, part. a *formico*, μυρμηκίζων, formicarum modo currens, ut Formicans pulsus, exiguus, debilis et frequens omniumque maxime letalis, ita dictus, quod veluti formicas per arteriam discurrentes tactui repraesentet. *Plin.* 7, 51, 52. Venarum inaequali aut formicante percussu.

FORMĪCĀTIO, onis, f. μυρμηκίασις, extuberatio quaedam parva et callosa, in summa cute latissimis radicibus inhaerens, superne angustior, quae inter scalpendum mordentis formicae sensum praebet: item pruritus cutis, qualem formicae pungentes efficerent. *Plin.* 28, 7, 20. Sanguinem sistit illico et formicationes corporum.

FORMĪCĪNUS, a, um, adj. μυρμήκινος, ad formicam pertinens. *Pl. Men.* 5, 3, 12. Incedit, movet formicinum gradum, *h. e.* incedit more formicae, tarde.

FORMĪCO, as, n. 1. formicationem contraho, prurio. *Plin.* 30, 13, 41. In sole, donec formicet cutis, tolerandae sunt.

FORMĪCOSUS, a, um, adj. μυρμηκώδης, plenus formicis. *Plin.* 10, 74, 95. Formicosam arborem sorices cavent.

FORMĪCŪLA, ae, f. diminut. parva formica, μυρμήκιον. *Arnob.* 4, 145. et 7, 240. Nec inter formiculam et sese plurimum esse discriminis. *Appul. Met.* 6. p. 177, 20. Formicula illa parvula, atque ruricola. [*Front.* ad *Verum Imp.* (ed. *Maio*) *ep.* 8. Formicularum et apicularum ostentis res maxime portenduntur. *F.*]

FORMĪDĀBĪLIS, e, adj. φρικτός, formidandus. *Ov. Met.* 2, 857. Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen. Et 174. nec formidabilis ulli. *Gell.* 14, 4. Aspectus vehemens et formidabilis. Et 19, 1. *med.* Formidabilis sonus. *Stat. Th.* 8, 582. formidabile ridens, *h. e.* risum edens, quo formido incutitur.

FORMĪDĀMEN, inis, n. formido, terror, spectrum. *Appul. Apol.* p. 315, 26. Bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta.

FORMĪDĀTIO, onis, f. formido, metus. Tribuitur a nonnullis *Ciceroni* in *Partit. Orat. c.* 4. Meliores tamen edit. habent *reformidatio* vel *reformatio.* [*Illud *Orell.* habet.]

FORMĪDĀTUS, a, um, part. a *formido. Virg. A.* 3, 275. nautis formidatus Apollo. *Hor. Ep.* 2, 1, 256. formidata Parthis Roma. *Id. Od.* 3, 6, 15. Dacus et Aethiops, Hic classe formidatus, ille Missilibus melior sagittis. *Claud. Cons. Probi* et *Olybr.* 94. Et formidato clypeus Titana lacessit Lumine. ℙ Medicina, inquit *Ov. Pont.* 1, 3, 24., formidatis non auxiliatur aquis. V. HYDROPHOBIA.

FORMĪDO, as, avi, atum, a. 1. φοβέω, vehementer timeo, metuo, vereor. [*V. *Döderl.* 2, 200. qui censet, *formidare* et *horrere* in eo differre, quod hoc latius significatione pateat, et formidinis notionem non nisi sensu translato, veluti signum, formam timoris, exhibeat; illud ipsum animi affectum designet.] *Cic. Phil.* 2, 26. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et formidasset audacia. *Pl. Cist.* 4, 2, 20. Intus paveo, formido foris. *Id. Ps.* 1, 3, 81. Si isti formidas credere. *Id. Asin.* 2, 4, 55. Formido miser, ne hic me tibi arbitretur suasisse. *Cic. Fin.* 2, 16. Quidquid fecerit, ipse se cruciat omniaque formidat. *Curt.* 3, 11. Adeo pavor etiam auxilia formidabat. ℙ [*Construitur etiam cum dativo. V. *Pl. Aular. Argum.* 6. Auro formidat Euclio. Laudat h. l. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 371.]

FORMĪDO, inis, f. φόβος, metus vehementior et permanens, ut a *Cic. Tusc.* 4, 8. *extr.* ex Stoi-

corum sententia definitur. [*Improbat *Döderl.*, qui 2, 197. vocis originem ad *horreo* refert, 2, 200. hanc *Cic.* definitionem, docens non tempore, quo durent, sed propter summam, quam contineant, timoris rationem distingenda esse vv. *formido* et *horror* (de discrimine utriusque vocabuli v. v. praec.) a reliquis ipsorum synonym.] *Cic. Tusc.* 5, 18. In quem cadit metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia. ℙ Universim accipitur pro metu, timore, pavore, illo praesertim, qui horrorem conjunctum habet. *Id. Rosc. Am.* 2. Forsitan quaeratis, qui iste terror sit, et quae tanta formido, quae tales viros impediat, quo minus etc. *Id. Fin.* 1, 19. Ex ignoratione rerum horribiles exsistunt saepe formidines. *Id. Prov. cons.* 18. Subita atque improvisa formido. *Id. Quint.* 14. Jactare minas, intendere pericula, formidines opponere. *Id. Verr.* 2, 3, 28. Formidinem alicui injicere. *Curt.* 4, 10. incutere. *Tac. H.* 2, 15. inferre. Et 54. intendere. Et *ib.* 3, 10. facere. *Sil.* 10, 544. subit horrida mentem Formido incerti casus. *Ov Met.* 4, 801. attonitos formidine terreat hostes. *Sen. Ira* 2, 12. Formidini esse. *Curt.* 3, 8. *med.* Formido animos incessit. *Virg. G.* 4, 356. Percussus mentem formidine. *Hor. Ep.* 1, 16, 53. Tu nihil admittes in te formidine poenae. *Plin.* 28, 8, 29. Contra formidines pavoresque. ℙ Dicitur et de iis, quae formidinem incutiunt, aut metum Deorum ac religionem. *Virg. G.* 4, 467. alta ostia Ditis, Et caligantem nigra formidine lucum Ingressus. [*Front. de fer. Alsiens.* (ed. *Maio*) *ep.* 3. Ditem patrem ferunt, cani custodi trinas latrandi fauces ac trinos hiatus, trinasque dentium formidines addidisse. *F.*] *Val. Fl.* 2, 267. aeraque circum, Tympanaque et plenas tacita formidine cistas. *Sil.* 1, 82. et patria Tyriis formidine cultum. *Virg. A.* 7, 607. Religione sacrae et saevi formidine Martis, *δεισιδαιμονία*. V. RELIGIO. ℙ *Formidinem* appellant venatores lineam rubentibus pennis distinctam, *h. e.* funiculum extensum et variis avium pinnis intextum ad terrendas coercendasque feras et in retia impellendas, *μήκιν θος*. De ea sic *Nemes. Cyn.* 303. Linea quin etiam, magnos circumdare saltus Quae possit, volucresque metu concludere praedas, Digerat innexas non una ex alite pinnas. Namque ursos magnosque sues cervosque fugaces, Et vulpes acresque lupos, ceu fulgura coeli Terrificant, linique vetant transcendere septum etc. *Sen. Ira* 2, 12. Cum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat et in insidias agat; ab ipso effectu dicta formido. *Virg. A.* 12, 750. Cervum puniceae septum formidine pennae. *Lucan.* 4, 437. dum pavidos formidine cervos Claudat, odoratae metuentes aera pennae. Pro *penna* his locis al. leg. *pinna:* quod idem est. Huc spectat illud *Hor. Sat.* 1, 8, 3. de Priapo: Deus inde ego, furum aviumque Maxima formido. ℙ In fabulis *Formido* est Dea, Veneris et Martis filia, Graece *Δεῖμος*, ipsius Martis ministra. *Hyg. praef. fab.*

FORMĪDOLOSĒ, adv. *Cic. Sext.* 19. Opponi omnibus concionibus falso, sed formidolose tamen. *Cato* ap. *Charis.* 2, 196. Censōres formidolosius atque segnius atque timidius pro republ. nitentur.

FORMĪDOLŌSUS, a, um, adj. *περιφοβος*, qui formidat. *Ter. Eun.* 4, 6, 18. Num formidolosus, obsecro, es mi homo? *Chre.* apage sis: Egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus. *Colum.* 6, 2. *f.* Boves nec auditu, nec visu pavidi, nec ad ingredienda flumina aut pontes formidolosi. *Varr. R. R.* 1, 17. Mancipia esse oportet neque formidolosa, neque animosa. [*Sen. *Clem.* 17. Equus fiet formidolosus et contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris.] ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 1, 62. Exercitus formidolosior hostium, *h. e.* magis timens hostes. [*Cum genitivo nusquam, quod sciam, invenitur praeter Tacitum.] ℙ Saepius active sumitur et significat terribilem, formidinem incutientem, formidandum, *φοβερός*. [*Ejus generis satis magnam exemplorum copiam invenies ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 205.] *Pl. Ps.* 3, 2, 35. Herbae formidolosae dictu, non esu modo. *Id. Amph.* 5, 1, 65. Nimis formidolosum facinus praedicas. *Cic. Cluent.* 3. Consessus vester horribilis Cluentio et formidolosus. *Id. Pis.* 24. Formidolosissimum bellum. *Id. Verr.* 2, 5. *in.* Dubia et formidolosa tempora. *Sall. Cat.* 55. Loca tetra, inculta, foeda, formidolosa. *Hor. Od.* 2, 17, 16. Seu Libra, seu me Scorpius aspicit Formidolosus. *Id. Ep.* 5, 55. Formidolosis dum latent silvis ferae. [*Cf. *Bentl.*] ℙ Aliquot hac forma verborum, qui tum active, tum passive significant, seriem enumerat *Gell.* 9, 12.

FORMĪDUS, a, um, adj. idem ac formus, *h. e.* calidus. *Cato* ap. *Fest.* in *Forma.* Aedificium aestate frigidum, hieme formidum.

FORMIO. V. PHORMIO.

*FORMIO, onis, m. *Φορμίων*, Istriae fluvius parvus, in mare Hadriaticum et sinum Tergestinum cadens. *Plin.* 3, 18. Hodie est *Risano. B. A.*

FORMĪPŌTENS. V. VERBILEVIS.

FORMIS, e, adj. formosus: unde *deformis. Pl. Bacch.* 2, 2, 38. Sed Bacchis etiam formis tibi visa est? Ita legit *Pareus:* alii *fortis:* sed *fortem* pro *formoso* interpretantur, ut *Non.* 4, 195. et *Serv.* ad *A.* 4, 149. in illo ejusdem *Mil.* 4, 3, 13. Ecquid fortis visa est? Alii *fortem* intelligunt aetate integram et viro maturam.

FORMĪTER, adv. conceptis verbis, ut *formiter jurare* apud *JCtos.*

FORMO, as, avi, atum, a. 1. *τυπόω, μορφόω*, formam alicui rei do, effingo, figuro, facio. *Cic. Acad.* 1, 2. Materia, quam fingit et format effectio. *Id. Div.* 2, 42. *extr.* Utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari. *Virg. A.* 9, 80. Tempore, quo primum Phrygia formabat in Ida Aeneas classem. *Plin.* 35, 8, 34. Cimon catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines; et varie formare vultus, respicientes suspicientesque et despicientes. *Prop.* 1, 3, 23. lapsos formare capillos. *Tibull.* 2, 5, 23. formare moenia urbis, *disegnare.* [At *Heynius* interpretatur *fabricare. F.*] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 45. Verba nos cum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Et *ib.* 2, 9. Orator format orationem, eamque variat et distinguit. [**Quint. Inst.* 10, 7, 7. Multo ac fideli stilo sic formetur oratio.] *Id.* 6, 2. Animos judicum in eum quem volumus, habitum formare et velut transfigurare. [**Id. ib.* 11, 1, 2. In quae judicem duci formarique volumus. *Id. ib.* 4, 1, 61. Prout formari animos judicum expediet. (Nostr. *bearbeiten.*) Peculiaris est *Quint.* haec dicendi ratio, alias, quod sciam, praeter *Cic. Brut.* 38., ubi tamen latius patere significatio videtur, nusquam obvia.] *Liv.* 1, 21. Formare se in mores alicujus. *Just.* 41, 5. Dato laxamento, regnum Parthicum format. ℙ Pro informare, erudire, statuere. *Virg. G.* 3, 163. Formare boves ad studium et usum agrestem. *Ov. Met.* 3, 288. Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis Formarat. *Quint. prooem. l.* 1. Studia alicujus ab infantia formare. *Plin. ep.* 1, 14. Formare et instituere aliquem. *Id. Pan.* 47. Vitam et mores juventutis formare. *Stat. Ach.* 1, 477. cujus ab ortu Cruda rudimenta et teneros formaverit annos Centaurus. *Hor. Ep.* 2, 1, 128. Formare praeceptis. [*Ita *Quint. Inst. prooem. l.* 14. Inde quidam, contemto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitae leges regressi, etc. *Id.* 1, 3, 12. Modo nulla videatur aetas tam infirma, quae non protinus, quid rectum pravumque sit, discat; tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est, et praecipientibus facillime cedit.] ℙ Item pro efficere. *Cic. Acad.* 1, 5. Exercitationis assiduitate formare consuetudinem. ℙ Et pro componere, conscribere. *Suet. Dom.* 20. Epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio. [**Id. Aug.* 89. Si quid res exigeret, Latine formabat.] ℙ Et pro imaginari, concipere. *Ov. Am.* 3, 7, 63. tacita formare gaudia mente. ℙ Et pro eloqui, proferre. *Quint.* 1, 12. Pueri intra biennium, quam verba recte formare potuerunt, quamvis nullo instante, omnia fere loquuntur. ℙ Et pro fingere, inducere. *Hor. A. P.* 126. Si quid inexpertum scenae committis et audes Personam formare novam. [**Quint. Inst.* 12, 1, 44. Non enim hoc agimus, ut istud illi, quem formamus, viro saepe sit faciendum: sed, etc.] ℙ *Formare versus cithara*, ap. *Plin. ep.* 4, 19. est ad sonum citharae modulari, mollire, flectere. Forma enim versus cantu praecipue dignoscitur. *Flectere* hoc sensu dixit *Stat. Silv.* 3, 5, 65. [*Permutantur *Formare* et *firmare. Quint. Decl.* 8, 11. p. 170. *Schaef.* in *lex. Liv.* s. v. *formare.*]

FORMOSĒ, adv. cum forma et apta ad speciem dispositione, *συμμέτρως*. *Prop.* 1, 2, 11. Surgat et in solis formosius arbutus antris. *Appul. Met.* 5. p. 168, 13. Cupidinem formosum Deum formose cubantem. Et *ib.* 6. p. 183, 18. Formose saltare. *August. Confess.* 1, 7 Formosissime qui formas omnia.

FORMOSĪTAS, atis, f. *εὐμορφία*, forma apta ad speciem, pulcritudo. *Cic. Off.* 1, 35. Decorum positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto. *Appul. Met.* 9. p. 224, 24. Uxor eximia formositate praedita. [**Formositas*, quod artis vocabulum a *Cicerone* factum videtur, alibi nusquam occurrit. *Doederl.* 3, 30.]

FORMOSŬLUS, a, um, adj. pulchellus. *Varr.* ap. *Non.* 1, 109. Formosula uxor. *Hieron. ep.* 117. *n.* 10. Et iste formosulus tuus vel ditiorem reperiet vel juniorem. *Id. in Jovin.* 2, 14. Formosuli nostri, et torosuli.

FORMOSUS, a, um, adj. *εὔμορφος*, apte formatus, speciosus, pulcher. *Cic. N. D.* 1, 10. Deum rotundum esse volunt, quod ea forma ullam negat esse pulcriorem Plato: at mihi vel cylindri, vel quadrati videtur esse formosior. *Id. Inv.* 2, 1. Praebete mihi ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod, etc. *Ov. Pont.* 1, 10, 11. latices epulasque Deorum Dat mihi formosa nava Juventa manu. *Virg. Ecl.* 5, 44. Formosi pecoris custos, formosior ipse. Et *ib.* 7, 38. Galatea hedera formosior ipsa. Et *ib.* 3, 57. Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus. *Ov. Fast.* 4, 129. Formosum tempus, *h. e.* ver. *Id. Rem. Am.* 187. formosa est messibus aestas. *Mart.* 10, 24. Lux formosior omnibus calendis. *Prop.* 4, 4, 30. Et formosa oculis arma Sabina meis. *Ov. Met.* 7, 679. sed non formosius isto Viderunt oculi telum jaculabile nostri. *Id. Amor.* 1, 14, 31. Formosae comae. *Id. A. Am.* 1, 296. boves. *Id. Fast.* 5, 117. haedorum mater formosa duorum. *Petr. Sat.* 100. Quid aquis dici formosius potest? ℙ Absolute pro puero vel puella formosa. *Tibull.* 1, 4, 3. *ad Priapum.* Quae tua formosos cepit solertia? *Id.* 3, 1, 7. Carmine formosae, pretio capiuntur avarae.

FORMŪCĀLES, forcipes dictae, quod forma capiant, id est ferventia. *Festus.* Sed critici volunt legi *formucapes*, unde *forcipes.*

FORMŪLA, ae, f. parva forma. *Front. Aquaed.* 36. Calix excogitatus videtur, quoniam rigore aeris difficiliore ad flexum, non timeri potest laxari vel coarctari formulas modulorum, *h. e.* fistulas, tubos: quos et *formas* appellari in FORMA diximus. *Pallad.* 6, 9. de caseo: Solidatae formulae per crates ita statuantur, ne invicem se unaquaeque contingat. [*Nota *formulam* h. l. de re, quae formata est, dici.] ℙ Item pulcritudo. *Pl. Pers.* 2, 2, 47. Tempori hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam. ℙ Translate in re forensi est modus, norma, ratio lege praescripta, sive in verbis, sive in factis servanda, ut ritus et ratio testamentorum, certa et concepta verba in actionibus, stipulationibus, judiciis, etc. *Cic. Leg.* 1, 4. *extr.* Stipulationum et judiciorum formulas componere. *Id. Or.* 1, 39. *extr.* In testamentorum formulis versari. *Id. Verr.* 2, 2, 60. Formulae postulationum. *Id. Fam.* 7, 12. fiduciae. *Id. Off.* 3, 14. de dolo malo. [*i. e. praescripta, quibus ratio de dolo malo agendi continebatur, una cum formulis solennibus in ejusmodi actione adhibendis. Cf. *Beier.* — seq. cap. pergit *Cic.* Quodsi Aquiliana definitio vera est.] *Id. Rosc. Com.* 8. *f.* Sunt jura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere injuriae, aut ratione actionis errare possit; expressae sunt ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo publicae a praetore formulae, ad quas privata lis accommodatur. *Id. ib.* 4. Aliquem in angustissimam sponsionis formulam concludere. *Id. Quint.* 8. A praetore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet, ex formula, quod ab eo petat, quoniam, etc. ℙ *Formulam intendere* aut *scribere* est dicam impingere, actionem intentare. *Suet. Vit.* 7. et *Quint.* 6, 3. et *formulam remittere*, ab actione cessare. *Suet. ib.* ℙ *Formula cadere* vel *excidere* dicuntur, qui concepta formulae verba immutando plus petunt, quam debent; adeoque causa cadunt. Erant enim actionum formulae ita certis conceptae verbis, ut ab iis si quis agendo discederet, causam amitteret. *Suet. Claud.* 14. Iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones. Adde *Senec. ep.* 48. *f.* et *Quint.* 3, 6, 69. ℙ Extra rem forensem sumitur pro pacto certis verbis expresso, praescripto, lege, conditione, foedere. *Liv.* 27, 10. Quaesierunt a coloniis, ecquid milites ex formula paratos haberent. *Id.* 43, 6. Lampsacenos in sociorum formulam referre praetor jussus. *Id.* 39, 26. Paracheloida nullo jure Thessalorum formulae factam. ℙ Item pro ratione, modo, regula, mensusa, quam mutari non liceat. *Id.* 33, 38. Antiochus omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus. *Suet. Aug.* 49. Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum praemiorumque formulam adstrinxit. *Cic. opt. gen. Or.* 7. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostrae. [*Formula i. q. norma.] Et 5. Formula dicendi. *Suet. Aug.* 88. Orthographia, idest formula ratioque scribendi a grammaticis instituta. *Hor. Sat.* 2, 3, 45. haec populos, haec magnos formula reges, Excepto sapiente, tenet, [*i. e. definitio complectitur.] *Senec. ep.* 6. *med.* Cleanthes Zenonis vitae interfuit, secreta perspexit: observavit illum, an ex formula sua viveret, *h. e.* secundum ea vitae praecepta, quae aliis tradebat. *Id. Tranq.* 11. Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine vivo faciet: at qui scit, hoc sibi, cum conciperetur, statim condictum, vivet ad formulam. [*Non omittendi erant loci. *Cic. Ac. post.* 1, 4. Utrique (et Peripatetici et Academici veteres) certam quandam disciplinae formulam composuerunt, i. e. systema. *Id. Off.* 3, 4. Formula quaedam constituenda est, etc., i. e. pronuntiatum generale, (ut *Ernest.* explicat in *cl.*), ex quo reliqua derivari et judicari possint. Adde *Or.* 11. et *ib.* 23.]

FORMŪLĀRĬUS, ii, m. *Quint.* 12, 3. *med.* Multos cognovimus, qui taedio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerunt ad haec deverticula desidiae: quorum alii se ad album et rubricas transtulerunt, et formularii, vel, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt, *h. e.* formulas juris consectantes, et ex iis causas agentes. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Cic. Or.* 1, 55. Jurisconsultus ipse per se (*h. e. sine praesidio eloquentiae*) nihil, nisi legulejus quidam cautus et

acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum.

FORMUS, a, um, adj. apud veteres ab Aeolico θερμὸς, pro θερμὸς, calidus. *Festus* in *Forma* et *Formucales*. *Varr.* ap. *Non.* 12, 52. Formi vocabulum a formo dictum, idest a caldore. [*Gothofr. *calore*.] *Arnob.* 2, 72. Nec in formis erubescerent calamistris masculorum vibrare caesariem. *Stewechius* legend. putat *informis*, *h. e.* valde calidis: sed hic nihil mutandum, atque ita sunt verba conjungenda, *in formis masculorum vibrare caesariem calamistris;* ideoque locus pertinet ad V. FORMA. [*V. *Doederl.* 3, 93.]

FORNĂCĂLĬA, ium, n. plur. sacra non stata, sed indictiva, a Numa instituta in honorem Deae Fornacis, ut far recte torreretur: ideoque ad fornacem, quae in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat, ut *Fest.* tradit. *Plin.* 18, 2, 2. Numa et Fornacalia instituit, farris torrendi ferias. *Ov. Fast.* 2, 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit. *Lact.* 1, 20. *med.* Quis non rideat Fornacem Deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari? [*V. *Gierig. Ind. Rer.* ad *Ov. Fast.* s. h. v.]

FORNĂCĂLIS, e, adj. ad Deam Fornacem pertinens. V. v. praec. *Ov. Fast.* 6, 312. Sola prius furnis torrebant farra coloni: Et Fornacali sunt sua sacra Deae.

FORNĂCĀRĬUS, a, um, adj. ad fornacem pertinens. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *med.* Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, et villa fuisset exusta, *h. e.* qui fornacem ardentem custodit.

FORNĂCĀTOR, oris, m. qui fornacem balnei succendit. *Paul. Dig.* 33, 7, 14. Ita enim ibi legendum est, non *fornicator:* quin immo *furnacator* legitur in *Inscr.* Pompejis reperta in externo balnei pariete, ap. *Rosin. Dissert. Isagog.* p. 66. *tab.* 10. *n.* 2. Secundum Aedilem furnacator rogat.

FORNĂCĔUS, a, um, adj. ad fornacem pertinens. *Lucil.* ap. *Non.* 10, 12. Primum fulgit, uti caldum, et fornaceum ferrum. Al. rectius leg. *uti caldum ex fornacibu' ferrum.*

FORNĂCŬLA, ae, f. diminut. fornacis. *Juven.* 10, 82. Magna est fornacula. [*Front. ad M. Caes.* 1. (ed. *Maio*) *ep.* 2. Bajarum ego calidos specus malo, quam istas fornaculas balnearum, in quibus ignis cum sumptu atque fumo accenditur, brevique restinguitur; at illi ingenui vapores puri perpetuique sunt, grati pariter et gratuiti. *F.*] ℙ Translate. *Appul. Apol.* p. 321, 32. Hic accusationis auctor, hic testium coemptor, hic totius calumniae fornacula.

FORNAX, ācis, f. κάμινος, aedificium, quod rei alicujus coquendae, aut calefaciendae gratia igni succenditur, cujusmodi sunt, quibus calx, aut lateres coquuntur, far torretur, metalla funduntur. *Cic. N. D.* 1, 37. Apparentque in ardentibus fornacibus saepe volitantes. *Plin.* 11, 36, 42. Fornax neraria. *Id.* 17, 9, 6. calcaria. *Cato R. R.* 38. luculentam habet calcariae fornacis descriptionem. *Virg. A.* 7, 636. recoquunt patrios fornacibus enses. *Labeo Dig.* 19, 2, 58. Fornax balinei. ℙ Translate. *Virg. G.* 1, 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam. ℙ *Fornax* etiam Dea fuit, cujus in honorem Numa Fornacalia instituit, *h. e.* farris torrendi ferias. *Ov. Fast.* 2, 525. Facta Dea est Fornax: laeti Fornace coloni Orant, ut fruges temperet illa suas. V. FORNACALIA.

FORNĬCĀRĬUS. V. FORICARIUS. ℙ Pro scortatore. *Tert. Anim.* 35. et *Pudic.* 9. ℙ Sic *fornicaria*, *ae*, ap. *eund. ib.* 16. [*Vet. *Gloss.* πόρνη, ἀπὸ καμάρας. *Isid. Orig.* 10. V. et *Voss.* in *Lex. Etymol. B. A.*]

FORNĬCĀTIM, adv. in modum fornicis. *Plin.* 16, 42, 81. Palma, arbor valida: in diversum enim curvatur: et populus. Cetera omnia inferiora pandantur: palma e contrario fornicatim. Ita *Hard.* ex MSS. Alii *fornicatur*, h. e. in modum fornicis curvatur.

FORNĬCĀTĬO, onis, f. καμάρωσις, fornicis structura. *Senec. ep.* 95. *med.* Societas nostra lapidum fornicationi similis est, quae casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. *Vitr.* 6, 11. Parietum fornicatio. ℙ Est etiam scorti consuetudo, apud Eccles. scriptor. *Tert. Pudic.* 1, 2. etc.

FORNĬCĀTOR, oris, m. et

FORNĬCATRIX, icis, f. qui, vel quae scortatur. Voces sunt Ecclesiasticis scriptoribus usitatae. Meretrices enim sub fornicibus prostabant. Hinc fornicatores dicti, qui illuc convenirent. *Isid. Orig.* 10. *f.*, et *Tert. Pudic.* 1. et 22.

FORNĬCĀTUS, a, um, part. a *fornico*, in modum fornicis fabricatus, concameratus. *Cic. Top.* 4. Parietem directum ad communem parietem adjungere vel solidum, vel fornicatum, [*i. e. in quo non tota latitudo parietis lapidibus expletur, sed pars fornicibus expletur. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Plin.* 12, 5, 11. Fornicato ambitu. ℙ Romae fuit *via Fornicata*, quae ad Campum Martium ducebat. *Liv.* 22, 36. In via Fornicata, quae ad Campum erat, aliquot homines de coelo tacti, exanimatique fuerant, *h. e.* via fornicibus ornata: alia via, quae *Tecta* appellata fuit, memoratur ab *Ov. Fast.* 6, 192., quae itidem fornicibus, seu porticibus instructa erat, et a porta Capena ad Martis templum ducebat. V. INTEGO, RECTUS et TECTUS. [*Cf. etiam *interpp.* ad *Liv.* loc. l.]

FORNĬCO, as. V. FORNICATIM.

FORNĬCOR, aris, dep. l. scortor, ea ratione, quae in FORNICATRIX et FORNIX dicta est. *Tert. Pudic. sub f.* Nemo nolens fornicatur.

FORNIX, ĭcis, m. καμάρα, ἁψὶς, structura in arcus modum curvata et convexa. Proprie autem dicitur de arcu, *h. e.* singulis partibus tecti camerati: differtque a camera, et testudine, quae integram tecti curvaturam et convexitatem significant. V. CAMERA. *Senec. ep.* 90. *med.* Democritus invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur. Hoc dicam falsum esse: necesse est enim, ante Democritum et pontes, et portas fuisse, quarum fere summa curvantur. *Cic. Top.* 4. Non debebit praestare, quod fornix vitii fecerit. *Plin.* 31, 3, 24. Aqua fornicibus structis perducta. ℙ Speciatim dicitur de arcubus in memoriam rerum gestarum a triumphalibus viris exstructis. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 66. Ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret. V. FABIANUS. ℙ Per synecdochen dicitur de tota camera. Hinc fornices sunt cellae cameratae, in quibus prostabant meretrices. *Juven.* 3, 156. et 11, 171., et *Hor. Sat.* 1, 2, 30. ℙ [*Dici videntur *fornices* etiam portae ad excurrendum aptae. Gr. ἔξοδοι. (*Ausfallspforten.*) *Liv.* 36, 23. Fornices in muro erant apti ad excurrendum. *Id.* 44, 11. Monstrati sunt fornices: non ad eandem crassitudinem, qua veterem murum, sed simplici laterum ordine, structos esse. Hoc loco idem esse videntur, quod nos dicimus: *Bedeckter Weg.*] ℙ Quin *fornix* est etiam puer meritorius, qui ibidem prostat. Hinc *Suet. Caes.* 49. Caesarem vocat *Bithynicum fornicem*, quod is Nicomedi Bithyniae regi, cum puer esset, flore aetatis conciliatus fuisset. ℙ Per metaphoram *coeli ingentes fornices* dixit *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 3., quae translatio improbatur a *Cic. Or.* 3, 40. propter dissimilitudinem. Quamvis enim, inquit, sphaeram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse. *Voss. l.* 4. *institut. Oratoriar. c.* 6. *n.* 7. conatur *Ennium*, aliosque eum imitatos defendere.

FORNUS, i, m. caminus coquendo pani, κλιβανίον. *Varro* ap. *Non.* 12, 52. Cocula, quae coquebat panem, primum sub cinere, postea in forno, cujus utique vocabulum a formo dictum, idest a caldore. V. FURNUS.

FORO, as, a. l. τερέω, pertundo, penetro: a πόρος, meatus, qui forando fit. *Colum.* 5, 10. *f.* Amygdala si parum ferax erit, forata arbore lapidem adjicito. *Pl. Most.* 1, 1, 53. Forabunt te per vias stimulis. *Macr. Sat.* 7, 3. Forare aurem. ℙ Part. *Forans* ap. *Sidon. ep.* 9, 13. Jaculo jam forante cruor exit. *Forandus* ap. *Cels.* 7, 29. Indice digito corpus illud forandum est.

FORŌAPPĬI, orum, m. plur. incolae oppidi in Latio prope Setiam ad Pomptinas paludes, quod Forum Appii dictum fuit, ubi nunc *Casarilio di S. Maria. Plin.* 3, 5, 9. Ficolenses, Foroappii, Forentani.

FORŌAUGUSTĀNI, orum, m. plur. incolae oppidi in Hispania Tarraconensi, quod et Libisosona, nunc *Lesuza* appellatur. *Plin.* 3, 3, 4.

FOROBRENTĀNI, orum, m. plur. incolae oppidi nunc diruti in Umbria, quod Forum Brentanorum appellatum. Eorum meminit *Plin.* 3, 14, 19. ℙ In sing. num. *Inscr.* ap. *Mur.* 730, 1. L. Petronio L. F. Pub. Sabino Forobrent*ano* cornic*ulario*, etc.

FŌROCLAUDĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Gallia, quod Centronum caput fuit, olim Forum Claudii, nunc *Monstier* appellatum. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 185. Imp. Caes. Trajano Aug. Foroclaudi*enses* publice. ℙ [*Foroclodienses* fuere incolae oppidi in Etruria, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 8. *B. A.*]

FŌRŌCORNĒLĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Aemilia, quod olim a L. Cornelio Sulla dictatore Forum Cornelii, nunc *Imola* appellatur. ℙ In sing. num. *Plin.* 3, 16, 20. Forocornelien*sis* ager.

[FŌRŌDRŬENTĪNI, orum, m. plur. incolae oppidi nunc excisi in Aemilia, a *Plin.* 3, 5, 20. memorati, quod tamen ibi perperam dicitur Forum Truentinorum; etenim *Id. ib.* 13, 18. recte statuit Truentum flumen, nunc *il Tronto*, cum oppido cognomine esse in Piceno. V. TRUENTINUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 492, 5. Patrono col*oniae* Jul. Aug. Parmae, patrono municipiorum Forodruent. et Foronovanor. Alia ap. *eund.* 1094, 2. Cur*atori* reipublicae Forodr. *F.*]

FŌRŌFLĀMĬNĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Umbria, quod olim Forum Flaminii, nunc *Forfiamma* appellatur. *Plin.* 3, 14, 19. Fulginates, Foroflaminienses. *Inscr.* ap. *Don.* 248, 3. C. Betuo Tro. Cilani Minuciano XV. populorum Umbriae patrono, municipi Amerini, Asisinates, Foroflaminienses, Fulginates, etc.

FŌRŌHADRĬANENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Germania inferiori haud longe a Lugduno Batavorum, quod quidam putant esse nunc *Vorburg:* ejus meminit *Tab. Peut. Inscr.* ap. *Pococke* p. 121. Victoriae Verinae Forohadrianenses in Germania inferiori. *F.*]

FŌRŌJŪLĬENSES, ium, m. plur. incolae plurium oppidorum, quorum omnium appellatio fuit Forum Julii. *Forojulienses* primum sunt incolae oppidi in Gallia Narbonensi, quod olim Forum Julium, et a *Planco* ad *Cic. Fam.* 10, 15. memoratur, nunc *Frejus. Tac. Agr.* 4. Illustris Forojuliensium colonia. ℙ *Forojulienses Transpadani* fuerunt incolae oppidi in Italia, quod alii putant fuisse, ubi nunc *Cividale del Friuli;* alii rectius in agro Veronensi, ubi nunc *Valle di Frezelane*, ut statuit *Hieron. Asquinius* in *Lettera del Forogiulio de' Carni*, etc. p. 11., ubi haec reperta est *Inscr.* Q. Gavio Q. F. Pob. Principi IIII. Vir. Veronae Eq. Pub., Laur. Lav., Praef. colleg. fabr. et dendr. Pagani pagi Forojuliens. patrono. ℙ *Forojulienses Concubienses* in Umbria, quorum oppidum nunc excisum. *Plin.* 3, 14, 19. Foroflaminienses, Forojulienses cognomine Concubienses, Forobrentani. ℙ *Forojulienses Carnorum*, de quibus V. in JULIENSIS. ℙ *Forojuliirienses* fuerunt incolae oppidi cis Padum prope Dertonam, nunc *Tortona*, quod olim colonia Iria a *Plin.* 3, 5, 7., nunc *Voghera* appellatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1108, 4. C. Metilio C. Fil. Pomp. Marcellino patrono coloniae Forojuliiriensium. Alia apud *eund. ib.* 5. Decurio colo*niae* Forojuliiriensium. V. IRIATES et IRIENSES.

FŌRŌNĒRŌNĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Gallia Narbonensi, quod olim Luteva, et Forum Neronis, nunc *Lodève* appellatur. *Plin* 3, 4, 5. Lutevani, qui et Foroneronenses. *B. A.* et *F.*

FŌRŌNŌVĀNI, orum, m. plur. incolae oppidi in Aemilia prope Parmam, quod olim Forum Novum, nunc *Fornovo* appellatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 492, 5., quam videsis in FORODRUENTINI.

FŌRŌPŌPĬLĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi nunc diruti in Campania, in via Appia inter Calenum, et Casilinum, prope urbem, quae nunc *Carinola* appellatur. *Plin.* 3, 5, 9. Foropopulienses (lege *Foropopilienses*) ex Falerno. ℙ Alii fuerunt *Foropopilienses* in Aemilia, quorum oppidum olim Forum Popilii dicitur apud *Plin. ib.* 15, 20., nunc *Forlimpopoli.*

FŌRŌSEMPRŌNĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Umbria, quod olim Forum Sempronii, nunc *Fossombrone* appellatur. *Plin.* 3, 14, 19. Forosempronienses, Iguvini, Interramnates cognomine Nartes. *Inscr.* ap *Grut.* 416, 6. 11. viri, et de curiones Forosemproniens.

[FŌRŌVĪBĬENSES, ium, m. plur. incolae oppidi in Gallia Transpadana in finibus Taurinorum, quod olim Forum Vibii a *Plin.* 3, 17, 21. dictum, nunc *Castel Fiori. Id. ib.* 16, 20. Padus in Forovibiensium agro iterum exoriens. *B. A.* et *F.*

FORPEX, ĭcis, f. instrumentum, quo a tonsoribus pili inciduntur. *Voss.* et alii de latinitate hujus vocis dubitant. Habet quidem *Isid. Orig.* 20, 13. et *Cassiod. Orthogr.* 4., ubi ambo discrimen afferunt inter forficem, et forpicem, quod haec tonsoris sit, illa sutoris. *Sidon.* etiam in *Polemii Epithal. carm.* 15, 184. Rupit odoratam redolenti forpice barbam. Ita scriptum est in castigatissimis libris *Wowerii*, *Elmenh.*, *Savorionis* et *Sirmondi.*

FORS, fortis, f. τύχη, casus extemporalis: a *ferendo*, quia fors est, prout res fert, ut ait *Voss. Etym. Cic. Att.* 14, 13. Fors in aliquibus rebus plus, quam ratio potest. Videtur a *fortuna* differre, quia *fors* casus est, *fortuna* ipsa Dea, si *Nonio* 5, 15. credimus. Certe quidem differunt in locis, quae ibi affert, *Accii:* Fortunane, an forte reperitur? *Ejusdem:* quibus natura prava magis, quam fors, aut Fortuna obfuit. *Lucilii:* Cui parilem Fortuna locum, fatumque tulit fors. *Cic.* quoque distinguit *Leg.* 2, 11. *extr.* ℙ Interdum tamen pro ipsa Fortuna ponitur. *Cic. Att.* 4, 10. Sed de illa ambulatione Fors viderit, aut siquis est, qui curet, Deus. *Catull.* 64, 169. insultans saeva Fors nostris invidit quaestubus aures. ℙ Interdum ponitur adverbialiter. *Virg. A.* 11, 50. Fors et vota facit, cumulatque altaria donis. Adde *Val. Fl.* 3, 665. et *Stat. Silv.* 3, 4, 4. ℙ In obliquis casibus. *Vell.* 2, 66. Vel forte, vel providentia, vel utcumque constitutum. *Liv.* 1, 4. Forte quadam, an divinitus. [*Tac. *A.* 6, 22. Fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur.] *Virg. A.* 1, 381. Nos forte sua tempestas appulit. ℙ *Fors fortuna* est ipsa fors seu fortuna. *Cic. Div.* 2, 7. Si haec habent talem necessitatem, quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? ℙ Saepe est bona fortuna, vel eventus bonae fortunae. *Ter. Eun.* 1, 2, 54. Forte fortuna adfuit hic meus amicus. *Id. Hec.* 3, 3, 26. Quaeque fors fortuna est, quae nobis te hodie obtulit. *Colum.* 10, 316. Et cele-

bres Fortis fortunae dicite laudes. *Ov. Fast.* 6, 773. Quod cito venerunt Fortunae fortis honores! Et 775. Deam laeti Fortem celebrate Quirites. *Ter. Ph.* 5, 6, 1. O Fortuna, o Fors fortuna, quantis commoditatibus Hunc onerastis diem! *Donat.* ad hunc locum scribit, Fortis fortunae templum trans Tiberim fuisse; cujus festum colebant, qui sine arte vivebant. Illi etiam gratias agebant, quibus aliquid successerat. Eo igitur vocabulo significatur magna vis fortunae. ℙ *Fors fuat* est bona fortuna sit, bona fors foveat, ut interpretatur *Donat.* ap. *Ter. Hec.* 4, 3, 4. ℙ Alio sensu. *Sidon. ep.* 9, 7. Scribam tuum, pretio, fors fuat, officiove demeritum copiosissimo declamationum tuarum schedio emunxit, *h. e.* forsit, fortasse. ℙ *Fors fuit*, ut *Gell.* 12, 8. Fors fuit, ut ap. eandem mensam duo illi juncti locarentur. ℙ *Forte* adv. seu potius hujus nominis ablativus. V. infra suo loco. ℙ [*Confunduntur *fors* et *sors*. *Spalding.* ad *Quint. Inst.* 4, 2, 66.]

FORSAN, adv. (vox poetica) fortasse, ἴσως, dubitandi adverbium: a *fors*. *Virg. A.* 1, 207. forsan et haec olim meminisse juvabit. Adde *Hor. Od.* 2, 16, 31., *Phaedr.* 2, 4., *Lucr.* 6, 345., *Ter. Andr.* 5, 5, 1. etc. ℙ Habent etiam *Hirt. B. Afr.* 45. Forsan isto uterer beneficio. Et *Curt.* 3, 2. Et tu forsan audire nolis etc. Sed historici poetica verba valde amant. [**Liv.* 3, 47. Quem decreto sermonem praetenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint.]

FORSIT, fortasse, idem ac fors sit. *Lucr.* 6, 735. Forsit et Aethiopum penitus de montibus altis Crescat. *Hor. Sat.* 1, 6, 49. Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem Jure mihi invideat quivis, ita, etc. Haec verba recitat etiam *Prisc.* 15, 1015. Tribuitur et *Virg. A.* 11, 50. et *Propertio* 2, 7, 33., sed utrobique alii *fors et.*

FORSĪTAN, adv. idem ac forsan: ex *forsit* et *an*, quasi an fors sit, sive an ferat hoc fors. *Cic. Or.* 2, 45. Major ars aliqua forsitan esset requirenda. *Ter. Eun.* 1, 2, 117. Forsitan hic mihi parvam habeat fidem. *Virg. Ecl.* 6, 59. forsitan illum perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae. *Cic. Rosc. Am.* 2. Forsitan quaeratis, qui iste terror sit. *Sall. Jug.* 114. Incertae, ac forsitan paulo post interiturae vitae parcere. [*Plerumque adjecto conjunctivo dicitur. Hinc restituendum censet *Zumpt.* ap. *Quint.* 2, 16, 11. ubi vulg. *fortasse.*]

[FORTAN, adv. pro fortean, idem ac fortassean. *Cic. Rep.* (ed. *Maio*) 3, 35. Fortan non tam illius te reipublicae poenitebit. *F.*]

FORTASSĒ, adv. ἴσως, forsitan. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* Sed ego fortasse vaticinor, et haec omnia meliores habebunt exitus. Est qui legat *fortassis.* Et *mox.* Eos ego fortasse nunc imitor. *Id. Or.* 1, 22. Alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto atque erudito. *Id. Att.* 6, 6. Puer et fortasse fatuus. *Caes. B. C.* 3, 51. Quae res tamen fortasse aliquem reciperet casum. *Virg. A.* 10, 548. coeloque animum fortasse ferebat. ℙ [*Dicitur etiam de rebus certis, extra dubitationem positis, et respondet Gr. ὀίμαι, ἴσως. V. *Heindf.* ad *Hor. l. mox.* seq. et ad *Plat. Phaedr.* 20. *Hor. Sat.* 1, 6, 98. Demens judicio vulgi, sanus fortasse tuo etc. Cf. *Schulting.* ad *Calpurn. Decl.* 44. ℙ Sequitur infinitivus. *Plaut. Merc.* 4, 4, 42. Fortasse arbitrari. *Id. Truc.* 3, 2, 12. V. *Ruddim.* 2. p. 321.] ℙ Servit interdum anteoccupationi. *Cic. Div. Verr.* 12. Fortasse dices: quid? ergo haec in te sunt omnia? ℙ Praecedente *si*, *an* aut *nisi*, raro *fortasse* subditur, sed *forte. Cic.* tamen *ad Brut.* 1, 15. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione durior: nisi fortasse utrumque tu. Et *Pl. Pers.* 2, 2. *f.* Nisi fortasse blanda verba. Et *Capt.* 3, 4, 96. An tu fortasse fuisti meae matris obstetrix?

FORTASSĒAN, adv. idem ac forsan: a *fortasse* addito *an*. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* De fructu, quod fortassean tibi satis sit, Axi. *Gell.* 11, 9. Fortassean auxilii petendi gratia. *Id.* 19, 8. Ac fortassean de quadrigis veterum auctoritati concesero. Adde *Sisenn.* apud *Non.* 2, 101. et *Accium ib.* 542.

FORTASSIS, adv., idem quod *fortasse* sed aliquanto rarius. *Pl. Bacch.* 4, 4, 20. Fortassis tu auri dempsisti parum. *Id. Asin.* 2, 4, 86. Neque est alter, cui credi recte aeque putent. *Me.* fortassis: sed tamen, etc. Adde *Plin.* 2, 20, 18. et locum dubium *Cic.* quem in *Fortasse* priore loco attulimus. ℙ *Charis.* quoque 2, 165. docet, *fortassis* Latinis auribus absurdius videri.

FORTAX, ācis, m. φόρταξ, fornix fornacis ex lapidibus calcariis ita structus, ut tam pateat, quam infima fovea; sub quo ignis succenditur, utque tota lapidum strues se ipsam sustentet. *Cato. R. R.* 38. Fornacem bene struito; facito, fortax totam fornacem infimam complectatur.

FORTĒ, τυχὸν, ἐκ τύχης, fortuito, casu: ablativus a *fors*, adverbii modo usurpatus. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Forte evenit, ut in Privernati essemus. *Cic. Planc.* 26. Cum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem. *Ter. Ph.* 4, 3, 12. Ut abii abs te, fit forte obviam mihi Phormio. *Liv.* 9, 31. Transfugae quidam, pars forte, pars consilio oblati. *Hor. Ep.* 16, 15. forte, quid expediat, quaeritis? ℙ *Forte fortuna.* V. in FORS. ℙ Praecedentibus dubitativis particulis *si*, *sin*, *ne*, *nisi. Cic. Div. Verr.* 1. Si quis vestrum forte miratur. *Id. Or.* 3, 12. Vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus, et pauca quaedam verba, et aliquem, si forte, motum. *Id. Fam.* 2, 10. Sin quid forte titubatum esset, exercitu tuo niteremur. *Ter. Eun.* 2, 2, 56. Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam curset. *Cic. Mil.* 7. Nisi forte magis erit parricida, si quis consularem patrem, quam si quis humilem necaverit. [*Saepius conjungi solent *forte* et *temere. Cic. Div.* 2, 68. Nisi ista casu nonnunquam forte temere concurrerent. *Liv.* 10, 43. Eo ipso loco forte (alii *prope*) temere sub armis strati passim inquietum omne tempus noctis egere, ubi v. *Gronov.* Adde *Ter. Phorm.* 5, 2, 31. Quam saepe forte temere Eveniunt quae non audeas optare.]

[FORTENSES, ium, m. plur. ita sunt appellati quidam milites a Fortensi Mauritaniae oppido; alii vero *Dalmatae Fortenses* ab oppido Sarmatiae, cui nomen fuit *Fortia Moenia.* Ita *Rivautella*, et *Ricolvius* ad *Marm. Taurin.* T. 2. p. 56., quos penes sit fides. *Ammian.* 18, 9. Tricesimani, decimanique Fortenses. Alii tamen leg. *Fretenses. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 296. Praepositus militum Fortensium. Alia apud *Grut.* 528, 7. Aurelio Januario signifero ex Num. Dalmat. Fort. *F.*]

FORTĒSCĔRĔ, *h. e.* fortem fieri, dictum a *Laevio* in *Alcesti* apud *Gell.* 19, 7., sed ab ipso *Gellio* improbatur.

FORTĬCŬLUS, a, um, adj. dimin. fortis. *Cic. Tusc.* 2, 19. Quamvis idem Epicurus forticulum se in torminibus, et in stranguria sua praebeat. *Auson. Idyll.* 3. *f.* Carmina venustula ut essent magis, quam forticula.

*FORTĬFĬCĀTĬO, onis, f. actus fortificandi. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. Fortificationem corpori adhibere. *B. A.*

FORTĬFĬCO, as, a. 1. ἰσχυρίζω, fortem facio. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. Fortificare corpora. Et *ib.* 2, 4. Constringere atque fortificare dentes. ℙ Quod ex *Plauto* afferunt quidam lexicographi *fortifica animum*, suspectum, ne dicam falsum, valde est.

[FORTĬO, onis, m. diminut. fortis, forticulus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 152, 1. Caecilius Fortio.

FORTIS, e, adj. ἀνδρεῖος, valens, potens, qui validis viribus praeditus est: a *fero*, quia fortitudo est virtus perferendarum rerum. Fere de animo dicitur, quia fortitudo animi est, robur corporis. *Cic. Off.* 1, 23. Fortis animi est et constantis non perturbari in rebus adversis. *Sall Jug.* 100. de Sulla: Multi dubitavere, fortior, an felicior esset. *Cic. Or.* 3, 8. Impetus animi fortissimus. *Id. Sext.* 20. Vir fortis et acris animi magnique. *Id. Mil.* 34. Gladiator fortis et animosus. *Id. Font.* 15. Vir ad labores impiger, ad pericula fortis. [**Liv.* 7, 40. Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem. *Quint. Decl.* 4, 22. p. 102. Has ad scelus tantum fortes manus. *Macr. Sat.* 2, 1. Fortis ad crimina.] *Cic. Rosc. Am.* 30. Vir contra audaciam fortissimus. *Sen. Herc. Fur.* 1283. Fortis in pueros modo. *Cic. fr.* ap. *Non.* 12, 34. In dolore podagrae Posidonium nihilo, quam hospitem meum, fortiorem. *Id. Verr.* 2, 1, 1. Si fortes fueritis in eo, quem etc., *h. e.* contra eum. *Id. Phil.* 12, 3. Acerrima et fortissima libertatis recuperandae cupiditas. *Id. Cat.* 3, 6. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae. *Id. Fam.* 6, 13. *f.* Fortissimo et maximo animo ferre omnia. ℙ [*Solennis formula est de ducibus bellicis, qui *fortes* ac *felices* dicuntur. Ita *Liv.* 2, 49. eleganter Fabios *fortes* et *felices;* nam singulos antea dixerat, duces esse potuisse magnorum exercituum. Milites autem *fortes* et *fideles* appellantur, cf. 39, 32. *Gloss. Liv.* p. 272.] ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 10, 905. pavidas tonitru turbare puellas Fortior. ℙ *Fortia facta*, *h. e.* fortiter patrata. *Virg. A.* 1, 645. Fortia facta patrum. *Cic. Att.* 8, 22. Quod enim unquam eorum in republica forte factum exstitit? ℙ Interdum et de corporis robore usurpatur. Sic *Colum.* 1, 8. villicum fortem appellat. *Virg. A.* 11, 705. si femina forti Fidis equo, *h. e.* cursu praestanti. *Id. G.* 1, 65. Tauri fortes. *Plin. ep.* 4, 1. *extr.* Contingat modo te, filiamque tuam fortes invenire, *h. e.* bene valentes. (Adde *ep.* 21. et *ep.* 6, 4.) *Plin. alter* 11, 38, 90. Animalium fortiora, quibus sanguis crassior. *Id.* 32, 7, 26. Fortioribus stomachis ex jure ranas mandendas dabat. ℙ Habet etiam alias his affines notiones. *Ter. Andr.* 2, 6, 13. Cavit, ne unquam infamiae ea res sibi esset, ut virum fortem decet, *h. e.* honestum. *Pl. Trin.* 5, 2, 9. Sororem despondisse suam in tam fortem familiam, *h. e.* divitem et bene audientem. [*Ita *Non.* p. 306. Sed magis crediderim potentem, pollentem in civitate explicandum esse. *Lindem.*] *Id. Mil.* 4, 3, 13. de quadam muliere: Ecquid fortis visa est? *h. e.* formosa. [*Imo *viribus pollens*, vegeta. Nam non venustas quaerit ille scitus admissarius, sed bene nutritas. *Lindem.*] V. *dicta* in FORMIS. ℙ Usurpatur etiam pro munito, firmo, valido. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 2. Eae vites minus fertiles vino, acinis, et faece nimia, contra pruinas fortissimae sunt. *Caes. B. C.* 2, 2. Fortissima ligna. *Sen. Hipp.* 34. Fortia vincula. Et *Herc. Fur.* 1118. et *Val. Fl.* 1, 434. Fortes humeri. *Sen. ib.* 1116. Fortis arundo. *Pallad.* 3, 24. Plantae licet serius comprehendant, fortiores fient. *Plin.* 8, 36, 54. Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum. ℙ *Fortis cibus* dicitur, qui valde est alibilis, valens, firmus. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 6. Fortiora ad hiemes frumenta, legumina in cibo. ℙ *Fortes oculi*, acres ad intuendum et imperterritum animum significantes. *Cic. Att.* 15, 11. Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum. ℙ *Sol fortis*, calorem habens. *Sen. Med.* 588. Aut ubi in rivos nivibus solutis Sole jam forti medioque vere Tabuit Aemus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 54. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri; fortem et virilem non videri, *h. e.* viro forti gravique dignam. Et *ib.* 3, 9. Genus dicendi forte, vehemens, commotum in agendo, *h. e.* acre, vi praeditum. Et *ib.* 2, 43. Non semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, submissa, lenis. *Corn. Sev. Aetn.* 2. Et quae tam fortes volvant incendia causae, *h. e.* tantis viribus praeditae. *Gell.* 5, 3. *extr.* Quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior, *h. e.* melior, probabilior, verior. *Justin.* 44, 2. Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitae, *h. e.* diligentior, intentior. *Prop.* 1, 5, 14. [*et *Ov. Met.* 4, 652.] Fortia dicta, *h. e.* plena jactationis ac superbiae. [*V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 13, 6. p. 278. ℙ *Fortis* pertinet quoque ad eum, qui pati molle quid non potest. *Quint. Decl.* 3, 1. p. 60. Ut vim turpissimam ac nefariam tentaret inferre fortiori.] ℙ *Fortes Fortuna adjuvat*, proverb. ap. *Ter. Ph.* 1, 4, 26. et *Cic. Tusc.* 2, 4., quo significatur, audendum conandumque esse prius, deinde exspectandum a Fortuna auxilium. *Id. Fin.* 3, 4. *extr.* In ceteris subvenies, si me haerentem videbis: sedulo, inquam, faciam: sed Fortuna fortes: quare conare quaeso. ℙ *Fortes creantur fortibus* (ap. Graecos ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὶ) aliud proverb. ap. *Hor. Od.* 4, 4, 29. ℙ Olim *forctis* scripsere: significabant autem frugi et bonum, teste *Festo.* ℙ [*Confunduntur *fortius* et *turpius.* V. *Cic. N. D.* 1, 1, 1. ibique *interpr.*]

FORTĬTER, adv. magnis viribus, valide, ἰσχυρῶς. *Nep. Alc.* 11. Fortiter venari. *Pl. Bacch.* 4, 7, 25. Hunc adstringite ad columnam fortiter. *Hor. Od.* 1, 14, 2. Fortiter occupare portum. *Petr. Sat.* 9. Sublatis fortius manibus. *Ov. Rem. Am.* 397. Fortius attrahere lora. *Id. Met.* 6, 708. arserunt agitati fortius ignes. *Plin.* 16, 40, 77. Rigorem fortissime servat ulmus. *Id.* 9, 8, 9. Includi retibus se, fortissime urgentes gaudent. *Id.* 17, 14, 24. Fortius durant. *Pallad.* 11, 18. Defrutum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, *h. e.* valde, bene. Sic *ib.* 19. Fortiter verberare virgis uvas. ℙ Saepe est animose, acriter, constanter, strenue, ἀνδρείως. *Cic. Att.* 14, 13. Quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus. *Id. Phil.* 11, 3. Fortiter et patienter ferre dolorem. *Id. Att.* 15, 20. Fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. *Id. Quint.* 8. Dolabella injuriam facere fortissime perseverat. *Id. Fl.* 39. Cum fugitivis fortiter bellum gesserat. *Id. Prov. cons.* 27. Constanter et fortiter repudiare aliquid. *Id. Phil.* 4, 2. Animose et fortiter quippiam facere. (*Fortiter facere* saepe est strenue se in bello gerere, forte aliquod facinus militare edere. *Quint.* 9, 2. et *decl.* saepissime.) *Colum.* 9, 14. Apes fortius operibus inservient. *Caes. B. G.* 2, 11. Fortiter impetum hostium sustinere. Et 26. Fortius pugnare. Et *ib.* 4, 12. Fortissime resistere. *Pomp. Dig.* 32, 1, 83. Fortiter aliquid defendere. *Quint.* 2, 4. *extr.* Fortissime affirmare. Et 12. Fortius dicere, *h. e.* acrius, vehementius. *Just.* 28, 2. *extr.* Fortius loqui, *h. e.* audacius, confidentius. *Hor. Sat.* 2, 3, 42. Fortiter perire. Facete *Id. Ep.* 1, 15, 26. rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis: impigre et strenue. [*V. *Spalding.* ad *Quint.* 1, 5, 72. *Burm. ib.* 2, 12. p. 168. et 5, 10. p. 420.]

FORTĬTŪDO, inis, f. ἀνδρεία, est virtus animi, qua labores considerate suscipiuntur et dolores constanter perferuntur. *Cic. Inv.* 2, 54. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. *Id. Off.* 3, 33. Fortitudo quae est dolorum laborumque contemptio. Et *paulo inferius.* Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendae mortis, perpetiendique doloris. *Id. Tusc.* 5, 14. Fortitudo est animi affectio cum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu. *Auct.* ad *Her.* 3, 2. Fortitudo est rerum magnarum appetitio et rerum humilium contemptio et laboris cum utilitatis ratione perpessio. [*Cf. *ib.* 4, 25.,

ubi opp. temeritas.] *Gell.* 12, 5. *extr.* Ea vera et proba fortitudo est, quam majores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum et non tolerandarum. V. alias definitiones *Tusc.* 4, 24. ℙ In plur. numero. *Vitr.* 10, 22. Differentes sunt nationum fortitudines. *Cic. Off.* 1, 22. *extr.* Sunt ergo domesticae fortitudines non inferiores militaribus, *h. e.* res fortiter gestae. ℙ Refertur aliquando ad robur corporis, ut Fortitudo hircorum, ap. *Phaedr.* 4, 15. ℙ Fortitudo est etiam quod Itali dicunt *consistenza*. *Hieron. ep.* 64. *n.* 10. Haec feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solent contexi.

[*FORTĬUSCŬLUS, a, um, diminut. fortis, idem ac forticulus. *Sutrius* ap. *Fulg. Myth.* 3, 8. Nam et Sutrius comoediarum scriptor introducit Glyconem (fortasse legend. *Glycerium*) meretricem dicentem: Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus occurram armis fortiuscula. *B. A.* et *F.*]

FORTŪITO, τυχὸν, κατὰ τύχην, casu, forte. Ablativus casus adjectivi *Fortuitus*, adverbii more positus. *Cic. Or.* 55. Temere ac fortuito. Et *Or.* 1, 24. Fortuito in sermonem incidere. *Caes. B. G.* 7, 20. Non haec omnia fortuito aut sine consilio accidere potuisse. ℙ Jungitur et cum *casu*. *Cic. ib.* Ne in Deum quidem cadere videtur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. *Auct.* ad *Her.* 1, 11. Casu et fortuito navis in portum incolumis delata est. Al. utroque loco leg. *fortuitu*. Putant enim, cum *fortuito* dicimus, *casu* subaudiri, cum sit adjectivum: si cum *casu* jungatur, *fortuitu* esse dicendum, quod re vera adverbium est.

FORTŪĪTU, adv. τυχὸν, forte, fortuito. *Pl. Aul.* 2, 1, 41. Si eam senex praegnantem fortuitu fecerit. *Hirt. B. Afr.* 3. *extr.* Occasio fortuitu oblata. *Juven.* 13, 225. Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed etc. *Cic. Off.* 1, 29. Ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate, negligenterque agamus. *Id. Phil.* 10, 2. Quod verbum tibi non excidit fortuitu: scriptum mediatum, cogitatum attulisti. Al. leg. *fortuito*. V. dicta in v. praec. ℙ Pro temere. *Plin.* 8, 16, 21. Dum fortuitu fidens non est contra feram.

FORTŪĪTUS, a, um, adj. τυχηρὸς, forte et casu accidens, in fortuna positus. *Cic. N. D.* 4, 36. Si quippiam nacti sumus fortuiti boni. Et *ib.* 1, 24. Concursus atomorum fortuitus. *Id. Top.* 19. concursio rerum fortuitarum. *Petr. Sat.* 135. At paries circa palea satiatus inani, Fortuitoque luto, *h. e.* temere et sine cura inducto. ℙ Absolute. *Tac. A.* 14, 3. Nihil tam capax fortuitorum, quam mare. ℙ Paenultima producitur ab *Hor. Od.* 2, 15, 17. Nec fortuitum spernere caespitem Leges sinebant. Sic *Phaedr.* 2, 4. et *Auson.* in *VII. Sap. de Solone* 3. At *Manil.* 1, 182., *Petr. Sat.* 135., *Juven.* 13, 225. et alii corripiunt: nisi malis ad synaeresin confugere et trisyllabam vocem facere: quod tamen durius esse videtur.

FORTŪNA, ae, f. τύχη, subitus et inopinatus eventus rerum accidentium, (ut ait *Lact.* 3, 29.) fors, casus. *Cic. Div.* 2, 6. Quid est enim aliud sors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? ℙ Pro Dea habita fuit, et humanarum rerum domina: habuit templum Praeneste praecipue et Antii: Romae etiam fana non una, variisque cognominibus colebatur. *Fors, Fortuna, respiciens, primigenia, hujusque diei*, h. e. in omnes dies, ut docet *Cic. Leg.* 2, 11. *f.*, item *sancta, regina, conservatrix, obsequens* etc., ut videre est in *Inscr.* ap. *Grut.* p. 74. et seqq. V. suis loc. et in HIC *sub f.*, item *virginalis*, quam vocem vide. Pingebatur rotae aut globo insidens, ad volubilitatem inconstantiamque significandam: (unde ab *Ov.* dicitur *Pont.* 2, 3, 56. Dea in orbe stans) cui tribuebant facultatem distribuendi omnibus bona aut mala in vita, non pro cujusque merito, sed temere, inconsiderate, nullo discrimine. *Pacuv.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 23. Fortunam insanam esse et caecam perhibent philosophi, Saxoque illam instare globoso praedicant volubilem etc. *Cic. Pis.* 10. Fortunae rotam pertimescere. *Id. Phil.* 14, 2. Vim fortunae contemnere. *Id. Sext.* 7. Fuit profecto quaedam illa reipublicae fortuna fatalis. *Id. ad Quir.* 1. Homini nihil magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna. *Id. Cluent.* 3. Fortuna misera multumque jactata. *Id. Pis.* 16. Meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *f.* Ferre pulcherrime secundam adversamque fortunam. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Afflicta fortuna. *Id. ad Brut.* 1, 10. Belli fortuna, ut in secundis, fluxa, ut in adversis, bona. Et *ib.* 1. Fortuna optima esse. *Id. Att.* 10, 4. Fortuna duriore conflictatus. Et *ib.* 9, 6. Timidius committere se fortunae. *Id. Tusc.* 5, 9. Bona corporis, et extra corpus in casu sunt atque fortuna. ℙ *Fortes Fortuna adjuvat*, proverb. V. FORTIS. ℙ Interdum sine addito de prospero eventu dicitur. *Cic. Div.* 1, 20. Eum clarissimum Graeciae, diuturna cum fortuna fore. *Id. N. D.* 3, 36. Fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. *Virg. A.* 3, 15. Hospitium antiquum Trojae, sociique Penates, Dum fortuna fuit. *Prop.* 1, 17, 7. Nullane placatae veniet fortuna procellae? Adde *Hor. A. P.* 201. ℙ Interdum de tristi et malo. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *f.* In eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit. *Quint.* 7, 9. *Gallus* utrum avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est, *h. e.* castratum esse. ℙ *Sortiri fortunam oculis* de Aenea telum in Turnum intorquente, et locum in corpore vulneri maxime opportunum, quem fortuna dabat, oculis designante, ap. *Virg. A.* 12, 920. Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat Sortitus fortunam oculis, et corpore toto Eminus intorquet. Id ex *Hom. Iliad. l.* 10. *v.* 311. Εἰσορόων χρόα καλὸν, ὅπη εἴξειε μάλιστα. In re non dissimili ita locutus *Tac. A.* 2, 14. Densarent ictus, ora mucronibus quaererent. ℙ Sumitur et pro statu et conditione rerum aut hominum. *Nep. Att.* 11. Sui cuique mores fingunt fortunam. *Cic. Amic.* 16. Amplificare fortunam. *Id. Off.* 1, 13. Est autem infima conditio et fortuna servorum. *Id. Fin.* 5, 9. Homines infima fortuna. ℙ Fortuna populi R., Fortuna imperii, ap. *Tac. H.* 3, 47. et *ib.* 4, 57. est non solum status et spes, sed etiam auspicium et majestas. ℙ In plur. numero. *Ter. Andr.* 1, 1, 69. Omnes omnia bona dicere, laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio praeditum. *Id. Ph.* 1, 4, 24. Si eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetenda. *Cic. Sull.* 23. *extr.* Et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio permanere. ℙ Saepe *fortunae* ponuntur pro facultatibus, re familiari, divitiis. *Cic. Rosc. Am.* 3. A Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit. *Id. Verr.* 2, 1, 44. Iis praetor adimere bona fortunasque poterit. Ubi *Ascon.* Bona in ipsis possessionibus, fortunae in fructibus earum. *Id. Dom.* 10. Imminebat furor tuus omnium fortunis et bonis. ℙ In singulari num. *Scaev. Dig.* 4, 7, 40. *f.* Argentarius coactor totam fortunam in nominibus habebat. *Ov. Trist.* 5, 2, 55. vitamque dedisti: Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest: Nec mea concessa est aliis fortuna. [*Ap. *Tac.* frequens dicendi usus. *Vellejo* vindicat *Ruhnk.* 6, 60, 1. V. *Spalding.* ad *Quint.* 6, 1, 50. qui ruenti latinitati accenset.] ℙ Per *fortunas*, adjurandi, obsecrandique formula: *Cic. Att.* 5, 11. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid provideri potest, provide. Adde *ib.* 13. et *ib.* 3, 20. ℙ *Fortunae filius*, proverb. felix, fortunatus. *Hor. Sat.* 2, 6, 49. ℙ *Fortunas* pro *fortunae*, ut *familias, escas, vias, Monetas, Latonas*, in genit. sing. *Naevius* ap. *Prisc.* 6. p. 679. Ei venit in mentem hominum fortunas. ℙ [*Permutantur in codicibus *fortuna* et *natura*, V. *intpp.* ad *Prop.* 2, 18, 17. coll. 3, 5, 44. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 9, 16. p. 204. et *casus. ib.* 4, 13. p. 95. et *forma*. V. *Schaef.* ad *Plin. ep.* 3, 3, 4.]

[FORTŪNĀLIS, e, adj. ad fortunam pertinens, fortunatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 449, 2. T. Flavius Fortunalis. *F.*]

*FORTŪNĀLES, ium, sic dicti sunt Tereses populi, quorum urbs in Hispania Baetica fuit vel in Lusitania. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*FORTŪNĀRĬUS, a, um, adj. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 1, 54. In haec et hujuscemodi fortunaria dispositis equis et itinere proviso. *B. A.*

*FORTŪNĀTA, ae, f. aeon haereticorum. *Tert. adv. Valent.* 8. *B. A.*

FORTŪNĀTE, adv. εὐτυχῶς, feliciter, prospere. *Cic. Fin.* 3, 7. Necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere.

FORTŪNĀTIM, adv. idem quod fortunate. *Enn.* ap. *Non.* 2, 334. Fortunatim, feliciter, ac bene vortat.

*FORTŪNĀTĬO, onis, f. et Fortunātor, ōris, m. ap. *August. B. A.*

FORTŪNĀTUS, a, um, adj. εὐτυχὴς, cui fortuna favet, felix. *Cic. Cat.* 2, 4. O fortunatam rempubl., si quidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit! *Id. Q. Fr.* 2, 14. *f.* Nihil nobis expeditis, si valebimus, fore fortunatius. *Id. Senect.* 9. Mihi vero Cn. et P. Scipiones comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. *Vell.* 2, 12. Fortunatissimo proelio decertavere. *Varr. L. L.* 5, 9. Quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo R. Quiritium. *Similes alias formulas bene ominandi* V. in FAUSTUS et FELIX. ℙ Item dives. *Cic. Or.* 2, 86. Cum coenaret Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem. *Caes. B. G.* 6, 34. Quid hanc miseram et tenuem sectamini praedam, quibus jam licet esse fortunatissimis? Adde *Cic. Off.* 2, 20. ℙ Cum casu genit. Graecorum more. *Virg. A.* 11, 416. Ille mihi ante alios fortunatusque laborum, *h. e.* felix in malis et calamitatibus suis. ℙ Fortunatae insulae, *die Canarischen Inseln*, in oceano Atlantico sunt, ad Africam pertinentes, quas *Pl. Trin.* 2, 4, 148. Fortunatorum insulas appellat. Nomen habent a coeli temperie et soli fertilitate: olim creditae Elysium et beatarum animarum sedes: quo allusit *Virg. A.* 6, 638. Devenere locos laetos, et amoena vireta Fortunatorum nemorum. V. *Plin.* 6, 32, 37.

[FORTŪNENSIS, e, adj. ad fortunam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 10. Claudia Fortunensis. *F.*]

[FORTŪNĬO, onis, m. dimin. is, cui Fortuna aliquantulum favet. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 917, 16. Lurius Fortunio. *F.*]

FORTŪNO, as, a. 1. εὐδαιμονίζω, prospero, secundo. *Cic. Fam.* 2, 2. Tibi patrimonium Dii fortunent. *Id. ib.* 15, 7. Eumque honorem Deos tibi fortunare volo. *Hor. Ep.* 1, 11, 22. Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu. *Afran.* ap. *Non.* 2, 315. Deos ego omnes, ut fortunassint, precor, *h. e.* ut fortunent. Adde *Pl. Trin.* 2, 4, 175. et *Pers.* 2, 45. Ubique autem Diis tribuitur, quorum in manu Fortunae vis esse dicitur.

[FORTŪNŪLA, ae, f. dimin. fortunae, parva fortuna. Est nomen R. *Inscr.* Christiana ap. *Fabrett.* p. 327. *n.* 467. Respectus, et Fortunula parentes filio dulcissimo. Adde aliam apud *eund.* p. 586. *n.* 191. *F.*]

[FORŪLĀNUS, a, um, adj. ad Forulos pertinens, vicum Marsorum in Sabinis prope Amiternum. V. v. seq. *Inscr.* ap. *Mur.* 1098, 1. C. Sallio C. F. Qui. Proculo patrono civitatis Amiternorum Vicani Forulani patrono benemerenti. Adde aliam apud *eund.* 233, 4. *F.*]

FORŪLI, orum, m. plur. loculi, plutei, quibus libri asservantur: a *foris* circensibus, ut *Festus* docet. *Suet. Aug.* 31. Libros Sibyllinos condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. *Juven.* 3, 219. Hic libros dabit, et forulos, mediamque Minervam. ℙ Est et nomen vici in Sabinis apud Marsorum confinia, nunc *Civita Tomassa* appellati. *Virg. A.* 7, 714. [*Liv.* 26, 11. *Sil.* 8, 417. In *Livio* vicus appellatur. *B. A.*]

FORUM, i, n. ἀγορὰ, locus spatiosus in urbe, in quo res venduntur, et negotia fiunt: a *fero*, ut vult *Varr. L. L.* 4, 32. Quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent, forum appellarunt. *Id. ib.* Forum boarium, olitorium, cupedinis, piscarium. *Id. R. R.* 1, 54. vinarium. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. *med.* suarium. *Sall. Jug.* 51. Oppidum Vacca, forum rerum venalium totius regni maxime celebratum. ℙ *Varro cit. L. L.* 4. tradit, omnia fora rerum venalium, quae Romae erant, contracta postea fuisse in unum locum, quod *macellum* dictum fuit, ubi omnia, quae ad victum pertinent, vendebantur. ℙ Item locus, in quo jurisdictio exercetur, conciones habentur ad populum, causae aguntur, qui saepe idem est locus cum foro negotiorum, quae occasione convenientium civium fiunt, ut in Foro Romano. *Cic. Verr.* 2, 3, 15. Ne extra suum forum vadimonium promittere cogantur. *Id. Fam.* 5, 8. Ut primum forum attigi, *h. e.* coepi versari in publico, civilia studia exercere, reipublicae operam dare, causas agere. *Suet. Ner.* 7. Deducere in forum, *h. e.* in publicum, et ad reipublicae studia et officia admovere. *Senec. prooem. Contr. l.* 2. Parare se foro et honoribus. *Tac. A.* 39. Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet. *Nep. Cat.* 1. Hortatu L. Valerii Romam demigravit, in foroque esse coepit. *Id. Att.* 10. Ad adventum imperatorum foro decesserat, timens proscriptionem, *h. e.* publico abstinuerat. *Senec. Ben.* 4, 39. Cedere foro. V. CEDO. *Cic. Verr.* 2, 4, 54. *extr.* Pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis conferatis. *Virg. G.* 2, 502. ferrea jura, Insanumque forum. *Ov Fast.* 4, 188. Et fora Marte suo litigiosa vacent. ℙ *Forum agere* est jurisdictionem exercere, et dicitur fere de magistratibus in provinciis. *Cic. Att.* 5, 16. *ad f.* Appius in ultimam provinciam se conjecit, Tarsum usque: ibi forum agit. Sic *Virg. A.* 5, 757. gaudet regno Trojanus Acestes, Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis. ℙ Ipsa oppida, aut vici in provinciis in quae conveniebant provinciales negotiorum, seu nundinarum, vel jurisdictionis, et litium causa, *fora* appellantur, ut Forum Aurelium in Etruria, Forum Livii in Aemilia, nunc *Forli*, Forum Cornelii, Julii, Sempronii, etc., de quibus V. FOROCORNELIENSES, FOROJULIENSES, FOROSEMPRONIENSES etc. *Cic. Fam.* 12, 5. Erat Claternae Hirtius, ad Forum Cornelium Caesar. ℙ [**Forum Aurelium*, quod et Forum Aurelii *Anton. Itin.*, meminit *Cic. Cat.* 1, 9. ℙ *Forum Livii* meminit *Plin.* 3, 15. Hodie est *Forli*. ℙ *Forum Cornelii*, in Aemilia. *Mart. epigr.* 3, 4. Forum Cornelium est *Cic. Fam.* 12, 5. V. *Forocorneliensis*. ℙ *Forum Julii* in Gallia Narbonensi fuit, hodie *Frejus*. *Planc.* in *Cic. Fam.* 10, 15. et 17. *Plin.* 3, 4. *Mela* 2, 5. ℙ Aliud est Forum Julii in Venetis, cujus incolae *Forojulienses transpadani* audiunt *Plin.* 3, 19. ℙ Fuit et Forum Julii in Hispania Baetica, quod et Illiturgi dictum. *Plin.* 3, 1. ℙ *Forum Sempronii* in Umbria fuit. V. *Forosemproniensis*. ℙ *Forum Voconii*, Galliae Narbonensis oppidum. *Planc.* in *Cic. Fam.* 10, 17.

Plin. 3, 4. Forum Voconium audit *Lepid.* in *Cic. Fam.* 10, 34. ubi ed. *Ernest.* habet *Vocontium.* ℙ *Forum Appii,* in Latio. *Cic. Att.* 2, 10. ℙ *Forum novum,* in Piceno. *Plin.* 3, 12. Hodie *Vescovio.* ℙ Et aliud ejusdem nominis, prope Parmam, hodie *Fornovo,* cujus cives Foronovani dicti. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 492. *n.* 5. ℙ *Forum Neronis.* V. *Foroneronienses.* ℙ *Forum Allieni,* in Gallia transpadana. *Tac. H.* 3, 6. Hodie *Ferrara.* ℙ *Forum Clodii,* oppidum Etruriae. *Anton. Itin.* Hinc *praefectura Claudia Foroclodii* ap. *Plin.* 3, 5. V. *Foroclaudienses.* ℙ Et aliud, ejusdem nominis, in Gallia cispadana. *Plin.* 3, 15. ℙ *Forum Truentinorum,* in Gallia cispadana. *Plin. ib.* ℙ *Forum Popilii,* Galliae cispadanae oppidum. *Id. ib. Forum populi* audit *Tab. Peut.* Hodie *Forlimpopuli.* V. *Foropopulienses.* ℙ *Forum Gallorum* meminit *Galba* in *Cic. Fam.* 10, 30. ℙ *Forum Vibi (Vibii).* V. *Forovibienses.* ℙ *Forum Trajani,* oppidum Sardiniae. *Anton. Itin. B. A.*] ℙ Fora plurima Romae fuere, sed judicialia tria maxime, Romanum, Julii Caesaris, et Augusti; quibus alia postea adjecta sunt. Primum quod absolute et κατ' ἐξοχήν Forum dicitur, fuit omnium ornatissimum propter aedificia, et frequentissimum propter judicia, inter Colles Capitolinum et Palatinum: ibi curia, rostra, comitium, tabernae argentariae, porticus circa columnis nixae, basilicae, templa magnifica, etc. *Mart.* 3, 38. Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso: Atque erit in triplici par mihi nemo foro. *Senec. Ira* 2, 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, quibus trina non sufficiunt fora. Adde *Stat. Silv.* 4, 9, 15. De foro Augusti *Suet. Aug.* 29. Forum exstruxit cum aede Martis ultoris etc. Fori exstruendi causa fuit hominum et judiciorum multitudo, quae videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. *Ov. Pont.* 4, 15, 16. domus Augusto continuata foro. De Foro Jul. Caesaris *Suet. Caes.* 26. Forum de manubiis inchoavit, cujus area super HS millies constitit. ℙ *Scisti uti foro* proverbium est ap. *Ter. Ph.* 1, 2, 29. h. e. scisti servire tempori, ductum a negotiatoribus, qui ante locum commercii non praescribunt, quanti vendant, quae advehunt, sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Donatus.* ℙ *Res in meo foro vertitur,* aliud proverb. ap. *Pl. Most.* 5, 1, 10. h. e. res est mihi cum iis, quos vitare non possum, quemadmodum in suo foro recusare nemo potest, quin judicium subeat: vel versor in periculo, quod non possum effugere. ℙ *In alieno foro litigare* apud *Mart. ep. praef. l.* 12. est perplexum et turbatum esse, ut ii, qui in alieno foro litigant, cujus neque morem judiciorum, neque rationem agendi, aut loquendi plane sciunt. ℙ *Forum aleatorium* per similitudinem dicitur cubiculum, in quo lusuri conveniunt. *August.* ap. *Suet. Aug.* 71., ubi alii intelligunt alveolum lusorium: nam hac notione videtur certo usurpari a *Senec. Consol. ad Polyb.* 36. Tesseris ac foro acerbissimi funeris levabat mala. V. FORI. ℙ *Forum coquinum* fuit Romae locus, ubi coqui conveniebant, parati suam locare operam conducentibus. *Pl. Ps.* 3, 2, 1. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant; Nam non coquinum est, verum furinum est forum. ℙ *Foro mersi* ap. *eund. Epid.* 1, 2, 16. dicuntur, qui aere alieno obruti sunt. In foro enim erant argentariorum tabernae, ubi pecunia dabatur cuivis fenori. ℙ *Forum* est etiam vasis vinarii genus, nempe pars torcularis, in quo ponuntur uvae, vel oleae prelo calcandae. *Colum.* 11, 2. *med.* Torcularia et fora diligenter emundata lotaque, et si res ita exegerit, picata. Adde 12, 18. ℙ Adde ex *Festo,* id *forum* antiquos appellasse, quod nunc vestibulum sepulcri dici solet. *Cic. Leg.* 2, 24. Quod autem lex *forum,* id est vestibulum sepulcri, *bustumve usucapi* vetat, tuetur jus sepulcrorum.

FORUS, i, m. idem quod forum, idest locus rebus venalibus, negotiis, judiciis destinatus. *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 55. et ap. *Non.* 3, 96. Romanis ludis forus olim ornatu lucernis. *Pompon. ib.* Balnea, forus, macellus, fana, portus. Adde *Sall. fragm. ib.* ℙ De foris navium, etc. V. FORI.

FORVUS, formus, *h. e.* calidus, apud veteres. *Serv.* ad *A.* 8, 453.

*FOSI, orum, populi Germaniae inferioris, circa Albim flumen, vel inter Albim et Vistulam, Cheruscis contermini. *Tac. G.* 36. Nemo unquam de illis, nisi *Tacitus,* mentionem fecit. *Cluverio* sunt ipsi Saxones, dissentiente *Cellario. B. A.*

FOSSA, ae, f. τάφρος, locus, unde effossa est terra: a *fossum* sup. verbi *fodio. Cic. Tusc.* 5, 29. Ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunxisset. *Plin.* 6, 26, 30. Fluvius fossa perductus. *Id.* 33, 4, 21. Fossam cavare. *Id.* 6, 29, 33. ducere. *Id* 36, 9, 14. *n.* 3. perducere. *Caes. B. G.* 7, 69. praeducere. *Plin.* 18, 26, 64. purgare, aut novam facere. *Plin. alter ep.* 10, 50. percutere, *h. e.* ducere, facere. *Tert. adv. Haeret.* 10. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, *h. e.* hos tibi fines praescripsit. ℙ Speciatim sumitur pro receptaculo aquae manufacto ad urbes, oppida, castra, aut alia hujusmodi munienda. *Cic. Att.* 9, 12. Populi R. exercitus Cn. Pompejum circumsidet, fossa et vallo septum tenet. V. FOVEA. *Festus in Quiritium,* et *Liv.* 1, 33. Quiritium fossae dicuntur, quibus Ancus Martius circumdedit Urbem, quam secundum ostium Tiberis posuit: ex quo etiam Ostiam. Et quia populi opera eas fecerat, appellavit Quiritium. ℙ In agris aliae sunt *fossae caecae,* aliae *patentes.* Patentium ratio cuivis clara et aperta: caecarum vero conficiendarum modus traditur a *Colum.* 2, 2. *med.* et *Pallad* 6, 3.: sulcis enim in altitudinem tripedaneam depressis, cum parte dimidia lapides, vel glaream receperint, aequentur superjecta terra, quae fuerat effossa, vel, si nec lapis erit, nec glarea, sarmentis, vel quibuscumque virgultis cooperiantur. Eadem fere habet *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3., sed rem non omnino intellexisse videtur. ℙ Translate usurpatur pro pudendo muliebri. *Auct. Priap.* 83. Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater Voret profunda fossa lubricum caput. ℙ Item pro podice puerili. *Juven.* 2, 1. Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. ℙ [**Fossa Mariana.* V. *Marianus.* ℙ *Fossa Drusiana.* V. *Drusianus.* ℙ *Fossa Neronis,* quam Nero a Baiano lacu Ostiam versus navigabilem inchoaverat, ut refert *Plin.* 14, 6. V. *Suet. Ner.* 31. ℙ *Fossa Clodia,* ex Medoaco minore deducta. *Plin.* 3, 16. ℙ *Fossa* dictum est fretum, quo Sardinia a Corsica diremta est, ab insula hujus nominis in freto, vel prope sita. *Plin.* 3, 6. Insulae hodiernum nomen est *Isola Rossa.* V. *Cluverium. B. A.*]

[FOSSĀRIUS, ii, m. clericus, cui olim, ut ait *Hieronym. ep.* 1. *n.* 12., id officii erat, ut linteo cadaver obvolveret, et fossam humum lapidibus construens ex more tumulum pararet; idem ac fossor, quam vocem V. infra. *Inscr.* ap. *Mur.* 1969, 5. Felix fossarius in *pace. F.*]

FOSSĀTUM, i, n. posterioris Latinitatis vox est, et significat vel fossam, vel munimentum fossa factum. *Pallad.* 10, 13. de hortis: Circumveniente fossato, vel luto structis parietibus. *Capitolin. Gord.* 28. Castra omnia fossato circuibat. Adde *Veg. Mil.* 4, 16. ℙ Sunt qui afferunt etiam verba *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. ubi ait: Fossatum purgari, et extendi, ne crudum relinquatur. At *Hard.* legit *fossum.* ℙ Est etiam *fossatus, i,* m. terminus in agris in ipsa fossa positus, apud Scriptores rei agrariae, *Goes.* p. 254 et 267.

FOSSĪCIUS, a, um. adj. ὀρυκτὸς, idem quod fossilis. *Varr. R. R.* 1, 7. Fossicia creta. Et *mox.* Fossicius sal. *Plin.* 36, 23, 54. Arenae tria genera, fossicia, fluviatilis, et marina. *Pallad.* 1, 10. Arenae fossiciae tria sunt genera, nigra, cana, rufa.

FOSSĪLIS, e, adj. ὀρυκτὸς, qui e terra effoditur. *Varr. R. R.* 2, 11. Sal melior fossilis, quam marinus. *Plin.* 36, 18, 29. Fossile ebur. Et *ib.* 26, 66. Fossiles arenae. *Ammian.* 24, 6. Fossile flumen.

FOSSĬO, onis, f. ὄρυξις, actus fodiendi. *Cic. Senect.* 15. *med.* Fossiones agri et repastinationes. *Plin.* 17, 26, 39. Amygdalae si colantur fossione, florem amittunt. *Colum.* 11, 2. *med.* Omnibus mensibus non solum seminariis, sed etiam novellis vineis danda fossio est.

FOSSO, as, a. 1. idem ac fodio. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *a med.* Decretum est fossare corpora telis.

FOSSOR, oris, m. ὀρυκτὴρ, qui fodit. *Virg. G.* 2, 264. Et labefacta movens robustus jugera fossor. ℙ Translate dicitur de homine agresti, et imperito. *Pers.* 5, 122. Cum sis cetera fossor. Adde *Catull.* 22, 10. Speciatim dicitur de eo, qui cuniculos agit, ut obsessae urbis muros eruat. *Stat. Th.* 2, 418. ceu septa novus jam moenia laxet Fossor. ℙ Idem est etiam ac paedico. *Auson. Ep.* 49. Perversae Veneris postico vulnere fossor. ℙ Item *fossores,* qui et *fossarii,* appellati sunt clerici, qui subterranea Christianorum coemeteria aut fodiebant, aut certe aptanda curabant. *Inscr.* ap. *Mur.* 1970, 3. Leo fossor fecit sibi, et virginiae suae. Adde aliam *ib.* 6.

FOSSŪLA, ae, f. ὀρυγγάτιον, diminut. fossae. *Cato R. R.* 161. Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas. *Colum.* 11, 3. *f.* Locum circumdare fossula. Et 12, 44. Fossulae tripedaneae.

FOSSŪRA, ae, f. ὄρυγμα, fossio. *Colum.* 4, 14. Hanc planam fossuram maxime nos probamus. *Suet. Cal.* 37. Complanata fossuris montium juga. *Vitr.* 8, 1. Summa fossura operiatur arundinibus, *h. e.* summa fossae pars.

FOSSUS, a, um, part. a *fodio,* ὀρυκτός. *Plin.* 19, 6, 32. Caepas ter fosso solo seri jubent. *Mart.* 14, 49. Exercet melius vinea fossa viros. *Pallad.* 12, 6. Terra fossa et subacta.

FOSTĬAM pro hostia, et

FOSTIM pro hoste, antiqui dicebant teste *Festo* in *Fedum.* V. initium litterae *F.*

*FOTĬO, onis, f. fotura. *Gloss. B. A.*

[FOTIS, idis, f. nomen proprium mulieris, quae fuit amica *Appuleji,* de qua ipse mentionem facit *Met.* 2. et alibi saepissime: videtur ita esse appellata a *fovendo. F.*]

*FOTURA, ae. f. i. q. fotus. *Gloss. B. A.*

FOTUS, a, um, part. a *foveo,* θαλφθείς. *Cic. N. D.* 2, 48. Pulli a matribus exclusi fotique. *Plin.* 31, 9, 45. Sal dentium dolori cum aceto fotus, et illitus cum resina prodest, *h. e.* fovendo admotus. *Virg. A.* 1, 699. Ascanium fotum gremio Dea tollit in altos Idaliae lucos, *h. e.* complexum quasi fovendi causa: ut *ib.* 722. interdum gremio fovet.

FOTUS, us, m. fovendi actus, fomentum, πυρίασις. In sexto casu sing. *Plin.* 23, 9, 82. Utilis est igni sacro, fotu. Et *ib.* 1, 10. Decoctum eorum coeliacos juvat et potione et fotu. ℙ In aliis et translate. *Prud. in Symm.* 2, 583. queis gloria fotibus aucta Sic cluat. ℙ Proprie *Id. Hamart.* 304. tactus Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit. *Capell.* 1, 13. Ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, somnolento repente torpore marceret.

FOVEA, ae, f. βόθυνος, fossa brevis, profunda, et in summo tantum patens: quales sunt, quibus fronde obtectis feras decipiunt, et quibus sepeliuntur cadavera etc. scrobs, caverna: vocis etymon V. in FAVISSAE. *Cic. Phil.* 4, 5. Res est vobis cum immani tetraque bellua; quae, quoniam in foveam incidit, obruatur. *Plin.* 10, 38, 58. Foveis feras venari. *Virg. G.* 3, 558. cadavera humo tegere, et foveis abscondere discunt. Ubi *Pier.* docet in antiquissimo codice *fossis* legi: esse autem discrimen, quia *fossae* sunt ampliores, et ad vallos murosque urbis pertinent: *foveae* angustiores brevioresque, atque ad eos usus, qui modo dicti sunt, aut iis similes. In loco *Virgilii* si *fossis* legatur, indicari multitudinem cadaverum, quibus sepeliendis foveae non satis essent, sed fossae postularentur. ℙ Translate pro dolo et insidiis ponitur. *Pl. Poen.* 1, 1, 59. Ita decipiemus fovea lenonem Lycum. *Id. Pers.* 4, 4, 45. Vide sis: ego ille doctus leno paene in foveam incidi. *Tert. Anim.* 19. Genitales feminae foveae, *h. e.* uterus.

[FOVĔLA, ae, f. idem ac fomentum, recreatio. *Tert. Anim.* 7. Incorporalitas est immunis a poena, et a fovela. *F.*]

FOVĔO, es, fōvi, fotum, a. 2. θάλπω, calorem vigoremque nativum procurare ac tueri, calefacere. *Cic. N. D.* 2, 52. Gallinae ex ovis pullos cum excluserint, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur. *Pl. Capt.* 4, 2, 67. Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus. *Curt.* 5, 4. Mare modico tepore terras fovet. *Plin.* 9, 10, 12. Quidam oculis spectandoque ova foveri ab iis putant. *Id.* 8, 36, 54. Ursi fetus rigentes apprimendo pectori fovent. ℙ Saepe est medicorum verbum, et significat membrum affectum aspergendo quidpiam, aut applicando tepefacere, mollire, mitigare, refrigerare, unde dolor leniatur, [**θεραπεύειν,* curare.] *Col.* 6, 12. Si genua intumuerint, calido aceto fovenda sunt. *Cels.* 6, 8. Nares exulceratas fovere vapore aquae calidae. *Virg. A.* 12, 420. Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapyx. *Plin.* 24, 9, 37. Cortice et foliis in vino decoctis foveri nervos. *Id.* 32, 9, 34. Panos fovere ex scorpione in vino decocto. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 210. Ventrem fovere ex molito hordeo, uti cataplasmo. *Plin.* 28, 12, 50. et *Cels.* 1, 5. et 4, 2. *n.* 4. Aqua frigida fovere. *Plin. ib.* Lacte asinino fovere cutem. Translate *Cic. Att.* 12, 18. Fovere dolores suos. *Gell. praef. med.* Oblectare et fovere animum. ℙ Ap. *Virg. A.* 1, 722. fovere gremio: Et *ib.* 4, 686. fovere sinu: Et *ib.* 8, 387. lacertis amplexu molli fovere, est amplecti, ut faciunt matres cum infantibus suis. Ap. *eund. A.* 10, 838. ipse aeger anhelans Colla fovet, *h. e.* collum caputque defatigatum manu sustinens, aut nixus trunco recreat. Alio sensu *Id. ib.* 9, 56. Non aequo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere, *h. e.* sedere inclusos castris, more gallinarum ova foventium. Simile est illud *ib.* 4, 193. Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere. Ubi *Servius:* Veteres *fovere* pro diu incolere et inhabitare dixerunt, ut ipse alibi (*G.* 3, 420.) coluber fovit humum. *Auct. Priap.* 83. Puella nec jocosa te levi manu Fovebit. ℙ Saepe est alere, nutrire, favere, provehere, tueri. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Scribis de Caesaris summo in nos amore: hunc tu fovebis. *Virg. A.* 10, 93. Fovere bella. *Id. ib.* 4, 218. famam inanem. *Suet. Vesp.* 18. ingenia et artes. *Tac. H.* 1, 8. partes alicujus. [**Id. A.* 12, 1. Huic Pallas, illi Calistus fautores aderant; at Aelia Petina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur. Plura hujus ap. *Tac.* frequentissimi generis dicendi exempla dabit *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 206. Adde *Suet. Aug.* 17. *f.* Reliquos Antonii reginaeque communes liberos, — mox pro conditione cujusque sustinuit ac fovit. Cf. *Tac. A.* 4, 8. Ne secus, quam suum sanguinem, foveret ac tolleret.] *Mart.* 9, 49. spem. *Val. Fl. prol.* virtutes. *Liv.* 3, 65. voluntatem alicujus. *Id.* 38, 6. aliquem certa spe. *Ov. Met.* 7, 633. animo vota. *Pl. Bacch.* 4, 10, 1. aliquid in pectore, *h. e.* cogitare. *Plin. ep.* 1, 14. exhortationibus alicujus adolescentiam. *Tibull.* 2, 7, 6. Credula spes vitam fovet. *Tac. A.* 14, 55. Ratione, consilio, praece-

ptis pueritiam alicujus fovere. *Id. H.* 3, 83. Spectator populus hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. *Ov. Trist.* 4, 10, 41. colere et fovere poetas. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me praesente osculabantur, ut etc. *Id. Mur.* 35. Fovere sensus hominum, delinire animos, adhibere voluptates. *Quint.* 1, 2. *med.* Magister eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, in suam quoque gloriam peculiariter fovebit.

FOVII, nunc Fabii dicuntur: dicti, quod princeps gentis ejus ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant, eum primum ostendisse, quemadmodum ursi et lupi foveis caperentur. *Festus.*

FR

FRĂCĔO, es, ui, n. 2. fracidus fio. V. *Catonis* locum in FRACESCO. ℙ Translate. *Festus.* Fracebunt, displicebunt.

FRĂCES, um, f. plur. sunt carnes olearum trapeto commolitarum et prelo expressarum reliquae: a *ῥᾶξ*, *ῥαχὸς*, quod a *ῥάσσω* pro *ῥήσσω*, frango: vocantur Graece *στέμφυλα* a *στέμβω* pro *στείβω*, calco. *Id. ib.* Oleum e cortinis in labra fundendum, ut fraces et amurca liquentur. *Cato R. R.* 64. Oleum quam diutissime in amurca et in fracibus erit, tam deterrimum fiet. *Grat. Cyn.* 474. Subsiduasque fraces diffusaque Massica prisco Sparge cado. Adde *Col.* 6, 13. et *Vitr.* 7, 1. ℙ *Frax* in recto singulari legitur in *Gloss. Philox.* ℙ *Frages* etiam pro *fraces* in quibusdam codd. scriptum est: unde apparet ab antiquo *frago* pro *frango* vocem deductam esse. V. *Voss. Etym.*

FRĂCESCO, is, n. 3. *σήπομαι*, *πύθομαι*, fracidus fio, putresco. *Cato R. R.* 128. Terram cretosam sumito, eo amurcam infundito, paleas indito: sinito quatriduum fracescat; ubi bene fracuerit, etc., *h. e.* fermentetur, concalescat, atque intumescat. *Varr. R. R.* 1, 55. Olea, de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulata, uti ibi mediocriter fracescat. Et *mox.* Olea si nimium diu fuit in acervis, caldore fracescit, et oleum foetidum fit. *Col.* 1, 6. *med.* Oleum quoque minus provenit, si congelatur, quam si fracescat. [Ita *Schneid.* legend. monet, approbante *Del-Bene*, qui ita vertit: *anche l'olio congelandosi, in minor copia vien fuori, che sobbollendo. F.*]

FRĂCIDUS, a, um, adj. *σαπρὸς*, plusquam maturus, putrescens. *Cato R. R.* 64. Factores *(volunt)* ut *(olea)* in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius *(oleum)* efficiant.

*FRACTILLUM, i, n. dimin. instrumentum ad frangendum piper. Ita *Gloss. Isid. B. A.*

FRĂCTĬO, onis, f. actus frangendi, *κλάσις*. *Hieron. ep.* 108. *n.* 8. et *August. de cons. Euangelist.* 4, 25. Fractio panis.

FRACTOR, oris, m. qui frangit, *κλάστης*. *Sid. ep.* 3, 13. Vesicarum ruptor, fractorque ferularum.

FRACTŪRĂ, ae, f. *κλάσις*, locus ruptus. *Cato R. R.* 160. Ad luxum, aut ad fracturam alliga, sanum fiet. *Cels.* 8, 10. Quo propior fractura capiti *(ossis)* vel superiori, vel inferiori est, eo pejor est. *Plin.* 29, 6, 39. Cochleae fracturis aurium illinuntur. (Adde 22, 8, 9. et 31, 11, 47.) *Id.* 33, 4, 21. Fracturae silicum.

FRACTUS, a, um, part. a *frango*, ruptus, infractus, *κεκλασμένος*. *Cic. Phil.* 11, 6. Fractum crus. *Id. Verr.* 2, 4, 25. Annulus fractus et comminutus. *Id. Att.* 4, 3. Domus fracta conjectu lapidum. *Caes. B. G.* 4, 29. et *Hor. A. P.* 20. fractae naves. *Id. Sat.* 2, 8, 81. fracta lagena. *Id. Ep.* 10, 6. fracti remi. *Id. Od.* 2, 14, 14. fracti fluctus. *Virg. G.* 3, 161. fractae glebae. *Plin.* 19, 3, 15. Fracta faba. Et 18, 24, 54. Fractum dentibus granum. *Virg. A.* 3, 556. fractae ad litora voces, *h. e.* repercussae. *Id. G.* 4, 72. vox Auditur fractos sonitus imitata tubarum, *h. e.* qui similes sunt his, quos edunt res, dum franguntur. ℙ *Fractus* pro inflexo, V. in LIGO, onis. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 36. Animo fracto esse et afflicto. *Id. ib.* 10. Civitatem fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu ad spem libertatis erexit. *Id. Att.* 11, 12. *med.* Fractiorem animo esse. Al. leg. *fractiore. Id. Or.* 1, 26. Fractus ac debilitatus metu. [*Solennis quaedam est utriusque vocacubi *fractus* et *debilitatus* conjunctio. V. *Mannt.* ad *Cic. Fam.* 5, 13.] *Caes. B. G.* 1, 31. Aedui proeliis calamitatibusque fracti. [**Sil.* 12, 420. Ductor Marcello fractus.] *Sil.* 7, 253. His dictis fractus furor, et rabida arma quierunt. *Sen. Phoen.* 186. Fractae irae. *Ov. Met.* 15, 52. fractus morboque fameque. [**Prop.* 3, 21, 33. Non turpi fractus amore.] *Hor. Sat.* 1, 1, 5. Miles multo jam fractus membra labore. *Id. Od.* 2, 7, 11. fracta virtus. *Cic. Amic.* 16. Spes amplificandae fortunae fractior, *h. e.* debilior, magis languens. [**Prop.* 2, 17, 4. Fractus utroque toro, i. e. frustratus.] *Sil.* 17, 350. Fracta foedera. *Hor. Sat.* 2, 3, 18. postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est. *Virg. G.* 4, 240. res fractae. Et *A.* 3, 53. fractae opes, *h. e.* afflictae, accisae. *Vell.* 2, 74. Fractae Brutianae partes. *Lucan.* 7, 683. nec te videre superbum Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt. *Lucr.* 2, 1149. fracta est aetas effetaque tellus. *Cels.* 7, 7. *n.* 4. *f.* Fracti aestus, et nondum orta frigora. *Plin. ep.* 2, 14. Fracta pronunciatione dicere, *h. e.* effeminata, enervi: cui opponitur intenta, incitata, fortis. *Quint.* 12, 10. M. Tullium suorum homines temporum incessere audebant, ut in compositione fractum, exsultantem, ac paene viro molliorem, *h. e.* mollem, delicatum, solutum, enervem, elumbem, ut est ap. *Auct. dial. de Orat.* 18. Alio sensu *Cic. Brut.* 83. Genus dicendi fractum et minutum, *h. e.* in quo franguntur numeri orationis, et volubili comprehensione neglecta, incisim omnia dicuntur. V. *eund. Or.* 67. Ceterum pro molli et effeminato ponitur *fractus* etiam in illo *Petr.* 119. fractique enervi corpore gressus. Et *Juven.* 2, 111. fracta voce loqui. Et *Tac. A.* 14, 20. fractos sonos et dulcedinem vocum perite audire. Et *Claud. in Eutr.* 1, 262. verbisque sonat plorabile quiddam Ultra nequitiam fractis. [*De vario hujus vocis usu in rebus oratoriis v. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 179. sqq. ℙ Cum *genit. Sil.* 13, 876. Fractus opum.]

FRAENUM, etc. V. FRENUM.

FRĂGĂ, orum, n. plur. morum herbarum humi repentium, colore rubeo, gustu suavissimum: ita videntur appellata a *ῥᾶξ*, *ῥαγὸς*, acinus, quia acinis similia sunt. [*Fragaria vesca. *L.*] *Virg. Ecl.* 3, 92. humi nascentia fraga. *Ov. Met.* 1, 104. montanaque fraga legebant. *Plin.* 15, 24, 28. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud, etc. *Senec. Hipp.* 516. fraga parvis vulsa dumetis. ℙ In singulari numero caret exemplis. ℙ Graece in *Gloss. Philox. μμαλχνλον* dicitur.

FRĀGES. V. FRACES.

FRĀGESCO, is, n. 3. frangor. Translate *Accius* ap. *Non.* 2, 329. Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenserint imperii, *h. e.* vincuntur, molliuntur, domantur.

FRĂGILIS, e, adj. *ψαθυρὸς*, *κατακτὸς*, *εὔθρυπτος*, qui facile frangitur. *Virg. Ecl.* 8, 40. Fragiles rami. *Hor. Od.* 3, 2, 28. Fragilis phaselus. *Gell.* 6, 1. *extr.* Caput ictibus parvis fragile. *Ov. Trist.* 3, 10, 26. Aquae fragiles, *h. e.* glacies. *Plin.* 12, 8, 17. Saccharon est mel in arundinibus collectum, candidum, dentibus fragile. *Id.* 34, 8, 20. Aes malleis fragile. *Id.* 11, 28, 34. Tenuior fragiliorque penna. *Ov. Met.* 15, 160. Utque novis fragilis signatur cera figuris, *h. e.* quae facile flectitur et fingitur. [*Negat hanc vim v. *fragilis* in esse, *Jahn* ad h. l. Ceterum *Gierig.*, q. v., cum *Mitscherl.* al. legit *facilis*, quod convenientius dicit loci sententiae.] *Lucr.* 6, 111. fragilis sonitus chartarum, *h. e.* similis sonitus et crepitus rerum, quae franguntur. Sic *Virg. Ecl.* 8, 82. fragiles lauri, *h. e.* qui urendo fragorem et crepitum edunt. [*Id, quod ominis loco in hac arbore observabatur. V. *Heyn.* et quos in hanc rem laudat.] Et *Prop.* 4, 7, 12. Pollicibus fragiles increpuere manus, *h. e.* similem fragori sonum dederunt, et tanquam frangerentur. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 27. Quis enim confidit, semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? *Id. Somn. Scip.* 8. Fragile corpus animus sempiternus movet. *Ov. Trist.* 4, 8, 3. Jam subeunt anni fragiles et inertior aetas, *h. e.* senectus morbis et morti obnoxia. *Plin. Pan.* 78. Hominum aevum omne et breve et fragile est, [*i. e. variis casibus, qui abrumpere possunt, obnoxium.] *Sil.* 3, 386. Sonipes aevi fragilis. Et *Cic. Amic.* 27. Res humanae fragiles caducaeque sunt. *Sen. Hipp.* 489. fragilis favor, *h. e.* inconstans. *Sall. Cat.* 1. Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara aeternaque habetur. *Plin. prooem. l.* 7. de homine: Nulli vita fragilior. Et *ib.* 24, 24. de memoria: Nec aliud est aeque fragile in homine. ℙ In illo *Hor. Sat.* 1, 8, 39. fragilis Pediatia, furque Voranus, *fragilem* interpretantur mollem, impudicum: ut *frangere* in obscenis simile sit *τῷ dividere.* Certe *fractus* pro molli, soluto, effeminato ponitur. V. FRACTUS. ℙ Sup. *Fragilissimus* ap. *Hieron.* in *cap.* 4. *Ezech.* nam quod affertur a *Prisc.* 6, 718. ex *Actio* in *Annal.* Ut quam fragilissimus alvus, *Non.* 3, 21. habet *frigidissimus.*

FRĂGĬLĬTAS, atis, f. *ψαθυρότης*, frangendi facilitas. *Plin.* 34, 14, 41. Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur. *Id.* 12, 14, 32. Tus probatur candore, amplitudine, fragilitate. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 1. Humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. *Plin. ep.* 4, 24. Tantas conversiones aut fragilitas mortalitatis, aut fortunae mobilitas facit. *Appul. Met.* 9. Fragilitas fidei humanae.

FRĂGĬUM, ii, n. fractura. *Appul. Met.* 9. p. 225, 11. Crurum ei fragium obominata. V. CRURIFRAGIUM.

FRAGMEN, inis, n. *κλάσμα*, pars rei fractae. *Virg. A.* 10, 306. Fragmina remorum. *Val. Fl.* 6, 250. teli. *Ov. Met.* 11, 561. navigii. *Suet. Cl.* 18. panis. *Colum.* 9, 15. *extr.* favorum. ℙ Item fractio, fractura. *Val. Fl.* 3, 477. Percussit subito deceptum fragmine pectus.

FRAGMENTUM, i, n. idem quod fragmen. *Cic. Sext.* 37. Inermem tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum et fustibus. *Id. N. D.* 2, 32. Fragmentum lapidis. *Liv.* 34, 39. Fragmenta tegularum. *Curt.* 9, 9. avulsarum tabularum, remorumque. *Plin.* 9, 8, 8. panis. *Id.* 36, 23, 52. silicis. *Virg. G.* 4, 304. ramea. [**Liv.* 23, 24. ramorum.] *Plin.* 37, 2, 10. Fragmenta crystalli sarciri nullo modo queunt. *Lucan.* 9, 33. mille carinis Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinae, *h. e.* reliquias Pompejani exercitus caesi.

FRĂGOR, oris, m. fractura, fractio, *κλάσις*. *Lucr.* 1, 747. Deinde quod omnino finem non esse secandis Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori. ℙ Metonymice, quia frangendo fit sonus, saepius est i. q. *κτύπος*, strepitus, crepitusque rerum, quae franguntur: omnisque sonus illi similis. *Liv.* 1, 29. Fragor tectorum, quae diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur. *Ov. Met.* 8, 340. Sternitur in cursu nemus, et propulsa fragorem Silva dat. *Val. Fl.* 6, 504. virum, lituumque fragores. *Virg. G.* 1, 306. Continuo ventis surgentibus aridus altis Montibus audiri fragor. Et *A.* 1, 158. fragor pelagi. Et *ib.* 2, 692. subitoque fragore Intonuit laevum. *Val. Fl.* 3, 218. Armorum fragor. Et 6, 753. belli. Et 2, 501. fulmineus. *Plin.* 6, 29, 35. Nilus praecipitans se, fragore auditum accolis aufert. *Quint.* 8, 3. Fragor plaudentium et acclamantium. *Plin. ep.* 6, 31. *f.* et *Senec. Troad.* 174. Vastus fragor. *Lucr.* 5, 110. horrisonus. *Claud. in Eutr.* 2, 163. raucus. *Ov. Fast.* 3, 368. gravis. *Val. Fl.* 1, 819. et *Ov. Met.* 1, 269. Fit fragor. *Id. Trist.* 1, 2, 46. personat. ℙ De rumore. *Val. Fl.* 1, 753. regemque fragor per moenia differt Mille ciere manus.

FRAGOROSUS. V. FRAGOSUS *in f.*

FRĀGOSĒ, adv. sonore, cum strepitu. *Plin.* 16, 10, 19. Quippe secures respuuntur, et fragosius sidunt, aegrius revelluntur.

FRĂGOSUS, a, um, adj. fragoris plenus. *Virg. A.* 7, 566. medioque fragosus Dat sonitum saxis, et torto vertice torrens. *Claud. II. Cons. Stil.* 337. Murmura fragosa leonum. *Val. Fl.* 2, 622. fragosa vada. Et 138. nimbisque et luce fragosa Prosequitur polus, et tonitru pater auget honoro. Et 4, 261. Maleae arx fragosa.. ℙ Item fragilis, ut videtur, in illo *Lucr.* 2, 859. Mollia, lenta, fragosa, putricava, corpore raro. Al. rectius leg. *Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro.* ℙ Item asper, praeruptus, et quasi fractus: unde *confragosus. Ov. Met.* 4, 777. silvis horrentia saxa fragosis. *Grat. Cyn.* 527. fragosus mons. ℙ Hinc translate. *Quint.* 9, 4. Quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto quae connexa est, et totis viribus fluit, fragosa et interrupta melior oratio. Et *ib. med.* Optime de compositione judicant aures, quae et plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et lenibus mulcentur, etc. *Diom.* 3, 499. Fragosi versus sunt, qui illevigato sono et incondito variantur.

FRAGRANS, antis, part. a *fragro*, *ὀσμήρης*, valde olens, odorus. *Virg. G.* 4, 169. redolentque thymo fragrantia mella. (*Diom.* 1, 304. ait, *thymo* non ad *retolent*, sed ad *fragrantia* referri.) *Sil.* 15, 117. fragrans amomum. *Suet. Vesp.* 8. Adolescens fragrans unguento. *Catull.* 67, 144. Domus Assyrio odore fragrans. *Appul. Met.* 6. p. 177, 30. Fragrans balsama Venus. Et *ib.* 10. p. 249, 4. Tota suave fragrans cavea. Et *ib.* Fragrantissimum unguentum.

FRAGRANTER, adv. fragrando. *Sol.* 38. Crocum Ciliciae spirat fragrantius.

FRAGRANTIĂ, ae, f. magni odoris exhalatio. *Val. Max.* 9, 1, 1. *extern.* Unguentorum fragrantia.

FRAGRO, as, avi, atum, n. 1. *ὄζω*, odorem emitto, oleo. [**Döderl.* 3, 133. *fragro* una cum *flagro* intensiv. dicit v. *flare*, eodem modo factum, quo *migrare* a *meare.*] Est verbum mediae significationis, tam de bonis, quam de malis odoribus usurpatum: saepius tamen de bonis. *Mart.* 6, 55. Fragrare casia, cinnamoque. Et 5, 38. Fragravit ore, quod rosarium Paesti. Et 3, 58. Et multa fragrat testa senibus autumnis. *Solin.* 37. *f.* Gemma vinum fragrat. V. alia in FRAGRANS supra loco suo. ℙ De malis. *Val. Fl.* 4, 493. Fragrat acerbus odor, patriique exspirat Averni Halitus. *Mart.* 1, 88. Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino. ℙ [*Permutantur *fragrare* et *flagrare. Drak.* ad *Sil.* 15, 117.]

FRĀGUM. V. COMARON.

FRĀMĔĂ, ae, f. lancea vel hasta lingua Germanica. *Juven.* 13, 78. Jurat per Martis frameam. *Tac. G.* 6. Hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto et brevi ferro: sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent. [*Adde *Eund. ib.* 11, 18. et *Gell.* 10, 25.] ℙ *August. ep.*

120, 16. non hastam, sed gladium esse contendit: fortasse quia tempore suo, vel saltem apud Afros, ea significatione usurpabatur. V. RHOMPHAEA.

FRANCIA, ae, f. Germaniae regio, Sueviae et Saxoniae contermina: cujus populi Franci, transmisso Rheno, Gallias occuparunt, iisque nomen suum dederunt. Ejus meminit *Auson. Mosell. seu Idyll.* 10, 434. et *Idyll.* 8, 29. et *Claud. I. Cons. Stil.* 1, 237. Populorum autem *Id. Claud. ib.* 227. et alibi, et *Vopisc. Procul.* 13. etc. ℙ *Hieronymus* in *Vita Hilarion. n.* 22. Franciam pro Germania accipit, tanquam pro toto partem. Plura qui volet, geographos adeat.

FRANCĬCUS, a, um, adj. ad Francos pertinens. *Francicus* dictus est Probus Imp. a devictis Francis. *Vopisc. Prob.* 11.

FRANCUS, a, um, adj. idem ac Francicus, ad Francos pertinens. *Hieron. in Vit. Hilarion. n.* 22. Qui Francam tantum, et Latinam linguam noverat.

FRANGO, is, fregi, fractum, a. 3. κλάω, rumpo, frango, comminuo: [est ab Hebr. פָּרַק *parac* fregit, vel a ῥήγνυμι, quod ab inusit. ῥήγω, Dorice ῥάγω, frango: Latini vero, ut alias saepissime, pro aspiratione litteram *f* praefigunt. *F.*] *Hor. Sat.* 2, 8, 72. Frangere patinam. *Id. Ep.* 3, 2. guttur parentis. *Ov. Met.* 12, 348. vultum minitantiaque ora Robore nodoso, praeduraque tempora fregit. [**Id. ib.* 12, 433. Codice qui misso, — — Phonolanidem a summo vertice fregit.] *Virg. A.* 3, 623. duo de numero cum corpora nostro Frangeret ad saxum. *Val. Fl.* 3, 589. frangere quidpiam sub dentibus. *Plin.* 8, 21, 30. Crocottae dentibus omnia frangentes. [*Gr. ἀγρίναι. Absolute. *Virg. G.* 2, 72. Glandemque sues fregere sub ulmis.] *Plin.* 37, 4, 15. Adamas in parvas frangitur crustas. *Pl. Capt.* 1, 1, 21. Frangere aulas in caput alicui. [**Prop.* 2, 6, 18. Frangere in adversum pocula Pirithoum.] *Virg. G.* 2, 400. glebas bidentibus. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Fluctus a saxo frangitur. [**Ov. Fast.* 4, 282. Qua Carysteis frangitur unda vadis.] *Lucan.* 6, 265. cum se tollentibus Euris, Frangentem fluctus scopulum ferit. *Val. Fl.* 7, 354. veluti cum turbine sese Ipsius Aeoliae frangunt se in limine venti. *Id.* 1, 363. et *Claud. III. Cons. Honor.* 56. frangere aequor remis. *Solin.* 15. Apud Albanos nati canes feris anteponuntur: frangunt tauros, leones premunt, *h. e.* morsu rumpunt et interimunt. *Val. Fl.* 2, 458. implevit gemitu cum taurus acerbo Avia, frangentem morsu super alta leonem Terga ferens. *Stat. Th.* 11, 27. indomitos ut cum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu. Adde *Hor. Od.* 1, 23, 10., *Plin.* 8, 40, 61. et *Claud. Laud. Stil.* 2, 21. ℙ Saepe *frangere* dicitur, qui fracturam in aliqua re sua patitur. *Cic. Or.* 2, 62. Excusavit, quod brachium fregisse diceret. *Ov. Fast.* 5, 121. Capra fregit in arbore cornu. *Plin. ep.* 2, 1. Per lubricum pavimentum, fallente vestigio, cecidit, coxamque fregit. *Ter. Andr.* 1, 3, 17. Navem fregit apud Andrum insulam. [**Suet. Aug.* 43., ubi v. *Oudend.* Adde *Gr.* 1. — ℙ Dicitur etiam pro infringere *Hor. Sat.* 1, 3, 116. Qui teneros caules alieni fregerit horti.] ℙ Significat etiam comminuere, pinsere. *Plin.* 18, 7, 14. Horteum molis frangere. *Val. Fl.* 2, 448. farra saxo. [**Ov. Fast.* 6, 381. Quodcumque est Cereris solidae, cava machina frangat. *Lucr.* 1, 881. Franguntur in robore saxi fruges.] ℙ Item inflectere. *Quint.* 1, 6. *f.* Comam in gradus frangere. [*Docet *Spald.* ad h. l., esse delicatorum, *frangere* comam, ideoque recte dici, cum omnis mollities *frangere* soleat dici a veteribus. Coll. *Sen. Controv.* 1. *prooem.* p. 61. *extr. Bip.*] ℙ Item debilitare, infirmare. *Plin.* 11, 49, 110. Testes homini injuria, aut sponte naturae franguntur. *Sil.* 6, 474. tot bellis, atque annis fregimus aevum. *Quint.* 1, 2. Mollis educatio nervos omnes et mentis et corporis frangit. ℙ Item mollire, macerare. *Val. Fl.* 6, 358. bovis exuvias multo frangere olivo. ℙ Translate effeminare. *Quint.* 11, 3. Faucium vitio et frangitur, et obscuratur, et exasperatur, et scinditur vox. [*Quid hoc sibi velit, v. ap. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 179. sqq.] *Sil.* 11, 484. Sic tum Pierius bellis durata virorum Pectora Castalio frangebat carmine Teuthras. *Stat. Silv.* 3, 4, 74. nunc frangere sexum, Atque hominem mutare, nefas. *Petr. Sat.* 119. exsectaque viscera ferro In Venerem fregere viros. Et 128. Risus frangit vultus, *h. e.* reddit lasciviores, molliores et amabiliores. ℙ Saepissime transfertur ad incorporea, et significat multa cum vi infringere, domare, vincere, retundere, infirmare, contundere. *Cic. Prov. cons.* 13. Ortum repente bellum proeliis fregit. *Id. ib.* Nationes frangere et domare. *Ov. Trist.* 3, 14, 33. Ingenium fregere meum mala. *Cic. Off.* 2, 11. Hostem frangere et comminuere. *Id. Phil.* 13, 13. Contundere et frangere exsultantis praedonis audaciam. *Poeta quidam* ap. *eund. Rabir. Post.* 10. *extr.* Vis summas frangit infirmatque opes. *Quint. prooem. l.* 1. *f.* Nudae illae artes, nimia subtilitatis affectatione, frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius. *Cic. Marc.* 3. Debilitare ac frangere aliquid. *Id. Dom.* 21. Vim furiosam vesani tribuni superare et frangere. *Id. Cat.* 1, 9. Te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? *Sil.* 1, 261. sternacem ad proelia frenis Frangere equum. *Plin. ep.* 1, 12. Morbum abstinentia vincere et frangere. *Quint. Decl.* 2, 16. Frangere et rumpere somnos. *Id.* 9, 4. *med.* cursum. Et 10, 3. *f.* impetum. *Petr. Sat.* 111. alicujus pertinaciam. *Cic. fr.* ap. *Non.* 2, 375. avaritiam. *Val. Fl.* 2, 315. iras. *Cic. Pis.* 14. alicujus furorem et petulantiam. *Id. Leg.* 3, 13. *extr.* libidines. *Id. Or.* 1, 19. cupiditates. *Id. Fam.* 4, 4. consilium alicujus. Et ib. 1, 4. alicujus sententiam, [*i. e. refutare. Huc pertinet ap. *Eund. Sen.* p. *Red.* 8. Sceleratum civem, aut domesticum potius hostem judicio frangendum esse, i. e. domandum. *Id. Fam.* 10, 12. Rogatu Servilii P. Titius intercessit: res in posterum dilata. Venit paratus Servilius, Jovi ipsi iniquus, — — hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione intercessorem abjecerim, i. e. invitum eum mutavi. Signif. etiam a sententia abducere et in suam adducere. *Id. Tusc.* 1, 21. Ut rationem nullam afferret Plato, ipsa auctoritate me frangeret. *Ernest.* in *cl.*] *Id. Brut.* 25. Qui injuria accepta, fregit Ti. Gracchum patientia. *Lucr.* 4, 1077. Sed leviter poenas frangit Venus inter amorem, *h. e.* minuit, leviores reddit. *Virg. G.* 4, 400. doli circum haec demum frangentur inanes. ℙ [*Qui male dividunt, eleganter *frangere* dicuntur. *Cic. Fin.* 2, 8. Duo genera quae erant, fecit tria: hoc est non dividere, sed frangere rem. *Ernest.* in *cl.*] ℙ Passive. *Cic. Off.* 1, 20. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, *h. e.* propter vitae cupiditatem. *Id. Tusc.* 2, 21. Frangi pudore. *Id. Fin.* 2, 29. *extr.* dolore. *Id. Phil.* 2, 15. animo. *Id. Att.* 7, 12. misericordia alicujus. [*Ita absolute *frangi* dicitur pro *exorari*. *Quint. Decl.* 349. p. 738. *Tibull.* 1, 8, 67. Non frangitur illa. Ubi *Heyn.* notat: frangi dici de iis, quibus sit durior natura et inclementior: hinc differre a *flectere*, quod ad homines pertineat mitiore ac faciliore ingenio praeditos.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. Animos frangi et debilitari molestia non oportet. *Id. Sull.* 6. Quibus ego rebus, judices, ita flectebar animo, atque frangebar, ut, etc. *Sen. Thyest.* 199. novi ego ingenium viri indocile: flecti non potest, frangi potest. *Nep. Dion.* 7. Frangi cura rerum *Ov. Pont.* 1, 2, 63. Cum video quam sint mea fata tenacia, frangor. ℙ [**Frangi* dicitur etiam de molli, effeminata pronuntiatione histrionum. *Plin. Pan.* 54, 1. Cum laudes imperatorum ludis etiam et celebrarentur, saltarentur, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 179. Cf FRACTUS.] ℙ Est etiam rumpere, violare. *Cic. Pis.* 12. Frangere foedus. *Id. Rosc. Com.* 6. fidem. *Hor. Ep.* 1, 13. *extr.* mandata. [**Prop.* 4, 5, 28. Frange et damnosae jura pudicitiae.] *Grat. Cyn.* 451. fas. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Ut neque offendam animum cujusquam, nec frangam dignitatem meam. *Ov. Fast.* 1, 301. Venus et vinum sublimia pectora frangit, *h. e.* corrumpit, labefactat, de statu dejicit. ℙ *Frangere se* est debilitare, enervare. *Cic. Arch.* 11. Nec animus tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur. ℙ Item se ipsum vincere. *Id. Fam.* 4, 6. Cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter. ℙ *Calor se frangit*, *h. e.* remittit. *Cic. Or.* 1. *f.* Scaevola paulum quiescet, dum se calor frangat. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Ante quam calores aut frigora se fregerunt. Sic *Mart.* 1, 50. Aestus serenos aureo franges Tago, *h. e.* refrigerabis, mitigabis. ℙ *Frangere iter*, deflectere ab itinere instituto, alio diverti: vel iter, seu gradum minuere. *Stat. Th.* 12, 231. nec caligantibus arvis Terretur, nec frangit iter. ℙ *Frangere clivum*. V. CLIVUS. ℙ *Frangere fluvium* de natante, et adversi fluminis impetum vi superante. *Sil.* 8, 555. undosum frangere nando, Indutus thoraca, vadum. *Lucan.* 8, 374. Nec franget nando violenti vorticis amnem. Adde *Sil.* 3, 457. ℙ *Frangere diem mero* ap. *Hor. Od.* 2, 7, 6. est actiones curasque intermittendo, diem veluti rumpere, et genio poculisque indulgere: *partem solido demere de die* dixit *Id. ib.* 1, 1, 20. ℙ *Frangere vina* ap. *Mart.* 14, 103. et 111. et *Plin.* 14, 22, 28. est eorum vim austeritatemque mitigare ac leniorem reddere, quod vel nive refrigerando, vel saccis percolando fit. Hoc sensu etiam *castrare vina* dicitur. ℙ *Frangere toros* est toris discumbere, eosque alte exstructos et molles pondere corporis deprimere et calcare. *Mart.* 2, 59. et 4, 8. ℙ Consonans una alteram *frangere* dicitur, ap. *Quint.* 1, 4. et 12, 10. *med.*, cum posterior prioris sonum ac vim veluti comprimit ac imminuit, ut in *ptisana*, et *pro*, ubi litterae *t*, et *r* litteram *p* frangere quodammodo, seu ejus potestatem imminuere. videntur. [*V. *Buttmannum* ad *Quint. Inst.* 12, 10, 29.]

[FRANGO, onis, m. Est cogn. R., nempe C. Fuficii militis veterani, qui ex Caesaris largitione Pompejanorum bona aliquod consecutus est. Hujus meminit *Cic. Att.* 14, 10.; at ap. *Dion.* 48, 22. et *Appian. B. Civ.* 5, 26. perperam legitur Φάγγων pro Φράγγων. *F.*]

FRĀTER, tris, m. ἀδελφός, qui iisdem parentibus genitus est, ab Aeolico φράτηρ pro φράτωρ, sodalis, inquit *Fest.*, vel quod sit *fere alter:* quod posterius etymon etiam *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 10. et *Non.* 1, 156. posuit. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Mi frater, mi frater, mi frater, tune id veritus es, ne, etc. *Virg. A.* 4, 325. Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater Destruat? *Pl. Poen.* 5, 4, 25. Quid est, fratris mei gnate? *Plin. ep.* 8, 11. Cum affectum tuum erga fratris filiam cogito. ℙ De fratribus Arvalibus. V. ARVALES. ℙ *Divi fratres* qui sint, V. in DIVUS. ℙ *Dii fratres* ap. *Prop.* 3, 12, 20. sunt Castor et Pollux. *Suet. Cal.* 22. Consistens saepe inter fratres Deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat. Quinam vero sint *Fratres Siculi*, v. in ANAPIS. ℙ *Fratres gemini* sunt duo eodem partu editi. *Cic. Cluent.* 16. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate. *Ov. Her.* 8, 77. Flebat avus, Phoebeque soror, fratresque gemelli. *Quint.* 9, 4. minus recte dici ait *gemini fratres*, quia si praecesserint *gemini*, *fratres* addere non est necesse. V. ANCILLA. Id tamen poetae non curant. *Virg. A.* 7, 670. Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt. *Ov. Her.* 17, 250. Et geminos fratres, Tyndareumque putas, *h. e.* Castorem et Pollucem, quos *fratres Deos* appellant (ut dictum est) etiam *Id. Fast.* 1, 707. et *Albin.* 1, 290. Sic *Pl. Mil.* 2, 2, 103. Gemina soror. Neque historici. *Suet. Caes.* 10. Geminis fratribus aedes in foro constituta. *Liv.* 1, 5. Cum audisset, geminos esse fratres, etc. Neque oratores. *Cic. Div.* 2, 43. Procles et Eurysthenes gemini fratres fuerunt. ℙ *Fratres germani* dicuntur, qui ex eodem patre eademque matre nati sunt. *Cic. Dom.* 45. Cum se fratrem uxoris tuae fratri tuo germano antelatum videbat. ℙ *Fratres uterini*, qui nati sunt ex eadem matre, sed non ex eodem patre. *Impp. Diocl.* et *Maxim. Cod.* 5, 62, 21. ℙ His opponuntur *consanguinei*, qui ex eodem patre sunt, sed non ex eadem matre. V. CONSANGUINEUS. ℙ *Fratres patrueles*, qui ex duobus fratribus progeniti sunt. *Cic. Planc.* 27. Hic illius frater patruelis et socer. ℙ Hi aliquando *fratres* absolute dicuntur, ut et *August. C. D.* 15, 16. *med.* docet. *Ov. Her.* 8, 27. Quid, quod avus nobis idem Pelopeius Atreus? Et si non esses vir mihi, frater eras. Sic Ajax apud *eund. Met.* 13, 31. fratrem dicit Achillem, qui erat filius Pelei patrui sui [Sic etiam *Catull.* 66, 22. Ptolemaeum Evergeten maritum Berenices, fratrem ejusdem appellat, qui ex duobus fratribus uterinis nati erant; nam Ptolemaeus Philadelphus Evergetis, Magas vero Berenices pater filii fuerunt prioris Berenices, quae prius Philippo cuidam Macedoni, postea Ptolemaeo Soteri Philadelphi patri nupserat. Patet igitur, *Hyg. Astr.* 2, 24., deinde plures recentiores, perperam putasse, Berenicen Evergetis uxorem, ipsumque Evergeten filios fuisse Philadelphi et Arsinoes, ideoque fratres germanos. V. *Viscont. Iconol. Gr. T.* 3. p. 320. *ed. Mediol. F.* *Et quos laudat *Cort.* ad *Sall. Jug.* 33, 4. *B. A.*] ℙ Etiam consobrini. *Cic.* enim in *Senat.* 10. Q. Metellum Nepotem *fratrem* dicit P. Clodii Pulcri, cum essent duarum sororum filii. ℙ Fratrum nomine veniunt etiam sorores, cum simul enumerantur. *Paul. Dig.* 10, 2, 38. Lucius et Titia fratres emancipati a patre. *Modest. ib.* 2, 14, 35. Tres fratres, Titius, Maevius, et Seja communem hereditatem inter se diviserunt. [*Item absolute. *Tac. A.* 12, 4. Fratrumque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. *Calp. Decl.* 43. Dilexerunt enim se mutuo fratres ultra meum votum. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 9, 3. p. 817. *Ruddim.* 2, 37. Cf. Similem usum v. FILIUS.] ℙ Saepe *frater* est blanda amici appellatio. *Juven.* 5, 135. Da Trebio, pone ad Trebium: vis, frater, ab istis Ilibus? o nummi, vobis hunc praestat honorem: Vos estis fratres. *Hor. Ep.* 1, 6, 54. frater, pater, adde: Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta. *Quint. Decl.* 321. Quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. [*Non omittendus est. l. *Cic. Verr.* 2, 3, 66. Volo mi frater fraterculo tuo credas: mox additur: consorti quidem in lucris atque furtis, gemino et simillimo nequitia, improbitate. Ita legit *Orell.* Hinc de civibus Romanis. *Hor. Od.* 1, 35, 34. Eheu cicatricum et sceleris pudet Fratrumque.] ℙ Hinc aliquando *fratres* appellati sunt socii populi, conjunctionis et benevolentiae causa. *Caes. B. G.* 2, 3. Ut ne Suessones quidem, fratres consanguineosque suos, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unum imperium, unumque magistratum cum ipsis habeant, deterrere potuerint, quin, etc. Et *ib.* 1, 33. et *Cic. Fam.* 7, 10. et *Att.* 1, 19. Aedui, fratres consanguineique saepe numero ab senatu appellati. V. FRATERNITAS. Adde *Eum. Pan.* ad *Constant. Aug.* 2. et 3., et *pro restaurat. schol.* 4.

et *Lucan.* 1, 427. Sic in *Inscr.* ap. *Grut.* 499, 13. Gens Batavorum amici et fratres Rom. Imp. ℙ Speciatim vero *fratres* et *sorores* turpes amicos et amicas dicebant. *Tibull.* 3, 1, 23. Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera, Mittit. [*Ubi v. *Heyn.*] *Mart.* 2, 4. Fratrem de vocat, et soror vocatur. Cur vos nomina nequiora tangunt? Adde 10, 65. et frequenter *Petr. Sat.* et *Cic. Coel.* 13. V. SOROR. ℙ Translate. *Pl. Mil.* 1, 1, 5. ego hanc machaeram mihi consolari volo, Ne lamentetur, Quia se jampridem feriatam gestitem, Quae misera gestit fratrem facere ex hostibus, h. e. hostium sanguini se immiscere, et veluti consanguineam fieri. Al. melius leg. *fartum facere.* V. FARTUM. Alii, qui *fratrem* retinent, interpretantur insicium ex carne concisa, afferuntque illud *Arnob.* 7, 231. Cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fratribus. Sed hic quoque alii rectius leg. *fartibus.* V. FARTUM. [*Cf. *Lindem.* ad *Pl. l. l.*, qui Aristophanicum illud comparat: *παγίδομμα ἐκ τῶν πολεμίων ποιῆσαι.*] ℙ *Fratres* etiam dicuntur et *sorores*, quae similia sunt. *Plin.* 5, 2, 1., *Mela* 1, 5. [*V. *Tzschuck.* ad h. l.] Et *Solin.* 25. Exsurgit montibus septem, qui a similitudine fratres appellantur, *ἑπταδέλφοι. Pl. Poen.* 1, 3, 8. Obsecro te, Milphio, per hanc dexteram, perque hanc sororem laevam. ℙ De libris ab uno eodemque auctore editis. *Ov. Trist.* 1, 1, 107. Aspicies illic positos ex ordine fratres. *Mart.* 12, 3. nec jam potes advena dici, Cujus habet fratres tot domus alta Remi. ℙ *Fratres Solis* et *Lunae* vocabantur olim Parthorum reges, hinc etiamnum hac appellatione gaudent Turcarum imperatores: iidem vero imperatores Romanos *fratres* appellabant, quemadmodum etiam nostris hisce temporibus reges sese invicem solent compellare. *Ammian.* 23, 5. de Parthis: Certatim summatum, et vulgi sententiis continentibus, astris (ut ipsi existimant) ritus sui consecratione permixtus est omnium primus Arsaces. Unde ad id tempus reges ejusdem gentis praetumidi appellari se patiuntur Solis fratres et Lunae. *Id.* 17, 5. Sapor Persarum rex litteras ad Constantium Aug. dedit, nusquam a genuino fastu declinans, quarum hunc fuisse accepimus sensum: Rex regum Sapor, particeps siderum, frater Solis et Lunae Constantio Caesari fratri meo salutem plurimam dico, etc. Et *mox.* His litteris diu libratis, recto pectore, ut dicitur, considerateque responsum est hoc modo: Victor terra marique Constantius semper Augustus fratri meo Sapori regi salutem plurimam dico, etc. Hinc profecto, ut ait *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 545., saepe in nummis regum Parthorum regis capiti adstituuntur astra Solis et Lunae. ℙ In genit. plur. *fratrium* pro *fratrum* est in *Inscr.* optimae notae, quae mendosa quidem ap. *Grut.* 423, 7., emendata vero, aenea tabula expressa, et pluribus illustrata legitur ap. *Jo. Labus* in *Dissert. s. Dec. Bresc.* p. 1. et seqq. *F.*]

FRĀTERCŬLO, as, n. 1. idem ac fratro: a *fraterculus. Plaut.* in *Frivolar.* citante *Festo* in *Sororiare.* Tunc papillae primitus Fraterculabant: illud volui dicere, Sororiabant. Ita hos versus emendat *Scalig.* V. SORORIO.

FRĀTERCŬLUS, i, m. *ἀδελφίδιον*, parvus frater. *Juven.* 4, 98. Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum, *idest* homo obscurus, cujus majores sint incogniti, tanquam e terra subito enatus, ut de Gigantibus poetae fabulantur. ℙ Adhibetur et in blanditiis. *Timarchides* quidam in ep. ad *Apron.* ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 66. *extr.* Volo, mihi fraterculo tuo credas. [*De lectione h. l. v. in FRATER.] ℙ [Fuit etiam cogn. cujusdam Fratris Arvalis ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 69. *F.*]

FRĀTERNĒ, adv. *φιλαδέλφως*, amore fraterno, ad similitudinem fratrum. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris. *Id. Att.* 1, 5. *extr.* Tibi persuadeas, te a me fraterne amari.

FRĀTERNĪTAS, atis, f. *ἀδελφότης*, fraterni amoris conjunctio. *Quint. decl.* 16, 2. Habet aliquem fraternitatis affectum. *Tac. A.* 11, 25. Aedui soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo R. usurpant. V. FRATER.

FRĀTERNUS, a, um, adj. *ἀδελφικός*, ad fratrem pertinens. *Hor. Od.* 1, 21, 12. Fraterna Apollinis lyra, *h. e.* quam a Mercurio fratre accepit. *Id. Ep.* 7, 18. Scelus fraternae necis, *h. e.* quo Romulus fratrem Remum occidit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Propter amorem in nos fraternum. *Id. Quint.* 4. Pro fraterna necessitudine. *Id. Cluent.* 11. Fraterna hereditas, *h. e.* qua bona fratris acquirimus. *Hor. Ep.* 1, 10, 4. Fraternis animis, quidquid negat alter et alter, Adnuimus pariter. *Stat. Th.* 1. *in.* Fraternae acies, *h. e.* bella inter fratres gesta. *Ov. Met.* 7, 366. quorum oculos Juppiter exosus, fraternis subdidit undis, *h. e.* mari, ubi suus frater Neptunus regnat. Et *ib.* 13, 31. fraterna peto, *h. e.* res fratris mei. ℙ De iis qui juncti sanguine sunt, licet non fratres. *Val. Fl.* 1, 163. amplexus fraternaque pectora jungens. Et 178. fraternae si des accrescere famae. Sermo est de Acasto et Iasone, qui Peliae et Aesonis fratrum filii erant. ℙ [*Hinc *fraternus* in universum dicitur id, quod intimae amicitiae est. *Hor. Ep.* 1, 3, 35. Indigni fraternum rumpere foedus, i. e. intimo, fraterno quasi amore junctum.] ℙ De brutis animalibus. *Virg. G.* 3, 518. Moerentem abjungens fraterna morte juvencum.

FRATILLI, villi sordidi in tapetis. *Fest.*

FRATRARE puerorum mammae dicuntur, cum primum tumescunt, quod, veluti fratres, pares oriuntur: quod etiam in frumento spica facere dicitur. *Fest.* V. SORORIO.

FRATRĬA, ae, f. *εἰνάτειρ*, uxor fratris. Fratrum uxores ita se invicem appellant. *Non.* 19, 6. et *Fest.* ℙ Eadem *fratrissa* vocatur ab *Isid. Orig.* 9, 7. Fratris uxor fratrissa vocatur. ℙ Item pars hominum, apud Graecos, ut sodalitium, collegium, tribus. *Varr. L. L.* 4, 15. Sic Athenis *φρατρία* dicta est aliquando tertia pars tribus, teste *Poll.* 8, 9. Alias est ipsa tribus. *Id.* 3, 4. et *Serv.* ad *A.* 7, 286. V. FRETRIACUS.

[FRATRĪCĪDA, ae, m. et f. *ἀδελφοκτόνος*, qui, vel quae fratrem suum occidit. *Cic. Dom.* 10. *med.* De me, quod tulisse te dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? *Nep. Timol.* 1. Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit, neque adspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans compellaret. *F.*]

[FRATRĪCĪDĬUM, ii, n. *ἀδελφοκτονία*, fratris occisio. *Tert. Monog.* 4. de Abele a Caino occiso: At ubi primum scelus homicidium in fratricidio dedicatum fuit. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 14. Fratricidium, et digamiam eadem cataclysmi poena delevit. *F.*]

*FRATRIMONĬUM, i, n. i. e. Bona fraterna, in *Gloss.* et *Cujac.* ad *Instit.* 2. *B. A.*

*FRATRISSAM eandem fratris uxorem vocari ait *Isid. Orig.* 9, 6. *B. A.*

FRATRŪĒLIS, is, m. filius sororis matris meae. *Isid. Orig.* 9, 6. Fratrueles materterae filii sunt. *Hieron. ep.* 22. *n.* 26. ex *Cantic.* 5, 2., ubi Vulgata habet *dilecti*, ipse legit: *Vox fratruelis mei*, etc. Adde in *prooem. in Isaj.* ex *Cantic.* 7, 13. *Inscr.* ap. *Mur.* 793, 1. Aur*elio* Victori P. Nonius Sirm. . . . fratrueli bene merenti.

[FRATŪENTĪNI, orum, m. plur. incolae Fratuentii, urbis excisae in Calabria, cujus meminit *Plin.* 3, 11, 16. *Inscr.* ap. *Lupuli, Iter Venus.* p. 108. P. Oppius Gal. Marcellinus patronus Compsa*norum*, Fratuentino*rum*, Neritino*rum*. Ap. *Plin. l. c.* perp*c*ram leg. *Fratuertium. F.*]

FRAVASONENSIS, e, adj. ad Fravasonem pertinens, dirutum Hispaniae Baeticae oppidum in conventu Cordubensi, prope urbem, quae nunc *Alcaudete* appellatur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 75. Ordo municipii Fravason. Ligitanorum. *F.*]

FRAUDĀTĬO, onis, f. *πλεονέκτημα, ἀπάτη*, actus fraudandi, fraus. *Cic. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc fides, illinc fraudatio. *In formula edicti* ap. *eund. Quint.* 19. Qui fraudationis causa latitarit. *In alia Off.* 3, 17. Ut inter bonos bene agier oportet, et sine fraudatione. *Pl. Asin.* 2, 1, 9. Servi ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.

FRAUDĀTOR, oris, m. *πλεονέκτης*, qui fraudat. *Cic. Phil.* 13, 12. Fraudator creditorum Trebellius. *Id. Fl.* 20. Unam et eandem omnibus in locis esse fraudatorum et inficiatorum impudentiam. *Senec. Ben.* 4, 26. Ingratus, qui beneficiorum fraudator est.

FRAUDĀTORĬUS, a, um, adj. ad fraudandum pertinens. *Fraudatorium interdictum* est, quo rescinduntur ea, quae in fraudem creditorum gesta sunt. *Papin. Dig.* 46, 3, 96. et *Valens ib.* 36, 1, 67.

FRAUDATRIX, icis, f. quae fraudat. *Tert. de Resurr. carn.* 12. Mira ratio; de fraudatrice servatrix.

FRAUDĀTUS, a, um, part. a *fraudo*, per fraudem spoliatus, privatus, deceptus. In *vet. formula* ap. *Cic. Off.* 3, 17. Uti ne propter te fidemve tuam captus fraudatusve siem. *Caes. B. C.* 3, 60. Satisfacere et fraudata restituere. *Papin. Dig.* 39, 4, 8. Fraudati vectigalis crimen. [**Prop.* 3, 8, 39. Fraudata nox.] ℙ Translate. *Ov. Her.* 6, 163. Fraudata conjugio. *Id. Met.* 10, 196. Laberis, Oebalide, prima fraudate juventa. [**Quint. Decl.* 9, 9. p. 198. Primo juventae flore fraudatus.] *Suet. Cal.* 48. Fraudatus triumpho. *Hor. Sat.* 1, 6, 123. ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis. *Val. Fl.* 2, 376. Vota patrum fraudata. *Plin.* 9, 36, 61. Fraudatam profecto se luxuria credat. Et *ib.* 39, 64. de purpura: Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata, *h. e.* imminuta, ut color non satur sit, sed dilutior.

FRAUDĬGER, a, um, adj. fraudes gerens, fraudulentus. *Tert. Genes.* 3. Femina fraudigeris misere decepta loquelis.

FRAUDO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποστερέω*, *πλεονεκτέω*, est rem debitam aut exspectatam non reddendo decipere, fallere, ludificare, per fraudem privare, fraudem facere. *Cic. Fl.* 20. Cum multos minutis mutuationibus fraudavisset. *Id. Att.* 1, 1. Cum Caecilius a Vario magna pecunia fraudaretur. *Id. Verr.* 2, 3, 8. Ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis grano uno posset arator fraudare decumanum. *Id. Rosc. Com.* 6. Socium fraudare et fallere. *Id. Caecin.* 3. Per tutelam aut societatem fraudare quempiam. *Id. Quint.* 24. Aliquem in hereditaria societate fraudare. *Id. Phil.* 6, 4. Fraudare creditores. *Justin.* 6, 2. milites stipendio. *Suet. Ner.* 5. aurigarios mercede. *Liv.* 2, 42. milites praeda. ℙ Cum accus. rei. *Caes. B. C.* 3, 59. Stipendium equitum fraudabant, et praedam omnem domum avertebant. *Mart. Dig.* 48, 12, 1. Annonam publicam fraudare. ℙ *Fraudare legem* est aliquid in fraudem legis committere. *Ter. Dig.* 35, 1, 62. Ipso jure rescindi, quod fraudandae legis causa esset adscriptum. ℙ Transfertur et ad alia, et ponitur pro spoliare, privare, adimere. *Cic. Fin.* 5, 30. Audebo cetera, quae secundum naturam sunt, bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine. *Colum.* 3, 9. Benignissima parens natura quasque gentes atque terras ita muneribus propriis ditavit, ut tamen ceteras non in universum similibus dotibus fraudaret. *Ov. Met.* 14, 715. spe quoque fraudat amantem. *Id. Amor.* 1, 13, 17. Aurora pueros somno fraudat. *Tibull.* 3, 5, 19. Quid fraudare juvat vitem, crescentibus uvis? *Ov. Amor.* 2, 14, 23. Quid plenam fraudas vitem, crescentibus uvis? *Id. Met.* 7, 250. artus anima fraudare seniles. *Quint.* 2, 14. et *Curt.* 4. *f.* aliquem laude sua. *Plin.* 32, 6, 21. quempiam sua gloria. *Vell.* 2, 92. Praeclarum excellentis viri factum ne fraudetur memoria. *Phaedr.* 4, 19. fraudare superos ture. *Lucan.* 2, 305. sanguine bellum. *Liv.* 2, 10. *extr.* In magna inopia pro domesticis copiis, unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit. Adde 5, 47. et V. DEFRAUDO. *Prud.* dixit *περὶ στεφ.* 11, 146. nec quidquam de corpore silva Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis. ℙ *Fraudassis* pro *fraudaveris* est *Pl. Rud.* 5, 2, 58. ℙ *Fraudor, aris* dep. V. in FRAUSUS.

FRAUDŬLENTER, adv. dolose, cum fraude, *δολερῶς. Colum.* 1, 8. Crudeliter, aut fraudulenter infestare. *Plin.* 30, 10, 27. Nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt.

FRAUDŬLENTĬA, ae, f. *δολιότης*, fraus, fallacia, dolus. *Pl. Mil.* 2, 2, 33. Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam, Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam. *Id. Ps.* 2, 1, 7. Fretus mea industria, malitia, fraudulentia.

FRAUDŬLENTUS, a, um, adj. *δολερός*, fraudis plenus, fallax, dolosus. *Cic. Quint.* 18. Num malitiosum? negas; fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, et praeclarum putas. *Id. Agr.* 2, 35. Carthaginienses fraudulenti et mendaces. *Id. Off.* 3, 21. Fraudulentae venditiones. *Gell.* 7, 18. Fraudulenta calliditas. *Quint.* 11, 3. *med.* Humerorum raro decens contractio est; breviatur enim cervix, et gestum quendam humilem, atque servilem, et quasi fraudulentum facit. *Pl. Capt.* 2, 1, 38. Ex bonis pessimi et fraudulentissimi sunt. *Plin.* 30, 1, 1. Magice fraudulentissima artium. *Tert. adv. Marc.* 2, 28. Tanto fraudulentior Deus vester, qui etc.

FRAUDŬLOSUS, a, um, adj. fraudulentus. *Paul. Dig.* 47, 2, 1. Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia.

FRAUS, audis, f. *δόλος, ἀπάτη, ἀποστέρησις*, fallacia, circumscriptio, deceptio, qua quippiam alteri debitum non redditur, aut aufertur, et injuste acquiritur ac retinetur. Differt a *dolo*, qui tum in verbis, tum in rebus locum habet: *fraus* praecipue et proprie in rebus. Hoc tamen discrimen et raro servatur, et fere *fraus* de quocumque dolo, fallacia, ac deceptione dicitur: vocis etymon vide infra. *Pl. Rud.* 3, 2, 42. Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenus. *Cic. Off.* 1, 13. Cum duobus modis, idest aut vi, aut fraude, fiat injuria; fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur: utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna majore. *Id. Phil.* 12, 5. *extr.* Sestertium septies millies avertisse Antonium judicavistis: num fraude poterit carere peculatus? *Id. Quint.* 18. Ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est. *Phaedr.* 4, 8. Fraudem moliri. *Sil.* 6, 326. nectere. *Senec. Herc. Oet.* 718. struere. *Plin.* 33, 3, 20. excogitare. *Caes. B. C.* 2, 14. Occasionem fraudis ac doli quaerere. *Senec. Agam.* 207 Fraude et furto aggredi aliquem. *Tac. H.* 2, 60. Pleraque fortuita fraudi suae assignantes. *Pl. Ps.* 2, 4, 15. Fraude parere aliquid. *Hor. Od.* 1, 3, 28. Fraude mala quippiam facere. *Justin.* 24, 2. Fraude concordiae pervenire ad aliquid, *h. e.* simulatae concordiae fallacia. ℙ *Sine fraude*, sine dolo, cum fide, vere, ex animo. *Liv.* 24, 47. Nihil praeterea cum consule pacti, quam ut sine fraude Punicum emitteretur praesidium. *Caes. B. C.* 2, 22. Auxiliis provinciarum desperatis, sese dedere sine fraude constituunt. V. infra. ℙ *Fraus*

legum est, inquit *Ulp. Dig.* 1, 3, 30., ubi id fit, quod lex fieri noluit, fieri autem non vetuit: et quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit. *Pl. Mil.* 2, 2, 9. et *Liv.* 7, 16. *extr.* et *Cic. Att.* 4, 12. Fraudem legi facere. *Plin.* 10, 50, 71. Inventumque diverticulum est, in fraude legum, gallinaceos quoque pascendi. *Paul. Dig.* 1, 3, 29. In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. ℙ *In fraudem alicujus quippiam facere* est fraudandi ejus causa. *Ulp.*, *Paul.*, *Papinian.* etc. *toto titulo* 9. qui inscribitur: *Quae in fraudem creditorum*, etc. *Dig.* 49. et al. ℙ Sumitur etiam *fraus* passive pro deceptione, dolo, periculo, quod quis subit. *Cic. Att.* 11, 16. Incidere in fraudem. *Id. Or.* 3, 60. delabi. *Id. Pis.* 1. impellere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. induci. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 42. illicere. [*Id. ib.* 2, 3, 23. Tuis nunc cruribus capitique fraudem hinc capitalem creas. V. *Lindem.*] *Lucr.* 4, 815. inducere se. *Virg. A.* 10, 72. agere. *Lucr.* 6, 186. Nec tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus, Quam sint lata magis, etc., *h. e.* ne te in errorem inducat, decipiat. *Id. ib.* 2, 187. dare alicui fraudem, *h. e.* occasionem errandi. ℙ Item pro quocumque scelere et noxa. *Cic. Div.* 1, 4. Neglectis rebus divinis, impia fraude obligari. *Hor. Od.* 1, 28, 30. Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere? *Cic. Tusc.* 1, 30. Republ. violanda fraudem inexpiabilem concipere. *Id. Rabir. perd.* 9. Fraudem capitalem admittere. *Id. Or.* 1, 46. Scelus ac fraudem nocentis supplicio constringere. *Id. Pis.* 18. *extr.* Fraudem suscipere. ℙ Et pro poena, detrimento. Aliud tamen est fraus, inquit *Ulp. Dig.* 50, 16, 131., aliud poena. Fraus enim sine poena esse potest (cum scilicet noxa quidem committitur, sed quam nulla poena consequitur); poena sine fraude esse non potest (quia omnis poena damnum affert). Poena est noxae vindicta: fraus et ipsa noxa dicitur, et quasi poenae quaedam praeparatio. In *vet. formula foederis* ap. *Liv.* 1, 24. Fetialis regem ita rogavit: Rex, facisne me tu nuncium populi R. Quiritium? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique R. Quiritium fiat, facio. *Cic. Att.* 7, 26. Quod rectius fuit, id mihi fraudem tulit. ℙ *Fraudi esse* est detrimento esse. *Cic. Mur.* 35. Non igitur, si L. Natta in equitum centuriis voluit esse, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini. *Id. Cluent.* 33. Multam petivit: qua lege? quod in legem non jurasset: quae res nemini unquam fraudi fuit. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Fit gratia Bruti senatus consultum: ut neve Salaminiis, neve qui eis dedisset, fraudi esset. *Id. Phil.* 5, 12. Censeo, ut iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante calendas Februar. ab eo discesserint. ℙ *Sine fraude*, sine noxa, aut sine damno, impune. *Cic. Leg.* 2, 24. et *Plin.* 21, 3, 5. Coronam virtute partam, et ei, qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet. *Sall. Cat.* 37. Senatus ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere. *Hor. Od.* 2, 19, 19. Nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines. V. supra. ℙ *Fraus loci* est error ex ignoratione loci. *Virg. A.* 9, 397. ℙ *Fraus* interdum est convicium in fraudulentum hominem, ut *scelus* in scelestum. *Pl. Ps.* 1, 3, 130. Legirupa, pernicies adolescentum, fur, fugitive, fraus populi. *Ter. Heaut.* 5, 4, 10. Gerro, iners, fraus, heluo, ganeo. ℙ Apud *Capell.* 1, 16. Dea est, quae crebro Cyllenio, *h. e.* Mercurio furum et mercatorum nummi, obsequitur. ℙ In genitivo plurali et *fraudium* habet et *fraudum. Gell.* 14, 2, Homo plenus perfidiarum et fraudum. *Cic. Off.* 3, 18. *extr.* Qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium. Est qui legat *fraudum*, sed contra plerosque lib. vet. et MSS.: *fraudum* habet etiam *Claud. Laud. Stil.* 2, 214. ℙ [Quidam putant *fraus* esse ab inusit. φέραω pro φέρω, aufero, quod confirmare videtur scriptio vocis, quam et *phraus* fuisse arguitur ex *Inscr.* apud *Guattan. Monum. ined.* 4, 85. Julia Aegiale vixit annis XXIX., sine phraude hic sita est. Nempe jure, sine aliorum damno *F.*]

FRAUSUS, a, um, part. activae significationis ab inusit. *fraudeo*, ut *ausus* ab *audeo:* qui fraudem commisit. *Festus:* Frausus erit, fraudem commiserit. *Pl. Asin.* 2, 2, 20. Metuo, in commune, ne quam fraudem frausus sit. *Liv.* 23, 14. Qui capitalem fraudem frausi. Plerique omnes leg. *ausi.* [*V. intpp.]

FRAX. V. FRACES.

FRAXĀRĒ, vigiliam circumire. *Fest.* unde *fraxatores*, qui vigilias obeunt. Est fortasse a φράττω, munio, vel a φυλάξω fut. verbi φυλάττω, custodio.

FRAXĬNĔUS, a, um, adj. μελίνος, qui est ex fraxino. *Virg. A.* 6, 181. Fraxineaeque trabes. *Id. G.* 2, 359. Fraxineasque sudes. *Colum.* 6, 3. Fraxineam frondem. *Ov. Met.* 12, 639. Fraxinea hasta.

FRAXĬNUS, i, f. μελία, arbor procera, et teres, pinnata folio, materie ad plurima utili, hastis praecipue; umbra inimica serpentibus. Ejus duo sunt genera, longa et enodis una, altera brevior, durior, fuscior, laureis foliis. Alii situ divisere, in campestrem crispam, et montanam spissam. Haec, et alia *Plin.* 16, 13, 24. Hinc *Virg. Ecl.* 7, 65. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis. *Stat. Th.* 6, 102. et infandos belli potura cruores Fraxinus. *Ov. Met.* 5, 142. Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto Fraxinus acta femur, *h. e.* fraxinea hasta. Synecdoche. Sic *ib.* 12, 324. ferrataque collo Fraxinus adacta est. ℙ Adjective *fraxinus, a, um* ap. *Ov. Her.* 11, 76. Ut quatitur tepido fraxina virga noto.

FRĔGELLAE, arum, f. plur. urbs diruta, et olim colonia Latii in Volscis ad Lirim fluvium, [eo loci, ubi nunc est *S. Gio: Incarico. F.*] *Sil.* 8, 477. obsessae campo squalente Fregellae. *Id.* 12, 529. Et quae fumantem texere Giganta Fregellae. V. TYPHOEUS. ℙ Item locus Romae, ubi habitabant frequentes urbis illius hospites. *Festus.*

FRĔGELLĀNUS, a, um, adj. ad Fregellas pertinens, ut Fregellanus ager, *Liv.* 26, 9. Fregellanum bellum, *Cic. Agr.* 2, 33. Fregellana vitis, *Colum.* 3, 2. ℙ *Fregellani, orum*, ejus urbis incolae. *Liv.* 27, 10.

*FREGĒNAE, arum, f. oppidum Hetruriae maritimum, medio inter Alsium et Portum Romanum loco. *Liv.* 36, 3. *Plin.* 3, 5. *Anton. Itin.* In *Sil.* 8, 477. sunt qui pro *Fregellae* legunt *Fregenae. B. A.*

*FREGINĀTES, um, incolae oppidi cujusdam Latii, quod Fregina forte vel Freginum audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

FRĔMĔBUNDUS, a, um, adj. valde fremens. *Sil.* 3, 463. de elephantis: At gregis illapsu fremebundo territus, acres Expavit moles Rhodanus. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 2, 35. de navi Argo: tanta moles labitur Fremebunda ex alto, ingenti sonitu et spiritu. ℙ Item indignabundus, furens. *Ov. Met.* 14, 188. de Polyphemo: Ille quidem totam fremebundus obambulat Aetnam. Adde *ib.* 12, 128. Sed utroque loco al. aliter leg.

FRĔMENS, entis, part. a *fremo. Ov. Met.* 5, 627. lupos audit circum stabula alta frementes. *Hor. Od.* 4, 14, 24. Equus fremens. *Val. Fl.* 1, 594. Venti frementes. Et 2, 646. Mare fremens. Et 119. fremens Fama. Et 6, 182. frementia agmina telis. *Senec. Troad.* 171. caeco mugitu terra fremens. *Virg. A.* 7, 787. Chimaera fremens. Et *ib.* 12, 398. Stabat acerba fremens Aeneas. Et 371. Turnus animis fremens. *Id. ib.* 4, 229. bello fremens Italia. *Appul. Met.* 8. Aper frementis oris. *Plin.* 33, 3, 12. Bruti epistolae frementes, fibulas tribunicias ex auro geri, *h. e.* plenae indignationis.

FRĔMĬDUS, a, um, adj. fremens, fremebundus. *Ov. Met.* 5, 2. fremida regalia turba Atria complentur. Ita *Heins.*, alii melius *fremitu regalia turbae*, etc.

FRĔMĬTUS, us, m. fremor, strepitus, murmur: a *fremo.* Est autem proprie mutus quidam, fractus et asper sonus, non plene emissus, sed latens et reconditus, fragori longius ducto similis: qualis est irati maris, leonis rugientis, canis hirrientis, obstrepentis multitudinis, tonantis coeli, et hujusmodi. In *responso Haruspicum* ap. *Cic. Har. resp.* 10. Quod in agro Latiniensi auditus est strepitus cum fremitu. Et *mox.* Strepitus quidam reconditus, et horribilis fremitus armorum. *Id. Div.* 1, 18. Cum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus, multa nostrae reipubl. gravia et vera praedixerint. *Id. Fin.* 5, 2. Ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. (Adde *Enn.* ap. *Serv. l. c.* in FREMO.) *Val. Fl.* 1, 159. et *Colum.* 7, 12. de cane villae custode: Ut ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget insidiantem, *h. e.* hirritu, quem ante latratum canes emittere solent. *Virg. A.* 11, 607. et *Caes. B. C.* 3, 38. Fremitus equorum. [*Liv.* 2, 64. Fremitus hinnitusque equorum.] *Val. Fl.* 3, 237. fremitus iraeque leonum. *Plin.* 8, 18, 25. tigris. *Id.* 9, 13, 15. inconditus vituli marini. *Virg. G.* 4, 216. apum. *Lucr.* 6, 269. fremitus et fulgura fiunt. *Senec. Octav.* 400. truces fremitus tubae, *h. e.* clangores. ℙ Tribuitur et hominibus (V. FREMO.) *Val. Fl.* 3, 637. At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira, Cum fremitu, saevisque furens in jurgia dictis. *Caes. B. G.* 2, 24. Simul eorum, qui cum impedimentis veniebant, clamor fremitusque oriebatur. *Virg. A.* 5, 148. plausu fremituque virum Consonat omne nemus. *Ov. Trist.* 4, 2, 53. Ipse sono plausuque simul, fremituque canentum Quadrijugos cernes saepe resistere equos. *Cic. Fl.* 10. *f.* Nego, esse ista testimonia, quae tu psephismata appellas, sed fremitum egentium, et motum quendam temerarium Graeculae concionis. *Senec. Hipp.* 850. Flebilis fremitus, *h. e.* luctus, querela, clamor. *Tac. G.* 11. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur. [*Plura v. in *Gloss. Liv.* p. 275.]

FRĔMO, is, mui, n. 3. βρέμω, murmur, crepitum, sonitum edo validum quidem, sed obscurum, et asperum, et infractum: a voce Graeca allata, quae a vocis et sonitus similitudine ficta est. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* a leonis voce dictum docet, afferens illud *Ennii* pausam fecere fremendi. Sic *Mart.* 8, 55. Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena. Et *Virg. A.* 9, 341. leo fremit ore cruento. Adde *Plin.* 8, 16, 19. ℙ Ceterum de aliis quoque sonis dicitur. *Val. Fl.* 2, 260. fremunt tigres. *Virg. A.* 12, 921. murali concita nunquam Tormento sic saxa fremunt. Sic *Ov. Trist.* 1, 2, 25. fremunt immani turbine venti. *Stat. Th.* 12, 654. ventosaque sibilat Arctos; Tunc montes undaeque fremunt. *Ov. Met.* 3, 70. et *Virg. A.* 11, 496. et 599. fremit acer equus. *Val. Fl.* 6, 329. tumida fremit Ister aqua. (de aqua usurpant etiam *Virg. A.* 11, 229. et *Enn.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 12. Sic fremitus ab *eod. ib.*) *Virg. A.* 9, 59. lupus insidiatus ovili Cum fremit ad caulas. V. alia in FREMENS. ℙ Saepe tribuitur hominibus. *Virg. A.* 10, 96. cunctique fremebant Caelicolae assensu vario. *Phaedr.* 5, 7. rumor de tibicine Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum, etc. ℙ In luctu. *Virg. A.* 6, 175. omnes magno circum ore fremebant. ℙ In plausu. *Id. ib.* 5, 555. quos omnis euntes Trinacriae mirata fremit, Trojaeque juventus. Et *ib.* 8, 717. ludisque viae plausuque fremebant, *h. e.* personabant. Sic *Ov. Met.* 3, 628. festisque fremunt ululatibus agri. ℙ In precibus. *Virg. A.* 1, 563. cuncti simul ore fremebant Dardanidae. ℙ Frequenter in indignatione, questu, comminatione. *Cic. Or.* 1, 44. Fremant omnes, licet, dicam quod sentio. *Id. Att.* 2, 7. Arrius consulatum sibi ereptum fremit. *Liv.* 8, 13. Pedum expugnandum ac delendum, senatus fremit. *Tac. H.* 2, 44. Praetorianus miles, non virtute se, sed proditione victum, fremebat. Et *ib.* 4, 35. Palam fremebant, non se ultra famem toleraturos. ℙ Cum accusativo; sed ellipsis est. *Virg. A.* 11, 132. unoque omnes eadem ore fremebant. *Cass.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 59. Si plebs fremere imperia coepisset, *h. e.* recusare. *Virg. A.* 7, 460. Arma amens fremit, arma toro, tectisque requirit. [*Noli in his de ellipsi cogitare. E Graecorum more deducta est dicendi ratio, ap. *Tac.* quidem praeceteris frequens. V. quae in hanc rem disputat *Böttich.* in *lex. Tac.* p. 13. sq. Plura exempla v. *ib.* p. 18. Conf. etiam *Gloss. Liv.* s. h. v.] ℙ Translate. *Calp. Ecl.* 4. *f.* jam fremit aestas, *h. e.* saevit.

FRĔMOR, oris, m. fremitus, strepitus, clamor. *Vet. Script.* ap. *Varr. L. L.* 5, 7. Arma sonant, fremor oritur. *Virg. A.* 11, 296. variusque per ora cucurrit Ausonidum turbata fremor. *Arnob.* 1, 32. Quidquid virium continet fremor ille verborum (*magicorum*), atque adjunctae carminum necessitates, *h. e.* sonus, murmur. *Appul. Flor. n.* 17. p. 358, 4. Leonum indignati fremores.

FRĔNĀTOR, oris, m. qui frenat. *Stat. Th.* 1, 27. ignipedum frenator equorum, *h. e.* Sol. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 55. Infinitae potestatis domitor ac frenator animus. *Val. Fl.* 6, 162. ingentis frenator Sarmata conti, *h. e.* moderator et jaculator hastae amentatae.

FRĔNĀTUS, a, um, part. a *freno*, χαλινωτὸς, frenum habens. *Hirt. B. G.* 8, 15. Equites frenatis equis in stationibus disponit. *Virg. A.* 5, 554. Frenatis lucent in equis. *Sil.* 11, 266. frenata acies. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 66. Obsepta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus.

FRENDĔO, es, n. 2. et Frendo, is, n. 3. βρύχω, μυλάω, dentes collidendo et constringendo strideo, infrendeo: quod est irati signum. Verbum est a sono fictum. *Pl. Capt.* 4, 4, 5. Nimis hercle ego illam male formidabam: ita frendebat dentibus. *Id. Truc.* 2, 7, 42. Hoc vide: dentibus frendit, icit femur. *Ov. A. Am.* 1, 46. Frendens aper. *Cic.* vertens carmina *Sophoclis Tusc.* 2, 9. Frendens Nemeaeus leo. *Ov. Met.* 8, 437. tumida frendens Mavortius ira. *Stat. Th.* 6, 767. ruit omnis, et ambas Consumit sine lege manus, atque irrita frendit Insurgens. *Curt.* 4, 16. Frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus. *Liv.* 30, 20 Frendens gemensque ac vix lacrimis temperans. *Virg. G.* 4, 452. graviter frendens. *Senec. Herc. fur.* 693. frendens dolor. *Prud. Cath.* 9, 52. Suetus antro bustuali sub catenis frendere. ℙ Translate, et cum accusativo, per ellipsin. [*Minime! V. in FREMO.] *Pacuv.* ap. *Non.* 5, 103. Frendere noctes, misera, quas perpessa sum, *h. e.* indignari, queri. *Pl. fragm. ib.* Nec, machaera, audes dentes frendere, *h. e.* irasci. ℙ Significat etiam dentibus, aut alia re frangere. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Porci dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, idest frangere. *Accius* ap. *Non. l. c.* saxo fruges frendas. ℙ Praeteritum quidam faciunt *frendui:* sed adhuc sine auctoritate, aut exemplo: nisi placeat *Psalm.* 34. *v.* 16. ℙ Supinum est *fresus* seu *fressus*, teste *Festo.* V. suo loco.

[FRENDESCO, is, n. 3. idem ac frendeo. *Not. Tir.* p. 153. Frendet, frendescit. *F.*]

FRENDOR, oris, m. frendendi actus. *Tert. Resurr. carn.* 35. *s. f.* Dentium frendor in gehenna.

Veg. Vet. 3, 31. Equus tremorem frendoremque parietur. [Adde *Not. Tir.* p. 153. *F.*]

FRĒNIGER, a, um, adj. frenum gerens. *Stat. Silv.* 5, 1, 98. Quisnam frenigerae signum dare dignior alae.

FRĒNO vel Fraeno, as, avi, atum, a. 1. *χαλινόω*, frenum impono. *Ov. Met.* 10, 125. Frenare cervi ora capistris. *Id. Trist.* 3, 8, 3. Medeae, vellem frenare dracones. *Prud. Psych.* 191. Impatiens sonipes frenarier ora lupatis. ℙ Translate est cohibere, coercere, reprimere. *Cic. Mil.* 28. Clodii furores nullis legibus frenare poteramus. *Liv.* 30, 14. Voluptates temperantia frenare ac domare. [**Id.* 26, 29. Ne quis timore frenari eos dicere posset, quominus de eo libere querantur, etc.] *Senec. Med.* 866. Frenare iras. *Sil.* 10, 340. spes avidas. *Virg. A.* 1, 527. justitia gentes superbas. Et 58. Aeolus ventos vinclis et carcere frenat. [**Sil.* 9, 418. Agmina frenasset procurrentia.] *Id. G.* 4, 136. hiems glacie cursus frenat aquarum. *Val. Fl.* 1, 22. Aemoniam primis Pelias frenabat ab annis, *h. e.* regebat, regnabat. *Phaedr.* 4, 24. Exigua materia impetum scribendi frenat. *Seren. Sammon.* 17. *extr.* Frenare tussim medicamine. Et 29. Alvum frenat brassica, *h. e.* sistit. [**Sil.* 8, 290. Frenabat corde dolores, i. e. claudebat, continebat in animo.]

[*FRENTĀNI, orum, m. plur. *Φρεντανοὶ*, populi Italiae ad mare Hadriaticum, medio inter Picenum, et Apuliam loco, ita appellati a Frentone fluvio, qui idem nomen adhuc retinet. Eorum urbes primariae fuerunt Larinum, Histonium, Buca, Anxia, Ortona, Interamnia. *Caes. B. C.* 1, 23, et *Liv.* 8, 16. ℙ Est etiam *Frentanus, a, um*, adj., ut Frentanus ager ap. *Liv.* 27, 43. Frentana regio ap. *Plin.* 3, 11, 17. *B. A.* et *F.*]

*FRENTO, onis, m. Apuliae fluvius portuosus. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

FRĒNUM et Fraenum, i, n. *et in accus. plurali etiam* Frenos, m. *χαλινός*, instrumentum, quo equorum ora coercentur. *Cic. Mil.* 24. Scutorum, gladiorum, frenorum multitudo. *Hor. Od.* 1, 8, 7. Ora equi temperare frenis. *Ov. Met.* 5, 643. coercere. *Val. Fl.* 1, 424. contundere freno. Et 6, 377. tendere frena. Et 5, 134. et *Ov. Met.* 2, 185. remittere. *Liv.* 1, 48. Inhibere frenos. Eodem sensu *Ov. Met.* 15, 518, ducere frena. *Virg. A.* 5, 817. addere frena equis. Sic *Ov. Fast.* 2, 736. frenis impedire equos. *Tibull.* 1, 3, 42. frenos ore momordit equus. *Virg. A.* 4, 135. frena sonipes spumantia mandit. *Lucan.* 7, 531. frena convertere. Et 1, 425. in gyrum flectere. *Val. Fl.* 1, 455. contorquere. ℙ Pro habenis. *Ov. Amor.* 3, 4, 15. ut primum concessas sensit habenas, Frenaque in effusa laxa jacere juba. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 56. Alteri calcaria adhibere, alteri frenos, *h. e.* alterum incitare, alterum retinere ac retrahere. *Id. Phil.* 13, 9. Mutinamque illi exsultanti tanquam frenos furoris injecit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 23. et ipse *Cic. ib.* 24. Si frenum momorderis, *h. e.* si te ferocem et recusantem ostenderis. Adde *Senec. Tranq. in f.* Alio sensu *Stat. Silv.* 1, 2, 28. subiit leges, et frena momordit, Ille solutus amor, *h. e.* recepit vel invitus, et subactus est. *Liv.* 34, 2. *f.* Dare frenos impotenti naturae. Sic *Lucan.* 7, 124. laxare frenos furentibus ira. *Hor. Od.* 4, 15, 10. frena licentiae injicere. Sic *Juven.* 8, 88. pone irae frena modumque. *Curt.* 7, 8. *med.* Imponere frenos felicitati. *Senec. Troad.* 279. regere frenis iram. *Hor. ep.* 1, 2, 63. animum frenis compescere. *Ov. Pont.* 4, 2, 23. remittere frena studiis. Et *Senec. ep.* 23. Voluptates tenere sub freno. *Virg. A.* 12, 568. accipere frenum. (Adde *Liv.* 37, 36.) *Senec. Hippol.* 574. Saepe obstinatis induit frenos amor. *Ov. Pont.* 2, 9, 33. imperii frena moderari. Et *Trist.* 2, 42. moderate frena imperii tenere. Et *Pont.* 4, 13, 27. capere. *Sil.* 1, 240. Dare alicui rerum frenos, *h. e.* imperium. *Prud. praef. Cath.* 17. frenos urbium regere. ℙ Frenum pro ipso equo, poetice. *Stat. Th.* 11, 243. frater muris circum omnibus instat, Portarumque moras frenis adsultat et hastis. ℙ Pro quocumque vinculo et compage. *Id. Th.* 10, 879. absiliunt pontes, tectique trementis Saxea frena labant. ℙ Frenum etiam dicitur vinculum, quo praeputium ab inferiori parte penis glandi adnectitur. *Cels.* 7, 25. *n.* 2. Subter cutis inciditur usque ad frenum. Et *mox.* Ut vertex ejus ad frenum, basis in tergo extremo sit. ℙ Ad scriptionem quod attinet, diphthongus videtur placere *Dausquio*, tum ex satis recepto usu, tum ex origine, qua dictum putat quasi *feri aeneum*. Sed et insulsa est etymologia, et vetera monumenta, graviorque *Manutii* ac *Cellarii* auctoritas *frenum* adstruunt. Praeterea haec habet *Isid. Orig.* 20, 16. Frena dicta, quod haec equi frendant, id est, imprimant dentibus, et obmordeant. V. NEFRENDES.

FRĔQUENS, entis, adj. *συχνός*, creber, assiduus. [*Proprie dici videtur de homibus, qui saepe in loco aliquo versantur. Caeterum confer de hac voce doctissime disserentem *Döderl.* 1, 16. sqq.] *Cic. Or.* 4. Demosthenes frequens fuit Platonis auditor. *Id. Rosc. Am.* 6. Erat tum Romae frequens, atque in foro quotidie versabatur. *Id. Off.* 2, 13. *med.* Frequentem esse cum aliquo. [**Liv.* 39 53., Quod filium frequentiorem prope cum illis, quam secum cernebat.] *Tac. H.* 4, 69. *extr.* Haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus. *Id. A.* 4, 3. Sumitur in conscientiam Eudemus medicus, specie artis frequens secretis. [*Adde *Ann.* 4, 55. *Agr.* 37. Similiter *ad* praepos. jungitur. *Liv.* 3, 24. Kaesonem tum frequentem ad signa — fuisse.] *Ov. Pont.* 2, 6, 33. Crede mihi, nostrum si non mortale futurum Carmen, in ore frequens posteritatis eris. *Mart.* 9, 98. Frequens conviva. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 7, 705. Hic hominum casus lenire, et demere fatis Jura frequens. ℙ Item multus, copiosus. *Cic. Verr.* 1, 3. Videt multos equites R., frequentes praeterea cives atque socios. *Id. Fam.* 10, 12. Senatus est continuo convocatus, frequensque convenit. [**Frequens senatus* tunc dici solebat, cum tantus senatorum numerus convenerat, quanto opus erat, ut fieri senatusconsultum posset.] *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Est numerus veteranorum satis frequens cum Ventidio. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos. *Id. Phil.* 7, 8. Equites R. qui frequentissimi in gradibus Concordiae steterunt. [**Id. Or.* 3, 55. Refert qui audiant frequentes, an pauci, an singuli. Plura v. in *cl. Suet.* p. 378. Transfertur etiam ad alia. Huc pertinet locus §. 1. allatus. *Cic. Or.* 3, 47. Jambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles.] *Plin.* 9, 59, 85. Frequens ibi hic piscis, et celeriter capitur. ℙ Dicitur et de re, quae crebro et saepe fit, *Varr. L. L.* 6, 5. Ap. eundem (*Pl. Cist.* 1, 1, 7.) Mihi frequentem operam dedistis, valet assiduam. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Saltus Castulonensis frequentioribus latrociniis infestior factus est. *Nep. Phoc.* 1. Frequentes delati honores. *Id. Att.* 19. *extr.* Frequentior familiaritas. *Cic. Senect.* 13. Frequentia pocula. *Plin.* 33, 1, 6. Frequentior usus anulorum. *Id.* 37, 7, 31. Nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior. *Gell.* 1, 8. Frequens apud Graecos adagium. *Paul. Dig.* 44, 2, 6. Parere ergo exceptionem rei judicatae, frequens est, *h. e.* usitatum est. [**Tac. A.* 2, 33. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publica crederent, loco sententiae promere. Pertinent huc etiam loci, quos parum recte §. 1. Noster adscripserat: *Plin.* 8, 45, 70. Est frequens in prodigiis priscorum, bovem locutum. *Id.* 20, 7, 26. Lactucae frequentiores in cibo. Adde *Suet. Tib.* 11. *Ner.* 41.] ℙ *Frequens sententia* est, quae a multis comprobatur. *Plin. ep.* 2, 11. Quae sententia non praevaluit modo, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens. [*Ejusdem generis locus est ap. *Liv.* 2, 32. Frequentior fama.] ℙ Item de loco, ubi multi sunt. *Cic. Div.* 1, 28. *extr.* Idque frequentissimo theatro, incredibili plausu comprobatum esse. *Id. Phil.* 2, 41. Frequens municipium. *Ov. A. Am.* 1, 585. Frequens via. *Plin.* 5, 9, 10. Nilius feris et belluis frequens. Et *paulo post.* Aegyptus multis urbibus frequens. *Liv.* 31, 23. Frequentia aedificiis loca. [**Id.* 1, 9. Frequens tectis urbs.] *Colum.* 8, 16. Piscibus frequens vivarium. *Ov. Her.* 16, 54. locus piceis ilicibusque frequens. *Id. Met.* 9, 106. Vorticibus frequens amnis. *Tac. A.* 4, 65. Montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat. [*Nota genitivum c. v. *frequens* conjunctum, nusquam quod sciam, praeter h. l. obvium. Caeterum pertinent huc loci perperam §. 2. assuti. *Ov. A. Am.* 1, 147. pompa. *Plin. ep.* 2, 18. et *Suet. Claud.* 41. Frequens auditorium. *Id. Caes.* 31. convivium.] *Senec. Herc. fur.* 1233. Frequens telis Lernaeis pharetra.

*FREQUENTĀMEN, inis, n. frequentatio. Apud *Sidon. B. A.*

FRĒQUENTĀMENTUM, i, n. frequentatio. *Gell.* 1, 11. Si Graccho concionanti numeros, et modos, et frequentamenta quaedam varia tibicen incineret, *h. e.* frequentes vocis mutationes, discrimina, modulationes. Sic 5, 1. Si vocum ejus festivitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis moventur.

FRĒQUENTĀRIUM, frequentem. *Festus.*

FRĒQUENTĀTIO, onis, f. *πυκνότης, πύκνωμα*, crebritas, coacervatio. *Cic. Part.* 35. *extr.* Frequentatio argumentorum. *Id. ib.* 16. consequentium. *Auct. ad Her.* 4, 19. verborum densa et continens. *Gell.* 1, 6. *f.* Civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentatione non posse. ℙ Inter figuras sententiarum Frequentatio est, ut ait *Auct. ad Her.* 4, 40., cum res in tota causa dispersae coguntur in unum, quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit, etc. [*Similes huic sunt Gr. figurae *συλλογή, συναγωγή, ἀνακεφαλαίωσις*, de quibus v. *Ernest. lex. gr. techn. rhet.* Lat. etiam collectionem, enumerationem, congeriem in simili re dicere solent.]

[FRĒQUENTĀTĪVĒ, adv. more verbi frequentativi. *Paul*, ex *Fest.* Verberitare Cato frequentative ab eo, quod est verbero, dixit. *F.*]

FRĒQUENTĀTĪVUS, a, um, adj. assiduitatem et frequentiam significans: ut Frequentativa verba, apud grammaticos. *Gell.* 9, 6. Ab eo, quod est *ago* et *egi*, verba sunt, quae appellant grammatici frequentativa, *actito* et *actitavi.*

[FRĒQUENTĀTO, adv. crebro. *Appul. Met* 9. Salutem ei fuerat imprecatus, et iterato rursum, et frequentato saepius. *F.*]

FRĒQUENTĀTOR, oris, m. qui frequentat. *Tert Monog.* 8. *f.* Prandiorum et coenarum cum publicanis frequentator. ℙ Est etiam qui continuo servat. *Appul. Trismeg.* p, 14, 23. Sol ipse semper gubernator vitalium, vel totius vivacitatis eorum frequentator et dispensator est.

FRĒQUENTĀTUS, a, um, part. a *frequento. Sall. Jug.* 19. Quae loca et nationes ob calorem, aut asperitatem, item solitudines, minus frequentata sunt. *Plin.* 37, 10, 54. Aromatites, gemma reginis frequentata. *Id.* 36, 25, 61. Frequentata pavimenta. *Cic. Or.* 3, 38. Verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. *Id. Brut.* 95. Aliud genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, *h. e.* non tam sententiosum.

FRĒQUENTER, adv. *συχνῶς, πολλάκις*, crebro, saepe. [*V. *Doederl.* 1, 17. sqq.] *Auct. ad Her.* 4, 56. Ut frequenter et assidue consequamur artis rationem studio et exercitatione. *Cic. Or.* 24. Translatione frequentissime sermo omnis utitur. *Ov. Fast.* 3, 287. Non alias missi cecidere frequentius ignes. *Quint.* 1, 10. Quod Cicero frequentius testatur. ℙ *Frequenter* etiam fieri dicitur, quod a multis fit. *Liv.* 1, 11. Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum. *Cic. Att.* 1, 19. Herennium quendam, tribunum plebis, saepe de Clodio ad plebem traducendo agere coepisse: huic frequenter intercedituri.

FRĒQUENTĬA, ae, f. crebritas, multitudo, *πυκνότης, πλῆθος. Cic. Att.* 4, 16. De epistolarum frequentia nihil te accuso. *Id. Or.* 2, 13. Thucydides ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. *Plin.* 27, 12, 91. Polygonon alii polygonaton vocant, a frequentia geniculorum. *Vitr.* 9, 9. Frequentia coeli, *h. e.* densitas aeris. V. CREBRITAS. *Quint.* 1, 2. scholarum. *Sall. Jug.* 51. negotiatorum. *Nep. Att.* 22. Elatus est maxima vulgi frequentia. *Cic. Verr.* 1, 7. Hortensius consul designatus domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia, a multitudine. *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Quotidiana amicorum assiduitas et frequentia. *Cic. Pis.* 13. *extr.* Frequentia egressum alicujus ornare atque celebrare. *Id. Planc.* 8. *extr.* Solidam, et robustam, et assiduam frequentiam alicui praebere. *Id. Mil.* 1. Stipari frequentia. [**Plin. Pan.* 23, 3. Prout alterutrum frequentiae genus invaluisset. Caeterum primo loco ponenda erant ea exempla, in quibus frequentia est hominum in unum locum coeuntium, vel honoris causa aliquem comitantium.]

FRĒQUENTO, as, avi, atum a. 1. *φοιτάω*, frequenter adeo, ventito, visito, saepius cum aliquo sum. *Cic. Fam.* 5, 21. Sermones eorum, qui frequentant domum meam. *Tac. H.* 2, 16. Digressis, qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops interficitur. [*Plura v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 207.] ℙ Item frequentem facere, implere. *Cic. Off.* 2, 4. Frequentare urbes. [**Id. Ib.* 1, 39. Domus solita est frequentari. *Id. Att.* 1, 16. Sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Plura dabit *cl. Suet.* p. 378.] *Ov. Fast.* 4, 871. Templa frequentari Collinae proxima portae Nunc decet. *Hirt. B. Afr.* 20. Sagittariis ex omnibus navibus ductis in castra compluribus, frequentabat suas copias. *Col.* 4, 33. Frequentare castaneta. Et 10, 214. nova prole mundum. Et 4, 15. vineam. *Cic. Or.* 3, 52. *extr.* Tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum. ℙ Item coacervare. *Id. Or.* 25. Nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. *Gell.* 13, 24. Quae a poetis, celebrandae et ornandae rei gratia, duobus eadem pluribusve nominibus frequentantur. ℙ Item frequentia et multitudine celebro, [**begehen.*] *Cic. Inv.* 1, 27. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. *Ov. Met.* 4, 37. Frequentare sacra. *Auct. Priap.* 77. Ennaeae Cererem nurus frequentant. [**Suet. Tib.* 32. Quorundam illustrium exsequias usque ad rogum frequentavit, i. e. cum reliqua pompa adiit eoque honorem addidit funeri.] ℙ Item frequentem facio, *h. e.* congrego. *Cic. Cat.* 4, 7. Scribae universi, quos casu hic dies ad aerarium frequentavit. *Id. Dom.* 33. Quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras. ℙ Item frequenter facio, repeto, ingemino. [**Auct. ad Her.* 3, 24. Primas quasque partes in animo frequenta, i. e. frequenter cogita. *Cic. Or.* 27. Haec frequentat Phalereus maxime. *Tac. A.* 3, 25. Nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur.] *Ov. Her.* 12, 143. Turba ruunt et Hymen clamant, Hymenaee frequen-

tant. Al. minus recte leg. *Hymenaea frequentant*, h. e. Hymenaea sacra. V. HYMEN. *Sen. Consol. ad Marc.* 3. Frequentare memoriam alicujus, *h. e.* frequenter meminisse. [*V. *Gron.* ad h. l. Cf. *Fl. Vopisci Syr. Div. Aurel.* 35. Non praetermittendum videtur, quod et memoria tenet publica, et fides historica frequentavit, i. e. repetit eoque comprobat. *Casaub.* ad h. l. docet *frequentare* poni etiam pro *narrare.*] *Sulpicia Sat.* Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas, *h. e.* frequenter memoras celebrasque. *Pall.* 1, 15. Prima trullis frequentetur inductio, *scil.* calcis. Et 24. Columbae fetus frequentant, si, etc. ℙ *Frequentare alicui operam*, ap. *Pl. Cist.* 1, 1, 10. est frequentem operam dare.

*FRESILĬA, ae, f. oppidum Italiae, in Marsis. *Liv.* 10, 3. *B. A.*

FRESSUS et Fresus, a, um, part. a *frendeo*, qua frangere significat. *Col.* 6, 3. Fresi et aqua macerati ervi sextarius. *Id.* 2, 11. *f.* Cicera bubus ervi loco fresa datur. Et 12. *med.* et *Cels.* 5, 18. *n.* 21. Faba fressa. [*V. *Döderl.* 3, 327.]

FRĔTĂLIS, e, adj. ad fretum pertinens. *Ammian.* 28, 2. A Rhaetiarum exordio adusque fretalem oceanum, *h. e.* fretum Britannicum. ℙ *Fretale*, *is*, n. substant., genus est sartaginis ad frigendum aptae. *Apic.* 7, 5. Infunditur in fretali piper, etc.

FRĔTENSIS, e, adj. fretalis, ut Fretensis legio, quae scil. vel scripta est ex freti Siculi accolis, ut exponit *Turneb. Adv.* 18, 10., vel ad fretum stativa habuit. Ejus saepe mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 6. C. Popilio C. F. Quir. Caro Pedoni Cos. VII. Vir. Epulon. etc. legato legionis X. Fretensis, etc.; et 354, 5. L. Annio Fabiano III. Viro Capitali, etc. Leg. Leg. X. Fretensis, etc. Adde 294, 2. et alibi. ℙ Mare Fretense est mare, vel fretum Siculum. *Cic. Att.* 10, 7. Hadriano mari Dolabella, Fretensi Curio. Al. aliter leg.

[FRETRĬĂCUS, i, m. φρητριαχὸς Ionice pro φρατριαχὸς, qui alicui fratriae est adscriptus. De his vero sodalitatibus docte commentatus est *Ignarra de phratriis*, quod opus consulesis. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 456. *n.* XVI. P. Sufenati P. F. Pal. Myroni luperco Laurenti Lavinati, fretriaco Neapoli Antinoiton, et Eunostidon. Adde alias *ib. n.* 74. et 75. V. FRATRIA. *F.*]

FRĔTUM, i, n. πορθμὸς, maris angustiae: a fervendo, quasi *fervetum*, quod eo semper concurrant aestus et effervescant, ut ait *Varr. L. L.* 6, 3. *Cic. N. D.* 3, 10. Fretum Siciliense. *Ov. Trist.* 1, 10, 28. Seston Abydena separat urbe fretum. *Cic. N. D.* 2, 7. Fretorum angustiae. *Id. Div.* 2, 14. *extr.* Quid de fretis et marinis aestibus dicam? ℙ Interdum absolute dicitur de freto Siculo, quod primum omnium fuit Romanis cognitum, et maxime frequentatum. *Cic. Att.* 2, 1. Cum se ille septimo die venisse a Freto dixisset. *Flor.* 2, 2. Cum a terra Fretum usque venisset. [*Suet. Tib.* 2. V. *Ernest. Cl. Cic.* in *ind. geogr.*] ℙ Ponitur et pro ipso mari. *Virg. A.* 1, 611. In freta dum fluvii current. *Hor. Od.* 2, 7, 15. Fretum aestuosum. *Ov. Fast.* 3, 568. Libycum. *Id. Pont.* 2, 2, 2. Euxinum. ℙ Translate ponitur pro fervore et impetu. *Flor.* 1, 26. Talis pace belloque populus Rom. fretum illud Adolescentiae, idest secundam imperii aetatem habuit. *Lucr.* 4, 1024. Tum quibus aetatis freta primitus insinuantur. *Gell.* 10, 3. Invidiae, atque acerbitatis fretum effervescit. ℙ Reperitur et *fretus*, *us*, m. *Lucr.* 6, 363. Nam fretus ipse anni permiscet frigus et aestus, *h. e.* tempus anni, quod inter frigus caloremque intercedit, ut ver. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. perangusto fretu. Ita enim *Gell.* 13, 20. legit. *Id. Cic.* ap. *Charis.* 1, 103. A Gaditano fretu. *Porc. Licin. ib.* Salsi fretus. *Messala ib.* Angustiae fretus. *Novius* vel *Naev.* ap. *Non.* 3, 92. faventem per fretum introcurrimus. *Varr. ib.* Qui est fretus inter Rhegium et Messanam. *Lucil. ib.* Salis fretus. [*V. *Gron.* ad *Gell.* 10, 26.] ℙ *Enn. ib.* dixit *omnem coeli fretum*, et ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *fretum caeruleum* ea ratione, qua *Lucr.* 5, 277. aeris mare. ℙ *Fretum* est etiam nomen comoediae Plautinae deperditae, teste *Gell.* 3, 3.

FRĔTUS, a, um, adj. [part. a φορέω, porto, cujus verbale φορητὸς, et syncop. φρητὸς. *F.* *Doederl.* 1, 19. v. *fretus* deducit ab obsoleto *freo* (ad quod etiam *fere*. *ferme*, *fortis* pertinere vult), ut proprie sit i. q. firmatus animo. V. plura l. l.] πεποιθὼς, confisus, nixus, fultus. *Ter. Ph.* 2, 1, 43. Malitia fretus sua insidias fecit. *Cic. Fam.* 3, 7. *f.* Haec scripsi ad te liberius, fretus conscientia officii mei. *Id. N. D.* 1, 18. Fretus intelligentia vestra dissero brevius, quam, etc. *Id. Or.* 2, 24. Plerique ingenio freti. *Id. Planc. f.* Quod vobis fretus huic saepe promisi. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Amicitiis fretum ac munitum esse. *Virg. A.* 5, 430. Ille pedum melior motu, fretusque juventa. Et *ib.* 4, 245. Illa fretus agit ventos et nubila tranat. *Pl. Men.* 5, 2, 16. Quae viros subservire sibi postulant, dote fretae. *Id. Cas.* 2, 5, 38. Dis sum fretus: Deos sperabimus. ℙ [*Dicitur etiam de rebus. *Lucr.* 6, 1057. Pondere enim fretae (res) partim stant, etc.] ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 5, 23. tum pontum irrumpere fretae *(naves)* ereptasque oculis non quaerere terras, *h. e.* ausae. ℙ [*Legitur etiam c. dativo constructuu. *Liv.* 6, 13. *in.* Multitudo hostium nulli rei, praeterquam numero, freta. Ubi conjec. quidem interpretes *nulla* re, sed nemo mutare locum ausus est.]

FRĔTUS, us, m. V. FRETUM. ℙ *Frētus*, *us*, pro fiducia in sexto casu singulari. *Symmach. ep.* 2, 82. (al. 83.) Ut sancti animi tui fretu nubem invidiae superioris abstergeat.

FRĬĂBĬLIS, e, adj. ψαθυρὸς, qui facile friatur, et minutim teri potest. *Plin.* 17, 4, 3. Tofus natura friabilis. *Id.* 34, 18, 55. Sandaracha pura, friabilisque.

FRĬĀTUS, a, um, part. a *frio*, tritus, comminutus. *Lucr.* 1, 886. Scilicet et glebis terrarum saepe friatis. *Plin.* 12, 13, 28. Friatum amomum.

FRĪBUSCŬLUM, i, n. jurgium et levis offensa inter conjuges. *Ulp. Dig.* 24, 1, 32. §. 12. Quid si divortium non intercesserit, sed fribusculum? profecto valebit donatio, si fribusculum quievit. *Brisson.* putat legendum *fribusculum*, quasi diminutivum a *frivolum*, ut sit frivolum ac breve jurgium. Saepe autem in Pandectis Florentinis *b* pro *v* poni, ut hoc ipso in loco *quiebit* pro *quievit.* Hinc *Isid. Orig.* 9, 7. Fribolum est, cum eo animo conjuges separantur, ut rursum ad se invicem revertantur. Alii rectius leg. *frigusculum* a *frigus:* atque ita edidit *Haloander*, quia in jurgio friget conjugalis affectus, rei familiaris cura, etc., et praeterea *frigus* eleganter de amissa gratia dicitur, quam vocem V.

FRĪCAE, arum, f. plur. ita saxa quaedam vocabant Siculi, quod iis fortasse ad fricandum uterentur, quemadmodum *Plin.* 36, 6, 9. ait, arena quadam combusta marmora fricando poliri. Nisi vero obstaret quantitas syllabae primae, quae brevis est in *fricae*, longa vero in φρύγω, torreo, illorum potius esset amplectenda sententia, qui a φρύγω derivatum putant φρῦξ, φρυκὸς, quod esset nomen lapidis, qui torreri ac deinde liquefieri posset: eruditorum itaque esto judicium. *Sever. A.* 526. Quin ipsis quaedam Siculi cognomina saxis Imposuere fricas, etiam ipso nomine signant Fusilium esse notas.

FRĪCĀMENTUM, i, n. fricatio. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 6. Blando articulorum fricamento uti. Adde *Tard.* 3, 2.

FRĪCĀTĬO, onis, f. actus fricandi. *Colum.* 6, 12. Fricatione assidua discutitur. *Plin.* 28, 4, 14. Vehemens fricatio spissat, lenis mollit, multa adimit corpus, auget modica. *Cels.* 4, 3. Fricatio omnibus vertebris utilis est. ℙ In politionibus parietum. *Vitr.* 7, 6. Quibus inductis, et diligenti tectoriorum fricatione laevigatis.

FRĪCĀTOR, oris, m. qui fricat. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 7. de eo, qui frictionem adhibet aegris.

FRĪCĀTŪRĂ, ae, f. fricatio. *Vitr.* 7, 1. Super fricaturam incernatur marmor. Et paulo supra: Non erit exacta fricatura.

FRĪCĀTUS, a, um, part. a *frico*, frictus. *Plin.* 13, 15, 30. Splendescunt mensae manu sicca fricatae. *Seren. Sammon.* 6, 76. Et lutum prodest membris adhibere fricatis.

FRĪCĀTUS, us, m. idem ac fricatio. In sexto casu sing. *Plin.* 23, 7, 63. Emendat dentium vitia crebro fricatu.

FRĪCĬUM, ii, n. frictio, fricatio. *Plin. Valer.* 1, 36. Albi bulbi cinis dentibus fricium est. V. DENTIFRICIUM. *B. A.*

FRĪCO, as cui, ctum, a. 1. θρυγαλάω, ψήχω, scabo, destringo. *Virg. G.* 3, 256. Sus pede prosubigit terram, fricat arbore costas. *Vet. Poeta* ap. *Gell.* 15, 4. Nam mulos qui fricabat, consul factus est. *Pl. Poen.* 1, 2, 9. Ex industria ambae nunquam concessavimus Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari. *Mart.* 4, 90. Oleo fricare corpus. *Plin.* 12, 25, 54. Lacrimae probatio, ut sit pinguis, et in fricando odorata. *Id.* 20, 5, 20. Alopecias fricuere tusis caepis. *Scrib. Comp.* 253. Fricatur locus diutius et pressius. Et *Comp.* 58. Hoc medicamento si quis dentes fricuerit. *Plin.* 36, 22, 48. Tofus exercetur halitu maris, fricatur vento, et verberatur imbri. *Vitr.* 7, 1. Cum pavimenta exstructa fuerint, ita fricentur, ut nulli gradus in scutulis, aut trigonis exstent. ℙ *Fricare genua* est supplicantium. V. CONFRICO. ℙ Habet etiam obscenum sensum ap. *Petr. Sat.* 92. et *Mart.* 11, 29.

FRĪCTĬLIS, e, adj. qui frigitur, ap. *Apic.* 4, 2., ubi aliter leg. V. etiam FRITILLA.

FRĪCTĬO, onis, f. fricatio. *Cels.* 2, 14. Frictione, si vehemens fit, durari corpus; si lenis, molliri; si multa, minui; si modica, impleri. V. *Plinii* locum in V. FRICATIO. *Cels.* 2, 14. Frictione uti. Et *ib.* Frictionem adhibere. Et 3, 18. lenem admovere.

[FRĪCTOR, oris, m. fricator, qui fricat. Legitur in *Not. Tir.* p. 152. *F.*]

FRĪCTRIX, icis, f. τριβὰς, tribas. *Tert. Pall.* 4. *f.* et *Resurr. carn.* 16. V. TRIBAS.

[FRĪCTŪRĂ, ae, f. frictus, fricatio. *Appul. fr.* 10. *Met.* ap. *Oud.* p. 717. Priapum frequenti frictura porrixabam. *F.*]

FRĪCTUS, a, um, part. a *frico*, fricatus. *Juv.* 6, 577. si prurit frictus ocelli Angulus. ℙ Item *fritto*, in sartagine coctus: a *frigo*. *Varr. R. R.* 2, 4. *f.* Porcis lactentibus triticum frictum dari oportet: crudum enim solvit alvum. *Pl. Poen.* 1, 2, 113. Frictae nuces. *Plin.* 29, 3, 11. Ova fricta ex oleo. *Id.* 22, 25, 69. Fricta faba. Adde *Cels.* 2, 30. ℙ Festive *Pl. Bacch.* 4, 5, 6. Versabo ego illunc hodie, si vivo, probe: Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer. ℙ A *frigo* est etiam *frixus* pro *frictus*. *Cels.* 2, 18. *med.* Res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam frixa. Hic tamen *Targa* contendit, non *frixa* sed *elixa* legend. *Sidon. ep.* 8, 14. Simila frixa in sartagine.

FRICTUS, us, m. idem ac frictio, seu fricatio. *Juven.* 6, 322. Frictum crissantis adorat. Alii melius leg. *fluctum.*

FRĪGĔDO, inis, f. frigus, apud veteres. *Varr.* ap. *Non.* 2, 544. et 3, 97. Aquiloniam intus servat frigedinem. [*Cf. *Döderl.* 3, 92.]

FRĪGĔFACTO, as, a. 1. frequentativum, ψύχω, frigidum facio. *Pl. Poen.* 3, 5, 14. Calidum prandisti prandium hodie, qui os nunc frigefactas?

FRĪGĔO, es, xi, n. ῥιγέω, frigidus sum. Est ab allato ῥιγέω, *f* praemissa, ut saepe alias loco aspirationis. *Ter. Ph.* 5, 8, 5. Tange: si non totus friget, me eneca. *Virg. A.* 6, 219. corpusque lavant frigentis et ungunt, *h. e.* mortui. *Pers.* 3, 108. summosque pedes attinge manusque: Non frigent. *Sever. A.* 331. Quamvis caeruleo siccus Jove frigeat aether. ℙ Translate est languere, cessare, segnem, otiosum esse. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, jam calet: supra ib. dixerat: Curioni nostro tribunatus conglaciat, *h. e.* iners, otiosus est. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. fam.* 7, 10. Adde *Auct.* ad *Her.* 4, 15. In re frigidissima cales, in frequentissima friges.] *Cic. Fam.* 11, 14. Mihi crede, plane jam, Brute frigeo; ὄργανον enim erat meum senatus: id est jam dissolutum. *Id. Verr.* 2, 2, 25. Cum omnia judicia frigerent, [*i. e. parum aut nihil efficerent. Caeterum *al.* h. l. legunt *consilia.*] *Id. Phil.* 6, 5. Jacent beneficia Nuculae, friget patronus Antonius. [*sc. quia nemo ejus beneficiis uti vult. Hinc in universum *frigere* dicuntur homines, qui parum gratia valent. *Ter. Eun.* 2, 2, 37. Nimirum homines frigunt. V. *Ruhnk.* ad h. l. Imprimis *frigere* dicuntur oratores, musici, actores, qui non placent audientibus. *Cic. Brut.* 50. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum: Mihi cane et Musis. V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 182. sqq.] *Id. Q. Fr.* 3, 8. Memmius in adventu Caesaris habet spem: in quo illum puto errare: hic quidem friget, *h. e.* languet in petitione consulatus. (V. *ib.* 2. *f.*) Sic *Virg. A.* 5, 396. frigent effetae in corpore vires. *Cic. N. D.* 2, 23. Ex quo illud Terentii (*Eun.* 4, 5, 6.) Sine Cerere et Baccho friget Venus. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Ter. ib.* 3, 3, 9. Ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem quaerere. Ubi friget, huc evasit, quampridem pater, etc., *h. e.* ubi, deficiente materia, cessat, vel haeret in sermone instituto. *Sil.* 16, 597. frigens animis, nec bello prospera turba, *h. e.* segnis, timida: cui *fervens* opponitur. *Gell.* 2, 23. Quantum stupere atque frigere, quantumque mutare a Menandro Caecilius visus est! *h. e.* hebes ac frigidus esse. ℙ Praeteritum *frixi* agnoscitur a *Diomed.* 1, 369. et *Prisc.* 9, 870. [*Verum non occurrit.] Et probatur etiam ex compositis *refrixi*, *perfrixi*, etc. *Cic. Att.* 1, 1. Cum Romae a judiciis forum refrixerit.

FRĪGĔRO, as, a. 1. frigus affero. *Catull.* 61, 27. Perge linquere Thespiae Rupis Aonios specus, Lympha quos super irrigat Frigerans Aganippe. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 21. *n.* 208. Frigerandi cholerici.

FRĪGESCO, is, n. 3. ἀποψύχομαι, frigidus fio. *Cato R. R.* 156, 6. Eodem addito oleum, postea fervefacito: infundito in catinum, uti frigescat. *Lucr.* 6, 865. subtus frigescit terra, coitque. *Quint.* 11, 3. *med.* Sanguis abit omnis, et pallore frigescit. *Tac. A.* 15, 70. Ubi frigescere pedes manusque intelligit. ℙ Translate est languescere, cessare. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *med.* Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus. *Quint. l. c. med.* Vis illa dicendi solvitur et frigescit affectus. *Id. decl.* 1, 6. Frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum *Val. Fl.* 3, 368. patria ex oculis, acerque laborum Pulsus amor, segnique juvat frigescere luctu. *Pers.* 1, 108. vide sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant, *h. e.* ne gratiam potentiorum amittas, et eorum aedibus excludaris. Sic *frigus* de gratia amissa, et interrupta amicitia dicitur, quam vocem vide. ℙ [Part. *Frigescens* ap. *Curt.* 8, 10. Cum crus saucium penderet, et cruore siccato frigescens vulnus aggravaret dolorem. *F.*]

FRĪGĬDĀRĬUS, a, um, adj. ad frigus inducen-

dum pertinens. *Vitr.* 5, 10. Ahena super hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; et ita collocanda, uti ex tepidario in caldarium, quantum aquae caldae exierit, influat: de frigidario in tepidarium ad eundem modum, *h. e.* ahenum aquam frigidam continens. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Balinei cella frigidaria, *h. e.* ubi frigida lavabant. *Pallad.* 1, 41. Frigidaria maltha. V. CALDARIUS. *Id. ib.* 40. Frigidaria fistula, *h. e.* unde aqua frigida effluit. *Petr. Sat.* 73. Cisterna frigidaria. ℙ *Frigidarium, ii*, n. locus frigidus reponendis cibis, ut serventur. *Lucil.* ap. *Prisc.* 10. *extr.* Sallere muraenas, mercem in frigdaria ferre. *Syncope.*

FRĪGIDĒ, adv. *ψυχρῶς*, cum frigore. Translate est languide, remisse, sine vi et efficacia. [*Cic. Fam.* 8, 10. Quae cupiunt ita frigide agunt, ut nolle existimentur.] *Gell.* 7, 3. *med.* Haec Tiro in Catonem non minus frigide sane, quam inaniter. *Id.* 13, 24. Duobus verbis, idem significantibus, inepte et frigide uti. *Id.* 19, 3. Turpius est exigue atque frigide laudari, quam insectanter et graviter vituperari. *Quint.* 6, 3. Cicero multa dixit facete: et illa ipsa, quae sunt in Verrem dicta frigidius, aliis assignavit. Et 1. *med* Transtulit patronus aliquando puellam, quae soror esse adversarii dicebatur, in adversa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus: at is a nobis praemonitus, aufugerat. Tum ille, alioqui vir facundus, inopinatae rei casu obmutuit, et infantem suam frigidissime reportavit.

FRĪGIDĒFACTO, as, a. 1. frigefacto. *Pl. Rud.* 5, 2, 39. Os calet tibi: num gith frigidefactas? Al. leg. *frigefactas.* V. GITH et FRIGEFACTO.

FRĪGIDIUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. subfrigidus. Translate. *Gell.* 3, 10. *f.* Sed alia quoque ibidem congerit frigidiuscula: veluti septem opera esse in orbe terrarum miranda, et sapientes item veteres septem, etc., *h. e.* leviora, languidiora, parvi momenti.

FRĪGĪDO, as, a. 1. frigus induco. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *med.* Plumbum tactu frigidat. *Id. ib.* Ob frigidandum corpus. *Id. ib.* 1, 17. Frigidans membranam.

FRĪGIDŬLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum frigidus, *ὑπόψυχρος. Virg. Cir.* 251. Frigidulam injecta circumdat veste puellam. Et 348. frigiduli ocelli. *Catull.* 64, 130. Atque haec extremis moestam dixisse querelis, Frigidulos udo singultus ore cientem, *h. e.* languidulos et semimortuos.

FRĪGĪDUS, a, um, adj. *ψυχρὸς*, frigus habens, gelidus, algidus. [*V. *Döderl.* 3, 91.] *Hor. Od.* 1, 1, 25. Manet sub Jove frigido Venator. *Cic. Leg.* 2, 3. Nec ullum hoc frigidius flumen attigi. *Caes. B. G.* 4, 1. Frigidissima loca. *Plin. ep.* 5, 6. Coelum est hieme frigidum et gelidum, *h. e.* frigus et gelu inducens. *Virg. Ecl.* 8, 71. Frigidus anguis. Et 14. Frigida noctis umbra. *Vitr.* 10, 21. Laminae ferreae ex frigido ductae. *Plin.* 26, 11, 71. Frigida febris. *Virg. G.* 2, 469. Frigida Tempe. Sic 3, 324. frigida rura Carpamus. Et 336. frigidus aera vesper Temperat. Et *Ov. Amor*, 2, 16, 36. Frigidaque arboreas mulceat aura comas. [**Tibull.* 4, 8, 4. Frigidus annus, i. e. hiems. *Hor. Od.* 3, 7, 6. Frigidas noctes agit, i. e. solas et viduas, ubi deest tori socia.] ℙ *Frigida* absolute est aqua frigida. *Cels.* 1, 3. *med.* Ne ex hac quidem causa sudanti frigidam bibendam esse. *Plin. ep.* 3, 5. Frigida lavari. *Suet. Claud.* 40. Frigidam aegro dare. [*Cf. intpp. ad *Quint.* 5, 11, 31.] ℙ *Aquam frigidam suffundere* proverb. ap. *Plaut.* V. AQUA. ℙ Dicitur *frigidus* de mortuis et morientibus. *Virg. G.* 4, 506. de Eurydice: Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba. Et 525. Eurydicen vox ipsa, et frigida lingua, Ah, miseram Eurydicen anima fugiente vocabat. *Id. A.* 4, 385. et *Val. Fl.* 5, 26. Frigida mors. ℙ Item de metu perculsis. *Val. Fl.* 7, 529. Quis fragor hic? quaenam tantae, dic virgo, ruinae? Exclamat, stricto Aesonides stans frigidus ense. *Sil.* 2, 338. formidine turpi Frigida corda tremunt. [**Id.* 9, 49. Nec frigidus aspicit hostem.] *Virg. A.* 3, 29. mihi frigidus horror Membra quatit. *Juven.* 1, 166. Frigida mens criminibus. ℙ [**Hor. Sat.* 2, 6, 50. Frigidus a rostris manat per compita rumor, i. e. formidolosus, gravis, intpr. *Schol. Cruq.*] ℙ Translate. *Ov. Amor.* 2, 1, 5. Me legat in sponsi facie non frigida virgo, *h. e.* amore fervens. ℙ Saepe est lentus, languens, remissus, iners, sine vi et efficacia. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. *med.* Frigidissimis accusatoribus uti. *Id. Brut.* 48. Nimis ille quidem lentus in dicendo et paene frigidus. [*V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 183.] *Id. Caecin.* 21. Frigida et jejuna calumnia. [*Pertinet h. l. ad seq. §.] *Ov. Pont.* 4, 2, 45. Quid, nisi Pierides, solatia frigida, restat? *Lucan.* 5, 245. et 7, 502. Frigidus ensis, *h. e.* nulla caede calens, otiosus. *Juven.* 6, 124. Frigidus aevo Laomedontiades. *Virg. G.* 3, 97. equus senior frigidus in Venerem. *Id. A.* 7, 338. frigida bello dextera. *Val. Fl.* 7, 585. clypeoque illiditur ignis Frigidus, et viso pallescit flamma veneno. ℙ Item insulsus, ineptus, inanis, absurdus, quasi frugis expers et sententiae. *Cic. Brut.* 66. Acumen saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. *Id. Or.* 2, 63. Verba frigidiora vitare. Et 64. Haec aut frigida sunt, aut tum salsa, cum, etc. *Plin. ep.* 1, 9. Subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpsi. *Quint.* 9, 3. Frigida et inanis affectatio. *Senec. Ira* 2, 11. Quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? [**Suet. Claud.* 21. Frigidi et arcessiti joci. *Id. Cal.* 26. Leve ac frigidum sit, his addere. Ita etiam Gr. *ψυχρός*. V. *Erfurdt.* ad *Sophocl. Antig.* 88.] ℙ Dicitur etiam *frigidum*, quod inertes ac segnes facit. *Hor. Ep.* 1, 3, 26. Frigida curarum fomenta relinquere. *Lucr.* 4, 1053. Frigida cura. ℙ *Frigida negotia*, h. l. levia, nullius momenti. *Plin. ep.* 9, 2. Multum distringebar, plerumque frigidis negotiis, quae simul et evocant animum, et comminuunt. ℙ Frigidae, et inconstantes litterae, *Cic. Fam.* 10, 16. [*i. e. in neutram partem, neque reipublicae, neque Antonii satis luculenter et fortiter scriptae.] ℙ Frigida tecta apum, ap. *Virg G.* 4, 104. sunt alvearia vacua melle, et in quibus nullum apum fervet opus, ut ait *Id. ib.* 169.

FRĪGILLA. V. FRINGILLA.

FRĪGO, is, ixi, ctum, a. 3. *φρύγω*, in sartagine torreo: a Graeca voce allata. *Cato R. R.* 106. Sesquilibram salis frigito. *Ov. Medic. fac.* 70. inflantes corpora frige fabas. *Plin.* 18, 7, 14. Frigunt hordeum, deinde molis frangunt. ℙ *Non.* 4, 200. *frigere* correpta paenultima exponit etiam *frigutire. Afran. ib.* Occasionem nacta mulier involat In collum, plorat, orat; accurrit nepos Pusillus; neptis porro de lecto frigit. Etiam Itali ita dicunt de pueris submissa voce lamentantibus; quod a sono eorum, quae friguntur, ductum videtur. V. FRIGUTIO. ℙ *Id. ib.* et 1, 21. interpretatur etiam subsilire, erigi, excitari, quod quae friguntur, cum sono sursum subsiliunt: correptamque itidem ait habere hoc sensu primam syllabam. *Varro:* Saepe totius theatri tibiis, crebro flectendo, commutari mentes, frigi animos eorum. Addit *Accii* duo loca, de quibus [vide *Bothe* ad *l. c.* in *Poetar. tragic. fr.* p. 215. *F.*] ℙ Praeteritum *frixi* agnoscitur a *Diom.* 1, 369. [**Phoc.* p. 1720.]

*FRĪGOR vel Frigdor, oris, m. *Theod. Prisc.* 2, 29. Molestissimum frigorem. *Id. de diaeta:* Frigdor cordis. *Octav. Hor.* 2, 16. Frigdore quoque et singultu. *B. A.*

FRĪGORĪFĬCUS, a, um, adj. *ψυχροποιητικὸς*, frigus inducens. *Gell.* 17, 8. *med.* Acetum omnium maxime frigorificum est: atque id nunquam tamen concrescit.

*FRĪGORO, as, a. 1. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 4. Frigorandos ait cholericos. *Id. Acut.* 3, 21. *B. A.*

FRĪGŬLO, as, n. 1. verbum exprimens vocem graculi. *Auct. carm. Philom.* 28. Graculus at frigulat.

FRĪGUS, oris, n. *ψύχος*, qualitas calori contraria: [est a *ῥῖγος*, rigor, praemissa littera *f* loco aspirationis, ut saepe alias. [*V. *Döderl.* 3, 92.] *Cic. Fam.* 16, 8. Vix in ipsis tectis frigus vitatur. *Id. Off.* 2, 4. Tecta quibus frigorum vis pellitur. [*Cf. *Ejusd. N. D.* 2, 60, 151. et *Caes. B. G.* 1, 16. ubi v. *Herzog.*] *Ov. Trist.* 3, 10, 19. Pellibus arcere frigora. *Virg. Ecl.* 7, 6. defendere a frigore. *Cels.* 2, 1. Infestari frigore. *Hor. Ep.* 1, 17, 31. mori frigore. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Cum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. *Id. Rosc. Am.* 45. Aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit. *Lucr.* 4, 260. Acre ferit frigus. *Virg. G.* 1, 93. penetrabile frigus adurit. *Curt.* 8, 4. Imbrem vis frigoris gelu adstringit. *Colum.* 1, 4. *med.* Loca, quae frigoribus hiemis intolerabiliter horrent. *Cic. Arat.* 68. tremulo quatietur frigore corpus. *Virg. Ecl.* 10, 48. ne te frigora laedant. *Hor. Ep.* 1, 11, 13. colligere frigus. *Lucr.* 3, 906. rigere frigore. *Hor. Sat.* 2, 6, 45. Matutina parum cautos jam frigora mordent. *Virg. G.* 1, 300. Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur. Sic *Id. Ecl.* 2, 22. aestate et frigore. (Adde *Tibull.* 1, 9, 39.) *Cels.* 2, 1. Fere matutinis temporibus frigus est. ℙ Dicitur etiam de mitigatione caloris. *Virg. Ecl.* 1, 8. pecudes umbras et frigora captant. Et *ib.* 53. frigus captabis opacum. *Hor. Od.* 3, 13, 10. Fons praebet tauris fessis frigus amabile. *Ov. Met.* 10, 129. arborea ducebat frigus ab umbra. *Mart.* 4, 64. Albanos quoque Tusculosque colles, Et quodcumque jacet sub Urbe frigus, *h. e.* locus viridis, amoenus, et aestati frangendae aptus. *Id.* 1, 56. Quisquam picta colit Spartani frigora saxi, *h. e.* frequentat atria divitum marmore strata Laconico, vel pavimentum opere musivo variegatum. ℙ Item de morte. *Lucr.* 3, 402. Et gelidos artus in leti frigore linquit. *Ov. Met.* 2, 611. letale frigus. *Stat. Silv.* 3, 3, 19. Animae supremum frigus. *Virg. A.* 12, 951. illi solvuntur frigore membra. ℙ Translate dicitur de metu. *Id. ib.* 1, 96. Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra. ℙ Item de languore, tarditate, impedimento. [**Ov. Fast.* 2, 856. Saepe tamen, Procne, nimium properasse quererīs; Virque tuo Tereus frigore laetus erit. Hoc sensu *frigus* a *Cic.* praeprimis dicitur *otium a rebus publicis*, cum nihil agitur in re publica, nihil proficitur. (Ita interpretatur *Ernest.* in *cl.*) Huc pertinet locus, quem in f. hujus §. Noster laudavit. *Q. Fr.* 2, 12. Adde *Fam.* 8, 6. Nos hic frigore frigescimus.] *Plin. ep.* 6, 15. Interim paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit, [*i. e. auditoribus jam ad admirationem compositis et exspectatione calentibus et intentis, lepida hominis insani interpellatione calor omnis et intentio excussa est. Plura v. ap. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* s. h. v., cujus verba sequimur. Similis locus est ap. *Quint. Inst.* 5, 7, 31. cujus sententiam interpretes frustra tentarunt. V. *Burm.*] *Quint.* 6, 1, 37. Imperitia et rusticitas, et deformitas afferunt frigus, *h. e.* vim, caloremque orationis extinguunt. ℙ Item de amissa gratia et abrupta amicitia. *Senec. ep.* 122. *med.* Montanus Julius et amicitia Tiberii notus et frigore. *Hor. Sat.* 2, 1, 60. O puer, metuo, majorum ne quis amicus Frigore te feriat. [*V. *Lips.* ad *Vell. Pat.* 2, 83.] Adde *Suet. Aug.* 66., ut leg. *Lips.* et *Muret.* et V. FRIBUSCULUM, FRIGESCO et REFRIGERATUS. ℙ Item de re inepta, insulsa, absurda, frugis experte. *Quint.* 2, 12. Illud quaestionum et argumentorum apud corrupta judicia frigus evitant.

FRĪGUSCŬLUM, i, n. parvum frigus. *Tert. Anim.* 25. *med.* ℙ Translate est jurgium, offensa. V. FRIBUSCULUM.

FRIGUTIO, Fringutio, Friguttio, Frigultio, Fringultio (*tot enim modis scriptum legitur, sed primus et secundus videntur tutiores*) is, n. 4. verbum exprimens vocem fringillae, ut *Fest.* et *Varr. L. L.* 6, 5. docent: item aliarum avium. *Appul. Flor. n.* 17. p. 358, 22. Merulae in remotis tesquis fringultiunt. ℙ Tribuitur et homini, et significat subtiliter garrire, gannire, singultire, et veluti fracto gutture loqui. *Pl. Cas.* 2, 3, 49. Quid fringutis? quid istuc tam cupide cupis? *Enn.* ap. *Fulgent. Planciad. de prisco serm.* Haec anus admodum frigutit: nimirum sauciavit se flore Liberi. *Appul. Apol.* p. 336, 18. Audisti privignum meum vix singulas syllabas fringultientem, *h. e.* male pronunciantem, balbutientem. Et *ib.* p. 296, 21. Ego illi justius exprobraverim, quod qui eloquentiae patrocinium vulgo profiteatur, etiam honesta dictu sordide blateret, ac saepe in rebus nequaquam difficilibus fringultiat, vel omnino obmutescat. [*Front. de eloq.* (ed. *Maio*) p. 229. Hoc indicat loqui te, quam eloqui, malle; murmurare potius et friguttire, quam clangere. *F.*]

FRINGILLA, Frigilla vel Fringuilla, ae, f. avis dicta, quod frigore cantet et vigeat, inquit *Fest.* Alii dictam putant a sono, quem edit. Est parvae molis, parvique pretii in cibis. Ejus meminere *Varr. L. L.* 6, 5. et *Mart.* 9, 55.

*FRINĬA, ae, f. vel Frinĭum, i, n. oppidum Liguriae. Hinc *Frinias, atis*, om. gen. ad Friniam vel Frinium spectans; et *Friniates, ium*, m. absolute dicti incolae ap. *Liv.* 39, 2. ed. *Drak.* ubi ed. *Gron.* habet *Briniates.* Quin et *Briniates* legitur ap. *Liv.* 41, 19. init. in edd. *Gron.* et *Drak. B. A.*

FRĪO, as, a. 1. *θραύω, θρύπτω*, tero, comminuo: videtur esse a *πρίω*, serra seco. *Varr. R. R.* 1, 9. *f.* Terra, quae cum foditur, facile friatur. *Plin.* 12, 19, 42. Ut inter se tritum tarde frietur. Et 14, 32. Friari in micas. *Id.* 34, 12, 29. Chalcitis friat se statim.

*FRISIABŌNES, um, populi ad Rhenum, non longe ab Amstelodamo. *Plin.* 4, 15. ℙ Item alii, quibus Limburgensem Ducatum adscribit *Harduinus. Id. ib.* 17. *B. A.*

[FRĪSĬCUS, a, um, adj. ad Frisiam pertinens, Germaniae inferioris provinciam. [*Not. Tir.* p. 140. Frisia, Frisicus, Frisius. *F.*]

*FRĪSĪI, orum, m. plur. *Φρείσιοι*, populi Germaniae septentrionalis, medio inter Rhenum, Oceanum et Amisium fluvium loco. *Tac. G.* 34. et *A.* 1, 70., *Plin.* 4, 15, 27. ℙ *Frisones* audiunt *Paul. Diac. Langob.* 6, 37. *B. A.*

FRIT, indecl. *ἀθήρ*, dicitur illud in summa spica jam matura, quod est minus quam granum: a *frio*, quia facile friatur. *Varr. R. R.* 1, 48., sed credibile est legendum *frix* a Graeco *φρίξ*, quae vox horrorem significat, quia summa pars spicae horret aristis.

FRITĬLIS. V. in v. seq.

FRITILLA, ae, f. pultis genus, quod in sacrificiis adhibebatur. *Plin.* 18, 8, 107. Et hodie sacra prisca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur. *Senec. Ben.* 1, 6. *extr.* Itaque boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint. Adde *Arnob.* 2, 58. et 7, 230., ubi al. leg. *fitilla.* Sunt etiam qui putant legendum *frictilla* a *frigo.* Alii *fritillam* retinentes, derivant a *frit*, de quo supra: et quemadmodum *frit* Graece *ἄθήρ* dicitur, ita fritillam *ἀθάρην* vocari. Alii ducunt a veteri voce *fritinnus* (unde *ὑποχοριστικῶς fritillus*) motus subsilientis: ex quo *fritinnire*, subsilire cum sonitu: quod faciunt tali in fritillo jactati. Eadem ratione *fritillam* ita appellari, quod inter coquendum in sartagine subsi-

liret. Hinc esse *ollam fritilem*, ap. *Fest.* in *Muries*, et *Varr.* ap. *Non.* 3, 197. quia in ea sal coquendo subsiliret. Corrupisse autem, qui ibi *frictilem* pro *fritilem* reposuerint. Verum haec omnia obsoleta sunt, incerta quoque, et parvi momenti. ℙ [Plerique tamen recentiores critici in omnibus *ll. cc.* legendum putant *fritilla*, cum in plerisque codd. ita scriptum sit: vocis tamen etymon se ignorare fatentur. *F.*]

FRĪTILLUS, i, m. *πύργος*, idem ac pyrgus, id-est turricula rotunda, per quam tali mittuntur, ne digitis ita a quoquam componi possint, ut cadant ad jacientis voluntatem: qui fritillus intus trochleatim erat effictus, certosque habebat excisos gradus, quibus tali impingentes subsilirent cum sonitu. V. v. praec. Alii interpretantur ipsam lusoriam tabulam, in qua jacti tali subsiliunt. Alii pyxidem ligneam, in quam conjecti tali manu agitantur, deinde in lusoriam tabulam effunduntur. Quae interpretatio valde congruit cum illo *Mart.* 14, 1. Nec timet aedilem moto spectare fritillo, Cum videat gelidos jam prope verna lacus. *Juven.* 14, 5. Parvoque eadem movet arma fritillo. *Mart.* 4, 14. Incertis sonat hinc et hinc fritillis. *Seneca Apocol. f.* Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo.

FRĪTINNĬO, is, n. 4. est cantare proprium hirundinum, aliarumque minutarum avicularum: a sono. *Varr.* ap. *Non.* 1, 21. Et pullos peperit fritinnientes. Adde *L. L.* 6, 5. *f.* ℙ *Auctor. carm. Phil.* cicadis tribuit, 35. Et cuculi cuculant, et rauca cicada fritinnit. [Alii minus recte leg. *fritinnit rauca c.*, ita ut prima in *fritinnit* longa sit. *F.*] ℙ Translate dicitur de infantibus loqui incipientibus, et garrientibus. In *vet. epigr.* (quod *Senecae* tribuunt) in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 603. *Burm.* Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit, Facundo patruos provocet ore duos. [V. quae *ib.* idem *Burm.* adnotat. *F.*]

FRĪVOLĀRĬA et Fribularia, nomen est Plautinae comoediae deperditae. Pauca aliquot ejus fragmenta servarunt *Fest.*, *Prisc.*, *Charis.*, etc.

FRĪVOLUS, a, um, adj. *σαθρὸς*, *φλύαρος*, nullius momenti, aut pretii, futilis, nugatorius, inanis, levis, fragilis. Videtur esse a *frio*, comminuo. *Plin.* 11, 29, 35. Tam frivola ratione morientes. *Id.* 7, 7, 5. Pudet aestimantem, quam sit frivola ratione morientes. *Id.* 7, 7, 5. Pudet aestimantem, quam sit frivola animalium superbissimi origo, cum plerumque abortus causa fiat odor a lucernarum exstinctu, *h. e.* quam fragilis et imbecilla. *Quint.* 7, 2. Convicia levia aut frivola. *Auct. ad Her.* 4, 11. Frivolus et illiberalis sermo. *Gell.* 18, 7. Colligitis lexidia, res tetras, et inanes, et frivolas. *Id.* 2, 7. Argutiola frivola et inanis. *Id.* 16, 12. Quaedam dicit futilia et frivola. *Id.* 15, 30. Fiunt in litterarum ostentatione inepti et frivoli. *Plin.* 22, 6, 7. Frivolum opus. *Senec. ep.* 31. Labor frivolus et supervacuus. *Suet. Ner.* 41. Frivolum auspicium. *Phaedr.* 5, 7. Vanus animus aura captus frivola. *Plin.* 25, 3, 7. Frivola cura. *Id.* 28, 19, 79. Frivolus jocus. *Id.* 7, 53, 54. Frivolum dictu. *Quint.* 10, 7. Frivolnm et scenicum est. *Suet. Claud.* 15. Frivolus et amenti similis. ℙ *Frivola verba* dicuntur, quae minus sunt fide subnixa. *Festus.* ℙ *Frivolum*, *i*, absolute. V. FRIBUSCULUM. ℙ Absolute *frivola* dicuntur reculae parvi pretii, pauper supellex. *Juven.* 3, 198. jam pascit aquam, jam frivola transfert Ucalegon. *Id.* 5, 58. Romanorum omnia regum frivola. *Senec. Tranq.* 1. Nec inter frivola mea tam altus incedo. *Suet. Cal.* 39. Huic sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet. Adde *Ulp. Dig.* 13, 7, 11. *Festus* dicit, frivola proprie esse fictilia quassa.

FRIVUSCULUM. V. FRIBUSCULUM.

FRIX. V. FRIT.

FRIXŌRĬUM vel Frictorium, n. *τήγανον*, sartago, in qua quidpiam frigitur: a supino *frixum*, vel *frictum*. *Gloss. Philox.* Frixorium, *τήγανον*. Habet etiam *Plin. Valer.* 2, 7.

[FRIXŪRĂ, ae, f. sartago, frixorium. Patavini vulgo etiamnum *fersura* vocant. *Venant. carm.* 6, 10, 13. de coco: Cui sua sordentem pinxerunt arma colorem, Frixurae, cucumae, scafa, patella, tripes. *F.*]

FRONDĀRĬUS, a, um, adj. *φύλλινος*, ad frondes pertinens. *Plin.* 18, 31, 24. Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die, justum habet.

FRONDĀTĬO, onis, f. *ἀποφύλλισις*, frondium et ramorum redundantium resectio. *Colum.* 5, 6. *med.* In frondatione cavendum, ne prolixiores pollices fiant.

FRONDĀTOR, oris, m. *ἀποφυλλίζων*, qui arborum ramos supervacuos amputat, et qui e frondibus manipulos facit ad pabulum animantium, et qui manibus folia vitium vellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat, uti docet *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 1, 57. Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras. *Ov. Met.* 14, 649. Falce data frondator erat, vitisque putator. Adde *Plin.* 18, 31, 74. ℙ Dicitur etiam de ave, quae in frondibus habitat, vel nidificat. *Serv. ib.*

FRONDĔO, es, n. 2. *φυλλάω*, frondes emitto, vel habeo. *Virg. Ecl.* 3, 57. Nunc frondent silvae. *Ov. Amor.* 2, 6, 49. nigra nemus ilice frondens. *Lucan.* 10, 305. quae quamvis arbore multa Frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra. *Colum.* 3, 1. Vitis multa materia frondens. *Pallad.* 4, 9. *extr.* Serpyllum lactius frondebit, si, etc. *Lucan.* 6, 83. Frondens campus, *h. e.* herbis et arboribus consitus. *Virg. A.* 7, 67. Examen ramo frondente pependit. Et 135. frondenti tempora ramo Implicat. *Id. G.* 3, 300. frondentia arbuta. *Varr. L. L.* 6, 3. Velatae frondentes comae, *h. e.* fronde coronatae. ℙ Praeter. *frondui* agnoscitur a *Prisc.* 9, 768.

FRONDESCO, is, n. 3. *φυλλάω*, frondes emittere incipio, in frondes abeo, frondeo. *Cic. Tusc.* 5, 13. Alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondescunt. *Virg. A.* 6, 144. simili frondescit virga metallo. *Lucr.* 1, 109. summos frondescere ramos. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 36. *n.* 14. Oratio verborum compositione frondescat.

FRONDĔUS, a, um, adj. *φίλλινος*, qui est ex frondibus. *Virg. G.* 4, 61. apes aquas dulces, et frondea semper Tecta petunt, *h. e.* arbores frondentes. *Id. A.* 1, 195. Nemora frondea. *Ov. Fast.* 3, 528. casa, *h. e.* frondibus contecta. *Plin.* 16, 4, 5. corona. *Mart.* 14, 22. dentiscalpium: Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna levare potest.

*FRONDĬCĬUS, ii, m. cognom. R. *Plin.* 17, 1, 2. Fuere ab arboribus cognomina antiquis: Frondicio militi illi, qui praeclara facinora, Vulturnum transnatans, fronde capiti imposita, adversus Annibalem edidit. Alii tamen leg. *Frondito. B. A.*

[FRONDĬCO, as, n. 1. idem ac frondesco. Agnoscit hujusmodi verbum *Eutyches grammat.* p. 2161., sed nullam affert Latini scriptoris auctoritatem. *F.*]

FRONDĬCŌMUS, a, um, adj. frondes habens quasi comas. *Prud. Cath.* 3, 102. Frondicomis habitare locis.

FRONDĬFER, a, um, adj. *φυλλοφόρος*, frondes ferens, frondosus. *Naev.* ap. *Non.* 4, 235. Ite in frondiferos lucos. *Lucr.* 1, 18. et 256. Frondiferasque domos avium. *Senec. Oedip.* 276. Frondifera sanctae nemora Castaliae. ℙ Ap. *Lucr.* legitur et *frundifer*. V. FRONS, dis.

FRONDĬFLŬUS, a, um, adj. cujus causa frondes cadunt. *Boeth. metr.* 1, 5. Frondifluae frigore brumae.

FRONDOSUS, a, um, adj. *φυλλώδης*, *πολύφυλλος*, frondibus abundans. *Varr. R. R.* 2, 5. Frondosi montes, *Virg. A.* 8, 351. Collis frondoso vertice. *Id. Ecl.* 2, 70. Frondosa vitis. *Id. G.* 3, 296. Frondosa aestas. *Sil.* 13, 596. Taxus frondosior. ℙ Olim *frundusus* dixere vel *frundosus*. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. omne sonabat Arbustum fremitu silvai frundusai. V. v. seq.

FRONS, dis, f. *θαλλὸς*, *φύλλον*, germen tenerius plantarum cum foliis. *Varr. R. R.* 2, 5. In nemoribus, ubi virgulta, et frons multa. *Virg. G.* 2, 372. de vitib. dum frons tenera, imprudensque laborum. *Varr.* ap. *Non.* 8, 20. Caeditur lucus, alta frons decidit. *Gell.* 19, 12. *med.* Ligni et frondium caedem facere. *Ov. Fast.* 4, 754. data est aegrae fiscina frondis ovi. *Plin.* 18, 31, 74. Frondis praeparandae tempus hoc est, *h. e.* in pabulum pecudum decerpendae. *Virg. G.* 2, 365. uncis carpendae manibus frondes. *Ov. Amor.* 2, 19, 31. arbore frondes carpere. *Id. Trist.* 3, 10, 75. Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos. *Val. Fl.* 2, 188. delubraque festa Fronde tegunt. *Plin* 19, 6, 34. Ne caules allii in frondem luxurient. *Curt.* 5, 4. Frondibus laeti colles. *Cic. Coel.* 18. Via interclusa frondibus et virgultis. ℙ De corona ex frondibus. *Ov. A. Am.* 1, 108. Qualibet hirsutas fronde tegente comas. *Id. Met.* 1, 565. perpetuos semper gere frondis honores. *Id. Fast.* 1, 711. Frondibus Actiacis comptos redimita capillos Pax ades. Et *ib.* 3, 482. cingere tempora frondibus. *Hor. Od.* 4, 2, 35. fronde merita decorus. Et *Ep.* 1, 18, 64. fronde coronare. ℙ Olim nominativus fuit *frondis*, teste *Servio* ad *G.* 2, 372. Quin etiam *fruns*, *frundis* dixere. *Enn.* ap. *Charis.* 1, 105. rarescunt frundes. *Id.* ap. *Auson. Idyll.* 12. in *Grammaticomast.* 19. populea fruns. Et in recto casu singulari *frus* et *fros* dictum fuit, sine *n*, teste *Charis. ib.*, ubi *Varro:* Ulmos et populos, unde est fros. Verum haec, tanquam rustico more dicta, postea repudiata sunt, ut est ap. *Prisc.* 1, 554.

FRONS, ontis, f. *μέτωπον*, pars faciei a superciliis usque ad capillorum radices, hinc inde temporibus terminata: quam Genio sacram fuisse, *Servius* ad *Ecl.* 6, 3. et *A.* 3, 607. tradit: unde morem esse, ut Deos venerantes frontem tangant. *Varro* ap. *Lact. Opif. D.* 8. a foratu dictam putat, nempe a foraminibus oculorum. Volunt alii esse a *φρόνις* pro *φρόνησις*, intelligentia: vel a *φρονὶς*, cogitatio. Dicitur tum de homine, tum de brutis, ut *Plin.* 11, 37, 51. docet. *Hor. Od.* 1, 33, 5. Insignem tenui fronte Lycorida. *Plin.* 8, 45, 70. Tauri torva fronte. *Hor. Od.* 3, 13, 3. hoedus, cui frons turgida cornibus primis. *Ov. Fast.* 4, 102. frons ovis. *Id. Trist.* 5, 9, 30. equi. *Senec. Oedip.* 920. minax leonis. ℙ Frons angusta et brevis erat in laude pulcritudinis femineae et masculae. *Hor. l. c.* et *Ep.* 1, 7, 26., *Petr. Sat.* 126., *Mart.* 4, 42. et *Arnob.* 2, 72. ℙ Frons est animi janua, ut est ap. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. tristitiae, hilaritatis, clementiae, severitatis index, ut *Plin. cit. l.* 11. loquitur: et saepe accipitur pro vultu et pro animi affectu, quem vultu praeferimus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur. *Id. Att.* 4, 14. *med.* Pompejus Scauro studet: sed utrum fronte, an mente, dubitatur. Sic *ib.* 5, 10. Haec ipsa fero equidem fronte, ut puto, et volo bellissime; sed augor intimis sensibus. Et *Fin.* 2, 24. Ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. *Id. Rabir. post.* 12. *f.* Verissima fronte aliquid dicere. *Id. ad Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Non solum ex oratione, sed etiam ex vultu, et oculis et fronte, ut ajunt, meum erga te amorem perspicere potuisses. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Fronte atque vultu simulatio facillime sustinetur. *Q. Cic. Petit. cons.* 12. Homines fronte et oratione magis, quam ipso beneficio reque capiuntur. *Pl. Aul.* 4, 1, 13. Herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant. *Cic. Prov. cons.* 4. Libidines fronte et supercilio, non pudore et temperantia tegebat. Et *Cluent.* 26. Frontem contrahere. *Senec. Ben.* 1, 1. adducere. Et *ib.* 6, 7. attrahere. *Plin. ep.* 2, 5. remittere. *Ter. Ad.* 5, 3, 53. exporrigere. *Hor. Od.* 3, 29, 16. explicare. *Mart.* 14, 183. solvere, *h. e.* exhilarare. *Senec. praef. l.* 4. *Q. N. med.* perfricare. *Plin. Pan.* 73. *f.* abstergere, *h. e.* abstergere lacrimas. *Pl. Epid.* 5, 1, 3. Quid est, quod illi caperat frons severitudine? *Cic. Fam.* 9, 10. Tu adeo mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae pristinae frontis appareant? *h. e.* gravitatis, severitatis. *Senec. Ben.* 2, 13. Humana, leni, placida fronte aliquid tribuere. *Stat. Silv.* 2, 1, 43. Et castigatae collecta modestia frontis. *Virg. A.* 6, 863. Frons laeta. *Senec. Oedip.* 7. blanda. *Hor. Od.* 2, 5, 16. proterva. *Juven.* 13, 242. Ejectum semel attrita de fronte pudorem. *Quint.* 2, 4. inverecunda. *Tibull.* 2, 6, 15. tristis, *h. e.* severa. *Plin. Pan.* 41. gravis. *Senec. Hipp.* 432. turbida. *Hor. Epod.* 13, 5. obducta. *Petr. Sat.* 132. constricta. *Mart.* 11, 40. adstricta. *Pl. Cas.* 2, 4, 3. porrectiore fronte loqui. *Senec. Herc. Fur.* 471. ferox. Et 579. tetrica. *Claud. VI. Cons. Honor.* 157. moesta. *Cic. Tusc.* 3, 15. tranquilla et serena. *Hor. Od.* 3, 29, 16. sollicita. *Mart.* 2, 11. nubila. *Id.* 4, 6. et *Senec. ep.* 11. tenera, *h. e.* quae facile erubescit. *Plin. Pan.* 35. exsanguis et ferrea, *h. e.* impudens, quaeque nullum sentit pudorem. Et 41. Fronte gravi et tristi supercilio esse. *Papin. Dig.* 22, 5, 13. *extr.* Integrae frontis homo, *h. e.* verecundus, prudens, probus. ℙ Periisse frontem de rebus, ap. *Pers.* 5, 103. est, quod ait *Hor. Ep.* 2, 1, 80., periisse pudorem, sublatum esse pudorem ex rerum natura, et commerciis: quia frons pudoris est sedes. ℙ *Frontem ferire*, *percutere* solemus in vehementiori affectu, v. gr. indignationis. *Cic. Att.* 1, 1. et *Brut.* 80. ℙ *Frons occipitio prior* proverb. quo significatur, rectius geri negotia, ubi praesens est is, cuja interest, quam cum absente eo alteri mandantur. *Cato R. R.* 4. Ruri si recte habitaveris, libentius et saepius venies: fundus melius erit, minus peccabitur, fructi plus capies, frons occipitio prior est. *Plin.* 18, 5, 6. Frontem domini plus prodesse, quam occipitium. ℙ *In fronte* et *in prima fronte*, proverb. *Ov. A. Am.* 1, 463. Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus. *Arnob.* 7, 245. Quod in prima positum, quemadmodum dicitur, fronte perstringere aures possit. ℙ Translate dicitur de anteriore parte cujusque rei. *Ov. Fast.* 1, 135. Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes: E quibus haec populum spectat, at illa Larem. *Virg. G.* 3, 24. Vel scena ut versis discedat frontibus. *Id. A.* 5, 157. naves una ambae, junctisque feruntur Frontibus. *Vitr.* 2, 8. Frontes parietum. *Id.* 3, 2. frons aedium. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 485. *n.* 160. Frontem templi vervis, et hermis ornavit. *Front. Aquaed.* 22. In campo Martio, secundum frontem Septorum. *Plin.* 12, 7, 14. Frons Caucasi solibus opposita. *Id.* 3, 10, 13. Italiae. *Id.* 6, 17, 20. litorum. *Curt.* 8, 14. aciei. *Sall. Cat.* 62. Octo cohortes in fronte constituit. *Liv.* 36, 44. Aequa fronte ad pugnandum procedebat. *Tac. Agr.* 35. Veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur. *Caes. B. C.* 3, 37. Frons castrorum. *Tac. H.* 2, 89. Quatuor legionum aquilae per frontem. *Justin.* 1, 6. Non minus post terga, quam a frontibus. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. Intervallum justum arborum quadrageni pedes in terga frontemque, in latera viceni. *In terminis sepulcrorum* ap. *Hor. Sat.* 1, 8, 12. et *passim* in inscriptionibus ap. *Grut.* Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum, etc. *Cic. Phil.* 3, 13. A fronte, a tergo, a lateribus

tenebitur. ℙ Frons libri, prior libri pars, ubi libri titulus. In voluminibus duae erant frontes: altera exterior, complicato volumine, ubi titulus: altera interior, eodem evoluto, ubi libri principium. *Ov. Trist.* 1, 1, 11. Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. *Tibull.* 3, 1, 13. Atque inter geminas pingantur cornua frontes. [*Martorell. de R. thec. calam.* p. 244. (quicum sentit *Morcell. Dissert. dello scriv. degli ant. Rom.* p. 30.) contendit, frontes esse gemina opercula librorum, quae scil. Itali *coperte* vocant; cornua vero eorundem quatuor extremitates, *puntali:* porro veteres mediis frontibus umbilicos seu scutula, addere solitos fuisse, et cornua argento decorare, vel coloribus distinguere, quemadmodum etiamnum usuvenit in codicibus praestantioribus, hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 174, 7. memorantur *pugillares membranacei operculis ebореis.* V. CORNU et UMBILICUS. *F.*] ℙ Item de principio aut primo cujusque rei aspectu. *Quint.* 4, 1, 42. Ubi frons causae non satis honesta est. [*Discernitur h. l. *frons* a *facie*, ita ut in hac agnoscere cogimur speciem paulo interiorem quam est *frons*, quanquam nec ipsam veritatis indicem certam. Ita *Spalding.*, cui molesta videtur haec, quam dicit, *faciei* a *fronte* discernendae affectatio. Aptius *Gesnerus* ad h. l. *faciem* ipsam totius causae rationem et constitutionem intelligit.] *Gell.* 19, 1. *f.* Visa, fronte falsa, et formidine inani territantia. *Tac. Agr.* 33. Ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria, pulcrum ac decorum in frontem, ita, etc., *h. e.* in speciem. *Phaedr.* 4, 1. Non semper ea sunt, quae videntur: decipit Frons prima multos. *Quint.* 7, 1. *med.* Dura prima fronte quaestio. *Juven.* 2, 8. Frontis nulla fides. ℙ Masculino genere. *Caecil.* ap. *Gell.* 15, 9. Fronte hilaro. *Cato ib.* et ap. *Fest.* in *Recto.* Recto fronte sequi. *Pl.* ap. *Non.* 3, 89. coloratum frontem habere. *Vitr.* 10, 17. Frons transversarius.

FRONTĀLE, is, n. *κεφαλόδεσμος*, est ornamentum frontis, praecipue in equis et elephantis. *Liv.* 37, 40. Ingentes ipsi erant, addebant speciem frontalia, et cristae, et tergo impositae turres. *Plin.* 37, 12, 14. Equis regum frontalia, etc. *Ammian.* 23, 4. Constituuntur testudinis frontalibus trisulcae cuspides.

FRONTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *fronto, as*, fronte vel frontibus instruo; Frontati lapides sunt lateres ceteris majores, qui parietum frontem constituunt. Hi sunt duplicis generis: alii, qui utramque; alii, qui alterutram solummodo frontem conficiunt. *Vitr.* 2, 8. Graeci non media farciunt, sed e suis frontatis perpetuum parietem consolidant: et praeter cetera interponunt singulos perpetua crassitudine, utraque parte frontatos, quos *διατόνους* appellant, qui maxime religando confirmant parietum soliditatem. *Plin.* 35, 12, 46. Ad tecta coctilibus laterculis, frontatisque.

FRONTĪNUS. Sex. Julius Frontinus, Romanus, patricius floruit sub Domitiano, Nerva, et Trajano, cujus postremi in consulatu tertio collega fuisse creditur: consul certe fuit. Sub Nerva autem curatoris aquarum munus exercuit an. ab U. C. DCCCL. quo tempore scripsit de Aquaeductibus Commentarium satis purum, castigatum et Latinum, qui hodieque exstat: nostrisque temporibus a *Joanne Poleno* tanta cura illustratus, ut restitutus videri possit. Sunt etiam libri Strategematum, qui eundem auctorem habere creduntur, tametsi ejusdem non sunt elegantiae ac nitoris, et itentidem quiddam labentis jam tum Latinitatis sapiunt. V. ejusdem *Poleni* in *Front. protegom.* c. 2. ℙ Alius ab hoc est *Jul. Front.*, qui de Agrorum qualitate, ac limitibus, item de Coloniis scripsit, inter Agrariae rei Scriptores a *Goesio* editus. Et iste tamen stilo decurrit satis expedito et nitido, et si quaedam vocabula excipias artis propria, nihil fere offendas, quod aures Latinae consuetudini assuetae valde fastidiant.

[FRONTIS, idis, f. *φροντὶς*, cura, sollicitudo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 437, 36. Pituania L. L. Delphis fecit Pituaniae Secundae matri, Frontidi sorori. *F.*]

FRONTO, onis, m. *μετωπίας*, latam habeus frontem. *Cic. N. D.* 1, 29. Ecquos naevum habere, ecquos silos, flaccos, frontones, capitones? ℙ M. Cornelius Fronto Cirtae in Numidia natus, Hadriano Aug. imperante Romae eloquentiae principatum obtinuit, adeo ut M. Aurelii Antonini Aug., et L. Veri Aug. praeceptor fuerit, et an. U. C. DCCCXCVI. bimestri consulatu, ac deinceps statua insignitus fuerit, ut narrant *Capitol. Anton. phil.* 2. *et Auson. Gratiar. act.* 14. Illum etiam laudat *Gell.* 19, 8. aliique Graeci et Latini scriptores. Ejusdem opera quamplurima e palimpsesto Cod. Ambrosiano Mediolani prius an. 1815., alia deinde ex palimps. Cod. Vaticano an 1823. Romae omnium primus edidit *A. Maius*, eaque docte illustravit.

FRONTONIĀNUS, a, um, adj. ad Frontonem pertinens, ut Frontoniana decreta, *Pompon. Dig.* 29, 2, 99. Ala Frontoniana. [*Alii leg. *Frontianis. B. A.*] *Inscr.* ap. *Grut.* 414, 8. ℙ *Frontoniani* dicti sunt discipuli M. Cornelii Frontonis, qui princeps fuit oratorum sui temporis. *Sidon. ep.* 1, 1. Propter quod illum (Julium Titianum) ceteri quique Frontonianorum utpote consectaneum aemulati, cum veternosum dicendi genus imitaretur, oratorum simiam nuncupaverunt. *F.*]

FRONTOSUS, a, um, adj. multas habens frontes. *August. C. D.* 7, 4. *extr.* de Jano: Ut quanto iste innocentior esset, tanto frontosior appareret. ℙ Translate. *Id. serm.* in *Psalm.* 1, 68. *med.* Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo: prorsus esto frontosus, *h. e.* non erubescens.

FROS. V. FRONS, dis.

*FRUCTESCO, is, n. 3. *Marius Victor.* Vario fructescere fetu. *B. A.*

FRUCTĒTUM, i, n. *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 1, 40. *ipsa haec arbusta vocabant;* fructeta, inquit, scholastici vocabant. V. FRUTECTUM, quod rectum est. Est enim a *frutex*, non *a fructus.*

FRUCRĪFER, a, um, adj. *καρποφόρος*, fructum ferens. *Colum.* 4, 21. Ex quo cum processere fructiferae materiae, quidquid est supra, amputatur. [*At *Schneider.* ed. *frugiferae.*] *Id.* 11, 2. *med.* et *Quint.* 8, 3. *Plin.* 12, 25, 54. Arbor intra tertium annum fructifera.

FRUCTĪFICĀTIO, onis, f. actus fructificandi. *Tert. adv. Marc.* 39. *f.* Fructificationes signa sunt aestatis.

FRUCTĪFĪCO, as, a. 1. *καρποφορέω*, fructum fero. *Calpurn. Ecl.* 4, 91. Laurus fructificat. *Tert. Resurr. carn.* 52. Carnem credens fructificaturam.

FRUCTUĀRIUS, a, um, adj. *ἐπικάρπιος*, fructum ferens. *Varr. R. R.* 2, 4. Scrofam parere oportet porcos, quot mammas habeat: si minus pariat, fructuariam idoneam non esse. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 13. et *Colum.* 5, 6. *med.* Palmes fructuarius, *h. e.* qui protinus fructum creat. *Colum.* 3, 18. Fructuarii oculi vitis. *Id.* 5, 9. *f.* Fructuarii rami oleae *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. *f.* Fructuarii agri, *h. e.* qui vectigal alicui pendunt, [*opp. *immunibus.*] ℙ Item ad fructus pertinens, ut *fructuaria cella*, in qua fructus reponuntur. *Colum.* 1, 6. Villa dividitur in tres partes, urbanam, rusticam et fructuariam. Et *mox.* Pars fructuaria dividitur in cellam oleariam, torcularіam, cellam vinariam, defrutariam, foenilia palearіaque et apothecas et horrea. ℙ *Fructuarius servus* est, cujus quis usum habet solummodo, proprietatem alius. *Tryphonin. Dig.* 41, 1, 63. Adde *Julian. ib.* 37. etc. ℙ *Fructuarius* item dicitur, qui jus utendi fruendi habet, *h. e.* uti potest re aliqua, atque ex ea fructum percipere. *Ulp. Dig.* 7, 1, 22. et 23. et *Paul. ib.* 24. etc. Sic fructuaria, *Scaevola ib.* 58. ℙ *Fructuaria stipulatio* ap. *Paul. Dig.* 45, 1, 4. *f.* quae usufructus nomine interponitur.

[FRUCTŪLUS, a, um, dimin. fructus. V. FRUCTUS. Est cogn. R. *Clodius* enim *Fructulus* memoratur in *Dig.* 36, 3, 1. §. 11., qui vixit imperante Antonino Pio Aug. *Inscr.* ap. *Paulovich. Marm. Tragur.* p. 36. T. Statilio Maximo Mil. Coh. VIII. Vol. adj*utori* corni*cularii* consulis. Def. an. XXV. Jul*ia* Fructula hospita, et sibi. *F.*]

FRUCTŪOSE, adv. cum fructu, utiliter. *August. ep.* 77. Hoc nec dici brevius, nec agi fructuosius potest.

FRUCTŪOSUS, a, um, adj. *πολύκαρπος, εὔκαρπος*, fecundus, utilis, fructum afferens. *Cic. Tusc.* 2, 5. Ager quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest. *Quint.* 1, 6. Vult se hominem frugi probare, quia utilis multis, idest fructuosus. *Sen. ep.* 9. Fructuosior est adolescentia liberorum, sed infantia dulcior. *Caes. B. G.* 1, 30. Locus opportunissimus et fructuosissimus. *Cic. Rosc. Com.* 12. Fructuosissimum fundum abstulit. *Colum.* 5, 5. *med.* Fructuosi palmites. *Varr. R. R.* 1, 65. Falerna quanto plures annos condita habuerunt, tanto, cum prompta, sunt fructuosiora, *h. e.* majori lucro sunt, quia carius venduntur. *Cic. Or.* 2, 85. Ea denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa. *Id. Leg. Manil.* 6. *extr.* Putatisne, vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis? *Id. Off.* 2, 18. *med.* Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum. ℙ [Est etiam nom. propr. R., ut *Fructuosus* martyr, et episcopus Tarraconensis in Hispania, de quo multa *Prud. περὶ στεφ.* 6. *F.*]

FRUCTUS, a, um, part. V. FRUOR.

FRUCTUS, us, m. *καρπὸς*, omne id, quod e terra percipimus, item fetus animalium: et universim quidquid undelibet habemus, quod nos ditat ac juvat: a *fruor. Cic. Off.* 2, 3. *f.* Frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio. [**Fruges* proprie dicuntur frumentum et legumina; *fructus* totius generis est appellatio. *Beier.* ad h. l.] *Id. Att.* 11, 2. In quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? *Id. Leg.* 1, 8. *extr.* Pecudes partim esse ad usum hominum, partim ad fructum partim ad vescendum procreatas. *Id Fam.* 13, 56. Heracleotae et Bargyletae, qui item debent aut pecuniam solvant aut fructibus suis satisfaciant, i. e. *mögen die Interessen bezahlen. Sen. ep.* 9. Artifex fructu artis suae fruitur. *Liv.* 45, 40. Pecunia ex fructu metallorum coacervata. [**Id.* 21, 7. In tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus.] *Cic. Off.* 2, 18. *med.* Posse liberalitate uti, nimirum is est pecuniae fructus maximus, [*i. e. fruitio, *Genuss.* Cf. *ib.* 16, 56. taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat.] Et *Parad.* 6, 1. Alere exercitum suis fructibus. *Id. Agr.* 2, 32. Comparare et condere fructus. *Plin.* 18, 28, 68. convehere. *Varr. L. L.* 4, 31. comportare. *Cic. Senect.* 7. serere, percipere, condere. Et 19. tempestive demetere. *Id. Off.* 2, 4. capere ex aliqua re. *Hor. Sat.* 1, 2, 79. decerpere. Et *Ep.* 1, 12, 1. colligere. *Cic. N. D.* 2, 63. edere. *Quint.* 5, 11. *med.* creare. *Plin.* 12, 6, 12. mittere. Et 16, 34, 62. gignere. *Ter. Ph.* 4, 3, 75. reddere. *Ov. Fast.* 4, 641. fructu non respondente labori, Irrita decepti vota colentis erant. *Cic. Fin.* 1, 4. An partus ancillae in fructu sit habendus. *Liv.* 34, 36. Fuerat ei magno fructui mare. ℙ Speciatim dicitur de fetibus arborum. *Quint.* 8, 3. Graves fructu vites. *Colum.* 5, 6. *med.* Palmes fructu induitur. *Plin. init. l.* 17. Fructus caduci et pendentes. *Id.* 18, 27, 67. aestivi. Et *ib.* 29, 69. *n.* 2. hiberni et praecoces. *Petr. Sat.* 137. Nuces graves, et plenae integro fructu ℙ De vindemia unius anni. *Pl. Ps.* 5, 2, 10. Credo equidem, potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor Fructus ebibere in hora una ℙ *In fructu esse* est fructum afferre, utilitatem habere. *Plin.* 16, 12, 23. Nec corpori ipsi (*piceae*) parcitur, quoniam assula in fructu est. Et 8, 13. Suberi glans pessima: cortex tantum in fructu. *Jabolen. Dig.* 33, 2, 42. In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est. ℙ Translate est quodcumque commodum et utilitas. *Cic. Agr.* 2, 30. Asia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit. *Id.* ad *Brut.* 1, 3. Quo quidem die meorum laborum et vigiliarum fructum cepi maximum: si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. *Id. Senect.* 18. Honeste acta superior aetas fructus capit utilitatis extremos. *Id. Brut.* 62. Fusius ex accusatione Aquillii diligentiae fructum ceperat. *Id. Planc.* 38. Ego fructus ex republ. non laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tuli. *Id. Coel. f.* Fructus uberes et diuturnos capere. *Id. Pis.* 14. Fructum immortatem cepi vestri in me amoris et judicii. *Id. Sext.* 31. *extr.* Cui fructum pietatis suae neque ex me, neque a populo R. ferre licuit. *Id. Sull.* 1. Modestiae fructum aliquem percipere. *Id. Pis.* 24. Justam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare. *Id. Cat.* 2, 4. Polliceri alicui fructum libidinum. *Id. Agr.* 2, 2. Hoc vestrum beneficium ad animi mei fructum atque laetitiam duco esse permagnum. *Id. Am.* 23. Aufert fructum voluptatum omnium solitudo. *Id. Mur.* 19. Honestissimo ordini fructus jucunditatis est restitutus. *Nep. Eum.* 11. Qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent, *h. e.* delectationem. *Juven.* 8, 6. Quis fructus generis, tabula jactare copaci Corvinum? ℙ In illo *Pl. Cas.* 4, 4, 16. Sed meus est fructus prior: *fructus* est usufructus. Adde *Ulp. Dig.* 7, 8, 14. ℙ In secunda declinatione. *Ter. Ad.* 5, 4, 16. Hoc fructi pro labore ab his fero. *Turp.* ap. *Non.* 8, 62. Satis fructi reddunt. *Cato R. R.* 4. Fructi plus capies. [Hinc *Fructus, i*, est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 386, 6. Catio Fructo *vivus fecit* C. Catius Alexander libertus. *F.*] ℙ Item in genit. singul. *fructuis* pro *fructus*, [nempe more Graecorum, quibus *ὁ βότρυς, τοῦ βότρυος*, racemus, i, unde Latini primo *fructuos*, nam *se natuos sententia* quater occurrit in *vet. S. C. de Bacchanal.* ap. *Fabr.* p. 427., dixisse videntur, mox *fructuis*, ut et *senatuis, domuis, fluctuis, rituis, victuis*, etc., teste *Gell.* 4, 16., tandem *u* et *i* in unam litteram contractis, ac proinde ultima syllaba *fructūs, senatūs, domūs*, etc. pronunciarunt, quemadmodum et in nominat., accusat., vocativo plur. *fructus* ultima itidem longa, nam et Graecis *οἱ βότρυες, βότρυς, τοὺς βότριας, τρυς, ὦ βότρυες, τρυς. F.*] *Varr.* ap. *Non.* 8, 72. Utrum fructuis, an delectationis causa. *Id. R. R.* 1, 2. *med.* Caprae salivam esse fructuis venenum.

FRŪENDUS, FRŪENS, } particip. V. in FRUOR.

FRŪGĀLIS, e, adj. *χρήσιμος*, moderatus, prudens, abstinens, temperans: a *frugi.* [*Cum irrisione tangit v. *frugalis Quint.* 1, 6, 17. ubi v. *Spalding.*] *Ter. Heaut.* 4, 3, 3. Dedo me patri nunc jam, ut frugalior sim, quam vult. *Cic. Fl.* 29. Homines sunt tota ex Asia frugalissimi. *Id. Or.* 2, 71. Optimus colonus, parcissimus, frugalissimus. *Varr. R. R.* 3, 2. Haec villa frugalior, ac melior est, quam tua illa perpolita. ℙ Positivi gradus rarus apud optimos scriptores, et fortasse [*imo: plane] nullus est usus: nam hi pro *frugali homine*, *frugi* dicunt. Habet *Appul. de Mundo* p. 71, 29., sed alio sensu: *frugalis maturitas, h. e.* frugum. [*Haec prima videtur vocis significatio, et ab initio ponenda.]

FRŪGĀLĪTAS, atis, f. *σωφροσύνη:* a *frugi.* De vi hujus vocis ita *Cic. Tusc.* 3, 8. Temperans, quem Graeci *σώφρονα* appellant, eamque virtutem

σωφροσύνην vocant: quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam: sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit, etc. Et *mox.* Reliquas etiam virtutes frugalitas continet. Et *mox.* Tres virtutes fortitudinem, justitiam, prudentiam frugalitas est complexa, etc.; reliqua igitur, et quarta virtus ut sit ipsa frugalitas, etc. V. integr. locum, et *Tusc.* 4, 16. et infra in FRUGI. [*Ita saepissime dicit de morum probitate *Quint.* cf. 1, 6, 17. 10, 3, 26, 11, 3, 19. 12, 1, 8. ubi v. *Spalding.*] ℙ Speciatim est abstinentia, parsimonia, modestia, temperantia. *Cic. Dejot.* 9. Omnes sunt in illo regiae virtutes: sed praecipue singularis et admiranda frugalitas: etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Et *mox.* Ego tamen frugalitatem, idest modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam judico. *Plin. ep.* 2, 4. *f.* Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Petr. Sat.* 115. Cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. *Cels. praef. med.* Vitae genus laboriosum, aut quietum; cum luxu, aut cum frugalitate. [*Hinc ad eloquentiam transtulit *Quint. Inst.* 12, 10, 21. Qua propter mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, et lucidos, et significantes, et quadam eloquentiae frugalitate contentos, etc., ubi *frugalitas* sedatum quoddam dicendi genus atque contentione carens significare videtur.] ℙ Pro frugibus. *Appul. Met.* 9. p. 233, 29. Hostili modo vicini tenuis incursabat pauperiem, pecua trucidando, boves abigendo, fruges adhuc immaturas obterendo: jamque totum frugalitate spoliatum, ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat. ℙ [*Confunditur in codd. *frugalitas* et *fragilitas.* V. *Quint. Inst.* 10, 3, 26, et 2, 10, 21.]

FRŪGĂLĬTER, adv. σωφρόνως, moderate, temperanter, abstinenter, sobrie. *Cic. Dom.* 43. εἰρωνικῶς. Omnia signa, tabulas tota e Graecia, sane frugaliter domum suam deportavit. *Pl. Epid.* 4, 1, 38. et *Pers.* 4, 1, 1. Aliquam rem sobrie et frugaliter accuravit. *Hor. Sat.* 1, 4, 107. Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset. *Cic. Fin.* 2, 8. Cur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. Et 9. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. *Quint. Decl.* 260. *extr.* et *Lact. Ira D.* 20. Frugalius vivere. *Pl. Pers.* 4, 1, 5. Si malus, aut nequam est, male res vertunt, quas agit: sin autem frugi est, eveniunt frugaliter, *h. e.* feliciter, commode. ℙ [Translate. *Front.* ad *Verum Imp.* (ed. *Maio*) *ep.* 1. Summum eloquentiae genus est de sublimibus magnifice, de tenuioribus frugaliter dicere, *h. e.* temperate. *F.*]

FRŪGĂMENTĂ, inquit *Fest.*, a frugibus sunt appellata. Porro *frugamenta* quid sint, adhuc est incompertum: et sunt qui *frumenta* legendum putent.

FRŪGE. V. FRUGIUS.

FRŪGES, fructus terrae. V. FRUX. ℙ Fruges etiam dicti sunt ab *Ennio* Phryges, mutatis in Latinum morem litteris, teste *Cic. Or.* 48., ubi alii rectius leg. *Bruges* cum *Quint.* 1, 4.

FRŪGESCO, is, n. in fruges abeo, fruges fero. *Prud. adv. Symm.* 2, 913 et steriles frugescere parcius agros. *Tert. Resurr. carn.* 22. florescere, atque frugescere.

FRŪGI, indecl. moderatus, temperans, continens, prudens: cui opponitur *nequam* et *nihili. Cic. Tusc.* 3, 8. docet, hominem frugi non eum solum intelligi, qui utilis sit (quod Graeci faciunt, qui χρήσιμον appellant) sed eum, qui sit temperans, modestus, abstinens, atque innocens: frugalitatem enim tres virtutes, fortitudinem, justitiam, prudentiam complecti: ejus esse proprium, motus animi appetentis regere et sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium, nequitiam appellari: dictam videri a *fruge*, qua nihil melius e terra. Quod si *frugi* tantummodo diceretur, qui utilis esset, non fuisse L. Pisonis cognomen in tanta laude ponendum. [*V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 49. qui coactam Ciceronis hanc definitionem dicit.] *Id. Font.* 13. L. Piso tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. *Id. Tusc.* 4, 16. Jam proverbii locum obtinet, hominem frugi omnia recte facere. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Frugi et severa vita. *Brut. ad Cic. ep.* 6. Modestus homo et frugi. *Hor. Sat.* 2, 5, 77. mulier tam frugi, tamque pudica. *Cic. Phil.* 2, 28. Antonius frugi factus est: illam suam suas res sibi habere jussit. *Ter. Heaut.* 3, 3, 19. Hominis frugi et temperantis functus officium. *Pl. Asin.* 5, 2, 9. homini *frugi* opponit hominem *nihili*, quod fere idem est ac *nequam.* ℙ Saepe refertur ad laudem servorum. Servum enim *frugi* dicebant, tanquam sobrium, utilem, et necessarium, et qui rem domini diligenter curaret: eo fere sensu accipientes, quo Graeci, ut dictum est. *Cic. Cluent.* 16. Servus non incallidus, sed, ut ipsa res declaravit, frugi atque integer, sermonem Fabricii non est aspernatus, rem ad dominum detulit. *Plin. Pan.* 88. Abunde sufficere libertis tuis credis, si probi et frugi existimentur. *Hor. Sat.* 2, 7, 2. Davus, amicum mancipium domino, et frugi. [*Cf. *Intpp.* ad *Petr. Sat.* 75. p. 373. et *Briss. Verb. Sign.* Contrarium est *servus nequam.*] ℙ Saepe etiam *frugi* dicitur quilibet in rem suam attentus et diligens, quique studiose ac sedulo suas rationes curat. *Cic. Verr.* 2, 3, 27. Homines et satis fortes, et satis plane frugi ac sobrii. *Id. Dejot.* 9. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege. *Ter. Eun.* 3, 5, 59. *Ant.* sed interim de symbolis quid actum est? *Chae.* Paratum est. *Ant.* frugi es. Ubi *Donat.* utilis et necessarius, ut fruges humano generi. *Frugi* est ergo, in quo est aliquid, quo fruamur, idest utamur. *Id. Heaut.* 3, 3, 35. *Chr.* repperisti, tibi quod placeat, an nondum etiam? *Sy.* de fallacia dicis? st', inveni quandam nuper. *Chre.* frugi es. *Pl. Asin.* 1, 3, 23. Frugi lena, *h. e.* quae suis rationibus bene consulit. ℙ Dicitur et de iis rebus, quae moderata et modica impensa fiunt. *Plin. ep.* 2, 17. Atrium frugi, nec tamen sordidum. *Quint.* 5, 10. Frugi victus. *Juven.* 3, 167. et *Plin. ep.* 3, 1. Coena frugi. *Mart.* 14, 31. jentacula sumere frugi. ℙ Est obliquus casus nominis *frux, gis:* idcirco adjectivum etiam admittit. *Cic. Att.* 4, 8. *f.* et *Pl. Trin.* 2, 2, 39. Fabius Luscus satis acutus et permodestus et frugi bonae. *Pl. Asin.* 3, 3, 12. et *Poen.* 4, 2, 27. Bonae frugi esse. ℙ Alii volunt esse dativum, ut cum dicimus *homo frugi*, per ellipsin intelligatur *idoneus:* alii genitivum pro *frugis* ea ratione, qua *fami* pro *famis* dictum fuit: vel ut simile sit *nauci, nihili, mancipi.* [*V. *Ruddim.* 1, 112. et 2, 125.]

FRŪGIFER, a, um, adj. καρποφόρος, fruges ferens. *Cic. Tusc.* 2, 5. Agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur. *Plin.* 13, 5, 11. Cedrus frugifera non floret. *Ov. Met.* 5, 656. frugiferae messes. *Lucr.* 6, 1. frugiferi fetus. *Ov. de nuce* 19. frugiferae nuces. *Id. Pont.* 2, 1, 15. frugiferum numen, *h. e.* Ceres. *Inscr.* ap. *Grut.* 26, 8. Cereri frugif. sacr. L. Vejanius, etc. Adde similem ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 35. ℙ *Frugifer* dictus est etiam Bacchus, quem leonis effigie colebant Aegyptii (ut est ap. *Arnob.* 6, 196.) et eundem esse dicebant, atque Osirim, quo nomine significabant solem, qui frugum omnium parens est. ℙ *Enn.* ap. *Charis.* 1, 7. *terrai frugiferai* dixit pro *terrae frugiferae* per diaeresin diphthongi, quomodo prisci locuti sunt. Hinc *Mart.* 11, 91. Attonitusque legis, terrai frugiferai, Accius et quidquid Pacuviusque vomunt. ℙ Translate idem est quod utilis. *Liv. praef.* Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, te, etc.

FRŪGĬFĔRENS, entis, part. ab inusit. *frugifero*, frugifer. *Lucr.* 1, 3. alma Venus, quae terras frugiferentes Concelebras.

FRŪGĬLĔGUS, a, um, adj. qui fruges legit, *h. e.* colligit. *Ov. Met.* 7, 624. frugilegae formicae.

FRŪGĬPĂRENS, entis, adj. parens frugum, frugifer. *Venant. carm.* 3, 13, 12. frugiparensque manet.

FRŪGĬPĂRUS, a, um, adj. qui fructus parit. *Avien. Arat.* 1054. Singula frugiparos attollunt tempora vultus.

FRŪGĬPERDUS, a, um, adj. qui facile fruges amittit. *Plin.* 16, 26, 46. Ocissime salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero frugiperda; ὠλεόκαρπος.

[FRŪGĬUS, a, um, adj. idem ac indeclin. frugi. *Inscr.* ap. *Mar. Iscriz. Alb.* p. 198., quam ipse *ib.* spuriam, genuinam esse putavit *Id. Frat. Arv.* p. 300. Si casta et formosa Acuta, si frugia et pretiosa Acuta, si sedula et boni consilii, maritus fec*it* M. Segullius Secundus. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Murat.* 2058, 9. C. Hastilius C. F. Frugius. Etiam *fruge* pro *frugi* usurpatum fuit. *Inscr.* ap *Marin. Frat. Arv.* p. 270. Pontia uxor fruge, bona, pudica, ave. *F.*]

FRŪISCOR. V. FRUNISCOR.

FRŪĬTŪRUS. } V. FRUOR.
FRŪĬTUS. }

FRŪMEN, inis, n. λάρυγξ, idem ac *rumen*, praemissa *f* ob *r* litteram aspiratam, summa gulae pars, per quam cibum lingua demittit in ventrem, ut *Don.* ad *Ter. Ad.* 5, 8, 27. definit. Vel tractus gulae, qua cibus in alvum demittitur, ut *Id.* ait ad *Ter. Ph.* 2, 2, 18. Vel gulae prominens pars: seu eminens sub mento gutturis pars, ut *Serv.* ad *G.* 1, 74. et ad *A.* 1, 182. Uterque autem videtur idem velle significare. ℙ Item genus pultis in sacris adhibitae, uti docet *Arnob.* 7, 230. De qua nihil praeterea scitur.

FRŪMENTĂCĔUS, a, um, adj. σιτικός, qui ex frumento est. *Veg. Vet.* 2, 57. Farina frumentacea. *Hieron. ep.* 37. *n.* 4. Jesus in deserto plures hordeaceis panibus pascit, frumentaceis pauciores.

FRŪMENTĂRĬUS, a, um, adj. σιτικός, ad frumentum pertinens. *Cic. Brut.* 62. Frumentaria lex. *Id. Att.* 9, 9. Frumentariae provinciae, *h. e.* unde petuntur frumenta. *Id. Verr.* 2, 3, 37. Frumentaria lucra. Et 5. Omnem utilitatem provinciae Siciliae consistere in re frumentaria maxime, *h. e.* in copia frumenti. Et *ib.* Frumentaria causa, *h. e.* ubi agitur de administratione frumenti habita a Verre in Sicilia; (unde illa oratio *frumentaria* appellatur a *Prisc.* 6, 679. et *Serv.* ad *A.* 10, 481. etc.) *P. Vict. de regionib. U. R.* in Regione IX. ponit *porticum Minuciam frumentariam*, h. e. in qua tesserae frumentariae publice populo distribuebantur. *Paul. Dig.* 31, 1, 87. Frumentaria tessera. *Caes. B. G.* 1, 37. Rem frumentariam comparare. Et 23. Rei frumentariae prospicere. Et 39. Rem frumentariam supportare. Et *ib.* 6, 9. providere. Et *B. C.* 3, 16. Profectus erat ad rem frumentariam expediendam, qua anguste utebatur. Et *B. G.* 7, 10. Ab re frumentaria laborare. Et *ib.* 1, 9. Loca maxime frumentaria, *h. e.* frumenti fertilia. *Col.* 2, 2. *med.* et *Varr. R. R.* 1, 7. *f.* Et 11. Frumentarius ager. *Caes. B. C.* 3, 96. Navis frumentaria. *Plin.* 11, 26, 32. Frumentaria cicada, *h. e.* quae apparet simul cum frumentis. *Cic. Tusc.* 3, 20., *Sext.* 48. et *Brut.* 62. Lex frumentaria, *h. e.* quae jubebat frumentum populo viliori pretio distribui. Adde *Epit. Livii* 60. et 71. Sic *Cic. Off.* 2, 21. C. Gracchi frumentaria magna largitio. *Paul. Dig.* 27, 1, 26. Mensores frumentarii. V. PORTUENSIS. *De canone frumentario* inscriptus est *tit.* 15. *l.* 14. *Cod. Theod.*, quo significatur quantitas frumenti, quae ex provinciis ad portum Ostiensem quotannis subvecta, pistoribus urbis Romae in publicum usum vendebatur, vel gratuito plebi distribuenda erat. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 553. Geniali Aug. L. tabulario fisci frumentarii Trophime Aug. Lib. conjugi optimo. *Cato R. R.* 2. Frumentariam rationem putare. ℙ *Frumentarius, ii,* (supple *negotiator*) ap. *Cic. Off.* 3, 13. et 16, at *Lucil.* ap. *Non.* 1, 66. *frumentarium* absolute dixit pro frumentario mensore. ℙ Item qui in exercitu quacumque ratione frumenta comparat, cujus mentio est ap. *Hirt. B. G.* 8, 35. Horum numerus certus fuisse videtur in unaquaque legione. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 473. D. M. L. Aemilii Flacci *frumentarii* Leg. XX. *Valentis, Victricis* T. Sempronius Pudens *frumentarius* legionis ejusdem. Adde alias *ib.* et p. 666. D. M. L. Pontii Gal. Nigrini mil. frum. Leg. VII. Gem. Q. Scaevius Maximus mil. frum. Leg. ejusd. ℙ Sub imperatoribus *Frumentarii* fuere iidem qui *agentes in rebus* et *curiosi*, qui inter cetera, etiam delatorum et speculatorum officio fungebantur. *Spart. Hadrian.* 11. Et erat curiosus non solum domus suae, sed etiam amicorum: ita ut per frumentarios occulte omnia exploraret. *Aur. Vict. Caes.* 39. *f.* Remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes rerum simillimi sunt. Multa de his *Salm.* ad *cit. loc. Spartiani.*

FRŪMENTĀTĬO, onis, f. σιτολογία, frumenti collectio: et in re militari egressio militum ad frumentum in castra congerendum. *Caes. B. G.* 7, 64. Frumentationibus, pabulationibusque Romanos prohibere. Et *ib.* 6, 38. Frumentationem conficere. ℙ Item largitio frumenti, quae fiebat populo ab imperatoribus R. *Suet. Aug.* 40. et 42. Sic in *Monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 231, 14. Consul undecimum duodecim frumentationes, frumento privatim coempto, emensus sum.

FRŪMENTĀTOR, oris, m. σιτολόγος, qui frumenta colligit: et in re militari miles, qui frumentatum egreditur, frumentarius. *Liv.* 2, 34. In Volscis ne emi quidem potuit: periculum quoque ab impetu hominum ipsis frumentatoribus fuit. *Id.* 31, 36. Divisis copiis, partem ad consectandos vagos frumentatores emisit.

FRŪMENTOR, aris, dep. 1. σιτολογέω, frumenta colligo: et fere dicitur de militibus frumenti comparandi causa egredientibus. *Pompej. ad Domit. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Frumentatum ire. *Caes. B. G.* 4, 32. Legionem frumentatum mittere. Et 9. Praedandi frumentandique causa. Et *ib.* 7, 73. Et materiari et frumentari. *Liv.* 31, 36. Cum in propinquo agro frumentarentur. *Tert. ad Natt.* 2, 8. Pharao universae Aegypto et frumentandae, et exinde curandae eum (Josephum) praefecit.

FRŪMENTUM, i, n. σῖτος, in segetibus est quod culmus extulit, inquit *Varr. R. R.* 1, 48. *Val. Max. Epit. de nomin.* Olim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur. *Varr. L. L.* 4, 21. *extr.* derivat a *fero*, alii recentiores a *frumen*, alii a *fruor*, quasi *fruimentum*, sed prius etymon omnibus praestat. Docet etiam *Ulp. Dig.* 50, 16, 77. frumentum id esse, quod arista in se teneat: lupinum vero, et fabas fruges potius dici, quia siliqua continentur. Paulo distinctius *Plin.* 18, 7, 9. fruges dividit in frumenta et legumina: frumenta enumerat, hiberna, quae terra per hiemem nutriuntur, triticum, far, hordeum; aestiva, quae aestate seruntur, milium, panicum, sesamam, horminum, irionem. Et *ib.* 8, 19. addit silignem, quae tritici genus est, et alia externis terris peculiaria, arincam Galliae, zeam, olyram, tiphen Graeciae, et Asiae, etc. Adde *Colum.* 8, 9. *Virg. G.* 1, 315. Frumenta in viridi stipula lactentia tur-

gent. *Cic. Att.* 5, 18. *med.* Frumentum ex agris in loca tuta comportare. *Id. Or.* 24. Laetas segetes, luxuriosa frumenta. ℙ Ap. *Mart. in lemmate ep.* 12. *l.* 13. *frumentum triticeum* est ipsum triticum. ℙ Translate. *Plin.* 15, 19, 21. et 17, 27, 44. vocat *frumenta* minuta grana in ficis, quoniam milii similia sunt. ℙ Aliquando sumitur pro genere frumenti peculiari, nempe pro tritico, ut videtur. *Plin.* 18, 7, 12. Et fortunatam Italiam frumento canere candido. *Mart.* 12, 73. Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque. ℙ *Servus a frumento* fuit inter officia domus Augustae, cui ministrandi et dispensandi frumenti cura demandata erat. *Inscr.* ap. *Grut.* 192, 8. et 9. et p. 193, 1. et 2. Sic ap. *Mur.* 78, 4. Chrysantus Aug. disp. a frumento.

FRUNDOSUS. V. FRONDOSUS.

FRUNISCOR, eris, itus sum, dep. 3. idem quod fruor. Verbum est antiquum et paene obsoletum. [*Doederl.* 3, 135. docet, esse *fruniscor* inchoativum v. *fruor*, et i. q. fructum capere.] *Pl. Rud.* 4, 3, 73. Hinc tu, nisi malum, frunisci nihil potes. Al. leg. *fruisci*. Et sane a *fruor* veri similius est *fruiscor* fieri, quam *fruniscor*. Tamen constanter legitur ap. *Gell.*, qui de eo sic habet 17, 2. *Frunisci* rarius fuit in aetate M. Tullii, ac deinceps infra rarissimum: dubitatumque est ab imperitis Latinitatis, an Latinum foret: non modo autem Latinum, sed jucundius amoeniusque etiam verbum est *fruniscor*, quam *fruor*. Deinde subdit exemplum *Q. Metelli Numidici*, qui caste pureque lingua usus Latina videtur; et *Novii* in *Atellana*. Adde *Lucil.* et *Coel.* ap. *Non.* 2, 343. ubi al. *fruiscor* reponunt. *Festus* quoque haec habet: *Fruniscor* et *Frunitum* dixit *Cato:* nosque cum adhuc dicimus *infrunitum*, certum est antiquos dixisse *frunitum*. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 237. *n.* 633. Filiis suis infelicissimis, qui aetate sua fruniti non sunt. *Petr. fragm. Trag.* 43. Burm. Frunitus est, quamdiu vixit. Et 44. Ita meos fruniscar. *Inscr.* ap. *Odoric. Dissert.* p. 164. Quae non liquit nos frunisci.

FRUNĪTUS. V. v. praec. [*Cf. *Döderl.* 3, 136.]

FRUNS, undis, f. antiquum pro *frons*, *ndis*, q. v.

FRŬOR, eris, itus, et ctus sum, dep. 3. *ἀπολαύω*, fructum percipio, potior: proprie est frango mihi et comminuo dentibus, a *fruo* pro *frao*, ex quo *frago*, dein *frango*. Illud *frustum* dedit, *h. e.* fractum. Eadem origo verbi *freo*, unde *frendo* et *fresus*, et *frio*, unde *frico*. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 7. *extr.* docet *frui* proprie esse vesci, a frumine, quae est summa gulae pars: per catachresin autem dici de iis etiam, quibus non vescimur. Alii a Graeco *φορὸς*, quod a *φέρω*, notationem trahunt. *Cic. Senect.* 14. Satiatis et expletis jucundius est carere, quam frui. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Neque te fruimur, et tu nobis cares, *h. e.* convictu et consuetudine tua. Sic *Nep. Att.* 20. Cum propter suas occupationes minus saepe, quam vellet, Attico frueretur. *Gell.* 19, 8. Sermonibus alicujus frui. *Ov. Her.* 2, 79. Illa (nec invideo) fruitur meliore marito. *Cic. Rosc. Am.* 45. Commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, a Deo nobis dari. Et 15. Certis fundis, patre vivo, frui solitum esse. *Id. ad Quirit.* 1. Frui laetitiae voluptate. *Id. Cluent.* 61. vita. *Brut.* ad *Cic. ep.* 1, 16. *med.* beneficiis atque honoribus. *Cic. Dom.* 30. civitate. [*Id. Brut.* 97. Te tua virtute frui cupimus, i. e. digna virtutis praemia capere. *Ernest.* in *cl.*] *Nep. Epam.* 5. pace diutina. *Plin. ep.* 7, 7. otio. *Caes. B. G.* 3, 23. omnibus commodis. *Ter. Hec.* 5, 4, 2. gaudio. *Hor. Ep.* 1, 12, 1. fructibus. *Suet. Aug.* 98. libertate et fortunis. *Ov. Her.* 6, 75. votis, *h. e.* iis, quae voto petieras. *Plin. ep.* 2, 2. Ipse ad villam partim studiis, partim desidia fruor. *Senec. ep.* 93. *med.* Omnium rerum cognitione fruiti sumus. *Ulp. Dig.* 7, 4, 29. Non meo nomine, sed suo fruitus est emptor. *Vell.* 2, 104. Illi spectaculo, quo fructus sum. *Ter. Heaut.* 2, 3, 104. Datur: fruare, dum licet, *h. e.* conceditur amica, ejus amore potiare. [*Similis locus est ap. *Propert.* 2, 9, 24. Dii faciant, isto capta fruare viro. V. *Pl. Asin.* 5, 2, 68. et *Liv.* 21, 3. Dicitur etiam de justo amore, conjugio. *Prop.* 2, 1, 48. *Tibull.* 3, 3, 32. Ita *Ov. Fast.* 3, 554. Thalamis fruor. *Id. Met.* 9, 725. Iphis amat, qua posse frui desperat.] V. POTIOR. *Inscr.* ap. *Grut.* 204. *f.* Prata, quae proxima aestate habuerunt, fructique sunt. Et in *Tab. aen. ib.* p. 500. et ap. *Mur.* p. 582. Quodque earum rerum ii antea habuerunt, possederunt, usi, fructive sunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 986, 7. Dum libuit, suaviter fructi sunt annos LV. *Cic. Tusc.* 3, 17. *f.* Qui praesentibus voluptatibus frueretur, confideretque, se fruiturum in omni parte vitae. *Id. ad Quir.* 1. Ludi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. *Hor. Ep.* 1, 4, 7. Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi. ℙ Cum accusativo. *Lucr.* 3, 954. ea, quae fructus cumque es. *Ter. Heaut.* 2, 4, 21. Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui. *Catō R. R.* 149. Frui pabulum occipito ex calend. Septembr. *Pl. Asin.* 5, 2, 68. Ut sinat sese alternas cum illo noctes hanc frui. Al. leg. *hac*. Hinc part. passiv. *fruendus*. *Ov. Her.* 20, 119. Servetur facies ista fruenda mihi. *Cic. Fin.* 1, 1. *f.* Non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam sapientia est. [*Coll. *Id. Tusc.* 3, 7. Et quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum, etc. Caeterum nota, v. *fruor* nonnisi hac forma cum accuss. ap. *Cic.* legi. *Liv.* 22, 14. Res fruenda oculis, i. *e.* jucunda adspectu. *Id.* 21, 3.] *Cic. Senect.* 16. Agro bene culto nil potest esse uberius, nec ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat senectus. ℙ Inter *fruor* et *utor* hoc interest, (quamquam non perpetuo) quod *uti* dicitur, qui rem aliquam usurpat, ut aliud quidpiam inde acquirat: *frui*, qui ita re quapiam delectatur atque utitur, ut in ea animo conquiescat. [*De hoc discrimine agit *Döderl.* 3, 134. sq.] *Flor.* 2, 6. de Annib. Cum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma Campaniam peruti, frui maluit; relictaque Roma Campaniam peragrare. (V. *Liv.* 22, 51.) *Senec. Vit. beat.* 10. *f.* Tu voluptate frueris, ego utor: tu illam summum bonum putas, ego nec bonum. ℙ Interdum haec duo junguntur ad significandam plenam possessionem ac dominium rei alicujus. *Cic. Fam.* 7, 30. Id cujusque est proprium, quo quisque fruitur atque utitur. [*Id. N. D.* 1, 37, 103. Utatur enim suis bonis oportet et fruatur, qui beatus futurus est. *Id. ib.* 2, 60, 152. Plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur.] *Liv.* 2, 34. *f.* Fruantur, utantur annona, quam furore suo fecere. ℙ *Fruor* nonnunquam significat delectari. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 9. *f.*] *Plin. Pan.* 34. Agnoscebamus et fruebamur, cum veluti piaculares victimae ad supplicia ducerentur. *Sil.* 12, 566. fruiturque timore paventum. *Mart.* 8, 30. de Scaevola: Aspicis, ut teneat flammas, poenaque fruatur! *Claud. Cons. Mall.* 224. Qui fruitur poena, ferus est. [*Similes locos vide ap. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 7, 1. p. 153.] *Val. Fl.* 5, 380. pace fruens. Et 4, 38. Visu fruens. ℙ Apud JCtos est re aliqua ita potiri, ut ejus fructum tantummodo percipias, re salva et integra domino suo manente. *Liv.* 27, 11. et 32, 7. Agrum Campanum fruendum locare. *Paul. Dig.* 6, 3, 1. Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus. [*Ter. *Ad.* 5, 8, 27. Agelli est hic sub urbe paululum, quod locitas foris. Huic demus qui fruatur.]

FRUS. V. in FRONS, ndis.

FRŪSĪNAS, atis, adj. comm. gen. ad Frusinonem pertinens, oppidum Volscorum prope Hernicos ad Cosam fluvium, qui in Lirim influit: nunc *Frusinone*. De eod. *Juven.* 3, 224. Aut Fabrateriae domus, aut Frusinone paratur. *Liv.* 26, 9. Frusinas ager. ℙ *Frusinates*, *um*, sunt ejus oppidi incolae. *Plin.* 3, 5, 9.

FRUSTĀTIM, adv. *κατὰ μέρη*, per frusta. *Plin.* 20, 9, 39. Coquitur in olla, aut frustatim in patinis. Adde *Pompon.* ap. *Non.* 2, 335, *Prud. Psych.* 720. Frustatim sibi quisque rapit, quod spargat in auras.

FRUSTILLĀTIM, adv. *κατὰ λεπτὰ μέρη*, per frustilla. *Pl. Curc.* 4, 4, 20. Ut hic formicae te frustillatim differant.

FRUSTILLUM, i, n. diminut. frusti. *Arnob.* 2, 84. Frustilla ignea. Et 7, 231. Frustilla parvula. ℙ [In *Not. Tir.* p. 168. legitur *frustellum*. *F.*]

FRUSTO, as, a. 1. in frusta concido. *Flor.* 2, 2. *f.* Cum Punicae praedae omnibus promontoriis insulisque frustarentur, et fluitarent. Ita *Salm.* et *Graev.* Alii leg. *frustrarentur*, h. e. portum nullum tenere possent.

FRUSTRĀ, adv. *μάτην*, nequidquam, incassum: a *frudo* pro *fraudo*. [*Disputat de hujus v. signif. et quid differat a *nequidquam*, *Döderl.* 3, 100. sq.] *Cic. Rosc. Com.* 14. Frustra tempus contero. *Id. Univ.* 10. Frustra laborem suscipere. *Id. Or.* 2, 33. Frustra auxilium implorare. *Id. Div.* 2, 60. Frustra ac sine causa quippiam facere. *Pl. Ps.* 1, 3, 144. Sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas. *Virg. G.* 1, 158. Heu! magnum alterius frustra spectabis acervum. *Auct. Priap.* 3. Da mihi quod cupies frustra dare forsitan olim. ℙ Item gratis. *Pl. Men.* 4, 3, 20. Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes. ℙ *Frustra habere* est frustrari, ludificari, decipere. *Auct. argum. Amph. Plaut.* 2. Is advenientes servum et dominum frustra habet. *Ammian.* 18, 6. Si Persae frustra habiti redissent ad sua. ℙ Item negligere. *Tac. A.* 13, 51. Aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt. ℙ *Frustra esse* est frustrari, falli, spe deceptum esse. *Sall. Jug.* 87. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini, et illi frustra sint. *Pl. Pers.* 1, 3, 60. Nunquam hercle hodie hic prius edis, ne frustra sies, quam te hoc facturum affirmas mihi. *Id. Bacch.* 4, 7, 41. *Chry.* Quid illam, meretricemne esse censes? *Ni.* quippini! *Chry.* Frustra es. ℙ Significat etiam exitum speratum non habere, aliter evenire, atque sperabatur. *Sall. Jug.* 7. *extr.* Cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Et 74. Primo indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit. *Id. Or. Licin. trib. ad pleb.* Nam spem frustra fuisse, intellexistis. *Enn.* in *Satyris*, ap. *Gell.* 18, 2. Nam qui lepide postulat alterum frustrari, Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse. Nam qui sese frustrari quem frustra, sentit, Qui frustratur, is frustra est: si non, ille est frustra.. *Muretus* sic explicabat: qui vult alium lepide fallere, dicere non debet, errare ac falli eum, quem ipse fallere cogitat: nam ubi quis sentit, frustra alium operam dare, ut se fallat, tum nisi is, cui dolus tenditur, fallitur, is ipse fallitur, qui fallere volebat. [*Plura v. apud *Böttich. Lex. Tac.* s. v. *esse*.]

FRUSTRĀBĬLIS, e, adj. vanus, inanis. *Arnob.* 2, 58. Res frustrabili exspectatione praesumpta. Et 6, 206. Res vaccia imaginatione frustrabiles.

FRUSTRĀTIO, onis, f. *ἀπάτη*, deceptio, fraus, eventus contra exspectationem. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* Tanto majorem his frustratio dolorem attulit. *Pl. Amph.* 3, 1, 15. In horum familiam frustrationem hodie injiciam maximam. *Quint.* 2, 20. Grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuo, et sine frustratione inserebat. [*Frustratio h. l. est aberratio a scopo, (*das Verfehlen*). V. in CONTINUO.] *Varr. R. R.* 1, 1. Sine successu frustratio est, non cultura. *Liv.* 3, 24. Clamant, fraude fieri, quod foris teneatur exercitus: frustrationem eam legis tollendae esse. *Id.* 25, 25. Cum longo sermone habito dilatus per frustrationem esset. *Justin.* 9, 6. Cum variis frustrationibus differretur. *Liv.* 38, 25. Frustratio Gallorum eo spectabat, ut tererent tempus, donec, etc. *Colum.* 11, 1. *med.* Frustratio cupiditatis.

FRUSTRĀTOR, oris, m. qui frustratur, et decipit. *Symm. ep.* 10, 44. (al. 51.) *extr.* Frustrator judicum, *h. e.* qui judicium subterfugit. *Tryphonin. Dig.* 43, 16, 19. Frustrator debitor constitutus est, *h. e.* qui in mora fuit, et tergiversatus est.

FRUSTRĀTŌRĬUS, a, um, adj. vanus, fallax. *Tert. Anim.* 47. Frustratoria somnia. *Arnob.* 7, 219. Fortasse aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat frustratoriis, levibus, et contemnentibus sumi, *h. e.* frustrantibus, frustra excipientibus. *Modest. Dig.* 22, 1, 41. Frustratoriam morandi causa appellationem interponere.

FRUSTRĀTUS, a, um, part. a *frustror*, qui decepit et elusit. *Liv.* 2, 13. Cloelia frustrata custodes. *Sol.* 1. Frustratus vincula. ℙ Et passiva significatione, a *frustro*. *Vell.* 2, 43. Intellexit frustratum esse visum suum. *Fenestella* ap. *Prisc.* 8, 793. Frustratus a spe. *Vell.* 2, 21. Frustratus spe continuandi consulatus. *Justin.* 8, 3. Variis dilationibus frustratus. [*Lucr.* 4, 973. Cetera sic studia, atque arteis, plerumque videntur. In somneis animos hominum frustrata tenere, i. e. vana inania.] ℙ Cum genitivo. *Gell.* 5, 10. *f.* Captionis versute excogitatae frustratus.

FRUSTRĀTUS, us, m. *Pl. Men.* 4, 3, 21. Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui, *h. e.* quam frustra habeas, decipias.

FRUSTRO, as, avi, atum, a. 1. idem quod frustror. *Caes. fr.* ap. *Diom.* 1, 395. Non frustrabo vos milites. *Pl. Mil.* 3, 3, 9. Ego me frustro. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 44. Qui ventrem frustrarent suum. *Prud. Apoth.* 640. frustrantia dona dare, *h. e.* quae in cassum feruntur. ℙ Passive. *Sall. or. Licin. trib. pl. ad pleb. med.* Ignavissimi quique tenuissima spe frustrantur. *Laber.* ap. *Prisc.* 8, 793. Frustramur, irridemur. V. FRUSTRATUS, a, um.

FRUSTROR, aris, atus sum, dep. 1. *ψεύδομαι*, *ἐξαπατάω*, quippiam exspectantem decipio, fallo, frustra habeo. *Cic. Att.* 12, 18. Coccejus, vide, ne frustretur. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. Si Syriae spes eum frustrata esset. *Liv.* 2, 15. *f.* Nec Tarquinios spe auxilii, quod nullum est in me, frustrabor. *Plin. ep.* 2, 10. Frustrari et differre exspectationem alicujus. Et *ep.* 8, 18. spes hominum improbas. *Ter. Andr.* 2, 2. *extr.* Hospes jam me frustrata est. *Id. prol. Eun.* 14. et *Cic. Acad.* 4, 20. Frustrari se ipsum. *Pl. Amph.* 2, 2, 200. Nescio quis praestigiator hanc frustratur mulierem, i. e. fascinat. ℙ Translate. *Colum.* 1, 1. Imprudenter facta opera frustrantur impensas; et *praef. med.* Ne imbribus imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. *Curt.* 6, 5. In se implicati arborum rami lento vimine frustrabantur ictus. ℙ Passiva significatione V. v. praec. [*Cf. interpretes ad *Liv.* 1, 17. et 7, 38.]

FRUSTŪLENTUS, a, um, adj. frustis plenus, ut Frustulenta aqua, *Pl. Curc.* 2, 3, 34. *h. e.* frustis esculentis immixta.

FRUSTŪLUM, i, n. parvum frustum, *ψωμίον*. *Appul. Met.* 1. p. 110, 34. Ut mihi, prae metu, frustulum panis, quod primum sumpseram, mediis faucibus inhaereret.

FRUSTUM, i, n. *τέμαχος*, rei cujusque particula: est a *fruor*. *Cic. Div.* 1, 15. Necesse est, offa objecta, cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. *Virg. A.* 1, 216. Pars in frusta secant. *Cic. Phil.* 2, 25. Frustis esculentis vinum redolentibus totum tribunal implevit. *M. Cato* ap. *Gell.* 1, 15. Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel

uti loquatur, *h. e.* vili pretio. *Senec. ep.* 89. Philosophiam in partes, non in frustra dividam, dividi enim illam, non concidi, utile est. *Id. Br. V.* 12. *med.* Quanta arte scindantur aves in frusta non enormia. ℙ *Frustum pueri* convicium est. *Pl. Pers.* 5, 2, 67. Loquere tu etiam, frustum pueri?

FRŪTECTŌSUS, a, um, adj. fruticibus abundans, θαμνώδης. *Colum.* 2, 2. Nemorosi frutectosique tractus. *Plin.* 18, 17, 46. Frutectosus et rubricosus locus. ℙ Item fruticosus, *h. e.* ramulis copiosus: et dicitur de plantis. *Plin.* 16, 35, 63. Smilax spinosis frutectosa ramis. Et *ib.* 37, 71. Frutectosi generis sunt rubi. ℙ Legitur et *frutetosus.*

FRŪTECTUM, i, n. θάμνος, locus fruticibus abundans: factum per syncop. a *fruticetum*, ut a *salicetum salictum*, a *caricetum carectum. Colum.* 3, 11. Ager frutectis, aut arboribus obsessus. *Plin.* 25, 2, 6. Rosa silvestris in frutecto. *Prud. contra Symm.* 2, 872. tenebrosis tecta frutectis Semita. *Id. Psych.* 443. attritis pedibus per acuta frutecta. ℙ Pro frutice. *Sol.* 30. *med.* de cinnamo: Id frutectum situ brevi nascitur, ramo humili et depresso. ℙ Dicitur et *frutetum*, nam promiscue in libris legitur. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Frutета igni optime tolluntur.

FRŪTEX, icis, m. θάμνος, planta, quae ad arboris magnitudinem non assurgit, et statura multis herbis similis est: lignosior tamen, et stolonibus, et surculis numerosior, et non demoritur, neque arescit, ut herba. Talis est arundo, rubus, rosa, cinnamum, etc. *Colum. Arbor.* 1. Ex surculo vel arbor procedit, ut olea, ficus; vel frutex, ut rosae, arundines; vel tertium quiddam, quod neque arborem, neque fruticem proprie dixerimus, sicuti est vitis. *Plin.* 16, 36, 64. Arundo circa terram fruticis modo se spargens. *Colum.* 8, 15. *med.* Intersitis buxeis, aut myrteis fruticibus. ℙ Dicitur et de caule, vel ramulo cujuscumque plantae. *Id.* 11, 3. *f.* Matutinis temporibus frutices olerum concutere. *Id.* 2, 15. Frutex lupini succisus. *Plin.* 23, 3, 35. *de olea:* Succus fruticis recentis accensi distillans sanat lichenas. *Id.* 18, 24, 55. Pinguia arva ex uno semine fruticem numerosum fundunt. ℙ Item per synecdochen de quacumque arbore. *Ov. A. Am.* 3, 249. turpe est sine gramine campus, Et sine fronde frutex. *Petr. Sat.* 135. Idaeos frutices in gurgite sistam, Et rursus fluvios in summo vertice ponam. ℙ Item de stirpe arboris. *Suet. Vesp.* 5. Quercus antiqua, per tres Vespasiae partus, singulos repente ramos a frutice dedit. [*i. e. ab infima arboris parte, ubi frutex e radice excreverat. V. *B. Crus.* et *Brem.* ad h. l. *Burm.* conj. a *radice*, quod unice verum putat *Ernest.*] ℙ Praeterea est proprium et peculiare nomen cujusdam arboris in Phrygia. *Plin.* 13, 5, 11. ℙ De frutecto. *Phaedr.* 1, 11. Venari asello comite cum vellet leo, Contexit illum frutice. ℙ Denique est convicium hominis stupidi, ut caudex, stipes. *Pl. Most.* 1, 1, 12. Nec veri simile loqueris, nec verum, frutex, Comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.

FRŪTI. V. FRUTINAL.

FRŪTĪCĀTĬO, onis, f. in arboribus dicitur, cum multos ramos fruticantes producunt, qui stolones appellantur. *Plin.* 17, 1, 1. Ita enim appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis.

FRŪTĪCESCO, is, n. 3. θαμνίζω, frutices emitto. *Plin.* 17, 27, 45. Quia (hae arbores) celeriter fruticescunt.

FRŪTĪCĒTUM, i, n. locus fruticibus plenus, arbusculis sese implicantibus impeditus. *Hor. Od.* 3, 12. *extr.* Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum. *Suet. Ner.* 48. Inter fruticeta ac vepres. V. FRUTECTUM.

FRŪTĬCO, as, n. l. et Fruticor, aris, dep. l. θαμνίζω, frutices emitto, pullulo. *Colum.* 2, 9. Ubi ex uno semine pluribus culmis fruticavit. *Cic. Att.* 15, 4. Excisa est arbor, non evulsa; itaque, quam fruticetur, vides. *Plin.* 19, 8, 40. *n.* 3. Brassica sub omnibus paene foliis fruticat cauliculis peculiaribus. Et *ib.* 5, 29. Inula spatiose fruticat. Et 17, 10, 14. Semina fruticantia supputare. *Sil.* 9, 205. centum Cereri fruticantia culmis rura. ℙ Translate. *Juven.* 9, 15. Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura. *Calp. Ecl.* 6, 37. de cervo: Aspicis, ut fruticat late caput? ℙ Primam syllabam male producit *Tertull. Judic. Dom.* 135. Tempore nuda suo foliis quoque fruticat arbor.

FRŪTĪCOSUS, a, um, adj. θαμνώτης, stolonibus et ramulis abundans, longe lateque fruticans. *Ov. Met.* 6, 344. illic fruticosa legebant Vimina cum juncis. *Plin.* 25, 13, 102. Aizoum fruticosum a radice. *Id.* 13, 6, 12. Terebinthus arbor fruticosa. *Id.* 20, 13, 51. Rutae rami fruticosiores. *Id.* 16, 36, 66. Calamus fruticosissimus. ℙ Item fruticibus abundans, frutectosus. *Ov. Her.* 2, 121. Moesta tamen scopulos, fruticosaque litora calco. *Plin.* 6, 22, 24. Mare fruticosum.

*FRŪTILLĀ, ae, f. illicium Veneris: a *fruor. Gloss. Philox.* Frutilla, ἴυγξ. V. v. seq. *B. A.*

FRŪTĪNAL, templum Veneris fruti. *Fest.*, ubi al. leg. *frutis. Sol.* 2. *med.* Simulacrum dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur. Adde *August. C. D.* 4, 21., ubi tamen alii *Fructesca* leg. Sunt qui putent *Fruti* corruptum esse ex Ἀφροδίτη. Alii censent, legendum *Frucinal* (pro *Fruginal*) templum *Veneris frugi.* Alii denique, *Festum* in mendosos codices incidisse: veram autem lectionem esse, *Erucinal*, *templum Veneris Erycis* vel *Erycinae:* quam e Sicilia Romam advectam ab Aenea, *Sol.* tradit *l. c.* V. ERYCINUS.

FRUX, gis, f. καρπός: vox aliis a *fruendo*, aliis a φρύγω, *torreo*, aliis a βρύω, *germino*, derivata, et saepissime usurpata numero multitudinis, quae significat omnes terrae fructus, quibus ad alimentum utimur, frumenta, legumina, poma, nuces, etc., tametsi de fetibus arborum *Ulp.* dici negat *Dig.* 50, 16, 77., affirmat tamen, id quod ex vino, silvis caeduis, cretifodinis, lapidicinis capitur, *frugis* nomine contineri. *Frugem salis* dixit *Colum.* 10, 353. ℙ Primo dicitur de frumentis et leguminibus. *Plin.* 18, 7, 9. Natura nunc indicabitur frugum: sunt autem duo prima earum genera, frumenta, ut triticum, hordeum; et legumina, ut faba, cicer. ℙ Deinde de fetibus arborum. *Cic. prognost. Div.* 1, 9. Lentiscus triplici solita grandescere fetu, Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi. *Hor. Ep.* 1, 16, 9. quercus et ilex Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra. *Liv.* 5, 33. Dulcedine frugum, maximeque vini voluptate captam. *Cornific.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 55. Fruges arboreae. *Colum.* 9, 1. roburneae. *Id.* 3, 17. Superior pars vitis idonea frugibus. Adde 10, 39. ℙ Aliquando fruges ita usurpantur, ut fructus arborum excludant. *Cic. Div.* 1, 51. et *Senect.* 2. Nec fruges terrae, baccasve arborum natura dedisset, etc. *Id. N. D.* 3, 36. et *Off.* 2, 3. *f.* Ubertas frugum, et fructuum. ℙ Aliquando, ut etiam legumina. *Id. N. D.* 2, 62. Terra feta frugibus, et vario leguminum genere. ℙ Aliquando, ut significent reliquos terrae fructus, frumento excepto. *Ulp. Dig.* 7, 8, 12. Neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque frugibus usurum. ℙ Fere tamen frumenta, et legumina comprehendunt. *Cic. Rosc. Am.* 27. Non omnem frugem in omni agro reperire possis. *Id. Off.* 1, 18. Fruges percipere. *Id. N. D.* 2, 60. *extr.* serere. *Id. Senect.* 15. Viriditas herbescens fundit frugem. *Curt.* 7, 4. Squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit. *Cic. ad Quir.* 8. Frugum ubertas, copia, vilitas. *Hor. Od.* 3, 23, 3. horna fruge placare Lares. *Lucr.* 4, 1086. laticum frugumque cupido, *h. e.* cibi, et potus. ℙ *Minutae fruges* ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 7. sunt legumina, si fides *Servio*, qui ita interpretatur ad *A.* 1, 182. Sed, opinor, fallitur, et intelligenda sunt frumenta minutioris grani, triticum, far, milium: nam ubicumque decumarum Siciliensium mentio fit, *frumentum* a *Cic.* nominatur. Nisi malis dicere, omnia ibi grana intelligi, quae e terra nascuntur, quia si cum arborum fetibus comparentur, minuta sunt. Porro *Cic. l. c.* verba sunt: L. Octavio, C. Cottae coss. senatus permisit, ut vini et olei decumas, et frugum minutarum, quas ante te quaestores in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent. Sic *Ammian.* 23, 6. Persis habitatur antiqua, minutis frugibus dives, et palmite. ℙ Translate. *Quint.* 1, 3. Illud ingeniorum velut praecox genus, non temere unquam pervenit ad frugem. *Cic. Coel.* 31. *f.* Quae in adolescentia, tanquam in herbis, significant, quanta virtutis maturitas, et quantae fruges industriae sint futurae. *Sever. Aetn.* 272. Implendus sibi quisque bonis est artibus: illae Sunt animi fruges. ℙ Quia *fruges* sunt optimum, quod terra creat, ut ait *Cic. Tusc.* 3, 8., ideo saepe de re optima dicuntur. *Pers.* 5, 64. Cultor enim juvenum purgatas inseris aures Fruge Cleanthea, *h. e.* optimis praeceptis moralis philosophiae ex disciplina Cleanthis. *Hor. A. P.* 341. Centuriae seniorum agitant expertia frugis, *h. e.* carmina vacua, et inania moralis institutionis, rerumque seriarum. ℙ Saepe refertur ad rectam honestamque vivendi rationem. *Cic. Coel.* 12. Emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse. *Pl. Trin.* 1, 2, 81. Quin adolescentem, quem esse corruptum vides, restituis? quin ad frugem corrigis? Et *Bacch.* 4, 10, 10. ad frugem compellere. Et *Trin.* 2, 1, 34. ad frugem applicare animum. *Id. Poen.* 4, 2, 79. frugem facere. *Gell.* 13, 27. Multa ad bonam frugem ducentia, in eo libro scripta sunt. ℙ Item ad ingenium, facultatem, artem, scientiam. *Appul. Met.* 6. p. 177, 13. Videris mihi tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri; jam ergo et ipsa frugem tuam periclitabor. ℙ Hinc est *homo frugi*, de quo V. FRUGI. ℙ In recto singulari rarum est et antiquum. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 724, Si jam data sit frux. *Id. ib.* Dictum factumque facit frux, *h. e.* homo frugi. *Auson. monosyllab. de cibis.* Spicea frux. ℙ *Varr. L. L.* 8, 46. docet, ut *haec avis*, *ovis*, sic *haec frugis* secundum consuetudinem dici. Nullum tamen praeterea hujus rei exemplum vidimus.

FU

FU. V. PHU.

FŪAM, as, at, pro *sim* vel *fuerim*, poeticum est et fere comicum. Docent grammatici, esse ab antiquo *fuo* pro *sum*, a φύω: unde praeteritum *fui. Lucr.* 4, 638. aliis fuat acre venenum. *Virg. A.* 10, 108. Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. *Ter. Hec.* 4, 3, 4. Fors fuat pol. *Pl. Mil.* 2, 6. *f.* Ibo intro, ne, dum absum, illis sortito fuam. *Id. Capt.* 2, 3, 71. Caveto, mihi iratus fuas. *Id. Ps.* 4, 3, 12. Ne capti praedones fuant. In *vet. plebiscito* ap. *Censorin. de die nat.* 24. Praetor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat. Adde *Pacuv.*, *Titin.* etc. ap. *Non.* 2, 330. [**Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 65. *B. A.*] ℙ Legitur et *fueret* pro *esset. Lucr.* 3, 849. In dubio fueret, utrorum, etc. ℙ Pro *fui* in praeter. *fuvi* dixit *Enn.* metri causa, opinor, ap. *Cic. Or.* 3, 42. Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini. *Id.* ap. *Gell.* 12, 4. magnam cum lassu' dici Partem fuvisset. *Pl. Poen. prol.* 110. Quo genere nata, qui parentes fuverint. Al. leg. *fuerint.*

FŪCAE, arum, f. plur. *Colum.* 10, 125. Ponitur et lactis gustum quae condiat, herba, Dejectura quidem fronti data signa fucarum: Vimque suam idcirco profitetur nomine Grajo. Ita quidam lexicographi, et interpretantur maculas in facie. Sed legendum est *fugarum:* et est metonymia. Loquitur enim *Colum.* de herba *lepidio*, quae vim habet tollendi stigmata inusta in frontibus servorum fugitivorum: ut *Plin.* 20, 17, 70. docet, unde et nomen habet: nam λεπὶς, squamam, et ulcus cutis significat. Hinc etiam *Xenoph. H. Gr.* 5, 2. φυγὴν dixit pro φυγάδας. *Fugarum* in plurali dixit etiam *Sil.* 17, 148. V. FUGA.

FŪCĀTE, adv. cum fuco. *Auson.* in prosa post *Idyll. ad Hesper. fil.* 3. Fucatius concinnata carmina.

FŪCĀTUS, a, um, part. a *fuco*, fuco illitus, φυκωθείς. *Virg. G.* 4, 334. Milesia vellera Nymphae Carpebant, hyali saturo fucata colore. *Tac. A.* 2, 14. Non loricam Germano, nec galeam, sed tenues et fucatas colore tabulas. *Quint. prooem.* 8. *med.* Corpora vulsa et fucata muliebriter. *Hor. Epod.* 12, 11. Color stercore fucatus crocodili. ℙ Translate est simulatus, fictus, fallax: cui opponitur simplex, sincerus, verus. *Cic. Amic.* 25. Secernere fucata et simulata a sinceris et veris. *Id. Brut.* 9. Succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *Id Or.* 23. Fucati medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo et munditia remanebit. *Id. Planc.* 12. Haec sunt signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. Et 9. fucatus et fallax. *Id. Mur.* 12. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia: quando te in jure conspicio, etc. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 17. Puer subdolae ac fucatae vernilitatis. *Gell.* 13, 26. Versus Homeri simplicior et sincerior, Virgilii, quodam quasi ferrumine immisso, fucatior.

*FŪCENTES, ium, populi Italiae, in Marsis, ad Fucinum paludem. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

FŪCĬLIS, falsa: dicta quasi fucata. *Festus.*

FŪCĪNUS, i, m. *lago di Celano, di Marso, di Tagliacozzo*, lacus Latii, in finibus Marsorum, cujus emissarium a Claudio Aug. effossum fuit. V. EMISSARIUM. *Virg. A.* 7, 759. Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus. [*Adde *Suet. Claud.* 20. *Mart. Spectac. epigr.* 28, 11. *Liv.* 4, 57. *Tac. A.* 12, 56. *Plin.* 3, 12. et 36, 15. *B. A.*] ℙ [Fucinus pro numine habitus est, eique templum ad ipsum lacum exstructum fuisse probat *Inscr.* ap. *Romanelli, Topogr. Napol. T.* 3. p. 195. C. Gavius L. F. Veredus Fucino V. S. L. M. *F.*]

FŪCO, as, avi, atum, a. l. φυκόω, fuco inficio, tingo, pingo, facticium colorem induco. *Virg. G.* 2, 465. Alba nec Assyrio fucatur lana veneno. *Ov. Trist.* 2, 487. Composita est aliis fucandi cura coloris. Al. leg. *fuscandi. Nemes. Cyn.* 309. pinnas vario fucare veneno. *Claud. Laud. Stil.* 3, 350. spumis fucantem serica frena Sanguineis flectebat equum. ℙ Translate. *Gell.* 7, 14. Unumquodque genus (*dicendi*) cum caste pudiceque ornatur, fit illustrius: cum fucatur atque praelinitur, fit praestigiosum. Adde locum *Vet. Poetae* in BASTERNA.

FŪCOSUS, a, um, adj. φυκωθείς, fucatus, fictus, non sincerus, adulteratus: quasi fuco abundans. *Cic. Rabir. Post.* 13. Merces fallaces et fucosae, chartis, et linteis, et vitro delatae. *Id. Att.* 1, 18. Illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent.

FŪCUS, i, m. φῦκος, [**Lichen rocella L., Orseille, eine Steinflechte.*] frutex marinus triplicis generis, ut describit *Plin.* 13, 25, 48., quo circa Cretam nascente purpuras quoque inficiunt. *Id.* 26, 10, 66. docet, in facienda purpura moris fuisse, ut antequam conchylii color induceretur, hujus fruticis tinctura lana imbueretur. ℙ Hinc fa-

ctum est aliquando nomen ipsi purpurae. *Val. Fl.* 1, 427. Illis Taenario pariter tremit ignea fuco Purpura. *Ov. Met.* 6, 222. Tyrio rubentia fuco terga. *Tibull.* 4, 2, 15. cui mollia caris Vellera det fucis bis madefacta Tyros. ℙ Saepius colori purpuram imitanti. *Plin.* 22, 2, 3. Infici vestes scimus admirabili fuco. *Hor. Ep.* 1, 10, 27. qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum. ℙ Item generatim cuicumque colori non sincero et naturali, sed facticio et arte inducto ad verum imitandum, qualis est v. gr. quo mulieres faciem tingunt ad augendam pulcritudinem, etc. *Prop.* 2, 14, 27. An, si caeruleo quaedam sua tempora fuco Tinxerit, idcirco caerula forma bona est? *Quint.* 2, 15. Mangones, qui colorem fuco mentiuntur. *Pl. Most.* 1, 3, 118. Vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco occulunt. *Plin.* 31, 7, 42. Adulteratur tingiturque rubrica, aut plerumque testa trita: qui fucus aqua deprehenditur diluente facticium colorem. ℙ Invenitur etiam simpliciter positum pro colore. *Lucr.* 2, 740. Nam cum caecigeni cognoscant corpora tactu, Ex ineunte aevo nullo contincta colore; Scire licet, menti quoque nostrae corpora posse Verti in notitiam nullo circumlita fuco. ℙ Translate dicitur de quovis ornamento extrinseco, levi, simulato, et in speciem quidem pulcro, sed quod facile deprehendatur. *Cic. Or.* 3, 52. His tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Et *ib.* 2, 45. Sententiae tam verae, tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili. *Quint.* 8, 3. Sed hic ornatus *(orationis)* non fuco eminentem colorem amet; sanguine et viribus niteat. *Hor. Sat.* 1, 2, 83. mercem sine fucis gestat; aperte, Quod venale habet, ostendit. ℙ Item pro simulatione et fallacia. *Cic. Att.* 1, 1. Prensat unus P. Galba sine fuco ac fallaciis, more majorum. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Si eum qui tibi promiserit, fucum, ut dicitur, facere audieris. (Adde *Ter. Eun.* 3, 5, 41.) *Pl. Capt.* 3, 3, 6. Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est. ℙ Est etiam *fucus* genus insecti, apis similitudine. *Plin.* 11, 11, 10. Sunt autem fuci sine aculeo, velut imperfectae apes, novissimaeque, a fessis et jam emeritis inchoatae, serotinus fetus, et quasi servitia verarum apium: quamobrem imperant iis, etc. cum mella coeperunt maturescere, abigunt eos, etc. nec id genus, nisi vere conspicitur. *Virg. G.* 4, 244. Immunisque sedens aliena ad pabula fucus. Et 167. agmine facto, Ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent. Adde *Colum.* 9, 15. ℙ Denique sic dicitur genus glutinis, quo apes alvearia circumlinunt, idem ac propolis, quam vocem vide suo loco. *Virg. G.* 4, 38. tenuia cera Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras Explent. *Servius* ait, esse genus herbae, unde tinguntur vestes.

FUE, interjectio ructum emittentis. *Pl. Most.* 1, 1, 37. Quam confidenter loquitur! fue. *Tr.* at te Juppiter Diique omnes perdant! oboluisti allium. V. FI et PHU.

FUEREM. V. in FUAM.

*FUFIA GENS, unde plures memorat *Cicero*, apud quem *Fusii* in horum locum saepe libros occuparunt. Notus in primis Q. Fufius Calenus, a quo *lex Fufia* de comitiis, *ne omnibus diebus fastis legem ferri liceret. Cic. post. red. in senat. in Vatin.* 5. 7. et 9. *Provinc. Cons.* 19. *Sext.* 15. *Pis.* 4. *Harusp. resp.* 27. *Attic.* 1, 14. et 16. et 4, 16. *med.* ℙ Fuit et Fufius tragoedus, de quo *Hor. Sat.* 2, 3, 60. ubi alii leg. *Fusius.* V. *Fusius. B. A.*

*FUFIDIUS, i, homo dives, de quo *Hor. Sat.* 1, 2, 12. ℙ Item orator, cujus meminit *Cic.* in *Bruto* c. 113. Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. Fortasse idem Jurisconsultus, cujus auctoritate *Paul.* usus est in l. *Fufidius D. de bon. auct. judic. poss. B. A.*

FUFIDIĀNUS, a, um, adj. ad Fufidium (nomen civis R.) pertinens, ut Fufidiani coheredes, *Cic. Att.* 11, 13.

FŪGA, ae, f. *φυγή*, fugiendi actus: a voce Graeca allata. *Cic. Att.* 7, 21. Mitto illam fugam ab urbe turpissimam. Et 20. Hortari ad fugam. Et *ib.* Fugam intercludere. *Nep. Dat.* 2. Fuga periculum evitare. *Id. Ann.* 11. Fuga salutem petere. *Id. Ages.* 4. Ex fuga conjicere se in templum. *Caes. B. G.* 1, 11. Fuga se ad aliquem recipere. Et 52. Hostium acies in fugam convertitur. Et *ib.* 2, 23. Hostes in fugam dare. Et *Justin.* 16, 2. agere. Et *Liv.* 7, 34. movere. *Virg. A.* 12, 367. fugam dant nubila coelo. *Caes. B. G.* 2, 24. Aliam in partem fugam petere. Et 11. In fuga sibi subsidium ponere. Et 12. Ex terrore et fuga se recipere. Et *ib.* 7, 26. Fugam capere. *Hirt. B. Afr.* 34. Commendare se fugae. *Vell.* 2, 72. Fugae se committere. *Cic. Att.* 7, 23. Dare se incertae et periculosae fugae. *Id. Verr.* 2, 4, 43. *f.* Dare se in fugam. *Id. Coel.* 26. *f.* In fugam se conjicere. Et *Caecin.* 8. se conferre. *Id. Att.* 7, 23. et 24. Esse in fuga. *Id. Rabir. perd.* 8. In fugam impellere. Et *Dom.* 25. Facere fugam, i. e. efficere. [*Liv. 1, 56. Anguis — quum terrorem fugamque in regiam fecisset.] Contra *Sall. Jug.* 57. Numidae fugam faciunt, i. e. fugiunt. [*Liv. 8, 9. Consternatae cohortes Latinorum fugam et vastitatem late fecerunt. Adde *Ter. Eun.* 4, 7, 17.] *Virg. A.* 1, 141. fugam maturare. Et *ib.* 9, 378. celerare in silvas. Et *ib.* 2, 109. moliri. *Cic. Att.* 7, 26. parare. *Virg. A.* 2, 640. agitare. Et *ib.* 9, 719. immittere alicui fugam, *h. e.* fugiendi cupiditatem. *Liv.* 7, 37. *f.* et *Curt.* 5, 12. *Val. Fl.* 5, 272. rapere, *h. e.* celeriter intendere. *Ov. Met.* 1, 511. incapere. Et 8, 144. sistere. *Ov. Met.* 1, 511. inhiberc. *Cic. Att.* 7. *ult.* reprimere. *Ov. Pont.* 3, 2, 8. terga praebere fugae. *Liv.* 10, 44. Consternari in fugam. [*Liv. 1, 30. Fuga explicatur, i. e. fugientes. Etiam de loco, per quem fuga datur, accipiendum. Ita *Liv.* 27, 18. Eam quoque se illis fugam clausurum.] ℙ In plurali num. *Sil.* 17, 148. notusque fugarum Vertit terga citus damnatis Asdrubal ausis, *h. e.* notus quia non semel fugerat. V. FUCAE. ℙ Sumitur et pro discessu a patria et exsilio. *Cic. Or.* 3, 3. Cum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur. *Ov. Pont.* 2, 8, 68. Vos eritis nostrae portus et ara fugae. *Tac. A.* 14, 64. Quoties fugas et caedes jussit princeps. Hinc *lata fuga*, de qua V. in EXSILIUM. ℙ Item pro cursu. *Virg. A.* 1, 321. volucremque fuga praevertitur Hebrum. *Val. Fl.* 3, 584. tali se concitat ardens In juga senta fuga. *Hor. Od.* 3, 30, 5. Annorum series, et fuga temporum. *Virg. A.* 4, 430. Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes, *h. e.* navigationem. *Id. ib.* 7, 23. Neptunus ventis implevit vela secundis, Atque fugam dedit. Adde *Sil.* 3, 308. ℙ Item pro evitatione, declinatione. *Liv.* 3, 67. Hanc ignominiam vel exsilio, vel morte, si alia fuga honoris non esset, vitassem. *Cic. Mur.* 4. Fuga laboris desidiam coarguit. *Hor. Ep.* 1, 6, 29. morbi. *Id. A. P.* 31. culpae. *Virg. G.* 4, 413. ubi nulla fugam reperit pellacia. *Cic. Or.* 45. *Axilla Ala* factus est, fuga litterae vastioris. [*Adde *Hor Sat.* 2, 6, 95. leti. *Ep.* 1, 18, 24. paupertatis. *Virg. A.* 8, 251. Neque enim fuga jam super ulla pericli.]

*FŪGACĬTAS, atis, f. idem ac fuga. *Gloss. Phil.* Fugacitas, *φυγή. B. A.*

FŪGĀCĬTER, adv. saepe et facile fugiendo. *Liv.* 28, 8. Vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum.

FŪGĀLĬA, ium, n. plur *φύγια*, festa, quae Romae celebrabantur VI. K. Mart. post Terminalia, in memoriam fugatorum regum, effusa omni licentia turpitudinis, ut ait *August. C. D.* 2, 6. V. REGIFUGIUM. ℙ Alii censent, fuisse sacra, quae exsules in Jovis honorem faciebant, quia *Ζεὺς φύγιος* praeses exsulum habebatur, qui *φυγάδες* appellantur a *φεύγω*, fugio.

*FŪGĀTĬO, onis, f. Laudatur *Martian. Capell. B. A.*

FŪGĀTOR, oris, m. qui fugat. *Tert. adv. Marc. carm.* 5, 10. Mundator carnis serae mortisque fugator.

FŪGĀTRIX, icis, f. quae fugat. *Tert. adv. Gnost.* 12. Dilectio fugatrix timoris.

FŪGĀTUS, a, um, part. a *fugo. Cic. Off.* 3, 31. *extr.* Latini fusi et fugati. *Caes. B. G.* 7, 68. Fugato equitatu. *Ov. Pont.* 4, 14, 59. et *Val. Fl.* 5, 234. Fugatus patria sede *Lucr.* 3, 48. longe fugatus ex hominum conspectu.

FŪGAX, acis, adj. omn. gen. *φευκτικὸς*, qui facile fugit. *Virg. A.* 10, 725. Fugax caprea. Et *ib.* 9, 591. feras terrere fugaces. *Liv.* 5, 28. Ignavissimus et fugacissimus hostis. ℙ Item simpliciter fugiens. *Hor. Od.* 3, 2, 14. Mors et fugacem consequitur virum. Et *ib.* 3, 12. Lympha fugax. ℙ Est etiam convicium servi fugitivi *Pl. Pers.* 3, 3, 16. Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax. ℙ Item velox, celer. *Ov. Met.* 13, 807. ventis volucrique fugacior aura. ℙ Translate est cito praeteriens, cito finem habens. *Hor. Od.* 2, 14, 1. Fugaces labuntur anni. *Plin.* 15, 12, 11. de persicis: Non aliud pomum fugacius. *Cic. Fam.* 10, 12. *f.* Haec omnia, quae habent speciem gloriae, brevia, fugacia, caduca existima. Al. leg. *fucata. Plin. carm. l.* 7. *ep.* 4. Fugaces blanditiae. *Senec. ep.* 74. *med.* Fugacissima bona. ℙ Item devitans, declinans. *Id. Benef.* 4, 32. Fugacissimus gloriae. *Ov. Trist.* 4, 10, 38. Sollicitaeque fugax ambitionis eram. Et *ib.* 3, 2, 9. fugax rerum securaque in otia natus.

FŪGĔLA, ae, f. *φυγή*, idem quod fuga, cursus, vel potius studium fugiendi: ea forma, qua *tutela, cautela*, et similia. *Cato* ap. *Prisc.* 3, 601. Ab optimis artibus fugit quam maxima fugela, perpetuissimo curriculo. *Appul. Apol.* p. 336, 8. Ab iis nunc magna fugela in ganeum fugit.

FŪGIENS, entis, part. a *fugio, φεύγων*, qui fugit et declinat. *Caes. B. C.* 1, 69. Nemo erat adeo tardus, et fugiens laboris. *Ter. Andr.* 5, 4, 33. Fugiens bellum. *Hor. Ep.* 1, 1, 46. pauperiem. *Id. Od.* 3, 29, 47. Fugiens hora, *h. e.* cito praeteriens. Sic *Catull.* 68, 43. Fugiens aetas. *Hor. Sat.* 1, 2, 108. meus amor Transvolat in medio posita, et frugientia captat, *h. e.* res fugaces et capi difficiles. ℙ *Mensis fugiens*, *h. e.* ad finem properans. *Ov. Fast.* 5, 186. *Dies fugiens*, *h. e.* vesper. *Senec. Thyest.* 614. et Dies veniens. *Id. ib.* [*Lucr. 5, 885. Fugiens vita.] ℙ Oculi fugientes. V. LABENS. [*Latius patet hic dicendi usus. Exempla haec sunto: *Quint. Inst.* 6-*prooem.* 12. Tum fugientem spiritum vidi. *Id. Decl.* 2, 18. p. 55. Et fugiens per vulnus anima agit ante se anhelitus; et 328. p. 705. Expressa vox est jam fugientis animae. *Lucr.* 3, 231. (Anima) quoniam fugiens nil ponderis aufert.] ℙ *Prop.* 4, 6, 15. Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus, *h. e.* recedens, secedens: simile illi *Virg. A.* 1, 163. Est in secessu longo locus: insula portum Efficit objectu laterum. ℙ *Vinum fugiens* est quod non fert aetatem, sed cito corrumpitur. *Cic. Off.* 3, 23. ℙ Ut Graeci *φεύγοντα* reum vocant: ut *φεύγοντα φόνου*, reum caedis; *ὕβρεως*, injuriae, (ubi videtur subaudiri *δίκην*) quia qui revera sunt rei, judicium declinant; ita *fugientem* pro reo posuit *Justin. Cod.* 2, 59, 2.

FŪGIO, is, ūgi, a. 3. *φεύγω*, cursu et celeriter discedo: a Graeca voce allata, extrita priori vocali diphthongi. *Caes. B. G.* 1, 53. Nec prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum pervenerunt. Et *ib.* 7, 66. Fugere in provinciam Romanos. Et *B. C.* 3, 29. Otacilius oppido fugit et ad Pompejum pervenit. *Petr. Sat.* 7. Per medium lupanar fugere coepi in aliam partem. *Ter. Hec.* 1, 2, 107. Fugere e conspectu. *Petr. Sat.* 136. Fugere ad coelum. [*Virg. Ecl. 3, 65. Et fugit ad faciles. *Tibull.* 2, 6, 33. Illius ad tumulum fugiam. *Virg. A.* 12, 256. Ales — penitusque in nubila fugit, i. e. surgit, ita, ut conspici nequeat. Hinc *Sil.* 15, 175. Fugiunt in nubila silvae Pyrenes, i. e. adscendunt, eriguntur in altum. *Virg. G.* 3, 543. Fugiunt phocae in flumina.] *Cic. Fam.* 10, 14. ex proelio. *Mart.* 9, 89. Aper fugit de cavea. *Ov. Trist.* 1, 5, 66. Fugere a patria. *Pl. Pers.* 3, 3, 30. Extemplo a foro fugiunt. *Plin.* 35, 3, 5. Fugiens a Corintho injuriam tyranni. *Hor. Od.* 1, 7, 22, Teucer Salamina, patremque Cum fugeret. [*Ita saepissime *fugere*, ut Gr. *φεύγειν*, de iis dicitur, qui vel sponte vel jussi in exilium migrant. Adde *Virg. E.* 1, 4. Fugimus patriam. *Quint. Inst.* 6, 1, 19. Fugiendum de civitate, cedendum bonis, etc. V. et FUGA.] *Hor. Sat.* 1, 4, 34. Foenum habet in cornu: longe fuge. *Curt.* 8, 14. *med.* Fugere acrius coepit. *Id.* 7, 2. Miser, quo, aut unde fugiebas? *Ter. Ad.* 4, 1, 22. Fugere intro. *Val. Fl.* 1, 147. Fugere equo. *Id.* 8, 426. rate. ℙ Ponitur et pro simplici curro, celeriter praetereo, feror. *Virg. G.* 3, 284. Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. *Sen. ep.* 108. *med.* Nunquam Virgilius diem dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est. *Sen. Herc. fur.* 994. medio spiculum collo fugit, vulnere relicto. *Val. Fl.* 3, 135. et pectus arundo Per medium contenta fugit. *Stat. Th.* 9, 770. nullum sine vulnere fugit Missile. *Val. Fl.* 5, 103. ratis fugit omne Crobiali latus, *h. e.* praeternavigat. Adde *Hor. Sat.* 2, 7, 35. [*Hic locus huc non pertinet; longe praeferenda lectio est: *furitque*. Ista videntur aptius commemorari *Virg. A.* 12, 753. Mille fugit refugitque vias. *Id. G.* 3, 461. sq. Acerque Gelanus quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum: ubi *fugere* significat vagos errores populi, sedes suas semper mutantis. Cf. *Sil.* 16, 335. — Dicitur etiam de flumine: *Virg. G.* 4, 19. Fugiens per gramina rivus; ubi v. *Burm.*] ℙ Significat etiam devitare, declinare, recusare. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Sentio, judices, moderandum mihi esse jam orationi meae, fugiendamque vestram satietatem. *Id. Or.* 56. Vitiosum genus longa animi oratione fugiendum. [*Id. Off.* 1, 35, 128. Ab omni, quod abhorret ab aurium oculorumque comprobatione fugiamus. *Coll. N. D.* 3, 13, 33. Et omne animal appetit quaedam et fugit a quibusdam; q. l. frustra sollicitavit cum *Lambino Heindf.*] *Caes. B. C.* 1, 19. Fugere concilia conventusque hominum. *Liv.* 8, 33. judicium senatus. *Id.* 9, 1. aliquem judicem. [*Virg. Ecl. 3, 53. Nec quemquam fugio, i. e. judicem refugio.] *Ter. Heaut.* 1, 1, 114. laborem. *Id. Andr.* 4, 4, 27. nuptias. *Ov. Met.* 14, 287. data pocula. [*Id. ib. 15, 323. Vina fugit. — Prae ceteris multus est in h. v. usu *Quint.* V. *Inst.* 2, 17, 15. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Cf. *ib.* 12, 2, 24. 1, 2, 16. Sed ut fugiendae sint magnae scholae. Adde *Ov. Fast.* 3, 303. Sed cur praecipue fugiat velamina Faunus. Sic usurpatur in rebus amatoriis *Id. Met.* 1, 474. Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis. *Id. ib.* 10, 565. Fuge conjugis usum. *Ib.* 14, 69. Fugere connubia. *Tibull.* 1, 9, 74. Fugit puella amplexus senis. *Hor. Od.* 3, 7, 18. Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens.] ℙ Item cavere, omittere, cum infinito. *Hor. Od.* 1, 9, 13. Quid sit futurum cras, fuge quaerere. [*Cf. *id. ep.* 2, 2, 150. sq.] *Tibull.* 1, 4, 69. O fuge te tenerae puerorum credere turbae. *Ov. Her.* 9, 75. Non fugis, Alcide, victricem mille laborum Rasilibus calathis imposuisse manum! *h. e.* non aspernaris! non abhorres! [*Lucr. 1, 1051. Fuge longe credere.

Virg. A. 9, 200. Mene igitur socium summis adjungere rebus, Niso, fugis? Ita Gr. quoque φεύγειν c. inf. ponere solent.] ℙ Pro confugere. *Petr. Sat.* 132. Ad verba, magis quae poterant nocere, fugi. ℙ Pro evanescere, abire, perire. *Val. Fl.* 3, 179. jam candor, et anni Deficiunt, vitaque fugit decus omne soluta. *Ov. Her.* 11, 27. Fugerat ore color: macies adduxerat artus. *Id. A. Am.* 2, 556. fugit ab ore pudor. [*Liv.* 9, 44. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an, etc. *Prop.* 1, 12, 12. Quantus in exiguo tempore fugit amor. *Ov. Fast.* 6, 730. E pratis cana pruina fugit. *Id. Met.* 1, 739. Fugiunt e corpore setae. *Virg. E.* 9, 54. Vox fugit, i. e. deficit. — Ita saepissime solet usurpari de stellis, cum nubibus tectae obscurantur. *Ov. Fast.* 4, 487. Solque locum fugit. Cf. *ib.* 2, 493. *Met.* 10, 448. et *al.* — Pertinet etiam ad vires deficientes. *Ov. Met.* 7, 859. Fugiunt cum sanguine vires. *Cir.* 448. Jam fessae tandem fugiunt de corpore vires. — Item ad morientes *Virg. A.* 11, 831. Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras; ubi v. intprr., qui comp. Homericum illud ψυχὴ δ' ἐξ ῥεθέων, etc. V. et in FUGIENS. — Hinc transfertur ad fructus, nimiam ob maturitatem fracescentes. *Sen. ep.* 12. Gratissima sunt poma, cum fugiunt.] ℙ *Hoc me fugit* est, me latet, memoria excidit, ignoro. *Cic. Att.* 7, 18. De Dionysio fugit me ad te antea scribere. Et *ib.* 12, 42. Illud alterum quam sit difficile, te non fugit. Et *Or.* 1, 59. *extr.* Non fugisset hoc Graecos homines, si ita necesse esse arbitrati essent. *Id. Manil.* 10. *extr.* Nullam rem esse in usu militari positam, quae hujus viri scientiam fugere possit. *Gell.* 1, 18. *extr.* Ea res fugit Varronis memoriam. [*Virg. G.* 2, 265. Si quos haud ulla viros vigilantia fugit. *Ov. Met.* 11, 624. Quem cura fugit. *Virg. A.* 11, 436. Non adeo has exosa manus victoria fugit. ℙ Cum dat. *Id. G.* 3, 66. Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit. *Prop.* 1, 5, 17. Et quaecunque voles fugient tibi verba querenti. *Sil.* 2, 465. Jam lumina retro Exesis fugere genis: *die Augen fallen ein.*] ℙ *Fugere aciem, visum* dicuntur, quae cerni non possunt. *Cic. Tusc.* 1, 22. Tanta est animi tenuitas, ut fugiat aciem. *Ov. Fast.* 2, 80. Delphin fugiet visus nocte sequente tuos. ℙ Paenultima praeteriti corripitur ab *Albin.* 2, 23. Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo, Quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit. Nisi dicas esse tempus pro tempore. ℙ Passive impersonaliter. *Lucan.* 1, 504. sic urbe relicta In bellum fugitur. *Stat. Ach.* 2, 424. Nunc caput aerii scandentem prendere montis, Quo fugitur per plana gradu, *h. e.* curritur, properatur. ℙ Personaliter. *Stat. Th.* 7, 139. sic litora vento Incipiente fremunt, fugitur cum portus ubique. *Cic. Leg.* 1, 11. Mors fugitur, vita expetitur. Adde *Auct.* ad *Her.* 4, 38. *extr. Stat. Th.* 4, 285. et *Lucan.* 1, 166. ℙ [*Permutantur in cdd. *fugere* et *effugere* et *aufugere.* V. *intpp.* ad *Prop.* 1, 9, 30.]

FŪGĬTANS, antis, part. a *fugito. Ter. Ph.* 3, 18. Herus meus liberalis est et fugitans litium.

*FŪGĬTĀTĬO, onis f. *JCt.* in *Digest.* et *fugitator, oris*, m. ap. *Firmic. B. A.*

FŪGĬTĪVĀRĬUS, ii, m. *Fugitivarii* ap. antiquos fugitivorum servorum conquisitores erant, qui eam operam profitebantur, ut fugitivos investigatos reducerent. *Flor.* 3, 19. Qui per fugitivarios retrahi debuissent. Adde *Ulp. Dig.* 19, 5, 18. ℙ *Fugitivarius* item dicitur, qui servum fugitivum occultat. *Imp. Valent. Cod. Theod.* 10, 12, 1. Poena, quae de occultatoribus et fugitivariis data est. ℙ Translate dicitur de quocumque, qui rem fugientem cohibet, et persequitur. *Varr. R. R.* 3, 14. de cochleis: Aqua, inquam, claudendae, ne fugitivarius sit parandus: *idest*, ne, si locus fugae pateat cochleis, cogaris postea, tanquam fugitivos servos, sic cochleas fugitivas persequi, et uti ministerio fugitivariorum.

FŪGĪTĪVUS, a, um, adj. δραπέτης, qui fugit. *Ter. Heaut.* 4, 2, 11. Retraham me ad illud fugitivum argentum. *Flor.* 3, 1. Jugurtha finium suorum regnique fugitivus. *Hor. Sat.* 2, 7, 113. teque ipsum vitas fugitivus et erro. [*De discrimine inter *fugitivus* et *erro* v. *Heindf.* ad h. l.] *Plin. ep.* 9, 28. Polliceris, futurum te fugitivum rei familiaris, statimque ad nos evolaturum. *Ov. R. A.* 643. fugitivus amor. Al. leg. *finitus. Mart.* 7, 47. Fugitiva gaudia. *Plin.* 18, 16, 41. In tantum columbis grata, ut pastas ea, negent illius loci fugitivas fieri. ℙ *Fugitivus servus* et absolute *fugitivus* dicitur, qui a domino ea mente recedit, ne ad eum redeat, etiamsi, mutato postea consilio, ad eum revertatur, ut ex *Coelio* docet *Ulp. Dig.* 21, 1, 17., qua in lege multa hac de re. [*Hor. Ep.* 1, 10, 10. Utque sacerdotis fugitivus liba recuso, *h. e.* qui a sacerdote fugit, penes quem liba vulgaria sunt. *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr. T.* 1. p. 67. Minervinus fug*itivus* Italici mil*itis* tesser*arii* Coh. XII. VRB. *F.*] *Cic. Tusc.* 5, 22. Vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris. *Liv.* 38, 38. Servos seu fugitivos, seu bello captos reddito Romanis. [*Id.* 30, 43. *extr.* Perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt. *Id. fr. l.* 91. (ed. *Niebuhrio*) p. 91. Transfugas liberos vivos ad se adduci jussit; fugitivos, quorum major multitudo erat, ipsis imperavit ut interficerent. *F.*] [*V. *Brisson.* de *Verb. signif.* v. *fugitivus.*] ℙ Dicitur aliquando de milite fugiente, qui fere aut *perfuga* aut *transfuga* appellatur. *Claud. Saturn. Dig.* 48, 19, 16. Tempus discernit emansorem a fugitivo. [*Caes. B. G.* 1, 23. Ea res per fugitivos L. Aemilii hostibus nunciatur. Conjungit *transfugas* et *fugitivos Liv.* 30, 43, 11.]

FŪGĬTO, as, avi, atum, n. l. δραπετεύω, frequentativum a *fugio. Ter. Eun.* 5, 2, 7. Ita miserrimus fui fugitando, ne quis me cognosceret. ℙ Item declino, devito. *Phaedr.* 1, 2. Fugitare necem. *Pl. Capt.* 1, 2, 53. Fugitant omnes hanc provinciam. *Cic. Rosc. Am.* 28. Qui quaestionem fugitant, bona possident. [*Hinc sq. infin. i. q. nolle. *Lucr.* 1, 659. Et fugitant (ignes) in rebus inane relinquere purum. Adde 6, 1237.] ℙ Est etiam frequentativum a *fugo:* rarum tamen. *Auct. prol. Ps. Pl.* 7. Semper odistis malos, et lege et legionibus Hos fugitastis, Quirites, successis bonis. At critici hunc prologum suppositicium putant.

FŪGĬTOR, oris, m. qui fugit. *Pl. Trin.* 3, 2, 97. Credo, acrem fugitorem fore.

FŪGO, as, avi, atum, a. l. τρέπω εἰς φυγήν, in fugam aliquem converto, et fugientem insequor, expello, ejicio. *Cic. Har. resp.* 4. Armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret. *Id. Caecin.* 12. Qui homines inermes armis, viris, terrore repulerit, fugarit, averterit. *Sall. Jug.* 62. Numidas maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Et 24. Hostes semisomnos fugare et fundere. *Vell.* 46, 2. *in f.* Ut Parthos in Syriam transgressos fugaret ac funderet. *Hor. Od.* 3, 21. *extr.* Dum rediens fugat astra Phoebus. *Id. A. P. f.* Indoctum doctumque fugat recitator acerbus. *Prop.* 3, 2, 11. Annibalemque Lares Romana sede fugantes. *Lucan.* 8, 93. cunctosque fugavi A causa meliore Deos. *Ov. Met.* 13, 8. Fugare flammas a classe. *Id. A. Am.* 3, 637. fugat e templis oculos Bona diva virorum. *Id. Ib.* 175. In loca ab Elysii diversa fugabere campis. *Id. Met.* 9, 501. nostro vetitus de corde fugabitur ardor. *Id. Medic. fac.* 78. Fugare maculas ore, *h. e.* ab ore. *Id. Pont.* 3, 5, 21. nisi me mea Musa fugasset, *h. e.* in exsilium pepulisset. *Id. Met.* 1, 469. Fugare amorem. ℙ Pro jacere, jaculari. *Sil.* 2, 90. celsis senior Gortynia muris Tela sonante fugat nervo, liquidasque per auras Dirigit aligero letalia vulnera ferro.

*FULCIBĬLIS, e, adj. ap. *Veget.* esse dr. *B. A.*

FULCĪMEN, inis, n. idem quod fulcimentum. *Ov. Fast.* 6, 269. Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa.

FULCĪMENTUM, i, n. ἔρεισμα, quod aliquid fulcit et sustinet. *Solin.* 20. Ut dum fera assuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. Al. leg. *fulmentis. Macr. Sat.* 7, 9. Desertum fulcimentis suis labitur in ruinam. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Fulcimenta, si qua habebat huic rei necessaria. V. FULMENTUM.

FULCĬO, is, lsi, ltum, et lcivi, lcitum, a. 4. ἐρείδω, ὑποστηρίζω, sustento, firmo. *Cic. Acad.* 4, 24. Fulcire porticum. *Virg. A.* 4, 247. Atlas, coelum qui vertice fulcit. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Fulcire aliquid trabibus. *Id.* 11, 10, 10. Ruentes ceras fulciunt pilarum intergerinis a solo fornicatis. *Mart.* 2, 43. Fulcitur testa fagina mensa mihi. Ap. *Pl. Cas.* 5, 2, 10. *fulcire* pertinet ad componendum in lecto corpus, supponendo v. gr. pulvinaria, quibus fultum apte jaceat. [*Notabilis locus est, *Prop.* 1, 8, 7. Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas, i. e. nives concretas injectas habere pedibus, docente et defendente *Gron.* ad *Stat. Silv. c.* 55. Codd. aliq. exhibent *sulcare.*] ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 27. *extr.* Vix haec, si undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa omnium nostrum humeris cohaerebunt. *Id. in Senat.* 8. Horum consulum ruinas vos consules vestra virtute fulsistis. *Liv.* 40, 12. Ficto argumento vanam criminationem fulcire. *Cic. Rab. Post.* 16. Veterem amicum suum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide. *Id. Att.* 5, 21. *f.* Thermum, ut rogas, creberrimis litteris fulcio. *Prop.* 4, 11, 94. serie fulcire genus, *h. e.* prole sustentare familiam. Sic *Plin. ep.* 4, 21. Unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis ante fundatam, fulcit, ac sustinet. *Lucr.* 3, 125. non aequas omnia partes Corpora habere, neque ex aequo fulcire salutem. ℙ Eleganter de cibis dicitur, qui vires reparant et corpus sustentant. *Lucr.* 2, 1146. et 4, 865. et *Colum.* 6, 24. *med.* Sic *Senec. ep.* 68. *med.* Fulcire stomachum cibo. *Id. ep.* 95. *med.* Vino fulcire venas cadentes. ℙ V. alia in FULTUS. ℙ Praeterit. *fulcivi* est cadentis Latinitatis. *Inscr.* sub Honor. et Theodos. ap. *Mur.* 466, 3. Cellam tepidariam arcuum duplici munitione fulcivit.

FULCĬPĔDĬA, ae, f. quid sit ap. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* non constat inter criticos: et ipsa quoque lectio varia est. V. FALCIPEDIUS.

FULCĪTUS, a, um, part. a *fulcio*, fultus. *Coel. Aur. Tard.* 2, 1. Et tunc fulciti ex utroque alarum latere, ministrorum officio, deambulationem tentent.

FULCRUM, i, n. ἔρεισμα, ἐρμὶν, fulcimentum et speciatim illud, quo lectus sustinetur: a *fultum* sup. verbi *fulcio. Suet. Claud.* 32. Qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur, [*h. e. ad pedes lect., v. in lecto, ut recte *B. Crus.*] Adde *Virg., Plin., Mart., Prop., Juven., Gell.* Porro ex illo *Juven.* 6, 22. *sacri Genium contemnere fulcri*, colligi potest, morem fuisse, ut quemadmodum in puppi navis signum tutelae sculpebatur, ita in fulcro conjugalis tori *Genius.* Vel *fulcrum* intellige ipsum lectum, ut ap. *Prop.* 4, 7, 3. Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro. ℙ Pro baculo. *Ov. Pont.* 3, 3, 13. Stabat Amor vultu, non quo prius esse solebat, Fulcra tenens laeva tristis acerna manu. Al. leg. *sceptra.*

FULCTŪRĀ. V. FULTURA.

*FULFŪLAE, arum, f. Italiae oppidum, in Samnio. *Liv.* 24, 20. *B. A.*

FULGENS, entis, part. a *fulgeo*, splendens, στίλβων. *Virg. A.* 6, 490. fulgentiaque arma per umbras. [*Fulgentia arma* dicuntur, quae per quietem solis splendorem perpetuo referunt. Differunt *micantia arma*, quae vehementer jactata, prout soli vel advertantur, vel ab eo removeantur, splendore modo gaudent, modo destituuntur. V. *Döderl.* 2, 80.] Et *ib.* 8, 593. fulgentes aere catervas. *Sil.* 11, 154. consul fulgentior ostro. *Tibull.* 4, 1, 121. fulgens Tyrio subtemine vestis. *Id.* 1, 2, 36. fax. *Cic. Par.* 1, 4. Marmorea tecta, ebore et auro fulgentia. *Hor. Od.* 2, 12, 14. lucidum fulgentes oculi. Et *ib.* 3, 3, 42. fulgens Capitolium. [*Lucret.* 6, 357. Stellis fulgentibus apta. *Virg. A.* 11, 202.] ℙ Translate est clarus, illustris. *Id. Od.* 3, 16, 31. Fulgens imperio fertilis Africae. *Tac. H.* 4, 42. Fulgens sacerdotio. *Vopisc. Prob.* 2. Pompejus tribus fulgens triumphis. *Vell.* 2, 71. Fulgentissimus juvenis. Et 64. M. Tullius fulgentissimo et coelesti ore. ℙ Est etiam fulgurans. V. FULGEO.

FULGENTER, adv. fulgendo, λαμπρῶς. *Plin.* 10, 20, 22. Gemmantes pavo expandit colores, adverso sole maxime, quia sic fulgentius radiant. ℙ Translate. *Id.* 22, 2, 3 Fulgentius instrui poterat luxuria.

FULGENTĬUS Placiades, seu Planciades, natione Afer floruit circa saeculum VI. Ejus sunt de *Mythologia* tres libri: item de *Continentia Virgilii* liber unus, et de *Expositione prisci sermonis:* sed omnia duriore stilo scripta sunt, semibarbaro, nec ulli imitando: non tamen inerudito.

FULGĔO, es, lsi, n. 2. στίλβω, fulgorem emitto, splendeo: a φλέγω, ut vult *Voss.* A *splendeo* quid differat, v. in eo verbo. *Cic. Cat.* 2, 3. Qui nitent unguentis, qui fulgent purpura. *Hor. Ep.* 15, 1. coelo fulgebat luna sereno. *Ov. Amor.* 1, 8, 10. puro fulget in orbe dies. [*Sil.* 5, 88. Cum fulserit hora, i. e. cum tempus opportunum aderit. *Ov. Met.* 2, 722. Quanto splendidior, quam cetera sidera, fulget Lucifer. Quid differat in his *micare*, quod proprie de stellis dicitur, v. suo loco. — Conjunctim ponuntur ap. *Liv.* 1, 25. Micantes fulsere gladii.] *Id. Fast.* 1, 81. nova purpura fulget. *Id. Trist.* 4, 2, 27. Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro, Dux fuerat belli. [*Sil.* 13, 605. Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis! i. e. regem fuisse. — Ap. poetas aureae, et prosae orationis scriptores argenteae aetatis etiam *radiare synonym.* est v. *fulgere.* Hinc conjunctim ponuntur ap. *Plin.* 11, 37, 55. Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. Plura v. ap. *Döderl.* 2, 79.] ℙ Translate. *Nep. Eum.* 1. Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis. *Hor. Od.* 3, 2, 18. Virtus intaminatis fulget honoribus. *Senec. Med.* 209. quondam nobili fulsi patre. ℙ Significat etiam fulgurare, cum subita lux e nubibus erumpit. [*Gr. λάμπειν.] *Cic. Div.* 2, 72. Si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo. [*Mela 1, 19. Responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capesserent.] *Id. Vat.* 8. et *N. D.* 2, 25. *f.* Jove fulgente, cum populo agi nefas esse. *Val. Fl.* 1, 622. picei fulsere poli. ℙ [*Hinc trans. de oratore. *Cic. Or.* 9. Nunquam (Pericles) ab Aristophane poeta fulgere, tonare, etc. dictus esset. (Περικλέης οὐλύμπιος ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκίνα τὴν Ἑλλάδα. V. etiam *Burm.* ad *Petr.* 11.] ℙ Hoc sensu antiqui *fulgĕre* dicebant, correpta paenultima, uti docet *Senec. Q. N.* 2, 56., quod poetae etiam alio sensu retinuerunt. *Virg. A.* 6, 827. paribus quem fulgere cernis in armis. *Val. Fl.* 8, 284. tot fulgere taedas. Adde *Lucr.* 5, 1094. et *Pacuv. Acc. Lucil.* ap. *Non.* 10, 12. ℙ Etiam *fulgit* pro *fulget* dixere. *Lucr.* 6, 159. Fulgit item, nubes ignis cum semina multa Excussere. Adde *Lucil.* et *Pompon.* ap. *Non. ib.* ℙ Item *fulgo* in prima persona, teste *Prisc.* 8, 838. et 9, 866. ℙ Priscis *fulgere* significavit etiam ferire: unde *ful-*

gur dictum est. Ita *Festus*, qui hoc videtur dicere, de fulgurum ictu *fulgeo* fuisse usurpatum. ℙ Etiam *fulceo* pro *fulgeo* agnoscit *Diom.* 1, 369. ℙ [*Confunduntur in edd. *fulgere* et *fulgurare*. V. intpp. ad *Quint. Inst.* 2, 16, 19. — *Cic. Or.* 9.]

FULGERATOR. V. FULGURATOR.

[FULGERĪTA, ae, f. idem ac fulgurita: ita vocatur villa, seu fundus, fulgure percussa in *Inscr.*, quae pertinet ad an. CCCLXXXV. a Chr. n. ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 33. *ed. Mediol.* Kasa, cui vocabulum Fulgerita regione campestri territorii Praenestini. *F.*]

FULGESCO, is, n. 3. fulgeo. *Firmic. Astron.* 1, 4. *f.* Solis radiatione fulgescere. Et *fr. Halieut. quod dedit Hesselius ad novam Ennii edition.* p. 154. crebris nubes fulgescere flammis.

FULGETRA, ae, f. idem quod fulgetrum. *Plin.* 28, 2, 5. Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est.

FULGETRUM, i, n. idem ac fulgur: a *fulgeo.* [**das Wetterleuchten.* V. *Döderl.* 2, 79. sq.] *Plin.* 2, 54, 55. Fulgetrum prius cerni, quam tonitruum audiri, cum simul fiant, certum est. Et *ib.* 43, 43. Si in nube luctetur vapor, tonitrua edi; si erumpat ardens, fulmina; si longiore tractu nitatur, fulgetra. Adde *Senec. Q. N.* 2, 56., ubi tradit, antiquam vocem esse; et pro ea *fulgurationem* magis esse in usu, innuere videtur.

[FULGĬDŬLUS, a, um, dimin. fulgidi. *Terent. de litter.* p. 2388. Has versibus apte quoniam loqui negatur, Ins'ar tituli fulgidula notabo milto.

FULGĬDUS, a, um, adj. στιλπνός, fulgens, splendens, micans. *Lucr.* 3, 364. Fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus Lumina, luminibus quia nobis praepediuntur. *Claud. in Ruf.* 2, 351. acies ornatu fulgida Martis, *h. e.* fulgentes aere catervae. *Venant. carm.* 8, 5. *f.* Fulgidior radio.

FULGĪNAS et Fulginias, atis, adj. comm. gen. ad Fulginiam pertinens, [Umbriae opp. inter Perusiam et Spoletium, ad radices Appennini, nunc *Foligno*, cujus meminit *Sil.* 8, 461. patuloque jacens sine moenibus arvo Fulginia. *F.*] *Cic. fr.* ap. *Prisc.* 7, 768. C. Ancharius fuit e municipio Fulginate. Et *ib.* In praefectura Fulginate. ℙ *Fulginates* et *Fulginiates, ium*, sunt ejus oppidi cives. *Plin.* 3, 14, 19. Fulginates, Foroflaminienses. [*Inscr.* ap. *Grut.* 347, 1. Patrono civitat. Foroflam*iniensium*, Fulginia*tium*, itemque Iguvinorum. *F.*]

[FULGITRU, u, n. idem ac fulgetrum. *Hyg. fab.* 183. Eous, et Aethon funales sunt equi Solis; feminae jugariae Bronte, quae nos tonitrua appellamus, Sterope, quae fulgitrua. *Munck.* tamen putat legend. *fulgetra;* nota haec enim vox est, et a pluribus usurpata. *F.*]

FULGO, is. V. FULGEO.

FULGOR, oris, m. σέλας, fulgens et micans lux, splendor. *Cic. Verr.* 2, 4, 32. Candelabrum e gemmis auroque perfectum, cujus fulgore collucere atque illustrari Jovis templum oportebat. *Hor. Od.* 2, 1, 19. Fulgor armorum. *Ov. Met.* 11, 617. vestis. *Id. A. A.* 2, 721. oculorum. *Plin.* 7, 15, 13. speculorum. Et 11, 37, 54. solis. Et 37, 7, 25. carbunculi. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 5, 12, 39. Nominis et famae quondam fulgore trahebar. *Plin.* 7, 26, 27. Pompejus aequavit Alexandri M. rerum fulgorem. *Hor. Ep.* 2, 1, 13. Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes Infra se positas. *Vell.* 2, 4. Avitus fulgor, *h. e.* avorum dignitas. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 11. Fulgor gloriae. ℙ Est *Val. Max.* 8, 1. *n.* 11. Fulgor gloriae. ℙ Est etiam fulgur. *Cic.* vertens *Homeri* versiculum *Div.* 2, 39. Prospera Juppiter his dextris fulgoribus edit. [*Adde *ib.* 2, 19, 44.] *Lucr.* 6, 169. fulgorem cernimus ante, Quam tonitrum accipimus. [*V. *Döderl.* 2, 77. sq.] ℙ Significat etiam fulmen. *Imp. Constantin. Cod. Theod.* 16, 10, 1. Si quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore constiterit, quid portendat, ad nostram scientiam deferatur. ℙ [*De confusione vv. *fulgor* et *fulgur* v. quem laud. in *Fulgur Oud.* ad *Suet. Aug.* 29.

FULGORA, ae, f. Dea fulguris, ut videtur, ap. *August. C. D.* 6, 10.

FULGUR, uris, n. σέλας, [*ἀστραπή.] flamma inter nubes coruscans, quae tonitru praecedere solet: a *fulgeo.* Differt a fulmine, quod fulmen est ignita exhalatio, fulgur est splendor fulminis. [*V. *Döderl.* 2, 78.] *Cic. Div.* 2, 19. Placet Stoicis, eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, cum se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem coeperint dividere atque disrumpere, idque crebrius facere et vehementius, tum fulgura et tonitrua exsistere; si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. ℙ Sed discrimen harum vocum non observatur, et fulgur interdum pro fulmine sumitur. *Suet. Dom.* 15. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nunciataque sunt, ut exclamaverit, feriat jam quem volet. *Virg. G.* 1, 488. Non alias coelo cecidere plura sereno Fulgura. [*Ab aureae aetatis scriptoribus *fulgur* et *fulmen* h. signif. promiscue nusquam ponuntur. Antea vero et postea hic usus obtinuit. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 2, 10, 12.] ℙ *Fulgur condere* dicebatur pontifex, cum ea, quae fulmine icta essent, sub terra defoderet, quod certa precum formula fiebat. *Lucan.* 1, 606. Arruns dispersos fulminis ignes Colligit, et terrae moesto cum murmure condit, Datque locis numen. *Juven.* 6, 586. aliquis senior, qui publica fulgura condit. *Inscr.* ap. *Mur.* 129, 4. Fulgur conditum. V. BIDENTAL. ℙ *Fulgur dium* appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani. Haec *Festus* in V. *Dium.* ℙ *Fulgur provorsum* appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu sit factum; itaque Jovi Fulguri (lege *Fulguratori* vel *Fulgeratori* vel *Fulguritori*) et Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur. Haec *Festus* in V. *Provorsum.* ℙ Aliquando *fulgur* est fulgor. *Claud. Cons. Honor.* 3, 31. galeae nec triste timentem Fulgur. *Lucr.* 2, 163. Tempore, quo solis pervolgant fulgura coelum, *h. e.* cum sol coelum lumine complet. ℙ [*Confunduntur *fulgur* et *fulgor*. V. *Oudendorp.* ad *Suet. Aug.* 29.]

FULGŪRĀLIS, e, adj. ad fulgura spectans, ut Libri fulgurales, qui tractant de fulmine condendo, et aliis ritibus. *Cic. Div.* 1, 33. Quod Etruscorum declarant et haruspicini, et fulgurales, et rituales libri, nostri etiam augurales.

FULGŪRAT, abat, impers. 1. ἀστράπτει, est fulgur emittere. *Cic. Div.* 2, 18. In nostris commentariis scriptum habemus; Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. *Plin.* 2, 54, 55. Noctu sine tonitribus fulgurat. ℙ Translate. *Cic. Or.* 9. Qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poeta fulgurare, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Al. leg. *fulgere.* [*Ita *Orell.* cum recentt. edd. optt. Hinc recte locum cum *Lünem.* et *Kürch.* laudasse videmur in FULGERE. Praeferendum etiam *fulgere* censet in seq. *Quint. l. Zumpt.*, neque ap. *Plin.* lectionis eadem varietas deest.] *Quint.* tamen eadem verba referens 2, 16. *f.* habet *fulgurare.* Sic *Plin. praef. H. N.* Fulgurat in nullo verius vis eloquentiae. ℙ Pro fulgere. *Stat. Th.* 4, 191. vetitoque domus jam fulgurat auro. *Sil.* 12, 723. cernis, oculis qui fulgurat ignis!

FULGŪRĀTIO, onis, f. ἀστραπή, actus fulgurandi, fulgur. *Sen. Q. N.* 1, 1. Nubes mediocriter collisae fulgurationes faciunt; efficiunt, majore impetu pulsae, fulmina. *Id. ib.* 2, 16. Quid inter fulgurationem, et fulmen interest? dicam. Fulgŭrātio est late ignis explicitus: fulmen est coactus ignis, et impetu jactus. Et 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit. Et 21. Fulguratio nihil aliud est, quam flamma futura fulmen, si plus virium habuisset.

FULGŪRĀTOR, oris, m. qui fulgura mittit. *Inscr.* ap. *Grut.* 21, 5. Deo fulguratori ara. *Ib.* 3. et 4. legitur *fulgerator:* ut et ap. *Gud.* 4. *n.* 7. 8. 9. 10. etc. et 5. *n.* 1. et ap. *Don. cl.* 1. *n.* 1. Hoc idem discrimen habetur etiam in nummis Diocletiani ap. *Rasch. Lex. rei num. T.* 2. *P.* 2. p. 883. [*Appul. de Mundo.* Juppiter dicitur et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator, etiam imbricitor, et item serenator. *F.*] ℙ Item fulgura seu fulmina inspiciens et condens. *Cic. Div.* 2, 53. Haruspices, et fulguratores, et interpretes ostentorum, et augures, et sortilegos, et Chaldaeos. Adde *Caton.* ap. *Non.* 1, 319. In *Inscr.* ap. *Fabr. c.* 10. *n.* 171. habetur *haruspex fulguriator.*

FULGŪRĀTŪRA, ae, f. fulguratio. *Serv.* ad *A.* 1, 46. Ut testantur Etrusci libri de Fulguratura.

FULGŪRĀTUS. V. in FULGURITUS.

FULGŪRĔUS, a, um, adj. ad fulgur spectans, ut Fulgurea nubes, ap. *Capell.* 5. *in.*

FULGŪRIO, is, a. 4. ἀστράπτω, fulgur emitto. *Naev.* ap. *Non.* 2, 324. Sane suo tonitru claro fulgurivit Juppiter.

FULGŪRĪTAS, atis, f. fulguris ictus. Nititur illo *Lucilii* loco ap. *Non.* 2, 324. Luporum exauctorem malvanum, et fulguritatem arborum. Sed al. leg. Luporum exactorem Silvanum et fulguritarum arborum.

FULGŪRĪTUS, a, um, part. a *fulgurio*, κεραυνωθείς, fulmine ictus: ut Arbor fulgurita, *Pl. Trin.* 2, 4, 138. ℙ *Fulguritum*, locus fulgure percussus, qui statim fieri religiosus putabatur, quod eum Deus sibi dicasse videretur. *Fest.* Aliter vocabatur *bidental.* ℙ Dicitur etiam *fulguratus. Varr. L. L.* 4, 32. Scribunt eum locum esse fulguratum, et ex S. C. septum esse.

FULGURO. V. FULGURAT.

FŪLĪCA, ae, et Fulix, icis, f. *(Blässhuhn)* avis aquatica anate paulo minor, sed corporis forma consimilis: eadem et gavia vocatur. *Cic. prognost. Div.* 1, 8. Cana [*leg. *rava*] fulix itidem fugiens e gurgite ponti Nunciat horribiles clamans instare procellas. *Plin.* 11, 37, 44. Natura cristam per medium caput a rostro residentem et fulicarum generi dedit. *Virg. G.* 1, 363. marinae In sicco ludunt fulicae. *Ov. Met.* 8, 625. Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae.

FŪLIGĬNĀTUS, a, um, part. ab inus. *fuligo*, fuligine asperus. *Hieron. ep.* 10. *ad Furiam.* Orbes *(oculorum)* stibio fuliginati.

FŪLĪGĬNĔUS, a, um, adj. fuliginosus. *Petr. Sat.* 108. Omnia lineamenta fuliginea nube confundere. *Arnob.* 7, 254. Fuligineus color.

FŪLĪGĬNOSUS, a, um, adj. λιγνώδης, plenus fuliginis. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 261. Fuliginosi ture placantur Lares.

FŪLĪGO, inis, f. καπνία, λιγνύς, nigrum illud, quod ex pingui rerum ustarum fumo condensatur, et caminis vel parietibus adhaeret. *Festus* deducit a *furvus*, niger. *Cic. Phil.* 2, 36. Idem tamen quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara senatusconsulta fecisti. *Virg. Ecl.* 7, 49. Assidua postes fuligine nigri. *Col.* 11, 3. *f.* Fuligo, quae supra focos tectis inhaeret. *Cels.* 5, 18. *n.* 28. Fuliginis turis acetabulum. ℙ Translate. *Gell.* 1, 2. Verborum et argutiarum fuliginem ob oculos audientium jacere. *Quint.* 11, 3. Fuligo lucubrationum oratori bibenda, vigilandae noctes, etc.

FŪLIX. V. FULICA.

FULLO, onis, m. γναφεύς, qui vestes pedum insultu cogit et densat, easdemque purgat, maculis liberat, polit, et creta candefacit: [videtur esse a πολῶν, versans, vel potius a βυλλῶν, densans, part. verbi βυλλόω ap. *Hesych.* pro βύω, infarcio, stipo. Romae *fullonum collegium* fuisse constat ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 278. *n.* 170. et 171., qui cum fontanis diu litigarunt. *F.*] *Plin.* 28, 6, 18. Urina virilis podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. *Mart.* 14, 51. Non tam saepe teret lintea fullo tibi. *Id.* 6, 93. Tam male Thais olet, quam non fullonis avari Testa vetus, media sed modo fracta via. ℙ *Fullonem comprimere* turpi sententia dixit *Novius* ap. *Prisc.* 10, 879. Hinc *Tert. Pall.* 4. Pugil Cleomachus intra cutem caesus et ultra, inter fullones Novianos coronandus. V. CAESUS et FLAGITATUS. ℙ Est etiam nomen Mimi Laberiani ap. *Gell.* 16, 7. ℙ Item scarabaei quoddam genus, albis guttis distinctum. *Plin.* 30, 11, 30. et *Varr.* ap. *Non.* 4, 226. V. ULULA. ℙ *Fullo* cogn. R., ut L. Apustius Fullo, ap. *Liv.* 33, 24.

FULLONĪCA vel Fullonĭa, ae, f. γναφεῖον, ars fullonum. *Pl. Asin.* 5, 2, 57. Si non didicisti fullonicam, non mirandum est. Est qui legat *fulloniam.* ℙ Item officina fullonis. *Ulp. Dig.* 39, 3, 3. Eum, qui fullonicas circa fontem instituisset.

FULLONĬUM, ii, n. officina fullonis. *Ammian.* 14, 11. *f.* Fortuna Adramyttenum Andriscum in fullonio natum evexit.

FULLONĬUS et Fullōnĭcus, a, um, adj. ad fullonem pertinens, γναφευτικός. *Plin.* 7, 56, 57. Fulloniam artem invenit Nicias Megarensis. *Cato R. R.* 10. et 14. Fullonica pila. *Sen. ep.* 15. Fullonius saltus, *h. e.* quo fullones subsultant in pannis cogendis, et purgandis. (V. ARGUTOR et CONCILIO.) *Plin.* 17, 8, 4. Fullonia creta. *Id.* 24, 13, 68. Fulloniae cortinae. *Pl. Ps.* 3, 1, 15. nisi lenoni munus hodie misero, Cras mihi potandus fructus est fullonius, *h. e.* ut calces patiar et colaphos. ℙ *Fullonica, orum*, n. plur. ap. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *f.* sunt officinae fullonum.

FULMEN, inis, n. κεραυνός, ignis seu ignita exhalatio, quae abruptis nubibus in terram decidit: a *fulgeo.* [*V. FULGUR.] *Cic. Div.* 2, 19. Non puto te esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Aetna putes. Et 21. Romulus lactens fulmine ictus fuit. *Id. Off.* 3, 25. Phaethon ictu fulminis deflagravit. *Id. Div.* 2, 20. Vi fulminis icti conciderunt. *Val. Fl.* 6, 169. quatit ut saevo cum fulmine Phlegram Juppiter. *Cic. N. D.* 3, 35. Juppiter hunc fulmine percussit. *Id. Div.* 2, 19. Jacit fulmina Juppiter. Et *ib.* emittit. Et *Virg. G.* 1, 328. Ipse pater, media nimborum in nocte, corusca Fulmina molitur dextra. *Id. A.* 4, 208. torquet. *Ov. Fast.* 5, 41. jaculatur. *Id. Met.* 1, 253. spargit in terras. *Virg. G.* 1, 283. exstructos disjecit fulmine montes. Et *A.* 4, 25. pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras. Et *ib.* 5, 691. infesto fulmine morti, Si mereor, demitte. *Id. ib.* 6, 580. Titania pubes Fulmine dejecti. Et *ib.* 7, 773. Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit in undas. *Ov. Trist.* 1, 9, 21. afflari ignibus fulminis. ℙ Miros fulminis effectus recensent *Sen. Q. N.* 2, 31., *Lucr.* 6, 227. et sqq. et *Plin.* 2, 51, 52. ℙ Varia sunt fulminum genera. Quatuor facit *Serv.* ad *A.* 1, 47. quod disjicit, quod transfigit, quod corripit, quod infigit. Tria *Sen. Q. N.* 2, 40. quod terebrat, quod discutit, quod urit: hoc autem postremum vel urendo afflat, vel comburit, vel accendit. Rursus *Id. Serv.* ad *A.* 8, 524. et *Caecin.* ap. *Sen. ib.* 39. et 49. ex haruspicum disciplina, alia dicunt esse fulmina consiliaria, alia auctoritatis, alia status: priora esse, quae ante rem gestam accidunt, et aut vetant, aut hortantur: altera, quae re gesta, et aut probant, aut improbant: tertia, quae nihil nobis agentibus aut cogitantibus, aut minantur aliquid, aut promittunt, aut monent. Rursus *Serv.* ad *A.* 1, 234. aliud esse ait fulmen, quod terret, aliud quod afflat, aliud quod punit. V. alia hujus disciplinae effata ap. *Sen. ib.* 41. et sqq. ℙ Triplex ars circa fulmina ab Etruscis tradita fuit, quomodo exploranda essent, quomodo interpretanda, quomodo exoranda, ut *Id. ib.* 33. docet. Qui-

bus adde quartam, quomodo elicienda: de qua *Plin.* 2, 53, 54. et *Ov. Fast.* 3, 287. V. ELICIUS. ℙ Antiqui soli Jovi fulmina tribuerunt: et quidem in tres manubias divisa. V. *Sen. ib.* 41. Sed et aliis Diis undecim, Junoni, Minervae, etc. sua sunt assignata fulmina, ut *Serv.* tradit ad *A.* 1, 46. ℙ Translate *fulmina* dicuntur gravia infortunia, quae ex improviso accidunt et affligunt. *Liv.* 45, 41. Duo fulmina domum meam per hos dies perculerunt. *Cic. Tusc.* 2, 27. Fulmina fortunae contemnere. *Ov. Trist.* 5, 2, 53. Parce, precor, minimamque tuo de fulmine partem Deme: satis poenae, quod superabit, erit. [*Hic dicitur de ira. *Liv.* 6, 39. Fulmen dictatorium in se intentatum. *Ov. Fast.* 2, 289. Piabile fulmen est; et *ib.* 311. et *al.* saepissime.] *Juven.* 8, 92. quam fulmine justo Et Capito, et Numitor ruerint, damnante senatu. ℙ Dicitur et de vi atque impetu cujusque rei. *Ov. Met.* 10, 550. Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri. *Stat. Th.* 2, 70. aper Erectus setis, et aduncae fulmine malae. *Cic. Fam.* 9, 21. Insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina. *Id. Or.* 6. Stilus quidam interjectus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum. ℙ Strenui duces, quod instar fulminis omnia pervadant sternantque, *fulmina* dicuntur. *Cic. Balb.* 15. (*Virg. A.* 6, 842. geminos, duo fulmina belli, Scipiadas. Et *Sil.* 7, 106.) Cum duo fulmina nostri imperii in Hispania, Cn. et P. Scipiones exstincti concidissent. ℙ In illo *Silii* 11, 341. tu ne illa viri, quae vertice fundit, Fulmina pertuleris? *fulmina* sunt majestas oris, ac terror, quem intuentibus Annibal injiciebat, velut si fulmina haberet in oculis. ℙ Denique *fulmen* pro fulmento, a *fulcio*, poni vult *Scal.* in illo *Manil.* 2, 891. Imaque submersi contingens fulmina Mundi. Sed al. leg. *culmina*.

FULMENTA, ae, f. solea, quae calceo suppingitur, *κάττυμα*: a fulcio. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 98. Fulmentas clavis aeneis subcudere. *Pl. Trin.* 3, 2, 94. Fulmentas jubeam suppingi soccis. ℙ Apud *Cat. R. R.* 14. fulmentae sunt quaelibet fulcimenta in aedibus.

FULMENTUM, i, n. a *fultum*. Vetus prov. ap. *Varr.* ap. *Non.* 3, 98. *Fulmenta lectum scandunt*, de re praepostera, cum praeesse vult, in quem imperium habemus. *Sidon. ep.* 2, 10. *in carm.* Porticus fulmentis Aquitanicis superba, *h. e.* columnis *Vitr.* 5, 1. *f.* Supra trabes contra capitula ex fulmentis dispositae pilae sunt collocatae. *Cels.* 2, 15. Si nihil horum est, suspendi lectus debet, et moveri: si ne id quidem est, ut certe uni pedi subjiciendum fulmentum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus. Alii male *fulcimentum*, alii pessime *funiculum* leg.

FULMINĀTĬO, onis, f. fulminis emissio. *Senec. Q. N.* 2, 12. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit.

FULMĪNĀTOR, oris, m. qui fulminat. *Arnob.* 6, 207. Ubinam fulminator *(Juppiter)* tempore illo fuit?

FULMĪNATRIX, icis, f. quae fulminat. In *Inscr.* ap. *Grut.* 547, 6. et 567, 10. Leg. XII. Fulminat. Ubi nihil aliud quam *fulminatrix* legi posse videtur. Adde alias ap. *Mur.* 869, 1. et 874, 4. De hac legione V. *Jablonsk. Opusc.* T. 4, 3—37.

FULMĪNĀTUS, a, um, part. a fulmino, *κεραυνωθείς*, fulmine ictus. *Plin.* 2, 54, 55. Vulnera fulminatorum frigidiora reliquo corpore sunt. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 80. Fulminatus hac pronunciatione in lectulum decidi.

FULMĪNĔUS, a, um, adj., *κεραύνειος*, ad fulmen pertinens. *Hor. Od.* 3, 16, 10. Fulmineus ictus. *Ov. Pont.* 2, 2, 118. ignis. *Val. Fl.* 2, 501. fragor. ℙ Translate vehemens, rapidus, more fulminis agens. *Virg. A.* 9, 811. ingeminant hastis et Troes, et ipse Fulmineus Mnestheus. Et 441. rotat ensem fulmineum. *Val. Fl.* 4, 167. Fulminea dextra. *Ov. Met.* 11, 367. Fulminei rictus lupi. *Id. A. Am.* 2, 374. Aper fulmineo cum rotat ore canes. *Sil.* 11, 99. Fulminea ira. *Claud. I. cons. Stil.* 200. Fulmineum iter.

FULMĪNO, as, avi, atum, a. 1. *κεραυνόω*, fulmen jacio, fulmine percutio. *Senec. Q. N.* 2, 23. Minore vi ad fulgurandum opus est, quam ad fulminandum. *Plin.* 2, 7, 5. Fulminantem pejerant Jovem. *Claud. ep.* 1, 40. coelestis flamma Ingentes quercus, annosas fulminat ornos. *Eumen. Restaur. schol.* 21. Maximianus perculsa Maurorum agmina fulminans. *Lactant.* 1, 10. Aesculapius mortem habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari. *Senec. Herc. Oet.* 6. fregimus, quidquid fuit tibi fulminandum. ℙ Impersonaliter. *Virg. G.* 1, 370. Aut Boreae de parte trucis cum fulminat. ℙ Translate. *Id. G.* 4, 560. Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello. *Prop.* 4, 8, 55. Fulminat illa oculis. [*V. interpp. ad h. l.] ℙ *Fulminare ignes* est ignes jacere more fulminis. *Sever. A.* 342. spiritus ille, Qui rupes, terramque vorat, qui fulminat ignes.

*FULMĪNOSUS, a, um, adj. fulmine plenus. *Sarisb.* 11, 13. Fulminosus aer. *B. A.*

FULTOR, oris, m. Translate *Venant. carm.* 2, 15, 19. Ecclesiae fultor, laus regni, pastor egentum.

[FULTRUM, i, n. idem ac fulcrum. *Not. Tir.* p. 118. Fultrum, fulcrum. *F.*]

FULTŪRA, ae, f. *στήριγμα*, fulcimentum. *Liv.* 38, 7. Suspenso fulturis ab hostibus muro. Al. leg. *furculis*. *Vitr.* 10, 22. *f.* Vehemens aquae vis supplantavit fulturas. *Colum.* 1, 5. *f.* Fundamenta pro fultura, et substructione fungentur. [*Lips.* et *Schneider.* putant legend. *praefultura*, nam aliquid deesse videtur, si cum vulgatis editionibus legamus *pro fultura*. *F.*] ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 3, 153. Deficient inopem venae te, ni cibus, atque Ingens accedit stomacho fultura ruenti. (V. FULCIO) *Plin. ep.* 1, 9. Corpori vaco, cujus fulturis animus sustinetur. ℙ Legitur et *fulctura*.

FULTUS, a, um, part. a *fulcio*, *στηριχθείς*, subnixus, adminiculatus. [*Quid differant *fultus* et *nixus* docet. *Döderl.* 2, 127.] *Cic. Senect.* 15. Vitis nisi fulta sit, ad terram fertur. *Ov. Trist.* 1, 6, 5. Te mea, supposita veluti trabe, fulta ruina est. *Hor. Sat.* 1, 3, 48. pravis fultus male talis. *Prop.* 3, 1, 49. domus fulta columnis. *Sil.* 13, 814. torus fultus e stramine culmi. *Claud. VI. cons. Honor.* 167. de Eridano: Fultaque sub gremio caelatis nobilis astris Aetherium probat urna decus. ℙ Fultus aliqua re dicitur, qui super eam compositus nixusque jacet. *Ov. Ib.* 237. Et ne non fultum nuda tellure jaceret, Molle super silices imposuere caput. *Virg. Ecl.* 6, 53. juvencus latus niveum molli fultus hyacintho. Ubi *Servius:* Apud veteres unusquisque eo, super quod jacebat, fultus dicebatur. Lucilius in tertio: Et pulvino fultus. Virgilius *(Aen.* 7, 94.) Atque harum effultus tergo, stratisque jacebat Velleribus. *Id. A.* 11, 39. caput nivei fultum Pallantis. *Pers.* 5, 146. tibi torta cannabe fulto Coena sit in transtro? *Claud. Rapt. Pros.* 1, 79. fultus solio, *h. e.* sedens. ℙ Est etiam implicitus, innexus. *Stat. Th.* 6, 862. de luctantib.: Interdumque diu pendent per mutua fulti Brachia, nunc saevi digitorum vincula frangunt. *Id. ib.* 3, 326. stant fulti pulvere crines. ℙ Item firmatus, munitus. *Virg. A.* 8, 227. fultosque emuniit objice postes. *Ov. A. Am.* 2, 244. apposita janua fulta sera. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 12, 5. Magnis subsidiis fulta est respublica. *Id. Off.* 3, 22. Imperium, quod gloria fultum esse debet, et benevolentia sociorum. *Id. Balb.* 15. *extr.* Causa Gaditanorum gravissimis et plurimis rebus est fulta. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Homo gratia et amicitiis fultus. [*Liv. 42, 12.] *Gell.* 6, 2. *med.* Ingenia rudia, nullisque bonorum artium adminiculis fulta. *Ov. Trist.* 5, 12, 11. valido mihi pectus robore fultum. *Colum.* 6, 24. *med.* Bos cum partum edidit, nisi cibis fulta est, labore fatigata, etc. [*Liv. 3, 60. Priusquam totis viribus fulta constaret hostium acies. 9, 32. Quia multis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit.] ℙ In malam partem. *Pers.* 1, 78. ex *Pacuvio*. Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta? *h. e.* obsessa, circumdata: durior metaphora, et quae a *Persio* ipso reprehenditur.

FULVASTER, a, um, adj. ad fulvum colorem accedens, ut Fulvastra radix, *Appul. Herb.* 109.

*FULVĬA GENS, unde v. g. Fulvius Flaccus, qui censor tectum marmoreum Junonis Laciniae spoliavit, ut aedem, quam dedicaverat Equestri Fortunae, tegeret. *Liv.* 42, 3. Adde c. 28. Item Fulvia, primo Clodii Ciceronis inimici, tum Curionis, denique M. Antonii Triumviri uxor, pars civilium bellorum. V. *Flor.* 4, 5. *Vell.* 2, 74. *B. A.*

FULVĬĀNUS, a, um, adj. ad Fulvium pertinens, quod est nomem proprium Romani civis. *Val. Max.* 3, 5. *n.* 3. Clodius Pulcher adhaerens Fulvianae stolae pugio, militare decus muliebri imperio subjectum habuit, *h. e.* administer scelerum, quae Fulvia ejus uxor impotentis animi mulier agitaverat. ℙ *Fulviana herba*, vim urinas ciendi habens, ab inventore Fulvio nomen habet. *Plin.* 26, 8, 57. ℙ *Fulvianus* agnomen fuit L. Manlii Acidini filii Q. Fulvii Flacci, qui consul capuam ceperat. Hic L. Manlius adoptione transierat in familiam Acidini, ut *Vell.* 2, 8. tradit, et in agnomine *Fulvianus* patris naturalis nomen retinebat. Ita enim vocatur in Fastis Capitolinis ap. *Grut.* 293. V. simile in AEMILIANUS.

FULVĬNĬASTER, tri, m. Fulvium imitans. *Cic. Att.* 12, 44. Solet omnino esse Fulviniaster. Al. leg. *Fulviaster:* alii aliter.

FULVUS, a, um, adj. *χυδρός*, *πυρρός*, colorem habens, qui in leonino pilo esse solet, ex viridi et rufo mixtum, flavus. Ducunt a *furvus*, quia furvo est proximus. *Hor. Od.* 4, 4, 14. fulvae matris ab ubere Jam lacte depulsum leonem. *Virg. A.* 1, 279. lupae fulvum tegmen. Et *ib.* 12, 741. arena. Et *ib.* 11, 642. caesaries. Et *ib.* 7, 279. Fulvum aurum. *Tibull.* 2, 1, 88. Fulva sidera. *Val. Fl.* 7, 158. Fulvus Olympus, *scil.* propter sidera. *Plin.* 22, 5, 5. Fulvi boves. Et 21, 14, 49. Fulva cera. *Id.* 14, 9, 11 Colores vinis quatuor, albus, fulvus, sanguineus, niger. *Sil.* 7, 80. subtemine fulvo, *h. e.* filo aureo. *Mart.* 14, 12. fulva moneta. In illo *Virg. A.* 12, 792. Junonem fulva pugnas de nube tuentem: *fulva* intellige, quasi aurei coloris, talem enim esse decet, in qua Dea sedet. Alioqui fulva nubes *Lucretio* 6, 460. est obscura et nigrans. Nisi forte hic legendum est *furva:* quam commutationem in multis poetarum locis accidisse notant critici. ℙ Ceterum pro fumido et nigricanti *fulvus* non raro accipitur. *Virg. A.* 11, 751. et *ib.* 12, 247. fulva aquila, *Id. ib.* 7, 76. tum fumida lumine fulvo Involvi, et totis Vulcanum spargere tectis. ℙ Item pro viridi, sed subfusco. *Virg. A.* 5, 309. fulvaque caput nectentur oliva. Ita legit *Servius* ad illud *A.* 4, 261 stellatus iaspide fulva Ensis. Al. *flava*.

FŪMANS. V. in FUMO.

FŪMĀRĬŌLUM, i, n. dimin. fumarii, locus, ubi ignis asservatur et accenditur. *Tert. Poen.* 12, de Vesuvio: Quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola quaedam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut jam nullae exstent, aut idem sibi de die sperent?

FŪMĀRĬUM, ii, n. *καπνεῖον*, locus, ubi ligna comburenda siccantur. *Colum.* 1, 6. *med.* Fumarium quoque, quo materia, si non sit jampridem caesa, festinato siccetur, in parte rusticae villae fieri potest junctum rusticis balneis. Et *mox.* Apothecae recte superponentur his locis, unde plerumque fumus (balnearum) exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt. ℙ Item locus, ubi vina fumo condiebantur. *Mart.* 10, 36. Improba Massiliae quidquid fumaria cogunt, Accipit aetatem quisquis ab igne cadus. Huc etiam pertinet *Colum.* locus supra citatus.

*FŪMĀTĬO, onis f. *August.* et FŪMĀTOR, oris, m. *Sidon. B. A.*

FŪMĔUS, a, um, adj. *καπνώδης*, fumidus, fumans. *Virg. A.* 6, 593. fumea taedis Lumina. *Macr. Sat.* 7, 10. Fumeus flatus. *Val. Fl.* 4, 595. Acheron exsudat fumeus. *Mart.* 13, 123. Fumea Massiliae ponere vina potes, *h. e.* fumo condita. V. v. praec.

*FŪMĬCUS, a, um, adj. i. q. fumeus. *Sidon. ep.* 1, 11. Fumicae culinae. *B. A.*

FŪMĬDUS, a, um, adj. *καπνώδης*, fumeus, fumans. *Virg. A.* 7, 465. Fumidus atque alte spumis exuberat amnis. Et *ib.* 9, 75. piceum fert fumida lumen Taeda. *Plin.* 2, 25, 22. Fumida lux. Et *ib.* 42, 42. Fumida caligo exhalatur. Et *ib.* 43, 43. Fumidus vortex. ℙ Item fumo illitus, fumeum colorem referens. *Plin.* 5, 9, 10. Fumidae cautes. *Id.* 37, 8, 35. Fumida topazius. Et *ib.* 7, 28. Fumidus chrysolithus. *Ov. Met.* 4, 405. Fumida tecta. ℙ Item fumi odorem referens. *Plin.* 14, 20, 25. Vitia resinae, acor, aut fumidum virus.

FŪMĬFER, a, um, adj. afferens fumum, fumosus. *Virg. A.* 9, 522, Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes. *Id. ib.* 8, 255. de Caco: glomeratque sub antro Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris. *Lucan.* 7, 193. Aponus terris ubi fumifer exit.

FŪMĬFĪCO, as, n. 1. idem quod fumigo, vel suffio. *Pl. Mil.* 2, 5, 2. Dianae ut Arabico fumificem odore.

FŪMĬFĪCUS, a, um, adj. fumum emittens. *Ov. Met.* 7, 114. Fumificisque locum mugitibus implevere. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 118. fumificae faces. *Pl. fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 7. Cocus fumificus, *h. e.* qui in fumo versatur.

*FŪMĪGĀBUNDUS, a, um, adj. i. q. fumigans. *Vulg. Sapient.* 10, 7. *B. A.*

FŪMĪGĀTUS, a, um, part. a *fumigo;* fumo aspersus, ut Fumigati parietes, *Appul. Apol.* p. 312, 16.

FŪMĪGĬUM, ii, n. suffitus. *Theod. Prisc.* 3, 5. Fumigia vaporatis partibus supponere.

FŪMĪGO, as, a. 1. *θυμιάω*, suffio. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Verno tempore, et aestivo fere ter in mense mellarius inspicere debet, fumigans leniter. *Colum.* 9, 14. *med.* Verno tempore alvi aperiendae sunt, et fumigandae. *Id.* 8, 5. *med.* Pulli pulegii surculis fumigentur. ℙ Item simpliciter fumum emitto. *Gell.* 19, 1. Turbines crebriores, et coelum atrum, et fumigantes globi.

FŪMO, as, n. 1. *καπνίζω*, fumum emitto. *Caes. B. G.* 7, 24. Animadversum est, fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. *Virg. A.* 2, 698. late circum loca sulphure fumant. [*Curt. 4, 9, 14, Tota ultra amnem recenti fumabat incendio.] *Ov. Met.* 10, 273. Tura fumant. *Virg. A.* 3, 3. omnis humo fumat Neptunia Troja. Et *ib.* 8, 106. tepidusque cruor fumabat ad aras. *Ov. A. Am.* 1, 256. aqua calido de sulphure fumat. *Hor. Od.* 3, 18, 7. vetus ara multo Fumat odore. *Val. Fl.* 2, 233. It cruor in thalamis, et anhela in pectora fumant Vulnera. *Id.* 4, 285. fumant crebro praecordia pulsu: de anhelantibus et fessis in pugna. [*Virg. Ecl.* 1, 83. Et jam summa procul villarum culmina fumant, i. e. nox ingruit. V. in *Fumus.* Notandus etiam locus *Sil.* 1, 654. Quanquam o, si nullus terror, non obruta jam nunc Semina fumarent belli, i. e. si bellum jam erumpere inciperet.] ℙ Translate. *Cic. Sext.* 10. Ita

domus ipsa fumabat, ut multa ejus sermonis indicia redoleret. V. loc. *Senecae* in FUMUS. ℙ Part. *Fumans* est in usu frequenti. *Virg. A.* 10, 45. per eversae fumantia Trojae Excidia obtestor. *Id. ib.* 12, 569. Eruam, et aequa solo fumantia culmina ponam. Et 338. Equi sudore fumantes. *Id. ib.* 7, 457. fumantes taedae. *Cic. Har. resp.* 21. *extr.* Cum in me illa flamma conjiciebatur: excepi, et pro patria solus exarsi: me primum ictum pro vobis, et fumantem vidistis. *Virg. A.* 11, 909. fumantes pulvere campos. *Val. Fl.* 1, 816. nigro fumantia pocula tabo. *Id.* 7, 283. viso fumantes hospite tauri. [**Sil.* 12, 374. Cancro fumantibus Austris, i. e. Austri humoribus solis ardore siccatis et in fumos ire coactis. V. *Drak.* ad h. l.] Proverbium est illud *Mart.* 6, 64. *f.* rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

FŪMŌSUS, a, um, adj. *καπνώδης*, fumum emittens. *Cato R. R.* 130. Ligna amurca perspargito, et in sole ponito: perbibant bene: ita neque fumosa erunt, et ardebunt bene. Et 38. *f.* Flamma minus fumosa exibit. *Petr. Sat.* 97. Facem fumosam magis, quam lucidam quassans. *Mart.* 5, 30. fumosus december, *h. e.* fumo abundans, quia foci frequentantur. ℙ Item fumi odorem habens. *Plin.* 18, 31, 74. Defrutum non nisi foliis despumandum, quia si ligno contingatur vas, adustum ac fumosum fieri putant. ℙ Item fumo tinctus. *Ov. Fast.* 5, 518. fumoso condita vina cado. V. FUMARIUM. *Petr. Sat.* 135. Fumosus paries. *Cic. Pis.* 1. Fumosae imagines, *h. e.* majorum asservatae in aedibus, et jam ob vetustatem denigratae. Sic *Juven.* 8, 8. Fumosos equitum cum dictatore magistros. ℙ Item fumo siccatus. *Hor. Sat.* 2, 2, 117. fumoso cum pede pernae.

FŪMUS, i, m. *καπνός*, vapor niger ex igne. Ducunt a *φυμὸς* Aeolice pro *θυμὸς*, vapor, aer. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Hominem ingenuum fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Id. Pis.* 6. Paulisper stetimus in illo gancarum tuarum nidore atque fumo. *Caes. B. G.* 5, 46. *f.* Fumi incendiorum procul videbantur. *Senec. ep.* 64. Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, et terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui, hospites venisse, significaret. *Cato R. R.* 162. Pernas in fumo suspendito. *Plin.* 19, 5, 24. Cucurbitas fumo siccare. *Id.* 23, 1, 22. Fumo inveteratum vinum. Et 14, 6, 8. *n.* 5. Fumo vinum tingere. (*Massiliae fumos* dixit *Mart.* 14, 118. intelligens vinum Massiliae in fumo inveteratum. V. FŪMARIUM.) *Ter. Ad.* 5, 3, 60. Psaltria favillae plena et fumi. *Virg. A.* 3, 581. intremere omnem Murmure Trinacriam, et coelum subtexere fumo. Et *ib.* 12, 592. vacuas it fumus ad auras. *Curt.* 8, 4. Evolutus e turguriis fumus. *Virg. A.* 9, 239. aterque ad sidera fumus Erigitur. Et *ib.* 8, 257. Plurimus undam Fumus agit. Et *ib.* 5, 740. tenues fugit, ceu fumus, in auras. ℙ [*A primo fumo est vespertino tempore, cum ignes castrorum fumare incipiunt. *Prop.* 4, 4, 27. Dumque subit primo Capitolia nubila fumo. V. *Virg. l.* in v. praec. *laud. E.* 1, 83.] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 15, 39. Vertere omnia in fumum et cinerem, *h. e.* bona sua omnia abligurire. ℙ *Fumum vendere* dicuntur amici principum, qui eorum gratiam pretio vendunt, carituram tamen effectu. *Mart.* 4, 5. Vendere nec vanos circa palatia fumos. *Capitolin. Antonin.* 11. Amici ejus nunquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt. *Lampr. Elag.* 10. Familiaritatis nomine abutens, omnia Elagabali dicta et facta venderet fumis. *Id. Alex. Sev.* 36. narrat Turinum quendam ab eo deprehensum quod fumos vendidisset, stipiti alligatum fumoque necatum, praecone dicente: *fumo punitur, qui vendidit fumum.* [*V. *Salmas.* ad *Vulc. Gallic. Avid. Cass.* 4.] Usurpat *Appul. Apol.* p. 313, 31. de eo, qui fucum fecit alteri, et vana re quacumque decepit. ℙ *Flamma fumo est proxima*, prov. ap. *Pl. Curc.* 1, 1, 53., quo significatur, admisso leviori peccato, facile transiri ad gravius, v. gr. ab osculis ad adulterium. ℙ *Tendere de fumo ad flammam*, aliud proverbium ap. *Ammian.* 14, 11. et 28, 1. ex leviori malo in gravius ultro incurrere. *Τὸν καπνὸν φεύγων εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσεν.* ℙ Interdum *fumus* refertur ad colorem. *Plin.* 37, 9, 39. faspis veluti fumo infecta, quae capnias vocatur.

FŪNĀLIS, e, adj. ad funem pertinens. *Funales equi* sub curru dicuntur, qui non ad jugum, sed ad latera junguntur, duobus jugalibus mediis: quia non jugo, sed fune lorove alligantur. *Stat. Th.* 6, 461. Nominibusque cient Pholoen Admetus, et Irin, Funalemque Thoen. *Suet. Tib.* 6. Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviae filius dexteriore veheretur. *Auson. epitaph.* 35, 9. Pegasus hic dexter currat tibi (*Phosphore*): laevus Arion Funalis; quartum det tibi Castor equum. ℙ De *cereo funali* V. v. seq.

FŪNĀLE, is, n. *σειρὰ*, funis. *Liv.* 42, 65. Funda media duo funalia imparia habebat. V. SCYTALA. ℙ Item saepius funale dicitur funis pice, sebo, vel cera illitus. *Isid. Orig.* 20, 10. Funalia sunt, quae intra ceram sunt, dicta a funibus, quos ante usum papyri cera circumdatos habuere majores: unde et funera dicuntur. Fere similia habet *Serv.* ad *A.* 1, 731. *Gloss. Philox.* Funale, *λαμπάδιον*, funalia, *δαλοί*. *Cic. Senect.* 13. C. Duillius delectabatur crebro funali, et tibicine, quae sibi nullo exemplo privatus sumpserat. *Virg. A.* 1, 731. et noctem flammis funalia vincunt. *Hor.* 1, 731. et noctem flammis funalia vincunt. *Hor.* 1, 731. et noctem flammis funalia vincunt. *Hor

h. e. qui nutans et labans confirmavit. In Nummo *Severi Aug.* ap. *Eckhel. D. N. V. T*, 7. p. 178. Fundator pacis; et in *Inscr.* ap. *Grut.* 58, 1. Imp. Augustus Divi Julii fil. felix fundator pacis.

[FUNDATRIX, icis, f. V. ABBATISSA. *F.*]

FUNDĀTUS, a, um, part. a *fundo, as; θεμελιωθείς*, fundamento subnixus. *Virg. A.* 8, 478. saxo incolitur fundata vetusto Urbis Agyllinae sedes. *Lucr.* 4, 825. vestigia posse Surarum ac feminum pedibus fundata plicari. ℙ Item firmatus, tenaciter et arcte adhaerens. *Vitr.* 7, 3. *med.* Quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmior erit ad vetustatem soliditas tectorii. ℙ Translate. *Cic.* initio *Rab. Post.* Fundatae atque optime constitutae opes. *Id. Dom.* 1, 36. Deflevi subitas fundatissimae familiae ruinas. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Statum illum reipubl., qui bonorum conjunctione fixus et fundatus videbatur, elapsum scito esse de manibus. *Id. Fin.* 4, 1. Accurate non modo fundata, verum etiam exstructa disciplina. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Partis et fundatis amicitiis fretum ac munitum esse oportet. *Hor. Ep.* 1, 15. *extr.* nitidis fundata pecunia villis. *Justin.* 3, 4. Possessio Tarentina Partheniis in aeternum fundata. *Id.* 43, 5. Parta pax, et fundata securitas. ℙ *Fundata navis*, quae fundum et carinam habet. *Pl. Mil.* 3, 3, 43. Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est. *Ov. Pont.* 4, 3, 5. Dum mea puppis erat valida fundata carina.

FUNDI. V. FUNDANUS.

FUNDĪBĀLĀTOR. V. FUSTIBALATOR.

FUNDĪBĀLUS, i, m. et Fundibulum, i, n. balista. *Isid. Orig.* 18, 16. Balista et fundibalus quasi fundens et emittens. *Id.* 14, 6. *Βάλλειν* enim Graece mittere dicitur: unde et ballista et fundibalum. V. FUSTIBALUS. ℙ [*Rectius a *Funda.* V. *Vulg. Interpr.* 1 *Macc.* 6. *extr.* et *Lips. Poliorc.* 3, 3. *Gloss. Lat. Gr.* Fundibali, *λιθοβόλοι*, et Fundibulum, *χώνη. B. A.*]

*FUNDĪBŪLĀRĪI, *σφενδονῆται. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

[FUNDĪBŪLUM, i, n. idem ac infundibulum, *χώνη. Gloss. Philox.* Fundibulum, *χώνη. Not. Tir.* p. 62. Fundibalum (lege *Fundibulum*) infundibulum. *B. A.* et *F.*]

FUNDĪTO, as, a. 1. *σπερμοβολέω*, crebro fundo. *Pl. Poen.* 1, 2, 61. Tantula *(mulier)* tanta verba funditat. ℙ Item funda peto, jaculor, percutio. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 35. In fundas indebant grandiculos globos; eo illos volantes jussi funditarier. *Ammian.* 24, 4. Creberrima spicula funditantes.

FUNDĪTOR, oris, m. *σφενδονήτης*, qui funda dimicat. *Sall. Jug.* 99. Hostem sagittariis et funditoribus terrere. *Caes. B. G.* 2, 7. Funditores Baleares subsidio oppidanis mittit.

FUNDĪTUS, adv. *ἐκ θεμελίων, ἄρδην*, ab ipso fundo, a fundamentis, radicitus. *Cic. Verr.* 2, 4, 36. Non obstrusit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, sed funditus sustulit ac delevit. *Suet. Vesp.* 9. Templum funditus destructum. *Phaedr.* 2, 2. *extr.* Capillos funditus evellere. *Hor. Od.* 1, 16, 20. Urbes funditus periere. *Senec. Troad.* 663. Funditus busta eruere. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 25. Funditus evertere amicitiam. *Id. Fam.* 6, 2. Rempubl. funditus interire. *Sall. or. ad Caes. de Rep. ordin.* 2. *med.* Omnia funditus misceri. *Tac. A.* 3, 36. Abolitae leges, et versae funditus. Et 54. Funditus trahere rempubl. *Lucr.* 5, 434. Et belli magnos commovit funditus aestus. ℙ Est etiam prorsus, penitus, omnino. *Pl. Bacch.* 3, 6, 31. Perdidisti me sodalem funditus. *Catull.* 64, 92. cuncto concepit pectore flammam Funditus. *Cic. Or.* 3, 50. *f.* Neque eadem rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. *Id. Or.* 64. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Et 62. Tollit funditus veritatem et fidem. *Id. Inv.* 1, 33. Lacedaemonios funditus vicit. *Lucr.* 1, 478. Res gestas funditus perspicere. Et 673. ne res redeant ad nihilum funditus omnes. *Just.* 25, 3. Funditus victus. ℙ Pro in fundo, in imo. *Spart. Hadrian.* 12. *f.* Stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus jactis.

FUNDO, as, avi, atum, a. 1. fundamenta pono, constituo, *θεμελιόω. Virg. A.* 5, 760. Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Italiae. Et *ib.* 4, 260. Fundare arces. [**Fundare urbem*, pro condere, instituere, non admittunt mundioris sermonis arbitri. Cf. *Burm.* ad *Phaedr.* 3, 9.] ℙ Item firmo, confirmo, stabilem reddo. *Id. ib.* 6, 3. dente tenaci Ancora fundabat naves. ℙ Translate. *Id. ib.* 811. Fundare urbem legibus. *Cic. Balb.* 13. Illud maxime nostrum fundavit imperium. *Plin. Pan.* 8. Libertatem, salutem, securitatem fundare. *Pompon. Dig.* 1. *tit.* 2. *leg.* 2. *a med.* Post hos fuerunt P. Mutius, et Brutus, et Manilius, qui fundaverunt jus civile. *Stat. Silv.* 4, 7, 30. Prole fundare vacuos Penates. Ita *Sil.* 2, 65. fundarat thalamos Tritonide nympha, [*i. e. uxorem duxit, et ex ea liberos suscepit. V. *Drak.* ad h. l. et Pricaeum ad *Appul* p. 350.] *Curt.* 10, 10. Fundare opes. ℙ *Fundare navem* alio sensu, V. in FUNDATUS; et *Ov. Her.* 16, 109. Fundatura citas flectuntur robora naves. ℙ [*Permutantur in cdd. *fundare* et *fundere*. *Virg. A.* 6, 4.]

FUNDO, is, fūdi, fusum, a. 3. *χέω*, liquefacio: [esse videtur ab *ὕδω*, praefixa littera *f* pro Graecorum aspiratione, quod ab *ὕω*, pluvia perfundo. *F.*] *Plin.* 34, 2, 3. et *ib.* 7, 18. Fundere aes. Et *ib.* 14, 42. Lapis fundendo vitro utilis. ℙ Item conflare. *Id. ib.* 8, 19. *n.* 22. Ipse se ex aere fudit. [**Hor. Sat.* 2, 3, 22. Quid fusum durius esset.] ℙ Item solvere, laxare, fluentem reddere. *Val. Fl.* 6, 391. Fundere habenas. *Cels. praef. med.* Si compresserit aliquem morbus, aut fuderit. ℙ Item perfundere, madefacere. *Tibull.* 1, 8, 50. Et multo tempora funde mero. [*1, 7, 50. ap. *Heyn.* q. v. ad 1, 2, 3., ubi de hoc dicendi genere multis disputat, ita ut non de vera Genii temporum perfusione, sed transl. dictum h. l. censeat, pro fortiter potare in honorem Genii, ut ap. *Hor. Od.* 3, 17, 15. cras Genium mero curabis. V. etiam in *Genius.*] *Id.* 3, 2, 19. Et primum annoso spargant collecta *(ossa)* Lyaeo: Mox etiam niveo fundere lacte parent. ℙ [*Item aspergere *Hor. A. P.* 352. Non ego paucis Offendar maculis, quas aut incuria fudit, etc.] ℙ Item spargere, quia quae liquefacta sunt, facile dilatantur et diffunduntur. *Senec. Med.* 793. Fundere lucem per auras. *Id. Oedip.* 154. Silva sua decorata coma Fundit opacis montibus umbras. *Plin.* 4, 10, 18. Strymon in septem lacus funditur, priusquam dirigat cursum. ℙ Item dissipare, dispergere. *Vell.* 2, 46. *extr.* Parthos fugare ac fundere. *Sall. Jug.* 62. Fundere et fugare hostes. *Cic. Mur.* 9. magnas hostium copias. [*Hinc i. q. diffundere, ut ap. *Hor. ep.* 2, 2, 121. Fundere opes.] ℙ Item dilatare, extendere. *Plin.* 18, 13, 34. Rapa in latitudinem funditur. *Senec. Oedip.* 440. Fundere comam. *Val. Fl.* 4, 679. vela. *Plin.* 13, 12, 25. Littera fundens se in charta. *Cic. Sen.* 15. Ne vitis in omnes partes nimia fundatur. *Id. Fin.* 5, 29. Latissime fundi. Et *ib.* 3, 15. Virtutes et vitia fundi quodammodo, et quasi dilatari. *Id. Or.* 36. Tum se latius fundet orator: tum reget et flectet animos. ℙ Item saepissime emittere, effundere. *Virg. A.* 5, 78. Fundere humi merum. Et *ib.* 4, 61. pateram vaccae media inter cornua fundit. Et *ib.* 3, 348. Et multum lacrimas verba inter singula fundit. *Val. Fl.* 4, 167. Fulminea frontem dextra, disjectaque fudit Lumina. *Virg. A.* 2, 532. multo vitam cum sanguine fudit. *Cic. Div.* 1, 23. Sanguinem e patera fundere. *Curt.* 10, 5. sanguinem de regno, *h. e.* propter regnum. *Ov. Met.* 2, 626. Fundere odores. *Liv.* 2, 5. Segetem fundere in Tiberim. *Ov. Met.* 9, 160. vina in aras. *Id. A. Am.* 1, 287. Myrrha lacrimas arbore fundit odora. *Hor. Od.* 1, 31, 2. de patera novum Fundens liquorem. *Val. Fl.* 3, 498. ipse citis Gradivus habenis Fundit equos, *h. e.* incitat, immittit. ℙ *Fundere se* est se proripere, erumpere. *Id.* 1, 610. fundunt se carcere laeti Thraces equi. Et 2, 662. Cunctaque se ratibus fundat manus. ℙ Saepe ponitur pro gignere, et copiam fere significat. *Plin.* 8, 30, 46. Africa asinorum silvestrium multitudinem fundit. *Id.* 18, 10, 21. Cum centesimo Leontini campi fundunt. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 19. Quo maturius vites putantur, eo plus materiae fundunt. *Cic. Tusc.* 5, 13. Semen aut flores, aut fruges fundit, aut baccas. *Id. N. D.* 2, 62. Terra fruges maxima largitate fundit. *Virg. G.* 1, 13. Fudit equum magno tellus percussa tridenti. [**Lucr.* 5, 915.] ℙ Et pro edere, parere. *Virg. A.* 8, 138. quem candida Maja Cyllenae gelido conceptum vertice fudit. [*Celeritatis notionem involuit v. fundere, ita ut proprie felicem partum significet. V. *Serv.* ad h. l. et *Heyn.* ad *G.* 1, 13.] ℙ Saepe refertur ad loquendum. *Id. ib.* 6, 55. fuditque preces rex pectore ab imo. Et *ib.* 5, 842. fuditque has ore loquelas. *Cic. Tusc.* 5, 26. inanes sonos. *Id. N. D.* 1, 24. oracula Physicorum. [**Id. ib.* 2, 59. vocem.] *Id. Or.* 62. orationem numerose et volubiliter. *Id. Or.* 3, 50. versus ex tempore. *Val. Fl.* 3, 697. iras inanes. *Pl. Ps.* 4, 1, 33. mera mendacia. *Ov. Met.* 13, 306. convicia in aliquem. *Pl. fr.* ap. *Non.* 4, 213. Nae ille ecastor funerato fundit. ℙ Etiam pro amplificare, dilatare dicendo. *Quint.* 10, 5, 11. Fundere quae natura contracta sunt, augere parva. [*Contrarium est *effusa substringere*, ap. *Eund. ib.* §. 4.] ℙ Et pro sternere. *Virg. A.* 1, 196. Nec prius absistit, quam septem ingentia victor Corpora *(cervorum)* fundat humi. *Ov. Met.* 13, 85. hunc successu caedis ovantem Cominus ingenti resupinum pondere fudi. Adde *Sil.* 4, 533. Sic *Val. Fl.* 1, 446. Fundere aliquem arcu. ℙ Hinc *fundi* est abjicere se. *Id.* 1, 252. molli juvenes funduntur in alga. ℙ Item pro dejicere, depellere. *Liv.* 9, 43. *med.* Hostes et de jugis, quae ceperant, funduntur. ℙ Item pro jacere, jaculari. *Sil.* 7, 646. Ludificatus equo, volucrem post terga sagittam Fundit. *Val. Fl.* 3, 243. Talia magnanimi diverso turbine fundunt Tela viri. ℙ Et pro extendere, porrigere. *Stat. Ach.* 1, 368. quantum cervice comisque Emineat, quantumque humeros et pectora fundat. ℙ Et pro trahere, ducere. *Varr. L. L.* 4, 22. Circuli, quod mixta farina caseo et aqua, circuitum aequabiliter fundebant. ℙ [*Permutantur *fundere* et *fundare*. V. v. anteced.]

FUNDŪLAE in oppidis dicuntur, ubi exitus non habetur, et pervium non est iter: a *fundo. Varr. L. L.* 4, 32.

FUNDŪLUS, i, m. diminut. fundi. A *Vitr.* 10, 13. *funduli ambulatiles* vocantur in machinis hydraulicis emboli, qui per modioli cavitatem sursum deorsum moventur, similes illis ligneis lancibus, quas dicimus *Kolben. Bald.* in. *Lex. Vitr.* ℙ Item intestinum caecum fartum. *Varr. L. L.* 4, 22. *f.* Fundulum (*dicunt*) a fundo, quod non ut reliquae partes, sed ex una parte sola apertum. Ab hoc Graecos puto *τυφλὸν ἔντερον* appellasse. Loquitur *Varro* de variis insiciorum et farciminum generibus. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut *M. Fundanius Fundulus* [ap. *Liv.* 25, 2. et *C. Fundanius Fundulus* cos. an U. C. DXI. *F.*] ap. *Grut. Fast. Capitol.* p. 292. *col.* 1.

FUNDUS, i, m. *πυθμήν, βυθός*, ima cujusque rei pars, ut vasis, fluminis, vallis, etc., est a *πύνδαξ*, fundus in modio. *Cic. Cluent.* 61. Armarii fundum exsecuit, et auri quinque pondo abstulit. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 2. Cotonea obrui terra in ollis fundo effracto. *Id.* 3, 16, 20. Amnis fundo carens. *Virg. A.* 2, 419. imo Nereus ciet aequora fundo. Et *ib.* 3, 577. de Aetna: fundoque exaestuat imo. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 15. *extr.* Jam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere, *h. e.* finem et modum, cum nunquam homines expleantur. *Virg. A.* 10, 88. fluxas Phrygiae res vertere fundo, *h. e.* funditus evertere. ℙ Quidam hoc sensu ponunt *fundum, i*, n., sed nullo confirmant Latino exemplo. Masculinum certe est ap. *Paul. Dig.* 41, 1, 26. Si quid additum esset, toti cedere, ut statuae pes, scypho fundus, aut ansa. Adde *Serv.* ad *A.* 2, 758. ℙ *Fundus* absolute pro vase, *Mart.* 8, 6. Ili duo longaevo censentur Nestore fundi, *h. e.* haec duo pocula. ℙ Est etiam saepissime *χωρίον, ἀγρὸς*, ager cum villa, praedium, rus. [**Döderl.* 1, 6.] *Florent. Dig.* 50, 16, 211. Fundi appellatione omne aedificium, et omnis ager continetur: sed in usu urbana aedificia, aedes; rustica, villae dicuntur: locus sine aedificio in urbe, area; ruri autem ager appellatur: idemque ager cum aedificio, fundus dicitur. *Varr. L. L.* 4, 4. *med.* ex eo dictum docet, quod sit pecudum ac pecuniae fundamentum, aut quod fundat quotquot annis multa. *Festus* dici ait, quod ager planus sit ad similitudinem fundi vasorum. *Cic. Or.* 1, 58. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Crassus ib.* 2, 55. Testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. *Ter. Heaut.* 1, 1, 16. In fundo fodere, arare. *Id. Eun.* 1, 1, 34. Nostri fundi calamitas, [*i. e. nostra pernicies: translata locutio a re rustica est] *Pl. Asin.* 5, 2, 21. de marito meretrices sectante: Fundum alienum arare, incultum familiarem deserere. *Id. Truc.* 1, 2, 83. Euge funde, et aedes! Per tempus subvenistis mihi. *Id. Ep.* 2, 2, 42. Fundis exornatae multae incedunt per vias, *h. e.* pretium fundi in mundo muliebri habentes. ℙ Translate *fundus esse* aut *fieri* dicitur, qui rei cujuspiam auctor est et approbator, quasique solum ac fundamentum totius negotii: sive ducas a fundo vasis, quo liquor continetur, eoque dempto, effluit: sive a praedio, quo res familiaris nititur. *Paul.* ex *Festo:* Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor. *Pl. Trin.* 5, 1, 6. Nunc mihi is propere conveniendus est, ut quae cum ejus filio egi, ei rei fundus pater sit potior. *Gell.* 16, 13. Municipes sunt cives R. ex municipiis.... nulla populi R. lege adstricti, ni in quam populus eorum fundus factus est. *Id.* 19, 8. *f.* Non ut hujus sententiae legisque fundus subscriptorque fierem. *Cic. Balb.* 8. Negat ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire, *h. e.* nisi populus ejus rei auctor factus esset, et jus illud civitatis admisisset approbassetque. Ita *Balbi* accusator *fundum fieri* intelligebat. At *Cicero*, ut causae suae inserviat, paulo aliter *ib.* rem interpretatur. V. *Mazoch.* in *Tab. Heracleens.* p. 468. [*Sensum hujus formulae explicat *Schütz.* in *ind. legg.* p. 267. sq. Adde *Gronov.* ad *Gell.* 16, 13.] ℙ Ap. *Gell.* 17, 8. *fundus coenae* dicitur ferculum, quod in coena est potissimum, et quo tota fere coena constat.

FŪNEBRIS, bre, adj, *ἐπιτάφιος*, ad funus pertinens. *Festus:* Funebres tibiae dicuntur, cum quibus in funere canitur: quam flamini audire, putabant illicitum. *Cic. Vatin.* 12. *extr.* Epulum funebre. *Id. Leg.* 2, 23. *f.* Funebre vestimentum. *Id. Or.* 2, 84. Funebris concio. *Quint.* 3, 7. laudatio. *Tac. H.* 3, 67. pompa. *Caes. B. G.* 6, 18. *extr.* Justa funebria. *Petr. Sat.* 114. Funebris lectus. *Hor. Ep.* 5, 18. Funebres cupressi. *Plin.* 7, 52, 53. Comparare funebria. ℙ Item funestus. *Ov. Trist.* 4, 4, 85. Funebria sacra, *h. e.* in quibus victima humana faciebant. *Id. Amor.* 1, 12,

7. difficiles, funebria ligna, tabellae. *Hor. Ep.* 1, 19, 49. Funebre bellum. *Plin.* 26, 1, 5. Elephantiasis, funebre populis malum. *Id.* 11, 37, 84. Vulva funebris est, quoties versa spiritum inclusit, *h. e.* mortifera letalis. [*Alia laudat *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 66.]

FŪNĔRA, ae, f. *Servius* ad illud *A.* 9, 486. *nec te tua funera mater Produxi:* Apud majores funeras dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut sororem, matrem: nam praeficae sunt planctus principes, non doloris. *Funeras* autem dicebant, quasi *funereas.* Haec *Serv.* Huc trahunt alii illud *Ennii* ap. *Cic. Sen.* 20. Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletum Faxit. Ita enim leg. *Scal.* et alii. Quae si vera est lectio, aptius hoc loco praeficam intelligeres: quam tamen *Serv.* distinguit a *funera.* Verum haec omnia incerta sunt aut obsoleta.

FŪNĔRĀRĬUS, a, um, adj. ad funerationem pertinens, ut *actio funeraria*, quae de funeris impensis instituitur, apud *Ulp. Dig.* 11, 7, 14, 16. et 20. et *Paul. ib.* 21. etc. ℙ *Funerarius, ii*, qui funus administrat. *Firmic.* 3, 6. *med.* Facient pollinctores, aut funerarios, vel quibus sepulcrorum cura mandetur.

FŪNĔRĀTĬCĬUS, a, um, adj. [idem ac funerarius, ut Funeraticia actio, *Pomp. Dig.* 11, 7, 30., ut quidem edidit *Torrentin.*, nam *Haloander* habet *funeraria*, ut est in aliis legibus multis ejusdem tituli. *F.*] ℙ *Funeraticium, ii*, n. absolute est pecunia, quae pro funere impenditur. [Hinc in sodaliciis, quae Itali vocant *confraternite*, sodalium quisque parvam pecuniae summam sodalicio seu collegio quotannis solvit funeraticii nomine, nostrates vulgo dicunt *la luminaria*, pro funeris nempe impensa: etenim collegii sumptibus sodales efferri mos est. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. Inferat arcae collegii *nostri* partem dimidiam funeraticii. Alia apud *Mur.* 525, 3. Quidquid ex corpore mensorum machinariorum funeraticii nomine sequetur reliquum, penes *rem publicam* Supra *scriptam* remanere volo. Et *mox.* Tunc fisco stationis annonae duplum funeraticium dare debebitis. *Imperia Caes.* apud *Roncall. Chronic.* T. 2. p. 243. Nerva congiarium dedit ⅄. LXXV., et funeraticium plebi urbanae instituit ⅄. LXIIS. Apud *Fabr.* et *Mur. l. c.* legitur *funeratici* pro *funeraticii*, more nempe Latinis usitato, de quo vide in V. AUGUSTALICIUS: in *Imperiis* vero *Caesa*rum mendose *funeraticum* legitur pro *funeraticium*, quod nos emendavimus. *F.*]

FŪNĔRĀTĬO, onis, f. κηδεία, funus. *Capell.* 6, 224. Indi funerationes negligunt. Alii perperam leg. *feneraliones:* nam, ut ait *Mela* 3, 7., Indis caesorum parentum visceribus epulari fas et maxime pium est; et ubi senectus, aut morbus incessit, procul a ceteris abeunt, mortemque in solitudine nihil anxii exspectant.

*FŪNĔRĀTOR, oris, m. qui curam habet funeris, idem ac funerarius. *Gloss. Phil.* Funerator, κηδευτὴς νεκροῦ. *B. A.*

FŪNĔRĀTUS, a, um, part. a *funero*, funere, elatus. *Suet. Cal.* 15. Pro concione laudatus, et funeratus amplissime. ℙ Item necatus. *Hor. Od.* 3, 8, 7. prope funeratus arboris ictu. ℙ Item debilis factus. *Petr. Sat.* 129. Funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram.

FŪNĔRĔPUS. V. FUNIREPUS.

FŪNĔRĔUS, a, um, adj. funebris. *Virg. A.* 4, 505. pyram fronde coronat funerea. Et *ib.* 11, 143. Funereae faces. ℙ Item funestus. *Val. Fl.* 7, 468. galeamque resume, Quam modo funerea tenuit Discordia dextra. *Ov. Ib.* 225. Sedit in adverso nocturnus culmine bubo, Funereoque graves edidit ore sonos. *Quint. decl.* 10, 16. Quando domum tuam funereus et squalidus, quando te terruit?

FŪNĔRO, as, a. 1. κηδεύω, sepelio, justa mortuo persolvo, pompam funebrem duco. *Plin.* 33, 10, 47. Qui funerari se jussit sestertiis undecim millibus. *Id.* 11, 18, 20. de apib. Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exsequias. *Suet. Dom.* 17. Per vespillones exportatum nutrix in suburbano funeravit. [*V. *cl. Suet. B. Crus.* p. 381.] *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. Nec sit, unde funeretur. ℙ Deponentis forma. *Capitol. Pertin.* 14. Corpus ejus quanto potuit honore funeratus est.

*FŪNESTĀTĬO, onis, f. ap. *Firmic.* et

FŪNESTĀTOR, oris, m. i. q. funerator, apud *Augustin. B. A.*

*FŪNESTĀTUS, a, um, adj. *Salv. de Avar.* 3. Mirum est quod hoc ipsum sinis ut funestato te tua habeat. *B. A.*

*FŪNESTĔ, adv. apud *Firm.* ℙ Comp. *funestius* ap. *Gellium. B. A.*

FŪNESTO, as, a. 1. μιαίνω, caede polluo, funere inquino, contamino. *Cic. Font.* 10. Qui etiam si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. *Id. Mil.* 33. Curiam inflammari, incendi, funestari. *Id. Rabir. perd.* 4. Funestari concionem contagione carnificis. *Juven.* 8, 17. emptorque veneni Frangenda miseram funestat imagine gentem. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 3, 12, 3. Qui sese nuptiis incestis funestarit.

FŪNESTUS, a, um, adj. ὀλέθριος, funus seu mortem afferens, letalis, exitialis, perniciosus. *Cic. Cat.* 1, 9. Perniciosus et funestus. *Id. Att.* 9, 5. Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam urbis captae, quod hoc malum ex illo. *Id. Verr.* 2, 5, 47. Qui ad C. Verris nefandam illo. immanitatem, et ad ejus securem funestam servati sunt. *Id. Dom.* 3. Funesta reipubl. pestis. *Id. Fl.* 41. O nox illa funesta nobis! *Id. Dom.* 1. Pestifer et funestus tribunatus. Et 5. Funesta latrocinia. Et *ib. f.* Funesta fax. *Planc.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Victoria funesta orbi terrarum. *Ov. Met.* 3, 49. Funestum venenum. Et *ib.* 11, 373. Funestus lupi morsus. *Id. Fast.* 1, 521. Funesta arma. *Phaedr.* 3, 10. Funestum scelus. *Eutr.* 7, 12. Caligula sceleratissimus ac funestissimus. ℙ Item funere pollutus. *Lucr.* 6, 1136. mortifer aestus Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros. *Ov. Fast.* 6, 493 funestos ut erat laniata capillos. *Liv.* 2, 47. *f.* et *Cic. Leg.* 2, 22. Funesta familia; et *Albinovan.* 1. *f.* Funesta domus, *h. e.* quae in luctu est, et quae nondum justa defuncto persolvit: huic opponebatur *familia pura*, ut habet *Varr.* ap. *Non.* 2, 724. et *Cic. l. c.* ℙ [*Liv. 4, 20. *f.* Quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa Q. Cornelium consulem fuit: adeo ut quidam annales, velut funesti, nihil praeter nomina consulum suggerant: funesti anales h. l. non sunt *pestis tempore* scripti, ut *auct. lex. Liv.* explicat. p. 279. sed velut funeribus repleti, emortui, rerum gestarum memoria destituti.] ℙ Item ominosus, tristia portendens. *Prop.* 2, 20, 5. nocturna volucris funesta querela; [*V. intpp.] et *ib.* 28, 38. Nigraque funestum concinit omen avis. *Vell.* 2, 117. Funestae epistolae, *h. e.* cladem nunciantes. *Claud. in Eutr.* 2, 474. funestior advolat alter Nuncius.

FŪNĔTUM, i, n. arcus ex vitibus, cum breviores palmites sarmento junguntur inter se funium modo. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 10.

*FUNGĪBĬLIS, e, adj. *JCtis* familiare. *Fungibiles* enim *res* vocant, quae consistunt in numero, pondere et mensura: ut pecunia, frumentum, vinum, oleum: quarum adeo altera *fungi* alterius vice potest. Cetera corpora in universum omnia, omnesque alias species, dicunt *res non fungibiles. B. A.*

*FUNGĪDUS, a, um, adj. idem ac fungosus. *Gloss. Phil.* Fungidus, σομφός. *B. A.*

[FUNGILLA, ae, f. dimin. fungi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Guarin. Eclan.* p. 146. Vibia Fungilla. *F.*]

FUNGĪNUS, a, um, adj. *Pl. Trin.* 4, 2, 9. Fungino genere est; capite se totum tegit.

FUNGOR, eris, functus sum, dep. 3. ἐπιτελέω, exerceo, obeo, praesto, efficio. *Caes. B. G.* 7, 25. Hunc ex proximis unus jacentem transgressus, eodem illo munere fungebatur. *Cic. Amic.* 6. *f.* Valetudo opportuna est, ut muneribus fungare corporis. *Ov. Her.* 14, 19. Fungi caede alicujus. Et *ib.* 8, 109. Pro somno lacrimis oculi funguntur. *Ov. Fast.* 2, 791. Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni, *h. e.* coenaverat. *Cic. Off.* 2, 13. Qui adipisci veram gloriam volet, justitiae fungatur officiis. *Id. ib.* 16. *f.* Functus est aedilicio maximo munere. *Suet. Gramm.* 7. Fungi praetura. *Id. Dom.* 4. magisterio. *Justin.* 7, 4. Functus periculis, *h. e.* qui pericula evasit. *Id.* 2, 4. imperio, *h. e.* qui imperata fecit. *Id.* 9, 2. Fungi voto, *h. e.* solvere. *Vell.* 2, 95. Oppugnationibus, et acie feliciter functus, *h. e.* qui expugnavit oppida, et acie vicit. *Suet. Aug.* 35. Quo religiosius senatoria munera fungerentur. [*Hoc et sequenti *Suet.* loco *al.* ablat. exhibent. Cod. *Salm.* etiam quaesturam functi *Aug.* 36. ad q. l. v. *Oudend.*] *Pl. Men.* 1, 4, 4. Parasitus octo hominum munus facile fungitur. (Adde *Trin. prol.* 1., *Lucil.* et alios ap. *Non.* 9, 4.) *Suet. Aug.* 45. Commendatis, qui suam vicem praesidendo fungerentur. *Id. Claud.* 35. Neque convivia inire ausus est, nisi ut milites vice ministrorum fungerentur. *Hor. A. P.* 304. fungar vice cotis. *Tac. H.* 2, 55. *extr.* Missa legatio, quae gaudio fungeretur. *Plin. ep.* 3, 5. Fungar indicis partibus. *Ter. Heaut.* 1, 1, 14. Fungi officia servorum. Et 3, 3, 19. officium hominis frugi et temperantis. *Pl. Most.* 1, 1, 44. Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves: Sine me alliato fungi fortunas meas, *h. e.* frui meis fortunis. *Colum.* 1, 5. *f.* Fundamenta et pro fultura et substructione fungentur. V. FULTURA. [*De *construct.* h. v. cf. *Ruddim.* 2, 192. et 195. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 435. sqq.] ℙ *Functus aevo, vita* est, qui vixit. *Hor. Od.* 2, 9, 13. Ter aevo functus senex, *h. e.* Nestor. ℙ *Fungi vita* et *Functus vita* de mortuis dicitur. *Papinian. Dig.* 49, 17, 14. Filiusfamilias miles si captus apud hostes vita fungatur. Et *ib.* 48, 5, 11. *f.* Cum audisset absentem virum vita functum esse. ℙ *Functus fato* idem significat. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 5. *extern.* Altera jam fato functa parit. Adde *Ov. Met.* 11, 559. ℙ *Diem fungi* eandem habet sententiam. *Justin.* 19, 1. Mago, cum imperium Poenorum condidisset, diem fungitur. *Fungi morte* idem valet. *Vell.* 2, 49. Quieta, aut certe non praecipitata morte functi sunt. ℙ Functus longissima statione mortali, *h. e.* qui diu vixit. *Id.* 2, 231. ℙ *Functus*, absolute, *h. e.* vita functus, V. suo loco. ℙ *Functus virtute* dicitur ab *Hor. Od.* 4, 15, 29. qui virtutis munere functus est, ut *Cic. Tusc.* 1, 45. loquitur. Sic *Quint. prooem.* 6. §. 5. Omni virtute, quae in feminas cadit, functa, insanabilem attulit marito dolorem. ℙ Sumitur interdum pro pati. *Lucr.* 1, 440. quodcumque erit, aut faciet quid, Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum. Et *mox.* At facere et fungi sine corpore nulla potest res. *Id.* 5, 359. inane manet intactum, nec ab ictu fungitur hilum. *Id.* 3, 735. Et mala multa animus contage fungitur ejus. ℙ Refertur aliquando ad pensitationem tributorum, et praestationem eorum, quae publice imperantur. *Cic. Verr.* 2, 3, 86. Hoc vobis statuendum est, quid aratorem ipsum, arationis nomine, muneris in republ. fungi ac sustinere velitis. *Vell.* 2, 15. Duplici numero militum equitumque fungi. [*Tac. *A.* 14, 21. Cum eo sumptu respublica fungatur. Similes locos laudat *Ruhnk.* ad *Vell. l.* modo laud.] *Ulp. Dig.* 50, 1, 22. *extr.* Fungi intributionibus. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 4, 824. Et novus accenso fungitur igne focus, *h. e.* habet, servat novum ignem: quod est foci munus, et officium. *Ulp. regular. tit.* 7. Dos, quae semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit. ℙ Passive *Sex. Pedius* ap. *Paul. Dig.* 9, 2, 33. et 35, 2, 63. Pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi, *h. e.* taxari, statui, definiri. Est qui legat *fingi.* V. FUNCTUS. [*Huc pertinent loci *Cic. Att.* 1, 1. In omni munere candidatorio fungendo. *Liv.* 1, 41. Per speciem alienae fungendae vicis, et 24, 21. Spes facta — militiae fungendae potioribus ducibus.]

FUNGOSĬTAS, atis, f. raritas, et levitas, qualis in fungis, et in spongiis apparet. *Plin.* Tota fungositas derasa. Ita quidam lexicographi, sed nihil ejusmodi in *Plinio* adhuc invenimus.

FUNGOSUS, a, um, adj. μυκητώδης, rarus et levis ad similitudinem fungi. *Plin.* 16, 36, 64. Arundo fungosior. *Colum.* 4, 29. Fungosa medulla. *Plin.* 16, 6, 8. Fungosam carnem fieri suum esculea glande. *Id.* 23, 1, 24. Fungosa lingua. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 4. Fungosus raphanus.

FUNGŬLUS, i, m. parvus fungus. *Apic.* 5, 2.

FUNGUS, i, m. μύκης, excrementum terrae, vel arborum, varia forma ac figura: videtur esse a σπόγγος, spongia. *Plin.* 22, 23, 47. Fungorum lentior natura, et numerosa genera: sed origo non nisi ex pituita arborum. *Hor. Sat.* 2, 4, 20. pratensibus optima fungis Natura est. [*Morchel.] ℙ *Fungus* etiam dicitur exusta papyri pars in lucerna. *Virg. G.* 1, 392. Scintillare oleum, et putres concrescere fungos. ℙ *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. *fungum* vocat hominem stupidum stolidumque. ℙ Dicitur et *fungus* morbi quoddam genus in arboribus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 4. Olea clavum etiam patitur, sive fungum placet dici vel patellam. Haec est solis exustio. ℙ Item in hominibus tuber aut excrescens caro praeter naturam. *Cels.* 6, 18. *n.* 11. Fungo simile ulcus in eadem sede nasci solet. *Tert. Spect.* 23. Cicatrices caestuum, et callos pugnorum, et aurium fungos.

FŪNĬCŬLUS, i, m. καλώδιον, σχοινίον, dimin. funis. *Cic. Inv.* 2, 51. Funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat. *Gell.* 5, 3. Caudices ligni plurimos funiculo brevi circumdatos portabat. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. funiculum appellat, quod *Varr. R. R.* 1, 8. restem e junco.

FŪNĬRĔPUS, i, m. funambulus, qui per funes repit. *Appul. Flor. n.* 5. p. 342, 32. Nam si mimus est, riseris; si funirepus, timueris. *Id. ib. n.* 18. Tragoedus vociferatur, funirepus periclitatur. Utrobique alii leg. *funerepus.*

FŪNIS, is, m. σχοῖνος, κάλως, restis e cannabe aliave materia contorta. *Cato R. R.* 135. Funem exordiri oportet longum pedes LXXII., toros tres habeat: lora in toros singulos novem. *Virg. A.* 2, 262. Demissum lapsi per funem. *Caes. B. G.* 3, 14. Funes, qui antennas ad malos destinabant. *Hor. Sat.* 2, 7, 20. Qui jam contento, jam laxo fune laborat. *Plin.* 16, 1, 1. Ulva et palustri junco funes nectere ad praetexenda piscibus retia. *Ov. Trist.* 3, 9, 13. solvitur aggere funis. (Adde *Juven.* 14, 292.) *Id. Fast.* 4, 325. funem trahere. *Id. Met.* 8, 775. adductaque funibus arbor Corruit. *Mart.* 5, 20. multo fune trahere marmora. ℙ *Funem ducere* et *reducere*, ductum videtur a canibus, seu avibus, quos funiculo innexos trahimus, cumque aufugere aut avolare paulo longius tentant, eodem revocamus. [*A saltationis quodam genere ducta videtur metaphora. V. *Duk.* ad *Liv.* 27, 37.] *Hor. Ep.* 1, 10, 47. Imperat, aut servit collecta pecunia cuique, Tortum digna sequi potius, quam ducere funem, *h. e.* servire potius, quam imperare. *Pers.* 5, 118. Quae dederam supra, re-

peto funemque reduco, *h. e.* habenas servitutis ante tibi laxatas et remissas retraho et inhibeo. Simile est et illud *Ter. Ad.* 4, 7, 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. Ap. *Tert. Pudic.* 2. funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere, *h. e.* disputare, dissidere, contendere: tractum a puerili genere ludi, funem in diversa trahentium. Adde *adv. Marc.* 4. ℙ *Funem ex arena efficere*, proverb. de re impossibili, significatur a *Colum. praef. l.* 10. *f.* ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν. ℙ Reperitur etiam in genere feminino, ut Funis aurea, ap. *Lucr.* 2, 1153. Confirmant *Non.* 3, 91. et *Gell.* 13, 20. *f.*

FŪNUS, eris, n. κηδεία, pompa, quae fit in exsequiis mortuorum: a *funalibus* sive *funibus* accensis, quia cadavera noctu efferebantur cum faculis, propter sacrorum celebrationem diurnam. *Isid. Orig.* 11, 2. Funus dictum a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant. His similia habet *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 81. *Cic. Amic.* 3. Quam civitati carus fuerit, moerore funeris indicatum est. *Id. Cluent.* 9. Funus alicui facere. Et 71. Exsequias funeris prosequi. *Id. Quint.* 15. Funus alicui ducere. *Id. Rosc. Am.* 8. Paterno funeri justa solvere. *Id. Att.* 15, 1. *med.* Venire in funus. Et *ib.* Funeri operam dare. *Ter. Andr.* 1, 1, 88. et *Varr. R. R.* 1, 60. Prodire alicui in funus. *Petr. fr. Trag.* 72. *Burm.* Rogare in funus. *Nep. Eum.* 13. Honesto funere humare. [*Suet. Ner.* 33. Raptim inter maximos imbres translaticio extulit funere, *h. e.* communi, vulgari. V. *Translaticius.*] *Plin.* 10, 2, 2. Justa funera alicui reddere. *Cic. Or.* 2, 55. Funere efferri. *Id. Dom.* 16. Funus indicere. *Suet. Aug.* 100. ornare. *Id. Tib.* 37. mittere ex foro. *Liv.* 8, 10. celebrare. *Prop.* 2, 10. *a v.* 19. funeris pompam, et ritus breviter tangit. ℙ [*De homine, cujus bona sub hasta venduntur. *Cic. Quint.* 15. Hinc acerbissimum vivo videntique funus dicitur. ℙ Item de homine, qui perniciem affert, i. q. pestis. Sic ap. *Eund. Prov. Cons.* 1. Gabinius et Piso dicuntur *funera reipublicae.*] ℙ *Funus imaginarium* V. IMAGINARIUS. ℙ Joculariter *Pl. Men.* 3, 2, 27. Fecisti funus, absente me, prandio, *h. e.* totum prandium in ventrem condidisti. ℙ Aliquando dicitur de rogo, qui est funeris pars. *Suet. Dom.* 15. *f.* Evenit, ut repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes. [*V. intpp. ad h. l.] ℙ Interdum de morte. *Virg. Ecl.* 5, 20. Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin Flebant. *Id. A.* 6, 439. et funere mersit acerbo. [*Hor. Od.* 3, 15, 4. Maturo funeri propior. Adde *Sat.* 1, 4, 126. *Prop.* 2, 27, 1.] ℙ Et translate de exstinctione, et interitu cujusque rei. *Lucan.* 4, 231. pro dira pudoris funera! *Cic. prov. cons.* 19. Discessum meum funus dici reipublicae. [*Hor. Od.* 1, 37, 8. Ruinas et funus parat imperio. *Id. ib.* 1, 8, 14. Sub lacrymosa funera Trojae.] ℙ Interdum de nece, caede. *Virg. A.* 2, 539. patrios foedasti funere vultus. *Id. ib.* 9, 527. quae funera Turnus Ediderit. Adde *ib.* 10, 602. [*Hor. Od.* 4, 14, 49. Gallia funera non pavens. *Id. ib.* 1, 15, 10. Moves Dardanae genti funera.] ℙ *Inhumatum funus* ap. *Lucan.* 7, 820. simile est atque *insepulta sepultura* ap. *Cic. Phil.* 1, 2. ℙ *Funus* de ipso corpore vita functo sive cadavere. *Prop.* 1, 17, 8. Haeccine parva meum funus arena teget? *Virg. A.* 9, 490. quae nunc artus, avulsaque membra, Et lacerum funus tellus habet? [*Hor. 1, 28, 19. Funera mixta senum ac juvenum. V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 1, 36.] ℙ Et de ipsis Manibus et umbra mortuorum. *Prop.* 4, 11, 5. [*al. 3.] Cum semel infernas intrarunt funera leges. ℙ [*Confunduntur *funus* et *vulnus*. V. *Drak.* ad *Sil.* 1, 399. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 539. ad *Quint. Inst.* 6, 1. p. 508. *Decl.* 12, 26. p. 268. Et *ib.* 259. p. 474. et *munus*. V. intpp. ad *Curt.* 4, 8, 9.]

FŬO. V. FUAM.

FUR, furis, comm. gen. φώρ, [*quod est a φέρω,] qui aliena clam aufert: a Graeca voce allata, ut est ap. *Gell.* 1, 18. *med.*, nam *Varro* a *furvus* ducebat, quod fures per noctem, quae furva seu atra est, facilius furentur. *Cic. Mil.* 3. Nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. *Id. Fam.* 9, 21. *f.* M. Carbo condemnatus, fur magnus ex Sicilia, *h. e.* repetundarum reus. *Pl. Poen.* 5, 4, 67. de duab. meretricib. Fures estis ambae. *Suet. Gramm.* 15. Fur priscorum verborum. ℙ De servis etiam usurpabant per convicium, nam furta specialiter servorum sunt, inquit *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 3, 16. Quid domini facient, audent cum talia fures? *Pl. Aul.* 2, 4. *f.* Tun' trium litterarum homo me vituperas? fur, etiam fur, trifurcifer. ℙ Illud quoque *Terentii* hac ratione intelligendum videtur, *Eun.* 4, 7, 9. Ubi est centurio Sanga, et manipulus furum? *h. e.* servorum. ℙ *Fur* etiam dicitur fucus, qui inter apes degit. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Fur, qui vocatur ab aliis fucus, alter est lato ventre. ℙ *Fur* longa est. *Mart.* 1, 54. Stat contra dicitque tibi tua pagina, fur es. ℙ In genit. plur. habet *furum* non *furium*. *Ter. Eun.* 4. 7, 6. et *Festus.*

FŪRĀ, ae, f. Dea quaedam ap. *Capell.* 2, 40., ubi *Grotius* mallet legi *Furia.*

FŪRĀCĬTAS, atis, f. κλεπτοσύνη, proclivitas, seu inclinatio ad furandum. *Plin.* 10, 29, 41. de monedula. Cui soli avi furacitas auri argentique praecipue mira est.

FŪRĀCĬTER, adv. κλεπτικῶς, more furum. *Cic. Vat.* 5. Cumque omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere.

*FŪRĀTĬO, onis, f. *JCt.* in *Dig.* esse dicitur. *B. A.*

FŪRĀTOR, oris, m. qui furatur. *Tert. Apolog.* 46. *extr.* Furator veritatis philosphus.

FŪRĀTRĪNA, ae, f. furandi actus, furtum. *Appul. Met.* 6. p. 178, 22. Furatrina facili. Et 10. Et pulcherrime mihi furatrinae procedebat artificium. Et *ib.* 8. p. 202, 10. Furatrina conjugalis, *h. e.* adulterium.

*FŪRĀTRĪNUS DEUS, deus furandi, Mercurius. *Varr. L. L.* 4, 15. V. *Beroald.* ad l. *B. A.*

FŪRAX, acis, adj. comm. gen. κλεπτικός, qui proclivis est ad furandum. *Cic. Or.* 2, 61. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum. *Id. Pis.* 30. Nam furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream abjecisti. *Mart.* 8, 59. Nihil est furacius illo. *Tert. Pall.* 4. Tam furax a mento volsella, *h. e.* quae barbam furatur, seu evellit.

FURCA, ae, f. δίκρανον, instrumentum, quo stramenta moventur vel feruntur: a *ferendo*. *Virg. G.* 2, 359. et *ib.* 1, 264. Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes. *Hor. Ep.* 1, 10, 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret, *h. e.* omni studio conatuque. ℙ Generatim etiam *furca* dicitur omne id, quo quid sustentatur, in modum furcae factum. *Plin.* 9, 8, 9. Tunc piscatores circumdant retia, furcisque sublevant. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 6. Furcas subdere vitibus. *Liv.* 1, 35. *f.* Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. ℙ Est etiam instrumentum e duobus lignis compactis, rusticam furcam, seu figuram V referentibus: quo servi (aliquando et ingenui) cervici inserto, et manibus dispessis, et ad cornua adalligatis, per urbem ducebantur, et flagris caedebantur: idque ob admissa domi furta, aliudve quod scelus, ut ignominia simul esset et poena. Est et alia furcae figura, in modum jugi et Graecae litterae *Π*, duobus scilicet rectis lignis, tertio transverso simul junctis: quae vel portanda reo in collum imponebatur, brachiis hinc inde ad recta ligna distentis: vel terrae infixa ipsum affixum sustinebat: patibulis, quae et hodie in usu sunt, valde similis. *Pl. Cas.* 2, 6, 37. Tu ut quidem hodie canem et furcam feras. *Id. Pers.* 5, 2, 73. *Do.* fateor: manus vobis do *To.* et post dabis Sub furcis. *Liv.* 1, 26. Quem modo decoratum victoria vidistis, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? *Hor. Sat.* 2, 7, 66. Ire sub furcam. *Suet. Ner.* 49. Nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 851. Et jam retortis brachiis furca eminus, Romanus actus ingerebatur rogo. *Callistr. Dig.* 48, 19, 28. *f.* Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos quampluribus placuit. *Ulp. ib.* 9. *med.* Furcae subjicere. *Paul. ib.* 38. In furcam tollere. *Ulp. ib.* 13, 6. In furcam suspendere. *Modest. ib.* 49, 16, 3. In furcam damnare. *Plin.* 29, 4, 14. Canes vivi in furca, sambucea arbore fixi. Plura de furca *Lips. de Cruce* 3, 1 — 5. ℙ *Cancrorum furcae* ap. *Appul. Apol.* p. 297, 4. sunt, quas *denticulatos forcipes* appellat *Plin.* 9, 31, 51. *(Scheeren).* ℙ De furcinis Caudinis V. FURCULA. ℙ *Furca* etiam vocatur pars inferior corporis humani, quia utrumque femur, et crus furcam assimilant. *Vet. Schol.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 2, 93. Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo: haec habet: Deforme est in feminis furcam latere habere minorem, *h. e.* partem inferiorem corporis minorem superiore. V. BIFURCUS et LATUS, eris.

FURCĬFER, i, m. et Furcifera, ae, f. servus furcam ferens, ut in voce praec. dictum: estque frequens convicium tum servi, tum liberi hominis improbi. *Pl. Amph.* 1, 1, 129. Ego pol te istis tuis pro dictis, et malefactis, furcifer, Accipiam. *Ter. Eun.* 5, 2, 22. debeam, Credo, isti quidquam furcifero, si id fecero. *Cic. Vatin.* 6. Id tu tibi, furcifer, sumes? Ap. *Petr. Sat.* 132. *in carm.* convicium εἰς τὸ αἰδοῖον ἀφεστικόν.

FURCILLA, ae, f. parva furca, dimin. furculae. [*Cic. *Att.* 16, 2. Furcilla extrudi. Hoc verbum praetermisit *Nizolius.* Est enim a *Lambino* et *Turnebo. Ernest.* in *cl. Cic.*] *Varr. R. R.* 1, 49. Herba subsecari falcibus debet, et, quoad perarescat, furcillis versari. *Id. ib.* 8. *f.* Ubi nascitur uva, subjiciuntur circiter bipedales e surculis furcillae, ne vindemia pereat. *Colum.* 2, 10. *med.* Fasciculos fabae baculis, furcillisve contundere. *Catull.* 103, 2. *in ment.* Furcillis ejicere aliquem praecipitem.

FURCILLĀTUS, a, um, adj. *Varr. L. L.* 4, 24. Vallum, quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litterae V.

FURCILLES sive furcilla, quibus homines suspendebant. *Fest.* ubi *Scalig.* putat, illa verba, *quibus homines suspendebant* esse inutile additamentum *Pauli. Dacerius* credit, vocem addendam, *quibus homines onera suspendebant:* vel *Festum* loqui de patibulis. Hinc etiam doceri nos, et *furcilles*, et *furcillae* dici, ut *caules*, et *caulae*. Putat enim legendum *furcillae*, non *furcilla.*

FURCILLO vel Forcillo, as, avi, atum, a. l. *Pl. Ps.* 2, 2, 36. Vae tibi! tu inventus vero, qui meam furcilles fidem. Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier? *Pareus* in *Lex. crit.* ex *Passerat.* furcillare fidem exponit infirmam judicare, ideoque quasi furcillis stabilire, et sustentare. Alii interpretantur, fidem in dubium revocare, et quasi furcillis abigere, et rejicere. Al. aliter leg.

[FURCŌSUS, a, um, adj. furcis plenus, habens furcas, in modum furcae factus. *Appul. Herb.* 7. Nascitur leontopodion saepe cum tritico, thyrsis bipalmis, furcosis. *F.*]

FURCŬLA, ae, f. parva furca, furcilla. V. FULTURA. ℙ *Furculae Caudinae* ap. *Liv.* 9, 2. dictae sunt duo juga montium angustae coeuntium inter se, et longe spectantibus furcae figuram, seu litterae V referentium. *Liv.* 9, 2. Et *ib.* 3. et 14. et *Flor.* 1, 16. ℙ *Val. Max.* 5, 1. *extr. n.* 5. et 7, 2. *f. furcas* appellat.

*FURCŬLUS, i, m. dimin. κλεπτίδιον, apud *Priscianum* esse dicitur. *B. A.*

FŪRENS, entis, part. a *furo;* qui furit, et impetu fertur, temere, praecipitanter. *Phaedr.* 3, 10. Irae furentis impetum non sustinens. *Cic. Cat.* 2, 1. Catilina furens audacia, scelus anhelans. *Id. Har. resp.* 1. Hominem furentem exsultantemque continere. Et 22. Furens et violentus. *Virg. A.* 1, 495. Penthesilea furens, *h. e.* bellico spiritu incitata: vel quia, inquit *Servius*, majora viribus audebat; vel quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. *Id. ib.* 8, 228. furens animis aderat Tirynthius. *Claud. Fescenn.* 26. Quis belluarum corde furentior? ℙ [*Sensu bono. *Sil.* 15, 455. Te vidit tellus vix credenda furentem, i. e. facinora edentem, quae vix credi possent.] ℙ Cum genitivo, *Virg. A.* 5, 202. Furens animi. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 11, 356. volat Ogygii fastigia muri Exsuperare furens. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Virg. A.* 2, 496. aggeribus ruptis cum spumeus amnis Fertur in arva furens cumulo. Et 304. In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit. *Id. ib.* 4, 670. Furentes flammae. *Lucan.* 3, 195. pelagi furentes undae. *Sil.* 7, 571. venti cum bella furentia torquent. ℙ De vaticinante. *Ov. Her.* 5, 121. Dixerat: in cursu famulae rapuere furentem.

FŪRENTER, adv. μανικῶς, more furiosi. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Pueri ajunt, eum furenter irasci.

[FURFENSIS, e, adj. ad Furfonem pertinens, vicum Peltuinatium, nunc *Furfona. Inscr.* ap. *Mur.* 587, 1. Venditio, locatio aedilis esto, quemquomque veicus Furfens*is* fecerint. *F.*]

FURFUR, uris, m. πίτυρον, purgamentum farinae, utriculi, seu glumae frumenti, vel hordei pinsendo detritae: a βόρβορος, coenum. [*Döderl. 3, 264. *furfur* reduplicatione factum censet a *far.*] *Pl. Capt.* 4, 2, 27. Qui alunt furfure sues. Al. leg. *furfuri*, hanc enim quoque positionem in sexto casu habere dicitur, ut *fusti*, *vecti*, *igni*, et alia. *Plin.* 22, 25, 70. Per cribrum effuso furfure. *Id.* 18, 30, 73. Triticum furfure crasso vestitur. *Varr. R. R.* 2, 6. Furfures hordeacei. *Id. ib.* 5. triticei. *Colum.* 8, 4. *in.* a farina modice excreti. *Phaedr.* 4, 17. Furfuribus sibi conspersum quod panem darent. ℙ Furfures item, πιτυρίασις, est porrigo, vitium capitis, vel faciei, cum excrementa sicca, et alba super poros colliguntur, in capillo, barba, superciliis, quae quasi furfuraceae squamulae in pectendo, aut scalpendo, sine ulceratione a cute resolvuntur, et decidunt. *Plin.* 26, 1, 2. Mentagra descendens in colla pectusque, ac manus, foedo cutis furfure. *Id.* 20, 9, 39. Furfures capitis, et ulcera manantia. *Id.* 22, 21, 30. Furfures in facie discutere. ℙ *Diomed.* 1, 314. et *Charis.* 1, 19., qui *furfures* ajunt semper plurali num. efferri, satis convincuntur allatis exemplis *Plauti* et *Plinii* (V. supra) quibus addi posset *Gell.* 11, 7.

FURFŪRĀCĔUS, a, um, adj. furfureus. *Fulg. Myth.* 2, 19. Furfuracea tinearum terebramina.

FURFŪRĀCŬLUM, i, n. terebra ap. *Arnob.* 6, 200., ut legit *Salmas. in Solin.*, et sic dictum putat, quod furfures, seu scobem furfuribus similem in ligno perforando faciat. V. PERFORACULUM.

FURFŪRĀRĬUS, a, um, adj. ad furfurem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 5. Ti. Claudius Ti. F. Fab. Messallinus Heracleotes 7. Coh. S. S. (*h. e.* centurio cohortis supra scriptae, nempe quintae Vigilum) aediculam vetustate corruptam adampliavit ex pecunia furfuraria 7. suae, *h. e.* centuriae suae. Ex his patet, pecuniam furfurariam appellari, quam ex divendito furfure collegerat ea cen-

turia Vigilum: ii enim quoto mense certam frumenti mensuram ab imperatore accipiebant, quae et demensum appellabatur. Haec inscriptio pertinet ad an. a Ch. n. CLVI.

FURFŬREUS, a, um, adj. qui est ex furfure, ut Furfureum panem esitare. *Gell.* 11, 7.

FURFŬRICŬLAE, arum, f. plur. minuti furfures. *Marcell. Empir.* 5. *f.*

FURFŪROSUS, a, um, adj. πιτυρώδης, furfures habens admixtos, aut quandam furfurum similitudinem referens. *Plin.* 12, 25, 55. Color in quacumque natione praefertur rufus, et pinguiter lentus: deterior furfurosus.

FŪRIAE, arum, f. plur. Εὐμενίδες, Deae furoris, Acherontis et Noctis filiae, quae tres numerantur, Alecto, Tisiphone, Megaera, uno partu editae, cerastis crinem implexum habentes, armatamque manum face et flagellis: a *furo*. Poetae fabulantur, Furiarum numen circa scelerum cognitionem ultionemque et in animorum male sibi consciorum exagitatione versari. Sapientes interpretantur, Furiarum nomine a poetis nihil aliud significari, quam animum sibi male conscium, et scelerum quibusdam quasi stimulis assidue exagitatum. *Cic. N. D.* 3, 18. Sin haec Dea est, cur non Eumenides? quae si Deae sunt, quarum et Athenis fanum est, et apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae: Furiae Deae sunt speculatrices, credo, et vindices facinorum et scelerum. *Id. Leg.* 1, 14. Ut eos agitent insectenturque Furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Adde *eund. Rosc. Am.* 24. ℙ *Serv.* in *A.* 4, 609. causam affert, cur tres sint, quia et in coelo reperiuntur, ubi Dirae vocantur, et in terris, ubi Furiae, et apud inferos, ubi Eumenides. *Lact.* 6, 19. Tres Furiae sunt tres affectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido: ex quibus ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Hinc *Virg. A.* 3, 331. Furiis scelerum agitatus. *Hor. Sat.* 2, 3, 135. Malis furiis actus. *Virg. A.* 4, 474. Concipere furias. *Id ib.* 12, 945. Furiis accensus. [*Liv.* 1, 47. His muliebribus instinctus furiis, i. e. sermonibus insanis.] ℙ *Furiae honestae* dicuntur a *Statio* impetus animi servitutem, et infamiam abhorrentes. Sic enim habet *Silv.* 4, 6, 83. immeritasque domus ac templa Sagunti Polluit, et populis furias immisit honestas; *scil.* Saguntini maluerunt se ipsos perdere, et fidem Romanis servare, quam in Annibalis potestatem foede venire. Simile est illud *Virg. A.* 8, 494. Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis, *h. e.* justa ira. ℙ In singul. num. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Uti ullum ad illam Furiam (*Clodium*) verbum rescriberet. *Id. Sext.* 14. Furia ac pestis patriae. [*Liv.* 21, 10. Hunc juvenem tamquam furiam facemque hujus belli odi.] ℙ *Furiae auri*, h. e. furens insanaque auri cupiditas. *Sil.* 2, 500. ℙ De rabie canum. *Grat. Cyn.* 391. Scilicet hoc motu, stimulisque potentibus acti, in furias vertere canes. ℙ De stimulis amoris. *Virg. G.* 3, 242. Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres In furias ignemque ruunt. *Ov. A. Am.* 2, 487. In furias agitantur equae. [*Virg. A.* 1, 41. Ob furias Ajacis. *Propert.* 4, 4, 68. Nescia se furiis accubuisse novis.] ℙ De furibundo impetu, ira, furore. *Mart.* 2, 43. quae passa est furias et cornua tauri. ℙ De impetu aquarum. *Claud. III. Cons. Honor.* 45. tranare sonoras Torrentum furias.

FŪRIĀLIS, e, adj. μανιώδης, ad Furias pertinens, item ad furentes et insanos. *Ov. Her.* 15, 139. furialis Erichtho. *Hor. Od.* 3, 11, 17. Cerberi caput furiale centum muniunt angues. *Liv.* 7, 17. Sacerdotes facibus ardentibus anguibusque praelatis, incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie. *Ov. Met.* 6, 591. Furialia arma, *h. e.* Bacchantum. *Cic. Planc.* 35. Furialis illa vox nefariis stupris effeminata. *Id.* vertens carmina *Sophocl. Tusc.* 2, 8. Furialis vestis, *h. e.* Nessi, qua indutus Hercules in furorem actus est. Sic ap. *Val. Fl.* 6, 670. Aurum furiale, *h. e.* furorem inducens. Et 7, 254. furialia figit Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem. Et 2, 101. struit illa nefas, Lemnoque merenti Exitium furiale movet. *Ov. Met.* 6, 657. Furialis caedes, *h. e.* a furente facta. Et 84. Furialia ausa. *Id. Amor.* 3, 12, 39. Mensae furiales Atrei. *Mart.* 2, 75. Leo furiali dente duo corpora peremit, *h. e.* furibundo. ℙ [*Sensu bono. *Sil.* 16, 320. Tollitur in coelum furiali turbine clamor, i. e ingenti.] ℙ *Furiale* adverbii ritu pro *furialiter*. *Stat. Th.* 6, 429. aurigae furiale minatur. *Claud. B. Get.* 326. leo tacitus per altas Incedit furiale nives.

FŪRIĀLĬTER, adv. ἐμπνευστικῶς, furiose. *Ov. Fast.* 3, 637. Non habet exactum quid agat: furialiter odit, Et parat insidias, et cupit ulta mori.

FŪRIĀNUS, a, um, adj. ad Furium pertinens, quod est nomen propr. R. hominis, ut *Furiana poemata* ap. *Gell.* 18, 11., *h. e.* Furii Antiatis, antiqui poetae. *Furiani milites*, sub Furio Camillo militantes. *Liv.* 6, 9. *f.*

FŪRĬĀTĬLIS, e, adj. furiosus, efferus. *Fortun. de Vita S. Martin.* 3, 306. Furiatile cornu, *h. e.* vaccae furentis.

[*FŪRIĀTOR, oris, m. Boethii fragmentum ab Hasio post Lydum de Ostensis p. 353. 354. editum. *Osann. Auct. Lex. Gr.* p. 184.]

FŪRIĀTUS, a, um, part. a *furio*; μανόμενος, furore concitatus. *Virg. A.* 2, 407. Non tulit hanc speciem furiata mente Choroebus. *Ov. Fast.* 2, 761. Furiatos ignes concipere, *h. e.* insanum amorem. *Sil.* 13, 209. Concitat intortam furiatis viribus hastam, [*i. e. a furore ad summum auctis. In loco proxime seq. bono sensu sumi posse videtur. V. *Furor.*] *Id.* 7, 617. exemplo laudis furiata juventus.

[FŪRĪBUNDĒ, adv. furiose. *Hieron.* in *Isaj.* 5, 14, 5. Israel, qui fuit baculus impiorum, omnes furibunde concutiens, quomodo conquievit, et humiliatus est! *F.*]

FŪRĪBUNDUS, a, um, adj. μανιώδης, qui vehementer furit. *Cic. Sex.* Furibundus homo ac perditus. *Id. Phil.* 13, 9 Latronis impetus crudeles ac furibundos retardare. *Ov. Met.* 13, 871. ut taurus vacca furibundus adempta Stare nequit. *Cic. Div.* 1, 2. Hariolorum et vatum furibundae praedictiones, *h. e.* mente alienata, divinoque furore correpta factae. *Stat. Th.* 10, 896. Junonem tacitam furibunda silentia torquent.

FŪRĪNA, ae, f. Dea apud Romanos, eadem quae Furia, ut *Cic. N. D.* 3, 18. opinatur. *Varr. L. L.* 5, 3. Furinalia a Furina, quod ei Deae feriae publicae dies is: cujus Deae honos apud antiquos: nam ei sacra instituta annua, et flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ponticulus, qui est ad Furinae, Satricum versus. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 9, 5. et 333, 1. legitur *Forina*. V. tamen v. s.

FŪRĪNĀLIS, e, adj. ad Furinam pertinens, ut Furinalis flamen, Furinales feriae, ap. *Varr. L. L.* 4, 15. et 6, 3. *med.* ℙ *Furinalia, um*, sacra, et feriae Deae Furinae. *Festus:* Furinalia, sacra Furinae, quam Deam dicebant. Adde *Varr. L. L.* 5, 3 ℙ [*Fogginius* ad *Verrii Flacci fr.* p. 124. adnotat in Kalendario Maffejano et Pinciano et Allifano ad diem VIII. Kal. Aug. *Furrinalia* duplici *r* scriptum fuisse, quo die et *ludi* et *feriae Furrinae* celebrabantur. *F.*]

FŪRĪNUS, a, um, adj ad furem pertinens. *Pl. Ps.* 3, 2, 2. Nam non coquinum est, verum furinum est forum.

FŪRIO, as, a. 1. ἐκμαίνω, furore concito, in furorem ago. *Hor. Od.* 1, 25, 14. Quae solet matres furiare equorum. *Stat. Th.* 11, 487. cum bella cieret Bacchus, et armatas furiarent orgia matres. *Sil.* 14, 279. Ductores facilem impelli, laetamque tumultus Vaniloquo plebem furiabant insuper ore. Et 17, 294. ignifero mentes furiabat in iram Hortatu.

FŪRĬO, is, n. 4. idem quod furo. *Sidon. carm.* 22, 94. Ipsa autem nato occiso Pentheia mater Amplius ut furiat, numquid vesana futura est? *Ulp. Dig.* 23, 2, 9. Si pater furiat, avus sapiat, sufficit avi voluntas. Ita *Holoand.*, at *Torrentin.* furit, alii *furat*.

[FŪRIO, onis, m. qui furit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 84, 4. C. Nunnius Furio. *F.*]

FŪRIŌSĒ, adv. μανικῶς, dementer, insane. *Cic. Att.* 8, 5. Etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, poenitere. *Spart. Hadrian.* 12. Servo in se cum gladio furiosus irruente.

FŪRIOSUS, a, um, adj. μανιώδης, furens, furibundus, furore percitus. *Cic. Cluent.* 65. Mulier jam non morbo, sed scelere furiosa. *Id. Acad.* 4, 27. Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse, quam vigilantium, siccorum, sanorum. *Id. Cat.* 1, 10. Cupiditas effrenata ac furiosa. *Ov. Met.* 10, 370. furiosa vota, *h. e.* quibus aliquid illicitum, absurdumve insane cupitur. *Liv.* 36, 34. A furioso incepto deterrere. *Cic. Pis.* 20. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem? *Id. Dom.* 2. Homo vesanus ac furiosus. *Id. Brut.* 68. *extr.* Fervidum, et petulans, et furiosum genus dicendi. *Id. Att.* 4, 3. Turbulentae, temerariae, furiosissimae conciones. *Hor. Sat.* 1, 3, 83. quanto hoc furiosius, atque Majus peccatum est? *Ov. Met.* 9, 736. Amor furiosior. *Id. Fast.* 4, 341. Exululant comites, furiosaque tibia flatur, *h. e.* tibia magnae Deum matris furorem inspirans. ℙ [*Tribuitur hominibus atrociter reipubl. infestis. *Cic. Fam.* 10, 11. Quaedam pars exercitus non minus furiosa est, quam qui cum Antonio fuerunt. V. *Furere* et *Furor.*]

FURIPPUS, i, m. magnus fur, si a *fure* derivetur: vel valde furens, si a *furo*, *is*, ἵππος enim Graece interdum in composit. intensiva est. *Auson. ep.* 115. Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum: Altera producens, altera corripiens. Elige, utrum malis: aut tende aut corripe nomen: Conveniet quodvis, fur, furiose, tibi.

FŪRĬUS (et Fourius in numm. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 222.), a, um, ad Furium pertinens, quod est nomen proprium Romani hominis, ut P. Furius Crassipes, L. Furius Camillus, etc. *Ov. Fast.* 1, 641. Furius (antiquum) populi superator Etrusci. *Liv.* 31, 48. *extr.* Data fato quodam Furiae genti Gallica bella. *Cic. Verr.* 2, 1, 42. Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias. *Lex Furia* est, cujus lator aliquis Furius fuit: cujusmodi meminit *Cic. Balb.* 8., latae a C. Furio tribuno plebis, qua praescribebatur summa pecuniae, quae ex tota hereditate legari, aut mortis causa donari poterat. Fuit etiam *Furia Caninia* Augusto imperante lata de manumissionibus, ut in testamento ex tribus servis usque ad decem, dimidiam partem manumittere liceret; ex undecim usque ad triginta, tertiam partem; usque ad centum, quartam; usque ad quinquintos, quintam; plures autem quam centum ex majori etiam numero servorum manumittere non liceret. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 42., *Paul. Sentent.* 4, 14. §. 4. et *Ulp. tit.* 1. §. 24. Plerique omnes non *Furiam*, sed *Fusiam Caniniam* legunt: estque de ea *tit.* 3. *lib.* 3. *Cod. Just.* Verum *Furii* qui dicebantur, olim *Fusii* fuere, ut *Quint.* 1, 4. docet.

FURNĀCĀTOR. V. FORNACATOR.

FURNĀCĒUS, a, um, adj. βαλανοικός, ἰπνίτης, ad furnum spectans, ut Furnacei panes, qui in furno coquuntur. *Plin.* 18, 11, 27. Panis varia genera, ut furnacei, a coquendi ratione, etc.

FURNĀRĬUS, a, um, adj. βαλανοικός, ad furnum pertinens. *Furnarius* est, qui ex furno quaestum facit, ἰπνοκαύστης, ἰπνοποιός. *Ulp. Dig.* 39, 2, 24. *med.* Si furni nomine damni infecti fuerit cautum, deinde furnarii culpa damnum datum fuerit. Adde *Inscr.* in V. CONCELLITA, ubi pro *furnerio* legend. *furnario*. ℙ *Furnaria, ae*, f. furnarii ars et negotiatio, βαλανοικὴ. *Suet. Vit.* 2. Mulier vulgaris, Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia. [*Furnariam exercere est ex furnis vulgo locandis quaestum facere, ut moris erat Romae: quod non continuo est pistorem agere. *Wolf.*]

*FURNĬA GENS, unde amicus Horatii C. Furnius. V. *sat.* 1, 10, 86. Item alius, amicus Ciceronis Planci legatus. *Cic. Fam.* 10, 1. et 6. *Planc. ib. ep.* 8. *med.* Alius postulatus adulterii et veneficiorum in Tiberium. *Tac. A.* 4, 52. *B. A.*

FURNĬANUS. V. FIRMIANUS.

FURNUS, i, m. ἰατὸς, κλίβανος, locus, in quo panis coquitur. Differt a *clibano*, quia clibanus minor est, et quasi parvus furnus, mobilis, fere ex metallo, interdum etiam ex lapide, inservit non tam pani, quam aliis dapibus coquendis. V. CLIBANUS. Alii derivant a *furvus:* alii a πύρωνος, foculus: alii a *fornus*, quod a *formus*, calidus; [rectius a πύρινος, igneus, deinde πύρνος, mox furnus: vel a *fornix*, unde et fornacator, qui et furnacator dicitur, unde recte furnus. *F.*] *Plin.* 19, 1, 3. Cortices lini decussi clibanis et furnis praebent usum. *Id.* 20, 9, 39. Olla quae conjiciatur in clibanum, aut furnum. *Pl. Cas.* 2, 5, 1. in furnum calidum condito, Atque ibi torreto me pro pane rubido, hera. *Plin.* 13, 4, 9. Fructus marcescit non retostus furnis. *Id.* 28, 8, 29. Torrere aliquid in furno. *Ov. Fast.* 6, 313. Furnis torrere farra. *Plin.* 32, 7, 26. In furno arefacere. *Id. prooem. l.* 23. *f.* urere.

FŪRO, is, ui, n. 3. μελαγχολάω, μαίνομαι, furore corripior, furiosus sum: item vehementiore aliquo affectu, ut ira, cupiditate, laetitia, timore agitor, efferor, insanio. *Cic. Div.* 1, 37. Qui valetudinis vitio furunt, et melancholici dicuntur. *Id. Tusc.* 3, 5. *med.* Quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Ajacem, Orestem furere dicimus. *Id. Verr.* 2, 4, 18. Usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. *Id. Brut.* 89. Furere et bacchari. *Id. Or.* 2, 46. Telamon iratus, furere luctu filii videbatur. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *f.* Clodius furebat, a Racilio se contumaciter vexatum. *Sen. Med.* 597. Sed furit vinci dominus profundi. *Cic. Pis.* 21. *f.* Acerrime furere. *Catull.* 64, 254. Qui tum alacres passim lymphata mente furebant. *Hor. Od.* 2, 7. *extr.* recepto Dulce mihi furere est amico. [*Expressit notissimum illud Anacreontis 31. Θέλω Θέλω μανῆναι.] *Id. Ep.* 11, 6. Hic tertius December, ex quo destiti Inachia furere, *h. e.* propter amorem Inachiae. *Ov. Met.* 14, 451. pactaque furit pro conjuge Turnus. *Quint. decl.* 289. Furere in aliqua, *h. e.* amore alicujus insanire. *Val. Fl.* 5, 427. Furere amore. *Ov. Met.* 12, 478. dolore. *Curt.* 8, 1. *med.* linguae intemperantia. Et 14. Belluae in suos acrius furunt. *Lucan.* 5, 319. Miles in absentem vultu dextraque furebas. *Virg. A.* 9, 552. fera Contra tela furit. Et 7, 624. pars arduus altis Pulverulentus equis furit, *h. e.* saevit, fremit, ad arma ruens, et proelia poscens. *Val. Fl.* 1, 144. hic optimus hasta, hic ense furens, *h. e.* acriter dimicans. ℙ [*Tribuitur hominibus reip. infestis. *Cic. Att.* 7, 8. Sin autem ille fureret; vehementer hominem contemnebat. *Coll. Vell.* 2, 66, 1. 2, 47, 3. V. FURIOSUS.] ℙ Transfertur ad inanima. *Curt.* 4, 2. *med.* Fretum quo arctius volutatur, hoc acrius furit. *Virg. A.* 1, 111. furit aestus arenis. *Id. G.* 3, 100. in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit. Et 150. furit mugitibus aether Concussus. Et 457. dolor furit. *Id. A.* 5, 693. effusis imbribus atra

Tempestas sine more furit. [*Prop. 3, 2, 28. Itala portentis nec furit unda novis.] *Lucan.* 1, 155. fulmen in sua templa furit. [*Hor. Od. 3, 29, 18.] *Ov. Met.* 8, 828. furit ardor edendi. [*Sil. 7, 501. Fama furit, i. e. ingens est.] ℙ Cum accusativo, Graeca ratione. *Stat. Th.* 9, 5. Praecipuum tunc caedis opus, Gradive, furebas, *h. e.* furens edebas. *Virg. A.* 12, 680. hunc, sine, me furere ante furorem. [*De hac constructione cf. *Ruddim.* 2, 120. sqq.] ℙ Prima singularis indicativi praesentis *furo* (pro qua *furio* ponit *Prisc.* 8, 817.) raro invenitur, inquit *Diomed.* 1, 375. nullum tamen affert exemplum. [*V. *Ruddim.* 1, 250. 268.] Rarae sunt etiam *furitis*, et futuri paene omnes et imperativi. *Furimus* et *furant* habet *Sen. ep.* 95. Praeteritum *furui* habet *Coripp. Johann.* 7, 137. Poenituit furuisse viros. Et *Plin.* 33, 11, 13. Nec copia tantum argenti furuit vita, sed validius paene manipretiis. Ita *Hard.* ex MSS. Al. leg. *fuerit. Sedul.* 1, 196. Darii furuerunt jussa tyranni. Al. leg. *ferverunt. Serv.* ad *A.* 1, 45. Duo Ajaces fuerunt, et ambo furuerunt. Adde ad *ib.* 4, 471. ℙ Frequentissimum est part. *furens*, quod V. suo loco. ℙ [*Confunduntur *furere* et *ruere*. V. *intpp.* ad *Virg. A.* 2, 771. — *Furit*, *fluit* et *fuit*. *Intpp.* ad *Prop.* 3, 22, 28.]

FŪROR, aris, atus sum, dep. 1. *κλέπτω*, clam alienum aufero. *Cic. Verr.* 2, 1, 22. *f.* Solet haec, quae rapuit et furatus est, dicere se emisse. Et *Verr.* 2, 4, 15. Ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. *Pl. Ps.* 3, 2, 61. Ad furandum venire. *Tac. A.* 3, 74. Robore exercitus impar, furandi melior, *h. e.* aptior insidiis, et ad furta belli. *Plin.* 11, 10, 10. Ne promptum sit, quod invitet furantem. *Cic. Off.* 2, 11. Furari cuipiam aliquid, aut eripere. *Id. Att.* 2, 1. Quippiam furari ab aliquo. *Ov. Am.* 2, 19, 45. Vacuo furari litore arenas. *Quint.* 3, 6. pecuniam ex templo. *Suet. Caes.* 54. aurum e Capitolio. ℙ Activa forma. *Pl. Rud.* 1, 2, 23. et *Trin.* 4, 2, 22. An quo furatum venias mox, vestigas loca? ℙ Translate est subtrahere. *Virg. A.* 5, 845. Pone caput, fessosque oculos furare labori. [*Eodem modo *furari sese*, pro clam se subducere ap. *Sil.* 14, 561. Exigua sese furatus Himilco carina. Et 10, 74. furari membra.] ℙ Item tegere. *Sen. Agam.* 914. vultus veste furabor tuos. ℙ Item furtim obtinere. *Cic. Balb.* 2. Non enim furatus esse civitatem dicitur. *Prop.* 4, 2, 31. de Vertumno: Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi: Furabor Phoebi, si modo plectra dabis, *h. e.* videbor esse Iacchus: vincam et obtinebo, ut credar Iacchus. ℙ *Part. *Furatus* sensu activo ap. *Auson. Idyll.* 10, 175. Saepe etiam mediis furata e collibus uvas. *B. A.* [*Sensu *pass.* Laudat *Ramsh. Gr. Lat.* p. 176. *Appul. Met.* 10, 220. p. 704. *Oud.* Quod, furatis clanculo partibus, praevenisti querimoniam.]

FŪROR, oris, m. *μελαγχολία*, *μανία*, gravior mentis alienato. Differt ab insania, ut majus a minori, ut *Cic. Tusc.* 3, 5. docet, nihilominus in sapientem cadere potest, insania non potest: quia furor intermittitur aliquando, insania perpetua est. *Id. Har. resp.* 18. A Diis quidem immortalibus quae potest homini major esse poena furore atque dementia? ℙ Sumitur aliquando pro mentis concitatione, quae divinitus fit, qualis est poetarum et vaticinantium. *Cic. Div.* 1, 31. Inest igitur in animis praesagitio extrinsecus injecta atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. Et 37. Negat enim, sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse. *Ov. Met.* 2, 640. fatidicos concepit mente furores. [*Prop. 3, 13, 65. Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti.] ℙ Item pro brevi aliquo, sed vehementiori affectu ac perturbatione, qua effrenate fertur animus, ac temere, caecoque impetu agit. *Cic. Cat.* 4, 6. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, et furor, in vestra caede bacchantis. *Id. Pis.* 21. *med.* Nisi poenas patriae furore atque insania penderet. *Caes. B. G.* 1, 4. Furore atque amentia impulsus. *Cic. Har. resp.* 1. Effrenatus et praeceps furor. *Id. Dom.* 55. *extr.* inflammatus atque ignitus. *Catull.* 63, 38. rabidus. *Val. Fl.* 6, 516. ferus. *Sen. Herc. fur.* 991. caecus. *Id. Med.* 851. impotens. *Liv.* 28, 22. *f.* Cum caeci furore in vulnus ac ferrum vecordi audacia ruerent. *Catull.* 64, 197. amenti caeca furore. Et *ib.* 53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur, Indomitos in corde gerens Ariadna furores. Et 50, 11. toto indomitus furore lecto Versarer. *Suet. Ner.* 31. Impendiorum furor. *Ov. Her.* 9, 145. quo me furor egit amantem. *Virg. A.* 4, 101. Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem. [*Prop. 1, 13, 20. Tantus erat demens inter utrosque furor.] *Virg. A.* 12, 680. hunc, sine, me furere ante furorem, *h. e.* furorem bellicum, pugnam inire. *Sen. Hipp.* 540. Impius lucri furor. *Plin.* 2, 1, 1. Furor est, profecto furor, egredi ex eo, etc. *Ov. A. Am.* 3, 172. Quis furor est, census corpore ferre suo? ℙ De seditione et tumultu. *Liv.* 28, 25. Nec jam erat aut civis aut externus, cum quo furorem suum consociarent. [*Adde 2, 29. et 25, 4.] *Planc.* ad *Cic. Fam* 10, 11. *med.* Si decima legio ad eundem furorem redierit. [*V. *Furere* et *Furiosus*.] *Vell.* 2, 60. Antonii et Dolabellae ad nefandam dominationem erupit furor. Et 89. Sopitus ubique armorum furor. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Catull.* 46, 2. Jam coeli furor aequinoctialis Jucundis Zephyri silescit auris. ℙ Videtur aliquando in bonam partem sumi posse. *Sil.* 2, 324. Vidi animos, mortesque virum, decorisque furorem, *h. e.* vehementem cupidinem gloriae et laudis. Sic 3, 146. incautos laudum exhorresce furores. [*Respondet Gr. *ὁρμή*.] ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 8, 594. innumeris leo forte potitus Caedibus, imbelles vitulos mollesque juvencas Transmittit: magno furor est in sanguine mergi, *h. e.* ardor, impetus, vis, libido est. ℙ Apud poetas unus est ex comitibus Martis. *Stat. Th.* 3, 424. et 7, 52. et *Sil.* 4, 327. ℙ [*Confunduntur *furor* et *pudor*. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 11. p. 232.]

FURTĪFĪCUS, a, um, adj. *ἐπικλόπος*, furax. *Pl. Ps.* 3, 2, 97. Furtificae manus. *Id. Epid.* 1, 1, 10. Minus jam furtificus sum, quam antea: rapio propalam.

FURTIM, adv. *λαθραίως*, latenter. *Cic. Agr.* 2, 16. Ut occulte latet, ut recondita est, ut furtim tota decemviris traditur! *Q. Cic. ad Tiron. Fam.* 16, 26. Lagenae furtim exsiccatae. *Pl. Poen.* 3, 3, 49. Hic clam furtimque esse vult, ne qui sciant. *Ov. Met.* 14, 275. Furtim latere. *Id. Fast.* 3, 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *Id. Trist.* 3, 1, 21. Haec ubi sum lingua furtim titubante locutus. Sic *Amor.* 2, 19, 39. furtim pulsare limina. [*Tib. 1, 2, 10. Janua — Neu furtim verso cardine aperta sones. *Liv.* 39, 4. Per infrequentiam furtim senatusconsultum factum.] *Tac. H.* 4, 56. Furtim magis, quam bello Marsacos incursabat, [*i. e. latronum more. V. *Vell.* l. l. in *Furtivus*.] *Virg. A.* 3, 50. Polydorum Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi. [*Liv. 21, 63. Proficisci clam furtim. ℙ Conjungitur c. substant. Gr. more. *Tibull.* 2, 5, 53. Te quoque jam video — Concubitusque tuos furtim, i. e. furtim peractos, furtivos: Gr. *τὰς εὐνὰς τὰς κλεμμαδόν*.]

FURTĪVĒ, adv. furtim, *κλεμμαδόν*. *Pl. Poen.* 5, 2, 62. Ne quid clam furtive accepisse censeas. *Ov. Amor.* 2, 5, 6. Furtive data munera. *Senec. Ben.* 2, 23. Furtive gratias agere, et in angulo, et ad aurem.

FURTĪVUS, a, um, adj. *κλεπτικός*, furto ablatus. *Pl. Curc.* 5, 2, 22. Mercari furtivas, atque ingenuas virgines. *Hor. Ep.* 1, 13, 14. Furtivae lanae glomus. Et *ib.* 3, 19. moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. [*Propert. 4, 5, 69. Rari furtiva capilli vincula. *Liv.* 45, 39. An noctu, tamquam furtiva, in aerarium deportabuntur? *scil.* signa aurea, etc.] ℙ Item clandestinus, occultus. *Cic. Pis.* 40. Occultus adventus, furtivum iter per Italiam. [*Vell. 2, 31, 2. Furtivae expeditiones, i. e. latrocinia: oppon. bello.] *Justin.* 11, 6. Furtiva victoria, *h. e.* quae furto et per insidias parta est. *Sil.* 9, 95. furtiva corpus componere terra, *h. e.* [*furtim, raptim injecta.] *Virg. A.* 4, 171. Furtivus amor. Et *ib.* 7, 660. Furtivus partu, *h. e.* clam et illicite conceptus. *Ov. Pont.* 3, 3, 56. furtivos viros habere. Et *A. Am.* 3, 640. Celent furtivos balnea tuta viros. *Id. Her.* 17, 265. Furtivae conscia mentis Littera. *Id. Amor.* 2, 2, 15. Furtiva libertas, *h. e.* clam data. Et *ib.* 1, 11, 3. Furtiva nox, *h. e.* furtivis amoribus apta. *Gell.* 17, 9. *f.* Furtivo scripto cuipiam res occultas nunciare. *Tibull.* 1, 5, 7. Furtivus lectus. *Id.* 1, 9, 55. Furtivus usus.

FURTO. V. v. seq. *in f.*

FURTUM, i, n. *κλοπή*, occulta ablatio rei alienae. *Cic. Cluent.* 63. Strato ille medicus domi furtum fecit, et caedem. *Id. fragm. contra C. Anton.* ap. *Ascon.* Furti aliquem arguere. Et *ib.* deferre. *Ter. Eun.* 4, 7, 39. se alligare. *Pl. Rud.* 4, 7, 34. adstringere. *Cels. Dig.* 47, 2, 69. Furtum alicui facere. *Sabin. ib.* 73. Alicujus rei furtum admittere. *Pompon. ib.* 78. Furti teneri. Et *ib.* Furti agere. *Gell.* 11, 18. *f.* condemnare. *Hor. Ep.* 1, 7, 86. Oves furto periere. *Id. Od.* 1, 10, 7. jocoso furto aliquid condere. *Plin.* 8, 51, 77. Furto abactae sues. *Id. prooem. med.* Deprehendi in furto. *Caes. B. G.* 6, 15. Furto comprehensus. *Plin.* 36, 23, 55. Ruinarum ea maxime causa, quod furto calcis, sine ferrumine suo caementa componuntur ℙ Item ipsa res furto ablata. [*Cic. Verr. 2, 2, 70. Furta exportata.] *Hor. Sat.* 2, 4, 78. seu puer unctis Tractavit manibus calicem, dum furta ligurit. ℙ Translate. *Q. Cic. ad Tiron. Fam.* 16, 26. Etiam si quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quaesivisse videaris, *h. e.* furtivam causam, praetextum. ℙ Est etiam fraus occulta et insidiae. *Ov. Met.* 13, 104. furtis incautum decipit hostem. *Liv.* 43, 10. Furto et fraude rem agere. *Curt.* 4, 13. Furto, non praelio opus esse: intempesta nocte opprimi hostes posse. *Virg. A.* 10, 735. haud furto melior, sed fortibus armis. Et *ib.* 11, 515. Et *Sall. fragm.* ap. *Serv. ib.* et *Non.* 4, 203. Furta belli. *Sil.* 17, 91. furtum armorum tutantibus umbris. ℙ Dicitur saepe de furtivis amoribus. *Virg. G.* 4, 346. Vulcani, Martisque dolos, et dulcia furta. [*Propert. 2, 30, 28. Et canere antiqui dulcia furta Jovis.] *Tibull.* 1, 2, 34. celari vult sua furta Venus. *Sil.* 7, 487. e furto genitus. [*(*Scil.* Scipio, quippe qui habitus et haberi volens pro Jovis filio.) *Id.* 13, 615. Fecunda Jovis furto.] Adde *Ov.* saepe. ℙ Et de qualibet latebra atque occultatione. *Virg. A.* 6, 568. Quae quis apud Superos furto laetatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. *Mart.* 5, 51. Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit? *h. e.* coenare clanculum. *Virg. A.* 4, 337. neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam. ℙ *Furto* pro adv. *furtim*. *Id. ib.* 6, 24. suppostaque furto Pasiphae. *Val. Fl.* 8, 228. Qualis sanguineo victor Gradivus ab Haemo Idalium furto subit, aut dilecta Cythera. *Plin.* 8, 30, 46. Hyaenae parere furto cupiunt. *Vell.* 2, 63. Furto creatus pontifex. [*Gloss. Gr. Lat. *λάθρα*, clam, clanculo, clandestino, furto. *B. A.*] ℙ [*Confunduntur a librariis *furtum* et factum. *Burm.* ad *Ov. Fast.* 4, 582. et *ib.* 5, 233.]

FURVESCENS, tis, part. ab inusit. *furvesco*, qui furvus fit. *Capell.* 1, 20. Tartareae noctis obscuritate furvescens.

FŪRUNCŪLUS, i, m. dimin. furis. *Cic. Pis.* 27. Olim furunculus, nunc etiam rapax. ℙ Est etiam tuberculum in cute et ulcus. *Plin.* 20, 13, 26. *n.* 12. et alibi: de quo et *Cels.* 5, 28. *n* 8. Furunculus, inquit, est tuberculum acutum, cum inflammatione et dolore, maximeque ubi jam in pus vergit: qui ubi adapertus est, et exiit pus, subter apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant. V. FERVUNCULUS. ℙ In vitibus etiam *furunculus* dicitur palmes juxta alium palmitem enatus, quod veluti succum vicinis partibus furetur: vel extuberatio quaedam in modum verrucae. *Colum.* 4, 22. et 24. et *Plin.* 17, 22, 36. *n.* 13.

*FŪRUS, i, m. *Varr. L. L.* 9, 4. p. 141. (179. *Bipont.*) inter *vetera* refert *cascus furus*, *casci furi*. An pro *fure* etiam *furum* dixere? *Scal.* legi vult *surum*, unde sit deminutum *surculus*. *B. A.*

FŪRVUS, a, um, adj. *μέλας*, *ἀμαυρὸς*, *σκοτεινὸς*, niger, ater, obscurus. *Festus:* Furvum, nigrum, vel atrum: hinc dicta furnus, furiae, fuligo, fumus. *Gell.* 1, 18. Veteres Romani furvum atrum appellaverunt. *Senec. Controv.* 1, 1. *f.* Audivimus fratrum fabulosa certamina, impias epulas, detestabili parricidio furvum diem. ℙ De inferis. *Hor. Od.* 2, 13, 21. furva Proserpina. *Ov. Met.* 5, 541. Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris. Adde *Stat. Silv.* 5, 1, 155. et *Th.* 8, 10. ℙ Hinc hostiae furvae dicebantur, quae nigri erant coloris, quod hostiarum genus Diis inferis gratissimum putabatur. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5. et *Fest.* ℙ Translate. *Prud. Cath.* 1, 74. Culpa furva. ℙ *Furvus*, pullis vestibus indutus, atratus. *Prop.* 4, 7, 27. Denique quis nostro furvum te funere vidit? Al. leg. *curvum*.

FUSCĀTOR, oris, m. qui fuscat. *Lucan.* 4, 66. Quicquid coeli fuscator Eoi Intulerat Corus.

FUSCĀTUS, a, um, part. a *fusco*. *Alcim. Avit.* 4, 430. fuscati lumina solis.

[FUSCIĀNUS, i, m. ad Fuscum pertinens, quod est cogn. R. Est item cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 126. *col.* 1. C. Allius C. F. Fuscianus. *F.*]

[FUSCICŪLĒNUS, i, m. derivativ. fusci. Est cogn. R. ap. *Mart.* 2, 74. *F.*]

[FUSCILLĀ, ae, f. dimin. fuscae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut* 711, 4. Valeria Fuscilla. *F.*]

FUSCĪNA, ae, f. *δίκρανον*, *τρίαινα*, telum tridens, sive trisulcum, aut bisulcum, quo piscatores figunt anguillas, et ea, quae in imo aquae fundo natant. Erat autem hoc insigne, et veluti sceptrum Neptuni. *Cic. N. D.* 1, 36. Dant etiam Deo arcum, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen. ℙ Fuscina etiam utebantur retiarii in gladiatoriis pugnis. [*V. Intpp. ad *Suet. Cal.* 30.] *Juven.* 2, 143. Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi. [*8, 200. sq.]

*FUSCĪNŪLA, ae, f. dimin. parva fuscina. *Vulg. Interpr. Exod.* 27, 3. Faciesque et forcipes atque fuscinulas et ignium receptacula, ubi LXX. *χυτάγρας*. *B. A.*

[FUSCĪNILLĀ, ae, f. diminut. fuscinae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1141, 1. Fabia Fuscinilla. *F.*]

FUSCĪNUS, a, um, adj. ad Fuscum pertinens, quod est cogn. R. *Senec. Suasor.* 4. *f.* Ingeram vobis Fuscinas explicationes.

FUSCĪTAS, atis, f. fuscus color. *Appul. de Mundo ad f.* p. 73. Ab omni fuscitate liberum coelum.

FUSCO, as, a. 1. *ὑπομελαίνζω*, fuscum, hoc est, subnigrum facio. *Ov. A. Am.* 1, 513. Fuscentur corpora campo. *Stat. Th.* 6, 576. pinguique cutem fuscatur olivo. *Id. Ach.* 1, 3, 7. Massagetae pocula fuscant Sanguine puniceo. *Lucan.* 10, 135. fuscante lanugine malas. *Val. Fl.* 1, 396. longa fuscat nube diem. [*Sil. 11, 270. Fuscabat Hesperus currum (Solis).] *Ov. A. Am.* 3, 197. ne fuscet inertia dentes. ℙ Neutrorum more. *Stat. Silv.* 3, 4, 65. ne prima genas lanugo nitentes Car-

peret, et pulcrae fuscaret gratia formae. Alii mallent *gaudia formae:* alii *fuscetur.* ℙ Translate. *Symmach. ep.* 1, 34. (al. 40.) Quem ad hoc aevi nulla actuum culpa fuscavit. *Sidon. carm.* 7, 505. quem fuscat id unum, Quod te, Roma, capit.

[FUSCŬLUS, a, um, diminut. fusci. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 525, 5. L. Aufustius L. F. Sub. Fusculus. Alia ap. *Fabrett.* p. 119. *n.* 8. Coruncania Fuscula. *F.*]

FUSCUS, a, um, adj. φαιὸς, λευκόφαιος, ad nigrum accedens, subniger, furvus, ater, obscurus. *Cic. Sext.* 8. Purpura plebeja, ac paene fusca. *Id. prognost. Div.* 1, 14. Fusca cornix. *Virg. A.* 8, 369. Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis. *Tibull.* 3, 4, 55. cum de fusco Somnus velavit amictu. *Val. Fl.* 6, 494. fuscis Notus imminet alis. *Ov. Met.* 5, 286. Fusca repurgato fugiebant nubila coelo. *Id. Her.* 15, 35. Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo Andromede, patriae fusca colore suae. *Tibull.* 2, 6, 37. Illi sint comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis. *Mart.* 9, 36. Fusca Syene, *h. e.* cujus incolae fusco sunt colore. *Id.* 2, 40. Fusca Falerna. *Id.* 14, 127. Fusca vestis, *h. e.* ut ipse ait, turbato simillima mulso. *Plin.* 31, 2, 10. Nigra aut fusca pecora. *Id.* 16, 13, 24. Fraxini duo genera: longa, enodis; altera brevis, durior, fusciorque. *Mart.* 14, 62. Laterna fuscior, *h. e.* minus pellucida. ℙ Translate *fusca vox* dicitur, quae minus clara est, atque ad turbatam, obscuram, raucamque accedit, cui opponitur *canora* et *candida* apud *Cic. N. D.* 2, 58. *Quint.* 11, 3, 15. et *Plin.* 28, 6, 16. Hanc in M. Antonio fuisse, et actioni ejus gratiam addidisse, notat ex Cicerone (*Brut.* 38.) *Quint. ib. f.* Cicero autem eo loco non *fuscam*, sed (quod idem est) *subraucam* appellat. ℙ Fuscae aves sunt mali ominis. *Appul. Met.* 2. p. 124, 6. Fuscis avibus Larissam accessi. [*Miscentur a librariis *fuscus* et *fulvus.* V. *intpp.* ad *Virg. A.* 7, 408.] ℙ [Est cogn. Rom. a colore cutis, ut C. Allius C. F. Fuscus, C. Caerecius C. F. Quir. Fuscus. *Inscr.* ap. *Grut.* 126. *col.* 1. *extr.* et 379, 6. *F.* ℙ *Aristius Fuscus, Horatii amicus, insignis grammaticus, rhetor ac poeta. *Hor. Od.* 1, 22, 4. *sat.* 1, 9, 61. et *ib.* 10, 83. item *ep.* 1, 10, 1. Arellius Fuscus, nobilis rhetor, de quo *Senec. Suasor.* 2, 3, 4. et 5. *Controv.* 1. *post. med.* et 29. *post med. B. A.*]

FŪSĒ, adv. χύδην, late, abundanter, copiose. *Cic. Tusc.* 4, 26. De cujus excellentia multa quidem dici quamvis fuse lateque possint. *Id. N. D.* 2, 7. Cum uberius disputantur et fusius. *Id. Fin.* 3, 8. Fuse et copiose augere et ornare quidpiam.

*FUSICIA, nomen gentis Rom., de qua *Cic. Verr.* 2, 2, 31. C. Fusicius a C. Verre duci jussus. *B. A.*

[FŪSĬCĬUS, a, um, adj. idem ac fusilis. *Not. Tir.* p. 62. Fusicius, fusilis. *F.*]

FŪSĬLIS, e, adj. qui fundi et liquefieri potest: item fusus, liquefactus. *Ov. Met.* 11, 126. Fusile per rictus aurum fluitare videres. Et *Prud. Cath.* 4, 40. fusile numen, *h. e.* signum Dei ex fusili metallo factum.

FŪSĬO, onis, f. χύσις, diffusio, extensio. *Cic. N. D.* 1, 15. Ipsumque mundum Deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam. *Vitr.* 9, 7. Tenuis fusio stellarum. ℙ Item i. q. *das Giessen, Schmelzen. Imp. Constant. Cod. Theod.* 9, 21, 3. Si quis nummum falsa fusione formaverit. ℙ Item i. q. *die Bezahlung. Gloss. Philox.* Fusio, εἰσφορὰ δημοσίων. *Ulp. Dig.* 7, 1, 27. *med.* Solent possessores fisco fusiones praestare. Ita *Torrent.* Alii *functiones.*

FŪSĬUS, a, um. De lege Fusia V. supra in FURIUS; coll. FUFIUS.

FŪSOR, oris, m. qui metalla fundit. *Imp. Constant. Cod.* 10, 64. et *Inscr.* ap. *Grut.* 630, 9. Domitius Abascantus fusor ollarius.

FŪSORĬUM, ii, n. locus, ubi aliquid funditur. *Pall.* 1, 37. *f.* Longe ab apium castris sint omnia odoris horrendi, balneae, stabula, coquinae, fusoria, *h. e.* quo funduntur sordes culinae. *Id. ib.* 17. Solum alto rudere solidatum, relicto fusoriis loco, testacei pavimenti superfusione solidetur, *h. e.* canalibus, per quos aqua infunditur vel effunditur: loquitur enim de piscina.

*FŪSORĬUS, a, um, adj. qui funditur. *Gloss. Philox.* Fusorius, χωνευτικός. *Vulg. Exod.* 32, 4. Formavit opere fusorio. *B. A.*

FUSTERNA, ae, f. postquam caesa est abies in usum operum, pars ejus superior nodosa duriorque *fusterna* vocatur, quia crebros habet nodos, ut solet esse in fustibus et baculis: inferior vero terrae proxima, enodis ac tenerior, fluvio macerata, decorticata, et quatuor in partes scissa, *sapinus* et *sapinea* dicitur. *Vitr.* 2, 9. et *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. V. SAPINUS.*

FUSTĬĀRĬUS, ii, m. qui fuste verberat. *Gloss. Philox.* Fustiarius, ξυλοκόπος, ὁ τύπτων τῷ ξύλῳ. ℙ Adjective. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 529. *n.* 382. et *Grut.* 1114, 6. Fustiario supplicio se noverit esse subdendum. *Gruterus* tamen *l. c.* habet *fustuario.*

FUSTĬBĂLĀTOR, oris, m. qui fustibalo jaculatur. Ita legitur in MSS. *Veg. Mil.* 3, 14., ut adnotat *Stewechius;* in libro autem ejusdem *fustibulator.* Vulgo tamen legitur *fundibalator* vel *fundibulator:* quod idem esset ac funditor.

FUSTĬBĂLUS, i, m. fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, et utraque manu impulsus, prope ad instar onagri dirigit saxa. Ita describit *Veg. Mil.* 3, 14.

FUSTĬCŬLUS, i, m. parvus fustis. *Pall.* 1, 35. *med.* Fusticulos allii sine capitibus comburere. *Appul. Met.* 6. Qui te rogabit, decidente sarcina, fusticulos aliquot porrigas ei.

*FUSTĪGĀTUS, a, um, part. a *fustigo;* fuste percussus. *Gloss. Philox.* Fustigatus, ῥαπισθείς. *B. A.*

*FUSTĪGO, as, a. 1. fuste percutio. *Gloss. Philox.* Fustigo, ξυλοκοπῶ, τύπτω τῷ ξύλῳ. *B. A.*

FŪSTĬM, adv. cum fuste. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 9. Uxorem fustim interemit. Adde 8, 1. *f.* et *Vell.* 2, 78. *extr.* Ubique autem al. leg. *fuste* vel *fusti:* et priore loco etiam *furtim.*

FŪSTIS, is, m. ῥάχτωρ, lignum teres, ut vectis, clava, contus: [**Etym.* v. est a *ferio*, ut *gestum* a *gero*, *pestis* a *pereo*, *hostis* ab *horreo. Döderl.* 3, 263. sq.] *Hor. Od.* 3, 6, 38. mascula Proles Sabellis docta ligonibus Versare glebas, et severae Matris ad arbitrium recisos Portare fustes. *Varr. L. L.* 4, 31. Alligare fasces, incisos fustes, faculas. ℙ Fustium usus frequens est in caedendo. *Pl. Amph.* 1, 1, 202. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Male mulcati clavis et fustibus. *Id. Pis.* 30. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *f.* Fustem alicui impingere. *Pl. Aul.* 3, 1, 4. Fustibus aliquem male contundere. Et 3, 3, 6. Implere fustibus caput alicujus. Et *Mil. a.* 5. *v.* 8. verberare. *Tac. A.* 14, 8. caput affligere. *Juven.* 9, 98. fuste aperire caput. *Hor. Sat.* 1, 5, 22. mulae, nautaeque caput, lumbosque saligno Fuste dolat. Et *ib.* 3, 134. fuste pueros coercere. *Auct. B. Hisp.* 27. percutere. *Suet. Cal.* 26. abigere. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. animadvertere. *Paul. ib.* 1, 15, 3. castigare. *Hor. Sat.* 1, 3, 101. Unguibus, et pugnis, et fustibus pugnare. *Plin.* 7, 56, 57. Proelium Afri contra Aegyptios primi fecere fustibus, quos vocant phalangas. ℙ In sexto casu etiam in *i* desinit. *Pl. Asin.* 2, 4, 21. Tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum. *Id. Capt.* 4, 2, 115. Nisi mantiscinatus ero probe, fusti pectito. [*Est haec familiaris *Pl.* dicendi ratio. Sic *Rud.* 3, 2, 47. *Poen.* 1, 2, 145.] *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 201. Sorte ductos fusti necat. [*Cf. *Schneid. Formenl.* 1, 229.]

FUSTĪTUDĪNAS insulas, joculariter vocat *Pl.* ergastula, ubi servi fustibus caeduntur, *Asin.* 1, 1, 21. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas, Ubi vivos homines mortui incursant boves.

FUSTŬĀRĬUM, ii, n. ξυλοκοπία, poena, quae fustibus infligitur. Ex locis *Cic.* et *Livii* mox afferendis constat, fuisse poenam militarem, et quidem capitalem, cum deberi dicant militibus capitale delictum admittentibus. [*Cf. *Polyb.* 6, 35.] Quare differt ab animadversione fustium, qua liberi homines, neque ii omnes, sed tenuiores plectebantur: quae minor erat flagellatione leviorque; nam haec servorum fuit, ut *Callistr. Dig.* 48, 19, 28. et *Marcell. ib.* 10. et *Hermogenian. ib.* 47, 10, 45. docent. Hanc *fustigationem* quidam appellant, nullo tamen, quod sciam, Latino auctore: *fustuarium* vero auctores habet, ut diximus, *Cic. Phil.* 3, 6. Fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt. Et *Liv.* 5, 6. *f.* Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut praesidio recedit. *Id.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 825. fustuario necare aliquem. [*V. *Lips. Mil. Rom.* 5, 18. *Voss.* et *Boecler.* ad *Vell.* 2, 78. *extr. Drak.* ad *Liv. epit.* 57. et quos laud.]

FUSUM, i, n. V. FUSUS, i.

FŪSŪRA, ae, f. χύσις, fusio, sive liquefactio. *Plin.* 33, 6, 35. Molybditis, plumbi ipsius fusura, quae fit Puteolis, et inde habet nomen.

[FŪSŪRĀRĬUS, ii, m. qui fusuram facit, fusor. *Not. Tir.* p. 62. Fusura, fusurarius. *F.*]

FŪSUS, a, um, part. a *fundo*, *is*, χυθείς, effusus. *Cic. Or.* 2, 77. Fusus sanguis in corporibus. *Val. Fl.* 5, 243. Fulgor fusus ab auro. Et 7, 610. fusus clangor. *Ov. Met.* 11, 247. vinum super aequora fusum. ℙ Item dissipatus, dispersus. *Caes. B. G.* 1, 44. Copiae proelio fusae. *Cic. Phil.* 14, 1. Exercitus hostium caesus fususque. *Id. Off.* 3, 31. *extr.* Hostes fusi et fugati. *Id. Sext.* 42. Ut homines fusi per agros et dispersi vagarentur. ℙ Item stratus, jacens. *Virg. A.* 1, 218. Fusi per herbam. *Id. ib.* 6, 423. Fusus humi. *Stat. Th.* 1, 407. Fusus humo gelida. *Ov. Pont.* 3, 3, 8. Fusa membra toro. *Id. Met.* 12, 319. Fusus in Ossaeae villosis pellibus ursae. ℙ Item prostratus, afflictus. *Sil.* 4, 233. multo vix fusum vulnere Breucum. Et 7, 31. Fusus vulnere equi. [**Fusa armamenta* ap. *Suet. Aug.* 17. non sunt in mare projecta, ut *Bernecc.* visum, sed tempestate confusa et in navem deturbata. *B. Crus.*] ℙ Item liquefactus, solutus, fluens. *Plin.* 34, 11, 24. Fusum aes. *Cic. N. D.* 2, 29. *f.* Aer tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum concretus in nubes cogitur. *Cels.* 1, 3. *med.* Melior est in juvene fusior alvus, in sene adstrictior. ℙ Item diffusus, expansus. *Virg. A.* 10, 137. Fusi crines. [**Tibull.* 2, 5, 66.] *Ov. Fast.* 2, 739. fusae per colla coronae. *Plin.* 12, 17, 39. Fusa cupressus. *Id.* 8, 54, 80. Fusa late cauda. *Val. Fl.* 8, 93. fusis mollia pensa devolvere. *Ov. Met.* 6, 22. levi teretem versabat pollice fusum. [**Tibull.* 2, 1, 64. Fusus et apposito pollice versat opus.] *Hieron. ep.* 107. *n.* 10. et *Prud.* περὶ στεφ. 10, 239. rotare fusos. ℙ A poetis tribuitur Parcis, quae nere dicuntur humanae vitae stamina. *Virg. Ecl.* 4, 46. Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis Concordes stabili fatorum numine Parcae. *Ov. Her.* 12, 3. Tunc, quae dispensant mortalia fila, Sorores, Debuerant fusos evoluisse meos. ℙ Pagana lege in plerisque Italiae praediis cautum erat, ne per itinera ambulantes feminae torquerent fusos, aut omnino detectos ferrent, quoniam credebatur adversari id omnium spei, praecipueque frugum. Risu digna superstitio, quam refert *Plin.* 28, 2, 5. ℙ A similitudine machina est volvendis oneribus apta. *Vitr.* 10. 6. *f.* Circa lapidem fusos sextantales ad circinum compegit: deinde circa fusos funem involvit, et bubus junctis funem ducebat, etc. ℙ [Neutro genere utitur *Symmach. Laud. in Gratian. Aug.* (ed. *A. Maio*) 9. Jamdudum aureum saeculum currunt fusa Parcarum. *F.*]

FŪSUS, us, m. fundendi actio, fusio, ut Fusus aquae, *Varr. L. L.* 4, 26.

FŪTĀTIM, adv. profusim. *Pl. Truc.* 4, 4, 29. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur, *h. e.* saepe. Alii aliter interpretantur, aut legunt. V. INTERDUATIM.

FŪTĬLĒ, adv. idem quod futiliter. *Pl. Stich.* 2, 2, 73. Enimvero, Gelasime, opinor, provenisti futile. *Ennius* ap *Non.* 11, 39. Ut quod factum est futile, amici, nos feramus fortiter.

FŪTĬLE, is, n. vas quoddam lato ore, fundo angusto, et acuto, quo utebantur in sacris deae Vestae: a *fundendo*, quod illud ministri sacrorum non deponerent, sed instabile esset, et, si positum esset, statim aqua funderetur. Aqua enim ad sacra Vestae in terra non ponebatur, quod si fieret, piaculum erat. Igitur excogitatum est vas, quod stare non posset. *Lact. Plac.* ad *Stat. Th.* 8, 297. et *Donat.* in *Ter. Andr.* 3, 5, 3. et *Phorm.* 5, 1, 19.

FŪTĬLIS, e, adj. χυδαῖος, qui facile fundit, et liquorem infusum non continet, sed protinus emittit. Hinc de canibus metu concacantibus *Phaedr.* 4, 17. Illi autem, qui miserunt vos tam futiles, etc. ℙ Item qui facile funditur, et frangitur. *Virg. A.* 12, 740. Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit. ℙ Translate dicitur de homine vano, et levi, qui continere tacenda non potest, quique facile loquitur, et nihil praestat. *Festus:* Futiles dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea effundunt: sic et vasa futilia a fundendo vocata. (V. v. praec.) *Ter. Andr.* 3, 5, 3. Servon' fortunas meas me commisisse futili? *Virg. A.* 11, 339. consiliis habitus non futilis auctor. *Cic.*

Div. 1, 19. Irrideamus haruspices: vanos, futiles esse dicamus. *Id. N. D.* 1, 8. Futiles commenticiaeque sententiae. *Id. Fin.* 3, 11. Quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? *Id. Tusc.* 4, 17. Nec alacritate futili gestiens deliquescat. *Gell.* 13, 24. *med.* Est hoc inane admodum et futile. *Id.* 4, 8. Competitores imbelles et futiles. Et 1, 15. Leves, et futiles, et importuni locutores. *Enn.* ap. *Non.* 11, 16. Severiter suspectionem ferre falsam, futilium est. ℙ Ponitur et pro inutili, supervacuo, et nullius pretii ac momenti. *Phaedr.* 5, 2. Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem. *Gell.* 16, 12. Res futiles et frivolae. *Plin.* 33, 2, 8. Futili paene de causa. ℙ Item pro vano, irrito. *Sil.* 15, 794. Haec Nero, et intorquet jaculum: nec futilis ictus. Nam latere extremo cuspis librata resedit.

FŪTĬLĬTAS, atis, f. *φλυαρία*, vanitas, levitas, inutilitas. *Cic. N. D.* 2, 28. Et plena sunt futilitatis, summaeque levitatis. [**Heind.* e codd. scripsit *scurrilitatis*, improbante *Orell.*]

FŪTĬLĬTER, adv. vane, inutiliter, frustra. *Appul. Apol.* post princip. Futiliter blaterata. Adde *Non.* 11, 39.

FŪTĬO, is, a quo *effutio*, agnoscitur a *Prisc.* 4, 631. sed nullo firmatur auctore.

FŪTŌ, as, a. 1. *Festus:* Futare, arguere est: unde et confutare. Sed Cato hoc pro *saepius fuisse* posuit.

FŪTUM, i, n. vas aquarium, quo in triclinio allatam aquam infundebant. V. NANUS et FUTILE, is.

FŪTŪO, is, ui, utum, a. 3. *βινέω*, Veneri operam do: a *φυτεύω*, planto. *Catull.* 97, 9. Hic futuit multas. *Mart.* 10, 81. Cum duo venissent ad Phillida mane fututum. *Id.* 9, 3. Ducitur addictus, te futuente, cliens.

FŪTŪRUS, a, um, part. verbi *sum*, ab antiquo *fuo*, *ἐσόμενος*, qui erit, qui eventurus est. *Cic. N. D.* 2, 4. *f.* Signa ostenduntur a Diis rerum futurarum. *Id. Off.* 2, 9. Futura prospicere. *Virg. A.* 4, 508. haud ignara futuri. *Colum.* 11, 1. Docendus, et multis prius experimentis inspiciendus erit, futurus villicus, *h. e.* qui debebit, aut volet esse villicus. *Liv.* 6, 12. *med.* Si quid Dii, vatesque in futurum vident.

FŪTŪTĬO, onis, f. actus futuendi. *Catull.* 32, 7. et *Mart.* 1, 107.

FŪTŪTOR, oris, m. qui futuit. *Mart.* 1, 92. et 7, 30.

FŪTŪTRIX, icis, f. quae quasi futuit, vel fututionem imitatur. *Mart.* 11, 22. Fututrix manus. *Id. ib.* 61. lingua.

FŪTŪTUS, a, um, part. a *futuo*. Ap. *Mart.* 3, 87. et saepe alias.

FŪVI pro *fui*, V. in FUAM.

G

G Septima Latinorum littera, una ex mutis, cognata est litterae C, a qua originem habet. *Nova consonans* dicitur a *Diom.* 2, 417., quia multo tempore Latini ea caruerunt, C litteram ejus loco adhibentes, sed duplici potestate, scilicet in quibusdam vocibus, ut C nunc habet, in aliis ut G. [*Hinc in *inscr. Drill. macestratus* pro *magistratus*, *leciones* pro *legiones*. Sic confunduntur etiam in cdd. *g* et *c*. V. *Spald.* ad *Quint.* 10, 1, 4. et *ib.* 3, 17.] Tandem post quingentos fere annos ab U. C. Spurius quidam Carvilius, ut est ap. *Plutarch. de Quaest. Rom. n.* 54. parvo apice inferius litterae C adjecto in iis vocibus, quae G sonum habebant, eam in Latium invexit. Remansit tamen in quibusdam vocibus, ut in *Cajus*, *Cnaeus*, licet per G efferantur, ut suo loco dictum est. Plura hac de re *Noris.* in *Cenotaph. Pis. dissert.* 4. *c.* 5. ℙ Aliquando pro N. scripta fuit, ut *aggulus*, *aggens*, *agguilla*, *iggerunt*, ut ex *Varrone* docet *Prisc.* 1, 556. [*ℙ In notis signif. *G. Gajus*. V. *inscr.* ap. *Orell.* 467. 1660. et al. — *Galliarum*, v. ap. *eund.* 459. ibique doctiss. hujus inscriptionis interpretationem *Hagenb.* — *Gallica.* 441. — *Gemina.* 1214. *Grata* 5057. — *Genio.* 4878. — *Germania.* 1767.]

G A

[GĂĂ, ae, m. cogn. R., quod fortasse est a *γᾶ*, Dorice pro *γῆ*, terra. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 2. *n.* 2. A. Memmius Gaa. Alia ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 1. p. 73. T. Coccejus Gaa. *F.*]

*GABA, ae, f. opp. Galilaeae, quod *Gabe* audit *Plin.* 5, 18. et *Gabba* 12, 17. In Syria ponere videtur *Plin. B. A.*

*GABĂLA, ae, f. opp. Seleucidis vel Antiochiae, prope Laodiceam. *Anton. Itin. Gabala, orum, n. plur.* audit *Plin.* 12, 25. et *Gabale, es, ib.* 5, 21. *Τὰ Γάβαλα* est *Straboni. B. A.*

*GABĂLE, es. V. v. praec.

[GĂBĂLĬCUS, a, um, et GĂBĂLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Gabalos pertinens, Galliae Aquitanicae populos, quorum mentio est ap. *Caes. B. G.* 7, 64. et 65. *Gabalicus* pagus ap. *Plin.* 11, 42, 97., et *Gabalitana civitas* ap. *Sidon. ep.* 5, 13. est eorum urbs primaria, quae nunc *Gevaudan*, olim Gabalum, et Andericum. ℙ *Gabalitani*, *orum* sunt illius regionis incolae ap. *Sidon. l. c.* et *ep.* 7, 6. *med. F.*]

GĂBĂLĬUM, ii, n. genus plantae aromaticae apud Arabes. *Plin.* 12, 21, 45.

GĂBĂLUS, i, m. *σταυρὸς*, crux, sive patibulum: [est ab Hebr. גָּבַל *gabal*, terminavit; etenim palus, qui olim pro cruce habitus est, terminus etiam fuit: et Graecis *ὄρος* est mons, *ὅρος* vero terminus. *F.*] *Varr.* ap. *Non.* 2, 373. Nos barbari, quod nocentes in gabalum suffigimus homines, vos non barbari, quod noxios absolvitis? ℙ Gabalus etiam dicitur homo sceleratus, et cruce dignus. *Macrinus Imp.* ap. *Capitol. in ejus Vita* 11. Qualis Latinus gabalus iste fuit.

GĂBĂONĪTĬCUS, a, um, adj. ad Gabaonitas pertinens, qui sunt incolae Gabaon, urbis Palaestinae in Tribu Beniamin. *Sidon. ep.* 9, 8. Ut agminibus vestris famulaturi, vel sub Gabaoniticae servitutis occasione jungamur. V. *Biblia Jos.* 9, 17.

GĂBĂTAE, arum, f. plur. *γάβατα*, vasa concava, eduliis, pulmentariisque apta: a *cavus*, quasi *cavatae*, non a voce Graeca allata, quia hanc posteriores Graeci a Romanis acceperunt, uti censet *Voss.* in *Etym. Mart.* 7, 48. Transcurrunt gabatae, volantque lances. *Id.* 11, 31. Sic implet gabatas, paropsidasque.

*GABĂZA, regio Scythiae, ultra mare Caspium, vel in Sogdiana. *Curt.* 8, 4. *in. B. A.*

GABBĂRAE vel Gabbares, cadavera apud Aegyptios pollinctorum arte delibuta, arefacta, et a corruptione immunia, *Mumien*, teste *August. serm.* 120. de divers. 12. Sed vox exotica est, et minime Latina: et praeterea in MSS. *Augustini* eo loco deest. ℙ Gabbarus in *Gloss. Isid.* exponitur insulsus, barbarus. Sed hoc item barbarum est. ℙ *V. *Aringhi Rom. Subterr.* P. et 1, 2. *Kirchmann. de Fun. Rom.* 1, 8. et *Salmas.* ad *Solin.* p. 744 et 850. Origo videtur קבר, *sepulcrum. B. A.*

*GABELLUS, i, fluvius Italiae, in Gallia cispadana, circa Mutinam, in Padum influens. *Plin.* 3, 16. Hodie est *Secchia. B. A.*

[GABĒNI, orum, m. plur. incolae urbis Gabae in regione Trachonitide, in cujus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 344. *ΓΑΒΗΝΩΝ. Plin.* 5, 43, 19. Inde Cyrrhestice habet Cyrrhum, Gazatas, Gindarenos, Gabenos. *F.*]

GĂBĪENSIS, e, adj. ad Gabios pertinens, ut Gabiensis ager, *Plin.* 2, 94, 96. *Al. leg. *Gabinensis. B. A.*

GĂBĪI, orum, m. plur. Col. et urbs olim Latii, in via Praenestina, media inter Romam ad Occ. et Praeneste ad Or. ad XII. M. P., ubi nunc *Campo Gabio*. Conditi fuere a Siculis, idest a Galacto, et Bio fratribus, ut *Solin.* 2. tradit. Qua arte eos Tarquinius Superbus subegerit, narrat *Liv.* 1, 53. et 54.

GĂBĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Gabinium pertinens, quod est nomen propr. civis R., ut *Gabiniani milites* ap. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 15. [et *Gabiniana via* in *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 179. Ti. Caesar Divi Augusti F. Augustus Imp. viam Gabinianam ab Salonis Andetrium aperuit, et muniit per legionem VII. h. e. *da Salona a Clissa. F.*]

GĂBĪNĬUS, a, um, adj. Gabinianus, ut Gabinia lex, *Cic. Leg.* 3, 16. et alibi. Haec lata fuit a Q. Gabinio trib. pleb., Pisone et Popilio Coss. circa A. U. DCXIV., ut comitiis, quibus magistratus creabantur, populus non voce, sed tabella suffragium ferret. Aliae fuerunt Gabiniae leges de nocturnis coetibus, de bello piratarum, etc. V. *Hotoman. de Legib. Rom.* et *Pitisc. in Lex.*

GĂBĪNUS et Gabinĭus, a, um, adj. ad Gabios pertinens, ut Gabina urbs, *Ov. Fast.* 2, 709. Gabina Juno, *h. e.* quae Gabiis colebatur, *Virg. A.* 7, 682. Haec *Gabinia* dicitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1069, 1., si genuina haec lectio habenda est. Gabina vicinitas, *Cic. Planc.* 9. Gabina res, *Liv.* 1, 54. ℙ *Gabini*, *orum*, ejus urbis incolae, *Id. ib.* ℙ De Gabino cinctu V. CINCTUS, us. ℙ *Gabina via*, eadem ac Praenestina, Roma Gabios ferebat, incipiens olim a porta Exquilina, deinde a Praenestina. Memoratur a *Liv.* 2, 11., 3, 6. et 5, 49. *Inscr.* ap. *Grut.* 150, 8. P. Scaptius P. F. Gabinam viam ornari, ac refici sua impensa curavit. ℙ *Gabinum saxum*, vel *Gabinus lapis* similis est Albano, (de quo V. ALBANUS) effoditurque prope lacum Gabinum, nunc *di Pantano. Tac. A.* 15, 42. Aedificia ipsa, certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino, Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est. *F.*]

*GABRI, orum, populi Scythici, in Asia ult., ultra Moeotidem paludem. *Plin.* 5, 7. *B. A.*

*GABROMĂGUS, i, Norici oppidum. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*GADAGALE, es, Africae opp., in confinio Aegypti atque Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*GADĂRA, orum, *τὰ Γάδαρα*, opp. Palaestinae, postea Syriae, in regione Decapolitana, ad lacum Genezaret. *Plin.* 5, 18. *B. A.*

GĂDES, ium, f. plur. insula parva Hispaniae Baeticae, in mari oceano, proxima continenti cum urbe cognomine, olim Col. R. parva, sed munita, in parte Occ. insulae, condita a Tyriis, cum arce et portu capacissimo, ubi emporium celebre. Usurpatur in plur. numero, quia, ut *Plin.* 4, 22, 36. tradit, duae insulae fuere, major Erythia etiam dicta, distans freto DCC pedum a continente; minor huic adjacens, unius tantum stadii euripo interlabente. *Hor. Od.* 2, 2, 9. Latius regnes avidum domando Spiritum, quam si Libyam remotis Gadibus jungas. *Juven.* 10, 1. Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque Auroram et Gangem. *Stat. Silv.* 3, 1, 183. Gades vocat *cubilia Solis*, quia in parte extrema occidentali Europae sitae sunt. *Mart.* 1, 62. jocosas appellat, et 5, 77. improbas, quia frequentes inde Romam ventitabant meretriculae, lascivis modis saltare et canere peritae. Sic *Id.* 6, 71. Edere lascivos ad Baetica crusmata gestus, Et Gaditanis ludere docta modis. Et 3, 63. Gaditana cantica. Adde *Juven.* 11, 162. et *Stat. Silv.* 1, 6, 71. qui *tinnulas Gades* dixit, quia et cantu peritae erant puellae Gaditanae, et crispum latus doctae movere sub crotalo. ℙ In sing. num. *Plin.* de majori loquens *l. c.* In ipso capite Baeticae, ab ostio freti pass. XXV. mill. Gadir. ℙ Poeni et Tyrii *Gadir*, vel *Gaddir* dicunt pro *Gades:* quod nomen apud eos sepem significat. *Plin. l. c.* et *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 5, 648. et 698. Est autem neutrum indeclinabile. *Prisc. ib.* ℙ Latini etiam Tartesson appellaverunt. *Plin. ib.* et *Sall. fr.* ap. *Don.* ad *Ter. Eun.* 3, 1, 11.

GĂDIR. V. in v. praec.

GĂDĪTĀNUS, a, um, adj. *Γαδειρικός*, ad Gades pertinens. *Cic. Balb.* 18. Gaditanus populus. *Plin.* 2, 103, 106. Gaditanus oceanus. *Id. prooem. l.* 3. Gaditanum fretum. *Cic Att.* 7, 7. *med.* Gaditanus a Mitylenaeo adoptatus, *h. e.* L. Cornelius Balbus Gadibus ortus a Theophane Mitylenaeo. ℙ *Gaditani*, *orum*, Gadium incolae. *Cic. Balb.* saepe. ℙ De Gaditana lascivia in GADES dictum est. *Plin. ep.* 1, 15. At tu apud nescio quem ostrea, vulvas, echinos, Gaditana maluisti, *h. e.* delicias Gaditanas. Al. leg. *Gaditanas*, h. e. puellas.

*GAEODES, ae, m. lapis ex aetitarum genere. *Plin.* 36, 19. Al. leg. *geodes. B. A.*

GAESĀTUS. V. in GAESUM.

GAESI, viri fortes a Gallis dicuntur: a *gaesum. Serv.* ad *A.* 8, 660.

GAESUM, i, n. *γαισὸν*, *γαισὸς*, jaculum grande longe feriens, proprium Gallorum Alpes incolentium, sed ab aliis quoque gentibus usurpatum. *Festus* grave jaculum interpretatur. *Hesych.* et *Poll.* 7, 33. *δόρυ ὁλοσίδηρον*, hastam totam ferream. *Liv.* 8, 8. gaesa ab hastis distinguit: et sane inter jacula potius, quam inter hastas referenda videntur. *Caes. B. G.* 3, 4. Gaesa in vallum conjicere. *Virg. A.* 8, 661. Alpina gaesa. *Liv.* 26, 6. Cui suos ante prima signa adhortanti summum pectus gaeso ictum est. ℙ Hinc Gaesatorum exercitum memorat *Oros.* 4, 13. (*h. e.* gaesis armatorum), nomenque esse ait non gentis, sed mercenariorum Gallorum. ℙ *Stat. Th.* 4, 64. gaesa Graecis, *Sil.* 2, 444. etiam Afris tribuit. Observandum est autem, ubicumque hoc telo quis armatus describitur, bina ei gaesa assignari. *Varr.* ap. *Non.* 18, 19. *Virg. l. c.* etc. ℙ Scribitur et *gesum:* atque ita habent *Festus*, *Non. l. c.* et alii.

*GAESUS, i, m. flumen Ioniae. *Mela* 1, 17. Idem quod *Γαλεών* audit *Herod.* et *Athen.* ut censet *Vossius* ad *Melae l. c. Gessus* appellatur a *Plin.* 5, 29. *B. A.* [*An hodie sit *Kali — Beck — Osmak*, dubitatur a *Mannerto Geogr. ant.* Vol. 6. T. 3. p. 266.]

GAETŪLĬA, ae, f. *Plin.* 5, 4, 4. V. GAETULUS.

GAETŪLĬCUS, a, um, adj. Gaetulus. *Plin.* 6, 31, 36. Juba Gaetulicam purpuram tingere instituerat. *Id.* 35, 6, 26. Gaetulicum purpurissum. V. v. sq. ℙ *Gaetulicus* cognominatus est Cn. Cornelius Cossus Lentulus (qui consul fuit una cum L. Pisone Augure an. U. C. DCCLIII.) ob devictos auspiciis Augusti Gaetulos Syrtium accolas, ut narrat *Flor.* 4. *c. ult.* Adde *Juven.* 8, 26. ℙ Scribitur et *Getulicus.*

GAETŪLUS, a, um, adj. ad Gaetuliam pertinens, quae regio est Africae: cujus populi Gaetuli. Hi varias ibi sedes obtinuerunt. Nam et in Mauritania Caesariensi, Massaesylis contermina, ponuntur a *Plin.* 21, 13, 45., et prope Aegyptum, atque Aethiopes, atque adeo sub sole magis, haud procul ab ardoribus, ut loquitur *Sall. Jug.* 21., hoc est prope zonam torridam, a *Mela* 1, 4. et *Plin.* 5, 4, 4. et *ib.* 8, 8., et ad Syrtes a *Floro* 4, 12., et in Massaesylia ipsa a *Plin.* 5, 2, 1., et aliis in locis *alibi*. Feri admodum habiti sunt, fugaces, raptoque victitantes. *Sall. l. c.* Africam

initio habuere Gaetuli, et Libyes, asperi incultique: quibus cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, uti pecoribus. *Lucan.* 4, 677. Autololes, Numidaeque vagi, semperque paratus Inculto Gaetulus equo. *Mart.* 10, 20. Gaetula mapalia. *Plin.* 8, 16, 21. Gaetulus pastor. *Virg. A.* 5, 192. et 351. Gaetulae Syrtes. *Hor. Od.* 3, 20, 2. Leaena Gaetula. ℙ Secundum Gaetula litora, *h. e.* circa oceanum, qui extremam Mauritaniam alluit, optimi capiebantur murices, ex quibus pretiosus color purpurae fiebat tingendis lanis, ut *Plin.* 9, 36, 60. docet. Hinc *Hor. Ep.* 2, 2, 181. et *Ov. Fast.* 2, 319. vestes Gaetulo murice tinctas. *Sil.* 16, 177. Gaetulisque magis fucaret vellus ahenis. ℙ Aliquando *Gaetulus* pro Afro universim ponitur. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 148. Gaetula Thetis, *h. e.* mare Libycum. *Id. B. Gild.* 57. Pensabam Pharium Gaetulis messibus annum. ℙ Scribitur et *Getulus*, [sed rectius cum diphthongo. *F.*]

*GAGAE, arum, opp. Lyciae. *Plin.* 5, 22. Dicitur et *Gaga. B. A.*

GAGĀTES, ae, m. *γαγάτης λίθος*, lapis nomen habens loci, et amnis Gagis Lyciae: niger est, planus, pumicosus, non multum a ligno differens, levis, fragilis, odore, si teratur, gravis: fictilia ex eo inscripta non delentur: cum uritur, odorem sulphureum reddit: mirumque, accenditur aqua, oleo restinguitur: fugat serpentes ita, recreatque vulvae strangulationes: deprehendit sonticum morbum, et virginitatem, suffitus, etc. Haec fabularum similia *Plin.* 36, 19, 34. *Appul. Apol.* Cum incensus gagates lapis pulcre et facile hunc morbum (*comitialem*) exploret; cujus odore etiam in venaliciis vulgo sanitatem aut morbum venalium experiantur. [**Gagatkohle, Glanzkohle.*]

*GAGAUDE, es, insula Aethiopiae, sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

GAJUS, Gaja. V. CAJUS.

[GALACTĪNE, es, f. *γαλακτίνη*, lactea, quae lactis candorem imitatur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 381. *n.* XXXVII. Marcia Galactine. *F.*]

GALACTITES, ae, m. V. v. seq.

GALACTITIS, itidis, f. *γαλακτίτης λίθος*, gemma colore lactis, quae trita lactis succum ac saporem habet. *Plin.* 37, 10, 59. *Sic *Hard.* more suo. In ed. *Elzev.* impressum *Galactites. B. A.*

*GALACUM, i, opp. Britanniae, in reg. Brigantum. *Anton. Itin. B. A.*

GALAESUS. V. GALESUS.

*GALANIS, is, opp. Phoeniciae vetustum. *Plin.* 2, 91. *B. A.*

GALANTHIS, idis, f. *Γαλανθίς*, puella fuit, ministra Alcmenes, matris Herculis, quae cum Lucinam mendacio decepisset, deceptamque risisset, ab ea in mustelam (h. e. in *γαλῆν*) conversa est. *Ov. Met.* 9, 306. et sqq.

GALĀTA, ae, m. *Γαλατής*, qui est ex Galatia, regione Asiae minoris, inter Bithyniam, Cappadociam et Phrygiam, a Gallis dicta, qui *Γαλάται* Graecis (a *γάλα*, lac, ob candorem corporis, teste *Liv.* 35, 21. et *Virg. A.* 8, 660. vel potius a *Celta*, littera *C* in *G*, et prima vocali *e* in *a* conversa, et secunda addita), qui ex Gallia in ea loca transmigrarunt: quae Gallograecia et Galatia nominata est. *Claud.* in *Eutrop.* 1, 59. Hinc fora venalis, Galata ductore, frequentat. *Cic. Att.* 6, 5. Galatarum, Pisidarum, Lyciorum auxilia. ℙ **Galata*, *ae*, f. insula maris Mediterranei, prope Africam propriam vel Numidiam, e regione Tabracae urbis. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 3, 8. et 5, 7. *B. A.*

GALATĒA, ae, f. *Γαλάτεια*, Nympha marina, Nerei et Doridos filia: a *γάλα*, lac, propter candorem. In fabulis est, amasse Acin, et ipsam a Polyphemo fuisse adamatam. V. ACIS. ℙ Ap. *Virg. Ecl.* 1, 3, 7. et 9. nomen est puellae rusticae.

GALATIA et Galatia, ae, f. *Γαλατία* et *Γαλάτεια*, regio Asiae minoris, ubi Galatae populi. V. GALATA. *Stat. Silv.* 1, 4, 76. Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello. ℙ [*Fuit et Galatia Italiae opp. inter Capuam et Caudium. *Liv.* 26, 5.]

GALATĪCOR, aris, dep. 1. Galatarum more Judaicas caeremonias Christianis ritibus admiscere. Verbum fictum a *Tert. adv. Psych.* 14., quemadmodum Latini *graecari* dixerunt.

GALATĪCUS, a, um, adj. ad Galatiam pertinens. *Plin.* 29, 2, 9. Galatica lana. *Id.* 20, 13, 51. Galatica ruta. *Id.* 21, 21, 92. Galaticum abrotonum. *Colum.* 2, 9. *med.* Alterum genus hordei est, quod alii distichum, galaticum nonnulli vocant, ponderis et candoris eximii, adeo ut tritico mixtum egregia cibaria familiae praebeat. *Tert. Pall.* 4. *f.* Galaticus rubor, *h. e.* color rubens ex tinctura cocci, quod est granum in Galatia nascens tingendis purpura lanis maxime laudatum, ut *Plin.* docet 9, 41, 65. et alibi.

GALAXĪAS, ae, m. *γαλαξίας*, lapis Aegyptius, al. galactites, lactei coloris, intercurrentibus sanguineis aut candidis venis. *Plin.* 37, 10, 59. ℙ Item via lactea in coelo. *Macr. Somn. Scip.* 1, 4. *f.* et 9.

GALBA, ae, f. vermiculus mirae exilitatis, qui nascitur in aesculis: [*Secundum *Billerb. der Aeschenbohrer*, vel: *die Larve des Aeschenspinners*, Bombyx aesculi, L.] a colore gallo, ut ait *Suet. Galb.* 3., qui ibidem addit, galbas a Gallis appellari etiam homines praepingues. Hinc nomen inditum Sergio Galbae septimo R. imperatori. ℙ *Cogn. fuit Sulpiciorum, ut Serv. Sulpicius Galba, orator, is qui Consul fuit cum M. Aemilio Scauro. *Cic. de Or.* 2, 5. et 3, 7. *Id. Brut.* 21. et al. ℙ Servii Galbae, proavi Imperatoris, meminit *Cic. Fam.* 6, 18. et 13. *Phil.* 14. etc. ℙ Fuit et Galba nomen regis Suessionum; de quo *Caes. B. G.* 2, 4. et 13. *B. A.*

GALBĀNĀTUS, a, um, adj. galbano indutus. *Mart.* 3, 82. Jacet occupato galbanatus in lecto: Cubitisque trudit hinc, et inde convivas. Al. leg. *galbinatus.* V. in GALBANUM.

GALBĀNĒUS, a, um, adj. ex galbano. *Virg. G.* 4, 264. Hinc jam galbaneos suadebo incendere odores. Et *ib.* 3, 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

GALBĀNUM, i, n. *γάλβανον*, *χαλβάνη*, ab Hebr. חֶלְבְּנָה *chelbenà*, quod a חֵלֶב pinguedo, quia pingue est instar resinae: succus, seu lacrima ex arbore ferulaceo cognomine destillans resinae modo, in Amano Syriae monte. Quod maxime laudant cartilaginosum, purum, ad similitudinem hammoniaci, minimeque lignosum. Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes. *Plin.* 12, 25, 56. qui 24, 5, 13. varios ejus recenset usus in medicina. *Lucan.* 9, 916. Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant. Adde *Calpurn. Ecl.* 5, 89. [*Bubon galbanum *L.*] ℙ In vulgata *Eccli.* 24, 21. dicitur *galbanus.* ℙ Item genus vestimenti delicatioris, fortasse a colore galbani, vel a *galbus*, quod in *Gloss. Philox.* exponitur *χλωρός*, viridis, seu herbacei coloris, uti docet *Lips. Elector.* 1, 13. *f.* Porro cum virilium togarum color esset albus, *h. e.* nativi coloris lana; alter ille viridis et herbaceus feminarum fuisse videtur, virorumque effeminato vestitu utentium. *Juven.* 2, 95. vitreo bibit ille Priapo, Reticulumque comis auratum ingentibus implet, Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa. Hinc *galbanus* adjective pro effeminato. *Mart.* 1, 97. habeat et licet semper Fuscos colores, galbanos habet mores. *Salmas.* ad *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 41. legit *galbinum*, qua vestem coloremve significat: nihil enim commune habere cum *galbano*, lacrima: sed esse a *galbus*, seu *galbeus*, et ut est in *Gloss. Phil. galvus*, et *galveus*, *χλωρός*, viridis, glaucus: item flavus, aut luteus: *χλωρός*, enim tum viridem significat, tum colorem eum, qui in herbis arescentibus et flaccescentibus, pallore ad flavum, seu aureum accedente, apparet. Eadem ratione *galbinatus* legi vult apud *Mart.* pro *galbanatus:* et *galbinos mores* pro *galbanos* ap. *eund. l. c.* Porro *tunicam galbinam* ap. *Vopisc. Aurel.* 34. idem *Salmas.* vult esse non viridis, sed aurei coloris, quia ibi de imperatoris ornatu sermo est. In illo *Petronii in fr. Tragur. Burm.* 67. galbino succincta cingillo: galbinum de alterutro colore intelligere licet, seu viridi, seu luteo.

GALBĔI, orum, m. plur. Galbeos (*calbeos* habet *Festus*) armillas dicebant, quibus triumphantes utebantur, et quibus ob virtutem milites donabantur. V. CALBEI. Idem *Festus* in littera G habet: *Galbeum, ornamenti genus. Cato* ap. *eund. in Ruscum:* Mulieres opertas auro purpuraque, etc. coronas aureas, russeas fascias, galbeos, lineas, etc. ℙ Alia notio hujus nominis colligitur ex illo *Suet. Galb.* 3., ubi ejus appellationis originem quaerens, *alii*, inquit, *putant, quod in diuturna valetudine galbeo, i. e. remediis lana involutis assidue uteretur.* Videtur enim significare fasciam in armillae modum brachio circumdatam, in qua remedia, seu amuleta involuta essent.

[GALBĬĀNUS, a, um, adj. ad Galbam imperatorem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 75, 2. Fortunae conservatrici horreorum Galbianorum. Alia apud *Don. cl.* 7. *n.* 171. T. Flavio Encolpo Aug. L. Galbiano. Alia ap. *Fabr.* p. 215. *n.* 549. Aepolo imperatoris Titi Augusti dispensatori Galbiano. Hinc nimirum apparet, Encolpum, et Aepolum Galbae prius servos, deinde ab imperatore Tito manumissos fuisse. Porro *Notitia utr. imper.* memorat *Galbae horrea*, quorum vestigia adhuc Romae videre est ad radices collis Aventini Tiberim versus.

GALBĪNA. } V. in GALBANUM,
GALBĪNĀTUS. }

GALBĪNĔUS, a, um, adj. idem ac galbus: de quo in GALBANUM dictum est. *Veg. Vet.* 3, 2., ubi eryngium herbam in litore nascentem ait florem habere coloris galbinei, quem *Turneb.* 17, 8. scribit, ab eruditissimo herbario se accepisse, coloris esse caerulei dilutioris, et pallescentis: et *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 34. observat ex *Dioscoride*, colorem ejus fuisse aureum: qui fere cum caeruleo dilutiore et pallescente convenit.

GALBĪNUS. V. GALBANUM.

GALBŪLA, ae, f. *ἰκτερος*, avicula, quae uvis maturescentibus, calamis et retibus capitur: a *galbulus*, quia galbi, hoc est, viridis coloris est. Eadem vocatur *chlorion. Plin.* 30, 11, 28. *galgulum* videtur appellare, quem eundem facit, ac *ἰκτερον.* Sed *Plinii* locus corruptus videtur aliis, et *galbulus* reponendum esse eodem tamen sensu. *Mart.* 13, 68. Galbula decipitur calamis et retibus ales, Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

GALBŬLUS, a, um, adj. dimin. galbi, ut Galbula avis, ap. *Mart.* V. v. praec.

GALBŬLUS, i, m. pilula cupressi arboris, in qua semen reconditur. *Varr. R. R.* 1, 40. Non enim galbuli, qui nascuntur, etc. ℙ Item avis. V. GALBULA.

GALBUS, a, um, adj. qui coloris est viridis, vel flavi. V. in GALBANUM. ℙ De galbis nucibus ap. *Plin.* 15, 22, 24. V. dicta in CALVUS

[GĂLĒ, es, f. *γαλῆ*, mustela. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 602. *n.* 25. Albonia Gale. *F.*]

GĂLĔA, ae, f. *κόρυς*, cassis, tegumentum capitis ad munimentum in bellis contra ictus ac tela. *Plin.* 7, 56, 57. Galeam, gladium, hastam Lacaedemonii invenere: videtur esse a *γαλέη*, mustela vel mustelina pellis: quod ex ejus corio galea olim fieret, ut eadem a Graecis etiam *κυνέη*, vocatur, quod e canis corio fieri soleret: ita quoque Itali *celata* appellant, quod *caelata opere Corinthio* esset, ut ait *Cic. loc.* mox *citand.* V. *Servii* locum in GALERUS. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. Loricae, galeaeque aeneae, caelatae opere Corinthio. *Virg. G.* 2, 142. galeis, densisque virum seges horruit hastis. *Id. A.* 8, 620. Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem. Et *ib.* 9, 365. (et *Caes. B. G.* 2, 21.) galeam habilem, cristisque decoram Indŭere. *Ov. Trist.* 5, 10, 25. Sub galea pastor junctis pice cantat avenis. *Virg. A.* 12, 537. Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro. *Senec. Phoeniss.* 481. Galeam adstringere. *Val. Flacc.* 7, 626. Et galeae nexus ac vincula dissipat imae. Et 6, 365. molles galeae habenae. Et 379. Galea ferina, *h. e.* ex ferae corio facta, vel ferae pelle contecta. ℙ Per similitudinem dicitur de apice in capitibus gallinarum Africanarum. *Colum.* 8, 2. Africana rutilam galeam et cristam capite gerit: quae utraque sunt in meleagride caerulea. Quid differant *galea*, et *cassis*, V. CASSIS, idis. ℙ In sortitionibus militaribus galea pro urna utebantur. Testis *Virg. A.* 5, 490. et 498. ℙ Poculi quoque usum praebet militibus. *Propert.* 3, 10, 8. Potabis galea fessus Araxis aquam. *Tibull.* 2, 6, 7. erit hic quoque miles Ipse, levi galea qui sibi portet aquam. ℙ Fuisse veteribus galeas, quae faciem quoque tegerent [**mit Visir*], satis colligitur ex illo *Silii* 14, 636. galeis abscondunt ora, malusque, Ne sit spes hosti, velatur casside pallor. Et *Statii Theb.* 4, 20. galeis juvat oscula clausis Inserere. Et *Quint. decl.* 3, 12. Clausam galea faciem, et ad terrorem belli cristas minantes. ℙ [Fuit etiam nomen trieris in classe Ravennate, quod inditum ei fuisse apparet, quia ejusdem insigne galea erat; id enim innuere videtur *Ov. Trist.* 1, 10, 1. Est mihi, sitque, precor, flavae tutela Minervae Navis, et a picta casside nomen habet. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 364, 2. Phallaeus Dioclis F. gubernator de Galea trietris. Id populariter pro *de Galea triere* dictum videtur. Idem *Maffejus l. c.* hinc repetendam putat vocem *galéa*, qua Itali, appellant navis cujusdam genus. ℙ Num *galea* pro femineo galero sit interpretanda, vide in GALENUS. *F.*]

GĂLĔĀRIA, a galearum similitudine dicta. *Festus:* ubi alii leg. *Galerita.* V. GALERITUS.

GĂLĔĀRII, orum, m. plur. inter calones ponuntur a *Veget. R. M.* 3, 6. *med.* fortasse quia galeas et cetera arma suggerebant militibus: vel intelligit duces calonum, et ob id galea armatos.

GĂLĔĀRIS, e, adj. ad galeam pertinens, ut Galearis reticula *Claud. Quadrigar.* apud *Non.* 3, 188.

GĂLĔĀTUS, a, um, adj. *κορυστής*, galea indutus. *Cic. N. D.* 1, 36. Et barbati quidem Jovis, galeatae Minervae. ℙ Accipitur etiam absolute pro milite galeato. *Juven.* 1, 169. galeatum sero duelli Poenitet. ℙ *Galeatus* prologus dicitur per metaphoram, in quo ea dicuntur, quae faciunt ad tuendam auctoritatem libri, cui praeponitur. Ita prologum suum inscripsit *Hieronymus*, quem S. Scripturae praefixit. Alii aliter explicant. V. *Voss. Inst. or.* 3, 2, 11. *f.*

*GALEDRAGON, i, n. herba, de qua *Plin.* 27, 10. V. *Hard.* ad h. l. *B. A.*

GĂLĒNA, ae, f. *μολύβδαινα*, plumbi et argenti vena communis, ut *Plin.* 34, 18, 53. et 33, 6, 31. docet. [**Bleiglanz.*] ℙ Paulo aliter *Id.* 34, 16, 47. Plumbi nigri origo duplex est. Aut enim sua provenit vena, nec quidquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mistisque venis conflatur. Ejus, qui primus fluit in fornacibus, liquor stannum appellatur, qui secundus, argentum, qui remansit in fornacibus, galena. [**Ofenbruch.*]

[GĂLĒNUS, i, m. et Galene, es, f. *γαληνός*

γαληνὴ, tranquillus, tranquilla. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 531, 1. L. Mindius Galenus. Alia ap. *eund.* 929, 12. Calpurnia L. et O. L. Galene Ornatrix. Haec eadem affertur a *Grut.* 1118, 2., ubi pro *Galene* mendose legitur *Galeae*: hinc eruditi quidam perperam putarunt, Calpurniam fuisse galeae seu galeri feminei ornatricem: adde saepissime hujusmodi cognomen occurrere in vetustis inscriptionibus, ut Cervonia Galene ap. *Grut.* 820, 7. et 1041, 2., ubi tamen mendose *Galenae* pro *Galene* legitur; et Fuficia Galene ap. *Donat.* 401, 19. etc. *F.*] *GALĒNUS, i, m. medicus insignis, ex Pergamo Asiae urbe, qui florere coepit temporibus Trajani. Praeceptores sua aetate praestantes habuit Satyrum et Pelopem. Auctor fuit CCC voluminum, quae perierunt incendio templi Pacis. Obiit A. C. 140. V. *Volaterr. Anthr.* 1. 16. *B. A.*

GĂLĔO, as, a. 1. est galea tegere, induere. *Hirt. B. Afr.* 12. Milites in campo jubet galeari, et ad pugnam parari. *Cinna* in *epigr.* ap. *Non.* 2, 145. miseras audet galeare puellas.

[GĂLĔOBDŌLON, i, n. γαλεόβδολον, flatus ventris, quem feles emittit: a γαλέη, feles, et βδόλον, flatus ventris.. Ita etiam vocatur herba quaedam a *Plin.* 27, 9, 57. de qua vide in GALEOPSIS. *F.*]

GĂLĔŌLĂ, ae, f. κορύδιον, vas sinuosum: a galeae similitudine *Varr.* ap. *Non.* 15, 34. Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinu?

GĂLĔOPSIS, is, f. quae et galeobdolon, et galion, γαλόψις, γαλεόβδολον, herba est, quae caulem, et folia habet urticae laeviora, et quae gravem odorem trita reddant, flore purpureo: nascitur circa sepes, et semitas ubique. *Plin.* 27, 9, 59.

GĂLĔOS, i, m. γαλεὸς, piscis genus, al. mustela, et canicula marina, quod a Rhodiis olim in maximo pretio habitum est. *Plin.* 32, 2, 12. Nihil venenatius, quam in mari pastinaca: hanc tamen persequitur galeos.

GĂLĔOTAE, arum, m. plur. γαλεῶται, vates quidam in Sicilia, a Galeote Apollinis filio, qui frater Telmessi illius fuisse traditur, qui Telmessum urbem in Caria condidit, oraculo ex Dodona accepto. *Cic. Div.* 1, 20. Huic interpretes portentorum, qui Galeotae tum in Sicilia nominabantur, responderunt, etc. [Eosdem memorat *Aelian. H. V.* 12, 46.: ita vero sunt appellati ab Hebr. גִּלָּה *galà* revelavit, unde גִּלְּרִים, vel terminatione feminina גִּלְיוֹת *gelajòt* revelantes. Ideo autem hoc nomen Siculis proprium fuisse videtur, quod Phoenices, Hebraeis ὁμόγλωττοι, olim Siciliam occuparunt, ibique diu sunt commorati; hinc postea Graeci fabularum amatores Galeoten Apollinis, qui oraculis praeesset, filium effinxerunt. *F.*]

GĂLĔOTES, ae, m. γαλεώτης, species est stellionis, al. colotes, et ascalabotes, qui *Plinii* aetate in Italia non nascebatur. *Plin.* 29, 4. *n.* 28.

*GALEPSUS, i, f. Γαληψὸς, Thraciae opp. *Liv.* 44, 45. *B. A.*

GĂLĔRA. V. GALERUS.

GĂLĔRĬA Tribus Romana, una ex rusticis, unde dicta sit, incertum est. Sunt, qui putant, prius vocatam *Galesiam*, sumpto nomine a Galeso fluvio. *Liv.* 27, 6. et *Inscr.* ap. *Grut.* 406, 9., 418, 7., 431, 1. etc. ℙ *Galeria* pro *galeri* plur. num. dixit *Varr.* ap. *Charis.* 1, 61. ℙ *Galeria, ae, f. uxor Vitellii. *Tac. H.* 2, 60 et 64. *Suet. Vit.* 6. *B. A.*

GĂLĔRĬCŬLUM, i, n. πιλίδιον, dimin. galeri. *Suet. Oth.* 12. Galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato, et annexo, ut nemo dignosceret. *Mart.* 14, 50. cujus lemma est *Galericulum.* Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos, Hac poteris madidas condere pelle comas. ℙ [Est etiam parva galea, qua caput tegebant velites. *Front. Strateg.* 4, 7. *n.* 29. Q. Naevius centurio in exercitu Fulvii Flacci proconsulis excogitavit, ut delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, et mediocris erant staturae, parmulis non amplis, et galericulis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armaret. *F.*]

GĂLĔRĬTĂ. V. v. seq.

GĂLĔRĪTUS, a, um, adj. galero tectus. *Prop.* 4, 1, 29. Prima galeritus posuit praetoria Lucmo, *h. e.* adhuc rusticus et rudis homo. ℙ *Galerita avis* est alauda, apicem galeri similem in capite habens, κορυδαλός. [*Haubenlerche, Hänbellerche, Alauda cristata, *L.*] V. ALAUDA. *Plin.* 11, 37, 44. Apex parvae avi, quae ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudae. *Id.* 30, 7, 20. Avis galerita assa in cibo sumpta. ℙ Dicitur et *Galeritus*, m. *Varr. L. L.* 4, 11. Galeritus, et motacilla: alter, quod in capite habet plumam elatam, altera, etc.

*GALERĬUS Armentarius Valerius Maximianus, oriundus Dacia, prope Sardicum, priore uxore repudiata, Valeriam Diocletiani filiam duxit, in consortium Imperii adscitus. Infelix praelio contra Narsen Persarum regem, a Diocletiano Antiochiae parum humaniter exceptus est. Qua contumelia irritatus, viribus reparatis, hostem vicit, eumque Mesopotamia et quinque provinciis trans Tigrim exuit. Cum dein Diocletianus, et Maximianus sponte Imperium deponerent, ille hujus divisione cum Constantio Chloro facta, jam Imp. in Christianos odium inveteratum acrius exercuit. Interim Caesarem creavit Flavium, Valerium Severum, et Maximinium, ex sorore nepotem, Constantio imminens. Sed primo per Magnentium occiso, Licinium surrogavit. Contra Maxentium, Constantinum, et Ecclesiam spei irritus, cum Christianos omnibus modis cruciasset, tandem in morbum incidit, cujus impatientia gladio sibi latus aperuit, edicto prius in Christianorum favorem edito, Deum mitigare conatus, A. C. 311. in patria, quam Romuliam a matris nomine vocavit, sepultus. A vermibus corrosum plerique scribunt. *Eutrop.* 9 et 10. *Ammian. Lactant. de mort. persec.* 10. ℙ Galerius Trachalus, cujus ingenio Othonem uti credebatur in rebus urbanis, orator celeber. *Tac. H.* 1, 90. et 2, 60. *B. A.*

GĂLĔRUS, i, m. *raro* Galerum, i, n. κυνέη, πῖλιον, rotundum tegumentum capitis, pileolus: a *galea* dictus, ut videtur. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 683. Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum: apicem, pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum, pileum lanatum metae figura: galerum, pileum ex pelle hostiae caesae. Haec *Servius*, ex quibus colligitur, galerum proprie esse sacerdotum, et ex pelle. *Appul. Apol.* Hoc Diogeni pera, quod regibus diadema, quod pontificibus galerum. *Varr.* ap. *Gell.* 10, 15. *extr.* Flamen Dialis solus album habet galerum. ℙ Verum et alii galero usi. *Virg. A.* 7, 688. fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti. (*Fronto* quoque ap. *Serv. hic* neutro genere dixit) *Virg. Moret.* 121. de aratore: Ambit crura ocreis pariibus, tectusque galero, etc. *Suet. Ner.* 26. Post crepusculum statim, arrepto pileo, vel galero, popinas inibat. *Grat. Cyneg.* 339. Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo Mantica, curta chlamys, canaque e mele galeri. *Calp. Ecl.* 1, 6. vicinis cur non succedimus umbris? Torrida cur solo defendimus ora galero? *Juven.* 8, 207. de gladiatore: de faucibus aurea cum se Porrigat, et longo jactetur spira galero. Id. 6, 120. de Messalina: nigrum flavo crinem abscondente galero, Intravit calidum veteri centone lupanar, *h. e.* flava calvatica nigros crines operiente. *Stat. Th.* 1, 305. de Mercurio: Obnubitque comas, et temperat astra galero. ℙ De galero histrionum V. in PERSONA. ℙ Galerum item vocarunt pellem habentem appositos crines humanos, tanto artificio, ut vera hominis cutis, verique crines viderentur. V. loc. *Suet.* in GALERICULUM. ℙ Palaestritae galerum adhibebant, ne capitis coma ceromate inquinaretur. V. locum *Mart.* ib. ℙ Translate. *Auson. Idyll.* 14, 25. de rosa: Haec viret angusto foliorum tecta galero, *h. e.* involucro, antequam expandatur. ℙ *Galera, ae, f. antiquum est. *C. Gracch.* ap. *Charis.* 1, 61. Cum galera visi sunt.

GĂLĔSUS, i, m. nunc *Galeso* vel *Galaso*, fluvius magnae Graeciae, qui ex Apennino ortus, quinque millia prope Tarentum defluit, et in sinum Tarentinum incurrit. *Liv.* 25, 11. ℙ Omnis circa regio ferax est, et lanis celebris. *Virg. G.* 4, 126. niger humectat flaventia culta Galesus. *Hor. Od.* 2, 6, 10. Dulce pellitis ovibus Galesi Flumen. *Mart.* 12, 64. Albi quae superas oves Galesi; *album* vocat *Mart.* propter lanae candorem: *nigrum* vero *Virg.* propter umbram fortasse arborum in ejus ripis frequentium: unde *umbrosum* dixit *Prop.* 2, 25, 67. ℙ Scribitur etiam *Galaesus*, qui et Graecis Γαλαῖσος. [*Ita in locis *Livii* (ed. *Drak.*), *Virg.* (ed. *Heyn.*), et *Hor.* (ed. *Jani*) ℙ Fuit et Galesus viri nomen ap. *Virg. A.* 7, 535.]

GALETI, orum. V. CALETES.

GALGŬLUS. V. GALBULA.

GĂLĬLAEUS, a, um, adj. ad Galilaeam pertinens, Γαλιλαῖος. Est autem Galilaea regio Palaestinae. Secunda syllaba variae est quantitatis; rectius tamen corripitur. *Sedul.* 4, 188. Coeperat interea Dominus Galilaea per arva, etc. *Juvenc.* 3, 195. *in Matth. c.* 15. Inde Galilaeas repetat Salvator in oras.

GALLĂ, ae, f. κηκὶς, fructus arborum glandiferarum, globi fere figura, inaequali superficie, et sine semine intus: in quo differt a glande, quae plerumque oblonga est, et semen habet arboris, ex qua nascitur. Volunt esse per syncop. ex βάλανος. *Plin.* 16, 6, 9. Quae glandem ferunt, omnes et gallam, alternisque annis glandem. ℙ Nonnulli ap. *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 267. gallam pilas cupressi accipiunt: sed *Col.* 6, 7. hanc ab illis distinguit. Cupressini, inquit, quindecim coni, totidemque gallae. ℙ Usus ejus est coriis perficiendis, et tingendis nigro colore tum iis, tum lanis, tum capillis. *Plin.* 16, 6, 9. et 24, 4, 5. Quare inter sutoria instrumenta enumeratur: ex quo jocus sutoris cujusdam, qui interrogatus a Planco, quo se artificio tueretur, respondit, *gallam subigo*, ambiguitate vocis adulterium ei objiciens. Nam Plancus in Maevia Galla male audiebat. *Macr. Sat.* 2, 2. ℙ Varios ejus usus in medicina recenset *Plin.* 24, 4, 5. ℙ Etiam veteres gallis usi sunt ad atramentum scriptorium conficiendum. *Capell.* 3, 49. In quo et cera fago illita, et gallarum, gummeosque commixtio, et Niloticae fruticis collemata notabantur, *h. e.* tabellae ceratae, atramentum scriptorium, et Nilotici papyri. ℙ In illo *Lucilii* ap. *Non.* 5, 97. Quae gallam bibere, et rugas conducere ventri Farre aceroso, oleo decumano, pane coegit Cumano; *gallam* nonnulli intelligunt vinum deterius, acerbius, austeriusque: galla enim asperi gustus est. Praemonet autem, inquit *Fest.*, parsimonia esse utendum, neque gulae indulgendum, ventremque coartandum. ℙ Carere plurali numero, monent *Charis.* 1, 19. et *Diomed.* 1, 314. V. tamen supra. ℙ *Galla* denique est vir sacerdos Cybeles, ideo feminino vocabulo appellatus, quia se eviravit, effeminavitque. *Catull.* 63, 12. de Aty: Agite, ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul. Et 34. Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero. V. GALLI. ℙ *Gallae, arum, plur. f. opp. Africae ult., in Aethiopia vel in Aethiopiae Aegyptique confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

GALLAECI, orum, m. plur. Καλλαϊκοὶ, populi Gallaeciae, in Hispania Tarraconensi extrema. *Plin.* 3, 3, 4. et 4, 20, 34.

GALLAECĬA, ae, f. pars Hispaniae Tarraconensis, maxime in occidentem extensa, oceano Atlantico, Lusitania, et Asturibus interposita. *Plin.* 4, 20, 34. et *Flor.* 2, 17. ℙ Divitem Gallaeciam, *Sil.* 3, 345. appellat propter aurifodinas, ut in GALLAICUS dictum est. ℙ Scribitur et *Gallaecia.*

GALLAECUS, a, um, adj. Gallaecus. A. Brutus Gallaecis perdomitis, Gallaeci cognomen meruit, inquit *Vell.* 2, 5.

GALLĂĬCUS, a, um, adj. Καλλαϊκὸς, ad Gallaeciam pertinens. *Mart.* 4, 39. Gallaicum aurum (V. CALLAICUS.) *Plin.* 8, 42, 67. Gallaica gens. ℙ *Gallaica* gemma argyrodamanti similis est, paulo sordidior. *Plin.* 37, 10, 59. Itali vocant *occhio di pesce.*

GALLI, orum, m. plur. sacerdotes Berecynthiae, seu Cybeles, sive Matris Deorum, tum in Phrygia, tum in urbe Roma, quos more Deae vetusto spadones esse oportebat, in memoriam Atys pueri: a Gallo primo sacerdote, vel a Gallo Phrygiae fluvio, qui templo hujus Deae vicinus erat, unde aquam ad sacrificia hauriebant. *Ov. Fast.* 4, 363., *Plin.* 5, 22. et *Festi* sententia dicti sunt a fluvio, non quod inde aquam acciperent sacrificii causa, sed quod castrati essent, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiebant, ut se privarent virilitatis parte. *Plin.* quoque 31, 2. scribit Galli fluminis eam vim esse, ut si immodice bibatur, lymphatos agat. *Hieron.* in *cap. Oseae* 4. dicit, hos sacerdotes appellatos Gallos fuisse, quod Romani solerent homines gentis Gallicae Deae Cybele mancipare, et effeminare, seu castrare in honorem Atys, quoniam vellent eam gentem ignominia afficere, quae olim urbem Romam cepisset. Sed Romani hoc ipsum, quod sacerdotes Cybeles vocabant Gallos, a Graecis acceperant, qui sic appellabant. Ex quo maxime fit simile veri, quod alii tradunt, Gallos dictos fuisse a Gallograecis, qui ex Gallia tum in Graeciam, tum in Phrygiam, et loca contermina trasmigrarunt. Praeter evirationem solebant etiam in ipsis sacris brachia sibi cultris incidere, furorem simulantes, cujus rei testis *Prop.* 2, 18, 15. et alii. Aliam causam, cur evirati essent sacerdotes Cybeles, tradit *Lucr.* 2, 614. ℙ [Hi non modo testes, sed penem ipsum sibi amputabant testa, rupta, ut ait *Juven.* 6, 514., saxo acuto, ut *Ov. Fast.* 4, 237., silice acuto, ut *Catull.* 63, 5. Hinc *Mart.* 3, 81. *ad Gallum.* Abscissa est quare Samia tibi mentula testa? *Id.* 11, 74. Curandum penem commisit Baccara Graecus Rivali medico: Baccara Gallus erit. Adde *Plin.* 11, 49, 109. et 35, 12, 46. *f.* V. EUNUCHUS. *F.*] ℙ Sunt etiam Galli, Galliae populi. *Cic. Har. resp.* 9. Nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos superavimus. ℙ *Gallum* pro *Gallorum* dixit *Varro* ap. *Non.* 8, 32.

GALLĬA, ae, f. Γαλλία, regio Europae habens ab occidente Oceanum Aquitanicum, ab oriente Rhenum fluv., quo separatur a Germania, et Alpes, quibus ab Italia, a septent. mare Britannicum, et partem Belgii, a mer. mare mediterraneum, et montes Pyrenaeos, quibus ab Hispania sejungitur. Dividitur in Belgicam, Aquitanicam, et Celticam. ℙ Etiam de parte Italiae usurpatur, quod olim variis temporibus varii Galliae populi in Italiam venerint, in eaque consederint. Igitur Gallia duplex est, Transalpina, et Cisalpina. Transalpina, quae hactenus descripta est, quae et proprie et vere Gallia est: Cisalpina est pars Italiae, inter Alpes, quibus a Transalpina discluditur, et mare Adriaticum, quod inter Anconam, et Timavum fluv. fluit, ac inter Apenninum M. et Alpes Rhaeticas, et Julias, seu Noricas. Dividitur in Cispadanam, et Transpadanam. ℙ Alia etiam Galliae universae divisio circumfertur, et est in Togatam, Braca-

tam, Comatam, de quibus V. suis loc. *Hor. Od.* 4, 14. *extr.* Te non paventis funera Galliae, Duraeque tellus audit Hiberiae.

GALLIAMBUS. V. GALLIAMBUS.

[GALLIANUS, i, m. idem ac Gallicus. Est cogn. militis Laudensis. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 325. M. Cassius Gallianus Laude. *F.*] P [**Galliani saltes*, pop. Italiae superioris circa Mutinam. *Plin.* 3, 15. V. *Saltes.*]

GALLICAE, arum, f. plur. genus calceamenti, quo utebantur Galli, et quod paulatim Romani quoque adhibuerunt. *Cic. Phil.* 2, 30. Nam quod quaerebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis et toga, nullis nec gallicis, nec lacerna. Et *mox.* Per municipia coloniasque Galliae cum gallicis, et lacerna cucurristi. Al. leg. *caligis:* sed hunc ipsum locum *Gell.* 13, 21. referens, *gallicis* habet: docetque simul, verbum esse novum, non diu ante Ciceronis aetatem usurpari coeptum: esse autem ex eorum calceamentorum genere, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, cetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt, quae Latino vocabulo *soleae*, Graeco *crepidae* et *crepidulae* dicuntur. Porro ex *Cic.* discimus, probro fuisse, si Romanus civis, praesertim aliqua dignitate, aut honoribus externo hujusmodi cultu uteretur. [*Edict. Diocl.* p. 24. Gallicae viriles rusticanae bisoles par ✠ octoginta, gallicae viriles monosoles par ✠ quinquaginta, gallicae cursoriae par ✠ sexaginta. *F.*]

GALLICANUS, a, um, adj. qui est in Gallia, quemadmodum *Hispaniensis*, qui in Hispania est. *Cic. Cat.* 2, 3. Itaque ego illum exercitum et Gallicanis legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno, et Gallico Q. Metellus habuit, et his copiis, quae a nobis comparantur, magnopere contemno. *Id. Quint.* 4. Cum de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione atque re Gallicana. *Id. fr. Pisonianae* ap. *Ascon.* Hic cum ad Padum Placentiae forte consedisset, paucis post annis in eam civitatem ascendit. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus est, *h. e.* in Gallia cisalpina habitans. V. *Ascon.* P Sumitur et pro Gallico. *Catull.* 42, 9. Puella ridens catuli ore Gallicani. (Gallicos canes in venatu valde utiles, ut qui patulo rictu essent, et morsu capiendis feris apprime idonei, laudant *Ov. Met.* 1, 533. et *Mart.* 3, 47.) *Appul. Met.* 10. Gallicana jumenta. P *Gallicani (homines), i. e. Galliae populi. *Varr. R. R.* 1, 32. Alii, ut Gallicani quidam, legaria adpellant. *B. A.*

GALLICE, adverb. Gallorum more. *Varr.* ap. *Gell.* 2, 25. A Gallo et Mauro Gallice et Maurice dicimus. *Gell.* 11, 7. Nescio quid Tusce, aut Gallice dicere.

GALLICENAE. V. BARRIGENAE.

GALLICINIUM, ii, n. *ἀλεκτοροφωνία*, pars noctis, qua galli cantant, quae est quarta castrensis vigilia, ut *Plin.* 10, 21, 24. docet. *Appul. Met.* 8. *in.* Noctis gallicinio venit quidam juvenis ex proxima civitate. *Ammian.* 22, 14. Secundis gallicinniis videtur primo solis exortus. P In divisione diei civilis, qui a media nocte incipit, primum diei tempus dicitur mediae noctis inclinatio, deinde gallicinium, inde conticuum, cum et galli concrescunt, etc. *Macr. Sat.* 1, 3. *med.* Et *Censorin. de die nat.* 24.

GALLICRUS, ūris, n. herba cujus cacumen pedi galli simile est. *Appul. Herb.* 44. [**Hahnenfuss.*]

GALLICUS, a, um, adj. ad Galliam pertinens. *Ov. Fast.* 4, 362. Cum tanto Phrygia Gallica distet humus. *Mart.* 1, 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit. *Cic. Sull.* 19. In agro Camerti, Piceno, Gallico. *Id. Div.* 1, 37. Brennus, ejusque Gallicae copiae. *Quint.* 1, 5. Gallica verba. *Plin.* 4, 19, 33. Gallicus oceanus, *h. e.* qui est inter Sequanam, et Pyrenaeum. *Id.* 32, 2, 11. sinus. *Hor. Od.* 1, 8, 6. Gallica nec lupatis Temperet ora frenis, *h. e.* equos Gallicos, quos ab generositate *Appul. Met.* 10. laudat. *Id. ib.* 3, 16, 35. nec pinguia Gallicis Crescunt vellera pascuis, *h. e.* Galliae cisalpinae, et praecipue Altini, et circa Parmam, et Mutinam, quibus agris lanae celebres, teste *Colum.* 7, 2. et *Mart.* 5, 13. et 14, 155. P *Gallicus ventus* ap. *Vitr.* 1, 6. est qui spirat ab oriente Aparctiae seu Septentrionis, et a Italis dicitur *Tramontana verso Greco:* medius inter Aquilonem et Aparctiam. [**Der Nord-Drittel-Nordostwind.*] P *Gallicus miles.* V. GALLUS. P [*Varr. R. R.* 1, 2. *n.* 7. Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritum cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium: nempe anno U. C. 526., cum an. U. C. 516. expulsi inde essent Galli Senones. *F.*] P *Gallicus* pertinet etiam ad Gallos sacerdotes Isidis, quae aliquando eadem est ac Ceres, vel Cybele. *Ov. Amor.* 2, 13, 18. Qua (*die*) cingit lauros Gallica turma tuas.

GALLIENIANUS, a, um, adj. ad Gallienum Imp. R. pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 166, 2. et *Maff. Mus. Ver.* 197. Colonia Augusta Verona nova Gallieniana.

GALLIAMBUS, et poetice Gallĭambus, i, m. genus carminis, quod a Gallis Cybeles sacerdotibus canebatur: constat autem iambico metro peculiari, ut *Super alta vectus Atys celeri rate maria. Mart.* 2, 86. Nec dictat mihi luculentus Atys Mollem debilitate Galliambon. *Diom.* 3, 513. Galliambum metrum apud Maecenatem tale est, *Ades, inquit, o Cybele, fera montium Dea.* Superius comma, quod est, *Ades, inquit, o Cybele*, simile est illi, *vice veris et Favoni.* Inferius comma superiori simile esset, nisi amisisset ultimam syllabam. Galliiambum aliud ex ipso factum, ei simillimum esset, nisi quod, et enervatius fieret, et mollius, secunda aut tertia ab ultima syllaba in duas breves geminata est, et factum tale: *Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.* Si esset sic: *comitum chorus volet*, esset illi simile, *fera montium Dea.* Haec *Diom.*

GALLINA, ae, f. *ἀλεκτορίς*, avis domestica. *Pl. Ps.* 1, 1, 28. An, obsecro hercle, habent quoque gallinae manus: nam has quidem (*tabellas*) gallina scripsit. *Cic. Sen.* 16. Villa abundat porco, haedo, agno, gallina, etc. *Varr. R. R.* 3. 9. Sunt gallinae generum trium, villaticae, et rusticae, et Africanae, etc. V. *Colum.* 8, 2. P *Gallinae* vox est etiam inter blanditias amantium ap. *Pl. Asin.* 3, 3, 76. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, etc. P *Gallinae albae filius*, h. e. felix, fortunatus, nobilis, quia albae gallinae rariores sunt, et boni ominis. *Juven.* 13, 141. Quia tu gallinae filius albae, Nos viles pulli nati infelicibus ovis. P Gallina canens ex priscorum superstitione notabat, in illa domo uxorem marito superiorem (al. *superstitem*) fore. Ita *Donat.* ad illud *Ter. Phorm.* 4, 4, 26. Anguis per impluvium decidit de tegulis: gallina cecinit. P Cur Aesculapio immolaretur gallina, V. AESCULAPIUS. P *Ad gallinas* villa fuit Romae suburbana ad nonum lapidem, Tiberi imposita, ita dicta, quod ibi Liviae Caesari Augusto pactae, gallinam eximii candoris sedenti in gremium aquila abjecit, laureum ramum rostro tenentem, in omen futurae magnitudinis, qua nutrita tanta pullorum soboles provenit, ut villae nomen fecerit. *Plin.* 15, 30, 40. et *Suet. Galb.* 1. P Est etiam nomen gladiatoris ap. *Hor. Sat.* 2, 6, 44. Threx est Gallina Syro par.

GALLINACEUS, a, um, adj. *ἀλεκτόριος*, qui ex gallinis est. *Varr. R. R.* 3, 9. Gallinaceis enim pullis bis deni dies opus sunt. *Cic. Mur.* 29. Gallus gallinaceus. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 24. Gallinaceu' cum victor se gallus honeste Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues. Pro quo dicitur et *gallinaceus* absolute. *Plin.* 37, 10, 54. Alectorias (*gemmas*) vocant in ventriculis gallinaceorum inventas. *Cato R. R.* 171. Gallinaceum ovum. *Colum.* 8, 2. Gallinacei mares salacissimi. Et 11. Gallinacea salacitas. P *Gallinaceum lac*, proverbium est, quo rerum omnium copia significatur. *Plin. prooem. H. N.* Ut vel lactis gallinacei sperare possis haustum: *γάλα ὀρνιθῶν.*

GALLINARIUS, a, um, adj. ad gallinas pertinens. *Cels.* 8, 15. Gallinaria scala, scalae breviores, et leviores, cujusmodi sunt, quibus gallinae in tabulata et cubilia gallinarii scandunt. *Colum.* 8, 8. et 10. Gallinaria vasa, *h. e.* quibus potus praebetur gallinis. P *Gallinarius, ii*, m. absolute, [**qui gallinarum curam gerit.*] *Varr. R. R.* 3, 9. Qua gallinarius, curator earum, ire possit. *Cic. Acad.* 4, 26. *extr.* Quoniam gallinarium invenisti Deliacum illum, qui ova cognosceret. P *Gallinarium, ii*, n. *ὀρνιθών*, locus, in quo aluntur gallinae. *Colum.* 8, 3. Gallinaria constitui debent parte villae, quae, etc. Adde *Plin.* 17, 9, 6. P *Gallinaria insula* est in mari Tusco, contra montes Ligusticos prope Albingaunum: a gallinarum copia dicta: nunc *Gallinara*, et *Isola d'Albenga. Varr. l. c.* et *Colum.* 8, 2. P *Gallinaria silva*, cujus meminere *Cic. Fam.* 9, 23., et *Juven.* 3, 307., fuit prope Cumas.

GALLINULA, ae, f. *ἀλεκτορὶς*, dimin. parva gallina. *Arnob.* 7, 215. Gallinulam, vitulum concremare. *Avien. prognost. Arat.* 387. (al. 1711.) Pectora cum curvo purgat gallinula rostro. *Appul. Met.* 2. Mittit mihi xeniola, porcum opimum, et quinque gallinulas.

[GALLIO, onis, m. dimin. galli. Est cogn. R. *Junii* enim *Gallionis* Senecae fratris mentio est ap. *Tac. A.* 15, 73. et 6, 3. *F.*] *Annaeus Gallio audit *Plin.* 31, 6. et Junius Annaeus Seneca *Eusebio* (ap. *Lips.* ad *Taciti* locum posteriorem). Erat autem a Junio Gallione adoptatus. Cf. *Quint.* 3, 1. et 9, 2. *B. A.*

*GALLITAE, arum, m. pop. Alpini, quorum meminit *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*GALLITALUTAE, arum, Indiae pop., Indum flumen accolentes. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*GALLIUS, a, um, adj. i. q. Gallicus. *Sallust. fragm.* p. 990. ed. *Cort.* vel ap. *Non.* 8, 76. Duae Galliae mulieres. ni *Gallicae* corrigendum. Cf. *Hispania in f. B. A.*

GALLO, as, n. 1. *βαχεύω*, bacchor, insanio: a Gallis Cybeles sacerdotibus. De participio solummodo exemplum est *Varron.* ap. *Non.* 2, 386. Et Deam gallantes vario retinebant studio: et in *Anth. Lat. T.* 1. p. 34. *Burm.* Nam quae venustas hic adest gallantibus. V. BALLATOR.

GALLOGRAECIA, ae, f. provincia Asiae minoris, quae et Galatia. V. GALATA. *Liv.* 37, 8., *Flor.* 2, 11. et *Vell.* 2, 39.

GALLOGRAECUS, a, um, adj. ad Gallograeciam pertinens. *Cic. Har. resp.* 13. Brogitarus Gallograecus. P *Gallograeci* populi sunt Galliae, qui inde migrantes, in Asiam minorem transierunt, eique regioni dedere nomen, quae et *Gallograecia* et *Galatia* dicta est. Rem narrat pluribus *Liv.* 38, 16.

[GALLOHISPANUS, a, um, adj. qui Gallus origine, Hispanus patria est. *Hieron.* in *Isaj.* 18, 66, 19. Celtiberi, quos nos possumus Gallohispanos dicere. *F.*]

*GALLONIUS, i, m. *Γαλλόνιος*, cognomine Praeco, homo luxuriosissimus, cujus mensa omni genere deliciarum, inprimis acipensere, infamis, propterea notatus Lucilio poetae. De eo V. *Cic. Fin.* 2, 28. et *Quint.* 30. *Hor. sat.* 2, 2, 47. *B. A.*

GALLULASCO, is, n. 3. dicitur de voce puerorum, quae circa pubertatem crassior fit, similisque voci galli gallinacei. *Naev.* ap. *Non.* 2, 368. Puer, cujus vox gallulascit.

GALLULUS, a, um, dimin. Galli, *h. e.* Gallicus. *Auson. de Urbib. ep.* 8. Gallula Roma, Arelas, *h. e.* parva Roma.

GALLUS. C. Cornelius Gallus Forojuliensis, orator, et poeta elegantissimus, Virgilii aequalis, cujus de eo est Ecloga decima; ab Augusto primus praefectus Aegypti creatus, in ea provincia adeo eum offendit, ut suis ipse manibus se coactus sit interficere [an. U. C. DCCXXVIII. aetatis suae XLIII. *F.*] Scripsit amorum libros quatuor, et alia, de quibus V. *Fabric. Biblioth. Lat.* 1, 14. Circumferuntur sub ejus nomine elegiae aliquot, quas jamdiu illi abjudicarunt viri docti, et cujusdam Maximiani esse dicunt, scriptoris barbari (inquit *Brouckus.* ad *Prop.* 2, 25, 92.) lutulenti, ac tantum non stercorei. Unicum Galli fragmentum exstat ap. *Vib. Sequestr. de fluminib.* ubi ait: Hypanis Scythiae, qui, ut ait Gallus, *Uno tellures dividit amne duas.* Asiam enim ab Europa separat. P *Gallus fuit cogn. Rom. in gentibus Cornelia, Aquilia, Sulpicia, etc. v. g. Sulpicius Gallus, de quo *Cic. Fam.* 4, 6. Aquilius Gallus ap. *eund. Brut.* 23. et *Mur.* 37. Cornelius Gallus Forojuliensis, de quo V. supra. P Fuere et alii hoc cognomine, ut Cestius Gallus, Syriae legatus, sub Nerone; item Sestius Gallus, senex luxuriosus, qui temporibus Tiberii floruit. De priore *Tac. H.* 5, 10. De posteriore *Suet. Tib.* 42. *B. A.*

GALLUS, a, um, adj. Gallicus. *Mart.* 5, 1. Et tumidus Galla credulitate fruar. *Sall. fr.* ap. *Non.* 8, 76. Duae Gallae mulieres conventum vitantes. *Nonius* leg. *Galliae*, quod item sit adjectivum, ea ratione, qua *Libya citrus* pro *Libyca* dictum est a *Varr.* et *Italia terra* a *Cat.* etc., qua de re V. in ARABIA.

GALLUS, i, m. *ἀλέκτωρ*, avis domestica, quam vulgo *gallum gallinaceum* vocant, ut illam distinguant a Gallis populis, seu Francis, item a Gallis sacerdotibus. *Cic. Div.* 2, 26. causam explicat, cur ante lucem galli canant. *Mart.* 9, 69. Nondum cristati rupere silentia galli. *Hor. Sat.* 1, 1, 10. sub galli cantum. *Plin.* 10, 21, 25. Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum. P Gallus Marti sacer fuit, quia valde pugnax est, et vigilans, et quia cantu victoriam portendere solet: item Aesculapio, et Nocti deae, et Laribus, ob vigilem domus custodiam. *Auson. Idyll.* 11, 27., ubi fabulam de puero in gallum a Marte converso a *Luciano* narratam designat. *Lact.* 3, 20. *f.*, *Ov. Fast.* 1, 455. et *Juven.* 13, 233. P *Gallus in sterquilinio suo plurimum potest:* proverb. de eo, qui domi praevalet. *Senec. Apocolocynt.* P Gallus, Cybeles sacerdos: item Gallus, *h. e.* Galliae incola. V. GALLI. P Multa de gallis gallinaceis ac mira *Plin.* 10, 21, 24. P Est etiam hoc nomine fluvius Phrygiae, qui in Sagarium influit. Ex eo qui biberint, in furorem ire dicuntur: unde datum nomen Gallis sacerdotibus Cybeles. *Ov. Fast.* 4, 364., *Plin.* 5, 32, 42., 6, 1, 1. et 31, 2, 5. et *Claud. in Rufin.* 2, 263. P Ab hoc flumine dictus est *Gallicus miles* Nestor, qui ad ejus ripas castra habebat Trojam obsidentia. *Prop.* 2, 10, 48. Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

*GALMODROESI, orum, populi Indiae, de quibus *Plin.* 6, 19. *B. A.*

GALUMMA, ātis, n. *Capell.* 1, 18. Ipsa vero (*Juno*), tecto capite lacteo quodam galummate, praenitebat. *Grotius* monet legendum *calummate* vel *calymmate*, a Graeco *κάλυμμα.*

[GAMALA, ae, m. videtur esse ab Hebr. גָּמָל *gamàl*, vel potius a Chald. גַּמְלָא *gamlà* camelus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 135, 1. P. Lucilio P. F. Gamulae (*corrige*: Gamalae ita enim legitur in *ead.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 4.). Alia ap. *eund. Mur.* 1264, 7. et *Gor. Inscr. Etrur. T.* 1. p. 14. *n.* 14. Memoriae P. Lucilii Gamalae Cn. Sentius Lucilius Ga-

mala Clodianus patri. Alia ap. *eund. Gor. ib.* p. 308. *n.* 50. Cn. Sentio Cn. F. Ter. Felici Cn. Sentius Lucilius Gamala Clodianus *filius* patri indulgentissimo. Ex his apparet, P. Lucilium Gamalam fuisse patrem naturalem; Cn. vero Sentium Felicem patrem adoptivum Cn. Sentii Lucilii Gamalae Clodiani. Omnes hi lapides, ut et alius ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 806., in quo Lucilii Gamalae mentio est, pertinent ad Ostiam coloniam maritimam prope Romam. P Fuit etiam hujus nominis montana urbs in Palaestina, quam a forma cameli, quam repraesentabat, ita appellatam ait *Joseph. de B. Jud.* 4, 1., quamque memorat *Suet. Tit.* 4.; unde fortasse P. Lucilius, de quo ab initio cognominatus est *Gamala. F.*]

*GAMALE, es, opp. Phoeniciae. *Plin.* 2, 91. *B. A.*

GAMBA, ae, f. in jumentis est commissura pedis cum crure: videtur autem ita appellata a figura Graecae litterae *Γ*, quemadmodum etiam a *κάμμαρος* derivatur gambarus. *Veg. Vet.* 3, 19. Si laccae in gambis enatae fuerint. *Id. ib.* 1, 56. *f.* Post quod, admonitus injuria tollit altius crura, et inflexione geniculorum atque gambarum molliter vehit. *Salmas.* ad *Trebell. Poll. in Gallien.* 16. docet esse a Graeco *καμπή*, commissura, inflexio. Est autem vox cadentis Latinitatis.

[GAMBARUS, i, m. *κάμμαρος*, idem ac cammarus. *Not. Tir.* p. 182. Congrus, gambarus. *F.*]

GAMBOSUS, a, um, adj. qui gambam tumidam habet: vox semibarbara. *Veg. Vet.* 3, 20. Si gambosum factum fuerit animal.

*GAMBREVES, opp. Aethiopiae, vel in Aethiopiae Aegyptique confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

GAMELION, onis, m. *γαμηλιών*, nomen est mensis septimi apud Atticos, qui Januario et Februario respondet, et sacer est Junoni, quae nuptiis praecst: a *γαμήλιος*, nuptialis. V. *Pontedera Antiqq. Gr.* et *Lat. Epist.* 22. Latine scriptum legitur ap. *Cic. Fin.* 2, 31., ubi ille Epicuri testamentum e Graeco interpretatur.

[GAMELIUS, a, um, adj. *γαμήλιος*, ad nuptias pertinens, qui nuptiis praecst. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 48. Ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti praecipit, ne Jovem Gamelium et Genethlium violet. Isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Jovem non habent nuptialem. *F.*]

[GAMICUS, i, m. et Gamicē, es, f. *γαμικὸς* et *γαμική*, nuptialis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 348, 2. L. Aemilius Gamicus. Alia ap. *Don.* 424, 26. Decimia Gamice. *F.*]

GAMMA, ae, f. *γάμμα*, nomen Graecum hujus litterae, quae majori nota hanc figuram *Γ* habet. *Auson. Technopaegn.* seu *Idyll. de litter.* 12, 21. Praevaluit postquam gammae vice functa prius C. P Ap. agrimensores pro hujusmodi agri forma adhibetur. *Var. Auct. de limit.* ap. *Goes.* p. 278. Ager in gamma jacet. Et p. 309. Termini si transversi positi fuerint, gammam faciunt. Non usurpaverim.

GAMMATUS, a, um, adj. gammae figuram habens, ut Gammatus limes, *Auct. de limit.* ap. *Goes.* p. 228. 255. et 271. Non usurpaverim.

[GAMPHASANTES, ium, m. plur. *Γαμφάσαντες*, Aethiopiae populi. *Plin.* 5, 8, 8. Gamphasantes nudi proeliorumque expertes, nulli externo congregantur. Adde *Melam.* 1, 8. *Id. ib.* 4. Aegipanes, et Blemyae, et Gamphasantes. *F.*]

[GAMUS, i, m. nuptus, a *γαμέω*, uxorem duco, unde *ἄγαμος*, non nuptus, et *νεόγαμος*, novus nuptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 17. *n.* 75. L. Julius Gamus. *F.*]

*GANDAMUS, i, urbs ad mare rubrum. *Mela* 3, 8. *med. B. A.*

*GANDARI, orum, populi Asiatici. *Mela* 1, 2. *med. B. A.*

*GANDAVI, orum, pop. Asiae trans Margianam in Or. ap. Chorasmios. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

[GANDEJA, ae, f. *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 5, 89. Canna Micipsarum: haec habet: Genus navis, quae Gandeja dicitur. Gandejam enim soli Afri, id est, Zamaci, vel, ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcae invenerunt. V. CANNA.

GANEA, ae, f. et Ganeum, i, n. antiquis erat locus abditus, ut *Festus* docet, ac velut sub terra: quasi *ἀπὸ τῆς γᾶς* pro *γῆς*, vel a *γήϊνος*, et Dorice *γάϊνος*, terrestris, unde ap. *Hesych. Γάνα, γῆ. Fest.* huc trahit illud *Ter. Ad.* 3, 3, 5. Ubi ego illum quaeram? credo, abductum in ganeum aliquo. Sed locus hic *Terent.* aptius intelligitur de taberna meretricum, quarum cubicula erant in terra plerumque, sicut coenacula in superiori aedium parte, ut *ib. Don.* docet. Sic *Varr.* ap. *Non.* 3, 107. Qui se in ganeum accensum conjecit amicae. Est igitur *ganea* idem quod lupanar, et popina, ubi ventri et Veneri operam dabant, et genio indulgebant, *ἀσωτεῖον, πορνεῖον.* Quare derivant alii a *γάνος*, laetitia, voluptas. *Pl. Men.* 5, 1, 3. Immersit aliquo sese, credo, in ganeum. *Suet. Cal.* 11. Ganeas, atque adulteria, capillamento celatus, obiret. *Gell.* 9, 2. Incola sordentium ganearum. P Saepe *ganea* significat ipsam voluptuosam vitam, quae in ganeo agitur, luxum coenarum, helluationem, gulae studium. *Cic. Pis.* 13. Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Sall. Cat.* 13. Lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat. [*Liv.* 26, 2. In ganea lustrisque senectutem acturum. V. *Drak.* ad *Liv. Epit.* 59.] *Plin. Pan.* 49. Rursus te ad clandestinam ganeam occultumque luxum refers. *Tac. H.* 2, 95. Prodigis epulis, et sumptu, ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. *Id. A.* 3, 52. Ventris et ganeae paratus sermonibus vulgati. *Plin.* 8, 51, 87. Neque alio ex animali (*porco*) numerosior materia ganeae. *Sidon. carm.* 5, 339. quem crapula vexat Et pallens pinguedo tenet, ganeaque perenni, etc., ubi prima syllaba licenter corripitur, cum alias sit longa.

GANEARIUS, a, um, adj. ad ganeam pertinens, *Varr. R. R.* 3, 9. Gallinae Africanae novissimae in triclinium ganearium transierunt e culina propter fastidium hominum. [*Pontedera Antiqq. Gr.* et *Lat.* p. 453. ex *Codd.* qui habent *genarium*, putat legendum, approbante *Schneidero* ad *l. c. alienigenarum avium.* Hanc conjecturam confirmat locus *Plin.* 10, 26, 38. Africae hoc est gallinarum genus (*meleagridum*): quae novissimae sunt peregrinarum avium in mensas receptae propter ingratum virus. P *Ganearius ii*, m. absolute, idem ac ganeo. *Gloss. Phil.* Ganearius, *ἄσωτος. F.*]

GANEO, onis, m. *ἄσωτος, Hesych. γανίης*, qui ganeas frequentat. *Varr.* ap. *Non.* 2, 387. Ganeones nostri, quibus modulus est vitae culina. *Cic. Cat.* 2, 4. Quis ganeo? quis adulter? quae mulier infamis? quis corruptor juventutis? *Id. Sext.* 52. Plura dixi, quam dicendum fuit, in furiosissimum atque egentissimum ganeonem. *Id.* in *Sen.* 5. Quo vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrimas, verum etiam patriae preces repudiavit. [*Tac. A.* 16, 18. Ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium.] *Juven.* 11, 58. Sed laudem siliquas occultus ganeo: pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Ter. Heaut.* 5, 4, 10. gerro, iners, fraus, helluo, Ganeo, damnosus.

GANEUM. V. GANEA.

GANGABA, ae, m. bajulus, Persarum lingua. *Curt.* 3, 13. Gangabas Persae vocant, humeris onera portantes. P [Vox ista originis Persicae, ac unius *Curtii* testimonio Latinitate donata, fortasse librariorum incuria corrupta est, et corrigenda *Gangala* ex *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 7. Genio numinis fontis Sermon. Chryseros Caesaris nostri lib. Gangala. *F.*]

GANGARIDES, um, et Gangaridae, arum, m. plur. *Γαγγαρίδες* et *Γαγγαρίδαι*, populi Indiae utramque ripam Gangis prope ejus ostia incolentes: quorum qui ad dexteram ripam sunt, cognominantur Calingae. *Plin.* 6, 17, 22. et *Virg. G.* 3, 27. P [*Scribitur et *Gargarides*, improbante tamen *Cellario. B. A.*]

GANGES, is, m. *Γάγγης*, fluv. maximus Indiae ulterioris, qui illam a citeriore disterminat, ex quo India citerior intra Gangem, ulterior extra Gangem appellatur. *Virg. G.* 2, 137. Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus. *Ov. Trist.* 3, 23. lato spatiantem flumine Gangen. *Grat. Cyneg.* 314. nardiferumque metunt Gangen. V. *Plin.* 6, 18, 22. P Secunda syllaba brevis est ap. *Prudent.* in *Symmach.* 2, 605. et quos Ganges alit.

GANGETICUS, a, um, adj. ad Gangem pertinens. *Colum.* 8, 8. *f.* Gangeticae aves. *Sen. Med.* 865. nemus. *Ov. Met.* 6, 636. Gangetica tigris. *Sil.* 3, 612. pubes. *Mart.* 8, 26. Gangeticus raptor, *h. e.* venator tigrium circa Gangem. *Auson. Idyll.* 11, 16. et *ep.* 20, 9. ales, *h. e.* Phoenix.

GANGETIS, idos, f. patronym. *Ov. Am.* 1, 2, 47. Talis erat domita Bacchus Gangetide terra.

GANGLION, ii, n. *γάγγλιον*, tumor in capite, vel in collo. *Cels.* 7, 6. sed Graece. Item nervi alicujus vel ex ictu, vel ex lassitudine contortio, multis quidem omnino partibus corporis, sed praecipue mollibus, ut in extremitate manuum, atque pedum. *Veg. Vetr.* 2, 30.

*GANGRA, orum, n. *τὰ Γάγγρα*, urbs regia Paphlagoniae, Gangre dicta *Plin.* 6, 2. *B. A.*

GANGRAENA, ae, f. *γάγγραινα*, cancer, partis alicujus in corpore inflammatio vehemens, atque inde corruptio serpens, et paulatim, nisi succuratur, mortem inferens: a *γράω*, edo. *Lucil.* apud *Non.* 2, 375. Serpere uti gangraena mala, atque herpes ita posset. *Varr. ib.* Praecidi oportere, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura. Adde *Cels.* 5, 26. *n.* 34. P Translate. *Varro ib.* Per omnes articulos populi hanc mali gangraenam sanguinolentam permeasse. V. GERRES.

*GANIAEA, ae, f. gemma, de qua *Plin.* 37, 10. ubi al. leg. *ganianes. B. A.*

*GANIANES. V. v. praec. *B. A.*

*GANNATOR, oris, m. *χλευαστὴς*, *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*GANNATURA, ae, f. *Adhelm. de Virg.* c. 28. V. *Voss. L. L.* 3, 13. *B. A.*

GANNIO, is, n. 4. *κνύζομαι. Varr. L. L.* 6, 5. *f.* refert inter ea verba, quae ab animalium vocibus ficta sunt. *Festus* vero, et *Non.* 6, 10. docent, proprium esse canum querentium, aut gestientium. Graecum *γάννυσθαι*, similem habet sententiam. *Non. ib.* Varro asinos rudere, canes gannire, pulos pipare, dixit. *Hieron.* vulpi tribuit, *in Vita Hilarion. med.* Interdum orantem lupus ululans, vulpecula ganniens transilivit. Sic *Auct. carm. Philom.* 59. fallax vulpecula gannit. V. GANNITUS. P Transfertur etiam ad homines. *Plaut. fragm.* ap. *Varr. ib.* Gannit odiosus omni totae familiae. *Ter. Adelph.* 4, 2, 17. Quid ille gannit? quid vult? Ubi *Donatus:* Gannitus est proprie veluti ploratus vapulantium. *Catull.* 83, 4. de Lesbia: Gannit, et obloquitur, *h. e.* more canum ringitur, et oblatrat. *Afran.* ap. *Non. l. c.* Gannire ad aurem nunquam didici. *Juvenal.* 6, 64. Appula gannit, Sicut in amplexu.

GANNITIO, onis, f. canum querula murmuratio. *Festus* hic, et in *Nictare.*

GANNITUS, us, m. gannitio, canum vox aut querula, aut gestiens. *Lucr.* 5, 1069. de canib.: gannitu vocis adulant. *Mart.* 5, 60. in detractorem: Allatres licet usque nos, et usque, Et gannitibus improbis lacessas. P Item avium. *Appul. Met.* 6. Gannitu constrepenti lasciviunt passeres. P Translate hominum. *Plin.* 9, 5, 4. Nereidis morientis gannitum tristem accolae audivere longe. Adde *Appul. Met.* 2. et 10., ubi eo sensu usurpat, quo *gannio* adhibetur a *Juven.* 6, 64., nempe pro gemitu mulieris a viro compressae.

*GANOS (us), i, *Γάνος*, oppidum Thraciae, ad Propontidem. *Plin.* 4, 11. Cf. *Xenoph. de Exped. Cyri* 7, 5. *B. A.*

GANYMEDES, is, m. *Γανυμήδης*, ita appellatus *παρὰ τὸ γάνος, μήδεσθαι τῷ Διΐ, ἢ παρὰ τὸ γάνυσθαι τοῖς μήδεσι*, ut habet *Etymol. M.*, filius Trois regis Troadis, nepos Erichthonii, pronepos Dardani, frater Assaraci, et Ili, formosissimus puer, quem cum Juppiter deperiret, jussit in coelum ab aquila portari, et sibi a cyathis esse, repudiato ministerio Hebes, quae ante illius raptum miscendo nectari praecrat. Inter sidera translatus traditur conficere signum illud, quod Aquarium vocamus, quia stellae illae suo situ aquam fundentis imaginem videantur referre. *Hygin. fab.* 271. et *Astron.* 2, 16. et 29., *Ov. Met.* 10, 155. *Id. ib.* 11, 756. Ilus et Assaracus, raptusque Jovi Ganymedes. P *Ganymedes* fuit etiam eunuchus Arsinoes regis Ptolemaei filiae. *Hirt B. Alex.* 4. P Item cognom. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 589, 7. T. Flavius Aug. Lib. Ganymedes.

GANYMEDEUS, a, um, adj. *Γανυμήδειος*, ad Ganymeden pertinens *Mart.* 8, 39. Et Ganymedea pocula mixta manu. *Id.* 9, 17. Ganymedeae comae. *Id.* 7, 50. Et Ganymedeo luceat unda choro, *h. e.* niveis pulcrisque ministris.

GANTA, ae, m. [*nostr: *Gans.*] *Plin.* 10, 22, 27. Anseres e Germania laudatissimi: candidi ibi, verum minores, gantae vocantur. Alii leg. *ganzae. Venant. carm.* 7, 4, 6. Aut Mosa dulce sonans, quo grus, ganta, anser, olorque est. *Gloss. Philox.* Ganta, *χηναλώπηξ*, *h. e.* quasi *vulpanser. F.*]

GARAMA, ae, f. opp. Garamantum. V. s. sq.

GARAMANTES, um, m. plur. pop. Libyae interioris, qui circa fontes Cinyphi fluv. Incolunt, et Syrtim parvam attingunt, quorum metrop. *Garama* apud ortum fluv. praedicti, ab Ammonis oraculo itinere XV. dierum. Dicti sunt a Garamante Apollinis filio, qui Garamam urbem condidit. Apud eos dipsades serpentes maximi reperiuntur. *Virg. Ecl.* 8, 44. Aut extremi Garamantes. Et in sing. num. *Senec. Herc. Oet.* 1106. Quidquid sparsus Garamas tenet. Adde *Sil.* 6, 705. et *Plin.* 5, 5, 5.

GARAMANTICUS, a, um, adj. pertinens ad Garamantes, ut Garamantica signa, *Sil.* 1, 142. *h. e.* Africana arma. Garamanticus vates, *Id.* 14, 440.

GARAMANTIS, idis, f. patronym. *Virg. A.* 4, 198. Hic Ammone satus rapta Garamantide Nympha. *Sil.* 14, 498. Garamantide pinu, *h. e.* navi Africana. Et 15, 679. Ardebat gemma Garamantide caerula vestis, *h. e.* carbunculis, qui apud Garamantas frequentes ex *Plin.* 37, 7, 25.

[GARAMANTITES, ae, m. nomen lapidis, seu gemmae apud Indos. *Plin.* 37, 7, 28. Cognata est huic (*anthracitidi*) sandaresus quam alii garamantiten vocant: nascitur in India, loco ejusdem nominis. *F.*]

*GARESCI, orum, m. populi Macedoniae. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

GARGANUS, i, m. *Monte Gargano*, et *Monte di S. Angelo*, mons Apuliae Dauniae, inter Sipontum, et Hyrium. *Hor. Od.* 2, 9, 7. Aquilonibus Querceta Gargani laborant. *Claud. IV. Cons. Honor.* 106. Garganum Alpinis, Apenninumque nivalem Permixtis sociate jugis. [*Addas locis citatis *Virg. A.* 11, 247. *Lucan.* 5, 380. *Mel.* 2, 4. *Plin.* 3, 11. *B. A.*] P Adject. *Sil.* 9, 33. cum spargere primis Incipiet radiis Gargana cacumina Phoebus.

*GARGAPHIE, es, f. nomen fontis in Boeotia. *Plin.* 4, 7. P Fuit et nomen vallis, ubi Actaeon a canibus laceratus est. *Ov. Met.* 3, 155. Vallis erat piceis et accuta densa cupresso, Nomine Gargaphie. *B. A.*

GARGĂRĂ, orum, n. plur. τὰ Γάργαρα, cacumen montis Idae, in Troade, cum oppido cognomine, quod agrum circa habet feracissimum. *Virg. G.* 1, 103. ipsa suas mirantur Gargara messes. Adde *Plin.* 5, 30, 32. *Macr. Sat.* 5, 20. et *Stat. Theb.* 1, 549.

GARGĂRĬCUS, a, um, adj. ad Gargarum montem pertinens, ut Gargaricus lucus, *Auson. ep.* 25, 16.

GARGĂRĬDĬO, as, est gutture eliquare, vel proferre aliquid sono, qualis solet esse fauces colluentium: a *gargarizo*, vel a γαργαρεών, gurgulio. *Varr.* ap. *Non.* 2, 371. Quinctĭporis Clodiani forias, ac poemata ejus gargaridians, dicens, o fortuna, o fors fortuna. Alii leg. *garriditans*. Alii aliter: est enim locus admodum incertus, et corruptus.

GARGĂRISMĂ, ătis, n. γαργαρισμός, illud, quod in gargarizatione adhibetur. *Theod. Prisc* 1, 15. [**Oct. Hor.* 1, 10.]

GARGĂRISMĂTĬUM, ii, n. γαργαρισμάτιον, gargarizatio. *Marc. Empir.* 14. *med.* Aliqua re pro gargarismatio uti. [**Theod. Prisc.* 1, 12.]

GARGĂRIZĀTĬO, onis, f. γαργαρισμός, actus gargarizandi. *Cels.* 5, 22. *extr.* Gargarizationes facere. *Plin.* 23, 8, 80. Folia decocta uvam cohibent gargarizatione. *Id.* 30, 4, 11. Gargarizatio lactis.

GARGĂRIZĀTUS, a, um, part. a *gargarizo*. *Plin.* 20, 17, 73. Sedat anginas anisum, gargarizatum. Adde 30, 4, 11. [*21. 19. *Scrib. Larg. compos.* 53. *B. A.*]

GARGĂRIZĀTUS, us, m. idem ac gargarizatio. *Plin.* 28, 12, 51. Linguae exulcerationi prodest jus omasi gargarizatu.

GARGĂRIZO, as, avi, a. 1. γαργαρίζω, est liquorem ore haustum saepe ad gurgulionem, idest guttur revocare: a γαργαλεών, gurgulio. *Cels.* 4, 2, 1. In vetusto capitis dolore communia sunt sternutamenta excitare, inferiora vehementer refricare, gargarizare his, quae salivam movent. *Id. ib.* 4. Hyssopum, vel nepetam, aut ficus cum mulsa decoquere, eaque gargarizare. *Id.* 6, 6, 26. Gargarizare ex lenticula. Et *n.* 29. ex sinapi. *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi ad uvam gargarizatur cum aceto. Et *ib.* 9, 34. Succus gargarizandus, bibendusque. ℙ [Scribitur et *gargarisso*. *M. Aurel.* inter ep. *Front.* 4. *ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Aqua mulsa sorbendo usque ad gulam, et rejectanda fauces fovi potius, quam dicerem gargarissavi. *F.*]

GARGETTĬUS, a, um, adj. Γαργήττιος, qui est ex Gargetto, pago Atticae, ubi natus est Epicurus, qui a *Cic. Fam.* 15, 16. *senex Gargettius* vocatur. Adde *Stat. Silv.* 1, 3, 94. et 2, 113. V. EPICURUS.

GARGĬLĬĀNUS, a, um, adj. ad Gargilium pertinens, quod est nomen viri proprium, ut Gargilianus fundus, *Scaev. Dig.* 32, 1, 39. ℙ [**Gargilianus*, *i*, homo impurus ap. *Mart.* 3, 30. *B. A.*]

GARGĬLĬUS MARTĬĀLIS scripsit *de re hortensi*; ejus meminere *Lampr. Alex. Sev.* 37., *Vopisc. Prob.* 2., *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 147., *Pall.* duodecies in *lib. de re rustica*, ac *Cassiod.*, qui haec habet in *Inst. div. litter.* 28. Gargilius Martialis de hortis pulcherrime scripsit, qui et nutrimenta olerum, et virtutes eorum diligenter exposuit; ut ex illius commentarii lectione unusquisque et saturari possit, et sanari; quem vobis inter alios codices reliqui. Illius *de cura boum* fragmentum primus edidit *Chr. Schoettgenius*; deinde *Jo. Matth. Gesnerus*, et *Jo. Gottl. Schneiderus* Vegetio subjungendum curarunt. *Pontedera Antiqq. Gr. et Lat.* p. 466. severiorem quidem de hoc fragmento sententiam tulit, quod nempe barbarie ac soloecismis passim foedatum sit, corruptisque lectionibus adeo scateat, ut nulli paene usui Latine scribentibus esse possit. Verum e *Cod.* palimpsesto regiae Bibliothecae Neapolitanae quatuor ejusdem capita *de re hortensi*, h. e. *de cydoneis*, *de amygdalis*, *de castaneis*, *de persicis* nuperrime Neapoli edidit, et docte illustravit *Ang. Ant. Scottius* illius Bibliothecae praefectus, quem consulat, necesse est, qui de auctoris aetate, et operis praestantia certior fieri velit. Illud interim affirmare non dubitamus, Gargilium Martialem tertio a Christi nativitate saeculo floruisse, atque ita porro scripsisse, ut non immerito nova quaedam ejusdem Latina vocabula suis inserenda locis curaverimus. [*Hunc locum eleganter auxit *F.*]

*GARGĬTĬUS, i, m. venator nobilis, de quo *Hor. ep.* 1, 6, 58. *B. A.*

*GARIANONUM, i, opp. Britanniae. *Ant. Itin. B. A.*

*GARIMATĬUM, i, n. jus gelatum. *Theod. Prisc. de diaeta* 6. Garimatia porcellina. *B. A.*

*GARĪTES, um, pop. Galliae Aquitanicae. *Caes. B. G.* 3, 27. *B. A.*

GARRIDĪTANS. V. GARGARIDIO.

GARRĬO, is, ivi itum, a. 4. videtur esse ex iis verbis, quae ab animalium vocibus ficta sunt, ut *gannio*, *pipio*, *rudo*, *balo*, et hujusmodi. Itaque dicitur de avibus cantillantibus. *Appul. Flor. n.* 17. Lusciniae canticum adolescentiae garriunt. [**Etym.* est a gr. γηρύειν, dor. γαρύειν.] ℙ Et de strepentibus ranis. *Mart.* 3, 93. Meliusque ranae garriunt Ravennates. ℙ [*De instrumento musico. *Cop.* 9. Est et Maenalio quae garrit dulce sub antro, Rustica pastoris fistula more sonans.] ℙ Ad homines transfertur saepissime, et significat loquendo strepere, inepte loqui, plura verba facere, blaterare, obloqui, στωμύλλω. *Petr. Sat.* 55. Et, quam in praecipiti res humanae essent, vario sermone garrimus. *Cic. Att.* 12, 1. Cum coram sumus, et garrimus quidquid in buccam. Et *ib.* 6, 2. *extr.* Cupiebam etiam nunc plura garrire: sed lucet, urget turba, festinat Philogenes. *Id. Or.* 2, 5. In gymnasiis philosophi garrire coeperunt. [**Id. N. D.* 1, 39. Tanta est impunitas garriendi, i. e. tantam vobis sumitis licentiam res nugatorias defendendi. Adde *Ter. Eun.* 2, 3, 86. et *Phorm.* 3, 2, 11. De discrimine inter *garrire*, *hariolari* et *hallucinari* egregie disputat *Doederl.* 3, 77.] *Hor. Sat.* 2, 6, 77. Garrire aniles fabellas. Et *ib.* 1, 10, 41. Comis garrire libellos, *h. e.* facere comoedias garrulas et festivas. [**Schol. Cruq.* nugari propter personarum humilitatem, quae in comoedia loquuntur.] *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 21. nugas. *Mart.* 5, 61. Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem.

[GARRĪTOR, oris, m. importune garriens. *Ammian.* 22, 9. Jube, inquit, periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea. *F.*]

GARRĪTUS, us, m. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Garritui frena stringere.

[GARRŪLANS, antis, part. ab inusit. *garrulo* pro *garrio*. *Fulgent. praef. Mythol.* Nec puellas inquirimus Hero, atque Psychen poeticas garrulantes ineptias. *F.*]

GARRŪLĬTAS, tis, f. ἀδολεσχία, actus ipse garriendi. Proprie dicitur de avibus: translate de hominibus. *Ov. Met.* 5. *f.* Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit, Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi. *Plin.* 10, 12, 14. Cornix inauspicatae garrulitatis. *Quint.* 2, 4. Extemporalis garrulitas circulatoriae jactationis est. *Plin.* 29, 1, 3. Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit, *h. e.* verborum farragine. *Mart.* 5, 52. ingentia dona Auctoris pereunt garrulitate sui. ℙ In pueris festivitas est. *Suet. Aug.* 83. Pueros garrulitate amabiles. Adde *Senec. Consol. ad Helv.* 16. *med.* V. VERNILITAS.

GARRŪLUS, a, um, adj. proprie de avibus dicitur, quae canendo strepunt, ut *garrio*. *Virg. G.* 4, 307. Garrula hirundo. *Phaedr.* 3, 16. cicada. *Ov. Amor.* 3, 5, 22. cornix. [**λακέρυζα κορώνη*. *Hesiod. Ἔργ.* 749., *Aristoph. Αν.* 610. Hinc proverb. *λαλίστερος κορώνης.*] *Plin.* 18, 39, 87. in imbre noctua. *Id.* 10, 29, 43. Garrulus cantus lusciniae. [**Ov. Met.* 8, 237. Garrula perdix.] ℙ Transfertur ad alia, quae murmurant, strepuntve. *Ov. Fast.* 2, 316. Garrulus rivus. *Nemes. Ecl.* 1, 30. vento garrula pinus. *Tibull.* 2, 5, 30. fistula, *h. e.* sonans, arguta. Et 3, 4, 38. lyra. *Mart.* 14, 167. plectra. Et 54. sistra. Et 169. Garrulus anulus. ℙ Ad homines quoque verbosos, loquaces, blaterantes. *Auct. ad Her.* 2, 11. *extr.* Ut hujus infantiae garrulam disciplinam contemneremus. *Ov. Trist.* 3, 12, 18. verbosi garrula bella fori. *Id. Amor.* 1, 12, 23. Garrula vadimonia. Et 2, 2, 44. lingua. *Senec. Herc. Fur.* 193. fama. *Propert.* 3, 22, 18. hora, *h. e.* quae garriendo ducitur. [*Quid differant *garrulus*, *loquax*, *verbosus*, docet *Doederl.* 3, 81.] ℙ *Garruli pueri* sunt in deliciis. *Tibull.* 1, 5, 26. consuescet amantis Garrulus in dominae ludere verna sinu. V. GARRULITAS. ℙ Speciatim sic dicitur, qui arcana continere nescit. *Hor. Ep.* 1, 18, 69. Percontatorem fugito: nam garrulus idem est, Nec retinent patulae commissa fideliter aures. *Ter. Ad.* 4, 4, 15. Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam. ℙ Addit *Nonius* 4, 220. sumi etiam pro cordato, afferens illud *Varronis:* In hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus et acer.

*GARSAURĪTIS, idis, f. regio Cappadociae. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

*GARŪLI, orum, m. populi Liguriae. *Liv.* 41, 19. *B. A.*

GĂRUM, i, n. γάρον, liquamen ex intestinis piscium, sanguine, ceterisque, quae abjicienda forent, sale maceratis: dictum a garo pisce, ex quo primum fieri coepit: deinde nomen retinuit, quamvis ex aliis piscibus fieret, praecipue vero ex scombro laudatissimum in Carthaginis spartariae cetariis: *Sociorum* id appellabatur, singulis millibus nummum permutantibus congios fere binos. Nec liquor ullus, praeter unguenta, majore in pretio esse coepit. Haec *Plin.* 31, 7, 43. ex cujus verbis satis colligi videtur, ideo *garum Sociorum* appellatum, quia ab Sociis populi R. Romam mittebatur. *Mart.* 13, 102. Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe faecosum, munera cara, garum. *Id.* 7, 27. de apro condiendo: Sed coquus ingentem piperis consumet acervum, Addet et arcano mixta Falerna garo. *Senec. ep.* 95. *med.* Illud Sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe praecordia? Adde *Hor. Sat.* 2, 8, 46. et *Auson. ep.* 21., ubi significat, hoc liquamen Latino vocabulo carere, (nam *garum* Graecum est) muriam autem minus apte dici; haec enim e thynnis fiebat, et multo minoris emebatur. *Mart.* 13, 103. de muria: Antipolitani, fateor, sum filia thynni: Essem si scombri, non tibi missa forem.

GĂRUMNĂ, ae, m. fluvius Aquitaniae, ex Pyrenaeis montibus oriens, et in oceanum latissimo ostio incurrens. *Mela* 3, 2. *Tibull.* 1, 8, 11. Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna. ℙ [*Scribitur et *Garunna*, et sic *Plin.* 4, 17. ed. *Hard.* non sine auctoritate MStorum. *B. A.*]

[GĂRUMNI, orum, m. plur. accolae fluminis Garumnae. *Caes. B. G.* 3, 27. Ausci, Garumni, Sibuzates. *F.*]

GĂRUS, i, m. γάρος, piscis ex genere locustarum, ex cujus intestinis garum fiebat. *Plin.* 31, 7, 43. et 32, 11, 53. V. GARUM.

GĂRYOPHYLLON, i, n. καρυοφύλλον, genus aromatis in India nassentis, piperis grano simile, sed grandius et fragilius. Tradunt, in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratia. Ita *Plin.* 12, 7, 15., ubi notat *Hard.*, quod eodem nomine ad nos affertur, et in condituris adhibetur, aliud omnino esse. Fortasse autem esse id, quod *cubebe* ab aliis nominatur. [*Secundum *Sprengel. der dreiblätterige Müllen*, vitex trifolia, *L.*] ℙ Flos ille, qui hoc nomine apud nos nascitur, a similitudine odoris appellationem traxit.

*GASANI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*GASIDĀNIS, is, f. gemmae nomen, de qua sic *Plin.* 37, 10, 59. Gasidanem Medi mittunt, coloris orobini, veluti floribus sparsam. *B. A.*

GASTER, ĕris, f. γαστήρ, venter. Graeca vox. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. Rotunda atque exstans inflatio secundum gastera. [**Casaub.* ad *Suet. Vesp.* 23. *B. A.*]

[GASTRUM, i, n. Graecis est ἡ γάστρα, ας; vas fictile ventriosum, amphora. *Petron. fragm. Tragur.* 70. *Burm.* Neuter sententiam tulit decernentis, sed alter alterius amphoram fuste percussit: consternati nos insolentia ebriorum, intentavimus oculos in proeliantes, notavimusque ostrea, pectinesque e gastris labentia, quae collecta puer lance circumtulit. *Id. Sat.* 79. Per omnes scrupos, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes. *Gargil. de re hortensi* (ed. *A. A. Scottio*) 4. *n.* 5. Sunt qui in gastris, vel qualis cribrata terra repletis ossa (*persicorum*) disponunt, unde mox plantas adultas in seminarium cum cespite suo transferant. *Marc. Empir.* 8. *med.* Concham aeream de melle albo ab intus perunge totam, eandemque supra gastrum lotii virilis ex ea parte, qua melle illita est, superpone ad lotium versus. *F.*]

GAU pro Gaudium. V. GAEL.

*GAUDAE, arum, m. gens Scythica, a tergo montis Haemi degentes, in Moesia, non longe ab Istro flumine. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

GAUDEBUNDUS. V. GAUDIBUNDUS.

GAUDENS, entis, part. a *gaudeo*; qui gaudet. *Cic. Att.* 2, 4. Cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti. *Stat. Silv.* 4, 6, 55. Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortatur mensas. *Propert.* 3, 12, 9. Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris. *Hor. Sat.* 1, 10, 45. gaudentes rure Camenae. Et *Od.* 1, 1, 12. Gaudens agros sarculo findere. Et *ib.* 3, 14, 5. Unico gaudens mulier marito. [**Id. Sat.* 2, 5, 109. Gaudentem nummo te addicere, i. e. libenter, *mit Vergnügen.*]

*GAUDENTER, adv. cum gaudio. *Sarisb. Ep.* 187. *B. A.*

GAUDĔO, es, gāvīsus sum, n. 2. χαίρω, laetus sum, animi voluptate perfundor, laetor: cui contrarium est *moereo*. Est ἀπὸ τοῦ γανυμαῖν, ut *Festo* placet: vel a γαθέω Dorice pro γηθέω, idem significante, ut aliis. [*Hoc praeferendum. Γανυμαῖν parum convenit. V. *Döderl.* 3, 243.] *Caes.* ad *Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *Att.* Meum factum probari abs te, triumpho et gaudeo. Al. leg. *triumpho gaudio*. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *med.* Quod scribis, te a Caesare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. *Id. Leg.* 3, 1. Sane gaudeo, quod te interpellavi. [**Hor. Ep.* 1, 6, 19. Cf. *Ruddim.* 2. p. 231. sqq. Sequitur etiam *si*. *Hor. Sat.* 2, 3, 273. Gaudes, si camaram percusti forte, etc.] *Id. Att.* 9, 7. *f.* Bonis viris probari, quae adhuc fecerimus, valde gaudeo. [**Ov. Met.* 10, 287. Timide gaudet: praeclare de eo, cujus gaudium nondum certum satis est. Cf. 9, 792. Nec timida gaudete fide. *Sil.* 6, 572. Sollicite laeti.] *Lucr.* 3, 72. gaudent in tristi funere fratris. *Hor. Ep.* 1, 8, 1. Celso gaudere, et bene rem gerere Albinovano: χαίρειν, καὶ εὐπράττειν, formula salutationis initio epistolarum, a Graecis sumpta. [*Adde *ib.* 15.] ℙ Cum dativo. *Lucr.* 3, 146. et sibi gaudet, *h. e.* secum. [**Trebell. Poll. Valer.* 4. Gauderem tibi

de victoria quam praefers; Gr. *συνέχαιρον ἄν σοι.*] ℙ Cum ablativo. *Catull.* 31, 12. Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude, *h. e.* ob reditum heri. *Cic. Marcell.* 6. Gaude isto tuo tam excellenti bono. *Id. Fin.* 1, 11. Cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus: omne autem id, quod gaudemus, voluptas est. ℙ Cum accusativo. *Ter. Eun.* 5, 9, 11. Hoc aliud est, quod gaudeamus. *Id. Andr.* 2, 2, 25. Jam id gaudeo. *Stat. Th.* 9, 724. Tu dulces lituos ululataque proelia gaudes. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Nunc furit, tam gavisos homines suum dolorem. *Stat. Th.* 4, 231. gaudent natorum fata parentes. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Ut suum gaudium gauderemus. [*V. *Perizon.* ad *Sanct. Minerv.* 3, 3. p. 303.] *Ter. Andr.* 5, 5. *f.* Hunc scio mea solide gavisurum gaudia. *Catull.* 61, 117. Quanta gaudia, quae vaga Nocte, quae media die Gaudeat. ℙ *Gaudere in sinu*, et *in se*, est secum taciteque gaudere. *Cic. Tusc.* 3, 21. Quoniam haec plausibilia non sunt, in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant. *Tibull.* 4, 13, 8. Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. *Catull.* 22, 17. Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur. ℙ Differt a *laetor*, quod est ita gaudere, ut in vultu et gestibus laetitiae signa prodantur: *gaudere* autem, est secum in animo voluptatem percipere. [*Eadem est ratio Gr. vv. *χαίρειν* et *ἥδεσθαι.*] *Cic. Rosc. Am.* 47. Quae perfecta esse, gaudeo, judices, vehementerque laetor. [*Plura ejusdem generis exempla praebet *Döderl.* 3, 244.] *Id. Tusc.* 4, 31. Atque ut confidere [*leg. *cavere.*] decet, timere non decet; sic gaudere decet, laetari non decet. [*V. ad h. l. *Döderl.* 3, 244. ubi negat recte gradatim additum esse v. *laetari*, quod vice versa *gaudere* exsultandi notionem involvat. At vereor ut rem acu tetigerit, cum bene *laetari*, quae propria vocis est significatio, de externis gaudii signis, quae ut minus decora h. l. damnantur, dictum videatur. V. et in Laetitia. *in.*] ℙ A *gratulor*, quod respicit alium, et significat alterius causa laetum esse. *Id. Fam.* 6, 15. Tibi gratulor, mihi gaudeo. [*V. *Manut.*] ℙ Aliquando significat delectari. *Id. Off.* 3. *f.* Cum intellexero, te hoc scientiae genere gaudere. *Hor. A. P.* 162. juvenis Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi. [*Ita fere solemne vocabulum est *gaudere* de Diis libenter vel rem aliquam tractantibus, vel sacrificia accipientibus. *Prop.* 4, 8, 63. Cynthia gaudet in exuviis. *Ov. Fast.* 1, 349. Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae; et *ib.* 3, 253. Gaudet florentibus herbis haec Dea; et 736. succis quia dulcibus ille gaudet.] *Id Od.* 4, 8, 11. Gaudere carminibus. *Id. Sat.* 2, 8, 62. Heu, Fortuna, ut semper gaudes illudere rebus humanis! [*Possent haec innumeris adaugeri. Pauca sufficiant in re notissima. *Id. Od.* 3, 18, 15. Gaudet pepulisse terram pede; *ib.* 3, 6, 21. Gaudet doceri Jonicos motus. *Sat.* 1, 4, 78. Laedere gaudes. *Prop.* 2, 1, 8. Gaudet laudatis ire superba comis. *Ov. Fast.* 2, 285. Ipse Deus velox discurrere gaudet, etc. *Sil.* 5, 91. Vescique interritus ales gaudebit. Ita constr. etiam cum part. praes. *Virg. A.* 12, 82. Gaudetque tuens ante ora frementes; et 702. Gaudetque nivali Vertice se attollens pater Apenninus ad auras. *Hor. Epod.* 2, 19. Ut gaudet insitiva decerpens pyra. *Id. Ep.* 2, 2, 107. Gaudent scribentes. — Cum part. praet. *Virg. A.* 10, 500. Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus. *Id. G.* 2, 510. Gaudent perfusi sanguine fratrum. *Tibull.* 3, 4, 60. Nec gaudet casta nupta Neaera domo. ℙ Hinc pro *solere*, sed fortius dicitur. *Virg. A.* 12, 6. Gaudetque comantes excutiens cervice toros. *Ov. Met.* 9, 139. Quae veris addere falsa gaudet. *Tibull.* 4, 1, 116. Ipse tamen velox celerem super edere corpus Gaudet equum; ubi cf. *Broukh.* ℙ Adhibetur etiam rebus amatoriis. *Prop.* 2, 4, 18. Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas: Gaudeat in puero, si quis amicus erit. Cf. *Laetitia.*] ℙ Transfertur ad inanima. *Mart.* 13, 16. brumali gaudentia frigore rapa. *Plin.* 12, 15, 33. Myrrha gaudet rastris, atque ablaqueationibus. Et 19, 8, 39. Humore omnia hortensia gaudent. Et 18, 17, 45. Solum gaudet aquari. *Stat. Th.* 6, 847. Postquam oleo gavisa cutis. *Claud. Cons. Probi et Olybr.* 115. dominum gavisa coronat Terra suum, surguntque toris majoribus herbae. [*Virg. E.* 6, 29. Nec tantum Phoebo gaudet Parnassia rupes, *ib.* 9, 48. Astrum quo segetes gauderent frugibus.] ℙ Part. *Gaudendus* ap. *Symmach. ep.* 3, 29. Ista pars gaudenda mihi potius, quam, etc. ℙ Olim praeteritum habuit *gavisi*. *Liv. Andron. Odyss.* ap. *Prisc.* 9, 868. Quoniam audivi paucis, gavisi. *L. Cass. Hemina ib.* Idque admiratum esse, gavisi.

GAUDĬĀLIS, e, adj. ad gaudium pertinens. *Appul. Met.* 8. Gaudiales instruunt dapes. Adde *ib.* 2. et 11.

GAUDĬBUNDUS, a, um, adj. gaudio gestiens. *Appul. Met.* 8. *in.* Saluti praesenti ac futurae soboli novorum maritorum gaudibundus. Alii leg. *gaudebundus.*

*GAUDĬFĬCO, as, n. 1. idem ac laetifico. *Gloss. Philox.* Gaudifico, *χαροποιέω. B. A.*

[GAUDILLA, ae, f. dimin. gaudentis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 225, 1. Oppia Gaudilla. *F.*]

GAUDĬMONĬUM, ii, n. gaudium. *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.* Jamdudum gaudimonio dissilio. **Vulgat. Baruch.* 4, 34. V. *Cangii Glossar. B. A.*

[GAUDĬVĬGENS, entis, part. ab inusit. *gaudivigeo*, compos. ex *gaudium*, et *vigeo*, gaudio exsultans: Itali dicunt *gozzovigliante. Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 29. *n.* 130., at emendatior ap. *Ignarra de Phratr.* p. 118. Alphius has aedes Aulus Soranu' tuetur Ex Epicurejo gaudivigente choro. Immerito *Gorius* in *Inscr. Etrur. T.* 3. p. 55. suppositiciam putat. *F.*]

GAUDĬUM, ii, n. *χαρά, χάρμα*, est affectio animi alicujus praesentis boni opinione concepta, et proprie cum exhilaratur animus aliqua re, neque tamen ita ad exteriora diffunditur ultra modum, ut facile appareat. Differt a *laetitia*, quia, ut ait *Cic. Tusc.* 4, 6. cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur: cum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa laetitia gestiens, vel nimia dici potest. Quare, ut addit *Non.* 5, 91., gaudium in sapiente, et in rebus bonis semper est: laetitia etiam in malis rebus esse potest. Hoc tamen discrimen saepe negligitur. [*Verius videtur, quod *Döderl.* 3, 242. discrimen constituit, ut *laetitia* subjective, *gaudium* objective intelligatur; unde *Curt.* 8, 5, 27. *gaudio laetus* eodem jure dixerit, quo alias *morbo aegrotans* bene conjungi soleat.] *Sall. Catil.* 49. Plebes veluti ex servitute erepta, gaudium atque laetitiam agitabat. *Pl. Poen.* 5, 4, 105. Laetitia et gaudiis aliquem afficere. [*Gaudium* atque *laetitia* ita conjunguntur, ut gradatio in verbis insit, nam *laetitiae* gravior affectus cernitur corporis gestibus. V. *intpp.* ad *Plauti l.* modo laudatum, et *Nolten. Lex. Antibarb.* p. 963. coll. *Sall. Cat.* 61, 9. Hinc ap. *Eund. Jug.* 60, 2. *laetitia* de exsultantium clamore dicitur.] *Ter. Ad.* 3, 4, 45. Lacrimare gaudio. *Id. Heaut.* 2, 3, 67. Prae gaudio, ubi sim, nescio. *Id. Andr.* 2, 2, 2. Alicujus animum gaudio explere. *Cic. Fam.* 9, 14. Cumulari gaudio. *Id. Fin.* 5, 24. Compleri gaudio. *Id. Cat.* 1, 10. Gaudiis exsultare. *Id. Fam.* 2, 9. Nimio gaudio paene desipere. *Id. Cluent.* 5. triumphare. Et *Fam.* 10, 12. efferri. *Q. Cic. ad Fratr.* 16. *Fam.* 16. exsilire. *Cic. Fam.* 9, 14. cumulari. *Id. Fin.* 5, 24. Quempiam gaudio afficere. *Pl. Poen.* 5, 4, 88. oblectare. Et 47. Gaudio esse alicui. *Ter. Eun.* 5, 9, 5. Esse in gaudiis. *Val. Fl.* 3, 698. Gaudium capere. *Plin.* 16, 25, 40. sentire. *Ov. Pont.* 2, 1, 60. et *Senec. ep.* 59. percipere. *Virg. A.* 1, 506. pertentant gaudia pectus. *Tac. H.* 2, 55. Additae erga Germanicos exercitus laudes, gratesque: et missa legatio, quae gaudio fungeretur, *h. e.* gratulatione. [*Prop. 2, 25, 30. In tacito cohibe gaudia clausa sinu. *Id.* 1, 8, 29. Deponere gaudia. *Tibull.* 3, 6, 33. Imitari gaudia falsa. *Id. ib* 3, 7. Tecum ut longae sociarem gaudia vitae.] ℙ Speciatim dicitur de turpi voluptate. *Sall. Jug.* 2. Dediti corporis gaudiis, per luxum et ignaviam aetatem agunt. [*Contra *Cic. Fin.* 2, 4. Voluptas dicitur etiam in animo; non dicitur laetitia nec gaudium in corpore.] *Hor. Od.* 3, 6, 28. neque eligit, Cui donet impermissa raptim Gaudia. *Lucr.* 5, 852. Mutua queis inter se nectant gaudia. *Liv.* 1, 58. Sextus Tarquinius hinc abstulit gaudium. *Tibull.* 1, 6, 3. sed jam cum gaudia adirem. [*Prop. 2, 14, 9. Quanta ego praeteritae collegi gaudia nocte.] ℙ Translate [*de eo, quod voluptatem, laetitiam affert, ita *Suet. Tib.* 14. Thrasyllum quoque mathematicum — tum maxime expertus est, affirmantem, nave provisa gaudium afferre. *Liv.* 37, 37. (de reddito Scipioni filio.) Non solum animo patrio gratum munus, sed corpori quoque salubre gaudium fuit.] *Plin.* 16, 25, 40. Flos est gaudium arborum. *Id. ib.* Gaudia annorum, *h. e.* tempora veris. *Id. praef.* 20. Adamas opum gaudium.

*GAUDOS, i, f. insula prope Cretam, exadversus Cretense oppidum Hierapytnam. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*GAUGAMĒLA, orum, n. plur. *τὰ Γαυγάμηλα*, vicus in Aturia, victoria Alexandri nobilitatus, apud quem Darius superatus amisit imperium. Tabula (ait *Cellarius*), quae hanc Asiae partem ex *Ptolemaei* numeris ordinatam exhibet, Gaugamela inter Lycum et Caprum medio loco perperam ponit; nam citra Lycum erat. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

GĂVĬĂ, ae, f. *λάρος*, avis aquatica, eadem ac fulica [*Mewe]; ita appellata videtur, quia aquis maxime gaudet, in quas magno strepitu, et alis plaudentibus immergi solet, ideoque Veneri amanter servire dicitur ab *Appul. Met.* 5. *med.* Tunc avis peralba illa gavia, quae super fluctus marinos pinnis natat, demergit sese propere ad oceani profundum gremium: ibi commodum Venerem lavantem natantemque propter adsistens, etc. *Plin.* 10, 32, 48. Gaviae in petris nidificant. ℙ **Vet. Gloss.* *λάρος*, Larus, fulica, gavia. *B. A.*

GAVĬĀNUS, a, um, adj. ad Gavium pertinens: quod est nomen R. civis propr. *Lactant.* 4, 18. Non enim Gavianam crucem describimus, quam M. Tullius, etc. Vide sis *Cic. Verr.* 2, 5, 61. 62. et 63.

[GAULĪTĀNUS, a, um, adj. ad Gaulum, seu Gaulos pertinens, parvam insulam Melitae adjacentem, quae nunc *Gozo* dicitur: ita vero appellata videtur ab ejus rotunditate, *gaulus* enim rotundum vas significat. *Inscr.* ap. *Mur.* 752, 5. M. Vallio C. F. Rufo plebs Gaulitana ex aere conlato, etc. Alia ap. *eund.* 1048, 4. *F.*]

*GAULŌPES, um, pop. Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

GAULUS, i, m. *γαῦλος*, genus navigii paene rotundum, inquit *Festus.* Ejus meminit etiam *Gell.* 10, 25., ubi navium appellationes varias recenset. ℙ Item genus poculi, a figurae similitudine. *Pl. Rud.* 5, 2, 32. Sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.

[GAUNĂCĀRĬUS, ii, m. gaunacarum artifex. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 69. C. Pettius Celer gauncarius. *Gorius ib.* censet legendum *gaunacarius.* At *Mur.* 970, 4., qui eand. inscriptionem retulit, putat eam vocem interpretandam esse ex *γαυδχος*, terram continens, cum ipse *Donius* adnotet, eam inscriptionem esse sub imagine virili, laeva librum tenente, exsculptis in ambitu signis Zodiaci. Viderint eruditi. *F.*]

[GAUNĂCĒ, es, f. et Gaunăcum, i, n. stragulum, seu sagum altera parte villosum. *Varr. L. L.* 4, 35. In his multa peregrina; ut sagum, reno Galli quid gaunacumma ejus sagum, et amphimallon Graeca. Haec corrupta ita legenda probabili conjectura putat *Checottius* in *Gorii Symb. litter. Rom. T.* 8. p. 172.: ut sagum, rheno Gallice; id gaunacum Persicum; amphimallon Graece. Quod quidem confirmatur illo *Hesychii: Καυνάκαι, στρώματα, ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα*, et illo *Aristoph.* in *Vesp. v.* 1176. *Οἱ μὲν καλοῦσι Περσιδ', οἱ δὲ γαυνάκην. Not. Tir.* p. 158. Gausapum, gaunapum. Lege *gaunacum. F.*]

*GAURANTAE, arum, pop. Asiae ulterioris, in regno Persico veteri, in Carmania, ad sinum Persicum. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

GAURĀNUS, a, um, adj. ad Gaurum montem pertinens, qui est in Campania, inter Puteolos et Lucrinum lacum, vinis nobilis. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 3. Gauranae vites. Et *ib.* 6, 8. *n.* 3. Gauranum vinum. *Stat. Th.* 8, 546. Gauranus mons.

*GAURELĒOS, i, portus Andri insulae. *Liv.* 31, 45. *B. A.*

GAURUS, i, m. mons Campaniae. *Cic. Agr.* 2, 14. V. GAURANUS.

GAUSĂPA, ae, et Gausăpē, es, f. et Gausăpē, is, n. et Gausăpum, i, n. *ὁ γαυσάπης*, genus panni crassioris, et altera parte villosi, ex quo fiebant stragula tum mensis, tum lectis idonea, itemque vestes, quarum usus in pluvia et frigore. Res erat peregrina, nec nisi sub Augusto Romae cognita: ditioribusque ex delicatiore lana, et pretioso colore usurpata: Itali *schiavina* vocant. [*V. *Voss.* ad *Virg. G.* 4, 377. *Böttig. Sab.* 2, 102.] *Hor. Sat.* 2, 8, 10. puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit. Imitatus *Lucil.* 20 ap. *Prisc.* 9, 870. Purpureo tersit tunc latas gausape mensas. *Plin.* 8, 48, 73. Gausapa patris mei memoria coepere: amphimalla, nostra, sicut villosa etiam ventralia, nam tunica lati clavi in modum gausapae texi nunc primum incipit. *Ov. A. Am.* 2, 300. Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba. *Petr. Sat.* 28. Involutus coccina gausapa, lecticae impositus est. [*V. *intpp.* ad h. l.] *Pers.* 6, 46. Jam chlamydas regum, jam lutea gausapa captas. *Augustus* ap. *Charis.* 1, 80. Gausapes, lodices purpureas, et coloreas meas. *Cass. Sever. ib.* et ap. *Prisc.* 7, 759. Gausapo purpureo salutatus. *Varro* quoque *ib. gausapa*, *ae*, f. probat. *Gausape quadratum* ap. *Mart.* 14, 152. in *lemmate* aliis est stragulum sternendo lecto, aliis vero idem ac mantele. ℙ *Balanatum gausape* ap. *Pers.* 4, 37. est barba in modum villi propensa, et unguento delibuta.

GAUSĂPĀTUS, a, um, adj. gausape indutus. *Senec. ep.* 53. Mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus. ℙ [Translate et facete. *Petr. Sat.* 38. Solebat sic coenare, quomodo rex, apros gausapatos opera pistoria, *h. e.* crustulo, vel taleis laridi contectos. *F.*]

GAUSĂPĪLA, ae, f. vestis e gausape. *Petr. Sat.* 21. Myrtea subornatus gausapila. Al. leg. *gausapina.*

GAUSĂPĪNUS, a, um, adj. qui est e gausape, villosus, ut *paenula gausapina* ap. *Mart.* 14, 145. in *lemmate*, quae et gausapina absolute dicitur. *Id.* 6, 59. Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas.

[GAUSUS, i, m. *γαυσὸς*, curvus, claudus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 681, 4. L. Autronius Gausus. *F.*]

GAZA, ae, f. *γάζα*, vox Persica, qua regia pecunia significatur, uti docet *Curt.* 3, 13. Unde factum nomen urbi in Palaestina, quod in ea Cam-

byses rex Persarum, cum armis Aegyptum peteret, opes et pecuniam suam contulerat, ut *Mela* 1, 11. et *Serv.* ad *A.* 1, 123. narrant. *Nep. Dat.* 5. Pandates gazae custos regiae. Adde *Liv.* 45, 41. [*V. *Snakenb.* in *ind.* ad *Curt.* s. h. v.] ℙ Paulatim in Latium transmigravit ad significandam quamcumque pecuniam et copiam. *Virg. A.* 2, 763. huc undique Troia gaza Incensis erepta adytis, mensaeque Deorum, Crateresque auro solidi, captivaque vestis Congeritur. *Suet. Ner.* 31. Thesauros antiquissimae gazae specubus abditos. *Tac. A.* 6, 37. Gazam et paratus regios adjicit. *Mart.* 12, 53. incubasque gazae, Ut magnus draco. *Val. Fl.* 6, 562. nulla coelum reparabile gaza. *Virg. A.* 5, 40. et gaza laetus agresti Excipit. ℙ *Serv.* ad *cit. A.* 2. singularis tantum numeri esse ait. Atqui in plurali his usurpavit *Hor. Od.* 1, 29, 1. et *ib.* 2, 16, 9., ter *Senec. Phoeniss.* 504. *Herc. Fur.* 167. et *Med.* 485., semel *Lucr.* 2, 37. etc. ℙ *Gaza, urbs Palaestinae, V. supra et in *Gazeticus, a, um.* ℙ Fuit et Gaza, Mediae opp., *Gazae* appellatum a *Plin.* 6, 13. ℙ Item aliud hujus nominis in Africa ulteriore, in terra Troglodytica, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*GAZACA, urbs Mediae. *Ammian.* 23, 23. ℙ Item alia, in Cappadocia, unde *Gazacena* sc. regio ap. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

[GAZAS, atis, adj. omn. gen. ad Gazam pertinens, maritimam Palaestinae urbem, quae adhuc idem nomen servat. ℙ *Gazates, atium*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 5, 23, 19. Gazates, Gindareni, Gabeni. *F.*]

*GAZAUFULA, ae, Numidiae opp. *Anton. Itin. B. A.*

*GAZĔLUM, i, n. opp. Paphlagoniae. *Plin.* 6, 2. *B. A.*

GAZĔTĬCUS, a, um, adj. ad Gazam Palaestinae urbem pertinens, ut Gazetica vina, quae optima circa illius urbis loca gignebantur. *Sidon. carm.* 17, 15. Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna.

*GAZIŪRA, orum, *Γαζίουρα* (*τὰ*), Paphlagoniae opp. *Plin.* 6, 2. *B. A.*

[GAZOPHYLĂCIUM, ii, n. *γαζοφυλάκιον*, capsula, in qua pecunia reponitur. *Hieron. ep.* 14. *n.* 8. Cum viduam aera mittentem in gazophylacium laudaverit Dominus. Adde *Isid. Orig.* 20, 9. *F.*] **Vulg. Luc.* 21, 1. *B. A.*

GE

GĒ, es, f. *γῆ*, terra. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 295. *n.* 248. Claudia Ge.

*GEBADEI, orum, gentis nomen mare rubrum accolentis, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*GEBANĪTAE, arum, m. pop. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

GĔBENNĪCUS, a, um, adj. ad Gebennam pertinens, qui mons est Galliae, in Provincia trans Rhodanum. *Mela* 2, 5. Gebennici montes. ℙ Legitur etiam *Cebenna*, et *Cebennicus*, et quidem rectius; hodie enim hic montium tractus vocatur Gallice *les Cevennes*. Quemadmodum etiam plur. numero effert *Lucan.* 1, 435. Gens habitat cana pendentes rupe Cebennas. *Mela l. c.* Tum ex Cebennis demissus Arauris juxta Agathan fluit. [*Hoc loco plura debentur. *F.*]

*GĔBES, fluvius in Bithynia, vel Bithyniae vicinus. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*GEDRANĪTAE, arum, pop. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*GEDROSI, orum, m. *Γεδρωσοί*, pop. Asiatici, ultra Persidem. *Mela* 3, 8. *Plin.* 6, 23. ℙ *Gedrosii* audiunt *Curt.* 9, 10. et *Gedrusi Plin.* 6, 23. ℙ Eorum regio *Gedrosia*, sc. terra, a *Gedrosius, a, um. Plin.* 21, 11. *B. A.*

*GEDUSĀNUS, a, um, adj. ut *Gedusanus ager* ap. *Cic. Agr.* 2, 19. ab oppido quodam forte vel regione Gedusa sic nuncupatus. *Graevio* corrupta vox videtur. *B. A.*

GĔHENNA, vel Gëennă, ae, f. *γέεννα*, vallis apud Hierosolymam, ubi Baal colebatur, et ipsi Hebraei filios suos immolaverunt. Dicta est גֵּי הִנֹּם, *h. e.* vallis *filiorum* Ennon. Translate sumitur pro loco futurorum suppliciorum et poenarum perpetuarum, quibus improbi cruciandi sunt, quia Deus minatus fuerat, vallem illam impleturum cadaveribus mortuorum. *Hieron., Tert., Prudent., Sedul.* et *Auson. Ephemerid. Or.* 56. tormentaque sera gehennae Anticipat.

GĔLĂ. V. GELOUS.

*GELAE, arum, m. pop. Mediae, dicti et Cadusii. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

[GĔLĀNUS, a, um, adject. idem ac Gelensis. *Plin.* 3, 8, 14. Gelani, Galatini, Halesini. *F.*]

GĔLAS. V. GELOUS.

GĔLASCO, is, n. *πήγνυμαι*, gelu astringi. *Plin.* 14, 21, 27. Vini natura non gelascit.

GĔLĀSĬANUS, i, m. mimus: a *γελάω*, rideo. *Sidon. carm.* 23, 301. Mimos, schoenobatas, gelasianos.

[GĔLĀSĪMUS, i, m. *γελάσιμος*, ridiculus. Est nomen servi ap. *Pl. Stich.* 2, 2, 73. Enimvero, Gelasime, opinor, provenisti futile. *F.*]

GĔLĀSĪNUS, i, m. *γελασῖνος*, a *γελάω*, rideo, fossula, seu ruga, quae in ridentium genis fieri solet, quaeque miram quandam ori conciliat venustatem: hinc *Tassus in Aminta* ita canit: *or dentro le pozzette, Che forma un dolce riso in bella guancia* etc. *Mart.* 7, 25. Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti: Nec grata est facies, cui gelasinus abest. *Suidas. Γελασίνοις, γραμμαῖς ταῖς ἐκ τοῦ γελᾶν γιγνομένοις.* ℙ Translate Graeci scriptores usurpant etiam de fossulis, quae in natibus fiunt, ut *Alciphr. ep.* 1, 39. et *Anthol. Gr. T.* 2. p. 390. *Brunk.* de trium meretricum natibus; *Lucian.* vero in *Ἔρωτ. c.* 14. de Venere *Καλλιπύγῳ: Τῶν δὲ τοῖς ἰσχίοις ἐνεσφραγισμένων ἐξ ἑκατέρων τύπων, οὐκ ἂν εἴποι τις ὡς ἡδὺς ὁ γέλως.* ℙ *Γελασῖνος* fuit etiam cognominatus Democritus, quia res humanas perpetuo risu prosequebatur, ut contra Heraclitus perpetuo fletu. *Aelian. H. V.* 4, 20. ℙ Dentes quoque primores, qui in risu et scommate nudantur, *γελασῖνοι* dicuntur a *Polluce* in *Onomast.* 2, 4, 91. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 82. *n.* 121. C. Minicius Gelasinus. [*Hunc locum egregie auxit. *F.*]

GĔLĀTĬO, onis, f. *ἔκπηξις*, actus gelandi, gelu, et ipsa concretio aquae. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 8. Si protinus editis fructibus gelatio magna consecuta est. *Scrib. Comp.* 179. Cicutam potam artuum gelatio insequitur.

GĔLĀTUS, a, um, adj. *παγείς*, frigore astrictus. *Plin.* 8, 28, 42. Amnes gelati lacusque. *Mart.* 5, 9. manus Aquilone gelatae. *Id.* 4, 46. Et ficus Libyca gelata testa, *h. e.* stipata in testa roscido quodam humore, qui ex ficu emissus circa eundem durescit. V. AFRĪCANUS. *Colum.* 10, 397. Gelatum lac. *Id.* 7, 8. *f.* Caseus paulum gelatus in mulctra. ℙ Translate. *Stat. Th.* 4, 404. sic fata gelatis Vultibus, *h. e.* pallore suffusis. *Lucan.* 7, 339. stat corde gelato Attonitus, *h. e.* timoris pleno. *Id.* 6, 541. gelatos orbes effodere, *h. e.* frigidos oculos, et emortuos.

*GELDŬBA, ae, f. locus vel castellum Ubiorum, in Gallia Belgica, ad Rhenum flumen, non longe a Novisio. *Tac. H.* 4, 26. 32. 35. 36. et 58. *Plin.* 19, 5. et *Ant. Itin.* Alii, inter quos *Cellar.* et *Hard.* hodiernum aiunt esse *Gelb. Mannertius* vico apponit, hodie *Geldup* dicto. *B. A.*

GĔLENSIS, e, adj. ad Gelam urbem pertinens, de qua V. in GELOUS. ℙ *Gelenses, ium*, sunt ejus urbis incolae. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. et *ib.* 6, 33.

GĔLĬCĬDĬUM, ii, n. *πάχνη, αἴθρος*, dicitur cum initio hiemis ros e coelo gelatus decidit. [*Gr. *κρυμοὶ, Frostnächte.* V. *Döderl.* 3, 92.] *Cato R. R.* 65. Si gelicidia erunt, cum oleam coges. *Colum.* 11, 2. Pruinae et gelicidia nocturna. *Id. ib.* 3. *f.* Ne autumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. Adde *Vitr.* 2, 7. et *Varr. R. R.* 1, 55.

GĔLĬDĔ, adv. *ψυχρῶς*, frigide. Translate. *Hor. A. P.* 171. Vel quod res omnes timide gelideque ministrat.

GĔLĬDUS, a, um, adj. *κρυερὸς*, gelu obnoxius. Plus est quam *frigidus*. Frigida enim multa sine gelu esse possunt. Promiscue tamen nonnunquam adhibentur. [*Tibull.* 4, 1, 153. Gelidum frigus: At nusquam dicitur *frigidum* gelu. *Döderl.* 3, 92.] *Plin.* 5, 6. *in.* Coelum est hieme frigidum, et gelidum, et myrtos, oleas aspernatur, et respuit. *Cic. Leg.* 2, 3. Fibrenus praecipitat in Lirem, et multo gelidiorem facit. *Id. N. D.* 2, 39. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium. *Val. Fl.* 6, 100. gelidum flumen securi eruere. *Virg. G.* 1, 287. Gelida nox. Et *ib.* 2, 263. gelidae pruinae. Et 488. valles. Et 202. gelidus ros. Et *A.* 8, 343. gelida rupes. Et *ib.* 597. gelidus amnis. Et 28. gelidique sub aetheris axe. *Hor. Od.* 1, 1, 30. gelidum nemus. *Virg. G.* 4, 509. gelida astra. Et *ib.* 1, 43. Vere novo, gelidus canis cum montibus humor Liquitur. *Id. A.* 3, 175. Tum gelidus toto manabat corpore sudor. *Ov. Met.* 4, 247. gelidos artus in vivum revocare calorem. *Id. Trist.* 1, 11, 3. gelidus december. *Id. A. A.* 3, 385. et *Plin.* 31, 2, 6. Gelidissimae aquae. *Liv.* 38, 27. *extr.* Loca gelida propinquitate Tauri montis. *Cic. Cat.* 1, 13. gelidam aquam bibere: quae et *gelida* absolute dicitur. *Hor. Sat.* 2, 7, 90. foribusque repulsum Perfundit gelida. [*Ov. Fast.* 3, 28. Et in gelidis herba reperta focis, i. e. nunquam accensis.] ℙ Translate. *Ov. Met.* 3, 100. gelidoque comae terrore rigebant. Et *Her.* 11, 82. gelidus metus. Et *ib.* 16, 67. horror. *Virg. A.* 2, 120. tremor per ossa cucurrit. *Ov. Fast.* 1, 98. gelidum subito frigore pectus erat. *Virg. A.* 5, 395. gelidus tardante senecta Sanguis hebet. *Hor. Od.* 2, 8, 11. gelida mors. *Ov. Trist.* 1, 4, 11. gelidus pallor. *Id. Met.* 6, 711. gelidi conjux Actaea tyranni, *h. e.* Boreae. ℙ *Gelidai* pro *gelidae*, *Lucr.* 3, 694. ℙ [*Permutantur *Gelidi* et *gemini*. *Burm.* ad *Virg. A.* 7, 450.]

GELLĬĀNUS, a, um, adj. ad Gellium pertinens, quod est nomen viri proprium. *Attejus Capito* ap. *Gell.* 13, 12. ubi *Gellianus* nomen est servi ab aliquo *Gellio* ingenuo denominati.

GELLĬUS. Aulus Gellius Romanus, grammaticus, vixit saeculo Christi II. sub Impp. Hadriano, et Antonino Pio: vita cessit sub Antonino philosopho. In patria rhetorem audivit Cornelium Frontonem, philosophos vero Athenis Favorinum, Taurum, et alios. Scripsit *Noctium Atticarum libros viginti*, h. e. commentationes hibernis noctibus lucubrari coeptas, dum Athenis studiorum causa versaretur, continuatas vero etiam postquam Romam rediit: opus varia selectaque omnis antiquitatis eruditione tum grammatica, tum historica, tum philosophica refertum: in quo legendo et delectationis et utilitatis uberrimus fructus capi potest. Ab *August. C. D.* 9, 4. dicitur *vir elegantissimi eloquii, et multae ac facundae scientiae.* Non est tamen ejus Latine loquendi ratio ubique imitanda. Est enim antiquae dictionis nimis studiosus: et a priscis durisque scriptoribus, quos assidue habebat in manibus, nimium ejus oratio colorem traxit. Catalogum quarundam vocum ab solo *Gellio* usurpatarum, quarum multae barbarismi videri possint, habes ap. *Fabric. Bibl. Lat.* 3, 4., ubi de Censorino agit. ℙ Alii sunt hoc nomine Latini scriptores multo, quam iste, antiquiores, *Sex.* et *Cn. Gellius*, ambo historici: quorum pauca exstant fragmenta ap. *Aurel. Vict. Orig. gentis. R.* 16., *Gell., Macr., Charis., Prisc.* etc.

GĔLO, as, avi, atum, a. 1. *πηγνύω*, frigore astringo. *Plin.* 15, 6, 6. Si gelent frigora, quarto die *(olivam)* premendam. *Colum.* 9, 6. Alveraria fictilia accenduntur aestatis vaporibus, et gelantur hiemis frigoribus. *Mart.* 1, 50. Fluvius qui ferrum gelat. ℙ Usurpatur et absolute neutrorum more. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Non ante demetuntur, quam gelaverit, *h. e.* frigus et glacies inciderit. *Lucan.* 9, 681. vultusque gelassent Perseos adversi, si non Tritonia densos Sparsisset crines, *h. e.* in lapides conversi fuissent. ℙ Translate. *Stat. Th.* 4, 497. gelat ora pavor, gressusque tremiscunt. *Juven.* 6, 95. timent, pavidoque gelantur Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.

*GELO vel Gelon, onis, m. *Γέλων*, Syracusarum rex, filius Hieronis II. *Liv.* 23, 30. et 24, 5. *Justin.* 23, 4. *Plin.* 8, 40. *Cic. N. D.* 3, 34. ℙ Ejus stemma V. ap. *Drakenb.* ad *Liv.* 24, 26. ℙ Hiero, Cibyrata, per jocum dicitur, quia Verri tamquam venator vasorum fuit. *B. A.*

*GĔLON, onis, m. *γελῶν*, ridens, nomen fontis in Phrygia ad Celaenarum oppidum. *Plin.* 31, 2, 16. Duo sunt fontes, Claeon (*κλαίων*, flens), et Gelon, ab effectu Graecorum nominum dicti. *B. A.*

GĔLONI, orum, m. plur. *Γελωνοὶ*, populi Scythiae Europaeae circa ortum Borysthenis, ut est ap. *Plin.* 4, 12, 26., quos hostium cutibus equos, seque velare, illos reliqui corporis, se capitum, *Mela* 2, 1. *f.* tradit. Quibusdam placet esse, qui nunc appellantur *Lituani*, aliis habitasse in *Tataria* minori, aliis in *Ukrania. Pictos* vocat *Virg. G.* 2, 115., scil. stigmata habentes, ut ait *Serv.* Alibi *sagittiferos*, alibi *acres*, *A.* 8, 725. et *G.* 3, 461. *volucres* vocat *Lucan.* 3, 283., *Hor.* vero *ultimos Od.* 2, 20, 18., quia ultimi tunc temporis, qui ab Romanis noscerentur. Dictos volunt a Gelono Herculis filio. ℙ In singulari num. *Virg. G.* 3. *l. c.* ℙ Adjective. *Grat. Cyneg.* 195. Gelonae canes.

[GĔLOS, otis, m. *γέλως*, risus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 3. C. Clodius Gelos. Alia ap. *Fabr.* p. 701. *n.* 224. Gelos Divi Augusti Lib. *F.*]

[GĔLOTĬĀNUS, a, um, adj. ad Gelotem aliquem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 598, 7. Symphorus tesserarius *servus* Caesaris de domo Gelotiana. *Suet. Cal.* 18. Commisit et subitos ludos, cum e Gelotiana apparatum circi prospicientem pauci ex proximis Maenianis postulassent. *F.* [*V. *Turneb. Advers.* 22, 30.]

[GĔLOTOPHYE, es, f. *γελωτοφυή*, herba eadem ac batrachion: ita vero dicta est quasi *risui nata. Appul. Herb.* 8. *F.*]

[GĔLOTOPHYLLIS, idis, f. *γελοτοφυλλίς*, *h. e.* folium risus, quasi folio risum ciente si comedatur. Hanc herbam quidam putant eandem esse ac batrachion. *Plin.* 24, 17, 102. *med. F.*]

GĔLOUS, a, um, adj. ad Gelam pertinens. *Virg. A.* 3, 701. Apparet Camarina procul, campique Geloi. Est autem *Gela* urbs Siciliae (cum fluvio cognomine, ut *Id. ib.* habet) in parte meridionali, condita a Rhodiis. De fluvio *Ov. Fast.* 4, 470. Et te, vorticibus non adeunde, Gela. *Plinio* 3, 8, 14. fluvius *Gelas* est in recto casu.

GĔLU, n. aut m. indecl. *κρυμός*, aqua frigore concreta. [*Gr. *κρύος*, *Eiskälte.* V. *Döderl.* 3, 92.] Habet usum plerumque in solo sexto casu singulari, ut *tonitru:* sed adhibetur etiam in primo casu ab *Ov. de nuce* 106. Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit. *Virg. G.* 2, 317. Rura gelu tum claudit hiems. Et *ib.* 3, 442. horrida cano Bruma gelu. Et *A.* 9, 604. saevoque gelu duramus et imbri. *Senec. Thyest.* 872. Frigida duro Cynosura

gelu. Et *Med.* 716. Bruma nivali cuncta constrinxit gelu. *Hor. Od.* 1, 9, 3. geluque Flumina constiterint acuto. *Plin. Pan.* 12. et *Flor.* 4, 12. *med.* Danubius ripas gelu jungit. *Phaedr.* 4, 18. Gelu rigens colubra. ℙ Reperitur et *gelus, us*, m. *Cato R. R.* 40. *extr.* Stramentis circumdato, ne gelus noceat. *Plin.* 8, 28, 42. Aure ad glaciem apposita conjectare altitudinem gelus. Adde *Cat., Acc., Afr.* ap. *Non.* 3, 104. ℙ Item *gelum, i*, n. *Lucr.* 6, 155. geli multus fragor. Et 529. Et vis magna geli. Et 877. gelum, quod continet in se, Mittit, et exsolvit glaciêm. *Varr.* ap. *Non.* 8, 70. Strata gelo putri montium saxa. *Id. R. R.* 1, 45. Venenum enim gelum radicibus tenellis sub terra, et supra virgultis. ℙ De sola nive. *Stat. Th.* 5, 392. messis amaro Strata gelu. ℙ Translate. *Virg. A.* 8, 508. Sed mihi tarda gelu, saeclisque effeta senectus. *Senec. Troad.* 624. Torpetque vinctus frigido sanguis gelu. *Lucan.* 4, 652. pectora pigro Stricta gelu, *h. e.* frigore mortis.

GĔMĔBUNDUS, a, um, adj. *ἐπιστένων*, valde gemens. *Ov. Met.* 14, 188. Ille quidem totam gemebundus obambulat Aetnam. Al. leg. *fremebundus.* [*V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 9, 207.]

*GEMELLAE, arum, vicus Numidiae. *Tab. Peut. B. A.*

GĔMELLAR, ris, n. vasis olearii genus: fortasse quod geminam mensuram contineret: [vel potius, ut putat *Gesnerus*, quod duo cava continua haberet. V. DIPLANGIUM. *F.*] *Colum.* 12, 50. *med.* Rotundum labrum melius est, quam plumbeum quadratum, vel structile gemellar.

GĔMELLĀRĬA, ae, f. idem quod gemellar. *August. in Psalm.* 136. *med.* Quare tam caecus es, ut amurcam fluentem per plateas videas, oleum in gemellaria non videas?

[GĔMELLENSES, ium, m. plur. incolae urbis Gemellae Acci, seu coloniae Accitanae in Hispania Tarraconensi, nunc *Guadix. Plin.* 3, 3, 4. *n.* 3. Ex colonia Accitana Gemellenses. *F.*]

[GĔMELLĪNUS, a, um, dimin. gemelli. Est cogn. R. Mentio est ap. *Plin. ep.* 10, 36. et 37. Virbii Gemellini procuratoris Caesaris in Bithynia. *Inscr.* ap. *Mur.* 683, 7. Aurelĭa Gemellina. *F.*]

GĔMELLĬPĂRA, ae, f. *διδυματόκος*, quae uno partu duos edit in lucem. Dicitur de Latona, quae Apollinem, et Dianam uno partu edidit. *Ov. Fast.* 5, 542. Curva gemelliparae spicula ferre Deae. [*Adde *Met.* 6, 315. Videtur h. nomen ab ipso *Ov.* compositum esse; nam vix apud alium auctorem occurrit.]

GĔMELLĬTĬCUS, a, um, adj. idem quod gemellus, ut Gemelliticus fetus, *in supposit. Plauti Bacch. prol.* 48.

GĔMELLUS, a, um, adj. *δίδυμος*, dimin. gemini. *Virg. Ecl.* 1, 14. modo namque gemellos, Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit. *Ov. Her.* 6, 121. gemella proles. Et *ib.* 8, 77. gemelli fratres. Et *ib.* 6, 143. gemellus fetus. Et *Met.* 6, 712. gemelli partus. Et *ib.* 11, 316. gemellos eniti. *Catull.* 4, 27. Gemelle Castor, et gemelle Castoris. ℙ Ponitur et pro valde simili. *Hor. Sat.* 2, 3, 243. Par nobile fratrum Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum. Et *Ep.* 1, 10, 3. Ad cetera paene gemelli. *Mart.* 12, 49. gemelli uniones. Et 10, 92. gemellae pinus. ℙ *Caes. B. C.* 3, 4. vocat *Gemellam legionem*, quae de duabus una facta est: quod quidem primum a Pompejo, deinde ab aliis etiam imperatoribus factitatum fuisse apparet. V. GEMINUS. ℙ *Gemelli* fuit titulus mimici poematis a Laberio compositi. *Gell.* 1, 7. ℙ *Gemellae vites* dicuntur, quae geminas uvas eodem pediculo junctas producunt. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 1., *Colum.* 3, 2. Sic *Plin.* 15, 14, 15. Poma cohaerentia et gemella, nunquam singula in fetu.

[GĔMESCO, is, n. 3. verbum Ionice inflexum ex *gemo*, idem ac gemisco. *Not. Tir.* p. 102. Gemit, gemescit. *F.*]

GEMĬAE. V. GUMIAE.

*GĔMĬNĀTIM, adv. duplicando, vel per geminos. Habet *Diomed.* 1, 402., nulla tamen confirmat scriptoris Latini auctoritate. *B. A.*

GĔMĬNĀTĬO, onis, f. *ἐπαναδίπλωσις*, actus geminandi, repetitio, duplicatio. *Cic. Or.* 3, 54. Geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias. *Quint.* 1, 4. Geminatione vocalium uti. Et 5. Geminatio vitii. *Id.* 8, 5. *med.* Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecae: salvum me esse, adhuc nec credo, nec gaudeo. *Gell.* 13, 24. An Tullius inani et illepida geminatione junxerit *manubias* et *praedam.*

GĔMĬNĀTUS, a, um, part. a *gemino*, duplicatus. *Liv.* 1, 25. Geminata victoria. *Cic. N. D.* 2, 5. Geminato sole. *Id. Part.* 6. Verba geminata, atque duplicata, vel etiam saepius iterata ponantur: *geminata* per figuram repetitionis: *duplicata* conduplicationis. *Ov. Met.* 12, 220. quam vino pectus, tam virgine visa Ardet: et ebrietas geminata cupidine regnat. Et 258. geminatum vulnus. *Quint.* 2, 3. onus. *Virg. G.* 2, 509. geminatus plausus. *Tac. A.* 1, 3. Agrippam ignobilem loco, geminatis consulatibus, extulit, i. e. repetitis; fuit enim ter consul, teste *Vell.* 2, 90. [**Curt.* 6, 5, 22. Geminatus honor, i. e. multipliciter auctus. *Plin. Pan.* 92, 1. Neque continuatus tantum, sed geminatus est honor.] *Ov. Met.* 15, 681. Verba sacerdotis referunt geminata. *Plin.* 15, 13, 12. Nec aliud pomum ingeniosius geminatum est, i. e. per insitionem propagatum. ℙ [*Est etiam i. q. similis, par. *Liv.* 36, 24. Sed adeo prope geminata cacumina eorum montium sunt, ut ex vertice altero conjici tela in arcem possint, i. e. pari altitudine surgunt.] ℙ Poeticum est, et a Graeco ductum, illud *Sil.* 10, 514. Quae postquam aspexit geminatus gaudia ductor Sidonius, *h. e.* geminatum gaudium percipiens.

[GĔMĬNĪNUS, a, um, dimin. gemini. *Not. Tir.* p. 102. Geminus, gemellus, gemininus. *F.*]

GĔMĬNĪTUDO, inis, f. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 366. Habeo ego istam qui distinguam inter vos, geminitudinem, *h. e.* discrimen inter geminos.

*GEMĬNĬUS, i, prodigentia opum, ac vitae mollitia amicus Sejano. *Tac. A.* 6, 14. *B. A.*

GĔMĬNO, as, avi, atum, a. 1. *διπλόω*, duplico: a *geminus. Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Cum plenas alvos habent, et cum illas geminaverint. *Ter. Ad.* 2, 1, 19. Geminabit *(pugnum)*, nisi caves. *Ov. Met.* 5, 586. Labor geminaverat aestum. *Flor.* 1, 10. Geminare terrorem. *Hor. Od.* 1, 16, 8. geminant Corybantes aera, *h. e.* geminatis ictibus pulsant. *Ov. Pont.* 3, 4, 99. geminare honorem. Et *ib.* 1, 2, 2. genus geminare nobilitate animi. *Id. Trist.* 4, 10, 31. decem vitae frater geminaverat annos, *h. e.* viginti expleverat. *Claud. B. G.* 387. Et Trebiam saevae geminassent funere Cannae. [**Tibull.* 2, 3, 39. Geminare pericula. *Ov. Pont.* 1, 2, 17. Mortis saevo geminent ut vulnere causas.] ℙ Interdum significat jungere, copulare. [*Ita quidem, ut unam quasi variae res faciem referant, ut diversae, disjunctae esse omnino desinant.] *Hor. A. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. *Suet. Dom.* 7. Geminari legionum castra prohibuit. *Stat. Silv.* 1, 2, 239. dat Juno verenda Vincula, et insigni geminat Concordia taeda. ℙ [*Dicitur et sensu neutr. i. q. geminum ac duplex esse. *Lucr.* 4, 452. Per totas aedeis geminare supellex.] ℙ [Part. *Geminans* ap. *Manil.* 4, 479. Undecimam partem geminans. *F.*]

GĔMĬNUS, a, um, adj. *δίδυμος*, qui una cum alio eodem partu editus est. *Virg. A.* 8, 631. geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros. *Id. ib.* 1, 274. gemina proles. *Liv.* 1, 6. Quoniam gemini essent, nec aetatis verecundia discrimen facere posset. *Hor. Od.* 3, 29. *extr.* me Tutum per Aegaeos tumultus Aura feret, geminusque Pollux, *h. e.* Pollux cum Castore, qui gemini sunt. Eadem ratione *geminus Castor* dicitur ab *Ov. A. Am.* 1, 746. Rursus *Hor. Ep.* 1, 18, 41. Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis, atque Zethi dissiluit. (V. FRATER.) *Pl. Men.* 2, 1, 7. Fratrem quaesitum geminum germanum meum. *Id. Pers.* 5, 2, 49. *To.* Hic ejus geminus est frater. *Do.* hiccine? *To.* ac geminissimus. [**Hor. A. P.* 147. Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo, i. e. ab Hellena, ex altero duorum illorum ovorum, quae Leda edidisse fingitur, exclusa.] ℙ *Gemini* sunt signum coeleste, qui putantur esse Castor et Pollux. V. CASTOR. Alii dicunt, esse Herculem et Apollinem, ut est ap. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Alii vero Triptolemum, et Iasona, a Cerere dilectos, et ad sidera perlatos, ut ait *Hyg. Astron.* 2, 22. V. *Viscont. Op. Var. T.* 2. p. 17. *ed. Med.* ℙ Item testiculi, qui et Graece *δίδυμοι. Solin.* 13. Fiber ne captus prosit, ipse geminos suos devorat. *Ammian.* 16, 7. Eutherius captus a finitimis hostibus etiam tum parvulus, abstractis geminis, Romanis mercatoribus venditur. ℙ Translate *geminus* est par, similis, quia inter geminos similitudo est. *Varr. L. L.* 8, 52. Saepe gemina facie mala negamus esse similia, si sapore sunt alio. *Cic. Rosc. Am.* 40. *extr.* Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. *Id. Rosc. Com. ult.* Simillima enim, et maxime gemina societas hereditatis est. *Id. Verr.* 2, 3, 66. *extr.* Concors in lucris atque furtis, geminus, et simillimus nequitia, improbitate, audacia. [**Id. Phil.* 11, 1. Geminum in scelere par (Antonius et Dolabella).] *Id. Part.* 7. *f.* Memoria est gemina litteraturae quodammodo, et in dissimili genere persimilis. Al. leg. *germana.* [*V. *Lambini Adnotatt.*] *Id. Pis.* 7. Illud vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod me domo mea expulistis. Hic quoque al. *germanum.* [**Sil.* 4, 99. Ambobus geminus cupido laudis.] ℙ Saepe est etiam duplex, duo. [**Cic. Sext.* 38. Quum Clodiani Numerium Quintium occidere cogitarent, ille se messoria corbe contexit. Quum quaererent alii Numerium, alii Quintium, gemini nominis errore servatus est. *Div.* 2, 58. Gemino lucernae lumine declarari dissensionem ac seditionem moveri. Adde *Or.* 3, 47.] *Virg. A.* 6, 894. Sunt geminae somni portae, quarum altera, etc. *Stat. Th.* 7, 50. geminumque tenens Discordia ferrum. *Ter. Andr.* 4, 1, 51. Ex unis geminas nuptias conficere. *Cic. Div.* 2, 58. *extr.* Geminum lucernae lumen. *Mart.* 2, 53. geminus assis, *h. e.* duo asses. *Virg. A.* 9, 265. Et tripodas geminos, auri duo magna talenta. *Ov. Her.* 12, 104. maris gemini distinet Isthmos aquas. [*Ita ap. *Claud. Cons. Honor.* 153. *gemini fratres* non sunt eodem partu editi, sed duo. *Lucan.* 3, 436. Geminae turres. *Virg. A.* 1, 162. gemini scopuli.] ℙ Pro *uterque*, vel *ambo. Stat. Th.* 5, 516. de ingenti angue: Saepe super fluvios geminae jacet aggere ripae Continuus. *Mart.* 10, 10. Et pariter geminas tendis in ora manus. *Virg. G.* 4, 371. Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus. Et 300 geminas nares vitulo obsuere. *Id. A.* 5, 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. Et *ib.* 6, 789. Huc geminas nunc flecte acies. *Ov. A. Am.* 2, 644. Mobilis in gemino cui pede penna fuit. Et *Fast.* 2, 154. geminos exseruisse pedes. [**Sil.* 4, 566. Gemina inter proelia.] ℙ Interdum de iis dicitur, quae duplici natura constat. *Stat. Silv.* 3, 2, 35. geminoque huic corpore Triton Praenatet. *Ov. Met.* 2, 630. geminique tulit Chironis in antrum. Et 555. Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis: *διφυέος*, vel quia enormi fuit longitudine corporis, vel quia duas callebat linguas, Graecam et Aegyptiam, inquit *Hieronym.* in *Chron. Euseb.* ad an. ab Abraham CCCCLXX. ℙ *Legio Gemina*, quae saepe occurrit in antiquis *Inscr.* ap. *Grut.* et alios, dicta fuit ex eo, quod ex duabus vario bello imminutis conflata sit, ut affirmat *Dion.* 55, 23. V. GEMELLUS. ℙ Item de crassis, amplis, obesis: quasi duplicatum suae staturae ac magnitudinis modum habentibus. *Lucr.* 4, 1161. At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho. [At fortasse hic *gemina* significat quadratam, *h. e.* statura quadrata et robusta praeditam. V. QUADRATUS. ℙ *Geminus* fuit etiam cogn. R., nempe L. Rubellii, et C. Fufii, quibus consulibus an. U. C. 782. cruci affixus est CHRISTUS redemptor noster; hinc passim legere est apud antiquos scriptores, illum mortuum fuisse *Geminis consulibus.* Fuit praeterea cogn. in gente Aburia, Attidia, Varia, aliisque. ℙ [*Permutantur *Geminus* et *gelidus.* V. GELIDUS *in f.*]

[GĔMĬPOMUS, a, um, adj. qui gemini pomi figuram refert: ita porro vocantur papillae mulierbres in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 653. *Burm.* Conde papillas, conde gemipomas, compresso lacte quae modo pullulant. *Burm.* legend. putat *gemellulas*, ut constet ratio carminis; nam hic male secunda syllaba longa, et tertia brevis est. Alii nihil mutandum, eamque licentiam auctori sequioris temporis condonandam existimant. *F.*]

GĔMISCO, is, n. 3. idem ac gemo. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 130. Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt. V. GEMESCO.

[GĔMĪTES, is, m. gemma ap. *Plin.* 37, 11, 73. Ratio nominis nec in gemite est, velut in petra candidis manibus inter se complexis. *F.*]

GĔMĪTORĬUS. V. in GEMONIUS.

GĔMĪTUS, us, m. *στεναγμός*, gemendi actus. *Cic. Rosc. Am.* 9. Ut urbe tota fletus gemitusque fieret. *Id. in Senat.* 7. Dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis. *Id. Har. resp.* 18. Ejulatus et gemitus Philoctetae. *Id. Sext.* 31. Tota obviam civitas cum lacrimis gemituque processerat. *Id. Tusc.* 2, 24. Gemitus clamentabilis, imbecillus, abjectus, flebilis. *Virg. A.* 3, 39. lacrimabilis. Et *ib.* 7, 15. exaudiri gemitus iraeque leonum. *Val. Fl.* 2, 458. gemitu taurus acerbo implevit avia. *Virg. A.* 1, 489. ingentem gemitum dat pectore ab imo. Et *ib.* 10, 464. magnumque sub imo Corde premit gemitum. *Val. Flacc.* 8, 400. trahere gemitum. *Virg. A.* 11, 37. ingentem gemitum tollere. Et *ib.* 6, 873. quantos ille virum campus aget gemitus! Et *ib.* 2, 288. graviter gemitus imo de pectore ducens. *Id. G.* 3, 517. Extremosque ciet gemitus. *Petr. Sat.* 81. Inter tot altissimos gemitus frequenter proclamabam. *Ov. Her.* 11, 51. gemitus dolor edere cogit. *Id. Met.* 2, 622. gemitus alto de corde petiti. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, sonitum gemitus similem edentibus. *Virg. A.* 2, 53. Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae. Et *ib.* 3, 555. et gemitum ingentem pelagi. Et *ib.* 9, 709. collapsa ruunt immania membra: Dat tellus gemitum. *Ov. Met.* 12, 487. Plaga facit gemitum ceu corpore marmoris icti. [**Sil.* 3, 645. Dat gemitum moles.] ℙ In secunda decl. *Pl. Aul.* 4, 9, 11. Tantum gemiti hic dies mihi obtulit.

GEMMĂ, ae, f. *λίθος*, lapillus pretiosus, et magis proprie de pellucidis dicitur: inde transfertur ad oculum vitis, quem primo emittit. Sed contra censent alii gemmam proprie de vitibus dici, translate de lapillis pretiosis. V. GEMMO. Est autem *gemma* pro *gema* a *γέμω*, turgeo. *Virg. G.* 2, 335. Pampinus trudit gemmas, et frondes explicat omnes. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Pocula ex auro gemmis distincta clarissimis. *Virg. G.* 2, 506. Ut gemma bibat, *h. e.* poculo ex gemma facto. Sic *Senec. Prov.* 3. *f.* Gemma ministrare. *Proip* 3, 3, 26. Nec bibit e gemma divite nostra sitne ℙ Speciatim dicitur de lapillis, qui annulo includuntur. *Plin.* 37, 5, 20. Cylindros ex beryllis facer.

malunt, quam gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine, Adde *Ov. Pont.* 2, 10, 1. et 7. ℙ Dicitur aliquando de margaritis. *Prop.* 1, 14, 12. Et legitur rubris gemma sub aequoribus, *Mart.* 8, 28. Cedet Erythraeis eruta gemma vadis. ℙ [*Gemma vitrea* apud *Plin.* 35, 6, 30., et ap. *eund.* 37, 7, 26. *gemma facticia* est, quam Itali dicunt *pasta vitrea*, *giojello falso*. *F.*] ℙ Translate ponitur pro praecipuo ornamento. *Mart.* 5, 11. Multas in digitis, plures in carmine gemmas Invenies. *Sidon. ep.* 4, 22. Hesperius gemma amicorum.

GEMMANS, antis part. a. *gemmo:* in modum gemmae splendescens. *Colum.* 8, 11. et *Mart.* 13, 70. de pavone. Miraris, quoties gemmantes explicat alas. *Lucr.* 2, 319. Invitant herbae gemmantes rore recenti. *Manil.* 5, 256. nitidis gemmantem floribus hortum. ℙ Idem gemmis abundans, vel ornatus. *Id.* 4, 652. in molles Arabes, terramque ferentem Delicias, etc. Leniter affundit gemmantia litora pontus. *Ov. Met.* 3, 264. gemmantia sceptra. [*Nota: v. *gemmare* hanc significationem nonnisi part. praes. exhibere.] ℙ Item gemmas effundens, cum de orboribus sermo est. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 17. Gemmantem vineam confodi vetant, decuti enim oculos. *Colum.* 4, 24. *med.* Gemmantem oculum caecare. *Pall.* 3, 32. Sarmenta gemmantia. Et 12, 11. Surculi gemmantes. ℙ Item gemmae, seu lapilli naturam imitans. *Plin.* 36, 7, 11. Memphites lapis gemmantis naturae, *h. e.* modum ac nitorem gemmarum habens.

GEMMĀRIUS, ii, m. gemmarum politor, aut negotiator. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 14. M. Lollius Alexander gemmarius.

GEMMASCO, is, n. 3. est gemmas emittere, pullulare, *ὀφθαλμίζειν*. *Plin.* 17, 15, 25. Ut gemmascere incipiens, legatur calamus. *Colum.* 5, 10. Nucem Graecam serito circa Kal. Februar., quae prima gemmascit.

*GEMMĀTĬO, onis, f. actus gemmas emittendi. *Plin.* 17, 14, 34. Surculi praegnantes, hoc est, gemmatione turgentes. Alii tamen leg. *germinatione*. *B. A.*

GEMMĀTUS, a, um, part. a *gemmo:* gemmis instructus et ornatus. *Liv.* 1, 11. Gemmati anuli. *Ov. Met.* 10, 113. Gemmata monilia. *Plin.* 37, 2, 6. Gemmata potoria. ℙ De arboribus. *Pall.* 4, 10. *in.* Melius proveniet, si ponendus ramus gemmata jam matre sumatur. [*Observa, in v. gemmare nonnisi part. praet. h. significationem exserere.] V. GEMMANS.

GEMMESCO, is, n. 3. gemma fio. *Plin.* 37, 10, 57. de dracontite gemma: Sed nisi viventibus abscisso nunquam gemmescit.

GEMMĔUS, a, um, adj. *διάλιθος*, qui ex gemma est. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. *extr.* Mittit etiam trullam gemmeam rogatum. *Plin.* 18, 7, 13. Radix gemmeae rotunditatis, i. e. rotunda in modum gemmae. *Senec. ep.* 110. *med.* Contemnere aureos lectos, et gemmeam suppellectilem. ℙ Item gemmis ornatus. *Ov. Fast.* 2, 74. Gemmea purpureis cum juga demit equis. *Mart.* 3, 58. Argutus anser, gemmeique pavones. ℙ Translate est in modum gemmae splendescens, floridus. *Plin. ep.* 1, 3. Quid illa porticus verna semper? quid *πλατανὼν* opacissimus? quid euripus viridis et gemmeus? *Id. ep.* 5, 6. Prata florida et gemmea. *Mart.* 10, 3. Quos rumor alba gemmeus vehit penna. [*Ablav.* ap. *Sidon. ep.* 5, 8. de Constantino M.: Saturni aurea saecla quis requirat? Sunt haec gemmea, sed Neroniana: *scil.* Constantinus uxorem Faustam, et filium Crispum occiderat, ut Nero Poppaeam uxorem, et Britannicum fratrem adoptivum; qui praeterea, ut ait *Plin.* 37, 5, 16., gladiatorum pugnas smaragdo ingenti spectare solebat. *F.*]

GEMMĬFER, a, um, adj. gemmas ferens. *Plin.* 37, 13, 76. Gemmiferi amnes sunt Acesinus, et Ganges. *Propert.* 3, 3, 2. Et freta gemmiferi findere classe maris, *h. e.* Erythraei. *Val. Flacc.* 5, 448. gemmifera corona, *h. e.* gemmata.

GEMMO, as, avi, atum, n. 1. dicitur de vitibus gemmam emittentibus: non tamen proprie, sed translate. *Cicero* enim *Or.* 24. et *Or.*3, 38. *τὸ gemmare vites*, enumerat inter translationes, quae vulgo etiam rusticis usurpantur: et *Quint.* 8, 6. necessitate, inquit, rustici dicunt gemmam in vitibus. Ex quo colligitur, vocem *gemma* proprie de lapillis, ex *Tullii* et *Quintiliani* sententia, translate de vitibus dici: quod alii contra docuerunt, ut in GEMMA dictum est. *Varr. R. R.* 1, 40. Id fit, antequam gemmare, aut florere quid incipit. *Colum.* 4, 27. Antequam gemment, per divortium veris atque hiemis, quam altissime fodiendae vineae sunt. Utroque loco est, qui *germinare* reponit. *Enn.* ap. *Char.* 1, 81. Purpureis gemmavit pampinus uvis, *h. e.* nituit, tanquam gemmis ornatus. *Sol. fr.* ap. *Pithoeum pag. m.* 267. candidus aether Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.

GEMMŌSUS, a, um, adj. multis gemmis exornatus. *Appul. Met.* 5. Auro facto, gemmosisque monilibus onustas.

GEMMŬLA, ae, f. dimin. gemmae. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 3. *med.* Alii vecte et malleo silices moliuntur, alii autem caelo et marculo gemmulas exsculpunt. *F.*] ℙ De gemmis arborum. *Appul. Met.* 10. Quod ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret. ℙ [Translate de pupillis oculorum. *Id. Anez.* 8. Et pupularum nitidas geminas gemmulas. *F.*] ℙ Est etiam nomen equi circensis in *Tab. marm.* ap. *Grut.* 341.

GĔMO, is, ui, itum, a. 3. *στενάζω*, est prae animi angustia in sonum prorumpere, et queri: a *γέμω* a sono fictum. *Cic. in Senat.* 5. *extr.* Malum suum occulte gemere. *Pl. Amph.* 5, 1, 47. Uxorem tuam neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus. *Cic. Att.* 2, 19. Virtutem istam, veniet tempus, cum graviter gemes. *Hor. Od.* 4, 12, 5. Ityn flebiliter gemens Infelix avis. *Phaedr.* 5, 1. Tacite gementes tristem fortunae vicem. Et 7. Multum gemens. *Claud. B. Get.* 181. gemit irrita Tempe Thessalus, et domitis irrisam cantibus Oeten. *Virg. G.* 3, 226. Multa gemens ignominiam. *Stat. Achill.* 1, 281. de equo: dominique gemit captivus inire Imperia. [*Similis constructio ap. *Hor. Ep.* 1, 20, 4. Ostendi gemis.] *Mart.* 9, 93. qui servum te gemis esse diu. *Virg. A.* 11, 865. exspirans atque extrema gemens. *Val. Fl.* 5, 37. talia voce gemit, *h. e.* fatur, queritur. [*Prop. 2, 7, 31. Ah gemat in terris, qui, etc., et *ib.* 25, 12. Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?] ℙ Passive. *Cic. Att.* 2, 18. Hic status, qui una voce omnium gemitur, nec verbo cujusquam sublevatur. *Ov. Met.* 13, 464. Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est. ℙ Tribuitur variis animalibus, quorum vox gementi est similis. *Virg. Ecl.* 1, 58. Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes, Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo. *Prop.* 4, 3, 59. Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno. ℙ Item rebus inanimis, quorum sonus veluti laborantium gemitus imitatur. *Ov. Pont.* 3, 3, 10. agitatus inhorruit aer, Et gemuit parvo mota fenestra sono. *Claud. III. cons. Honor.* 196. Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis. *Idem cons. Mall. Theod.* 204. quidquid Tyrrhena tunditur unda, Vel gemit Ionia. *Virg. G.* 3, 183. tractuque gementem Ferre rotam. *Id. A.* 6, 413. gemuit sub pondere cymba. *Plin. ep.* 9, 26. Stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt. [*Hor. Od. 1, 14, 6.] *Val. Fl.* 3, 164. cuneisque gemit grave robur adactis. *Id.* 6, 168. rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu Nutat humus. *Hor. Od.* 2, 20, 14. gementis litora Bosphori. ℙ Interdum videtur significare, simplicem sonum, aut vocem emittere. *Avien. fab.* 26. Illa *(capra)* gemens, desiste precor, etc. *h. e.* respondens. *Id. praef. extr.* Feras cum hominibus gemere fecimus, *h. e.* loqui. Huc trahi potest illud *Hor. Ep.* 16, 51. vespertinus circumgemit ursus ovile.

[GĔMONĬDES, um, f. plur. gemmae, quae et Paeantides vocantur. *Plin.* 37, 10, 66. Paeantides, quas quidem gemonidas vocant, praegnantes fieri, et parere dicuntur, mederique parturientibus. Alii leg. *gaeanidas*, alii melius *encymonidas*, h. e. praegnantes, ab *ἐγκύμων*, fetum habens. *F.*]

GĔMONĬUS, a, um, adj. ad gemitum pertinens, vel ubi gemitur: hinc *Gemonii gradus* vel *Gemoniae scalae*, et absolute *Gemoniae*, locus fuit praeceps Romae in Aventino, prope templum Junonis Argivae, vel potius in crepidine Capitolii, unde sontium in carcere necatorum cadavera nuda unco impacto tracta praecipitabantur, atque hinc in Tiberim trahebantur: *gradus* aut *scalae* dictae, quia is locus in declivi quosdam veluti gradus habebat, in quibus tamen projecti non consisterent, sed ex uno in alium impingentes desilirent gravius, foediusque frangerentur: vel quia quibusdam gradibus ascendebatur: unde *ἀναβαθμοὶ* Graece nomen habet. *Plin.* 8, 40, 61. Canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse abjecti in gradibus Gemoniis. *Hard.* edidit *Gemitoriis*, quod ita constanter in MSS. legatur: inde colligit, dictum esse locum a gemitu et calamitate: non a quodam Gemonio auctore, ut nonnullis visum est. Sed hoc non placet. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 3. Corpus contumelia carceris, et detestanda Gemoniarum scalarum nota foedavit. *Tac. H.* 3, 74. Confossum, et abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. *Suet. Tib.* 61. Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus, uncoque tractus.

GĔMŬLUS, a, um, adj. gemebundus, gemens. *Appul. Flor. n.* 13. Bubones occinunt gemulo carmine.

GĔMURSA, ae, f. tuberculum sub minimo digito pedis: ita dictum, quod gemere faciat eum, qui id gerat, ut *Festus* tradit. *Plin.* 26, 1, 5. de elephantiasi: Et hic quidem morbus celeriter in Italia restinctus est: sicut et ille, quem gemursam appellavere prisci, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine obliterato.

GĔNA, ae, f. *βλέφαρον*, membrana tegens oculos: saepius in plur. num. usurpatur. *Enn.* ap. *Fest.* Pandite, sulti', genas, et corde relinquite somnum. *Plin.* 11, 37, 57. Nec genae quidem omnibus: ideo neque nictationes, etc. Et *mox.* Columbae utraque gena connivent: crocodili inferiore tantum. Extremum ambitum genae superioris antiqui cilium vocavere. ℙ Hinc poetice dicuntur de loco oculorum, vel de ipsis oculis. *Prop.* 4, 5, 16. Cornicum emeritas eruit ungue genas. Et 3, 10, 26. Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae. *Ov. Pont.* 2, 8, 66. Et patiar fossis lumen abire genis. *Id. Her.* 20, 205. Ut te conspecta, subito (si forte notasti) Restiterim fixis in tua membra genis. ℙ Saepius sunt partes subjectae oculis, supra malas: itemque ipsae malae (nam haec, quae *Festus*, et *Cic.* distinguunt, propter vicinitatem facile confunduntur) exterius, ubi barba nascitur, *παρειαί*. Hanc quidam volunt esse primam, propriamque significationem, quod sit a *γενειάς*, lanugo, prima barba: vel a *γένυς*, maxilla. *Cic. N. D.* 2, 57. Genae oculos ab inferiore parte tutantur, subjectae leviterque eminentes. *Pacuv.* ap. *Fest.* Nunc primum opacat flore lanugo genas. *Plin. l. c.* 58. Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas vocabant: XII. Tabularum interdicto, radi a feminis eas vetantes; pudoris haec sedes; ibi maxime ostenditur rubor. *Hor. Od.* 4, 1, 34. Manat rara meas lacrima per genas. *Sen. Oed.* 953. fletu rigare genas. *Tibull.* 1, 9, 11. succo splendente genas onerare. Et *ib.* 10, 38. humentes genas tergere. Et *ib.* 11, 55. flet teneras subtusa genas. Et 3, 4, 32. Inficitur teneras ore rubente genas. *Mart.* 1, 79. Siccis ipse genis flentes hortatus amicos. *Prop.* 4, 8, 26. Vincet ubi erasas barba pudenda genas. Et 2, 18, 6. Quid si jam canis aetas mea caneret annis, Et faceret scissas languida ruga genas? *Ov. A. A.* 2, 452. petere ungue genas; et *Her.* 11, 92. ire unguibus in genas; et *Trist.* 3, 3, 51. lacerare genas. *Val. Fl.* 3, 309. conferre, *h. e.* osculari invicem. ℙ In singul. num. *Enn.* ap. *Isid. Orig.* 11, 1. atque genua comprimit arta gena. *Id.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 686. imprimitque genae genam, *h. e.* palpebram palpebrae committit, et connivet. De dormiente enim loquitur. *Suet. Cl.* 15. *extr.* Libellos jecisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit. [Adde locum *Plinii* ab initio laudatum. *F.*]

GĔNĂBENSIS, e, adj. ad Genabum pertinens, ut Genabensis caedes, *Caes. B. G.* 7, 28. ℙ *Genabenses, ium*, m. plur. Genabi incolae. *Id. ib.* 11.

GĔNĂBUM, i, n. urbs Carnutum ad Ligerim in Gallia Lugdunensi. *Caes. B. G.* 7, 3. etc. ℙ Aliis eadem est, ac Aurelia, *Orléans:* aliis *Gien* oppidum: sed prior sententia amplectenda. ℙ Dicitur et *Genabus, i*, f. si genuinus est *Lucani* versiculus 1, 440. Inclyta Caesareis Genabus dissolvitur alis. [*Spurius v. est cum quatuor antecedd. V. *Cort.* ad h. l.]

[GĔNAUNES, ium, m. plur. et Genauni, orum, m. plur. sunt pop. Rhaetiae, qui Nauniam vel Anauniam, nunc quibusdam *Val di Non*, incolebant. *Plin.* 3, 20, 24. Breuni, Genaunes. *Hor. Od.* 4, 14, 10. Drusus Genaunos, implacidum genus, Breunosque veloces, et arces Alpibus impositas tremendis Dejecit aer. *F.* *V. *Mannerti German.* p. 669.]

*GĔNDOS, i, fluv. Bithyniae, etiam Chrysorrhoas dictus. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

GĔNĔĂLOGĬA, ae, f. *γενεαλογία*, sermo de origine, seu generatione. Vox graeca est, quam quidam lexicographi perperam *Cic.* tribuunt *N. D.* 3, 17. V. v. seq. *Messala Corvin. de progen. Aug.* 22. Si majorum genealogiam recte complector.

GĔNĔĂLOGUS, i, m. qui genealogiam enarrat, aut scribit. *Cic. N. D.* 3, 17. Qui a genealogis antiquis sic nominantur. *Fuit qui prave legeret* genealogiis. [*Genealogi dicuntur, qui deorum generationes scripserunt, ut Hesiodus et alii. At ne *genealogis* quidem prob. *Ernest.*, qui *theologis* susp.] *Prud. Apoth.* 315. Illud ait genealogus idem, *h. e.* Moyses, qui Genesin scripsit.

GĔNER, i, m. *γαμβρός*, filiae meae maritus: a *genus*, quia ad augendum genus adhibetur: cui respondet socer. *Cic. Off.* 1, 35. *extr.* Cum soceris generi non lavantur. *Ov. Fast.* 3, 202. Tum primum generis intulit arma socer. *Mart.* 9, 71. Cum gener, atque socer diris concurreret armis. ℙ Non solum autem maritus, sed etiam sponsus filiae meae, *gener* vocatur, uti docet *Ulp. Dig.* 38, 10, 6. Atque ita *Virg. A.* 2, 342. Choroebus Mygdonides, illis, qui ad Trojam forte diebus Venerat, insano Cassandrae incensus amore, Et gener auxilium Priamo, Phrygibusque ferebat. Ubi *Servius:* Gener dicitur et qui est, et qui esse vult. ℙ Praeterea non solum filiae, sed etiam neptis, et proneptis maritus, tam ex filio quam ex filia editarum, gener est, teste *Ulp. Dig.* 50, 16, 136. ℙ Ad haec vir sororis meae *gener* dicitur a *Justino* 18, 4., et fortasse etiam a *Nep. Paus.* 1. ℙ Denique etiam nurus meae maritus *gener* appellari creditur ab *Tac. A.* 5, 6. et *ib.* 6, 8., ubi de Sejano sermo est: tametsi alii aliam ejus appellationis causam afferunt. [*V. *Böttich. lex. Tac.* p. 207.] ℙ Ex his omnibus fit, *generum* dici posse quicumque ab altero uxorem accipit sive filiam, sive sororem, sive neptem, nurum viduam, etc. Nam qui dat, patris quodammodo personam gerit. ℙ [*Singularis locus est *Hor. Sat.* 1, 2, 64. Villius

in Fausta Sullae gener, etc. ubi *gener* idem est q. adulter, ideo sic dictus, quia filiam Sullae ita frequenter stuprabat, ut ipse gener esse videretur. V. *intpp.* Male *Gesnerus* v. *gener* proprio sensu accepit.] ℙ In dativo plurali *generibus* pro *generis* dixit *Accius* ap. *Non.* 8, 33.

GĔNĔRĂBĬLIS, e, adj. γεννητὸς, qui facile generatur: item qui generandi vim habet. *Plin.* 2, 45, 45. Hic est ille generabilis rerum naturae spiritus. *Manil.* 1, 142. sitque haec discordia concors, Quae nexus habiles, et opus generabile fingit.

GĔNĔRĀLIS, e, adj. γενικὸς, καθολικὸς, universalis, ad omnes pertinens. *Cic. Off.* 1, 27. Nam et generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. *Ulp. Dig.* 28, 5, 4. Generalis definitio. *Papin. ib.* 2, 14, 40. Generale pactum. ℙ Item qui pertinet ad genus. *Cic. Inv.* 1, 8. Cum qualis sit res, quaeritur, quia et de vi, et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. [*V. ad h. l. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 187.] *Senec. ep.* 58. *genus generale* appellat, quod philosophi dicunt *genus generalissimum.* Ejus verba sunt: Quod est, aut corporale est, aut incorporale. Hoc ergo genus est primum, et antiquissimum, et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia. ℙ Item ad cujusque rei genus, naturamque pertinens, genitivus. *Lucr.* 1, 582. [*Ap. *Eichstadt.* 591.] variae volucres, ut in ordine cunctae Ostendant maculas generales corpori inesse.

[GĔNĔRĀLĬTAS, atis, f. universitas. *Capell.* 4. p. 100. Dum hominem risibile animal dixerimus, eo a ceterorum animantium generalitate discreverimus. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 21. Post specialem invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat. *Id.* ad *A.* 6, 154. Quae contra naturam fiunt, non afferunt praejudicium generalitati. Adde *Symmach. ep.* 2, 90. *F.*]

GĔNĔRĀLĬTER, adv. γενικῶς, universaliter, simul omnia sub genere amplectendo. *Cic. Inv.* 1, 26. Nam ipsum quidem generaliter definire difficile est. *Plin. ep.* 1, 8. Memini te jam quaedam adnotasse, sed generaliter: ideo nunc rogo, ut non tantum universitati ejus attendas, verum etiam particulas, qua soles lima, persequaris. *Quint.* 5, 10. *med.* Temporis duplex significatio est: generaliter enim, et specialiter accipitur. [*Adde 1, 5. *in.*]

[GĔNĔRĀMEN, inis, n. generatio. *Strabo Gallus* in *Rosa.* Flos tibi sceptrigero venit generamine Iesse. *F.*]

GĔNĔRASCO, is, a. 3. γίγνομαι, nascor. *Lucr.* 3, 746. cur omnia membris Ex ineunte aevo generascunt, ingenioque? Est qui legit *ingenerascunt.*

GĔNĔRĀTIM, adv. κατὰ γένη, per singula genera. *Cic Acad.* 4, 15. Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illa solent non confuse loqui. *Id. Or.* 1, 41. Nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent, [*i. e. rebus ad certa genera revocatis. Adde *Verr.* 2, 2, 69. *Or.* 1, 13.] *Caes. B. C.* 1, 51. Germani suas copias e castris eduxerunt, generatimque constituerunt, paribusque intervallis Harudes, Marcomanos, etc., [*i. e. per gentes; singulae nationes, singulae gentes et nationes singulatim. In *metaphr.* gr. est κατὰ φυλὰς; cf. 7, 19., ap. *Hom. Il.* 2, 362. est κατὰ φῦλα et κατὰ φρήτρας. — *Id. B. C.* 3, 32. Multa praeterea generatim ad avaritiam excogitabantur, i. e. per singula genera hominum et pro singulis generibus rerum tributa imposita sunt. Et *ib.* 2, 21. Omnibus generatim gratias agit, i. e. singulis auditorum generibus, quae deinceps enumerantur. *Liv.* 5, 52. Ne omnia generatim sacra omnesque percenseam deos, i. e. secundum sua genera, κατὰ γένη.] *Virg. G.* 2, 35. proprios generatim discite cultus, Agricolae. *Suet. Cal.* 22. Hostiae erant phoenicopteri, pavones, meleagrides, etc., quae generatim per singulos dies immolarentur, [*i. e. secundum genera, ut singulis diebus aliud avium genus immolaretur.] Adde *Colum.* 5, 10. et *Lucr.* 1, 228. [*Ap. *Eichstadt.* 230. Ceterum frequens est *Lucr.* in h. v. usu.] ℙ Item per omnia genera, universim, generaliter. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Nam quid ego de ceteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? *Id. Or.* 2, 10. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo: Expetenda ne esset eloquentia. *Id. Inv.* 2, 5. Ut omnia generatim amplectamur. *Id. Att.* 11, 6. Non nominatim, sed generatim informata proscriptio. *Colum.* 3, 9. *extr.* Haec de cura malleoli generatim praecepimus: nunc illud proprie, etc. [*Liv. 45, 40. Quae haud dubie major aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis (Valerio Antiate) efficitur, i. e. omnibus in unam summam collectis.]

GĔNĔRĀTĬO, onis, f. γένεσις, actus generandi. *Plin.* 9, 50, 74. Nec satis est generationi piscium, nisi editis ovis, etc. *Id.* 8, 47, 72. Generatio pecoribus binis utrinque ad novenos annos. *Id.* 20, 13, 51. Cibo rutae generationes impediri.

GĔNĔRĀTOR, oris, m. γενετὴρ, genitor, procreator. *Cic. Univ.* 11. Nosse autem generatores suos optime poterant. *Virg. A.* 3, 704. Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Moenia, magnanimum quondam generator equorum.

GĔNĔRĀTORĬUS, a, um, adj. ad generationem, vel ad generatorem pertinens. *Tert. adv. Valent.* 27. Generatorio more.

GĔNĔRĀTRIX, icis, f. quae generat. *Mela* 1, 9. Aegyptus hominum, aliorumque animalium perfecunda generatrix.

GĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *genero;* genitus, productus, γενητός. *Cic. Tusc.* 5, 24. Semina, unde essent omnia orta, generata, concreta. *Id. Off.* 1, 29. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. *Id. Phil.* 5, 2. Mars, a quo populum R. generatum accepimus. *Nep. Att.* 1. Ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a majoribus acceptam equestrem dignitatem obtinuit. (Al. leg. *generatu perpetuo a majoribus*, etc., ut sit *generatus, us*, generatio; quod alicui fortasse rectius videri potest.) [*V. *Brem.* ad h. l.] *Virg. A.* 5, 61. Troja generatus Acestes. *Ov. Met.* 15, 19. Argolico generatus Alemone quidam Myscelos. *Curt.* 9, 1. Arbor ex sua radice generata.

GĔNĔRĀTUS, us, m. V. v. praec.

GĔNĔRO, as, avi, atum, a. 1. γεννάω, gigno, procreo: a *genus.* *Cic. Leg.* 1, 9. Hominem generavit et ornavit Deus. [*Sil. 15, 58. Deus laetos generavit in usus res homini.] *Hor. Od.* 1, 22, 13. quale portentum Nec Jubae tellus generat leonum Arida nutrix. *Ov. Met.* 15, 375. Semina limus habet virides generantia ranas. *Justin.* 2, 1. *f.* Terram tanto prius animalia generare coepisse. *Virg. A.* 7, 734. nec tu indictus abibis Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha Fertur. *Id. G.* 3, 65. Atque aliam ex alia generando suffice prolem. [*Ov. *Fast.* 4, 33. Tros est generatus ab illo: ubi nota constructionem *generatus est ab*, quae insolentior quidem; sed v. locum *Nep.* in *generatus.*] ℙ Ponitur et pro parere, vel concipere. *Plin.* 8, 44, 69. Sterilis intelligitur, quae non primo initu generare coeperit. ℙ Item pro facere. *Virg. G.* 4, 205. Tantus amor florum, et generandi gloria mellis. ℙ Dicitur et de rebus aliis. *Justin.* 4, 1. Ignibus generandis, nutriendisque soli ipsius naturalis materia. *Gell.* 5, 6. E gramine, quod in eo loco generatum esset, etc. ℙ Translate. *Quint.* 7, 3. Verba, quae litem generant. *Modest. Dig.* 25, 3, 7. Nihil ei ex hoc praejudicii generari, respondi. ℙ Interdum est animo invenire, et parere. *Quint.* 10, 2. An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent? *Id.* 1, 1. *f.* In iis aetatibus, quae nihil dum ipsae ex se generare queunt. [*Suet. *Ner.* 52. Versiculi — non translati aut dictante aliquo excepti, sed plane quasi a cogitante atque generante exarati.]

GĔNĔRŌSĒ, adv. γενναίως, fortiter, magno animo. *Hor. Od.* 1, 37, 21. Generosius perire, [*i. e. nobiliore et honestiore mortis genere, quam quod se captivam maneat.]

GĔNĔRŌSĬTAS, atis, f. εὐγένεια, magnanimitas, animi magnitudo, quae vel a genere, vel a virtute habetur. *Plin.* 8, 45, 70. Tauris generositas est in aspectu. ℙ Item fecunditas. [*Hujus §. exempla non fecunditatis notionem continent, sed bonitatem significant, i. e. eam virtutem, qua quid bono genere natum est: *von edler Race*, *von guter Art.*] *Plin. ib.* 48, 75. In ipsa ove satis generositatis ostenditur brevitate crurum, ventris vestitu. Et *ib.* 50, 76. de capris: Feminarum generositatis insigne, laciniae corporibus a cervice binae dependentes. *Col. arb.* 1. Vitis pretio parata certam generositatis fidem non habet. *Pallad.* 9, 3. Asserit Columella (*Arbor.* 2.) explorari fecunditatem uno anno non posse, sed quatuor: quo numero cognoscitur vera generositas surculorum. ℙ Aliquando significat bonitatem, v. gr, vini: ex qua commendatio, et pretium, et fama vini consequitur. *Plin.* 14, 6, 8. Antea Caecubo erat generositas celeberrima. V. v. seq.

GĔNĔRŌSUS, a, um, adj. εὐγενὴς, γενναῖος, nobili et praeclaro genere ortus. *Cic. Par.* 3, 1. Generosa ac nobilis virgo. *Id. Brut.* 58. *extr.* Generosa stirps. *Ov. Trist.* 4, 4, 1. nominibus generosus avitis. *Id. Met.* 14, 698. Viderat a veteris generosam sanguine Teucri Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus. *Hor. Sat.* 1, 6, 1. Non, quia, Maecenas, nemo generosior est te, naso suspendis adunco ignotos. *Sall. Jug.* 88. Naturam unam et communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse [*Nep. *Att.* 12. Praeoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Notandum est, h. v. a *Nep.* nunquam de animo dici. V. *Brem.* ad ejusd. *Att.* 1. ubi sunt, qui parum recte h. v. de ingenii praestantiâ intelligendum censent. *Suet. Tib.* 49. Generosissima femina. *Virg. A.* 10, 141. Maeonia generose domo, i. e. nobili genere natus in Lydia. *Ov. Fast.* 1, 591. Perlege dispositas generosa per atria ceras: *generosa atria* sunt familiarum nobilium. *Id. ib.* 839. Stillantemque tenens generoso sanguine cultrum.] ℙ Translate. *Cic. Amic.* 9. Humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae. ℙ Inter *nobilem*, et *generosum* hoc interest, quod *nobilis* etiam in malam partem sumi potest: *generosus* non item. Praeterea *nobilis* dicitur, qui est notus claritate familiae: *generosus*, qui claritate rerum gestarum, et virtute. Ita ex *Aristot. Voss. inst. Orat.* 2, 14, 7. *Juven.* 7, 191. Felix, et sapiens, et nobilis, et generosus. ℙ Est etiam magnanimus, animosus, fortis. *Cic. Off.* 3, 22. Cum de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente. *Id. Tusc.* 2, 65. Quod natura ipsa, et quaedam generosa virtus statim respuit. *Plin.* 8, 40, 61. Alexander generosi spiritus imperator. [*Vell. 2, 125, 5. Cujus curam ac fidem Dolabella quoque vir simplicitatis generosissimae, in maritima parte Illyrici per omnia imitatus est.] *Ov. Fast.* 2, 199. generosus miles. *Virg. G.* 3, 75. pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur. [*Hic et anteced. locus huc non pertinet; ad generis enim praestantiam *generosus* referendum est. Ceterum eodem modo de equis dicit *generosus Symmach. ep.* 4, 61. Tui beneficii erit, ut quidquid ad currule certamen generosum gignit Hispania, vel domo praebeas, vel aliorum gregibus excerpas.] *Senec. Phoeniss.* 334. generosa indoles. *Plin.* 10, 21, 24. Leones ferarum generosissimi. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 75. Forma dicendi magnifica, et generosa quodammodo. [*Laud. h. l. *Suet. Caes.* 55. ubi *BCrus.* in *cl. Suet.* p. 385. notat: desumpto usu a nobilitate generis; ita paulo ante *splendida* dicitur. Gr. γενναῖος, nos: *edel.* Recte! Cf. 1. *Brut.* 58. ab initio laud. Pertinet igitur locus ad §. 2. Adde *Quint. Inst.* 1, 1, 24. Nam plerumque nudae illae artes — frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius, etc.] ℙ Est item ferax, fecundus, quasi multum generans, πολύγονος. [*Neque h. §. exempla, quae parum differunt a seqq., fecunditatis notionem vere continent; *generosa* enim excellentissima in suo quaeque genere drr.] *Propert.* 4, 11, 61. emerui generosos vestis honores: nec mea de sterili facta rapina domo. *Virg. A.* 10, 174. Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis. [*Ov. *Met.* 15, 710. Generosos palmite colles.] *Plin.* 11, 40, 95. Sues generosae duodenas mammas habent, vulgares binis minus. *Ov. Fast.* 5, 211. implere hortum flore generoso, *h. e.* multo, abundanti. ℙ Dicitur etiam de vitibus, quae vinum ferunt fama et pretio commendatum: quae duae res non a feracitate, sed a bonitate proveniunt: itemque de pomis, et hujusmodi. *Colum.* 3, 2. *f.* Ut nobilem vitem conseramus, generosam requiremus: ubi nihil erit, quod proritet, feracitatem potius sequemur, quae non eadem portione vincitur pretio, quam vincit abundantia. *Hor. Ep.* 1, 15, 18. Vinum generosum et lene. [*Ov. *Met.* 13, 818. Generosa bruna.] *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. generosissima mala. Et *ib.* 21, 23. sorbs. *Id.* 32, 6, 11. ostrea. *Id.* 15, 29, 35. generosum obsonium. ℙ Sunt etiam *generosae vites*, quae vini feraces sunt. *Colum.* 3, 2. *med.* Magnis etiam dotibus tres apianae commendantur, omnes feraces: generosior tamen una, quae, etc. [*Perperam hic locus nihil sententia differens ab antecedentibus separatim positus est.]

[GĔNĔSĬĂCUS, a, um, adj. ad genesin pertinens. Est nomen servile. *Inscr.* ap. *Grut.* 613, 11. Genesiacus Imp. Nervae Trajani *servus. F.*]

GĔNĔSIS, is, vel eos, f. γένεσις, generatio, nativitas. Graeca vox. In basi Minervae Phidiae caelata erat *Pandoras genesis*, teste *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 4. *Πανδώρας γένεσις.* ℙ [*Hinc in bibliis sacris *Genesis* appellatur primus liber Moysis. *Tert. Orat.* 7. *B. A.*] ℙ Accipitur a Latinis pro sidere natalicio, sub quo scilicet quis natus est, ex quo futurae vitae sortem portendi credebant. *Juven.* 6, 578. si prurit frictus ocelli Angulus, inspecta genesi collyria poscit; et 14, 248. Nota mathematicis genesis tua. *Suet. Vesp.* 14. Monentibus amicis, cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesin habere imperatoriam.

GĔNĔSTĀ. V. GENISTA.

GĔNĔTAEUS, a, um, adj. ad Geneten pertinens, fluvium, et promontorium, et portum apud populos Chalybas circa Pontum. *Val. Fl.* 5, 148. Inde Genetaei rupes Jovis. ℙ *Genetae, arum*, m. plur. [*Γενηταί.] sunt populi illic habitantes ap. *Plin.* 6, 4, 4.

GĔNĔTHLĬĂCUS, a, um, adj. γενεθλιακὸς, ad genesin, seu natalicium sidus pertinens: a γενέθλη, origo, ortus. Hinc *genethliaci* dicuntur, qui ex observatione talium siderum sortem futuram hominum, eventusque praedicunt. *Gell.* 14, 1. *in.* Qui sese Chaldaeos, seu genethliacos appellant. ℙ Inscripsit etiam *Statius* carmen suum *Silv.* 2, 7. *Genethliacon Lacani*, in quo natalem ejus diem, ipsumque poetam laudat. ℙ *Gĕnethlĭācē, es*, f. appellatur a *Capell.* 3, 50. Grammatice, quod genera rerum captat. V. IATRICE.

GĔNĔTHLĬOLŌGĬA, ae, f. γενεθλιολογία, ars genethliacorum. *Vitr.* 9, 7. *med.* Propria est Chal-

decorum genethliologiae ratio, uti possint ante facta, et futura ex rationibus astrorum explicare.

[GĔNĔTHLĬUS, a, um, adj. *γενέθλιος*, natalicius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 340, 1. T. Flavius Genethlius. *F.*]

[GĔNĔTHLON, i, n. *γένεθλον*, genus, filius, proles. Est nomen servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 477, 1. Genethlon P. Tutilii Callifontis *servus*. Ita pro *Calliphontis*. *F.* *Ap. *Orell.* est 4060., qui facit cum *Hagenb.* ex *Fabrett.* p. 73, 72. pro GENETHLON emendante GENio ET HONori.]

GĔNĔTRIX et Genitrix, icis, f. *γενέτειρα*, quae genuit, mater. *Hor. Sat.* 2, 3, 133. Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 5. *extr.* Ex ipso genetricis rogo lucem et cunas assecutus. *Plin.* 10, 23, 32. Genetricum senectam ciconiae educant. ℙ Ut *mater*, ita *genetrix* per antonomasiam de Cybele, Deum matre dicitur. *Virg. A.* 9, 117. et 10, 234. ℙ *Venus genetrix* hoc nomine templum Romae habuit, exstructum a Julio Caesare, qui se ab ea per Aeneam oriundum praedicabat. *Suet. Caes.* 61. 78. et 84. ℙ Translate. *Sil.* 15, 615. Nox somni genetrix. *Ov. Met.* 5, 490. frugum genetrix, *h. e.* Ceres. *Sen. Thyest.* 816. genetrix primae roscida lucis, *h. e.* Aurora. *Plin.* 5, 29, 31. Miletus Ioniae caput super octoginta urbium per cuncta maria genetrix. *Id.* 26, 1, 3. Aegyptus vitiorum genetrix. *Just.* 20, 4. Genetrix virtutum frugalitas. ℙ *Genetrix*, et *mater* hoc differunt, quod illa semper, quae genuerit dicitur; haec aliquando pro nutrice ponitur. *Non.* 5, 9. V. MATER. ℙ Ad scriptionem quod attinet, si vetera monumenta, et MSS. codices attendas, fere semper per *e* legitur, teste, praeter alios, *Pierio* ad *A.* 1, 594. Si vero originem, per *i:* est enim a *genitor*, hoc a *genitum*. Placet igitur prior ratio *Dausquio*, aliisque multis: altera *Manutio*, qui et ipse antiquos duos lapides pro se affert. *Cellarius* litem componere conatur, ut quando est Veneris cognomen, per *e* scribatur, [singulari quadam consuetudine, quia sic constanter legitur in nummis, et lapidibus: in ceteris per *i*, ut origo poscit.

GĔNĔVENSIS, e, adj. ad Genevam pertinens, quae est urbs Allobrogum ad egressum Rhodani ex lacu Lemano: ejus mentio est apud *Caes. B. G.* 1, 6. *Inscr.* ap. *Grut.* 477, 4. Genevensis provincia.

GĔNĬĂLIS, e, adj. ad genium naturae et voluptatis Deum pertinens: universim voluptarius, ut *Genialis dies*, laetus, et voluptarius: *Genialis torus*, sive lectus, qui in nuptiis sternitur in honorem Genii, et Junonis: [*Post nuptias autem in atrio collocari et religiose servari solebat. V. *Lips. Elect.* 1, 17. Hinc *Hor. ep.* 1, 1, 87. Lectus genialis in aula est: pro vulgari: si quis est maritus. *Serv.* ad *A.* 6, 603. geniales lectos dictos esse monet a generandis liberis.] Item qui convivii causa. *Cic. Cluent.* 5. *extr.* Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat. [*Opp. *pulvinar. Plin. Pan.* 8, 1. Nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis optimi maximi.] *Virg. A.* 6, 603. lucent genialibus altis Aurea fulcra toris. *Juven.* 4, 66. genialis agatur Ista dies: propera stomachum laxare saginis. *Ov. Fast.* 3, 523. Festum geniale. Et *Met.* 13, 929. genialia serta, *h. e* coronae, quae voluptatis causa in conviviis, et festis diebus adhibentur. *Id. A. Am.* 1, 125. Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae, *h. e.* conjugii causa abductae. Al. leg. *genitalis*. *Stat. Silv.* 2, 3, 108. genialia jura, *h. e.* conjugalia. *Ov. Amor.* 3, 15, 19. Imbelles elegi, genialis Musa, valete, *h. e.* carmina amorum et voluptatis. *Id. Her.* 19, 9. geniale rus, *h. e.* amoenum, et voluptarium. *Id. Amor.* 2, 13, 7. genialia arva Canopi, *h. e.* deliciis affluentia. *Stat. Silv.* 4, 4, 51. geniale litus. *Ov. Met.* 10, 95. Platanus genialis, *h. e.* quae amoenitatis gratia seri solet. [*Heins. *Advers.* 1, 10. p. 96. monet genialem platanum hic dici, quoniam jucunda sit ejus umbra. — *Id. ib.* 4, 14. Genialis consitor uvae, i. e. quae facit ut genio iudulgeamus, laeti et hilares simus: quem locum perperam Noster infra §. 4. ita intellexerat, ut *genialis* non ad *uvae* sed ad *consitor* referendum censuisset. Simili modo *Tibull.* 2, 3, 63. Jucundae consitor uvae.] *Id. Trist.* 3, 13, 17. geniale tempus, *h. e.* genio sacum. Al. leg. *genitale*, *h. e.* natalis dies. *Virg. G.* 1, 302. genialis hiems, *h. e.* in qua celebrantur convivia. *Stat. Achill.* 1, 113. genialia bella, *h. e.* inter pocula et mensas nuptiales sponsae rapiendae causa inita, qualis fuit Centaurorum pugna cum Lapithis. *Santra* ap. *Non.* 2, 374. Scis enim, geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad invitandum, et largius apparandum cibum promptiores essent. ℙ Absolute. *Arnob.* 4, 144. genialibus alienis insultare, *h. e.* lectis conjugalibus. ℙ Videtur etiam sumi pro fecundo. *Plin.* 17, 9, 6. In tantam abundans genialis copia pecudum. *Id.* 18, 24, 54. Sors genialis atque fecunda. ℙ *Geniales Divi* dicuntur a *Statio* Bacchus et Ceres, quia convivia, voluptas, deliciae sine iis nullae sunt. *Theb.* 12, 618. genialibus hospita Divis Icarii Celeique domus. V. CELEUS et ICARIUS, ii. ℙ *Festus* docet, geniales Deos dictos esse aquam, terram, ignem, aerem; ea enim sunt semina rerum: duodecim quoque signa, lunam et solem inter hos Deos computari solitos. Hac ratione *genialis* est a *Genius*, qua vim notat rerum gignendarum. Alii tamen leg. *genitales*. ℙ [*Confunduntur in cdd. *geniales* et *genitalis*. V. *intpp.* ad *Ov. Met.* 10, 95.]

GĔNĬĂLĬTAS, atis, f. festivitas, jucunditas. *Ammian.* 30, 1. *f.* Genialitas mensae.

GĔNĬĂLĬTER, adv. *τρυφερῶς*, opipare, et laute. *Ov. Met.* 11, 95. Hospitis adventu festum genialiter egit. *Appul. Met.* 10. Otiose ac satis genialiter contorta in modum linguae extrema labia, grandissimum illum calicem uno haustu perhausi.

GĔNĬĀNUS, a, um, adj. ut *Geniana salicta* in carmine *Helvii Cinnae* ap. *Gell.* 19, 13. *f.* At nunc me Genianam per salicta Binis rheda rapit citata nanis. Alii leg. *Genusina*, alii *Genumana*, alii vero aliter. ℙ De *geniana gemma* apud *Plin.* 37, 10, 59. incerta admodum est lectio. [*Hard. legit *goniaeam.*]

[GĔNĬĀRĬUS, ii, m. Geniorum artifex, qui nempe ex ebore, vel auro, vel argento, vel aere, vel marmore Geniorum simulacra conficiebat: hujus officinia sita erat in foro Romano post aedem Castori et Polluci dicatam. *Inscr.* ap. *Grut.* 25, 1. Junoni Piae M. Canulejus M. L. Philonicus geniarius post aedem Castoris. Alia ap. *Don. cl.* 17. *n.* 12. L. Canidius Evelpistus geniarius post aedem Castoris. *F.*]

GĔNĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *genuo*, *as*, aliquid genio instruo. [*Gr. *ὡραῖος.*] *Capitol. Verr.* 10. Fuit decorus corpore, vultu geniatus, *h. e.* amabilis, gratus aspectu. Ita *Salmas.* Alii aliter leg. *Stat. Silv.* 1, 1. *in.* moles geniata, *h. e.* Genio sacra. Al. leg. *geminata*, al. *gemmata*. *Cassiodor.* quoque non semel usurpat, gratiosum, amabilem, geniumque habentem significans *Variar. form.* 3, 12. 20, 21. etc., sed non est facile imitandus. [*Isidorus in *Gloss. Geniatus*, *genialis*, *gratus.*]

[GĔNĬCĔ, es, f. *γενικὴ*, generalis, genitivus. Est cognom. R. *Inscript.* apud *Don. cl.* 9. *n.* 38. Livia Genice. *F.*]

GĔNĬCŬLĀTIM, adv. per genicula, *κατὰ γόνη*. *Plin.* 21, 11, 39. Vincapervinca foliis geniculatim circumdata.

GĔNĬCŬLĀTĬO, onis, f. actus geniculandi, genu flexio. *Tert. ad Scap.* 4. Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae.

GĔNĬCŬLĀTUS, a, um, part. a *geniculo*; *πολυγόνατος*, frequentibus geniculis constans. *Cic. Senect.* 15. Culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur. [*V. *Graev.* ad h. l.] *Plin.* 16, 36, 64. Geniculata arundo. *Id.* 24, 16, 93. Herba totidem geniculata nodis, quot habet annos. *Id.* 14, 1, 3. Vites per ramos populi maritae procacibus brachiis, geniculato cursu scandentes. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 1. Vitium surculis geniculati scaporum nodi intersepiunt medullam. ℙ Translate de fluvio inflexo in modum geniculi. *Ammian.* 18, 9. Urbs Amida a latere australi, geniculato Tibridis meatu subluitur propius emergentis.

GĔNĬCŬLĀTUS, i, m. idem quod Ingeniculus, scil. sidus Herculis dextro genu flexo super Draconis caput innixi. *Vitr.* 9, 6. V. ENGONASI.

GĔNĬCŬLO, as, avi, atum, n. 1. genicula produco. *Plin.* 18, 16, 42. Segete viridi desecta, antequam genicularet. *Hard.* habet *gelaret* ex MSS.

[GĔNĬCŬLOSUS, a, um, adj. idem ac geniculatus. *Appul. Herb.* 77. Agrostis foliis parvi calami similibus, atque virgultis per terram serpentibus, geniculosis. *F.*]

GĔNĬCŬLUM, i, n. *γόνυον*, dimin. genu. *Varr. L. L.* 8, 5. Non sequitur ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura. *Tert. Cor. mil.* 3. De geniculis adorare. ℙ Translate *genicula* dicuntur stipulae, vel caulis herbacei internodia, et veluti articuli ac nodi quidam. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 4. Genicula autem tritico sunt quaterna, farri sena, hordeo octona. *Id.* 26, 11, 71. Verbenaca a tertio geniculo incisa.

GĔNĬCŬLUS, i, m. idem quod geniculum. Translate dicitur de curvatura in modum genu. *Vitruv.* 8, 7. Quod si non venter in vallibus factus fuerit, nec substructum ad libram factum, sed geniculus erit, erumpet, et dissolvet fistularum commissuras.

[GĔNĬMEN, inis, n. germen, progenies: a verbo *geno*. *Tert. Anim.* 39. Omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua daemoniorum candidata profitentur.

*GĔNĬO, as, genium do. *Solin.* in *Pontico*, ut legit *Barth. Adv.* 44, 3. *Candidus aether Astrigeram faciem nitido geniavit Olympo*, quod *Scal. Catal.* p. 246. *geminavit* ediderat. *Geniavit* ergo fuerit, ornavit, venustam reddidit. Sed *Barthius* interpretatur, vitalem fecit, vivificavit. [*Vindicat h. v. latinitatem *Salmas.* ad *Capitol. Opil. Macrin.* 7. pro *decorare* dictum esse censens.] *B. A.*

GĔNĬSTA, ae, f. *σπαρτὸν*. [**Genst*, s. *Ginster.*] arbuscula quaedam humilis est fronte minuta, flore luteo, apibusque gratissimo, semine lenticulis haud absimili, quod phaseolorum modo siliquis innascitur: forte a *genu*, quia facile flectitur, vel quia genibus medetur, ut *Plin.* 24, 9, 40. docet: vel a *geno*, quia facile gignitur. *Id.* 21, 12, 42. Genistas circumseri, alvearii gratissimum. *Virg. G.* 2, 12. molle siler, lentaeque genistae. *Id. ib.* 434, salices, humilesque genistae, Aut illae pecori frondem, aut pastoribus umbras Sufficiunt, sepemque satis, et pabula melli. *Pierius* hic observat, in antiquioribus exemplaribus *genesta* legi. *Calpurn. Ecl.* 1, 5. vaccae Molle sub hirsuta latus explicuere genista. Al. leg. *genesta*, ut et in *Pervigil. Veneris.* 81. ℙ Dubitat *Plin. c. l.* 24. num eadem sit cum sparto Graecorum. Certum est, viminis quoque usum praebere, ut *Id. ib.* et 16, 37, 69. docet. *Mart.* 1, 44. Non pyra, quae lenta pendent religata genista. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. Asia e genista facit lina ad retia praecipua, in piscando durantia, frutice madefacto denis diebus.

GĔNĪTĂMĀNA, *Γενέτη Μάνη*, Dea, quae feminarum mensibus praeerat: cui res divina catulo fiebat, ut *Plin.* 29, 4, 14. docet, ubi tamen alii aliter legunt, contra MSS. cod. *Hard.* teste. *Plutarch. Quest. Rom. n.* 52. *Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενέτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι. August. C. D.* 4, 11. Menam vocat quam praefecerunt, inquit, menstruis feminarum. *Plutarch. l. c.* dubitat dictane sit a *manando*, *ῥέουσα γένεσις*, generatio fluens; an a *manus*, bonus, bona generatio, ut dictum est. In sacro hujus Deae votum concipiebant, ne quis domi nascentium bonus fieret: quod vel de canibus intelligebant, ut saevi nascerentur ac terribiles: vel precabantur, ne quis moreretur; nam *manus*, bonus, praecipue de mortuis dicebatur: unde *Manes. Plutarch. ib.* Porro quod *Menam* appellat *Augustin.*, a Graeco *μὴν*, mensis, ductum est.

GĔNĪTĂBĬLIS, e, adj. genitalis. *Lucr.* apud *Varr. L. L.* 4, 3. Aetheris, et terrae genitabile quaerere tempus. *Id.* 1, 11. Et reserata viget genitabilis aura Favoni, [*i. e. ad fruges procreandas apta.] Al. hic leg. *genitalis*. *Arnob.* 4, 146. Genitabiles partes, *h. e.* genitalia.

GĔNĪTĀLIS, e, adj. *γεννητικὸς*, ad gignendum pertinens, vim gignendi habens. *Lucr.* 2, 61. et *Ov. Met.* 15, 239. Genitalia corpora, *h. e.* elementa, ex quibus omnia gignuntur. *Colum.* 3, 6. Partes trunci, quae et genitales sunt, et maxime fertiles. *Id.* 7, 9. Feminis suum vulvae ferro exulcerantur, ne genitales sint. *Virg. G.* 2, 324. Vere tument ferrae, et genitalia semina poscunt. *Plin.* 9, 35, 54. Anni hora genitalis, *h. e.* tempus, quo cuncta gignuntur. *Id. ib.* 2, 1. Genitales causae. *Id.* 2, 8, 6. Genitali rore terram conspergere. *Id.* 7, 14, 12. Genitale profluvium mulieris, *h. e.* menses: item *γονόῤῥοια* ap. *eund.* 20, 13, 51. ℙ *Genitalis dies* est dies natalis. *Tac. A.* 16, 14. Sic *genitalis lux* ap. *Stat. Silv.* 2, 3, 62., ubi al. leg. *genitalis*. [*Lucr. 5, 176. Donec diluxit rerum genialis origo.] ℙ *Genitalis sedes* est natale solum, patria. *Prud. Cathem.* 10. *f.* Sic *genitalis terra* ap. *Ammian.* 27, 5. *extr.* [*Vell. 2, 15, 1. Genitale solum.] ℙ *Genitalia foedera*, aut *jura* sunt conjugalia. *Stat. Th.* 3, 300. et 689. ℙ *Genitales Dii*, *Θεοὶ γενέται*, aliis sunt, qui proprie generationum praesides, ut Saturnus, Juppiter, Venus, et respectu Romanorum Aeneas, Mars, unde Romulus genitus est. Aliis sunt Aqua, Terra, Ignis, Aer, unde gignuntur omnia. Aliis sunt Indigetes, scil. ex hominibus in Deos relati, ut Hercules, Castor, etc. *Bentlejus* ad *carm. saecul. Hor.* pluribus contendit, esse Deos majorum gentium, genitos nempe, et naturales, non adsciticios: quod verum puto, quia qui hujusmodi sunt Dii, sunt etiam rerum generationis praesides: non vero quia vox *genitalis* id significet. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 764. Romulus in coelo cum Diis genitalibus aevum Degit. *Auson. perioch. Iliad.* 4. Juppiter interea cum Diis genitalibus una Concilium cogit Superum de rebus Achivis. In nummo Crispinae Augustae uxoris Commodi, ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 139. in aversa parte est ara, et circa scriptum *Dis Genitalibus*. [Hinc meretrix *Melissarium*, ap. *Aristaen. ep.* 1, 19., *παιδοποιεῖν ἐξ Χαριτλέους προσηύχετο πᾶσι τοῖς γενεθλίοις Θεοῖς. F.*] ℙ *Genitales menses* sunt, in quibus mulier infantem parere potest. *Gell.* 3, 16. In mensibus tamen genitalibus nominandis non praetermisit octavum. ℙ *Genitalia membra*, *genitales partes* sunt *τὰ αἰδοῖα*. *Ov. Amor.* 2, 3, 3. Qui primus pueris genitalia membra recidit. *Lucr.* 4, 1037. cietque Continuo partes genitales corporis ipsas. ℙ *Genitale*, *is*, et *Genitalia*, *ium* absolute idem significant. *Cels.* 4, 1. Vesica in feminis super genitale earum sita est. *Plin.* 37, 10, 57. Genitale utriusque sexus. Adde 11, 49, 110., et alibi saepissime. ℙ [*Genitale caput* est praeputium. *Rutil. Itin.* 1, 387. de Judaeis. Reddimus obscenae convicia debita genti, Quae genitale caput propudiosa metit. *F.*]

GĔNĬTĀLĬTER, adv. *γεννητικῶς*, fecunde, fertiliter. *Lucr.* 4, 1250. ut semina possint Seminibus commisceri genitaliter apta.

[GĔNĬTĪVĀLIS, e, adj. qui pertinet ad genitivum casum. *Not. Tir.* p. 154. Genitivus, genitivalis. *F.*]

GĔNĬTĪVUS, a, um, adj. *ἐγγινόμενος*. Sumitur pro genitali, a natura ingenito, ut *Genitivae notae*, quae sunt maculae a natura ingenitae. *Suet. Aug.* 80. Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque alvum genitivis notis. *Ov. Met.* 3, 331. Forma prior rediit, genitivaque rursus imago, *h. e.* prima, quam habuerat, cum nasceretur. ℙ Item pro genitali, *h. e.* generante. *Cato* ap. *Macr. Sat.* 3, 6. Apollinis genitivi ara, *h. e.* Phoebi genitoris, ut est ap. *Val. Fl.* 5, 404. ℙ Interdum pro gentilicio. *Ov. Pont.* 3, 2, 107. Adjectique probent genitiva ad nomina Cottae. ℙ *Genitivus casus*, et *genitivus* absolute unus est ex casibus apud grammaticos, qui etiam *patrius* dicitur, et *interrogandi casus*, quod fiat in hoc casu interrogatio de patre, et de genere, ex. gr. Cujus filius est? Cujus familiae? *Suet. Aug.* 87. Ponit *domos* genitivo casu singulari, pro *domus*. *Gell.* 4, 16. Genitivus singularis. Adde *Quint.* 1, 5. etc.

GĔNĬTOR, oris, m. *γενετήρ*, pater, qui scil. genuit: a *geno* pro *gigno*. *Cic. Univ.* 8. Quo nihil ab optimo, et praestantissimo genitore melius procreatum. *Id. ib.* 13. Imitantes genitorem et effectorem sui. [**Ov. Met.* 15, 861. Genitor urbis, i. e. conditor. Ita *Cic. Div.* 1, 2. parens urbis; et *Sil.* 2, 654. parens murorum.] *Ov. Met.* 5, 145. Matre Palaestina, dubio genitore creatus. *Id. Amor.* 1, 13, 45. Deum genitor, *h. e.* Juppiter. *Id. Met.* 11, 202. tridentiger genitor tumidi profundi, *h. e.* Neptunus. [*Recte hunc locum appellans *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 155. docet Deos dici *genitores* rerum, quibus praesint; neque audiendus *Heyn.*, qui *ib.* hanc rationem improbat monens *genitoris* et *patris* nomine insigniri Deos seniores, mox et quoscunque alios, nihilque aliud significari, nisi *venerabiles*, *sanctos*. Cf. *Sil.* 3, 126. Sed tu, bellorum genitor, i. e. Mars: ubi nulla *Bentl.* emendatione opus est.] ℙ Translate. *Auson. Urb.* 13, 7. Qua rapitur praeceps Rhodanus, genitore Lemanno. *Plin.* 15, 4, 5. Graeci vitiorum omnium genitores. *Sil.* 13, 738. genitor fraudum. *Hor. Ep.* 2, 2, 119. Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.

GĔNĬTRIX. V. GENETRIX.

GĔNĬTŪRA, ae, f. *γενέσις*, generatio. *Plin.* 18, 24, 56. In alitum, quadrupedumque genitura esse quosdam ad conceptum impetus terrae. ℙ Accipitur etiam pro semine humano. *Plin.* 22, 22, 40. Datur et contra profluvia geniturae viris. ℙ Usurpatur etiam pro ipsis animalibus. *Arnob.* 1, 8. Morsu animam tollit serpens: male dicam scilicet primordiis rerum, quod tam saeva prodigia genituris spirantibus addiderunt. *Tert. adv. Marc.* 4, 23. vertens verba Christi ap. *Luc.* 9, 41. O genitura incredula, quousque ero apud vos? ℙ Item pro horoscopo, seu genesi. *Suet. Aug.* 94. *f.* Reticere ipse genituram suam perseverabat. [*V. *B. Crus. cl. Suet.* s. h. v.] *Ammian.* 29, 1. Fatorum per genituram interpres. [**Eutr.* 7, 20. Genituram filiorum ita cognitam habuit.]

GĔNĬTUS, a, um, part. a *geno*; *γεννηθείς*, generatus, procreatus. [**Liv.* 40, 9. Me subditum et pellice genitum appellant. *Suet. Aug.* 17. Antonium juvenem, majorem de duobus Fulvia genitis — interemit.] *Virg. A.* 9, 642. Diis genite, et geniture Deos. *Ov. Her.* 16, 117. Phryx erat et nostro genitus de sanguine. *Id. Met* 1, 615. vaccam Juppiter e terra genitam mentitur. *Lucan.* 6, 485. animal potens leti, genitumque nocere. [**Vell.* 2, 116, 2. Adolescentis in omnium virtutum geniti. *Id.* 2, 102, 1. Censorinus, vir demerendis hominibus genitus. *Sall. Fragm.* p. 979. M. Antonius perdundae pecuniae genitus. — Singularis ingenii virtutisque ad certas res obeundas praestantia notatur talibus formulis.] ℙ Item natus. *Plin.* 11, 37, 59. Septimo mense genitis saepe numero foramina aurium, et narium defuere.

GĔNĬTUS, us, m. generatio. *Appul. Apolog.* Qui plurimos libros de animalium genitu reliquerunt.

GĔNĬUS, ii, m *δαίμων*, Deus, cujus in tutela quicumque natus est, vivit. Hic, sive quod, ut genamur, curat; sive quod una genitur nobiscum; sive etiam quod nos genitos suscipit, ac tuetur; certe a genendo Genius appellatur. Eundem esse ac Larem, multi veterum memoriae prodiderunt. Hunc in nos maximam, imo omnem habere potestatem, creditum est. Nonnulli binos Genios in iis dumtaxat domibus, quae essent maritae, colendos putaverunt. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appositum. Genio igitur potissimum per omnem aetatem quotannis sacrificamus. Quamquam et alii sunt Dii complures, hominum vitam pro sua quisque portione adminiculantes: sed hi omnes semel in unoquoque homine numinum suorum effectum repraesentant: quocirca non per omne vitae spatium novis religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos, ad extremum vitae diem comitetur. Haec ex *Censorin. de die natal.* 3. sumpta sunt. ℙ Putarunt autem Genium una cum homine et nasci, et mori. Hinc *Hor. Ep.* 2, 2, 187. Scit Genius, natale comes qui temperat astrum, Naturae Deus humanae, mortalis in unum-Quodque caput, vultu mutabilis, albus, et ater. Et *ib.* 1, 143. Tellurem porco, Silvanum lacte piabant, Floribus et vino Genium memorem brevis aevi. ℙ *Censorin. l. c.* 2. ad illud *Persii* 2, 3. *Funde merum Genio:* Hic, inquit, forsitan quis quaerat, quid causae sit, ut merum fundendum Genio, non hostiam faciundam putaverit: quod scilicet, ut *Varro* testatur, id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Aliquando tamen et hostias caesas fuisse Genio die natali, colligitur ex *Hor. Od.* 4, 11, 7. Quod si de Genio placando ageretur, semper puto hostia fuisse factum, ut ap. *Liv.* 21, 62. *extr.* legitur. Ceterum plerumque Genii sacrum natale pulte, fritilla, libis, mero, odoribusque fiebat. *Plin.* 18, 8, 19., *Ov. Amor.* 1, 8, 94. et *Tibull.* 1, 8, 50. et 2, 2, 3. ℙ Scribit *Senec. ep.* 110. Genios esse Deos inferioris notae, et ex eorum ordine, quos *Ov.* vocat (*Fast.* 5, 20.) de plebe Deos. Contra *Varro* ap. *August. C. D.* 7, 2. inter Deos selectos majoresque reponit. ℙ Fuere item, qui suum cujusque animum Genium esse existimarunt, ut est ap. *August. ib.* 13., item qui suam cujusque fortunam. Unde ap. *Charis.* 1, 19. legitur: hic genius, *ἡ τύχη ἑκάστου*. Et quod Latini jurare solebant *per Genium Caesaris* (quod in more fuisse, colligitur ex *Suet. Cal.* 27., *Ulp. Dig.* 12, 2, 13. *f.* et *Tert. Apol.* 32.) *ὀμνύναι τὴν τοῦ Καίσαρος τύχην* Graeci dicunt, ut *Dio* 44, 50. [*V. *Minuc. Fel. Octav.* 29.] ℙ Mos fuit etiam jurare, et adjurare per Genium privatum. *Senec. ep.* 12. Jurat per Genium meum, se omnia facere. *Tibull.* 4, 5, 6. per te dulcissima furta, Perque tuos oculos, per Geniumque rogo. [*Recte hanc dicendi formulam restituit. *Bentl.* ap. *Ter. Andr.* 1, 5, 54.: et *Pl. Capt.* 5, 2, 24. ubi de ultima non elisa in voce *Genium* cf. *Herm. Elem. doctr. metr.* p. 88.] *Petr. fr. Trag.* 37. *Burm.* Ignoscet mihi Genius tuus: noluisses de manu illius panem accipere. Et 62. *extr.* Si mentior, Genios vestros iratos habeam. ℙ Neque singulis hominibus tantum, sed et urbibus, populis, regionibus, exercitibus, fontibus, horreis, uno verbo, quibuscumque locis suus Genius assignabatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 8, 3. J. O. M. et Genio P. R., et *ib.* 4. J. O. M. Genio loci, Fortunae reduci. Et *ib.* 9, 4. J. O. M. et Genio coloniae. Et 109, 3. Genio exercitus. Et *ib.* 6. et 7. horreorum. Et *ib.* 2. Centuriae. *Juven.* 6, 22. sacri fulcri, *h. e.* tori conjugalis. *Prud. contra Symmach.* 2, 444. cur Genium Romae mihi fingitis unum, Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis Assignare suos Genios, perque omnia membra Urbis, perque locos Geniorum millia multa Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra? V. *Viscont. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *tab.* 29. ℙ Genius loci per anguem plerumque ostendebatur, ut ait *Serv.* ad *A.* 5, 85. Quin immo etiam virorum Genius fuit serpens: hinc saepissime in antiquis monumentis sepulcralibus videre est anguem circa imaginem viri jacentis, aut circa mensam feralem sese circumvolventem. V. *Eckhel. D. N. V. T.* 4. p. 35. et AGATHODAEMON. ℙ Et ipsis Diis Genius attributus legitur, ut Genius Priapi, ap. *Petr. Sat.* 21. Plutonis, in *Inscr.* ap. *Grut.* 1073, 8. Famae, ap. *Mart.* 7, 12., qui quidem diversus ab ipso numine fuisse videtur, ut probat *Marin. Frat. Arv.* p. 370., nam ibi fratres Arvales Deae Diae boves feminas numero duas, item Junoni Deae Diae (*h. e.* genio ejusdem: V. infra.) oves numero duas immolaverunt. ℙ *Serv.* ad *A.* 6, 743. non unum, sed binos singulis assignat, alterum, qui ad bona, alterum, qui ad mala incitet impellatque: quibus assistentibus post mortem, aut asserantur in meliorem vitam, aut condemnentur in deteriorem. ℙ Virorum *Genii* mares fuerunt, feminarum *Junones* dictae, ut Genii feminae. *Plin.* 2, 7, 5., *Senec. ep.* 110. et *Tibull.* 4, 6, 1. V. JUNO. ℙ [**Genius* dicitur etiam simili ratione, qua *flos* in formulis: *flos preritiae*, *virginitatis*, etc. V. FLOS. Ita ap. *Vopisc. Carin.* 1. Carinus homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor juventutis (pudet dicere, quod in litteras Onesimus retulit), ipse quoque male usus genio sexus sui. V. *Salm.*, qui v. *Genius* per Gr. *ὥρα*, et *genio sexus male uti*, per *ὥραν πωλεῖν* reddit. ℙ Ap. sacros scriptores genii sunt cacodaemones, mali angeli, qui dicuntur, aeternis suppliciis damnati ob seditionem ac superbiam.] V. *Tert. Apol.* 32. et *Anim.* 39. et *Lact.* 2, 15. ℙ Translate *Genius* dicitur appetitus epularum, et gula: fortasse ideo, quia diem natalem Genio sacrum amplioribus epulis celebrare mos erat. [**Genius* est proprie non tam tutelaris uniuscujusque hominis deus, quam potius melior et divina ejus natura quaedam. Inde factum, ut quidquid mansuetius, hilarius, et beatae deorum vitae propius humana ferret natura, Genio tribueretur, atque ejus auctor Genius haberetur. Sunt haec vv. *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 2, 2, 40.] *Ter. Phorm.* 1, 1, 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, Suum defraudans genium, comparsit miser. [*V. *Ruhnk.*] *Pl. Pers.* 1, 3, 28. *Sa.* ecquid alecis? *To.* vah rogas? *Sa.* Sapis multum ad genium, *h. e.* ad gulae voluptatem. *Id. Stich.* 4, 2, 42. Nam hic quidem meliorem genium tuum non facies, *h. e.* non curabis: non melius coenabis. *Id. Truc.* 1, 2, 81. Isti qui cum geniis suis belligerant, parcipromi. *Hor. Od.* 3, 17. *extr.* cras genium mero Curabis, et porco bimestri Cum famulis operum solutis. [**Pl. Capt.* 2, 2, 40. Genio suo ubi quando sacrificat, i. e. epulas et convivia instituit.] ℙ Et universim quidquid animus, et voluptas appetit. *Pers.* 5, 151. Indulge genio: carpamus dulcia. *Pl. Pers.* 2, 3, 11. Genio meo multa bona faciam. ℙ Hinc parasiti *genium suum* vocant eum, a quo crebro ad coenam invitantur. *Pl. Capt.* 4, 2, 99. *Curc.* 2, 3, 22. et *Men.* 1, 2, 29. [*Alias *regem* dicebant.] ℙ Hinc etiam december mensis dicitur *acceptus Geniis* ab *Ov. Fast.* 3, 58., quia tunc erant Saturnalia, et crebra convivia. ℙ Hinc denique *habere genium* dicitur is, qui laute vivit, et Genio indulget. Sic *Mart.* de eo, qui vili impensa domi coenabat, amicis autem conquisitos cibos dono mittebat, 7, 78. habes nec cor, Papile, nec genium. ℙ Alio sensu *habere genium* dicuntur, qui auctoritatem, fidem, ac famam sibi conciliant, tanquam si ea, quae agunt, Genio Deo auctore et consiliario agant. *Juven.* 6, 561. Nemo mathematicus genium indemnatus habebit. *Mart.* 6, 60. Victurus Genium debet habere liber. ℙ In vocativo est *Geni.* *Tibull.* 4, 5, 9. Magne Geni, cape tura libens, votisque faveto.

GĔNO, is, ui, itum, a. 3. *γεννάω*, idem quod gigno, genero. [**Cic. Inv.* 2, 42. Si mihi filius genitur unus. Ita *Orell.* cum *Lamb.* qui genuinam hanc aliq. cdd. scripturam pro vulg., *genitus*, *genitus fuerit*, *gignitur*, restituit. Adde *Or.* 2, 32. Cf. *Duk. lat. Ict.* p. 382.] *Varr.* ap. *Prisc.* 10, 898. Haec loca aliquid genunt. *Id. R. R.* 1, 40. Semen, quod est principium genendi; et *ib.* 2, 6. Similes parentum genuntur. *Id.* ap. *Gell.* 3, 16. Si mihi filius unus pluresve in decem mensibus genuntur. *Lucr.* 3, 799. Totum posse extra corpus durare, genique. *Ulp. Dig.* 30, 1, 17. et *Julian. ib.* 34, 5, 14. *f.* Si qua filia mihi genitur. Ita *Torrentin.*, alii *gignitur*. Adde *Censorin. de die nat.* 3. et *Arnob.* 4, 141. ℙ Praeteritum *genui* V. in GIGNO., Part. *Genitus* V. suo loco.

*GENONĬA, ae, f. Parthiae opp. *Ammian.* 23, 24. *B. A.*

*GENOSĬA, ae, f. opp. ad Rheni ripam. *Flor.* 4, 12. V. GESONIA. *B. A.*

GENS, gentis, f. *ἔθνος*, est multitudo hominum, quae ex pluribus familiis constat, ex *genens* per syncop., vel ex *genus*, seu *γένος*. (*Ov. Pont.* 4, 6, 9. Fabiae lux, Maxime, gentis.) Differt a *familia*, quia *gens* est instar totius, *familia* instar partis, cum gens plures familias complectatur, quae ab eodem progenitore descendunt. Deinde *gens* ad nomen, *familia* ad cognomen refertur. Ex. gr. omnes *Cornelii* unius esse gentis dicebantur, quia omnes uno appellabantur nomine, sed diversarum erant familiarum, quae cognominum varietate distinguebantur. *Gens* enim *Cornelia* dividebatur in *Cinnas*, *Dolabellas*, *Lentulos*, *Scipiones*, *Sullas*, etc. *Cic. Or.* 1, 39. Cum Marcelli ab liberti filio stirpe; Claudii patricii ejusdem nominis, hereditatem gente ad se rediisse dicerent. *Id. Leg.* 1, 7. *extr.* Ut homines Deorum agnatione et gente teneantur. *Agnationis*, et *gentis* discrimen V. in GENTILIS. ℙ In republica Rom. duo gentium genera fuere patriciorum, et plebejorum. Initio tamen soli patricii gentem habuerunt, quippe qui soli ingenui erant, cum plebeji vel servi, vel filii servorum essent. Plebeji gentem habere coeperunt, cum patres indicare potuerunt, idest se ex ingenuis natos esse. Ille enim dicitur gentem habere, qui sese ex ingenuis esse natum potest ostendere. *Liv.* 10, 8. *med.* Penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos auspicium, etc. *Hor. Sat.* 2, 5, 15. perjurus sine gente, cruentus Sanguine fraterno, fugitivus, *h. e.* ignobilis, obscuro loco natus. ℙ *Gens* item late sumitur pro aliquo populo, idest pro universis civibus alicujus urbis, ut *Gens Larinatium*, *Gens Campanorum*, *Gens Faliscorum* (*Caes. B. C.* 3, 80.) et latius pro natione, idest pro pluribus populis alicujus provinciae, ut *Gens Etruscorum*, *Gens Umbrorum* (*Ov. Met.* 15, 558.) et latissime pro una ex nationibus majoribus orbis terrarum, seu pro populis universis alicujus regionis, ut *Gens Gallorum*, *Gens Germanorum*, *Gens Indorum*, etc. (*Caes. B. G.* 6, 31.) Nam conjugium in familiam dilatatum est, familia in gentem, gens in civitatem, civitas in provinciam, provincia in regionem.

Aurel. Vict. Vir. illustr. 76. Mithridates rex Ponti duarum et viginti gentium ore loquebatur. ℙ *Gens*, et *natio* differre aliquibus videntur, quod *gens* latius, quam *natio* extendatur. Nam *gens* est tanquam genus, *natio* species. Gens enim Itala habet Etruscos, Umbros, Picentes, et hujusmodi. *Cic. Off.* 1, 17. Propior est societas ejusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime conjunguntur. *Id. N. D.* 3, 39. Deum non curare singulos homines, nec civitates, nec nationes, nec gentes. *Tac. G.* 2. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim. [*Plura imprimis e *Tac.* scriptis coll. exempla habet *Böttich.* in *lex. Tac.* p. 218. sq.] ℙ Aliquando tamen promiscue usurpantur. Nam *Id. Agr.* 12. *gentes* dicit, quas paulo ante *nationes* appellaverat. [**Böttich. Lex. Tac.* p. 219. docet, parum recte h. exemplum huc a Nostro allatum esse; ex ipso enim orationis nexu patere propriam utriusque v. significationem. V. quae hh. vv. promiscue poss. alia exempla *V. D.* praebet l. l., ubi non solum *Taciti*, sed *Caesaris*, *Sallustii*, *Livii*, *Senecae*, *Curtii* solitum in hoc genere dicendi usum diligenter percenset. Cf. etiam *Herz.* ad *Caes. B. G.* 6, 10. — Ceterum recte *Kritz.* ad *Sall. Jug.* 10. probabile visum est, scriptores ubi vv. tam incertae potestatis conjungerent, non anxie inter eorum significationem distinxisse, sed potius abundantiae causa ut synonyma ea cumulasse; quamvis contra dicente *Böttich. l. l.* in talibus ubique illam, discriminis modo allati, interpretationem esse adhibendam.] ℙ *Gens* etiam dicitur de brutis, ut de apibus, de piscibus, etc. *Colum.* 9, 9. de apib.: Intestino bello totae gentes consumuntur. *Virg. G.* 3, 73. de equis: quos in spem statuis submittere gentis. Adde *Ov. Fast.* 4, 711. ℙ Quandoque usurpatur de uno ex gente. *Virg. A.* 10, 228. vigilasne, Deum gens, Aenea? vigila. *Sil.* 7, 35. de Fabio: Tirynthia gens est. [**Id.* 2, 185. Gens extrema virí, i. e. soboles ultima, stirpis, familiae ultimus, quo exstincto exstinguitur familia.] ℙ Item de regione. *Nep. Dat.* 4. Ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat; quae gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociae. *Arnob.* 1, 4. Gentes viduatas esse suis cultoribus et desolatas. ℙ *Majorum gentium patricii* Romae dicebantur, qui ex gente eorum erant, quos primum Romulus in patres allegerat: *minorum gentium* vero, qui ab iis descenderent, quos postea ex plebe Tarquinius ad senatum augendum conscripserat. *Liv.* 1, 35. et 47., *Cic. Fam.* 9, 21., *Tac. A.* 11, 25. V. CONSCRIPTUS. ℙ Hinc et ad Deos translata est haec loquendi formula. V. DEUS. ℙ [*Hinc ad alia transfertur loquendi ratio, ut minorum gentium dicantur inferiores. *Cic. Acad.* 4, 41. Cleanthes quasi minorum gentium stoicus.] ℙ Genitivus plur. *gentium* eleganter jungitur aliquibus adverbiis loci. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Ubicumque terrarum et gentium. *Id. Cat.* 1, 4. Ubinam gentium sumus? *Ter. Ad.* 4, 2, 1., Nusquam gentium, etc. ℙ Interdum adhibetur ad vehementius negandum. *Ter. Ad.* 3, 2, 44. Ah, minime gentium: non faciam. ℙ *Gentes* ab Ecclesiasticis scriptoribus, et in vulgata Scripturae versione passim pro Gentilibus, *h. e.* iis, qui extra Christianam religionem sunt, usurpantur. Hinc *Arnobii* libri *adversus Gentes* inscribuntur. ℙ A Latinis quoque positum reperitur pro iis, qui non sunt cives Romani. *Auct. B. Hisp.* 17. Petimus, ut qualem te gentibus praestitisti, similem in civium deditione praestes. ℙ *Gentum* pro *gentium* habet *Paul. Nol. carm.* 27, 73. Fama suis magnopere gentum accenderat acrem Ore famem. Ita *Muratorius*, alii tamen rectius leg. *F. s. magni per gentem*, etc.

*GENSORA, opp. Aethiopiae, sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

GENTIĀNA, ae, f. [**Enzian*], herba ab rege Illyriorum Gentio inventa, magnitudine lactucae, caule tenero pollicis crassitudine, cavo et inani, ex intervallis, foliato, trium aliquando cubitorum, folio fraxini, radice lenta, subnigra, sine odore, aquosis montibus Subalpinis plurima. Usus ejus in medicinis radice, et succo. *Plin.* 25, 7, 34. *Adde *Scribon. Larg. compos.* 167. 170 et 176. *B. A.*

GENTĪCUS, a, um, adj. idem quod gentilis. *Tac. A.* 3, 43. Quibus more gentico continuum ferri tegimen. Adde *A.* 6, 33. [*Praeter *Tac.* h. v. utuntur etiam *Ammian.*, *Avien.*, *Tertull.* Cf. *Gronov.* ad *Liv.* 2, 58, 3.]

GENTĪLĪCIUS, a, um, adj. *ἐθνικός*, ad gentem pertinens, gentilis. *Cic. Har. resp.* 15. Qui sacrificia gentilicia illo ipso in sacello factitarunt. *Liv.* 6, 20. *f.* Adjectae mortuo notae sunt: publica una, ne quis patricius in arce habitaret: gentilicia altera, ne quis deinde Manlius vocaretur. [*Adde 5, 52. ubi gentiliciis sacris publica sacra opponuntur.] *Suet. Caes.* 1. Gentiliciae hereditates. *Id. Claud.* 25. Gentilicia nomina. *Plin.* 19, 1, 2. In Seranorum familia gentilicium est, feminas linea veste non uti. *Plin. alter ep.* 6, 15. Passienus Paulus scribit elegos. Gentilicium hoc illi; est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat. [**Vell.* 2, 119, 5. Gentilicius tumulus, i. e. familiare sepulcrum, quod Ictis dicitur. V. *Kirchm. de fun. Rom.* 3, 13.] ℙ Item ad populum nationemve pertinens. *Gell.* 1, 9. Vulgus, quos gentilicio vocabulo Chaldaeos dicere oportet, mathematicos dicit. ℙ Scribitur et *gentilitius*.

GENTĪLIS, e, adj. *ἐθνικός*, ex eodem genere ortus, seu qui ejusdem est gentis. Gentiles, inquit *Cic. Top.* 6., ex *Scaevola* sunt, qui inter se eodem sunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit, et qui capite deminuti non sunt. *Id. Brut.* 28. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus. *Id. Univ.* 11. Homines Deorum immortalium quasi gentiles. *Ascon. Div. Verr.* 4. Et Marcellus, et Marcellinus inter se gentiles sunt. [*Subst. *Liv.* 3, 58. Sordidatus cum gentilibus clientibusque in foro prensabat singulos. *Suet. Tib.* 1. *f.* Postquam e duobus gentilibus, etc., i. e. viris ejusdem gentis. — Festive *Cic. Verr.* 2, 2, 76. Responde mihi nunc Verres quem esse hunc tuum paene gentilem Verrutium putes: nempe Verrutii nomen Verres in tabulis pro suo subjecerat; ideoque Cicero ob similitudinem nominis Verrutium Verris non *gentilem*, sed paene gentilem appellat. *Schütz* in *cl.* s. h. v. ℙ Hinc trop. ap. *Calp.* 2, 41. Non gentilia poma, i. e. non ex ipsa arboris stirpe, sed fronde insiticia nata.] ℙ Differunt ab *agnatis*, ut *gens* a *familia*, quia quemadmodum familia nos propius attingit, quam gens; sic agnati arctiore nobiscum, quam gentiles necessitudine conjuncti sunt. Nam agnati consanguinitatis aut affinitatis, gentiles solius generis ac nominis conjunctione copulantur. Hinc lex XII. Tab. ap. *Auct. ad Her.* 1, 13. et *Cic. Inv.* 2, 50. tum furiosorum tutelam, tum patrisfamilias intestato mortui pecuniam primum ad agnatos, postea ad gentiles voluit pervenire. ℙ *Gentilia* quoque dicuntur ea, quae gentis unius propria sunt. *Suet. Tib.* 68. Fuit capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret: quod gentile in illo videbatur, [*i. e. toti genti proprium, (nos: *eine Geschlechtseigenheit.*)] Et *Ner.* 37. Gentile stemma. Et 41. nomen. Et 50. monumentum. Et *Vitell.* 1. Gentilis copia, *h. e.* exercitus ex una tantum gente conflatus. Sic *Ov.* de CCC. Fabiis, *Fast.* 2, 198. Sumunt gentiles arma professa manus. *Sil.* 2, 277. olim Ductorem *(Annibalem)* infestans odiis gentilibus Hannon, *h. e.* paternis inimicitiis, ut est ap. *Liv.* 21, 10. ℙ Interdum idem est ac cognominis. *Cic. Tusc.* 1, 16. *f.* Meo regnante gentili, *h. e.* Ser. Tullo. ℙ Hinc refertur etiam ad servos dominorum nomina habentes. *Plin.* 33, 1, 6. Apud antiquos singuli Marcipores, Luciporesve, dominorum gentiles, omnem victum in promiscuo habebant. ℙ Interdum significat popularem, ejusdemque regionis. *Stat. Th.* 9, 297. trahit unda timentes Gurgite gentili. *Sil.* 4, 223. Indutosque simul gentilia lina Faliscos. *Id.* 16, 465. Quisque ferox jaculis, quae dat gentile metallum. *Gell.* 17, 17. Lingua et oratione ipsius, non minus scite, quam si gentilis ejus esset, locutus est. [*Hac significatione nonnisi ap. argenteae aetatis scriptores h. v. occurrit, imprimis ap. *Tac.* V. *A.* 11, 1. Turbare gentiles (i. e. gentis suae) nationes; *ib.* 3, 59. Gentile solum, i. e. patrium; 6, 32. gentile imperium; 12, 14. Abscedunt levitate gentili, i. e. huic genti propria; et 17. gentilis utilitas. 34. gentilis religio. Congessit haec exempla *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 220.] ℙ Sequiore aevo *gentiles* ab Romanis dicti sunt Barbari, et quicumque non lege civili Romanorum, sed inculto jure Gentium vivebant. *Auson. Gratiar. act.* 4. Vocarem Germanicum deditione gentilium, Alemannicum traductione captorum. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 3, 14, 1. Nulli gentilium provincialis femina copuletur. Adde *Imppp. Theodos.*, *Arcad. et Honor. ib.* 11, 30, 62. et *Ammian.* 14, 7. ℙ Item a Judaeis quicumque Judaei professione non essent: et a Christianis quicumque Christiani, aut Judaei religione non sunt. Nam in S. Bibliis *gentes* vocantur, quae veram Dei colendi rationem, olim apud Judaeos, nunc apud nos conservatam, aut ignorant, aut contemnunt. *Hieron. ep.* 22. *n.* 30. Si gentilium litterarum libros aliquando legissem. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 464. Gentile vulgus. *Id. in Symmach.* 1, 576. Gentiles nugae. ℙ [Sup. *Gentilissimus* ap. *Hieron.* in *Jerem.* 4, 22. Ruffinus Sexti Pythagorei, hominis gentilissimi, unum librum interpretatus est in Latinum, *h. e.*, ut *Id. ep.* 133. *n.* 3. ait, hominis absque Christo, atque ethnici. *F.*]

GENTĪLĪTAS, atis, f. *οἰκειότης*, *γένεθλον*, conjunctio gentilium. *Cic. Or.* 1, 38. Jura gentilitatum, agnationum, etc. Et 39. De toto stirpis et gentilitatis jure. *Plin. Pan.* 37. Bona, quae sanguine, gentilitate, sacrorum societate meruissent. ℙ Sumitur et pro ipsis gentilibus. *Varr.* ap. *Non.* 3, 192. Omnes Tarquinios ejicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent. *Plin. Pan.* 39. Laceras gentilitates colligere atque connectere, et quasi renasci jubere. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 24. Manlius de saxo Tarpejo praecipitatus, domus diruta, bona publicata: gentilitas ejus Manlii cognomen ejuravit. ℙ Translate. *Plin.* 23, 7, 65. Herba, quam Graeci erineon vocant, reddenda in hoc loco propter gentilitatem, *h. e.* communionem nominis. Nam supra de caprifico egerat, quae Graece *ἐριινεὸν* dicitur. *Id.* 12, 13, 30. Cinnamomo proxima gentilitas erat, *h. e.* nominis similitudo cum cardamomo, de quo supra egerat. ℙ Apud Christianos scriptores accipitur pro iis, qui Christiani non sunt, aut Judaei. *Hieron. ad Ephes.* 5. *extr.*, *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1086. ℙ Item pro ipsa religione Gentilium. *Lact.* 2, 13. *extr.* Errant, qui contendunt, priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem.

GENTĪLĪTER, adv. *ἐθνικῶς*, secundum gentis consuetudinem, patrio et gentili sermone. *Solin.* 11. Cretes Dianam Britomarten gentiliter nominant. Adde 20.

GENTILITIUS. V. GENTILICIUS.

GENTĪLĪTUS, adv. idem quod gentiliter. *Tert. Pall.* 3. *f.* Varias indumentorum formas promulgavere: quarum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes: pars vero passivitus omnibus utiles.

GENTINICA. V. NICE.

*GENTĪUS, i, m. rex Illyriae, decem talentis a Perseo emptus, legatos Romanos in vincula conjecit, partes ejus amplexus. Platonem fratrem, ut solus regnaret, sustulit, populis invisus et vino nimium deditus. Hunc Anicius Praetor, Scodra metropoli capta, cum uxore, fratre, liberisque, in triumpho duxit, bello intra 20. vel 30. dies finito. *Liv.* 40, 32. 42, 26. 43, 19, 20, 21 et 23. 44, 31 et 32. et 45, 35 et 43. *Eutrop.* 4, 3. (*al.* 6.) [*V. *Tzschuck.* ad h. l.] ℙ V. *Gentiana. B. A.*

GĒNU, n. indecl. in singul. et in plur. genua, um, bus, *γόνυ*, curvatura, qua crus, et femur committuntur: a voce Graeca allata: quare genua misericordiae sedes habita fuerint, indicat *Isid. Orig.* 11, 1. *med.* *Cic. Tusc.* 2, 24. Genu M. Antonium vidi, cum contente pro se diceret, terram tangere. *Plin.* 11, 45, 103. Genu utriusque commissura. *Ov. Met.* 8, 807. genuum orbis. Et *ib.* 4, 340. fruticumque recondita silva Delituit, flexumque genu submisit. *Id. Her.* 13, 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. *Curt.* 9, 5. In genua procumbere. *Petr. Sat.* 133. Genu in limine posito, numina deprecatus sum. *Curt.* 8, 7. *f.* Genua alicui ponere. Et *Ov. Met.* 11, 355. inclinare. *Plin.* 11, 45, 101. flectere. *Sen. Prov.* 2. Etiamsi ceciderit, de genu pugnat. *Pl. Cas.* 5, 2, 41. Adstitutus in genua. *Sen. ep.* 66. *f.* Qui succisis poplitibus, in genua se excepit, nec arma dimisit. *Plin.* 11, 45, 103. Hominis genibus quaedam et religio inest, observatione gentium. Haec supplices attingunt: ad haec manus tendunt: haec, ut aras, adorant: fortassis quia inest iis vitalitas. Namque in ipsa genu utriusque commissura, dextra laevaque, a priore parte gemina quaedam buccarum inanitas inest, qua perfossa, ceu jugulo, spiritus fugit. Haec *Plin.* Hinc *Cic. in Senat.* 7. Tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis verbis a genibus tuis repulisti. *Tac. A.* 12, 18. Provolvi genibus alicujus. Et *ib.* 1, 13. Genua cujuspiam advolvi. Et 11. Tendere manus ad genua. Et 21. Prensare genua. *Virg. A.* 3, 607. amplecti. *Hirt. B. Afr.* 89. Ad genua se projicere. *Liv.* 44, 31. *f.* Accidere genibus. *Sen. Troad.* 691. Accidere ad genua. Et *Med.* 247. Attingere genua. *Ov. Met.* 13, 585. genibus Jovis procumbere. *Juven.* 10, 55. genua incerare Deorum. *Pl. Curc.* 5, 2, 32. Per tua genua te obsecro. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 4. genua dicit Misericordiae consecrata esse, ut aures Memoriae, Genio frontem. ℙ Dativus pluralis est *genibus*, et *genubus:* tametsi illud frequentius. *Sen. Hippol.* 667. Allapsa genubus regiae proles domus. ℙ Rectus et quartus pluralis *genua* metri causa in choreum contrahitur, ut *genua labant* ap. *Virg. A.* 5, 432. et *ib.* 12, 905. ℙ *Genuorum* pro *genuum* dixit *Vitr.* 9, 6. Al. aliter leg. ex MS. ℙ Reperitur et *genus*, *us*, m. *Cic. Arat.* 403. (et *al.*) Hic genus, et suram cum Chelys erigit alte. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 103. ut nobis talu', genusque. Etiam in genitivo *genus* dixisse *Cic. l. c.* testatur *Serv.* ad *A.* 3, 22. *Front. ad M. Caes.* 5. (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Genus dolore arreptus sum. *Id. ib. ep.* 44. Ita genum mihi simul abrasum et ambustum est.

GENUA, ae, opp. V. in GENUENSIS.

GĒNŪAE. V. GUMIAE.

GĒNŪĀLIĀ, ium, n. plur. indumenta genuum. *Ov. Met.* 10, 593. Poplitibus suberant picto genualia limbo. Adde *Not. Tir.* p. 129.

GĒNŪĀRIUS, i, m. nummus cusus Genuae. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* Genuarios a Caesare per Herodem talenta Attica L. extorsistis? Alii multo rectius leg. *Jamne vos a Caesare per Erotem* etc.

GĒNŪAS, atis, adj. omn. gen. et

GENUENSIS, e, adj. ad Genuam pertinens, peramplam et primariam Liguriae urbem, in ora maris, cum portu celebri, nunc *Gen.*, de qua mentio est ap. *Liv.* 28, 46. et 30, 1., *Plin.* 3, 5, 7., *Melam* 2, 4. *f.* et *Val. Max.* 1, 6. *n.* 7. Hinc *Genuates*, *ium*, et *Genuenses*, *ium* promiscue vocantur incolae urbis Genuae in *Inscr.* ap. *Grut.* 204., quae

pertinet ad an. U. C. DCXXXVII, ante Chr. CXVII. ℙ [*Genua urbanorum* appellatum est oppidum Ursaon vel Urso in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. *B. A.*]

GĒNŪĪNĒ, adv. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Genuine fraterneque rescribam. Alii minus recte leg. *germane.*

GĒNŪĪNUS, a, um, adj. innatus, naturālis, nativus, verus, γνήσιος. [*Cic. de Rep.* 2. (ed. *A. Maio*) 15. Genuinae, et domesticae virtutes. *F.*] *Ulp. Dig.* 43, 28, 3. Genuina pietas. *Gell.* 2, 2. Tum inter filium magistratum, et patrem privatum publicos honores cessare, genuinos ac naturales exoriri. *Id.* 3, 3. Genuina Plauti fabula. ℙ *Genuini dentes*, σωφρονιστῆρες, χραντῆρες, dentes duo posteriores, qui in extrema gingiva in homine gignuntur novissimi. Gignuntur enim, teste *Plin.* 11, 37, 63., circiter vigesimum annum, multis etiam circiter octogesimum. Dicti genuini a *gigno*, ut videtur *Plin. l. c.* et *Festo;* sed potius ita appellati sunt, quod sub genis sunt; iidem vero cibum conficiunt, Graece enim χραντῆρες dicuntur, a χράω, conficio. *Cic. N. D.* 2, 54. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini dicuntur. *Juven.* 5, 69. solidae mucida frusta farinae, Quae genuinum agitent, non admittentia morsum. [*Virg. Catal.* 5, 36. Fameque genuini crepant?] ℙ Hinc translate *genuinum in aliquo frangere*, est alicui dicendo detrahere, dictis mordere. *Pers.* 1, 115. secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis. ℙ [*Corrumpitur *genuinus* a librariis in *geminus*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 54, 134.]

GĒNUS, eris, n. γένος, proprie principium est uniuscujusque generationis, vel ab eo qui genuit, vel a loco, in quo quis genitus est, ut Orestes a Tantalo ducit genus, et Plato genere Atheniensis est. Patria enim generationis uniuscujusque principium est, quemadmodum et parentes: ab antiquo *geno*, vel a γένω, quod idem significat. *Cic. Verr.* 2, 5, 70. Nobili genere natus. *Id. Rosc. Am.* 6. Genere et nobilitate sui municipii facile primus. ℙ [*Dicitur cum contemptu quodam de hominibus humili sorte fruentibus. Ita *Liv.*, cui peculiaris videtur haec dicendi ratio, 24, 32. Ad militare genus (i. e. milites) omne partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum. Oppon. ditiores cives et Optimates. Sic et 34, 27. Genus agreste dicitur. Similis adhibenda videtur interpretatio 42, 51. ubi *mixtum genus hominum* de militibus dicitur undecumque collectis. Eodem modo adhibent Gr. v. πλῆθος.] ℙ In plur. num. *Pl. Most.* 5, 2, 20. Nati summis generibus. ℙ Sumitur etiam pro multitudine aliquorum, qui ad unum aliquod principium, unde orti sunt, et ad se invicem quadam cognatione referuntur, qua a ceteris rebus distinguuntur, ut *genus humanum*, vel *genus hominum, genus Romanorum*, etc. [*Hanc primam dixerim vocis significationem, cujus exempla erant ab initio ponenda.] *Cic. Amic.* 5. *extr.* Quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est, etc. [*H. l. notandum *genus humanum* ap. Romanos saepius dici pro *orbe terrarum*. Gr. ἡ οἰκουμένη. V. *Suet. Galb.* 9. Ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret.] *Id. Phil.* 4, 5. Virtus est propria Romani generis, atque seminis. [*Ernest. non improb. *Orell.* pro *atque seminis* susp. *et nominis.*] ℙ Item pro primo ex universalibus, quod plures species complectitur, ut sunt animal quod et hominem, et bestias complectitur; virtus, quae virtutes ingenii, et virtutes morum; arbor, quae platanum, cupressum, et alias. *Cic. Inv.* 1, 28. Genus est, quod partes aliquas complectitur, ut cupiditas; pars est, quae subest generi ut cupiditati amor, avaritia. Adde *Senec. ep.* 58. ℙ Item pro specie etiam infima; et pro forma, aut qualitate. *Cic. Amic.* 17. Sunt constantes eligendi amici, cujus generis magna penuria est. *Ter. Eun.* 2, 2, 17. Est genus hominum, qui se primos esse omnium rerum volunt. Sic dicimus *genus marmoris*, *coloris*, *vitae*, *mortis*, etc. [*Gr. τρόποι, nostr. *Classen. Arten.* Permagnum exemplorum numerum e Suetonii scriptis collegit *B. Crus. in. cl. Suet.* p. 384. sq.] ℙ Item pro sobole, prole, liberis. *Catull.* 61, 2. Hymen Uraniae genus. [*Hor. Sat.* 1, 6, 12. Valeri genus; *ib.* 2, 5, 63. Juvenis Parthis horrendus, ab alto Demissum genus Aenea. Ita *Eurip. Cycl.* 104. de Ulysse: δρμὺν Σισύφου γένος. *Bacch.* 986. Οὐ γὰρ ἐξ αἵματος γυναικῶν ἔφυ, Ἀπλᾶς δέ γ' ἔτινος ἢ Γοργόνων Λιβυσσαῖν γένος.] Hinc *genus facere*, sobolem procreare. *Justinus* infra afferendus. ℙ Item pro natione, seu gente. *Sall. fr.* 1. *Hist.* ap. *Arusian. Mess.* Genus armis ferox, et servitii insolitum. [*Haec significatio poetis est usitatior. Alia prosae orationis exempla haec sunto. *Cic. Acad.* 2, 27. ubi v. *Goerenz. Caes. B. G.* 4, 3. *Nep. Regg.* 2. et ex *Brem.* sententia *ib.* 1. *Liv.* 34, 17. Ferox genus, nullam vitam rati sine armis esse (de Hispanis omnibus cis Iberum habitantibus.)] *Flor.* 2, 3. Ligures durum ac velox genus. [*Liv. 42, 47. *f.* Milites Italici generis.] ℙ Dicitur et de animantibus. *Lucret.* 5, 860. genus acre leonum. *Hor. Od.* 1, 2, 9. Piscium et summa genus haesit ulmo. *Justin.* 2, 9. *f.* Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Propagare genus *Lucr.* hoc sensu dixit 1, 195. ℙ Latina est illa loquendi ratio, qua *genus* quarto pro secundo, aut sexto casu effertur. *Cato R. R.* 8. sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus. *Varr. R. R.* 1, 29. Seminaria omne genus ut serantur. Et *ib.* 3, 5. *med.* Porticus avibus omne genus oppletae. Et *ib.* 2, 1. *med.* Si hoc genus rebus non proficitur. Et 10. Quot, et quod genus pastores habendi. *Cic. Inv.* 2, 54. *f.* Vitanda sunt illa, quae propinqua videntur: quod genus, fidentiae contrarium est diffidentia. *Id. Att.* 13, 12. Orationes, aut aliquid id genus scribere. *Varr. L. L.* 9, 6. In verbis id genus, quae non declinatur. Et *ib.* 7, 7. Id genus alia. [*Ita saepissime Latini, ut Gr. τὰ ἄλλα, τὰ λοιπά. V. *Vechner. Hellenolex.* p. 300. sq. Minime autem opus est assumta ellipsi praepositionis *ad*, quam statuit *Sanctius* et *Perizonius Minerv.* p. 841. ed. *Scheid.* Cf. etiam de hac dicendi formula *Ramsh.* Gr. L. p. 393. sq. ℙ Repetiti v. exempla sunt *Cic. Verr.* 2, 2, 74. Erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperiri cupiebam. *Id. Sext.* 45. Duo genera semper in hac civitate fuerunt, quibus ex generibus. De qua dicendi ratione, quam non per pleonasmum sed ideo adhibent, quod aliquam rem, quam recte fieri vel teneri multum interest, ita volunt inculcare, ut penitus mente fixa haereat, neque negligatur, aut omnino, ubi orationis perspicuitati consulendum putant, v. *Goerenz.* ad *Cic. Cat.* 1, 3, 7. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 22, 90. *Ruhnk.* ad *Ter. Hec. prol.* 2, 3.] ℙ Aliquando pro re ponitur. *Cic. Phil.* 5, 4. *extr.* Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia populo R. defutura. [*Corruptus locus est. V. *Orell.* qui in *Vatic. cod.* scriptura: *ut si hoc genus pene in unum redigatur*, hoc latere putat: *ut si legis poena in aerarium redigatur.*] *Id. Att.* 12, 33. Tota domus in omni genere diligens. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Qua de re, et de hoc genere toto pauca cognosce. ℙ Item pro natura, constitutione, ratione. *Cic. Manil.* 2, 8. et 10. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. ℙ *In genus* est generatim, generaliter, indefinite. *Gell.* 4, 1. *f.* Sermones in genus communes.

GENUS, us. V. GENU.

[GENUSĪNUS, a, um, adj. ad Genusium pertinens, Peucetiae opp., Tarentum versus, nunc *Ginosa. Frontin. de colon.* p. 111. Genusinus ager. ℙ *Genusini*, *orum* sunt incolae illius oppidi apud *Plin.* 3, 11, 16.]

GĒNŪSUS, i, m. Fluv. Macedoniae, qui in mare Ionium influit inter Apolloniam et Dyrrhachium. *Lucan.* 5, 462. Genusuum dicitur a *Liv.* 44, 30.

*GEOARIS, insula maris Ionii, juxta Aetoliam. *Plin.* 4, 12. si lectio certa. *B. A.*

GĒODES, is, m. γεώδης λίθος, lapis intus terram habens: a γῆ, terra. *Plin.* 36, 19, 32. *Legitur et Gaeodes. *B. A.*

GĒOGRAPHIĂ, ae, f. γεωγραφία, terrae descriptio: a γῆ, terra, et γράφω, scribo. *Cic. Att.* 2, 4. De geographia dabo operam, ut tibi satisfaciam.

GĒOGRAPHĪCUS, a, um, adj. γεωγραφικός, ad geographiam pertinens. *Ammian.* 23, 6. Ut geographici stili formarunt. *Id.* 31, 2. Geographica perplexitas. Habet et *Cic. Att.* 2, 6. sed Graece.

*GEOGRAPHUS, i, m. γεώγραφος, qui terram describit. *Ammian.* 22, 414. *B. A.*

*GEOMANTĪA, ae, f. divinatio ex terra et pulvere. *Isidor. Orig.* 8, 9. V. *Peucer. de Divinat.* p. 405. *B. A.*

GĒOMETRĂ et Geometres, ae, m. et Geometer, tri, m. γεωμέτρης, terrae mensor: a γῆ, terra, et μέτρον, mensura. *Cic. Acad.* 4, 7. *f.* et *Fat.* 8. Quomodo geometres cernere ea potest, quae nulla sunt? *Senec. ep.* 88. *med.* Illud tibi geometer potest dicere. Al. leg. *geometres. Juven.* 3, 76. Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes. *Sidon. ep.* 4, 11. in carm.: Tractator, geometra, musicusque. *Quint.* 5, 10. *med.* Apud geometras. In versu *Juvenalis* synaeresis est: secunda enim syllaba corripi nequit, cum natura longa sit. Sic et apud *Auson. ep.* 18, 17. Vel quod juncturas geometrica forma favorum. At in *Sidonio* synaeresis esse non potest, quia natura illius carminis et dactylum eo loco postulat, et undecim omnino syllabas requirit. Quare non est hic imitandus, quamvis et eodem modo dixerit *carm.* 23, 113. Non hunc cum geometricas ad artes.

GĒOMETRIĂ, ae, f. γεωμετρία, terrae mensuratio, vel ars ipsa terram dimetiendi: a γέα, et contracte γῆ, terra, et μετρέω, metior. Sed tamen ars haec non tantum in terra dimetienda usum habet, sed et in aquis, in montanis distantiis atque intervallis, ipsisque corporibus coelestibus. Causam nomini praebuit, quod a terrae mensuratione coeperit. *Cic. Acad.* 4, 33. Quid Polyaenus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur? is posteaquam Epicuro assentiens totam geometriam esse falsam credidit, num illa etiam, quae sciebat, oblitus est? ℙ *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 3, 41. scripsit, inventam fuisse quodam tempore, cum Nilus plus aequo crescens confudisset terminos possessionum, ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis agros diviserunt. ℙ Apud Graecos summo in honore fuit. *Cic. Tusc.* 1, 2.

GĒOMETRĪCE, adv. Sunt qui in loco *Plinii* allato v. seq. perperam putant *geometrice* esse adverbium, cum reapse sit nomen. Habet quidem, sed Graecis litteris, *Cic. Att.* 12, 5. Tum me γεωμετρικῶς refelleras.

GĒOMETRĪCUS, a, um, adj. γεωμετρικός, ad geometriam spectans. *Cic. Div.* 2, 59. Si velim geometricum quiddam, aut physicum, aut dialecticum explicare. *Id. Acad.* 4, 36. Geometricis rationibus non est crediturus, quae vim afferunt in docendo. ℙ *Geometrica*, *orum*, sunt res geometricae, ipsa geometria. *Cic. Tusc.* 1, 24. Pusionem quendam interrogat Socrates quaedam geometrica de dimensione quadrati. Et *mox.* Quasi geometrica didicisset. ℙ *Geometrice*, *es*, f. supple *ars*, est ipsa geometria. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. Omnibus litteris eruditus, praecipue arithmetice, et geometrice, sine quibus negabat, etc.

GĒORGĪCĂ, orum, n. plur. V. v. sequent.

GĒORGĪCUS, a, um, adj. γεωργικός, ad agrorum culturam pertinens. *Colum.* 7, 5. Georgicum carmen affirmat nullam esse praestantiorem medicinam, *h. e.* carmen *Virgilii*, qui inscribitur *Georgica*, quatuor libris constans. *Gell.* 13, 20. In primo Georgicon, quem ego librum, etc. *Georgicon* Graeca positio est genitivi pluralis, γεωργικῶν, pro *Georgicorum. Id.* 18, 5. Virgilius hunc Ennii versum secutus in Georgicis suis.

*GEORGOS, i, Γεωργός, *h. e.* agricola, commoedia Menandri. *Quint.* 11, 3. *B. A.*

GĒORGUS, i, m. et Gĕorgē, es, f. γεωργός, et γεωργή, agricola. Est cgn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 307, 7. M. Ulpius Georgus. Alia ap. *Grut.* 970. 6. Matri trium Corneliorum, Georges, Gnesii, Clementis. *F.*] ℙ *GEORGI, orum, m. Γεωργοί, *i. e.* agricolae, Asiae populi ab agricultura nomen sortiti, quibus vicinos Corsitas, Phoristas, et Riphaces *Mela* facit. V. 1, 2. et 2, 2. *Plin.* 4, 12. et 6, 13. ℙ Constat etiam Tauricam Chersonesum *Georgiam* cognominatam propter memorabilem in ea frumenti copiam, ut notat *Vadianus.* V. *Theodoret.* 2, 24. *Ruffin.* 1, 10. *B. A.*

*GER, is, Γῆρ, Africae interioris fluvius, in regione Garamantum, Aethiopiae vicinus. *Plin.* 5, 1. ℙ *Gir* appelatur a *Claud. de Stil.* 1, 252. *B. A.*

[GĒRAESTĪCUS, a, um, adj. ad Geraestum pertinens, urbem Ioniae prope Teum oppidum, cujus meminit *Mela* 2, 7. et *Plin.* 4, 12, 21. Hinc *Geraesticus portus* ap. *Liv.* 37, 27. et 28. *F.*]

*GERANĒA, ae Γερανεία, Graeciae opp., in Megaride. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

*GERANĪA, ae, f. oppidum Laconiae. *Plin.* 4, 5. ℙ Item opp. Scyticum, non longe a Ponto Euxino, in Moesia, quod Pygmaei incolebant. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

GĔRĂNĬON, ii, n. γεράνιον, herba cicutae similis, foliis minutioribus, et caule brevior, rotunda, saporis et odoris jucundi. Nostri sic eam tradunt. Graeci foliis candidioribus paulo, quam malvae, caulibus tenuibus, pilosis, ramosam ex intervallis, binum palmorum, et in his, foliis, inter quae in cacuminibus capitula sint gruum. Alterum genus foliis anemones, divisuris longioribus, radice mali modo rotunda, dulci, reficientibus se ab imbecillitate utilissima. Haec *Plin.* 26, 11, 68. Nomen habet a γεράνιον, parva grus.

GĔRĂNĪTIS, idis, f. γερανῖτις, gemma gruis collo (quae Graecae γέρανος) colore similis. *Plin.* 37, 11, 72.

GĔRĂNŌPEPĂ. *Hieron. ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 28. Prandium nidoribus probat, et altili geranopepa, quae vulgo pippizo nominatur. Alii leg. γεγανοπέπη, alii γέρων ὁ πέπων, alii γερανοπέπτα, et γεγανοκόπτα, etc. Vexatissimus enim est locus, et obscurissimus.

GĔRĂRĬĂ, ae, f. quae gerit. *Pl. Mil.* 3, 1, 102. Jampridem, quia nihil abstulerit, succenset geraria. Alii rectius leg. *ceraria*, et intelligunt ancillam, quae cereos ad sacrificia parat. Alii *cellaria*, h. e. cellae custodem.

GERDĬUS, ii, m. γέρδιος. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 379. curate, domi sint Gerdius, ancillae, pueri, zonariu', textor. *Firm.* 8, 25. *med.* Textores faciet, gerdiosque. In *Gloss. Philox.* exponitur γέρδιος, ὑφαντής, textor: et γερδία, textrix: et γερδοποιόν, textrinum. *Hesych.* quoque γερδιός, ὑφάντης. Sed quia utroque loco *textor* additur, dubitationem facit, ne aliud quippiam significare *Lucil.* et *Firmic.* velint: aut saltem discrimen sit aliquod textorem inter, et gerdium. [Ipsa certe vox peregrina est: videtur enim esse a Chald. גרדי, quod vulgo vertitur *textor;* sed, cum Hebr. גָּרַד *(garad)* si-

gnificet *decorticavit*, vero simile est, interpretandum esse carminatorem, Italice *cardatore*, a carduis nempe, quibus in carminando utitur. *F.*]

GĔRENS, entis, part. a *gero*, qui gerit. *Cic. Quint.* 19. *extr.* Sui negotii bene gerens. Contra *Pl. Truc.* 1, 2, 43. Idem quod tu facis, faciunt rei male gerentes.

*GERGĪTHUS vel Gergithos, i, f. Asiae opp., in Mysia vel Aeolide, cujus incolae olim sub ditione erant Trojanorum. *Liv.* 38, 39. ubi accusativus *Gergithum* occurrit. ℙ *Gergithos* est *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*GERGOVĬA, ae, f. *Γεργουία*, opp. Galliae Aquitanicae, in regione Arvernorum. *Caes. B. G.* 7, 4, 34. et 36. *Sidon. Paneg. Avit. soc.* v. 152. ℙ Item aliud, in Boiorum terra. *Caes. B. G.* 7, 9. si lectio certa. *B. A.*

GĔRĬTIO. V. GESTIO, onis.

*GERMA, ae, f. opp. Mysiae. *Anton. Itin. B. A.*

GERMĂLUS. V. CERMALUS.

GERMĀNĒ, adv. *ἀδελφικῶς*, sincere, et in modum germani fratris. V. GENUINE.

GERMĀNĬA, ae, f. regio ampla Europae, ad septentrionem sita, Alpes a meridie, mare Balticum ad Boream, ab oriente Poloniam et Hungariam, ab occidente Rhenum, Galliam, et mare Germanicum pro terminis habens. Plura qui volet, *Plinium* 4, 13, 27. et *ib.* 14, 28. et *ib.* 15, 29., *Tac. de morib. German.*, ac praesertim *Phil. Cluverii German. ant.* adeat. *Hor. Ep.* 16, 7. Nec fera caerulea domuit Germania pube. ℙ In plur. num. *Tac. A.* 2, 73. Perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. *Plin.* 31, 7, 39. Germaniae ardentibus lignis aquam salsam infundunt. ℙ Olim Germaniae nomine etiam Gallias venisse, colligunt nonnulli ex *Senec. Consol. ad Helv.* 6. *f.* et *Plin. Pan.* 14.; at iis locis attentius perpensis, id unum argui posse videtur, Celtas, qui, ut constat ex *Dione* 53, 12., postea Germani vocati sunt, cum omnem Celticam regionem, quae ad Rhenum est, occupassent, effecisse, ut ea Germania vocaretur: superior, quae Rheni fontibus propior est, cujusque caput fuit Moguntiacum; inferior, quae ab hac usque ad Oceanum Britannicum pertingit, hujus vero caput fuit Colonia Agrippina. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 375, 1. mentio est *duarum Germaniarum*, et 457, 6. *Germaniae superioris*, et 502, 6. *Germaniae inferioris.*

*GERMANICĬA, ae, f. *Γερμανίκεια*, opp. Syriae, in Commagena, ad Amanum montem, ubi natus Nestorius haereticus. *Ant. Itin. B. A.*

GERMĀNĬCĬĀNUS, a, um, adj. Germaniciani dicuntur milites Romani in exercitu Germanico, *h. e.* in Germania militante, *Suet. Tib.* 25., *Oth.* 8. et *Vesp.* 6. Eadem ratione *Hispanienses* dicti sunt milites non Hispani, in Hispania militantes. [*Adde *Eutr.* 10, 15. ubi v. *Tzschuck.*] ℙ *Germanicianus* fuit etiam dictus, qui Germanici Caesaris a Tiberio, Augusti jussu, adoptati servus fuerat, quique post domini mortem a Tiberio procuratam, in hujus potestatem pervenerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 602, 9. Diocles Ti. Caesaris minister Germanicianus natione Gallograecus. Et *ib.* 11. Macro Germaniciano Ti. Caesaris Germano, natione Vein-*delico.*

*GERMANICOPŌLIS, is, opp. Paphlagoniae. *Justin. Novell.* 29, 1. *Γερμανόπολις* est *Ptolemaeo. B. A.*

GERMĀNĬCUS, a, um, adj. ad Germaniam pertinens. *Caes. B. G.* 4, 16. Germanicum bellum. *Liv.* 9, 36. Germanici saltus. *Albinov.* 1, 335. Germanica signa. *Suet. Vesp.* 2. Victoria Germanica. *Id. Cal.* 47. Germanicus sermo. *Mart.* 9, 2. Kalendae Germanicae, *h. e.* septembris, qui mensis in honorem Domitiani Germanorum victoris, *Germanicus* dictus est, ut *Suet. Dom.* 13. et *Macr. Sat.* 1, 12. narrant. Sed et Caligula ante illum, in memoriam patris, *Germanici* cognomine, hanc eidem mensi appellationem dederat, teste eod. *Suet. Cal.* 15. Hinc *Inscr.* ap. *Amadutium Anecd. litter. T.* 3. p. 469. Idem municipibus Sentinatibus in epulum, quod XVII. K. Germanicas daretur, HS. C̄X̄X̄. legavit. ℙ Imperatores quoque, ob devictos Germanos, *Germanici* nomen adsumpsere non uni, ut praeter Domitianum (quem adulatorie laudat *Quint.* 10, 1. ut maximum poetarum) Claudius, Vitellius, et alii deinceps multi. ℙ Praeterea in familia Caesarum nonnulli *Germanici* cognomen habuere, quorum primus fuit Nero Claudius Drusus Germanicus, Liviae Drusillae Augusti uxoris ex Tiberio Nerone filius, cui senatus, ob res maxima felicitate in Germania gestas, *Germanici* cognomen ipsi posterisque ejus decrevit, ut est ap. *Suet. Claud.* 1. Alius fuit *Germanicus*, hujus filius, et a Tiberio adoptatus, cui *Ovidius* suos Fastos inscripsit, cuique tribuuntur Aratea Phaenomena, carmine heroico descripta, quae adhuc exstant: in quibus, ut de stilo, et poetico spiritu taceam, probabilis Latinitas in dubium revocari non potest. Sunt tamen, qui haec Domitiani esse putant. ℙ *Germanicum mare* appellat *Plin.* 4, 16, 30. quod nunc Balticum dicimus, qua parte Germaniam alluit. ℙ **Germanicum* (sc. opp.), *i*, in Vindelicia fuit. *Tab. Peut. B. A.*

[GERMĀNĬO, onis, m. dimin. Germani. Est nomen R. in Christiana *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 255. Germanioni in pace. *F.*]

GERMĀNĬTAS, atis, f. *ἀδελφότης*, conjunctio, et vinculum necessitudinis inter fratres, vel quale solet esse inter fratres. *Cic. Ligar.* 11. Moveant te horum lacrimae, moveat pietas, moveat germanitas. [**Id. Harusp.* 20. Clodius in domesticis est germanitatis stupris volutatus: ubi de scelesta Clodii cum sorore consuetudine sermo est. *Lamb.* susp. *in domesticis germanisque stupris est vol.*] *Liv.* 37, 56. Argis et illos, sicut sese, oriundos esse: ab ea germanitate fraternam sibi cum iis caritatem esse. [*Adde 40, 8. et coll. 41, 27.] ℙ Translate est similitudo, societas. *Plin.* 6, 1, 1. Unde nomen ambobus (*Bosphoris*) et jam quaedam in dissociatione germanitas concors. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 1. Germanitas vini. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 8. Germanitas spei. *B. A.*

GERMĀNĬTUS, adv. fideliter, germane. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 381. Si quis est amico amicus, gaudet, si quid evenit boni, cui amicus est germanitus. Adde *August. ep.* 120, 34.

GERMĀNUS, a, um, adj. *αὐτοκασίγνητος*, frater: quasi eodem germine profectus, ut *Fest.* putat: vel de eadem genitrice manans, ut *Varr.* ap. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 5, 412. Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat. ℙ Dicitur tum de iis, qui eadem tantum matre, ut in loco *Virgilii* allato; tum de iis, qui eodem tantum patre; tum multo magis de iis, qui eodem patre et matre geniti sunt. Saepe etiam jungitur cum ipsis vocibus *frater*, et *soror*, ad majorem quandam vim addendam. *Nep. Cim.* 1. Habebat in matrimonio sororem suam germanam, non magis amore, quam more ductus: nam Atheniensibus licet eodem patre natas, uxores ducere. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Cic. Mil.* 27. Clodius cum sorore germana. *Id. Verr.* 2, 1, 49. C. Fannius, frater germanus Q. Titinii. *Id. Font.* 17. Cum virgo Vestalis germanum fratrem complexa teneat. *Pl. Men.* 5, 9, 43. Fratres germani duo Gemini, una matre nati, et patre uno. *Ter. Ad.* 5, 8, 34. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo. *Cic. Fin.* 5, 1. L. Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus. *Ov. Fast.* 3, 560. Germanae justa dat ante suae. *Ter. Andr.* 1, 5, 57. Si te in germani fratris dilexi loco. *Pl. Cas.* 3, 4, 25. Nunc tute amicus mihi es germanum in modum. ℙ De bestiis. *Accius* de duobus arietibus loquens, ap. *Cic. Div.* 1, 22. pulcriorem alterum immolare .... deinde ejus germanum cornibus connitier, etc. ℙ Translate sumitur pro simili, quia inter germanos similitudo plerumque est. *Cic. Acad.* 4, 43. Erat quidem, si perpauca mutasset, germanissimus Stoicis. Al. leg. *Stoicus.* [*Ita *Orell.*] *Id. Or.* 10. *f.* Cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, germanos se putant esse Thucydidis. Al. leg. *Thucydidas.* [*Ita *Orell.*] Adde *Part.* et *Pis.*, ut in GEMINUS dictum est. *Justin.* 27, 3. *f.* Sic fratres, quasi et germanis casibus, exsules ambo, scelerum suorum poenas luerunt. [*Male inter hujus et seq. § exempla discrimen videtur positum, cum quale sit, equidem non perspiciam.] ℙ Item verus, proprius, sincerus, non fucatus, merus, *γνήσιος. Cic. Off.* 3, 17. Nos veri juris, germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus. *Id. Leg.* 2, 1. Haec est mea, et hujus fratris mei germana patria. *Id. Agr.* 2, 35. *f.* Illi veteres germanique Campani. *Id. Brut.* 86. Haec germana ironia est. *Id. Att.* 4, 5. *f.* Scio, me asinum germanum fuisse. *Pl. Most.* 1, 1, 38. Dii te omnes perdant: oboluisti allium, Germana illuvies. *Id. Capt.* 2, 2, 38. Ille Theodoromedes fuit germano nomine, *h. e.* proprio. ℙ Praeterea *Germanus* est ad Germaniam pertinens, *Γερμανός. Ov. A. Am.* 3, 163. Femina canitiem Germanis inficit herbis. *Pers.* 6, 44. Germana pubes. ℙ *Germani, orum*, Germaniae populi, *Γερμανοί*, Latino nomine ita dicti, quia ipsi se mutuo sua lingua *fratres* vocare consueverunt: vel quia cum primum ab Romanis post devictos Gallos visi sunt, corpore et ritu vivendi iis simillimi visi sunt, quasique fratres. Sunt qui dici velint, quasi *german*, plane viri, eorum lingua. *Tac.* quoque *German.* 2. nomine illos a se invento *Germanos* vocari, tradit. Luditur in ambiguo in illo versu ap. *Vell.* 2, 67. *De Germanis, non de Gallis, duo triumphant consules.* Sermo est de duobus consulibus triumphantibus, qui suos fratres proscripserant. Similis est jocus *Cic.* ap. *Quint.* 8, 3. de quodam Cimbro, qui fratrem necaverat, *Germanum Cimber occidit.* ℙ *Germani*, seu Batavi fuerunt Romae apud Caesares corporis custodes; hinc saepe in vetustis lapidibus memoratur *collegium*, vel *cohors*, vel *statio Germanorum*, vel *numerus Batavorum*, qui in decurias divisi, praefectum et curatorem habebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 602, 8. Bassus Ti. Germanici Germanus. Et 603, 1. Proculus decurio Germanorum Ti. Germanici. Alia ap. *Fabr.* p. 687. *n.* 97. Ti. Claudius Chloreus Neronis Claudii Caesaris Aug. corporis custos natione Batavus ex collegio Germanorum. Alia ap. *Mur.* 771, 3. Praefectus cohortis Germanorum. *Suet. Ner.* 34. Abducta Germanorum statione, matrem contubernio ac Palatio quoque expulit. *Id. Cal.* 43. Admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 119, 1. Ti. Claudius Divi Claudi Lib. Actius curator Germanorum. ℙ Hinc Romae mos fuit figulino opere Germanorum personas repraesentare, quae, ut etiam nunc apud nostrates, pueris terriculamento essent. *Mart.* 14, 176. cujus lemma, *Persona Germanica.* Sum figuli lusus rufi persona Batavi: Quae tu derides, haec timet ora puer.

GERMEN, inis, n. *βλάστη*, quod e semine pullulat atque assurgit: item quod ex plantarum oculis enascitur, surculus: a *gerendo*, quasi *gerimen;* vel a *genendo*, quasi *genimen. Plin.* 18, 10, 21. Ex uno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus germina. *Rutil. Itin.* 1, 376. Excitat in fruges germina laeta novas. *Virg. G.* 2, 76. huc aliena ex arbore germen Includunt. [**Id. ib.* 332. Inque novos soles audent se germina tuto Credere. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 1079. Rabies unde illae germina turguent.] ℙ Item semen. *Ov. Met.* 9, 280. impleratque uterum generoso germine. ℙ Item fructus, poma. *Claud. Laud. Stil.* 2, 465. autumni maturet germina Virgo. ℙ Translate *germen trahere* est originem ducere. *Prud. Cathem.* 10, 32. Pars illa potentior exstet, Quae germen ab aethere traxit. Et *περὶ στεφ.* 3, 1. Germine nobilis Eulalia. ℙ Aliquando est proles. *Nemesian. Cyneg.* 155. de cane feta: postquam conclusa videt sua germina flammis, *h. e.* suos catulos. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 76. Nympharum coetus, et celsa Tonantis Germina, *h. e.* filias. *Justin.* 18, 3. *extr.* Exstirpato servili germine. ℙ Germina cara maris, ap. *Claud. ep. ad Seren.* 14. sunt uniones. Germina frontis, *Rapt. Pros.* 1, 129. sunt cornua. Germen Lernae, *Stat. Silv.* 5, 3, 142. est apium, quo coronabantur victores in ludis Nemeaeis. Est autem Nemee in eadem Argiae regione, in qua Lerne. ℙ [*Permutantur in cdd. *germen* et *gramen.* V. intpp. ad *Virg. G.* 2, 332. *Spalding.* ad *Quint.* 5, 8. *in.*]

[GERMĒNUS, a, um, adj. ad Germen pertinens, Galatiae urbem in Tolistobogis prope Pessinuntem, nunc *Ghermesti.* Nummus Etruscillae Aug. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 178. Colonia Germenorum. *F.*]

GERMĪNĀTĬO, onis, f. *βλάστησις*, actus germinandi. *Colum.* 4, 24. *med.* Palmes, quem mox in germinatione citaverit, imbecillis ac minus fructuosus erit. *Plin.* 17, 14, 24. Surculi germinatione turgentes. Et *ib.* 2, 2. Cum praecoces excurrere germinationes, secutis frigoribus exuruntur. ℙ Sumitur et pro ipsa planta germinante. *Id.* 17, 17, 28. Accumuletur germinatio terra, donec robur planta capiat.

[GERMĪNĀTOR, oris, m. qui germinat, vel germinare facit. Est nomen equi in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 276. *n.* 175. Vici in factione Veneta Germinatore Mauro Afro LXXXXII. Fortasse ita appellatus fuit hic equus, quod germen suscitabat, seu genus propagabat. *F.*]

GERMĪNĀTUS, us, m. idem ac germinatio. In sexto casu sing. *Plin.* 15, 8, 8. Oleam, si capra depaverit primo germinatu, sterilescere, auctor est Marcus Varro. Adde 16, 25, 41.

GERMĪNO, as, n. 1. *βλαστάνω*, germen emitto, pullulo. *Plin.* 13, 24, 46. Eodem die germinat, quo injectum est. *Id.* 19, 8, 42. Asparagus altissime germinat. ℙ Sumitur etiam active pro emittere, effundere. *Plin.* 30, 11, 30. Vermiculi pennas germinant. *Id.* 7, 6, 5. Capillum germinans partus.

[GERMULLUS, i, m. dimin. germinis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 196, 3. C. Tullius Germullus. *F.*]

GĔRO, is, essi, estum, a. 3. *φέρω, κομίζω*, fero, porto, habeo. Cum *habere* significat, dicitur fere de iis, quae ita habentur, ut ab aliis conspiciantur. *Pl. Amph.* 1, 1, 185. Quo ambulas Tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris? *Nep. Dat.* 3. Gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam. *Id. ib.* Vestis, quam satrapae regii gerere consueverant. *Hor. Sat.* 1, 1, 110. capella gerit distentius uber. *Val. Fl.* 2, 492. Nec tales humeros, pharetramque gerebat Apollo. *Virg. G.* 2, 122. quos oceano propior gerit India lucos. *Id. A.* 1, 319. Virginis os habitumque gerens. [*Cave, cum *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 490. *gerere os*, cet., idem esse censeas ac *ferre os*, *gradus*, etc. licet nimium sibi sumserit ad *Ov. Met.* 4, 135. *Heins.* negans, *gerere* vix unquam ita posse dici. Differunt quidem, sed ita, ut *ferre* cum movendi, jactandi notione, vim majorem quandam exserat; *gerere* sedatius quiddam cum repraesentandi, ostentandi significatione conjunctum denotare videatur: quamquam multis in locis hoc discrimen minus severe tractari facile concedamus.] *Curt.* 3, 3. Duo simulacra, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. *Ov. Amor.* 3, 4, 19. Centum fronte, oculos centum cervice gerebat Argus. *Virg. A.* 6, 772. umbrata gerunt civili tempora quercu.

Id. ib. 2, 277. Squalentem barbam, et concretos sanguine crines, Vulneraque illa gerens, quae, etc. *Plin.* 8, 47, 72. Oves gerunt partum diebus centum quinquaginta. Et *ib.* 40, 62. Canes gerunt uterum sexagenis diebus. ℙ Usu differt a *fero*, et *porto*, quia *fero*, *porto tibi*, aut *ad te quippiam*, aut *in aliquem locum* dicimus; *gero* hoc modo, quod sciam, non dicimus. [*Dicitur. V. *Liv.* 28, 19. Gerere saxa munientibus in muros; et 37, 5. Feminae tela omnis generis saxaque in muros gererent. Adde 1, 10. Et absolute i. q. ingerere. *Id.* 7, 6. Neque eam voraginem conjectu terrae, quum pro se quisque gereret, expleri potuisse. — Unde simul apparet, non ab omni parte, vera esse, quae *Döderl.* 1, 154. disputat: contineri v. *gerere* ubique internam, *ferre* et *portare* semper externam quandam rationem, ita ut in his oneris praevaleat significatio, illud cum possidendi notione maxime dicatur.] ℙ Translate. *Liv.* 32, 11. Mixtum gaudio ac metu animum gerere. *Justin.* 17, 1. *f.* imperii cupiditatem insatiabilem. *Quint. Decl.* 10, 10. desideria de unico filio. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 18. animum muliebrem. *Sall. Jug.* 115. Suos hortatur, uti fortem animum gererent. *Curt.* 4, 14. *f.* In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. *Liv.* 28, 22. et *Plin.* 8, 18, 26. odium in, et adversus aliquem. *Virg. A.* 9, 310. pulcher Iulus Ante annos animumque gerens, curamque virilem. *Ov. Met.* 7, 655. mores, quos ante gerebant, Nunc quoque habent. *Virg. A.* 2, 89. et nos aliquod nomenque decusque Gessimus. [*Liv. 8, 24. Cum fortuna mutabilem gerentes fidem.] ℙ *Prae se gerere* est prae se ferre, ostendere, exhibere. *Cic. Inv.* 2, 9. Affectionis ratio perspicuam solet prae se gerere conjecturam. Et 52. Prae se quandam gerere utilitatem. [*Hirt. *B. Afr.* 10. Animum enim altum et erectum prae se gerebat. — Sensu proprio *Liv.* 1, 26. Trigemina spolia prae se gerens.] ℙ *Gerere personam alicujus* est praeferre, sustinere. *Cic. Off.* 1, 32. Ipsi gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur: itaque se alii ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant. Et 34. Magistratus gerit personam civitatis. ℙ Similia horum sunt illa *Senec. Troad.* 714. excidat Hector: Gere captivum, positoque genu, etc. *Claud. IV. cons. Honor.* 293. Tu civem, patremque geras. [*Id. *Nupt. Honor.* et *Mar.* 32. Gessi procum. *Plin. Pan.* 44, 2. Principem geris.] ℙ *Gerere se* est agere, exhibere. *Justin.* 32, 3. Gerere se regem. *Cic. Arch.* 5. *f.* Gerere se pro cive. *Id. Att.* 6, 1. *med.* valde honeste. Et *ib.* 9, 2. *med.* perdite. *Id. Off.* 1, 26. submissius. *Plin. ep.* 2, 12. turpiter in legatione. *Nep. Cim.* 2. contumacius. [*Liv. 41, 10. inconsultius.] *Cic. Off.* 1, 28. Natura docet non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus. *Ov. Her.* 4, 31. Gerere se sine crimine. ℙ Aliquando est gignere, producere, edere. *Ov. Met.* 9, 230. Arboribus caesis, quos ardua gesserat Oete. *Id. Trist.* 3, 12, 6. violam nullo terra serente gerit. *Tibull.* 2, 4, 56. Quidquid et herbarum Thessala terra gerit. *Virg. G.* 2, 70. Et steriles platani malos gessere valentes. *Lucr.* 1, 716. Quorum Agrigentinus cum primis Empedocles est, Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. Adde 6, 790. ℙ Saepe est facere, non tamen de rebus materialibus, ut *domum*, *gladium facere* dicimus; sed de iis, quae animi facultate, ingenio, consilio administrantur. *Cic. Or.* 2, 59. *med.* Ut iis qui audiunt, tum geri illa fierique videantur. *Id. Quint.* 6. *extr.* Haec dum Romae geruntur, Quintius interea, etc. Et 13. Quid negotii geritur? *Virg. A.* 9, 203. nec tecum talia gessi. *Id. G.* 4. etiam de iis, quae manu fiunt, 305. Hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas. ℙ Itaque saepissime est administrare, tractare, agere consilio et ratione aliquid, quasi ejus pondus gerendo et sustinendo, πράττω, χειρίζω. Qua de re *Varr. L. L.* 5, 8. Potest quis aliquid facere, et non agere, ut poeta facit fabulam, et non agit: contra actor agit, et non facit. Contra imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit, sed gerit, id est sustinet: translatum ab his, qui onera gerunt, quod sustinent. Haec *Varro. Cic. Att.* 16, 2. Omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes. *Id. Fin.* 3, 20. Gerere et administrare rempublicam. *Id. Fam.* 2, 7. Feliciter et ex mea sententia rempubl. gessimus. *Id. Rosc. Am.* 45. Cum L. Sulla solus rempubl. gereret, orbemque terrarum gubernaret. *Id. Fam.* 13, 5. Ut susceptum negotium pro tua fide et diligentia, ex voluntate Caesaris, qui tibi rem magnam difficilemque commisit, gerere possis. *Id. Verr.* 2, 2, 55. Gerere potestatem, *h. e.* magistratum: ut *Id. Sext.* 37. dixit. *Nep. Att.* 6. honores. *Id. Cat.* 2. consulatum. *Id. Epam.* 7. imperium. *Cic. Dom.* 35. Illud pulcherrimum factum, quod pro salute patriae gessi. *Pl. Bacch.* 3, 3, 73. Rem mandatam gerere sedulo. *Id Ps.* 1, 2, 61. Tace, et hanc rem gere. [*Hinc saepius ad mundi rerumque humanarum gubernationem solet referri. *Cic. N. D.* 2, 30. Omnes res subjectas esse naturae sentienti ab eaque omnia pulcherrime geri. Adde *ib. c.* 32. ubi *Heindf.* c. *Davis.* pro *vulg. regit* h. v. restituit, Orellio prob. quanquam in textum, non recip. *Nep. Timol.* 4, 4. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Ita multis in locis *Lucr.* cf. 1, 329. et *al. Tibull.* 3, 3, 22. Nam fortuna sua tempora lege gerit.] ℙ *Res gerendae* sunt negotia tum privata, tum publica, quae ab hominibus fiunt. [*V. *Brem.* ad *Nep. Hann.* 8, 4.] *Cic. Sen.* 6. A rebus gerendis senectus abstrahit. Et *paulo post.* In re gerenda versari senectutem negant. *Id. Fin.* 5, 19. Homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum. Et *mox.* Qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. ℙ *Rem gerere* aliquando est rem suam curare. *Id. Sen.* 7. Male rem gerentibus, patriis bonis interdici solet. *Pl. Pers.* 4, 3, 34. Et valeo recte, et rem gero [**mache Geschäfte*], et facio lucrum. *Massur. Sabin.* ap. *Macr. Sat.* 3, 6. Instituit mercaturam, et bene re gesta, decimam Herculi profanavit. [*V. *Heusing.* ad *Nep. Hann.* 8, 4. et ad *Cic. Off.* 1, 4.] ℙ Interdum pertinet ad rem bellicam. *Nep. Amilc.* 3. Exercitui praefuit, resque magnas gessit. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Cassius insecutus hostes, rem bene gessit. *Liv.* 28, 2. Pes cum pede collatus, et gladiis geri res coepta est. [*Id. 10, 39. Ubi res ferro geratur; et 9, 35. Missilia, quibus eminus rem gererent. *Id.* 30, 2. Viginti omnino legionibus, et centum sexaginta navibus res Rom. eo anno gesta est.] *Plin.* 12, 25, 54. Alexandro magno ibi res gerente. [*Hirt. *B. G.* 8, 39. Ibi crebris litteris Caninii fit certior, quae de Drappete et Lucterio gesta essent, i. e. quam feliciter contra Dr. et L. pugnatum esset. Alii intp. *quae iis accidissent:* quod nullo modo ferri posse videtur; continet enim hic locus laetum victoriae, quam Caninius reportasset, non tristem calamitatis, quae duobus hostium ducibus accidisset, nuntium. Hinc male *Clark.* usitatius dici, *quid de iis factum esset:* quo sensu nostri loci verba ne latine quidem possunt adhiberi. ℙ Sunt qui putent, posse *gerere* etiam absolute dici pro *rem gerere*, i. e. *agere.* Ita ap. *Vell.* 2, 102, 2. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prospere gessit. Quem l. *Wopk. Misc. Obs. Nov. Tom.* 10. p. 302. defendit binis *Liv. ll.* 25, 22. Quia consules ad id locorum prospere gererent; et 40, 57. Sive caesi ab Romanis forent Bastarnae — sive prospere gessissent. — At in *Vell. Heins.* emend. *prospere rem gessit;* et ap. *Liv.* altero loco *Gron.*, altero *Drak.* h. v. restituerunt, vehementer assentiente *Frotsch.* ad *Vell. l. l.*] Hinc quoties gravioris belli imminentis causa dictator crearetur, *rei gerundae causa* factus dicebatur, ut videre est in *fragm. Capitol.* ap. *Grut.* 290, 291. et 292. et ap. *Liv.* 8, 29. Et translate de pugna Venerea. *Catull.* 66, 13. Dulcia nocturnae portans vestigia rixae, Quam de virgineis gesserat exuviis. [*Prop. 3, 8, 32. Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.] ℙ Ponitur et pro habere, exercere. *Ter. Hec.* 3, 1, 30. Pueri inter se quam pro levibus noxiis iras gerunt! *Caes. B. C.* 1, 3. Gerere inimicitias cum aliquo. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *Att.* simultatem cum aliquo pro republ. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* et *Nep. Dat.* 10. amicitiam. [*Observa, v. *gerere* h. l. cum simulandi notione adhiberi, quae minus usitata est ratio. V. *Brem.* Ceterum nullo jure separatim hujus §. exempla posita videntur; primum enim et quartum pertinent ad §. 3. et reliqua conjungi cum sequentibus poterant.] ℙ *Gerere bellum cum aliquo*, ap. *Cic. Sext.* 2. et *Div.* 1, 46. est contra aliquem belligerare: ap. *Nep. Chabr.* 3. est simul cum aliquo adversus alium. Alio sensu *Vell.* 2, 104. Bellum erat ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter. [*De formula *bellum gerere* disp. *Döderl.* 1, 154. sq. Discrimen inter *bellum agere*, *facere*, *gerere* ostendit *Herzog.* ad *B. G.* 3, 28. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 2, 9. *Id.* ad *Mel.* 1, 16, 5. Adde *Spald.* ad *Quint.* 10, 1, 91. — In loco *Sall. Jug.* 46, 8. Uti Iugurtha .... pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur: non opus est, ut c. *intpp.* omissum aliq., vel zeugma susp. V. *Döderl. l. l.* Eodem modo loquitur *Virg. A.* 7, 444. et *ib.* 9, 279.] ℙ *Gerere curam pro aliquo* est curare, ap. *Virg. A.* 12, 48. Sic gerere tutelam alicujus, *Tryphonin. Dig.* 23, 2, 68. et *Scaev. ib.* 27, 1, 22. Sic gerere tutelam corporis, *Senec. in. ep.* 14. ℙ *Gerere aliquem* tractare, accipere, habere. *Sall. Jug.* 90. *f.* Egomet in agmine, in proelio, consultor idem et socius periculi, vobiscum adero: meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et 61. Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus, ut seque, et exercitum more majorum gereret. *Gerere alteri morem* est obsequi, obedire. *Cic. Tusc.* 1, 9. Geram tibi morem, et ea quae vis, ut potero, explicabo. *Ter. Ad.* 2, 2, 6. Adolescenti morem gestum oportuit. *Id. Eun.* 1, 2, 108. Mos gerundus est Thaidi. *Id. Heaut.* 5, 1, 74. Sine, me in hac re gerere mihi morem. *Cic. Att.* 2, 16. *med.* Ut utrique a me mos gestus esse videatur. *Ov. Amor.* 2, 2, 13. gerat ille suo morem furiosus amori. ℙ *Gerere tempus* est transigere, agere. *Suet. Dom.* 1. Primae adolescentiae tempora tanta inopia gessisse fertur, ut, etc. Sic *Petr. fr. Trag.* 63. *Burm.* Gerere vitam. *Val. Fl.* 6, 695. impubemque gerens, sterilemque juventam. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Aetatem gerere cum aliquo. Hic al. leg. *agere*, ut et in illo *Suet Vesp.* 24. Exstinctus est annum gerens sexagesimum ac nonum. Sed *Graevius*, *Cellar.* et al. ex plurimis MSS. *gero* defendunt. Adde *Aurel. Vict.* in *Epit.* 44. [*Bene dici latine posse *gerere annum*, *tempus*, aetatem, etc., et quid differant in his *gerere* et *agere*, luculenter docuit *Oudend.* ad *Suet. Vesp.* 24. et qui hunc laudat, *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 2, 9. Adde *Wolf.* ad *Suet. l. l.* et *Schwarz* ad *Plin. Pan.* 44, 2. qui in universum de h. v. usu disputat. Ceterum notandum formulas dicendi *gerere tempus*, etc. praeter *Cic.* locum, *Fam.* 4, 5. nusquam esse ap. aureae aetatis scriptores obviam.] ℙ *Gerere regna in gremio alicujus* significat ab illo unice amari, et apud illum omnia posse. *Tibull.* 1, 10, 79. Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit, Et geret in gremio regna superba meo. ℙ [*Confunduntur *gerere* et *agere*. V. *intpp.* ad *Quint. Inst.* 10, 1, 91. ad *Nep.* 10, 8, 4. 20, 4. *f. Heins.* ad *Ov. Her.* 8, 42. *Drak.* ad *Liv.* 22, 28. *in. Oudend.* ad *Suet. Vesp.* 24. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 45. *Gron. Observ.* 4, 14. — *Gerere* et *regere. Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 32, 81. *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 340. ad *Ov. Pont.* 3, 3, 61.]

GĔRO, onis. V. FORAS-GERONES.

*GERONĬUM vel Gerunium, i, n. Apuliae opp. *Liv.* 22, 18, 24 et 39. *med.* ubi passim *Geronium* scribitur in edd. *Gron.* et *Drakenb.* Gerunium, Γερούνιον, est *Polybio. B. A.*

[GĔRONTĔA, ae, f. γεροντεία, sc. βοτάνη, a γερόντειος, senilis. *Appul. Herb.* 75. Gerontea herba, quae et senecio appellatur. *F.*]

*GĔRONTĬA, ae, f. insula maris Aegaei, Thessaliam versus. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

GĔRONTOCŌMĬUM, ii, n. γεροντοκομεῖον, locus, in quo senes pauperes aluntur, et curantur. Vox Graeca, a γέρων, senex, et κομέω, curam gero. Legitur in *Cod.* l. 2. 19. 22. et 23. ℙ Dicitur et *gerontotrophium* eadem significatione, sed alia radice, nempe a τρέφω, nutrio

GĔRONTODĬDASCĂLUS, i, m. senum praeceptor. Vox Graeca, a γέρων, senex, et διδάσκαλος, doctor: qua unam e suis Satyris *Varro* inscripsit.

*GERRA vel Gerrha, orum, n. plur. opp. Arabiae. *Plin.* 6, 28. et 31, 7. Hinc *sinus Gerraicus ib.* 6, 28. ℙ Item opp. Aegypti inferioris maritimum, prope Pelusium, τὰ Γέρρα *Straboni. Gerron* audit *Plin.* 6, 29. ℙ *Gerra*, *ae*, m. i. q. gerro. V. *Nihilo.* ℙ Gerra, i. q. gerres, piscis. *Comment. ad Terent.* e cod. *Ambros.* ed. *Maio*, p. 49. ed. *Mediol. B. A.*

GERRAE, arum, f. plur. crates vimineae, scuta Persica e viminibus texta. *Fest.* V. CERRONES. *Non.* 2, 385. dicit, esse fascinos, qui sic in Naxo insula Veneris ab incolis appellantur. ℙ Translate dicuntur nugae, nugamenta, res frivolae, λῆροι. *Pl. Poen.* 1, 1, 9. tuae blandiciae mihi sunt, quod dici solet, Gerrae germanae, atque edepol liroe liroe. *Id. Ep.* 2, 2, 45. Quid istae, quae vesti quotannis nova inveniunt nomina, Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium, etc. gerrae maximae. *Auson. ad Symm. initio Idyll.* 11. seu *Gryphi.* Misi itaque ad te frivola, gerris Siculis vaniora. ℙ Adhibetur etiam loco interjectionis. *Pl. Trin.* 3, 3, 31. Gerrae! nae tu illud verbum actutum inveneris. Adde *Asin.* 3, 3, 10.

GERRAĪCUS SINUS. V. GERRA.

GERRES, ium, m. plur. pisces saliti, ac inveterati, et nullius pretii, *Plin.* teste 32, 11, 53. *Mart.* 12, 32. Fuisse gerres, aut inutiles maenas, Odor impudicus urcei fatebatur. Adde 3, 77. *Gloss. Philox.* Gerres, μαινίδες. ℙ In singul. num. *addere garo gerrem*, proverb. rei pretiosae aliquid vile addere et immiscere. *Arnob.* 5, 188. Addidistis, ut dicitur, garo gerrem, cum Deorum nominibus appellavistis res turpes, et vocabulis rursus Deos rerum coinquinavistis infamium. V. GARUM. ℙ In editione *Arnobii* 1542. et in *Adag. Manut.* legitur, *addidistis*, *ut dicitur*, *gangraenam*, quod explicat *Manut.* geminastis malum, ut veterem culpam novae noxae accessione gravastis. Hoc sane cum *Arnobii* sententia belle convenit: placet tamen magis prior lectio.

GERRHA, orum. V. GERRA.

GERRHOS v. GERRHUS. V. GERRUS.

*GERRĬCŬLA, ae, f. parvus gerres. *Plin.* 32, 11. ed. *Hard.* Antea legebatur *graculo* pro *gerriculae. B. A.*

[GERRĪNUS, a, um, adj. qui ad gerras pertinet. *Pl. Epid.* 2, 2, 49. Cymatile, aut plumatile, cerinum, aut gerrinum: gerrae maximae. Vox quidem nihili est *gerrinum*, sed quam *Plaut.* finxit, ut locus esset lepidae paronomasiae, quae inest verbis *cerinum*, *gerrinum:* ibi enim loquitur de vestibus mulierum, quibus quotannis nova inveniebant nomina. Alii leg. *melinum*, q. v. V. *F.*]

GERRO, onis, m. nugator ap. *Fest.* V. CER-

RONES. *Ter. Hecyr. (Heaut.)* 5, 4, 10. Gerro, iners, fraus, heluo. [*Veteres in eruenda h. v. origine ad Graeca confugisse videntur frustrati homonymia *gr.* v. *γέρρον*. Unice verum etym. vv. *gerro*, (a quo *cerro* nonnisi enuntiatione differre videtur) et *gerrae* est a *garrire:* quod vidit jam *Ang. Decembrius Pol. lit.* 5, 135. *Gerrones* quasi *garriones.* Adde *Auct. Vet. Anom. Gerrones: φλυαρόι.* V. *Doederl.* 3, 84. sq.]

*GERRON (Gerrhon), i, n. V. *Gerra. B. A.*

*GERROS (Gerrus) vel Gerrhos (Gerrhus), i, m. *Γέρρος*, fluv. Scythiae vel Sarmatiae Europaeae, in paludem Maeotidem vel, ut aliis placet, in Pontum Euxinum cadens. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. ℙ *Gerys* audit *Val. Fl.* 6, 67. ubi v. *Burm. B. A.*

*GERRUNIUM, i, n. opp. munitum, vel castellum, in Macedonia. *Liv.* 31, 27. *B. A.*

GERTIBULUM. V. CARTIBULUM.

GERULA, ae, f. gestatrix, nutrix puerorum. *Tert. Anim.* 19. *f.* et *Adv. Jud.* 9. *med.*

*GERULATA, orum, (sc. castra, ut probabile est) locus oppidumve Pannoniae inferioris, ubi hodie *Carlsburg* vel *Groszvar* situm. *Tab. Peut.* ℙ *Gerulata, ae,* f. audit *Ant. Itin.* et *Not. Imp. B. A.*

GERULIFIGULUS, i, m. vox ficta a *Pl. Bacch.* 3, 1, 14. Affines tuos tua infamia fecisti gerulifigulos flagitii, *h. e.* docentes, et patrantes flagitia. V. GERULUS, i.

GERULO, onis, m. idem ac gerulus. V. GERULUS, i.

GERULUS, a, um, adj. portans. *Solin.* 1. *extr.* Navis gerula sacrorum. *Id.* 20. Cornua potuum gerula. *Appul. Met.* 6. Divinae formositatis gerula Psyche.

GERULUS, i, m. *φορεύς*, qui fert aliquod onus, et fere pro bajulo accipitur, idest pro eo, qui mercedis gratia onera ferre consuevit. *Hor. Ep.* 2, 2, 72. Festinat calidus mulis, gerulisque redemptor. *Pl. Bacch.* 4, 9, 79. Nae ille alium gerulum *(argenti)* quaerat sibi. *Suet. Cal.* 40. Ex gerulorum diurnis quaestibus pars octava exigebatur. [*V. *Casaub.*] *Sidon. ep.* 8, 13. Gerulus litterarum. *Col.* 10, 310. Aere sinus gerulus plenos gravis urbe reportet. *Appul. Met.* 3. *f.* Gestaminum modus numerum gerulorum excedit. *Elmenhorst.* leg. *gerulonum.* ℙ *Gerulus* etiam dicitur, qui aliquid efficit, ut notat *Scalig.* ad *Fest.* Hinc *Gloss. Philox.* Gerulus, *ὁ πράττων, ὁ πρακτήρ.* Hinc *gerulifigulus flagitii*, ap. *Plaut.* V. GERULIFIGULUS. ℙ *Geruli decuriales* dicuntur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1085, 11. qui in decurias conscripti, et in corpus aliquod collecti, portandis praesertim mercibus e portu in Urbem publice inserviebant.

GERUNDA, ae, f. opp. V. v. seq.

[GERUNDENSIS, e, adj. ad Gerundam pertinens, urbem Hispaniae Tarraconensis, cujus meminit *Prud. περὶ στεφ.* 4, 30.; nunc *Girona* appellatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 8. C. Mario C. Fil. Pal. Vero Gerundensi. ℙ *Gerundenses, ium*, sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 3, 4. *F.*]

GERUNDIUM, ii, n. modus verborum sub una voce activum, et passivum sensum habens, et infinitivi vices aliquando implens. *Charis.* 2, 144. et 147. vocat *supinum: Diomed.* 1, 333. *participialem modum:* sed et *gerundium* p. 350., ut et *Prisc.* 8, 808. etc. At *Cledon.* p. 1873. appellat haec *verba gerundi:* (sic *Macrob. de different. et societ. Graeci Latinique serm.* appellat *gerundi modos*) atque ideo dici ait, quia nos aliquid *gerere* significant, ut puta *legendi causa veni, legendo mihi contigit valetudo, legendum mihi erit.* Dicitur etiam *Gerundivus modus* a *Servio ib.* p. 1788., ubi quod tam agentis, quam patientis vim habeat, ostendit illo *Virg. (Ecl.* 3, 25.) *Cantando tu illum*, ubi activam et illo (*Ecl.* 8, 8, 71.) *cantando rumpitur anguis*, ubi passivam significationem habet.

GERUSIA, ae, f. *γερουσία*, locus, in quo senatus habetur, curia. Graeca vox a *γέρων*, senex. *Festus. Varr. L. L.* 4, 32. Senaculum vocatum, ubi Senatus, aut ubi seniores consisterent, dictum, ut *γερουσία* apud Graecos. ℙ Item aedificium, quale Athenis prytaneum, in quo senes de re publica optime meriti publice alebantur. *Plin. ep.* 10, 42. Incendium duo publica opera, gerusian, et Iseon absumpsit. *Vitr.* 4, 8. Croesi domus, quam Sardiani, civibus ad requiescendum aetatis otio, seniorum collegium gerusian dedicarunt. Adde *Plin.* 35, 14, 49.

GERYON, onis, et Geryŏnes, ae, et Geryoneus, i, m. *Γηρύων, Γηρυόνης, Γηρυονεύς*, rex Hispaniae: a *γῆρυς*, vox, quod eloquentia praestiterit. Fabulantur pastorem tricorporem fuisse. Origo fabulae inde fuit, quod tres fratres tantae concordiae exstitere, ut uno animo omnes regi viderentur. Alii dicunt, tricorporem fictum fuisse ob triplex regnum, quod puaefuerit tribus insulis; quae adjacent Hispaniae, Balearicae majori, et minori, et Ebusae. Fingitur etiam bicipitem habuisse canem, quia et terrestri, et navali certamine plurimum potuit. In illis insulis, in quibus Geryon regnavit, tanta pabuli laetitia est, ut, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tantae famae fuere, ut Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint. Non igitur Geryon, et fratres bellum Herculi sua sponte intulerunt, sed, cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetierunt. Ab Hercule victi sunt. *Just.* 44, 4., *Plin.* 4, 22, 36. et *Serv.* ad illud *Virg. A.* 7, 662. postquam Laurentia victor, Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva. *Id. A.* 8, 202. Tergemini nece Geryonae. *Lucr.* 5, 28. Quidve tripectora tergemini vis Geryonai? *Geryonai* antiquus genitivus primae declinationis per divisionem diphthongi factus, ut *terrai, pictai. Hor. Od.* 2, 14, 7. qui ter amplum Geryonem, Tityonque tristi Compescit unda. *Ov. Her.* 9, 91. Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi Geryones, quamvis in tribus unus erat. *Sil.* 13, 200. Qualis Atlantiaco memoratur litore quondam Monstrum Geryones immane tricorporis irae, Cui tres in pugna dextrae varia arma gerebant: Una ignes saevos, ast altera pone sagittas Fundebat, validam torquebat tertia cornum. ℙ *Sidon.* licenter secundam producit *carm.* 13, 13. Nulla tamen fuso prior est Geryone pugna.

GERYONACEUS, a, um, adj. *Γηρυόνειος*, ad Geryonem spectans. *Pl. Aul.* 3, 6, 18. Qui mihi intromisisti in aedibus quingentos coquos cum senis manibus, genere Geryonaceo.

GERYONEUS, a, um, adj. idem quod Geryonaceus, *Γηρυόνειος*, ut Geryonea caedes, *Appul. Met.* 2. *f.*

*GESOMPHALON, i, n. herba, de qua *Appul. de herb.* 43. *Γῆς ὀμφαλὸς* est umbilicus terrae. *B. A.*

GESORETA vel Geseoreta, ae, f. navigii speculatorii genus, quod quidam idem putant ac *prosumia. Gell.* 10, 25. in cujus verbis grave mendum cubare quidam putant.

*GESORIACUM (*Mela* 3, 2. *f. Flor.* 1, 11.), vel Gessoriacum (*Plin.* 4, 16. *Suet. Claud.* 17.), i, n. locus Galliae Belgicae cum portu, in Morinis, ubi in Britanniam trajectio est, Bononia (nunc *Boulogne*) postea appellatus. *Tab. Peut.* cujus verba sunt: *Gesoriace, quod nunc Bononia. Jovi portus* fortasse audiebat temporibus Caesaris. ℙ Gessoriacus pagus, a Gessoriaco dictus. *Plin.* 4, 17. *B. A.*

*GESSIUS FLORUS, Procurator Judaeae, sub quo bellum ortum, in quo occidit. *Tac. H.* 5, 10. *B. A.*

*GESSUS, i, m. flumen Ioniae. *Plin.* 5, 29. *Gaesus* vocatur a *Mela* 1, 17. *B. A.*

GESTABILIS, e, adj. qui gestari potest. Est *Cassiod. Variar.* 1, 45.

GESTAMEN, inis, n. *φόρημα*, quicquid geritur, ut vestes, arma sceptrum. *Virg. A.* 3, 286. clypeum magni gestamen Abantis. [*Id. ib.* 7, 246. Hoc Priami gestamen erat, quum jura vocatis More daret populis; sceptrumque sacerque tiaras, Iliadumque labor vestes: ubi *gestamen* neque, ut *Serv.* vult, de diademate, neque, quae *Burm.* sententia est, de veste regia intelligendum; sed universum significat ornatum regium, quem, qualis fuerit, seqq. *Sceptrumque*, etc. accuratius describunt.] *Val. Fl.* 6, 671. sua virgo Deae gestamina reddit. *Plin.* 32, 2, 11. de margaritis: Religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. *Sil.* 5, 349. propriо tectum gestamine praeceps Ex acie rapit, *h. e.* scuto. ℙ Item id, quo quippiam gestatur. *Val. Fl.* 6, 71. cerva setis fulgens, et cornibus aureis Ante aciem celsi vehitur gestamine conti. *Tac. A.* 14, 4. Gestamine sellae Bajas pervecta. Et *ib.* 2, 2. Gestamen lecticae. Et *ib.* 11, 33. In eodem gestamine sedem poscit, *h. e.* in eadem lectica poscit sellam ad sedendum. [*Ryck.*, quem citat *Boettich.* in *lex. Tac.* p. 221. *gestamen* h. l. non de lectica, sed de vehiculo aut carpento intelligendum censet: quod praeferendum videtur. — Ceterum in locis, ubi, quod in reliquis hujus §. exemplis factum est, genitivus additur, *Lünem.* in *lex. lat.* v. *gestamen* interpretatur actum gestandi: quod vereor, ut recte. Si quid dicendum est, hoc videtur: in utriusque §. exemplis nullo discrimine interposito v. *gestamen*, sive absolute, s. per appositionem, sive adjuncto genitivo dicatur, omnino significare id, quod gestatur, cujus quaenam sit ratio debeat e contextu intelligi.] *Sedul.* 4, 297. lento gestamine vilis aselli.

GESTATIO, onis, f. actus gestandi, gestatus, latio, *φορά. Lact.* 3, 22. *extr.* Assignavit lanam, et telam viris, et infantium gestationes. ℙ Item saepius, fere passive sumitur pro exercitatione, qua quis equo, navi, curru vehitur, lecticave *αἰώρημα. Senec. ep.* 55. A gestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. *Cels.* 2, 15. Genera gestationis plura sunt: lenissima est navi vel in portu, vel in flumine, vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo: vehementior in alto mari, navi. *Suet. Vesp.* 21. Gestationi vacare. ℙ Item locus arboribus densis opacus, per quem a succollantibus servis valetudinis, aut voluptatis causa gestabantur, ea forma, qua *coenatio* dicta est locus, ubi coena capiebatur, *ambulatio* locus, ubi deambulabatur. *Plin. ep.* 5, 6. Ab his gestatio in modum circi, quae buxum multiformem, humilesque, ac retentas manu arbusculas circumit. Adde *ep.* 2, 17. ℙ *Gestatio circini* est arcus a circino descriptus. *Inscr.* ap. *Grut.* 201, 8. Gestatio circini exterior a diaeta Apollinis ad diaetam eandem in circuitu P. ∞ CCLXXVII. efficit, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 671. *n.* 3. In hoc pomario gestationis per circuitum, itum, et reditum quinquiens efficit passus mille.

GESTATOR, oris, m. qui gestat. *Plin. ep.* 9, 33. Delphinus gestator, et collusor puerorum. ℙ Quemadmodum *gestatio*, et *gestans* passive sumitur, ita *gestator* pro eo, qui curru, aut lectica vehitur, vel navi: qui et *vector* eadem ratione dicitur. *Mart.* 4, 64. Illic Flaminiae, Salariaeque Gestator patet, essedo tacente.

GESTATORIUS, a, um, adj. in quo aliquid gestatur. *Suet. Ner.* 26. Gestatoria sella delatus in theatrum. ℙ *Gestatorium*, absolute, est sella gestatoria, *φορεῖον. Id. Claud.* 33. Solitus etiam in gestatorio ludere. Al. rectius leg. *in gestatione.*

GESTATRIX, icis, f. quae gestat. *Val. Fl.* 4, 605. Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.

GESTATUS, a, um, part. a *gesto;* latus. *Val. Fl.* 8, 118. longosque libi gestata per annos Phrixeae monumenta fugae vix reddidit arbor. *Plin.* 7, 15, 13. Formicae gestatas fruges abjiciunt. *Id.* 15, 29, 37. Virgae myrti gestatae manu viatori prosunt. *Mart.* 1, 83. Tectis nam modo Regulus sub illis, Gestatus fuerat.

GESTATUS, us, m. idem ac gestatio. *Plin.* 15, 25, 30. Adeo teneris cerasis, ut gestatum non tolerent.

GESTICULARIA, ae, f. *ὀρχήστρια*, mima, saltatrix, quae corporis gesticulatione populum oblectat. *Gell.* 1, 5. Non jam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam, Dionysiamque eum notissimae saltatriculae nomine appellaret.

GESTICULARIUS, ii, m. gesticulator, saltator. *Ammian.* 24, 4. Mutum puerum oblatum suscepit sibi gesticularium, multa quae callebat, nutibus venustissimis explicantem.

GESTICULATIO, onis, f. *ὀρχηθμός, μίμησις*, gesticulandi actus. *Suet. Tib.* 68. Nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Adde *Appul. Met.* 10.

GESTICULATOR, oris, m. *μίμος, χειρονόμος*, qui corporis gestu populum oblectat. *Colum. praef. l.* 1. Nec minus corporis gesticulatorem scrupulosissime requirant, saltationis, aut musicae artis studiosi.

GESTICULATUS, a, um, part. a *gesticulor*, mimicus. *Solin*, 27. *f.* Simiae gesticulatis motibus inquietae.

GESTICULOR, aris, dep. 1. *χειρονομέω*, gestum facio. *Suet. Ner.* 42. Jocularia in defectionis duces carmina, lasciveque modulata etiam gesticulatus est, *idest* ad numerum saltavit. *Id. Dom.* 8. Gesticulandi saltandique studio teneri. *Petr. Sat.* 36. Scissor ad symphoniam gesticulatus, laceravit obsonium. [*Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Alter pudice pranderit, alter labellis gesticulatus erit. *F.*]

GESTICULUS, i, m. gestus, gesticulatio. *Tert. Apol.* 19. Cum digitorum supputariis gesticulis.

GESTIO, is, ivi, et ii, n. 4. *γαυριάω*, laetitiam prae se ferre, et aliquo corporis motu, oculis, manibus indicare: a *gestu. Festus:* Gestit, qui subita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu praeter consuetudinem exsultat. ℙ Proprie dicitur de brutis animalibus, ut *Donat.* ad *Ter. Eun.* 3, 5, 7. et *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 386. docent. [*Obtinuit quidem v. *gestio* maxime in rebus jucundis usus; sed ad bruta animalia cur proprie referri debeat, causam non perspicio.] *Colum.* 8, 15. Ut cum apricitate diei gestiunt aves, nandi velocitate concertent. *Val. Fl.* 3, 634. tum gestit aper, cum sese Martia tigris abstulit. [*Cic. N. D.* 1, 27, 77. Cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae?] ℙ Saepe transfertur ad homines. *Cic. Fin.* 2, 4. *f.* Quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur. *Id. Off.* 1, 29. Voluptate nimia gestire. *Id. Tusc.* 4, 6. Efferri ac gestire. Et *ib.* Cum inaniter et effuse animus exsultat, tum illa laetitia gestiens, vel nimia dici potest. *Id. N. D.* 2, 59. Deducere perterritos a timore, gestientes comprimere. *Liv.* 45, 19. Animus gestiens secundis rebus. *Id.* 6, 36. Gestientes otio. *Ter. l. c.* Quid gestiam, aut quid laetus sim, quo pergam, etc. Ap. *Petr. Sat.* 87. anni ad patiendum gestientes dicuntur *παίδων ἐν ἀκμῇ τραγιζόντων, καὶ ὀργώντων.* [*Tibull.* 2, 1, 71. (Amor) fixisse puellas Gestit, et audaces perdomuisse viros, i. e. gaudet, laetatur.] ℙ Translate. *Quint.* 10, 5. *med.* Historiae nonnunquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda, et dialogorum libertate gestiendum, *h. e.* efferri stilo oportet, et libere spatiari dialogis componendis. ℙ Significat etiam vehementer cupere, et gestibus cupiditatem ostendere. *Virg. l. c.* de cygnis: studio gestire lavandi. [*Lucr.* 4, 1051. Unde feritur, eo tendit gestitque coire.] *Cic. Att.* 4, 11. Gestio scire omnia. Et *ib.* 2, 7. Gestit animus aliquid agere in republica. *Ter. Phorm.* 2, 1, 30. Ipsum gestio dari mihi in conspectum. *Gell.* 16, 13. In jus colonia-

rum mutare gestiverint. *Vell.* 2, 7. Quidquid tumultuando adipisci gestierunt, etc. *Cic. Marc.* 3. *extr.* Parietes hujus curiae tibi gratias agere gestiunt. [**Suet. Cal.* 6. Ne quid gestientes vota reddere morarentur. *Plin. Pan.* 39, 2. Gestiebant a singulis rogari. Ita *Hor.* multis in locis h. v. usurpat. Adde *Ov. Met.* 4, 130. et 6, 664.] *Pl. Amph.* 1, 1, 167. Gestiunt pugni mihi, *h. e.* tundere gestiunt. *Id. Asin.* 2, 2, 49. Dudum scapulae gestibant mihi, *h. e.* pruriebant, quasi verbera exspectantes: *gestibant* antique dictum, ut *lenibant, audibant*, etc. V. PRURIO.

GESTĬO, onis, f. *διοίκησις*, actus gerendi, curatio, cum voce *negotii*. *Cic. Inv.* 1, 26. Et *ib.* 2, 12. Negŏtii gestio. ℙ Alio sensu *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. §. 8. Ex hoc neque pro herede gestio, neque aditio praesumitur, *h. e.* neque praesumitur se gessisse pro herede. *Torrentin.* habet *geritio*.

GESTĬTO, as, a. 1. frequent. a *gesto*. *Pl. Cist.* 4, 2, 84. Haec crepundia mea herilis gestitavit filia. *Id. Curc.* 5, 2, 4. Pater istum anulum meus gestitavit. *Id. Poen.* 1, 2, 186. Quasi ostreatum tergum ulceribus gestito. *Solin.* 45. Ficus Aegyptia poma non ramis tantum gestitans, sed et caudice.

GESTO, as, avi, atum, a. 1. *φέρω*, frequentativum a *gero*, sed ejusdem fere significationis. [*Hinc ab initio poni ea exempla debebant, in quibus non oneris, sed possidendi praevaleat notio. Ad ea, quae Noster mixta cum ceteris passim laudavit, haec addantur: *Virg. A.* 1, 567. Gestamus non adeo obtusa pectora. *Hor. Od.* 1, 8, 10. Neque jam livida gestat armis Brachia, etc. *Id. Sat.* 1, 2, 83. Adde huc, quod mercem sine fucis gestat, etc. *Ov. Met.* 2, 366. Electra gestanda nuribus. — Prosae orationis scriptores, quos aurea aetas tulit, ut raro omnino hac voce usi, ita prorsus abstinuisse videntur ab hac hujus v. significatione.] *Ter. Ad.* 4, 2, 24. Quem ego puerum tantillum in manibus gestavi meis. *Cic. Phil.* 11, 2. *f.* Cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit in pilo. [*Cf. *Vell.* 2, 27, 3. Cujus abscissum caput ferri, gestarique circa Praeneste Sulla jussit: quem locum frustra tentasse videntur VV. DD.] *Hor. Sat.* 2, 3, 214. Lectica gestare aliquem. *Plin.* 2, 63, 63. *med.* Gestare digito gemmam. *Curt.* 3, 3. Hastati spicula auro praefixa gestabant. *Id.* 4, 2. Dorso, sicut jumenta, onera gestare. *Plin.* 8, 10, 10. Gestare in utero. *Suet. Tib.* 69. Coronam lauream capite gestare. [*Plura e *Suet.* dabit *B.Crus.* in *cl. Suet.* p. 386. *Liv.* 27, 48. Intolerantissima laboris corpora vix arma humeris gestabant.] ℙ Pro vectare. *Senec. Thyest.* 765. Pavidosque manes squalidus gestat senex. *Tac. H.* 2, 62. Ex urbe atque Italia irritamenta gulae gestabantur. *Senec. Q. N.* 5. *f.* Dedit ventos Deus, ut commoda cujusque regionis fierent communia; non ut legiones, equitemque gestarent. ℙ Translate. *Ter. Ad.* 4, 5, 75. Hiccine non gestandus in sinu est? *h. e.* ferendus in oculis, impense amandus. Et *Eun.* 3, 1, 12. Gestare aliquem in oculis, eod. sensu. [*Sensu proprio dicit *Vell.* 2, 75, 3.] *Ov. Met.* 7, 32. tum me de tigride natam, Tum ferrum et scopulos gestare in corde, fatebor. *Senec. Thyest.* 1007. sustines tantum nefas Gestare, tellus? ℙ Pro referre, deferre. *Pl. Pseud.* 1, 5, 14. Homines, qui gestant, quique auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant. *Senec. ep.* 123. Pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent: sunt qui vitia gestant, *h. e.* qui deferrent dicta aliorum: sed sunt qui vitia secum habent, ut in alios transferant. ℙ Passiva significatione pro vehi equo, curru, navi, lectica, unde *gestatio*, et *gestator*. *Suet. Galb.* 8. Ne ad gestandum quidem aliter unquam iter ingressus, quam ut, etc. [*V. *Burm.* et *Oudendorp.* ad h. l. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 62. contra quem tamen vide, quae monuit *BCrus.* in notis ad *Suet.* l. l.] *Id. Dom.* 11. Simul gestanti, conspecto delatore ejus, vis, inquit, etc. [*Haec dicendi ratio saepius ap. *Suet.* occurrit. V. *B. Crus. cl. Suet.* s. v. praetervehere.] ℙ Passiva voce eod. sensu *Mart.* 1, 13. Gestatus bijugis Regulus esset equis. *Id.* 12, 17. Gestatur tecum sella, pariterque lavatur. Et *Senec. ep.* 122. *med.* Nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. ℙ [*Confunduntur in codd. *gestare* et *spectare*.. *Burm.* ad *Vell.* 2, 27, 3.]

GESTOR, oris, m. qui gerit, delator. *Pl. Ps.* 1, 5, 14. Homines, qui gestant, quique auscultant crimina, Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, Gestores linguis, auditores auribus. ℙ Item qui gerit, seu administrat, ut negotiorum gestor, ap. *Scaev. Dig.* 49, 1, 24.

GESTŬOSUS, a, um, adj. *ὑποκριτικὸς*, qui multos gestus veluti mimus facit. *Gell.* 1, 5. Gestuosas Hortensii manus, et argutas. *Appul. Met.* 10. Puelli, puellaeque forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi. Et *ib.* 11. Gestuosus gressus.

GESTŪRĬO, is, n. valde gestio, appeto. *Ammian.* 16, 12. Gesturientes barritum ciere vel maximum. Plerique tamen recte leg. *gestu terrentes*.

GESTUS, a, um, part. a *gero*; *πεπραγμένος*. *Cic. Man.* 2. Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere. *Id. Quint.* 3. Dabo operam, ut res quemadmodum gesta et contracta sit, cognoscatis. *Suet. Caes.* 56. Quae per alios erant gesta, temere credidit; et quae per se, perperam edidit. *Sen. Ben.* 4, 27. *f.* Malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit, i. e. qui negotia alterius sibi demandata mala fide gessit, et administravit: qua de re *titulus* 5. *lib.* 3. *Dig.* inscribitur. ℙ *Res gestae* sunt facinora, et acta insigniora, *πράγματα*. *Cic. Off.* 1, 19. *extr.* Vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desiderat gloriam. *Nep. Epam.* 1. *extr.* Res gestae a plurimis omnium anteponuntur virtutibus. *Id. Reg.* 2. Duo multo ceteros antecesserunt rerum gestarum gloria. ℙ Hae dicuntur etiam absolute *gesta, orum*. *Id. Dat.* 1. Obscuriora sunt ejus gesta pleraque. ℙ Sunt etiam *gesta*, acta forensia. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 4, 3, 1. *med.* Sequatur traditio corporalis, et rem fuisse completam gesta testentur.

GESTUS, us, m. *ὑπόκρισις, σχῆμα*, motus, habitus, et moderatio corporis, et praecipue manuum in agendo, vel pedum in saltando, aut incedendo, qua indicatur, quid geratur, inquit *Festus*. [*Primo loco ea exempla poni debebant, in quibus *gestus* universe signif. modum gerendi, nostr. *Bewegung*. *Lucr.* 4, 320. Indugredi porro pariter simulacra pedemque Ponere, nobiscum credas, gestumque imitari; et *ib.* 366. *al.* *Cic. Off.* 1, 36. A forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur. *Lucr.* 4, 368. Motus hominum gestusque sequentem. Eodem modo hh. vv. conjunxit *Suet. Caes.* 55., ubi de Caesaris loquitur oratoria facultate. — De avium volatu ap. *Eund. Aug.* 7. Ab avium gestu, gustuve.] *Cic. Acad.* 4, 47. Hoc quidem Zeno gestu conficiebat: nam cum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum, inquiebat, hujusmodi est; deinde cum paulum digitos constrinxerat, assensus hujusmodi. *Auct. ad Her.* 3, 15. In gestu convenit nec venustatem conspicuam, nec turpitudinem esse, ne aut histriones, aut operarii videamur esse. Et *paulo post:* Tardiore et consideratiore gestu uti. *Quint.* 11, 3. *med.* Gestum manu facere. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 7. Roscius nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. *Quint.* 1, 11. *extr.* Componere gestum ad similitudinem saltationis. *Cic. Quint.* 24. *f.* Ore durissimo esse, qui Roscio praesente gestum agere conaretur. *Id. Balb.* 6. Gestu gratificari alicui. *Ov. Trist.* 5, 10, 36. Gestu aliquid significare. *Cic. Or.* 3, 26. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest. Et *ib.* 1, 27. Qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum. *Plin. ep.* 8, 14. *f.* Manu gestuque aliquid demonstrare. [**Ov. Met.* 6, 579. Gestu rogat. *Id. ib.* 14, 219. Oravi gestu fugam.] *Id. ib.* 4, 559. Quo quaeque in gestu deprenditur, haesit in illo. (Adde *ib.* 5, 183.) *Quint.* 11, 3. *med.* Gestus modestissimus. *Coel.* ap. *eund. ib.* 1. *med.* jactantior. *Quint.* 6, 3. distortus. Et *ib.* inurbanus. Et *ib.* ridiculus. ℙ In plur. num. *Id. ib. med.* Pantomimi duo, qui alternis gestibus contendebant. ℙ [**Gestus* nominantur etiam, quas vulgo Lat. *figuras* appellant, Gr. *σχήματα*. *Cic. Or.* 25. His luminibus quae Graeci quasi aliquos gestus orationis *σχήματα* appellant. Simili ratione *Quint. Inst.* 9, 1, 21. figuras *orationis vultus*, et §. 13. *habitus quosdam* et *gestus* vocat. *Gell.* 11, 13. *gressus et gestus* orationis ita jungit, ut sententiam apte numeroseque verbis structam significet, cui antea cursum et rotunditatem volubilitatemque tribuerat. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 189. ubi v.] ℙ Est etiam curatio, administratio. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. §. 9. An possit suspectus postulari ex eo gestu, quem administravit. *Id. ib.* 7, 22. An duret tutor, vel an gestus illi commissus sit.

GESUM. V. GAESUM.

GETA et GETES. V. in voce sequent.

GĔTAE, arum, m. plur. *Γέται*, populi Daciae (fere ubi nunc *Moldavia*) in confinio Scythiae Europaeae, in aversa Haemi parte, et supra Istrum fluvium. *Plin.* 4, 11, 18. et *ib.* 12, 25. et *Mela* 2, 2. ℙ Rectus casus singularis est *Geta*, et *Getes*, illud Latina, hoc Graeca positione. *Senec. Hippol.* 167. vagus campis Geta. *Ov. Pont.* 1, 8, 6. Dura pharetrato bella movente Geta. Et *ib.* 2, 1, 66. Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes. ℙ Adjective. *Id. ib.* 4, 13, 17. Poeta Getes. *Senec. Herc. Oet.* 1041. Hebrum Geten defecisse putant. ℙ *Geta* fuit etiam cognomen filii minoris L. Septimii Severi Aug., qui cum fratre Caracalla aliquantisper imperavit, et ab eodem est interfectus. Item in gente Hosidia ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 228. C. Hosidius Geta. ℙ *Confunduntur saepe Getae cum Dacis. *Plin.* 4, 12. Getae, Daci Romanis dicti. V. Geographos. ℙ Dacorum nomen putat *Strab.* 7. p. 210. esse idem quod Davorum in comoediis, quia Daci Getis fuerint finitimi. Ut ergo servi *Getae* apud Comicos sint ex Getarum gente; ita nomen *Davi* ex vicina natione Dacorum. *B. A.*

*GETHŌNE, es, f. insula maris Aegaei, prope Samothraciam et Thracicam Chersonesum. *Plin.* 4, 12. ℙ Eadem fortasse est quae et Getone dicta. *B. A.*

GETHSĔMĀNĒĬDĂ Rura, hortus Gethsemani prope Hierosolymam, in quem Christus ante passionem oraturus intravit. *Juvenc. in Matth.* 4, 26, 476. Nominis Hebraei sunt Gethsemaneida rura.

[GETHUS, i, m. *γῆθος*, gaudium. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 922, 33. Photi L. Delicium Gethus. *F.*]

GETHYUM, ii, n. *γήθυον*, caepe condimentarium, paene sine capite, cervicis tantum longae, et ideo totum in fronde, saepiusque resecatur, ut porrum. Latini pallacanam vocant. *Plin.* 19, 6, 32. et *ib.* 7, 35. [**Porrezwiebel.*]

GĔTĬCE, adv. Getarum more. *Ov. Trist.* 5, 12, 58. Jam didici Getice, Sarmaticeque loqui.

GĔTĬCUS, a, um, adj. ad Getas pertinens. *Ov. Pont.* 4, 13, 19. Geticus sermo. Et *ib.* 2, 8, 69. Getica arma. *Id. Trist.* 5, 7, 13. Getica gens. *Stat. Silv.* 1, 2, 53. Geticus maritus Veneris, *h. e.* Mars, qui inter Getas perpetua bella gerere fingitur. *Id. Th.* 12, 478. Geticae volucres, *h. e.* hirundines, quia in hirundinem versa est Progne uxor Terei, regis Thraciae, quae, cum sit Getis finitima, poetice Getica dicitur. Sic Getica lyra, ap. *eund. Silv.* 3, 1, 17. est Orphei, qui Thracius fuit. Et Geticum plectrum, *ib. Silv.* 2, 2, 61. eod. sensu. ℙ Item ad Getam Aug. pertinens, qui a Caracalla fratre interfectus est. *Spart. Get.* 6. Atque ita Caracalla rationem facti sui, et necis Geticae reddiderit. *Id. mox* eundem Caracallam *Geticum maximum* eadem de causa appellat.

*GETŌNE, es, f. maris Aegaei insula, non procul a Troade. *Plin.* 5, 31. Cf. *Gethone. B. A.*

*GETTA, ae, f. Phoeniciae opp. *Plin.* 5, 19. *B. A.*

GETŪLUS. V. GAETULUS.

GEUM, i, n. herba est, radiculas habens tenues, nigras, bene olentes. Medetur pectoris doloribus, aut lateris, cruditatesque discutit, jucundo sapore. Ita *Plin.* 26, 7, 21. Ab herbariis dicitur caryophyllata vulgaris. [*Benediktenkraut, Märzwurz, Geum Urbanum. L.*]

*GEUSĬAE, arum, f. plur. i. q. genae. *Marc. Empir.* 11. Geusiarum orificia. *B. A.*

G I

GIBBĂ, ae, f. *ὕβωσις*, tumor dorsi, aut pectoris: ab *ὑβὸς*, incurvus. *Suet. Dom.* 23. Ferunt somniasse, gibbam sibi, pone cervicem, auream enatam. ℙ Translate. *Ammian.* 23, 4. Axes duo quernei curvantur mediocriter, ut prominere videantur in gibbas. ℙ Fuit cogn. R., ut M. Terentius Varro Gibba, ap. *Ascon. f. Milonianae.*

GIBBER, a, um, adj. *ὑβὸς, κυφὸς*, dorsum habens tumore incurvum. *Plin.* 34, 3, 60. Clesippus fullo, gibber praeterea, et alio foedus aspectu. (Est qui legit *gibbere praeterea*, ut sit *gibber, eris*, idem quod gibba.) *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae. [*Id. ib.* 5. de forma boum: Ut sint pilosis auribus, compressis malis, ne gibberi, sed spina leviter remissa. *F.*] *Plin.* 10, 26, 36. Gallinarum genus gibberum, variis sparsum plumis. ℙ *Gibberum* pro exstanti, eminenti. *Varr.* ap. *Non.* 6, 24. Item tragici prodeunt capite gibbero.

GIBBER, eris, m. idem quod gibba, seu curvitas spinae in quibusdam animalibus. *Plin.* 8, 45, 70. Bubus Syriacis non sunt palearia, sed gibber in dorso. *Appul. Flor. n.* 14. Cum interscapilium Crates retexisset, quod erat aucto gibbere.

GIBBĔROSUS, a, um, adj. idem quod gibber, gibbus. *Orbil.* ap. *Suet. Gramm.* 9. Gibberosos de sole in umbram transferre. *Paul. Dig.* 21, 1, 3. Gibberosi, vel curvi, vel pruriginosi. Ita *Torrent.* et *Gothofred.*, at *Haloand.* habet *gibbosi*. ℙ [*Fronto de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 231. sermones translate gibberosos retortos appellat. *F.*]

GIBBOSUS. V. in v. praec.

GIBBUS, a, um, adj. *ὑβὸς, κυφὸς*, incurvus, inflexus, convexus: a Graecis vocibus allatis. *Cels.* 8, 1. *init.* Calvaria ex interiore parte concava, extrinsecus gibba.

GIBBUS, i, m. idem quod gibba, tumor. *Juven.* 10, 309. Strumosum, atque utero pariter, gibboque tumentem. Et 6, 109. mediisque in naribus ingens Gibbus.

GIGANTĔUS, a, um, adj. *γιγάντειος*, ad gigantem spectans. *Hor. Od.* 3, 1, 7. Gigantei triumphus. *Ov. Trist.* 2, 71. Cumque Gigantei memorantur proelia belli. *Prop.* 1, 20, 9. Gigantea litoris ora, *h. e.* ora litoris prope Cumas, et Puteolos, ubi Phlegraei campi, teste *Plin.* 3, 5, 9., quo loco Gigantes cum Diis pugnasse dicuntur. V. PHLEGRAEUS.

GĪGANTOMACHĬĂ, ae, f. *γιγαντομαχία*, Gigantum pugna cum Diis. Graeca vox a *Γίγας*, Gigas,

et *μάχη*, pugna. Hoc nomine inscribitur carmen *Claudiani*, quod ad nos imperfectum pervenit.

*GIGARTA, (*Γήγαρτα, Notit. eccles. Phoen.*) oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

*GIGARTHO, us, fons in Samo insula. *Plin.* 5, 31. ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* impressum *Gigarto. B. A.*

*GIGARTON, i, n. *Pallad. Nov.* 20. Uvae excrementa, quae Graeci gigarta vocant. *B. A.*

GIGAS, antis, m. *Γίγας*, homo excelsissimae staturae: quasi *γηγενὴς*, terrigena, a *γίνομαι*, fio, et Dorico *γᾶ* pro *γῆ*, terra, quod Gigantes e terra nati sint. In fabulis enim est, Gigantes ex Titanum sanguine, et ex Terra genitos fuisse, excelsissima statura, draconum pedibus, in Deorum perniciem, ut scilicet superis bellum inferrent, Jovemque de coeli possessione dejicerent: eos Olympo monti Ossam, Ossae Pelium imposuisse, et cum Jove certavisse: a Jove fulminibus ei a Vulcano factis percussos esse, et interfectos: ex his Typhoeum omnium maximum fulmine dejectum sub Aetna Siciliae monte jacere, ejusque partem superiorem, inferiore exstincta, adhuc vivere, ignemque illum perpetuum ex ira et furore efflare. Fabulae originem dedit, quod diluvii tempore cum multi cacumina montium conscendissent, ab aliis bello petiti, eos facile de loco superiore dejecerunt: unde fictum est, Deos fuisse victores, Gigantes victos, qui serpentinis pedibus fuisse dicuntur, quia ad humilia terrae loca detrusi descendebant. ℙ Alii hoc bellum aliter narrant, Gigantes non ante bellum cum Diis suscepisse, quam Aegle uxor Panis pulcherrima mulier in eorum specu a matre abdita esset, Deos a Gigantibus in Aegyptum usque mutata specie esse fugatos, ab oraculis Jovi responsum esse, victorem fore, si clypeum imagine Aegles, caput forma Gorgonis Medusae tegeret, id cum fecisset, coram Pallade Gigantes victos, et ad inferam terrae sedem detrusos fuisse. Sed id de uno Typhoco a poetis fictum videtur, Typhoeum ex imis terrae sedibus emissum, secundo fortasse bello, Diis metum fecisse, adeo ut in Aegyptum usque fugerent, Gigantem eo quoque venisse, cum Dii in convivio epularentur: Deos sese mentitis figuris celavisse, Jovem forma arietis (al. *aquilae*), Apollinem corvi, Bacchum capri, Dianam felis, Junonem vaccae albae, Venerem piscis (al. *anguillae*), Mercurium ibidis, Cybelem merulae, Panem se in fluvium projecisse, suique inferiorem partem in piscem, superiorem in caprum vertisse. *Ovid. Fast.* 1. et 5. *Met.*, *Serv.* ad *A.* 3, 578. et *Hyg. praef. fab.* ubi vigintiquatuor Gigantum nomina recenset. *Cic. Sen.* 2. Numquid est aliud Gigantum more bellare cum Diis, nisi naturae repugnare? *Macr. Sat.* 1, 20. Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem Deos negantem, et ideo existimatam, Deos pellere de coelesti sede voluisse? V. *totum illud caput.* ℙ Differunt a Titanibus, quia Gigantes Terra produxit, postquam Juppiter Titanas in Tartarum depulerat: et Titanas genuit contra Saturnum, Gigantes contra Jovem, ut *Serv.* ad *A.* 6, 580. docet. Saepe tamen confunduntur: nam ita *Ov. Fast.* 5, 37. de Gigantibus: Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues. Et *Met.* 1, 183. centum quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia coelo. Ex his patet, *Ovidium* Gigantibus tribuisse mille manus, seu centum brachia, cum id Titanibus potius convenire constet. ℙ *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 4. p. 78. ed. Mediol.: putat, Giganteae fabulae originem dedisse montes ignivomos, quos Itali *vulcani* appellant; etenim Gigantum cum Diis pugna fuisse fingitur aut prope Bathon, locum in Arcadia ad urbem Trapezuntem situm, aut prope Pallenen in Thracia, ut narrat *Pausanias* 8, 29., aut denique in campis Phlegraeis in Campania, ut vulgo traditur. V. PHLEGRAEUS; quibus nempe locis omnibus ignes et saxa e montibus in coelum ejici solent. ℙ In accusativis saepe habet *gigantа*, *gigantas*, Graeca positione apud poetas. *Mart.*, *Ov.*, *Lucan.*, *Senec. Trag.* etc.

*GIGEMOROS, i, Thraciae mons. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

GIGERIA, orum, n. plur. *Nonio* 2, 390. sunt intestina gallinarum cum isiciis cocta. *Festus* interpretatur decerpta ex multis obsoniis. Affertur a *Nonio* locus *Lucilii*, ubi alii leg. *gigeriae*, ut sit femininum. *Petr. fr. Trag. Burm.* 66. Gigeria optime facta *Apic.* 4, 2. *med.* Gigeria pullorum coques.

GIGNO, is, genui, genitum, a. *γεννάω*, genero, procreo: a *geno*, a quo etiam praeterita et supina mutuatur. *Cic. N. D.* 3, 16. *extr.* Hercules ex Alcumena, quem Juppiter genuit. [*Sequitur *de Or. Met.* 13, 395. 1, 748. 14, 617.] Et *ib.* 2, 51. *extr.* Pisces ova cum genuerunt, relinquunt. Et *ib.* 1, 2. Quae terra gignit, maturata pubescunt. *Id. Fin.* 1, 7. Ad majora quaedam natura nos genuit et conformavit. *Id. Univ.* 8. Deus animum ex sua mente et divinitate genuit. [**Id. Phil.* 14, 12. Ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. *Id. Verr.* 2, 5, 70. Quum (Cato) ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet.] *Curt.* 8, 4. *extr.* E captiva geniturus, qui victoribus imperaret. *Id.* 3, 4. *f.* Corycium nemus ubi crocum gignitur. *Id.* 8, 10. Multa hedera vitisque toto gignitur monte. *Plin.* 33, 4, 21. Plurimum aurum Asturia gignit. *Id.* 37, 5, 20. Beryllos India gignit. [**Lucr*, 6, 5. (Athenae) Quum genuere virum, tali cum corde repertum.] ℙ *Gignentia* dicuntur, quae oriuntur ex terra, et ex se alia gignunt, ut herbae, arbores, *τὰ φυτὰ*, *τὰ φυόμενα. Sall. Jug.* 81. Loca nuda gignentium. Et 98. Ilex coaluerat inter saxa, paululum modo prona, dein flexa, atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert. [**Appul. Dogm. Plat.* 1, 573. p. 193. *Oud.* Animam vero omnium gignentium esse seniorem; *ib.* 579. p. 199. *Lactant. Ira Dei*, 13. Suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.] ℙ Aliquando *gignere* est parere, et *gigni* nasci. *Cels.* 2, 1. *med.* Gravidae, quibus tum ædest partus, abortu periclitantur: hae vero, quae gignunt, imbecillos edunt. *Plin.* 10, 64, 84. Quaecumque animal generant, in capita gignunt, circumacto sub enixum fetu. [**Virg. A.* 1, 618. Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam.] *Id.* 7, 8, 86. Ritu naturae capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. Adde *Tac. A.* 13, 45. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 17. *med.* Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit. *Auct. ad Her.* 4, 3. Artem tuam scribis: gignis nobis novas praeceptiones. Et 4. Parere, gignere, proferre aliquid. *Cic. Or.* 3. Plato ideas gigni negat. *Id. Tusc.* 4, 9. *extr.* Aegritudines, metus, et reliquae perturbationes ex intemperantia gignuntur. *Hor. Ep.* 1, 19, 48. Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram. *Gell.* 13, 8. De gignenda et comparanda sapientia. *Plin.* 20, 6, 23. Allium sitim gignit. Et 21, 13, 45. Mel gignit insaniam. Et *ib.* 19, 77. Bacharis odor somnum gignit. ℙ [*Est etiam in rebus oratoriis usitatum. *Cic.* 3, 30. Permotionem gignere: de oratore, qui auditores movet. ℙ Confunduntur *gignere* et *fingere.* V. in FINGO, *f.*]

[GIGURRI, orum, m. plur. Asturiae populi. *Plin.* 3, 3, 4. Junguntur his Asturum XXII. populi, divisi in Augustanos, et Transmontanos, Asturica urbe magnifica: in his sunt Gigurri, Paesici, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 1109, 10. L. Pompejo L. F. Pomp. Reburro Fabro Gigurro Calubrigensi. *F.*]

*GILDA, ae, f. opp. Mauretaniae Tingitamae. *Mela* 3, 10. *extr. Ant. Intin. B. A.*

[GILLO, onis, m. *ψυκτὴρ*, *βανκαλις*, vas fictile, quo utebantur veteres ad aquam, vel vinum refrigerandum: videtur esse a *gelu*, media consonante geminata. *Vet. Poet.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 369. *Burm.* Quem recreat fessum gillo, tabella, melo. Et *ib.* p. 406. Gillo vomit gelidum vastis singultibus amnem. *Cassian. Instit.* 4, 16. Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit. *Gloss. Phil. βανκάλιον*, gillo. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Liv.* 30, 22. Q. Fluvius Gillo. Adde *Juven.* 1, 40. *F.*]

*GILVA, ae, f. opp. Mauretaniae Caesariensis. *Ant. Itin. B. A.*

GILVUS, a, um, adj. color melinus subalbidus, ut ait *Is. Or.* 12, 1., *h. e.* medius inter album et rufum, et cineri similis, *ὀποδιαῖος*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 87. Equi colore dispares item nati, hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Virg. G.* 3, 81. de equis: honesti Spadices, glaucique: color deterrimus albis, Et gilvo. Legitur et *gilbus* ob cognationem litterarum *b* et *v*, ut diximus initio litterae B. *Pall.* 4, 13.

*GINDARENI, orum, incolae Gindari. Fuit autem Gindaros, *Γίνδαρος*, Syriae urbs, in Cyrrhestica. *Plin.* 5, 23. *B. A.*

GINDES. V. GYNDES.

GINGIDION, ii, n. *γιγίδιον*, herba est staphylino similis, tenuior tantum et amarior, ejusdemque effectus. Estur cocta, et cruda stomachi magna utilitate. *Plin.* 20, 5, 16. [*Secundum *Sprengel. die französische Mohrrübe. Daucus Gingidium. L.*]

*GINGILISMUS vel Ginglismus, i, *γιγγλισμὸς* vel *γιγγιλισμὸς*, risus petulans. *Petron.* 73. ubi pro *gingilismo* legitur in edd. quibusdam *gingilipho. B. A.*

GINGIVA, ae, f. *οὖλον*, caro malarum, cui dentes inhaerent: a *gigno*, idest a gignendis dentibus, ut *Lact. Opif. Dei* 10. *med.* putat. *Juven.* 10, 200. Frangendus misero gingiva panis inermi, *h. e.* nuda et sine dentibus. *Catull.* 39, 19. russam defricare gingivam. Et 97, 5. dentes sequipedales, Gingivas vero ploxemi habet veteris. *Cels.* 7, 12. Gingivae marcescentes. *Plin.* 29, 2, 9. Gingivas confricare. *Id.* 30, 3, 8. scarificare

GINGIVULA, ae, f. dimin. parva gingiva. *Appul. Apol.* in *carm. de dentifricio.* Misi, ut petisti mundicinas dentium, Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum, Complanatorem tumidulae gingivulae, Converritorem pridianae reliquiae.

GINGRINA. V. GINGRIO.

GINGRINATOR, oris, m. *Festus.* Gingrinator, tibicen. Alii leg. *gingritor.*

GINGRINUS, a, um, adj. stridulus, qui vocem anserum imitatur. *Solin.* 5. Gingrinae tibiae, quae breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant. V. *Festi* locum in voce sequent. ℙ *Bochart.* in *Geogr. sacr.* 2, 7. probat, vocem esse originis Phoeniciae.

GINGRIO, is, n. *γυγγρίζω*. *Festus.* Gingrire anserum vocis proprium est: unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrinae. *Gloss. Phil.* Gingriunt, *χῆνες ἐκβόωσιν.*

GINGRITOR. V. GINGRINATOR.

GINGRITUS, us, m. cantus anserum. *Arnob.* 6, 205. Prohibendis formidinem furibus in anserum ponere atque collocare gingritibus.

[GINGRUM, i, n. vox anserum. *Gloss. Philox.* Gingrum, *φωνὴ χηνός. F.*]

GINNUS, i, m. *γίννος*, animal ex equo, et asina generatum, idem quod hinnus: est corpore pusillus, et eandem habet rationem ad equum, vel mulum, quam habet nanus ad hominem, hinc *nanus* vocatur a *Gell.* 19, 13. *Mart.* 6, 77. Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno. ℙ Aliis est ex mulo, et equa natum. *Plin.* 8, 44, 69. In plurium Graecorum est monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocaverint ginnum, idest, parvum mulum. Ita legit *Hard.* Alii *hinnum.*

*GISSA, ae, insula maris Hadriatici, prope Illyriam. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

GIRGILLUS, i, m. trochlea. *Is. Or.* 20, 15. Girgillus, quod in gyrum vertatur: est enim lignum in transversa pertica mobile, ex quo funis cum situla, vel utre in puteum demittitur hauriendae aquae causa. *Id.* in *Gloss.* Girgillus, rota hauritoria. Et Haustrum, rota, hauritorium, qui et girgillus. ℙ Est etiam, qui *turbo* Latine, Graece *ῥόμβος*, Italice *arcolajo* dicitur, quo nempe mulieres fila revolvunt. *Gloss. Phil.* Girgillus, *ῥόμβος.* V. RHOMBUS. *F.*]

*GITANAE, arum, f. opp. Epiri. *Liv.* 42, 38. *B. A.*

GITH, et Git, n. indeclin. semen est cujusdam herbae, [**Römischer Schwarzkümmel, Nigella sativa, L.*] alio nomine melanthion, et melanspermon, nempe a nigro colore: quoque nigrius est, hoc est melius. Varios ejus usus in medicina recenset *Plin.* 20, 17, 71. Meminit etiam *Cels.* 2, 33., *Colum.* 6, 34., *Scrib. Compos.* 131. et *Pall.* 9, 13. Habet autem multum acrimoniae et caloris, piperis modo. *Auson. Idyll.* 12, 8. de cibis. Est inter fruges morsu piper aequiparans gith. ℙ Habet etiam usum condiendo pani; ideoque pistrinis nasci, ait *Plin.* 19, 8, 52. ℙ In illo *Pl. Rud.* 5, 2, 39. Os calet tibi: num git frigidefactas? Proverbialis locutio inest de iis, qui trepide loquuntur, et parce timideque promittunt, ore contracto et lingua, non secus ac si calentem offam in ore refrigerarent, ne amburerentur palato et gutture. Al. leg. Nunc id frigidefactas. ℙ *Charis.* 1, 106. docet, vulgo dici hoc *gicti*, vel *githi*, confirmatque auctoritate *Plin.* 6. *dubii sermon.*

*GITI vel Gitti, Africae opp., in regione Syrtica. *Anton. Itin. B. A.*

[GIUFITANUS, a, um, adj. ad Giuf pertinens. Bina fuerunt hujus nominis municipia in Africa proconsulari, unum cis, alterum trans Bagradam fluvium. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 457, 5. Municipium Giufitanum. Alia *ib.* 463, 4. Municipes municipii Aurelii Alexandriani Aug. Giufitani. *F.*]

G L

GLABELLUS, a, um, dimin. glabri. *Appul. Met.* 5. Glabellum feminal rosea palmula obumbrans. *Id. ib.* 5. Cupidinis corpus glabellum. *Id. Flor. n.* 3. Apollo intonsus, et genis gratus, et corpore glabellus. *Capell.* 2, 34. Quarum una deosculata Philologiae frontem illic, ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas, *h. e.* ubi est intercilium sine pilis.

GLABER, bra, brum, adj. *φαλακρὸς*, *λεῖος*, depilis, calvescens, laevis. Volunt esse a *glubo*, vel per syncopen a *γλαφυρὸς*, politus. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Si quem glabrum facere velis. Et *ib.* 2, 2. Oves ventre glabro. *Colum.* 6, 14. *extr.* Glabra colla boum. *Mart.* 12, 38. Ore tener, latus pectore, crure glaber. *Turranius* ap. *Plin.* 18, 7, 15. Hordeum glabrum. *Plaut. fragm.* ap. *Fest.* in *Rienes.* Glaber erat tanquam rien. *Id. Aul.* 2, 9, 6. tu istum gallum, si sapis, Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est: *proverb.* nam ludii tum propter aetatem (si pueri erant), tum ex cura, quo gratiores essent, se deglabrare solebant. *Appul. Met.* 5. Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein cucurbita glabriorem. Et *Turpil.* ap. *Non.* 14, 34. glabrum tapete. ℙ [Est etiam *glaber* puer imberbis, et impubes, vel, si puber, novacula aut resina deglabratus. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 8. Diopanthus (lege *Diophantus*) Ti. Caesaris ornator glabr*orum*, h. e. qui puerorum delicatorum corpora curabat, quorum amore turpissimo flagrasse Tiberium narrant *Suet. Tib.* 43, et *Tac. A.* 6, 1. *Inscr. fr.* ap. *Gor. Inscr. Etrur. T.* 1. p. 406. *n.* 216.... liarus Antoniae Drusi glaber ab cyatho. *Phaedr.* 4, 4. Lavationem argenteam,

eunuchos, glabros, etc. *eunuchi* enim castrati erant, *glabri* teneri pueri. *Senec. Brevit. vit.* 12. Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria concurrunt. *Id. ep.* 47. Alius vini minister, glaber, destrictis pilis, aut penitus evulsis tota nocte pervigilat. *Catull.* 61, 141. Diceris male te a tuis Unguentate glabris marite Abstinere. ℙ *Glaber* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 876, 3. Cluvius Glaber. *Flor.* 3, 20. Clodius Glaber. *F.*]

GLABRĀRIA, ae, f. quae glabros pueros amat, ut *carnarius*, et *pinguiarius* dicitur, qui puellas carnosas et pingues consectatur, *Mart.* 4, 28. Donasti tenero, Chloe, Luperco Hispanas, Tyriasque, coccinasque (*scil.* vestes): Et quidquid petit usque et usque, donas. Vae glabraria, vae tibi misella: Nudam te statuet tuus Lupercus. Nimirum jocus est in vocibus *glabraria*, *nudam*, et *Lupercus:* ait enim: cum tu tenerum seu glabrum ames Lupercum, non ille nudus, ut solent esse Luperci, sed tu nuda destitueris, nempe bonis ab illo spoliaberis.

GLABRENS, entis, part. ab inusit. *glabreo*, qui glaber est. Translate. *Colum.* 2, 9. Loca glabrentia, *h. e.* satis stirpibusque nuda: [alii rectius leg. *calentibus.* *F.*]

GLABRESCO, is, n. 3. *ψιλόομαι*, glaber, hoc est, sine pilis, aut capillis, aut plumis fio. Translate glabrescere dicitur area, cum herbis attritis, vel evulsis complanatur. *Colum.* 2, 20. Atque ita glabrescit, et fit idonea trituris area.

GLABRĒTA, orum, n. plur. *φαλάκρα*, loca satis stirpibusque nuda, in quibus scilicet propter noxium aliquem humorem nihil gignitur. *Colum.* 2, 9. Ea glabreta signis adhibitis notari convenit.

GLABRIO, onis, m. qui depilis est, seu glaber. Est cogn. R. in gente Acilia, ut NV. Acilius Glabrio ap. *Liv.* 33, 24., et in *Fast. Capitol.* apud *Grut.* 293.

GLABRĪTAS, atis, f. laevitas cutis, vel alterius rei. *Arnob.* 3, 108. Calvitiis et glabritatibus rasi.

GLABRO, as, a. 1. *ψιλόω*, pilos aufero. *Colum.* 12, 53. Et vel aqua candente, vel ex tenuibus lignis flammula facta *(sues occisi)* glabrantur.

GLACIĀLIS, e, adj. *χρυμώδης*, qui in glaciem astringi solet. *Juven.* 2, 1. Ultra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem Oceanum. *Virg. A.* 3, 285. Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas. *Ov. Met.* 9, 582. Et pavet obsessum glaciali frigore pectus, *h. e.* gelido timore. *Val. Fl.* 4, 722. Boreae cedens glacialibus auris Pontus. Al. leg. *glaciantibus. Colum.* 3, 1. Regio glacialis, aut praefervida. [**Lucan.* 1, 18. Adstringit Scythico glacialem frigore pontum: ubi v. *Cort.*, et *Mart. Lag.*]

GLACIĀTUS, a, um, part. a *glacio. Plin.* 14, 21, 27. Glaciatae moles prodigii modo. *Id.* 2, 39, 39. Humor glaciatus in grandines. ℙ *Caseus glaciatus* est coagulatus et concretus. *Colum.* 7, 8. Nec dubium, quin fici ramulis glaciatus caseus jucundissime sapiat.

GLĀCIES, ei, f. *κρύσταλλος*, aqua gelu concreta: quasi *gelacies. Liv.* 21, 36. Lubrica glacies non recipiens vestigium. *Virg. Ecl.* 10, 49. Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas! *Hor. Od.* 2, 9, 5. glacies iners. *Ov. Pont.* 4, 7, 7. glacie concrescere Pontum. ℙ In plurali numero. *Virg. G.* 4, 517. Hyperboreas glacies lustrare. *Sidon. ep.* 4, 6. *f.* glacierum crustas. ℙ Translate. *Lucr.* 1, 493. Tum glacies aeris flamma devicta liquescit, *h. e.* durities, rigor.

GLĀCIO, as, a. 1. *πηγνύω*, in glaciem converto. *Hor. Od.* 3, 10, 7. et positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter. *Plin.* 8, 38, 57. Humor glaciatur in gemmas. ℙ Translate. *Stat. Th.* 10, 621. stupet anxius, alto Corda metu glaciante, pater. ℙ Neutra etiam significatione usurpatur. *Plin.* 29, 3, 13. Fit etiam unguentum hieme, quoniam aestate non glaciat, nisi accepta cera.

GLĀDIĀRIUS, a, um, adj. ad gladium pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 955, 3. Negotiator gladiarius, *scil.* qui gladiis divendendis mercaturam exercebat. ℙ *Gladiarius*, *ii*, m. *σπαθοποιός*, gladiorum artifex. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 628. *n.* 242. M. Caedicius O. L. Felix gladiarius.

GLĀDIĀTOR, oris, m. *μαχαιροποιός*, qui gladios facit, idem ac gladiarius. [**Etym.* ducunt ab obsol. *gladior*, unde *digladior.*] *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Carpentarii, scandularii, gladiatores, aquilices, tubarii, etc. ℙ Item saepius *μονομάχος*, qui gladio pugnat. Gladiatores Romae fuere homines, qui ludi causa gladio depugnabant, populo spectante. Eorum primus usus fuit in funeribus nobiliorum civium, quod eorum sanguine placari manes credebant: primique eos exhibuerunt M. et D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando, App. Claudio, M. Fulvio Coss., ut *Val. Max.* 2, 4. *n.* 7. tradit. Deinde ad arenam transiere, et coepere dari ludis publicis, ab omnibus fere magistratibus, et praecipue ab imperatoribus, populo gratificandi causa, qui hujusmodi sanguinis effusione plurimum delectabatur. Dabantur initio magistratus, in victoria, et triumpho, in dedicatione publicorum operum, in ludis quinquennalibus, decennalibus, etc. in die natali principium, Saturnalibus, et hujusmodi. Privatim quoque in conviviis exhibitos fuisse, legimus ap. *Liv.* 9, 40. et *Sil.* 11, 51., ubi de Campanis uterque loquitur. Erant duplicis generis, vel coacti, ut damnati ob delicta, (atque hi fere servi) aut captivi lanistis venditi; vel voluntarii, ut liberi, qui pretio, aut gloriae cupiditate se addicebant: qui si strenue se saepius gessissent, rude denique donabantur. Paulatimque eo ventum est, ut aliquando illustriores etiam cives, vel desperatione, vel ut principibus gratum facerent, operam suam arenae locarent. Imo etiam feminas interdum prodiisse gladio certantes, *Suet. Dom.* 4. et *Stat. Silv.* 1, 6, 53. testantur. Erant eorum familiae integrae, quae vel domi a privatis alebantur, vel (quod frequentius) a lanistis, qui eos assidue in pugnandi arte exercebant, alebantque largius, quo valentiores, animosioresque essent in pugna. Inducebantur plerumque per paria: interdum et majore numero catervatim pugnantes. Eorum arma initio pugnae erant hastae purae, rudes, et gladii hebetes, quibus proludebant: mox signo dato, versis armis, *h. e.* mutatis, priora abjiciendo, et vera acutaque sumendo, modo scuto protecti, galea, et lorica, modo solis gladiis instructi: alii praeter gladium massa plumbea, ut secutores; alii rete, et tridenti pro gladio, ut retiarii; cruentum certamen instituebant: in quo vel vulneribus tenus pugnabant, quod Itali dicunt *al primo sangue*, vel sine missione, ut *Liv.* 41, 20. loquitur, *h. e.* usque ad necem alterutrius. Plura habes ap. *Lips.* in *Saturnalibus.* V. etiam *Mirmillones*, *Retiarius*, *Secutor*, etc. De eorum fortitudine in pugna v. *Cic. Tusc.* 2, 17. ℙ [**In* bello etiam haud infrequens Romanis gladiatorum erat usus. Ita *Aug.* paene interceptus est a manu gladiatorum, quae oppido eruperat. *Suet. Aug.* 14. *Id. Vitell.* 15. Fratrem cum classe ac tironibus et gladiatorum manu opposuit.] ℙ Gladiatores, vilissimum genus hominum, nunquam in collegium coisse, existimavit *Muratorius* ad *Inscr.* 511, 3.; at Romae fuisse gladiatorum collegium constat, ex quo duo sane insignia marmora detecta sunt, quae pertinent ad an. a Chr. n. CLXXVII., et quorum inscriptiones affert *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Imp. Caes. L. Aurelio Commodo, M. Plautio Quintillo Cos. Initiales collegii Silvani Aureliani, etc. Sequuntur deinde nomina duorum curatorum collegii, mox gladiatorum in quatuor decurias divisorum: subjiciuntur in altero marmore faustae acclamationes Commodo Aug. ℙ Gladiatores omnes decreto sustulit Constantinus M. an. a Chr. n. CCCXXV., ut constat ex *Cod. Theod.* 15, 12, 1.; et, cum iterum irrepsissent, Honorius an. CCCCIV., ut narrat *Theodoret. Hist. Eccl.* 5, 26. Sed gladiatoribus sublatis, diu adhuc saeviit pugna ferarum cum bestiariis; ejus enim descriptio legitur ap. *Cassiod. Variar.* 5, 42., an. scilicet DXXIII., ex quo nulla ejusdem mentio est apud veteres auctores. ℙ Quod vile atque infame eorum munus est atque artificium, *gladiator* convicium est cruenti hominis, ac sicarii. *Cic. Phil.* 7, 6. *de L. Antonio.* Gracchorum potentiam majorem fuisse arbitramini, quam hujus gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et Latine loquuntur. Mirmillo in Asia depugnavit, etc. *Id. Cat.* 2, 4. Veneficus, gladiator, latro, siccarius, parricida. ℙ Ablativus *Gladiatoribus*, significat tempore, quo gladiatores exhibentur, ut *ludis, Saturnalibus*, etc. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Quaerit ex me, num consuessem Siculis locum Gladiatoribus dare. Et 19. Gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 2, 738. [**In* universum dicuntur *gladiatores* ipsum spectaculum gladiatorium. *Suet. Aug.* 45. Gladiatores sine missione edi prohibuit. *Id. Dom.* 4. Venationes gladiatoresque (edidit). *Tit.* 7. Ibidem et gladiatores (dedit). *Ter. Hec. prol. alt.* 32. Datum iri gladiatores. *Tac. A.* 1, 76. Edendis gladiatoribus praesedit.]

GLĀDIĀTORIĒ, adv. gladiatorum more. *Lamprid. Commod.* 15. Quae gladiatorie, quae lenonice faceret.

*GLADIATORITĬUS, a, um, adj. ut *herba gladiatoritia* ap. *Marc. Empir.* 16. *i. e.* gladiolus. *B. A.*

GLĀDIĀTORIUS, a, um, adj. *μονομαχικός*, ad gladiatorem pertinens. *Cic. Cat.* 2, 5. Gladiatorius ludus. *Id. Or.* 2, 78. Gladiatorium certamen. *Id. Tusc.* 4, 22. Gladiatoria iracundia. *Id. Sext.* 58. Gladiatorius consessus, *h. e.* populi multitudo sedens ad spectaculum gladiatorum. *Id. Mur.* 35. Locum suum gladiatorium cuipiam concedere, *h. e.* ex quo spectantur ludi gladiatorii. *Suet. Caes.* 10. Gladiatorium munus, *h. e.* spectaculum. *Sall. Cat.* 31. Gladiatoriae familiae, *h. e.* gladiatorum grex, qui ad ludos alitur. *Ter. Ph.* 5, 7, 71. Hi gladiatorio animo ad me affectant viam, *h. e.* parato ad periculum, inquit *Donat.*, ita perdito ac temerario, ut non sibi caveant, dummodo vulnerent. *Cic. Phil.* 2, 25. Gladiatoria totius corporis firmitas. *Appul. Met.* 2. Gladiatoria Venus, *h. e.* clinopale. ℙ *Gladiatorium*, *ii*, n. pretium quod gladiatori conducendo datur. *Liv.* 44, 13. *extr.* Vir gladiatorio accepto decem talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret. ℙ [**Notandum*, saepissime in libris confundi *gladiatorum* et *gladiatorium*, nullo ad rem discrimine. V. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 31. *Tit.* 7. et 37. *Oudend.* ad *Suet. Claud.* 24. Laudat haec *BCrus.* in *cl. Suet.* p. 387.]

GLĀDIĀTŪRA, ae, f. *μονομαχία*, ars, vel congressus gladiatorum. *Tac. A.* 3, 43. Adduntur e servitiis gladiaturae destinati. [*Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 105. Qui, ut requiem gladiaturae haberet, bellonarium se fecerat. *F.*]

GLĀDĬOLUM, i, n. gladiolus. Usurpatum fuit a *Messala*, teste *Quint.* 1, 6., sed neminem imitatorem habuit: tametsi veteres etiam *gladium* dixere neutro genere. V. GLADIUS.

GLĀDĬŌLUS, i, m. *ξιφίδιον*, parvus gladius. *Gell.* 10, 25. Lingulam veteres dixere gladiolum oblongum, in speciem linguae factum. *Appul. Met.* 2, 3. Gladiolo solito cinctus. ℙ Hoc etiam nomine duae herbae a Romanis appellantur, quarum altera Graecis est *ξυρὶς*, et *εἶρις ἀγρία*, eadem ac iris, altera *ξίφιον*, vel *κύπειρος*, seu *κύπερος*, *φασγάνιον*, *μαχαίριον*, quae folium habet gladii figuram referens, iridi persimilis, nisi quod folio minore est et angustiore, et gladii modo mucronato, nervosumque in caulem exeunte, in quo purpurei flores in ordinem digesti. [**Schwertel.*] *Plin.* 21, 11, 38., et *ib.* 17, 67. et 25, 11, 89. et *Pall.* 1, 37 ℙ *Gladiolus* inscripta fuit una ex comoediis *Livii Andronici*, ex qua fragmentum affert *Festus* in *Pedibus.*

GLĀDĬUS, ii, m. *ξίφος*, *μάχαιρα*, ferrum acie et mucrone instructum ad caedendum et vulnerandum: a *clade*, ut *Varr. L. L.* 4, 24. placet, quod sit ad hostium cladem. *Voss.* in *Etymol.* derivat a *κλάδος*, ramus, quia ramis primum pro gladiis usi sunt agricolae. Qui putant ab ense differre in eo, quod *ensis* fere de militari dicatur, *gladius* de urbano et domestico, nihil dicunt. *Caes. B. C.* 3, 93. Pila miserunt, celeriterque gladios strinxerunt. *Ov. Fast.* 2, 693. Nudare gladios. *Cic. Off.* 3, 41. Gladium distringere. *Id. Att.* 4, 3. educere. *Id. Phil.* 2, 9. Gladio stricto quempiam insequi. *Phaedr.* 3, 10. Gladio pectus transigere. *Caes. B. G.* 1, 52. Cominus gladiis pugnare. *Hirt. B. G.* 8, 23. Gladio caput percutere. *Caes. B. C.* 2, 35. Gladio humerum appetere. *Val. Fl.* 1, 438. Gladio ire per hostes. *Cic. Inv.* 2, 4. Gladium in vaginam recondere. *Petr. Sat.* 82. Gladio latus cingi. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Tabulam eam Protogenes sub gladio pinxit, *h. e.* inter arma et gladios militum. *Ov. Pont.* 1, 6, 41. gladio finire dolorem. [**Lucan.* 6, 278. Incumbet gladiis. *Curt.* 6, 9, 20. Ad gladios pervenit.] ℙ *Gladius vomeris* est ferrum acutum ante vomerem, quo herbae et stirpes incidunter, et sulco vestigium incisura praescribitur, qui et *culter* vocatur. *Plin.* 18, 18, 48. ℙ *Gladii potestas* et *jus* est, quod alii dicunt, *jus sanguinis*, potestas gladio animadvertendi in facinorosos, *h. e.* occidendi. *Capitol. Gord.* 9. Filius legatus patris, gladii potestate succinctus est. *Ulp. Dig.* 1, 18, 6. §. 8. Qui universas provincias regunt, jus gladii habent. Adde 2, 1, 3. ℙ *Damnari ad gladium* est ad gladiatorium certamen destinari. *Ulp. Dig.* 29, 2, 25. Servus ad gladium, vel ad bestias, vel in metallum damnatus. ℙ Est autem differentia inter eos, qui *ad gladium*, et qui *ad ludum gladiatorium* damnantur: quod illi si in pugna non moriantur, intra annum occiduntur: hi vero, si victores evadant, possunt pileum et rudem accipere: quae sunt verba *Ulpiani* relata in *Mosaic. leg. Collat. tit.* 11. *l.* 7. ℙ Similiter *locare ad gladium* est ad ludum gladiatorium addicere, ap. *Senec. ep.* 87. *med.* Sic, ad gladium comparare homines, ap. *Lactant.* 6, 12. *f.* ℙ Translate. *Ter. Ad.* 5, 8. *f.* Suo sibi hunc gladio jugulo; proverbium. Sic *Cic. Caec.* 29. Aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio; aut nostro defensio tua conficiatur, necesse est. *Id. Att.* 1, 16. Plumbeo gladio jugulare aliquem, *h. e.* levi ictu, facili negotio. *Id. Fam.* 10, 2. et *Phil.* 1, 11. Gladiorum impunitas, *h. e.* caedium; metonymia. [**Eodem* modo locutus est *Vell.* 2, 3, 3. et *ib.* 125, 2. *Coll.* 2, 22, 2. Neque licentia gladiorum in mediocris saevitum.] *Hor. Sat.* 2, 3, 276. Ignem gladio scrutari. *πῦρ σιδήρῳ σκαλεύειν*, *ignem gladio fodere*, proverb. de eo, qui stultitiae furorem addit, et malum malo. [**Alia* translate dicendi generis exempla haec sunto: *Cic. Cat.* 3, 1. (de conjuratione Catilinae patefacta) Gladios in rem publicam destrictos retudimus. *Luc.* 7, 262. Si pro me patriam ferro flammisque petistis, Nunc pugnate truces, gladiosque exsolvite culpa. V. *Cort.* ad h. l. — *Ib.* 6, 124. Laxis exire ruinis quaerit — — Perque omnis gladios, etc. *Coll. Mamert. Pan. Jul.* 13. Per infestos gladios praesentesque mortes imperium petivistis. — *Luc.* 5, 388. Caesar — Ausonias gladiis voluit miscere secures, i. e. cum imperatoria potestate pacis voluit conjungere summam dignitatem. — *Ib.* 4, 248. Justi gladius dissuasor. Eadem dicendi forma est ap. *Tert. Patient.* 3. gladius ultor. *Sen. ep.* 13. Gladius adsertor.]

℗ Est etiam nomen piscis, *ξιφίας*, mucronato ore, delphini magnitudinem aliquando excedens. [**Schwertfisch.*] *Plin.* 9, 2, 1. et *ib.* 15, 21. et 32, 11, 53. ℗ Veteres *gladium* neutro genere usurparunt, teste *Varr. L. L.* 8, 49. Hinc *Lucil.* ap. *Non.* 3, 106. Haerebat mucro, gladium in pectore totum. Adde *Pl. Cas.* 5, 2, 25. et 27., ubi tamen aliter res accipi potest. Ceterum non placet hoc *Quintiliano*, qui 1, 5. *Gladia*, inquit, qui dixerunt, genere exciderunt, *h. e.* genere peccarunt. Et sane est hoc obsoletum.

GLAEBA. V. GLEBA.

GLAESARIA et GLAESUM. V. GLESSARIA et GLESSUM.

[GLAGUS, i, m. *γλάγος*, lac. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 157, 6. P. Rabutius Glagus. *F.*]

GLAMA. V. GRAMIAE.

GLANDĀRIUS, a, um, adj. ad glandem spectans, ut Glandaria silva, quae servatur glandis ferendae causa. *Cato R. R.* 1. Octavo arbustum, nono glandaria silva. Adde *Varr. R. R.* 1, 7. *f.*

GLANDĪFER, a, um, adj. *βαλανοφόρος*, qui glandes producit. *Cic. Leg.* 1, 1. Glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit nuncia fulva Jovis. ℗ Accipi etiam videtur pro fecundo et fertili fructuum, quia glandis appellatione interdum omnis fructus continetur, ut *Jabolen.* ap. *Caj. Dig.* 50, 16, 236. docet. *Cic. Phil.* 2, 39. *f.* Quandoquidem hae quondam arationes in P. R. patrimonio glandiferae et fructuosae ferebantur. Al. leg. *grandi fenore et fructuosae.* [*Ita *Orell.*]

GLANDIŌNIDA, ae, f. caro suilla ex glandiis. *Pl. Men.* 1, 3, 27. ubi videtur loqui per jocum. Al. autem aliter leg.

GLANDIUM, ii, n. *παρίσθμιον*, *σπόγγος*, pars tuberosa in carne animalis, ceu callum in se convolutum: dictum non tam a duritie, quam a figura glandis, quam oblonga rotunditate refert. Significatur autem praecipue tuberosus callosusque globus in cervice et faucibus aprorum, et suum, qui in deliciis coenarum habetur. *Plin.* 16, 38, 73. de ligno arborum. Quibusdam sunt tubera, sicut sunt in carne glandia. *Id.* 8, 51, 77. et 36, 1, 2. Exstant censoriae leges glandia in coenis, gliresque apponi vetantes. *Pl. Curc.* 2, 3, 44. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. *Id. Capt.* 4, 4, 7. Arripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus glandia. ℗ *Prisc.* 3, 618. ait, *glandium* esse partem intestinorum: et fortasse lumbos suillos intelligit, qui delicati admodum in cibis sunt.

GLANDO, inis, f. idem ac glans. *Avien. Perieg.* 285. Cibus aspera glando. Et 1189. pingui dependens subere glando.

GLANDŪLA, ae, f. *βαλάνιον*, parva glans. In animali glandulae sunt corpora duo tuberosa in similitudinem glandis, dextra laevaque intus in ipsis faucibus sitae, quae et *tonsillae* appellantur, si de homine sermo sit, *ἀδένες*. *Cels.* 4, 1. Atque in ipsis cervicibus glandulae positae sunt, quae interdum cum dolore intumescunt. ℗ Aliquando significant ipsum morbum, seu tumorem praeter naturam. *Id.* 2, 1. *f.* At ubi aetas paulum processit, glandulae et vertebrarum inclinationes, strumae, et plura alia tubercula oriuntur. *Id.* 8, 4. Ulcus madet, neque alitur, et in cervicibus glandulae oriuntur. ℗ In sue idem sunt, quod *glandia*, conquisita in cibis, ut ibi dictum est. *Mart.* 3, 82. Partitur apri glandulas palaestritis. Et 7, 20. Ter posuit apri glandulas, quater lumbum.

GLANDŪLOSUS, a, um, adj. *ἀδενώδης*, plenus glandibus. *Col.* 7, 9. de sue: Qui est amplae et glandulosae cervicis.

GLANIS, is, m. [*γλάνις*], et Glanus, i, m. [*γλάνος*], piscis genus tum marini, tum fluviatilis. *Plin.* 9, 43, 67. Cautius qui glanis vocatur, aversos mordet hamos, nec devorat, sed esca spoliat. *Id.* 32, 10, 45. Verrucas tollit glani jecur illitum. ℗ [**Glanis, is*, Campaniae fluvius, dictus et *Clanius* et *Liternus* et *Liris*. V. *Clanius*. ℗ Item fluvius Hetruriae, qui et *Clanis*. *Plin.* 3, 6. V. *Clanis. B. A.*]

*GLANNOBANTA, opp. Britanniae. *Not. Imp.* ℗ *Antonino* in *Itin.* est *Clanoventa. B. A.*

GLANS, dis, f. *βάλανος*, fructus quercus, roboris, aesculi, cerri, ilicis, fagi, suberis, et si quae sunt similes: per syncopen a Dorico *γάλανος* pro *βάλανος*. *Cic. Or.* 9. Quae est in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur? ℗ De glandium generibus, atque usu multa distincte ac fuse *Plin.* 16, 5, 6. et seqq. Quod innuitur in allatis *Ciceronis* verbis, homines olim ante inventas fruges, glandibus vesci solitos; confirmatur a *Plin. prooem. l.* 16., *Virg. G.* 1, 148., *Ov. Met.* 1, 103. et *Fast.* 4, 399., *Lucr.* 5, 937., *Tibull.* 2, 3, 41. etc. Quin etiam post inventa frumenta, in Hispania suo quoque tempore glandes secundis mensis inferri solitas, testatur *Plin. l. c.* ℗ Per synecdochen, quia ex glandibus homines quondam vivebant, glandis appellatione omnes fructus continentur, ut ex *Jaboleno* docet *Cajus Dig.* 50, 16, 236. [*Huc tranferendus etiam locus videtur *Cic. Harusp.* 3. quid enim hunc persequar, pecudem ac beluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum?] ℗ Translate *glans* dicitur plumbum, quod est in modum glandis formatum, quod antiqui loro alligatum in hostem torquebant. *Sall. Jug.* 61. Pars eminus glande, aut lapidibus gugnare. Adde *Liv.* 38, 20, 21. et 29. et *Virg. A.* 7, 686. [*Ap. *Orell.* 4932. *inscr.* est glandis plumbeae: ROMA. FERI. i. e. O dea Roma, feri hostem!] Porro tanta vi jaci hujusmodi glandes solitas esse, ut calore accensae in aere liquescerent, invenies ap. [**Lucr.* 6, 177.] *Lucan.* 7, 513., *Stat. Th.* 10, 533. et *Ov. Met.* 14, 825., quae poetica hyperbole videri potest. ℗ At non modo ex plumbo, verum etiam ex argilla glandes fiebant. *Caes. B. G.* 5, 43. Septimo oppugnationis die ferventes fusili ex argilla glandes fundis, et fervefacta jacula in casas, quae more Gallico stramentis erant tectae, jacere coeperunt. ℗ *Glans* denique dicitur pars summa colis, quae praeputio tegitur: a similitudine. *Cels.* 7, 25. Hinc jocus obscenus *Mart.* 12, 75. Pastas glande nates habet Secundus. ℗ *Val. Prob. in Cathol.* 1444. et 1464. docet, *haec glandis* dici etiam in recto singulari, addita *Virgilii* auctoritate: respexitque fortasse ad illud *G.* 4, 80. non densior aere grando, Nec de concussa tantum pluit ilice glandis. Verum eo loco dubia res est. Potest enim esse genitivus, *τοσοῦτον βαλάνου*, ut et *Prisc.* monet *f. l.* 6.

*GLANUM vel Glanum Livii, opp. Galliae Narbonensis, in Salviorum agro, hodie, ut credunt nonnulli, *St. Remi. Plin.* 4, 4. *B. A.*

[GLAPHYRUS, a, um, adj. politus, elegans. Est nomen servile, et cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 2. *n.* 5. Glaphyrus Rosciae villicus. Alia ap. *Mur.* 874, 11. Julia Glaphyra. *F.*] ℗ *Item citharoedi nomen, ominis, credit *Gesn.*, causa sumptum vel datum. *Γλαφυρὸς* enim Festivus, jucundus, ornatus, politus. *Mart.* 4, 5. Vendere nec vanos circa palatia fumos: Plaudere nec cano, plaudere nec glaphyro. V. *Juven. Sat.* 6, 77. *B. A.*

GLAREA, ae, f. *ψηφὶς*, minutissimi lapilli, quales in fluviorum ripis, vel maris litoribus esse solent: est a *κλῆρος*, calculus, lapis fractus a motu fluminis, a *κλάω*, frango. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Eo loci pulvis, non glarea est inveeta. [**Kiessand.*] *Liv.* 41, 27. Vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem locaverunt, [*h. e.* substernendas, marginandasque locaverunt. *Tibull.* 1, 8, 59. de via Latina, hic glarea dura Sternitur, hic apta jungitur arte silex, *h. e.* media via glarea sternitur, margines vero, Itali dicunt *marciapiedi*, siliceis lapidibus, hisque polygoniis nectitur. *F.*] *Virg. G.* 2, 212. Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris.

GLAREOSUS, a, um, adj. plenus glarea. *Varr. R. R.* 1, 9. Glareosa terra. *Colum. arbor.* 21. Glareosa et saxosa amat ficus. *Plin.* 26, 8, 56. Glareosi rivi. *Liv.* 21, 31. *f.* Flumen saxa glareosa volvens.

*GLARI, orum, m. pop. Aeolidis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

GLASTUM, i, n. *ἴσατις*, herba similis plantagini, seu genus lactucae agreste, et sponte nascens, al. *vitrum*, quo infectores lanarum utuntur, dum colore vitreo, seu hyalino, caeruleo, subnigro tingunt: quo item Britanni se inficiebant, inscribentes etiam corporibus puerorum animalium figuras, ut in bello aspectu horridiores essent, denique et eorum mulieres quibusdam in sacris. [**Waid, Isatis tinctoria, L.*] *Caes. B. G.* 5, 14., *Plin.* 22, 1, 2., ubi al. leg. *guastum.* [*V. *intpp.* ad *Caes. l. l.* et *Voss.* ad *Virg. G.* 4, 334.]

*GLAUCE, es, f. *Γλαύκη*, eadem quae Creusa, Creontis filia, uxor Jasonis Medea repudiata. *Hyg. fab.* 25. ℗ Item uxor Upis, mater tertiae Dianae. *Cic. N. D.* 3, 23. ℗ Et Amazonum una. *Hyg. fab.* 163. *B. A.*

GLAUCĔUS, a, um, adj. Glauceus succus apud *Scrib. Comp.* 22. est succus herbae cujusdam, qui et *glaucion* dicitur: cujus usus est in collyrio, quod *diaglaucium* vocatur. *Rhodius* mavult legi *glaucius.* ℗ *Glaucĕa* neutr. plur. et producta paenultima, *τὰ γλαύκεια*, herbam eandem significant. V. GLAUCION. *Colum.* 10, 103. Nunc medica panacen lacrima, succoque salubri Glaucea, et profugos vinctura papavera somnos Spargite.

[GLAUCIA, ae, m. qui glaucis est oculis. Est cogn. R. ut C. Servilius Glaucia ap. *Cic. Or.* 2, 61. *F.*] *Et 65. et 3, 41. *Id. Verr.* 1, 9. et *Cat.* 3, 6. ℗ Item ex gente Mallia, ut Mallius Glaucia, libertinus, cliens T. Roscii Magni. *Cic. Rosc. Am.* 7. et 34. *B. A.*

*GLAUCIDES, ae, m. insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

GLAUCICOMANS, antis, adj. glaucam comam habens. *Juvenc.* 3, 622. *Matth. c.* 21. Ordinibus lucent quae glaucicomantis olivae.

GLAUCINUS, a, um, adj. *γλαύκινος*, qui fit ex herba glaucio. *Pomp. Dig.* 34, 2, 21. §. 1. Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed et valetudinis, quales sunt Commagena, glaucina, etc. ℗ *Glaucina, orum*, n. plur. 2. absolute sunt ipsa unguenta ex glaucio. *Mart.* 9, 27. Audet facundo qui carmina mittere Nervae, Pallida donabit glaucina, Cosme, tibi, *h. e.* idem facit, ac si Cosmo unguentario unguenta glaucina mitteret. Alii perperam leg. *Pallia glaucina*, vel *glaucia.* V. COSMIANUS.

[GLAUCIO, onis, m. dimin. glauci. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1133, 7. L. Manlius Glaucio. *F.*]

GLAUCION, ii, n. *γλαύκιον*, herba humilis, in Syria et Parthia nascens, densis foliis, fere papaveris, minoribus tamen sordidioribusque, odoris tetri, gustus amari cum adstrictione. Granum habet crocei coloris, quod in olla fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt, deinde exempto succum exprimunt ejusdem nominis. Usus est et succi, et foliorum, si terantur, adversus epiphoras. Hinc temperatur collyrium, quod medici diaglaucion vocant. Haec *Plin.* 27, 10, 59. [**Chelidonium glaucium*, *L.*]

*GLAUCION, onis, *Γλαυκίων*, nobilis pictor. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*GLAUCIPPE, es, f. *Γλαυκίππη*, una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

GLAUCIS, idis, et idos, f. *γλαυκίς*, quae glaucos habet oculos. Ap. *Prop.* 4, 3, 55., nomen est, aut adjunctum catellae.

GLAUCISCUS, i, m. piscis aculeatus, dorso caeruleo, ventre candidissimo. *Plin.* 32, 10, 46. et *ib.* 11, 53.

GLAUCĪTO, as, n. 1. est proprium vocis catulorum. *Auct. carm. de Philom.* 60. Glaucitat et catulus, at lepores vagiunt.

GLAUCOMA, ātis, n. et Glaucoma, ae, f. *γλαύκωμα*, vitium, quo color naturalis in oculo, ac speciatim color humoris crystallini in praeternaturalem et glaucum mutatur, quod provenit ab illius humoris nimia siccitate et concretione. Differt a *suffusione*, quia in *glaucomate* peccat humoris crystallini condensatio et siccatio, in *suffusione* concretio extranei humoris, et aliunde affluentis. *Plin.* 29, 6, 38. Glaucomata dicunt magi cerebro catuli septem dierum emendari. *Pl. Mil.* 2, 1, 70. Ei nos facetis fabricis et doctis dolis Glaucomam ob oculos objiciemus. *Prud. Hamart.* 90. Est glaucoma, aciem quod tegmine velat aquoso.

[GLAUCOMATICUS, a, um, adj. qui glaucomate laborat. *Not. Tir.* p. 149. Glaucoma, glaucomaticus. *F.*]

*GLAUCONNĒSOS, i, *Γλαύκου νῆσος*, maris Aegaei insula, nempe in mari Myrtoo. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

GLAUCOPIS. V. LAGOPUS.

GLAUCUS, a, um, adj. *γλαυκὸς*, qui est colore caesio, seu caeruleo, idest, subviridi, qui admixtum habet viriditati alborem, qualis apparet in oculis noctuarum, felium, leonum, quorundam equorum, et hominum: et saepe maris ac fluviorum Diis tribuitur. *Plin.* 8, 21, 30. Oculis glaucis, colore sanguineo. *Virg. A.* 12, 885. Glaucus amictus. *Val. Fl.* 3, 436. Glaucae frondes. *Stat. Th.* 9, 351. Glaucae sorores, *h. e.* Nereides. ℗ Cum de equis sermo est, *glauci* intelliguntur, qui glaucos oculos habent, ut dictum est. *Plin.* 11, 37, 53. Oculi equorum quibusdam glauci. Et *paulo post.* Oculi divo Augusto equorum modo glauci fuere. *Virg. G.* 3, 82. honesti Spadices, glaucique, color deterrimus albis.

GLAUCUS, i, m. *γλαῦκος*, genus piscis. *Plin.* 9, 16, 25. Quidam rursus aestus impatientia mediis fervoribus sexagenis diebus latent, ut glaucus, aselli, auratae. ℗ Fuit etiam Glaucus piscator Anthedonius, qui cum pisces captos in ripa explicuisset, et illi subito contacta quadam herba se colligentes in mare prosiliissent, admiratus herbae illius vim et ipse degustavit, et pisces secutus in aquam insiluit, marisque Deus factus est: inferiori parte in piscem versus. *Serv.* ad *A.* 5, 823. Alii aliter referunt hanc fabulam, Glaucum insignem urinatorem fuisse, saepius inspectantibus suis municipibus in fluvium se dejecisse, diutiusque sub aqua moratum semper emersisse, tandem quodam die illis exspectantibus non rediisse: creditum esse, Deum maris factum fuisse. *Ov. Met.* 13, 905. et seqq., *Stat. Th.* 7, 335. ℗ Glaucus item Hippolochi filius, qui Trojano bello Priamo suppetias tulit, homo tam stupidus, ut cum Diomede armorum permutatione facta, aenea acceperit pro aureis. Hinc etiam hodie *Glauci, et Diomedis permutatio* proverbio celebratur, cum permutatarum rerum inaequalitas signatur. *Plin. ep.* 5, 2. ℗ Item Sisyphi filius, qui cum equas suas humana carne pasceret, vel, ut alii referunt, cum Veneris sacra sperneret, easque ab coitu prohiberet, quo velociores essent, ab illis ipse etiam devoratus est. *Virg. G.* 3, 267. et ibi *Servius.* ℗ *Fuit et Glaucus Minois et Pasiphaes filius, de quo *Hyg. fab.* 136. Adde *fab.* 49. ℗ Item Antenoris filius, ab Ajace Telamonio interemptus. *Dict. Cret.* 4, 7. ℗ Item Cariae fluvius, in confinio Lyciae. *Plin.* 5, 27. ℗ Et flumen Colchidis, in Phasim incidens. *Id.* 6, 4. *B. A.*

GLAUX, cis, f. 3. *γλαῦξ*, herba eadem ac eugalacton, quam vocem vide suo loco. ℗ Quamvis ap. *Plin.* 27, 9, 58. *glaux*, et ap. *Dioscor. l.* 4.

γλαὺξ appelletur, tamen fortasse legendum *glax*, et γλαξ, syncop. nempe ex γάλαξ pro γάλα, lac; nam ex *Plin. l. c.* constat, ita eam fuisse vocatam, quia lactis ubertatem excitat.

GLĒBA, ae, f. βῶλος, frustum terrae. *Cic. Caec.* 21. Quid igitur, si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo praecipitem egeris? *Virg. G.* 1, 94. rastris glebas frangere inertes. *Hor. Od.* 3, 6, 38. ligonibus versare. *Virg. G.* 2, 261. supinatas Aquiloni ostendere. [**Liv.* 4, 11. Nec ulli gleba ulla agri assignaretur.] ℙ Per synecdochen dicitur de agris. *Virg. A.* 1, 525. Terra antiqua potens armis, atque ubere glebae. ℙ Saepe vero pro fundo et possessione accipitur in *Cod. Just. et Theod.* ℙ De terra, qua humatur cadaver. *Cic. Leg.* 2, 22. Priusquam in eos injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba, tum et illic humatus est, et gleba vocatur: ac tum denique multa religiosa jura complectitur. *Festus* in *Praecidanea.* Qui mortuo justa non fecisset, idest glebam non objecisset. In verbis *Ciceronis* pro *in eos injecta*, etc. *Lambin.* legit *in os.* Quo pertinet illud *Val. Max.* 5, 3. *n.* 3. *extern.* Sed certe post obitum nullam Atticae regionis, quae ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit. Et *Hor. Od.* 1, 28, 23. At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae Ossibus, et capiti inhumato particulam dare. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus, ut gleba turis, *Lucr.* 3, 328. et *Stat. Th.* 6, 60. glebae niveae lactis, *Nemes. Ecl.* 3. *extr.*, h. e. massae, casei formae. Sic *Caes. B. G.* 7, 25. Sevi, ac picis glebae. *Plin.* 36, 6, 8. Marmorei parietes, non facile dixerim sectos, an solidis glebis positos, *h. e.* integris crassisque molibus. *Id.* 31, 7, 39. de sale fossili: Caeditur specularium lapidum modo: pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. ℙ In *Cod. Theod.* 6, 2, 12. et *ib.* 3, 3. etc. legitur *gleva* propter affinitatem litterarum *b* et *v.* ℙ *Manut.* in *Orthograph.* vult scribi *glaeba* ex antiquissimis libris, et Virgilio Carpensi. Hinc *Pontedera Antiqq. Gr. et Lat.* p. 123. derivat a κλάω, frango, quasi sit *κλαία*, inde glaeba, quoniam glaeba est pars de terra, dum proscinditur, evulsa.

GLĒBĀLIS, e, adj. ad glebam pertinens, ut Glebalis agger, *Ammian.* 23, 5., *h. e.* congestis glebis factus. ℙ *Glebalis collatio*, praestatio, solutio, onus, multis in locis *Cod. Theod.* significat vectigal, quod penditur ratione fundorum, et possessionum: quia *gleba* pro possessione et fundo ibi saepissime ponitur, ut in v. praec. dictum est. ℙ In eodem *Cod.* legitur etiam non semel *glevalis* pro *glebalis*, ut 6, 2, 3. et al.

GLĒBĀRII, dicuntur boves valentes, fortes, a glebis facile proscindendis. *Varr. L. L.* 6, 4.

GLĒBĀTIM, adv. per glebas, ut Agros glebatim metiri, *Lact. Mort. persecut.* 23.

GLĒBĀTIO, onis, f. in *Cod. Theod.* 6, 2, 12. est glebalis collatio V. GLEBALIS.

GLĒBOSUS, a, um, adj. glebae in morem convolutus, vel glebis abundans. *Plin.* 35, 16, 53. Terra glebosior. *Id.* 35, 25, 50. Sulphur glebosum. [**Hard.* leg. *gleba* pro *glebosum.*] ℙ *Glebosa* absolute, scilicet loca glebis plena. *Appul. Met.* 1. Post roscida cespitum, et glebosa camporum emensa.

GLĒBŪLA, ae, f. dimin. glebae. *Colum.* 1, 6. Frumenta lapillisque carent, et glebulis. *Scrib. Comp.* 199. Glebulae nivis. *Plin. ep.* 10, 16. Glebula ex metallo. *Vitr.* 8, 3. Glebula myrrhae. ℙ Per synecdochen est agellus. *Juven.* 14, 166. saturabat glebula talis Patrem ipsum, turbamque casae. *Appul. Met.* 9. Vicinus potens pauperem ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat.

GLĒBŪLENTUS, a, um, adj. glebae similis. *Appul. de Deo Socrat.* Quin in eo quoque aere animalia gignerentur, ut in igne flammida, in unda fluxa, in terra glebulenta.

*GLECHON, onis, m. γλήχων, pulegium. *Appul. de Herb.* 92. Glechon agrion. Adde 90. *B. A.*

GLECHONĪTES, is, n. γληχωνίτης, vinum pulegio conditum, ap. *Colum.* 12, 35. γλήχων enim pulegium significat. V. ABROTONITES.

*GLEMONA, ae, Italiae opp., in Gallia transpadana, in Venetis. *Paul. Diac. Langob.* 4, 38. *B. A.*

[GLĒNUS, i, m. γλῆνος, pulcritudo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 3. C. Marcius Glenus. *F.*]

GLESSĀRIA, ae, f. al. Austravia, insula apud Cimbricam Chersonesum, in sinu Codano: a *glesso*, idest succino, quo abundat. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. V. v. seq. ℙ Scribitur et *Glaesaria.*

GLESSUM, i, n. ἤλεκτρον, electrum, succinum, voce Germanica: fortasse a perspicuitate vitrea, quia Germanis *glas* vitrum est. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Certum est gigni in insulis septentrionalis oceani, et a Germanis appellari glessum, itaque et a nostris unam insularum ob id appellatam Glessariam, Germanico Caesare ibi res gerente, Austraviam a Barbaris dictam. **Tac. G.* 45. Soli omnium succinum, quod ipsi glessum vocant, legunt. ℙ Ex *Tacito* apparet, vocem esse Germanicam: ex *Plinio* vero discimus, ea usos etiam Romanos, sed milites, et in exercitu, praesertim in Germania. Scribit enim *Id.* 4, 13, 27. Glessariam insulam ita dictam esse *a succino militiae:* nempe quia succinum illi *glessum* appellant. ℙ Scribitur et *glaesum.*

GLĒVA et GLĒVĀLIS. V. GLEBA et GLEBALIS.

GLEUCĪNUM Oleum, γλεύκινον, olei facticii genus, mustum et aromata admixta habens: a γλεῦκος, mustum. *Colum.* 12, 51., *Plin.* 15, 7, 7. et *Pomp. Dig.* 34, 2, 22.

*GLICIUM (medicamentum), quale sit nescit *Gesnerus*, qui *Lycium* legendum conjicit. *Veg. Vet.* 4, 28. si lectio certa. *B. A.*

*GLINDITIONES, um, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

GLĪNON, i, n. γλεῖνος, aceris genus campestre, candidum, nec crispum. *Plin.* 16, 15, 26.

GLĪRĀRIUM, ii, n. ἑλειών, locus in quo glires nutriuntur. *Varr. R. R.* 3, 15. Glirarium dissimili ratione habetur, quod non aqua, sed maceria locus sepitur.

*GLIRIUS, a, um, adj. torpens, stupidus. *Gloss. Isid. B. A.*

GLIS, gliris, m. ἑλειός [**Sciurus glis, L. Glis esculentus, Blumenb.*], animal muri simile, majus tamen, in arboribus degens, et totam fere hiemem aut dormiens, aut certe quiete fruens somno simili: quo tempore cum aut nullo, aut exiguo certe cibo utatur, pinguescit tamen ut cum maxime: etym. v. V. in GLISCO. *Mart.* 13, 59. et *Plin.* 8, 57, 82., *Varr.* ap. *Charis.* 1, 69. et 106. In silva mea est glis nullus. *Pl. fr.* ap. *Non.* 2, 391. Glirium examina. ℙ Fuit olim in deliciis coenarum, adeo ut vivaria glirium habere mos fuerit, quae *gliraria* dicta: et saginandi causa in doliis, singulari ad id ratione factis includerent, ut apud nos capi in caveis: quae docet *Varr. R. R.* 3, 15. Itaque legibus sumptuariis constitutis, glires quoque, ut glandia, conchylia, et peregrinae aves, interdicti, teste *Plin. l. c.* et 36, 2, 2. Eorum condiendorum rationem docet *Apic.* 8, 9. Usus autem in conviviis testimonium praeterea habes non solum ap. *Petr. Sat.* 31., sed et ap. *Ammian.* 28, 4., qui illis multo posterior est. *Mart.* vero 3, 58. Sassinate de silva Somniculosos ille porrigit glires. ℙ Olim quidam *gliris* dici putabant in recto casu, teste *Cat.* ap. *Charis. l. c.*

GLISCERAE Mensae, *h. e.* crescentes per instructionem epularum. *Festus.*

GLISCES, testiculi porcorum. *Naev.*, cujus verba refert *Turneb. Advers.* 15, 4., item *Non.* 2, 633., ubi habetur *glires:* quae lectio multo est veri similior.

GLISCO, is, n. 3. αὐξάνω, cresco, et dicitur de iis, quae latenter et intus crescunt. [**Gron.* et *Döderl.* 1, 21. derivant a *crescere*, ut *celeber* ortum sit a *creber*, *καλύπτω* e *κρύπτω*, *φυλάσσω* e *φράσσω*, *ἀλέγω* ex *ἀρκέω*, *ἀλαπάζειν* ex *ἀρπάζειν.* Ubique est latenter et sensim crescere, unde non male fortasse originem vocis repetieris a *glire* hiberno somno pinguescente, nam *Festi* interpretatio, qui e contrario *glis* deducit a *gliscere* repugnat linguae legibus. *Böttich. Lex. Tac.* p. 222.] Veteres autem, teste *Serv.* ad *A.* 12, 9. adhibebant praecipue de incremento ignis. *Lucr.* 1, 474. Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens. *Sil.* 14, 307. pascitur Vulcanus turbine venti, Gliscentemque trahens turris per viscera labem, etc. ℙ De iis, quae tumescunt. *Stat. Th.* 1, 107. suffusa veneno Tenditur, et sanie gliscit cutis. ℙ De iis, quae pinguescunt. *Colum.* 8, 9. Asellus foliis spinisque alitur: paleis vero etiam gliscit. Et 9. Turdus per hiemem difficulter gliscit. *Id.* 2, 5. Exilem terram stercorare conveniet: nam eo quasi pabulo gliscit. *Festus* in *Reglescit* hinc glires dictos censet, quibus corpus pinguitudine accrescit. ℙ Illa vero generatim crescendi notionem habent. *Sall. fr.* ap. *Non.* 1, 83. Neque jam sustineri poterat, immensum aucto mari, et vento gliscente. *Cic. fr. ib.* Ad juvenilem libidinem copia voluptatum gliscit, ut ignis oleo. *Virg. A.* 12, 9. accenso gliscit violentia Turno. *Sil.* 2, 239. Gliscit ira tyranno. *Pl. Asin.* 5, 2, 62. Gliscit proelium. Et *Capt.* 3, 4, 26. rabies. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* gaudium. *Liv.* 42, 2. seditio. Et 2, 23. invidia. *Tac. A.* 4, 35. auctoritas. Et *ib.* 6, 19. saevitia. Et *ib.* 1, 1. adulatio. Et *ib.* 14, 15. flagitia et infamia. Et *ib.* 15, 23. gloria et pericula. Et *ib.* 4, 5. *extr.* Gliscere numero, aut minui. Et 27. Multitudo gliscit immensum. *Id. A.* 2, 33. Postquam respublica eo magnificentiae venerit, gliscere singulos, *h. e.* augeri divitiis. Et *ib.* 11, 22. Gliscentibus negotiis, duo praetores additi. *Sil.* 4, 6. Fama gliscit gressu, *h. e.* crescit eundo. [*Cf. *Böttich. Lex. Tac. l. l.*] ℙ Aliquando est gestire, exsultare. *Stat. Th.* 8, 756. Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis Lumina torva videns. *Turpil.* ap. *Non. l. l.* Cum te salvum video, glisco gaudio. ℙ Aliquando est vehementer cupere. *Stat. Th.* 3, 73. Et consanguineo gliscis regnare superbus Exsule. Et *ib.* 12, 639. Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro Dux videt. ℙ Passiva voce *Sempron.* ap. *Non.* 7, 107. Ut major invidia Lepido glisceretur.

*GLISSAS, antis, Γλισσας, Boeotiae opp. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

*GLISSOMARGA, ae, cretae genus. *Plin.* 17, 8. Tertium genus candidae (*margae*), glissomargam vocant. Ita ed. *Hard.* Antea legebatur *glischromargon. B. A.*

GLĪTUS, et GLITTUS. V. GLUTUS, a, um.

GLOBĀTIM, adv. ἐλαδὸν, per globos. *Ammian.* 27, 9. Globatim per vicina digressi praedones.

*GLOBATIO, onis, f. *Firmic. B. A.*

*GLOBATOR, oris, m. *Sidon. B. A.*

GLOBĀTUS, a, um, part. a *globo;* in modum globi factus. *Plin.* 2, 2, 2. Formam mundi in speciem orbis absoluti globatam esse. *Solin.* 11. *med.* Coturnices globatae vehementius properant.

GLOBO, as, avi, atum, a. l. σφαιρόω, est aliquid solidum in rotunditatem componere. *Plin.* 2, 65, 65. Dependentes ubique guttae parvis globantur orbibus. *Id.* 18, 13, 34. Rapa aut in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari. Et *ib.* 35, 78. Si ante exortum solis nubes globabuntur, hiemem asperam denunciabunt. *Id.* 11, 17, 17. de rege apum. Cum procedit, una est totum examen, circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur.

*GLOBOSE, adv. in *Fr. Poet. B. A.*

GLOBOSĪTAS, atis, f. rotunditas. *Macr. Somn. Scip.* 1, 16. Terrae globositas.

GLOBOSUS, a, um, adj. σφαιρικός, in globi modum conformatus, rotundus. *Cic. Univ.* 6. Et globosus est fabricatus, quod σφαιροειδὲς Graeci vocant, cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. *Liv.* 38, 29. Globosa saxa. ℙ Differt a rotundo, quia *rotunda* sunt etiam, quae plana tantum, ut circulus: *globosa*, quae rotunda simul et solida, ut lusoria pila. *Cic. Somn. Scip.* 3. Stellae globosae et rotundae.

GLOBŪLUS, i, m. σφαιρίδιον, parvus globus. *Plin.* 33, 5, 27. Chrysocollae globulis sudore resolutis. ℙ Accipitur et pro genere edulii in globi modum convoluti. *Cato R. R.* 79. Globulos sic facito: caseum cum alica ad eundem modum misceto, etc. *Varr. L. L.* 4, 22. In oleo cocti, dicti a globo globuli. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 1. Melliti verborum globuli. ℙ Ap. *Ascon. in argum. or. Cic. pro C. Cornel.* nomen est civis Romani, P. Servilius Globulus.

GLOBUS, i, m. σφαῖρα, est corpus solidum, et unica superficie contentum, undecumque rotundum, cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur, ut *Cic. Univ.* 6. loquitur. *Id. N. D.* 2, 18. Cumque duae formae praestantes sint, ex solidis globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis circulus. [**Id. Somn. Scip.* 3. Stellarum globi terrae magnitudinem facile vincunt. — *Div.* 1, 43. Quum coelum discessisse visum est atque in eo animadversi globi. (*Feuerkugeln.*)] ℙ *Globos dierum et noctium* dixit *Prud.* solem et lunam, περὶ στεφ. 10, 327. ℙ Dicitur non solum de sphaeris coelestibus, et de terra, sed de omnibus rebus rotundis non concavis. *Pl. Poen.* 2, 35. In fundas visci indebant grandiculos globos. *Virg. G.* 1,, 473. de Aetna. Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa. *Varr. L. L.* 4, 22. Globus farinae dilatatus. *Ov. Met.* 12, 238. globos sanguinis vomere. *Val. Fl.* 6, 381. telorum immanis in unum It globus. *Lucan.* 4, 74. nubes densos involvere globos. *Senec. Hippol.* 1031. undarum globus. [**Tac. A.* 2, 23. Atro nubium globo effusa grando.] ℙ Ponitur quandoque pro multitudine hominum, sive aliorum animalium, aut alterius cujuscumque rei similis in unum collecta, et quasi conglobata, σύστημα, *Liv.* 8, 32. Extrema concio, et circa Fabium globus increpabant inclementem dictatorem. *Tac. A.* 12, 43. Militum globo infensos perrupit. Et *ib.* 4, 50. Firmatae stationes densioribus globis. [**Id. ib.* 14, 61. Emissi militum globi — turbam disjecere. 15, 60. Villam globis militum sepsit. Plura v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 223.] *Sil.* 7, 53. Saepe globo densi, saepe et per devia passim Dispersi subiere. *Cato* ap. *Fest.* in *Serra.* Sive forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, uti adoriare. [*Cum contemptu *Sall. Jug.* 85. Globus nobilitatis.] ℙ Translate. *Nep. Att.* 8. Sic ille consensionis globus unius dissensione disjectus est, *h. e.* turba, cohors, factio conspirantium. Sic *Vell.* 2, 58. Hi una cum conjurationis globo, stipati gladiatorum manu, Capitolium occupavere.

GLOCĪDO, as, n. l. idem quod glocio. *Festus:* Glocire, et glocidare gallinarum proprium est, cum ovis incubiturae sunt. Al. leg. *glocitare.*

GLOCĪO, is, n. 4. κλώζω, proprium est vocis gallinarum, cum ovis incubiturae sunt, ut ait *Festus:* quod fit crebris singultibus, interjecta voce acuta, a verbo Graeco allato, quod a sono factum est. *Colum.* 8, 5. Ut ova quam recentissima supponantur glocientibus. Adde *Fest.* in voce praeced. allatum.

GLOCĪTO. V. GLOCIDO.

GLOCTŌRO, as, n. l. verbum exprimens vocem ciconiae. *Auct. carm. de Philom.* 29. Gloctorat immenso de turre ciconia rostro.

GLŌMĔRĂBĬLIS, e, adj. qui glomeratur, seu in globum formatur. *Manil.* 4, 520. Pleiadum glomerabile sidus. Et 1, 221. Te testem dat luna sui glomerabilis orbis.

GLŌMĔRĀMEN, inis, n. *Lucr.* 2, 685. Dissimiles igitur formae glomeramen in unum Conveniunt, *h. e.* in unum veluti globum, coetum, corpus, glomeratam molem. *Id.* 5, 725. de luna: au fert Luciferam partem glomeraminis, atque pilai, *h. e.* globosi corporis. *Id.* 2, 453. de fluidis corporibus. Nec retinentur enim inter se glomeramina quaeque, *h. e.* globosae atomi, quibus constant. *Seren. Sammon.* 55. Dilue praeterea glomeramina, quae gerit intus Clausa aries, inter geminae coxendicis umbras, *h. e.* globulos, pilulas fimi conglobatas.

GLŌMĔRĀRĬUS, ii, m. *Sen. Contr.* 1, 8. *f.* Detrahere illum operibus suis glomerarium, sanguinarium, *h. e.* qui glomere, seu globo militum stipatus pugnat, inquit *Andr. Schottus.* Al. leg. *suis gloriam temerarium, sanguinarium.*

GLŌMĔRĀTIM, adv. per globos, turmatim. *Macr. Sat.* 6, 4. Vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundunt. Et *Auson. Gratiar. action.* 29. Quis oratorum laeta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius aut dixit, aut cogitavit? *h. e.* magis convolvendo, conglobandoque orationem veluti glomere verborum: quod ap. *Hor. Od.* 4, 2, 11. est, verba devolvere.

GLŌMĔRĀTĬO, onis, f. actus glomerandi. *Plin.* 8, 42, 67. Asturcones, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio.

*GLŌMĔRĀTOR, oris, m. qui glomerat. Laudatur *Ennius. B. A.*

GLŌMĔRĀTUS, a, um, part. a *glomero*, conglobatus, convolutus, in globos aut volumina formatus. *Ov. Met.* 13, 604. Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum Densatur. Et *ib.* 8, 401. glomerataque sanguine multo Viscera, lapsa fluunt; et *ib.* 14, 212. frusta mero glomerata vomentem. *Lucr.* 3, 498. semina vocis Ejiciuntur, et ore foras glomerata feruntur. *Sil.* 3, 523. Glomeratae turbine nives. *Lucan.* 6, 296. Glomeratus pulvis. *Plin.* 9, 22, 38. Anguillae fluctibus glomeratae volvuntur. *Virg. A.* 9, 440. Quem circum glomerati hostes, hinc cominus atque hinc Proturbant. ℙ Translate. *Cic.* vertens carmina *Aeschyli, Tusc.* 2, 10. Atque haec vetusta saeclis glomerata horridis, Luctifica clades nostro infixa est corpori, *h. e.* collecta, et veluti coacervata.

GLŌMĔRO, as, avi, atum, a. l. *μηρύω, νέω,* in glomus, seu globum conformo, conglobo, convolvo. Dicitur proprie de filo, et lana: translate de aliis. *Ov. Met.* 6, 19. Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes: Seu digitis subigebat opus. *Varr. R. R.* 3, 5. Cibatui offas positas: eae maxime glomerantur ex ficis, et farre mixto. *Cels.* 7, 22. Ubi venae inter se implicatae glomerantur. *Virg. A.* 4, 155. agmina cervi Pulverulenta fuga glomerant. Et *ib.* 9, 439. dum se glomerant, retroque residunt. [*Lucan.* 5, 715. Confusos temere immixtae glomerantur in orbes. Laudat *Cort.* ad h. l. *Senec. Hippol.* 737. Ocior nubes glomerante Coro.] Et *G.* 1, 323. Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris Collectae ex alto nubes. *Id. A.* 8, 254. de Caco: glomeratque sub antro Fumiferam noctem; et *ib.* 3, 576. liquefactaque saxa sub auras Cum gemitu glomerat; et *ib.* 117. de equo: Insultare solo, et gressus glomerare superbos, i. e. celeri passu, et convoluto gradu incedere. [*Cic. Div.* 1, 12. Omnia fixa tuas glomerans determinat annus, i. e. devolutus, ad finem perductus.] ℙ Pro congregare, cogere. [*Lucr.* 3, 540. Posse animam glomerari in corpore eorum, Lumina quei linqunt moribundei particulatim, i. e. partes suas conducere in unum.] *Virg. A.* 2, 315. glomerare manum bello. *Tac. H.* 3, 31. Legiones in testudinem glomerabantur. *Virg. G.* 4, 79. apes glomerantur in orbem. *Id. A.* 6, 311. ad terram gurgite ab alto Quam multae glomerantur aves. Sic *ib.* 9, 689. collecti Troes glomerantur eodem. *Plin.* 11, 18, 20. de apib. Plebs tristi murmure glomeratur circa corpus regis. *Prud. Cathem.* 3, 134. Glomerare simul fas et nefas.

GLŌMĔRŌSUS, a, um, adj. globosus. *Colum.* 9, 3. Aristoteles apum genera complura demonstrat, earumque alias vastas, sed glomerosas: alias minores quidem, sed aeque rotundas. Adde *Liv.* 21, 31., ubi tamen alii aliter leg.

GLŌMUS, eris, n. et mi, m. *ἀγαθὶς,* fili aut lanae massa in globi morem convoluta: [videtur esse ab Hebr. גָּלֶם *galam* involvit. *F.*] *Hor. Ep.* 1, 13, 14., ut rusticus agnum, Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae. Ita *Bentl.* alii *glomos*, alii *globos* legunt. *Lucr.* 1, 360. Nam si tantundem est in lanae glomere, quantum Corporum in plumbo est. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 14. Labyrinthus inextricabilis, quo si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. *Scrib. Comp.* 142. Penicillum intinctum proderit habere, vel eodem modo glomus staminis albi. Al. leg. *glomum.* ℙ Glomus in sacris crustulum cybii figura, et oleo coctum appellatur. *Paul.* ex *Festo.* ℙ In illo *Auctoris carm. de Philom.* 23. Grus gruit: inque glomis cycni prope flumina drensant, *glomi* videntur esse canneta, vepreta, et palustribus herbis glomeratis densa loca in ripis fluminum: [sed alii leg. *Martia grus gruit: ast cycni prope*, etc. *F.*]

GLŌRĬA, ae, f. *κλέος, δόξα,* claritas nominis, splendor, amplitudo: est a *κλέοϱ* Dorice pro *κλέος. Cic. Inv.* 2, 55. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. *Id. Tusc.* 3, 2. Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. *Id. Marc.* 8. *extr.* Gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. *Id. Off.* 2, 9. Summa et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. *Id. Mil.* 35. Ex omnibus praemiis virtutis amplissimum esse gloriam. *Id. Phil.* 5, 18. Vera, gravis, solida gloria. *Id. Arch.* 11. Optimus quisque maxime gloria ducitur. *Id. Att.* 14, 11. et *Cat.* 4, 10. Esse in sempiterna gloria. *Id. Planc.* 25. Excellere gloria. *Id. Or.* 2, 18. Nomen Annibalis magna erat apud omnes gloria. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Commendare aliquem sempiternae gloriae. *Virg. G.* 4, 205. Tantus amor florum, et generandi gloria mellis. *Cic. Or.* 2, 40. Gloriam expetere. *Id. Brut.* 68. magnam dicendi habere. *Id. Phil.* 2, 44. consequi. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* acquirere. *Id. Amic.* 7. *extr.* maximam capere. *Caes. B. G.* 7, 1. veterem belli recuperare. *Vell.* 2, 129. mereri. Et 44. augere. *Quint.* 3, 7. benefactis parere. *Cic. Dom.* 35. *extr.* duplicare. *Id. Brut.* 8. alere. *Id. Fam.* 10, 26. *f.* sequi. *Id. Pis.* 24. repudiare. *Liv.* 22, 39. *f.* spernere. *Cic. Arch.* 11. contemnere. *Id. Pis.* 26. immortalem alicui dare. *Curt.* 4, 14. *f.* quam accepisti a majoribus, posteris relinquere. *Tac. A.* 2, 46. alienam in se trahere. *Cic. Att.* 2, 2. in summam venire, *h. e.* pervenire. *Plin.* 7, 25, 25. Aliquid in gloria ponere, et 31, 6, 32. Plerique in gloria ducunt, plurimis horis calorem perpeti. [*Poterant et hujusmodi exempla commemorari, ut *Cic. Or.* 1, 1. Rerum gestarum gloria florere. *Plin. Pan.* Non quietis gloriam cuiquam invidere; et *ib.* §. 6. Et ille quidem, ut maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur; et 91, 1. Ut ad summum honorem gloria celeritatis accederet: ubi gloria significationem involvere videtur gratiae, quae ap. alios oriri rebus prospere gestis solet; unde saep. *gratia* in cdd. pro *gloria* legitur. V. in f.] ℙ Aliquando idem est quod gloriatio. *Cic. Rab. Post.* 14. Quod genus tandem est istud ostentationis et gloriae? [*Id. Fam.* 8, 15.] *Nep. Ages.* 5. Tantum abfuit ab insolentia gloriae, ut, etc. *Hirt. B. Afr.* 31. *extr.* Gloriam exsultationemque alicujus pati. [*Liv.* 22, 39. Gloriam qui spreverit, veram habebit.] *Hor. Ep.* 2, 18, 22. Gloria quem supra vires et vestit, et ungit. [*Tibull.* 4, 13, 7. Procul absit gloria vulgi, i. e. vulgarium hominum jactantia; adde 1, 5, 2. *Virg. A.* 11, 708. Ventosa gloria. *Hor. Od.* 1, 18, 5. Gloria plus nimio attollens cervicem. ℙ Signif. et studium, spem, cupiditatem gloriae. *Cic. Fam.* 7, 13. Moriar, ni quae tua gloria est, puto te malle a Caesare consuli, quam inaurari. V. *Manut. Virg. G.* 4, 205. Tantus amor florum, et generandi gloria mellis: q. l. Noster supra laud. *Hor. Sat.* 1, 6, 23. Constrictos gloria trahit fulgente curru. *Id. Ep.* 2, 1, 177. *Sat.* 2, 3, 179. *Tibull.* 4, 1, 29. Non tua majorum contenta est gloria fama. *Prop.* 2, 7, 17. Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen. *Luc.* 4, 376. Et quaesitorum pelago terraque ciborum Ambitiosa fames, et tantae gloria mensae, Discite, quam parvo liceat producere vitam.] ℙ In plur. numero. *Cic. Planc.* 24. *extr.* Honorum gradus sunt pares, gloriae dispares. [*Rectius hic gloriae genit. singl. positum dixeris. V. *Ruddim.* 1, 147.] *Tac. A.* 3, 45. Memorare veteres Gallorum glorias. *Gell.* 2, 27. *extr.* Quaestus atque compendium gloriarum. ℙ Et pro jactationibus. *Pl. Mil.* 1, 1, 22. Perjuriorem hoc hominem si quis viderit, Aut gloriarum pleniorem, quam illic est, etc. *Gell.* 1, 2. Flare inanes glorias. *Lact.* 7, 26. *med.* Tu immortalibus gloriis frueris. ℙ [*Conf. in *cdd. gloria* et *gratia.* V. *Drakenb.* ad *Sil.* 13, 664. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 15, 7. p. 313. ad *Ov. Met.* 4, 639. *Intpp.* ad *Plin. Pan.* 86, 2.]

*GLŌRĬĂBĬLIS, e, adj. *καυχηματίας Gloss. Gr. Lat. B. A.*

GLŌRĬĂBUNDUS, a, um, adj. *καυχηματίας,* qui abunde gloriatur. *Gell.* 5, 5. Contemplatione tanti et tam ornati exercitus gloriabundus Annibalem aspicit.

GLŌRĬĀTĬO, onis, f. actus gloriandi, *καύχησις. Cic. Fin.* 3, 8. Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam. Et *ib.* 4, 18. Illud vero minime consectarium, illorum gloriatione dignam esse beatam vitam.

GLŌRĬĀTOR, oris, m. qui gloriatur. *Appul. Flor. n.* 17. Magis sum amicitiae cupitor, quam gloriator.

GLŌRĬFĬCĀTĬO, onis, f. gloria. Est *Augustini* aliquot in locis.

*GLŌRIFICĀTUS, a, um, part. pass. v. glorifico. *Vulg. Petr.* 1, 1, 8. *B. A.*

GLŌRĬFĬCO, as, avi, atum, a. l. gloriosum reddo, *δοξάζω. Coripp. Laud. Just.* 4, 289. Glorificavit opus. *Tert. Idol.* 22. Deus potius glorificetur. Adde *Prud. Hamart. f.*

GLŌRĬFĬCUS, a, um, adj. gloria plenus. *Imp. Just. Cod.* 2, 8, 6. Relicta observatione glorificae tuae sedis.

GLŌRĬŌLĂ, ae, f. *δοξάριον,* dimin. gloriae. *Cic. Fam.* 5, 12. *f.* Et nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. Et *ib.* 7, 5. *f.* Etiam hisce eum ornes gloriolae insignibus, *h. e.* tribunatus, aut praefecturae, aut ejusmodi.

GLŌRĬOR, aris, atus sum, dep. l. *καυχάομαι,* gloria et praedicatione efferre se, de se praedicare. *Cic. Pis.* 1. Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum? [*Coll. *Suet. Cal.* 38.] *Id. Off.* 1, 22. *f.* Licet enim mihi apud te gloriari. *Id. Or.* 50. *med.* Nominibus veterum gloriantur *Caes. B. G.* 1, 14. Sua victoria insolenter gloriari. *Cic. N. D.* 3, 36. Propter virtutem jure laudamur, et in virtute recte gloriamur. *Id. Vat.* 12. Pecunias aliorum despicis, de tuis divitiis intolerantissime gloriaris. [*Id. Fin.* 5, 17.] *Id. Sen.* 10. Equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus. [*Liv.* 27, 17. Propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti, eam, velut primam occasionem raptam. *Id.* 1, 12. In eum haec gloriantem — impetum facit.] Et 23. Ut de me ipso aliquid more senum glorier. *Quint.* 11, 2. *med.* Circa rem aliquam gloriari *Caes. B. C.* 3, 45. Dicitur glorians apud suos Pompejus dixisse. *Cic. Coel.* 19. Defendendi haec causa, non gloriandi loquor. *Id. Brut.* 18. Ait ipse de se: nec mentitur in gloriando. *Suet. Aug.* 28. Ut jure sit gloriatus, se marmoream relinquere, quam latericiam accepisset. *Id. Dom.* 10. Haud negatura, immo etiam gloriatura. ℙ Part. *Gloriandus* ap. *Cic. Tusc.* 5, 17. Quod si beata vita glorianda, et praedicanda, et prae se ferenda est. [*Et *ib.* Nec in misera vita quidquam est praedicabile aut gloriandum.]

GLŌRĬŌSĒ, adv. cum gloria, *ἐνδόξως, εὐκλεῶς. Cic. Att.* 14, 4. Quod per ipsos confici potuit, gloriosissime, et magnificentissime confecerunt. *Id. Fam.* 2, 12. Gloriose triumphare. *Naev.* ap. *Gell.* 6, 8. Res magnas manu saepe gessit gloriose. *Vell.* 2, 2. Vitam gloriosissime degere. *Sall. fr.* ap. *eund.* 2, 27, Quo ille dehonestamento corporis maxime laetabatur, quia reliqua gloriosius retinebat. ℙ Item gloriando, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Or.* 2, 8. Exorsus es non gloriose magis a veritate, quam, etc. *Id. Dom.* 35. Hoc reprehendis, solere me de me ipso gloriosius praedicare. [*Id. Mil.* 27. Mentiri gloriose.] *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac.* Amicitiam alicujus gloriose ostentare. *Pl. Pers.* 2, 5, 6. Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose.

GLŌRĬŌSUS, a, um, adj. *ἔνδοξος, εὐκλεής,* illustris, praeclarus, gloriae plenus, in quo gloriari licet. *Cic. Fin.* 1, 11. Clarorum hominum facta illustria et gloriosa. *Id. Div.* 2, 2. Magnificum illud etiam, Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. [*Sall. fr.* p. 938. Uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendae dominationis honesta existumet. *Vell.* 2, 115, 5. Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum.] *Nep. Milt.* 6. Nostri populi honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi: nunc autem effusi atque obsoleti. *Id. Ages.* 4. Multo gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si, etc. [*Vell. 2, 49, 4. Vir antiquus et gravis Pompeji partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris; et illa gloriosa, haec terribiliora duceret. Cf. de hac dicendi ratione *Gronov. Observ.* 3, 2. et ad *Senec. Clem.* 2, 3. Adde *Vell.* 2, 110, 3. Tum necessaria gloriosis praeposita.] *Phaedr.* 4, 23. Gloriosus convictus Deorum. *Just.* 12, 11. Gloriosa militia. *Id.* 41, 6. *f.* senectus. *Id.* 42, 2. expeditio. *Cic. Div.* 1, 24. *extr.* mors. *Tac. H.* 5, 17. Gloriosissimus dies. *Suet. Cal.* 8. Gloriosus princeps. *Id. Tib.* 52. Gloriosissimae victoriae. *Id. Claud.* 1. Gloriosus animus, *h. e.* gloriae cupidus, magnus, elatus. ℙ Item jactantiae plenus, *ἀλάζων.* [*Cic. Fl.* 22. Ubi illa magnifica et gloriosa ostentatio civitatis. *Or.* 1, 43. Praepotens et gloriosa philosophia.] *Nep. Timol.* 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Epistolas jactantes et gloriosas Romam miserat. *Cic. Amic.* 26. Milites gloriosi. *Plin.* 10, 20, 22. Pavo, gloriosum animal. *Pl.*

Ps. 2, 3, 8. Gloriosum se facere. ℙ *Miles gloriosus* titulus est comoediae Plautinae.

GLOS, gloris, f. *γάλως, ἀνδραδελφὴ*, soror mariti mei: ab allata voce Graeca per syncopen breviata. *Festus*, *Charis.* 1, 27. et *Modest. Dig.* 38, 10, 4. *med.* Hinc *Auson. Idyll.* 12. *monosyll. de hist.* 13. Aeacidae ad tumulum mactata est Andromachae glos, *h. e.* Polyxena soror Hectoris, qui Andromachae maritus fuit. Addit *Non.* 19, 4. significare etiam uxorem fratris mei, quae saepius *fratria* appellatur: sed nullo id exemplo confirmat. ℙ In genit. facit *gloris*, ut dictum est. *Charis. l. c.* et *Prisc.* 6, 710.

GLOSSA, ae, f. *γλῶσσα*, Att. *γλῶττα*, lingua. Graeca vox est, et Graecis litteris scribenda. ℙ Metonymice accipitur pro sermone. Sed proprie glossae vocantur vocubula obscuriora, et minus usitata, quae interpretatione indigent, cujusmodi sunt ea, quae certae sunt dialecti propria, eoque aliena a lingua communi, unde et *ξενικὰ* dicuntur, quasi peregrina. *Quint.* 1, 1. *f.* Protinus enim potest interpretationem linguae secretioris, quas Graeci *γλώσσας* vocant, dum aliud agitur, ediscere. *Auson. ep.* 127. Latine habet. ℙ Accipitur etiam pro interpretatione, seu explicatione eorum, quae ab aliis obscure scripta fuere, quia vice linguae, *h. e.* vice doctoris fungitur. Hinc *Glossae Phil.*, *Isid.*, etc.

GLOSSARIUM, ii, n. *λεξικὸν*, liber, in quo glossae, *h. e.* vocabula obscuriora explanantur. V. v. praec. *Gell.* 18, 7. Vos, philosophi, mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria: namque colligitis lexidia, etc.

GLOSSEMA, ătis, n. *γλώσσημα*, est vox occultior, abstrusior, et minus usitata, quae interpretatione eget, quales sunt voces aliquot in tragoediis, heroicis versibus, et simili genere gravioris poematis. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* exponens *Ennii* versum, *Coelitum Camilla exspectata advenis*, Camillam, qui glossemata interpretati, dixerunt administram. *Quint.* 1, 8. Circa glossemata etiam, idest voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est. *Asin. Gall.* ap. *Suet. Gramm.* 22. Qui caput ad laevam deicit, glossemata nobis Praecipit: os nullum, vel potius pugilis! *Festus* in *Ocrem.* Ut Athejus philologus in libro Glossematorum refert.

[GLOSSEMATICUS, a, um, adj. ad glossema pertinens. *Diom.* 2, 434. Glossematicum locutionum genus. *F.*]

GLOSSOPETRA, ae, f. gemmae species linguae humanae similis, quam magi credunt non nasci in terra, sed deficiente luna coelo decidere, ea lunares motus excitari, ventos comprimi, illam memoriae prodesse etc., a *γλῶσσα*, lingua, et *πέτρα*, lapis. *Plin.* 37, 10, 59., *Solin.* 37. *med.*

GLOSSULA, ae, f. brevis interpretatio. Legitur ap. *Diom.* 2, 421.

*GLOTA, ae, sinus Britanniae, hodie *the Firth of Clyde*. *Tac. G.* 23. *B. A.*

GLOTTIS, idis, f. ap. *Plin.* 10, 23, 33. est avis e genere coturnicum, a lingua praelonga, quam exserit. *Γλωττὶς* Graece parvam linguam significat.

GLUBO, is, a. 3. *ἀποδέρω*, proprie est corticem detrahere, arbores cortice denudare: a *γλύφω*, scalpo. *Cato R. R.* 33. Salictum suo tempore caedito, glubito, arcteque alligato, librum conservato. *Varr. R. R.* 1, 55. Melior est olea, quae digitis nudis legitur, quam quae cum digitalibus: durities enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit, et relinquit ad gelicidium retectos. ℙ Absolute. *Cato R. R.* 31. Quae materies semen non habebit, cum glubet, tempestiva erit, *h. e.* cum glubet se, et corticem deponere videbitur. Eadem habet 17., nisi quod pro *glubet* libri perperam habent *glubebit:* tanquam a *glubeo* sit. ℙ Significat etiam pellem detrahere, teste *Festo* in *Gluma*. Hinc obsceno sensu usus est *Catull.* 58, 5. de Lesbia: Glubit magnanimos Remi nepotes. Sunt tamen qui putant, hic *τὸ glubit* significare *spoliat bonis.* ℙ Praeteritum ex analogia est *glupsi*, supinum *gluptum:* unde *degluptus.* [*V. *Ruddim.* 1, 227.]

GLUCIDATUS. V. CLUCIDATUM, et CANDACUS.

*GLUDIS, is, f. herba quae et paeonia. *Appul. de herb.* 94. *B. A.*

GLUMA, ae, f. *ἔλυτρον*, folliculus, seu tunicula hordei, et aliorum frumentorum: a *glubo. Varr. R. R.* 1, 48. Granum dictum, quod est intimum solidum: gluma, qui est folliculus ejus: arista, quae, ut acus tenuis, longa eminet e gluma; et *mox.* Videtur etym. habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. *Festus:* Gluma hordei tunicula: dictum, quod glubatur id granum. ℙ Eodem vocabulo appellatur folliculus fici, quem edimus, teste *Varr. ib.*

GLUS, glutis, et glutinis, f. idem quod gluten. *Auson. Idyll. monosyll. per interrog.* 12, 10. Tergora dic clypeis accommoda quid faciat? glus. *Veg. Vet.* 3, 66. Glutis taurinae semuncia. *Paul. Petroc. Vit. S. Martini* 4, 104. siccati glute palati, *h. e.* viscosa saliva. [*Charis.* 1, 27. Feminini generis haec glos, gloris, glus, glutinis. Alii leg. *glus, glutis. F.*]

GLUT GLUT, vox exprimens sonum liquoris ex angusti oris vase exeuntis. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat.* 2, 405. Burm. Percutit et frangit vas, vinum defluit, ansa Stricta fuit, glut glut murmurat unda sonans. Credit glutonem se rusticus inde vocari.

GLUTEN, inis. n. et Glutinum, i, n. *κόλλα*, materia viscosa ac tenax, qua res conjunguntur. *Virg. G.* 4, 40. collectumque haec ipsa ad munera gluten; et 160. lento de cortice gluten. *Plin.* 16, 40, 79. Valvas in glutinis compage quadriennio fuisse. *August. C. D.* 15, 27. Gluten bituminis. *Varr.* ap. *Charis.* 1, 67. et 106. Glutinum ferunt Daedalum invenisse. *Sall. fragm. ib.* Quasi glutino adolescebant. *Plin.* 11, 39, 94. Boum coriis glutinum excoquitur taurorumque praecipue. *Id.* 28, 18, 74. et *Cels.* 5, 5. Glutinum taurinum. Hoc *Id. Cels.* 8, 7. vocat *fabrile gluten. Vitr.* 7, 10. Glutinum admiscere. [*Gargil.* (ed. *Ang. Ant. Scottio*) 4. *n.* 4. Arbores, quae gummi glutina excludunt. *F.*] ℙ Translate. *Prud. Cathem.* 9, 102. Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi. *Hieronym. ep.* 3. *n.* 3. Glutino caritatis haerens. ℙ *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 281. *glutine* in recto casu dixisse videtur. ℙ *Capell.* 3. p. 75. *gluten* masculini generis facit.

GLUTINAMENTUM, i, n. *κόλλησις*, compactio, conjunctio: item locus ipse glutinatus. *Plin.* 13, 12, 25. de chartis: Deprehenditur et lentigo oculis, sed mediis inserta glutinamentis taenia.

[GLUTINARIUS, ii, m. qui glutinum conficit. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. consol.* p. 106. P. Clodius P. L. Metrodorus glutinarius. Haec inscriptio optimae notae fortasse pertinet ad tempora P. Clodii a Milone interfecti. *F.*]

GLUTINATIO, onis, f. *κόλλησις*, actus glutinandi. Translate. *Cels.* 7, 27. *med.* Neque desperari debet solida glutinatio vulneris.

GLUTINATIVUS, a, um, adj. glutinandi vim habens. *Appul. Herb.* 72. Folia sunt virtutis glutinativae recentium vulnerum. Adde 77.

GLUTINATOR, oris, m. *κολλητὴς*, qui glutine conjungit. *Cic. Att.* 4, 4. Mittas de tuis librariolis duos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris. *Inscr.* ap. *Grut.* 594, 6. Mannio Stichio Tiberii Caesaris glutinatori. Erant *glutinatores*, qui glutinandis chartis dabant operam in confectione librorum: tum ipsorum terga exornantes: tum chartas chartis attexentes in longitudinem, ut volvi possent, et volumen efficere: tum denique plures tabellas, aut paginas conglutinantes, unde codex exsisteret. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 8, 68.

*GLUTINATORIUM, i, n. *Κολλητήριον. Gloss. Gr. Lat.* Intellige *medicamentum. B. A.*

GLUTINATORIUS, a, um, adj. glutinativus. *Theodor. Prisc. de Diaeta* 10. Glutinatariae virtutis esse.

GLUTINATUS, a, um, part. a *glutino*, glutino conjunctus, *Cels.* 7, 28. Inter se glutinatis naturalium oris, *h. e.* conjunctis, constrictis.

GLUTINEUS, a, um, adj. glutinosus. Translate. *Rutil. Itin.* 1, 610. de Harpyiis. Quae pede glutineo, quod tetigere, trahunt. V. PICRATUS.

GLUTINIUM, ii, n. glutinum. *Appul Trismeg.* p. 100. *Elmenhorst. Εἱμαρμένη*, et necessitas ambae sibi invicem individuo connexae sunt glutinio. Al. leg. *glutino.*

GLUTINO, as, a. 1. *κολλάω, συνάπτω*, conjungo, ferrumino. *Plin.* 22, 25, 60. Farina, qua chartae glutinantur. *Id.* 29, 3, 11. Ovi candidum admixtum calci vivae glutinat vitri fragmenta. ℙ Dicitur saepe de vulneribus, quae clauduntur. *Cels.* 7, 27. *f.* Si orae vulneris se glutinarunt. *Plin.* 25, 5, 19. Glutinare praecisos nervos. Et 23, 6, 35. Scoria additur emplastris, cicatricibus glutinandis. ℙ Part. *Glutinans* ap. *Cels.* 7, 4. *in.* Ei fibulae glutinantia medicamenta superdanda sunt.

GLUTINOSUS, a, um, adj. *κολλώδης*, tenax. *Colum. praef.* 1. *med.* In Asia, Mysiaque densa, etiam glutinosa terra maxime exuberat. *Id* 3, 11. *med.* Terra glutinosissima. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. Pus glutinosius et sanguine et sanie. *Id.* 2, 22. Caro glutinosa. *Id.* 6, 7. *n.* 5. Resina quam glutinosissima.

GLUTINUM. V. GLUTEN.

GLUTIO, is, ivi et ii, itum, a. 4. *γλύζω*, devoro: a verbo Graeco allato, vel a *glutus*, *i. Juvenal.* 4, 28. Quales tunc epulas ipsam glutisse putamus Induperatorem? *Plin.* 10, 12, 5. de corvis: Pessima eorum significatio, cum glutiunt vocem, velut strangulati. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *Maio*) 5. *ep.* 40. Micularum minimum cum vino destillatum gluttivi. *F.*] ℙ Scribitur et *gluttio.* [**Vet. Gloss.* Gluttit, *ἐγκάπτει. B. A.*]

[GLUTITUS, a, um, part. a *glutio;* deglutitus. Translate. *Tert. adv. Marc.* 2. *v.* 267. Christus clamans glutitam mortem. *F.*]

GLUTO, onis, m. gulosus: a *glutus*, *i. Isid. Orig.* 10. et *Festus* in *Ingluvies. Gloss. Philox.* Gluto: *λαίμαργος.* V. GLUT GLUT. ℙ Scribitur et *glutto.*

*GLUTTIO, is, i. q. glutio. V. GLUTIO. *B. A.*

GLUTTUS. V. GLUTUS.

*GLUTURINUS, i, m. ridiculum lurconis nomen ap. *Ammian.* 28, 4. *B. A.*

GLUTUS, a, um, unitus, bene subactus, cohaerens, instar eorum, quae glutino conjuncta sunt. *Cato R. R.* 45. Locus bipalio subactus, beneque glutus siet. Eadem verba habet *Plin.* 17, 18, 29. ℙ Pro *glutus*, quod et *gluttus* scribunt, dicitur etiam *glitus*, seu *glittus.* Hinc *Festus:* Glitis, subactis, laevibus, teneris.

GLUTUS, i, m. pars colli, qua cibus glutitur: a sono ficta vox. *Gloss. Philox.* Glutus, *βρόγχος. Pers.* 5, 112. gluto sorbere salivam. ℙ Scribitur et *gluttus.*

GLUVIA, ae, m. V. GUMIA.

[GLYCERA, ae, f. *γλυκερὰ*, dulcis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 752, 6. Actoriae Glycerae. *F.* ℙ **Glycĕra, ae*, vel Glycēre, es, f. (*γλυκερὰ*, i. e. dulcis), nomen puellis datum a dulcedine: ℙ quarum una, inventrix corollarum, memoratur *Plin.* 35, 11. ubi de Pausia pictore: Amavit in juventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Quo in loco *victricem* legi vult *Salm.* a *viendo* seu plectendo: *στεφανηπλόκος* enim fuit. ℙ Altera Horatii fuit amica. *Hor. od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius. Adde *od.* 3, 19, 28. collatis *od.* 1, 30, 2. et *od.* 33, 1. ℙ Tertia, amica Menandri. *Mart.* 14, 187. Nec Glycere, vere Thais amica fuit. Sensus est: Glycere erat Menandri poetae amica, quod ex Glyceres Graecis ad eum Epistolis, quae hodieque exstant, cognoscimus: Thais tamen ab eo sic in comoediis introducta frequenter et celebris reddita est, ut ipsa videatur, non Glycere, Menandri amica fuisse. Haec *Turneb. Adv.* 9, 24. *B. A.*]

*GLYCERIUM, i, f. puellae nomen apud Terentium in Andria. Verum nomen fuit Pasibula. *Ter. Andr.* 1, 1, 108. et 1, 5, 8. et 49. Mea Glycerium. *B. A.*

[GLYCERIUS, ii, m. *γλυκερὸς*, dulcis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 522, 2. Aurelius Glycerius. *F.*]

[GLYCEROS, ōtis, m. et f. vox composita ex *γλυκὺς*, dulcis, et *ἔρως*, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 690, 2. C. Julius Glyceros. Alia *ib.* 1349, 5. Glyceroti conjugi carissimae. *F.*]

[GLYCIA, ae, m. a *γλυκὺς*, dulcis. Est cogn. R. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. M. Claudius C. F. Glicia. Videtur ita esse sculptum pro *Glycia. F.*]

[GLYCO et Glycon, onis, m. *γλύκων*, a *γλυκὺς*, dulcis. Est cogn. R. frequentissimum, cujus plura exempla collegit *Fabrettus* in *Inscr.* p. 219. *F.* ℙ **Glycon*, vel Glyco, onis, m. *Γλύκων*, poeta insignis, a quo inventore Glyconium seu Glyconicum metrum nomen traxit. V. *Glyconium.* ℙ Item athleta insignis, vir robustissimus, et gladiatoria quadam totius corporis firmitate. *Hor. ep.* 1, 1, 30. Nec quia desperes invicti membra Glyconis. ℙ Fuit et Glycon, medicus Pansae apud Romanos. *Cic. ad Brut. Ep.* 6. Tibi Glycona, medicum Pansae, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus eum venisse in suspicionem Torquato de morte Pansae, custodirique ut parricidam. Ubi ed. *Ernest.* habet *Glaucona.* V. *Suet. Aug.* 11. De eo fortasse *Scribon. Larg. compos.* 106. et 107. *B. A.*]

[GLYCONIS, idis, f. dimin. a *γλύκων*, quod a *γλυκὺς*, dulcis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 5. Hoc jacet in tumulo secura Glyconis honesto. Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior usque. *F.*]

GLYCONIUM, seu Glyconicum metrum, certum genus est carminis, tribus constans pedibus, quorum primus spondeus est, choreus, vel iambus; alter, et tertius dactylus, ut illud *Hor. Od.* 2, 18, 1. *Non ebur, neque aureum*, quod affert exempli gratia *Diomed.* 3, 510., vel illud *Od.* 1, 15, 8. *Et regnum Priami vetus.* Dictum est a nomine inventoris, ut affirmat *Hephaest. de metr. et poem. c.* 10. *Μέτρον δὲ ἀκατάληκτον, τὸ καλούμενον Γλυκώνειον, αὐτοῦ τοῦ Γλύκωνος εὑρόντος αὐτό. Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* Dum metro quatitur chorda glyconio.

GLYCYMERIDES, um, f. plur. concharum genus a sapore dulci et minus salso dictum: *γλυκὺς* enim, dulcis. *Plin.* 32, 11, 53. *Macr. Sat.* 2, 9. *med.* Al. leg. *glycomerides.* V. CHAMAE.

GLYCYRRHIZA, ae, f. *γλυκύῤῥιζα*, herbae genus radice dulci: a *γλυκὺς*, dulcis, et *ῥίζα*, radix. Multa de ea *Plin.* 22, 9, 11., ubi et describit, ejusque usus in medicina enumerat. ℙ Dicitur et *Glycyrrhizon* ab eodem 11, 54, 119. a *Celso* vero 5, 23. Latina appellatione *radix dulcis.*

*GLYCYRRHIZITES, ae, m. *γλυκυῤῥιζίτης*, vinum glycyrrhiza conditum. *Colum.* 12, 35. *B. A.*

GLYCYSIDE, es, f. *γλυκυσίδη*, nomen paeoniae herbae acinos dulces habentis: a *γλυκὺς*, dulcis, et *σίδη*, malum Punicum. *Plin.* 25, 4, 10. et 27, 10, 60.

[GLYCYSIS, is, f. herba eadem ac glycyside. *Appul. Herb.* 64. Paeonia a Graecis appellatur pentorebon, aliis glycysis. *F.*]

[GLYPTĒ, es, f. γλυπτή, sculpta, et

GLYPTUS, i, m. γλυπτός, sculptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 6. *n.* 27. Publicia Glypte. Alia ap. *Grut.* 627, 5. C. Calpetanus C. L. Glyptus. *F.*]

G N

GNAEUS. V. CNAEUS.

GNAPHĂLĬON, ii, n. γναφάλιον, herba, quam alii chamaezelon vocant, cujus foliis albis mollibusque pro tomento utuntur, inquit *Plin.* 27, 10, 61.

GNĀRĪGĀVIT, significat ap. Livium (*Andronicum* intellige, aut *Laevium*) narravit. *Festus*, ubi *Voss.* mallet *gnaruravit.*

GNĀRĬTAS, atis, f. cognitio, notitia: a *gnarus. Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 367. Namque alii fiducia gnaritatis locorum in occultam fugam sparsi: alii globis eruptionem tentavere. *Ammian.* 16, 2. Juvante locorum gnaritate.

GNĀRŪISSĔ, narrasse. *Festus.*

GNĀRŪRIS, e, adj. idem quod *gnarus:* sed antiquum est. Cum accusativo, Graeco more, *Pl. Most.* 1, 2, 17. Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum. *Auson. ep.* 22, 19. Non cultor instans, non orator gnaruris. *Pl.* quoque *Poen. prol.* 46. Ad argumentum nunc vicissatim volo Remigrare, aeque ut mecum sitis gnarures. *Gloss. Philox.* Gnaruris, γνώριμος. ℙ Cum ablativo, et *in* praepositione. *Arnob.* 3, 113. In aliis alios perceptionibus gnarures. Alii minus recte leg. *gnariores.*

*GNĀRŪRO, as, a. 1. nosco. *Gloss. Philox.* Gnarurat, γνωρίζει. *B. A.*

GNĀRUS, a, um, adj. ἐπιστήμων, sciens, peritus. Volunt esse ab antiquo *gnaruris*, ut *Voss.* censet; vel a *narus*, ut *Cic. Or.* 47. significare videtur. *Id. ib.* 4. Periclem uberem et facundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiae maximum) quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. *Id. Brut.* 64. Sisenna gnarus reipublicae. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 700. loci. *Colum. praef.* 1. armorum et militiae. *Just.* 11, 7. artis. *Plin.* 9, 8, 9. temporis. Et 35, 55. Concha comprimit sese, operitque opes suas, gnara, propter illas se peti. *Colum.* 4, 25. Gnarus vinitor. [*Tac. *Agr.* 6. Gnarus sub Nerone temporum. *Hist.* 2, 29. Gnarus, civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere. Et *ib. c.* 65. animo anxius et petitum se criminationibus gnarus; et *c.* 83. gnarus modicas vires sibi; et 5, 19. gnarus deesse naves. Ita minus saepe alii c. accus. cum infin. *Liv.* 23, 28., 33, 5. *Plin. H. N.* 8, 56. et saepius. *Boettich. Lex. Tac.* p. 223.] ℙ Passive cognitus, [*apud unum Tacitum. Plura exempla habet *Boettich. Lex. Tac.* p. 223.] *Tac. A.* 1, 63. Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis. Et *ib.* 15, 61. Id nulli magis gnarum, quam Neroni.

GNATHO, onis, m. nomen parasiti ap. *Ter.* in *Eun.* a γνάθος, maxilla. Hinc de quovis parasito per antonomasiam dicitur. *Cic. Phil.* 2, 6. Dat natalicia in hortis: cui? putatote, eum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. Adde *Amic.* 25. et *Sid. ep.* 3, 13.

GNATHONĪCUS, a, um, adj. ad Gnathonem pertinens. *Ter. Eun.* 2, 2, 32. Tanquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.

GNĀTŪLĀ, ae, f. parva filia. *Accius* ap. *Non.* 4, 218. Infando homine gnatula erat. *Mercer.* et *Voss.* haec corrupta censent, et legenda: *Infando homini, gnato Laertae..*

GNĀTUS, a, um, part. a *nascor*, addito *g* per prothesin, γεννηθείς, natus. *Pl. Poen.* 5, 2, 187. Iterum mihi gnatus videor, quia te repperi. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 70. Fiat, ut rem gnatam video. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 7, 11. Qui summo genere gnatus erat. ℙ Gnatus, i, m. υἱός, natus; Gnata, ae, f. θυγάτηρ, nata: voces sunt frequentissimae in usu familiari, quas saepissime habet *Plautus*, *Terentiusque:* item ter, aut quater *Hor.* in *Sat.* 2, 3. et 5. *l.* 2. et *Ov. l.* 7. et 13. *Met.* Quidam tribuunt etiam *Cic. Planc.* 24. Quamquam ad praecepta aetas non est gnati, etc., sed ea lectio certa non est; et praeterea illa verba veteris cujuspiam poetae esse videntur.

GNĀVĔ, adv. naviter. Quidam legunt ap. *Sall. Jug.* 79. *f.* Imperata gnave fecerant. Alii leg. *navi*, alii *nave.* Et ap. *Vell.* 2, 125. Ut pleraque gnave Germanicus. [Alii melius leg. *ignovit. F.* *Quid hoc sibi velit, equidem non intelligo. Vulg. hujus loci lectio est *ignave*, quae, licet *Casaub.* ad *Suet. Cal.* 1. et *Gron.* ad *Tac. Agr.* 27. in fraudem induxerit, ferri quidem nullo modo posse videtur. V. *Boecler.* ad h. l. et *Dodwell. Annal. Vellej.* §. 19. et qui haec laudat *Ruhnk.*]

GNĀVĪTAS, atis, f. diligentia, studium. *Arnob.* 1, 3. Gnavitas studiosa.

GNĀVĪTER, adv. naviter. *Hor. Ep.* 1, 1, 24. quae spem, Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod, etc. [*Liv. 10, 39. Gnaviter pugnare; et 30, 4. gnaviter bellum gerere. ℙ Ap. *Lucr.* 1, 526. Quoniam nec plenum gnaviter exstat: *Eichstadt.* in *ind.* s. h. v. explicat per *plene.*]

GNĀVO, as, a. 1. pro *navo*, *as*, legitur in quibusdam libr. ap. *Cic. Or.* 2, 7. et *Val. Fl.* 3, 145.

GNĀVUS, a, um, adj. navus, strenuus, promptus. V. NAVUS. [**Döderl.* 1, 124. docet: *gnavus* a *geno* eodem modo factum quo *pravus* a *per*, *cadaver*, *cadivus* a *cado* et γενναῖος a γεννάω, proprie esse i. q. *natus*; tum, sensu praegnante, *bono loco natus* = *generosus;* unde latius significatione pateat et fortiorem, quam diligentiae, assiduitatis notionem involvat.] *Hor. Ep.* 1, 18, 89. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi, Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi. Et *ib.* 6, 20. Gnavus mane forum, et vespertinus pete tectum. *Cic. Man.* 7. Homines gnavi, et industrii.

GNEPHOSUS et Cnephosus, obscurus: a κνέφας, tenebrae. *Fest.*

[GNĒSĬĀ, ae, f. γνησία, legitime genita, et

GNĒSĬUS, ii, m. γνήσιος, legitime genitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 818, 2. Pontia Gnesia. Alia ap. *Fabr.* p. 243. *n.* 667. Vettius Gnesius. *F.*]

GNĒTUM, i, n. herba, cujus semen coagulandi lactis vim habet, ap. *Col.* 7, 8., si modo eo loco verba mendo carent. Fortasse enim pro *seminibus gneti* legendum est *gneci*, aut *cneci:* quia κνήκω eandem coagulandi virtutem *Dioscorides* tribuit *l.* 4. *c.* 190.

GNEUS. V. CNAEUS.

*GNIDE, piscis genus, Latinis urtica. *Plin.* 31, 11. Alii scribunt *cnide*, quod V. *B. A.*

GNĬDĬUS, a, um, adj. Κνίδιος, ad Gnidum pertinens urbem Doridis in Caria, in promontorio, quod nunc *Capo Crio* dicitur. *Hor. Od.* 2, 5, 19. Ut pura nocturno renidet Luna mari, Gnidiusque Gyges. *Plin.* 13, 21, 35. Gnidium granum. V. COCCUM. *Auson. ep.* 4, 74. Cadmi nigellas filias, Melonis albam filiam, Notasque furvae sepiae, Gnidiosque nodos prodidit, *h. e.* scriptorios calamos, qui optimi ex Gnidiis arundinibus fiebant, ut *Plin.* 16, 36, 64. docet. *Id. ep.* 7, 50. Nec jam fissipedis per calami vias Grassetur Gnidiae sulcus arundinis, Pingens aridulae subdita paginae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. Gnidia Venus, *h. e.* quam Gnidiis Praxiteles fecit e marmore: quo opere et ipse, et Gnidus nobilitata est. Ipsa quoque Venus ob id in ea urbe maxime culta fuit: unde *Hor. Od.* 1, 30, 1. O Venus regina Gnidi, Paphique. ℙ *Gnidii, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. ℙ Scribitur etiam *Cnidius* et *Cnidus*, quia et Graece per K.

GNĬDUS. V. v. praec.

*GNIPHO, onis, m. cogn. R., ut M. Antonius Gnipho, Gallus, grammaticus et rhetor insignis temporibus Ciceronis. *Suet. Gramm.* 7 et 8. *Macr. Sat.* 3, 12. *Quint.* 1, 6. *B. A.*

GNĪTUS et Gnixus a genibus prisci dixerunt. *Fest.*

GNOBĬLIS, e, adj. idem quod nobilis, apud veteres. *Festus:* Nobilem antiqui pro noto ponebant, et quidem per *G* litteram. *Accius ib.* Ego me Argos referam: nam hic sum gnobilis. *Liv. Andron. ib.* Ornamento incedunt gnobili.

[GNOMĒ, es, f. adagium, sententia, quae quid utile in vita sit, breviter ostendit. *Front. ad M. Caes.* 3. (ed. *A. Maio*) *ep.* 11. Pro gratia mihi fuit, quod tu gnomas egregie convertisti. Et *mox.* Bis et ter eandem convertito ita, ut fecisti in illa gnome brevicula. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 959, 4. Aelia P. L. Gnome. *F.*]

GNOMON, onis, m. γνώμων, stilus, ex cujus umbra horae diei cognoscuntur in sole: a γινώσκω, cognosco. *Plin.* 2, 72, 74. Umbilici, quem gnomonem appellant, umbra in Aegypto, meridiano tempore, aequinoctii die, paulo plus, quam dimidiam gnomonis mensuram efficit. *Vitr.* 1, 6. Supra ejus loci centrum medium collocetur aeneus gnomon, indagator umbrae, qui Graece σκιαθήρας dicitur. Adde 9, 8. et *Capell.* 6, 194.

GNOMONĪCE, es, et Gnomonica, ae, f. γνωμονική, pars architecturae, quae in solis umbris indagandis, et horologiis solaribus conficiendis versatur. *Vitr.* 1, 3. Partes architecturae sunt tres, aedificatio, gnomonice, machinatio. *Gell.* 1, 9 Geometriam, et gnomonicam, musicam, ceterasque item disciplinas altiores, μαθήματα veteres Graeci appellabant. *Plin.* 2, 76, 78. Umbrarum hanc rationem, et quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius.

GNOMONĪCUS, a, um, adj. γνωμονικός, ad gnomonem, et gnomonicen pertinens. *Vitr.* 9, 3. *extr.* In hoc volumine de gnomonicis rationibus, quemadmodum eae radiis solis in mundo sunt per umbram gnomonis inventae, explicabo. *Id.* 1, 1. *f.* Qui multas res organicas, et gnomonicas posteris reliquerunt. ℙ *Gnomonici, orum*, sunt gnomonicae periti. *Solin.* 37. Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt.

[GNORĪMUS, i, m. γνώριμος, notus, familiaris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mar. Iscriz. Alb.* p. 207. Claudius Gnorimus. *F.*]

GNOSCO, is, a. 3. nosco, cognosco: a γνόω. *Caecil.* ap. *Diom.* 1, 378., et *Varro*, de quo V. IGNOSCO. Hinc *gnotu*, cognitu.

GNOSĬĀCUS et Gnossiacus, a, um, adj. ad Gnoson pertinens, Cretensis. *Ov. Met.* 9, 668. Gnosiacum regnum. Et *ib.* 8, 52. Gnosiacus rex, *h. e.* Minos rex Cretae.

GNOSĬĀS et Gnossias, ădis, f. Gnosia, Cretensis. *Ov. A. Am.* 1, 293. Illum Gnosiadesque, Cydoneaeque juvencae Optarunt. *Id. ib.* 556. Pone metum: Bacchi, Gnosias, uxor eris, *h. e.* Ariadna filia Minois regis Cretae.

GNOSĬS et Gnossis, ĭdis, f. patronym. a Gnosso, h. e. Ariadna, quae filia fuit Minois regis Cretae. *Ov. Her.* 15, 25. Et Phoebus Daphnen, et Gnosida Bacchus amavit. *Id. A. Am.* 1, 527. Gnosis in ignotis amens errabat arenis. Et *ib.* 3, 157. Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euoe, Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos. *Stat. Th.* 12, 657. absumpto pallentem Gnosida filo. Adde *Silv.* 5, 1, 232. ℙ Adjective. *Ov. Fast.* 3, 459. Protinus aspicies venienti nocte coronam Gnosida.

GNOSĬUS et Gnossius, a, um, adj. ad Gnoson, seu Gnosson pertinens, quae urbs est Cretae, apud Idam montem, in qua olim Minois regia fuit. *Plin.* 7, 37, 38. Ctesiphon Gnosius. *Id. ib.* 48, 49. Epimenides Gnossius. ℙ Latiore sensu pro Cretensi. *Virg. A.* 3, 115. Placemus ventos, et Gnossia regna petamus. *Id. G.* 1, 222. Gnossia stella Coronae, *h. e.* Ariadnae Minois Cretensium regis filiae: quae a *Col.* dicitur 10, 52. Bacchi Gnosius ardor. ℙ *Gnosia, ae*, f. absolute est Ariadna. *Prop.* 1, 3, 1. Qualis Thesea, jacuit, cedente carina Languida desertis Gnosia litoribus. ℙ Legitur et *Cnosius*, quia etiam Graece Κνωσσὸς et Γνωσσός.

GNOSTĪCI, haeretici altero post Christum saeculo, qui in rebus divinis τελείαν γνῶσιν, perfectam intelligentiam sibi arrogabant, dicere soliti (ut Origenes Celso exprobrat), Omnia novimus. *Augustde Haesib. n.* 6.

[GNOSTUS, i, m. γνωστὸς, cognitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 438. *n.* 39. L. Servilius Gnostus. *F.*]

GNOSUS, a, um, adj. Gnosius. *Lucan.* 3, 185. Creta vetus populis, Gnosasque agitare pharetras Docta, nec Eöis pejor Gortyna sagittis. Alii rectius leg. *Gnososque*, ita ut sit nominat. singularis Graeca positione pro *Gnosusque.* [*V. *Cort.* ad h. l. et *Mart. Lag.* in ed. *Web.*]

GNOTUS, a, um, part. a *gnosco*, notus. *Prisc.* 2, 569. Sic gnotu, cognitu. *Festus.*

G O

[GŌAS, ae, m. a γόας Dorice pro γόης, incantator, praestigiator. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 52, 7. M. Licinius Goas. *F.*]

*GOBANNĬUM, i, n. opp. Britanniae. *Ant. Itin.* Hodie est *Abergavenny. B. A.*

GOBĬUS, ii, m. et Gobio, onis, m. κωβιός, genus piscis. *Ov. Hal.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. *Mart.* 13, 88. Principium coenae gobius esse solet. *Juven.* 11, 37. cum sit tibi gobio tantum In loculis. *Plin.* 9, 57, 53. Capita eorum esse ranae similia, reliquas partes gobiorum; et paulo post. Apprehendi glacie gobiones. *Auson. Idyll.* 10, 131. Tu quoque flumineas inter memorande cohortes Gobio, non major geminis sine pollice palmis, Praepinguis, teres, ovipara congestior alvo, Propexique jubas imitatus, gobio, barbi. ℙ Legitur et *cobio* ap. *Plin.* 32, 11, 53.

*GOBOEA, ae, f. Arabiae portus. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*GOGARI, orum, m. populi Asiae, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. ed. *Hard. B. A.*

*GOGIAREI, orum, m. Indiae populi. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

GOLGI, orum, m. plur. urbs Cypri, Veneri sacra. *Catull.* 36, 14. et 64, 96. et *Plin.* 5, 31, 35.

*GOMOR, indecl. mensura Hebraeorum. *Vulgat. Exod.* 16, 36. Cf. *Isid. Orig.* 14, 25. *B. A.*

GOMORRHAEUS, a, um, adj. ad Gomorrham pertinens, quae urbs est Judaeae in ora lacus Asphaltitis, de coelo tacta una cum Sodomis, ac deleta. (*Gomorrhum* etiam dicitur. *Tert. Apol.* 40. et *Solin.* 35.) *Prud. Hamart.* 844. Quique Gomorrhaeas non respexere ruinas.

[GOMPHENSIS, e, adj. ad Gomphos pertinens, urbem mediterraneam Thessaliae. ℙ *Gomphenses, ium*, sunt incolae illius urbis. *Caes. B. C.* 3, 80. et 81. *F.*]

GOMPHUS, i, m. γόμφος, vox Graeca clavum, aliudve hujusmodi ligneum vinculum significans. *Tert. Apol.* 12. Cervices ponimus ante plumbum, et glutinum, et gomphos. ℙ In viis publicis *gomphi*, Italice *perni*, appellabantur lapides, qui ceteris longiores, depressioresque identidem rotundo capite eminebant, et marginibus sive umbonibus tamquam clavi infixi eosdem solidabant. *Stat. Silv.* 4, 3, 47. Tunc umbonibus hinc et hinc coactis, Et crebris iter alligare gomphis.

*GONARCHE, es, f. horologii solaris genus ap. *Vitr.* 9, 9. de quo nihil praeterea traditur. *B. A.*

*GONGER, gri, m. piscis. *Plin.* 22, 11. inter

marinos refert. G in prima syllaba poscit ordo elementaris, quem ibi sequitur. Alii *Conger* vel *Congrus*. V. *B. A.*

GONGYLIS, ĭdis, f. *γογγυλίς*, rapum: a *γογγύλος*, rotundus. *Col.* 10, 221. Gongylis, illustri mittit quam Nursia campo. ℙ Scribitur et *Congylis*.

*GONIAEA, ae, f. gemma quaedam, de qua *Plin.* 37, 10. ed. *Hard.* Antea *genianem* legebatur. *B. A.*

*GONNI, orum, *Γόννοι*, opp. Thessaliae, in Pelasgiotide, prope Tempe vallis aditum. *Liv.* 33, 10. ℙ *Gonnus* audit *Liv.* 44, 6. *B. A.*

*GONNOCONDYLUM, i, n. opp. Thessaliae, postea a Philippo rege Olympias nominatum. *Liv.* 38, 25. *B. A.*

GONORRHOEA, ae, f. *γονόῤῥοια*, involuntaria, et vitiosa seminis profusio: a *γονή*, genitura, et *ῥέω*, fluo. *Firmic. Math.* 3, 7. *n.* 8.

*GOPHNITICA (sc. *regio*, *terra*) dicta est a Gophna Judaeae opp. ibi sito. *Plin.* 5, 14. *B. A.*

*GOPHOA, opp. Aethiopiae, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[GORA, ae, m. canalis, fossa manufacta. V. *Ducang.* in *Gloss. med. et inf. Latinit.* in V. *Gora.* Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 305. *tab.* C. Gora atriensis. *F.*] ℙ **Gora*, oppidi nomen quod in insula quadam fuit Aethiopiae, sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*GORDAEUS, a, um, adj. ut *montes Gordaei* vel *Gordiaei*, qui in Armenia majore. *Curt.* 4, 10. *Gordyaei montes* audiunt *Plin.* 6, 11. ℙ Non displicet explicatio, quod montes Gordyaei et Taurus cohaereant, vel illi sint pars ipsius Tauri. Sic enim recepta sententia, Gordyaeos esse montes *Ararat*, in quibus Noae arca consederit, adprime confirmatur, quia descendens cum suis Noah, in Mesopotamiam proxime venit, quae utique sedes prima patriarcharum fuit. *Ararat* autem ad Armeniam pertinere, magna plurimorum est in omni antiquitate consensio. Haec *Cellarius.* ℙ Circumjacens regio Gordene, Gordyaea, vel Gordyene, appellata est. *B. A.*

*GORDIĀNI vel GORDIĒNI, orum, m. populi Armeniae. *Curt.* 5, 1. *B. A.*

GORDIĀNUS, i, m. nomen viri proprium, et praesertim trium R. imperatorum, quorum vitas scripsit *Julius Capitolinus.* ℙ Adjective legiones *Gordianae* sunt appellatae, quia ab aliquo ex Gordianis imperatoribus institutae, vel honoribus et titulis decoratae, vel eidem praecipue fideles et devotae fuerunt, quas quidem, Gordianis e medio sublatis, ut novos principes iis inimicos adularentur, Gordianarum nominibus abjectis, alia pro ratione temporum assumpsisse vero simile est. Hinc in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 3. *n.* 48. Leg. II. Adjut. P. F. Gordiana, ap. *Grut.* 53, 10. Leg. III. Ital. F. Gordiana, et 433, 1. *Leg.* X. Gem. Gordiana, et 80, 1. *Leg.* XIII. G. Gordiana. [*Multa ex his addidit F.]

*GORDITĀNUM PROMONTORIUM in Sardinia fuit, ad latus occidentale. *Plin.* 3, 7. Hodie (ait *Cluv.*) est *Capo di monte Falcone* et *Capo di Argentera. B. A.*

*GORDIUCOME, es, f. *Γορδίου κώμη*, opp. Bithyniae, postea Juliopolis nominatum. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*GORDIUM, i, n. *Γόρδιον*, *Γορδίειον*, Phrygiae majoris opp., ad Sangarium amnem, ubi Gordius regnavit. *Curt.* 3, 1. *Liv.* 38, 18. *Plin.* 5, 32. ℙ *Gordie* audit *Just.* 11, 7. in quibusdam edd. sed *Gordium* habent edd. *Graev.* et *Gron. B. A.*

GORDIUS, ii, m. Phrygiae rex fuit, genere rusticus, et ignobilis. Cum Phryges de rege creando oracula consulerent, admoniti sunt, eum regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. Obvius illis Gordius fuit, qui ad arandum conductis bubus mane properabat; statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quod sibi ducenti, regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum majestati regiae consecravit. In loris illius plaustri erat nodus adeo perplexus, ut indissolubilis putaretur. Oracula cecinerunt, si quis nexum Gordii solvisset, eum tota Asia regnaturum. Aliquot post saeculis Alexander M., capta urbe, cum in templum Jovis venisset, jugum plaustri requisivit, quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo usus, gladio loramenta caedit, atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita invenit. *Just.* 11, 7. *Curt.* 3, 1. ℙ [*Arrian.* tamen *Exped. Alex. M.* 2, 4. narrat ex Aristobulo, Alexandrum exempto paxillo ligneo, qui per medium temonem trajectus vinculoque adstrictus erat, jugum temoni detraxisse. Idem fere habet *vet. Schol.* ad *Eurip. Hipp. v.* 666., qui jugum temoni fuisse sarmento junctum, affirmat. *F.*]

*GORDIUTICHOS, *Γορδίου τεῖχος*, opp. Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 13. *B. A.*

*GORDŪNI, orum, populi Galliae Belgicae. *Caes. B. G.* 5, 39. ℙ Clientes fuerunt Nerviorum. *B. A.*

*GORDYNĬA, ae, f. *Γορδύνια*, opp. Macedoniae, in Emathia, *Gordyniae, arum*, dictum *Plin.* 4, 10. *B. A.*

*GORGAS, adis, sc. insula, et plur. Gorgades, um, sc. insulae, prope Aethiopiam. *Mela* 3, 9. *extr.* Has incoluisse dicuntur Gorgones, monstrosa gens. *Plin.* 6, 31. V. *Salmas.* ad *Solin.* p. 1296. *B. A.*

[GORGĒ, es, f. *Γοργή*, filia Oenei, et Althaeae, soror Meleagri, et Deianirae. *Ov. Met.* 8, 542. et *Her.* 9, 165., et *Hyg. fab.* 174. V. GORGUS. *F.*]

*GORGĪAS, ae, m. *Γοργίας*, Leontinus philosophus, Empedoclis discipulus, Isocratis autem et aliorum philosophorum ac rhetorum praeceptor. Primus in conventu ausus est poscere, qua de re quisque vellet audire; ac de omni re, quaecumque in disputationem ac quaestionem vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitebatur. Is instituit orationem extemporalem, et declamationes exercitationis causa. Gorgiae (dicta sunt *Ciceronis*) tantus honos est habitus a Graecia, soli ut ex omnibus, Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Ad Athenienses cum Tisia missus, auxilia contra Syracusanos impetravit. Obiit anno aetatis 108. Ab hoc nomen habet Platonis dialogus contra sophistas *Cic. de Inv.* 1, 5. *Or.* 1, 11 et 22. 3, 32. *Fin.* 2, 1. *Or.* 52. cet. *Brut.* 12. *Senect.* 13. *Quint.* 3, 1. et al. ℙ Gorgiae orationes exstant in Aldina editione Graecorum Oratorum. ℙ Fuit et Gorgias insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Item rhetor, quo M. Cicero fil. Athenis initio usus est, sed paulo post, jussu patris, dimisit. *Cic. Fam.* 16, 21. V. de eo *Ruhnk. praef.* ad *Rutil. Lup. libros de figuris* p. X. nam ii sunt e Graecis Gorgiae hujus *συντόμως* expressi. ℙ Et nomen pedissequi. *Cic. Her.* 4, 52. *B. A.*

*GORGIS, idis, f. uxor Andraemonis, mater Thoantis. *Hyg. fab.* 97. Eadem est quae et *Gorge* dicta. V. *Gorge. B. A.*

GORGONA, ae, f. eadem ac Gorgon, onis. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 278. Tremant venenum sibilantis Gorgonae.

GORGŌNES, um, f. plur. *Γόργονες*, Phorci filiae, *Medusa*, *Sthenyo*, et *Euryale*, (alii quartam addunt *Scyllam*) quae Gorgonas insulas in oceano Atlantico sitas habitasse dicuntur, contra Hesperidum hortos. Dictae sunt a *γοργών*, quod est animal noxium in Africa. Poetae fabulantur, omnes unum oculum habuisse, quo invicem uterentur, et terribiles fuisse oris deformitate, et crinibus serpentinis, quas qui vidissent, verterentur in lapidem. Aliqui interpretantur, puellas fuisse unius pulchritudinis, quas cum aspicerent adolescentes, stupore torpebant: regnavisse autem in insulis, quae serpentibus abundarent. Alii feminas fuisse in Africa bellicosas, adversus quas Perseus bellum gesserit, et earum reginam Medusam debellaverit, ac interfecerit. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus. ℙ In singul. num. est *Gorgon, onis. Mart.* 9, 26. Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon Porrigat. Adde *Val. Fl.* 3, 54. ubi al. leg. *Gorgo* in recto casu. *Sidon.* quoque *carm.* 15, 7. Gorgo tenet pectus medium. ℙ Adjective. *Ov. Trist.* 4, 7, 11. ora Medusae Gorgonis anguineis cincta fuisse comis. ℙ Gorgonis caput a Perseo desectum in scuto Pallas gestare dicitur, eoque terrere homines, atque in lapidem vertere. *Virg. A.* 2, 616. et *ib.* 8, 438., *Val. Fl.* 4, 605. et *Ov. Met.* 4. *f.* quod significat, esse in eo Numine omnem prudentiam, quae confundit alios, et imperitos ac saxeos comprobat, ut ait *Serv.* ad *cit. A.* 8.

GORGŌNĔUS, a, um, adj. ad Gorgones pertinens, *Γοργεῖος*, *Γοργόνιος*. *Ov. A. Am.* 3, 504. Lumina Gorgoneo saevius igne micant. *Id. Met.* 4, 800. Gorgoneus crinis. *Virg. A.* 7, 341. Gorgoneis Alecto infecta venenis, *h. e.* pessimis, saevis, inquit *Servius. Prop.* 3, 2, 32. Gorgoneus lacus, *h. e.* lacus fontis Pegasci, quem Pegasus ictu pedis elicuisse dicitur: Pegasus, inquam, quo vectus Perseus Gorgonas vicit: unde *Gorgoneus equus* ab *Ov. Fast.* 3, 450. vocatur, itemque a *Stat. Th.* 4, 61.

GORGŌNĬA, ae, f. *γοργονία*, corallium, a gen. *γόργονος*, quod e sanguine Medusae Gorgonis natum sit, vel quia ex aquis exemptum protinus in duritiem lapidis convertitur, quemadmodum illi, qui Gorgonas aspexerant. *Plin.* 37, 10, 59.

[GORGŌNĬCE, es, f. ad Gorgonem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 597, 6. Claudiae Ti. Fil. Gorgonice. *F.*]

GORGŌNĬFER, a, um, adj. *Γοργονιφόρος*, Gorgonem ferens. Est epitheton Persei in *Inscr.* ap. *Gud.* 56, 8. Perseo Gorgonifero invicto M. Aurelius Priscillianus vir clarissimus D. D.

*GORGŌNĬUS, ii, m. cogn. R. hominis male olentis. *Hor. Sat.* 1, 2, 20. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. *B. A.*

[GORGUS, i, m. et Gorgē, es, f. *γοργὸς* et *γοργή*, terribilis. Est cogn. R In *Dig.* 48, 5, 2. §. 6. Claudius Gorgus vir clarissimus. *Inscr.* ap. *Mur.* 1423, 8. Julia Gorge. V. GORGE. *F.*]

*GORNĒAE, arum, castellum Armeniae. *Tac. A.* 12, 45. *B. A.*

GORTYNA, ae, et Gortyne, es, f. *Γορτύνη*, urbs Cretae mediterranea. *Sen. Troad.* 821. et *Plin.* 4, 12, 20. *Lucan.* 3, 185. Gnososque agitare phare-tras Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 61. tradit, apud hanc urbem aliquando Solis armenta fuisse. ℙ Item opp. Arcadiae in Graecia. *Plin. ib.* 6, 10. ℙ Reperitur etiam Gortyn, ynis, *Γορτὺν*, ut videtur in illo *Val. Fl.* 1, 708. visu lassatur inani Omnis eques, plenisque redit Gortyna pharetris.

GORTYNĬA, ae, f. eadem quae Gortyna. *Varr. R. R.* 1, 7., ubi alii *Cortynia.*

GORTYNĬACUS, a, um, adj. Gortynius. *Ov. Met.* 7, 778. Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

GORTYNIS, idis, f. *Γορτυνίς*, Gortynia. *Luc.* 6, 214. Gortynis arundo, *h. e.* Cretensis.

GORTYNĬUS, a, um, adj. *Γορτύνιος*, ad Gortynam urbem pertinens: et ponitur interdum universim pro Cretensi. *Virg. Ecl.* 6, 61. Gortynia stabula. V. GORTYNA. *Id. A.* 11, 773. Gortynia spicula. *Varius* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Gortynia canis. *Cic. Phil.* 5, 5. Gortynius judex. Et *Virg. Cir.* 114. heros. Et *Stat. Th.* 4, 530. arbiter, *h. e.* Minos Cretensis. *Auson. Idyll.* 10, 300. aliger, *h. e.* Daedalus. ℙ *Gortynii, orum*, sunt Gortynae incolae. *Liv.* 37, 60. ℙ Legitur et *Cortynius.*

GOSSIMPĪNOS, seu Gossympinos, seu Gossampinos, tradit *Plin.* 12, 10, 21., vocari ab incolis arbores quasdam in Tylo insula sinus Persici, ferentes cotonei mali amplitudine cucurbitas, quae maturitate ruptae ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. [**Baumwollenstaude, Gossypium arboreum. L.*]

GOSSIPĪON, ii, n. genus est parvi fruticis, in superiore parte Aegypti Arabiam versus, qui similem barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec ulla sunt eis linis candore, mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae. Haec ex *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3., unde illud praeterea colligitur, vocem ipsam non esse Latinam, sed, ut ostendit *Forsterus de byss. ant.* p. 72., ex tribus vocabulis Aegyptiis compositam, quae *sepulcri arborem byssinam* significant: eo enim praecipue utebantur Aegyptii ad fascias involvendis cadaveribus conficiendas. V. BYSSUS.

GOTHI, orum, m. pl. *Γόθοι*, et *Γόνθοι*, immanissimi fuerunt populi, quorum antiquae fuere sedes in Dania, Suecia, et Germaniae parte septentrionali; inde egressi in Pannoniam, Moesiam, et Daciam, et tandem in ipsam Italiam, Galliam Narbonensem, et Hispaniam, acerrimis bellis afflixere populos, plurimasque urbes clarissimas devastarunt. *Auson. epigr.* 3. *extr.* Huc possem victos inde referre Gothos. ℙ Prima syllaba perperam producitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 161, 2. Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes. Alii rectius leg. *gentes.* Haec inscriptio, quae ad an. a Chr. n. DLXV. pertinet, paene nullius est in prosodia auctoritatis. ℙ *Dicti et *Gothones* et *Guttones*, et *Gothini.* V. *B. A.*

GOTHIA, ae, f. Gothorum regio, aut natio. *Ammian.* 30, 2. Rem Romanam alius circumstetera t metus totius Gothiae.

GOTHĪCUS, a, um, adj. ad Gothos pertinens. *Gothicus* est cognominatus M. Aurelius Claudius Aug., in nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 472.; et L. Domitius Aurelianus Aug. in *Inscr.* ap. *Grut.* 276, 4., ob reportatam de Gothis victoriam. [*Trebell.* in *XXX. tyrann.* 30. Gothicum bellum. *F.*]

GOTHĪNI, orum, m. plur. pop. Germaniae, cujus eam partem incolunt, quae nunc *Slesia* dicitur. *Tac. G.* 43., ubi alii *Gothones, Guttones*, etc. Sunt autem iidem, qui *Gothi*, et *Gothyni*, varias scilicet appellationes pro variis, quas insederunt, regionibus sortiti.

*GOTHŌNES, um, populi Germaniae, Lygios inter et Lemovicos, a sinistra Vistulae parte, ad mare Balticum. *Tac. G.* 43. ℙ *Gotones* audiunt *Tac. A.* 2, 62. et *Guttones Plin.* 4, 14. et 37, 2. ℙ *Cluverius* contendit hos Gothones vel Guttones esse ipsos Gothos vel Gotthos, quorum posteri per imperii Romani provincias se effuderint, nec illarum modo plures, sed ipsam quoque Italiam aliquamdiu possederint, divisi in Ostrogothos et Vesigothos, hoc est in orientales et occidentales: usique forma gemina vocabuli, *Gothi* et *Gothones*, sicuti iidem dicantur Franci et Francones, Burgundi et Burgundiones. *B. A.*

GOTHYNI, orum, m. plur. pop. Sarmatiae Europaeae, ex Gothis et Hunnis commixti. *Claud. IV. Cons. Honor.* 622. Ausi Danubium quondam tranare Gothyni. *Id. in Eutr.* 2, 153. Ostrogothis colitur, mistisque Gothynis Phryx ager. In quibusdam editionibus legitur *Gruthungi:* sed iidem sunt: item *Gothuni:* sed haec lectio est eorum, qui Latinorum morem secuti *y* in *u* vertunt. *Adde *Ammian.* 27, 11. et 31, 8. *B. A.*

G R

*GRABAEI, orum, m. pop. Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. si lectio certa. *B. A.*

GRĂBĂTĀRĬUS, ii, m. grabatorum artifex.

Gloss. Philox. Grabataris (lege *grabatarius*) *χλανοποιός. B. A.*

GRĂBĂTŬLUS, i, m. parvus grabatus. *Appul. Met.* 1. Grabatulus alioqui breviculus, et uno pede mutilus, ac putris. *Id. ib.* pluries.

GRĂBĂTUS, i, m. *κράβατος*, vox Graeca, qua significatur lectus exiguus, humilis, vilisque (ut sunt pauperiorum lectuli) atque etiam mobilis. *Cic. Div.* 2, 63. Deosne immortales, rerum omnium praestantia excellentes, concursare omnium mortalium non modo lectos, verum etiam grabatos, et cum stertentes aliquos viderint, etc? *Mart.* 6, 39. Sed in grabatis tegetibusque concepti, Materna produnt capitibus suis furta. *Id.* 12, 32. Ibat tripes grabatus, et bipes mensa. *Virg. Mor.* 5. Membra levat sensim vili demissa grabato. Adde *Senec. ep.* 18. et 20. ℙ Non pauperiorum tamen, seu ditiorum est *grabatus argento inaurato tectus*, memoratus a *Scaevola Dig.* 33, 7, 20. *f.* ℙ Hujusmodi lectos funibus, seu institis tentos fuisse, colligimus ex illo *Lucil.* ap. *Non.* 2, 868. Tres a Deucalione grabati restibu' tenti. Adde *Petr. Sat.* 97. et *Mart.* 5, 62. et V. INSTITA.

GRACCHĂNUS, a, um, adj. ad Gracchos pertinens. *Cic. Brut.* 24. Gracchani judices. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. Gracchanus tumultus. *Sen. Brev. vit.* 6. Gracchana mala.

GRACCHI, orum, m. plur. Romanorum familia. In hac fuit Ti. Sempronius P. F. qui bis consulatum gessit, deinde censuram. Proconsul in Hispaniam missus Celtiberos in deditionem accepit. Ex Cornelia filia Africani superioris duos filios habuit, Tiberium, et Cajum, qui matris diligentia omnibus liberalibus artibus eruditi, praestantes oratores exstiterunt. Hi cum plebi studerent, et leges reipubl. perniciosas, praecipue agrarias, in ejus gratiam ferrent, creatique tribuni pleb. omnia perturbarent, gravi excitata seditione, tandem occisi sunt. *Cic. Off.* 1. et 2.. *Flor.* 3, 14. et 15., *Epit. Liv.* 58. et 60., et *Vell.* 2. *c.* 2. 3. et 6. ℙ Olim *Gracci* scriptum fuit, teste *Quint.* 1, 5. *med.* De vocis etymo V. GRACULUS.

GRACCHŪRIS, urbs Iberiae, a Sempronio Gracchо ita appellata, postquam Celtiberos in deditionem accepisset. Antea Ilurcis dicebatur. *Festus.* ℙ Hinc *Gracchuritanus, a, um*, ap. *Plin.* 3, 3, 4.

GRĂCĔO. V. CRACENTES.

GRĂCILENS, tis, adj. idem quod gracilis. *Naev.* ap. *Non.* 2, 364.

GRĂCILENTUS, a, um, adj. idem ac gracilis. *Enn.* ap. *Non.* 2, 364. Deducunt habiles gladios filo gracilento. *Gell.* 4, 12. Equus gracilentus.

GRĂCILESCO, vel Gracilisco, is, n. 3. *ἰσχνόομαι, λεπτύνομαι*, gracilis, et tenuis fio. *Plin.* 17. 22, 35. *n.* 9. Cum alias festinatione pariendi gracilescat. Ita editiones vet. aliquot: aliae plures *gracilis*, etc., et cum iis *Hard. Ammian.* 17, 4. Obeliscus gracilescens. *Id.* 22, 15. Pyramidum magnitudo in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paullatim.

GRĂCILĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. pedes graciles habens. *P. Syrus* ap. *Petr.* in *Sat.* 55. Ciconia gracilipes.

GRĂCĬLIS, e, adj. *λεπτός, ἰσχνός*, tenuis, exilis, subtilis. Minus est quam *macilentus* (cum de animali est sermo), quia *gracilis* est ille quidem tenuis, sed maciem excludit. *Ov. Rem. Am.* 327. Turgida, si plena est; si fusca est, nigra vocetur: In gracili macies crimen habere potest. *Maximian. Gall.* 1, 85. Quaerebam gracilem, sed quae non macra fuisset. *Hor. Od.* 1, 5, 1., et *Mart.* 11, 43. Gracilis puer. *Petr. Sat.* 126. Auri gracile vinculum. *Plin.* 24, 6, 22. Picea resinam pinguem, et turis modo succosam fundit: larix gracilem. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 16. Juga altiora, quo laetior ager: contra humiliora gracili et arido. (Adde *Colum.* 2, 4. *f.*) *Id.* 16, 10, 17. Arbores graciles, succinctioresque, et enodes. Et 19, 8, 54. Gracile folium. Et 16, 6, 8. Glans brevior et gracilior. *Suet. Ner.* 51. Gracillima crura. *Ov. Amor.* 1, 14, 23. Comae graciles, et lanuginis instar. *Appul. Met.* 4. Rima gracilis. *Plin. ep.* 8, 15. et *ep.* 9, 20. Vindemias graciles quidem, uberiores tamen, quam exspectaveram, colligo. *Mart.* 2, 86. Viae graciles. *Id.* 8, 24. Gracilis libellus. *Ov. Trist.* 4, 10, 86. Et gracilis structos effugit umbra rogos, *h. e.* Manes exiles tenuesque. *Appul. Apol.* Gracili lare vivere. *Senec. Herc. Oet.* 589. Gracilis fluvius. ℙ Reperitur etiam *gracilus, a, um. Lucil.* ap. *Non.* 8, 48. Quod gracila est, pede quod pernix, quod pectore puro, Quod puero similis. *Ter. Eun.* 2, 3, 22. Virgines gracilae. Al. leg. *graciles.* [*Vulgatam retinendam esse docet *Ruhnk.* ad h. l. qui provocat ad *Bentl. l. l.*] ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 5, 25, Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis, Materiae gracili sufficit ingenium, *h. e.* argumento levi, et tractatu facili. *Virg. Cul.* 1. Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia. *Gell.* 7, 14. tres esse docet dicendi *χαρακτῆρας, ἀδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον*, uberem, gracilem, mediocrem: uberi dignitatem atque amplitudinem esse: gracili venustatem et subtilitatem: medium in confinio esse, utriusque modi participem. Intelligit *Gell.* stilum infimum seu tenuem, subtilem, et acutum. Sic *gracilis orator* dicitur a *Quint.* 12, 10. *med.*, et *graciles praefationes* dicuntur a *Plin. ep.* 2, 3., in quibus nitor, et simplicitas, et diluciditas apparet. Sermo, inquit, Graecus, immo Atticus: praefationes tersae, graciles, dulces: graves interdum, et erectae. ℙ *Gracilis* est etiam cognomen R. V. GRACILLA. ℙ Sup. *Gracilissimus* in *Not. Tir.* p. 67.

GRĂCĬLĬTAS, atis, f. *ἰσχνότης*, tenuitas, subtilitas. *Cic. Brut.* 91. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis. Et 16. *f.* Non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectantur. *Suet. Cal.* 50. Gracilitas cervicis et crurum. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. Gracilitas digitalis. Et 13, 11, 22. Papyrum decem cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum. ℙ Translate est stilus infimus, acumen dicendi, subtilitas orationis, ap. *Quint.* 1, 9, 2. et 12, 10, 24. et *Gell.* 7, 14. et 13, 20. Sic ab eodem *Quint.* 4, 3, 2. dicitur *pressa narrationis gracilitas*, cum simplicibus verbis, et subtili nativoque sermone, sine fuco et ornatu, quippiam narratur. [*Pertinet huc etiam *l. Cic. Brut.* 16, 64., quem Noster supra laudavit, ubi comparatio est generis dicendi subtilioris ac tenuioris cum corporis gracilitate; quae usitatissima est ratio in rebus oratoriis. V. *Ellendt.* ad l. l.]

GRĂCĬLĬTER, adv. *Appul. Met.* 3. Vasculum graciliter fistulatum. ℙ [*Translate. *Quint. Inst.* 9, 4, 130. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia ornatius, alia gracilius esse dicenda?]

GRĂCĬLĬTŪDO, inis, f. idem quod gracilitas. *Accius* ap. *Non.* 2, 364. Ista tua gracilitudo propemodum et luctus facit, ne dubitem.

[GRĂCILLA, ae, f. dimin. gracilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 2. Octavia Q. F. Secunda *viva fecit* sibi, et Octaviae T. F. Gracillae, et T. Octavio Sex. F. Gracili viro. *F.*]

GRĂCILLO, as, n. 1. idem ac glocio, proprium vocis gallinae: a sono. *Auct. carm. de Philom.* 25. Cucurrire solet gallus, gallina gracillat.

GRĂCĬLUS. V. GRACILIS.

[GRĂCŬLA, ae, f. femina graculi. Est etiam cogn. viri R., nempe Turranii, ap. *Plin.* in *Ind. l.* 3, 9. et 18., quod tamen *Hard.* in *Gracilis* commutavit. V. GRACULUS. *F.*]

GRĂCŬLUS, i, m. *κορώνη, κολοιός*, avis e corvorum genere, minor tamen, patenti admodum gula, et grandibus unguibus, ut *Plin.* 11, 37, 79. et *ib.* 47, 107. docet: a vocis sono *gra, gra* dicta, quae item cornix, et cornicula appellatur. *Festus.* Graculi a sono oris vocati: sive a gerendo dicti (quasi *geraculi*) quod jacta segetum semina plurimum gerant: vel quod ex olivetis cubitum se recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore ferant. *Quint.* 1, 6. *med.* Cui non post Varronem sit venia? qui *agrum*, quod in eo agatur aliquid, et *graculos*, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni persuadere voluit? cum alterum ex Graeco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium. *Isid. Orig.* 12, 7. Graculus a garrulitate nuncupatus, non, ut quidam voluit, pro eo quod gregatim volent: cum sit manifestum, ex voce eum nuncupari; est enim loquacissimum genus, et vocibus importunum. *Plin.* 8, 27, 41. Graculi, merulae, perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Alii hic leg. *graculae. Phaedr.* 1, 3. Tumens inani graculus superbia. *Mart.* 1, 116. Sed quandam volo nocte nigriorem, Formica, pice, graculo, cicada. V. FRIGULO. ℙ Allatam *Festi* priorem, et *Quintiliani*, ac *Isidori l. c.* sententiam de vocis etymo confirmat nummus ap. *Morell. Fam. Rom.* in *G. Antestia n.* 1., in cujus antica parte videre est, pone caput Palladis, litteras GRAG, in postica L. ANTES . . . ; alius item ejusdem gentis ab *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 136. ex *Oderico* allatus, in cujus postica est supra navim avicula, quam *Eckhelius* cum *Oderico* recte putat graculum esse; bini etiam ejusdem gentis nummi penes *Barpt. Borghesium*, quorum alter in antica caput Herculis tantum, et in postica eandem aviculam supra navim habet; alter in antica, pone idem caput Herculis, litteras GRAG, at in postica similis est praecedenti. Ex his itaque patet, aviculam illam modo solam, modo cum litteris GRAG indicare cognomen L. Antestii, quod *Gragulus* primum, deinde *Graculus* scriptum fuisse videtur; id enim saepissime fieri consuevisse in aliis nummis, et vetustis monumentis, ut nimirum pro cognomine symbolum ejusdem usurparetur, jam constat inter eruditos: porro *gragulus* et *graculus* diminutivi sunt a primitivis inusitatis *gragus* et *gracus*, qui a *κόραξ, κόρακος*, et per syncopen *κράκος*, facillima permutatione litterarum *c* et *g*, derivantur: ut *audaculus*, et *dicaculus* sunt ab *audax*, et *dicax*. Adde ab *Aristoph.* in *Equit. v.* 680. et in *Nub. v.* 388. usurpari praeterit. *κέκραγα*, paenultima longa, de voce aspera et praefracta, qualis est graculi; *κέκραγα* vero ab inusit. *κράγω*, non a *κράζω*, esse apparet, unde etiam *Pindar. Nem.* 3, 143. graculos appellat *κραγέτας κολοιούς*, et *Varr.* ap. *Quint. l. c.* deceptus soni similitudine a *gregatim* deducebat. Hinc itaque est repetendum cognomen *Gracus*, quod insequenti tempore, cum scilicet septimo ab Urbe condita saeculo consonas geminare coepissent Romani, scriptum est *Graccus* quod videre est in nummis quamplurimis gentis Semproniae, in quibus est *Ti. Sempronius Graccus*, quodque olim obtinuisse affirmat etiam *Quint.* 1, 5. *med.*; tandem vero *Gracchus* cum aspiratione scriptum est. Consule *B. Borghesium Decad. Numism. osserv.* 8. ℙ In Lemno insula haec avis olim culta fuit, quia inimica locustis regionem infestantibus. *Plin.* 11, 29, 35. ℙ *Nihil cum fidibus graculo*, proverb., nihil stolido, indocto cum ingenuis artibus: graculi enim incondita vox a sonis musicis est maxime abhorrens. *Gell. praef.* ℙ *Graculus Aesopi* proverbio dicitur, qui alienis bonis, quasi furtivis pennis se jactat. *Tert. adv. Valent.* 12. V. *Phaedr.* 1, 3. [*Longe plurima sunt *F.*]

GRĂDĀLIS, e, adj. a gradibus. *Gradalis pugna* dicitur a *Diom.* 3, 473., in qua pede collato miles gradatim, sensim procedit, urgetque hostem.

GRĂDĀRĬUS, a, um, adj. *Gradarius equus* est, qui alternos pedes glomerando gradatim incedit, et sine succussatione sessorem molliter vehit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 60. Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector. ℙ *Gradaria pugna* apud *Diom.* 3, 473., est gradalis. ℙ Translate. *Senec. ep.* 40. *f.* Cicero quoque noster gradarius fuit, *h. e.* non cursu, sed veluti gradu utebatur in dicendo, lente procedens, interpungens, et intermittens orationem.

GRĂDĀTIM, adv. *βάδην*, per gradus. *Plin.* 33, 4, 21. Fossae, per quas profluat, cavantur: eae sternuntur gradatim ulice. *Varr. R. R.* 3, 5. Oportet esse perticas inclinatas ad parietem, et in eis transversas gradatim modicis intervallis perticas annexas ad speciem cancellorum scenicorum. *Cic. ad Quir.* 2. Honores, quos eramus gradatim singulos assecuti. *Gell.* 14, 7. Singulos debere consuli gradatim, incipique a consulari gradu. *Cic. N. D.* 1, 32. Gradatim pervenire aliquo, *h. e.* per figuram gradationem. *Id. Acad.* 4, 16. Cum aliquid minutatim et gradatim additur, aut demitur. *Id. Fam.* 9, 14. *f.* Pedetentim et gradatim accessum ad causam facere. [**Id. Or.* 3, 61. In omni voce est quiddam medium; — hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est.] *Plin. ep.* 2, 6. Gradatim habere amicos, *h. e.* divisos veluti per gradus, alios majores, minores alios, alios infimos. *Id. ep.* 8, 2. *f.* Quos non una, ut dicitur, pertica, sed distincte, gradatimque tractavi. ℙ [**Gradatim* et *pedetentim* ita differre docet *Döderl.* 3, 99 ut hoc opp. *currui, equo, volatui, velis;* illud *concitato cursui, cursim, saltui, saltuatim.*]

GRĂDĀTĬO, onis, f. graduum dispositio, aut series, *κλῖμαξ*, [*vel *κλιμακοστόρ.*] *Vitr.* 5, 3. Lapideis et marmoreis copiis gradationes (*theutri*) ab substructione fieri debent. ℙ Translate est apud rhetores figura verborum, qua veluti per gradus ad quippiam dicendo pervenitur, et non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius conscensum est, ut: Nam quae reliqua spes manet libertatis, si illis et quod libet, licet; et quod licet, possunt; et quod possunt, audent; et quod audent, faciunt; et quod faciunt, vobis molestum non est? Ita *Auct. ad Her.* 4, 25. Legitur etiam ipsa vox ap. *Cic. Or.* 3, 54. Monet autem *Quint.* 9, 3, 54. rariorem esse debere, quia apertiorem habet artem, et magis affectatam. [*V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 189.]

GRĂDĀTUS, a, um, part. ab inusit. *grado, κλιμακόεις*, in modum graduum factus. *Plin.* 13, 4, 7. Densis gradatisque corticum pollicibus. *Plin. alter ep.* 5, 6. *med.* Maceriam gradata buxus operit, et subtrahit.

*GRĂDĪBĬLIS, e, adj. per quem via patet gradiendo, scansilis. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Majo*) 75. Saxis incondite arduum (Caucasum) neque gradibilem. *B. A.*

GRĂDĪLIS, e, adj. qui habet gradus, ut Gradile Genii templum, *h. e.* quod gradibus adibatur. *Ammian.* 23, 1. ℙ *Panis gradilis* dictus, qui distribuebatur plebejis hominibus, ac in diem viventibus, pro gradibus, qui in unaquaque Urbis regione erant pistrinis proximi. Multa hac de re habet *Cod. Theod.* 14, 17, 3. et 4., ubi prohibetur, ne panis gradilis, a pistoribus quotidie plebejorum alimento praebitus, ex uno in alium gradum transferatur, et ne de officinarum conditoriis, sed ex gradibus distribueretur, ne scilicet, si populus per gradus in conditoria pistrinarum descendisset, turbae fierent; tunc enim dignosci minime posset, quis tesseram porrigeret, quis panem acceperit; praeterea cum ea conditoria furum et meretricum receptacula iis temporibus facta fuerint, vetabant leges, ne plebs vel cibi capiendi, vel libidinis explendae causa illuc descenderet, sed in summis eam gradibus consistere jubebant, ut palam omnia fierent. *Prud. in Symmach.* 1, 584. Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis. *Id. ib.* 2, 948. Quae regio gradibus vacuis jejunia dira Sustinet? ℙ Alia vero prorsus fuit distributio *per gradus*, de

qua V. GRADUS. [*Nonnulla immutavit, ultima addidit. *F.*]

GRĂDIOR, eris, gressus sum, dep. *βαίνω*, gradum facio, incedo, ambulo, progredior. *Cic. N. D.* 2, 47. Animalia alia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt. *Pl. Ps.* 4, 7. *f.* Si graderere tantum, quantum loquere, jam isses ad forum. *Virg. A.* 1, 316. ipse uno graditur comitatus Achate. *Pl. Truc.* 1, 2, 25. Tu fer contra manum, et pariter gradere. *Id. Ps.* 3, 2, 7. Si quo hic gradietur, pariter progrediminor. *Cic. Tusc.* 1, 46. Fidenti animo gradietur ad mortem. *Auct. B. Hisp.* 39. Cum Caesar gradiebatur Hispalim. *Colum.* 6, 37. *extr.* Mulus et recte viam graditur, et terram commode proscindit. *Mart.* 12, 3. prima gradiere Suburra. *Cic. Tusc.* 5, 13. Alias bestias natura nantes esse voluit, alias volucres, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes. ℙ [*Imprimis usurpatur *gradi* de iis, qui cum gravitate, ornatu, vi quadam incedunt. *Virg. A.* 1, 501. (de Diana) Gradiensque deas supereminet omnes. *Lucr.* 5, 737. Veris praenuncius ante Pennatus graditur Zephyrus; et *ib.* 742. Graditur simul Evius Evan. *Ov. Met.* 13, 776. Ingenti passu gradiens. *Virg. A.* 10, 572. Longe gradientem et dira frementem Ut videre. *Homeric. μακρὰ βιβῶντα.*] ℙ Translate. *Lucr.* 4, 529. de voce: facitque Asperiora foras gradiens arteria clamor. [**Id.* 6, 1121. Ut nebula et nubes paulatim repit et omne, Qua graditur, conturbat et immutare coactat.] ℙ *Part. Gressus* ap. *Virg. A.* 6, 633. gressi per opaca viarum. ℙ Infinitum *gradi* vereor ut sit in usu, praeterquam in compositis.

GRADĪVĬCŌLĂ, ae, m. qui colit Gradivum, *h. e.* Martem. *Sil.* 4, 222. Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.

GRADĪVUS, i, m. cogn. Martis, vel a gradiendo in bella ultro citroque, inquit *Festus;* sive a vibratione hastae, quod Graeci dicunt *χραδαίνειν:* vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus (unde ex flore quodam, ope Deae Florae, genitum fuisse, *Ov.* fabulatur *Fast.* 5, 229.) quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximae est honorationis. Haec *Fest.* seu potius *Paul.* ejus breviator. *Serv.* autem ad illud *A.* 3, 35. Gradivumque patrem, Geticis qui, etc. Gradivum, inquit, *θούριον Ἄρηα,* idest exsilientem in proelia: aut gravem Deum patrem. Alii Gradivum, quod gradum inferant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur: aut quia Mars nunquam equester fuit, a gradu nempe. Haec *Servius:* qui ad *A.* 1, 296. tradit, Martem, cum saevit, *Gradivum* dici; cum tranquillus est, *Quirinum:* ideo Romae duo ejus templa fuisse, alterum Quirini intra urbem, quasi custodis, sed tranquilli: alterum Gradivi extra urbem, via Appia, prope portam, quasi bellatoris. ℙ Adhibetur tum adjective, tum absolute: habetque communem priorem syllabam, saepius tamen longam. *Liv.* 1, 20. Salios duodecim Marti Gradivo legit. *Virg. A.* 10, 542. tibi, rex Gradive, tropaeum. *Ov. Met.* 6, 427. Et genus a magno ducentem forte Gradivo.

GRĂDUS, us, m. *κλῖμαξ, βῆμα,* scalarum pars, qua sursum deorsumve gradimur: et fere adhibetur in plurali numero, quia, ut *Varro L. L.* 4, 35. docet, proprie gradus dicuntur de duplicatis scansionibus. *Cic. Att.* 4, 1. Gradus templorum ab infima plebe completi erant. *Ov. Pont.* 3, 2, 50. Perque quaterdenos itur in illa gradus. *Cic. Fin.* 5, 14. *extr.* Multis gradibus ascendere. [*Hoc l. translate positum est *gradus.* Aptius convenit ap. *Eund. Fam.* 6, 7. Scalarum gradus, si alios tollas, etc. *Vell.* 2, 3, 1. Ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens.] *Virg. A.* 1, 452. de templo: Aerea cui gradibus surgebant limina. Et *ib.* 2, 442. postesque sub ipsos Nituntur gradibus. ℙ [*Pertinet *gradus* etiam ad ornatum. *Suet. Ner.* 1. Coma in gradus formata.] ℙ [*Gradus* etiam erant in circo, theatro, et amphitheatro, in quibus spectatores sedebant; de his mentio est in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. CXXX. *n.* XXIII. Fratribus Arvalibus maeniano I cuneo XII. gradibus marmoreis VIII. ℙ In hujusmodi gradibus Romae, et in municipiis et coloniis tesserae, et nummi viritim populo distribuebantur, hinc solemnis illa formula *per gradus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 8. Ti. Claudius Chresimus ob honorem quinquennalitatis collegio dentrophorum Romanorum, quibus ex S. C. coire licet, argenti P. X. et HS. X. milia N. reddedit, quae divisa sunt populo per gradus. Alia ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 22. Cujus dedicatione populo dedit HS. M. CXXX. N., curionibus X. XIIII., Sodalibus Augustalibus X. X., et per gradus X. IIII., *h. e.* plebi, quae in gradibus sedebat, viritim denarios quinque, cum curionum cuilibet quatuordecim, et Sodalium Augustalium decem dedisset. Alia ap. *Don. cl.* 9. *n.* 10. Pane et vino singulis CCCCXII. per gradus divisis. *F.*] ℙ In singulari numero. *Vitr.* 3, 3. Cum dextro pede primus gradus ascenditur. *Hor. Sat.* 1, 6, 40. gradu post me sedet uno. ℙ In re rustica *gradus* est altitudo seu profunditas, quantum uno nisu fossor bipalium terrae imprimit. *Colum.* 3, 13. *med.* Non sulcum paulatim exaltare, et ita secundo, vel tertio gradu pervenire ad destinatam pastionis altitudinem, sed protinus, etc. *Id.* 4, 1. Nam semper in plano refusius egesta humus tumidior est, quam gradus soli crudi. Adde 11, 3. *n.* 10. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 1, 2. et 32. et *ib.* 4, 2. gradus sunt rugae in palato e qui numero duodecim. ℙ Translate dicitur de iis, quorum alterum supra, infrave alterum ordine dispositum est, ut de cognationibus, honoribus, aetatis annis, etc. De gradibus vero affinitatum consule *Isid. Orig.* 9, 5. et 6. *Ov. Met.* 13, 141., sed enim quia rettulit Ajax, Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor Juppiter est, totidemque gradus distamus ab illo. *Suet. Galb.* 2. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Caesarum domum. *Cic. Part.* 4. Temporum servare gradus. *Id. Brut.* 32. Oratorum aetates et gradus persequi, *h. e.* facultatem dicendi, qua unus est alio eloquentior. *Id. Or.* 18. Omnes sonorum gradus persequi. *Mat.* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Fateor, me ad istum gradum sapientiae non pervenisse. *Hor. Od.* 1, 3, 17. Quem mortis timuit gradum, qui, etc.? *h. e.* quod mortis genus. [*Hinc in re oratoria *gradus* sunt i. q. momenta: ita, ut simile, dissimile, contrarium, spectetur in iis. Haec *Spalding.* ad *Quint. Inst.* 5, 11, 7. Et probandorum et culpandorum ex his confirmatio eosdem gradus habet. Adde 5, 10, 116.] *Cic. Fam.* 3, 11. In omni vel honoris, vel aetatis gradu. [**Lucr.* 2, 1122. Gradus aetatis adultae scandere. *Vell.* 2, 36, 2. Diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, etc. *Quint. Inst.* 3, 7, 15. Namque alias aetatis gradus, gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit. Adde *Suet. Aug.* 79. et *Tit.* 3.] *Cic. Cat.* 1, 11. Aliquem ad summum imperium per omnes honorum gradus efferre. *Id. in Senat.* 1. In altissimo dignitatis gradu collocati sumus. [*Gradus dignitatis dicitur de dignitate quam quis exspectat, quaeve ei debetur. *Cic. Cluent.* 55, 150. Quum altiorem gradum dignitatis esset consecutus. *Id. Mur.* 27, 55. Qui unum ascendere gradum dignitatis conatus est. Cf. *Ruhnk.* ad *Rutil. Lup.* p. 48. Differt *status dignitatis,* quod, *Cort. observ.* ad *Sall. Jug.* 35, 3., non dicitur nisi de dignitate, quam quis habet.] *Id. Off.* 1, 45. Gradus officiorum, ut prima Diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. [**Plin. Pan.* 47, 5. Contumeliarum gradus. *Curt.* 5, 10, 10. Gradus amicitiae.] *Nep. Con.* 3. Secundum gradum imperii tenere. *Id. Eum.* 1. Eodem gradu fuit apud Alexandrum, *h. e.* eodem loco amicitiae. *Cic. Rosc. Am.* 47. Suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo. *Id. Phil.* 6, 7. Quis est civis, praesertim hoc gradu, quo vos me esse voluistis? [**Vell.* 2, 118, 2. Gradus equestris; *ib.* 101, 3. Gradus militiae (de *trib. mil.*) *Suet. Galb.* 3. Praeturae gradus; *ib.* 14. Summa equestris gradus, i. e. praefectura praetorii. Al. procurationem intelligunt. V. *B. Crus.* ad h. l.] ℙ *Gradibus ire, venire,* est per gradus. *Cic. N. D.* 1, 32. A beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te venisse gradibus. ℙ Est etiam *gradus* idem quod gressus. [*Haec prima vocis est significatio.] *Cic. Univ.* 6. Ad hanc conversionem, quae pedibus et gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. *Phaedr.* 3, 3. Concito gradu properare. Et 2, 7. Quieto et placido gradu sequi. [**Prop.* 2, 4, 6. Ibat et expenso planta morata gradu: *expensus gradus* est amatorum, quum occasiones conveniendi captant ante fenestras et januas amicorum. Gr. *μετὰ ῥυθμοῦ βαίνειν: Francogall. aller à pas conté.* V. *Vulp. Ov. Fast.* 1, 426. Surgit amans animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. Adde *Ter. Ph.* 5, 6, 27. Ad fores suspenso gradu placide ire perrexi. *Ov. Fast.* 6, 338. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 22. Oppon. *ovans gradus.* V. *Val. Fl.* 2, 555. Regem inde petens superabat ovante litora tuta gradu.] *Cic. Or.* 2, 61. Gradum facere. *Liv.* 35, 1. inferre. [*Cf. 9, 40.] *Pl. Ps.* 2, 4, 17. conferre alicui. [**Virg. A.* 6, 488. Juvat usque morari et conferre gradum. *Symmach. Ep.* 1, 10. Hanccine mihi esse fortunam, ut quoquo versum pedem gradumque contulero, exaedificandum aliquid offeratur. — *Virg. G.* 3, 169. et coge gradum conferre juvencos, i. e. pari gressu progredi: i. q. *Id. ib. v.* 191. Gradibus sonare compositis; vel *Colum.* 6, 2. composite ambulare. — Gradum conferre cum aliquo: est pugnam inire cum aliquo. V. *Liv.* 7, 33.] *Senec. Ira* 2, 35. A cursu ad gradum reduci. *Ov. Met.* 14, 143. tremuloque gradu venit aegra senectus. *Liv.* 26, 9. Addere gradum. [*Plura ejus generis exempla congessit *Cort.* ad *Lucan.* 4, 759.] Sic *Hor. Od.* 1, 3, 33. corripere. *Virg. A.* 4, 641. celerare. *Id. ib.* 6, 465. sistere. Sic *Ov. Fast.* 6, 398. sustinere. *Virg. A.* 6, 128. revocare. Et *Ov. Fast.* 2, 502. referre. *Stat. Th.* 8, 138. vertere. *Petr. Sat.* 136. reducere. *Ov. A. Am.* 3, 304. ingentes ferre gradus. Et *Pl. Trin.* 3, 1, 22. celeri gradu ire. Et *Epid.* 1, 1, 11. esse grandibus gradibus. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Pleno gradu ingredi. *Liv.* 4, 32. *med.* Instructam aciem pleno gradu in hostem inducere. [*Medius autem videtur *plenus gradus* fuisse inter *gradum militarem* et *cursum.* Ita *auct. Lex. Liv.* s. v. *gradus.* Adde *Liv.* 2, 10. Ingenti gradu pontem obtinere. *Id.* 28, 14. Presso gradu incedere. *Plin. Pan.* 10, 3. (de imperat.) Cum — tuas aquilas magno gradu anteires.] *Pl. Poen.* 3, 1, 19. modico gradu ire. [**Liv.* 30, 5.] *Petr. Sat.* 80. Gradum componere ad proeliandum. *Virg. G.* 3, 191. de equo: Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis. *Quint.* 9, 4. *f.* Manibus invicem apprehensis gradum firmant. [**Liv.* 6, 12. Obnisos vos stabili gradu impetum hostium excipere.] *Lucil.* ap. *Fest.* in *Remeligines.* Meo gradu remoram facit pro *gradui,* ut *aspectu* pro *aspectui.* V. ASPECTUS. ℙ [*Ablat. *gradu* adv. more ponitur pro *gradatim Vell.* 2, 1, 1. Non gradu, sed praecipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum. (Imitatur *Sall. H.* 1. ap. *Aug. C. D.* 2, 38. Ex quo tempore majorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati. Ita dicitur etiam *per gradus. Ov. Met.* 2, 354. Complectitur inguina cortex, Perque gradus uterum, pectusque humerosque manusque ambit.] ℙ *Dejicere de gradu,* de statu propellere, demovere de loco, ubi quis constitit: ductum a gladiatoribus pugnantibus. *Cic. Off.* 1, 23. Constantis est non perturbari in rebus asperis: nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur. *Liv.* 6, 32. Quantum Romana se invexit acies, tantum hostes gradu moti. Al. leg. *demoti. Nep. Them.* 5. Interim ab eodem gradu depulsus est, *h. e.* ab eo statu, in quo erat adhuc valens superare hostes. *Senec. Constant. Sap. f.* Injurias vero, ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu, sustineat. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Poenae militum sunt castigatio, pecuniaria mulcta, militiae mutatio, gradus dejectio. [*Eodem modo dicitur *gradu abire.* V. *Gron.* ad *Sen. Agam.* 515. et *Broukh.* ad *Prop.* 1, 13, 8. Et primo lapsus abire gradu: ubi haec formula ad rem amatoriam translata est. Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 8. et *Brem.* ad *Nep. l. l.* — Oppon. in gradum reponi, i. e. opportuno alicujus auxilio erigi. V. *Quint.* 5, 7, 11. ubi in rebus oratoriis haec formula adhibetur: Sic fit, ut aut constent sibi, aut, si quid titubaverint, opportuna rursus ejus, a quo producti sunt, interrogatione velut in gradum reponantur. V. *Burm.* ad *Petr.* 36. et 80.] ℙ *Stare in gradu,* ibi consistere, ubi semel steteris. *Ov. Met.* 9, 42. Digredimur paulum, rursumque ad bella coimus, Inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque Cum pede pes junctus. [**Tyrtaeus.* p. 101. *Καὶ πόδα παῤ ποδὶ θεὶς καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,* etc., ubi v. *Klotz.*, et *Frinsh.* ad *Curt.* 3, 4, 5. ℙ Translate. *Sil.* 16, 21. Corda virum mansere gradu, i. e. constantia, immota, fida.] ℙ Hinc *de gradu pugnare,* stantem in vestigio pugnare. *Liv.* 34, 39. Non modo ad emittenda cum procursu tela spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero, et stabili conarentur. ℙ Translate. *Senec. ep.* 29. Cum consuleretur, quid sentiret, non possum, inquit, tibi dicere: nescio enim quid de gradu faciat: tanquam de essedario interrogaretur, *h. e.* non est ex peripateticis, qui deambulantes philosophabantur; sed velut mollis philosophus, in gestatione disserit. ℙ *Gradum facere* translate est ab una re ad aliam transire, ita ut prior illa quasi gradus ad alteram sit. *Cic. Verr.* 2, 2, 1. *f.* Majoribus nostris in Africam ex hac provincia *(Sicilia)* gradus imperii factus est. *Quint.* 3, 6. Interim ad ea, quae sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti. [**Liv.* 27, 16. Ex aedilitate gradum ad censuram fecit. *Id.* 6, 35. Conando agendoque jam eo gradum fecisse plebejos, unde, etc. Hinc *primos gradus facere* in rebus amatoriis ap. *Ov. Met.* 4, 59. Notitiam primosque gradus vicinia fecit.] ℙ *Gradum jacere* idem fere est, seu ingressum, aut accessum facere. *Cic. Agr.* 2, 15. Sed attendite animos ad ea, quae consequuntur: hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera jactum intelligetis. Al. leg. *factum.* [*Ita *Orell.*] ℙ Huc et illa pertinent *ejusd. Att.* 7, 23. Quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres revertissent; et *Har. resp.* 20. Atque hic P. Clodio gradus ad rempubl. hic primus est aditus ad popularem jactationem, atque ascensus. *Petr. Sat.* 4. Laborum gradus facere. ℙ A mathematicis *gradus* dicuntur partes circuli in sphaera, Graece *μοῖραι. Manil.* 1, 579. de aequatore: Quatuor et gradibus sua fila reducit ab aestu. ℙ Olim habuit in genitivo singulari *graduis.* Probat hoc *Non.* 8, 89. allato *Varr.* testimonio. V. FRUCTUS. ℙ A grammaticis *gradus* dicuntur comparativum et superlativum. Hinc *Ov. Fast.* 1, 605. Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus, *scil.* quia *maximi* cognominantur. ℙ *Fuit et *Gradus* insula, cum opp. cognomine, maris Hadriatici, sub Venetorum ditione, juxta Aquileiam, hodie *Grado. Paul. Diac. Langob.* 2, 10. *B. A.*

*GRAEA, ae, f. *γραῖα,* i. e. vetula, anus. Hinc plur. *Graeae, arum,* Phorcyos Cetusque filiae,

Phorcides *Ov. Met.* 4, 744. et Phorcides *Hyg. fab. praef.* p. 7. ed. *Munker.* *Γραῖαι* audiunt *Hesiod. Theog.* 270. Cf. *Apollod.* 2, 4. ℙ Fuit et *Graea, ae, f. Γραῖα*, opp. Boeotiae. *Stat. Th.* 7, 332. Cf. *Hom. Il.* B. v. 498. *B. A.*

[GRAECĀLIS, e, adj. ad Graecos pertinens. *Front. de colon.* p. 116. *Goes.* Lapides Graecales, *h. e.* Graecis litteris notati. *F.*]

GRAECĀNĪCĒ, adv. Graece. *Varr. L. L.* 8, 50. Itaque dicimus hic Argus, cum hominem dicimus: cum oppidum, Graecanice hoc Argos, Latine hi Argi.

GRAECĀNĪCUS, a, um, adj. qui apud Graecos in usu est. *Plin.* 18, 31, 74. Intra centum annos inventa torcula Graecanica, mali rugis per cochleas bullantibus, etc. *Id.* 36, 25, 63. Pavimenti Graecanici genus. (V. *Vitr.* 7, 4. *f.*) *Id.* 34, 9, 20. Graecanicus color. *Suet. Dom.* 4. Graecanica toga, *h. e.* pallium, inquit *Salmas. Serv.* ad *G.* 1, 43. et 218. Nigidius in sphaera Graecanica. V. SPHAERA. ℙ Graecanici milites ap. *Vulcat. Avid. Cass.* 5. sunt milites Romani Graecorum deliciis diffluentes. ℙ *Varr. L. L.* 9, 3. *f.* Alia sunt *Graeca* nomina, alia *Graecanica:* illa nempe tota Graeca: haec ex Graecis ad Latinam consuetudinem traducta: quae et notha appellantur.

GRAECĀTĒ, adv. V. CANACIUS.

GRAECĀTIM, adv. more Graecorum. *Tert. Pall.* 4. Graecatim depilari magis, quam amiciri. V. DEPILO.

*GRAECĀTĬO, onis, f. *ἑλληνισμὸς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

GRAECĀTUS, a, um, part. a *Graecor*, Graecos imitatus: unde Graecatior epistola apud *Appul. Apol.* *Tert. Pall.* 4. *med.* ed. *Pamel.* Si philosophus in purpura, cur non et in buxea Tyria calciare, nisi aurum minime Graecatos decet. *B. A.*

[GRAECĀTUS, us, m. mos, consuetudo Graecorum. *Tert. Pall.* 4. *f.* Cum ipsum hoc pallium morosius ordinatum, et crepidae Graecatum Aesculapio adulantur. Alii male leg. *crepidae cretatae Graecatim. F.*]

GRAECĒ, adv. Graeca lingua, *Ἑλληνιστί. Cic. Or.* 1, 34. Cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem. *Id. Off.* 3, 32. Acilius, qui Graece scripsit historiam. *Id. Tusc.* 1, 8. Graece loqui. *Id. Or.* 2, 66. Graece scire.

GRAECI, orum, m. plur. *Γραῖκοὶ, Ἕλληνες*, populi Graeciae. *Cic. Har. resp.* 9. Artibus Graeci, Galli robore, Hispani numero, Poeni calliditate valent. V. v. seq.

GRAECĬA, ae, f. *Ἑλλὰς*, regio Europae ampla, cujus regiones praecipuae Achaia, et Peloponnesus: quae in alias minores a geographis dividuntur. Stricte sumpta significat eam partem, quae ab Isthmo incipit, et Atticam continet, ut ap. *Cic. Dom.* 23. Latius accepta Thraciam quoque, et Macedoniam complectitur, insulasque multas tum Aegaei, tum Ionii maris, et ipsam Cretam aliquando. Dicta est a *Graeco* Thessaliae rege, ut *Plin.* 4, 7, 11. tradit. Altrix olim fuit omnium artium ingenuarum, quas in Italiam, aliasque provincias deinde invexit. Haec etiam *Graecia ulterior* dicitur a *Liv.* 7, 26., ut nempe distingueretur a citeriore seu magna, et minore Graecia, de quibus in §. 3. et 5. *Hor. Ep.* 2, 1, 156. Graecia capta ferum victorem cepit, et artes Intulit agresti Latio. ℙ [*Graeciae nomine comprehunduntur etiam *coloniae Graecae* Asiae minoris. V. *Nep. Milt.* 3, 3. ibique *Brem.*] ℙ Adjective *terram Graeciam* dixit *Gell.* 1, 1. *Nep. Alcib.* 7. Graecia civitas. *Id. Reg.* 1. Graecia gens. Et *Pausan.* 1. Magna manu Graecia. ℙ *Graeciae, arum*, plur. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 96. Se ait redire in Graecias. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *Maio*) 3, 5. Abire te hinc ad tuas Graecias. *B. A.* V. GRAECIUS et ARABIA. ℙ *Graecia magna*, vel *major* est pars extrema maritima et meridionalis Italiae, quae tres sinus complectitur, Locrensem, Scylaceum, et Tarentinum. Quidam putarunt, eam ita fuisse appellatam, quod magnae in ea urbes et opulentissimae essent; hinc *Festus* in *Major:* Major Graecia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt: vel quod in ea multae, magnaeque civitates fuerunt ex Graecia profectae. *Jamblichus* vero in *Vit. Pythag.* 29. ita dictam putavit, quia haec pars Italiae philosophis referta fuit, ac praecipue Pythagorica schola inclaruit; quod vero proximum videtur. *Plin.* 3, 10, 5. A Locris Italiae frons incipit, magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primi: patet LXXXVI. M. pass., ut auctor est Varro: plerique LXXV. M. fecere. *Id. ib.* 5, 6. Ipsi de ea (*Italia*) judicavere Graeci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando Graeciam magnam. *Liv.* 31, 7. Nec Tarentini modo, oraque illa Italiae, quam majorem Graeciam vocant, ut linguam, ut nomen secutos credederes, sed Lucanus, et Bruttius, et Samnis a nobis defecerunt. *Senec. Consol. ad Helv.* 6. *med.* Totum Italiae latus, quod infero mari (h. e. *Ionio*) alluitur, major Graecia fuit. Adde *Mel.* 2, 4. et *Sil.* 11, 21. ℙ Poetice tota Italia *Graecia major* appellatur ab *Ov. Fast.* 4, 64. Itala nam tellus Graecia major erat. ℙ *Graecia parva*, vel minor itidem in Italia fuit, quae eas omnes urbes et colonias complectebatur, quas variis temporibus hac illac ad mare Adriaticum sive superum, et Tyrrhenum sive inferum, excepta tamen magna Graecia, de qua in §. 3. praec., Graeci condiderunt; in harum numero fuerunt Salapia, et Sipontum ad mare superum, Cumae, et Neapolis ad inferum, aliaeque quamplurimae. *Pl. Truc.* 2, 6, 55. Hem, mea voluptas, attuli eccam pallulam ex parva Graecia, *scil.* ex Appulia, quae velleribus primis est nobilis. *Id. ib.* 4, 3, 14. Similis fere locus est apud eund. *Pl. Merc.* 3, 1, 26. *Ly.* hem, Ovem tibi ancillam dabo natam annos sexaginta Peculiarem. *Pa.* mi senex, tam vetulam? *Ly.* generis Graeci est: Eam si curabis, perbona est, tondetur nimium scite.

GRAECĬENSIS, e, adj. qui apud Graecos in usu est, Graecanicus. *Plin.* 4, 21, 18. Mare Graeciense. *Gell.* 19, 10. Offendimus eum cubantem in scimpodio Graeciensi.

GRAECĬGĔNĀ, ae, comm. gen. qui genere Graecus est. *August. C. D.* 18, 18. *f.* Blandiuntur Graecigenis, alienigenas persequuntur.

[GRAECĬO, onis, m. dimin. Graeci, Graeculus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1087, 2. Filio Aurelii Graecionis. *F.*]

GRAECISSO, as, n. 1. Graecos imitor. *Pl. Men. prol.* 11. Hoc argumento Graecissat, tamen non Atticissat.

GRAECĪTAS, atis, f. litteratura Graecorum, et praecipue Graecus sermo. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 14, 9, 3. Facundia Graecitatis pollere.

[GRAECĬUS, a, um, adj. idem ac Graecus. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *Ep.* 9. Ego a Graeca litteratura tantum absum, quantum a terra Graecia mons Coelus meus. *Nep. Alcib.* 7. Graecia civitas. *Id. Reg.* 1. gens. Alii hic leg. *Graeca.* V. GRAECIA. *F.*]

GRAECOR, aris, atus sum, n. 1. Graecos imitor. *Hor. Sat.* 2, 2, 11. vel si Romana fatigat Militia assuetum Graecari, *h. e.* exercere se ludis, qui apud Graecos in usu sunt. [*Gr. *ἑλληνίζειν*. V. *Salmas.* ad *Tert. Pall.* p. 360.]

GRAECOSTĂDĬUM, ii, n. idem quod Graecostasis. *Capitol. Ant.* 8. Graecostadium post incendium restitutum.

GRAECOSTĂSIS, is, f. *Γραικόστασις*, Graecorum statio, locus Romae, ad dexteram comitii, ubi nationum legati, qui ad senatum erant missi, subsistebant. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Deinde ejus operae repente a Graecostasi, et gradibus clamorem satis magnum sustulerunt. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Is locus Graecostasis appellatur a parte, ut multa, *h. e.* a Graecis, qui ibi praesertim cum aliis nationum exterarum legatis morabantur.

*GRAECULĬO, onis, m. i. q. Graeculus. *Petron.* 76. *extr.* Al. leg. *Graeculus. B. A.*

GRAECŬLUS, a, um, dim. Graeci, et fere in contemptu a Romanis ponitur, tum quia Graeca natio devicta erat: tum quia Romam ventitantes, quamlibet artem lucelli causa professi, passim levitatis mollitiei, assentationis, fallaciaeque nomine despiciebantur. *Juven.* 3, 76 Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes, Augur, schoenabates, medicus, magus: omnia novit. Graeculus esuriens, in coelum jusseris, ibit. *Cic. Or.* 1, 22 Quid mihi nunc vos, tanquam alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto atque erudito, quaestiunculam imponitis? *Id. Flacc.* 10. Motus quidam temerarius Graeculae concionis. *Id. Tusc.* 1, 35 Ineptum sane negotium, et Graeculum. *Id. Pis.* 29. Reprehendere aliquem, ut Graeculum, ut assentatorem. [*Id. Fam.* 7, 18. graecula cautio chirographi, i. e. nulla fide digna, levis. V. *Burm.* ad *Petr.* 46. ubi etiam de aliis hujus verbi significationibus dixit. Laudat haec *Ernest.* in cl. *Cic.* s. h. v. *Flor.* 2, 7. Vulnera non Graeculo ferro, sed ingentibus pilis adacta. *Id.* 4, 2. Massilia Graecula civitas. ℙ [*Graeculus* per contemptum dictus est Hadrianus Aug., teste *Spart. Hadr.* 1., quia is impensius imbutus esset Graecis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante. *F.*] ℙ *Graecula mala* ap. *Plin.* 15, 14, 15. et *Graeculae vites*, ap. *Colum.* 3, 2. *med.* a regione Graeciae denominata sunt. ℙ *Graecula rosa* foliis est ita convolutis, ut, nisi manibus cogantur, apertam rosam non ostendant. *Plin.* 21, 4, 10.

GRAECUS, a, um, adj. *Γραϊκός, Ἑλληνικός*, ad Graecos pertinens. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Graeco more bibere, *h. e.* ut *Ascon.* interpretatur, *συμπιεῖν κυαθιζομένους*, merum cyathis libare, salutando primum Deos, deinde amicos suos nominatim: nam toties merum bibebant, quoties et Deos, et caros suos nominatim vocabant. *Id. Brut.* 20. Studere Graecis litteris. *Id. Arch.* 10. Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, *h. e.* res Graece scriptae. *Pl. Asin.* 1, 3, 47. Graeca fide mercari, *h. e.* praesenti pecunia juxta illud, *δὸς, καὶ λαβὲ*, nihil nobis credentibus iis, qui vendunt, tanquam si Graeci simus, qui fluxae fidei habebantur. (De levitate Graecorum multa *Cic. Flacc.* 4. et 5.) *Macrob. Saturn.* 2, 44. Graeca nux, *h. e.* amygdala, ut *Cloatius ib.* interpretatur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* Pantherae Graecae, *h. e.* in Graecia Asiatica captae. ℙ De scalis Graecis. V. SCALAE. ℙ Quaenam fuerit *via Graeca* memorata a *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* obscurum est. Est qui putat fuisse partem Appiae viae octo stadiorum, vel diverticulum ejus in Campania, quae ab Hercule strata fuisse credita est. ℙ De Graecis calendis, V. GALENDAE. ℙ [**Graeci ludi Cic. Att.* 7, 1. et 16, 5. sunt scenici, in quibus fabulae Graeci argumenti more Graeco aguntur. V. *Dodwell. de Cyclis* 4, 16. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Graecum pecus* apud *Pl. Merc.* 3, 1, 27. fortasse sunt oves Tarentinae. ℙ *Graeca rosa* species est rosae, Graecis *λυχνὶς* dictae, in humidis locis provenientis, violae magnitudine, foliis quinque tantummodo, odore nullo. *Plin.* 21, 4, 10. ℙ *Enn.* ap. *Fest.* post *Regium.* ipsos Romanos *Graecos* appellat, non quod initio Romani Graece loquerentur, sed quia olim lingua Graecae gentis fuerit eadem ac Latina, parum prolatione mutata. Hoc autem verum esse, indicat origo ejus, quae videtur quasi Graecae usurpatio. Haec *Fest.* ex lectione *Scalig.* ℙ *Fuit et *Graecus, i*, m. *Γραικὸς*, Graeciae rex, Thessalus, a quo Graecia et Graeci nomen traxere, referente *Plin.* 4, 7. *B. A.*

*GRAIOCELI, orum, pop. Galliae Narbonensis. *Caes. B. G.* 1, 10. ed. *Oudend.* Al. leg. *Garoceli. B. A.*

GRAJŬGĔNĀ, ae, m. et f. Grajus genere, Graecus. *Pacuv.* ap. *Cic. N. D.* 2, 36. Grajugena de isto aperit ipsa oratio. *Virg. A.* 3, 550. Grajugenumque domos, suspectaque linquimus arva: pro *Grajugenarum. Catull.* 64, 36. Grajugenasque domos. *Stat. Theb.* 6, 215. Grajugenae reges.

GRAJUS, a, um, adj. idem quod Graecus, vel ad Graecos pertinens. *Cic. Inv.* 2, 23. Graji de Grajis aeternum inimicitiarum monumentum statuerunt. *Hor. Od.* 2, 16, 38. Graja Camena. *Nep. Ann.* 3. Grajus Hercules. Et *ib.* Grajus saltus, *h. e.* Alpes Grajae. [*V. *Brem.*] (de quibus *Plin.* 3, 17, 21.) *Ov. Met.* 13, 281. Grajum murus, Achilles, pro *Grajorum.* Et 241. de tot Grajorum millibus unum.

GRALLAE, arum, f. plur. *τὰ καλοβατῶν βάθρα*, ligneae perticae furculas habentes, quibus innituntur, qui iis incedunt: a *gradiendo*, unde *grada, gradula, gralla.* Inventae sunt a pantomimis ad Panas, sive Aegipanas repraesentandos, quorum exsucci pedes, ac crura non aliter melius repraesentari poterant, quam ligneis illis pedibus ac cruribus grallatorum. Ita *Fest.* in *Grallatores. Varr.* ap. *Non.* 2, 361. Grallatores, qui gradiuntur grallis. Sic illi animi nostri sunt, grallae crura ac pedes nostri, ex se *ἀκινητοὶ*, sed ab animo moventur.

GRALLĀTOR, oris, m. *καλοβάτης*, qui grallis graditur. Speciatim grallatores pantomimi appellabantur, qui ut Aegipanas in saltatione imitarentur, grallis incedebant. *Pl. Poen.* 3, 1, 27. Vinceretis cervum cursu, vel grallatorem gradu. *Ita edd. *Camerar. Buchner.* et *Douz.* ubi edd. *Gronov.* et *Taubm.* habent *clavatorem. Arnob.* 2. *med.* 88. *Herald.* (al. p. 10.) Grallatores, funambulos, praestigiatores. V. v. praec. *B. A.*

GRALLĀTORĬUS, a, um, adj. ad grallatorem pertinens, ut Grallatorius gradus, idest magnus, quales solent esse grallatorum. *Plaut. in suppos. Amph. sc.* Dii vostram, 52. Sive grallatorius, sive testudineus gradus fuerit.

GRĂMEN, inis, n. *χόρτος*, herbae genus omne, et praesertim quod in animalium pabulum cedit. Volunt esse a *γράω*, comedo. *Hor. Od.* 4, 7, 1. Diffugere nives: redeunt jam gramina campis, Arboribusque comae. *Id. Epod.* 2, 24. Jacere in tenaci gramine. *Id. Od.* 1, 15, 30. Cervus Graminis immemor. *Virg. Ecl.* 5, 25. nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam. Et *G.* 4, 63. cerinthae ignobile gramen. *Liv.* 1, 24. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. V. SAGMEN. *Just.* 36, 4. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat. ℙ Gramen est etiam culmen ipsum, vel arundo plantarum, quas frumentaceas, miliaceas, et arundinaceas vocant *botanici.* Hinc *Virg. A.* 7, 808. Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina. ℙ Est etiam peculiaris herbae nomen, geniculatis internodiis serpentis, crebroque ab his et ex cacumine novas radices spargentis, foliis fere in exilitatem fastigatis: qua non alia gratior jumentis, sive viridis, sive in foeno siccata sit, *ἀγρωστις. Plin.* 24, 19, 118. ℙ Ap. *Stat. Silv.* 2, 1, 187. *munera graminis Indi* sunt costum. ℙ *Gramen floreum* ap. *Mart.* 9, 91. sunt gramina sparsa floribus, ut in pratis verno tempore. ℙ [*Confunduntur in codd. gramen et germen. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 5, 8. p. 387. seq. *Cort.* ad *Lucan* 6, 81. ed. *Web.*]

GRĂMĬAE, f. plur. oculorum sunt vitia: quas alii glamas vocant, inquit *Festus. Nonius* vero 2, 389. Gramia, inquit, pituita oculorum. *Caecilius:* Gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus. *Plin.* 25,

13, 96. Crethmos agrios gramias oculorum tollit impositus: τὰς γλάμας, unde Latini, permutata liquida, *gramias* dixerunt.

GRĂMĬNĔUS, a, um, adj. χορτώδης, gramen habens, gramine obductus. *Virg. A.* 5, 287. Gramineus campus. Et *ib.* 6, 642. Gramineae palaestrae. Et *ib.* 8, 176. Gramineum sedile. Et *ib.* 12, 119. Gramineae arae, *h. e.* herboso cespite contectae. *Liv.* 7, 37. Graminea corona obsidionalis. *Plin.* 22, 3, 4. multa de ea: itemque *Gell.* 5, 6. ℙ *Gramineae hastae* sunt ex arundine Indica, Itali dicunt *canna d' India*, qua utebantur veteres pro hastis: de quibus ita *Plin.* 16, 36, 65. Arundini quidem Indicae arborea amplitudo, quales vulgo in templis videmus, *h. e.* in manibus simulacrorum, quemadmodum de Minerva Atheniensi ita refert *Ampel.* 8. Ipsa autem Dea habet hastam de gramine. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Etiamne gramineas hastas (*eripuit*)? vidi enim vos in hoc nomine commoveri, quod erant hujusmodi, ut semel vidisse satis esset; in quibus neque manu factum quidquam, neque pulcritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis. *Cic.* hic loquitur de aede Minervae, quae Syracusis erat, a Verre spoliata. V. *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 287. [*Alteram h. l. partem emendavit *F.*]

GRĂMĬNOSUS, a, um, adj. χορτώδης, plenus gramine, herbosus. *Colum. praef. l.* 1. *med.* et *l.* 6. Quid silvester ager, quid humidus et graminosus, quid siccus et spurcus recusaret.

GRĂMĬOSUS. V. in GRAMIAE.

GRAMMA, ae, f. γραμμή, linea. *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. Superficies lineis terminatur, quas suo nomine grammas Graecia nominavit. **Appul. de herb.* 106. Scripturae, quas Graeci grammas vocant. *B. A.* ℙ *Gramma*, ătis, n. γράμμα, Graece est littera: item pondus duorum obolorum: quod Latini vertentes, *scriptulum*, et *scriptlum* dixere, γράμμα enim est a γράφω, scribo. *Fann. de ponderib.* 8. Semoboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma vocant: scriptlum nostri dixere priores. Alia hujus appellationis ratio *ib.* 25, a *Fannio* adducitur, quia nimirum uncia fit drachmis bis quatuor: drachmae scriptlis ternis constant: uncia itaque vigintiquatuor grammata habet, quot scilicet sunt Graecae litterae.

GRAMMĂTEUS, i, m. trisyllab., scriba, qui in tabulis res rationesque publicas perscribit, γραμματεύς. *Appul. Met.* 11. Unus, quem cuncti grammatea dicebant.

GRAMMĂTĬAS, ae, m. γραμματίας, gemma ex iaspidum genere, similis smaragdo, per transversum linea alba praecincta, quae ab orientalibus populis pro amuleto gestari solet. Haec ex *Plin.* 37, 9, 37. Ita autem vocatur a γράμμα, linea, quia lineis praecingitur.

GRAMMĂTĬCĂ, ae, et Grammaticē, es, f. γραμματική, est ars emendate loquendi, et scribendi; idest sine soloecismis, barbarismis, erroribus pronunciationis, et orthographiae, et aliis vitiis orationis barbarae, obscurae, inornatae: a γράμμα, littera, quia veteribus eo nomine censebatur γραμματιστική, hoc est ars legendi, scribendique. Sero enim praecepta recte loquendi observata, inque artem congesta sunt: tunc vero grammaticae fines latissime prolati, ut in GRAMMATICUS dicemus, artique honos additus. *Cic. Fin.* 3, 2. Quamquam ea verba, quibus ex instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen quoniam usu praecepta sunt, nostra ducamus. *Quint.* 2, 1. Et grammatice (quam in Latinum transferentes litteraturam vocaverunt) fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, provecta: nam tenuis a fonte, assumptis poetarum, historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: cum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.

GRAMMĂTĬCĀLIS, e, adj. ad grammaticam spectans, ut Grammaticales figurae. *Sidon. ep.* 7, 9. Grammaticalis palaestra, *Id. carm.* 23, 212.

GRAMMĂTĬCĀLĬTER, adv. more grammaticorum. *Trebell. Poll. in* XXX. *Tyrann.* 10. Coepit quasi grammaticaliter declinare

GRAMMĂTĬCĒ, adv. γραμματικῶς, more grammaticorum, vel ex regulis grammaticae. Grammatice loqui, est ubi cura sermonis vitium non admittitur; Latine loqui, ubi Latina consuetudo, urbanitasque servatur. *Quint.* 1, 6. Quare mihi non invenuste dici videtur, aliud esse Latine, aliud grammatice loqui.

GRAMMĂTĬCŌMASTIX, īgis, m. γραμματικομάστιξ, flagrum, seu flagellum grammaticorum. Legitur inter titulos *Idyll.* 12. ap. *Auson. Sibylla* ap. *Lactant.* 1, 7. Ἀλάμαται δάμαται ὑπαὶ μάστιγι Θεοῖο.

GRAMMĂTĬCUS, a, um, adj. γραμματικός, ad grammaticam pertinens, ut Figurae grammaticae, grammaticus stilus, grammatica oratio, ars grammatica. *Auct. ad Her.* 4, 12. Haec qua ratione vitare possimus, in arte grammatica dilucide discemus. *Hor. Ep.* 1, 19, 40. Grammaticae tribus, *h. e.* multitudo grammaticorum. ℙ *Grammaticus*, *i*, m. γραμματικός, qui grammaticam docet. *Cic. Tusc.* 2, 4. Ut si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur. *Senec ep.* 95. *med.* Grammatici custodes Latini sermonis. ℙ *Grammatici* olim *litterati*, vulgo appellantur (inquit *Cornel. Nep.* ap, *Suet. Grammat.* 4.) qui aliquid diligenter et acute scribere possunt, aut dicere: sed proprie dicti sunt viri eruditissimi atque elegantissimi, non qui grammaticam docerent, sed qui poetas, historicos, oratores interpretarentur, ut Donatus, Festus, Nonius, Asconius, et alii, qui fabularum Graeciae, antiquitatum Romanarum, legum, omnium denique rerum cognitione et scientia praestiterunt. Iidem *critici* vocabantur, quod de omni genere scriptorum judicarent. *Cic. Div.* 1, 51. Sunt enim harum rerum explanatores, ut grammatici poetarum. V. *Quint.* 2, 1., cujus verba in GRAMMATICA retulimus: *Senec. ep.* 88. et *Capell.* 3, 51. ubi officium Grammaticae persequitur. ℙ Differunt a *Grammatistis*, seu *litteratoribus*, etsi eos etiam *litteratores* vocitatos fuisse *Messala Corvinus* auctor est. Nam *grammatici*, seu *litterati* absolute et perfecte docti erant, *grammatistae*, seu *litteratores* tenuiter eruditi erant, et in malam partem appellabantur. *Suet. l. c.* ℙ *Grammatica*, *orum*, n. plur. res grammaticae, studium litterarum. *Cic. Or.* 1, 42. In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio.

GRAMMĂTĬSTĂ, ae, m. γραμματιστής, qui mediocriter grammatica est eruditus. *Suet. Gramm.* 4. Grammaticum absolute, grammatistam mediocriter doctum putant.

*GRAMMATODIDASCĂLUS, i, m. *Mart. Capell.* 3, 51. *B. A.*

*GRAMMATOPHŌRUS, i, m. tabellarius. *Hieronym. B. A.*

GRAMMĂTOPHYLĂCĬUM, ii, n. γραμματοφυλάκιον, tabularium, locus, ubi tabulae et instrumenta publica asservantur: a γράμματα, litterae, et φυλάσσω, custodio. *Ulp. Dig.* 48, 19, 9. Archio forte, vel grammatophylacio.

[GRAMMĒ, es, f. γραμμή, linea, littera, eadem ac gramma. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 964, 5. Caecilia Gramme. *F.*]

GRAMMĬCUS, a, um, adj. γραμμικός, linearis: a γραμμή, linea, ut Deformationes grammicae, *h. e.* designationes, quae per lineas fiunt, *Vitr. praef.* l. 3. *f. Id.* 9, 1. Grammicis rationibus explicare.

GRĂNĀRĬUM, ii, n. σιτοφυλάκιον, locus in horreis, in quo grana frugum reponuntur. *Varr. R. R.* 1, 57. Triticum condi oportet in granaria sublimia; *et mox.* Quidam granaria habent sub terris; speluncas, quas vocant σιφοὺς, ut in Cappadocia, ac Thracia: alii, ut in Hispania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginiensi et Oscensi: sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta, milium vero plus annos centum. Supra terram granaria in agro quidam sublimia faciunt, ut in Hispania citeriore, et in Apulia quidam, quae non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus refrigerare possit. *Pers.* 5, 110. Jam nunc granaria laxes. Adde *Colum.* 1, 6., *Plin.* 18, 30, 73., *Hor. Sat.* 1, 1, 53. et *Pallad.* 1, 19., ubi granaria ab horreis ita distinguit, ut illa sint cellae in horreo, in quibus separatim singulae fruges condantur.

GRĂNĀTIM, adv. per grana. *Appul. Met.* 6. Acervum granatim digerere.

*GRĂNĀTUM, i, n. κοκκωτὸν, ῥοιὰ, V. in *Granatus*, *a*, *um.* ℙ *Granatum* item pulmentum e grano tritici cocto vocari potest, vel frumentacea ptisana, *Granea* puto Catonis. *Plin.* 18, 11. *f.* Ex zea pulchrius quam ex tritico fit granatum. Sic enim legi debet, non *Granum*, ut hodie. Est autem *Plinio* quiddam alicae simile: immo alicae vitium, ut ipse declarat *Turneb. Adv.* 1, 20. *extr. Harduinus* aliter. Haec *Gesnerus. B. A.*

GRĂNĀTUS, a, um, part. ab inusit. *grano*, instruo aliquid granis, κοκκώδης, abundans granis. *Colum.* 12, 41. Et integra mala dulcia granata, quae Punica vocantur: quae absolute *granata* dicuntur a *Plin.* 20, 14, 53. et 15, 28, 34. V. GRANEA.

GRĂNĀTUS, us, m. *Cato R. R.* 60. Granatui videto uti satis viciae feras. Sed cum in primis *editt.* sit *gnati*, ne dubites cum *Pontedera* et *Schneidero* legere *generatim videto*, etc. At idem *Pontedera Op. posth. T.* 1. p. 278. ex Codice Caesenate ita legit: Grano videto uti satis viciae seras, *h. e. grano colligendo.* [*Emendavit haec *F.*]

GRANDAEVĬTAS, atis, f. πολυετία, aetas provectior. *Accius* ap. *Non.* 2, 365. Quia nec vos, nec illi impune irriderent meam grandaevitatem. *Pacuv. ib.* Ipsa orbitas grandaevitasque Pelei.

GRANDAEVUS, a, um, adj. πολυετής, qui est grandis aevi, seu provectioris aetatis. *Virg. A.* 1, 125. Grandaevus Alethes. *Ov. Met.* 7, 160. Grandaevi patres. *Val. Fl.* 7, 348. Grandaeva consilia, *h. e.* grandaevi hominis: atque adeo plena auctoritatis. *Plin.* 2, 7, 5. Deos alios esse grandaevos, semperque canos; alios juvenes atque pueros. *Tac. H.* 3, 33. Grandaevi senes. [**Sil.* 16 653. Grandaeva manus, i. e. senatus.]

*GRANDĒDO, inis, f. *Fulgent. de Cont. Virg. B. A.*

GRANDESCO, is, n. 3. μεγαλύνομαι, cresco, grandis fio. *Cic. Arat. Div.* 1, 9. Lentiscus triplici solita grandescere fetu. *Lucr.* 2, 1159. Quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore. *Plin.* 15, 3, 3. Lignum intus grandescat. Adde *Colum.* 2, 21.

GRANDĬCŬLUS, a, um, adj. diminut. grandis. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 35. Grandiculi globi.

GRANDĬFER, a, um, adj. grandis, vel grandia ferens. *Nazar. Paneg. Constant.* 3. Facta jam grandifera, maximorumque fructuum matura perceptio.

GRANDĬFĬCUS, a, um, adj. grandifer. *Ammian.* 18, 6. Grumbates rex, aetate quidem media, rugosisque membris, sed mente quadam grandifica, multisque victoriarum insignibus nobilis.

GRANDĬLŌQUUS, a, um, adj. στομφαστικὸς, qui cum quadam verborum magnificentia loquitur, grandi et sublimi dicendi genere utitur. *Cic. Or.* 5. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt, cum ampla et sententiarum gravitate, et majestate verborum. *Id. Tusc.* 5, 31. *f.* Quid tandem? isti grandiloqui contra haec duo (*mortem et dolorem*), quae maxime angunt, melius se habent, quam Epicurus?

GRANDĬNAT, abat, impers. l. χαλαζοκοπεῖ. *Senec. Q. N.* 4, 4. Quaeritur, quare hieme ningat, non grandinet.

GRANDĬNEUS, a, um, adj. grandinosus. *Alcim.* 3, 329. Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos. *Id.* 5, 190. Grandineum frigus.

GRANDĬNOSUS, a, um, adj. χαλαζώδης, qui abundat grandine. *Colum.* 3, 1. Siccam, vel roscidam, grandinosam, ventosamque coeli qualitatem.

GRANDĬO, is, a. 4. ἐπιτείνω, grandem facio. *Pl. Aul.* 1, 1, 10. Testudineum istum tibi ego grandibo gradum. ℙ Proprie refertur ad fruges. V. GRANDIS. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, uti fruges, frumenta, virgultaque grandire, beneque evenire siris: *subaudi accusativum* se, al. leg. *grandiri. Pacuv.* ap. *Non.* 2, 358. Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitescere. *Varr. ib.* Cum aut humus semina recipere non possit, aut recepta non edat, aut edita grandire nequeat.

GRANDĬO, onis, m. ita cognominatus est quidam Senecio declamator: de quo *Senec. Suasor.* 2. *med.* Senecio fuit ingenii confusi ac turbulenti, qui cupiebat grandia dicere, adeo ut novissime hujus rei morbo et teneretur, et rideretur. Nam et servos nolebat habere, nisi grandes, et argentea vasa non nisi grandia. Credatis mihi velim non jocanti: eo pervenit insania ejus, ut calceos quoque majores sumeret, ficus non esset, nisi mariscas. Concubinam ingentis staturae habebat, omnia grandia probabat. Ei impositum est cognomen, vel, ut Messala ait, cognomentum, et vocari coepit Senecio Grandio.

GRANDIS, e, adj. μέγας, magnus: et primo proprie de frugibus et oleribus dici videtur. [**Grandis*, q. al. ducunt a *gerere*; *Voss.* a *granum*, frequentativa quadam ratione factum est a *gravis*, *gravidus*, quibuscum ad unum idemque genus, *crevisse*, reduci posse videtur. *Döderl.* 2, 11. et 3, 223. sq.] Est enim proprie *grande*, quod incremento; *magnum*, quod amplitudine tale est. [*V. *Döderl.* 3, 228. sq.] *Pl. Cas.* 5, 2, 29. Profecto non fuit quidquam olerum, Nisi, quidquid erat, calamitas attigerat nunquam: Ita quidquid erat, grande erat. *Virg. A.* 4, 405. grandia frumenta. Et *Ecl.* 5, 36. hordea. Et *ib.* 10, 25. lilia. *Cic. Or.* 2, 30. Ager iteratus, quo fetus possit grandiores edere. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. Grandissimum alicae genus. *Varr. R. R.* 1, 52. Grandissima seges. *Vetustissimus Poeta* ap. *Macr. Sat.* 5, 20. *extr.* Grandia farra metere. ℙ Deinde transfertur ad staturam et aetatem hominum. *Hor. Epod.* 13, 11. Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno. *Cic. Pis.* 36. Videras enim grandis jam puer, bello Italico, etc. *Id. Sen.* 4. Bella gerebat, ut adolescens, cum plane grandis esset. *Ov. Met.* 6, 321. grandior aevo genitor. *Cic. Phil.* 5, 17. Legibus annalibus grandiorem aetatem ad consulatum constituebant. ℙ Aliquando additur ablativus *natu*, ad explicandum. *Cic. Sen.* 4. Non admodum grandis natu, sed tamen jam aetate provectus. *Id. Inv.* 1, 24. In aetate consideratur, puer, an adolescens; natu grandior, an senex. Sic *Tac. A.* 16, 30. Grandis aevo parens. [*Quid *gravis* in his differat, docet *Döderl.* 3, 224.] ℙ Denique ad alia omnia. *Cic. Att.* 13, 21. Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem. *Id. Verr.* 2, 4, 34. In basi grandibus litteris Africani nomen erat incisum. Et 21. *f.* Grande vas. *Quint.* 10, 1. *med.* Grandes coenae. *Virg. G.* 4, 26, grandia saxa. *Plin.* 15, 3, 4. Grandissimae olivae; et 29, 4, 27. Phalangia grandissimo capite. Et 11, 16, 16. Grandiores apes. Et 9, 44, 67. naves. *Hor. A. P.* 80. Grandes cothurni. *Just.* 41, 4. *f.* Grandem exercitum parare. *Cic. Caec.* 4. *extr.* Grande pondus argenti alicui legare. *Id. Rabir. Post.* 2. Grandem pecu-

niam alicui credere. *Id. Fl.* 21. *f.* Pecuniam alicui grandi fenore occupare. *Id. Agr.* 2, 34. Homo grandi macie torridus. Al. leg. *vegrandi.* [*Ita *Orell.*] *Id. Brut.* 84. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. *Plin.* 7, 38, 39. Grande aes alienum. *Id.* 18, 24, 56. *extr.* Grande vitae emolumentum. *Cic. Inv.* 1, 47. Perspicuo et grandi vitio praeditum exemplum. *Hor. Od.* 2, 17, 3. Maecenas, mearum Grande decus columenque rerum. *Id. Sat.* 2, 3, 145. lethargo grandi oppressus. *Cic. Fin.* 3, 5. *f.* Dicere de rebus grandioribus; et *Div.* 1, 20. Exemplis uti grandioribus. *Ter. Phorm.* 2, 3, 92. Dicam tibi impingam grandem. ℙ De sublimi dicendi genere. *Cic. Or.* 2, 82. *f.* Genus dicendi grandius et illustrius. *Id. Brut.* 7. *extr.* Oratores grandes verbis, crebri sententiis; et *Or* 9. Causidicus amplus atque grandis. Et *Brut.* 83. Thucydides rerum gestarum pronunciator sincerus et grandis. *Id. Or.* 3, 43. Oratio grandis. De hac metaphora ita *Id. ib.* Abutimur saepe verbo non tam eleganter, quam in transferendo: sed etiam si licentius, tamen interdum non impudenter, ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro parvo dicimus. [*Opponuntur *grandia tumidis.* ap. *Quint. Inst.* 12, 10, 80. ubi v. *Spalding.* — *Grande* et *robustum* genus dicendi ap. *eund. ib.* §. 58. Omnino autem de significatione hujus vocis, qua solet in rebus oratoriis adhiberi, etc., v. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 189. sq.] ℙ Neutrum *grande* interdum adverbii vim habet. *Stat. Th.* 12, 683. sed bella ciet, bellumque minatur, Grande fremens. *Gell.* 9, 11. Grandia ingrediens, *h. e.* incessu grandi, lentis et proceris passibus, *μακρὰ βιβάς.* Sic *Ammian.* 22, 14. Grandia incedens, tanquam Oti frater, et Ephialtis. [*Omnia *Taciti*, *Ciceronis*, *Livii*, *Caesaris*, *Sallustii* exempla praebet *Böttich. Lex. Tac.* p. 224. seq.]

GRANDISCĀPIUS, a, um, adj. scapum grandem habens. *Senec. ep.* 86. *extr.* Arbores, ut ita dicam, grandiscapiae: *paulo ante dixerat:* Magnarum arborum truncos cum scapo suo transferri.

GRANDISŌNUS, a, um, adj. qui grandem sonum edit. *Sedul.* 1, 2. Figmenta grandisonis pompare modis.

GRANDĬTAS, atis, f. magnitudo, *μέγεθος.* *Sisen.* ap. *Non.* 2, 359. Aetatis granditas, *πολυετία.* ℙ De stilo sublimi. *Cic. Brut.* 31. *f.* Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex genere et granditate verborum. *Plin. ep.* 6, 21. Non illi vis, non granditas, non subtilitas defuit.

GRANDĬTER, adv. *μεγάλως*, valde. *Ov. Her.* 15, 29. Nec plus Alcaeus consors patriaeque lyraeque, Laudis habet, quamvis grandius ille sonet, *h. e.* sublimiore stilo versus faciat. *Sidon ep.* 7, 2. Pater istius granditer frugi. Et *ep.* 4. Illud mihi inter maxima granditer cordi est. *August. Conf.* 1, 9. Granditer affectus.

GRANDĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. grandis. *Ter. Andr.* 4, 5, 19. Nam fere grandiuscula profecta est illinc.

GRANDO, inis, f. *χάλαζα*, pluvia in aere congelata. *Isid. Orig.* 13, 10. Grando appellata, quod forma ejus granorum similitudinem habeat. *Festus*: Grando guttae aquae concretae solito grandiores. *Cic. N. D.* 3, 35. *extr.* Si uredo, aut grando quidpiam nocuit. Et *ib.* 2, 5. Terrere animos fulminibus, nimbis, nivibus, grandinibus, etc. *Senec. ep.* 45. *med.* Grando incussa tectis crepitat, ac solvitur. *Virg. G.* 1, 449. in tectis crepitans salit horrida grando. *Hor. Od.* 3, 1, 29. verberatae grandine vineae. *Id. Ep.* 1, 8, 5. Grando vites contudit. *Plin. ep.* 4, 6. Agri grandine excussi. *Plin. alter* 2, 38, 38. Grandines ruunt. *Ov. Met.* 6, 692. terras pulsare grandine. Et *ib.* 5, 158. tela volant hiberna grandine plura. *Liv.* 28, 37 *f.* Tanta vis lapidum, creberrimae grandinis modo, in classem effusa est. [*Hirt. *B. Afr.* 47. Nimbus cum saxea grandine subito est exortus ingens. Coll. *Sil.* 2, 38. et 9, 578.] ℙ Masculino gen. *Varr.* ap. *Non.* 3. 105. Imber grandine implicatus albo. ℙ Metaphorice est copia verborum, facundia, eloquentia. *Auson. epist.* 16, 13. Qui grandines Ulisei, Mellifluentem Nestora, Concinnatorem et Tullium superat. ℙ *Quod ad etymologiam vocis attinet, alii, inter quos *Vossius* in *Etymol.*, ducunt a *granum*, alii a *grandis. Isid. Orig.* 13, 10. Grando adpellata, quod forma ejus *granorum* similitudinem habeat. *Festus:* Grando guttae aquae concretae solito *grandiores. B. A.*

GRĂNĔ, es, f. Nymphae nomen. *Ov. Fast.* 6, 107. Inde sata est Nymphe: Granen dixere priores. V. CARNA.

GRĂNĔĂ, ae, f. ap. *Cat. R. R.* 86. granea triticea fit ex tritico contuso in mortario, et a cortice purgato, postea in aula cocto ex aqua, dein addito lacte paulatim, donec cremor crassus factus sit. Similiter *Hieron. in Paralipom.* 1, 23. graneam esse ait cibum e primitiis spicarum, quarum grana torrebantur, et comedebantur. [Hujus graneae conficiendae rationem, quam idem alicam adulterinam vocat, tradit *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3., ubi pro his verbis: *ex zea pulcrius, quam ex tritico, fit granum*, ut legit *Hard.*; alii rectius habent *granatum. F.*]

[GRĀNI, orum, m. plur. ea pars barbae, quae infra nares est. *Isid. Orig.* 19, 23. Ut videmus cirros Germanorum, granos, et cinnabar Gothorum, stigmata Britonum, *h. e.* pilos barbae labri superioris ita discriminatos, ut cum in fine convoluti sint, granorum formam exhibeant. V. *Ducangii Glossar. med. et inf. Lat.* in V. *Grani. F.*]

GRĀNĬCUS, i, m. *Γρήνικος*, [nunc *Susughirli*, *F.*] fl. Troadis, seu Phrygiae minoris, qui ex Ida monte in Propontidem influit. Clarus est pugna et victoria Alexandri M. contra Persas. *Plin.* 5, 32, 40. et *Mela* 1, 19. ℙ Hoc nomen *Ovidio* restituit *Heins. Met.* 11, 763. Fertur Alexirhoe Granico nata bicorni. [*V. longam de hac re *Gierig.* disputationem ad h. l.]

GRĂNĬFER, a, um, adj. ferens granum. *Ov. Met.* 7, 638. de formicis. Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis.

*GRANIPĂRUS, a, um, adj. ut *Graniparae aristae* ap. *Gu. Brit.* 6, 333. *B. A.*

*GRĀNIS, idis, *Γράνις*, Persidis fluvius, in Susiana. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Granius. B. A.*

GRĀNNUS, i, m. *Γράννος*, epitheton Apollinis in novem *Inscr.* ap. *Grut.* p. 37. et 38. et ap. *Mur.* 22, 11., videturque esse a loco sumptum, ubi colebatur: nec absurde a regione Pannoniae superioris, ubi Granni populi, teste *Jornande de reb. Get.* 3., et Granua fluvius, et oppidum, Italis *Strigonia*, Pannoniis nunc *Gran* appellatum. Hujus numinis meminit etiam *Dion.* 77, 17., cui supplicare solitum fuisse narrat Antoninum Aug. Caracallam. *Salm.* in *Exercit. Plin. ad Solin.* p. 535. putat, grannum significare cirratum, quod Apollini quam maxime convenit. V. GRANI. Hinc fimbriae pluribus filis aureis vel argenteis contextae et convolutae, quibus phrygiones utuntur in vestibus acu pingendis ornandisque, quaeque ex militum humeris pendent, Italice *spallini degli Ufficiali*, ab Italis *granoni* vocantur. [*Totum h. l. immutavit et multis auxit. *F.*]

[GRĀNOMASTIX, ĭcis, f. eadem ac mastiche. *Isid. Orig.* 17, 8. Mastix arboris lentisci gutta est. Haec granomastix dicta est, quia in modum granorum est. *F.*]

GRĀNOSUS, a, um, adj. *κοκκώδης*, intus habens grana. *Plin.* 21, 31, 105. Cui acini coccinei, granosi folliculi. *Id. ib.* 4, 10. Granosus cortex.

*GRANUCOMATAE, arum, incolae urbis cujusdam Syriae, in Cyrrhestica. *Plin.* 5, 23. ℙ Nomen urbis fortasse *Granucome*, *Γράνου κώμη.* V. *Harduin. B. A.*

[GRĀNŬLĀTIM, adverb. in speciem granorum. *Commodian. Afr. Instr.* 60. Oculos fuligine relinitis, Levatis comulas granulatim, *h. e.* tollitis comas ita, ut sint veluti grana discriminatae. *F.*]

GRĀNUM, i, n. *κόκκος*, proprie semen frugum dicitur, ut tritici, hordei, et hujusmodi. *Varr. R. R.* 1, 48. deducit a gerendo, quia seritur, ut spica gerat frumentum. *Cic. Div.* 1, 36. Midae illi Phrygio, cum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. ℙ *Granum* dicitur etiam acinus uvae. *Val. Max.* 9, 12, 8. *extern.* Anacreontem unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit. Hoc idem ita narrat *Plin.* 7, 7, 5. Anacreon poeta acino uvae passae strangulatus. ℙ *Granum* etiam generaliter dicitur pro omni eo, quod minutum est, et similitudinem aliquam habet cum grano frumenti. Unde et mali punici acinos *grana*, ipsumque malum *granatum* dicimus. Fructus quoque cocci, quo panni tinguntur, *granum* dicitur, Italice *grana*, quod quia copiosissime nascitur in Baetica provincia, factum est, ut ea regio ab eo *Granata* dicatur. Sane cocco abundare Hispanias, *Plin.* 9, 41, 65. et 16, 8, 12 significat. *Id.* 22, 24, 55. Grana cerae milii magnitudine. *Id.* 24, 5, 10. Grana fici. *Id.* 23, 8, 77. salis. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 3. turis. *Ov. Trist.* 4, 6, 10. uvae.

[GRAPHE, es, f. *γραφή*, scriptura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 742, 4. Satria C. L. Graphe. *F.*]

GRAPHIĀRĬUM, ii, n. *γραφιοθήκη*, theca, in qua stili scriptorii reponebantur: a *γραφεῖον*, stilus. *Mart.* 14, 21. Haec tibi erunt armata suo graphiaria ferro.

GRAPHĬĀRĬUS, a, um, adj. ut Graphiaria theca, graphiarium. *Suet. Claud.* 35.

GRAPHĪCE, adv. *γραφικῶς*, polite, eleganter, expresse, ad amussim, venuste, perfecte, tanquam si res picta sit. *Pl. Pers.* 2, 5, 5. Nunc ego huic graphice facetus fiam. Et 4, 2, 3. Hanc hospitam crepidula graphice decet. Et *Trin.* 3, 3, 38. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum. *Gell.* 14, 4. in lemmate. Apte et graphice depingere. [*Appul. Met.* 8. Oculis obunctis graphice. *Id. ib.* 10. Ut membrorum voluptatem graphice laciniaret. *F.*]

GRAPHĪCE, es, f. *γραφική*, ars delineandi ac deformandi ad picturam. V. DIAGRAPHICE.

GRAPHĪCUS, a, um, adj. *γραφικός*, elegans, perfectus, absolutus, ad unguem factus: a *γράφω*, qua pingere notat, quasi pictoris manu expolitus, quia picta sunt elegantiora nativis. *Vitr.* 4, 4. *extr.* Eminentes expressiones graphicoteram efficient in aspectu delectationem: *γραφικωτέραν*, comparativus Graeca forma. ℙ De homine dictum significat scitum, peritum, callidum, aptum. *Pl. Stich.* 4, 1, 64. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit! quam fabre! *Id. Trin.* 4, 2, 91. Graphicus nugator. Et 4, 3, 17. fur.

[GRAPHIOLUM, i, n. dimin. graphii. *Not. Tir.* p. 124. Graphium, graphiolum. *F.*]

GRAPHIS, idos, f. *γραφίς*, delineatio, deformatio, quae linearum ductibus fit. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Alia multa graphidis vestigia exstant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices. ℙ Item ars ipsa lineis deformandi. *Vitr.* 1, 1. Architectum oportet graphidos scientiam habere, quo facilius exemplaribus pictis, quam velit, operis speciem deformare valeat. ℙ Item instrumentum, quo deformamus. *Seren.* ap. *Diom.* 3, 516. Pingere collibitum est: graphidem date.

*GRAPHISCUS DIOCLIS, *Διοκλέος γραφίσκος*, ferramentum telis educendis excogitatum a Diocle medico. Describitur a *Celso* 7, 5. Lamina ferrea vel aenea etiam, ab altero capite duos utrinque deorsum conversos uncos habens, ab altero duplicata lateribus, leviterque extrema eam in partem inclinata, qua sinuata est; insuper etiam parte inclinata perforata est. Ex qua quidem definitione (ait *Gesnerus*) usus ejus, vix autem appellationis ratio intelligitur. *B. A.*

GRAPHĬUM, ii, n. *γραφεῖον*, et *γράφιον*, stilus ferreus, quo veteres in ceratis tabulis solebant scribere: a *γράφω.* V. STILUS. *Isid. Orig.* 6, 9. Graeci, et Tusci primum ferro in ceris scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Unde et apud scribas dicebatur: *ceram ferro ne caedito.* Postea institutum, ut ceram ossibus scriberent, sicut indicat Atta in Satyra dicens: Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus Osseo. *Ov. Amor.* 1, 11, 23. Quid digitos opus est graphio lassare tenendo? *Suet. Caes.* 82. Cassii brachium graphio trajecit. [*V. *Casaub.*] *Sen. Clem.* 1, 14. Erixonem equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. *Suet. Cal.* 28. Graphiis confossus. *Plin.* 16, 38, 73. Ictus graphii.

[GRAPTE, es, f. *γραπτή*, scripta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 434, 4. Mamercia Grapte. *F.*]

[GRAPTĬĀCUS, i, m. scriptorius: a *γραπτός*, scriptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 126, 1. C. Pantulejus Graptiacus. *F.*]

[GRAPTUS, i, m. *γραπτός*, scriptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 136, 4. Claudius Graptus. *F.*]

[GRASSĀRĬUS, ii, m. idem ac grassator. *Festus* in *Grassari.* Grassarii autem dicuntur latrones vias obsidentes. Alii melius leg. *grassari. F.*]

GRASSĀTĬO, onis, f. *λωποδυσία*, actus grassandi. *Plin.* 13, 22, 44. Nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum ture ceraque.

GRASSĀTOR, oris, m. *λωποδύτης*, qui vias vicosque obsidens, obvios quosque vi aggreditur, et vestibus aut pecunia spoliat. *Cic. Fat.* 15. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus, causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. *Suet. Aug.* 32. Grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, etc. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit. *Id. Caes.* 72. Grassatores et sicarii. *Gell.* 20, 1. Nocturni grassatoris insidiosa violentia. [*Disputant de hoc hominum genere *Torrent.* et *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 32. *Budaeus* ad *Pand.* p. 342.] ℙ [Translate. *Symmach. Laud. in Valent.* 2, (ed. *A. Maio*) 6. *de Minotauro.* Daedalus grassatorem Cecropiae nobili cavea inclusit. *F.*] ℙ Olim, cum poeticae artis honos non erat, si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur, inquit *Cato* ap. *Gell.* 11, 2., idque ob eam rationem, quia antiqui, *Festo* teste, *grassari* ponebant pro *adulari*, quod parasiti atque adulatores in foro deambulantes, in obvium quemque grassabantur, cibi quaerendi gratia: faciebantque idem factores carminum huc illuc visentes convivia et laudes versibus pro cibo et lucello donantes.

GRASSĀTŪRA, ae, f. idem ac grassatio. *Suet. Tib.* 37. In primis tuendae pacis a grassaturis, et latrociniis, seditionumque licentia curam habuit.

GRASSOR, aris, atus sum, dep. 1. pleno gradu incedo, cum impetu eo: frequentativum a *gradior:* item simpliciter gradior, procedo. *Pl. Rud.* 1, 4, 31. Siccine hic cum uvida veste grassabimur? *Titin.* ap. *Non.* 4, 219. Grassari pedibus. *Novius ib.* Saepe hac eadem grassatus via. ℙ Translate. *Liv.* 3, 44. Jure grassari, non vi; et 10, 14. Consilio grassandum, si nihil vires juvarent, ratus. *Ov. A. Am.* 3, 441. Sunt, qui mendaci specie grassentur amoris. *Sil.* 1, 570. grassandum ad clara periclis, *h. e.* adeundo pericula ad gloriam eundum. *Sall. Jug.* 1. Ubi animus ad gloriam

virtutis via grassatur. In malam partem. *Liv.* 2, 12. *extr.* Trecenti conjuravimus, ut in te hac via grassaremur. *Sall. Jug.* 68. Cupidine atque ira, pessumis consultoribus grassari. *Tac. H.* 4, 16. Grassari dolo; et 56. Mutua dissimulatione, et iisdem, quibus petebatur, artibus grassatur. *Id. A.* 1, 37. Avaritia atque licentia grassatus est. *Id. ib.* 4, 66. Accusatorum major in dies, et infestior vis sine levamento grassabatur. *Id. H.* 3, 39. Grassari veneno. [*Maxime Tacito frequentatur h. v. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 225.] *Justin.* 16, 4. Adesse populo grassanti in senatum. *Id.* 1, 9. Qui cum contemptu religionis grassatus etiam adversus Deos fuerat. *Id.* 2, 12. Quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne grassatur. *Plin.* 26, 11, 67. Mala, quae grassantur totis corporibus. *Justin.* 23, 2. Per omnes nervos articulosque humore pestifero grassante, *h. e.* discurrente, et cruciante. *Plin.* 26, 1, 3. Haec vitia in pueris grassari, illa in adultis. *Prudent. Psychom.* 468. rabidorum more luporum Crimina persultant toto grassantia campo. [*Cf. praeterea locos a Nostro omissos *Liv.* 2, 27. 6, 5. 42, 18. *Sall. H.* 6. p. 1007.; *Curt.* 5, 66.; *Sen. V. B.* 27. *Laud.* haec *Böttich. in Lex. Tac. l. c.* Adde Calp. *Decl.* 28. p. 825. ed. *Burm.*] ℙ Singularis est *Statii* locus, ubi cum accus. usurpatur, *Theb* 8, 570. Ac primum faciles grassatus cuspide turmas, Arma refert sociis, *h. e.* cum saevisset caedendo. Sic *Aurel. Vict. Caesar.* 33. Simulque Romam pestilentia grassabatur. ℙ Speciatim dicitur de latronibus, qui vias obsident, et viatores aggrediuntur et spoliant, nam *gradi*, inquit *Festus*, est ambulare: unde tractum *grassari*, videlicet ab impetu gradiendi. *Petr. Sat.* 117. Quidquid Lycurgi villa grassantibus praebuisset. *Plin.* 9, 15, 17. Silurus grassatur, ubicumque est, omne animal appetens. ℙ Olim etiam pro adulari usurpatum fuit, eodem *Festo* teste. *Hor. Sat.* 2. 5, 93. Obsequio grassare: mone, si increbruit aura, etc. V. GRASSATOR. ℙ *Grassarier* pro *grassari*, paragoge. *Prudent. Hamartig.* 651. ℙ [*Occurrit etiam activa forma *grasso.* Laudat *Ramsh. Gr. Lat.* p. 187. locum *Appul. Met.* 7, 136. p. 458. Cum primum litus Actiacum, quo tunc Macedonia delapsi grassabamus, appulisset.]

GRATABUNDUS, a, um, adj. gratulabundus. *Tac. H.* 1, 18. Et proximi militum gratabundi respondent. Ita lexicographi plerique. At pleraeque *Taciti* editt. atque optimae habent *grata auditu.*

GRATANTER, adv. lubenter, gratulando. *Capitol. Macr.* 7. Senatus gratanter accepit. *Id. Maxim.* 14. Misit litteras, quae gratanter acceptae sunt. Adde *Ammian.* 17, 12. et *Aurel. Vict. Epit.* in *Nerva* 12.

GRATATORIUS, a, um, adj. gratulatorius. *Sidon. ep.* 5, 16. Ampliatos prosapiae tuae titulos ego festinus gratatoriis apicibus inscripsi.

*GRATEAE INSULAE in mari fuerunt Hadriatico, prope Liburniam. *Plin.* 3, 26. ed. *Hard.* Antea legebatur *Creteae.* Κρατειαὶ sunt *Scylaci. B. A.*

*GRATEOLENS, (pro Grate olens,) tis, adj. *Appul. de mundo* p. 74. *Elmenh.* (p. 32. *Vulcan.*) Panchaeis odoribus et grateolentibus coenis. Alii leg. *graveolentibus. B. A.*

GRATE, adv. ἀρεσκόντως, jucunde. *Cic. Fin.* 1, 19. Et praeterita grate meminit, et praesentibus ita potitur, etc. *Varr. L. L.* 6, 1. *extr.* Tamen hic docet plura, et satis facit grate. *Justin.* 12, 11. Munificentia gratius excepta. *Macr. Sat.* 7, 2. Pericula praeterita, vel aerumnas penitus absolutas qui evasit, ut referat, gratissime provocatur. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. Liberti pupillorum grate facient, si tutores male gerentes rem patronorum suspectos fecerint. ℙ Item grato, et lubenti animo. *Cic. Planc.* 41. Confiteare aliquando, quod faciam, me et grate et pie facere. *Hor. Ep.* 2, 2, 210. Natales grate numeras. *Plin.* 7, 60, 60. Gratissime accipere aliquid. *Senec. Ben.* 2, 31. Beneficium qui dat, vult excipi grate.

GRATES, f. plur. χάριτες, gratiae, quae pro accepto beneficio referuntur. *Cic. Somn. Scip.* 1. Grates tibi ago, summe sol. [*Hanc vocem plerumque ad gratum erga deos animum, vel solemne quoddam dicendi genus referri, nota res est. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 225. ubi laud. *Drak.* ad *Liv.* 23, 12, 7. *Döderl.* 2, 213.] (Adde *Liv.* 28, 39. *med.*) *Curt.* 9, 6. Vobis quidem, o fidissimi, grates ago, habeoque. Et *Liv.* 26, 48. et *Tac. A.* 1, 69. Laudes et grates alicui habere. *Ov. Pont.* 2, 11, 25. grates alicui referre. Et *ib.* 4, 9, 49. Superis decernere grates, *h. e.* supplicationes indicere. *Virg. A.* 2, 537. dignas cuipiam grates persolvere; et *ib.* 11, 508. grates alicui dicere. *Stat. Silv.* 3, 3, 155. grates alicui rependere pro re aliqua. [**Inscr.* ap. *Orell.* 1613. Silvane — tibi, hasce grates dedicamus maximas.] ℙ Ironice. *Virg. A.* 2, 535. At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis Dii, si qua est coelo pietas, quae talia curet, Persolvant grates dignas, et praemia reddant Debita. ℙ In aliis casibus praeter rectum et quartum pluralem, perrari est usus. *Tac. A.* 12, 37. Agrippinam quoque iisdem, quibus principem, laudibus gratibusque venerati sunt. [*Ap. solum, ut videtur, *Tacitum.*]

GRĀTIA, ae, f. χάρις. Gratia est, quae gratos et amabiles facit. Frequentissime sumitur pro favore, amore, benevolentia, et quidem passive. *Cic. Planc.* 13. Summum in praefectura florentissima gradum tenuerint et dignitatis, et gratiae. *Id. Rosc. Am.* 6. Gratia atque hospitiis hominum nobilissimorum florebat. *Id. Manil.* 24. Neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc causam conciliari putem. *Id. Mur.* 20. L. Muraenae provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. *Sall. Jug.* 4. Salutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. *Verr. Fl.* in *Fast.* a *Fogginio* editis ad *Kal.* mensis Aprilis haec habet: Frequenter mulieres supplicant Fortunae Virili, humiliores etiam *Veneri* in balineis, quod in iis ea parte corpo*ris* utique viri nudantur, qua feminarum gratia desideratur. ℙ Saepe etiam active accipitur pro benevolentia, qua quis diligit. *Cic. N. D.* 1, 44. *f.* Deinde, si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur. *Id. Agr.* 2, 3. Non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi R. judicio consul factus. *Tac. A.* 4, 18. *extr.* Pro gratia odium reddere. [**B. Crus. in cl. Suet.* p. 390. docet v. *gratia* nunquam Latinis idem esse, quod *favor*, quem tribuamus; sed, statum placendi, conditionem significare, qua aliorum favore fruamur, floreamus: nostr. *das Beliebtseyn, Gunst: Einfluss.* Venisse h. usum ex versione Gr. v. χάρις in N. T. in recentiorem latinitatem. V. ingentem exemplorum numerum, quae V. D. ex *Suet.* congessit l. l.] ℙ Hinc *recipere in gratiam* eum dicimur, qui vult nobis reconciliari, cum aliquando inimicus fuerit. *Cic. Rab. Post.* 8. Quem ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim. [*Non absimiles dicendi rationes hae sunt: *Cic. Att.* 1, 3. Sallustium praesentem restituere in ejus veterem gratiam non potui. *Id. Prov. Cons.* 9. Hic me meus animus in remp. cum Caesare reduxit, reconciliat, restituit in gratiam. *Ter. Andr.* 5, 4, 45. Jam dudum res reduxit me ipsa in gratiam. *Id. Hec.* 3, 5, 29. Neque alio componi pacto potis inter eos gratia. *Id. Ph.* 5, 7, 73. Redigere in gratiam.] ℙ Saepe pro mutua amicitia, benevolentia, concordia. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Nam mihi cum hominibus his et gratia, et necessitudo est. ℙ *Gratiam inire*, est amicitiam alicujus sibi conciliare. *Cic. Att.* 1, 14. Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset. *Id. Verr.* 2, 2, 46. Ut idem Pompejus non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se hujus absolutione inire gratiam arbitraretur. *Id. Att.* 7, 9. Jam cum bonis omnibus summam ineat gratiam. Al. plerique leg. *a bonis omnibus.* [*Ita *Orell. Ter. Eun.* 3, 5, 9. Adibo, atque hanc gratiam ab eo quam video velle, inibo.] *Liv.* 36, 5. Ap. regem gratiam initam volebant. *Id.* 33, 46. Quantam eo facto ad plebem inierat gratiam. [**Ter. Heaut.* 2, 3, 61. Perge obsecro te, et cave ne falsam gratiam studeas inire, i. e. simulatam, mendaciis comparatam. *Sall. or.* 1. ad *Caes. f.* Perversam gratiam gratificari. V. in GRATIFICOR.] ℙ *Redire in gratiam*, est reconciliari. *Cic. Att.* 1, 14. *extr.* Cum Lucejo in gratiam redi. ℙ *Gratiam alicujus sequi*, est alicujus amicitiam ambitiosius captare, vel ambire. *Caes. B. C.* 1, 1. Sin Caesarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur. [*Perelegans dicendi ratio a corporis motu ad animum translata.] ℙ Dicimus etiam *mala gratia*, pro offensione, acerbitate. *Ter. Ph.* 4, 3, 17. Sic haec potius cum bona ut componantur gratia, quam cum mala. [*Sic in lege 32. §. 11. *Pandectar.* de donationibus inter virum et uxorem matrimonium bona gratia dissolutum dicitur, quod consensu mutuo sine alterius ex conjugibus querela solutum est. Laudat haec *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 2, 5, 11. Eodem fere sensu ponuntur hae formulae: *Per gratiam. Pl. Mil.* 4, 1, 33. A te ut abeat per gratiam, i. e. sic, ut gratia maneat eadem, quae antea; cum bona gratia. — *Cum gratia. Ter. Andr.* 2, 5, 11. Cum istuc quod postulo impetro cum gratia, i. e. non invito animo, lubenter.] ℙ *Ponere aliquem in gratia* est amicum facere, conciliare. *Cic. Att.* 6, 6. *f.* et *ib.* 5, 11. At te apud eum, Dii boni! quanta in gratia posui! ℙ Dicimus etiam *ponere in gratiam*, si modo certa est lectio ap. *Cic. Att.* 5, 3. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* [*Priore loco *Orell.* accus. exhibuit. *Ern.* ablat. susp. Altero *Orell. gratia* exaravit. Cf. de h. dicendi ratione *Gron.* ad *Liv.* 44, 14.] ℙ *Esse in gratia*, gratum, amicum esse. *Cic. Verr.* 1, 17. Ut senatus cum populo R. et in laude et in gratia esse possit. Sic *Id. Fam.* 1, 9. Cum mihi cum illo magna jam gratia esset. ℙ *Habere in gratia*, amare, amici loco habere. *Suet. Dom.* 11. Consularem virum condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quoad, etc. ℙ Interdum *grātia* sumi videtur pro auctoritate et potentia, quae favore et plausu acquisita est. *Cic. Fam.* 13, 29. *med.* Omnia quae potui in hac summa tua gratia ac potentia a te impetrare. *Gell.* 5, 6. *med.* Senatusconsultum faciundum per gratiam curavit. *Suet. Aug.* 35. Senatores per gratiam et praemium allecti. ℙ Etiam beneficium significat, quod alteri confertur, ex quo gratia nascitur. *Cic. Fam.* 2, 6. Nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulandoque illustrare posset. *Sall. Jug.* 119. Quod polliceatur, populum R., quoniam armis amplius valuisset, non in gratia habiturum. [**Pl. Capt.* 3, 5, 63. Ab eo petito gratiam istam. *Ter. Hec.* 3, 3, 30. Hanc gratiam uti sibi des. *Sall. Jug.* 110. Ut rex privato homini gratiam deberem.] ℙ Item beneficium, quod redditur, vel memoriam accepti beneficii, animum gratum, et voluntatem remunerandi. *Cic. Planc.* 33. Meritam Diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvere. *Id. Fin.* 3, 21. Quanta Diis gratia debeatur. *Ter. Andr.* 2, 1, 31. Postulare, id gratiae apponi sibi, [*i. e. id pro beneficio haberi, sibi eo nomine gratias deberi. V. *Ruhnk.*] ℙ *Agere gratias* est verbis ostendere, nobis aliquid fuisse gratum, vel beneficium verbis exornare. [*Gr. ἐυχαριστεῖν.] *Referre gratiam*, vel *gratias* est facto aliquo beneficium remunerari. [**Referre* semper singul. *gratiam* secum habet, nisi ubi cum *agere* conjunctum est. *Pl. Amph.* 1, 1, 25. Mihi in mentem fuit Diis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui. Nae illi, edepol, si merito meo referre studeant gratias, etc. At *Liv.* 37, 37. Renunciate gratias regi me agere, referre gratiam aliam nunc non posse, cet. Laudat haec *Brem.* ad *Nep. Them.* 8, 7. Cf. *Ruhnk. praef.* ad *Schell. lex.* in Batavia ed. v. *Gratia.* Gr. χάριν φέρειν, ἀντιχαρίζεσθαι. V. *Döderl.* 2, 213.] *Cic. Phil.* 3, 15. *extr.* Ut pro tantis eorum in rempublicam meritis honores eis habeantur, gratiaeque referantur. [*V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 110. Adde *Nep. Them.* 8, 7. Cui ille pro meritis gratiam postea retulit.] *Repetere gratiam* est postulare, ut pro accepto beneficio aliud reponatur. *Liv.* 1, 47. Tarquinius prensare patres, admonere paterni beneficii, ac pro eo gratiam repetere. *Habere gratiam*, vel *gratias* pertinet ad animum, et significat memorem accepti beneficii animum habere, et remunerandi voluntatem. *Cic. Fam.* 5, 11. Nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti. *Ter. Andr.* 4, 4, 31. Diis pol habeo gratias. [**Ruhnk.* ad h. l. docet recte *Bentl.* e mss. *gratiam* edidisse; esse enim hoc ex more comicorum. At non solum comicorum, sed omnino latini sermonis: *gratias* habere dici latine non potest. Hinc in hac formula, ut in multis aliis, quae aliter proferri non poterant, solennis statuenda videtur a vulgari prosodiae lege aberratio. V. *Pl. Mil.* 5, 32. ubi *Lindem.* haec contra *Both.* pro *gratiam* propter metrum *gratias* emendaturum disputat. Gr. χάριν εἰδέναι.] *Id. Eun.* 5, 9, 61. Bene fecisti: gratiam habeo maximam. *Cic. Phil.* 3, 10. Meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere, et habere debemus. *Id. Off.* 2, 20. Commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse; qui reddiderit, non habere; gratiam autem et qui retulerit, habere; et qui habeat, retulisse. V. similem loc. *ad Quirit. f.* et *Planc.* 28. ℙ Translate. *Colum.* 2, 2. *med.* Nullum deterius habetur agri genus, quam quod est siccum pariter et densum, et macrum: quia cum difficulter tractetur, ne tractatum quidem gratiam refert, *h. e.* fructum reddit impensae et labori aequalem. *Virg. G.* 1, 83. Nec nulla interea est inaratae gratia terrae. [*V. *Heyn.* Aliter, sed male, *Catr.* et *Burm.* de amoenitate, jucunditate agrorum intelligunt.] ℙ *Referre gratiam* aliquando per ironiam in malam partem sumitur, *h. e.* pro injuria injuriam rependere, ulcisci. *Cic. Amic.* 15. Tarquinium dixisse ferunt tum exsulantem, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum jam neutris gratiam referre posset. *Ter. Eun.* 2, 3, 93. Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur. Adde *Cic. Sull.* 16. *extr.* et *Att.* 2, 9. [*Dixerunt de hoc dicendi genere *Gronov.* ad *Sen. Clem.* 7. *Graev.* ad *Cic. Sull.* 16.] ℙ *Reddere gratiam*, non dicimus: reddunt enim et qui reposcuntur, et qui inviti, et qui ubilibet, et qui per alium. Ita *Senec. ep.* 81. *med.*, qui tamen *ib. paulo sup.* dixerat: Hoc certe justitiae convenit, suum cuique reddere, beneficio gratiam, injuriae talionem, aut certe malam gratiam. *Tibull.* 2, 1, 36. Redditur agricolis gratia coelitibus. ℙ *Est gratia*, est: ago gratias. *Ter. Ad.* 1, 2, 58. Unum vis curem: curo, et est Diis gratia, Cum ita, ut volo, est. *Pl. Men.* 2, 3, 36. Eamus intro, ut prandeamus. *Me.* bene vocas: tam gratia est, verba sunt recusantis, et beneficium invitationis nihilominus agnoscentis. ℙ Et omisso verbo. *Ov. Pont.* 3, 5, 48. Gratia Diis: menti quolibet ire licet. ℙ Nonnunquam *gratia* accipitur pro indulgentia, venia. *Gell.* 11, 8. Ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulavit. [*Sed semper sensu passivo intelligendum hoc dicendi genus. Ita *Suet. Claud.* 21. et *Cal.* 15.] ℙ Hinc *facere gratiam* est remit-

tere, condonare. *Liv.* 3, 56. Omnium tibi, quae impie nefarieque per biennium es ausus, gratiam facio. *Pl. Rud.* 5, 3, 58. Jurisjurandi volo gratiam facias. *Suet. Aug.* 17. Bononiensibus gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus suis. *Id. Dom.* 14. Edicti de excidendis vineis propositi gratiam fecit. [*Dicitur etiam cum quodam ironia. *Pl. Trin.* 2, 2, 18. Hisce ego de artibus gratiam facio, Ne colas, neve iis imbuas ingenium. Ita cum *Both. Lindem.* locum emendavit, in notis hac interpretatione adhibita: Facile patior, ne ejusmodi artes colas. Dicere enim volebat: vehementer recuso, veto, ne colas.] ℙ *Facere gratiam* est etiam facere potestatem. *Id. Aug.* 38. Equitibus reddendi equi gratiam fecit. [*V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 390.] ℙ Facere alicui malam gratiam cum aliquo. *Senec. Controv.* 1, 5. *f.* Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere: habet amicam. ℙ Utimur etiam *gratia* pro causa. *Cic. Fin.* 1, 10. *extr.* Majorum dolorum effugiendorum gratia. [**Id. Off.* 3, 5. emolumenti sui gratia. Ceterum notandum, ap. *Liv.* et seriores *gratia* genitivis frequenter in talibus praeponi. Exempla v. ap. *Ruddim*, 2, 244. Adde *Quint. Inst.* 8. *prooem.* 18. *ib.* 6, 2. et 9, 4, 144. Aureae aetatis scriptores semper postponunt. Saepius etiam omitti solent *gratia*, *causa*, *ergo*, sicut Gr. ἕνεκα. V. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 4, 1. *Perizon.* ad *Sanct. Minerv.* 4, 4. *Heusing. Addend.* ad *Vechn. Hellenol.* p. 153. et *Fisch.* ad *Well. Gr. gr.* 3. p. 393. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 315.] *Ter. Andr.* 2, 6, 2. Ea me hic restitisse gratia. Et 3, 4, 8. Ea gratia simulavi, ut, etc. *Id. Heaut.* 4, 5, 20. Ea gratia secum adduxit, ne, etc. *Sall. Jug.* 58. Id ea gratia eveniebat, quod, etc. *Ter. Eun.* 1, 2, 19. Huc qua gratia te arcessi jussi, ausculta. *Pl. Ps.* 5, 2, 3. Num mea gratia pertimescit? Et *Stich.* 5, 1, 5. Qui nihil ocius venit tamen hac gratia; et *Mil.* 3, 1, 160. Quid opus fuit hoc, hospes, sumptu tanto nostra gratia? et *Ps.* 1, 5, 138. Non abire certum est istac gratia. *Plin.* 18, 25, 57. Brevitatis gratia. *Id.* 2, 17, 15. Exempli gratia. *Appul. Met.* 6. Laminae auro litteratae, quae cum gratia facti nomen Dei, cui fuerant dicata *(dona)*, testabantur. ℙ Huc pertinet *in gratiam*, quod est *causa* ablat., ut *in gratiam mei, tui*, mea, tua causa, ut mihi, aut tibi quis gratificetur. *Vell.* 2, 41. Cum M. Piso Anniam in Sullae dimisisset gratiam. *Suet. Tib.* 49. Constat condemnatam Lepidam in gratiam Quirini consularis. ℙ Item pro venustate, pretio, quo quippiam commendatur, gratum est, et jucundum. [*Recte *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 389. sq. primam hanc vocis significationem censet, i. q. suavitas, jucunditas, *h. e.* conditio, qua aliquid aliis placet, nostr. *Anmuth*, *Schönheit*, *gefälliges Aussehen*. Ceterum notandum v. *gratia*, hac significatione non nisi ab argenteae aetatis scriptoribus usurpari.] *Plin.* 28, 19, 79. Lepore sumpto, gratiam corpori fieri in novem dies. *Quint. prooem. l.* 6. Gratia in vultu, jucunditas in sermone. *Id.* 9, 4. *med.* Virtutes etiam ipsae taedium pariunt, nisi gratia varietatis adjutae. *Id.* 6, 1. *med.* et 11, 1. *f.* Perdere gratiam alicujus rei. *Id. prooem. l.* 1. Nullam ingenii sperantes gratiam. *Cels.* 4, 24. *med.* Et lapidi Asio gratia est ad juvandum. *Plin.* 14, 1, 3. Uvis et vinis gratiam affert fumus fabrilis; et 17, 9, 6. Foetore aspectuque, temporis viribus, in quandam etiam gratiam mutato. ℙ [*Gratia* fuit etiam cogn. R., ut Cornelia Gratia, filia M. Cornelii Frontonis, cujus saepe hic meminit in epistolis suis ab *A. Maio* editis. *F.*] ℙ De ablativo *gratiis* V. infra suo loco.

GRĀTĬAE, arum, f. plur. Χάριτες, Deae pulcritudinis, quas alii tradunt, filias fuisse Jovis, et Autonoes, alii Jovis et Eurynomes, alii liberi Patris et Veneris. Dictae sunt a *gratia*, idest ab ea gratiae notione, qua pro venustate ac lepore accipitur, Graece dicuntur Χάριτες, a χάρις, quod a χαρὰ, gaudium. Tres sunt, *Aglaia*, *Thalia*, *Euphrosyne*. Aliquando pro *Aglaia*, et *Thalia*, Aegiale, et Pasithea leguntur. Aliorum interpretatione Gratiae Deae sunt, quae beneficentiae praesunt. Tres esse finguntur, quod una beneficium det, altera accipiat, tertia reddat: seu quia et benefici esse in alios debemus, et aliorum beneficia suscipere, et iis, qui in nos liberales fuerunt, retribuere, *dare* autem, *accipere*, et *referre* tres actus sunt inter se distincti. Ex his una *Aglaia* nominatur ab ἀγλαΐα, splendor, quia splendide, et magnifice praestandum est beneficium: altera *Thalia*, a θαλία, germen, ramus virens, quia beneficii memoria semper virere debet, et nunquam marcescere: tertia *Euphrosyne*, ab εὐφροσύνη, laetitia, quia et in accipiendo, et in dando beneficio laetari et delectari congruum est. Harum una aversa pingitur, duae ad nos conversae, quia pro accepto beneficio duplicem gratiam rependi oportet. Virgines sunt, quia pura beneficia esse debent, sine spe retributionis, seu quia nihil turpe rogare licet. Nudae, quod beneficia inter amicos minime decet esse fucata. Juvenes, quia beneficii accepti memoria senescere non debet, sed perpetuo virere. Hilares et ridentes, quod hilariter beneficium dandum est. Connexae, quia perpetuum debet esse benevolentiae foedus, et quia beneficium semper beneficium parit. In Acidalio Orchomeni fonte lavantur, qui dictus est ab ἀκηδής, nullam curam gerens, quod ab *a*, part. priv. et κῆδος, cura, quia conferens oblivisci beneficii dati debet, vel certe curam omnem abjicere de remuneratione. Haec magnam partem ex *Senec. Benef.* 1, 3. item ex *Serv.* ad *A.* 1, 724. sumpta sunt. *Hor. Od.* 1, 4, 6. Junctaeque Nymphis Gratiae decentes Alterno terram quatiunt pede. Et *ib.* 3, 21. *extr.* Segnesque nodum solvere Gratiae. ℙ [Tres gratias nudas, et invicem inter se connexas passim videre est in vetustis monumentis, et ap. *Fabr. Inscr.* p. 539., ubi tamen tres puellae egregia forma Gratiarum specie repraesentatae esse videntur; item *ib.* p. 432., ubi Mercurius et Hercules scopulo insistunt, infra fontis imago senilis jacet, hinc duae Nymphae Hylam rapere conantes, inde tres Gratiae nudae, inferius haec legitur inscriptio: Epityncanus M. Aurelii Caes. Lib. et a cubiculo Fontibus, et Nymphis sanctissimis titulum ex voto restituit: et ap. *Visconti. Mus. Pio-Clem. T.* 4. *tab.* 13. Mercurius senem genua flectentem, manusque supinas tendentem offert Aesculapio, ex altera vero parte tres Gratiae nudae eosdem intuentur; ex quibus patet, his aliisque locis eas symbolum esse gratiarum actionis pro accepto qualicumque beneficio, et valetudine recuperata. *F.*] ℙ Perelegans de his epigramma habes ap. *Mur. Inscr.* 494, 3., [quod tamen recentioris aevi fetum esse probavit *Leichius* in *Miscell. Lips. nov. T.* 1. p. 457., assentiente *P. Burmanno*, qui illud pluribus illustrat in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 54. *F.*]

*GRATIANOPŌLIS, is, Γρατιάνου πόλις, urbs Galliae Narbonensis, quae et *Cularo* audiebat, sic dicta a Gratiano Imperatore. Hodie est *Grenoble* in Delphinatu. *Sid. ep.* 3, 14. *B. A.*

GRĀTĬANUS, a, um, adj, ut Gratiana vasa ap. *Mart.* 4, 39. et *Plin.* 33, 11, 49. a Gratio, vel Gratiano artifice denominata. *In loco *Martialis* legitur etiam *Grantiana*, immo et *Glaniana*. ℙ Fuit et *Gratianus*, *i*, m. nomen Imperatoris Romani, Valentiniani filii. ℙ Item Praetoris, de quo *Tac. A.* 6, 38. *B. A.*

*GRĀTĬDĬĀNUS, i, m. ad Gratidium pertinens. Est cogn. R., ut M. Marius Gratidianus, M. Gratidii filius, a M. Mario adoptatus, *Cic. Off.* 3, 16. et 20. *B. A.*

*GRATIDĬUS, i, m. nomen prop. virorum R. ut M. Gratidius, Arpinas, de quo *Cic. Leg.* 3, 16. Hujus soror fuit M. Ciceronis oratoris avia. Fuit et M. Gratidius, Q. Ciceronis legatus in Asia. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. et *Fl.* 21. *B. A.*

GRĀTĬFĬCĀTĬO, onis, f. χάρισμα, actus gratificandi, gratia, beneficium. *Cic. Agr.* 3, 2. Conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria. [**Id. Mur.* 20. Sullana gratificatio reprehensa. *N. D.* 1, 44. In imbecillitate gratificationem et benevolentiam ponitis.] *Plin.* 21, 3, 9. Gratificationem ipsius reginae Antonio timente, *h. e.* ne quis, ut reginae gratificaretur, sibi venenum daret.

*GRATIFICĀTOR, oris, m. *Augustin. B. A.*

*GRATIFICĀTUS, a, um, part. pass. 6, 2. *D. de reb. auct. Jud. poss.* Si tibi gratificatus tutor solvit. *Sidon. ep.* 5, 10. Si videas tibi blandius quippiam gratificatusque. *B. A.*

GRĀTĬFĬCOR, aris, atus sum, dep. 1. χαρίζομαι, gratum facio, beneficium do. *Cic. Fin.* 5, 15. De eo quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. *Id. N. D.* 1, 44. *f.* Deus nihil cuiquam tribuens, nihil gratificans. *Id. Balb.* 6. Gratificatur mihi gestu accusator: inscientem Pompejum fecisse significat. *Id. fr. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Homo nimis in gratificando jure liber, L. Sisenna, *h. e.* gratiae causa remittendo. *Liv.* 21, 9. *extr.* Nuncios ad principes factionis Barcinae praemittit, ne quid altera pars gratificari pro Romanis posset. [*Perizon. conjecit: populo Romano. V. *Drak.* ad h. l.] *Plin.* referens verba veterum Annalium 34, 6, 11. Quod campum Tiberinum gratificata esset ea populo, *h. e.* dono dedisset. *Sall. Or.* 1. *ad Caes. f.* Perversam gratiam gratificari: gratificari cuipiam, quod illi obsit, ut *Cic. Off.* 1, 14. loquitur. *Tac. A.* 4, 19. Gratificari odiis alicujus, *h. e.* inservire gratiae causa. *Sall. Jug.* 3. Potentiae paucorum decus atque libertatem gratificari.

[GRĀTĬFĬCUS, a, um, adj. qui gratificatur. *Isid. Orig.* 10. lit. *G.* Gratificus ab eo, quod gratis faciat bonum. *Paul. Petr. de Vit. S. Mart.* 2, 716. gratifico concors cum pectore vultus. *Optatian. Porphyr. Pan. ad Constant. Aug.* 1, 6. Gratifici domini visibus apta sacris. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur* 1510, 4. Fotidius Gratificus. *F.*]

GRĀTĬIS, ablat. plur. a *gratia* saepe adverbii more usurpatur, praesertim a *Plauto* et *Terentio*, et significat idem quod *gratis*, sine mercede, aut praemio. *Pl. Epid.* 3, 4, 36. foras educite Quam introduxistis fidicinam: atque etiam fides, Ei quae accessere, tibi addam dono gratiis. *Id. fr.* apud *Charis.* 2, 180. Videas, mercedis quid tibi est aequum dari, Ne ista aetate me sectere gratiis. *Ter. Ph.* 3, 2, 15. Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis. *Id. Adelph.* 4, 7, 26. Aliquo abjicienda est, si non pretio, gratiis. Apud *Pl. Asin. prol.* 5. Age nunc reside: cave modo, ne gratiis. Al. leg. *graxis*, ut sit a *graxo*, clamo, a Graeco γράζω. [*Bentl. ad *Ter. Adelph.* 4, 1, 26. demonstrat, apud Comicos nunquam *gratis* semper *gratiis* scribendum esse. *Brem.* ad *Nep. Them.* 4, 3. contendit: *gratiis* ubique pro *gratis* exarandum.]

GRĀTĬLLĀ, ae, f. species libi, apud *Arnob.* 7. p. 230., sed illud quale sit, ignotum est: [esse tamen videtur, quod Graecis ἀρεσινὴ dicitur, εἶδος πλακοῦντος, παρὰ τὸ ἀρέσκω, ὃ τοῖς Θεοῖς ἀρέσκων, ut legitur in *Etymol. M.* ℙ Est etiam cogn. R. dimin. gratae. *Inscr.* ap. *Mur.* 1017, 4. Sulpicia Gratilla. *F.*]

GRĀTĬŌLĀ, ae, f. dimin. *gratiae*: agnoscitur ut Latinum a *Diomed.* 1, 313.

GRĀTĬŌSĒ, adv. per gratiam, gratificando, χαριέντως, *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. Competet adversus tutores tutelae actio, si praedia non idonea comparaverunt per sordes, aut gratiam. Quid ergo, si neque sordide, neque gratiose? *Ascon. Verr.* 2, 1, 4. *f.* Hoc in Sicilia fecit gratiosius in decumanos.

GRĀTĬŌSĬTAS, atis, f. gratia. *Tert. adv. Marc.* 1, 9. Ipsam naturalem novitatis gratiositatem volui repercutere, *h. e.* gratiam novitatis, ut ait *Plin. ep.* 1, 2.

GRĀTĬŌSUS, a, um, adj. χαρίεις, qui gratia apud omnes plurimum valet, vel qui omnium gratiam et favorem sibi facile conciliat. *Cic. Planc.* 19. Gratiosum esse tribulibus suis Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis sposponderit, denique omnibus officiis, etc.; et 18. Semper fuerunt viri boni, qui apud tribules suos gratiosi esse velint. [**Cicero* semper construit *gratiosus in aliquo loco*, vel *apud aliquem*. Hinc recte *Orell. Planc.* 19. *Gratiosum esse in sua tribu Plancium* pro *vulg.* emendavit. Eodem jure h. v. restituit *Idem* ap. *Eund. Phil.* 2, 37, 94. Adde *Ligar.* 11, 31. ubi v. *Orell.* et *Fam.* 1, 3. Cf. *Död.* 3, 255.] *Cic. Verr.* 2, 4, 20. Homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est. *Id. Quint.* 1. Cum adversario gratiosissimo contendere. [**Suet. Oth.* 2. Libertina aulica gratiosa. *Quint. Decl.* 383. p. 780. Nimio amore, et sollicita inquisitione hic ostendit uxorem. Venit illa in forum gratiosa: ne nos quidem obstitimus, quominus, etc.] ℙ Aliquando significat eum, qui proclivis est ad gratificandum. *Cic. Brut.* 84. Scribae gratiosi sint in dando et cedendo loco. ℙ *Gratiosa missio* dicitur, quae per gratiam impetrata est. *Liv.* 43, 14. *f.* Et quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros. ℙ *Gratiosa sententia* est, quam quis sibi faventem per gratiam extorsit contra jus. *Ulp. Dig.* 3, 6, 5. ℙ Docet *Gell.* 9, 12. *gratiosum* dici et qui adhibet, et qui admittit gratiam. Quo posteriore sensu *Ulp. Dig.* 50, 15, 1. Berytiensis colonia est in eadem provincia, Augusti beneficiis gratiosa. ℙ Pro jucundo et grato. *Plin.* 16, 33, 60. Cupressus odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa. [*De h. l. et de discrimine inter *gratiosus* et *gratus*. V. *Döderl.* l. l. Ceterum nota, quod exempla allata luculenter docent, confundi fere semper utrumque vocabulum, in primis ap. *Cic.* ita, ut pro *gratiosus gratus* a scribis textui obtrusum legatur.]

GRĀTĬS, adv. προῖκα, sine mercede, gratuito. *Cic. Off.* 2, 23. *f.* Habitare gratis in alieno. *Id. Rosc. Com.* 10. Communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii. *Id. Verr.* 2, 5, 19. Vel Capitolium publice gratis coactis fabris, operisque imperatis exaedificari potuit: et *paulo post.* Navis tibi gratis constat. *Id. Cluent.* 26. Gratis servire reipublicae. *Suet. Gramm.* 13. Gratis et sine mercede aliquid facere. *Cic. Fin.* 2, 26. Ut virtutes per se ipsas gratis diligant. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum: quid nunc putas tanta abs te mihi mercede proposita? Adde *C. Gracchum* ap. *Gell.* 11, 10.

GRĀTĬTO vel GLACITO, as, n. 1. idem ac gingrio, quod proprium est anseris: a sono. *Auct. carm. de Philom.* 19. Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser. Al. leg. *glacitat.*

GRĀTĬTŪDO, inis, f. pro grato animo, barbarum est. Perperam enim a quibusdam legitur in titulo *c.* 2. et 3. *l.* 5. *Val. Max.*, ubi optimi Codd. *de gratis*, *et ingratis* habent. ℙ *Gratitudo* pro grato sapore, habetur ap. *Apic.* 3, 6. auctorem culinarium, ut quidem legebat *Cellar. in Antibarb. c.* l., ast alii *gravitudo*: et ita videtur postulare sententia.

GRĀTĬUS, patria Faliscus, poeta Latinus, *Ovidii* aequalis, carmen epicum edidit, Graeco nomine *Cynegeticon* inscriptum, κυνηγετικὸν, in quo de venatione agit, seu de canum, et equorum, quibus in venando utimur, educatione, et cultu, de instrumento venatorio, de ratione venandi, etc., a

κυνηγέω, venor, quod a κύων, canis, et ἄγω, ago. *Ov. Pont.* 4, 16, 34. Aptaque venanti Gratius arma daret. Est qui putat *Gratii* esse et *Halieuticon* illud, quod inter *Ovidii* opera edi solet, sed *Ovidio* multo certius tribuitur. Porro *Ovidius* unus ex veteribus *Gratii* meminit: cujus carmina diu latuisse, vigente Latina lingua, vel id satis argumento est. Non sunt tamen ejusmodi, quorum auctorem se esse *Gratium* pudeat, quaeque legisse, Latinitatis studiosum poeniteat. Quod vero *Paulus Manutius in ep. ad Antonium Merlum* adeo deprimit hunc poetam, ut cum *Petri Bargaei* carmine ejusdem argumenti omnino putet non conferendum; plus eum gratiae dedisse, quam veritati, non immerito existimat *Burm.* in *praef.* ad *Poet. Lat. min.* [Plura de eodem habet accurate conscripta *Wernsdorfius* in *praef.* ad *Poet. Lat. min. F.*]

GRĂTOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod gratulor. *Virg. A.* 4, 478. Inveni, germana, viam: gratare sorori. *Tac. H.* 2, 29. Versi in laetitiam laudantes, gratantesque. *Id. A.* 14, 8. Ad gratandum sese expedire. *Ov. Met.* 6, 434. gratata est scilicet illis Thracia. *Liv.* 7, 13. *extr.* Jovis templum gratantes ovantesque adire. [**Id.* 9, 43. Invicem inter se gratantes.] *Virg. A.* 5, 40. Gratatur reduces, *h. e.* quod reduces sint. *Accius* ap. *Serv. hic.* Nec tibi me in hac re gratari decet. *Tac. A.* 6, 21. Complexus eum Tiberius praescium futurorum, et incolumem fore gratatur, *h. e.* gratulatur, quod sit praescius, et spondet fore incolumem. ζεῦγμα. [*V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 225.] ℙ *Gratari sibi* est secum laetari. *Ov. Met.* 9, 244. totoque libens mihi pectore grator. *Id. Her.* 11, 65. Quid tibi grataris? ℙ Interdum significat gratias agere. *Ov. Fast.* 3, 417. Quisquis ades, castaeque colis penetralia Vestae, Gratare, Iliacis turaque pone focis. Alii tamen melius leg. *cratera.* [*De discrimine inter *gratari* et *gratulari* agit *Döderl.* 2, 214.]

GRĂTŪĪTŌ, adv. ἀμισθί, gratis. *Cic. Off.* 2, 19. Multorum causas et non gravate, et gratuito defendentis. *Sen. ep.* 105. Odium ex offensa sic vitabis neminem lacessendo gratuito, *h. e.* sine causa. [**Sall. Jug.* 16, 3. Scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. Id quod *Cic.* de Caesare dicit *Off.* 2, 24, 5. Ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiamsi causa non esset. Adde *Sall. fr. Hist.* 1, 19, 9. *Liv.* 1, 47, 1.]

GRĂTŪĪTUS, a, um, adj. ἄμισθος, qui datur gratis, idest sine praemio, aut pretio. *Col.* 9, 8. Examina apum vel aere parta, vel gratuita contingunt. *Plin. ep.* 3, 11. Gratuitam pecuniam dare alicui. *Cic. Leg.* 1, 18. Quid liberalitas? gratuitane est, an mercenaria? Si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta. *Plin.* 35, 9, 35. Hospitium gratuitum. *Cic. Planc.* 22. *extr.* Gratuita suffragia, *h. e.* libera, non pretio extorta. Sic *Id. Q. Fr.* 2, 15. *extr.* Gratuita comitia, *h. e.* in quibus suffragia non emuntur. *Sen. Benef.* 6, 19. Gratuita nave ferre per flumen. [**Suet. Cal.* 26. Gratuita in Circo loca: nostr. *Freiplätze.* V. *Burm.*] *Liv.* 2, 42. Gratuitus furor, *h. e.* qui nullo allectus praemio ultro excitatur. *Cic. Fin.* 2, 31. Probitas gratuita, nec praemiorum mercedibus evocata: ita *honorem gratuitum alicui decernere, h. e.* gratis, et sine sumptu datum. *Inscr.* ap. *Grut.* 354, 7. Huic ordo decurionum ob merita ejus honorem Augustalitatis gratuitum decrevit. V. DECURIO. Item *sacerdos gratuitus* dicitur in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 80, 3., qui sacerdotium sine pecunia est consecutus. Et *Augustalis gratuitus* in *Inscr.* ap. *Mur.* 199, 3., qui ap. *eund.* 199, 2. *gratis factus*, et ap. *Fabr.* p. 744, 530. *gratis creatus* praedicatur. ℙ Paenultima syllaba brevis est. *Stat. Silv.* 1, 6, 16. Quidquid nobile Pontieis nucetis, Quod ramis pia germinat Damascus, Largis gratuitum cadit rapinis. ℙ Posse tamen produci quidam putant, exemplo τοῦ *fortuitus* ap. *Hor. Od.* 2, 15. *f.*

GRĂTŪLĂBUNDUS, a, um, adj. valde gratulans. *Liv.* 7, 33. *extr.* Quo se omnis multitudo gratulabunda effundit. *Just.* 6, 8. *extr.* Velut gratulabundus patriae exspiravit.

GRĂTŪLĀTĬO, onis, f. σύγχαρμα, laetitia, quae simul cum alio capitur; testatio gaudii ob felicem rei successum alicui facta. *Cic. Verr.* 1, 8. Tantam isti gratulationem esse factam, ut, etc. *Id. Mil.* 35. Omni in hominum coetu gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. *Id. Att.* 1, 17. *med.* Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua jucunda, et timoris consolatio grata. *Curt.* 7, 2. Mutua gratulatione fungi. ℙ Item universim laetitia, quae cum alio capitur. *Cic. Mur.* 5. Hic parenti suo magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. *Id. Marcell.* 4. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones, *h. e.* victoriis, ob quas laetitia et gratulatione affectus es. [*Ita saepissime jungitur *laetitiae.* *Id. Verr.* 2, 4, 34. Summa cum gratulatione civium et laetitia reponitur statua. *Flacc.* 39. Quanta laetitia — — quanta gratulatio. *Mur.* 41. In sua gratulatione, i. e. circumdatus comitatu hominum gratulantium, quod consul esset designatus.] ℙ Hinc *gratulationes* dicuntur supplicationes Diis habitae ob rempubl. bene gestam, in quibus et gratiarum actiones iis habentur, et communis laetitia agitatur. *Cic. Fam.* 11, 18. Recens gratulatio, quam tuo nomine ad omnia Deorum templa fecimus. *Id. Cat.* 4, 10. Ceteris bene gestae, mihi conservatae reipubl. gratulationem decrevistis. *Id. Phil.* 14, 3. Gratae nostrae Diis immortalibus gratulationes, gratae victimae.

GRĂTŪLĂTOR, oris, m. *Cic. Fin.* 2, 33. Ita fit, ut gratulator laetior sit, quam is, cui gratuletur. [*Totum hunc locum, jam *Ernest.* ex parte susp., del. *Goer.* et *Brem.*, probante *Orell.*]

GRĂTŪLĂTORĬĒ, adv. gratulantis more. *August. Confess.* 8, 6. Gratulatorie mirari.

GRĂTŪLĂTORĬUS, a, um, adj. ad gratulationem pertinens. *Capitol. Max. et Balbin.* 17. Gratulatoriam epistolam subdidi.

*GRĂTŪLĂTRIX, icis, f. *Sidon. B. A.*

GRĂTŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. συγχαίρω, est verbis ostendere, alterius sibi felicitatem gratam et jucundam esse: cum altero laetari. Quod cum facerent Latini, solebant civili quadam formula dicere *ex sententia*, ut *Quint.* 8, 5. docet. [**Gratulari* est: sibi gratum quid esse, sive nobis sive aliis acciderit, testari. Ita recte *BCrus.* in *cl. Suet.* p. 390. Cf. *Periz.* ad *Sanct.* p. 6 et 7. Hinc conjunguntur *gratulor* et *laetor* ap. *Cic. Fam.* 2, 9.] Varia ejus constructio subjectis monstratur exemplis. *Id. Fam.* 15, 14. Tibi cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus, et summa gratia prosecuta est. *Id. ib.* 1, 7. *f.* Quod mihi de filia, et de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam *Ov. Trist.* 1, 9, 54. tota mihi mente, tibique Gratulor, ingenium non latuisse tuum. *Cic. Att.* 5, 20. Qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritate. Est qui leg. *celebritatem. Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Gratulor tibi affinitate viri optimi. *Ter. Eun.* 2, 2, 28. Ad coenam vocant, adventum gratulantur. *Suet. Claud.* 6. Cum oppressum Sejanum apud eosdem gratularetur. *Cic. Phil.* 2, 12. Ei recuperatam libertatem est gratulatus. *Id. Fam.* 6, 11. et *Planc.* 37. Tibi etiam in hoc gratulor. *Id. Pis.* 22. Publice ad me venerunt gratulatum. *Id. Att.* 8, 9. Non modo frequentes, sed laeto vultu gratulantes. [**Id. Fam.* 6, 12. Gratulor tibi, vereque gratulor, i. e. explicante Manut: *cum causa.*] ℙ *Gratulari sibi* est secum laetari. *Cic. Fam.* 3, 11. Etiam ipse mihi gratulatus sum. [**Vell.* 2, 104, 4. — ℙ Dicitur *gratulari* hoc sensu etiam absolute, quae rarior est loquendi ratio. *Ov. A. Am.* 3, 122. Prisca juvent alios, ego me nunc denique natum Gratulor. Laudat h. l. *Brem.* ad *Suet. Tib.* 60. Gratulanti autem inter poenam, quod, etc.] V. etiam GRĀTOR. ℙ Est item grates agere, praesertim cum de Diis sermo est. *Enn.* ap. *Non.* 2, 369. Jupiter tibi summe, tandem male re gesta gratulor. *Afran. ib.* et ap. *Prisc.* 8, 804. Quod salvus venis, meliusque tibi est, gratulor Divis. *Ter. Heaut.* 5, 1, 6. jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere, Tuam esse inventam gnatam. *Scipio Afric.* ap. *Gell.* 4, 18. Ne simus adversum Deos ingrati: eamus Jovi maximo gratulatum. [**Cic. Fam.* 15, 5. Si tu diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Plura laudat *Spalding.* ad *Quint.* 6. *prooem.* 8. — Poterant hic etiam commemorari solennes quaedam formulae ap. *Cic. Fam.* 9, 14. Dolabellae tuo et gratulor, et gratias ago. — Contra *ib.* 16, 16. Tuis et illius litteris perlectis, exsilui gaudio et tibi et ago gratias et gratulor. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 2, 9. ubi haec laudantur.] ℙ [Part. *Gratulandus* ap. *Front. de nep. am.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Quod si mors gratulanda potius est hominibus, quam lamentanda. *F.*]

GRĀTUS, a, um, adj. εὐάρεστος, χαρίεις, acceptus, jucundus, placitus. [**Döderl.* 3, 254. originem vocis ad *carus* referre posse sibi videtur. Cui sententiae hi loci favent, ubi de amore conjugum ponitur. *Virg. A.* 12, 142. Nympha, animo gratissima nostro. *Serv.* ad h. l. comparavit *Homer.* illud *Il. E.* 243. ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. Adde *Virg. A.* 10, 607. O germana mihi atque eadem gratissima conjux (de Junone.) *Prop.* 1, 12, 7. Olim gratus eram. *Ov. Fast.* 3, 468. Grata nimis Baccho filia regis erat.] *Cic. Fam.* 5, 11. Grata tibi mea esse officia, non miror; et *Div. Verr.* 3. Quid est, quod populo R. gratius esse debeat? *Liv.* 2, 8. Gratae in vulgus leges fuere. *Ter. Ad.* 2, 4, 6. Habere aliquid gratum. *Id. Heaut.* 2, 3, 127. Hoc est apud me quam gratissimum. *Plin.* 26, 2, 6. Sedere in his scholis auditioni operatos, gratius est, quam, etc. *Cic. Tusc.* 5, 15. Quod approbaris, id gratum acceptumque habendum. *Id. Att.* 13, 47. et *Caes. B. G.* 1, 44. *extr.* Gratum alicui facere. [**Hor. Od.* 3, 7, 17. Gratum elocuta Junone.] Et *Cic. Fam.* 13, 44. Hoc mihi gratius facere nihil potes; et *ib.* Gratissimum mihi feceris, si curaris, etc. *Hor. Od.* 4, 5, 7. gratior it dies, Et soles melius nitent. *Id. Sat.* 2, 2, 119. Gratus conviva. *Id. Od.* 1, 32. *extr.* dapibus supremi Grata testudo Jovis. *Virg. A.* 5, 28. Gratior tellus; et 344. Gratior in pulcro corpore virtus. *Ov. Met.* 14, 221. Gratissimus comitum. *Id. Fast.* 1, 585. Vates Diis gratissima. *Plin.* 19, 3, 18. Radicula floret aestate, grata aspectu. *Id.* 26, 3, 8. Multa dictu grata. *Id.* 30, 6, 15. Cochleae cibis gratae. *Id.* 11, 29, 35. Gratae in cibo locustae. *Id.* 12, 17, 37. Gummi odore jucundo gratum; et 10, 49, 69. Gratae sapore aves; et 13, 4, 7. Grato sapore dulcis. ℙ Differt a *jucundo*, quia *grata* sunt, quae habere praestat, quam carere, licet aliquando jucunda non sint. Itaque omnia jucunda grata sunt: non omnia grata jucunda. [*Cf. *Döderl.* 3, 254. sq.] *Cic. Fam.* 13, 18. Tale tuum judicium non potest mihi non summe esse jucundum: quod cum ita sit, esse gratum necesse est; et *ib.* 5, 15. Amor tuus gratus et optatus: dicerem, jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Adde *ib.* 4, 6. et *Att.* 3, 24. *extr.* [*Ironice dicitur ap. *Tibull.* 4, 10, 1. gratum est, quod, etc., ubi v. *Heyn.* ℙ Prae ceteris utuntur poetae hoc vocabulo ad loca designanda, ubi Dii deaeque libenter morantur, ubi sacra ipsis offeruntur et quorum tutelam ipsi susceperunt. *Ov. Met.* 10, 230. Sed quid loca grata, quid urbes peccavere meae? *Id. ib.* 8, 709. Gratamque Minervae despectabat humum. *Cir.* 473. Longe gratissima Delos Nerei dum matri et Neptuno Aegaeo. — Item dicitur de sacrificiis et aliis rebus, quas Dii vehementer amant, sine quibus esse nunquam solent. *Ov. Fast.* 1, 440. Hinc est, (sc. asellus) Hellespontiaco victima grata Deo. *Id. ib.* 3, 767 Hedera est gratissima Baccho. ℙ Ponitur etiam substantive. *Suet. Tib.* 46. Quam (classem) non amicorum, sed gratorum appellabat, i. e. hominum, quorum quidem consuetudine libenter utimur, quos tamen ad familiaritatem non admittimus. Alia lectio est Graecorum et Grajorum, quam jure suo ineptam dicit *BCrus. cl. Suet.* p. 389.] ℙ Est etiam *gratus*, qui gratiam pro beneficio refert, vel saltem beneficii memor est. *Cic. Planc.* 38. Si bene de me meritis gratum me praebeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati. *Id. Fam.* 5, 5. Quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sunt in me, exploratum habes. *Ter. Andr.* 1, 1, 15. Et id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam, *h. e.* gratum tibi fuisse. [*Rariore hoc loquendi formula dicitur. V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Cic.* ad *Caes. post. ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. *Id. Agr.* 2, 8. Ut grati ac memores beneficii esse videantur. *Id. Fam.* 13, 25. Hegesaretus magnis meis beneficiis ornatus, memor et gratus fuit; et *ib.* 10, 19. Re ipsa atque animo gratissimus. *Id. Phil.* 4, 1. Gratissimo animo prosequi nomen alicujus; et *ib.* 14, 11. Grata memoria virtutem cujuspiam prosequi. *Id. ad Brut.* 1, 4. Gratus animus et liberalis. ℙ Singularis est usus in illo *Ter. Heaut.* 2, 3, 21. Quod tamen nunc faciam: tum, cum gratum mihi esse potuit, nolui, *h. e.* potuit gratiam mihi parare apud patrem. [**Id. Eun.* 3, 1, 6. Ut grata sint, quae mihi facio omnia, i. e. intp. *Ruhnk.:* ut gratiam mihi afferant apud omnes. — Eadem ratio est v. *ingratus*, q. v.] Simile est illud *Cic. Phil.* 2, 46. Satis esse fortibus viris didicisse, quam sit pulcrum, beneficio gratum, fama glosiosum, tyrannum occidere, *h. e.* quantam apud cives gratiam pariat. [*Huc pertinet etiam locus *Liv.* 32, 8. Quod rex Attalus — Romanos juvisset, id gratum senatui esse, i. e., *interpr. Drakenb.*, pro eo gratias illi a senatu deberi. ℙ Hinc translate de terra, quae accepta semina cum fenere reddit. *Plin. Pan.* 31, 1. Omnibus equidem gentibus fertiles annos gratasque terras precor.] ℙ [*Gratus* fuit etiam cogn. R., ut Munatius Gratus, ap. *Tac. A.* 15, 50. et Julius Gratus, ap. *eund. H.* 2, 26. *F.*] ℙ [*Miscentur in codd. *Gratus* et gravis. V. intpp. ad *Quint. Inst.* 5, 10, 91. ad *Curt.* 3, 6, 19. et *Drakenb.* ad *Liv.* 30, 10, 20.]

GRĂVĂBĬLIS, e, adj. gravis, molestus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 15. Gravabilis odor, *h. e.* caput gravans.

GRĂVĀMEN, inis, n. molestia. *Cassiod. Variar.* 9, 2. Si visceribus sanis gravamen nullius sentiat laesionis.

*GRĂVĀMENTUM, i, n. gravamen. Exponitur βάρη in *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

GRĂVASTELLUS, senior. Plautus: Qui est gravastellus, qui advenit? Ut puto, gravastellus a gravitate dictus. Haec *Festus.* Locus autem *Plauti*, quem designat, est *Epid.* 5, 1, 14. Sed quis est haec muliercula, et illic gravastellus qui venit? Ubi al. leg. *ravastellus*, aut *ravistellus:* a ravo colore. Ipse idem *Festus* sic legisse videtur, in *Ravi*, ubi haec habet: Ravi coloris appellantur, qui sunt inter flavos et caesios, quos Plautus appellat ravistellos. Quis, inquit, haec mulier, et

ille ravistellus, qui venit? [Videtur haec vox orta a *ravastellus*, aspiratione litterae *R* in *G* versa: forma est diminutiva ab inusit. *gravaster*. *F.*]

GRĂVĀTE, adv. *ἀχουσίως, δυσχερῶς*, cum labore, cum molestia, invite, non libenter. *Cic. Balb.* 16. Qui erranti comiter monstrant viam, benigne, non gravate. *Id. Off.* 3, 14. Canius contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. [**Id. Or.* 1, 48. Meam facilitatem laudatote, quum vobis non gravate respondero.] *Pl. Bacch.* 3, 6, 3. Sed veniam mihi quam gravate pater dedit! *Id. Stich.* 5, 6, 2. Dudum haud placuit potio: nunc minus gravate jam accipit. [**Liv.* 42, 43. Gravate et in magnam gratiam petentis concessit. *Id.* 21, 24. Reguli Gallorum — haud gravate ad Poenos venerunt. (*χαλεπῶς*)] *Suet. Aug.* 24. Ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, permisit uxorem intervisere. [*Front. Princip. hist.* (ed. *A. Maio*) p. 315. Haud ignarus, fortissima facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi: faveri praeteritis, invideri praesentibus. *F.*]

GRĂVĀTIM, adv. idem quod gravate. *Liv.* 1, 2. Haud gravatim socia arma Rutulis junxit. *Lucr.* 3, 388. Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim.

GRĂVĀTĬO, onis, f. gravitas. *Coel. Aur. Acut.* 2, 32. *ad f.* Post cibum gravatio.

**GRĂVĀTOR*, oris, m. *Augustin. B. A.*

GRĂVĀTUS, a, um, part. a *gravo*; *βεβαρημένος*, pondere pressus, gravedine, vel molestia affectus. *Colum.* 6, 9. Signa febricitantis, manantes lacrimae, gravatum caput, oculi compressi. *Liv.* 30, 18. Gravatus vulneribus. *Id.* 25, 24. Gravati omnes vino somnoque. *Justin.* 20, 2. *f.* Longinqua militia gravati. *Ov. Met.* 4, 145. Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos Pyramus erexit. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 161. de Aetna: Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum Celat nube diem. Et *ib.* 3, 351. Gravatus pondere. *Petron. Sat.* 22. Cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur. *Curt.* 5, 7, Gravata ebrietate mens. ℙ *Gravatus* est etiam moleste ferens. V. GRAVO.

**GRAUCŌME*, es, f. opp. Aegypti inferioris, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

**GRĂVĒDĬNOSE*, adv. *Augustin. B. A.*

GRĂVĒDĬNOSUS, a, um, adj. *καρηβαρῶν*, qui gravedine infestatur, et qui ad eum morbum est proclivior. *Cic. Tusc.* 4, 12. Itaque dicimus quosdam gravedinosos, quosdam torminosos, non quia jam sint, sed quia saepe sint. ℙ Metonymice ponitur pro eo, quod gravedinem facit. *Plin.* 18, 15, 38. Ervum gravedinosum.

GRĂVĒDO, inis, f. *κόρυζα, καρηβαρία*, morbus capitis, quo humor distillat de capite, clauduntur nares, vox obtunditur, tussis sicca movetur: salsa est saliva, sonant aures, venae moventur in capite, turbida urina est. Ita *Cels.* 4, 2. *n.* 4. describit. *Cic. Att.* 10, 16. *extr.* Non modo morbum removisti, sed etiam gravedinem. *Catull.* 44, 13. Hic me gravedo frigida, et frequens tussis Quassavit. *Cels.* 1, 2. Cavere, ne modo frigus, modo calor moveat: quae res maxime gravedines, destillationesque concitat. *Cic. Att.* 16, 14. *f.* Gravedini omni ratione subveni. *Plin.* 23, 1, 6. Recentes uvae gravedinem capiti faciunt. *Id.* 25, 13, 94. Gravedinem afferre. *Id.* 30, 4, 11. Gravedinem invenio finiri, si quis nares mulinas osculetur. ℙ Item universim quidquid capiti gravitatem affert. *Id.* 20, 13, 51. Gravedines capitis. ℙ Item graviditas. *Nemes. Cyneg.* 132. Fecundos aperit partus matura gravedo.

GRĂVĒOLENS, entis, adj. *δυσώδης*, [*Proprie vehementem odorem spargens eoque molestiam parans. *Virg. G.* 4, 270. Graveolentia centaurea. Hinc i. q.] male olens. *Virg. A.* 6, 201. fauces graveolentis Averni. *Appul. de mundo.* Videas illam civitatem pariter spirantem Panchaeis odoribus, et graveolentibus cenis.

GRĂVĒOLENTĬA, ae, f. *δυσωδία*, odor gravis, malus. *Plin.* 20, 9, 36. Narium graveolentiam sanare. *Id.* 22, 22, 43. Graveolentiam alarum emendare. Et *mox.* Graveolentiam oris corrigere.

GRĂVESCO, is, n. *βαρύνομαι*, gravis fio, oneror. *Virg. G.* 2, 429. Nec minus interea fetu nemus omne gravescit, *idest* oneratur. ℙ Pro gravidam fieri. *Plin.* 11, 41, 96. Cameli lac habent, donec iterum gravescant. ℙ Item pro gravius fieri, seu augeri, ingravescere. *Tac. A.* 1, 5. Gravescere valetudo Augusti. *Lucr.* 4, 1062. Inque dies gliscit furor, atque aerumna gravescit. [*Adde 6, 337. et 3, 1035.] *Tac. A.* 14, 51. Gravescentibus in dies publicis malis.

**GRAVIĀCI*, orum, m. opp. Norici. *Tab. Peut. B. A.*

**GRĂVĬDĀTĬO*, onis, f. *JCti* in *Digest. B. A.*

GRĂVĬDĀTUS, a, um, part. a *gravido*. *Cic. N. D.* 2, 33. Terra gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese.

GRĂVĬDĬTAS, atis, f. *κύησις*, praegnatio, conceptio. *Cic. N. D.* 2, 46. Ab eoque Luna illuminata graviditates et partus afferat, maturitatesque gignendi.

GRĂVĬDO, as, avi, atum, a. 1. *ἔγκυον ποιῶ*, gravidam facio, impleo. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 380. Per mysteria hic inhoneste honestam gravidavit probro. *Aurel. Vict. Epit.* 14. Sabina jactabat, se elaborasse, ne ex eo (*Hadriano*) ad humani generis perniciem gravidaretur.

[GRĂVĬDŬLUS, a, um, adj. diminut. gravidi. *Ammian.* 23, 6. *f.* Exinde gravidulae edunt minutas binas, aut ternas (margaritas), vel uniones, ideo sic appellatas, quod evisceratae conchulae singulas aliquoties pariunt, sed majores.

GRĂVĬDUS, a, um, adj. *ἔμφορτος, ἔγκυος*, plenus, onustus, gravis. [**Cic. Div.* 1, 12. Romani nominis altrix, Martia, quae parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat.] *Pl. Truc.* 1, 2, 3. Neu qui manus attulerit steriles intro ad nos, gravidas foras exportet. *Virg. G.* 1, 111. Gravidae aristae. Et *ib.* 3, 317. Gravidum uber. Et *ib.* 2, 5. Ager gravidus autumno. *Id. A.* 7, 507. Stipes gravidus nodis. *Hor. Od.* 1, 22, 3. Pharetra gravida sagittis. *Ov. Fast.* 4, 633. Gravidae semine terrae. *Id. Trist.* 1, 2, 107. Gravidae nubes. [**Sil.* 6, 156. Gravida venenis alvus (serpentis).] ℙ Cum genitivo. *Sil.* 2, 220. Mellis apes gravidae. *Ov. Met.* 10, 531. gravidamque Amathunta metalli. Al. leg. *metallis* [*V. *Heins.* ad *Ov. Met.* 10, 220.] ℙ Speciatim *gravidae* dicuntur animantes, quae concepti fetus ventre onus portant. V. PRAEGNANS. *Cic. Cluent.* 11. Cum esset gravida uxor, et jam appropinquare partus videretur. *Ter. Ad.* 3, 5, 29. Aliquam gravidam facere. *Id. Hec.* 3, 3, 32. Gravidam esse ex aliquo. *Ov. Met.* 3, 260. De semine Jovis gravidam esse. *Id. Amor.* 2, 14, 17. Gravida alvus. *Hor. Sat.* 2, 8, 43. Muraena gravida. *Virg. G.* 2, 150. Gravidum pecus. *Pl. Amph.* 2, 2, 86. Mulier puero gravida. ℙ *Gravida* absolute est mulier gravida. *Plin.* 23, 6, 57. Expetitur gravidarum malaciae; et 28, 6, 17. Adsidere gravidis. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 229. gravida imperiis Italia. Et *ib.* 10, 87. Urbs bellis gravida. *Val. Fl.* 5, 22. Qualem praecipiti gravidum jam sorte parentem Natorum flet parva manus, *h. e.* gravatum morte imminenti. [**Sil.* 13, 542. Noxa gravido populo, i. e. gravato.] *Id.* 2, 56. gravidum lunae cornu, *h. e.* imbres ventosque portendens ac ferens. [**Lucr.* 6, 259. Gravidam fulminibus tempestatem.] *Id.* 8, 98. Quam gravida nunc mole jaces! quam segnis inertem Flatus habet! *h. e.* vasta, et somni plena. Loquitur de dracone aurei velleris custode, quem incantamentis Medea sopierat. [**Sil.* 13, 494. Gravida arcanis anus. *Lucan.* 5, 735. Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis Pectus. Illustrat hunc usum *Heins.* ad *Val. Fl.* 2, 161. Et curis gravidum, lacrimisque relinquit.]

**GRAVII*, orum, populi Hispaniae Tarraconensis. V. *Grovii. B. A.*

GRĂVIS, e, adj. *βαρύς*, ponderosus, et qui suapte natura deorsum fertur cui opponitur *levis*: videtur esse ab allata voce *βαρύς*, litteris vero transpositis *ῥαινύς*, deinde pro aspirata littera *g* praemissa, et *b* in *v.* mutata, ut saepissime alias. *Cic. N. D.* 3, 34. Aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum. *Virg. G.* 1, 162. inflexi grave robur aratri. [**Lucr.* 5, 497. Atque omnis mondi quasi limus in imum Confluxit gravis, etc. *Ov. Met.* 7, 355. Gravis tellus, i. e. ponderosa. ℙ Hinc idem quod durus. *Ov. Met.* 12, 118. Quo plangente gravem moribundo vertice terram Extrahit illud idem calido de vulnere telum.] ℙ *Aes grave* dictum est a pondere librali, quo primum sub Ser. Tullo asses Romae cusi sunt circa an. U. C. CC. *Plin.* 33, 3, 13. Populus R. ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est (*h. e. circa an. H. C. CCCCLXXXV.*). Librales appendebantur asses: quare aeris gravis poena dicta. Servius rex primus signavit aes. Antea rudi usos Romae Timaeus tradit. *Festus:* Grave aes dictum a pondere. *Liv.* 4, 60. *f.* Et quia nondum argentum signatum erat, aes grave plaustris quidam (*ex patribus*) ad aerarium convehentes, speciosam etiam collationem (*tributi*) faciebant. V. As. ℙ Postquam assis pondus ad sextantarium imminutum est, quod fieri coepit bello Punico primo, teste *Plin.* l. c. (*Fest.* in *Sextantarii* dicit bello Punico secundo: sed major habenda videtur *Plinio* fides) *aes grave* significare coepit non asses illos librales, qui in usu esse jam desierant; (illi enim proprie *graves* dicebantur, quia librae pondo erant) sed vel summam Pecuniae, quae illos non numero, sed pondere aequaret; vel aes ipsum rude, et in massis ad assium libralium pondus appensum. Verbi gratia, cum *Liv.* 22, 33. narrat, indici speculatoris Carthaginiensis (qui bello Punico altero per biennium Romae fefellerat) data fuisse praemii loco aeris gravis viginti millia; vel intelligendum est, tot asses illi datos, qui viginti millia pondo aequarent; vel viginti millia librarum aeris non signati. Pro secunda hac interpretatione facit, quod tradit *Serv.* ad *A.* 6, 862. Virgilium recitantem versus de Marcello Augusti filio, *donatum fuisse aere gravi*, idest *in massis: nam sic et Livius aes grave dicit*, *idest massas.* Nihilominus prior interpretatio magis placet: praesertim quia, quod ad *Servium* attinet, *Donat. in Vita Virg. n.* 12. scribit, Virgilium accepisse dena sestertia pro singulis versibus, non ergo aes in massis. Et quod de *Livio* additur, probari non posse videtur. Pecunia certe signata, et non in massis, intelligitur in illo ejusdem *Liv.* 10, 46. Aeris gravis transvecta vicies centies millies etc., id aes redactum ex captivis dicebatur. ℙ [*Aes rude* erat in Italia, et Romae praecipue ante Ser. Tullum. V. *Plin. l. c.* Constabat porro ex aerea lamina plurium librarum pondo, oblonga, impolita, ac rudi, tot globulis distincta, quot erat librarum pondo, cujus specimen habes ap. *Passer. Paralip.* in *Dempster. Etrur.* tab. 1. ℙ *Argentum grave* est rude, aestimatum pondere, non artificio. *Senec. Tranq.* 1. Placet argentum grave rustici patris, sine ullo opere, et nomine artificis. ℙ *Gravis* interdum gravidum, plenumve signat. *Virg. A.* 1, 277. regina sacerdos Marte gravis. *Ov. Met.* 9, 684. gravis maturo pondere venter. *Plin.* 9, 6, 5. Balaenae graves utero. [**Virg. A.* 6, 516. Fatalis equus — armatum peditem gravis attulit alvo.] *Liv.* 28, 15. Graves imbre nubes. ℙ Item oneratum, onustum. *Liv.* 29, 35. Naves hostium spoliis graves. [**Id.* 21, 5. Agmen grave praeda Cf. 31, 39. ubi *grave agmen* absolute dicitur.] *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Gravis vinculis. [**Virg. Ecl.* 1, 36. Gravis aere dextra.] *Ov. Her.* 9, 116. Colus lana gravis. *Prud. Cathem.* 3, 78. Arbor gravis. ℙ Item languentem, onere oppressum, tardum. *Virg. G.* 3, 95. Gravis morbo. [**Gravis* dicitur etiam absolute *aegrotus*. *Id. Ecl.* 1, 50. Non insueta graves tentabunt pabula fetas, i. e. aegras e partu. Alii *graves* male intell. *gravidas.*] *Liv.* 21, 48. vulnere. Et *ib.* 2, 19. Aetate et viribus gravior. *Val. Fl.* 6, 65. gravior de vulnere. *Curt.* 7, 5. Graves deinde, avide hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant. [**Lucr.* 3, 1079. Aut abit in somnum gravis] *Hor. ep.* 2, 57. Grave corpus. *Cic. in. Sen.* 6. Graves oculi. *Lucr.* 6, 1049. Lingua motu gravis.] *Liv.* 21, 34. Vino et somno graves. *Ov. Met.* 7, 557. auraeque graves captantur hiatu, *h. e.* aeger anhelitus, [*minime! Aurae graves h. l. sunt pestilentiales. V. sqq. Aptius huc transfertur *Virg. G.* 3, 506. Atque attractus ab alto Spiritus interdum gemitu gravis. V. Cerdam, qui plura congessit.] ℙ Item vehementem, seu vim habentem deprimendi, affligendique, veluti pondere superjecto. *Hor. Od.* 4, 9, 23. Graves ictus excipere. Et *Od.* 1, 15, 16. Graves hastas vitare. *Liv.* 2, 17. Gravi vulnere ex equo dejectus. *Ov. de nuce* 173. Gravem securim tollere. *Val. Fl.* 4, 309. vitalia donec Vincula, qua primo cervix committitur artu, Solvit dextra gravis. *Hor. Od.* 2, 10, 10. Graviore casu decidere. Et *ib.* 1, 16, 17. Exitio gravi aliquem sternere. *Lucr.* 4, 953. Sopor gravissimus. ℙ Item acrem, noxium. *Nep. Ann.* 23. Gravis morbus. *Hor. Ep.* 2, 1, 158. Grave virus. [**Ov. Met.* 4, 498. Inspirantque graves animas, i. e. pestiferum halitum: i. q. *Virg.* dicit *vipereum animam.*] ℙ Sic dicitur saepe de aere, coeloque, et universim de iis, quae valetudine infesta sunt. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Anni tempus gravissimum, et calores maximi. *Caes. B. C.* 3, 2. Gravis autumnus exercitum valetudine tentaverat. *Hor. Od.* 2, 5, 6. Fluviis gravem aestum solari. *Cels.* 1, 3. Neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. *Tac. H.* 5, 7. Solum coelumque juxta grave. *Virg. Ecl.* 10. *extr.* solet esse gravis cantantibus umbra. [*Comparat *Heyn. Lucr.* 6. 783. sqq. Adde *Virg.* 2, 377. Gravis aestas.] ℙ Cum de sonis est sermo, significat imum et crassiorem. *Cic. Or.* 1, 59. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipere. Adde *Hor. A. P.* 349. ℙ Cum de odoribus, molestum et foetentem. *Hor. Ep.* 12, 5. an gravis hirsutis cubet hircus in alis. [**Virg. G.* 3, 415. Agitare graves chelydros, i. e. intolerabili foetore praeditos.] ℙ Aliquando *gravis odor* est vehemens quidem ac multus, sed non malus. *Plin.* 21, 6, 15. Calthae odor gravis est. *Id.* 25, 9, 70. Herba odore suaviter gravi. Et 21, 10, 34. Abrotonum odore jucunde gravi floret. [**Virg. G.* 3, 451. Elleborus gravis.] ℙ Refertur et ad sapores. *Varr.* ap. *Non.* 3, 4. et 4, 218. Absinthium gravem bibere. ℙ Translate est molestus, difficilis, arduus. *Cic. Fam.* 13, 76. Testes estis nunquam me gravem vobis esse voluisse: Et 73. Velim, si tibi grave non erit, me certiorem facias: Et *ib.* 2, 6. Grave est homini pudenti petere aliquid magnum, etc. Et *Att.* 1, 5. Non mihi grave duxissem scribere ad te. *Id. Balb.* 9. Etenim in populum R. grave est, non posse uti sociis virtute praeditis. [*Plura hujus generis laudat *Cort.* ad *Lucan.* 8, 157. Adde *Virg. Aen.* 8, 516. Grave Martis opus. *Cir.*

291. Grave servitium.] *Pl. Stich.* 4, 2, 52. Annona gravis. ℙ Item infestus, acer, asper, praepotens. *Cic. Off.* 3, 22. Gravem adversarium imperii perfuga unus sustulisset. [*Coll. *Suet. Ner.* 54. ubi *Wolf.* Male plerique *gravem adversarium* explicant *invisum.* Est potius, qui non facile vinci potest: quamquam verum est, hinc plerumque crescere invidiam. Comp. *Brem.* ad h. l. *Graves Persae Hor. Od.* 1, 2, 22. At *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 1, 10. *ed. Web. graves Persas* intelligit *fastu non ferendo se gerentes.* Quod parum videtur. Neque superbiae notionem continet alter locus, quem V. D. modo laud. *ib.* comp. *Virg. G.* 4, 84. ubi *gravis victor* est qui loco non cedit: *der das Feld behauptet.*] *Liv.* 10, 18. Gravior hostis. *Ascon. pro Mil. f.* Graves sententiae: quibus opponuntur *absolutoriae.* ℙ Item vehemens, magnus. *Hor. Ep.* 11, 2. amore percussus gravi. *Ov. A. Am.* 2, 604. gravis culpa. *Sall.* ap. *Non.* 4, 218. Grave pretium. *Varr. ib.* Graves pavonum greges. *Titin. ib.* gravique obsonio convivas excipere. ℙ Item gravis annis, grandaevus. *Virg. A.* 5, 387. gravis Entellum dictis castigat Acetes. Ita *Non. l. c.*, sed et aliter exponi potest. [*Negat *Doederl.* 3, 224. *Gravis* absolute dici pro *grandaevus*, recte interpretatus *graviter*, quae usitatissima est loquendi ratio. Laudat *Doederl. Liv.* 27, 4. Hannibali cedenti ... gravis ipse instaret: ubi *Gron. gravius* susp. At v. *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 35, 3. quem ad locum *Virg.* a Nostro allatum conferendum docet *Burm.*, qui *gravis* h. l. de animo et auctoritate intelligi mavult.] *Ter. Heaut.* 4, 1, 32. Natu gravior. *Quint.* 12, 10, 8. Gravior aetas. [*Döderl.* l. l. discrimen inter *grandis* et *gravis*, cum de aetate dicuntur, ita constituit, ut illud corporis maturitatem, cujus aliquis annis provectior adspectum praebeat; hoc auctoritatem animi cum corporis maturitate conjunctam significet. Adde *Caes. B. G.* 3, 16. Nam quum omnis juventus, omnes etiam gravioris aetatis convenerunt.] ℙ Item severus, rigidus. *Liv.* 29, 21. Grave edictum. [*Ita saepissime de poenis. *Suet. Aug.* 5. Gravior poena. *Ov. Met.* 2, 467. Graves poenae. *Vell.* 2, 78, 3. Gravissimi, comparandique antiquis, exempli auctor fuit.] *Cic. Brut.* 17. Quis Catone gravior in laudando? acerbior in vituperando? [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 191. *Suet. Caes.* 65. Exactor gravissimus disciplinae. *Caes. B. G.* 1, 20. Ne quid gravius statueret. Plura ejusdem generis laudat *Ruhnk.* ad *Terent. Andr.* 5, 3, 3. *Lucret.* 1, 64. Humana ante oculos fede quom vita jaceret In terris, oppressa gravi sub religione etc., i. e. tristi homines timore, horrore Deorum implente. ℙ Hinc *gravis* in universum dicitur pro infestus. *Liv.* 44, 30. Gravis popularibus esse coepit. Ita de fortuna *Caes. B. G.* 1, 32. Hoc esse misseriorem gravioremque fortunam Sequanorum.] ℙ Item serius, et auctoritatem habens. *Id. ib.* 81. Gravis sine arrogantia, segnis sine verecundia. *Id. Fam.* 2, 2. Gravis testis, cujus dicta pondus habent auctoritatis et fidei. *Id. Or.* 2, 37. Homo auctoritate gravis. *Pl. Trin.* 2, 2, 107. Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quam centum mea. *Cic. Pis.* 6. Gravis auctor in medicina. *Plin. Pan.* 41. Fronte gravi, et tristi supercilio. *Claud. in Eutr.* 1, 350. Atque aliquis gravior morum. [*Virg. A.* 1, 151. Pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere. *Ov. Met.* 15, 590. Populumque gravemque senatum Convocat. V. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 11, 1. ℙ Hinc dicitur etiam *gravis* de aliis, quae auctoritate, viribus pollent. Ita *Liv.* 34, 17. Gravem atque opulentam civitatem vineis et pluteis cepit, i. e. validam; nos: *eine wichtige Stadt.* Gr. *βαρεῖα πόλις.* V. *Duk.* ad *Flor.* 1, 3. *Wesseling.* ad *Diod. Sic.* T. 1. p. 306. et T. 2. p. 630. *Lex. Liv.* p. 288.] ℙ Item solidus, firmus, magni momenti. *Cic. Rosc. Com.* 2. Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur. *Ter. Adelph.* 3, 5, 21. Mane: nondum audisti, Demea, quod est gravissimum. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Gravis causa. *Hor. A. P.* 14. Gravia incepta. ℙ Item acerbus, asper, mordax. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Graviore verbo appellare aliquem. ℙ Item tristis. *Virg. A.* 8, 582. gravior ne nuncius aures Vulneret. ℙ *Gravis supellex* ap. *Plin. ep.* 8, 17. est pretiosa ac dives. ℙ *Gravis accentus* dicitur a grammaticis, qui acuto contrarius est, et syllabam deprimit: cujus nota est lineola inflexa supra vocalem, a sinistra in dexteram, hoc modo. Et ipsa quoque syllaba, talem habens accentum, *gravis* appellatur. *Quint.* 1, 5., *Diomed.* 2, 425. ℙ *Grave* pro *graviter. Stat. Th.* 4, 213. Et grave Tisiphone risit. Et *ib.* 12, 248. grave cominus aestuat aer Sordidus. (Adde *ib.* 6, 120.) *Val. Fl.* 5, 170. grave Titan vociferans.

*GRAVISCAE, arum, et Gravisca, ae, f. opp. Hetruriae. Priorem formam habent *Liv.* 40, 20. et 41, 16. *Virg. A.* 10, 184. *Sil.* 8, 474. ubi V. *Drakenb. Plin.* 3, 5. *Mela* 2, 4. posteriorem *Vell.* 1, 15. ℙ V. in *Graviscanus, a, um. B. A.*

GRĂVISCĀNUS, a, um, adj. ad Graviscas pertinens, quod opp. maritimum fuit Etruriae in Tarquiniensi agro, prope Centum cellas, colonia Romanorum, ut est ap. *Liv.* 40, 29. *Cato* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 10, 184. Ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. Graviscana vina. ℙ *Graviscani, orum*, sunt incolae illius opp. Hinc *Graviscanorum respublica*, ap. *Cels. Dig.* 31, 1, 30. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 407, 1. [*Nonnulla addidit. *F.*]

GRĂVĬTAS, atis, f. ponderitas, pondus, *βαρύτης. Cic. N. D.* 2, 45. Terrae partibus omnibus in medium vergentibus, nihil interrumpit, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. *Caes. B. G.* 5, 16. Gravitas armorum. Et *B. C.* 1, 58. Gravitas et tarditas navium. *Ov. Met.* 2, 821. ignava nequeunt gravitate moveri. ℙ Item gravedo. *Ov. Met.* 15, 21. pressus gravitate soporis. *Plin.* 27, 12, 105. Gravitates capitis. Et 28, 11, 48. Gravitas audiendi. Sic 20, 11, 44. Gravitas aurium. Et 23, 4, 42. auditus. ℙ Item densitas, et crassitudo, cum de aere sermo est. [*Imo molesta et pestilens aeris temperatio.] *Cic. Att.* 11, 22. Corpore vix sustineo gravitatem hujus coeli. [*Cf. *Liv.* 23, 34. ubi est: gravitas coeli aquarumque *Id.* 25, 26. Gravitas loci (de pestilentia).] ℙ Item graveolentia, cum de odoribus. *Plin.* 20, 9, 35. Gravitatem animae facit brassica. Sic 28, 12, 51. Gravitas oris. *Id.* 30, 6, 15. halitus. *Id.* 22, 18, 21. odoris. ℙ Aliquando significat solam odorum vehementiam. *Id.* 21, 7, 18. Quorundam odorum suavitati gravitas inest, *h. e.* acer odor. ℙ Est etiam graviditas. *Ov. Met.* 9, 287. Tendebat gravitas uterum mihi. [*Gravitas h. l. non significat graviditatem, i. e. statum feminae, qua se gravidam esse sentit; sed poetice dictum est pro fetu ipso, qui utero geritur. Eodem sensu *Ov. ib.* 10, 506. Tendit onus matrem.] ℙ Item tarditas, infirmitas, languor. *Cic. Fin.* 4, 12. Gravitate membrorum levare aliquem. [*V. *Davis.* ad h. l. *Id. Tusc.* 3, 1. Gravitas et dolor corporis. *Acad. pr.* 2, 17. Gravitas sensus, i. e. hebetudo, imbecillitas. *Id. Or.* 3, 11. Gravitas linguae, i. e. sonus vocis paulo agrestior et rusticanus. V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] *Ov. Met.* 11, 618. de Somno: tardaque Deus gravitate jacentes Vix oculos tollens. [*V. *Gierig.* ad h. l.] ℙ Item vis, vehementia. *Cic. N. D.* 3, 31. Gravitas morbi. ℙ Translate est firmitas, constantia, et quaedam severitas in vultu, verbis, moribus, ex qua fides et auctoritas oritur: cui *levitas* opponitur. *Id. Amic.* 25. Quanta illa, Dii immortales, fuit gravitas! quanta in oratione majestas? *Id. Att.* 9. *ult. extr.* Gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui. *Id. Fam.* 5, 16. *f.* Non est gravitatis ac sapientiae tuae, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum. Et *mox.* Tuenda tibi est gravitas, et constantiae serviendum. *Id. Att.* 10, 1. *med.* Tu cum Sexto servasti gravitatem eandem, quam mihi praecipis: et *ib.* 9, 9. *med.* Praeclare admones, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar: et *Q. Fr.* 3, 9. Cum summa gravitate quidpiam facere. Et 8. Adhibere virtutem et gravitatem in dolore. *Plin.* 35, 10, 37. Paucis diei horis pingebat: id quoque cum gravitate, quod semper togatus, quamquam in machinis. *Cic. Brut.* 95. Haec genera dicendi in senibus gravitatem non habent. *Nep. Attic.* 25. Ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate. *Vell.* 2, 116. Gravitatem humanitate temperare *Cic. Sen.* 4. Erat in illo viro comitate condita gravitas. [*Id. Agr.* 2, 32. Gravitatem imperii ac nomen sustinet. *Liv.* 5, 41. Majestate, quam vultus gravitasque oris prae se ferebat: notabile est hic *gravitatem oris* dici in bonam partem, quum usitatius dicatur de graveolentia oris. *Nep. Paus.* 4, 3. Gravitas Lacedaemoniorum, i. e. *bedächtliche Klugheit:* V. *Brem.* ℙ Severitas. *Cic. Caec.* 3. Gravitas judiciorum.] ℙ Fides, constantia, perseverantia, firmitas in promissis. *Prop.* 2, 16, 14. Tu modo ne dubita de gravitate mea. Ossa tibi juro per matris, etc. [*Vell. 2, 125, 3. Alia cum gravitate pollicentis.] ℙ Refertur et ad orationem. *Cic. Or.* 2, 17. Sententiarum gravitate, verborum ponderibus est utendum. [*V. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 190. sq.] ℙ Est etiam soliditas, firmitas. *Cic. Tusc.* 5, 12. Hujus sententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur. ℙ Item fortitudo, vires, potentia: ex quibus firmitas nascitur. *Caes. B. G.* 4, 3. Hos cum Suevi, multis saepe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuissent. [*V. in GRAVIS.] ℙ Item magnitudo, et acerbitas. *Sall. or. Licin. Trib. pleb.* Gravitas injuriae. ℙ Item caritas. *Tac. A.* 6, 13. Gravitate annonae juxta seditionem ventum est. ℙ Item vis, molestia. *Liv.* 31, 6. Gravitas belli.

GRĂVĬTER, adv. *βαρέως*, cum pondere. [*Lucret.* 4, 328. et alte Aera per purum graviter simulacra feruntur.] *Ter. Adelph.* 5, 3, 2. Pellere graviter fores. Et *Heaut.* 3, 3. *f.* Graviter crepuerunt fores. *Virg. A.* 5, 447. et *Ov. Pont.* 1, 7, 49. Graviter cadere. *Virg. A.* 12, 295. ferire. Et *ib.* 10, 347. hasta sub mentum graviter pressa. *Caes. B. G.* 4, 31. Naves gravissime afflictae. ℙ Translate est vehementer, valde, acriter. *Caes. B. G.* 5, 30. Gravissime terreri periculo mortis; et 52. *extr.* Gravissime dolere. Et *ib.* 4, 16. Graviter premi ab hostibus. *Pl. Cist.* 1, 1, 87. Graviter amare. *Cic. Att.* 7, 2. Graviter se habere. [*i. e. aegrotare.] *Liv.* 2, 17. *extr.* Irae graviter ultae. *Caecil.* ap. *Non.* 4, 218. Placere hoc coepit graviter postquam est mortua. *Virg. A.* 7, 753. Graviter spirantes hydri, *h. e.* afflatu gravi et noxio. *Id. G.* 4, 31. graviter spirantis copia thymbrae. [*Graviter h. l. est bene, multum.] *Cic. Off.* 1, 10. Graviter aegrotare. *Id. Cat.* 1, 7. suspectum esse alicui. *Id. Phil.* 12, 11. Cives gravissime dissentientes. *Ter. Hec.* 4, 4, 2. Graviter iratum alicui esse; et 95. Gravius accusare. *Curt.* 4, 15. Graviter instare territis. *Plin.* 17, 1, 1. Graviter increpare quempiam. *Ter. Heaut.* 3, 3, 9. Graviter advertere. ℙ Pro aegre, moleste, iniquo animo. *Id. ib.* 1, 1, 62. Adolescentulus, saepe eadem et graviter audiendo, victus est. *Cic. Har. resp.* 22. Quippiam graviter ferre. [*Gr. *βαρέως φέρειν.*] *Id. Or.* 2, 52. Casus humanarum miseriarum graviter accipere. *Tac. A.* 13, 36. Graviter accipere quidpiam. ℙ Severe, rigide, aspere. *Cic. Coel.* 14. Utrum me secum severe, et graviter, et prisce agere malit, an remisse, ac leniter, et urbane. *Ter. Adelph.* 1, 2, 60. Graviter dicere in aliquem. *Caes. B. C.* 1, 5. De amplissimis viris gravissime acerbissimeque decernere; et *B. G.* 3, 16. Gravius in aliquem vindicare. ℙ Serio, et ut gravem hominem decet, constanter, firme. *Caes. B. C.* 2, 32. Gravissime judicare de aliquo [*i. e. honorificentissime.] *Cic. Fin.* 4, 2. *extr.* Graviter et copiose aliquid tractare. [*Id. Or.* 9. Thucydides res gestas narrat graviter sane et probe.] ℙ De sonis. *Cic. Somn. Scip.* 5. Natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera acute sonent. [*Lucr. 4, 545. Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit.]

GRĂVĬTUDO, inis, f. idem quod gravedo, morbus capitis. *Vitr.* 1, 6. Vitia, quae difficulter curantur, gravitudo, arthritis, tussis, pleuritis. Hunc *Vitruvii* locum ita illustrat *Morgagnius* in *ep.* ad *Polen. Exerc. II. Vitr.* p. 142. *Victorius* legit *gravĭdo*, quae vox ad aliorum normam facta illi videtur, ut *libido, cupido, formido.* Ipse pro *gravitudo, arthritis*, legendum conjicio *ravitudo arteriae*, vel *arteriarum*, nulla propemodum scripturae mutatione, eadem tamen sententia. (V. ARTHRITIS.) Nam, ut *mollire* habemus, et *mollitudo, parire* (sic enim veteres, atque in his *Ennius*, declinabant) et *paritudo;* sic non est adeo fortasse absonum, ut cum Plautinum verbum exstet *ravire*, ravitudo quoque dici potuisse videatur, aut si quis malit derivari a *molli mollitudinem*, non secus ac a *gravi gravitudinem*, vel certe ab *ampli amplitudinem*, a *magni magnitudinem*; idem pariter a *ravi* poterit *ravitudinem* derivare. Haec ille. *Schneiderus* in sua *Vitruvii* editione habet *gravitudo arteriaca.* Quidquid vero sit de vocis hujus *αὐθεντία*, apud *Vitruvium*, ea tamen legitur apud *Apic.* 3, 6. Sine ructu et gravitudine. Et in *Not. Tir.* p. 46. Gravis, gravitas, gravitudo.

GRĂVĬUSCŬLUS, a, um, adj. aliquantum gravis. *Gell.* 1, 11. *med.* Qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret.

GRĂVO, as, avi, atum, a. 1. *βαρύνω*, onero, pondere premo, gravem reddo. *Tac. A.* 1, 20. Praefectum castrorum sarcinis gravant, aguntque primo in agmine. [*Lucr. 1, 254. Gravantur arbores fetu.] *Ov. Her.* 11, 38. Aegraque furtivum membra gravabat onus. *Id. Met.* 8, 205. ne, si demissior ibis, Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat; et *ib.* 13, 812. sunt poma gravantia ramos. *Plin.* 21, 19, 75. Stomacho inutilis, nervis inimicus, caput gravans. *Stat. Theb.* 10, 257. ferus Actora magno Ense gravat Capaneus, *h. e.* gestandum dat ensem gravem. *Capitol. Anton.* 12. Alia die febre commotus est: tertia cum se gravari videret, etc. [*Lucan. 6, 517. Terribilis Stygio facies pallore gravatur, i. e. plena est et oppressa. V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Translate. *Ov. Trist.* 4, 6, 27. Nec tam nota mihi, quam sunt, mala nostra fuerunt: Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant; et *ib.* 5, 11. *extr.* tu fortunam parce gravare meam, *h. e.* miseriorem reddere. *Hor. Ep.* 2, 1, 264. Nil moror officium, quod me gravat. [*Tac. A.* 14, 12. Quo gravaret invidiam matris.] ℙ *Gravare syllabam* apud grammaticos est gravi accentu notare. ℙ Saepissime in passiva voce usurpatur. *Gravari* enim dicitur, qui quippiam aegre fert, atque invitus, gravate, aut cum fastidio facit. *Cic. Cluent.* 25. Sed primo gravari coepit, quod invidiam atque offensionem timere dicebat. *Id. Fam.* 7, 14. Valde jam lautus es, qui gravare litteras ad me dare; et *Or.* 1, 35. *extr.* Rogo, ut ne graveris exaedificare id opus, quod instituisti. *Varr. R. R.* 1, 3. Ille non gravatus, Primum, inquit, etc. *Tac. A.* 5, 8. Crebris prolationibus spem ac metum juxta, gravatus Vitellius, ictum venis intulit. ℙ Etiam cum accusativo deponentium more. Itaque *gravari aliquid* est aegre ferre, recusare, detrectare. [*βαρύνεσθαι.

V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 45, 3. *Drakenb.* ad *Sil.* 2, 599. *Heins.* ad *Claud. Eutr.* 1, 301. *Lindenbr.* ad *Luctat.* in *Stat. Theb.* 8, 317. et qui hos laudat, *Cort.* ad *Lucan.* 7, 284. Dominosque gravantur.] *Hor. Od.* 4, 11, 27. Pegasus terrenum equitem gravatus Bellerophontem, *h. e.* indignatus, atque adeo excutiens. *Sen. Thyest.* 105. Jam tuum moestae pedem terrae gravantur. *Pl. Mil.* 4, 6, 15. Benignus erga me siet: quod cupiam, ne gravetur, *scil.* dare. *Sen. Clem.* 1, 12. *extr.* At illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui. *Suet. Ner.* 34. Matrem dicta factaque sua exquirentem, hactenus primo gravabatur, ut, etc. *Id. Aug.* 72. Ampla et operosa praetoria gravabatur; et *Vitell.* 12. Hunc ob nimiam contumaciam et ferocitatem gravatus, lanistae vendidit. ℙ [Part. *Gravandus* ap. *Prop.* 3, 2, 22. Non est ingenii cymba gravanda mei. *F.*]

GRAXO. V. in GRATIIS.

GREGĀLIS, e, adj. *ἀγελαῖος*, qui ejusdem est gregis. *Varr. R. R.* 2, 7. Equi boni futuri signa sunt, si cum gregalibus in pabulo contendit in currendo. *Plin.* 10, 63, 83. *f.* Gregales equae, *h. e.* quae adhuc in grege sunt, necdum domitae. *Appul. Met.* 6. Gregalia pecua, *h. e.* quae gregatim pascuntur. ℙ Transfertur ad homines, et saepe in deteriorem partem. *Cic. Dom.* 28. Gregales Catilinae: et *Har. resp.* 25. Gregales Clodii. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 391. Gregalis plebs. ℙ In bonam aliquando. *Cic. Fam.* 7, 33. Nos nihil sumus, gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, amissis. Adde *Or.* 2, 62. ℙ Item ad res vulgares, vilioresque. *Senec. Benef.* 1, 12. *extr.* Gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si provenere maturius. *Id. ep.* 86. Balnea obscura, et gregali tectorio inducta. *Stat. Silv.* 1, 6, 74. comminutis Permutat vitreis gregale sulphur. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Gregalis siligo. *Tac. A.* 1, 69. Filium ducis gregali habitu circumferre, *h. e.* gregarii militis. Sic *Liv.* 7, 34. *extr.* Gregali sagulo amictus.

GREGĀRĬUS, a, um, adj. *ἀγελαῖος*, ad gregem pertinens. *Colum.* 6. *in.* Pecoris, gregariorumque pastorum curam abnuere. ℙ *Gregarius miles* est, qui in exercitu nulla est in dignitate constitutus, *h. e.* neque centurionis, neque praefecti, aut tribuni, aut primi pili, etc., sed e vulgo, seu grege militum censetur. *Cic. Planc.* 30. Id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, et se ab aliquo servatos fateantur. *Sall. Cat.* 38. Ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut, etc. *Curt.* 7, 2. *med.* Septuaginta natus annos juvenis ducis, et saepe etiam gregarii militis munia explevit. *Tac. H.* 5, 1. Caesar Titus plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. *Id. H.* 3, 51. Ut gregarius eques, occisum a se fratrem professus, praemium a ducibus petierit. *Just.* 22, 1. Gregariam militiam sortitus. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 9, 15. *in carm.* Gregarius poeta. ℙ In *Gloss. Philox. gregarius* exponitur *ἀγελάρχης*, h. e. gregis dux: quo sensu *Appul. Met.* 7. quem *armentarium equisonem* dixerat, paulo post *gregarium* vocat.

GREGĀTIM, adv. *ἀγεληδόν*, per greges. *Plin.* 8, 5, 5. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. *Colum.* 6, 5. *extr.* Haec facienda, si gregatim pecora laborant: illa deinceps, si singula. *Quint.* 1, 6. *med.* Graculos, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni persuadere voluit Varro. *Plin.* 9, 15, 18. Thynni intrant Pontum verno tempore gregatim. *Id.* 11, 5, 4. Apes rempub. habent, consilia privatim, ac duces gregatim. ℙ Refertur et ad homines. *Cic. Verr.* 2, 5, 57. Videtis cives R. gregatim conjectos in lautumias. *Suet. Cal.* 30. Retiarii tunicati, quinque numero, gregatim dimicantes. *Plin.* 4, 12, 26. Domus iis nemora lucique, et Deorum cultus viritim, gregatimque. *Just.* 13, 8. Perdiccae arrogantiam exosi, ad Antipatrum gregatim profugiebant. ℙ In illo *Plin. l.* 26. *in.* Accidit, ut nova contra genera morborum gregatim sentirentur: *gregatim* significat per gregem humilis plebis, et popelli, exclusis proceribus.

GREGĀTUS, a, um, part. a *grego;* in gregem collectus, congregatus. *Stat. Ach.* 1, 373. Idaliae volucres coeloque domoque gregatae, etc. *Id. Th.* 8, 667. solus qui caedibus hausi Quinquaginta animas: totidem totidemque gregati Ferte manus. Al. leg. *gregatim.*

GREGO, as, a. 1. congrego. Passive tantum usurpatur. *Paul. Nol. carm.* 17, 200. Nunc oves facti, duce te, gregantur Pacis in aulam.

GREMIALIS. V. CREMIALIS.

GRĔMIUM, ii, n. *κόλπος*, locus inter complexum ventris, et feminum, quem sedentes efficimus: quo loco matres, nutricesque excipiunt infantes. Differt a *sinu*, qui est intra pectus et brachia: et nihilominus alterum pro altero non raro ponitur: videtur esse per syncopen quasi *geremium* a *gero. Cic. Div.* 2, 4. Puer in gremio matris sedens, mammam appetens. *Virg. A.* 1, 689. gremio accipere: et 722. fovere: et *ib.* 4, 84. detinere: et *ib.* 5, 31. complecti: et *ib.* 7, 233. excipere. *Ov. Met.* 10, 406. tollere. *Virg. A.* 11, 743. Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem, Et gremium ante suum multa vi concitus aufert. *Flor.* 2, 6. Excusso in mediam curiam togae gremio, quasi plane sinu bellum ferret, effudit. *Catull.* 45, 1. Acmen Septimius suos amores Tenens in gremio. [**Lucr.* 1, 34. In gremium qui saepe tuum se rejicit. *Ter. Eun.* 3, 5, 37. Jovem quo pacto Danae misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum. *Tibull.* 1, 9, 80. Et geret in gremio regna superba tuo.] ℙ Accipitur etiam pro pudendo muliebri. *Catull.* 67, 30. Qui ipse sui gnati minxerit in gremium, *h. e.* corruperit uxorem filii sui. ℙ Translate elegantes habet usus. [**Lucr.* Aether in gremium terrae praecipitavit imbres.] *Virg. A.* 3, 509. sterni gremio telluris. *Cic. Sen.* 15. Terra gremio mollito et subacto semen sparsum excipit. *Stat. Silv.* 4, 3, 43. Mox haustas aliter replere fossas, Et summo gremium parare dorso, *h. e.* nucleum, seu sedem silici, quo sternenda via erat. V. NUCLEUS. *Plin.* 3, 16, 20. Padus gremio Vesuli montis profluens. *Cic. Coel.* 24. Cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae. *Id. Pis.* 5. Haec sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui: et *ib.* 37. Aetolia medio fere Graeciae gremio continetur. *Sil.* 3, 678. In gremio Thebes, *h. e.* mediis Thebis: et 12, 203. e gremio Capuae egredi. *Id.* 8, 191. Arenosum gremium fluminis. [**Virg. Mor.* 23. Praeverrit cauda silices gremiumque molarum, i. e. interiorem partem molae,] *Claud. IV. Cons. Honor.* 595. calidi scrutatus stagna profundi, Tethyos invasit gremium. *Cic. Cluent.* 5. Soror in amantissimi fratris manibus et gremio, moerore et lacrimis consenescebat. *Virg. A.* 7, 233. Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit. *Id. ib.* 9, 261. quaecumque mihi fortuna fidesque est, In vestris pono gremiis. [**Suet. Vesp.* 5. Quandoque proculcatam desertamque rempublicam civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium deventuram. ℙ *Gremium* signif. etiam tenerae aetatis institutionem. *Quint.* 1, 1, 24. Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio. *Id. ib.* 1, 2, 1. Exire de gremio; et 2, 4, 15. Ad gremium praeceptoris, i. e. intpr. *Spald.*, praesente et regente praeceptore, ne quid pravi inolescat. Adde 2, 5, 5. Ut ad gremium revocatis deserviant: A prima matris educatione translata metaphora est.] ℙ *Nec mulieri, nec gremio credi oportet*, proverb. quod et illa incerti et levis est animi, et plerumque in gremio posita, cum in oblivionem venerunt exsurgentium, procidunt. *Festus* in *Nec.* ℙ *Gremia* pro *cremiis* V. in CREMIA.

GRESSĬO, onis, f. idem ac gressus. *Macr. Sat.* 6, 5. *ex Pacuvio.* Caprigeno pecori grandior gressio est.

GRESSUS, us, m. *βάδισμα*, incessus, ambulatio. *Cic. Off.* 1, 36. Ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus. *Virg. G.* 3, 117. de equo: gressus glomerare superbos; et *ib.* 4, 360. inferre gressus, *h. e.* incedere; et *A.* 1, 414. tendere gressum ad moenia; et *ib.* 11, 29. gressum recipere; et *ib.* 6, 389. comprimere; et *Senec. Med.* 870. efferre arvis; et *Herc. Oet.* 579. ferre in penates; et *Val. Fl.* 6, 348. tenere; et 3, 8. agere ad litora. *Ov. Her.* 16, 333. Quaque feres gressus. *Val. Fl.* 1, 183. gressus avidos ad litora vertit. *Senec. Herc. Oet.* 1238. gressibus feram vincere. [**Lucan.* 2, 248. Inconcussa ferens dubio vestigia mundo, i. e. uno tenore eademque semper via procedens. V. *Cort.* ad h. l. Adde *ib.* 6, 829. ℙ *Gressus* dicitur etiam de cursu navis. *Virg. A.* 5, 162. Huc dirige gressum.]

GREX, grĕgis, m. *ἀγέλη*, multitudo animalium una degentium, ut ovium, boum, avium, etc. *Festus* in *Greges*, derivat a Graeca voce allata. *Voss.* in *Etym.* ab *ἀγείρω*, congrego, quasi sit pro *agrex. Cic. Att.* 7, 7. Pecudes dispulsae sui generis sequuntur greges. *Id. Verr.* 2, 2, 7. Greges nobilissimarum equarum abacti. *Id. Phil.* 3, 12. Greges armentorum, reliquique pecoris. *Varr. R. R.* 2, 6. Asinorum gregem qui facere vult bonum. *Virg. A.* 3, 287. greges lanigeri. *Id. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper. *Juven.* 2, 80. porcorum grex. *Plin.* 5, 1, 1. elephantorum. *Ov. A. Am.* 1, 326. Dux gregis, *h. e.* taurus. *Varr. R. R.* 3, 6. Pavonum greges; et 10. anserum; et 11. anatum. *Hor. Ep.* 1, 3, 19. avium. ℙ Aliquando dicitur de minori pecore, ut de majori *armentum. Ov. Met.* 1, 513. Non ego sum pastor; non hic armenta gregesve; et *ib.* 4, 634. Mille greges illi, totidemque armenta per herbas Errabant. Adde *Tibull.* 1, 5, 28. ℙ Dicitur etiam de hominibus. *Cic. Sull.* 28. Honestissimorum hominum greges. *Id. Or.* 1, 10. philosophorum. *Id. Att.* 1, 18. amicorum. *Hor. Ep.* 1, 9. *f.* Scribe tui gregis hunc, *h. e.* recipe inter amicos tuos. *Senec. Herc. Fur.* 1149. Natorum grege animosa conjux; et *Troad.* 138. Grex regum. *Sil.* 7, 58. grex ille virorum, *h. e.* Fabiorum manus. ℙ Interdum contemptum adsignificat. *Cic. Rosc. Am.* 32. Ego forsitan propter multitudinem patronorum, in grege annumerer. *Hor. Ep.* 1, 4. *extr.* Epicuri de grege porcus. *Id. Od.* 1, 37, 9. Contaminatus grex turpium virorum. *Id. Epod.* 16, 37. Grex indocilis, *h. e.* vulgus. *Pl. Cist.* 4, 2, 67. Grex venalium. *Stat. Th.* 11, 284. Hostia, nate, jaces ceu mutus, et e grege sanguis. ℙ Speciatim dicitur de mimis et histrionibus; atque etiam de aurigis circensibus, qui in quatuor factiones, seu greges erant divisi. *Petr. Sat.* 80. Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur, Filius hic, nomen divitis ille tenet. *Inscr.* ap. *Grut.* 1024, 5. Pyladi pantomimo ornamentis decurionalib. ornato grex Romanus ob merita ejus. Adde *Ter. Heaut. prol.* 45. et *Ph. prol.* 32. et *Pl. Cas. prol.* 22. Hinc in fine aliquot priorum *Plauti* comoediarum, ut *Asinariae, Capt. Cas., Epid.*, et *Bacch., grex* adscriptus est, tanquam histrionum chorus, qui omnium histrionum nomine prodit, et spectatores paucis alloquitur. In quibusdam MSS. alicubi pro *grex* legitur *recitator:* in fine vero *Cistellariae* editum est *caterva.* [**V.* CATERVA in f. et qui de hac re scripsit *G. A. B. Wolf.* in *script. Schol. de actibus et scenis*, cet. p. 11.] *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 5. et alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 257. Conditor gregis russatae. V. FACTIO. ℙ *Uno grege*, omnes simul. *Curt.* 10, 2. *med.* Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos. ℙ *Grege facto*, agmine facto, manu facta. *Sall. Cat.* 49. *med.* Cethegus familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, uti, grege facto, cum telis ad se irrumperent; et *Jug.* 62. Quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere. ℙ Joculariter *greges virgarum*, h. e. fasces, dixit *Pl. Ps.* 1, 3, 99. ℙ In genere feminino *Lucr.* 2, 660. equorum duellica proles, Buceraeque (al. *buceriaeque)* greges. *Lucil.* quoque ap. *Charis.* 1, 72. has greges dixit. Adde *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 127, 4. [**V. Ruddim.* 1, 36.]

[GRĬAS, ădis, f. herbae genus. *Appul. Herb.* 50. Grias nascitur in Lucania, marmoris albi colorem habens, quatuor rubicundis ornata cauliculis. *F.*]

GRICENEĂ, funis crassus. *Festus.*

*GRIDINUS (amnis), vel Gridinum (flumen), in Asia ulteriore, in Sogdiana puta vel Bactriana. *Plin.* 6, 16. Flumina Mandrum, Gridinum; ultraque Chorasmii. *B. A.*

GRILLO et GRILLUS. V. GRYLLO et GRYLLUS.

*GRINARĬO, onis, opp. Vindeliciae, ubi nunc *Gneringen. Tab. Peut. B. A.*

*GRĬNNES, ium, opp. Galliae Belgicae, ad Vahalis Mosaeque confluentes. Hodie, aiunt, est *Rhenen. Tac. H.* 5, 20. et *Tab. Peut. B. A.*

GRIPHUS, i, m. *γρῖφος*, Graecis rete significat: hinc inter machinas bellicas enumeratur in *Not. Tir.* p. 126. Griphus, scorpio, sudes. Translate dicitur de aenigmate, quaestione implicata, sermone ambiguo, quibus audientis animus quodammodo irretitur et capitur. *Gell.* 1, 2. Aliosque id genus griphos neminem posse dicens, nisi se, dissolvere. Adde *Appul. Flor. n.* 9. et *Auson.* qui Idyllium suum undecimum *Griphum* inscripsit. ℙ [*Griphus* est etiam cogn. R., ut Plotius Griphus praetor ap. *Tac. H.* 4, 49. In *Gloss. Isid.* scribitur *Grippus, h. e.* superbus, cervicosus. *F.*]

[GRISELĬCUS, a, um, adj. ad Griselum pertinens, nunc *Gréoulx*, urbem Galliae in Provincia ad Druentiam fluvium, quae thermis olim celebris fuit. Hinc *Griselicae Nymphae* in mutila *Inscr.* ap. *Donat.* p. 47. *n.* 2., integra vero in *Magaz. Encyclop. an.* 1811. *mens. Jun.* p. 256. Annia M. filia Faustina T. Vitrasii Pollionis Cos. II., Praef. Imp., Pontif. Asiae uxor Nymphis Griselicis. *F.*]

GRŪMA et Grūmă, ae, f. *γνώμων, γνώμη*, index, norma, genus machinulae cujusdam, teste *Festo*, qua regiones agri cujusque cognosci possunt, vel, ut *Non.* 1, 316. definit, mensura quaedam, qua flexae viae ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum: a Graecis vocibus allatis. V. DEGRUMOR. ℙ In castris quoque *gruma* erat locus medius, ubi gromae organum a metatore ponebatur, ut quatuor faceret angulos normales, et ita divideret castra in quatuor partes, quarum viae in grumae loco conveniebant. Erat prope praetorium. *Non. l. c.* Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur et conveniunt viae. *Hyg. de limit.* p. 164. *Goes.* In castris groma ponitur in tetrantem, qua velut ad forum convenitur.

GRŌMĂTĬCĂ, ae, vel Grōmăticē, es, f. *γεωδαισία*, ars dimetiendi: a *groma.* Duplex est, altera circa agros, altera circa castra versatur, ut gromae usus duplex est, in agris, et in castris. Hinc *Hyginus* tum *Gromaticum* scripsit de limitibus constituendis, tum *Gromaticum* de castrorum metatione.

GRŌMĂTĬCUS, a, um, adj. *γνωματικός*, quod ad mensuram spectat, ut Disciplina gromatica, quae agrorum mensuram docet. *Cassiod. Variar.* 3, 52. de eligendo agrimensore: Hoc enim per geometricas figuras, et gromaticam disciplinam ita diligenter agnoscitur.

GRŌMPHAENĂ, ae, f. herba est alternis viridibus, roseisque per caulem foliis, quae in posca

sanguinem rejicientibus medetur. *Plin.* 26, 7, 23. [**Amaranthus Tricolor, L.*]

GROMPHENA, ae, f. *Plin.* 30, 15, 52. Gromphenam avem in Sardinia narrant, grui similem, ignotam jam etiam Sardis, ut existimo.

GROSPHUS, i, m. *γρόσφος*, cuspis hastae, telum, sagitta. [*Arnob.* 6, 200. Simulacra ex incudibus et malleis nata, grosphis rasa. Alii leg. *tornis*, alii pejus *grossis*. Videtur haec vox significare instrumentum illud, quod a *Polluce Onomast. l.* 7. *n.* 113. et *l.* 10. *n.* 146. *ἀρὶς* vocatur, et limae cognatum. ℙ Est etiam cogn. R., ut Pompejus Grosphus, ad quem *Hor.* misit *Od.* 16. *l.* 2., et de quo ait *Id. Ep.* 1, 13, 22. Utere Pompejo Grospho. *F.*]

*GROSSITŪDO, inis, f. crassitudo. *Vulgat. Jerem.* 52, 21. Adde *Solin.* 43. *B. A.*

GROSSŪLUS, i, m. parvus grossus. *Colum.* 5, 10. Si voles ficum, quamvis non natura, seram facere, tum grossulos, prioremve fructum decutito.

[GROSSUS, a, um, adj. crassus. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 21. Vestem respuit grossiorem. *Gloss. Philox.* Grossus, *παχύς*. *F.* **Vulg. Ezech.* 41, 25. *B. A.*]

GROSSUS, i, m. et f. *ὄλυνθος*, ficus immaturus. *Cels.* 5, 12. Grossi in aqua cocti. *Plin.* 23, 7, 63. Crudae grossi verrucas tollunt. *Id.* 17, 27, 43. Fici serotinae fiunt, si primae grossi, cum fabae magnitudinem excessere, detrahuntur. [*Cato R. R.* 93. Fici uti grossos teneant, facito omnia, quo modo oleae. *F.*]

*GROUCĀSUS, i, nomen Scythicum montis Caucasi. *Plin.* 6, 17. Scythae ipsi — Caucasum montem *Groucasum*, id est, nive candidum *(adpellavere)*. Sic ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Graucasia;* probante *Schellero* in Lexico, et a vocabulo Germanico *grau* ducente, quod Anglis est *gray* vel *grizzly*. *B. A.*

*GROVII, orum, m. *Γροῦιοι*, populi Hispaniae Tarraconensis, ubi nunc *Gallicia*, inter Durium Miniumque flumina. *Mela* 3, 1. ℙ *Gravii* audiunt *Plinio*. V. GRAVII. *B. A.*

*GRUDII, orum, m. populi Galliae Belgicae. *Caes. B. G.* 5, 39. *B. A.*

GRŪIS. V. GRUS.

[GRULLUS, i, m. genus navigii. *Gloss. Philox.* Grullus, *εἶδος πλοίου*. Est etiam cogn. R. *Inscr. Brixiens.* ap. *Grut.* 173, 7. et *Mur.* 738, 9. L. Quinctius P. F. Fab. Grulius. Corrige *Grullus* ex laudatissimis schedis Toltianis, quibus consentiunt *Cod. Vat.* 5244. p. 145. et alter item *Vat.* 5235. p. 55. Id confirmat nova inscriptio ejusdem *Grulli* adhuc anecdota ap. *Com. Lecchium* Brixiae. *F.*]

GRŪMA. V. GROMA.

*GRUMBESTĪNI, orum, incolae opp. cujusdam Italiae inferioris, quod in Calabria fortasse erat. *Plin.* 3, 11. ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Brumbestini*. *B. A.*

[GRŪMENTĪNENSIS, e, et

GRŪMENTĪNUS, a, um, adj. ad Grumentum pertinens, urbem mediterraneam Lucaniae, prope *Saponara*, inter fluvios Acirin et Soram, nunc *Acri* et *Sciauro*. Ejus meminit *Liv.* 23, 37. *Front. de colon.* p. 109. *Goes.* Praefectura Grumentinensis limitibus Gracchanis. ℙ *Grumentini, orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 11, 15. Mediterranei Lucanorum Eburini, Grumentini, Potentini, etc. *F.*]

*GRUMO, as, a. 1. *μετρέω* *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

GRŪMŪLUS, i, m. parvus grumus. *Plin.* 19, 6, 34. Allium in plano seri vetant, castellatimque grumulis imponi, distantibus inter se pedes ternos. *Appul. Met.* 6. Accepto frumento, et hordeo, et milio, et cicere, commixtisque acervatim, confusisque in unum grumulum.

GRŪMUS, i, m. *θρόμβος*, acervus minor terrae, aut lapidum, aut hujusmodi. *Festus:* Grumus, terrae collectio minor tumulo. *Non.* 1, 50. Grumus dicitur agger, a congerie dictus. Accius: Quemcumque institeram grumum, aut praecisum jugum. [**Grumus* eo discernitur a synonym. *collis, clivus, tumulus*, quod illud arte factam terrae congeriem proprie significat; haec naturae opus plerumque spectant. Gr. *χῶμα*. *Gloss. Grumi, τύμβοι. Etym.* vocis est a *gruo*, i. q. *ruo:* hinc *grumus* explicandum per *terra eruta: ruere* enim ponitur pro *eruere*. V. *Döderl.* 2, 122. sq.] *Colum.* 2, 18. Grumos, quos ad versuram plerumque tractae faciunt crates, dissipabimus ita, ut necubi ferramentum foenisecae possit offendere. *Vitr.* 2, 1. Exaggerant supra habitationes maximos grumos e terra. *Id.* 8, 3. Grumorum tumuli. ℙ Frustra *Charis.* 1, 19. inter illa recenset, quae numero carent singulari. *Auct. B. Hisp.* 24. Neque tamen aequo loco sui potestatem faciebat, sed ex grumo excelsum tumulum capiebat. *Plin.* 33, 4, 25. Torretur et cum salis grumo, pondere triplici mixto. *Hard.* legit *salis gemino pondere, triplici miseos*. ℙ *Charis. l. c.* grumos interpretatur *ὄρων λίθους, h. e.* terminorum lapides, seu acervos lapidum pro termino positos. ℙ Scribitur et *grummus*.

*GRUNDA, ae, f. *γεῖσον, θραγκός*, tecti prominentia arcendis stillicidiis a pariete inventa, quae et subgrunda dicitur, quam vocem vide suo loco: videtur esse pro *gerunda*. *Gloss. Philox.* Grunda, *στέγη, καὶ τὸ ὑπὲρ τὸν πυλεῶνα ἐξέχον, ὑπόστεγον*. *B. A.*

GRUNDĪLES, seu Grundūles Lares Romae constitutos fuisse in honorem porcae, quae triginta fetus pepererat, tradunt *Non.* 2, 357. et *Diomed.* 1, 379. Hic vero affert in eam rem verba haec *Cassii Heminae:* Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, praefecerant aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit: sus parit porcos triginta: cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus. Confirmat haec, quod Laribus porco facere consueverant, ut ex *Hor. Sat.* 2, 3, 164. constat. Alii tamen dictos putant a *suggrunda*, quod olim parentes, postea (vetitis in Urbe sepulcris) infantes, qui non ultra quadragesimum diem vixissent, in suggrunda sepelire mos fuerit: hinc *suggrundaria* dicta esse sepulcra infantum, ut *Fulg. Planc. de prisco serm.* docet. Meminit Larium Grundulium etiam *Arnob.* 1, 15.

*GRUNIUM, i, n. opp. Phrygiae cum castello. *Nep. Alcib.* 9. *B. A.*

GRUNNĬO, et olim etiam Grundio, is, ivi, vel ii, itum, n. 4. *γρυλλίζω*, verbum exprimens vocem suis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 356. Grunnit tepido lacte satur. *Laber. ib.* Grunnientem aspexi scrofam. *Plin.* 32, 2, 9. Apion maximum piscium esse tradit porcum: grunnire eum, cum capiatur. *Juven.* 15, 22. Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis. *Nonius* 6, 96. allatum *Laberii* locum repetens, *grundientem* habet. *Claud. Quadrig.* ap. *Diomed.* 1, 379. Grundibat graviter pecus suillum (pro *grundiebat, ἀρχαϊκῶς*) *Caecil. ib.* Cruento ita ore grundibat miser. *Non. l. c.* haec verba *Caecilii* ita refert, ut non de sue, sed de aliis per catachresin *grundire* usurpaverit. Sic *Claud. Quadrig. ib.* agni grundibant, dixit.

GRUNNĪTUS, us, m. *γρυλλισμός*, vociferatio porci. *Cic. Tusc.* 5, 40. Nec grunnitum audiunt, cum jugulatur sus.

GRŪO, is, n. 3. *γεραυίζω, κλαγγάζω*, est vociferari proprium gruis. *Paul.* ex *Festo:* Gruere dicuntur grues, ut sues grunnire: unde tractum est congruere, hoc est convenire: quia id genus volucrum minime solivagum est. *Auct. carm. de Philom.* 23. Grus gruit.

GRUS et Gruis, is, f. et m. *γέρανος*, avis, quae non se segregat, sive cum volat, sive cum pascitur: a sono vocis. Si generatim designetur, ac sine discrimine, fere est feminini generis: si marem designare opus sit, etiam masculino adjectivo jungi potest. Grues ducem seu regem e suo coetu eligunt: mira sunt vigilantia, excubias nocte dividunt, capite subter alam condito dormiunt, alternis pedibus insistentes, quorum in altero, qui elevatus est, lapidem tenent, ut eo cadente expergiscantur. Haec et alia mira de his *Plin.* 10, 25, 30. narrat. Volantes ordine quodam *Γ*, vel *Δ* litteram faciunt: quod cum Palamedes primus deprehendisse dicatur, eamque litteram invenisse, *Palamedis aves* appellantur. *Mart.* 13, 75. Turbabis versus, nec littera tota volabit, Unam perdideris si Palamedis avem. *Cic. N. D.* 2, 49. Grues, cum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam, etc. *Cels.* 2, 18. Omnem grandem avem, quales sunt anser, pavo, et grus. *Phaedr.* 1, 8. Tandem persuasa est jurejurando gruis. *Plin.* 11, 37, 44. Cirros natura dedit grui Balearicae. *Lucr.* 4, 181. gruum clamor. *Hor. Sat.* 2, 8, 87. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre. *Laber.* ap. *Non.* 3, 108. Virum tu hunc gruem Balearicum, an hominem putas esse? ℙ Inter primas expetebatur in cibis, abrogata ciconia, quam olim magis placuisse, scripserat *Nepos* ap. *Plin. l. c. Stat. Silv.* 4, 6, 8. quos nosse juvat, quid Phasidis ales Distet ab hiberna Rhodopes grue. Adde *Gell.* 7, 16. et *Hor. l. c.* ℙ Machina illa militaris, quam corvum demolitorem *Vitr.* 10, 19. appellat, etiam gruem appellari a nonnullis, testatur *Id. ib.*

GRUTHUNGI. V. GOTHYNI.

*GRYLĬOS, i, Asiae fluvius, in Aeolia. *Plin.* 5, 32. ed. *Hard. B. A.*

GRYLLO, vel Grillo, as, n. 1. vocem grylli exprimens verbum. *Auct. carm. de Philom.* 62. Et gryllus gryllat.

GRYLLUS, vel Grillus, i, m. genus est locustae, simile cicadae, longiore tamen corpore: a sono, quem edit. Retro ambulat, terram terebrat, et noctu stridet, ut ait *Plin.* 29, 6, 39. et *ib.* Auribus prodest gryllus cum sua terra effossus et illitus. *Val. Cato* in *Diris* 74. argutus gryllus. ℙ *Grylli* etiam dicuntur picturae quaedam ridiculae. *Plin.* 35, 10, 37. Idem jocoso nomine gryllum ridiculi habitus pinxit: unde genus hoc picturae grylli vocantur. ℙ [*Gryllus* est etiam cogn. R. vel ab insecto hujus nominis, vel potius a *γρύλλος*, qui Graece porcum significat. *Mart.* 1, 60. Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli. Adde 2, 14. *F.*] ℙ [**Fuit et Gryllus, i, m.* Xenophontis filius, qui pro patria fortiter pugnans occubuit. Hujus laudes et Epitaphia multi scripsere. *Grylli* nomine Dialogum scripsit *Plutarchus*. Est et *Aristotelis* Gryllus, cujus meminit *Quint.* 2, 17. Aristoteles, ut solet, quaerendi gratia, quaedam subtilitatis suae argumenta excogitavit in Gryllo. ℙ Item nomen balneatoris ap. *Mart. epigr.* 1, 60. et *epigr.* 2, 14. *B. A.*] ℙ [Saepissime *grillus* scribitur; *γρύλλος* enim non genus locustae, sed porcum significat, ideoque Graeci, quos Latini *grillos* vel *gryllos* vocabant, *ἀκρίδας* dicebant. *F.*]

*GRYNE, es, f. Amazon, ab Apolline violata. V. v. sq. *B. A.*

GRYNEUS, a, um, adj. *Γρύνειος*, ad Gryniam pertinens, quae urbs est Aeolidis, in ora sinus Smyrnaei, ubi nemus fuit sacrum Apollini, inde *Gryneo* cognominato. *Virg. A.* 4, 345. Gryneus Apollo. Ubi *Serv.* (qui juxta Clazomenas id nemus collocat) ideo sic appellatum ait, quod eo loci *Grynen* Amazonem violaverit. *Id. Ecl.* 6, 72. His tibi Grynei nemoris dicatur origo, Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo. Ubi *Serv.* longe alia scribit, nempe *Grynum* quendam Eurypili filium urbem *Gryniam* condidisse ex Apollinis responso. Juxta fuisse nemus, in quo Calchanta, et Mopsum celebres vates de peritia divinandi inter se habuisse certamen, victumque Calchanta prae dolore interiisse. Aliam etiam *ib.* de ejus morte fabulam comminiscitur, scilicet voluisse illum de vino gustare, quod ipse in eo nemore, vindemia facta, collegisset; idque contra Deorum voluntatem, quam illi quidam augur praedixerat: sed cum manu poculum bibiturus teneret, repente nimio risu correptum, interclusoque spiritu, corruisse. Addit etiam, *eodem loci*, serpentem ab Apolline occisum, et a *Gryne* filia ipsum nemus parenti fuisse consecratum. Denique Gallum poetam (de quo in ea ecloga *Virg.*) haec omnia ex Graeco Euphorionis carmine in Latinum sermonem transtulisse. ℙ *Gryneus*, disyllabum, *Γρυνεύς*, ap. *Ov.* nomen est Centauri *Met.* 12, 260.

*GRYNĪA, ae, f. Aeolidis urbs, de qua V. v. anteced. Meminit *Plin.* 5, 30. Adde 32, 6. ubi *Grynium* appellatur in ed. *Hard. B. A.*

[GRYPHĬUS, ii, m. ad gryphum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 1. C. Julius C. L. Gryphius. *F.*]

GRYPS, gryphis, et Gryphus, i, m. *γρύψ*, avis fabulosa, animal quadrupes, et pennatum, omni ex parte leo, alis tantum et facie aquilae simile, equis vehementer infestum: a *γρυπός*, incurvus, aduncus naso, propter rostri aduncitatem. Sed aliqui contra *γρυπὸς* a gryps derivant. *Plin.* 10, 49, 69. Pegasos equino capite volucres, et gryphas auritos aduncitate rostri fabulosos reor, illos in Scythia, hos in Aethiopia. *Virg. Ecl.* 8, 27. Jungentur jam gryphes equis, *proverb.* de re, quae fieri nunquam potest. *Mela* 2, 1. Gryphi, saevum et pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, et sunt infesti attingentibus. *Plin.* 7, 2, 2. narrat ex aliorum sententia, esse Arimaspos, homines uno oculo in fronte insignes, qui cum his bellum assidue gerant, eruentibus ex cuniculis aurum, et mira cupiditate custodientibus, Arimaspis vero rapientibus. Sed haec pariter fabulae. ℙ In singulari num. *Claud. VI. Cons. Honor.* 30. At si Phoebus adest, et frenis grypha jugalem Riphaeo tripodas repetens detorsit ab axe, etc. Hinc colligimus Phoebo gryphes attribui, qui ejus currum trahant: quod et *Sidon.* facit *carm.* 22, 66. et 67., ubi eorum phaleras, ornatumque poetice describit: et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 27. confirmat. *Porph.* ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 5, 66. docet, triplicem esse Apollinem: in coelo Solem, Liberum Patrem in terris, Apollinem apud inferos. Hinc tria insignia ejus simulacro apponi: lyram, qua coelestem harmoniam significat; gryphum, qui eum terrenum numen ostendit; sagittas, quibus infernalis Deus, et noxius judicatur. ℙ Scribitur et sine aspiratione.

GRYPUS, i, m. *γρυπὸς* Graece dicitur, qui incurvum, seu aduncum nasum habet. *Just.* 39, 1. *f.* Alter, cui propter nasi magnitudinem, cognomen Grypo fuit.

G U

GUASTUM. V. GLASTUM.

*GUBER, eris, m. gubernator. In *Gloss. Gr. Lat.* exponitur *κυβερνήτης*. *B. A.*

GŪBERNA, orum, n. plur. gubernacula, apud veteres. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 59. Proras despoliate, et detondete guberna. *Lucr.* 2, 553. Disjectare solet magnum mare transtra, guberna.

GŪBERNĀCŬLUM, i, n. *πηδάλιον*, clavus in puppi navis, quo illa regitur. *Senec. ep.* 90. Hominis, non sapientis, inventa sunt navigia, additis a tergo gubernaculis, quae huc atque illuc cursum navigii torqueant: exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejusdem in utrumque momento velocitatem suam flectunt. *Cic. Inv.* 2, 51. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, et navi, quoad potuit, est opitulatus. *Plin.*

11, 50, 111. Caudae piscium meatus gubernaculi modo regunt *Appul. Flor. n.* 2. Aquila mole corporis labitur, velificatas alas, quo libuit, advertens, modico caudae gubernaculo. ℙ Contrahitur poetice per syncopen. *Lucr.* 4, 902. gubernaclum contorquere. *Virg. A.* 5, 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister. Adde 859. et *ib.* 6, 349. ℙ Saepissime transfertur ad administrationem reipublicae, etc., et fere in plur. numero. *Cic. Sext.* 9. Clavum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicae tractare. *Id. Rosc. Am.* 18. Sedere ad gubernacula reipublicae. *Id. ad Brut.* 2, 1. Reipublicae gubernacula prendere. *Id. Or.* 1, 11. Repelli oratorem a gubernaculis civitatum. *Id. Fam.* 16, 27. Recedere a gubernaculis. *Plin. ep.* 10, 1. Admovere virtutes alicujus ad gubernacula reipublicae. *Plin. alter* 11, 37, 88. Temperare gubernacula vitae. *Val. Max.* 7, 6. *n.* 1. Imperii gubernacula abjicere. ℙ In singulari num. *Vell.* 2, 113. Cum exercitum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit, *h. e.* regi difficilem.

GŪBERNĀTIO, onis, f. *κυβέρνησις*, navis directio. *Cic. Fin.* 4, 27. Et, si in ipsa gubernatione negligentia navis est eversa. ℙ Translate capitur pro quavis administratione. *Cic. Cat.* 3, 8. Vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse. *Id. Inv.* 2, 54. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

GŪBERNĀTOR, oris, m. *κυβερνήτης*, rector navis. *Cic. Sen.* 6. Gubernator clavum tenens, sedet in puppi quietus. *Ov. Trist.* 1, 11, 21. Ipse gubernator tollens ad sidera palmas Exposcit votis, immemor artis, opem. ℙ Translate est quicumque rector ac moderator. *Cic. Rab. perd.* 9. Custodes gubernatoresque reipublicae. *Sen. Hippol.* 903. Gubernator poli, *h. e.* Deus. ℙ De agitatore equorum, auriga. Vetus poeta ap. *Quint.* 8, 6. gubernator magna contorsit equum vi. ℙ *Tranquillo quilibet gubernator est*, proverb. ap. *Sen. ep.* 85. *med.*, h. e. quivis extra periculum fortis, aut prudens esse potest. ℙ [Eo quod *gubernator* a *κυβερνήτης* derivatur, saepe in vetustis monumentis *gybernator* scribitur. *Inscr.* ap. *Mur.* 2036, 1. Sex. Sallustius Faustus miles *gybernator* IIII. Fide. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 132. T. Titinio Juliano *gybernatori* IIII. *Fortuna. F.*]

GŪBERNĀTRIX, icis, f. *κυβερνήτειρα*, quae gubernat. *Cic. Or.* 1, 9. *extr.* Ista praeclara gubernatrice civitatum eloquentia rempubl. dissipaverunt. *Ter. Eun.* 5, 9, 16. An fortunam collaudem, quae gubernatrix fuit?

GŪBERNĀTUS, a, um, part. a *guberno*. *Cic. ad Brut.* 1, 10. Caesarem meis consiliis adhuc gubernatum quidam impulerunt, etc.

*GUBERNI, orum, m. populi Galliae Belgicae, sinistram Rheni ripam accolentes, inter Ubios et Batavos sedem tenentes. *Plin.* 4, 17. ℙ *Gugerni* audiunt *Tac. H.* 4, 26. et 5, 16. et 18. *B. A.*

[GŪBERNĬO, onis, m. *Isid. Orig.* 19, 1. Gubernio, qui et gubernator. *F.*]

GŪBERNĬUM pro gubernatore posuit *Laberius* ap. *Gell.* 16, 7. ubi aliquis fortasse *gubernium* pro *gubernatione* legere malit. Utcumque se res habeat, non est, ipso *Gellio* teste, imitandus.

GŪBERNO, as, avi, atum, a. 1. *κυβερνάω*, proprie est navim regere: a verbo Graeco allato. *Cic. Off.* 1, 25. Ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret. ℙ Translate sumitur pro administrare in genere, regere, moderari. *Cic. Fam.* 2, 7. Teque hortor, ut omnia gubernes ac moderere prudentia tua. *Id. Rosc. Am.* 45. Rempubl. regere, et orbem terrarum gubernare. *Id. Mil.* 9. Gubernare petitionem. *Id. Fam.* 2, 17. Iter meum reipublicae et rerum urbanarum ratio gubernabit. *Id. Att.* 8, 4. Fortunae motum ratione gubernare. *Id. Sull.* 28. Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque, regit quaesitor, etc. *Id. Fin.* 2, 13. *extr.* Gubernare vitam. *Id. ad Brut.* 1, 10. consiliis aliquem. *Flor.* 1, 2. imperium religione atque justitia. [**Vell.* 2, 127, 1. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt.] *Pl. Mil.* 4, 2, 99. rem docte. *Mart.* 9, 23. virga gubernat equum. *Senec. Hippol.* 1075. currus. *Petr. Sat.* 127. Digiti vocem gubernantes, *h. e.* mollis quaedam digitorum gesticulatio. ℙ *Gubernare e terra*, proverbialis locutio ap. *Liv.* 44, 22. *f.* de iis, qui rebus gerendis, periculisque adeundis abstinent; sed domi, et in tuto remanentes monere tamen volunt et jactare prudentiam.

GŪBERNUM. V. GUBERNA.

GUGERNI. V. GUBERNI.

GŪLA, ae, f. *οἰσοφάγος*, fistula colli interior, qua cibus et potus devoratur, et in stomachum demittitur. *Plin.* 11, 37, 66. Ex cartilagine et carne arteria, gula nervo et carne constat. Et *ib.* 79. Gula patentiore utuntur graculi, corvi, cornices. *Id.* 24, 15, 80. Pituita in gula cohaerescens. ℙ Saepe sumitur pro toto collo. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Quem obtorta gula de convivio in vincula abripi jussit. *Sall. Cat.* 58. Laqueo gulam frangere. *Pl. Aul.* 2, 4, 23. Cum it dormitum, follem sibi obstringit ob gulam, ne quid animae forte amittat dormiens. ℙ Saepissime per metonymiam pro voracitate, et nimio delicatioris cibi appetitu. [**Cic. Att.* 13, 31. O gulam insulsam, i. e. Q. Ciceronis.] *Sall. Jug.* 94. Numidae plerumque lacte, et ferina carne vescebantur, et neque salem, neque alia gulae irritamenta quaerebant. *Plin. ep.* 2, 6. Temperare gulae. *Hor. Sat.* 2, 7, 111. Gulae parere, *Mart.* 6, 11. Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula. *Suet. Vit.* 7. Profundam alicujus gulam explere. *Id. ib.* 13. Intempestivae ac sordidae gulae homo. *Juven.* 1, 140. quanta est gula, quae sibi totos Ponit apros! *Plin.* 9, 17, 30. Mullum exspirantem versicolori quadam varietate spectari, proceres gulae narrant.

GULLĬOCAE, nucum juglandium summa et viridia putamina. *Paul.* ex *Festo.* In *Gloss. Philox.* est *gulluca*, *καρυοτομία* (lege *καρυοκτομία*). Al. leg. *guliacae*, alii *gulliolae*. V. CULIOLA.

GŪLO, onis, m. gulosus, lurco, *γαστρίμαργος*. *Appul. Apol.* Gulones omnes, qui impenso pretio a piscatoribus mercantur. *Macr. Sat.* 7, 12. Proverbio, quo utuntur gulones. Adde *Fest.* in voce *Ingluvies.*

GŪLOSĒ, adv. *γαστριμάργως*, sapide ad voluptatem gulae. *Colum. praef. l.* 1. Gulosius condiendi cibos, et luxuriosius fercula struendi. *Tert. Resurr. carn.* 1. Gulosissime nutrit.

GŪLOSUS, a, um, adj. *γαστρίμαργος*, qui est deditus gulae vitio. *Senec. Q. N.* 3, 18. *extr.* Non sunt ad popinam dentibus, et ventre, et ore contenti: oculis quoque gulosi sunt. *Mart.* 7, 20. Nil est miserius, nec gulosius Sanctra. *Juven.* 11, 19. Et quadringentis nummis condire gulosum Fictile, *h. e.* patinam gulae causa exquisitis epulis refertam. *Hieronym. ep.* 107. *n.* 10. Abstinentia gulosa, *h. e.* quae a quibusdam abstinet, ut desiderio veluti condiat. ℙ Translate. *Mart.* 10, 59. Non opus est nobis nimium lectore guloso.

GŪMEN, inis, n. gummi. *Pallad.* 11. 14. *med.* Pini frugiferi gumen. *Schneiderus* ex *Geopon.* l. 7. *c.* 24., ubi legitur *πίτυος καρπίμου κόμην*, edidit *comam* pro *gumen*. Legitur tamen *gumen* ap. *eund. Pallad.* 12, 7. Antequam incipiat gumen lacrimare. Sed hic etiam alii aliter leg.

GŪMIA, ae, m. et f. gulo, gulosus, lurco. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 377. Gumiae illae vetulae, improbae, ineptae. Ap. *Non.* ibi legitur *gemiae:* sed mendum esse *Scalig.* ait. *Id. Lucil.* ap. *Cic. Fin.* 2, 8. compellans gumias ex ordine nostros. Adde *Fest.* in voce *Ingluvies*, et *Appul. Apol.* Ubique autem *P. Merula* ad *fragm. Ennii* p. 255. volebat legi *gluvia* eod. sensu: unde *ingluvies.*

GUMMĀTAE arbores dicuntur, quae gummi producunt. *Pallad.* 11, 12. In cerasis hoc servandum est, et in omnibus gummatis.

GUMMĔUS, a, um, adj. gummosus. *Auson. Idyll.* 6, 74. Gummea fletiferi jaculatur succina trunci, *h. e.* instar gummi defluentia. Al. leg. *Gemmea.*

GUMMI, n. indecl. et Gummis, is, f. *κόμμι*, gutta viscosa ex arboribus quibusdam per corticem diffluens. *Plin.* 13, 11, 20. Gummi optimum esse ex Aegyptia spina, convenit. *Colum.* 12, 52. Nova dolia liquida gummi perluere. *Plin.* 12, 8, 17. Gummium modo candidum. *Id.* 13, 12, 26. Gummis glutinum. [*Gargil.* (ed. *A. A. Scottio*) 4. *n.* 4. Sicuti omnibus arboribus, quae gummi glutina excludunt. *F.*] *Capell.* in genit. sing. *gummeos* dixit Graeca terminatione, 3. p. 49. Gallarum, gummeosque commixtio, *h. e.* atramentum scriptorium.

GUMMĪNO, as, n. 1. gummi emitto. *Pallad.* 2, 16. *extr.* Prunus inserenda est, antequam gumminet, in se, et persico. Al. leg. *germinet.*

GUMMĪNOSUS. V. GUMMOSUS.

GUMMĪTĬO, onis, f. *κόμμωσις*, illitus quidam ex glutinoso arborum succo, qui doliis fieri solebat. *Colum.* 12, 52. Multi, cum semel nova dolia, vel serias crassa gummi liverunt, una in perpetuum gummitione contenti sunt.

GUMMOSUS, a, um, adj. multum gummi habens. *Plin.* 12, 9, 19. Facilius hoc, et crustosius, amariusque: at Indicum humidius, ac gummosum. *Gumminosum* habetur in MSS. *Id.* 22, 9, 11. Folia pinguia, tactuque gummosa. *Id.* 16, 38, 72. Gummosus humor.

GURDONĬCUS, a, um, adj. rusticus, imperitus, inurbanus, rudis. *Sulpic. Sever. dial.* 1, 26. Audietis me tamen, ut gurdonicum hominem.

GURDUS, a, um, adj. pinguis, et translate stolidus, voce Hispanica. *Quint.* 1, 9. Gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7. Hic est ille gurdns, quem ego, etc. *Gloss. Isid.* Gurdus, lentus, inutilis.

GURGES, itis, m. *δίνη*, proprie locus est in flumine profundus, in quo aqua vertitur: sed generaliter de omni aquarum congerie dicitur, et de ipso etiam mari: a sono. *Cic. Pis.* 33. Non Rheni fossam gurgitibus illis redundantem. *Id. Har. resp.* 27. Immanis Charybdis, quae tantos exhaurire gurgites posset. *Ov. Met.* 15, 714. multamque trahens sub gurgite arenam Volturnus. *Virg. A.* 11, 624. alterno procurrens gurgite Pontus; et *ib.* 6, 296. Turbidus hic coeno, vastaque voragine gurges Aestuat. *Id. ib.* 11, 913. fessos jam gurgite Phoebus Ibero Tingit equos. *Ov. Met.* 9, 226. Euboicus gurges. *Stat. Achill.* 1, 223. Atlanteus. *Virg. G.* 4, 387. Carpathius. *Stat. Silv.* 4, 5, 4. Tusci gurgites. *Virg. A.* 6, 310.; et *ib.* 7, 704. gurgite ab alto. In illo *Hor. Od.* 2, 1, 33. Qui gurgites, aut quae flumina lugubris Ignara belli? quod mare, etc? *gurges* de lacu, aut palude intelligi potest, quomodo *Avien. Arat.* 380. Lernaei gurgitis hydra. ℙ [**Gurges* Nilus crebro vocatur poetis imprimis ob immensam profunditatem. *Luc.* 10, 254. tunc omnia flumina Nilus Uno fonte vomens non uno gurgite perfert. Laudat *Cort.* ad h. l. *Stat. Silv.* 3, 2, 115. et *Claud. de laud. Stil.* 1, 253. *Salm. Exercit. Plin.* p. 312. et al.] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 9. Qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. *Id. Sext.* 43. Ut eorum divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat. *Val. Max.* 3, 6. Deformes umbras in imo gurgite turpitudinis suae jacere patiar. *Prud. Hamart.* 255. Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis Gurges avaritiae. ℙ Nonnunquam est convicium hominis prodigi, lurconis, et omnia sua absumentis. *Cic. Sext.* 52. Quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, heluabare? *Id. Pis.* 17. *f.* Ille gurges atque heluo, natus abdomini suo. *Id. Dom.* 47. Ille gurges heluatus tecum simul reipublicae sanguinem. *Plin.* 10, 48, 68. Apicius, nepotum omnium altissimus gurges. *Macr. Sat.* 2, 9. narrat, Q. Fabium Q. F. M. N. *Gurgitis* cognomen habuisse, quod patrimonium suum devoraverit. At idem ab iisdem, a quibus ita cognominatus fuerat, bis consul creatus fuit, et princeps senatus lectus, teste *Plin.* 7, 41, 42., sed nimirum, quod in juventute peccaverat, *secutae virtutis insignibus compensavit*, ut *Macr.* loquitur. Ob eandem causam *Gurges* cognominatus est quidam Publius Gallonius, qui memoratur a vetere poeta ap. *Cic. Fin.* 2, 8. et ab *Hor. Sat.* 2, 2, 47. ℙ [*Commut. *gurges* et *vertex*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 374.]

GURGŪLĬO, onis, m. *γαργαρεών*, gula, guttur: et praesertim fistula, qua aer ad pulmones defertur. *Varr. R. R.* 2, 3. Hircus cervice et collo brevi, gurgulione longiore. [*Cic. fr. or. pro Tull.* (ed. *A. Maio*) 10. Tantum odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent. Hunc *Cic.* locum citat *Capell.* 5. p. 165. et habet *ejectis*, al. *exactis* pro *insectis*, quae vera est lectio. *F.*] *Lactant. Opif. Dei* 11. Spiritus accepit viam patentem, quae vocatur gurgulio: is constat ex ossibus flexuosis, etc. *Arnob.* 3, 107. Gurguliones, ventriculi, pulmones, etc. ℙ Item vermiculus, de quo V. CURCULIO: a cujus similitudine ita vocatur a *Pers.* 4, 38. *τὸ* virorum *αἰδοῖον.*

GURGUSTĬDONĬI campi, ficte, et joculariter dicuntur a *Pl. Mil.* 1, 1, 13., ut et alia ibi, ridendi causa Pyrgopolinicem gloriarum plenum, et vanissima de se jactantem: quasi in gurgustio, vili ac foedo loco, virtutes suas exercuerit.

GURGUSTĬŎLUM, i, n. dimin. gurgustii. *Appul. Met.* 1. Brevitatem gurgustioli nostri ne spernas. Adde *ib.* 4.

GURGUSTĬUM, ii, n. vilis ac teter locus, obscura et latens taberna, genus habitationis angustum, a *gurgulione* vermiculo dictum, ut *Fest.* docet. *Cic. Pis.* 6. Meministine, coenum, cum ad te cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire, involuto capite, soleatum? et *N. D.* 1, 9. Deus videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurgustio, habitaverat. *Suet. Gramm.* 11. Vixit in summa pauperie, et paene inopia, abditus modico gurgustio.

[GURRĬDUS, a, um, adj. idem significare videtur ac gurdus. *Not. Tir.* p. 102. Fatuus, murio (corrige *morio*) gurridus. *F.*]

*GURTIĀNA, ae, f. opp. Pannoniae inferioris. *Ant. Itin. B. A.*

GUSTĀTĬO, onis, f. actus gustandi, et leviter quid cibi attingendi. Dicitur de initio coenae lautioris, quo gustabant leviter ejusmodi cibos, qui ad acuendam orexim facerent: ceterum fames ipsa justis deinde ferculis explebatur. Etiam extra coenae tempus gustatio quandoque sumi solita, virium modice reficiendarum causa, ut in GUSTO et in GUSTUS dicetur. *Petr. Sat.* 21. Jussi discubuimus, et gustatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundamur. Excepti etiam pluribus ferculis, etc.; et 31. Allata est tum gustatio valde lauta.

[GUSTĀTOR, oris, m. qui gustat, ut Gustator digitus dicitur index, quia eodem extenso aliquid praegustamus; quem ideo Graeci vocant *λιχανόν*. *Hieron. in Isaj.* 11, 40, 12. Hoc enim *λιχὰς* sonat; ut scilicet non tota manu, sed parvo digito, quem vulgo gustatorem vocant, omnis aquarum vastitas ponderetur. *F.*]

GUSTĀTORĬUM, ii, n. gustatio, cibus, qui gu-

stationis causa apponitur, sive initium sit justae coenae, sive alio tempore sumatur. *Petr. Sat.* 34. Subito signum symphonia datur, et gustatoria pariter a choro cantante rapiuntur. ℙ Item mensa, in qua hujusmodi gustatio imponitur. *Plin. ep.* 5. 6. *med.* Gustatorium, graviorque coenatio margini *(fontis)* imponitur. ℙ Hujusmodi mensae ornari solebant sectilibus laminis testudinum, invento cujusdam Carvilii Pollionis, qui teste *Plin.* 9, 11, 23. testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire primus instituit. Hinc ap. *Mart.* 14, 88. cujus lemma est *Gustatorium:* Femineam nobis cherson si credis inesse, Decideris: pelagi mascula praeda sumus.

GUSTĀTUS, a, um, part. a *gusto;* gustu perceptus, leviter sumptus. *Ov. Trist.* 4, 1, 31. Sic nova Dulichio lotos gustata palato, Illo quo nocuit, grata sapore fuit. *Plin.* 8, 16, 19. Gustatus sanguis in remedio est.

GUSTĀTUS, us, m. idem ac gustus. *Cic. N. D.* 2, 56. Gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet. *Plin.* 10, 71, 91. Existimaverim omnibus *(animalibus)* sensum et gustatus esse; cur enim alios alia sapores adpetant? ℙ Item ipse actus gustandi. *Id. ib.* 63. Varietas pomorum, eorumque jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus.

GUSTO, as, avi, atum, a. 1. *γεύομαι*, gustu percipio, modice et primoribus labris sumo, paulum comedo. *Cic. Fam.* 7, 26. Cum biduum ita jejunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem. *Caes. B. G.* 5, 12. Leporem, et gallinam, et anserem gustare fas non putant. *Suet. Tit.* 2. Gustare de potione. *Plin.* 21, 29, 103. Herba subsalsa gustanti; et 27, 4, 7. Alypon acre gustatu, ac lentum. *Cels.* 4, 3. Celerius panis mandendus, quam vinum gustandum. ℙ Aliquando sumitur pro jentare, parum cibi sumere extra coenae tempus ad reficiendas modice vires: quod saepe post balneum fieri solebat: item ipsa coenae initia libare. V. GUSTATIO. *Senec. Consol. ad Marc.* 22. *med.* Usus balneo, in cubiculum se, quasi gustaturus contulit. *Cic. Mur.* 35. *f.* Cretes, quorum nemo gustavit unquam cubans. *Plin. ep.* 3, 5. Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum. *August.* ap. *Suet. Aug.* 76. Nos in essedo panem et palmulas gustavimus. [*V. *Salm.* ad *Vopisc. Tac.* 2., *Gesn.* ad *Plin. ep.* 3, 5, 11.] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 29. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras. *Id. N. D.* 1, 8. Primis, ut dicitur, labris gustare physiologiam. *Id. Fin.* 1, 18. Animus secum discordans, gustare partem ullam liquidae voluptatis non potest. *Id. Or.* 1, 32. De actione, et memoria quaedam brevia praecepta gustare; et *ib.* 2, 36. *extr.* rerum summatim causas et genera; et *Fam.* 12, 23. partem aliquam reipublicae; et *Arch.* 7. *extr.* Studia litterarum attingere, et sensu gustare. *Lucr.* 5, 180. amorem vitae. *Hor. Sat.* 2, 5, 82. lucellum. *Pl. Most.* 5, 1, 15. Herus meus hic quidem est: gustare ego ejus sermonem volo, *h. e.* clam aucupari et percipere. *Cic. Or.* 3, 20. Sitiens istarum artium, gustavi, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, etc., *h. e.* aliquandiu audivi. ℙ *Gustarit* per syncopen pro *gustaverit,* ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 82.

GUSTŬLUS, vel Gustulum, i, m. vel. n. dimin. gustus. Translate. *Appul. Met.* 2. Dulcem et amarum gustulum carpis, *h. e.* osculum. Alii leg. *dulce et amarum, γλυκόπικρον.* ℙ *Id. ib.* 9. *med.* vocat *gustulum* ovum recens natum, quod matutino jentaculo sorberi hujusmodi ova soleant. *Gustus* autem pro jentaculo etiam usurpari videtur. V. GUSTATIO.

GUSTUM, i, n. idem quod gustatio, cibus delicatior, *γεῦμα. Apic.* 4, 5. Gustum versatile sic facies. V. v. seq.

GUSTUS, us, m. *γεῦσις*, sensus linguae, quo sapores dignoscimus. *Colum.* 1, 8. et 2, 2. *med.* Panis potionisque bonitatem gustu explorare. *Tac. A.* 12, 66. Minister inferre epulas, et explorare gustu solitus. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum adulteratum gustu deprehendere. *Tac. A.* 13, 16. Gustu libata potio. *Suet. Ner.* 33. Cum ille ad primum gustum concidisset. ℙ Item sapor. *Cels.* 6, 8. Attrahatur spiritu is succus, donec in ore gustus ejus sentiatur. *Colum.* 3, 2. *med.* Graeculae vites habent probabilem gustum; et *paulo ante:* Vites pretiosi gustus celeberrimae. *Plin.* 26, 8, 50. Folium pingue, et salso gustu. *Id.* 14, 1, 3. Gustus vini austerior; et 27, 12, 96. Herba gustu adstricto; et *ib.* 97. Radix gustu acri mordet. [*V. *Döderl.* 3, 125.] ℙ Item gustatus. *Id.* 31, 6, 32. Nec hoc fieri convenit sine crebro salis gustu. [*Ita ponitur de *tripudio*, quod dicunt. *Suet. Aug.* 7. ab avium gestu gustuve.] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 45. Libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustum non habent. [**Orell.* c. recentt. edd. habet *gustatus.* V. *Döderl.* 3, 126. sq.] *Quint.* 6, 3. Urbanitas significat sermonem prae se ferentem in verbis, et sono, et usu proprium quendam gustum Urbis. ℙ Est etiam *gustus* coenae initium, gustatio. *Mart.* 11, 31. Gustu protinus has edes in ipso: Has prima feret alteraque coena. Adde 52. ℙ In illo *Petronii* in *fr. Trag.* 77. *extr. Burm.* Profer et unguentum, et ex illa amphora gustum, ex qua jubeo lavari ossa mea: *gustus* est modica vini quantitas, ad explorandam ejus bonitatem. Hinc translate *Senec. ep.* 114. Gustum tibi dare volui. *Plin. ep.* 4, 27. Vides quam acuta omnia, quam apta, quam expressa? Ad hunc gustum totum librum repromitto. [*Front. princ. hist.* (ed. *A. Maio*) p. 313. Si tamen hoc, quod gustui mittimus, non displiceat. *F.*] *Petr. Sat.* 22. Tot malis fatigatus, minimum veluti gustum hauseram somni. Adde *Senec. ep.* 11. Sic *Colum.* 1, 11. Tibi expetenti versificationis nostrae gustum negare non sustinui. ℙ *Gusti* pro *gustui. Petr. fr. Trag.* 76. *Burm.* Non mehercules mi haec jactura gusti fuit.

GUTTA, ae, f. *σταλαγμὸς*, minima pars aquae, vel alterius materiae liquidae, fortasse a *χυτὸς*, fusus, fusilis. [*V. *Döderl.* 3, 3. qui *etym.* v. non in gr. *χυτὴ*, sed in *gustus*, part. obsoleti verbi *guo, γεύω*, vidit, *gusta*, assimilatione litt. *s* ante *t* eodem modo facta, ut in gr. *ἵντω Ζεύς*, etc. Plura quae de discrimine disputavit inter *gutta* et *stilla*, v. ap. ipsum l. l.] *Cic. Or.* 3, 48. Numerus, quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguitur, notare possumus. *Id. N. D.* 2, 5. Guttae imbrium quasi cruentae. *Virg. A.* 3, 28. atro liquuntur sanguine guttae. *Pl. Most.* 2, 2, 76. Guttam haud habeo sanguinis; *sc.* prae metu. *Ov. Pont.* 4, 10, 5. Gutta cavat lapidem: consumitur annulus usu. *Lucr.* 6, 943. in speluncis saxa guttis manantibus stillant. *Pl. Cas.* 2, 3, 30. Dii te infelicitent, si ego in os meum hodie vini guttam indidi. *Ov. Pont.* 2, 3, 90. Gutta per attonitas ibat oborta genas, *h. e.* lacrimae. ℙ In illo *Sidon. carm.* 5, 43. Assyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabaeus, (et 47.) Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham: *gutta* videtur esse succinum, *ambra*, quod *Mart.* 4, 32. Phaethontida guttam; et 6, 15. succinam guttam appellat. *Appul.* tamen *Met.* 2. myrrham ipsam *Arabicas guttas* dixit: videturque non myrrham quamlibet, sed eam solummodo, quae sponte profluit (quae et *stacte* dicitur) significasse: qua ratione fortasse et *Sidon.* intelligendus est, nempe ut *myrrham* dicat, quae ex vulnere defluit, *guttam*, quae sponte. V. MYRRHA. Adde *Eccli.* 24, 21. ℙ A similitudine *guttae* sunt puncta, seu maculae varii coloris sparsim alicubi dispositae, ut in equis, anguibus quibusdam, etc. *Virg. G.* 4, 99. de apib.: paribus lita corpora guttis. *Ov. Met.* 5, 461. de lacerto: variis stellatus corpora guttis; et *ib.* 4, 577. de angue: Nigraque caeruleis variari corpora guttis. *Plin.* 36, 8, 12. *n.* 2. Lapis interstinctus aureis guttis. *Id.* 29, 4, 27. Phalangium albis incursantibus respersum guttis. ℙ Translate est minima particula. *Pl. Ps.* 1, 4, 4. Cui neque parata gutta certi consilii, neque adeo argenti. *Lucr.* 4, 1053. gutta dulcedinis stillavit in cor. ℙ In architectura *guttae* dicuntur ornamenta sub triglyphis in Dorico genere, instar guttarum pendentia. *Vitr.* 4, 3. Epistylii altitudo unius moduli cum taenia et guttis: et *infra:* Dividendae sunt in corona ima ad perpendiculum triglyphorum, et ad medias metopas viarum directiones, et guttarum distributiones, ita uti guttae sex in longitudinem, tres in latitudinem pateant. Altero hoc loco *Vitr.* designat eas guttas, quae in corona ima scalpuntur ad priorum perpendiculum: illae sex omnino sunt: hae decem et octo: illae metae pendentis figuram habent, hae ad circinum deformatae sunt. ℙ *Gutta* est etiam cogn. R., ut Ti. Carpineus Gutta ap. *Cic. Cluent.* 26. et 36. ℙ *Guttai* pro *guttae* dixit suo more *Lucr.* 6, 614.

*GUTTĂLUS, i, m. Germaniae fluvius, cujus meminit *Plin.* 4, 14. *Cluverio*, *Harduino* ad locum *Plinii*, et *Cellario* in Geographia est *the Oder.* ℙ *Guthalus* est *Solin.* 20. *B. A.*

GUTTANS, tis, part. ab inus. *gutto*, guttis adspergo, *σταλάζων*, guttatim stillans. *Plin.* 20, 8, 28. Hujus folia ambustis utilia, guttantia astringunt. *Hard.* tamen ex MSS. legit: *gustantium os astringunt.*

GUTTĀTIM, adv. *κατὰ σταγόνας*, per singulas guttas. *Pl. Merc.* 1, 2, 92. Cor aedepol miserum meum, quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem. *Enn.* ap. *Non.* 2, 363. Lacrimae guttatim cadunt. *Arnob.* 2, 84. Pluvia guttatim labitur. *Appul. Met.* 3. p. 130, 21. Vasculum guttatim defluum. V. DEFLUUS.

GUTTĀTUS, a, um, part. ab inus. *gutto*, guttis adspergo, colorem habens maculis quibusdam in modum guttarum distinctum, ex. gr. quod album est nigris intervenientibus punctis, quia puncta illa guttarum instar sunt aspersa, ut equus guttatus, gallinae guttatae, etc. *Mart.* 3, 58. Et picta perdix, Numidicaeque guttatae. *Pall.* 4, 13. de equis: Colores hi praecipui, badius, gilvus, scutulatus, albus, guttatus.

*GUTTO, as, *σταζω*, *Vet. Gloss. B. A.*

*GUTTONES, um, m. pop. Germanici, qui et Gothi dicti. *Plin.* 4, 14. et 37, 2. ℙ V. *Gothones. B. A.*

GUTTŬLA, ae, f. *ψεκάδιον*, dimin. guttae. *Pl. Ep.* 4, 1, 27. Ah, guttula pectus mihi ardens aspersisti. *Paul. Nol. carm.* 21, 427. Favorum guttulae.

*GUTTŬLUS, i, m. dimin. *προχοΐδιον*. Laudatur *Plaut.* in *fragmento.* Ut guttulam hauriret ex guttulo. *B. A.*

GUTTUR, uris, n. raro m. *φάρυγξ, βρόγχος*, pars illa, quae a faucibus ad jugulum est, tum exterior, tum praecipue interior. *Plin.* 11, 37, 68. Guttur homini tantum, et suibus intumescit, aquarum, quae potantur, plerumque vitio. *Hor. Ep.* 3, 1. Parentis olim si quis impia manu Senile guttur fregerit. *Pl. Mil.* 3, 2, 22. Nimis calebat, amburebat gutturem. *Ov. Met.* 6, 134. Laqueo ligare guttura; et *ib.* 7, 314. fodere guttura cultro. *Id. Amor.* 1, 13, 8. liquidum tenui gutture cantat avis. *Pers.* 1, 17. liquido plasmate guttur colluere, *h. e.* gargarizare. *Juven.* 13, 162. Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? et *Vitr.* 8, 3. *f.* Genus aquae, quam qui bibunt, efficiuntur tumidis gutturibus. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 19. Vitium ventris et gutturis. *Juven.* 2, 114. rarum ac memorabile magni Gutturis exemplum, *h. e.* ingentis voracitatis. ℙ Joculariter *Plaut.* de avaro homine, *Aul.* 2, 4, 25. Etiamne obturat inferiorem gutturem Tum, ne quid animae forte amittat dormiens? *h. e.* anum.

GUTTURNĬUM, ii, n. *πρόχοος*, vas, ex quo aqua in manus datur: ab eo, quod propter angustias guttatim fluat. *Festus.*

GUTTŪROSUS, a, um, adj. *ἐξεβρογχος*, cujus guttur tanquam spongia intumescit, quod vitium potius, quam morbus *βρογχοκήλη* Graece dicitur: eoque praecipue laborant Alpium accolae, propter aquarum qualitatem, quibus utuntur. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Si quis natura gutturosus sit, aut oculos praeminentes habeat, sanus videtur. *Vet. Schol. Juven.* ad *Sat.* 13, 162. Tanquam si in Alpibus gutturosos homines admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet: nam lata et inflata colla habent.

GUTTUS, i, m. *πρόχοος, ἐπίχυσις*, vasis genus, angusto collo: a gutta, quod vinum eo funderent guttatim, quod Graeci dicunt *ἐπιψεχάζειν*, Latini irrorare. *Varr. L. L.* 4, 26. Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt. [**Hor. Sat.* 1, 6, 118. ibique *Heindf.*] ℙ Speciatim hoc nomine fuit vas, quo in sacrificiis utebantur. *Plin.* 16, 38, 73. Curius juravit, se ex praeda nihil attigisse praeter guttum faginum, quo sacrificaret. ℙ Item vas, in quo oleum asservabatur. *Gell.* 17, 8. Guttum Samium, ore tenus imprudens inanem, tanquam inesset oleum, affert. ℙ Utebantur etiam gutto in balneis ad conservanda unguenta. *Juven.* 3, 263. et 11, 158. Guttum corneum memorat *Mart.* 14, 53. in *lemmate.*

G Y

GYĂROS, *et* us, i, *et* Gyărā, ae, *et* Gyărī, orum, *Γύαρος*, insula parva, inculta, ac deserta maris Aegaei, una Cycladum, secundum alios Sporadum, nunc *Joura*, ex qua incolas olim a muribus fugatos fuisse *Plin.* 8, 29, 43. et *ib.* 57, 82. ex *Varrone*, et *Theophrasto* tradit. *Id.* 4, 12, 23. Gyaros cum oppido, circuitu XII. mill. passuum. ℙ Una erat ex illis, in quas Roma deportabantur rei: ut videre est ap. *Tac. A.* 3, 68. et 69. et *ib.* 4, 30. Hinc *Juven.* 1, 73. Aude aliquid brevibus Gyaris, et carcere dignum, Si vis esse aliquid. *Id. Sat.* 10, 170. Ut Gyarae clausus scopulis, parvaque Seripho. Adde *Cic. Att.* 5, 12.

GYAS et Gyes, ae, m. *Γύης*, nomen Gigantis. V. GYGES.

GYBERNĀTOR. V. GUBERNATOR.

GYGAEUS, a, um, adj. ad Gygem pertinens Lydorum regem: et ponitur pro Lydio. Gygaeum stagnum, *Γυγαία λίμνη*, est in Lydia prope Sardes, circa quem regum Lydorum monumenta fuisse dicuntur. *Prop.* 3, 9, 18. Lydia Gygaeo tincta puella lacu. Adde *Plin.* 5, 29, 30.

*GYGEMŌRUS, i, m. mons Thraciae. *Plin.* 4, 21. *B. A.*

GYGES, ae, m. et is, m. *Γύγης*, Gigas maximus et centimanus, filius Coeli, et Terrae, frater Briarei. Sunt tamen, qui Briareum, Gygem, et Aegeona eosdem putent. *Ov. Trist.* 4, 7, 18. Centimanumque Gygem, semibovemque virum. *Id. Fast.* 4, 593. Quid gravius victore Gyge captiva tulissem? Priore loco al. leg. *Gyam*, altero *Gye*, ut sint a recto *Gyes*, vel *Gyas, ae, Γύης*, quod et ipsum Gigantis nomen proprium est. Nam ceteroquin *Gyges* primam producit ut videre est apud *Hor. Od.* 2, 5, 20. et *ib.* 3, 7, 5., quibus locis formosi pueri nomen est: et *Virg. A.* 9, 762., ubi nomen est viri Trojani. Non desunt tamen, qui corripi etiam posse, Graecorum poetarum auctoritate contendunt. Pro altera declinatione est illud *Cic. Off.* 3, 19. *f.* Neque Gygi illi posse veniam dari, etc. Adde *Just.* 1, 7. ℙ Alius fuit Gyges pastor Candauli Lydorum regis, cui cum rex uxorem suam, de cujus pulcritudine gloriabatur, nudam ostendisset, illa adversus maritum indignata

Gygem ad caedem ejus impulit, seseque cum regno Lydiae illi tradidit. Ab aliis ad regnum sic ascendisse dicitur. Cum magnis quibusdam imbribus terra hiatum fecisset in ea regione, ubi ille armenta pascebat, in hiatum descendit, conspexit equum aeneum concavum, cujus in lateribus fenestrae erant: Illis apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, quod nihil habebat aliud praeter aureum in digito anulum: eum detraxit, abiit, ac tum in consilium pastorum se recepit, quod ea re haberi solebat, ut de rebus peculii ad regem per singulos menses referrent, juxtaque alios assedit. Accidit, ut, cum forte palam ejus anuli ad palmam convertisset, a nullo videretur, aliique de illo tanquam absente loquerentur. Admiratus ergo denuo contrectans anulum, palam in lucem convertit, quo facto rursus apparuit. Hoc ille animadvertens diligentius, periculum fecit, utrum hanc anulus vim haberet. Atque ita illi compertum fuit, quod versa ad se gemma a nemine videretur, versa autem ad alios conspicuus fieret. Itaque curavit, ut legatus ad regem una cum aliis mitteretur, profectusque reginae stuprum intulit, eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur. Nec in his quisquam eum facinoribus potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. *Cic. Off.* 3, 9., *Just. l. c.*

*GYLIPPUS, i, m. *Γύλιππος*, dux Lacedaemonius, qui Athenienses in Sicilia devicit. *Justin.* 4, 4. *Tibull.* 4, 1, 199. De alio Gylippo *Virg. A.* 1. v. 271. ubi alii male scribunt *Gilippo. B. A.*

GYMNAS, ădis, f. *γυμνάς*, exercitium. *Stat. Silv.* 4, 2, 47. Sic lubrica ponit Membra Therapnaea resolutus gymnade Pollux; et *Sil.* 3, 1, 43. hic tibi festa Gymnas, et insontes juvenum sine caestibus irae. *Id. Achill.* 1, 357. neve exercere protervas Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari. *Id. Theb.* 4, 106. Herculea turpatus gymnade vultum Amnis, *h. e.* Achelous cornu truncatus in lucta cum Hercule: de quo V. *Ov. Met.* 9. *in.*

GYMNĂSĬAE Insulae, Baleares: a *γυμνάζω*, exerceo, quod earum incolae praecipue se funda exercerent. *Plin.* 3, 5, 11. ℙ **Gymnesiae* audiunt Baleares *Liv. ep.* 60. *B. A.*

GYMNĂSĬARCHA, ae, m. et Gymnăsĭarchus, i, m. *γυμνασιάρχης*, praefectus gymnasii, id est loci, in quo gymnades, seu exercitia corporis habentur. *Cic. Verr.* 2, 4, 42. Demoliendum curavit Democritus gymnasiarchus. *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 2. C. Rutilio C. F. Cocliti, viro gymnasiarchae Leg. Imp. Caes. M. Aur Antonini. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. *extern.* Gymnasiarcha claudere eum locum volente. *Sidon. ep.* 2, 2. Palaestritarum luctas, si involvantur obscenius, casta confestim gymnasiarchorum virga dissolvit. [*De hoc genere hominum praeter alios disputat *Van Dalen. Diss.* 8. laud. *Ernest.* in *cl. Cic.* p. 442.]

[GYMNĂSĬOFESTUS, a, um, adj. qui in gymnasio festum aliquod celebrat. *Not. Tir.* p. 174. Gymnasiarchus, gymnasiofestus. *F.*]

GYMNĂSĬUM, ii, n. *γυμνάσιον*, locus, ubi se lucta, disco, hasta, pila, saltu, tum athletae, tum ingenui filiifamiliarum exercebant: institutum Graecorum, quorum in urbibus passim loca publica hisce destinata exercitiis exstructa visebantur: a *γυμνάζω*, exerceo, quod a *γυμνός*, nudus, quia nudos mos erat, oleoque unctos, et pulvere arenave conspersos exerceri. *Pl. Ep.* 2, 2, 13. per omnem urbem quem sum defessus quaerere, Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro, Per myropolia, et lanienas, circumque argentarias. Quod *balneas* hic, ut et *Amph.* 4, 1, 3., ubi fere eandem locorum enumerationem habet, *Plautus* omittit, ideo factum videtur, quia ipsae quoque *gymnasii* nomine significantur: nam in his pariter exercebant corpora. *Id. Bacch.* 3, 3, 20. Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras, gymnasii Praefecto haud mediocres poenas penderes; et 24. Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant magis, quam, etc. *Cels.* 5, 11. et 15. Sordes ex gymnasio, *h. e.* strigmenta, quae ab athletis detergentur e corpore post luctam. ℙ Spartae etiam virgines gymnasticis exercitationibus, excepto saltu operam dabant. *Propert.* 3, 12, 1. Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae, Sed mage virginei tot bona gymnasii. Adde *Ov. Her.* 16, 149. et *Cic. Tusc.* 2, 15. ℙ Joculariter. *Pl. Aul.* 3, 1, 51. Totus dolco: ita me iste habuit senex gymnasium, *h. e.* verberando me exercuit. Ap. *eund. Asin.* 2, 2, 31. *gymnasium flagri* convicium est servi crebro vapulantis, quasi qui tergo suo saepe flagra exerceat. ℙ Dicitur etiam de schola, seu ludo litterario, non tam metaphorice, quam quod philosophi olim ea ad disputandum loca elegissent, in quae juventus exercendi gratia convenire solebat. *Cic. Or.* 2, 5. Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram, et sedes, et porticus, etiam ipsos Graecos exercitationis et delectationis causa, non disputationis invenisse arbitror. Nam et saeculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperunt: et hoc ipso tempore cum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire quam philosophum malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus, et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. *Id. Div.* 1, 5. Cum ambulandi causa in Lyceum venissemus: id enim superiori gymnasio nomen est. [*Discernendus erat hic locus a reliquis hujus §. significat enim h. l. *gymnasium* aedificium in *Ciceronis* Tusculano ad similitudinem Graec. gymnasiorum exstructum. Cf. *Tusc.* 2, 3. ubi alterum inferius commemoratur, quod Academiam vocaverat. V. *Schütz. cl. Cic.*] *Id. Or.* 1, 13. Clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholae, sua haec esse omnia propria. Adde *prooem. Paradox. med.* ℙ Ampliora gymnasia locum etiam habuere sepulturis clarorum virorum destinata, ut videre est apud *Nep. Timol. f.*, et *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *f.*, unde etiam colligitur, Athenis gymnasia extra urbem fuisse. ℙ Differt interdum *gymnasium* a *palaestra*, ut ap. *Pl. Amph.* 4, 1, 3. omnes plateas perreptavi, gymnasia, et myropolia: Apud emporium, atque in macello, in palaestra, atque in foro, etc. et *Catull.* 63, 60. de Aty: Abero foro, palaestra, stadio, et gymnasiis? et *Cic. Att.* 1, 10. Signa, quae tibi palaestrae, gymnasiique videbuntur esse. Videtur autem his locis *gymnasium* latiore significatione, *palaestra* strictiore usurpari: scilicet illud scholam quoque philosophorum complecti; haec tantummodo locum luctae, athletisque destinatum. ℙ *Gymnasium dare* est ludos gymnasticos populo praebere. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 456, 5. Et ob *statuae* dedicationem simul cum Mannio Memmiano collega suo ludos scenicos, et gymnasium populo, epulas decurionibus dedit.

GYMNASTAE. V. GYMNETES.

GYMNASTĬCUS, a, um, adj. ad exercitationem pertinens, *γυμναστικός*: a *γυμνάζω*, exerceo, ut *gymnasticum exercitium*, *gymnastica ars*, qua pueri corpore exercentur. *Pl. Rud.* 2, 1, 7. Pro exercitu gymnastico, et palaestrico hoc habemus, echinos, ostreas captamus, etc. *Id. Most.* 1, 2, 72. Arte gymnastica, disco, hasta, pila.

*GYMNĒTES, um, m. *Γυμνῆτες*, i. e. nudi, Indi qui centenos annos excesserunt. *Plin.* 7, 2. edd. *Hard.* et *Elzev.* Al. leg. *Gymnastae.* ℙ Item populi Africae ulterioris. *Plin.* 5, 8. Gymnetes Pharusii. ℙ Et Aethiopiae populi. *Id.* 5, 30. Deinde Gymnetes, semper nudi. Ita ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* est *Gymnites. B. A.*

GYMNĬCUS, a, um, adj. *γυμνικός*, idem quod gymnasticus: ut *gymnica certamina*, *gymnici ludi*, *γυμνικοὶ ἀγῶνες*, cursus, luctae, gladiatura, etc., quae populo oblectando publice fiebant. *Cic. Tusc.* 2, 26. Videmusne, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? *Suet. Ner.* 53. Spectare certamina gymnica. *Plin.* 7, 56, 57. Ludos gymnicos in Arcadia Lycaon invenit.

GYMNĪTES. V. GYMNETES.

GYMNOSOPHISTAE, arum, m. plur. *Γυμνοσοφισταὶ*, Indorum philosophi, sapientiam profitentes, et nudi in silvis agentes: a *γυμνός*, nudus, et *σοφιστής*, sapiens. *Prud. Hamart.* 404. Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas. *August. C. D.* 14, 17. Gymnosophistae adhibent genitalibus tegmina, quibus per cetera membrorum carent. *Appul. Flor. n.* 6. ℙ Etiam in Aegypto fuere gymnosophistae. *Hieron. ep.* 107. *n.* 8. Quod et Indorum Brachmani, et Aegyptiorum Gymnosophistae in polentae, et oryzae, et pomorum solo observant. [*Adde *Plin.* 7, 2. et cf. *Cic. de Div.* 1, 23. ℙ *Sapientes* simpliciter audiunt *Curt.* 8, 9. *Σοφισταὶ Straboni.* ℙ Ceterum duae Gymnosophistarum fuerunt sectae, Brachmanes et Samanaei. V. *Porphyr.* 4. *περὶ ἀποχῆς*, p. 404. seq. *Strab.* 15. p. 686. *Clem. Alex. Strom.* 1. p. 223. *Tert. Apol.* c. 41. et alios. *B. A.*]

GYNAECĒUM, i, n. *γυναικεῖον*, subaudi *οἴκημα*, apud Graecos est pars aedium interior secretiorque, ubi secretae a viris mulieres degunt, conclave, in quod praeter sanguine conjunctos, servosque domesticos, aditus patet nemini. *Ter. Phorm.* 5, 6, 26. Ubi in gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit: ait, esse vetitum intro ad heram accedere. *Pl. Most.* 3, 2, 71. Dare vult uxorem filio: Ad eam rem facere vult gynaeceum novum. ℙ Est praeterea hoc nomine locus publicus, in quem conveniunt mercede conductae mulieres, lanificii et textrini causa: et praesertim textrinum ad vestes principis conficiendas constitutum, ut ex *Cod.* 9, 27, 5. et 11, 7, 5. colligitur. *Veg. Mil.* 1, 7. Linteones, omnesque, qui aliquid tractasse videbuntur ad gynaecea pertinens, longe arbitror pellendos a castris. ℙ Item locus, in quo libidinis causa puellae selectae detinentur: qualem Turcarum imperatorem habere constat. *Lact. Mort. persecut.* 21. Matresfamilias ingenuae ac nobiles in gynaeceum rapiebantur. ℙ Scribitur et *gynaecium.*

GYNAECĬĀRĬUS, ii, m. qui gynaecei, ubi mulieres lanam faciunt, et intexunt, curam habet. *Imp. Constant. Cod.* 11, 7, 3. Ingenuae mulieres, quae se gynaeciariis sociaverint.

GYNAECĬUM. V. GYNAECEUM.

*GYNAECĬUS, i, m. i. q. gynaeciarius, quod V. *Cod. Theod.* 10, 20, 2. Baphii et gynaecii. *B. A.*

GYNAECOCRĂTŪMĒNI, *Γυναικοκρατούμενοι*, (a *γυνή*, femina, et *κρατέω*, dominor, impero) populi Sauromatae, coacti servire Amazonibus, quae eos bello vicerant. *Plin.* 6, 7, 7.

GYNAECŌNĪTIS, idis, f. *γυναικωνῖτις*, idem ac gynaeceum. *Nep. praef.* In interiore parte aedium, quae gynaeconitis dicitur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. *Vitruv.* 6, 10. Haec pars aedificii gynaeconitis appellatur. V. ibi reliqua.

*GYNAECOPOLITES NOMOS dicta est praefectura, cujus caput Gynaecopolis. Fuit autem *Gynaecopolis*, *is*, f. *Γυναικῶν πόλις*, urbs Aegypti inferioris, medio inter Alexandriam Memphimque loco. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

GYNDES, is, m. et Gindes, fl. Mesopotamiae, al. Armeniae, post Euphratem maximus, qui ex Mantienis montibus in Armenia profluit, et in Tigrim per Opin urb. influit. Illum Cyrus multis fossis totum in alveos derivavit, quod exercitum contra Babylonios retardaret. Alii dicunt, quod equitem quendam illi in primis carum absumpsisset. *Senec. Ira* 3, 21. et *Tibull.* 4, 1, 141.

[GYNESĬĀCUS, i, m. ad uxorium, seu effeminatum pertinens: deducitur enim a *γυνή*, uxor, et Gynesius, uxorius: est nomen vetusti martyris. *Inscr.* ap. *Mur.* 132, 3. et *Donat. praef.* p. 523. T. Julius Gynesiacus. *F.*]

[GYPSĂRĬUS, a, um, adj. ad gypsum pertinens, ut Gypsarius plastes, idem ac gypsoplastes. *Edict. Dioclet.* p. 20. Reliquis plastis gypsariis pastis diurnos ✕ quinquaginta. *F.*]

*GYPSĀTĬO, onis, f. *Sidon. B. A.*

*GYPSĀTOR, oris, m. *Augustin. B. A.*

GYPSĀTUS, a, um, part. a *gypso*, *γυψωτός*, gypso illitus, infectus, tectus. *Ov. Amor.* 1, 8, 64. Despice gypsati crimen inane pedis: *idest* servilis. Nam pedes venalium trans mare advectorum, gypso, seu creta notare mos erat. *Tibull.* 2, 3, 60. quem saepe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes. Adde *Prop.* 4, 5, 51. *Cic. Fam.* 7, 6. de Medea: Quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi illae vitio verterent, quod abesset a patria: v. *gypsatissimis* videtur *Cic.* ab illo eod. poeta (*Ennio* fortasse) sumpsisse, a quo et illa, quae *ib.* subdit, *nam multi suam rem*, etc. Neque enim veri est simile, ipsum ea ratione fuisse locuturum: quod et *Manut.* advertit. Deinde dicitur Medea manus habuisse gypsatas, quia mos fuisse putatur barbararum mulierum gypso manus linere, ad candorem conciliandum. [*Quae sint *gypsatae manus*, magna controversia est. Varias sententias v. in ed. *Graev.* et *Lex. Fabr.* — *Schütz. cl. Cic.* p. 25. prob. *Nicol. Loens. Epiphyll.* 2, 10. sententiam, *gypsatas manus* de histrionica Medea, sive de histrione, qui Medeae personam in fabula Ennii ageret, interpretantis, ita ut vv. *man. gyps.* cum v. *persuasit* conjung., relata scil. ad gestum manuum, quo utebatur Medea scenica: contra *Burm.*, qui mavult verba *quibus ille manibus gypsatissimis* conjungere, ut significetur Medea, quae erat manibus gypsatissimis usa. *Gesn.* prob. *Sam. Petiti* ad *leg. Att.* p. 67. sententiam, ita corrigentis: quibus illa III. anibus gypsatissimis: ut referretur ad matronas illas optimates. Debemus haec *Ernest. cl. Cic.* p. 442. et *Schütz. ib.* s. h. v.] Huc quidam trahunt locum. *Val. Fl.* 2, 150. de Threissa: Picta manus, ustoque placet sed barbara mento: at *picta manus* est stigmatibus compuncta, V. STIGMA., non gypso illita. Sunt vero qui recte putant, *malas* scribendum, non manus. V. v. seq. et CRETA. Postremo horum *Ciceronis* verborum sensus est, Medeam Corinthiis matronis sermone in speciem quidem honesto, doloso tamen et fraudis pleno persuasisse, etc.

GYPSĔUS, a, um, adj. *γυψώδης*, qui ex gypso est. *Spart. Sever.* 22. Tres Victoriae gypseae cum palmis, *h. e.* tria Victoriae simulacra ex gypso. ℙ Item gypso illitus. *Hieron. ep.* 38. *n.* 3. Mulieres, quae purpurissa et quibusdam fucis ora oculosque depingunt, quarum facies gypseae, et nimio candore deformes idola mentiuntur.

GYPSO, as, avi, atum, a. 1. *γυψόω*, gypso inficio, tego, claudo. *Colum.* 12, 39. Gypsare operula; et 42. Vas cum impleveris, statim gypsabis.

GYPSOPLASTES, ae, m. *γυψοπλάστης*, qui vasa et statuas ex gypso facit. *Cassiod. Variar.* 7, 5. Quidquid enim aut instructor parietum, aut sculptor marmorum, aut aeris fusor, aut camerarum rotator, aut gypsoplastes, aut musivarius ignorat.

GYPSUM, i, n. *γύψος*. *Plin.* 36, 24, 59. Cognata calci res gypsum est. Plura ejus genera; nam e lapide coquitur, ut in Syria: et e terra foditur, ut in Cypro: e summa tellure et Tymphaicum est, etc. et *mox:* Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrime coit ac siccatur: tamen rursus tundi, et in farinam resolvi patitur.

Usus gypsi in albariis, sigillis aedificiorum, et coronis gratissimus. Exemplum illustre, C. Proculejum in maximo stomachi dolore, gypso poto, conscivisse sibi mortem. *Id.* 14, 19, 24. Africa gypso mitigat vini asperitatem. *Id.* 15, 17, 18. *n.* 4. Mala generosissima crustare gypso vel cera. *Id.* 20, 9, 39. Gypso oblitus cadus. *Id.* 35, 12, 45. Exemplar e gypso factum. *Colum.* 12, 20. *extr.* Gypsi quod flos appellatur, uncias singulas, idem ad tertias decocti defruti sextarios binos singulis amphoris miscere oportebit: ea res si non in totum perennat, certe usque in alteram vindemiam plerumque vini saporem servat. *Cato R. R.* 39. Haec omnia in calicem novum indito, eo addito gypsum contritum. ℙ Translate. *Juven.* 2, 4. Inducti primum: quamquam plena omnia gypso Chrysippi invenias, *h. e.* imaginibus Chrysippi, aliorumque philosophorum e gypso expressis.

*GYPSUS vel Gypsum, i, locus vel insula superioris Aegypti, vel forte Aethiopiae. *Cod. Justin.* 9, 47. leg. 16. §. 2. *Novell.* 22, 8. et 142, 1. ubi accusativus *Gypsum* tantum vel ablativus *Gypso* occurrit, ut incertus sit nominativus. *B. A.*

*GYRATĬO, onis, f. *Celsi* esse dicitur. *B. A.*

*GYRATĪVUS, a, um, adj. *Gloss. B. A.*

*GYRĀTOR, oris, m. *Fragm. Vet. Poet.* laudatur. *B. A.*

GYRĀTUS, a, um, part. a *gyro:* in gyrum positus, vel factus. *Plin.* 5, 10, 11. Chlamys orbe gyrato laciniosa.

*GYRĒI, orum, pop. Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

GYRGILLUS. V. GIRGILLUS.

*GYRI MONS, in Africa. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

GYRĪNUS, i, m. informis ranarum partus, γυρῖνος. *Plin.* 9, 51, 74. Ranae pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant.

[GYRO, as, avi, atum, a. l. γυρόω, in gyrum verto. *Veg. Vet.* 3, 5. Animal difficile se gyrabit. *F.*]

*GYROVĀGUS, i, m. circuitor, circumforaneus. *Sarisb.* 7, 23. *B. A.*

*GYRTON, onis, et Gyrtōna, ae, Γυρτών, Γυρτώνη, opp. Thessaliae, in Pelasgiotide, medio inter Pharsalum et Larissam loco situm. *Liv.* 36, 10. et 42, 54. *Plin.* 4, 9. Posteriorem formam habet *Mela* 2, 3. *B. A.*

GYRUS, i, m. γῦρος, circumversio in orbem, ambitus, circuitus, circulus: Graeca vox a γυρός, curvus, inflexus, usu Latina facta. [*Gyrus* proprie dicitur, in quem equi circumaguntur. V. *Cerd.* ad *Virg. G.* 3, 191. Hinc primo loco poni debebant exempla, quae §. 3. leguntur.] *Virg. A.* 5, 84. adytis cum lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septena volumina traxit. *Ov. Amor.* 2, 6, 33. ducensque per aera gyros Miluus. *Plin.* 10, 23, 30. Grues gyros quosdam indecoro cursu peragunt. Et 11, 20, 22. Apes gyros volatu edunt *Sen. Agam.* 451. piscis exsultat freto, agitatque gyros. *Plin.* 16, 13, 24. Si fronde ea gyroque claudatur ignis, et serpens, in ignes potius, quam in fraxinum fugere serpentem. *Suet. Caes.* 39. Spatio circi producto, et in gyrum euripo addito. ℙ Aliquando dicitur de cursu diei. *Hor. Sat.* 2, 6, 25. seu bruma nivalem Interiore diem gyro trahit. *Sen. ep.* 12. Mensis arctiore *(quam annus)* praecingitur circulo: angustissimum habet dies gyrum. *Sen. alter Hippol.* 312. de cursu lunae: nocturnas agitare bigas Discit, et gyro breviore flecti. ℙ Item de cursu equorum, cum freno parere discunt, quia non in liberum ducuntur campum, sed in spatium aliquod angustius, ubi saepius sit flectendum: et ipse quoque locus *gyrus* dicitur. *Ov. A. Am.* 3, 384. in gyros ire coactus equus. *Virg. G.* 3, 115. Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere Impositi dorso. *Lucan.* 1, 425. frenos in gyrum flectere. [*V. *Markl.* ad *Stat. Silv.* 5, 2, 129.] *Tac. Germ.* 6. Nec equi variare gyros in morem nostrum docentur. *Virg. A.* 7, 379. de trocho: Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent. ℙ De ipso loco: *Prop.* 3, 12, 11. Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit. ℙ Hinc translate. *Cic. Or.* 3, 19. Ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. [*i. e. angustis eum scientiae finibus includitis, justo pauciora ad ejus artem refertis.] *Id. Off.* 1, 26. Homines secundis rebus effrenatos tanquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere. [*V. *Heus.* et *Beier.* ad h. l.] *Propert.* 3, 2, 21. Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros? *Ov. R. Am.* 398. attrahe vela Fortius, et gyro curre, poeta, tuo. *Colum.* 10, 226. Me mea Calliope cura leviore vagantem Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro. ℙ Illa quoque translata sunt. *Gell.* 16, 8. *extr.* Ne tu quoque in illis dialecticae gyris, atque maeandris consenescas, *h. e.* ambagibus; et *Phaedr.* 4, 25. Tuae prius sunt partes; aliorum dein: Similique gyro venient aliorum vices, *h. e.* ordine recurrente.

*GYSTATE, es, Africae opp., in confinio Aegypti atque Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. Al. leg. *Gustatae. B. A.*

[GYTHĒATES, ae, m. patronym. ad Gytheum pertinens, oppidum navale Lacedaemoniorum, prope flumen Eurotam, quod Hercules, et Apollo, depositis illic simultatibus, communi opere condiderunt. *Plin.* 4, 5, 8. Sinus Gytheates ab oppido Gytheo. *F.*]

*GYTHĪUM vel Gythium, vel Gytheum, i, n. Γύθιον, Γύθειον, opp. navale Lacedaemoniorum, juxta Eurotam fluvium. V. v. praeced. Ejus meminere *Liv.* 34, 20. et 38. et 35, 27. *Cic. de Off.* 3, 11. *f. Plin.* 6, 34. *B. A.*

*GYTHĪUS, i, flumen Laconiae. *Mela* 2, 3. *med.* Al. leg. *Gythium. B. A.*

H

H sitne littera, an aspirationis nota, inter grammaticos controversum est. Utcumque sit, in versu non consideratur. Sed tamen interdum consonantis officio fungitur. *Cledonius* p. 1883. et alii dicunt, quoties ultimam vocalem dictionis antecedentis adjuvat, ut ex brevi fiat longa, esse consonantem; quoties non adjuvat, notam aspirationis esse. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 719. ed *Web. Spalding.* ad *Quint.* 1, 4, 8.] ℙ Finalis in syllaba esse non potest, praeterquam in *ah*, et *vah*, interjectionibus, quae vel per apocopen dictae sunt, cum completae sint *aha*, et *vaha*, vel quia abscondita voce solent proferri interjectiones. ℙ Praemittitur autem vocalibus omnibus, et subjungitur quatuor consonantibus *c*, *p*, *r*, *t*, et hoc, ut valentius sonet dictio. Ante *Ciceronis* tempora, ut ipse *Or.* 48. testatur, solis vocalibus addebatur aspiratio, non autem consonantibus, quemadmodum hodie, quorum etiam pronunciationem ipse aliquandiu se fuisse sequutum fatetur. Quin ego ipse (inquit) cum scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Cartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. ℙ *Gell.* 2, 3. auctor est, in plerisque Latinis dictionibus praeter etymologiae rationem addi aspirationem, quod crederent, sonum firmiorem reddi, et vegetiorem: idque exemplo Atticorum, qui circa morem ceterarum Graeciae civitatum multas dictiones aspirant. ℙ Aspiratio autem (ut idem *Gellius ib.* auctor est) non solebat litteris interseri, quemadmodum nos hodie facere consuevimus, sed more Graecorum supra litteras annotari, quod et ipsum se vidisse affirmat in quodam vetustissimo codice, quem *Virgilii* autographon fuisse putat, in quo *h aena* scriptum erat. ℙ In vet. Graecis Inscr. reperitur interdum H pro spiritu aspero Graecorum adscripta, [ut *HEKATON* pro *'EKATON.* ℙ In vet. vero Latinis Inscriptionibus pro littera H, tam ante vocalem, quam post consonantem non raro reperias dimidiatum sic ⊣, quae est forma spiritus lenis Graecorum; quod fortasse ideo factum, quia Latini saepe Graecam aspirationem tollebant, hic vero lene potius, quam aspero spiritu utebantur. Hinc in *Inscr.* ap. *Labusium*, quam ipse illustrandam suscepit in *Dissert. sui Decur. Bresc.*, scribitur ⊣OMVNCIO, non OMVNCIO, ut perperam ap. *Grut.* 423, 7.; et in alia ap. *Fabrett.* p. 195. *n.* XLIII. R⊣ODE pro RHODE; qui ibidem multa habet hac de re. V. et *Mazoch. Tab. Heracl.* p. 126. *F.*] ℙ [*In notis inscriptionum leg. H pro HS. V. ap. *Orell.* 2691. — Pro *habet*, *habens*, *habebit.* Ap. *Eund.* 1874. 4561. — Pro *heres.* V. 3416. 3481. 3518. al. — Pro *hastata.* V. 4972. — Signif. *Herculem.* V. *ib.* 49. 172. 2761. — *Honore.* V. *ib.* 87. 2645. 3861. al. — *Hispania.* 155. — Denotat varios casus pronom. demonstrat. *hic*, *haec*, *hoc.* Ita *Hic. ib.* 4561. 4455. al. — *Haec.* 4529. — *Hoc* 575. 2807. — *Hujus.* 1696. 1485. — *Huic.* 4389. 4379. — *Hunc.* 2998. — Item adv. *hic.* V. *ib.* 159. 2664. et alibi saepissime. ℙ Permutantur in cdd. *H.* et *N.* V. intpp. ad *Curt.* 9, 10, 6. et 10, 6, 7. *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 670. ℙ Item *H* litt. saepe addita, aut omissa errores peperit. Cf. *Freinsh.* ad *Curt.* 5, 9, 4.]

H A

HA, interjectio corripientis, admonentisve, ne quid fiat. *Pl. Capt.* 1, 2, 45. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio! nunquam istuc dixis. *Id. Trin.* 4, 3, 53. Ha nimium, Stasime, saeviter! ℙ *Ha ha he* ridentis est. *Ter. Heaut.* 5, 1, 13. *Chr.* ha, ha, he! *Me.* quid risisti? ℙ Item irridentis. *Pl. Poen.* 3, 5, 23. Ha, ha, he! jam teneo, quid sit.

HABĒ, pro *ave* legitur in quibusdam antiquis Inscriptionibus, ut ap. *Grut.* 331, 3. etc. Sic in fine epistolae Catilinae ad Catulum, ap. *Sall. Cat.* 36. *haveto*, ut in MSS. legit *Gruter.* [*Cf. *Quint. Inst* 1, 6, 21. ibique *Spald.* et *Schneid. Gr.* T. I. P. I. p. 185.]

HĂBĒNĂ, ae, f. ἡνία, lorum freno alligatum, quo equi reguntur. Ducunt ab *habendo*, vel quia habenae habentur manibus, vel quia his inhibentur equi. *Virg. G.* 1, 514. Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. *Id. A.* 5, 818. omnes manibus effundere habenas. *Ov. Met.* 1, 280. immittere: et *ib.* 5, 403. per colla jubasque excutere. *Id. Fast.* 1, 25. regere. *Id. A. Am.* 3, 467. supprimere. *Virg. A.* 1, 63. laxas dare: et *ib.* 11, 670. colligere: et 765. detorquere: et *ib.* 10, 576. habenis equos flectere: et *ib.* 12, 327. habenas moliri manibus: et 471. undantes flectere: et 622. adductis subsistere habenis. *Val. Fl.* 6, 303. admissis habenis: et 3, 498. citis habenis fundit equos: et 5, 187. immissis non segnior ibit habenis: *Virg. A.* 11, 713. conversisque fugax aufertur habenis: et 623. penitusque datis referuntur habenis: et 600. sonipes pressis pugnat habenis. *Lucan.* 2, 500. levis totas accepit habenas In campum sonipes. *Id.* 7, 225. et *Sil.* 7, 696. eques effusa largus habena: et *Lucan.* 7, 225. et largus habenae Ponticus ibat eques, *h. e.* qui cursu equorum delectatur. [**Id.* 7, 143. Frenorumque artat habenas; ubi v. *Cort.*] ℙ Per synecdochen ponuntur pro equitibus. *Val. Fl.* 6, 95. pedes aequat habenas, *h. e.* par est peditum equitumque numerus. ℙ Dicitur et de loris hastae, jaculive. *Lucan.* 6, 221. Cum jaculum parva Libys amentavit habena. ℙ Et de funiculis fundae. *Id.* 3, 710. Balearis tortor habenae. [*V *Cort.*] *Val. Fl.* 5, 609. saxiferae imber habenae. ℙ Item de scuticae loris. *Hor. Ep.* 2, 2, 15. In scalis latuit metuens pendentis habenae. *Ov. Her.* 9, 81. scuticae tremefactus habenis Alcides. *Virg. A.* 7, 380. turbo actus habena. ℙ Item de aliis rebus. *Val. Fl.* 6, 365. molles galeae habenae. *Ov. Fast.* 3, 593. Vincitur ars vento, nec jam moderator habenis Utitur, at votis. Sic *Val. Fl.* 4, 679. permissis habenis fundere vela. *Gell.* 14, 1. Id negotium quasi habena quadam de coelo vinctum gubernari. *Id.* 13, 21. Plantarum calces tantum intimae teguntur: cetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt: et *Cels.* 7, 17. *f.* Si qua parte membrana veterem plagam habet, tenuis excidenda habena est, quae tantum oras ejus exulceret. V. HABENULA. ℙ Translate a prima significatione, elegantes habet usus. *Virg. A.* 7, 600. rerumque reliquit habenas. Sic *Val. Fl.* 5, 518. Caucasus tuis mitescit habenis: et *Ov. Met.* 15, 481. accipere habenas populi. *Sil.* 13, 34. Latiae diffisus habenae, *h. e.* imperio Romanorum. *Auct. dial. de Orat.* 31. Animorum habenas tenere. *Virg. A.* 12, 499. irarumque omnes effundit habenas: et *ib.* 5, 662. furit immissis Vulcanus habenis. *Val. Fl.* 6, 391. omnes fluviorum fundere habenas. *Lucan.* 9, 454. de Austro: Aeoliam rabiem totis exercet habenis. *Virg. A.* 6. *in.* classique immittit habenas, *h. e.* velorum funes extendit, et cursum navi permittit aperto mari. *Id. G.* 2, 364. palmes laxis per purum immissus habenis. Illa quoque venustissima sunt *Cic. Amic.* 13. Commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, cum velis, vel remittas: *et vet. Poetae* ap. *eund. Orat.* 3, 41. Exsultantem te, et praefidentem tibi repriment validae legum habenae. ℙ [*Confunduntur in cdd. *habenae* et *arenae.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 309.]

[HĂBENDA, ae, f. cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 268, 9. Clodia Habenda. *F.*]

HĂBENTĬA, ae, f. ipsum habere, divitiae, facultates, οὐσία. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 2, 393. Animos eorum habentia inflarat. *Pl. Truc. prol. f.* Aetas huic si superet mulieri, is cum anima ad eam habentiam ἔξω everrerit. V. EVERRO.

HĂBENŪLA, ae, f. parva habena, seu lorum. Exigua caro in longum secta ex ora vulneris, est *Celso* 7, 28. Si caro increvit, necessarium est recta linea patefacere: tum ab ora vel vulsella, vel hamo apprehensam tanquam habenulam excidere; et *ib.* 7. *n.* 8. *f.* Tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda; et *ib.* 20. *extr.* Ab ora ejus vulneris demenda habenula paulo latior est.

HĂBĔO, pro aveo, cupio, ex affinitate litterarum *b*, et *v*. *Cic. Tusc.* 1, 8. *f.* Habeo tamen audire. Ita ex MSS. *Gebhard.* et alii.

HĂBĔO, es, ui, itum, a. ἔχω, verbum est latissimi usus, quod dicitur de iis omnibus, quae quacumque ratione aut in nobis, aut circa, aut apud nos sunt, sive nostra sint, sive non; sive libenter teneamus, sive inviti; sive jure, sive injuria. Nam quod in stipulationibus *habere*, *tenere*, *possidere*, tanquam tria differentia verba usurpantur, ut est ap. *Florent. Dig.* 46, 4, 18., ad subtilitates JCtorum, forique pertinet. [*Etym. vocis est a ἄβω, ἅπτω, *h. e.* ἔχω. V. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 717. sq.] Dicitur praeterea de rebus inanimatis, quae aliis quocumque modo sunt conjuncta. *Cic. Fam.* 10, 3. Habere necessitudinem cum aliquo, amorem erga quempiam, et familiaritem; Et *ib.* habere quippiam commune cum aliquo. *Id. Div.* 2, 45. Uno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas, et vitas, et casus habent. *Id. Or.* 2, 70. Habere invidiam. Et *Q. Fr.* 3, 9. Habere odium. At *Cluent.*

55. odium in aliquem. *Nep. Timol.* 3. omnium amorem; et *Epam.* 5. suspicionem adulterii; et *Petr. fr. Trag. Burm.* 66. convicium, *h. e.* subire. *Cic. Div.* 1, 32. Animi ea pars, quae motum, appetitum habet. *Id. Brut.* 95. Haec genera dicendi in senibus gravitatem non habent. *Id. Cat.* 4, 4. Habet ista res iniquitatem, si imperare velis; difficultatem, si rogare. [*i. e. conjuncta est. Plura hujus generis exempla laudat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 11, 3. Avaritia pecuniae studium habet. Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 22, 17. Adde *Cort.* ad *Sall. Cat.* 21, 20. Id, quod res habet, i. e. quod cum re conjunctum est, quod in re est: refutata Prisciani sententia, qui 18, 25, 240. p. 222. *Kr. habere* ut Gr. ἔχειν pro *esse* positum censet.] *Id. Or.* 2, 27. Illa excogitationem non habent difficilem, *h. e.* non sunt excogitatu difficilia. *Id. Leg.* 2, 22. *f.* Locus ille nihil habet religionis. *Id. Ligar.* 2. Profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. *Id. fr.* ap. *Lact.* 7, 8. *extr.* Utraque earum sententiarum doctissimos habuit auctores. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Phliasios autem dici sciebam: et ita fac ut habeas: nos quidem sic habemus, *h. e.* scribendum cures in tuo codice: nos quidem ita scriptum habemus in nostro; et *ib.* 1, 17. *f.* Habere in animo consulatum petere, etc. *Liv.* 44, 25. Neque eum bello invadere animo habuit. (Al. leg. *in animo:* sed graves critici praepositionem exterunt, addentes illud *Varr. L. L.* 5, 7. Istum prolocutum dicimus, cum animo quod habuit, extulit loquendo; et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 218. (quamquam alio sensu) Habeasque animo, mihi admodum causam gravem fore, quae me ab ullo commodo abducat tuo; et *Sall. Jug.* 11. *f.* Ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur; et *Pompeji* ap. *Auct. B. Hisp.* 26. *f.* Cohortes animo habeo ad vos mittere.) *Cic. Off.* 2, 14. Habere religioni nocentem defendere. *Id. Fam.* 5, 16. Habere aliquid semper in ore, atque in animo; et *Dom.* 29. *med.* Habere in aliquem vitae necisque potestatem. *Id. Phil.* 11, 10. auctoritatem. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 82. fiduciam alicui, *h. e.* in aliquo. *Nep. Eum.* 13. Talem habuit exitum vitae. *Id. Alcib.* 3. Habere timorem. *Cic. Fam.* 7, 26. febrem. [**Sall. Cat.* 11, 4. Neque modum neque modestiam victores habere, i. e. *weder Maass noch Gränzen kennen.* Est summae intemperantiae effrenataeque libidinis significatio. Ita *Kritz.* qui comparat *Cat.* 38, 3. *Jug.* 41, 9. *Liv.* 26, 48, 11. *Pl. Bacch.* 4, 3, 2. Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 5, 14. *f.* ℙ Dicitur etiam ex Graecorum more *habere* ita, ut non ad eum, qui possidet, sed ad ea referatur, quae possidentur. *Sen. Const. Sap.* 7. Filias meas qui casus habeat, an pejor publico, nescio. *Stat. Th.* 3, 549. Terror habet vates: ita Gr. ἄγη μ' ἔχει, σέβας μ' ἔχει, cet. Laudat haec *Cort.* ad *Lucan.* 2, 13. Et habet mortalia casus. Adde *Virg. A.* 3, 147. Animalia somnus habebat. Plura laudat *Heins.* ad *Ov. Her.* 12, 170.] ℙ Tecum, *vel* tibi habe. *Cic. Verr.* 2, 2, 19. *extr.* Clamare coeperunt, sibi ut haberet hereditatem; et 31. *f.* Habeatis sane vobiscum istum senatorem. *Id. Phil.* 2, 28. Illam suam suas res sibi habere jussit, *h. e* secum asportare, et abire domo: quod fiebat in divortiis, viro ita dicente uxori, quam dimittebat, *res tuas tibi habe.* ℙ *Tecum habe* est etiam contineto, silentio serva. *Cic. Fam.* 7, 25. Secreto hoc audi: tecum habeto: ne Apellae quidem liberto tuo dixeris. *Id. Att.* 4, 15. *med.* Haec tu tecum habeto. ℙ Junctum participiis passivis, eorum vim assumit. [*Egregie *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 23, 4. de hoc dicendi genere ita: Verum quidem est *habere* c. part. perf. pass. interdum adhiberi perfecto activi circumscribendo; sed hujus dictionis ea vis est, ut significetur, eam actionem, quae participio inest, plene quidem absolutam esse, sed talem eventum habere, qui respectu subjecti duret, quum perf. act. tantummodo rem factam simpliciter enunciet. V. quos in hanc sententiam testes laudat *Zumpt. Gr. Lat.* §. 81, 1, 3. p. 452. *Ern. Web. Exercitt. Styli lat.* T. I. p. 65. et *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 15. 7, 29.] *Cic. Or.* 1, 43. *extr.* Habere domitas libidines. *Id. ad Brut.* 1, 1. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum; et 4. *f.* exploratum. *Id. Verr.* 2, 5, 25. *extr.* persuasum; et *Verr.* 2, 3, 14. Ut decumas ad aquam deportatas haberent. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Quantum in acie tironi sit committendum, nimium saepe expertum habemus. *Ter. Eun.* 2, 3, 92. et *Pl. Cas.* 2, 2, 15. Nostram adolescentiam habent despicatam. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Senatum inclusum in curia habuerunt. [*Observa, v. *habere* h. l. cum propria tenendi, vel continendi, aut retinendi vi positum esse. Similis locus est *Sall. Cat.* 23, 4. Tale periculum reipublicae haud occultum habuit, i. e. retinuit occultans.] *Id. Verr.* 2, 5, 72. *f.* Bellum habere indictum Diis. *Id. Q. Fr.* 3, 9. Quod me hortaris, ut absolvam, habeo absolutum suave epos ad Caesarem. *Id. Phil.* 5, 18. *extr.* De Caesare satis dictum habeo. *Id. Fam.* 5, 12. *extr.* Quae habes instituta, perpolies. ℙ Item substantivis. *Pl. Men.* 4, 3, 19. Habere aliquem despicatui, *h. e.* despicere. *Gell.* 4, 12. Derelictui habere, *h. e.* derelinquere. *Pl. Ps.* 1, 2, 39. Vobis hanc habeo edictionem, *h. e.* edico. *Id. Merc.* 5, 3, 4. Eam expurgationem habebo, ut ne succenseat, *h. e.* purgabo. [**Cic. Div.* 1, 35. Nec eam rem habuit religioni. *Id. Off.* 2, 22. Habere quaestui rem publicam. *Sall. Cat.* 12. Paupertas probro haberi coepit. ℙ Cum dupl. accus. *Cic. Off.* 1, 40, 144. Cum haberet collegam in praetura Sophoclem. *Nep. Epam.* 2. Philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum. ℙ Item c. praep. *ad*, ubi appositionis locus deest. *Liv.* 1, 15. Romulus trecentos armatos ad custodiam corporis habuit. Poterant hic etiam conferri ista. *Cic. Att.* 11, 19. *med.* Quod nulla equidem habeo in spe. *Sall. Cat.* 31, 7. Ut omnia bona in spe haberet. Ita *habere in numero* et *numero.* V. *Nep.* 17, 4. *Caes. B. G.* 6, 21. al. *Suet. Aug.* 67. Multos in honore et usu maximo habere. *Id. Vitell.* 12. Hab. aliquem in deliciis. *Id. Ner.* 28. Puerum Sporum pro uxore habuit.] ℙ Item adjectivis. *Cic. Fam.* 2, 16. Hoc animum meum sollicitum habet, *h. e.* sollicitat. *Id. Fl.* 29. Apollonidenses miseriores habes, quam Mithridates, *h. e.* miseriores reddis. *Id. Att.* 9, 19. Habere mare infestum. [**Suet. Aug.* 94. Quum incognitum alias haberet: ubi *Brem.* monet, v. *habere* ita rarius construi cum adject. negativo. Adde *Cic. Fam.* 7, 3. Sollicitum te habet cogitatio. *Sall. Jug.* 10, 1. Neque ea res falsum me habuit. *Tac. Ann.* 2, 57. Cunctaque prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant; *ib.* 65. Nihil aeque Tiberium anxium habebat. Patet in his *habere* propter notionem *possidendi* continuatam quandam animi conditionem vel statum indicare, qui qualis sit adjectivo cum objecto conjuncto significatur. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 23, 4. Ceterum miscent *Ruhnk.* ad *Ter. Hec.* 4, 2, 6. et *Cort.* ad *Sall.* l. l. haec cum iis exemplis, quae §. 4. posita sunt. ℙ Item c. praepos. *pro* et abl. adjectivi. *Suet. Tib.* 51. Pro irrito habuit, i. e. irritum fecit. *Id. Nero* 33. Multaque decreta et constituta, ut insipientis atque deliri, pro irritis habuit. *Claud.* 3. Pro despectissimo semper habuit.] ℙ Jungitur et infinito. *Cic. N. D.* 3. *f.* Haec fere dicere habui de natura Deorum. *Id. Rosc. Am.* 35. Habeo etiam dicere, quem de ponte in Tiberim dejecerit. *Id. Fam.* 1, 5. De causa regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti cumulate satisfacturum. *Liv.* 44, 22. Illud affirmare pro certo habeo, audeoque, *h. e.* possum. *Sil.* 16, 209. Quare age, laetus habe nostros intrare penates, *h. e.* accipe laeto animo, quod tibi damus aditum ad penates nostros. Al. leg. *ave*, aut pro eo scriptum putant. *Val. Fl.* 1, 671. tollique vicissim Pontus habet, *h. e.* debet: vel fatale habet, ut tollatur. *Varr. R. R.* 1, 1. Ut id mihi habeam curare, *h. e.* ut ejus colendi (de agro enim loquitur) curam habeam. *Tert. Habit. mul.* 1. Etiam Filius Dei mori habuit, *h. e.* debuit. *Id. Apol.* 37. Si inimicos jubemur diligere, quem habemus odisse? (Est autem in hisce locutionibus hellenismus. Nam et ἔχειν διδάξαι, ἀποδοῦναι Graeci similiter adhibent.) ℙ Item part. in *dus*, et videtur poni pro *debeo. Colum.* 5, 5. De spatiis ordinum eatenus praecipiendum habemus, ut intelligant agricolae, etc. *Tac. A.* 14, 44. Si nunc primum statuendum haberemus, h. e. statuendum nobis esset. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Praesertim cum enitendum haberemus, ut quod parentibus dabatur, et orbis probaretur. *Id. ep.* 10, 95. Impetrandumque a bonitate tua per nos habet, quod illi fortunae malignitas denegavit. *Auct. dial. de Or.* 36. *f.* Cum in invidiam, aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent. [*Taciti ll. congessit *Böttich. Lex. Tac.* p. 339. ℙ Magna lis est inter VV. DD. de formulis dicendi *non habeo, quod dicam* et *non habeo, quid dicam.* Gr. οὐκ ἔχω ὅ τι, et οὐκ ἔχω τί. *Ernest.* in *cl. Cic.* ita discrimen instituit, ut, cum *habeo* sciendi notionem involvat, *quod* scribendum, cum dubitantis, *quid* dicendum sit. Alibi tamen ut in praef. ad *Cic.* ed. p. 5. et 11. ubique *quod* ponendum esse censet: quod parum videtur. V. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 2, 2, 11. *Beier. ib. Math.* ad *Cic. Rosc. Am.* 15, 45. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 25, 64. — *Brem.* ad *Nep. Epam.* 8, 1. haec docet, *quod* scribendum esse, cum pronomen in antecedentibus suppleri queat, cui respondere *quod* possit; contra *quid* ponendum.] ℙ Interdum ponitur pro facere. *Cic. Att.* 2, 9. Habere dialogum. *Id. Or.* 2, 47. verba. *Id. Att.* 7, 2. *med.* sermonem de re quapiam. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 1. querelam de aliquo apud quempiam. *Ter. Eun.* 5, 9, 35. Alium quaerebam: iter hac habui. *Caes. B. C.* 1, 14. Pompejus pridie ejus diei profectus, iter ad legiones habebat. *Habere iter* dicitur etiam, qui statuit iter facere, et jam jam est facturus. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Ille in Sardiniam iter habebat. Et *mox.* Erat autem iturus, ut ajebat a. d. tert. id. Apr. [**Habere*, ubi de itinere dicitur, ut Gr. ἔχειν c. praeposs. ἐπὶ, εἰς, πρὸς, denotat consilium dirigendi gressus in aliquem locum. *Caes. B. C.* 3, 11. Iterque ex Macedonia in hiberna Apolloniam Dyrrachiumque habebat: et 106. Aegyptum iter habere. *Ter. Eun.* 5, 8, 35. Iter hac habui. *Nep. Eum.* 8. Iter quod habebat omnes celat. *Lucan.* 2, 439. Nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias.] ℙ Item pro cogere, vel celebrare. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Habere comitia. *Id. Fam.* 1, 4. senatum. [*Omnino aliquid instituere eique perficiendo praeesse. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. Habere censum. *Phil.* 11, 5. Quaestionem habuit pecuniae publicae. *Att.* 4, 1. Habere concionem. *Phil.* 5, 31. delectum. *Suet. Rh.* 1. Ludos.] ℙ Item pro experiri. *Cic. Fam.* 1, 4. Eo die acerbum habuimus Curionem, Balbum multo justiorem, paene etiam amicum. ℙ [*Item pro accipere, nancisci, ita tamen, ut conspici possit et maneat res, quam quis assequitur. *Ov. Met.* 1, 343. Jam mare littus habet. *Lucan.* 4, 130. Utque habuit ripas Sicoris.] ℙ Item afferre. *Cic. Prov. cons.* 4. *f.* Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum. *Caes. B. G.* 6, 22. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusque civitatis fiunt. ℙ Item pro obtinere. *Virg. A.* 2, 290. Hostis habet muros. *Sall. Jug.* 2. Animus incorruptus agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. [**Id. Cat.* 41, 5. Uti eos quam maxume manufestos habeant, i. e., *intp. Kritz.*, manifesto teneant, h. talia conjurationis initae documenta sibi praeberi curent, ut conjuratis nulla negandi aut evadendi copia sit. *Cort.* certo scirent, qui essent; quod minus videtur. Adde *Cic. Att.* 6, 1. Habeo Junium in metu.] ℙ Item pro servare, detinere. *Sall. Cat.* 48. et 55. Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis haberentur; et 52. Habere in vinculis. *Cels.* 3, 18. Habere aegros in tenebris. *Colum.* 12, 12. Sub dio in sole habere. [*Cf. *Cort.* ad *Sall.* l. l. qui pluribus hoc dicendi genus illustrat. ℙ *Tac. H.* 1, 87. In custodiam habiti, i. e. dati et in ea habiti. V. de hoc dicendi genere *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 2, 2, 29. *Intpp.* ad *Liv.* 2, 14. *Walch. Emendd. Livv.* c. 3. p. 46. Magnum exemplorum numerum congessit etiam *Böttich. Lex. Tac.* p. 25. sq.] ℙ Item pro ferre. *Sall. Cat.* 50. Neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. *Liv.* 7, 5. *med.* Ita aegre habuit, filium id pro parente ausum. Al. leg. *tulit.* ℙ Item pro tractare. *Pl. Capt.* 2, 2, 64. Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. *extr.* Ut is victu, ceterisque rebus quam liberalissime, commodissimeque habeatur. *Caes. B. C.* 1, 63. Equitatu hostium agmen male habere, et carpere; et *Cels.* 3, 20. Lethargicos qui subinde excitant, sine usu male habent; et 21. Quos aqua inter cutem male habet. [**Sall. Cat.* 11, 5. Quod L. Sulla exercitum — luxuriose nimisque liberaliter habuerat. V. *Cort.* ad h. l. et *Kritz. ib.* et ad 5, 9. Quomodo rem publicam habuerint. *Tac.* exempla collegit *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 226. — Eadem sententia est, cum praepositio substantivo jungitur vel simili modo. *Liv.* 39, 2. Ne in otio militem haberet. *Sall. Jug.* 44. Exercitus sine imperio et modestia habitus. *Tac. H.* 1, 31. Legiones habebantur per otium, cet. Plura v. apud *Böttich.* l. l. Eodem pertinent *procul habere* et *frustra habere. Tac. A.* 6, 32. Arma procul habere, i. e. bellum evitare. *Id. ib.* c. 51. Quae brevi servata, dein frustra habita, i. e. neglecta. ℙ I. q. ferre, tolerare, *Tac. A.* 4, 21. Quae Tiberius civiliter habuit. *Id. ib.* 3, 70. Neque tantum maleficium impune habendum. Debentur haec *Böttich.* l. l.] ℙ Item pro agere. *Cic. Verr.* 1, 12. Ex eo loco, ex quo me populus R. secum habere de republ. voluit. Al. leg. *agere.* ℙ Item agere. *Sallust. Cat.*. 4. Mihi reliquam aetatem a republ. procul habendam decrevi. [**Kritz.* bene monet: *habere* non plane idem esse atque *agere;* sed possidendi notionem ab eo non posse sejungi; itaque h. l. alteram potestatem, qua significet aliquam rem tenere, sive constitutam aut collocatam habere, non plane deponere. Hinc scite *Herz.* monuisse *vitam habere* significare consilium et voluntatem vitae instituendae: *agere* simpliciter de vitae statu et conditione intelligendum. Coll. *ib.* 51, 12. Qui demissi in obscuro vitam habent. *Jug.* 85, 41. Ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant.] *Pl. Ep.* 1, 2, 55. Ut hunc hodie diem luculente habeamus ℙ Item pro existimare, judicare. *Cic. N. D.* 1, 15. Eos esse habitos Deos, a quibus magna utilitas esset inventa. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. *extr.* Ut te parentem Asiae et dici, et haberi velis. *Id. N. D.* 3, 22. Quem Aegyptii nefas habent nominare. *Curt.* 6, 2. Habere aliquem pro hoste. *Liv.* 23, 22. Id obliviscendum, pro non dicto habendum. [*Huc pertinet etiam locus *Sall. Cat.* 53, 1. Cato clarus atque magnus habetur, i. e. putabatur, praedicabatur. V. *Kritz.* ℙ Jam sequi poterant ea exempla, in quibus *habere* c. genitivo pretii, qui dicitur, construitur. *Caes. B. G.* 4, 21. Commii regis auctoritas in Britannia magni habebatur. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. Non habeo nauci Marsum augurem.] ℙ Item pro scire, sibi persuadere. *Cic. Fam.* 16, 4. *f.* Sic habeto, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet. *Id. Fam.* 3, 13. Illud velim sic habeas, quod intelliges, etc.; et *ib.* 2, 8. Tantum habeto, civem

egregium esse Pompejum; et 10. Atqui sic habeto, etc. ℙ Et *habere* dicitur, qui quippiam audiit, intellexitque. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Habes nostra consilia: nunc cognosce de Bruto; et *Or.* 2, 88. Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis. *Id. Fam.* 15, 17. Nos hic Sullam patrem mortuum habebamus. [**Suet. Claud.* 4. Habes nostras sententias.] ℙ Praeterea usurpatur pro adhibere, uti. [*Hic prae ceteris commemorandus locus erat *Sall. Cat.* 13, 2. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant: ubi recte *Kritz.* contra *Lang.*, qui de comparandis divitiis cogitans *non* addidit, vulgatam defendit, docens v. *habere* h. l. ad usum divitiarum esse referendum. Cf. *Tac. A.* 4, 44. Magnae opes innocenter paratae et modeste habitae.] *Ov. Am.* 1, 8, 51. Aera nitent usu: vestis bona quaerit haberi. *Lucr.* 1, 313. Annulus in digito subter tenuatur habendo. ℙ Item pro praebere, dare. *Cic. Fam.* 16, 9. *f.* Curio mandavi, ut medico honos haberetur, *h. e.* merces, praemium. Adde *Curt.* 9, 1. Sed *habere honorem* pro honorare est ap. *Tac. A.* 15, 74. ℙ Item pro habitare ap. *Cic. Fam.* 7, 6. Quae Corinthum arcem altam habebant, matronae opulentae. *Pl. Bacch.* 1, 2, 7. Quis istic habet? *Id. Men. prol.* 69. Ille geminus, qui Syracusis habet. *Varr. L. L.* 4, 8. *med.* Apud aedem Dei Fidii in delubro, ubi aeditumus habere solet. [*Adde *Sall. Cat.* 6, 1. Urbem Romam condidere atque habuere initio Trojani: ubi *Kritz.* coll. *Jug.* 17, 7. 18, 1. contra *Lang.*, qui plane idem esse, atque *habitavere* censet, tenendi, possidendi notionem adjunctam monet.] ℙ *Bene habere.* V. BENE: et *belle habere.* V. BELLE: et *male habere.* V. MALE. ℙ *Bene habet.* V. BENE. ℙ *Habere aliquem* dicimur, cum reperimus, aut deprehendimus. *Curt.* 6, 7. Habeo te incolumem ex impiorum manibus ereptum. *Ter. Eun.* 4, 4, 7. Habesne hominem? *Phae.* quid ni habeam? *Pl. Cas.* 2, 8, 34. Hic ipsus Casinam deperit: habeo viros. ℙ *Habet*, et *hoc habet* est gladiatorum, cum alter alterum percussit, uti docet *Lips. Saturn.* 2, 21. et *Don.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 56. Est enim vox propria in gladiatores vulneratos aut irretitos, vel insultantis adversarii, vel vulgi acclamantis. Prius enim interdum alii vident, quam ipsi sentiant, se percussos. *Virg. A.* 12, 295. Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur: Hoc habet, etc. Adde *Prud. Psych.* 53. ℙ Translate. *Ter. l. c.* Certe captus est: habet, *h. e.* ictus est vulnere amoris. *Pl. Most.* 3, 2, 26. Tempus nunc est senem hunc alloqui mihi. Hoc habet: reperi qui senem ducerem. Adde *Rud.* 4, 4, 99. ubi ironice adhibetur. ℙ *Habere aliquem* vel *aliquam* est etiam amatorum. *Virg. Ecl.* 1, 31. Postquam nos Amaryllis habet. *Tibull.* 1, 1, 67. *ad Deliam.* Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere. [*Adde *Prop.* 3, 8, 22. Cf. *Westerh.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 58. *Cerda* ad *Virg. E.* 3, 107.] ℙ *Habere rationem, fidem, rem*, etc. V. RATIO, FIDES, RES. ℙ *Habere se* est esse. *Cic. Or.* 2, 67. Sic profecto res se habet, nullum ut sit, etc.; et *Verr.* 2, 2, 50. Quae cum res ita se haberet; et *Or.* 1, 25. Praeclare se res habeat, si, etc.; et *Off.* 2, 6. *med.* Male se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia; et *Att.* 7, 2. Graviter se habere. ℙ [*Ita *haberi*, non usitata ratione ponitur pro esse, non abjecta plane possidendi significatione, quae tamen pro cujusque substantivi potestate mutatur. *Sall. Cat.* 37, 4. egestas facile habetur sine damno, i. e. toleratur. *Jug.* 89, 4. Capsae cives apud Jugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissimo habebantur, i. e. erant et tenebantur. *Cat.* 58, 17. Audacia pro muro habetur. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 1, 4. qui *laud. Frotsch. Observv.* ad *Sall.* p. 1. p. 14. sq. At *Cort.* ad *Sall. Cat.* 1, 4. et *Brem.* ad *Nep. Att.* 13, 1. *haberi* simpliciter pro *esse* dici censent. Hinc *Kritz.* vv. *Sall. Cat.* 6, 3. Sicuti pleraque mortalium habentur non c. *Müll.* et *Gerlach.* ad *Graec.* modum ὡς ἔχει τὰ πλεῖστα τῶν θνητῶν explicat; sed hoc sensu posita censet: ut in plerisque, quae mortalium sunt, fieri solet. V.] ℙ *Habere se* is etiam dicitur, qui suas cupiditates coercet. *Mart.* 2, 68. Reges et dominos habere debet, Qui se non habet, atque concupiscit, Quod reges dominique concupiscunt. ℙ *Sic habet* idem significat ac *ita se res habet. Hor. Sat.* 1, 9, 52. magnum narras, vix credibile: atqui Sic habet. ℙ *Satis habere* dicitur, cui satis est. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Satis habeas, nihil me tecum conqueri; et *ib.* 12, 1. Satis habet respubl. a vobis; et *Rosc. Am.* 52. Si non satis habet avaritiam explere, nisi etiam, etc. [**Nep. Epam.* 8. Ut Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent.] Contrarium est *parum habere. Sall. Jug.* 34. Haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere. ℙ [**Necesse habere*, i. e. cogi, urgeri. *Cic. Part.* 13. Non habebimus necesse semper concludere. *Att.* 10, 1. Eo minus habeo necesse scribere.] ℙ *Habere* absolute interdum significat facultates habere, divitem esse. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Nos, quod simus, quod habeamus, quod homines existimemur, id omne abs te habere. *Pl. Rud.* 5, 2, 34. Miserum istuc verbum est, habuisse, et nihil habere. *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 8, 792. Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Phaedr. prol. l.* 3. Curam habendi penitus corde eradere. *Virg. A.* 8, 327. Et belli rabies, et amor successit habendi. Adde *Hor. Ep.* 1, 7, 85. et *Juven.* 14, 208. ℙ *Habere negotium suum* significat de re aliena ita laborare, ut si res nostra ageretur. *Cic. Att.* 13, 49. Habuit suum negotium Gallus, ut scribis. Ita tamen *Ernesti* interpretatur: non ei parum laboris et molestiae fuit, cum vellet Tigellium mihi iratum ad meliorem mentem revocare. Prior tamen sententia praestare videtur. ℙ Interdum *habere* refertur ad significandam propriam aliquam cujusque naturam, aut studium. *Cic. Phil.* 2, 32. Habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum egentemque, si eundem nequam hominem audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem penitus recipiebat. ℙ *Habessit* pro *habeat*, vel *habuerit*, antiquum est. *Cic. Leg.* 2, 8. Separatim nemo habessit Deos, neve novos. ℙ In illo *Pl. Asin.* 4, 1, 62. Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit: Quidam volunt scribi *habuuerit*, ut secunda a principio syllaba producatur: quo modo *pluuit*, *fluuidus*, pro *pluit*, *fluidus* dictum ab aliis est. [Alii tamen rectius pro *puras* leg. *pure*, atque ita senarius versus iambicus se belle habet. *F.*] ℙ [*Permutantur *habere* et *agere.* V. *Drak.* ad *Liv.* 30, 45, 2. 3, 14, 5. *Burm.* ad *Vell.* 2, 31, 1. 109, 2. *Spald.* ad *Quint.* 5, 6, 3. *Habet* et *hebet. Cort.* ad *Lucan* .2, 722.]

HĂBESSIT. V. v. praec.

*HABESSUS, i, opp. Lyciae, postea Antiphellus dictum. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

HĂBĪLIS, e, adj. εὐάρμοστος, qui haberi, seu teneri, tractari, gerive facile potest. *Virg. A.* 9, 304. de ense: mira quem fecerat arte Lycaon Gnossius, atque habilem vagina aptarat eburna. *Id. ib.* 1, 322. humeris de more habilem suspenderat arcum. *Tac. G.* 6. Frameas ita habiles, ut eodem telo vel cominus, vel eminus pugnent. [**Grat. Cyneg.* 122. Jaculis habilem perpendimus usum, i. e. effecimus, ut jaculis commode uti possimus. *Liv.* 22, 46. Brevitate habiles gladii. V. *Cic. fragm. Or.* pro *Tull.* p. 33. *Beier.*] *Cic. Or.* 1, 54. Calcei habiles, et apti ad pedem. *Val. Fl.* 3, 607. habilemque ad tela pharetram. *Ov. Met.* 2, 531. habili Saturnia curru Ingreditur liquidum pavonibus aera pictis. *Mela* 1, 5. Parma ingens, et ob magnitudinem nulli nunc habilis. *Tac. A.* 2, 6. Naves velis habiles, citae remis, *h. e.* quae facile velis irent. *Ov. Amor.* 1, 4, 37. Nec sinus admittat digitos, habilesque papillae. *Tibull.* 1, 10, 7. habili tauros adjungit aratro, *h. e.* levi. *Virg. G.* 4, 418. Atque habilis membris venit vigor, *h. e.* qui corpus agile reddit, et vegetum. *Id. A.* 11, 555. huic natam habilem mediae circumligat hastae, *h. e.* levem, et quae facile simul cum ipsa hasta transmitti posset. *Cels.* 2, 1. Corpus habilissimum, quadratum est, neque gracile, neque obesum, *h. e.* cujus valetudo facile regi, et servari potest. ℙ Translate. *Senec. Ira* 3, 7. Negotia expedita et habilia sequuntur actorem: ingentia et supra mensuram agentis nec dant se facile, etc. *Vell.* 2, 113. Cum exercitum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit. *Val. Fl.* 7, 231. non habiles Colchi. ℙ Item aptus, idoneus. *Virg. G.* 3, 62. bos nec feturae habilis, nec fortis aratris. [**Id. ib.* 2, 92. Habiles terris vites. *Hor. Od.* 3, 19, 24. Vicina seni non habilis Lyco, i. e. haud apta et congruens, scil. aetate. *Suet. Aug.* 18. Aegyptum ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet.] *Ov. Amor.* 1, 9, 3. Aetas bello habilis. *Vell.* 2, 110. Ducenta millia peditum, armis habilia. [**Liv.* 24, 48. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem. *Sil.* 11, 588. Scilicet e gremio matrum rapiamus in hostem Nondum portandis habiles gravioribus armis. *Suet. Claud.* 2. Ulli publico privatoque muneri habilis.] *Cic. Or.* 1, 25. Sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, ut etiamsi ingenio valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint: sunt autem quidam ita naturae muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati, ut, etc. *Id. Leg.* 1, 9. Figura corporis habilis et apta humano ingenio. *Liv.* 21, 4. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum et imperandum, habilius fuit. [**Id.* 7, 10. Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. V. *B. Patruum* ad *Tac. A.* 2, 14.] *Quint.* 6, 3. *in.* Ut acutior quis, atque habilior sit ad inveniendum. *Colum.* 2, 2. *med.* Terra frumentis habilis. *Senec. Q. N.* 1, 7. Materia laevis est, et ad hoc habilis. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 4, 225. Plaudentique habiles Caryae resonare Dianae. [**Lucan.* 3, 553. Sed Grajis habiles pugnamque lacessere pinus, Et tentare fugam, etc., ubi v. *Cort.*]

HĂBĪLĬTAS, atis, f. εὐαρμοστία, convenientia. *Cic. Leg.* 1, 9. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim.

HĂBĪLĬTER, adv. faciliter. In *Epit. Livii* 57. Scutum parvum habiliter ferens. *Mela* 3, 7. Ut elephantis, sicut nos equis, facile atque habiliter utantur. *Paul. Dig.* 34, 2, 21. Si ut habiliter gemmae geri possint, auro inclusae sunt.

[HĂBĪLĬTO, as, a. 1. habilem facio. *Not. Tir.* p. 12. Habilis, habilitas, habilitat. *F.*]

*HABILITŪDO, inis, f. *Digest. B. A.*

HĂBĬTĂBĪLIS, e, adj. οἰκήσιμος, qui habitari potest. *Cic. Tusc.* 1, 20. Tum et habitabiles regiones, et rursum omni cultu propter vim frigoris, aut caloris vacantes. *Ov. Met.* 1, 49. non est habitabilis aestu. *Id. Fast.* 4, 611. nec nobis coelum est habitabile, dixit. *Id. Trist.* 3, 4, 51. non habitabile frigus. ℙ Item habitatus. *Sil.* 1, 541. Tarpejae rupes, Superisque habitabile saxum.

HĂBĬTĀCŬLUM, i, n. οἴκημα, locus in quo quis habitat. *Gell.* 5, 14. *med.* Leo in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem. *Pall.* 1, 23. Habitacula avium. *Prud. Cath.* 10, 39. Animataque sanguine vivo Habitacula pristina gestet, *h. e.* corpus resumat, quod est habitaculum animi.

HĂBĬTANS, antis, part. ab *habito:* incola. *Ov. Met.* 14, 89. sterilique locatas Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas.

HĂBĬTĀTĬO, onis, f. οἴκησις, actus habitandi: item locus, ubi quis habitat. *Pl. Most.* 2, 2, 73. Scelestae hae sunt aedes, impia est habitatio. *Caes. B. C.* 3, 21. Mercedes habitationum annuas conductoribus donavit. *Suet. Caes.* 38. Annua Romae habitatio. [*V. *B. Crus.*] *Cato R. R.* 128. Delutare habitationem. *Colum.* 1, 6. Villico juxta januam fiat habitatio. *Cic. Fam.* 13, 2. Peto a te, ut ei de habitatione accommodes. *Id. Coel.* 7. Sumptus habitationis. ℙ Habitatio accipitur etiam pro mercede habitationis, Graeci ἐνοίκιον. *Suet. Caes.* 38. Annuam etiam habitationem Romae usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit.

HĂBĬTĀTĬUNCŬLA, ae, f. aedicula. *Hieron. in Abdiam, med.* Omnis australis regio Idumaeorum in specubus habitatiunculas habet.

HĂBĬTĀTOR, oris, m. οἰκήτωρ, incola. *Cic. N. D.* 2, 56. Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *f.* Domum tuam in Carinis mundi habitatores Lamiae conduxerunt. *Mela* 1, 16. Habitator Cariae.

HĂBĬTĀTRIX, icis, f. *Auson. Idyll.* 10, 82. flumineis habitatrix Nais in oris.

HĂBĬTĀTUS, a, um, part. ab *habito. Virg. G.* 3, 340. raris habitata mapalia tectis. *Hor. Ep.* 1, 14, 2. Agellus habitatus quinque focis. *Tac. H.* 5, 7. Campi olim magnis urbibus habitati. *Ov. Met.* 13, 430. tellus Bistoniis habitata viris. *Sil.* 2, 654. de Sagunto: Urbs habitata diu Fidei. *Id.* 15, 337. calidoque habitata Gradivo Pectora, *h. e.* vir bellicosus.

HĂBĬTĬO, onis, f. actus habendi. *Gell.* 1, 4. Debitio gratiae non habitio, cum pecunia confertur.

HĂBĬTO, as, avi, atum, a. 1. ἔχω, frequentativum ab *habeo. Varr.* ap. *Non.* 4, 227. Et epicrocum viri quoque habitarunt. *Id. ib.* Habitare comas. ℙ Frequentissime est incolere, οἰκέω. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Is Lilybaei multos annos jam habitat; et *Verr.* 2, 3, 41. Omnes, qui habitarent in Sicilia. *Id. Acad.* 4, 36. Diodorus qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me. *Id. Verr.* 2, 1, 25. Filia, quae cum patre habitaret. *Id. N. D.* 2, 37. Qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis. [**Id. Phil.* 2, 41. Sed tamen in via habitabant, *wohnten an der Landstrasse.*] *Virg. A.* 3, 110. habitabant vallibus imis; et *ib.* 6, 673. lucis habitamus opacis. *Prop.* 2, 13, 20. habitare casa straminea. *Virg. A.* 3, 643. curva haec habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes. *Cic. Coel.* 7. Habitare in aediculis. *Id. Dom.* 37. *extr.* Demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua, etc. *Plin.* 18, 35, 87. Aves, quae habitant in arboribus. [**Hor. Epod.* 16, 19. Agros atque Lares proprios, habitandaque fana Apris reliquit et rapacibus lupis. Dicitur etiam de Diis. *Virg. A.* 8, 352. Deus hoc nemus habitat. *Ov. Fast.* Debebat in urbe non aliter nati Mars habitare sui.] ℙ Cum accusativo. *Virg. A.* 3, 106. Centum urbes habitant magnas. *Id. Ecl.* 6, 2. silvas; et *ib.* 2, 29. humiles casas. *Ov. Her.* 1, 66. terras. *Val. Fl.* 2, 177. pruinas. [**Lucan.* 1, 435. Gens habitat cana pendentis rupe Gebennas. Cf. *ib.* 5, 28. et al.] ℙ Absolute. *Nep. Them.* 8. Argos habitatum concessit. [**Ter. Hec.* 2, 1, 27. Rus habitatum abii.] *Id. Att.* 13. Neque tamen non in primis bene habitavit, *h. e.* bonas aedes habuit. *Cic. Dom.* 40. Habitare laxe et magnifice voluit. *Id. Coel.* 7. Triginta millibus dixistis eum habitare, *h. e.* aedes habitare, quae triginta millibus valerent. [**Vell.* 2, 10, 1. At nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur.] ℙ Passive. *Id. Verr.* 2, 4, 53. Colitur ea pars urbis, et habitatur frequentissime. *Id. Acad.* 4, 39. Habitari ait Xenophanes in luna. [**Liv.* 24, 3. Arx procul iis, quae habitabantur; cf. 36, 22.] *Ov. Trist.* 5, 3, 21. Nec patria est habitata tibi; et *ib.* 1, 1. *f.* nobis habitabitur or-

bis Ultimus. [*Curt. 5, 1, 27. Per LXXX stadia habitatur. *Liv.* 2, 62. Vicorum, quibus frequenter habitabatur. V. *B. Patruum* ad *Tac. G.* 39.] ℙ *Habitare*, et *commorari* differunt, quod illud in perpetuum, hoc ad tempus alicubi esse significat. *Cic. Sen.* 23. Commorandi natura deversorium nobis, non habitandi dedit. ℙ Reperitur tamen *habitare* de brevi habitatione dictum. *Caes. B. C.* 3, 112. Hoc tractu oppidi pars erat regiae exigua, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus. Adde *Petr. Sat.* 7. et 85. ℙ Translate est assidue esse, versarique aliquo in loco. *Cic. Fin.* 2, 28. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? *Id. Tusc.* 5, 24. Animus cum his habitans pernoctansque curis. *Id. Or.* 15. Quonam modo ille in bonis haerebit et habitabit suis? *h. e.* dicendo morabitur. Sic *Or.* 2, 38. *f.* Illi autem, qui hoc solum colendum dicebant, habitarunt in hac una ratione tractanda. *Id. Brut.* 89. Diserti Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: et ii quidem habitabant in Rostris. *Id. Mur.* 9. *med.* Abfueris tamdiu, et cum iis, qui habitarunt in foro de dignitate contendas? *Id. Phil.* 12, 1. Fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei. *Id. Planc.* 27. Habitare in oculis populi, [*i. e. semper in urbe, in foro, in concionibus esse. *Id. Or.* 1, 62. Habitare in subselliis: de iis, qui crebro causas agunt.] *Plin.* 11, 37, 54. Profecto animus habitat in oculis; et *ib.* 69. Mens in corde habitat *Val. Max.* 6, 9. *n.* 1. *extern.* Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit. *Pers.* 4, 52. Tecum habita; et noris, quam sit tibi curta supellex, *h. e.* tecum ipse esto, te contemplare, atque excute. [*Prop. 2, 11, 17. (de Amore) quid tibi jucundum siccis habitare medullis? Huc pertinent etiam illa *Ov. Met.* 8, 791. Frigus illic habitat Pallorque.]

HABĬTŪDO, inis, f. ἕξις, *κατάστασις*, ipse corporis habitus, quem barbari vocant *complexionem:* ab *habeo. Auct. ad Her.* 4, 10. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur saepe. *Ter. Eun.* 2, 2, 11. viden' me ex eodem ortum loco? Qui color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis? *Appul. Met.* 9. Quidam procerus, et, ut indicabat habitus atque habitudo, miles e legione: *habitus* hic externum corporis ornatum, *σχῆμα: habitudo* ipsius corporis externam formam significat, ἕξιν. *Id. ib.* 2. Nec tamen ego prius inde discessi, quam diligenter omnem ejus *(ancillae)* explorassem habitudinem. *Id. Apol.* Tot aetatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat. ℙ Translate *De habitudine doctrinae Platonicae* inscriptum est *Appuleji* opus, in quo de ratione naturalis, moralis, et rationalis Platonicae philosophiae disserit, ejusque naturam, qualitatem, et quasi habitudinem describit.

[HABĬTŪO, as, a. 1. habitum aliquem inducere. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. Si nutrix malo succo atque corpore habituari videatur, hoc Graeci *καχεξίαν* vocaverunt, *h. e.* pravi habitus fieri. *Id. ib.* 4, 8. Aegrotantium vires nunc debilitate, nunc fortitudine habituantur. *F.*]

HABĪTŪRĬO, is, a. 4. habere cupio: desiderativum ab *habito. Pl. Truc.* 1, 2, 47. Si arationes habituris, ad pueras ire melius est.

HABĬTUS, a, um, part. ab *habeo. Plin.* 28, 4, 9. Deus inclusus in armillam, et assidue in brachio habitus. *Tac. A.* 15, 10. *f.* Miles in uno habitus. *Caes. B. G.* 7, 77. Vir magnae habitus auctoritatis. *Cic. Brut.* 44. Nulla altercatio clamoribus unquam habita majoribus: et 20. Oratorum in numero habitus. *Pl. Asin.* 2, 4, 52. Fidem non esse huic habitam. *Ter. Hec.* 4, 1, 11. Ludibrio habitus. *Tac. A.* 13, 37. Frustra habitus, *h. e.* frustratus, deceptus. *Id. H.* 1, 58. Habitus in custodia. *Id. A.* 4, 62. Habitus procul voluptatibus. Et *ib.* 3, 13. Habita avare Hispania. ℙ Interdum ad corpus refertur, et corpulentum significat. *Ter. Eun.* 2, 3, 23. Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum, *h. e.* corpulentior. *Pl. Epid.* 1, 1, 8. Corpulentior videre, atque habitior. *Sabin. Massur.* ap. *Gell.* 4, 20. Equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt. ℙ Translate. *Ter. Heaut.* 2, 4, 22. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. ℙ *Habitus* quatenus corpulentum significat, fuit etiam cogn. R. *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 295. A. Vibius Habitus: *nempe* consul suffectus an. U. C. DCCLXI.

HABĬTUS, us, m. *σχῆμα*, corporis permanens affectio, forma, figura in hominibus, vel bestiis. *Cic. Coel.* 24. Cum floreret integerrima aetate, optimo habitu, maximis viribus. *Id. N. D.* 1, 35. *extr.* Oris quidem habitus ad vitae firmitatem nihil pertinet. [*Id. *Brut.* 91. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo. *Tac. G.* 4. habitus corporum. *Agr.* 11. Positio coeli corporibus habitum dedit. *Suet. Hor.* Habitu corporis brevis fuit.] ℙ Item corporis dispositio, vel inflexio [*nostr. *Haltung.*] *Sen. ep.* 123. *f.* Diversus est ascendentium habitus, et descendentium: qui per pronum eunt, resupinant corpora; qui in arduum, incumbunt. [*Suet. *Claud.* 4. Cujus motum et habitum et incessum imitaretur.] ℙ Dicitur etiam de forma, et facie cujuscumque alterius rei corporeae. *Virg. G.* 1, 52. cultusque habitusque locorum. *Colum.* 9, 15. *med.* Figura cerarum talis est, qualis et habitus domicilii. *Val. Max.* 9, 3. *n.* 3 *extr.* Urbs in habitum pulveris redacta. *Liv.* 9, 17. *f.* Longe alius Italiae, quam Indiae visus illi habitus esset. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 4. *extr.* Habitus maris. Est qui leg. *ambitus*, quod minus placet. ℙ A philosophis fere de animo dicitur, et definitur constans et absoluta in aliqua re perfectio, quae frequentibus actionibus comparata est, ut sunt virtutes omnes. *Cic. Inv.* 2, 53. Justitia est habitus animi communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. ℙ Oratorie usurpatur etiam pro naturali facultate, seu potentia. *Cic. Arch.* 7. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. ℙ *Habitus* item est cultus exterior corporis, ac praesertim vestimentum, et ornatus vestium. *Cic. Verr.* 2, 6, 3. Erant praeterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. [*(*Die Art, sich zu tragen.*) *Suet. Caes.* 44. Ea quae ad formam, et habitum, et cultum, etc. pertineant. V. *intpp. Aug.* 40. Habitum vestitumque pristinum reducere studuit. *Plin. Pan.* 73, 1. *Amictum et habitum* distinguit. Coll. *Ep.* 4, 11, 3. Cum graeco pallio amictus intrasset — circumspexissetque habitum suum. *Suet. Cal.* 52. Vestitu calceatuque et cetero habitu.] *Quint.* 3, 7. Ut si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiae habitum orator excuset. *Id.* 2, 17. Theopompus, permutato cum uxore habitu, e custodia, ut mulier, evasit. *Appul. Met.* 9. *med.* Ut indicabat habitus, atque habitudo. [*Liv. 9, 2. Habitus pastorum: *ib.* 5, 36. pastoralis. *Suet. Caes.* 58 Gallico habitu. *Ner.* 13. Triumphantis habitu. *Aug.* 70. Deorum Dearumque habitu. Plura dabit *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 394.] ℙ Et translate pro ornamento in genere sumitur. *Cic. Or.* 3, 52. Si habitum etiam orationis, et quasi colorem aliquem requiritis. ℙ Item pro affectibus, studiis, voluntatibus. *Tac. H.* 1, 4. Qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum. *Vell.* 2, 99. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, etc. [*Liv. 9, 17. Habitus Italiae. *Tac. H.* 1, 8. Hic quidem Romae habitus animorum fuit. *Liv.* 32, 19. Erat autem non admodum simplex habitus animorum inter Achaeos, i. e. incerti animis erant, quid optarent, facerent. *Id.* 32, 14. Ex praesenti potius, quam praeterito habitu aestimat, i. e. animi; de studio obsequendi.] ℙ Denique si vocis originem spectes, *habitus* idem est ac habitio, seu actus habendi. *Liv.* 1, 42. Belli pacisque munia non viritim, sed pro habitu pecuniarum fiant. *Phaedr.* 1, 3. Ne gloriari libeat alienis bonis, Suoque potius habitu vitam degere, etc. [*Vereor ut in his *habitus* idem sit, quod *habitio.* Potius explicuerim per *rationem*, *modum*, quo pro se quisque pecuniam, bona possideat, ita ut *habitus* ad idem dicendi genus referendum videatur, quod est ap. *Liv.* 9, 36. Habitus armorum. 10, 46. temporum, etc.]

*HABRON, onis, m. Ἅβρων, insignis pictor. *Plin.* 35, 11. ℙ Fuit et Habron insignis pictura Apellis, hoc est, viri cujusdam eo nomine effigies ab Apelle depicti. *Id. ib.* 9. *B. A.*

*HABRUCHĪA, ae, f. regio Asiae minoris, in qua urbs Pieria. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 57. si lectio certa. *B. A.*

HAC, adv. *ταύτῃ*, per hunc locum, ubi ego sum, vel de quo ego loquor. *Nep. Ann.* 3. Hac copias traduxit, in Italiamque pervenit. *Ter. Eun.* 4, 7, 46. Vos me hac sequimini. *Virg. A.* 1, 471. Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus, Hac Phryges. *Ter. Heaut.* 3, 2, 1. Hac illac circumcursa. *Tibull.* 4, 1, 96. Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastae. *Ter. Eun.* 1, 2, 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

*HACCĔTĒNUS, et Hoccedie scribebant antiqui pro Hactenus, et Hodie. Ita *Mar. Vict.* p. 2457. *B. A*

*HACOTĪNA, ae, Armeniae urbs, circa Euphratem, qua Taurum praeterlabitur. *Ant. Itin.* Al. leg. *Locotena. B. A.*

HACPROPTER, propterea, ut *quapropter. Virg. Cul.* 3. hacpropter Culicis sint carmina dicta. Ita *Scaliger:* additque haec verba *Varronis:* Hacpropter omnes, qui laborant, invocant. Optimae tamen editiones habent *haec propter*, et fortasse rectius.

HACTĔNUS, adv. *μέχρι τούτου*, hucusque adhuc: ab *hac*, et *tenus*, quasi usque ad hunc terminum, vel locum, vel tempus. *Cic. Amic.* 7. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Si qua praeterea sunt, etc. *Id. N. D.* 1, 10. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, et eundem beatum, rotundum esse velint; et *Att.* 11, 4. Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset. *Liv.* 7, 26. Hactenus quietae utrinque stationes fuere: postquam spoliare, etc. *Tac Agr.* 10. Dispecta est et Thyle, quam hactenus nix, et hiems abdebat. [*Exemplis, quibus *hactenus* ad tempus spectat, haec addantur. *Tac. A.* 13, 47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. *Flor.* 1, 11, 5. Hactenus pro libertate, mox de finibus eisdem Latinis assidue pugnatum est. Contra disputat *Selling. in observv. critt.* in *Tac. Agr.* p. 12. Laudat haec *Böttich. in Lex. Tac.* p. 229. seq. q. v.] *Cels.* 7, 18. Hactenus propria auxilia sunt: communis deinde, etc. *Plin.* 18. *f.* Et hactenus hortensia dicta sint. *Id.* 14. *initio* Externae arbores hactenus fere sunt: licetque jam de communibus loqui. ℙ Habet interdum post se particulas *ut*, *quoad*, *quod*, *ne*, *si*, *quatenus*, et significat *eatenus*, *in tantum*, *adeo. Cic. Or.* 2, 27. Haec artem et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. *Id. Fam.* 4, 3. Hactenus existimo consolationem nostram recte adhibitam esse, quoad certior fieres, etc. *Plin. ep.* 9, 15. Patrem familiae hactenus ago, quod aliquam partem praediorum percurro. *Cic. Att.* 5, 4. Etiamne hic mihi curandus est? curandus autem? hactenus, ne quid ad senatum, etc. *Tac. A.* 14, 7. Hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. *Sen. ep.* 88. Meritoria officia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent. *Ulp. Dig.* 15, 3, 10. *med.* Hacteaus non vertit *(in rem)*, quatenus domino debet: quod excedit, vertit. ℙ Saepe ita solum ponitur, ut per ellipsin alia subaudiri oporteat. *Ov. Fast.* 5, 661. Hactenus: ut vivo subiit, etc. *h. e.* hactenus Tiberis locutus est: postquam subiit, etc. *Suet. Dom.* 16. Dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, utinam, inquit, hactenus! *h. e.* hunc solummodo sanguinem fuderim, neque insuper fundere habeam. *Cic. Div.* 2, 24. Sed hactenus: nunc ad ostenta veniamus. Sic *Att.* 5, 13. Sed hactenus: praesertim cum, etc. *Plin.* 11, 52, 114. *extr.* Hactenus Trogus: supple *locutus est.* ℙ Aliquando vim habet v. solum, dumtaxat. *Ov. Her.* 15, 155. Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores. Hactenus: ut media cetera nocte silent, *h. e.* duo illae solae cantant: ceterae aves silent. *Tac. A.* 14, 51. Sciscitantique hactenus respondit: ego me bene habeo. ℙ Dividitur interdum per tmesin. *Virg. A.* 5, 603. Hac celebrata tenus sancto certamina patri. Adde *ib.* 6, 62. ℙ Inter *hactenus*, et *adhuc* advertit *Manut. ad Fam.* 1, 2. hujusmodi discrimen, quamvis idem ambo significent; quod *hactenus* de re semper usurpetur, *adhuc* de tempore. Itaque male dici, *hactenus ita sensi*, et *de litteris adhuc*, sed *adhuc ita sensi*, et *de litteris hactenus*, ut hoc ipso loco *Cic.* loquitur. Praeterea *hactenus* absolutae rei continuationem semper indicare: *adhuc* interdum etiam non absolutae, ut *Cic. Att.* 2, 20. Clodius adhuc mihi denunciat periculum. Hactenus *Manut.*, cujus doctrina, si de *Cicerone* tantummodo loquitur, vera fortasse potest videri. (Nam *Livius* quidem certe de tempore *hactenus* dixit, in allato exemplo). Post eum vero non desunt scriptorum loca, quae contra *Manut.* afferri possunt. Quamquam, si attente inspicias, in ipsis quoque *Ciceronis* allatis locis rationem aliquam temporis deprehendas. ℙ *Haccetenus* pro *hactenus.* V. HACCĔTĒNUS.

[HADRĀNĪTĀNUS, a, um, adj. ad Hadranum pertinens, Siciliae opp. ad montis Aetnae radices situm, nunc *Aderno*, cujus meminit *Sil.* 14, 250. Ibi Hadrano minorum gentium Deo templum fuit dicatum, in quo plus quam mille alebantur canes, qui, teste *Aeliano de nat. anim.* 11, 20., hospites et advenas religionis causa templum adeuntes blande excipiebant, fures vero et sacrilegos morsibus laniabant. Prope id templum Dionysius Syracusarum tyrrannus urbem condidit, quae illius numinis nomen recepit, ut scribit *Diodor. Sic. Hist.* 14, 37. ℙ *Hadranitani*, *orum*, sunt illius oppidi incolae ap. *Plin.* 3, 8, 14. ℙ Sunt qui *Adranum*, et *Adranitani* scribunt sine aspiratione, Graece enim *Ἄδρανον*, et *Ἀδρανῖται.*

HADRĀNUM, i, opp. V. HADRANITANUS.

HADRĬA, ae, f. nunc *Atri*, urbs et colonia Piceni, patria majorum Hadriani Imp. *Plin.* 3, 13, 18. *Spart. Hadr.* 1. ℙ Item Hadria, Adria, vel Atria, nunc *Adria*, urbs Venetiae, in ora maris, quod ab ea nomen accepit, inter Padi, et Athesis ostia. Haec a *Plin. ib.* 16, 20. vocatur Atria, ipsumque mare olim Atriaticum dictum fuit, ut ibidem dicitur. *Liv.* 5, 33. Adriaticum mare ab Adria Tuscorum colonia vocavere Italicae gentes. ℙ *Hadria* quoque dicitur ipsum mare, et quidem masculino genere. *Hor Od.* 3, 3, 5. Dux inquieti turbidus Hadriae. *Lucan.* 5, 614. sonat Ionio vagus Hadria ponto. ℙ Hoc mare saepe a poetis procellosum dicitur, quia facile infestatur ventis, Noto praecipue, ut ex *Hor. l. c.* et *Od.* 1, 3, 15. colligitur. Adi *eund. ib.* 1, 33, 15. et *ib.* 3, 9. et al. ℙ Scribitur et *Adria* sine aspiratione atque

ita placet *Dausquio.* Graeci quoque leni semper spiritu scribunt. *Manut.* tamen ex lapidibus quamplurimis, et nummis, eumque secutus *Cellarius,* aspirationem retinent.

HADRĬĀCUS, a, um, adj. Hadriaticus. *Prop.* 3, 20, 17. Hadriacum aequor. *Ov. Hal.* 125. Hadriacum litus. *Virg. A.* 11, 405. Hadriacae undae.

HADRĬĀNĀLIS, e, adj. ad Hadrianum Aug. pertinens: ut ab Augusto *Augustalis,* a Trajano *Trajanalis:* diciturque de sodalibus, seu sacerdotibus in Hadriani Aug. honorem institutis ab Antonino Pio Aug. (ut narrat *Capitolin. Antonin.* 5.), postquam is relatus est inter Divos. *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 6. C. Popilio C. F. Quir. Caro Pedoni sodali Hadrianali. Alia ap. *Fabrett.* p. 454. *n.* 71. C. Plaetorius C. F. Stel. Phoebus sodal. Trajanal. et Hadrianal. Alia ap. *Don. cl.* 4. *n.* 19. M. Popilio M. F. Quir. Fausto Lucilio sodali Aelian*ali,* Hadrianali, et Antoniali (lege *Antoniniali*) et Faustinian*ali,* h. e. sodali in honorem Aelii Caesaris, Hadriani, Antonini, et Faustinae. [*Plura addidit *F.*]

*HADRĬĀNOPŌLIS, is, f. diversarum urbium nomen fuit ab Hadriano Imp. sic nominatarum. ℙ Harum una in Thracia fuit, ad Hebrum flumen, hodie *Adrianople. Anton. Itin.* ℙ Altera in Cyrenaica. *Tab. Peut. Adriane* appellata in *Anton. Itin.* ℙ Aliae fuere hoc nomine, non autem a Latinis auctoribus memoratae: de quibus V. *Geographos. B. A.*

*HADRĬĀNOTHERAE, arum, oppidum Mysiae. *Spartian.* in *Hadrian.* 20. V. *Spanhem. de usu numism. diss.* 11. p. 338. *B. A.*

HADRĬĀNUS, a, um, adj. ad Hadriam Piceni urbem pertinens. *Liv.* 22, 9. et *Plin.* 3, 13, 18. Hadrianus ager. ℙ In eo agro celebres quondam fuere gallinae, *Hadrianae* cognominatae. *Plin.* 10, 53, 74. ℙ *Hadrianus, i,* (ut in ejus nummis semper legitur) Romanorum imperator XV., cujus vitam scripsit *Aelius Spartianus.* Graece tamen fere Ἀδριανὸς leni spiritu legitur. ℙ *Hadriana vina* ab Hadria Venetiae, laudantur a *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. ℙ *Hadrianum mare* idem ac *Hadriaticum. Cic. Pis.* 38. et *Hor. Od.* 1, 16, 4.

HADRĬĀTICUS, a, um, adj. Ἀδριατικὸς, ad Hadriam Venetiae pertinens, ut *Hadriaticum mare,* et *Hadriaticum* absolute, Latinis etiam *superum* dictum. *Catull.* 4. 6. Et hoc negat minacis Adriatici Negare litus. *Liv.* 10, 2. Hadriaticus sinus. ℙ Olim *Atriaticum* dictum est. *Plin.* 3, 16, 20. V. HADRIA.

HADROBŌLON, i, n. ἁδρόβωλον, ab ἁδρὸς, magnus, et βῶλος, gleba, gummi genus nigrum, et in offas convolutum, in Arabia, India, Media, Babylonia, quod in sacris vino perfundi solebat, ut esset odoratius. *Plin.* 12, 9, 19.

HADROSPHAERUM, i, n. ἁδρόσφαιρον, genus nardi, foliis amplioribus: ab ἁδρὸς, magnus. Idem *mesophaerum* dicitur, si minore folio est: a μέσος, medius, mediocris: et microsphaerum, si parvo: a μικρὸς, parvus. Porro illud *sphaerum* est a σφαῖρα, globus, pilula, quales in spica nardi sunt. *Plin.* 12, 12, 26.

[HADRŪMĒTĪNUS, a, um, adj. ad Hadrumetum, Ἁδρούμητον pertinens, metropolin provinciae Byzacenae in Africa, ad mare sitam, nunc *Herckla,* quae prius, teste *Plin.* 5, 4, 3., libera fuit civitas, deinde colonia sub Trajano Aug. *Inscr.* ap. *Grut.* 362, 2. Coloni coloniae Concordiae Ulpiae Trajanae Augustae frugiferae Hadrumetinae. *Capitol. Albin.* 1. Fuit Clodius Albinus familia nobili, Hadrumetinus tamen ex Africa. ℙ *Hadrumetini, orum,* absolute sunt illius urbis incolae. *Hirt. B. Afr.* 97. Hadrumetinis HS tricesies multae nomine imposuit. *F.*]

*HADRŪMĒTUM vel Adrumētum, i, n. Ἁδρούμητος, Ἀδρούμητος, Ἀδρύμη, opp. Africae Propriae maritimum, Byzacenae provinciae caput. *Nep. Hann.* 6. *Liv.* 30, 29. *Plin.* 5, 4. *Mela* 1, 7. *med. Caes. B. C.* 2, 23. *Auct. B. Afr.* 3. etc. ℙ Occurrit haec vox ap. *Cic. Fl.* 28. ubi tamen (ait *Ernestus*) non est dubitandum, quin cum *Graevio* recipiendum sit e *Camerarii, Ursini, Sylvii* conjectura *Adramyttium.* Quid enim *Adrumetum* Africae ad Praetorem Asiae ejusque legatum? Ceterum in nomine *Adramyttii* ita variant veteres libri, ut non mirum, si hujusmodi error in *Ciceronem* irrepsit. V. *Duker.* ad *Thucyd.* 5, 1. et *Wesseling.* ad *Ant. Itin.* p. 335. ℙ Reperitur *Adrumetus* ap. *Mart. Capell.* 6. *med.* p. 216. ed *Grot. B. A.*

*HADYLĪUS, i, mons Boeotiae. *Plin.* 4, 7. ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.,* legebatur *Adylisus. B. A.*

HAEBŪDES et Hēbūdes, um, f. plur. Αἰβοῦδαι, et Ἔβουδαι, insulae sunt a Calydoniae promontorio Thulen petentibus, quinque numero: quarum incolae nesciunt fruges, piscibus tantum et lacte vivunt. Ita *Solin.* 22. At *Plin.* 4, 16, 30. triginta esse affirmat. [Nunc multo plures esse constat, et ab incolis *Hebrides* seu *Westernes* appellantur. *F.*]

HAEDĪLĒ. V. HAEDULEA.

HAEDILLUS, i, m. parvulus haedus. In blanditiis locum habet, ut in illo *Pl. Asin.* 3, 3, 77. Haedillum me tuum dic esse, vel vitellum.

HAEDĪNUS, a, um, adj. ἐρίφιος, ex haedo. *Cic. Mur.* 36. Stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos. *Varr. R. R.* 2, 11. Haedinum coagulum.

[HAEDŬLĂ, ae, f. eadem ac haedulea, capella. *Not. Tir.* p. 175. Haedus, haedulus, haedula. V. v. seq. *F.*]

HAEDŬLĒĂ, ae, f. dimin. haedi, ἐρίφιον, idem ac capella. *Hor. Od.* 1, 17, 8. Nec virides metuunt colubras, Nec Martiales haeduleae lupos. Ita *Bentlejus,* aliique interpretes: olim legebatur *haedilia,* at minus recte, cum ita nec sensus, nec metri ratio constaret. V. v. praec.

HAEDŬLUS, i, m. ἐρίφιον, dimin. haedi. *Juven.* 11, 65. E Tiburtino veniet pinguissimus agro Haedulus. V. HAEDULA.

HAEDUS, i, m. ἔριφος, fetus caprae. Per diphthongum *ae* scribi, diserte docet *Varro L. L.* 4, 19. Hircus, inquit, quod Sabini fircus; et quod illic fedus, in Latio rure hedus, quod in Urbe, ut in multis, *a* addito, haedus. Hoc ipsum probant *Manut.* et *Cellar.* in *Ortograph.* Attamen *Dausquius* eos defendit, qui per *oe* scribunt. *Quint.* 1, 5. docet, antiquos *oedus,* et *ircus* scripsisse. *Cic. Sen.* 16. Villa abundat porco, haedo, agno, gallina, etc. *Mart.* 10, 87. Venator leporem, colonus haedum, Piscator ferat aequorum rapinas. *Ov. Met.* 15, 466. vagitus similes puerilibus haedum Edentem jugulare; et *ib.* 13, 791. tenero lascivior haedo. *Virg. G.* 4, 10. haedique petulci. ℙ Proverbii speciem habet illud *Lucr.* 3, 7. quid enim contendat hirundo Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus haedi Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis? ℙ *Haedi* etiam a nonnullis dicti sunt ignes, quos aer in coelo transversos agit, quia haedorum more saltant, lasciviuntque, *Sen. Q. N.* 1, 2. ℙ Sunt etiam *haedi* stellae duae in Signo Aurigae prope aliam, quae *capella* dicitur. V. AMALTHEA. *Virg. A.* 9, 668. Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis Verberat imber humum. *Ov. Trist.* 1, 11, 13. Haedi nimbosi. *Prop.* 2, 20, 56. Purus et Orion, purus et Haedus erit.

[HAEGĪUS, ii, m. caprinus: ab αἴξ, αἰγὸς, capra. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 53, 2. C. Propertius Haegius. Hic abundat aspiratio, ut non raro alias. *F.*]

HAEMĂ, ătis, n. αἷμα, sanguis. Vox Graeca, unde quibusdam herbis factum nomen, ut haema Athenas, αἷμα Ἀθηνᾶς, *h. e.* sanguis Minervae, chamaepitys: haema Heracleos, αἷμα Ἡρακλέους, *h. e.* sanguis Herculis, centauria minor: haema Hammonos, αἷμα Ἄμμωνος, *h. e.* sanguis Hammonis, nepeta montana, etc. *Appul. Herb.* 26, 35, 93. Sed haec pura puta Graeca sunt.

HAEMĂCHĂTES, ae, m. αἱμαχάτης, achates gemma colore sanguineo: ab αἷμα, sanguis. *Plin.* 37, 10, 57.

*HAEMĂTĪCON, i, n. αἱματικόν. Ita appellat *Appul. Herb.* 77. graminis genus, quasi tu dicas *sanguineum. B. A.*

HAEMĂTĪNON Vitrum, totum rubens, atque non translucens: ab αἷμα, sanguis, unde αἱμάτινος, sanguineus. *Plin.* 36, 26, 67.

HAEMĂTĪTES, ae, m. αἱματίτης, lapis ex genere magnetum, sanguinei coloris, sanguinemque reddens, si teratur; sed et crocum: ab αἷμα, sanguis. Vox est adjectiva, et *lapis* subintelligitur. Hinc *Cels.* 5, 3. Lapis haematites purgat. *Plin.* 36, 16, 25. Ibi et haematites magnes sanguinei coloris, etc. ℙ Alius item est, qui in metallis invenitur, ustusque minii colorem imitatur: habetque vim contra profluvia mulierum, et rejectiones sanguinis. *Id. ib.* 20, 37. ℙ Item gemma sanguineo colore. *Id.* 37, 10, 60.

HAEMĂTŌPŌDES, um, f. αἱματόποδες, aves, quae pedibus rubent: ab αἷμα, sanguis, et ποῦς, pes. *Plin.* 10, 47, 64., ubi alii leg. *himantopodes, h. e.* pedes habentes in modum lori contortos: ab ἱμὰς, ἀντος, lorum.

HAEMĪMONS, tis, f. regio Thraciae ad Haemum montem. *Sex. Ruf. Brev.* 9. et *Vopisc. Aurel.* 17., ubi al. leg. *Haemimontus.* Hinc

HAEMĪMONTĀNI, orum, m. plur. Thraces Haemum incolentes. *Sex. Ruf. Brev.* 9. et *Ammian.* 27, 4.

*HAEMIMONTUS. V. *Haemimons,* et locis citatis adde *Trebell. Poll.* in *Claud.* 11. *B. A.*

*HAEMIOLA, ae, f. genus navigii. *Gell.* 10, 25. Haemiolae. Ita ed. *Longol.* In ed. *Graev.* impressum *hemioliae.* V. *Hemiolius. B. A.*

HAEMOLIUM. V. CRIOBOLIUM.

HAEMON, ŏnis, m. Creontis Thebarum tyranni filius, qui cum amore incredibili Antigonem Oedipi, et Jocastae filiam deperiret, ad ejus tumulum mortem sibi conscivit. *Prop.* 2, 7, 83., *Ov. Ib.* 563. ℙ Scribitur et *Aemon.*

HAEMŌNĬA, ae, f. regio Graeciae, quae postea Thessalia dicta est. V. AEMONIA.

HAEMŌNĬUS, a, um, adj. Αἱμόνιος, ad Haemum Thraciae montem pertinens: et pro Thracio ponitur. *Sil.* 10, 10. velocius inde Haemonio Borea, pennaque citatior ibat. ℙ Item Thessalus, ut Haemonius Peleus, ap. *Tibull.* 1, 6, 9. ℙ Scribitur et *Aemonius,* q. v. v. s. l.

HAEMOPHTHĪSĬCUS, a, um, adj. αἱμοφθισικὸς, cui sanguis ex morbo corrumpitur: ab αἷμα, sanguis, et φθίω, corrumpo. *Aemil. Macer cap. de Betonica.*

[HAEMOPTŌĬCUS, i, m. αἱμοπτυϊκὸς, sanguinem exspuens: ab αἷμα, sanguis, et πτύω, exspuo. *Marcell. Empir.* 16. *med.* Trochiscus δι' ἐλέκτρου praestantissimus ad haemoptoicos, id est sanguinem vel exscreantes, vel vomentes, vel eos, qui maxime cum tussi sanguinem jactant. *F.*]

HAEMORRHAGĬA, ae, f. αἱμορραγία, copiosus et immoderatus sanguinis fluxus, et speciatim ille, qui per nares fit. *Plin.* 23, 6, 67. Folia ejus trita illita haemorrhagiam sistunt.

HAEMORRHOĬCUS, a, um, adj. αἱμορροϊκὸς, qui haemorrhoide laborat. *Firm. Math.* 3, 3. *n.* 7. et *ib.* 15. *n.* 2.

HAEMORRHŌIS, ĭdis, f. αἱμορροΐς, profluvium sanguinis ex venis, quae sunt in ano, vel tumor illarum venarum absque sanguinis eruptione: ab αἷμα, sanguis, et ῥόος, fluxus. V. *Cels.* 6, 18. *n.* 9., ubi Graece: at Latine *Plin.* 23, 7, 71. et al. ℙ Item genus aspidis, vel serpens aspidi similis, sic dictus, quod mordens efficit αἵματος ῥοὴν, sanguinis fluxum, seu sudorem. *Lucan.* 9, 806. Impressit dentes haemorrhois aspera Tullo. Adde *Plin.* 23, 1, 23.

*HAEMORRHOUSA, ae, f. profluvio sanguinis laborans. *Interpr. Vulg. Matth.* 9, 20. *B. A.*

[HAEMOSTĀSIS, is, f. αἱμόστασις, quae sanguinem sistit, ita vero appellatur ap. *Appul. Herb.* 59. herba eadem ac consolida; quia profluvio mulierum medetur. *F.*]

HAEMUS, i, m. Αἷμος, mons altissimus Thraciae, illam a Moesia disterminans, e cujus jugis utrumque mare conspici dicitur, Euxinum, et Hadriaticum, et Ister amnis, et Alpes. (V. *Liv.* 40, 21. et 22.) Sex enim millibus passuum ascenditur, teste *Plin.* 4, 11, 18. ℙ In fabulis est, fuisse regem Thraciae, fratremque Rhodopes, cujus amore cum captus esset, et ab illa amaretur, auderentque alter se Jovem, altera Junonem appellare, ab Diis in poenam versi sunt in montes cognomines. Tangit hanc fabulam *Ov. Met.* 6, 87. Ex Haemo celebres fluvii, Hebrus, Strymon, et Nessus defluunt. A poetis constituitur in eo domicilium Martis. *Hor. Od.* 1, 12, 6. Haemus gelidus. *Senec. Herc. Oet.* 1280. Getico durior Haemo. *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 119. Qualis letifera populatus caede Gelonos, Procubat horrendum Getico Gradivus in Haemo. ℙ Scribitur et *Aemus.* ℙ *Fuit et Haemus insignis comoedus, de quo *Juven. sat.* 3, 99. *B. A.*

HAERĒDĪTAS, etc. V. *Hereditas.*

*HAEREDĪTO, as, n. 1. haeres sum, apud Ecclesiasticos, praecipue *Vulg. Interpr.* cum reddit κληρονομεῖν. *B. A.*

HAERENS, entis, part. ab *haereo,* qui haeret. *Cic. Univ.* 9. In ejusdem naturae motum incurrentia, in eoque haerentia atque impedita. *Caec.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Male haerentes scalarum gradus; et *Cic. Fin.* 3, 4. *extr.* In ceteris subvenies, si me haerentem videbis; et *Har. resp.* 26. *extr.* Vitia in aliquo penitus defixa atque haerentia.

HAERĔO, es, si, sum, n. 2. συμφύομαι, ἐνίσχομαι, arcte alicui rei jungor, affixus, conjunctus sum. Videtur esse ab αἴρεω, capio, prehendo. [*Lucr. 3, 194. Haeret enim inter se magis omnis materiai Copia. Coll. 3, 326. 5, 555. et al.] *Hor. Sat.* 1, 3, 31. et male laxus In pede calceus haeret. *Ter. Ad.* 2, 1, 17. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat. *Phaedr.* 1, 8. Os devoratum fauce cum haereret lupi. *Cic. Acad.* 4, 39. Ut videamus, terra penitusne defixa sit, et quasi radicibus suis haereat, an media pendeat. [*Adde *N. D.* 11, 54. *Somn. Scip.* 5.] *Virg. A.* 11, 751. raptum cum fulva draconem Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus haesit; et 864. haesitque in corpore ferrum; et *ib.* 12, 415. tergo volucres haesere sagittae. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 197.] *Virg. ib.* 10, 361. haeret pede pes, densusque viro vir; et *ib.* 9, 537. flamma postibus haesit; et *ib.* 2, 442. haerent parietibus scalae; et *ib.* 1, 499. stupet obtutuque haeret defixus in uno. *Quint.* 6, 1. *med.* Haerere in complexu alicujus. *Ov. Met.* 7, 143. avidisque amplexibus haerent. *Id. ib.* 66. gremioque in Iasonis haerens. *Virg. A.* 6, 284. foliisque sub omnibus haerent. ℙ Haerere equo, aut in equo, [*i. e. firmiter ei insidere.] *Hor. Od.* 3, 24, 54. et *Cic. Dejot.* 10. ℙ Haerere in eodem vestigio, [*i. e. tam presse aliquem sequi, ut pedem in vestigio alterius, simulac reliquerit, ponas.] *Curt.* 4, 14. ℙ *Haerere* etiam dicuntur, quae in medio motu, cursuve retinentur, et sistunt. *Curt.* 8, 14. Graves currus illuvie et voraginibus haerebant. *Id.* 9, 19. Classis in vado haerebat. [*Lucan. 2, 74. Hic haesere rates geminae] *Virg. A.* 12, 868. vox faucibus haesit; quod in stupore fit. Sic *Ter. Eun.* 5, 6, 7. perii! lingua haeret me-

tu. ℙ Translate. *Quint.* 1, 7. *f.* Non obstant hae disciplinae per illas euntibus, sed circa illas haerentibus. ℙ Translate est inesse, insidere. *Cic. Div.* 1, 16. *extr.* Ut peccatum haereat, non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit. *Id. Rosc. Com.* 6. Potest hoc homini huic haerere peccatum? *Ter. Hec.* 2, 1, 32. In te omnis haeret culpa. [**Cic. Or.* 2, 54. In hoc altero (genere) dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante illud facete dictum emissum haerere debeat quam cogitari potuisse videatur. Metaph. ducta a telo emisso, et in corpore ejus, qui petebatur, haerente.] ℙ Et pro infixum esse. *Cic. Phil.* 2, 26. Infixus animo haeret dolor; et *Phil.* 1, 15. Haerere in medullis ac visceribus alicujus. [**Id. Fam.* 15, 16. Qui mihi haeres in medullis: dicuntur ii, quos summo amore amplectimur.] *Id. Acad.* 4, 1. in memoria; et *Phil.* 13, 3. in oculis, [*i. e. praesentes vobis instabunt.] *Curt.* 6, 2. in animo. *Tac. H.* 4, 47. et *Plin. ep.* 1, 5. animo. *Virg. A.* 4, 4. haerent infixi pectore vultus, Verbaque. *Cic. Cat.* 4, 10. Memoria tantorum periculorum non modo in hoc populo, sed etiam in omnium gentium sermonibus semper haerebit; et *Ov. Trist.* 3, 4, 36. Haesuraque mihi tempus in omne fide, *h. e.* cujus semper meminero. [**Lucan.* 8, 416. Haereat Eoae volnus miserabile sortis. Laud. *Cort.* ad h. l. *Plin. ep.* 10, 31. Sed et illud haereat nobis, quam paucissimos milites a signis avocandos esse.] ℙ Item pro dubitare, pendere, nescire progredi. *Cic. Phil.* 2, 29. *f.* Haerebat nebulo; quo se verteret, non habebat. *Id. N. D.* 3, 24. In multis nominibus haerebitis; et *Att.* 13, 39. Valde in scribendo haereo. *Ov. Pont.* 2, 3, 87. Inter confessum dubie, dubieque negantem Haerebam. *Virg. A.* 11, 289. Hectoris, Aeneaeque manu victoria Grajum Haesit, [*i. e. retardata est, substitit. Similis locus est *Lucani* 7, 547. Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.] *Pl. Amph.* 2, 2, 182. haeret haec res; et *Pseud.* 1, 5, 8. haeret negotium. [**Suet. Dom.* 12. Neque eo secius in explicandis oneribus haereret, i. e. cum nihil in comparandis pecuniis ad impensas publicas necessariis proficeret.] ℙ Item pro desidere, diutius immorari. *Quint.* 1, 2. Haerere singulis. *Curt.* 5, 3. An erubescerent haerere in obsidione castelli exigui; et 4, 4. Circa muros unius urbis haerere. *Suet. Aug.* 71. Circa libidines haesit. *Ter. Ad.* 3, 3, 49. Metui, ne haereret hic. *Cic. Or.* 40. In eadem haerere commorarique sententia. [**Id. Att.* 13, 4. Haerere in libris. *Id. Or.* 1, 38. Volitare in foro, haerere in jure, i. e. frequentare loca, ubi jus dicitur. *Lucan.* 4, 331. Et siccis voltus in nubibus haerent, i. e. constanter adspiciunt. *Id.* 9, 1036. Voltus, dum crederet, haesit. *Id.* 7, 789. Nulla loci facies revocat feralibus arvis Haerentis oculos.] ℙ Item pro capi, deprehendi: ducta translatione ab avibus, quae visco aut laqueo captae detinentur. *Cic. Mil.* 21. In quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, haesit in iis poenis, quas, etc. ℙ Item pro cohaerere, convenire, aptum esse. *Hor. A. P.* 194. neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat, et haereat apte. *Cic. Coel.* 7. In quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adolescentis cohaerebat oratio. ℙ Pro simplici esse, aut inveniri. *Liv.* 5, 2. *med.* Ne in turba quidem haerere plebejum quemquam, qui, etc. ℙ *Haerere alicui* est individuum comitem et familiarem esse. *Plin. ep.* 7, 27. Obtinenti Africam comes haeserat. *Virg. A.* 10, 779. Antorem comitem, qui missus ab Argis, Haeserat Euandro. *Ter. Eun.* 5, 9, 25. Perfice, ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem, *h. e.* aliquo amicitiae gradu illi acceptus sim. *Catull.* 21, 6. Haeres ad latus, omnia experiris. [*Adde *Suet. Gr.* 14. *Lucan.* 3, 24. Haereat illa tuis per bella, per aequora signis. Laudat *Cort. Gron.* ad *Sen. ep.* 10. p. 32. ℙ Hinc a nutu alicujus pendere. *Lucan.* 9, 573. Haeremus cuncti superis, temploque tacente, Nil facimus non sponte Deo.] ℙ *Haerere in terga, tergis*, aut *in tergis* insequentem instare et urgere. *Liv.* 1, 14. *extr.* Haerens in terga Romanus, priusquam fores portarum objicerentur, irrumpit. *Tac. H.* 4, 19. Se cum exercitu tergis eorum haesurum. *Curt.* 4, 15. *f.* Haerebit in tergis fugientium victor. ℙ *Aqua haeret.* V. AQUA. ℙ *Haerere aliquo crimine* est implicari, atque expedire se non posse. *Tac. A.* 4, 19. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant. ℙ Haerere in amorem apud fidicinam, *Pl. Ep.* 2, 2, 7. h. e. amore fidicinae implicatum esse. ℙ *Haesus* se invenisse ait *Diom.* 1, 363. ℙ [*Confund. *haesit* et *exit.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 410. — *Haerere* et *debere. Id.* ad *Eund.* 7, 35. — *Haeret* et *horret. Id.* ad *Eund.* 4, 50.]

HAERES. V. HERES.

HAERESCO, is, n. 3. *συμφύομαι*, haereo, adhaereo, affixus maneo. *Lucr.* 2, 476. In terris haerescere. Adde 4, 743.

HAERĔSĬARCHA et Haeresiarches, ae, m. *αἱρεσιάρχης*, haeresis auctor, haereticorum princeps. *August. ad Ceret. ep.* 253. et *Sid. ep.* 7, 6. *med.* ℙ Item in bonam partem, qui sectam aliquam, seu scholam sequitur.

HAERĔSIS, is, et eos, f. *αἵρεσις*, electio, dogma, quod quis sequendum elegit, secta: Graeca vox, ab *αἱρέω*, eligo. *Cic. prooem. Par.* Cato in ea est haeresi, quae nullum sequitur florem orationis. *Id. Fam.* 15, 16. Postulabimusque, ex qua haeresi, vi, hominibus armatis, dejectus sis, in eam restituare. *Id. Att.* 14, 14. Joca tua plena facetiarum, de haeresi Vestoriana, etc. risisse me satis. *Vitr. praef. l.* 5. Pythagorae haeresim sequi. ℙ In *Cod. Theod.* 13, 6, 9. et 10. haeresis navalis est conditio, functio, et professio navicullariorum. ℙ Apud Ecclesiasticos scriptores est dogma Christianae religionis principiis adversum. *August., Tert., Hieron.*, etc. ℙ Prima syllaba, extrita priore diphthongi vocali, male corripitur a *Prud. Psych.* 725. ruptis Heresis perit horrida membris.

*HAERĔTĬCE, adv. *Hieron. B. A.*

HAERĔTĬCUS, i, m. *αἱρετικός*, qui haeresim Catholicae veritati contrariam sectatur. *Tert., Hieron., August.*, etc. ℙ Adject. *Arat.* in *Act. Apost.* 19, 2, 611. haeretica nigredine plenus Averni.

*HAEROR, oris, m. *Val. Max.* 9, 12. Anacreontem unius grani pertinacior haeror absumsit. Ita *Barthius.* Al. *humor. B. A.*

HAESĪTĂBUNDUS, a, um, adj. haesitationis plenus, cunctabundus. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Haesitabundus inquit: Interrogavi, non ut tibi nocerem, sed, etc.

HAESĪTANS, antis, part. ab *haesito:* qui haesitat et perplexus est. *Cic. Acad.* 1, 2. Itaque non haesitans respondebo. *Id. Or.* 1, 10. Carbo ignarus legum, haesitans in majorum institutis, rudis in jure civili; et 25. Sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, ut, etc. *Id. Dom.* 52. Dixit verbis haesitantibus; et *Caes. B. G.* 7, 19. Haesitantes milites opprimere, *h. e.* in palude haerentes. Sic *Liv.* 2, 5. Ita in vadis haesitantis frumenti acervos sedisse illitos limo: insulam inde paulatim factam.

HAESĪTANTĬA, ae, f. *Haesitantia linguae* est difficultas loquendi. *Cic. Phil.* 3, 6. Bambalio quidam, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxit.

HAESĪTĀTĬO, onis, f. *ἀπορία*, actus haesitandi, cunctatio, dubitatio, qua quis progredi aut nequit, aut nescit. *Cic. Fam.* 3, 12. Si facile inveneris, quod dicas, noli ignoscere haesitationi meae. *Tac. H.* 1, 39. Haesitationem attulit tempus et locus. *Plin. ep.* 10, 54. Aliquem haesitatione liberare. *Trajan.* ad *Plin. ib.* 78. Haesitationem alicui facere, *h. e.* afferre. ℙ De haesitantia in loquendo, *Cic. Or.* 2, 50. Qui timor! quae dubitatio! quanta haesitatio tractusque verborum!

HAESĪTĀTOR, oris, m. *μελλητής*, cunctator, vel dubitator. *Plin. ep.* 5, 11. Sum ipse in edendo *(libros)* haesitator, tu tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti.

HAESĪTO, as, avi, atum, n. 1. *ἐνίσχομαι, ἀπορέω*, frequentativum ab *haereo*, et ejusdem fere significationis, ut *haesitare in palude* ap. *Caes.* V. HAESITANS. *haesitare lingua* ap. *Cic.* V. ib. *Sen. Phoen.* 29. non haesitabit gressus. ℙ Translate dicitur de iis, qui dubitant et cunctantur, et progredi nequeunt, aut nesciunt. *Cic. Cat.* 2, 6. Cum haesitaret, cum teneretur, quaesivi, etc. *Id. Acad.* 4, 17. Dubitant, haesitant, revocant se interdum; et 5. Illi tum in novis rebus, quasi modo nascentes, haesitaverunt. *Id. Or.* 1, 51. Haesitavit ob eam causam, quod nesciret, etc. *Plin. ep.* 10, 40. Diu multumque haesitavi, quid facere deberem. *Curt.* 4, 13. Interdum haesitare, an potius in dextrum cornu torqueret agmen; et 15. *f.* Inter spem et desperationem haesitare. *Suet. Claud.* 11. De mutando reipubl. statu haesitatum erat. ℙ *Haesitare in eodem luto*, proverb. in eodem periculo versari, unde te non expedias: ductum a viatoribus, qui cum in lutum inciderint, dum alterum pedem extrahere nituntur, altero infiguntur altius. Aptissime vero convenit in eos, qui vorsura solvunt: hi enim creditorem quidem mutant, sed aere alieno se non liberant. *Ter. Ph.* 5, 2, 15. Quid fiet? in eodem luto haesitas: vorsura solves, Geta. ℙ [*Discrimen inter *haesitare* et *cunctari Döderl.* 3, 295. sq. ita statuit, ut illud de *impedito*, hoc de *incerto* dicatur.] ℙ Part. *Haesitans* V. s. l.

HAGĬOGRAPHA, orum, n. plur. *ἁγιόγραφα*, sancta scripta, sacri libri: ab *ἅγιος*, sanctus, et *γράφω*, scribo. Quidam ita distinguunt S. Scripturae veteris Testamenti libros, ut alii sint *legis*, sc. Pentateuchus: alii *prophetiae*, ut Prophetarum: alii denique, quia neutrum continent, et peculiare nomen non habent, communi *hagiographa* appellentur. Ita *Hieron. praef.* in *libros Regum*, ubi fuse hac de re.

*HAGĬOGRAPHUS, i, m. *ἁγιόγραφος*, scriptor sacer. *Hieron. ep.* 1, 12. *B. A.*

[HAGĬUS, ii, m. *ἅγιος*, sanctus. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 921, 8. Hagius Augusti *vixit annos* XXIII. *F.*]

[HAGNĔROS, ōtis, m. *ἀγνέρως*, castus amator: ab *ἁγνός*, castus, et *ἔρως*, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 300, 8. L. Genucius Hagneros. *F.*]

HAGNĬĂDES, ae, m. *Ἁγνιάδης*, patronym. Ap. *Val. Fl.* 1, 482. et 2, 48. est Tiphys, gubernator navis Argo, filius Hagnii, ut est ap. *Apollod.* 1, 9. et *Apollon.* 1, 105., quamquam *Hyg. fab.* 14. Phorbantem ei patrem assignat.

[HAGNUS, i, m. *ἁγνός*, castus, et Hagne, es, f. *ἁγνή*, casta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 581, 6. T. Flavius Aug. L. Hagnus. Alia ap. *eund.* 754, 13. Numitoria Hagne. *F.*]

HĂLĂBARCHES. V. ARABARCHES.

HĂLAESA, ae, f. *Ἅλαισα*, urbs excisa Siciliae in ora septentrionali, ad fluvium Halaesum, inter Calactam, et Cephaloedium, ubi nunc *S. Maria delle Palate. Sil.* 14, 218. Venit ab amne trahens nomen Gela, venit Halaesa. [*Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 7.] ℙ Sunt qui scribere malint *Halesa*, et Graece *Ἅλεσα*, sed ex lapidibus inscriptis, et nummis ap. *Torremuzza Sicil. vet. numm. tab.* 12. et 13. *Ἅλαισα*, et *Alaesa* scribendum videtur.

HĂLAESĪNUS et Hălēsinus, a, um, adj. ad Halaesam pertinens, ut Halaesina civitas, *Cic. Fam.* 13, 32. ℙ *Halaesini, orum*, ejus incolae, *Plin.* 3, 8, 14.

HĂLAESUS, i, m. *Ἅλαισος*, mons, et fluvius Siciliae, unde Halaesae urbi nomen. *Col.* 10, 268. Et quae Sicanii flores legistis Halaesi. ℙ Scribitur et *Halesus.* ℙ Fuit etiam hoc nomine filius Agamemnonis ex Clytaemnestra (aliis ex Briseide) qui cum matre in necem patris consensit: postea patria pulsus, in Italiam venit, et apud Massicum montem sedem posuit, Turnoque favit adversus Aeneam. *Virg. A.* 7, 723. et *Servius.* ℙ Hic demum Faliscos condidit. *Ov. Am.* 3, 13. ℙ *Item Lapitharum unus. *Ov. Met.* 12, 462. *B. A.*

HĂLĂPANTA. V. HALOPHANTA.

[HĂLĀTUS, us, m. idem ac halitus, seu potius suavis odor. *Capell.* 1, 4. Nam et unguentis oblitam, floribusque redimitam halatu pasci foverique docuerat. *Id.* 2, 46. Arabicis laetabatur halatibus. *F.*]

HALCĔDO. V. ALCEDO.

HALCYŌNE. V. ALCYONE.

HĂLEC. V. ALEC.

*HALENTĪNUS, a, um, adj. ad oppidum Aluntium spectans, ut *Halentina civitas* ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 43. V. *Aluntium.* Inde legendum forsan *Aluntina* vel *Haluntina* (nam *Haluntini* commemorantur *ib.* 2, 2, 23.). In priore loco *Graevius* correxit *Alentina;* posteriorem negligentia sua intactum reliquit. Pari fere modo confunduntur *Solentini* et *Soluntini* in *Cic. Verr.* 2, 1, 43. *B. A.*

*HALES, etis, m. flumen Lucaniae, prope Veliam. *Cic. Fam.* 7, 20. Adde *Att.* 16, 7. (6.) *med.* ed. *Ernest.* Edd. vett. *Heletem. B. A.*

HALIACMON. V. ALIACMON.

[HĂLĬĂDES, ae, m. *ἁλιάδης*, nauta, item piscator. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 3. L. Vibius L. L. Haliades. *F.*]

HĂLĬAEĔTUS, i, m. *ἁλιαιετός*, aquilae genus, quae in mari venari solet: ab *ἅλς*, mare, et *αἰετός*, aquila. [**Falco Haliäetus, L.*] *Plin.* 10, 3, 3. Superest haliaecetos, clarissima oculorum acie, libram ex alto sese, visoque in mari pisce, praeceps in eum ruens, et discussis pectore aquis rapiens. Et *paulo post.* Haliaecetus implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit adversos intueri solis radios, et, si conniventem humectantemque animadvertit, praecipitat e nido, velut adulterinum atque degenerem: illum cujus acies firma contra stetit, educat. *Ov. Met.* 8, 146. Et modo factus erat fulvis Haliaecetos alis. De Niso Scyllae patre loquitur in hanc avem verso, et cum Ciri perpetuas inimicitias gerente: de quo *Virg. Cir.* 536. Sic inter sese tristes Haliaecetus, iras, Et Ciris memori servant ad saecula fato.

[HĂLĬARTĬUS, a, um, adj. ad Haliartum pertinens, Boeotiae oppidum a C. Lucretio Gallo praetore captum, et a fundamentis dirutum. ℙ *Haliartii, orum*, absolute sunt illius oppidi incolae. *Liv.* 42, 46. Haliartii legatos in Macedoniam miserunt. *F.*]

HALIARTUS. V. v. praeced.

HĂLĬCA, etc. V. ALICA.

HĂLĬCĂCĂBUM, i, n. *ἁλικάκαβον*, herba, genus trychni, seu solani, acinis coccineis, granoso folliculo, Latinis vesicaria, vim habens soporiferam, atque etiam opio efficaciorem. *Cels.* 5, 20. *n.* 3. Halicacabi cortex. *Plin.* 21, 31, 105. Aspidum naturae halicacabum in tantum adversam, ut, etc. Femin. gen. *Plin.* facit ad *herbam* respiciens.

*HALĬCĂNUM (Alicanum), i, n. Pannoniae superioris opp, *Anton. Itin. B. A.*

HĂLĬCARNASSENSIS, e, adj. Halicarnasseus. *Halicarnassenses, ium*, cives Halicarnassi. *Liv.* 33, 20. *f.*

HĂLĬCARNASSEUS, i, adj. quinque syllabar. *Ἁλικαρνασσεύς*, Halicarnassensis, qui est ex Halicarnasso, *Ἁλικαρνασσός*, quod est oppidum Cariae maritimum, nunc *Budron*, ad sinum Ceramicum, patria Herodoti et Dionysii historicorum, celebre etiam Mausoleo Artemisiae, ut *Mela* 1, 16. tradit.

Cic. Div. 2, 42. Scylax Halicarnasseus. *Quint.* 3, 1. Halicarnasseus Dionysius.

HĂLĬCARNASSĬUS, a, um, adj. Ἁλικαρνάσσιος (ut est ap. *Stephan. de Urbib.*) Halicarnassensis. V. v. praec. *Nep. Them.* 1. Uxorem Halicarnassiam civem duxit. ℙ *Halicarnassii, orum*, Halicarnassenses. *Tac. A.* 4, 55.

HĂLĬCIENSIS, vel Halicyensis, e, adj. ad Halicyas pertinens, urbem Siciliae, inter Entellam, et Lilybaeum. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. Sopater quidam fuit Haliciensis. *Id. ib.* 2, 3, 6. Haliciensis civitas. ℙ *Halicyenses, ium*, absolute sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 8, 14.

*HALĬCYRNA, ae, opp. Aetoliae. *Plin.* 4, 2. ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* impressum *Halysarna. B. A.*

HĂLĬEUS, i, m. trisyllab. ἁλιεύς, piscator. Titulus est libri decimi *Apicii*, in quo de piscibus condiendis agitur.

HĂLĬEUTĬCUS, a, um, adj. ἁλιευτικός, ad pisces et piscaturam pertinens. *Gallien.* in *epist.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Boletar halieuticum argenteum, librarum viginti. *Plin.* 32, 2, 9. Mihi videntur mira et quae Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur; *ἁλιευτικῶν*, genitivus plur. Graecus.

[HĂLĪMON, i, n. ἅλιμον, fruticis marini genus: ab ἅλιμος, maritimus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 10. Cytisus necatus eo, quod halimon vocant Graeci. (Hoc ex *Theophr. Hist. plant. l.* 4. *c.* 20.) *Id.* 22, 22, 33. Alii alimon (lege *halimon*) olus maritimum esse dixere, salsum, et inde nomen. V. ALIMON. *F.*]

[HĂLĪNĒ, es, f. ἅλινη, ex sale confecta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 614, 1. Flavia Haline. *F.*]

HĂLIPHLOEOS, i, f. ἁλίφλοιος, arbor crassissimo cortice, et caudice, et plerumque cavo fungosoque, et quae putrescit, etiam cum vivit, pessima ob id carboni, materiaeque. Saepissime fulmine icitur, quamvis altitudine non excellat: ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur. Ei raro glans: et cum tulit, amara, quam praeter sues nullum attingat animal. *Plin.* 16, 6, 8.

HĂLIPLEUMON, onis, m. ἁλιπλεύμων, marinus pulmo, genus piscis. *Plin.* 32, 11, 53. V. PULMO.

*HALĬSERNE, es, f. Trojanorum oppidum. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

HĂLĪTO, as, a. 1. frequent. verbi *halo.* Hinc part. *halitans. Enn.* ap. *Diomed.* 1, 336. Sublime iter quadrupedantes, flammam halitantes.

HĂLĪTUS, us, m. ἐκπνοή, spiritus, ventus: ab *halo. Pers.* 3, 88. aegris faucibus exsuperat gravis halitus. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus, *Tusc.* 2, 9. Nemeaeus leo Frendens efflavit graviter extremum halitum. *Plin.* 12, 4, 7. Commendandi halitus gratia. Et 28, 12, 53. A pulmone halitus graveolentia. Et 21, 20, 83. Iris halitus oris commanducata abolet: et 28, 4, 14. Mero ante somnum colluere ora, propter halitus. *Rutil. Itin.* 1, 105. Frigidus aestivas hic temperat halitus auras. *Plin.* 14, 22, 28. de ebriis: Postera die ex ore halitus cadi, ac fere rerum omnium oblivio. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 118. creberque recurrit Halitus, *h. e.* anhelitus. ℙ Ap. *Prud.* est anima, spiritus *Cathem.* 10, 11. Petit halitus aethera fervens: Humus excipit arida corpus. ℙ Item vapor, afflatus e terra, aliave re exiens. *Plin.* 11, 12, 12. Ros obvio terrae halitu infectus. *Val. Fl.* 4, 494. patriique exspirat Averni Halitus. *Plin.* 17, 4, 2. Halitus maris. *Id.* 34, 18, 50. Plumbi fornacium halitus noxius et pestilens. *Colum.* 2, 5. Halitus solis. *Id.* 12, 43. *med.* Praecipimus, ne in eodem loco mala et uvae componantur, neve in vicino, unde odor malorum possit ad eas pervenire: nam hujusmodi halitu celeriter acina corrumpuntur. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 219. cui multa carbonum strues Vivum vaporat halitum.

[HALĬUS, ii, m. ἅλιος, marinus, item vanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1553, 1. C. Roscius Halius. *F.*]

*HALIZŌNES, Ἁλίζωνες, (i. e. mari cincti,) populi Bithyniae, vel Ponti, ut aliis placet. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

HALLUCĬNOR, etc. V. ALUCINOR.

HALLUS. V. ALLUS.

[HALMA, ae, f. ἅλμη, salsugo, item urbanitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1536, 8. Flavia O. L. Halmae locum emit. *F.*]

*HALMYDESSOS vel Halmydessus, i, f. opp. Thraciae, ad Pontum Euxinum. *Mela* 2, 2. *Plin.* 4, 11. ℙ *Herodoto* (4, 93. etc.) est Σαλμυδησσός. *B. A.*

[HALMYRĬDĬUM, ii, n. a dimin. ἁλμυρίδιον, aliquantisper salsum, subsalsum. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3. de quadam brassica: Est autem sua gratia nunquam plantae habitum excellentibus: halmyridia vocant, quoniam nisi in maritimis non proveniunt. Sunt qui putant esse brassicae genus, quod Itali nunc *soldanella* vocant. *F.*]

*HALMYRIS, idis, f. ἁλμυρίς, i. e. salsugo, lacus Moesiae inferioris, juxta Pontum Euxinum, ab australi ostio Danubii efformatus, et ad Istropolim usque extensus. *Plin.* 4, 12. Ex eodem alveo et super Istropolim lacus gignitur —: Halmyrin vocant. ℙ Est etiam nomen loci sive oppidi ibi siti, ut observavit *Harduinus* ex *Philost.* 10, 6. et *Niceph. Hist. Eccles.* 12, 29. *B. A.*

[HALMYRRHAX, ăgis, m. ἁλμύρραξ, *αγος*, ita vocatur nitri genus: ab ἁλμυρός, salsus, et ῥᾶξ, *αγός*, eruptio, a ῥήσσω, seu ῥήγνυμι, rumpo. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 1. Exiguum nitrum fit apud Medos, canescentibus siccitate convallibus, quod vocant halmyrrhaga, *nempe* quia salsum saporem habens erumpit e terra uliginosa, porro *halmyrrhaga* est accusativus Graecae terminationis. *F.*]

HĂLO, as, avi, atum, a. 1. ἐκπνέω, spiro, spiritum, vel odorem emitto, exhalo: fortasse ab ἄω, spiro. *Ov. Met.* 7, 809. repetebam frigus et umbras, Et, quae de gelidis halabant vallibus, auras. *Virg. A.* 1, 421. Ture calent arae, sertisque recentibus halant. *Id. G.* 4, 109. croceis halantes floribus horti. ℙ Cum accus. *Lucret.* 2, 847. Et nardi florem, nectar qui naribus halat. *Mart.* 10, 48. nimios prior hora vapores Halat. Adde *Lucr.* 6, 220.

HĂLO, onis, vel potius Halos, o, Graece ἡ ἅλως, ω, corona, seu circulus circa luuam, aut solem quandoque apparens. A Graeca declinatione non discedit *Seneca*, cum ait *Q. N.* 1, 2. Circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet. Hunc Graeci halo vocant: nos dicere coronam aptissime possumus. *mox addit:* Ob hoc tales splendores Graeci areas vocavere, quia fere terendis frugibus loca destinata sunt rotunda: non est autem quod existimemus, istas, sive areae, sive coronae sint, in vicinia siderum fieri, etc. ℙ *Halonem* etiam dicunt hesterno vino languentem, quem ἅλωλον vocitant Graeci. *Fest.* in *Elucum.*

*HALONE, es, f. insula maris Aegaei, Epheso objecta. V. *Alone. Plin.* 2, 87. et 5, 31. ℙ Item alia, in Propontide. *Id.* 5, 32. ℙ V. *Alone. B. A.*

*HALONĒSOS vel Halonēsus, i, f. Ἁλόνησος, insula maris Aegaei, prope Macedoniam, ad sinus Thermaici aditum. *Plin.* 4, 12. Eam aliquando, omnibus maribus caesis, tantum feminas tenuisse, auctor est *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

*HALONNĒSI, orum, insulae quaedam in sinu Arabico, prope Troglodyticen. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

HĂLOPHANTA, ae, m. hominum genus nequam, idem fere, ac sycophanta: ab ἅλς, mare, et *φαίνομαι*, appareo, ob vestitum nauticum. *Fest.* halapanta dicit, hoc est, omnia mentiens: ab ἄλη, seu ἄλη, error, et ἅπαντα, omnia. *Non.* 2, 396. definit genus hominum, quod ob suenda mendacia miserrime mercede conducitur: ab ἄλη, error, et ὑφαίνω, texo. *Turneb. Adv.* 2, 5. holophantam vocat, hoc est ὁλοφάντην, quasi qui sit totus in ostentatione. *Pl. Curc.* 4, 1, 2. Halophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio. *Scalig.* ad *Fest.* suspicatur, illum scripsisse *halopanta*, ut *παρὰ τὴν ἅλα* simile faceret, quemadmodum *παρὰ τὸν σῦκον* factum est *sycophanta. Halopantam* autem nihil significare: sed comice et tempore lusisse *Plautum* propter habitum marinum ejus, de quo ibi loquitur. V. CALOPHANTA.

*HALOS vel Halus, i, opp. Thessaliae maritimum, in Phthiotide. *Mela* 2, 3. *Plin.* 4, 7. ℙ Est et Halus, Assyriae oppidum, de quo *Tac. A.* 6, 41. *B. A.*

*HALOSACHNE, es, f. ἁλὸς ἄχνη, lanugo maris. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

HĂLOSIS, is, f. ἅλωσις, captio, sive expugnatio. *Suet. Ner.* 38. Laetusque flammae, ut ajebat, pulcritudine, halosin Ilii decantavit. Optimi tamen codices habent ἅλωσιν, Graecis litteris. *Petron. Sat.* 89. Tabula, quae Trojae halosin ostendit.

HALTER, ēris, m. Halteres erant massae plumbeae, non exigui ponderis, quas utraque manu tenentes athletae, corpus librabant, saltusque edebant: ab ἅλλομαι, salio. *Mart.* 14, 49. cujus titulus est *Halteres.* Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti? Exercet melius vinea fossa viros. [*Id.* 7, 67. gravesque draucis Halteras facili rotat lacerto. *Senec. ep.* 15. et 56. et *Juven.* 6, 421. eosdem innuunt, suppresso tamen nomine, quod habet *Schol.* ad *Juven. l. c. F.*]

HĂLUS, i, m. Gallis herba est, quae Venetis cotonea, similis cunilae bubulae, cacuminibus thymo, dulcis, et sitim sedans, radicis alibi albae, alibi nigrae. *Plin.* 26, 7, 26. item 27, 6, 24., ubi scribitur sine aspiratione. [Videtur autem sic vocata ab halatu. V. COTONEA. ℙ *Halus* etiam ab ἅλος Dorice pro ἧλος, clavus. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 293. *n.* 237. C. Publicius Halus. *F.*]

HĂLYATTES. } V. ALYATTES.
HĂLYATTĪCUS. }

*HALYDIENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Cariae. *Plin.* 5, 29. ubi *Harduinus* mavult *Alindienses* legere, ex Alinda scilicet. *B. A.*

HĂLYS, ys, m. Ἅλυς, fluvius ingens Asiae minoris, qui ex monte Tauro oritur in Cappadocia magna, Paphlagoniam alluit, et in mare Euxinum influit, [nunc vocatur *Kizil-Ermak: F.*] ejus meminit *Plin.* 6, 2, 2., et *ib.* 3, 3. ℙ Hunc juxta Croesus a Cyro victus et captus est, deceptus ambiguo oraculi responso: *Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim*, ut est ap. *Cic. Div.* 2, 56. Hostium enim vim sese perversurum putavit: pervertit autem suam. *Lucan.* 3, 272. Qua Croeso fatalis Halys. ℙ [Est etiam cogn. R. hominis servilis conditionis, qui fortasse ex ea regione Romam primum, deinde Patavium advectus libertatem hic est consecutus; quod de alio servo, qui Euphrates est nominatus, itidem dicendum videtur. V. EUPHRATES. *Inscr.* Patavina apud *Grut.* 877, 9. T. Livius Liviae T. F. Quartae L. Halys. *F.*]

HĂLYSIS, is, et eos, f. ἅλυσις, catena quaedam luminis clarioris, per solis ambitum in se revertens. inter hanc et irida illud interest, quod iris multicolor est, et semicirculo figurata procul a sole atque luna: catena clarior est, astrumque ambit orbe incolumi, corona non discolori. Ita *Appul. de Mundo.* Est autem ἅλυσις, catena. [Ceterum cum haec omnia *Appulejus* mutuatus fuerit ab *Aristotele Meteor.* 3, 2., ubi saepe Graece ἅλως habetur, *h. e.* area, corona; per quam simile vero videtur, *Appulejum* in corruptum *Aristotelis* codicem incidisse, in quo nempe pro ἅλως mendose scriptum fuisset ἅλυσις, catena. V. HALO, onis.]

HĂMA, ae, f. ἅμα, Dorice pro ἁμη, vas, quo aquam hauriebant ad incendia restinguenda. *Plin. ep.* 10, 42. Nullus in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda. *Juven.* 14, 305. Dispositis praedives hamis vigilare cohortes Servorum noctu Licinus jubet. ℙ Hamis instructus et dolabris per urbem noctu itabat praefectus Vigilum, quorum cohortes septem arcendis ignibus Augustus instituerat, uti docet *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Adde *Ulp. ib.* 33, 7, 12. *med.*, ubi *ama* legitur sine aspiratione tum ap. *Torrent.*, tum ap. *Holoandr.* ℙ Habuit usum etiam in cella vinaria, ut colligitur ex *Pl. Mil.* 3, 2, 42.

*HAMAE, arum, Campaniae locus, tria millia passuum distans a Cumis, ut ait *Liv.* 23, 35. ubi vox quater occurrit. *B. A.*

HĂMADRYAS, adis, f. Ἁμαδρυάς, Nympha silvarum incola, quasi simul cum quercubus nata, simulque cum iis moriens: credita enim sunt hujusmodi numina arborem aliquam pro domicilio habere, ejusque fato sortive obnoxia esse: ita ut si caederetur arbor, ipsa quoque interficerentur, sanguine etiam manante, ut de Erisichthone *Ov. Met.* 8, 721. et seqq.: narrat. Differunt ergo in hoc a Dryadibus, quarum vita ab arborum suarum vita non pendet. Dictae sunt ab ἅμα, simul, et δρῦς, quercus, robur, arbor. *Virg. Ecl.* 10, 62. Nam neque Hamadryades rursum, nec carmina nobis Ipsa placent. *Prop.* 2, 23, 93. Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum. *Id.* 1, 20, 32. Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin. (V. DRYADES.) *Ov. Fast.* 2, 155. Inter Hamadryadas, jaculatricemque Dianam. ℙ In singulari numero *Stat. Silv.* 1, 3, 63. Vel non abruptos tibi reddet Hamadryas annos.

HĂMĂLŪPUS. V. LUPUS.

HĂMARTĪGĒNĬA, ae, f. ἁμαρτιγένεια: titulus est carminis *Prudentii*, in quo de origine peccati agitur: ab ἁμαρτία, peccatum, et *γίνομαι*, nascor.

HĂMĂTĬLIS, e, adj. ad hamum pertinens. *Pl. Rud.* 2, 1, 10. Piscatum hamatilem, et saxatilem aggredimur; et *Tert. adv. Gnost.* 1. Scorpii hamatile spiculum.

*HAMĀTOR, oris, m. *Gloss. Isid. B. A.*

HĂMĀTUS, a, um, part. ab *hamo:* ἀγκιστρωτός, hamis instructus, vel instar hami factus, uncinatus, incurvus, aduncus. *Cic. Acad.* 4, 38. Hamatis uncinatisque corporibus concreta haec esse dicit. *Ov. Met.* 5, 384. Inque cor hamata percussit arundine Ditem; et *ib.* 12, 563. hamatis laceraverat unguibus ora; et *ib.* 5, 8. Hamatus ensis, *h. e.* harpe, falcatus ensis; et *ib.* 2, 799. Hamati sentes, *h. e.* curae, quae cor lacerant. ℙ *Hamatas tegulas* vocare videtur *Vitr.* 7, 4., quae habent margines utrinque exstantes, et incurvos, quibus inter se colligantur, ut sunt in nostris tectis imbrices incurvati, et alius alium continentes. Al. tamen ibi leg. *animatas*, et eas putant in modum tubi factas, in summo et imo spiramenta habentes, qua humor defluat. Ita *Salmas.* ad *Vopisc. in Probo* 21. ex quibusdam MSS. Et fortasse haec lectio et interpretatio magis facit ad rem, de qua ibi *Vitruv.* loquitur. [*Schneiderus* tamen edidit *mammatas;* quod rectius videtur. *F.*] ℙ Translate *hamata munera*, quae mittuntur ideo, ut alia eliciant. *Mart.* 6, 63. Munera magna quidem misit, sed misit in hamo. *Plin. ep.* 9, 30. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere.

*HAMAXA, ae, f. ἅμαξα, sidus quod nos Septentriones vocamus, teste *Gell.* 2, 21. a figura, posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur. *B. A.*

HĂMAXĂGOGA. V. EXAGOGA.

*HAMAXĪTOS, i, Ἁμαξιτός, opp. Troadis. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

HĂMAXO, as, a. 1. currui jungo, sub jugum mitto: ab ἅμαξα, currus. *Pl. Truc.* 2, 2, 21. Ita me amabit sarculum, ut ego me ruri hamaxari

mavelim patalem bovem, cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem, quam, etc.

HĂMAXOBII, orum, m. plur. Ἁμαξόβιοι, populi Scytharum, ut est apud *Plin.* 4, 12, 25., nullam certam habentes sedem, sed in plaustris habitantes, quibus res suas circumducunt, pabuli causa locum subinde mutantes: ab ἅμαξα, currus, et βίος, vita. Hinc *Tert. adv. Marc.* 1, 1. Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior. V. *Hor. Od.* 3, 24, 9. et *Just.* 2, 2.

HĂMAXŎPŎDES, ἁμαξόποδες. V. ARBUSCULA.

[HĂMILLĂ, ae, f. dimin. hamae, hamula, vel ab ἅμιλλα, contentio. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 579, 1. Cineribus Hamillae Alpioniae Quintae ornatricis. *F.*]

HĂMIŌTĂ, ae, m. qui hamo piscatur. *Varr.* ap. *Non.* 1, 97. Cohortes cocorum, atque hamiotarum, aucupumque. *Pl. Rud.* 2, 2, 5. Salvete fures maritimi, conchitae, atque hamiotae.

*HAMIRAEI, orum, Arabiae pop. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*HAMMAEUS, a, um, adj. ut *litus Hammaeum* ap. *Plin.* 6, 28. quod in Arabia Felice fuit. *B. A.*

*HAMMANIENSES, ium, pop. Africae, medio loco inter Nasamones et terram Troglodyticam. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

HAMMĪTIS, idis, f. gemma piscium ovis similis: ab ἄμμος, sabulum, quod instar sabuli minuta sit. *Plin.* 37, 10, 60. *Sic ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* est *hammites*. *B. A.*

HAMMOCHRYSUS. V. in littera A.

*HAMMODARA, Aegypti superioris opp., in confinio Aethiopiae, vel fortasse in ipsa Aethiopia. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

HAMMON. } V. in littera A.
HAMMŌNĬĂCUS. }

HĂMO, as, avi, atum, a. 1. hamo utor, capto, ἀγκιστρεύω. Item curvo in modum hami, ἀγκιστρόω. Utroque sensu caret Latino exemplo. Nam quod ex *Petr. Sat.* 5. quidam afferunt his verbis: Artis severae si quis hamat effectus: plures sunt, qui legunt *amat* sine aspiratione, et sic versum disponunt: *Amat severae si quis artis effectus.* Quod autem addunt ex *Claud. in Rufin.* 2, 358. Flexilis inductis hamatur lamina membris: meliores Codices habent *animatur*, et id videtur sensus ipse postulare. Pariter incerta est lectio in fragmento illo *Cic.* quod affert *Non.* et supra in ADHAMO retulimus. ℙ [Attamen *hamatus* est part. verbi *hamo*. V. s. l. *F.*]

HĂMOTRĂHONES, um, m. plur. piscatores, vel qui cadavera hamo in Gemonias scalas trahebant. *Festus.*

HĂMŪLĂ, ae, f. dimin. hamae. *Colum.* 10, 387. Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam. [In *Not. Tir.* p. 164. Amma, Ammula. Hic fortasse duplex consona pro aspiratione usurpata est. *F.*]

HĂMŪLUS, i, m. parvus hamus. *Pl. Stich.* 2, 1, 17. Arundinem fert, sportulamque, et hamulum piscarium. ℙ Item instrumentum chirurgicum ad instar hami, quo quidpiam apprehenditur. *Cels.* 7, 7. *n.* 4. Hamulum acutum, paulum mucrone intus recurvato, subjicere extremo ungui debet. Et *n.* 7. Hamulo summum ejus foraminis excipiendum.

HĂMUS, i, m. ἄγκιστρον, parvus uncus ferreus, ex quo piscatores escam suspendunt, quam dum captat, piscis ore capiatur. Est enim ita factus, ut facile quidem infigatur; infixum autem evelli facile nequeat: esse videtur ab ἅμα, simul, vel ab ἁμάω, traho. *Cic. Sen.* 13. Voluptate homines capiuntur, ut hamo pisces. *Hor. Ep.* 1, 7, 74. Occultum visus decurrere piscis ad hamum. *Ov. Her.* 19, 13. Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo. *Id. Met.* 15, 101. piscem hamo suspendere; et *ib.* 3, 586. linoque solebat et hamo Decipere, et calamo salientes ducere pisces. *Id. Pont.* 2, 7, 9. Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis aera subesse putat. ℙ Per similitudinem *Id. Met.* 11, 342. de accipitre: Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos, *h. e.* ungues aduncos. *Id. de nuce* 115. Obunci hami rubi et sentium. *Id. Met.* 4, 719. Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo. V. HARPE. *Cels.* 7, 7. *n.* 15. Diductis per retusos hamos oris cutis, *h. e.* ferramento chirurgico ad instar hami adunco, quo aliquid apprehenditur. *Caes. B. G.* 7, 73. Taleae pedem longae, ferreis hamis infixis, in terram infodiebantur: quos stimulos nominabant, *h. e.* uncis ferreis hamatis. *Plin.* 19, 1, 3. Stupa pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. *Virg. A.* 3, 467. Loricam consertam hamis, auroque trilicem, *h. e.* catenis vel circulis, inquit *Servius*. *Appul. Met.* 10. Panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, et complura scitamenta mellita, *h. e.* dulciarios panes hami figura. ℙ Translate est artificium captandi, fallendique. *Ov. A. Am.* 3, 425. Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus. *Hor. Sat.* 2, 5, 23. captes astutus ubique Testamenta senum, neu si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo, Aut spem deponas, aut artem illusus omittas. *Mart.* 6, 63. munera mittere in hamo. V. HAMATUS. Lepide *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 62. Meus hic est: hamum vorat.

HANNĪBAL. } V. in littera A.
HANNO. }

HĂNŪLĂ, parva delubra, quasi fanula, *Fest.* V. FANUM.

*HANUNĬA, ae, Syriae opp., in Commagena. *Ant. Itin. B. A.*

HĂPALĂ. V. APALA.

HĂPĂLĂRĔ. V. APALARE.

HAPHĒ, es, f. ἁφή, inspersio pulveris, quo athletae membra perfundebant, postquam ceromate inuncti essent, ut in lucta prehendere adversarium commodius possent: hoc modo illita corpora flavum colorem induebant. *Mart.* 7, 67. Harpasto quoque subligata ludit, Et flavescit haphe. *Senec. ep.* 57. A ceromate nos haphe excepit. Respicit hic *Senec.* ad morem athletarum: sed significat immensam vim pulveris, qua conspersus fuit transeundo per cryptam Neapolitanam. ℙ Origo vocis est ab ἥφα praeterit. verbi ἅπτομαι, tango. ℙ Scribitur et *Aphe*. V. in littera A.

[HAPLĒ, es, f. ἁπλῆ, simplex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 746, 7. Caecilia Haple. *F.*]

HAPPĂLOPSIS, idis, f. nomen condimenti fictum a joculari coquo, ap. *Pl. Ps.* 3, 2, 47.; at fortasse legend. *hăpălopsis*, ut sit ab ἁπαλός, delicatus, et ὄψον, opsonium.

HAPSUS, i, m. ἅψος, vellus lanae in modum vinculi, fasciaeve conformatum, quo pars affecta velatur, cingitur, et fovetur: ab ἅπτω, necto, alligo. *Cels.* 4, 6. Circumdare oportet latus hapso lanae sulphuratae. Et 7, 26. *n.* 5. Inducendus hapsus lanae mollis, tepido oleo repletus, qui pubem, et coxas, et inguina, et plagam ipsam protegat: isque subinde oleo tepido madefaciendus est.

HĂRĂ, ae, f. porcorum stabulum: videtur esse a χαρά, quod a χάω, dein χάρω, hisco, capio. V. ORCUS. *Cic. Pis.* 16. Ex hara producte, non ex schola. *Ov. Her.* 1, 104. Tertius immundae cura fidelis harae. ℙ *Hara suis* convicium est in sordidum et impurum hominem, ap. *Pl. Most.* 1, 1, 39. Quomodo a suili differat, V. in SUILE. ℙ Dicitur etiam de septo, in quo includuntur anserum pulli. *Varr. R. R.* 3, 10. Iisque *(pullis anserum)* faciunt haras supra terram, etc. Et *paulo post.* Cum autem sunt inclusi in haras, victui objiciunt his polentam hordeaceam. Adde *Colum.* 8, 14. *med.*

HĂRĒNĂ. V. ARENA.

HĂRĬŎLĂ, ae, f. mulier, quae hariolatur. *Pl. Mil.* 3, 1, 98. Quod dem hariolae atque haruspicae.

HĂRĬŎLĀTĬO, onis, f. μαντεία, actus hariolandi. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 31. Missa sum superstitiosis hariolationibus.

HĂRĬŎLOR, aris, dep. 1. μαντεύομαι, [*χρησμολογεῖν: μαντεύεσθαι est lat. vaticinari, nostr. *weissagen*. V. quae *Döderl.* 3, 74. sqq. de etym. v. *hariolari;* et quid differat a *vaticinari*, *hallucinari* et *garrire* disputat.] divino, vaticinor: ab *hariolus*. *Cic. Div.* 1. *ult.* Neque eos, qui quaestus causa hariolantur. *Id. Att.* 8, 11. Non hariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed conjectura prospiciens. ℙ Joculariter *Pl. Asin.* 2, 2, 50. dudum scapulae gestibant mihi, Hariolari quae occeperunt, sibi esse in mundo malum. ℙ Aliquando subjicitur affirmandi causa. *Ter. Ph.* 3, 2, 7. *Phae.* Non mihi credis? *Do.* hariolare. Sic *Pl. Asin.* 3, 2, 33. Argenti viginti minas habesne? *Le.* hariolare. Adde *Cist.* 4, 2, 80. Ap. *Ter.* alii exponunt deliras, insanis more vatum, propter ea, quae dicuntur in sequentibus responsionibus, *fabulae:* ut simile sit illi *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* Sed ego fortassis vaticinor: et haec omnia meliores habebunt exitus; et *Sext.* 10. Eos, qui dicerent, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. Adde, quod et ap. Graecos μάντις, hariolus, est a μαίνομαι, insanio. ℙ Scribitur et *Ariolor*. V. v. seq.

HĂRĬŎLUS, i, m. μάντις, futurorum divinator (et saepe in contemptu ponitur) qui divina mente fatur, quae ventura sunt: ab antiquo *fariolus*, quod a *fari*, ut *Voss.* docet, et *Donat.* ad illud *Ter. Ph.* 4, 4, 27. Interdixit hariolus: haruspex vetuit ante brumam aliquid novi negotii incipere. [*Döderl.* 3, 76. haec vocis etymologia minus probatur.] *Cic. N. D.* 1, 20. *f.* Haruspices, augures, harioli, vates, et conjectores. *Id. Div.* 1, 2. Hariolorum et vatum furibundae praedictiones. *Pl. Amph.* 5, 2, 2. Hariolos, haruspices mitte omnes. *Phaedr.* 3, 3. Ad consulendos currit moerens hariolos. ℙ Scribitur et *Ariolus:* sed aspirationem retinent *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.*

*HARMĂLA, sive Armula, ae, f. ruta hortensis. *Appul. de Herb.* 89. *B. A.*

HARMĂMAXĂ. V. ARMAMAXA.

*HARMASTIS, is, Asiae opp., in Iberia. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

[HARMĂTOTROPHI, orum, m. plur. ἁρματοτρόφοι, populi Asiae ulterioris ultra mare Caspium, in Bactriana; ita appellati, quia alebant plures equos curules: ab ἅρμα, currus, et τρέφω, nutrio. Horum meminit *Plin.* 6, 16, 18. *F.*]

[HARMODĬUS, ii, m. ἁρμόδιος, aptus, conveniens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 613, 4. T. Flavius Aug. L. Harmodius. *F.* **Harmodius*, *i*, m. Ἁρμόδιος, Atheniensis, qui una cum Aristogitone Hipparchum Pisistrati tyranni filium obtruncavit. *Plin.* 7, 23. *Gell.* 9, 2. et 17, 21. Cf. *Thucyd.* 6, 56. seq. *Aelian. V. H.* 11, 8. *B. A.*]

HARMOGĒ, es, f. ἁρμογή, (ab ἁρμόζω, apto, vel convenio) est apta junctura, commissura, et transitus dissimilium colorum in pictura, ut paulatim minuantur, misceanturque sic, ut transire alter in alterum in confinio videatur, ut *Plin.* docet 35, 5, 11. V. INCISURA.

HARMONĬA, ae, f. ἁρμονία, compositio, concordia, convenientia rerum ceteroquin dissimilium: et praesertim concentus, et consonantia vocum acutarum et gravium, in cantu et fidibus: ab ἁρμόζω, apto. *Quint.* 1, 10. Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant harmoniam, *(ἁρμονίαν habent multi libri)* sonum quoque his motibus dederunt. *Lucr.* 3, 98. Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt, Sensum animi certa non esse in parte locatum, Verum habitum quendam vitalem corporis esse, Harmoniam Graji quam dicunt, quod faciat nos Vivere cum sensu. *Cic. Tusc.* 1, 10. hunc *Lucretii* locum explicat. *Id. ib.* 18. Harmoniam ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures; et *N. D.* 3, 11. Ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. De hac harmonia agit *Vitr.* 5, 4. ℙ De versibus et cantu. *Prud. Cath.* 3, 90. te nostra, Deus, canit harmonia. ℙ In fabulis *Harmonia*, seu *Harmoniae*, (quidam *Hermionem* vocant) Ἁρμονίη, fuit uxor Cadmi, filia vero Martis et Veneris, tum genita, cum a Vulcano, occultato rete, deprehensi sunt. Huic Minerva et Vulcanus vestem dono dederunt sceleribus imbutam, ob quam ejus, et Cadmi progenies scelerata exstitit. Tandem in senecta una cum viro in draconem versa est. *Hyg. fab.* 6. et 148. Hinc *Ov. A. Am.* 3, 85. Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis, Unde habet Aenean Harmonienque suos? ℙ *Harmoniai* pro *harmoniae* dixit more suo *Lucr.* 3, 132.

HARMONĪCĒ, es, f. ἁρμονική, harmoniae ars. *Vitr.* 5, 3. *f.* Sic theatrorum per harmonicen, ad augendam vocem ratiocinationes ab antiquis sunt constitutae.

HARMONĪCUS, a, um, adj. ἁρμονικός, ad harmoniam pertinens, et convenientiam rerum. *Varr. L. L.* 9, 3. *med.* Ut ea, quae observant in aedificiis, et signis faciendis artifices, e queis vocantur aliae harmonicae, etc. *Plin.* 2, 109, 113. Harmonica ratio, quae cogit rerum naturam sibi ipsam congruere, addit huic mensurae stadia XII. millia.

HARPĂ, ae, f. instrumentum musicum, lyrae simile: ab ἅρπη, falx, quia in modum falcis ex una parte incurvum est. *Venant. carm.* 7, 8, 63. Romanusque lyra plaudat tibi, Barbarus harpa.

HARPACTĪCON, ἁρπακτικόν, dicitur genus quoddam sulphuris, a celeritate avellendi: avelli enim subinde debet, cum in aliqua parte corporis medicinae causa imponitur: ab ἁρπάζω, rapio. *Plin.* 35, 15, 50. ℙ *Legitur et *Harpaction*. ℙ Locus *Plinii* est: Aufert et lichenas a facie cum terebinthi resina, et lepras. Harpacticon vocatur a celeritate avellendi: avelli enim subinde debet. Ad quem sic *Gesnerus:* Metuo, ne haec ultima sint male intellecta. Aliquid legerat fortasse *Plinius* de vi illa electrica sulphuris, qua affrictu modico calefactum rapit, succini instar, paleas. Hoc Graece aliquis extulerat, ut ἁρπακτικὸν esse sulphur diceret, *h. e.* vi rapiendi levia corpuscula praeditum. *Plin.* 37, 2. In Syria feminas verticillos inde *(ex electro)* facere, et vocare harpaga, quia folia et paleas, vestiumque fimbrias rapiat. Hactenus *Gesnerus. B. A.*

HARPĂGĂ, ae, seu Harpăgē, es, f. ἁρπάγη, instrumentum ferreum aduncum, ut ferrea manus, harpago, rastrum ferreum, aut hujusmodi, quo in murorum oppugnationibus utebantur: ab ἁρπάζω, rapio, quia illo quippiam apprehensum deripitur. *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 29. Falces injectas comminuunt: puteos, propius collocatis harpagis, dejiciunt: *harpagis* potest etiam esse ab *harpagum* neutr. et ita accipitur a *Nonio*.

HARPĂGĪNĔTŬLUS, i, m. *Vitr.* 7, 5. Pro columnis enim statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati, cum crispis foliis, et volutis, *h. e.* parvae harpagae; seu opera in modum harpagae recurva. Alii leg. *harpages*, *et mituli:* alii alia comminiscuntur; alii denique locum pro desperato habent, et inexplicabili. Sed quid reapse sint *harpaginetuli*, indicat pictura vetus, cujus explicationem exhibet *Auct.* operis, cui titulus: *Le pitture antiche di Ercolano T.* 1. p. 212. En illius verba: *Sembra che questa pittura ne somministri lume più chiaro per illustrare si fatto oscurissimo luogo. Sul colonnato principale della nostra pittura non si vede già un* tholus, *o sia* ciborium, *vale a dire quel cupolino, che comparisce nelle medaglie*

della Dea Vesta, ma un so che altro di forma circolare e straordinaria, tutto intessuto di certi lavori uncinati, attissimi ad afferrare, e tirarsi dietro qualunque cosa, non altrimenti che gli harpagones, *o sieno que' ferri di punta adunca, con cui si afferrano i navigli o altra cosa. Questi dunque, che nella pittura si vedono tener luogo di fastigio, par che rappresentino bene quel che Vitruvio ha voluto spiegarci.*

HARPĂGĬUS. V. ARPAGIUS.

HARPĂGO, as, a. 1. aufero, rapio: ab ἁρπαγή, raptus, rapina, quod ab ἁρπάζω, rapio. *Pl. Aul.* 2, 2, 24. hei misero mihi! Aurum mihi intus harpagatum est. *Id. Bacch.* 4, 4, 11. Improbis, cum improbus sit, harpaget: furibus furetur quod queat. *Id. Ps.* 4, 2, 2. Nihil etiam dum harpagavit, praeter cyathum; et 1, 2, 6. ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga, Bibe, es, fuge, hoc eorum est opus.

HARPĂGO, onis, m. ἅρπαξ, ἁρπάγη, instrumentum ferreum, in fine aduncum, quo aliquid apprehenditur, et deripitur, attrahiturve, ad varios usus, praesertim bellicos: ab ἁρπάζω, rapio. *Liv.* 30, 10. *med.* Asseres ferreo unco praefixi (harpagonas vocat miles) ex Punicis navibus injici in Romanas coepti. *Curt.* 4, 2. Ferreae quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata praeparabantur. *Plin.* 7, 56, 57. Harpagonas et manus invenit Pericles Atheniensis. *Auct. B. Hisp.* 16. Secum extulerant harpagones ad casas, quae stramenticiae aedificatae erant, diruendas. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. §. 21. Canales autem et harpagones, et hamas instrumento contineri constat, *h. e.* unci, quibus quippiam ex puteis extrahitur. Adde *Caes. B. G.* 7, 81. et *B. C.* 1, 57., qui priore loco idem significat, quod in *Curtii* allatis verbis: posteriore, quod in *Livii.* ℙ Ex vi originis rapacem, furacem significat: hinc *Pl. Trin.* 2, 1, 13. ab re Consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus.

HARPĂGUM, i, n. V. HARPAGA.

[HARPĂLUS, i, m. ἁρπαλέος, et ἅρπαλος, rapax, et qui cupide rapitur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 115, 6. L. Annius Harpalus. *F.* *Harpălos vel Harpălus, i, m. unus e canibus Actaeonis. *Ov. Met.* 3, 222. ℙ Fuit et Harpalus praedo felix temporibus Diogenis Cynici. *Cic. N. D.* 3, 34. Σκίραλος audit *Laert.* 6, 74. Σκίταλος autem *Suidae* in v. ℙ Harpalus servus Ciceronis. *Cic. Fam.* 16, 24. *B. A.*]

HARPĂLYCE, es, f. Ἁρπαλύκη, filia Harpalyci Amymnaeorum, Thraciae gentis, regis, quem senem a Getis, vel, ut alii volunt, a Myrmidonibus captum, collecta multitudine asseritur liberasse, celerius quam de femina credi potest: unde et flumina dicitur celeritate transire. Ita *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 320. qualis equos Threissa fatigat Harpalyce, volucremque fuga praevertitur Hebrum. Additur ibi alia historia, nutritam scilicet fuisse a patre eo modo, quo ipse *Virg. A.* 11, 570. et seqq. Camillam a Metabo facit. Patre vero ob ferociam a civibus pulso, ac postea occiso, fugisse in silvas, et venatu ac latrociniis ita efferatam, et ejus velocitatis factam esse, ut subito ad vicina stabula decurreret, et raptis pecoribus insequentes etiam equites celeritate vinceret. Sed aliquando in plagas cervis captandis occultatas cum incidisset, deprehensam ibi, atque occisam fuisse, magno tamen occidentium malo. Cum enim inter eos orta esset contentio, cujus fuisset haedus, quem Harpalyce rapuerat, gravi certamine non sine plurium caede dimicatum ab his: ex quo ortam consuetudinem, ut ad ejus tumulum multi convenirent, et expiationis gratia per imaginem pugnae concurrerent. Adde *Hygin. fab.* 193, 252. et 254. ℙ Alia fuit Clymeni Schaenei filii, Arcadiae regis filia, quae ex ipso patre puellam peperit, patrique in epulis apposuit: qui re cognita matrem interfecit. *Id. fab.* 206. et 255.

*HARPALYCUS, i, m. Ἁρπάλυκος, pater Harpalyces. *Hyg. fab.* 193. V. *Harpalyce.* ℙ Item unus e canibus Actaeonis. *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

*HARPĂSA, orum, Ἅρπασα, Cariae opp., appositum fluvio Harpaso, ut scribit *Plin.* 2, 96. *Id.* 5, 29. docet, ibi cautem stare horrendam, uno digito mobilem: eandem, si toto corpore impellatur, resistere. *B. A.*

HARPASTUM, i, n. ἁρπαστόν, genus pilae grandioris, quam pila paganica, minoris tamen, quam follis: ab ἁρπάζω, rapio, quod plures projectum harpastum conentur arripere, et extra ludi limites ejicere. Nam hoc pilae genus non repercutitur, sed cum multi ludentes in duas partes divisi sunt, quisque annititur pilam arripere, et ad eos, qui post se sunt viciniores limitibus, transmittere: ejusque partis victoria est, quae pilam extra limites adversariae partis ejecerit. Laboriosum ludi genus est, grandioribusque tantum conveniens. Cum enim multi simul pilam arripere conantur, in terram se invicem prosternunt, pulvereque et sudore infecti flavescunt. Ludus hujusmodi etiam *sphaeromachia* appellatur: quam vocem vide suo loco. *Mart.* 4, 19. Seu lentum ceroma teris, tepidumque trigona, Sive harpasta manu pulverulenta rapis. *Id.* 7, 67, Harpasto quoque subligata ludit.

*HARPĂSUS, i, m. Cariae fluvius. *Liv.* 38, 13. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

HARPAX, ăgis, vel ăgos, f. ἅρπαξ, verticillus ex electro: ab ἁρπάζω, rapio, quod folia et festucas rapiat. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. de electro. In Syria feminas verticillos inde facere, et vocare harpaga, quia folia et paleas, vestiumque fimbrias rapiat. ℙ Ap. *Pl.* in *Ps.* est nomen servi caculae: et *ib* 2, 2. *f.* in vocativo *Harpage* dixit, tanquam a recto *Harpagus.*

HARPE, es, f. ἅρπη, ensis falcatus, et incurvus in anteriorem partem, quo Mercurius in Argum, et Perseus in Medusam usi feruntur, ut ap. *Lucan.* 9, 660. et seqq. et *Val. Fl.* 4, 388. legitur. *Ov. Met.* 5, 69. Vertit in hunc harpen spectatam caede Medusae Acrisioniades, adigitque in pectus; et 176. Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe. *Id. ib.* 1, 717. falcatum ensem, *ib.* 5, 8. hamatum, et *ib.* 4, 719. ferrum curvo hamo appellat. ℙ Item avis ex vulturum genere, quae contra triorchem inimicitias gerit, teste *Plin.* 10, 74, 95. [*Der Edelfalke. *Falco gentilis, L.*]

HARPOCRATES, ae, m. Ἁρποκράτης, Graecus philosophus, cujus eruditio ac praeceptа in id maxime tendebant, ut silentium praeciperet, et omnibus rebus anteponeret. Habitus est Deus silentii. Hujus simulacrum in sacris Isidis et Serapidis adhibebatur, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentium fieret. *Vet. Poeta* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. Isis, et Harpocrates digito qui significat st. ℙ De *Harpocrate* diligentissime egit peculiari dissertatione *Gisb. Cuperus*, et deinde *Jablonskius* in *Pantheo Aegypt.* 2, 6.; quos consulendos esse hac de re arbitror. V. SIGALION. ℙ Hinc proverb. *aliquem reddere Harpocratem*, pro silentium imponere. *Catull.* 74. patrui perdepsuit ipsam Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.

HARPYIAE, arum, f. trisyllab. Ἅρπυῖαι, aves monstrosae, atque obscenae, filiae Thaumantis, vel Typhonis et Electrae, vel Neptuni, vel Ponti et Terrae, aut Stygis; tres numero, Aello, Ocypete, et Celaeno, ut est ap. *Serv.* ad *A.* 3, 209. (alii duas faciunt) eaedem habitae, quae Furiae, et Canes apud Inferos; in Superis vero Dirae: Jovis canes dictae, famis praesides, invulnerabiles propter plumarum levitatem, vultu virginum praeditae, pallentes ore prae fame, uncis pedibus armatae, ingluvie insatiabili, alvo spurcissima, odore tetro. *Hyg. fab.* 14. appellat Aellopum, Acholoen, Ocypeten, et fuisse ait capitibus et pedibus gallinaceis, unguibus magnis, alas et brachia humana habentes, pectus album, femina item humana. Olim in Strophadibus insulis habitaverunt, Phineia postquam clausa domus, (V. PHINEUS.) ut ait *Virg. A.* 3, 210. et sqq., ubi eas describit. *Hor. Sat.* 2, 2, 40. Harpyiis gula digna rapacibus, *Val. Fl.* 4, 428. Insuper Harpyiae Typhonides, ira Tonantis, Depopulant. ℙ [De *Harpyiis* docte disseruit *Heynius* in *Excurs.* ad *Virg.* 7. *l. c. F.*] [*V. *Voss. Mytholog. Br. B.* 1. *Br.* 31. sq.] ℙ Ipsa vox trisyllaba est, cum paenultima diphthongo impropria constet, quae duobus modis Graece scribitur, scilicet vel supposita lateri τῆς *υ* vocali *ι*, Ἅρπυῖαι, et Ἅρπιγαι, vel apposita Ἅρπνῖαι; *Charis.* tamen teste *Pierio* ad *A.* 3, 248. negat *ι* pertinere ad *υ*, et esse diphthongum, sed ad sequentem *α*, et esse consonantem, ut in *jam*, *major*, etc. Adhuc tamen *Harpyia* trisyllaba est. Sed per diaeresin quadrisyllabam indocte facit *Rutil. Itin.* 1, 608. Circumsistentes reppulit Harpyïas. Ubi alii leg. *Harpuïas*, ex consuetudine vertendi *v* in *u* Latinum. ℙ In sing. numero. *Virg. A.* 3, 365. Sola novum, dictuque nefas Harpyia Celaeno Prodigium canit. Adde *Sen. Med.* 782. ℙ Nomen est canis rapacissimae in illo *Ov. Met.* 3, 215. et natis comitata Harpyia duobus. ℙ Translate dicitur de rapaci homine, et avaro. *Juven.* 2, 128., *Rut. l. c.* et *Sidon. ep.* 5, 7.

*HARŪDES, um, m. populi Germanici, qui (eorum saltem major pars) ab Ariovisto rege in Galliam transportati. *Caes. B. G.* 1, 31. *med.* Adde 37. et 51. Hos *Jucundus Veronensis* Constantienses interpretatur, ac totum eum tractum intelligit, qui trans Rhenum et lacum Acronium est situs, ubi *Buchorn*, *Mersburg* ac *Uberling* nunc positae sunt. At eum falli longissime patet ex *Ptolem.* 2, 11. qui Harudes non longe a Cimbrica Chersoneso ponit, dicitque Phundusiis magis orientales esse. Cui quidem sententiae adstipulari videtur *Mannertius.* Inter Rhenum ac Danubium, prope Marcomannos, ponit *Cellarius. B. A.*

HARŪGA, et
HARVĪGA. V. ARVIGA.

HĂRUNDO. V. ARUNDO.

HĂRUSPEX, et Aruspex, ĭcis, m. ἱροσκόπος, θυοσκόπος, βωμοσκόπος, qui exta victimarum inspicit, atque ex iis futura praedicit, et idem est ac *extispex;* differt autem ab *auspice*, et *augure*, qui ab avibus inspiciendis dicti sunt: est ab *haruga*, hoc est hostia, victima, quae in hara includitur, si *Donato* in *Ter. Phorm.* 4, 4, 28. fides habenda; vel potius ab ἱερεύς, sacerdos, et *spicio*, ut significet sacerdotem extis inspiciendis deditum. *Lanzius* enim *Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 739. et alibi saepius, ostendit, Etrusce *herus* sacerdotem, *heris* sacrum, *herias* sacrificia significare. Haruspices itaque Romani dixere, qui ex victimae inspectione, antequam ea mactaretur; ex extispicio autem postquam eadem occisa esset, variisque flammae, fumique, vini quoque, ac turis, vel farinae, ex qua liba fiebant, observationibus, futura praedicere putabantur. Quod vero *Cic. Div.* 1, 41. et *Val. Max.* 1, 1. de principum filiis narrant, Etruriae populis in disciplinam datis, id de Etruscorum, non, ut aliqui falso putant, de Romanorum filiis intelligendum est. Hanc enim disciplinam Etrusci semper sibi reservarunt: hinc nusquam inter haruspices, quotquot nominantur, Romanum nomen deprehendas; et fere semper *Etrusci haruspices* dicuntur, ut ap. *Cic. Div.* 2, 35. et *Leg.* 2, 9., tum ap. *Gell.* 4, 5.; praeterea *Cic. Fam.* 6, 18. Caesarem carpit, quod haruspicem in senatum Romae legisset. Porro Romae, ut augures honoratissimi erant, ita haruspices despicatui habebantur, quod ex locis scriptorum mox afferendis maxime patebit. Praecipuum vero haruspicum munus erat sacrificantibus adesse, caesaque victima, ejus exta diligenter inspicere, et quid iis portenderetur, significare. Stabant ad hoc officium cinctu Gabino incincti, barba rasa, cultrum manu tenentes, quo viscera victimae secabant, et rimabantur: habebantque eorum praedictiones summam fidem, non secus ac augurum. Sed et alia observabant, praeter victimas. Interpretabantur enim prodigia et monstra, quaecumque acciderent, fulmina, et alia hujusmodi piacularia, ut ex *Cic. Cat.* 3, 8. et ex ejusdem oratione *de Haruspicum responsis* apparet. Crescente Romae eorum numero, ex eodem sumebantur, qui consulibus, pontificibus, aliisque magistratibus in Urbe, et imperatoribus in exercitu, dum sacrificabant, praesto essent. *Cic. Div.* 1, 39. Quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus, et proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? *Sil.* 5, 162. dum vos augur, et extis Quaesitae vibrae, vanusque moratur haruspex. *Virg. A.* 11, 739. dum sacra secundus haruspex Nunciet, *h. e.* nuncians prospera esse exta victimarum. *Colum.* 1, 8. *med.* Haruspices, sagasque, quae utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit villicus. ℙ Sumitur interdum etiam universim pro eo, qui est ex qualibet natione, et quacumque ratione futura praedicit. *Juven.* 6, 548. Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi Testamentum ingens, calido pulmone columbae Tractato, Armenius, vel Commagenus haruspex. *Prop.* 3, 11, 59. Proloquar: atque utinam patriae sim vanus haruspex! Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. ℙ Scribitur et *aruspex:* sed pro aspiratione stant *Manut.* et *Cellar.* ex auctoritate *Donati* ad *Ter. Phorm.* 4, 4, 28. et quamplurium veterum Inscriptionum. [*Multis auxit hunc locum *F.*]

HĂRUSPĪCA, et Aruspica, ae, f. mulier, quae haruspicinam facit. *Pl. Mil.* 3, 1, 98. Praecantatrici, conjectrici, hariolae, atque haruspicae. ℙ Item haruspicis ars. V. HARUSPICIUM.

HĂRUSPĪCĪNUS et Aruspicinus, a, um, adj. ad haruspices pertinens. *Cic. Div.* 1, 33. Quod Etruscorum declarant et haruspicini, et fulgurales, et rituales libri. ℙ *Haruspicina, ae,* (subaudi *ars,* aut *disciplina*) est idem ac haruspicium. *Cic. Div.* 2, 23. Oratio, qua haruspicinae disciplina continetur. *Id. Fam.* 6, 18. Haruspicinam facere.

HĂRUSPĪCIUM et Aruspicium, ii, n. disciplina et officium haruspicum. *Catull.* 90, 2. et discat Persicum haruspicium. *Plin.* 7, 56, 57. Haruspicium invenit Delphus. Quidam Codd. MSS habent *haruspicam* eodem sensu, teste *Hard.* V. FISSICULO.

HASTĂ, ae, f. λόγχη, δόρυ, telum missile, inventum Lacedaemoniorum, teste *Plin.* 7, 56, 57. Est autem lignum teres ferrea cuspide praefixum, quo eminus pugnatur. Differt a pilo, quo legionarii utebantur: hasta vero auxiliarii, ut ex *Tac. A.* 12, 35. constat. Differt a lancea, quae peregrina est: hasta vero Romana. Porro hastarum triplex est genus: unum breviores continet, quae manu emittuntur: alterum longiores, gravioresque, quas et manu retinere, et jaculari etiam possent: tertium gravissimas, quae tormentis emittebantur. *Cic. Sen.* 6. *med.* Eminus hastis, cominus gladiis uti. *Id. Fin.* 2, 30. Evelli eam jussit, qua erat transfixus, hastam. (*Id. Fam.* 5, 12. hoc idem narrans, *spiculum* vocat) *Id. Or.* 1, 57. Hastas torquere; et *ib.* 2, 78. jactare; et 80. vibrare. *Flor.* 2, 17. quatere. *Virg. A.* 12, 431. coruscare. *Ov. Met.* 8, 66. dirigere in aliquem; et *ib.* 11, 8. mittere in os alicujus. *Val. Max.* 6, 270. conjicere. *Virg. A.* 10, 521. infensam hastam contendere, *h. e.* jacere. *Tac. A.* 2, 21. protendere, aut colligere, *h. e.* extendere, aut reducere, seu rece-

ptare; (ut *Virg. A.* 10, 383. loquitur.) et 20. mittere e tormentis; et *ib.* 4, 49. jacere; et *ib.* 13, 39. incutere; et *ib.* 2, 81. ingerere. *Id. H.* 3, 17. Hasta aliquem transverberare; et *ib.* 5, 18. fodere. *Ov. Fast.* 5, 711. perforare. *Pl. Capt.* 3, 4, 20. insectari aliquem. *Curt.* 4, 4. transfigere. *Nep. Chabr.* 1. Hastam projicere. *Virg. A.* 11, 612. adversis Tyrrhenus, et acer Aconteus Connixi incurrunt hastis; et *ib.* 12, 923. volat atri turbinis instar, Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit Loricae, et clypei extremos septemplicis orbes: Per medium stridens transit femur. ℙ *Abjicere hastas* translate est causae diffidere, et de re desperare. *Cic. Mur.* 21. *f.* de candidato: Videsne tu illum tristem, demissum? jacet, diffidit, abjecit hastas. ℙ Alii quoque hastae usus in bello. *Virg. A.* 12, 398. ingentem nixus in hastam Aeneas; et *ib.* 9, 323. Stant longis adnixi hastis, et scuta tenentes; et 465. Quin ipsa arrectis (visu mirabile) in hastis Praefigunt capita. *Tac. A.* 4, 21. Donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. *Suet. Claud.* 28. Quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit. *Plin.* 7, 28, 29. Donatus hastis puris duodeviginti. *Inscr.* ap. *Grut.* 61, 4. Cn. Octavius Titinius Capito praef. cohortis, trib. milit., donatus hasta pura: *hasta pura* est sine ferro, quae dabatur ei, qui primus in proelio vicisset, ut ex *Varrone* docet *Serv.* ad *A.* 6, 760. et *Fest.* Ideo autem pura dabatur, quia pacis erat insigne, non belli: pacis, inquam, quae victoriam virtute partam sequi solet. Nam hasta cum ferro erat insigne belli: unde mos fuit hastam ferratam, aut sanguineam praeustam in eorum fines emittere, quibus bellum per Fetiales indicebatur, ut est ap. *Liv.* 1, 32. et Carthaginienses, inquit *Fest.*, cum bellum vellent, hastam Romam miserunt. (V. *Gell.* 10, 27.) Addit *Varro* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 53. duces quoque, cum primum hostilem agrum introitum ierant, ominis causa prius hastam in eum agrum misisse, ut castris locum caperent. ℙ *Hasta graminea.* V. GRAMINEUS. ℙ Hastam inter gymnasticas exercitationes enumerat *Pl. Bacch.* 1, 2, 73. et 3, 3, 24. et *Most.* 1, 2, 73. ℙ Hastae usus etiam in nuptiis fuit. Sponsus enim sponsae comam hastae cuspide distinguebat. V. dicta in CAELIBARIS. ℙ Fuit olim hasta insigne regum, qui eam pro diademate (alii legunt *cum diademate*) gestabant, sceptrum a Graecis dictam. Nam et ab origine rerum, pro Diis immortalibus antiqui hastas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastae adduntur. Haec *Justin.* 43, 3. [Hanc vero explicationem improbat *Daniele Numism. Capuan.* p. 40. V. et *Rasche Lex. rei numm. T.* 2. *P.* 2. p. 64. *F.*] ℙ Quia initio mos fuit, ut praeda bello parta cum vendebatur, hasta posita exponeretur, ad illud ipsum scilicet denotandum, quod bellica praeda esset; inde ortus est mos, ut in auctionibus poneretur hasta, itemque in locationibus: quae ideo et pro auctione ipsa ponitur. *Cic. Off.* 2, 8. de Sulla. Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletum, et certe civium, praedam suam se vendere. *Id. Phil.* 4, 4. Quos non bonorum damnatio, non agrorum assignatio, non illa infinita Pompeji hasta satiavit. *Id. Att.* 12, 3. Nomen illud, quod a Caesare, tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta, aut delegationem a mancipe, aut, etc. *Nep. Att.* 6. Ad hastam publicam nunquam accessit, *h. e.* ad auctionem, quae publice a magistratu fieret: nam et privatorum auctio erat, ut in proxime allato *Cic.* loco. *Colum. praef. l.* 1. *med.* Ibi nunc ad hastam locamus, ut, etc. *Liv.* 24, 18. *med.* Cum censores se jam locationibus abstinerent, convenere ad eos, qui hastae hujus generis assueverant. *Id.* 23, 38. Comitibusque eorum sub hasta venditis. *Tac. A.* 13, 28. Jus hastae adversus inopes inclementer augere. ℙ Etiam centumviri, cum in foro sedebant judicaturi, hastam adhibuere. V. CENTUMVIRI. ℙ Translate *hastae* sunt argumenta oratoria. *Cic. Or.* 1, 57. et *Brut.* 78. et *Top.* 17. ℙ Est item *hasta* genus cometae hastae figura, Graecis quoque λογχίτης dictae. *Plin.* 2, 25, 22. ℙ Accipitur etiam pro mentula. *Auct. Priap.* 45, 1.

HASTĀRĬUM, ii, n. auctio, quae sub hasta fit; vel locus ubi fit auctio, vel liber, in quo auctiones perscribuntur. Totidem enim modis interpretantur illud *Tert. Apol.* 13. Deos in hastario vectigales habetis. [Item illud *ejusdem ad nation.* 1, 10. Quos Deos in hastarium regessistis, omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis. Ex his apparet, postremam interpretationem ceteris praestare. *F.*]

HASTĀRĬUS, ii, m. miles hasta armatus. *Ammian.* 27, 2. *f.* Rex hostilium agminum cum paucis captus ab hastariis suffixus patibulo. Alii leg. *Ascariis*, alii melius *Ascuriis*, qui sunt milites in *Not. Imp. Orient.* p. 1487. cum Erulis, et Batavis inter auxilia Palatina recensiti, ex Ascura nempe Armeniae majoris oppido. Apud *Veget. Mil.* 2, 2. hastarii iidem sunt qui hastati in R. militia. Optimae tamen editiones habent *hastati.* ℙ *Hastarius praetor* est qui hastae publicae praecst: cum enim unicuique praetorum certa causarum genera attributa fuissent, ita ut esset praetor *fideicommissarius*, et *tutelaris*, qui de fideicommissis, et tutelis cognoscerent, hinc *hastarius* dictus, qui venditiones sub hasta publica faciendas curaret. *Inscr.* ap. *Grut.* 379, 7. C. Caerellio Fufidio quaestori candidato Imp. Caes. M. Aurelii Antonini Pii Felicis Aug., tribuno plebis candidato, praetori hastario etc. [*Hunc locum, quem paucis *Forc.* absolverat, egregrie locupletavit *F.*]

HASTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *hasto*, hasta armo, λογχοφόρος, hasta armatus. *Curt.* 3, 3. *med.* Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas, spicula auro praefixa gestabant. *Tac. A.* 2, 14. Prima utcumque acies hastata: ceteris praeusta, aut brevia tela. *Stat. Th.* 2, 718. Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnae Impulerit Bellona tubas. ℙ Hastati milites apud Romanos erant unum e quatuor peditum generibus, quibus legio constabat, (alii enim erant velites, alii hastati, alii principes, alii triarii) ita dicti, quod primo hastis brevibus pugnabant, uti docet *Varro L. L.* 4, 16. Hinc *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* Hastati spargunt hastas: fit ferreus imber. Postea vero pilis et gladiis usi sunt: hastae breves apud velites remanserunt. Erant hi flos juvenum pubescentium, ut *Liv.* 8, 8. loquitur: qui primi pugnam inibant, et, si profligare hostem non possent, recipiebant se post principes, qui proelium resumebant, etc. Atque haec intellige, republica stante; nam sub Caesaribus immutata res est, et principes hastatis in acie antepositi, ut ex *Veg. Mil.* 1, 20. et *ib.* 2, 2, 8. et 15. et alibi colligitur. *Liv.* 22, 5. Pugna exorta est, non illa ordinaria per principes, hastatosque, et triarios. V. *cit. l. c.* 8. ℙ Hastatorum decem erant ordines, ut est ap. *Ov. Fast.* 3, 128. quorum primus dicebatur *primus hastatus*, alter *secundus*, et sic deinceps reliqui. *Liv.* 42, 34. In eo exercitu miles gregarius fui: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius decumum ordinem hastatum assignavit, *h. e.* centurionem fecit in postremo hastatorum ordine. Hic enim primus fuit gradus ascendentium e gregaria militia. *Id. ib. paulo post.* Hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriae assignaret. *Cic. Div.* 1, 35. Cum signifer primi hastati signum non posset movere loco. Adde *Liv.* 26, 5. *f.* ℙ *Primus* et *secundus hastatus* sunt etiam nomina ejus, qui primo et secundo hastato praecst, si fides est *Vegetio*, qui haec de his habet *Mil.* 2, 8. Primus hastatus duas centurias, idest ducentos homines ducebat in acie secunda, (h. e. *inter hastatos, quando, mutato ordine, post principes in acie locati sunt, ut dictum est*) quem nunc ducenarium vocant: *et mox.* Item secundus hastatus centuriam semis, idest centumquinquaginta homines regebat. ℙ *Hastatus* etiam absolute de eo dici quidam putant, qui primum hastatum ducit, in illo *Flori* 1, 18. C. Minutius, quartae legionis hastatus, unius proboscide abscissa, etc. Ita *Lips. de militia R. l.* 2. *dial.* 8., ubi plura de his. ℙ Scribitur etiam sine aspiratione. V. ADSTATUS.

[HASTENSIĀNUS, a, um, adj. ad Hastam pertinens, Liguriae urbem, quae et Asta scribitur, nunc *Asti.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 326. M. Vettius Hastensianus Hasta. V. ASTENSIS. *F.*]

[HASTER, ri, m. ἀστήρ, idem ac aster. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 202. *col.* 3. Flavius Haster. *F.*]

HASTĬCUS. V. ASTYCUS.

HASTĬFER, a, um, adj. hastam ferens, hastatus. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n* 165. Mamerius magister astiferorum. Ubi nota omissam aspirationem; nam et *asta* alicubi legitur: quod tamen non est imitandum. [Alia Mogontiaci nuper reperta, quam misit *B. Borghesius.* In *Honorem Domus Divinae* Deae Virtuti Bellonae montem Vaticanum vetustate collapsum restituerunt hastiferi civitatis Mattiacorum X. Kal. Sept., Imp Maximino Aug. et Africano Cos. *h. e.* anno a Chr. n. CCXXXVI. *F.*]

HASTĬLE, is, n. δόρυ, lignum hastae, itemque ipsa hasta: et generatim quodvis lignum teres et oblongum, quale est in hasta. *Nep. Epam.* 9. Ferrum quod ex hastili in corpore remanserat. *Cic. Rabir. perduell.* 7. Q. Scaevola confectus senectute, et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus. *Virg. A.* 3, 23. densis hastilibus horrida myrtus. *Id. G.* 2, 358. Tum leves calamos, et rasae hastilia virgae, Fraxineasque aptare sudes. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Gracilitatem vitium firmare circumligatis hastilibus. *Virg. A.* 1, 317. Bina manu lato crispans hastilia ferro. ℙ De ipsa hasta, aut telo. *Ov. Met.* 8, 28. Torserat adductis hastilia lenta lacertis. *Senec. Hippol.* 396. laeva se pharetrae dabit: Hastile vibret dextra Thessalicum manus.

HASTŬLA, ae, f. parva hasta, vel virga. *Sen. Q. N.* 2, 31. Omnium percussarum arborum contra fulmina hastulae surgunt, nisi malis *assulas* legere, aut intelligere. [*Front. de orat. ep.* 1. (ed. *A. Maio*) *med.* Uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare, neque hastulis histrionis ludere. *F.*] ℙ *Hastula regia* a Latinis dicitur caulis asphodeli, ut *Plin.* 21, 17, 68. docet. Tota item herba sic appellatur, ut innuit *Appul. Herb.* 32., quam Latini fortasse sic appellarunt, quia florens regii sceptri (quod brevis veluti hasta est) speciem refert: vel quia est herbarum clarissima: quam ob causam et heroion, ἡρῶειον dicta est, ut *Plin.* 22, 22, 32. scribit. Quare rectius *hastula*, quam *astula* scribitur. ℙ *Hastula* alio sensu V. in ASTULA.

*HATRA, ae, f. opp. Mesopotamiae. *Ammian.* 25, 26. (8.) *B. A.*

HAU. V. AU.

HAUD, adv. οὐ, οὐκ, non, nequaquam: ab οὐδέ, vel οὐδ': seu οὔτε, vel οὐτ'. Veteres pro *haud* dicebant *aud*, et *aut.* Eodem enim modo et disjunctivam, et negantem particulam scribebant. In optimis libris etiam *haut* legitur, quod simile est ac *aput* pro *apud*, et *adque* pro *atque.* Sunt qui putant semper *haut* scribi oportere: sunt etiam qui ita distinguunt, ut *haut* ante consonantes, *haud* ante vocales. Sed haec nimis acuta videntur. Nunc est consuetudo, ut *haud* solummodo scribatur: quae optimis libris, et doctis viris defenditur. Habet quidem eandem vim, quam *non:* sed usu differt; neque enim ubique *non* poni potest, ubi *haud* adhibetur. [*Haud* eo potissimum differt a *non*, quod intentius negat, unde per λιτότητα saepissime usurpatur, maxime a Sallustio. V. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 3. Inter omnes autem accuratissime observat hoc discrimen Cicero, apud quem paucis admodum locis *haud* promiscue usurpatum inveneris cum *non* particula. Ita *Boettich.* in *lex. Tac.* p. 229. ubi ejus generis omnia *Ciceronis* exempla collegit. *Tacitus* etiam h. v. majori cum vi plerumque ponere solet. Cf. c. c. *H.* 3, 75. Hic exitus viri haud sane spernendi. *Ann.* 11, 33. Praetorii praefecto haud satis fidebat (*gar nicht recht*). V. *Boettich. l. l.*] Fere cum adverbiis jungitur. *Cic. Sen.* 2. Rem haud sane difficilem admirari videmini. *Id. Fam.* 7, 1. Nae tu haud paulo plus, quam quisquam nostrum, delectationis habuisti. *Liv*, 2, 60. Laudibus haud minus, quam praemio, gaudent militum animi. *Nep. Paus.* 1. Haud ita magna manu fugatus est. *Id. Dat.* 4. Cognoscit haud longe abesse. *Ter. Heaut.* 2, 3, 82. Haud stulte sapis. *Pl. Most.* 1, 2, 15. Haud aliter dicetis. *Id. Curc.* 2, 3, 26. haud magis cupis. *Ter. Eun.* 2, 3, 67. haud diu est. *Id. Andr.* 3, 1, 2. haud ferme invenias. *Curt.* 3, 5. *f.* Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta. *Id.* 1, 1. *med.* Haud dubie debilior futurus fuit. [*Suet. Caes.* 55. Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est: ubi *Brem.* haec notat: haud *dubie* esse formulam, qua omnium consensus in re aliqua significetur.] Et 7, 5. haud secus, quam continenti incendio: et *ib.* haud procul castris. *Suet. Galb.* 19. Haud multo post. *Id. Vesp.* 14. haud ultra verba. *Id. Tit.* 6. haud cunctanter. *Sil.* 2, 332. et *Liv.* 33, 11. et 10, 6. et 25. haud dum, *h. e.* nondum. ℙ Non ita saepe adjectivis. *Liv.* 21, 1. Haud ignotae belli artes, sed expertae. *Ter. Andr.* 3, 2, 49. Haud dubium est mihi quin, etc. [*Id. Eun.* 2, 2, 4. Hominem haud impurum. *Heaut.* 4, 1, 16. Anus haud impura.] *Just.* 6, 2. Haud mediocrem fructum tulit: et 23, 2. Fraudi haud laetus eventus fuit: et 44, 4. haud inferior velocitate. *Suet. Ner.* 5. Haud ignarus. *Id. Oth.* 5. haud dubia fiducia. ℙ Minus etiam saepe verbis. *Cic. Har. resp.* 1. Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam, etc. [*Plura *Cic.* exempla dabit *Boettich.* l. sup. l.] *Phaedr.* 3, 2. Damnum haud recusant. *Pl. Mil.* 3, 1, 34. Haud sum annos natus praeter quinquaginta et quatuor. *Id. Poen.* 4, 2, 36. Quamquam haud otium est. *Id. Cist.* 1, 1, 49. haud me poenitet. *Id. Bacch.* 5, 2, 15. haud scio, quid eo opus sit. [*Ter. *Andr.* 1, 1, 13. Haud muto factum, i. e. non poenitet factum. V. *Bentl.* et *Ruhnk.* ad h. l.] *Petr. Sat.* 99. Haud mora, *subaudi* fit. ℙ *Haud vidi magis* formula est ironica, affirmantis quidem, et assentientis, sed cum ironia et irrisione. *Pl. Amph.* 2, 2, 47. Exspectatusne advenio? *So.* haud vidi magis. *Id. Poen.* 1, 1, 12. amans per amorem si quid feci, Milphio, Ignoscere id te mihi, aequum est. *Mil.* haud vidi magis. Et ego nunc amore pereo: sine, te verberem. Adde *Capt.* 3, 4, 29. Simile est illud *Cic. Sext.* 51. Est enim homo iste populo R. deditus. Nihil vidi magis. ℙ *Haud* pro *non tam. Tac. A.* 3, 8. Ad Drusum pergit, quem haud fratris interitu trucem, quam remoto aemulo, aequiorem sibi sperabat. ℙ *Haud scio an* est dubitantis, ita tamen, ut in eam partem, quam dicit, propendeat: estque veluti temperatio alicujus sententiae, quam aperte affirmare non audemus. *Cic. Fam.* 9, 15. Est id quidem magnum: atque haud scio an maximum: et *N. D.* 2, 4. Vir sapientissimus, atque haud scio an omnium praestantissimus. *Caes. B. G.* 5, 52. Idque adeo haud scio, mirandumne sit. *Cic. Amic.* 14. Atque haud scio, anne opus sit quidem, ni-

hil unquam omnino deesse amicis. [*Multi de hoc dicendi genere iique gravissimi viri disputarunt, ut *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. 9, 9. et 14. *Duck.* ad *Flor.* 3, 12, 6. *Drakenb.* ad *Liv.* 27, 54, 16. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 12, 11. p. 1108. *Westerh.* ad *Ter. Ad.* 4, 5, 33. I. M. *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 11. et *al.* Quibuscum conferendi sunt *Gernh.* ad *Cic. Sen.* 16, 56. *Herm.* in *Ephem. litt. Lips.* a. 1819. *n.* 122. sq. *Schupp.* in *lib.: Philolog. krit. Untersuchung über die Redensarten* nescio an nullus. *Beier.* in Excursu XI. ad *Cic. Off.* 1. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 83. et al. Cf. etiam *G. Stallb.* ad *Ruddim.* 2, 237. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 709. *Buttm.* ad *Quint.* 12, 10, 2. Ceterum notandum a *Caesare*, praeter *haud scio an* locutionem, hanc vocem nusquam usurpari.] ℙ Aliquando ponitur pro dubito, non liquet. *Cic. Pis.* 17. Atque haud scio, an malim, te videri nullo pudore fuisse, an amicos tuos plus habuisse pudoris, etc. ℙ *Haud erit ut*, non fiet, fieri non poterit, ut. *Lucr.* 3, 716. Haud erit, ut merito immortalis possit haberi. ℙ Reperitur etiam cum alia negatione junctum: et adhuc negans more Graecorum. *Pl. Epid.* 5, 1, 57. Neque ille haud objiciet mihi. *Id. Aul.* 2, 4, 7. haud non velles dividi. Adde illud *Sall. fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 1, 2. *f.* Haud impigre, neque inultus occiditur. ℙ Affirmat tamen in illo *Liv.* 1, 3. Haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet?) hiccine fuerit Ascanius, an, etc. [**Terent. Eun.* 4, 2, 13. Certe extrema linea Amoris haud nihil est. ℙ Confunduntur *haud* et *enim aut.* V *Wund. Varr. lectt.* etc. *praef.* p. 38. *Haud* et *aut.* V. *Drakenb.* ad *Liv.* 28, 11. *Döring.* ad *Hor. Ep.* 1, 10, 47.]

HAUDQUĀQUAM, adv. *οὐδέπη, μηδενὶ τρόπῳ*, nullo modo, nequaquam. *Ter. Heaut.* 1, 2, 1. Haudquaquam etiam cessant. *Cic. Or.* 1, 9. *f.* Homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens. *Sall. Cat.* 3. Gloria haudquaquam par. *Liv.* 7, 26. Haudquaquam certamine ambiguo. *Virg. G.* 4, 454. tibi has miserabilis Orpheus, Haudquaquam ob meritum poenas .... Suscitat.

HAVĒ et Haveo. V. in AVE et in AVEO.

HAURĬO, is, si, stum, et sum, *raro* rivi, vel ii, itum, a. 4. *ἀρύω*, educo, extraho et fere de liquoribus dicitur: a voce Graeca allata. *Ov. Met.* 7, 333. Stringite, ait, gladios, veteremque haurite cruorem. [**Lucan.* 1, 14. Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextrae! ubi V. *Cort.*, qui plura hujus generis laudat.] *Cic. Acad.* 1, 2. Haurire a fontibus. *Id. Off.* 1, 2. *f.* et *Arch.* 6. E fonte haurire. *Id. Fam.* 6, 6. *med.* Eodem fonte hausturus. *Id. Brut.* 69. Haurire de faece; et 83. de dolio. *Id. Agr.* 2, 13. Sumptum haurire ex aerario. *Lucr.* 6, 140. de vento: Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. ℙ Est etiam exhaurire, vacuum reddere, vorare. *Virg. A.* 1, 742. Ille impiger hausit Spumantem pateram. *Ov. Met.* 14, 277. Pocula arenti sitientes hausimus ore. *Cic. Phil.* 11, 5. Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis? [*Pertinet h. l. *haurire* ad eos, qui aliorum bona rapiunt.] *Plin.* 8, 14, 14. In India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos, taurosque. Sic *Colum.* 8, 17. *med.* Quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt. *Mart.* 9, 83. Hausisti patrias luxuriosus opes. [**Tac. A.* 16, 18. Haurire sua.] *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Hauriri urbes terrae hiatibus. *Ov. Fast.* 3, 592. canas alveus haurit aquas, *h. e.* navis accipit in se insilientes turbati maris undas. ℙ Translate. *Stat. Th.* 1, 368. Incertusque viae per nigra silentia vastum Haurit iter, *h. e.* celeri passu conficit, et quasi viam devorat. *Virg. G.* 4, 427. coelo et medium sol igneus orbem Hauserat. [*Laudat *Heyn.* ad h. l. *Colum.* 10, 313. Titan — Hauserit et flammis Lernaei brachia Cancri. Subjicit etiam *Burm.* et *Ruhnk.* illud *Appul. Met.* 11. p. 258. Augusti portum celerrime hausimus; ubi v. *Oudend.* p. 809.] ℙ Saepe est percipere, sentire. *Tac. A.* 4, 359. vocemque his auribus hausi; et 661. Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. [**Sil.* 11, 283. Faciemque superbi Ignotam luxus oculos mirantibus haurit.] *Liv.* 27, 51. Oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes. *Virg. A.* 12, 26. simul hoc animo hauri; et *ib.* 10, 898. ut auras Suspiciens hausit coelum; et *G.* 2, 340. Cum primae lucem pecudes hausere. ℙ Pro audire, absolute. *Val. Fl.* 1, 262. stupet in ducibus, magnumque sonantes Haurit. [*V. *Burm.* ad h. l. et cf. *Virg. A.* 6, 559. Strepitumque exterritus hausit.] ℙ Translate est sumere, percipere. *Cic. Tusc.* 5, 6. Quoque affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem. *Curt.* 5, 5. *f.* Utinam Darius aliquid ex hac indole hausisset! *Hor. Sat.* 1, 2, 78. unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. *Id. ib.* 2, 4, 95. haurire vitae praecepta beatae. *Cic. Sext.* 29. *extr.* luctum et dolorem animi. *Virg. A.* 10, 648. spem animo. Sic *Tac. H.* 1, 51. Expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserant animo. [*Plura Taciti exempla dabit *Böttich. Lex. Tac* p. 230.] *Cic. Tusc.* 1, 35. *extr.* Quot quantas quam incredibiles hausit calamitates! i. e. exantlavit. [*V. *Davis.* Plura laudat *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Virg. A.* 4, 382. Spero equidem, in mediis, si quid pia numina possunt, Supplicia hausurum scopulis, *h. e.* passurum, luiturum, poenas daturum. [*V. *Burm.* ad h. l. et quem laudat *Drakenb.* ad *Sil.* 10, 11.] *Petr. Sat.* 22. Minimum veluti gustum hauseram somni. ℙ Praeterea significat consumere, absumere. *Liv.* 5, 7. Horaeque momento simul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus, incendium hausit. *Id.* 30, 5. *extr.* Multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma. [*Saepissime et nonnunquam peculiari modo haec vox de *aqua*, *igne*, *nive*, usurpatur a *Tacito*. Ex magno exemplorum numero, quem Böttticherus collegit l. l. p. 230. pauca transscribamus. *Ann.* 1, 70. Hauriuntur gurgitibus. *H.* 5, 12. Cum praealtis paludibus arma, equi haurirentur. *Id. ib.* 4, 60. Cunctos incendium hausit. *Id. ib.* 1, 79. Altitudine et mollitia nivis hauriebantur.] ℙ Huc pertinet et illud *Stat. Theb.* 1, 537. pariter pallorque ruborque Purpureas hausere genas, *h. e.* abstulere purpureum colorem genarum. ℙ Ponitur et pro perfodere, confodere. *Liv.* 7, 10. *med.* Uno alteroquee subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *Virg. A.* 10, 314. huic gladio perque aera suta, Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum. [**Ov. Met.* 8, 371. Rostro femur hausit adunco. Bene *Heyn.* ad *Virg. A.* 2, 600. metaph. inde ductam putat, quod hauriendo penetretur vase immisso et diffindatur aqua. Multa hujus locutionis exempla e poetis et historicis collegit *Drakenb.* ad *Sil.* 5, 524.] ℙ Absolute. *Val. Fl.* 6, 554. peditem pedes haurit Amastrum. ℙ Huc pertinet illud *Virg. G.* 3, 105. exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans, *h. e.* ferit, percellit. [*Perperam *Serv.* secuti ad *A.* 10, 314. *haurit* explicant per *ferit*, *percellit*. Signif. exhaurit, dum sanguinis liberum meatum intercludit et impedit, ut recte *Heyn.* et ante eum jam *Burm.* ad h. l. notarunt. V. etiam *Barth.* ad *Stat. Theb.* 2, 854. ℙ *Hausurus* ab absol. sup. *hausum*, de quo conf. *Prisc.* X, 9, 50. 53., praeter locum *Virg. A.* 4, 383. supr. laud., occurrit ap. *Sil.* 7, 584. 16, 11. *Claud.* 36, 267.] ℙ De altero praeterito *hausivi*, haec habe. *Varr.* ap. *Prisc.* 10, 905. Cum inde haurierint. *Appul. Met.* 2, 31. p. 267. Lagena facilis hauritu. *Juvencus in c.* 4. *Joann.* 2. *Euang. hist.* 253. Hauritura cavis putei penetralibus undas. *Appul. Met.* 6, 118. p. 405. Indidem mihi de scaturigine rorem hauritum ista deferto urnula. [**Hauritus* ap. *Eund.* 3, 59. p. 219.] ℙ *Hauribant* pro *hauriebant* (quod in 4. conjugation. frequens est) dixit *Lucr.* 5, 1323. ℙ *Hausus sum* deponentis forma pro *hausi*. *Solin.* 5. *med.* Foramen, qua Diten patrem, ad raptus Liberae exeuntem, fama est lucem hausum.

HAURĪTOR, oris, m. qui haurit, haustor. *Petr. Chrysol. serm.* 86. Hierosolymitanus fons abundat, cum impellit Angelus, non cum sitit hauritor. *F.*]

[HAURĪTORIUS, a, um, adj. hauriendo factus. *Hauritoria rota*, et absolute *Hauritorium* in *Gloss. Isid.* V. GIRGILLUS. *Gloss. Philox.* Hauritorium, *ἀντλητήριον. F.*]

HAUSTOR, oris, m. qui haurit, aut bibit. *Lucan.* 9, 591. Ultimus haustor aquae. Adde *Firm. Math.* 8, 29.

HAUSTRUM, i, n. *ἄντλιον*, machinae genus est, teste *Budaeo*, rotam habens, qua calcata aquam e puteis, vel fluminibus haurimus: ab *haurio*. Sed *Nonius* 1, 43. mavult, haustra esse ipsos cados, *h. e.* situlas, in hujusmodi machinis, quibus aqua hauritur. Alii dicunt haustra vocari, quae *Vitr.* 10, 9. sunt modioli rotae additi ad aquam hauriendam: quod cum *Nonii* sententia fere convenit. *Lucret.* 5, 517. Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus. V. GIRGILLUS.

HAUSTUS, a, um, part. ab *haurio:* extractus, eductus. *Cic. Fin.* 1, 21. Omnia hausta e fonte naturae. *Id. Div.* 1, 50. Hausta aqua de jugi puteo. *Ov. Fast.* 2, 294. palmis hausta duabus aqua. *Id. Met.* 14, 129. et suspiratibus haustis. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 11. Divinitas, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos habemus. ℙ Item hauriendo absumptus. *Ov. Met.* 8, 679. haustum cratera repleri Sponte sua. *Tac. A.* 16, 16. *extr.* Haustum venenum. ℙ Item consumptus. *Tac. A.* 12, 58. Bononiensis colonia igni hausta. ℙ Item devoratus, absorptus. *Val. Flacc.* 4, 48. Domus hausta fluctu. *Plin.* 2, 80, 82. Moenia hiatu profundo hausta. *Ov. Fast.* 3, 600. Puppis et, expositis omnibus, hausta perit. *Liv.* 33, 41. Naves haustae mari. ℙ Translate. *Stat. Achill.* 1, 303. totisque novum bibit ossibus ignem: Nec latet haustus amor.

HAUSTUS, us, m. *ἄντλησις*, eductio liquoris ex aliquo loco. *Colum.* 1, 5. Putealis quaeratur aqua, quae non sit haustus profundi. [*Hinc *potio*, potus. Nostr.: *ein Schluck, ein Trunk. Virg. G.* 4, 229. Haustu aquarum ora fove.] *Ov. Met.* 6, 356. Haustus aquae mihi nectar erit; et *Fast.* 3, 274. exiguis haustibus bibere. [**Lucret.* 1, 413. Haustus largos de fontibus lingua fundet. *Lucan* 3, 345. Undarum raptos aversis fontibus haustus Quaerere.] *Flor.* 3, 21. Catulus se ignis haustu ludibrio hostis exemit. [**Lucret.* 2, 453. Namque papaveris haustus item est facilis quod aquarum. *Ov. Met.* 13, 526. Contingent — peregrinae haustus arenae. *Id.* 4, 118. Accipe nunc, inquit, nostri quoque sanguinis haustus. *Lucret.* 5, 1068. Teneros canes haustus imitantur dentibus. *Col.* 363. Haustus gurgitis quem consumit. *Quint. Decl.* 12, 28. p. 269. Dehisce terra, et hanc noxiam civitatem haustu aliquo ad inferos conde.] ℙ Est etiam jus hauriendi aquam e puteo, aut fonte vicini. Hinc *haustus* mentio fit in lapidibus sepulcralibus, in quibus de *itu*, *aditu*, et *ambitu*, nam praeter haec tria jura aliquando jus haustus addebatur, propter usum aquae in inferiis et sacrificiis mortuorum. *Cic. Caecin.* 26. Aquaeductus, haustus, iter, actus. Adde *Ulp. Dig.* 8, 3, 1. et V. AMBITUS, us. ℙ Translate. *Curt.* 5, 5. Alium domi esse coeli haustum, alium lucis aspectum. *Virg. G.* 4, 220. Esse apibus partem divinae mentis et haustus Aetherios dixere, *h. e.* divinos spiritus: haurire nempe eas e coelo spiritum. *Quint.* 12, 2. *extr.* Justitiae haustus bibere. *Hor. Ep.* 1, 3, 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus, *h. e.* ausus est Pindarum imitari.

HE

HĒAUTONTĪMORŪMĒNOS, *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*, ipse se puniens, ut *Cic.* vertit *Tusc.* 3, 27. Graeca vox, qua inscribitur una ex comoediis *Terentii*, in qua senex Menedemus seipsum parce et duriter accipit, excruciatque, quod saevitia sua filium Cliniam in militiam proficisci compulerit. **Comment. ad Terent.* ex cod. *Ambros.* ed. *A. Maio*, p. 44. ed. *Mediol.* Menedemum senem *se excruciantem* in agro propter dolorem filii alloquitur ita Chremes. *B. A. Ter Heaut. prol.* 5. Hodie sum acturus Heautontimorumenon. *Gell.* 4, 9. Idcirco ait Terentius in Heautontimorumeno, Tum quod dem ei, etc. [De eadem comoedia loquitur. *Hor. Sat.* 1, 2, 20. ita ut pater ille, Terenti Fabula quem miserum gnato vixisse fugato Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic. *F.*]

*HEBĀTA, opp. Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

HEBDŌMĀDA, ae, f. *ἑβδομάς*, idem quod hebdomas. *Gell.* 3, 10. *f.* Eosque dies omnium maxime *χριτικοὺς ἢ χριοῖμους* cuique videri, primam hebdomadam, et secundam et tertiam; et *in f.* Se quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse (*h. e. annum quartum et octogesimum*) et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse, *h. e.* quadringentos et nonaginta. De *Varrone* loquitur.

HEBDŌMĀDĀLIS, e, adj. ad hebdomadam pertinens. *Sidon. ep.* 9, 3. *med.* Ecclesia dedicata festis hebdomadalibus.

[HEBDŌMĀDĀRĬON, ii, m. bestia, de qua *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 27. Bestiam quoque vidimus praegrandi admodum et inopinabili magnitudine, quam hebdomadarion vocant, adeo immensae potentiae, ut illi perfacile insistentes etiam super dorsum elephantos cerneremus. Fortasse est mendum scripturae pro *dromadarion. F.*]

HEBDŌMAS, ădis, f. *ἑβδομάς*. Non solum de diebus dicitur, sed etiam de annis, et quibuscumque rebus, quae septenario numero comprehenduntur. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 10. Septima autem fere hebdomade, idest nono et quadragesimo die, totus homo in utero absolvitur. *Gell.* 15, 2. In conviviis juvenum, quae agitare Athenis, hebdomadibus lunae, solemne fuit, *h. e.* septimo quoque lunae die. ℙ Usurpatur etiam de criticis medicorum diebus, qui conficiuntur ex numero septenario, et in morbis certa vel salutis, vel mortis signa afferre solent. *Cic. Fam.* 16, 9. Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomada incideres. *Manut.* legit *hebdomadem.* Alii *hebdomadam.*

HEBDŌMĀTĬCUS, a, um, adj. ad hebdomadam pertinens. *Firmic. Mathes.* 4, 14. *med.* Septeni et noveni anni qui hebdomatici a Graecis, atque enneatici appellantur. V. ENNEATICUS.

[HEBDŌMĒCONTĀCOMĒTAE, arum, m. plur. *Ἑβδομηκονταχωμῆται*, populi Africae interioris, in Aegypti, Aethiopiaeque confinio, septuaginta vicos habitantes: ab *ἑβδομήκοντα*, septuaginta, et *κωμήτης*, vici incola. Horum meminit *Plin.* 6, 29, 35. *F.*]

HĒBĒ, es, f. *Ἥβη*, Latine *Juventas*, Dea juventutis, viror aetatis: a voce Graeca allata. Filia fuit Jovis et Junonis. Sed poetae asserunt, filiam fuisse Junonis absque patre. Apollo enim, cum Junoni novercae convivium in patris sui domo parasset, inter alia lactucas agrestes ei apposuit, quas cum Juno avide comedisset, illico, usque tunc sterilis, praegnans effecta est, peperitque Heben. Eam postea Juppiter ob formae elegantiam ad officium pincernae assumpsit, Deamque juventutis ef-

fecit. Fingunt enim poetae, Heben Diis pocula ministrare, quo innuunt, Deos non senescere. Tandem cum Juppiter una cum ceteris Diis apud Aethiopes comissaturus ivisset, contigit, ut Hebe administrans ei pocula, perque lubricum minus caute incedens caderet, revolutisque vestibus obscena Superis monstraret. Quamobrem ab officio est amota, ejusque loco Ganymedes subrogatus. Alii dicunt Heben non omnino ab officio esse remotam, sed illam ceterorum Deorum deinceps pincernam fuisse, Ganymedem solius Jovis. Postremo Herculi in Deos relato uxor data est. *Serv.* ad *A.* 1, 32. et ad *ib.* 5, 134. *Ov. Met.* 9, 400. Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe. *Catull.* 68, 116. Hebe nec longa virginitate foret. *Senec. Octav.* 210. Deus Alcides Possidet Heben, nec Junonis Jam timet iras.

HĒBĒNUS. V. EBENUS.

HĒBĔO, es, n. 2. *ἀμβλύνομαι*, hebes sum. *Liv.* 23, 45. Num ferrum hebet, an dexterae torpent? ℙ Translate est tardum, pigrumque esse, torpere non sentire. *Virg. A.* 5, 395. gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires. *Ov. Trist.* 4, 1, 48. Temporis adversi sic mihi sensus hebet. *Val. Fl.* 1, 53. Olim annis ille ardor hebet; et 4, 41. Corpus hebet somno; et 5, 371. Stella hebet. [**Lucan.* 2, 722. Et jam Plias hebet: ubi v. *Cort.* et ad *Eund.* 1, 662. Venerisque salubre Sidus hebet.] *Stat. Theb.* 11, 386. hebent irae. *Tac. Germ.* 15. Delegata domus cura feminis senibusque, ipsi hebent, *h. e.* otio torpent, desidia agunt. *Auson. epigr.* 69. Quid stolidi ad speciem nota novitatis hebetis? *h. e.* obstupescitis. ℙ [**Confunduntur hebet* et *habet*. V. *Habet in f.*]

HĒBĔS, etis, adj. omn. gen. *ἀμβλώς*, obtusus, retusus, minime acutus: et proprie de ferro dicitur, cujus acies obtusa est. *Cic. Har. resp.* 1. *extr.* Tela leviora atque hebetiora. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 408. Lunae alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua. *Ov. A. Am.* 3, 589. Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis. *Id. Met.* 12, 85. hebeti pectus contudit ictu. *Frontin. de form. agr.* p. 32. *Goes.* Hebes angulus. ℙ Dicitur et de aliis rebus, ut de coloribus, odoribus, sensibus ad percipiendum tardis, etc. *Ov. Fast.* 5, 365. hebes color: splendorem non habens. Sic *Stat. Achill.* 2, 288. lampas: et *Plin.* 37, 7, 26. Hebetiores carbunculi. *Cic. Planc.* 27. aures. *Plin.* 9, 15, 20. Oculus natura hebes. *Sall. Or. ad. Caes.* 2. *med.* Hebes lingua. *Plin.* 7, 16, 17. Puer incessu tardus, sensu hebes. *Id.* 9, 30, 48. Tanta solertia animalium hebetissimis quoque est. *Id.* 21, 11, 39. Croci genus unum hebes, alterum odoratum. *Colum.* 3, 2. *med.* Uva gustu hebes. *Cels.* 7, 6. Caro hebes. ℙ Translate. *Cic. Or.* 64. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus: etsi, quod est e duabus longis, hebetior videtur et tardior. *Id. Fin.* 2, 6. Dicam, si potero rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. *Id. Att.* 3, 3. *med.* Dolor hebes. *Ov. Pont.* 1, 10, 7. Os hebes est, positaeque movent fastidia mensae, *h. e.* cibi suavitatem non sentit. *Tac. H.* 2, 99. Quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior, *h. e.* tardus, piger, deses. ℙ Saepe refertur ad animum, estque idem quod stupidus, tardus ad intelligendum, acumine carens. *Cic. Phil.* 10, 8. Hoc Pansa aut non videt, (hebeti enim ingenio est) aut negligit. *Id. Div.* 2, 50. Epicurus, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Neque hebes ad id, quod melius est, intelligendum. *Tac. A.* 14, 11. Quis adeo hebes inveniretur, ut crederet? *Plin.* 2, 47, 47. Hebes ratio, *h. e.* crassior, et minime ingeniosa. ℙ *Hebem* pro *hebetem* dixit *Caecil.* ap. *Charis.* 1, 107.

HĒBESCO, is, n. 3. *ἀμβλύνομαι*, hebes fio. *Plin.* 7, 50, 51. Hebescunt sensus, membra torpent, praemoritur visus, auditus, incessus. *Id.* 37, 5, 20. Berylli hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. *Tac. A.* 1, 30. Sidera hebescunt. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 30. Mentis acies seipsam intuens nonnunquam hebescit. *Id. Cat.* 1, 2. Patimur hebescere aciem horum auctoritatis. *Id. Acad.* 4, 2. *f.* Quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modo nosmetipsos hebescere et languere nolumus, sed etiam, ut pluribus prosimus, enitimur? *Sall. Cat.* 12. Postquam divitiae honori esse coeperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, *h. e.* nitorem ac vim amittere, obscurari, negligi, non tam acriter exerceri, ut antea. *Tac. H.* 2, 77. Hos ira, odium ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt, *h. e.* languescunt, pigri fiunt.

HĒBĒTĀTĬO, onis, f. idem quod hebetudo. *Plin.* 28, 6, 16. Medetur et lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis, et melancholicis.

*HEBETĀTOR, oris, m. ap. *Appul. B. A.*

HĒBĒTATRIX, icis, f. quae hebetat et obtundit. *Plin.* 2, 13, 10. Umbra hebetatrix.

HĒBĒTĀTUS, a, um, part. ab *hebeto;* hebes factus. *Sil.* 16, 105. Jam campi vallesque madent, hebetataque tela. *Plin.* 28, 7, 23. Hebetata aspectu specula recipere nitorem: et *Lact.* 6, 2. hebetati oculi. ℙ Translate. *Suet. Claud.* 2. Animo simul et corpore hebetato. *Justin.* 6, 8. Reipublicae vires hebetatae. *Plin. ep.* 8, 14. Hebetatum ingenium.

HĒBĒTESCO, is, n. 3. hebesco. *Front. de differ. voc.* p. 2204. Hebescit, quod natura obstupescit: habetescit, quod amittit aciem. *Plin.* 28, 7, 23. Aciem in cultris tonsorum hebetescere. *Cels.* 6, 6. *n.* 37. Acies oculi hebetescit, ac paene caligat.

HĒBĒTO, as, a. 1. *ἀμβλύνω*, hebetem reddo, obtundo. *Liv.* 8, 10. Cum hastas aut perfregissent, aut hebetassent. *Plin.* 20, 6, 21. Porrum oculorum aciem habetat. *Id.* 2, 13, 10. Lunam convenit umbra terrae hebetari. *Virg. A.* 2, 604. nubes, quae nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi. *Cels.* 2, 1. Auster aures hebetat. *Plin.* 18, 12, 30. Faba hebetare sensus existimata. *Id.* 37, 5, 18. Smaragdos in sole hebetari, in umbra refulgere. *Ov. Met.* 7, 210. Hebetare flammas: et *ib.* 5, 444. alma dies habetarat sidera. *Sil.* 8, 499. Vipereumque herbis hebetare, et carmine dentem. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Gemmas vitium frigore hebetari. *Id.* 23, 4, 40. Oleum venena omnia hebetat. *Id.* 24, 11, 64. Hebetare amaritudines, *h. e.* lenire, minuere. *Id.* 21, 7, 18. Odor suavior e longinquo, propius admotus hebetatur: et 23, 1, 22. Vino tristitia et cura hebetatur. *Id.* 7, 16, 15. Primores dentes vocis sermonisque regimen tenent, mutilantes, mollientesve, aut hebetantes verba. *Ov. Pont.* 4, 1, 17. Lethe hebetans pectora.

HĒBĒTŪDO, inis, f. *ἀμβλυσις*, hebetatio rei alicujus carentis acumine: et translate stupiditas, vel tarditas mentis, seu ingenii, visus, et similium. *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. Hebetudo sensuum. Est qui malit *habitudo;* sed nihil mutandum: est enim *hebitudo* pro *hebetudo*, ut in *Not. Tir.* p. 155. legitur etiam *ebitudo*. *August. C. D.* 7, 21. Propter superbam istorum habetudinem.

[HĒBON, onis, m. *Ἥβων*, est nomen Bacchi ap. Neapolitanos, aliosque Campaniae, et Siciliae populos, qui in eorum nummis bovino corpore figuratur, facie vero humana, barbata et senili. *Macr. Sat.* 1, 18. Liberi Patris simulacra partim puerili aetate, partim juvenili fingunt, praeterea barbata specie, senili, uti Graeci ejus, quem Bassarea, item quem Brisea appellant, et ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes, *h. e. ἡβῶντα*, pubescentem. V. *Nonni Dionysiac.* 21, 211., *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 136. et sqq., et *Avellinum Memor. della Soc. Pontan. T.* 1. p. 319. et sqq. *F.*]

HEBRAEI, orum, m. plur. *Ἑβραῖοι*, Judaei, ab Heber Semi pronepote, quia eo tempore, quando linguarum facta est varietas, in sola familia Heber lingua, quae antea fuit, remansit. *Joseph. Antiq. Jud.* 1, 14., *Euseb. de praepar. Euang.* 2, 4., *Theoph. l.* 3. *contra Gentes*, et alii. Sed *Ambros. in cap.* 13. *ad Philip.* censet dici quasi Abraeos ab Abrahamo auctore gentis. *Hieronym.*, *Theodor.* et quidam alii Hebraeos dici volunt ab עבר trans, citra, super, quasi transitores, quia Abraham, cum prius in Mesopotamia habitaret, divino jussu, patris domo relicta, trajecit Euphratem, etc. *Tert. Apol.* 18. Hebraei retro, qui nunc Judaei: igitur et litterae Hebraeae, et eloquium. *Lact.* 4, 10. Postea vero cum in deserto, quadam parte Syriae, consedissent, amiserunt vetus nomen Hebraei, et Judaei sunt appellati.

HEBRAEUS, a, um, adj. ab Hebraeis. *Stat. Silv.* 5, 1, 212. praereptaque templis Tura, Palaestini simul, Hebraeique liquores, *h. e.* balsamum, uni terrarum Judaeae concessum, ut *Plin.* 12, 25, 54. ait. *Tac. H.* 5, 2. Hebraeae terrae. *August. C. D.* 18, 39. et 42. Hebraea lingua, Hebraeae litterae; et 43. Hebraei codices.

HEBRĀĬCĒ, adv. Hebraeorum lingua. *Lact.* 4, 7. *f.* Hebraice Messias dicitur.

HEBRĀĬCUS, a, um, adj. ad Hebraeorum linguam pertinens. *Lact.* 4, 7. *f.* In quibusdam Graecis Scripturis, quae male de Hebraicis interpretata sunt. *Alcim. Avit.* 5, 544. Bellorum versat curas Hebraica plebes. Hic licenter antepaenultima producitur.

HEBRĬA. V. BRIA.

HEBRUS, i, m. *Ἕβρος*, fluvius ingens Thraciae, qui ex Haemo (aliis ex Rhodope) monte oritur, et in Aegaeum mare influit, juxta Aenum urbem. Fabulantur dictum esse ab Hebro, Haemi et Rhodopes filio, Boreae fratre, ut est ap. *Serv.* ad *A.* 1, 321. In eum Orphei caput projectum fuit, ac lyra, cum a Bacchantibus discerptus est. *Seneca* ejus ita meminit *Herc. Oet.* 627., ut unius ex iis, qui auro fluere crediti sunt, ut Tagus, et Ganges. Hinc fortasse divitem vocat *Val. Fl.* 4, 463., tametsi hoc ad soli fertilitatem referri potest. Praeterea arenosum appellat *Ov. Fast.* 3, 737., sacrum *Id. Her.* 2, 114. propter orgia Bacchi ibi celebrata, et Orpheum discerptum, ut dictum est: volucrem *Virg. A.* 1, 321., gelidum *Val. Fl.* 2, 515., sanguineum 8, 228. propter crebra bella, quae in Thracia, Martis regno, fieri dicuntur. ℙ *Hebrus* est etiam nomen pueri formosi ex insula Lipara ap. *Hor. Od.* 3, 12, 5. ℙ *Hebrus, auxiliaris Persae, a Jasone in proelio occisus est. *Val. Fl.* 6, 620. ℙ Alius, Cyzicenus, a Polluce in conflictu nocturno caesus et semianimis relictus. *Id.* 3, 149. *B. A.*

*HĔCABĒ, es, f. *Ἑκάβη*, una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

*HĔCAERGĒ, es, f. *Ἑκαέργη*, una ex virginibus Hyperboreis, sive Boreae filiabus, quae cum Ope sorore ad Apollinem Delium profecta est, mox Dianae comes facta. Ejus meminit *Claud. Laud. Stilich.* 3, 253. et 308. ℙ Fuit et nomen ipsius Dianae. *Serv.* ad *Virg. A.* 11, 532. *B. A.*

HĔCALĒ, es, f. *Ἑκάλη*, anus paupercula, a *Callimacho* justo volumine decantata. Haec Theseum adolescentem hospitio excepit. *Appul. Met.* 1. et *Plin.* 22, 22, 44. Hinc *Ov. Rem. Am.* 747. Cur nemo est, Hecalen, nulla est, quae ceperit Iron? Nempe quod alter egens, altera pauper erat. V. v. seq. ℙ [Fuit etiam nomen R. *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 8. Aul. Sempronio Asprenati flamini Diali conjugi optimo Hecale flaminica. *F.*]

*HECATAEUS, i, m. *Ἑκαταῖος*, historicus Milesius, vixit tempore Darii Hystaspidae. ℙ Alius, historicus Abderites, qui temporibus floruit Alexandri Magni, et Indorum, gentium Hyperborearum, Aegyptiorumque historiam condidit. *Plin.* 6, 17. Cf. *Aelian. H. Anim.* 11, 1. V. *Voss. de Historicis Graecis*, *Salm.* ad *Solin.* p. 846. sqq. *Museum Criticum* T. 1. p. 88. sqq. ubi de Hecataeo aliisque historicis antiquis Graecis acute multa vir doctissimus *Joannes Caye*, S. T. P. Episcoptatu Bristoliensi (dum haec scribo) haud ita pridem dignatus. ℙ Hecataeus quidam, nobilis toreuta, memoratur a *Plin.* 33, 12. Adde 34, 8. ℙ Hecataeus, nobilis Macedo, invitus in militiam jussu Alexandri Magni per Amyntam patria extractus. *Curt.* 7, 1. ℙ De variis Hecataeis V. omnino *Voss. de H. Gr.* 1, 1 et 10. et 4, 3. *B. A.*

HĔCATĒ, es, f. *Ἑκάτη*, Jovis et Latonae filia, soror Apollinis. Ap. *Cic. N. D.* 3, 18. scriptum est, Hecaten fuisse filiam Asteriae, sororem Latonae, his verbis: Quomodo autem potes, si Latonam Deam putes, Hecaten non putare, quae matre Asteria est, sorore Latona? Sed aliqui legunt, *cujus matertera Asteria est, mater Latona.* Huic triplex numen, seu potestas attribuitur, in coelo, in terris, apud inferos. Idcirco a poetis Tergemina, et Triformis vocatur. In coelo appellatur *Luna*, in terris *Diana* et *Lucina*, apud inferos *Proserpina.* Triplicem autem dicitur habere potestatem, nascendi ut Lucina; valendi ut Diana; moriendi ut Proserpina. Alii ideo triplicem faciunt, quia Luna triplici figura apparet menstruo cursu, cava, dimidia, et rotunda. Dicta est Hecate ab *ἑκάς*, longe, quia procul a nobis absit, val ab *ἑκατὸν*, centum, propter plurimas virtutes, sive quod victimis centum placaretur, vel quod insepultorum animas cogeret centum annos errare: vel a nomine fratris, idest ab *Ἕκατος*, Apollo, sicut Phoebe a Phoebus, quod ab *ἑκαθεν*, procul, idest a jaculando procul: vel ab *ἑω*, mitto, ob radios, quos emittit. Triceps etiam, *τριπρόσωπος* dicitur, quia tria habuit capita, dextrum equinum, sinistrum caninum, medium suis agrestis. *Serv.* ad illud *A.* 4, 511. Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae. Ubi addit, huic Deae in triviis sacrificia fieri consuevisse. *Virg. A.* 6, 247. Voce vocans Hecaten coeloque, Ereboque potentem. *Ov. Fast.* 1, 141. Ora vides Hecates in tres vergentia partes; et *Met.* 14, 405. longis Hecaten ululatibus orat. ℙ Alia etiam fuit Hecate, Medeae soror patruelis, filia Persae, qui fuit filius Solis, et frater Aeetae, a quo Perseis et Perseia cognominatur. Regnavit in Taurica Chersoneso. Fuit peritissima herbarum, ac veneficiorum. *Val. Fl.* 6, 495. V. duas voces sequentes. ℙ Dicitur etiam *Hecata*, *ae*, positione Latina. *Pl. Cist.* 1, 1, 50. Si quidem ita eris, ut volo, nunquam Hecata fies, *h. e.* nunquam fies anus. Al. melius leg. *Hecale*, (de qua s. l.) h. e. nunquam fies inops. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 154. Conso, Neptuno, atque Aecatae. Quod prior hic syllaba per diphthongum scribitur, lapicidae, vel descriptoris mendum puta.

HĔCĀTĒIS, idos, adj. patronym. femin. ad Hecaten pertinens, *Ἑκαντίς*. *Ov. Met.* 6, 139. Post ea discedens succis Hecateidos herbae Spargit, *h. e.* ab Hecate Persae filia inventae: et cicutam fortasse, aut aconitum intelligit.

HĔCĀTĒĬUS et Hĕcātēus, a, um, adj. ad Hecaten Perseiam pertinens. *Ov. Met.* 14, 44. horrendis infamia gramina succis Conterit, et tritis Hecateia carmina miscet, *h. e.* magica. ℙ Item ad Dianam. *Stat. Ach.* 1, 447. Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis, *h. e.* Dianae sacra. Nam Aulide celebre templum Dianae fuit, saeculis aliquot ante Trojanum bellum exaedificatum, teste *Plin.* 16, 49, 79. Rursus *Stat. Silv.* 3, 1, 60. Idus Hecateiae, *h. e.* idus Augusti, quae Dianae sacrae erant. Al. leg. *Hecateae.*

HĔCĀTOMBĒ, es, f. *ἑκατόμβη*, sacrificium centum boum, et generatim centuria quarumcumque

victimarum, sed tamen unius generis, ut centum suum, centum ovium, etc. quae ad centum aras uno loco constructas ex cespite mactabantur: ab *ἑκατὸν*, centum, et *βοῦς*, bos. Aliqui dicunt centum pro multis poni. Aliorum opinio est, hecatomben dictam esse a numero sacrificantium, quod centum Peloponnesi urbes eam facerent, sive centum victimas, sive unam immolarent. Si imperatorium sacrificium esset, centum leones, vel centum aquilae, aut centum alia animalia praestantis generis feriebantur. Hecatombas vovere, Graecis et Romanis antiqui moris fuit, cum pestilentia affligerentur. *Capitol. Maxim. et Balbin.* 11. et *Maxim. duob.* 24. et *Vopisc. Tac.* 12. Voce ipsa usus est et *Varr.* ap. *Non.* 2, 482. Habes, cujus rei causa fecerim hecatomben. ℙ In plur. num. *Trebell. Gallien.* 9. Confecto itinere, celebratisque hecatombis.

HĔCĀTOMBĬON, ii, n. idem quod hecatombe. *Sid. carm.* 9, 205. post hecatombion litatum.

*HĔCĀTOMPUS, odis, m. piscis centiceps. *Plin.* 13, 43. *B. A.*

[HĔCĀTOMPYLOS, i, m. et f. *ἑκατόμπυλος*, centum portas habens: ab *ἑκατὸν*, centum, et *πύλη*, porta. *Ammian.* 22, 16. De Thebis Aegyptiis: Hecatompylos enim Thebas nemo non novit. ℙ Fuit etiam hoc nomine urbs Parthorum. *Plin.* 6, 15, 17. Ipsius Parthiae caput Hecatompylos. *F.*]

*HĔCĀTON vel Hecăto, onis, m. *Ἑκάτων*, Rhodius, philosophus Stoicus, discipulus Panaetii, scripsit inter alia libellum *De Officiis. Cic. Off.* 3, 15. *med.* et 23. *in.* ℙ Alios ejus libros commemorat *Laert.* 7, 82, 87, 90, 101, 110, 124 et 172. *B. A.*

HECTĀ. V. HETTA.

[HECTĬCĒ, es, f. *ἑκτικὴ*, consuetudinaria, dicitur praecipue de febri. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1168, 5. Claudia Hectice. *F.*]

HECTOR, ŏris, m. *Ἕκτωρ*, filius Priami ex Hecuba, omnium Trojanorum fortissimus, universi Graeci exercitus terror. Ejus nomen fictum est ab *Homero*, et derivatur ab *ἔχω*, defendo, auctore *Platone:* in ejus enim vita maxime Trojae fatum positum erat. Itaque cum patriam decem annos strenue a Graecorum armis defendisset, tandem ab Achille occisus est, ejusque cadaver, ab eo ter circum moenia Trojae raptatum, Priamus pater auro redemptum sepelivit. *Ov. A. Am.* 1, 441. Hectora donavit Priamo prece motus Achilles. ℙ [*Hector proficiscens* fuit titulus tragoediae Naevii poetae Latini; ejus meminit *Prisc.* 8. p. 801. et *Cic. Fam.* 5, 12. et *ib.* 15, 6. *F.*]

HECTORĔUS, a, um, adj. ad Hectorem spectans. *Virg A.* 3, 303. Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum. ℙ *Hectoreus equus.* V. EQUUS. ℙ Sumitur etiam pro Trojano. *Virg. A.* 1, 276. Hic jam tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea. ℙ Et pro Romano. *Sil.* 2, 343. spes et fiducia gentis Regulus Hectoreae.

HĔCŪBĂ, ae, et Hĕcŭbē, es, f. *Ἑκάβη*, filia Dymantis, vel Cissei regis Thraciae, uxor Priami regis Troadis. Deformi facie fuisse fertur. Cum incensa Troja a Graecis captiva abduceretur, et in Bistonia, seu Pallene, Thraciae regione filii sui Polydori corpus in litore jacens agnovisset, quem Priamus cum ingenti auri vi belli initio Polymnestori genero alendum et servandum commiserat, hic autem propter auri cupiditatem post Ilii excidium gladio interfecerat, vel, ut alii scripsere, in litore ambulantem sagittis transfixerat; Polymnestorem adiit, colloquium petiit, dixit, se aurum relictum monstrare velle; deducta in aedem secretam, aliis feminis captivis invocatis, oculos tyranno eruit: cum in eam servi lapides, et tela jacerent, in canem versa est. *Ov. Met.* 13, 536. et sqq. Aliqui dicunt, fabulam inde ortam, quod viso Polydori corpore, quoniam aliter injuriam ulcisci non posset, Graecos inanibus lacessiverit conviciis; quare propter animi acerbitatem et rabiem in canem esse conversam fingi, ut apud *Cic. Tusc.* 3, 26. legitur. *Id. Fat.* 15. Hecubam causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit. *Ov. l. c.* 549. Sic Hecube, postquam cum luctu miscuit iram. ℙ *Hecuba* accipitur etiam generatim pro quacumque vetula. *Mart.* 3, 76. Cum possis Hecubam, non potes Andromachen? *h. e.* cum possis inire vetulam et deformem, non potes juvenem et formosam?

HĔCYRĂ, ae, f. socrus, *h. e.* mater uxoris meae, vel mariti mei, *ἑκυρὰ*, et Ionice *ἑκυρή*. Vox Graeca, nomen quae dedit Terentianae comoediae, quia per socrus Myrrhinam, et Sostratam multa ibi aguntur, ut ait *Donatus. Ter. Hec. prol.* 1. Hecyra est huic nomen fabulae.

HĔDĔRĂ, ae, f. *κισσὸς*, planta perpetuo virens, quae cum per se stare non possit, arboribus, et parietibus adeo arcte adhaeret, ut rumpat, et arbores necet. Dictam putat *Festus* vel ab *haerendo:* sive quod *edita* petat: vel quia id, cui adhaeserit, *edat.* Quare et sine aspiratione quibusdam placet scribere: quod et apud ipsum *Festum* legitur in littera E, ubi et illud docet, flamini Diali non licuisse hederam aut nominare, aut tangere, quia vincit, seu ligat quidquid apprehenderit: flamen autem nullum habebat nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in parte ulla alia. Ceterum aspirationem retinet *Dausq.* Nam *Manut.* et *Cellar.* ne in dubium quidem vocarunt, quin *h* adhibenda esset. ℙ Tria sunt ejus genera: alterum album, a baccarum albedine: alterum nigrum, quod eas subnigras ferat: tertium helix dictum, nullis baccis, folio minore, quam cetera, sed anguloso, et multo concinniore. Ita *Plin.* 16, 34, 62., ubi plura de ea. *Virg. Ecl.* 7, 38. Candidior cycnis, hedera formosior alba. ℙ Putatur esse, inquit *Fest.*, in tutela Liberi, quia ut ille juvenis semper, ita haec viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat. Adde quod frigiditate sua vini calorem temperat, ut *Serv.* docet ad *Virg. Ecl.* 8, 12. Sunt et aliae hujus rei causae, quarum alteram tradit *Ov. Fast.* 3, 767. hedera est gratissima Baccho. Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est. Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca, Hanc frondem cunis apposuere novis. Aliam causam V. in CISSOS. Bacchus itaque hedera coronatus fingitur, et comites ejus, et thyrsi hedera ornantur, et currus, et alia ad eum pertinentia. ℙ Poetae hedera coronantur, quasi Libero consecrati, quia et, ut Bacchae, insaniunt: vel quia semper et vivunt, et virent hederae, sicut carmina aeternitatem merentur, inquit *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 25. Pastores hedera crescentem ornate poetam. *Varro* ap. *eund.* ad *Ecl.* 8, 12. tradit, etiam Musas hedera coronari. Adde *Ov. Met.* 5, 338.

HĔDĔRĂCĔUS, a, um, adj. *κίσσινος*, qui est ex hedera. *Cato R. R.* 111. Vasculum facito de materia hederacea, vinum eodem mittito: si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit; nam non continet vinum vas hederaceum. *Plin.* 16, 35, 63. eadem narrat. Hujusmodi vas Graeci vocant *κισσύβιον. Id.* 16, 24, 38. Hederacea folia. *Vopisc. Aurel.* 49. Calceos mulleos, et cereos, et hederaceos viris omnibus tulit, mulieribus reliquit, *h. e.* coloris hederae, viridis puta, aut prasini. ℙ Scribitur et *hederacius.*

HĔDĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *hedero*, hedera orno. *Gallien. Imp.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Misi patinam argenteam hederatam librarum viginti, et trium, *h. e.* in foliorum hederae modum elaboratam et exsculptam. *Nemes. Ecl.* 3, 18. hederata frons, *h. e.* hedera coronata. *Paul. Nol. carm.* 26, 278. Lascivosque choros hederatis ducere pompis, *h. e.* pompis Bacchicis, in quibus tum viri, tum mulieres hedera coronati incedere solebant.

HĔDĔRĬGER, a, um, adj. hederam gerens. *Catull.* 63, 23. Ubi capita Maenades vi jaciunt hederigerae. V. HEDERA.

HĔDĔROSUS, a, um, adj. hedera abundans. *Prop.* 4, 4, 3. Lucus erat felix hederoso conditus antro.

[HĔDIPHĬLĒ, es, f. amans voluptatem: ab *ἡδος*, voluptas, et *φιλέω*, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 992, 7. Salustia Hediphile. *F.*]

[HĔDISTĒ, es, f. *ἡδίστη*, suavissima, et

HĔDISTUS, i, m. *ἥδιστος*, suavissimus, ab *ἡδὺς*, suavis, et comp. *ἡδίων*, suavior. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 419, 2. Julia Hediste. Alia ap. *Fabrett.* p. 177. *n.* 360. T. Aelius T. F. Pop. Hedistus. *F.*]

HĔDŌNĒ, es, f. *ἡδονὴ*, Graece voluptatem significat, estque unum ex Aeonibus Valentiniani, ap. *Tertull. adv. Valent.* 8. ℙ [Scribitur et sine aspiratione, ut saepissime ap. Latinos, et est cogn. R. *Inscr.* ap. *P. Visc. Iscriz. di F. Cancellieri* p. 13. Domitia Edone. *F.*]

[HĔDŌNĬCUS, a, um, adj. *ἡδονικὸς*, voluptuarius. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 324. *n.* 448. T. Flavius Liberalis fecit hedonicus maritus. *F.*]

HĔDŪI. V. AEDUI.

[HĔDŪLĬUM, ii, dimin. ab *ἥδυλος*, dulciculus. V. EROTION. Est cogn. muliebre R. *Inscr.* ap. *Guasco Mus. Capitol. T.* 3. p. 65. *n.* 736. Tuccia Liberta Hedulium. *F.*]

HĔDYCHRUM, i, n. *ἡδύχρουν*, genus unguenti, et odoramenti, ab *ἡδὺς*, suavis, et *χρόα*, color, quod praeter odorem, grato etiam colore sit, et cuti illitum nitidam reddat. *Dioscor. l.* 1. *c.* 70. *Καὶ τὸ καλούμενον ἡδύχρουν, σκευαζόμενον δὲ ἐν Κῷ, τῆς αὐτῆς ἔχηται δυνάμεως τε, καὶ σκευασίας τῷ ἀμαρακίνῳ, εὐωδέστερον δὲ τυγχάνει. Cic. Tusc.* 3, 19. *f.* Collocemus in culcita plumea, psaltriam adducamus, hedychrum incendamus, demus scutellam dulciculae potionis. Al. leg. *cedrum incendamus:* ii scilicet, inquit *Victorius*, qui cuncta, in quae non passim incidunt, depravata esse censent. Fortasse hinc corrigendum illud *Varr.* ap. *Non.* 3, 234. Hic narium Seplasiae, hic hedycrum Neapolis. Al. leg. *hedycus*, quod et ipsum ab *ἡδὺς* est, et simile quippiam significare potest. ℙ [*Hedychrus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 5. *n.* 23. . . . . us Hedychrus. *F.*]

HĔDYCUS. V. v. praec.

[HĔDYLĂLUS, i, m. suaviloquens: ab *ἡδὺς*, suavis, et *λαλέω*, loquor. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Grut.* 333, 5. Curatoribus Daphno sumptuario, et Hedylalo a manu. *F.*]

[HĔDYLUS, i, m. *ἡδύλος*, dimin. ab *ἡδὺς*, suavis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 79, 1. C. Titius C. L. Hedylus. *F.*]

[HĔDYMĔLES, is, m. *ἡδυμελὴς*, suaviter canens: ab *ἡδὺς*, suavis, et *μέλος*, cantus. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Grut.* 325, 14. Hedymeles patronae optimae. *F.* *Hedymeles, is*, m. *Ἡδυμέλης*, citharoedus ap. *Juven.* 6, 383. a suavitate cantus ita dictus. *B. A.*]

HĔDYOSMOS, i, m. *ἡδύοσμος*, species menthae, ab *ἡδὺς*, suavis, et *ὀσμὸς*, vel *ὀσμὴ*, odor, propter odoris suavitatem. *Plin.* 35, 15, 51.

HĔDYPNŌIS, ĭdis, f. *ἡδυπνοΐς*, species cichorii, folio latiore: ita dictum, quod in cibis jucundiorem halitum facit: ab *ἡδὺς*, suavis, et *πνοὴ*, spiritus. *Plin.* 20, 8, 31.

[HĔDYPNUS, i, m. *ἡδύπνους*, contract. pro *ἡδύπνοος*, suaviter spirans: ab *ἡδὺς*, suavis, et *πνοὴ*, spiritus, halitus. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Pis. T.* 12. p. 81. T. Annius Hedypnus. *F.* *Hedypnus, i*, fluvius Persidis, in Elymaide vel Susiana, in Eulaeum labens. *Plin.* 6, 27. *B. A.*]

[HĔDYS, eos, m. *ἡδὺς*, suavis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 2. C. Nunnius Hedys. *F.*]

HĔDYSMĂ, ătos, n. *ἡδυσμα*, condimentum: ab *ἡδὺς*, suavis, jucundus. Ita appellatur succus, seu oleum, quod in unguentis adhibetur: sicut stymma dicitur corpus ipsum unguenti, *στύμμα*, a *στύφω*, adstringo. *Plin.* 13, 1, 2. Ratio faciendi unguenta duplex, succus, et corpus: ille olei generibus fere constat, hoc odorum: haec stymmata vocant, illa hedysmata.

[HĒGĒMON, ŏnis, m. *ἡγεμὼν*, ductor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1156, 5. T. Mindio Hegemoni. *F.*]

[HĒGĒMONĬCUS, a, um, adj. ad *ἡγεμόνα*, ductorem, pertinens. Est nomen libertinum R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 248. *n.* 17. Achilleus, et Hegemonicus liberti. *F.*]

[HĒGĒMONĬS, ĭdis, f. *ἡγεμονὶς*, quae ducit, ab *ἡγεμονεύω*, duco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1528, 17. Claudia Hegemonis. *F.*]

[HĒGĒSANDRUS, i, m. ductor hominum: ab *ἡγησις*, ductio, et *ἀνὴρ*, *ἀνδρὸς*, vir. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. P. O. L. Hegesandrus. *F.*]

[HĒGĒSĬAS, ae, m. ductor: ab *ἧγησις*, ductio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 40, 11. C. Cartilius C. L. Hegesias. *F.* *Hegesias, ae*, m. *Ἡγησίας*, Cyrenaicus philosophus, Platoni coaetaneus, auctor fuit scholae cognominis, Paraebati discipulus. Is tanta eloquentia vitae mala fertur repraesentasse, ut eorum miseranda imagine multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraret. Inde a rege Ptolemaeo ulterius hac de re dicere prohibitus est. *Cic. Tusc.* 1, 34. *Val. Max.* 8, 9. ℙ Alter fuit Magnesius, orator et historicus, qui scripsit de rebus gestis Alexandri Magni. Usus est dicendi genere conciso, laudatus valde a Varrone. *Cic. Brut.* 83. *Or.* 67. *Att.* 12, 6. *Gell.* 9, 4. De eo vide collata *Ruhnkenio* ad *Rutilium Lupum de figuris* p. 25. *s.* ℙ Fuit et hoc nomine insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*]

[HĒGESIPPUS, i, m. ductor equorum: ab *ἧγησις*, ductio, et *ἵππος*, equus. Est cogn. R *Inscr.* ap. *Grut.* 809, 11. L. Mussius Hegesippus. *F.*]

*HEGĪAS, ae, m. insignis statuarius, Phidiae aequalis. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[HĒGŪMĒNUS, i, m. *ἡγούμενος*, qui ducit: ab *ἡγέομαι*, duco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 269, 3. Aurelius Hegumenus. *F.*]

HEHE. V. EHE.

HEHEU. V. EHEU.

HEI, *οἴ*, *οἴ μοι*, interjectio dolentis, timentis, et ingemiscentis. *Ter. Phorm.* 3, 2, 6. Hei! metuo leonem, ne quid suo suat capiti. *Id. Andr.* 1, 1, 46. Hei! vereor, ne, etc. *Pl. Amph.* 1, 1, 165. Hei! numnam ego obolui? Et 2, 2, 36. Hei, perii miser! ℙ Saepe cum *mihi* jungitur. *Pl. Bacch.* 3, 3, 7. Hei mihi, hei mihi: istaec illum perdidit assentatio. *Id. Amph.* 2, 2, 166. Hei mihi! jam tu quoque hujus adjuvas insaniam. *Virg. A.* 2, 274. Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo! *Ter. Ad.* 2, 1, 19. Hei misero mihi!

HEJĂ. V. EJA.

HEJŪLO. V. EJULO.

[HĔLAĬSSUS, i, m. olearum collector: ab *ἐλαΐζω*, vel *ἐλαΐσσω*, oleas colligo. Est cognomen R. *Inscr.* ap. *Mur.* 49, 1. C. Julius Helaissus. Hic aspiratio, ut saepe alias, praemittitur, quamvis Graeca vox eadem careat. *F.*]

*HELBO, insula maris Mediterranei, prope Lyciam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*HELCĔBUS, i, *Ἑλκῆβος*, opp. Galliae Belgicae, in regione Triboccorum. Hodie est *Ell* ad flumen *Ill.* ℙ *Helellum* audit *Tab. Peut. B. A.*

HELCĬĀRĬUS, ii, m. qui funibus, sive helciis cymbas adverso flumine trahit, quod et ipsum de navibus dicitur. *Mart.* 4, 64. Quem nec rumpere nauticum celeusma, Nec clamor valet helciariorum.

Sidon. ep. 2, 10. *in carm.* Curvorum hinc chorus helciariorum Ad Christum levat amnicum celeusma.

HELCIUM, ii, n. funis, quo equi, vel homines naves, currus, oneraque trahunt: ab ἕλκω, traho. Aliqui interpretantur instrumentum ante pectus equorum, et id genus animalium, cui funes annectuntur. *Appul. Met.* 9. Defectum alioqui me, helcio sparteo dimoto, nexu machinae liberatum applicant praesepio. *Id. ib. med.* Helcio tandem absolutus.

HELCYSMA, ătis, n. ἕλκυσμα Graece significat argenti scoriam, teste *Plin.* 33, 6, 35., quia scilicet adeo lentum est, ut instar visci trahatur, cum e catinis eximitur: ab ἕλκω, vel ἑλκύω, traho.

HĔLĔNA, ae, et Hĕlĕnē, es, f. Ἑλένη, filia Jovis, seu Tyndari regis Oechaliae, et Ledae, soror Castoris, Pollucis, et Clytaemnestrae. Fabulantur, Ledam duo ova peperisse ex Jovis satu, qui cycni specie eam compresserat, ex altero Pollucem et Helenam immortales, ex altero Castorem et Clytaemnestram mortales natos fuisse. Haec ob formae elegantiam, qua ceteris praestabat, a multis amata est. Igitur primum a Theseo Atheniensium rege anno XVI. regni sui rapta fuit, adhuc virguncula, dum in palaestra cum aliis puellis luderet. Sed postea absente Theseo, ab ejus matre Castori et Polluci repetentibus citra injuriam restituta est. Mox adulta Menelao Lacedaemoniorum regi nupsit. Denique a Paride Priami Trojani filio iterum rapta, causa fuit evertendae Trojae: qua excisa, cum marito in patriam reversa est. *Cic. Phil.* 2, 22. Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipubl. causa belli, causa pestis atque exitii fuit. *Hor. Od.* 4, 9, 15. Mirata regalesque cultus, Et comites Helenae Lacaena. *Ov. A. Am.* 3, 11. Si minor Atrides Helenen, Helenesque sororem, etc. V. *Hyg. fab.* 77. 78. 79. 81. 92. et 118. et *Serv.* ad *A.* 2, 601. et ad *ib.* 6, 121. Ita vero appellata videtur, quia ἑλένη facem significat, Helena autem fuit fax belli Trojani. ℙ Est etiam hoc nomine insula maris Aegaei, Euboeae proxima, ubi cum Helena Paris jacuit. *Mela* 2, 7. ℙ Nautae in tempestate, si, ut fit saepe, geminae faces aliqua navis parte appareant, Castorem et Pollucem vocant, invocantque, quod tranquillitatis praenunciae sint. Si una tantum, appellant Helenam, diramque et minacem detestantur, ut quae naufragium plerumque portendat. *Plin.* 2, 37, 37. Hinc *Stat. Th.* 7, 791. caeco nocturni turbine Cori Scit peritura ratis, cum jam damnata sororis Igne, Therapnaei fugerunt carbasa fratres. Similia habet *Silv.* 3, 2, 10. *Scit peritura*, h. e. scit, aut sentit se perituram, αἰσθάνεται ἀπολουμένη. Sic *Virg. A.* 2, 377. sensit medios delapsus in hostes. ℙ *Helena* fuit etiam cognomen matris Constantini M. Aug., quae in *Inscr.* ap. *Grut.* 284, 1. *Flavia Julia Helena* dicitur: in ejus memoriam idem Constantinus ad Pyrenaeos montes haud longe ab oppido Ruscinone urbem condidit, quae olim *Helena*, nunc *Elne* appellatur. *Eutr.* 10, 5. et *Sex. Aur. Vict. Epit.* 41.

*HELĒNI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

HELĒNĬUM, ii, n. herba, quam e lacrimis Helenae natam fabulantur, et ideo in Helene insula laudatissima. *Plin.* 21, 10, 33. et *ib.* 21, 91. et 14, 16, 18. *n.* 5.

[*HĔLĔNUS, i, m. Ἕλενος, Priami, et Hecubae filius, vaticinio clarus, quem quidam ideo a Graecis servatum dicunt, quod loca opportuna ad patriam capiendam ipsis indicasset. Quin etiam, everso Ilio, Pyrrhum a navigando prohibuit, ceteris abeuntibus naufragium praedixit. Quamobrem a Pyrrho non modo servatus, sed liberaliter habitus est: cumque ille Oresti Hermionen eripuisset, Andromachen, quam antea justae uxoris loco habuerat, Heleno concessit, adjecta etiam regni parte, quam Helenus de fratris sui nomine Chaoniam appellavit, ubi et urbem ad Trojae similitudinem condidit, in qua profugum Aeneam hospitio excepit. *Cic. Div.* 1, 40., *Virg. A.* 3, 295. et *Justin.* 17, 3. ℙ *Helenus* fuit etiam cognomen R. *Inscr.* ap. *Grut.* 344, 3. P. Acilius Helenus. *F.* et *B. A.*]

HĔLĔOSĔLĪNON, i, n. idem quod helioselinon, et ab eadem radice. *Pall.* 5, 3.

HĔLĔPŌLIS, is, f. ἑλέπολις, militaris machina, qua admota urbium moenia oppugnantur: ἀπὸ τοῦ ἑλεῖσθαι τὰς πόλεις. Eam ita describit *Ammian.* 23, 4. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata, et contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur ejus suprema, ut flammeos detrectet et missiles casus. Conseruntur autem ejus frontalibus trisulcae cuspides praeacutae, ponderibus ferreis graves, ut quidquid petierit, aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis et funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: et nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus, aditus patefacit ingentes. *Vitruv.* turrim potius, quam testudinem intelligere videtur, cum ait 10, 22. Is autem comparavit helepolim sumptibus immanibus, cujus altitudo fuerat pedum CXXV. etc. Ita eam ciliciis et coriis crudis confirmavit, ut posset pati plagam lapidis ballista immissi, etc. et *post.* Postero die helepolis accedens, antequam appropinquaret ad murum, in humida voragine acta consedit, etc.

*HELERNUS, i, m. lucus Tiberino adjacens. *Ov. Fast.* 6, 105. ubi, ut et ad 2, 67. V. *Heinsm. B. A.*

*HELGAS, opp. Bithyniae, dictum et Germanicopolis. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

[HĔLĬA, ae, f. eadem ac luna. V. HELIUS. *F.*]

[HĔLĬACUS, a, um, adj. ad Helium pertinens, seu Solem, qui Graece Ἥλιος dictus, in sacris Mithriacis maxime colebatur; hinc *Heliaca*, seu dempta aspiratione *Eliaca*, vocantur ea sacra in *Inscr.* ap. *Grut.* 1087, 4. Datiano, et Cereali Consulibus (nempe an. a Chr. n. CCCLVIII.) Nonius Victor Olympius V. C. P. P., Aur. Victor Augentius V. C. P. tradiderunt Persica pridie Non. April. feliciter; Consulibus Supra Scriptis tradiderunt Eliaca XVI. Kal. Mai. felic., ostenderunt Cryfios VIII. Kal. Mai. felic. V. MITHRAS.

HĔLĬADES, dum, f. plur. Ἡλιάδες, tres filiae Solis et Clymenes, sorores Phaetontis, quarum nomina sunt, Phaetusa, Lampetusa, et Lampetie: a nomine patris, qui Graece ἥλιος dicitur. Eaedem et Phaethontiades appellantur, a fratre Phaethonte. Hae juxta Padum mortem Phaethontis fulmine dejecti flentes in arbores, quas populos seu alnos vocant, versae finguntur. Causa fabulae est, quia hae arbores humore quodam flavo electri specie assidue manant. *Hyg. fab.* 154. septem facit, Meropen, Helien, Aeglen, Lampetien, Phoeben, Aetherien, Dioxippen. *Ov. Met.* 2, 340. Nec minus Heliades fletus, et inania morti Munera, dant lacrimas. Et *ib.* 10, 91. nemus Heliadum, *h. e.* populi. Et 263. Heliadum lacrimae, *h. e.* succina. Sic *Mart.* 9, 14. Heliadum gemma. ℙ [*Hēlĭădes, ae*, m. Ἡλιάδης, est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1115, 7. L. Scantius Heliades. *F.*]

HĔLĬANTHES, eos, n. ἡλιανθές, quasi flos solis: ab ἥλιος, sol, et ἄνθος, flos, herba, folio myrthi. *Plin.* 24, 17, 102. V. HELIOCALLIS.

HĔLĬCĀON, ŏnis, m. Ἑλικάων, filius Antenoris, Patavii conditoris, cujus meminit *Homer. Il.* 3, 124. et *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 242. ℙ Ab eodem videtur appellatus fuisse collis inter Euganeos, qui Roma venientibus, et oppidum Ateste proximantibus primus sese videndum offert, et ad cujus radices praedium suum habuit Sabina poetria Atestina: nunc *Calaone* appellatur. *Mart.* 10, 93. Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras, Pictaque pampineis videris arva jugis; Perfer Atestinae nondum vulgata Sabinae Carmina.

HĔLĬCĀŌNĬUS, a, um, adj. ad Helicaonem pertinens. *Mart.* 14, 152. cujus lemma est *Gausape quadratum.* Lodices mittet docti tibi terra Catulli: Nos Helicaonia de regione sumus, *h. e.* de agro Patavino, sive Atestino. V. v. praec.

HĔLĪCĒ, es, f. Ἑλίκη, urbs maritima Achaiae, aquis absorpta. *Ov. Met.* 15, 293. et *Plin.* 4, 5, 6. ℙ Item apud Graecos Ursa major, quae et Cynosura, signum coeleste. *Ov. Fast.* 3, 108. Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Helicen Graja carina notet. *Val. Fl.* 1, 17. Grajis Helice servanda magistris. Adde *Cic. Acad.* 4, 20. ℙ Item una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 176. ℙ Item genus salicis brevissimae, ita dictae, quia plectilis est, et ad viminum textus idonea: ab εἰλέω, volvo. *Plin.* 16, 37, 69.

HĔLĪCES. V. HELIX.

HĔLĪCHRYSOS. V. HELIOCHRYSOS.

*HELĪCO, onis, m. nomen viri proprium ap. *Cic. Fam.* 16, 18. *B. A.*

HĔLĪCON, ōnis, m. Ἑλικών, mons Boeotiae (quae hinc *Heliconia* dicta est) Thespiis et Parnasso vicinus, inter illum et Thebas, Musis et Apollini sacer: ita dictus ab Helicone, qui cum Cithaerone fratre singulari certamine pugnasse fertur. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 11. qui ad *A.* 7, 641. et ad *ib.* 10, 163. facit esse unum ex duobus jugis ipsius Parnassi. *Virg. A.* 10. Pandite nunc Helicona Deae, cantusque movete. *Ov. Met.* 2, 219. Virgineusque Helicon. *Id. Fast.* 4, 193. Heliconis alumnae.

HĔLĪCŌNĬĂDES et Hĕlīcōnĭdes, um, f. plur. dicuntur Musae, quibus Helicon mons sacer est. *Lucr.* 3, 1051. Adde Heliconiadum comites, quorum unus Homerus. *Pers. prooem.* 4. Heliconidasque, pallidamque Pyrenen.

HĔLĪCŌNĬS, ĭdis, adj. fem. ab Helicone. *Stat. Silv.* 4, 4, 90. Parnassique jugis, silvaque Heliconide festis Tura dedit flammis. ℙ *Heliconides*, Musae. V. v. praec.

HĔLĪCŌNĬUS, a, um, adj. ad Heliconem et Musas pertinens. *Catull.* 61, 1. Collis o Heliconii Cultor. *Ov. Amor.* 1, 1, 15. Heliconia Tempe, *h. e.* loca amoena circa, et in ipso Helicone. *Claud. Laud. Serenae* 10. Heliconia mella. Et *epigr.* 5. Heliconia Nais.

HĔLĬŌCALLĬS, ĭdis, f. ἡλιοκαλλίς, herba eadem, quae helianthes: ita dicta, quia hac perunctum corpus fit aspectu jucundum: ab ἥλιος, sol, et κάλλος, pulcritudo. *Plin.* 24, 17, 102.

HĔLĬŌCĂMĪNUS, i, m. ἡλιοκάμινος, solaris fornax, vaporarium solare, hoc est locus concameratus, et soli expositus, ac hiberno tempore calorem ex illo concipiens: ab ἥλιος, sol, et κάμινος, fornax. *Plin. ep.* 2, 17. In hac (*cryptoporticu*) heliocaminus quidem alia xystum, alia mare, utraque solem prospicit. Adde *Ulp. Dig.* 8, 2, 17.

HĔLĬŌCHRYSOS, i, m. et Heliochryson, i, n. ἡλιόχρυσος, herbae nomen ap. *Plin.* 21, 11, 38., et *ib.* 25, 96. V. CHRYSANTHEMUM. [*Sumpfgoldblume. Secundum alios *Gnaphalium Stoechas L., al. Tanacetum annuum L.*] ℙ [In utroque *Plin. l. c.* alii fortasse melius leg. *helichrysos*, et *helichryson*, ut ἑλίχρυσος scribitur apud *Theocrit. Idyll.* 1, 30., nempe ab ἕλος palus, et χρυσός, aurum, quia in locis palustribus nascens colore aureo est. *F.*]

[HĔLĬŌDŌRA, ae, f. solis donum: ab ἥλιος, sol, et δῶρον, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1153, 6. Abiena Heliodora. *F.*]

*HĔLĬŌDŌRUS, i, m. Ἡλιόδωρος, chirurgus, de quo *Juven.* 6, 373. ℙ Item rhetor, Horatii comes, quem ipse *Sat.* 1, 5, 3. *Graecorum longe doctissimum* vocat. ℙ Item nobilis statuarius. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 34. ℙ Item nobilis sculptor. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 10. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 344, 3. P. Acilius Heliodorus. *B. A.*

HĔLĬŌGĂBĂLUS. V. ELAGABALUS.

*HELIOPOLIS, is, f. Ἡλιόπολις, vel Ἥλιου πόλις. Hodiernum nomen creditur esse *Matarea.* V. *Prideaux's Connect.* T. 3. p. 356. 357., et cf. v. seq. ℙ Fuit et Heliopolis Coelesyriae urbs, in monte Libano. *Plin.* 5, 22. *Postello* est hodiernum *Balbec, Nigro* autem *Marbech. B. A.*

HĔLĬŌPOLĪTAE, arum, m. plur. Ἡλιοπολῖται, cives Heliopolis, quae urbs est Aegypti in Arabiae confinio Aegyptiis olim, et etiamnum *On* appellata, cujus mentio est apud *Cic. N. D.* 3, 21. Distinguitur autem ab alia Heliopoli, quae fuit urbs Coelesyriae, nunc *Balbek:* a *Plin.* 5, 22, 18. memorata. De priore *Id.* 36, 26, 67. Heliopolitarum caeremoniae. ℙ Adjective *Heliopolites nomos*, Ἡλιοπολίτης νομός, praefectura regionis ejus. *Id.* 5, 9, 9. ℙ *Heliopoliten Dia*, Ἡλιοπολίτην Δία, hoc est Jovem Heliopoliten, vocant Assyrii Solem, quem maximis caeremoniis colunt in civitate, quae Heliopolis appellatur. Ejus Dei simulacrum sumptum est de oppido Aegypti, quod et ipsum Heliopolis appellatur, regnante apud Aegyptios Senemure. Haec *Macr. Sat.* 1, 23.

HĔLĬŌPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Heliopolin Aegypti pertinens, ut Heliopolitana civitas, *Ammian.* 17, 4. et Juppiter Heliopolitanus in *Inscr.* ap. *Mur.* 231, 4. Cultores Jovis Heliopolitani Berytenses, qui Puteolis consistunt. ℙ *Heliopolitani, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 542. Qui in cultu corporis Heliopolitanorum sunt, eruntque. V. v. praec.

[HĔLĬŌPON, i, n. ἡλίοπον, oculum soli similem habens; ita appellatur herba eadem ac heliotropium: ab ἥλιος, sol, et ὤψ, ὀπός, oculus. *Appul. Herb.* 49. A Graecis dicitur heliotropion, quibusdam heliopon. *F.*]

HĔLĬŌSCŌPĬOS, ii, m. ἡλιοσκόπιος, genus tithymali, foliis porcilacae, ramulis stantibus a radice quatuor, aut quinque rubentibus, semipedali altitudine, succi plenis, semine albo, columbis gratissimo. Nomen habet, quia capita cum sole circumagit: ab ἥλιος, sol, et σκοπέω, aspicio. *Plin.* 26, 8, 42. ℙ *Helioscopion, ii*, n. ἡλιοσκόπιον, genus heliotropii ab ima radice ramosum, in pingui solo nascens, semine in foliculis condito, quod messibus colligitur. *Id.* 22, 21, 29. *Appul. Herb.* 108. vocat *helioscopum.*

HĔLĬŌSĔLĪNUM, i, n. ἑλιοσέλινον, genus apii, quod sponte in humidis nascitur, uno folio, nec hirsutum: ab ἕλειος, palustris, et σέλινον, apium. [*Sumpfeppich, *Sellerie. (Apium graveolens L.)*] Aliud ejus genus, quod in montibus nascitur, cicutae foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tantum, dicitur oreoselinum: ab ὄρος, mons. Aliud item in siccis proveniens, pluribus foliis, simile helioselino, hipposelinum vocatur: ab ἵππος, qua in compositione auget, quia ceteris majus est. *Plin.* 19, 8, 37. et *Pall.* 5, 3.

[HĔLĬOSTROPHON, i, n. herba eadem ac malva erratica. *Appul. Herb.* 40. *F.*]

HĔLĬŌTRŌPĬUM, ii, n. ἡλιοτρόπιον, herba solaris: ab ἥλιος, sol, et τρέπω, verto, quia solem intuetur semper, cumque eo vertitur, etiam nubilo die. *Varr. R. R.* 1, 46. et *Plin.* 2, 41, 41. et 22, 21, 29. ℙ Etiam *Heliotropion* scribitur. V. HELIOPON. ℙ Item gemma, dicta, quod solis naturam vertere, et immutare videtur, quia aliter eum exhibet vasi aquae injecta, aliter extra aquam. Nam aquae immissa auget solis fulgorem sanguineo repercussu, extra aquam radios sive fulgorem quasi avertit, solemque velut in speculo exhibet, deprehenditque defectus, subeuntem lunam ostendens. *Plin.* 37, 10, 60. Haec eadem a *Capella* l. p. 20. dicitur *heliotropios.*

*HELĬUM, i, n. nomen ostii occidentalis Rheni vel Vahalis. *Plin.* 4, 15. Helium ac Flevum. Ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus, ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit: medio inter haec ore, modicum nomini suo custodiens alveum. *B. A.*

[HĒLĬUS, ii, m. ἥλιος, sol. *Not. Tir.* p. 161. Helius, helia. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 206. *n.* L. L. Servilius Helius. *F.*]

HĔLIX, icis, f. ἕλιξ, et εἵλιξ, species hederae sterilis, de qua V. in HEDERA. ℙ Item ornamentum in capitulo Corinthio in modum cauliculi vitei intorti, qui scalpitur in frontibus ejusdem capituli, floribus subjectum: ab *εἱλίσσω*, circumago, involvo. *Vitr.* 4, 1. Minores helices floribus, qui sunt in abaco, subjecti scalpantur.

HELLĂDĬCUS, a, um, adj. Ἑλλαδικός, Graecus, Graecanicus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 7. Picturae duo genera fuere, Helladicum, et Asiaticum.

[HELLĂDĬUS, ii, m. idem ac Graecanicus: ab Ἑλλάς, ἀδος, Graecia. Est cogn. libertinum. *Inscr.* ap. *Mur.* 899, 4, Helladius Aug. Lib. decurio cubiculariorum. *F.*]

*HELLANĬCE, es, f. soror Clyti, Alexandri M. nutrix. *Curt.* 8, 1. *B. A.*

[HELLĂNĬCUS, i, et Hellēnĭcus, i, m. Ἑλληνικός, Graecanicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1342, 8. C. Fannius C. F. Hellanicus. Alia apud *Grut.* 250. *col.* 2. C. Norbanus C. L. Hellenicus. *F.*] ℙ **Hellanicus*, *i*, m. Ἑλλανικός, historicus Lesbius, Herodoto antiquior aliquot annis. *Cic. Or.* 2, 12. *med. Gell.* 15, 23. V. *J. Kaye* de Hellanico disserentem in *Mus. Crit.* T. 2. p. 90. seqq. ℙ Fuit et alius, Milesius, de quo V. *Suidam* in Ἑλλάνικος. Adde *Voss. H. Gr.* 1, 1. et 4, 5. ℙ Hellanicus octavum eumque ultimum inter chiliarchas locum, in praemium fortitudinis, ab Alexandro M., cum in Satrapena subsisteret, accepit. *Curt.* 8, 1. *B. A.*

HELLAS, ădos, f. Ἑλλάς, Graecia, et praesertim ea Graeciae pars, quae spatiosior est, et longius a mari recedit, Peloponneso exclusa. *Plin.* 4, 7, 11. *Mela* 2, 3. ℙ Aliquando hoc nomine dicta est sola Thessalia. *Plin.* 4, 7, 14. ℙ Ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 278. est nomen mulieris proprium. ℙ *Fuit et Hellas vetus oppidum Thessaliae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

HELLĒ, es, f. Ἕλλη, Athamantis regis Thebanorum filia. V. PHRIXUS. *Colum.* 10, 156. Mox ubi nubigenae Phrixi, nec portitor Helles. *Sidon. carm.* 9, 41. Nec non Thermopylas, et Hellis undas, *scil.* Hellespontum: *Hellis* vero nimis licenter dixit pro *Helles*, ut ultimam vocis litteram corriperet, non imitandus tamen.

*HELLEBORANDUS, a, um, veratro seu helleboro purgandus. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *B. A.*

HELLĔBŌRĪNĒ, es, f. ἑλλεβορίνη, herba similis helleboro, parva, exiguis foliis, jocineris vitiis, et contra venena utilis. *Plin.* 13, 20, 35. et 27, 9, 52.

HELLĔBŌRĪTES, ae, m. ἑλλεβορίτης, vinum helleboro conditum. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. V. ABROTONITES.

[HELLĔBŌRO, as, a. 1. helleboro purgo. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *med.* Hippocrates helloborandos principio aegros ordinavit. *F.*]

HELLĔBŌRŌSUS, a, um, adj. qui plus hellebori sumpsit, quam par est: hinc et pro insano ponitur. *Pl. Rud.* 4, 3, 67. Homo helleborosus.

HELLĔBŌRUS, i, m. et Helleborum, i, n. ἑλλέβορος, herbae species, Latine veratrum. V. ANTICYRA. Praecipuus ejus usus est in educendis noxiis humoribus principis animae facultatis sedem infestantibus, et melancholicis, furiosis, et comitiali morbo laborantibus dari solet. Hinc factum est, ut, qui haud sano sint animo, helleboro egere dicantur. Duo sunt ejus genera, album, quod vomitione causas morborum extrahit, et nigrum, quod per alvum, quicquid noxium est, dejicit. *Virg. G.* 3, 451. Helleborosque graves, nigrumque bitumen. *Plin.* 25, 13, 94. Efficacius helleborum ad vomitiones, et ad bilem nigram extrahendam. *Pl. Ps.* 4, 7, 89. Helleborum hisce hominibus opus est. Multa de eo *Plin.* 25, 5, 21. et *Gell.* 17, 15. ℙ Scribitur et sine aspiratione, quoniam et Graeci saepe omittunt.

HELLEN, ēnis, m. Ἕλλην, filius Deucalionis, Thessaliae rex, a quo Graeci Hellenes, Ἕλληνες, dicti sunt. *Plin.* 4, 7, 14.

HELLĒNĬCUS. V. HELLANICUS.

HELLĒNISMUS, i, m. ἑλληνισμός, a grammaticis vocatur forma loquendi a Latina consuetudine recedens, et Graecorum leges servans, ut *certare alicui*, *certus salutis*, *desine querelarum*, *triste lupus stabulis*, *cetera Grajus*, et sexcenta hujusmodi, quibus poetae abundant. *Luccejus* quoque hellenismum fecit scribens ad *Cic. Fam.* 5, 24. V. CONSUESCO. ℙ Ipsa vox Graeca est, et Graece adhibenda.

HELLESPONTĬĂCUS, a, um, et Hellespontius, a, um, adj. ab Hellesponto mari, vel regione. *Virg. G.* 4, 111. Hellespontiaci servet tutela Priapi. *Catull.* 18. *ad hortor. Deum.* Nam te praecipue in suis urbibus colit ora Hellespontia. *Cic. Fam.* 13, 53. Si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversiae.

HELLESPONTĬAS, ae, m. Ἑλλησποντίας, a quibusdam vocatur Caecias ventus, teste *Plin.* 2, 47, 46.

*HELLESPONTĬCUS, a, um, adj. Hellespontius, ut *Hellesponticum fretum* ap. *Mel.* 1, 2. Adde *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 94. *B. A.*

HELLESPONTĬUS. V. HELLESPONTIACUS.

HELLESPONTUS, i, m. Ἑλλήσποντος, fretum seu angustiae maris inter Thraciam et Asiam minorem. Extenditur a Sept. in Mer. per XLV. M. P., nempe a Propontide usque ad mare Aegaeum. Maxime autem restringitur ad Aust. inter Sestum urbem Thraciae in Europa, et Abydum urbem Phrygiae in Asia, arces Turcarum (*die Dardanellen*), quae VII. vel VIII. tantum stadiis inter se distant: ibique magis proprie Hellespontus dicitur. Nomen habet ab Helle filia Athamantis regis Thebarum, quae ibi decidens submersa est. ℙ Hellespontus quoque, regio Asiae, pars Mysiae, mari praedicto exposita, inter Bithyniam, et Phrygiam, in qua urbes sunt Cyzicus, Parium, Lampsacus, Abydus, Dardanum. *Plin.* 4, 11, 18. et *ib.* 12, 24. Item *Mela* 1, 1.

*HELLŌPES, um, pop. Epiri, juxta Dodonam. *Plin. praef.* 4. *B. A.*

HELLŬOR, etc. V. HELUOR.

[HELLUS, i, m. ἑλλός, mutus, vel hinnulus. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 305. *tab.* C. Hellus atriensis. Hic *Hellus* cum aspiratione scribitur, licet nulla sit in Graeca voce. *F.*]

*HELLUSĪI, orum, pop. Germanici. *Tac. G.* 46. *B. A.*

*HELMODENES, um, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

HĔLOPS, opis, m. et Hĕlŏpē, es, f. piscis genus delicatissimi saporis, in mari Pamphylio: quodnam vero piscis genus significetur, V. in ACIPENSER. *Colum.* 8, 16. *Plin.* 9, 17, 27. et 32, 11, 54., *Gell.* 7, 16. et *Ov. fr. Halieut.* 96. Et pretiosus Helops nostris incognitus undis. ℙ [*Helops* est etiam cogn. R. (ab ἕλοψ, vel ἔλλοψ, mutus.) *Inscr.* ap. *Grut.* 585, 8. P. Ciartius Helops. *F.*] ℙ Scribitur et Elops, et Ellops, a Graec. ἕλοψ, ἔλλοψ.

HĔLORUM. V. ELORUM.

*HELOS, Ἕλος, locus sive opp. Peloponnesi, in Elide, ad Alpheum flumen. *Plin.* 4, 5. *B. A.* [*V. v. sq.]

[HĔLŌTES, um, m. plur. et Ilotae, arum, m. plur. Εἵλωτες, et Εἱλῶται, Iloti, servi publici Lacedaemoniorum, arandis colendisque praecipue agris damnati, sic dicti ab Ἕλος, oppido maritimo Peloponnesi, teste *Pausania* 3, 20., quo a Lacedaemoniis everso, illius incolae in servitutem sunt redacti: alii vero ita dictos putant ab obsoleto ἕλω, capio, tanquam *bello captos*, *minus bene. V. *Crag. de Rep. Laced.* 1, 11. *Loccen. Ind. Philolog.* ad *Nep. Ubb. Emm.* T. 3. *vet. Graec.* p. 139. *Coel. Rhodig. Ant. Lect.* 25, 19. *Alex. ab Alex.* 3, 20. *Meurs. Misc. Lacon.* 6. *Mitford. History of Greece)* Vol. 1. p. 316. seq. (ed. 1818.) et al. Cf. etiam *Athen.* 6. p. 272. A. et 14. p. 657. C. et D. *Schol.* ad *Thucyd.* 1, 101. *Steph. Byz.* in Ἕλος, *Pausan.* in *Laconicis*. *B. A. Nep. Paus.* 3. Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit, servorumque munere fungitur. *Liv.* 34, 27. Ilotarum deinde quidam (hi sunt jam inde antiquitus castellani, agreste genus) transfugere voluisse insimulati, per omnes vicos sub verberibus acti necantur. *F.*]

[HELPĬDEPHŌRUS, a, um, adj. spem portans: ab ἐλπίς, ίδος, spes, et φέρω, porto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1001, 9. Julius Helpidephorus. Hic *Helpidephorus* scribitur cum aspiratione, quamvis non sit in voce Graeca: praeterea scribi videtur pro *Helpidophorus*, est enim ab ἐλπίς, ίδος. V. ELPIDEPHORUS. *F.*]

[HELPIS, ĭdis, f. ἐλπίς, spes. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1150, 1. D. M. Aelies Helpidis. Hic *Helpidis* scribitur pro *Elpidis*. *F.*]

[HELPIZŪSĂ, ae, f. ἐλπίζουσα, sperans, part. ab ἐλπίζω, spero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 705, 5. Sammia Helpizusa. *F.*]

[HELVĂ, ae, f. cujus dimin. eadem videtur ac *helus*, sive *holus*, ut vetustiores dixere, teste *Festo*. Est cognomen antiquissimum gentis Aebutiae. *Liv.* 4, 11. M. Aebutius Helva. ℙ Scribitur et *Elva*. *F.*]

HELVĂCĔĂ, ae, f. genus ornamenti Lydii, dictum a colore boum, qui est inter rufum et album, appellaturque helvus. *Festus*, ubi al. leg. *heluaca*. Videtur tamen legendum *condimenti* pro *ornamenti*; etenim *helvella* est genus oleris.

HĔLŪĀTĬO, onis, f. λαφυγμός, voracitas, profusio in sumptibus ciborum. *Cic. in Sen.* 6. Cur in lustris et heluationibus hujus calamistrati saltatoris tam eximia virtus tamdiu cessavit? ℙ Scribitur et duplici *ll*. V. in HELUO.

*HELUĀTOR, oris, m. heluo. *Tert. B. A.*

HĔLŪCUS. V. ELUCUS.

*HELVECONAE, arum, vel Helvecones, um, pop. Germanici, de quibus *Tac. G.* 43. ubi accusativus *Helveconas* occurrit. *B. A.*

HELVĔLĂ seu Helvella, ae, f. λαχανάριον, olus minutum, ut *Fest.* definit: ab antiquo *helus* pro *holus*, seu *olus*. *Cic. Fam.* 7, 26. Fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius.

HELVĒNĂCĂ Vitis, omnium fertilissima, duo habet genera: altera enim major est, quam quidam longam: altera minor, quam emarcum appellant, non tam fecundam, sed gratiorem haustu. Discernitur folio circinato: verum utraque gracilis. Furcas subdere his necessarium: alioquin ubertatem suam non tolerant: maritimo afflatu gaudent, roscido odore. Nulla vitium minus Italiam amat, rara, parva, putrescens in ea, vino quoque quod genuit, aestatem non exsuperans. Haec *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. ℙ Adjective. *Colum.* 5, 5. *med.* Helvenaci generis palmites. *Plin.* 23, 1, 24. Helvenaco tamen nimio caput tentari convenit.

HELVĒNĂCĬUS, a, um, adj. ad helvenacam vitem pertinens, ut Helvenaciae vites. *Colum.* 3, 2. *med.* ℙ Dicitur et *helvenacus*. V. v. praec.

HELVĒNĂCUS. V. in HELVENACA.

HELVĔOLUS. V. in HELVOLUS.

HELVĒTĬI, orum, m. plur. pop. olim Galliae Lugdunensis, nunc Germaniae superioris, quorum regio Helvetia, lacubus et montibus plena. Habent ab Or. et Sept. lacum Brigantinum, et Rhenum fl. quo separantur a reliqua Germania, ab Occ. comitatum Burgundiae, a Mer. Lemanum lacum, et Valesiam. Plura de his V. apud Geographos. *Cic. Prov. cons.* 13. Acerrimae nationes, et maximae Germanorum, et Helvetiorum. ℙ Adjective. *Caes. B. G.* 1, 2. Helvetius ager; et 12. Helvetia civitas.

HELVĬĀNUS, a, um, adj. ad P. Helvium Pertinacem pertinens, qui Romano imperio potitus est post Commodum. Hinc *Helviani sodales* appellati, qui post ejus mortem in illius honorem sunt instituti, ut habet *Capitol. Pertin.* 15. *Inscr.* ap. *Grut.* 379, 7. C. Caerellio Fufidio sodali Marciano Aureliano, Commodiano, Helviano.

HELVĬCUS, a, um, adj. ad Albam Helvorum pertinens, quae est urbs Galliae Narbonensis mediterranea, teste *Plin.* 3, 4, 5. Hinc *Helvicum vinum*, quod in ejus agro provenit, apud *eund.* 14, 1, 3.

*HELVIDĬUS, i, m. nomen proprium R., ut Helvidius Priscus ap. *Tac. A.* 12. *Juven.* 5, 36. *Suet. Dom.* 10. *Plin. ep.* 9, 13. *extr.* ℙ Fuit et P. Helvidius Rufus, eques Romanus, de quo *Cic. Cluent.* 70. ℙ Absque aspiratione scribit *Vet. Schol.* in *Juven.* 5, 36. *B. A.*

[HELVĬI, orum, m. plur. populi Galliae Narbonensis ad Rhodanum amnem. *Caes. B. G.* 7, 7. et 75. ℙ *Helvii*, *orum* vocantur a *Plin.* 3, 4, 5., ex quo apparet, eum locum olim occupasse, qui nunc vocatur *le Vivarais*. Eorum urbs praecipua fuit Alba Helvorum, quae ab *eod.* 14, 3, 4. memoratur, nunc *Viviers*. *F.*]

*HELVILLUM, i, n. Umbriae opp. *Ant. Itin. B. A.*

HELVĪNUS. V. in HELVOLUS. ℙ Helvina Ceres. V. ELVINA.

*HELVĬUS, i, m. nomen proprium virorum Romanum, ut Q. Helvius Cinna, poeta, Catulli amicus. V. *Cinna*. Fuit et L. Helvius Lamia, de quo *Cic. de Or.* 2, 65. ut in quibusdam edd. legitur. Sed *Pighius* legendum putat *Aelius*, quod receptum a *Pearcio* probat *Ernestus*. Nam Lamia cognomen *Aeliorum* est, non *Helviorum*. Norunt tirones *Horatii* illud: *Aeli*, vetusto nobilis ab *Lamo*, Quando et priores hinc *Lamias* ferunt Denominatos, etc. ℙ Mulierum nomen fuit *Helvia*, *ae*, *f.* Ἑλβία: quarum una mater fuit Ciceronis, teste *Plutarch.* in *Cic.* 1. alia autem Senecae philosophi mater *B. A.*

HĔLŬO, onis, m. λαφύκτης, ἄσωτος, qui immoderate bona sua consumit: ab *eluendo*, inquit *Fest.*, et aspiratio additur, ut aviditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior. Item universim ganeo, gurges, et in ventre sumptuosus. *Cic. Sex.* 11. Me ipsum ut contempsit heluo patriae! nam quid ego patrimonii dicam, quod ille, cum quasi quaestum faceret, amisit? *Id. Agr.* 1, 1. Impurus heluo. *Id. in Sen.* 6. immanis. *Id. Dom.* 10. spurcissimus. *Id. Pis.* 17. *f.* Ille gurges atque heluo, natus abdomini suo. *Ter. Heaut.* 5, 4, 10. gerro, iners, fraus, heluo, Ganeo, damnosus. *Gell.* 7, 16. Pleraque id genus, quae heluones isti terra et mari conquirunt. Translate *heluo librorum*, qui legendo satiari non potest. V. HELUOR. ℙ Scribitur et *helluo*: sed *Festi* etymologia *Manutium* movit, ut unicam liquidam praeferret: quod et *Dausquio* placet.

HELVŎLUS, a, um, adj. dicitur de uvis, quae colorem habent medium inter purpureum et nigrum: ab *helvus*. *Colum.* 3, 2. *med.* Sunt et helvolae uvae, quas nonnulli varias appellant, neque purpureae, neque nigrae: ab helvo, nisi fallor, colore vocitatae. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. Insignes jam co-

lore inter purpureas nigrasque medio helvolae, saepius varianti, et ob id variae a quibusdam appellatae. ℙ Dicitur et *helvĕolus* eodem sensu. *Cato R. R.* 6. Helveolum minutum conserito. Et 24. Si helveolum vinum facere voles, dimidium helveoli, dimidium apicii vini indito. *Plin.* 14, 4, 5. referens verba modo allata ex *c.* 6. *Catonis*, habet: *helvinum minusculum conserito*, ut sit etiam *helvinus, a, um.*

HĔLŬOR, aris, atus sum, dep. 1. *λαφύσσω*, devoro, ventre absumo. *Cic. Prov. cons.* 6. *extr.* Cum Graecis jam in exostra heluatur: antea post siparium solebat. *Id. Sext.* 52. Quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, heluabare? *Id. Dom.* 47. Ille gurges heluatus tecum simul reipubl. sanguinem. ℙ Translate. *Id. Fin.* 3, 2. de Catone. Quo magis tum in summo otio, maximaque copia, quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. Al. leg. *quasi heluo librorum.* ℙ Scribitur et *helluor.* V. HELUO.

HĔLUS et Hēlūsă (al. leg. *Helesa*) antiqui dicebant, quod nunc holus, et holera. *Festus.*

HELVUS, a, um, adj. color medius inter album et rubrum. *Varr. R. R.* 2, 5. de vaccis. Corium attactu non asperum, ac durum, colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, quarto albo; mollissimus enim hic, ut durissimus primus. De mediis duobus prior, quam posterior, melior: utrique pluris, quam nigri, et albi, *h. e.* quam nigri et albi simul, *h. e.* varii maculosi.

HELXĪNĔ, es, f. *ἑλξίνη*, herba est a radice foliosa, ex qua media veluti malum extuberat, contectum sua fronde: folia habet et caules spinosae lanuginis, aestate florens: vertex summus lacrimam continet jucundi saporis, acanthicen mastichen appellatam. Sed est rara visu, neque in omnibus terris. *Plin.* 21, 16, 56. ℙ Alia est, etiam perdicium dicta, quoniam perdices ea praecipue vescuntur: folia habens mixtae similitudinis plantagini et marrubio: cauliculos densos, leviter rubentes, semina in capitibus lappaceis adhaerentia vestibus: unde et helxinen dictam volunt. (nempe ab *ἕλκω*, traho.) Sed nos, qualis vera esset helxine, diximus priori libro. (scil. *l. c.*) Haec *Plin.* 22, 17, 19. [*Parietaria officinalis. *L.*]

HEM, interjectio est familiaris, variis inserviens affectibus: ut vocantis, et admonentis. *Pl. Poen.* 3, 4, 16. Hem, istaec volo ergo vos commeminisse omnia. *Ter. Ph.* 1, 4, 35. Hem, istuc serva. ℙ Et ostendentis, pro *en. Id. Andr.* 5, 2, 1. Hem Davum tibi. *Pl. Trin.* 2, 4, 140. Oves scabrae sunt, tam glabrae, hem, quam haec est manus. ℙ Dolentis, et ingemiscentis. *Ter. Andr.* 4, 5, 8. Itane Chrysis? hem! *My.* nos quidem pol miseras perdidit. *Id. Eun.* 5, 1, 11. Hem, misera occidi! ℙ Indignantis, irascentis. *Ter. Andr.* 4, 1, 42. Hem, quid ais, scelus? et 4, 4, 47. Audistin', obsecro? hem scelera. Adde *Eun.* 4, 7, 35. et V. HUI. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Hem! nos homunculi indignamur, si, etc. ℙ Et verberantis. *Pl. Curc.* 1, 3, 39. Hem tibi pro maledictis istis. *Id. Ps.* 1, 2, 22. Hem, sic datur, si quis herum servus spernit. Adde *Mil. a.* 5. *v.* 12. et *Ter. Ad.* 2, 1, 18. ℙ Item admirantis. *Pl. Poen.* 5, 2, 86. Ego sum ipsus, quem tu quaeris. *Poe.* hem, quid ego audio! *Ter. Andr.* 3, 1, 4. Pamphilus firmavit fidem. *Si.* hem. ℙ Item exsultantis. *Id. ib.* 4, 2, 3. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. ℙ Et respondentis. *Id. Ad.* 2, 4, 17. Heus heus Syre. *Sy.* hem, quid est? ℙ Et recordantis. *Pl. Mil.* 1, 1, 36. Hem scio jam, quid vis dicere. ℙ Sollicitum etiam et laborantem significat. *Ter. Eun.* 4, 2, 8. Occepi mecum cogitare: hem, biduum hic Manendum est soli sine illa. ℙ Interdum servit ironiae. *Id. Ph.* 4, 4, 7. hem, si quid velis, Huic mandes, quod quidem recte curatum velis. ℙ *Sine aspiratione *Cic. Or. pro Scauro fragm.* ed. *A. Maio*, p. 44. ed. *Kil.* Em! quibus familiis quam foedis, quam contaminatis, quam turpibus, — Em! quibus testibus, etc. Sed fortasse sic scriptum in cod. pro *En! B. A.*

*HEMASĪNI, orum, populi antiqui Dalmatiae. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

HĒMĔRĔSĬOS, ii, m. et f. *ἡμερήσιος*, unius diei: ab *ἡμέρα*, dies. *Plin.* 35, 11, 40. Absolvit uno die tabellam, quae vocata est hemeresios, puero picto.

[HĒMĔRĪNUS, i, m. *ἡμερινός*, diurnus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 351. *n.* VIII. Emerinus Victoriae alumnae suae. Hic perperam *Emerinus* scribitur pro *Hemerinus. F.*]

HĒMĔRĬS, ĭdis, f. *ἡμερίς*, genus arboris glandiferae, brevioris, et in orbem comosae, alasque ramorum crebro cavatae: quae maximam glandem fert, et gallam optimam. *Plin.* 16, 6, 8. ℙ [Est etiam cogn. R. (ab *ἡμερίς*, mansueta). *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 317. *n.* 410. Valeriae Hemeridi Chryseros fecit. *F.*]

HĒMĔRŎBĬOS, ii, m. et f. *ἡμερόβιος*, unum tantum diem vitae habens: ab *ἡμέρα*, dies, et *βίος*, vita. Nomen est cujusdam volucris quadrupedis circa solstitium nascentis, apud Hypanim fluvium in Ponto. *Plin.* 11, 36, 43.

HĒMĔRŎCALLES, is, n. 3. *ἡμεροκαλλές*, species lilii, diem tantum durans: ab *ἡμέρα*, dies, et *κάλλος*, pulcritudo. Usum habuit in coronamentis. *Plin.* 21, 10, 33. et *ib.* 21, 90.

HĒMĔRŎDRŎMI, orum, m. plur. *ἡμεροδρόμοι*, cursores, qui die uno ingens spatium cursu emetiuntur. *Liv.* 31, 24. Nisi speculator (hemerodromos vocant Graeci) ingens die uno cursu emetiens spatium, contemplatus regium agmen e specula quadam, praegressus nocte media Athenas pervenisset. ℙ Inter hemerodromos clarissimus fuit Philonides, Alexandri M. cursor, de quo *Plin.* 2, 71, 73.

[HĒMĔRŎTON, i, n. herba eadem ac centaurea major. *Appul. Herb.* 34. *F.*]

HĒMĪCILLUS, i, m. dimidius asinus: vox convicii, quam quidam legunt ap. *Cic. Att.* 13, 51., ubi tamen alii leg. *μικκύλος*, pusillus. [*Retinuit Vulgatam *Orell.*] ℙ [Est etiam cogn. R. *Nummus* in *G. Flavia* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 213. C. Flavii Hemicilli. Ita porro legend. putat *B. Borghesius* in *Dec. numism. osserv.* 10, 5. *F.*]

HĒMĪCRĀNĔUM vel Hemicranium, ii, n. *ἡμικράνιον*, morbus, quo dimidia tantum pars capitis laborat, illaesa altera: ab *ἥμισυ*, dimidium, et *κράνιον*, caput. *Plin. Valer.* 1, 8. et *in lemmate* ap. *Seren. Sammon.* 2. et *Marcell. Empir.* 2.

*HĒMĪCRĀNĪCUS, a, um, adj. hemicrania laborans. *Octav. Hor.* 2, 21. Hemicranicis adjutorio adhibere.

HĒMĪCYCLĬUM, ii, n. *ἡμικύκλιον*, idem quod hemicyclus. *Vitr.* 9, 8. Describantur hemicyclia duo. [*V. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 396.] ℙ Item horologii quaedam species, forma semicirculari. *Id.* 9, 9. ℙ Item mensa semicircularis, aut etiam locus pluribus sellis dispositis in modum semicirculi, ubi sedere solebant confabulantes. *Sid. ep.* 2, 2. Excepto solii capacis hemicyclio. V. v. seq.

HĒMĪCYCLUS, i, m. *ἡμίκυκλος*, semicirculus: ab *ἥμισυ*, dimidium, et *κύκλος*, circulus. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Rectus hippodromi limes in extrema parte hemicyclo frangitur, mutatque faciem. ℙ Item locus in conclavi, vel porticu, ubi sellae disponuntur in semicirculi formam, ad colloquendum. *Cic. Amic.* 1. Cum saepe multa, tum memini domi in hemicyclo sedentem in eum sermonem incidere. Al. leg. *hemicyclio.* [*Ita *Orell.* Cf. *Gron.* et *Oudend.* ad *Suet. Gr.* 17.]

HĒMĪCYLINDRUS, i, m. *ἡμικύλινδρος*, dimidiatus cylindrus. *Vitr.* 9, 3.

HĒMĪNĂ, ae, f. *ἡμίνα*, mensurae genus, dimidium sextarii habens, ut *Fest.* docet: item vas eam mensuram continens: ab *ἥμισυ*, dimidium. Dicitur etiam cotyla. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 67. At cotylas, quas si placeat, dixisse licebit Heminas, recipit geminas sextarius unus. *Pl. Mil.* 3, 2, 18. Heminas octo exprompsi in urceum. *Sen. Ira* 2, 33. Propinare heminam alicui. *Pers.* 1, 129. Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas, *h. e.* iniquas mensuras, quibus insitores utuntur in vendendo: (quod erat aedilium officium. Sic *Juven.* 10, 102. vasa minora Frangere pannosus vacuis aedilis Ulubris.) *Cels.* 4, 15. *f.* Hemina salis; *ib.* 10. *f.* Hemina tritici. ℙ Heminae duodecim congium efficiebant. *Cato R. R.* 57. ℙ **Hemina* fuit etiam cogn. R., ut L. Cassius Hemina annalium scriptor ap. *Plin.* 29, 1, 6. et *Prisc.* 9, 868. *B. A.*

HĒMĪNĀRĬUS, a, um, adj. *κοτυλιαῖος*, heminae mensuram habens: et per translationem accipitur pro exiguo. *Quint.* 6, 3. *med.* Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit.

HĒMĬOLĬUS, ii, m. *ἡμιόλιος*, sesquialter, arithmetica quaedem proportio continens aliquem totum numerum, et ejus dimidium, ut se habent tria ad duo, et quindecim ad decem: ab *ἥμισυ* dimidium, et *ὅλος*, totus. *Gell.* 18, 14. et *Vitr.* 3, 1. ℙ *Hemioliae, arum*, ap. *Gell.* 10, 25. sunt certum navium genus: fortasse ita dictae a magnitudine. Sed alii leg. *moediae*, alii *modiae*, alii aliter.

[HĒMĬŌNĬON, ii, n. *ἡμιόνιον*, herba, quae et asplenum dicitur. *Plin.* 27, 5, 17. et *Appul. Herb.* 56. *F.*]

HĒMISPHAERĬUM, ii, n. *ἡμισφαίριον*, dimidia sphaera, ex. gr. dimidia pars coeli, aut terrae, aut rotae. *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Ita circumeunt ad infimum hemisphaerium, ac moventur, ut indicent, quot sint horae. *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. Theophrastus lacteum circulum dixit esse compagem, qua de duobus hemisphaeriis coeli sphaera solidata est; et 20. Sol post occasum in inferiore hemisphaerio currens. *Vitr.* 5, 10. *f.* hemisphaerium vocat cameratum coelum in membris balinei.

HĒMISTICHĬUM, ii, n. *ἡμιστίχιον*, dimidiatus versus. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 18. Enniano hemistichio usus est, ex ea tragoedia, quae Achilles inscribitur.

HĒMĬTHĔUS, i, m. *ἡμίθεος*, semideus, heros. *Baebius Macer* ap. *Serv.* ad *Ecl.* 9, 47. Statuae Caesaris in Capitolio positae subscriptum fuisse, Caesari Hemitheo. *Capell.* 2, 40. A medietate aeris usque in montium terraeque confinia Hemithei, Heroesque versantur.

HĒMĬTŌNĬUM, ii, n. semitonium, *ἡμιτόνιον*. *Vitr.* 5, 4. Intervalla tonorum, et hemitoniorum.

HĒMĬTRĪGLYPHUS, i, m. dimidium triglyphi. *Vitr.* 4, 3.

HĒMĬTRĪTAEUS, i, m. *ἡμιτριταῖος*, febris tertianae genus, multo perniciosius, quam tertiana simplex, cum febris tertio quidem die revertitur: ex octo autem et quadraginta horis fere sex et triginta per accessionem occupat, (interdum etiam vel minus, vel plus) neque ex toto in remissione desistit, sed tantum levior est. Ita *Cels.* 3, 3., qui tamen ipsa voce Graece utitur: est enim ab *ἥμισυς*, dimidius, et *τριταῖος*, tertius, quasi semitertianus: et subintelligitur *πυρετὸς*, febris. *Mart.* 12, 91. Cui gravis et fervens hemitritaeus erat; et 2, 40. Uri Tongilius male dicitur hemitritaeo. *Seren. Sammon.* 52. Mortiferum magis est, quod Graecis hemitritaeum Vulgatur verbis: hoc nostra dicere lingua Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes. ℙ *Hemitritaeus* etiam dicitur, qui tali febre laborat. *Mart.* 4, 81. Declamas aeger, declamas hemitritaeus.

HĒMĬTRĪTĀĬCUS, a, um, adj. idem quod hemitritaeus, diphthongo soluta. *Marcell. Empir.* 30. *med.* Febres acutas compescit, idest hemitritaicas. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *med.* et *Tard.* 1, 4.

*HEMODUS, i, m. mons Indiae. *Mela* 3, 71. ℙ *Emodus* audit *Plinio. B. A.*

HĔMŌNĂ, humana, et hĕmōnem hominem dicebant. *Paul.* ex *Festo.* Hinc *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 683. Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem. *Prisc.* tamen legit *homonem*, docens, vetustissimos *homo, homonis*, declinasse. Eadem lectionis varietas est in illo *Naevii* ap. *Merul. in commentar. fr. Ennii* p. 2. Qui terrai Latiai homones tuserunt, etc.

[HĒMONENSIS, e, adj. ad Hemonam, sive Aemonam, sive Emonam pertinens, urbem Norici, seu Pannoniae superioris, ad fluvium Nauportum, quae nunc *Laybach* in *Carniola*, olim Julia Emona appellata in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 225, 7. Ejus mentio exstat ap. *Plin.* 3, 18, 22. Nauporto flumini nomen ex ea causa est inter Aemonam, Alpesque exorienti; et *ib.* 25, 28. In Pannonia coloniae Aemona, Siscia. Hinc *Hemonenses, ium*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Stancovichium*, *Anfiteatro di Pola* p. 118. C. Praecellio C. F. Pap. (fortasse legend *Pup.*) Augurino Vettio Festo Crispiniano Vibio Vero Cassiano C. I., Triumviro Capitali, Trib. Leg. VII. Gem., patrono splendidissimo Col. Aquile*jensium*, et Parentanorum (fortasse *Parentinorum*), Opiterginor*um*, Hemonen*sium* (fortasse Aemonen*sium*) ordo et plebs Parent. Aer. Conl. L. D. D. D. ℙ Sunt qui putant, tres fuisse ejusdem fere nominis urbes, *Aemonam* scilicet Norici, quae Germanis *Laybach*, Italis *Lubiana* dicitur, quam scriptionem servant binae inscriptiones ap. *Mur.* 1019, 4. et 2089, 8., aliae etiam apud *J. L. Schönlebenium*, *Carn. ant. et nova;* denique *Plin. l. c.*, aliique plures: tum *Emonam* Pannoniae, cujus tamen situs incertus, scriptio vero certissima est in binis inscriptionibus ap. *Maff. Mus. Verr. l. c.* et 310, 1., in alia ap. *Grut.* 556, 5., ter apud *Mur.* 1095. *tab.* 2. septies apud *Marin. Frat. Arv.* p. 325, 326, 327, 333. et in *Lettera al P. Ab. Rosini;* quater denique ap. *Fea, Framm. di Fast. Cons.* p. 6. *n.* 9., hinc apud Graecos *Ἥμων*, vel *Ἥμονα* scribitur, ut apud Latinos etiam Narbo, et Narbona: tandem *Hemonam* Histriae, ubi nunc *Cittanova*, ut existimant plerique et praesertim *Stancovichius l. c.*, quia haud procul inde, nempe Parentii, repertus est lapis cum inscriptione supra allata, deinde quia episcopus illius urbis ex IV. a Chr. n. saeculo ad haec usque tempora *Aemonensis* appellatur. ℙ Verum unam tantummodo fuisse urbem, in Norico nempe, cujus nomen triplici quidem ratione scribi soleret, eamque modo Norico, modo Pannoniae attributam fuisse putamus, quia in confinio earum regionum sita erat; *Stancovichio* vero ita reponendum ducimus. Ex eo quod C. Praecellius in allata Parentina inscriptione dicitur *patronus Hemonensium*, minime consequitur, Hemonam in Histria quaerendam esse, praecipue cum urbs Opiterginorum, quorum itidem ille patronus fuit, Parentio longius etiam distet, quam Aemona Norici: deinde fieri potuit, ut, hac urbe a Barbaris IV. a Chr. n. saeculo capta ac eversa, illius episcopus sedem suam in Histriam transtulerit, ubi nunc est *Cittanova*, servaverit tamen, ut saepe alias factitatum novimus ex historia Ecclesiastica, vetustam *Aemonensis* appellationem. Quid si tandem subdubitare quis audeat, num vera sit lectio tum *Hemonae* apud plures auctores, tum *Hemonensium* in allato lapide? quae quidem ex mendosa permutatione litterae *A* perperam a descriptoribus pro *H.* habitae orta fuerit: quod facili negotio fieri potuisse, quivis per se probe noverit. Quin etiam, cum plures admodum sint loci et indubiae auctoritatis, ubi *Emona* scribitur; pauci vero, ubi *Aemona;* pauciores etiam, ubi *Hemona*, has postremas scriptiones vitiosas, priorem autem unice veram esse, non nemo arguere profecto possit. *F.*]

*HEMUATI, orum, pop. Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

HENDĔCĂSYLLĂBUS, i, m. ἑνδεκασύλλαβος, species carminis undecim syllabis constans, *h. e.* spondaeo, dactylo, et tribus choreis, ut illud *Catulli* 1, 1. *Cui dono lepidum novum libellum.* Dicitur et *Phaleucium* ab inventore Phaleco. Alia est species, quae *Sapphicum hendecasyllabum* dicitur, choreo, spondaeo dactylo, et duobus choreis constans, ut illud *Hor. Od.* 1, 2. *Jam satis terris nivis, atque dirae. Plin. ep.* 4, 14. Accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros. *Catull.* 12, 10. Quare aut hendecasyllabos trecentos Exspecta, aut mihi linteum remitte. ℙ Alias hendecasyllaborum species refert *Diomed.* 3, 509.

HENDIADYS. V. ENDIADYS.

HĔNĔTI, orum, m. plur. Ἐνετοὶ, populi Paphlagoniae, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos, credi postulat Nepos Cornelius. *Plin.* 6, 2, 2. V. VENETI.

*HENETĬA, ae, f. Ἐνετία, olim dicta est, quae Venetia, teste *Serv. A.* 1, 247. V. *Heneti* et cf. *Plin.* 4, 19. *Liv.* 1, 1. *B. A.*

HĔNĬOCHI, orum, m. plur. Ἡνίοχοι, feri populi Sarmatiae Asiaticae, quorum plura sunt genera, et aliquot enumerat *Plin.* 6, 4, 4. et *ib.* 5, 5. Nomen autem et originem habere dicuntur ab Amphito, et Telchio aurigis Castoris ac Pollucis. Nam *heniochus* significat *habenas tenens:* ab ἡνία, habena, et ἔχω, habeo. *Val. Flacc.* 6, 42. Miserat ardentes, mox ipse sequutus, Alanos, Heniochosque truces, jampridem infensus Anausis. *Senec. Thyest.* 1048. Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam Heniochus habitans?

HĔNĬOCHĬUS, a, um, adj. Ἡνιόχιος, ad Heniochos pertinens. *Plin.* 6, 9, 10. Cyrus oritur ex Heniochiis montibus.

HĔNĬOCHUS, a, um, adj. Heniochius. *Ov. Pont.* 4, 10, 26. Heniochae nautis plus nocuere rates. Al. aliter leg.

HĔNĬOCHUS, i, m. Ἡνίοχος, nomen impositum Erichthonio curruum inventori, postquam factus est sidus, et in coelum translatus. Etym. V. in HENIOCHI. *Plin.* 18, 31, 74., *Manil.* 1, 361. et *Hyg. Astr.* 3, 12. V. AURIGA.

HENNAEUS et Hennensis. V. ENNAEUS et ENNENSIS.

HĔNOSIS, eos, f. adunatio, unio, ἕνωσις: ab ἑνόω, aduno: unus est ex aeonibus Valentiniani, ap. *Tert. adv. Valent.* 8.

HĔNŌTES, ētos, f. ἑνότης, ητος, unitas. Unus ex aeonibus Valentiniani, apud *Tertull. adv. Valentin.* 37.

[HĔORTĒ, es, f. ἑορτὴ, dies festus, laetus, solemnis. Est cogn. R. *Inscr.* apud *Mur.* 1551, 10. Oppia Heorte. *F.*]

HĔPAR, ătis, m. piscis ex genere locustarum. *Plin.* 32, 11, 53. ℙ Item *hepar* Latine usurpatur pro jecore, ab ἧπαρ. *Marcell. Empir.* 14. *f.* Hepatis duritia, et hepatis dolores. ℙ Scribitur et *epar,* sed melius cum aspiratione.

HĔPĂTĂRĬUS, a, um, adj. ἡπατικὸς, ad hepar pertinens. *Pl. Curc.* 2, 1, 24. *Pa.* Tum te igitur morbus agitat hepatarius. *Ca.* Facile est miserum irridere. *Morbus hepatarius* est amatorius; nam hepar, seu jecur est sedes amoris, et omnium affectionum. Hinc libidinosi Tityi poena est intelligenda, de qua *Hor. Od.* 3, 4, 77. Incontinentis nec Tityi jecur Relinquit ales.

HĔPĂTĬA, orum, n. plur. interanea: ab ἧπαρ, jecur. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 39. Gigeria sunt, sive adeo hepatia. *Petron. Sat.* 66. Hepatia in catillis. *Appul. Apol.* Si cocto pisce ventrem ruspparer, hepatia suffoderem.

HĔPĂTĬCUS, a, um, adj. ἡπατικὸς, qui hepatis morbo laborat. *Cels.* 4, 8. eum morbum describit, ejusque curationem tradit. *Plin.* 20, 14, 55. Hepaticis cum melle et sale bibendum datur. Adde 27, 12, 105. ℙ Scribitur et *epaticus.* V. in ALOE.

HĔPĂTĪTIS, is, f. ἡπατῖτις, gemmae nomen a figura jocinoris. *Plin.* 37, 11, 31.

HĔPĂTIZON, ontis, n. ἡπατίζον, jecoris colorem referens: ab ἡπατίζω, ad jecoris colorem vergo. *Plin.* 34, 2, 3. Aes Corinthium suo colore pretiosum ad jocinoris imaginem vergens, quod ideo hepatizon appellant.

*HEPHAESTĬA, ae, f. Ἥφαιστία, (i. e. *Vulcania*, sc. πόλις, urbs), oppid. Lemni insulae. *Liv.* 33, 35. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*HEPHAESTĬADES (insulae), dictae et Aeoliae, item Vulcaniae, prope Siciliam. *Plin.* 3, 8. Eaedem (*Aeoliae*) Hephaestiades a Graecis, a nostris Vulcaniae (*adpellatae*). *B. A.*

*HEPHAESTĬI MONTES in Lycia fuere, juxta Hephaestium urbem. *Plin.* 2, 106. *B. A.*

*HEPHAESTĬON vel Hephaestio, onis, m. Ἡφαστίων, unus ex Alexandri Magni ducibus, multum ab eo dilectus, quem ita cum Cratero conferebat, ut hunc quidem φιλοβασιλέα, Hephaestionem autem φιλαλέξανδρον appellaret. *Nep. Eum.* 2. *Curt.* 10, 4. ℙ Hephaestion, Alexandrinus Grammaticus, de quo *Suidas.* Inter Grammaticos Graecos, quos Verus Imperator audivit, memoratur *Julio Capitolino.* Exstat ejus etiamnum Ἐγχειρίδιον περὶ μέτρων καὶ ποιημάτων, a *Gaisfordio* abhinc tredecim annis doctissime editum atque illustratum. ℙ *Hephaestion*, herba scelerata. *Appul. de herb.* 8. ℙ *Hephaestion*, i, n. opp. Lyciae. V. *Hephaestium. B. A.*

HEPHAESTĪTIS, is, f. ἡφαιστῖτις, gemma est speculi naturam habens in reddendis imaginibus, quamquam rutilans. *Plin.* 37, 10, 60.

*HEPHAESTĪUM, i, n. urbs Lyciae. *Plin.* 5, 27. ℙ *Hephaestion* audit *Sen. Ep.* 79. *in.* ubi ed. *Gronov.* cum aliis quibusdam habet *Ephaestion.* Sed legendum *Hephaestion*, ut recte conjicit *Lipsius. B. A.*

HEPSĒMA, ătis, n. ἕψημα, sapa, mustum ad tertiam partem decoctum: ab ἕψω, coquo. *Plin.* 14, 9, 11.

HEPTACHORDOS, i, m. ἑπτάχορδος, septem habens chordas: ab ἑπτὰ, septem, et χορδὴ, chorda. Fuit cogn. cujusdam L. Valerii, de quo *Val. Max.* 7, 8. *n.* 7., fortasse quia vel ipse, vel ejus majorum aliquis musicae amantissimus septem chordarum lyra usus fuit.

[HEPTACHRONUS, a, um, adj. septem temporibus constans, idem ac heptasemus: ab ἑπτὰ, septem, et χρόνος, tempus. *Marius Victor.* p. 2483. Respondet pes imagini hippiorum, quos epitritos vocamus, qui sunt heptachroni, id est e prima brevi, et tribus longis.

*HEPTAGONĬAE, arum (ab ἕπτα, septem, et γωνία angulus), nomen loci prope Spartam, quasi tu *Septem angulos* dicas. *Liv.* 34, 38. Quod roboris in exercitu erat, trifariam divisum parte una a Phoebeo, altera Dictynneo: tertia ab eo loco, quem Heptagonias appellant, aggredi jubet. *B. A.*

HEPTĂMETRUM carmen heroicum dicitur a *Diomed.* 3, 512., si septem pedibus constet, ut *Clio cui dedit ingenium docile, atque libidine vinctum: ἑπτάμετρον.*

HEPTAPHŌNOS, i, f. porticus Olympiae ea arte confecta, ut eadem vox in ea septies redderetur: ab ἑπτὰ, septem, et φωνὴ, vox. *Plin.* 36, 15, 23.

HEPTĂPHYLLON, i, n. ἑπτάφυλλον, septifolium, herbae genus a foliorum numero appellata: ab ἑπτὰ, septem, et φύλλον, folium. *Appul. Herb.* 116.

HEPTAPLEUROS, i, f. ἑπτάπλευρος, dicta est plantago major, foliis laterum modo inclusa, quia haec septena sunt: ab ἑπτὰ, septem, et πλευρὸν, latus. *Plin.* 25, 8, 39. ℙ *Aliud plantae ejusdem nomen fuit *heptaneuros Appul. de herb.* 61. *B. A.*

*HEPTAPŌROS (us), i, Ἑπτάπορος, flumen Troadis. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

HEPTĂPYLOS, i, m. et f. et

HEPTĂPYLUS, a, um, adj. ἑπτάπυλος, septem habens portas: ab ἑπτὰ, septem, et πύλη, porta. *Appul. Met.* 4. Vix enim Thebas heptapylos accessimus. *Hyg. fab.* 275. Cadmus Thebas heptapylas condidit.

HEPTAS, ădis, f. ἑπτὰς, septenarius numerus. *Capell.* 7, 241. item *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. sed Graece. Uterque autem ibi multa de eo.

HEPTĂSĒMUS, a, um, adj. ἑπτάσημος, septem temporibus constans, item ac heptachronus: ab ἑπτὰ, septem, et σῆμα, nota. *Diomed.* 3, 505. In dimetris quidem cum prior basis pentasemos fuerit, id est temporum quinque, erit sine dubio secunda heptasemos, id est temporum septem.

HEPTASTĂDĬUM, ii, n. ἑπταστάδιον, agger septem stadiorum in mare procurrens, quo Pharos insula continenti septem dierum spatio juncta fuit: ab ἑπτὰ, septem, et στάδιον, stadium. *Ammian.* 22, 16.

[HEPTĂTEUCHUS, i, m. ἑπτάτευχος, septem volumina habens: ab ἑπτὰ, septem, et τεῦχος, liber. Hoc nomine vocantur quinque libri Moysi prophetae, seu pentateuchus, una cum libro Josue, et libro Judicum, quicum saepe jungitur etiam Ruth, hinc septenarius fit numerus; si vero separetur, fit octateuchus. *Sidon. ep.* 5, 15. Librum igitur hic ipse deportat Heptateuchi, scriptum velocitate summa, summo nitore. *F.*]

HEPTĒRES, is, f. ἑπτήρης, navis, quae septem remorum ordines habet. *Liv.* 37, 23. Maxime exterruit hepteres regia, a minore Rhodia navi uno ictu demersa. Adde 24. et 30. V. dicta in DECEMREMIS.

HEPTHĒMĬMĔRIS, is, f. quasi semiseptenaria, species caesurae in versibus heroicis, quae continet tres pedes, et syllabam, quae dictionem finiat, quae interdum, etiamsi natura brevis sit, licentia tamen poetica producitur: ab ἑπτὰ, septem, ἥμισυ, semis, et μερὶς, divisio, vel pars, quasi septima dimidia divisio, vel dimidium septem pedum: ut *Virg. A.* 12, 13. Congredior, fer sacra pater, et concipe foedus. *Serv.* in *Centimetr.* p. 1817. et *Diomed.* 3, 496.

*HEQUAESI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, in Gallicia, Braccarorum pars. *Plin.* 3, 3. ed. *Hard.* ubi al. aliter leg. *B. A.*

HĒRA, ae, f. οἰκοδέσποινα, κυρία, domina domus, materfamilias: et dicitur fere cum respectu ad servos, servasve. *Ter. Adelph.* 3, 1, 8. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera. ℙ Graecis Hērā, Ἥρα, est ipsa Juno, a qua Heretum oppidum cognominatum, tradit *Sol. Inscr.* 2. ap. *Fea, Framm. de' fast. cons.* p. 88. Junoni sanctae Herae Thyrsus. ℙ Item domina ea ratione, qua suas amicas amatores vocant. *Ov. Her.* 9, 77. de Hercule: Crassaque robusto deducis pollice fila: Aequaque famosae pensa rependis herae. Adde *Catull.* 68, 136. ℙ Et universim domina, potens, praeses. *Val. Fl.* 7, 313. Noctis heram, Ditemque ciens. Et 1, 780. Tergeminam tunc placat heram. Sic in illo *Ennii* ap. *Cic. Off.* 1, 12. Vosne velit, an me regnare, hera quidve ferat sors, Virtute experiamur: *hera* dicta est eo sensu, quo *Cic.* dixit *Pis.* 2. fors domina campi. Sic *Pl. Merc.* 3, 4, 12. Divum atque hominum quae spectatrix, atque hera eadem es hominibus, Spem speratam cum obtulisti hanc mihi, tibi grates ago. ℙ *Herai* in patrio singulari pro *herae*, est *Ausonii Idyll.* 7, 5. Matre carens, nutricis egens, nescivit herai Imperium. ℙ *Fuit et *Hera, ae*, f. Ἥρα, urbs Siciliae, *Hybla minor* notiore nomine dicta. *Cic. Attic.* 2, 1. *med. B. A.*

[HĒRACLĀ, ae, m. et Heracles, etis, m. Ἡρακλῆς, Hercules. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240, 1. P. Clodius Heracla. Alia ap. *Spon. Miscell.* p. 237. M. Ulpii Heracletis stratioticum. *F.*]

HĒRACLĒA, ae, f. Ἡράκλεια, nomen est quarundam urbium in Magna Graecia, in Ponto, in Syria, in Thracia, in ora Venetiae, etc. V. geographos. ℙ Heracleam Ponti ab Hercule Argivo nomen et originem habuisse, scribit *Mela* 1, 19. Ἡρακλῆς enim Herculis Graecum nomen est. ℙ *Heraclea, in Magna Graecia, aliquando Siris vocitata, ad sinum Tarentinum sita est. *Liv.* 1, 18. et 8, 24. *Cic. Arch.* 4. *Mela* 2, 4. *Plin.* 3, 11. V. *Siris.* Hodiernum nomen *Ereklee.* ℙ Heraclea, in Bithynia, ad Pontum fuit Euxinum (inde Pontica dicta), ad Lycum flumen. *Mela* 1, 19. *Plin.* 6, 1. *Liv.* 42, 56. ℙ Heraclea, in Syria, in Seleucide fuit. *Plin.* 5, 20. ℙ Alia, in Syria, in regione Cyrrhestica. *Plin.* 3, 11. ℙ Heraclea, in Thracia, ad Propontidem, olim Perinthus dicta. *Justin.* 6, 3. *Plin.* 4, 11. ℙ Heraclea in ora Venetiae, urbs excisa, cui Urbs Nova, et ipsa eversa successit. *Mela* 2, 4. Cf. *Steph. Byz.* in Ἡράκλεια. ℙ Heraclea, in Sicilia, quae et Minoa. Locus nunc *Capo Bianco. Liv.* 24, 35. et 25, 40. *Mela* 2, 7. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. ℙ Heraclea, in Taurica Chersoneso, urbs in ora boreali, ad Maeotidem paludem, hodie *Heraclia. Plin.* 4, 12. ℙ Alia, in Acarnania *Liv.* 38, 1. ℙ In Caria alia. *Plin.* 5, 29. ℙ Item in Thessalia, nempe in Phthiotide, prope Thermopylas, ad montem Oetam, apud sinum Maliacum. *Liv.* 28, 5. et 7, 36. 22, 25. sqq. Olim *Trachin;* exinde plenius *Heraclea Trachin* dicta *Plin.* 4, 7. *Liv.* 35, 22. sqq. et 28, 5. et 7. ℙ Alia in Macedonia fuit Sintice vel Sintica cognominata. *Liv.* 42, 51. et 45, 29. In *Caes. B. C.* 3, 79. scriptum secunda vocali *Heraclea Sentica:* ubi v. *Sentica* uncinis includit *Oud.* ℙ Alia etiam in Macedonia, cujus meminit *Plin.* 4, 10. quae, *Cellario* judice, *Heracleum* est *Liv.* 44, 8. etc. ℙ Heraclea Cretae oppidum navale fuit Gnossiorum, juxta Gnossum. *Plin.* 4, 12. *Pineto* hodie est *Mirabello.* ℙ Heraclea Ioniae, in monte fuit Latmo. *Plin.* 5, 29. ℙ Heraclea Galliae Narbonensis, ad Rhodani ostium fuit. *Plin.* 4, 4. ℙ Fuit et Heraclea in Media. *Ammian.* 23, 23. In Parthia ponit *Strabo.* ℙ Et alia in Mediae parte boreali, in regione Cadusiorum, ab Alexandro condita, ut ait *Plin.* 6, 16. et *Solin.* 48. (al. 61.) ℙ Heraclea urbs triplex in Aegypto; una, Magna cognomine, ad Nilum, quae Herculis Urbs Magna *Ptolemaeo:* altera, Herculis urbs parva, apud Bubasticum fluvium et Bubastum urbem: tertia, in ora apud Heraclioticum ostium Nili, ab ea sic appellatum, Canopo finitima. *Plin.* 5, 10. ℙ Heraclea, sc. insula, prope Siciliam fuit, Aeoliarum una. *Mela* 2, 7. *med.* ℙ Est et Heraclea nomen proprium femineum ap. *Liv.* 24, 26. *B. A.*

*HERACLĒON SIDERION, Heraclēos, Heraclēa et Heraclīa, Herculis herba, eadem quae et Heraclium. *Plin.* 20, 17 et 19, 25, 4 et 7. et 26, 4 et 18. *Appul. de herb.* 18, 47, 49, 72. et 81. *B. A.*

HĒRACLĒŌPŌLĪTES, ae, m. Ἡρακλειοπολίτης, ad Heracleam pertinens, ut *Heracleopolites nomos*, praefectura regionis circa Heracleam oppidum in insula Nili fluvii ap. *Plin.* 5, 9, 9. Et *Heracleopolitae, arum*, ejus regionis incolae, *Id.* 36, 13, 19. *n.* 2.

HĒRACLĒŌTES, ae, m. Ἡρακλειώτης, qui est ex Heraclea urbe. *Cic. Acad.* 4, 22. Dionysius ille Heracleotes. *Id. Invent.* 2, 1. Heracleoten Zeuxin adhibuerunt. *Id. Fam.* 13, 56. Heracleotae, et Bargyletae. *Plin.* 5, 30, 32. Heracleotes tractus.

HĒRACLĒŌTĪCUS, a, um, adj. Ἡρακλειωτικὸς, ad Heracleam pertinens. *Plin.* 20, 16, 62. Cunila gallinacea, Graecis origanum Heracleoticum.

Oppius ap. *Macr. Sat.* 2, 14. Heracleotica nux, quam quidam castaneam vocant.

*HERACLĒUM, sc. oppid., urbs Macedoniae, in finibus Thessaliae, medio in Dium et Tempe loco. *Liv.* 44, 8. Adde 2, 5. et 9. *Heraclea* audit *Plin.* 4, 10. ℙ Item opp. Colchidis. *Plin.* 6, 5. ℙ et promontorium juxta situm. *Id. ib.* 4. ℙ et flumen, quod oppidum alluebat. *Id. ib.* ubi et *Heracleus* audit, sc. fluvius. *B. A.*

HĒRACLĒUS, a, um, adj. Ἡρακλειος, ad Herculem pertinens. V. in HERACLIUS.

[HĒRACLĪDĂ, ae, m. patronym. Ἡρακλείδης, filius, vel nepos Herculis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 334. M. Oratius M. F. Fab. Heraclida Roma. *F.*]

*HERACLĪDES, ae, m. Ἡρακλείδης, Herculis filius. Hinc *Heraclīdae, arum*, posteri Herculis, qui Peloponnesi imperium habuerunt. *Vell.* 1, 2. ℙ Heraclides, Ponticus philosophus, Athenas concessit, ibique Platonem, deinde Aristotelem audivit. *Cic. Leg.* 3, 6. *Tusc.* 5, 3. et *N. D.* 1, 13. Cf. *Laert.* 5, 86. sq. ℙ Fuit et Heraclides medicus, Tarentinus, de quo *Cels.* 3, 6. et 15. *med.* et al. ℙ Item pictor. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*HERACLIDĬUS, a, um, adj. ut *Heraclidium scribendi genus*, cujus mentio est in *Cic. Att.* 15, 13. et 27. et 16, 2. ubi obscure et aenigmatice significat Librum Heraclidis Pontici aemulatione scribendum, cujus hodie quaedam eclogae de rebus publicis reperiuntur, et in Homerum allegoriae. *B. A.*

HĒRACLĪENSIS et Heracleensis, e, adj. ad Heracleam pertinens. *Cic. Arch.* 4. Heraclienses legati. *Liv.* 36, 22. Heracleensis ager.

HĒRACLĪON et Heraclium, ii, n. Ἡράκλειον, herba quae et origanum Heracleoticum dicitur, triplicis generis: alia nigra, latioribus foliis, glutinosa: alia exilioribus mollior, sampsucho non dissimilis: alia inter has media, et minus, quam ceterae, efficax. Dicitur ab Hercule inventa. *Plin.* 25, 4, 12. et 20, 17, 69.

HĒRACLĪTĒUS, a, um, adj. Ἡρακλείτειος, ad Heraclitum pertinens, qui philosophus fuit Ephesius, celebris tum doctrina, quam sine magistro, sola natura ac diligentia acquisivisse dicitur; tum vero perpetuo fletu, quo res humanas prosequebatur. Hinc *Heraclitei* dicti sunt ejus discipuli, et sectatores. *Appul. dogm. Plat.* 1. Naturalis philosophia ab Heracliteis, intellectualis a Pythagoreis, etc.

*HERACLĪTUS, i, m. Ἡράκλειτος, philosophus Ephesius. V. v. praec. ℙ Fuit et alius, Tyrius, Clitomachi et Philonis auditor. *Cic. Acad.* 4, 4. ℙ Et nomen legati regis Philippi, cognomine Scotinus. *Liv.* 23, 39. *B. A.*

HĒRACLĬUS, a, um, adj. Ἡράκλειος, et Ἡράκλιος, ad Herculem pertinens, vel ad Heracleam, ut Heraclius lapis, qui et Lydius, quod apud Heracleam Lydiae invenitur. *Plin.* 33, 8, 43. ℙ Dicitur et *Heracleus*. Hinc *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Pocula duo quaedam, quae Heraclea nominantur, Mentoris manu. *Plin.* 36, 16, 25. Heracleos lapis, *h. e.* magnes. *Juven.* 1, 52. Heracleae fabulae.

*HERAEA, ae, f. Ἡραία, opp. Peloponnesi, in Arcadia. *Liv.* 28, 7. et 8. 32, 5. et 33, 34. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

HĒRAEĂ, orum, n. plur. τὰ Ἡραῖα, ludi, qui Argis solemniter celebrabantur in honorem τῆς Ἥρας, *h. e.* Junonis. *Liv.* 27, 30. Curatione Heraeorumque Nemaeorumque ad eum delata; et *mox.* Heraeis peractis, ab ipso ludicro extemplo Rhium profectus est.

*HERAEUM, i, n. sc. Junonis oppidum vel templum, Ἡραῖον, locus in Leucadia. *Liv.* 33, 17. *B. A.*

[HĒRĂIS, ĭdis, f. patronym. ab Ἥρα, Juno, Ἡραΐς, Junonis filia, vel neptis. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 92. Aurelia Herais. *F.*]

*HERAS, ae, m. medicus quidam. *Cels.* 5, 26. Compositio Herae. *Id.* 5, 28. Emplastrum Herae. Sic ed. *Almelov.* Al. utrobique legunt *Hierae.* ℙ Herae medici meminit *Mart.* 6, 78. ut optime e cod. *Palat.* restituit *J. Gruterus. B. A.*

*HERAS DACRYON, *h. e.* Junonis lacryma, herba quae et peristereos. *Appul. de herb.* 67. *B. A.*

*HERAS LUTRA, Ἥρας λοῦτρα, Junonis Thermae, insula prope Sardiniam. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

*HERATĒMIS, is vel idis, Ἡράτεμις, flumen navigabile in sinum Persicum incidens. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* Antea legebatur *Phirstimus. B. A.*

HERBĂ, ae, f. βοτάνη, germen terrae viride ac tenerum, quo vestitur humus, pascuntur animalia, fruges producuntur. *Cic. Or.* 2, 71. In herba recumbere; et *ib.* 1, 7. Abjicere se in herbam. *Virg. Ecl.* 3, 55. in molli consedimus herba. *Id. G.* 2, 527. fususque per herbam Agricola; et *ib.* 3, 436. jacere per herbas. *Hor. Ep.* 1, 14, 35. prope rivum somnus in herba. *Ov. Met.* 2, 864. viridique exsultat in herba. Et *ib.* 3, 12. et qua requieverit herba, Moenia fac condas; et *ib.* 7, 254. stratis porrexit in herbis. *Cic. Div.* 1, 34. Herbae asperae et agrestes. *Virg. Ecl.* 4, 24. fallax herba veneni; et *Ecl.* 7, 45. somno mollior herba; et *Ecl.* 8, 15. ros in tenera pecori gratissimus herba; et *G.* 1, 90. novae herbae; et *ib.* 3, 126. pubentes. *Ov. Fast.* 5, 123. recentes. *Plin.* 2, 63, 63. Herbas medicas terra fundit. *Ov. Met.* 7, 196. Herbae pollentes. *Virg. Ecl.* 5, 26. nec graminis attigit herbam. *Ov. Fast.* 4, 645. Ceres dominum primis fallebat in herbis. *Virg. G.* 1, 134. frumenti quaereret herbam; et *ib.* 3, 295. ovis herbam carpit. *Hor. Ep.* 1, 12, 8. vivere herbis. *Ov. Pont.* 4, 16, 33. herbas pascere. *Id. Met.* 14, 350. legere. *Plin.* 18, 21, 50. inutiles evellere. ℙ De oleribus. *Cic. Fam.* 7, 26. Herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. ℙ *In herbis esse* dicuntur frumenta nondum ad maturitatem accedentia. *Caes. B. C.* 1, 48. Neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant. [*Hoc loco optimae notae edd. addicentibus MSS. *in hibernis* exhibent pro *in herbis*. *Mor.* interpretatur, in iis locis, ubi fuerant nuper hiberna, et in quos erant per hiemem comportata frumenta: *Held.: in den Wintermagazinen.* Quod praeferendum est.] Translate. *Ov. Her.* 17, 263. Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est, *h. e.* nondum potiundi tempus advenit: proverb. ℙ [Hinc eleganti utitur translatione *Front. ad Anton. Imp.* 1. (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Egone, qui indolem ingenii tui in germine etiam tum, et in herba, et in flore dilexerim, nunc frugem ipsam maturae virtutis nonne multo multoque amplius diligam? *F.*] ℙ *Herbam dare*, aut *porrigere*, proverbialis dicendi forma de eo, qui se victum fatetur, et adversario cedit, victoremque agnoscit: ductum, inquit *Fest.*, quod pastores in prato cursu et viribus contendentes, cum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. *Serv.* ad *A.* 8, 128. Cum de nomine Athenarum Neptunus et Minerva contenderent, et jussisset Juppiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset hominibus, equum Neptunus, Minerva olivam protulit, et statim vicit: unde cum ejus ramus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc est illud proverbium *herbam do*, idest, cedo victoriam. *Varro ib.* Cum in agonibus herbam in modum palmae dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur, et fatetur esse meliorem. *Plin.* 22, 4, 4. Summum apud antiquos signum victoriae erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra et altrice ipsa humo, et humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio. Adde *Accium*, et *Afr.* ap. *Non.* 4, 225.

HERBĂCĔUS, a, um, adj. βοτανώδης, qui herbae colorem habet, herbeus. *Plin.* 19, 6, 33. Porri sectivi duo genera: herbaceum, etc. alterum genus pallidioris folii; et 20, 13, 51. Folia herbacei coloris; et 26, 8, 35. Flos hic herbaceus est, alterius thymi albus; et 21, 19, 75. Unum purpureo flore, alterum herbaceum. *Id.* 23, 49, 27. Herbaceum oleum. *Id.* 33, 5, 27. Herbacea chrysocolla.

*HERBĂNUM, i, n. opp. Hetruriae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

HERBĂRĬUS, a, um, adj. βοτανικὸς, ad herbas pertinens, ut *Herbaria ars*, quae in cognoscendis herbis, earumque virtutibus versatur. *Plin.* 7, 56, 57. Herbariam, et medicamentariam a Chirone volunt repertam. ℙ *Herbarius, ii*, qui herbarum peritus est. *Plin.* 20, 17, 73. Dalion herbarius parturientibus ex eo cataplasma imposuit. *Id.* 25, 13, 109. Nostri herbarii strumeam vocant. ℙ [*Herbariae, arum* absolute dicuntur ferae, seu bestiae quae herbis pascuntur. *Inscr.* ap. *Mur.* 654, 1. In qua miratus honestissimum . . . . . ex genere herbariarum, et numerosas orientales etc. V. HERBATICUS. *F.*]

HERBASCO, is, n. 3. herba vestior, idem ac herbesco. *Plin.* 19, 8, 42. Quin et ovillo fimo nominatim uti, quoniam aliud herbasceret, *h. e.* herbas emitteret. *Hard.* legit *herbas creet* ex MSS.

HERBĂTĬCUS, a, um, adj. ποηφάγος, a πόα herba, pabulum, et φάγω comedo: ut Herbatica animalia, quae herbis pascuntur. *Vopisc. Prob.* 19. Oves ferae, et cetera herbatica animalia. V. HERBARIUS.

HERBĔO, es, n. 2. herbas produco, herbidus sum, idem ac herbesco. *Appul. Met.* 7. Prata herbentia. *Sed ed. *Oudend.* cum MSS. *herbantia* praebet, eadem significatione. *B. A.*

HERBESCO, is, n. 3. herbidus fio, herbam produco. *Cic. Sen.* 15. Terra semen sparsum vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem.

[HERBESSENSIS, e, adj. ad Herbessum pertinens, Siciliae urbem, cujus meminit *Liv.* 24, 30. ℙ *Herbessenses, ium*, sunt illius urbis incolae ap. *Plin.* 3, 8, 14. *F.*]

*HERBESSUS vel Herbessos, Herbesus vel Herbesos, i, f. opp. Siciliae. *Liv.* 24, 30. et 35. *Sil.* 14, 265. ubi V. *Drakenb.* ℙ Scribitur et *Erbessus*, et *Erbesus. B. A.*

HERBĔUS, a, um, adj. βοτανώδης, herbae colorem habens, viridis. *Pl. Curc.* 2, 1, 16. Cum collativo ventre, atque oculis herbeis.

[HERBĬDO, as, a. 1. similem herbae reddo. *Capell.* 1, 20. Qui lapides coloribus suis terras ratis temporum vicibus herbidabant, *h. e.* herbidas reddebant. *F.*]

HERBĬDUS, a, um, adj. plenus herbis, herbosus, βοτανώδης, ποώδης. *Varr. R. R.* 2, 1. et *Liv.* 9, 2. Campus herbidus aquosusque. *Ov. Met.* 8, 282. majores herbida tauros Non habet Epiros. *Colum.* 1, 6. *f.* Segetes herbidas reddere, *h. e.* herbis permixtas, et infestatas. ℙ Item herbeus, herbaceus. *Plin.* 12, 14, 31. Herbidus color. *Prud. Psych.* 863. volvitque vagos lux herbida fluctus. ℙ Item ex herba factus. *Plin.* 24, 8, 19. Lactis potus herbidi per montium aestiva, *h. e.* lactis ex recentibus herbis geniti.

HERBĬFER, a, um, adj. ποώδης, herbas ferens, herbidus. *Ov. Met.* 14, 9. Herbiferi colles. *Id. Fast.* 4, 468. et ripas, herbifer Aci, tuas. *Plin.* 25, 8, 53. Herbiferum esse et Pelium montem in Thessalia.

HERBĬGRĂDUS, a, um, adj. qui inter herbas graditur. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 2, 64. Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam. Al. leg. *tardigradam.*

[HERBĬLĬA, ae, f. genus leguminis, eadem ac hervilia, et ervilia; hinc etiam *herbum*, et *hervum* pro *ervum* scribitur. *Edict. Diocl.* p. 20. Lenticlae, herbiliae, pisae. V. HERVILIA. *F.*]

HERBĬLIS Anser, inquit *Fest.*, herba pastus: qui gracilior est, quam frumento altus. Ibi *Scaliger* laudat *Lucil.* ap. *Serv. P. Daniel.* anseris herbili' virus.

HERBĬPŌTENS, entis, adj. qui scit potestatem herbarum. *Boeth. Consol. l.* 4. *metr.* 3. *v.* 8. de Circe. Quos ut in varios modos Vertit herbipotens manus, etc.

*HERBĬTA, ae, f. Ἕρβιτα, opp. V. v. seq. *B. A.*

HERBĬTENSIS, e, adj. ad Herbitam pertinens, quod est Siciliae oppidum. Hinc *Herbitensis ager*, ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. et *Herbitenses* ejus oppidi cives *Id. Verr.* 2, 2, 65., qui *Verr.* 2, 3, 32. ipsam Herbitam nominat, et civitatem honestam et copiosam fuisse confirmat.

HERBOSUS, a, um, adj. ποώδης, herbidus, herbis abundans. *Hor. Od.* 3, 18, 9. Ludit herboso pecus omne campo. *Prop.* 1, 3, 6. Apidanus herbosus. *Tibull.* 2, 5, 25. pascebant herbosa palatia vaccae. *Virg. G.* 2, 199. herbosum flumen, *h. e.* cujus ripae, et loca circum herbida, aquis ejus irrigata. *Cato R. R.* 54. Herbosissima stramenta, *h. e.* quae herbas multas permixtas habent. *Ov. Fast.* 4, 377. herbosum moretum, *h. e.* ex variis herbis compositum. ℙ Herbosus etiam dicitur, qui herbae colorem imitatur. *Sidon. carm.* 5, 38. de caute Laconum Marmoris herbosi radians interviret ordo, *h. e.* marmoris Lacedaemonii, de quo *Stat. Silv.* 2, 2, 91. Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas. *Capell.* 1, 17. Calceos smaragdineae fluctu viriditatis herbosos vestigiis ejus tellus annexuit.

HERBŬLĂ, ae, f. βοτάνιον, dimin. herbae. *Cic. N. D.* 2, 50. Perpurgant sese quadam herbula, quae seselis dicitur. Adde *Sen. V. B.* 9.

HERBUM, i, n. idem quod ervum, ap. *Pallad.* 1, 24.

[HERBUSCŬLĂ, ae, f. βοτάνιον, diminut. herbae. *Capell.* 2, 25. Quem, dum flores ipsa decerperet, praelectis quibusdam herbusculis conspicata est. *F.*]

*HERCĀTES, um, m. pop. Italiae, in Gallia cisalpina, cis Apenninum. *Liv.* 41, 23. *B. A.*

HERCĔUS, i, m. Ἕρκειος, cognomen Jovis, qui intra septum domus cujusque colebatur, quem etiam *Penetralem* vocabant, ut ait *Fest.* ab ἕρκος, septum. Hinc maceriem, quae domum ambit, *Serv.* ad *A.* 2, 469. scribit Jovi Herceo sacratam fuisse. *Ov. Ib.* 285. Nec tibi subsidio sit praesens numen, ut illi, Cui nihil Hercei profuit ara Jovis, *h. e.* Priamo, qui a Pyrrho ad aram Jovis domesticam mactatus fuit, ut est ap. *Virg. A.* 2, 550. et *Ov. Met.* 13, 409. (V. *Sen. Agam.* 793.) Sic *Lucan.* 9, 979. Herceae arae.

HERCISCO (vel Ercisco, ut est *in Pandect. Florent.*) a. 3. divido, antiquum verbum juris, cujus tamen nulla vox, nisi gerundiva in usu est. *Cic. Or.* 1, 56. Nec si parvi navigii, et magni eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis herctum cieri oporteat, nesciat, idem herciscundae familiae causam agere non possit. *Id. Caec.* 7. Nomine heredis arbitrum familiae herciscundae postulavit. *Appul. Met.* 6. *f.* In causa finali de proprietate soli, immo viae herciscundae contendentes. *Id. ib.* 9. Nec herciscundae familiae, sed communi dividundo formula dimicabo. Adde *Dig. t.* 2. *l.* 10. Familiae herciscundae. ℙ Dictum est a voce *Herctum*, et *Cisco*, pro *Cio*, divido: quod a σχίω, et σχίζω, scindo. *Gloss. Philox.* Cienda, διαιρουμένη. Ergo *Hercisco* est quasi *Herctum cisco*, h. e. patrimonium divido: et *familia*, seu *hereditas herciscunda*, est hereditas dividunda. V. HERCTUM. Sunt tamen, qui hoc *hercisco* ni-

hili putant, et tanquam corruptam vocem ex *hercto cito*, ex Latio procul amandandam. Fuisse enim ajunt apud antiquos actionem hereditatis dividendae his verbis conceptam: *familiae, hercti ciundae:* ex quibus factum esse a JCtis per imperitiam *familiae hesciscundae.* Ita *Salmas.* ad *Solin.* p. 1262. 1263. Sed obstant huic sententiae tum loca *Cic.* et *Apuleji* allata, quae non vidisse, aut dissimulasse videtur *Salmas.*, tum auctoritas criticorum aliorum, qui retinendum omnino putant. [*V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.]

HERCLE, adv. idem ac hercule, per syncopen. *Cic. Fam.* 2, 18. Et hercle sine dubio erit ignominia. Adde *Terent.* saepe, et *Plaut.* quam saepissime. ℙ Jungitur et aliis particulis affirmantibus. *Pl. Trin.* 3, 3, 53. Scite hercle sane. *Id. Merc.* 1, 2, 74. Tam hercle certe, quam, etc. Et 2, 1, 40. Hercle equidem. *Id. Mil.* 4, 2, 8. Nequeo hercle quidem. *Id. Stich.* 4, 1, 55. Hercle ille quidem certo versutus fuit. *Id. Trin.* 3, 3, 23. Minime minime hercle vero. *Id. Men.* 5, 9, 33. Hercle quin tu me admonuisti recte, et habeo gratiam. *Id. Rud.* 3, 5, 41. Heu hercle nae istic fana mutantur cito! ℙ *Per hercle*, seu conjunctim *perhercle*, idem significat ac hercle. *Gell.* 3, 6. *in.* Per hercle rem mirandam Aristoteles dicit. ℙ *Hercle* non dicebant feminae. V. tamen HERCULE infra. Sunt qui putant morem illum, ut per Herculem non jurarent feminae, (de quo et in ECASTOR et MECASTOR verba facimus) solis Romanis mulieribus proprium fuisse: illo autem *Plauti* loco Graecam ancillam loquentem induci.

HERCTUM, sive Erctum, sive Horctum, ut quidam dixere. *Festus.* Horctum, et forctum pro bono dicebant. *Donat.* ap. *Serv.* in *A.* 8, 642. et *Gell.* 1, 9. *extr.* Herctum non citum, hoc est patrimonium non divisum: Herctum ciendum, hereditas dividenda. Qui modus dicendi habetur etiam ap. *Fest.* Herctum citum fit inter consortes. (Ubi genus neutr. animadvertendum est.) *Gloss. Philox.*, Herctus citus, *διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων.* Adde *Cic. l. c.* in HERCISCO, ubi illud *herctum cieri* a *P. Victor. var. lect. l.* 35. *c.* 1. satis defenditur contra eos, qui lectionem sollicitant.

*HERCULĀNA et Herculanēa, ae, f. herbam non unam significat: ut helxinem ap. *Appul. de herb.* 81. peristereon ap. *eund.* 65. nymphaeam, 67. sideritidem, 72. urticam ap. *Plin.* 21, 15. *B. A.*

HERCULĀNENSIS, e, adj. ad Herculanum pertinens, quod fuit opp. Campaniae ad sinum Neapolitanum, inter Pompejos et Neapolim, prope Vesuvium, Neronis tempore terraemotu semirutum, ut est ap. *Sen. Q. N.* 6, 1. et 26., postea sub Tito, erumpentibus Vesuvii immani mole cineribus, prorsus obrutum. Herculanium dicitur a *Plin.* 3, 5, 9., Herculaneum a *Sisenn.* ap. *Non.* 3, 100., *Liv.* 10, 45. *f.*, *Sen. Q. N.* 6, 26. *f.*, *Vell.* 2, 16., *Mela* 2, 4. *f.* et *Flor.* 1, 16., Herculanum a *Cic. Att.* 7, 3. Graece est Ἡράκλειον. Hinc Herculanense litus, et opp. *Sen. l. c.* 1. Herculanensis fundus. *Cic. Fam.* 9, 25. et absolute, Herculanense, *Sen. Ira* 3, 22. ℙ *Herculanenses, ium*, sunt ejus municipii cives. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. isag. ad Hercul.* p. 57. M. Nonio M. F. Balbo Pr. Pro Cos. Herculanenses. Adde aliam ap. *Grut.* 439, 6. Porro idem *Rosinius l. c.* plurima docte disputat de priscis Herculani conditoribus, situ et ambitu, nominis etymo, politica conditione, exitio, ejusdemque nupera inventione; quem consule sis.

HERCULĀNEUM. V. v. praec.

HERCULĀNĒUS, i. q. HERCULANUS.

*HERCULĀNUM, Herculaneum et Herculanium, oppidum Campaniae. V. *Herculanensis.* ℙ Fuit et Herculanum opp. Samnitum. *Liv.* 10, 45. *B. A.*

HERCULĀNUS, a, um, adj. ad Herculem pertinens, Herculeus, Ἡράκλειος, ut Herculaneae formicae, *h. e.* maximae, ap. *Plin.* 30, 4, 10. et Herculanea urtica, quae mordax simul, et odora est, ap. *eund.* 21, 15, 55. Sic Herculanus pes, *Gell.* 1, 1. ℙ *Herculanea pars*, h. e. pars decima, quam multi Herculi consecrabant. *Pl. Truc.* 2, 7, 11. de una mina deminui Modo quinque nummos; mihi detraxi partem Herculaneam. V. HERCULES. ℙ *Herculanea machaera*, magnus ensis, cujusmodi solet Herculi tribui. *Capitol. Pertin.* 8. ℙ *Herculanea via*, quam memorat *Cic. Agr.* 2, 14., fuit circa Herculanum oppidum, ab Hercule, ut ferunt, strata septem stadiorum spatio. ℙ *Herculanea*, et *Herculana ficus*, quam *Cloat.* ap. *Macr. Sat.* 2, 16., *Cato R. R.* 8. et *Plin.* 15, 18, 18. memorant, fortasse ab eodem illo oppido, ubi nascitur, denominata est. ℙ *Herculaneus rivus* fuit via Sublacensi, qui in aquaeductum Anienis novi influebat. *Frontin. Aquaed.* 15. Alius fuit prope aquam Virginem, quem ipsa refugiens, Virginis nomen accepit, inquit *Plin.* 31, 3, 25. Unde autem hi nomen habuerint, ignotum est.

HERCŬLE et Hercules, *μὰ τὸν Ἡρακλέα*, per Herculem, certe, profecto, adv. jurandi. *Cic. Quint.* 3. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quicquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat. *Id. Att.* 2, 7. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur. *Id. ad Capiton. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Sed hercule facile patior. *Id. Brut.* 16. Et hercules hae quidem exstant. *Vell.* 2, 52. Neque hercules quidquam salubrius fuit. ℙ Saepius *hercle* dicebant, quod V. supra suo loco. ℙ Haec jurandi formula virorum propria erat: quemadmodum mulieres jurabant per Junonem. Apud *Plaut.* tamen *Truc.* 2, 1, 1. ancilla qnaedam, Ha ha ha, inquit, hercle, quievi, etc.

[HERCŬLĔAS, atis, m. ad Herculeam pertinens, Pannoniae urbem, haud procul a Bregetione, quam *Lazius* putavit esse hodiernam *Buda. Inscr.* ap. *Zaccharia Stor. lett. d' Ital. T.* 3. p. 673. *n.* 5. L. Atilius A. F. Arn. Priscus Herculeas mil. etc. *F.*]

HERCŬLES, is, m. Ἡρακλῆς, heros Thebanus, filius Jovis tertii ex Alcmena uxore Amphitrionis, nepos Alcei, frater Iphicli. ℙ Non solus autem Alcmenae filius ita appellatus est, sed plures Hercules exstitere. A *Cic. N. D.* 3, 16. sex numerantur. Primus Atheniensis, filius Jovis primi ex Lysito, ille, qui cum Apolline de tripode, idest de arte divinandi certavit. Secundus Aegyptius, filius Nili, quem dicunt Phrygum characteres invenisse. Tertius indigena montis Idae in Troade, cui inferiarum inventionem attribuunt. Quartus Phoenix, vel Libycus, filius Jovis secundi ex Asterie sorore Latonae, qui a Tyriis colebatur, filiamque habuit nomine Carthaginem. Quintus indigena Indiae, ille qui etiam Belus est appellatus. Sextus Argivus, vel Thebanus, filius Jovis tertii ex Alcmena Amphitryonis uxore. *Varro* ap. *Serv.* ad *A.* 8, 564. quatuor et quadraginta Hercules nominat; veruntamen omnes, qui robore praestiterunt, hoc nomine ab Hercule Alcmenae filio appellatos fuisse affirmat. V. CACUS. Ceterum etsi multi fuere Hercules, qui variis temporibus floruerunt, omnes heroica virtute, rerumque gestarum magnitudine insignes, tamen cum incertum sit, quibus temporibus singuli vixerint, et quas res quisque gesserit, hinc factum est, ut uni Thebano Herculi reliquorum omnium labores, et res gestae tribuerentur. ℙ In fabulis est, Eurystheum Mycenarum regem Herculi imperitavisse, quod Junonis fraude Eurystheus ante Herculem natus fuisset. Hoc ideo fictum est, quia Hercules subditus fuit, et tamen regno erat dignior, quam Eurystheus. Juno etiam fertur Herculem odisse implacabili odio, quod ex Jovis conjugis adulterio natus esset, et illum perdere cupiens, novos semper labores Eurystheo suggessisse, quos ille Herculi imperaret, ut interiret: quae res exspectationem ejus maxime fefellit. Hercules enim undique victoriam referens, immortale sibi decus peperit, adeo ut prius Juno jubendo, quam Hercules laborando, defatigaretur. ℙ Hercules fuit omnium gigantum maximus, quippe qui, auctore *Solin.* 1., ad septem pedum altitudinem pervenit. V. *Gell.* 1, 1. ℙ Res fortiter et praeclare gestae ab eo, quas labores Herculis vocant, plurimae fuerunt, sed celebriores feruntur duodecim. I. enim aprum in Erymantho Arcadiae monte omnia devastantem, vivum cepit, et ad Eurystheum pertraxit. II. Eodem pacto taurum, cui Neptunus furorem immiserat, ut Cretam vastaret, edomuit et abduxit. III. Leonem inusitatae magnitudinis in Nemeaca silva jugulavit, detractamque pellem tota vita pro insigni gestavit. IV. Hydram in Lerna palude, septem capita habentem, clava occidit. V. Cervam aeripedem, et aureis cornibus in Maenalo (aliis in Parthenio) monte cursu defatigatam comprehendit. VI. Stymphalidas aves sagittis interfecit: vel, ut alii volunt, aenei crepitaculi sonitu usque ad Aretiada insulam fugavit. VII. Ad inferos cum descendisset, ut Theseum amicum inde educeret, tum ipsum exsolvit, tum Cerberum canem, aditum prohibentem, ternis catenis vinctum ad superos traxit. VIII. Augiae stabulum tria millia boum capiens expurgavit. IX. Amazonas bellicosissimas feminas debellavit. X. Aurea mala in Hesperidum hortis, dracone custode interempto, abstulit. XI. Geryonem Hispaniae regem tricorporem bello devicit. XII. Calpem et Abylam montes antea conjunctos, divisit, interjecto mari. (Hoc idem de Olympo et Ossa in Thessalia tangit *Lucan.* 6, 347.) Nec tamen cum orbem terrarum eo usque victor peragrasset, ulterius provehi est ausus: quare eo loci Columnae Herculis esse dicuntur, quas is tanquam terminos vel laborum suorum, vel, ut tum fere credebatur, totius orbis statuerit. *Curt.* 10, 1. Cetera ejus facinora, ut angues, dum adhuc vagiret in cunis, elisos, Prometheum a vinculis et vulture liberatum, Trojam una cum Neptuno et Apolline exaedificatam, deinde eversam, Cacum peremptum, (V. CACUS) Busiridem devictum, Lacinium latronem interfectum, et alia variis in locis *Serv.* ad *Virg.* enarrat, et alii tum mythologi, tum poetae *Ov.*, *Virg. A.* 8., *Sen. Trag.*, *Mart.*, *Stat.*, *Sidon. carm.* 9, 91. et 15, 140., *Claud. praef.* 2. *Rapt. Pros. Hyg. fab.* 30. et sqq. et *Anonymus poeta*, qui cum *Claudiano* edi solet, *de laudib. Herculis.* De Herculis vero laboribus omnium accuratissime egit *Georg. Zoega* in *Bassiril. ant. T.* 2. p. 43. et sqq. ℙ Uxores habuit, in Graecia primum Megaram filiam Creontis regis Thebarum, deinde Deianiram filiam Oenei regis Aetoliae; in Italia Pallantiam, seu Dynam, seu Laviniam filiam Euandri regis Arcadum. Ceterum sese cum multis aliis feminis commiscuit, in Graecia cum L. filiabus Thespii: dum in Italiam navigabat, cum virgine Hyperborea, quam a patre obsidem acceperat, et secum caste usque ad id temporis duxerat: post bellum Italiae, in Lydia, cum Omphale, in Graecia cum Iole. ℙ Filios primum quinquaginta suscepit ex Thespii filiabus, deinde alios ex aliis. ℙ Herculis mors hoc modo accidit. Cum Deianira rescivisset, maritum suum Ioles amore detineri, per Licham servum misit illi, dum in Oeta monte sacrificaturus erat, vestem Nessi Centauri sanguine infectam, futurum rata, quod Centaurus ab Hercule sagitta transfixus, et moriens illi per dolum persuaserat, ut ea ratione languentem viri amorem excitaret, eumque ab aliis avulsum ad se unam revocaret. Itaque Hercules vestem illam induit, et, ubi veneni vis in ejus viscera pervasit, in rabiem versus, sese in pyram, accensam injecit. Ante tamen Philoctetem jurejurando adegit, se nemini unquam mortem et sepulcrum Herculis indicaturum, illique dono dedit pharetram et sagittas tinctas felle Hydrae Lernaeae. ℙ Post mortem ob fortitudinem et gloriam militarem in Deorum numerum relatus fuisse, a gentibus creditus est. Igitur in omnibus fere orbis regionibus aedificaverunt Herculi templa et aras, in urbibus, in pagis, in viis publicis. Imo et vivens sacrificiis cultus fuit. V. *Liv.* 1, 7. ℙ Herculi decimas offerebant. Causa fuit, quia is putabatur gaudere bonorum exuberantium imminutione, ut qui victu nec lauto, nec immodico usus esset. *Varr. L. L.* 5, 7. et *Cic. N. D.* 3, 36. Neque Herculi quisquam decumam vovit unquam, si sapiens factus esset. ℙ Herculem thesauris reconditis praecesse credebant. *Pers.* 2, 12. o si Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule! ℙ [*Herculi sacra fuit populus arbor. *Phaedr.* 3, 17, 4. *Virg. Ecl.* 7, 61. *A.* 8, 276. et *G.* 2, 66. *B. A.*] ℙ Quare Herculi praecipue thermae dicatae fuerint, V. in THERMAE. ℙ *Herculis cothurnos aptare infanti*, proverb. dicitur de inepte applicatis, ut si quis rem humilem oratione tragica prosequatur. *Quint.* 6, 1. ℙ *Herculem lacessere* est fortiorem irritare. *Inscr.* ap. *Grut.* 103, 5. Nonne dixi tibi, Decebale, funestum est Herculem lacessere? Haec tamen inscriptio merito ab eruditis spuria habetur. ℙ *Nec Hercules adversus duos*, h. e. nemo tantis est viribus, ut contra plures par esse possit. Ducitur proverb. ex eo, quod Hercules adversus Hydram simul et Cancrum pugnaturus, Iolai nepotis imploravit auxilium. Quo respexit *Catull.* 62, 64. noli pugnare duobus. ℙ Herculem *nutricem* invocabant parasiti, quod cum publice epulae in Herculis honorem instruebantur, ii praesertim, tanquam peculiares ejus Dei servi, convivio adhibebantur, et laute accipiebantur. *Pl. Curc.* 2, 3, 79. ℙ *Hercules* adverb. V. HERCULE. ℙ *Herculis quaestum conterere*, h. e. valde prodigum esse, et vel decimas Herculi debitas prodigere. *Pl. Most.* 4, 2, 68. ℙ *Herculi*, et *Herculei* in gen. pro *Herculis*, quidam leg. ap. *Cic. Acad.* 4, 34. ut Ulyssi, et Ulyssei, Achilli et Achillei. Hinc *Plin. l.* 6. *dub. serm.* ap. *Charis.* 1, 107. Herculi pro Herculis, et Ulyxi pro Ulyxis dici coeptum est. *Catull. carm.* 55, 13. Sed te jam ferre, Herculei labos est. ℙ [*Herculis Fons in Hetruria fuit, in oppido Caere. *Liv.* 22, 1. ℙ *Herculis columnae.* V. *Herculeae metae* in *Herculeus, a, um*, et locis ibi citatis adde *Melam* 2, 6. *Plin. praef.* 3. ℙ Praeter celeberrimas Gaditanas, Indicae etiam Herculis columnae memorantur a *Strab.* 3. p. 171. itemque Herculis columnae in Ponto, de quibus eximium testimonium exstat *Servii* ad *Virg. A.* 11, 262. Columnas Herculis legimus et in Ponto et in Hispania. *Herculeae Stelae* appellantur ab *Auct. incert. Itin. Alex.* 119. et *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 3, 81. ed. *A. Maio.* Cf. *Philostr. vit. Apoll.* 5, 5. ℙ *Herculis Castra.* V. *Castra in f.*, et locis allatis subjiciatur *Ant. Itin.* ℙ *Herculis insulae*, numero binae, prope Sardiniam. *Plin.* 3, 7. ℙ *Herculis portus*, in ima Italiae parte, in Bruttiis. *Plin.* 3, 5. ℙ *Portus Herculis Monoeci* in Liguria, hodie *Monaco. Plin. ib.* V. in *Menoecus* et in *Herculeus, a, um.* ℙ Alii loci fuere Herculis nomine insignes; sed cum Latina auctoritate egeant, non meum est hic loci annumerare. *B. A.*]

HERCŬLĔUS, a, um, adj. Ἡράκλειος, ad Herculem pertinens. *Hor. Od.* 1, 3, 36. Perrupit Acheronta Herculeus labor; et *Od.* 2, 12, 6. Herculea manu domitus. *Val. Fl.* 1, 263. Herculeus leo, *h. e.* leonis spolium ab Hercule gestatum; et 118. Herculea auxilia, *h. e.* quae fert Hercules. *Ov. Met.* 15, 8. Herculeus hospes, *h. e.* Croto, qui eo loci, ubi postea Croton urbs condita fuit, Herculem ab Oceano redeuntem hospitio excepit. *Id. Fast.* 2, 237. Herculea gens, *h. e.* Fabii. *Sil.* 7, 44. Herculei penates, *h. e.* gens Fabia. V. FABII. *Ov. Met.* 11, 627. Herculea Trachin, *h. e.* ab Her-

cule condita. *Lucan.* 3, 178. Herculea Oete, *h. e.* in qua Hercules se igni cremavit. *Ov. R. Am.* 47. Herculeus hostis, *h. e.* Telephus Herculis filius. *Id. Met.* 15, 711. Herculea urbs, *h. e.* Herculaneum ab Hercule conditum. *Prop.* 1, 11, 2. Herculea litora, *h. e.* Herculaneo proxima. *Col.* 10, 135. Quae dulcis Pompeja palus vicina salinis Herculeis, *h. e.* salinis, quae sunt prope *Herculis petram*, scopulum nempe in agro Stabiano, a *Plin.* 32, 2, 8. memoratum, et ubi nunc est castrum *Reviglia-ni. Virg. G.* 2, 66. Herculeaeque arbos umbrosa coronae, *h. e.* populus, cujus fronde Hercules ad Inferos descendens se coronasse fertur. Quo factum est, ut exterior foliorum pars ex ejus loci caligine nigrorem contraheret, interior vero sudorem ejus abstergeret, et albescens remaneret. Ita *Serv.* ad illud *ejusd. A.* 8, 276. Herculea bicolor cum populus umbra. *Id. ib.* 27. Herculeum sacrum, *h. e.* in honorem Herculis institutum ab Euandro. *Justin. praef.* Trogus Pompejus Herculea audacia orbem terrarum aggressus. ℙ *Herculeus* et *Herculius* dictus est Maximianus Aug., qui una cum Diocletiano, Jovio cognominato, imperavit, quique etiam Hercules audiebat. *Inscr.* ap. *Fabr.* Genio Herculei Aug., Herculea porticu ejus a fundamentis absoluta excultaque, Aelius Dionysius V. C. operi faciundo. Alia ap. *Mur.* 49, 7. Deo Mercurio numini sanctissimo Herculius junior Augustus. ℙ Herculeo sacratus nomine portus, ap. *Lucan.* 1, 405. est portus Monoeci in Liguria, qui Herculi sacer est, et *portus Herculis Monoeci* etiam vocatur. *Serv.* ad *A.* 6, 831. Eadem ratione *Sil.* 1, 505. Herculeos colles dixit vicinos illi portui. *Id.* 4, 71. arx Herculea, *h. e.* Saguntus, cujus conditor fuit Hercules: unde ejus muros *Herculeos* vocat *Id.* 1, 273. Adde 505. ℙ *Herculeae fauces*, ap. *Lucan.* 8. *in.* sunt angustiae in confinio Thessaliae et Macedoniae, inter Ossam et Olympum, qua Peneus amnis in sinum Thermaicum influit, qui locus etiam Tempe dicitur: quia fabulantur, eos montes antea conjunctos, Herculea manu discessisse, ut *Id.* 6, 347. loquitur. ℙ [**Fretum Herculeum* est quod nunc vocant *the straits of Gibraltar. Sil.* 1, 199. *B. A.*] ℙ *Claud.* autem *Rapt. Pros.* 2, 181. hoc tribuit Neptuno. ℙ *Herculeum astrum*, ap. *Mart.* 8, 55. est signum Leonis. V. LEO. ℙ *Herculeae metae*, ap. *Lucan.* 3, 278. sunt, quas Herculis columnas vocant *Curt.* 10, 1. et *Plin.* 2, 67, 67., hinc inde in faucibus freti Gaditanti. ℙ *Herculeum Tibur* vocat *Mart.* 1, 13. et 4, 62. quia in eo oppido Hercules colebatur, cujus proinde muri *Herculei* dicuntur a *Sil.* 4, 224. et ipsi circa colles *Herculei* vocantur ab *eod. Mart.* 4, 57. et 7, 13. Quin et ipse Hercules *Tiburtinus* cognominatur *in Inscr.* ap. *Grut.* 49, 6. ℙ Ternoctem Herculeam *Stat. Th.* 12, 301. dixit noctem illam, qua Hercules conceptus est, quam Juppiter dicitur ad terna noctis tempora produxisse. ℙ De nodo Herculeo V. in NODUS.

*HERCULĬUS, ut Jovius, cognomen fuit Imperatorum Romanorum. V. *Spanhem. de Usu Num. diss.* 12, 495. *B. A.*

*HERCUNIĀTES, ium, pop. Pannoniae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

*HERCYNA et Hercynna, ae, f. Ἕρκυννα, virgo quaedam, Proserpinae comes, a qua et fluvius Hercyna nomen consecutus est. In templo consecratum virginis illius simulacrum anserem manibus gerebat. *Liv.* 45, 27. Cf. *Pausan.* 9, 39. et *Philostr. Apollon.* 8, 19. Trophonii filia fuit, Lebadiae culta. V. *Turneb. Adv.* 11, 18. *B. A.*

HERCYNĬA Silva, Hercynium nemus, silva est Germaniae maxima, longa itinere LX. dierum, teste *Mela* 3, 3., lata IX., teste *Caes. B. G.* 6, 24. *Claud. IV. Cons. Hon.* 450. venit accola silvae Bructerus Hercyniae. Sed multis in locis excisa fuit, ubi urbes, et oppida, et pagi nunc sunt. Plura V. ap. *Tzschuckium* ad *Melae l. c.* Etiam *Hercynium saltum* appellat *Plin.* 4, 12, 25. et 10, 47, 67. et *Tac. G.* 30. et *Hercynium jugum*, *Plin.* 4, 14, 28. Graece Ἑρκύνιος δρυμὸς dicitur, et Ὀρκύνιος: quod et *Caesar.* docet *l. c.* 23.

*HERDONĬA vel Herdonĕa, ae, f. Italiae opp. V. v. sq. *B. A.*

[HERDONIENSIS, e, adj. ad Herdoniam pertinens, urbem mediterraneam in Apulia Daunia prope Asculum Apuliae, nunc *Ordona;* cuius mentio est ap. *Liv.* 24, 20. et al., et ap. *Sil.* 8, 568. quosve Obscura incultis Herdonia misit ab agris. ℙ *Herdonienses*, *ium*, sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 11, 16. ℙ Scribitur et num. plur. *Herdoniae*, *arum* in *Inscr.*, quae pertinet ad tempora Antonini Pii Aug., quaeque Aeclani reperta an. MDCCCXXIV. a *Guarinio* edita fuit in *Spicil. Eclan.* 5. Gemina M. Fil. Sabina in via ducente Herdonias tria milia passuum repraesentata pecunia stravit. *F.*]

HĔRĔ, adv. idem quod heri, ἐχθές. Vox est fere poetica. *Pl. Amph.* 1, 3, 16. Here venisti media nocte, nunc abis; et *Capt.* 1, 2, 2. Captivos duos, here quos emi de praeda; et *Truc.* 2, 6, 28. Here nudius quintus natus ille est. Adde *Mil.* 1, 1, 59. et 60. ℙ Illi etiam qui utramque syllabam corripere volunt, *here* dicunt. *Juven.* 3, 23. Res hodie minor est, here quam fuit: ac eadem cras, etc. *Ov. Fast.* 3, 852. Hic here Phryxeae vellera pressit ovis. *Mart.* 1, 44. Et positum est nobis nil here praeter aprum. Adde 3, 12. et 4, 7. et al. A *Prisc.* 15, 1011. tribuitur etiam *Horatio* (quamvis extra necessitatem corripiendi ultimam) *Sat.* 2, 8, 2. Nam mihi convivam quaerenti, dictus here illic De medio potare die. *Quint.* 1, 7. testatur, suo tempore *here* dictum fuisse: at, inquit, in veterum comicorum adhuc libris invenio (*Ter. Ph.* 1, 1, 2.) *heri ad me venit:* quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur. Ergo ex *Quint.* colligitur, Augusti aevo, et antea quoque *heri* usitatius fuisse, quam *here.*

HĔRĔBUS. V. EREBUS.

HĔRĔDĬOLUM, i, n. parvum heredium, κτημάτιον. *Col. praef. l.* 1. *med.* de Cincinnato: Rursus depositis fascibus, ad eosdem juvencos, et quatuor jugerum avitum herediolum redierit. *Gell.* 19, 7. Herediolum tenue possidebat.

HĔRĔDĬPĔTA, ae, m. qui blanditiis, assentationibus, muneribus senum ac viduarum gratiam captat, ut ab iis heres scribatur. *Petr. Sat.* 124. Incidimus in turbam heredipetarum. Adde *Not. Tir.* 85.

HĔRĔDĬTĀRĬUS, a, um, adj. κληρονομικός, ad hereditatem pertinens. *Cic. Caec.* 5. Cum esset haec auctio hereditaria constituta. *Id. ad Brut.* 1, 6. *f.* Habere cum aliquo controversiam hereditariam. ℙ Item qui ad nos hereditate pertinet. *Plin. ep.* 7, 11. Hereditarii agri. *Flor.* 3, 13. *extr.* Jure hereditario possidere aliquid. *Curt.* 10, 7. *f.* Hereditarium imperium vindicare. *Cic. Somn. Scip.* 2. Hereditarium cognomen. *Just.* 36, 4. Attalicas gazas hereditarias populi R. Romam deportavit. ℙ Translate dicitur de iis omnibus, quae utcumque a majoribus sumimus. *Flor.* 3, 17. Ut hereditarium in posteros suos bellum propagaret. *Quint. Decl.* 9, 14. Hereditaria odia subire. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 8. Vetus atque hereditaria Urbis nostrae paupertas.

HĔRĔDĬTAS, atis, f. κληρονομία, successio in universum jus, quod defunctus habebat tempore mortis, ut *Cajus Dig.* 50, 16, 24. definit. *Cic. Inv.* 1, 45. Hereditate possidere aliquid; et *ib.* Hoc mihi hereditate venit. *Varr. R. R.* 1, 12. Si istiusmodi mi fundus hereditate obvenerit. *Plin.* 17, 1, 1. Domus, quae mihi hereditate obvenit. *Nep. Ann.* 1. Hereditate relictum quippiam. ℙ Item ipsa illa bona et jura, quae hereditate acquirimus. *Cic. Top.* 6. Hereditas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. *Id. Fl.* 36. Communem hereditatem, quae aequaliter ad utrumque lege venisset, concessit adolescenti. *Id. Phil.* 2, 16. *extr.* Hereditatem adire. *Id. Att.* 11, 2. cernere ex testamento; et *ib.* 12, 48. tenere. *Id. Caec.* 35. capere ab aliquo. *Id. Agr.* 1, 3. obire. *Id. Off.* 1, 33. *extr.* tradere alicui. *Tac. A.* 2, 19. *extr.* usurpare. *Plin. ep.* 8, 18. alicui transmittere. *Modest. Dig.* 24, 3, 58. repudiare, omittere, acquirere, suscipere. *Ulp. Dig.* 28, 3, 4. obtinere. *Pl. Truc.* 2, 3, 23. Si qua mihi obtigerit hereditas magna et luculenta. *Id. Curc.* 1, 2, 34. Haud saepe eveniunt tales hereditates. *Nep. Att.* 21. Multas hereditates consequi. *Plin. ep.* 7, 11. Hereditas mihi obvenit, in qua ista praedia sunt. *Plin. alter* 2, 109, 112. Ad quas pertinebat hereditas; et *ib.* 26, 24. Coelum in hereditate cunctis relictum. *Julian. Dig.* 29, 2, 44. Hereditate se abstinere. *Ter. Clem. Dig. ib.* 50, 16, 151. Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi. *Ulp. ib.* 36, 4, 5. *med.* Si jacuerit hereditas aliquo tempore, *h. e.* si nemo erit, qui eam adeat. ℙ *Sine sacris hereditas*, proverb. V. SACRUM. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 22. *f.* Licet mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem hereditas hujus gloriae pertinet. *Just.* 36, 2. Paternae scientiae hereditas. ℙ Reperitur in genitivo plur. *hereditatium* pro *hereditatum. Inscr.* ap. *Grut.* 590, 10. T. Flavio Aug. L. Januario adjutori tabular. XX. hereditatium. Adde aliam ap. *Don. cl.* 5. *n.* 126. ℙ Scribitur et *haereditas.* V. HERES.

HĔRĔDĬUM, ii, n. κτῆμα, praedium parvulum, ut ait *Fest.*, quod hereditate quis possidet. *Varr. R. R.* 1, 10. Bina jugera, quae a Romulo primum divisa dicebantur viritim: quae, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt. *Nep. Cat.* 1. Cato adolescentulus versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. ℙ Olim hac voce hortus significabatur. *Plin.* 19, 4, 19. In XII. Tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus: in horti vero heredium.

HĔREM Martĕam antiqui, accepta hereditate, colebant, quae a nomine appellabatur heredum: et esse una ex Martis (*vel potius Nerienes uxoris ejus*) comitibus putabatur. *Festus*, ubi al. leg. *Martiam.* ℙ Ceterum *herem* pro *heredem* in quarto casu olim dictum fuit. *Naev.* ap. *Non.* 8, 25. Omnibus bonis ego te herem faciam.

HERENNĬĀNUS, a, um, adj. ad Herennium pertinens, ut Herenniani coheredes, ap. *Cic. Att.* 13, 6. ℙ *Fuit et *Herennianus*, *i*, *m.*, qui consul fuit cum Severo A. U. C. 923. ℙ Item filius Odenati, usurpatoris Orientis. Hunc, una cum fratre Timolao purpura indutum, Zenobia ulnis solita est tenere, quoties militibus locuta est. Ambo ab Aureliano occisi. *Trebell. Poll. de* XXX *Tyr.* 26. ℙ Herennianus inter duces, qui e Probi disciplina prodierunt, memoratur *Vopisco* in *Probo. B. A.*

*HERENNĬUS, i, m. nomen proprium virorum R. ut Herennius Senecio, Historicus Romanus sub Domitiano, a Mettio Caro accusatus, et Caesaris jussu interfectus, quod rogatu Fanniae, filiae Paeti, uxoris Helvidii, libros scripsisset de vita Helvidii Prisci. *Tac. Agr.* 2. et 45. *Plin. ep.* 7. ad *Prisc.* V. *Voss. de Hist. Lat.* p. 154. ℙ M. Herennius, mediocris orator, de quo *Cic. Brut.* 45. et *Muren.* 17. ℙ Herennius, ad quem sunt libri quatuor rhetorici, in Ciceronis operibus vulgati, incertum est quis fuerit. V. *Fabric. B. L.* T. 1. p. 97, 98. *B. A.*

HĔRES, edis, m. et f. κληρονόμος, qui defuncto succedit in bona et jus, quod habebat. Alii ab *haereo* deducunt, alii probabilius ab *herus. Cic. Fam.* 13, 26. Mescinius heres est M. Mindio fratri suo; et 29. *med.* Heres ex parte dimidia et tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum, etc. *Id. Quint.* 4. Heredem ex testamento reliquit hunc P. Quintium. *Id. Off.* 3, 18. scribere. *Modest. Dig.* 28, 6, 1. substituere alicui. *Cic. Caec.* 6. Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam, ex duabus sextulis Fulcinium. *Id. Verr.* 2, 1, 43. Testamento facere heredem filiam. *Id. Caec.* 4. *f.* Quem suis bonis heredem esse cupiebat. *Plin. ep.* 5, 5. Aliquem heredem ex asse instituere. *Cic. Phil.* 2, 25. Antonius nondum in Pompeji locum repentinus heres successerat. *Plin.* 9, 35, 59. Relictus ab eo in amplis opibus heres. *Id.* 33, 11, 50. Libras trigintaduo argenti Africanus sequens heredi reliquit. ℙ *Heres*, quamvis de femina dicatur, tamen adjectivis semper jungitur masculinis, monente *Charis.* 1, 79. Nam, inquit, Marcus ait, *Heres ipsius secundus*, de muliere loquens. ℙ *Heres secundus* est qui in primi locum substituitur, si is heres esse non possit. *Cic. Fam.* 13, 61. Qui me cum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. Ap. *Modest.* formulam habes secundi heredis substituendi, *l. c.* Filius mihi heres esto: si heres non erit; sive erit, et intra pubertatem decesserit, tunc Cajus heres esto. ℙ *Heres necessarius* ap. *Cajum Institut.* 3. (ed. *Goes.*) §. 153. est servus cum libertate heres institutus; ideo sic appellatus, quia, sive velit, sive nolit, omnimodo post mortem testatoris protinus liber, et heres est. ℙ *Heres suus et necessarius* ap. *eund. ib.* §. 156. est filius, filiave, nepos, neptisve ex filio, deinceps ceteri, qui modo in potestate morientis fuerunt: suus quidem heres ideo appellatur, quia domesticus heres est; necessarius vero, quia omnimodo, sive velit, sive nolit, tam ab intestato, quam ex testamento heres est. Adde *Ulp. Dig.* 38, 16, 1. ℙ *Heres extraneus* ap. *eund. ib.* §. 161. est, qui testatoris juri subjectus non est. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 97. Illa vetus academia, atque ejus heres Aristus. *Ov. A. Am.* 3, 459. Criminis heres; et *Her.* 2, 78. fraudis; et *ib.* 9, 110. laudis. *Id. Met.* 9, 70. de hydra: nec ullum De centum numero caput est impune recisum, Quin gemino cervix herede valentior esset. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 6. Praxitelis filius Cephissodorus, et artis heres fuit. ℙ *Heredes* etiam dicuntur stolones, quia in locum succedunt arboris suae. *Plin.* 16, 37, 67. Alni caesae densius innumero herede prosunt. ℙ *Heres* apud antiquos, inquit *Festus*, pro *domino* ponebatur. *Pl. Men.* 3, 2, 12. Abstuli hanc, cujus heres nunquam erit post hunc diem. *Justin. Institut.* 2. *tit.* 19. *f.* Pro herede gerere est pro domino gerere. Veteres enim heredes pro dominis appellabant. ℙ *Herem* in accusativo, V. HEREM. ℙ Scribitur et *Haeres:* sed contra diphthongum stant *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* ex lib. veteribus, et innumeris lapidib. Veteres olim etiam sine aspiratione scripsere.

HERES, erinaceus. V. ERES.

*HERGENTUM, vel Ergentum, i, n. Siciliae opp. *Sil.* 14, 251. ℙ Scribitur et *Hergetum*, vel *Ergetum*, vel *Hergetium. B. A.*

HĔRI, adv. χθές, hesterno die. *Festus* derivat ab ἐχθές, quod idem significat: quod ea ratione intelligi vult *Voss.*, ut olim *hesi* dixerint: hoc esse ab χθεσὶ, unde χθὲς, et ἐχθές. Dictum est etiam *here* (sed rarius. V. supra s. l.), quod quidam ap. *Charis.* 2, 180. ita ab *heri* distinguunt, ut illud ad *quamdiu* referatur, hoc ad *quando:* sed est hoc discrimen ineptum. *Ov. Fast.* 2, 76. Dicet, ubi est hodie, quae Lyra fulsit heri? *Cic. Fam.* 11, 1. et *Att.* 13, 47. Heri vesperi apud me Hirtius fuit. ℙ Ponitur etiam pro paucis ante diebus, nuper, paulo ante. *Ulp. Dig.* 47, 10, 7. *med.* Nec enim ferre praetor debet heri servum, hodie libertum conquerentem, quod dominus ei convicium dixerit. *Tert. Apol.* 4. Vanissimas Papias leges heri Severus, constantissimus principum exclusit.

HĒRĬCĬUS. V. ERICIUS.

HERĬE Junonis enumeratur a *Gell.* 13, 22. inter nomina Deorum, qui in publicis comprecationibus populi R. invocabantur. Sed al. aliter leg.

HĒRĬFŪGA, ae, adj. comm. gen. fugiens herum. *Catull.* 63, 51. Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugae Famuli solent.

HĒRĪLIS, e, adj. δεσποτικός, ad herum, heramve pertinens. *Ter. Andr.* 3, 4, 23. Herum fefelli, in nuptias conjeci herilem filium. *Virg. A.* 7, 490. mensaeque assuetus herili; et *ib.* 8, 462. gressumque canes comitantur herilem. *Hor. Od.* 3, 27, 63. nisi herile mavis Carpere pensum. *Id. Sat.* 2, 7, 60. peccati conscia herilis. *Id. Ep.* 2, 2, 6. Verna ministeriis ad nutus aptus heriles. *Pl Aul.* 4, 1, 13. Herile imperium. *Id. Mil.* 2, 6, 1. negotium curare. *Val. Fl.* 4, 383. arbitrium; et 6, 706. vitamque effundit herilem; et 107. turba canum pugnas capessit heriles, *h. e.* pugnat pro heris.

HĒRĪLLĪI philosophi dicti sunt ab Herillo Chalcedonio, qui fuit Zenonis auditor, et in cognitione et scientia summum bonum posuit, ut *Cic.* ait *Acad.* 4, 42. et *Fin.* 5, 25. et al. *Id. Or.* 3, 17. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, fere qui se omnes Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum.

*HERĪLUS, i, m. rex Praenestinorum, ab Evandro interfectus. *Virg. A.* 8, 563. *B. A.*

*HERĪTŪDO, inis, f. ab *herus.* *Gloss. Gr. Lat.* δεσποτεία, Dominatus, dominatio, heritudo. *B. A.*

HERMA et Hermes, ae, m. ἑρμῆς, statua, sive signum, tum ex marmore, tum ex trunco arboris, ita dictum ab Hermete, idest Mercurio, quod plerumque statuae Mercurii efficerentur. Fiebant saepe ex lapide quadrato sine manibus et pedibus. *Juven.* 8, 53. truncoque simillimus Hermae. *Macr. Sat.* 1, 19. Pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, quae figura significat, solem mundi esse caput, et rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola 'mente consistere. Quatuor latera significant vel totidem mundi plagas, vel quatuor vices temporum. Haec *Macr.* Alii putant, ea figura significari vim eloquentiae, cujus Mercurius est praeses, quae sine viribus corporis potens est sola verborum facundia. *Serv.* ad *A.* 8, 138. causam, cur sine manibus figuretur, refert ad fabulam, de qua V. in CYLLENIUS. ℙ Hae figurae Athenis fere ad Alcibiadis vultum effingebantur, teste *Clem. Alex.* ἐν λόγῳ προτρεπτ. πρὸς Ἕλλην, quod is aetatis suae multo formosissimus fuit, ut in ejus Vita *c.* 1. *Nepos* tradit. Mos autem erat has in vicis ad januas aedium habere, item circa sepulcra, in gymnasiis, xystis, bibliothecis, et in fronte templorum ad ornatum. *Cic. Att.* 1, 6. Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis me admodum delectant. *Nep Alcib.* 3. Accidit, ut una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, praeter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 485. *n.* 160. Frontem templi vervis, et hermis marmoreis pecunia sua ornavit. V. VERVA. *Spon. Miscell. antiq.* p. 9. figuras Hermarum aliquot exhibet. ℙ Praeterea *Herma*, n. g. inquit *Festus*, a Graecis ponitur pro firmamento (ἕρμα, ab εἴρω, necto). Unde etiam Mercurii nomen, inventoris, ut putant, firmae orationis dictum. Interdum etiam saburram significat, quia naves pondere firmat.

*HERMĀCHUS, i, m. Epicureus, Mitylenaeus, testamento Epicuri heres. *Cic. Acad.* 4, 30. et *de Fin.* 2, 30. Cf. *Laert.* 1, 21. ℙ Hermachus, Chius, de quo *Cic. de harusp. resp. c.* 16. *B. A.*

[HERMAEUS, a, um, adj. Ἑρμαῖος, ad Hermen seu Mercurium pertinens. Hinc *Hermaeum* absolute est *Hermaeum cubiculum*, ubi nempe Mercurius colebatur, vel ubi hermae plures, nempe *busti*, clarorum virorum servabantur. V. HERMA et HERMULA. *Suet. Claud.* 10. Cum, quasi secretum eo desiderante, turbam submoverent, in diaetam, cui nomen est Hermaeum, recesserat. *Inscr.* ap. *Grut.* 598, 7. Symphoro tesserario *servo* Caesaris de domo Gelotiana fecit Philodespotus *servus* Caesaris ex Hermaeo fratri B. M. *Liv.* 35, 50. Cum jam Menippus castra ante Salganea ad Hermaeum, qua transitus ex Boeotia in Euboeam insulam est, haberet, *h. e.* Hermaeum templum, in quo fortasse Mercurius cultus honoratusque fuit. *F.*]

[HERMAGORAS, ae, m. V. v. sq. ℙ Est etiam cogn. R.: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et ἀγορά, congregatio. *Inscr.* ap. *Grut.* 16, 13. C. Coelius Hermagoras. *F.*]

HERMAGORĒUS, a, um, adj. ad Hermagoram pertinens, Ἑρμαγόρειος. Fuit autem Hermagoras Graecus rhetor, cujus meminit *Quint.* 3, 1. et alibi, item *Cic. Brut.* 78. et *Inv.* 1, 6. Hinc *Hermagorei*, qui ejus scholae sunt, ap. *Quint.* 7, 4.

[HERMAIS, ĭdis, f. patronym. ab Ἑρμᾶς, Mercurius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 7. *n.* 30. Cum Antonia Hermaide conjuge. *F.*]

[HERMAISCUS, i, m. Ἑρμαΐσκος, dimin. ab Ἑρμᾶς, Mercurius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 10. C. Valerius Hermaiscus. Adde aliam ap. *Grut.* 1077. *col.* 3. *F.*]

*HERMANDICA, ae, f. opp. Hispaniae, in Lusitania. *Liv.* 21, 5. ℙ Notandum in *Polyb.* 3, 14. quem hic exscribit *Livius*, Graecum nomen esse Ἑλμαντική: unde in *Livii* loco lato corrigendum putant nonnulli *Helmantice.* Hodie, aiunt, est *Salamanca. B. A.*

[HERMAPHILUS, i, m. Mercurium amans: ab Ἑρμᾶς, Mercurius, et φιλέω, amo. Est cogn. libertinum. *Inscr.* ap. *Grut.* 319, 9. Hermaphilus Hymni Lib. *F.*]

HERMAPHRODĪTUS, i, m. Ἑρμαφρόδιτος, Mercurii et Veneris filius: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et Ἀφροδίτη, Venus. Hic cum vagabundus in Cariam ad limpidissimum fontem, quem Salmacis Nympha incolebat, pervenisset, illa subito ejus amore correpta, cum neque blanditiis, neque precibus flectere posset, simulato recessu post vepres latuit. Is autem Nympham abiisse ratus, fontem nudus intravit. Quod videns Salmacis, subito accurrit, et abjectis vestibus arctissime eum complexa est. Sed cum ne tunc quidem obstinatum exorare posset, a Diis petiit, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Cujus precibus exauditis, ambo in unum corpus coaluerunt, in quo sexus uterque remanebat integer. Quod cum vidisset Hermaphroditus, a superis petiisse dicitur, ut ea fonti natura maneret, ut, qui vir eum intraret, ἀνδρόγυνος, idest utrumque sexum adeptus exiret. Hinc omnes androgyni vocantur Hermaphroditi. *Ov. Met.* 4, 285. et sqq. et *ib.* 383. Hermaphroditus ait, nato date munera vestro. *Plin.* 7, 3, 3. Gignuntur et utriusque sexus, quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos, et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. V. ANDROGYNUS. ℙ Adjective. *Id.* 11, 49, 109. Ostentabat Nero hermaphroditas subjunctas carpento suo equas.

HERMATHĒNA, ae, f. caput duplex, Mercurii, et Minervae, ab Ἑρμῆς, Mercurius, et Ἀθηνᾶ, Minerva. Solebant enim Romani Mercurii ac Minervae capita conjungere in gymnasiis, atque dicare. *Cic. Att.* 1, 4. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiae proprium meae, quod et Hermes commune omnium, et Minerva singulare est insigne ejus gymnasii.

[HERMĒNEUMA, ātis, n. ἑρμήνευμα, expositio, interpretatio. *Senec. Controv.* 26. Graece scribit, at Latine *Id. Excerpt.* 9, 3. Nunquam magnas mercedes accipere eos, qui hermeneumata docerent. *F.*]

HERMĒRACLES, is, m. geminum caput Mercurii, et Herculis in eadem basi. *Cic. Att.* 1, 10. Ab Ἑρμῆς, Mercurius, et Ἡρακλῆς, Hercules: quale videre est in nummis gentis Rubriae, apud *Morell. n.* 8.

[HERMĒROS, ōtis, m. Deus pantheus, ex Mercurio, et Cupidine compactus: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et Ἔρως, Amor. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. In iis sunt Centauri Nymphas gerentes, Hermerotes Taurisci caelatoris Tralliani. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 14. L. Valerius Hermeros. *F.*]

HERMES, ae, m. Ἑρμῆς, Mercurius. *Cic.* cujus verba V. in HERMATHENA. V. etiam HERMA. Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 90. C. Julius Hermes. ℙ *Hermes Trismegistus, Ἑρμῆς τρισμέγιστος, i. e. ter maximus, μέγας καὶ μέγας, philosophus Aegyptius, cujus etiam liber circumfertur Ποιμάνδρης inscriptus, suppositicius proculdubio et fictitius. V. *Fabric. B. G.* 1, 7. ℙ V. *Trismegistus. B. A.*

*HERMESĬA, ae, f. Ioniae opp. excisum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[HERMESĬAS, ădis, f. *Plin.* 24, 17, 102. Hermesias a Democrito vocatur, ad liberos generandos pulcros bonosque, non herba, sed compositio e nucleis pineae nucis tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo. *F.*]

[HERMĔTĬCUS, i, m. ad Hermen, seu Mercurium pertinens, Mercurialis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1544, 7. T. Laberius Hermeticus. *F.*]

[HERMĔTĬO, onis, m. dimin. Hermetis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 7. A. Egrilius Hermetio *junior. F.*]

[HERMĒUS, a, um, adj. ad Hermian regulum pertinens, cujus tumulus erat in insula Cypro, ut narrat *Plin.* 37, 5, 17. *Id. ib.* 18. Democritus in hoc genere ponit smaragdos Hermeos, et Persicos, illos extumescentes, Persicos vero non translucidos. *F.*]

[HERMĪAS, ae, m. Ἑρμείας, vel Ἑρμίας, idem ac Ἑρμῆς, Mercurius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 49, 6. Hermias dedicavit, idemq. vovit. *F.*]

*HERMINĬUS, i, m. mons Lusitaniae, juxta Medobrigam, inter Tagum et Anam flumina. Hodie est *monte Armino. Hirt. B. Alex.* 48. ℙ Fuit et Hetrusci nobilis nomen apud *Virg. A.* 9, 24. ℙ Item Romanus quidam, unus ex his qui una cum Coclite Hetruscis in ponte Sublicio restiterunt, donec a tergo solveretur. *Liv.* 2, 10. Integrum nomen T. Herminius Aesquilinus. *B. A.*

HERMĬŌNĒ, es, f. Cadmi uxor, Martis et Veneris filia. V. HARMONIA. ℙ Altera Menelai filia ex Helena, Pyrrhi primum sponsa, deinde Orestis. *Ov. Pont.* 2, 11, 15. et *Hyg. fab.* 122. ℙ Est etiam hoc nomine oppidum Peloponnesi ad sinum Argolicum. *Plin.* 4, 5, 9. **Mela* 2, 3. *Liv.* 31, 45. *Virg.* in *Ciri v.* 472. ubi male producuntur syllabae ultimae duae. *Heynii* emendationem V. in *Hermioneus, a, um. B. A.*

*HERMIONES, um, populi media Germaniae parte siti. *Plin.* 4, 14. ℙ *Herminones* appellat *Tac. G.* 2. *Mermones* autem *Mela* 3, 3. *B. A.*

HERMĬŌNĒUS, et
HERMĬŌNĪCUS, et
HERMĬŌNĬUS, a, um, adj. possess. ab Hermione oppido. *Virg. Cir.* 472. Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea. *Liv.* 31, 44. Ager Hermionicus. *Plin.* 4, 12, 19. Hermionius.

*HERMIPPUS, i, m. Smyrnaeus, historicus, temporibus floruit Ptolemaei Evergetae. Scripsit de Magis, de vitis illustrium virorum, de sapientibus, de Pythagora, et alia plura. *Plin.* 30, 1. Cf. *Laert.* 1, 8. et 42. ℙ Fuit et alius, Berytius, Philonis Byblii discipulus, qui multa composuit sub Hadriano Principe. Ejus historiam de Somniis laudat *Tert. de anima* 48. *B. A.*

*HERMISIUM, i, n. opp. Scythiae Europaeae, in Taurica Chersoneso. *Mela* 2, 1. *in. Plin.* 4, 12. *B. A.*

[HERMOCĂPĒLĪTAE, arum, m. plur. incolae Hermocapeliae, urbis Lydiae, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 101. ΕΡΜΟΚΑΠΗΛΙΤΩΝ. *Plin.* 5, 30, 33. Ad Pergamum conveniunt Hermocapelitae, Attalenses, etc. *F.*]

[HERMOCHĀRES, ētis, m. gratiosus Mercurio: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et χάρις, gratia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 416, 13. M. Antonio Hermochareti fecit Antonia Charis. *F.*]

*HERMOCRĀTES, is, m. Ἑρμοκράτης, medicus, quo viso in somnis, Andragoram mortuum esse dicit *Mart.* 6, 53. *B. A.*

[HERMODŌRUS, i, m. Mercurii donum: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et δῶρον, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 68. L. Cassius Hermodorus. *F.* **Hermodorus, i*, m. Ἑρμόδωρος, Platonis auditor, cujus commentarios excerptos in Sicilia divulgare ac vendere solebant. Quam rem Siculi in proverbium verterunt: Λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. *Libris Hermodorus mercaturam facit.* Cf. *Cic. Att.* 13, 21. et *Tusc.* 5, 36. *B. A.*]

[HERMOGĒNES, is, m. est nomen propr. viri: ab Ἑρμῆς, Mercurius, et γένος, genus, a Mercurio genitus. V. v. seq. ℙ Est etiam cogn. R.; Clodii enim Hermogenis feneratoris mentio est ap. *Cic. Att.* 13, 24. ℙ Hinc porro *Mart.* 12, 29. apte mapparum cleptae celeberrimo Hermogenis nomen indidisse videtur. *F.*]

HERMOGĒNĪĀNUS, a, um, adj. ad Hermogenem pertinens, quod est nomen viri proprium. *Hermogeniani equi* dicti sunt a quodam Hermogene, qui equos ad curule certamen alebat multos et nobiles. Horum fit mentio in *Cod. Theod.* 10, 6, 1. et 15, 10, 1., et conjunguntur cum *Palmatis*, qui itidem cognominati sunt a quodam Palmatio Caesariensi, valde locuplete, et similes equos multos alente. De his loquitur etiam *Reines.* in *Inscr. cl.* 1. *n.* 39. p. 71. ℙ *Hermogenianus* est etiam unus ex prudentibus, quorum responsa in Pandectis referuntur, qui Caracallae temporibus floruisse videtur, *h. e.* sub initio saeculi Christi III. Alii tardius ei tempus assignant, nempe sub imperio filiorum Constantini M. circa dimidium saec. IV. ℙ *Fuit et Hermogenes Tarsensis, de quo *Suet.* in *Dom.* 10. Occidit item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras; librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis. *B. A.*

*HERMOLĀUS, i, m. Ἑρμόλαος, insignis statuarius, de quo *Plin.* 36, 5. *B. A.*

*HERMONASSA, ae, vel Hermonasse, es, f. Ἑρμώνασσα, opp. Sarmatiae Asiaticae, ad Bosphorum Cimmerium. *Mela* 1, 19. *med. Plin.* 6, 6. *B. A.*

*HERMONTHĪTES, sc. nomos, sic dictus ab Hermonthide opp. Aegypti superioris, in Thebaide. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

[HERMOPHĪLUS, i, m. idem ac Hermaphilus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1273, 13. Hermophilus alumnus. *F.*]

*HERMOPOLIS, is, f. Ἑρμόπολις, Ἑρμούπολις, sc. Ἑρμοῦ πόλις, duarum urbium nomen fuit in Aegypto: quarum una in Aegypto superiore, in Heptanomide, in Thebaide posita *Ammian.* 22, 40. (al. 16.) Hinc *Hermopolites, ae*, sc. nomos, dicta est praefectura, cujus caput Hermopolis. *Plin.* 5, 9. Altera in inferiore Aegypto fuit, circa Deltam. Ejus meminerunt *Strabo* et *Ptolemaeus.* ℙ Fuit et Hermopolis, sive Hormoenimpolis, locus Alexandriae, si qua fides *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 20. *B. A.*

*HERMOTĪMUS, i, m. Clazomenius, de quo sic *Plin.* 7, 52. Reperimus inter exempla, Hermotimi Clazomenii animam relicto corpore errare solitam, vagamque e longinquo multa annuntiare, quae nisi a praesente nosci non possent, corpore interim se-

mianimi: donec cremato eo inimici remeanti animae velut vaginam ademerint. *Tert. de anima* 2, 28. Caeterum de Hermotimo, anima, ut aiunt, in somno carebat; quasi per occasionem vagaturi hominis, proficiscente de corpore. Uxor hoc prodidit: Inimici dormientem nacti, pro defuncto cremaverunt. Cives Hermotimum templo consolantur. *B. A.*

*HERMUBASILION, i, n. Ἑρμοῦ βασιλεῖον, herba eadem quae et Hermubotane. *Appul. de herb.* 82. *B. A.*

*HERMUBOTĀNE, es, f. Ἑρμοῦ βοτάνη, i. e. Mercurii herba, i. q. Mercurialis et Hermupoa et Hermubasilion. *Appul. de herb.* 82. *B. A.*

[HERMŪLA, ae, m. dimin. ἑρμίδιον, parvus cippus in modum hermae factus. *Cassiod. Variar.* 3, 51. de circo: Bissena quippe ostia *(carcerum)* ad duodecim signa *(Zodiaci)* posuerunt. Haec ab hermulis funibus demissis subita aequalitate panduntur; docentes totum illic, ut putabatur, consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari. Hic *hermulae* sunt columellae, humanum caput praeferentes, et ostia carcerum disterminantes, unde funes extendebantur ad equos circenses intra carceres coercendos, ne unus altero celerius prorumpere posset. *F.*]

*HERMUNDŪRI, orum, m. Ἑρμόνδοροι, Suevorum, potentissimae in Germania gentis, magna et nobilissima natio, quae ab Albi ac Marcomannis Nariscisque ad usque Danubium et Rhaetos coluit. Hodie Hermundurorum nomen sibi praecipue Misnenses vindicant. Nam tota Misnia, exceptis partibus, quae trans Albim Lusatiae utrique contermina est, in Hermunduris fuit. *Tac. A.* 2, 63. et 12, 30. *Id. G.* 41. *Plin.* 4, 14. *B. A.*

HERMŪPOA, Ἑρμοῦ πόα, *h. e.* Mercurii herba, nomen est Graecum herbae Mercurialis, quae et linocostis, et parthenion dicitur. *Plin.* 25, 5, 18.

HERMUS, i, m. *Sarabat*, fluvius Asiae, qui ex Phrygia Magna per Lydiam et Aeolidem fluit, apud Docimaeum, ac in Aegaeum pelagus inter Phocaeam, et Smyrnam una cum Pactolo labitur. Auro nobilis est. *Virg. G.* 2, 137. Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus.

HERNĒUM. V. ERNEUM.

HERNIA, ae, f. κήλη, ἐντεροκήλη, tumor praeternaturalis umbilici, inguinum, Scroti, obortus ex relaxatione, aut fractione peritonaei, cujus causa intestina, vel omentum, vel humor aliquis in partes inferiores descendit. *Mart.* 3, 24. Ingens iratis apparuit hernia sacris. *Cels.* 7, 18. Ἐντεροκήλην, et ἐπιπλοκήλην Graeci vocant: apud nos indecorum, sed commune his, herniae nomen est. *Id. ib.* varia hujus morbi genera describit, variis quoque nominibus Graece appellata, a Latinis vero, scilicet nullis discriminibus satis cognitis, unum idemque *herniae* nomen habentia. V. ENTEROCELE. ℙ *Fuit et Hernia nomen proprium Romanum. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. *B. A.*

HERNĪCI, orum, m. plur. pop. Italiae in Latio, versus montes, ad fontes Liris, et Anienis, inter Volscos, Aequos, et Marsos, quorum urbes Anagnia, Alatrium, Verulae, Ferentinum. Dicti sunt, inquit *Fest.* a saxis, quae Marsi *herna* dicunt. *Juven.* 14, 180. O pueri, Marsus dicebat, et Hernicus olim. ℙ **Hernicum* (pro *Hernicorum*) *Capitulum*, oppidum Hernicorum, de quo *Plin.* 3, 5. *B. A.*

HERNĪCUS, a, um, adj. ad Hernicos populos, vel eorum regionem pertinens. *Virg. A.* 7, 683. et roscida rivis Hernica saxa colunt. Adde *Stat. Silv.* 4, 5, 56.

HERNIŌSUS, a, um, adj. κηλήτης, enterocelicus, qui herniam patitur. *Lampr. Elag.* 25. Dum sermo esset ortus, quanti herniosi essent in urbe Roma.

HERO, onis. V. AERO.

HĒRO, us, f. puella formosissima ex Sesto Thraciae urbe ad Hellespontum sita, et Veneris sacerdos. Hanc adamabat Leander Abydenus, noctuque ejus causa Hellespontum solebat nando trajicere. Qui cum aliquando mari ventis agitato se commisisset, submersus est: cujus morte cognita, Hero quoque sese in mare praecipitem dedit. Exstat ap. *Ov.* epistola Herus Leandri moras querentis, et ad se invitantis, inter *Her. n.* 19. et Leandri ad ipsam, *n.* 18. *Id. Amor.* 2, 16, 31. Saepe petens Hero, juvenis tranaverat undas. Al. leg. *Heron.* V. DIDO, us. ℙ *Item nomen unius ex Priami regis filiabus. *Hyg. fab.* 90. ℙ Et Danaidum una. *Id. fab.* 170. *B. A.*

[HERODĀTUS, i, m. idem ac Herodotus, nempe a Junone datus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 413, 13. C. Stajus Herodatus. *F.*]

HĒRODES, is, m. Ἡρώδης. Tres hoc nomine fuerunt Judaeae reges; quorum primus infantes intra bimatum jussit interfici: de quo dictum Augusti *Macr. Sat.* 2, 4. refert. *Hor. Ep.* 2, 2, 184. et ungi Praeferat Herodis palmetis pinguibus. ℙ **Herodes Atticus*, Graeca oratione fere universos gravitate atque copia, elegantiaque vocum longe antecessit. *Gell.* 1, 2. *Id.* 9, 2. et 19, 12. Vixit sub Hadriano et Antonino Pio. ℙ Herodes, Atheniensis, non bonus scriptor, vixit Ciceronis aetate. Videtur (ait *Ernestus*) de Ciceronis Consulatu scripsisse aliquid, quod vehementer contemnit Cicero. *Cic. Att.* 2, 2. ℙ Herodes, libertus Attici. *Id. ib.* 6, 1. etc. ℙ De Herodibus variis V. *Hard. de numis Her.* et *Spanhem. Diss.* 8. p. 520. etc. Item *Reland.* in *Palaestina. B. A.*

*HERODĪUM, i, n. Ἡρωδεῖον, urbs Judaeae, 60 stad. ab Hierosolymis distans. *Plin.* 5, 14. Reliqua Judaea dividitur in toparchias decem, Hiericuntem — Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis. *B. A.*

[HERODŌTUS, i, m. Ἡρόδοτος, (ab Ἥρη, Juno, et δοτὸς, datus) Halicarnassensis, ortus an. CCCCLXXXIV. ante Chr. n., scripsit historiam dialecto Ionica, tanta cum suavitate, ut Musarum nomina singulis ejus libris (novem enim conscripsit) titulos fecerint ii, apud quos eam in frequenti Graeciae conventu in Olympiis recitavit. Primus inter omnes historicos elegantia, suavitate, rerum antiquarum et exemplorum multitudine scriptores omnes Graecos, et Latinos superavit. *Patrem Historiae* eum appellat *Cic. Leg.* 1, 1. sed innumerabiles apud eum fabulas esse affirmat *F.*]

HĒROĪCE, adv. ἡρωϊκῶς, heroico modo. *Macr.* de *Virgilio* versus *Homeri* imitante, *Sat.* 5, 14. Hos quoque, tanquam heroice incomptos, adamavit.

HĒROĪCUS, a, um, adj. ἡρωϊκὸς, ad heroes pertinens, ut heroica aetas, in qua heroes vixere. *Cic. Div.* 1. *in.* Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus. *Id. Tusc.* 5, 3. Etiam heroicis aetatibus Ulyssem et Nestorem accepimus et fuisse, et habitos esse sapientes: (*Hesiod.* in *Oper. et dieb.* heroica tempora inter aeneam aetatem, et ferream: et heroes desiisse ait post Thebarum ac Trojae excidium.) Et *N. D.* 3, 28. Medea et Atreus, heroicae personae, nefaria scelera meditantes. *Id. Att.* 14, 15. Quid quaeris? heroica. ℙ *Heroici* absolute sunt poetae heroici. *Quint.* 10, 10. Verum Homerus omnes sine dubio, et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit, heroicos tamen praecipue. ℙ *Heroicus versus* dictus est ex eo, quod heroum illo fortia facta canuntur, et spondeis dactylisque constat, qui *pedes heroici* nominantur, V. HEROUS. *Servius* ad *A.* 1. *in.* Heroicum carmen esse dicit, quod constat ex divinis humanisque personis, continens vera cum fictis, Sed hic heroicum poema describit, non heroicum versum. *Auct. dial. de Or.* 10. Nec solum cothurnum vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum, etc. *Quint.* 1, 5. Iambum non recipit versus heroicus. *Prisc. de XII. vers. A.* p. 1256. Heroicus, qui legitimos habet dactylos, qui trisyllabi sunt, ideo in disyllabum desinere vult, et minuit in fine unam syllabam, ne sit impedimento sequenti versui, quin celeriter incipiat. ℙ Versus praecipue hexameter, heroicus censetur: sunt tamen alia non una versuum genera, heroica dicta, quod heroicis pedibus et ipsa constant, quae *Diom.* enumerat 3, 511. et 512.

HĒROĪNA, ae, f. ἡρωϊνη, femina illustris, ut sunt heroum uxores, et filiae. *Propert.* 1, 13, 31. Illa sit Inachiis et blandior heroinis. Adde *ib.* 19, 13.

HĒROĪON, ĭi, n. ἡρώϊον, nomen herbae asphodeli, quae clarissima inter herbas est. *Plin.* 22, 22, 32.

HĒROIS, ĭdis, f. ἡρωΐς, femina illustrior, quales sunt heroum uxores, et filiae. *Suet. Ner.* 21. Heroidum ac Dearum personis effictis. *Ov. Amor.* 2, 4, 33. Tu quia tam longa es, veteres heroidas aequas, τὰς ἡρωΐδας. *Id. Trist.* 5, 5, 43. Edidit haec mores illis heroisin aequos, ταῖς ἡρωΐσιν, dativus plur. Graecus, ut *Hamadryasin.* V. DRYADES. Al. tamen aliter leg. ℙ *Servius* ad *A.* 11, 74. notat, heroidas consuevisse suis manibus vestes contexere. ℙ *Heroides* inscribuntur epistolae *Ovidii* aliquot, in quibus de heroinarum amoribus agitatur. *Prisc.* 10, 908.

HĒROPHILE, es, f. Ἡροφίλη, mulier sacerdos Apollinis Sminthei, et vates. *Tibull.* 2, 5, 68. Herophile Phoebo grata quod admonuit.

[HĒROPHĪLUS, i, m. heri amans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 74, 3. Sex. Peducaejus Sex. Fil. Herophilus. *F.* *Herophĭlus, i, m. Ἡρόφιλος, medicus celebris, qui Phalaridem sanitati restituisse dicitur. *Plin.* 11, 37. 26, 2. et al. Adde *Cels. praef.* 3. *med. Tert. de anima* 10. *B. A.*]

HĒROS, ois, m. ἥρως, vir excellenti, ac supra humanam conditionem se efferente virtute praeditus, ac veluti divinitatis particeps: quales fuere qui ex altero parente Deo, altero homine nati sunt, ut Castor, Orpheus, Achilles, Hercules, Aeneas, qui illustribus gestis proxime ad Deos accesserunt, et post mortem Dii facti sunt. Ἥρως ἐστὶ, inquit *Lucian. in dial. mortuor.* 3. ὃ μήτε ἀνθρωπός ἐστιν, μήτε θεὸς, καὶ συναμφότερός ἐστι. *Ita tamen*, inquit *Serv.* ad *A.* 1, 200. *ut plus ab homine habeat:* scilicet quia laboribus, vulneribus, et morti obnoxius est. Hi vocantur etiam *Semidei*, ut est ap. *Hesiod.* ἔργ. καὶ ἡμέρ. *v.* 159. Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται Ἡμίθεοι. *Stat. Th.* 5, 372. nec robora prosunt Semideum heroum, *h. e.* Argonautarum. *Virg. Ecl.* 4, 15. Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit Permixtos heroas, et ipse videbitur illis. *Hor. Od.* 1, 12, 1. Quem virum, aut heroa lyra, vel acri Tibia sumis celebrare Clio? *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Pinxit et heroa absolutissimi operis. Et *ib. paulo supra.* Herois *(Ajacis)* nomine se moleste ferre dicebat, etc. ℙ Quidam putarunt, *heroes* eosdem esse, atque *dαίμονες*: alii hoc nomine appellarunt animas hominum a corporibus disjunctas. ℙ Praeterea *heroes* dicuntur illustres homines, qui ob res praeclare gestas, singularesque virtutes Diis proximi visi sunt, ac de humano genere optime meriti, immortalitatem apud posteros consecuti. *Cic. Att.* 14, 6. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum, *h. e.* cum Bruto et Cassio, qui interfecto Caesare, reipubl. libertatem restitui curaverant; et *ib.* 1, 17. *f.* Heros ille noster Cato; et *ib.* 4, 3. *f.* Ignari quantum in illo heroe esset animi, quantum etiam consilii. ℙ Dicti sunt *heroes* vel ab ἔρα, vel ἔρα, terra, ut quidam volunt ap. *Capell.* 2. p. 40. et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 35., quia altero parente mortali procreati sunt: vel ab ἥρη, Juno, hoc est aer: quia in aere habitare finguntur post mortem: vel ab ἔρως, amor, quia nati ex amore Deorum et hominum: vel denique ab εἴρειν, dicere, quia sapientes fuerunt, et disertissimi. Sunt etiam, qui, ut rationem nominis inveniant, ad Chaldaeam linguam confugiunt. *Hesiod. l. c.* eos post mortem habitare ait in Fortunatis insulis, ubi beata immortalique vita fruantur. *Capell. l. c.* versari ait a medietate aeris usque in montium terraeque confinia. Alii locant in Elysiis Inferorum, ut *Virg. A.* 6, 648. Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles, Magnanimi heroes, nati melioribus annis, Ilusque, Assaracusque, et Trojae Dardanus auctor. ℙ Adjective pro *Heroicus. Pers.* 1, 69. Ecce modo heroas sensus afferre videmus, Nugari solitos Graece.

HĒROSTRĀTUS, i, m. Ἡρόστρατος, Ephesius, cupiditate incensus suum nomen aliquo insigni facinore propagandi, cum virtute non posset, scelere voti compos factus est, incendium ipse manibus suis Dianae Ephesiae magnifico templo inferens, quo tot regum divitiae, populorumque labores absumpti sunt. *Solin.* 40.

HĒROUM, i, n. ἡρῶον, monumentum heroi viro positum. *Plin.* 10, 5, 6. Quam ob causam incolae, quod vocant heroum, in eo loco fecere, appellatum Jovis et virginis. *Cic. Leg.* 2, 24. Quod autem heroum, id est vestibulum sepulcri, bustumve usucapi vetat. Alii hic rectius leg. *forum*, q. v. v. *Inscr.* ap. *Mur.* 889, 8. Heroum maceria cinctum comparavit. Alia ap. *Fea*, *Framm. di Fast. Cons.* p. 14. *n.* 47. L. Ovinius Curius Proculus Modianus Africanus Cos. heroum coeptum in honorem Claudianae Eusebiae *Carissimae Memoriae Filiae* suae necessaria tutela munitum perfecit ad memoriam L. Ovinii Africani *Carissimae Memoriae Pueri* nepotis, et suam.

HĒROUS, a, um, adj. ἡρῶος, ad heroes pertinens, heroicus. *Stat. Silv.* 1, 3, 102. Sive chelyn tollas heroa ad robora; et *ib.* 4, 7, 2. Fortis heroos, Erato, labores differ. *Prop.* 3, 2, 15. quis te Carminis heroi tangere jussit opus? ℙ *Heroi pedes* sunt dactylus, spondeus, anapaestus, unde *heroi versus* constant, de quibus in HEROICUS dictum est. *Cic. Or.* 3, 47. Quare primum ad heroum nos dactyli, et anapaesti, et spondei pedem invitat. *Quint.* 9, 4. *med.* Herous, qui est idem dactylus. *Cic. Leg.* 2, 27. Laus mortui incisa quatuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. *Ov. Amor.* 2, 17, 21. Carminis hoc ipsum genus impar: sed tamen apte Jungitur herous cum breviore modo. *Mart.* 3, 20. Lascivus elegis, an severus herois. ℙ Item ad Hero pertinens, Leandri amicam. *Lucan.* 9, 954. et amore natatum Aequor, et Heroas lacrimoso litore turres.

HERPES, ētis, m. ἕρπης, ητος, ulcus serpens et erodens carnem, usque ad ossa interdum: ab ἕρπω, serpo, repo. Eum describit *Cels.* 5, 28. *n.* 3., sed Graece appellat. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 375. Serpere uti gangraena mala, atque herpes ita posset. *Plin.* 26, 14, 87. Aizoum herpetas quoque, et nomas sanat. ℙ *Herpes* quoque animal a Graecis vocatur, quo praecipue sanantur quaecumque serpunt. *Id.* 30, 13, 30.

HERPESTĪCUS, a, um, adj. repens, serpens, ab *herpes*. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 375. Serpere uti gangraena malo ad quem herpestica posset. Al. aliter rectius leg. V. v. praec.

*HERPYLLUM, i, n. i. q. sisymbrium. *Appul. de herb.* 105. *B. A.*

*HERPYLLUS, i, m. serpillus. *Appul. de herb.* 99. *Isid. Orig.* 17, 9. *B. A.*

*HERSE, es, f. Ἕρση, Cecropis filia. *Ov. Met.* 2, 809. *B. A.*

HERSĪLIA, ae, f. mulier Sabina, quae cum aliis rapta, fuit Romuli uxor, quae post mariti mortem et ipsa Dea facta est, et *Hora*, vel *Ora* appellata. Colebatur ut Dea juventutis et pulcritudinis. *Ov. Met.* 14, 839. Hersiliam jussis compellat vocibus Iris. *Macr. Sat.* 1, 6.

HERTHUS seu Hertha, nomen, quo veteres Germani Terram, communem omnium matrem, colebant, teste *Tac. G.* 40., quam vocem antiquae inscriptioni, in qua *Herma* legitur, restituere contendit *Reines.* ad *Inscr. cl.* 1. *n.* 39.

*HERTICĒI, orum, pop. Sarmatiae Asiaticae, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[HERVĬLIA, ae, f. ita scribitur in *Not. Tir.* p. 169. pro *Herbilia*, q. v. v. *F.*]

HĔRŪLI, orum, m. plur. populi Scandinaviae, qui inde egressi ad Maeoticam paludem habitarunt, posteaque Langobardi appellati, in Pannonia, ac Norico, et demum in Italia consederunt. *Sidon. carm.* 7, 236. Cursu Herulus, Chunus jaculis, Francusque natatu. ℙ Ap. *Claud. Mamert. Paneg. ad Maminian.* 5. et in *Genethl.* 7. scribitur *Eruli* sine aspiratione.

HĔRUS, i, m. *δεσπότης*, dominus domus, paterfamilias: et dicitur fere cum respectu ad servos. *Cic. Off.* 2, 7. Iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. *Ter. Heaut.* 3, 2, 26. Laudas, qui heros fallunt? *Virg. A.* 3, 324. Nec victoris heri tetigit captiva cubile. ℙ *Major herus* est paterfamilias, *minor* herilis filius. *Pl. Asin.* 2, 2, 63. et *Capt.* 3, 5, 49. et 50. ℙ *Herus* de marito. *Catull.* 61, 116. Quae tuo veniunt hero, Quanta gaudia! ℙ De quovis domino. *Hor. Sat.* 2, 2, 129. Nam propriae telluris herum natura neque illum, Nec me, nec quemquam statuit. *Catull.* 68, 75. nondum cum sanguine sacro Hostia coelestes pacificasset heros.

[HERVUM, i, n. idem ac Ervum, vel herbum *Edict. Dioclet.* p. 21. Ciceris, hervi, avenae. *F.*]

*HESIDRUS, i, m. flumen Indiae. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[HĒSĬGĔNES, is, m. ex delectatione natus: ab *ἥσις*, delectatio, et *γείνομαι*, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240, 1. C. Caecina Hesigenes. *F.*]

HĒSĬŌDĔUS et Hesĭŏdius, a, um, adj. *Ἡσιόδειος*, ad Hesiodum pertinens, qui fuit vetus poeta, Homeri aequalis, vel ejus temporibus vicinus, (V. *Gell.* 3, 11. et 17, 21. et *Vell.* 1, 7.) ex Ascra vico Boeotiae, ubi habitavit, et rusticam ac pastoralem vitam duxit, (V. *Ov. Fast.* 6, 13. et *Pont.* 4, 14, 31.) *Ascraeus* cognominatus, vir perelegantis ingenii, et mollissima dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus, ut tempore Homero, ita operis auctoritate proximus. *Cic. Brut.* 4. Illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. *Sidon. carm.* 9, 213. Non hic Hesiodea pinguis Ascrae Spectes carmina, Pindarique chordas. *Manil.* 2, 11. proximus illi (*Homero*) Hesiodus memorat Divos, Divumque parentes, etc. ℙ *Hesiodicus* idem, ut Hesiodicum carmen, *Serv.* ad *G.* 2, 176.

HĒSĬODUS. V. in v. praec.

HĒSĬŌNE, es, *Ἡσιόνη*, et Hēsĭŏnă, ae, f. Laomedontis Trojae regis filia, quam Hercules a monstro marino, cui objecta erat, liberavit, et Telamoni dedit uxorem. *Ov. Met.* 11, 211. *Hygin. fab.* 31. ℙ Hoc nomine inscripta fuit una ex *Naevii* tragoediis. *Gell.* 10, 25.

HESPĔRĬA, ae, f. Hispania: ab Hespero rege Atlantis fratre, vel ab Hespero stella Veneris. *Hor. Od.* 1, 36, 4. Qui nunc Hesperia sospes ab ultima. ℙ Item Italia, quam *Virg. A.* 1, 573. magnam Hesperiam vocat. Ratio nominis eadem est. Nam vel dicta est ab Hespero, qui a fratre pulsus ex Hispania in Italiam venit: vel ita vocata est ab Hespero stella, quod occasui subjecta sit. Ut enim Itali Hispaniam appellant Hesperiam, quod sibi sit ad occidentem, ita Graeci eodem nomine ob eandem causam Italiam nominant. *Virg. A.* 1, 534. Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt. Adde *Lucan.* 1, 224. et al. saepe.

HESPĔRĬDES, ĭdum, f. plur. *Ἑσπερίδες*, tres filiae Hesperi fratris Atlantis, Aegle, Arethusa, Hesperethusa. *Cic. N. D.* 3, 17. et *Hyg. praef. fab.* harum parentes faciunt Erebum et Noctem. Hae amoenissimos hortos possidere dicebantur in Africa, juxta Lixon coloniam a Claudio Caesare deductam, in quibus erat auriferum nemus cum aureis malis, quae a pervigili dracone custodiebantur. Hercules tamen eo penetravit, jussu Eurysthei, et interfecto dracone, aurea mala ad regem attulit. *Serv.* ad *A.* 4, 484. per mala aurea oves significari dicit, purpuream lanam ferentes, quas Hercules ex Africa in Graeciam exportaverit. Nam *μῆλον* apud Graecos significat et pomum, et ovem. Quod ad draconem spectat, scribit, fuisse nomen servi Hesperi regis. *Plin.* 5, 1, 1. et *Solin.* 24. interpretantur, fuisse aestuarium maris meatu flexuoso instar draconis, quod hortos Hesperidum amplectebatur: iidem praeter oleastrum, aliud nihil ex narrato illo aurifero nemore exstare prodiderunt. ℙ Hoc nomine item dictae sunt insulae Africae in oceano Atlantico. *Plin.* 6, 31, 36.

[HESPĔRĪNUS, i, m. *ἑσπερινός*, vespertinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 623. *n.* 200. C. Lucilius Hesperinus. *F.*

[HESPĔRĬO, onis, m. dimin. Hesperi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 514, 2. C. Crispius Hesperio. *F.*]

*HESPERIONCĔRAS. seu divise melius Hesperĭon Ceras, *Ἑσπέριον κέρας*, i. e. occidentale cornu, extremum fuit Africae continentis promontorium, ubi scilicet veluti in fronte circumaguntur naves in occasum ac mare Atlanticum. Haec *Solin. c. ult.* Meminit et *Plin.* 6, 30. *f.* et 31. bis. ubi in posteriore loco *Hesperu ceras*, i. e. *Ἑσπέρου κέρας*, legit *Hard.* Addatur *Mela* 3, 9. *extr. Mercatori* est *Capo bianco*, Hispanis vero *Cabo Verde*, Lusitanis *Capo di Sierra Liona*, facto (ait *Hard.*) nomine, quod maris ibi fremitus leaenae rugitum referre quodammodo videatur. *B. A.*

HESPĔRIS, ĭdis, adj. fem. ab Hesperia. *Virg. A.* 8, 77. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum, *h. e.* Italicarum. V. HESPERIA. ℙ Est etiam *Hesperis* herba quaedam ap. *Plin.* 21, 7, 19. sic dicta, quod vespere et noctu magis oleat. [**Nachtviole. Hesperis tristis. L.*] ℙ *Fuit et Hesperis urbs Cyrenaicae, postea Berenice dicta. *Mela* 1, 8. *med. B. A.*

HESPĔRĬUS, a, um, adj. ad Hesperiam pertinens. *Ov. Met.* 11, 257. Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat Hesperium temone fretum, *h. e.* oceanum occidentale. *Virg. A.* 2, 781. Hesperia terra, *h. e.* Italia. Sic *ib.* 7, 601. Hesperium Latium. *Val. Fl.* 8, 91. Hesperius orbis. *Hor. Od.* 1, 28, 25. Hesperii fluctus. *Ov. Met.* 4, 214. Hesperius axis, *h. e.* occidentalis. Et *ib.* 2, 258. Hesperios amnes, Rhenum, Rhodanumque, Padumque, *h. e.* Europaeos. *Id. de nuce* 111. Hesperius rex, *h. e.* Hesperus, vel Atlas. *Lucan.* 5, 703. Hesperii duces, *h. e.* in Italia bellum gerentes. ℙ *Hesperii, orum*, absolute sunt populi occidentales. V. EOUS. ℙ **Hesperium promontorium* in Africa fuit. *Plin.* 5, 1. ubi ed. *Basil.* 1530. habet *Hesperum*. V. *Hesperionceras. B. A.*

*HESPĔRU CERAS. V. *Hesperionceras. B. A.*

HESPĔRUGO, ĭnis, f. idem quod Hesperus stella. *Sen. Med.* 877. Mergat diem timendum Dux noctis Hesperugo.

HESPĔRUS et Hesperos, i, m. *Ἕσπερος*, stella, quae et vesper, et vesperugo dicitur, eadem, quae Lucifer, et Venus. *Hyg.* tradit *Astron.* 2, 42. hunc fuisse Aurorae, et Cephali filium, pulcritudine multis praestantem: ex qua re dici cum Venere certasse, et Veneris stellam appellari. *Cic. N. D.* 2, 20. Infima est quinque errantium, terraeque proxima stella Veneris, quae *Φωσφόρος* Graece, Latine Lucifer dicitur, cum antegreditur solem; cum subsequitur autem, Hesperos. *Virg. Ecl.* 10, 77. Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae. *Ov. Met.* 5, 440. Illam non rutilis veniens Aurora capillis Cessantem vidit, non Hesperus. *Id. Fast.* 2, 314. Hesperus et fusco roscidus ibat equo. *Plin.* 2, 18. 25, 51. Ad Hesperum jacentes terrae. ℙ Praeterea in fabulis fuit hoc nomine filius Iapeti et Asiae, frater Atlantis, Epimethei, et Promethei. *Diodorus* scribit, hunc Hesperum conscendisse cacumen Atlantis mentis ad cursus astrorum observandos, et nunquam deinde comparuisse: ei vulgus honores divinos exhibuisse, astrumque lucidissimum ejus nomine appellavisse. Sed ab aliis scriptum est, Hesperum una cum Atlante fratre in Mauritaniam migrasse, deinde in Hispaniam, tandem a fratre ex Hispania expulsum venisse in Italiam. Habuit tres filias, Aeglen, Arethusam, Hesperethusam, quae Hesperides vocatae sunt. *Serv.* ad *A.* 1, 534. et *ib.* 4, 484.

HESSĒNI, orum, m. plur. *Ἐσσηνοι*, Palaestinae populi sine ulla femina viventes, omnique prorsus Venere abstinentes. In diem enim convenarum turba renascitur, large frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunae fluctus agitat. Ita per sacculorum millia (incredibile dictu) gens aeterna est, in qua nemo nascitur. Tam fecunda illis aliorum vitae poenitentia est. Haec *Plin.* 5, 17, 15. ℙ *Scribitur et *Esseni. B. A.*

HESTERNUS, a, um, adj. *ἐχθεσινός*, qui heri fuit, vel factus est, quasi *hesiternus* per syncop. *hesternus*, ab *hesi*, quod a *χθές*. *Cic. N. D.* 2, 29. Veluti a te ipso hesterno die dictum est. *Ov. Her.* 19, 72. Hesterna nocte. *Cic. Tusc.* 2, 4. Hesterna disputatio. *Cels.* 1, 3. ubi de vomitu: Hesternus panis. *Ov. Fast.* 5, 506. Ignis in hesterno stipite parvus erat, *h. e.* heri ad ignem in foco apposito. *Virg. Ecl.* 6, 15. Silenus inflatus hesterno Iaccho, *h. e.* vino, quod pridie biberat. Sic *Justin.* 24, 8. Hesterno mero saucii. *Pers.* 3, 106. Hesterni Quirites, *h. e.* servi heri libertate donati. *Prop.* 2, 25, 59. Me juvet hesternis positum languere corollis. *Id.* 1, 15, 5. Et potes hesternos manibus componere crines, *h. e.* ab heri incompositos. Sic *Ov. A. Am.* 3, 153. Et neglecta decet multos coma: saepe jacere Hesternam credas: illa repexa modo est. *Virg. A.* 8, 542. Herculeis sopitas ignibus aras Excitat, hesternumque Larem, parvosque Penates Laetus adit, ubi *Serv.* cui pridie sacrificaverat, et est iteratio: nam male quidam *externum* legunt, id est extraneum. *Pier.* tamen testatur in multis pervetustis codicib. *externum* haberi. ℙ *Hesterno* absolute pro hesterno die, heri. *Sisenn.* ap. *Charis.* 2, 180. Te istuc hesterno quoque haesisse oportuerat, Aristaee. *Auson. epigr.* 74. Alcon hesterno signum Jovis attigit. [*Confund. *Hesternus* et externus. V. *Burm.* ad *Ov. Trist.* 1, 3, 44.]

*HESTIAEOTIS, idis, f. *Ἑστιαιῶτις*, regio Thessaliae. *Plin.* 31, 2. ℙ Scribitur et sine aspiratione, sed male. *B. A.*

[HESTIATORIS, ĭdis, f. *ἑστιατορίς*, ab *ἑστιάτωρ*, convivator: herba magica, dicta et protomedia, et gelotophyllis. *Plin.* 24, 17, 102. Democritus tradit, hestiatorida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. *Hestiatorida* est accusativus Graecae positionis: alii leg. *syssitietaerida.* V. SYSSITIETAERIS. *F.*]

HESUS. V. ESUS, us.

[HĒSYCHĬUM, ii, n. *ἡσύχιον*, diminut. ab *ἡσυχία*, quies, tranquillitas. Est cogn. R. ex iis, quae, ut ait *Quint.* 1, 4. *med.*, neutrali positione feminas significant. *Inscr* ap. *Guasco*, *Inscr. Capitol. n.* 286. Julia L. L. Hesychium. V. CREMATES. *F.*]

[HĒSYCHĬUS, ii, m. *Ἡσύχιος*, Alexandrinus grammaticus, qui lexicon, seu glossarium Graecum scripsit longe doctissimum: floruit III. aut IV. a Chr. n. saeculo. *F.*]

[HĒSYCHUS, i, m. *ἥσυχος*, tranquillus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 268, 13. Ti. Claudius Hesychus. *F.*]

[HĔTAERA, ae, f. *ἑταίρα*, amica. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1634, 7. Egnatia Hetaera. *F.*]

HĔTAERĬA, ae, f. *ἑταιρία*, sodalitas, collegium, societas. Ap. *Plin. ep.* 10, 43. et 97. in quibusdam codicibus legitur Graece scripta, in quibusdam Latine.

HĔTAERĬCĔ, es, f. ita vocabatur, honoris causa, ala equitum apud Macedones: ab amicitia, et quasi sodalitate regia: ab *ἑταῖρος*, sodalis. *Nep. Eum.* 1. ℙ Eadem et *agema* est appellata, quam v. v. s. l.

[HĔTAERUS, i, m. *ἑταῖρος*, amicus, sodalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1634, 7. Antonius Hetaerus. *F.*]

[HETĔRA, ae, f. *ἑτέρα*, altera. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 957, 5. Vestricia Hetera. *F.*]

HĔTĔROCLĪTUS, a, um, adj. *ἑτερόκλιτος*, qui alieno et novo quodam modo declinatur: ab *ἕτερος*, alter, et *κλίνω*, inclino, flecto. *Charis.* 1, 23. et *Prisc.* 17, 1065. qui Latine *diversiclinius* vertit.

HĔTĔROCRĀNĔA et Heterocrania, ae, f. morbus capitis, cum inaequaliter dolet, tumetque, et inter capillos ulcuscula erumpunt, et pus mali odoris. *Plin.* 31, 9, 45. *Marcell. Empir.* 2.

HĔTĔROGĔNĔUS, a, um. adj. *ἑτερογενής*, qui est alterius generis. Itaque a grammaticis heterogenea nomina dicuntur, quorum genus variat. Sed vox est Graeca, vel potius semibarbara.

*HETRICŪLUM, i, n. Italiae opp., in Bruttiis. *Liv.* 30, 19. *B. A.*

HETRURĬA. } V. ETRURIA et ETRUSCUS.
HETRUSCUS. }

HETTĂ, res minimi pretii, quasi hieta (al. *hicta*) idest hiatus hominis atque oscitatio. Aliqui dicunt esse pusulam, quae in coquendo pane solet assurgere: a qua accipimus rem nullius pretii, cum dicimus, non hettae te facio. Haec *Fest.*, ubi al. leg. *hecta.*

HETTĔMĂTĬCUS, a, um, adj. *ἑττηματικός*, inferior, deterior, et qui generis sui praestantiam non est assequutus: ab *ἧττων*, minor. *Firmic. Mathes.* 3, 9.

HEU, *αἰ*, *φεῦ*, interjectio dolentis: a Graeco *φεῦ*, vel a sono. *Cledonius* in *Arte* p. 1875. putat esse adverbium, si verbum sequitur: interjectionem, si alteri orationis parti jungatur *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 39. O domus Anci, heu quam dispari domino dominaris! *Cic. Phil.* 7, 4. Heu me miserum! cur senatum cogor, quem semper laudavi, reprehendere? *Ter. Hecyr.* 3, 1, 2. Heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere? *Plin.* 32, 1, 1. Heu vanitas humana! *Virg. A.* 6, 879. Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello Dextera! *Plin. prooem. l.* 7. Heu dementiam existimantium, etc.! *Pl. Poen.* 3, 2, 26. Heu edepol mortales malos! *Id. Mil.* 4, 8, 32. Heu! nequeo quin fleam. Est qui legit *heu mihi! nequeo*, etc. (quod etiam *Cledon. l. c.* agnoscit. Sic in illo *Hor. Ep.* 11, 7. Heu me! per Urbem, etc., quidam leg. *heu mi:* tametsi nihil mutandum censet *Bentl.*) *Id. Ps.* 1, 3, 26. Heu, heu! quam ego malis perdidi modis, quod tibi dedi! ℙ Aliquando est admirantis. *Pl. Rud.* 2, 4, 2. Heu edepol specie lepida mulier! *Id. Poen.* 5, 2, 147. Heu hercle mortalem catum!

[*HEURESIS, is, f. *εὕρησις*, et *εὕρεσις*, inventio: festum, quod celebratur mense novembri in *Kal. Farnesian.* ap. *Grut.* 139., quo fortasse die Ceres, Cyane nympha indice, Proserpinam filiam a Plutone raptam, et omnibus terris perquisitam, invenit. ℙ Est etiam cogn. R. fem. et *Euresis* sine aspiratione scribitur. V. h. v. s. l. *F.* et *B. A.*]

HEURĒTES, ae, m. *εὑρετής*, inventor, auctor:

ab εὑρέω, invenio. Vox Graeca. *Pl. Ps.* 2, 4, 9. Heuretes mihi est.

[HEURĒTUS, i, m. εὑρετὸς, inventus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 888, 1. C. Statius Heuretus. *F.*]

HEUS, ὦ, interjectio, seu adverbium vocandi. *Sergius* in *Don.* p. 1852. docet, esse quidem interjectionem, si dolorem significat, ut in illo *Virg. A.* 7, 116. Heus, etiam mensas consumimus, inquit Iulus. Si vero verbum sequatur, esse adverbium, ut in illo *A.* 1, 325. heus, inquit, juvenes, monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum. Haec ille. Ceterum fere vocandi, admonendi, excitandi vim habet, ut dictum est. *Ter. Andr.* 1, 1, 57. Rogitabam; heus puer, Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? *Id. Adelph.* 4, 4, 24. Heus, heus: Aeschinus ego sum: aperite aliquis actutum ostium. *Id. Heaut.* 2, 3, 107. Syre, Syre, inquam: heus heus, Syre. *Id. Eun.* 2, 3, 45. Heus heus, tibi dico, Chaerea. *Pl. Merc.* 5, 2, 69. heus aliquis, heus actutum huc foras Exite. *Id. Poen.* 5, 2, 158. Heus ecquis hic est? *Pers.* 2, 17. Heus age, responde; et 3, 94. Heus bone, tu palles. *Cic. Att.* 1, 16. *f.* Sed heus tu, videsne, consulatum illum nostrum futurum, etc.? *Id. Fam.* 7, 11. Sed heus tu quid agis? ecquid fit?

HEXACHORDOS, i, m. et f. ἑξάχορδος, sex chordas habens. *Vitr.* 10, 13.

HEXACLINON, i, n. ἑξάκλινον, torus discubitorius sex capiens convivas: ab ἕξ, sex, et κλίνη, lectus. *Mart.* 9, 60. Et testudineum mensus quater hexaclinon, Ingemuit, citro non satis esse suo.

HEXĂGONUS, a, um, adj. ἑξάγωνος, sex habens angulos: ab ἕξ, sex, et γωνία, angulus. Graece habet *Varr. R. R.* 3, 16. Latine *Colum.* 5, 2. *f.*

HEXĂMĔTER, tra, um, adj. ἑξάμετρος, qui est sex mensurarum, sive pedum: ab ἕξ, sex, et μέτρον, mensura. Versus hexameter, al. heroicus, est qui sex constat pedibus, partim dactylis, partim spondeis, cujus generis omnes Virgiliani sunt. *Cic. Or.* 3, 50. Solitus est versus hexametros, aliosque variis modis, atque numeris fundere ex tempore. *Lucil.* ap. *Porph.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 87. servorum est festu' dies hic, Quem plane hexametro versu non dicere possis. *Gell.* 18, 15. In longis versibus, qui hexametri dicuntur, (*longos* appellat etiam *Ennius* ap. *Cic. Leg.* 2, 27.) *Stat. in epist. praefixa Silv.* 1. Epithalamium ducentos septuaginta septem hexametros habet. *Terentian. de metr.* p 2441. Nam si quatuor his pedes duobus Addas, hexameter profecto fiet. V. *Prisc. loc. allatum* in HEROICUS. ℙ Est etiam hexameter iambicus, qui ultimo loco iambum habet pro spondeo, ut *Per varios semper currunt mea carmina modos. Diomed.* 3, 516. ℙ *Hexametrus* in recto casu. *Terent. l. c.* p. 2430. Integer hexametrus stabit, nec fiet epodus.

HEXAPHORI, orum, m. plur. seni homines lecticam, vel aliud quidpiam portantes: ab ἕξ, sex, et φέρω, fero. *Vitr.* 10, 8. *med.* Onerum maxima pondera cum feruntur a phalangariis, hexaphoris et tetraphoris: *tetraphori* sunt quatuor: a τετρὰς, quaternarius numerus.

HEXAPHORON, i, n. ἑξάφορον, lectica, quae a sex servis ferebatur. *Mart.* 6, 77. Non debes ferri mortuus hexaphoro. Adde 2, 81.

HEXAPTOTA Nomina dicuntur a grammaticis, quae sex diversos casus habent in singulari numero, ut v. gr. masculina in *us* desinentia, quae in *ius* efferunt genitivum, ut *unus*, *unius*, etc. ab ἕξ, sex, et πίπτω, cado. *Prisc.* 5, 673.

[HEXĂPYLON, i, n. ita est appellata Syracusarum porta, quae videtur fuisse praecipua: ab ἕξ, sex, et πύλη, porta, quia sex ostia fortasse habebat. Ejus meminit *Liv.* 24, 21. *F.*]

HEXAS, ădis, f. ἑξὰς, senarius numerus: ab ἕξ, sex. *Capell.* 7, 240.

HEXASTICHUS, a, um, adj. ἑξάστιχος, sex ordines, seu series habens: ab ἕξ, sex, et στίχος, ordo. *Plin.* 15, 29, 37. Hexasticha myrtus densissima sex foliorum versibus. Ita *Hard.* ex MSS. Alii *exotica*. *Colum.* 2, 9. *med.* Hordeum, quod rustici hexastichum appellant. V. DISTICHUS. [**Himmelsgerste, Hordeum coeleste. L.*] ℙ *Hexasticha* dicuntur a grammaticis sex versuum epigrammata.

HEXASTYLOS, i, gen. comm. sex columnas habens, ἑξάστυλος: ab ἕξ, sex, et στύλη, columna. *Vitr.* 3, 2. V. AMPHIPROSTYLOS.

[HEXĂSYLLĂBUS, a, um, adj. ἑξασύλλαβος, qui sex habet syllabas. *Marius Victor.* p. 2485. Syllabarum incrementa fiunt quinque, incipientia a disyllabis usque ad hexasyllabum. *F.*]

HEXĒCONTĂLITHOS, i, m. ἑξηκοντάλιθος, lapis adeo diversis insignitus notis, ut sexaginta gemmarum colores referat: ab ἑξήκοντα, sexaginta, et λίθος, lapis. *Solin.* 31. et *Plin.* 37, 10, 60.

HEXĒRES, is, f. ἑξήρης, navis sex remorum ordines habens. *Liv.* 37, 23. Regia classis tres hepteres, et quatuor hexeres habebat. Adde 24. et 30. et V. dicta in DECEMREMIS. ℙ In singulari num. *Id.* 29, 9. Scipio post paucos dies Locros hexeri advectus.

H I

HĬANS, antis, part. ab *hio: χαίνων*, qui hiat, apertus. *Virg. G.* 1, 91. terrae venas adstringit hiantes. *Gell.* 15, 16. Hians patulis rimis quercus, *Pl. Merc.* 1, 2, 72. et *Plin.* 11, 37, 52. Hiantes oculi. *Id.* 8, 25, 37. Hiantes fauces; et *ib.* 38. Crocodili hiantes ad morsum. *Virg. A.* 10, 726. Leo immane hians *Curt.* 4, 16. Praefluentem aquam hianti ore captantes: significat enim etiam cupiditatem ejus, qui hiat. [**Liv.* 27, 48. *f.* Sitisque et calor hiantes caedendos capiendosque affatim praebebat.] ℙ Hinc pro cupido translate ponitur, et alicui rei inhiante. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Verrem tantum avaritia semper hiante atque imminenti fuisse, ingenio et cogitatione nulla. *Hor. Sat.* 1, 2, 88. emptorem ducat hiantem; et *ib.* 1, 5, 56. corvum deludet hiantem, *h. e.* heredipetam. *Tac. H.* 1, 12. Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat. *Pers.* 5, 176. quem ducit hiantem Cretata ambitio. ℙ *Hians oratio* dicitur, in qua est vocalium concursus plurimus, qui *hiatus* dicitur. V. HIO. *Quint.* 8, 6. *med.* Fit enim aspera, et dura, et dissoluta, et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur. *Auct. ad Her.* 4, 12. Crebrae vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt. *Auct. dial. de Or.* 21. Hians compositio. *Cic. Part.* 6. Concursus disjuncti atque hiantes. ℙ Alio sensu. *Id. Or.* 9. Mutila quaedam et hiantia loqui, *h. e.* inconnexa, inconsequentia, abrupta, et in quibus aliquid desideratur ad plenam orationem. Loquitur de pravis imitatoribus Thrucydidis. ℙ De eo, qui stupet, et admiratur. *Virg. G.* 2, 508. hunc plausus hiantem Corripuit. ℙ Item de otioso ac deside. *Sil.* 11, 35. luxus et ignavia lacerabat hiantem Desidia populum.

HĬANTĒUS. V. HYANTEUS.

HĬANTĬA, ae, f. hiatus. *Tert. Anim.* 10. Tubam pariter, et hiantiam oris illius ostende.

*HIARBAS, rex Getulorum. V. *Iarbas.* ℙ Fuit et alius hujus nominis in Africa nobilis rex, auspiciis Sullae, ductu Pompeii, victus et interfectus. *Epit. Liv.* 89. *Eutr.* 5, 6.

HĬASCO, is, n. 3. *χαίνω*, aperior, apud veteres pro *hisco*, ab hio. *Cato R. R.* 17. Ubi primum nuces pineae incipiunt hiascere, tum legi oportet. *Gargil. de re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 2. *n.* 1. de amygdalis: Cum nuces hiascere coeperunt.

HĬĀTO. V. HIETO.

HĬĀTUS, us, m. *χάσμη, χάσμα*, apertio. *Cic. N. D.* 2, 47. Animalia cibum partim oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. *Id. ib.* 5. Repentini terrarum hiatus. *Id. Off.* 3, 9. Cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Hauriri urbes terrae hiatibus. *Id.* 2, 26, 26. Fit et coeli ipsius hiatus, quod vocant chasma. *Virg. A.* 6, 576. Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra. Sic *Stat. Theb.* 1, 352. imbres, sicco quos asper hiatu Persolidat Boreas; et *Val. Fl.* 1, 34. Cleonaeo jam tempora clusus hiatu Alcides, *h. e.* rictu leonis Cleonaei; et *Juv.* 3, 175. personae pallentis hiatum formidat infans. *Plin.* 28, 4, 7. Exspuere in hiatus serpentium; et 16, 12, 23. Aperitur picea non plaga, sed vulnere ablati corticis, cum plurimum bipedali hiatu. ℙ Urbane. *Juven.* 6, 635. Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu, *h. e.* ore patentiore, et plenioribus buccis, ut fit, cum grandia proferuntur. *Hor. A. P.* 138. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? *h. e.* tam grandi promisso, tam plena voce prolato? ℙ Translate est cupiditas, aviditas, sitis. *Tac. H.* 4, 42. Libidine sanguinis, et hiatu praemiorum, ignotum adhuc ingenium caede nobili imbuisti. [*Apud solum *Tac.*] ℙ In oratione *hiatus* dicitur, cum plures vocales concurrunt, quas cum proferimus, labia diducta apertumque os diutius habemus. *Cic. Or.* 23. Habet enim ille tanquam hiatus, concursu vocalium molle quiddam, etc. *Gell.* 7, 20. Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce versibus (27, 3.): *Ut lex Postumiae jubet magistrae Ebriosa acina ebriosioris;* cum *ebrioso* dicere posset, et, quod erat usitatius, acinum in neutro genere appellare: amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, *ebriosa* dixit propter insequentis *a* litterae concentum.

HĪBER. } V. IBER, IBERIA.
HĪBĒRĬA. }

HIBERNA, orum. V. HIBERNUS.

HĪBERNĀCŬLA, orum, n. plur. *τὰ χειμάδια*, loca in quibus milites per hiemem habitant. Quomodo ab hibernis differant, in HIBERNUS dicetur. *Nep. Eum.* 8. Ad adversariorum hibernacula pervenire. *Tac. A.* 2, 23. Legiones remittere in hibernacula; et *ib.* 14, 38. Cohortes novis hibernaculis locatae. ℙ Etiam membra aedium, in quibus per hiemem versamur, hibernacula dicuntur. De Graecis certe aedibus usurpat *Vitr.* 7, 4. *f.*, et universim de omnibus aedibus 1, 2. *f.* ℙ In sing. num. *Not. Tir.* p. 113. Hibernaculum. ℙ Scribunt et *hybernacula*. V. HIBERNUS.

HĪBERNĬA et Hybernia, ae, f. insula magna, et regnum ultra Britanniam. *Plin.* 4, 16, 30. ℙ *Hiberne* pro *Hibernia* legitur a quibusdam ap. *Claud. Laud. Stil.* 251. et *IV. Cons. Hon.* 33., sed alii *Ierne*. Item *Juberna* vel *Juverna* ap. *Juven.* 2, 159. V. JUBERNA.

HĪBERNO, as, avi, atum, n. 1. *διαχειμάζω*, in hibernis sum, stationem habeo hiberno tempore, si de militibus sermo est. *Cic. Man.* 13. *f.* Jam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litterae perferuntur. *Id. Fam.* 7, 17. *f.* Ubi sis hibernaturus, perscribas velim. ℙ De aliis rebus. *Plin.* 9, 15, 20. Thynni ubicumque deprehensi, ibi hibernant. *Varr. R. R.* 1, 8. *f.* Furcillas reducit hibernatum in tecta, ut sine sumptu earum opera altero anno uti possit. *Pers.* 6, 6. mihi nunc Ligus ora Intepet, hibernatque meum mare, *h. e.* cessat, otia agit, nullis navigiis discursantibus: quemadmodum miles hibernans ab armis cessat. ℙ Scribunt et *hyberno*. V. v. sq.

HĪBERNUS, a, um, adj. *χειμερινὸς, χειμάδιος*, ad hiemem pertinens, hiemalis. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Hiberna tempora; et *ib.* Hiberni menses. *Id. Att.* 15, 25. Hiberna navigatio. *Id. Sen.* 14. Sol aut ignis hibernus. *Hor. Od.* 4, 12, 3. fluvii hiberna nive turgidi. *Id. Ep.* 2, 29. hibernus annus, *h. e.* hiems; et *ib.* 15, 8. hibernum mare, *h. e.* quod tempore hiemis procellosum est. *Virg. A.* 5, 126. hiberni venti. *Id. G.* 1, 101. hibernus pulvis, *h. e.* hiberna serenitas, quae pulverem excitat. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Hibernum cubiculum. Sic *Plin.* 16, 26, 43. Hiberna pira, *h. e.* quae per hiemem colliguntur; et *ib.* 8, 13. Hibernus feminarum calceatus. *Id.* 8, 47, 72. Hiberni agni. *Id.* 6, 17, 21. Hibernus solis exortus; et 5, 5, 5. Hiberni occasus plaga. [**Tibull.* 4, 1, 160. Seu celer hibernas properat decurrere luces, i. e. hibernos dies.] *Val. Fl.* 6, 612. hibernus Caucasus, *h. e.* semper gelidus. Sic *Hor. Sat.* 2, 5, 41. hibernae Alpes; et *Prop.* 2, 6, 18. hiberni Borysthenidae. *Virg. A.* 4, 143. hiberna Lycia, *h. e.* apta hibernare volentibus, ut videtur *Servius* exponere. *Id. ib.* 6, 355. hibernae noctes, *h. e.* procellosae, asperae, quales hieme esse solent. [**Lucan.* 5, 408. Invenit, — pavidas hiberno sidere classes *Hibernum sidus. Cort.* intelligit *occasum vergiliarum*. Alii perfunctorie reddunt *hiemali tempore. Barth. Advers.* 28, 14. *sidus* solem intelligit, et *hiberno sidere* exponit *sole velut algente*. Utrumque male, cens. cod. *Cort.* ad h. l. Adde *Eund.* 8, 829. Et steriles egeant hibernis imbribus agri: ubi *hiberni imbres* sunt tempestuosi; v. *Cort.* ad h. l.] ℙ *Hiberna, orum*, sunt loca, in quibus milites agunt hiberno tempore. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Exercitum in hiberna dimittere. *Tac. Agr.* 38. locare. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *med.* Collocare legiones in hibernis. [**Id. Att.* 4, 18. Hiberna legionum eligendi optio delata commodum. Ita *Orell.* Priores *hibernam legionem*. V. *Ernest. cl. Cic.*] *Liv.* 37, 19. In hiberna copias reducere. *Just.* 38, 10. Exercitum per civitates in hiberna dividere. *Caes. B. G.* 1, 53. Exercitum in Sequanos in hiberna deducere: et hibernis aliquem praeficere. *Liv.* 26, 20. In hiberna concedere. [*De loco *Caes. B. C.* 1, 48. V. in HERBA.] ℙ Proprie differunt ab hibernaculis. Nam hae sunt casae ipsae, et tentoria, in quibus miles degit hibernorum tempore: et aliquando in ipsa expeditione adhibentur, dum in conspectu hostium exercitus est. *Liv.* 5, 2. Hibernacula aedificare. *Id.* 30, 3. *f.* Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agris materia exaedificata, lignea ferme tota erant. *Id.* 22, 32. Hibernaculis mature communitis: tum enim autumni erat tempus. *Id.* 37, 39. *sub pellibus militem habere* dixit, quod est in hibernaculis, contra hostilem exercitum. ℙ *Hibernum* absolute pro tempestate. *Pl. Rud. prol.* 69. Increpui hibernum, *h. e.* fluctus maritimos et procellam excitavi. ℙ Scribitur etiam *hybernus*, quod sit origine ab *hyems*, hoc ab ὗω, ut quidam volunt. Verum et in *hiems* Latinum *i* pluribus adhiberi placet, et similiter in *hibernus*, quod ut Graecae originis sint, in Latinam tamen consuetudinem assiduo usu transierint. Adde auctoritatem librorum veterum, et lapidum cum *Manut.*, *Dausq.* et *Cellar.*

HĪBĒRUS. V. IBERUS.

*HIBIS vel Ibis, is, f. oppidum Aegypti superioris, in Heptanomide. *Not. Imp. B. A.*

HĪBISCUM, i, n. ἴβισκος, herba est pastinacae similis, et sola gracilitate ab ea distans, ab herbariis dicta pastinaca latifolia silvestris Dodonaei. Refertur inter lignosiores herbas, et in cartilaginum genera. V. dicta in ALTHAEA. *Plin.* 20, 4, 14. Pastinacae simile hibiscum; et 19, 5, 27. Hibiscum a pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis, sed medicinae utile. *Virg. Ecl.* 10, 71. gracili fiscellam texit hibisco; et *ib.* 2, 30. Haedorumque gregem viridi compellere hibisco, *h. e.* virga ex hibisco. *Serv.* exponit, ad hibiscum, sc. ad pastum hibisci, quod probat *Heyn.* ex *Calp. Ecl.*

4, 32. Viridique famem solarer hibisco. ℙ Scribitur et *Ibiscum*.

HIBRĬDA. V. HYBRIDA.

HIBUS. V. in HIC.

HIC, haec, hoc, *οὗτος*, pronomen demonstrativum, quo res praesentes, et quae apud nos sunt, aut de quibus loquimur, ostendimus. *Cic. Dom.* 5. Fuit major adhibenda medicina, quae et illud nativum, et hoc delatum malum sanare posset. *Virg. A.* 6, 792. Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis. *Ter. Andr.* 1, 1, 99. Hinc illae lacrimae, haec illa est misericordia. *Id. Eun.* 4, 6, 14. Haec ea est, quam miles a me ereptum venit. *Id. Ad.* 4, 5, 73. Hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse? *Pl. Curc.* 1, 2, 35. Hoc vide, ut ingurgitat se in merum. (hic redundat.) *Cic. Tusc.* 3, 4. Hos eosdem motus, perturbationes dixerimus. ℙ Repetitur ad varia significanda. *Quint.* 6, 1. Quid responsuri sint adversarii his et his; et *mox*. Cum sciret haec, et haec. ℙ Differt ab *iste*, quo significatur aut persona, quacum loquimur, aut res ei proxima. *Cic. Eam.* 2, 11. Putaresne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent; neque solum ista vestra oratoria, sed haec etiam levia nostratia? *Id. Acad.* 4, 33. Iisdem enim hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester, coelum, terram, mare intuebitur. *Id. Inv.* 2, 41. Si hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset. *Id. Dom.* 5. Hanc istum causam arrepturum fuisse, etc. ℙ Interdum hoc discrimen non servatur. *Stat. Silv.* 4, 1, 20. da gaudia fastis Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro. *Ter. Andr.* 3, 2, 30. Prorsus a me opinionem hanc tuam esse amotam volo. *Cic.* quoque non semel *hic* pro *iste* posuit, quod ostendit *Manut.* ad *Fam.* 3, 10. V. ISTE. ℙ Jungitur et cum *ille* ad magis demonstrandum. *Virg. A.* 7, 255. Hunc illum, fatis externa ab sede profectum, Portendi generum; et 272. hunc illum poscere fata, Et reor, et opto. ℙ Et cum *talis*. *Cic. Fl.* 22. Huic tali legato, huic publico testi, etc. *Cic. fil.* ad *Tir. Fam.* 16, 21. Quare da operam, ut hunc talem tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum. ℙ Et cum *ipse*. *Ter. Ad.* 1, 1, 53. Estne hic ipsus, de quo agebam? *Cic. Phil.* 2, 4. Cum hoc ipso tempore stent cum gladiis, etc. *Id. Acad.* 1, 1. Ad hunc eum ipsum quaedam institui. ℙ Et cum *hujusmodi*. *Pl. Mil.* 4, 2, 32. Tractari ita solere hasce hujusmodi merces. ℙ Et cum *iste*. *Cic. Rabir. Post.* 9. Sed hujus istius facti stultitiam major jam superior stultitia defendit. Tribuunt et *Catullo* 107, 7. Quis me uno vivit felicior, aut magis hac ista Optandam vitam, etc. Sed al. aliter leg. *Sid. ep.* 2, 10. Ista haec epigrammata, quae effingimus. ℙ In distributionibus nonnunquam pro *ille* vel *alius* ponitur. *Virg. A.* 6, 621. Vendidit hic auro patriam, etc. Hic thalamum invasit natae. *Cic. Fam.* 9, 16. Facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est. *Tac. A.* 14, 8. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere: alii vadere in mare: quidam manus protendere. [*Ita saepissime *hic — hi — alter* se excipiunt. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 672. Remum contorsit in hostem, Alter: at hi, etc. coll. 2, 54. sq. *Sen. Herc. F.* 712. sqq. *Ov. Met.* 1, 293.] ℙ Regit aliquando post se particulas *ut*, *qui*. *Cic. Fam.* 2, 1. *extr.* Hoc animo esse debebis, ut, etc. *Id. Off.* 3, 5. Si sensum hunc haberet, ut, etc. *Id. Somn. Scip.* 3. Homines sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, etc. ℙ Ponitur et pro *is*. *Vet. proverb. Graecor.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 18. Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. *Id. N. D.* 1, 40. *f.* Memoria pronunciabat Epicuri sententias his ipsis verbis, quibus erant scriptae. *Caes. B. G.* 5, 7. Dies circiter viginti quinque in eo loco commoratus, quod eorus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem temporis in his locis flare consuevit. *Cels.* 2, 2. In his quae superant, est quod morbus demat: in his quae desunt, non est quod morbum ipsum ferat. *Nep. Ann.* 2. Omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. [*Sall. Cat.* 2, 4. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est: ubi de hoc dicendi genere *Kritz*. haec habet: Si quid non prorsus vaga notione indefiniteque est enunciatum, sed aliqua, etsi levi, significatione declaratum, ita, ut quasi praesens intueri possimus, fieri potest, ut pro *is* ponatur *hic*, idque imprimis in eos locos cadit, ubi relativum cum demonstr. conjunctum reperitur. Laudatur *Görenz.* ad *Cic. Leg.* 1, 9, 27. et al. *Heusing.* ad *Off.* 1, 2, 6. *Beier.* ad *Off.* 3, 6, 28. *Brem.* ad *Nep. Praef.* §. 2. et *Herz.* ad *Sall. Cat.* 13, 1. qui *hic* concretae, *is* abstractae potestatis esse dicit. Cf. etiam *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 14, 3. ubi laud. *Frotsch. Obss.* in *Sall.* P. 1. p. 32. Adde *Oudend.* ad *Suet. Claud.* 14. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 39, 2., 58, 1.] ℙ Item pro *talis*. *Hor. Od.* 3, 6, 33. Non his juventus orta parentibus Infecit aequor sanguine Punico. *Id. Ep.* 1, 6, 40. Ne fueris hic tu. *Id. A. P.* 35. hunc ego me, si quid componere curem, Non magis esse velim, quam, etc. *Virg. A.* 9, 481. Hunc ego te, Euryale, aspicio? *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Nos hi sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur? ℙ Et pro *tantus*. *Cic. Or.* 2, 28. Quoniam vos his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis. ℙ Reperitur etiam adhibitum ad ostendendam primam personam pro *ego*, *δεικτικῶς*, gestu scilicet ostendente se eo ipso, qui loquitur. *Ter. Andr.* 2, 1, 10. Tu si hic sis, aliter sentias. Ubi *Donat.* hic, seipsum ostendens, dicit. *Pl. Curc.* 2, 1, 33. Solus hic homo est, qui sciat divinitus. *Tibull.* 2, 6, 7. Quod si militibus parces, erit hic quoque miles. Adde *Hor. Sat.* 1, 9, 47., *Pl. Epid.* 1, 2, 38. et *Ter. Heaut.* 2, 3, 115. [*Ita et Gr. *ὅδε ἀνὴρ* et *ἥδε* pro *ἐγώ*. Laudat *Heindf.* ad *Hor. l. l. Soph. Oed. Col.* 649. *θάρσει τὸ τοῦδε γ' ἀνδρός· οὔ σε μὴ προδῶ*. Coll. v. 1329. *Oed. Tyr.* 534. *Trachin.* 305. Magnum exemplorum numerum, alius generis, quae pronomen *hic*, etc. cum vi quadam, s. *δεικτικῶς*, positum referant, collegit *Cort.* ad *Lucan.* 1, 363. 4, 601.] ℙ Item pro *ille*. *Ulp. Dig.* 32, 11. *med.* Si quis illicite aedificasset, id est hoc, quod dirui constitutiones jubent. ℙ *Hic* et *ille*, cum de pluribus sermo est, ita ponuntur, ut *hic* ad proximum, *ille* ad remotiorem referatur. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 521. sq.] Interdum tamen res contra se habet. *Prop.* 3, 12, 17. Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis: Hic victor pugnis, ille futurus equis. *Cic. Rosc. Com.* 2. Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec delentur statim, illae servantur sancte: haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem amplectuntur. Adde *Fin.* 4, 4. una cum *Top.* 2., *Or.* 2, 38. item *Liv.* 30, 30. *med.*, *Ov. Met.* 1, 696. et *Trist.* 1, 2, 23., *Plin. ep.* 1, 20. *med.*, *Colum.* 2, 2. *med.*, *Quint.* 10, 2. *med.* et 8, 3. *med.* ubi de *repraesentatione*, et *Senec. Ben.* 6, 38. [*Laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. *Gron. Obss.* 3, 16. *Sanct. Minerv.* 2, 9. et ibi *Perizon. Tac.* exempla coll. *Böttich. in Lex. Tac.* p. 387.] ℙ Interdum *hic* repetitur pro *ille*. *Virg. Ecl.* 4, 55. Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit. *Stat. Th.* 8, 454. Cultor Ion Pisae cultorem Daphnea Cyrrhae Turbatis prostravit equis, hunc laudat ab alto Juppiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo. [*Lucan. 2, 317. Hic dabit, hic pacem jugulus, etc. ubi v. *Cort.*, qui plura laudat.] ℙ *Hoc* saepe substantivi vim habet, et genitivum regit. *Cic. Rosc. Am.* 32. Hoc commodi est, quod, etc. *Ter. Eun.* 2, 1, 19. Quid hoc morbi est? et 3, 4, 8. Quid hoc hominis est? *Id. Ad.* 5, 2, 11. Edormiscam hoc villi. *Pl. Amph.* 1, 1, 1. Quis me alter est audacior, qui hoc noctis solus ambulem? *h. e.* nocte tam provecta. *Liv.* 42, 18. *extr.* Hoc copiarum in Hispanias portatum est. [*Lucan. 8, 95. Hoc juris habebant, etc. Plura laudat *Cort.* ad h. l. — Poterant h. l. etiam ista commemorari. *Lucan.* 7, 318. Vos tamen *hoc oro*, — ne caedere quisquam — velit. *Ib.* 4, 362. Hoc petimus; 5, 787. Hoc precor extremum; et passim.] ℙ Aliquando est ideo, propterea, *τουτέω*. *Hor. Sat.* 1, 1, 45. Millia frumenti tua triverit area centum: Non tuus hoc capiet venter plus ac meus. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Pl. Ps.* 2, 3, 19. Atque hoc evenit, in labore, atque in dolore, ut mors obrepat interim. Adde 3, 2, 33. et *Mil.* 2, 3, 26. ℙ Hoc sensu dicimus etiam *hac re*. *Lucr.* 1, 172. Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni. *Varr.* ap. *Non.* 11, 35. Hac re aeger medicos exquisitim convocabas, ut convalesceres. ℙ [*Neutrum *hoc* et *haec* saepe ita ponuntur, ut ad integrum sensum respiciant. *Lucan.* 5, 558. sq. Sed si magnarum poscunt discrimina rerum, Haud dubitem praebere manus: vel litora tangam Jussa, vel *hoc* potius pelagus flatusque negabunt. Coll. *Phaedr.* 1, 8, 10. Periculosam fecit medicinam lupo. Pro *quo* cum pactum flagitaret praemium: ubi v. *Burm.* Exempla collegit, et, qui collegere, laudat *Wopkens. Lectt. Tull.* 2, 7. Eodem modo Gr. *αὐτὰ*, s. *ταῦτα* usurpant.] ℙ Item *in hoc*. *Vell.* 2, 41. In hoc scilicet, ne, etc. Adde *Phaedr.* 5. *in.* ℙ *Hoc est* ad explicandum ponitur. *Cic. Div. Verr.* 4. Dicam de eo prius, quod apud vos plurimum valere debet, hoc est, de voluntate eorum, quibus, etc. *Id. Mil.* 9. Ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam. *Id. Caec.* 34. Solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant. *Id. Phil.* 2, 28. At quam crebro usurpat, et consul, et Antonius? hoc est dicere et consul, et homo nequissimus. ℙ *Hoc est*, vel *erat*, formula est succensentis, aut expostulantis. *Petr. Sat.* 93. Hoc est, inquam, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres? *Virg. A.* 2, 664. Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes Eripis, ut, etc. ℙ [*Ad *hoc* semper *copulandi*, non *concedendi* vim habet. V. *Kritz* ad *Sall. Cat.* 53, 3. Ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse. Adde *Drak.* ad *Liv.* 21, 52, 10.] ℙ *Hoc quo* est eo quo, vel tanto quanto, cum comparativis. *Cic. Att.* 13, 36. De Bruti amore hoc audio libentius, quo saepius. ℙ *Hoc quod*, *hoc quia*, est eo quod, ideo quia. *Caes.* ad *Opp. post. ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram. *Cic. Or.* 1, 3. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia, etc. *Pl. Rud.* 2, 3, 57. Hoc sese excruciat animi, quia, etc. ℙ *Hoc* pro *huc*, *ἀρχαϊσμὸς* est. *In formula Censorum vocantium Quirites ad censum*, ap. *Varr. L. L.* 5, 9. Omnes Quirites voca inlicium hoc ad me. *Virg. A.* 8, 423. Hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto. *Verr. Fl.* ap. *Serv. hic:* In adverbiis pro *u*, *o* plerumque majores ponere consuevere. *Pl. Amph.* 1, 1, 11. Nonne idem hoc luci me mittere potuit? *Id. Capt.* 2, 2, 79. Nunc hoc animum advortito. *Id. Merc.* 2, 2, 49. Hoc non voluntas me impulit. Adde *Capt.* 3, 1, 20. et *Inscr.* ap. *Grut.* 816, 8. et aliam ap. *Maff. Mus. Ver.* 108, 2. Hoc mansum veni. Sic *illoc* pro *illuc*, quod postea *illo* factum est. ℙ In illo *Ter. Heaut.* 3, 1, 1. et *Pl. Amph.* 1, 3, 45. Luciscit hoc jam; et *Mil.* 2, 2, 63. Lucet hoc, inquam. v. *hoc* coelum designat, *δεικτικῶς* prolatum, *h. e.* digito, aut vultu in coelum erecto. Sic *Curc.* 1, 3, 26. Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit; et *Lucr.* 5, 319. Denique jam tuere hoc circum supraque, quod omnem Continet amplexu terram. Simile est illud *Ter. Ad.* 2, 1, 8. Tu quod te posterius purges, hujus non faciam: dum *hujus* dicit, extremum unguis ostendit, aut aliquid hujusmodi. Eadem ratione Syrus servus ap. *eund. Heaut.* 2, 3, 114. si quid nobis adversi evenerit, Tibi erunt parata verba, huic homini verbera: *huic* cum dicit, se ipsum manu ostendit. ℙ *Horunc* pro *horum* est *Pl. Cist.* 1, 1, 53. et *Poen.* 3, 1, 48. quasi *horunce*. ℙ *Hujusque* pro *uniuscujusque*. [*Est formula legitima in sacris.] *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. Minerva, quam Romae Aemilius Paulus ad aedem Fortunae hujusque diei dedicavit. *Cic. Leg.* 2, 11. Recte a Calatino Spes consecrata est, Fortunaque vel hujusque diei: nam valet in omnes dies; vel Respiciens, ad opem ferendam; vel Fors, in quo incerti casus significantur. *P. Victor de regionib. Urb. R. in reg.* 10. *Palat.* Vicus hujusque diei Fort. aed. Adde fragm. Tab. marmoreae ap. *Grut.* 135. *extr.* quo maxime firmatur lectio locorum allatorum, in quibus alii aliter legendum putarunt. V. *Brisson. de formul. P. R.* 1, 86. ℙ In recto plur. femininum est *hae:* reperitur tamen et *haec*. *Pl. Aul.* 3, 5, 59. Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus incommoditates. *Id. Most.* 1, 3, 9. Periere haec oppido aedes. *Ter. Eun.* 3, 5, 34. Continuo haec *(puellae)* adornant, ut lavet; et *Phorm.* 5, 8, 23. Haeccine erant itiones crebrae. Al. leg. *haec ille:* alii *haecine*. ℙ In dativo plur. *hibus* pro *his* dixit *Pl. Curc.* 4, 2, 20., ubi al. leg. *iibus*, pro *iis*. ℙ Dativus singul. *huic* interdum a poetis per diaeresin dissolvitur. *Stat. Silv.* 1, 1, 107. Laetus huic dono videas dare tura nepotes; et *ib.* 2, 135. Falsus huic pennas, etc. *Sidon. carm.* 7, 145. Assurrexit huic. *Paul. Nol.* videtur utramque corripuisse *carm.* 16, 64. Cum subito aut illis corda hostibus, aut huic ora Vertuntur. Sed potest etiam esse versus spondaicus. ℙ *Hic* nonnunquam ab iisdem corripitur. *Virg. A.* 6, 792. et *ib.* 4, 22. et *Claud. Laud. Herc.* 64. ℙ Etiam *hoc*. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 580. Sed tamen hoc dicas, quid hoc est, si nenu molestum est! Ita *Scalig.* Alii aliter. *Voss. Gramm.* 2, 24. affert illud ex *Priap. carm.* 52. *extr.* Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat. ℙ [*Confunduntur *hoc* et *huc*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 625. *his* et *is*. *Id.* ad *Eund.* 1, 171. *Spald.* ad *Quint.* 8, 6, 63. 10, 1, 25. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 16, 63. 29, 110. et al.]

HĪC, et antique Heic, adv. *ἐνταῦθα*, *ἐνθάδε*, in hoc loco. *Cic. Fam.* 6, 20. *extr.* Hic tui omnes valent. *Ter. Eun.* 4, 6, 5. Ego jamdudum hic adsum. *Id. Ad.* 2, 1, 15. Hic propter hunc assiste. *Id. Eun.* 5, 6, 5. Quem praestolare hic ante ostium? *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Hic, ubi tribuni pleb. sunt. *Pl. Most.* 3, 1, 76. Fenus hic, fenus illic. *Id. Mil.* 2, 3, 2. Scio, me vidisse hic proximae viciniae Philocomasium, *h. e.* hic in proxima vicinia. ℙ Differt ab *istic* eo modo, quo *hic* ab *iste*. *Cic. Fam.* 3, 10. *med.* Cum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te benevolentiam navare possumus. ℙ Adhibetur et in distributionibus. *Plin.* 10, 50, 71. Hic clune, alibi pectore tantum *(gallinae)* laudatae. *Virg. G.* 1, 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvae. ℙ Ponitur etiam pro ibi, vel pro illic, aut istic, ut notat *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 20. hic illius arma, Hic currus fuit. *Nep. Att.* 2. Idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: eodem magnam partem trajecit fortunarum suarum: hic ita vixit, ut universis esset carissimus. *Pl. Mil.* 1, 1, 28. At diligenter hic eram. ℙ Aliquando significat in hac re. *Cic. Verr.* 1, 16. *extr.* Hic si quid erit offensum, etc. *Ter. Andr.* 4, 1, 14. Hic, ubi opus est, non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur. ℙ Refertur quoque ad tempus, et pro *tunc* ponitur, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 1, 732. Hic regina gravem gemmis auroque poposcit, Implevitque mero pateram. *Ter.*

Andr. 2, 3, 15. Hic reddes omnia, quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient. ℙ Saepe etiam utrumque complectitur, et rem, de qua agitur, et tempus in quo agitur. *Cic. Arch.* 4. Hic tu tabulas desideras Heracliensium, quas, etc.? *Possis hoc etiam ita vertere:* cum ita se res habeat. Sic *Verr.* 2, 2, 44. Hic vos dubitatis, judices, tantam istius audaciam vindicare? et *Caes. B. G.* 6, 38. Praecurrunt equites: quanto res sit in periculo, cognoscunt. Hic vero nulla munitio est, quae perterritos recipiat. *Cic. Manil.* 13. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, etc. ℙ Et junctum aliis particulis. *Id. ib.* 9. Hic jam plura non dicam. Fuit enim, etc. Et *Planc.* 41. Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius; et *Verr.* 2, 1, 26. Hic tum alius ex alia parte: enimvero ferendum hoc non est. ℙ *Hic illic* ita ponuntur, ut *hic* ad proximum, *illic* ad remotum referatur, ut de *hic* et *ille* dictum est in voce praec. Inveniuntur tamen inverso ordine posita. *Vell.* 2, 49. Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior: hic omnia speciosa, illic valentia.

*HICANUS, i, Ἰκανός, nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

HICCĔ, haecce, hocce. V. CE.

HICCĪNĔ, haeccine, hoccine, pro hicne, haecne, hocne interrogativis. V. CE.

HICĔLUS. V. ICELUS.

*HICESĬUS, i, m. Ἱκέσιος, medicus, Erasistrateus, scripsit de materia medica, de unguentis, de piscibus, de conditura vini. *Plin.* 14, 19. 20, 5. et 27, 4. qui in posteriore loco *non parvae auctoritatis medicum* eum vocat. *B. A.*

[HICĔTĀŌNĬUS, a, um, adj. ad Hicetaonem pertinens, Laomedontis Trojanorum regis filium, de quo meminit *Appul. de Deo Socrat. Virg. A.* 10, 123. Hicetaoniusque Thymoetes, *h. e.* filius Hicetaonis.

HĪĔMĀLIS, e, adj. χειμερινός, ad hiemem pertinens, hibernus. *Ov. Met.* 9, 105. amnis Uberius solito nimbis hiemalibus auctus. *Cic. Tusc.* 5, 27. Hiemalem vim perferre. *Id. Fam.* 6, 20. Navigationis longae, et hiemalis, et minime portuosae periculum. *Colum.* 11, 1. *med.* Hiemalis dies. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 3. Hiemales provinciae; et *ib.* 23, 52. Hiemalis faba, *h. e.* quae sub hiemem seritur. *Pall.* 1, 9. Hiemalia loca. *Plin.* 18, 35, 79. Si luna ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hiemalis toto mense erit, *h. e.* hiemem, seu pluvias ventosque feret. *Hyg. Astron.* 3, 26. Hiemalis circulus. ℙ *Hiemalia* absolute sunt hiberna. *Valerian. Imp.* ap. *Vopisc. Aurel.* 11. Tuum est illic hiemalia, atque aestiva disponere.

HĪĔMANS. V. HIEMATUS.

HĪĔMĀTĬO, onis, f. χειμασία, hiemis traductio. *Varr. R. R.* 3, 16. *f.* Ne plus tertia parte eximatur mellis, reliquum hiemationi relinquatur.

HĪĔMĀTUS, a, um, part. ab *hiemo:* hieme, seu gelu constrictus. *Plin.* 9, 23, 38. Autumnali sidere, hiemato lacu. Al. leg. *hiemante.* Nam *hiemantes aquas* dixit etiam *Sall.* ap. *Senec. ep.* 114. *med.* Sed haec inter raras locutiones ab ipso *Seneca* refertur, nec passim imitandas.

HĪĔMO, as, avi, atum, n. 1. παραχειμάζω, hiemem traduco, hiberno: et fere de militibus dicitur. *Cic. Fam.* 7, 9. Cupio scire quid agas, et ubi sis hiematurus. *Nep. Agesil.* 32. Ephesum hiematum exercitum reduxit. *Caes. B. G.* 3, 1. Uti in iis locis legionem hiemandi causa collocaret; et 2. Alteram partem ejus vici cohortibus ad hiemandum attribuit; et 6. *extr.* Legionem in Allobrogas perduxit, ibique hiemavit. ℙ Dicitur et de aliis. *Hor. Ep.* 1, 16, 71. Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis. *Suet. Aug.* 72. Assidue in urbe hiemare. ℙ Significat etiam hiemem esse, frigus vigere: item procellosum tempus esse, ut hieme solet, etiam extra hiemem: et fere impersonaliter usurpatur. *Colum.* 11, 2. Decimosexto cal. Febr. Cancer desinit occidere: hiemat; et *ib.* Idib. Februar. Sagittarius occidit: vehementer hiemat; et *ib.* Quinto cal. Novembr. Vergiliae occidunt: hiemat cum frigore et gelicidiis. *Plin.* 18, 35, 79. de luna. Si coronam circa se habebit, non ante plenam lunam hiematurum, ostendit; et *ib.* 26, 64. Delphini vespertino occasu continui dies hiemant Italiae. *Id.* 2, 47, 47. Ante brumam septem diebus, totidemque postea sternitur mare halcyonum feturae: reliquum tempus hiemat. Sic *Hor. Sat.* 2, 2, 17. atrum Defendens pisces hiemat mare. [*χειμάζεται ἡ θάλασσα. V. *Casaub.* ad *Pers.* 6, 7.] *Arruntius* ap. *Senec. ep.* 114. *med.* Repente hiemavit tempestas. Et alio loco, inquit *Seneca*, cum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait, totus hiemavit annus. Et alio loco: hiemante Aquilone. *Sen. ib.* hanc loquendi rationem minus probat. ℙ Active est congelare. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Decoquunt alii aquas, mox et illas hiemant. *Id.* hoc ipsum explicat, cum ait 31, 3, 23. Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. ℙ Sunt qui scribunt *hyemo.* V. in v. sq.

*HIEMPSAL, alis, m. rex Mauritaniae, Micipsae regis filius. *Sall. B. J.* 5. etc. *Auct. B. Afr.* 5. et 6. *Cic. Agr.* 1, 4. *Id. Agr.* 2, 21. et *Vatin.* 5. *B. A.*

HIEMS, (olim et *Hiemps*) hiemis, f. χειμών, pars anni frigidissima inter autumnum, et ver. *Varr.* ab imbre deducit, *L. L.* 5, 2. Hujus temporis pars hiemps, quod tum multi imbres. Alii ab *hio:* alii a χειμάς: alii ab ὕω, pluo. [*V. *Döderl.* 2, 87.] His placet per *y* scribi.. Verum ut e Graeco notatio ducenda sit, ipsa tamen vox adeo Latina facta est, ut et Latinas plene litteras, et pronunciandi rationem adepta sit. Itaque *hiems* passim habetur in antiquis libris, et lapidibus, testib. *Manut., Cellar., Dausq.* etc. *Cic. Rabir. Post.* 15. Hanc vim frigorum, hiememque, quam nos vix hujus urbis tectis sustinemus, excipere. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus. *Id. Planc.* 40. *extr.* Maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo. *Caes. B. C.* 3, 8. Gravissima hiems. *Hirt. B. G.* 8, 5. Hiemis difficultate oppressi Carnutes. *Caes. B. G.* 7, 32. Jam prope hieme confecta; et *ib.* 3, 7. Inita hieme; et *ib.* 6, 1. Ante exactam hiemem; et *B. C.* 3, 25. Hiems jam praecipitaverat; et *Curt.* 3, 8. Cum jam hiems instaret; et 9, 10. Jam mitigata hieme. *Hor. Od.* 1, 4. 1. Solvitur acris hiems; et *ib.* 2, 10, 15. Informes hiemes. *Virg. G.* 2, 373. indignae. *Hor. Od.* 3, 1, 32. iniquae. *Ov. A. Am.* 3, 186. Pigra hiems. *Id. Pont.* 1, 2, 26. iners *Id. Met.* 2, 30. Et glacialis hiems canos hirsuta capillos. *Liv.* 5, 13. gelida ac nivosa. *Ov. Met.* 15, 212. senilis hiems tremulo venit horrida passu, Aut spoliata suos, aut quos habet, alba capillos. *Id. Trist.* 3, 10, 44. dura; et *Met.* 11, 490. aspera. *Id. Pont.* 4, 10, 38. horrida. *Virg. G.* 1, 299. ignava colono; et *ib.* 2, 317. rura gelu claudit; et *ib.* 4, 135. tristis frigore saxa rumpit; et *A.* 3, 285. aquilonibus asperat undas. *Tibull.* 3, 5, 4. hiems se remittit. *Tac. A.* 12, 43. hiemis modestia. [*Plin. Pan.* 12, 4. Ultroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant: quod *Gierig.* ad h. l. turgide dictum recte judicans ita explicat: Hiemis inclementia, barbaris antehac commoda, nunc vicissim in perniciem ipsorum uti et transire flumina glacie constricta, quod isti antea soli fecerant.] ℙ *Hiems anni* est hibernum anni tempus. *Suet. Caes.* 35. Bellum difficillimum gessit, neque loco, neque tempore aequo, sed hieme anni, etc. Sic *aestate anni* dixit *Gell.* 19, 5. ℙ Secundum veteres Romanos agricolas hiems incipiebat Vergiliarum occasu, quod tempus in III. id. Novembr. incidere consuevit, uti docet *Plin.* 2, 47, 47. et 18, 25, 60. Adde *Varr. R. R.* 1, 28. et *Colum.* 11, 2. Desinebat autem VII. id. Febr., ut *Varr. ib.* tradit. ℙ *Hiems* pro frigore, quod quis patitur. *Mart.* 2, 46. Tu spectas hiemem succincti lentus amici. *Ov. Met.* 2, 827. letalis hiems paulatim in pectora venit, *h. e.* frigus saxi. V. locum. [*Gierig. hoc justo durius de corpore humano dictum censet.] ℙ Dicitnr et de vento, pluvia, et procellis; quam et Graeci χειμῶνα dicunt. *Nep. Attic.* 10. *f.* Gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex hieme, marique scopuloso servat. *Virg. A.* 5, 11. caeruleus supra caput adstitit imber Noctem hiememque ferens; et *G.* 3, 470. creber agens hiemem ruit aequore turbo; et *A.* 9, 671. Juppiter horridus austris Torquet aquosam hiemem; et *G.* 1, 320. turbine nigro Ferret hiems culmumque levem, stipulasque volantes. *Val. Fl.* 3, 151. caeca profundo currit hiems; et 2, 22. quatit ipse hiemes, et torquet ab alto Fulmina crebra pater. *Stat. Silv.* 5, 1, 36. Achilleis hiemes affrangere bustis, *h. e.* fluctus. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 385. et 8, 829.] ℙ Item de qualibet vi, atque impetu rei, procellae modo ruentis. *Val. Fl.* 4, 508. de Vesuvio: vix dum ignea montem Torsit hiems. *Stat. Silv.* 3, 5, 72. Vesuvinus apex, et flammea diri Montis hiems. *Id. Theb.* 5, 385. Instamus jactu telorum, et ferrea nimbis Certat hiems. ℙ Translate. *Claud. B. Get.* 151. Hic celer effecit, bruma ne longior una Esset hiems rerum, *h. e.* procella belli, et armorum. *Ov. Her.* 5, 34. Illa dies fatum miserae mihi dixit; ab illa Pessima mutati coepit amoris hiems. ℙ Hiemi, ut Deae, olim sacrificabant, placandi gratia, ut febri, ventis, etc. *Virg. A.* 3, 120. Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam. ℙ In genitivo plur. habet *hiemum. Prisc.* 7, 770.

[HIĒNIPENSIS, e, adj. ad Hienipam pertinens, Baeticae in Hispania opp. prope Hispalim, nunc *Alcalà de Guadaira.* ℙ *Hienipenses, ium* sunt incolae illius opp. *Inscr.* ap. *Mur.* 1049, 4. Ordo Hienipensium. *F.*]

HIĒRĂ, ae, f. ex Graeco ἱερόν, sacer; vox est non satis cognita, praesertim illo loco *Senecae ep.* 83., ubi ait: Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quaeris? quod raro cursoribus evenit, Hieram fecimus. *Muretus* hieram interpretatur lineam in medio stadio, sic appellatam, quod sacra esset. *Lipsius* morem fuisse suspicatur, ut in ambigua victoria, cum certantes pares essent, Deo sacraretur corona; quod Graeci ἱερὸν ποιεῖσθαι dicunt, *h. e.* στέφανον: *Senecam* autem *hieram* dixisse, scil. *coronam.* [Vero tamen simile est, allusisse ad mediam ex quinque lineis tabulae aleatoriae, sacram, ἱερὰν γραμμὴν dictam, ad quam lusores paene victi perfugiebant. V. *Polluc. Onomast.* 9, 7. *F.*] ℙ *Hiera* nomen est antidoti, ita dictae quasi sacrae, ut sub tanta specie nominis commendaretur medicamentum: vel ad verum ejus nomen occultandum, quod ejus inventor celari volebat. *Scrib. Comp.* 99. Alia quae vocetur *hiera* Pachii, ad paralyticos mire facere dicitur ab *eod. Compos.* 156. ℙ Praeterea hoc nomine est insula Siciliae vicina, prope Liparam, quia Vulcano sacra est, et hodieque nomen retinet, *Vulcano. Plin.* 2, 106, 110. et 3, 9, 14. *Addatur *Mela* 2, 7. ℙ Item insula maris Aegaei, prope Cretam, dicta etiam *Automate. Plin.* 2, 87. et 4, 12. ℙ Et nomen urbis, sed excisae, in Lesbo insula. *Plin.* 5, 31. ℙ *Hiera* olim legebatur in *Virg. A.* 9, 673. ubi *Iaera* bene correxit *Heyn.* priorem nescio quo pacto defendente *Heinsio.* Al. aliter leg. ℙ *Hiera come,* locus vel vicus Cariae, non procul a Maeandro flumine. *Liv.* 38, 13. Hujus incolae *Hieracometae* audiunt *Plin.* 5, 30. qui tamen eos in Mysia ponit. ℙ Staberius Hiera, Grammaticus. V. *Staberius. B. A.*

HĪĔRĂBŌTĂNĔ, es, f. ἱερὰ βοτάνη, *h. e.* sacra herba, qua nulla plane Romanae nobilitatis plus habet: Latini verbenacam vocant. [**Taubenkraut, Eisenkraut.*] Haec est, quam legatos ferre ad hostes mos fuit in sacris legationibus. Hac Jovis mensa verrebatur, domus purgabantur, et lustrabantur. Est autem ramulis pluribus, tenuibus, cubitalibus, angulosis, folio minore, quam quercus, et angustiore, divisuris majoribus, flore glauco, radice longa, tenui. Nascitur ubique in planis aquosis. Duo ejus genera sunt: foliosa, quam feminam putant; mas autem rarioribus foliis. Haec *Plin.* 25, 9, 19. et 22, 2, 3. ℙ **Hiera botane* separatim scribitur ap. *Scrib. Larg. comp.* 163. ℙ Reperitur et forma *hierobotane. B. A.*

*HIERABRĪGA, ae, f. opp. Lusitaniae, non longe ab Olisipone. *Plin.* 25, 9. *B. A.*

HĪĔRĀCĬA, ae, f. genus lactucae sponte nascentis rotundis foliis, et brevibus: ab ἱέραξ, ακος, accipiter: quoniam eam accipitres scalpendo, succoque oculos tingendo, obscuritatem, cum sensere, discutiunt. *Plin.* 20, 7, 26. ℙ *Fuit et Hieracia insula maris Aegaei, dicta et Onus. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

HĪĔRĀCĪTIS, idis, f. et Hieracites, ae, m. ἱεραχῖτις, et ἱεραχίτης λίθος, gemma, seu lapis, milvinis nigrisque veluti plumis, et a collo accipitris, quod refert, cognominata: ab ἱέραξ, ακος, milvus, accipiter. *Plin.* 37, 10, 60. et *ib.* 11, 72. Hoc postremo loco alii leg. *hieracites*, priore omnes *hieracitis*, quod eodem recidit. [*Emendavit locum *F.*]

HĪĔRĀCĪUM, ii, n. collyrium est, cujus compositionem *Plin.* 34, 11, 27. tradit. Constat autem hammoniaci unciis quatuor, aeruginis Cypriae duabus, atramenti sutorii totidem, misyos una, croci sex. Haec omnia trita aceto Thasio, colliguntur in pilulas, excellentis remedii contra initia glaucomatum et suffusionum, etc. Dictum est ab ἱέραξ, accipiter, quod ea avis quaedam monstravit naturae medicamina oculis adhibenda. V. HIERACIA. ℙ Idem a *Cels.* 6, 6. *n.* 28. vocatur *collyrium Hieracis*, ita ut *Hierax* sit collyrii ejus auctor.

HĪĔRĀCOMĒTAE, arum, m. plur. V. in HIERA.

HĪĔRĀPOLIS, is, f. ἱερὰ πόλις, sacra urbs, est in Syria, emporium celebre, nunc *Membick,* sive *Bamcuck* appellata. *Plin.* 5, 23, 19. ℙ Aliae sunt hoc nomine in Phrygia, in Creta, etc.

HĪĔRĀPOLĪTAE, arum, m. plur. Hierapolis incolae. *Plin.* 5, 29, 29.

HĪĔRĀPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Hierapolin pertinens. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. *med.* Constat, apud Hierapolitanos in Asia aqua agrum calida irrigari. *Macr. Sat.* 1, 17. Hierapolitani, qui sunt gentis Assyriorum, etc.

*HIERAPYTNA, ae, f. Cretae opp. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*HIĔRAS, ae, m. flumen Bithyniam a Galatia dispertiens, teste *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*HIERASYCAMĪNOS vel Hiera Sycaminos, oppidum Aegypti superioris, in Thebaide. *Plin.* 6, 29. ubi divise legitur. V. *Sycaminus in f. B. A.*

HĪĔRĀTĬCUS, a, um, adj. ἱερατικός, ut Hieratica charta dicta antiquitus religiosis tantum voluminibus dicata: ab ἱερός, sacer. *Plin.* 13, 12, 23, ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 677, 5. Claudius Hieraticus. *F.*]

HĪĔRAX, ācis, m. ἱέραξ, accipiter. *Justin.* 27, 2. Antiochus, hierax est cognominatus, quia non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam sectaretur. ℙ [Est etiam nomen proprium viri. V. HIERACIUM. ℙ Item cogn. R., et scribitur sine aspiratione in *Inscr.* ap. *Grut.* 1141, 5. T. Flavius Ierax. *F.*]

HĪĔRĒMĪAS. V. IEREMIAS.

[HĬĔRĬA, ae, f. *ἱέρεια*, sacerdos. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 5. Julia Hieria. *F.*]

*HIERĪCHO vel Hierīchus vel Hierīcus, untis, f. *Ἱεριχώ*, *Ἱεριχοῦς*, *Ἱερικοῦς*, opp. Jericho in Palaestina. *Plin.* 5, 14. ubi accusativus *Hiericuntem* occurrit. Sic *Hiericunte* casu sexto *Id.* 13, 4. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Hierichunte.* ℙ *Ierícho* vocatur a *Prud. Psych.* 536. et *Hamart.* 480. quo in loco nota accusativum *Ierichon.* ℙ Hinc

*HIERICHONTĪNUS, a, um, adj. ad Hierichuntem pertinens. *Vulg. Jerem.* 39, 5. *B. A.*

*HIĔRO, onis, m. *Ἱέρων*, duorum Syracusanorum nomen tyrannorum; quorum ℙ prior vixit temporibus Simonidis, ut patet ex *Cic. N. D.* 1, 22. Ejus stemma V. ap. *Drakenb.* ad *Liv.* 24, 26. et cf, *Xenoph.* in *Hierone.* ℙ Alter, quum esset ex duce rex factus, Populi Romani perpetuus amicus fuit. De eo V. *Liv.* 21, 49. 22, 37. 24, 4. 26, 40. *Justin.* 23. *extr.* Cf. *Aelian. V. H.* 9, 1. De numis illius *Spanhem. diss.* 8. p. 548. *B. A.*

*HIĔROBULBUS, i, m. herbae genus ap. *Appul. Herb.* 21. *B. A.*

[HĬĔRŎBUS, i, m. sacer bos (ab *ἱερος*, sacor, et *βοῦς*, bos), nempe Aegyptiorum Apis Soli, et Lunae sacer. *Inscr.* ap. *Grut.* 33, 3. Deo Soli, Hierobo L. Aurelius Bassinus sacerdos numinum V. S. L. M. *F.*]

*HIEROCAESARĔA, ae, f. *Ἱεροκαισάρεια*, opp. Lydiae. V. v. seq. coll. *Tac. A.* 2, 47. *B. A.*

[HĬĔRŎCAESARĪENSIS, e, adj. ad Hierocaesaream pertinens, Lydiae urbem versus Aeolidem, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 103. *ΙΕΡΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Tac. A.* 3, 62. Hierocaesarienses exposuere Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum. *F.*]

*HIEROCEPĪA, ae, f. *Ἱεροκηπία*, insula prope Cyprum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

HĬĔRŎCĒRYX, ycis, m. *ἱεροκήρυξ*, sacer praeco (ut Graeca vox sonat): ab *ἱερός*, sacer, et *κήρυξ*, praeco, *h. e.* is, qui sacris silentium indicebat. Legitur in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 24. et in alia ap. *Grut.* 27, 4. [Sunt porro qui putant ib. *hierocorax* esse legendum, *ἱεροκήρυξ* vero esse tantum vocem Graecam. V. CORACICUS. Fatendum tamen est, in *Not. Tir.* p. 172. legi *haerix*, *hierohaerix*, quae quidem mendosa sunt pro *keryx*, *hierokeryx*, seu *ceryx*, *hieroceryx. F.*]

[HĬĔRŎCLES, is, m. sacrorum gloria: ab *ἱερός*, sacer, et *κλέος*, gloria. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 614, 3. Hierocles *Augusti servus. F.* **Hierocles*, *is*, m. *Ἱεροκλῆς*, Alabandeus, Meneclis frater, orator tota Asia celeberrimus, floruit temporibus L. Crassi oratoris et M. Ciceronis pueri. *Cic. Brut.* 65. *Id. Or.* 2, 23. Cf. *eund. Or.* 69. ℙ Item alius, philosophus Alexandrinus, qui scripsit commentarium in Pythagorae aurea dicta, qui adhuc exstat. *Lact.* 5, 2. V. *Fabr. B. G.* ℙ Fuit et Hierocles Grammaticus, qui edidit Notitiam Imper. CP., cujus adhuc maxima pars superest. ℙ De variis hujusce nominis hominibus V. *J. Pearsonum* in *Prolegom. ad Hieroclem de Provid. et Fato*; et *Voss. de Hist. Graec.* 3. et 4. *B. A.*]

HĬĔRŎCŌRĀĪCĀ Sacra. V. CORACICUS.

HĬĔRŎDŪLUS, i, m. *ἱερόδουλος*, minister sacrorum: ab *ἱερός*, sacer, et *δοῦλος*, servus. *Firm. Math.* 8, 21.

HĬĔROGLYPHĪCUS, a, um, adj. *ἱερογλυφικός*, ab *ἱερός*, sacer, et *γλύφω*, sculpo. Hieroglyphicae notae, vel litterae ap. Aegyptios in usu fuerunt, qui primi, (ut ait *Tac. A.* 11, 14.) ante litteras per figuras animalium, aliarumque rerum, saxis lignove insculptas, sensus mentis effingebant. Praecipue vero res sacras, et mysteria sua tali modo mandabant posteris. *Ammian.* 17, 4. de obelisco Aegyptio: Formarum innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiae vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim, ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, promissa, vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc, litterarum numerus praestitutus et facilis, exprimit, quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Aegyptii; sed singulae litterae singulis nominibus serviebant, et verbis; nonnunquam significabant integros sensus. Per vulturem naturae vocabulum pandunt: perque speciem apis mella conficientis, indicant regem, etc. *Macr. Sat.* 1, 21. Osirin Aegyptii, ut solem esse asserant, quotiens hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, significantes, etc.

HĬĔROGRAPHĪCUS, a, um, adj. *ἱερογραφικός*, hieroglyphicus. *Ammian.* 22, 15. *f.* Volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, quas hierographicas litteras appellarunt. [Hic tamen *Jablonskius Panth. Aegypt. l.* 5. c. 5. §. 14. et *Zoega de orig. obelisc.* p. 432. *hieroglyphicas* legendum putant. *F.*]

*HIEROLOPHIENSES, ium, m. incolae loci (fortasse opp.) cujusdam Asiae minoris, qui in Caria fuit vel fortasse Lydia, et *ἱερὸς λόφος*, *h. e.* sacer collis, appellatus est. *Plin.* 5, 30. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Hierapolenses. B. A.*

[HĬĔRŎLOPHUS, i, m. sacer apex: ab *ἱερός*, sacer, et *λόφος*, apex. Est cogn. R., et sine aspiratione legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 620, 5. M. Ulpius Ierolophus. *F.*]

[HĬĔRŌMATRĪTĀ, ae, m. ita fortasse est appellatus institutor sacrorum Matris Deum, qui scilicet Gallos Deae Cybeles sacerdotes docebat, ut in sacris ejusdem Deae saltationes, et ceteras caeremonias rite peragerent: derivata vox videtur ab *ἱερός*, sacer, et *μήτηρ*, *τρός*, mater; eadem vero est nominis forma in *archimandrita*, et *coenobita. Edict. Dioclet.* p. 22. Hieromatritae in singulis discipulis menstruos ☿ L.; paedagogo in singulis pueris menstruos ☿ L. Hic tamen *Geromatrita* legitur, ex vulgari quippe Romanorum pronunciatione, quae profecto apprime convenit cum nupera Italica lingua, in qua *gerarchia*, et *geroglifico*, nunc usurpantur pro Latinorum *hierarchia*, et *hieroglyphicus:* idem vero dicendum de ultima vocis diphthongo, quae jam labente Latinitate passim negligebantur. *F.*]

*HIEROMIACES, is, flumen Palaestinae, prope Gadara. *Plin.* 5, 18. ubi ablativus *Hieromiace* occurrit. *B. A.*

[HĬĔROMNĒMON, ŏnis, m. *ἱερομνήμων*, sacrorum rituum praefectus: ita vocabatur apud Graecos, qui bis quotannis Delphos mittebatur ab unaquaque civitate ad concilium Amphictyonum, quique Pylagoris praeerat. *Inscr.* ap. *Mur.* 598, 1. Cum optimus princeps sententiam hieromnemonum sequendam esse praescripsisset. V. *Eckhel. D. N. U. T.* 4. p. 218. ℙ Est etiam hoc nomine gemma. V. EROXYLOS. *F.*]

[HĬĔRON, ontis, m. ab *ἱερός*, sacer. Est cogn. R. V. HIEROPHILA. *F.*]

*HIERONĒSUS, i, insula prope Siciliam. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

HĬĔRONĪCĀ, ae, m. *ἱερονίκης*, victor in sacris certaminibus: ab *ἱερός*, sacer, et *νίκη*, victoria. Sic appellabantur, qui in Nemeaeis, Pythiis, Isthmiis, et Olympiis vicissent: illa enim sacra certamina dicebantur. Hujusmodi victoribus publici honores habebantur, ut *Vitr. praef. l.* 1. tradit. *Suet. Ner.* 25. Neapolim albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 331, 1. P. Aelius Aug. Lib. Pylades pantomimus hieronica instituit. L. Aurelius Augg. Lib. Pylades hieronica discipulus consummavit, Alia ap. *eund.* 313, 8. L. Aurelio Apolausto Memphio Augg. Lib. hieronicae coronato. ℙ Ap. *Mur.* 659, 2. legitur haec alia *Inscr.* Aurelio Apolausto hieronico bis coronato. At hic legendum apparet *hieronicae.* [*Emendavit locum *F.*]

HĬĔRONĪCUS, a, um, adj. possess. a Hierone rege Syracusarum, ut Hieronica lex, frumentaria, ab eo lata. *Cic. Verr.* 2, 2, 13. et 60.

HĬĔRONYMUS, i, m. philosophus Rhodius, qui summum bonum posuit in indolentia. *Cic. Fin.* 2, 3. ℙ [Item rex Syracusius, Hieronis nepos. *Liv.* 24, 4. *F.*] ℙ Item unus ex scriptoribus Ecclesiasticis, et doctoribus S. Ecclesiae, qui non solum eximia Scripturarum peritia fuit, sed etiam Latinitatis, humaniorumque litterarum studiosissimus: scripsitque, ut ea tempora ferebant (floruit enim saeculo Christi quarto) eleganter, erudite, et Latine. Laudatur a *Sulpic. Sever. dial.* 1, 8. et 9.

HĬĔROPHANTĀ et Hierophantes, ae, m. *ἱεροφάντης:* ab *ἱερός*, sacer, et *φαίνω*, in lucem profero, edo, ostendo: est antistes, atque interpres sacrorum apud Graecos, et Aegyptios, (*Tert. adv. Marc.* 1, 13.) qui sacra et caeremonias docet: similisque fuit in multis pontifici maximo apud Romanos. Ejus officium erat initiandos docere, initiatos in interiora admittere, mysteria interpretari. *Nep. Pel.* 3. Allata est epistola Athenis ab Archia hierophante. *Arnob.* 5, 174. Qui postea apud Cecropios floruerunt, Caduceatores, hierophantae, atque praecones. *Hieronym. in Jovin.* 1. *n.* 49. *f.* Hierophantas Atheniensium usque hodie cicutae sorbitione castrari, et postquam in pontificatum fuerint evecti, viros esse desinere. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 16, 10, 14. Hierophantae agrorum, *h. e.* qui extra urbem per agros degunt. V. HOROFANTAE. *Macr.* videtur hierophantam designare, cum ait *Sat.* 2, 3. Ut aedituus responsa numinis sui praedicat.

HĬĔROPHANTRĬĀ, ae, f. mulier sacerdos ea dignitate, ac munere, quo Hierophanta. *Inscr.* ap. *Grut.* 309, 2. Fabiae Aconiae hierophantriae Deae Hecatae.

[HĬĔROPHĬLĂ, ae, f. quae amat sacra: ab *ἱερός*, sacer, et *φιλέω*, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 538, 11. C. Julio Hieronti Julia Hierophila conjunx. *F.*]

HĬĔROPHYLAX, ăcis, m. *ἱεροφύλαξ*, sacrorum custos, aedituus: ab *ἱερός*, sacer, et *φύλαξ*, custos. Graece habet *Scaev. Dig.* 33, 1, 20., ut quidem *Haloand.* edidit: at Latine, ut *Torrentin.*

*HIĔROS, i, m. *Ἱερός*, i. e. sacer, Mysiae vel Troadis flumen, ab Ida monte decurrens. *Plin.* 5, 30. ℙ Item aliud flum. Asiae, cum opp. cognomine, ab ulteriore Maeotidis paludis parte. *Id.* 6, 5. *B. A.*

[HĬĔRŌSALPINCTES, ae, m. *ἱεροσαλπιγκτής*, in sacris tubicen. *Not. Tir.* p. 173. Salpinx, salpinctes, hierosalpinctes. *F.*]

HĬĔRŌSOLYMA, orum, n. plur. *Ἱεροσόλυμα, τά*, urbs Judaeae metropolis, totius Asiae longe clarissima, teste *Plin.* 5, 14, 15., immo totius orbis, quoniam in ea Redemptor hominum JESUS CHRISTUS Dei filius, Deus et homo, pro nobis passus et mortuus est. Nomen habet ab *ἱερός*, sacer, et *Solyma*, *orum*, quo nomine appellatur a *Mart.* 11, 95. et aliis: quia exstructo celeberrimo Salomonis templo *Solyma sacra* esse coeperunt: vel ab *ἱερόν*, templum. *Tac. H.* 5, 11. Ni statim Hierosolyma conciderent, etc. Et 10. Omnes praeter Hierosolyma urbes. Et 9. Muri Hierosolymorum diruti. *Joseph.* quoque *Antiquit. Jud.* 7, 3. et al. Graece neutro plurali usurpat. ℙ Dicitur etiam *Hierosolyma*, *ae*, f. *Cic. Fl.* 28., *Flor.* 3, 5. *f.* et *Tac. H.* 5, 2. *extr.* ℙ Item *Hierusalem* indeclin. *Ἱερουσαλήμ*, ex Hebraica origine. *Tert.*, *August.*, *Hieron.* etc. Sed hanc sine aspiratione scribi vult *Dausq.* ℙ *Prudentius* paenultimam producit *in Psych.* 811. Tunc Hierusalem templo illustrata, quietum, etc. At *Lact. de pass. Chr.* 25. Impia Hierusalem rabidis exercita curis. Hic fortasse *Jerūsalem.* Neuter tamen imitandus.

HĬĔRŌSOLYMĀRĬUS, ii, m. cogn. Pompeji M. ab Hierosolyma expugnata. *Cic. Att.* 2, 9. Uti sciat hic noster Hierosolymarius, traductor ad plebem, etc.

[HĬĔRUS, i, m. *ἱερός*, sacer. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 106, 6. M/. Birrius M/. L. Hierus. *F.*]

HĬĒTO, as, avi, atum, n. 1. frequentativum ab *hio.* Dicitur de oscitantibus, quia saepe ore hiant. *Pl. Men.* 3, 1, 3. in concionem mediam me immersi miser: Ubi ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi. *Id. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 336. Si qua forte concio est, ubi eum hietare nondum in mentem venit. *Caecil. ib.* Praei hercle tu, qui mihi oscitans hietansque restas. *Cn. Mat. ib.* Ille hietans herbam moribundo tenuit ore. Passive *Laber. ib.* Hietantur fores. ℙ Etiam *hiato* veteres dixere, teste *Diomed. ib.*

*HIGYNUS, i, m. piscis nomen ap. *Prisc. de diaeta* 8. *B. A.*

*HILAĪRA, ae, f. *Ἱλάειρα*, Polluci amata. *Prop.* 1, 2, 16. Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe, Pollucem cultu non Hilaira soror. V. *Leucippis.* ℙ Est et forma *Ilaira* et *Laira.* V. ℙ Adi *Hyg. fab.* 8. et *Meurs. Misc. Lac.* 11. *B. A.*

*HILARATĬO, onis, f. *Tertull. B. A.*

*HILARĀTOR, oris, m. *Firmic. B. A.*

HĪLĂRĀTUS, a, um, part. ab *hilaro*, hilaris factus. *Cic. N. D.* 2, 40. Sol binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quaedam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum coelo hilarata videatur. *Id. Brut.* 11. *extr.* Periclis suavitate maxime hilaratae sunt Athenae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Hilaratus vultus. ℙ Translate. *Appul. Met.* 5. Cujus (Cupidinis) aspectu lucernae lumen hilaratum increbuit.

HĪLĂRĒ, adv. *φαιδρῶς*, laete, seu cum hilaritate. *Cic. Fin.* 5, 30. hilare vivere. *Id. Tusc.* 3, 27. Hilarius loqui. *Id. Or.* 3, 8. Res tragicas paene comice, tristes remisse, serias hilare tractare. *Id. ib.* 2, 71. Hilare aliquem accipere. *Gell.* 18, 2. Saturnalia agitabamus hilare prorsum, et modeste. *Tac. A.* 11, 3. Hilare epulatus. Adde *Afr.* ap. *Non.* 11, 36.

HĪLĂRESCO, is, n. 3. *ἱλαρύνομαι*, hilaris fio. *Varr.* ap. *Non.* 2, 404. Cum amicorum domus fumat, hilaresco.

HĪLĂRĬĂ, ium, et iorum, n. plur. *ἱλάρια*, dies aequinoctii verni, quem antiqui celebrabant in honorem Matris Deum, et Attinis, tanquam laetitiae exordium, nempe octavus Kalendas Aprilis, quo fit aequinoctium vernum, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit: ab *hilaris. Vopisc. Aurel. init.* Hilaribus, quibus omnia festa, et fieri debere scimus, et dici, impletis solemnibus, etc. *Lampr. Alex. Sever.* 37. Kalendis Jan. et Hilariis Matris Deum, et ludis Apollinaribus. *Macr. Sat.* 1, 21. Simulatione luctus peracta, celebratur laetitiae exordium a. d. octavum cal. Apr., quem diem Hilaria appellant.

HĪLĂRĬCŬLUS, a, um, dimin. hilarulus. *Sen. ep.* 23. *med.* Soluto vultu, et ut isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere. Al. melius leg. *hilari oculo.*

[HĪLĂRĪNUS, i, m. ad hilarum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 845, 10. T. Caesius Hilarus, et Sex. Cassius Hilarinus. *F.*]

[HĪLĂRĬO, onis, m. dimin. hilari. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 31. T. Sextius Hilario. Alia ap. *Mur.* 2085, 3. Cn. Domitio Hilarioni Domitia Ambrosia patrono. *F.*]

HĪLĂRIS, e, et Hilarus, a, um, adj. *ἱλαρός*, *φαιδρός*, laetus, jucundus. *Cic. Fin.* 5, 30. Dicimus aliquem hilare vivere. Igitur si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? *Id. Tusc.* 1, 42. Esse vultu hilari atque laeto. *Id. Q. Fr.* 2, 13. Hilari animo esse et prompto ad jocandum.

Id. Att. 16, 3. Hunc lege arcano convivis tuis, sed, si me amas, hilaris et bene acceptis. *Id. Pis.* 5. Hilarioribus oculis intueri. *Id. Att.* 5, 20. *med.* Hilara sane Saturnalia: et *ib.* 7, 25. Hilariores litterae. *Caecil.* ap. *Gell.* 15, 9. Hi sunt inimici pessumi, fronte hilaro, corde tristi. *Ter. Ad.* 4, 7, 38. omitte tuam istam iracundiam: Hilarum ac lubentem fac te in gnati nuptiis. *Pl. Most.* 1, 2, 39. Homo lepidissime atque hilarissime. *Id. Stich.* 5, 4, 56. Fac nos hilaros hilariores adventu tuo. *Ov. Pont.* 2, 1, 9. Dii quoque ut a cunctis hilari pietate colantur, Tristitiam poni per sua festa jubent. *Quint.* 11, 3. Vox laetis in rebus plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fluit. *Id.* 12, 10. Nescio quomodo, velut hilaris renidet oratio. *Plin.* 23, 8, 75. Cutem in facie corrigit, coloremque hilariorem facit. *Id.* 36, 7, 11. Marmor Lacedaemonium viride, cunctisque hilarius. *Id.* 16, 10, 19. Abies femina prolixior, materie mollior, arbore rotundior, atque hilarior in totum. ℙ *Hilarus* est etiam cogn. R. V. HILARINUS.

[HĪLĂRISSO, as, a. 1. idem ac hilaro. *Is. Or.* 1, 4. Romani usque ad Augusti tempus pro *z* duo *ss* ponebant, ut Hilarissat. *F.*]

HĪLĂRĪTAS, atis, f. ἱλαρότης, laetitia, jucunditas. *Quint.* 11, 3. Tristitia deductis superciliis, hilaritas remissis ostenditur. *Cic. Att.* 12, 40. Hilaritatem illam, qna hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. *Id. Fam.* 9, 11. Hilaritas illa nostra et suavitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis est. *Id. Or.* 1, 57. Hilaritatis plenum judicium ac laetitiae fuit. *Id. Tusc.* 4, 7. Profusa hilaritas. *Quint.* 4, 2. *med.* Verbis elevare quaedam licebit: luxuria hilaritatis, avaritia parsimoniae nomine lenietur. *Plin.* 5, 9, 10. Hilaritatem afferre. *Id.* 21, 3, 9. In potu atque hilaritate. *Id. ib.* Hilaritate procedente. *Sen. ep.* 23. Ceterae hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt. *Plin.* 11, 37, 77. In praecordiis (*h. e.* septo transverso) praecipua hilaritatis sedes. ℙ Translate. *Id.* 17, 16, 26. Qua praecipua cernitur hilaritas arboris, *h. e.* ubi magis arbor viret vigetque. *Colum.* 9, 14. *f.* Itaque post hoc tempus, cum dici permittit hilaritas, procedere audent in pascua, *h. e.* serenitas.

HĪLĂRĪTER, adv. idem ac hilare. *Auct. ad Her.* 3, 14. Modo acriter, tum clementer, moeste, hilariter, etc.

HĪLĂRĪTŪDO, inis, f. idem quod hilaritas. *Pl. Mil.* 3, 1, 83. Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine. Ita leg. etiam *Non.* 2, 399. Al. *onerato hilaritus me* perperam leg. *Id. Rud.* 2, 4, 8. Ut in ocellis hilaritudo est!

HĪLĂRĪTUS. V. v. praec.

*HILARĪUS, i, m. Vitellii libertus. *Tac. H.* 2, 65. *B. A.*

HĪLĂRO, as, a. 1. φαιδρύνω, ἱλαρύνω, laetitiam jucunditatemque do, laetifico. *Cic. Fin.* 2, 3. Omnem jucundum motum, quo sensus hilaretur, voluptatem vocant. *Ov. Pont.* 4, 4, 37. Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore. *Stat. Silv.* 3, 3, 24. Festaque pallentes hilarent altaria lucos. *Plin.* 10, 42, 59. Picas mirum in modum hilarari.

HĪLĂRODOS, i, m. lascivi et delicati carminis cantor, (ab ἱλαρὸς, hilaris, et ᾠδὸς, cantor.) *Festus.*

HĪLĂRŬLUS, a, um, dimin. hilari. *Cic. Att.* 16, 11. Atticae quoniam hilarula est, meis verbis suavium des.

HĪLĂRUS. V. HILARIS.

*HILEIA, ae, f. opp. Mesopotamiae. *Ammian.* 18, 10. *B. A.*

*HILESĬON, i, n. Boeotiae opp. *Plin.* 4, 7. ed. *Hard.* Al. leg. *Hyreseon. B. A.*

*HILICĂNUM (Helicanum), i, n. Pannoniae superioris opp. *Anton. Itin. B. A.*

*HILLEVIONES, um, m. pop. Germaniae septentrionalis, Scandinaviam insulam incolentes. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

HILLAE, arum, f. plur. intestina animalium (praeter ovis) priora et minutiora: dimin. ab *hira. Plin.* 11, 37, 79. Ab hoc ventriculo lactes in homine et ove, per quas labitur cibus: in ceteris hillae: a quibus capaciora intestina, etc. V. HIRA. ℙ Dicitur et de intestinis universim. *Laber.* apud *Non.* 2, 410. Lambit item hillam cocus: si lumbum adussit, flabris caeditur. ℙ Et de intestinis fartis, vel salitis. *Hor. Sat.* 2, 4, 60. perna magis, ac magis hillis Flagitat, etc. [*V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Translate *caedere hillas* idem est ac paedicare. *Laber.* apud *Non. l. c. A.* Neve hunc aliter paedicabis. *B.* Quomodo? *A.* Video: adolescenti nostro caedis hillas. ℙ Scribitur et unico *l.*

HILLUS, i, m. cogn. R. per jocum et contemptum fictum pro *Hirrus* a *Cic. Fam.* 2, 10. Cum esset tanta res, tantae gratulationis; de te, quia quod sperabam; de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. Hic *Cicero* respondet *M. Coelio*, qui de C. Luccejo Hirro aedilitate frustrato, et de se eandem consecuto ita scripserat ad *eund. Fam.* 8, 4. Spero, te celeriter auditurum et de nobis, quod sperasti, et de illo, quod vix sperare ausus es. *Cicero* vero facete et salse verbis *de illo* aspirationem addit, ut nempe Hirri cognomen, more balborum litteram *r* in *l* permutantium latenter enunciaret. V. HIRRUS.

HILUM, inquit *Fest.*, putant esse, quod grano fabae adhaeret: ex quo *nihil*, et *nihilum*. Hinc dicitur de re minima, et nullius pretii. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 22. neque dispendI facit hilum, *h. e.* neque dispendii facit quidquam, ut *Id. ib.* 8, 37. exponit, *Vet. Poet.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 5. Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. *Lucr.* 3, 221. nec defit ponderis hilum; et 785. neque inter se contendant viribus hilum; et 843. Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum. *Id.* 5, 1408. neque hilo Majorem interea capiunt dulcedine fructum.

HIMANTOPODES, um, m. plur. ἱμαντόποδες, homines monstrosi in Aethiopia, qui fluxis nisibus crurum repunt potius, quam incedunt, et pergendi usum lapsu magis destinant, quam ingressu: ab ἱμὰς, ἀντος, lorum, et ποῦς, pes: quod crura lori modo flexilia habeant. Latine *loripedes* dici possent. *Mela* 3, 10., *Solin.* 31. *f.* et *Plin.* 5, 8, 8.

*HIMANTOPUS, odis, avis nomen ap. *Plin.* 10, 47. *in.* ℙ Cf. *Himantopodes. B. A.*

HIMELLA, ae, f. fluvius parvus Sabinorum, qui in Tiberim labitur. *Virg. A.* 7, 714.

*HIMĔRA, ae, fluvius, itemque opp. Siciliae. V. *Himeraeus, a, um*, et *Himerensis, e. B. A.*

HIMĔRAEUS, a, um, adj. Ἱμεραῖος, ad Himeram oppidum pertinens, ut Himeraeus Demophilus ap. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. Est autem id opp. in Sicilia, in ora occidentali prope Panormum. *Id.* 3, 8, 14. ℙ *De Himera oppido consulantur *Cic. Verr.* 2, 2, 35. et 2, 4, 33. *Plin.* 3, 8. *Mela* 2, 7. *med. Himera, orum*, n. plur. audit *Ov. Fast.* 4, 475. *B. A.*

HIMĔRENSIS, e, adj. ad Himeram pertinens, qui fluvius est Siciliae in ora occidentali: de quo *Sil.* 14, 233. qua mergitur Himera ponto Aeolio. Hinc *Thermae Himerenses*, oppidi nomen ad Himeram, nunc *Termini*, siti, qua mare intrat, inter Pachynum et Lilybaeum. *Plin.* 3, 8, 14. *Mela* 2, 7. ℙ *De Himera fluvio *Liv.* 24, 6. *Plin.* 4, 8. *Mela* 2, 7. *B. A.*

HIMĔROS, i, m. Ἵμερος, desiderium amatorum: ab ἱμείρω, desidero. Hunc Deum, et Cupidinis sectatorem facit *Capell.* 9, 306.

*HIMERTE, es, f. (ἱμερτὴ, i. e. desiderabilis,) nomen vetustum Lesbi insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[HIMĔRUS, i, m. Ἵμερος, Cupido. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 428, 17. C. Titius Himerus. *F.*]

HINC, adv. ἔνθεν, ἐντεῦθεν, ex hoc loco. *Cic. Fin.* 3, 14. In ea via, quae est hinc in Indiam. *Id. Agr.* 2, 34. *extr.* Nos hinc Roma qui veneramus, non hospites, sed peregrini nominabamur. *Id. Tusc.* 1, 13. Dii hinc a nobis profecti in coelum. *Liv.* 7, 34. *f.* Qua pateat hinc exitus. *Cic. Or.* 2, 3. A se Scaevolam hinc euntem esse conventum. *Ter. Ph.* 3, 3, 26. Aufer te hinc. *Id. Andr.* 5, 1, 14. Illam hinc civem esse ajunt. ℙ Item ex hac parte. *Cic. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc, etc. *Id. Univ.* 14, Cum speculorum laevitas hinc illincque altitudinem assumpsit. *Liv.* 32, 10. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis. [*Lucan. 7, 358. sqq. Si Curios his fata darent, reducesque Camillos Temporibus, Deciosque caput fatale foventis, Hinc starent. Laud. *Cort.* ad h. l. *Lucan.* 2, 566. Hinc acies statura ducum. *Justin.* 14, 1. *n.* 7. Unde soror Alexandri staret; ubi plura *Gronov.* Saepissime dicitur de partibus litigantium. V. *Spalding.* ad *Quint.* 5, 13, 2.] ℙ Item ex hac materia. *Cic. N. D.* 1, 23. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. Hinc quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. *Virg. G.* 1, 5. Hinc canere incipiam. *Plin.* 33, 12, 54. Videret hinc dona fortium fieri, *h. e.* ex argento. ℙ Item ex hoc homine. *Ter. Ad.* 3, 3, 7. Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet. ℙ Item ex hac causa, ex hac re. *Cic. Off.* 3, 8. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, etc. *Ter. Andr.* 1, 1, 99. Hinc illae lacrimae. ℙ Item ex hoc tempore, et ordinem significat. *Val. Fl.* 3, 672. atque hinc, operum quae maxima, posco. *Tac. Agr.* 14. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio, etc. [*Id. *Ann.* 2, 67. Circumdata hinc regi specie honoris validâ manus.] Sic *Plin.* 7, 52, 53. Septem et quinquaginta dormisse annis: hinc pari numero dierum senio ingruente, etc. *Id.* 9, 62, 88. Hinc volucrum naturae dicentur, *h. e.* deinceps. ℙ Item pro illinc. *Caes. B. G.* 6, 39. Calones in proximum tumulum procurrunt: hinc celeriter dejecti, se in signa manipulosque conjiciunt. ℙ *Hinc hinc, hinc atque hinc*, ex hac et illa parte. *Liv.* 44, 11. Cassandrea hinc Toronaico, hinc Macedonico septa mari. *Id.* 1, 13. Hinc patres, hinc viros orantes, ne se sanguine nefando soceri generique respergerent. *Virg. A.* 1, 166. Hinc atque hinc vastae rupes. ℙ *Hinc inde* eod. sensu. [Gr. ἔνθεν καὶ ἔνθεν.] *Plin. ep.* 9, 13. Longum est, quae tunc hinc inde jactata sunt recensere. *Suet. Ner.* 27. Hinc inde hortantes, ut appelleret. *Tac. H.* 2, 70. Monstrabant pugnae locos: hinc irrupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas legionum manus. [*Magnum ex Taciti scriptis exemplorum numerum congessit *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 232. sq.] ℙ In illo *Ter. Ad.* 4, 5, 38. An sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret, exspectantem? *Don.* proverbialiter *hinc illinc* dictum docet. Alii leg. *huc illinc.* ℙ *Hinc* pro *ab hinc* apud *Pl. Truc.* 2, 3, 19. Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit, Quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Septimo hinc anno inventa est. Ita legit ex MSS. *Hard.* Alii aliter. ℙ [*Permutantur in cdd. *Hinc* et huc. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 127. et *hic. Id. ib.* 7, 360.]

HINNA, ae, f. femina hinni. *Non.* 2, 409.

HINNĪBĬLIS, e, adj. χρεμετιστικὸς, hinniens. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Quod hinnibile est, equus est. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 20. Exscreatus hinnibilis.

HINNĪBUNDĔ, adv. hinniendo. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 2, 411. Equi hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.

HINNĪENTER, adv. hinnibunde. Est *Nonii* 2, 411.

HINNĪLĬTO, as, n. 1. idem quod hinnio. *Lucil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Hic, inquam, rudet e rostris, atque hinnilitabit. *Non.* 1, 78. habet *ejulitabit.*

HINNĪO, is, n. 4. χρεμετίζω, proprium est vocis equorum: a sono. *Quint.* 1, 5. *extr.* Jam ne balare quidem, aut hinnire fortiter diceremus. *Id.* 7, 3. Ut si finias equum, genus est, animal; species, mortale; differentia, irrationale; proprium, hinniens. *Lucr.* 5, 1076. concussis artubus hinnit. *Sid. carm.* 14, 29. de Chirone centauro: Quamvis saepe senex biformis illic Carmen rumperet hinniente cantu. ℙ *Hinnientes* absolute sunt equi ap. *Appul. Apol.* et *de Deo Socrat.*

*HINNĪTO, as, n. 1. frequent. ab hinnio. *Gloss. Philox.* Hinnitat, χρεμετίζει. *B. A.*

HINNĪTUS, us, m. χρεμετισμὸς, verbum exprimens vocem equi. *Cic. Div.* 1, 33. *f.* Subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem laetus aspexit. *Virg. G.* 3, 94. et altum Pelion hinnitu fugiens implevit acuto. *Hor. Od.* 2, 16, 34. Equa hinnitum tollit. *Ov. Met.* 2, 154. hinnitibus auras implent; et 669. Edere hinnitus. *Suet. Ner.* 46. Hinnitus canori.

HINNŬLA, ae, f. dimin. femina hinnuli, h. e. pulli cervini. *Arnob.* 5, 185. Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulae. Alii melius leg. *hinnulea*, h. e. cervina.

HINNŬLĔUS, i, m. νεβρὸς, cervus anniculus, cui necdum cornua sunt, quippe quae secundo anno erumpere incipiunt: ab *hinnus. Hor. Od.* 1, 23, 1. Vitas hinnuleo me similis, Chloe. *Plin.* 28, 9, 42. Summis remediis praefertur hinnulei coagulum. ℙ *Hinnuleus, a, um.* adj. V. v. praec.

HINNŬLUS, i, m. dimin. pullus ex equo et asina genitus. *Plin.* 8, 44, 69. Equo et asina genitos mares, hinnulos antiqui vocabant: contraque mulos, quos asini et equae generarent. *Hard.* recte contendit legendum *hinnos. Gloss. Philox.* Hinnulus, ὁ ἐξ ἵππου, καὶ ὄνου. *Nonius* quoque ex *Varrone* refert 2, 409. Ex equis et hinnulis qui nascantur, hinnos vocari. Sed fallitur. V. l. *Varron.* in v. sq. ℙ Est etiam *hinnulus* pullus cervinus. *Gloss. Philox.* Νεβροὶ, hinnuli. Hinc *hinnuleus.*

HINNUS, i, m. ἵννος, animal, quod ex equo, et asina nascitur, idem ac mannus, ginnus et burdo: a voce Graeca allata. *Varr. R. R.* 2, 8. Ex equa et asino fit mulus: contra ex equo et asina hinnus; et *ib. f.* Hinnus est ex equo et asina, minor quam mulus corpore, plerumque rubicundior, auribus ut equinis, jubam et caudam similem asini. *Col.* 6, 37. Qui ex equo et asina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur; matri per omnia magis similes sunt. ℙ *Hinno strigosior* proverbio dicitur de valde macilento. *Maecenas* ap. *Suet. in Vita Horatii.* Hinno me videas strigosiorem. Al. leg. *ginno*, alii aliter.

HIO, as, avi, atum, n. 1. χαίνω, hisco, aperior, pandor, scindor. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 228. Atque hiavit humus multa, vasta, et profunda. *Plin.* 34, 7, 18. de colosso Rhodi: Vasti specus hiant defractis membris. *Prop.* 4, 2, 45. Nec flos ullus hiat pratis. *Lucan.* 5, 641. tumentes hiant undae. *Col.* 5, 9. Cum terra aestibus hiat. Adde *Hor. Ep.* 8, 5. ℙ Saepe dicitur de iis, qui ore aperto sunt. *Virg. A.* 6, 492. pars tollere vocem Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes. *Plin.* 8, 25, 37. Trochilos crocodilum invitat ad hiandum; et *mox.* Fauces quam maxime hiantes. *Id.* 10, 33, 51. Perdices hiantes, exserta lingua aestuant. *Hor. Sat.* 2, 2, 31. lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet. ℙ De oscitantibus. *Sil.* 11, 35. lacerabat hiantem

Desidia populum, ac resolutam legibus urbem. ℙ Et quia os apertum habere est sitientis, cupientisque, *hiare* aliquando est inhiare, quippiam affectare vehementer. *Cic. Verr.* 2, 3, 4. Huic homini si qua domus patet, utrum ea patere, an hiare ac poscere aliquid videtur? *Sen. ep.* 72. *med.* Canis, quidquid excepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. V. alia in HIANS. Praeterea *hiare* dicitur, qui in scribendo crebras vocales usurpat, quas ut proferas, diducere labia necesse est, quae non nisi in consonantibus committuntur. *Cic. Or.* 45. Poetae, qui, ut versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius: Vos qui accolitis Histrum fluvium, atque Algidam. ℙ Hinc *hians oratio*, in qua frequens est vocalium concursus. *Quint.* 9, 4. Neque enim aut hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo et oratio; et *post.* Vocalium concursus cum accidit, hiat, et intersistit, atque laborat oratio. ℙ *Mutila et hiantia loqui* ap. *Cic. Or.* 9. *f.* est inaequalia, incomposita, soluta, male cohaerentia dicere. V. HIANS. ℙ Et qui stupent aliquid, miranturque, *hiare* dicuntur, quia ore aperto mirantem esse mos est. V. HIANS. ℙ Reperitur et cum accusativo. *Val. Fl.* 6, 705. subitos ex ore cruores Saucia tigris hiat, *h. e.* ore aperto evomit. *Prop.* 2, 23, 6. de statua Apollinis Palatini: Hic equidem Phoebo visus mihi pulcrior ipso Marmoreus tacita carmen hiare lyra, *h. e.* ore aperto in speciem canentis. Sic *Pers.* 5, 3. Fabula seu moesto ponatur hianda Tragoedo, *h. e.* magno ore pronuncianda. V. HIATUS.

HIPPACĂRE est celeriter animam ducere: ab equi halitu, qui est supra modum acutus. *Festus.* In *Gloss. Isid.* legitur: Hippicare, oscitare.

HIPPĂCE, es, f. ἱππάκη, equini lactis coagulum a quibusdam dicitur. *Plin.* 28, 14, 58. ℙ Item equinus caseus, *Id. ib.* 9, 34. ℙ Item herba, quam ore tenentes equi, famem sitimque non sentiant. *Id.* 25, 8, 44., ubi al. leg. *hippice.*

HIPPĂGĪNES, naves, quibus equi vehuntur: quas Graeci ἱππαγωγοὺς dicunt. *Festus*, et *Gell.* 10, 25. V. v. sq.

HIPPĂGOGI, ἱππαγωγοί, naves eaedem, quae hippagines: ab ἵππος, equus, et ἄγω, duco. *Liv.* 44, 28. Quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant, ab Elea profectae, cum equitibus Gallis equisque.

HIPPĂGUS, i, navis vehendis equis apta, hippagogos etiam dicta. *Plin.* 7, 56, 57. Hippagum invenere Samii, aut Pericles Atheniensis.

*HIPPALCĪMOS (us), i, m. Pelopis filius, Argonauta. *Hyg. fab.* 14. ℙ *Hippalcus* audit *eid. fab.* 84. *B. A.*

*HIPPALLUM mare, cujus sinus Persas includit, meminit *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 110. *B. A.*

HIPPĂLUS, i, m. ventus idem qui Favonius, ita appellatus a navigantibus in mari Indico: vel a gubernatore ejusdem nominis, vel voce Arabica. *Plin.* 6, 23, 26.

[HIPPARCHUS, i, m. Ἵππαρχος, (ab ἵππος, equus, et ἀρχὸς, princeps, *h. e.* equitum praefectus) Nicaeensis e Bithynia, astronomorum suae aetatis facile princeps: primus instrumenta mathematica invenisse fertur. Exstant adhuc ejus libri de re astronomica. Illius meminere *Cic. Att.* 2, 6. et *Plin.* 2, 9, 12. et al. ℙ Hoc nomine fuit etiam Pisistrati tyranni filius, ab Harmodio, et Aristogitone obtruncatus. *Gell.* 17, 21. *med.* ℙ Fuit etiam nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 3. *n.* XIII. Hipparchus hic situs est. ℙ Item cogn. libert. R., nempe liberti M. Antonii triumviri. *Plin.* 35, 18, 58. *F.*]

*HIPPARĒNUM, i, n. opp. Babyloniae, ad flumen Narragam. *Plin.* 6, 26. ℙ Hinc *Hippareni, orum*, incolae dicti *Plin. ib. B. A.*

*HIPPARĪNUS, i, m. filius Dionysii senioris, Syracusarum tyranni. *Nep. Dion.* 1. *B. A.*

*HIPPĂRIS, is, Siciliae fluvius, Camarinam alluens. *Sil.* 14, 230. Cf. *Pind. Olymp.* 5, 27. *B. A.*

HIPPĂSĪDES, ae, m. Ἱππασίδης, Socus Hippasi filius, ab Ulysse ad Trojam occisus. *Ov. Met.* 13, 257. ℙ Item Naubolus Hippasi filius, Iphiti pater. *Stat. Th.* 7, 355.

*HIPPĂSUS et Hippasos, i, m. Actoris pater. *Hyg. fab.* 14. ℙ Item filius Leucippes. *Nicand.* ap. *Anton. Liber.* 12. ℙ Et filius Euryti, unus ex iis qui ad aprum Calydonium venandum ierunt. *Hyg. fab.* 173. *Ov. Met.* 8, 313. ℙ Et Centaurus. *Ov. Met.* 12, 352. ℙ Et Priami regis filius nothus. *Hyg. fab.* 90. ℙ Hippasus, pater Nauboli, itemque Hippasus Soci pater. V. in *Hippasides. B. A.*

[HIPPĒ, es, f. equa: ab ἵππος, equus. Est nom. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 256. *n.* 71. Hippe conjugi incomparabili Reginus maritus fecit. *F.*]

*HIPPĒA, ae, f. Antippi filia, mater Polyphemi Argonautae ex Elato. *Hyg. fab.* 14. *in. B. A.*

HIPPEUS, i, m. disyllab. ἱππεύς, cometa equinae jubae similis, celerrimo motu: ab ἵππος, equus. *Plin.* 2, 25, 22.

*HIPPI, orum, m. Ἵπποι, *i. e.* equi, insula Ioniae, juxta Erythras. *Plin.* 5, 29. ℙ Praeterea *Hippi, orum*, m. ἵππεῖς, sunt piscium genus, a celeritate sic dictum. *Plin.* 9, 31. Al. leg. *Hippeis*, alii *Hippees*, alii *Hippae. B. A.*

HIPPĬADES, um, f. plur. ἱππιάδες, videntur esse statuae equestres, ap. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10.

*HIPPĪAS, ae, m. Ἱππίας, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. ℙ Item sophista Eleus, celeber Socratis temporibus, qui gloriatus est, nil esse in ulla arte cum liberali, tum illiberali, quod ipse nesciret. *Cic. Brut.* 8 et 85. Adde *Or.* 3, 32. *Quint.* 12, 11. *Appul. Flor.* 2, 346. V. *Platonis Hippiam.* ℙ Item filius Pisistrati natu maximus, qui in pugna Marathonia cecidit, contra patriam arma ferens. *Cic. Att.* 9, 10. *Gell.* 9, 2. Cf. *Thucyd.* 6, 55. seq. De eo autem alii dissentiunt. V. *Meurs. Pisistr.* 17. ℙ Et Philoxeni filius, Calactinus. *Cic. Fam.* 13, 37. ℙ Et mimi nomen, de quo *Cic. Phil.* 2, 25. *B. A.*

[HIPPĬATRUS, i, m. ἱππίατρος, veterinarius. Graeca vox, et Graece scribenda. V. MĔDĬCUS, i.

HIPPĬCE. V. HIPPACE.

HIPPĬUS, i, m. ἵππιος, idest equester, (ab ἵππος, equus) cognomen Neptuni, vel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit: vel quod equuleus, ut putant, loco ejus suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoraret: vel quod tridentis ictu terra equum excierit: cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare. Haec *Festus.* ℙ Praeterea est hoc nomine pes metricus, etiam *epitritus* dictus, equestri pugnae conveniens, ut ait *Diomed.* 3, 475. De eo V. in EPITRITUS. ℙ Ap. *Serv.* ad *A.* 10, 272. est *Hippius* cometa idem, qui *Hippeus.* De eo multa ibi *Serv.*

HIPPO, onis, m. Ἵππων, Africae urbs in Numidia, Augustini episcopatu nobilis, sedes olim regni, ideoque *Hippo regius* a *Liv.* 29, 3. appellata, ruinis vero obruta jacet prope urbem, quae nunc *Bona* dicitur. *Sil.* 3, 259. Tum Vaga, et antiquis dilectus regibus Hippo. ℙ *Hippo Diarrhytus* dicitur altera urbs Africae in provincia proconsulari, navigabili stagno adjacens, hinc *Diarrhytus* cognominata, nunc *Bizerta. Plin.* 5, 4, 3. Oppidum, quod Hipponem dirutum (*lege* dilutum) vocant, Diarrhytum a Graecis dictum, propter aquarum irrigua. *Solin.* 27. *med.* Hippo alter de interfluente freto Diarrhytos nuncupatus. Adde *Plin. ep.* 9, 23. V. HIPPONENSIS. ℙ *Hippo etiam appellatum est Vibo opp. Bruttiorum. *Plin.* 3, 5. *Mela* 2, 4. V. *Graev.* ad *Cic. Att.* 3, 3. ℙ Item opp. Hispaniae Tarraconensis, juxta Toletum. *Liv.* 39, 30. ℙ Hippo Nova, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ℙ Fuit et Hippo Judaeae urbs. *Plin.* 5, 15. *B. A.*

HIPPOCĂMĒLUS, i, m. ἱπποκάμηλος, animal fabulosum, ex equo et camelo compositum; vel magnus camelus: ἵππος enim in compositione auget. *Auson. epigr.* 70. Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus.

HIPPOCAMPĪNUS, a, um, adj. ab hippocampo, ut Hippocampinus cinis, *Plin.* 32, 7, 23., ubi *Hard.* ex MSS. legit *hippocampi cinis.*

HIPPŌCAMPUS, i, m. ἱππόκαμπος, et ἱπποκάμπη, piscis marinus parvus, capite et juba instar equi. *Plin.* 32, 11, 53. ℙ Item marinum monstrum, equi simile, quo fabulantur ad currum juncto vehi maris numina. *Naev.* ap. *Non.* 2, 397., ut quidem legit *Scalig.*, Sirenes citis Delphino junctis vehiculis, hippocampisque asperis. V. CAMPE.

HIPPOCENTAURUS, i, m. ἱπποκένταυρος, fabulosum animal, ex equo et homine conflatum: inde ortum, quod Centauri, qui primi in equis sedisse dicuntur, longe conspecti a rudibus hominibus, unum cum equis ipsi esse visi sunt. *Cic. N. D.* 2, 2. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? ℙ Nihilominus *Plin.* 7, 3, 3. credere videtur Claudio Caesari scribenti, hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die interiisse: subditque statim, vidisse se in principatu ejus allatum alium illi ex Aegypto, in melle.

HIPPOCŌMUS, i, m. ἱπποκόμος, equiso, equorum curator: ab ἵππος, equus, et κομέω, curam gero. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 8, 5, 37. Hippocomorum sagum usurpare.

*HIPPOCOON, ontis, m. Ἱπποκόων, Amyci filius, notus ex venatione apri Calydonii. *Hyg. fab.* 173. Adde *fab.* 273. ℙ Et alius, Oebali filius, de quo *Ov. Met.* 8, 314. ℙ Item filius Hyrtaci, de quo *Virg. A.* 5, 492. *Hyg. fab.* 273. ℙ Et Nelei pater. *Id. fab.* 31. ℙ Et pater Milei Argonautae. *Id. fab.* 14. *B. A.*

HIPPOCŌUM, i, n. vinum generosum ex Coo insula: dictum ab agro generoso, cui nomen est Hippo. *Fest.*

[HIPPOCRĂTES, is, m. Ἱπποκράτης, ab (ἵππος, equus, et κρατέω, praesto, *h. e.* equo praestans) medicus celeberrimus, de quo V. in HIPPOCRATICUS. ℙ Fuit etiam cogn. R. militis in *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 201. *col.* 3. Minthius Hippocrates. *F.*]

HIPPOCRĂTĪCUS, a, um, adj. Ἱπποκρατικὸς, ad Hippocratem pertinens, qui fuit medicus celeberrimus ex insula Coo, ob artis peritiam Aesculapii filius creditus: diciturque vitam usque ad centesimum quartum annum produxisse. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 497. Num mitiores sunt manus medentium, Laniena quando saevit Hippocratica? Hic antepaenultima, nimis licenter, producitur.

HIPPOCRĒNE, es, f. fons Caballinus, Ἱπποκρήνη, fons in Boeotia, non procul a Thebis, apud Heliconem montem, quem poetae fabulantur factum esse ungula Pegasi equi alati: ab ἵππος, equus, et κρήνη, fons. Huic fabulae occasionem videtur ministrasse Cadmus, qui cum in Baeotia locum urbi condendae quaereret, huc illuc obequitans hunc fontem primus creditur invenisse, ut *Solin.* 7. *med.* scribit. Musis sacrum esse dixerunt. Nam Cadmus sapiens, et aliquot Graecarum litterarum inventor fuit. *Ov. Fast.* 5, 7. Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes, Grata Medusaei signa tenetis equi.

HIPPOCRĒNAEUS, a, um, adj. ab Hippocrene. *Auct. de laudib. Hercul.* 5. Hippocrenaeos victorem insistere fontes.

HIPPOCRĒNĪDES, um, f. plur. sunt Musae, a fonte Hippocrenes. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 7, 21.

HIPPOCRENISĀTUS, a, um, adj. *Sid. carm.* 22, 81. Hippocrenisatas jungebat Pegasus alas. Ita leg. *Smet.* et *Savar.* At *Sirmond.* et *Wowerus*, Hic et crinisatas: alii *Hippocrene satas:* quod est minus tolerabile.

HIPPODĀMANTĬUM vinum, ap. *Plin.* 14, 7, 9. unde dictum sit, non constat; nisi forte (quod *Hard.* conjicit) a δαμάζω, domo, et ἵππος, qua intendendi augendique vim habet: quod scilicet multarum sit virium, et quemlibet perdomans captansque, qui biberit.

*HIPPODĀMAS, antis, m. Ἱπποδάμας, Perimeles pater, ab Acheloo amatae. *Ov. Met.* 8, 592. *B. A.*

HIPPODĀMĒ, es, et Hippodămīa, ae, f. Ἱπποδάμη, Ἱπποδάμεια, filia Oenomai regis Elidis et Pisarum, qui cum ex oraculo se a genero interemptum iri didicisset, et illa tamen a multis procis ob formae praestantiam expeteretur, curule certamen procis instituit (habebat enim equos velocissimos, qui ex ventorum flatu creati dicebantur) ea lege, ut qui vinceret, filiam haberet, victus subiret mortem. Tredecim victis et occisis, Pelops Tantali filius visa puella ejus amore protinus exarsit: cujus nuptias ut assequeretur, Myrtilum ejus aurigam promissis corrupit, sic, ut ille axes cereos, idest infirmos et fragiles subjunxerit, vel, ut alii volunt, objicem axi non objecerit. Atque hoc modo Pelops et puella et regno potitus est. *Prop.* 1, 2, 20. Avecta externis Hippodamia rotis. (*externis* dicit, quia Oenomaus procis concedebat, ut puellam suo quisque curru secum veherent a carceribus ad metam. Sic *Ov. Her.* 8, 70. Vecta peregrinis Hippodamia rotis.) *Virg. G.* 3, 7. Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno. Addit *Hyg. fab.* 243. seipsam interfecisse, quod cujusdam Chrysippi necis causa fuisset. V. *Hyg. fab.* 84. et *Serv.* ad *G.* 3, 7. ℙ Hippodame altera, filia Atracii, quae nupsit Pirithoo Lapitharum regi. *Ov. Met.* 12, 210. Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus. Adde *Her.* 17, 248. Hanc *Plutarch.* in *Theseo* vocat Deidamiam: *Prop.* vero 2, 2, 61. Ischomachen. V. ATRACIS. ℙ Hoc item nomine fuit filia Brisae, quae vulgo patronymice Briseis appellatur, quam Achilles, Lyrnesso expugnata, captivam in castra abduxit: quam postea Agamemnon Achilli eripuit, ex quo celebre illud inter Agamemnonem et Achillem dissidium exarsit. V. BRISEIS.

HIPPŌDĀMUS, i, m. ἱππόδαμος, equorum domitor (ab ἵππος, equus, et δαμάω, domo) et translate eques R. *Mart.* 7, 57. Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus. V. PYXAGATHUS.

HIPPODRŌMOS, i, m. ἱππόδρομος, theatrum, ubi agitantur equi, equorum curriculum, hoc est ampla planities, in qua de pernicitate certatur citra pugnae simulacrum: ab ἵππος, equus, et δρόμος, cursus. Nam stadium, in quo equites imaginario proelio concurrere solent, *catadromus*, καταδρομος, dicebatur. *Mart.* 12, 50. Pulvereumque fugax hippodromon ungula pulsat. Adde *Pl. Bacch.* 3, 3, 27. De loco *Plin. ep.* 5, 6. V. HYPODROMUS.

HIPPOGLOSSĂ, ae, f. ἱππογλῶσσα, herba est folia habens figura silvestris myrti, concava, spinosa, et in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis: ab ἵππος, equus, et γλῶσσα, lingua. *Plin.* 27, 11, 67.

HIPPOGLOTTĬON, ii, n. herba, quam alii daphnitin, alii carpophyllon, et Alexandrinam laurum vocant. Ramos spargit a radice dodrantales, coronarii operis, folio acutiore, quam myrti, molliore, candidiore, et majore: semine inter folia rubro. *Plin.* 15, 30, 39.

HIPPŌLĂPATHUM, i, n. ἱππολάπαθον, herba lapatho sativo major, candidiorque, ac spissior. *Plin.* 20, 21, 85.

[HIPPŌLITHE, es, f. magna gemma: ab ἵππος, quae vox in compositione auget significationem, et λίθος, lapis, gemma. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 10. *n.* 5. Fidicularia C. L. Hippolithe. *F.*]

HIPPŌLYTE, es, et Hippŏlytă, ae, f. Martis et Otrirae filia, ut est ap. *Hyg. fab.* 30., soror

Antiopae et Orithyiae reginarum Amazonum, quae bello, quod Graeci cum Amazonibus duce Hercule gesserunt, simul cum Menalippe sorore capta est. Menalippe ab Hercule capta fuit, Hippolyte a Theseo. Hercules post victoriam Menalippen sorori Antiopae reddidit, Orithyia tunc foris bellum gerente, et pretium arma reginae accepit, sed Theseus obtenta in praemium captiva, eandem in matrimonium assumpsit, et ex ea genuit Hippolytum. *Just.* 2, 4. et *Pl. Men.* 1, 3, 17. ℙ Fuit etiam hoc nomine Acasti filii Peliae, seu Pelei, Magnesiae, seu Thessalorum regis uxor, quam quidam Creteidem vocant, quae cum Pelium amaret, neque ille hujus amori obsequi vellet, eum ultro de stupri appellatione apud virum accusavit. Itaque Acastus Pelium ceu venationis causa in saltum Pelii montis abductum, ibique omnibus armis spoliatum, feris lacerandum praebuit. Verum Chiron, sive is Mercurius fuit, interveniens, accepta Vulcani machaera, Pelium liberavit, qui postea domum reversus Acastum cum uxore interfecit. Hujus Acasti meminit *Hyg. fab.* 14. *med.* Hippolytes vero *Hor. Od.* 3, 7, 18. Fabulam narrat ibi *Acron*, quamvis paulo aliter.

HIPPŌLYTUS, i, m. Ἱππόλυτος, Thesei et Hippolytae Amazonis filius, nepos Aegaei, pronepos Neptuni: frater Demophontis, et Antigoni. A Phaedra noverca apud patrem stupri accusatus, immissis a Neptuno marinis monstris (ut pater optaverat) cum curru veheretur, ab exterritis equis discerptus est, postea ab Aesculapio in vitam revocatus in Italiam profugit, et Virbius appellatus fuit, quasi bis vir: ibique a Diana in Aricino nemore collocatus, et occulte altus, ubi immortalis vivat. *Ov. Met.* 15, 497. et sqq., *Stat. Silv.* 3, 1, 57., *Serv.* ad *A.* 7, 761. et *Hyg. fab.* 30.

HIPPŌMĂNES, is, n. ἱπποµανὲς, humor in inguine equarum ortus ex libidinis ardore, qui in humana viscera descendens furorem facit: ab ἵππος, equus, et µανία, furor. *Virg. G.* 3, 281. Hinc demum hippomanes, vero quod nomine dicunt Pastores, lentum distillat ab inguine virus: Hippomanes, quod saepe malae legere novercae, Miscueruntque herbas, et non innoxia verba. ℙ Item herba, qua comesa equae incipiunt furere. *Serv.* ad *G.* 3. *l. c.* ex *Theocrito.* ℙ Item caruncula in fronte pulli equini, caricae magnitudine, colore nigro, quam statim edito partu mater dentibus avellit et devorat, quam si quis praeripuerit, seu prius abstulerit, pullum ad ubera non admittit. Haec caruncula amoris veneficium est, hac mulieres medicamenta componentes vertere homines feruntur in furorem. Sed generaliter hippomanes dicitur venenum omne amatorium, quod equinae cupidini similem mortalibus amorem accendat. *Plin.* 8, 42, 66. et 28, 11, 49. et *Juven.* 6, 132. De hoc *Virg. A.* 4, 515. Quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus, Et matri praeceptus amor.

HIPPŌMĂRATHRUM, i, n. ἱππoµάραθρον, marathri, seu foeniculi genus, foliis majoribus, et gustu acriore, cujus succus auribus instillatur, verminculosque in iis necat. *Plin.* 20, 23, 96.

*HIPPOMĔDON, ontis, m. Ἱππoµέδων, unus ex septem ducibus, qui ad Thebas expugnandas ierunt. *Hyg. fab.* 70. Adde *Stat. Theb.* 6, 654. et 5, 664. *B. A.*

HIPPŌMĔNĒIS, ĭdis, f. Ἱππoµενηὶς, Limone filia Hippomenae, quam pater ob probrum admissum una cum equo in stabulo inclusit, neutri cibum praebens: ibi equus prae fame eam discerpsit: vitiator vero virginis ad currum alligatus, et ipse dilaceratus fuit. *Ov. Ib.* 337. Utque novum passa genus Hippomeneide poenae, Tractus in Actaea fertur adulter humo; et 461. Solaque Limone poenam ne senserit illam: Et tua dente fero viscera carpat equus. Al. leg. *passa est genus Hippomeneia poenae.*

HIPPŌMĔNĔĬUS, a, um, adj. ad Hippomenen pertinens. V. v. praec.

HIPPŌMĔNES, ae, m. Ἱππoµένης, Megari filius ex progenie Neptuni, qui Atalantam cursu victam uxorem obtinuit. V. ATALANTA. *Ov. Met.* 10, 651. Hippomenen adii, docuique quis usus in illis; et 632. Ah miser Hippomene, nollem, tibi visa fuissem! ℙ *Item alius, Atheniensium princeps, qui Limonem filiam in adulterio deprehensam equo famelico et feroci tradidit absumendam. V. *Ov. Ib.* 459. *B. A.*

HIPPŌNĂ, ae, f. eadem quae Epona, q. v. v.

HIPPŌNACTĔUS, a, um, adj. ut Hipponacteum carmen: de quo V. v. sq. Hipponacteum praeconium, *h. e.* convicium, seu carmen maledicum. *Cic. Fam.* 7, 24., ubi intelligit carmen Licinii Calvi, quo Tigellinum Sardum designaverat, et quasi praeco inter servos addixerat. Quod et in ADDICTUS adnotavimus.

HIPPŌNAX, actis, m. Ἱππώναξ, poeta tanta deformitate et foeditate vultus, ut ejus effigies a pictoribus quibusdam publice proposita fuerit deridenda. Ille indignatus tam amare in illos est invectus, ut aliquos ex iis credatur compulisse ad suspendium. Dicitur invenisse versum iambicum scazontem, quem ab ejus nomine Hipponacteum dicunt. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. ℙ Porro id carmen duplicis est generis. Vel enim in iambico senario ultimus pes spondeus est, ut in illo *Catulli* 39, 16. *Nam risu inepto res ineptior nulla est.* Vel antibacchius ex brevi et duabus longis additur eidem senario, ut ap. *eund.* 25, 6. *Remitte pallium mihi meum, quod involasti.* V. *Terent. Maur. de Metr.* p. 2436.

HIPPONENSIS, e, adj. ad Hipponem Diarrhyton pertinens, Africae urbem, ut Hipponensis colonia, *Plin. ep.* 9, 33. sinus, *Plin. alter* 5, 4, 3. et *Mela* 1, 7. V. HIPPO.

*HIPPONĒSOS, i, f. maris Aegaei insula, prope Cariam, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[HIPPONĪCUS, i, m. Ἱππόνικος (ab ἵππος, equus, et νίκη, victoria, *h. e.* equo vincens) fuit Atheniensis, socer Alcibiadis, quem memorat *Nep. Alcib.* 2. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 110, 1. Domitius Hipponicus. *F.*]

*HIPPONOUS, i, m. Ἱππόνοος, pater Campanei. *Hygin. fab.* 70. ℙ Item Herculis filius. *Id. fab.* 242. *B. A.*

HIPPŌPĒRA, ae, f. ἱππoπήρα, mantica, sacculus, quo eques necessaria itineri secum circumfert: ab ἵππος, equus, et πήρα, pera, saccus. *Sen. ep.* 87. M. Cato censorius canterio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utensilia portaret.

HIPPOPHĂES et Hippophyes, n. ἱππoφαὲς, et ἱππoφυὲς, herba est in sabulosis maritimisque nascens, spinis albis, hederae modo racemosa, candidis et ex parte rubentibus acinis. Radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinae, ad bilem detrahendam. Est et altera hippophyes, sine caule, sine flore, foliis tantum minutis: cujus succus hydropicis prodest. Debent accommodatae esse et equorum naturae, neque ex alia causa nomen accepisse. Haec *Plin.* 22, 12, 14.

HIPPOPHAESTON, i, n. ἱππόφαιστον, herba quae nascitur in spinis, ex quibus fiunt aeneae fulloniae, (*h. e.* implentur cortinae aeneae fullonum) sine cauliculo, sine flore, capitulis tantum inanibus, et foliis parvis, multis, herbacei coloris, radiculas habens albas, molles. *Plin.* 27, 10, 66.

[HIPPOPHĂMĂ, ătis, n. ita appellatum videtur annuum festum, quo Amazones per triginta dies cum viris passim commixtae liberis operam dabant: ab ἵππος, quatenus genitale tum virile, tum muliebre significat, et φᾶµα, ατος Dorice pro φῆµα, revelatio, a φάω pro φαίνω, appareo; quia scilicet iis tantum diebus Amazones pudenda sua viris nudabant, reliquo anni tempore ab iisdem longe remotae. Celebratum fortasse fuit mense Aprili, hoc enim tempore simile quoddam festum agebant Romanae etiam mulieres. *Verrius Fl.* in *Kal. Praenest.* ap. *Foggin.* p. 38. K. Apr. F. Frequenter mulieres supplicant Fortunae Virili, humiliores etiam *Veneri* in balineis, quod in iis ea parte corporis utique viri nudantur, qua feminarum gratia desideratur. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 71. *Amazonum reponsum.* Sicubi nobis ad naturam (fortasse legend. *genituram*) est consulendum, annum sacrum est, quod hippophama vocitamus. Ejus sacri causa ad mares nostros, qui ultra amnem extrinsecus perpelluntur, omnes ferme transimus, atque illic per dies XXX. inter haec, quae Diis aguntur, ubi fuerit ad lubentiam (lege *adlubentia*), nubimus. *F.*]

[HIPPOPHLŌMOS, i, m. ἱππόφλοµος, ab ἵππος, V. in HIPPOLITHE, et φλόµος, verbascum, *h. e.* majus verbascum. Est genus quoddam mandragorae. *Plin.* 25, 13, 94. Album alii arsen, alii morion, alii hippophlomon vocant.

[HIPPOPHOBAS, ădis, f. ἱππoφοβὰς, ab ἵππος, equus, et φόβος, timor. Herba magica. *Plin.* 27, 17, 102. Eandem Hippophobada appellat (Democritus), quoniam equae praecipue caveant eam. *F.*]

HIPPŌPŌDES, um, m. plur. populi septentrionales, in insula, apud Basiliam, sive Baltiam, sic dicti a pedibus equinis. *Plin.* 4, 13, 28. *Addatur *Mela* 3, 6. *B. A.*

HIPPŌPŌTĂMUS, i, m. equus fluvialis, seu aquatilis, in Nilo praecipue nascens, binis ungulis, quales sunt bobus, dorso equi, et juba, et hinnitu, cauda obtorta, dentibus aprorum aduncis, sed minus noxiis, rostro resimo, tergoris ad scuta galeasque impenetrabilis, praeterquam si humore madeat. Depascitur segetes, et ex agro ferentibus vestigiis (*cum intrat*), ne quae revertenti insidiae comparentur. *Plin.* 8, 25, 39. V. et *Ammian.* 22, 15.

*HIPPORĔAE, arum, m. pop. Aethiopiae; atri coloris, tota corpora rubrica illinentes. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*HIPPORUM, i, n. opp. Italiae inferioris, in Bruttiis. *Ant. Itin. B. A.*

*HIPPOS vel Hippus, i, m. (ἵππος sc. *equus*), flumen Colchidis, in Phasidem incidens. *Plin.* 6, 4. ℙ Item Palaestinae opp., trans Jordanem, prope Gadara et lacum Genesareth. *Plin.* 5, 15. ℙ Et Ioniae opp. *Mela* 1, 17. *in. B. A.*

HIPPŌSĔLĪNUM. V. HELIOSELINUM.

HIPPŌTĂDES, ae, m. dicitur Aeolus ventorum rex, quia nepos Hippotae Trojani ex Segesta filia. *Ov. Met.* 4, 662. Clauserat Hippotades aeterno carcere ventos.

[HIPPOTHŌON, ontis, m. et

HIPPOTHOUS, i, m. Ἱππoθόων et Ἱππόθοος (ab ἵππος, equus, et θοὸς, celer, *h. e.* equo celeriter currens) Neptuni filius ex Alope. *Hyg. fab.* 187. et 252. ℙ Item Cercyonis filius, apri Calydonii venatione insignis, postea Arcadiae rex. *Ov. Met.* 8, 397. et *Hyg. fab.* 173. *F.*]

HIPPŌTOXŌTAE, arum, m. plur. ἱπποτοξόται, sagittarii equestres: ab ἵππος, equus, et τόξον, arcus. *Caes. B. C.* 3, 4. Ducenti ex Syria missi erant: in his plerique hippotoxotae. *Hirt. B. Afr.* 19. Sagittariis, ac funditoribus, hippotoxotisque compluribus. [Hos *Tac. A.* 2, 16. et *Curt.* 5, 4. vocant *equites sagittarios. F.*]

*HIPPŪRI, orum, portus Indiae, in insula Taprobane. *Plin.* 6, 22. *B. A.*

HIPPŪRIS, ĭdis, f. ἱππoυρὶς, herba eadem quae equisetum, cauda equina: ab ἵππος, equus, et οὐρὰ, cauda. *Plin.* 26, 13, 83. V. EQUISETUM. ℙ *Fuit et *Hippuris, is*, f. Ἱππoυρὶς, maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

HIPPŪRUS, i, m. ἵππoυρος, piscis ex genere locustarum. *Plin.* 9, 16, 24 et 32, 11, 53. item *Ov. Halieut.* 95. Hippuri celeres, et nigro tergore milvi.

HIPPUS, i, m. ἵππος, piscis genus, ap. *Plin.* 32, 11, 53. ℙ *Fuit et *Hippus, i*, m. flumen Colchidis. V. *Hippos.* ℙ Opp. etiam fuit hoc nomine in Ionia. *Mela* 1, 17. *B. A.*

HIR, indeclin. *Cic. Fin.* 2, 8. Quibu' vinum Defusum e pleno siet, hir siphone (ut ait Lucilius) cui nil Dempsit, vis aut sacculus abstulerit. Ita leg. *Goerenzius:* [*Cf. *Orell.* qui *Siphove* legit.] et *Scalig.* in *Append. ad conjectan. Varr. L. L.* 4, 26. haec verba ita interpretatur: Lucilius proponit vinum integerrimum, et nulla parte periclitans acescere: id quod siphone depletum non est, neque vola manus pitissatum: nam hir est vola manus: et qui vinum furtim deplent, ut gustent, solent id vola manus haurire. *Charis.* 1, 12. et *Prisc.* 5, 648. *Hir* faciunt neutrum et indeclinabile, et interpretantur θέναρ, quod et ipsum volam manus significat. *Voss.* in *Etymol.* deducit a χεὶρ, manus, per synecdochen. Est qui *Ir* scribit. [*Quod praeferendum. V. *Beier. fr. Oratt.* p. 204.]

HĪRA, ae, f. quae deminutive dicitur hilla, quam Graeci dicunt νῆστιν intestinum est, quod jejunum vocant. *Festus.* De ea sic *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *f.* Intestina principalia tria: quorum unum dissiptum vocatur: alterum medium: quod Graeci µεσέντερον dicunt: tertium quod veteres hiram vocarunt, habeturque praecipuum intestinorum omnium, et cibi retrimenta deducit. Haec *Macr.*, qui intestinorum nomine omnia viscera intelligit: *hiras* vero ea solum, per quae cibus a stomacho ad ima transfertur: quo sensu et *hillae* usurpantur. Hac eadem significatione *Pl. Curc.* 2, 1, 22. Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur, radices cordis pereunt, hirae omnes dolent.

HIRCĪNUS, a, um, adj. τράγειος, ad hircum spectans. *Pl. Ps.* 4, 2, 12. Heus tu, qui cum hircina stas barba. Al. leg. *hirquina. Plin. prooem.* 20. *f.* Hircinus sanguis adamantem rumpens. *Id.* 12, 17, 40. Hircinae pelles. *Hor. Sat.* 1, 4, 19. Hircini folles. *Prud. Apoth.* 621. Hircinum sidus, *h. e.* Capricornus. V. HIRQUINUS.

HIRCĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. hircinos habens pedes. *Capell.* 9, 307. Hircipedem (*h. e.* Pana) pandura, Silvanum arundinis enodis fistula sibilatrix, rurestris Faunum tibia decuerunt.

HIRCĬPĬLI, durorum pilorum homines. *Festus.* V. HYSTRICULUS.

*HIRCOCERVUS, i, m. animal ex hirco et cervo compositum. V. *Sarisb.* 2, 18. *B. A.*

HIRCOSUS, a, um, adj. τραγοµάσχαλος, qui hircinum odorem olet, et speciatim qui olet virus alarum, seu cujus alae foetidum spirant odorem. *Pers.* 3, 77. aliquis de gente hircosa Centurionum. *Pl. Merc.* 3, 3, 14. Plenus aetatis, animaque foetida, senex hircosus. *Senec. fr.* ap. *Gell.* 12, 2. *med.* Licet scripti sint inter hircosos, possunt tamen inter unguentatos placere. *Mart.* 10, 98. Hircosus subulcus; et 12, 59. te pilosus Hircoso premit osculo colonus, *h. e.* foetenti ex oris halitu.

HIRCŬLUS, i, m. dimin. hirci, τραγίσκος, parvus hircus. *Catull.* 19, 15. aram Barbatus linit hirculus, cornipesque capella. ℙ Est etiam herba cum Gallico nardo nascens: a gravitate odoris et similitudine. Distat ab eo, quod sine cauliculo est, et quod minoribus foliis, quodque radicis neque amarae, neque odoratae. *Plin.* 2, 12, 26.

HIRCUS, i, m. τράγος, caper, foedissimum animalium, ut *Plin.* 37, 4, 15. vocat, vir gregis caprini qui jam salire coepit, et foetere: dictus a Sabinis *fircus* (quemadmodum *fedus* ab iisdem pro *hedus*) ut *Varr. L. L.* 4, 19. docet. Hujus sanguis duritiem adamantis rumpit, teste *Plin. l. c.* Dicitur et *hirquus*, praesertim cum de alarum foetore usurpatur, aut de angulo oculi, ut mox dicetur. *Virg. G.* 3, 311. Nec minus interea barbas incana-

que menta Cinyphii tondent hirci. *Horat.* de re impossibili, *Epod.* 16, 34. Ametque salsa levis hircus aequora. Sic *Virg.* de re absurda, *Ecl.* 3, 91. Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos. ℙ Saepe significat gravem odorem alarum, qui hircini foetoris similis est. *Hor. Ep.* 12, 5. Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Id. Sat.* 1, 2, 27. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. ℙ Interdum est convicium hominis immundi et impuri. *Pl. Most.* 1, 1, 38. oboluisti allium, Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. *Id. Cas.* 2, 3, 20. Propter operam illius hirqui, improbi, et edentuli. ℙ Denique *hirquus*, vel *hircus* est angulus oculi, ductum ab oculis hircorum, qui ardore libidinis oblique aspiciunt, oculis in angulos retortis. *Virg. Ecl.* 3, 8. Novimus et qui te transversa tuentibus hirquis, *h. e.* oculis obliique hircorum more intuentibus te praeciderint. Aptius tamen legas *et qui te*, *transversa*, etc., et de hircis animalibus intelligas, qui dum praecidereris, obliquis oculis, quasi invidendo, te aspexerint: [quod *Virg.* ex *Theocr. Idyll.* 5. *v.* 41. et 42. expressit. *F.* *V. *Heyn.* ad h. l.] ℙ Alia ad hircum pertinentia V. in CAPER.

*HIRMINĪUM, sc. flumen, vel Herminius, sc. fluvius, in Sicilia, juxta Camarinam, in mare Mediterraneum sese exonerans. *Plin.* 3, 8. ubi *Herminium* est casus rectus. *Cellario* hodie est *Maulo* vel *Fiume de Ragusa*, consentientibus *Cluverio* atque *Harduino. B. A.*

HIRNĔA, ae, f. genus vasis vinarii, seu poculi. *Cato R. R.* 81. Indito in hirneam fictilem: eam demittito in aulam aeneam, aquae calidae plenam: ita coquito ad ignem. *Pl. Amph.* 1, 1, 273. Cadus erat vini plenus: inde implevi hirneam: et 276. Vini hirneam ebiberim meri. Al. scrib. *irnea:* ac putat *Scalig.* in *Catal. Virg.* p. 490. olim dictam esse *erneam* ἀπὸ τοῦ ὀρνέου, *o* in *e* mutato, quod avis figuram referret. *Non.* 15, 29. legit *cirnea*, vel, ut est in quibusdam libris, *cyrnea.*

HIRNELLĀ, ae, f. parva hirnea, genus vasis in sacris. *Festus* scribit *irnella.*

HIRPEX. V. IRPEX.

HIRPI, orum, m. plur. populi Sabinorum, qui in agro Falisco ad montem Soractem habitabant: ab *hirpus*, lupus, quasi lupi. *Serv.* in *A.* 11, 785. haec scripsit: Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur, (nam Diis manibus consecratus est) subito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret, et exinde orta est pestilentia, quia fuerant lupos secuti, de qua responsum est, posse eam sedari, si lupos imitarentur, idest, rapto viverent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua *hirpi* vocantur. *Servius* videtur Hirpos in agro Falisco cum Hirpinis Samnitium confundere. ℙ Hirpi etiam, seu Hirpini, seu Hirpiae familiae, fuere quaedam familiae ex Hirpis populis, in Faliscorum agro, quae in sacrificio annuo, quod fiebat in monte Soracte, ambulantes super ambustam struem lignorum, non adurebantur. *Plin.* 7, 2, 2.

HIRPĪNI, seu Irpini, m. plur. pop. et regio Italiae, in regno Neapolitano, inter Samnites, quorum caput et metropolis est Beneventum. Dicti sunt ab *hirpus*, lupus, quod lupum ducem secuti agros occupaverint, et luporum instar ex rapto viverent. Nempe primum id nomen acceperunt ab iis, quorum agros praedabantur. Vel fortasse dicti sunt ab Hirpis, quod ab iis originem traherent. V. HIRPI. *Festus*, et *Liv.* saepe.

HIRPĪNUS, a, um, adj. ab Hirpis, seu Hirpinis populis, ut Hirpina pubes, ap. *Sil.* 8, 571. Hirpinus ager. *Cic. Agr.* 3, 2. ℙ [*Hirpinus* est etiam cogn. R. *Varr. R. R.* 3, 12. Q. Fulvius Hirpinus. *Plin.* 8, 52, 78. Eundem *Fulvium Lupinum* appellat, quem tamen 9, 56, 82. *Fulvium Hirpinum* vocat. *F.*]

HIRPUS, i, m. lupus, lingua Sabinorum, ut *Serv.* in *A.* 11, 785. scribit, vel Samnitum, ut *Festus* in *Irpini:* ab ἅρπος, seu ἅρπαξ, rapax, ita dictus ob rapacitatem.

HIRQUĪNUS, a, um, adj. hircinus. *Pl. Poen.* 4, 2, 51. Alae hirquinae volucres erunt, *h. e.* alae brachiorum olentes hircum, pilosae fient.

HIRQUĪTALLĬO, is, n. 4. τραγίζω, est hircum lascivia, odore, voce imitari: ab *hirquus* pro *hircus*, [et θάλλω, quod tum crescere, tum olere olim significasse videtur, cum etiam apud Latinos *oleo*, in compositis *adoleo*, *redoleo*, utramque habeat significationem: aspiratio vero est omissa, quod etiam in *talla* pro *thalla* factum est. *F.*] *Censorin. de die nat.* 14. In secunda hebdomade, vel incipiente tertia vocem crassiorem, et inaequabilem fieri: quod Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire: et inde ipsos putant hirquitallos appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat.

HIRQUĪTALLUS et Hirquĭtălus, i, m. puer, qui primum ad virilitatem accedit, seu virilitatem suam experitur: ab *hirquus*, et θαλλὸς, seu θάλος, germen, quia pueri pubescentes hircum incipiunt olere, vocem edunt gravem, subraucam, hircinae non dissimilem. *Censorin. de die nat.* 14. et *Fest.* qui etiam sine aspiratione scribit. [In *Gloss.* vero *Philox.* legitur *hirquitalus*, et *Irquitalus. F.*]

HIRQUUS. V. HIRCUS.

HIRRĬO, seu Irrio, n. 4. proprium est vocis canum, cum provocantur, quia R multa sonant. *Sidon. ep.* 7, 3. Veluti est canibus innatum, ut, etsi non latrant, tamen hirriant. *Festus:* Hirrire, garrire, quod genus est vocis canis rabiosae. *Lucil.* de littera R, ap. *Charis.* 1, 100. Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit. [*V. *Döderl.* 1, 156. sq.]

HIRRĪTUS, us, m. vox canum, cum irritantur. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm.* Prodat hirritu rabiem canino.

[HIRRUS, i, m. qui hirrit, vel vultum habet ringenti similem. Est cogn. R. Nam mentio est ap. *Cic. Fam.* 8, 8. C. Lucceji C. F. Pup. Hirri praetoris an. U. C. DCXCII. V. HILLUS. *F.*]

HIRSŪTĬA, ae, f. forma hirsuta, δασύτης. *Solin.* 25. Setarum hirsutiae nullae.

HIRSŪTUS, a, um, adj. ἀκανθώδης, δασὺς, spinis, setis, vel pilis horridus, hispidus, hirtus, villosus. *Cic. N. D.* 2, 47. Bestiae aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae. *Virg. Ecl.* 7, 53. Stant et juniperi, et castaneae hirsutae. *Id. G.* 3, 231. Frondibus hirsutis, et carice pastus acuta. Et 444. hirsuti secuerunt corpora vepres. *Prop.* 4, 4, 26. hirsutis brachia secta rubis. *Colum.* 10, 373. hirsuta sepes nunc horrida rusco. *Plin.* 24, 19, 16. Philanthropon herbam Graeci appellant hirsutam, quoniam vestibus adhaerescat. ℙ Cum de pilis capillisque dicitur, significat subrectos spinarum instar, atque adeo impexos, incomptos, horridos. *Curt.* 9, 10. Comae hirsutae et intonsae. *Ov. Her.* 9, 63. hirsuti capilli. *Id. Met.* 2, 30. Et glacialis hiems canos hirsuta capillos. *Id. ib.* 13, 766. hirsuta barba: et *Fast.* 2, 339. fulvi setis hirsuta leonis Vellera. *Virg. Ecl.* 8, 34. hirsutum supercilium. *Prop.* 4, 10, 20. Et galea hirsuta compta lupina juba. *Virg. A.* 10, 869. Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina. *Colum.* 7, 2. *f.* Duo genera sunt ovilli pecoris, molle, et hirsutum. *Plin.* 22, 22, 33. Hirsutiora folia. *Prop.* 1, 1, 12. hirsutae ferae: et 4, 9, 49. Herculis hirsutum pectus. *Mart.* 10, 65. Hirsutis ego cruribus, genisque. *Sil.* 13, 812. hirsutos cum sperneret olim Gens vicina procos, *h. e.* primos illos Quirites sub Romulo, intonsos, impexos, incomptos, rusticos. *Mart.* 9, 48. Hirsutae imagines, *scil.* priscorum virorum. Sic, intonsus Cato, *Hor. Od.* 2, 15, 11. et, incomptis Curius capillis *Id. ib.* 1, 12, 41. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 2, 259. Sumpserit Annales: nihil est hirsutius illis, *h. e.* incomptum magis, horridumque, et severum, ac nullis deliciis aspersum.

HIRTĬANUS, a, um, adj. ad A. Hirtium pertinens, ut Hirtianum jus, ap. *Cic. Fam.* 9, 18. *med* [*Ap. *Orell.* legitur Tu istic te Hateriano jure delectas.] et Hirtianum proelium, *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. h. e. in quo idem A. Hirtius consul pugnavit, et periit. Al. hic leg. *Hirtinum.* [*Ita *Orell.*]

[HIRTĬCŬLUS, a, um, adj. dimin. hirti. *Gloss. Philox.* Hirticulus, δασυπρωκτος. *F.*]

HIRTĪNUS, a, um, adj. Hirtianus. V.

HIRTĬUS, ii, m. consul fuit Romae an. U. C. DCCXI. cum Pansa, quocum ab Antonio caesus est, cum ad Mutinam obsidione liberandam accessisset. Hic auctor est libri octavi de Bello Caesaris Gallico: item de Africano, et Alexandrino, quamquam *Suet. Caes.* 56. scribit, dubitatum esse, Hirtiine, an Oppii cujusdam essent. Certe commentarius de Bello Alexandrino ejusdem est auctoris, qui librum octavum Belli Gallici conscripsit. De bello autem Africano liber, judice *Lips. Elect.* 2, 22. et aliis, horum omnium est elegantissimus. De Bello Hispaniensi liber longe inferiore stilo est conscriptus. ℙ Opinionem eorum, qui *Hircium* per *c* scribendum putant, quasi ab *hirco* sit, rejicit *Manut.* in *Orthogr.* ex antiquis lapidibus.

HIRTŪOSUS, a, um, adj. hirtus, ut Hirtuosus Deus, h. e. Pan. *Appul. Met.* 5., sed al. leg. *hircosus.*

HIRTUS, a, um, adj. λάσιος, δασὺς, idem quod hirsutus, hispidus. villosus. *Curt.* 5, 6. *f.* Comae prominent hirtae. *Id.* 4, 13. Scythis hirta ora, et intonsas comas esse, *h. e.* impexis barbis obsita. *Sil.* 16, 121. Hirta frons. [*Cf. *Lucan.* 8, 680. ibique *Cort.*] *Ov. Met.* 13, 850. Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Harum (ovium Tarentinarum, et Atticarum) praesepia ac stabula ut sint pura, majorem adhibent diligentiam, quam hirtis. *Plin.* 11, 37, 70. Hirto corde quosdam homines nasci, proditur. *Lucan.* 2, 386. Hirtam membra super, Romani more Quiritis, Induxisse togam. [*Plura laudat *Cort.* ad h. l. Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 12, 10, 47.] *Nep. Dat.* 3. Duplici amiculo circumdatus, hirtaque tunica. *Stat. Silv.* 3, 1, 13. hirtaque dumis saxa. *Colum.* 10, 27. humus sepibus hirtis claudatur. *Appul. Herb.* 71. Hirtiora folia. *Prud.* περὶ στεφ. 9, 53. aequor hirtum, *h. e.* planities non laevigata, scabra: et *ib.* 11, 120. spinigeris stirpibus hirtus ager. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 3, 22. non tibi parvum est Ingenium, non incultum est, et turpiter hirtum. *Vell.* 2, 11. C. Marius hirtus atque horridus, vita sanctus. [*Idque convenit cum Marii verbis ap. *Sall. Jug.* 85. Sordidum me et incultis moribus dicunt.]

HIRŪDO, inis, f. βδέλλα, insectum palustre, *sanguisuga* etiam dictum, quoniam ejus est usus ad extrahendum sanguinem. Quippe eadem ratio earum, inquit *Plin.* 32, 10, 42., quae cucurbitularum, ad corpora levanda sanguine, spiramenta laxanda, judicatur. Admotae venis, rostri telo perforant statim, suguntque avide, nec, nisi saturatae, decidunt, et pondere ipso sanguinis detractae, aut sale aspersae. *Pl. Epid.* 2, 2, 4. jam ego me convortam in hirudinem, Atque horum exsugebo sanguinem. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 476. Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. *Cic. Att.* 1, 16 *med.* Illa concionalis hirudo aerarii, misera ac jejuna plebecula.

HIRUNDĪNĔUS, a, um, adj. hirundininus. *Sidon. ep.* 2, 14. Usque ad adventum hirundineum, aut ciconium. V. etiam ARUNDINEUS.

*HIRUNDINĪNA, ae, f. herba quae et chelidonia. *Appul. Herb.* 73. *B. A.*

HĪRUNDĪNĪNUS, a, um, adj. χελιδόνιος, ad hirundinem pertinens. *Plin.* 30, 14, 46. Hirundininus sanguis. *Mart.* 11, 18. et *Pl. Rud.* 3, 1, 12. nidus.

HĪRUNDO, inis, f. χελιδὼν, avis initio veris ad nos transvolans, autumno ad calidiores plagas migrans, in tectis nidificans. De earum triplici genere, deque solertia in nidis aedificandis V. *Plin.* 10, 33, 49. Item *ib.* 24, 34., ubi alia mira de his. *Virg. G.* 1, 377. Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo. *Id. A.* 12, 473. Nigra velut magnas domini cum divitis aedes Pervolat, et penitus alta atria lustrat hirundo Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas. *Ov. Fast.* 2, 853. praenuncia veris hirundo. *Hor. Ep.* 1, 7, 12. te, dulcis amice, reviset Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima. *Lucr.* 3, 6. quid contendat hirundo cygnis? proverb. cantu enim hirundo a cygnis longe vincitur. ℙ Adhibetur et in blanditiis amantium. *Pl. Asin.* 3, 3, 104. Dic me anaticulam, hirundinem, monedulam, etc. ℙ De hirundine fabulam V. in PHILOMELA. ℙ Est etiam piscis marinus hoc nomine, perquam similis volucri, et volans aliquanto super undas spatio. *Plin.* 9, 27, 43. [**Exocoetus volitans s. evolans. L.*]

HISCO, is, n. 3. χαίνω, hio, asperior, findor. *Lucr.* 6, 1068. vitio venae tabularum saepius hiscunt. *Ov. Met.* 1, 546. tellus aut hisce, vel istam Quae facit, ut laedar, mutando perde figuram. *Plin.* 17, 14, 24. Rima hiscit. *Pl. Ps.* 4, 1, 42. Tace: aedes hiscunt, *h. e.* patent, aperta janua. ℙ Saepe dicitur de his, qui os aperiunt ad loquendum. *Cic. Phil.* 2, 43. *extr.* Respondebisne ad haec? aut omnino hiscere audebis? *Liv.* 6, 16. Nec attollere oculos, aut hiscere audebant. [*Plura v. in *Lex. Liv.* p. 296.] *Gell.* 15, 9. Petebant omnes, ut vel unum statim diceret. Sed cum homo vultum intorqueret, et non hisceret, et colores mutaret; tum ego, etc. ℙ Est etiam loqui. *Virg. A.* 3, 313. vix pauca furenti Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco, *h. e.* haesitabundus loquor. *Accius* ap. *Non.* 2, 400. Hem vereor, plus quam fas est, captivum hiscere. *Ov. Met.* 13, 231. Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam Ausit. *Prop.* 3, 2, (Al. 3.) 4. visus eram ..... Tantum operis nervis hiscere posse meis, *h. e.* canere. V. locum similem in HIO. ℙ Part. *Hiscens* ap. *Manil.* 4, 534. et scandat (Leo) malis hiscentibus orbem

HISPĂLĬENSIS, et Hispalensis, e, adj. ad Hispalim pertinens, quae est urbs Hispaniae Baeticae, ad Baetim fluvium. *Tac. H.* 1, 78. Hispaliensibus et Emeritensibus familiarum adjectiones dono dedit. *Plin.* 3, 1, 3. Hispalensis conventus. Adde *Inscr.* ap. *Mur.* 1050, 1, 2. et 3. ℙ *Hispaliensis* est a recto *Hispalis*, quo utitur *Plin.* 3, 1, 3. et alii: *Hispalensis* a recto *Hispal*, quod habent *Sil.* 3, 392. et *Mela* 2, 6.

*HISPĂLIS, is, f. et Hispal, is, n. urbs Hispaniae Baeticae, nunc *Seville. Plin.* 3, 1. ubi prior forma occurrit. *Mela* 2, 6. *Sil.* 3, 392. ubi posterior. V. et *Plin.* 2, 97. *extr. Caes. B. C.* 2, 18. et 20. *Asin. Poll.* in *Cic. Fam.* 10, 32. *med. Auct. B. Hisp.* 27. 35. 36 et 42. *B. A.*

*HISPALĪUM PROMONTORIUM in Aethiopia fuit, juxta sinum Arabicum, in mari Azanio. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[HISPALLUS, i, m. dimin. ab Hispano, ut *corolla* a *corona.* Est cogn. R. in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 292. Cn. Cornelius Scipio Hispallus. Hic fuit consul an. U. C. 578. et ex Hispania devicta id cognominis consecutus est, ut narrat *Diodor. Sic.* in *Excerpt. Peiresc.* p. 381. *F.* *Ita legit et

iam ap. *Liv.* 41, 14. *Drakenb.*, ubi alii *Hispalus.*]

HISPĀNĒ, adv. more Hispano. *Ennius* ap. *Charis.* 2, 180. Hispane, non Romane memoretis loqui me.

HISPĀNIĂ, ae, f. regio ampla Europae, Oceano, Pyrenaeis montibus, mediterraneo mari, et Herculeo freto finita: dicta etiam *Iberia* ab Ibero flumine: item *Hesperia*, ut in illa voce dictum est. *Hispaniam* dici quidam volunt ab Hispali urbe, una immutata littera. *Plin.* 3, 1, 3. docet dictam esse a quodam Pane, qui devictae a Baccho regioni praefectus relictus fuerit. Ejus descriptionem habes ap. *eund.* 4, 20, 34., qui 37, 13, 77. *f.* unam ei Italiam amoenitate, fertilitate, divitiis praefert. Olim valde bellicosa habita est. *Tibull.* 4, 1, 137. Non te vicino remorabitur obvia Marte Gallia: nec latis audax Hispania terris. ℙ [**Hispania terra* ap. *Liv.* 38, 58. Quum per aliquot annos in terra Hispania, adversus multos Poenorum Hispanorumque et duces et exercitus nominis Romani famam auxissent: idquidem eodem modo dictum est, quem illustravimus in vv. ARABIA et GRAECIA, etc. q. v.] ℙ Adhibetur et in plur. numero, tum quia duplex olim fuit, citerior, ulteriorque, ratione Iberi fluvii: item triplex, Tarraconensis, Baetica, et Lusitania: tum quia in plura regna divisa est. *Plin.* 17, 26, 40. Hispaniarum vindemitor. *Caes. B. C.* 1, 10. Pompejum in Hispanias iturum. Adde *Sall. Cat.* 18. et *Or. Philippi contra Lepid.*

HISPĀNĪCUS, a, um, adj. Hispanus. *Suet. Aug.* 82. Insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat. *Vitr.* 7, 3. Spartum Hispanicum.

HISPĀNĪENSIS, e, adj. ad Hispaniam pertinens. *Mart. in ep. praefixa libro* 12. Ne Romam non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum. *Vell.* 2, 51. Corn. Balbus non Hispaniensis natus, sed Hispanus, *h. e.* non Romano sanguine in Hispania natus, sed omnino Hispanus. Differunt enim haec duo, quia *Hispanus* dicitur, qui in Hispania natus est: *Hispaniensis*, qui alibi ortus in ea versatur. Sic Hispaniensis legatus, *h. e.* civis Romanus in Hispaniam legatus, ap. *Cic. Vatin.* 5. Bellum Hispaniense, *Id. Manil.* 10., *h. e.* quod ab Romanis in Hispania fit. Hispaniensis pugiunculus, apud *eund. fragm. contra C. Anton.* ap. *Ascon.*, h. e. quo in Hispania civis R. interfectus est. Hispanienses exercitus, ap. *Tac. A.* 1, 3. h. e. Romani, qui in Hispania militant, Hispaniensis triumphus, ap. *Plin.* 14, 15, 17. devictis Hispanis actus. Hispaniensis Oceanus, 37, 10, 65., *h. e.* qui ab occidente affluens, Hispaniam alluit. Hispaniensia naufragia, *Id.* 2, 67, 67., h. e. quae Romani fecere in oceano Hispaniensi. Sic aestus maritimi Hispanienses, ap. *Cic. N. D.* 3, 10. Denique spuma argenti Hispaniensis, ap. *Plin.* 33, 6, 35. est quae coctura fit in Hispania ex argento aliunde invecto. V. CORINTHIENSIS. ℙ Rhodani ostium Hispaniense, ap. *eund.* 3, 4, 5. est alterum ejus ostium occidentale, Hispaniam versus.

[HISPĀNILLĂ, ae, f. dimin. Hispanae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1171, 4. Helvia L. F. Licinia Hispanilla *F.*]

HISPĀNUS, a, um, adj. ad Hispaniam pertinens. *Cic. Phil.* 4, 3. Hispani milites. *Plin.* 3, 5, 10. Hispanum mare, *h. e.* ea mediterranei pars, quae Hispaniam alluit, quae hodieque dicitur *mar di Spagna. Mart.* 10, 104. Hispana Tarraco; et 7, 88. Hispanum aurum Tagi. *Lucan.* 3, 454. Hispānae acies. *Liv.* 7, 10. Hispano gladio cingi. ℙ *Hispani, orum*, Hispaniae populi. *Suet. Caes.* 86., *Plin.* 18, 11, 28. et *Cic. Har. resp.* 9.

[HISPELLAS, atis, adj. omn. gen. ad Hispellum pertinens, Umbriae oppid., nunc *Spello.* [*V. *Plin.* 3, 14. *Sil.* 8, 459. *Ἱσπέλλον* audit *Strab.*, *Ἴσπελον Ptolem.*] *Mur.* 1050, 6. L. Acilio L. F. Quir. Rufo Hispellates publice patrono. *F.*]

[HISPELLENSIS, e, adj. idem ac Hispellas. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 183. *n.* 3. C. Betuo Tro. Ciloni Minutano Fulginates, Hispellenses, Iguvini. Ceterum hanc inscriptionem pro suppositicia merito habent plerique eruditi. V. *Morcell. de stil. Lat. Inscr. T.* 2. p. 59. ed. *Patav. F.*]

HISPĪDO, as, a. 1. hispidum facio. *Solin.* 46. Spinosis fastigiis hispidatur. *Salmas.* legit *hispida turgescit.*

HISPĪDŌSUS, a, um, adj. pilosus, hispidus. *Catull.* 16, 10. Non dico pueris, sed hispidosis. Al. rectius leg. *his pilosis.*

HISPĪDUS, a, um, adj. *λάσιος*, pilis densus et horridus, hirsutus, hirtus. *Hor. Od.* 4, 10, 5. Facies hispida. *Virg. A.* 10, 210. Hispida frons. *Mart.* 3, 58. Hispida mater, *h. e.* capella feta. *Plin.* 9, 5, 4. Nereidum corpus squamis hispidum. *Id.* 22, 6, 7. Herbae aspectu hispidae, tactu truces, *h. e.* horridae. *Val. Fl.* 1, 612. Eurus crinem procellis hispidus. *Hor. Od.* 2, 9, 1. Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros, *h. e.* squalidos et incultos, ut hiemis tempore, vel cum messis inhorruit campis, ut ait *Virg. G.* 1, 314. ℙ Translate. *Gell.* 10, 3. *med.* Si quis est tam agresti aure, ac tam hispida, quem lux ista et amoenitas orationis parum delectat, *h. e.* inerudita, indocta. ℙ Hypallages genus est in illo *Stat. Th.* 6, 867. sic hispida turpes Proelia villosis ineunt complexibus ursi, *h. e.* ipsi hispidi.

[HISPO, onis, m. qui valde hispidus, seu pilosus est. Est cogn. R. *Cic. Fam.* 13, 63. P. Terentius Hispo. *F.*]

HISTER, tri, m. idem ac histrio, qui illius esse diminut. videtur, idest ludio, Etruscorum lingua. *Liv.* 7, 2. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 447, 4. Sex. Palpelio P. F. Vel. Histrio. Adde *Plin.* 10, 12, 16. *F.*] ℙ Item fluvius Germaniae. V. ISTER.

*HISTI, orum, pop. Scythiae Asiaticae. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

HISTON, ōnis, m. *ἱστών, ῶνος*, locus, ubi texitur, textrinum: ut *andron* est locus, ubi plures viri versantur. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Ut si habeas plures in fundo textores, atque institutos histonas.

[HISTONĪENSIS, e, adj. ad Histonium pertinens, Frentanorum opp., nunc *il Vasto. Inscr.* ap. *Mur.* 653, 4. et 1109, 1. Huic plebs universa municipum Histoniensium statuam aere collato decrevit. *F.*]

*HISTONĪUM, i, n. *Ἱστόνιον. Mela* 2, 4. *med. Plin.* 3, 12. v. v. praec. *B. A.*

HISTORIĂ, ae, f. narratio et expositio rerum gestarum: ab *ἵστωρ*, sciens. *Cic. Or.* 2, 9. Historia testis temporum, lux veritalis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? et 12. Summi oratoris est, historiam scribere. *Id. Leg.* 1, 2. Historiam tractare; et 3. instituere, et absolvere. *Id. Div.* 2, 32. Mandare aliquid historiae. *Just. praef.* Res Romanas in historiam conferre; et *ib.* et *Plin. ep.* 1, 1. Totius orbis historias Latino sermone componere. *Ov. Ib.* 522. Conditor historiae. ℙ *Res historia digna* dicitur, quae magni est momenti, et scitu digna. *Cic. Att.* 2, 8. Si quid in ea epistola fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus. ℙ Historiae leges ap. *Cic. Or.* 2, 15. hae sunt: prima, ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne quid vere non audeat: ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis. V. *Tac. H.* 1, 1. Ap. *Pl. Men.* 2, 1, 23. *historiam scribere* dicuntur ii, qui omnia suis oculis videre volunt, quo tuta plane sit fides. ℙ Apud Romanos ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scaevolam Pont. Max. historia nihil aliud fuit, nisi annalium confectio. Post Scaevolam historia scribi coepta est a M. Catone, a Fabio Pictore, ab Antistio Pisone. Sed hi veterem similitudinem scribendi secuti sine ullis ornamentis, monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Primus, qui ornate historiam scriberet, Coelius Antipater exstitit, qui fuit familiaris L. Crassi oratoris. Haec ex *Cic. Or.* 2, 12. V. etiam *Leg.* 1, 2. et a nobis dicta in ANNALIS. Notas, quibus distinguuntur inter se historia, et oratio, apte enumerat *Plin. ep.* 5, 8. Quid vero distat historia ab annalibus et diariis, docet *Gell.* 5, 18. [*V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 195.] ℙ Accipitur etiam pro narratione fabulosa. *Prop.* 1, 1, 16. Maxima de nihilo nascitur historia. *Hor. Od.* 3, 7, 19. Et peccare docentes Fallax historias monet. *Ov. Amor.* 2, 4, 44. Omnibus historiis se meus aptat amor. Adde *Prop.* 4, 1, 119. [*Cf. *Spald.* ad *Quint.* 1, 9, 19.] ℙ Et pro quavis descriptione, interpretatione, seu expositione. Unde *Plinii* opus *de Historia naturali* inscribitur. *Quint.* 2, 4. Grammaticis historias poeticas dedimus. *Hor. Sat.* 1, 3, 89. amaras Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit. ℙ C. Julium Hyginum, propter antiquitatis notitiam, Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant, teste *Suet. Grammat.* 20. ℙ A *Propert.* 1, 15, 24. dicitur *historia* is ipse, qui historiae materia et argumentum est. V. SERMO.

HISTORIĀLIS, e, adj. ad historiam pertinens, ut Historiale opus dicitur in hortis varia arborum aut herbarum dispositio, qua venationes, animalia, aedificia, et hujusmodi aspectu grata repraesentantur. *Plin.* 16, 33, 60. de cupressu: Trahiturque etiam in picturas operis historialis. *Hard.* legit *topiarii*, neque tamen alteram lectionem damnat. *Sidon.* quoque hanc vocem usurpat, *ep.* 6, 12. Venerabilis patriarchae Joseph historialem diligentiam comparemus, *h. e.* quam sacra narrat historia.

HISTORĪCĒ, adv. *ἱστορικῶς*, more historicorum. *Plin. ep.* 2, 5. Descriptiones locorum non historice tantum, sed prope poetice prosequi fas est.

HISTORĪCĒ, es, f. *ἱστορική*, pars grammaticae, de qua sic *Quint.* 1, 9. Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, idest ratio loquendi, et enarratio auctorum: quarum illam methodicen, hanc historicen vocant. ℙ [Est etiam pars quaedam poeseos. *Diomed.* 3, 480. Exegetici, vel enarrativi poematis species sunt tres, angeltice, historice, didascalice: historice est, qua narrationes et genealogiae componuntur. *F.*]

HISTORĪCUS, a, um, adj. ad historiam pertinens, *ἱστορικός*. *Cic. Brut.* 83. Earum rerum historiam non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. *Ov. Amor.* 3, 12. *f.* Exit in immensum fecunda licentia vatum, Obligat historica nec sua verba fide. ℙ *Historicus, i*, est historiarum scriptor. *Cic. Top.* 20. Oratores, philosophi, poetae, historici. [**Nep. Alc.* 11, 1. Tres gravissimi historici.]

HISTORIŌGRAPHUS, i, m. qui historias conscribit. *Capitol. Gordiano II. f.* Ea debent in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint, aut sequenda. Adde *Not. Tir.* p. 124.

HISTRIĂ. V. ISTRIA.

HISTRĪCOSUS. V. HYSTRICOSUS.

[HISTRĪCŬLUS, i, dimin. histri, parvus hister. *Gloss. Philox.* Histriculus, *λογοποιός. F.*]

HISTRĪCUS, a, um, adj. *ὑποκριτικός*, ad histrionem pertinens. *Pl. prol. Poen.* 4. Audire vos jubet imperator histricus: *idest* praefectus histrionum, vel histrio imperans; et 44. Haec, imperata quae sunt pro imperio histrico.

HISTRIO, onis, m. *ὑποκριτής, μῖμος*, ludio, qui personatus in scenis fabulas agit: ab *hister*, quae vox Tuscis significabat *ὀρχηστήν*, *h. e.* saltatorem, qui et ludio vocatur. A Tuscis enim rem et vocem Romani accepere, ut *Liv.* 7, 2. et *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. tradunt: neque audiendus videtur *Festus*, qui inde dictos putat, quod primum ex Histria venerint. *Cic. Fin.* 3, 7. Ut histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus. *Id. Par.* 3, 2. Histrio si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur. *Id. Or.* 2, 46. Cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondaulia illa dicentis, etc. et *paulo post.* Quae si ille histrio, quotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, etc. *Plin.* 7, 53, 54. M. Ofilius Hilarus, comoediarum histrio. *Id.* 35, 12, 46. Aesopus tragoediarum histrio. *Id.* 37, 2, 6. Nero sceptra, et personas histrionum, et cubilia amatoria unionibus construebat. [*Front. de or.* 1. (ed. *A. Maio*) p. 242. Uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare, neque hastulis histrionis ludere. *F.*] ℙ [**Histrio* ap. *Tac.* ejusque aequales promiscuo usu invenitur cum pantomimo, cum Augusti demum temporibus per Bathyllum et Pyladen haec ars excoleretur. *Böttich. Lex. Tac.* p. 233. q. v.] ℙ Urbane *histrio* dicitur de vano homine, et falsa jactante gloriae causa. *Cels.* 5, 26. *n.* 1. Ut haec prudenti viro conveniunt; sic rursus histrionis est parvam rem attollere, quo plus praestitisse videatur.

HISTRIONĀLIS, e, adj. ad histriones pertinens. *Tac. A.* 1, 16. Erat in castris Percennius quidam. dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, et miscere coetus histrionali studio doctus. *Auct. dial. de Or.* 29. Histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia; et 26. Histrionales modos exprimere. [*Ab alio nullo haec vox usurpata videtur.]

HISTRIONIĂ, ae, f. *ὑποκριτική*, histrionis ars. *Pl. Amph. prol.* 90. Quasi novum nunc proferatur, Jovem facere histrioniam.

HISTRIONĪCUS, a, um, adj. histrionalis. *Ulp. Dig.* 32, 1, 73. Servi, quorum operas locabat vel pistorias, vel histrionicas.

HISTRIX. V. HYSTRIX.

[HITTĂ, ae, f. membrana mali granati, idem ac ciccus. *Gloss. Philox.* Hitta, *ὑμὴν ῥοιᾶς. F.*]

*HITTĬO, is, n. 4. est verbum proprium canum vestigia indagantium cum aliqua vocis nictatione, ut ait *Scalig.* ad *Fest.* in V. *Hetta.* V. NICTO, is. *Gloss. Philox.* Hittio, *ἰχνεύω. B. A.*

[HITTUS, us, m. vox canis vestigia indagantis. *Gloss. Philox.* Hittus, *φωνὴ κυνός. F.*]

HĪULCĀTUS, a, um, part. ab *hiulco*, hiulcus, apertus. *Fortunat. carm.* 6, 12, 6. Et per hiulcatos fervor anhelat agros.

HĪULCĒ, adv. *διεσχισμένως*, aperte. *Cic. Or.* 3, 12. Ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores, non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter, *h. e.* frequenti et insubido vocalium concursu. V. HIATUS.

HĪULCO, as, a. 1. *σχίζω, διασχίζω*, hiulcum facio, aperio, findo. *Catull.* 67, 62. Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

HĪULCUS, a, um, adj. *διεσχισμένος*, hians, apertus, fissus, fatiscens. *Virg. G.* 2, 353. ubi hiulca siti findit Canis aestifer arva. *Stat. Th.* 4, 708. Et patris undosi sonitus exspectat hiulca Aegyptus. *Id. ib.* 9, 450. hiulcae venae fluminis. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 230. hiulci nimbi, *h. e.* nubes dehiscentes. *Id. praef. ad III. cons. Honor.* 4. Ovaque maternus rupit hiulca tepor. *Solin.* 38. *f.* Mons Taurus, ubi dehiscit hiulcis jugis, facit portas Armenias, Caspias, etc. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 452. mucrone hiulco scindere latus viri, *h. e.* unguibus ferreis. Sic *ib.* 5, 113. hiulcis ictibus nudare costarum abdita. *Stat. Th.* 1, 26. hiulcum fulmen, *h. e.* omnia findens, et hiare faciens. ℙ *Hiulca oratio* dicitur, in qua nimius est vocalium concursus. V.

HIO et HIATUS. *Cic. Or.* 3, 43. Struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. *Id. Or.* 44. Ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. ℙ Translate est cupidus, avarus, quasi hianti ore praedam captans. *Pl. Trin.* 2, 2, 6. Novi ego hoc saeculum, moribus quibus sit: sacrum profanum, publicum privatum habent hiulca gens.

*HIULCA PALUS in Pannonia inferiore fuit. *Sext. Aur. Vict. Epit.* 59. *B. A.*

H O

HOC. V. HIC.

HODIDOCOS vel Hodoedocos, i, m. ὁδοιδοκος, ab ὁδὸς, via, et δοκάω, exspecto, ut latro et obsessor viarum. *Festus.*

HODIE, adv. σήμερον, hoc die. *Ter. Andr.* 2, 1, 22. Si id facis, hodie postremum me vides. *Id. Eun.* 1, 2, 125. Is hodie venturum ad me constituit domum. *Cic. Verr.* 1, 10. Nonae sunt hodie Sextiles. *Id. Phil.* 14, 5. Per idus Quintiles, qui dies hodie est. *Ov. Rem. Am.* 1, 94. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. *Cic. Att.* 13, 9. Hodie mane. ℙ Significat etiam hac nocte. *Ov. Fast.* 2, 75. Illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultus, Dicet, ubi est hodie, quae Lyra fulsit heri? ℙ Item latiore significatione, nunc, hoc tempore. *Cic. Coel.* 2. Dignitatem semper in M. Coelio habitam esse summam, hodieque haberi. *Id. Acad.* 4, 1. *med.* Hodie stat Asia Luculli institutis servandis. *Nep. Ann.* 3. Is hodie saltus Grajus appellatur. ℙ *Hodie* usque ad hanc diem. *Pl. Pers.* 4, 3, 2. Ita ancilla mea, quae fuit hodie, sua nunc est.

HODIEQUE, adv. etiam nunc. *Claudius Imp.* in *tab. aenea* ap. *Grut.* 502. *med.* Et hodieque in rebus meis detineo. *Plin.* 8, 45, 70. Praegrandes itaque fuere: et hodieque reliquiae stirpium durant. *Id.* 30, 1, 1. Magice in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praevaleat. [* *Suet. Claud.* 19. Quae constituta hodieque servantur. Adde *Galb.* 1. et *Tit.* 2. V. *Burm.* in *Addend.* ad *Cl.* 19., *intp.* ad *Liv.* 1, 26. et 5, 27. Nonnulla laudat etiam *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 127] Addunt *Quint.* 10, 1. *med.* et *decl.* 17, 19., *Tac. G.* 3., *Vell.* 1, 4. item *Cic. Verr.* 2, 5, 25. *f.*, *Liv.* 1, 17. et 26. *f.* et 5, 4. *extr.* et 31, 7. et 42, 34. et *Vitr.* 10, 1., sed in his vel dubia lectio est, vel *hodieque* pro *et hodie*, non pro *hodie quoque* positum est. [*Plerumque miscentur in cdd. *hodieque* et *hodie quoque.*]

HODIERNUS, a, um, adj. hujus diei, σημερινός. *Cic. Phil.* 4, 3. Quod ex hodierno ejus edicto perspicere potestis. *Id. Or.* 3, 21. *f.* Disputatio hesterni et hodierni diei. *Id. Marcell.* 2. Hodierno die; et *Catil.* 3, 8. *extr.* Ante hodiernum diem; et 9. Hodierno die mane. *Id Brut.* 10. Multo diutius Athenae jam erant, quam est Roma ad hodiernum diem, *h. e.* ad praesens tempus. *Tibull.* 1, 8, 53. Sic venias hodierne, *scil.* hodie. *Plin.* 33, 1, 7. Servatumque in hodiernum est, nequis, etc. et *Minuc. Fel. Octav.* 22. *f.* Ut in hodiernum inopinato visos, coelo missos nominamus.

HODOEPORICON, i, n. ὁδοιπορικὸν, vox Graeca, ab ὁδοιπόρος, viator, significat itinerarium. *Hieron. ep.* 108. *n.* 8. Hodoeporicon alicujus scribere.

[HODOTUS, i, m. ὁδωτὸς, qui transiri potest, verbale ab ὁδόω, viam monstro. *Inscr.* ap. *Mur.* 198, 5. Hodoius (lege *Hodotus*) VI. vir Aug. *F.*]

HOEDUS. V. HAEDUS.

HOI, interjectio lugentis. *Ter. Ph.* 4, 3, 58. Hoi, hui, nimium est. Adde *Eun.* 4, 4, 48. ℙ Scribitur et *oi* sine aspirat.

HOLCE, es, f. ὁλκὴ, Graece est inclinatio, pondus: et ponitur pro certo rerum pondere, de quo *Fann. de ponderib.* 19. Holceque a drachma non re, sed nomine differt.

HOLCUS, i, m. ὁλκὸς, herba est in saxis nascens, aristas habens in cacumine tenui culmo, quale hordeum restibile. Dicta est ab ἕλκω, traho, quia circa caput alligata, vel circa lacertum, educit e corpore aristas: quapropter quidam aristidam vocant. *Plin.* 27, 10, 63.

*HOLMIA, ae, f. opp. Ciliciae maritimum, postea Seleucia vocatum. *Plin.* 5, 27. ℙ *Holmoe*, Ὅλμοι, audit *Plin. ib. B. A.*

*HOLO, onis, Hispaniae opp. *Liv.* 35, 12. *B. A.*

[HOLOCALUS, i, m. totus pulcher: ab ὅλος, totus, et καλὸς, pulcher. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1124, 5. Parentes infelicissimi Holocalo filio dulcissimo, qui vixit Ann. IIII. M. V. D. XXI. *F.*]

HOLOCAUSTOMA, ătis, n. ὁλοκαύστωμα, holocaustum. *Tert. adv. Jud.* 5. et *adv. Marc.* 5, 5. *f.*

HOLOCAUSTUM, i, n. ὁλόκαυστον, sacrificii genus, quo tota comburebatur victima, non sola exta: ab ὅλος, totus, et καίω, uro. *Prud. Apoth.* 537. At tua congestae tumulant holocausta ruinae; et *Psych.* 784. Holocaustis mactatis litare Deo.

[HOLOCHRYSA, ae, f. ὁλόχρυσος. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Olivier. Marm. Pisaur. n.* 126. D. M. . . . tiae Holochrysae, quae . . . *F.*]

HOLOCHRYSUS, i, m. ὁλόχρυσος, nomen floris a colore, quasi totus aureus, ab ὅλος, totus, et χρυσὸς, aurum. *Plin.* 21, 8, 24. ℙ *Inter tria genera basilisci memoratur holochrysus ap. *Appul. de Herb.* 128. *B. A.*

[HOLOCYRTON, i, n. herba eadem ac chamaepitys: ab ὅλος, totus, et κυρτὸς, curvus. *Appul. Herb.* 26. Chamaepityn alii holocyrton vocant. *F.*]

HOLOGRAPHUS, a, um, adj. ὁλόγραφος, totus scriptus: ab ὅλος, totus, et γράφω, scribo. *Holographa epistola*, ap. *Hieron. adv. Ruf.* 3, 5. et *Holographa membrana*, ap. *Sidon. ep.* 9, 11. *med.* est, quae tota auctoris manu scripta est, quae et *autographa* dicitur. [*Isid. Orig.* 5, 24. Holographum testamentum est manu auctoris totum conscriptum, atque subscriptum. *F.*]

HOLOPHANTA. V. HALOPHANTA.

*HOLOPORPHYRUS, a, um, adj. ὁλοπόρφυρος, totus purpureus: ab ὅλος, totus, et πορφύρα, purpura. *Isid. Orig.* 19, 22. Vestis holoporphyra est tota ex purpura. V. HOLOVERUS. *B. A.*

*HOLOPYXOS, i, opp. Cretae. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 4, 12. *B. A.*

HOLOSCHOENUS, i, m. ὁλόσχοινος, junci quoddam genus crassum et carnosum. *Plin.* 21, 18, 69.

HOLOSERICUS, a, um, adj. ὁλοσηρικὸς, qui totus est ex serico, nulla alia admixta materia: ab ὅλος, totus. *Varr.* ap. *Non.* 14, 6. Mulieres cum stola holoserica. ℙ Usus vestis holosericae ap. veteres rarissimus fuit, et summa ejus caritas. *Vopisc. Aurel.* 45. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam permisit. ℙ Primus Romanorum holoserica veste Elagabalus usus est, teste *Lamprid. Elag.* 20., cum jam subserica in usu essent. Tacitus imperator holosericae vestis usum viris omnibus interdixit. *Vopisc. Tac.* 10.

HOLOSIDERUS, a, um, adj. totus ferreus, ὁλοσίδηρος: ab ὅλος, totus, et σίδηρος, ferrum: ut Holosidera spatula, *Theod. Prisc.* 1, 28.

HOLOSPHYRATUS, a, um, adj. ὁλοσφύρατος Dorice pro ὁλοσφύρητος verbale ab inusit. ὁλοσφυράομαι, totus malleo ducor: ab ὅλος, totus, et σφῦρα, malleus. *Plin.* 33, 4, 24. Aurea statua prima omnium nulla inanitate, et antequam ex aere aliqua illo modo fieret, quam vocant holosphyraton, in templo Anaitidis posita dicitur, *h. e.* solidam, malleo ductam, non conflatam.

HOLOSTEON, i, n. ὁλόστεον, herbae species: ab ὅλον, totum, et ὀστοῦν, os, ossis, per antiphrasin, cum careat omni duritie. Est autem tenuis usque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen, foliis angustis, adstringens gustu: nasciturque in terrenis collibus. *Plin.* 27, 10, 65. [*Plantago albicans, L.*]

HOLOTHURIA, orum, n. plur. ὁλοθούρια, enumerantur inter marinos pisces, qui non moventur, similes ob id spongiis. *Plin.* 9, 47, 71. [*Holothuria Priapus, L.*]

HOLOVERUS, a, um, adj. vox hybrida: ab ὅλος, totus, et *verus*, ut *Holovera vestimenta* Graece ὁλόβηρα dicta, quod tota ex vero purpurae colore tincta essent. Ita *Salmas.* ad *Trebell. Claud.* 17., exponit locum *Imp. Theod. Cod.* 11, 8, 4.: alii minus recte intelligunt, holoserica; nam haec habet *Treb. l c.* Misi chlamydes veri luminis limbatas tuas. ℙ *Scribitur et *holobera* et *olovera*. *B. A.*

HOLUS, etc. V. OLUS.

HOMELIUM, ii, n. pileï genus. *Festus.* Videtur esse ab ὅμηλυς, simul veniens, comes viae, nempe ex ὁμοῦ, simul, et ἤλυσις, itio.

HOMEREUS, a, um, adj. Homericus, Ὁμήρειος. *Hor. A. P.* 120. Homereum si forte reponis Achillem. Ita *Bentl.* Alii melius *honoratum. Auct. Priap.* 69. Constiti, Homereas edidicique notas. Al. leg. *Homeriacas:* alii etiam aliter.

HOMERIACUS, Homericus. V. v. praec.

HOMERICUS, a, um, adj. Ὁμηρικὸς, ad Homerum pertinens. *Cic. Div.* 1, 25. Homericus versus. *Id. Tusc.* 3, 26. Agamemnon Homericus, *h. e.* ab Homero inductus. *Suet. Ner.* 47. Duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos a caelatura carminum Homeri vocabat, solo illisit. *Plin. ep.* 4, 3. Homericus senex, *h. e.* Nestor. *Tert. Pall.* 2. Quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet, *h. e.* etiam caeco apparet.

HOMERISTA, ae, m. Ὁμηριστὴς, qui Homeri carmina recitat, cujusmodi in solemni convivio inducit *Petr. fragm. Trag.* 59. *Burm.* Adde *Diomed.* 3, 481.

*HOMERITAE, arum, m. Ὁμηρῖται, pop. Arabiae Felicis, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

HOMEROCENTO, onis, m. carmen ex Homeri hinc inde decerptis versibus, et ad alia significanda traductis compositum. V. CENTO. *Hieron. ep.* 53. *n.* 7. Quasi non legerimus Homerocentonas, et Virgiliocentonas. Adde locum *Tert.*, q. v. in CENTONARIUS.

HOMEROMASTIX, īgis, m. Ὁμηρομάστιξ, Homeri flagellum, cognomen Zoili cujusdam, qui Homerum libris adversus eum editis ausus est inscitiae arguere. *Vitr. praef. l.* 7. *med.* Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromastix vocitaretur. V. ZOILUS. ℙ Per synecdochen dicitur de omnibus detractoribus, qui insatiabili reprehendendi libidine optima quaeque lacerant. *Plin. prooem. operis.* Ut obiter caveam istos Homeromastigas.

HOMERONIDES, ae, m. patron. quasi Homeri imitator. *Pl. Truc.* 2, 6, 4.

HOMERUS, i, m. Ὅμηρος, nomen poetae Graeci excellentissimi, qui bellum Trojanum, et Ulyssis errores descripsit, quorum operum alterum *Ilias*, alterum *Odyssea* ab illo inscriptum fuit. De ejus patria nihil certi traditur. Multi Graeciae populi, Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnaei Homerum certatim sibi vindicabant. Smyrnaei etiam delubrum ejus in oppido dedicavere. (V. *Gell.* 3, 11.) *Stat.* quoque *Silv.* 4, 2, 9. Smyrnaeum facit. Aliqui dicunt, prius *Melesigenem* fuisse vocatum, quod ad Meletem fl. Ioniae natus esset. Caecum natum fuisse ajunt, immo ob caecitatem Homerum dictum esse, quod Cumaei, et Ionos caecos appellent Ὁμήρους. *Vell.* tamen 1, 5. eum omnibus sensibus orbum esse censet, qui Homerum caecum natum esse crediderit. *Heraclides* scripsit, eum ex morbo in caecitatem incidisse. Vixit aetate Lycurgi superioris, ante Hesiodum, et ante VII. Sapientes, annos circiter CLXVIII post bellum Trojanum; et totidem fere ante Romam conditam. Pauperrimus fuit, et per urbes erravit; quin et fame tandem absumptus, scripsit *Sotades* ap. *Stobaeum.* Post mortem divini ei honores sunt habiti: obtinetque adhuc, et obtinebit in posterum doctrinae et eruditionis principatum. Omnium enim rerum, omnium artium, omnis non prudentiae solum, sed etiam sapientiae vestigia aut expressa, aut recondita in ejus scriptis sunt. Laudes tanti viri persecuti sunt *Vell. l. c.*, *Cic. Tusc.* 1, 32. et al., *Plin.* 7, 29, 30. et 17, 5, 3. et 25, 2, 5., *Quint.* 10, 1., *Hor. A. P.* 73. et 401., *Ov. Amor.* 3, 9, 25. et *Sil.* 13, 778. etc.

HOMICIDA, ae, m. et f. ἀνδροφόνος, qui hominem necat, ab *homo*, et *caedo*, per syncop. pro hominicida. *Cic. Phil.* 2, 13. Fateor, eos plus, quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam, quam parricidas esse. *Juven.* 2, 26. Si fur displiceat Verri, homicida Miloni. ℙ De femina. *Senec. Controv.* 1, 2. Quid si tantum homicida? quid si tantum rea fuisses? ℙ Interdum cum laude dicitur de viro forti, qui in bello multos occiderit. *Hor. Epod.* 17, 12. Luxere matres Iliae addictum feris, Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem.

HOMICIDIARIUS, a, um, adj. ut Homicidiarius sanguis, ap. *Auct. Pan. ad Constant.* 4., ubi alii leg. *homicidarius.*

HOMICIDIUM, ii, n. ἀνδροφονία, hominis occisio. *Cic. Phil.* 2, 12. *extr.* Homicidii rei sunt, an vindices libertatis? Al. leg. *homicidae sunt.* [*Orell.* leg. Homicidaene sint, etc.] *Petr. Sat.* 137. Homicidium facere. *Plin.* 18, 3, 3. Convictus in homicidio. [*Utuntur h. v. etiam *Tac. G.* 21. Luitur homicidium certo armentorum numero. *Quint. Inst.* 11, 3, 59.]

[*HOMILIA, ae, f. ὁμιλία, concio. *Isid. Orig.* 6, 8. Homiliae sunt, quas Latini verba appellant, quae proferuntur in populis. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 33. Menidia C. L. Homilia. *F.* et *B. A.*]

HOMO, hominis, comm. gen. ἄνθρωπος, animal rationale. Volunt alii esse ab *humo*, quod non placet *Quint.* 1, 6., alii ab ὁμοῦ, simul, quod sit societatis amans: alii ab ἥμων, peritus, sciens. [Lepidam narrat fabellam de hominis ortu *Hyg. fab.* 120., qua prius allatum etymon confirmat; idem vero comprobat multis adductis rationibus *Spalding.* ad *Quint. l. c. F.*] [*Cf. etiam *Döderl.* 1, 179.] *Cic. Leg.* 1, 7. Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem. *Ter. Phorm.* 5, 8, 52. Homo adolescens. [*Cf. *Liv.* 2, 18. 28, 40.] *Id. Ad.* 4, 2, 23. senex. *Id. ib.* 3, 4, 76. amicus. *Id. Phorm.* 2, 3, 15. jam grandior. *Id. ib.* 2, 1, 62. servus. *Varr.* ap. *Non.* 4, 45. homo masculus. *Pl. Poen.* 5, 5, 32. mares homines. ℙ De homine multa *Plin.* 7. *prooem.* et *c.* 1. ℙ De femina. *Sulp.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Quae si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. *Cic. Cluent.* 70. Mater, cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. *Ov. Fast.* 5, 620. Quae bos ex homine est, ex bove facta Dea. *Plin.* 28, 9, 33. Dulcissimum ad hominis camelinum lac. *Juven.* 6, 282. clames licet, et mare coelo Confundas, homo sum: *uxor loquitur.* ℙ Monet *Charis.* 1, 79., tametsi de femina dicatur, masculinis semper jungi: neque *malam hominem* dici, sed *malum.* ℙ [*Signif. *homo* patremfamilias cum familia. *Liv.* 34, 45. Trecenti homines in singulas, sc. colonias: ubi v. *Drakenb.* Ita dicitur etiam, opposita v. *urbis*, pro incola. *Liv.* 25, 28. nec urbi, nec homi-

nibus, i. e. incolis urbis.] ℙ Adhibetur saepe in laude, ut *vir*. *Cic. Acad.* 4, 24. Illustres homines. *Id. Fin.* 1, 5. L. Torquatus, homo omni doctrina eruditus. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* Homo summa prudentia, multa etiam doctrina. *Pl. Bacch.* 5, 1, 25. et *Cic. Dejot.* 12. Homo optimus. *Nep. Paus.* 1. Pausanias Lacedaemonius, magnus homo fuit. ℙ Etiam absolute. *Cic. Att.* 13, 52. Quid multa? homines visi sumus. *Juven.* 2, 167. Hic fiunt homines. *Cic. Att.* 4, 15. Si vis homo esse, recipe te ad nos ad quod tempus confirmasti; et *ib.* 2, 2. Si homo esset, eum potius legeret, *h. e.* si saperet. *Ter. Ad.* 5, 8, 11. Si tu sis homo, hic faciat, *h. e.* si constans sis in petendo. *Pl. Ep.* 3, 4, 57. Homo es, qui me emunxisti, etc. *Cic. Or.* 2, 10. Nox te expolivit, et hominem reddidit. ℙ Interdum *homo*, et *vir* conjunguntur. *Cic. Fam.* 5, 17. Ut te hortarer, rogaremque, ut et hominem, et virum esse meminisses, idest ut et communem incertumque casum sapienter ferres, et dolori fortiter, ac fortunae resisteres: *homo* refertur ad conditionem mortalis vitae, qua casibus et calamitatibus obnoxii sumus: *vir* ad fortitudinem et constantiam in perferendis adversis. *Id. Fam.* 7, 5. *med.* Probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem: *hominem* ad bonitatem naturae, *virum* ad virtutem retulit. ℙ [**Homines militares* ap. *Sall. Cat.* 45, 2. sunt rei militaris periti, magnum militiae usum habentes: ita *Cort.* quem laud. *Kritz.* ad h. l. Adde *ib.* 59, 6.] ℙ Ponitur et in vituperatione. *Cic. Off.* 3, 6. *med.* Ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariae. *Id. Agr.* 2, 34. *f.* Homo contemptus et abjectus. *Id. Amic.* 25. Leves homines atque fallaces. *Id. Tusc.* 1, 8. Homo insulsus. *Ter. Ad.* 2, 2, 10. Hominum homo stultissime. ℙ Illa quoque ad contemptum pertinent *Pl. Amph.* 2, 1, 26. Quid hoc hominis sit? *Ter. Eun.* 5, 1, 17. Quid illuc hominis est? Ubi *Donat.* Per genitivum casum injuriose dicitur. Sic *Cic. Verr.* 2, 1, 16. Quid hoc homine faciatis? ℙ Et illa contumeliam habent, *Ter. Eun.* 4, 4, 29. Monstrum hominis, non dicturus? *Cic. Fam.* 12, 1. Odium illud hominis impuri. ℙ Aliquando ita usurpatur, ut mulieri opponatur. *Pl. Cist.* 4, 2, 57. Mi homo, et mea mulier, vos saluto. Adde *Lact.* 2, 12. et *Paul. Dig.* 48, 19, 38. ℙ Refertur et ad humanitatem, et mores. *Ter. Ad.* 1, 2, 27. Tu illum tuum, si esses homo, sineres nunc facere, dum per aetatem licet. *Cic. Fin.* 5, 12. Fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens, naturam odisse videatur. ℙ Item ad imbecillitatem, et peccandi facilitatem. *Quint.* 10, 1. Demosthenes, Homerus summi sunt, homines tamen, *h. e.* labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, ut *Id. ib.* ait. Adde *Juven.* 6, 282. et *Petr. Sat.* 130. ℙ Aliquando de servo dicitur. *Cic. Quint.* 19. Hominem P. Quintii deprehendis in publico: conaris abducere: non patitur Alphenus. Adde *Pl. Men.* 5, 5, 49., *Cat. R. R.* 57., *Catull.* 10, 16. etc. ℙ Aliquando de libero et ingenuo, quia servi quiddam infra homines habebantur. *Suet. Ner.* 31. Auream domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare coepisse. *Petr. fr. Trag.* 39. *Burm.* Patrono meo ossa bene quiescant, qui me hominem inter homines voluit esse. ℙ In illo *Caes. B. C.* 2, 39. Capti homines equitesque producebantur: *homines* sunt pedites; ita etiam *Liv.* 9, 19. Cum triginta millibus hominum, et quatuor millibus equitum. Hinc *Caes. ib.* 41. *milites*, et *Liv* 21, 27. *viros* opponit *equitibus.* [*V. *Moeb.* ad *Caes. B. G.* 5, 10.] ℙ *Esse paucorum hominum* dicitur is, qui paucorum familiaritate utitur, qui paucis se dat, sapientibus nempe, et bonis, qui utique pauci sunt: vel qui paucis placet, hoc est optimis. *Ter. Eun.* 3, 1, 18. *Gn.* Regem elegantem narras. *Thr.* imo sic homo Est perpaucorum hominum. *Gn.* imo nullorum arbitror, Si tecum vivit. Hinc jocus ille, quem refert *Cic. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. his verbis: Cum esset apud se ad Lavernium Scipio, unaque Pontius, allatus est forte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum et alterum ex his, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluresque etiam invitaturus videretur; in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide, quid agas: acipenser iste paucorum hominum est. ℙ *Inter homines esse* est vivere: *esse desinere* est mori. *Cic. Tusc.* 1, 14. Hercules nunquam abiisset ad Deos, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. *Papin. Dig.* 31, 1, 59. Si Augustae legaveris, et ea inter homines esse desierit. Sic *Cajus ib.* 58. Qui, antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est. Adde *Tac. A.* 15, 74. Haec autem *ἐνφημισμοῦ* causa dicuntur. Quo pertinet illud *Solini* 52. Cum maritus homine decesserit. ℙ Elegans et frequens est usus, quo ponitur loco pronominis *hic*, vel *ille*, ut *Cic. Fam.* 4, 4. Dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. *Nep. Eum.* 2. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quod in homine tidem et industriam magnam videbat. *Pl. Ps.* 4, 7, 67. Habesne argentum ab homine? *Ter. Eun.* 2, 2, 30. Ibi homo coepit me obsecrare, ut, etc. *Id. Ad.* 1, 2, 63. Ita est homo: hujusmodi sunt ejus mores. [*Disputat de hac dicendi formula, praeter *Burm.* ad *Phaedr.* 2, 5, 19., *Brem.* ad *Nep. Dat.* 10, 3. *Eum.* 4, 4.] ℙ Adhibetur etiam appellando, et parce increpando. *Id. Heaut.* 5, 3, 1. Profecto, nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali. *Id. Ad.* 1, 2, 31. Tu homo adigis me ad insaniam. ℙ *Quot homines, tot sententiae*, prov. ap. *Ter. Phorm.* 2, 4, 14. ℙ *Ut homo est, ita morem geras*, aliud ap. *eund. Ad.* 3, 4, 67. ℙ Homo hogemini Deus; si suum officium sciat, *γνώμη* est *Caecilii* comici ap. *Symmach. ep.* 10, 104. al. 114. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 62, 2. M. Dunilius Homo. *F.*] ℙ Olim declinabant *homo, homōnis*. V. HEMONA.

[HOMOBONUS, i, m. vir bonus. Est nom. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 341, 1. Homobonus infans atque amicus omnibus hic conquiescit. Itali dicunt *Omobono. F.*]

HOMOEOMĔRĬA, ae, f. *ὁμοιομερεία*, similitudo partium. *Lucr.* 1, 829. Hinc et Anaxagorae scrutemur homoeomeriam. *Serv.* super illud *A.* 4, 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor: Secundum, inquit, Anaxagoram, qui dicit homoeomeriam, idest omnium rerum similitudinem esse in rebus creandis. Est autem tota Graeca ex *ὅμοιος*, similis, et *μέρος*, pars.

HOMOEOPROPHERON, i, n. *ὁμοιοπρόφερον*: ab *ὅμοιος*, similis, et *προφέρω*, profero; est vitium dictionis, cum eadem littera incipientes multae voces proferuntur: ut in illo *Ennii:* O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tulisti. *Capell.* 5, 167.

HOMOEOPTOTON, i, n. *ὁμοιόπτωτον*, similiter cadens: ab *ὅμοιος*, similis et *πίπτω*, cado. *Capell.* 5, 174.

HOMOEOTĔLEUTON, i, n. *ὁμοιοτέλευτον*, similiter desinens: ab *ὅμοιος*, similis, et *τελευτή*, finis. *Capell.* 5, 174.

[HOMOEUS, i, m. *ὅμοιος*, similis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240, 1. L. Cervarius Homoeus. *F.*]

HŌMOLE, es, f. *Ὁμόλη*, mons Thessaliae, excelsus, pars Pelii, Othry monti vicinus, sedes Centaurorum, ubi urbs ejusdem nominis. *Virg. A.* 7, 694. cum vertice montis ab alto Descendunt Centauri, Homolen, Othrynque nivalem Linquentes cursu rapido. ℙ *Scribitur et *Omole. B. A.*

*HOMOLĪUM, i, n. *Ὁμόλιον*, opp. Thessaliae, ad montem Ossam. *Plin.* 4, 9. *Liv.* 42, 38. ed. *Drak.* In ed. *Gronov.* impressum *Omolium. B. A.*

HOMOLOĪDES, um, f. plur. *Ὁμολωΐδες*, portae Thebarum Thessalicarum. *Stat. Th.* 7, 252. per ingentes Homoloidas exeat Haemon. ℙ **Ὁμολωΐδες πύλαι* sunt *Paus. Bocot.* 8. *Aeschyl. S. c. Theb.* 756. *Eurip. Phoeniss.* 1079. *B. A.*

[HOMONĂDENSIS, e, adj. ad Homonadam pertinens, opp. Lycaoniae, conterminum Pisidiae, et Isauriae, de quo *Plin.* 5, 27, 23. ℙ *Homonadenses, ium* sunt incolae illius opp. ap. *Tac. A.* 3, 48. *F.*]

HOMONYMĬA, ae, f. *ὁμωνυμία*, dicitur cum pluribus rebus, aut nominibus eadem appellatio est: ab *ὁμοῦ*, simul, et *ὄνυμα*, nomen. *Quint.* 7, 9. sed Graece.

HOMONYMUS, a, um, adj. *ὁμώνυμος*, qui idem nomen habet, ut taurus animalis nomen est, et montis, et sideris, et radicis, et quandoque alicujus hominis. *Quint.* 8, 2. *med.*

HOMOTŌNUS, a, um, adj. *ὁμότονος*, ab *ὁμοῦ*, simul, et *τείνω*, extendo. Vox Graeca, qua significantur ea, quae aequaliter extensa sunt, ut nervi, et funes in catapultis, etc. Usurpat *Vitr.* 1, 1. *med.*

HOMOŪSĬUS, a, um, adj. *ὁμοούσιος*, ab *ὁμοῦ*, simul, et *οὐσία*, substantia. Latine a scriptoribus Ecclesiasticis *consubstantialis* redditur. *Hieron. ep.* 77. *n.* 2. Haereticus vocor, homousiam praedicans Trinitatem.

[HOMULLŬLUS, i, m. dimin. hominis, homunculus. *Prisc.* 3, 614. Dicitur et homuncio, et homullus, et homullulus. *F.*]

HŌMŬLUS et Homullus, i, m. homunculus, dimin. hominis. *Cic. Pis.* 25. Quid cessat hic homulus ex argilla, et luto fictus, etc. *Lucr.* 3, 928. brevis hic est fructus homulis. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 873. Sed et in loc. cit. *Ciceronis* al. leg. *homullus.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 478, 10. M. Valerius Homullus. *F.*]

HŌMUNCĬO, onis, m. dimin. parvus aut vilis homo. *Cic. Acad.* 4, 43. *med.* Homuncio hic, qui multa putat praeter virtutem homini cara esse. *Sen. ep.* 116. Nos homunciones sumus: omnia nobis negare non possumus. Horatium Flaccum a brevi statura Augustus appellabat (ap. *Suet. in ejus Vita*) homuncionem lepidissimum. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 423, 7. M. Julius Homuncio. Hic perperam legitur *Omuncio*, nam *Jo. Labusius*, qui lapidem vidit, affirmat ibidem legi *Homuncio.* V. in littera H. *F.*]

HŌMUNCULUS, i, m. idem ac homuncio. *Cic. Tusc.* 1, 9. Ut homunculus e multis, probabilia conjectura sequens. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant. *Pl. Capt. prol.* 51. et *Rud.* 1, 2, 66. Hui! homunculi, quanti estis, *h. e.* ehu miseri homines, quam nihili estis. *Appul. Met.* 9. Dii boni! quales illic homunculi vibicibus depicti, etc.

HONESTĀMENTUM, i, n. ornatus, decus. *Sall. f. or.* 2. *ad Caes.* Omnia honestamenta pacis, et praemia belli. *Sen. ep.* 66. Nullo honestamento eget virtus: ipsa magnum sui decus est. *Appul. Apol.* Gratiam corporis morum honestamentis ornare. *Gell.* 10, 26. *f.* Translationes habitae pro honestamentis orationis.

HONESTAS, atis, f. *τὸ καλὸν, κάλλος*, res honesta, et laude digna: qua quis honorem meretur, decus, dignitas, laus, honestum: cui *turpitudo* opponitur. *Cic.* definire videtur, tacito nomine, cum ait *Sen.* 13. Esse aliquid natura pulcrum atque praeclarum, quod sua sponte petatur, quodque, spreta et contempta voluptate, optimus quisque sequatur. *Lactant.* 3, 8. *f.* Quid est honestas, nisi honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus? *Cic. Att.* 7, 11. O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem unquam *τοῦ καλοῦ* viderit! atque haec ait omnia facere se dignitatis causa: ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? *Id. Top.* 24. Judicii finis est jus: deliberandi utilitas: laudationis honestas. *Id. Off.* 1, 2. In officio colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo; et 5. *extr.* His rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes, honestatem et decus conservabimus. *Id. Rab. perd.* 8. Virtus, et honestas, et pudor cum consulibus esse cogebat. *Id. Arch.* 6. Nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem. *Id. Phil.* 7, 5. Auctoritas senatus decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat. *Id. Rosc. Am.* 39. *med.* Amittere honestatem omnem. *Id. Rabir. Post.* 16. Honestate spoliatus. *Q. Metell.* ap. *Gell.* 17, 2. Omni jure atque honestate interdictus, *h. e.* patria, atque honoribus privatus. *Nep. praef.* Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. *Liv.* 1, 47. *f.* Fautorem infimi generis hominum, odio alienae honestatis, ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique divisisse; et *Cic. Rosc. Am.* 6. Quas, ut aequum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. *Gell.* 1, 3. *med.* Honestas famae, *h. e.* bona existimatio. [*Etiam absolute pro *bona fama* dicitur. *Cic. Rosc. Am.* 39. Damnatus per arbitrum, ut rem restitueret, et honestatem omnem amitteret. ℙ In plur. numero. *Cic. Mur.* 40. Nolite judices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus, atque omni dignitate, fortunaque privare; et *Sext.* 51. Causa popularis, in qua omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt, *h. e.* omnes honesti viri, seu qui honoribus functi sunt, vel funguntur. ℙ Videtur etiam sumi pro bonitate, humanitate. *Suet. Gramm.* 13. Tanta eum honestate praeditum, ut temporibus Sullanis proscriptorum liberos gratis et sine mercede ulla in disciplinam receperit. [*Comp. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 401. *Gall. honneteté.*] ℙ Tribuitur et rebus inanimis, ut honestas testudinis, ap. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. h. e. pulcritudo, concinnitas, dignitas porticus cameratae. *Manut.* aliter legi mallet, sed nihil mutandum. ℙ [*Ita usurpatur etiam in rebus oratoriis et signif. *magnificentiam, sublimitatem. Cic. Or.* 3, 31. Rerum copia verborum copiam gignit, et si est honestas in rebus, existit ex rei natura quidam splendor in verbis.]

HONESTĀTUS, a, um, part. ab *honesto:* honoratus, ornatus. *Cic. in Sen.* 1. A senatu saepe magnificentissimis decretis honestati. *Sall. Cat.* 36. Quod non dignos homines honore honestatos videbam. [*Ap. *Kritz.* 35, 3. ubi v.]

HONESTĒ, adv. *καλῶς*, cum honestate. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Thermum, Silium vere audis laudari; valde se honeste gerunt. *Id. Amic.* 16. Quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. *Id. Off.* 3, 30. Honestius hic, quam Q. Pompejus. *Sen. Contr.* 2, 12. *med.* Quem honestius subjecit mulier, quam peperit. *Hirt. B. Afr.* 31. Si propius accederetur, quam honestissime se intra munitiones reciperent. *Pl. Merc.* 2, 3, 69. Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes; et *Rud.* 2, 3, 77. Honeste aliquem accipere; et *ib.* 2, 5, 8. Honeste ferre aquam, i. e. decore. *Suet. Aug.* 43. Adolescentulus honeste natus, [*i. e. honesto genere.] *Ov. Fast.* 2, 833. de Lucretia: Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste, Respicit. Graeci dicunt *εὐσχημόνως πεσεῖν.* Et *Caes.* 82. Togae sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata, [*i. e. sine dedecore.]

Plin. ep. 7, 33. *extr.* Historia non debet egredi veritatem, et honeste factis veritas sufficit. [**Quint. Inst.* 11, 1, 14. Est autem, quod omnes et semper et ubique doceat, facere ac dicere honesti: contraque neminem unquam ullo loco, turpiter.] *Ter. Andr.* 4, 5, 2. Quae sese inhoneste optavit parere hic divitias potius, quam in patria honeste pauper vivere; et *Eun.* 4, 4, 49. Honeste abire [**Hor. ep.* 2, 1, 43. Iste quidem veteres inter ponetur honeste, i. e. jure.] ℙ Transfertur et ad inanima. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Fastigium non honeste vergit in tectum inferioris porticus, *h. e.* non concinne, non apte, non cum dignitate. *Varr. L. L.* 7, 16. Utilitas et elegantia: quod non solum vestiti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam ut videamur vestiti esse honeste. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 5, 24. Gallinaceu' cum victor se gallus honeste Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues. ℙ [*Hinc in rebus oratoriis ap. *Vopisc. Prob.* 2. Illud tantum contestatum volo, me et rem scripsisse, quam si quis voluerit honestius, eloquio celsiore demonstret: ubi *honeste scribere* est *diserte, ornate, et eleganter scribere*, quod Gr. καλλιγραφεῖν, vel καλλωπίζειν τὴν λέξιν dixerunt. V. *Salm.* ad h. l.]

HONESTĬTŪDO, inis, f. honestas. *Accius* ap. *Non.* 2, 401. Tua honestitudo Danaos decipit diu.

HONESTO, as, avi, atum, a. 1. ἐπικοσμέω, honestum reddo, honoro, decoro, orno. *Pl. Capt.* 2, 2, 106. Cum me tanto honore honestas. *Cic. Off.* 2, 6. Quaecumque homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum; et *ib.* 1, 39. Nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. *Id. Cat.* 4, 10. L. Pauli currum rex nobilissimus Perses honestavit; et *ib.* Tanta laus, quanta vos me vestris decretis honestastis; et *ib.* 1, 12. Summi viri Gracchorum et Flacci sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt. *Claud. Laud. Stil.* 1, 26. quem vultus honestat, Dedecorant mores. *Curt.* 3, 6. *f.* Aetas quoque vix tantis matura rebus, omnia ejus opera honestabat. *Cic. Mur.* 34. A quibus si domus nostra celebratur; si interdum ad forum deducimur; si uno basilicae spatio honestamur, etc., *h. e.* si una per basilicam deambulatione honoris causa comitamur. *Auct. ad Her.* 2, 18. Exornatio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae causa. *Plin.* 10, 2, 2. Avis aquilae magnitudine, caeruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces, caputque plumeo apice honestante. *Liv.* 26, 5. *f.* Ingens corpus erat, et arma honestabant. *Curt.* 8, 13. Arma auro et argento distincta corpus rarae magnitudinis honestabant. *Id.* 6, 2. Formam pudor honestabat. *Pl. Stich.* 2, 1, 7. Honestare dicta factis, *h. e.* comprobare, verba ad rem conferendo. ℙ [*Dicitur etiam in rebus oratoriis ap. *Auct.* ad *Her.* 4, 56. ubi *honestare orationem* est, *ornare, exornare*, quod fit figuris verborum et elocutionis. V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 195.]

HONESTUS, a, um, adj. honore et dignitate plenus, decorus, honoratus, nobilis, καλὸς, ἔντιμος. *Cic. Brut.* 81. Cum honos sit praemium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem; qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus, et honoratus videtur. [**Liv.* 36, 40. Satis honestam honoratamque imaginem fore.] *Id. Mur.* 7. Amplae et honestae familiae. *Brut. et Cass. ad Anton. Fam.* 11, 3. *med.* Te cupimus in libera republ. magnum atque honestum esse: et *ep. praec.* Qui nos salvos et honestos velit. *Cic. Fam.* 16, 9. *f.* Si poteris, cum Mescinio: caute is solet navigare: si minus, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. [*V. in *f. Caes. B. C.* 1, 20. Atque inter se (milites) per tribunos militum centurionesque atque honestissimos sui generis colloquuntur, i. e. eos militum gregariorum, qui aetate rebusque fortiter gestis essent ceteris honestiores s. nobiliores etc. V. *Mor.* et *Held.*] *Id. Tusc.* 5, 20. Bonis parentibus et honesto loco natus. *Id. fragm.* ap. *Quint.* 11, 1. *f.* Honestis parentibus ac majoribus nati. [**Nep. Ep.* 2, 1. Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere; ubi v. *Brem. Suet. Galb.* 9. Virgo honesta, i. e. honesto genere orta.] *Id. Fam.* 13, 4. Honestum municipium: et *ib.* 1, 2. Is dies honestissimus nobis fuerat in senatu. [*Coll. *Prop.* 3, 21, 34. Atque erit illa mihi mortis honesta dies.] *Sall. Jug.* 16. Exsul patria, atque omnium honestarum rerum egens, *h. e.* quae regem honestare debent. [*Poterant et ista commemorari. *Cic. Quint.* 13. Honestius judicium: quod famae ejus, cui intenditur, non tantum periculum affert. *Liv.* 1, 4. Quia Deus auctor culpae honestior erat. *Vell.* 2, 129, 3. Honesta paupertas. *Quint. Decl.* 4, 9. p. 92. Honestae artes, i. e. liberales et ingenuae, quae liberum hominem decent.] ℙ Saepe hoc adjuncto *Cic.* appellat Equites R., ut *Fam.* 13, 14, 31. 62. etc. [*Unde *honestissimi* homines vocantur publicani ap, *Cic. Manil.* 7.] ℙ Absolute. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. Semper quidem honos picturae fuit, ut ingenui exercerent: mox ut honesti: perpetuo interdicto, ne servitia docerentur. *Ov. A. Am.* 1, 769. Inde fit, ut quae se timuit committere honesto, Vilis in amplexus inferioris eat. *Suet. Aug.* 46. Necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles. ℙ De iis qui honores, seu magistratus gessere in republ. *Hor. Sat.* 1, 6, 96. meis contentus, honestos Fascibus et sellis nollem mihi sumere. *Plin.* 18, 3, 4. Honestis manibus omnia laetius proveniunt, *h. e.* imperatoriis: et alludit ad Serranos et Cincinnatos, qui suos ipsi agros colebant. ℙ Dicitur et de iis omnibus, quae honorem merentur, praecipue vero quae cum virtute fiunt. Quare et ad morum probitatem, et ad moderationem saepe refertur. *Cic. Att.* 8, 11. Ut civium vita opibus firma, copiis locuples, virtute honesta sit. *Id. Mur.* 6. Convivium moderatum atque honestum. *Id. Verr.* 2, 1, 49. Hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere, ℙ Item de iis, quae speciem boni habent. *Cic. Caec.* 25. Nonnunquam honesto et probabili nomine bono viro error objici solet. *Lucr.* 4, 1174. causas abeundi quaerat honestas. ℙ Ponitur et pro recto, convenienti, decenti, aequo. *Auct. ad Her.* 3, 2. Utilitas in duas partes in civili consultatione dividitur, tutam, et honestam: et *mox.* Honesta res dividitur in rectum, et laudabile. *Cic. Fam.* 13, 14. Honestius est de amicorum pecunia laborare, quam de sua. *Id. Rosc. Am.* 2. *f.* Si vobis aequa et honesta postulatio videtur. *Nep. praef.* Non eadem omnibus esse honesta, atque turpia, *h. e.* decere omnes, aut dedecere. [*V. *Brem.*] ℙ Pudicitiam notat in illo *Hor. Sat.* 2, 3, 57. clamet amica Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor. ℙ *Honestum, i*, est ipsa honestas. *Cic. Fin.* 2, 14. Honestum id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve, possit jure laudari: et *ib.* 5, 23. Honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. *Id. Off.* 1, 5. Facies honesti si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiae. *Lucan.* 2, 389. Justitiae cultor, rigidi servator honesti. V. *Sen. ep.* 118. *med.* ubi honesti et boni discrimen ostendit. ℙ *Honestus* refertur interdum ad pulcritudinem corporis, aliarumve rerum. *Nep. Eum.* 11. Dignitate honesta esse. *Ter. Eun.* 3, 2, 20. hem Eunuchum tibi: Quam liberali facie, quam aetate integra! *Tha.* Ita me Dii ament, honestus est: et 4, 4, 15. Ille erat honesta facie et liberali. [**Suet. Tib*, 68. Facies honesta, i. e. decora, quae generis nobilitatem ostenderet.] *Virg. A.* 10, 133. Dardanius caput ecce puer detectus honestum. *Id. G.* 3, 81. de equis: honesti Spadices, glaucique: color deterrimus albis. *Varr. R. R.* 2, 6. de asinis: Sumat firmos, omnibus partibus honestos, corpore amplo. *Stat. Th.* 2, 234. tunc ora rigantur honestis Imbribus, *rigò di belle lagrime le gote*, Tassus. *Varr. R. R.* 1, 4. Ager honestior. [*Hinc in rebus oratoribus usurpatur a *Cic. Or.* 15. ubi *vestibula causae honesta* sunt verbis et sententiis ita ornata et illustrata, ut orator iis possit auditorum animos ad se convertere, et in sui favorem occupare. Ita *Ernest.* in *lex. technol. lat. rhet.* p. 195.] ℙ *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 47. notat, *honestos* pro divitibus vetusto more dictos esse: nempe quia Curia pauperibus clausa est: dat census honores, ut ait *Ov. Amor.* 3, 8, 55. Hinc *Quint.* 1, 1. Res, quae fere ab honestis negligi solet, cura bene scribendi. [**Quint.* non de divitibus, sed de hominibus in aliqua dignitate constitutis intelligit. Non male quidem; sed in *Plin. l.* 35, 10. aptius Noster ad equestrem ordinem *honestos* referre videtur §. 3.]

HONOR, et HONŌS, oris, m. τιμὴ, reverentia, observantia, quam alicui exhibemus in testimonium virtutis, decus, ornamentum, amplitudo. Fortasse est ab αἶνος, laus. *Cic. Brut.* 81. Honos est praemium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem. *Id. Tusc.* 1, 2. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria. *Id. Fam.* 5, 20. Honorem habere alicui. *Id. Fin.* 3, 22. tribuere. *Ov. Fast.* 6, 57. praestare: et *Met.* 13, 16. demere. *Cic. Rosc. Am.* 47. reddere: et *ad Brut.* 1, 15. Decernere honores alicui. *Id. Att.* 9, 2. accipere ab aliquo: et *Dejot.* 5. Honore amplissimo quempiam afficere. *Caes. B. G.* 1, 43. Gratia, dignitate, honore quempiam augere: et *ib.* 5, 52. Praecipuo honore habere aliquem: et *ib.* 6, 12. Esse aliquo numero atque honore. *Cic. Att.* 7, 2. *f.* Habere aliquem in honore. *Id. Rosc. Am.* 28. Esse in honore et pretio apud aliquem. *Id. Tusc.* 1, 2. Honorem poetis non fuisse declarat oratio Catonis. *Id. Off.* 2, 17. Honori summo nostro Miloni fuit, quod Clodii conatus compressit. *Id. Fam.* 7, 26. Adducere aliquem in honorem. *Id. Or.* 1, 54. Amplissimis honoribus et praemiis decorari. *Id. Dejot.* 5. Honore amplissimo ornatus. *Virg. A.* 1, 339. Aliquem honore dignari. *Phaedr. prol. l.* 3. Honori et meritis dedicans librum tuis. *Vell.* 2, 123. Certamen ludicrum honori Augusti sacratum. *Hor. Od.* 1, 7, 8. in Junonis honorem. *Plin.* 34, 6, 13. Obsides a Porsenna redditi in honorem Cloeliae. *Sall. Jug.* 11. Medium ex tribus sedere, apud Numidas honori ducitur. *Cic. Or.* 36. Ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia. *Ov. A. Am.* 2, 277. plurimus auro Venit honos. *Id. Met.* 2, 387. acti sine honore labores. [*Multa praebat *B. Crus. cl. Suet.* p. 399.] ℙ *Honoris causa* est honorandi causa. *Cic. Quint.* 2. Vir fortissimus et clarissimus L. Sulla, quem honoris causa nomino; et *Rosc. Com.* 6. Toties hunc et virum bonum esse dixisti, et honoris causa appellasti. *Id. Verr.* 1, 7. C. Curio, quem ego hominem honoris potius, quam contumeliae causa nominatum volo. ℙ *Honorem praefari* est petere veniam, cum quid turpe dicturi sumus, ne offendantur ii, qui audiunt: quo ostendimus, omnem nos iis honorem habere. *Cic. Fam.* 9, 22. *med.* Si dicimus, ille patrem strangulavit, honorem non praefamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos praefandus est. Huc pertinent illa *Quint. decl.* 3. *in.* Tuis honos sit habitus sanctissimus auribus; et *Curt.* 5, 1. *med.* Honos auribus sit; et *Plin.* 28, 8, 24. Haec sunt, quae retulisse fas sit, ac pleraque ex his non nisi honore dicto. ℙ Frequenter est pretium, et aestimatio, qua res aliqua magni fit, et quodammodo in honore habetur. *Plin.* 9, 17, 27. Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, nullo in honore est: quod quidem miror, cum sit rarus inventu. *Id.* 19, 6, 32. Sunt in honore Creticae caepae. *Id.* 36, 26, 32. Maximus honos vitris in candido translucentibus. *Id.* 14, 4, 5. Vino Pramnio etiam nunc honos durat. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 70. Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque, Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. ℙ Saepe dicitur de magistratu es munere publico. *Nep. Att.* 6. Honores non petiit, cum ei paterent, quod neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, neque geri e republ. sine periculo. [*Notandum, cum de pluribus magistratibus, s. de publicis muneribus in universum sermo sit, v. *honor* semper plur. num. esse ponendum. V. *Liv.* 22, 26. Ad honores pervenire; ubi vulgo legebatur *ad honorem*. Hinc ap. *Cic. Fl.* 1. recte *Graev.*, prob. *Orell.*, sed contradicente *Ernest.*, cum *Fäerni edd. honorum* praeferre videtur, quod non de solo consulatu, sed de omnibus omnino publicis muneribus *Cicero* loquitur, quibus Flaccus post praeturam esset functurus.] *Cic. Verr.* 2, 5, 14. Ita quaestor sum factus, ut mihi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putem. *Nep. Cat.* 1. Honoribus operam dare. *Cic. Sull.* 29. *extr.* Neminem esse ex illo honoris gradu, qui, etc. *Caes. B. C.* 1, 77. Equites R. in tribunicium honorem restituere. *Hor. Sat.* 1, 6, 15. populus stultus honores Saepe dat indignis. *Petr. Sat.* 116. Ad summos honores pervenire. *Cic. Brut.* 68. Ad honores ascendere. *Id. Verr.* 2, 4, 37. Mandare honores hominibus novis. *Id. Fam.* 1, 8. Honoribus amplissimis perfunctus. *Sall. Jug.* 4. Furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia, et honores niti. *Id. Or. ad Caes.* 2. Ad honores quempiam extollere. *Id. Cat.* 49. Catulus maxumis honoribus usus. V. UTOR. *Suet. Aug.* 26. Magistratus atque honores capere [*ubi *magistr.* sunt legitimi, *honores* partim extraordinarii, partem novi.] *Sen. ep.* 64. *f.* Honori honorem habere. *Suet. Aug.* 26. Abire honore: et *Caes.* 20. Inire honorem. [*Plura v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 400. ℙ Ponitur honor etiam pro ordine honoratorum, magistratuum. *Lucan.* 2, 19. Latuit plebejo tectus amictu Omnis honos: ubi v. *M. Lag.* in ed. *Web.* Laudat *ib. Cort. Stat. Silv.* 1, 2, 233. Omnis honor, cuncti veniunt ad limina fasces, Omnis plebejo teritur praetexta tumultu. *ib.* 4, 26. Lucemque a consule ducit Omnis honos.] ℙ Interdum de sacrificiis, aliisque rebus, quibus honos habetur Diis. *Virg. G.* 3, 486. in honore Deum medio stans hostia ad aras. *Id. A.* 3, 118. meritos aris mactavit honores, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo: et *ib.* 1, 53. aris imponere honores. *Ov. Met.* 8, 740. nullos aris adoleret honores. *Id. Fast.* 4, 409. Farra Deae, micaeque licet salientis honorem Detis. *Virg. A.* 1, 636. Divum templis indicit honorem. *Liv.* 8, 33. *f.* Arae sacrificiis fument, honore, donis cumulentur. *Sil.* 3, 217. Martique sub omine fausto Instauratus honos: et 7, 184. primum Vestae decerpsit honorem Undique (*h. e. ex omnibus cibis*), et in mediam jecit libamina flammam. *Val. Fl.* 6, 152. in superos saevus honor, *h. e.* sacrificium humanae victimae. ℙ Interdum de laude. *Virg. G.* 2, 393. Ergo rite suum Baccho dicemus honorem Carminibus patriis. ℙ Interdum de sepulcro et exsequiis. *Val. Fl.* 3, 357. solutus honos cineri. *Ov. Trist.* 3, 3, 45. Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri Indeploratum barbara terra teget? *Virg. A.* 6, 333. Cernit ibi moestos, et mortis honore carentes Leucaspim, etc. ℙ Interdum de pulcritudine, et ornatu quolibet, unde alicui rei pretium et honos accedit. *Virg. A.* 1, 595. laetos oculis afflarat honores. *Sil.* 12, 243. niveosque per artus It Stygius color, et formae populatur honorem. *Virg. G.* 2, 404. silvis Aquilo decussit honorem. *Hor. Od.* 1, 17, 16. Ruris honores, *h. e.*

poma et fruges. [*V. *Mitscherl.*] (Adde *Sat.* 2, 5, 13.) *Stat. Th.* 10, 788. hi sertis, hi veris honore soluto Accumulant artus, *h. e.* apertis rosis, inquit *Lactant.* Sic *Sil.* 3, 487. aestatis honores. *Ov. A. Am.* 3, 392. navali cinctus honore caput, *h. e.* corona. Sic *Val. Fl.* 6, 296. Populeus cui frondis honor. *Hor. Ep.* 17, 17. Volente Circa, mens et sonus Relatus, atque notus in vultus honor, *h. e.* forma, decor. *Val. Fl.* 8, 30. roseo talis per nubila ductor Implet honore nemus. Adde *ib.* 237. et *Stat. Th.* 2, 160. et *ib.* 7, 255. [**Hor. Sat.* 2, 2, 28. Cocto num adest honor idem?] ℙ Nonnunquam donum, praemium, et mercedem significat: unde *honorarium. Cic. Fam.* 16, 9. *med.* Curio misi, ut medico honos haberetur, et tibi daret, quod opus esset. *Ov. Met.* 11, 216. nec Telamon sine honore recessit, Hesioneque data potitur. *Virg. A.* 5, 365. geminum pugnae proponit honorem. *Ter. Eun.* 5, 7, 22. Hic pro munere illo tibi honos est habitus. *Val. Fl.* 5, 291. nullos Minyis exsolvet honores. *Sil.* 9, 199. nil victor honoris Ex opibus posco. Adde *Cic. Quint.* 27. *f.* et 47. et *Verr.* 2, 1, 15., *Tibull.* 3, 1, 5. et *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. *Τιμὴ* quoque apud Graecos tum pretium, tum honorem significat. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 16, 9. *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 12.] ℙ Huc pertinet, quod *honores* dicuntur hereditates, et legata. *Quint. decl.* 261. p. 489. Divisurus cum his, qui non eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt. [*V. *Burm.*] *Julian. Dig.* 37, 5, 3. Nec enim quaerimus, cui acquiratur, sed cui honor habitus sit. Adde *Ulp. ib.* 32, 1, 11. *med.*, honorem enim ducebant, heredes institui, et legata accipere: contra contumeliam praeteriri, aut exheredari: quod esset illud testatoris extremum judicium eorum mores comprobantis. *Cic. Quint.* 4. Heredem testamento reliquit hunc P. Quintium: ut ad quem summus moeror morte sua veniebat, ad eundem summus honos morte perveniret. ℙ *Honor exsilii* dicitur a *Tac. H.* 1, 21. cum specie honoris submovetur aliquis ab urbe. ℙ Malum honorem alicui habere, *Q. Metell. Numid.* ap. *Gell.* 12, 9. dixit, pro contumelia et injuria afficere. Tanto, inquit, ille vobis, quam mihi pejorem honorem habuit. Sed hoc rarissimum est. ℙ In illo *Virg. A.* 12, 56. Turne, per has ego te lacrimas, per siquis Amatae Tangit honos animum: *Nonio* 4, 231. *honos* est dilectus amor. Rectius tamen *Servius:* si quem honorem habes Amatae. ℙ Olim *Honor* Deus habitus est, pater Majestatis, (V. *Ov. Fast.* 5, 23.) cultusque ab Romanis, ut honorarentur, ut ait *August. C. D.* 4, 21. templumque ei dicatum fuit una cum Virtute, horum simulacro separatis cellis posito. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 8., *Cic. Verr.* 2, 4, 54. et *Sext.* 54. ℙ *Honorus ἀρχαϊκῶς*, pro *Honoris* legitur in *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 207, 2. Ut ad aedem Honorus facta sunt. V. VENUS.

HŌNŌRĀBĬLIS, e, adj. *τίμιος*, honorem afferens. *Cic. Sen.* 18. Haec ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia, atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, etc. ℙ Item honore dignus, *ἀξιότιμος. Liv.* 4, 10. *extr.* Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaque omnis consulariter acta, verendum paene ipsum magis, quam honorabilem faciebant. Alii melius leg. *honorem.*

HŌNŌRĀBĬLĬTER, adv. cum honore. *Capitol. Macr.* 5. Honorabiliter sepelire. *Ammian.* 29, 2. Honorabiliter colebatur. Adde *August. ep.* 159.

[HŌNŌRĀLIS, is, adj. idem ac honorabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1259, 12. Januarius Honorali matri piae *posuit. F.*]

HŌNŌRĀRĬUM, ii, n. *γεροῦσιον*, pecunia, quae erogatur ab eo, qui honorem aliquem, seu magistratum init, pro introitu. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 114. Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniae decuriones fiunt, inferre debeant, necne, in universum a me non potest statui. V. DECURIO. ℙ Item merces, praemium, quod datur jurisconsultis, medicis, aliisque liberalium artium professoribus, operae ac laboris remunerandi causa: *mercedem* enim dicere, minus honorificum videtur. De quo *Vitr.* 10, 22. Diognetus fuerat Rhodius architectus: et ei de publico quotannis certa merces pro arte tribuebatur, ad honorem. *Ulp. Dig.* 11, 6, 1. Non crediderunt veteres, inter tales personas *(mensores agrorum)* locationem esse, sed magis operam beneficii loco praeberi: et id, quod datur, ei ad remunerandum dari: et inde honorarium appellari. *Id. ib.* 50, 13, 1. In honorariis advocatorum ita versari judex debet, ut pro modo litis, etc. Adde *ib.* 26, 7, 8. *med.* V. HONOR. ℙ Item munuscula, quae honoris causa mitti solebant propinquis et cognatis die Charistiorum, seu carae cognationis. *Tert. Idolol.* 10. Etiam strenae captandae, et septimontium, et brumae, et carae cognationis honoraria exigenda omnia. V. CHARISTIA.

HŌNŌRĀRĬUS, a, um, adj. ad honorem pertitens. *Honorarii ludi* videntur fuisse, qui a magistratibus in honore edebantur, ut ab aedilibus, praetoribus, imperatoribus, etc. *Suet. Aug.* 32. Triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit: *sc.* qui non piaculi, sed honoris tantum et laetitiae causa dabantur. *Paul.* ex *Festo* docet, honorarios ludos esse Liberalia, in honorem Bacchi. ℙ *Honorarius tutor* est, qui honoris solius causa sine onere administrationis, datur; qui tamen periculum pati solet, si male passus sit administrari tutelam, ut *Paul.* docet *Dig.* 23, 2, 61. Adde *Ulp. ib.* 26, 7, 3., ubi dari docet hujusmodi tutores, quasi observatores et custodes ejus, cui administratio commissa est. ℙ *Honorarius tumulus*, ap. *Suet. Claud.* 1. est cenotaphium, in quo scilicet cadaver non est conditum, sed honoris et monumenti causa excitatum est. V. CENOTAPHIUM. ℙ *Honorarium munus* ap. *Gell.* 16, 13. est munus gerendi honores in republ., quo municipes utebantur, qui quamvis suis viverent legibus, poterant ad magistratus R. ascendere. ℙ *Honorarii codicilli* praeturae, vel consulatus, praefecturae, etc. erant, qui absque administratione, solius honoris gratia, ab imperatoribus concedebantur. [**Ehrendiplom.*] *Imp. Zeno Cod.* 3, 24, 3. §. 2. Adde *Cod. Theod.* 6, 22. qui *De honorariis codicillis* inscribitur. Hinc *Honorarius consul*, *honorarius praetor.* V. *Novell. const.* 70. ℙ *Honorarium frumentum* erat, quod a provincialibus dabatur Romanis magistratibus honoris causa, et pro administratione provinciae. *Cic. Pis.* 35. Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? si quidem potest vi et metu extortum honorarium nominari. Sic *Cato* ap. *Isid. Orig.* 20, 3. Cum essem in provincia legatus, quamplures ad praetores et consules vinum honorarium dabant: nunquam accepi, ne privatus quidem. ℙ De honorariis mercedibus V. HONORARIUM. ℙ Dicitur saepe de iis, quae a praetore proficiscuntur, quoniam *praetor* nomen est summi magistratus Romae, quo olim et consul, et judex significabatur. (V. PRAETOR.) Magistratus autem *honor* dicitur. Hinc *honoratum* appellat praetorem *Ov. Fast.* 1, 53. Itaque *honorarium jus* sunt praetorum edicta: *honoraria actio*, quae *civili* opponitur et praetoris jure, non civilibus legibus nititur: sic *honoraria obligatio*, et *honorarius successor*, *curator*, et similia, quae a praetoris jurisdictione pendent. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. §. 10. *Ulp. ib.* 30, 1, 28. *Mart. ib.* 20, 1, 5. *Ulp. ib.* 46, 4, 13. *extr.* et *lib. regular. tit.* 13. ℙ *Honorarius arbiter* est, qui honorariam operam, non pacta mercede, praestat in disceptandis privatis controversiis, quales sunt, qui ab utraque parte litigantium eliguntur. Et *honorarius* dicitur, quia honorabile est arbitrum assumi, et quia solius honoris causa hujusmodi arbitrium exercetur. *Cic. Caec.* 2. *f.* Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum levius est, et persaepe disceptatore domestico dijudicatur: alterum est vehentissimum, et non honorariam operam amici, sed severitatem judicis ac vim requirit. *Id. Tusc.* 5, 41. Quam controversiam solebat, tanquam honorarius arbiter, judicare Carneades. Adde *Fat.* 17. ℙ Erant etiam arbitri, qui non a partibus eligebantur, sed dabantur iis ab ipso praetore, ut in ARBITER dictum est. Hi quoque *honorarii* dici possunt. ℙ *Honorarium est*, honorem parit, gratiam favoremque conciliat. *Cic. opt. gen. Or.* 1. *f.* Docere debitum est: delectare honorarium: permovere necessarium. ℙ *Honoraria vacca* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32, 36. et 41. est ea victima, quae pro sacrificio, non pro piaculo Diis offerebatur, nempe ut iisdem honor haberetur; quemadmodum et apud Hebraeos aliae hostiae pro sacrificio, aliae pro peccato immolabantur, ut patet ex plurimis locis libri *Levitici*, et *Numerorum.*

HONORATE, adv. *ἐντίμως*, cum honore et dignitate. *Vell.* 2, 129. *f.* Quam illum et honorate, nec secure continet! *Tac. H.* 4, 63. Honorate aliquem custodire. *Justin.* 5, 4. Utrum contumeliosius expulerint, an revocaverint honoratius. *Val. Max.* 2, 10, *n.* 2. Antiochus filium (superioris Africani, honoratissime excepit.

[HŌNŌRĀTIANUS, i, m. ad Honoratum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 517, 4. Q. Ranius Terentina Honoratianus Festus. *F.*]

HŌNŌRĀTIO, onis, f. actus honorandi, honor. *Fest.* (seu *Paul. Diac.*) in *Gradivus.* Corona graminea in re militari maximae est honorationis. Adde *Arnob.* 7, 221. et *Capell.* 1, 4. *F.*]

*HŌNŌRĀTOR, oris, m. ap. *Augusl. B. A.*

HŌNŌRĀTUS, a, um, part. ab *honoro: ἔντιμος*, honore affectus, in honore habitus, honestus, illustris. *Cic. Att.* 9, 12. Dionysius apud me honoratior fuit, quam apud Scipionem Panetius. *Pl. Capt.* 2, 2, 27. Quo de genere natus est illic Philocrates? *Vi.* Polyplusio: Quod genus illic unum est pollens atque honoratissimum. *Liv.* 32, 23. Navales socii, relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiae trangressi. *Vell.* 2, 76. Honoratissimo inter judices loco a Pompejo lectus. *Tac. G.* 11. Honoratissimum assensus genus est armis laudare. *Liv.* 27, 10. Honoratissimum decretum, [*i. e. honorificentissimum. *Id.* 3, 58. Honoratissimae imaginis vir. *Honorati amici* apud *Liv.* 40, 54. sunt idem, qui alias pupurati, *Höflinge.*] ℙ De iis, qui magistratus gessere, geruntve. *Ov. Pont.* 4, 5, 1. Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures, Verbaque honorato ferte legenda viro; et *ib.* 2, 2, 92. per quem decreta merenti Venit honoratis laurea digna comis. *Cic. Leg.* 1, 11. Propter honestatis et gloriae similitudinem, beati, qui honorati sunt, videntur; miseri autem, qui inglorii. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Vell.* 2, 54. *extr.* Qui vir cum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit. *Suet. Tib.* 3. Familia octo consulatibus, censuris duabus honorata. [**Eutr.* 7, 18. Familia honorata magis, quam nobili: ubi *Zschuck.* ita discrimen inter *honoratus* et *nobilis* constituit, ut hoc ad natalium splendorem, illud ad dignitates et honores gestos referi ab Eutropio censeat.] ℙ Speciatim *honoratus* dicitur praetor. V. HONORARIUS. ℙ [*Honoratus* item dicebatur sequiori tempore, qui in aliquo municipio aut colonia duumvir, aut quatuorvir, aut quinquennalis fuisset; item in militia, qui tribunus, aut dux, aut magister militum; item in collegiis, seu corporibus artificum, qui praefectus, aut magister. *Imppp. Gratian.*, *Val.* et *Theodos. Cod. Theod.* 9, 27, 6. Si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum, aut cujuslibet ordinis, a judicibus fuerit aliqua ratione concussus, etc. *Lampr. Alex. Sever.* 40. Divitiis nullius invidit, pauperes juvit, honoratos, quos pauperes vere, non per luxuriam aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit, agris, servis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. *Inscr.* ap. *Grut.* 279, 3. Imp. Caes. C. Valerio Diocletiano Aug. honorati, et decuriones, et numerus militum caligatorum. *Lampr. ib.* 28. Cum quidam ex honoratis, vitae sordidae et aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quod per reges amicos ambierat, admissus statim in furto, praesentibus patronis, detectus et damnatus est. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 343. *n.* 529. L. Pacatio tyranno honorato collegii fabrum tignariorum. Alia ap. *Grut.* 649, 7. Poppilius honoratus corporis utricularioram. *F.*] ℙ Est item honorabili praemio affectus. *Vell.* 2, 61. Honoratus equestri statua. *Ov. Met.* 15, 617. rus honoratum dicit, honoris ac praemii causa cuipiam donatum. Hinc in *vet. Inscr.* ad milites saepe refertur, qui militari praemio virtutis ergo affecti sunt. Ap. *Grut.* 395, 4. P. Cornelius Asper equo publico honoratus, item ornamentis decurionatus; et 414, 8. L. Furio. L. F. Pal. Victorino honorato et donato, etc. ℙ *Honoratus ad curam* is dicitur, cui cura aliqua honoris causa est delata. *Inscr.* ap. *Grut.* 444, 5. C. Octavio C. F. Pal. Modesto honorato ad curam Kalendarii Canusini *rium* a Divo Trajano Parthico. ℙ Cum genitivo rei. *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 6. Postquam est honoratus frugum, et floris Liberi. Al. rectius leg. *oneratus.* ℙ Ornatus, decoratus. *Solin.* 33. Phoenix, avis, aquilae magnitudine, capite honorato in conum plumis exstantibus. *Honestus* simili notione saepius legitur. V.

HŌNŌRĬĀDES, ae, m. patronym. Ita vocatur a *Claud.* filius Honorii Imp. Rom. in *Carm. de nupt. Honor.* 341.

HŌNŌRĬĀNUS, a, um, adj. ad Honorium Imp. pertinens, ut Honorianae thermae, *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15, 1, 50.

HŌNŌRĬAS, ădis, f. patronym. filia Honorii Imp. R. *Claud. Laud. Serenae* 130. Tales sceptriferi visurae tecta parentis. Limen Honoriades penetrant regale sorores.

*HŌNŌRIFĬCĀTUS, a, um, p. pass. *Vulgat. Interpr. Sirac.* 15, 2. et *Petr.* 1, 2, 4. *B. A.*

HŌNŌRĬFĬCE, adv. honorate. *Cic. Verr.* 2, 4, 62. Itaque in curiam venimus: honorifice sane consurgitur. *Id. Fam.* 6, 6. *med.* Nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. *Id. Pis.* 15. Nemini triumphus honorificentius, quam mihi, etc. *Id. Phil.* 7, 8. Respondere honorifice alicui; et *ib.* 11, 13. Quae de illo viro Sulla, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in senatu praedicaverunt! *Id. Fam.* 13, 27. Nec liberalius, nec honorificentius se potuisse tractari. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. *med.* Large atque honorifice promittere.

HŌNŌRĬFĬCENTĬA, ae, f. honor, decus. *Vopisc. Aurel.* 25. Templum Soli posuit, majore honorificentia consecratum. Adde *Symm. ep.* 6, 36. (al. 35.)

HŌNŌRĬFĬCO, as, a. 1. *τιμάω*, honore afficio. *Lact.* 7, 24. *extr.* Ut adorent et honorificent regem magnum. *Id. Ira D.* 23. Debemus Deum honorificare, quod beneficus. *August. ep.* 119 Salvatorem honorificantes.

HŌNŌRĬFĬCUS, a, um, adj. *τίμιος*, qui honorem affert. *Cic. Phil.* 2, 15. *f.* Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica. *Id. Fam.* 5, 2. Cum tu a me rebus amplissimis atque honorificentissimis ornatus esses; et *ib.* Orationem meam in te honorificam fuisse. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Imperium illi aetati honorificum. *Nep. Eum.* 1. Eum habuit ad manum scribae loco: quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos. *Vell.* 2, 45. Sub honorificentissimo ministerii titulo M. Ca-

tonem a republ. relegavit. *Mart.* 10, 45. Si quid honorificum pagina blanda sonat.

HONORIGER, a, um, adj. honoratus, honorificus. *Tert. Virg. vel.* 10. Honorigeram notam virginitatis prae se ferre.

HONORINUS, a, um, adj. ad honorem pertinens. *Honorinus, i*, est Deus honoris ap. *August. C. D.* 4, 21. [Commendare nascentes Deo Honorino, ut honorarentur. Alii rectius leg. *Deo Honori.* ℙ *Honorina, ae* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1030, 7. Parentes Honorina, et C. Rustenus Decianus filiae fec. *F.*]

HONORIPETA, ae, m. *φιλότιμος*, qui honores et dignitates captat. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Culpabilium virorum quatuor formae sunt, quarum prima est honoripetarum, etc.

*HONORIUS, i, m. Imperator Romanus, cum fratre Arcadio, quibus patrem Theodosium rempublicam quietam reliquisse, *S. Aurel. Victor.* in *Epit.* ubi desinit, affirmat. *Claudianus* poeta tum vixit, qui totus fere est in celebrandis Honorii laudibus. V. in *nupt. Honor. et Mar.* 118. in *laude Serenae* 96. etc. *B. A.*

HONORO, as, avi, atum, a. 1. *τιμάω*, honore afficio, colo. *Cic. Phil.* 9, 2. Nemo virtutem non honorabat; et 3. Alicujus mortem non monumentis, sed luctu publico honorare. *Id. Div.* 1, 40. Amphiaraum sic honoravit fama Graeciae, Deus ut haberetur. *Petr. Sat.* 83. Apollo lyram modo nato flore honorabat, *h. e.* ornabat. ℙ Significat etiam donare, praemio afficere. *Curt.* 7, 1. *med.* Cum donis honoramur, cum praemiis onusti revertimur. *Vell.* 2, 129. Quoties populum congiariis honoravit? *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. *med.* Nisi in arena passi sunt se honorari. ℙ Et cum genitivo. V. HONORATUS. ℙ Huc pertinet, quod *honorari* dicuntur et hi, qui legato, aut hereditate afficiuntur. *Callistr. Dig.* 48, 10, 15. Qui per servum, vel filium, dictante testatore, legato honoratur. *Inscr.* ap. *Grut.* 817, 12. honorare aliquem testamento. V. HONOR. ℙ *Honoror, aris*, deponentis forma pro *honoro* usurpat *Solin.* 1. *f.* Dionysius cum albis quadrigis Platonem egredientem in litore occurrens honoratus est. *Ampel.* 2. *med.* Ob id factum Junoni odio esse coepit, Leonemque coelesti dignitate est honorata. ℙ Part. *Honorandus* ap. *Appul. Met.* 2. *f.* Utinam aliquid de proprio lepore laetificum honorando Deo comminiscaris.

[HONOROSUS, a, um, adj. *Isid. Orig.* 10. in litt. *H.* Honorosus plus est, quam honoratus, sicut scelerosus plus est, quam sceleratus. *F.*]

HONORUS, a, um, adj. *τίμιος*, decorus, honorificus. *Tac. A.* 3, 5. Quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset. *Stat. Th.* 2, 629. Vos quoque, Thespiadae, cur inficiatus honora Arcuerim fama? et *ib.* 4, 230. honora mors. *Val. Fl.* 4, 342. Laetus ovat nunc laude virum, nunc vatis honoro Carmine. ℙ Item decorus, et honore dignus. *Stat. Th.* 5, 40. Advertere animos: majorque, et honora videri, Parque operi tanto.

*HONOSCA, ae, f. Hispaniae opp., prope Iberum flumen. *Liv.* 22, 20. Ad Honoscam; ubi tamen *Jac. Gronovius* in *Dissert. epist. in T. Livii quaedam geographica III. ad Wilh. Goesium* (ad calcem ed. *Gronov.* T. II.) legere mavult *Etovissam. B. A.*

*HONUS, eris, pro Onus, et Honera pro Onera, dicebant antiqui teste *Gell.* 2, 3. V. v. sq. *B. A.*

*HONUSTUS, a, um, pro Onustus, antiquorum fuit. *Gell.* 2, 3. V. v. praec. *B. A.*

HOPLITES, ae, m. *ὁπλίτης*, armatus, miles gravis armaturae: ab *ὅπλον*, arma. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. de tabula Parrhasii: Sunt et duae picturae ejus nobilissimae; Hoplites alter in certamine ita decurrens, ut sudare videatur: alter arma deponens, ut anhelare sentiatur. Alii leg. *Hoplitides*, ut sit femin. plur. ab *ὁπλῖτις*, femina armata, seu potius pictura armata: alii pejus *Hoplitites;* Graece enim *ὁπλίτης* tantum, non *ὁπλιτίνης* usurpatur.

HOPLOMACHUS, i, m. *ὁπλομάχος*, armis pugnans: ab *ὅπλον*, arma, et *μάχη*, pugna. Gladiatorem significat in illo *Mart.* 8, 74. Hoplomachus nunc es: fueras ophthalmicus ante. Fecisti medicus, quod facis hoplomachus. Adde *Suet. Cal.* 35. Porro *hoplomachi* gladiatores a meridianis distinguebantur, qui nullo tecti munimento pugnabant: de quibus *Sen. ep.* 7. Nihil habent, quo tegantur: ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt: non galea, non scuto repellitur ferrum, etc. V. MERIDIANUS. ℙ [Est etiam cogn. R. *Val. Max.* 8, 6. *n.* 1. C. Licinius cognomine Hoplomachus. *F.*]

[HOPORA, ae, f. *ὀπώρα*, autumnus, aetas maturior. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 485. Maecenatiana C. L. Hopora. Hic aspiratio, ut saepe alias, redundat; nam nulla est in voce Graeca allata.

HORA, ae, f. *ὥρα*, pars diei vigesimaquarta. Is enim in vigintiquatuor spatia aequalia dividitur: quarum duodecim noctem absumunt, totidem diem. *Macr. Sat.* 1, 21. docet Solem lingua Aegyptia *Horum* vocari: inde *horae* nomen esse. Sed verius est, a voce Graeca allata deduci. Olim Romani cum horologia non haberent, noctem quadrifariam, *h. e.* in primam, secundam, tertiam, quartam vigiliam dividebant, petito more a re militari: diem vero bifariam, ante, et post meridiem; vel ortum, et occasum: deinde additus est meridies. Solario vero primum, postea aquario horologio in foro positis, invecta est horarum distributio. V. *Plin.* 7, 60, 60. et *Censorin. de die nat.* 23. Porro ipsae horae diurnae nocturnaeve ita distribuebantur, ut longiores essent aestate diu, breviores noctu, contrariaque ratione per hiemem, quo totum illud spatium duodenis aequarent partibus. Cum itaque Romae, teste *Galen. de sanit. tuend. l.* 6. *c.* 5., maximi dies ac noctes paulo majores quindecim horis aequinoctialibus essent; et minimi paulo infra novem; consequitur, horam aestivam, seu solstitialibus diebus aequalem fuisse horae aequinoctiali cum quadrante, ac paulo etiam amplius, hibernam autem, seu brumalibus diebus paulo minorem horae aequinoctialis dodrante. Unde *Pl. Ps.* 5, 2, 10. Credo equidem, potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor Fructus ebibere in hora una. *Ps.* hiberna, addito; et *Mart.* 12, 1. Otia, Prisce, brevi poteris donare libello: Hora nec aestiva est, nec tibi tota perit; et *Veg. Mil.* 1, 9. Viginti millia passuum horis quinque dumtaxat aestivis conficienda sunt. ℙ De horis lunaribus, V. LUNARIS. ℙ Quoties vero scriptores Latini *horam* absolute dicunt, aequinoctialis esse intelligenda videtur, nisi appareat ex ipsa rei narratione, de qua anni tempestate sermo sit. De usu vocis haec sunto. *Cic. Brut.* 54. Videt oscitantem judicem loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, *h. e.* mittentem in forum, qui visant, nuncientque, quota sit hora. [*Horae* signif. h. l. *horologium*, v. *Schütz.* in *cl. Cic. s.* h. v. et *Ellendt.* ad *Cic. l. l.* Schützii sententiam prob.] *Petr. fragm. Trag.* 71. *Burm.* Horas inspicere. [*Coll. *Suet. Dom.* 16. Horas requirenti: ubi *Brem.* monet, in his nunquam singularem poni posse.] *Hor. Sat.* 2, 6, 44. hora quota est? *Plin.* 7, 53, 54. Cum a puero quaesisset horas. *Suet. Aug.* 78. Non amplius, quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *med.* Hora ante Pollentiam venit, quam, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *med.* Hora amplius jam in demoliendo signo moliebantur. *Hor. Ep.* 1, 1, 82. Durare horam. *Cic. Fam.* 9, 11. Accubueram hora nona, cum, etc. *Id. Quint.* 6. Ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie. *Id. Mil.* 10. Fit obviam Clodio hora fere undecima. *Id. Att.* 4, 2. Cum horas tres fere dixisset, odio et strepitu coactus est aliquando perorare; et *ib.* 10, 13. Dormiit ad horas tres; et *Fam.* 15, 16. Si haberem, cui darem, vel ternas epistolas in hora darem; et *Phil.* 5, 9. In horam vivere, *h. e.* nulla cogitatione et cura futuri, quod *in diem vivere*, *Id. Or.* 2, 40. dixit. *Sen. Q. N.* 2, 16. Quartana ad horam venit; et *Plin. ep.* 3, 17. Exspectare in horas. *Hor. Sat.* 2, 7, 10. In horas mutare clavum. Sic *A. P.* 160. mutatur in horas! et *Od.* 2, 13, 13. Quid quisque vitet, nunquam homini satis Cautum est in horas, *h. e.* singulis horis, *γνώμη*. *Id. Ep.* 2, 1, 189. Quattuor, aut plures aulaea premuntur in horas, Dum fugiunt, etc. *Caes. B. C.* 3, 79. Domitius vix quatuor horarum spatio antecedens, *h. e.* spatio, seu itinere, quod quatuor horis confici potest. *Plin.* 17, 11, 16. In horam diei quintam, vel octavam spectare, *h. e.* in eam coeli plagam, in qua sol hora quinta, vel octava esse solet. Sic 6, 32, 37. Fortunatas *(insulas)* esse contra laeva Mauritaniae, in nonam horam solis. ℙ *Omnium horarum homo* dicitur, qui seriis pariter, ac jocis est accomodatus, et quicum licet assidue convivere. *Quint.* 6, 3. *f.* Illa potius urbana esse dixerim, quae ridicula dicuntur, et tamen ridicula non sunt, ut de Pollione Asinio, seriis jocisque pariter accommodato, dictum est, esse eum omnium horarum. *Suet. Tib.* 42. Jucundissimos et omnium horarum amicos professus. ℙ Singulae diei horae quibus officiis occuparentur, habes in illo *Mart.* 4, 8. Prima salutantes, atque altera continet hora: Exercet raucos tertia causidicos, etc. ℙ In illo *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: *horae* sunt, quas praestituebant causas agentibus, quas ad clepsydram metiri mos erat. V. CLEPSYDRA. ℙ Aliquando *hora* dicitur de illa, qua nati sumus. *Sen. Apocol. in.* Non est mirum, si mathematici errant: horam ejus nemo novit. *Hor. Od.* 2, 17, 18. pars violentior Natalis horae. ℙ *Ὥρα* Graece proprie tempus significat, qua ratione Latini quoque adhibent. [*V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 3, 417.] *Hor. Ep.* 1, 11, 22. Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam, Grata sume manu. *Id. Od.* 2, 16, 31. Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora. [*Prop. 2, 28, 16. Extremo veniet mollior hora die: ubi v. *intpp.*] *Id. ib.* 3, 13, 9. Te flagrantis atrox hora Caniculae Nescit tangere. *Virg. G.* 1, 425. nunquam te crastina fallet Hora. *Sil.* 3, 141. brevitasque vetat mutabilis horae Prolatare diem. *Ov. A. Am.* 1, 249. Nocte latent mendae, vitioque ignoscitur omni: Horaque formosam quamlibet illa facit. [*Huc pertinent etiam ista. *Lucan.* 7, 50. Mortis vicinae properantis admovet horas; ubi *Cort.* laud. *eund.* 9, 87. Hora fatalis; 6, 415. Discriminis horam. *Tibull.* 3, 5, 5. At mihi Persephone nigram denunciat horam; ubi v. *Broukh.* et *Vulp.* Adde *Sil.* 11, 194. Nunc hora, viri, nunc tempus adeste. *Ov. Ib.* Leniat aut odium tempus et hora meum.] ℙ Dicitur et de tempore anni, Graeco item more. *Plin.* 12, 3, 7. Arbor ipsa omnibus horis pomifera est. *Id.* 9, 35, 54. Genitalis anni hora, *h. e.* ver. *Hor. A. P.* 302. sub verni temporis horam. *Id. Od.* 1, 12, 15. variisque mundum Temperat horis. [*Tibull. 4, 1, 51. Dum terna per orbem Saecula fertilibus Titan decurrerit horis: Gr. *ὧραι ἐνιαύσιοι.*] ℙ Metonymice *horae* sunt horologium. *Cic. N. D.* 2, 38. Cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis. ℙ In fabulis *Horae* sunt Deae, filiae Jovis et Themidis. Novem alii faciunt: decem alii, ut videre est apud *Hyg. fab.* 183., ubi et earum nomina recitat. Dicuntur autem esse Solis ministrae. *Ov. Met.* 2, 118. Jungere equos Titan velocibus imperat Horis: Jussa Deae celeres peragunt. Adde *Val. Fl.* 4, 92. et *Stat. Th.* 3, 410. ℙ Sunt etiam Lunae ministrae. Apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 4. *tav.* 16. videre est *Horam* alticinctam et alatam, quae dextra quidem tenet equorum Lunae bigis junctorum frena, sinistra vero virgam. ℙ Dicuntur etiam custodes esse coeli aditus. *Ov. Fast.* 1, 125. de Jano: Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis. ℙ Quia *ὥρα* Graece etiam pulcritudinem significat, *Horam*, vel *Oram* dixere juventutis Deam. Ita *Non.* 2, 394., ubi affert illud *Ennii:* Te, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini. V. HERSILIA. Poetica licentia primam corripuit *Ov. Met.* 14, 851. Mutat, horamque vocat, quae nunc Dea juncta Quirino est. ℙ *Hora* est etiam cogn. R. V. EHORA. ℙ De horarum numero, nominibus, et symbolis multa docte disputat *Zoega Bassiril. ant. T.* 2. p. 218. et sqq., quem consule sis. ℙ [*Confund. *hora* et *ora*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 416.]

HORAEUS, a, um, adj. *ὡραῖος*, pulcher, vernus. *Horaeus, i*, m. est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 818, 2. L. Pontius Horaeus. ℙ *Horaea, ae*, f. est item cogn R. *Inscr.* ap. *eund.* 961, 10. Asellia A. L. Horaea. ℙ *Horaeum, i*, n. est genus salsamenti ex pelamide pisce, ita appellatum, quod veris tempore confici soleat. *Pl. Capt.* 4, 2, 71. Horaeum, scombrum, et trigonum etc. *Plin.* 32, 11, 53. *f.* Triton pelamidum generis magni, ex eo horaea cybia fiunt. *Varr. L. L.* 4, 12. Thynnus, cujus item partes Graecis vocabulis omnes, ut melandrya, atque horaeon. Ap. *Plin.* et *Varr. l. c.* alii perperam leg. *uraea*, et *uraeon.* ℙ Quod autem addunt quidam ex *Plin.* 11, 14, 14. de *horaeo melle*, hanc vocem ibi *Plin.* Graecis litteris scribit. [*immutavit locum et ampliavit *F.*]

HORALIS, e, adj. horarius, ut *Horale spatium, h. e.* horae unius, ap. *Venant. de Vita S. Martini* 4, 364.

[HORANUS, i, m. ad horam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Cancellieri de secretariis T.* 4. p. 1760. M. Camarius Horanus. *F.*]

HORARIUS, a, um, adj. qui est unius horae. *Suet. Ner.* 37. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat. *Id. Dom.* 3. Inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat. Utroque tamen in loco alii rectius leg. *horarum* pro *horarium.* ℙ *Horarium, ii*, n. est horologium. *Censorin. de die nat.* 23. *med.* P. Cornelius Nasica censor ex aqua fecit horarium: quod et ipsum, ex consuetudine noscendi a sole horas, solarium coeptum vocari. ℙ [*Horarius, ii*, m. horologii moderator, ex quo officio factum est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 7. Ti. Claudius Secundinus Felici Horario patri suo. *F.*]

*HORATAE, arum, m. Indiae pop. *Plin.* 6, 20, *B. A.*

HORATIANUS, a, um, adj. ad Horatium pertinens. *Gell.* 2, 22. *med.* Sunt alii venti, suae quisque regionis indigenae: ut est Horatianus quoque ille Atabulus. V. *Hor. Sat.* 1, 5, 78.

HORATIUS, a, um, adj. ad Horatium aliquem pertinens, ut Horatia pila, *Liv.* 1, 26. gens, *Id. ib.* proles, *Manil.* 1, 776. facta, *Id.* 5, 107. virtus, *Virg. Cul.* 360. ℙ Horatia lex, *h. e.* quam tulit M. Horatius consul an. U. C. CCCV., ut qui tribunis plebis, aedilibus, judicibus nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris, liberi, liberaeque venum iret. *Liv.* 3, 55. Alterius Horatiae legis meminit *Gell.* 6, 7. V. ℙ Horatia tribus memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 308, 1. et alibi.

HORATIUS, ii, m. nomen Romani civis. Celebris fuit virtute militari Horatius Cocles. V. COCLES. Celebres et illi tres fratres Horatii, qui contra totidem Curiatios sub Tullo Hostilio pugnantes, libertatem, imperiumque Romanum insi-

gni victoria asseruerunt: de quibus V. *Liv.* 1, 24. 25. et 26. Celeberrimus vero poetica facultate, qua sibi immortalitatem peperit, Q. Horatius Flaccus, Venusinus, lyricorum Latinorum princeps, libertini hominis filius, statura quidem brevis, sed ingenio excelsissimus, qui sub Augusto floruit: scripsitque praeter odas, satyras quoque, et epistolas: ubique Latinissimus, lepidissimus, elegantissimus: carus ob id Augusto ipsi, et Maecenati, aequalibusque litteratis viris, post mortem in litteraria republica magnum sibi nomen jure ac merito adeptus: quem solum legi dignum inter lyricos, *Quint.* 10, 1. testatur. *Ov. Trist.* 4, 10, 49. Et tenuit nostras numerosus Horatius aures, Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

*HORCONIA, ae, f. genus vitis in Campania, ubertate praecipuae. *Plin.* 14, 2. *extr. B. A.*

HORCTUM et Forctum pro bono dicebant. *Festus.* V. HERCTUM.

HORDA, ae, f. praegnans, idem ac forda. *Varr. R. R.* 2, 5. Quae sterilis est vacca, taura appellatur, quae praegnans, horda. Ab eo in Fastis dies Hordicalia nominantur, quod tunc hordae boves immolantur. *Festus:* Horda praegnans: unde dies, quo gravidae hostiae immolabantur, hordicidia. V. FORDICIDIUM.

HORDEACEUS, a, um, adj. qui est ex hordeo, κριθινος, ut Panis hordeaceus, *Plin.* 18, 11, 26. Hordeacea farina, *Cato R. R.* 157. *med.* et *Plin.* 20, 13, 51. messis, *Id.* 18, 29, 71. farrago, *Colum.* 2, 11. *med.* pira, *Id.* 5, 10. *med.* ubi inter generosissima reponit. V. v. seq.

HORDEARIUS, a, um, adj. κριθινος, qui hordeo vivit. *Plin.* 18, 7, 14. Et gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur. ℙ Aes hordearium, quod pro hordeo equiti Romano dabatur. *Fest.* (ubi al. leg. *hordiarium.*) V. in AES §. 10. *Caji* locum. ℙ Hordearia pruna, *Plin.* 15, 13, 12. Hordearia appellata a comitatu frugis ejus. Sic Hordearia pira, *Id. ib.* 15, 16. quod scilicet cum hordeo maturescunt: quae *hordeacea* dicuntur a *Colum.* 5, 10. ℙ *M. Coelius* ap. *Suet. Rhet.* 2. L. Plotium, qui accusatori suo Atracino actionem dictaverat, per contemptum appellabat *rhetorem hordearium*, deridens ut inflatum, ac levem, et sordidum. Videtur autem alludi ad hordeaceum panem, qui sordidus est, ac levis, inflandique vim habet: vel ad ignominiam militum, qui ob ignaviam hordeo pascebantur. ℙ Scribitur et *Ordearius.* V. HORDEUM.

HORDEIUS, a, um, adj. pro hordeaceus, legitur ap. *Pl. Cas.* 2, 8, 60. Varia tamen est ejus loci et lectio et interpretatio. V. TRITICEIUS.

HORDEOLUS, i, m. apostema nascens in extremitate palpebrae. *Marcell Empir.* 8. Hordeoli oculis infesti. *Theod. Prisc.* 1, 10. *f.* Si hordeoli in palpebris nascantur.

HORDEUM, i, n. κριθη, genus frumenti, de quo multa *Plin.* 18, 7, 10. ubi frugum omnium mollissimum esse ait, antiquissimum in cibis, et ex omni frumento minime calamitosum, quia ante tollitur, quam triticum occupet rubigo. *Virg. G.* 3, 317. et fragili jam stringeret hordea culmo. *Id. Ecl.* 5, 36. Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis, Infelix lolium, et steriles nascuntur avenae: *hordea* hic per synecdochen quaevis frumenta significare videntur. Ceterum in prosa oratione *hordea* in plurali num. non recte dixeris, monente *Quint.* 1, 5., tametsi si quis dicat, defendi possit *Ciceronis* auctoritate, qui *vina* dixit *Amic.* 19. et alibi. Sed et in carmine *Bavius* et *Maevius* (teste *Servio* ad *G.* 1, 210.) reprehenderunt *Virgilium* illo versu: Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat. [*Cf. *J. H. Voss.* notam ad versionem suam.] ℙ Fuit aliquandiu Romanis jumentorum pabulum. Hinc *aes hordearium*, scil. pecunia, quae pro hordeo dabatur equitibus ad equos alendos. Hinc etiam aliquando militibus ipsis, qui peccassent aliquid, ignominiae causa pro tritico datum legimus, quasi jumentis compararentur. *Liv.* 27, 13. de M. Claudio Marcello. Cohortibus, quae signa amiserant, hordeum dari jussit. *Suet. Aug.* 24. Cohortes, si quae cessissent loco, decimatas hordeo pavit. *Veg. Mil.* 1, 13. Ut tirones, qui parum in armorum prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere. ℙ Sunt qui scribunt *ordeum:* sed aspiratio omnino est adhibenda, inquit *Pier.* ad *citat. Ecl.* 5, tum ex antiquis plerisque codicibus, tum ex historia: nam *fordeum* prius dicebatur. Confirmant *Dausq.* et *Cellar.* in *Orthograph.* ℙ [*Etym. v. est ab *horridum*, quod *Buttm.* in *Lexil.* 1, 198. vidit. Cf. et *Döderl.* 2, 197. qui hunc laudat.]

HORDICALIA } V. HORDA et FORDICIDIUM.
HORDICIDIA. }

*HORESTI, orum, m. pop. Britanniae. *Tac. Agr.* 28. *B. A.*

*HORESTION s. Orestion, i, n. vini genus factitii. *Plin.* 14, 16. *B. A.*

HORIA, ae, f. navicula piscatoria, ut *Non.* 13, 3. definit: ab ὁριος, terminalis, quia circa oras et litora eadem navigabant. *Pl. Rud.* 4, 2, 1. Neptuno ago gratias, Cum me ex suis pulcre ornatum expedivit Templis reducem, praeda plurima onustum, Salute horiae, quae in mari fluctuoso, Piscatu novo me uberi compotivit. Adde 4, 3, 81. et *Gell.* 10, 25. ℙ [*Horia*, ae, f. ὡρια, tempestiva, matura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1144, 9. Pontia Horia. *F.*] ℙ Scribitur et *Oria.*

HORIOLA, ae, f. dimin. horiae. *Pl. Trin.* 4, 2, 100. Horiola advecti sumus per amnem. Adde *Gell.* 10, 25. ℙ Legitur et *Oriola.*

*HORISIUS, i, m. flumen Mysiae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

HORISTICE, es, f. ὁριστικη. Ap. *Diom.* 2, 421. est pars grammaticae, finitiva, quae praecepta demonstrat: cujus species sunt partes orationis, vitia et virtutes.

*HORITAE, arum, m. pop. Gedrosiae. *Curt.* 9, 10, ℙ Dicti et *Oritae. B. A.*

HORITUR, pro hortatur bis dixit *Ennius* in *Annalibus*, teste, atque interprete *Diom.* 1, 378. V. HORTOR.

HORIZON, ontis, m. ὁριζων, ab ὁρος, terminus, finis, unde ὁριζω, finio, termino. Vox est Graeca adjectiva, et *circulus*, vel *linea* subintelligitur. Latine aliis *finiens* dicitur (ut *Cic. Div.* 2, 44.) aliis *finitor*, teste *Sen. Q. N.* 5, 17. Dupliciter autem intelligi potest, vel circulus terram dividens in duas aequales partes, quarum una supra sit, infra altera: vel eam partem tantummodo circumscribens, quae aspectui nostro patet, quae multo minor dimidia est. Posteriore hac ratione accipitur a *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. *f.* et *Sat.* 7, 14. *f.* item a *Manil.* ubi ait 1, 622. Et medium plano praecingit limite gyrus, Atque a fine trahens titulum, memoratur Horizon. Similiter *Hyg. Astr.* 1, 4. Horizon appellatur is, qui terminat ea, quae perspici, aut non videri possunt. ℙ Ap. *Vitr.* 9, 8. dicitur *horizon* linea secans circulum bifariam per centrum, in descriptione horologii solaris.

[HORME, es, f. ὁρμη, impetus animi, alacritas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1571, 12. Aponia L. L. Horme. *F.*]

*HORMENIUM, i, n. Ὁρμένιον, Ὁρμήνιον, opp. Thessaliae, in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

[HORMENUS, i, m. ὁρμενος, ita appellatur asparagus silvester, seu corruda: ab ὁρμη, conatus, quia ipse promptissime e terra erumpit, unde etiam Latini ab *a* intensivo, et σπαράσσω, lacero, illum asparagum appellant. *Plin.* 19, 8, 42. Judicavimus et corrudam: hunc enim intelligo silvestrem asparagum, quem Graeci hormenum vocant. *F.*]

HORMESION, ii, n. gemma, quae inter gratissimas aspicitur, ex igneo colore radians auro, portante secum in extremitate candidam lucem. Haec *Plin.* 37, 10, 60. Vox composita ex ὁρμος, monile, et ἡσις, delectatio.

HORMIAE. V. FORMIANUS.

HORMINODES, is, m. ὁρμινώδης, gemma vehementis viriditatis, ambiente circulo aurei coloris, ab hormino, cui est viriditate similis. *Plin.* 37, 10, 60.

HORMINUM, i, n. ὁρμινον, herba hortensis, vulgo salvia transmarina, dodrantali altitudine, folio marrubii, semine cymino similis, cetera porro odoris optimi. *Plin.* 22, 25, 76. et 18, 10, 22. [**Scharlei, Scharlachkraut, Salvia Horminum, L.*]

[HORMUS, i, m. ὁρμος, portus, statio navalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 291, 1. A. Antonius Hormus. *F.*]

HORNO, adv. V. HORNUS.

HORNOTINUS, a, um, adj. idem ac hornus: ab *horno*, ut diutinus a *diu. Cic. Verr.* 2, 3, 18. Hae litterae L. Metelli, hoc, quantum est ex Sicilia frumenti hornotini, exaraverunt. *Cato R. R.* 17. Hornotinae nuces. *Colum.* 5, 6. *f.* Palmites de hornotinis virgis enati.

*HORNUS, a, um, adj. αὐτοετης, qui est hujus anni: videtur esse per syncop. pro *horinus* ab inusit. ὡρινος idem ac ὡρικος, ab ὡρα, tempus, anni tempestas, quasi dicas *hujus tempestatis.* [*V. *Graev. Lectt. Hesiod.* 2.] *Hor. Ep.* 2, 47. horna dulci vina promens dolio. *Id. Od.* 3, 23, 3. horna fruge Lares placare. *Id. Sat.* 2, 6, 88. palea porrectus in horna. *Prop.* 4, 3, 61. horni agni. ℙ Ablativus *horno* adverbii more ponitur, ητες. *Pl. Most.* 1, 3, 3. Horno messis magna fuit. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 403. Utrum anno, an horno te abstuleris a viro. Adde *Varron. ib.*

HOROFANTAE, seu Horophantae, arum, m. plur. sunt ὁριοταὶ, seu finitores, qui limitum, agrorumque confinia statuunt, et lites de finibus dirimunt: ab ὁρος, terminus. Hinc horofantae agrorum leguntur in *Cod. Theod.* 16, 10, 14., ut quidem *Reines.* putat *ad suarum inscription. cl.* 1. *n.* 157. Nam alii ibi legunt *hierophantae*, et sacerdotes intelligunt, de quibus in HIEROPHANTA dictum est. Quae lectio, atque interpretatio magis profecto congruit et cum lemmate ejus tituli, qui est *De paganis sacrificiis, et templis*, et cum ipsa re, de qua in ea lege agitur.

[HOROLOGIARIS, e, adj. ad horologium pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 6, 6. M. Ulpius Mucianus Mil. Leg. XIII. Gem. horologiare templum a solo de suo ex voto fecit: *nempe* templum, in cujus fronte horologium erat. *F.*]

HOROLOGICUS, a, um, adj. ad horologium pertinens, ut Horologica vasa, *Capell.* 6, 194.

HOROLOGIUM, ii, n. ὡρολογιον, horarium, instrumentum indicans horas: ab ὡρα, hora, et λεγω, dico. *Cic. Fam.* 16, 18. Horologium mittam, et libros, si erit sudum. *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* In eodem hemisphaerio medio, circum cardinem, est orbis ventorum octo, ut Athenis in horologio, quod fecit Cyprestes. *Sen. Apocoloc.* 2. Facilius inter philosophos, quam inter horologia conveniet. ℙ Primus horologium, quod appellant sciothericon, Lacedaemone ostendit Anaximenes Milesius, ut ait *Plin.* 2, 76, 78. Romanis vero, multo post tempore, primum proposuisse ejusdem generis horologium, ad aedem Quirini, undecim annos ante bellum cum Pyrrho, h. e. circa an. U. C. CCCCLX., L. Papirium Cursorem, *Fabius Vestalis:* statutum in publico secundum Rostra, in columna, bello Punico primo, a M. Valerio Messala Cos. Catina capta in Sicilia, deportatum inde, *M. Varro* narrat, post triginta annos, quam de Papiriano traditur. Usque ad ea tempora Romani horologio caruerant. Sed neque alterum illud a Messala propositum recti usus fuit, non congruentibus ad horas lineis ejus, quia ad clima Siciliae descriptae fuerant. Usi sunt tamen eo annis undecentum: donec Q. Marcius Philippus censor aliud diligentius ordinatum juxta posuit. Verum quia nubilo die incertae erant horae, proximo lustro Scipio Nasica primus aqua divisit horas, idque horologium sub tecto dicavit, an. U. C. DXCV. Tamdiu populo R. indiscreta lux fuit. Haec *Plin.* 7, 60, 60., cui similia habet *Censorin. de die nat.* 23., ubi illud addit, ipsum quoque horarum nomen, credibile esse, ante ea tempora ignoratum Romae fuisse, cum in XII. Tab. nusquam nominatae inveniantur. *Inscr.* ap. *Mur.* 2012, 3. Horologium cum suo aedificio, et signis omnibus, et clatris C. Blaesius C. F. Voltinia Gratus ex HS. N. . . ., et eo amplius ad id horologium administrandum serum (*nempe* servum) HS. N. IIII. D. S. D. ℙ [De solari horologio agit *Vitr.* 9, 8.. idemque laudat *Cassiod. Variar.* 1, 45., cujus tamen ratio paucis tantummodo abhinc annis innotuit ex octodecim antiquis horologiis sciothericis, quae an. 1790. Romae vulgavit, descripsit, illustravitque *Car. Antoninius* in *Serie de' candelabri*, etc., ac praecipue ex simili horologio omnium accuratissimo Romae reperto, quod vulgatum fuit ap. *Jos. Ant. Guattanium in Mem. Enciclop. T.* 5. p. 103., quos consulas, necesse est. ℙ Horologium vero aquarium, sive hydraulicum laudat *Cassiod. loc. cit.*, et de ejusdem conficiendi rationibus agit *Vitr.* 9, 9., ita tamen, ut, cum figurae perierint, quas ille in suo libro descripserat, plane intelligi quidquam vix possit. *F.*] ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 237, 6. Claudii aevo insculptum legitur *horilogium.*

*HOROSCOPICUS, ad horoscopum pertinens, ut *Horoscopici libri* ap. *Fulgent. Mythol.* 1. *B. A.*

HOROSCOPIUM, ii, n. ὡροσκοπειον, ab ὡρα, hora, et σκοπέω, specto: instrumentum est ad perquirenda horoscopa accommodatum. *Sidon. ep.* 4, 3. Tenere cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Vitruvio perpendiculum.

HOROSCOPO, as, n. 1. horoscopum facio, horoscopum praebeo. *Manil.* 3, 296. Jam facile est, si quod quandoque horoscopat astrum, Noscere. *Firm. Math.* 5, 1. Is erit, Ariete horoscopante, semper in Cancro.

HOROSCOPUS, a, um, adj. V. v. seq,

HOROSCOPUS, i, m. ὡροσκοπος, coeli pars, quae nativitatis tempore ab oriente emergit, ex cujus observatione nataliciae divinationes fiunt, ab ὡρα, quo nomine non intelligitur particula diei, sed absolute tempus, nempe tempus illud, quo quis primum exit in lucem, et a σκοπέω, speculor, nempe a consideranda coeli parte, quae tempore nativitatis surgit. Aliqui horoscopon definiunt eam coeli partem, quae hora qualibet ab inferiore hemisphaerio surgit ab oriente: deinde addunt, horoscopo item id temporis momentum significari, quo quisque nascitur, quasi horae inspectionem et notationem. Alii ipsum sidus intelligunt. *Pers.* 6, 18. geminos horoscope varo Producis genio. Adde *Manil.* 3, 190. 200. 207. 322. etc. Plurima habet de horoscopo *August. C. D.* 5, 2. et sqq. ℙ Interdum adjective sumitur, ut Vasa horoscopa, in quibus horae dignoscuntur. *Plin.* 2, 72, 74. Vasa horoscopa non ubique eidem sunt usui. Adde *Capell.* 6, 194.

HORREARIUS, ii, m. horrei custos. *Gloss. Philox.* Horrearius, ἀποθηκάριος. *Inscr.* ap. *Grut.* 109, 7. Genio horreorum Saturninus, et Successus horrearii donum dederunt. *Labeo Dig.* 19, 2, 60. §. 9. Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus praestare deberet, locatorem totorum horreorum horreario praestare non debere, puto. *Celsus* ap. *Ulp. Dig.* 10, 4, 5. Si quis merces, quas exvehendas conduxit, in horreo posuit, cum conductore ad exhibendum agi posse. Item, si, mortuo conductore, heres exsistat, cum herede agendum.

Sed si nemo heres sit, cum horreario agendum. Nam si a nullo possidentur, verum est aut horrearium possidere, aut certe ille est, qui possit exhibere. Haec *Cels.* Adde *Ulp. ib.* 9, 3, 5.

HORRĔĀTĬCUS, a, um, adj. ad horreum pertinens, ut Horreaticae species, h. e. fruges, quae in horreo asservantur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 14, 3.

*HORRENDE, adv. *Vulg. Sapient.* 6, 5. et 17, 3. *B. A.*

HORRENDUS, a, um, part. ab *horreo: φοβερὸς*, horrificus, horribilis, timendus. *Liv.* 1, 26. Lex erat horrendi carminis. [*Id.* 9, 36. Silva invia atque horrenda.] *Plin. Pan.* 52. Truces horrendaeque imagines. *Virg. A.* 3, 26. Horrendum, et dictu video mirabile monstrum. *Hor. Od.* 4, 14, 27. horrendamque cultis Diluviem minitatur agris. *Id. Sat.* 1, 8, 25. pallor utrasque Fecerat horrendas aspectu. *Val. Fl.* 1, 210. reddita tandem Vox horrenda viris. [**Hor. Sat.* 2, 5, 62. Iuvenis Parthis horrendus.] *Virg. A.* 4, 435. Vidit, turicremis cum dona imponeret aris (Horrendum dictu!) latices nigrescere sacros. *Ov. Met.* 15, 298. res horrenda relatu. [**Vell.* 2, 100, 2. Horrenda memoria.] *Id. Fast.* 6, 140. horrenda nox. *Seren. Sammon.* 7. et *Pall.* 1, 18. et 37. horrendi odores. ℙ *Horrendum* adverbii more. *Virg. A.* 6, 288. bellua Lernae Horrendum stridens: et *ib.* 9, 732. arma horrendum sonuere: et *ib.* 12, 700. horrendumque intonat armis. [**Hom. Il.* 4, 420. *Δεινὸν δ' ἴβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν ἄνακτος.*] *Senec. Herc. Fur.* 981. saevit horrendum Mimas. ℙ Est etiam verendus, venerandus. *Virg. A.* 7, 172. tectum augustum, ingens, Horrendum silvis, et religione parentum: et *ib.* 6, 10. horrendaeque procul secreta Sibyllae. ℙ Item admirabilis. *Virg. A.* 11, 570. [**507.*] de Camilla: Virgo horrenda. [*Comparat *Heyn.* ad h. l. *Homer. ἐκπαγλος.* Plura etiam collegit *Cerda*, q. v.]

HORRENS, entis, part. ab *horreo: φριξόθριξ*, qui horret, *h. e.* asper, horridus est erectis setis, comis, aculeis, aut ejusmodi, hirtus, hispidus. Vox fere poetica. *Plin.* 8, 40, 61. de cane: Horrentibus per totum corpus villis, ingenti latratu intonuit. (Adde *Stat. Th.* 2, 30.) *Virg. A.* 9, 306. horrentisque leonis Exuvias: et *G.* 3, 315. horrentes rubi. *Ov. Met.* 8, 428. rigidis horrentia setis terga apri. *Sen. Herc. Oet.* 789. Cana revinctum populo horrentem comam. *Id. Hippol.* 916. horrens habitus. *Petr. Sat.* 99. Horrentes barbae. ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Sil.* 16, 453. cristis horrens Sidonia cassis. *Sen. Agam.* 221. classibus horrens fretum. *Hor. Sat.* 2, 1, 13. horrentia pilis agmina. *Virg. A.* 10, 178. densos acie, atque horrentibus hastis. [**Liv.* 44, 41. Cujus (phalangis) confertae, et intentis horrentis hastis, intolerabiles vires sunt. *Plin. Pan.* 81, 1. Horrentibus scopulis gradum inferre; ubi v. *Schwarz.*, qui laudat *Virg. A.* 4, 366. duris cautibus horrens Caucasus. *Ov. Met.* 4, 777. Silvis horrentia saxa.] ℙ Hinc est etiam *φοβερὸς, φριχτὸς*, horridus, horribilis, terribilis. *Virg. A.* 1, 4. at nunc horrentia Martis Arma virumque cano: et *ib.* 10, 237. Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos *Lucan.* 1, 445. horrensque feris altaribus Esus. *Virg. A.* 1, 169. horrenti atrum nemus imminet umbra. [**Quint. Decl.* 10, 7. p. 219. Tunc horrentibus verbis urna praecluditur. *Lucr.* 5, 25. Horrens Arcadius sus.]

HORRENTĬA, ae, f. horror. Est *Tert. adv. Marc.* 24. *med.*

HORRĔO, es, ui, n. 2. *φρίσσω*, cum de inanimis dicitur, significat erectum esse, asperum, rigentem, ut de spinis, setis, capillis, et hujusmodi, quae densa et subrecta stant. *Varr. L. L.* 5, 6. Cum valde timetur, in corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent. *Tibull.* 2, 3, 23. Saepe horrere sacros doluit Latona capillos. *Sen. Herc. Oet.* 707. Erectus horret crinis. *Ov. Fast.* 2, 502. Rettulit ille gradus, horrueruntque comae: et 348. Horrebant densis aspera crura pilis. *Id. Met.* 13, 846. rigidis horrent densissima setis Corpora. *Id. Her.* 12, 101. draco squamis crepitantibus horrens. *Sil.* 4, 560. horret thorax Samnitis pellibus ursae. [*Homericum esse notat *D. Heins.*, *φρίσσει*, densatum est.] *Sen. Herc. Fur.* 786. viperis horrent jubae. *Ov. Met.* 15, 516. adrectisque auribus horrent Quadrupedes. *Stat. Th.* 2, 128. Qualis ubi, audito venantum murmure, tigris Horruit in maculas, *h. e.* irascitur in retia. *Accius* ap. *Non.* 5, 7. Mare cum horret fluctibus. V. alia in HORRENS. ℙ Huc spectant et illa. *Virg. A.* 11, 601. late ferreus hastis Horret ager. *Id. ib.* 8, 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. *Ov. Pont.* 3, 1, 23. Tristia per vacuos horrent absinthia campos. *Stat. Th.* 12, 495. de templo Clementiae Deae: Semper habet trepidos, semper locus horret egenis Coetibus: ignotae tantum felicibus araе. *Ov.* metaph. *R. Am.* 664. Horrebant saevis omnia verba minis, *h. e.* aspera et acerba erant. *Id. Fast.* 1, 495. Nec fera tempestas toto tamen horret in anno, *h. e.* horrida est, et saevit: et praecipue intelligitur de tempore hiemis, quo rigent cuncta, squalent, aspera, atque horrida fiunt. *Cic. N. D.* 2, 7. Possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra? *Germ. progn.* 2, 106. Frigidus at rapidis horrebit Aquarius Euris. *Colum.* 1, 4. *f.* Quaedam loca hieme intolerabiliter horrent *Stat. Th.* 4, 1. Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum Phoebus. [*V. de hoc loquendi genere *Cort.* ad *Lucan.* 4, 50. ed. *Web.*, et quos ibi laud.] ℙ Hinc horrere dicuntur, qui frigore tremunt. [*Promiscue quidem poni videntur *horrere* et *rigere;* sed differunt; v. *Doederl.* 2, 201.] *Ov. A. Am.* 2, 213. Saepe etiam dominae, quamvis horrebis et ipse, Algentis manus est calfacienda sinu. *Juven.* 1, 93. horrenti tunicam non reddere servo. *Prop.* 4, 5, 68. Horruit algenti tegula curta foco. *Petr. Sat.* 83. Sola pruinosis horret facundia pannis: *probitas laudatur, et alget*, inquit *Juven.* 1, 74. Adde *Ter. Eun.* 1, 2, 4. ℙ Pro tremere simpliciter. *Val. Fl.* 8, 81. ac primi percussus nube soporis Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos. ℙ [*Hinc saepissime aristae, arbores horrere dicuntur, quando tremulo motu agitantur. Laudat *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 199. *Ov. Epist.* 10, 139. Corpus, ut impulsae segetes Aquilonibus, horret.] ℙ Saepe significat tremere, et timere vehementer, sive ex eo, quod in timore horrent pili in corpore, ut *Varr. L. L.* 5, 6. vult, sive ex eo, quod timor aeque ac frigus horrorem incutit. [*Quid differat *horrere* a *formidare*, docet *Doederl.* 2, 200.] *Ter. Eun.* 1, 2, 3. totus Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. *Pa.* bono animo es: Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis. *Cic. Dom.* 55. Nemo unquam tam barbarus, tam immanis fuit, qui non horreret animo, cum, etc. *Pl. Cist.* 2, 3, 9. Horret corpus, cor salit. *Cic. Att.* 2, 21. Dominatio tanto in odio est omnibus, ut quorsum eruptura sit, horreamus: et *Phil.* 7, 3. Periculose dico, quemadmodum accepturi sitis, horreo. *Id. Har. resp.* 17. Quod sacrificium nemo vir aspicere non horruit; et *Agr.* 2, 37. Non horrui in hunc locum progredi. [**Liv.* 7, 40. Horreo dicere; et 34, 4 Eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas.] ℙ Cum accusativo. *Caes. B. G.* 1, 32. Absentis Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent. *Cic. Att.* 9, 2. *med.* Ingrati animi crimen horreo. *Id. Tusc*, 5, 30. Imbecillius horrent dolorem, et reformidant. *Id. Verr.* 2, 5, 29. Horrere judicium et crimen. *Hor. Ep.* 3, 18, 11. nutum divitis. [*Plura praebet *Doering.* in *ind. Hor.*] *Plin. Pan.* 27. Nemo jam parens filio, nisi fragilitatis humanae vices horret. [*Hoc loco notandus etiam dat. personae. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 124. p. 371.] *Ov. Pont.* 1, 3, 16. Horrent admotas vulnera cruda manus. [**Lucan.* 1, 577. Aut jussu qualem Junonis iniquae Horruit Alcides. V. quae laudat *Cort.* ad h. l. et ad 3, 411. ed. *Web.* Adde *Eund.* 7, 428. Hac luce cruenta Effectum, ut Latios non horreat India fasces; ubi *Cort.* comp. *Sil.* 6, 694. Strictas trepida cervice secures Horrebat Libys.] ℙ Refertur etiam ad eos, qui obstupescunt, miranturque vehementer, nam et ex ingenti admiratione horror nascitur. (*Virg. A.* 2, 774. Obstupui, steteruntque comae, etc.) *Cic. Or.* 2, 45. Quae mehercule ego, Crasse, cum a te tractantur in causis, horrere soleo: tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet. ℙ Passiva voce qui adhibuerit, inveni adhuc neminem. ℙ Part. *Horrens*, et *Horrendus* V. s. l. ℙ [*Confund. *Horret* et *haeret.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 50. ed. *Web.*]

HORRĔOLUM, i, n. *Val. Max.* 7, 1. *extr.* Usus necessarii horreolum.

HORRESCO, is, n. 3. *φρίττω*, horrere incipio, asper, horridus fio: ea ratione, qua in HORREO dictum est. *Sen. Agam.* 712. mollis horrescit coma. *Ov. Met.* 14, 279 horrescere setis: et *ib.* 2, 478. Brachia coeperunt nigris horrescere villis. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Horrescit telis exercitus asper utrinque. *Virg. A.* 7, 526. Horrescit strictis seges ensibus. *Id. G.* 3, 198. tum segetes altae, campique natantes Lenibus horrescunt flabris. *Cic.* et *Varro* in *fragm.* ap. *Non.* 5, 7. Cum subito mare coepit horrescere. *Sil.* 1, 134. subitis horrescit turbida nimbis Tempestas. [**Lucr.* 6, 261. In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant, (fulmina).] ℙ Item tremere ac timere incipio, expavesco, horrore corripior. *Cic. Fin.* 5, 11. Quin etiam ferae, sibi injecto terrore mortis, horrescunt. *Ter. Ad.* 4, 4, 23. Horresco semper, ubi pultare hasce incipio fores. *Virg. A.* 6, 710. Horrescit visu subito; et *ib.* 12, 453. miseris, heu, praescia longe Horrescunt corda agricolis. *Id. ib.* 2, 204. Horresco referens. ℙ Et cum accusativo, subaudita praepositione. *Id. ib.* 3, 394. Nec tu mensarum morsus horresce futuros. *Val. Fl.* 6, 453. nullos horrescere visus. *Stat. Th.* 3, 70. Pectora et extremam nil horrescentia mortem.

HORRĔUM, i, n. *οἰτοφυλακεῖον, ἀποθήκη*, locus, in quo segetes post messem reponuntur: fortasse ab *hordeum*, quod proprie fuerit locus hordeo asservando accommodatus, ut *farreum*, in quo reponeretur far: sed postea dici coeperit de quarumlibet frugum repositorio. Vel potius ab *ὡρεῖον*, in quo horna reconduntur: hinc horreum est repositorium omnium frugum. *Virg. G.* 1, 49. Illius immensae ruperunt horrea messes. [*Laud. *Heyn.* ad h. l. *Tibull.* 2, 5, 84. Distendet spicis horrea plena Ceres.] *Cic. Agr.* 2, 33. Illi Capuam cellam atque horreum agri Campani esse voluerunt. ℙ Apud Romanos *horrea* non ad solum usum condendarum frugum, sed ad alia quoque inserviebant. *Plin. ep.* 18, 18. *f.* Amplissimos hortos instruxit plurimis et antiquissimis statuis. Tantum illi pulcherrimorum operum in horreis, quae negligebantur. *Lampr. Alex. Sever.* 39. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quae conferrent bona ii, qui privatas custodias non haberent. *Paul. Dig.* 34, 2, 33. Argentum, quod in domo, vel intra horreum usibus ejus fuit. *Ulp. ib.* 10, 4, 5. Si quis merces, quas exvehendas conduxit, in horreo posuit. *Modest. ib.* 32, 1, 82. Cui quae Romae essent, legata sunt; ei etiam, quae custodiae causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur. *Ulp. ib.* 33, 9, 3. §. 11. Penuarium horreum. *Paul. ib.* 18, 1, 76. Dolia in horreis defossa, *h. e.* in cellis vinariis. Porro in horreis vina condita fuisse, etiam in APOTHECA dictum est. Libros etiam quandoque ibi reponebant, ut colligitur ex illis *Senecae* verbis *ep.* 45. Quoscumque habeo libros, mittere paratus sum, et totum horreum excutere. *Colum.* quoque 12, 50. Si quando immodica multitudo olearum torcularіorum vincit laborem, esse oportere ait pensile horreum, quo imponantur fructus. Porro *horrea pensilia* dicuntur, quae non in plano posita sunt, sed tignis suspensa, quo sicciora sint. V. etiam 1, 6., ubi et instrumento rustico locum in horreo dat. ℙ Per similitudinem *horrea* vocat *Virg. G.* 4, 250. apum alvearia, tum quia variis cellulis horreorum more divisa sunt, tum quia in iis conduntur mella, quae fruges et annona apum dici possunt. ℙ Quae multa horrea *P. Vict. de Regionib. Urbis R.* in singulis regionibus enumerat, erant aedificia publice exstructa, in quibus servabantur frumenta ad publicam annonam. ℙ Terrena horrea, ap. *Ov. Trist.* 5, 6, 39. sunt cava sub terra, in quibus formicae grana condunt. ℙ *Non.* 3, 110. putat *horrea, ae*, f. usurpatum fuisse a *Claudio:* sed quae ex eo affert verba, id non evincunt. V. *Nonii* locum in TABULARIA.

HORRĪBĬLIS, e, adj. *φοικτὸς, φοβερὸς*, horrendus, horrificus, formidabilis. *Cic. Quint.* 31. Horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere. *Caes. B. G.* 5, 14. Britanni se vitro inficiunt: atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu; et *ib.* 7, 36. Horribilem speciem praebere. *Sall. Jug.* 108. Horribile spectaculum; et 104. Ignotus atque horribilis sonitus. *Cic. Fin.* 1, 19. Non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt saepe formidines; et *Somn. Scip.* 4. Mars rutilus et horribilis terris. *Id. Att.* 8, 9. *f.* de Caesare: Sed hoc *τέρας* horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. *Catull.* 14, 12. Dii magni, horribilem et sacrum libellum! *h. e.* abominandum et exsecrandum. ℙ Interdum, ut *horrendus*, significat sacrum, verendum. *Petr. Sat.* 21. Uterque juravit, inter nos periturum esse tam horribile secretum.

[HORRĪBĬLĬTER, adv. Translate in bonam partem est mirifice, *δαιμονίως*. *M. Aurel.* inter *ep. Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Postea cavebis de me, praesertim in senatu, tam multa mentiri: horribiliter scripsisti hanc orationem. O si ad singula capita caput tuum basiare possem! *F.*]

HORRĪCŌMIS, e, adj. qui horridos pilos, vel comam habet, ut Horricomes canes, ap. *Appul. Met.* 4. et Horricomis hircus, *ib.* 7.

HORRĬDĒ, adv. *φοικτῶς*, aspere, et inculte. *Cic. Or.* 9. Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere; et 25. *f.* Iisdem ornamentis utetur horridius. [**Id. Quint.* 18. Vixit semper inculte atque horride, i. e. sine luxurie ac deliciis.] *Tac. H.* 1, 82. Allocuti sunt praefecti ex suo quisque ingenio, mitius aut horridius, *h. e.* asperius, tristius, severius.

HORRĬDĬTAS, atis, f. idem ac horror. *Naev.* Omnia mihi horriditati erant maxime. Ita refert *Perottus* in *Cornucop.*, quem penes sit fides.

*HORRIDIUSCŪLE, adv. *August. B. A.*

HORRĬDŪLUS, a, um, dimin. horridi, subhorridus, aliquantum rigens, exstans, asper, incultus, incomptus. *Pl. Ps.* 1, 1, 66. Horridulae papillae. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 7. Caput ungunt horridulum. *Mart.* 10, 98. Tonsus puer, horridulus, rudis, pusillus. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 1. Quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant. *Id. Or.* 45. Horridulae Catonis orationes. ℙ Est etiam frigore tremens. *Pers.* 1, 54. Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

HORRĪDUS, a, um, adj. *φριξὸς*, densus et subrectus, hirtus, hispidus, asper, exstans, impexus: diciturque proprie de pilis, comis, spinis, setis, et

hujusmodi. *Cic. Coel.* 14. Non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis videmus. *Virg. Ecl.* 7, 42. horridior rusco. *Id. G.* 4, 407. sus horridus. *Ov. Met.* 10, 139. horrida caesaries. *Id. Am.* 2, 6, 5. pluma. *Plin.* 12, 15, 34. Horrida spinis arbor. *Id.* 11, 18, 19. Apes horridae aspectu, *h. e.* hirsutae. *Virg. A.* 3, 23. densis hastilibus horrida myrtus. *Val. Fl.* 5, 558. horrida signis chlamys; *aspera signis pocula* dixit *Virg. A.* 9, 263. ℙ Dicitur et de loco inculto, squalido. *Ov. Pont.* 1, 3, 83. nulli datus omnibus aevis Tam procul a patria, horridiorve locus. *Virg. A.* 9, 381. silva late dumis atque ilice nigra Horrida. ℙ Item de iis, quae horrorem incutiunt, terribilia atque horrenda sunt. *Virg. G.* 1, 449. horrida grando. *Id. A.* 10, 480. horrida acies; et *Ecl.* 10, 23. castra; et *G.* 2, 282. proelia; et *A.* 4, 378. jussa; et *ib.* 11, 96. fata. *Mart.* 10, 62. lora. *Ov. Met.* 6, 685. Boreas horridus ira. *Pliu.* 13, 3, 4. Aquilae et signa custodibus horrida, *h. e.* metuenda propter milites eorum custodes. [*Ita construitur c. inf. *Lucan.* 3, 347. Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni. V. *Cort.* ad h. l. qui praeter alia laudat *Sen. Q. N.* 3, 19. Turbam horridam adspici.] ℙ Refertur saepe ad hiemem, et procellas. *Virg. G.* 3, 442. horrida cano Bruma gelu; et 366. stiria. *Ov. Met.* 15, 212. senilis hiems tremulo venit horrida passu. *Mart.* 7, 36. horridus december. *Ov. Am.* 2, 16, 19. si premerem ventosas horridus Alpes. *Hor. Ep.* 10, 3. horridi fluctus. *Virg. A.* 9, 670. cum Juppiter horridus austris Torquet aquosam hiemem. *Plin.* 18, 35, 79. Horrida tempestas. ℙ Item ad cultum, vestitumque hominum. *Virg. A.* 5, 37. Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursae. *Ov. Am.* 3, 6, 47. Ilia cui placuit, quamvis erat horrida cultu. *Cic. in Senat.* 6. Quem praeteriens, cum incultum, horridum, moestumque vidisses, etiam si agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares. *Lucr.* 6, 1267. Corpora paedore horrida. ℙ Item ad mores duros, asperos, severos, et ad orationem incultam et rudem. *Cic. Brut.* 31. Q. Aelius Tubero ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. *Id. Quint.* 30. Vita horrida atque arida. *Hor. Od.* 3, 21, 9. Non ille, quamvis Socraticis madet Sermonibus te negliget horridus. *Plin. ep.* 3, 3. Vir est emendatus et gravis: paulo etiam horridior et durior, ut in hac licentia temporum. *Virg. A.* 7, 746. horrida gens. *Cic. Or.* 5. Aspera, tristis, horrida oratio; et *Brut.* 7. Antiquior Catonis sermo, et quaedam horridiora verba. [*De usu hujus v. in rebus oratoriis cf. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 196. sq. Ap. *Tibull.* 1, 5, 6. *Horrida verba* sunt superba.] *Sil.* 11, 205. horrida virtus, Armatumque fide pectus, rectique cupido, *h. e.* severa, incorrupta, et duris rebus exercita. Eodem fere modo locutus est *Stat. Th.* 5, 172. ℙ Aliquando ad sapores. *Plin.* 34, 13, 33. Spodos si tangatur lingua, saporem horridum praestat, i. e., qui horrorem, tremoremque aliquem inducit. *Id.* 13, 4, 9. Pomum durum, horridum sapore ferino. ℙ Pro acri ac vehementi. *Id.* 20, 13, 61. Ruta silvestris horrida ad effectum est, et ad omnia acrior. ℙ Item de litteris quae asperum habent sonum. *Quint.* 12, 10. *med.* In locum earum succedent litterae tristes et horridae, quibus Graecia caret, *h. e.* litterae Latinae *f* et *u*. *Id. ib. mox.* Littera multo horridior fit. Loquitur de *f* in *fraugit.*

HORRĬFER, a, um, adj. *φρικώδης*, horrorem tremoremque ferens, horrificus, horribilis, horridus. Vox poetica. De frigore. *Ov. Met.* 1, 65. Scythiam, Septemque trionem Horrifer invasit Boreas; et *vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 28. Horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur nives; et *Val. Fl.* 5, 518. quem te horrifero sortitus in axe Caucasus; et 307. Horrifera nix. ℙ De aliis rebus. *Lucr.* 5, 994. horriferae voces. *Id.* 3, 1026. horriferi aestus Tartari; et 5, 219. genus horriferum, natura ferarum. *Ov. Met.* 1, 725. horriferamque oculis objecit Erinnyn. *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 46. prodigium horriferum pavos: *pro* horriferorum. ℙ [*Commutantur in edd. *Horrifer* et *horrificus*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 225.]

HORRĬFĬCĀLIS, e, adj. horrificus. *Accius* ap. *Non.* 3, 231. Operta squalitate est, luctuque horrificali.

HORRĬFĬCĒ, adv. horrorem incutiendo. [*religiose, cum veneratione. V. *Eichstadt.* in *indice Lucr.* s. h. v.] *Lucr.* 2, 609. Horrifice fertur divinae Matris imago, *h. e.* cum religione et metu. *Id.* 4, 39. simulacra luce carentum, Quae nos horrifice languentes saepe sopore Exierunt.

HORRĬFĬCO, as, a. l. horrorem incutio, terrifico. *Virg. A.* 4, 464. Multaque praeterea vatum praedicta priorum Terribili monitu horrificant. ℙ Item horridum atque horribilem facio. *Sil.* 3, 388. ore ferarum, Et rictu horrificant galeas. *Flor.* 3, 21. Carcer, catenae, fuga, exsilium horrificaverant dignitatem. ℙ Item horridum, seu turbatum reddo. De mari. *Catull.* 64, 270. qualis flatu placidum mare matutino Horrificans Zephyrus, proclives incitat undas.

HORRĬFĬCUS, a, um, adj. *φρικώδης*, horrorem faciens, horribilis. *Cic. Dom.* 23. Qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum quoddam, et nefarium, omni imbutum odio bellum intulistis. Quidam MSS. habent *hostificum. Gell.* 20, 1. *f.* Horrifica poena. *Lucr.* 3, 920. At nos horrifico cinefactum te prope busto Insatiabiliter deflebimus. *Virg. A.* 12, 851. Letum horrificum; et *ib.* 3, 571. horrificis tonat Aetna ruinis. *Val. Fl.* 2, 97. Horrificum fulmen. *Id.* 3, 423. seque horrificis accommodat actis, *h. e.* sacris, quae horrore religioso venerari mos est. *Lucan.* 2, 372. Horrifica caesaries. ℙ [*Confund. *horrificus* et *horrifer*. V. *horrifer* in f.]

*HORRĬPĬLĀTĬO, onis, f. *Vulg. Eccles.* 27, 15. *B. A.*

HORRĬPĬLO, as, n. l. et Horripilor, aris, dep. l. est horridiore asperioreque pilo fruticare. *Appul. Met.* 3. Aures immodicis horripilant auctibus. *Gloss. Philox.* Horripilo, *ὀρθοτριχιάω*: horripilatur, *ὀρθοτριχεῖ*.

HORRĬSŌNUS, a, um, adj. *βαρύβρομος*, horribilem sonum edens, horrendum sonans. *Virg. A.* 6, 573. horrisono stridentes cardine sacrae Panduntur portae; et *ib.* 9, 54. Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur Horrisono. *Cic.* vertens carmen *Aeschyli Tusc.* 2, 10. horrisonum fretum. *Lucr.* 5, 110. horrisonus fragor. *Val. Fl.* 7, 149. horrisonum flagellum; et 2, 584. horrisona buxus. *Lucan.* 2, 454. cum mare possidet auster Flatibus horrisonis. [*V. *Cort.* ad h. l.]

HORROR, oris, m. *φρίκη*, dicitur de pilis, setis, quae dense subriguntur et horrent: quod tum frigore, tum metu fit: item de squalore, atque horrida facie rerum, quae inde nascitur. *Val. Fl.* 1, 229. et *Lucan.* 5, 154. Non pallore viris, non ullo horrore comarum Terribilis. [*V. *Cort.*] *Lucan. ib.* 446. Pontus non horrore tremit. ℙ Item tremor. *Ov. Met.* 9, 345. tremulo ramos horrore moveri. *Flor.* 2, 6. *med.* Commissam aciem secutus ingens terrae tremor: sive illum horrorem soli equitum virorumque discursus fecerunt. ℙ Item tremor febrilis. *Cels.* 3, 3. de febri: Frigus voco, ubi extremae partes membrorum inalgescunt: horrorem, ubi totum corpus intremit. Sic *Cic. Att.* 12, 6. *f.* Atticam doleo tam diu: sed quoniam jam sine horrore est, spero esse, ut volumus. [*Laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. *Duk.* ad *Flor.* p. 300.] *Lucr.* 3, 292. horrorem ciere in membris. ℙ Metonymice, qui horrere, ac tremere facit. *Lucr.* 6, 1009. ferri frigidus horror; et 2, 410. serrae stridentis acerbus horror. *Val. Fl.* 4, 662. multifidus ruptis e nubibus horror Effugit. ℙ Praecipue vero frigus. *Id.* 7, 563. Nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror. *Virg. A.* 3, 29. mihi frigidus horror Membra quatit. ℙ Item pavor, formido vehemens, quae tremoris causa est. *Cic. Att.* 8, 6. Dii immortales, qui me horror perfudit! quam sum sollicitus, etc. *Ov. Met.* 14, 198. me luridus occupat horror, Spectantem vultus etiamnum caede madentes. *Pl. Amph.* 5, 1, 16. Ea res me horrore afficit. *Plin.* 28, 1, 2. Horror est spectare in arena feras. [*De discrimine inter *horror*, *metus* et *timor* V. *Döderl.* 2, 200.] ℙ Item terror. *Lucr.* 3, 1048. Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror. [*Sil. 15, 340.] ℙ De metu religioso. *Val. Fl.* 2, 433. hic numinis ingens horror. [*Lucan. 3, 411. Arboribus suus horror inest. V. *intpp.* ad h. l. in *ed. Web. Liv.* 39, 8. Nec is, qui aperta religione, propalam et quaestum et disciplinam profitendo, animos horrore imbueret, i. e. metu religionis. *Id.* 1, 16. Perfusus horrore venerabundusque.] ℙ Et de admiratione vehementi. *Lucr.* 3, 28. His ubi me rebus quaedam divina voluptas Perciit, atque horror, quod sic natura, etc. ℙ Et de incompta horridaque oratione. *Quint.* 8, 5. *f.* Veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. ℙ Laetus horror. V. in PAVOR.

HORSUM, adv. *δεῦρο*, versus hunc locum, ab *hoc*, et *versum*, quasi hoc versum. *Ter. Hec.* 3, 4, 36. at at, eccum Phidippum, et patrem Video: horsum pergunt. *Pl. Rud.* 1, 2, 83. Horsum se capessit. *Id. Mil.* 2, 3, 33. Horsum ad stabulum recipiat se e pabulo.

[HORTĀLUS, i, m. ab hortando, fortasse cogn. fuit Q. Hortensii oratoris, ejusque gentis ex *Cic. Att.* 2, 25. et *ib.* 4, 15., *Suet. Tib.* 47. et *Catull.* 65, 2. *F.*]

HORTĀMEN, inis, n. idem ac hortamentum. *Liv.* 10, 29. Ubi auditur P. Decii eventus, ingens hortamen ad omnia pro republica audenda. *Ov. Met.* 1, 277. non est hortamine longo Nunc, ait, utendum. *Val. Fl.* 6, 93. prisca suorum Facta canunt, veterumque, viris hortamina, laudes. *Tac. G.* 7. Cibos, et hortamina pugnantibus gestant. *Pall.* 4, 11. Boves sint mansueti, timentes hortamen clamoris et verberis.

HORTĀMENTUM, i, n. *παράγγελμα*, excitamentum. *Liv.* 7, 11. In conspectu parentum, conjugumque, ac liberorum, quae magna etiam absentibus hortamenta animi, etc. *Sall. Jug.* 103. *extr.* Ea cuncta Romanis magno hortamento erant. *Tac. H.* 4, 18. Conjuges parvosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriae, vel pulsis pudorem. *Just.* 3, 5. Hortamenta virtutis. *Sil.* 5, 53. aspera quisque Hortamenta sibi referat: meus, heu! meus atris Ticini frater ripis jacet, etc. Adde *Gell.* 13, 24.

[HORTĀNUS et Ortanus, a, um, adj. ad Hortam, sive Hortanum pertinens, Etruriae opp., nunc *Orte*, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 8. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 402. *n.* 302. Q. Ninnius Q. F. Quir. Paetus II. vir colon. Ortanae. V. HORTINUS. *F.*]

HORTĀTĬO, onis, f. *προτροπή*, hortandi actus. *Cic. Fin.* 5, 2. Tamen mihi grata est hortatio tua. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 14. Non hortatione, sed precibus tecum fraternis ago. Adde *Sall. Jug.* 64. [**Liv.* 40, 4.] Narrat *Suet. Aug.* 85. scripsisse eum multa varii generis, prosa oratione: inter alia *hortationes ad philosophiam.* ℙ [*Permutantur *Hortatio* et *oratio*. V. *Spald.* ad *Quint.* 3, 8, 54.]

HORTĀTĪVUS, a, um, adj. *προτρεπτικός*, ad hortationem spectans. *Quint.* 5, 10. *med.* Haec ad hortativum genus maxime pertinent, *h. e.* deliberativum et suasorium. ℙ *Hortativa adverbia* sunt, quae ad hortandum inserviunt, ut *eja*, *age*. *Prisc.* 15, 1021.

HORTĀTOR, oris, m. *προτρεπτής*, qui hortatur et suadet, ut aliquid fiat. *Cic. Or.* 1, 55. Cum ejus studii tibi et hortator et magister esset domi. *Id. ad Quir.* 4. Auctores hortatoresque ad me restituendum multi fuerunt. *Ov. Trist.* 4, 2, 32. Hortator pugnae consilium fuit. *Virg. A.* 6, 529. Hortator scelerum. *Val. Fl.* 8, 232. hortatorque Cupido Suscitat affixam moestis Aetida curis. ℙ *Hortator remigum* est portisculus. *Pl. Merc.* 4, 2, 5. Quasi in mari solet hortator remiges hortarier. *Ov. Met.* 3, 618. et qui requiemque modumque Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus. *Serv.* ad illud *A.* 5, 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister Hortaturque viros, etc. Aut ipse dicit celeusma, (nam hortatores dicuntur) aut *hortatur* ideo, quia consternati fuerant, perdito gubernatore. *Inscr.* ap. *Mur.* 2102, 1. D. M. Menandro hortatori fecit Mercurius fratri suo B. M. ℙ Fuit cogn. Rom. in gente Claudia, ut C. Claudius Hortator, ap. *Liv.* 8, 15., ubi est qui leg. *Orator.*

HORTATRIX, icis, f. quae hortatur. *Stat. Th.* 9, 717. Gloria hortatrix animosi leti. *Quint.* 11, 3. *med.* Hortatrix manus.

HORTATUS, a, um, part. ab *hortor*. V. in HORTOR.

HORTĀTUS, us, m. adhortatio, monitio. *Cic. Arch.* 1. Haec vox hujus hortatu praeceptisque confirmata, nonnullis aliquando saluti fuit. *Ov. Trist.* 5, 14, 45. Qui monet, ut facias, quod jam facis, ille monendo Laudat, et hortatu comprobat acta suo. *Id. Met.* 3, 242. At comites rapidum solitis hortatibus agmen Ignari instigant. *Val. Fl.* 3, 550. Urgere hortatibus; et 4, 81. alacrem laetis hortatibus implet. [**Lucan.* 6, 317. sq. Tentavere suo comites devertere Magnum Hortatu, etc. V. *Cort.*, qui magnum ejus generis numerum exemplorum collegit.]

HORTENSĬĀNUS, a, um, adj. ad Hortensium pertinens, quod est nom. propr. civis R. *Cic. Att.* 4, 6. Quod me admones, ut scribam illa Hortensiana, etc., *h. e.* libros de philosophia, qui inscribuntur *Hortensius. Suet. Aug.* 72. Habitavit in aedibus modicis Hortensianis. *Val. Max.* 8, 3. *n.* 3. Hortensiana eloquentia.

HORTENSIS, e, adj. idem quod hortensius. *Colum.* 9, 4. At in hortensi lira condita nitent lilia candida. *Plin.* 26, 8, 50. Crethmus species est batis hortensis. *Hard.* legit *hortensiae* ex MSS. ℙ [Hortensis Deus est, qui horto praerat, velut Priapus, Vertumnus, Pomona, etc. *Inscr.* ap. *Romanelli Top. Nap. T.* 3. p. 67. Diis vicanis, compitalibus, et hortensibus ex voto. ℙ *Hortensis* est etiam appellatus Juppiter, ignota tamen de causa. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 390. Cultores Jovis Hortensis. *F.*] ℙ *Hortenses*, *ium* absolute sunt incolae Hortae, urbis in Latio ap. *Plin.* 3, 5, 9.

HORTENSĬUS, a, um, adj. *κηπαῖος*, ad hortum pertinens. *Hortensia* dicuntur ea, quae in hortis seruntur, praesertim cibi gratia. *Plin.* 19, 6, 31. Hortensiis omnibus fere singulae radices, ut raphano, betae, apio, malvae; et *ib.* 8, 42. Omnium hortensiorum lautissima cura asparagis. *Id.* 26, 4, 10. Hortensiis abstinere. *Id.* 20, 9, 40. Hortensii bulbi. ℙ Item ad Hortensium pertinens, ut *Hortensia lex*, cujus fit mentio a *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. et *Plin.* 16, 10, 15., lata a Q. Hortensio dictatore an. U. C. CCCCLXVIII., ut plebiscita vim legis haberent. ℙ Alia lex fuit de nundinis, ut quae olim feriae fuerant, fastae essent, quo possent rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, suas lites peragere. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.*

HORTENSĬUS, ii, praenomine Quintus, cognomine Hortalus, orator nobilissimus Romae fuit, Ciceroni aetate et eloquentia fere aequalis, quem ipse *Cicero* testatur, in omnibus oratoris laudibus floruisse, laudatque impense in omnibus scriptis suis, ac praesertim in *Brut.* 64. item 92. et sqq.

Scriptorum ejus nihil ad nos pervenit. *Quint.* 12, 10. *in.* et *f.* eum cum L. Crasso conjungit et comparat; et 11, 3. *in.* tradit, plurimum actione valuisse: cujus, inquit, rei fides est, quod ejus scripta tantum intra famam sunt. Laudat hunc et *Gell.* 1, 5., ut omnibus ferme aetatis suae, nisi M. Tullio, clariorem: sed quaedam subdit, quibus ejus actio, ut nimia, reprehenditur. ℙ Filiam habuit nomine Hortensiam, et ipsam eloquentiae laude claram: quae, cum matronarum ordo a triumviris Octavio, Antonio, et Lepido gravi tributi onere premeretur, ipsa communem causam constanter egit, obtinuitque dicendo, ut major ejus pecuniae pars illis remitteretur. *Val. Max.* 8, 3. *n.* 3. et *Quint.* 1, 1.

*HORTĬLĬO, onis, m. horti custos. *Isid. Gloss. B. A.*

HORTĪNUS, a, um, adj. ad Hortam, seu Hortanum Etruriae opp. pertinens, ut Hortinae classes, *Virg. A.* 7, 716. V. HORTANUS.

HORTOR, aris, atus sum, dep. 1. προτρέπομαι, verbis quempiam ad aliquid faciendum impello, excito, suadeo: [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 3, 8, 54.] videtur esse ab obsol. ὄρω pro ὀρίνω, vel ὄρνυμι, excito, hinc *horitor*, et per syncopen *hortor*. V. HORITUR. [**Döderl.* 1, 162. sq.] *Ter. Hec.* 1, 1, 6. Propterea sedulo et moneo, et hortor, ne cujusquam misereat. Ubi *Donat.* monemus consilio; hortamur impulsu. [*De discrimine inter *hortari* et *monere* disputat *Döderl.* 1, 167.] *Cic. Fam.* 13, 4. Haec eo spectant, ut te horter et suadeam: reliqua sunt, quae pertinent ad rogandum; et *ib.* 4, 9. Iisdem te rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus litteris hortatus sum. *Ov. Met.* 10, 466. hortari timentem. *Caes. B. G.* 1, 19. Petere atque hortari. *Cic. Fam.* 1, 1. Hortari et orare. *Sall. Cat.* 62. Appellare, hortari, rogare. *Cic. Off.* 1, 1. Magnopere te hortor, ut legas. *Ov. Met.* 8, 215. Hortaturque sequi. *Nep. Phoc.* 1. Cum munera repudiaret, legatique hortarentur accipere. *Hor. Ep.* 1, 1, 68. fortunae responsare superbae Hortatur. [*Suet. *Tib.* 72. Chariclem — remanere ac recumbere hortatus est. Monet *Döderl.* 1, 164. *hortari*, ut brevitatis causa accus. c. inf. secum habeat, ita semper contra communes linguae lat. leges dici.] *Petr. Sat.* 111. Coepit hortari lugentem, ne perseveraret in dolore. *Caes. B. G.* 5, 37. Hortatur, ne occasionem dimittant; et *B. C.* 1, 19. Hortatur, ne animo deficiant; et *B. G.* 6, 32. Hortatur, ad eam diem revertantur; et *B. C.* 1, 21. Hortatur, ab eruptionibus caveant. *Liv.* 6, 15. *med.* Quid ego vos, de vestro impendatis, hortor? *Cic. Arch.* 11. Hortari aliquem ad perficiendum. *Id. Prov. cons.* 4. *extr.* milites ad laudem. *Caes. B. C.* 1, 26. Mandat, ut Libonem de concilianda pace hortetur. *Nep. Milt.* 4. Hortantibus amicis, ut, etc. *Sall. or. Macri Licin. med.* Neque ego vos ultum injuriam hortor, *h. e.* ad ulciscendum impello. [**Virg. A.* 11, 521. Et paribus Messapum in proelia dictis Hortatur. *Liv.* 43, 19. Hortaretur in amicitiam jungendam. — Dicitur etiam de oraculis. V. *Tibull.* 4, 1, 135. Quin hortante Deo magnis insistere rebus Incipe.] ℙ Cum accusativo rei. *Cic. Att.* 7, 14. *extr.* Equidem pacem hortari non desino. Al. leg. *ad pacem. Vet. Poeta* ap. *Charis. f. l.* 4. Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam. *Just.* 14, 1. Ut ultro bellum omnes hortarentur. Al. plerique leg. *illum. Stat. Silv.* 3, 5, 22. si gelidas irem mansurus ad arces, Hortarere vias. ℙ Cum accusativo communi. *Ov. Her.* 19, 187. Me miseram! cupio non persuadere, quod hortor. *Cic. Cat.* 1, 5. Sin tu (quod te jamdiu hortor) exieris, etc. ℙ *Hortari milites* est eos oratione ad proelium firmare. *Nep. Milt.* 6. Sic *Caes. B. C.* 3, 94. Ut ipse in hortandis militibus pronunciaverat; et *Sall. Jug.* 53. *extr.* Pauca pro tempore milites hortatus; et 25. Suos hortando ad virtutem erigere; et *Ov. A. Am.* 1, 207. hortari aciem verbis. ℙ Hortari equos, canes, etc. est incitare, impellere. *Ov. Her.* 4, 42. Hortari celeres per juga summa canes. *Id. Met.* 5, 421. Terribiles hortatus equos. *Virg. G.* 3, 163. Tu quos ad studium, atque usum formabis agrestem, Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi. ℙ De portisculo, qui remiges excitat et remigandi modum dat. V. HORTATOR. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Caes. B. G.* 1, 33. Multae res eum hortabantur, quare sibi eam rem suscipiendam putaret; et *ib.* 3, 18. Multae res ad hoc consilium Gallos hortabantur. *Cic. Sext.* 3. *med.* Reipubl. dignitas me haec minora relinquere hortatur. ℙ Passiva etiam significatione usurpatur, teste *Gell.* 15, 13. Hinc *Varr.* ap. *Prisc.* 8, 793. Ab amicis hortaretur. *Tac. A.* 12, 9. Sententiam expromere, qua hortaretur Claudius despondere Octaviam Domitio. Al. leg. *oraretur. Auct. B. Hisp.* 1. Ita paucis commodis hoste hortato, majores augebantur copiae. ℙ Etiam *horto*, *as*, antiqui dixerunt, teste *Prisc. l. c.* p. 797. Hinc quidam tribuunt *Pl. Amph.* 3, 4, 10. et *As.* 3, 1, 9. et *Sall. H.* 4. *f. ep. Mithrid. ad Arsac.*, sed ubique lectio variat. [*Plura laudat *Ramsh. Gr. Lat.* p. 187. ubi v. Coll. *Zumpt.* §. 632. *Not.* 2.] ℙ *Hortarier* paragoge pro *hortari* legitur ap. *Pl. Merc.* 4, 2, 5. ℙ [*Permutantur *Hortantis* et *optantis*. V. *Oudend.* ad *Suet. Vesp.* 6. *Hortari* et *orare*. V. *Spald.* ad *Quint.* 3, 8, 54., et quem laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 38, 1.]

HORTŪĀLIS, e, adj. hortensis. *Appul. Herb.* 74, 80. et 99.

HORTŪLĀNUS, i, m. κηποκόμος, horti cultor, olitor. *Macr. Sat.* 7, 3. *med.* Tharsius Amphias, cum ex hortulano potens esset. Adde *Appul.* 4, 9. et *Met.* 10. ℙ Adjective est hortensis. *Tertull. Poenit.* 11. Hortulanus maritimusque secessus. *Apic.* 8, 7. *med.* Hortulanus porcellus, *h. e.* coctus et olerum condimentis fartus.

HORTŪLUS, i, m. κηπίον, parvus hortus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Hortulus suburbanus. *Juven.* 3, 226. Hortulus hic, puteusque brevis. *Catull.* 61, 91. Talis in vario solet Divitis domini hortulo Stare flos hyacinthinus. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 43. Cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit. V. HORTUS. ℙ Est etiam pars vineae, ubi vites ordine dispositae seruntur, venustatis simul et utilitatis causa. *Colum.* 4, 18. Quin etiam ipsa hortulorum descriptio, quanto est minoribus modulis consita, fatigationem veluti minuit. ℙ *Hortulus Cupidinis* est muliebre pudendum. *Appul. Anex.* 17. Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis.

HORTUS, i, m. κῆπος, locus maceria, aut sepe clausus, in quo olera cibi causa coluntur: item in quo arbores, pomi, flores, et viriditas voluptatis causa. Alii ab *orior* deducunt, quod in eo semper aliquid oriatur: unde et sine aspiratione scribi posse: alii ab *horctus*: alii a χόρτος, septum, eo quod hortus conclusus esse solet. De horti cultura scripsit praeter alios *Colum.* carmine quidem toto *l.* 10., prosa vero *l.* 11. *c.* 3. item *Plin.* 19, 4, 19. et deinceps. *Cic. Sen.* 16. Hortum agricolae succidiam alteram appellant. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ex horto plebi macellum. *Cic. Fam.* 16, 18. Nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria; et *ib.* hortum conducere. *Colum.* 11, 3. ab incursu hominum pecudumque munire. *Varr. R. R.* 1, 28. Hortos sub urbe late colere. ℙ Per metonymiam dicitur de ipsis oleribus. *Cato R. R.* 8. Sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus: haec facito uti serantur. *Hor. Sat.* 2, 4, 16. irriguo nihil est elutius horto. ℙ Interdum dicitur de parte vineae, eo modo, quo in HORTULUS dictum est. *Colum.* 4, 18. Quando vineta placuerit ordinare, centenae stirpes per singulos hortos semitis distinguantur. Adde 3, 20. ℙ In plurali num. saepe (non tamen semper) dicuntur de iis, qui deliciarum causa parantur. Hi instruebantur arboribus, ambulationibus, statuis, diaetis, atque id genus deliciis. Hujusmodi Romae fuere Maecenatiani, Sallustiani, Serviliani, Caesaris ad Tiberim, etc. *Cic. Phil.* 2, 6. Hodie non descendit Antonius, cur? dat natalicia in hortis. *Id. Off.* 3, 14. Dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset; et *mox.* Ad coenam hominem in hortos invitavit in posterum diem; et *paulo post.* Emere hortos instructos. *Plin. ep.* 8, 18. *f.* Amplissimos hortos, eodem, quo emerat, die, instruxit plurimis et antiquissimis statuis. ℙ De hortis non instructis. V. *Mart.* 5, 62. ℙ Ex illo *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Hortus cingitur diaetis duabus; et *mox*: hortus alius pinguior et rusticus: apparet priorem esse deliciarum causa, posteriorem olerum. Adde *Colum.* et *Plin.* locis jam citatis. ℙ Ap. veteres *hortus* villam significabat, et in XII. Tab. semper villa sic appellabatur, teste *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 1. Sic *Cic. Off.* 3, 14., quos *hortos* dixerat, mox *villam* vocat. ℙ *Epicuri hortos*, et *hortum* aliquoties memorat *Id. Att.* 12, 23., *Fin.* 5, 1., *N. D.* 1, 33. et alibi, quia is Athenis in hortis, quos conduxerat, colebatque, philosophiae ludum aperuit: quod primum eum fecisse, cum antea mos non fuisset hortos in oppidis colere, notat *Plin. l. c.* ℙ *Hortus* sensu obsceno significat podicem puerilem ap. *Auct. Priap.* 5., ac praecipue pudendum muliebre, ut et κῆπος Graece. *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 686. *Burm.* Hortis Hesperidum Sabelle cultis Nostrae cultior hortus est puellae, etc. Hinc et *olera*, et *olitor* eadem ambiguitate dicta, et Priapi Venerisque tutelae horti assignati, et Satyrica signa in his statui solita, testibus *Varr. L. L.* 5, 3. et *R. R.* 1, 1., *Festo* in *Rustica*, et *Plin. l. c.*, tametsi hoc potius ob eam causam, quod in hortis mundities, elegantia, et amoenitas maxime quaeritur, vel quod ea numina rerum fecunditati praecerant.

HORUS, i, m. Ὧρος, nomen Solis ap. Aegyptios: ex quo et horae vigintiquatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt: et quatuor anni tempora, quibus annuus orbis completur, horae vocantur. Ita *Macr. Sat.* 1, 21. [Haec vero improbat *Jablonskius* tum in *Panth. Aegypt.* 1, 4., tum in *Collect. voc. Aegypt.* p. 421., ubi multa lectu dignissima de hoc Aegyptiorum numine affert. *F.*] ℙ *Horus* fuit etiam Assyriorum rex ap. *Plin.* 30, 15, 51. et 37, 9, 52. ℙ Item astrologus Babylonius. *Prop.* 4, 1, 79. Me creat Archytae soboles Babylonius Horos.

HOSIS, is, f. ὦσις, propulsatio, impulsio. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 272, 7. Hosis Marcellae liberta. Hic aspiratio est praemissa, qua caret Graeca vox. *F.*]

HOSPES, itis, m. et f. ξένος, advena, peregrinus, qui brevi apud nos diversatur. *Cic. Or.* 1, 19. Is, qui nuper Romae fuit, Menedemus hospes meus; et 50. *extr.* Oratorem nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. *Id. Rabir. perduell.* 10. Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinae, ut haec nescias? *Id. Acad.* 1, 3. Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt. *Id. Off.* 1, 39. Hospites multos recipere. *Hor. Sat.* 2, 4, 17. Si vespertinus subito te oppresserit hospes. *Ov. Trist.* 3, 12, 50. Ille meae domui protinus hospes erit. *Cic. Fam.* 9, 26. Non multi cibi hospitem accipies, multi joci; et 20. Habuisses non hospitem, sed contubernalem, *h. e.* non brevi discessurum, sed diu remanentem; et *Cluent.* 59. *f.* Copo multorum hospitum; et *Fam.* 6, 6. Ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia venerant. *Ov. Fast.* 6, 510. Non venit haec nostris hospes amica choris. *Lucan.* 5, 11. Hospes curia. ℙ *Turpius ejicitur*, *quam non admittitur hospes*, proverbii locum habet, et est *Ov. Trist.* 5, 6, 13. ℙ Differt ab advena, et peregrino, qui non sunt nobis amici, aut cogniti, nec a nobis eo titulo excipiuntur. *Cic. Agr.* 2, 34. *extr.* Nos autem, hinc Roma qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenae nominabamur. ℙ Est etiam qui peregrinum domo excipit, notitiae et amicitiae causa. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro, quam regi Dejotaro, hospes hospiti porrexisti. *Ov. Met.* 1, 144. non hospes ab hospite tutus. *Cic. Div.* 1, 27. Cum duo Arcades Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum. *Hor. Sat.* 2, 6, 107. succinctus cursitat hospes, Continuatque dapes; et *ib.* 1, 5, 71. sedulus hospes. ℙ Interdum est appellatio blanda hominis ignoti, licet hospes non sit. *Cic. Brut.* 46. *f.* Hospes, non pote minoris. *Prop.* 4, 1, 1. Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est, etc. *Varr.* ap. *Non.* 7, 105. Hospes, quid miras nummo curare Serapin? Ita leg. *Passerat.* in *Propert. l. c.* ℙ Adjective, et translate. *Pallad. de insit. in.* Cur non arbor inops pinguescat ab hospite gemma, Et decus externi floris adepta micet? *Claud. IV. Cons. Honor.* 650. quem non aliena per arva Induit hospes honor. *Stat. Th.* 12, 479. non plura queruntur Hospitibus tectis, etc. *Id.* de Charonte *Silv.* 5, 1, 252. manes placidos locat hospite cymba. ℙ In gen. plur. ut *civitatium*, *hereditatium* reperitur pro *civitatum*, etc., ita *hospitium* pro *hospitum*. *Sever. Aetn.* 127. Quod si diversas emittat terra canales Hospitium fluviorum, etc. Alii tamen volunt, esse accusativum singularem, quem vocant continuatum, ut canales sint veluti fluviorum hospitium. ℙ *Hospes* est etiam nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 107, 8. Hospes Ti. Caesaris Aug. *(servus)* Licinianus. ℙ **Ospes* pro hospes, palimpsest. *Symmach. Laud. in Valent. or.* 2, 5. ed. *A. Maio. B. A.*

HOSPĪTA, ae, f. ξένη, peregrina, hospes, aliunde adveniens. *Ter. Andr.* 2, 6, 7. Illi molestae hae sunt nuptiae propter hujusce hospitae consuetudinem. *Cic. Att.* 5, 1. At illa, audientibus nobis, ego sum, inquit, hic hospita. ℙ Item quae alium hospitio excipit. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. *f.* Eum multo magis figura et lineamenta hospitae delectabant; et 8. *f.* Servilia, femina primaria, vetus Dionis hospita. V. *Inscr.* in FRUCTULUS. ℙ Adjective. V. HOSPITUS.

HOSPĪTĀCŬLUM, i, n. locus, ubi hospites diversantur, hospitium. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. ap. *Torrent.* At ap. *Haloandr.* et alios aliter.

HOSPĪTĀLIS, e, adj. ξενικός, ad hospitem pertinens. *Cic. Agr.* 2, 17. Illam ipsam sedem hospitalem, in quam erit deductus, publicam populi R. esse dicet. *Liv.* 25, 18. Hospitalis caedes, *h. e.* qua hospes occiditur. *Plin.* 33, 4, 24. Hospitalis coena Augusti, *h. e.* qua Augustus exceptus est. *Liv.* 2, 14. *f.* Hospitalia beneficia. *Varr. R. R.* 3, 2. Hospitales aves, *h. e.* hospiti in coena appositae. ℙ *Hospitalis tessera*, quam hospes hospiti dabat. Fuit enim antiqui moris, tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, continuo agnosci posset, et hospitio accipi tanquam amicus, et vetus hospes. Hoc jus necessitudinis ad posteros transibat. Propterea tesseram hospitalem diligenter observabant. Qui jus hospitii violabat, is tesseram hospitalem fregisse dicebatur. *Pl. Poen.* 5, 1, 25. Deum hospitalem et tesseram mecum fero. Adde 5, 2, 87. ℙ [*Hospitalis tabula* est tabula aenea, in qua incisum erat decretum curiae alicujus municipii, vel coloniae. Eam porro ad illum, qui patronus cooptabatur, mittere mos erat per legatos, qui, hospitio cum eodem facto, civitatis suae nomine illum rogabant, ut incolas ejusdem municipii, vel colo-

niae in clientelam recipere dignaretur. *Inscr.* ap. *Grut.* 456, 1. Placere conscriptis, legatos ex hoc ordine mitti ad T. Pomponium Bassum clarissimum virum, qui ab eo impetrent, in clientelam amplissimae domus suae municipium nostrum recipere dignetur, patronumque se cooptari, tabula hospitali incisa hoc decreto in domo sua posita, permittat. Haec pertinet ad an. a Chr. n. Cl., et incisa fuit in municipio Ferentinorum, missa vero ad patronum eorundem, qui Romae degebat. *F.*] ℙ Accipitur item pro liberali et facili ad suscipiendum hospites. *Cic. Off.* 2, 18. *extr.* Quendam Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Hospitalissimus et amicissimus. ℙ Item pro eo, qui hospitii praeses et vindex est, ut Juppiter hospitalis, quod in ejus tutela hospites esse credebantur. *Cic. ad Q. Fr.* 2, 12. Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis. ℙ *Hospitalis locus* est, in quo commode hospitari licet, ubi clemens coelum et salubre, et copia rerum. *Sen. Oedip.* 259. Non hospitalis exsulem tellus ferat. *Flor.* 1, 16. de Campania: Nihil mollius coelo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hinc illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, etc. *Plin.* 2, 46, 45. Hospitalis litorum appulsus; et 17, 10, 14. Sit solum siccum, succosumque, advenis hospitale, *h. e.* facile excipiens nutriensque plantas aliunde translatas. ℙ *Hospitalia fulmina* sunt, quae sacrificiis ad nos Jovem arcessunt, et invitant. *Sen. Q. N.* 2, 49. ℙ *Hospitalia*, absolute, ξενοκομεῖον, loca in aedibus destinata hospitibus recipiendis. *Vitr.* 6, 10. de Graecorum aedificiis. Dextra ac sinistra domunculae constituuntur, habentes proprias januas, triclinia, et cubicula commoda, uti hospites advenientes non in peristylia, sed in ea hospitalia recipiantur. ℙ Praeterea cum in scena tres essent januae, media, utpote nobilior, erat aulae regiae: utrinque vero *hospitalia*, h. e. fores repraesentantes domus hospitibus, et peregre advenientibus in scenam destinatae. *Id.* 5, 7. *f.* ℙ *Hospitalis alicujus* est, qui aliquem hospitio excipit. *Plin.* 9, 8, 8. Injuriae potestatum in hospitales ad visendum venientium, Hipponenses in necem ejus (*delphini*) compulerunt. Alii leg. minus recte *inhospitales*, alii *in hospites*. V. *Plin. alt. ep.* 9, 33. *f.* ℙ *Hospitales aquas* dixit *Plin.* 2, 103, 106. alicujus fluminis, qui per lacum impermixtis suis aquis transeat: quasi illae aquae hospites lacus sint, neque ibi morentur diutius, quam ad percurrendum spatium lacus opus est.

[HOSPĬTĀLIS, is, m. qui mercede peregrinos hospitio excipit. *Inscr.* ap. *Gud.* 100, 9. L. Afranius Cerialis L. Eros IIIIII Aug. domo Taracone Ospitalis a gallo gallinacio, *h. e. oste all' insegna del gallo. F.*]

HOSPĬTĀLĬTAS, atis, f. ξενία, φιλοξενία, benignitas et facilitas in excipiendis hospitibus. *Cic. Off.* 2, 18. Recte etiam a Theophrasto laudata est hospitalitas. Est enim valde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus. *Mart.* 4, 64. Hoc rus (seu potius domus vocanda est) Commendat dominus: tuam putabis: Tam non invida, tamque liberalis, Tam comi patet hospitalitate. ℙ Item conditio ejus, qui extra patriam hospitatur. *Macr. Somn. Scip.* 1, 21. *f.* Animorum origo coelestis est: sed lege temporalis hospitalitatis hic exsulat.

HOSPĬTĀLĬTER, adv. ξενίως, benigne, liberaliter. *Liv.* 1, 9. Invitati hospitaliter per domos. *Id.* 6, 26. Hospitaliter magis, quam hostiliter vocare. *Justin.* 8, 3. Ingredi hospitaliter ad Deos penates. *Curt.* 7, 6. *med.* Hospitaliter aliquem excipere.

HOSPĬTĀTOR, oris, m. qui hospites excipit. *Appul. Met.* 4. Fidelissimi mei hospitatores. Al. rectius leg. *sospitatores.*

HOSPĬTĀTŪRA, ae, f. negotiatio ejus, qui hospitibus diversorium mercede praebet. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. V. OSPRATURA. **Hospitatura* habet *Holoand.* Al. leg. *ospratura;* quod plerarumque atque optimarum editionum est. Ospratura igitur est *cura leguminum coemendorum*, np. ab ὄσπριον, legumen. V. *Ducker. de Latinit. Jurisc. Vet.* p. 427. *B. A.*

[HOSPĬTĬĀNUS, i, m. ad hospitem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1057, 6. Flavius Hospitianus. *F.*]

[HOSPĬTĬCĪDA, ae. m. et f. qui, vel quae hospitem occidit. *Gloss. Philox.* Hospiticida, ξενοκτόνος. *F.*]

HOSPĬTĬŎLUM, i, n. parvum hospitium. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. Si quis amicis suis modica hospitiola distribuerit. *Hieron. ep.* 47. *n.* 11. Vos ad ejus hospitiolum pergite: quamvis arctum sit, etc. Adde *ep.* 108. *n.* 44.

HOSPĬTĬUM, ii, n. ξενία, actus excipiendi hospites; item locus ipse, ubi hospites accepti diversantur. *Cic. Att.* 2, 16. *extr.* Te in Arpinati videbimus, et hospitio agresti accipiemus. *Id. Div.* 2, 37. Cum ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset. *Id. Phil.* 12, 9. *extr.* Tota familia occurret: hospitio invitabit. *Id. Sen. ult.* Ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. *Id. Att.* 14, 2. *extr.* Piliae paratum est hospitium. *Plin.* 35, 11, 38. Deductus a magistratibus in nemorosum hospitium. *Liv.* 5, 28. Adducere aliquem in publicum hospitium. *Plin.* 10, 23, 33. de coturnicibus: Iter est his per hospitia certa: et *paulo post* de glottide avi. Nec unquam plus uno die pergit: in proximo hospitio deserit. *Pl. Poen.* 5, 2, 93. Hospitium praebere. *Virg. A.* 1, 544. hospitio prohibemur arenae, *h. e.* vetamur appellere, et in litore pedem ponere. *Id. G.* 3, 343. itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis, *h. e.* stationibus, stabulis, *Id. ib.* 4, 24. vocat *hospitia* loca, ubi apes ut considant, invitantur. Adde *Pall.* 5, 8. ℙ [*Sunt *hospitia* etiam i. q. conclavia amicorum, qui alicujus hospitio utuntur: *Gastzimmer. Suet. Ner.* 47. Ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. ℙ *Hospitia militum* sunt habitationes in aedibus civium, nostr. *Quartiere. Suet. Tib.* Praetor. cohortes, vagae ante id tempus et per hospitia dispersae. ℙ Ponitur *hospitium* etiam pro *hospite*, eodem modo, quo *matrimonia* pro *uxoribus*, *clientelae* p. *clientibus*, *ministeria* pro *ministris.* Ita *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 83. ut tamen artum solveret hospitiis animum; ubi laudat *Lips.* ad *Tac. A.* 12, 65. et *Graev.* ad *Iust.* 41, 2. Idem tamen *hospitiis* etiam pro ablat. solut. accipi posse putat. ℙ Festive transfertur ad sermonem, quem aliquis habet, ut alter, qui ante eum verba fecit, requiescere possit. *Cic. Or.* 2, 57. Antonius, defessus jam, inquit, labore atque itinere disputationis requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio. Atqui, inquit Julius, non nimis liberale hospitium meum dices. *Schütz. in cl. Cic.*] ℙ Item amicitia, necessitudo, familiaritas, quae inter hospites intercedit, jus se invicem suscipiendi. Quae necessitudo non modo inter privatos erat, sed etiam inter populos, ea lege, ut alter alterum in sua terra exciperet, et quibuscumque rebus posset, coleret, ac tueretur. Dabatur ob id *hospitalis tessera*, (V. HOSPITALIS) et praeses hospitii Juppiter habebatur, idcirco *hospitalis* cognominatus. ℙ Si quem contracti hospitii poenituisset, renunciare solebat, ne jus illud sacrum et Jovem praesidem violaret: cujus rei exemplum *Liv.* 25, 18. praebet. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Pro hospitio, quod sibi cum eo esset. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Optimum quemque hospitio amicitiaque conjungere. *Id. Balb.* 18. Gaditani hospitium cum L. Cornelio publice fecerunt. *Id. Verr.* 2, 4, 65. Decernunt, ut L. fratri hospitium publice fieret. *Id. Rosc. Am.* 6. Gratia et hospitiis florens hominum nobilissimorum. *Id. Cat.* 4, 11. Clientelae hospitiaque provincialia. *Liv.* 37, 54. Cum quo uno maxime regum, et privatum singulis, et publicum civitati nostrae hospitium est. *Id.* 25, 18. Hospitium renunciare. *Auct. B. Hisp.* 16. scelere contaminare. *Pl. Poen.* 5, 2, 94. repudiare. *Ov. Her.* 17, 3. sacra hospitii temerare. *Nep. Lysand.* 1. *extr.* Hospitio alicujus contineri; et *Cim.* 3. alicujus uti. [*Coll. *Suet. Caes.* 73. ubi *Brem.* non de ipsa hospitis habitatione, sed omnino de hospitii foedere bene servato intelligendum docet.] *Cic. Dejot.* 3. Vetus hospitium renovare; et 14. conjungere cum aliquo. *Liv.* 1, 45. Publice privatimque hospitia jungere. *Virg. A.* 3, 83. Jungere hospitio dextras. [*V. ad h. l. *Burm.*] Et *ib.* 4, 51. indulgere hospitio. *Caes. B. C.* 2, 25. Intercedit mihi paternum hospitium cum aliquo: *paternum* dixit, quia jus hospitii ad filios cum hereditate transibat. V. *Pl. Poen.* 5, 1, 22. et 5, 2, 90. Item *Inscr.* ap. *Grut.* 470, 1. et 2. et ap. *Maff. Mus. Ver.* 472. et 473., ubi faciendi hospitii, patroni cooptandi, et in clientelam recipiendi formula continetur. ℙ Facete, et jocularitер *Pl. Amph.* 1, 1, 3. Quid faciam, si tresviri me in carcerem compegerint? etc. ita Peregre adveniens hospitio publicitus accipiar; et 140. Certe advenientem me hic hospitio pugnae accepturus est. *Id. Capt.* 3, 3, 8. Nec confidentiae usquam hospitium est, nec diverticulum dolis.

[HOSPĬTĪVUS, a, um, adj. ad hospitem, sive hospitium pertinens. *Spart. Hadr.* 12. Hadrianus gravissimum periculum adiit apud Tarraconem spatians per hospitiva viridaria, servo in se hospitis cum gladio furiosius irruente. *F.*]

HOSPĬTOR, aris, atus sum, dep. 1. ξενίζομαι, hospes sum apud aliquem, diversor, hospitii jure utor, paulum alicubi interquiesco. Translate *Sen. V. B.* 23. Sapiens magnas opes, munus fortunae non repudiabit, nec excludet, quid enim est, quare illis bonum locum invideat? veniant, hospitentur. *Id. ep.* 31. *med.* Quid aliud voces animum, quam Deum in humano corpore hospitantem? *Plin.* 17, 20, 34. Castanea translata nescit hospitari, pavetque novitatem. *Id.* 6, 18, 22. Gangem in quodam lacu hospitari: inde lenem fluere. ℙ [Part. *Hospitaturus* ap. *Imppp. Valent.*, *Theodos.* et *Arcad. Cod. Theod.* 7, 8, 4. Mensores postibus hospitaturi nomen adscribunt. *F.*]

HOSPĬTUS, a, um, adj. peregrinus, hospes. Hujus adjectivi alia genera et casus, praeter eos, quos subjicimus, non facile invenies. *Ov. Fast.* 1, 393. Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas Acta per aequoreas hospita navis aquas. *Virg. A.* 3, 377. quo tutior hospita lustres Aequora. *Varro* ap. *Arnob.* 6, 207. Hirundines hospitae. ℙ Item hospitalis, qui hospitio excipit. *Virg. A.* 3, 539. bellum, o terra hospita, portas. *Hor. Od.* 1, 15, 1. Pastor cum traheret per freta navibus Idaeis Helenen perfidus hospitam. *Stat. Th.* 4, 842. fessisque libens iterum hospita pandas Flumina, *h. e.* benignas hospitalesque hospitibus undas tuas. *Id. Silv.* 3, 75. Dicarchaei portus, et litora mundi hospita, *h. e.* quo ex omnibus terrae partibus navigantes appellunt. *Val. Fl.* 2, 650. hospita pandi Tecta jubet; et 1, 44. hunc hospita vina Inter, et attonitae mactat solemnia mensae. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 8. Urbes hospitas populant. ℙ Translate de unda fluminis gelu concreti. *Virg. G.* 3, 362. Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

HOSTIA, ae, f. θῦμα, vivum animal, quod in sacris mactatur in honorem Deorum. Dicta est ab *hostire*, ferire, ut placet *Festo;* vel ab eodem, qua significat aequum et propitium reddere, ut *Servio* ad illud *A.* 2, 155. testor vos arae, ensesque nefandi, vittaeque Deum, quas hostia gessi. Vel ab hostibus, quod primo dicta sit, quae iis devictis mactabatur: quae si ipsa victoris manu caederetur, *victima* vocata est. Utrumque *Ov.* docet *Fast.* 1, 335. Victima, quae dextra cecidit victrice, vocatur: Hostibus amotis (*al.* a domitis) hostia nomen habet. *Serv.* ad *A.* 1, 338. ita distinguit, ut *hostia* sit, quae caeditur ab his, qui ad hostes pergunt: *victima*, quae a victoribus: sed haec tamen licenter confundi. Alii ita discriminant, ut *victima* de majoribus dicatur, ut tauris, vitulisque, *hostia* de minoribus, ut agnis, capris, et hujusmodi. Sed hoc quoque discrimen vanum est. Rursus *Serv.* ad *A.* 4, 56. duo facit hostiarum genera: alterum, in quo voluntas Dei per exta exquiritur: alterum, in quo sola anima Deo sacratur. V. ANIMALIS. Porro universim quaecumque victima *hostia* dicitur. *Virg. A.* 1, 338. Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra. *Id. G.* 1, 345. Terque novas circum felix eat hostia fruges; et *ib.* 3, 486. in honore Deum medio stans hostia ad aras. *Id. ib.* 489. mactare hostiam. *Tac. H.* 3, 56. ferire. *Nep. Ann.* 2. immolare Jovi. *Cic. Leg.* 2, 12. Quibus hostiis immolandum cuique Deo, cui majoribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. *Liv.* 22, 1. *med.* Ea prodigia partim majoribus hostiis, partim lactentibus procurarentur. (*Majores hostiae* fere intelliguntur, quae sunt bovilli generis, quas tantum auratis cornibus immolari solitas, *Plin.* tradit 33, 3, 12. Ceterae coronatae solum ducebantur. Ceterum *majores* proprie dicuntur ab aetate, et lactentibus opponuntur, ut hic ex *Cic.* et *Livio* apparet.) *Liv.* 31, 5. Majoribus hostiis rem divinam facere; et 41, 19. Quadraginta hostiis sacrificare. *Gell.* 4, 6. Si primis hostiis litatum non est. *Suet. Caes.* 81. *f.* Pluribus hostiis caesis, cum litare non posset, introiit curiam. *Plin.* 8, 45, 70. *extr.* Aliena hostia Deos non placari. *Tac. H.* 5, 13. Hostiis piare prodigia. ℙ *Maxima hostia* dicta est ovilli pecoris, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore. *Festus.* ℙ *Purae hostiae* dicuntur, quae ad sacrificium idoneae. *Plin.* 8, 51, 77. ℙ *Humana hostia* non unis barbaris nationibus olim sacrificare mos fuit, ut Arcadibus Jovi Lycaeo, teste *Plin. ib.* 22, 34. et Germanis Marti, teste *Tac. G.* 9. Quin et a Romanis, initio belli Punici alterius, Gallus et Galla, Graecus et Graeca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt, sacro minime Romano, inquit *Liv.* 22, 57. Quamquam hae proprie hostiae non fuerunt, quod sanguis ex iis fusus non est. ℙ Est etiam *Hostia* signum in coelo, seu potius pars signi Centauri. Fingitur enim is manu tenere hostiam, quae est animal quadrupes, quod nemo certo donavit nomine Grajum, ut ait *Cic. Arat.* 211. Constat autem stellis decem, teste *Hyg. Astr.* 3, 37. ℙ De *Hostia* urbe. V. OSTIA.

HOSTĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *hostio, as*, hostiis instruo. *Pl. Rud.* 1, 5, 12. Aequius vos erat candidatas venire, hostiatasque ad hoc fanum.

HOSTĬCĂPAX, hostium captor. *Festus.*

[HOSTĬCŬLUS, i, m. dimin. hostis. *Not. Tir.* p. 79. Hostis, hosticulus. *F.*]

HOSTĬCUS, a, um, adj. idem ac hostilis. *Hor. Od.* 3, 2, 6. Hostica moenia. *Ov. Pont.* 1, 3, 65. Hostica tellus; et *Fast.* 4, 893. vindemia. *Pl. Capt.* 2, 1, 49. manus. *Sen. Oedip.* 737. Hosticus clamor. *Colum. praef. l.* 1. Quamquam inter ferrum et ignes hosticis incursionibus vastatae fruges. [**Hor. Sat.* 1, 9, 31. Hosticus ensis; ubi v. *Heindf.*] ℙ *Hosticum*, absolute, pro agro, seu loco hostium: [Ita etiam *Dion. Halic. l.* 8. Ἀπῆλθεν ἐκ τῆς πολεμίας, *h. e.* ἐκ τῆς γῆς πολεμίας. *F.*]

Liv. 8, 38. Castra in hostico incuriose posita. *Plin. Pan.* 29. Raptae ex hostico messes. *Eum. Pan. ad Constant.* 13. Transire in hosticum. ℙ *Hosticum canere* est tuba canere, vel ad aciem movendam in hostem, vel ad reum capitalem citandum. *Varr. L. L.* 5. *f.* In arce classicus canat, et ante privati hujus T. Quintii Trogi, scelerosi hominis, hosticum canat. *Scalig.* tamen legit *hostium*, h. e. ostium, qua ratione aptius constructio procedit. ℙ *Hosticum spirare*, hostilem animum habere. *Tert. Apol.* 35.

HOSTĬFER, a, um, adj. hostilis. *Manil.* 1, 420. Hostiferum necdum sibi quemquam numina norant.

HOSTĬFĬCĒ, adv. hostiliter. *Accius* ap. *Non.* 3, 203. Hostifice miscere sanguen.

HOSTĬFĬCUS, a, um, adj. hostilis. *Accius* ap. *Non.* 8, 15. O dirum hostificumque diem! V. etiam locum *Cic.* in HORRIFICUS.

*HOSTĬLĬNA, ae, f. Deae nomen ap. Romanos. *August. C. D.* 3, 8. Cum segetes novis aristis aequantur, quia veteres aequare *hostire* dixerunt, Deam Hostilinam praefecerunt. *B. A.*

HOSTĬLIS, e, adj. πολέμιος, ad hostes pertinens, inimicus, infestus. *Cic. Inv.* 1, 55. Hostili in terra jacuit insepultus. *Id. Off.* 3, 29. *f.* Regulus non debuit conditiones pactionesque hostiles perturbare perjurio. *Stat. Achill.* 1, 618. de Baccho: thyrsumque virentem Armat, et hostiles invisit fortior Indos, *h. e.* quos hostes sibi domandos elegerat. *Vell.* 2, 101. *extr.* Prior Parthus apud Cajum in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. *Pl. Truc.* 1, 2, 68. Hostile oppidum. *Hor. Ep.* 9, 19. Hostiles naves. *Id. Od.* 1, 16, 20. imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. *Sall. Jug.* 45. Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. *Pl. Ps.* 4, 4, 10. Hostiles insidiae. *Tac. Ann.* 13, 57. Hostiles minae in ipsos vertebant. ℙ Item inimicus, infestus, noxius, damnosus, qualia sunt, quae ab hostibus proficiscuntur. *Brut.* ap. *Cic. ad Brut.* 1, 4. Inique facis, qui hostilis animi in rempubl. homines, cives appelles. *Cic. Cluent.* 5. Hostili odio esse in aliquem. *Id. Prov. cons.* 3. Hostilem in modum vexata urbs. *Id. Rabir. perduell.* 9. Homo hostilem in modum seditiosus. *Tac. H.* 4, 57. Hostiles spiritus induere. *Sall. Jug.* 93. *f.* Ne quid ab se hostile timeret; et 3. Rerum mutationes, caedem, fugam, aliaque hostilia portendere. *Liv.* 21, 16. Legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hostilia esse. *Tac. H.* 4, 15. Multa hostilia audere; et *ib.* 3, 70. Invicem hostilia coeptare. *Sall. Jug.* 115. facere. *Tac. Ann.* 12, 40. induere adversus aliquem. *Id. H.* 2, 66. loqui. *Plin.* 11, 19, 21. Apibus inimica est nebula: aranei quoque vel maxime hostiles, *h. e.* infesti. ℙ *Hostilis pars* in extis quae sit, V. in FAMILIARIS.

HOSTĬLĬTAS, atis, f. *Sen. Ot. sap. f.* Adversus hostes inhumana crudelitas, etiam adversus suos hostilitas. Al. melius leg. *hostilis.*

HOSTĬLĬTER, adv. πολεμίως, πολεμικῶς, ad modum hostium. *Cic. Phil.* 5, 9. Quid ille fecit hostiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur, et cogitet? *Liv.* 9, 38. Castella hostiliter deleta. *Id.* 2, 14. Bona hostiliter vendere. *Tac. H.* 2, 85. agere. *Gell.* 4, 8. odisse. *Suet. Aug.* 26. legiones ad urbem admovere; et *Caes.* 54. urbes diripere. *Ov. Met.* 11, 372. de lupo: Vulnerat armentum sternitque hostiliter omne.

HOSTĬLĬUS, a, um, adj. ab *hostibus* ductum. *Festus:* Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant. Quo pertinet illud *Prop.* 3, 2, 10. Annibalemque Lares Romana sede fugantes. ℙ *Hostilia gens* Romae fuit, ex qua Hostus Hostilius rem strenue gessit adversus Sabinos, teste *Liv.* 1, 12. Cujus nepos Tullus Hostilius tertius fuit rex, a quo Hostilia curia dicta est, ubi senatus habebatur, ab ipso exstructa. *Id. ib.* 22. et 30. et *Varr. L. L.* 4, 32. ℙ Ea curia mansit usque ad extrema reipubl. tempora, quibus cum vetustate dilapsa fuisset, in ejus locum curiam Juliam Caesari aedificandam demandaverat senatus (*Dion.* 44, 5.), post Caesaris mortem aedificaverunt triumviri (*Id.* 47, 19.), et Augustus dedicaverat (*Id.* 51, 22.). Ejus meminit etiam *Suet Cal.* ℙ *Hostilia lex* regiane fuerit, an consularis, aut tribunicia, incertum est. Ea permissum fuit furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut abessent reipubl. causa, quive in eorum cujus tutela essent. *Justin. Instit.* 4, 10.

HOSTĪMENTUM, i, n. ἀντιοήκωσις, compensatio, aequamentum. *Non.* 1, 11. Hostimentum est aequamentum: unde et hostes dicti sunt, qui ex aequa causa pugnam ineunt. *Festus:* Hostimentum, beneficii pensatio. *Pl. Asin.* 1, 3, 20. Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia. *Enn.* ap. *Fest.* in *Redhostire.* Audi, atque auditis hostimentum adjungito.

HOSTĬO, is, a. 4. ἀντιοηκόω, ἀμείβω, aequa reddo, paria facio, tantundem reddo: ab *hostis. Pl. Asin.* 2, 2, 109. Quin promitto hostire contra, ut merueris. *Fest.* in *Status:* Hostire ponebatur pro aequare. *Pacuv.* ap. *eund.* in *Redhostire.* Nisi coerceo protervitatem, atque hostio ferociam, *h. e.* ferociae respondeo aequali ferocia. *Non.* 2, 405. interpretatur, comprimo, retundo: quod videtur eodem redire. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 156. Hostia vero victima, et dicta, quod Dii per illam hostientur (alii leg. *hostiantur*), id est aequi et propitii reddantur, unde *hostimentum* aequationem. ℙ Pro ferire, offendere, laedere. *Enn.* ap. *Fest. ib.* Quem mea cominus machaera atque hasta hostivit e manu, *h. e.* machaera cominus, hasta eminus icit. Ita enim *Scalig.* legit. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Meum admissum nocens hostit voluntatem tuam. *Fest.* in *Hostia.* Hostia dicta est ab eo, quod est hostire, ferire.

HOSTIS, is, m. et f. πολέμιος, ἐχθρός, is, cum quo publice bellum habemus (quamquam etiam de quocumque adversario dicitur) in quo ab *inimico* differt, qui est is, quocum habemus privata odia. Distingui etiam sic possunt, ut *inimicus* sit qui nos odit; *hostis* qui oppugnat: sunt qui vocem ducunt ab ὥστης, impulsor. *Cic. Phil.* 11, 1. Omnes nos statuit ille non inimicos, sed hostes. *Id. Manil.* 10. Qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit. *Curt.* 7, 10. Illi, nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos, hostes fuisse, respondent. ℙ Hinc quando haec duo junguntur, *hostis* supra inimicum multum addit. *Cic. Fin.* 5, 10. *f.* Sibi inimicum esse, atque hostem. *Id. Verr.* 2, 2, 24. Inimicus, hostis esset, tanta contumelia accepta. *Id. Inv.* 1, 54. *extr.* Inimicis quoque, et hostibus ea indigna videri. ℙ Ap. majores nostros, inquit *Cic. Off.* 1, 12., is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. Tabulae: aut status dies cum hoste. Itemque: adversus hostem aeterna auctoritas. [*Eandem vim habet *hostis* ap. *Ov. Her.* 4, 6. *Beier.* ad *Cic. l. l.* Adde *Lucan.* 1, 682. Quid tela manusque Romanae miscent acies, bellumque sine hoste est? ubi v. *Cort.*] *Pl. Curc.* 1, 1, 5. Si status condictus cum hoste intercedit dies, Tamen est eundum, quo imperant, ingratiis. (Adde *Varr. L. L.* 4. *in.*, *Fest.* et *Pl. Trin.* 1, 2, 65.) *Virg. A.* 4, 424. I soror, atque hostem supplex affare superbum. Ubi *Servius:* Nonnulli juxta veteres hostem pro hospite dictum accipiunt. ℙ *Cic. l. c.* Id nomen durius jam fecit vetustas: a peregrino enim jam recessit, et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit. *Id. Verr.* 2, 2, 6. Horum omnium communis hostis praedoque fuit. *Id. Phil.* 2, 26. Diis hominibusque hostis. *Id. ib.* 14, 10. Hostes nefarios prostravit, fudit, occidit. ℙ [*Hostes* intelliguntur etiam iidem, atque socii, qui victi quidem sunt, et in Romanorum potestatem redacti, sed nondum socii facti. Ita *Kritz.*, qui ex optimis cdd. h. v. restituit ap. *Sall. Cat.* 12, 5. At hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant, etc., ubi *Cort.* et *Gerlach. hostibus* abesse jusserant, *hic*, quod sensu careret, *ille*, quod e contextu per se intelligeretur, hostes significari.] ℙ In femin. genere. *Pl. Stich.* 1, 2, 83. Hostis est uxor, invita quae ad virum nuptum datur. *Ter. Hec.* 5, 2, 23. Nupta meretrici hostis est. *Liv.* 30, 14. Quo die captam hostem vidit, eodem matrimonio junctam accepit. *Ov. A. Am.* 2, 461. cum certa videbitur hostis. *Id. Her.* 6, 82. Non exspectata vulnus ab hoste tuli. *Sen. Herc. Oet.* 21. Thermodontia hostis. ℙ *Hostibus eveniat hoc*, formula quippiam abominandi et avertendi. *Ov. Her.* 16, 217. Hostibus eveniant convivia talia nostris. Adde *Amor.* 2, 10, 16., *Fast.* 3, 494. et *Pont.* 4, 6, 35., *Prop.* 3, 6, 20., *Virg. G.* 3, 513. et *Albin.* 1, 182. et 450. ℙ *Hostis* aliquando brutis tribuitur, et rebus inanimis. *Ov. Fast.* 1, 359. de capro: noxae tibi deditus hostis, Spargitur adfuso cornua, Bacche, mero. *Plin.* 8, 20, 29. Rhinoceros hostis genitus elephanto. *Quint.* 2, 2. *med.* Licentia qualiacumque laudandi, studiorum perniciosissima hostis. ℙ De ludo latrunculorum, in quo imago pugnae fit, *Ov. A. Am.* 2, 208. Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus; et *ib.* 3, 358. Unus cum gemino calculus hoste perit. ℙ Adjective. *Stat. Th.* 11, 22. Nec jam hostes turmae, aut ferrum mortale timetur. Al. aliter leg. [*Et deinde *ib.*: atque increpat, hostes Quo retrahis Germane gradus. Laudat utrumque locum *Burm.* ad *Quint. Decl.* 272. p. 524. Hostis apparuisset exercitus.]

HOSTŌRĬUM, ii, n. ἀπομάκτρα, ἀρόψηστον, lignum, regula, qua modius aequatur, et cumulus deruitur, rutellum. *Prisc.* 6, 688. ubi agnoscit quidem, ut Latinam vocem, nullo tamen auctore apposito. Est autem ab *hostio*, aequo.

[HOSTUS, i, m. id, quod ex uno olei facto efficitur: deducitur vox ab hauriendo, quasi *haustus. Cato R. R.* 6. Si in loco crasso, aut calido oleam severis, hostus nequam erit, *h. e. il prodotto sarà scarso*, aut *di cattiva qualità.* V. *Varronis* locum in V. FACTUS, i. ℙ *Hostus* est etiam cogn. R. *Macr. Sat.* 1, 6. Quod primus esset in hostico procreatus, Hostum Hostilium a matre vocitatum referunt. Hinc etiam ap. *Liv.* 4, 30. Hostus Lucretius Tricipitinus. *F.*]

[HOTHUMĒNĒ, es, f. ὡθουμένη, part. verbi ὠθέω, quae truditur. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 88. Hotho Aug. Lib. paedagogo Hothumene filia piissimo patri fecit. Hic *Hotho* et *Hothumene* aspirantur initio vocis, licet in lingua Graeca nulla sit aspiratio. *F.*]

[HOTHUS, i, m. qui trusus est, ὠθέω, trudo. V. v. praec. *F.*]

H U

HU, ὗ, interjectio exprimens sonum, quem quis olfaciendo edit, spiritum naribus attrahendo: vel quo quis significat, se odorem deprehendere, ac sentire. *Pl. Mil.* 4, 6, 43. Nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre: hu! hu! olet profecto, olet. *Pyrgop.* Naso pol jam haec quidem videt plus, quam oculis.

HŬBER, etc. V. in UBER adj.

HUC, adv. δεῦρο, ad hunc locum, in hunc locum, in quo ego sum. *Virg. Ecl.* 2, 45. Huc ades *Hor. Sat.* 2, 3, 80. Huc propius me adite. *Petr. Sat.* 23. Huc huc convenite. *Ter. Ph.* 1, 2. *f.* Puer heus, nemon' huc prodit? *Id. Eun.* 1, 2, 19. Huc qua gratia te arcessi jussi, ausculta. *Id. Eun.* 5, 6, 26. Huc intro. *Pl. Aul.* 2, 1, 14. Huc foras. *Ter. Eun.* 4, 7, 4. Huc in medium agmen. *Id. Andr.* 1, 1, 43. Mulier ex Andro commigravit huc viciniae. *Id. Hec.* 1, 2, 100. Huc raro in urbem commeat. *Pl. Rud.* 3, 4, 21. Tu senex si istas amas, huc arido argento opus est, *h. e.* huc afferatur argentum. *Id. Poen.* 5, 2, 87. Ostende huc: affer huc, et ostende. ℙ Item in eum locum, de quo loquor. *Caes. B. G.* 3, 19. Locus erat castrorum editus, et paulatim ab imo acclivis. Huc magno cursu contenderunt. *Liv.* 35, 19. Ubicumque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes. Adde *Hor. Od* 3, 3, 24. ℙ Significat etiam ad hanc rem, ad hunc statum. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Ut haec multo ante meditere, huc te pares, haec cogites, ad haec te exerceas. *Id. N. D* 2, 39. Adde huc fontium perennitates, etc. *Hor. Sat.* 1, 2, 83. Adde huc, quod merces sine fucis gestat. *Caes. B. C.* 1, 56. Massilienses naves longas expediunt numero decem et septem. Multa huc minora navigia addunt. *Cic. Amic.* 18. Accedat huc suavitas quaedam, oportet, sermonis. *Cels.* 5, 19. *n.* 21. Rubrum quoque emplastrum, quod Ephesium vocatur, huc aptum est, *h. e.* ad haec vulnera. *Ter. Eun.* 3, 3, 11. Ubi friget, huc evasit. V. EVADO. *Plin.* 7, 52, 53. Huc pertinet nobile apud Graecos volumen Heraclidis. *Id.* 26, 4, 9. Huc usque provecta credulitas antiquorum. *Cic. Coel.* 20. Huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut, etc. *Id. Cat.* 2, 2. Rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis. *Tac. Ann.* 3, 73. Huc arrogantiae venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret; et *ib.* 4, 41. Huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma degendam impelleret. ℙ Huc illuc, ad hanc et illam partem, ad hunc et illum locum: et significat saepe iter, vel locum incertum: translate vero varietatem et inconstantiam. *Cic. Att.* 9, 9. *med.* Ne cursem huc illuc via deterrima. *Id. Or.* 1, 40. Erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro. *Id. Div.* 1, 53. Tum huc, tum illuc volant alites. *Cels.* 2, 15. Uni pedi lecti fulcimentum subjiciendum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 6. Versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere. *Id. Fin.* 5, 28. *f.* In quo utrum respondebo, verses te huc atque illuc necesse est, *h. e.* dubites, haereas, aestues. ℙ *Huc illucve*, et *huc illucque* duriuscula videntur. Prius est *Celsi* 6, 6. *n*, 36. et 7, 3. et alibi: posterius *Plinii* 37, 6, 22. ℙ *Huc et huc* est huc et illuc. *Hor. Ep.* 4, 9. Ut ora vertat huc et huc euntium Liberrima indignatio. ℙ *Huc et illo*, huc et illuc. *Sen. Ben.* 5, 6. *med.* Sed jam ista sidera huc et illo diducet velocitas sua. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 550. ℙ Confunduntur *Huc* et *hinc.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 127. et *hoc. Id. ib.* 2, 625.]

HUCCĪNĔ, adv. idem quod huc, sed interrogativum: ab *huc*, et *ne*, interposita syllaba *ci. Cic. Verr.* 2, 5, 63. Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis R. virgis caederetur? Sic *Pers.* 3, 15. O miser, inque dies ultra miser! huccine rerum Venimus?

HUCUSQUE, vel Huc usque, μέχρι δεῦρο, usque ad hunc locum, vel usque ad hanc rem, tempus, terminum. *Plin.* 6, 29, 34. Huc usque Sesostris exercitum duxit. *Id.* 26, 4, 9. Huc usque profecta credulitas.

HUI, ὤ, φεῦ, interjectio familiaris admirantis. *Pl. Pers.* 5, 2, 25. Hui! babae! basilice te intulisti, et facete. *Ter. Ph.* 2, 1, 72. Hui! dixti pulcre; et 3, 3, 25. Triginta? hui! percara est; et *Heaut.* 4, 5, 28. Prorsum nihil intelligo. *Sy.* hui! tardus es. ℙ Item miserantis, ut ait *Don.* ad illud *ib.* 1, 1, 40. Hui! tam graves hos, quaeso? ℙ Item exclamantis cum dolore. *Id. ib.* 3, 1, 71. Hui! quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!

Pl. Rud. 1, 2, 65. Hui! homunculi, quanti estis! ℙ Item irascentis. *Ter. Eun.* 4, 7, 35. *Chre.* Principio eam esse dico liberam. *Thra.* Hem! *Chre.* civem Atticam. *Thra.* hui! Ubi *Don.* hui, hem, et cetera hujusmodi generis, sannae sunt adversus eos, quibus irascimur. *Cic. Att.* 6, 6. Videbam sermones: hui! fratrem relinquit: num est hoc, non plus annum, retinere provinciam? Et *ib.* 5, 11. Hui! totiesne me litteras dedisse Romam, cum ad te nullas darem? Et *ib.* 13, 21. *f.* Hui quam diu de nugis! de re enim nihil habeo, quod loquar.

HUJUSCĔMŎDI, hujusmodi, hujusce modi. *Sall. Jug.* 9. *extr.* Dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuisse. *Q. Metell. Numid.* ap. *Gell.* 6, 11. Si in eo tempore hujuscemodi homunculum nomines. *T. Castric. rhetor* ap. *eund.* 13, 21. Hic vester hujuscemodi vestitus. Ipse *Gell.* 4, 1. *med.* Vinum, triticum, oleum, lentem, fabam, atque hujuscemodi cetera.

HUJUSMŎDI, τοιοῦτος, hujus modi, hujus generis: similis τῷ *ejusmodi*. *Caes. B. C.* 2, 22. Hordeum ad hujusmodi casus antiquitus paratum. *Cic. Verr.* 2, 3, 82. Ex hujusmodi principio consuetudo introducta est. *Nep. Agesil.* 8. Ille praeter vitulina, et hujusmodi genera obsonii, nihil accepit. *Ter. Eun.* 4, 6, 8. Haec, atque hujusmodi sum multa passa. *Id. Heaut.* 2, 3, 98. Hujusmodi, obsecro, aliquid reperi. *Id. Ph.* 3, 2, 43. Hic me hujusmodi esse sciebat: ego hunc aliter esse credidi. ℙ Et sequente *ut* particula. *Caes. B. G.* 3, 3. Nonnullae hujusmodi sententiae dicebantur, ut, etc. *Id. fr.* ap. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Id erat hujusmodi, ut magis optandum, quam sperandum putarem.

HULCUS, etc. V. ULCUS.

*HUMAGO, insula cum opp. cognomine prope Istriam. *Ant. Itin. B. A.*

HUMĀNE, adv. ἀνθρωπικῶς, pro conditione et sorte humanae naturae, more humano. *Ter. Ad.* 1, 2, 65. Vix humane patitur. *Cic. Tusc.* 3, 27. Si qui forte aliquid fecerunt humanius, aut hilarius locuti sunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 70. Intervalla vides humane commoda, *h. e.* satis commoda, εἰρωνικῶς. ℙ Item humaniter, benigne, comiter. *Cic. Att.* 12, 44. Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς, de me scripsisse, facile patior: fecit enim humane. *Petr. Sat.* 8. Ducem se itineris humanissime promisit. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. Humanissime locutus esses. *Cic. fil.* ap. *Cic. Fam.* 16, 21. Humanissime nobiscum jocatur.

HUMĀNĪTAS, atis, f. ἀνθρωπότης, natura humana, seu natura hominis. Sumitur pro illo affectu, qui proprie hominis est erga hominem, et Graece φιλανθρωπία appellatur, quemadmodum *civilitas* erga cives est. Potest autem definiri, necessitudo quaedam nobiscum simul genita, per universum diffusa genus humanum, qua vicissim se homines tuentur, opemque ferunt, hoc duntaxat nomine, quod homines sunt, eademque corporis forma, eodem rationis lumine praediti. *Cic. Quint.* 31. Obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis etc., ut aliquando misericordiam caperet aliquam, si non propinquitatis, at aetatis suae; si non hominis, at humanitatis rationem haberet. *Id. Rosc. Am.* 22. Magna est vis humanitatis, multum valet communio sanguinis, natura ipsa. ℙ Ex hac humanitate communi oritur illa virtus, quae et ipsa humanitas dicitur, qua benigni sumus, comes, et faciles in eos, quibuscum agimus. *Cic. Man.* 14. Humanitate tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. *Plin. ep.* 9, 5. Humanitatis praecipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare. *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. *med.* Humanitatem exhibere alicui. *Sen. ep.* 88. *med.* Humanitas vetat superbum esse adversus socios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus comem se, facilemque omnibus praestat: nullum alienum malum putat, bonum autem suum id maxime, quod alicui bono futurum est, amat. ℙ Et quia ad hanc virtutem praecipue facit animi cultura, litterarum studiis acquisita, ideo ea ipsa studia et eruditio *humanitas* appellatur, παιδεία. *Cic. Or.* 2, 17. Homo non hebes, neque inexercitatus, neque communium litterarum et politioris humanitatis expers. *Id. Or.* 1, 60. In omni recto studio atque humanitate versari. V. *Gell.* 13, 16. ℙ Interdum de illa cultura animi dicitur, quae ad urbanitatem, et decentiam, et civilitatem pertinet. *Cic. Off.* 1, 40. *f.* Ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent. *Id. Or.* 2, 56. *f.* Humanitatis est responsio. [**Humanitas* in his saepissime significat in universum eam virtutem, qua favorem, gratiam aliorum ita comparare valemus, ut felices se nostra consuetudine praedicent, ut ea non sine magno quodem bene beateque vivendi generis detrimento carere posse videantur. Ita *Nep. Alc.* 9, 3. Quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet; ubi v. *Brem.*] ℙ Pro ipso hominum genere. *Minuc. Fel. Octav.* 8. Timorem omnem, quo humanitas regitur, sustulerunt. [*ubi v. Daviesii notas. Adde *Quint. Decl.* 8, 3. p. 168.] *Senec. ep.* 65. Homines quidem pereunt; ipsa humanitas, ad quam homo effingitur, permanet. Agit autem ibi *Seneca* de ideis. ℙ [*Multa de hujus vocabuli significatione, qualem quidem ap. *Cic.* legimus, egregie disputat *Ern.* in *cl. Cic.* s. h. v.]

HUMĀNĪTER, adv. φιλανθρώπως, more hominum. *Cic. Att.* 1, 2. Sin aliter acciderit, humaniter feremus, *h. e.* aequo animo, honeste, decenter, convenienter naturae humanae. ℙ Item honeste, jucunde, suaviter, tranquille, more hominis liberi. *Cic. Fam.* 7, 1. *f.* Docebo profecto, quid sit humaniter vivere. ℙ Item civiliter, moderate, comiter, facile. *Cic.* apud *Non.* 11, 1. Invitus litteras tuas scinderem: ita sunt humaniter scriptae.

HUMĀNĬTUS, adv. ἀνθρωπικῶς, more humano, secundum humanam conditionem, et sortem. *Afr.* ap. *Non.* 11, 40. Ferre humana humanitus. *Cic. Phil.* 1, 4. Si quid mihi humanitus accidisset, *h. e.* si mortuus essem. *Plin.* 10, 63, 83. Ursi autem coeunt humanitus strati, *h. e.* ut homines solent. ℙ Item humaniter, benigne. *Ter. Heaut.* 1, 1, 47. Ubi rem rescivi, coepi non humanitus, Neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli, Tractare.

HUMĀNUS, a, um, adj. ἀνθρώπινος, ad hominem pertinens. *Cic. Rosc. Am.* 22. *f.* Esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, etc. *Id. Fin.* 4, 2. Societas et communitas generis humani. *Id. Somn. Scip.* 5. Humana vita. *Id. Or.* 1, 8. A fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. *Id. Tusc.* 5, 6. Qui vim fortunae, qui omnia humana, quae cuique accidere possunt, tolerabilia ducat. *Plin.* 22, 5, 5. Qua claritate nihil in rebus humanis sublimius duco. *Ov. Pont.* 3, 2, 91. Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur (Humanos casus aspice) frater erat. *Paul. Dig.* 16, 3, 26. Si quid mihi humanum contigerit, *h. e.* si moriar. *Flor.* 3, 5. Athenas obsidione ac fame ad humanos cibos compulit, *h. e.* humanae carnis. Sic *Ov. Her.* 9, 68. humana qui dape pavit equos. *Plin.* 2, 107, 111. Humani ignes, *h. e.* nostri ignes, qui ad vitae humanae usum pertinent. *Id.* 17, 9, 6. Humanae dapes, *h. e.* hominum excrementa. *Paul.* ex *Festo.* Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat. ℙ Dicitur et de iis, quae ab hominis natura non abhorrent. *Cic. Verr.* 2, 5, 44. *f.* Metum virgarum navarchus pretio redemit: humanum: alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: usitatum est. *Ter. Ad.* 3, 5, 25. persuasit nox, amor, vinum, adolescentia: Humanum est. ℙ Est etiam lenis, mitis, facilis, benignus. *Cic. Sen.* 17. Ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse. *Ter. Andr.* 1, 1, 87. humani ingenii, Mansuetique animi officia. *Cic. ad Capiton.* 1. *post. ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Homo facillimus atque humanissimus. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Catonis humanissimum praeceptum: *sc.*, Vicinis bonus esto, ap. *Cat. R. R.* 4. ℙ Item cultus, sciens rerum humanarum, eruditus. *Cic. Div.* 1, 1. Gens humana atque docta. *Id. Verr.* 2, 5, 28. Syracusani, homines periti et humani, qui non modo ea, quae perspicua sunt, videre, verum etiam occulta suspicari possent. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 16. Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est, paulo modo humaniori, ignotus, *h. e.* eruditiori, doctiori, ut ipse *Gell.* explicat. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. *med.* Tu videlicet solus Corinthiis delectaris? Tu illius aeris temperationem, tu operum lineamenta solertissime perspicis? haec Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus? tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis et judicas? ℙ *Humani* interdum sunt ipsi homines. *Lucr.* 3, 79. Et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae Percipit humanos odium, lucisque videndae, Ut sibi consciscant moerenti pectore letum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 98. Natura humanis omnia sunt paria. Al. leg. *in humanis.*

HŪMĀTĬO, onis, f. ταφή, actus humandi, sepultura. *Cic. Tusc.* 1, 43. Ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem; et *ib.* Humatio ad corpus pertinet, sive occiderit animus, sive vigeat.

HŪMĀTOR, oris, m. qui humat, et sepelit, ταφεύς. *Lucan.* 7, 799. non illum Poenus humator Consulis, etc.

HŪMĀTUS, a, um, part. ab *humo:* ταφείς, humo contectus, sepultus. Olim proprie de iis tantum dicebatur, quos humus injecta contegeret, ut *Cic.* docet *Leg.* 2, 22. et *Plin.* 7, 54, 55. Postea communiter de omnibus sepultis dici coeptum. *Cic. N. D.* 3, 22. Is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris. *Mart.* 6, 28. Hoc sub marmore Glaucias humatus Juncto Flaminiae jacet sepulcro.

HŪMECTĀTUS, a, um, part. ab *humecto. Sil.* 8, 438. statque humectata Vomano Adria.

HŪMECTO, as, a. 1. βρέχω, humidum facio, irrigo. *Virg. G.* 4, 126. Qua niger humectat flaventia culta Galesus. *Sil.* 13, 85. Et sacer humectat fluvialia rura Capenas. ℙ De flentibus. *Lucr.* 1, 918. Et lacrimis salsis humectent ora genasque. Adde *Virg. A.* 1, 469. et *ib.* 11, 90. et *Ov. Met.* 9, 655. Absolute *Plin.* 11, 37, 54. de oculis: Ardent, intenduntur, humectant, connivent; et 10, 3, 3. Cogit adversos intueri solis radios, et si connive tem humectantemque animadvertit, praecipitat e nido. ℙ De rore. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 121. Dum meus humectat flaventes Lucifer agros, Roranti praefectus equo.

HŪMECTUS, a, um, adj. ὑγρός, humens, humidus. *Varr. R. R.* 1, 24. et *Cato R. R.* 6. Si locus humectus sit, ibi cacumina populorum serunda, et arundinetum. *Lucr.* 4, 633. et stomachi humectum servare tenorem. *Macr. Sat.* 7, 15. *med.* Qui sensim trahunt potum, ventres habent humectiores; et 6. *med.* Mulier humectissimo est corpore. [**Popma* p. 389. *Humidum* est quod humorem habet, *humectum* quod humorem inducit. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* p. 41. *Sp.* Terra exhalabat auroram humidam, humectam. Laudat haec *Döderl.* 2, 13. q. v.]

*HŪMĔFĂCĬO, is, a. 3. humifico. *Lact. Ira D.* 10. De halitu terrae, aut maris nebula exsistit, quae dispersa humefacit, quidquid texerit. *B. A.*

HŪMĔFACTUS, a, um, part. ab *humefacio:* madefactus. *Plin.* 32, 10, 48. Spongia crebro humefacta.

HŪMENS, entis, part. ab *humeo:* ὑγρός, ὑγρός, humidus, humectus. *Ov. Met.* 1, 19. Frigida pugnabant calidis, humentia siccis. *Plin. Pan.* 30. Necdum satis humentes terrae: *scil.* Nili inundatione. *Ov. Met.* 1, 604. nebulas humenti tellure remitti. *Suet. Claud.* 30. Risus indecens: ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus. [**Ruhnk.* conj. *tumentibus.*] *Suet. Vesp.* 16. Spongias humentes exprimere. *Flor.* 2, 4. Humens coelum. ℙ De nocte. *Virg. A.* 3, 589. Humentemque aurora polo dimoverat umbram. *Sil.* 2, 469. Humentis rores noctis, terramque madentem. *Stat. Th.* 3, 2. Nocte sub ancipiti quamvis humentibus astris. ℙ De lacrimis. *Ov. Met.* 11, 464. humentes oculi. Sic *Tibull.* 1, 10, 38. humentes genas tergere; et *Sil.* 9, 30. quorum oculos atque ora humentia vidi. ℙ *Humens fluvius* dicitur, ut *humida vina.* V. HUMIDUS. *Sil.* 13, 123. humenti fluvio revocare colorem. [**Virg. A.* 7, 762. Humentia littora; ubi v. *Heyn.*]

HŪMĔO, es, n. 2. νοτέω, νοτίζω, humidus sum, madeo: est ab ὗω, pluo. *Ov. Fast.* 4, 146. calida qui locus humet aqua; et *Met.* 15, 269. stagnata paludibus hument. *Id. Her.* 8, 64. Hument incultae fonte perenne genae. ℙ Part. *Humens.* V. in v. praec.

HŪMĔRĂLĔ, is, n. sagum militare, tegumentum humerorum, ut tibiale crurum. *Paul. Dig.* 49, 16, 14. Si miles tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet.

HŪMĔROSUS, a, um, adj. *Col.* 3, 10. Itaque custodiemus, ut a praedictis locis, quos humerosos rustici vocant, semina legamus. [Alii multo rectius leg. *humeros. F.*] Loquitur *Colum.* de iis surculis, qui e media vite exeunt: nam extremam vitis partem *caput vitis* appellant: imam prope radices, *crus:* quare media et capiti proxima humerorum locum habent. Hinc *Id. arbor.* 3. Optima semina *(vitium)* habentur a lumbis: secunda ab humeris: tertia summa in vite lecta. *Plin.* 17, 14, 24. Certumque est, ab humeris arborum surculos petendos.

*HUMERŪLUS, i, m. dimin. ab humerus. *Vulgat. Reg.* 1, 7, 30. *B. A.*

HŪMĔRUS, i, m. os brachii superius a scapula ad cubitum, quod diligenter describit *Cels.* 8, 1. V. dicta in BRACHIUM. Dicitur et *lacertus.* Hoc sensu *Prop.* 1, 20, 43. de Hyla: Tandem hauriri parat demissis flumina palmis Nixus, et exserto plena trahens humero; et *Stat. Th.* 5, 439. Ambo hastile gerunt: humeros exsertus uterque. Adde *ib.* 4, 235. ℙ Item saepius pars illa corporis, a qua brachia dependent, quae in homine ad portandum apta est, quae et *scapulae* dicuntur, ὦμος, ab inusit. οἴω pro φέρω, porto. Hinc saepissime *umerus* sine aspiratione scribitur. V. infra. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Sagittae pendebant ab humero. *Id. Sen.* 10. Cum Milo humeris sustineret bovem vivum. *Id. Or.* 1, 53. Quod pupillum filium ipse paene in humeros suos extulisset. *Val. Fl.* 8, 126. humeris aptare leonem. *Hor. Sat.* 1, 1, 47. reticulum panis onusto humero vehere. *Virg. A.* 11, 844. nostras humero gessisse pharetras. *Plin.* 18, 3, 4. Supremo die populi humeris portatus in rogum est. *Plin. Pan.* 24. Illos humeri cervicesque servorum super ora nostra veniunt. *Plin. senior* 33, 4, 21. Humeris aliquid egerere. *Ov. Met.* 12, 281. Attollere in humeros limen revulsum. *Id. Fast.* 5, 565. humeris ferre arma. *Id. Trist.* 2, 222. in humeris fertur onus. *Id. Fast.* 1, 565. niti humeris; et *Trist.* 5, 13, 8. fulcire ruinam. *Id. Fast.* 5, 169. Atlas humeros oneratus Olympo. ℙ Humeri sunt sedes amictuum, *h. e.* vestium superiorum. *Ov. Trist.* 3, 13, 14. vestis pendet ex humeris; et

ib. 4, 10, 29. humeris induitur purpura; et *Pont.* 4, 4, 101. injicere humeris victoribus ostrum; et *Met.* 6, 567. ex humeris deripere velamina; et *Her.* 5, 208. Deciderint humero pallia lapsa meo. *Id. A. Am.* 3, 288. ex humeris laxus amictus erat. ℙ Translate. *Cic. Mil.* 9. Tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. *Id. Fl.* 37. *extr.* Rempubl. vos universam vestris humeris, vestris, inquam, humeris, judices, sustinetis. *Plin. Pan.* 10. Cum expertus esset, quam bene humeris tuis sederet imperium; et 57. *extr.* Consulatus ipse sibi tuis humeris attolli et augescere videtur. ℙ Proprie *humeri* de homine dicuntnr, ut *armi* de bestiis, ut in ARMUS dictum est. Hinc *Ov.* de Hippomene in leonem verso, *Met.* 10, 700. digiti curvantur in ungues: Ex humeris armi fiunt; et *ib.* 12, 396. de centauro: Ex humeris medios coma descendebat in armos. ℙ Nihilominus etiam bestiis tribuuntur. *Cic. N. D.* 2, 63. de bobus: Tum vires humerorum, et latitudines ad aratra extrahenda. *Colum.* 8, 2. *med.* de maribus gallinaceis: Jubae variae, vel ex auro flavae, per colla cervicesque in humeros diffusae. ℙ Interdum et arboribus. V. v. praec. ℙ Interdum et de montibus, aut collibus, de illa scilicet parte, quae prope cacumen est. *Stet. Th.* 6, 714. longe super aemula signa Consedit, viridesque humeros, et opaca theatri Culmina. *Plin.* 2, 44, 44. Montium flexus, crebrique vertices, et conflexa cubito, aut confracta in humeros juga. ℙ Similia sunt illa *ejusd.* 3, 5, 6. Rhegium oppidum in humero Italiae situm, a quo veluti cervicis incipit flexus; et 4, 7, 11. Duo haec oppida (*Megara, et Pagarum*) excurrente Peloponneso sita sunt, utraque ex parte velut in humeris Helladis. ℙ [*A. Maius* ad *Front.* p. 107. ed. *Rom.* testatur, se in *Cod. Frontonis*, et *Symmachi* saepissime *umerum* sine aspiratione scriptum reperisse. *Eutyches* vero grammaticus p. 2312. ait, omnem vocalem, *m* sequente, leniter enunciari, nominatimque *umerus*, qui reapse ab *ὦμος* derivatur. ℙ [**Umerus* interdum scriptum reperitur, v. g. in cod. rescript. *Symmach. Laud. in Valent. orat.* 2, 1. bis, edente *A. Maio. B. A.*]

HŪMESCO, is, n. 3. *ὑγραίνομαι*, humidus fio, humeo. *Virg. G.* 3, 111. humescunt spumis flatuque sequentum. *Plin.* 17, 14, 24. Calamos aridos inseri non oportet, quia cortex non humescit, neque concorporatur. *Id.* 18, 34, 77. *n.* 3. Terra humescens rore occulto. *Plin. Pan.* 73. Vidimus humescentes oculos tuos, demissumque gaudio vultum.

HŪMI. V. HUMUS.

HŪMĬDĒ, adv. cum humore, *ὑγρῶς*. *Pl. Most.* 1, 2, 66. Haec tigna humide putrent. Al. leg. *humida putent.*

HŪMĬDO, as, a. 1. humidum reddo. *Cels.* 1. 3. *med.* Humidant autem corpus labor minor, quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, etc. Ita leg. quidam: alii ex optim. editionib. multis, *humidum autem corpus efficit labor*, etc. Sane illud *humidant* aetate et stilo *Celsi* indignum est.

HŪMĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. humidi, aliquantum humidus. Lectio incerta est in illo *Ov. A. Am.* 3, 629. Fallet et humiduli quae fiet acumine lini, etc. Certa autem in illo *Auson. ep.* 106. Humidulis spumas stringit utraque (manu) comis.

HŪMĬDUS, a, um, adj. *ὑγρός*, humorem habens. Quid ab *udus* distet, V. in UDUS. [*A *madidus* ita differt *humidus*, ut hoc ad internam rei alicujus naturam, illud, nostr. *triefend*, ad externum, superficiem corporis spectet. *Doederl.* 2, 13. V. et in *Humectus in f.*] *Cic. Tusc.* 1, 17. Terrena et humida suo pondere in terram et in mare feruntur. *Caes. B. C.* 1, 58. Naves ex humida materia factae. *Curt.* 4, 12. Humidi montes effundunt caliginem. *Colum.* 4, 19. Quanto humidius est solum et coelum, humidioresque venti. *Plin.* 11, 37, 49. humidissimum cerebrum. *Varr. L. L.* 4, 5. Ager uliginosus humidissimus. *Virg. A.* 2, 8. humida nox; et 698. nubes. *Id. G.* 1, 100. solstitia. Sic *Quint.* 11, 3. *in.* humidus dies. *Ov. Met.* 9, 535. humida lumina. *Virg. G.* 4, 362. humida regna, *h. e.* Arethusae fluvii. ℙ Quod *Id. A.* 4, 486. mella; et *ib.* 5, 594. maria humida; et *G.* 3, 364. vina humida dixit; est qui putat *τὸ humida* otiosum esse. *Quint.* 8, 6. *med.* in poetis haec non reprehendi, ait: conveniunt enim rebus perpetuo. Sic *Ov. Trist.* 3, 10, 23. uda vina; et *Enn.* ap. *Gell.* 4, 17. humidus imber. At *Servius* humida vina, aquae mixta intelligit, quod gelata esse, et securibus caedi, ibi dicuntur. [**Humida vina* sunt alias fluida. V. *Heyn.* et *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 364.] ℙ *Humida verba. Gell.* 1, 15. Qui sunt leves, et futiles, et importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, verbis humidis et lapsantibus difluunt, *h. e.* fluidis, et facile ore excidentibus. ℙ *Humidum* absolute, est locus humidus. *Curt.* 8, 4. Castra in humido locare. *Tac. A.* 1, 61. Pontes et aggeres humido paludum imponere. *Plin.* 24, 11, 64. Herba in humidis nascens. ℙ *Humida* neutr. plurale pro mari. *Avien. Arat.* 754. Cum Lepus occiduum sese inclinavit in aequor, More latebrarum repetens freta, Sirius alto Defluit ab coelo, mersumque per humida quaerit.

HŪMĬFER, a, um, adj. *νοτιζόμενος*, humorem afferens. *Cic. progn. Div.* 1, 9. Naribus humiferum duxere ex aere succum.

HŪMĬFĬCO, as, a. 1. humecto. *Auson. Idyll.* 8, 12. Sementem Notus humificet, sit bruma nivalis.

HŪMĬFĬCUS, a, um, adj. humectans. *Plin.* 2, 101, 101. Spiritus Lunae humificus.

HŪMĬGĀTUS, a, um, part. ab *humigo*; *βεβρεγμένος*, humore perfusus. *Appul. Flor. n.* 1. Caespes libamine humigatus. Alii multo melius leg. *fumigatus.* V. CAESPES.

[HŪMĬGO, as, a. 1. humecto, humifico. *Vindician.* in *ep.* ad *Valent. Aug. praemissa Marcell. Empir.* Aeger ad balnea mittitur, ut lavacro ejus siccitas humigetur. *F.*]

HŪMĬLĬĀTIO, onis, f. *ταπείνωσις*, demissio, actus humiliandi. *Tert. Virg. vel.* 13. *adv. Herm.* 7. et *Patient.* 13.

HŪMĬLĬĀTUS, a, um, part. ab *humilio:* demissus. *Tert. Orat.* 13. Publicanus non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus. *Sidon. ep.* 5, 14. *f.* Humiliatae cervices. ℙ Qui *Ciceroni* tribuunt, *N. D.* 2, 47. frustra sunt; etenim ibi pro *humiliatas* leg. *humilitas.*

HŪMĬLĬFĬCO, as, a. 1. idem quod humilio. *Tert. Poen.* 9. Exomologesis prosternendi et humilificandi disciplina est.

HŪMĬLĬO, as, a. 1. *ταπεινόω*, humilem facio, abjectum ac vilem. *Tert. adv. Marc.* 5, 20. *f.* Resurget corpus nostrum, quod humiliatur in passionibus. *Ammian.* 30, 4. Ad humiliandum celsitudinem potestatis. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 18. Frustra nos hic humiliamus, ut ibi possimus esse majores.

HŪMĬLIS, e, adj. *ταπεινός, πρόσγειος*, humo propior, humi declivis, ab humo non alte se extollens, atque adeo demissus, brevis. *Cic. Tusc.* 5, 13. Arbores, et vites, et ea, quae sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt. *Caes. B. C.* 3, 63. Vallus humiliore munitione. *Val. Fl.* 3, 426. Humiles arae. *Hor. Od.* 3, 4, 15. arvum Pingue tenent humilis Ferenti. *Virg. A.* 3, 522. procul obscuros colles, humilemque videmus Italiam, *h. e.* quae procul ex alto mari cernentibus humilis videtur. *Id. Ecl.* 2, 29. humiles habitare casas. *Id. A.* 4, 254. avi similis, quae circum litora, circum Piscosos scopulos humilis volat, aequora juxta. *Justin.* 2, 1. *med.* Humillimo solo aqua diutissime immorata. *Curt.* 7, 4. Quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri ejus non possent Macedonis militis verticem aequare. Sic *Gell.* 19, 13. Brevi atque humili corpore homines; et *Sen. ep.* 66. Potest ex deformi humilique corpusculo exire formosus animus ac magnus. ℙ *Humilis fossa* ap. *Virg. A.* 7, 157. et *Tac. A.* 1, 61. est tenuis sulcus, fossa parum alte depressa. Alter enim de fossa loquitur, qua urbs condenda designatur, quam alte deprimere, nihil est opus: alter de munitione ex tempore facta. Sic *humilis radix*, ap. *Plin. ep.* 8, 20. est, quae parum alte descendit. ℙ Translate refertur ad stilum, et sublimi ac magnifico opponitur. *Cic. Or.* 58. Iambus frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur. *Id. Brut.* 79. Verbum durum, aut insolens, aut humile. *Id. Or.* 57. Neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam, et exaggeratam probat. *Petr. Sat.* 83. Ego poeta sum, et, ut spero, non humillimi spiritus. [*Plura de oratorio hujus vocabuli usu egregie disputata v. ap. *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 198. sq.] ℙ Item ad conditionem generis, aut fortunae: et opponitur nobili, potenti, opulento. *Nep. Milt.* 8. In Miltiade erat mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. *Phaedr.* 1, 27. Qui humiles nati dici locupletes student. *Caes. B. G.* 6, 21. Potentioresque humiliores possessionibus expellunt. *Hirt. B. G.* 8, 51. Tanta erat magnificentia apud opulentiores, cupiditas apud humiliores. *Nep. Att.* 19. Vir dignitate pari, fortuna humiliore. *Caes. B. G.* 7, 39. Ex humili loco ad summam dignitatem perducere. *Plin.* 7, 36, 36. Mulier humilis in plebe, et ideo ignobilis. *Liv.* 3, 19. *med.* Humillimus homo de plebe. *Cic. Div.* 1, 40. humiles et obscuri homines. *Id. Amic.* 19. *f.* Humilibus parentibus natus; et 9. Humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae. *Ov. A. Am.* 2, 254. humiles manus: *scil.* servorum. *Caes. B. G.* 5, 28. Civitas ignobilis atque humilis, *h. e.* exiguarum virium ac potentiae. Sic *ib.* 4, 3. Vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque reddiderunt. *Liv.* 3, 53. *f.* Satis superque humilis est, qui aequo jure in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo, *h. e.* depressus, et ex alto honorum gradu detractus. Loquitur enim *Liv.* de decemviris, quibus seditione plebs imperium detraxerat. ℙ Dicitur et de iis, qui nullas res magnas gessere, vel qui magnum animum et ingenium non habent ad res magnas suscipiendas. *Balb. et Opp. ad Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, aplerisque probari solent. ℙ Refertur item ad animum, et significat abjectum, vilem, parvum, exilem, fractum, demissum: cui opponitur magnus, magnanimus, altus, erectus. *Lucr.* 6, 51. Efficiunt animos humiles formidine Divum. *Cic. in Senat.* 4. Fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, pravae, oppletae tenebris ac sordibus, etc. *Id. Fin.* 1, 15. Succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque ferre. *Id. Phil.* 2, 32. *extr.* Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus? omnia rogabat: caput in adversam lecticam inferens, beneficia, quae venderet a collega petebat. *Id. Brut.* 6. Cetera, quae sunt qnondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet. *Ter. Hec.* 3, 3, 20. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. ℙ Dicitur et de iis, qui se demittunt data opera, et inferiores fatentur, et ponunt animos, vel metu, vel quippiam obtinendi causa. *Virg. A.* 12, 930. Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem Protendens. *Vell.* 2, 83. Humillimus assentator. *Cic. Inv.* 1, 16. Prece et obsecratione humili ac supplici uti. *Ov. Her.* 4, 149. Non ego dedignor supplex humilisque vocari. ℙ Hoc sensu aliquando et in bonam partem accipitur. *Prop.* 3, 15, 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris. Addi possunt et alia scriptorum loca, de quibus mirae sunt lites inter criticos, praesertim *Cellar.* et *Borrich.* etc. ℙ De eo qui demisse, abjecte, et more vulgi de aliqua re sentit. *Quint.* 11, 1. Neque nos simus tam humiles, ut quae laudamus, inutilia credamus. ℙ *Humilior* dicebatur, qui post mortem combustus quidem erat, nondum tamen terra coopertus. *Varr. R. R.* 4, 4. ℙ De rebus vilioribus, infimis, parvi pretii, contemptibilibus. *Cic. Fin.* 5, 20. Quo studio cum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant. *Id. Arch.* 5. Mediocres homines, et aut nulla, aut humili aliqua arte praediti. *Id. Amic.* 9. Qui cogitationes suas abjecerunt in rem tam humilem atque contemptam. *Plin. ep.* 1, 3. Humiles et sordidae curae. *Nep. praef. f.* Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. *Id. Ag.* 8. Vestitus humilis atque obsoletus. *Plin.* 35, 10, 37. *f.* Humilis rei pictor. ℙ *Humilis galea* ap. *Stat. Th.* 12, 701. est cui cristae et pennae detractae sunt. ℙ *Humilis pavor* dicitur, quia humiles et abjectos facit. [*Potius, quod *timere* pusillanimi et humilis animi est.] *Virg. G.* 1, 330. humilis pavor stravit mortalia corda. *Val. Fl.* 3, 394. In lacrimas, humilesque metus. ℙ Proverbii speciem habet illud *Justin.* 21, 5. Humillima quaeque tutissima existimans, in sordidissimum vitae genus descendit. (De Dionysio loquitur Corinthi exsulante.) ℙ Docet *Charis.* 1, 107. in ablativo casu in *e* terminari, si de homine sermo sit: in *i*, si de re. *Pompon. ib.* Ex humile rege. Sed hoc a scriptoribus non servatur.

HŪMĬLĬTAS, atis, f. *ταπεινότης*, situs terrae humo vicinus, brevitas; cui contraria est altitudo, et proceritas. *Cic. N. D.* 2, 47. Aliorum animalium ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, etc. *Id. Tusc.* 5, 24. Sidera multum inter se aut altitudine, aut humilitate distantia. *Sall. Jug.* 53. Neque plane occultati humilitate arborum. *Caes. B. G.* 5, 1. Naves omnes actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adjuvat. ℙ Translate est ignobilitas generis, conditio ejus qui ad honores non ascendit, angustia fortunarum, inopia potentiae. Nam quae his contraria sunt, homines extollunt. *Cic. Tusc.* 5, 10. Malorum turba quaedam, paupertas, ignobilitas, humilitas, solitudo, etc. *Id. Off.* 2, 13. Quorum prima aetas, propter humilitatem, et obscuritatem in hominum ignoratione versatur. *Id. Rosc. Am.* 47. Humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere. *Id. Phil.* 13, 10. *extr.* Alicujus humilitatem despicere. *Liv.* 26, 31. Objicere alicui humilitatem. *Caes. B. G.* 5, 27. Id se facile ex humilitate sua probare posse, quod non adeo sit imperitus rerum, ut suis copiis populum R. se superare posse confidat. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Humilitas infima natalium. *Sall. Jug.* 76. Humilitas generis. ℙ Item abjectio, aut demissio animi. *Cic. Tusc.* 3, 13. Habet levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus. *Id. Or.* 1, 53. Huic humilitati dicebat vel exsilium fuisse, vel mortem anteponendam. *Liv.* 38, 52. Summittere se in humilitatem causam dicentium. *Cic. Inv.* 1, 56. Saepe virtus et magnificentia, in quo gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio. Adde *Caes. B. C.* 1, 85. ℙ Item vilitas, et leve pretium rerum humilium et leviorum. *Plin. praef. l.* 14. *f.* Oblitterata quoque scrutabimur: nec deterrebit quarundam rerum humilitas. ℙ Item pusillus animus, superbiae contrarius, et magnis spiritibus. *Plin.* 10, 63, 83. Equarum jubas tondere praecipiunt, ut asinorum patiantur humilitatem:

comantes enim gloria superbire. ℙ De virtute animi, quae superbiae vitio opponitur, usurpatur a *Lact.* 5, 15., *Sulpic. Sever. Vita S. Mart.* 2. *f.* aliisque Ecclesiae scriptorib.

HŪMĪLĬTER, adv. ταπεινῶς, demisse. *Pall.* 3, 13. In loco clivoso humilius rami arborum servandi sunt: in plano altius. *Plin. ep.* 6, 24. Eadem facta claritate, vel obscuritate facientium vel tolluntur altissime, aut humillime deprimuntur. ℙ Translate est abjecte. *Liv.* 24, 25. et 45, 32. Haec natura multitudinis est: aut servit humiliter, aut superbe dominatur. *Auct. ad Her.* 4, 20. *f.* Audacter territas, humiliter placas. *Cic. Tusc.* 5, 8. *extr.* Non est ausus elate et ample loqui, cum humiliter demisseque sentiret. *Sen. ep.* 120. *med.* Animose paupertatem ferre, humiliter infamiam.

[HŪMĪLĬTO, as, a. 1. idem ac humilio. *Vet. Schol.* in *Cic. Sull.* 8. (ed. *A. Maio*). Maternum genus humilitare conatus est. *F.*]

HŪMO, as, avi, atum, a. 1. θάπτω, humo tego sepeliendi causa. Proprie de iis tantum dicitur, qui mortui humo injecta conduntur, ut in HUMATUS dictum est. *Cic. Div.* 1, 27. Cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset. *Prop.* 3, 14. Me tegat arborea devia terra coma. Aut humet ignotae tumulus vallatus arenae. *Plin.* 30, 7, 20. Mori, et humari debere eos obrutos terra. ℙ Universim significat quocumque modo sepelire, exsequiis prosequi, funus facere. *Nep. Eum.* 13. Militari honestoque funere humaverunt, ossaque ejus in Cappadociam deportanda curarunt. [Sunt qui mallent legere *cremaverunt*, sed etiam Graeci θάπτειν usurpant et de sepeliendis, et de cremandis cadaveribus, ut ostendit *P. Wesselingius* ad *Diodor. Sic.* 3, 53. *F.*] [*Cf. *Ruhnk. praefat.* ad *Schell. Lex. Brem.* ad *Nep. l. l.* monet *humare*, sicut reliqua ejus generis verba, in universum significare *funere aliquem efferre; dem Verstorbenen die gewöhnlichen Leichenceremonien erweisen.*] ℙ De aliis rebus, quae terra obruuntur. *Colum.* 5, 9. Taleae ex utraque parte humantur. ℙ [Part. *Humaturus* ap. *Suet. Cal.* 3. Caesorum reliquias uno tumulo humaturus. *Humandus* ap. *Virg. A.* 6, 161. Corpus humandum.

HŪMOR, oris, m. χυμός, ὑγρότης, ὕδωρ, aqua, liquor, et quidquid madefacit: ab *humus*, ut *Varroni L. L.* 4, 5. placet. *Cic. N. D.* 2, 16. Sidera marinis terrenisque humoribus extenuatis aluntur; et *Div.* 2, 27. Et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari potest. *Id. N. D.* 2, 57. Nares humorem semper habent, ad pulverem multaque alia depellenda non inutilem; et 10. Aquilonibus reliquisque frigoribus adjectis, durescit humor; et 6. *f.* Humor et calor, qui est fusus in corpore. *Virg. G.* 2, 143. Bacchi Massicus humor; et *ib.* 2, 295. dulcis musti humor. *Ov. Amor.* 2, 6, 32. Pellebatque sitim simplicis humor aquae. *Virg. Ecl.* 3, 42. Dulce satis humor. *Id. G.* 1, 43. gelidus canis cum montibus humor Liquitur; et 114. paludis collectus humor. *Ov. Met.* 1, 30. circumfluus humor Ultima possedit; et 15, 79. lacteus humor; et *ib.* 6, 354. caret os humore loquentis. *Catull.* 61, 24. humor roscidus. *Hor. Od.* 1, 13, 6 humor in genas furtim labitur; et *Plin.* 7, 51, 52. Praefandi humoris e corpore effluvium. Sic 8, 38, 57. Lyncum humor ita redditus glaciatur; et *Lucr.* 4, 1022. humorem saccatum corporis fundere. *Plin.* 8, 31, 48. Ranarum et in terra, et in humore vita. ℙ Festive *Pl. Mil.* 3, 1, 45. Et ego amoris aliquantum habeo, humorisque meo etiam in corpore, Neque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis. *Id. Rud.* 4, 3, 69. Ego jam hic te, itidem quasi penicillus novus exurgeri solet, Ni hunc amittis, exurgebo quidquid humoris est tibi.

[HŪMOROSUS, a, um, adj. humidus, humectus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *med.* Item sexus causa mulieribus, et humorosis, et vacuis corporibus. *Appul. Herb.* 51. Nascitur in parietibus, et humorosis locis. *F.*]

HŪMUS, i, f. γῆ, terra, solum. [*Omnino convenit Gr. χθών. V. *Döderl.* 1, 179. *Id. ib.* 173. disputat de discrimine inter *tellus, terra, solum*, et *humus*.] Caret plurali numero. *Cic. Leg.* 2, 22. Quos humus injecta contegeret. *Virg. A.* 9, 214. mandare humo corpus. *Cic. Sen.* 17. Humus subacta atque pura. *Colum. praef.* Humi natura, quasi quodam morbo, sterilitate affecta. *Id.* 4, 24. Humi atque stirpis laetitia. *Sall. Jug.* 21. Queis cibus erat caro ferina, atque humi pabulum; et 57. Rati, humum aridam vento agitari; et 81. Ventus coortus arenam humo excitavit; et 108. Humus infecta sanguine; *Virg. Ecl.* 9, 19. humum florentibus herbis Spargere; et 41. Fundit humus flores. *Hor. Od.* 4, 1, 27. pede humum quatere. Sic *Ov. A. Am.* 1, 112. Ludius aequatam ter pede pulsat humum. *Virg. A.* 11, 418. Procubuit moriens, et humum semel ore momordit. *Id. ib.* 5, 452. ab humo attollere aliquem; et *ib.* 3, 3. omnis humo fumat Neptunia Troja. *Val. Fl.* 7, 620. ense sequaci Aequat humo truncos. Sic *Hor. Sat.* 2, 2, 79. Affigere (al. *affligere*) humo. *Ov. Met.* 13, 442. humo exire; et *ib.* 4, 261. sedere humo nuda; et 264. humo se movere. Sic *Fast.* 6, 735. surgere humo. *Virg. G.* 4, 115. figere humo plantas; et *ib.* 2, 460. Fundit humo facilem victum justissima Tellus: *tellus* numinis hic personam agit. *Hor. Ep.* 2, 1, 251. Per humum repere. *Ov. Met.* 6, 607. Dejectus in humum vultus. Sic *Trist.* 4, 2, 29. in humo lumen figere. *Id. de nuce* 170. sub humo. *Id. ib.* 8, 258. propter humum volitare. ℙ De regione. *Id. Pont.* 1, 2, 90. Ira Dei mitis non me misisset in istam, Si satis haec illi nota fuisset, humum. *Id. medic. fac.* 74. Illyrica quae venit iris humo. *Id. Fast.* 1, 490. Aonia; et *Her.* 7, 140. Punica; et *Pont.* 3, 5, 56. Pontica. ℙ Genitivus *humi* fere semper adverbii more ponitur, χαμαί: neque solum cum verbis quietis, sed et motus interdum jungitur. *Cic. Or.* 3, 6. Humi stratus. *Id. Cat.* 1, 10. Humi jacere. *Sall. Cat.* 68. Locus circiter duodecim pedes humi depressus. *Virg. A.* 10, 558. condere humi; et *ib.* 5, 481. humi procumbere; et *ib.* 1, 380. anguem premere humi. *Ov. Met.* 5, 197. Et prosternite humi juvenem magica arma moventem; et *ib.* 3, 105. Spargere humi dentes; et *Virg. A.* 11, 665. quot humi morientia corpora fundis? *Sen. ep.* 124. Sublimia ac divina humi projicere. *Curt.* 10, 5. Humi corpus abjicere. [*V. *Ruddim.* 2, 271. sq. ubi plura de hujus vocabuli constructione disputantur. Adde *Ramsh. Gr. Lat.* p. 449.] ℙ *Humus* pro *Inferis*. V. TERRA. ℙ Olim fuit masculini, vel neutrius generis, teste *Prisc.* 6, 718. Unde *Liv.* vel *Laev. ib.* p. 719. Humum humidum pedibus fodit; et *Gracchus ib.* Mersit sequentis humidum plantis humum. Al. leg. *sequentes humidum plantas humum*, ut necessario neutrum sit. Addunt quidam illud *Sall. Jug.* 52. Genera arborum, quae humo arido atque arenoso gignuntur. Sed alii leg. *humi arido atque arenoso*, ut *Prisc. f. l.* 18., ut sit illis simile *occulta saltuum, lubricum paludum*, quae sunt *Tac. A.* 1, 61. et 65. Alii *humo arida*, etc. ℙ In sexto casu olim *humu* pro *humo* dictum est. Probat id *Non.* 8, 36. duobus allatis *Varronis* locis: quorum alterum recitat etiam 1, 238.

HUNNI, orum, m. plur. populi Sarmatiae, circa Maeotidem, qui inde egressi in Pannonias migrarunt, unde nomen Hungariae. Eorum pars, Attila duce, in Italiam, et in Galliam venit; sed cum ibi grandi clade affecti fuissent in Catalaunicis campis a Meroveo Francorum rege, et Aetio Romanorum duce, in Pannonias redire coacti sunt. *Claud. in Rufin.* 1, 321. et *ib.* 2, 270. Horum mores luculenter describit *Ammian.* 31, 2. ℙ Olim *Chuni* etiam appellati sunt. V. CHUNI.

[HUNNISCUS. a, um, adj. ad Hunnos pertinens. Sic appellantur a *Veg. Vet.* 4, 4. et 7. equi Hunnorum, quos ipse vulnerum patientes describit. *F.*]

HURPEX. V. IRPEX.

HY

HYĂCINTHAEUS, a, um, adj. ad hyacinthum gemmam pertinens. *Venant. carm.* 8, 8, 20. Et hyacinthaeus circuit ordo domum. *h. e.* hyacinthorum longa series domum ambit, et ornat. Adde *carm.* 6, 270.

HYĂCINTHĬĂ, orum, n. plur. sacra in honorem Hyacinthi pueri, a Laconibus trium dierum spatio celebrata. *Ov. Met.* 10, 219.

HYĂCINTHĪNUS, a, um, adj. ὑακινθινος, ad hyacinthum pertinens, ut Hyacinthinus flos, *Catull.* 61, 93. ℙ Item qui est colore hyacinthi. *Pers.* 1, 32., cui circum humeros hyacinthina lena est.

HYĂCINTHIZONTES, m. plur. ὑακινθίζοντες, dicuntur berylli, qui hyacinthi colorem imitantur. *Plin.* 37, 5, 20. *Cf. *Solin.* c. 55. (al. 65.) extr. ubi *hyacinthizontes berylli* sunt, qui hyacinthos prope referant. *B. A.*

HYĂCINTHUS et Hyacinthos, i, m. ὑάκινθος, genus violae vernae colore rubenti, sed ad obscurum nigrumque inclinante. *Serv.* ad *Ecl.* 3, 106. lilium rubrum esse ait designans litteram Y, quae in ὑάκινθος est prima. Multi volunt, esse illud, quod Latine vaccinium dicitur. Describitur a *Dioscor.* 4, 63. foliis bulbi, caule dodrantali, laevi, minimo digito graciliore, et herbacei coloris, cui incumbit coma incurva, florum purpurascentium plena, radice bulbacea. *Virg. Ecl.* 3, 63. suave rubens hyacinthus. *Id. ib.* 6, 53. mollis. *Id. ib.* 4, 183. ferrugineus. *Id. A.* 11, 69. languens. ℙ Sunt et aliorum colorum hyacinthi. *Colum.* 10, 101. Nec non vel niveos, vel caeruleos hyacinthos. ℙ Habet autem in flore ita discurrentes venas, ut Graecarum litterarum figura A I legatur inscripta, ut *Plin.* 21, 11, 28. Qua de causa duplex eum comitatur fabula de Hyacintho puero, et de Ajace, utroque in hunc florem converso. De illo enim fabulantur fuisse Spartanum, filium Amyclae (ejus, qui Amyclas urbem in Laconia condidit), vel Eurotae, vel Oebali, puerum formosissimum, a Borea (al. ab Zephyro) et ab Apolline adamatum, quocum aliquando disco ludens, projectumque illum nimis propere excipiens, ab resiliente graviter percussus; vel, ut alii volunt, ab ipso Borea zelotypiae causa disco ictus, interiit, et in florem cognominem mutatus est. *Ov. Met.* 10, 162. et sqq., *Hyg. fab.* 272. et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 3, 63. et ad *A.* 11, 69. Hinc *Ov. l. c.* 211. Tyrioque nitentior ostro Flos oritur, formamque capit, quam lilia: si non Purpureus color huic, argenteus esset in illis. Non satis hoc Phoebo est (is enim fuit auctor honoris) Ipse suos gemitus foliis inscribit, et αἰ αἰ Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est. ℙ De Ajace fingunt, cum se ipse interemisset, quod in certamine de armis Achillis victus esset ab Ulysse, ex ejus cruore eundem exstitisse florem, qui primas duas nominis Αἴας haberet inscriptas. Itaque ut ait *Ov. Met.* 13, 397. Littera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis: haec nominis, illa querelae. ℙ Est item hoc nomine gemma ejusdem coloris, ex Aethiopia veniens, amethysto non absimilis, nisi quod in illa emicans fulgor violaceus est: in hoc dilutus. Primo quoque aspectu gratus (inquit *Plin.* 37, 9, 41.) evanescit, antequam satiet: adeoque non implet oculos, ut paene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore (qui maxime durat, ut dixerat 21, 11, 28.) ℙ In illo *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 88. trabibusque smaragdis Supposuit caesas hyacinthi rupe columnas: *hyacinthus* videtur dici de marmore. Nisi dicas, hyperbolice loqui poetam, ut cetera eo loco.

HYĂDES, um, f. plur. Ὑάδες, septem filiae Atlantis, ex Aethra uxore, sorores Hyantis, de quibus V. in ATLANTIDES. Hae, cum fratrem a leone interemptum lugerent, magnitudine doloris extabuerunt. Juppiter miseratione motus in stellas convertit, et in capite Tauri collocavit. Ut autem perpetuum maneret tantae pietatis testimonium, a fratris nomine Hyades sunt appellatae. *Ov. Fast.* 5, 165. et sqq. Alii dicunt, has stellas olim fuisse Nymphas Dodonidas, ex Dodona urbe Epiri, Bacchi nutrices, quae cum Junonis iram vererentur, fugerentque Lycurgi saevitiam. a Jove in coelum translatae sunt. Denique multis dictae creduntur ab ὕειν, pluere. *Cic. N. D.* 2, 43., *Ov. Fast.* 5, 166., *Plin.* 2, 39, 39. et 18, 26, 66. ℙ Nempe sidus hoc vehemens est, et terra marique turbidum, tamque in ortu suo, quam occasu tempestates largosque imbres concitat. A Latinis *Suculae* appellantur. V. SUCULA. Diversae sunt a Plejadibus. Nam Plejades fuere filiae Atlantis ex Plejone Nympha, et earum nomina sunt Electra, Halcyone, Celaeno, Maja, Asterope, Taygete, Merope. *Hor. Od.* 1, 3, 14. Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti. ℙ In singulari num. V. HYAS.

HYAENĂ, ae, f. ὕαινα, animal in genere luporum, quod colore lupi est, sed magis hirtum, jubamque habet toto tergo perpetuam instar equi, sed duriore seta, qua porcum refert: ab ὕαινα, porca. Narrant utriusque esse naturae, et alternis annis marem, alternis feminam fieri. Parere sine mare vulgus credit, *Aristoteles* negat. Fera est et crudelis, sermonem humanum inter pastorum stabula assimilat, nomenque alicujus addiscit, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitatur ad sollicitandos canes, quos invadat. Haec fere ex *Plin.* 8, 30, 44., ubi et alia mira de ea. *Ov. Met.* 15, 409. et quae modo femina tergo Passa marem est, nunc esse marem miremur hyaenam. ℙ Est et *hyaena* piscis vasto corpore, sic dictus, quia hyaenae terrestri similis est. *Plin.* 32, 11, 54.

HYAENĪUS, a, um, adj. ad hyaenam pertinens. *Plin.* 37, 10, 60. Hyaeniae gemmae ex oculis hyaenae, et ob id invasae inveniri dicuntur, et, si credimus, linguae hominis subditae futura praecinere. Eadem fere habent *Solin.* 27. et *Isid. Orig.* 16, 15.

[HYAGNIS, is, m. *Appul. Flor. n.* 3. Hyagnis fuit Marsyae tibicinis pater et magister, rudibus adhuc musicae saeculis, solus ante alios catus canere. Primus in canendo manus discapedinavit: primus duas tibias uno spiritu animavit, primus laevis, et dextris foraminibus, acuto tinnitu, et gravi bombo concentum musicum miscuit. *F.*]

HYĂLĒ, es, f. Ὑάλη, una ex Nymphis Dianae: quasi viridis, vel pellucida instar vitri. *Ov. Met.* 3, 171

HYĂLĪNUS, a, um, adj. ὑάλινος, vitreus. *Fulg. Mythol. praef.* 1. *in.* Hyalinae cavitatem sphaerae osseo fastigans tigillo versabat. *Capell.* 6, 189. ℙ Mensula pulveris hyalini respersione colorata. ℙ Item coloris viridis. *Id.* 8, 273. Alae cum pennis hyalinis.

*HYALOĪDES, is, n. vitreus humor oculi. *Cels.* 1. et 7. Sed Graecis literis scribendum, nam Graeca vox est. *B. A.*

HYĂLUS, i, m. ὕαλος, vox Graeca vitrum significans: inde et colorem viridem, quia vitra praesertim crassiora, viridia apparent. Mos etiam fuit eo colore tingi: unde et iaspides adulterari eo, *Plin.* 37, 8, 37. tradit. *Virg. G.* 4, 334. Milesia vellera Nymphae Carpebant, hyali saturo fucata colore. *Prud.* περὶ στεφ. 12, 53. Tum camuros

hyalo insigni varie cucurrit arcus. [*Auson. Idyll.* 10, 418. hyaloque virentem Pande peplum. *F.*]

HYAMPŌLIS, is, f. Ὑάμπολις, urbs Phocidis prope Boeotiam. *Stat. Th.* 7, 345. Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri Subnixam scopulo. Adde *Plin.* 4, 7, 12.

HYANTES, tum, m. plur. Ὕαντες. V. v. seq.

HYANTĒUS, et

HYANTĬUS, a, um, adj. Ὑάντειος, et Ὑάντιος, Boeotus, quia Boeotii olim et *Hyantes* dicti sunt, ut *Plin.* 4, 7, 12. docet, ab Hyante eorum rege. *Ov. Met.* 8, 310. Cumque Pheretiade, et Hyanteo Iolao; et *ib.* 3, 147. Participes operum compellat Hyantius ore, *h. e.* Actaeon nepos Cadmi Boeotiae regis. *Stat. Silv.* 2, 7, 8. Hyantiae sorores, *h. e.* Musae, quae Parnassum incolunt Boeotiae montem. *Mart.* 12, 3. Hyantea aqua, *h. e.* Castalia. *Sidon. ep.* 8, 9. *in carm.* Hyantiae camenae.

HYAS, ădis, f. Ὑάς, άδος, una ex Hyadibus. V. HYADES. *Stat. Silv.* 1, 6, 22. Non tantis Hyas inserena nimbis Terras obruit, aut soluta Plejas. ℙ *Hyas, antis*, m. Ὑας, αντος, filius Atlantis ex Aethra, vel Plejone, sive Oceanitide uxore, ab apro, vel leone occisus. *Hyg. fab.* 192. et *Ov. Fast.* 5, 172. V. HYADES. ℙ Sidus Hyantis apud *eund. ib.* 734. est ipsarum Hyadum.

*HYBANDA, insula antiqua prope Ioniam. *Plin.* 2, 89. *B. A.*

HYBERNIA. V. HIBERNIA.

HYBERNUS, etc. V. HIBERNUS.

HYBLA, ae, et Hyblē, es, f. Ὕβλη, mons Siciliae cum opp. cognomine, thymo et floribus aliis abundans, atque ob id apibus accommodatissimus. Unde mellis, quod ibi provenit, magna gratia est. *Ov. Ib.* 201. Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla, Quotve ferat, dicam, terra Cilissa crocos. *Id. Trist.* 5, 13, 22. Et careat dulci Trinacris Hybla thymo *Id. A. Am.* 3, 150. Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe ferae. Al. leg. *Hyblae*, al. *Hybla. Sil.* 14, 499. nectareis vocat ad certamen Hymetton Audax Hybla favis.

HYBLAEUS, a, um, adj. Ὑβλαῖος, ad Hyblam pertinens, ut Hyblaeae apes, *Virg. Ecl.* 1, 55. Hyblaea mella, *Mart.* 11, 42. avena, *Calpurn. Ecl.* 4, 63., *h. e.* carmina Theocriti Syracusani.

HYBLENSIS, e, adj. ad Hyblam pertinens. *Inscr.* ap. *Torremuzza, Sicil. Inscr.* p. 10. Veneri Victrici Hyblensi C. Publicius Donatus D. D. *F.*] Hinc *Hyblenses, ium* sunt ejus oppidi incolae ap. *Plin.* 3, 8, 14. et *Cic. Verr.* 2, 3, 43.

[HYBRIA, vel Hibria, ae, m. et f. idem ac hybrida. V. HYBRIDICUS. *F.*]

HYBRĬDA, vel Ibrida, ae, m. et f. ὕβρις, animal ex dissimilibus parentibus natum, ut sus ex porco et apro, *h. e.* ex domestico, et fero: ab ὕβρις, injuria, quia est adulterium, et quaedam injuria naturae. *Plin.* 8, 53, 79. de suibus: In nullo genere aeque facilis mixtura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant, ceu semiferos. ℙ Transfertur ad homines et de iis dicitur, qui altero parente servo, libero altero nascuntur, vel altero Romano, altero peregrino, aut hujusmodi. *Plin. ib.* Hinc *Mart.* 6, 39. *f.* Jamque hybridarum grex tibi foret plenus, Si spado Coresus, Dindymusque non esset. *Id.* 8, 22. Invitas ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum. Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi. *Hirt. B. Afr.* 19. Quos ex hybridis, libertinis, servisque conscripserat. *Hor. Sat.* 1, 7, 2. Persius hybrida. Adde *Suet. Aug.* 19. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Val. Max.* 8, 6. *n.* 4. Q. Varius propter obscurum jus civitatis Hybrida cognominatus. ℙ Quidam Grammatici *hybridas* vocant eas voces, quae ex duarum linguarum verbis conflantur, ut *monoculus, epirhedium.* ℙ Sunt qui scribunt *hibrida:* sunt, qui *ibrida:* atque hi ab *iber* pro *imber*, et hoc ab *umber*, quod *umbros* dicant appellari arietes ex caprino, et ovillo genere ortos. ℙ **Vet. Gloss.* Iber, ἡμίονος. *B. A.*

[HYBRĪDĬCUS, et Hibridicus, a, um, adj. ad hybridam pertinens. *Not. Tir.* p. 150. Hibrida, hibria, hibridicus. *F.*]

*HYDA, ae, f. opp. Cariae. *Plin.* 5, 28. ℙ Dictum et *Hyde, es, f. B. A.*

HYDASPES, is, m fluvius Indiae in regno Pori, inter Indum, et Acesinem medius, qui postea cum aliis in Indum se exonerat. *Plin.* 6, 20, 23. Ibidem Alexander M. Porum regem maximo proelio vicit, ut narrat *Curt.* 8, 14. Eundem fluvium *Lucan.* 8, 227. vocat Nysaeum, quia Nysam urbem alluit; vel quia, ut habet *vet. Schol.*, ex monte Nysa descendit. *Hor. Od.* 1, 22, 7. fabulosum appellat, quod multa de eo fabulosa dicebantur. ℙ Apud *Virg. G.* 4, 211. *Medus Hydaspes* dicitur; hinc nonnulli alium ejusdem nominis fluvium in Media frustra quaesivere: videtur enim poeta designasse veterum Persarum imperium, cujus fines ad illam Indiae partem pertinebant. Itaque Medum pro Persico appellat, ut *Hor. Od.* 1, 2, 51. et alibi Persas vocat Medos. ℙ Translate accipitur pro toto Oriente; hinc ap. *Petr. Sat.* 123. *f.* Pompejus dicitur *tremor Ponti*, et *repressor Hydaspis.* [*Plura h. l. immutavit et ampliavit *F.*]

HYDASPĒUS, a, um, adj. ad Hydaspen pertinens, Indicus. *Claud. III. Cons. Honor.* 4. Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis. *Sidon. carm.* 2, 447. Frangat Hydaspeas aries impactus Erythras.

HYDĂTIS, ĭdis, f. ὑδατίς, ap. *Capell.* 1. p. 20. gemma est colore aqueo: ab ὕδωρ, ὕδατος, aqua.

*HYDE, es, f. opp. Lycaoniae, Galatiae Cappadociaeque conterminum. *Plin.* 5, 27. ed. *Hard.* Antea legebatur *Sinda.* ℙ Item urbs Lydiae, dicta et Sardes. *Plin.* 5, 29. ℙ Et Cariae opp. V. HYDA. *B. A.*

[HYDISSENSIS, e, adj. ad Hydissam pertinens, Cariae urbem, cujus meminit *Ptol.* 5, 2. Hinc *Hydissenses, ium*, sunt illius urbis incolae ap. *Plin.* 5, 29, 29. *F.*]

HYDRA, ae, f. ὕδρη, serpens aquaticus, ab ὕδωρ, aqua. *Hydra Lernaea* apud poetas serpens fuit, filia Typhonis et Echidnae, septem capitibus in Lerna palude, cum qua Hercules pugnavit, quae, cum Hercules ei unum caput abscidisset, continuo aliis septem augebatur, tandem ferro et igne victa et interfecta est, adhibito Iolao, qui incisam cervicem ardente face e vestigio inureret. Alio nomine *Excetra* dicta est. V. EXCETRA. Alii quinquaginta ei capita tribuunt, centum alii: alii tria, alii octo, alii novem. Sed secundum historicos constat, Hydram paludem fuisse in Lerna Argivorum regione aquas evomentem, quae vastabant agros vicinarum urbium, in qua uno meatu clauso, multi erumpebant. Hercules igitur avertit in alias partes flumina, quae in paludem excurrebant, atque ita paludem exsiccavit. *Ov. Met.* 9, 69. Pars quota Lernaeae serpens eris unus Echidnae? Vulneribus fecunda suis erat illa, nec ullum De centum numero caput est impune recisum, Quin gemino cervix herede valentior esset. Adde *Hyg. praef.* et *fab.* 30, 34. et 151. et *Serv.* ad *A.* 6, 576., ubi *Virg.* aliam fingit esse intra moenia Ditis, quinquaginta capitibus instructam, quae interius limen custodiat, ut Cerberus exterius. ℙ In coelo est sidus, de quo in ANGUIS dictum est. *Cic. Arat.* 292. ℙ Allegoria est in illo *Cic. Or.* 2, 17. Sed videto, ne in istis duobus generibus hydra sit tibi, et pellis; Hercules autem, et alia opera majora ne in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur, *h. e.* vide, ne de oratoris officio disserens, leviora tantum attigeris et faciliora, ea vero quae majoris momenti sunt, et difficiliora, omiseris: quemadmodum si quis facturus Herculis statuam, de hydra, et pelle leonis cogitaverit: ipsum vero Herculem, aliaque plura et majora ejus opera neglexerit. V. *f. cap. praec.*

[HYDRAEUS, a, um, adj. ὑδραῖος, ad Hydram Lernaeam pertinens. *Capell.* 7, 237. de Arithmetica: Quibus miraculis radiorum innumera repente multitudine prorumpente, nonnulli tellustres, silvicolaeque Divi Herculem conspicati, opinantes eam hydraco germine pullulare, etc., *h. e.* ut Herculis Hydra plurimos serpentes, sic illa radios innumeros emittebat. *F.*]

HYDRAGOGIA, ae, f. ὑδραγωγία, aquae ductio, canalis: ab ὑδωρ, aqua, et ἄγω, duco. Translate. *Varr.* ap. *Non.* 3, 114. Sensus *(sunt)* portae, venae hydragogiae, cloaca intestini, *h. e.* sensus sunt naturae veluti portae, venae veluti canales, intestini veluti cloacae.

[HYDRAGOGUS, a, um, adj. aquiducus: ab ὕδωρ, aqua, et ἄγω, duco. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *med.* Utendum aquiducis medicaminibus, quae Graeci hydragoga vocaverunt. ℙ *Hydragogos* est herbae nomen ap. *Appul. Herb.* 27. Chamaedaphne a Graecis quibusdam daphnites, aliquibus vero daphne, aliis hydragogos dicitur. *F.*]

[HYDRAGŌNOS, i, f. in aqua genita: ab ὕδωρ, aqua, et γίγνομαι, nascor. Ita appellatur nymphaea herba, quae in aqua degit. *Appul. Herb.* 27. *F.*]

HYDRALĒTA, ae, f. ὑδραλέτης. V. HYDRAULA.

*HYDRAOTES, ae, m. Ὑδραώτης, Indiae fluvius, in Acesinem, unaque cum Acesine in Indum influens. *Hyarotis* audit *Curt.* 9, 1. Ὑάρωτις *Straboni. B. A.*

HYDRARGYRUS, i, m. ὑδράργυρος, species argenti vivi, quod ex minio fit secundario, aereis mortariis trito ex aceto, aut ferrea concho, argilla super illita, excocto: quod argenti vivi vicem praestat, guttis dividi facile, et lubrico humore confluere. Ita *Plin.* 33, 8, 41. Dicitur *hydrargyrus*, quia argenti colorem habet, liquorem aquae: ab ὕδωρ, aqua, et ἀργύριον, argentum. Differt ab argento vivo, quod fit ex lapide in argentariis venis reperto, ut in ARGENTUM dictum est. *Plin. l. c.* Hydrargyro argentum inauratur. *Id. ib.* 3, 20. Aes inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro, legitimum erat. ℙ Masculini generis esse diximus, quia eodem genere apud Graecos est. Nam ex *Plinii* locis nihil certi colligitur.

HYDRAULA, et Hydraules, ae, m. ὑδραύλης, qui peritus est organi hydraulici pulsandi. *Suet. Ner.* 54. Voverat prodituram se, partae victoriae ludis, etiam hydraulam, et choraulam, et utricularium, ac novissimo die histrionem. *Petr. Sat.* 36. Ut putares essedarium hydraule cantante pugnare. *Hydraula, ae*, f. ὕδραυλις, est machina, quae vi aquae versatur. *Vitr.* 10, 10. ubi *de rotis ad molendam farinam.* Eadem ratione versantur hydraulae. *Phil., Turn., Salm.*, leg. *hydromylae*, h. e. molae, quae aqua versantur: ab ὕδωρ, aqua, et μύλη, mola: atque ita poscere videtur res, de qua ibi agitur. [Sed cum ὑδρομύλη vox sit cadentis Graecitatis, ὑδραλέτης vero (ab ὕδωρ, aqua, et ἀλέω molo) usurpata fuerit ab *Strabone l.* 12., ac praeterea ab antiquis librariis *hydraletae* potius, quam *hydromylae* facillime in *hydraulae* commutari potuerit; ideo *Schneiderus* recte *hydraletae* in textum recepit. *F.*]

HYDRAULĪCUS, a, um, adj. ad hydraulum spectans. *Plin.* 7, 37, 38. Laudatus Ctesibius pneumatica ratione, et hydraulicis organis repertis. Adde *Suet. Ner.* 41. ℙ Hydraulicae machinae dicuntur, quibus aqua per fistulas exprimitur, et in sublime pellitur: hae partim fiunt ad aquarum ludos faciendos, partim ad hydraletas versandas, partim ad excitandas in musicis organis harmonias, ad horologiorum motus, etc. De his V. *Vitr.* 9, 9. et 10, 13. Meminit et *Plin. l. c.*

HYDRAULUS, i, m. ὕδραυλος, ὑδραυλις, instrumentum musicum aquae decursu sonum reddens: ab ὕδωρ, aqua, et αὐλός, tibia. Simile est ei, quod nunc appellatur organum, nisi quod hujus fistulae ventis solum inflantur, in hydraulicis aquae decursu sonus redditur. *Cic. Tusc.* 3, 18. Hydrauli, hortabere, ut audiat voces potius, quam Platonis? *Plin.* 9, 8, 8. de delphino: Mulcetur symphoniae cantu et praecipue hydrauli sono. [*Cf. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.]

*HYDRĒLA, ae, f. Asiae opp. in Phrygia majore sive Caria, vel certe in Phygiae majoris confinio, alias Caria dictum. *Liv.* 37, 56. Cariam, quae Hydrelia adpellatur. *B. A.*

HYDRĒLATĀNUS, a, um, adj. ad Hydrelam pertinens, quae regio est Cariae, ut Hydrelatanus ager, *Liv.* 37, 56.

HYDRĒLĪTAE, arum, m. plur. Ὑδρηλεῖται, populi Hydrelam incolentes, ita appellati ab ὑδρηλός, aquosus, quia loca incolunt aquosa. Horum meminit *Plin.* 5, 29, 29. V. v. praec.

HYDRĒUM, i, n. idem ac hydreuma, ap. *Plin.* 6, 23, 26. V. v. seq. *Cf. *Solin.* c. 67. et *Salmas.* in locum. *B. A.*

HYDREUMA, ătis, n. ὑδρευμα, aquationum ratione disposita mansio. *Plin.* 6, 23, 26. A Copto camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis: prima appellatur hydreum XXXII. M.: secunda in monte diei itinere: tertia in altero hydreumate, etc., ubi *Hard.* recte distinguit, ut hydreum, ὑδρεῖον, sit locus aquationis: hydreuma, ὕδρευμα, ipsa aquatio, ab ὑδρεύειν, aquari.

*HYDREUS, a, um, adj. aquatilis. *Martian. Capell.* 7, 237. Hydreo germine pullulare. *B. A.*

HYDRIA, ae, f. ὑδρία, aqualis, idest, vas aquarium, urna: ab ὕδωρ, aqua. *Cic. Verr.* 2, 2, 19. Dicebant, scyphorum paria complura, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa manicipia pretiosa Verri data esse. *Id. ib.* 51. Conjicere sortes in hydriam. *Sulpic. Sever. sacrae hist.* 1, 43. Hydria farris. ℙ [Accipitur etiam pro olla sepulcrali. *Inscr.* ap. *Mur.* 1184, 10. D. M. M. Lollio Aeschini haec hydria posita est. ℙ Hujus nominis est etiam insula maris Hadriatici apud *Mel.* 2, 7. ℙ Item comoedia Menandri ap. *Quint.* 11, 3. *F.* et *B. A.*]

HYDRĪNUS, a, um, adj. ab hydria, vel hydro ut Hydrina vulnera. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 884. ipse praesto tunc erit Hercules, Hydrina suetus ustum ire vulnera.

HYDRĪUS, ii, m. aquarius. Hydrius puer est Aquarius coeleste sidus. *Prud. Apotheos.* 622. Labitur hinc pulsus puer Hydrius, inde Sagitta.

HYDROCĒLE, es, f. ὑδροκήλη, hernia aquosa, cum scilicet aqua in scroto colligitur, seu, ut alii definiunt, cum in alterum e testibus humor confluit: ab ὕδωρ, aqua, et κήλη, quod speciatim scroti tumorem significat. *Mart.* 12, 84. Dicentem tumidas in hydrocelas.

HYDROCĒLĬCUS, a, um, adj. ὑδροκηλικός, qui hydrocele laborat. *Plin.* 30, 8, 22. Hydrocelicis stelliones mire prodesse tradunt.

HYDROCHŌUS, i, m. ὑδροχόος, hoc est aquam fundens, ab ὕδωρ, aqua, et χέω, fundo. Graece Aquarii signum significat. *Catull.* 65, 94. Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

HYDROGĂRĀTUS, a, um, adj. hydrogaro conditus. *Apic.* 2, 2. Isicia hydrogarata sic facies: Teres piper, ligusticum, pyretrum minimum: suffundes liquamen, temperans aqua cisternina, etc.

HYDROGĂRUM, i, n. genus liquaminis aqua cisternina temperatum: ab ὕδωρ, aqua, et γάρον, garum. *Lampr. Elagab.* 29. Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit.

HYDROGĒRON, ontis, f. herba eadem ac senecio: ab ὕδωρ, aqua, et γέρων, senex, ita fortasse

appellata, quod in humectis locis germinat. *Appul. Herb.* 75. V. ERIGERON. *F.*]

HYDROLAPATHUM, i, n. *ὑδρολάπαθον*, lapathi genus, quod in aqua nascitur. *Plin.* 20, 21, 85.

HYDROMANTIA, ae, f. *ὑδρομαντεία*, divinatio, quae fit per aquam. *August. C. D.* 7, 35. scribit, Numam Pompilium hydromantiam fecisse, ut videret imagines Deorum, vel ludificationes Daemonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare deberet. Quod genus divinationis *Varro* a Persis dixit illatum, quo et ipsum Numam, et Pythagoram philosophum fuisse usum commemorat. *Plin.* 37, 11, 73. Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum, *Is. Or.* 16, 14. eadem fere habet. Est autem haec vox ab *ὕδωρ*, aqua, et *μάντις*, hariolus.

HYDROMELI, ĭtis, n. *ὑδρομέλι*, aquae mulsae genus, ex imbre purissimo, et melle temperatum, et jam vetustate vini saporem referens: ab *ὕδωρ*, aqua, et *μέλι*, mel. *Plin.* 14, 17, 20. et 31, 6, 36. *Pall.* 8, 7. et *Colum.* 12, 12., qui, tacito nomine, ejus conficiendi rationem docet, et aquam mulsam appellat. *Plin.* 22, 13, 15. Intestinorum animalia pelli cum hydromelite, et sale. *Id.* 27, 5, 20. Cum hydromelitis sextario.

[HYDROMELUM, i, n. *ὑδρόμηλον*, genus potionis: ab *ὕδωρ*, aqua, et *μῆλον*, malum. *Is. Or.* 20, 3. Hydromeli (corrige *hydromelum*), quod fiat ex aqua, et malis Matianis. *F.*]

HYDROMYLA, ae, f. V. HYDRAULA.

HYDROPHOBIA, ae, f. *ὑδροφοβία*, aquae fuga, miserrimum genus morbi, in quo simul aeger et siti, et aquae metu cruciatur, quod solet accidere iis, qui a rabido cane fuerint morsi: ab *ὕδωρ*, aqua, et *φόβος*, timor. *Cels.* 5, 27. *n.* 2., sed Graece; at Latine *Coel. Aurel. Acut.* 3, 9. ℙ Hydrophobiam signat *Ov. Pont.* 1, 3, 23. Tollere nodosam nescit medicina podagram, Nec formidatis auxiliatur aquis.

HYDROPHOBICUS, a, um, adj. ut Hydrophobica passio, apud *Coel. Aurel. Acut.* 3, 9. V. v. praec.

HYDROPHOBUS, a, um, adj. *ὑδροφόβος*, aeger, quem canis rabidus momorderit, qui aquam expavescit: a *φοβέομαι*, timeo, et *ὕδωρ*, aqua. *Plin.* 29, 5, 32. Est limus salivae sub lingua rabiosi canis, qui datus in potu fieri hydrophobos non patitur. *Veg. Vet.* 3, 31. Aliquando jumenta aquas timent, quae dicuntur hydrophoba.

HYDROPHYLAX, ăcis, m. *ὑδροφύλαξ*, aquarum custos: ab *ὕδωρ*, aqua, et *φυλάσσω*, custodio. *Imp. Zeno Cod.* 11, 42, 10. Universos aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, etc.

HYDROPICUS, a, um, adj. *ὑδρωπικός*, qui hydrope laborat. *Hor. Ep.* 1, 2, 34. Si nolis sanus, curres hydropicus. ℙ Secundam syllabam licenter corripit *Aemil. Macer. cap. de Allio.* Hydropicis, sic humores desiccat aquosos. Sed non est imitandus.

HYDROPISIS, is, f. idem ac hydrops. *Plin.* 20, 1, 3. Sic. et contra pthiriasin bibitur, et hydropises.

HYDROPISMUS, i, m. hydropisis. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 14. Hydropismum fieri censet Asclepiades perforatione carnis in parvam formulam viarum, quae possit solita (lege *solida*) corporis nutrimenta inaquare, *h. e.* in aquam vertere. *F.*]

HYDROPS, ōpis, m. *ὕδρωψ, ωπος*, genus morbi, quo aqua praeter naturam sub cute nascitur, qua corpus turgescit: ab *ὕδωρ*, aqua, et *ὤψ*, facies. *Hor. Od.* 2, 2, 13. Crescit indulgens sibi dirus hydrops, Nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis. *Cels.* 3, 21. Ex quartana in hydropa decidere.

*HYDROSELINUM, i, n. infructuosa roris marini species, sive apium silvestre ap. *Appul. Herb.* 79. *B. A.*

[HYDRUNTINUS, a, um, adj. ad Hydruntum pertinens, Calabriae urbem, nunc *Otranto.* ℙ *Hydruntini, orum*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 374, 5. Patronus municipii Hyrentinonorum (lege *Hydrundinorum*). *F.*]

HYDRUS et Hydros, i, m. *ὕδρος*, certum anguium genus, quod et in aquis degit: ab *ὕδωρ*, aqua. Et universim de quibuscumque serpentibus dicitur. *Plin.* 29, 4, 22. In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, quod et in aqua vivit: hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno. *Id.* 6, 23, 26. Hydri marini vicenum cubitorum. *Virg. G.* 4, 458. immanis hydrus. *Id. A.* 7, 753. graviter spirantes hydri. *Ov. Her.* 9, 85. de Hercule: immanes elisis faucibus hydros Infantem, etc. ℙ A poetis tribuuntur capitibus Furiarum, et Medusae pro comis, vel immixti capillis. *Virg. A.* 7, 447. tot Erinnys sibilat hydris. *Val. Fl.* 4, 413. de Tisiphone: excussi crinibus hydri; et 2, 195. et nigris amplectitur hydris; et 6, 397. squalens hydris Medusa. Sic *Ov. Met.* 4, 800. Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros. ℙ Translate. *Juv.* 7, 70. Nam si Virgilio puer, et tolerabile desit Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri, *h. e.* vis carminis, et poeticus furor: alluditque ad descriptionem Erinnyos *Aen.* 7, 415. et 447. ℙ Metonymice ponitur pro veneno. *Sil.* 1, 322. Aut hydro imbutas, bis noxia tela, sagittas. ℙ Est et signum coeleste, de quo in ANGUIS dictum est. *German. Arat.* 429. Et spatio triplicis formatus sideris Hydros. ℙ **Hydrus, untis*, f. *Ὕδρους*, et Hydruntum, i, n. urbs fuit Calabriae maritima, portu adversus Graeciam nobilissima, hodie *Otranto. Cic. Fam.* 16, 9. *Id. Att.* 15, 21. et 16, 5, *Hydruntum* est *Liv.* 36, 21. item *Plin.* 3, 11. ubi tamen bis locutio occurrit *ab Hydrunte*, a recto nempe *Hydrus.* ℙ Urbi vicinus mons fuit cognominis. *Mela* 2, 4. Hydrus mons. ℙ In *Lucan.* 5, 375. *Avius Hydrus* gen. masc. et ad montem et ad oppidum alludere videtur. *B. A.*

*HYDRUSSA, ae, f. (*ὑδρόεσσα* et contracte *ὑδροῦσσα*,) sic Ceos insula a Graecis appellata est. *Plin.* 4, 12. ℙ Item Andros insula. *Id. ib.* ℙ Et Tenos. *Id. ib. B. A.*

HYEMS, etc. V. HIEMS.

*HYETUSSA, ae, f. *Ὑετόεσσα*, *Ὑετοῦσσα*, *h. e.* pluviosa, insula Cariae vicina. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

HYGEA et Hygia, ae, f. *Ὑγεία*, filia Aesculapii, sanitatis Dea. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 19. et 35, 11, 40. *n.* 31. *Marl.* 11, 60. Quod sanare Criton, non quod Hygea potest. ℙ Scribitur et *Hygēia*, servatis omnibus Graecis litteris. *Inscr.* ap. *Grut.* 31, 10. Solis Aesculapio, et Hygeiae, etc. Adde aliam ap. *Mur.* 169, 8.

*HYGIEMON, onis, m. *Ὑγιήμων*, nomen pictoris antiqui, de quo *Plin.* 35, 8. *B. A.*

[HYGIAENUSA, ae, f. *ὑγιαίνουσα*, bona valetudine utens: part. ab *ὑγιαίνω*, valeo. Est nom. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 879, 13. Maria Hygiaenusa. *F.*]

HYGINUS, i, (C. Julius) libertus Augusti, a quo advectus Romam praefuit bibliothecae Palatinae. Multa scripsit, e quibus supersunt Fabulae, et Poetica Astronomica. Sunt tamen, qui multo saniori judicio Augusti aetate indigna ea scripta putant propter stili inelegantiam, ideoque alteri tribuunt Hygino, qui circa Antoninorum aetatem floruerit, vel etiam infra. [Plurimi tamen habendae sunt illius Fabulae, quippe quae, ut eruditi plerique observarunt, ex veteribus tragoediis, quae jam perierunt, excerptae fuerint, ideoque ad anaglyptica opera explicanda maxime sunt idoneae, cum illa magis ex tragoediis, quam ex poetarum mythicorum narrationibus insculpta fuisse videantur. *F.*] ℙ Alter Hyginus scripsit de Limitibus constituendis sub Trajani imperio. Sed ne hic quidem stili ratione est adamandus. ℙ **Higinus* scriptum reperitur ap. *Gell.* 5, 8. edd. *Gron.* et *Longol. B. A.*

[HYGRA, ae, f. ita vocatur collyrii genus, quia e liquidis constat; huic opponitur xerocollyrium, quod ex aridis. *Scrib. Compos.* 37. Hygram (*nempe* compositionem) vocant, quia est liquidum medicamentum. *F.*]

HYGREMPLASTRUM, i, n. *ὑγρέμπλαστρον*, emplastrum liquidum ac fluens: ab *ὑγρός*, humidus. *Plin.* 34, 15, 46. Praecipua commendatio ejus in hygremplastro, ad purganda vulnera.

HYGROPHOBIA, ae, f. *ὑγροφοβία*, idem fere, quod hydrophobia: nisi quod haec solius aquae, illa omnium humorum, liquorumque timorem habet: ab *ὑγρός*, humidus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 9.

*HYI, orum, populi Asiae ulterioris, supra Elymaidem. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

HYLACTOR, oris, m. nomen canis latratu valentis: ab *ὑλακτέω*, latro. *Ov. Met.* 3, 224. et acutae vocis hylactor.

[HYLAEI, orum, m. plur. (*Ὑλαῖοι*, *h. e.* silvestres) populi Scythiae, Tauricae Chersonesi proximi, non procul ab Hypane fluvio. Horum meminit *Plin.* 4, 12, 26., a quibus *Id. ib.* vocatum ait Hylaeum mare, quo illorum regio alluitur. *F.*]

HYLAEUS, i, m. *Ὑλαῖος*, unus e Centauris (ab *ὕλη*, silva), qui Atalantae vim inferre aggressus, ab ipsa sagittis occisus est, (*Serv.* ad *A.* 8, 294. ait, occisum esse a Theseo) opem ferente etiam Milanione, (cujus postea illa uxor fuit) qui in ea rixa vulnus retulit: de quo *Ov. A. Am.* 2, 191. Sensit et Hylaei contentum saucius arcum. De eodem adjective *Prop.* 1, 1, 13. Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami, etc. ℙ Ap. *Ovid.* est etiam nomen canis (ab *ὑλάω*, latro) *Met.* 3, 213.

HYLAS, ae, m. *Ὕλας*, filius Thiodamantis et Menodices Nymphae Orionis filiae, ex Oechalia (al. Argivus), puer formosus, comes fuit Herculis in expeditione Argonautarum. Cum illi ad litus Mysiae appulissent, et venatum Hercules, aquatum Hylas cum urna ad Ascanium fluvium accessisset, a Nymphis ejus fluminis una cum urna sua vi e ripa detractus, raptusque est: quem frustra diu conquirens Hercules adeo aberravit, ut ab sociis vela facientibus desereretur. *Juven.* 1, 164. Aut multum quaesitus Hylas, urnamque secutus. *Prop.* 1, 20, 6. Thiodamanteo proximus ardor Hylae. V. ibi multa hac de re. *Val. Fl.* 3, 596. Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat Avia. V. ibi quoque multa a *v.* 522. et *Hyg. fab.* 14. et *Serv.* ad *Ecl.* 6, 43. ℙ In memoriam ejus diu et frustra quaesiti, Hercules instituit annua sacra, in quibus crebro clamaretur. Quo alludit *Virg. Ecl.* 6, 43. His adjungit, Hylan nautae quo fonte relictum Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla omne sonaret. Secunda in hoc vocativo syllaba primo producitur, secundo corripitur, Graeca licentia, illius simili, de qua *Mart.* 9, 12. Et quos *Ἄρες*, *Ἄρες*, decet sonare. ℙ *Fuit et Hylas Bithyniae amnis. *Plin.* 5, 32. *Solin.* 42. (*al.* 54.) ℙ Item lacus ibidem. *Solin. ib.* ℙ Hylas, pantomimus, de quo *Suet. Aug.* 54. Cf. *Macr. Sat.* 2, 7. ℙ Hylas, pugil, de quo *Auson. epigr.* 91. Doctus Hylas caestu, etc. *B. A.*

*HYLATAE, arum, m. populi Syriae. *Plin.* 5, 23. *B. A.*

HYLAX, ăcis, m. nomen canis, qui multum latratu valet: ab *ὑλάω*, latro. *Virg. Ecl.* 8, 107.

HYLE, es, f. *ὕλη*, Graece est silva: et translate materia, de qua agitur in libris alicujus facultatis, praesertim in iis, qui variae eruditionis sunt. [*Macr. Sat.* 1, 17. *f.* Signa duo aeque feminea, quibus Apollo ambitur, hylen, naturamque significant confamulantes. *F.*] *Attejus Philologus* ap. *Suet. Grammat.* 10. Hylen nostram aliis memento commendare: quam omnis generis coegimus, uti scis, octingentos in libros. ℙ Ap. *Plin.* 4, 7, 12. est oppidi nomen in Boeotia.

*HYLERNA, ae, f. locus Tiberi vicinus cum luco. *Ov. Fast.* 6, 105. *B. A.*

[HYLEROS, otis, m. silvae amans: ab *ὕλη*, silva, et *ἔρως*, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 991, 1. *P. Post*umio P. L. Hileroti. *F.*]

HYLES, ae, m. *Ὕλης*, nomen Centauri (ab *ὕλη*, silva; nam Centauri in silvis degunt) ap. *Ov. Met.* 12, 378.

[*HYLEUS, ei, m. disyll. *Ὑλεύς*, vir nobilis venatione apri Calidonii: est ab *ὑλάω*, latro. *Ov. Met.* 8, 312. *F.* et *B. A.*]

*HYLLIS, idis, f. paeninsula Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

HYLLUS vel Hylus, i, m. *Ὕλος*, filius Herculis ex Deianira (al. ex Omphale) qui Iolen patre mortuo uxorem duxit. Hic postea cum ceteris fratribus, qui ex Hercule superstites fuerunt, ab Eurystheo pulsus, Athenas confugit, ibique Misericordiae, vel Clementiae templum condidit, quod et accepti ab Atheniensibus beneficii testimonium, et miseris in posterum asylum esset et perfugium. *Ov. Her.* 9, 44. *et f.* et *Stat. Th.* 8, 508. ℙ [*Hyllus* est etiam qui ex Hyllide est, paeninsula Liburniae proxima, quae nunc fortasse *penisola di Stagno.* Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 5. Juliae Zosimae Lib., et Hyllo. *F.*] ℙ *Item fluvii nomen, per Phrygiam majorem, Ioniam, atque Lydiam percurrentis, inque Hermum cadentis. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*HYLONOME, es, f. (*ὑλονόμη*, in silvis degens) femina ex genere Centaurorum, quae, mortuo marito Cyllaro, gladio suo incubuit. Ejus meminit *Ov. Met.* 8, 405. *B. A.*

*HYMANE, es, f. mater Tiphyos, uxor Phorbantis. *Hyg. fab.* 14. *med.*

HYMEN, ĕnis, m. et Hymĕnaeus vel Hymĕnaeos, i, m. *Ὑμήν*, *Ὑμέναιος*, carmen nuptiale, hymnus virginalium nuptiarum. *Stat. Silv.* 2, 7, 87. Et vestros Hymenaeon ante postes Festis cantibus ipsa personabo. *Ter. Ad.* 5, 7, 6. Hoc mihi morae est, tibicina, et hymenaeum qui canat. ℙ Item apud Graecos, membrana, qua fetus involvitur, sed speciatim illa, quae claustrum virginitatis est, quaeque virginibus in primo Veneris congressu rumpitur. Aliqui volunt, hanc esse primam hujus vocis notionem, et inde carmen nuptiale, et Deum nuptiarum praesidem appellatum a veteribus fuisse. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 99. et *Donat.* ad *Ter. Ad.* 5, 7, 6. ℙ Item *Hymen* vel *Hymenaeus*, vel conjunctim *Hymen Hymenaeus*, Deus nuptiarum praeses habitus fuit, ut dictum est. Hunc aliqui Liberi et Veneris filium fuisse volunt, alii Apollinis et Calliopes, alii Uraniae, alii Clius; primum certas instituisse nuptias, eoque hunc ei honorem habitum, ut in virginalibus nuptiis memoria ejus celebraretur. Alii Magnetis filium, musicae artis peritum, pulcritudine muliebri: dum nuptias Liberi Patris et Altheae, seu Ariadnes religiosis cantibus celebrat, exspirasse. Alii virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas a praedonibus virgines, oppressis latronibus, parentibus intactas restituit: vel qui inter bella saevissima virgines liberaverit. Hanc ob causam in nuptiis tradunt a Graecis, eorumque imitatione a Latinis ejus numen solitum fuisse invocari, quasi liberatoris virginitatis, ut Romani in nuptiis virginalibus invocabant Talassum, seu Talassium, seu Talassionem. Sed, ut alii referunt, apud Romanos cum sponsa duceretur, omnes respondentibus vicissim pueris puellisque clara voce concinebant, *Hymen, o Hymenaee*, ingrediente vero sponsa mariti aedium limen, *Talassio* magna voce clamabatur, quod in raptu Sabinarum ea vox celebrata virginem praestantissima forma ab impetu aliorum defendisset. *Catull.* 62, 5. Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. Ubi prior syllaba in *Hymen* communis est, primo producta, deinde correpta: at in *Hymenaeus* semper

est brevis. *Id.* 60, 4. O Hymenaee Hymen, o Hymen Hymenaee. *Ov. Her.* 14, 27. Vulgus Hymen Hymenaee, vocant: fugit ille vocantes; et *ib.* 6, 44. pronuba Juno Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen; et *ib.* 12, 137. Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures Venit, etc. *Id. Met.* 12, 215. Ecce canunt Hymenaeon, et ignibus atria fumant. ℙ Metonymice sunt ipsae nuptiae. *Virg. A.* 1, 655. de Helena: Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenaeos; et *ib.* 3, 328. qui deinde secutus Ledaeam Hermionem, Lacedaemoniosque hymenaeos; et *ib.* 4, 99. pactos Hymenaeos exercere; et 127. Connubio jungam stabili, propriamque dicabo. Hic Hymenaeus erit. *Stat. Th.* 3, 283. Hymenaei infausti. *Sen. Troad.* 861. Quicumque Hymen funestus, illactabilis Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet, Est auspice Helena dignus. ℙ De bestiis. *Virg. G.* 3, 60. Aetas Lucinam, justosque pati hymenaeos, Desinit ante decem, post quattuor incipit annos. Ubi ὕστερον πρότερον notat *Servius*, quia prius est concubitus, deinde partus. ℙ Auctores, unde fabulas de Hymenaeo sumpsimus, sunt *Serv.* ad *Ecl.* 8, 30. et ad *A.* 4, 99. et 127., *Donat.* ad *Ter. Ad.* 5, 7, 6. et *Lact.* ad *Stat. Th.* 3, 283.

HYMĔNĒĬUS, a, um, adj, ad Hymenaeum pertinens. *Capell. in. l.* 7. Nec mea mella rapis: quaenam haec hymeneia lex est? *Id.* 2, 34. Hymeneia tripudia.

HYMETTĬUS, a, um, adj. Ὑμήττιος, ex Hymetto monte. *Plin.* 36, 3, 3. L. Crassus orator primus peregrini marmoris columnas habuit Hymettias. *Hor. Sat.* 2, 2, 15. Hymettia mella. *Id. Od.* 2, 18, 3. Hymettiae trabes. *Ov. Met.* 10, 284. ut Hymettia sole Cera remollescit.

HYMETTUS et Hymettos, i, m. Ὑμηττός, mons Atticae, Athenis proximus, tum marmore coloris candidissimi, tum vero praecipue thymo floribusque abundans, atque ideo apibus et melle. *Val. Fl.* 1, 396. dum plenas nectare cellas Pandit, et in dulcem reges dimittit Hymetton. *Mart.* 7, 88. Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes. *Hor. Od.* 2, 6, 14. ubi non Hymetto Mella decedunt. *Ov. A. Am.* 3, 687. purpurei colles florentis Hymetti. *Col.* 10, 385. Actaeus Hymettus. ℙ *Appul. Met.* 1. *in.* Hymettos Attica, fem. gen. dixit: videturque ad regionem, quae est circa Hymettum, respexisse. V. ISTHMUS.

[HYMNETRIA, ae, f. poetria, cantrix: ab ὑμνητής, cantor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 285. *n.* 191. Munatiae L. L. Zosimae filia Hymnetria. *F.*]

HYMNĬFER, a, um, adj. qui hymnos componit, seu cantat. *Ov. Met.* 11, 58. de Orpheo: hymniferos inhiat divellere vultus. *Heinsius*, et alii hunc versum, tanquam spurium, rejiciunt.

HYMNĬO, is, n. 3. hymnos cano. *Prud.* περὶ στεφ. 1, 118. Hymnite matres pro receptis parvulis: ὑμνεῖτε.

HYMNĬSŌNUS, a, um, adj. hymnos sonans, laudes canens. *Paul. Nol. carm.* 28, 230. Hymnisoni chori. Adde *carm.* 22, 200.

HYMNODĬCUS, i, m. ὑμνῳδικός, qui hymnos canit. *Firmic. Math.* 8, 25.

HYMNOLŌGUS, i, m. ὑμνολόγος, laudator, hymnis celebrans. *Firmic. Math.* 3, 6. Sive templorum conditores, aut hymnologos. Adde 12. et *Inscr.* ap. *Grut.* 645, 4. Ti. Glaudius Glyptus Hymnologus de campo Coelemontano.

HYMNUS, i, m. ὑμνός, proprie est canticum in Deum: sed simpliciter pro cantico et laude accipitur: est per syncopen pro *hymenus*, ab ὑμένος, part. praet. pass. verbi ὐδω, cano. *Prud. praef. Cathem.* 37 Hymnis continuet dies, Nec non ulla vacet, quin Dominum canat. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 4, 261. ℙ Ap. *Mart.* 12, 75. *Hymnus* est nomen proprium pueri cujusdam.

[*HYOPHTHALMOS, i, m. (ὑόφθαλμος, *h. e.* oculus suis, ab ὗς, sus, et ὀφθαλμὸς, oculus). Ita appellatur herba, quae et aster Atticus, et bubonion, et inguinalis. *Appul. Herb.* 60. *F.* et *B. A.*]

HYOSCYAMĪNUS, a, um, adj. qui est ex hyoscyamo, ut Oleum hyoscyaminum, quod ex hyoscyamo decoquitur. *Plin.* 23, 4, 49.

HYOSCYĂMUS, i, m. ὑοσκίαμος, herba est, quae et Apollinaris, et altercum dicitur, plurium generum, quorum primum nigro semine, floribus paene purpureis, spinosum: alterum vulgare, candidius, et fruticosius, altius papavere: tertium semine simile semini irionis: quartum molle, lanuginosum, pinguius ceteris: quod unum a medicis receptum est: cetera venenum sunt, insaniam gignentia, capitisque vertigines. Ipsa vox fabam suis significat, ab ὗς, sus, et κύαμος, faba. *Plin.* 25, 4, 17. *Cels.* 5, 27. *n.* 14. Si hyoscyamum aliquis ebibit, fervens mustum bibendum est. ℙ *Jusquiamus* dicitur a *Pall.* 1, 35. *med.* et *Veg. Vet.* 2, 12.

HYOSĪRIS, is, f. ὑοσερὶς, herba intubo similis, sed minor et tactu asperior, quae contusa vulneribus praeclare medetur. Haec *Plin.* 27, 10, 64. *Hard.* ad *l. c.* Rectius *hyoseris*, nam σέρις intubum est, non οἶρις: nisi forte ὑὸς ἔρις quispiam interpretatur, quod vereor, ut probari queat.

*HYPACĂRIS vel Hypacyris, is, fluvius Sarmatiae Europaeae, qui, medio inter Borysthenem et paludem Maeotidem loco in Pontum Euxinum, nempe in sinum Carcinitem, labitur. Priorem formam usurpat *Mela* 2, 1., posteriorem (Ὑπάκυρις) *Herod.* 4, 55. *Plin.* 4, 12. Hypacarin, dempto capite, *Pacyrin* vocat, si modo sana sit lectio. *B. A.*

*HYPAEA, ae, f. Ὑπαία, *i. e.* infima, Stoechadum insularum una, nunc *l'isle du Levant* sive *du Titan*, quae maxima omnium in ortum vergit. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[HYPAEPĒNUS, a, um, adj. ad Hypaepa pertinens, Lydiae urbem, Veneri sacram, versus Tmolum montem, nunc *Pyrgè* vel *Birghè*, de qua *Ov. Met.* 6, 13. et *ib.* 11, 153. et *Petron.* 133., in quibus locis est *Hypaepa*, *orum*, n. plur. ℙ *Hypaepeni*, *orum*, sunt illius urbis incolae ap. *Plin.* 5, 29, 31. et *Tac. A.* 4, 55. *F.*]

HYPAETHRUS et Hypaetros, a, um, adj. ὕπαιθρος, subdialis, sub dio positus: ab ὑπὸ, sub, et αἰθρα, aer. *Vitr.* 5, 9. *med.* Hypaethrae ambulationes habent magnam salubritatem. *Id.* 1, 2. Jovi, et Coelo aedificia sub divo, hypaethraque constituuntur, *h. e.* tecto perforato, atque aperto. *Id.* 5, 9. *med.* In apertis hypaethrisque locis.

HYPALLĂGĒ, ae, f. ὑπαλλαγὴ, *h. e.* immutatio, est figura dictionis, qua aliquid praepostere effertur, ita tamen, ut facile, quod rectum est, intelligatur, ne pro figura vitium sit: ut in illo *Virg. A.* 3, 61. dare classibus Austros. Ubi *Servius:* hypallage est: nam classes Austris damus. ℙ Ipsa quoque metonymia *hypallage* dicitur a rhetoribus, teste *Cic.* ap. *Quint.* 8, 6., Graece tamen.

[*HYPAMPĒLUS, i, f. ὑπάμπελος, pergula, seu locus vitibus consitus et contectus: ab ὑπὸ, sub, et ἄμπελος, vitis. *Inscr.* ap. *Grut.* 711, 3. Hypampelus huic *(tabernae)* cedet in rigorem maceriae, et furcarum. V. RIGOR. *F.* et *B. A.*]

[HYPĂNĒĬUS, a, um, adj. ad Hypanim pertinens, Sarmatiae fluvium. *Licent. carm. ad August.* 62. Exampeosque lacus fugiens Hypaneius amnis: *nempe* ipse fluvius Hypanis. *F.*]

HYPĂNIS, is, m. fluvius Sarmatiae, nunc *Bog*, qui in Borysthenem, et mox in Euxinum Pontum influit. *Virg. G.* 4, 370. Saxosumque sonans Hypanis. Adde *Cic. Tusc.* 1, 39.

[*HYPĂRĒTE, es, f. Ὑπαρέτη, (ex ὑπὸ, sub, et ἀρετὴ, virtus) una ex quinquaginta filiabus Danai. *Hyg. fab.* 170. *F.* et *B. A.*]

*HYPĂSIS, is, Indiae fluvius, in Indum cadens. *Curt.* 9, 1. *extr. Plin.* 2, 73. et 6, 17 et 20. ℙ Ὕφασις audit *Diodoro Siculo* atque *Arriano*; Ὑπανις autem *Straboni. B. A.*

[HYPĂTAEUS et Hypătīnus, a, um, adj. ad Hypatam, sive Hypate pertinens, Thessaliae urbem, haud procul a Peneo fluvio, cujus meminit *Liv.* 36, 6. *Id.* 41, 25. Hypataeus exsul. ℙ *Hypataei*, *orum*, sunt incolae illius urbis ap. *eund.* 36, 14. ℙ *Appul. Met.* 4. Milonis Hypatini domum fortiter expugnavimus. *F.*]

HYPĀTE, es, f. ὑπάτη, summa chorda in fidibus, quae acutum sonum reddit. *Vitr.* 5, 4. et 6, 1. *med.* ℙ [Translate ita appellatur pollex, qui summus, seu maximus digitorum est. *Appul.* in *fragm. Met.* 10. p. 717. *Oudend.* Dein digitis hypate, lichano, mese, paramese, et nete hastam mei inguinis nivea spurcitie pluscule excorians emundavit, *h. e.* quinque digitis, summo, indice, medio, anulari, et minimo. *F.*]

[HYPĀTĬCUS, i, m. ὑπατικὸς, consularis. Est nom. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 591, 1. Hypaticus Augg. Lib. *F.*]

[HYPĀTOĬDES, is, m. ὑπατοειδὴς, modulatio quaedam musicalis. *Capell.* 9, 326. Melopoeiae species sunt tres, hypatoides, mesoides, netoides: hypatoides est, quae appellatur tragica, quae per graviores sonos constat. *F.*]

*HYPĀTON, i, (ὑπατον, i. e. supremum, ultimum,) n. oppidum Graecorum in Aethiopia, dictum et *Mulon. Plin.* 6, 29. *B. A.*

[HYPĀTUS, i, m. ὕπατος, summus, et absolute consul. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 741, 2. A. Herennulejus Hypatus. *F.*]

[*HYPĒCOON, i, n. ὑπήκοον (*h. e.* morigerum: ab ὑπακούω, obedio), herba in segetibus nascens foliis rutae: natura ejus eadem, quae papaveris succo. Haec ex *Plin.* 27, 11, 67. *F.* et *B. A.*]

HYPĒLĀTE, es, f. lauri species, al. daphne, carpophyllon, laurus Alexandrina. *Plin.* 15, 30, 39.

HYPĒNĒMĬUS, a, um, adj. ὑπενέμιος, ventosus, irritus, ex quo nihil gignitur: ab ὑπὸ, sub, et ἄνεμος, ventus. *Plin.* 10, 58, 79. Pariuntque ova irrita, ex quibus nihil gignitur, quae hypenemia Graeci vocant. Adde *ib.* 60, 80.

[*HYPĒRANTUS, i, m. unus ex quinquaginta filiis Aegypti: (ex ὑπερανθέω, egregie floreo) *Hyg. fab.* 170. *F.* et *B. A.*]

[HYPERBĀSIS, is, f. ὑπέρβασις, transgressio: ab ὑπὲρ, supra, trans, et βαίνω, gradior. Figura est eadem, quae hyperbaton: et ad eam reducitur etiam *hysteron proteron*, de quo infra. Sed Graece tantummodo usum habet.

HYPERBĀTON, i, n. ὑπέρβατον. Figura grammaticalis et rhetorica, per quam partes orationis, neglecta simplici et vulgari dispositione, varie et artificiose inter se commutantur, aliis in locum aliarum abeuntibus: ab ὑπερβαίνω, transgredior. Oratio enim est aspera et dura, vel saltem dissoluta et hians, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur. *Quint.* 8, 6. *f.* et 9, 4. ℙ Latine *transgressio* appellatur ab *Auct. ad Her.* 4, 32. ℙ Ejus quinque sunt species, *Anastropha*, cum duorum verborum ordo mutatur, nullo alio interposito, ut illud *Virg. A.* 5, 663. Transtra per et remos. *Diacope*, cum dividitur verbum, interposito alio, ut *Cic. Att.* 1, 20. *f.* Per mihi, per, inquam, mihi gratum feceris. *Dialysis* (seu *Parenthesis*, cum ordo orationis diducitur, interposita sententia, ut *Plin. ep.* 7, 7. Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis), sed ut discipulo magister (nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia extendo) librum misisti. *Synchysis*, cum transpositio est obscura, ut *Virg. A.* 1, 113. Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras. *Catull.* 66, 18. Non, ita me Divi, vera gemunt, juerint. *Hor. Sat.* 1, 5, 49. Namque pila lippis inimicum, et ludere crudis. *Charis.* 4, 246. ℙ Hae tamen ipsae species *hyperbati* nomine appellantur. Unde, quod ad dialysin attinet. *Plin.* post allata verba, subdit statim: Non potui longius hyperbaton facere, atque hoc ipso probare, eum me esse, etc. Quod ad anastropham, et diacopen, *Quint.* 9. *f.* Sed neque longioribus quam oportet hyperbatis compositioni serviamus, etc. *Idem* vero 8, 6. docet, cum decoris gratia trahitur longius verbum, proprie hyperbati nomen tenere, ut in illo *Cic. initio Cluentianae.* Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes. ℙ Est etiam *hyperbaton* apud nonnullos, quod ad apostrophen pertinet, cum scilicet sensus non mutatur, verum forma eloquendi, ut in illo *Virg. G.* 2, 169. Extulit haec Decios, Marios, magnosque Camillos, Scipiadas duros bello, et te, maxime Caesar. *Quint.* 9, 3.

[*HYPERBĬUS, ii, m. Ὑπέρβιος (ab ὑπὲρ, supra, et βία, vis, *h. e.* generosus), Martis filius, qui animal primus occidit. *Plin.* 7, 56, 17. ℙ Item alius Corinthius, qui primus orbem figlinum fertur invenisse. *Id ib.* ℙ Item alius Atheniensis, furni latericii inventor. *Id. ib. F.*]

HYPERBŎLA, ae, et Hyperbŏlē, es, f. ὑπερβολὴ, superlatio a *Cic. Or.* 3, 53., superjectio ementiens a *Quint.* 8, 6. *f.* appellata, tropus est, in quo res aliqua ultra modum, et praeter veritatem augetur, aut minuitur, ut *fulminis ocior alis*, ap. *Virg. A.* 5, 319. et *vix ossibus haerent*, *Ecl.* 3, 102. Fit autem pluribus modis, quos *Quint. ib.* enumerat, et confirmat exemplis. *Cic. Top.* 10. *f.* In hoc genere oratoribus et philosophis concessum est, ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei causa dicatur, aut minuendae, quae hyperbole dicitur. *Sen. Ben.* 7, 23. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat: et *mox.* Nunquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat. *Quint. l. c.* Hujus quoque rei servetur mensura quaedam. Quamvis enim est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen debet esse ultra modum, nec alia via magis in κακοζηλίαν itur.

HYPERBŎLAEOS, a, um, adj. ὑπερβόλαιος, superlatus. Adhibetur aliquoties a *Vitr.* 5, 4. et 5. ubi agit de sonis musicis: et *hyperbolaeon* genitivus est pluralis, ὑπερβολαίων.

[HYPERBŎLĪCĒ, adv. ὑπερβολικῶς, per hyperbolen. *Hieron. in Isaj.* 2, 6, 25. Nos autem hyperbolice dictum putamus. *F.*]

HYPERBŎLĪCUS, a, um, adj. ὑπερβολικὸς, ad hyperbolen pertinens. Hyperbolica instrumenta ap. *Sidon. ep.* 7, 2. *med.* sunt documenta, seu chirographa, in quibus aliquis ea donat, assignatve, quae non habet, vel aliquid supra dotem sponsae largitur. Alii legend. putant *hypobolica*, at *Cujacius* rectius *hypobola*, *h. e.* pigneraticia.

*HYPERBŎLUS, i, m. Ὑπέρβολος, orator Atheniensis, improbus et seditiosissimus. *Cic. Brut.* 62. *extr. Quint.* 1, 10. ℙ Notatus ab Eupolide in comoedia, sub persona Maricae. *Quint. ib.* V. *Spanhem.* ad *Aristoph. Nub. v.* 558. et *Schol.* ad *eund.* in *Equit. v.* 188. *B. A.*

[HYPERBŌRĒĀNUS, a, um, adj. idem ac Hyperboreus. *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad *an.* 1560. *ab Abraham.* Abaris Hyperboreanus ariolus agnoscitur. *F.*]

HYPERBŌRĔUS, a, um, adj. ὑπερβόρεος, quasi supra Boream, dicitur de regionibus ac populis ad septentrionem positis: ab ὑπὲρ, supra, et βορέας: estque per hyperbolen dictum. Hinc *Macr. Somn. Scip.* 2, 7. *extr.* tradit, antiquis dictos esse Hyperboreos, qui loca incolerent super Scythiam, et ad Tanaim, Istrumque, quasi originem Boreae introrsus recedendo transissent. *Plin.* quoque 4, 12, 26. Hyperboreos locat pone Riphaeos montes, ultraque Aquilonem, *Gens*, inquit, *felix, si credimus, annoso degit aevo, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines mundi*, etc.

Paul. ex *Festo* docet, Hyperboreos vocari populos, qui humanae vitae modum excedant, vivendo ultra centesimum annum, idest ὑπερβαίνοντας ὅρον saeculi humani. Sed haec notatio inepta est. *Cic. N. D.* 3, 23. Apollo, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Virg. G.* 4, 517. Hyperboreae glacies; et *ib.* 3, 196. Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris Incubuit; et 381. Hyperboreo septem subjecta trioni Gens effrena virum Riphaeo tunditur Euro. *Lucan.* 5, 23. Hyperboreae plaustrum glaciale sub Ursae. *Val. Fl.* 8, 210. Hyperboreae pruinae. *Mart.* 8, 78. Hyperborei celebrator Stella triumphi, *h. e.* quem Domitianus de Cattis, Dacisque egit.

HYPERCATALECTĬCUS, et Hypercatalectus versus, ὑπερκαταληκτικὸν μέτρον, est in quo syllaba, vel pes redundat, ut in illo *Virg. A.* 5, 422. Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit. *Ascon.* in *Verr.* 1, 10. Antiquum Naevii est: *Fato Metelli Romae fiunt consules.* Cui tunc Metellus consul iratus, versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur. *Dabunt malum Metelli Naevio poetae. Serv.* in *Centimetr.* p. 1817. Hypercatalecticum metrum est, ubi supra legitimos pedes syllaba crescit. *Prisc. super* 12. *v.* l. *Aen.* p. 1216. Dicuntur hypercatalectici, quibus abundat una, vel duae syllabae. V. CATALECTICUS.

[HYPERCOMPUS, i, m. ὑπέρκομπος, jactabundus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 182, 5. C. Terentius Hypercompus. *F.*]

*HYPĔRE, es, f. insula in mari Aegaeo, postea Amorgos vocata. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[HYPĔREPHĂNUS, i, m. ὑπερήφανος, superbus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* 80, 98. Manibus T. Flavii Severi Hyperephani Aug. Lib. filii. *F.*]

[HYPĔRĔTES, is, m. ὑπηρέτης, proprie est minister remigis: ab ὑπὸ, sub, et ἐρέτης, remex; translate est quicumque alicui in opere faciendo subjectus est. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 485. *n.* 158. Diis Manibus L. Ciartii Hyperetis. *F.*]

*HYPERĬA vel Hyperēa, ae, f. Ὑπέρεια, fons Thessaliae, circa Pheras. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

HYPĔRĬCON, i, n. ὑπέρικον, herba, quae et chamaepitys, et corion dicitur, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutae, odore acri, semine in siliqua nigro, maturescente cum hordeo. Aliud est, quod et corin appellant, folio tamaricis, et sub ea nascens, sed pinguioribus foliis, et minus rubentibus, odoratum, palmo altius, suave, leniter acutum. Haec ex *Plin.* 26, 8, 53.

*HYPERĪDES, is, m. Ὑπερίδης, ex praecipuis fuit oratoribus Atheniensibus. Scripsit orationes multas, teste *Suida*, quae temporum injuria perierunt. Interfectus est ab Antipatro, lingua excisa, ut ait *Plutarchus* in *Demosthene. Quint.* 10, 1. Dulcis in primis et acutus Hyperides, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. *Cic. Or.* 1, 13. et 3, 7. *Id. Or.* 26. et 31. et *Acad.* 1, 3. *med.* ℙ Phrynem defendebat. *Quint.* 2, 15. et 10, 5. *in. B. A.*

HYPĔRĪON, ōnis, et ōnos, m. Ὑπερίων, ονος, filius Titani et Terrae, nepos Coeli, pater Solis, Lunae, et Aurorae. Alii fratrem Saturni faciunt, et Coeli filium. *Hyg. praef.* ℙ Revera fuisse dicitur vir praestantissimus, qui solis, lunae, astrorum motus, horasque primum summa cura a se percepta, ceteris noscenda tradidit: ideoque horum parens habitus est, et supra eos quasi gradiens: ab ὑπὲρ, supra, et ἰὼν, incedens. *Ov. Met.* 4, 192. quid nunc, Hyperione nate, Forma calorque tibi, radiataque lumina prosunt? ℙ Saepe de ipso Sole dicitur, quia supra nos graditur. *Festus:* Hyperionem alii patrem solis, alii ipsum, quod eat super terras, ita appellatum putabant. *Ov. Met.* 8, 564. Jamque duas lucis partes Hyperione menso. *Id. Fast.* 1, 385. Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum. *Laber.* ap. *Gell.* 10, 17. contra exortum Hyperionis. *Stat. Silv.* 4, 4, 27. nimio possessa Hyperione flagrat Torva Cleonaei juba sideris.

HYPĔRĪONIS, ĭdis, f. Ὑπερίονις, filia solis, *h. e.* Aurora: *Ov. Fast.* 5, 159. Postera cum roseam pulsis Hyperionis astris, In matutinis lampada tollit equis. Hinc *Virg. A.* 7, 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. *F.*]

HYPĔRĪONĬUS, a, um, adj. ad Hyperionem, seu Solem pertinens. *Sil.* 15, 214. Jamque Hyperionia lux septima lampade surgens. *Val. Fl.* 2, 34. Hyperionius currus. [*Avien. Arat.* 396. Sol Hyperionius, *h. e.* Hyperione patre natus. *F.*]

*HYPĔRIS, fluminis nomen in sinum Persicum influentis. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*HYPERISCUS, i, m. Priami regis filius. *Hyg. fab.* 90. *B. A.*

HYPERMĔTER et Hypermetrus versus, ὑπέρμετρος, hypercatalecticus, abundans una syllaba, quae plerumque a prima syllaba subsequentis versus absumitur, ut in illo *Virg. G.* 1, 295. Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem, Et foliis undam, etc. *Grammatici.*

HYPERMNESTRA, ae, et Hypermnestrē, es, f. Ὑπερμνήστρη, una ex quinquaginta Danai filiis, quae, sororibus suis prima nuptiarum nocte maritos suos occidentibus, una Lynceo sponso suo pepercit. V. DANAUS et *Ov. Her.* 14. Hinc *Prop.* 4, 7, 63. Andromedeque, et Hypermnestre sine fraude maritae. ℙ *Scribitur et *Hypermestra. Hyg. fab.* 168. ed. *Munker. Serv.* ad *Virg. A.* 10, 497. V. *Clytaemnestra f. B. A.*

HYPĔROCHA, ae, f. ὑπεροχή, exsuperantia, excessus. *Tryphon. Dig.* 20, 4, 20. Si post primum contractum tuum eidem credidisset quinquaginta, et hyperocham hujus rei, quae tibi pignori data esset, debitor obligasset; et *mox.* An tibi in quadraginta cederet pignoris hyperocha. [*Il soprappiù del valore della cosa ipotecata. F.*] Alii minus recte *hypotheca* legunt.

[HYPĔROCHĬUS, a, um, adj. ab ὑπέροχος, aliis praestans. *Inscr.* ap. *Grut.* 657, 4. M. Aurelio Primo, victori hyperochio, alumno dulcissimo, Aurelius Eutychianus. *F.*]

HYPERTHYRIS, ĭdis, f. ὑπερθυρὶς, et

HYPERTHYRUM, i, n. ὑπέρθυρον, ornamentum portae, quod supra limen ejus superius ponitur sub corona, et zophori vicem praestat: ab ὑπὲρ, supra, et θύρα, janua. *Vitr.* 4, 6. Supra cymatium, quod erit in supercilio, collocandum est hyperthyrum crassitudine supercilii, et in eo scalpendum est, etc. *et infra.* Quemadmodum in Doricis hyperthyridibus. [*Schneiderus* in sua editione hic omisit *hyperthyridibus. F.*]

HYPHEAR, āris, n. ὕφεαρ, visci genus in abiete, larice, et quercu nascens. *Plin.* 16, 44, 93. Adde *ib.* 30, 52., ubi et buxo tribuit.

HYPHEN, ὑφ' ἓν, ὑφὲν, ab ὑπὸ, sub, et ἕν, unum, dicitur a grammaticis, cum duae dictiones ita pronunciatione junguntur, ut sub unum accentum cadant: et solet notari aliquando lineola, quae utramque dictionem copulet, ut *ante-malorum, ante-volans, simulac*, quae *Virgilii* sunt, et exempli loco ponuntur a *Diom.* 2, 430. Adde *Serv.* ad *A.* 1, 202. Tale est et illud *Ter. Andr.* 1, 2, 4. et heri semper-lenitas, Verebar, quorsum evaderet. Alii tamen volunt τὸ *semper* referri ad *verebar.*

*HYPĪUS, i, m. Ὕπιος, mons Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

HYPNĂLE, es, f. ὑπναλὴ, species aspidis, quae morsu somnum et mortem inducit: ab ὕπνος, somnus. *Solin.* 27. *med.*

*HYPNOTĬCE, es, f. ὑπνωτικὴ, herba soporifera. *Appul. Herb.* 74. *B. A.*

*HYPNOTĬCUS, a, um, adj. ὑπνωτικὸς, somnum suadens, inducens: ab ὕπνος, somnus. *Theod. Prisc.* 2, 31. Derivatio etiam hypnotica convenit. *B. A.*

[HYPNUS, i, m. ὕπνος, somnus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 38. Ti. Claudius Hypnus. *F.*]

*HYPOBĂRUS, i, m. flumen Indiae, ut refert Ctesias. *Plin.* 37, 2. *B. A.*

HYPŌBĂSIS, is, f. ὑπόβασις, fulcimentum, quod sub basi ponitur: basis enim est sedes statuae plerumque eidem juncta, et ejusdem cum statua materiae; hypobasis vero ipsius baseos est sedes, et quidem marmorea. *Inscr.* ap. *Grut.* 48, 1. Sanctissimo Herculi invicto crateram argyrocorinthiam, cum basi sua, et hypobasi marmorea, sua pecunia donum dederunt. Adde aliam p. 10, 2.

[HYPŌBŎLĬCUS vel Hypobolus, a, um, adj. ὑπόβολος, pignerationi obnoxius. V. HYPERBOLICUS *f. F.*]

HYPŌBŎLĪMAEUS, i, m. ὑποβολιμαῖος, qui in alterius locum succedit, suppositus, subditicius: ab ὑποβάλλω, suppono, subjicio: cui opponitur γνήσιος, legitimus. *Hypobolimaeus Aeschinus* ap. *Gell.* 15, 14. et *Hypobolimaeus Cherestratus*, ap. *Fest.* in *Noxia*, tituli sunt comoediarum *Caecilii:* item *Menandri* ap. *Quint.* 1, 10.

HYPOBRYCHĬUM, ii, n. ὑποβρύχιον, vorago in aqua devorans et exsorbens homines et navigia: a βρύχω, devoro. *Tert. Idol.* 24. Inextricabile impactis naufragium est; irrespirabile devoratis hypobrychium in idololatria.

HYPŌCAUSIS, is, f. ὑπόκαυσις, idem ac hypocaustum. *Vitr.* 5, 10. Testudines alveolorum ex communi hypocausi calefacientur.

HYPŌCAUSTUM et Hypocauston, i, n. ὑπόκαυστον, vaporarium, locus in thermis concameratus et fornicatus, qui igne calefit: quasi subaccensum: ab ὑπὸ, sub, et καίω, sive κάω, accendo. Inventum fuit praecipue ad sudandum. *Vitr.* 5, 10. de balneis. Est animadvertendum, uti caldaria muliebria, viriliaque conjuncta, et in iisdem regionibus sint collocata. Sic enim efficietur, ut in vasaria ex hypocausto communis sit usus eorum utrisque. Ahena super hypocaustum tria sunt componenda, etc. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *vaporarium* appellare videtur. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet. *Stat. Silv.* 1, 5, 59. tenuem volvunt hypocausta vaporem. ℙ *Unctuarium hypocauston* ap. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* est cubiculum in balneis, ubi lavaturi ungebantur. ℙ Adjective *diaetae hypocaustae* quid sint, V. in DIAETA.

*HYPOCHOERIS, idis, f. genus oleris. *Plin.* 21, 15. *B. A.*

*HYPOCHONDRĬA, orum, n. plur. *the hypochondres or hypochondries; the two regions lying on each side the cartilago ensiformis, and extending as far as the abdomen*, τὰ ὑποχόνδρια, ἐπιγάστριον, partes quae sub cartilagine mucronata ad ilia usque sita sunt. *Theod. Prisc. de diaeta* 10. Cf. *Plin.* 30, 3. *B. A.*

HYPOCHYMA, ătos, n. ὑπόχυμα, idem quod hypochysis, suffusio. *Marcell. Empir.* 8. *med.*

HYPOCHYSIS, is, f. ὑπόχυσις, Latine *suffusio:* ab ὑπὸ, sub, et χέω, fundo: est morbus oculorum, quo visus amittitur. *Plin.* 25, 12, 91. Ad hypochysin et caliginem cyclaminon in pastillos diluunt.

HYPOCISTHIS, ĭdis, f. ὑποκισθὶς, herba est sub cistho nascens (unde et nomen) duorum generum, candida, et rufa, malo granato immaturo similis. *Plin.* 24, 10, 31. et 26, 8, 48. item 28, 16, 92., ubi quarto casu *hypocisthida* habet, et *ib.* 11, 48., ubi *hypocisthidem.*

*HYPOCORIĂSIS, is, f. ὑποκορίασις, morbus jumentorum sub κόρῃ, *h. e.* pupilla oculi. *Veg. Vet.* 2, 16. *B. A.*

HYPOCORISMA, ătis, n. ὑποκόρισμα, forma, quam habent nomina, quae diminutiva appellantur. *Charis.* 1, 24. Monoptota hypocorismata non recipiunt.

HYPOCRĪSIS, is, et iseos, f. ὑπόκρισις, simulatio, imitatio, pronunciatio, qua aliquam rem aut personam voce, gestu repraesentamus: ab ὑποκρίνομαι, simulo, fingo. *Donat. in Vita Virg. n.* 11. *Seneca* tradidit, Julium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se quaedam Virgilio, si vocem posset, et os, et hypocrisin. *Ascon.* quoque habet, sed Graece, ad *Verr.* 2, 1, 33. et 42.

HYPOCRĪTES et Hypocrĭta, ae, m. ὑποκριτὴς, histrio, qui alienam personam voce, gestu simulat, et repraesentat: ab ὑποκρίνομαι, fingo. Dicitur proprie de histrione secundarum partium, qui primi actionem observat et imitatur. *Suet. Ner.* 24. In quodam tragico actu, cum elapsum baculum cito resumpsisset, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est, quam adjurante hypocrita, non animadversum, etc. *Quint.* 2, 17. *med.* Demadem remigem, et Aeschinem hypocritem oratores fuisse.

HYPODĬĀCŌNUS, i, m. ὑποδιάκονος, qui sub diacono minister est. *Hieron. ep.* 51. *n.* 2. Miserunt ad nos diaconos et hypodiaconos. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 16, 2, 7. Lectores divinorum apicum, et hypodiaconi, ceterique clerici.

HYPODĪDASCĂLUS, i, m. ὑποδιδάσκαλος, qui in ludo litterario secundas agit, et magistri vicem praestat, secundariam operam praebendo: ab ὑπὸ, sub, et διδάσκαλος, magister. *Cic. Fam.* 9, 18. *f.* Sella tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo.

HYPODRŌMUS, i, m. ὑπόδρομος, locus tectus deambulationi aptus. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Hac latus xysti, et quod prosilit villae, hac adjacentis hypodromi nemus comasque prospectat. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* A parte vestibuli longitudo tecta interius patet: quae quia nihil ipsa prospectat, etsi non hypodromus, saltem cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur. Al. utroque loco leg. *hippodromus:* quae mutatio perfacilis est: videtur tamen hisce locis *hippodromus* non apte convenire, in quibus de villae membris sermo est. [Nihilominus contrariam sententiam amplexus est *Gierigius*, qui ad *Plin. l. c.* multis probat legendum *hippodromi. F.*]

HYPOGĒSON, i, n. ὑπόγειον, adjunctum est aizoi majoris, quoniam in subgrundiis fere nascitur: ab ὑπὸ, sub, et γεῖσον, subgrundium. *Plin.* 25, 13, 102.

HYPŌGEUM, i, n. ὑπόγειον, et ὑπόγεον, locus subterraneus: ab ὑπὸ, sub, et γαῖα, terra. *Vitr.* 6, 11. Aedificia quae plano pede instituuntur, etc. Sin autem hypogea, concamerationesque instituentur, fundationes fieri debent crassiores. ℙ De sepulcro. *Petr. Sat.* 11. In conditorium prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo corpus custodire ac flere coepit. ℙ Scribitur et *hypogaeum* (ut Graece ὑπόγαιον) *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 14. et *Grut.* 1114, 3.

HYPOGLOSSA, ae, f. ὑπόγλωσσον, herba est folia habens figura silvestris myrti, concava, spinosa, et in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis. *Plin.* 27, 11, 67.

*HYPOGLOTTĬON, ii, n. ὑπογλώττιον, herba eadem ac laurus Alexandrina, daphne, hypelate. Ejus meminit *Plin.* 15, 30, 39. ℙ Eadem *hypoglossion* dicitur *Appul. Herb.* 58. *B. A.*

HYPOGRAPHUM, i, n. ὑπόγραφον, exemplum, res ab alio dictata et descripta: ab ὑπογράφω, describo. *Augustus* ap. *Donat. Vit. Virg. n.* 12. Vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret [*Burmannus* suspicatur legend. *primam carminis hypographen*, et *Gesnerus* ad *Claud.* p. 630. *hypographa* primum in chartas, vel ceras conjecta esse adnotabat, nondum emendate et accurate

perscripta. Quod probandum videtur; nam *apographum* Latini dicunt, quod nunc Itali *copia*. *F.*]

[*HYPOLYSOS, i, f. herba eadem ac Artemisia, ideo sic appellata, quia oculorum, pedum, et intestinorum dolores sedat: ab ὑπόλυσις, resolutio. *Appul. Herb.* 10. *F.* et *B. A.*]

HYPOMĔLIS, ĭdis, f. ὑπομηλίς, est pomum sorbo simile, mediocri arbore nascens, et flore candidulo, dulcedine cum acuto sapore commixta. Ipsa arbor inseri non potest: exigua durat aetate. Haec et alia *Pall.* 13, 4.

HYPOMNĒMA, ătis, n. ὑπόμνημα, commentarius, in quo res perscribuntur memoriae causa, ut fusius postea describantur ac plenius: ab ὑπομιμνήσκω, reminisci facio. Item quilibet commentarius, aut liber. Graece *Cic. Att.* 2, 1. Nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram. Latine *Cic. fil. ad Tiron. Fam.* 16, 21. *extr.* Peto a te, ut mihi librarius mittatur: multum mihi enim eripitur operae in exscribendis hypomnematis. De hoc dativo plurali V. EMBLEMA.

HYPOMNĒMATOGRĀPHUS, i, m. ὑπομνηματογράφος, qui hypomnemata scribit, commentariensis. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 10, 31, 59. et *Cod. Theod.* 12, 1, 192. Si quos spontaneos hypomnematographi munificos suis exhortationibus ad publicas nomĭnaverint functiones, etc.

HYPŌMOCHLĬON, ii, n. ὑπομόχλιον, id quod vecti subjicitur ad levanda onera: ab ὑπὸ, sub, et μοχλὸς, vectis. Adhibetur a *Vitr.* 10, 8. semel Graecis, semel Latinis litteris. V. PRESSIO.

[*HYPOPHORĀ, ae, f. ὑποφορὰ, objectio, est figura rhetorica. *Capell.* 5, 186. Hypophora autem est intentio adversae partis: anthypophora est responsio ejus. V. ANTHYPOPHORA. *F.* et *B. A.*]

[*HYPŌPĬUM, ii, n. ὑπώπιον, sugillatio sub oculo, morbus oculorum, cum nempe ex contusione sanguis ultimam cutem sic subierit, ut appareat ὑπὸ ὠπὸς, sub oculo. *Theod. Prisc.* 1, 10. Si quidam tumor circa interiorem oculorum angulum apparuerit, quem hypopium dicimus, hoc modo reprimendus erit. *F.* et *B. A.*]

[HYPOPTUS, i, m. ὕποπτος, suspectus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Beines. cl.* 19. *n.* 20. C. Julius Hypoptus. *F.*]

HYPOSTĀSIS, is, et eos, f. ὑπόστασις, subsistens persona: ab ὑπὸ, sub, et ἵσημι, sto. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 6. Unam essentiam divinam in tribus hypostasibus, sive subsistentibus personis, etc. Adde *Hieron. ep. ad Damas.* 15., ubi de hac voce multa.

HYPOTHĒCA, ae, f. ὑποθήκη, res, quae pignori datur: ab ὑποτίθημι, suppono, quia supponitur pro pecunia, aliave re, quae debetur. *Cic. Fam.* 13, 56. Philotes Alabandensis ὑποθήκας Cluvio dedit. Hae commissae sunt. Cures velim, ut aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat; aut pecuniam solvat. *Mart. Dig.* 20, 1, 16. Fundum hypothecae dare. *Id. ib.* 5. Hypothecam dare pro re aliqua. *Cajus ib.* 4, 11. *med.* Haec res est hypothecae. *Mart. ib.* 12. Res est in hypotheca; et *ib. f.* Hypothecam alicui obligare. *Id. ib.* 6, 5. Hypothecam liberare. ℙ Inter hanc, et pignus tantum nominis sonus differt, ut ait *Mart. Dig.* 20. *tit.* 1. *qui est* De pignoribus et hypothecis, *leg.* 5. cum illa Graeca vox sit, hoc Latinum. Interdum tamen in usu loquendi ita distinguuntur, ut *pignus* de iis rebus dicatur, quae simul etiam creditori traduntur, maxime si mobiles sint: *hypotheca* de iis, quae sine traditione, sola conventione obligantur, uti docent *Ulp. Dig.* 13, 7, 9. et *Justin. Institut.* 4, 6. §. 7. Hinc *Papin. Dig.* 20, 1, 2. Pignora, vel hypothecas suscipere. *Id. ib.* 4, 1. Pignus sive hypothecam accipere. ℙ Ap. *Mart. ib.* 6, 8 pignori hypothecam accipere, est rem pignori accipere.

HYPOTHĒCĀRĬUS, a, um, adj. ad hypothecam pertinens: ut *hypothecaria actio*, quae datur creditori hypothecae persequendae causa. *Cajus Dig.* 20, 4, 1. *extr.* Videndum an competat ei hypothecaria actio. *Ulp. ib.* 42, 7, 1. Hypothecarius creditor, *h. e.* qui sub hypotheca rem, vel pecuniam alteri credidit.

HYPOTHĒSIS, is, f. ὑπόθεσις: ab ὑποτίθημι. A rhetoribus dicitur quaestio definita et certa, quae versatur circa particulares actiones, aut personas: quod si infinita sit, *thesis* dicitur. V. gr. si quaeratur, Num omnino uxor ducenda sit, thesis dicitur; sin hoc in controversiam veniat, An Catoni Marcia ducenda sit, hypothesis vocatur. *Cic. Top.* 21. Quaestionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum: definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos causam; infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Adde *Quint.* 3, 5. et *Capell.* 5, 140., sed et ipsos Graece usurpantes.

HYPOTHĔTĬCUS, a, um, adj. ὑποθετικὸς, conditionalis. ℙ *Hypothetici*, *orum*, absolute dicuntur mathematici, qui saepissime in propositionibus suis demonstrandis hypothesi utuntur. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *f.* Ut etiam, hypotheticorum more, per litteras ordine propositionum et partium commutato, sed vi manente, sit primus indemonstrabilis: *A de omni B, et B de omni C, igitur A de omni C.*

HYPOTHYRUM, i, n. ὑπόθυρον, ipsum vacuum ostii: ab ὑπὸ, sub, et θύρα, janua. *Vitr.* 4, 6. Lumen autem hypothyri constituatur sic, etc. *Schneiderus* ex Codd. edidit *hypaethri* pro *hypothyri*, quod primus ex conjectura induxerat *Jocundus*; nam ὑπόθυρον non ostii lumen, sed ejusdem limen inferius significat, ut ὑπέρθυρον est limen superius: lumen vero ostii *hypaethrum* recte dixeris, cum vacuum, nec tectum sit.

HYPOTRACHĒLĬUM, ii, n. ὑποτραχήλιον, pars colli ad dorsum, infra cervicem: ab ὑπο, sub, et τράχηλος, collum. Translate dicitur ea columnae pars, quae sub astragalo leniter contrahitur, et sic usurpatur a *Vitr.* 3, 2. et 3., et 4, 3. et 7.

HYPOTRIMMĀ, ătis, n. ὑπότριμμα, genus condimenti ex pipere, dactylis, melle, uva passa, caseo, aceto, et aliis, quae *Apic.* recenset 1, 33., in cujus lemmate haec vox legitur. Est a τρίβω, tero: et Latine *intritum* dici potest.

HYPOTYPOSIS, is, f. ὑποτύπωσις, figura oratoria, est rei alicujus narratio ad vivum expressa. *Cic. Or.* 3, 53. vocat subjectionem sub aspectum: *Quint.* 9, 2. *med.* formam rerum verbis expressam: *Celsus* ap. *Quint. ib.* evidentiam.

HYPOZEUXIS, is, f. ὑπόζευξις, figura locutionis, cum diversae clausulae singulis verbis redduntur, ut *Virg. A.* 10, 149. Regem adit, et Regi memorat nomenque genusque; Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma Quae sibi conciliet; violentaque pectora Turni Educet: humanis quae sit fiducia rebus, Admonet, admiscetque preces. Haud fit mora: Tarchon Jungit opes, foedusque ferit. *Charis.* 4, 250. et *Diomed.* 2, 439.

*HYPSA, ae, m. fluvius Siciliae, prope Selinuntem in mare incidens. *Plin.* 3, 8. *Sil.* 14, 228. *B. A.*

*HYPSALTAE, arum, m. populi Thraciae. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*HYPSEUS, i, m. viri nomen in Persei nuptiis trucidati. *Ov. Met.* 5, 98. sq. *B. A.*

*HYPSICRĀTES, is, m. Ὑψικράτης, grammaticus, de quo *Gell.* 16, 12. *B. A.*

HYPSĬPYLE, es, f. Ὑψιπύλη, filia Thoantis, regina Lemni quae, cum reliquae mulieres ejus insulae omnes viros ex communi sententia occidissent, ut suis legibus libere viverent, sola patrem servavit, et navi impositum noctu in Chium insulam misit, et accenso rogo simulavit se cadaver comburere. Iasonem principem Argonautarum, qui in Colchidem navigantes Lemnum cepere, vel ob negatum hospitium, vel ad ulciscendam caedem virorum, regiis aedibus excepit, ex quo duos filios suscepit, Thoantem, et Euneum. Aliquanto post regno expulsa est, cum reliquae mulieres illius pietatem erga patrem detexissent. In litore jacens capta fuit a piratis; et Nemeo seu Lycurgo Thraciae regi vendita, qui eam liberaliter habuit, eique Opheltem, seu Archemorum filium nutriendum tradidit. Eo bello, quod Adrastus rex Argivorum cum Thebanis gessit, cum esset in silva Nemea, ut Argivis siti laborantibus fontem Langiam ostenderet, puerum regium in prato reliquit. Aderant ejus filii Thoas et Euneus, immo etiam pater, ut aliqui narrant, a quibus, dum casus suos enarrat, agnita est. Illa absente, Opheltes inter herbas et flores ludens morsu serpentis interiit. A Lycurgi saevitia ab Adrasto et filiis defensa est. *Stat. Th.* 4, 739. et sqq. et *toto l.* 5., *Val. Fl.* 2, 90. et sqq., et *Ov. Her.* 6. Hinc *Prop.* 1, 15, 18. Hypsipyle vacuo constitit in thalamo: Hypsipyle nullos, post illos, sensit amores.

HYPSĬPYLAEUS, a, um, adj. Ὑψιπυλαῖος, ad Hypsipylen pertinens. *Ov. Fast.* 3, 82. Vulcanum tellus Hypsipylaea colit, *h. e.* Lemnos insula.

*HYPSIZORUS, i, mons Macedoniae, in Pallene paeninsula. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

HYPSŌMA, ătis, n. ὕψωμα, exaltatio, altitudo: ab ὕψος, altitudo. *Tert. ad Scapul.* 3. Sol positus in suo hypsomate et domicilio.

HYRCĀNĬA, ae, f. Ὑρκανία, regio Asiae, sub Caspio mari, et supra Parthiam. Abundat tigridibus, pantheris, et hujusmodi feris: item canibus venatoriis strenuissimis, ut ex *Lucr.* 3, 751. colligitur. *Lucan.* 3, 268. vastisque Hyrcania silvis.

HYRCĀNĬUS, a, um, adj. Hyrcanus, ut *Hircanium mare* ap. *Plin.* 6, 13, 15. et *ib.* 16, 18. et 5, 27, 27., *h. e.* Caspium.

HYRCĀNUS, a, um, adj. ad Hyrcaniam pertinens. *Virg. A.* 4, 367. Hyrcanae tigres. Ubi *Serv.* male *Arabicas* interpretatur, quod Hyrcania Arabiae silva sit. *Prop.* 2, 23, 66. Hyrcanum mare, *h. e.* Caspium. *Val. Fl.* 6, 114. Hyrcani luci. *Plin.* 31, 3, 26. Hyrcani montes. ℙ *Hyrcani*, *orum*, sunt ejus regionis homines: apud quos erat mos regum cadavera objicere canibus, teste *Sil.* 13, 473. ℙ *Hyrcani*, *orum*, sunt cognominati etiam incolae Hyrcaniae, urbis Lydiae, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 104. *ΤΡΚΑΝΩΝ. Plin.* 5, 29, 31. Macedones cognomine Hyrcani, et Magnetes a Sipylo. *Tac. Ann.* 2, 47. Quique Mosteni, ac Macedones Hyrcani vocantur.

HYRIE, es, f. Ὑρίη, Boeotiae regio prope Aulidem cum oppido et lacu cognomine. *Ov. Met.* 7, 372. Inde lacus Hyries videt, et Cycneia Tempe. ℙ Dicta est ab Hyrie Cycni matre, quae filio in olorem verso, flendo Delicuit, stagnumque suo de nomine fecit, ut *Id. ib.* 381. fabulatur.

HYRĬEUS, i, m. Ὑριεύς, trisyllab. rusticus Boeotius, pater Orionis. *Ov. Fast.* 5, 499. Forte senex Hyrieus, angusti cultor agelli, etc. V. ibi reliqua ejus fabulae. Adde *ib.* 535. Al. leg. *Ireus*, alii *Hyreus*, alii aliter.

HYRĬEUS, a, um, adj. Ὑρίειος, ad Hyrieum pertinens, ut Hyriea proles, *h. e.* Orion. *Ov. Fast.* 6, 719. Tollet humo validos proles Hyriea lacertos.

*HYRĪNI, orum, m. incolae Hyrii. Fuit autem Hyrium opp. Apuliae, referente Ptolemaeo. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*HYRMĪNE, es, et Hyrmīna, ae, f. opp. Elidis. *Plin.* 4, 5. V. *Homer. Il. B.* v. 616. *B. A.*

HYRTĂCĬDES, ae, m. Ὑρτακίδης, Nisus, vir Trojanus, Hyrtaci filius, qui una cum Euryalo noctu Rutulorum castra perrumpens, post magnam editam caedem, ab ipsis cum comite deprehensus et occisus fuit. Rem totam persequitur luculenter *Virg. A.* 9, 176. et *sqq.* Hinc *Ov. ib.* 631. Nec tu, quam Rhesus, somno meliore fruaris, Quam comites Rhesi tum necis, ante viae: Quam quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt Impiger Hyrtacides Hyrtacidaeque comes.

HYSGĪNUS Color et Hysginum, i, n. color est, de quo non satis constat. Quidam eum putant, qui nunc Italice *guado:* alii hyacinthinum, qui non multum distat: alii flavum: alii (quod verius esse videtur) e coccino purpureoque mixtum. Est ab ὕσγη, quae *Suidae* herba est, tingendis apta lanis. *Plin.* 9, 41, 65. Cocco tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum. *Id.* 21, 26, 97. Hyacinthus in Gallia maxime provenit. Hoc ibi fuco hysginum tingunt. Adde 35, 6, 26. et *Vitr.* 7, 14.

*HYSĬAE, arum, oppidum Peloponnesi, in Argolide. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

HYSSOPĪTES, ae, m. ὑσσωπίτης οἶνος, vinum hyssopo conditum. *Colum.* 12, 35. Vinum absinthiten et hyssopiten et abrotoniten sic condire oportet. *Plin.* 14. 16, 19. *n.* 5. Vinum hyssopites fit e Cilicio hyssopo, unciis tribus in duos congios musti conjectis aut tusis in unum. V. ABROTONITES.

HYSSŌPUM, i, n. ὕσσωπον, herba est, quae cum nostro hyssopo nomen tantum habere commune creditur, baccas producens, corymborum specie: optima proveniens in Tauro Ciliciae, in Pamphylia et Smyrnaeo agro. *Plin.* 25, 11, 87. et 26, 11, 70. et *ib.* 12, 76. *Dioscor.* 3, 30. nulli non cognitam herbam esse ait, et duo ejus genera facit, montanum, et hortense: neutrum tamen describit. *Cels.* 2, 21. inter ea, quae mali succi sunt, enumerat. ℙ Reperitur etiam *hyssopus*, *i*, f. Graece quoque ὕσσωπος, ἡ. *Cels.* 4, 8. Mulsa aqua, cum qua vel hyssopus cocta sit. *Colum.* 7, 5. *f.* Remedio sunt hyssopus, et sal aequis ponderibus contrita. ℙ Et unica *s* scripsit, et paenultimam corripuit neutra in re imitandus *Aemil. Macer. c. de hyssopo.* Est hysopum siccum, calidum quoque: tertius illi Est in utroque gradus.

*HYSTASPES, is, m. Ὑστάσπης, pater Darii Persarum regis, qui equi hinnientis auspicio rex factus est. Hinc *Darius Hystaspis filius* audit *Nep. Reg. c.* 1. *Plin.* 6, 27. et *Just.* 1, 10. Ceterum et *Darius Hystaspis*, subaudito *filius*, simpliciter audiebat. *B. A.*

HYSTĔRĬCUS, a, um, adj. ut Hystericae feminae, ὑστερικαὶ γυναῖκες, obnoxiae uteri suffocationi: ab ὑστέρα, matrix. *Mart.* 11, 71. Hystericam vetulo se dixerat esse marito Leda. *Id. ib.* 7. Dicet et hystericam se forsitan. Utroque loco al. leg. *ictericam*, sed minus recte.

HYSTEROLOGĬA, ae, f. ὑστερολογία, locutio praepostera. Figura, cum sententia ordine commutatur, scil. cum id, quod priore loco dicendum erat, posteriore dicitur, ut *Virg. A.* 3, 662. Postquam altos tetegit fluctus, et ad aequora venit. Nam prius est *ad aequora venit. Servius* hic *hysteron proteron* dicit, *h. e.* posterius prius, ὕστερον πρότερον: ut et ad illud *G.* 3, 60. Lucinam justosque pati hymenaeos: hysterologiam vero ad illud *A.* 9, 816. ille suo cum gurgite flavo, etc. Adde *Diom.* 2, 457., item *Cic. Att.* 1, 16., sed Graece.

HYSTĔRON Proteron. V. in v. praec.

HYSTRĪCOSUS, a, um, adj. spinosus, aculeatus, hispidus. Translate *Hieron.* in *Ruf.* 1, 7. Hystricosae et lividae mentis homo, *h. e.* ad pungendum et obtrectandum paratus.

HYSTRĪCŬLUS, a, um, dimin. hystricosi, pilis vestitus, ut Hystrjculus puer, apud *Tert. Pall.* 4., ut legit *Salmasius*, est puer pubes. *Arnob.* 5, 174. In speciem levigari nondum duri, atque hystriculi pusionis. Alii leg. *striculi*, ut etiam legitur *Spanus* pro *Hispanus. Festus:* Hircipili (lege *Hystriculi*) durorum pilorum homines. *Gloss. Phil.* Hystriculus, δασύτριχος.

HYSTRIX, icis, f. ὕστριξ, ὕσθριξ, animal spinis contectum ex herinaceorum genere: a vocibus Graecis allatis, quae ab ὗς, sus, et θρίξ, pilus. *Plin.* 8, 35, 53. Hystrices generat India et Africa spina contectas ex herinaceorum genere, sed hystrici longiores aculei, et cum intendit cutem missiles. Ora urgentium figit canum, et paulo longius jaculatur. Hybernis autem se mensibus condit, etc. *Calpurn. Ecl.* 6, 14. Venit et hirsuta spinosior hystrice barba. *Claud. Idyll.* 4. agit de hystrice. ℙ Scribitur et *histrix*, ἵστριξ.

*HYTANIS, is, flumen Carmaniae. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

I

I, tertia Latinarum vocalium, tum figura, tum sono ceterarum gracillima, duplicem vim habet. Nam quando aliis vocalibus praeponitur, et cum illis in eandem syllabam cohaeret, fit consonans, tum initio, tum medio dictionis, ut *janua*, *jecur*, *jocus*, *juvenis*, et *conjicio*, *conjuro*, *conjungo*. Id intellige in Latinis vocibus: nam in Graecis semper vocalis est, ut *iambus*, *iaspis*. In Hebraeis modo vocalis est, ut in *Iacobus*, ap. *Claud. epigr.* 27., modo consona, ut in *Judaeus*, ap. *Hor.*, *Ov.*, *Juven.* Consonans fit etiam, cum inter duas vocales sita est: et praecedentem vocalem extendit, ut *ejicio*, *major*, *ajo:* excipe *bijugus*, *quadrijugus*, in quibus prior syllaba brevis est. ℙ In quibusdam vocibus mutatur in *u* more veterum, ut *optumus*, *decumus:* item in *o*, ut *olli*. ℙ Mos fuit etiam *I* longum pro duplici *ii* aliquando scribere, ut *deIcio*, *proIcio*, *inferIs* in veterib. Inscriptionib., ap. *Pier.* ad *Virg. A.* 10, 67. et *Cellar.* in *Orthograph.* Illa vero mutatio, qua *I i* vocalis, *J j* vero consona a nonnullis scribitur, recentior est, et prorsus ignota veteribus. ℙ In verbis est imperativus singularis ab *eo*, *is*. ℙ In notis numeralibus unum significat: sed praeposita majori numero, unum demit, ut IV. quatuor, IIC. nonaginta octo. ℙ [*In notis inscriptionum multifariam habet significationem. Denotat *in.* V. *Inscr.* ap. *Orell.* 4755. et alibi saepissime. — *infra ib.* 4983. — *invictus. ib.* 2541. — *Jovi. ib.* 1173. 1285. et al. — *ipsius. ib.* 4356. — *Isidi. ib.* 1884. — *Julia. ib.* 197. 3127. al. — *Juno. ib.* 1277. 2503. 3324. — *juri* vel *juris. ib.* 371. *al.* ℙ Perpetuo in cdd. confunduntur *i* et *e*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 586. *ed. Web. Spalding.* ad *Quint.* 1, 4, 17.]

IA

IĀ, n. plur. V. ION, ii. ℙ [Est etiam cogn. R.: ab *ĭa* vel *ĭa*. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 5. A. Egrilius Ia. *F.*]

JABOLĒNUS *seu* Javolenus Priscus, JCtus fuit, cujus opera Antoninus Pius Imp. usus esse dicitur a *Capitol. Anton.* 12., exstantque multa ejus responsa in Digestor. libris. Floruit etiam sub Trajano et Hadriano.

IACCHUS, i, m. Ἴακχος, unus ex Bacchi nominibus: ab *ĭa*, vox, clamor, vel ab ἰάχω, vociferor, quia clamosus est, et tumultus ciens. *Virg. Ecl.* 7, 61. Populus Alcidae gratissima, vitis Iacchо. *Ov. Met.* 4, 15. Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Euan. ℙ Metonymice est vinum. *Virg. Ecl.* 6, 15. de Sileno: Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho. *Colum.* 10, 309. Et titubante gradu multo madefactus Iaccho. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 879, 13. C. Marius Iacchus. *F.*]

JĀCENS, entis, part. ab *jaceo:* κείμενος, cubans, prostratus. *Hor. Od.* 2, 11, 13. Cur non sub alta vel platano, vel hac Pinu jacentes sic temere etc., potamus? *Sen. Thyest.* 450. capere dapes humi jacentem. *Ov. Met.* 6, 100. Jacens saxo. *Id. Her.* 12, 63. Jacens in aversa ora; et *ib.* 15, 140. Crinis in collo jacens. *Hirt. B. Alex.* 52. *extr.* Jacentem plagis sauciare. *Ov. Met.* 2, 201. Lora jacentia, *h. e.* remissa, et equorum tergis sedentia. *Petr. Sat.* 119. Somno jacens. [*Coll. *Virg. A.* 3, 150. Effigies sacrae Divom, Phrygiique Penates, — visi ante oculos adstare jacentis in somnis: ubi v. *intpp.*] ℙ Item aeger. *Cic. Fam.* 9, 20. *f.* Cura, ut valeas, ne ego, te jacente, bona tua comedim. *Ov. Trist.* 3, 3, 5. Quid mihi nunc animi dira regione jacenti, Inter Sauromatas esse, Getasque putes? ℙ Item mortuus. *Val. Flacc.* 2, 216. fata jacentum. [*Nep. *Thras.* 2, 6. Neminem jacentem veste spoliavit. *Suet. Oth.* 12. Manus ac pedes jacentis exosculati. *Liv.* 44, 45. Spolia jacentis hostium exercitus peditibus concessit.] ℙ Item situs, positus. *Plin.* 18, 25, 57. Ad Hesperum jacentes terrae. *Ov. Met.* 4, 771. locus gelido sub Atlante jacens; et *ib.* 15, 830. gentes ab utroque jacentes Oceano. *Colum.* 8, 17. Aqua jacens infra libram maris. ℙ Item humilis, depressus, imus. *Cic. Or.* 67. Depressam, caecam jacentem domum pluris, quam te, quam fortunas tuas aestimasti. *Tac. H.* 1, 86. Subita inundatione Tiberis non modo jacentia et plana urbis loca, sed secura hujusmodi casuum implevit. *Ov. Met.* 2, 178. summo despexit ab aethere terras Infelix Phaeton, penitus penitusque jacentes. [*V. quae de h. dicendi ratione disputantur ab intpp. apud *Snakenb.* ad *Curt.* 5, 1, 12. Inter Tigrim et Euphratem jacentia tam uberi et pingui solo sunt.] ℙ Item demissus, dejectus. *Ov. Met.* 4, 144. vultusque attolle jacentes. *Sen. Agam.* 238. Jacensque vultus languido obtutu stupet. *Ov. Met.* 11, 618. de Somno: tardaque Deus gravitate jacentes Vix oculos tollens. [*Plura *Gronov.* ad *Sen. Hippol.* 364. et ad *Calpurn. Ecl.* 4, 110.] ℙ Item fusus, diffluens, demissus. *Sen. Hippol.* 804. Coma nulla lege jacens, *h. e.* nescia colligi, perfundens humeros, ut *ib.* 801. loquitur. *Ov. Amor.* 3, 13, 24. Praeverrunt latas veste jacente vias. ℙ Pontus jacens ap. *Val. Fl.* 4, 712. est mare, aequor planum extensum, fluctibus minime asperum, tranquillum. Sic stagna jacentia apud *Sil.* 5, 583. V. JACEO. ℙ Jacentes pisces, ap. *Colum.* 8, 17. *med.* sunt, quos ibidem prostratos, cubantesque vocat, et *Plin.* 9, 20, 36. planos: quos saxatilibus, et longis, et erectis opponunt, qui rotundiore, crassiore ac longiore sunt corpore. Sunt itaque jacentes pisces, qui corpus habent latum, planum, et gracile, ut rhombi, soleae, ac passeres, ut est ap. *Plin. ib.* ℙ Translate *jacens* est afflictus, oppressus, abjectus, perculsus. *Cic. Phil.* 12, 2. Si jacens vobiscum aliquid ageret, audirem fortasse: stanti resistendum est. *Id. Har. resp.* 24. Homo afflictus ac jacens. *Id. Amic.* 16. Amici jacentem animum excitare. *Ov. Pont.* 1, 3, 7. mente jacens, et acerbo sauciús ictu; et *ib.* 4, 3, 27. insultare jacenti; et *Trist.* 1, 8, 13. jacentem solari. ℙ *Jacentia verba* sunt vulgaria, omnibus nota, et usurpata. *Cic. Or.* 3, 45. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos cum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. *Gell.* 1, 7. *f.* Surda et jacenti aure esse, *h. e.* non erecta, non attenta; [*V. de h. l. in v. sq.] et 11. *f.* Demissam jacentemque orationem erigere.

JĀCĔO, es, ui, citum, n. 2. κεῖμαι, cubo, procumbo, prostratus sum. [*Jaceo cum transitivo *jacio Döderl.* 1, 173. aptissime posse comparari putat cum Gr. ἵαπτω, sicut *sequor* c. ἕπομαι, et *linquo* c. λείπω. V.] *Val. Fl.* 6. 210. pater aurato jacet Inachus antro. *Cic. Cat.* 1, 10. Jacere humi. *Id. Verr.* 2, 5, 45. in limine. *Id. Quint.* 31. stratum ad pedes alicujus. *Id. Phil.* 2, 18. in lecto. *Ov. Her.* 1, 7. lecto. *Id. Met.* 7, 547. silvisque, agrisque, viisque Corpora foeda jacent. *Id. Ib.* 306. Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant, Sparsa per Ambracias quae jacuere vias. *Id. Fast.* 2, 836. jacere super corpus alicujus. *Virg. Ecl.* 7, 54. Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma; et *ib.* 6, 16. serta procul capiti delapsa jacebant. ℙ De mensae accumbentibus. *Sil.* 11, 349. Quid? tanto in casu comitum juxtaque jacentum Torpebunt dextrae? ℙ De iis, qui ονυνοιάζουσι. *Petr. Sat.* 112. Jacuerunt ergo una, etc. ℙ De cubantibus in lecto quietis et somni causa. *Hor. Sat.* 1, 6, 122. Ad quartam jaceo: post hanc vagor. [*Jacere h. l. non de somno intelligendum, sed de quiete in lecticula lucubratoria, quam dicit *Suet.* 78. ubi v. *Casaub.*, qua frui solebant aut scribendi causa aut legendi.] *Petr. Sat.* 85. Forte cum in triclinio jaceremus. ℙ De aegris. *Tibull.* 1, 5, 9. cum tristi morbo defessa jaceres. *Id.* 2, 5, 109. Saucius jaceo. *Plin. ep.* 5, 9. Julius Valens graviter jacet. ℙ Item de mortuis ac sepultis. *Ov. Her.* 3, 106. Qui bene pro patria, cum patriaque jacent; et *ib.* 14, 2. Cetera nuptarum crimine turba jacet. *Id. Fast.* 3, 705. Quicumque nefas ausi; morte jacent merita. *Phaedr.* 1, 24. Rapto jacuit corpore. *Stat. Theb.* 7, 777, vetito nudus jaciture sepulcro. [*Sil.* 15, 650. Fratri jacet, i. e. caesus a fratre mortuus jacet. Plura laudat *Burm.* ad *Val. Fl.* 3, 732. et ad *Quint. Decl.* 1, 9. p. 23. Ita Gr. κεῖσθαι. V. *Sturzii Lex. Xenoph.* s. h. v. 1, 6. Quid differant in his *jacere* et *cubare* v. ap. *Döderl.* 1, 138.] ℙ Item universim de iis, quae diu alicubi sunt. *Pl. Ps.* 1, 2, 33. Pernam, callum, glandium sumen, facito, in aqua jaceant. [*Cic. *Att.* 11, 6. Jacere Brundisii.] ℙ Nonnunquam significat situm esse, positum esse. [*Proprium est in rebus geographicis v. *jacere. Discrimen* inter *jacere* et *situm esse. Döderl.* 1, 138, hoc constituit, coll. *ib.* p. 136. §. 4., ut illud locandi rationem natura factam referat, hoc artis notionem plerumque involvat. Ceterum ap. *Cic.* hac significatione non dici videtur v. *jacere.*] *Ov. Fast.* 4, 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetne. *Nep. Ages.* 8. Portus jacens inter Cyrenas et Aegyptum. *Id. Dat.* 4. Quae gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociae. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Qui locus jacet inter Appenninum et Alpes. *Justin.* 22, 5. Urbes non in montibus positae sunt, sed in planis campis jacent. *Ov. Pont.* 7, 63. tristior ista Terra sub ambobus non jacet ulla polis. ℙ Praeterea *jacere* dicuntur capilli, qui collecti non sunt in nodum, sed lapsi sparguntur per humeros: item vestes, quae humi trahuntur. *Ov. Met.* 2, 673. vagi crines per colla jacebant. *Prop.* 2, 7, 22. sparsas caede jacere comas. *Ov. A. Am.* 3, 236. capilli ut jaceant fusi per tua terga. *Id. Amor.* 3, 2, 25, Sed nimium demissa jacent tua pallia terrae: Collige. ℙ Item quae ima, humilia, aut plena sunt. *Ov. Fast.* 2, 392. Quaque jacent valles, maxime Circe, tuae. *Virg. G.* 3, 342. itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis: tantum campi jacet, *h. e.* late extenditur. *Lucan.* 2, 416. per plana jacens Aegyptus. ℙ Mare quoque planum ac tranquillum, nullisque ventis se attollens, *jacere* dicitur. *Stat. Silv.* 2, 2, 29. nulloque tumultu Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores. *Lucan.* 3, 523. Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris, Servatum bello jacuit mare. *Juven.* 12, 62. postquam jacuit plenum mare. ℙ Translate est vilescere. *Cic. Rosc. Com.* 12. Accepit agrum temporibus iis, cum jacerent pretia praediorum. [*Ita dicuntur *agri jacere* ap. *Eund. Att.* 9, 8. et ap. *Petr.* 44.] *Ov. Fast.* 1, 217. In pretio pretium nunc est: dat census honores, Census amicitias: pauper ubique jacet. *Id. A. Am.* 411. Nunc hederae sine honore jacent: operataque doctis Cura vigil Musis nomen inertis habet. *Id. Rem. Am.* 139. Otia si tollas, periere Cupidinis arcus, Contemtaeque jacent, et sine luce faces. ℙ Item desidere, otiosum esse, nihil posse. *Ov. Trist.* 4, 3, 77. Ars tua, Tiphy, jacet, si non sit in aequore fluctus: Si valeant homines, ars tua, Phoebe, jacet. ℙ Sic de his dicitur, qui neglecti in republica nullo munere funguntur, aut auctoritatem amiserunt: cui contrarium est florere, vigere. *Cic. Phil.* 10, 7. In pace jacere, quam in bello vigere maluit. Quamquam ille quidem nunquam jacuit: nec hoc cadere verbum in tantam virtutis praestantiam potest. Erat enim in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. *Id. Off.* 3, 20. C. Marius cum a spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post praeturam jaceret. *Id. Verr.* 2, 1, 39. *med.* Jacere in oblivione. [*Id. Q. Fr.* 3, 2. *f.* Sperat se futurum consulem, sed mirum in modum jacet, i. e. ejus non habetur ratio. Coll. *Mur.* 8, 17. pr. ubi v. *Math.*] Item de his, qui perculsi animo sunt, abjecti, de mentis statu dejecti: cui opponitur erecto animo esse. *Id. Att.* 7, 21. Cnaeus autem noster (o rem miseram, et incredibilem!) ut totus jacet! non animus est, non consilium, non copiae, non diligentia. *Id. Pis.* 36. Quid, non tu toties diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti? *Id. Att.* 12, 40. Ne doleam? qui potest? Ne jaceam? quis unquam minus? *h. e.* dolori non succumbam; et *ib.* 10, 4. *med.* Jacet in moerore meus frater: neque tam de sua vita, quam de mea metuit. [*Liv.* 10, 35. Se quidem omnia expertos, sed militum jacere animos. Idem verbum pro vulg. *tacere* restituit ap. *Eund.* 9, 6. *K.*] ℙ Item de iis, quae inferiora sunt, et ab alio superantur, opprimuntur. *Ov. Her.* 4, 161. Nobilitas sub amore jacet. *Plin. ep.* 8, 6. Africani, Marii, Sullae, Pompeji infra Pallantis laudes jacebunt. *Ov. Met.* 1, 149. Victa jacet pietas. *Virg. G.* 3, 354. Sed jacet aggeribus niveis informis, et alto Terra gelu late, *h. e.* oppleta, onerata stat tellus. ℙ Item de iis, quae vim amisere, quae exerceri desierunt, quae negliguntur. [*Cic. *Mil.* 18. Jacent suis testibus.] *Cic. Par.* 4, 1. Non erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant, cum judicia jacebant. *Id. Or.* 2, 15. In eodem silentio multa alia oratorum officia jacuerunt. [*Fam.* 8, 6. Dici non potest, quomodo hic omnia jaceant.] *Id. Att.* 7, 22. Tota Capua et omnis hic delectus jacet. *Id. Tusc.* 1, 2. Jacent ea semper, quae apud quosque improbantur. *Id. Fam.* 4, 4. Perculsa et prostrata foedissimo bello jacent omnia. *Id. Fin.* 2, 35. Maximas virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante. [*Id. Phil.* 6, 5. Jacet beneficium Nuculae. *Off.* 3, 33. Justitia jacet.] *Id. Div.* 2, 51. *extr.* Ex falsis verum effici non potest: jacet igitur tota conclusio. [*Id. Fin.* 5, 28. Jacet omnis ratio Peripateticorum.] *Quint.* 9, 2, 4. de figuris sententiarum: Motus est in his orationis atque actus: quibus detractis jacet, et velut agitante corpus spiritu caret, *h. e.* languet, non assurgit, cadit, quasi exanimis. [*Laudat *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 199. sq. praeter hunc locum *Eund. ib.* 4, 2, 118. Caret enim ceteris ornamentis expositio, et nisi commendetur hac venustate, jaceat necesse est. Comparat similem fere *metaphoram*, qua Graecis oratio καταπεπτωκυῖα, ὑπτία, ἀναβεβλημένη, πίπτουσα, Latinis etiam abjecta dici solet. Unde *Gell.* 1, 11. Demissam jacentemque orationem, ferocienti saevientique opponit; et cp. 8. aurem jacentem tribuit homini, qui, quid in vocibus plenum et suave, quid insuave et exile sit, dignoscere non valeat. Ipsi etiam scriptores *Quintiliano* jacere dicuntur, qui omnia ornandae extollendaeque orationis praesidia repudiantes, nihil nisi planum et humile et mode-

ratum probant. De his igitur. *Inst.* 8, 4, 32. *dum diment*, inquit, *ne aliquando cadant, semper jacent.* Coll. *Hor. A. P.* 28. Serpit humi totus nimium.] ℙ Item de iis, quae non proferuntur. *Cic. Rosc. Com.* 3. Cur tamdiu jacet hoc nomen in adversariis? et l. *f.* Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria jacet? *Plin. ep.* 1, 1. Ita fiet, ut eas *(epistolas)* quae neglectae jacent, requiram, et si quas addidero, non supprimam. ℙ *Jacere* etiam pecunia dicitur, quae non collocatur, ut usuras pariat: quam nos dicimus [**todtes Capital.*] *Plin. ep.* 10, 62. Pecuniae publicae exactae sunt, et exiguntur: quae vereor, ne otiosae jaceant. [**Quint. Decl.* 355. p. 728. Pecuniam dedi, et ex otiosa jacente patrimonii parte aliquid numeravi.] ℙ *Jacent rationes*, quid dicam non habeo, rationes nullae sunt. *In suppos. Amph. scena*, Quis tam, *f.* ℙ *Jacent bona*, quae possessore carent. *Papinian. Dig.* 37, 3, 1. Nonne justius erit proximo cuique bonorum possessionem dari, ne bona jaceant? ℙ [**Confunduntur *jacere* et *tacere*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 1, 9. p. 23.]

JĂCĬO, is, jēci, jactum, a. 3. *βάλλω, ῥίπτω*, mitto, emitto, jaculor, conjicio. [**Transitivum est verbi *jaceo*, quod v. ab in.] *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *f.* In quem scyphum de manu jacere conatus est. *Virg. A.* 10, 886. Tela manu jaciens. *Id. ib.* 5, 643. Jacere ignem. *Cic. Mil.* 15. lapides. *Id. Div.* 2, 19. fulmen in medium mare. *Virg. A.* 4, 79. flores. *Hirt. B. G.* 8, 41. tela tormentis ad aliquem locum. *Ov. Met.* 2, 727. cum balearica plumbum Funda jacit, volat illud, et incandescit eundo. *Virg. A.* 10, 683. ensem jacere mediis fluctibus. *Caes. B. G.* 7, 24. aridam materiem de muro in aggerem. *Ov. Fast.* 4, 821. fruges jaciuntur in ima, Et de vicino terra petita solo. *Virg. A.* 7, 712. saxeam pilam ponto. *Liv.* 1, 12. Hic prima urbi fundamenta jeci. *Plin.* 8, 36, 54. Ursi praecipitaturi se ex aliqua rupe, manibus capite operto jaciuntur. *Ov. Fast.* 3, 643. humili super arva fenestra Se jacit. *Cic. Sext.* 20. Jecissem me potius in profundum. *Lucan.* 7, 166. taurus praeceps se jecit in agros, *h. e.* prorupit, diffugit. *Virg. A.* 6, 902. Ancora de prora jacitur. *Tac. A.* 4, 22. Plautius incertis causis Aproniam conjugem in praeceps jecit. *Pl. Capt.* 4, 2, 17. Jacere genu ad aliquem, *h. e.* genu aliquem percutere. *Plin.* 10, 38, 54. Aves aliquae ante se pedes jaciunt, ut ciconiae, grues, *h. e.* celeriter promovent. *Id.* 2, 11, 8. Sol arborum umbras jacit paribus intervallis. *Lucr.* 2, 845. Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem, *h. e.* fundunt, emittunt. *Ov. A. Am.* 1, 747, jacturas poma myricas, *h. e.* producturas. *Tac. H.* 1, 36. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, *h. e.* digitos ori admovens et exosculans, deinde in vulgum extendens, *φιλήματα διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε*, inquit *Xiphilin.* Sic jactare basia, *Phaedr.* 5, 7. et *Juven.* 4, 118. ℙ Est nonnunquam verbum aleatorum, cum talos mittunt. *Pl. Asin.* 4, 1, 35. Talos cum jaciet, te, ne dicat: nomen nominet; et 5, 2, 54. Jace, pater, talos, ut porro nos jacimus. *De.* maxime. Te, Philenium, mihi, atque uxori mortem: hoc Venerium est. Adde *Cic. Fin.* 3, 16. [**Suet. Aug.* 71. Qui Venerem jaceret.] ℙ Item militare. Nam *jacere vallum, aggerem* est materiam congerendo, aggerem, vallum struere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 243. et *Liv.* 30, 10. Cum maxime vallum Romani jacerent, conspecta classis hostium est. *Caes. B. G.* 2, 12. Aggere jacto turribusque constitutis. Simile est *molem jacere*, h. e. congesta materia excitare, *Caes.* ap. *Cic. Att.* 9, 14. Sic *Hor. Od.* 3, 1, 33. Contracta pisces aequora sentiunt, Jactis in altum molibus. *Virg. A.* 5, 631. Muros jacere, *h. e.* exstruere. ℙ Aliquando *jacere* est abjicere, projicere. *Pl. Trin.* 4, 3, 27. Scuta jacere, fugereque hostes. ℙ Translate. *Cic. Sull.* 7. *extr.* Jacere contumeliam in aliquem. *Id. Par.* 4, 1. Jacere et immittere injuriam in quempiam. *Id. Planc.* 12. adulteria. *Tac. A.* 11, 13. probra in feminas illustres. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Jecit quidam casus caput meum, quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemque civilem. *Id. Att.* 2, 23. Non mediocres terrores jacere atque denunciare, *h. e.* spargere, objicere. *Id. Or.* 26. Salium duo sunt genera, unum facetiarum, alterum dicacitatis, utetur utroque: sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo mittendoque ridiculo, *h. e.* subito et paucis ridiculum quippiam proferendo. *Id. Part.* 13. Illa argumentatio prius sumit, quae vult, eaque confirmat: deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis, jacit ad extremum. *Id. Agr.* 2, 15. Hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera jactum intelligetis. Al. leg. *factum. Id. Fl.* 2. Causae fundamenta jacere: v. *causae* est dativus. *Id. Phil.* 1, 1. Jacere fundamenta pacis. *Virg. G.* 4, 294. Omnis in hac certam regio jacit arte salutem. ℙ Aliquando significat enunciare et spargere in vulgus. *Tac. H.* 3, 73. Edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat. *Id. A.* 3, 8. Si vera forent, quae jacerentur; et *ib.* 1, 11. Quaedam de habitu cultuque, et institutis ejus jecerat. Sic *Liv.* 5, 15. Quisnam esset is, qui per ambages de lacu Albano jaceret. *Id.* 6, 14. *f.* Omisso discrimine vera an vana jaceret. *Tac. Ann.* 4, 68. Fortuitos jacere sermones; et *ib.* 6, 31. Seque invasurum possessa Cyro, et post Alexandro, per vaniloquentiam ac minas jaciebat. *Cic. Fl.* 3. Jacere suspicionem. *Suet. Ner.* 37. Multas nec dubias significationes saepe jecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus. *Sall. Jug.* 11. Cum multa de administrando imperio dissererent, Jugurtha inter alias res jacit, oportere, etc. *Prop.* 2, 1, 87. Taliaque illacrimans mutae jace verba favillae. *Cic. prognost. Div.* 1, 8. Assiduas jacit ore querelas. *Tac. A.* 1, 69. *extr.* Jacere odia. *Vell.* 2, 65. mentionem conditionum. [*Plura v. ap. *Böttich.* in *lex. Tac.* p. 234. sq. — *Id. ib.* insolentius, quod dicit, dictum comparat *Tac. A.* 1, 69. Accendebat haec — Sejanus, peritia morum Tiberii odia in longum jaciens, quae reconderet auctaque promeret: ubi, quantumvis speciose primo adspectu, perperam tamen quosdam *jacientis* vel *alentis* suadere monet, probata *Ernest.* interpretatione: odii materiam praeparans et semina invidiae spargens in animum Tiberii. ℙ Confunduntur *jacere* et *facere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 212.]

JACTĂBUNDUS, a, um, adj. jactationis plenus. *Gell.* 19, 1. *in.* Mare Ionium violentum, et vastum, et jactabundum. ℙ Item jactantiae plenus. *Id.* 15, 2. Homo in Graecae facundiae gloria jactabundus.

JACTANS, antis, part. a *jacto:* jactationem faciens. *Liv.* 21, 48. Nec vexationem vulneris in via jactanti ultra patiens. *Hor. Sat.* 1, 1, 6. Austri jactantes navem. *M. Coelius* ap. *Quint.* 11, 1. *med.* Vox immoderatior, aut jactantior gestus. Al. leg. *jactatior.* ℙ Item qui jactat et gloriatur, *ἀλαζών*. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 234. Insolens, arrogans, jactans. *Quint. ib.* Tumidus, ac sui jactans, et ambitiosus institor eloquentiae. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Miserat epistolas jactantes et gloriosas. *Id. ep.* 9, 23. *f.* Neque vereor, ne jactantior videar, cum de me aliorum judicium profero. *Hor. Sat.* 1, 3, 49. ineptus, Et jactantior hic paulo est. *Spart. Hadrian.* 17. Plebis jactantissimus amator. ℙ In bonam partem, ut *superbus*, de eo qui juste se jactat. *Claud. IV. Cons. Honor.* 1. Auspiciis iterum sese regalibus annus Induit, et nota fruitur jactantior aula. *Stat. Silv.* 4, 1, 6. Et septemgemino jactantior aethera pulset Roma jugo.

JACTANTER, adv. *ἀλαζονικῶς*, cum jactantia, seu ostentatione, superbe, gloriose. *Tac. A.* 2, 77. *extr.* Periisse Germanicum, nulli jactantius moerent, quam qui maxime laetantur. *Id. H.* 3, 53. Litteras ad Vespasianum composuit, jactantius, quam ad principem. *Ammian.* 27, 2. Minae jactanter sonantes. Adde *Prud. Hamart.* 170.

JACTANTĬA, ae, f. *ἀλαζονεία*, jactatio, ostentatio. *Tac. A.* 2, 46. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat. *Id. Agr.* 25. Militari jactantia. *Quint.* 1, 6. *med.* Abolita atque abrogata retinere, insolentiae cujusdam est, et frivolae in parvis jactantiae; et 8. *f.* Persequi quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis jactantiae est; et 9, 2. Opinionem jactantiae vereri. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Privatae jactantiae studere. *Sidon. ep.* 1, 11. *post versic.* Nisi quod dico, jactantia est.

JACTANTĬCŬLUS, a, um, dimin. aliquantisper jactans. *August. adv. Acad.* 3, 8. Cum se ille Academicus jactanticulus quasi discipulum singulis dederit. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 11, 34. Jactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt.

JACTĀTĬO, onis, f. *σεισμός*, agitatio, concussio. *Cic. Mur.* 2. *f.* Quo tandem me animo esse oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem? *Id. Or.* 25, *extr.* Actio non tragica, nec scenae, sed modica jactatione corporis. *Quint.* 10. *f.* Jactatio manus, pedis supplosio. *Curt.* 4, 15. Equi crebra jactatione cervicum jugum excusserant. *Liv.* 29, 32. *med.* Ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa jactationem, pergit ire, etc. ℙ Item jaculatio, *βολή*. *Hyg. Astron.* 2, 28. Quod maritimis conchyliis hostes sit jaculatus pro lapidum jactatione. Al. leg. *jactione.* ℙ Translate est voluptas gestiens, et se efferens insolentius, ut *Cic. Tusc.* 4, 9. definit. Ea enim non solum animus, sed etiam corpus jactatur. Hinc est jactantia, ostentatio. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Jactatione verborum et denunciatione periculi pertimefactus. *Tac. G.* 6. Nudi aut sagulo leves: nulla cultus jactatio. *Quint.* 1, 5. Quidam in jactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent. *Id.* 2, 4. Extemporalis garrulitas circulatoriae jactationis est. *Id.* 4, 1. Inde illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio, multum ab hac nostrorum temporum jactatione diversa. *Coel.* ad *Cic. post ep.* 9. l. 10. *ad Att. f.* Nonnullorum hominum jactationem et insolentiam ferre non potes. *Curt.* 4, 10. In unius hominis jactationem tot millium sanguinem impendi. ℙ *Jactatio popularis* est, qua quis se dat populo, ejusque auram captat, ostentando ingenium industriamque suam: unde favor et gratia nascitur: sumpta metaphora a mari, et fluctibus, nam qui populo student, variis veluti fluctibus agitantur. *Cic. Prov. cons.* 16. Ab hujus ordinis conjunctione depulsi, saepe ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt: qui si ex illa jactatione cursuque popularí, bene gesta republ. referunt aspectum in curiam, etc. *Id. Cluent.* 35. Cum homines se non jactatione popularí, sed dignitate atque innocentia tuebantur. *Id. Har. resp.* 20. Atque hic primus est aditus ad popularem jactationem atque ascensus. *Id. Or.* 3. *f.* Eloquentia forensis spreta a philosophis, tamen ornata verbis atque sententiis, jactationem habuit in populo, nec paucorum judicium, reprehensionemque pertimuit.

JACTĀTOR, oris, m. *ἀλαζονικός*, qui se jactat, atque ostentat. *Quint.* 11, 1. de Cicerone: Is quidem rerum a se gestarum major, quam eloquentiae fuit, in orationibus utique, jactator. *Suet. Claud.* 35. Jactator civilitatis. *Stat. Th.* 6, 837. Cleonaeae stirpis jactator Agylleus. *Gell.* 18, 4. Jactator et venditator Sallustianae lectionis. ℙ Sequente infinito, Graecorum more. *Sil.* 11, 403. Ille sub hiberno somnos educere coelo Jactator, *h. e.* qui jactat, se sub dio somnos ducere hiberno tempore. Sunt qui aliter leg.

*JACTATRIX, icis, f. ap. *Sidon. B. A.*

JACTĀTUS, a, um, part. a *jacto:* jactus, emissus. *Ov. Met.* 4, 748. Semina jactata per undas. *Id. Trist.* 4, 2, 50. Undique jactato flore tegente vias. ℙ Item agitatns. *Caes. B. G.* 1, 25. Diu jactatum brachium. *Ov. Trist.* 3, 10, 45. Boreas jactatis insonat alis. *Id. Fast.* 4, 244. Jactatae comae. *Id. A. Am.* 22. Jactatas faces excutere. ℙ Item tractatus. *Virg. G.* 2, 249. Pinguis tellus haud unquam manibus jactata fatiscit. ℙ Item vexatus, huc illuc impulsus. *Virg. A.* 1, 7. multum ille et terris jactatus et alto, Vi Superum. *Pl. Rud.* 2, 3, 39. ventis fluctibusque Jactatae, exemplis plurimis, miserae perpetuam noctem. *Hor. Sat.* 2, 2, 31. Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis Ostia sub Tusci? *Cic. Quint.* 3. Ut multis injuriis jactatam atque agitatam aequitatem, in hoc tandem loco consistere atque confirmari patiamini; et 31. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis. *Justin.* 3, 4. Diu et per varios casus jactati. ℙ Item agitatus, *h. e.* saepe tractatus consultatione, et sermonibus. *Liv.* 22, 23. Saepius jactata in senatu res. *Cic. Mur.* 12. Quae dum erant occulta necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiae reperta sunt. ℙ Item cum jactantia dictus. *Curt.* 3, 8. Haec magnificentius jactata, quam verius. *Id.* 9, 2. Multa, quae terrere vos possent, de industria esse jactata.

JACTĀTUS, us, m. idem ac jactatio. *Ov. Met.* 6, 703. Excussit pennas, quarum jactatibus omnis Afflata est tellus. *Plin.* 14, 18, 22. Jactatus maris vetustatem vinis adjicit. *Id.* 33, 6, 32. Argentum vivum auri sordes exspuens crebro jactatu fictilibus in vasis.

JACTĬTĀBUNDUS, a, um, frequentat. jactabundi. *Sidon. ep.* 3, 13. *f.* Citra nitorem honestatis jactitabundus.

JACTĬTO, as, a. 1. *θρυλλέω*, frequent. a jacto. *Liv.* 7, 2. *med.* Ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit. *Phaedr.* 2, 5. Come officium jactitans.

JACTO, as, avi, atum, a. 1. *βάλλω*, saepe jacio, emitto, conjicio. *Cic. Har. resp.* 18. *med.* Ardentes faces in vicinorum tecta jactare. *Id. Or.* 2, 78. hastas. *Ov. Met.* 2, 308. fulmina; et *ib.* 1, 383. ossa post tergum. *Curt.* 5, 6. se e muris in praeceps. *Caes. B. G.* 7, 47. vestem argentumque de murb. *Virg. G.* 1, 62. lapides in aliquem locum; et 81. cinerem per agros; et *ib.* 2, 132. late odorem. *Varr. R. R.* 1, 42. semen. *Cels. Dig.* 19, 1, 12. rete. *Ov. Met.* 3, 11. lumina in vultum; et *A. Am.* 2, 203. numerosque manu jactabit eburnos, *h. e.* talos. Sic *Pl. Curc.* 2, 3, 79. Talos arripio, invoco Herculem: jacto basilicum. ℙ Item projicere, abjicere, jacturam facere. *Sen. Clem.* 1, 3. Consensus est populis sic protegendi amandique reges, et se suaque jactandi, quocumque desideraverit imperantis salus. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. Jactare suas pecunias et effundere. *Pl. Rud.* 2, 3, 43. Si quae improbae sunt merces, jactat omnes. ℙ Item edere. *Virg. A.* 2, 768. voces jactare per umbram. *Lucr.* 5, 576. suam proprio jactat de corpore lucem. ℙ Item frequenter movere. *Cic. Verr.* 2, 3, 19. Jactare cerviculam. *Lucr.* 4, 989. crura; et 4, 770. brachia in numerum. *Ov. Trist.* 3, 8, 5. pennas. *Id. Met.* 10, 721. corpus in suo sanguine. *Id. Pont.* 1, 1, 38. manu sistra tinnula. *Virg. G.* 2, 355. duros bidentes. *Cic. Brut.* 60. Nisi se suo more jactavisset, hodie te istic muscae comedissent. *Id. Div.* 1, 29. Exsultare immoderateque jactari. *Juven.* 3, 106. a facie jactare manus, *h. e.* oscula jacere. V. JACIO. *f.* *Id.* 13, 22. Jactare jugum. ℙ Item huc illuc impellere,

agitare. *Nep. Att.* 6. Maritimis fluctibus jactari. *Cic. Inv.* 2, 31. Cum nautae adversa tempestate in alto jactarentur. *Ov. Trist.* 3, 2, 15. ventis dubius jactabar, et undis. *Virg. A.* 1, 671. jactari pelago circum omnia litora. *Cic. Planc.* 7. Si quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor; sed etc. *Id. Verr.* 2, 1, 26. *med.* Jactatur domi suae homo honestissimus: pro se quisque manus affert. *Id. Cat.* 1, 13. Aestu febrique jactari. ℙ Translate est vexare, et fere passive. *Pl. Cist.* 2, 1, 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor. *Lucr.* 3, 508. Jactari morbis. *Cic. Fam.* 1, 5. *med.* jactatus est clamore et convicio. *Curt.* 4, 14. *med.* Jactari varietate fortunae. *Justin.* 41, 6. Jactari per varia bella. *Cic. Div. Verr.* 14. de Hortensio: Te vero, Caecili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione jactaturus, videre jam videor. *Lact.* 5, 5. *med.* Patrem regno expulit, bello persecutus est, exsulem toto orbe jactavit. ℙ *Jactari pecunia* dicitur, quae certum pretium non habet, sed subitis frequentibusque incrementis aut decrementis varium et inconstans. *Cic. Off.* 3, 20. Jactabatur temporibus illis nummus sic, ut nemo posset scire, quid haberet. [*V. *Beier.* ad h. l.] ℙ Item considerare, animo agitare, versare sermonibus, aut cogitando. *Virg. A.* 1, 231. tales jactantem pectore curas Tristior alloquitur Venus. *Caes. B. G.* 1, 18. Pluribus praesentibus eas res jactari nolebat. *Ov. Am.* 3, 1, 21. Fabula (nec sentis) tota jactaris in urbe. *Liv.* 10, 46. *extr.* Magis jactari, quam peragi accusatio ejus potuit. ℙ Item saepe dicere, memorare, enunciare. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *med.* Neque haec incerta tamen vulgo jactantur, sed inter paucos palam secreto narrantur. *Hor. Ep.* 1, 16, 18. Jactamus jampridem omnis te Roma beatum, *h. e.* praedicamus. *Virg. A.* 1, 106. Talia jactanti, *h. e.* nequicquam vociferanti. *Liv.* 38, 28. *med.*; et 8, 29. Rem jactare sermonibus. *Id.* 7, 9. querimonias ultro citroque. *Virg. A.* 10, 95. jurgia. ℙ Item intentare, jacere in aliquem. *Liv.* 29, 9. Jactare probra in quempiam. *Cic. Quint.* 14. *med.* minas. *Id. Sext.* 23. et opponere terrorem. *Propert.* 3, 6, 11. convicia rabida lingua. ℙ Item cum ostentatione dicere. *Caes. B. C.* 3, 83. Ostentare honorem aetatis, jactare urbanam gratiam et dignitatem, affinitate alicujus confidere. *Quint.* 3, 1. Admiscere tentavimus aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia, sed, etc. *Curt.* 8, 1. *med.* Superbe jactare aliquid. *Hor. Od.* 1, 14, 13. genus et nomen jactare. *Ov. Her.* 16, 81. regna et virtutem. ℙ *Jactare se* est gloriari. *Ov. Her.* 12, 17. Jactare se alicui, *h. e.* apud aliquem. *Hor. Od.* 1, 2, 17. Iliae dum se nimium querenti Jactat ultorem. *Cic. Or.* 2, 52. Intolerantius se jactare, et aequabilitatem communis juris transire. *Virg. A.* 1, 141. illa se jactet in aula Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet. *Auct.* ad *Her.* 4, 21. Se magnifice jactare atque ostentare. ℙ Sic *jactare se re aliqua*, aut *in*, aut *de re aliqua* dicimus. *Virg. Ecl.* 6, 74. Nequis sit lucus, quo se plus jactet Apollo. *Cic. Att.* 2, 1. Cum in eo se in concione jactavisset. ℙ Et cum infinito. *Id. Verr.* 2, 4, 21. Jactat se jamdudum de Calidio: narrat omnibus, se emisse. *Curt.* 8, 1. *med.* Nobilem apud Chaeroneam victoriam sui operis fuisse, jactavit. ℙ In illo *Cic. Att.* 2, 21. Vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset jactare se magnificentissime in illo loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus: *jactare se* est fidenter, libere et cum auctoritate agere. ℙ Interdum *jactare se* est satagere, cum labore exerceri, totis viribus incumbere. *Cic. Or.* 1, 38. Jactare se in causis centumviralibus. *Id. Q. Fr.* 3, 5. *med.* Nostrum hoc tempus aetatis forensi labore jactari. *Id. Fam.* 2, 15. Republica nihil mihi est carius: in qua tu non valde te jactas. *Liv.* 3, 1. Jactare se actionibus tribuniciis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. *med.* Curionem video se dupliciter jactaturum: primum ut aliquid Caesari adimat; inde, ut aliquid Pompejo tribuat, *h. e.* adnisurum, omni ope tentaturum. ℙ *Jactare se in pecuniis* est in his insumendis nihil parcere. *Cic. Cat.* 2, 9. *med.* Hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. ℙ Quidam putant deponentis forma adhiberi in illo *Severi Aetn.* 23. Quidquid in antiquum jactata est fabula crimen. Alii leg. *Quidquid item*, etc., ita ut *antiquum crimen* sit appositum.

JACTŪOSUS, a, um, adj. jactans, jactabundus. Affert *Non.* 2, 473. et 489. locum *Cic. Or.* 36., ubi plerique omnes rectius leg. *actuosae.*

JACTŪRA, ae, f. ἀποβολή, quod ex navi in mare jacitur in tempestate, ejus exonerandae causa. *Cic. Off.* 3, 23. Si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis? *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* De istis potissimum jactura fit, quia pretii minimi sunt. ℙ Item rei damnum, amissio. Itaque *jacturam facere* est subire, et quidpiam amittere. *Cic. Att.* 12, 29. Si qua etiam jactura facienda sit in repraesentando. *Id. Fin.* 2, 24. *f.* Jacturae rei familiaris erunt faciendae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum. *Colum.* 1, 1. *f.* In agricultura voluntas facultasque citra scientiam, saepe magnas dominis afferunt jacturas. *Hirt. B. Alex.* 49. Jacturae et detrimenta rei familiaris. V. DAMNUM. ℙ De impensis et largitionibus. *Caes. B. C.* 3, 29. [*112.] Magnis jacturis sibi quorundam animos conciliare; et *B. G.* 6, 11. Aliquem magnis jacturis et pollicitationibus ad se perducere. *Cic. Att.* 6, 1. Provincia sumptibus et jacturis exhausta. *Id. Cluent.* 8. Ipsum Aurium, non magna jactura facta, interficiendum curavit. ℙ *Jacturam pati* est jacturam facere. *Colum. praef. l.* 1. *med.* Cujus praecepta si antiquo more administrarentur, minus jacturae paterentur res rusticae. ℙ Transfertur ad alia. *Cic. Div.* 2, 15. Concedam hoc ipsum, si vis: etsi magnam jacturam causae fecero. *Id. Planc.* 2. *f.* Dignitatis jacturam facere; et 22. *f.* suarum tribuum. *Caes. B. C.* 1, 32. honoris et dignitatis. *Liv.* 39, 4. temporis. *Id.* 4, 32. parva jactura accepta, *h. e.* levi clade. *Virg. A.* 2, 646. facilis jactura sepulcri. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. In unius mulierculae animula jactura facta est. *Just.* 2, 5. *f.* Amissis octoginta millibus hominum: quae jactura abundante multitudine, inter damna numerata non est. *Mart.* 5, 80. Durum est perdere ferias: rogamus, Jacturam patiaris hanc, ferasque. *Ov. Amor.* 2, 14, 32. Jactura socii sanguinis ulta virum, *h. e.* natos suos occidendo; et *ib.* 1, 15, 15. Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno, *h. e.* nulla temporis injuria. *Id. A. Am.* 2, 253. Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Jacturam criminum facere, *h. e.* crimina in accusatione omittere.

*JACTŪRALIS, e, adj. damnosus. *Gloss. Philox.* Jacturalis, ἐπιζήμιος. *B. A.*

*JACTŪRĀRIUS, ii, m. *Gloss. Isid.* Jacturarius, qui frequenter jacturam patitur, id est damnum. *B. A.*

JACTUS, a, um, part. a *jacio:* emissus, conjectus, βεβλημένος. *Virg. Ecl.* 6, 41. Jacti lapides. *Hor. Od.* 3, 1, 34. Moles jactae in altum. *Plin.* 32, 1, 1. Jactae ancorae. *Id.* 9, 15, 20. Tridens jactus in thynnos. *Id.* 3, 11, 16. Jacti pontes; et *ib.* 16, 20. Tanarus Apennini latere jactus, *h. e.* effusus. *Virg. G.* 2, 57. Jacta semina. ℙ Translate. *Cic. Fl.* 3. Jacta vox aut suspicio. *Vell.* 2, 65. Jacta mentio. *Stat. Th.* 1, 411. jactis sermonibus irae Intumuere satis, *h. e.* dictis mordacibus ultro citroque conjectis.

JACTUS, us, m. βολή, actus jaciendi, conjectus. *Cic. Cat.* 3, 8. Jactus fulminum. *Virg. A.* 11, 608. intra teli jactum progressus. Contra *Curt.* 3, 10. Extra teli jactum esse; et 11. Jam ad teli jactum pervenerant. *Virg. G.* 2, 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullae jactu potuere sagittae. *Liv.* 4, 17. In prospero tesserarum jactu. *Ov. A. Am.* 3, 353. talorum ducere jactus. *Plin.* 11, 2, 2. de tauris: Truces in sublime jactus. *Id.* 2, 45, 45. Jactus radiorum. *Virg. G.* 4, 87. pulveris exigui. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 9. Fortuitus vocis jactus. *Paul. Dig.* 14, 2, 1. Jactum mercium facere levandae navis gratia. *Senec. Troad.* 1037. Facere jactum in medio ponto. *Virg. G.* 4, 528. se jactu dedit aequor in altum. *Lucr.* 3, 1030. horribilis de saxo jactu' deorsum. ℙ *Jactus retis*, et *jactus* absolute est quidquid uno retis jactu capi potest. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 7. *extern.* A piscatoribus verriculum trahentibus quidam jactum emerat. *Cels. Dig.* 19, 1, 11. §. 18. Cum futurum jactum retis a piscatore eminus. ℙ [*Confunduntur in cdd. *Jactus* et *ictus.* V. *intpp.* ad *Curt.* 4, 2, 23. et 4, 3, 8.]

JĀCŪLĀBĪLIS, e, adj. βλητός, quem jaculari possumus. *Ov. Met.* 7, 679. sed non formosius isto Viderunt oculi telum jaculabile nostri. *Stat. Th.* 6, 658. ast illud, cui non jaculabile dextrae Pondus?

[*JĀCŪLĀMENTUM, i, n. idem ac jaculum. *Non.* 18, 30. Ansatae, jaculamenta cum ansis. V. ANSATUS. *F.* et *B. A.*]

JĀCŪLĀTIO, onis, f. ἀκοντισμός, actus jaculandi, jactus, conjectus. *Sen. Q. N.* 2, 12. Fulminatio est jaculatio cum ictu. *Plin.* 8, 42, 65. Diximus in libro de jaculatione equestri condito. (*Plin. alter ep.* 3, 5. narrat, hunc librum ab avunculo compositum fuisse, cum praefectus alae militaret.) *Appul. de Mundo.* Jaculatio fulgoris. *Id. Met.* 1. Jaculationes saxorum. ℙ Translate. *Quint.* 6, 3. *med.* Genus illud facetiarum, positum non in hac veluti jaculatione verborum, et inclusa breviter urbanitate, sed in quodam longiore actu.

JĀCŪLĀTOR, oris, m. ἀκοντιστής. *Liv.* 36, 18. Jaculatorum, sagittariorumque, et funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, *h. e.* qui hastas, seu jacula conjiciunt, hi erant milites levis armaturae. *Id.* 21, 21. Supplementum ex Africa, maxime jaculatorum, petiit. ℙ Item universim qui jaculatur. *Hor. Od.* 3, 4, 55. evulsisque truncis Enceladus jaculator audax. *Stat. Th.* 12, 562. Jaculator fulminis. ℙ Item qui rete jaculo piscatur. *Pl.* ap. *Isid. Orig.* 19, 5. Probus quidem antea jaculator eras. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1669, 4. Cn. Egnatius C. F. Fab. Jaculator. *F.*]

JĀCŪLĀTORĬUS, a, um, adj. ad jaculandum inserviens, ut Jaculatorius campus, *Ulp. Dig.* 9, 2, 9. *extr.* h. e. in quo jaculandi exercitatio habetur.

JĀCŪLĀTRIX, icis, f. ἀκοντίστρια, mulier, quae jaculatur. *Ov. Met.* 5, 375. Pallada nonne vides jaculatricemque Dianam Abscessisse mihi?

JĀCŪLĀTUS, us, m. jaculatio, jactus. *Tert. Spectac.* 18. Non probabis usquam vanos cursus, et jaculatus, et saltus vaniores.

JĀCŪLO, as, pro jaculor, aris, afferunt plerique lexicographi, confirmantque exemplo *Claudiani*, Latis jaculabat in arvis. Sed nos exemplum hoc invenire non potuimus. Compositum *ejaculo* certiori auctoritate nititur. V. EJACULO.

JĀCŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. βάλλω, ἀκοντίζω, jaculum, vel aliud telum emitto, conjicio, jacio. *Cic. Off.* 2, 13. Magnam laudem consequebare equitando, jaculando, omni militari labore tolerando; et *Div.* 2, 59. Quis est enim, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? *Virg. A.* 2, 276. Hector Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes. *Tac. H.* 2, 21. Missilem ignem in obsessos jaculantur. *Ov. Met.* 7, 139. medios silicem jaculatus in hostes; et *ib.* 14, 184. Gigunteo jaculari saxa lacerto. ℙ Item jaculando ferire. *Hor. Od.* 3, 12, 12. Jaculari cervos. *Id. ib.* 1, 2, 2. rubente Dextera sacras jaculatus arces. *Ov. Ib.* 49. Ferro acuto jaculari aliquem; et 589. Jaculari aera disco. ℙ Est etiam universim emittere. *Plin.* 11, 37, 55. Oculi lupo splendent, lucemque jaculantur. *Id.* 36, 10, 15. Jaculari umbram. *Colum.* 10, 329. duros jaculatur Juppiter imbres. *Plin.* 8, 27, 41. Panthera jaculando se deficit. Sic *Flor.* 1, 14. In confertissima se hostium tela jaculatus. *Plin.* 2, 25, 23. In quas partes se jaculetur cometes, *h. e.* feratur. ℙ Translate. *Hor. Od.* 2, 16, 17. Quid brevi fortes jaculamur aevo Multa? *h. e.* concupiscimus, quasique jaculo, quae procul sunt, petimus? *Quint.* 9, 2. *med.* Jaculari in uxorem obliquis sententiis, *h. e.* dicta dicere, verbo perstringere. Sic *Petr. Sat.* 109. Jaculari dicta in calvos. Et *Liv.* 42, 54. Probris procacibus jaculari in aliquem. Al. leg. *joculari*, al. *jocari.* Rursus *Quint.* 11, 3. *med.* Sententias vibratis digitis jaculari.

JĀCŪLUM, i, n. ἀκόντιον, quidquid jaci in longum potest: speciatim telum sive hastile, quod manu jaculari possumus. *Cic. Tusc.* 1, 42. *f.* Solem prae jaculorum multitudine, et sagittarum non videbitis. *Liv.* 26, 4. Eis parmae breviores, quam equestres, et septena jacula, quaternos longa pedes, data, praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest. *Caes. B. G.* 5, 44. Persuadet, ut litteras ad Caesarem deferat: has ille in jaculo illigatas affert; et 42. Fervefacta jacula in casas, quae stramentis erant tectae, jacere coeperunt. *Sall. Jug.* 61. *extr.* Plerosque jacula, tormentis aut manu emissa, vulnerabant. *Cic. Fin.* 4, 9. Si Annibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset. ℙ Jaculum cum amento Aetolus Martis filius invenisse dicitur a *Plin.* 7, 56, 58. ℙ *Jaculum* etiam vocat *Minuc. Fel. Octav.* 3. testam seu conchulam teretem et planam, quam super undas maris pueri ludentes inrotant. Hujusmodi ludum Graeci ἐποστρακισμὸν vocant. ℙ Est etiam genus retis, quo gladiator retiarius utebatur, ut adversarii caput, subito jaciendo implicaret. *Is. Or.* 18, 54. ℙ Item genus retis piscatorii, quod contra pisces jacitur: alio nomine est *funda. Ov. A. Am.* 1, 763. Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis. Adde *Auson. ep.* 4, 56. ℙ Hoc *Pl. Asin.* 1, 1, 86. appellat *rete jaculum*, vel conjuncte *retejaculum.* Ex quo non absurde dici posse videtur hanc vocem adjectivam esse: ita ut cum *jaculum* absolute dicitur, *telum* subaudiatur, vel *rete.* Hinc *Id. Truc.* 1, 1, 14. Quasi in piscinam rete qui jaculum parat. Hic *rete jaculum* idem est ac δίκτυον, rete, a δίκω, jacio. ℙ Hinc etiam *jaculus*, subintellige *serpens*, est anguis genus, ita dicti, quod in arbores repens, inde se in obvios jaculatur. *Lucan.* 9, 822. Ecce procul saevus sterilis se robore trunci Torsit, et immisit (jaculum vocat Africa) serpens, Perque caput Pauli, transactaque tempora fugit. *Id. ib.* 720. Et natrix violator aquae, jaculique volucres. Adde *Plin.* 8, 23, 35. et *Is. Or.* 12, 4. ℙ Denique *jaculi*, subaudi *nodi*, sunt nodi ex fune, qui cornibus boum injiciuntur. *Colum.* 6, 2. Cannabinis funibus cornua juvencorum ligato: sed jaculi quibus copulantur, lanatis pellibus involuti sint, ne tenera fronte sub cornua laedantur. [In vet. libris tum MSS., tum excusis leg. *laquei*, teste *Pont. ep.* 60., ideoque hanc lectionem *Schneiderus* in textum recepit. *F.*]

JADĔRA. V. v. sq.

[IĀDERTĪNUS, a, um, et

IĀDESTĪNUS, a, um, adj. ad Iader, seu Iaderam pertinens, Liburniae, seu Dalmatiae urbem maritimam, nunc *Zara;* ejus meminere *Lucan.* 4, 405. Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader. *Plin.* 3, 21, 25. Colonia Iadera; et *Ptol.* 2, 17. Ἰάδερα κολωνία. *Veg. Mil.* 5, 3. Liburnia

Dalmatiae pars est; Iadertinae subjacet civitati. ℙ *Jadertini, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Hirt. B. Alex.* 42. Cornificius, paucis navibus Iadertinorum, quorum semper in remp. singulare constiterat officium dispersis Octavianis navibus erat potitus. ℙ In *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 453. et 455. quater *Iadestinus* legitur pro *Iadertinus*, fortasse quia asperioris soni visa est littera canina *r*. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 1060, 8. legitur *Iadratinae*, sed ea pertinet ad an. a Chr. n. MDL, quo *Marcus Valaressus* pontifex fuit Ecclesiae Iadertinae; in eadem vero, teste *Jo: Lucio* in *Inscr. Dalmat.* p. 3., non *M. Valerius S. Iadratine Ecc. pontifex*, sed *M. Valaressus S. Hiadertinae Ecc. pont.* legitur.

*IADONI, orum, m. populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

[IAETENSIS, e, et

IAETĪNUS, a, um, adj. ad Iaetam pertinens, mediterraneam Siciliae urbem in vertice montis, nunc *Jato*, et *S. Cosmano*. Hinc *Iaetenses, ium*, et *Iaetini, orum*, sunt illius urbis incolae. *Plin.* 3, 8, 14. Ichanenses, Iaetenses. Hic perperam leg. *Ietenses. Cic. Verr.* 2, 3, 43. Eloris, Ennensibus, Iaetinis nihil omnino relictum. Male in editionib. leg. *Letinis*. In ejus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 216. *IAITĪNΩN. F.*]

[IALMĒNUS, i, m. Ἰάλμενος (ab ἰάλλω, mitto), filius Lyci, Helenae procus, ad bellum ivit Trojanum. *Hyg. fab.* 97. et 159. *Dict. Cret.* 1, 17. *B. A.*

IALYSIUS, a, um, adj. Ἰηλύσιος, ad Ialysum pertinens, quod Rhodi insulae quondam oppidum fuit, *Plin.* 5, 31, 36. teste. *Ov. Met.* 7, 365. Phoebeamque Rhodon, et Ialysios Telchinas. *Ialysios:* quinque syllabarum est.

IALYSUS, i, f. Ἴηλυσος, et Ἰήλυσσος, et Ἴαλυσος, opp. Rhodi insulae, ut dictum est in v. praec. ℙ Item nomen tabulae a Protogene pictae: de qua ita *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Palmam habet tabularum ejus Ialysus, qui est Romae, dicatus in templo Pacis: quem cum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent et sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. Huic picturae quater colorem induxit, etc. Persequitur inde, canem in ea fuisse mire factum, cujus in ore spuma ex impacta spongia egregie expressa casu fuerit, irato Protogene, quod ars non succederet: item Demetrium regem incendio urbis Rhodi abstinuisse, ne Ialysum absumeret, quod et *Gell.* 15, 31. narrat. Meminit etiam *Cic. Att.* 2, 21. et *Verr.* 2, 4, 60. et *Or.* 2. Septem ipsos annos in hac tabula conficienda auctorem insumpsisse auctor est *Aelian. Var. hist.* 12, 41. ℙ Unde nomen id habuerit, non satis constat. Alii inde putant, quod in oppido Ialysi depicta fuerit: alii veri similius, quod Ialysi Phoebi nepotis, conditoris ejus imaginem retulerit.

JAM, ἤδη, adv. multiplicis significationis, ususque plurimi: quod tum ad praeteritum, tum ad praesens, tum ad futurum tempus refertur. Ad praeteritum. *Cic. Rosc. Com.* 3. Quam pridem hoc nomen in adversaria retulisti? sunt duo menses jam, dices. *Ter. Andr.* 1, 2, 10. Sperantes, jam amoto metu. *Caes. B. G.* 1, 11. Jam per fines Sequanorum copias transduxerant; et *ib.* 6, 6. Jamque ab eo non longius bidui aberant, cum, duas venisse legiones, cognoscunt. ℙ *Jam ut* est statim ut, tantum quod. *Pl. Curc.* 5, 2, 46. Postquam illo ventum est, jam ut me collocaverat, exoritur ventus, turbo, etc. ℙ Saepe idem valet, quod usque. *Cic. Or.* 1, 10. Urgerent philosophorum greges, jam ab illo fonte et capite Socrate. *Id. Fam.* 2, 16. Sententiam meam perspicere potuisti, jam ab illo tempore, cum, etc.; et *ib.* 1, 9. Etsi jam primis temporibus illis, multis rebus offendebatur animus; et *ib. f.* Jam a prima adolescentia. *Nep. Eum.* 11. Se mirari, quare jam tertium diem sic teneretur. ℙ Pro antea. *Tibull.* 1, 4, 49. Vidi ego jam juvenem, premeret cum serior aetas, Moerentem stultos praeteriisse dies. ℙ Ad praesens. *Ter. Ad.* 4, 5, 65. *Mi.* Abi, ut uxorem arcessas. *Aesch.* Quid? jam uxorem? *Mi.* jam. *Aesch.* jam? *Mi.* jam quantum potest; et *Andr.* 1, 2, 19. Postulo, ut redeat jam in viam. *Pl. Epid.* 1, 1, 23. Jam tu autem nobis praeturam geris? *Id. Mil.* 1, [1, 36. Scio jam, quid vis dicere. *Id. Aul. a.* 5. *v.* 11. Jamne autem, ut soles, deludis? [**Nep. Milt.* 1, 1. Eaque esset aetate, ut jam non solum de eo bene sperare, etc., ubi v. quae *Brem* de varia hujus vocis positione disputat. — Idem docet ad *Nep. Att.* 16, 3. particulam *jam* h. significatione saepissime a scribis perperam intrudi; citato *Goerenz.* ad *Cic. Acadd.* 1, 4.] ℙ Ad futurum. *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis. *Cic. Brut.* 25. De quibus jam dicendi locus erit, cum de senioribus pauca dixero; et 46. Id tu Brute jam intelliges, cum in Galliam veneris. ℙ Utrumque tempus est in illo *Pl. Epid.* 2, 2, 72. Ille quidem aut jam hic aderit, aut jam adest. ℙ Pro *tunc*, vel pro *ex eo tempore*, vel *statim, mox*, sunt etiam illa *Cic. Brut.* 17. *f.* Ipsa verba compone, et quasi coagmenta: jam neminem antepones Catoni; et *Tusc.* 4, 24. Remove perturbationes: jam videbuntur monstra dicere; et *Fin.* 4, 23. *extr.* Catuli, qui jam despecturi sunt, caeci aeque, et ii, qui modo nati; et *Har, resp.* 25. *extr.* Tollatur haec e civitate discordia: jam omnes isti, qui portenduntur metus, exstinguentur. ℙ Huc pertinet illud *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum. ℙ Nonnunquam celeritatem significat, et morae increpationem hortandique vim habet. *Ter. Eun.* 4, 6, 27. Omitte: jam adero; et *ib.* 3, 2, 39. Jamne imus? *Id. Ad.* 4, 6, 28. Bono animo es: jam argentum ad eum deferes. ℙ *Jam non* pro nondum. *Nep. Eum.* 12. Cum admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium. ℙ *Jam non* pro amplius non. *Phaedr.* 1, 8. Impune abire quia jam non potest. ℙ Interdum ponitur pro *modo*. *Virg. A.* 4, 246. acri Gaudet equo, jamque hos cursu, jam praeterit illos. *Flor.* 2, 17. Itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces, qui ferocissimas gentes servire docuerunt. Adde *Hor. Sat.* 2, 7, 20. ℙ Saepissime conjungendi orationem vim habet, et transitionibus inservit, pro *praeterea*, vel *nunc*. *Cic. N. D.* 3, 34. Dionysius aureum Jovi detraxit amiculum grandi pondere, etc. Jam mensae argenteas de omnibus delubris jussit auferri. *Id. Phil.* 2, 8. Jam illud cujus est, non dico audaciae, sed stultitiae? *Id. Manil.* 14. Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate valeat, saepe cognostis. [*Adde *Brut.* 43, 159. ubi v. quae *Ellendt.* de discrimine particularum *jam* et *nam* transitioni inservientium disputat. *Tac.* exempla v. ap. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 235.] ℙ Interdum abundat. *Ter. Heaut.* 4, 3, 1. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta, quae mihi aegritudinem afferat. *Tac. G.* 45. Ergo jam dextro Suevici maris litore Aestionum gentes alluuntur. ℙ Interdum geminatur: saepe etiam variis particulis jungitur: quae deinceps omnia ordine subtexam. ℙ [*Permutantur *jam* et *nam*. V. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 43, 159. *Drak.* ad *Sil.* 9, 242. et ad *Liv.* 5, 51, 6. quem laud. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 12, 30. *jam* et *en Cort.* ad *Lucan.* 6, 51.]

JAM ANTE, Jam antea. *Cic. Att.* 7, 4. Quod mihi jam ante erat notum. *Id. Off.* 2, 8. Sensim hanc consuetudinem jam antea minuebamus.

IAMBĒUS, a, um, adj. idem quod iambicus. *Hor. A. P.* 252. Trimetris accrescere jussit Nomen iambeis.

IAMBĪCINUS, a, um, adj. iambicus, ut Iambicinus numerus, *Capell.* 9, 355.

IAMBĪCUS, a, um, adj. ad iambum pertinens, ut Iambicus pes, *Diomed.* 3, 473. Iambicus versus, *ib.* p. 516. et 517.

IAMBUS, i, m. ἴαμβος, pes metricus constans ex priore brevi, et posteriore longa, ut *viros, rogas*, etc. Quidam derivant ab Iambe Celei famula, quae cum vidisset Cererem ob amissam filiam dolere, saltans, et versus iambico metro canens Deam consolata est: alii ab Iambe puella quadam, quae turpiter contumelia affecta suspendio vitam finierit: alii ab Iambe anu, quae, cum Hipponax lavanti sibi molestiam facesseret, versu hoc eum amolita sit, Ἄνθρωπ' ἄπελθε, τὴν σκάφην ἀνατρέπεις, *Vir recede, scapham subvertis*, quo postea poeta delectatus est. Aliam affert notationem *Diomed.* 3, 473. Alii a Marte ortum iambum strenuo duce tradunt, qui cum crebriter pugnas iniret, et telum cum clamore torqueret, παρὰ τὸ ἴον βάλλειν iambus appellatur. *Mar.* vero *Victorin.* p. 248. παρὰ τὸ ἰέναι βαδήν. *Hor. A. P.* 251. Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus, Pes citus. *Id. Od.* 1, 16, 2. Iambi criminosi. *Criminosos* vocat, quia hic pes versibus maledicis conficiendis est aptissimus. *Id. A. P.* 79. Archilochum proprio rabies armavit iambo. *Ov. Ib.* 523. Utque repertori nocuit pugnacis iambi, Sic sit in exitium lingua proterva tuum. V. ARCHILOCHUS. *Catull.* 36, 5. Desissemque truces vibrare iambos. ℙ Addit *Festus:* Iambi vocabantur, qui singuli ex proscenio loquebantur: triambi, qui terni. *Martinius in Lex.* conjicit, respici ad Graecam originem ἴος, solus, et ῥίζω, loquor. Sed, opinor, haec fortasse a *Paulo* interpolata sunt, vel corrupta ad nos pervenerunt. Probabilius vero vocis etymon est ab ἰαπτω, jacio, unde ἴαβος, mox ἴαμβος. ℙ Licenter nimis primam litteram tanquam consonam pro vocali usurpat *Sulpicia Sat.* 5. Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio. Nisi sit pes anapaestus o ĭāmbo pro dactylo, ut aliquando etiam *Virgilius*, aliique.

JAMDĬU. V. DIU.

JAMDŪDUM. V. DUDUM.

JAM JAM, παραυτίκα, nunc, statim, sine mora: et respicit quidem rem futuram, sed imminentem. *Ter. Ad.* 5, 3, 67. *Mi.* Pergisne? *De.* jam jam desino. *Cic. Or.* 3, 24. Jam jam intelligo, Crasse, quid dicas. *Hor. Epod.* 2. *s. f.* fenerator Alphius Jam jam futurus rusticus. *Ov. Trist.* 1, 2, 19. quanti montes volvuntur aquarum! Jam jam tacturos sidera summa, putes *Pl. Most.* 2, 1, 72. Jam jam optime praeceptis paruisti! *Id. Curc.* 5, 3, 29. Jam jam faciam, ut jusseris. *Cic. Brut.* 14. Senatum jam jam inclinatum, a Pyrrhi pace revocavit. ℙ Aliquando figurate indignationem habet. *Virg. A.* 4, 371. jam jam nec maxima Juno, Nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis. ℙ Et miserationem. *Sall. Jug.* 17. Jam jam, frater animo meo carissume, laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. ℙ Et exhortationem. *Quint. Decl.* 3, 17. Jam jam, commilito, quicumque casus manet, etiam si te imperator damnaturus est, habes solatium. ℙ *Jam jamque* est celeriter, quamprimum. *Cic. Tusc.* 1, 7. *extr.* Cum dies et noctes cogitandum sit, jam jamque esse moriendum. *Id. Att.* 14, 22. Quamquam ipse jam jamque adero. [*Magnum exemplorum numerum v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 235. sq.]

[IAMĪDAE, arum, m. plur. haruspices in Peloponneso, ita appellati ab Iamo Apollinis filio ex Evadna, a quo progeniti fuerunt. *Cic. Div.* 1, 41. Itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clutidarum, haruspicinae nobilitate praestantes. Horum meminere etiam *Pindar. Olymp.* 6, 121. et *Paus.* 6, 2. *F.*]

JAM INDĒ, usque ab, inde usque, jam ab hoc, vel illo tempore. *Cic. Prov. cons.* 13. *f.* Jam inde a principio hujus imperii. *Id. N. D.* 2, 48. Jam inde ab ortu naturae. *Id. Or.* 36. *f.* Exercitatio jam inde ab Aristotele constituta. *Ter. Ad.* 3, 4, 76. Homo amicus nobis jam inde a puero. *Liv.* 27, 47. *med.* In destinatis jam inde ante animo latebris subsedit. *Id.* 9, 29. Jam inde antiquitus. *Suet. Tib.* 11. Salubritate insulae Rhodi jam inde captus, cum ad eam ab Armenia rediens appulisset. ℙ Absolute. *Liv.* 27, 51. Ut jam inde, haud secus quam in pace, etc. et *Cic. Vatin.* 5. *f.* Ac tibi jam inde praescribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. ℙ Additur et *usque*. *Ter. Heaut.* 1, 2, 9. Nam mihi magna cum eo, jam inde usque a pueritia, fuit semper familiaritas.

[IAMNOTĀNUS, a, um, adj. ad Iamnonem pertinens, urbem in minori Balearium insula, a *Plin.* 3, 5, 11. memoratam. *Inscr.* ap. *Finestres, Sylloge Inscr. R. in Catal.* p. 160. Ordo municipii sui Iamnotan. insulae minoris.

JAM NUNC, jam ex hoc tempore. *Cic. Div. Verr.* 13. Jam nunc mente et cogitatione prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint: et *mox*. Quae cum cogito, jam nunc timeo, quidnam, etc. Adde *Att.* 1, 8., *Phaedr.* 4, 20. et *Virg. G.* 1, 42. [*Hae particulae saepissime junguntur. Laudat nonnulla exempla *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 1, 144. Eamus nunc jam intro.]

JAM OLIM, jam a longo tempore. *Ter. Eun.* 3, 5, 39. de Jove: Quia consimilem luserat jam olim ille lusum. *Virg. G.* 2, 403. Ac jam olim seras posuit cum vinea frondes, Jam tum acer curas venientem extendit in annum.

*IAMPHORĪNA, ae, urbs Maedorum primaria, in Thracia. *Liv.* 26, 25. *B. A.*

JAM PORRO. V. JAM VERO.

JAMPRĪDEM, et Jam pridem, πάλαι, fere de longiore tempore dicitur, quam *pridem*, atque etiam quam *jamdudum:* diciturque de re incepta, ac nondum desita. *Cic. Att.* 2, 5. Jam pridem cupio Alexandriam visere. *Id. Prov. cons.* 14. Cum ille jampridem gloriae suae, reipublicae nondum satisfecerit. *Id. Fam.* 3, 11. *med.* Brutus princeps jampridem juventutis; celeriter, ut spero, civitatis. *Id. Att.* 12, 23. Occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem; sed nunc fatemur, postquam unum, quo tenebamur, amisimus. *Ter. Hec.* 2, 1, 22. Jampridem equidem audivi, cepisse odium tui Philumenam.

JAM PRIMUM, idem ac primum. *Ter. Ad.* 3, 2, 40. Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat. *Liv.* 1, 1. Jam primum omnium satis constat, etc. [**Jam* transeundi continuandique vim habet, *primum* autem totius enunciationis instar est. Ita hanc dicendi formulam explicat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 15, 1. Jam primum adulescens Catilina, etc., ubi ad confirmandam sententiam laudat *Cat.* 7, 4. *Tac. A.* 4, 6. *in. Liv.* 40, 3, 3. etc.]

JAM TANDEM, tandem aliquando. *Cic. Agr.* 2, 37. *f.* Polliceor, me esse perfecturum, ut jam tandem illi fateantur, etc. *Virg. A.* 6, 61. Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras. *Liv.* 22, 12. *med.* Assuefaciebant militem, minus jam tandem fortunae poenitere suae.

JAM TUM, et Jam tunc, jam inde, jam ex eo tempore. *Cic. Arch* 4. Census indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gesisse pro cive. *Id. Att.* 1, 9. Quae jam tum, cum aderas, offendere ejus animum, intelligebam. *Liv.* 45, 6. Jam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem. *Id.* 29, 1. Malle, eos sibi jam tum fateri, quam postmodum querentes, etc. Al. leg. *tunc. Nep. Tim.* 3. Philippus jam tunc valens, multa moliebatur. Al. leg. *tum. Just.* 13, 5. Palam jam tunc multae civitates, libertatem bello vindicandam, fremebant. *Nep. Thras.* 2. Jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant.

JAM VERO, transitionibus inservit. *Cic. Cat.*

3, 9. Jam vero illa Allobrogum sollicitatio, sic, etc. *Id. Manil.* 11. Jam vero virtuti Cn. Pompeji quae potest par oratio inveniri? ℙ *Jam porro* eundem usum ac vim habet. *Cic. Rosc. Am.* 40. Videte jam porro cetera. ℙ *Jam vero* pro *imo vero*, vel *nunc vero*, correctioni servit. *Cic. Brut.* 76. C. Sicinius probabilis orator: jam vero etiam probatus, ex hac inopi Hermagorae disciplina. ℙ Jam tandem. *Ter. Ad.* 4, 7, 36. Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam.

JAM USQUE, usque, jam inde, *μέχρι*. *Cic. Div.* 1. *in.* Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus.

JĀNA, ae, f. eadem quae Diana, et Luna. *Janam lunam* (quamquam illud *lunam* glossema additum quidam putant, et in textum irrepsisse) bis legere est ap. *Varr. R. R.* 1, 37., ubi etiam colligimus, priscos Romanos, qui agricolae omnes erant, sic ruri locutos fuisse. *Nigidius* quoque ap. *Macr. Sat.* 1, 9. ut Apollinem Janum, sic Dianam Janam esse, tradit, apposita *d* littera, quae saepe *i* litterae causa decoris adjicitur, ut *reditus, redhibetur, redintegratur*, et similia. Verum de hac notatione plura *Voss.* in *Etymol.*, cui *Nigidii* ratio non placet.

JĀNĀLIS, e, adj. ad Janum pertinens. *Ov. Fast.* 6, 165. Virgaque Janalis de spina sumitur alba, *h. e.* a Jano accepta. Sunt qui aliter legi mallent: sed nihil mutandum; etenim sic *Id. ib.* 129. Sic fatus (*Janus*) virgam, qua tristes pellere posset A foribus noxas, (haec erat alba) dedit. ℙ De Janali porta. V. JANUALIS.

*IANASSA, ae, f. *Ἰάνασσα*, Nympha marina, Nerei Doridisque filia. *Hyg. fab. praef. B. A.*

JĀNĔUS, janitor. *Festus.*

JĀNĪCŪLA, ae, f. sic quondam dicta est Italia ab Jano, qui post diluvium primus in ea regnavit: et sunt qui hunc Janum putent fuisse Noe. Ita quidam lexicographi.

JĀNĪCŪLĀRIS, e, adj. ad Janiculum pertinens, ut Janicularis mons, *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 784.

JĀNĪCŪLENSIS porta Romae, quae ferret in Janiculum, memoratur ab eruditis, qui de Urbe Roma scripsere.

JĀNĪCŪLUM, i, n. *Montorio*, unus ex urbis Romae collibus trans Tiberim, usque ad pontem Milvium extra porrectus, ubi olim fuit Janiculum oppidum a Jano, qui ibi regnavit. Aliqui oppidum dictum scribunt a janua, quod tanquam janua esset Romanis in Etruriam proficiscentibus. Hunc montem Ancus muro cinxit, et ponte sublicio junxit. *Fest.* et *Liv.* 1, 33. Hinc *Ov. Fast.* 1, 245. Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro Nuncupat haec aetas, Janiculumque vocat. *Mart.* 4, 64. Jull jugera pauca Martialis Longo Janiculi jugo recumbunt, Hinc septem dominos videre montes, Et totam licet aestimare Romam.

JĀNĪGĔNA, ae, m. et f. a Jano genitus. *Ov. Met.* 14, 381. Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem. V. CANENS.

JĀNĪTOR, oris, m. *θυρωρός*, januae custos. *Cic. Verr.* 2, 3, 2. Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt. *Pl. Men.* 4, 2. *f.* Heus, ecquis hic est janitor? aperite. *Cic. Verr.* 2. 5, 45. Janitor carceris. ℙ Romani quos habebant servos ad januam, catenatos prope ipsam habere solebant: unde janitores inter vilissima mancipia habebantur. *Ov. Am.* 1, 6, 1. Janitor (indignum!) dura religate catena. *Colum. praef. l.* 1. *med.* An putem fortunatius a catenato repulsum janitore saepe nocte sera foribus ingratis adjacere? ℙ Coeli janitor est Janus. *Id. Fast.* 1, 125. et 139. ℙ Inferorum Cerberus. *Virg. A.* 6, 400. et *ib.* 8, 296. ℙ Olim *janitos* dictum fuit, teste *Varr. L. L.* 6, 3. ℙ [*In *Cic. Agr.* 2. *c.* 13. Sumtum haurit ex aerario, suppeditat a sociis: janitores ex equestri loco ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit: *cet. τὸ janitores* factee expulsum vult *Ernestus. Schellerus* sic interpungit: *Suppeditat a sociis janitores: ex equestri* cet. *B. A.*]

JĀNĪTRIX, icis, f. *θυρωρός*, mulier, cui januae custodia est commissa. *Pl. Curc.* 1, 1, 76. Anus hic solet cubitare, janitrix. ℙ *Janitrices* etiam dicebantur duorum fratrum uxores, quasi eandem januam terentes, vel per eandem januam iter habentes. Haec *Isid. Or.* 9, 7. Alii putant, ita esse appellatas, quod pariter adversum lectum januae sibi sternerent, inque eo tanquam custodiae causa cubare solerent. Nam apud Romanos ea consuetudo fuit, ut quae uxor primum in manum viri convenisset, ea sibi in atrio domus, ante ipsam januam, lectum sterneret, qui idcirco *adversus* dictus est, ut habetur ap. *Prop.* 4, 11, 85. Seu tamen adversum mutarit janua lectum; et *Ascon.* ad *Cic. Mil.* 5. Omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et lectulum adversum uxoris ejus Corneliae. Sunt tamen qui rectius arbitrantur, *janitrices* esse vocem corruptam ex *εἰνατέρες*, uxores fratrum, quod fortasse est pro *εὐναστέρες*, etenim *εὐνάστειρα* conjugem significat, ex *εὐνή*, cubile. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. §. 6. Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur, apud Graecos *εἰναστέρες*, quod uno versu idem Homerus (*Iliad. l.* 6. *v.* 378.) significat: *Ἑπτὰ γὰρ ἐς γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων.* ℙ Translate. *Plin.* 15, 30, 39. Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Caesarum, pontificumque, *idest* quae solet plantari ante domos Caesarum, et pontificum. *Tertull. Anim.* 55. Rhomphaea Paradisi janitrix. *Id. contra Gnost.* 10. Quas mihi potestates janitrices adfirmas juxta Romanam superstitionem, Cardeam quandam et Forculum et Limentinum. [*Hunc locum immutavit et ampliavit *F.*]

IANTHE, es, f. virgo Cretensis, laudatissima forma. *Ov. Met.* 9, 714. Cum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthen. ℙ [*Item Nympha marina, Ponti et Maris filia. *Hyg. fab. praef. B. A.*]

IANTHĪNUS, a, um, adj. *ἰανθινος*, violaceus, colorem floris violae referens, purpurei coloris, ab *ἴανθος*, flos quidam, et color purpureus: ab *ἴον*, viola, et *ἄνθος*, flos. *Plin.* 21, 6, 14. Ab his ianthina vestis; et *ib.* 8, 22. Ianthinus color. V. ION. ℙ *Ianthina* absolute, sunt vestes violacei coloris. *Mart.* 2, 39. Coccina famosae donas, et ianthina moechae.

IANTHIS, ĭdis, f. *ἰανθὶς*, herba vel flos purpurei coloris. *Marc. Empir.* 17.

[IANTHULLA vel Iantullă, ae, f. dimin. ianthi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 17. Vibiana Iantulla. *F.*]

*IANTHUM, i, n. herba eadem quae et ianthis. *Plin.* 21, 6. *B. A.*

[IANTHUS, i, m. *ἴανθος*, flos colore violaceo. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. p.* 673. Is intulit Ianthum Aug. L. fratrem suum. *F.*]

JĀNŪA, ae, f. *θύρα*, primus ingressus ad interiora domus: a *Jano*, qui januis praeesse creditus est. *Cic. N. D.* 2, 27. Principem in sacrificando Janum esse voluerunt: quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviae, jani; foresque in liminibus profanarum aedium, januae nominantur. *Varr. L. L.* 5, 9. *med.* Mittere cornicinem ad januam privati. *Phaedr.* 4, 24. Nec ulli juvenes reperti sunt ad januam. *Ov. A. Am.* 2, 244. Atque erit apposita janua fulta sera. *Id. Am.* 1, 6, 28. Roboribus duris janua fulta riget. *Id. Her.* 4, 141. Reserare januam. *Pl. Aul.* 1, 2, 11. occludere. *Id. Poen.* 3, 4, 30. pultare. *Id. Asin.* 2, 2, 7. indiligenter observare. *Petr. Sat.* 139. intrare. *Hor. Sat.* 1, 2, 128. frangere. *Ov. Trist.* 3, 2, 23. pulsare sepulcri. *Scaev. Dig.* 8, 2, 41. aperire, aperto pariete januam facere. ℙ Ab *ostio* differre quidam arbitrantur, quod hoc sit interiorum domi cubiculorum. Sed confunduntur. *Cic.* enim *Or.* 2, 68. primo dicit *aliquem ab ostio quaerere:* et mox *quaerere aliquem a janua*, quae significant interrogare aliquem stans ante portam. *Plaut.* quoque ubi utrumque conjunxit, duo synonyma conjunxit. *Pers.* 5, 1, 6. Hic volo ante ostium et januam meos participes bene accipere. ℙ A *porta* vero certe differt, quae est castrorum, moenium et urbis. Tametsi ne hoc quidem est perpetuum. ℙ Dicitur et de quocumque aditu. *Virg. A.* 6, 106. quando hic inferni janua regis, etc.; et 127. Noctes atque dies patet atri janua Ditis. ℙ Translate. *Cic. Planc.* 3. Qua nolui janua sum ingressus in causam. *Id. Or.* 1, 47. Si in haec, quae patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros, ab hoc aditu januaque patefacta. *Plin. ep.* 1, 18. Illa actio mihi januam famae patefecit. *Val. Fl.* 4, 231. reclusaque janua leti. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. *med.* Janua animi. frons est.

JĀNŪAL, libi genus, quod Jano tantummodo libatur. *Festus.*

JĀNŪĀLIS, e, adj. ad Janum pertinens, Janalis. *Fest.* in *Axamenta*: Versus in Deos singulos facti a nominibus eorum appellabantur, ut Januales (al. leg. *Janualii*) Junonii, Minervii. ℙ *Janualis porta* fuit Romae sub radicibus collis Viminalis (seu potius Capitolini, ut *A. Nibbyus*, *Mura di Roma* p. 69. legendum probat ap. *Macrob. loc.* mox citando), quia ferunt, bello Sabino ex aede Jani per hanc portam magnam vim aquarum erupisse, quibus hostium plurimi oppressi sunt. *Ov. Fast.* 1, 269. et *Macr. Sat.* 1, 9. *f.* Sed haec fabulosa sunt. *Varro* autem *L. L.* 4, 34. haec habet: Janualis porta, dicta ab Jano: et ideo ibi positum Jani signum, et jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit. Nusquam traditum est memoriae, Pompilio rege fuisse apertam, etc. Haec *Varro*, quae ab aliis de ipso Jani templo traduntur. Unde non ab re colligitur, eodem loci, ubi haec porta primum fuit, templum Jani exstructum fuisse, in quo idem ritus belli ac pacis tempore servaretur. ℙ Pro *Janualis* est qui legit *Janalis.*

JĀNŪĀRĬUS, a, um, adj. Janualis. *Januarius mensis*, et *Januarius* absolute, olim undecimus, deinde primus anni mensis, Jano sacer: additus anno Romano ab Numa Pompilio, cum antea decem tantummodo mensibus constaret. V. *Ov. Fast.* 1, 64. et sqq. *Cic. Agr.* 1, 2. Auctio constituta in mensem Januarium. *Id. Att.* 1, 2. Januario mense cura, ut Romae sis. *Caes. B. C.* 1, 5. A. d. VII. Id. Januarii. ℙ Primus dies hujus mensis Romanis laetissimus celeberrimusque fuit. Illo enim die, qui designati fuerant, magistratum inibant, et quidem qui curuli fuerant ornati magistratu, curribus, in quibus sellae erant ebore tectae, in Tarpejam arcem, seu in Capitolium, universo populo sequente, novis induto vestibus, vehebantur, ad sacrificium in Jani honorem peragendum. Illo die ab amicis felicitatis auguria dabantur, et accipiebantur. Prima enim in omnibus rebus maximam vim habere censebant. Ceterum hoc ipso die mos fuit singulos aliquid attingere in ea arte, quam exercebant. *Ov. l. c.* 169. etc. et *Colum.* 11, 2. *f.* ℙ [Est etiam cogn. R. frequentissimum in Latinis Inscr., ut ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 324. C. Latinius Januarius. *F.*]

JĀNUS, i, m. *Ἰανος*, Apollo, sive Sol. Nam etiam Luna primo Jana, deinde Diana appellata est. *Macr. Sat.* 1, 9. ex Nigidio. Dictus est ab eundo, quasi Eanus, quia semper movetur. *Cic. N. D.* 2, 27. Aliqui Mundum, idest Coelum, seu Mentem Coeli praesidem Jani nomine intelligunt, dictumque volunt et ipsum ab eundo, quod Coelum semper eat, dum in orbem volvitur, et ex se initium faciens in se refertur. Sunt etiam qui Jani nomine annum significari velint. Ratio nominis similiter fuerit a verbo *eo.* Nam tempus in perpetuo motu versatur. Aliqui interpretantur antiquum chaos rerum. *Ov. Fast.* 1, 103. ℙ Historici scripsere, Janum regem antiquissimum Italiae fuisse. Regnavit in Latio, et in agro Romano, condita arce, quam de suo nomine Janiculum nuncupavit, in eo monte, quem posteri eodem nomine appellavere, nunc *Montorio* trans Tiberim. *Ov. Fast.* 1, 245., *Virg. A.* 8, 358. Sed in aliquibus libris reperitur, eum in Etruria regnavisse, in aliquibus in Umbria. Primus in Italia Diis templa fecit, ritusque sacrorum instituit. Idcirco in sacrificiis praefationem meruit perpetuam. *Macr. Sat.* 1, 7. 8. 9. Saturnum a Jove filio ex Creta expulsum, classeque in Italiam advectum suscepit hospitio, et, quoniam ab eo ruris agriculturam edoctus est, regni partem illi concessit. Saturnus urbem condidit, quam Saturniam appellavit, in monte Tarpejo, seu Capitolino. *Ov. et Virg. ll. cc.* ℙ Quidquid veteres Jani nomine intelligerent, sive Solem, sive Mundum, vel Coelum, vel Mentem Coeli praesidem, sive annum, sive chaos, etc., Romani et omnes Itali Janum Deum quendam esse credebant totius mundi custodem, illum Coeli januis praesidere, idest parti orientali: praeesse etiam omnium aedium foribus, item viis omnibus tum in urbibus, tum extra urbes: illum coelum, aerem, aquam, terram, res omnes hujus universitatis claudere et aperire, pacem, et bellum in sua potestate habere. *Ov. l. c.* ℙ Duas illi facies tribuebant, alteram anteriorem, alteram a tergo. Unde geminus, bifrons, et biceps dicebatur. Causam *Ov. ib.* 135. affert, quia coelo praesideret, et utramque partem, orientalem et occidentalem respiceret, item aedium januis praeesset, quae quidem januae duas facies habent, quarum altera ad aedium partem internam versa est, altera ad externam. Qui solem intelligunt, rationem reddunt, vel quia potentiam habet in utramque coeli januam, idest in partem orientalem et in occidentalem, et dum oritur, mundum aperit; dum occidit, claudit; vel quia superorum atque inferorum janitor exsistit, idest, utrumque hemisphaerium illustrat. Qui Janum pro anno accipiunt, illud hujus fictionis causam fuisse ajunt, quod annus ex se initium faciens fini occurrit. Qui regem Italiae Janum censent fuisse, faciem geminam ad Jani prudentiam solertiamque referunt, qui et praeterita nosceret, atque prospiceret futura. Ejus figura admodum confusa erat. Causa ab *Ov. ib.* 103. allata est, quod Janus fuerit antiquum chaos, in quo omnia elementa, terra, aqua, aer, ignis permixta erant. Solebant etiam Janum quadrigeminum, seu quadrifrontem fingere. Coeli enim quatuor facies, idest cardines sunt, oriens, occidens, septentrio, auster. Vel respiciebant ad quatuor anni tempora, vel ad quatuor elementa, ut *Servius* ad *A.* 7, 607. et *Isid. Orig.* 8, 11. tradunt. Etiam *August. C. D.* 7, 4. quadrifrontem Janum memorat, ejusque figurae causam ex conjectura aliunde ducit. Cum clave et virga figurabatur, quasi omnium et portarum custos, et rector viarum. ℙ In Jani nummis in altera parte facies gemina, in altera figura navis imprimebatur. Navis figura nummi signabantur in Saturni memoriam, qui regnante Jano cum classe in Italiam venit, eumque et omnes Italos docuit agriculturam. *Ov. ib.* 233. et *Macr. Sat.* 1, 7. ℙ *Jani templum* aeneum cum aeneo signo erat ad infimum Argiletum, juxta Palatium, ut narrat *Liv.* 1, 19., vel potius, ut alii scripsere, juxta Capitolium seu Tarpejum montem in foro, a Numa Pompilio positum. Loci causa fuit, quia cum Sabini Capitolium Tarpejae virginis proditione occupaturi essent, calida aqua repente ex eo loco erupit, quae fugavit exercitum Sabinorum. Hoc templum pacis tempore clausum asservabatur, belli autem, velut ad urbis auxilium profecto Deo, ut ait *Macr. l. c.*

9., reserabatur. Constat autem ter fuisse clausum, primum regnante Numa, iterum post bellum Punicum primum, anno scil. U. C. DXIX., tertio post bellum Actiacum ab Augusto *Liv. l. c.*, *Ov. l. c.*, 281., *Vell.* 2, 38. ℙ *Janus geminus*, et *Janus Quirinus* idem numen dicebatur, qui in foro, ut diximus, templum habebat. *Varr. L. L.* 4, 32. Lautolae a lavando, quod ibi ad Janum geminum aquae calidae fuerant. *Suet. Aug.* 22. Janum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, terra marique pace parta, ter clusit. *Hor. Od.* 4, 15, 9. Janum Quirinum clusit. ℙ Romani Jano ante omnes alios Deos rem divinam faciebant. In omnibus enim rebus prima et extrema vim habent maximam. *Cic. N. D.* 2, 27. *Ovidius* hanc causam attulit, *Fast.* 1, 171., quod Janus esset mediator Deorum et hominum. Sacrificabant ture, melle, ficubus, farre sale mixto, vino, et aliis hujusmodi. Causa rerum dulcium erat, ut annus feliciter coeptum cursum perageret. Causa farris et vini fuit, ut illo anno frugum copia esset. Stipem praeterea offerebant, idest nummum aereum, in memoriam ejus pecuniae, qua veteres usi fuerant. Sacra etiam Jano faciebant die nono Januarii, quae Agonalia appellabantur. *Ov. Fast.* 1, 85. et 317. ℙ Janus item fuit Romae locus tectus in foro, quatuor fornicibus pervius, in quo mercatores, et feneratores frequentissime habitabant. *Ov. Rem. Am.* 561. Qui puteal, Janumque timet, celeresque calendas. Prima vici pars huic Jano proxima, ubi pecunia fenori dabatur, *summus Janus*, ultima *imus*, media *medius Janus* dicebatur. *Hor. Ep.* 1, 1, 54. Haec Janus summus ad imum Perdocet. *Id. Sat.* 2, 3, 18. Postquam omnis res mea Janum Ad medium fracta est. Adde *Cic. Phil.* 7, 6. et *ib.* 6, 5. ℙ *A Jano primo*, vel *a Jano medio* dicebatur artifex, qui prope ea loca officinam, vel tabernam habebat. *Inscr.* apud *Grut.* 516, 9. C. Julius C. L. Nicomachus a Jano primo. Alia ap. *eund.* 517, 2. C. Lepidus C. L. Anicetus a Jano medio. [*Scripsit de Jano medio satis longam disputationem *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. *in f.*] ℙ *Jani* denique dicebantur omnes transitiones perviae, sive aedificia fornicata et pervia, aut arcus, cujusmodi plures per omnes urbis regiones Domitianum exstruxisse, scribit *Suet. Dom.* 13. Ita autem appellabantur, quia Janus omnibus januis et viis praeesse credebatur, ut dictum est. *Id. Aug.* 31. Pompeji statuam contra theatri ejus regiam, marmoreo Jano supposuit. *Liv.* 41, 27. *extr.* Forum porticibus tabernisque claudendum, et Janos tres faciendos locavit. *Id.* 2, 49. Infelici via dextro Jano portae Carmentalis profecti. Adde *Cic. N. D.* 2, 27. ℙ *Mensis Jani* est Januarius, qui et Janus poetice dicitur. *Ov. Fast.* 2, 1. Janus habet finem: cum carmine crescit et annus; et 48. Primus ut est, Jani mensis, et ante fuit. ℙ In illo *Ausonii ep.* 20. *extr.* Vive, vale, et totidem venturos congere Janos, Quot, etc. *Janos* intellige calendas Januarii, quae Jano sacrae: et per synecdochen annos

JĀNUSPĀTER, olim conjuncte dictus est, teste *Gell.* 5, 12., ut Marspiter, Juppiter.

[IĀO, us, m. Ἰάω (ex Hebr. יהוה *iehovà* Dominus: seu potius compos. ex tribus Iitteris *I, A, Ω*, nempe ex Ἰησοῦς (qui est *A* et *Ω*), nomen mysticum Christi ex sententia Gnosticorum, qui cum ejusdem nativitatis memoriam cum solstitio hiberno concurrentem recolerent, illum cum sole novo, seu ad boreale mundi hemisphaerium accedente, confundebant, et maximum Deorum appellabant, ut patet ex oraculo Apollinis Clarii ap. *Macr. Sat.* 1, 18. *Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν Ἰάω, ... μετοπώρου δ' ἄβρὸν Ἰάω.* ℙ *Iao* fuit etiam vox inclamantis, et fidem auxiliumque exposcentis: ita enim de aeonibus Valentinianorum, qui ex Gnosticorum genere erant, loquitur *Tert. adv. Valent.* 14. Si non idem Horus tam importune filiae occurrisset, ut etiam inclamaverit in eam, Iao; quasi porro Quirites, aut fidem Caesaris. Inde invenitur Iao in Scripturis. Haec *Tertull. F.*]

IĀPĔTĪDES, ae, m. idem quod Iapetionides. *Ov. Met.* 5, 111. Tu quoque, Iapetide, non hos adhibendus in usus. Alii aliter leg., quantitas enim syllabarum hic etymo vocis male respondet. [*De scriptura *Jäpetide* pro *Japetide* v. *Jahn.* ad *Ov. Met.* 4, 632.]

IĀPĔTĬŌNĪDES, ae, m. patron. ab Iapeto, Atlas, vel alius ex filiis Iapeti. *Ov. Met.* 4, 630. Iapetionides Atlas fuit, ultima tellus. *Claud. in Eutr.* 2, 491. Iapetionides generis primordia nostri.

IĀPĔTUS, i, m. Ἰαπετός, filius Terrae, et Tartari, unus Gigantum. Ex Clymene uxore filios habuit Atlantem, Epimetheum, Prometheum. Est ab Hebr. יֶפֶת *Japheth*, filius Noe. *Hygin. praef.* et *fab.* 142. et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 42. et ad *A.* 1, 745. De Prometheo *Hor. Od.* 1, 3, 27. Audax Iapeti genus Ignem fraude mala gentibus intulit. *Ov. Met.* 1, 82. Quam satus Iapeto mixtam fluvialibus undis. *Virg. G.* 1, 279. Coeumque, Iapetumque creat, saevumque Typhoea.

IĀPĪDĬĀ, et IAPIDES. V. IAPYS.

IĀPIS, ĭdis, m. ab ἰάομαι, medeor, ita nominatus est medicus, qui Aeneam sagitta ictum curavit. *Virg. A.* 12, 391. ubi al. male leg. *Iapyx. Auson. epigr.* 19. Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt, Discendas artes nomina praeveniunt. ℙ Hic prima in *Iapis* insolenter corripitur, nam in ἰάομαι producitur; ceterum apud sequiores Graeciae scriptores quandoque eam corripi, jam notum est.

*IĀPYGĒUS, a, um, i, q. Iapygius. *Appul. de mundo med.* p. 63, 20. *Elmenh.* Appuli Iapygeum ex Iapyge sinu, id est, ex ipso Gargano venientem, sc. ventum. In ed. *Vulc.* est *Iapyga. B. A.*

IĀPYGĬA, ae. f. Ἰαπυγία, regio Italiae, quae et Appulia, seu Appuliae pars, quae Messapia dicitur, nomen habens ab Iapyge Daedali filio, qui in ea regnavit. *Plin.* 3, 11, 16. *Serv.* ad *G.* 3, 475. et *Ov. Met.* 15, 703. Linquit Iapygiam, laevaque Amphissia remis Saxa fugit.

IĀPYGĬUS, a, um, adj. ad Iapygem, vel Iapygiam pertinens. Iapygium promontorium, *capo S. Maria di Leuca*, *Plin.* 3, 11, 16.

IĀPYS, ydis, m. Ἰάπυς, qui ex Iapydia est, unde *Iapydes*, *um*, populi, qui Liburniae partem, seu Iapydiam, incolebant, in Flanaticum sinum, a tergo Istriae, quae regio nunc *Morlacchia. Tibull.* 4, 1, 109. testis mihi victae Fortis Iapydiae miles *Virg. G.* 3, 475. Norica si quis Castella in tumulis, et Iapydis arva Timavi, etc. Ubi *Servius:* id est Venetiam, nam Iapydia pars est Venetiae, dicta ab Iapydio oppido. Sallustius: *primam modo Iapydiam ingressus.* Hujus fluvius est Timavus. Unde male quidam *Iapygis* legunt, cum *Iapygia* sit Appulia. Haec *Servius.* Iapydiam, et Iapydes nominat *Plin.* 3, 18, 22., *ib.* 19, 23. et *ib.* 21, 25. et *Liv.* 43, 5. ℙ Sunt qui perperam *Iapidia*, et *Iapides* scribunt.

IĀPYX, ygis, m. Ἰάπυξ, Daedali filius, a quo Iapygia, ubi regnasse fertur, nomen habet. Item fluvius Iapygiae. *Plin.* 3, 11, 16. et *Ov. Met.* 15, 52. ℙ Item ventus ejus regionis ab occidente spirans orientem versus, commodissimus idcirco ab Italia in Graeciam transvehentibus. Zephyrus ab aliis, ut a *Veg. Mil.* 4, 38., ab aliis Caurus, ut a *Favorino* ap. *Gell.* 2, 22. creditur. A Zephyro certe *Lucan.* 6, 339. distinguit. *Hor. Od.* 1, 3, 1. Sic te Diva potens Cypri, Ventorumque regat pater, Obstrictis aliis, praeter Iapyga, Navis, quae, etc. *Virg. A.* 8, 710. undis et Iapyge ferri. ℙ Adjective est Iapygius, Appulus. *Ov. Met.* 14, 510. et Iapygis arida Dauni Arva gener teneo. *Virg. A.* 11, 678. et equo venator Iapyge fertur; et 247. Gargani Iapygis arva. *Sil.* 1, 51. et 3, 707. Invade Aetoli ductoris Iapyga campum.

IARBAS, ae, m. filius Jovis et Garamantidis Nymphae, rex Gaetulorum, vel Maxitanorum. V. DIDO. *Virg. A.* 4, 36. Non ante Tyro despectus Iarbas. ℙ Dicitur etiam *Iarba*, *ae*, eliso *s. Ov. Fast.* 3, 552. Et potitur capta Maurus Iarba domo.

[*IARBĪTĂ, ae, m. idem ac Maurus natione, cujus rex Iarbas fuit. *Hor. Ep.* 1, 19, 15. Rupit Iarbitan Timagenis aemula lingua. *Porph.* ad *Hor. l. c.* Hic Iarbita Maurus fuit, qui dum Timagenem imitatur post convivium, et intra pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, paene disruptus est. *F.* et *B. A.*]

IARDĀNIS, ĭdis, f. patronym. Omphale filia Iardani. *Ov. Her.* 9, 103. Se quoque Nympha tuis ornavit Iardanis armis.

[IAS, ădis, f. Ἰάς, άδος, Ionica, quae ex Ionia est. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1329, 10. Claudia Ias. *F.*]

*IĀSI, orum, m. populi Pannoniae vel Daciae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

IĀSĬDES, ae, m. patronym. ab Iasio. *Virg. A.* 5, 843. Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem. *Stat. Th.* 1, 541. Iasides pateram famulos ex more poposcit, *h. e.* Adrastus, qui Argis regnavit, ubi olim et Iasius.

IĀSĬON. V. IASIUS.

IĀSĬONĒ, es, f. Ἰασιώνη, herba est unius tantum folii, sed ita implicati, ut plura videantur, in terra repens, cum lacte multo, flore candido: Latine concilium vocant. *Plin.* 21, 17, 65. et 22, 22, 39.

IĀSIS, ĭdis, f. Atalanta filia Iasii, vel Iasionis Jovis et Electrae filii. *Prop.* 1, 1, 10. Saevitiam durae contudit Iasidis.

IĀSĬUS, a, um, adj. Argivus, ab Iasio Argivorum rege. Hinc *Iasia virgo* ap. *Val. Fl.* 4, 353. est Io filia Inachi Argivi regis. ℙ Iasius, vel Iassius sinus est prope Iasum, seu Iassum urbem Cariae in Asia minori. *Plin.* 5, 29, 29. et 9, 8, 10. ℙ **Iasii*, *orum*, incolae Iasi vel Iassi urbis Cariae. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

IĀSĬUS, ii, m. Ἰάσιος, rex Argivorum, Atalantae pater. *Hyg. fab.* 70. ℙ Item filius Jovis, et Electrae, frater Dardani, Samothraciae rex. Alii filium Corythi faciunt Jovis filii, Etruriae regis. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 167. hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater. Adde ad *ib.* 7, 207. ℙ Hunc Ceres adamasse dicitur, quia peritissimus fuit agriculturae. Sed alii diversum faciunt a priori, Ilithii filium, Cretensem. *Ov. Amor.* 3, 10, 25. Viderat Iasium Cretaea Diva sub Ida. ℙ Dicitur et *Iasion*, *onis*, Ἰασίων, ωνος. *Ov. Met.* 9, 421. queritur canescere mitis Iasiona Ceres. Adde *Trist.* 2, 300. et *Hyg. fab.* 270. et *Astron.* 2, 22. Consule de fabula Iasionis *Enn. Q. Visc. Op. Var. T.* 2. p. 17. *ed. Mediol.* ℙ *Item pater Palinuri. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 202. V. *Iasides.* ℙ et Adrasti pater. V. *Iasides. B. A.*

[*IĀSO, us, vel onis, f. Ἰασώ, filia Aesculapii, quam pinxit Socrates pictor: ita appellata ab ἰάομαι, medeor. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 31. Nam Socrates jure omnibus placet. Tales sunt cum Aesculapio filiae, Hygia, Aegle, Panacea, Iaso. *F.* et *B. A.*]

IĀSON, ŏnis, m. Ἰάσων, ονος, filius Aesonis regis Thessaliae ex Alcimede, seu ex Polymila, nepos Erithei, seu Chrithei, pronepos Aeoli, quem pater moriens Peliae fratri in tutelam commendavit, tradito etiam regno, ea tamen lege, ut illud adulto Iasoni restitueret. Sed mater Alcimede suspectum habens Peliam, Iasonem Chironi alendum dedit. Iason adultus ad repetendum paternum regnum venit. Pelias commentus fraudem, Iasonem Colchos ad auferendum aureum vellus navigare jussit. Quae res licet primo fieri non posse videretur, tamen praeparata Argo navi, cum omnibus fere adolescentibus Graeciae principibus Colchos profectus est. Inter navigandum primum ad Lemnum insulam appulit, ubi ab Hypsipyle et hospitio et thalamo susceptus est. Deinde appulit ad Phyneum regem Thraciae, al. Paphlagoniae, quem ab Harpyiis liberavit, missis Calai et Zethe fratribus alatis, qui eas usque ad Strophades insulas fugarunt: a quo muneris loco edoctus est, quomodo per Cyaneas petras inter se concurrentes ad Colchos usque tuto navigare posset. Quo cum pervenisset, Medea Colchorum regis filia, forma ejus capta, a certissimo eum eripuit exitio, ostensa ratione, qua aeripedes tauros posset perdomare, et draconem pervigilem sopire. Ejus itaque consilia secutus aureum vellus sustulit, et inde clam cum sociis, et Medea fugam arripiens, ad Istri ostium pervenit, adversoque flumine subiens, cum eum tandem in locum pervenisset, ubi Danubius Liburniae montibus proximus est, navim, qua vectus erat, suis sociorumque humeris, superatis montibus, in mare Hadriaticum deportavit, tandemque sospes in patriam revectus est. Duos ex Medea filios suscepit. Sed cum postea Creusae Corinthiorum regis filiae amore flagrans eam uxorem duxisset, Medea aegre ferens divortium, Creusam cum regia exussit. Sunt qui tradant, Medeae postea reconciliatum Iasonem, Aeetem socerum a fratre Persa pulsum in regnum restituisse, multaque alia praeclara gessisse, adeo ut divinos in Asia honores promeritus fuerit. Haec fabula describitur ab *Apollonio Rhodio*, et *Val. Fl. Ov. Met.* 7, 5. Multaque perpessi claro sub Iasone tandem, etc. ℙ Fuit hoc nomine inscriptum poema *Varronis Atacini*, quo Argonautarum expeditionem persecutus est. *Prop.* 2, 25, 85. Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro. ℙ *Fuit et Jason Pheraeus tyrannus, de quo *Cic. de Off.* 1, 30. et *N. D.* 3, 28. *Val. Max.* 9, 10. *Nep. Timoth.* 4. De eo V. *Diod. Sic.* 15, 373. ℙ *Jaso* pro Jason, habet *Mela* 1, 19. *med. B. A.*

IĀSONĪDES, ae, m. Ἰασονίδης, patronymicum a Iasone. *Stat. Th.* 6, 340. Ecce et Iasonidae juvenes, nova gloria matris, *h. e.* Thoas et Euneus Iasonis filii ex Hypsipyle.

IĀSŌNĬUS, a, um, adj. Ἰασόνιος, ad Iasonem pertinens. *Ov. Pont.* 3, 1. Aequor Iasonio pulsatum remige primum, *h. e.* ab Argonautis sub Iasone duce. *Prop.* 2, 19, 31. Iasonia carina, *h. e.* ipsa navis Argo.

[IASPACHĀTES, ae, m. ἰασπαχάτης, gemma ex achatae generibus, quae quandam habet cum iaspide similitudinem. *Plin.* 37, 10, 54. *F.*]

IĀSPĬDĒUS, a, um, adj. ad iaspidem pertinens. *Plin.* 37, 10, 56. Ceponides gemmae, multis coloribus translucentes, alias vitreae, alias crystallinae, alias iaspideae.

IĀSPIS, ĭdis, f. ἴασπις, gemma viridis et translucens, multorum generum: nam et smaragdi similis, et aerei coloris, et caerulei, et purpurei reperitur, etc. V. *Plin.* 37, 8, 37.; et *ib.* 9, 37., ubi de ea plura. *Virg. A.* 4, 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat. *Mart.* 5, 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo; et 9, 60. Et pretium magnis fecit iaspidibus. *August.* jocans in Maecenatem ap. *Macr. Sat.* 2, 4 Vale, mel gentium, Cilniorum smaragde, iaspi figulorum, berylle Porsenae. ℙ Iaspis aerizusa. V. AERIZUSA.

[IĀSPĬUS, a, um, adj. ad iaspidem pertinens, iaspideus. *Maecen.* in *ep. ad Hor.* ap. *Is. Or.* 19, 32. et in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 413. *Burm.* Nec percandida margarita quaero, Nec, quos Thynica lima perpolivit, Anellos, nec iaspios lapillos. *F.*]

IĀSPONYX, ychis, f. ἰασπόνυξ, gemma ex iaspidum genere, onychis modo distincta punctis: unde et conflatum habet nomen. *Plin.* 37, 9, 37.

[ĬASSENSES, ium, m. plur. iidem ac Iassii, incolae urbis Iassi. V. IASIUS. *Liv.* 37, 17. Erant Iassensium exsules cum Romanis. *F.* et *B. A.*]

[ĬASSĬI, orum, m. plur. Daciae pop. quorum urbs etiamnum *Iassy* in *Moldavia* appellatur: eorum meminit *Plin.* 3, 25, 28., ubi pro *Jasos* lege *Iassios. Inscr.* ap. *Grut.* 259, 8. Praef. M. Dacorum Iassiorum. *F.*]

*ĬASSUS vel Iasus, i, Ἴασσος, *Straboni*, Cariae urbs. *Liv.* 32, 33. et 37, 17. *Plin.* 5, 29. et 9, 8. V. *Iasius, a, um*, et *Iassenses, ium. B. A.*

[ĬASTĬUS. a, um, adj. Ἰάστιος, Ionicus, ut Iastius tropus ap. *Capell.* 9, 317. qui secundus est ex quinque tropis principalibus musicae: hi enim sunt Lydius, Iastius, Aeolius, Phrygius, Doricus. *F.*]

*ĬASTUS, i, m. tropus principalis musicus. *Mart. Capell.* 9, 317. Idem, putat *Gesnerus*, quod *Ionius. B. A.*

*ĬATĬI, orum, m. pop. Sogdianae. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

ĬATRĂLIPTĂ, vel Iatraliptes, vel Iatroaliptes, ae, m. ἰατραλείπτης, medicus, qui unctione et perfrictione corporum morbos curat: ab ἰατρὸς, medicus, et ἀλείφω, ungo: reunctorem medicorum *Plin.* 29, 1, 2. vertit. Primo enim iatraliptae medicorum servi fuere: postea in medicorum classem transierunt. *Plin. alter ep.* 10, 4. Gravissima valetudine usque ad periculum vitae vexatus, iatralipten assumpsi. *Inscr.* ap. *Mur.* 884, 4. P. Aelio Aug. Lib. Epaphrodito magistro iatraliptae puerorum eminentium Caesaris N., qui eorum unctionibus in gymnicis exercitationibus praeerat. ℙ Horum opera utebantur etiam in balneis: eoque munere servi quoque fungebantur. *Petr. Sat.* 28. Tres interim iatraliptae in conspectu ejus falernum potabant.

ĬATRĂLIPTĬCĒ, et Iatraleptice, es, f. ἰατραλειπτικὴ, medicina, quae unctionibus et perfrictionibus curat. *Plin.* 29, 2, 1. Prodicus instituens, quam vocant iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum, et mediastinis vectigal invenit.

[ĬATRĬCĒ, es, f. ἰατρικὴ, *scil.* τέχνη, ars medica, medicina. *Capell.* 3, 50. Hanc igitur feminam (*Grammaticen*) tali multorum curatione callentem, cum Deorum nonnulli Iatricen, alii Genethliacen diversis rerum operibus aestimarent, etc. *F.*]

[ĬATROCLES, is, m. gloria medicorum: a ἰατρὸς, medicus, et κλέος, gloria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1663, 6. P. Cornelius P. F. Fal. Iatrocles. *F.*]

ĬATRŌMAĒĂ, vel Iatromēa, ae, f. mulier medica, et obstetrix: ab ἰατρὸς, medicus, et μαῖα, obstetrix. Habetur in *Inscr.* inferioris notae apud *Grut.* 1110, 1.

ĬATRŌNĪCES, ae, m. ἰατρονίκης, medicorum victor: ab ἰατρὸς, medicus, et νίκη, victoria. *Plin.* 29, 1, 5. Thessalus rabie quadam in omnis aevi medicos perorans etc., monumento suo, quod est Appia via, Iatronicen se inscripsit.

*ĬATRUS, i, m. ἰατρὸς, medicus. Ita aliqui vocant digitum minimo proximum, quod illum oris oculique vitiis levioribus vel saliva vel medicamento deliniendis adhibemus V. *Plin.* 29, 1. ℙ *Iatrus* (fluvius) vel Iatrum (flumen), in Moesia inferiore. *Jornand.* in *Getic. B. A.*

ĬAXĂMĀTAE, arum, m. plur. pop. Sarmatiae, ad paludem Maeotiden, apud ostia Tanais. *Val. Fl.* 6, 146., ubi alii leg. *Ixomatae*, alii *Exomatae.* Adde *Melam* 1, 19. et *Ammian.* 22, 8.

*ĬAXARTES, is, m. Ἰαξάρτης, Scythiae fluvius, in Sogdiana, vel Sogdianae vicinus, ab Oriente in Caspium influens. *Plin.* 6, 13, 15 et 16. *Curt.* 6, 2. Hodiernum nomen *Sir. B. A.*

*ĬAXTES, is, m. Ἰάξτης, fluvius, quem eodem cum superiore in tractu quidam locant. Ejus meminit *Claud. Cons. Prob. et Olyb.* v. 160. Sic nobis Scythicus famuletur Iaxtes. Al. leg. *Araxes. B. A.*

ĬAZYGES, um, m. plur. Ἰάζυγες, Sarmatica gens Danubii accola, inter Marcomanos, et Getas. Sarmatas Iazyges *Tac. A.* 12, 29. vocat, *Ov. Trist.* 2, 191. Iazyges, et Colchi, Metereaque turba, Getaeque. Hic vides duas vocales *Ia* in unam contrahi. Et in singulari num. *Id. Pont.* 4, 7, 9. ferox ut ducat Iazyx Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

I B

*ĪBARĀNI, orum, m. populi Asiae ulterioris. *Mela* 1, 2. *f.* Fortasse i. q. Tibareni. *B. A.*

ĪBER, ēris, m. Ἴβηρ, ῆρος, idem ac Iberus, seu Hispanus. *Lucan.* 6, 258. Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset Cantaber. *Catull.* 9, 6. Visam te incolumen, audiamque Iberum Narrantem loca, facta, nationes. ℙ Item in Asia. V. v. seq. *Val. Fl.* 5, 166. Armeniae praetentus Iber. *Id.* 6, 750. Forte ubi serus Iber, Essedoniaeque phalanges, etc. *Mela* 3, 5. Fluvii per Iberas, et Hircanos multum distantibus alveis defluunt. ℙ Scribitur etiam cum aspiratione.

*ĪBĒRA, ae, f. Hispaniae Tarraconensis urbs, ad Iberum flumen, unde nomen trahit. *Liv.* 23, 28. *B. A.*

ĪBĒRĬA, ae, f. Ἰβηρία, Hispania, ab Ibero maximo ejus amne dicta, vel ab Ibero rege. *Plin.* 3, 3, 4. Iberus amnis navigabili commercio dives, quem propter universam Hispaniam Graeci appellavere Iberiam. *Hor. Od.* 4, 5, 27. incolumi Caesare, quis ferae Bellum curet Iberiae. ℙ Item regio Asiae inter Albaniam, Colchidem, Armeniam maj. et montes Caucasios. Hoc sensu scribitur etiam *Hiberia*, nunc *Georgien. Plin.* 6, 4, 4. et *ib.* 10, 11. et *ib.* 13, 15., *Val. Fl.* 6, 120. Discolor hastatas effudit Iberia turmas. Adde *Hor. Ep.* 5, 21. ℙ Ex hac in Hispaniam migrasse populos, eique dedisse nomen, auctor est *Varro* ap. *Plin.* 3, 1, 3. Contra alii censent ex Hispania in Asiam transisse.

ĪBĒRĬĂCUS, a, um, adj. Iberus, Hispanicus. *Sil.* 13, 510. Omen Iberiacis victa Carthagine terris.

ĪBĒRĬCUS, a, um, adj. Hispanicus. *Sid. carm.* 23, 164. Terrarum indigenas Ibericarum. *Hor. Ep.* 4, 3. Ibericis peruste funibus latus, *h. e.* sparteis; nam sparti copia in Hispania. Unde quidam orator *Ibericas herbas*, spartum dicere reformidans, in actione, se solo intelligente, dicebat, irrisus ob hanc vanitatem a Cassio Severo, ut refert *Quint.* 8, 2. *in.* ℙ Ibericum mare. Hispaniam alluens ab orientali latere. *Plin.* 3, 1, 2. et *ib.* 7, 10., *Colum.* 8, 16. *f.*

[*ĪBĒRĪNĂ, ae, f. mulier ex Iberia. Est nom. prop. *Juven.* 6, 53. Unus Iberinae vir sufficit? *F.* et *B. A.*]

ĪBĒRIS, ĭdis, f. ἴβηρις, herba est nascens maxime circa vetera monumenta, parietinasque, et inculta itinerum, semper florens, folio nasturtii, caule cubitali, semine tam parvo, ut vix aspici possit. *Plin.* 25, 8, 49. Adde *Appul. Herb.* 20.

ĪBĒRUS, a, um, adj. Hispanus. *Virg. A.* 11, 913. Ni roseus fessos jam gurgite Phoebus Ibero Tingat equos, *h. e.* Oceano occidentali. *Ov. Fast.* 6, 519. Appulerat ripae vaccas Oetaeus Iberas. *Id. Met.* 9, 184. forma triplex pastoris Iberi, *h. e.* Geryonis. *Prop.* 2, 2, 21. Iberum minium. V. MINIUM. *Stat. Th.* 4, 266. Undantemque sinum nodis irrugat Iberis, *h. e.* ut Hispani solent. *Hor. Sat.* 2, 8, 46. garum de succis piscis Iberi, *h. e.* scombri, ex quo, ut ait *Plin.* 31, 8, 43. laudatissimum garum fit in Carthaginis spartariae (*Cartagena*) cetariis. ℙ *Iberas nenias* memorat *Hieronym. praef. ad Pentateuch. med.* Apocryphorum deliramenta sectantur, et Iberas nenias libris authenticis praeferunt. *Iberas* dixit propter quosdam haereticos, qui in Hispaniis errores suos vulgabant. ℙ *Iberi, orum* absolute sunt Hispaniae populi. *Virg. G.* 3, 408. Aut impacatos a tergo horrebis Iberos. ℙ *Item* ad Iberiam Asiae pertinens: quo sensu etiam *Hiberus* scribitur. *Val. Fl.* 7, 235. cui vadis Ibero, Hei mihi! vel saevo conjux non una Gelono?

ĪBĒRUS, i, m. Ἴβηρος, fluvius maximus Hispaniae, qui oritur in Cantabris, Asturum confinio, et orientem versus decurrens, in mare mediterraneum influit prope Dertosam. *Plin.* 3, 3, 4. et 4, 20, 34. *Lucan.* 4, 23. nam gurgite mixto, Qui praestat terris, aufert tibi nomen Iberus. ℙ Alius est in Iberia Asiae, ex Caucaso monte in Cyrum defluens. *Plin.* 6, 10, 11. ℙ [Scribitur et *Hiberus*, ut apud *Liv. fr. lib.* 91. p. 96. edente Romae *B. G. Niebuhrio. F.*]

*ĪBETTES, flumen in Samo insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ĪBEX, ibĭcis, f. genus caprae silvestris, celeritatis eximiae. *Plin.* 8, 53, 79. Sunt capreae, sunt rupicaprae, sunt ibices pernicitatis mirandae, quamquam onerato capite vastis cornibus, gladiorumque vaginis (*h. e. ipsis cornibus gladiorum vaginas referentibus*) in haec se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum e monte aliquo in alium transilire quaerentes: atque recussu pernicius quo libuerit, exsultant. ℙ *Is. Or.* 12, 1. multa habet de iisdem, quas ibices dictas perperam putat quasi *avices*, quia instar avium ardua et excelsa teneant: sed potius cum *Bochart. Hieroz. P.* 1. *l.* 3. *c.* 23. putamus, earum nomen quandam habere cum voce *becco* affinitatem. V. BECCO. ℙ *Hieronym.* putat, ibices esse, quos Graeci τραγελάφους dicunt, hirci, et cervi simul simile quippiam habentes: *ibices* enim vertit τραγελάφους in *Job.* 31, 1.

ĪBI, adv. ἐκεῖ, in eo loco. *Varr. L. L.* 5, 3. Ad sepulcrum Accae, quod ibi prope faciunt Diis manibus sacerdotes. *Cic. Fam.* 6, 1. Nemo est, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit. *Id. Tusc.* 5, 37. *extr.* Demaratus fugit Tarquinios Corintho, et ibi suas fortunas constituit. *Ov. Met.* 1, 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus. *Ulp. Dig.* 47, 8, 4. §. 6. Erit haec differentia inter hoc edictum, et superius, quod ibi de eo damno praetor loquitur, etc. ℙ Additur et genitivus *loci. Plin.* 6, 11, 12. Ibi loci terrarum orbe portis discluso, etc. ℙ [*Ponitur *ibi* cum appositione. *Liv.* 2, 7. Aedificabat in summa Velia; ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 800. ubi praeter hunc locum, multa aliarum ita positarum exempla particularum comparat.] ℙ Aliquando significat in iis rebus, in eo. *Sall. Cat.* 5. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. *Cic. Rosc. Am.* 29. *extr.* Si quid est quod ad testes reservet, ibi nos quoque paratiores reperiet. [*V. *Kritz.* ad *Sall.* locum laudatum, et quos comparat: *Vechner. Helenol.* p. 236. sqq. ed. *Heus. Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 78. et *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 5. et 5, 14. Adde *Lex. Liv.* p. 302.] ℙ *Ibi esse* est in ea re, aut cogitatione esse. *Ter. Heaut.* 5, 2, 29. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas. *Sy.* Imo et ibi nunc sum, et usque id egi dudum; et 3, 1, 63. Subsensi, illos ibi esse, et id agere inter se clanculum. ℙ Aliquando refertur ad tempus, ac *tum* significat. *Ter. Andr.* 2, 3, 4. Si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. *Id. Eun.* 2, 2, 29. Ille ubi miser famelicus videt, me tam facile victum quaerere, ibi homo coepit me obsecrare. *Liv.* 3, 71. Tribuni dedere cupidae audiendi plebi, ut, quae vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, annum se tertium, etc. *Virg. A.* 2, 792. Ter conatus ibi collo dare brachia circum. Adde *Pl. Most.* 5, 2, 57. ℙ Junctum cum verbis motus ad locum rarum est. *Cajus. Dig.* 1, 2, 1. *extr.* Et cum ibi venerimus, etc. ℙ [*Confunduntur *ibi* et *ubi.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 441.]

ĪBĪDEM, adv. αὐτόθι, in eodem loco. *Cato R. R.* 37. Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato. *Nep. Milt.* 2. Ipse ibidem manere decrevit. *Cic. Rosc. Am.* 5. Ne heic ibidem ante oculos vestros trucidetur. *Id. Inv.* 2, 51. Ille cujus merces erant, in gladium in navi ibidem incubuit. *Justin.* 2, 2. Ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus. ℙ Additur et genitivus *loci. Pl. Cist.* 2, 1, 51. Si redierit illa ad hunc, ibidem loci res erit. ℙ Significat etiam in eadem re. *Cic. Caec.* 9. Laesit in eo Caecinam, sublevavit ibidem. *Virg. G.* 3, 500. pede terram Crebra ferit: demissae aures, incertus ibidem Sudor. ℙ Cum verbis motus rarum est. *Pl. Trin.* 2, 4, 10. Quid quod dedisti scortis? *Lesb.* ibidem una traho. ℙ *Ibidem* licenter usurpant *Juvenc.* 3, 80. Ille jubet cunctis ibidem convivia poni. *Paul. Nol. carm.* 19, 48. Cognosces ibidem, ne pergas tradere fatis, etc.

ĪBIS, ĭdis, et ibis, f. ἶβις, avis Aegypti, quae serpentibus vescitur: vox autem est originis Aegyptiae, ut habetur in *Jablonskii Opusc. T.* 1, p. 94. et 463. *Cic. N. D.* 1, 36. Ibes, maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsae, rigidis cruribus, corneo, proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex vastitate Libyae vento Africo invectas interficiunt atque consumunt, ex quo fit, ut illae nec morsu vivae noceant, nec odore mortuae. *Aemil. Macer.* ap. *Charis.* 1, 108. Auxilium sacrae veniunt cultoribus ibes. Adde *Mel.* 3, 8. *f.* ℙ Traditur autem ibis clysteris usum prima commonstrasse, quod consuetudinem habet se purgandi, rostri aduncitate eam perluens partem, qua ciborum onera redduntur. *Plin.* 8, 27, 41. *Cic. N. D.* 2, 50. ℙ *Ibin* maledico suo carmine *Callimachus* vocat *Apollonium Rhodium*, discipulum ingratum, teste *Suida.* Hunc imitatus *Ovidius* nomine *Ibis* perstringit elegiaco carmine adversarium suum, quem nonnulli *Hyginum* suspicantur. *Id. ib.* 59. Illius ambages imitatus in Ibide, dicar etc., et 100. Et fletu madidis Ibin adite genis.

ĪBĪSCUM. V. HIBISCUM.

ĪBRĪDA. V. HYBRIDA.

ĪBUS. V. IS.

ĪBYCĬUS, a, um, adj. Ibycium carmen dactylicum (fortasse ab Ibyco poeta denominatum) constat hexametro acatalecto, ut *Sidera pallida diffugiunt face territa luminum.* Aliud constat heptametro hypercatalecto, ut *Versiculos tibi dactylicos cecini, puer optime, quos facias.* Haec *Servius* in *centimetr.* p. 1821.

ĪBYCUS, i, m. Ἴβυκος, poeta Graecus lyricus, patria Rheginus, cujus meminit *Cic. Tusc.* 4, 33. Narrant, cum in silva a latronibus deprehensus, vulneraretur ad necem, praetervolantes forte grues suae mortis testes obtestatum esse et vindices fore, comminatum. Paulo post, cum latrones in urbe media versarentur, supervolantibus forte gruibus, per jocum insusurrare sibi in aurem coeperunt, αἱ Ἴβυκου ἐκδικοι πάρεσι. Qua voce arrepta a circumstantibus, et ad magistratum delata, comprehensi latrones, confessique homicidium, poenas dederunt. *Auson. Idyll. de histor.* 12, 12. Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus. *Stat. Silv.* 5, 3, 152. volucrumque precator Ibycus. ℙ *Ibycus* etiam pauper cujusdam mulieris maritus memoratur ab *Hor. Od.* 3, 15, 1.

I C

ĪCĂDES. V. ICAS.

ĪCĂDĬON, nomen est saevissimi piratae, *Festo*

teste. *Id.* in *Rhonde:* Rhondes Icadionque, cum dixit Lucilius, nomina piratarum posuit, tam infestum sibi corpus et valetudinem referens, quam illi essent saluti navigantium. Versus *Lucilii* sunt ap. *eund.* in *Querqueram.* Querquera consequitur febris, capitisque dolores, Infesti mihi, tanquam Rhondes, Icadionque.

ĪCĀDIUS, ii, m. Ἰκάδιος, filius Apollinis et Lyciae Nymphae, cum in adultam aetatem venisset, primo regionem, in qua natus erat, a matre Lyciam nominavit: deinde in ea urbem quoque Apollini condidit, sortes et cortinam consecravit; et, ut illum patrem esse testaretur, *Patera*, (πατέρα) cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus, delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, et a delphino locum Delphos appellasse: aras deinde Apollini consecrasse, quas ferunt vulgo *patrias* dictas. Haec *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 332. ℙ *Fuit et Icadius nomen piratae, qui et Icadion nominabatur. *Cic. de Fato c.* 3. Ne hercule Icadii quidem praedonis video fatum ullum. Nihil enim scribit ei praedictum. Quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? Puto enim etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil omnino est fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. *B. A.*

[ICAEDITĀNI, orum, m. plur. pop. Lusitaniae. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 3. Municipia provinciae Lusitaniae stipe conlata, quae opus pontis perfecerunt, Icaeditani, Lancienses oppidani, Talori, etc. Adde alias ap. *eund.* 31, 8. et 199, 3. *F.*]

ĪCĀRĬA, ae, f. *Nicaria*, insula parva maris Aegaei inter Samum ad Or. et Naxum ad Occ., Chium ad Bor., et Bathmum ad Austr., sic dicta ab Icaro, quem volantem ibi decidisse, amissis alis, fabulantur. *Mela* 2, 7. [*V. *Tzschuck.* ad h. l.] ℙ *Icaros* dicitur a *Plin.* 4, 12, 23., ubi Sporadas enumerat, et 5, 31, 37.

ĪCĀRĬŌTIS, ĭdis, f. Ἰκαριωτίς, Penelope Icarii filia. *Prop.* 3, 11, 10. Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos. Adde *Virg. Cul.* 264. ℙ Adjective. *Ov. Pont.* 3, 1, 113. Morte nihil opus est, nil Icariotide tela.

ĪCĀRIS, ĭdis, f. Ἰκαρίς, Penelope Icarii filia. *Ov. Ib.* 393. Sex bis ut Icaridos famulae periere, procique.

ĪCĀRĬUS, a, um, adj. ad Icarium pertinens, de quo sermo est in voce sequent. *Prop.* 2, 3, 24. cum jam Flectant Icarii sidera tarda boves, *h. e.* signum Bootes. *Ov. Am.* 2, 16, 4. Icarii stella proterva canis, *h. e.* Sirius, de quo et *Stat. Th.* 4, 777. Icarii quamvis juba fulguret astri: et *Silv.* 4, 4, 13. Icariis coelum latratibus urit. *Id. ib.* 3, 1, 147. Icario nemorosus palmite Gaurus, *h. e.* cujus colendi rationem Bacchus Icarium docuit. *Id. Th.* 4, 655. et Icaria Rhodopen adsueverat umbra, *h. e.* vitibus consitam et umbrosam fecerat. ℙ Item ad Icarum pertinens Daedali filium. *Icarium mare* est, in quod decidit Icarus, pennis nimium fidens. *Ov. Trist.* 1, 1, 89. Dum petit infirmis nimium sublimia pennis Icarus, Icariis nomina fecit aquis. *Id. Fast.* 4, 283. Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas Icarus, et vastae nomina fecit aquae. *Id. Her.* 18, 50. Icarium litus, *h. e.* ora maritima Asiae minoris, quae Icario mari alluitur. ℙ Haec ex fabula. Re autem vera *Icarium mare* est, quod Icariam insulam alluit, (nam ab ea nomen habet) et aliquot alias circa insulas: pertinetque ad oram litoralem Asiae minoris. *Plin.* 4, 12, 23. Cyclades et Sporades ab oriente litoribus Icariis Asiae, ab occidente Myrtois Atticae inclusae; et *ib.* 11, 18. *f.* Icarium mare, quod est inter Samum et Myconum.

ĪCĀRĬUS, ii, m. Ἰκάριος, filius Oebali Laconum regis, pater Erigones et Penelopes. *Ov. Her.* 1, 81. et *Hyg. fab.* 130. et *Astron.* 2, 4. At idem *Hyg. fab.* 224, 243. et 254. *Icarum* vocat: quod faciunt etiam *Serv.* ad *G.* 1, 67., *Ov. Ib.* 613. et *Met.* 10, 450., *Tibull.* 4, 1, 10. et *Prop.* 2, 24, 29. ℙ Utcumque sit, fabulantur, hunc socium vel hospitem Liberi patris fuisse, ab eoque vitium colendarum rationem, et vinum accepisse mortalibus distribuendum: quod cum pastoribus, aut agricolis suis divisisset, illique ex nimio potu ebrii facti essent, ab iis interfectum fuisse, quod sibi venenum datum arbitrarentur (*Prop. l. c.*): canem Icarii diu ad cadaveris custodiam remansisse: tandem fame impellente, domum revertisse, acceptoque pane iterum ad custodiam heri se contulisse: Erigonen canis vestigia secutam, patris cadavere conspecto, adeo doluisse, ut suspendio vitam finierit. Ob eam pietatem omnes in coelum esse translatos, Erigonen sidus Virginis factam; canem, Sirium; Icarium, Bootem, seu Arcturum. *Hyg. l. c.* ℙ Sunt, qui Icarium patrem Erigones diversum faciunt a patre Penelopes: de quo *Ov. Her.* 1, 8. *Penelope ad Ulyx.* Me pater Icarius viduo discedere lecto Cogit, et immensas increpat usque moras. ℙ Est etiam hoc nomine mons Atticae regionis. *Plin.* 4, 7, 11.

ĪCĀROS, seu Icarus, insula, Ἴκαρος. V. ICARIA.

ĪCĀRUS, i, m. Ἴκαρος, Daedali filius fuit, qui una cum patre e Creta fugiens alarum artificio, cum earum fiducia fretus ultra patris jussa altius evolasset, solisque ardore cera, qua pennae continebantur, liquefacta esset, ita ut ab alis defluueret, decidit in mare, quod est inter Samum et Myconum, quod ab ejus nomine Icarium dictum est, ut poetae fabulantur. V. ICARIUS, a, um. ℙ Item pater Erigones et Penelopes. V. ICARIUS, ii. ℙ Item fluvius Scythiae, in Oxum influens. *Plin.* 6, 17, 19. ℙ *Item rex Cariae, Theonoes maritus, Thestoris filia. *Hyg. fab.* 190. *B. A.*

*ICARŪSA, ae, Asiae flumen, inter Maeotidem paludem et Pontum Euxinum, in Cercetarum vicinio. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

ĪCAS, ădis, f. εἰκάς, numerus vicenarius. *Plin.* 35, 2, 2. Natali ejus (*Epicuri*) vicesima luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas icadas vocant: *scil.* philosophi Epicurei *icadem* vocabant diem cujuslibet mensis vicesimum, qui mense Gamelione fuit natalis Epicuri. Vide et *Cic. Fin.* 2, 31.

ĪCCIRCO. V. IDCIRCO.

[ĪCĔLE, es, f. ἰκέλη, similis. Est cognom. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 870, 13. Fabia Icele. *F.*]

ĪCĔLOS. V. MORPHEUS.

[ĪCĔLUS, i, m. ἴκελος, similis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 720. *n.* 417. Ti. Claudius Neronis Aug. L. Hicelus. Hic *Hicelus* est pro *Icelus*, nam saepe Romani Graecis vocibus aspirationem addunt, vel detrahunt. *F.*]

*ICĒNI, orum, populi Britanniae. *Tac. A.* 12, 31. et 32. et 14, 31. *B. A.*

*ICETĪDAS, ae, m. medicus quidam. *Plin.* 28, 7. *B. A.*

*ICHANENSES, ium, m. incolae Ichanae, oppidi Siciliae. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*ICHĀRA, ae, Ἴχαρα, insula prope Arabiam Felicem, in sinu Arabico. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*ICHNAE, arum, oppidum Macedoniae. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

ICHNEUMON, ōnis, m. ἰχνεύμων, animal est magnitudine felis, specie muris, vulgo mus Indicus, quod nascitur in Aegypto, et cum aspide pugnat: ab ἰχνεύω, investigo, sive quod instar canis venatici investiget crocodilum, et aspidem, ovaque eorum observet, sive potius quod rostro suo, quod est simile rostro suillo, cibum ruspetur et investiget. Eum Aegyptii adorant, quoniam ova crocodilorum conterat, et luto convolutus, cum os aperiunt, ita in ventres eorum insilire soleat, ut exesis intestinis eos interimat. Haec *Plin.* 8, 24, 35. et *ib.* 25, 37. narrat. *Cic. N. D.* 1, 36. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere. *Mart.* 7, 87. Delectat Marium si perniciosus ichneumon. (prima syllaba corripitur more Graeco, *n* littera liquescente) *Nemes. Cyn.* 54. Malumus et placidis ichneumona quaerere ripis. ℙ Est vesparum genus, quae ichneumones cognominantur, minores ceteris, et phalangiis araneis, ut ichneumones crocodilis, infestissimae. *Plin.* 10, 74, 95 et 11, 21, 24. [**Der Raupentödter: Sphex sabulosus, L.*]

ICHNOBĀTES, ae, m. ἰχνοβάτης, nomen canis venatici Actaeonis, acer et sagax in sequendis ferae vestigiis: ab ἴχνος, vestigium, et βαίνω, gradior. *Ov. Met.* 3, 207. Ichnobatesque sagax. Adde *Hyg. fab.* 181.

ICHNOGRAPHĬĂ, ae, f. ἰχνογραφία, vestigii, areae, seu plani descriptio: ab ἴχνος, planta, vel plantae vestigium. *Vitr.* 1, 2. Ichnographia est circini regulaeque modice continens usus, ex qua capiuntur formarum in solis arearum descriptiones.

ICHNŪSĂ, ae, f. ἰχνοῦσα, nomen alterum Sardiniae insulae, a similitudine humani vestigii, ut *Plin.* 3, 7, 13. docet: ἴχνος enim vestigium significat. *Sil.* 12, 358. Inde Ichnusa prius Grajis memorata colonis.

ICHTHYŌCOLLĂ, ae, f. ἰχθυοκόλλα, piscis quidam, cui glutinosum est corium [**Der Hausen; Acipenser Huso, L.*]: idemque nomen est glutino ejus [**Hausenblase.*]: quod tamen non ex corio, sed ex ventre, quidam fieri dicunt. Haec *Plin.* 32, 7, 24. Composita vox est ab ἰχθύς, piscis, et κόλλα, gluten. [Veneti eundem piscem vulgo nunc *cópese* vocant pro *colla-pesce. F.*] Hujusmodi glutcn Daedali inventum fuisse narrat *Id.* 7, 56, 57. Illius meminit etiam *Cels.* 5, 2.

ICHTHYŌESSĂ, ae, f. ἰχθυόεσσα, nomen Icariae insulae, a copia piscium: nam ἰχθύς piscem significat. *Plin.* 4, 12, 23.

ICHTHYOPHĀGI, orum, m. plur. Ἰχθυοφάγοι, populi in Arabia et India piscatu maxime viventes: ab ἰχθύς, piscis, et φάγω, comedo. *Plin.* 6, 23, 25. et *ib.* 28, 32.

*ICHTHYS, yos, (ἰχθύς i. e. piscis,) promontorium Peloponnesi, in Elide. *Mela* 2, 3. *med.* bis. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

*ICIĀNI, orum, oppidum Britanniae. *Ant. Itin. B. A.*

*ICILĬUS, i, m. nomen proprium virorum Romanum, ut L. Icilius, Tribunus plebis, qui legem tulit, ut Aventinus mons plebi ad aedificia conderetur. *Liv.* 3, 44. Sp. Icilius legem tulit, Ne quis Tribuno ad populum concionanti contradiceret, neve eum interpellaret. *Liv.* 2, 58. *B. A.*

[ICMAS, ădis, f. ἰχμάς, humor, vapor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 159, 5. Salvia Icmas. *F.*]

ĪCO, is, ici, ictum, a. 3. πλήττω, percutio, ferio. *Lucr.* 3, 161. exin corpus propellit, et icit; et 4, 1043. Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu. *Catull.* 116, 3. neu conarere Infestum telis icere, musca, caput. *Plin.* 15, 30, 40. Fulmine laurus sola non icitur; et 2, 55, 56. Fulmen lauri fruticem non icit. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 2, 424. Ibi ut piscabar, fuscina ici vidulum. *Turpil. ib.* Si iceris me posthac. [*Pl. Mil.* 1, 1, 25. *Artotr.* vel elephanto in India Quo pacto pugno praefregisti brachium. *Pygopol.* At indiligenter iceram. *Artotr.* pol si quidem Connisus esses, per corium, per viscera, Perque os elephanti brachium tramitteres. Pro *iceram* male vulgo legitur *hic eram*, quod emendavit *Bothe* ad *Pl. T.* 4. p. 433. *Ico* scilicet Plautinum verbum huc optime quadrat. *F.* **Bothii* conjecturam parum esse necessariam probe demonstrat *Lindem.*] ℙ Maxime usum habet in passivi praeterito *ictus sum*, adeo ut exempla afferre, supervacaneum sit. ℙ *Icere femur*, ap. *Pl. Truc.* 2, 7, 42. est indignantis dolentisque. V. *Quint.* locum in V. FEMUR. ℙ *Icere foedus*, est ferire. *Cic. Balb.* 15. Cum Gaditanis foedus icisse dicitur. *Id. Pis.* 12. Foedus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras. *Coel.* ap. *Prisc.* 10, 886. Qui cum iis ita foedus icitis. Al. leg. *icistis.* V. FOEDUS. ℙ Icere colaphum. *Pl. Pers.* 5, 2, 65. Quae haec res est? heu! colaphum icit. ℙ Translate. *Sen. Const. Sap.* 3. *med.* Si exsistunt, qui magnitudinem multum ultra se positam, non icturi appetant. ℙ Praeter ea tempora et modos, qui sunt in allatis exemplis, non facile usurpaveris. ℙ *Caper* ap. *Prisc. l. c.* docet, primam syllabam in praesenti corripi. Sed contra est *Lucretii* auctoritas, et *Catulli.*

ĪCON, ŏnis, f. εἰκών, όνος, effigies, imago, statua ex membris ipsis a pictoribus seu statuariis expressa: ab εἴκω, similis sum. *Plin.* 8, 54, 80. Mucianus tradit, simias et latrunculis lusisse, fictas cera icones usu distinguente. Ita *Salmas.* et *Hard.* leg. *Id.* 34, 4, 9. Ex membris eorum similitudine expressa, quas iconas vocant. Plerique omnes leg. *iconicas*, subaudi *effigies.* ℙ Est etiam rhetorica figura, quae et *ethopoeja*, et Latine *imago* a *Cic.* dicitur *Inv.* 1, 30., definiturque oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem. *Diomed.* 2, 459. Εἰκὼν est expressa figurae alicujus descriptio, vel personarum inter se, eorumque, quae personis accidunt, comparatio, ut (*Virg. A.* 1, 593.) *Os, humerosque Deo similis.* Et (*Id. G.* 3, 89.) *Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Eadem fere habet *Charis.* 4, 247.

[ĪCŌNĬĂ, ae, f. imago: ab εἰκών, effigies, sive a dimin. εἰκόνιον, parva effigies. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1601, 8. Silia P. L. Iconia. Consule *Ducang.* in *Gloss. Lat.* in V. *Icona. F.*]

ĪCŌNĪCUS, a, um, adj. εἰκονικός, ita pictus aut sculptus, ut vivam alicujus imaginem referat: ab εἰκών, effigies. *Plin.* 35, 8, 34. Adeo ars perfecta erat, ut in eo proelio iconicos duces pinxisse tradatur, Miltiadem, Callimachum, etc. *Suet. Cal.* 22. In templo simulacrum stabat aureum, iconicum. V. ICON.

[ĪCŌNĪENSIS, e, adj. ad Iconium (εἰκόνιον) pertinens, Lycaoniae urbem, nunc *Kuniah.* ℙ *Iconienses, ium*, sunt ejus urbis incolae. In nummis ap. *Mionnet, descript. de méd. ant Gr. et Rom. T.* 3. p. 536. Iconiensium colonia. *F.*]

ĪCŌNĪSMUS, i, m. εἰκονισμός, figura rhetorum, quando ad vivum alicujus rei formam ob oculos ponimus. Vox Graeca ab εἰκονίζω, assimilo, exprimo. *Sen. ep.* 95. *f.* Descriptiones has, et (ut publicanorum utar verbo) εἰκονισμοὺς ex usu esse confiteor. V. ICON.

[ĪCŌNĬUM, ii, n. εἰκόνιον, dimin. iconis. *Not. Tir.* p. 127. Icon, iconium, iconographia. *F.* **Iconium, i*, n. Ἰκόνιον, oppidum Lycaoniae. *Cic. Fam.* 3, 7. Quum enim Laodiceae, quum Apameae, quum Synadis, quum Philomeli, quum Iconii essem: quibus in oppidis omnibus commemoratus sum, etc. Adde *Plin.* 5, 27. qui in Cilicia ponit. *B. A.*]

[ĪCŌNOGRAPHĬĂ, ae, f. εἰκονογραφία, descriptio per imagines, seu figuras: ab εἰκών, imago, et γράφω, scribo. V. v. praec. *F.*]

ĪCOSAPROTI. V. DECAPROTI.

ĪCOSAPROTĬĂ. V. DECAPROTIA.

[ĪCOSĪTANUS, a, um, adj. ad Icosium pertinens, Mauritaniae Caesariensis oppidum, olim, teste *Plin.* 5, 2, 1., a Vespasiano Aug. coloniae jure donatum, ubi nunc, ut quibusdam placet, est *Algier.* Ejus fabulosam originem ita narrat *Solin.* 25. *f.* Nec ab Icosio taciti recedamus. Hercule enim illac transeunte, viginti, qui a comitatu ejus desciverant, locum deligunt, jaciunt moenia: ac

ne quis imposito a se nomine privatim gloriaretur, de condentium numero urbi nomen datum, *scil.* εἴκοσι viginti significat; ceterum nomen oppidi ap. *Ptol.* 4, 2. Ἰκόσιον scribitur. ℙ *Icositani, orum,* sunt illius oppidi incolae. *Plin.* 3, 3, 4. In eam *(coloniam)* contribuuntur Icositani. *F.*]

ICTĔRIAS, ădis, f. ἰκτεριάς, gemma aliti ictero similis colore, et quae ĭdeo existimatur salubris contra regios morbos. *Plin.* 37, 10, 61.

ICTĔRICUS, a, um, adj. ἰκτερικός, qui icteri morbo, sive arquato laborat. *Juven.* 6, 564. Consulit ictericae lento de funere matris. Adde *Plin.* 20, 9, 34. V. HYSTERICUS.

ICTĔRUS, i, m. ἴκτερος, avicula flavi coloris, quam Latini galgulum, vel galbulum, vel galbulam vocant, solo aspectu ictericum, seu regium morbum sanans. *Plin.* 30, 11, 29. Avis icterus vocatur a colore, quae si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori.

*ICTIMULI, orum, Italiae superioris vicus, in Gallia Transpadana, juxta Vercellas. *Plin.* 33, 4. *B. A.*

ICTIS, ĭdis, m. ἰκτίς, mustelae silvestris genus, magnitudine Melitensis catelli, sed pilo, facie, albedine partis inferioris, et morum astutia mustelae simile. *Martem* speciali vocabulo vocant. *Plin.* 29, 4, 16. Mustelarum duo genera: alterum silvestre, distans magnitudine: Graeci vocant ictidas.

ICTUS, a, um, part. ab *ico:* βεβλημένος, percussus. *Caes. B. C.* 3, 22. Lapide ictus periit. *Hor. Od.* 4, 6, 9. mordaci ferro icta pinus. *Liv.* 1, 7. Ibi in turba ictus Remus cecidit. *Cic. Div.* 1, 10. E coelo ictus; et *Har. resp.* 21. *extr.* Me primum ictum fumantemque vidistis. *Stat. Th.* 1, 516. vario strepit icta tumultu Regia. ℙ Translate. *Liv.* 34, 17. Consul rebellione Bergistanorum ictus; et 27, 9. *med.* Nova re consules icti, *h. e.* animo perculsi. *Cic. Sext.* 10. *f.* Foedus ictum meo sanguine. V. ICO. *Hor. Od.* 4, 5, 15. desideriis icta fidelibus Quaerit patria Caesarem; et *Sat.* 2, 1, 24. ut semel icto Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

ICTUS, us, m. πληγή, percussio, petitio: ab *ico, is. Cic. Off.* 3, 25. Phaethon ictu fulminis deflagravit. *Id. Mil.* 24. Vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatorio probari. *Id. Caec.* 15. Ictus et conjectio telorum. [*Liv. 22, 5. Gemitus vulnerum ictusque corporum aut armorum; 38, 5. Ictus moenium cum terribili sonitu editi.] *Caes. B. G.* 1, 25. Scuta uno ictu pilorum transfixa. *Auct. ad Her.* 3, 12. Acutas vocis exclamationes vitare oportet: ictus enim fit, et vulnerantur arteriae. *Tac. H.* 3, 31. Intentare ictus. *Curt.* 7, 5. *f.* Ictu certo destinata ferire. [*Liv. 34, 14. Non caecis ictibus procul ex improviso vulnerabantur, etc.] *Plin.* 28, 2, 5. Vibrare ictus; et *ib.* 4, 7. eminus cominusque inferre. [*Liv. 8, 7. Ad iterandum ictum; cf. *Tac. A.* 2, 14.] *Cic.* vertens *Sophoclis* versus *Tusc.* 2, 8. infligere, vel infigere. *Vell.* 2, 69. Dare cervicem ad ictum servi sui. *Ov. Met.* 12, 375. ictus excipere galea et scuto; et *ib.* 3, 64. validos cute repellere; et *ib.* 4, 498. diros sentire. [*Id. ib.* 12, 85. Hebeti pectus contudit ictu, i. e. qui, tanquam cuspis hastae, hebes est, nullum infligit vulnus.] *Id. Pont.* 1, 7, 52. graves ferre, *h. e.* inferre, infligere; et *ib.* 4, 7, 39. cunctos feliciter effugere. *Caes. B. C.* 2, 11. sustinere; et 9. defendere, ac repellere. [*Lucan. 3, 628. Per obliquum crebros latus accipit ictus. Comparat *Cort.* ad h. l. *Val. Fl.* 1, 619. Puppis in obliquum resonos latus accipit ictus. — *Lucan.* 4, 277. Non sentiet ictus.] *Ov. Met.* 5, 389. Phoebeos submovere frondibus, *h. e.* ut ait *Hor. Od.* 2, 15, 9. fervidos excludere spissa laurea. [*Ita saepissime de solis ardore. *Lucan.* 7, 214. Phoebi radiatus ab ictu: ubi *Cort.* praeter alia laudat *Eurip. Jon.* 1135. πρὸς μέσας βολὰς Ἀκτῖνος.] *Id. Od.* 1, 25, 2. ictibus crebris fenestras quatere. *Virg. A.* 5, 459. pulsare aliquem; et *ib.* 12, 713. crebros congeminare. *Id. G.* 3, 233. Taurus ventos ictibus lacessit; et *A.* 7, 756. medicari ictum hastae; et *ib.* 12, 907. lapis non pertulit ictum; et *Plin.* 19, 1, 4. Ictibus caedere arborem. *Ov. Met.* 4, 124. fistula tenues Ejaculatur aquas, atque ictibus aera rumpit; et *ib.* 8, 362. Ictus apri. Sic *Plin.* 23, 1, 11. serpentium. *Cic. Off.* 2, 6. A bestiis ictus, morsus, impetus. *Hor. Od.* 4, 6, 36. ictus pollicis, *scil.* quo lyra pulsatur. Sic *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 15. Ad ictus citharae tinnitu resonant. *Id.* 10, 3, 3. Ictus alae. Sic 6, 12, 13. pennarum. *Id.* 8, 43, 68. pedum; et 2, 95, 96. Ictus modulantium pedum; et 35, 10, 36. *n.* 20. murorum; et 11, 37, 88. Ictus creber aut languidus; et *Aurel. Vict. Epit.* 16. Ictu sanguinis exstinctus est; et *Plin.* 37, 8 33. Ictu primo. *Tac. H.* 2, 38. Sin, gulis veluti ictibus bella transigere. *Hirt. B. Afr.* 18. Uno ictu contendere, neque remittere, donec ultra ultimos colles hostes repulissent. *Gell.* 14, 1. *med.* Eodem ictu temporis. *Sil.* 4, 42. sub ictu esse. Sic *Sen. ep.* 72. *f.* Sub ictu habere aliquid. *Tac. A.* 13, 39. *extr.* Sub ictum dari. [*Lucan. 7, 622. Quis corruat ictu, i. e. uno ictu. V. *Cort.* ad h. l.] ℙ In re metrica, aut rhythmica ictus dicitur percussio pedum aut digitorum, qua pedes metricos dimetiebantur: quo modo nunc musici notas suas. *Quint.* 9, 4. *med.* Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient: quamquam haec et in metris accidunt: major tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum, et digitorum ictu intervalla signant, etc. *Plin.* 2, 95, 96. In symphoniae cantu ad ictus modulantium pedum moventur; et *Hor. A. P.* 252. unde etiam trimetris adcrescere jussit Nomen iambeis, cum senos redderet ictus Primus ad extremum similis sibi, *h. e.* sex pedes omnes iambos. Huc pertinet illud *ejusd. Sat.* 1, 10, 42. Pollio regum Facta canit pede ter percusso, *h. e.* trimetris versibus iambicis, qui pedes senos habent, dimensiones tres: unde et *trimeter* habet nomen. (De Pollionis carminibus V. *Od.* 2, 1.) Hinc discimus, *ictum* duo significare, et pedes singulos, ut in priore loco *Horatii*, et binos simul in trimetro versu, qui sex pedes, tres percussiones habet, ut ait *Quint. l. c. med.* Sic musici nunc vel singulas notas singulis ictibus metiuntur, ut in cantu graviore et firmo, ut appellant; vel plures simul, ut in celeriore et theatrali. ℙ Translate. *Cic. Agr.* 2, 3. *f.* Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione, etc. *Id. in Sen.* 7. *med.* Cum ego una cum republica non tribunicio, sed consulari ictu concidissem. *Id. Fin.* 2, 10. Neque enim haec movere potest appetitum animi, nec illum habet ictum, quo pellat animum, etc. *Sen. Ben.* 2, 29. Cogita, quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum, *h. e.* sub nostra potestate. *Id. Cons. ad Marc.* 9. *f.* Ille damnatus est, et tua innocentia sub ictu est. [*Sub ictu praesentissimum periculum notat. Ita *Cort.* ad *Lucan.* 5, 729. Quod nolles stare sub ictu Fortunae, etc.: ubi plura laudat.] Contra *Id. Ben.* 1, 7. Deum extra ictum sua divinitas posuit. ℙ Olim fuit *ictus, i,* secundae declin. *Claud. Quad.* ap. *Gell.* 9, 13. *f.* Ei sub gladium successit, ne Gallus impetum icti haberet. ℙ [*Confunduntur *Ictus* et *jactus.* V. *Jactus* in f. — et *actus. Cort.* ad *Lucan.* 3, 469. — et *ignes.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 4, 20. p. 102.]

*ICULISMA, opp. Galliae Aquitanicae, hodie, ut creditur, *Angoulême. Auson. Ep.* 15, 21. *B. A.*

ICUNCŬLA, ae, f. parva icon, imaguncula, εἰκόνιον. *Suet. Ner.* 56. Icuncula puellaris.

*ICUS vel Icos, i, f. Ἰκός, insula maris Aegaei, medio inter Scyrum et Sciathum loco, Sporadum una, teste *Mela* 2, 7. *med.* Meminit et *Liv.* 31, 45. *med. B. A.*

I D

ID, τοῦτο, hoc, istud, neutrum genus *is* pronominis. *Cic. Fam.* 1, 2. Diem consumi volebant: id quod fecerunt. *Id. Or.* 1, 20. Sive ille hoc ingenio potuit, sive, id quod constat, Platonis studiosus audiendi fuit. *Id. Phil.* 11, 2. *f.* Quaestionem habuit pecuniae publicae: idque per biduum. *Id. Div.* 1, 16. *extr.* Illa obnunciatio si valuit, id valuit, ut, etc. *Ter. Ad.* 2, 1, 52. Cogito id, quod res est, *h. e.* quod verum est. ℙ Jungitur cum *ipsum. Cic. Fam.* 1, 2. Multi rogabantur: atque id ipsum consulibus invitis. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Idne igitur, inquies, facile fers? id ipsum. ℙ Post se habet aliquando genitivum. *Cic. Att.* 13, 33. Venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset. Et *Or.* 1, 47. *extr.* Quoniam id nobis, hominibus id aetatis, oneris imponitur. *Liv.* 43, 5. Nec se ad id locorum scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint; et 22, 4. Id tantum hostium, quod ex adverso erat, aspexit. *Tac. A.* 12, 18. Id auctoritatis; et *ib.* 13, 54. honoris; et 41. virium. *Gell.* 17, 8. Accipiebat nos coena plerumque ad id diei, ubi jam advesperaverat. [*Suet. *Hor.* Id usus mihi tecum esse volui. Disputat de hoc constructionis genere *Ramsh. Gr. Lat.* 104, 2. p. 303. sqq. Cf. *Ruddim.* 2, 64. 65. 66. 291. Omittitur etiam *id,* cum sine perspicuitatis detrimento fieri potest. V. *Ramsh.* §. 104. *n.* 2. p. 305. *Freinsh.* ad *Curt.* 6, 8, 25.] ℙ Aliquando est ideo, propter id. *Ter. Eun.* 5, 6, 4. Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem. *Pl. Rud.* 2, 3, 66. Id misera moesta est sibi eorum evenisse inopiam. [*V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 10, 16. p. 228. et 13, 2. p. 272. *Munk.* ad *Hyg. Fab.* 34.] ℙ Jungitur et verbis, quae alioquin accusativum non regunt. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Id ego ex parte gaudeo. *Pl. Asin.* 1, 1, 61. Et id ego percupio obsequi gnato meo, pro *in eo. Varr. R. R.* 2, 9. *f.* de canib. Villatico generi satis esse duo, et id marem et feminam, pro *eosque.* ℙ Interdum abundat. *Cic. Or.* 34. Nescire, quid antea quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. *Pl. Capt.* 2, 1, 1. Si Dii immortales id voluere, vos hanc aerumnam exsequi. *Id. Men.* 1, 2, 52. Id enim quod tu vis, id ajo, atque id nego. *Id. Rud.* 2, 3, 1. Nunc id est, cum omnium copiarum viduitas nos tenet, *h. e.* nunc est, cum, etc. *Cic. Acad.* 4, 25. Quod ne id facere posses, idcirco heri, non necessario loco contra sensus tam multa dixeram. *Ter. Eun.* 1, 2, 70. Id amabo adjuta me, quo id fiat facilius. [*Id minime abundat, sed additum confirmationis gratia. V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 12, 18.] ℙ *Id quod* ponitur pro *quod. Nep. Timol.* 1. Non simplici fortuna conflictatus est; et, id quod difficilius putatur, sapientius tulit secundam, quam adversam. [*Disputat de hoc dicendi usu, quem *Noster* justo brevius absolvit, *Ramsh. Gr. Lat.* §. 158. p. 550. sq. et §. 204. p. 975. ubi largam exemplorum copiam invenies, ex quibus apparet; *id quod* ad integram semper enunciationem aliquam spectare clariusque enucleandis rebus inservire cum significandi, demonstrandi notione. Cf. *Ruddim.* 2, 23. Multa congessit etiam *Boettich. Lex. Tac.* p. 213. — Saepissime etiam *id* in talibus perperam addi solet ab interpretibus. V. *Wund. Varr. Lectt. praef.* p. 27.] ℙ *Id est,* melius quam conjunctim *idest,* explicandi vim habet, hoc est. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Senatus hodie fuerat futurus, id est Kal. Octobr.; et *ib.* 7, 7. *extr.* Assentior Cn. Pompejo, id est T. Pomponio. *Id. Agr.* 2, 28. Maximam multitudinem, id est totam Italiam, suis opibus obsidebunt. [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 3, 5, 4. *Ernest.* et *Brem.* ad *Suet. Aug.* 88. et *Dom.* 17. — Dicitur etiam *id valet* eodem sensu, ap. *Suet. Vit.* 18. Cui Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet, gallinacei rostrum.] ℙ *Idque,* id quoque, ut *hodieque,* hodie quoque. *Tac. A.* 4, 74. Donec idque vetitum. Al. melius *id quoque* leg. ℙ *Id genus.* V. GENUS. ℙ [*Confunduntur *idque* et *atque.* V. *intpp.* ad *Cic. N. D.* 3, 34. — et *id quod. Spalding.* ad *Quint.* 4, 2, 29. *Id est* et *idem. Spalding.* ad *Quint.* 3, 6, 35.]

IDA, ae, et Idē, es, f. Ἴδη, mons Phrygiae, seu Troadis altissimus, non longe ab Ilio: in quo Cybele praecipue colebatur, inde *Mater Idaea* dicta. *Plin.* 5, 30, 32. et *Mela* 1, 18. *Virg. A.* 10, 158. Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris. *Senec. Troad.* 73. Decies nivibus canuit Ide, Ide nostris nudata rogis. *Ov.* appellat *Fast.* 4, 249. amoenam fontibus; et *Met.* 10, 71. humidam; et *Hor. Od.* 3, 20, 16. aquosam: quia non fontibus solum, sed magnis fluminibus abundat. ℙ Alia est Ida in Creta, quam *Serv.* ad *A.* 3, 112. illi alteri nomen dedisse putat, nec absurde, cum Trojanam gentem in Creta prius cunabula habuisse, dicat *Virg. ib.* 105., atque inde in Phrygiam locorum nomina transtulisse. Haec apud poetas celebris est Jove puero, quem a voracitate Saturni patris in ejus vallibus abditum, et Corybantum ope custoditum fuisse, fabulantur. *Ov. Amor.* 3, 10, 25. Cretaea Ida. Adde *A. Am.* 1, 289. ℙ Ap. *Virg. A.* 9, 177. nomen est mulieris Trojanae, Nisi matris, Hyrtaci uxoris.

IDAEUS, a, um, adj. Ἰδαῖος, ad Idam utramque pertinens. Ad Phrygiam. *Virg. A.* 2, 696. Idaea silva. *Id. G.* 3, 450. Idaeae pices. *Id. A.* 10, 259. Alma parens Idaea Deum; et *ib.* 9, 112. Idaei chori. *Val. Fl.* 1, 319. Idaea buxus, *h. e.* tibia Berecynthia. *Prop.* 2, 2, 66. Idaei vertices. *Sen. Oed.* 457. Idaeus leo, *h. e.* ingens, horribilis, quales in Ida sunt, ubi et Berecynthiae currum trahere dicuntur. *Virg. A.* 11, 285. Idaea terra; et *ib.* 10, 230. Idaeae pinus; et *ib.* 7, 207. Idaeae urbes, *h. e.* Phrygiae. *Hor. Od.* 1, 15, 1. Idaeae naves, *h. e.* Trojanae. *Ov. Her.* 18, 73. Idaeus hospes, *h. e.* Paris; et *Fast.* 6, 44. Idaeus judex: *idem;* et *Cic. Att.* 1, 18. Idaeus pastor: *idem. Mart.* 10, 98. Idaeus cinaedus, *h. e.* Ganymedes Trojanus in Ida raptus. *Sil.* 1, 126. Idaeus sanguis, *h. e.* Romanorum, qui a Trojanis per Aeneam oriundi. ℙ Ad Cretensem. *Virg. A.* 3, 105. Idaeus mons; et *ib.* 7, 139. Idaeus Juppiter. *Plin* 37, 10, 61. Idaei Dactyli in Creta. *Mart.* 9, 35. Idaeum bustum, *h. e.* sepulcrum, quod Cretenses in oppido Gnosso Jovi exstruxisse dicuntur, quem mortuum crediderant; ideoque inferias ei afferebant, ut est ap. *Cic. N. D.* 3, 16. *f.* De ejus morte multa *Lact.* 1, 11. *a med.* ex *Ennio* et *Cicer.* ℙ Confundit Idam Cretensem cum Phrygia *Prop.* 3, 1, 27. Idaeum Simoenta, Jovis cunabula parvi, *scilicet,* quia et ipsi, qui de Jovis incunabulis fabulantur, non constant inter se, aliis in Ida Cretae, aliis in Phrygiae nutritum affirmantibus. Hoc vero ideo, quia Phrygiis, et Cretensibus communes ritus caeremoniaeque fuerunt, ut qui eandem utrique haberent originem. V. v. praec. ℙ [*Idaeae herbae,* Ἰδαία ὁίζα, folia sunt, quae oxymyrsines. Ita *Plin.* 27, 11, 69. *Id.* vero 15, 30, 39. *Idaeam* vocat laurum Alexandrinam. ℙ *Fuit et *Idaeus, i, m.* Ἴδαιος, praeco Graecorum ad Trojam. *Dict. Cret.* 2, 27. et 4, 10. ℙ Et Paridis ex Helena filius. *Id.* 5, 5. ℙ Et auriga Priami, cujus fortasse meminit. *Virg. A.* 6, 485. *B. A.*

IDĂLĬA, ae, f. idem quod Idalium, Cypri oppidum, Veneris sedes. *Virg. A.* 1, 696. et fotum gremio Dea tollit in altos Idaliae lucos.

IDĂLĬĒ, es, f. Venus. *Ov. Met.* 14, 693. et pectora dura perosam Idalien.

IDĂLIS, ĭdis, f. ut Idalis tellus ap. *Lucan.* 3, 204., quam Caico perfusam dicit. Caicus autem

Mysiae fluvius est, qui non longe ab Ida monte, de qua Mysiam spectat, decurrit.

IDĂLĬUM, ii, n. Ἰδάλιον, mons, et oppidum Cypri, sacrum Veneri. *Plin.* 5, 31, 35. *Virg. A.* 1, 683. super alta Cythaera, Aut super Idalium sacrata sede recondam.

IDĂLĬUS, a, um, adj. ad Idalium opp., et Venerem ibi praecipue cultam pertinens. *Virg. A.* 5, 560. Idalia Venus. *Id. ib.* 10, 51. Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythaera, Idaliaeque domus. *Stat. Ach.* 1, 372. Idaliae volucres, *h. e.* columbae. *Id. Silv.* 1, 3, 10. Idalii succi, *h. e.* unguenta Cypria. *Prop.* 2, 10, 54. Idalio vertice venari, *h. e.* in Idalio, monte Cypri. *Id.* 4, 6, 59. Idalium astrum, *h. e.* sidus Veneris. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 16. Idalia acus, *h. e.* qua ornari solet Venus a Gratiis ejus capillos comentibus in Idalio oppido. *Sil.* 5, 19. Idalia incaluisse sagitta, *h. e.* amoris telo.

*IDAS, ae, m. Ἴδας, Apharei filius ex Arene, frater Lyncei, qui Marpessam filiam Evenі Aetoliae regis formosissimam in Dianae luco saltantem rapuit. Evenus autem nulli procorum filiam suam nuptum dare voluerat, nisi certamine cursus fuisset victus: a se autem victos decollare, eorumque capita in aliorum terrorem de muris aedium suarum suspendere solebat. Is ob raptam filiam dolore commotus, interemptis, quos habebat, equis, se in fluvium Lycormam, qui postea ab ipso Evenus dictus est, praecipitavit. Ceterum fugienti cum puella Idae Apollo in itinere obvius factus est; qui cum Marpessam et ipse praeripere Idae vellet, ventum utrinque ad certamen est. Sed a Jove missus Mercurius arbitrium Marpessae commisit, ut ipsa, utrum vellet, eligeret: illa autem Idam elegit, verita ne se aetate provectam Apollo relinqueret. *Ov. Met.* 8, 305. *Id. Fast.* 5, 701. *Prop.* 1, 2, 17. *Hyg. fab.* 14. et 80. ℙ Item Trojanus, a Turno interemptus. *Virg. A.* 3, 122. ℙ Idas, e principibus Minyarum, inter Argonautarum praecipuos memoratur a *Stat. Th.* 4, 405. Adde *Val. Fl.* 1, 166. *B. A.*

IDCIRCO et Iccirco, adv. τοῦνεκα, διὰ τοῦτο, ideo, propterea. *Cic. Or.* 2, 40. Non, si Opimium defendisti, idcirco te isti bonum civem putabunt. *Id. Inv.* 1, 8. *f.* Aliud alii videtur esse: et idcirco alius alio nomine id appellat; et 48. *med.* Idcirco, judices, quia veram causam habebam, brevi peroravi. *Caes. B. G.* 5, 3. Sese idcirco a suis discedere, quo facilius civitatem in officio contineret. *Cic. Rosc. Com.* 7. Idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur. *Id. Verr.* 2, 4, 4. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret. *Id. Fam.* 9, 1. Non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod, etc. *Colum.* 7, 5. *med.* Idcirco enumerabimus, non quia cunctis uti necesse sit, sed quoniam, etc.

IDĒA, ae, f. ἰδέα, et poetice εἰδέα, species, forma, exemplar alicujus rei faciendae, vel factae: ab εἴδω, video: quasi id, quod mente intuemur, et in faciendo imitamur ac sequimur. Vox Graeca, quae Latine tum *species*, tum *forma*, tum *exemplar* (ut ap. *Cic. Univ.* 2.) dici potest. *Cic. Top.* 7. Formae sunt, quas Graeci ἰδέας vocant: nostri, si qui haec forte tractant, species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *specierum*, et *speciebus* dicere: et saepe his casibus utendum est: at *formis*, et *formarum* velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Haec *Cic.* de Latina appellatione. De significatione vero *Sen. ep.* 58. *med.* Plato ideas vocat, ex quibus omnia, quaecumque videmus, fiunt, et ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere: exemplar picturae te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi suo imponat. Ita illa, quae me docet, et instruit, facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum, ad quae quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. Hactenus *Seneca.* Etiam *Cic.* videtur Latine usurpasse, ubi ait *Or.* 3. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor, Plato. Sed fortasse ἰδέας *Cic.* scripsit Graecis litteris: quamquam et *Acad.* 1, 8. et *Tusc.* 1, 24. Latine legitur. [**Orell.* h. v. ubique Graecis litteris exhibet.] ℙ Qui philosophi animam ideam esse dixerunt, ut *Posidonius* ap. *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. *med.*, significasse videntur mentem intelligentem, quae ideas in se formare possit; et pro causa effectum posuisse.

*IDĒA, ae, f. Danaidum una. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

IDĒĀLIS, e, adj. ad ideam pertinens. *Capell.* 7, 239. Idealis forma; et 8, 275. Idealis quaedam prudentia.

IDEM, ĕădem, ĭdem, ὁ αὐτὸς, ἡ αὐτὴ, τὸ αὐτὸ, ipse: pronomen ab *is*, *ea*, *id*, sive potius ab antiquiore, *i*, *ea*, *i* factum (V. IS.), et *dem* syllabica adjectione auctum, quae quidem laxiorem quasi, nec definitam pronominis significationem ad certam aliquam personam arctius restringere, et determinare videtur. *Prisc.* 12, 945. et 17, 1049. ab *is* et *demum* conflatum putat. [**Herm. Opusc.* 2, 276. *Idem* natura sua nectendae orationi inservit, ubi de eodem diversa praedicantur. *Hor.* informes hiemes reducit Jupiter: idem submovet.] *Cic. Amic.* 21. Ejusdem generis animantes. *Id. Brut.* 94. Ad causas simillimas inter se, vel potius easdem. *Id. Acad.* 4, 44. Sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. *Id. Off.* 1, 19. Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos et simplices esse volumus. *Id. Acad.* 4, 10. *f.* Cum idem negares, quidquam certi posse reperiri, idem comperisse te, dixisses. *Id. Univ.* 10. Dedit divinis duo genera motus: unum, quod semper esset in eodem aeque, et idem in omnibus, atque uno modo celeraret. *Id. Fam.* 9, 2. Caninius tuus idem noster. *Id. Amic.* 21. *med.* Amicus est tanquam alter idem. *Id. N. D.* 2, 1. Cum Academico et eodem rhetore congredi conatus sum. *Id. Brut.* 79. Oratio splendida, et grandis, et eadem in primis faceta. [**Cic. N. D.* 1, 14, 36. Idem astris hoc idem tribuit; ubi v. *Heindf.* — Ceterum hujus pronominis anaphora vis sententiae mirifice augetur. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 20, 5. Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. *Jug.* 31, 14. Quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit. ℙ Saepe *idem* a Latinis ponitur, ubi barbare nunc dicunt, *modo dictus.* Ita *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 13, 35. Nec audiendus ejusdem auditor Strato. Multa ejusdem generis exempla collecta sunt a *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 385. sq. *Id. ib.* ita pergit: Eodem fere pertinet hujus vocis usus pro *ipse* pronomine. *Tac. A.* 14, 24. Penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eodem plura quam gregario milite tolerante.] ℙ Post se saepe habet relativum *qui*, *quae*, *quod:* item particulas *et*, *ac*, *atque*, *ut*, *quam*, quoties nimirum collatio duorum fit, quae inter se nihil distare, significemus. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 1. d. p. 522. sq. Adde *Ruddim.* 2, 94. sq.] *Cic. Har. resp.* 11. Tua eadem virtus fuit, quae in privato quondam tuo proavo. *Id. Fin.* 4, 3. *extr.* Nihil commutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant. *Id. Caec.* 20. Non idem est servulus, quod familia. *Caes. B. C.* 3, 13. Jurat, se eundem casum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset. *Cic. Agr.* 2, 12. Eandem constituit potestatem, quam, si, etc. *Id. Top.* 23. Si quaeratur, idemne sit pertinacia et perseverantia. *Id. Prov. cons.* 13. *extr.* Imperii nostri, terrarumque idem est extremum. *Id. Sull.* 18. Idem valere debet, ac si pater indicaret. *Id. Dom.* 20. Unum et idem videtur esse, atque id quod, etc. *Id. Tusc.* 2, 3. *extr.* Disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est. *Colum.* 3, 2. *extr.* Feracitatem potius sequamur, quae non eadem portione vincitur pretio, quam vincit abundantia. ℙ Cum *quasi. Cic. Leg.* 2, 21. Eodem loco res est, quasi ea pecunia legata non esset. *Id. Amic.* 4. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino. ℙ Sequente *cum* praeposit. *Tac. A.* 15, 2. Hunc ego eodem mecum patre genitum, etc. *Gell.* 18, 11. Non hercle idem sentio cum Caesellio grammatico. *Curt.* 5, 9. Nabarzanes, qui in eodem consilio erat cum Besso. (In *Gell.* et *Curt.* verbis, *cum* locum haberet, quamvis *idem* non esset: quare non videntur ejusdem rationis esse, ac *Taciti* locus.) ℙ [**Idem* cum genitivo, eadem ratione, qua *id. Cic. Fam.* 9, 2. Tibi idem consilii do, quod, etc. *Id. Balb.* 12. Si idem nos juris haberemus, quod ceteri.] ℙ Cum dativo poeticum esse videtur. *Hor. A. P.* 467. Invitum qui servat, idem facit occidenti. Adde *Lucr.* 3, 1051. et 4, 1167. [*Gr. constructio est. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 1. d. p. 522. sq. Cf. *Ruddim.* 2, 94. ubi larga exemplorum copia docebit apud optimos etiam prosae orationis scriptores hunc usum obtinuisse. Hinc vereor, ut *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 20, 3. intemperantem, quam dicit, Cortii inusitatas structuras inferendi libidinem jure vituperaverit, *quia vobis eadem mihi bona malaque esse intellexi* legentis pro Vulg. *eadem quae mihi.*] ℙ Jungitur saepe cum aliis pronominibus. *Cic. Manil.* 7. Idem iste Mithridates. *Id. Sext.* 20. Quod idem tu una lege tulisti: et 50. Ejusdem illius inimici mei concio. *Id. in Senat.* 13. Nec mihi ipse ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Idem ego ille, (non enim mihi videor insolenter gloriari) idem, inquam, ego recreavi, etc. et *ib.* 4, 1. Cognoram enim te in custodia salutis meae diligentem: eundemque te acerbissime discidium nostrum tulisse. [**Pl. Mil.* 3, 1, 179. Credo ego istuc idem; ubi v. *Lindem.* Exempla praebet etiam *B. Crus. ed. Suet.* p. 451.] ℙ Elegantem locum habet post *qui*, *quae*, *quod:* habetque et ipsum vim relativi. *Cic. Or.* 7. Videmus fuisse quosdam, qui iidem ornate et graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. *Id. Or.* 3, 44. Musici, qui erant quondam iidem poetae. *Id. Off.* 1, 7. Beneficentia, quam eandem benignitatem appellari licet. *Id. Fin.* 3, 7. *med.* Quod idem in ceteris artibus non contingit. ℙ Et post adjectiva. *Id. Off.* 1, 19. Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos, et simplices esse volumus. *Id. Mur.* 9. Asiam istam refertam, et eandem delicatam, sic obiit, ut, etc. *Id. Phil.* 10, 8. Certissimi, iidemque acerrimi Caesaris actorum patroni. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 1, h. p. 527. sq. Coll. *Brem.* ad *Nep. Conon.* 2, 1.] ℙ Et post *ego*, *tu*, *ille. Cic. Fam.* 9, 15. Neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, non existimasse te, etc. *Id. Att.* 3, 12. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum: idemque caput rogationis proponi scribis; et *ib.* 8, 3. *med.* Ille Galliae ulterioris adjunctor: ille restituendi mei studiosior: ille absentis in omnibus adjutor: idem etiam tertio consulatu contendit, etc. ℙ Ponitur et pro *unus. Id. Brut.* 16. *med.* Est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. *Id. Top.* 22. Comparationum duo sunt genera: unum de eodem et alio; alterum de majore et minore. Adde *Liv.* 1, 58. [**Lucan.* 3, 274. Asiaeque et terminus idem Europae: ubi v. *Cort.*] ℙ Et cum *unus* aliquando jungitur, ad significationem augendam. *Cic. Or.* 3. Nec diutius esse uno et eodem statu. *Id. Verr.* 2, 4, 43. Uno eodem tempore. ℙ Pertinet commode ad aequabilitatem et constantiam. *Cic. Off.* 1, 26. Praeclara est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons. *Id. Or.* 31. Perpetuum et eundem spiritum sine commutatione obtinere. ℙ Ablativus *eadem* per ellipsim ponitur pro *eadem via*, aut *opera. Liv.* 5, 46. Per medias hostium stationes egressus, in Quirinalem collem pervenit: ibique omnibus solemniter peractis, eadem revertens, etc. *Pl. Bacch.* 3, 4, 26. stabile est, me patri aurum reddere: Eadem exorabo, Chrysalo causa mea Pater ne noceat. Adde *Poen.* 3, 3, 3., *Capt.* 2, 2, 43. et alibi. [V. *Lindem.* ad *Mil.* 2, 3, 32.] ℙ Quemadmodum in dativo, et ablativo plurali et *iisdem*, et *eisdem* dicimus, sic in recto itidem plurali et *iidem*, et *eidem* Latinum agnoscit *Prisc.* 12, 946. *Inscr.* ap. *Grut.* 100, 8. M. Papius M. F., L. Matrius L. F. duoviri I. D. signum Concordiae ex *Centumvirorum Consensu* restituendum coeraverunt, eidemque dedicarunt, et basim, gradum, aram sua pecunia faciunda coer., eidemque probaver. ad IIII. eid. oct., Cn. Domitio, C. Asinio Cos., *h. e.* an. U. C. DCCXIV. ante Chr. n. XL. ℙ Aliquando etiam in nominativo sing. et plur. pro *idem*, et *iidem* vel *eidem* dixerunt antiquitus *eisdem. Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207, 2. Eisdemque fores clatratas II. cum postibus aesculneicis facito: et *mox*, eisdem parietem cum margine altum facito P. X. Alia ap. *Lanzium*, *Sagg. di ling. Etr. T.* 1. p. 165. M. Manlius M. F., L. Turpilius L. F. duomvires de senatus sententia aedem faciendam coeraverunt, eisdemque probavere. ℙ In recto singulari *idem* masculinum primam producit: neutrum corripit, nempe quia olim per diphthongum sic *eidem* scribebatur in gen. mascul., non item in gen. neutro. *Virg. Ecl.* 3, 44. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit. *Hor. l. c.* supra in §. 5. ℙ *Iidem* rectus pluralis in disyllabum contrahitur. *Ov. Met.* 1, 239. Iidem oculi lucent. ℙ *Eodem*, *eosdem*, et similia interdum poetae per crasin disyllaba faciunt. *Virg. A.* 12, 846. Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram Uno eodemque tulit partu. *Prop.* 4, 7, 7. Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos, Eosdem oculos. Al. leg. *hosdem*, addita syllaba *dem* ad *hic*, *haec*, *hoc*, quomodo ad *is*, *ea*, *id. Lucil.* ap. *Lactant.* 5, 9. Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti.

*IDEMMET, eademmet, idemmet, i. q. idem. *Enn.* ap. *Cic. Acad.* 4, 27. *extr.* Age adsta: mane: audi iteradum eademmet ista mihi. *B. A.*

IDENTĬDEM, adv. διηνεκῶς, subinde, frequenter, saepe, per intervalla. *Prisc.* 12, 945. ex *idem et idem* factum docet. *Cic. Dom.* 55. Identidem se ipse revocans. *Id. Rabir. Post.* 12. Recitabatur identidem Pompeji testimonium. *Id. Att.* 13, 26. Revolvor identidem in Tusculanum. *Catull.* 51, 3. Qui sedens adversus identidem te spectat, et audit. *Adde carm. 11, 19. *Cic. Rosc. Amer.* 30. *med. Liv.* 1, 54. *B. A.*

*IDENTĬTAS, atis, f. ταυτότης, convenientia cum aliquo. *Sarisb.* 3, 6. *B. A.*

IDĔO, adv. διὰ τοῦτο, propterea, idcirco. *Cic. Coel.* 9. Non, si justa causa est viris fortibus oppugnandi M. Coelium, ideo vobis, quoque, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 4. Idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius retulit, ut C. Verres posset auferre? et *ib.* 3, 41. An ideo aliquid fecit, ne, etc.? *Id. Fam.* 1, 8. *f.* Ideo mihi non satisfacio, quod nullam partem meritorum tuorum referenda gratia consequi possum. *Id. Att.* 2, 1. Mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. *Cels.* 2, 19. Quae omnia ideo noscenda sunt, quoniam aliud alii convenit.

Caes. B. C. 3, 11. Necessarium esse existimavit, Pompejum fieri certiorem: atque ideo continuato itinere, etc. *Nep. Alcib.* 9. Videbat id sine rege Persarum non posse fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi. *Cels.* 2, 2. *f.* Considerandum est, num cui saepius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur. *Id.* 7, 26. *n.* 2. Et ideo dixi, ne curandum quidem. *Virg. G.* 2, 96. nec cellis ideo contende Falernis.

IDEST. V. ID.

*IDEUS, ĕi et ĭos, m. Thestii filius, frater Althaeae, ex venatione apri Calydonii nobilis. *Hyg. fab.* 173 et 174. *B. A.*

*IDICRA, ae, f. opp. Numidiae. *Ant. Itin.* ℙ Hinc

*IDICRENSIS, e, adj. ad Idicram pertinens. *Notit. Numid. B. A.*

*IDĬCUS, a, um, adj. qui est ex Ida monte, ut *Idicae cedri* ap. *Plin.* 16. Veteres tamen Idicas cedros pro montanis omnibus sumebant, ut scribit Nicander. *B. A.*

*IDIMUM, i, n. opp. Moesiae superioris. *Tab. Peut. B. A.*

IDĬOGRAPHUS, a, um, adj. *ἰδιόγραφος*, propria ipsius auctoris manu scriptus: ab *ἴδιος*, proprius, et *γράφω*, scribo. *Gell.* 9, 14. Qui scripserunt, idiographum librum Virgilii sese inspexisse, in quo ita scriptum est.

[IDĬOMA, ātis, n. *ἴδιωμα*, proprietas alicujus linguae. *Charis.* 5, 255. Idiomata, quae sunt in sermone nostro, innumerabilia quidem debent esse. Ea enim sunt omnia, quae pro nostro more efferimus tantum secuti Graecos. *F.*]

IDĬOTA, ae, m. *ἰδιώτης*, proprie notat hominem privatum, seu nullo munere publico fungentem: ab *ἴδιος*, privatus. Sed quia qui e vulgo sunt, fere imperiti indoctique esse consueverunt, accipitur fere pro illiterato, indocto, imperito. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Quae non modo istum hominem ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent; et *Sext.* 51. Rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se, et otiosum putari voluit, *h. e.* ab iis divitiis, quas vulgus imperitum divitias appellat. Stoici autem, qui sapientes haberi volebant, divitias appellabant, cum quis coelo et terra frui posset. *Gell.* 1, 2. Quoniam respondere nos tibi non quimus, quos idiotas et rudes vocas. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 177. Quidni et tu idem illitteratum me atque idiotam diceres? *Nonnius* exponit inutilem, sibi tantum, non plurimis utilem. Adde *Vitr.* 6, 11. *f.* ubi usurpat de eo, qui architecturae est ignarus.

*IDĬOTĬCE, adv. *Vet. Interpr. Iren. praef.* l. 1. Adde 5, 25. *B. A.*

IDĬOTĬCUS, a, um, adj. idem ac idiota, ignarus, rudis. *Tert. Testim. anim.* 1. Rudem, impolitam, et idioticam compellare.

IDĬOTISMUS, i, m. *ἰδιοτισμὸς* dicendi genus e vulgo sumptum et familiare, ita tamen, ut sordes absint, et vulgaria verba, quibus orator utitur, ita locentur apte, ut ornamento sint, neque illa quaesivisse, sed ut necessaria adscivisse videatur. *Senec. praef. l.* 3. *Controv. med.* Idiotismus est inter oratorias virtutes res, quae raro procedit. Magno enim temperamento opus est et occasione quadam. Hac virtute varie usus est *(Albutius)*. Saepe illi bene cessit, saepe decidit, nec tamen mirum est, si difficulter apprehenditur vitio tam vicina virtus. *Id. Contr.* 2, 11. *f.* Hispo Romanus bello idiotismo usus est: Vultis, inquit, amici, eamus ad raptae patrem? occurremus: ille domi est. Al. minus recte leg. *docismo.* ℙ Idiotismi species est figura communicatio, *ἀναλογίωσις*, quia in ea orator cum adversariis ipsis colloquens ac deliberans, familiarem sermonem instituit. *Voss. Instit.* 5, 7. *extr.*

*IDISLAVĪSUS, campus Germaniae, medius inter Visurgim et colles; ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. *Tac. A.* 2, 16. *B. A.*

IDMŌNĬUS, a, um, adj. ad Idmonem pertinens, qui vates Argivus fuit, Apollinis et Cyrenes Nymphae filius, atque ex Argonautis unus: qua in expeditione apud Mariandinos ab apro occisus fuit. *Ov. Ib.* 506. et *Hyg. fab.* 14. ℙ Alius fuit Colophonius, pater Arachnes. *Ov. Met.* 6, 133. Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes. Adde *ib.* 8.

IDŌLĔUM, et Idōlĭum, ĭi, n. *εἰδωλεῖον*, delubrum, sacellum, locus, in quo idolum colitur. *Hieron. ep.* 22. *n.* 29. Si frater te viderit in idoleo recumbentem. *Tert. Cor. mil.* 10. *med.* Si in idolio recumbere alienum est a fide, quid in idoli habitu videri? ℙ *Idolĭum* paenult. brevi, abjecta scil. prima diphthongi vocali, dixit *Prud. Apoth.* 186. Ecquis in idolio recubans, inter sacra mille; et *περὶ στεφ.* 11, 52. Idolii ardebat dedere perfidia. Adde *adv. Symmach.* 1, 612. Sed quod secundam quoque syllabam corripit, non est imitandus.

IDOLĬCUS, a, um, adj. ad idola pertinens. *Tert. Idol.* 13. Communicantes nationibus in idoicis rebus. *Paul. Nol. carm.* 22, 61. Absit, ut idolici videatur filia templi. Secunda syllaba minus recte hic corripitur. V. IDOLUM.

IDOLĬUM. V. IDOLEUM.

IDOLOLATRES, et Ididolatra, ae, m. *εἰδωλολάτρης*, idolorum cultor. *Tert. Idol.* 14. Numquid idololatris idololatres, numquid saecularibus saecularis? Adde l. etc.

IDOLOLATRĬA, ae, f. *εἰδωλολατρεία*, idolorum cultus: ab *εἴδωλον*, idolum, et *λατρεύω*, colo, servio. *Tert. Idol.* 1. et *al.*

*IDOLOLATRĬCUS, a, um, adj. *Tert. B. A.*

IDOLOLATRIS, ĭdis, f. quae idola colit. *Prud. Hamart.* 405. Incerat lapides fumosos idololatris Religio. Ita leg. *Gron.* et *Heins.* Vulgo hab. *idolatrix.* Quod vero secundam corripit, contra ejus syllabae naturam facit: est enim *εἰδωλολατρίς.* Sed V. IDOLUM.

IDOLŌTHYTUM, i, n. *εἰδωλόθυτον*, quod idolis immolatum est: ab *εἴδωλον*, idolum, et *θύω*, sacrifico. *Tert. Idol.* 13. Quid participas idolothyta solemnia? ℙ Et adjective *Id. Spectac.* 13. Oculos et aures ab idolothytis voluptatibus abstinere.

IDOLUM, et Īdōlon, i, n. *εἴδωλον*, alicujus rei species, seu imago, quae oculis obversatur, aut menti: ab *εἴδω*, video. *Lucil.* ap. *Non.* 7, 88. Idola, atque atomos vincere Epicuri volam. *Cic. Fin.* 1, 6. *f.* Atomi, inane, imaginēs, quae idola nominant, quorum incursione non solum videmus, sed etiam cogitamus. Adde *Fam.* 15, 16. ubi quidem bis legitur, sed Graece tamen: et fortasse etiam priore loco Graece scripsit. *Plin. ep.* 7, 27. Mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, etc. ℙ Ab Ecclesiasticis scriptoribus dicitur signum, simulacrum inanium Deorum. *Tert. Idol. saepe*, etc. ℙ Paenultimam, quae natura longa est, licenter corripit *Sedul.* 5, 146. et *Prud. contra Symmach.* 2, 48. et alibi: neuter imitandus.

[IDOMENENSES, ium, m. plur. incolae urbis Idomenes in Macedonia. *Plin.* 4, 10, 17. *F.*]

IDOMĔNEUS, i, m. quadrisyll. *Ἰδομενεύς*, filius Deucalionis, nepos Minois, Cretensium rex, una cum Graecis ad Trojam pugnavit: qua eversa, domum revertens, adversaque tempestate vexatus, votum Neptuno fecit, si patriam incolumis attigisset, quidquid primo occurrisset, ei se immolaturum. Occurrit primus filius, quem cum immolasset, vel, ut alii volunt, immolare voluisset, orta post pestilentia, et a civibus regno pulsus, in Italiam aufugit, ibique in Calabria Sallentinum condidit. Alii dicunt ad Trojam cum proficisceretur, regnumque cuidam commendasset, ab eo pulsum fuisse. *Serv.* ad *A.* 11, 264. et *ib.* 3, 121. *Virg. ib.* 400.

[IDOMĔNĬUS, a, um, adj. ad Idomenen pertinens, Macedoniae urbem, seu potius ad totam Macedoniam, in qua erat urbs Idomene. *Catull.* 64, 178. Idomeniosque petam colles? Hic *Idomenios* est tetrasyllabum, absorpta nempe *i* a littera sequenti.

IDONĔE, adv. *ἱκανῶς*, apte, commode. *Cic. Inv.* 1, 15. Exordium est oratio, auditoris animum idonee comparans ad reliquam dictionem. ℙ Item satis. *Cajus Dig.* 5, 3, 41. Idonec cavere; et *Ulp. ib.* 40, 5, 4. §. 8. Ergo cavendum est idonee: quid est idonee? Satisdato utique, aut pignoribus datis. *Pompon. ib.* 39, 2, 41. Magis idonee reficere parietem. ℙ Comp. *Idonius* est *Tert. Pall.* 3. *med.*

IDONĔĬTAS, atis, f. Est *August. serm. de div.* 106, 3. Idoneitatem servi in passione sanguinis quaerit.

IDONĔUS, a, um, adj. *ἑπιτήδειος*, aptus, commodus, conveniens, sufficiens. [*De significatione h. v. disputarunt *Gernh.* ad *Cic. Off.* 2, 15. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 51, 27. et *ib. Kritz.*, qui comparat *Kraft.* ad *Mureti Oratt.* p. 276. — De discrimine inter *aptus* et *idoneus* cf. *Döderl.* 3, 247. sqq.] *Cic. Or.* 1, 34. Minus idoneis verbis uti. *Id. ad Brut.* 2, 7. Rem quampiam idonea laude afficere; et *mox.* Legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. *Nep. Them.* 6. Idoneam causam nactus. *Petr. Sat.* 139. *extr.* Idoneam excusationem praeparare. *Nep. Att.* 2. Tempus idoneum ratus studiis obsequendi suis. *Caes. B. G.* 2, 8. Locus ad aciem instruendam opportunus atque idoneus. *Cic. Fam.* 6, 19. Falernum mihi semper idoneum visum est diversorio. *Hor. Ep.* 2, 2, 7. Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti Cuilibet: quo sensu absolute *Ulp. Dig.* 50, 16, 42. idoneum hominem dixit. *Quint.* 2, 3. Idoneus rhetori puer, *h. e.* qui rhetori erudiendus committatur. *Cic. Att.* 5, 6. Consilia idonea ad hoc nostrum negotium. *Id. Leg.* 2, 4. Lex est ratio ad jubendum et deterrendum idonea. *Id. Cluent.* 6. Non essem ad ullam causam idoneus, judices, si hoc non viderem. *Quint.* 6, 3. Componere materias in hoc idoneas, ut controversiae permixtis salibus fingantur. *Sen. Contr.* 5, 33. *med.* Infirmi et in nullam spem idonei. [*Sall. Cat.* 51, 39. Postremo quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, etc.] ℙ Substantivi more. *Tac. A.* 4, 5. Apud idonea provinciarum, *h. e.* locis provinciarum opportunis. [*Laudat h. l. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 236. ubi sic pergit: Omnino minus vulgaris est absolutus hujus verbi usus, qualis est ap. *Tac. A.* 2, 39. Tum per idoneos et secreti ejus socios crebrescit, vivere Agrippam. *Liv.* 34, 25. De praesidio expellendo cum idoneis collocutus. *Cic. Off.* 2, 18. In eligendis idoneis. *Suet. Ner.* 44. Nullo idoneo respondente.] ℙ Cum infinito. *Hor. Ep.* 1, 16, 12. Fons etiam rivo dare nomen idoneus. ℙ Saepe est bonus, dignus. *Cic. Balb.* 3. Qui si adductus gratia, minus idoneum hominem praemio affecisset; qui, etiamsi virum bonum, sed non ita meritum; tamen, etc. *Id. Manil.* 19. Pompejus idoneus non est, qui impetret. *Id. Acad.* 4, 6. *med.* Res idonea, de qua quaeratur. *Ter. Andr.* 4, 4, 18. Adeon' videmur vobis esse idonei, In quibus sic illudatis? *Cic. Dom.* 51. *extr.* Nemone horum tibi idoneus visus est, ut cum eo dedicationem communicares? ℙ Huc pertinet illud *ejusd. Off.* 2, 15. Saepe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum. Fallitur *Lact.* qui 6, 11. *idoneis* interpretatur, iis, qui restituere, ac referre gratiam possint: et ob id acriter *Ciceronem* reprehendit. ℙ [*Idoneus* dicitur etiam in malam partem. *Sall. Cat.* 51, 27. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. V. *Kritz.* ad h. l. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 15, 54.] ℙ Item sufficiens, et cui fidere possis. *Cic. Brut.* 15. Cujus eloquentiae est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius. *Liv.* 8, 4. *f.* Idoneos habeo auctores, ita responsum ab senatu esse. *Papin. Dig.* 40, 4, 50. Idoneam cautionem offerre. *Mart. ib.* 26, 1, 9. Non idoneus tutor. *Cajus ib.* 4, 4, 27. *f.* Si ab idoneo debitore ad inopem transtulerit obligationem, *h. e.* ab eo debitore, qui est solvendo. Sic ap. *Ulp. Dig.* 27, 8, 1. *med.* tutores et fidejussores idonei opponuntur his, qui lapsi sunt facultatibus. Sic *Id. ib.* 25, 3, 1. *extr.* Idoneum esse facultatibus ad alendum aliquem. (Ad hanc rationem respexit *Lact.* Ciceronis citata verba exponens.) *Mart. ib.* 35, 2, 88. Idoneis hominibus collocare pecuniam. Al. leg. *nominibus. Sen. Ben.* 4, 39. Cum quingentos denarios mutuos cuidam promisisset, et illum parum idoneum comperisset. *Jabol. Dig.* 43, 5, 5. et *Ulp. ib.* 50, 16, 42. Idoneus homo, *h. e.* qui integrae existimationis et fidei esse putatur. ℙ Dicitur et de rebus ipsis, quibus fidere possumus. *Paul. ib.* 39, 2, 36. Idoneum parietem esse dixerunt, si onera, quae modo jure imponantur, sustinere possit. *Ulp. ib.* 19, 2, 13. Minus idonea navis. *Id. ib.* 22, 1, 33. Idonea pignora, *h. e.* quae sufficiunt in quantitatem debiti, ut *Cajus* loquitur *ib.* 12, 1, 28 ℙ Gradibus caret, quorum vim supplere licet per particulas *magis*, *maxime.* Reperitur tamen *idoneior. Ulp. Dig.* 18, 2, 4. *f.* Si persona idoneior accedat ad emptionem. *Paul. ib.* 47, 23, 2. Si plures simul agant, praetor eligat idoneiorem. Adde *Callistr. ib.* 50, 6, 5. *f.* et *Tert. adv. Hermog.* 18. et *Anim.* 18. Ubique autem al. leg. *idonior.*

IDOS, n. *εἶδος*, vox Graeca ab *εἴδω*, video. Ap. *Sen. ep.* 58. *med.* modo Graece, modo Latine scripta legitur. Est autem species, forma ab exemplari, *h. e.* ab idea, sumpta, et operi imposita, ut ait *Senec. l. c.* Habet aliquam faciem statua: haec est idos, habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit: haec idea est. *Id. ib.*

*IDOTHĔA, ae, f. *Εἰδοθέα*, filia Oceani. *Hyg. fab.* 182. ℙ Item Euryti Cariae regis filia, ex qua Caunum Byblidemque Miletus genuit. *Anton. Liber.* 30. *B. A.*

[IDRIS, is, m. *ἴδρις*, peritus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1032, 8. L. Calpurnius Idris. *F.*]

IDŪĀRĬUS, a, um, adj. ad idus pertinens. *Iduarii, orum*, sunt qui feneratorum tabulas conficiebant, in quibus perscribebatur pecunia fenori locata, et idibus recepta. (V. IDUS.) *Inscr.* ap. *Grut.* 478, 9. L. Val. L. Fil. Gal. Faventino II. virali, qui annona frumentaria empta plebem adjuvit, et ob alia merita ejus collegia Kalendarium (lege *Kalendariorum*), et Iduaria duo (lege *Iduariorum*) civi gratissimo posuerunt. Porro *Kalendariorum* legit *Apianus*, aliique plures, qui hanc inscriptionem retulerunt; *Iduaria* autem *duo* corruptam esse lectionem ex *Iduariorum* quivis per se facile videt, qui in vetustis lapidibus perlegendis versatus aliquantisper fuerit: ex qua quidem conjectura lis illa componitur, quae de hujusmodi voce excitata olim est inter eruditos, quamque pluribus persequitur *Cognolatus* in *praef.* huic Lexico praemissa §. 13. ℙ *Iduarius* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 401, 3. L. Faenius Iduarius.

IDŪLIS, e, adj. ad idus pertinens. *Festus:* Idulis ovis dicebatur, quae omnibus idibus Jovi mactabatur. *Id.* in *Sacram viam:* Sacram viam quidam appellatam esse existimant, quod eo itinere utantur sacerdotes, idulium (legend. fortasse *in Capitolium*) sacrorum conficiendorum causa. De

his *Ov. Fast.* 1, 56. Idibus alba Jovi grandior agna cadit. Adde *Macr. Sat.* 1, 15. *med.*

IDUMAEUS, a, um, adj. ad Idumen pertinens, quae regio est Palaestinae vicina Judaeae ad meridiem: et aliquando accipitur pro ipsa Palaestina. Palmetis abundans est: unde *Virg. G.* 3, 12. Primus Idumaeas referam tibi Mantua palmas. *Mart.* 2, 2. Frater Idumaeos meruit cum patre triumphos, *h. e.* domita Judaea, captisque Hierosolymis relatos. ℙ Dicitur etiam *Idumaea, ae. Plin.* 5, 13, 14. Mox Idumaea incipit, et Palaestina; et *ib.* 14, 15. Supra Idumaeam et Samariam Judaea funditur. ℙ De Idume. *Val. Fl.* 1, 12. versam proles tua pandet Idumen. *Lucan.* 3, 216. arbusto palmarum dives Idume.

IDUMĒ, es, f. Ἰδουμή. V. v. praec.

IDŪO, as, a. 1. (vox videtur composita ex *in*, et *duo*, vel εἰς δύω) lingua Etrusca dividere significat: unde dictae *Idus*, quae mensem ferme dividunt. *Macr. Sat.* 1, 15. *med.* V. VIDUUS.

IDUS, uum, ibus, f. plur. εἰδοὶ, dies decimus quintus in mensibus Martio, Majo, Julio, et Octobri; decimus tertius in reliquis: ab *iduare*, dividere, quia mensem ferme dividit. Hinc *Hor. Od.* 4, 11, 14. Idus tibi sunt agendae, Qui dies mensem Veneris marinae Findit Aprilem. ℙ Alias hujus vocis notationes ap. *Macr. Sat.* 1, 15. habes. *Cic. Fam.* 1, 1. Res ante idus acta sic est: nam haec idibus mane scripsi. *Id. Att.* 15, 17. Duas epistolas accepi postridie idus. Al. leg. *iduum. Caes. B. C.* 1, 5. Haec S. C. perscribuntur a. d. VII. id. Januar. *h. e.* ante diem septimum idus Januarii, vel Januarias. *Tac. H.* 1, 26. Postero iduum die. *Cic. Att.* 15, 4. Stulta jam iduum Martiarum est consolatio. *Tac. A.* 2, 32. Iduum septembr. dies. ℙ Ut calendae Junoni sacrae erant, sic idus cujusque mensis Jovi. Unde *Idulis ovis.* V. IDULIS. Adde *Varr.* ap. *Macr. Sat.* 1, 14. ℙ Exigendarum usurarum duo maxime fuere tempora, calendae, et idus, prout in contractu convenisset. De calendis in ea voce, et in CALENDARIUM dictum est. De idibus *Hor. Ep.* 2, 67. fenerator Alphius, Jam jam futurus rusticus Omnem relegit idibus pecuniam: Quaerit calendis ponere. *Cic. Att.* 10, 5. Diem pecuniae idus Novembris esse. *Id. ib.* 14, 20. Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret idibus. *Id. Cat.* 1, 6. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties. ℙ In vetustissimis inscriptionibus *Eidus* scribitur.

[IDUSA, ae, f. ἰδοῦσα, intuens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 309, 11. Flavia Idusa. *F.*]

[IDŪUS, a, um, adj. divisus. *Macr. Sat.* 1, 15. Vidua quasi valde idua, id est valde divisa. V. IDUO. *F.*]

[IDYIA, ae, f. trisyllab. Ἰδυῖα, Aeetae conjux, et Medeae mater. *Cic. N. D.* 3, 19. et *Hyg. fab.* 25. *F.* ℙ *Restituenda videtur haec vox *Ov. Her.* 17, 232. V. *Heins. Delr.* ad *Sen. Med.* 209. itemque *Is. Voss.* ad *Catull.* p. 261. *B. A.*]

IDYLLIUM. V. EDYLLIUM.

JE

*JEBBA, ae, opp. Phoeniciae. *Plin.* 5, 19. *B. A.*

JEBUSIACUS, a, um, adj. ad Jebusaeos pertinens, qui sunt populi Palaestinae in Judaea, dicti a Jebus filio Chanaam, a quo Jerusalem condita fuit, ut *Isid. Orig.* 9, 2. tradit. *Prud. Hamart.* 417. Ecce Jebusiacae fervent ad proelia turmae. V. *Judic.* 1, 21. et 2. *Reg.* 5, 6. et 8.

[JECINEROSUS, a, um, et

JECORALIS, e, et

JECORITICUS, a, um, et

JECOROSUS, a, um, adj. ἡπατικὸς, qui jecinoris vitio laborat, hepaticus. *Marcell. Empir.* 22. *med.* Hircinus sanguis adhuc calens supra prunas excoctus, et libatui datus jejuno, jecineroso medetur. *Gloss. Philox.* Jecoralis, ἡπατικός. *Marcell. Empir. l. c. med.* Jecoritico jejuno per triduum bibendum dabis. *Sidon. ep.* 5, 14. Jecorosis, et phthisiscentibus languidis medicabilis piscina. *F.*]

*JECTURA, ae, f. actus jaciendi. *Veg. Vet.* 2, 45. Si ex jectura fuerit, prius locis suis reponenda. Alii tamen rectius leg. *ejectura. B. A.*

JECUR, jecoris, et jecinoris, seu jocinoris, n. ἧπαρ, viscus maximum in dextra parte, sub praecordiis situm: cujus inspiciendi plurimus fuit in haruspicina usus. *Cic. N. D.* 1, 35. *extr.* Cerebrum, cor, pulmones, jecur: haec enim sunt domicilia vitae; et *ib.* 2, 55. Ex intestinis et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur, per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias, quae pertinent ad jecur, eique adhaerent. *Id. Div.* 1, 52. Non placet Stoicis, singulis jecorum fissis interesse Deum. V. FISSUS. *Liv.* 8, 9. Decio caput jecinoris a familiari parte caesum haruspex dicitur ostendisse. *Cels.* 2, 8. Alterius quoque visceris morbus, idest jocinoris, etc. ℙ In deliciis ciborum fuit jecur anseris. *Plin.* 10, 22, 26. *Mart.* 13, 58. et *Juven.* 5, 114. V. ANSER. Item suum. *Plin.* 8, 51, 77. ℙ De capite jecoris, V. in CAPUT. ℙ Creditum est olim esse principium omnium venarum, et sanguinis officina. Hinc in eo posuerunt sedem animi et affectuum, quia pro eorum varietate sanguis movetur. *Hor. Ep.* 1, 18, 72. Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve. *Sen. Herc. Oet.* 574. Jecur alicujus merendo flectere, *h. e.* cor vincere, et amorem captare. *Hor. Od.* 1, 13, 4. Fervens difficili bile tumet jecur. *Juven.* 1, 45. quanta siccum jecur ardeat ira; et 6, 647. rabie jecur incendente feruntur. *Pers.* 5, 129. intus et in jecore aegro Nascuntur domini. *Sen. Herc. Oet.* 708. cor attonitum salit, Pavidumque trepidis palpitat venis jecur; et 1677. Contine infirmum jecur mater, *h. e.* dolorem frena. *Bibaculus* ap. *Suet. Gramm.* 11. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis, *h. e.* prudentia, sapientia. Huc pertinet illud *Pers.* 1, 47. neque enim mihi cornea fibra est. V. FIBRA. ℙ Rumpere tensum jecur, ap. *Juven.* 7, 117. est immane vociferantis. ℙ Olim in recto dictum fuisse *jocinor*, seu *jecinor*, a nonnullis, testatur *Charis.* 1, 34.

JECUSCULUM, i, n. ἡπάτιον, parvum jecur. *Cic. Div.* 2, 14. Musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri. *Plin.* 11, 37, 76. Murium jecuscula ad numerum lunae in mense congruere dicuntur. *Apic.* 4, 2. Jecuscula pullorum.

JEJUNATIO, onis, f. jejunium, actus jejunandi. *Tert. Jejun.* 13. Jejunationibus operari.

JEJUNATOR, oris, m. qui jejunat. *August. ep. ad Casulan.* 86. *med.* Qui ventricolas tanquam magnus jejunator accusat. Adde *Hieron. in Jovin.* 2. *n.* 16.

JEJUNE, adv. ἀπαστὶ, cum jejunio. Translate ponitur pro tenuiter, exiliter, aride, languide admodum. *Cic. Or.* 1, 11. Iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter disputavisse. *Id. Fin.* 3, 5. Haec dicuntur fortasse jejunius. *Gell.* 19, 3. Infecunde atque jejune laudare. [*Cic. Att.* 12, 21. Quis jejunius dixit inimicus? i. e. magis invide, minus honorifice, ut faciunt inviti: nempe Brutus multum se Ciceroni tribuere putaverat, quod scripsisset, optimum consulem.] *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme. [*V. *Schütz. cl. Cic.*]

JEJUNIOSUS, a, um, adj. jejunus. *Pl. Capt.* 3, 1, 6. Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame vidi.

JEJUNITAS, atis, f. inanitas, vacuitas, venter jejunus, νηστεία. *Pl. Merc.* 3, 3, 13. Jejunitatis plenus, anima foetida. Ita leg. *Non.* 4, 2. Alii minus recte *Jam plenus aetatis* leg. *Vitr.* 2, 6. Calida humoris jejunitas aqua repente satiata confervescit. *Id.* 7, 4. Jejunitas, quae est a fornacibus excocta. ℙ Transfertur ad orationem, et significat tenuitatem, exilitatem, inopiam: cui contraria est ubertas et copia. *Cic. Brut.* 55. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et jejunitas: amplo autem inflatum et corruptum orationis genus; et 82. Si jejunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat. *Id. Tusc.* 2, 1. Qui cum obruerentur copia sententiarum atque verborum, jejunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent. [*Differt hic locus ab antecedentibus, ubi *vitium* orationis jejunitas significat, ut recte notavit *Ernest.* in *cl. Cic.* Hoc loco ubi ubertati opponitur, dicitur de tenui quidem orationis genere, sed non vitioso. Adde *Brut.* 82. et *Or.* 6.] *Id. Or.* 2, 3. Jejunitas bonarum artium, [*i. e. inscitia.]

JEJUNIUM, ii, n. νηστεία, abstinentia a cibo. *Ov. Met.* 1, 312. Illos longa domant inopi jejunia victu; et *ib.* 5, 534. solvere; et *Fast.* 4, 535. ponere. *Cels.* 3, 18. *med.* Jejunio aegrum vexare. *Hor. Sat.* 2, 3, 291. indicere jejunia. *Liv.* 36, 37. Jejunium Cereri instituere. *August.* ap. *Suet. Aug.* 76. Ne Judaeus quidem tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi. [*Nigid.* ap. *Isid. Orig.* 20, 2. Nos ipsi jejunia jentaculis levibus polluimus. *Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 10. Nec aliter Kal. Sept. exspecto, quam superstitiosi stellam, qua visa jejunium polluant. *F.*] ℙ Metonymice est ipsa fames. *Ov. Met.* 8, 820. faucesque, et pectus, et ora Afflat, et in vacuis spargit jejunia venis; et *ib.* 4, 263. pascere jejunia; et *ib.* 11, 371. satiare; et *ib.* 5, 534. solvere; et *ib.* 15, 83. sedare; et 95. placare voracis jejunia ventris. ℙ Item macies, aut infirmitas, quae ex jejunio sequitur. *Virg. G.* 3, 127. ne blando nequeat superesse labori, Invalidique patrum referant jejunia nati. ℙ Per catachresin *jejunia undae* ap. *Lucan.* 4, 332. sunt ipsa sitis. ℙ Transfertur etiam ad alia. *Colum.* 3, 12. Macram ac tenuem terram jejunio laborare, *h. e.* sterilitate.

JEJUNO, as, n. 1. νηστεύω, cibo me abstineo. *Tert.*, *Hieron.*, *August.* etc., neque extra hujusmodi Ecclesiasticos scriptores facile inveneris. *Hieron. ep.* 66. *n.* 11. Abraham peregrinis prandentibus cibos jejunaturus apposuit. ℙ Cum dativo junxit *Tert. Jejun.* 3. Adam manducavit, et periit, salvus alioquin, si uni arbusculae jejunare maluisset.

JEJUNUS, a, um, adj. νῆστις, ἄσιτος, qui cibum a nocturno somno nondum gustavit, a cibo vacuus. *Cic. Fam.* 7, 26. Cum quidem biduum ita jejunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem. *Lucr.* 4, 874. sic expletur jejuna cupido, *h. e.* fames. Sic *Plin.* 10, 3, 3. Jejuna aviditas. *Id.* 28, 4, 7. Jejuna saliva, *h. e.* hominis jejuni. Et 22, 25, 29. Faba jejuno ore commanducata. *Hor. Ep.* 2, 2, 29. lupus jejunis dentibus acer. *Plin.* 11, 25, 30. Scorpiones jejunum medicamentum egerunt, *h. e.* jejuno ore emissum. *Prop.* 4, 5, 4. Cerberus jejuno sono, *h. e.* latratu famelico. *Ov. Met.* 8, 790. Tremorque, Pallorque, Et jejuna Fames. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Misera ac jejuna plebecula. [*Liv.* 21, 55. Jejuna fessaque corpora Romanis et rigentia gelu torpebant. *Hor. Sat.* 2, 2, 38. Jejunus raro stomachus vulgaria temnit, i. e. raro esuriens. *Heindf.* pro *raro* vel *rare* malebat cum *Schol. Acr. rari;* ut *jejunus rari* sit *cupidus rari*, allato exemplo ex *Justino* 38, 6. animos divitiarum avidos ac jejunos habere.] ℙ Videtur etiam dici de sitiente. *Prop.* 3, 13, 18. Vilem jejunae saepe negavit aquam. Sic *Lucan.* 4, 332. *de siti* dixit *jejunia.* ℙ Translate est inanis, vacuus. Hinc intestinum jejunum dicitur a *Cels.* 4, 1. quod semper est inane, acceptumque cibum non continet, sed protinus transmittit: estque inter intestina hominis ordine tertium. *Lucr.* 2, 844. corpora succo jejuna. ℙ Cum genitivo. *Cic. Or.* 40. Jejunas igitur hujus multiplicis orationis aures civitatis accepimus [*i. e. ignaras: hoc genus tum erat inauditum nostris hominibus. *Ernest.* in *cl.*]. ℙ Item siccus, humore carens, sterilis, cum de terra sermo est. [*Cic. Verr.* 2, 3, 37. Jejunus ager.] *Virg. G.* 2, 212. jejuna glarea. *Colum.* 2, 4. Omnis humus, quamvis laetissima, tamen inferiorem partem jejuniorem habet. *Sen. Cons. ad Helv.* 6. Quid tam nudum iuveniri potest, quam hoc saxum? quid ad copias respicienti jejunius? quid ad homines immansuetius? ℙ Item exiguus, tenuis. *Virg. G.* 3, 493. Summâque jejuna sanie infuscatur arena. ℙ Refertur ad animum. *Cic. Phil.* 14, 6. Ut quosdam nimis jejuno animo et angusto monerem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia, putarent, *h. e.* exili, tenui, minuto, magnum nihil sentiente. *Id. Fam.* 2, 17. *f.* Pusillus animus, atque ipsa malevolentia jejunus atque inanis. ℙ Item ad orationem: et copiosae plenaeque opponitur. *Cic. Or.* 3, 4. Si quis aut Antonium jejuniorem, aut Crassum fuisse pleniorem putet; et *ib.* 2, 16. Jejuna concertatio verborum. *Quint.* 1, 4. Artem eloquentiae, ut tenuem ac jejunam, cavillari: et 10, 5. Neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, nisi semel, non possit. [*Plura suppeditat *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 200. seq.] ℙ Item ad res alias, et per contemptum dicitur de re misera, vili, humili. [*Absurda, inepta, inutili.] *Cic. Off.* 1, 44. Solivaga cognitio et jejuna, *h. e.* sterilis, infructuosa. *Id. Caec.* 21. Frigida et jejuna calumnia, *h. e.* infirma, et nullis viribus. *Id. Fam.* 15, 17. *med.* Si non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, et contemnendum videbitur, sed tale ac tantum, ut multi, nequaquam paribus rebus, summos honores a senatu consecuti sint; et *ib.* 3, 10. *med.* Nihil in me, non modo perfidiosum, et insidiosum, et fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut jejunum debes agnoscere. [*Id. Div.* 2, 17. Illud vero pusilli animi est, et ipsa malevolentia jejuni atque inanis, i. e. invidi.] ℙ *Varr.* ap. *Non.* 6, 22. Consurgimus jejunis oculis, *h. e.* qui nihil, aut parum admodum viderunt.

IENS, euntis, part. V. EO, is.

JENTACULUM, i, n. ἀκροάτισμα, gustatio, comestio, quae jejunis ante prandium fit, ut a pueris, et intemperantibus: item ipse cibus, qui eo tempore sumitur. *Suet. Vit.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula, et prandia, et coenas, comissationesque: facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. *Mart.* 14, 223. Surgite: jam vendit pueris jentacula pistor. *Appul. Met.* 1. En paratum tibi jentaculum, et cum dicto caseum cum pane ei porrigo. ℙ Jentaculum Diis offerre, mos fuit. *Pl. Curc.* 1, 1, 72. Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.

JENTATIO, onis, f. actus jentandi, jentaculum. *Firm. Math.* 2, 10. Significat etiam convivia, jentationes, dulciaque tragemata.

JENTO, as, n. 1. ἀκροατίζομαι, aliquid ante prandium gusto. *Varr.* ap. *Non* 2, 440. Quod pulli jentent. *Afr. ib.* Jentare nulla invitat. *Suet. Vit.* 7. *extr.* Ut mane singulos, jamne jentassent, scisciteretur; seque fecisse, ructu quoque ostenderet. *Mart.* 8, 67. Ut jentes, sero, Caeciliane, venis.

IERAX. V. HIERAX.

[IEREMIAS, ae, m. Ἱερεμίας, Hebr. יִרְמְיָהוּ, nomen proprium filii Helciae, qui unus est ex quatuor majoribus prophetis Hebraeorum. *Prud. Ha-*

mart. 450. Carmine luctifico quam *(Babylonem)* deflens Ieremias etc. *F.*]

*IERNA, ae, Hispaniae fluvius, auctore *Mela* 3, 1. *B. A.*

IERNE. V. HIBERNIA.

IEROLOPHUS. V. HIEROLOPHUS.

*IERSONENSIS, e, adj. ad Iessonam spectans, quod opp. fuit Hispaniae Tarroconensis, cis Iberum flumen, in agro Ilergetum. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. Erud. Antiq.* p. 188. *B. A.*

[IESSAEUS, a, um, adj. ad Iesse, sive Isai pertinens, qui fuit pater Davidis regis Hebraeorum. *Prud. Cath.* 12, 49. Jam flos subit Davidicus Radce Iessaea editus, *h. e.* Christus e stirpe Davidis. *F.*]

IESUS, u, m. Ἰησοῦς, sospitator, servator: nomen sacrosanctum Filii Dei, et Salvatoris nostri: a יְשׁוּעַ IESUS, quod a יָשַׁע salus, quia salvos fecit homines a peccatis ipsorum. In genit. et dat. desinit in *u*, non in *us*, et *ui*, ut cetera nomina quartae declinationis. Est autem vox trisyllaba, priore brevi. *Juvenc. de Euang. Hist. in Joann.* 2, 1. 106. Nazara cui felix patria est, et nomen IESUS. *Sedul.* 1, 153. venturum praemisso nomine IESUM. Adde *Arat. Act. Apost.* 1, 274. ℙ Non imitandus *Prud.* qui disyllabam quidem facit, sed ita, prima ut vocalis in consonam non transeat, ut *Apotheos.* 770. Esse Deum solum, qui me tibi praeripit, IESUM; et *Psychom.* 764. Utque homini atque Deo medius intervenit IESUS. ℙ *Iesus* vocatur etiam Josua, unus ex judicibus Hebraeorum. *Prud. Cath.* 12, 173. Hic nempe Iesus verior, Qui longa post dispendia Victor suis tribulibus Promissa solvit jugera, *scil.* hic nempe Christus est verior Josua, nam Hebraice Josua servatorem significat.

IETAE, arum, m. plur. Ἰῆται, populi Ius insulae. Est autem Ios insula maris Aegaei, una ex Sporadibus, nunc *Nio*, Homeri sepulcro veneranda, inquit *Plin.* 4, 12, 23. Hinc *Varro* ap. *Gell.* 3, 11. Capella Homeri candida haec tumulum indicat Quod hac Ietae mortuo faciunt sacra.

*IETERUS, i, flumen Moesiae. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

I G

IGGĔRUNT, ingerunt. *Varr.* V. litteram G.

*IGILGĬLI, opp. nom. V. v. sq. *B. A.*

[IGILGĬLĪTĀNUS, a, um; adj. ad Igilgilin (nunc *Gigeri*) pertinens, Mauritaniae coloniam, a *Plin.* 5, 2, 1. memoratam. *Amm.* 29, 5. *med.* Defertur ad Sitifensis Mauritaniae littus, quod appellant accolae Igilgilitanum. *F.*]

*IGILĬUM, i, n. insula parva in mari Mediterraneo, prope Etruriam, hodie *Giglio* appellata. *Mela* 2, 7. *Caes. B. C.* 1, 34. *Rutil.* 1, 305. ℙ *Aegilium* audit *Plin.* 3, 6. *B. A.*

IGĬTUR, οὖν, ἄραγε, τοιγαροῦν, collectiva, vel rationalis conjunctio, ex praecedentibus conclusionem inferens. [*Ortum est ex *id agitur. Böttich. Lex. Tac* p. 236. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 655. explicat εἴγε τὸ ἄῤ pro ἄρα.] Fere uni, aut duabus vocibus subjicitur. *Cic. Ligar.* 1. Habes igitur, Tubero, confitentem reum. *Id. Cat.* 4, 11. Pro his igitur omnibus rebus postulo, etc. *Id. Tusc.* 4, 18. Qui modum igitur vitio quaerit similiter facit, ut, etc. *Hor. Sat.* 2, 2, 63. Quali igitur victu sapiens utetur? [*Igitur h. l., ut 1, 1, 101., ubi v. *Heindf.*, est Gr. τοίνυν, nostr. *nun aber.*] ℙ Post plures. [**Id. Div.* 1, 15, 27. Ille mihi videtur igitur vere augurari. *Verr.* 1, 1, 32. Huic homini parcetis igitur. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 237. ubi plura ejusmodi exempla laudantur.] *Cic. N. D.* 3, 17. Si Nymphae Deae sunt, Panisci etiam, et Satyri. Hi autem non sunt: ne Nymphae quidem Deae igitur. [**Id. Fl.* 10. In hominem dicendum est igitur. *Tusc.* 1, 34. Ne in animo quidem igitur.] ℙ Aliquando priore loco ponitur. *Nep. Att.* 3. Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea urbe, etc. *Pl. Merc.* 2, 3, 20. Igitur hoccine est amare? [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 192, 3, p. 852. sq. Ap. *Tac.* semper primum locum obtinet, praeter pauca exempla, quae v. ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 236. ubi in universum de hujus particulae positione deque scriptorum in hac re dicendi more accuratissime disputatur.] ℙ Interdum declarat ingressum in disputationem. *Cic. Or.* 3, 5. Ut igitur ante meridiem discesserunt, paululumque requierunt, etc. ℙ Habet etiam locum in anteoccupationibus. *Cic. Coel.* 17. Dicet aliquis: haec igitur est tua disciplina? *Id. Att.* 8, 14. *med.* Totiesne igitur sententiam mutas? ego tecum, tanquam mecum loquor. ℙ Et post parenthesin, aut suspensionem, praesertim longiorem: et vim habet τοῦ *inquam*, qua ratione etiam *ergo* et *sed* usurpantur. *Id. Tusc.* 1, 36. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Hoc igitur probe stabilito, etc. *Id. Fin.* 2, 22. *f.* Quid enim mereri velis jam, cum magistratum inieris, et in concionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in jure dicendo; et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de majoribus tuis, et de te ipso dices more majorum) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse? Adde *ib.* 3, 14. et *ib.* 4, 14. *med.*; et 20., *Cat.* 4, 11. et *Fam.* 1, 9. *f.* [*V. *Brem.* ad *Nep. Thras.* 4, 3. Illa igitur corona contentus, etc. Laudat *Ramsh. Gr. Lat.* §. 192, 3. p. 853. praeter magnum exemplorum numerum *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 1, 3. *Goerenz.* ad *Fin.* 8, 24, 72. *Ellendt.* ad *Brut.* 48, 177.] ℙ Reperitur etiam pro tum, inde, postea, ut et *Festus*, et *Non.* 2, 456. docent: quo sensu etiam *ergo* adhibetur. *Pl. Most.* 2, 1, 32. miserum est opus, Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. *Id. Cas.* 2, 2, 39. mox magis cum otium mihi et tibi erit, Igitur tecum loquar. *Id. Mil.* 3, 1, 177. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo. [*V. *Lindem.* ad h. l.] *Id. Amph.* 1, 1, 54. sin aliter sient animati, neque dent, quae petat; Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnassere. ℙ Pleonasmus est in illis, *ib.* 3, 1, 16. Frustrationem hodie hic injiciam maximam: Post igitur demum faciam, res fiat palam; et *Stich.* 1, 2, 29. Prius id agam: igitur deinde, ut animus erit meus, faciam palam, *h. e.* tum deinde, tum postea; et *Most.* 1, 2, 51. Unum ubi emeritum est stipendium, igitur tum Specimen cernitur. ℙ Pro tandem. *Sall. Cat.* 46, 3. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. Laetabatur intelligens, conjuratione patefacta, etc., porro autem anxius erat, etc. Igitur confirmato animo, vocari ad se jubet Lentulum. [*Id. Cat.* 47, 3. Igitur perlectis litteris, etc.] ℙ Pro enim. *Pl. Most.* 5, 1, 53. Surge dum huc: est consulere igitur quiddam quod tecum volo. ℙ Et pro ideo. *Id. Asin.* 2, 1, 4. Jamdiu factum est, cum abiisti ad forum, Igitur inveniendo argento ut fingeres fallaciam. ℙ *Ergo igitur* V. in ERGO. ℙ [*Confunduntur *igitur* et *ergo*. V. *Spald.* ad *Quint.* 5, 10, 54.]

*IGITURVĬUM, i, n. opp. Italiae. *Liv.* 45, 43. ubi tamen alii legere malunt *Iguvium*. Inter quos *Turnebus*. *B. A.*

IGNĀRĬUS. V. IGNIARIUS.

IGNĀRŪRIS, e, adj. idem quod ignarus. *Pl. Poen. prol.* 47. aeque ut mecum sitis ignarures. Alii leg. *gnarures*. V. GNARURIS. *Gloss. Phil.* Ἄγνοοῦντες, ignarures.

IGNĀRUS, a, um, adj. ἀγνώς, ἀδαής, inscius, ignorans: ab *in* privativa, et *gnarus*. *Cic. Planc.* 16. *med.* Tu me ignaro, nec opinante, inscio, notes et tuos, etc. *Id. Or.* 34. Oratorem ne physicorum quidem esse ignarum volo. *Id. ib.* 1, 14. *extr.* Ignarus faciundae ac poliendae orationis. *Caes. B. G.* 6, 41. Eventus belli non ignarus. *Hor. Ep.* 2, 1, 114. Navem agere ignarus navis timet; et 132. puella ignara mariti, *h. e.* innupta. *Plin.* 11, 30, 36. Alter alterius ignarus. *Tac. H.* 4, 50. Magna pars Pisonis ignari, *h. e.* Pisonem non noverant. *Hor. Sat.* 1, 1, 35. Formica haud ignara, ac non incauta futuri. *Val. Fl.* 8, 195. ignarus, fixas jam numine rupes Stare. *Cic. Tusc.* 2, 1. Non sumus ignari, multos contra esse dicturos. *Id. Har. resp.* 1. Ignarus ille, qui consules essent. *Id. in. Sen.* 7. Ignaro populo R. quid ageretur. *Id. Top.* 20. Nam et pueri saepe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari. *Pl. Ps.* 4, 7, 62. An nescis quae sit haec res? *Si.* juxta cum ignarissimis. [*Lucan.* 3, 35. Ignaros scelerum sparsit furor, i. e. bellis civilibus non assuetos, qui manere et vim vi pellere noluerunt. V. *Cort.* ad h. l. *Id.* 4, 232. Nunc toto fatorum ignarus in orbe, Magne, paras acies, i. e. nescius, quae sint fata tua, tuarumque partium. Laudat *Cort.* ad h. l. *Cic. Quint.* 20. ei misero, absenti, ignaro fortunarum suarum. Differunt *ignarus* et *insciens*: hic nescit, quod celatur; ille per negligentiam incuriam, levitatem notitia rerum caret. Ita *Brem.* ad *Suet. Claud.* 29. Compendio cujusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est, et quidem insciens plerumque et ignarus.] ℙ Non sum mihi ignarus, posse etc., *h. e.* non sum nescius, etc. *Tac. Ann.* 4, 8. ℙ Item imprudens. *Virg. A.* 3, 338. Aut quisnam ignarum nostris Deus appulit oris? ℙ Item immemor. *Id. ib.* 1, 202. O socii (neque enim ignari sumus ante malorum) O passi graviora. ℙ Item expers. *Stat. Silv.* 2, 2, 149. et in vultu curarum ignara voluptas. ℙ Passive quoque sumitur, et ignotum significat, quod et *Gell.* 9, 12. *extr.* adnotavit. *Ov. Met.* 7, 404. Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti. *Sen. Ira* 3, 2. Quibus agrestis vita est, circumscriptio ignara est et fraus. *Sall. Jug.* 56. Plerosque velocitas, et regio hostibus ignara, tutata sunt; et 98. More humanae cupidinis, ignara visundi; et 21. Mare magnum, et ignara lingua commercia prohibebant. *Tac. A.* 2, 13. Per occulta et vigilibus ignara; et *ib.* 3, 69. Non quidem sibi ignara, quae vulgabantur. *Virg. A.* 10, 706. ignarum Laurens habet ora Mimanta. [*De duplici hujus aliorumque id genus vocabulorum significatione v. quos laudat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 10, 4. Adde *Cort.* ad *Lucan.* 5, 500; et 7, 850. *ed. Web.* Magnam exemplorum copiam congessit *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 223. sq. s. v. *gnarus.*] ℙ Ad illud *Terentii Eun.* 1, 2, 56. Imprudens harum rerum, ignarusque omnium: *Donat.* adnotat, *prudentiam* naturalem esse, *gnaritatem* extrinsecus venire: *imprudentem* per se, *ignarum* per alios. Hoc itaque dicere *Terentium:* qui nec suspicatus sit neque ex aliquo audiverit. ℙ [*Confunduntur *ignarus* et *ignotus*. V. *Burm.* ad *Virg. Ecl.* 6, 40. et ad *Quint. Decl.* 6, 2. p. 128.]

IGNĀVĒ, adv. ῥᾳθύμως, lente et segniter. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus. *Virg. G.* 3, 465. carpentem ignavius herbas. *Hor. Ep.* 2, 1, 66. Si quaedam nimis antique, si pleraque dure Dicere credit eos, ignave multa fatetur etc., *h. e.* nullo acumine, aut elegantia.

IGNĀVESCO, is, n. 4. ignavus fio. *Tert. Anim.* 43. *f.* Anima nec quiescit, nec ignavescit.

IGNĀVĬA, ae, f. ῥᾳθυμία [*μαλακία], tenuitas animi, segnities, pigritia, inertia: vitium contrarium fortitudini, et alacritati, cum, quod ratio aggredi fortiter suadet, id nos formido aggredi dissuadet, et ab audendo retinet. *Cic. Rabir. perd.* 7. Atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere. *Id. Inv.* 2, 54. Contraria sunt fortitudini ignavia, justitiae injustitia. *Id. Cat.* 2, 11. Aequitas, temperantia, fortitudo certant cum iniquitate, luxuria, ignavia. *Id. Tusc.* 3, 7. Timiditatem et ignaviam recipere. *Sall. Cat.* 56. Socordiae sese, atque ignaviae tradere. *Id. Jug.* 2. Per luxum atque ignaviam aetatem agere. *Plin.* 11, 16, 15. Ignaviam alicujus ad opera excitare; et *ib.* 14, 14. Copia cibi ignaviam affert. *Virg. A.* 11, 733. quae tanta animis ignavia venit? ℙ Differre videntur haec, quae simul enumerat *Auct. ad Her.* 1, 5. Adversariorum inertiam, ignaviam, desidiam proferre. *Inertia* enim est in eo, qui nihil habet ingenii industriaeve, ut strenue agat: *ignavia* in eo, qui potest, sed lentitudine animi non vult strenue agere: *desidia*, praeter animi, corporis etiam pigritiam significat. V. DESIDIA. Huc pertinet illud *Lact.* 3, 17. Epicurus desidiosum vetat litteras discere; ignavum prohibet accedere ad rempublicam; pigrum exercere, timidum militare. [*De horum vocabulorum discrimine disputat etiam *Döderl.* 2, 196.] ℙ Interdum pro desidia atque otio ponitur. *Cels.* 1, 1. Sanum hominem oportet quiescere interdum, sed frequenter se exercere: siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. ℙ Translate tribuitur rebus inanimis, quae vi et efficacia carent. *Plin.* 12, 25, 54. Ignavia odoris. [*V. IGNAVUS.]

IGNĀVĬO, is, a. 4. ignavum reddo. *Accius* ap. *Non.* 2, 441. Saepe ignavit fortem in spe exspectatio. (Obsoletum est.)

IGNĀVĬO, onis, m. ignavus homo. *Gell.* 16, 14. ex *Verr. Fl.* Isti ignaviones, qui nihil perficere possunt. Ita leg. *Lips.* at melius alii *ignaviores*.

IGNĀVĬTAS, atis, f. idem ac ignavia. *Just.* 43, 3. Ignavitate et macie terrae. Sed alii melius leg. *exiguitate*.

IGNĀVĬTER, adv. idem ac ignave. *Hirt. ad Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* An ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? Adde *Lucil.* et *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 11, 29. et *Prisc.* 15, 1010.

IGNĀVUS, a, um, adj. ῥᾳθυμος, ἀργός, remissus, lentus, piger, vilis et minuti animi, qui cum possit strenue agere et fortiter, desidia vanove metu periculi aut laboris recusat: ab *in* privativa, et *navus*. Huic opponitur fortis, alacer, strenuus. *Pl. Poen.* 4, 2, 24. Ipsus hercle ignaviorem potis est facere Ignaviam. *Id. Bacch.* 3, 6, 27. si non fecero Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissimum. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ignavus miles ac timidus. *Id. Sen.* 11. Iners, ignava, somniculosa senectus. *Liv.* 26, 2. *med.* Feroces et inquieti inter socios; ignavi et imbelles inter hostes. *Id.* 5, 28. Ignavissimus et fugacissimus hostis. *Hor. Ep.* 6, 1. Canis ignavus adversum lupos. *Virg. G.* 4, 258. *de apib.*: Aut intus clausae cunctantur in aedibus omnes, Ignavaeque fame, et contracto frigore pigrae. *Id. A.* 1, 439. Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent. *Ov. Amor.* 1, 15, 1. Ignavi anni, *h. e.* per ignaviam traducti. *Id. Trist.* 1, 7, 25. Ignava otia. *Lucan.* 1, 492. ignavum est rediturae parcere vitae. ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 11, 18. Legiones operum et laboris ignavas, populationibus laetantes, veterem ad morem reduxit. Est qui legit *ignaras*, sed minus recte. ℙ Absolute. *Ov. Amor.* 3, 2, 73. Favimus ignavo. ℙ Translate tribuitur rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 208. Et nemora evertit multos ignava per annos, *h. e.* quae sterilia et infructuosa nullas dedere segetes. *Plin.* 2, 8, 6. Ne convolutus aer ignavo globo torpeat, sed findatur, *h. e.* se non commovente ac dividente. *Ov. Met.* 2, 821. ignova ne-

queunt gravitate moveri, *h. e.* tarda, immobili. *Id. A. Am.* 1, 186. Ignava mora. *Id. Amor.* 2, 6, 47. ignavo stupuerunt verba palato, *h. e.* nihil loquente. *Lucan.* 5, 443. Ignava stagna jacentis aquae. *Plin.* 21, 7, 18. Quorundam flos tantum jucundus, reliquae partes ignavae, ut violae ac rosae, *h. e.* sine ulla vi, aut odore. *Id.* 11, 28, 34. Aliis insectis cornicula ante oculos praetenduntur ignava, ut papiljonibus, *h. e.* nullum ad usum neque pungendi, neque sugendi. *Id.* 20, 18, 76. Succus meconium vocatur, multum opio ignavior, *h. e.* infirmioris virtutis et efficaciae. *Juven.* 14, 105. lux ignava, *h. e.* dies, in quo nihil agitur, cujusmodi est Sabbatum ap. Judaeos. [**Lucan.* 4, 165. Non liceat pavidis ignava occumbere morte, i. e. inhonesta, per vulnera aversa qua quis occubuit. V. *Cort.* qui praeter alia laudat *Stat. Th.* 7, 742. Mors trepidis ignava venit.] ℙ *Ignavum stipendium conferre* ap. *Vell.* 2, 39. dicitur provincia, quae tributi nomine pecuniam solvit, non viros et arma. Talis erat sub Romanis Gallia. At Batavis, utpote virtute bellica praestantibus, arma virique indicebantur, teste *Tac. H.* 4, 12. et *ib.* 5, 25. ℙ Metonymice ignavus est, qui ignavos facit. *Ov. Met.* 2, 763. Ignavum frigus; et *ib.* 7, 529. ignavi aestus. *Plin.* 11, 18, 20. de apib.: Rege consumpto, moeret plebs ignavo dolore, non cibos convehens, non procedens. ℙ Hinc *ignava ratio*, de qua sic *Cic. Fat.* 12. et 13. Nec nos impediet illa ignava ratio quae dicitur. Appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item: si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces; et alterutrum fatum est, medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Haec *Cicero.* [Haec *ignava ratio* est illud ῥῆμα ἀργὸν *Matth.* XII. 36., quod a Vulgato interprete vertitur *verbum otiosum*, h. e. omnis oratio captiosa et aliis perniciosa, quam *Cic. Off.* 1, 10. et *ib.* 3, 13. *inutilem* vocat. *F.* *Cf. *Ernest. cl. Cic.* p. 688. *ind.* Gr. s. v. Ἀργός. ℙ Variant cdd. inter *ignavus* et *ignotus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 867.]

IGNĔFACTUS, a, um, part. ab inusit. *ignefacio*. *Theod. Prisc.* 2, 2, 15. Lapides ignefacti aceto exstinguuntur. Addunt alii et locum *Plin.* 20, 9, 40. *f.*, ubi *igne factus* divisim legendum est.

IGNĔOLUS, a, um, adj. dimin. ignei. *Prud. Cath.* 3, 186. Oris opus, vigor igneolus non moritur.

IGNESCO, is, n. 3. πυρόομαι, ignitus fio, in ignem convertor. *Cic. N. D.* 2, 46. Ex quo eventurum nostri putant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret. ℙ Translate. *Virg. A.* 9, 66. Rutulo muros et castra tuenti Ignescunt irae, *h. e.* vehementer accenduntur. *Val. Fl.* 5, 520. Talibus orantem vultu gravis ille minaci Jamdudum fremit, et furiis ignescit opertis. *Colum.* 10, 212. Atque amor ignescit menti, saevitque medullis. *Stat. Th.* 11, 525. Odia ignescentia. *Sil.* 9, 460. de Pallade: Tum virgo ignescens penitus, violenta repente Suffudit flammis ora. *Claud. IV. cons. Honor.* 545. Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit, Ignescunt patulae nares; et *in Ruf.* 2, 175. spumis ignescunt frena; et *in Eutr.* 2, 45. Tum vates sine more rapi, lymphataque passim Pectora terrifici stimulis ignescere Phoebi. ℙ Cum infinito. *Sil.* 13, 179. Hinc ardore pari, nisuque incurrere muris Ignescunt animi, penetrataque tecta subire, *h. e.* ardent, cupiunt. ℙ De colore. *Plin.* 37, 2, 8. Purpura, et candor, et tertium ex utroque ignescens. ℙ Passiva voce *Laber.* ap. *Non.* 7, 108. Figura humana inimici ardore ignescitur.

IGNĔUS, a, um, adj. πύρινος, ad ignem pertinens, ignitus, accensus. *Cic. N. D.* 2, 15. Sidera tota esse ignea. *Virg. G.* 4, 426. Sol igneus. *Auct. ad Her.* 4, 33. Igneus ardor. *Hor. Od.* 3, 3, 10. Igneae arces, *h. e.* aether, coelum. *Id. ib.* 1, 17, 2. ignea aestas. *Ov. Met.* 15, 340. Ignea Aetne. *Plin.* 8, 38, 57. Gemmae igneo colore fulgentes. *Val. Fl.* 1, 427. Ignea purpura, *h. e.* ignis modo splendens. Sic *Stat. Th.* 12, 527. ignea gemmis cingula. ℙ Translate. *Ov. Met.* 9, 540. Igneus furor. *Lucan.* 9, 7. Ignea virtus, *h. e.* vivida, ardens. *Virg. A.* 6, 730. Igneus vigor; et *ib.* 11, 746. volat igneus aequore Tarchon, *h. e.* celeritate igni similis. Sic *Sil.* 3, 306. Autololes, levibus gens ignea plantis. *Stat. Th.* 2, 411. Ignea corda fremunt, *h. e.* ira ardentia. *Sil.* 6, 208 Igneus in pugnas, et Martem, et proelia, et hostem, i. e. ardenter cupidus pugnae, etc. *Claud. Fescenn.* 5. Quae digna formae laus erit igneae? *h. e.* clarae, nitentis, illustris.

IGNĬA, vitia vasorum fictilium. *Festus.* ubi quidam intelligunt partes duriores, et magis excoctas, quae facile dissiliunt.

IGNĬĀRĬUS, a, um, adj. is, unde ignis elicitur, ut Igniarius lapis, ap. *Marcell. Empir.* 33. *med.* Lapidem igniarium contusum resinae mixtum pro emplastro impone ramicoso, statim proderit. Alii leg. *ignarium*. ℙ *Igniarium*, *ii*, absolute, est materies arida ad ignem accendendum, et servandum; Graeci πυρεῖον, Itali *esca* vocant. *Plin.* 16, 40, 76. Calidae morus, laurus, hedera, et omnes, e quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris, pastorumque reperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno ignemque concipit attritu. Haec *Plin.* Eandem rem docet, *igniarii* tamen voce omissa, *Sen. Q. N.* 2, 22. Videamus, quemadmodum apud nos fieri solet ignis. Duobus modis: uno, si excitatur ex lapide: altero, si attritu invenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius trita sunt. [Hunc locum immutavit et ampliavit *F.*]

*IGNĬCANS, antis, part. ab inusit. *ignico*, idem ac ignescens. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. (ed. *A. Maio*) 54. Granatis etiam malis suam dat gratiam magnitudo; nam grana illis, quo glandes impetu, verum ignicantia. *B. A.*

IGNĬCOLORUS, a, um, adj. *Juvenc.* 4. *in Matth.* 26, 557. Sub nubibus ignicoloris.

IGNĬCŌMANS, antis, et

IGNĬCŌMUS, a, um, adj. igneas comas habens. *Auson. ep.* 7, 9. Ignicomus sol. *Nemes. Cyneg.* 214. ignicomi candentia terga leonis. *Avien. Arat.* 8. calor ignicomantum Hausit stellarum.

IGNĬCŬLUS, i, m. πυρίδιον, parvus ignis. *Quint.* 12, 10. *f.* Quaedam exigua animalia igniculi videntur in tenebris. *Plin.* 35, 15, 52. Alumen limpidum lacteumque, cum igniculo quodam caloris. *Juven.* 3, 102. igniculum brumae si tempore poscas, Accipit endromidem. ℙ Item exiguus fulgor. *Plin.* 37, 6, 24. Onyx Indica igniculos habet; et *ib.* 7, 25. Carbunculi, quorum extremus igniculus in amethysti violam exit. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 15, 20. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato, *h. e.* dolorem, quo veluti urimur, te absente. ℙ Est etiam ingenita vis, et veluti stimulus, quo excitamur ad capessendum honestum: item principia quaedam et veluti semina, unde paulatim virtutum ardor excitetur et exsistat. *Cic. Tusc.* 3, 1. Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter, malis moribus opinionibusque depravati, sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. *Id. Fin.* 5, 7. Quorum similia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi et semina. *Id. Att.* 15, 26. Reliqua pars epistolae est illa quidem in utramque partem: sed tamen nonnullos interdum jacit igniculos viriles. *Quint. prooem. l.* 6. Igniculos ingenii ostendere, *in aetate puerili.*

[IGNĬDUS, a, um, adj. idem ac igneus. *Theod. Prisc.* 2, 9. Utimur ventosis, cucurbitis ignidioribus, violentius evellendis. *F.*]

IGNĪFER, a, um, adj. πυροφόρος, ferens ignem. *Lucr.* 5, 449. inde aether ignifer ipse. *Ov. Met.* 2, 59. Non tamen ignifero quisquam consistere in axe Me valet excepto. *Val. Fl.* 8, 342. Igniferi tauri. *Prud. in Symmach.* 2, 1027. igniferi sideris aestus. Adde *Lucan.* 3, 41. ℙ Translate. *Sil.* 17, 294. ignifero mentes furiabat in iras hortatu.

IGNIFLŬUS, a, um, adj. igne fluens, ignem emittens. *Claud. III. cons. Honor.* 196. Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.

IGNĪGĔNA, ae, m. in igne genitus. Epithetum est Bacchi, quia fulminis ictu genitus est. *Ov. Met.* 4, 12. Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.

IGNĪGĔNUS, a, um, adj. ignem gignens. *Appul. Met.* 7. de asino, cujus stuppea sarcina subito igne exarserat: Quousque frustra pascemus ignigenum istum? *Firenzuola* vertit *questo cerca-fuoco.* Alii leg. *ignigerum.* [*Nonnulla addidit *F.*]

IGNĪGER. V. v. praec.

IGNĪO, is, n. 4. ignitus fio. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1077. Acus minutas ingerunt fornacibus: His membra pergunt urere, ut igniverint.

IGNĪPES, ĕdis, omn. gen. πυροποὺς, igneos pedes habens. *Ov. Met.* 2, 392. et *Stat. Th.* 1, 27. ignipedum vires expertus equorum. *Mart. Spect.* 27. Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.

IGNĪPOTENS, tis, m. πυροσθενής, dictus est Vulcanus, quod ignis potestatem habeat. *Virg. A.* 8, 709. Illam inter caedes pallentem morte futura Fecerat Ignipotens, etc. Adde *ib.* 12, 90.

IGNIS, is, m. πῦρ, unum e quatuor elementis, calorem ac lucem habens. Duplicem habet positionem in sexto casu, in *e*, et in *i*. *Plin.* 7, 56, 57. Ignem e silice (invenit) Pyrodes Cilicis filius; eundem asservare in ferula Prometheus. *Cic. N. D.* 2, 9. Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus; et 10. Subditis ignibus aquae fervescunt. *Id. Or.* 2, 45. *f.* Nulla materies, nisi admoto igni, ignem concipere potest. *Id. Off.* 1, 16. *med.* Pati, ab igne ignem capere, si quis velit. *Id. Rosc. Com.* 6. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. *Hor. Od.* 1, 34, 6. Diespiter Igni corusco nubila dividens, *h. e.* fulmine. *Virg. A.* 4, 167. fulsere ignes, et conscius aether, *h. e.* fulgura. [**Lucan.* 1, 534. et Arctos rapiens e partibus ignis; ubi v. *Cort.*] *Ter. Andr.* 1, 1, 102. In ignem ponere, *h. e.* in rogum; et 113. in ignem sese injicere. *Id. Eun.* 1, 2, 5. ad ignem accedere. *Hor. Sat.* 1, 5, 72. turdos versare in igne. [**Bentl.* ex *bonis cdd.* dedit *igni*, quod recepit *Heindf.* Ita *forma igni* praeferenda etiam videtur ap. *Suet. Cal.* 2., ut tinctum veneno igni confici nequeat; et *ib.* 27. media Amphith. arena igni cremavit. V. *Oudend.* Ceterum de utraque h. v. forma v. quae *Bentl.* praeter l. *Hor.* laud. disputat ad *Hor. Ep.* 1, 17, 30. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 50. 3, 667. 5, 173. unde id videtur posse constitui, ab antiquis scriptum esse *igni*; sicut *colli*, *parti*, *amni*, etc., ideoque hanc formam, ubi codices optt. addicant, semper esse recipiendam. Tum *formam igni* solemnem quidem retinuisse videtur dicendi usus in nonnullis tantum locutionibus, ut: *igni ferroque*; *igni cremare*; *aqua et igni interdicere*, etc. V. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 404.] *Caes. B. G.* 6, 18. In ignem inferre quippiam; et *ib.* 1, 4. Igni cremare; et 53. Igni necare. *Val. Fl.* 1, 89. Dare igni aliquid. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere. Sic *Caes. B. C.* 2, 14. Ignem operibus inferre. *Id. B. G.* 5, 42. Celeriter ignem comprehendere: et *B. C.* 3, 30. facere. *Virg. A.* 5, 4. accendere. [**Vell.* 2, 88, 3. Quae vivo igni devorato, i. e. carbone ardente, candente. V. quae *Burm.* laudat. *Liv.* 4, 33. Ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens. *Lucan.* 6, 135. Tum piceos volvunt, immissae lampades ignis, i. e. incendia. *Liv.* 26, 27. Quod pluribus simul locis ignes coorti essent. *Hor. Od.* 4, 12, 26. Nigrorumque memor, dum licet, ignium, i. e. rogi = mortis. Item ap. *Lucan.* 2, 299. juvat ignibus atris Inseruisse manus; ubi laudat *Mart. Lag. Virg. A.* 4, 384.; et sic al. saepissime.] ℙ Ignis regibus Persarum in pompam exeuntibus praeferebatur. *Curt.* 3, 3. de Darii agmine: Ordo autem agminis erat talis: Ignis, quem ipsi sacrum et aeternum vocabant, argenteis altaribus praeferebatur. ℙ Ignes dicuntur sol, luna, et cetera sidera. *Hor. Od.* 1, 12, 46. micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores. ℙ *Ignis* aliquando est splendor, fulgor. *Hor. Od.* 3, 29, 17. Jam clarus occultum Andromedae pater Ostendit ignem. *Stat. Th.* 2, 276. arcano florentes igne smaragdi. *Mart.* 14, 109. Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum, *h. e.* poculum aureum smaragdis Scythicis splendeat. *Claud. cons. Stil. I.* 2, 92. Et vario lapidum distinctas igne coronas. *Id. VI. cons. Honor.* 51. acies stupet igne metalli. *Ov. Met.* 15, 674. oculi igne micantes. ℙ Item calor. *Sil.* 16, 99. Aut cum letiferos accendens Sirius ignes, Torret anhelantem saevis ardoribus orbem. [**Lucan.* 8, 848. Ignibus aut nimiis, i. e. nimiis solis ardoribus. V. *Cort.* qui laud. 9, 374. Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes.] ℙ Item rubor. *Cic. Univ.* 14. Ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os suffusus. *Stat. Ach.* 1, 516. igne genas et sanguine torquens. ℙ Item crepitus flammae, et materiae flagrantis. *Virg. A.* 2, 705. et jam per moenia clarior ignis Auditur, propiusque aestus incendia volvunt. ℙ [Ut ignes saepissime dicuntur de fulmine, ita signif. etiam id, quod fulmen tetigit. *Lucan.* 1, 606. Aruns dispersos fulminis ignis colligit; ubi v. *Cort.*] ℙ *Sacer ignis* morbi serpentis genus est, cujus descriptionem *Cels.* 5, 28. *n.* 4. tradit, duo ejus genera faciendo: alterum subrubicundum, aut mixtum rubore atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, in quibus pus fere est, et saepe rubor cum calore: alterum in summae cutis exasperatione, sed sine altitudine, latum, sublividum, inaequaliter tamen. Serpit autem utrumque, et ignis modo exulcerat, et absumit, et difficillime tollitur. [**Antoniusfeuer*, *Rose.*] Aliud vero esse videtur, de quo *Virg. G.* 3, 566. contactus artus sacer ignis edebat. Ibi enim de contagiosa lue sermo est, graviore malo, et omnino letali. [*V. *Heyn.* ad h. l.] ℙ Est etiam alius morbus pecudum, Galli vocant *la petite verole*, Itali *il vajuolo del bestiame.* *Colum.* 7, 5. Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores; ea, nisi compescitur intra primam pecudem, quae tali malo correpta est, universum gregem contagione prosternit. ℙ Translate est furor, interna vis agitans. *Stat. Ach.* 1, 509. Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri, *h. e.* furorem oestrumque Apollinis. ℙ Item saepe amor. *Virg. A.* 4, 2. Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni. *Ov. Met.* 9, 515. Littera celatos arcana fatebitur ignes; et 519. Hei mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem? *Hor. Od.* 1, 13, 8. Quam lentis penitus macerer ignibus; et *ib.* 3, 7, 10. et miseram tuis Dicens ignibus uri. *Prud.* περὶ στεφ. 2, 304. Anus ignis secundi nesciae, *h. e.* secundarum nuptiarum. ℙ Item is ipse, quem quis amat. *Virg. Ecl.* 3, 66. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas. ℙ Item ardor et cupiditas animi. *Virg. A.* 2, 575. Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem Ulcisci patriam. ℙ Translata sunt illa quoque *Cic. Rabir. Post.* 6. Cum odium non restingueretis, huic ordini ignem novum subjici non sivistis, *h. e.* novam invidiae

flammam; et *Val. Fl.* 1, 748. et saevos irarum concipit ignes. ℙ [*Neque omitti debebant ista *Liv.* 10, 24. Quem ille obrutum ignem reliquerit, ita ut toties novum ex improviso incendium daret, cum se exstincturum; ubi de bello intelligendum. Adde 21, 3. Ne parvus hic ignis (Hannibal) incendium ingens exsuscitet; et 29, 31. Et Syphacem et Carthaginienses, nisi orientem illum ignem (Masinissam) oppressissent, ingenti mox incendio — arsuros.] ℙ Secunda syllaba interdum a poetis producitur. *Hor. Od.* 1, 15, 35. Post certas hiemes uret Achaicus Ignis Iliacas domos. V. SANGUIS.

IGNISPĬCĬUM, ii, n. *πυροσκοπία, πυρομαντεία*, divinationis genus, quod ab ignis inspectione sumebatur. *Plin.* 7, 56, 57. Haruspicium Delphus, ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias Thebanus invenit. [*Sen. Oed.* 306. et sqq. ignispicium luculenter exponit. De eodem consule *Visc. Dissert. sopra due musaici, Oper. Var. T.* 1. *p.* 143. et sqq. *ed. Mediol. F.*]

IGNĪTĀBŬLUM, i, n. *πυρεῖον*, igniarium, ignis receptaculum, lignum quod altero ligno atteritur, ut ignem concipiat. *Fest.* ℙ Ignitabula in Delo insula inventa sunt: quae idcirco inter alia nomina etiam Pyrpole dicta est. *Solin.* 11. ℙ [Translate. *Macr. Sat.* 2, 8. *in.* Plato aestimavit, fomitem esse quendam, et ignitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagret. *F.*]

IGNĪTŬLUS, a, um, adj. diminut. igniti. *Tert. ad Nat.* 1, 10. *f.* Mercurius in calvitio pennatulus, in caduceo ignitulus.

IGNĪTUS, a, um, part. ab *ignio; πυρόεις*, accensus, igneus, calidus, [*Ov. Fast.* 1, 452. Uritur ignitis alba columba focis. Alii leg. *in calidis.* [*quod *Burm.* et *Gierig.* probatur.] *Cic. Dom.* 55. *extr.* Et ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me, seque repetebat. Ita opt. quacque editiones. Hinc ap. *Ov. Met.* 9, 541. est *igneus furor. F.*] *Gell.* 17, 8. Vinum idcirco minus cito coalescere, quod semina quaedam caldoris in se haberet, essetque natura ignitius. *Prud. Hamart.* 546. de anima: ignitum quoniam Deus indidit olli Ingenium. *Sidon. ep.* 1, 11. Cui satyricus ille morsum dentis igniti avidius impresserat. ℙ [Sup. *Ignitissimus* ap. *Jul. Valer.* 3. *res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 90. E nubibus Draconis effigies ignitissima labitur. *F.*]

IGNĪVĀGUS, a, um, adj. ignis modo vagus. *Capell.* 9, 304. Ignivaga denunciatio.

IGNĪVŎMUS, a, um, adj. *πυρεκβόλος*, ignem vomens. *Lact. serm. de resurr. Dom.* 3. Altius ignivomum solem coeli orbita ducit. Alii hoc carmen non *Lactantio*, sed *Venantio* tribuunt.

IGNOBĬLIS, e, adj. *ἄγνωστος*, ignotus, incognitus, cui contrarium est nobilis. *Cic. Tusc*, 3, 24. Quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus. *Plin.* 7, 36, 36. Humilis in plebe, et ideo ignobilis puerpera. *Id.* 23, 1, 20. Vinum innocentius est, quodcumque ignobilius. *Id.* 35, 4, 10. Ignobilissimi artifices. *Pl. Pseud.* 4, 2, 9. Peregrina facies atque ignobilis. *Appul. Met.* 5. *in.* Jamque aderat ignobilis maritus. ℙ Item vilis, abjectus, in contemptum. *Cic. Brut.* 91. Apud Demetrium Syrum, veterem, et non ignobilem dicendi magistrum. ℙ Item obscuris ortus parentibus, infimo loco natus, *δυσγενής, ἀγενής*. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. ℙ Hinc convicii loco ponitur. *Pl. Amph.* 1, 1, 284. Vapulabis, ni hinc abis, ignobilis. ℙ Apud Romanos ignobiles erant, qui omnino imaginibus carebant, idest qui in ea familia nati erant, in qua curules magistratus nunquam exstiterant, nec ipsi aliquem hujus generis magistratum gesserant. Talis fuit gens Flavia ap. *Suet. Vesp.* 1. Alii ignobiles erant, quia magistratus curules obtinere non poterant, ut libertini, et filii libertinorum: alii, quia non petebant, ut patet de T. Pomponio Attico, de majoribus Servii Sulpicii, Ciceronis, Octaviani Augusti, et aliis. Non iidem erant, ac plebeji. Nam etiam patricii aliqui erant ignobiles, et multi plebeji nobiles erant. Nobilitas enim non in claritate sanguinis, sed in imaginibus posita fuit, sive in magistratibus curulibus, qui etiam plebejo ordini patebant. Haec fere ex *Sigon. de antiq. jur. Civ. Rom.* 2, 20.

IGNOBĬLĬTAS, atis, f. *δυσγένεια*, humilitas, obscuritas, conditio atque fortuna hominum infimorum. *Cic. Tusc.* 5, 36. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? *Id. Mur.* 8. Multis viris fortibus ne ignobilitas generis objiceretur. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 9. Ignobilitas artificis. *Ov. Met.* 6, 309. Res obscura quidem est ignobilitate virorum. *Colum.* 3, 21. de vino: Neque enim post annos quindecim deprehendi potest ignobilitas in gustu.

IGNOBĬLĬTER, adv. *Solin.* 10. Aedes ignobiliter fastigiata. [*Eutr.* 7, 23. Et ignobiliter est sepultum. Apud sequiores scriptores tantummodo legitur.]

[**IGNOBĬLĬTO**, as, a. 1. ignobilem reddo. *Not. Tir.* p. 12. Ignobilis, ignobilitas, ignobilitat. *F.*]

IGNOMĪNĬA, ae, f. *ἀτιμία*, dedecus, probrum, nota, infamia: ab *in* privativa et *nomen*, quasi boni nominis privatio. *Cic. fr.* ap. *Non.* 1, 93. Censoris judicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem. Itaque quia omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. Haec *Cic.* De nota censoria est etiam illud *ejusd. Cluent.* 47. Ut viderentur per hominum idoneorum ignominiam illa judicia reprehendisse; et 46. Paucos ex multis ad ignominiam sortiri. ℙ Differt ab infamia, quia ignominia ab eo imponitur, qui animadversione notare potest, infamia vero ex multorum sermone nascitur. Praeterea ignominia minus est, minusque late patet, quam infamia; neque ignominiosi sunt omnes infames. Interdum tamen promiscue ponuntur, ut in illo *Papin. Dig.* 5, 2, 5. Ordine moti ex crimine, quod ignominiam importat: ubi *ignominia* infamiam significare videtur. ℙ Saepe ad militarem notam referre videtur. *Cic. Phil.* 7, 9. Ignominia notare eos, qui militiam subterfugerunt. *Liv.* 3, 5. *extr.* Mille milites, quia serum auxilium post proelium venerant, prope cum ignominia dimissi. *Hirt. B. Afr.* 54. Ob eas res ignominiae causa ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abesse, et quantum potest, proficisci jubeo. *Formula exauctorandi. Caes. B. C.* 1, 85. Ut rebus feliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum revertantur. [*Suet. Aug.* 24. Pro cetero delictorum genere variis ignominiis affecit, i. e. poenis ignominiosis. *Tib.* 19. Animadversionum et ignominiarum genera: ubi *animadversiones* in universum poenas significant; *ignominiae* poenas cum dedecore, infamia conjunctas. V. *Brem.*] ℙ Dicitur etiam de amissa victoria, et de clade accepta, quia deficientem in militibus virtutem arguit. *Id. B. G.* 7, 17. Sic se, illo imperante, meruisse, ut nullam ignominiam acciperent. *Id. B. C.* 3, 101. Milites ignominiam non tulerunt, sed, etc.; et *B. G.* 7, 17. Hoc se ignominiae laturos loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. *Justin.* 32, 3. *extr.* Ignominiam bello acceptam virtute delere. Sic *Virg. G.* 3, 226. de tauro victo ab rivali: Multa gemens ignominiam plagasque superbi Victoris. [*Suet. Ner.* 39. In ultionem ignominiae. *Aug.* 23. Graves ignominias cladesque duas omnino accepit: ubi *clades* calamitatem tantum atque caedem, *ignominiae* dedecus cum ea conjunctum significant. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 405.] Et universim de quocumque dedecore. *Cic. Div.* 2, 9. Cum ignominia et dedecore. *Id. Quint.* 20. Alicui omnia vitae ornamenta, per summum dedecus et ignominiam diripere; et 31. Ignominiis omnibus appetitus. *Id. Tusc.* 4, 20. Ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. *Id. Verr.* 2, 3, 97. Calamitas ad miseros aratores per summam injuriam ignominiamque pervenit. *Id. Rabir. perd.* 10. Labes et ignominia mortis. *Id. Prov. cons.* 7. Insignem ignominiam alicui inurere. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Maculam atque ignominiam imponere alicui. *Nep. Timoth.* 4. Cum summa ignominia familiae. *Plin.* 18, 3, 3. In urbanas tribus transferri, ignominiae est. *Cic. Phil.* 12, 5. Ignominiis concisus. *Quint.* 1, 2. Ignominiam depellere.

IGNOMĪNĬĀTUS, a, um, part. ab inusit. *ignominio*, ignominia affectus. Legitur in lemmate 15, 8. *Gellii:* cujus libri sola lemmata supersunt, quae neque certum est, ab ipso *Gellio* esse.

IGNOMĪNĬOSĒ, adv. cum ignominia, *ἀτίμως*. *Eutr.* 4, 24. et 26. Ignominiose pugnare. *Arnob.* 4, 147. Ignominiosius tractare aliquem. *Oros.* 7, 7. *extr.* Ignominiosissime fugere. [*In bonis scriptoribus non occurrit.]

IGNOMĪNĬOSUS, a, um, adj. *ἄτιμος*, ignominia affectus, ignominiae plenus, turpis. *Cic. Phil.* 3, 14. Ignominiosa et flagitiosa dominatio. *Quint.* 7, 1. Exsul eras et ignominiosus. *Liv.* 3, 23. Ignominiosa fuga domum se recipiente. *Hor. A. P.* 247. Immunda et ignominiosa dicta. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. Poenae militum sunt castigatio, gradus dejectio, ignominiosa missio, *h. e.* cum is qui mittit, addit nominatim, ignominiae causa se mittere, ut *Ulp. Dig.* 3, 2, 2. exponit. *Macer. ib.* 48, 5, 24. Ignominiosa filia. *Tert. Apol.* 15. Ignominiosissimum caput. ℙ [*Substantive pro iis, qui ignominia notati sunt. *Suet. Vit.* 8. Ignominiosis notas demsit. V. *Brem.* ad h. l. *Tac. G.* 6. Nec concilium inire ignominioso fas. *Quint. Inst.* 3, 6, 75. Non recte agis ignominiosus; quaeritur, an ignominiosus sit? aut an agere ignominioso liceat?]

IGNORĀBĬLIS, e, adj. *ἄγνωστος*, qui ignoratur. [*qui ignorari non potest.] *Cic. Inv.* 2, 32. Non ignorabile, non fortuitum, non necessarium. *Pl. Pseud.* 2, 1, 18. Quis hic est, qui oculis meis obviam ignorabilis objicitur? *Gell.* 9, 12. Alterum illud ignorabilius obscuriusque est. *Appul. Met.* 11. Libri litteris ignorabilibus praenotati.

IGNORĀBĬLĬTER, adv, cum ignoratione. *Appul. Met.* 3. Laminae ignorabiliter litteratae, *h. e.* ignotis characteribus insculptae.

IGNORANS, antis, part. ab *ignoro*, ignarus, inscius, *ἀγνοῶν. Pl. Capt. prol.* 50. Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. *Virg. A.* 12, 421. Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapys Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit Quippe dolor. *Plin.* 30, 6, 17. Catuli, vel herinacei lienem ex aceto dant ignoranti.

IGNORANTER, adv. per ignorantiam, *ἀγνῶς. Cyprian. ep.* 63. Ignoranter vel simpliciter non faciunt, quod, etc.

IGNORANTĬA, ae, f. *ἄγνοια*, ignoratio, inscitia. *Cic. Fl.* 20. Ubi adolescentes nihil possent discere, nisi ignorantiam litterarum. [*Unico hoc loco v. *ignorantia* sine scripturae variatione ap. *Cic.* occurrit. Legitur quidem in plur. edd. ap. *Eund. Amic.* 19. Qui aliquamdiu propter ignorantiam stirpis et generis in famulatu fuerint: sed *Orell. ignorationem* exhibet.] *Caes. B. C.* 3, 68. Ignorantia loci. *Nep. Ages.* 8. bonarum rerum; et *Pelop.* 1. Mederi tum satietati, tum ignorantiae lectorum. *Ov. Met.* 7, 92. Quid faciam video: nec me ignorantia veri Decipiet, sed amor. *Id. Her.* 20, 187. Praeteritae veniam dabit ignorantia culpae. *Tac. Agr.* 1. Ignorantia recti. *Id. H.* 1, 75. Mutua ignorantia fallentes; et *Germ.* 40. Sancta ignorantia, quid sit illud, quod, etc. [*Suet. Cal.* 41. Quum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent, *h. e.* quia scriptam aliquam legem non norant homines. *Dio*: *ἀγνοοῦντες τὸ κεκώλυμένον ἢ κεκελευσμένον.* V. tamen notas ad h. l. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 405.]

IGNORĀTĬO, onis, f. *ἄγνοια*, actus ignorandi, ignorantia, inscitia. *Cic. Div.* 2, 22. Causarum enim ignoratio in re nova mirationem facit: eadem ignoratio si in rebus usitatis sit, non miramur. *Id. Cluent.* 39. Quod erat odium, Dii immortales? quae superbia? quanta ignoratio sui? *Id. Div.* 1, 1. *extr.* In summo errore, atque in maximarum rerum ignoratione versari. *Id. Fin.* 3, 12. Consuetudo dicendi non satis acuta, propter ignorationem dialecticae. *Curt.* 3, 12. Ignorationem nunquam antea visi regis excusans. *Papin. Dig.* 16, 1, 7. Facti ignorationem praetendere.

IGNORĀTUS, a, um, part. ab *ignoro*. *ἀγνοηθείς*, non cognitus. *Cic. Tusc.* 5, 23. Archimedis ignoratum a Syracusanis indagavi sepulcrum. *Hor. A. P.* 262. Ignoratae artis turpe crimen. *Tac. A.* 12, 11. Clementiam ac justitiam, quanto ignoratiora barbaris, tanto toleratiora capesseret. Al. melius leg. *ignara.* [*V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 238.] ℙ Item ignotus. *Sall. Jug.* 58. Cum delectis equitibus Metellum sequitur nocturnis et aviis itineribus: ignoratus Romanos palantes repente aggreditur. *Tac. H.* 4, 36. Servili habitu per tenebras ignoratus evasit. [*Adde *ib.* 3, 23. Adreptis e strage scutis ignorati; cp. 74. Turbae immixtus ignoratusque.]

IGNORO, as, avi, atum, a. 1. *ἀγνοέω*, nescio, non cognosco, non cognitum habeo: ab *ignarus. Cic. Mil.* 12. An vero tu solus ignoras? tu hospes in hac urbe versaris? tuae peregrinantur aures? *Ov. Trist.* 1, 5, 18. Ignoraretur forsitan ista fides. *Ter. Heaut.* 1, 1, 52. Erras, si id credis; et me ignoras, Clinia. *Id. Ph.* 2, 3, 10. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens, *h. e.* non agnoscitur, ignorarique fingitur. *Suet. Vit.* 17. Sciscitantes quisnam esset: nam ignorabatur. [*Eodem modo formulam *ignorare aliquem*, i. q. de facie aliquem non cognovisse, quae rarior est dicendi ratio, adhibet *Nep. Arist.* 1, 4. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed etc. ubi *Brem.* laudat *Just.* 13, 1.] *Cic. Att.* 8, 14. *f.* Domitius ignorat de filio. *Id. Amic.* 7. Ignorante rege, uter eorum esset Orestes. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Magnifice loqui decet adversus ignorantes, quid a quoque petendum sit. *Cic. Acad.* 4, 8. Ipsa vero sapientia, si se ignorabit, sapientia sit, necne, etc. *Ov. Met.* 13, 913. monstrumne, Deusne Ille sit, ignorans. *Lucan.* 8, 626. Ignorant populi, si non in morte probaris, An scieris adversa pati. *Ov. Fast.* 5, 6. Qua ferar, ignoro. ℙ Praecedente negativa dicitur de iis, qui optime sciunt. *Nep. Dat.* 5. Non ignorabat, ea vere scripta. *Hor. Ep.* 1, 7, 25. Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis. *Cic. N. D.* 3, 31. *extr.* Non enim ignoro, quanti ejus nomen putetis. *Id. Or.* 68. Quod tu quidem minime omnium ignoras. ℙ Aliquando est, ignorare me simulo, non agnosco, negligo, aspernor. *Pl. Asin.* 1, 2, 18. Eadem nunc, cum est melius, me, cujus opera est, ignoras, mala. *Id. Capt.* 2, 3, 74. Ne tu me ignores, cum extemplo meo e conspectu abscesseris. *Cic. Phil.* 8, 2. *extr.* De proximo bello civili non libet dicere: ignoro causam, detestor exitum. ℙ Cum infinito. *Claud. Nupt. Honor.* 186. Laetitiae causas ignorat dicere miles, Laetaturque tamen. ℙ Part. *Ignorans* supra suo loco. *Ignoraturus* ap. *Sen. Q. N.* 1, 17. Oculi ignoraturi erant formam solis. *Ignorandus* ap. *Pl. Trin.* 2, 1, 29. Mille modis amor ignorandus est.

IGNOSCENS, entis, part. ab *ignosco*, qui facile

condonat et ignoscit. *Ter. Heaut.* 4, 1, 32. te obsecro, Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior, ut meae stultitiae in justitia tua sit aliquid praesidii.

IGNOSCENTĬA, ae, f. *συγγνώμη*, condonatio peccati. *Gell.* 7, 3. *med.* Ignoscentias utiles esse rebus humanis docet.

IGNOSCĪBĬLIS, e, adj. *συγγνωστὸς*, cui facile ignosci potest. *T. Castritius* ap. *Gell.* 13, 21. Si hic vester hujuscemodi vestitus multo jam usu ignoscibilis est.

IGNOSCO, is, ovi otum, a. 3. *συγγινώσκω*, veniam do, remitto, excusatum habeo, condono: ab *in* et *nosco*, quasi nolis de peccato cognoscere, sed ipsum ignorare, ac remittere. Raro accusativum regit: qui, si exprimendus sit, ad *condono* aut *remitto* confugere solemus. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Sed sceleris poenam praetermittere (id enim est quod vocatur ignoscere) in hoc bello perniciosum puto. *Sen. Clem.* 2, 7. Ignoscere est, quae judicas punienda, non punire. *Ter. Ph.* 5, 8, 46. Ignosce: orat, confitetur, purgat: quid vis amplius? *Cic. Pis.* 41. Cui non apud senatum, non apud ullum ordinem maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit. *Id. Part.* 37. Ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est. *Id. Att.* 7, 12. Velim mihi ignoscas quod ad te scribo tam multa toties. *Id. Agr.* 2, 18. Mihi, quaeso, ignoscite, si appello talem virum saepius. *Id. Har. resp.* 17. *extr.* Quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit. *Id. Fam.* 5, 12. Ignoscas velim huic festinationi meae. *Pl. Mil.* 2, 6, 62. Inscitiae meae et stultitiae ignoscas. *Id. Merc.* 5, 4, 37. Ignoscere delictis, et adolescentiae. *Hor. Sat.* 1, 4, 131. vitiis. *Cic. Phil.* 1, 6. Hoc ignoscant Dii immortales, velim, et populo R. et huic ordini. [**Lucan.* 2, 94. Pariterque jacentes ignovere diis: coll. *ib.* 4, 123. Et veniam meruere dei. Adde 9, 1103. Ut victus posses ignoscere divis.] ℙ Cum accusativo. *Prop.* 2, 2, 56. Juppiter, ignosco pristina furta tua. Al. leg. *ignoro*. *Virg. Cul.* 293. Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent Peccatum ignovisse. *Ter. Heaut.* 4, 1, 34. Equidem istuc factum ignoscam. *Pl. Bacch.* 5, 2, 68. Ut eis delicta ignoscas. *Id. Amph.* 1, 1, 101. Orant, ignoscamus peccatum suum. *Quint. decl.* 2, 6. Ignoscite malorum periculorum metus, ignoscite humana discrimina. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* p. 173.] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 11, *14. et *Verr.* 2, 4, 63. Deprecatores, quibus non erat ignotum. *Ter. Hec.* 5, 1, 11. Jam aetate ea sum, ut non sit peccato mihi ignosci aequum. *Id. Ad.* 3, 5, 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. *Suet. Aug.* 33. Tabellam dedit, qua ignosceretur iis, quos, etc. ℙ *Ignoscere sibi* est sibi parcere, et indulgere. *Quint.* 10, 3. *med.* Non est indulgendum causis desidiae: nam si non nisi refecti, non nisi hilares, studendum existimaverimus, semper erit, propter quod nobis ignoscamus. *Γνώμη* est illud *Vell.* 2, 30. Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, *h. e.* indulgere: omnia sibi convenire credere. ℙ *Ignoscere* pro noscere, discere, ut *in* sit *ἐπιτατικὴ*, confirmat *Non.* 4, 243. illo *Varronis:* Vosque, in theatro qui voluptatem auribus Huc aucupatum concurristis domo, Adeste, adeste, quae feramque, ignoscite, Domum ut feratis e theatro litteras. *Voss.* tamen in *Etymol.* vult legi *gnoscite*. ℙ Pro ignorare, nescire, afferri solet locus *Lact.* 5, 3. *med.*, ubi lectio dubia est, et plerique *ignoro* reponunt. ℙ Part. *Ignoscens* supra suo loco. *Ignoturus* et *Ignosciturus* ap. *Cic. fr.* ap. *Prisc.* 10, 886. Ignoturus alteri, quod patrem alteri, quod tutorem secutus esset. Apud *Pison. Frugi ib.* p. 887. Quodcumque deliquisset, ignosciturum affirmabat. *Ignoscendus* ap. *Virg. G.* 4, 488. Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes. ℙ *Ignosset* syncope pro *ignovisset* est *Silii* 8, 619.

IGNOTĬTĬĂ, ae, f. ignorantia. *Gell.* 16, 13. *extr.* Jura, quibus uti per ignotitiam non queunt. Ita legit ex MSS. *Pareus* in *Lex. Crit.* Vuigo legitur *ignorantiam*. *Gronovius* mallet *innotitiam*, quod magis probandum.

IGNOTUS, a, um, *ἄγνωστος*, minime notus, incognitus: ab *in* negativa et *notus*. *Nep. Them.* 8. In navim omnibus ignotus ascendit. *Cic. Fl.* 17. Dubitatis, judices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis? *paulo ante dixerat:* is, quem nemo vestrum vidit unquam, nemo, qui mortalis esset, audivit. *Id. Att.* 9, 5. Res ignota in vulgus. *Id. Or.* 1, 39. Jus applicationis obscurum sane et ignotum, patefactum atque illustratum est. *Liv.* 5, 32. Et quod longinqua, eoque ignotior, gens erat. *Quint.* 7, 3. Obscuriora et ignotiora verba. ℙ [*Seq. *infin. Sil.* 4, 193. Cui fugere ignotum, i. e. qui tanta erat virtute praeditus, ut fugere nesciret. ℙ Eleganter *ignotus* de iis dicitur, quorum novus, insolitus, inauditus est aspectus, quae diu non apparuerunt. *Lucan.* 6, 216. Coeloque ignota sereno Terribilis Stygio facies pallore gravatur; ubi v. quae laudat *Cort. Sil.* 5, 621. Lacus ater lavit ignota aspergine silvas, i. e. ignota silvis, neque solita in silvis videri. ℙ *Ponitur ignotus* etiam pro *antiquo*. *Lucan.* 4, 379. Non erigit aegros Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.] ℙ *Ignotus* pro longinquo, peregrino. *Tibull.* 1, 3, 3. Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris; et *ib.* 39. ignotis repetens compendia terris. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 107. Ceterum *Ignotus*, cum de terris dicitur, signif. etiam incultum, in quo opus non exercetur. *Lucan.* 7, 867. Nuda atque ignota jaceres. V. quae *Cort.* ad h. l. laudat.] ℙ Praecedente negativa particula, probe notum significat. *Cic. Att.* 5, 15. Satis habet magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi mei. ℙ Est etiam ignobilis, obscuro loco natus. *Hor. Sat.* 1, 6, 6. naso suspendis adunco Ignotos; et 24. Non minus ignotos generosis. [*V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 31.] ℙ Item qui non novit, inscius, ignarus. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant. *Phaedr.* 1, 11. Virtutis expers, verbis jactans gloriam, Ignotos fallit, notis est derisui. *Nep. Ages.* 8. Ignoti, faciem ejus cum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. [*Monet *Brem.* ad h. l. Gr. *ἄγνωστος* eodem modo et passive et active dici. Ceterum de duplici hac adjectivorum quorundam significatione v. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 500. Plura laudat *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 12. *Oudend.* ad *Suet. Galb.* 3. Ne quasi ignotum fallere videretur. *Drak.* ad *Liv.* 36, 43, 7.] *Naev.* ap. *Non.* 2, 428. Ignotae iteris sumus. *Callistr. Dig.* 49, 14, 2. *f.* Ignotus juris sui. Ita *Torrent.*, at *Holoander* edidit *ignarus*. Adde *Curt.* 5, 12. *f.* et *Quint. decl.* 6, 2. ℙ *Ignotus* part. ab *ignosco*, condonatus. *Hirt. B. Afr.* 31. Saepe a se fugatis, pulsis et concessam vitam, et ignota peccata. ℙ *Diomed.* 2, 423. ex *Varrone* docens, syllabas alias esse asperas, alias lenes, duras alias, aut molles; *durae sunt*, inquit, *ut ignotus*. V. integr. locum.

[IGŪVĪNAS, atis, omn. gen. et

IGŪVĪNUS, a, um, adj. ad Iguvium pertinens Umbriae oppidum, nunc *Gubbio*, ubi celeberrimae Tabulae Iguvinae inventae sunt ann. 1444., quarum occasione veteres Etruscorum litterae, ac monumenta illustrari coeperunt. Hujus urbis mentio est ap. *Cic. Att.* 7, 13. Quid agat Domitius in Marsis, Iguvii Thermus, P. Attius Cinguli etc. et *Sil.* 8, 459. Narnia, et infestum nebulis humentibus olim Iguvium. *Lanzius* in *Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 648. putat, ita appellatum fuisse a *Vicu Juviu*, seu Vico Jovio, ut prope Capuam fuit *Pagus Jovius*. ℙ *Iguvinates, ium*, et *Iguvini, orum*, sunt incolae illius oppidi. *Cic. Balb.* 20. Dicat, neque Iguvinatium, neque Camertium foedere esse exceptum. *Caes. B. C.* 1, 12. Certior factus, omnium esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem. *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 1. P. Aelio P. F. Papir. Marcello patrono civitat. Iguvinorum etc. *F.*]

IL

*ILAĪRA, Hilaira, vel Laira, ae, f. *Ἱλάειρα*, filia Leucippi, Idae sponsa, a Castore rapta. *Prop.* 1, 2, 16. *Hyg. fab.* 80. *B. A.*

*ILARCURIS, is, opp. Hispaniae Tarraconensis. *Ant. Itin. B. A.*

*ILARGUS, i, Vindeliciae amnis, hodie *Iler* dictus. Sic legit *Cellarius* in *Orb. Antiq.* pro *Itargus*, ap. *Auct. cons. ad Liv.* 386. *B. A.*

*ILDUM, i, n. opp. Hispaniae Tarraconensis, in regione Ilergetum. *Ant. Itin. B. A.*

ILE, is, n. V. ILIA.

ILĔOS, vel Ilĕus, i, m. *εἰλεός*, dolor acerbissimus intestini ilei, seu subtilis, vel etiam secundum nonnullos caeci, cum constipatione alvi, tumore ventris chordae instar tenti, subsequente etiam rejectione faecum per os, aliisque gravissimis symptomatibus. *Plin.* 30, 7, 20. Gravissimum vitium ileos appellatur. *Id.* 20, 6, 23. Contra ileum allium in oleo, et pulte; et 30, 7, 19. Sevum ovium ileo medetur; et 32, 9, 31. Ileos, et inflationes castorea sanant. *Cels.* quoque de hoc morbo verba facit, sed *εἰλεὸς* Graece scribit 4, 13.

ILĔOSUS. V. ILIOSUS.

[*ILERCAONENSIS, e, adj. ad Ilercaones pertinens, populos Hispaniae Tarraconensis ad fluvium Iberum. *Ilercaonum regio* dicitur a *Plin.* 3, 3, 4. quae a *Liv. fragm. l.* 91. (ed. *B. G. Niebuhrio*) p. 96. Ilercaonia appellatur. *Liv.* 22, 21. Castra Punica in agro Ilercaonensium erant. *Caes. B. C.* 1, 60. *Illurgavonenses* habet. *F.* et *B. A.*]

ILERDA, ae, f. *Lerida*, urbs Hispaniae Tarraconensis ad Sicorim fluvium. *Hor. Ep.* 1, 20, 13. aut vinctus mitteris Ilerdam. Adde *Lucan.* 4, 144. et 261., ubi celsam, et altam appellat.

ILERDENSIS, e, adj. ad Ilerdam pertinens. *Ilerdenses, ium*, sunt ejus urbis cives. *Plin.* 3, 3, 4.

[*ILERGĔTAE, arum, m. plur. et

ILERGĔTES, um, m. plur. incolae regionis cujusdam Hispaniae Tarraconensis, cujus caput erat urbs Athanagia. *Inscr.* ap. *Grut.* 519, 9. D. M. C. Allii C. F. Victoris Lem. victoris contra Ilergetas etc. *Liv.* 21, 61. Ilergetum gentem invasisset; et *mox*. Ilergetes pecunia mulctatos in jus ditionemque recepit. *F.* et *B. A.*]

*ILETĬA, ae, f. opp. Thessaliae. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

ILEX, īlĭcis, f. *πρῖνος*, arbor glandifera, folio aculeato et non deciduo, non florens, fructum novum ferens cum annotino pendentem, materie tota ossea, et sine medulla, quaeque in laminas secari apta est. Fructus ejus est glans, et coccum, de quo V. suo loco. Ejus duo sunt genera: unum aculeato folio, ut dictum est: alterum oleae non absimili. Est etiam mascula et femina: illa glandem negatur ferre. Haec ex *Plin.* 16, 6, 8. et *ib.* 8, 12. et *ib.* 18, 30. et *ib.* 21, 33. et *ib.* 24, 38. et sqq. V. etiam dicta in AQUIFOLIUS. *Virg. Ecl.* 7, 1. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis. *Id. A.* 12, 701. coruscis ilicibus fremit Apenninus. *Lucan.* 3, 440. nodosa ilex. *Mart.* 6, 64. hirsuta. *Hor. Ep.* 15, 5. procera. *Ov. A. Am.* 3, 149. ramosa. *Id. Amor.* 2, 6, 49. nigra nemus ilice frondens. *Id. Fast.* 2, 165. densa niger ilice lucus. *Id. Her.* 16, 54. locus piceis ilicibusque frequens. *Mart.* 14, 70. Porcus ilice pastus, *h. e.* iligna glande.

ILĬA, ae, f. alio nomine Rhea, Numitoris Albanorum regis filia, Romuli et Remi mater. *Virg. A.* 1, 278. Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem. *Ov. Fast.* 2, 598. Quaque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.

ILĬA, um, ibus, n. *λαγόνες, κοῖλα*, cavitates alvi utrinque ad latera, ab imis costis, et praecordiis usque ad imum ventrem et pubem: quae in respiratione attolluntur et contrahuntur, in cursu vero et anhelitu maxime concutiuntur. *Fest.* ducit ab *ina:* quod vide: at videtur esse ab *εἴλω*, vel *εἰλέω*, circumvolvo; inde etiam est *εἰλεὸς* vel *ἰλεὸς*, morbus intestinorum, quem Latini ileon, Itali nunc *volvolo* vocant. *Ov. Met.* 3, 216. de cane venatico: Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon. *Virg. G.* 3, 506. imaque longo Ilia singultu tendunt. *Lucan.* 4, 626. terga viri cedentia victor Alligat, et medium compressis ilibus arctat. *Hor. Ep.* 1, 1, 8. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat: quod accidit, cum prae lassitudine fit respiratio difficilis, et progredi amplius non potest. Sic *Plin.* 26, 6, 15. Jumentis non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus verbascum auxiliatur. *Id.* 20, 5, 15. Contra jocinoris ac lienis, ilium, lumborum, et renum vitia. *Virg. A.* 7, 499. actaque multo Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo. *Sen. Herc. Fur.* 543. Aurato religans ilia baltheo. ℙ *Rumpi ilia* dicuntur, cui spiritus deficit. *Virg. Ecl.* 7, 25. Pastores, hedera crescentem ornate poetam, Arcades, invidia rumpantur ut ilia. Codro. ℙ *Ilia* dicuntur etiam intestina quaedam delicatiora in cibis, ut lumbi, sumen, renes, omentum, hillae, et hujusmodi, quae et lactes appellantur. *Hor. Sat.* 2, 8, 30. Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. *Mart.* 10, 45. Ilia Laurentis cum tibi demus apri. *Juven.* 5, 136. Da Trebio: pone ad Trebium: vis, frater, ab istis Ilibus? ℙ Et universim viscera, et venter. *Hor. Ep.* 3, 4. O dura messorum ilia! *Ov. Ib.* 171. Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur. *Virg. A.* 10, 778. Egregium Antorem latus inter et ilia figit. *Ov. Met.* 4, 119. demittit in ilia ferrum. ℙ *Plin.* 11, 37, 83. tradit, *ilia* dici venas inter vesicam et alvum ad pubem tendentes. Et fortasse ibi esse creditum est sedem libidinis, ut eo pertineat illud *Catull.* 11, 19. Nullum amans vere, sed identidem omnium Ilia rumpens. ℙ Translate *ilia* dicitur venter, seu cavitas vasorum. *Juvenc.* 2, 140. in *Joann.* 2. Sex illic fuerant saxis praepulcra cavatis Vascula, quae ternis aperirent ilia metris. ℙ In secunda declin. *Cels.* 4, 1. *f.* Vulva super rectum intestinum progressa, iliis feminae latera sua innectit. Ubi *Celsus* intelligit ossa illa, quae hinc inde, inter coxas et pubem, in imo ventre posita sunt. ℙ In singulari num. est *ile, ilis*, si *Servio* est fides, ad *A.* 7, 499., ubi refert frigidum dictum *Marulli mimographi* de guloso homine: *Tu Hectorem imitaris: ab ilio nunquam recedis;* monetque *ab ili* debuisse dicere: sed ille ad Ilium Phrygiae alludebat. Ceterum *ile, is*, non est in usu Latino, docente etiam *Charis.* 1, 72. carere hanc vocem singulari numero.

ILĬĂCUS, a, um, adj. ad Ilium et Trojam pertinens. *Virg. A.* 5, 607. Iliaca classis; et *ib.* 2, 117. Iliacae orae; et 431. Iliaci cineres; et *ib.* 3, 182. Iliaca fata; et 603. Iliaci Penates. *Mart.* 12, 52. Iliaci amores, *h. e.* Paridis. *Sil.* 8, 50. Iliacus hospes Didus, *h. e.* Aeneas. *Stat. Silv.* 4, 2, 27. Mons Libys, Iliacusque nitent, *h. e.* Numidicum, et Phrygium marmor; et *ib.* 11. Iliaca porrectum sumere dextra Immortale merum, *h. e.* Ganymedis Trojani. *Id. Silv.* 3, 5, 98. Iliacoque jugum memorabile remo, *h. e.* promontorium Miseni, ubi classis Aeneae Misenum amisit. *Ov. Fast.* 6, 227. Iliaca Vesta, *h. e.* quae prius Trojae culta fuit. Et putatur eadem esse ac Cybele. Sic *Lucan.* 5, 400. Iliacae numen quod praesidet Albae, *h. e.* Vesta, quae Albae colebatur. *Hor. A. P.* 129.

Iliacum carmen, *h. e.* in quo de Trojano bello agitur, ut in Iliade Homeri. *Ov. Pont.* 4, 16, 6. Iliacus Macer, *h. e.* poeta, qui versu res Iliacas conscripsit. V. *eund. ib.* 2, 10, 13. et *Amor.* 2, 18, 1. ℙ Ap. *Sil.* 10, 387. Iliaci muri, *h. e.* Romae, cujus conditor ab Trojano Aenea est; et 5, 595. Iliaca cuspis, *h. e.* hasta Flaminii R. consulis.

ILIADES, ae, m. patron. filius Iliae. *Ov. Amor.* 3, 4, 40. Romulus Iliades, Iliadesque Remus. *Id. Fast.* 4, 23. Pater Iliades, *h. e.* Romulus; et *ib.* 3, 62. Iliadae fratres, *h. e.* Romulus, et Remus. ℙ Item Trojanus, ab Ilio. *Id. Met.* 10, 160. Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miscet, *h. e.* Ganymedem.

ILIAS, ădis, f. Ἰλιάς, ad Ilium ac Trojam pertinens, mulier Trojana. *Ov. Trist.* 2, 371. Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera? *h. e.* Helena. *Virg. A.* 3, 65. Et circum Iliades, crinem de more solutae; et *ib.* 2, 580. Iliadum turba, et Phrygiis comitata ministris. ℙ Est etiam *Ilias* celeberrimum Homeri opus de bello decennali Graecorum cum Trojanis, Helenae repetendae causa, cujus finis Trojae eversio fuit. *Prop.* 2, 25, 66. de Aeneide Virgil.: Nescio quid majus nascitur Iliade. *Ov. A. Am.* 3, 413. quis nosset Homerum, Ilias aeternum si latuisset opus? ℙ Poema est valde longum, viginti quatuor libris constans: in quo nullum non malorum genus memoratur: unde sunt illa proverbii modo dicta, *Ov. Pont.* 2, 7, 33. Quae *(mala)* tibi si memori coner perscribere versu, Ilias est fatis longa futura meis; et *Prop.* 2, 1, 14. Tunc vero longas condimus Iliadas; et *Cic. Att.* 8, 11. Non multo secus possum vaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς.

*ILIBĒRI, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[ILĪCENSES, ium, m. plur. ad Ilicem pertinens, opp. in ora Ligustica, nunc *Lerice*, ut censuit *Murator.* ad *Inscr.* 522, 1. Nomina collegii fabrum Ilicensium *F.*]

ILĪCET, adv. παραυτίκα, statim, confestim, ex *ire licet*, per syncop. ut *scilicet* ex *scire licet; videlicet*, ex *videre licet.* Nam apud Romanos praeco hanc vocem usurpabat, ad finem rei significandum, ut *Actum est*, in sacrificiis, in dimittendo senatu, in dimittendis judicibus de consilio, et hujusmodi. *Donat.* in *Phorm.* 1, 4, 31. et *Serv.* in *A.* 2, 424. Hac etiam voce praefica in funeribus, cadavere ustulato, ceterisque rite peractis, utebatur. *Serv.* in *A.* 6, 216. ℙ Quia igitur hac voce pronunciata cito discedebatur, inde usurpari coepta est pro cito, celeriter, statim, confestim. Male autem quidam *illicet* scribunt geminato *l.* Nam quod ajunt *e* vocis *ire* extrito, relinqui *irlicet*, sed *r* sequente *l*, mutari in *l*, ut fit in *pellicio*, *pellego*, *intelligo*, et aliis, id nihil ad rem facit, quia in *ilicet* non est mutatio, sed totius syllabae syncope, ut fit in *scilicet*, et *videlicet*, ubi eadem syllaba *re* eliditur. *Virg. A.* 2, 758. Ilicet ignis edax summa ad fastigia tecti Volvitur; et 424. Ilicet obruimur numero. *Sall. Jug.* 45. Ubi formido illa mentibus decessit, ilicet lascivia atque superbia incessere. ℙ Priorem significationem, *ire licet*, vel *actum est*, retinet in locis, quae subjicio, in quibus exclamationem quandam notat in re desperata. *Pl. Capt.* 3, 1, 8. Itaque venter gutturque resident esuriales ferias. Ilicet parasiticae arti in maximam malam crucem! et *Amph.* 1, 1, 181. Neque miser me commovere possum prae formidine. Ilicet, mandata heri perierunt, una et Sosia. *Ter. Eun.* 1, 1, 9. actum est, ilicet, Peristi; eludet, ubi te victum senserit. [*Laudat *Ruhnk. Donat.* ad h. l. *Serv.* ad *A.* 2, 424. et *Gesner.* ad *Claud. ep.* 2, 19.] Et 2, 3, 55. ipsa est: ilicet, Desine, jam conclamatum est; et *Phorm.* 1, 4, 31. hoc nihil est, Phaedria: ilicet. Quid hic conterimus operam frustra? et *Heaut.* 5, 2, 21. ilicet, Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: semper, ut ait *Donat.*, hic quoque, finem rei significat, ut actum est. [*Reposuit hanc vocem de Bothii sententia *Lindem.* ap. *Pl. Capt.* 1, 1, 22.] ℙ *Festus* exponit *ilicet*, sine dubio: quem sensum habere posset, inquit *Dacerius*, locus *Terentii Eun.* 1, 1, 9. allatus: quem ipsum locum referens *Charis.* 2, 181. putat, *ilicet* pro *hem* poni, ut sit *hem peristi!*

ILĪCĒTUM, i, n. πρινών, locus ilicibus consitus. *Mart.* 12, 18. Surgentem focus excipit superba Vicini strue cultus iliceti. *Festus.* Tifata iliceta.

ILĪCĔUS, a, um, adj. πρίνινος, qui est ex ilice. *Stat. Th.* 6, 101. Ornique, iliceaeque trabes. Adde *Sicul. Flacc. de condit. agror.* p. 4. *Goes.*

ILĪENSIS, e, adj. ad Ilium spectans, Trojanus. *Ilienses*, *ium*, sunt Ilii incolae. *Suet. Tib.* 52. Iliensibus legatis paulo serius consolantibus, se quoque respondit, vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent. ℙ [*Ilienses* fuerunt etiam incolae urbis Ilii in Sardinia, qui, teste *Pausan. l.* 10. *c.* 17., ex Troja in eam insulam profecti sunt. *Plin.* 3, 7, 13. Celeberrimi in Sardinia populorum Ilienses, Balari, Corsi. Adde *Liv.* 40, 19. ℙ *Ilienses* item fuerunt cognominati incolae urbis in Hispania Baetica, quae, teste *Plin.* 3, 1, 3., fuit Ilipa cognomine Ilia. *Inscr.* ap. *Grut.* 351, 5. Sex. Allio Mamerco Ilienses Ilipponenses (lege *Ilienses*, *Ilipolenses*) viritim statuam D. D. V. ILIPULENSES. *F.* et *B. A.*]

ILIGNĔUS, a, um, adj. πρίνινος, idem quod iliceus. *Colum.* 6, 3. *f.* Ilignea, quernea, laurea frons; et 7, 6. Ilignei querneique frutices. *Cato R. R.* 18. Subscudes iligneas adindito.

ILIGNUS, a, um, adj. idem ac ligneus. *Ter. Ad.* 4, 2, 46. Lectulos ilignis pedibus faciundos. *Prisc.* 2. p. 587. legit *ligneus*. *Virg. G.* 3, 330. Currentem ilignis potare canalibus undam. [*Et h. l. codd. magnopere variant; v. quae laudat *Heyn.*]

ILĬON, ii, n. Ilium, Troja, Ἴλιον, positione Graeca. *Ov. Her.* 13, 53. Ilion, et Tenedos, Simoisque, et Xanthus, et Ide. *Id. Met.* 6, 95. nec profuit Ilion illi. ℙ Etiam feminino genere hac positione inveniri putant. *Id. Her.* 1, 47. vestris disjecta lacertis Ilion; et *Met.* 14, 466. postquam alta cremata est Ilion. *Ilios* tamen alii utroque loco legunt. Nisi malis subaudire *urbs*, ut dicatur ea ratione, qua *Ter. Eun. prol.* 32. *in Eunuchum suam*, et *Virg. A.* 5, 122. *Centauro magna.* V. PELION.

ILIONĀ, ae, et Ilĭonē, es, f. Ἰλιόνη, maxima natarum Priami, ut est ap. *Virg. A.* 1, 657. Haec a patre nuptui data fuit Polymnestori regi Thraciae, ex quo filium suscepit Deiphilum. Priamus interea Polydorum ejus fratrem eidem educandum dederat: quem illa pro filio habuit, Deiphilumque pro fratre: maritum facile decipiens, qui unum ab altero, cum essent ambo infantuli, non dignoscebat. Troja capta, cum Graeci a Polymnestore magnis praemiis peterent, ut Priami filium occideret, filium is suum pro Polydoro obtruncavit. Polydorus ab Ilione matre rem totam edoctus cum ea adversus Polymnestorem conjuravit, eumque oculis primo, deinde vita privavit. Hoc *Hyg. fab.* 109. et 240., qui addit *fab.* 243. sibi postea, propter casus parentum suorum, manus intulisse. Aliter *Serv.* ad *A.* 1, 658., ubi narrat Ilionam post Trojam captam, a marito ejectam, ipsam sibi manus intulisse. ℙ De Ilionae velo, V. in ANCILE. ℙ *Iliona* fuit etiam appellata una ex tragoediis *Pacuvii*, de qua mentio est ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 61. [*ubi v. *Heindf.*] et *Cic. Acad.* 4, 27.

[*ILIONEUS, ei, m. quatuor syllabar. Ἰλιονεύς, filius Niobes natu minimus. *Ov. Met.* 6, 261. Ultimus Ilioneus non profectura precando Brachia sustulerat. ℙ Item vir Trojanus eloquentia insignis. *Virg. A.* 1, 521. Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit. *F.* et *B. A.*]

ILĬOS, ii, f. idem quod Ilium. *Hor. Od.* 4, 9, 18. non semel Ilios vexata. *Ov. A. Am.* 1, 363. Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis. Al. leg. *Ilion. Id. Her.* 16, 49. Arsuram Paridis vates canit Ilion igni. Al. leg. *arsurum.* V. PELION.

ILĬOSUS, a, um, adj. qui ex ilibus laborat. *Plin.* 20, 4, 13. ℙ Sunt qui legunt *ileosus*, et ducunt ab *ileos*, q. v. v.

[ILĪPENSIS, e, adj. ad Ilipam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, quae et Ilia est cognominata, de qua ita *Plin.* 3, 1, 3. Ilipa cognomine Ilia. *Inscr.* ap. *Grut.* 1126, 2. Domitia Clodiana Ilipensis ex provincia Baetica. *F.*]

[ILĪPŪLENSES, vel Ilipolenses, ium, m. plur. incolae urbis Ilipulae (quae in nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 22. *Ilipla* scribitur) in Hispania Baetica, de qua ita *Plin.* 3, 1, 3. Ilipula, quae Laus. V. *Inscr.* in V. ILIENSIS. *F.*]

*ILISANTAE, arum, pop. Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*ILISSUS vel Ilissos, i, Ἴλισσός et Εἰλισσός, locus in Attica. *Plin.* 4, 7. *med.* ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *amnis*. ℙ Item amnis in Attica, Musis sacer, quas Ilissidas vocant. *Stat. Th.* 4, 52. 8, 767. et 12, 641. ℙ Et amnis in Imbro maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ILĬTHYIA, ae, f. Diana, Juno Lucina, Dea, quae parientibus adsistere putabatur. *Ov. Met.* 9, 283. Praepositam timidis parientibus Ilithyiam. *Hor. Carm. saecul.* 14. Lenis Ilithyia tuere matres. Graece scribitur *Εἰλείθυια*; ex quo colligitur esse vocem quatuor syllabarum, et versum *Ovidii* allatum esse spondaicum; ut et illum *Amor.* 2, 13, 21. Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithyia. Nec juvat, si dicas, diphthongum illam *ei* dissolvi, et priorem ejus vocalem corripi. Obstat enim et altera ab initio diphthongus, quam similiter solvi opus esset, ut inde dactylus exsisteret. Porro ipsam vocem ducunt ab ἐλεύθω, venio, quod Diana invocata veniat in subsidium parientium, et ut fetus facile veniat in lucem: hinc Graece etiam Ἐλευθὼ eadem vocatur.

[ILITURGENSES, ium, m. plur. et

ILITURGITANI, orum, m. plur. incolae urbis Hispaniae Baeticae, ad Baetim fluvium, quae olim dicta est Iliturgi, in vicinia hodiernae urbis *Andujar*, quamque Scipio, quod ad Carthaginienses defecisset, evertit. Ejus meminit *Liv.* 26, 17., 23, 49. et *Plin.* 3, 1, 3., ubi et Forum Julium appellatum fuisse ait. In nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 3. Iliturgenses. *Liv.* 28, 25. Scelus Iliturgitanorum. ℙ In nummis ubique legitur *Iliturgi*, ut et in *Inscr.* ap. *Mur.* 1050, 9.; apud scriptores vero *Illiturgi. F.*]

ILĬUM et Ilion, ii, n. urbs Troadis, a Dardano condita, ab Ilo rege et augmentum, et nomen accepit: proprieque dicitur ipsa Trojana civitas: nam Troja regionem significat, licet et pro Ilio saepe usurpetur. *Virg. A.* 3, 3. ceciditque superbum Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja. *Id. ib.* 1, 72. Ilium in Italiam portans, *h. e.* Ilii reliquias, et cives superstites; et *ib.* 5, 261. Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto. *Ov. Met.* 13, 408. Ilion ardebat, neque adhuc consederat ignis. ℙ Si quando feminino genere effertur, ellipsis est, et urbs subintelligitur. V. PELION. ℙ Dicitur et *Ilios*, f. V. supra s. l.

ILĬUS, a, um, adj. idem ac Iliacus, seu Trojanus. *Virg. A.* 9, 285. Quam miseram tenuit non Ilia tellus? et *ib.* 1, 272. dum res stetit Ilia regno. *Pl. Bacch.* 4, 9, 27. Dum sibi exquirit fata Iliorum.

ILLĀ vel Ilă, ae, f. diminut. inae, quae pars chartae est tenuissima. *Festus.*

ILLĀ, adv. pro illac. *Pl. Mil.* 2, 3, 16. Forte per impluvium huc despexi in proximum: Atque ego illa aspicio Philocomasium, etc. *Tac. H.* 3, 8. Ne pervium illa Germanicis exercitibus foret. *Id. A.* 2, 17. Incubueratque sagittariis, illa rupturus.

ILLĀBĒFACTUS et Inlabefactus, a, um, adj. ab *in* privativa, et part. labefactus, ἀλύμαντος. *Ov. Pont.* 4, 8, 9. Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis: Quae semper maneant illabefacta precor; et *ib.* 12, 29. haec viridi concordia coepta juventa Venit ad albentes illabefacta comas.

ILLĀBOR et Inlabor, eris, apsus sum, dep. 3. εἰσπίπτω, καταῤῥέω, incido, influo. *Plin.* 5, 29, 31. Ad decimum a Mileto stadium lenis illabitur mari. *Cic. N. D.* 2, 54. In stomachum primo illabuntur ea, quae accepta sunt ore. *Hor. Od.* 3, 3, 7. Si fractus illabatur orbis. *Stat. Ach.* 1, 138. tepet illabentibus astris Pontus. [*Eleganter *illabi* dicitur de morientibus. *Lucan.* 5, 280. sq. Atque oculos morti clausuram quaerere dextram, Conjugis illabi lacrimis. Laudat *Cort.* 8, 661. Interque suorum lapsa manus.] ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 11. Si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate affluere et illaberetur; et *Leg.* 2, 15. *f.* Sensim pernicies illapsa civium animos. *Virg. A.* 3, 89. Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.

ILLĀBORĀTUS et Inlaboratus, a, um, part. ab *illaboro*: ἀκατέργαστος, incultus, sine labore confectus, inelaboratus. *Sen. ep.* 90. *f.* Terra ipsa fertilior erat illaborata, et in usus populorum non diripentium larga. *Quint.* 10, 1. *f.* de Cicerone: Cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi potest, fluunt illaborata; et 12, 2. Virtus obvia et illaborata; et *ib.* 10. *f.* Fructus illaborati offerunt sese.

ILLĀBORO et Inlaboro, as, avi, atum, a. l. in re laboro, ut praeposit. *in* intentiva sit, non privativa, ἐπεργάζομαι. *Tac. G.* 46. *f.* Venari beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus.

ILLAC, ἐκεῖ, ἐκεῖσε, adv. motus per locum. *Pl. Rud.* 1, 3, 30. Hac, an illac eam, incerta consilii sum. *Ter. Eun.* 1, 2, 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Omnes damnatos, omnes ignominia affectos illac facere, *h. e.* illi parti favere. Est qui legit *illuc.* ℙ Est etiam *illac* pro *illa* recto, vel sexto casu pronominis. *Pl. Amph.* 1, 1, 275. Nisi latuit intus illic in illac hirnea. *Id. Merc. a.* 2. *v.* 25. Ut occoepi dicere de illac pugna. [*Adde *Ov. Fast.* 2, 689. et 6, 395. ubi *Heins. illac* e libris plerisque pro *illa* recepit.]

ILLĀCĔRĀBĬLIS et Inlacerabilis, e, adj. ab *in* privativa, et *lacerabilis*, qui lacerari non potest, vel non laceratus. *Sil.* 5, 137. spolium, quod rege superbus Bojorum caeso capiti illacerabile victor Aptarat. [*Gr. ἀῤῥήκτον. V. *D. Heins.* et *Drakenb.* ad h. l.]

ILLĀCESSĪTUS et Inlacessitus, a, um, adj. non lacessitus. *Tac. Agr.* 20. Ut nulla Britanniae nova pars illacessita transierit. *Id. G.* 36. Marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt.

ILLACRĪMĀBILIS et Inlacrimabilis, e, adject. ὄδακρυς, inexorabilis, qui tam durus est, ut ad lacrimas, aut ad misericordiam commoveri non possit. *Hor. Od.* 2, 14, 5. Non si tricenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris. ℙ Item lacrimis non decoratus. *Id. ib.* 4, 9, 26. sed omnes illacrimabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.

ILLACRĪMO et Inlacrimo, as, et Illacrimor, aris, dep. 1. ἐπιδακρύω, idem quod lacrimo, fleo. *Hor. Sat.* 2, 5, 103. si paulum potes illacrimare, est Gaudia prudentem vultum celare. *Cels.* 2, 6. Oculi lumen refugiunt, et illacrimant. *Liv.* 25, 24. *med.* Illacrimasse dicitur partim gaudio, partim vetusta gloria urbis. [*Suet. Aug.* 66. Ceterum et illacrimavit et vicem suam conquestus est.] ℙ *Illacri-*

mare alicui rei est propter rem quampiam lacrimas fundere. *Cic. N. D.* 3, 33. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrimari soleo, Platonem legens. *Liv.* 40, 56. Qui meo infelici errori unus illacrimasti. *Ov. Trist.* 5, 8, 6. illacrimare malis. *Suet. Vesp.* 15. etiam justis suppliciis. ℙ Cum accusat. *Justin.* 11, 12. Ejusque mortem illacrimatum Alexandrum. ℙ Translate. *Virg. G.* 1, 480. Et moestum illacrimat templis ebur, aeraque sudant. *Colum.* 10, 25. Aut fons illacrimet putei non sede profunda, *h. e.* modicas fundat aquas.

ILLACTĒNUS, adv. *Gell.* 16, 19. Precum ejus commiseratum illactenus, ut ei necem afferre temperarent. Al. leg. *illatenus:* quod habet etiam *Appul. Apol.* Ipsas mulieris litteras illatenus, qua dixi, legendas praebebat.

ILLAEC, pronom. f. illa haec. *Ter. Ad.* 3, 5, 63. Nimia illaec licentia profecto evadet in aliquod magnum malum. *Pl. Amph.* 1, 1, 260. Egomet mihi non credo, cum illaec autumare illum audio. *Id. Merc.* 2, 1, 16. Ut una illaec capra uxoris simiae dotem ambadederit. Adde *Cist.* 2, 2, 2. et alibi.

[ILLAESĒ, adv. inoffense, sine laesione. *Paul. Nol. carm.* 21, 157. Potuisset illaese periclo abrumpere. *F.*]

ILLAESĪBĪLIS, e, adj. qui laedi non potest. *Lact. Ira D.* 17. *med.* Ira in Deo esse non potest, quia illaesibilis est. Adde *Tert. adv. Valent.* 27.

ILLAESUS et Inlaesus, a, um, adj. *ἀβλαβής*, non laesus: ab *in*, et *laesus*. *Plin.* 15, 30, 40. Gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illaesam. *Ov. Her.* 15, 168. illaeso corpore pressit aquas. *Sen. ep.* 9. *f.* Qui per ferrum, et ruinas, et ignes illaesus et indemnis evasit. [**Sil.* 5, 125. ad moenia Romae Illaesus contendat iter.] *Stat. Th.* 6, 99. brumaque illaesa cupressus. Al. leg. *brumaeque*. [**Sil.* 13, 536. Fraudum illaesa veneno, i. e. incorrupta, expers.] *Mart.* 1, 7. de Ganymede ab aquila rapto: Illaesum timidis unguibus haesit onus. Adde *Plin.* 23, 1, 27. [**Suet. Tib.* 68. Illaesa valetudo.] ℙ Idem ac laesus. *Lact.* 4, 26. *med.* Quae illaesis affectisque corporibus adhibebat, ea spiritualium figuram gerebant. Al. leg. *laesis*, alii *in laesis*.

ILLAETĀBĪLIS et Inlaetabilis, e, adj. *ἄχαρις*, non laetus, injucundus, tristis. *Virg. A.* 3, 707. Hinc Drepani me portus, et illaetabilis ora Accipit; et *ib.* 12, 619. Confusae sonus urbis, et illaetabile murmur. *Stat. Th.* 5, 633. onus illaetabile, *h. e.* infans mortuus; et *ib.* 3, 706. grave et illaetabile munus. *Sen. Troad.* 861. Hymen funestus, illaetabilis.

ILLAEVĪGĀTUS et Inlaevigatus, a, um, adj. non laevigatus, ut Illaevigatus sonus, *h. e.* asper. *Diomed.* 3, 499. Fragosi versus sunt, qui illaevigato sono et incondito variantur.

*ILLAMENTĀTUS et Inlamentatus, a, um, adj. non lamentatus. *Vulg. Interpr.* 2 *Maccab.* 5, 10. Illamentatus et insepultus abjicitur. *B. A.*

ILLANC pro illam, sequente vocali, saepe dixit *Plautus*, ut *Cas.* 1, 45., *Cist.* 1, 2, 4., *Most.* 5, 2, 36. etc.

ILLAPSUS et Inlapsus, a, um, part. V. ILLABOR.

ILLAPSUS et Inlapsus, us, m. actus illabendi, influxus, *εἴσροος*. *Colum.* 2, 2. *med.* Ne praecludatur humoris illapsus, atque exitus.

ILLĀQUĒĀTUS et Inlaqueatus, a, um, part. ab *illaqueo*. Translate. *Cic. Har. resp.* 4. Illaqueatus jam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium. ℙ Habet etiam contrariam significationem, h. e. laqueis solutus. *Festus:* Inlaqueatum alii pro vincto utuntur, alii pro soluto.

ILLĀQUĒO et Inlaqueo, as, a. I. *παγιδεύω*, laqueo constringo. *Prud. Cath.* 3, 41. Callidus illaqueat volucres Aut pedicis dolus, aut maculis. ℙ Translate pro corrumpere. *Hor. Od.* 3, 16, 15. munera navium Saevos illaqueant duces.

ILLARGIO. V. INLARGIO.

ILLĀTĀBĪLIS, e, adj. latitudine carens. *Gell.* 1, 20. *extr.* Euclides, *γραμμὴ*, inquit, est *μῆκος ἀπλατές:* quod exprimere uno Latino verbo non queas, nisi audeas dicere, illatabile.

ILLĀTEBRA et Inlatebra, ae, f. locus, ubi latere nihil potest. *Plaut.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Cujus ego latus illatebras reddam meis dentibus et manibus, *h. e.* discerpam, et comedam. Al. melius leg. *in latebras*. De acipensere loquitur.

ILLĀTEBRO et Inlatebro, as, a. I. *ἐναποκρύπτω*, in latebris abscondo, intus abscondo. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. et *Non.* 2, 466. Arma plerique abjiciunt, atque inermes illatebrant sese. Ubi *Gell. illatebrant* verbum poeticum visum est, sed non absurdum, neque asperum.

ILLĀTĒNUS. V. ILLACTENUS.

ILLĀTIO et Inlatio, onis, f. *εἰσφορά*, actus inferendi, invectio. *Ulp. Dig.* 11, 7, 2. et 4. Illatio mortui, sepulturae causa. *Paul. Sentent.* 5, 4. §. 1. Injuriam patimur in corpus, verberibus, et illatione stupri. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Piaculum factum ob ferri inlationem, scripturae et scalpturae marmoris causa. ℙ Item tributorum solutio. *Cassiod. Variar.* 2, 16. Sensimus auctas illationes: vos addita tributa nescitis. ℙ Item ap. philosophos conclusio argumenti. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Dico illationem, vel illativum rogamentum, quod acceptionibus colligitur, et infertur. Adde *ib.* saepe.

ILLĀTĪVUS et Inlativus, a, um, adj. inferens, aut concludens, ut illativum rogamentum. V. v. praec. *Plin.* ap. *Diomed.* 1, 410. Illativae particulae, ut quamquam, quamvis, etsi, tametsi.

ILLĀTRO et Inlatro, as, n. I. latro, vel intus latro. *Sil.* 13, 845. Illatrat jejunis faucibus Orcus. *Lucan.* 6, 729. Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.

ILLĀTUS et Inlatus, a, um, part. ab *infero: εἰσφερόμενος*. *Curt.* 8, 2. Interiora, nisi lumine illato, obscura sunt; et 1. Parmenionis cum honore mentio illata; et 4, 12. Temere illati praesidiis hostium. *Just.* 2, 8. Illatum Atheniensibus bellum. *Cic.* ap. *Colum.* 12, 1. Res illatas custodire. *Plin.* 13, 21, 37. Arbor in domum illata. *Id.* 14, 14, 17. Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primum; et 7, 44, 45. A quatuor filiis illatus rogo. *Caes. B. G.* 1, 39. Alius alia causa illata; et 50. Multis et illatis et acceptis vulneribus; et *ib.* 6, 14. Illatas injurias propulsare. *Paul. Dig.* 40, 4, 53. Illata pecunia, *h. e.* soluta.

ILLAUDĀBĪLIS et Inlaudabilis, e, adj. *ἀνεγκωμίαστος*, qui laudari non potest, laude indignus. *Stat. Silv.* 5, 5, 33. juvat illaudabile carmen Fundere, et incompte miserum laudare dolorem. Adde *Gell.* 2, 6. V. ILLAUDATUS.

ILLAUDANDUS, a, um, adj. non laudandus, illaudabilis. *Cyprian.* vel *Tert. carm. adv. Marc.* 3, 6. plebis facta illaudanda revolvit.

ILLAUDĀTUS et Inlaudatus, a, um, adj. laude carens. *Plin. ep.* 9, 26. Gubernator cum placido mari vehitur, admirante nullo, illaudatus, inglorius subit portum. *Stat. Theb.* 11, 10. memorandaque facta relinquens Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti. *Sil.* 14, 630. qui sorte pudenda In morem pecudum effudere cubilibus atris Illaudatam animam. *Claud. in Ruf.* 2, 225. magno certatur amore, Alternamque fidem non illaudata lacessit Seditio. ℙ Notum est illud *Virg. G.* 3, 4. quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras? Ubi *Servius:* Busiridis laudes scripsit Isocrates: unde *illaudati* participium est pro nomine: ut sit illaudabilis, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruerit, ut est illud in *A.* 7. (*v.* 11.) *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos*, pro *inaccessibiles:* non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat. Haec *Servius*. Non defuere, qui Virgilium reprehenderent, quasi otiosum epitheton Busiridi, qui immanissimus tyrannus fuit, adjunxerit. Quibus duo respondet *Gell.* 2, 6. Primum est ejusmodi. Nemo quisquam tam efflictis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat. Sed enim qui omni in re laude omni vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque est. Omnis culpae privatio inculpatum facit: inculpatus autem instar est absolutae virtutis: illaudatus igitur finis est extremae malitiae. Simili ratione *inamabilem undam* Stygis dixit *Id. A.* 6, 438. et *inamoena regna* Plutonis *Ov. Met.* 10, 15. Nempe detractione laudis omnem vituperationem, amoris omne odium, amoenitatis omnem horrorem significare voluerunt. ℙ Altero modo *illaudatus* ita defenditur. *Laudare* significat prisca lingua nominare, appellareque. *Illaudatus* itaque, quasi illaudabilis, qui neque mentione, aut memoria ulla dignus, neque unquam nominandus est. Hoc secundum ponit etiam *Nonius* 4, 276. Ex *Gellio* descripsit more suo *Macr. Sat.* 7, 7. Sunt etiam, qui ideo *illaudatum* Busirim dici putant, quia cum ab Isocrate laudatus fuerit, ut dictum est, ipsae illae laudes effecerint, ut vituperabilior, odioque magis dignus videretur. ℙ Ceterum *Virg. l. c.* videtur exprimere voluisse illud *Homeri Odyss.* 19, 260. et 597., ubi Penelope Ilion urbem vocat *οὐκ ὀνομαστὴν, h. e.* illaudabilem, abominandam, quia illius causa Ulysses tot annis domo sua aberat.

ILLAUTUS, et Inlautus, a, um, adj. non lotus, sordidus. *Pl. Poen.* 1, 2, 22. nam quae elauta est, nisi Perculta est, meo quidem animo quasi illauta est. Al. leg. *illuta*, quod idem est. Porro *illauta*, seu *illuta* hoc loco sordidam, illuvie foedatam significat, *Arnob.* 1, 26. Qui *(Christus)* per altissimos gurgites pedem ferebat illutum, *h. e.* non madefactum.

ILLĔ, illa, illud, illius, etc. *ἐκεῖνος*, pronomen demonstrativum tertiam personam designans, tam a loquente, quam ab audiente remotam. [**Quid* differat *hic* et *iste*. V. in HIC. Cf. *Calph.* ad *Ter. Heaut.* 2, 3, 115. *Prisc.* 12, 1, 1. *Vall. Eleg.* 2, 4. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 1. p. 519. *Zumpt.* §. 127. et 700. Ceterum exempla, quae Noster hic posuerat, ut, quae parum recte ab initio collocata viderentur, in sua quaeque loca transtulimus. Poterant ea primum locum tenere, ubi *hic* et *ille* opponuntur. Exempla, praeter ea, quae inferius paulo allata sunt. V. in HIC.] ℙ Jungitur et cum aliis pronominibus. *Cic. Or.* 1, 11. Qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligenter audierat. *Cels.* 1, 3. *med.* Ille quoque ipse confessus est. *Cic. Marc.* 2. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna, etc. *Id. Fam.* 2, 9. Itaque cum primum audivi, ego ille ipse factus sum: scis, quem dicam. *Pl. Men. prol.* 26. Imponit alterum in navem pater: illum reliquit alterum apud matrem domi. *Nep. Reg.* 3. Ab illo eodem vita privatus dicitur. *Id. Milt.* 6. Idem ille populus. [**V.* de hac structura *Brem.* ad *Nep. Reg.* 3, 4. et quem laudat, *Goerenz.* ad *Cic. Acad.* 2, 15.] ℙ Aliquando absolute ponitur, cum de persona sermo est satis nota ei, quicum loquimur. *Cic. Att.* 11, 17. *med.* Illum ab Alexandrea discessisse, nemo nunciat, *h. e.* Caesarem; et 18. De illius ab Alexandrea discessu nihil adhuc rumoris. Adde *Fam.* 6, 19. et 20. [**Adde *ib.* 2, 9. quem locum Noster supra laudaverat §. 1. *Sall. Cat.* 52, 12. Ne illi sanguinem nostrum largiantur. Ita recte *Kritz.* cum optt. edd. pro vulg. *illis*, docens, notari a Catone cum vi et indignatione non *fures aerarii*, sed *perversae sententiae auctores*, vel potius *auctorem*, i. e. Caesarem.] Eodem modo et *ipse* adhibetur. ℙ Interdum redundat. *Virg. A.* 11, 809. Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur, Continuo in montes sese avius abdidit altos, Occiso pastore, lupus. *Ter. Ad.* 3, 2, 8. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia Repressit. [**V. Ruhnk.* ad h. l. et *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 83. et *Heindf. ib.*] *Tac. A.* 14, 55. Quidquid illud et qualecumque tribuisset. ℙ [**Solemnis fere dicendi ratio est, qua pronom. *ille* abundanter poni videtur ante part. *quidem*, respondente part. *sed*. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 743. Huc pertinet locus, quem Noster §. 1. posuerat, *Cic. Off.* 3, 9. Philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed, etc. Adde *ib.* 1, 29. Ludo autem et joco uti illo quidem licet sed, etc. Magnum exemplorum numerum collegit *Beier.* ad *Off.* 2, 6, 21. — Respondent etiam aliae particulae adversativae. Laudat idem V. *D. ib. Cic. Brut.* 30. Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam *autem*, etc. *Att.* 10, 4. Alter — bellum comparat, non injustum ille quidem, — suis *tamen* civibus exitiabile. *Fat.* 18. Sequi illud quidem, *verum*, etc. Etiam post *at* abundantur *ille* ponitur. Laud. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 743. *Curt.* 3, 8. *in.* Hi magnopere suadebant, ut retro abiret spatiososque Mesopotamiae campos repeteret; si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles.] ℙ In distributionibus aliquando repetitur. *Mart.* 7, 10. quid ad te, De cute quid faciat ille, vel ille sua? *Ter. Ph.* 2, 2, 18. In illis fructus est, in illis opera luditur. Primum *illis* est pro *his*. ℙ [**Ille aut ille, ille et ille*. Nostr. *der oder der, der und der*, Gr. *ὁ δεῖνα*. *Cic. Rosc. Am.* 21. Credo, quum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille, aut ille defensurus esset. *Suet. Caes.* 41. Commendo vobis illum et illum. V. *Gesner* et *Heusing.* ad *Plin. ep.* 6, 20, 15. ℙ *Hic et ille* est i. q. Nostr. *Dieser und jener, Einer und der Andere*. *Cic. Verr.* 1, 1, 20. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse et illud; hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse.] ℙ Saepius jungitur cum *hic*, ita ut *ille* ad prius et remotius, *hic* ad propius et secundo loco positum referatur. Saepe tamen etiam res contra se habet. V. HIC. [**Tum pronomen *hic* ad rem graviorem, *ille* ad minus gravem pertinet, ut recte monet *G. Stallb.* ad *Ruddim.* 1, 198. Cf. *Brem.* ad *Nep. Thras.* 1, 3.] ℙ *Hi, illi* pro *alii, alii*. *Plin.* 20, 23, 94. Nobilius Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inventum, hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur. ℙ In *illo Pl. Most.* 2, 1, 51. Ita ille faxit Juppiter: *τὸ ille δεικτικῶς* pronunciatur, *h. e.* oculis, aut digito coelum ostendendo. Similis est usus *τοῦ hic*. V. HIC. [**Virg. A.* 7, 110. Sic Juppiter ille monebat; ubi v. quae *Heins.* de hoc pronom. usu diligentissime congessit. Adde *Cic. Cat.* 2, 12. Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovem, etc. Dixit haec *Cic.* digito monstrans statuam Jovis in Capitolio positam eamque oculorum conspectui expositam. V. quae in hunc locum laud. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157, 1. p. 520. ℙ Neutrum *illud*, sicut *id, hoc, tantum*, cet., inservit aliquando amplificandae orationi, cum gravitate quadam ea notans, quae plenius enarrata sequuntur. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 204, 4, b. p. 975. ubi *laud. Cic. Cat.* 2, 7. Illud timeo: ne mihi sit invidiosum aliquando, quod Catilinam emiserim potius, quam quod ejecerim. Adde *Q. Fr.* 1, 1. te illud moneo, ut quotidie meditere; et paulo post: Illud te oro et hortor, ut in extrema parte muneris tui diligentissimus sis.] *Cic. Quint.* 22. Unum illud dico, si propter, etc. *Ter. Eun.* 4, 7, 12. Illuc est sapere! *illuc* pro *illud. Pl. Truc.* 2, 3, 16. Nescio quem praestolata est: credo militem: Illud est. *Id. Mil.* 3, 2, 7. *Pa.* Quid, sorbet? *Lu.* illud, stertit, volui dicere. *Senec.* dixit: hoc

voluit dicere, *ep.* 19. *med.* ℙ [*Ponitur etiam c. genitivo. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 432. *Suet. Galb.* 14. Galba erat negligentior, quam conveniret principi electo atque illud aetatis. *Id. Ner.* 26. Illud horae. V. *Gronov.* et *Burm.* ad h. l. *Drak.* ad *Liv.* 10, 24, 6. Cf. quae sub voce *Genus* dicta sunt de accus. absoluto: *id genus* et *similibus.*] ℙ Aliquando emphasin habet, et ponitur ad ostendendam insignem aliquam personam, aut rem. [*Huc pertinent, quae Nostr. perperam ab initio exempla posuerat. *Cic. Or.* 3, 50. Antipater ille Sidonius; et *ib.* 1, 11. Vigebat auditor Panaetii illius tui Mnesarchus. *Nep. Att.* 8, 1. Secutum est illud, occiso Caesare. Cum respublica penes Brutos videretur esse, etc. ita leg. *Brem.* q. v. *Cic. Brut.* 26. A. C. Persio litterato homine orationem scriptam ajebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius. Adde *Eund. Sen.* 14. Honestum illud Solonis est, etc. *Fin.* 4, 22. Nobisne omnibus, et Platoni ipsi, nescio quem illum anteponebas? ubi *nescio quem* augetur per *illum:* Nostr. *Einen so ganz Unberühmten.*] *Cic. Manil.* 9. Ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur. *Nep. Thras.* 4. Pittacus ille, qui, etc. *Vell.* 2, 41. Magno illi Alexandro simillimus. ℙ [*Ita saepius est gloriantis, superbientis. *Quint. Inst.* 10, 7, 2. Dum illa verba fabricentur, i. e. illa tam egregia, quibus superbit. Sic *ib.* §. 8. velocitas illa: etiam quodammodo §. 10. brevia illa; et §. 32. illa elaborata. V. *Spald.* ad h. l. cujus verba sequimur. ℙ Pertinet huc etiam dicendi usus, quo *ille* praecisae orationi inservit. Laudat *Cort.* ad *Lucan.* 4, 762. *Plin. ep.* 4, 2. *n.* 4. Nec dolor erat ille, sed ostentatio, i. e. nec dolor ille dolor erat, sed, etc. et 7, 27. *n.* 11. Adde *Plin. Pan.* 20. Quam dissimilis nuper alterius Principis transitus? Si transitus ille, non populatio fuit: Porro hic commemorari debebant ista. *Cic. Mil.* 34. Ubi sunt equites Romani illi, illi inquam tui? *Lucan.* 7, 254. Haec est illa dies, mihi quam etc., ubi *Cort.* laud. *Barth. Advers.* 8, 1. et suam notam ad *Sall. Cat.* 20, 14. En illa, illa, quam saepe optastis libertas.] ℙ Hac ratione jungitur cum *ego. Virg. A.* 1, 1. Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena, etc. *Ov. Met.* 1, 757. ille ego liber, Ille ferox tacui. ℙ Item cum verbis secundae personae. *Ov. Met.* 12, 608. ille igitur tantorum victor, Achille, Vinceris a timido Grajae raptore maritae? *Sen. Hippol.* 923. Ille efferatus, castus, intactus, rudis, Mihi te reservas? *Stat. Silv.* 2, 4, 8. at nunc aeterna silentia Lethes Ille canorus habes. *Val. Fl.* 2, 485. tuque Ille ades auguriis promisse, et sorte Deorum. ℙ *Ex illo,* ex illo tempore. *Virg. A.* 2, 169. Ex illo fluere, et retro sublapsa referri Spes Danaum. *Prop.* 2, 22, 42. Ex illo felix nox mihi nulla fuit. Adde *Ov. Met.* 3, 394. Sic *ex illo, quo* ap. *eund. Her.* 14, 85. Scilicet ex illo Junonia permanet ira, Quo bos ex homine est, ex bove facta Dea. ℙ In genit. pro *illius* feminino reperitur etiam *illae. Lucr.* 4, 1076. rabies unde illae haec germina surgunt, *h. e.* rabiei illius. Alii aliter leg., [sed nihil mutandum; etenim in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 368, 9. Patronus emit sibi, et illae, et suis. *F.*] ℙ Item *illi* pro masculino *illius. Cato* ap. *Prisc.* 6, 694. Et quis illi modi esse vult? ℙ *Illi* pro *Illic* V. s. l.: s. item l. *illic, illunc, illaec.* ℙ [*Confunduntur *illo* et *ullo.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 617. *Illud* et *istuc. Id.* ad *Eund.* 8, 870. *Illas* et *alias. Burm.* et *Oudend.* ad *Suet. Galb.* 1. *Ille* et *alius.* V. *Spald.* ad *Quint.* 11, 3, 35.]

ILLĔCEBRAE et Inlecebrae, arum, f. plur. θέλγητρον, id, a quo ad aliquid faciendum illicimur, lenocinium, incitamentum, invitamentum: ab *illicio.* Sumitur fere in malam partem, raro in bonam. *Cic. Somn. Scip.* 7. Suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. *Id. fr.* ap. *August. contra Jul. Pelag.* 4, 14. Voluptates corporis vere et graviter a Platone dictae sunt illecebrae atque escae malorum. *Id. Cat.* 1, 6. Irretire aliquem corruptelarum illecebris. *Id. Fam.* 15, 16. Delinitus illecebris voluptatis. *Id. Sen.* 12. Stupra et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. *Id. Sext.* 66. Duci voluptatibus, et dedere se vitiorum illecebris, et lenociniis cupiditatum. *Hor. A. P.* 222. Incolumi gravitate, jocum tentavit, eo quod Illecebris erat, et grata novitate morandus Spectator. *Justin.* 2, 13. *extr.* Illecebras avium vocat cadavera in viis exposita. ℙ In sing. numero *Cic. Cat.* 2, 4. Quae tanta in ullo homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? *Id. Mil.* 16. Maxima est illecebra peccandi, impunitatis spes. *Id. Leg.* 1, 11. Voluptas est illecebra turpitudinis. *Liv.* 10, 4. et 2, 51. Pecus in conspectum praesidii Romani propulsum: ad quam illecebram cum commoveretur nemo, etc. *Pl. Men.* 2, 3, 4. Munditia illecebra animo est amantum. *Gell.* 10, 12. Fallax illecebra admirationum, qua pleraque capiuntur ingenia. *Id.* 12, 5. Delectatus illecebra quaestionis; et 18, 6. Ei libro titulus est ingentis cujusdam illecebrae ad legendum scriptus. ℙ Est etiam hoc nomine herba, Graece andrachne agria dicta, similis aizoo minori, pusillis foliis, in petris nascens, et usum habens in cibis. *Plin.* 25, 13, 103. et 26, 12, 79.

ILLĔCEBRO, as, a. 1. illecebris capio. *August. serm.* 113. de divers. Istam processit in lucem, quae oculos carnis illecebrat.

ILLĔCEBROSĔ, adv. cum illecebris. *Pl. Mil.* 3, 2, 36. Hui! illecebrose, *h. e.* festive, lepide. Sed locus est valde dubius. [*V. *Lindem.*, qui legit: Hui, illi crebro capite sistebant cadi; sententiam hanc esse putans: Hui, quam crebro accidisse credibile est, ut ibi cadi converterentur, et inanes fierent.] *Ammian.* 30, 5. Haec ita illecebrosius atque inhumanius agi, loquebatur rumor.

ILLĔCEBROSUS et Inlecebrosus, a, um, adj. θελκτήριος, illecebrae plenus. *Pl. Bacch.* 1, 1, 55. istoc illecebrosius Fieri nihil potest, nox, mulier, vinum homini adolescentulo. *Prud. contr. Symm.* 2, 144. Illecebrosus enim sapor est, et pestifer horum. *Ammian.* 30, 1. Illecebrosis regem insidiis ambiens.

ILLECTĀMENTUM, i, n. illecebra. *Appul. Apol.* Lenoniis patris illectamentis captus; et *ib.* Animus magicis illectamentis adornatus.

ILLECTĀTĬO, onis, f. illectamentum. *Gell.* 18, 2. Demulcentes animum jucundis sermonum illectationibus.

ILLECTO, as, a. 1. frequentativum ab *illicio. Tert.* seu *Cyprian. carm.* 2, 3. Promissum patribus, quos illectaverat ante.

ILLECTUS et Inlectus, a, um, part. ab *illicio;* δελεασθείς, invitatus, incitatus. *Sall. Jug.* 51. Illectus ad proditionem; et 102. Illectus praemio. *Tac. A.* 13, 37. Tunc primum illecti Insochi, gens ante alias socia Romanis. *Id. Hist.* 4, 56. *extr.* Vocula Gallorum fraude illectus. ℙ Est etiam non lectus, ab *in* privativa, et *lego, is. Ov. A. Am.* 1, 469. Si non accipiet scriptum, illectumque remittet; Lecturam spera. Est qui legit *intactus,* sed minus recte. *Appul. Flor. n.* 18. Nec libris illectus, improbatusve. ℙ Item non collectus. *Cajus Dig.* 50, 16, 30. Stipula illecta sunt spicae in messe dejectae, necdum lectae. V. STIPULA.

ILLECTUS, us, m. δέλεαρ, blanditiae, illectamentum. *Pl. Bacch.* 1, 1, 21. Magis illectum tuum, quam lectum metuo.

[ILLEGĪTĪMĒ, adv. non legitime. *Cajus Inst.* 1. (ed. *Goesch.*) §. 89. Si ancilla ex cive R. conceperit, deinde manumissa pepererit, qui nascitur, liberum nasci, naturali ratione fit: nam hi, qui illegitime concipiuntur, statum sumunt ex eo tempore, quo nascuntur.

ILLEGĪTĪMUS, a, um, adj. legi repugnans, nullum jus habens. Affertur exemplum ex *Val. Max.* 2, 1. *n.* 3. his verbis: Multorum matrimoniorum experientiam quasi illegitimae cujusdam intemperantiae signum esse credentes. Sed al. multo rectius leg. *legitimae.*

ILLENTESCO et Inlentesco, is, n. 3. idem quod lentesco. *Colum.* 2, 11. *f.* Paulum aqua maceratur, dum illentescat. Al. melius leg. *lentescat.*

ILLĔPĬDĔ et Inlepide, adv. ἀχαρίτως, sine lepore, infacete, invenuste. *Pl. Bacch.* 5, 2, 50. Qui istoc pacto tam lepidam illepide appelles. *Plin.* 8, 51, 77. Animam sui pro sale datam, non illepide existimatur. *Gell.* 18, 13. Non satis scite, ac paene etiam illepide exponuntur. *Hor. Ep.* 2, 1, 76. Poema crasse inlepideve compositum.

ILLĔPĬDUS et Inlepidus, a, um, adj. ἄχαρις, ἀναφρόδιτος, sine lepore, invenustus, inelegans, inconcinnus. *Catull.* 6, 1. Deliciae illepidae atque inelegantes; et 36, 16. Votum non illepidum, neque invenustum. *Gell.* 11, 7. Verba durae et illepidae novitatis. ℙ Transfertur ad mores ingratos, difficiles, tristes, inurbanos, agrestes. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Parentem habere avarum, illepidum, in liberos difficilem. *Pl. Bacch.* 4, 3, 3. Impos animi, inamabilis, illepidus vivo. *Gell.* 18, 3. *f.* Stolidos vocari non tam stultos et excordes, quam tetros, et molestos, et illepidos, quos Graeci μοχθηρούς, καὶ φορτικούς dicunt.

ILLEX et Inlex, illĕgis, omn. gen. ἄνομος, exlex, qui sine lege vivit, qui legi non paret: ab *in,* privativa, et *lex. Pl. Pers.* 3, 3, 4. Impure, inhoneste, injure, illex, labes populi. *Caec.* ap. *Non.* 1, 33. Quid narras, barbare, cum indomitis moribus illiterate? illex es.

ILLEX et Inlex, ĭcis, m. παλαίνεια, avis in aucupiis, quae ceteras illicit. Ea solet esse accipiter. *Pl. As.* 1, 3, 67. aedis nobis area est, auceps sum ego, Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves. *Non.* 5, 101. legit *illix*, ut distinguatur ab *illex*, quod a lege. V. ILLICIO. ℙ Praeterea, teste *Festo*, Inlices sunt canales, in quos aqua confluit in viis lapide stratis. V. ELICES. ℙ Translate accipitur pro illicio, incitamento, illecebra, ut Illex animi Venus, ap. *Appul. Apol.* Sic *Pl. Poen.* 3, 4, 35. ne nos leno noverit, Qui illi malae rei tantae fuimus illices, *h. e.* qui eum in fraudem malam illeximus. ℙ Interdum adjective sumitur, ut idem sit ac illiciendi vim habens, ut Oculi illices ap. *Appul. l. c.* Sic *Prud. in Symm.* 2, 6. Quo mage sancta ducum corda inlice flecteret arte. *Id. Psychom.* 328. Halitus illex.

ILLI, adv. ἐκεῖ, ibi, vel illic. Multa afferuntur exempla ex *Terentio*, plurima ex *Plauto*, unum etiam ex *Virgilio;* in quibus omnibus alii codices habent *illi*, alii *illic. Donatus* tamen in *Ter. Ad.* 1, 2, 36. et in *Virg. A.* 2, 548. *illi* defendit.

ILLĪBĀBĬLIS, e, adj. qui libari, seu minui non potest. *Lact.* 2, 7. Sapientia illibabilis est, tanquam lux et claritas solis.

ILLĪBĀTUS et Inlibatus, a, um, adj. ἄθικτος, ἄψαυστος, non libatus, non deminutus, intactus, integer. *Cic. Sext.* 43. Ut eorum veteres illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat. *Ulp. Dig.* 10, 2, 20. Ut quadrantem illibatum habeat. *Colum.* 12, 1. Villica debet esse integrae valetudinis: nam illibatum robur et vigiliis, et aliis sufficiet laboribus. *Id.* 3, 10. Stirpes ex proximo terrae integro atque illibato succo aluntur. *Liv.* 3, 61. Illibatum imperium. [*Id.* 42, 30. Illibatis viribus.] *Vell.* 2, 48. de Pompejo: Et quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos, *h. e.* gloriam, felicitatem, culmen honorum. [*Plin. Pan.* 25, 1. Quae quidem reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari, quam carptim breviterque perstringi.] ℙ *Illibati versus* ap. *Diomed.* 3, 497. sunt, qui non aucta, vel minuta, aut amputata syllaba, vel littera vitiantur, sed integra et plenissima dictione formantur, ut (*Virg. G.* 1, 45.) Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro. ℙ Est etiam inviolatus, incorruptus. *Lucan.* 2, 341. foedera prisci Illibata tori. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 4. Illibata virginitas. *Justin.* 28, 4. Illibata libertas. *Tac. A.* 2, 46. Illibatam gloriam servare.

ILLĪBĔRĀLIS et Inliberalis, e, adj. ἀνελεύθερος, ignobilis, sordidus, qui contra agit, ac liberum hominem decet, homine libero indignus. *Ter. Ad.* 3, 5, 3. Ex illa familia tam illiberale facinus esse ortum. *Cic. Off.* 1, 29. Duplex omnino est jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 1. Raphano vis mira laxandi ructum: ob id cibus illiberalis. *Ter. Ad.* 5, 5, 5. Servum haud illiberalem praebes te, [*i. e. Servum tali ingenio, quali non servi, sed ingenui et liberi homines esse solent.] *Cic. Off.* 1, 42. Illiberales ac sordidi quaestus mercenariorum. *Id. Or.* 1, 32. Res ad cognoscendum non illiberalis. *Id. Fin.* 1, 1. *extr.* Illiberalis labor. *Quint.* 1, 3. Si cui tam est mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas durabitur. ℙ *Illiberalem esse in aliquem* est durum esse, nec precibus flecti. *Cic. Fam.* 13, 1. *f.* Si audierit, me a te non impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit.

ILLĪBĔRĀLĬTAS, atis, f. ἀνελευθερία, vitium hominis illiberalis: et praesertim tenacitas nimiusque amor rei familiaris, qui libero homine est maxime indignus. *Cic. Off.* 2, 18. *f.* Habenda est ratio rei familiaris, sed ita ut illiberalitatis avaritiaeque absit suspicio. Adde *Att.* 8, 6. *extr.*

ILLĪBĔRĀLĬTER, adv. ἀνελευθέρως, minime liberaliter, aliter ac hominem liberum decet. *Ter. Ph.* 2, 3, 24. Vestram familiam is aspernatur nunc tam illiberaliter. *Id. Ad.* 4, 5, 29. Factum a vobis duriter, Immisericorditerque: atque etiam si est, pater, Dicendum magis aperte, illiberaliter, *h. e.* male, inhoneste, ut et *Donat.* exponit. ℙ Item sordide, tenaciter, parce. *Cic. Att.* 6, 3. Nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter: *scil.* factum esse: et *ib.* 4, 2. *med.* Superficiem aedium consules aestimaverunt HS vicies: cetera valde illiberaliter.

*ILLĪBĔRI vel Illiberis, is, oppidum Galliae Narbonensis, ad montes Pyrenaeos. *Liv.* 21, 24. ubi edd. *Gron.* et *Drak.* habent *Illiberi. Plin.* 3, 4. ubi *Illiberis* est. ℙ *Eliberi* appellatur a *Mela* 2, 5. *extr.* Hodie *Elne* vocatur. ℙ Item Hispaniae Baeticae oppidum, Ἰλλιβερὶς *Ptol. Plin.* 3, 1. *Iliberi* audit. *B. A.*

ILLĪBĔRIS et Inliberis, e, adj. ἄπαις, qui est sine liberis. *Tert. adv. Marc.* 4, 34. Si frater illiberis decesserit.

[ILLĪBĔRĪTĀNUS, a, um, adj. ad Illiberim pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, nunc *Granata. Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 428, 2. Ordo municipii Florentini Illiberitani. Adde aliam ap. *Grut.* 272, 7. *F.*]

ILLIC, ἐκεῖ, adv. status in loco, in illo loco. *Caes. B. C.* 3, 102. Cives R. qui illic negotiarentur. *Ter. Hec.* 2, 1, 20. Multo melius hic, quae fiunt, quam illic, ubi sum assidue, scio. ℙ [*Ponitur etiam cum appositione. Laudat *Cort.* ad *Lucan.* 4, 800. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 351. Illic sacerdos stat sacrato in limine.] ℙ Item in ea re. *Ter. Andr.* 4, 1, 13. hic, ubi opus est, Non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur. ℙ Item illo tempore, tunc. *Caes. B. G.* 5, 44. Illic vero occursat ocius gladio, cominusque rem gerit Varenus. [*Frustra hic locus allatus videtur; in opti-

mis enim editionibus vv. *illic vero* non leguntur.] ℙ *Illic* pro *ille* pluribus locis usurpant comici, *Ter. Andr.* 3, 5, 1. et 4, 4, 3. etc. et *Pl. Amph.* 1, 1, 107. 167. 171. *Asin.* 2, 2, 6. et alibi saepissime. Est autem dictum per apocopen pro *illicce*, quo veteres sunt usi, teste *Prisc.* 12, 498. Hinc *Ter. Heaut.* 4, 5, 3. Illanccine mulierem alere cum illa familia? et *Pl. Ps.* 4, 1, 54. Illiccine est? *Ps.* illic est. [*Contra disputat *Bentl.* ad *Ter. Andr.* 2, 6, 27. docens: nusquam *illic* accentum in fine, sed semper in priore syllaba habere; ideoque non ab *illicce* per syncop. venire. — Ceterum *illic*, sicut multae loci particulae, latius patente vocabulo pro magis definito posito, saepissime dicitur pro praepositione c. pronomine. *Lucan.* 5, 104. Haud illic tacito mala vota susurro Concipiunt, i. e. cum ap. Delphicum Apollinem preces fiunt. *Liv.* 2, 48. Respublica et milite illic (i. e. in bello contra Vejentes) et pecunia vacet. *Sall. Fragm. Hist.* 3, 22, 6. Concessere illic omnes, i. e. ad illos.]

*ILLICE, es, f. (*Mela* 2, 6.) vel Illici (*Plin*, 3, 3.), oppidum Hispaniae Tarraconensis maritimum, hodie *Elche*. *B. A.*

ILLICCĬNĔ. V. ILLIC

ILLĬCENTĬOSUS et Inlicentiosus, a, um, adj. illicitus. *Appul. Met.* 2. Per convivium illicentiosus cachinnus effunditur. Corruptus certe locus, in quo *Oudendorpius* legend. probat: Inter haec convivium totum in licentiosos cachinnos effunditur. Vox igitur *illicentiosus* nullius est in Latio auctoritatis.

ILLĬCET. V. ILICET.

ILLĬCĬBĬLIS et Inlicibilis, e, adj. qui illicit, illecebrosus. *Lact.* 7, 27. Omittendae sunt hujus praesentis vitae illicibiles voluptates, quae animas hominum perniciosissima suavitate deliniunt. [Alii melius leg. *illices*. *F.*]

ILLĬCĬO et Inlicio, is, illexi, ectum, a. 3. *θέλγω, δελεάζω, ἐπάγω*, attraho, invito, allicio, pellicio: ex *in* et *lacio*. *Cic. Amic.* 14. Nihil est quod ad se rem ullam tam illiciat, et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo. Al. leg. *alliciat*. [*Ita *Orell.*; et recte quidem! *Illicere* enim plerumque in malam partem dicitur: quod contra hujus loci sententiam est. *Allicere* usitatissimum in rebus honestis.] *Id. N. D.* 3, 27. Qui non sat habuit conjugem illexe in stuprum: syncope pro *illexisse*. *Pl.* quoque *Merc.* 1, 1, 53. Amorem multos illexe in dispendium. *Id. Aul.* 4, 10, 7. Deus mihi impulsor fuit: is me ad illam illexit. *Id. Truc.* 2, 2, 43. et *Mil.* 5, 4, 2. et *Ter. Andr.* 5, 4, 8. Illicere quempiam in malam fraudem. *Sall. Cat.* 59. Quos ad bellum spes rapinarum illexerat. *Plin.* 28, 8, 27. Vim, qua illiciat ad se homines mente alienatos. *Vell.* 2, 13. Inescandae, illiciendaeque multitudinis causa. *Varr. L. L.* 5, 9. *f.* Cum circum muros itur, ut populus illiciatur ad magistratus conspectum, *h. e.* vocetur, citetur. V. ILLICIUM. *Lucr.* 4, 1138. cavereque ne illiciaris; et 5, 170. illicere aliquem, ut cupiat, etc. ℙ Pro illaqueare, irretire. *Naev.* ap. *Non.* 4, 1, 18. Saltus illicere, *h. e.* laqueis instruere, unde aves capiantur. ℙ In *Not. Tir.* p. 149. *illixit* legitur pro *illexit*. V. ILLEX, icis.

[ILLĬCĬTĀNUS, a, um, adj. ad Illicim pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, nunc *Elche*. *Plin.* 3, 3, 4. Colonia immunis Illici, unde Illicitanus sinus. Nunc *Golfo di Alicante*. *F.*]

ILLĬCĬTĀTOR et Inlicitator, oris, m. emptor. *Festus*.

ILLĬCĬTĒ et Inlicite, adv. illiciendo, invitando, vocando: ab *illicio*. Ita intelligi debere videtur in illo *Varr. L. L.* 5, 9. *extr.* Illicite illexit. ℙ Item *ἀθεμίστως*, non licite, contra jus fasque. *Ulp. Dig.* 32, 1, 11. §. 14. Si quis illicite aedificasset, id est hoc, quod dirui constitutiones jubent. *Papin. ib.* 48, 5, 38. Illicite matrimonium contrahere. *Macer ib.* 49, 16, 9. Fisco vindicatur praedium illicite comparatum. Adde *Tertull. adv. Marc.* 4, 34.

*ILLĬCĬTO, adv. i. q. illicite. *Ammian.* 28. *B. A.*

ILLĬCĬTUS et Inlicitus, a, um, adj. *ἀθέμιστος*, qui per leges non licet, non permissus, vetitus *Cic. Cluent.* 47. Multitudinem illicitum est contra dicere. Al. aliter leg. [*Orell.* leg. nemini licitum est contra dicere. V.] *Tac. A.* 12, 5. Illicitus amor: [*cf. *Lucan.* 6, 454. Flammisque severi Illicitis arsere senes, i. e. amoribus etiam filiarum, neptium, puerorum et similes. Ita *Cort.* ad h. l. q. v.] et *ib.* 13, 51. Illicitae exactiones; et *ib.* 15, 37. Per licita atque illicita foedatus. *Val. Fl.* 1, 627. illicitas temerare rudentibus undas, *h. e.* per quas ire non licuit; et 197. Illicitas tentare vias. *Stat. Th.* 1, 223. Ire per illicitum pelago, germane, dedisti. *August. ep.* 202. *med.* Res illicitissima atque indignissima. ℙ *Lampas illicita coeli* ap. *Stat. Th.* 10, 470. est fulmen, quo tacta loca tangere non licet. Est enim bidental evitandum, ut ait *Pers.* 2, 27.

ILLĬCĬUM et Inlicium, ii, n. *θέλγητρον*, illecebra, invitamentum: ab *illicio*. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Si transiturae sunt apes, alvearia apiastro perfricanda, quod illicium hoc illis. *Id. ib. mox.* Ubi consederunt, adferunt alvum prope iisdem illiciis illitam intus. ℙ Praeterea *inlicium* dicitur, inquit *Festus*, cum populus ad concionem elicitur, idest vocatur. Hinc, eodem teste, *inlicium vocare* antiqui dicebant, ad concionem vocare. *Varr. L. L.* 5, 9. *f.* Cum hoc inlicium sit, cum circum muros itur, ut populus inliciatur ad magistratus conspectum. *Et paulo supra referens formulam censorum vocantium ad censuram.* Omnes Quirites, pecites, armatos, privatosque voca inlicium huc ad me. Et *mox.* Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices.

ILLĬCO, adv. *αὐτόθι*, in eo loco: ab *in* et *locus*. *Cass. Hemina* ap. *Non.* 4, 242. His persuadent, ut illico manerent: pars illico manent. *Accius ib.* Illico habitatu. *Naev. ib.* Septimumdecimum annum illico sedent. Adde *Caecil. ib.* Huc pertinet et illud *Ter. Ad.* 2, 1, 2. Otiose nunc jam illico hic consiste. Ubi *Donatus:* modo locum, non tempus significat. Et *Phorm.* 1, 4, 18. Sta illico. ℙ Item in illum locum, illuc. *Turpil.* ap. *Non. l. c.* Sed quam longe est, cum isti illico? ℙ Saepius adhibetur pro statim, mox, *αὐτίκα*; quasi in eo loco, ubi res agitata est, statim fiat. *Cic. Mur.* 10. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. *Id. Fat.* 12. Nec, si omne enunciatum aut verum, aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles. *Id. Quint.* 15. Ad vadimonium non venerat, etc. illicone ad praetorem ire convenit? continuone verum fuit postulare, ut etc.? ℙ Sequente *ubi*. *Pl. Stich.* 4, 1, 51. qui illico, Ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici. *Id. Cas.* 4, 4, 6. Malo maximo suo hercle illico, ubi tantulum peccassit.

ILLĬDO et Inlido, is, isi, isum, a. 3. *προσβάλλω, ἐναράσσω*, in aliquid impello, impingo, injicio, frangendi causa: ab *in* et *laedo*. *Virg. A.* 1, 115. naves in brevia et Syrtes urget, illiditque vadis; et *ib.* 5, 480. caestus effracto illisit in ossa cerebro. *Suet. Aug.* 23. Illidere caput foribus. [*Comparat h. l. cum *Quint. Inst.* 6, 3, 67. Refert Cicero de homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabium offendisse *Doederl.* 3, 140. ubi discrimen inter *illidere* et *offendere* ita constituit, ut hoc *fortuiti*, illud *consilii* notionem contineat. Adde *Plin. Pan.* 52, 4. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, etc.] *Cic. vertens carmen Aeschyli Tusc.* 3, 31. *extr.* Non ad gravescens vulnus illidat manus. *Quint.* 10, 3. *f.* In litus se maximo cum sono fluctus illidit. *Phaedr.* 2, 6. scopulum super Altis ab astris duram illidit corticem. *Hor. Sat.* 2, 1, 77. fragili quaerens illidere dentem, Offendet solido. *Lucr.* 4, 1073. dentes illidunt saepe labellis. *Val. Fl.* 7, 52. et quos Rex suus illisit pelago, vetuitque reverti: coegit navigare. *Stat. Th.* 11, 517. avidos illidit in aegrum Cornipedem cursus: dirigit cursum in equum urgendi et prosternendi causa. ℙ Passive est frangi, contundi, disjici. *Val. Fl.* 7, 585. clypeoque illiditur ignis. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 255. credas illidi cautibus algam. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. *extr.* Vi tempestatis tota cum classe vicinis litoribus illisus est.

[ILLĬGĀMENTUM, i, n. idem ac ligamentum. *Salvian. Gubern. D.* 7. *med.* Femineis tegminum illigamentis capita velarent (*viri*). *F.*]

ILLĬGĀTĬO, onis, f. *ἔνδεσμος*, actus illigandi. *Arnob.* 5, 156. Manus, quae contingi laqueis, et nodorum possent illigationibus coerceri. *Capell.* 2, 45. Videret circulorum alterna illigatione texturas.

ILLĬGĀTUS et Inligatus, a, um, part. ab *illigo: ἀνδετος*, vinctus, colligatus. *Caes. B. G.* 5, 44. Litterae in jaculo illigatae. *Liv.* 5, 27. Manibus post tergum illigatis. *Hor. Epod.* 1, 25. Non ut juvencis illigata pluribus Aratra nitantur mea. *Paul. Dig.* 34, 2, 33. Cymbia argentea crustis aureis illigata. *Jabolen.* 33, 7, 27. Dolia ita illigata aedibus, ut ibi perpetuo posita sint. ℙ Item implicatus, impeditus, irretitus. *Virg. A.* 10, 794. Ille pedem referens et inutilis, inque ligatus Cedebat, clypeoque inimicum hastile gerebat. *Petr. Sat.* 109. Volucres viscatis illigatae viminibus deferebantur ad manus. *Tac. A.* 3, 21. Illigatus praeda. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 14. *f.* Angustis et concisis disputationibus illigati, *h. e.* involuti, obscurique. *Hor. Od.* 1, 27, 23. Vix illigatum te triformi Pegasus expediet Chimaera, *h. e.* irretitum. *Liv.* 32, 22. *f.* Familiari amicitia illigati Philippo erant, *h. e.* juncti. [*Cic. *Phil.* 13, 4. Multis pignoribus M. Lepidum Resp. illigatum tenet.]

ILLĪGO et Inligo, as, avi, atum, a. 1. *ἐνδέω*, vincio, ligo. *Liv.* 1, 28. *f.* In currus distentum illigat Metium. *Plin.* 33, 7, 40. Faciem laxis vesicis illigant. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *f.* Emblemata ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres. [*Sic de gemmis Graeci: *λίθοι ἐνδεδεμένοι χρυσῷ*. *Ernest.* in *cl.* s. h. v. — Porro laudat *Tusc.* 1, 23. (de sphaera coelesti artificiosa) motus stellarum in sphaeram illigavit. Addit *Schütz.* in *Cl. Cic. Univ.* 13. ubi *ambitus illigare* pro *vinculis copulare*.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 44. Illigare sententiam verbis. *Liv.* 33, 12. *f.* Non iis conditionibus illigabitur pax, ut movere bellum possit. [*Pro *pax* leg. *rex*. V. *Adnotatt. Kreyss.*] *Cic. Or.* 64. Paeon quam commodissime putatur in solutam orationem illigari, *h. e.* innecti, includi; et 27. *f.* Orationis genus in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. [*Adde *Acad. pr.* 2, 2. Restat, ut iis respondeam, qui sermonibus ejusmodi nolint personas tam graves illigari. Huc pertinent etiam ista. *Liv.* 41, 24. Quo (foedere) nos temere illigemus. *Id.* 45, 25. Ut sociali foedere se cum Romanis non illigarent.] ℙ Pro involvere, implicare, irretire. *Liv.* 32, 21. Neque velle illigari Romano bello. *Tac. A.* 13, 40. Metu, ne impeditis locis seque et equestres copias illigaret; et *ib.* 6, 32. Ut specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno illigaret; (ea ratione, qua dicimus *implicare morbo*) et *ib.* 15, 51. Primores classiariorum labefacere, et conscientia illigare connixa est, *h. e.* obligare ad conjurationem ineundam, cum rei gnaros consciosque fecisset. ℙ [Part. *Illigans* ap. *Liv.* 36, 11. Invitus se gravioris fortunae conditioni illigans. *Illigaturus* ap. *Hor. Epod.* 3, 11. Ignota tauris illigaturus juga. *F.*]

ILLĬM, pro illic, aut illinc habent *Lucr.* 5, 573. et *Pomp.* ap. *Non.* 1, 66. Tribuitur etiam *Pl. Poen.* 5, 2, 27. *Mil.* 4, 6, 64. et *Merc.* 3, 1, 13., item *Cic. Att.* 9, 14. Ubique tamen dubia est lectio: quae quamvis certa esset, non tamen inde fieret, non obsoletam hanc vocem esse. ℙ Idem esto judicium de *illim* pro *illinc*, quod *Ciceroni* multis in locis tribuunt *Pareus* in *Lex. Crit.* et alii.

[ILLĪMĀTUS, a, um, part. ab inusit. *illimo*, limo inductus. *Colum.* 9, 7. Convenit, alvearia luto Punico frondibus illimatis adumbrare. Ita edidit, et legendum ex *Codd.* probavit *Schneiderus* pro *illinitis*, quod participium adhuc caret idonea Latini scriptoris auctoritate. *F.*]

ILLĪMĬNĀTUS, a, um, adj. quasi in ipso limine positus, insitus, innatus. *Cic. Brut.* 58. *extr.* O generosam stirpem, et tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam, atque illiminatam sapientiam! Alii leg. *illuminatam*, [alii melius *illigatam:* translatione scil. sumpta ab insitione, in qua post germen insitum surculi illigari solent, ut docet *Colum. R. R.* 5, 11. *med. F.* *V. *Ellendt.*, qui ita legendum conj.: O generosam stirpem, et tanquam in unam arborem plura genera, sic istam domum multorum insita illuminatam sapientia.]

ILLĪMIS, et Inlimis, e, adj. *ἄθολος*, sine limo. *Ov. Met.* 3, 407. Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

[ILLĪMĪTĀTUS, a, um, adj. qui sine limite est. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 50. Itinere incerto, et illimitatis locis. *F.*]

ILLĪNC, adv. *ἐκεῖθεν*, ex eo loco. *Cic. Har. resp.* 20. Post, exercitu sollicitato, fugit illinc. *Ter. Eun.* 4, 1, 14. Ubi primum poterit, se illinc subducet. *Id. Ad.* 4, 7, 13. Illinc huc transfertur virgo. ℙ Item ab ea parte, re, vel persona. *Cic. Att.* 9, 7. *med.* Cum eadem metuam ab hac parte, si illinc beneficium non sit. *Id. Phil.* 2, 31. Omnem se amorem abjecisse illinc, atque in hanc transfudisse. *Ter. Ad.* 4, 5, 38. an sedere oportuit Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc Illinc veniret? Ubi *Donatus:* hinc illinc, proverbialiter. Al. leg. *huc illinc*.

ILLĪNĪMENTUM, i, n. idem ac illitus, us. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *med.* Illinimenta medicamentorum.

ILLĪNĬO et Inlinio, is, ivi, a. 4. idem quod illino, *ἐπιχρίω*. *Colum.* 12, 44. *med.* Creta figulari recentia mala crasse illinire. *Plin.* 30, 8, 21. Murino fimo contra calculos illinire ventrem prodest. *Id.* 20, 17, 73. Phreneticis illinivit anisum recens. *Id.* 32, 10, 51. Donec illiniri possit.

ILLĪNĪTUS, a, um, part. ab *illinio*, inunctus, alicui rei inductus. *Cels.* 5, 26. *n.* 33. Solani folia illinita linteolo superinjicienda. Ita *Lindenius*, at *Targa*, aliique *illita* leg. *Plin.* 25, 12, 91. Psyllion illinitum fronti. *Hard.* leg. *illitum*.

ILLĪNO et Inlino, is, lēvi, lĭtum, a. 3. *ἐπιχρίω*, inungo, liquidi quippiam alicui rei induco. *Hor. Sat.* 1, 5, 30. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illinere. *Curt.* 8, 9. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. *Ov. Med. fac.* 100. Contereret, teneris illineretque genis. *Just.* 36, 3. Mare mortuum materiam nullam sustinet, nisi quae alumine illinatur. *Plin.* 28, 14, 58. Ventrem illinere sanguine. *Prud. Hamart.* 808. laqueos ubi callidus auceps Praetendit, lentoque inlevit vimina visco. *Cels.* 5, 22. *n.* 1. Cum aliquo liquido mixta illinamus. ℙ Et universim, inducere. *Sen. ep.* 119. *f.* Si multum auri tecto quoque ejus illinitur. *Plin.* 33, 3, 20. Aurum marmori ovi candido illinere. *Id.* 18, 30, 73. Illinere aliquid gypso. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 7, 10. Quod si bruma nives Albanis illinet agris. *Id. Sat.* 1, 4, 36. quodcumque semel chartis illeverit, *h. e.* atramento induxerit, conscripserit. ℙ Item intexere. V. ILLITUS. ℙ [Part. *Illinendus* ap. *Cels.* 7, 12. *n.* 1. *in.* Adustae gingivae melle illinendae, et mulso eluendae sunt. *F.*]

ILLĬQUĔFACTUS, a, um, adj. idem quod liquefactus. *Cic. Tusc.* 4, 9. Quae sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tanquam illiquefactae voluptates. Non desunt tamen qui *liquefactae* legunt.

ILLĬQUOR et Inliquor, eris, dep. 3. idem quod liquor, liquefio, dissolvor. *Symm. ep.* 1, 27. (al. 33.) Ajunt, cochleas, cum illis de coelo nihil illiquitur, succo proprio victitare. Al. leg. *liquitur.*

ILLĬSĬO, et Inlisio, onis, f. actus illidendi. *Hier. ep.* 43. *n.* 3. Navis nostra nunc procellarum concussa turbine, nunc scopulorum illisionibus perforata est. Alii leg. *perturbata.*

ILLĬSUS et Inlisus, a, um, part. ab *illido.* προσβληθείς, allisus, in aliquid impactus frangendi causa. *Virg. G.* 3, 261. scopulis illisa reclamant Aequora. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 24. Et illisum scopulis revomentibus aequor.] *Stat. Th.* 5, 592. mulier terra illisa nocenti. *Virg. A.* 5, 205. acuto in murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pependit; et *ib.* 9, 713. Saxea pila penitus vadis illisa recumbit. *Tac. H.* 3, 23. Tela arbustis, sine hostium noxa, illisa. *Sen. Thyest.* 1045. pectora illiso sonent Contusa planctu. *Plin.* 19, 1, 3. Linum in filo politur, illisum crebro in silice ex aqua; et 37, 10, 56. Chalcophonos *(gemma)* illisa aeris tinnitum reddit. ℙ Item elisus. *Cic. Har. resp.* 25. *extr.* Ita serpens compressa atque illisa morietur. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Qui solent saginare pullos columbinos, relinquunt in nido illisis cruribus, et matribus, uberius ut cibo uti possint, objiciunt.

ILLĬSUS et Inlisus, us, m. illisio. In sexto casu sing. *Sil.* 17, 246. illisu scopulus tremit omnis aquarum. *Plin.* 2, 48, 49. Illisu repercussus ventus.

ILLĪTTĔRĀTUS et Inlitteratus, a, um, adj. ἀγράμματος, ἀμουσος, sine litteris, indoctus. *Sen. Ben.* 5, 13. Illitteratum *(aliquando)* dicimus, non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum. *Cic. Or.* 2, 6. *f.* Quem cognovimus virum bonum, et non illitteratum. *Id. Fam.* 9, 16. *med.* Incidunt in sermone vario multa, quae fortasse illis cum dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. *Plin. ep* 1, 10. *med.* Scribo plurimas, sed illitteratissimas litteras. *Id. ep.* 2, 3. Ἀριλόκαλον, illitteratum, iners, ac paene etiam turpe est, non putare tanti cognitionem, qua nulla est jucundior. ℙ Inlitterata pars est, quae litteris comprehensa non est. *Festus.* Al. melius leg. *Inlitterata pax.* Huc pertinet illud *Gell.* 11, 18. Ejus leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto jussoque, sed tacito illitteratoque Atheniensium consensu oblitteratae sunt. ℙ *Illitteratus* est etiam, qui litteras nescit. *Colum.* 1, 8. Potest etiam illitteratus, dummodo tenacissimae sit memoriae, rem satis commode administrare.

ILLĪTURGENSIS et ILLĪTURGITANUS. V. ILITURGENSES et ILITURGITANI.

ILLĪTUS et Inlitus, a, um, part. ab *illino:* ἐπιχριωθείς, inunctus. *Cic. Or.* 3, 52. Color quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus. *Ov. Met.* 8, 670. pocula illita ceris. *Id. A. Am.* 3, 314. Cera illita sociis Ulyssis. *Id. Her.* 9, 163. Illita Nesseo misi tibi texta veneno. *Curt.* 4, 3. Navis bitumine ac sulphure illita. [**Liv.* 42, 64. Faces taedamque et malleolos stuppae illitos pice parari jubet. *Suet. Galb.* 3. Galbano illitis facibus.] *Sen. Herc. Fur.* 1029. Stipes caede monstrorum illitus. *Lucan.* 8, 382. Illita tela dolis. *Pers.* 3, 53. bracatis illita Medis Porticus, *h. e.* illitis coloribus depicta. ℙ Item intextus. *Hor. Od.* 4, 9, 14. Aurum vestibus illitum. *Sen. Hipp.* 783. Purpura atque auro illitae vestes. ℙ Translate. *Liv.* 5, 2. Id donum inimicorum veneno illitum fore. *Sen. Med.* 576. Dona diris illita ac tincta artibus, *h. e.* veneficiis imbuta. *Sil.* 11, 43. Vita illita macula.

ILLĪTUS et Inlitus, us, m. actus illinendi. In sexto casu sing. *Plin.* 26, 15, 90. Nec potu tantum, sed et illitu, et suffitu valet. *Id.* 28, 15, 61. Ut possint esse illitu faciles.

ILLIUSMODI, talis: duo genitivi conjuncti per modum adverbii. *Cic. Div. Verr.* 21. Non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores.

ILLIX. V. ILLEX, icis.

ILLO, ἐκεῖ, ἐνθα, adv. motus ad locum, idem ac illuc. *Ter. Andr.* 2, 2, 25. Cum illo advenio, solitudo ante ostium. *Pl. Pers.* 4, 4, 26. Ego illo accessero. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Nam illo non saxum, non materies advecta est. *Caes. B. G.* 4, 20. Neque temere praeter mercatores, illo adit quisquam. *Plin.* 6, 23, 26. Achaemenidas usque illo tenuisse. [*Plura laudat *Cort.* ad *Lucan.* 3, 350.] ℙ Item ad eam rem. *Caes. l. c.* 11. Haec omnia Caesar eodem illo pertinere arbitrabatur, ut, etc. ℙ In allato *Terentii* loco al. leg. *illoc* eodem sensu: quod habetur etiam in *frugm. or. Claudii Imp.* ap. *Grut.* 502. *col.* 1. *lin. ult.* ℙ [*Confunduntur in cdd. *illo* et *illuc.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 550.]

ILLOC, pro *illo*, et *illuc* adv. V. v. praec. ℙ Pro illo ablativo. *Pl. Bacch.* 2, 3, 77. Si me illoc auro tanto circumduxerit. *Id. Men.* 2, 1, 26. Illoc verbo esse me servum scio; et 4, 1, 10. Quid nunc cum illoc agam? *Ter. Eun.* 5, 8, 53. Illoc homine opus est. ℙ Et pro *illud. Pl. Bacch.* 4, 8, 29. Hem illoc, paciscere, si potes.

ILLŌCĀBĬLIS et Inlocabilis, e, adj. δυσοίκητος, qui locari non potest, ut Virgo illocabilis, quae ob deformitatem aut inopiam virum invenire non potest. *Pl. Aul.* 2, 2, 14. ap. *Varr. L. L.* 4, 2. Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem: Neque eam queo locare cuiquam: ἄνυμφον, ἀμνήστευτον.

*ILLORSUM, adv. versus illum locum. *Cato* ap. *Festum* in *Aliorsum. Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 13. Eundem advehi illorsum jubet. *B. A.*

ILLŌTUS et Inlotus, a, um, adj. ἄνιπτος, non lotus, immundus, sordidus. *Pl. Poen.* 1, 2, 103. Ut tu quidem hujus oculos illotis manibus tractes ac teras? *Plin.* 23, 2, 31. Faex vini illota miscetur medicamentis. *Id.* 30, 6, 16. Illotae cochleae. *Hor. Sat.* 2, 8, 52. illotos echinos. Al. leg. *illutos*, vel *inlutos*, quod idem est: [*Male. Illud recte *Heindf.* interpr.: *nicht vom Salze gereinigt.*] et *ib.* 4, 84. Illota toralia. Al. hic quoque leg. *illuta.* [*Etiam h. l. *Heindf. illota*, i. e. sordibus obsita, recte retinuit. Licet enim *illutus*, sicut *pollutus*, illuvie horridum significet, ita tamen utrumque vocabulum differt, ut *illotus* a non lavando, *illutus* a conspurcando notionem traxerit. V. *Döderl.* 2, 46.] *Cato R. R.* 147. Vinaceos illutos et faecem relinquito. V. ILLAUTUS. ℙ *Illotis pedibus*, aut *manibus* aliquid facere dicitur is, qui imparatus, temere imperiteque quippiam aggreditur: tractum, ut videtur, a sacris, ubi omnia pura mundaque esse convenit. *Gell.* 1, 9. Nunc isti, qui repente pedibus illotis ad philosophos devertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino ἀθεώρητοι, sed, etc. *Macr. Sat.* 1. *ult. med.* Nec his Virgilii verbis copia rerum dissonat, quam plerique omnes litteratores pedibus illotis praetereunt, tanquam nihil ultra verborum explanationem liceat nosse grammatico. *Cajus Dig.* 1, 2, 1. Si in foro causas dicentibus nefas videtur esse, nulla praefatione facta, judici rem exponere, quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omissis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare? ℙ Translate *illotus sermo*, ap. *Auct. decl. in Sall. in.* est spurcus, obscenus; et *illotus versus* ap. *Rutil. Itin.* 1, 422., ut quidem legi volunt *Graev.* et *Heins.* est rudis, incomptus, [sed ibi pro *Illoto* legend. *Illo te. F.*]

ILLUBRĬCANS, antis, adj. lubrice movens. *Appul. Met.* 2. Simul membra sua leniter illubricans.

ILLUC, adv. ἐκεῖ, illo, in illum locum. *Nep. Eum.* 9. Adversarios illuc suas contraxisse copias. *Pl. Merc.* 3, 4, 64. Cum illuc, quo ire paritas, veneris. *Ter. Andr.* 1, 1, 54. Filium perduxere illuc meum. *Sall. Jug.* 64. Huc et illuc, quasi vitabundi, agitare. *Cic. Or.* 1, 40. *f.* Huc atque illuc intuens. *Ter. Andr.* 1, 5, 31. In dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur. ℙ Item ad eam rem. *Nep. Ages.* 4. Sed illuc redeamus. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Pl. Men.* 4, 2, 53. Credit jam tibi de istis: illuc redi. *Hor. Sat.* 1, 2, 23. quo res haec pertinet? illuc: Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. ℙ [*Item in eum. *Tac. A.* 1, 3. Illuc cuncta vergere. *H.* 2, 24. Ne omne belli decus illuc concederet; 3, 38. Versas illuc omnium mentes.] ℙ Apud comicos saepe legitur pro *illud. Ter. Eun.* 4, 7, 12. Illuc est sapere! *Pl. Aul.* 3, 5, 11. In maximam illuc populi partem est optimum. *Id. Asin.* 2, 1, 17. Sed quid illuc, quod exanimatus currit huc Leonida? *Id. Mil.* 3, 1, 65. Illuc aetatis qui sit, non invenies alterum.

ILLŪCĔO et Inluceo, es, uxi, n. 2. ἐπιλάμπω, lucidus sum, in aliqua re luceo. *Pl. Capt.* 3, 4, 65. Atra pix agitet te apud carnificem, atque tuo capiti illuceat. *Cic. N. D.* 2, 38. Cum tertio die sol illuxisset. *Id. Tusc.* 1, 47. Quibus Apollo se id daturum ostendit post ejus diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. *Caes. B. C.* 1, 23. et *Liv.* 2, 65. Ubi illuxit, Romanus productus in aciem. *Suet. Caes.* 81. Ea nocte, cui illuxit dies caedis, ipse sibi visus est, etc. ℙ Active cum accusativo, vi insitae praeposit. est illustrare: pro lucere in aliquem. *Pl. Bacch.* 2, 3, 21. Vulcanus, Sol, Luna, Dies, Dei quatuor, Scelestiorem nullum hominem illuxere alterum. V. v. sq. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 2. Eaque in maximis ingeniis maxime illucere. Al. leg. *elucere.* [*Ita *Orell.* nulla scripturae varietate, notata.] *Id. Agr.* 1, 8. Cum populo R. vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit. *Vell.* 1, 5. Clarissimum Homeri illuxit ingenium. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 5, 71, 10. Apud quem si illuxerit, non universa pretia in patrimonium tuum processisse, etc., *h. e.* si apparuerit, probatum fuerit.

ILLŪCESCO, is, n. 3. illucere incipio. *Cic. Mil.* 26. Illucescet aliquando ille dies, cum tu, etc. ℙ Active cum accusativo est illuminare. *Pl. Amph.* 1, 3, 48. Nunc te, nox, mitto, ut cedas diei, Ut mortales illuciscas luce clara et candida: *(illuciscas* antiquo scribendi more) Nisi velis intelligere, *ut luciscas in mortales.* Al. etiam leg. *mortalibus.* [*Hanc vocem restituendam censet, *Salm.* ad *Jul. Capit. Max.* et *Balb.* 2. ubi vulgo legitur *allexerit.*]

*ILLŪCĬDUS et Inlucidus, a, um, adj. non lucidus, obscurus. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 120. Exin revertens praerupta per loca coelo inlucido, *ut* juxtim se viantes vix mutuo noscerentur, etc. V. ILLUTIBILIS. *B. A.*

ILLUCTANS, antis, adj. in aliqua re luctans. *Stat. Th.* 4, 790. Et teneris meditans verba illuctantia labris, *h. e.* quae infantis in ore veluti luctantur, aegreque exprimuntur.

ILLŪCUBRĀTUS et Inlucubratus, a, um, adj. non lucubratus. *Sulpic. Sever. ep. ad Bassul.* 3. Scripta negligenter emissa, inlucubrata, atque impolita.

[ILLŪCŬLASCO et Inluculasco, is, n. 3. diluculum fit. *Front. ad Anton. Imp.* 1. (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Lucebat in pueritia tua virtus insita, lucebat etiam magis in adolescentia: sed ita, ut cum serenus dies inluculascit lumine incohato. Nunc jam virtus integra orbe splendido exorta est, et radiis disseminata est. *F.*]

ILLŪDĬA et Inludia, orum, n. plur. visa, quibus alicui per somnium illuditur. *Tert. Resurr. carn.* 16. Praesumens, nihil aliud se, quam illudia animarum somniaturum, urgentium, et inquietantium, etc.

ILLŪDĬO et Inludio, as, n. 1. idem quod illudo, in aliqua re ludo: quemadmodum *Pl. alludio* pro *alludo* dixit. *Gell.* 1, 7. Ne ut in Plauti comoedia moechus (sic enim mendae suae illudiabant) ita in Ciceronis oratione soloecismus esset manifestarius. Al. leg. *illudebant.*

ILLŪDO et Inludo, is, usi, usum, a. 3. ἐμπαίζω, in aliqua re ludo. *Hor. Sat.* 1, 4, 138. ubi quid datur otI, Illudo chartis, [*i. e. ludibundus chartis illino]: et *ib.* 2, 8, 62. Heu, Fortuna, ut semper gaudes illudere rebus Humanis! *Cic. Or.* 3, 43. In Albutium illudens Lucilius, ne a me quidem abstinuit. ℙ Est etiam accedendo recedendoque veluti ludere de rebus inanimis, quod saepius explicatur per verbum alludere. V. ALLUDO. *Tibull.* 3, 4, 35. Ima videbatur talis illudere palla. ℙ Item in aliquid ludo, deludo, irrideo, ludificor, ludibrio habeo. *Cic. Fam.* 7, 22. Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram, etc. *Id. Rosc. Am.* 19. Alicujus miseri fortunis, et virorum talium dignitati illudere. *Id. Dom.* 39. Illudere auctoritati summorum virorum. *Id. Or.* 1, 19. Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut, etc.; et *ib.* 2, 58. *f.* Miseros illudi nolunt, nisi se forte jactant. *Ter. Ph.* 5, 7, 22. Satis superbe illuditis me. *Tac. A.* 14, 52. Illudere voces Neronis, quoties caneret. *Virg. A.* 9, 634. verbis virtutem illude superbis. *Ov. Met.* 9, 66. illudens nostras Tirynthius artes. *Nep. A.* 10. Sic conservatis suis rebus Poenus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. *Ter. Andr.* 4, 4, 18. adeon' videmur vobis esse idonei, In quibus sic illudatis? *Id. Eun.* 5, 4, 19. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris. ℙ Aliquando est quasi ludendo perdere. *Id. Andr.* 5, 1, 3. Dum studeo obsequi tibi, paene illusi vitam filiae. *Tac. H.* 2, 94. *extr.* Tanquam in summa abundantia pecuniae illudere. *Virg. G.* 2, 374. Silvestres uri assidue, capreaeque sequaces Vitibus illudunt, *h. e.* insiliunt, praeroduntque, et corrumpunt; et *ib.* 1, 181. Tum variae illudunt pestes. ℙ Item vim turpem inferre, crudeliter, vel obscene tractare, polluere, violare. *Tac. A.* 1, 71. Venia data cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus illusisse dicebatur; et *ib.* 13, 17. Tradunt, illusum isse pueritiae Britannici Neronem. *Id. ib.* 15, 72. C. Caesar etiam matri ejus illusit. *Suet. Tib.* 45. Illudere illustrium feminarum capitibus. V. INSULTO. [*Cf. *Drak.* ad *Sil.* 8, 473.] ℙ *Illudere auro vestes* idem est ac pingere acu. V. *Avieni l. c.* in ILLUSUS.

*ILLUMINABĬLIS, e, adj. *Claud. Mamert. de stat. anim.* 2, 2. *B. A.*

ILLŪMĬNĀTĒ, adv. λαμπρῶς, splendide, et quasi lumine adhibito. *Cic. Or.* 3, 14. Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus, et verbis dicunt.

ILLŪMĬNĀTĬO et Inluminatio, onis, f. ἔλλαμψις, actus illuminandi. *Macr. Sat.* 1, 18. Orpheus φάνητα dixit solem a lumine atque illuminatione. *Tert. adv. Herm.* 15. Mala necessaria fuisse ad illuminationem bonorum.

ILLŪMĬNĀTOR et Inluminator, oris, m. λαμπρύνων, qui illuminat. *Tert. adv. Marc.* 4, 17. *extr.* Illuminator religionis Christus. *Lact.* 6, 18. Illuminator noster Deus.

ILLŪMĬNĀTUS et Inluminatus, a, um, part. ab *illumino:* λαμπρός, lumine perfusus. *Cic. N. D.* 2, 46. Luna illuminata a sole. ℙ Translate est ornatus. *Auct. ad Her.* 4, 47. Corona aurea fulgentibus gemmis illuminata. *Lampr. Commod.* 17. Capillus semper fucatus, et auri ramentis illumri-

natus. *Cic. Brut.* 58. *extr.* Illuminata sapientia. [*De h. l. v. in ILLIGATUS.]

ILLŪMĬNO et Inlumino, as, avi, atum, a. 1. καταλάμπω, lumine perfundo, lucidum reddo, illustro. [**Illuminare* et *Illustrare*, ita differunt, ut illud, luminibus aliquid ornare, hoc uno, quasi luminis splendore perfundere, in luce ponere significet. V. *Doed.* 2, 86.] *Plin.* 2, 73, 75. Solstitii die medio nullam umbram jaci, puteumque ejus experimenti gratia factum, totum illuminari. *Colum.* 8, 3. Tabulata gallinarum parvis fenestellis illuminantur. *Stat. Th.* 12, 275. ruptoque vias illuminat igni. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 54. *extr.* Orationem sententiis verborumque conformationibus illuminare. [**ib.* 43. Quod maxime tamquam *stellis* quibusdam notat et illuminat orationem.] *Id. Or.* 25. Concinnitas, quae verborum collocationem illuminat his luminibus, quae Graeci σχήματα appellant. *Vell.* 2, 18. Horum fidem Mitylenaeorum perfidia illuminavit; et 35. Ille dies virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, altissime illuminavit; et 66. Cicero hoc rerum naturae corpus eloquentia illuminavit. [*Adde *eund.* 1, 18, 3. Nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. *Poeta Vetus Anthol. Lat.* T. II. p. 149. Agori superbo qui creatus germine, Patriam, Senatum, conjugemque illuminas.] *Plin.* 9, 36, 60. Purpura omnem vestem illuminat. ℙ Partic. *Illuminans* ap. *Tert. Apol.* 4. Nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, etc. *Illuminaturus* ap. *eund. Poenit.* 2. Quam gratiam universo orbi illuminaturus esset. ℙ [*Permutantur *Illuminare* et *luminare*. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 35, 1.]

ILLŪMĬNUS et Inluminus, a, um, adj. qui est sine lumine. *Appul. Met.* 6. *in.* Et illuminarum Proserpinae nuptiarum demeacula; et *ib.* 3. Servato noctis illumino tempore. Al. melius leg. *illunae.*

ILLUNC, pro *illum*, sequente vocali, saepe usurpatur a *Plauto*, ut *Curc.* 4, 4. *extr.*, *Mil.* 4, 9, 2., *Pers.* 4, 9, 1. et *Rud.* 4, 4, 140. etc., et sequente consonante, *Poen.* 5, 3, 2.

ILLŪNIS et Inlunis, e, et Illunus, a, um, adj. ἀσέληνος, sine luna, lunae splendore carens. *Plin. ep.* 6, 20. *med.* Nox non quasi illunis, aut nubila, sed qualis in locis clausis, lumine exstincto. *Sil.* 15, 619. Illunem nacti per rura tacentia noctem. *Appul. Met.* 9. Tenebris illunae caliginis impeditus.

ILLŬO et Inluo, is, a. 3. εἰςκλύζω, συγκλύζω, influendo alluo. *Plin.* 3, 5, 10. Mare Hispanum nuncupatur, quatenus Hispanias illuit. *Ulp. Dig.* 10, 2, 16. Id, quod amnis fundo, post litem contestatam, illuit, *h. e.* fluendo intulit. Ita *Torrent.* Alii *alluit.*

ILLŪRĬCUS. V. ILLYRICUS.

ILLŪRII. V. ILLYRIUS.

ILLŪSĬO, onis, f. actus illudendi. A *Cic. Or.* 3, 53. enumeratur inter figuras sententiarum: quam quidem *Quint.* 8, 6. *med.* ironiam esse docet: intellige eam, quae cum irrisione conjuncta est. Nam quae sine risu est, de ea *Cic.* eodem loco paulo post verba facit, *dissimulationem* appellans. Porro *illusionem* ait *a praeceptis Caesaris non abhorrere:* Caesar autem *Or.* 2, 58. multa de risu tradit: unde fit, ut *Cicero* illusionis nomine vel sarcasmum, quae ironiae species est, vel μυκτηριομὸν, h. e. simulatum quidem, sed non latentem derisum, vel aliam hujusmodi, qua per risum aliquis illuditur, intellexisse videatur. Hanc ipsam illusionem *Id.* designat his verbis, *Or.* 40. Saepe ut extenuet aliquid, saepe ut irrideat. Et *Quint. l. c.* Aliquando cum risu quodam contraria dicuntur iis, quae intelligi volunt: quemadmodum in Clodium: *Integritas tua te purgavit, mihi crede; pudor eripuit, vita anteacta servavit.* [*V. *Ernest. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 201.]

ILLŪSOR et Inlusor, oris, m. ἐμπαίκτης, qui illudit. *Tert. adv. Marc.* 4, 35. *med.* Illusor legis. *August. ep.* 253. *priore, f.* Illusor potius, quam veritatis doctor. Adde *Paul. Nol. carm.* 20, 72.

*ILLŪSORĬUM, ii, n. illusio, ludibrium. *Gloss. Phil.* Χλεύη, illusorium. *B. A.*

ILLUSTRĀMENTUM, i, n. illustratio, ornamentum, καταυγασμός. *Quint.* 11, 3. *med.* Haec sunt vel illustramenta pronunciationis, vel vitia. [*Variant codices inter *illustramenta* et *instrumenta.* Illud praeferendum, quod, licet nusquam alibi legatur, eodem modo dictum est, quo alias *illustrare* saepissime de oratione exhibetur.]

ILLUSTRĀTĬO et Inlustratio, onis, f. καταυγασμός, actus illustrandi. *Cic. N. D.* 1, 31. Solis illustrationem ejusdem incensa radiis menstruo spatio luna complet. ℙ Translate. *Quint.* 6, 2. *f.* Ἐνάργεια, quae a Cicerone illustratio et evidentia nominatur, quae non tam dicere videtur, quam ostendere.

ILLUSTRĀTOR et Inlustrator, oris, m. qui illustrat. *Lact.* 2, 9. Deus luminis fons et illustrator rerum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 129. Inlustratori prosapiae suae.

*ILLUSTRATRIX, icis, f. quae illustrat. *Sarisb.* 7, 9. Illustratrix gratia. *B. A.*

ILLUSTRĀTUS et Inlustratus, a, um, part. ab *illustro*, καταυγαζόμενος, lumine perfusus, illuminatus. *Colum.* 1, 6. Ergastulum angustis illustratum fenestris. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 3, 1. et 9. Omnia illustrata, patefacta, comperta sunt per me. *Id. Brut.* 64. Genus scriptionis nondum satis Latinis litteris illustratum. ℙ Item [*Celebris, clarus, nobilis.] *Plin.* 3, 16, 20. Padus poena Phaethontis illustratus. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 6. Vina maxime illustrata Messalae potu et salute. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 15. Opus versibus Graecis illustratum. **Cic. de re publ.* (ed. *Angelo Maio*) 2, 11. Tantum fere regum illustrata sunt nomina. *B. A.*

[*ILLUSTRĀTUS, us, m. status, seu dignitas, eorum, qui *Illustres* appellabantur, de quibus multa docet *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 6, 7, 1. et 6, 18, 1. *Cassiod. Var.* 6, 11. Cape igitur pro fide ac laboribus tuis comitivae domesticorum illustratum vacantem, ut et tuis civibus decoratus appareas, et, quod est dulcissimum mentibus bonis, jugiter propriis utilitatibus occuperis. *Id. ib.* 16. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, ut si quo modo ad illustratum vel vacantem meruerit pervenire, omnibus debeat anteponi, qui codicillariis illustratibus probantur ornari *F.* et *B. A.*]

ILLUSTRIS et Inlustris, e, adj. φαεινὸς, lucidus, clarus, illustratus. [*in luce positus. Differunt *illustris* et *luculentus:* hoc signif. id, quod in medium proferre nemo veretur, h. probabile; illud, quod sponte objicitur oculis, attrahit omnium oculos et laude fruitur, h. excellens. V. *Döderl.* 2, 84.] *Cic. N. D.* 2, 37. Qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis. *Colum.* 1, 6. Balnearia occidenti aestivo advertantur, ut sint usque in vesperum illustria. *Auct. ad Her.* 3, 19. Nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet. *Plin.* 9, 16, 23. Pisces noctibus illustribus aeque quam die, cernunt. *Id.* 18, 35, 78. Solis radii non illustres. *Val. Fl.* 6, 528. Illustre coelum. ℙ Translate est manifestus, patens. *Cic. N. D.* 1, 5. *extr.* Habere visum quendam insignem et illustrem. *Id. Verr.* 2, 5, 13. Factum illustre notumque omnibus. *Id. Fam.* 11, 27. *med.* Praeter haec, quae sunt testata et illustria, habeo multa occultiora, quae, etc. *Id. Acad.* 4, 29. A certis et illustrioribus cohibes assensum. *Sen. ep.* 83. Instruenda est vita exemplis illustribus: non semper confugiamus ad vetera. *Cic. Part.* 6. Illustris oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adjuncta, et idem significantia, atque ab ipsa actione, atque imitatione rerum non abhorrentia, *h. e.* figuris ornata; et *mox.* Est plus aliquanto illustre, quam dilucidum: altero fit, ut intelligamus, altero ut videre videamur. ℙ Item celebris, clarus, nobilis, [*ἐπιφανής.] *Cic. Sen.* 11. Causas illustres defendere. *Varr. R. R.* 2, 1. De antiquis illustrissimus quisque pastor erat. [*Suet. Caes.* 48. Cum illustrioribus provinciarum. *Tib.* 32. Quorundam illustrium exsequias.] *Cic. Fam.* 1, 7. *f.* Haec vides quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquantum ex provincia laudis accesserit. *Caes. B. G.* 6, 18. Paterfamilias illustriore loco natus. *Nep. Dion.* 1. Legationes, quae essent illustriores, per Dionem administrabantur. *Id. Paus.* 1. Hujus illustrissimum est proelium apud Plataeas. *Id. Reg.* 1. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post hominum memoriam exercitibus terra marique bellum intulit Graeciae. *Cic. Off.* 1, 22. Themistoclis nomen est, quam Solonis, illustrius. *Id. Dom.* 46. Vita remota ab honore populari, et ab hac illustri gratia; et 32. Ejus in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. *Caes. B. G.* 7, 3. Ubi major, atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant. *Gell.* 18, 7. Vos quoque philosophorum illustrissimi. ℙ Posteriori aevo *illustres* dicebantur supremi ordinis senatores, medii *spectabiles*, infimi *clarissimi*, ut docet *Is. Or.* 9, 4. At id fortasse obtinuit sequiori tempore; nam olim omnes senatores *clarissimi* sunt appellati. V. CLARUS. Ceterum consule *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* 3, 11, 1. V. et v. praec. ℙ *Serv.* ad *A.* 6, 758. *illustrem* docet aliquando in malam partem usurpari, nt *nobilis*, et ideo meretricibus etiam tribui. ℙ *Illuster* in recto singulari legitur ap. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 5. et *ib.* 3. *n.* 11. in multis MSS. Item in titulo prooemii praefixi libro *Marc. Emp. de medicam.* Marcellus vir illuster ex magno officio Theodosii sen. filiis suis salutem dicit.

ILLUSTRĬUS, ILLUSTRISSĬME, adv. a positivo *illustre*, cujus nondum vidi exemplum. *Cic. Fam.* 10, 19. Sic vidi, quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? semper equidem, sed nunquam illustrius. *Gell.* 9, 13. Q. Claudius purissime atque illustrissime, simplicique atque incompta orationis antiquae suavitate descripsit. *Arnob.* 2, 44. Haec omnia illustrius commemorabuntur et planius.

ILLUSTRO et Inlustro, as, avi, atum, a. 1. λαμπρύνω, καταλάμπω, rem aliquam lucidam et splendidam facio, lucem et splendorem alicui rei affero. [*Quid differant *illustrare* et *illuminare* dictum est in *illuminare;* quid *collustrare* distet ab *illustrare*, V. in *collustrare.*] *Cic. Somn. Scip.* 4. Sol cuncta sua luce illustrat et complet. *Plin.* 2, 18, 16. Placida nocte, leniter illustrante stellas. ℙ Translate est res occultas patefacere. *Cic. Cat.* 3, 8. Ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis, illustrentur. *Id. ib.* 1, 3. Illustrantur, erumpunt omnia. *Id. Amic.* 97. Patefacere et illustrare veritatem. [**Lucret.* 3, 2. Illustrans commoda vitae; et 1, 137. sq. Grajorum obscura reperta Difficile illustrare latineis versibus esse.] ℙ Item explicare, declarare rem aliquam difficilem et obscuram. *Cic. Acad.* 1, 1. Philosophiam veterem illam a Socrate ortam Latinis litteris illustrare. *Id. Or.* 1, 39. Jus obscurum et ignotum patefacere et illustrare. ℙ Item nobilitare, celebrem reddere. *Cic. Fam.* 1, 6. Illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum injuria. *Nep. Them.* 1. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. *Cic. Arch.* 9. Qui libri non modo Lucullum, verum etiam populi R. nomen illustrant. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Illustrare aliquem laudibus. [**Hor. Sat.* 2, 6, 17. Quid prius illustrem Satiris Musaque pedestri?] *Plin.* 4, 11, 18. Illustrant duae urbes utrinque litora. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 21. Quem Brutus cognomine suo illustravit. [**Suet. Galb.* 3. Familiam illustravit Serv. Galba consularis.] *Stat. Achill.* 2, 65. nunc hospitio mea tecta piumque Illustrate larem. ℙ Illustrare orationem est figuris, quasi luminibus ornare. *Cic. Or.* 3, 36. et *Or.* 27. Illustrant orationem, quasi stellae quaedam, translata verba atque immutata. *Id. Inv.* 2, 15. Distinguere atque illustrare orationem. [*V. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 201. sq.]

ILLŪSUS et Inlusus, a, um, part. ab *illudo*, ἐμπαιχθείς, irrisus, ludibrio habitus, frustratus. *Tac. Ann.* 15, 68. Saepe asperis facetiis illusus. *Hor. Sat.* 2, 5, 26. Aut spem deponas, aut artem illusus omittas. *Ov. Amor.* 1, 8, 85. Nec, si quem falles, tu perjurare timeto: Commodat illusis numina surda Venus. *Cic. Quint.* 16. Timide et pedetentim istuc descendunt, inviti, multis vadimoniis desertis, saepe illusi ac destituti. *Hor. Sat.* 2, 7, 108. Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus, *h. e.* crapula gravatum vacillantes ferre recusant. Quo pertinet illud *Pl. Ps.* 5, 1, 5. magnum hoc vitium vino est: Pedes captat primum: luctator dolosus est. ℙ Alio sensu *Virg. G.* 2, 464. *illusas auro vestes* dixit, in quibus scil. artifex acu veluti ludens, aliquid auro pinxit, atque intexuit. Ita *Serv.* recte improbans eos, qui *inclusas* legebant. [*V. *Heyn.* — *Heindf.* intelligit de vestibus purpureis leviter et sparsim auro intextis.] Sic *Prud. περὶ στεφ.* 14, 101. Splendore multo structa habitacula, Illusa pictae vestis inania. Sic *Avien. Perieg.* 1258. de Persis. Illudunt auro vestes. Al. male leg. *illidunt.*

ILLŪTĪBARBUS, a, um, adj. qui barba sordida est: ab *illutus*, et *barba. Appul. Flor. n.* 3. Vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus. Al. leg. *multibarbus.*

ILLŪTĪBĬLIS et Inlutibilis, e, adj. qui elui non potest: ab *illutus. Pl. Men.* 1, 2, 57. Nam ex isthoc loco spurcatur nasum odore illutibili. Alii melius ex *MSS.* leg. *illucido*, qui scil. ex loco obscuro exhalat. V. ILLLUCIDUS.

ILLŪTUS et Inlutus. V. ILLAUTUS et ILLOTUS.

ILLŪVĬES et Inluvies, ei, f. ἀλουσία, λῦμα, sordes non lotae in corpore animalis, immunditia: ab *in* privativa, et luo, lavo, unde *illuo.* [*Recte *Döderl.* 2, 45. sqq. *illuvies* ab illuere, i. e. alluere, inundare deducit, ut proprie sit inundatio aquarum, indeque sordes significet inundatione alicui rei adspersas; contrar. *eluvies.* Quo differat a *situs*, de iis proprie intellig. quae quis jacere in sordibus sinat. Hinc primo loco ponenda erant exempla, quae Noster ad finem exhibuit.] Vetus *poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Barba intonsa infuscat pectus illuvie scabrum. *Tac. Ann.* 4, 28. Illuvie ac squalore obsitus. *Id. H.* 4, 46. Illuvie deformis. *Ter. Heaut.* 2, 3, 53. Ancillula pannis obsita, neglecta, immunda illuvie. *Virg. G.* 3, 561. Vellera tondere morbo illuvieque peresa. *Colum.* 7, 10. *med.* Suillum genus non est contentum potione aquae, nisi obesam illuviem atque distentam pabulis alvum demerserit, ac refrigeraverit, *h. e.* corpus sordibus oblitum. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere: hoc enim ex illuvie oris accidere solet. Adde *Lucil.* et *Varr.* ap. *Non.* 2, 437. ℙ Est convicium in hominem sordidum et misere viventem *Pl. Most.* 1, 1, 38. te Juppiter, Diique omnes perdant! oboluisti allium, Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. ℙ Est etiam inundatio aquarum sordes convehentium. [*Additamento *sordes convehentium* non opus est.] *Just.* 2, 1. Illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit; et 6. Aquarum illuvies majorem partem populorum Graeciae absumpsit. ℙ

Ap. *Tac. Ann.* 12, 51. Interim Zenobiam placida illuvie, spirantem ac vitae manifestam advertere pastores: *illuvies* est cursus fluminis ad riparum latera placide in stagni morem inundantis: sed videtur legendum *eluvie*. V. ELUVIES.

ILLŪVIOSUS, a, um, adj. illuvie plenus. Est *Nonii* 4, 466.

ILLYRIA, ae, f. Ἰλλυρία, regio ampla post sinum Adriaticum inter Tergestum in confinio Italiae et Macedoniam, complectens Liburniam, et Dalmatiam. Alii ampliores, alii angustiores ei terminos statuunt. V. *Cellar. Geograph. ant. l.* 2. *c.* 8. *sect.* 5. et *Tzschuck.* ad *Melam.* 2, 4. *Prop.* 1, 8, 2. An tibi sum gelida vilior Illyria? et 2, 13, 10. alias iterum naviget Illyrias.

ILLYRICIANUS, a, um, adj. Illyricus. *Valer.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Claudium Illyricianae gentis virum, *h. e.* qui ex Dalmatarum provincia originem ducebat, ut *ib.* 11. dicitur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 10, 10, 26. Illyricianos omnes, quos patria complectitur, etc. ℙ Scribitur et *Illuricianus*, ut in nummo Decii Imp. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 344. Genius exercitus Illuriciani: *scil.* militantis in Illyrico.

ILLYRICUS, a, um, adj. Ἰλλυρικός, ad Illyriam pertinens. *Virg. A.* 1, 246. Illyricos penetrare sinus, *h. e.* maris Adriatici, qua Illyriam alluit. *Ov. Pont.* 4, 14, 45. Illyrica si jam pice nigrior essem. *Plin.* 16, 12, 23. laudat Macedonicam picem. Porro Macedonia est Illyriae contermina, et secundum aliquos, vel in totum, vel ex parte in ea continetur. ℙ *Illyricum*, *i*, n. idem est quod Illyria. *Cic. Att.* 10, 6., *Liv.* 43, 9., *Varr. R. R.* 2, 10. et *Plin.* saepe. ℙ Legitur et *Illuricus*, et *Inluricus* ex consuetudine Latinorum Graecam *v* in *u* vertendi. *Pl. Trin.* 4, 2, 10. Illurica facies videtur hominis: eo ornatu advenit. Adde *Enn.* ap. *Fest.* in *Sibina*, et *Fragm. Capitol.* ap. *Grut.* 297, 3. et in nummo Decii Imp. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 344. Sic *Sulla* dixere pro *Sylla*, *Phruges* pro *Phryges*, *Purrhus* pro *Pyrrhus*, et *mus* a μῦς, *sus* ab ὗς, *Cumaeus* a Κυμαῖος, etc.

ILLYRIS, ĭdis, f. adj. Ἰλλυρίς, Illyrica. *Ov. Trist.* 2, 225. et *Sil.* 8, 292. Illyris ora perdomita. *Lucan.* 2, 624. Illyris Epidamnos. ℙ Absolute idem est, quod Illyria. *Mela* 1, 3. Adriatici latus Illyris occupat. *Ov. Pont.* 2, 2, 79. Nec dedignata est abjectis Illyris armis Caesareum famulo vertice ferre pedem. ℙ [*Fuit et Illyris, insula prope Ciliciam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*]

ILLYRIUS, a, um, adj. Ἰλλύριος, Illyricus. *Cato* ap. *Gell.* 11, 3. Illyrius ager. ℙ *Illyrii*, *orum*, sunt populi Illyriae. *Liv.* 10, 2. Illyrii, Liburnique, et Istri, gentes ferae, et magna ex parte latrociniis maritimis infames. ℙ Legitur et *Illurii*, ut in ILLYRICUS dictum est. *Pl. Men.* 2, 1, 10. Istros, Hispanos, Massilienses, Illurios. Adde *Fragm. Capitol.* ap. *Grut.* 297, 2.

*ILORCI, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 2. Hodie, aiunt, *Lorca* est. ℙ Hinc *Ilorcitāni*, *orum*, m. incolae dicti *Plin.* 3, 3. *B. A.*

ILOTAE. V. HELOTES.

*ILTONOMUS, i, m. unus ex quinquaginta Aegypti filiis. *Hygin. fab.* 170. *B. A.*

ILVA, ae, f. *Elba*, insula Italiae, in mari Tusco contra Senarum oram maritimam, ferri metallis abundans. *Plin.* 3, 6, 12. Ilva cum ferri metallis, a Graecis Aethalia dicta. [Hinc porro Veneti nunc vulgo vocant *azzale*, Itali vero *acciajo* chalybem seu ferrum temperatum; Gr. enim αἰθάλη fuliginem, seu favillam significat. Adde *eund.* 34, 14, 4. et *Virg. A.* 10, 173. V. AETHALIA. *F.* **Liv.* 30, 39. *Mela* 2, 7. *f. Sil.* 8, 617. *B. A.*]

[*ILVAS, atis, adj. omn. gen. ad Ilvam pertinens, seu qui ex Ilva est. *Ilvates*, *ium*, sunt populi Ligurum a *Liv.* 31, 10. et 32, 29. memorati, quorum sedes ignota, sed quia ex proxima Ilva insula fortasse oriundi, ita sunt appellati. *F.* et *B. A.*]

*ILUCIA, ae, oppidum Hispaniae. *Liv.* 35, 7. *B. A.*

[ILURCONENSIS, e, adj. ad Ilurconem pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, prope hodiernam *Granata*. *Inscr.* ap. *Grut.* 682, 5. Q. Fabius Q. F. Fabianus Ilurconensis. Alia ap. *Mur.* 1051, 3. Decreto ordinis Ilurconensis. In nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 23. ILURCON. *F.*]

*ILURO, onis, Hispaniae Tarraconensis oppidum, cis Iberum flumen, in agro Laletanorum, juxta Barcelonam. Hodie est *Palamos*. *Plin.* 3, 3. ℙ *Eluro* vocatur a *Mela* 2, 6. *B. A.*

ILUS, i, m. Ἴλος, filius Trois regis Trojanorum, frater Ganymedis et Assaraci, pater Laomedontis. Urbem Ilium vel condidit, vel auxit. *Virg. A.* 6, 650. Ilusque, Assaracusque, et Trojae Dardanus auctor. ℙ Hoc etiam nomine Ascanius Aeneae filius, regno Trojanorum florente, appellatus est. *Id ib.* 1, 272. puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur: Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.

I M

IM, inquit *Festus*, ponebant pro *eum* a nominativo *is*. *Lex XII. Tab.* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. Si im occisit, jure caesus esto. *Lucr.* 3, 877. quoniam mors eximit im, prohibetque. *Cic. Leg.* 2, 24. ex *XII. Tab.* Ast im cum illo sepelire.

*IMACHARA vel Imacara, ae, f. oppidum Siciliae, medio inter Herbitam et Centuripas loco. Hinc *Imacharensis*, *e*, adj. ad Imacharam spectans, ut *Imacharensis ager* ap. *Cic. Verr.* 3, 18. edd. *Graev.* et *Ernest.* Al. leg. *Macharensis*. Incolae dicti *Imacharenses* vel *Imacarenses*; quarum priorem formam habet *Cic. Verr.* 3, 42. posteriorem *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*IMADUCHI, orum, populi Asiae, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

IMAGINABUNDUS, a, um, adj. qui imaginatur. *Appul. Met.* 3. *in.* Ubertim flebam, jam forum et judicia, jam sententiam, ipsum denique carnificem imaginabundus.

*IMAGINALIS, e, adj. imagine constans. *Vet. Interpr. Irenaei* 5, 11. Haec Judaeorum imaginalis est descriptio. Occurrere et saepius dicitur haec vox ap. *Mar. Victor. adv. Arium. B. A.*

IMAGINALITER, adv. per imaginem, vel in imagine. *August.* 12. *de Gen. ad litt.* 5. et 6.

IMAGINARIE, adv. tumultuarie. *Sidon. ep.* 2, 10. Epigrammata, quae imaginarie tantum, et quodammodo umbratiliter effingimus, *h. e.* sine studio, prout quaeque poetica imago sese obtulit.

IMAGINARIUS, a, um, adj. φανταστικός, qui verus non est, sed ita concipitur ac si talis esset. *Liv.* 3, 41. Imaginariis fascibus cedere. *Ulp. Dig.* 18, 1, 55. Imaginaria venditio. *Appul. Apol.* Pontianus ei nuptiarum titulum falsum et imaginarium donavit. *Suet. Claud.* 25. Stipendiaque instituit, et imaginariae militiae genus, quod vocatur supra numerum, quo absentes, et titulo tenus fungerentur, *h. e. milizia soprannumeraria*. ℙ *Imaginarium funus* dicitur, in quo non defuncti cadaver, sed ejus imago, quam Itali vulgo vocant *la maschera*, exponitur, *funerale rappresentativo*. *Capitol. Pertin.* 15. Sub Severo imperatore, cum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei, et censorium ductum est. *Isid. Gloss.* Funus imaginarium dicitur tumulus (lege *funus*) sine cadavere, id est inane sepulcrum. Haec postrema verba glossa videntur esse indocti hominis. At recte *Gloss. Philox.* Imaginarius, εἰκονικός. ℙ *Imaginarius cantor artis metricae* est, quem Itali *poeta improvvisatore* dicunt. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 625. *n.* 218. Q. Grisidio Q. F. Sabiniano fistulario, cantori imaginario arismetr. (lege artis metricae), *h. e.* qui fistula canit et identidem versus edit imaginarie. ℙ *Imaginarius pictor*, *imaginarius plastes*, qui imagines pingit, et qui easdem ex argilla fingit, *pittore di figura*, et *plasticatore*. *Edict. Dioclet.* p. 22. Pictori parietario diurni ✕ septuaginta, pictori imaginario ✕ centum quinquaginta, plastae imaginario ✕ septuaginta. ℙ *Imaginarius*, *ii*, absolute est idem ac imaginifer. *Veg. Mil.* 2, 7. Aquiliferi appellantur, qui aquilam portant; imaginarii, vel imaginiferi, qui imperatoris imagines ferunt. [*Hujus loci amplificandi curam probe gessit *F.*]

IMAGINATIO, onis, f. φαντασία, conceptus rei alicujus. *Plin.* 20, 7, 26. Imaginationes libidinum in somno compescere [*similiter 10, 80.; 24, 102.] *Tac. A.* 15, 36. Provincias orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans [*i. e. artis suae ibi quoque ostentandae cupidine abreptus gaudium imaginatus est, quod inde esset percepturus. *Boettich* in *Lex. Tac.* p. 238.].

*IMAGINATIVUS, a, um, adj. ad imaginationem pertinens. *August.* Tom. 3. p. 867. Imaginativa vis in anteriori parte cerebri. *B. A.*

IMAGINATUS, a, um, part. ab *imaginor*. Active. *Tac. A.* 15, 69. Pavorem eorum et imaginatus, et irridens Nero. ℙ Passive, ἀπεικασμένος. *Lact.* 5, 13. *f.* Qui nec audiant divina, nec sentiant, sed terram digitis suis imaginatam metuant, et adorent, *h. e.* in imaginem et idolum suis manibus conformatam.

IMAGINEUS, a, um, adj. ad imaginem pertinens. *Sedul.* 1, 187. Imagineae vincunt incendia poenae, *h. e.* imaginariae. *Venant. Fortun. Vit. S. Martin.* 2, 276. Imagineae figurae, *h. e.* imaginem alicujus referentes.

IMAGINIFER, i, m. signifer. *Inscr.* ap. *Grut.* 1107, 1. Aurelius Secundianus imaginifer Leg. SS. Alia *ib.* 562, 1. Solemnio Fido milit. Leg. Minerviae, imaginifero. V. IMAGINARIUS.

IMAGINO, as, a. 1. εἰκονίζω, imagines facio, repraesento. *Gell.* 16, 18. Ut speculum in loco certo positum nihil imaginat, aliorsum translatum facit imagines.

IMAGINOR, aris, dep. 1. φαντάζομαι, est rei alicujus, quae facta sit, vel fieri possit, vel etiam quae fieri non possit, similitudinem mente concipere. *Plin. ep.* 2, 10. Imaginor, qui concursus, quae admiratio te maneat. *Plin. alter* 9, 35, 58. Imaginari fercula triumphi. [**Quint.* 12, 1, 21. Ipse etiam M. Tullius quaerit adhuc eum (eloquentem) et tantum imaginatur ac fingit. Adde 9, 2, 41.] ℙ Item somniare. *Suet. Caes.* 81. Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus. *Plin.* 20, 13, 51. Venerem crebro per somnia imaginantes.

IMAGINOSUS, a, um, adj. qui in fingenda, qua sibi placeat, imagine multum valet: hinc Imaginosa meretrix dicitur, quae licet deformis esset, ingentem pecuniae vim pro concubitu petierat a *Catull.* 41, 7. Non est sana puella; nec rogare, Qualis sit, solet haec imaginosa. Alii leg. nec rogate, Qualis sit, solet haec imaginosum, *scil.* haec pati solet morbum illum, quo plurima turbata phantasmata occurrunt, et mentem de statu dejiciunt, qualem describit *Hor. Ep.* 2, 2, 128. et sqq.

IMAGO, inis, f. εἰκών, simulacrum, species, exemplar, alicujus rei repraesentatio: ab *imitor*, quasi *imitago:* quia imitatur ac repraesentat suo modo id, quod exprimit: vel ab εἶγμα, quod ab εἴκω, similis sum. *Porphyr.* ad *Hor. Od.* 1, 12, 4. Imago dicitur quasi *imitago*. *Festus:* Imago ab imitatione. *Plin.* 35, 12, 44. Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, cerague in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi. Hic et similitudinem reddere instituit: ante eum quam pulcherrimas facere studebant. *Cic. Or.* 31. Demosthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas ac tuorum, imaginem ex aere vidi. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Spartiates Agesilaus neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse; et *mox*. Unus Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, statuasque superavit. *Id. Fin.* 5, 1. *extr.* Epicuri imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, et in anulis habent. *Ov. Trist.* 3, 11, 43. Munere in hoc, rex, est usus, sed imagine major. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 16. Haec conficta arbitror a poetis, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videremus. *Id. Sext.* 13. Si imaginem judiciorum, aut simulacrum aliquod futurum in civitate reliquum credidisset. ℙ Saepe refertur ad nobilitatem. Nam apud Romanos qui majorum suorum habuerunt imagines, ii nobiles; qui suas tantum, ii novi; qui nec majorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt. *Cic. Pis.* 1. Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile nihil habes praeter colorem. *Fumosas imagines* dixit propter antiquitatem. *Id. Agr.* 2, 36. *extr.* Si quid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a vobis deprecentur: *idest* novus homo sum, nulla generis nobilitas me vobis commendabit. Imaginem porro sui ponere non temere omnibus licuit, sed iis tantum, qui magistratus curules gessissent. Has imagines primi patritii posuerunt, quod iis primis curules magistratus patuerunt, unde jus imaginis fuit. Post autem, ubi plebs eosdem curules magistratus est nacta, tum et ipsa imagines ponere, easque relinquere cum nobilitate posteris suis coepit. *Cic. Verr.* 2, 5, 14. de aedilitate sua: Mihi ludos antiquissimos esse faciundos: mihi sacrarum aedium procurationem: mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem fructus illos datos, togam praetextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae. *Id. Agr.* 2, 1. Qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt. *Liv.* 3, 58. Vir honoratissimae imaginis futurus ad posteros. *Sall. Jug.* 87. Homo veteris prosapiae, ac multarum imaginum; et *mox*. Quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est, etc. *Suet. Vesp.* 1. Flavia gens obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus. V. *Sigon. de antiq. jur. civ. R.* 2, 20. ℙ Hujusmodi imaginibus ornabant atria aedium, uti docet *Plin.* 35, 2, 2., easque in funebribus pompis proferebant, circumferebantque. *Hor. Epod.* 8, 11. Esto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum. ℙ Praeterea *imago* est species rei, quae mente et cogitatione percipitur. *Cic. Acad.* 4, 40. Imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere. *Id. Fin.* 1, 6. Imagines, quae idola nominant, quorum incursione non solum videmus, sed etiam cogitamus. *Virg. A.* 1, 411. Quid natum toties, crudelis, tu quoque falsis Ludis imaginibus? et *ib.* 2, 772. Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusae Visa mihi ante oculos, et nota major imago; et *ib.* 4, 654. Et nunc magna mei sub terras ibit imago. V. SIMULACRUM. *Tibull.* 3, 4, 56. Et cum de fusco Somnus velavit amictu, Vanum nocturnis fallit imaginibus. *Plin. ep.* 7, 5. Magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo. ℙ [*Item conspectus, facies. Laudat *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 239. *Tac. A.* 1, 62. Exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia; *H.* 4, 45. Planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis et probris; 3, 28. Semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. *Virg. A.* 2, 369. Ubique pavor et plurima mortis imago.] ℙ Item adumbrata veritas et similitudo. *Cic. Fam.* 1, 6. Facile me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis. *Ulp. Dig.* 38, 2, 1. Imago societatis. *Call. ib.* 50, 6, 5.

med. An effugiendorum munerum causa imaginem navicularii induat. [*Ita saepissime ap. *Tac.* opp. *facies*, *vis.* V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 238. sq. ubi multis hic loquendi usus exemplis illustratur, quorum pauca hic adscripsimus. *Ann.* 15, 31. A Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret. *Dial.* 34. Qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret. *Ann.* 15, 14. Imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos.] ℙ Etiam Echo *imago* dicitur, quia vocis imago est quaedam. *Virg. G.* 4, 50. vocisque offensa resultat imago. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* de loco apibus idoneo: Secundum villam, potissimum ubi non resonent imagines: hic enim sonus harum fugae causa existimatur esse. *Hor. Od.* 1, 12, 3. cujus resonet jocosa Nomen imago. *Val. Fl.* 3, 596. Rursus Hylan, et rursus Hylan, per longa reclamat Avia: responsant silvae, et vaga certat imago. Adde *Sil.* 14, 365. ℙ Ap. rhetores *imago* est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem, ut *Cic. Inv.* 1, 30. definit. Item, imago est formae cum forma cum quadam similitudine collatio, ut est apud *Auct. ad Her.* 4, 49. Pertinet autem ad hypotyposin, aut ethopoeiam. Hinc *imagines* dicuntur descriptiones rerum, et comparationes, et similitudines animo conceptae, et verbis explicatae. *Sen. ep.* 59. Invenio translationes verborum: invenio imagines, quibus si quis nos uti vetat, et poetis illas solis judicat esse concessas, neminem videtur etc., et *mox.* Movit me imago ab illo posita: ire quadrato agmine exercitum etc., et *ep.* 92. *med.* Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. *Hor. Sat.* 2, 3, 320. haec a te non multum abludit imago.

IMAGUNCŬLA, ae, f. *εἰκόνιον*, parva imago. *Suet. Aug.* 7. Imaguncula aerea puerilis.

*IMAUS, i, m. *Ἴμαος*, mons Scythiae Asiaticae, ultra mare Caspium, usque ad Gangis fontes extensus. *Plin.* 5, 27. 6, 17. ℙ Hinc divisio illa geographica: *Scythia intra Imaum et extra Imaum. B. A.*

IMBALNĬTĬES, ei, f. sordes, squalor, illuvies, *h. e.* balnei seu lotionis privatio. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 437. Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, imbalnitie.

IMBARBESCĔRĔ, barbatum fieri. *Festus.*

*IMBĂRUS, i, m. mons Ciliciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

IMBĔCILLIS et Inbecillis, e, et saepius Imbecillus, a, um, adj. *ἀσθενής*, debilis, languidus, infirmus: a *bacillus*, quia baculo innititur, qui infirmis est pedibus: vel potius ab *in*, et *vacillo. Cic. Senect.* 11. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? *Id. Fam.* 7, 1. Cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. [*Lucr. 3, 603. Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus Imbecilla foras (scil. anima.)] *Hor. Sat.* 2, 2, 85. tractari mollius aetas Imbecilla volet. *Id. ib.* 2, 7, 39. Imbecillus, iners, sim quidvis, adde, popino. *Plin. ep.* 3, 19. Felicitas terrae imbecillis cultoribus fatigatur. *Cic. Sen.* 11. Multi sunt imbecilles senes. Al. leg. *imbecilli*, [*ita *Orell.*] *Id. Q. Fr.* 2, 10. *med.* Marius et valetudine, et natura imbecillior. *Cels.* 3, 19. Exigui imbecillique venarum pulsus. *Sen. Ben.* 4, 18. Imbecillissimus ac facillimus sanguis. *Vell.* 2, 114. Nemo e nobis imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non sustentaretur Caesaris cura, [*i. e. aegrotus;] quo sensu adhibetur etiam a *Colum.* 12, 3. *med.* ℙ [*Substantive. *Lucr.* 5, 1022. Imbecillorum esse aequum misereris omni.] ℙ Transfertur ad animum. *Cic. Div.* 2, 60. Superstitio imbecilli animi atque anilis. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Ab imbecillis accusatoribus accusari. *Id. Amic.* 13. *med.* Rebus injustis justos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. [*Orell. leg. *imbellibus.*] *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 178. Imbecillis est pudoris magister timor. Al. leg. *imbecillus*, [*recte!] *Sen. ep.* 85. Quantulum sapienti damus, si imbecillimis fortior est? ℙ Et ad alia. [*Lucr. 1, 847. Adde, quod imbecilla nimis primordia fingit, etc.] *Sall. Jug.* 10. Regnum vobis trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum. *Cels.* 2, 18. Imbecillissimam materiam esse omne olus, *h. e.* parvi alimenti; et *ib. med.* Ovum durum valentissimae materiae est: molle, vel sorbile; imbecillissimae, *h. e.* parum stomacho resistens, et concoqui facile. *Plin.* 14, 21, 27. Imbecilla vina demissis in terram doliis servanda, valida expositis. *Id.* 17, 3, 3. Anus terra, et ideo infecunda ad omnia, atque imbecilla. *Cic. Att.* 10, 14. Sed nescio quomodo, imbecillior est medicina, quam morbus. *Plin. Pan.* 79. Imbecilli ingenio esse. *Quint.* 11, 3. Bona voce, firmaque, ut volumus, uti licet: mala vel imbecilla inhibet multa; et 12, 5. Imbecilla frons, *h. e.* quae non facile pudori resistit. *Tac. A.* 2, 76. Imbecillae suspiciones. *Id. Agr.* 46. Simulacra vultus imbecilla, ac mortalia sunt: forma mentis aeterna. ℙ [*Notandum est, ut in universum praestent formae declinationis secundae, ita formam *imbecillis* nusquam recte legi ap. Ciceronem. V. *Goerenz.* ad *Fin.* 5, 24, 71. prob. *Orell.* ad *Lael.* 13. coll. *Ochsn. Ecl. Cic.* p. 162.]

IMBĔCILLĬTAS et Inbecillitas, atis, f. *ἀδυναμία*, *ἀσθένεια*, debilitas, infirmitas. *Cic. Tusc.* 5, 1. Interdum etiam humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. *Id. Brut.* 55. Ut infirmitas laterum, et virium imbecillitas. *Id. Att.* 11, 6. *med.* Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat. *Id. Fam.* 7, 1. *f.* Imbecillitatem valetudinis sustentare et tueri. *Suet. Tib.* 11. Imbecillitate Augusti nunciata. ℙ Translate. *Caes. B. C.* 2, 15. Ubi imbecillitas materiae postulare videretur, pilae interponuntur. *Id. B. G.* 7, 77. Imbecillitas animi. *Plin. ep.* 4, 18. ingenii. *Cic. Off.* 1, 32. consilii. *Id. ad Brut.* 1, 10. *med.* aetatis; et *Fam.* 1, 4. *f.* magistratuum. *Tac. A.* 4, 8. Damnare aliquem imbecillitatis. *Justin.* 2, 15. Non virtute, sed imbecillitate sociorum potentiam quaerere.

IMBĔCILLĬTER, adv. *ἀσθενῶς*, infirme, remisse, languide. *Cic. Acad.* 4, 17. Iis, quae videntur, imbecillius assentiuntur. *Id. Tusc.* 5, 30. Imbecillius horrent dolorem.

IMBELLIA et Inbellia, ae, f. privatio subsidiorum ad bellum et pugnam, quae sunt arma eorumque tractandorum peritia, et virtus animique robur. *Sen. Ben.* 4, 18. Quaecumque animalia vaga nascuntur, armata sunt: hominem imbellia cingit: non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit. Alii leg. *imbecillitas. Gell.* 5, 5. Poenus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum. Haec *Macr. Sat.* 2, 2. suo more descripsit. *Festus* imbelliam interpretatur belli inscientiam.

IMBELLIS et Inbellis, e, adj. *ἀπόλεμος*, contrarius, aut non aptus bello. [*Vox est poetis et arg. aetati imprimis usitata. *Vell.* 1, 8, 5. Cum aliter firmare urbem novam — cum imbelli et pastorali manu vix potuerit. *Liv.* 32, 13. Incondita inermisque multitudo, mixta imbelli turba, i. e. feminae, infantes, etc. coll. 9, 12. 38, 21. *Tac. A.* 13, 29. Imbelle vulgus; 15, 13. Imbellis aetas; 14, 33. Imbellis sexus.] *Hor. Od.* 1, 6, 10. Imbellisque lyrae Musa potens vetat; et *ib.* 15, 14. grataque feminis Imbelli cithara carmina divides. *Stat. Th.* 10, 874. carmenque imbelle secuti Thebarum muri, *h. e.* Arionis lyra canentis carmen molle et pacificum. *Val. Fl.* 5, 362. vittas, frondemque imbellis olivae, *h. e.* pacem portantis. *Hor. Ep.* 1, 7, 45. Imbelle Tarentum, *h. e.* otio ac deliciis diffluens et a bellicis studiis alienissimum. *Ov. Amor.* 1, 10, 20. Imbelles Dei, *h. e.* Venus et Cupido. *Quint.* 10, 1. *med.* Imbellis fulgor auri argentique, *h. e.* ad muniendum ac defendendum ineptus. *Virg. G.* 3, 265. Imbelles cervi. *Val. Fl.* 1, 760. ferrum ne capessat Imbelle, atque aevi senior gestamina primi, *h. e.* ensem jamdiu bello desuetum. *Virg. A.* 2, 544. de Priamo sene: telumque imbelle sine ictu Conjecit: ubi *Servius* exponit, *inutile.* [*Sil. 3, 329. Imbelles annos praevertere saxo, i. e. senectutem; eodem sensu 13, 889. Servitia imbelli patiatur in aevo. ℙ Opponitur *imbellis* etiam *belli perito*, *armis exercitato*, *valido. Sall. Jug.* 23. Ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, etc. *ib.* 48. Exercitus iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, etc. *Ov. Fast.* 3, 578. rex arma perosus, Nos sumus imbelles, tu fuge sospes ait. *Liv.* 22, 39. Imbellem pro perito belli vocent. 9, 19. Imbellem Asiam quaesisset, et cum feminis sibi bellum esse dixisset. ℙ Hinc signif. debilem, viribus destitutum. *Ov. Met.* 13, 109. nec non onerosa gravisque Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.] ℙ Item sine bello. *Claud. III. Cons. Honor.* 80. Jam negat imbelles epulas, *h. e.* sine bello ac pugna paratas. *Liv.* 9, 45. Ut qui suo nomine per multos annos imbelles egissent; et 10, 1. Ne prorsus imbellem annum agerent, parva expeditio in Umbria facta est. [*Id. 4, 20. Imbelle triennium ferme pestilentia — fuit. *Sil.* 11, 409 Lyaeo imbellem donare diem.] ℙ Cum refertur ad homines, ignavum, timidumque, et horrentem arma significat, *ἀνανδρον*. *Cic. Off.* 1, 24. Nunquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. [*Sall. Jug.* 71. Strenui et imbelles inulti obtruncati.] *Liv.* 26, 2. Ignavi et imbelles. [*Suet. Caes.* 35. De tam imbelli genere hostium.] *Tac. H.* 4, 33. *extr.* Caesorum eo die in partibus nostris major numerus et imbellior; e Germanis ipsa robora. [*Virg. G.* 2, 172. Imbellem avertis Romanis arcibus Indum, i. e. justo bello decertare non audentem, sed agendis tantum praedis intentum. *Ov. Met.* 13, 98. Imbellemque Dolona.] ℙ Translate. *Stat. Silv.* 3, 5, 84. Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis, *h. e.* tranquillum et minime procellosum. Sic *Theb.* 3, 255. Non secus ac longa ventorum pace solutum Aequor et imbelli recubant ubi litora somno.

IMBER, bris, m. *ὄμβρος*, proprie est pluvia vehementius cadens, seu (ut *Appul. de Mundo* definit) agmen aquarum largius ex concretis nubibus effusum: a voce Graeca allata: sed et de quavis pluvia usurpatur. [*V. *Döderl.* 2, 87. cui *imber* s. *ymber* c. *vv. hiems*, *hyemps*, et *hibernus*, *humor*, *ὄμβρος*, et *Umbria* ad unum eundemque fontem Gr. v. *ὗω* reduci posse videtur. — *Id. ib.* p. 88. discrimen inter vv. *pluvia*, et *imber* et *nimbus ita* statuit, ut illud in bonam partem dicatur, quatenus terram et segetes solis ardoribus torrentes recreet, nostr. *Landregen;* hoc utrumque in malam, quatenus serenam coeli temperiem turbent, et quidem *imber*, quod cum frigore et tempestate, *nimbus*, quod cum nebulis conjunctus sit.] In ablativo duplicem positionem habet, in *e*, et in *i*, ut *ignis. Cic. Dom.* 44. Qui tectum, quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet. *Cato R. R.* 2. Quae opera per imbrem fieri potuerint. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus; et *paulo post.* Nudus vinctus in aere, in imbri, in frigore; et *Att.* 13, 16. Pedem e villa adhuc egressi non sumus: ita magnos et assiduos imbres habebamus. *Ov. Met.* 11, 516. cadunt largi resolutis nubibus imbres. *Virg. G.* 1, 333. ingeminant austri, et densissimus imber. *Id. A.* 5, 695. ruit aethere toto Turbidus imber aquam; et 693. effusis imbribus atra Tempestas sine more furit. *Val. Fl.* 6, 610. magnoque incanuit imbre Caucasus, *h. e.* nive. [*Liv. 43, 13. Imbri lapidavit.] ℙ *Hoc tam est in proclivi, quam imber, quando pluit*, proverbium est translaticium, apud *Pl. Capt.* 2, 2, 86. de re facillima. ℙ In illo *Virg. A.* 3, 194. et *ib.* 5, 10. caeruleus supra caput astitit imber Noctem hiememque ferens; *imber* non solam pluviam, sed nimbo et procella mixtam significat, densisque et atris nubibus expressam. ℙ De aqua pluvia. *Tac. H.* 5, 12. Piscinae cisternaeque servandis imbribus. ℙ Poetice de quavis aqua dicitur. *Virg. A.* 1, 126. laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt. *Enn.* ap. *Serv. ib.* ratibusque fremebat Imber Neptuni. *Val. Fl.* 4, 665. effluit imber Spumeus, et magno puppim procul aequore vestit. *Ov. Her.* 18, 104. Coma imbre aequoris madida. *Id. Amor.* 2, 15, 23. cum calidis perfunderis imbribus artus. *Virg. G.* 4, 115. et amicos irriget imbres. *Lucr.* 1, 715. Ex igni, terra, atque anima procrescere, et imbri. [*Id. 6, 149. Ut ferrum — Stridit, ubi in gelidum propter demisimus imbrem.] ℙ Imbrem in cribrum gerere proverb. est ap. *Pl. Ps.* 1, 1, 100. de irrito conatu et opera perdita. ℙ Dicitur idem de quovis humore, aut alia re, pluviae modo incidente. *Cic. Div.* 1, 43. *f.* Quid, cum saepe lapidum, sanguinis nonnunquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber effluxit? *Lucr.* 6, 106. grandinis imbres. *Ov. Trist.* 1, 3, 18. Imbre per indignas usque cadente genas. *Virg. A.* 12, 284. it toto turbida coelo Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber. *Stat. Th.* 1, 437. lacera ora, putresque sanguineo imbre genas. [*Lucan. 6, 224. Stetit imbre cruento Informis faciem: coll. *Sen. Oed.* 978.] *Sever. Aetn.* 89. Juppiter ut Danaae pretiosus fluxerit imber. *Seren. Sammon.* 3, 12. Cessabitque gravis crebrae porriginis imber, *h. e.* quae, pectendo caput, in morem pluviae, aut potius nivis, depluit. Supra dixerat *ib.* 2. Cum caput immensa pexum porrigine ningit. *Claud. Nupt. Honor.* 101. largos haec nectaris imbres Irrigat. [*Laudat *Cort.* ad locum Lucani modo allatum *Sammon.* 47. Potatur in imbre Lyaei; et *mox*: sumpti juvat imber aceti.] *Id. Cons. Probi, et Olybr.* 43. sed largior imbre Sueverat innumeras hominum ditare catervas, *h. e.* magis liberalis in congiariis, quam imber. ℙ *Imber*, mulus. V. UMBER.

IMBERBIS et Inberbis, e, et Imberbus, a, um, adj. *ἀπώγων*, *ἀγένειος*, qui est sine barba. *Cic. N. D.* 3, 34. Non convenire barbatum esse filium (*Aesculapium*), cum pater (*Apollo*) imberbis esset. *Id. Dom.* 14. Venire imberbum adolescentulum, etc. Ita legit *Charis.* 1, 74., al. *imberbem. Varr. ib.* et ap. *Non.* 8, 84. Imberbi juvenes. *Hor. Ep.* 2, 1, 84. turpe putant parere minoribus, et quae Imberbes didicere, etc. *Bentl.* ex MSS. legit *imberbi*; et *A. P.* 161. Imberbus juvenis, ubi al. vulgo *imberbis.*

IMBĪBO et Inbibo, is, ĭbi, a. 3. *εἰσπίνω*, humorem attraho, et in me recipio, haurio, bibo. *Plin.* 24, 15, 85. Radix imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor per infurnibulum imbibitur in vetere tussi. ℙ Transfertur ad alia. *Nazar. Pan. ad Constant.* 13. Oculi imbibunt tenebras, *h. e.* obscurantur, obcaecantur. ℙ Saepe ad animum, et significat haurire, percipere, concipere, imbui re aliqua. *Cic. Verr.* 1, 14. An iste unquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? *Liv.* 2, 58. Tantum certamen animis imbiberant. *Auson. Parent.* 13. ingenio prior Artes paternas imbibit. ℙ Est etiam in animum inducere, constitutum habere in animo. *Cic. Quint.* 6. *f.* Quod si facere noluerit, atque imbiberit, ejusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere, *h. e.* constituerit secum, decreverit. *Liv.* 2, 47. *f.* Neque immemor ejus, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis, etc. *Lucr.* 6, 71. ut ex ira poenas petere imbibat acres. *Id.* 3, 1010. Qui petere a populo fasces saevasque secures Imbibit.

IMBĬTO, is, n. 3. ineo, ingredior: ab antiquo *hito, is. Pl. Epid.* 1, 2, 42. Meam domum ne imbitas.

IMBONĬTAS, atis, f. incommodum, mala res. *Tert. ad Martyr.* 3. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, et substrictis, ubi omnis duritia, et imbonitas, et insuavitas constitit.

IMBRACTĔATUS, a, um, part. ab *imbracteo*, bractea obductus. *Ammian.* 17, 4. Aereum opus auro imbracteatum. *Id.* 25, 1. Erant autem omnes catervae Persarum ferratae, ita per singula membra densis laminis tectae, ut juncturae rigentes compagibus artuum convenirent: humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter apta, ut imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint haerere. V. CATAPHRACTUS.

IMBRACTĔO, as, a. 1. bractea obduco. *Ammian.* 14, 6. Statuas auro imbracteari.

IMBRĀSĬDES, ae, m. Ἰμβρασίδης, Imbrasi filius. *Virg. A.* 10, 123. Asius Imbrasides. Adde *ib.* 12, 343.

IMBRĀSUS, i, m. Ἴμβρασος, fluvius Sami insulae. *Plin.* 5, 31, 37. ℙ Est etiam nomen proprium viri ap. *Virg. A.* 12, 343.

IMBREX, ĭcis, m. et f. [*Praefert tamen femininum *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 296.] καλυπτήρ, σωλήν, est fictile segmentum cylindri, quod duarum tegularum labris inter se junctis imponitur, ne imber per earundem intervalla in domum influat: differt a tegula, quae plana est, et duo labra prominentia, seu latera per longum hinc inde erecta habet. Etrusci, permutato nomine, nunc *embrice* appellant, quam olim Latini tegulam; *tegola* vero, quam illi imbricem appellabant; at Veneti, qui solis imbricibus ad domorum tecta utuntur, eos vulgo vocant *coppi;* prius enim eosdem supinos disponunt, aliosque pronos duobus supinis imponunt. *Isid. Orig.* 19, 10. Tegulae vocatae, quod tegant aedes; et imbrices, quod accipiant imbres. *Plin.* 35, 12, 46. Beneficia terrae vel assiduitate satiant figlinarum opera, ad parietes fundamentaque coctis laterculis, ad tecta imbricibus tegulisque, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, aut quae rota fiunt, etiam fictilibus doliis ad vina excogitatis. Ita ex MSS. et *Varr. R. R.* 3, 14. et *Isid. l. c.* refinxit *Schneiderus* hunc *Plinii* locum ad *Varr. l. c. Plin.* 35, 12, 43. Primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit. *Pl. Mil.* 2, 6, 24. Meas confregisti imbrices et tegulas. *Id. Most.* 1, 2, 28. Tempestas venit: confringit tegulas, imbricesque. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 433. Dissipatis imbricum fragminibus, ac testis tegularum. [*In his multa addidit *F.*] ℙ In illo *Virg. G.* 4, 296. locum angusti imbrice tecti, Parietibusque premunt arctis: *imbrex tecti* est tectum imbricis modo curvatum. ℙ Alios etiam habet usus. *Colum.* 9, 13. *med.* de apib. morbo laborantib.: Rorem marinum aqua mulsa decoctum, imbricibus infusum praebent libandum. *Id.* 2, 2. *med.* Fossas patentes, apertas summa parte, declivesque, et ad solum coarctatas, imbricibus supinis similes facere conveniet; nam quarum recta sunt latera, celeriter aquis vitiantur, et superioris soli lapsibus replentur. *Plin.* 17, 14, 24. Pomorum calamos servari inter duos imbrices, juxta rivos, vel piscinas, utrimque terra obstructos. *Cato R. R.* 21. *imbrices ferreas* vocat laminas imbricatim undatas, quibus tegitur ea axis pars, quae modiolos orbium implet, ne lignum circumagendo conteratur, et foramen majus fiat. ℙ Translate. *Mart.* 2, 37. Quidquid ponitur, hinc et inde verris: Mammas suminis, imbricemque porci, *h. e.* auriculam, quae imbricis modo convoluta est. Alii vulvam, aut vertebram, aut costas interpretantur. *Suet. Ner.* 20. Quinque amplius millia elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, (bombos, et imbrices, et testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi. V. BOMBUS. ℙ *Imbrex narium* est cavum interius membrana divisum. *Arnob.* 3, 107. Suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis, et spiritali commeabilem tractui. ℙ [*Imbrex* est etiam cogn. R., ut C. Licinius Imbrex poeta comicus, cujus meminere *Gell.* 13, 22 et *Festus* in *Imbrex*, et *Obstitum. F.*]

*IMBRIALIS, e, adj. ab imbre profectus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 10. *med.* Potui aqua imbrialis offerenda, quam vulgo cisterninam vocant. *B. A.*

IMBRĬCĀTIM, adv. γειοοειδῶς, imbricum modo. *Plin.* 9, 33, 52. Jam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata.

IMBRĬCĀTUS, a, um, part. ab *imbrico:* imbricum figuram referens. *Vitruv.* 2, 8. Incerta vero caementa alia super alia sedentia inter se imbricata non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, praestant structuram. *Plin.* 15, 30, 39. Laurus folio per margines imbricato. *Id.* 11, 1, 1. Superne tantum imbricatis vertebris, *h. e.* alia super aliam insidente. *Id. ib.* 45, 101. Ungues simiae imbricati.

IMBRĬCĬTOR, oris, m. imbres ciens. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Cum spiritus Austri imbricitor, etc. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* Apollo Deus imbricitor, τοὺς ὄμβρους θείς. *Appul. de Mundo.* Juppiter dicitur et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator, etiam imbricitor, et item serenator.

*IMBRICĬUM, i, n. i. q. imbrex. *Mart. ep.* 2, 35. Quum sint crura tibi, similent quae cornua Lunae, Imbricio poteras, Sexte, lavare pedes. Al. leg. *In rhytio* pro *Imbricio.* V. in *Rhytium. B. A.*

IMBRĬCO, as, a. 1. ἀπογεισόω, imbricibus tego, in modum imbricis facio. *Sidon. ep.* 2, 2. Tegulis interjacentibus imbricarentur. [*Gloss. Philox.* Imbrico, καλυπτηρίζω. *F.*]

[IMBRĬCO, is, a. 3. in modum imbris depluo, madefacio. *Gloss. Philox.* Imbricitur, ὀμβροῦται, βρέχεται. *F.*]

IMBRĬCUS, a, um, adj. ὀμβροφόρος, imbres ferens, pluvius. *Pl. Merc.* 5, 2, 35. Hic Favonius serenus est, hic Auster imbricus. *Festus:* Imbrica tempestas pluviam videtur significare. *Macr. Sat.* 5, 20. *f.* Ut hiems serena sit, solstitium vero imbricum.

IMBRĬDUS, a, um, adj. idem quod imbricus. *Solin.* 4. Coelum imbridum. *Pallad.* 2, 13. Solum siccum potius, quam nimis imbridum.

IMBRĬFER, a, um, adj. ὀμβροφόρος, imbres ferens. *Colum.* 5, 5. Ubi aut uliginosa regio est, aut coeli sunt imbriferi. *Virg. G.* 1, 313. Ver imbriferum. *Mart.* 1, 62. Imbrifer Nilus, *h. e.* qui aquis exundantibus imbrium vices praestat.

IMBRĬFĬCO, as, a. 1. imbre madefacio, irrigo. *Capell.* 6, 191. terram Aer complectens imbrificabat aquis.

[IMBRĬGĔNUS, a, um, adj. genitus ab imbre. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 406. *Burm.* Ut mersa imbrigenis unda nivescat aquis. Alii tamen leg. *indigenis. F.*]

IMBRĬUS, a, um, adj. ad Imbrum pertinens, quae est insula in Aegaeo mari, Thraciae Chersoneso adjacens, nunc *Lembro*, *Imbro*, a *Plin.* 4, 12, 23 memorata. *Ov. Trist.* 1, 10, 18. Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.

[IMBRŪMOR, aris, dep. 1. *Isid. Orig.* 5, 35. Bruma dicitur a cibo, quod major tunc sit vescendi appetitus. Edacitas enim Graece βρῶμα appellatur; unde et imbrumari dicuntur, quibus fastidium est ciborum. *F.*]

IMBŪBĬNO, as, a. 1. inquino, foedo: est a *bubino*, quam vocem vide suo loco. V. v. seq.

IMBULBĬTO, as, a. 1. stercore inquino, a βόλβιτον, stercus. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Bubinare.* Haec te imbubinat, et contra te imbulbitat ille, *scil.* haec menstruo sanguine, ille puerili stercore te stuprantem inquinat.

IMBŪO et Inbŭo, is, ui, ūtum, a. 3. ἐμβρέχω, ἐμβάπτω, liquore perfundo, tingo, madefacio, ita ut liquor ebibatur, et maneat. *Festus:* Imbutum est, quod cujuspiam rei succum bibit. *Voss.* ducit a βύω, impleo: unde *bua*, et *exbuae.* [*Döderl.* 3, 314. qui mediam formam inter *poo* et *bibo* videre sibi videtur in v. *imbuo*, causativum dicens v. *imbibo.*] *Colum.* 9, 14. *med.* Quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut insistentes apes succum evocent. *Cn. Matius* ap. *Gell.* 20, 9. Tapetes, quos concha purpura imbuens venenavit. *Hor. Od.* 1, 13, 16. Nectare aliquid imbuere. *Plin.* 15, 8, 8. cados amurca. *Virg. Ecl.* 1, 7. illius aram Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus, *h. e.* mactatus tinget sanguine. *Ov. Ib.* 131. Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino. *Virg. A.* 7, 554. Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma. *Ov. Pont.* 2, 1, 65. Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas, *h. e.* vulneratus meo inficiam sanguine. *Vell.* 1, 20. Hoc primum anno sanguine consulis Romani militis imbutae manus sunt. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 5, 7. Cum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem caedendi attulisset. *Acc.* ap. *Non.* 12, 13. Credite, amici morte me imbuturum manus. *Curt.* 4, 10. Non esse talibus promissis imbuendas aures militum, *h. e.* implendas. ℙ Est etiam rudem, et, ut ita dicam, recentem animum implere doctrina, opinione, institutione, quae alte insideat, et permaneat: idque in utramque partem. [*Differt ab *instigare*, quod non solum animum rei alicujus scientia implere, sed ad perficiendum opus et elaborandum impellere significat. V. *Döderl.* 1, 160.] *Cic. Dejot.* 10. Quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat. *Id. ad Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Pueri animum tenerum bonis opinionibus imbuere. *Liv.* 1, 21. Ea pietate omnium pectora imbuerat, ut, etc. *Id.* 26, 2. *med.* Honeste genitos, liberaliter educatos servilibus vitiis imbuisse. *Flor.* 2, 3. Quotidiani hostes tirocinia militum imbuebant. *Plin. ep.* 8, 14. Adolescentuli castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo assuescerent. *Nep. Dion.* 4. Filium ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. *Cic. Tusc.* 13. Nemo est tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. *Tac. H.* 4, 7. Honestis sermonibus alicujus aures imbuere. *Id. A.* 12, 32. Imbuere socios ad officia legum. [*Eadem constructione usus est *Cic. Mil.* 4.] *Auct. dial. de Or.* 31. Imbui bui grammatica, musica, et geometria. *Tac. H.* 4, 72. Militem licentia saevitiaque imbuere. *Liv.* 9, 43. Malo tirocinio hostem imbuere. V. alia in IMBUTUS. ℙ Cum accusat. communi. [*Lucr.* 2, 734. Neve alium quemvis quae sunt imbuta colorem.] *Tac. H.* 5, 5. Nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos. ℙ *Imbuere bovem* est domare, et jugum pati consuefacere. *Plin.* 8, 45, 70. Optime cum domito juvencus imbuitur. ℙ *Imbuere ministeriis,* exsequi ministeria condocefacere, [*assuefacere ministeriis]. *Curt.* 6, 6. Paulatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, et captivis pares facere expetebat. [*Id.* 6, 3, 6. Imbui mitioribus ingeniis. *Plin. Pan.* 44, 2. Itaque sic imbuti sumus, i. e. assuefacti imperio tuo.] ℙ Item re intacta adhuc, et nullo usu trita uti incipere. *Ov. A. Am.* 1, 654. Et Phalaris tauro violenti membra Perilli Torruit, infelix imbuit auctor opus. Adde *Trist.* 3, 11, 51. *Val. Fl.* 1, 69. ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit, *h. e.* primus aravit. *Catull.* 64, 11. Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten, *h. e.* prima navigavit. *Mart.* 8, 51. Imbuere phialam nectare, i. e. primum implere. *Prop.* 4, 10, 5. Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae, *h. e.* inchoas, instituis, primus exemplum praebes. [*V. largas Cerdae copias ad *Virg. A.* 7, 542. ubi sanguine bellum imbuit. ℙ Ita dicitur de primo concubitu. *Sil.* 3, 65. Juvenem primo Hymenaeo imbuerat conjux.] ℙ *Charis.* 5, 266. docet, Latine dici *imbuo puerum rubrica*, et *rubricam:* quod posterius adhibuisse videtur *Mart.*, si accusativum *se* subintelligas, 7, 26. hoc facetum carmen imbuant aures.

*IMBŪRO, is, a. 3. i. q. amburo, aduro. *Mart. Capell.* 6. *med.* p. 129. ed. *Vulcan.* Propinquantes animantum — imburit adcessus: ubi tamen *Grotius* p. 196. *amburit* in textum recepit. *B. A.*

IMBŪRUM, i, n. vasis genus, quod sursum versus redit, ap. *Varr. L. L.* 4, 27. Sed ibi *Scalig.* mendum agnoscit, eamque vocem nihili existimat. V. URINOR.

IMBŪTAMENTUM, i, n. doctrina, eruditio, instructio. *Fulgent. Mythol. prooem.* 1. Variis dogmatum imbutamentis lasciva Graecorum praestruens corda. Cave usurpes.

IMBŪTUS et Inbutus, a, um, part. ab *imbuo:* βαπτὸς, madefactus, tinctus, perfusus: et dicitur fere de his, quae primum liquore continguntur. *Hor. Ep.* 1, 2, 69. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. *Ov. Met.* 9, 153. Vestis imbūta sanguine. [*Hor. Ep.* 5, 65. Tabo manus imbutum.] *Id. Trist.* 4, 1, 77. Tela imbuta veneno. *Id. Met.* 4, 252. Imbutum coelesti nectare corpus. [*Lucr. 2, 502. Pavonum ridenti imbuta lepore Pepla.] ℙ Minus est, quam *madefactus. Cic. Phil.* 14, 3. Imbuti sanguine gladii legionum, vel madefacti potius. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 714. Imbutae caede manus. [*Vell. 2, 20, 1. Sanguine Cons. Romani militis imbutae manus sunt. *Liv.* 4, 31. Colonorum caede imbutis armis.] *Cic. Font.* 14. Sociale bellum macula sceleris imbutum; et *Dom.* 23. Bellum omni odio imbutum. *Id. Phil.* 3, 2. Imbutus crudelitate. *Varr. R. R.* 1, 17. Qui praesint, aliqua sint humanitate imbuti. *Id. Div.* 1, 42. religione. *Id. Fin.* 1, 18. superstitione. [*Liv. 40, 11. Imbuti illinc et infecti Romanis delenimentis redeunt. *Id.* 42, 26. *f.* solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei consiliis invenisse.] *Hor. Ep.* 1, 6, 4. formidine nulla. *Tac. A.* 1, 36. Imbutas praeda manus in direptionem Galliarum erupturas; et *ib.* 13, 4. Juventa armis civilibus, aut domesticis discordiis imbuta. *Id. H.* 2, 85. Legiones imbutae favore Othonis, *h. e.* jam antea Othoni faventes; et *ib.* 1, 5. Miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus, i. e. assuefactus. *Stat. Th.* 11, 661. saevis imbutus amoribus aulae. *Liv.* 21, 39. *med.* Imbutus admiratione, i. e. plenus. ℙ Saepe refertur ad institutionem et doctrinam: diciturque de iis, quae primum animo hauriuntur et infiguntur. *Cic. Mil.* 4. Est haec non scripta, sed nata lex: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; et *Fin.* 2, 5. Extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. *Id. Phil.* 10, 10. Nos ita a majoribus instituti atque imbuti sumus, ut, etc. et *Off.* 1, 32. *f.* Parentum praeceptis imbuti. *Id. Or.* 2, 39. Qui et doctrina liberaliter institutus, et aliquo jam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur. [*Vell. 2, 129, 2. Quibus praeceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiae secum actae, domitorem recepit Germaniae? *Liv.* 5, 2. Imbutum jam a juventa certaminibus plebejis.] ℙ Dicitur et de iis, qui leviter sunt re aliqua instituti. *Suet. Gramm.* 4. Cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum, in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse: quasi non perfectum litteris, sed imbutum; et *Cic. Tusc.* 1, 7. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? *Quint.* 1, 2. *med.* Litteris leviter imbutus. *Hor. Ep.* 2, 2, 7. Verna litterulis Graecis imbutus. *Plin.* 6, 22, 24. *med.* Sex mensium tempore imbutus alloquio.

ĬMĬTĂBĬLIS, e, adj. *μιμητὸς*, quem quis potest imitari. *Cic. Or.* 23. Nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. *Plin. ep.* 7, 20. Tu mihi maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. *Virg. A.* 6, 590. non imitabile fulmen. *Ov. Pont.* 4, 10, 77. Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam: Inque fide Theseus quilibet esse potest. *Plin.* 37, 8, 33. Neque est gemma alia imitabilior mendacio vitri.

ĬMĬTĂMEN, inis, n. imitatio. *Ov. Fast.* 4, 211. Priscique imitamina facti. *Id. Met.* 4, 445. Pars alias artes *(celebrant)* antiquae imitamina vitae; et *ib.* 11, 627. Somnia, quae veras aequent imitamine formas; et *ib.* 15, 199. Quid? non in species succedere quatuor annum Aspicis, aetatis peragentem imitamina nostrae?

ĬMĬTĂMENTUM, i, n. imitamen, simulatio. *Tac. A.* 14, 57. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre; et *ib.* 13, 4. Peractis tristitiae imitamentis, curiam ingressus, etc. *Gell.* 7, 5. de Polo histrione: Opplevit omnia non simulacris, neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spirantibus. *Ammian.* 22, 13. Simulacrum Olympiaci Jovis imitamenti aequiparans magnitudinem.

ĬMĬTĂTĬO, onis, f. *μίμησις*, actus imitandi, simulatio, aemulatio. *Cic. Phil.* 14, 6. Uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. *Id. Off.* 3, 1. Si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. *Id. Or.* 3, 57. In omni re vincit imitationem veritas; et 12. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur; et *ib.* 2, 45. Si in ejusmodi genere orationis nihil esset nisi falsum, et imitatione simulatum; et 59. Ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet. *Id. Fl.* 11. Prodere reliquis in posterum periculosam exempli imitationem. *Tac. A.* 16, 18. Vitiorum imitatio. *Plin. ep.* 4, 28. Cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio. ℙ De imitatione oratoria fuse *Quint.* 10, 2. et *Cic. Or.* 2, 22. et 23. Eam sic definit *Auct. ad Her.* 1, 2. Imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse. [*Cf. *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 203. sq.] ℙ Inter hanc et aemulationem discrimen est, quod *imitatio* studium, et diligentiam, et similitudinis amorem fere significat: *aemulatio* saepe habet conjunctam contentionem, et invidiam, et superandi cupiditatem. Similia habet *Non.* 5, 59. Ea tamen perpetua non sunt. [*Bene *Döderl.* 3, 64. haec addit: *imitationem* nonnisi rem, *aemulationem* ipsam imprimis personam, rebus imitatione dignis praeditam, respicere. Discrimen inter utrumque v. illustrant etiam ista: *Quint. Inst.* 1, 2, 26. Sicut firmiores in litteris profectus alit aemulatio; ita incipientibus atque adhuc teneris condiscipulorum quam praeceptoris jucundior, hoc ipso quod facilior, imitatio est. *Cic. Tusc.* 4, 8, 17. Aemulatio dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur. V. et in IMITATOR et IMITOR.] ℙ Ap. *Auct. ad Her.* 4, 31. imitatio est *ὀνοματοποιία*, ut vagire, rudere, mugire, etc. ℙ [*Permutantur *imitatio* et *immutatio*. V. *intpp.* ad *Curt.* 9, 7, 15.]

[ĬMĬTĂTĪVUS, a, um, adj. qui aliquid imitatur. *Diomed.* 3, 479. Poematis genera sunt tria. Aut enim activum est, vel imitativum, quod Graeci *δραματικὸν*, vel *μιμητικὸν* dicunt, etc. *F.*]

ĬMĬTĂTOR, oris, m. *μιμητής*, qui imitatur. *Cic. Leg.* 3, 14. Nec enim tantum mali est, peccare principes, quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. *Id. Or.* 2, 54. Imitator et narrator facetus. *Id. Marcell.* 1. Aemulus atque imitator studiorum meorum: *(aemulus* est qui cupit, et contendit similia facere: *imitator*, qui imitando assequitur.) *Nep. Att.* 18. Moris majorum summus imitator fuit. *Cic. Vatin.* 9. Quaero num quis ante te fuerit tam nefarius, qui id fecerit? ut sciamus, utrum veterum facinorum sis imitator, an inventor novorum. *Ov. Fast.* 2, 717. Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis. [*Id. *Met.* 14, 618. Remulus maturior annis Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.] ℙ De iis, qui nihil aliud, quam aliorum vestigiis insistere sciunt. *Hor. Ep.* 1, 19, 19. O imitatores, servum pecus.

ĬMĬTĂTRIX, īcis, f. quae imitatur. *Cic. Leg.* 1, 17. Imitatrix boni voluptas. *Id. Tusc.* 3, 2. Fama popularis, quae se gloriae imitatricem esse vult. *Plin.* 10, 23, 33. Imitatrix alias avis, ac parasita, et quodam genere saltatrix.

ĬMĬTĂTUS, a, um, part. ab *imitor:* Active. *Ov. Met.* 8, 737. faciem liquidarum imitatus aquarum. [*Adde *ib.* 14, 521. et al. *Virg. G.* 4, 72. Vox sonitus imitata tubarum.] ℙ Passive ab *imito*. *Cic. Univ.* 3. Imitata et efficta simulacra. [**Ov. Met.* 9, 481. Testis abest somno, nec abest imitata voluptas.]

ĬMĬTO, as, a. 1. idem quod imitor. *Varr.* ap. *Non.* 7, 46. Tuum opus nemo imitare potest. *Liv.* vel *Laev. ib.* Si malos imitabo.

ĬMĬTOR, aris, atus sum, dep. 1. *μιμέομαι*, simile facio, imitatione exprimo, alterius vestigia sequor, simulo: a voce Graeca allata, omissa priore littera. [**Döderl.* 3, 63. sq. docet: *aemulari* esse deminutivum, *imitari* frequentativum communis cujusdam formae, cujus vestigia in vv. *imago*, *similis*, *nachahmen*, et fortasse etiam in *ähnlich* conservata reperiantur; *(Lünem.* in *Lex. Lat.* p. 1287. frequent. dicit v. obsol. *imor.)* Alii *imitari* deducunt ab *imus;* alii ab *εἴκω*. De discrimine quo distet *imitari* et *aemulari*, V. in IMITATIO et IMITATOR. Caeterum exempla, quae paene nullo discrimine facto Noster summa imis miscuerat, hoc videntur melius ordine disposita, ut ea primum locum teneant, in quibus *imitari* absolute signif. vestigia alicujus sequi, consectari; nostr.: *nachahmen*, *gleichzukommen suchen.*] *Cic. Off.* 1, 24. In adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est. *Id. Or.* 2, 22. Accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque exprimat. *Phil.* 2, 44. Factum praeclarum expositum ad imitandum. *Caes. ad Oppium post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Praeter L. Sullam, quem imitaturus non sum. *Or.* 19. Imitari atque exprimere aliquem. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 24. Quem postea imitati sunt multi, aequavit nemo. *Plin. Ep.* 7, 20. Tu mihi maxime imitandus videbaris. *Hor. Sat.* 1, 10, 17. Hoc stabant, hoc sunt imitandi. ℙ [*Hinc similitudinem assequi, veram imaginem reddere; nostr. *darstellen*, *nachmachen*, *treffen.*] *Cic. Brut.* 36. De industria, tum verbis tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur atque imitabatur antiquitatem. [**Or.* 2, 47. Qui non Heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo.] *Ov. Trist.* 2, 515. Scribere mimos imitantes turpia. [**Liv.* 7, 2. Sine imitandorum carminum actu, i. e. sine histrione, qui saltando et gesticulando ea, quae pronunciabantur, exprimeret. V. *Duk.* ad h. l.] *Ov. Pont.* 1, 2, 45. Omnia veros imitantia casus. [**Suet. Vesp.* 19. Imitans, ut est mos, facta et dicta vivi. *Aug.* 86. Imitando per jocum irridet.] *Tibull.* 3, 6, 33. Difficile est imitari gaudia falsa. *Tac. A.* 1, 24. Vultu, quamquam moestitiam imitarentur, contumaciae propiores. *Ov. A. Am.* 1, 617. Faciles imitantibus este puellae. *Gell.* 9, 9. Quando ex poematis Graecis vertendae, imitandaeque sunt, insignes sententiae. *Cic. N. D.* 3, 30. Imitari chirographum alicujus. *Hor. A. P.* 33. Faber ungues exprimet, et molles imitabitur aere capillos. *Virg. G.* 2, 204. Putre solum arando imitari, *h. e.* colendo efficere, ut putre reddatur: nam aratione et subactione terra resolvitur. [**Or.* 2. qui aut Jalysi non potuerunt, aut Coae Veneris pulchritudinem imitari; et cp. 22. Pictor vidit obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. *Off.* 3, 2. Ut nemo pictor esset inventus, qui Coae Veneris eam partem quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret; oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. — Huc pertinent etiam ista *Cic. Inv.* 1, 32. Taciturnitas imitatur confessionem, i. e. eadem est, ac confessio. *Div.* 2, 21. Potest veritatem casus imitari, i. e. si in nubibus videatur leonis forma aut hippocentauri apparere; *ib.* 27. Decoloratio quaedam — potest sanguinis similis esse, et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari. *Brut.* 18. Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem. ℙ Poetice imitari aliquid aliqua re signif. simile quid in locum alterius substituere, uti aliqua re simili pro altera.] *Virg. A.* 11, 893. Robore duro, Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis, *h. e.* robore et sudibus pro ferro utuntur, eandemque iis edunt pugnam, non secus ac si ferrum haberent. *Id. G.* 3, 379. Et pocula laeti Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis, *h. e.* pro vino, quod non habent, his utuntur. ℙ Supinum *imitatu*. *Val. Max.* 4, 6. Opera ardua imitatu, ceterum cognosci utilia. ℙ *Imitarier* paragoge pro *imitari* est ap. *Pl. Capt.* 3, 1, 25. ℙ [*Confunduntur *imitari* et *mirari*. V. *Burm.* ad *Virg. G.* 2, 204.]

ĬMĬTUS, adv. ex imo, funditus, ex profundo: ab *imus*. *Gell.* 17, 10. Fontes imitus ignes eructare. *Appul. Met.* 9. Terra dehiscente imitus. Adde *Arnob.* 5. p. 163.

*IMITYI, orum, populi Asiatici, ultra Maeotidem paludem, ad fontes Imityis amnis. *Plin.* 6, 7. ed. *Hard.* Antea legebatur *Imituos* pro *Imityos*. *B. A.*

*IMĬTYS, yis, m. Asiae fluvius, unde Imityi dicti. V. *Plin.* 6, 7. ubi accusativus *Imityem* et genitivus *Imityis* occurrunt. Ita ed. *Hard.* Antea legebatur *Imituenis* et *Imissi*. *B. A.*

ĬMMĂCŪLĂBĬLIS, e, adj. qui maculari non potest. *Auson. Gratiar. act. ad Gratian. Imp.* 27. Mente pura, immaculabili conscientia, cogitatione sincera.

IMMĂCŪLĀTUS et Inmaculatus, a, um, adj. *ἀμίαντος*, non maculatus, non pollutus. *Lucan.* 2, 736. Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus Immaculata sui servetur sanguine Magni.

IMMĂCŪLO, as, a. 1. idem quod maculo, polluo. *Firm. Math.* 4, 16. Nullus invidiae livor immaculet.

IMMĂDĔO et Inmadĕo, es, ui, n. 2. *ἐμβρέχομαι*, idem quod madeo, madidus fio. Extra praeteritum nullum adhuc usum vidimus. *Ov. Trist.* 1, 9, 34. Credibile est, lacrimis immaduisse genas. *Plin.* 17, 5, 3. Cum terra a siccitate continua immaduit imbre. Adde *Stat. Silv.* 3, 1, 73.

*IMMADĬDO, as, a. 1. madefacio. *Ambros.* ad *Luc.* 9. *B. A.*

IMMĀNĔ, adv. immaniter. *Virg. G.* 3, 239. Fluctus immane sonat per saxa. *Id. A.* 7, 510. rapta spirans immane securi; et *ib.* 10, 726. Leo hians immane. *Claud. cons. Mall. Theod.* 237. Torrentes immane fremant. ℙ *Immane quantum* est mirum quantum, *θαυμαστὸν ὅσον:* ellipsis. *Hor. Od.* 1, 27, 6. Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat. *Tac. H.* 4, 34. *extr.* Civilis lapsu equi prostratus, immane quantum suis pavoris, et hostibus alacritatis indidit. *Appul. Apol.* Quod matrimonium Aemiliano huic immane quanto angori, quantaeque invidiae fuit. ℙ Simile est illud *Sall. in or. ad Caes.* 1. *med.* Immane dictu est, quanti et quam multi ad Pompejum discesserint.

IMMĀNĔO, es, n. 1. idem quod maneo, in aliqua re maneo, immoror. *August. de Gen. ad litt.* 2, 4. *extr.* Si potest aqua ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura levior est aquis, cur non possit et super illud levius coelum minutioribus guttis et levioribus immanere vaporibus? Est qui leg. *immanare*, sed minus recte.

IMMĀNĪFESTUS, a, um, adj. non manifestus, obscurus. *Rufinus* p. 2710. Immanifesta vocant haec carmina voce Latini.

IMMĀNIS et Inmanis, e, adj. *ἄγριος*, *θηριώδης*, nocens, ferus, crudelis, importunus. V. IMMANITAS. Quidam ducunt ab *ἐμμανὴς*, furens. *Macr. Sat.* 1, 4. ab *in* privativa, et *manus*, seu *manis*, bonus. [**Doederl.* 1, 45. coll. 3, 222. etym. ducit ab *in*, et *magnus*, primamque vocis significationem eam ponit, qua illud respiciat, quod ingenti, nimia magnitudine gaudeat; unde feritatis, crudelitatis derivanda notio; discrimine tamen inter *immanis* et *ferus* ita constituto, ut, cum utrumque conjungatur, hoc ad animum, illud ad corpus referri debeat.] *Cic. Verr.* 2, 2, 21. Hostis ferus et immanis; et *ib.* 2, 1, 3. Istius immanis atque importuna natura. *Id. Tusc.* 4, 20. Taetra et immanis belua. *Pl. Trin.* 4, 1, 7. Spurcificus, immanis, intolerandus, vesanus. *Virg. A.* 1, 351. scelere ante alios immanior omnes. *Cic. Acad.* 4, 34. Fera et immanis belua. *Id. Font.* 10. Immanis ac barbara consuetudo hominum immolandorum. *Id. Part.* 25. Voluptatem immanissimus quisque acerrime sequitur. *Id. Har. resp.* 3. Scelus tam importunum, audacia tam immanis. *Id. Part.* 23. Patientiam duritia immanis imitatur, *h. e.* agrestis, effera. *Virg. A.* 1, 620. quae vis immanibus applicat oris? *Id. ib.* 4, 642. coeptis immanibus effera Dido, *h. e.* sibi inferendi manus. *Cic. Rosc. Am.* 24. *extr.* Tantum facinus, tam immane, *h. e.* patris occidendi. *Ov. Trist.* 2, 135. Edictum immane minaxque, *h. e.* severum, triste. ℙ Item ingens, enormis, modum excedens. [*Differt a *vastus*, quod ingentem, nimiam magnitudinem significat, quatenus amoenitatem, vim alicujus rei minuit; *immanis* denotat id, quod propter magnitudinem naturae modum excedentem efficit horrorem magis, quam admirationem. V. *Döderl.* 3, 228.] *Lucr.* 4, 1156. Magna atque immanis, cataplexis, plenaque honoris. *Caes. B. G.* 6, 15. Simulacra immani magnitudine. *Cic. Verr.* 2, 3, 46. Ingens immanisque praeda. *Id. Rosc. Com.* 8. Illa fuit pecunia immanis, haec parvula. *Phaedr.* 4, 22. gemitus immanes ciens. *Cic. Phil.* 2, 25. Inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis. *Virg. A.* 6, 11. Antrum immane; et *ib.* 7, 666. tegumen immane leonis; et *ib.* 8, 245. immane baratrum; et *ib.* 11, 552. telum; et *ib.* 9, 751. vulnus; et *ib.* 6, 237. spelunca vasto immanis hiatu; et *ib.* 5, 822. immania cete; et 401. geminos immani pondere caestus. *Val. Fl.* 6, 666. immanis auster, *h. e.* vehemens, violentus. *Varr. R. R.* 3, 1. Immani numero annorum urbanos agricolae praestant. *Virg. A.* 9, 694. immani concitus ira. *Gell.* 15, 9. Tam immanem soloecismum nihil veritus est. *Quint.* 11, 3. Immanis vox. *Vell.* 2, 51. Immanem exercitum conficere; et 2. dissensionem movere. *Sall. Jug.* 34. Immanis avaritia. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *f.* Ambitus redit immanis; nunquam fuit par. *Ov. Met.* 5, 678. studium immane loquendi. ℙ Utraque significatio jungitur in illo *Ov.*, ubi Achelous loquitur, *Met.* 8, 583. pariterque animis immanis et undis A silvis silvas, et ab arvis arva revelli. ℙ *Immanis visu* aspectu terribilis, verendus. *Val. Fl.* 1, 207. Ecce sacer, totusque

Dei, per littora Mopsus, Immanis visu, vittamque, comamque per auras Surgentem, laurusque rotat: scilicet quia *majorque videri*, *Nec mortale sonans*, ut est ap. *Virg. A.* 6, 49., cujus similis est locus *ib.* 77. At Phoebi nondum patiens, immanis in antro Bacchatur vates. ℙ *Immane quantum*, *immane dictu*, V. IMMANE. ℙ Est etiam *immanis*, foedus, si *Nonio* 4, 236. credimus. *Accius ib.* Immane te habeat templum, obvallatum ossibus. ℙ Aliquando refertur ad laudem, et ponitur pro mirabili, θαυμαστός. *Virg. A.* 4, 199. Templa Jovi centum latis immania regnis, Centum aras posuit. *Ov. Met.* 9, 247. ipsius *(Herculis)* datur hoc immanibus actis. *Vell.* 2, 46. Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Caesar in Gallia ageret; et 105. Anni ejus aestiva immanis emolumentum fecere victoriae. *Grat. Cyn.* 265. de canib.: Pecus immane, *h. e.* ingentis animi. *Sen. Thyest.* 470. Immane regnum est posse sine regno pati.

IMMĀNĬTAS et Inmanitas, atis, f. ἀγριότης, ἀπήνεια, feritas, diritas, agrestes efferique mores, saevitia, crudelitas. Est autem proprie privatio sensus humanitatis, et quidam veluti stupor animi, vel a natura profectus, vel a genere vitae agrestis et incultae, unde oritur crudelitas, et saevitia, et odium hominum. [*V. quae notavimus in IMMANIS.] *Cic. Tusc.* 3, 6. Istuc nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. *Id. Part.* 23. Prudentiam malitia, temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis imitatur. *Id. Div.* 1, 29. Feritas atque agrestis immanitas. *Id. Amic.* 23. Asperitas et immanitas naturae. Et *N. D.* 1, 23. Multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit. *Id. Marc.* 3. Domuisti gentes immanitate barbaras, etc. *Id. Fam.* 10, 1. M. Antonii tanta est, non insolentia (nam id quidem vulgare vitium est), sed immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cujusquam. *Id. Vatin.* 3. *extr.* Omni diritate atque immanitate taeterrimus. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9. 13. Nemo audebat (*prodire*) propter magnitudinem et immanitatem facies (pro *faciei*). *Plin. Pan.* 47. Priorum temporum immanitas studia exsiliis puniebat. ℙ Item magnitudo immodica. *Cic. Coel.* 6. Tot vitiorum tanta immanitas. *Justin.* 2, 1. Immanitas frigoris. *Gell.* 6, 3. Serpens inusitatae immanitatis. *Tac. A.* 14, 2. Seu conceperit animo tantum immanitatis Agrippina, etc., *scil.* incesti cum filio patrandi.

IMMĀNĬTER et Inmaniter, adv. ἀγρίως, ferarum ritu, saeve, crudeliter. *August. Confess.* 10, 37. Perdite et immaniter vivere. *Ammian.* 18, 7. Leones per ea loca saevientes immaniter: et *paulo post.* Immanius efferascunt. ℙ Item immodice, vehementer, σφόδρα. *Gell.* 1, 26. *med.* Immaniter clamare. *Id.* 9, 11. Tam immaniter arrogans.

IMMĀNO. V. IMMANEO.

IMMANSUĒTUS et Inmansuetus, a, um, adj. ἄγριος, indomitus, barbarus, ferus. *Sen. Ira* 1, 15. Rabidos effligimus canes, trucem atque immansuetum bovem caedimus. *Ov. Met.* 15, 85. At quibus ingenium est immansuetumque ferumque, etc. *Cic. Leg.* 1, 8. Ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae, etc. *Ov. Met.* 14, 249. Immansuetus Cyclops. *Sen. Consol. ad Helv.* 6. Quid immansuetius? *Ov. Her.* 18, 37. At tu de rapidis immansuetissime ventis.

IMMARCESCĪBĪLIS, e, adject. incorruptibilis. *Tert. Cor. mil.* 15. Flos incorruptus, immarcescibilis, sempiternus. *Paul. Nol. carm.* 15. Immarcescibilis redimivit honore coronae.

IMMARCESCO. V. INAMARESCO.

[IMMASTĪCĀTUS, a, um, adj. non masticatus. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 3. Immasticata transvoratio.

IMMĀTŪRĒ et Inmature, adv. πρὸ ὥρας, ante tempus. *Colum.* 11, 2. *in.* Neque praefestinatum opus nimium immature videri possit. *Senec. Suasor.* 1. *f.* Numquid immature ab oceano? *Vell.* 2, 116. Filius praereptus immature. *Appul. Met.* 6. Sed haud immaturius redito.

IMMĀTŪRĬTAS, atis, f. ἀωρία, acerbitas. *Suet. Aug.* 34. Immaturitas sponsarum. ℙ Pro anticipatione, celeritate. *Cic. Quint.* 26. Quid haec festinatio, quid haec immaturitas tanta significat!

IMMĀTŪRUS et Inmaturus, a, um, adj. ἄωρος, non maturus, acerbus: et proprie de fructibus et frugibus dicitur, cum ante tempus colliguntur. *Cels.* 2, 30. Pira immatura. *Plin.* 12, 13, 28. Quo apparet, aut aliud esse, aut colligi immaturum. *Pl. Pers.* 2, 5, 14. Vomicam immaturam secare. ℙ Translate dicitur de eo, quod est intempestivum, ut *mors immatura*, qua quis ante constitutum vitae tempus, et confectam aetatem moritur. *Cic. Phil.* 2, 46. Etenim si ab hinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari. [**Suet. Cal.* 8. Immaturus obitus; Gr. ἄωρος θάνατος, πρόωρος μοῖρα. V. *Schaef.* ad *Plin. ep.* 5, 5, 4. Adde *Propert.* 3, 7, 2. Per te immaturum mortis adimus iter.] *Hor. Sat.* 2, 8, 59. Filius immaturus obit. [**Propert.* 4, 11, 17. Immatura licet, tamen huc non noxia veni, Det pater hic umbrae mollia jura meae, i. e. intempestiva morte defuncta. *Tibull.* 2, 6, 29. Per immatura tuae precor ossa sororis, i. e. immatura morte raptae, ante diem in ossa versae.] *Liv.* 22, 38. *f.* Immaturum consilium ante tempus praecipere. *Ulp. Dig.* 47, 10, 25. Immatura virgo, *h. e.* nondum nubilis, vel viripotens. *Id. ib.* 24, 1, 32. §. 27. Immatura sponsa, *h. e.* quae minor est annis XII. [**Suet. Tib.* 61. Immaturae puellae. ℙ Permutantur *immaturus* et *immutatus*. V. *intpp.* ad *Propert.* 4, 11, 17.]

[IMMĒABĪLIS et Inmeabilis, e, adj. non meabilis. *Not. Tir.* p. 131. Meabilis, immeabilis.

IMMĒDĬATĒ. V. IMMEDITATE.

IMMĒDĪCĀBĪLIS et Inmedicabilis, e, adj. ἀθεράπευτος, qui medicaminibus sanari non potest. *Ov. Met.* 1, 190. et *ib.* 10, 189. Immedicabile vulnus. *Virg. A.* 12, 858. telum immedicabile, *h. e.* armatum felle veneni, atque adeo insanabile vulnus inferens. ℙ Translate. *Sil.* 14, 292. postquam immedicabile visum Seditio; et 1, 147. Immedicabilis ira.

IMMĒDĪCĀTUS, a, um, adj. medicamentis illitus, inunctus. *Appul. Apol.* Immedicatum os, et purpurissatae genae.

IMMĒDĬTĀTĒ, adv. sine meditatione, ἀπερισκέπτως, ἀφροντίστως. *Gell. praef. med.* Nos, ut captus noster est, incuriose et immeditate, ac prope etiam subrustice ex ipso loco ac tempore hibernarum vigiliarum Atticas noctes inscripsimus. Quidam minus recte leg. *immediate*, quae vox barbara est.

IMMĒDĬTĀTUS, a, um, adj. passivae signif. non meditatus, ἀμελέτητος. *Appul. Met.* 2. *in.* Immeditatus incessus, *h. e.* non affectatus ad mollitiem. *Id. Flor. n.* 17. Animalium immeditati sonores.

IMMEJO et Inmejo, is, a. 3. intus mejo. Translate. *Pers.* 6, 73. Patriciae immejat vulvae, *h. e.* semen immittat.

IMMĒMOR et Inmemor, oris, adj. ἀμνήμων, qui non meminit. *Cic. Att.* 5, 16. Ne me immemorem mandati tui putares. *Id. Sull.* 30. Adeone vobis oblitus constantiae meae, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor? *Id. Phil.* 2, 22. Hujus rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum unquam immemorem fore. *Id. Brut.* 60. Magna haec immemoris ingenii signa. *Catull.* 30. Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus, [*i. e. ingrate. *Ov. Met.* 15, 122. Immemor est demum; ubi v. *Gierig.* et *Jahn. Id. ib.* 10, 682. Nec grates immemor egit. Conjungitur cum ingratus. *Id. ib.* 14, 173. Possimne ingratus et immemor esse.] *Cic. Brut.* 47. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, *h. e.* ignarus. [*Ita saepius dicitur de mortuis arte, scientia, qua, dum vita fruerentur, utebantur, destitutis. *Ov. Met.* 7, 761. (de Sphinge) et praecipitata jacebat. Immemor ambagum, vates obscura, suarum; ubi *Schirach.* sarcasmum ineptum vidit.] *Tac. A.* 14, 36. Gladiis stragem caedemque continuarent, praedae immemores. [*Cf. *Liv.* 41, 4. Adde *eund.* 9, 31. omnium immemor difficultatum. *Id.* 2, 20. Immemor suae libertatis, i. e. qui non curat libertatem adipisci. *Virg. Ecl.* 8, 2. Immemor herbarum juvenca, i. e. quae cibum respuit. Notanda etiam est poetica dicendi ratio ap. *Liv.* 9, 3. Qua cibi, qua quietis immemor nox traducta est.] Sic *Hor. Od.* 2, 18, 18. sepulcri immemor struis domos. *Curt.* 7, 9. In hostem, salutis immemores, ruere coeperunt. [**Ov. Met.* 10, 171. Immemor ipse sui, i. e. suae majestatis.] *Suet. Cal.* 57. Immemor, Chaeream Cassium nominari, [*i. e. nihil suspicatus, *nicht ahnend.*] *Pl. Ps.* 4, 7, 3. Qui suum officium facere immemor est. *Catull.* 64, 123. immemori discedens pectore conjux; et 248. mente immemori. [**Liv.* 2, 22. Immemor armorum i. q. pacis studiosus.] ℙ Singulare est illud *Ter. Andr.* 1, 1, 17. Isthaec commemoratio Quasi exprobratio est immemoris beneficI, *h. e.* haec recordando quasi exprobras mihi, ut beneficii tui immemori. [**Bentl.* legend. censet *immemori*, ita ut casus, quem verb. *exprobrare* regit, jungatur nomini verbali *exprobratio*. V. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Metonymice est oblivionem inducens. *Sil.* 16, 477. Lethe immemori perstringens gurgite ripas. *Sen. Herc. Oet.* 936. Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas. *Stat. Silv.* 5, 2, 96. immemor amnis, *h. e.* Lethe.

IMMĒMŌRĀBĪLIS et Inmemorabilis, e, adj. ἀμνημόνευτος, δύσφραστος, cujus nulla est memoria, qui commemorari non debet, aut potest. *Pl. Capt. prol.* 56. Neque spurcidici insunt versus immemorabiles. *Lucr.* 6, 487. Immemorabile per spatium transire, *h. e.* immensum, nullis terminis circamscriptum. [**Eichstadt.* in *ind. Lucr.* explicat: ἀδιήγητον, quod verbis explicari nequit.] ℙ Active. *Pl. Cist.* 2, 2, 3. Anus sibi moderatrix, atque immemorabilis, *h. e.* quae recordari non vult, aut se non meminisse simulat: vel quae memorare et dicere recusat.

*IMMĒMŌRĀTĬO, onis, f. oblivio. *Vulg. Interpr. Sapient.* 14, 26. *B. A.*

IMMĒMŌRĀTUS, a, um, adj. ἀμνημόνευτος, non memoratus. *Hor. Ep.* 1, 19, 33. Juvat immemorata ferentem Ingeniis, oculisque legi, manibusque teneri, *h. e.* nova, non prius audita. *Auson. Parent.* 20. Nec tu jam metris, spes unica, ephebe Talisi Consobrine, meis immemoratus eris.

IMMĒMŌRĬA et Inmemoria, ae, f. memoriae privatio, oblivio. *Papin. Dig.* 41, 2, 44. Peregre profecturus pecuniam in terram condiderat: cum reversus locum thesauri immemoria non repeteret, etc. Ita *Torrent.* et *Pareus* in *Lex.* Al. habent *in memoria.*

IMMĒMŌRIS, e, adj. idem ac immemor. *Caecil.* ap. *Prisc.* 6, 699. et 7, 772. Itane Antipho est inventus profluvia fide? Itane est immemoris? itane est madida memoria?

IMMENSĪTAS et Inmensitas, atis, f. ἀμετρία, infinitas. *Cic. N. D.* 1, 20. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum. *Id. ib.* 2, 39. Immensitates camporum.

*IMMENSŪRĀBĪLIS, e, adj. *Salvian. de avar.* 2. V. *Cellar. Cur. Post.* p. 310. *B. A.*

*IMMENSŪRĀTIM, adv. sine mensura. *Salvian. Gubern. D.* 6. p. 207. *Rittersh.* Rideamus quamlibet immensuratim. *B. A.*

IMMENSUS et Inmensus, a, um, adj. ἀμέτρητος, qui mensurari non potest, infinitus, interminatus, profundus. *Cic. N. D.* 1, 20. Si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis; et 10. Aera Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum et infinitum. *Id. Tusc.* 1, 30. In mari immenso vehi. *Ov. Fast.* 6, 640. immensa domus. *Hor. Sat.* 1, 1, 41. immensum argenti pondus et auri. *Plin.* 4, 13, 27. Immensus mons. *Cic. Or.* 3, 19. Ex ingenti immensoque campo; et *ib.* 2, 20. Tanta hac in re tamque immensa; et *ib.* 1, 49. Ingenii fines paene immensi. *Id. Div.* 1, 7. Observata sunt haec tempore immenso. *Ov. Pont.* 3, 3, 78. Immensae viae, *h. e.* longissimum iter. *Id. Her.* 1, 82. morae; et *ib.* 9, 5. series immensa laborum; et *Met.* 10, 136. immensi fletus; et *Trist.* 4, 3, 25. nox immensa videtur. [**Id. Met.* 8, 830. Immensa viscera: ita dicuntur, quia expleri et satiari haud poterant, quasi immensa essent. *Virg. A.* 3, 632. Jacuitque per antrum immensus, i. e. ita corpore suo ingenti totum antrum implevit, ut vix sufficeret. *Vell.* 2, 105, 1. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus.] *Tac. A.* 15, 40. Proruta per immensum aedificia. *Plin.* 9, 40, 64. Immenso mercari. [**Suet. Cal.* 39. Immensis pretiis emere.] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 9. Immensa vorago ac gurges vitiorum. *Auct. ad Her.* 2, 22. Immensae, infinitae, immoderatae cupiditates. *Spart. Hadr.* 19. Immensissimae voluptates. *Ov. Met.* 13, 768. sitis immensa cruoris. *Id. Pont.* 4, 2, 36. immensum gloria calcar habet. *Hor. Od.* 4, 2, 7. immensusque ruit profundo Pindarus ore, *h. e.* mira verborum rerumque copia. *Plin.* 28, 1, 2. Immensa difficultas; et 36, 5, 4. *n.* 5. differentia. ℙ *Immensum*, *in* et *ad immensum* adverbii vicem praestant. *Ov. Fast.* 5, 537. Creverat immensum: comitem sibi Delia sumpsit. *Tac. A.* 4, 40. Immensum attolli; et *ib.* 3, 30. Opes, queis domus illa immensum viguit; et 52. Luxus immensum proruperat. (Adde *Sall. Jug.* 97.) *Ov. Met.* 2, 220. Ardet in immensum geminatis ignibus Aetne. *Liv.* 29, 25. Ad immensum multitudinis speciem auget. ℙ *Immensum est*, finem, modum non habet. *Ov. Fast.* 4, 573. immensum est erratas dicere terras. *Plin.* 8, 28, 42. Quod persequi, immensum est. ℙ *Immensum quantum*, immane quantum. *Plin.* 4, 20, 34. Immensum quantum hinc oceano, illinc Iberico mari comprimentibus. Adde 16, 36, 66. ℙ *Immenso plus*, plus quam in immensum: hyperbole. *Plin.* 20, 9, 36. Brassicae silvestris immenso plus effectus laudat Cato. ℙ Substantive. *Lucr.* 1, 72. Ergo vivida vis animi pervicit, et extra Processit longe flammantia moenia mundi, Atque omne immensum peragravit mente animoque. [*Huc pertinet locus, quem Noster §. 1. laud. *Ov. Met.* 4, 620. Per immensum ventis discordibus actus.] *Liv.* 21, 39. Immensum altitudinis. *Id.* 5, 37. loci.

IMMĒO et Inmeo, as, n. l. intro meo, ingredior. *Pallad.* 1, 17. Salutare erit, aquas illuc per tubos fictiles duci, et opertis immeare cisternis. *Plin.* 8, 25, 38. Delphini immeantes Nilo; et 11, 39, 92. Setas suum obstare tenuitati immeantis spiritus.

IMMĒRENS et Inmerens, entis, adj. ἀκακήτης, ἀνάξιος, qui nihil commeruit, immeritus, innoxius. *Nep. Dion.* 10. Hi falsa suspicione ducti, immerentes ut sceleratos occidunt. *Hor. Od.* 2, 13, 11. Triste lignum, caducum In domini caput immerentis. *Suet. Tit.* 10. Multum conquestus, eripi sibi vitam immerenti. *Val. Fl.* 9, 12. *n.* 8. Interdum quaedam immerentia supremi fati titulum occupant, *h. e.* quae nihil nocuerunt. *Lucr.* 2, 1102. exanimat indignos, inque merentes: *tmesis.*

IMMĒRENTER, adv. ἀναξίως, immerito. *Val. Max.* 6, 2. *n.* 1. *extr.* A Philippo rege temulento immerenter damnata.

IMMERGO et Inmergo, is, ersi, ersum, a. 3. ἐμβάπτω, καταδύω, intus mergo, demergo, immitto, obruo. *Pl. Bacch.* 4, 4, 26. Errasti, cum parum

immersti ampliter: *scil.* manum in pecuniam: syncope pro *immersisti*. *Plin.* 28, 6, 15. Immergere manus in aquam ferventem. *Id.* 34, 14, 41. ferrum candens aquae. *Id.* 11, 25, 30. se in aquas. *Colum.* 5, 6. *med.* partem arboris deflexam terrae. *Curt.* 4, 4. Belua alto se immersit. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 2. Immergi melle cotonea. *Virg. A.* 6, 174. Unda aliquem immergere. *Plin.* 4, 11, 18. Ubi Ister amnis immergitur, [*i. e. mare intrat:] et 18, 28, 68. *n.* 2. Regia in pectore Leonis stella matutino immergitur. ℙ *Immergere se aliquo* est se conjicere, abdere. *Pl. Men.* 3, 1, 3. In concionem mediam immersi me miser; et 5, 1, 3. Immersit aliquo sese, credo, in ganeum. *Just.* 33, 2. Inter mucrones se hostium immersit ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 13. Se blanditiis et assentationibus in Asinii consuetudinem penitus immersit. *Liv.* 23, 18. *med.* Immergere se in voluptates. Al. leg. *mergere*. *Sen. Cons. ad Polyb.* 37. Immergere se studiis. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 1. *extr.* Architas se Pythagorae praeceptis penitus immergit. ℙ In secunda conjugatione. *Colum.* 5, 9. Taleas ita immergeri, ut putris terra quatuor digitis alte superveniat.

IMMĔRĬTO et Inmerito, adv. immerenter, indigne. *Cic. Or.* 2, 79. Si res crudelis, si infanda, si immerito, si misera, etc. *Sen. ep.* 11. *f.* Custodem nobis, et paedagogum dedit: nec immerito. Sic *Lucan.* 8, 824. Haud equidem immerito Cumanae carmine Vatis Cautum, ne, etc. *Ter. Ph.* 2, 1, 59. Jamdudum te omnes nos accusare audio Immerito, et me omnium horunc' immeritissimo.

IMMĔRĬTUS et Inmeritus, a, um, adj. ἀνάξιος, qui non meretur, immerens, innocens. *Virg. A.* 3, 1. Postquam res Asiae, Priamique evertere gentem Immeritam visum Superis. *Hor. Od.* 3, 6, 1. Delicta majorum immeritus lues, Romane; et *ib.* 2, 21. Virtus recludens immeritis mori Coelum. *Ov. Trist.* 2, 274. Protegit haec sontes, immeritosque premit. Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Hor. Od.* 1, 17, 28. Vestem immeritam scindere. *Prop.* 2, 2, 3. Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues; et 4, 4, 41. Saepe illa immeritae causata est omnia lunae; et *ib.* 3, 19. Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum. ℙ *Immeritum*, absolute, *Pl. As.* 3, 3, 18. Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas? *h. e.* nullo meo merito, nulla culpa? ℙ Passive. *Liv.* 4, 13. *f.* Laudibus haud immeritis onerare aliquem. *Ov. Fast.* 2, 42. Credulus immerita Phasida juvit ope. *Mart.* 7, 32. Et rapit immeritas sordidus unctor opes. *Val. Fl.* 8, 158. Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis? *h. e.* injustis, indebitis.

IMMERSĂBĬLIS et Inmersabilis, e, adj. ἀβάπτιστος, [*Pind. Pyth.* 2, 145.] qui mergi non potest. Translate firmus, fortis, quique adversis rebus non opprimitur. *Hor. Ep.* 1, 2, 22. de Ulysse: aspera multa Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

IMMERSĬO, onis, f. actus immergendi. *Arnob.* 2, 47. Oleum respuit immersionem in se pati.

IMMERSUS, a, um, part. ab *immergo*. *Cic. Univ.* 13. Immersus in flumen. *Plin.* 2, 103, 106. Immersa in fonte. *Ov. Fast.* 4, 200. prolem Devorat, immersam visceribusque tenet.

IMMĔTĂTUS et Inmetatus, a, um, adj. non metatus. *Hor. Od.* 3, 24, 9. Scythae, et Getae, Immetata quibus jugera liberas Fruges, et Cererem ferunt.

*IMMETŪENS, entis, ἄφοβος, ἀμέριμνος *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

IMMIGRO et Inmigro, as, n. 1. in aliquem locum migro. *Cic. Phil.* 13, 17. Paucis diebus et in domum, et in paternos hortos immigrabit. *Id. Dom.* 55. Ex suis templis in ejus aedes immigrare nolebant. *Pl. Most.* 1, 2, 23. Ubi illo immigrat nequam homo, indiligensque, aedibus vitium additur. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 79. Pleraque verba translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres. *Liv. prooem. f.* Nulla respublica fuit, in quam tam serae avaritia luxuriaque immigraverint. *Pl. Most.* 1, 2, 55. Immigrare in ingenium suum, *h. e.* abire a cura paedagogi, et vivere arbitratu suo.

IMMĬNENS et Inminens, entis, part. ab *immineo*, ἐπικείμενος, qui imminet, proximus, proxime futurus, impendens. *Liv.* 29, 35. Imminens prope ipsis moenibus tumulus. [*Adde 1, 33. Carcer imminens foro; 2, 33. Imminentia muris aedificia.] *Hor. Od.* 3, 22, 5. Imminens villae pinus. *Id. ib.* 1, 4, 5. choros ducit Venus imminente luna, *h. e.* in coelo supra caput fulgente; et *ib.* 3, 27, 10. Imbrium divina avis imminentum, *h. e.* cornix. *Tac. A.* 15, 10. Paetus imminentium nescius. ℙ *Gestus imminens* dicitur, quo orator velut imminet adversario, instat urgetque, tanquam vi et contentione ipsa manuum propulsurus. *Cic. Or.* 2, 55. Quae fuit illa, quanta vis! cum conjectis oculis, gestu omni imminente, summa gravitate, etc. ℙ Translate est promptus, paratus, intentus. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Verres avaritia semper hiante atque imminenti fuit. *Id. Dom.* 6. Homo ad caedem imminens. *Curt.* 3, 1. Imminens Dario, quem nondum Euphratem superasse cognoverat, copias contrahit. *Hor. Od.* 1, 12, 54. Parthi Latio imminentes, *h. e.* graves R. imperio, et jam jam bellum illaturi. [*Liv. 31, 47. Gallico triumpho imminens; 4, 25. Imminentes spei majoris honoris; 3, 51. Peritus rerum popularium imminensque ei potestati. ℙ Confunduntur *Imminens* et *eminens* V. *intpp.* ad *Curt.* 6, 4, 3.]

IMMĬNENTĬA, ae, f. instantia, vicinitas. *Nigid.* ap. *Gell.* 9, 12. Is uterque infestus dicitur, ab instantia atque imminentia fraudis, quam facturus est.

IMMĬNĔO et Inmineo, es, n. ἐπίκειμαι, supra maneo, impendeo: ab *in*, et *maneo*. *Virg. Ecl.* 9, 41. candida populus antro Imminet: et *A.* 1, 169. nemus desuper imminet; et 423. collis plurimus urbi Imminet; et *ib.* 6, 602. Quos super atra silex jam jam lapsura cadentique Imminet assimilis. [*Ov. Met.* 1, 52. Imminet his aer, i. e. super impositus est.] *Val. Fl.* 6, 681. Imminet e celsis audentius improba muris Virgo. ℙ Item vicinus sum, insto. *Cic. Cat.* 1, 12. Sunt, qui ea, quae quotidie imminent, non videant. *Id. Tusc.* 1, 38. Mors, quae propter incertos casus quotidie imminet. *Virg. A.* 10, 26. muris imminet hostis. *Hirt. B. Alex.* 7. Hostes imminentes atque insequentes. [*Vell. 2, 96, 2. Bellum Pannonicum imminebat. *Ov. Met.* 1, 541. Tergoque fugaci imminet: h. l. dicitur cum vi de eo, qui prono corpore ita instat, ut fugientis tergum halitu suo adflet.] ℙ Translate refertur ad cupiditatem. *Cic. Phil.* 5, 7. Hujus mendicitas aviditate conjuncta in nostras fortunas imminebat. *Id. Dom.* 18. Qui imminere jam cupiditate videntur in tribuniciam potestatem. *Sen. ep.* 2. *f.* Alieno imminere, et non acquisita, sed acquirenda computare. *Liv.* 30, 28. *med.* Ii quoque, quibus ingens erat in Scipione fiducia, et victoriae spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curae intentioris erant. [*Adde 25, 20. Imminere in occasionem; 33, 11. Donis imminere.] ℙ Et ad facilitatem inferendae injuriae. *Nep. Eum.* 10. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemaeus, opibus jam valentes, cum quibus erat dimicandum. *Cic. Manil.* 5. Imminent duo reges toti Asiae. [*Vell. 2, 18, 4. Cum terribilis (Mithridates) Italiae quoque videretur imminere.] *Id. Dom.* 10. Imminebat tuus furor omnium fortunis et bonis. *Ov. Met.* 1, 146. Imminet exitio vir conjugis, illa mariti. ℙ Et ad cogitationem, et intentionem rei gerendae, et ad captandam opportunitatem. *Liv.* 25, 20. In alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminebat. (Adde 23, 16.) *Curt.* 5, 11. Occasioni imminens alloquendi regem. *Tac. Ann.* 16, 14. Quippe Antejum et Ostorium imminere rebus, *h. e.* observare opportunitatem imperii occupandi. Sic *Curt.* 6, 10. *med.* Imminere regno. [*Suet. *Cal.* 19. Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, i. e. bellum meditabatur.] *Virg. Cul.* 89. huc imminet: omnes Dirigit huc sensus: haec cura est subdita cordi. *Sen. Hippol.* 854. Tenet obstinatum Phaedra consilium necis, Fletusque nostros spernit, ac morti imminet, [*i. e. parata est ad mortem sibi consciscendam. *Suet. Aug.* 24. Quod imminere emtioni publicanos videbat. ℙ Confund. *Imminere* et *minui* V. *intpp.* ad *Curt.* 3, 8, 3.]

IMMĬNŬO et Inminuo, is, ui, utum, a. 3. ἐλαττόω, idem quod minuo, diminuo. *Cic. Fam.* 3, 3. *f.* Si istas exiguas copias quam minime imminueris. *Sall. Jug.* 48. Aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat. *Nep. Eum.* 5. Exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. *Cic. Or.* 1, 61. Imminuere aliquid de voluptate. *Suet. Ner.* 42. Nihil imminuit ex consuetudine luxus. *Ov. Her.* 15, 113. se dolor imminuit. Al. leg. *invenit*. *Tac. Ann.* 2, 86. Agrippa dissidio domum imminuerat, *h. e.* abdicata per divortium conjuge *Lucr.* 5, 625. Imminuere vires. *Petr. Sat.* 141. liberalitatem. *Plin.* 37, 1, 3. pretium. *Cic. Att.* 1, 18. *med.* auctoritatem. *Id. ad Dolabell. post ep.* 17, 14. *ad Att.* laudem alicujus. *Id. Or.* 2, 25. majestatem. *Id. Caec.* 12. *extr.* libertatem. V. LIBERTAS. *Id. Verr.* 2, 1, 33. jus legationis. Ubi *Ascon.* Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti majestatis laesae, reus est. Huc pertinet illud *Tac. A.* 2, 34. Quamquam Augusta, se violari et imminui quereretur, *h. e.* velut in ordinem cogi. ℙ Pro debilitare, infirmum reddere. *Id. H.* 2, 93. Milites per illecebras urbis, et inhonesta dictu, corpus otio, animum libidinibus imminuebant. ℙ Pro infringere, violare. *Cic. Rosc. Am.* 38. Nullum esse jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit. *Pl. Cist.* 1, 1, 90. Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit. *Appul. Flor. n.* 14. Coramque virginem imminuisset. (Adde *Lact.* 1, 10. *f.*, et V. IMMINUTIO.) *Sall. Jug.* 83. Callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, *h. e.* interrumpere: efficere, ne Bocchi pax cum Romanis agitata jungeretur. *Tac. A.* 14, 57. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinae amicitiam in eo criminantibus, *h. e.* evertere. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 209. Imminuere imperium alicujus. ℙ *Imminuere alicui caput*, pro confringere, comminuere, quidam leg. ap. *Pl. Most.* 1, 3, 109. sed alii *diminuere*. ℙ *Imminuere mentem*, de statu rationis deturbare. *Gell.* 15, 2. Ebrietas, quae labefacere et imminuere hominum mentes solet.

IMMĬNŪTĬO et Inminutio, onis, f. ἐλάττωσις, diminutio, actus imminuendi. *Cic. Fam.* 3, 8. Ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem, sine ulla imminutione dignitatis tuae. *Id. Fin.* 5, 17. Si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus, *h. e.* debilitatem, aut abscissionem alicujus membri. *Quint.* 7, 4. A parte ejus, qui causam dicit, aut defensio est criminis, aut imminutio, aut excusatio. ℙ *Auson. in centone nupt.* seu *Idyll.* 13. vocat *imminutionem* primum viri congressum cum sponsa, quia tunc virginitas imminuitur. ℙ *Imminutio* ap. *Cic. Or.* 3, 53. (ubi ait, *augendi minuendive causa veritatis superlatio*) teste *Quint.* 9, 3. *f.* inter sententiarum figuras enumeratur: sed in *Oratore* (40) postea scripto, transeundo videtur ipse damnasse.

IMMĬNŪTUS et Inminutus, a, um, part. ab *imminuo*, ἠλαττωμένος, diminutus. *Plin.* 37, 1, 3. Imminutum pretium. *Id.* 33, 3, 13. Imminutum pondus. *Solin.* 1. *med.* Cum modus intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Existimatio atque auctoritas nominis populi R. imminuta. *Id. Manil.* 11. Bellum exspectatione Pompeji attenuatum atque imminutum. *Id. Phil.* 12, 3. Cupiditas imminuta ac debilitata. *Sall. Cat.* 40. Plebis opes imminutae. *Tac. A.* 2, 63. Imminuta claritas; et *ib.* 6, 46. et *Sall. Jug.* 69. Imminuta mens, *h. e.* de recto rationis statu dejecta. [*Liv. 3, 28. *in.* Neque animis ad imperium inhibendum imminutis, i. e. cupiditate atque consilio imperii retinendi nihil destituti.] ℙ *Imminuta libertas* quid sit, V. LIBERTAS. ℙ Item non diminutus. *Julian. Dig.* 24, 2, 6. Ita tamen, ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, et unusquisque jus suum habeat imminutum. *Paul. ib.* 38, 2, 44. Ut undique patronus suum jus habeat imminutum.

IMMISCĔO et Inmisceo, es, scui, ixtum, vel istum, a. 2. ἐγκεράννυμι, ἐμμίγνυμι, idem quod misceo, vel in aliqua re misceo. *Curt.* 10, 3. Vos meorum militum corpori immiscui. *Virg. A.* 5, 429. Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt, *h. e.* manus conserunt. *Sen. Herc. Oet.* 830. corporis palla horridi Pars est, et ipsam vestis immiscet cutem, *h. e.* adeo cuti inhaeret, ut ipsam sibi immisceat. *Hor. Sat.* 1, 2, 75. immiscere fugienda petendis. *Virg. G.* 1, 454. maculae incipient rutilo immiscerier igni: *paragoge* pro immisceri. ℙ *Immiscere se*, insinuare se, se immittere. *Phaedr.* 1, 3. Graculus se pavonum immiscuit gregi. *Virg. A.* 11, 815. mediis se immiscuit armis; et *ib.* 10, 664. sublime volans nubi se immiscuit atrae. *Liv.* 31, 35. Equites immiscentes se peditibus. ℙ Translate. *Id.* 21, 32. *med.* Cum se immiscuissent colloquiis montanorum. *Id.* 45, 14. Qui sortem omnem fortunae regnique sui cum Romanis immiscuisset. *Id.* 5, 8. Falisci Fidenati bello se jam ante immiscuerant. [*Id. 4, 4. Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur cavent.] *Ulp. Dig.* 3, 5, 3. *f.* Immiscere se negotiis alienis. *Tac. A.* 4, 40. *extr.* Quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre, *h. e.* te mihi adjungere, et penitus meum intimum facere.

IMMĬSĔRĂBĬLIS et Inmiserabilis, e, adj. cujus miseret neminem. *Hor. Od.* 3, 5, 17. Si non periret immiserabilis Captiva pubes.

IMMĬSĔRĬCORDĬA, ae, f. misericordiae privatio, duritia animi. *Tert. Spectac.* 20. Numquid et extra limites circi furori studemus, et insolentiae extra stadium, et immisericordiae extra amphitheatrum?

IMMĬSĔRĬCORDĬTER, adv. ἀνελεημόνως, absque misericordia. *Ter. Ad.* 4, 5, 28. Factum a vobis duriter immisericorditerque.

IMMĬSĔRĬCORS et Inmisericors, cordis, adj. ἀνελεήμων, non misericors, immitis. *Cic. Inv.* 2, 36. Ipsum immisericordem, superbum fuisse. *Gell.* 14, 4. Judicem oportere esse contra improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem.

IMMĬSĔROR, aris, dep. 1. idem quod miseror. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 2, 541. Boni immiserantur illum, hunc irrident mali. Alii leg. *miserantur*.

IMMISSĂRĬUM, ii, n. locus, quo aqua immittitur. *Vitr.* 8, 7. Efficiatur castellum, et castello conjunctum, ad recipiendam aquam, triplex immissarium, *h. e.* receptaculum, in quod aqua immittitur.

IMMISSĬO et Inmissio, onis, f. actus immittendi. *Ulp. Dig.* 8, 5, 8. *med.* Fumi, aut aquae immissio. ℙ *Immissio sarmentorum* in putandis vitibus fit, cum ea relinquuntur ad fructum, et crescere sinuntur. *Cic. Sen.* 15. Sarmentorum ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio.

IMMISSŬLUS, Immisculus, Immistulus, Immusculus, Immussulus, Immustulus, (totidem enim modis legitur) ales est ex genere aquilarum, sed minorum virium, quam aquilae: raro, et non fere, praeterquam veris tempore, apparet, quia aestum algoremque metuit: appellatur autem ita, quod subito et inexspectata se immittat. Haec *Festus:* qui supra dixerat: Immusculus, avis genus, quam alii regulum, alii ossifragam dicunt. *Id.* in *Alites.* Alites volatu auspicia facere istae putabantur: buteo, sanqualis, immusculus, aquila, vulturius. *Plin.* quoque de ea verba facit, 10, 7, 8. Sanqualem avem atque immussulum augures Romani in magna quaestione habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse, et sanqualem ossifragae. Massurius sanqualem ossifragum esse dicit, immussulum autem pullum aquilae, priusquam albicet cauda. Hactenus *Plin.* Sed haec omnia incerta sunt, et ut nomina, ita ipsa avis admodum ignota.

IMMISSUS et Inmissus, a, um, part. ab *immitto:* ἐμβεβλημένος, intro missus. *Cic. Att.* 14, 10. Servi in tecta nostra cum facibus immissi. *Id. Har. resp.* 11. Vis innumerabilis servorum ab hoc repente fornicibus, ostiisque omnibus in scenam, signo dato, immissa irrupit. [**Liv.* 2, 5. Magna vis hominum simul immissa, sc. in segetem desecandam.] *Id. Dom.* 15. Tela in meum corpus immissa. [**Ov. Met.* 12, 330. Lancea costis immissa.] *Virg. A.* 10, 40. superis immissa repente Alecto; et *ib.* 12, 521. Immissi ignes arentem in silvam. *Id. G.* 3, 371. cervos immissis canibus agitare; et *A.* 8, 246. trepident immisso lumine Manes. [**Ov. Met.* 5, 358. Immissusque dies trepidantes terreat umbras.] *Caes. B. C.* 2, 10. Ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. [**Suet. Aug.* 16. Immisso in Lucrin. et Avern. lacum mari. *Dom.* 10. *f.* Immisso per obscoena igne. *Claud.* 44. *f.* Toxico — immisso per clysterem.] *Curt.* 8, 14. Per lubrica atque invia immissi currus excutiebant eos, a quibus regebantur. *Sall. Cat.* 49. Alii Tarquinium a Cicerone immissum ajebant, ne Crassus rempublicam conturbaret, [*i. e. subornato, et maligno quidem animo. *Tac. A.* 3, 16. *in.* Nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. *Suet. Cal.* 23. Fratrem Tiberium inopinantem, repente immisso Tribuno militum, interemit. *Id. Galb.* 12. Immisso equite dissecit. *Ner.* 43. Feris in populum immissis. *Tac. A.* 4, 19. Immissus Varro consul. 4, 54. Immissis, qui monerent. V. *Cort.* ad *Plin. ep.* 6, 31, 3. Ab dissimillimis Claudio delator immissus; et *Walch. Emendd. Livv.* p. 98. Cf. etiam IMMITTO.] *Virg. A.* 11, 889. immissis pars caeca, et concita frenis Arietat in portas, *h. e.* remissis. Sic *ib.* 5, 662. furit immissis Vulcanus habenis. Possis etiam *immissis frenis* intelligere, ipsis equis immissis. Sic *ib.* 146. Nec sic immissis aurigae undantia lora Concussere jugis. [**Prop.* 3, 9, 58. Dexteraque immissis da mihi signa rotis; i. e. admissis, concitatis ad cursum.] ℙ *Immissum tignum* est aliquo injectum, projectum, infixumque. *Caes. B. G.* 4, 17. Haec tigna bipedalibus trabibus immissis distinebantur. *Cajus Dig.* 43, 25, 3. Tignum in parietem immissum habere. *Jabol. Dig.* 50, 16, 242. Inter projectum, et immissum hoc interesse, ait Labeo, quod projectum esset id, quod ita proveheretur, ut et nusquam requiesceret, qualia moeniana et subgrundae essent: immissum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requiesceret, veluti tigna, trabes, quae immitterentur. ℙ [*Dicitur *immissus* etiam de rebus, quae variae ita sibi sunt crescendo insertae, ut unam quasi densitate quadam efficere videantur; nostr. *verwachsen. Liv.* 40, 22. Prae densitate arborum, immissorumque aliorum in alios ramorum.] ℙ *Immissa barba* est promissa. *Virg. A.* 3, 593. dira illuvies, immissaque barba. Adde *Ov. Met.* 12, 351. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 471. et Graeca constructione *Val. Fl.* 1, 412. Phleias immissus patrios de vertice crines. [**Ov. Fast.* 1, 503. Immissis puppim stetit ante capillis.]

IMMISSUS, us, m. immissio. In sexto casu sing. *Macr. Sat.* 1, 18. Sol cuncta vertice summo lustrat lucis immissu.

IMMĪTĪGĂBĬLIS, e, adj. qui mitigari non potest, ut Immitigabilis ardor, *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *n.* 33.

IMMĪTIS et Inmitis, e, adj. ἄνωρος, immaturus, acerbus, crudus, silvestris, asper. *Hor. Od.* 2, 5, 10. Immitis uva. *Plin.* 13, 4, 6. Palmae in maritimis Hispaniae fructum ferunt, verum immitem: dulcem in Africa, sed statim evanescentem. *Id.* 10, 5, 26. *n.* 3. Immites raphani, *h. e.* silvestres. *Id.* 17, 16, 26. Eaque immitibus tantum, et desertis locis proveniunt. *Tac. A.* 1, 69. Insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse. *Tibull.* 1, 3, 55. Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus, *h. e.* immatura. ℙ Item immanis, ferus, crudelis, asper. *Virg. G.* 4, 492. Immitis tyrannus, *h. e.* Pluto. *Liv.* 23, 5. *med.* Natura et moribus immitis ferusque. *Ov. Pont.* 3, 2, 71. Immitis ara, *h. e.* in qua mactantur homines. *Id. Fast.* 1, 625. ausas immitia nuptas, *h. e.* abortus facere. *Virg. G.* 4, 17. Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam, *h. e.* pullis hirundininis, qui apibus infestissimi sunt, easque avidissime devorant. *Ov. Met.* 13, 260. Immitia fata; et *ib.* 6, 621. Immitibus oculis tueri; et *ib.* 13, 804. calcato immitior hydro. *Plin.* 10, 74, 96. Serpentes, immitissimum animalium genus. *Tac. A.* 1, 20. Antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat; et *ib.* 6, 9. Immite rescriptum; et *ib.* 15, 27. Immitia mandata. *Prop.* 4, 11, 13. Immites Parcae. ℙ Transfertur ad inanima. *Tibull.* 1, 1, 39. Quam juvat immites ventos audire cubantem! *Ov. Amor.* 1, 6, 17. immitia claustra. *Id. de nuce* 69. vulnera. [**Liv.* 4, 59. Immitis diu caedes pariter fugientium ac resistentium armatorum atque inermium fuit.] *Plin. ep.* 8, 17. Immite et turbidum coelum; et *Sil.* 8, 380. immite mustum, *h. e.* valde austerum. ℙ *Immite* adverbii ritu. *Sil.* 17, 257. stridorque immite rudentum Sibilat.

IMMITTO et Inmitto, is, isi, issum, a. 3. ἐμβάλλω, intus mitto, induco, injicio. *Cic. Verr.* 2, 4, 45. Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo, etc.? *Caes. B. C.* 3, 101. Completas naves taeda et pice in Pomponianam classem immisit. *Ulp. Dig.* 39, 3, 3. Ex fullonicis immittere aquam in fundum vicini. *Id. ib.* 43, 23, 1. *med.* Immittere cloacam privatam in publicum. *Sil.* 17, 353. juvenemque ferocem Immisti Latio, *h. e.* misisti contra Latium: syncope pro *immisisti. Ov. Her.* 2, 133. corpus immittere in undas. *Id. Met.* 6, 615. aliquem immittere flammis. *Val. Fl.* 2, 614. Immittitque ratem, mediasque intervolat urbes. *Cic. Dom.* 15. Immittere tela in aliquem. *Alfen. Dig.* 9, 2, 52. *med.* Telum ex manu immittere. *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. Repente equum immisi ad eam legionem. [**Liv.* 40, 40. Si effrenatos in eos equos immittitis: paulo ante: permittite equos in cuneum hostium. Ita saepissime ap. *Liv.* h. v. in rebus bellicis usurpatur; 40, 48. Armaturam levem immittendo in stationes. Etiam *mittere* hoc sensu, *permittere* item dicitur; 21, 8. Nec ullo (Saguntinorum) pedem referente, ne relicto a se loco hostem immitteret, i. e. irrumpere sineret. Porro in re navali: *Id.* 30, 25. Concitatam remis navem, quanto maximo impetu poterant, in terram quum immisissent.] *Pl. Epid.* 3, 1, 14. Neque ego id immitto in aures meas. *Ulp. Dig.* 21, 1, 14. Corpus ejus in aliquam valetudinem immisisset, *h. e.* in morbum incidere fecisset. *Plin.* 28, 14, 58. Caseus recens immittitur ad utrumque vitium, *h. e.* injicitur, infunditur. *Cels.* 2, 12. Tum immittenda in alvum est pura aqua. ℙ Cum infinito. *Appul. Met.* 8. Canes generosae invadere bestias immittuntur. ℙ *Immittere se*, se conjicere. *Cic. Tusc.* 1, 48. Codrus in medios se immisit hostes. [**Liv.* 9, 4. Et me vel devovere pro populo Rom. legionibusque, vel in medios me immittere hostes paratus sum.] *Val. Fl.* 8, 35. Icta timore gravi mediam se immisit. ℙ Pro remittere, laxare. *Ov. Met.* 1, 280. Immittere habenas. [*Haec dicendi ratio passim usurpatur a poetis, ubi durior ejus usus videri possit. *Ov. Met.* 1, 280. Fluminibus vestris totas immittite habenas. Ita *Gierig.* ad h. l. qui laudat, *Virg. A.* 5, 662. Furit immissis Vulcanus habenis. *Lucr.* 5, 785. Arbores immissis habenis per auras crescunt.] *Plin. ep.* 8, 4. *med.* Immittere rudentes, pandere vela. ℙ *Immittere arborem* est crescere sinere. *Plin. alter* 16, 33, 60. Cupressus immittitur in perticas, asseresve. *Varr. R. R.* 1, 31. Ea vitis immittitur ad uvas pariendas. *Virg. G.* 2, 363. dum se laetus ad auras Palmes agit, laxis per purum immissus habenis. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 4, 260. neque barbam immiseris istam. ℙ *Immittere tignum in parietem* ap. JCtos est ita extendere ac projicere, ut in pariete communi, vel alieno requiescat. *Ulp. Dig.* 8, 5, 8. et *Cajus ib.* 2, 1. Quid inter *projicere* et *immittere* intersit, V. IMMISSUS. ℙ Pro inserere, intexere. *Ov. Met.* 6, 68. lentum filis immittitur aurum, Et vetus in tela deducitur argumentum. [*Verbum cum delectu positum; respond. nostr. *einschiessen.*] ℙ Pro dimittere. *Nep. Ann.* 5. Obducta nocte, sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. [*Hoc loco *immittere* non est dimittere, *etwas gehen lassen*, *wie es will*, sed jubere, ut pellantur cum vi agantur, scil. contra Romanos in montibus circumjacentibus castra tenentes.] ℙ Pro subornare. *Justin.* 9, 7. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade fuisse. [*Huc pertinet etiam locus quem Noster supra laud., ap. *eund.* 3, 6. Lacedaemonii Peloponnenses immisere, qui bellum Atheniensibus facerent. Adde 32, 2. Insidias sibi paratas confingit; ad cujus rei probationem immittit indices. *Tac. A.* 11, 1. Suilium accusandis utrisque immittit; 6, 45. Macro — impulerat — uxorem suam Enniam immittendo amore juvenem inlicere pactoque matrimonii vincire: ubi conjungenda sunt *immittendo amore.* Ceterum notandum hanc loquendi rationem imprimis frequentem apud sequiores scriptores esse. Plura exempla v. in IMMISSUS.] ℙ Et pro circumdare, cingere. *Petr. Sat.* 32. Circa oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam. ℙ Et pro infundere, indere. *Val. Fl.* 7, 353. Immittere alicui vires. *Sen. Herc. Oet.* 554. amorem. *Virg. A.* 9, 719. Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem. ℙ Et pro intentare. *Cic. Parad.* 4, 1. Jactam et immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi: pervenisse ad me nunquam putavi. ℙ [*Et pro inculcare. *Cic. Or.* 56. In eo ipso loco quo reprehendit — immittit imprudens ipse senarium: *lässt sich einschleichen.* ℙ *Immittere in bona* est possessionem dare. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. Scilicet tu praetor in mea bona, quos voles, immittes? ℙ Corrumpitur *immittitur* in *intexitur.* V. *intpp.* ad *Ov. Met.* 6, 68. Confunduntur *immittere* et *emittere.* V. *intpp.* ad *Virg. A.* 12, 333.]

IMMIXTIM et Immistim, adv. immiscendo. *Pl. Aul.* 2, 3. *extr.* Malum moererem metuo, ne immixtim bibam. Al. leg. *mixtum.*

IMMIXTUS, aut Immistus, et Inmixtus, a, um, part. ab *immisceo:* mixtus. *Liv.* 3, 50. Immixti turbae militum togati. *Virg. A.* 2, 396. Vadimus immixti Danais. *Ov. Her.* 6, 73. immixtaque vota timori. *Tac. H.* 4, 85. Nec parvis periculis immixtus, et majoribus non defuturus. *Plin.* 25, 8, 54. Radicem contusam, immixta calce, in mare sparsere. ℙ Item non mixtus. *Auson. ep.* 20. *f.* Potare immixtum sueta, merumque merum.

IMMO et Imo, adv. μᾶλλον δὲ, ἀλλὰ, quin potius: modo solum adhibetur, modo aliis junctum particulis, et vim habet affirmandi, eligendi, et corrigendi: [*Nostr. *Ja wohl! O nein! Nein; vielmehr.* V. *Ramsh.* l. infr. laud.] *Vossius* ab *imus* deducit, ut sit pro *postremo loco*, h. e. postremo illud addo quod plus est. *Pl. Cist.* 2, 3, 22. An, amabo, meretrix illa est, quae illam sustulit? *La.* Immo meretrix fuit. *Cic. Att.* 9, 7. Causa igitur non bona est? immo optima: sed agetur foedissime. *Petr. Sat.* 16. Nec accusat errorem vestrum: immo potius miratur, etc. *Ter. Andr.* 1, 2, 30. Quid? hoc intellextin'? an nondum etiamne hoc quidem? *Da.* immo callide. *Id. Hec.* 2, 1, 31. Non mea opera, neque pol culpa evenit. *Lae.* immo vero maxime. *Id. Andr.* 5, 1, 2. orandi jam finem face. *Si.* Immo enim nunc quam maxime abs te postulo atque oro, ut, etc. [**Immo enim* causam indicat, cur fiat contrarium.] *Id. Ph.* 3, 2, 43. Siccine hunc decipis? *Do.* immo enimvero, Antipho, hic me decipit. *Cic. Off.* 3, 23. Si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat, etc.; et *paulo supra.* Non igitur patria praestat omnibus officiis? immo vero. *Pl. Epid.* 3, 4, 80. Eumne ego sinam impune? immo etiamsi alterum Tantum perdundum est, perdam potius, quam, etc.; et 5, 2, 2. Immo edepol tu quidem miserum me habes miseris modis. *Id. Most.* 3, 2, 79. Immo edepol vero. *Id. Bacch.* 2, 2, 33. Immo hercle abiero potius; et 4, 8, 51. Immo est quoque. *Ter. Eun.* 4, 7, 42. Credin'? *Gna.* immo certe. *Id. Andr.* 4, 2, 25. Verum vis dicam? *Da.* immo etiam. [**Suet. Rh.* 5. Nec eo minus, immo vel magis. *Plutarch. Ages.* 29. οὐχ ἧττον, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. *Suet. Dom.* 9. *immo* e diverso; ubi v. *Brem.*] ℙ *Immo ut* eleganter ponitur, cum rem inopinatam dicturi sumus. *Pl. Curc.* 1, 1, 59. Immo ut illam censes? ut quaeque illi occasio est surripere, etc.; et *Bacch.* 2, 2, 30. Immo ut eum credis? misera amans desiderat. Similia sunt illa *Ter. Heaut.* 3, 3, 38. Pessima haec est meretrix. *Sy.* immo si scias hoc, quod inceptat facinus; et *Andr.* 5, 2, 12. quid illum censes? cum illa litigat. *Da.* Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audias. ℙ Interdum *immo* locum habet, etiam si minus aliquid dicturi simus. *Pl. Amph.* 1, 1, 232. Obsecro, ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem. *Merc.* Immo induciae parumper fiant, si quid vis loqui. *Virg. A.* 9, 98. Immo ubi defunctae finem, portusque tenebunt, etc. V. integr. locum. ℙ Raro verbis postponitur. *Pl. Aul.* 4, 10, 34. Negas? *Ly.* pernego immo. *Tac. A.* 12, 6. Statueretur immo documentum. [**Tac. Dial.* 6. Illos quin immo; cp. 39. ipsam quin immo curam. *G.* 14. Pigrum quin immo et iners videtur. *A.* 11, 30. Frueretur immo iis; 15, 21. Quaedam immo virtutes.] ℙ Ad scriptionem quod attinet, duplicem *m m* probant *Manut.* et *Cellar.*, unicam *Dausq.*, sed stare ab illis praestat; tamen vide vocis etym. ab in. pos. [**Ramsh. Gr. Lat.* §. 174. IV. N. 2. p. 721., prob. *Voss. etym.*, praefert *imo.*]

IMMOBĬLIS et Inmobilis, e, adj. ἀκίνητος, qui non movetur, vel moveri non potest. *Cic. Somn. Scip.* 5. Terra immobilis manens, ima sede semper haeret. *Curt.* 8, 14. Elephas tardum et paene immobile animal. *Plin.* 9, 6, 5. Balaenae ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes. *Lucan.* 9, 484. immobilis Austro, *h. e.* ad Austri flatus. *Ov. Met.* 13, 801. His immobilior scopulis, violentior amne. ℙ *Immobiles res* immobilia bona, res et bona, quae solo continentur, et moveri loco non queunt, ut praedia, aedes, τὰ ἀκίνητα. *Jabol. Dig.* 41, 3, 23. et *Macer ib.* 2, 8, 15. ℙ

Translate. *Tac. A.* 16, 10. *extr.* Princeps immobilem se precibus, et invidiae juxta ostendit. *Id. H.* 4, 2. Tristes, et truces, et adversum plausum ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. *Virg. A.* 7, 623. Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante. *Lact.* 6, 17. *med.* Hominem ad immobilem stuporem mentis perducere, *h. e.* ut nullo affectu moveatur. *Gell.* 19, 12. *extr.* Isti apathiae sectatores, qui videri se esse tranquillos, et intrepidos, et immobiles volunt. *Front. Aquaed.* 34. Omnia, quae mensura continentur, certa et immobilia congruere sibi debent, *h. e.* immutabilia. ℙ Constans, perpetuus. *Suet. Vitell.* 3. Statua pro rostris cum hac inscriptione: Pietatis immobilis erga principem.

IMMOBĪLĬTAS, atis, f. firmitas, stabilitas, ἀκινησία. *Just.* 36, 3. Lacus qui, propter magnitudinem, et aquae immobilitatem, mare mortuum dicitur. *Lact.* 6, 17. *med.* Qui immobilitatem animi asserunt, *h. e.* ut sine affectibus sit animus. Adde *Tert. adv. Hermog.* 36. *extr.*, et in plurali num. *Arnob.* 1. p. 26.

IMMŌDĔRANTĬA, ae, f. immoderatio. *Tert. Baptism.* 20. *f.* Tentationes plenitudini et immoderantiae ventris appositas abstinentia elidere.

IMMŌDĔRĀTĒ, adv. sine certa ratione. *Cic. Univ.* 13. Totum animal movebatur illud quidem, sed immoderate et fortuitu. *Id. N. D.* 2, 59. *f.* Lingua vocem immoderate profusam fingit et terminat. ℙ Translate, ἀμέτρως, sine moderatione, immodice. *Cic. Fam.* 12, 1. *f.* Immoderate quidam et ingrate nostra facilitate abutuntur. *Id. Div.* 1, 29. Exsultare immoderateque jactari. *Id. Univ.* 12. Immoderate et intemperate vivere. *Quint.* 11, 13. *med.* Non potest esse longus spiritus, cum immoderate effunditur. *Cic. Fam.* 5, 16. *med.* Non est gravitatis ac sapientiae tuae ferre immoderatius casum incommodorum tuorum. *Spart. Sever.* 20. Immoderatissime laetari.

IMMŌDĔRĀTĬO, onis, f. immoderantia, excessus, ἀμετρία, ἀταξία, *Cic. Sull.* 10. Interdum effertur immoderatione verborum.

IMMŌDĔRĀTUS et Inmoderatus, a, um, adj. ἄμετρος, qui modum non servat, sed excedit, immodicus, nimius, non moderātus. *Cic. Div.* 1, 29. Immoderato potu et pastu pars animi obstupefacta. *Id. Rosc. Am.* 45. Venti vehementiores, immoderatae tempestates. *Id. Or.* 58. Ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio, *h. e.* sine modo, et numero. ℙ Item immensus, infinitus. *Id.* vertens *Eurip.* locum, *N. D.* 2, 25. Vides sublime, fusum, immoderatum aethera. *Lucr.* 1, 1011. Simplice natura pateat tamen immoderatum. *Arnob.* 2, 97. Immoderata continuatio saeculorum. ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 28. Ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse. *Auct. ad Her.* 2, 22. Immensae cupiditates, infinitae, et immoderatae sunt. *Cic. Acad.* 1, 10. *extr.* Omnium perturbationum esse matrem immoderatam quandam intemperantiam. *Ov. Pont.* 4, 15, 31. res immoderata cupido est. *Gell.* 19, 12. Motus animi cum immoderatiores sunt, vitia fiunt. *Suet. Ner.* 51. Immoderatissimae luxuriae esse.

IMMŌDESTĒ, adv. immoderate, supra modum, immodice, ἀμέτρως. *Pl. Poen.* 1, 1, 25. Immodeste amare. *Liv.* 22, 27. Immodice immodesteque gloriari. *Suet. Aug.* 24. Legiones immodeste missionem postulantes exauctoravit. *Quint.* 12, 1. Immodeste proponere, sine pudore affirmare. *Sen. Q. N.* 1, 17. Processit immodestius, paulatim opibus ipsis invitata luxuria. Alii leg. *molestius. Pl. Rud.* 1, 3, 10. Hoc mihi indecore, inique, immodeste datis, Dii, *h. e.* injuria, injuste, non servantes modum, cum detis immerenti.

IMMŌDESTĬA, ae, f. ἀμετρία. immoderatio, intemperantia. *Pl. Merc. prol.* 27. amori accedunt haec: Incogitantia, excors immodestia, Petulantia, cupiditas. *Id. Amph.* 1, 1, 9. Haec heri immodestia coegit, qui me hoc Noctis a portu ingratis excitavit. *Nep. Alcib.* 8. Ne immodestia militum nostrorum occasio detur hosti opprimendi exercitus. [*V. *Brem.* ad *Nep. Lys.* 1, 2.] *Tac. A.* 13, 50. Crebrae populi flagitationes, immodestiam publicanorum arguentis. Et *ib.* 4, 14. De immodestia histrionum retulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos tentari.

IMMŌDESTUS et Inmodestus, a, um, adj. ἄμετρος, immodicus, immoderatus, intemperans, nimius. *Ter. Heaut.* 3, 3, 7. Vel heri in vino quam immodestus fuisti! *Cic. Off.* 1, 29. Ipsum genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. *Tac. A.* 13, 28. Immodesti fautores histrionum a praetore in vincula ducti. *Pl. Curc.* 1, 3, 44. Immodesti mores. *Sen. Controv.* 1, 1. Immodesta largitione effundere.

IMMŌDĪCĒ, adv. ἀμέτρως, sine modo, ultra modum. *Colum.* 2, 16. Frequenter id potius, quam immodice facere, *h. e.* nimium stercorare. *Plin.* 30, 13, 38. Si sanguis ex vulnere immodice fluat. *Lucan.* 10, 137. Cleopatra immodice formam fucata nocentem. *Pallad.* 1, 5. Situs terrarum arduus tempestates immodice sentit, et calores. *Gell.* 19, 2. Immodice capere voluptatem ex re aliqua. *Id.* 1, 11. Immodice ferocire. *Quint.* 11, 1. Eloquentiam sibi immodice arrogare. *Cic. Tusc.* 4, 17. *f.* Quid, si, cum id ferret immodice, mors liberorum accessisset? Plerique al. leg. *modice.* [*Ita *Orell.* nulla lectionis varietate notata.] *Liv.* 22, 27. Immodice immodesteque gloriari.

IMMŌDĪCUS et Inmodicus, a, um, adj. ἄμετρος, qui modum excedit, immoderatus, nimius. *Hor. Od.* 1, 13, 10. Immodicae mero rixae. *Ov. Her.* 18, 137. Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent. *Id. Met.* 6, 673. Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum; et *ib.* 8, 808. immodico prodibant tubere tali. *Id. Pont.* 3, 1, 14. Immodicum frigus. [*Ita Gr. ἄμετρον θάλπος, ψύχος sim. Adde *Suet. Aug.* 47. Continuae et immodicae tempestates.] Et *ib.* 1, 4, 22. Immodicus labor. *Id. A. Am.* 3, 511. Immodici fastus. *Colum.* 1, 3. *f.* Immodica possidendi libido. *Plin. ep.* 9, 4. Immodica oratio, *h. e.* nimis longa. *Vell.* 2, 33. Immodicus in appetendis honoribus. [*Liv. 31, 45. Decreta immodica ad honores sociorum; 21, 3. An hoc timemus, ne Hamilcaris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni speciem videat. *Vell.* 2, 28, 2. Imperio — in immodicam crudelitatis licentiam usus est; et 2, 68, 4. Immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Caesarem.] *Suet. Dom.* 12. Tum verbis, tum rebus immodicus, [*i. e. omnem modum excedens, ἀχρατής. Adde *Galb.* 9. *Liv.* 22, 12. Immodicus lingua. V. *Bauer.* ad h. l. p. 51. *Val. Fl.* 5, 597. Immodicum dictis.] *Liv.* 38, 23. *med.* Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet. *Lucan.* 6, 796. Gracchi immodici legibus, *h. e.* qui in legibus ferendis sibi non temperarunt. *Mart.* 10, 48. immodico sexta (*hora*) Nerone calet, *h. e.* thermis Neronianis immodice calentibus. ℙ Cum genitivo, Graecorum more. *Vell.* 2, 11. Immodicus gloriae, *h. e.* in appetenda gloria. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Stat. Th.* 1, 41. irae. *Colum.* 7, 6. libidinis. *Tac. A.* 15, 23. laetitiae et moeroris. *Id. H.* 1, 53. Caecina corpore ingens, animi immodicus. *Sil.* 12, 268. immodicus fugae.

IMMŌDŪLĀTUS et Inmodulatus, a, um, adj. non modulatus, inconditus. *Hor. A. P.* 263. Non quivis videt immodulata poemata judex.

IMMOENIS. V. IMMUNIS.

IMMŌLĀTĪCĬUS, a, um, adj. qui immolatus est, ut Immolaticia caro, ap. *August. ep.* 154. *med. Gloss. Philox.* Immolaticius, θύσιμος.

IMMŌLĀTĬO, onis, f. θυσία, sacrificatio. *Cic. Div.* 1, 52. *extr.* In ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interisse. Adde *ib.* 2, 16. Et in plurali numero *Tac. A.* 3, 13. Sacra et immolationes nefandae.

IMMŌLĀTOR, oris, m. qui immolat et sacrificat. *Cic. Div.* 2, 15. Ut se exta ad immolatoris fortunam accommodent. *Prud. Cath.* 12, 48. Primus sator credentium, Nati immolator unici.

IMMŌLĀTUS et Inmolatus, a, um, part. ab *immolo*, mola aspersus, sacri faciendi causa. *Cato* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 541. Boves immolatos, priusquam caederentur, profugisse in Siciliam. *Serv.* ad *ib.* 4, 57. Olim hostiae immolatae dicebantur mola salsa tactae: cum vero ictae et aliquid ex illis in aram datum, mactatae dicebantur. ℙ Item mactatus. *Hor. Od.* 4, 11, 7. Ara avet immolato spargier agno. *Plin.* 8, 22, 34. Immolati pueri exta degustasse. ℙ Urbane *Phaedr.* 4, 5. Quos immolatos victor avidis dentibus, Capacis alvi mersit tartareo specu.

IMMŌLĪTUS et Inmolitus, a, um, adj. aedificatus, constructus: ab *in* et *molior. Liv.* 39, 44. Quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. *Inaedificata* dicuntur privata aedificia publicis imposita: *immolita* vero, in publico a fundamentis exstructa. In *vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *f.* Ne quis in iis locis quid inaedificatum, inmolitumve habeto. In edicto Praetor. ap. *Ulp.* aliis verb. hoc idem significatur, *Dig.* 43, 8, 2. *in.* Ne quid in loco publico facias, inve eum locum immittas, etc.

IMMŌLO et Inmolo, as, avi, atum, a. 1. θύω, mola, hoc est farre tosto, molito, et sale mixto victimam aspergo: (V. MOLA) et generatim rei divinae causa macto, sacrifico. *Cic. N. D.* 3, 36. Pythagoras, cum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur. *Id. Font.* 10. Barbara consuetudo hominum immolandorum. *Id. Leg.* 2, 12. Quibus hostiis immolandum cuique Deo, cui majoribus, cui lactentibus, etc. *Id. Div.* 2, 17. Cum pluribus Diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Nemo nostrum est, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quamprimum Caesar superaretur, optaret. [*Liv. 1, 45. Interea Romanus Dianae immolat bovem. Adde 41, 9. 8, 9.] *Suet. Caes.* 59. Cum immolanti aufugisset hostia. ℙ Translate et ironice. *Virg. A.* 12, 948. Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat, et poenas scelerato ex sanguine sumit; et *ib.* 10, 519. inferias quos immolet umbris.

[IMMONTŪOSUS et Inmontuosus, a, um, adj. non montuosus. *Not. Tir.* p. 70. Montuosus, immontuosus. *F.*]

*IMMŌRANTER et Inmoranter, adv. non morando. *Gloss. Philox.* Ἀνυπερθέτως, inmoranter, incunctanter. *B. A.*

*IMMŌRĀTĬO, onis, f. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 1. Immoratio in passionibus. *B. A.*

*IMMORDĒO, es, a. 2. morsu prehendo. *Lact.* vel *Lutat.* in *Stat. Th.* 2, 628. Moriens dentibus immordet hastam per adversum os infixam. *B. A.*

IMMORIOR et Inmorior, eris, ortuus sum, dep. 3. ἐναποθνήσκω, in aliquo loco morior. *Ov. Pont.* 3, 7, 40. Fortiter Euxinis immoriemur aquis. *Id. Met.* 6, 295. illa sorori immoritur. *Sen. Hippol.* 712. Ut manibus immoriar tuis; et *Herc. Oet.* 869. Immori ferro. Sic *Val. Fl.* 6, 570. Immoritur hastae. *Quint.* 9, 3. *med.* Pater meus contra eum, qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis, re infecta, redierat: *non exigo, ut immoriaris legationi: immorare.* [*Differt hic locus ab antecedentibus, quod non de loco, ubi quis moritur, sed de re, in qua quis ita moritur, ut ipsa moriendi causam attulerit. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 35. et cf. IMMORTUUS.] ℙ *Immori studio alicujus rei* per hyperbolen dicitur de eo, qui ita deditus est, tamque pertinaciter incumbit, ut in illo mori velle videatur. *Hor. Ep.* 1, 7, 85. Immoritur studiis, et amore senescit habendi. ℙ Translate. *Stat. Th.* 1, 479. ventis ut decertata residunt Aequora, laxatisque diu tamen aura superstes Immoritur velis, *h. e.* desinit vela impellere, et in ipsis quasi moritur.

IMMORŌR et Inmoror, aris, dep. 1. ἐμμένω, moram traho in aliqua re. *Colum.* 8, 5. *med.* Ut saturae studiosius nidis immorentur. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Immorari honestis cogitationibus. *Quint.* 11, 2. Non arbitror, mihi in hoc immorandum, quid sit, quod memoriam faciat. *Plin.* 9, 8, 8. Cum (*puer*) meridiano immorans, fragmentis panis (*Delphinum*) allexisset.

IMMORSUS et Inmorsus, a, um, adj. morsu prehensus. [*Hor. Sat.* 2, 4, 61. Perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus reflci, i. e. vellicatus, punctus, excitatus, *scil.* salsamentis, vel cibis sale maceratis. Ita *Bentl.* ex optimis codd. recep. pro vulg. *in morsus.*] *Prop.* 3, 6, 21. Immorso aequales videant mea vulnera collo. [*Ita *N. Heins.* et *Broukh.*] Al. leg. *In morso. Stat.* de eo, qui in os inimici telum receperat, *Th.* 2, 628. donec transmissa morte per artus Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta. [*Gloss. ad *Stat. Th.* 2, 628. Immorsa, fortiter morsa. Sed *al. Gloss.* Immorsus, ἄδηκτος, et Immordosus, ἄδηκτος. *B. A.*]

IMMORSUS, us, m. morsus. *Vell.* 2, 87. Cleopatra, illata aspide, immorsu ejus spiritum reddidit. Plerique al. leg. *morsu.* [*Ruhnk.* leg. morsu sane ejus — spiritum reddidit.]

IMMORTĀLIS et Inmortalis, e, adj. ἀθάνατος, qui nunquam moritur. *Cic. Sen.* 21. Dii immortales; et 23. Animi sunt immortales; et *ib.* Ad immortalem gloriam niti. *Nep. Att.* 11. Praecepta, beneficia immortali memoria retinere. *Cic. Or.* 2, 2. Alicujus memoriam immortalem reddere. *Id. Pis.* 14. Fructum immortalem cepi vestri in me amoris, et judicii. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. Immortales gratias agere alicui. *Tac. H.* 4, 32. Immortalia tributa. *Just.* 29, 1. *f.* Quibus velut immortale odium cum Macedonibus regibus erat. *Liv.* 1, 16. Immortalia opera edere. *Mart.* 9, 94. Immortale Falernum, *h. e.* quod diu aetatem fert, vel cujus pretium et fama semper stabit. *Sall. Jug.* 90. *f.* Nemo ignavia immortalis factus est. *Hor. Od.* 4, 7, 7. immortalia ne speres, monet annus, et almum Quae rapit hora diem. ℙ *Immortales* absolute sunt ipsi Dii. *Varr. L. L.* 4, 11. Dictum est quod ad immortales attinet: deinceps quod ad mortales, etc. ℙ *Immortale* adverbii loco. *Val. Fl.* 7, 362. Immortale virens. ℙ *Immortalis*, felix, beatus, instar Deorum. *Prop.* 2, 11, 9. Immortalis ero, si altera talis erit. Adde *ib.* 12, 39. ℙ [*Confunduntur immortalis et *talis.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 12, 29. it. *immortale* et *etiam tale. Id. ib.* 1, 31, 86.]

IMMORTĀLĬTAS et Inmortalitas, atis, f. ἀθανασία, sempiterna vita, perpetuitas. *Cic. Sen.* 21. Quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset. *Id. Pis.* 7. Mihi populus R. non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit. *Id. Phil.* 2, 13. Quae tam ingratae litterae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? *Id. Or.* 2, 9. Historia qua voce alia, nisi oratoris immortalitati commendatur? et *ib.* 3, 16. Socratis ingenium immortalitati scriptis suis Plato tradidit. *Ter. Andr.* 5, 5, 4. Immortalitatem sibi parere. *Plin.* 13, 16, 30. de cedro: Referens quandam immortalitatem materiae in tectis, contra vitia omnia incorruptae. ℙ In plur. numero. *Cic. N. D.* 3, 18. Vide igitur, ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus,

h. e. Deorum naturis immortalibus. ℙ [*Confunditur *immortalitas* et *mortalitas*. V. *Snakenb.* ad *Curt.* 10, 6, 7.]

IMMORTĀLĬTER, adv. *ἀθανάτως*, perpetuo: item maximopere, incredibiliter. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Quod scribis, te a Caesare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo.

IMMORTĀLĬTUS, adv. ut divinitus. *Turpil.* ap. *Non.* 11, 43. Immortalitus se obtulit mihi haec facultas, *h. e.* ab Diis immortalibus.

IMMORTŪUS et Inmortuus, a, um, adj. in aliquo loco mortuus. *Plin.* 29, 4, 22. Stellio immortuus vino; et *ib.* 6, 38. Apes immortuae in melle. *Lucan.* 3, 612. de manu recisa: illa tamen nisu, quo prenderat, haesit, Diriguitque tenens strictis immortua nervis. *Justin.* 44, 2. Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui. *Cic. Att.* 1, 14. De immortuis reliquiis conjurationis, *h. e.* exstinctis. Hoc differunt, inquit *Casaub.* hic, *mortuus*, et *immortuus*, quod *mortuus* tantum dicitur *ὅτι ἔθανεν: immortuus*, qui dum moliretur aliquid, in ipso conatu, priusquam rem perficeret, mortuus est.

IMMOTUS et Inmotus, a, um, adj. *ἀκίνητος*, qui non movetur, immobilis. *Virg. G.* 2, 293. de aesculo: non hiemes illam, non flabra, neque imbres Convellunt: immota manet. *Ov. Fast.* 4, 505. Sub Jove duravit multis immota diebus. *Id. Trist.* 3, 10, 38. Immotae aquae, scil. quae gelu constitere. *Tac. H.* 1, 86. Serenus et immotus dies, *h. e.* quo nulli spirant venti. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 448. magno persentit pectore curas: Mens immota manet. *Id. ib.* 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet etc. *Tac. Ann.* 1, 47. Immotum adversus eos sermones, fixumque Tiberio fuit, non omittere, etc. *Virg. A.* 1, 261. manent immota tuorum Fata tibi; et *ib.* 7, 314. immota manet fatis Lavinia conjux. *Val. Fl.* 5, 112. Nympha coelicolis immota procis; et 3, 598. At sociis immota fides. *Tac. Ann.* 4, 32. Immota, aut modice lacessita pax; et *ib.* 23, 15. Immoto animo contumeliam excipere; et 59. Immotus iis, *h. e.* iis rationibus nihil motus. *Sen. Agam.* 175. Immotus prece, *h. e.* qui prece non flectitur. ℙ [*Permutantur *immotus* et *ignotus*. V. *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 416. et *A.* 11, 527.]

IMMŪGĬO et Inmugio, is, ii, n. 4. *μυκάομαι*, idem quod mugio, vel in loco mugio: et translate reboo, resono. *Virg. A.* 3, 674. curvisque immugiit Aetna cavernis; et *ib.* 11, 38. moestoque immugit regia luctu. *Sil.* 17, 256. veniensque a rupe procella Antennae immugit. *Hier. ep.* 14. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet.

IMMULGĔO et Inmulgeo, es, a. 2. *ἀμέλγω*, idem quod mulgeo, mulgendo exprimo. *Virg. A.* 11, 571. equae mammis et lacte ferino Nutribat, teneris immulgens ubera labris. *Plin.* 28, 7, 21. In dolore et epiphoris si lac immulgeatur, plurimum prodest.

IMMUNDĀBĬLIS, e, adj. qui mundari non potest, ut Immundabile vitium, *Tert. Pudic.* 20.

IMMUNDĔ, adv. spurce. *Jul. Obseq. Prodig.* 115. Junonem profugientem, quod immunde sua templa foedarentur.

IMMUNDĬCIAE et Immunditiae, arum, f. plur. *ἀκαθαρσία*, sordes, spurcitia. *Cato. R. R.* 2. Ex piscina immundicias efferri, mundicias fieri. Al. omittunt: *ex piscina immundicias efferri. Colum.* 1, 6. *med.* Vinaria cella summota procul ab immundiciis tetrum odorem spirantibus. *Id.* 12, 3. *med.* Valetudinaria identidem aperire, et immundiciis liberare. ℙ In singulari num. *Pl. Stich.* 5, 5, 5. Nimio sibi meretrix reperit odium ocius sua immundicia, quam, etc.

IMMUNDĬCIES, ei, f. *Tert. Mon.* 7., ubi alii *immundicia.*

IMMUNDUS et Inmundus, a, um, adj. *ἀκάθαρτος*, inquinatus, spurcus, sordidus. *Cic. fr.* ap. *Quint.* 8, 3. Humus erat immunda, lutulenta vino. *Virg. A.* 3, 228. Harpyiae contactu immundo omnia foedant. *Sen. ep.* 86. *med.* Liquet, illos immundissimos fuisse: quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. *Hor. Sat.* 2, 4, 63. Immundae popinae. *Id. A. P.* 247. Dicta immunda et ignominiosa. *Plin.* 14, 19, 23. Supernae deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. *Plin. alter ep.* 10, 99. Cloaca turpis et immundissima aspectu. *Pl. Most.* 1, 2, 24. Homo indiligens, immundus, instrenuus. *Id. Cist.* 1, 1, 115. sicciue, immunda, obsecro, Ibis? (h. e. *illota, impexo capillo, inculta*) *Si.* immundas fortunas aequum est squalorem sequi, *h. e.* miseras, adversas, inopiam rei familiaris. *Hor. ep.* 2, 2, 199. Pauperies immunda procul absit. *Pall.* 2, 10. Immundus ager, *h. e.* silva, sentibus, lapidibus obsitus. ℙ *Immundus, i*, m. absolute dicitur ornatus feminarum. V. *Tertulliani* locum in CULTUS. V. et MUNDUS.

IMMUNĬFĬCUS et Inmunificus, a, um, adj. *ἀνελεύθερος*, illiberalis, avarus, sordidus, tenax. *Pl. Trin.* 2, 2, 69. civi immunifico, scis, quid cantari solet? Quod habes, ne habeas: et illud, quod nunc non habes, habeas malum.

IMMUNĬO, is, a. 4. idem quod munio. *Tac. A.* 11, 19, Ne jussa exuerent, praesidium immunivit. Al. leg. *inde munivit.*

IMMŪNIS et Inmunis, e, adj. *ἀτελής, ἀπράγμων*, qui vacat a muneribus, quae alii praestare debent: ab *in* privativa, et *munus*. Domi immunis dicitur, qui a tributis, vectigalibus, etc. est liber: militiae qui a valli gestatione, pabuli lignorumque aggestione, obeundis vigiliis, et similibus. *Quint.* 1, 7. In *immunis* illud *n* quod veritas exigit, sequentis syllabae sono victum, *m* gemina commutatur. *Cic. Font.* 4. Falsum est, ob factionem pretium datum, cum immunis nemo fuerit. *Id. Verr.* 2, 2, 69. Qui agros immunes liberosque arant. *Id. Agr.* 3, 2. Immunia commodiore conditione sint, quam illa, quae pensitant. [*Suet. Rhet.* 5. Duo millia jugerum — Sexto Clod. rhetori assignasti, et quidem immunia, *scil.* ab oneribus publicis, vectigalibus, etc.] *Liv.* 1, 43. Inde una centuria facta est immunis militia. *Suet. Claud.* 25. Ilienses ab omni onere immunes praestitit. *Tac. Ann.* 1, 36. Retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 14. Non est enim inhumana virtus, neque immunis, neque superba, quae etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat. *Hor. Od.* 4, 12, 22. non ego te meis Immunem meditor tingere poculis, *h. e.* asymbolum. *Id. ep.* 1, 14, 33. Quem scis immunem Cynarae placuisse rapaci, *h. e.* nulla ei munera mittentem. *Virg. G.* 4, 241. Immunisque sedens aliena ad pabula fucus, *h. e.* ignavus. ℙ Est etiam expers, vacuus, liber. *Virg. A.* 12, 558. aspicit urbem Immunem tanti belli, atque impune quietam. *Ov. Trist.* 4, 2, 62. Immunes tanti nec sinit esse boni. *Id. Met.* 8, 690. vobis immunibus hujus Esse mali dabitur; et *ib.* 13, 293. immunemque aequoris Arcton. *Sen. ep.* 85. Animum immunem esse tristitia. *Sen. alter Hippol.* 1055. Solus immunis metu; et *Thyest.* 48. non sit a vestris malis Immune coelum. *Plin.* 32, 4, 14. Dentes immunes a dolore fiunt. *Vell.* 2, 35. Cato omnibus humanis vitiis immunis; et 120. Exercitum immunem tanta calamitate servavit; et 14. Ita se eam domum aedificaturum, ut libera a conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset. ℙ Item purus, innoxius. *Ov. Her.* 14, 8. Non piget immunes caedis habere manus. *Vell.* 2, 7. Immunis delictorum paternorum. ℙ In illo *Pl. Trin*, 1, 1, 1. Amicum castigare ob meritam noxiam Immune est facinus, verum in aetate utile: *immoene* pro *immune* exhibent quidam MSS. Porro *immune facinus* videtur esse ingratum, inofficiosum, odiosum, et minime amici hominis. [*Ita *Dousa*, *prob. Lindem.*] *Munis* enim veteribus fuit officiosus, amicus, beneficus. Alii exponunt, quod omittere possumus, quod praestare non tenemur. *Festus* interpretatur, improbum. *Cic. Inv.* 1, 50. hunc *Plauti* locum referens, infirmam rationem his verbis contineri, docet. Ap. *Plaut.* est qui legit *immane*, sed *immoene* praestat.

IMMŪNĬTAS, atis, f. *ἀτέλεια*, vacatio ab oneribus et tributis. *Cic. Fam.* 12, 1. Tabulae figuntur, immunitates dantur. *Id. Font.* 8. Immunitas et libertas provinciae. *Caes. B. G.* 6, 13. Militiae vacationem et omnium rerum immunitatem habere. *Suet. Aug.* 4. Immunitatem alicui offere. *Id. Tib.* 49. adimere. *Id. Galb.* 15. donare. *Tac. Ann.* 12, 61. tribuere; et *ib.* 13, 51. servare militibus. *Curt.* 5, 3. Immunitate donare aliquem. *Tac. H.* 3, 55. Alios immunitatibus juvare. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 38. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti Deo immunitatem. *Lamprid. Commod.* 14. Vendidit etiam suppliciorum diversitates, et sepulturas, et immunitates malorum.

*IMMUNĪTĬO, onis, f. immunitas, affertur fide *Salmasii* ad *Lamprid. Commod.* 14. ubi pro vulgato *immunitates malorum* libri habent *Imminutiones*, ex quo *immunitiones* ipse facit: similemque medicinam fieri vult *l. un. C. Th. de privil. dom. Aug.* Quos hujus imminutionis oneribus premi non dubium est, ubi tamen defendit vulgatam h. l. pariter et *Lampridii* lectionem *Jac. Gothofredus. B. A.*

IMMŪNĪTUS et Inmunitus, a, um, adj. *ἀτείχιστος*, non munitus. *Liv.* 22, 11. Ut quibus oppida castellaque immunita essent, hi in loca tuta commigrarent. *Ov. Met.* 10, 169 Dum Deus Eurotan, immunitamque frequentat Sparten. ℙ Contrario sensu *via immunita* est, quae aperta est, complanata, aut strata: uno verbo, per quam iri potest. *Cic. Caecin.* 19. V. MUNIO.

IMMURMŪRO et Inmurmuro, as, n. 1. idem ac murmuro. *Ov. Met.* 3, 646. Increpor a cunctis, totumque immurmurat agmen. *Virg. G.* 4, 261. silvis immurmurat Auster. *Stat. Th.* 1, 532. Acesten Imperat acciri, tacitaque immurmurat aure. *Ov. Met.* 11, 187. domini quales aspexerit aures, Voce refert parva, terraeque immurmurat haustae. *Pers.* 2, 9. Illa sibi introrsus, et sub lingua immurmurat; et *Macr. Sat.* 6, 7. Ipse publicato nobis, quod immurmurat, *h. e.* quod tibi in aurem dicit. [*Sil. 7, 146. Secum immurmurat irae; et 5, 332. Telum ore cruento Exspirans premit atque admorsae immurmurat hastae.] *Ammian.* 12, 16. Cum saepe immurmurantes audierit ventos.

IMMŪSĬCUS, a, um, adj. non musicus. *Tert. Apol.* 1. Immusici judicantes de musicis.

IMMUSCŬLUS et
IMMUSSŬLUS. V IMMISSULUS.

IMMŪTĀBĬLIS et Inmutabilis, e, adj. *ἀμετάβλητος*, qui mutari non potest, immobilis, perpetuus, stabilis, constans. *Cic. Fat.* 12. Esse causas immutabiles, easque aeternas, quae etc.; et 9. Hoc est immutabile ex vero in falsum. *Id. Univ.* 3. Res stabilis et immutabilis. *Stat. Th.* 1, 212. grave et immutabile sanctis Pondus adest verbis. ℙ Item mutatus, ita ut *in* augendi vim habeat, ut in *Immutatus. Pl. Epid.* 4, 2, 8. Scio quid erres; quia vestitum atque ornatum habet immutabilem.

IMMŪTĀBĬLĬTAS, atis, f. stabilitas, constantia, perpetuitas, aeternitas. *Cic. Fat.* 9. Sed in factis immutabilitatem apparere, in futuris non item.

IMMŪTĀBĬLĬTER, adv. *Cels. Dig.* 45, 1, 99. Immutabiliter verum fuit. *Appul. de Mundo.* Speculatur ad omnia rector mundi, atque immutabiliter incumbit.

IMMŪTĀTĬO, onis, f. *ἐναλλαγή*, mutatio. *Cic. Acad.* 4, 6. Nihil novi reperiens, sed emendans superiores immutatione verborum. *Id. Or.* 3, 44. Immutatio ordinis. *Id. Or.* 27. Quamquam translatio est apud Phalereum multa, tamen immutationes nusquam crebriores, *h. e.* hypallagae, seu metonymiae: nam *ὑπαλλαγὴ* immutationem significat. [*V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 205. sq.] ℙ Apud grammaticos *immutatio* ad soloecismum pertinet, cum aliud pro alio ponitur, ut casus pro casu, genus pro genere, tempus pro tempore, etc. *Quint.* 1, 5. *med.*

IMMŪTĀTOR, oris, m. qui mutat. *Oros.* 7, 43.

IMMŪTĀTUS et Inmutatus, a, um, part. ab *immuto: ἐναλλαγμένος*, mutatus. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis. *Pl. Amph.* 1, 1, 300. Ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi formam perdidi? ℙ *Immutata verba* dicuntur a *Cic. Or.* 27. quae per metonymiam in oratione ponuntur. ℙ *Immutata mens* est de statu dejecta. *Sall. Jug.* 69. Morbis confectus, et ob eam causam mente paulum immutata. Al. leg. *imminuta.* ℙ Item non mutatus, immutabilis, immotus. *Cic. Inv.* 2, 54. Veritas est, per quam immutata ea, quae sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Ter. Andr.* 1, 5, 7. Id mutavit, quia me immutatum videt. [*Multa ejus generis, quae duplicem et affirmandi et negandi notionem praebent, exempla collegit *Gronov.* ad *Liv.* 22, 39. *Salm.* ad *Vopisc. Aurel.* 39.]

IMMŪTESCO et Inmutesco, is, tui, n. 3. *κωφόομαι*, mutus fio, obmutesco. *Quint.* 10, 3, 16. *med.* Immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Stat. Th.* 5, 542. ruptis immutuit ore querelis.

IMMŪTĪLĀTUS et Inmutilatus, a, um, adj. idem quod mutilatus. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 355. Notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore, improbo patibulo eminens affigebatur. ℙ Item non mutilatus, integer. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 4, 22, 1. Omnia, quae superarunt ad disceptationem litigii immutilata permaneant.

IMMŪTO et Inmuto, as, avi, atum, a. 1. *ἐναλλάττω*, idem quod muto. [*Immutare* signif. rem aliquam delere et aliam pro ea substituere; *mutare*, huc illuc movendo novam rei faciem exhibere. V. *Doederl.* 3, 268. Quid differant *commutare* et *permutare* dictum in *commutare.*] *Cic. Flacc.* 14. Cum successor aliquid immutat de institutis primorum. *Id. Or.* 63. Immutare verborum ordinem. *Pl. Trin.* 1, 2, 35. Immutare ingenium moribus. *Id. Men. prol.* 40. Immutare alicui nomen. *Nep. Dion.* 10. Hujus de morte cum palam factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. *Cic. Fam.* 5, 8. Quaedam pestes hominum et te nonnunquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi. Et *Or.* 27. Ennius, *horridam Africam terribili tremere tumultu* cum dicit, pro Afris immutat Africam, *h. e.* per metonymiam *Africam* ponit pro *Afris.* V. IMMUTATIO et IMMUTATUS. *Ter. Phorm.* 1, 4, 29. Non possum immutarier.

IMO. V. IMMO.

IMPĀCĀTUS et Inpacatus, a, um, adj. non pacatus, pacis inimicus. *Virg. G.* 3, 408. Aut impacatos a tergo horrebis Iberos, [*i. e. rapinis et praedationibus infames.] *Sen. Ira* 3, 27. *extr.* Vides, quam impacatam tibi denuncies vitam: qualis enim erit semper tumentis? *Stat. Silv.* 5, 1, 137. impacata consanguinitate ligavit Fortunam, Invidiamque Deus. *Claud. in Eutrop.* 2, 212. impacatis odiis urgere rebelles; et *in Rufin.* 1, 70. murmurat alti Impacata quies pelagi.

IMPACTĬO et Inpactio, onis, f. actus impingendi, illisio. *Sen. Q. N.* 2, 12. *f.* Dissimilis autem crepitus fit ob dissimilem impactionem nubium.

IMPACTUS et Inpactus, a, um, part. ab *impingo*, illisus, injectus. *Liv.* 8, 6. Impactus saxo, *h. e.* qui in saxum impegit. *Sen. Q. N.* 2, 12. Nubes vehementer impactae. *Plin. ep.* 6, 31. *f.* Saxeum dorsum impactos fluctus in immensum elidit,

et tollit. *Plin. alter* 8, 3, 4. Elephanti impactos arbori dentes frangunt; et 14, 22, 28. Agrippae a temulento scyphus impactus. *Tac. A.* 15, 46. Gubernatores Cumanis litoribus impacti, triremium plerasque amisere. *Ulp. Dig.* 48, 3, 13. Impactus in carcerem. *Val. Max.* 9, 14. *n.* 3. In servilem Serapionis appellationem vulgi sermone impactus est, *h. e.* vulgo est ei appellatio Serapionis imposita.

IMPĀGES, ium, f. plur. dicuntur, quae a fabris in tabulis figuntur, quo firmius cohaereant: a pangendo, idest figere. *Festus.* ℙ Ap. *Vitruv.* 4, 6. *med.* impages sunt in valvis ornamenta ex regulis circa tympanum infixis. In singulari num. usurpat eodem sensu *Id. ib.* Latitudo impagis fiat tympani media parte; cymatium sexta parte impagis; scaporum latitudines impagis dimidia parte.

IMPALLESCO et Inpallesco, is, ui, n. 3. pallorem contraho, pallidus fio, ὠχριάω. *Pers.* 5, 62. At te nocturnis juvat impallescere chartis. *Stat. Th.* 6, 805. eventu impalluit ipse secundo.

[IMPALPEBRĀTĬO, onis, f. palpebrarum immobilitas. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 5. Sequitur vocis amputatio cum oculis patientibus, et impalpebratione. *F.*]

IMPANCRĀRE, est invadere: verbum a Graeco tractum, quasi πᾶν κρέας consumere. *Varro:* Ecclesiam in regiam arcam impancrarunt. Haec *Non.* 1, 293., ubi al. leg. in *Varronis* verbis: *Varro Ecclesia:* ut Ecclesia nomen sit comoediae: Alii *Varro: e culina.* Alii pro *arcam*, *aream.* In ceteris quoque dubitare possis, an verba *Nonii* sana sint.

IMPANNIS, e, adj. pannis, seu vestibus carens. *Pl. Asin.* 1, 2, 16. Sordido vitam oblectabas pane, impannis inopia. Ita leg. *Lips. antiq. lect.* 5, 13. Al. aliter.

IMPAR et Inpar, āris, adj. ἄρισος, ἀνάρτιος, non par, inaequalis. *Hor. Ep.* 1, 1, 96. si toga dissidet impar, [*i. e. altera parte togae demissa, altera sursum tracta.] ℙ *Impares tibiae*, numero foraminum discretae. *Festus.* ℙ *Impar numerus* est, qui in duas partes aequales dividi non potest, ut tres, novem. *Paul.* ex *Festo*: Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus esse crediderunt. *Virg. Ecl.* 8, 75. numero Deus impare gaudet. V. *Servium* multa ibi de impari numero disputantem. *Cic. Acad.* 4, 10. *f.* Stellarum numerus par, an impar sit, nescitur. [*Id. Somn.* 5. Sonus qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis. *Lucr.* 5, 682. Imparibus currens anfractibus.] *Hor. Sat.* 2, 3, 248. Ludere par impar. [*Gr. ἀρτιάζειν, ἀρτιασμός, quod talis, tesseris, nummis, nucibus fieri solebat, V. *Suet. Aug.* 71. ibique *Casaub.*] *Ov. Trist.* 2, 220. imparibus carmina facta modis, *h. e.* hexametro et pentametro. ℙ Saepe de iis dicitur, quae inaequalibus sunt viribus ad resistendum; et quae male cum alio comparantur. *Hor. Od.* 1, 33, 10. Impares formae atque animi. *Ov. Met.* 5, 610. Sed tolerare diu cursus ego viribus impar Non poteram. *Virg. A.* 12, 216. At vero Rutulis impar ea pugna videri; et *ib.* 1, 479. Infelix puer atque impar congressus Achilli. *Hor. Od.* 4, 6, 5. Ceteris major, tibi miles impar. *Suet. Dom.* 10. Thrax munerario impar. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Quos quidem ego ambo unice diligo: sed in Marco benevolentia impari. *Tac. H.* 4, 20. Batavi impares numero, i. e. inferiores. [*Constructio Livio imprimis usitata. V. 22, 15. Omni parte virium impar; et 27, 1. Par audacia Romanus, consilio et viribus impar; cf. 6, 23.] Et *Tac. H.* 2, 50. pater consularis, avus praetorius: maternum genus impar, i. e. inferior erat nobilitate. [*Id. *A.* 1, 53. Julia Tiberium spreverat, ut imparem. Cf. *Liv.* 6, 34. Quod juncta impari esset.] ℙ Item de eo, qui alicui rei non sufficit, non idoneus, ineptus. *Suet. Tib.* 67, Ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. *Tac. H.* 1, 74. Impares bello; et *A.* 14, 54. Senex, et levissimis quoque curis impar; et *ib.* 15, 57. Muliebre corpus impar dolori; et *ib.* 6, 2. Impar moribus patriis, i. e. qui assuescere iis non posset. *Val. Fl.* 8, 400. Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar, Cunctatur, i. e. cui resistendi vel respondendi facultas deesset. *Suet. Oth.* 9. Impar militum ardori, pugnam deposcentium. *Ulp. Dig.* 3, 5, 9. Impar sumptui. [*Sil. 8, 284. Impar fertur aquis, i. e. flectendi equos facultate carens.] ℙ Cum ablativo pro dativo. *Ov. Fast.* 4, 306. Nec facies impar nobilitate fuit. [*V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Cum infinito. *Grat. Cyn.* 61. Magnum opus, et tangi, nisi cura vincitur, impar. ℙ Corripitur altera syllaba ab *Auson. Idyll.* 11, 54. Tres primus, par, impar habet, mediumque; et a *Prud. in Symmach.* 1, 168. fuit impar utrique.

[IMPĀRĀTĬO, onis, f. status stomachi, qui digestioni parandae ineptus est. *Marcell. Empir.* 20. *med.* Cum imparationem stomachi senseris, cochlearia singula *(aceti scillini)* plane tepefacta jejunus accipies. *F.*]

IMPĀRĀTUS et Inparatus, a, um, adj. ἀσκευής, non paratus. *Caes. B. G.* 6, 29. Ut in ipsum incautum atque imparatum incideret. *Hirt. B. G.* 8, 2. Imparati disjectique. *Nep. Agesil.* 2. Imparati imprudentesque. *Cic. Sext.* 37. Inermem atque imparatum adoriri. *Id. Mil.* 21. Paratus in imparatos Clodius inciderat. *Id. Att.* 7, 15. Sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia. *Sen. Hippol.* 994. Non imparatum pectus aerumnis gero. *Eum. Grat. act. ad Constant.* Nec mihi verba, quamvis imparata, defuissent. *Caes. B. C.* 1, 30. Omnibus rebus imparatissimus.

IMPARCO. V. IMPERCO.

IMPĀRENS, non parens, non obediens. *Festus.*

IMPĀRIENTĬA, ae, f. inobedientia. *Gell.* 1, 13. Ne, si spes fefellisset, culpa imparientiae, et poena indeprecabilis subeunda esset. Al. leg. *imparentiae*, al. *impatientiae.*

IMPĀRĬLIS, e, adj. impar. *Aurel. Vict. Caes.* 14. de Hadriano: Suspectam aestimantes societatem aevi longe imparilis.

IMPĀRĬLĬTAS, atis, f. disparilitas, inaequalitas, ἀνισότης. *Gell.* 5, 20. Soloecismus Latino vocabulo a Sinnio Capitone, ejusdemque aetatis aliis imparilitas appellatus, *h. e.* impar et inconveniens compositura partium orationis, ut mox *ib.* subditur. ℙ Item diversitas, varietas. *Id.* 14, 1. *med.* Imparilitas haec turbat observationem.

IMPĀRĬTER, adv. ἀνίσως, inaequaliter. *Hor. A. P.* 75. Versibus impariter junctis querimonia primum, etc.

IMPARTĬO. V. IMPERTĬO.

IMPASCOR, eris, dep. vel passiv. 3. in loco aliquo pasco. *Colum.* 6, 5. In ea loca perducendi sunt, quibus nullum impascitur pecus. Adde 2, 18.

IMPASSĪBĬLIS, e, adj. qui pati non potest. *Lact.* 1, 3. Deus incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis. Adde *Tert. Apol.* 10. et *Prud. Apoth.* 84.

IMPASSĪBĬLĬTAS, atis, f. *Hieron. ep.* 133. *n.* 3. Edidit librum περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere. V. IMPATIENTIA.

IMPASTUS et Inpastus, a, um, adj. non pastus jejunus, ἄσιτος. *Virg. A.* 9, 339. Impastus ceu plena leo per ovilia turbans, etc. *Lucan.* 6, 628. fugere revulsis Unguibus impastae volucres. [*V. *Cort.* ad h. l.]

IMPĀTĪBĬLIS et Inpatibilis, e, adj. ἀνύποϊστος, quem quis pati non potest, intolerabilis. *Cic. Fin.* 2, 17. *extr.* Dolorem vos, cum improbis poenam proponitis, impatibilem facitis: cum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem. *Plin.* 20, 18, 76. Cum valetudo impatibilis odium vitae fecisset. ℙ Item impassibilis. *Lact.* 2, 8. *med.* Sensu praeditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de patibili nunquam potest oriri.

IMPĀTĬENS et Inpatiens, entis, adj. ὀλιγόψυχος, qui pati ac ferre non potest. [*Vox nonnisi ap. poetas et arg. aetatis scriptores usitata.] *Ov. Trist.* 5, 2, 3. Corpus laborum impatiens. *Virg. A.* 11, 639. vulneris impatiens. *Colum.* 7, 11. Sues ex omnibus pecudibus impatientissimae famis sunt. *Vell.* 2, 23. Marius quietis impatientissimus. *Sil.* 8, 4. Impatiensque morae fremit. *Tac. H.* 2, 99. Miles impatiens solis, pulveris, tempestatum. [*Id. *ib.* cp. 40. Aeger mora et spei impatiens.] *Gell.* 12, 1. *f.* Impatientissima sollicitudo. *Ov. Met.* 6, 322. grandior aevo Impatiensque viae. ℙ [*Significat *impatiens* etiam, qui tolerare aliquid non vult. Ita recte videmur interpretari sqq. hujus §. exempla. Adde *Suet. Tib.* 59. Quasi ab impatientibus remediorum. *Ov. Fast.* 6, 288. De tribus impatiens restitit una viri.] *Id. Met.* 1, 479. Impatiens expersque viri, *h. e.* nuptias aversata. *Val. Fl.* 1, 296. Impatiens somni ductor manet, *h. e.* non passus se somno corripi. *Curt.* 3, 2. Veritatis impatiens. *Macr. Sat.* 7, 5. *f.* Nihil est impatientius imperitia. ℙ Translate: *Plin.* 21, 16, 57. Caulis impatiens vetustatis. Sic 16, 40, 79. Aesculus impatiens humoris; et 18, 12, 31. Pisum impatientissimum frigorum. *Ov. A. Am.* 2, 60. Cera impatiens caloris. *Plin.* 23, 2, 32. Mammae impatientes lactis, *h. e.* quae lac ex nimia abundantia continere non possunt. *Curt.* 9, 4. Vorticibus intorta navis, obliqua et gubernaculi impatiens agebatur. [*Lucan. 7, 866. Impatiens hominum (terra). Laudat *Cort.* ad h. l. *Eundem* 9, 857. Impatiensque solum Cereris. *Ov. Fast.* 1, 247. Terra patiens Deorum.] ℙ Item impotens. *Ov. Met.* 13, 3. Impatiens irae. [*V. *Heins.* ad h. l. coll. *Liv.* 5, 38. Galli flagrantes ira, cujus impatiens gens est.] ℙ Cum infinito. *Sil.* 11, 98. Impatiens ultra gemitu cohibere furorem. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 35. Impatiens nescire torum. ℙ Item qui nihil sentit, aut patitur. *Sen. ep.* 9. Epicurus, et hi, quibus summum bonum visum est animus impatiens. *Lact.* 5, 22. *med.* Qui in rebus prosperis agit, impatiens est, et virtute maxima caret, impatientem dico, quia nihil patitur.

IMPĀTĬENTER, adv. cum impatientia, iniquo animo, aegre, moleste. *Tac. A.* 4, 17. Aequari adolescentes senectae suae, impatienter indoluit. *Plin. ep.* 2, 7. Amavi juvenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro. *Id. ep.* 6, 1. Quo propius accesseris ad spem fruendi, hoc impatientius careas. *Just.* 12, 15. Quosdam impatientius dolentes consolari. *Quint. decl.* 5, 12. Impatientius diligere. *Plin. ep.* 9, 22. Dolet, ut qui impatientissime: laudat, ut qui benignissime.

IMPĀTĬENTĬA, ae, f. ἀνηκοΐα, intolerantia, impotentia, animus impatiens. [*Vocabulum arg. aetati proprium.] *Plin.* 11, 23, 27. Bombycas fieri primo papiliones parvos, nudosque: mox frigorum impatientia villis inhorrescere. *Tac. A.* 15, 63. Ne ipse, visendo ejus tormenta, ad impatientiam dilaberetur. *Suet. Cal.* 23. *f.* Vitare impatientiam nauseae, et molestiam navigandi, [*i. e. nauseam, quam pati non posset, vitare. *Tac. A.* 4, 52. Actas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam; et *ib.* 13, 21. Verba impatientia caritatis aliquando incauta.] ℙ Affectio animi, qua nihil sentimus, aut patimur. *Sen. ep.* 9. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo scite voluerimus, et impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod significare volumus, intelligi. ℙ Obscenum sensum habet ap. *Arnob.* 4, 141. *extr.* Rex Saturnius concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim. *Appul. Met.* 2. Et lacinia remota, impatientiam Veneris Fotidi meae monstrans etc., *h. e.* impatientiam morae in re venerea patranda.

IMPĀVĬDĒ, adv. ἀφόβως, intrepide, audacter. *Liv.* 39, 50. Et poculo impavide exhausto haud ita multo post exspiravit.

IMPĀVĬDUS et Inpavidus, a, um, adj. ἀδεής, qui non pavet, intrepidus. *Hor. Od.* 3, 3, 7. Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae. *Plin.* 28, 19, 78. Pellis asini injecta impavidos infantes facit. *Liv.* 21, 30. Quinam pectora semper impavida repens terror invaserit. *Virg. A.* 12, 8. leo Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento. *Ov. Fast.* 2, 840. Edidit impavidos ore minante sonos. *Sen. Herc. Oet.* 645. impavidos ducere somnos.

[IMPAUSĀBĬLIS, e, adj. qui nunquam cessat, qui non est pausabilis. *Fulg. Myth.* 1, 6. Furiarum prima Alecto: ἀληκτὼ enim Graece impausabilis dicitur. *F.*]

[IMPAUSĀBĬLĬTER, adv. sine pausa. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. *med.* Plurimi impausabiliter tota die atque nocte cibum sumpsisse veteribus traduntur. *F.*]

IMPECCĀBĬLIS, e, adj. ἀναμάρτητος, expers peccati. *Gell.* 17, 19. Is erit impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam.

IMPECCĀNTĬA, ae, f. ἀναμαρτησία. *Hieron. adv. Pelag.* 3, 4. Perpetuitas impeccantiae soli reservatur Deo. Adde 1. et *praef. l.* 4. *commentar. in Jerem.*

IMPECTENS, entis, adj. verberans, pulsans. *Varr. R. R.* 16. de apib.: Itaque impectentes, a se ejiciunt fucos. Al. leg. *impetentes:* alii rectius *insectantes.*

[IMPĒDĀTĬO, onis, f. actus impedandi. *Colum.* 4, 13. *in.* Impedationem deinde sequitur alligator. *F.*]

IMPĒDĬCO, as, a. 1. pedica constringo, ἐμποδίζω. *Ammian.* 30, 4. Si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant.

[IMPĒDIMENTOSUS, a, um, adj. qui impedimento est. *Cass. Variar.* 1, 35. Sed echeneis illis impedimentosa venalitas est, *h. e.* venalitas, tanquam echeneis, impedimento nautis est, ne frumenta publica ex Calabria et Appulia in urbem convehant. *F.*]

IMPĒDIMENTUM et Inpedimentum, i, n. ἐμπόδισμα, id, quo quis impeditur, quo minus perficiat, quod cupit, impeditio, mora, obstaculum. Proprie *Sen. Tranqu.* 10. Compeditos primo aegre ferre onera et impedimenta crurum. ℙ Translate. *Cic. Agr.* 2, 9. Excipitur hac lege impedimentum legitimum. *Id. Or.* 1, 61. Demosthenes impedimenta naturae diligentia industriaque superavit. *Id. Inv.* 1, 9. Moram atque impedimentum alicui rei inferre. *Caes. B. C.* 3, 17. Haec res non est impedimenti loco. *Plin. ep.* 2, 12. *extr.* Epistolam jam recepisse te, colligo; nam festinanti tabellario dedi: nisi quid impedimenti in via passus est. *Cic. Rosc. Am.* 51. Ad dicendum impedimento est aetas et pudor. *Caes. B. G.* 1, 25. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod, etc. [*Liv. 8, 32. Quae dictatori religio — impedimento ad rem gerendam fuerit.] *Hirt. B. Alex.* 23. Nullius periculi timorem multitudini fore impedimento, quominus, etc. *Paul. Dig.* 40, 5, 33. Amittit libertum heres, si conditioni impedimentum fecerit. *Tac. A.* 15, 9. Afferre impedimentum alicui rei. *Quint.* 1, 8. *f.* impedimenta vocat grammaticorum ineptias, et futiles interpretationes, quod studiis impedimento sint. ℙ Dicitur saepissime de sarcinis viatorum, et praecipue exercitus, [*τὰ σκεύη.] quo sensu primus usurpavit *Cato*, ut *Sen. ep.* 87. *med.* docere videtur. *Caes. B. G.* 1, 26. Alteri se in montem receperunt, alteri ad impedimenta et carros suos se contulerunt; et *mox.* Ad multam

noctem etiam ad impedimenta pugnatum est; et *ib.* 3, 29. Cum jam pecus atque extrema impedimenta ab nostris tenerentur; et *ib.* 5, 42. Cum sua omnia impedimenta, atque omnes fortunas conflagrare intelligerent; et *ib.* 1, 26. Impedimentis potiri; et *ib.* 2, 17. Impedimenta diripere. *Nep. Thrasib.* 2. amittere. [*Liv.* 44, 27. Collocare impedimenta; et 44, 36. Constituere impedimenta.] ℙ Neque solum sarcinae, sed homines quoque et jumenta impedimentorum nomine veniunt, quatenus iter impediunt, aut ad pugnam non pertinent. *Cic. Mil.* 10. Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus; et *mox.* Cum hic veheretur in rheda, vulgi magno impedimento, ac muliebri comitatu. [*Ap. *Caes. B. G.* 7, 45. Prima luce magnum numerum impedimentorum, ex castris mulorumque produci — jubet: *impedimenta* sunt jumenta sarcinis militum onusta, nostr. *Packvieh*, Gr. *οκευοφόρα.*] *Front. Strateg.* 2, 1. Interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam descendit. *Veget. Mil.* 3, 6. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt.

IMPĔDĬO et Inpedio, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *ἐμποδίζω*, impedico, implico, involvo, irretio. Proprie de *pedibus* dicitur, cum aliqua re implicantur. *Ov. Fast.* 1, 410. Impediunt teneros vincula nulla pedes. *Id. Met.* 12, 392. et illis Crura quoque impediit. *Pl. Mil.* 4, 9, 11. Ipsus illic sese jam impedivit in plagas. ℙ Translate. *Id. Rud. prol.* 37. Sed dum alios servat, se impedivit interim: Rem bene paratam comitate perdidit. *Cic. Verr.* 2, 2, 18. Sin illud dices, te Heraclii voluntate ab lege recessisse, ipse te impedies, ipse tua defensione implicabere. *Ter. Ph.* 2, 4, 2. Quanta me sollicitudine afficit Gnatus, qui me, et se hisce impedivit nuptiis. *Id. Andr.* 1, 5, 25. Tot me impediunt curae, quae meum animum divorse trahunt. *Cic. Har. resp.* 1. Alicujus causam stultissimis interrogationibus impedire. *Id. Coel.* 24. *extr.* Mentem dolore impedire. ℙ Ponitur et pro cingere, alligare. *Ov. Met.* 2, 433. Impedire aliquem amplexu. *Id. Amor.* 3, 6, 56. et *Tibull.* 1, 7, 74. Vitta nec evinctas impedit alba comas. *Ov. Met.* 2, 867. modo cornua sertis Impedienda novis. *Hor. Od.* 1, 4, 9. viridi nitidum caput impedire myrto. *Id. Sat.* 1, 6, 27. nigris medium impediit crus Pellibus. *Ov. Met.* 3, 664. Impediunt hederae remos. *Id. Fast.* 2, 736. frenis impediuntur equi. *Pl. Truc.* 1, 1, 17. Pisces reti impedire. ℙ Item intricare, obstruere. *Curt.* 6, 5. Juga montium praealtae silvae saepiunt; ea, quae plana sunt, novo munimenti genere impedierant barbari. ℙ Item poetice involvere, innectere. *Virg. A.* 8, 447. Ingentem clypeum informant, etc. septenosque orbibus orbes Impediunt; et *ib.* 5, 583. Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes Impediunt. ℙ Transfertur ad alia, et universim retardare, obstare, impedimento esse, significat. *Ov. Met.* 15, 490. Sacraque Oresteae gemitu questuque Dianae Impedit; et *ib.* 13, 745. lacrimae vocem impediere loquentis. *Id. Trist.* 1, 3, 42. Singultu medios impediente sonos. *Cic. Fam.* 9, 19. Me quotidie aliud ex alio impedit: sed si me expediero, etc. *Id. Acad.* 4, 7. Omnia removentur, quae obstant et impediunt. *Id. Fam.* 7, 5. Impedire aut tardare profectionem. *Ov. Met.* 10, 678. Impedire cursum gravitate oneris. *Cic. Fat.* 1. Id casus quidam, ne facerem, impedivit. *Id. Sen.* 17. et *Fin.* 1, 10. Nec aetas impedit, quominus agri colendi studia teneamus. *Id. Att.* 4, 2. *f.* Ut nulla re impediret, quin, si vellem, mihi esset integrum petere, etc. Al. leg. *impediret, quod ne, si vellem*: alii aliter. [*V. *Orell.* qui exhibet: *ut nulla re impedirer, quin* etc.] *Id. Balb.* 20. Impediri a repub. bene gerenda. *Id. Mur.* 19. Nos, qui ab delectatione omni negotiis impedimur. *Sall. Jug.* 32. Eos potentia Scauri a vero bonoque impediebat. *Plin.* 10, 63, 83. Ab opere impedire aliquem. *Tac. A.* 1, 39. Impedire aliquem fuga, *h. e.* a fuga. *Cic. Off.* 1, 1. Utere tuo judicio: nihil enim impedio. *Id. Fin.* 1, 1. Impediri pudore; et 18. morbis. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. religione. *Cic. Off.* 1, 9. negligentia, pigritia, inertia, studiis, occupationibus. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 11, 20. Ne qua mora ignaros, pubemque educere castris Impediat. *Ov. Pont.* 1, 1, 21. nihil impedit ortos exsule Urbe frui. ℙ Cum dativo. *Varr. L. L.* 8, 14. In vestimentis, aedificiis, supellectili novitati non impedit vetus consuetudo. ℙ *Impedire impudicitia mulierem*, quidam leg. cum *Non.* 4, 267. ap. *Pl. suppos. Amph.* Quis tam vasto, etc. 12. quasi obstringere et involvere impudicitiae scelere. Sed rectius leg. alii *impetere.* ℙ Divisit per tmesim *Lucr.* 3, 485. At quaecumque queunt conturbari, inque pediri. ℙ [*Confund. *impedit* et *impetit.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 222. et *impulit.* V. *Eund. ib.* 4, 447.]

IMPĔDĪTĬO et Inpeditio, onis, f. implicatio, impedimentum. *Vitr.* 1, 5. Ut obviam venientes, alius alium sine impeditione praeterire possint. *Cic. Div.* 1, 51. Viget enim animus in somniis, liberque sensibus ab omni impeditione curarum, etc. *Arnob.* 2, 52. Obstacula impeditionis opponere.

IMPĔDĪTO, as, a. 1. frequentativum ab *impedio*, et ejusdem fere significationis. *Stat. Th.* 2, 590. impeditant numero, seque ipsa vicissim Arma premunt.

IMPĔDĪTOR, oris, m. qui impedit. *August. C. D.* 10, 10. Plus utique valeret beneficus purgator animae, quam malevolus impeditor.

IMPĔDĪTUS et Inpeditus, a, um, part. ab *impedio: ἐμπεποδισμένος*, implicatus, irretitus, involutus, distentus, retardatus. *Phaedr.* 1, 12. de cervo: silva tum excepit ferum, In qua retentis impeditus cornibus, Lacerari coepit morsibus saevis canum. *Mart.* 3, 58. Aut impeditam cassibus refert damam. *Veg. Vet.* 1, 10. Caput religabis ad pedes, sensimque jumentum impeditum compelles incedere. [*Caes. B. G.* 1, 25. Sinistra impedita: *scil.* quia tenebat scuta pilis transfixa.] ℙ Translate. *Ter. Andr.* 3, 5, 11. viden' me tuis consiliis Miserum impeditum esse? *Cic. Har. resp.* 11. Cum ille servorum multitudini senatum vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradidisset. *Id. Coel.* 19. Animus libidini deditus; amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus. [*Id. Legg.* 1, 3, 8. Neque impedito animo res tanta suscipi potest: ubi *Goerenz:* impeditus animus ad alius generis, quam quae sunt negotiorum, curas pertinet. *Caes. B. G.* 5, 7. Omnium impeditis animis, i. e. ita occupatis et apparando itinere distractis, ut ne sentirent quidem subitarias molitiones et fraudes Dumnorigis. V. *Mor.*] *Cic. Sext.* 45. Impeditus malis domesticis. *Id. Fam.* 10, 28. *med.* maximis occupationibus. *Id. Verr.* 2, 3, 25. *med.* aetate et morbo. *Hirt. B. Alex.* 14. *extr.* Impeditiores ad receptum fore videbantur. [*Impediti milites* opp. *expeditis*, sunt qui vel in itinere sarcinis onusti, vel vallo muniendo occupati, etc., ad pugnam ineundam prompti paratique non sunt. *Caes. B. G.* 1, 12. Eos impeditos et inopinantes adgressus, i. e. in flumine trajiciendo occupatos. Adde *ib.* 2, 9. 10. 23. 4, 26. Adde *ib.* 3, 9. Impedita navigatio, i. e. difficilis.] ℙ De rebus. *Tac. H.* 2, 25. Vineae nexu traducum impeditae. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 3. Locus impeditissimus ad iter faciendum. *Liv.* 9, 2. Saltus arctior et impeditior. *Hirt. B. G.* 8, 18. Silvae undique impeditissimae. *Caes. B. C.* 3, 77. Impeditissima itinera. *Tac. A.* 4, 46. Bellum impeditum, arduum, cruentum. *Quint.* 8, 6. *med.* Longa et impedita oratio, cum multis appositis, seu epithetis abundat. *Liv.* 37, 54. Impedita disceptatio. *Id.* 7, 21. *med.* Tarda nomina et impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aerarium dissolvit. *Gell.* 4, 9. Dies tristi omine infames et impediti, in quibus et res divinas facere, et rem quampiam novam exordiri temperandum est. *Cic. Pis.* 1. Impedita reipubl. tempora. *Id. Mil.* 20. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? *h. e.* plurimum impedimenti afferens. ℙ *Inque peditus* tmesis est ap. *Lucr.* 4, 563. et 1142.

IMPĔDO et Inpedo, as, a. 1. *ἐμπεδόω*, pedaminibus fulcio. *Colum.* 4, 16. Vehementioribus statuminibus vinea statim impedanda est.

IMPĔGI. V. IMPINGO.

IMPĔLĪMENTUM, idem ac impedimentum, ap. vet. *Fest.*

IMPELLO et Inpello, is, pŭli, pulsum, a. 3. *ἐπωθέω*, propello, urgeo, ante, vel in aliquam partem pello. [*Hujus loci ordinem, ut parum recte a Nostro institutum, nimisque distortum immutavimus. Proprie significat tangere, pulsare, percellere. Differt a *tundere* quod cum laedendi notione plerumque ponitur; *impellere* movendi consilium continet. *Doederl.* 1, 126.] *Virg. A.* 1, 82. Cavum conversa cuspide montem Impulit in latus. [*V. *Burm.*] *Sen. Herc. Oet.* 942. Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis Impellat humeros. [*Tibull.* 2, 5, 3. Impellere pollice chordas.] *Hor. Od.* 4, 12, 2. Impellunt animae lintea Thraciae. *Virg. G.* 1, 254. Infidum remis impellere marmor; *ib.* 4, 349. Maternas impulit aures Luctus Aristaei. *Lucr.* 1, 303. Impellere sensus. *Ov. Met.* 3, 21. Mugitibus impellere auras. [*V. *Gierig.*] *Claud. Rapt. Pros.* 2. *in.* Impulit Ionios praemisso lumine fluctus Nondum pura dies. [*Sil. 11, 217. Cui patuere Alpes, saxa impellentia coelum. Huc pertinet etiam *Val. Fl.* 5, 164. Jupiter arces Impulerit. Coll. *Sen. Q. N.* 2, 27. sqq. Porro *Lucan.* 5, 437. Cum — fretum non impulit Ister. V. *Cort.* ad *Eund.* 3, 235. ubi *impellere* et *pellere* solemnia esse fluminum in mare exeuntium adnotavit. ℙ Hinc movere, commovere.] *Virg. A.* 4, 594. Date vela impellite remos; et 8, 3. Utque acres concussit equos, utque impulit arma; [*V. *Heyn.* Cf. *Lucan.* 7, 16. ibique *Cort.*] et *G.* 4, 305. Zephyris primum impellentibus undas. *Petr. Sat.* 114. Fluctus ventus impulerat. — [*Insolentius hic dicendi genus commemorari poterat, quod est ap. *Tac. A.* 2, 23. Placidum aequor mille navium remis strepere aut velis impelli; et *Agr.* 25. Cum simul terra, simul mari bellum impelleretur, i. e. commoveretur. V. *Hertel.* ad h. l. et *Cort.* ad *Lucan.* 5, 330. ℙ Promovere, propellere, facere ut aliquid procedat.] *Virg. A.* 5, 119. Navem remis impellere. *Ov. Met.* 15, 697. Impulerat levis aura ratem. *Val. Fl.* 6, 6. Impellere currum. [*Sil. 7, 697. Calce impellebat equum; et 2, 71. et anhelum impellere planta Cornipedem; et 1, 568. Remis velisque impellite puppim.] *Ov. Met.* 11, 325. Curvavit cornu nervoque sagittam impulit. *Plin.* 24, 19, 118. Semen vehementius urinam impellit. [*Sil. 11, 270. Jamque diem ad metas defessis Phoebus Olympo Impellebat equis. *Lucan.* 7, 576. Impellit terga suorum, i. e. urget, ut hostibus admoveat. ℙ Agere, cogere, conjicere, immittere aliquid aliquo.] *Vell.* 2, 70. Cum mucronem gladii admovisset mamillae, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus exspiravit. *Cic. Rabir. perduell.* 8. Quemquam in fugam. *Hirt. B. Afr.* 16. In periculum. *Plin.* 18, 18, 47. Mox sues impellere vestigiis semina deprimentes. *Ov. Met.* 12, 552. Inque meos ferrum flammamque penates Impulit. [*Sil. 9, 382. Capulo tenus impulit ferrum; et 7, 482. et rubros impellet (Aufidus) in aequora fluctus; et 14, 430. Qua nondum tamen impulerat vim Dardana lampas. ℙ Hinc translate est conjicere, inducere. *Cic. Pis.* 1. Hic in fraudem homines impulit. *Id. ad Brut.* 1, 10. Caesarem impulerunt in spem certissimam consulatus. *Suet. Ner.* 35. Ad spem imperii impellere. *Cic. Mil.* 33. Nisi eum Dii immortales in eam mentem impulissent, ut, etc. *Id. Or.* 2, 89. Si cognossemus, quae te causa in sermonem impulisset. ℙ Item incitare, adducere, incendere, vi quadam urgere ad quippiam praestandum. *Cic. Flacc.* 9. Qui praesentem, nullo impellente, fallebant. *Just.* 4, 5. Impellente fato. *Cic. Or.* 1, 8. Voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, deducere. *Quint.* 7, 1. Initio movendus est judex, et summo impellendus. *Cic. Brut.* 5. Impelli atque incendi ad aliquid faciendum. *Id. Or.* 1, 28. Impellere et hortari ad aliquam artem. *Id. Flacc.* 34. ad injuriam faciendam. *Nep. Dat.* 5. ad perniciem alicujus. *Cic. Rosc. Am.* 14. ad scelus. *Id. Sull.* 13. barbaros homines ad bellum. *Just.* 13, 5. et 28, 1. in bellum. *Id.* 1, 9. in caedem. *Caes. B. G.* 4, 16. Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent. *Cic. N. D.* 1, 4. Quae causa nos impulerit, ut haec tam sero litteris mandaremus. [*Lucan. 8, 454. Non plura locutus Impulit huc animos. *Ter. Andr.* 1, 5, 31. Dum in dubio est animus paulo momento huc, illuc impellitur. V. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 2, 520. quae mens tam dira Impulit his cingi telis? *Just.* 3, 1. Impellit Artaxerxem, parricidium parricidio vindicare. *Tac. A.* 14, 60. Quendam ex ministris Octaviae impulit, servilem ei amorem objicere. *Stat. Th.* 10, 737. impellunt credere Parcae. Absolute. *Val. Flacc.* 4, 486. omnes Impulit, et durae commovit imagine poenae. ℙ [*Urgere, facere ut aliquid loco cedat, prosternere, evertere.] *Vell.* 2, 70. Impulsis hostibus castra cepit. [*Ita saepissime *Tac.* V. *Ann.* 2, 17. Praemissus eques postremos et latera impulit. *H.* 3, 16. Impulit Vitellianos modica caede; et 4, 34. Quem (hostem) si statim impellere — maturasset; et cp. 78. Sustinuit ruentes (hostes), mox impulit. *Liv.* 9, 27. Universis hostem primo impetu viribus impulit; et cp. 40. Turbavit ordines, et haud dubie impulit aciem; (coll. *Lucan.* 5, 757. Si numina nostras Impulerint acies.) Et 33, 36. Adeo acriter invaserunt, ut antesignanos impulerint.] *Lucan.* 3, 440. Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex, *h. e.* sternitur. [*Imprimis Lucano frequentata hac significatione vox. Adde 2, 436. Terrasque impelleret aequor, i. e. everteret; et 8, 707. Semel impulit illum Dilata fortuna manu. ℙ Translate, cum vi aliquid perficere quasi omnibus quae obstent, prostratis; opp. *leviter tentare.* *Quint. Instit.* 3, 4, 2. Verum et tum leviter est tentatum, cum apud Graecos, etc. — et nunc maximo temporum nostrorum auctore prope impulsum: ubi v. *Spald.* ℙ Hinc i. q. labefactare, evertere, labare facere, infringere.] *Cic. Cluent.* 26. Praecipitantem impellamus, et perditum prosternamus. *Plin.* 33, 11, 53. Immenso Achaicae victoriae momento ad impellendos mores. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 149.] *Virg. A.* 4, 22. Animumque labantem impulit. [*Sed apud nullum scriptorem saepius, quam ap. *Tac.* V. *Ann.* 1, 31. Vernacula multitudo impellere ceterorum rudes animos; ubi *Doederl.* 2, 55. praefert *implere* coll. *Liv.* 4, 30. urbs deinde impletur sc. contagione morbi. Sed hujus loci alia ratio est, et recte fortasse habet *impellere.* V. tamen *intpp.* et inter eos maxime *Rup.* contra *Wolf.* disputantem. *H.* 2, 63. Sabinus — in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, impulit ruentem. Ita *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 242. Adde *Sil.* 5, 406. Sed non augurio Parcarum impellere metas Concessum cuiquam.] ℙ Pro interpellare. *Hor. Sat.* 1, 3, 64. ut forte legentem, Aut tacitum impellat quovis sermone molestus. Al. leg. *appellet:* alii *impediat.* [*Vulg.*

unice prob. V. *Heindf.*] ℙ *Impellier* pro *impelli* paragoge est. *Lucr.* 6, 1058. nequeunt impellier unquam. ℙ *Impellerim* pro *impulerim* quidam leg. ap. *Ter. Heaut.* 1, 1, 113., alii tamen melius leg. *impulerim.* ℙ [*Confunditur *impulit* et *impedit.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 474.)

IMPENDĔO et Inpendeo, es, n. 2. ἐπίκειμαι, ἐπαρτάομαι, supra aliquid pendeo, immineo, insto. *Cic. N. D.* 2, 39. Impendentium montium altitudines. *Virg. G.* 1, 365. stellas, vento impendente, videbis Praecipites coelo labi; et *ib.* 4, 191. Nec vero a stabulis, pluvia impendente, recedunt. *Pl. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. Nucem ejus dixit impendere super tegulas. *Ulp. Dig.* 43, 26, 1. Arbor, quae ex aedibus tuis in aedes illius impendet. *Cic. Tusc.* 5, 21. Gladium e lacunari, seta equina aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus; et *ib.* 4, 16. Poetae impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt. ℙ Translate. *Cic. Mil.* 28. Quae vero aderant jam, et impendebant, quonam modo ea depellere potuissetis? *Id. Fam.* 4, 14. Ut ea, quae partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus. *Id. Dom.* 10. Impendebat fames, incendia, caedes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis. *Id. Rosc. Am.* 11 Licet undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia. *Pl. Epid.* 1, 1, 77. Tantae in te impendent ruinae; et 1, 2, 32. Nunc alia jam cura impendet pectori. *Cic. Tusc.* 4, 16. Omnibus semper aliquis talis terror impendet. *Id. Verr.* 2, 5, 60. Parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunae, nisi etiam hae formidines ab nostris magistratibus impendebunt? *Id. Prov. cons.* 17. *extr.* Tantum reipublicae sceleris impendere a consulibus, non suspicabar. ℙ Cum accusativo sine praepositione, quae inest in ipso verbo. *Ter. Phorm.* 1, 4, 2. Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Me.* ut quae res me impendet, agatur. *Fest.* tamen illud *me* pro *mihi* antique dictum putat. [*V. *Ruhnk.* ad *Ter.* l. modo laud. Adde *Lucr.* 1, 327. Nec, mare quae impendent, vesco sale saxa peresa Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.] ℙ In praeteritis non est, quod sciam, in usu.

IMPENDĬA, ae, f. idem quod impendium, impensa. *Inscr.* ap. *Grut.* 871, 8. D. M. Flavii Eleuterii Secundiani Asius Soterichus de sua impendia; et 1070, 6. Herculi sanctissimo, voto suscepto, C. Herodes de sua impendia D. D. Eid. April. L. Antistio et Claudio Ner. Coss. Haec vero pertinet ad an. LV. a Chr. n. Adde 62, 8.

IMPENDĬŌ et Inpendio, adv. πολὺ, σφόδρα, valde, impense, multo: ablativus casus adverbii more positus: quasi de re loquamur, quae impendio constet. Jungitur fere comparativis. *Ter. Eun.* 3, 5, 39. Impendio magis animus gaudebat mihi. *Pl. Aul. prol.* 18. Ille vero minus minusque impendio curare. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* At ille impendio nunc magis odit senatum. *Gell.* 18, 12. Nonne hoc impendio venustius gratiusque est, quam si diceret, etc.? Et 19, 13. Impendio probabilius; et 11, 18. Leges impendio acerbiores. ℙ Extra comparationem cum verbis jungitur. *Appul. Met.* 2. Cum impendio excusarem, negavit veniam; et *ib.* 10. Impendio suadere; et *Apolog.* Impendio commoveri. Adde *Laevium* ap. *Gell.* 19, 7.

IMPENDĬOSUS, a, um, adj. δαπανηρὸς, qui plus aequo impendit, et plus consumit, quam par est. *Pl. Bacch.* 3, 2, 12. Nimio praestat, impendiosum te, quam ingratum dicier.

IMPENDĬUM et Inpendium, ii, n. δαπάνη, sumptus, impensa: ab *impendo. Cic. Quint.* 3. Qui quaestum sibi instituisset sine impendio, posteaquam nescio quid impendit, mediocri quaestu contentus esse non poterat. *Plin. ep.* 10, 52. Impendia maxima facere. *Quint.* 1, 10. Reposcere rationem impendiorum, quae in educationem contulerat. *Suet. Caes.* 54. Evidentissimis rapinis et onera bellorum civilium, et munerum sustinuit impendia. *Plin.* 17, 23, 36. *n.* 22. Impendio fossarum munire vineam. *Id.* 18, 14, 36. Nullo impendio constat. *Id.* 16, 37, 68. Nullius tutior est reditus, minorisve impendii. *Ulp. Dig.* 9, 2, 7. Impendia pro curatione oculi vitiati. *Paul. ib.* 38, 1, 20. Unusquisque quod spopondit, suo impendio dare debet. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Messes colligere non expedit, si computetur impendium operae. ℙ Item fenus, usura, *h. e.* pecunia, quae in fenore sorti accedit: quia impenditur ab eo, qui fenori accepit. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* Usura, quod in sortem accedebat, impendium appellatum. *Cic. Att.* 6, 1. Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scaevola, fenus et impendium recusare: [**Gronov. fenus*, inquit, *et impendium recusare* est nomine pupilli bonam copiam ejurare, s. jurare illius patrimonium esse neque sorti neque usuris solvendis idoneum. Fenus enim saepe est sors, pro qua usurae penduntur (*das verzinsliche Capital*). Haec *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] et translate. *Id. Brut.* 4. Solum ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris. *Stat. Silv.* 3, 3, 87. partaeque per omnes Divitiae populos, magnique impendia mundi, *h. e.* pecunia, vectigales, et tributa, quae impenduntur ab omnibus R. imperio subjectis. ℙ Item quodvis damnum, jactura. *Curt.* 9, 4. *med.* Regi suo, parvo impendio, immortalitatem famae daturos. *Id.* 3, 11. *extr.* Triginta omnino ex peditibus desiderati sunt; tantulo impendio ingens victoria stetit. *Plin.* 18, 3, 3. Multatio non nisi ovium boumque impendio dicebatur. *Quint.* 6, 3. *med.* Nimium risus pretium est, si probitatis impendio constat. *Plin.* 34, 11, 25. Impendio miserorum experiri commentaria. ℙ *Impendium* et *jactura* differunt, quod omnis jactura impendium est, non contra. Nam potest esse impendium sine damno, et amissione, ut cum fiunt sumptus in res utiles, vel alieno periculo. *Liv.* 7, 21. *f.* Rem difficillimam tractatu, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura sustinuerunt.

IMPENDO et Inpendo, is, endi, ensum, a. 3. δαπανάω, ἀναλίσκω, pecuniam in aliquam rem erogo: a *pendo*, quia olim ante cusos nummos aes pendere, non numerare mos fuit, ut in DEPENDO et EXPENDO dictum est. *Cic. Verr.* 2, 4, 30. Impendere pecuniam in eas res, quas, etc. *Id. Quint.* 3. Posteaquam nescio quid impendit, et in commune contulit. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Certus sumptus impenditur. *Plin. ep.* 10, 46. In aquaeductum Nicomedenses impenderunt H-S XXX. *Juven.* 12, 95. Tres habet heredes: libet exspectare, quis aegram, Et claudentem oculos gallinam impendat amico Tam sterili. *Cic. Verr.* 2, 5, 19. Ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? ℙ Cum praeposit. *in* rarum est. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. §. 9. Quasi nummos in navem impensurus. *Paul. ib.* 24, 1, 31. *extr.* In opsonio, aut in unguentis, aut cibariis familiae pecuniam impendere. ℙ Translate est insumere, ponere, conferre. *Cic. Verr.* 2, 5, 20. Quid censetis in hoc foedere faciendo voluisse Mamertinos impendere laboris, operae, pecuniae, ne haec biremis adscriberetur? et *ib.* 2, 4, 30. Operam, curam in aliquid impendere. *Quint. prooem. l.* 1. studia erudiendis juvenibus. *Tac. A.* 12, 65. vitam usui alicujus. *Vell.* 2, 89. Impensurus omne aevi sui spatium in id opus. *Suet. Aug.* 98. Caprearum secessui quatriduum impendit. *Quint.* 3, 6. *med.* Quamquam tota volumina in hanc disputationem impendisse multos, sciam. *Petr. Sat.* 1. Haec vulnera pro libertate publica excepi: hunc oculum pro vobis impendi. *Val. Fl.* 4, 581. impendere preces. *Ov. Met.* 13, 266. At nihil impendit per tot Telamonius annos Sanguinis in socios. *Stat. Silv.* 5, 1, 63. vitamque impendere famae. *Varr. L. L.* 8, 13. Nihil impendunt, ut requirant. *Virg. G.* 3, 123. instant sub tempus, et omnes Impendunt curas denso distendere pingui, Quem legere ducem. *Stat. Th.* 7, 215. Ast ego non proprio diros impendo dolori Oedipodionidas. [**Lucan.* 4, 112. Et tu perpetuis impendas aera nimbis, i. e. totum aerem consumas in nimbis: aer perpetuis nimbis occupatus est. *Id.* 2, 382. Patriaeque impendere vitam. V. quae laud. *Cort.* ad h. l. Adde 5, 492. In ventos impendo vota fretumque, i. e. consumo et occupata habeo vota mea in ventis et freto prosperis optandis, cum longe majora optanda habeam: ita *Cort.*, qui copiam exemplorum largam collegit.] ℙ *Impendi* dicitur reus, qui morti jam destinatus, e medio tollitur. [**Quint. Decl.* 349. p. 738. Bene impendi crediderunt exemplo; ubi *Gronov.* laud. *Front. Strateg.* 4, 1, 33. Circumacta ad littus universa classe comprehensum supplicio affici jussit, et quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit.] *Tert. Apol.* 44. Illam injuriam civitatis nullus expendit, cum tot justi (*Christiani*) impendimur, cum tot innocentes erogamur. *Id. Spect.* 19. Cum magis competat innocenti dolere, quod homo par ejus tam nocens factus est, ut tam crudeliter impendatur. ℙ Hinc *Manil.* 4, 407. impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso, hoc est consumendus est in auro et gemmis effodiendis, in praedis vel navi, vel Marte quaerendis, ut scilicet Deus aureis ac gemmeis utensilibus, et opimis hostium spoliis honoretur.

IMPĒNETRĂBĬLIS et Inpenetrabilis, e, adject. ἀδιάβατος, qui penetrari non potest. *Liv.* 36, 25. Silex saepe impenetrabilis ferro occurrebat. *Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* Crocodilis superior pars corporis dura et impenetrabilis est, etiam majorum animalium dentibus. *Plin.* 8, 36, 54. Specus imbribus impenetrabiles; et *ib.* 25, 39. Tergus hippopotami ad scuta galeasque impenetrabile, praeterquam si humore madeat. [**Tac. A.* 3, 43. Inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles; et 12, 35. Circumspectis quae impenetrabilia, quaeque pervia.] ℙ Translate. *Sil.* 6, 413. patet impenetrabilis ille Luctibus, et nunquam submissus colla dolori; et 7, 561. pacata fuissent Ni consulta viro, mensque impenetrabilis irae. *Tac. A.* 4, 12. Pudicitia Agrippinae impenetrabilis. *Sen. praef. Q. N.* 4. Impenetrabilis blanditiis.

IMPĒNETRĂLĔ, cujus ultimum penetrale intrare non licet. *Festus.*

IMPENNĀTUS. V. PENNATUS.

IMPENSĂ et Inpensa, ae, f. δαπάνη, ἀνάλωμα, expensa, sumptus, pecunia in rem aliquam insumpta: ab *impendo. Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Impensam ac sumptum facere in culturam. (*impensa* hic est materies, seu res, quae in colendo impenditur: *sumptus* pecunia. Hoc sensu alia mox afferemus.) *Cic. Att.* 13, 25. *med.* Quoniam impensam fecimus in macrocola. *Id. Verr.* 2, 1, 55. Omnes illae columnae nulla impensa dejectae; et *ib.* 2, 3, 21. Arationes magna impensa, magno instrumento tueri. *Nep. Phoc.* 1. *extr.* Nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam: *a mie spese.* [*Laudat *Brem.* ad h. l. *Doederl.* qui translata significatione vv. *impensis meis* accipit, ita vertens: *auf Kosten meines Gewissens und guten Namens*: quod praeferendum.] Et *Suet. Tib.* 7. Dedit et ludos impensa matris ac vitrici. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 14. Impensa sua construere aliquid. *Ov. Her.* 7, 188. Instruis impensa nostra sepulcra brevi. [*Impensum proprie dici de sumptu in apparatum funeris, docet *Ruhnk.* ad h. l.] *Colum.* 2, 2. *f.* Reformidans impensam, quae largior est in amplioribus juvencis. *Id.* 12, 57. Majorem impensam vitare. *Id.* 3, 3. *med.* Amplissimas impensas vineae poscunt. *Plin.* 12, 14, 32. Inde impensae publicae tolerantur. *Hor. Ep.* 1, 19, 37. Non ego ventosae venor suffragia plebis Impensis coenarum, et tritae munere vestis. *Liv.* 35, 44. Nec impensae, nec labori, nec periculo parsurum. *Hirt. B. Alex.* 50. Maximis impensis onerare provinciam. *Tac. H.* 4, 4. Facere modum impensis publicis. ℙ Translate. *Ov. Met.* 8, 63. melius sine caede, moraque, Impensaque sui poterit superare cruoris. [**Liv.* 37, 53. Rebus ipsis meritisque et impensis officiorum ut superare possem, fortuna, tempora, Antiochus et bellum in Asia gestum praebuerunt materiam.] ℙ De iis rebus, quae impenduntur ad farcimen faciendum condiendumque. *Arnob.* 7, 231. Farta confectionis jure multiplici, atque impensarum varietate condita. *Apic.* 8, 7. Mittes impensam Tarentinam in vesicam bubulam; et *ib.* Teres piperis unciam, mel, vinum: hac impensa porcellum imples. ℙ Similiter *impensa sacrificii* ap. *Petr. Sat.* 137. sunt res ad sacrificium necessariae. *Impensam* quoque *Frontin. Aquaed.* 124. vocat materiem reficiendis aquaeductibus aptam, terram, lapides, ligna, etc. *Pall.* 1, 13. *impensam pumiceam*, et 1, 40. *testaceam* appellat pumicem, aut testam tusam, et calce mixtam, vel aceratam, quae inducitur camerae e canna, vel bipedis factae, ut pervia non sit: quod hodieque in hujusmodi fornicibus fieri solet. ℙ Denique *impensa* olim, teste *Festo*, dicta est stipes, seu aes sacrum, quod nondum erat pensum, sed tantum in cella Dei stipatum ac repositum. Verba *Festi* sunt: *impensam, stipem, aes sacrum, quod nondum erat pensum.* Alii primam distinctionis notam tollunt, leguntque *impensam stipem, aes sacrum*, etc. Quod sane rectius est: atque hac ratione *impensam* est adjectivum, *non pesata*, vel *non misurata.*

IMPENSĒ et Inpense, adv. per multam impensam et sumptum, sumptuose, δαπανηρῶς. *Pers.* 6, 68. nunc nunc impensius unge, Unge, puer, caules. *Suet. Dom.* 20. Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit. ℙ Translate est multa opera, studiose, cupide, valde, multum, vehementer. *Cic. Fam.* 13, 64. Nunc eo facio id impensius, quod ejus causam Nero suscepit. *Liv.* 40, 35. *med.* Milites in perniciosam, si quis impense retineret, seditionem exarsuri. [*V. *Duk.* ad 34, 15.] *Id.* 37, 56. *f.* Impensius gratias agere. *Suet. Claud.* 11. Impense petere. *Virg. A.* 12, 20. tanto me impensius aequum est Consulere. *Catull.* 72, 5. impensius uror. *Ter. Ad. f.* Quae vos propter adolescentiam minus videtis, magis impense cupitis. *Id. Eun.* 3, 1, 22. Illi invidere misere: verum unus tamen impense. *Gell.* 9, 4. Impensius laudare: et 9. Impense demirari. *Ov. Met.* 7, 314. impensius venerari numina; et *ib.* 7, 323. tum vero impensius instant. *Pl. Ep.* 4, 1, 39. Impense improbus. *Gell.* 13, 10. doctus. [**Liv.* 1, 40. Impensius his indignitas crescere, si, etc.; et 4, 46. Certamina — multo impensius in castris accendi.]

IMPENSĪBĬLIS, e, adj. ἀστάθμητος, ἀνεξέταστος, qui satis expendi non potest. *Gell.* 11, 5. Omniumque rerum fidem veritatemque, mistis confusisque signis veri atque falsi, ita impensibilem videri ajunt, ut quisquis homo est, etc. Al. leg. *incomprehensibilem:* alii aliter.

IMPENSUS et Inpensus, a, um, part. ab *impendo*, insumptus. *Cic. Verr.* 2, 5, 19. Ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? ℙ Translate. *Lucan.* 2, 569. Aetas impensa labori. *Grat. Cyn.* 234. Impensus labor. *Justin.* 16, 3. *extr.* Bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent. *Sen. Troad.* 298. Quis iste mos est? quando in inferias homo est Impensus homini? ℙ *Impenso pretio emere*, aut *venire* ap. *Cic. Att.* 14, 13. [*V. *Popm.* ad h. l.] *Caes. B. G.* 4, 2. et *Liv.* 2, 9. est permagno. Absolute. *Hor. Sat.* 2, 3, 245. Luscinias soliti im-

penso prandere coemptas. ℙ Hinc sumitur *impensus* pro magno, vehementi. *Tac. H.* 1, 31. et *Ov. Met.* 2, 405. Arcadiae tamen est impensior illi Cura suae. *Suet. Tib.* 13. Impensissimae preces. *Gell.* 20, 1. *med.* Impensius damnum. *Lucr.* 5, 962. impensa libido. *Gell.* 9, 14. Impensa opera conquirere veteres libros, *h. e.* magna diligentia. *Liv.* 35, 44. Impensa voluntas erga aliquem, *h. e.* magnum studium, favor, amor, propensa voluntas [*Ita etiam *Cic. Sext.* 62.] *Val. Max.* 4, 3, *n.* 1. *extr.* Impensioribus verbis laudare. [*Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 4. Divum Hadrianum avum tuum laudavi in senatu saepenumero studio impenso, et propenso quoque. *F.*] ℙ Animadversione dignum est illud *Lucr.* 6, 489. parvo tempore saepe Tam magnos montes tempestas, atque tenebrae Cooperiant maria ac terras, impensa, superne, *h. e.* soluta, profusa, effusa. Et illud *Pl. Bacch.* 3, 2, 10. Ingrato homine nihil impensius est, *h. e.* impendiosius, seu quod carius constet, quia beneficia in ingratum collata, impensae sunt et jacturae. Alii aliter interpretantur. Et illud *Sen. Herc. Oet.* 1590. nulla dominetur aula, Qui putet solum decus esse regni, Semper impensum tenuisse ferrum, *h. e.* occupatum, evaginatum, nunquam otiosum, sicut pecunia otiosa non est, quae impenditur. ℙ *Impensus* pro fartus, impletus (unde *impensa*) *Pl. Capt.* 4, 2, 26. Vae misero illi, cujus cibo iste factus est impensior. Al. leg. *imperiosior.* ℙ *Impensa stipes* est stipata, et nondum pensa. V. IMPENSA.

IMPENSUS, us, m. idem quod impensa. In sexto casu sing. *Symmach. ep.* 1, 5. (al. 11.) Majore impensu.

IMPĔRĂBĬLĬTER. V. IMPERIABILITER.

IMPĔRANS, antis, part. ab *impero. Aurel. Vict. Epit.* 12. de Nerva: Conditio imperantium. *Tac. A.* 16, 28. Imperantis lenitas. Al. leg. *imperitantis.* V. IMPERATOR.

IMPĔRĂTĪVĔ, adv. cum imperio, imperando. *Ulp. JCtus tit.* 24. *Regular.* Legatum est, quod legis modo, idest imperative, testamento relinquitur.

IMPĔRĂTĪVUS, a, um, adj. ut Imperativae feriae ap. *Macr. Sat.* 1, 16., quas praetores, aut consules pro arbitrio extra ordinem indicebant. ℙ Imperativus modus in verbis, quo imperamus. *Charis., Diomed., Prisc.* etc.

IMPĔRĀTOR et Inperator, oris, m. στρατηγός, ἡγεμών, αὐτοκράτωρ, is, cui commissa est belli administratio, ad quem rei militaris summa refertur, supremus belli dux. *Varro L. L.* 4, 16. scripsit, imperatorem dictum esse ab imperio populi, non militum. *Cic. Or.* 1, 48. Nam si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator: qui cum esset constitutus administrator quidem belli gerendi, etc. ℙ Stante Romana rep., qui bellum aliquod cum militari imperio administrabat, is erat, et dicebatur veri nominis imperator. *Hirt. B. Afr.* 4. Unus est Scipio imperator hoc tempore populi Romani. *Cic. Manil.* 2. Unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti, detulerunt. In nummis vero ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1. p. 103. C. Papius Mutilus, qui belli Samnitici dux fuit adversus Romanos, litteris Samniticis *embratur* dicitur. ℙ Alia fuit *imperatoris* appellatio, et quidem honoris tantum causa, cum scilicet quis belli dux, aliquot hostium millibus in acie caesis, post victoriam, vel militum acclamatione in castris, vel senatus sententia in Urbe imperator vocabatur. *Liv.* 27, 19. de Scipione Afric. seniore: Sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent; regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile esse. *Plin. Pan.* 12. de Trajano: Vident enim R. ducem, unum ex illis veteribus et priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi, et infecta victoriis maria. *Cic. Phil.* 14, 4. Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? et *mox.* 5. At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus? ℙ *Appian. B. Civ.* 2, 44. narrat, id antiquitus factitatum ob magnas res bello gestas, at sua quidem aetate, *h. e.* Hadriani Aug. aevo, nemini privato duci hunc honorem habitum fuisse, nisi caesis hostium decem millibus. *Diodor.* tamen *Sic. l.* 36. *eclog.* 3. sex tantum hostium millibus caesis idem fieri consuevisse, ait. Progressu vero temporis adeo evilescere coepit is honor, ut, teste *Caes. B. C.* 2, 25. et 26., C. Curio in bello civili Africano imperator salutatus fuerit caesis tantummodo centum et viginti hostibus. Quin idem *Caes. B. C.* 3, 31. refert, Q. Caecilium Metellum Scipionem, Pompejanarum partium ducem, detrimentis quibusdam circa montem Amanum in Cilicia acceptis, sese imperatorem appellasse. Et *Dio* 37, 40. scribit, C. Antonium, Catilina victo occisoque, imperatorem esse dictum, quamquam caesorum numerus minor esset constituto. V. et *ll. cc. Cic.* in §. 3. Praeterea olim non nisi semel bello uno imperator quispiam appellari potuit. Quare praeter veterum consuetudinem fuit, ut Claudius Aug. uno bello alisuetudo imperator diceretur. V. *Dion.* 60, 21. ℙ quoties At ex quo Augustus rerum omnium imperio potitus fuit, paucis tantum, iisque illustribus viris, ex victoria imperatoris titulus decretus est. Omnium vero postremum eo honore cumulatum fuisse a Tiberio Aug. ex victo Tacfarinate Junium Blaesum, narrat *Tac. A.* 3, 74.; ideoque fides abroganda est *Appiano*, qui *l. c.* in §. 4. id moris adhuc obtinuisse Hadriano Aug. imperante, perperam affirmat, ut ex historicorum, veterumque monumentorum auctoritate probat *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 385. ℙ Postquam vero resp. Romana in monarchiam versa est, tertia successit hujus nominis appellatio; institutum enim est, ut perpetuum imperatoris nomen summo principi Romani imperii assignaretur. Id a C. Julio Caesare originem traxit, quem *Suet. Caes.* 76. tradit, praenomen id perpetuum a senatu accepisse. V. et *Dion.* 43, 44. In quo immutata fuit veterum consuetudo. Nam cum apud veteres imperatoris nomen ceteris postponeretur, ut *M. Tullius Cicero Imperator*, Caesar id tanquam praenomen usurpabat, hoc pacto, *Imperator C. Julius Caesar.* A Julio autem haec imperatoris appellatio ad successores derivata est. Nec tamen omnino sub Caesaribus sublata fuit vetus consuetudo, de qua egimus in §. 3. et 4. Quippe sub his quoque, qui res praeclare gessissent, imperatores salutabantur. V. §. 5. At Caesares deinceps ex victoriarum numero, quas ipsi suo ductu, vel per legatos suis auspiciis retulissent, ejus appellationis numerum augere soliti fuerunt, ut constat ex marmoribus, et nummis, in quibus Augusti IMP. ITERVM, III., IV., V. et sic deinceps nuncupantur, ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 226, 7. Imp. Caesari Divi F. Augusto Pont. Max. Imp. XIIII etc. ℙ Generaliter imperator ponitur pro eo, qui imperat, quocumque id modo fiat. *Cic. Dom.* 33. Ille, ille populus est dominus regum, victor, atque imperator omnium gentium. *Sall. Cat.* 6. Immutato more annua imperia, binos imperatores sibi fecere, *h. e.* consules. ℙ *Imperator* etiam dictus est, qui victor in ludo latrunculorum fuisset. *Vopisc. Procul.* 13. Cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Ave*, inquit, *Auguste;* allataque lana purpurea, humeris ejus ingessit, eumque adoravit. V. CALCULUS. ℙ *Imperatores*, et *imperantes* vocabant medici aegrotos suos, a quibus pecunia conducebantur, ut quandocumque opus foret, praesto essent. Aliquot in hanc rem exempla congerit *Pareus* in *Lex. Crit.* ex *Pandect.* et *Senec.*, quae tamen non usque adeo certa sunt, ut eodem modo ab interpretibus et legantur, et explicentur. V. IMPERIUM. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 1. Dux, et imperator vitae mortalium animus est. *Plin.* 29, 1, 5. de medicis: Ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitae nostrae necisque fieri. [*Plurima h. l. egregie immutavit et addidit. *F.*]

IMPĔRĀTORIĔ, adv. ut imperatorem decet. *Trebell. Claud.* 6. Dum se ad id bellum imperatorie instruit.

IMPĔRĀTORĬUS, a, um, adj. αὐτοκρατορικός, ad imperatorem pertinens. [*Cic. *Fam.* 11, 4. Nomen imperatorium, i. e. titulus imperatoris ab exercitu duci concessus.] *Id. Verr.* 2, 1, 21. Quae signa atque ornamenta ex urbe hostium virtute capta, belli lege atque imperatorio jure, sustulit. *Id. Acad.* 4, 1. Imperatoria laus. *Vell.* 2, 125. appellatio. *Caes. B. C.* 3, 51. Imperatorias partes sibi sumere. *Nep. Iphicr.* 3. Fuit et animo magno et corpore, imperatoriaque forma. *Cic. Or.* 3, 3. Imperatoriae manubiae. *Plin.* 19, 1, 5. Imperatoria navis. *Suet. Dom.* 10. Imperatoria genesis, *h. e.* quae imperatorium fastigium pollicetur. [*Plin. *Pan.* 13, 1. Cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres.]

IMPĔRĀTRIX, icis, f. quae imperat. *Cic. Coel.* 28. de Clodia: Deinde fortes viros ab imperatrice in insidiis, atque in praesidio balnearum locatos. *Plin.* 26, 3, 8. Imperatrix Italia.

IMPĔRĀTUS et inperatus, a, um, part. ab *impero:* jussus, praeceptus. *Liv.* 40, 34. Nulla unquam arma, nisi imperata a populo R. sumere. *Cic. Pis.* 37. Mitto rationem exacti imperatique frumenti. *Caes. B. C.* 3, 32. Acerbissime imperatae pecuniae tota provincia exigebantur. *Id. B. G.* 6, 2. Senones ad imperatum non venire, *h. e.* ad constitutam diem, ut imperatum fuerat; et *ib.* 5, 36. Jussus arma abjicere, imperatum facit. Solemne est illud, *imperata facere*, de iis, qui se dedunt, et imperanti se subjiciunt. *Id. B. G.* 2, 3. Paratos esse et obsides dare, et imperata facere, et oppidis recipere, et frumento ceterisque rebus juvare; et *ib.* 5, 20. Pollicentur sese ei dedituros, et imperata facturos; et *B. C.* 3, 81. Nulla fuit civitas, quin Caesari pareret, et imperata faceret. *Suet. Caes.* 54. Quamquam nec imperata detrectarent, et advenienti portas patefacerent. *Nep. Eum.* 9. de militib. duci parentib.: Si velint imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. *Plin.* 10, 42, 57. Minimae avium carducles imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus, et ore pro manibus.

IMPĔRĀTUS et Inperatus, us, m. idem quod imperatum, imperium. *Inscr.* ap. *Fea*, *Viagg. ad Ostia* p. 13. [*ap. *Orell.* 1525.] Thiasus Acilii Glabrionis (*servus*) imperatu aram fecit dominae. Hic *Acilius Glabrio* videtur esse, qui consul fuit cum Trajano Aug. an. XCI. a Chr. n. *Ammian.* 31, 7. Imperatu Gratiani.

IMPERCEPTUS, a, um, adj. ἀκατάληπτος, non perceptus. *Ov. Met.* 9, 711. Impercepta pia mendacia fraude latebant. *Gell.* 14, 1. *med.* Minora majoribus imperceptiora sunt.

IMPERCĬTUS. V. IMPERDITUS.

IMPERCO, is, ersi, n. 3. idem quod parco. *Pl. Amph.* 1, 3, 2. Imperce, quaeso: menses jam tibi esse actos vides; et *Cas.* 4, 4, 11. Amabo, integrae atque imperitae huic impercito. Est qui leg. *imparce.*

IMPERCUSSUS, a, um, adj. non percussus. *Ov. Amor.* 3, 1, 52. Atque impercussos nocte movere pedes, *h. e.* non offendentes, ac strepitum non cientes.

IMPERDĬTUS et Inperditus, a, um, adj. non perditus. *Virg. A.* 10, 430. Et vos, o Grajis imperdita corpora, Teucri, *h. e.* quos Graji non occiderunt. *Sil.* 9, 161. ego Sidoniis imperditus. Alii leg. *impercitus. Stat. Th.* 3, 84. imperdita Tydeo pectora.

IMPERFECTĔ, adv. *Gell.* 2, 8. Imperfecte atque praepostere syllogismo uti.

IMPERFECTĬO, onis, f. ἀτέλεια, defectus. *Aug. de Genesi ad litt.* 1, 4. Formam Verbi semper Patri cohaerentis non imitatur imperfectio.

IMPERFECTUS et Inperfectus, a, um, adj. ἀτελής, nondum absolutus, non perfectus. *Virg. A.* 8, 428. Pars imperfecta manebat. [*Ov. *Met.* 3, 310. Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo Eripitur. *Apollod.* ἑξαμηνιαῖον βρέφος, sed *Lucian.* ἑπταμηνιαῖον.] *Gell.* 1, 7. Insuavius hoc, imperfectiusque est. *Quint.* 11, 3. *med.* Obambulare sermone imperfecto. *Plin.* 23, 1, 25. et *Stat. Th.* 10, 734. imperfecta loqui. [*Ov. *Met.* 1, 526. Cumque ipso verba imperfecta reliquit, i. e. orationem nondum absolutam.] *Id. ib.* 11, 582. Imperfecta mors, *h. e.* caecitas. *Juven.* 3, 232. Plurimus hic aeger moritur vigilando: sed illum Languorem peperit cibus imperfectus et haerens Ardenti stomacho, [*i. e. male concoctus. *Lucr.* 3, 971. Imperfecta tibi elapsa est ingrataque vita, i. e. propter perpetuam absentium aviditatem, praesentium usu destitutus, nihil in vita ad finem usque perduxisti.] ℙ Transfertur ad animum. *Sen. Tranqu.* 11. Ad imperfectos, et mediocres, et male sanos hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. Est qui leg. *imperitos.*

IMPERFOSSUS, a, um, adj. ἄρρητος, non perfossus. *Ov. Met.* 12, 496. manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Caeneus Elateius ictu.

IMPERFUNDIES, ei, f. illuvies, squalor. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 437. Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, imbalnitie, imperfundie, incuria. Al. leg. *improfundie*, minus recte.

IMPĔRĬĂBĬLĬTER, adv. imperiose et dure. *Cato* ap. *Charis.* 2, 181., ubi alii leg. *imperabiliter.*

IMPĔRĬĂLIS, e, adj. ad imperium et imperatorem pertinens. *Aurel. Vict. Epit.* 2. de Tiberio: Imperialis molestiae magnitudinem declinare. *Ulp. Dig.* 47, 12, 3. *med.* Imperialia statuta. *Capitol. M. Aurel.* 17. Imperialia ornamenta. *Pertin.* 13. Imperium et omnia imperialia sic horruit, ut, etc. *Ammian.* 21, 16. Imperiale culmen.

IMPĔRĬĂLĬTER, adv. pro imperii, seu imperatoris munere. *Imp. Justin. Cod.* 6, 51, 1. *f.* Nostrum esse proprium subjectorum commodum, imperialiter existimantes.

IMPĔRĬŌSĔ, adv. ἐπιτακτικῶς, severe, imperiosi domini more, cum ostentatione imperii. *Varr.* ap. *Non.* 4, 138. de Tullo Hostilio: Sufetium interemit paene imperiosius, quam humanius. *Gell.* 2, 29. Non severe, non imperiose praecipit.

IMPĔRĬŌSUS et Inperiosus, a, um, adj. imperandi peritus, aut potens, late imperans. *Cic. Or.* 34. Cognoscat rerum gestarum, et memoriae veteris ordinem: maxime scilicet nostrae civitatis, sed et imperiosorum populorum et regum illustrium. [*Id. de Rep.* 1. (ed. *A. Maio*) 2. Urbes magnas et imperiosas, ut appellat Ennius, viculis, et castellis praeferendas puto. *August. C. D.* 15, 19. Virgilius imperiosissimam civitatem domum appellat Assaraci. *F.*] *Liv.* 7, 40. Eodem tenore duo insequentes consulatus gessi: eodem haec imperiosa dictatura geretur. *Ov. Trist.* 5, 6, 32. Virga imperiosa, *h. e.* fasces magistratuum. *Claud. Fescenn.* 2. Parthis sagittas tendere certior, Eques Gelonis imperiosior. *Hor. Sat.* 2, 7, 83. Quisuam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus, *h. e.* qui sibi imperare novit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui inter initia principatus. *Id.* 30, 1, 1. Imperiosissimae humanae mentis artes, *h. e.* religio, astrologia, medicina, quae in homines magnum exercent imperium. *Quint.* 6, 3. Risus habet vim nescio

an imperiosissimam, et cui repugnari minime potest. ℙ Item qui imperio nimis utitur, qui impotenter, dure, severe imperat, superbus, arrogans. *Cic. Parad.* 5, 3. Cupiditas honoris quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! *Id. Fin.* 3, 32. Nimis imperiosi philosophi est vetare meminisse. [**Quint. Inst.* 1, 1, 8. Imperiosi atque interim saevientes (paedagogi).] *Liv.* 9, 34. *med.* Familia imperiosissima et superbissima. *Sen. Ben.* 3, 28. *f.* Imperiosus atque impotens. *Id. praef. Q. N.* 4. Imperiosi nobis ipsis, et molesti sumus. *Plin.* 29, 1, 8. Imperiosa inedia. *Hor. Od.* 1, 14, 8. imperiosius aequor, *h. e.* violentius. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 81.] ℙ *Imperioso* cognomen fuit Manlio Torquato dictatori tum ob acerbitatem in delectu habendo, tum ob saevitiam, qua filium T. Manlium ab Urbe rus relegaverat, quod infacundior esset, et lingua impromptus. Ita *Liv.* 7, 3. et 4. et *Sen. Ben.* 3, 37. Sed et ipse Titus filius, qui consul filium suum T. Manlium, quod extra ordinem, contra edictum pugnasset, securi percussit, idem cognomen habuit, ut est ap. *Cic. Fin.* 2, 19. *Plin.* 22, 5, 5. et *Liv.* 4, 29. Hinc *Manliana imperia* proverbio dicta de tristibus, severis, ac saevis. *Liv. ib.* et 8, 7. *extr.* ℙ In marmor. *Capitol.* ap. *Grut.* 291. et 297. *col.* 1. *imperiossus* scriptum est: sic *verrucossus ead. pag. col.* 2.

IMPĔRĪTĒ, adv. *ἀπείρως*, indocte. *Cic. Brut.* 47. Dicebat Scipio non imperite. *Id. Phil.* 2, 32. Imperite factum. *Id. Balb.* 8. Quid potuit dici imperitius? *Id. ib.* 11. Illud est imperitissime dictum.

IMPĔRĪTĬA, ae, f. *ἀπειρία*, inscitia. *Sall. Jug.* 42. At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus ejus augere amentiam. *Tac. A.* 13, 42. Studiis inertibus et juvenum imperitiae suetus; et 36. Pugnam imperitia poscere. *Plin.* 17, 2, 2. Contra Circium serere, imperitia existimatur. *Gell. praef. med.* Homines a turpi agrestique rerum atque verborum imperitia vindicare; et *in lemmate* 17, 7. *ejusd. Gell.* Grammaticus insolentiarum et imperitiarum plenus.

IMPĔRĪTO, et Inperito, as, avi, atum, a. 1. frequentat. ab *impero*, et ejusdem fere significationis atque usus. *Pl. Capt.* 2, 1, 47. Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem. *Hor. Sat.* 1, 6, 4. Olim qui magnis legionibus imperitarint. *Id. Od.* 1, 15, 25. sive opus est imperitare equis, Non auriga piger. Sic *Virg. A.* 12, 718. mussantque juvencae, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur. *Liv.* 1, 2. Caere, opulento tum oppido, imperitans. ℙ [*Hoc verbum saepissime libidinem fere et superbiam imperandi significat. Pertinet huc locus *Plin.* quem Noster supra laudaverat, 20, 21, 24. Galli gallinacei imperitant suo generi, et regnum, in quacumque sunt domo, exercent. Ita imprimis Livio est familiare. V. 21, 1. Quod superbe avareque crederent imperitatum victis esse; ubi v. *Drakenb.* et 1, 17. Decem imperitabant. Plura praeb. *Lex. Liv.* s. h. v. Adde *Tibull.* 2, 3, 33. Imperitat cui tristi fronte Cupido. *Plin. Pan.* 82, 6. Sed si his validior toto corpore animus imperitet. *Quint. Inst.* 6. *prooem.* 15. Imperitanti fortunae; ubi v. *Spald.*]

IMPĔRĪTUS et Inperitus, a, um, adj. *ἄπειρος, ἀδαήμων*, non peritus, ignarus, inscitus. *Cic. Fl.* 7. Imperiti homines, rerum omnium rudes, ignarique. [**Id. Rosc. Am.* 49. Homo imperitus morum (*der die Welt nicht kennt*) agricola et rusticus; et *Her.* 4, 10. Adolescens imperitus conviciorum.] *Caes. B. G.* 4, 22. Homines barbari et nostrae consuetudinis imperiti; et *ib.* 1, 44. Non se tam barbarum, neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret, etc. *Nep. Epam.* 7. Dux imperitus belli. *Cic. Or.* 3, 44. Imperitus dicendi ignarusque. *Id. Balb.* 20. Imperitus foederis, rudis exemplorum, ignarus belli. *Suet. Aug.* 89. Poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comoedia veteri. *Cic. Part.* 26. Apud indoctos imperitosque dicere. *Plin.* 29, 1, 8. Imperiti expertesque linguae. *Quint.* 12, 3. In festinationibus faciendis imperitum esse. *Vitr.* 1, 1. *med.* Nec in ceteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus. *Pl. Trin.* 3, 2, 39. Imperitum ingenium. *Quint.* 9, 4. *med.* Poema imperito quodam initio fusum. *Ter. Ad.* 1, 2, 18. Homine imperito nunquam quidquam injustius: Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. *Sall. Jug.* 53. Uti prudentes cum imperitis manus consererent. *Cic. Rosc. Com.* 7. Probus improbum, perjurum castus, callidum imperitus fraudasse dicitur. *Cic. Rosc. Am.* 46. Ne quis imperitior existimet, me causam nobilitatis voluisse laedere. *Id. Amic.* 25. Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid, etc.

IMPĔRĬUM et Inperium, ii, n. *ἐπίταγμα*, jussum, praeceptum, auctoritas, quam habent dominus in servos, pater in filios, maritus in uxorem, et hujusmodi: ab *impero*. *Cic. Caec.* 18. Denique imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. *Ter. Ad.* 2, 1, 2. Imperium alicujus revereri. *Id. Heaut.* 4, 1, 22. exsequi. *Liv.* 25, 9. accipere. *Pl. Amph.* 2, 1, 75. somniculose persequi. *Id. Asin.* 2, 4, 10. contemnere. *Id. Aul.* 4, 1, 13. herile ediscere. *Id. Trin.* 2, 2, 19. capessere. *Id. Cas.* 2, 6, 57. exhibere, *h. e.* exercere. Et eodem sensu *Id. Bacch.* 3, 3, 44. inhibere. *Ter. Eun.* 3, 1, 25. habere in aliquem. *Pl. Men.* 5, 7, 1. curae habere. *Id. Ps.* 4, 7, 1. nihili facere. *Id. Pers.* 3, 1, 15. Meum imperium in te, non in me tibi est. *Id. Men.* 5, 7, 41. Jubeo hercle, si quid imperii est in te mihi. *Id. Bacch.* 3, 3, 55. Obsequentem et obedientem esse imperiis patris. *Id. Trin.* 2, 2, 21. Tuis servivi imperiis et praeceptis, pater. *Id. Asin.* 1, 2, 21. Imperio parere. *Id. Capt.* 2, 2, 56. obsequi. *Ter. Heaut.* 2, 2, 4. Esse sub imperio matris; et *Phorm.* 1, 4, 18. *Ant.* sta illico. *Gehem*: Satis pro imperio, quisquis es, *h. e.* satis imperiose. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Sen.* 11. Appius et senex et caecus tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. *Plin.* 8, 1, 1. Elephanti inest imperiorum obedientia. [*Huc pertinent et ista *Tibull.* 2, 4, 54. Ite sub imperium, sub titulumque, Lares, i. e. imperio domini, magistratus auctoritate auctionem habentis, morem geratis. V. *Heyn.* ad h. l. et quos laudat *Gronov. Obss.* 2, 6. et *Salm. M. V. c.* 15. *Plin. Pan.* 20, 5. Assuescat imperator, cum imperio calculum ponere, i. e. rationes inire cum iis, quibus imperatur. V. *Schwarz.* et *Lips.* qui *cum imperio* interpretatur *μετὰ τῶν ἀρχομένων.*] ℙ Saepe dicitur de publica potestate, et auctoritate, et administratione magistratuum civilium, et praecipue militarium. *Cic. Pis.* 16. Ex Macedonia aliquot praetorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui non triumpharit. *Id. Off.* 1, 20. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* Ita cepi et gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem; et *ib.* 1, 1. Tres legatos decernit ex iis, qui cum imperio sunt. *Festus* in *Cum.* Cum imperio esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium. (De militari imperio loquitur.) *Cic. Fin.* 2, 20. *extr.* App. Claudius, qui tum erat summo in imperio, *h. e.* in decemviratu. Al. leg. *summo imperio.* [*Differunt *cum imperio* et *in imperio esse:* illud de militari potestate, hoc de civili dicitur. Neque tamen hoc discrimen est perpetuum. Nam ap. *Cic. Quint. Fr.* 1, 1, 10. (de Quinto) Quoniam in istis urbibus cum summo imperio et potestate versaris. Sic *in imperio* pro *cum imperio. Att.* 14, 15. V. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 25. ubi tamen dicitur cum respectu ad provinciam. Locus clarus est *Verr.* 1, 13. ubi consul Romae dicitur esse cum summo imperio et potestate. V. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] et *Har. resp.* 17. Sacrificium, quod fit in ea domo quae est in imperio, *h. e.* in domo pontificis maximi, vel consulis, vel praetoris. *Pl. Amph.* 1, 1, 41. Ut gesserit rempubl. ductu, imperio, auspicio suo. *Nep. Dat.* 3. Pari eum atque illos imperio esse jussit; et *ib.* Summam imperii tradere alicui; et *Ages.* 2. Summum imperium inter praefectos habere. *Cic. Phil.* 11, 10. Privato viro imperium extra ordinem dare. *Caes. B. G.* 1, 3. Obtinere imperium suae civitatis; et 2. Totius Galliae imperio potiri. *Vell.* 2, 125. Imperio obtinere provinciam. *Caes. B. G.* 5, 52. Populi R. imperia perferre; et *ib.* 2, 22. Neque ab uno omnia imperia administrari poterant; et *B. C.* 3, 32. Erat plena lictorum et imperiorum provincia, differta praefectis atque exactoribus. *Justin.* 3, 2. Populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. *Cic. Font.* 1. Galli sub populi R. imperium ditionemque ceciderunt. ℙ *Imperia* pro *imperatoribus*, ut *servitia* pro *servis*. *Cic. Leg.* 3, 3. *med.* Imperia potestates, legationes, cum senatus creverit, urbe exeunto. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire. ℙ Sumitur et pro dominio, ditione, republica, regno, *Virg. A.* 1, 291. Imperium oceano, famam qui terminet astris. *Cic. Amic.* 8. Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho et Annibale. *Id. Prov. cons.* 12. Imperii finium propagatio. *Hor. Od.* 3, 5, 3. adjectis Britannis Imperio, gravibusque Persis. *Tac. H.* 1, 16. Immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore non potest. ℙ [*Conservare imperium majestatemque populi Rom. sine dolo malo. *Liv.* 38, 11. eorum est, qui inferiores se Romanis foederis formula declarari passi sunt. Cf. 8, 34. et 35.] ℙ Etiam medicorum praescripta *imperia* vocantur. *Plin. Pan.* 22. Aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui prorepere. [*Similiter Gr. *προστάγματα.* Cf. *Berneg.* et *Schwarz.* ad h. l.] V. IMPERO. ℙ Translate *Cic. Sen.* 15. Agricolae habent rationem cum terra, quae nunquam recusat imperium. V. IMPERO.

IMPERJŪRĀTUS, a, um, adj. *Ov. Ib.* 78. Quique per infernas horrendo murmure valles Imperjuratae laberis amnis aquae. De Styge loquitur, Dii cujus jurare timent, et fallere numen, ut ait *Virg. A.* 6, 324.

IMPERMISSUS, a, um, adj. non permissus, illicitus. *Hor. Od.* 3, 6, 27. Cui donet impermissa raptim Gaudia.

IMPERMIXTUS, a, um, adj. non permixtus. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 129. Impermixtum lymphorem.

[IMPERMŪTĂBĬLIS, e, adj. idem ac immutabilis; vox est ex pugnantibus conflata. V. IMPERTERRITUS. *Auct. fr.* quod *Censorino tribuitur* 1. Stoici introduxerunt naturam providam ac sapientem, quam ordo impermutabilis ostenderet. *F.*]

IMPĔRO et Inpero, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιτάττω*, praecipio, mando, jubeo, praescribo: ab *in* et *paro*, ut proprie sit, *ut alter paret, mando*, inquit *Voss.* in *Etym.* Hinc *Cic. Rosc. Am.* 21. Nonnunquam etiam puerum vocaret; credo, cui coenam imperaret, *h. e.* parari juberet. *Ter. Heaut.* 4, 3, 26. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu facilem; et 5, 5, 11. Pater, omnia faciam: impera. *Id. Eun.* 2, 1, 7. Numquid aliud imperas? In vet. S. C. ap. *Frontin. Aquaed.* 104. Quibus negotium a senatu est imperatum, ut inspicerent aquas publicas. *Ter. Andr.* 3, 2, 10. Imperabat coram, quid opus facto esset puerperae. *Id. Phorm.* 1, 4, 46. Quin tu, quod faciam, impera. *Id. Andr.* 5, 2, 1. Animo otioso esse impero, etc. *Virg. A.* 7, 168. ille intra tecta vocari Imperat. *Ter. Eun.* 2, 2, 21. Imperavi egomet mihi, omnia assentari; et 3, 5, 30. Mihi, ne abscedam, imperat. *Petr. Sat.* 1. Imperant filiis, ut patrum suorum capita praecidant. *Ov. Met.* 13, 659. alantque, Imperat, Argolicam coelesti munere classem; et *ib.* 1, 670. letoque det, Imperat, Argum. *Ter. Ad.* 1, 1, 52. Fateatur, nescire imperare liberis; et *Eun.* 2, 3, 97. jubesne? *Chae.* jubeo, cogo, atque impero. ℙ Ex postremo hoc *Terentii* loco recte colligit *Donatus*, plus esse *imperare*, quam *jubere*. Est enim maxime proprium magistratuum tum civilium, tum praecipue militarium: *ἄρχω, ἡγεμονεύω.* [**Cic. Manil.* 19. Omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare.] *Nep. Con.* 3. Civitas, quae ceteris gentibus imperare consuevit. [**Cic. Leg.* 3, 2. Neque solum iis (magistratibus) praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus; et *ib. cp.* 3. Quod is qui bellum geret, imperasset, jus ratumque esto.] *Nep. Dat.* 5. Si quid, illo imperante, adversi accidisset, *h. e.* habente eo imperium exercitus. *Plin. Pan.* 5. Recusabas enim imperare, *h. e.* imperator esse. *Sen. Phoen.* 584. durum geris, Saevumque in iras pectus et nondum imperas, *h. e.* rex es. [*In rebus amatoriis *Prop.* 1, 9, 4. Et tibi nunc quovis imperat empta modo. ℙ Translate *Prop.* 3, 19, 2. Objicitur toties a te mihi nostra libido, Crede mihi, vobis imperat ista magis.] ℙ *Imperare naves, pecuniam, obsides*, etc. est jubere parari, atque exhiberi, quae significatio maxime respondet etymo vocis in §. 1. allato. *Nep. Att.* 7. Dum privatis pecunias per epistolas imperaret. *Id. Con.* 4. Imperare maritimis civitatibus naves longas. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. denarios trecentos singulis ad statuam praetoris. *Id. Div. Verr.* 10. frumentum sibi in cellam. *Id. Manil.* 12. obsides. *Pl. Epid.* 2, 2, 43. tributum. *Caes. B. C.* 1, 6. arma; et *B. G.* 6, 4. equites civitatibus. ℙ *Imperare exercitum* ap. *Varr. L. L.* 5. *f.* est Quirites convocare ad comitia. Jocatur autem *Pl.* ubi ait in *Capt.* 1, 2, 49. *Erg.* huic illud dolet, Quia nunc remissus est edendi exercitus. *Heg.* Nullumne interea nactus, qui posset tibi, Remissum, quem dixti, imperare exercitum? V. *Gronov. Observv.* 1, 1. ubi multa in hanc rem. ℙ Saepe refertur ad animum, et pro continere, moderari ponitur. *Ov. Met.* 9, 28. accensae non fortiter imperat irae. *Plin. ep.* 8, 19. Imperare dolori, ut scriberem, potui. *Cic. Tusc.* 2, 21. Cum praecipitur, ut nobismetipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem. *Sen. ep.* 113. *f.* Imperare sibi, maximum imperium est. *Cic. Amic.* 22. Imperare cupiditatibus. *Sil.* 2, 652. lacrimis. *Sen. Thyest.* 919. menti non satis, *h. e.* extra se esse, insanire. *Petr. Sat.* 83. amori suo. *Sen. praef. contr.* 1. *med.* Nemo plus ingenio suo imperavit: nemo plus indulsit. *Liv.* 34, 31. Imperare animo nequivi, quin priusquam perirem, cur periturus essem, scirem. ℙ *Imperare agris* est eos impense colere, et quasi cogere, ut fructum reddant. *Virg. G.* 1, 99. Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis. Ubi *Servius:* idest, ut tantum ferant, quantum ipse desiderat. Alii, ne liberius ferant, quae volunt, sed quod fuerit satum, reddant. Adde *Tac. G.* 26. Significat autem saepe, nimiam curam impendere. *Colum.* 3, 3. *med.* Sic imperant vitibus, et eas multis palmitibus onerant, ut posteritati non consulant. *Sen. Tranqu.* 15. Ut fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos non intermissa fecunditas; ita animorum impetus assiduus labor frangit. *Plin. ep.* 5, 19. Dum per continuos dies nimis imperat voci, rursus sanguinem reddidit. ℙ Translate. *Sen. ep.* 29. *f.* Nunquam volui populo placere: nam quae ego scio, non probat populus; quae probat populus, ego nescio. Quis hoc, inquis? Tanquam nescias, cui imperem. Epicurus, *scil.* quem excolam, et fructum ab eo,

velut agro, exigam, nempe praecepta sapientiae. *Id. Tranqu.* 4. Alius patrimonio suo plus imperavit, quam ferre possit. ℙ *Imperare* dicuntur et medici praecipientes, quae ad curationem pertinent. *Sen. Ira* 1, 16. Si intrassem valetudinarium exercitatus et sciens, aut domum divitis, non idem imperassem omnibus per diversa aegrotantibus. *Plin.* 24, 1, 1. *extr.* de medicis: Paremus externis, et una artium imperatoribus quoque imperat. *Hard.* leg. *imperaverunt.* [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 133.] ℙ Passive. *Hor. ep.* 1, 5, 21. Haec ego procurare et idoneus imperor, et non Invitus. *Sall. or. Philippi contra Lepid. f.* Ex lubidine leges imperantur, *h. e.* feruntur, promulgantur, imponuntur. ℙ *Ad imperandum* olim erat ad parendum, ad imperata faciendum. *Cic. Fam.* 9, 25. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur. *Sall. Jug.* 66. Cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, *h. e.* ut illi imperaretur. [*V. *Cort.* ad h. l. Adde *Tac. H.* 1, 52. Aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi in utroque exercitu.] [*Front. de orat.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Ubi verborum praesidiis opus sit, non voluntariis tantum, quae ultro obvenerint, utemur, sed latentia eliciemus, utque ad imperandum indagabimus. *F.*] ℙ *Imperandi declinatus* apud grammaticos est declinatio imperativi modi. *Varr. L. L.* 9, 1. *f.* ℙ [Part. *Imperaturus* ap. *Caes. B. G.* 2, 32. Finitimis imperaturus. *Imperandus* ap. *Cels.* 7, 20. Si vires patiuntur, imperanda tridui abstinentia est. *F.* ℙ *Confunduntur *imperare* et *impetrare*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 6, 23. et *Eund.* et *Ruhnk.* ad *Vell.* 1, 11, 4. — *Imperare* et *temperare* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 10, 1. p. 912. et ad *Vell.* 2, 60, 4.]

IMPERPĔTŪUS, a, um, adj. qui perpetuus non est. *Sen. ep.* 72. *med.* Cui quid abscedere potest, id imperpetuum est.

IMPERSONĀLIS, e, adj. qui personis caret, et dicitur de verbis quibusdam, quae impersonalia dicuntur a grammaticis, quia in tertiis tantum personis usurpantur. *Diomed.* 1., *Charis.* 2 et 3., *Prisc.* 8. etc.

IMPERSONĀLĬTER, adv. sine personis. *Flor. Dig.* 45, 3, 15. Sive mihi, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter dari servus meus stipuletur, mihi acquiret, *h. e.* non pronunciata persona. ℙ Apud grammaticos verbum impersonaliter construi dicitur, cum in tertiis tantum personis usurpatur.

IMPERSONĀTĪVUS dicitur a nonnullis grammaticis infinitivus verborum modus, quia personis caret. *Diomed.* 1, 331.

IMPERSPĪCŪUS, a, um, adj. obscurus. *Plin. ep.* 1, 20. *extr.* Non minus imperspicua sunt judicum ingenia.

*IMPERSUASIBĬLIS, e, adj. ἀπειθής. *Vet. Interpr. Barnab.* Populus impersuasibilis: λαὸς ἀπειθῶν. *B. A.*

IMPERTERRĬTUS, a, um, adj. ἀνέκπληκτος, ἄφοβος, qui nulla re terretur. Vox est ex pugnantibus conflata, ut notat *Quint.* 1, 5. *f.* Nam *in* negat, *per* auget. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Virg. A.* 10, 770. Manet imperterritus ille. *Sil.* 14, 187. quin contra intentior ipse Invigilat cautis, frontem imperterritus, armis.

IMPERTĬLIS, e, adj. sine parte, individuus. *August. de Mus. c. ult.* 6. Impertilis nota.

[IMPERTĪNENS, entis, adj. ille, ad quem aliquid non pertinet. *Capell.* 1. p. 15. Item alii coelites, ac Deorum omnium populus absque impertinentibus (*Diis*) convocandi sunt, *h. e.* qui vocandi non erant, ut Discordia, et Seditio, quae ad sacras nuptias corrogandae non fuerant. *F.*]

IMPERTĬO et Inpertio, is, ivi, et ii, itum, a. 4. μεταδίδωμι, partem do, participem facio, communico, praebeo, tribuo. *Hor. ep.* 1, 6, 67. si quid novisti rectius istis, Candidus imperti: si non, his utere mecum. *Cic. Sull.* 3. Oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus. *Id. Off.* 2, 15. Indigentibus de re familiari impertiendum. *Id. ad Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* A te peto, ut aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi. *Tac. A.* 14, 21. Aures studiis honestis impertire; et *Cic. Verr.* 2, 2, 21. Tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertire noluisti; et *Mur.* 4. Meum laborem hominum periculis sublevandis impertio, etc.; et *Fam.* 5, 2. *med.* Si aliquid impertivit tibi sui consilii; et *Att.* 2, 23. Dolorem suum impertiri alicui; et *Rosc. Am.* 4. Te quaeso, ut qualem te jam antea populo R. praebuisti, talem te et nobis hoc tempore impertias; et *Att.* 3, 15. *f.* Nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam; et *ib.* 2, 12. *extr.* Terentia impertit tibi multam salutem. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 7, 34. ℙ Cum accus. personae, et ablat. rei. *Ter. Eun.* 2, 2, 40. et *Pl. Epid.* 1, 2, 23. Stratippoclem Salva impertit salute Epidicus. *Id. Ps.* 1, 5, 40. Herum saluto primum, ut aequum est: postea si quid supersit, vicinos impertio. *Suet. Ner.* 37. Neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem. *Pl. Stich.* 2, 1, 27. Obsecret, se ut nuncio hoc impertiam. ℙ Passive *Cic. Cat.* 3, 6. Viro forti collegae meo laus impertitur. *Id. Att.* 2, 18. Huic signa benevolentiae permulta a bonis impertiuntur. *Nep. Att.* 1. Omnibus doctrinis, quibus aetas puerilis impertiri debet, filium enutrivit. [*V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Deponentis forma. *Cic. Arch.* 5. Multis gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur. *Ter. Ad.* 3, 2, 22. Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? ℙ [Part. *Impertiens* ap. *Suet. Aug.* 10. Ne publicum quidem jus ulla in re sibi sine partione gravissimae mercedis impertiente. *Impertiturus* ap. *Pl. Mil.* 4, 2, 68. Non hic suo seminio quamquam porculam impertiturus est. *Impertiendus* ap. *Suet. Aug.* 25. Nunquam donis impertiendos putavit. *F.*] ℙ Legitur etiam *impartio*, et *impartior*. [*V. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 6, 5.] ℙ *Impertibant* ap. *Front. de fer. Als.* 3.

IMPERTĪTĬO, onis, f. actus impertiendi. *Arnob.* 2, 43. Honoris impertitione viduari.

IMPERTĪTUS, a, um, part. ab *impertio:* datus, communicatus. *Liv.* 21, 41. *med.* Veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione, etc. Pro his impertitis oppugnatum patriam nostram veniunt, *h. e.* pro his beneficiis collatis. ℙ Item donatus, *h. e.* pro his beneficiis collatis. *Suet. Claud.* 4. Reliquit idest munere affectus. *Suet. Claud.* 4. Reliquit eum nullo, praeter auguralis sacerdotii, honore impertitum.

IMPERTURBĀBĬLIS, e, adj. imperturbatus. *August. Confess.* 4, 11. Locus quietis imperturbabilis. Adde *ib.* 2, 10.

IMPERTURBĀTĬO, onis, f. V. IMPASSIBILITAS.

IMPERTURBĀTUS, a, um, adj. non turbatus, ἀτάραχτος. *Ov. Ib.* 562. Imperturbato quod bibit ore reus. *Sen. ep.* 73. *med.* Imperturbata publicis occupationibus quies.

IMPERVĬUS, a, um, adj. ἀδιάβατος, non pervius. *Ov. Met.* 9, 106. Vorticibusque frequens erat, atque impervius amnis. *Val. Fl.* 2, 643. tellus populis impervia lucis Eoae, *h. e.* quae adiri non potest. *Tac. A.* 3, 31. Itinera interrupta et impervia; et *A.* 15, 43. Lapis ignibus impervius, *h. e.* qui ignes non sentit.

IMPES, ētis, m. idem quod impetus. Vox poetica, quae nullum habet usum, quod sciam, in rectis casibus: frequentem in sexto singulari. *Lucr.* 6, 326. Inde ubi non potuit nubes capere impetis auctum, Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro; et 1, 292. trudunt res ante ruuntque Impetibus crebris. [*Usitatissimum est hoc vocab. ap. *Lucr.* V. *Eichstadt. ind. Lucr.*] *Ov. Met.* 3, 79. Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis, Fertur. [*Adde *ib.* 8, 359.] *Sil.* 13, 247. ipse secutus Corruit ulterior procursus impete truncus. Adde *Laev.* ap. *Gell.* 19, 7. ℙ Est etiam amplitudo, vastitas, ut IMPETUS. *Lucr.* 5, 911. Aut hominem tanto membrorum esse impete natum, ut, etc.

IMPESCĔRĔ, in laetam segetem pascendi gratia immittere. *Festus.*

IMPETE. V. IMPES.

[*IMPĔTEJUS, a, um, adj. qui impetum facit, violentus. *Gloss. Philox.* Impetejus, βίαιος. *F.* et *B. A.*]

IMPĔTĪBĬLIS et Inpetibilis, e, adj. qui peti non debet, aut potest, ἀνεπιχείρητος, ut exponit *Gloss. Philox.* Hinc usurpatur pro turpi et reprehensibili, ut impetibile scelus, ap. *Appul. Apol.* turpe, et impetibile est, ap. *Symmach. ep.* 9, 103. (al. 113.) Sic *Plin.* 20, 18, 76. Impetibilis valetudo, *h. e.* non ferenda, vel quae medicamentis peti et curari non potest. Al. leg. *impatibilis;* et 25, 5, 24. Impetibiles cruciatus. Alii tamen leg. *impatibiles.* ℙ Item qui peti potest, seu in quem impetum facere possumus. *Solin.* 40. *f.* de chamaeleonte: Impetibilis est coraci.

IMPĔTĪGĪNOSUS et Impetīgōsus, a, um, adj. impetigine affectus. *Ulp. Dig.* 21, 1, 6. Trebatius ait, impetiginosum morbosum non esse, si eo membro, ubi impetigo est, aeque recte utatur. [*Gloss. Philox.* Impetigosus, λειχηνωτός. *F.*]

IMPĔTĪGO, inis, f. λειχήν, ἀλφός, summae cutis asperitas cum multa prurigine, squamis, et furfuribus: ab *impeto*, quod corpus impetat, et infestet scabiei instar. *Plin.* 13, 7, 64. Hiberna caprificus in aceto cocta et trita impetigines tollit. *Cels.* 5, 28. *n.* 17. quatuor impetiginis species enumerat. ℙ Impetigines quoque vel lichenes vocantur squamulae anteriorum crurum in equis sub armorum partibus natae, quas etiam hirundines, callos, verrucas vocant. *Colum.* 6, 31. Impetigines, et scabies aceto, et alumine defricantur. ℙ Est etiam vitium quarundam arborum, v. g. ficorum, cum cortici scabrities advenit ex imbre, aut rore putrescente. *Plin.* 17, 24, 37.

IMPĔTIX, impetigo. *Festus.*

IMPĔTO et Inpeto, is, a. 3. προσβάλλω, invado, adorior: a *peto*, quia est violenter aliquem petere, seu invadere. *Festus:* Impetite, impetum facite. *Stat. Th.* 8, 523. cedentem Acheloius heros Impetit. *Lucan.* 6, 393. Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens, Impetis Haemonio majorem Scorpion arcu; et 222. de ursa: Se rotat in vulnus, telumque irata receptum Impetit. *Sil.* 5, 274. Impetit os hasta. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 7, 9. *in concione.* Impetere aliquem medacitatis, *h. e.* insimulare.

IMPETRĀBĬLIS, e, adj. ἐξαιτητος, qui facile impetrari potest. *Liv.* 25, 29. Omnia impetrabilia et tuta erant apud Romanos. *Id.* 36, 33. Spem impetrabilis veniae ostendebant. *Id.* 39, 29. Cui postulanti triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat. *Id.* 30, 16. *f.* Quo impetrabilior pax esset. *Prop.* 4, 1, 97. Junoni votum facite impetrabile, dixi. ℙ Item qui facile impetrat. *Pl. Most.* 5, 2, 40. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis. ℙ Item qui res facile ad exitum perducit, qui quidquid conatur, assequitur. *Id. Merc.* 3, 4, 18. Salvus sum: immortalitas mihi data est: hic emit illam: pulcre os sublevit patri: impetrabilior qui vivat, nullus est. *Ammian.* 14, 8. Nicator Seleucus efficaciae impetrabilis rex. *Pl. Epid.* 3, 2, 6. Diem facilem impetrabilis, *h. e.* quo consecutus sum quidquid optabam. Al. legunt *impetralem* eodem sensu.

[IMPETRĀBĬLĬTER, adv. cum facilitate impetrandi. *Symmach. or. pro patr.* (ed. *A. Maio*) 4. Impetrabilius cuncta nunc petitis, quam aliquando jussistis. *F.*]

IMPETRĀLIS. V. IMPETRABILIS.

IMPETRASSO. V. IMPETRO.

IMPETRĀTĬO, onis, f. καταδέησις, actus impetrandi. *Cic. Att.* 11, 22. Illud molestius, istas impetrationes nostras nihil valere.

IMPETRĀTĪVUS, a, um, adj. ut Impetrativum augurium, quod optatum evenit, et secundum vota. *Serv.* in illud *Virg. A.* 6, 190. Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae, etc.

IMPETRĀTOR, oris, m. qui impetrat. *Impp. Constantius, et Constans Cod. Theod.* 12, 6, 3. Nihil impetratoribus beneficii per rescriptum, adversus ordinem constitutionis possint prodesse commenta.

IMPETRĀTUS, a, um, part. ab *impetro:* exoratus. *Pl. Aul.* 4, 7, 14. Quidpiam ab aliquo impetratum auferre, *h. e.* impetrare. *Hor. Od.* 4, 2, 42. super impetrato fortis Augusti reditu. *Sall. Jug.* 79. Amicitia et societas impetrata. *Suet. Caes.* 7. Post impetratam veniam rebellaverant. *Pl. Epid.* 1, 1, 45. Ipse mandavit mihi, ab lenone quaedam ut fidicina emeretur sibi: id ei impetratum reddidi, *h. e.* perfectum, effectum, ad exitum perductum. V. IMPETRO. ℙ [*Absolute *impetrato*, i. e. quum impetrasset. *Vell.* 2, 107, 2. Impetratoque, ut manum contingeret. *Liv.* 9, 16. et 29. et alibi.]

IMPETRĪTUM. V. v. seq.

IMPETRĬO, is, a. 4. idem quod impetro. Est augurale verbum idem valens in auguriis, quod in sacrificiis *litare*, nempe cum aves admittunt, et ostendunt, impetratum esse quod petebatur. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 16. et *Hotomann. Obss.* 4, 3. 6, 11. Ceterum nota, quod exempla docent, *impetrire*, frustra contra disputante *Scalig.* ad *Festum*, de utroque, et de extis et de auspiciis bene dici posse, quamquam in hoc usitatius.] *Cic. Div* 1, 16. Ut nunc extis, sic tum avibus, magnae res impetriri solebant. Est qui legit *impertiri.* [*Restituit h. v. *Orell.* ex conjectura *VV. DD. ib.* 1, 2. Quumque magna vis videretur esse, et in impetriendis consulendisque rebus: ubi vulgo legitur *impetrandis. Ernest.* et *Schütz.* in *cl. Cic.* augurale esse verbum *impetrare*, idemque significare, quod *impetrire*, docentibus.] Adde *ib.* 2, 15. *Pl. Asin.* 2, 1, 11. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. ℙ Hinc *impetritum* est ipsa augurii captio. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. Prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, voto; cum solvendum, gratulatione; cum exquirendum vel extis, vel sortibus, impetrito; cum solemni ritu peragendum, sacrificio. Adde *Plin.* 28, 2, 3.

IMPETRO et Inpetro, as, avi, atum, a 1. τυγχάνω: ab *in*, et *patro:* et proprie significat perficere, uti docet *Donat.* ad illud *Ter. Hec.* 5, 1, 3. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem. Sic *Pl. Poen.* 5, 2, 14. Incipere multo est, quam impetrare, facilius; et *Ep.* 1, 1, 46. Reddere aliquid impetratum alicui. ℙ Hinc fere ponitur pro exorare, precibus obtinere, petendo inducere: quia qui exorat, jam quod volebat, perfecit. *Cic. Att.* 9, 2. Impetrabis, inquis, a Caesare, ut tibi abesse liceat. *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, etc. *Liv.* 2, 46. *extr.* Verbisne istis ut pugnent, te impetraturum credis? *Val. Max.* 3, 1. *n.* 2. Cum ad eum tribunum plebis Latini de civitate impetranda convenissent. *Caes. B. G.* 5, 36. Sperare se, ab eo de sua ac militum salute impetrari posse. *Cic. Acad.* 4, 30. A me istam exceptionem nunquam impetrabunt. *Epit. Livii* 51. Quae de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugerent. *Brut. ad Cic.* 1, 16. Precibus salutem impetrare. *Cic. Fam.* 13, 36. civitatem alicui. *Hor. Ep.* 2, 1, 137. pacem. *Tac. A.* 12, 8. veniam exsilii pro aliquo. *Quint.* 11, 3. aures alicui, *h. e.* ut audiatur. *Petr. fr. Trag.* 52. *Burm.* Suadeo, a te impetres, ne sis nugax. *Pl. Rud.* 3, 3, 40. Decet a te id impetrarier: *paragoge* pro *impetrari. Val. Max.* 4, 3.

n. 7. Nunc quo ventum est? a servis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc consul uti non erubuit. *Caes. B. C.* 1, 1. Aegre ab iis impetratum est, summa tribunorum pleb. contentione, ut, etc. *Liv.* 9, 30. *f.* Impetrato, ut manerent. (Adde *Vell.* 2, 107.) *Plin.* 16, 32, 59. Illud maxime mirum, ipsas arbores plerumque exorari, ut vivant, atque transmigrent: aliquando et a solo impetrari, ut alienas alat: coelum nullo modo flecti. Adde similem locum 17, 13, 21. ℙ [*De augurali hujus verbi significatione v. in v. praeced.] ℙ *Impetrare mulierem* dicitur is, qui ejusdem corporis copiam obtinet. *Pl. Men.* 1, 3, 10. loquitur meretrix. Superas facile, ut superior sis mihi, quam quisquam, qui impetrant. *Mart.* 11, 40. Formosam Glyceren amat Lupercus, Et solus tenet, impetratque solus. Alii perperam leg. *imperat.* ℙ [Part. *Impetrans* in *Gloss. Philox.* Impetrans, *ἀνύων.* ℙ *Impetrassere* futurum est infiniti antiquum, pro *impetraturum esse. Pl. Aul.* 4, 7, 6. Et istuc confido a fratre me impetrassere. Adde *Cas.* 2, 3, 53. et alibi. ℙ *Impetraris* syncop. pro *impetraveris* ap. *Sen. Controv.* 1, 2. *med.* Cum deprecareris intrantis amplexus, ut omnia alia impetraris, osculo rogasti.

IMPĔTŪLANS, antis, adj. valde petulans. *Capell.* 8. *in.* Impetulantis proruptionis sonitum provocare. Al. aliter leg.

IMPĔTŪOSE, adv. cum impetu. *Auct. de progen. Aug.* 5. Et in litore expositis armis, ad moenia impetuose contendit.

IMPĔTŪOSUS, a, um, adj. *ὁρμητικός*, qui magno fertur impetu. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 23. Impetuosus animus. Ita vulgo affertur: sed *Hard.* hanc vocem rejicit: nihil enim tale in MSS. reperiri.

IMPĔTUS et Inpetus, us, m. *ὁρμή*, motus, quo aliquid impetimus, et irruimus, incursio, aggressio, vis, conatus. *Cic. Caecin.* 15. *extr.* Incursio atque impetus armatorum. *Id. Dom.* 25. Infractus furor tuus inanes faciebat impetus. *Id. Har. resp.* 1. Gladiatoris impetum ferociamque comprimere. *Id. Att.* 2. *ult.* Facere impetum in aliquem. *Liv.* 1, 5. in agros; et *ib.* ad aliquem. *Cic. ad Brut.* 2, 7. Impetum alicujus reprimere; et *Fam.* 1, 5. frangere. *Liv.* 7, 37. *med.* continere. *Hor. Od.* 3, 6, 10. contundere. *Cic. Div. Verr.* 11. retardare. [*Laudat h. l. *Brem.* ad *Nep. Iph.* 2, 5. Epaminondae retardavit impetus: ubi magnus codicum et edd. numerus *inceptus* exhibet.] *Id. Mur.* 1. *extr.* propulsare. *Sen. Med.* 413. inhibere. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 13. coercere. *Id.* 31, 6, 31. aquarum domare. *Id.* 21, 20, 79. sistere. *Caes. B. G.* 1, 52. excipere; et 26. sustinere. *Liv.* 4, 28. et 2, 19. Dare impetum in hostem, *h. e.* facere. *Plin.* 9, 30, 48. capere in aliquem: *eod. sensu:* et 5, 32, 40. Impetum sumit Hellespontus; et 10, 23, 32. Impetu ferri. *Cic. Dom.* 40. Impetu aliquem percellere. *Id. Fin.* 1, 13. In alios caeco impetu incurrere. *Caes. B. G.* 2, 6. Magno impetu oppugnare oppidum; et 24. Primo impetu hostium pulsi; et *ib.* 4, 12. Hostes impetu facto, celeriter nostros perturbaverunt. *Plin.* 14, 22, 28. Tribus congiis epotis uno impetu. [*Liv. 5, 6. Impetu potius bella, quam perseverantia, gerat; et 42, 29. Impetu magis, quam consilio.] ℙ *Impetus famae* est, quando maxime fama crebrescit, et diffunditur. *Tac. Agr.* 39. *extr.* ℙ [*Liv. 37, 19. Si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, i. e. ex hoc fervore, quo bellum geritur. *G.* in *Lex. Liv.* s. h. v.] ℙ *Impetus maris* ap. *Caes. B. G.* 3, 8. est spatium et latitudo maris, ubi libere fertur impetu suo, atque agitatur. Similiter *Stat. Silv.* 4, 2, 23. effusaeque impetus aulae liberior, *h. e.* amplitudo Palatinae Caesarum domus, laxe et late se extendentis. Similiter *Lucr.* 5, 201. quantum coeli tegit impetus ingens, *h. e.* vastus coeli ambitus, qui celerrime in gyrum vertitur. ℙ In malis *impetus* dicitur, cum vis morbi maxime intenditur, et veluti impetu quodam celeriter aggreditur, et saevit. *Cels.* 2, 15. Impetum febris sustinere. *Plin.* 22, 25, 58. Farina ex hordeo collectiones impetusque discutit; et 21, 21, 89. Thymum e vino tumores et impetus tollit; et 28, 12, 50. Impetus pituitae in facie butyro illito tolluntur; et 20, 14, 53. Menta cum amylo inhibet coeliacorum impetus; et *ib.* 3, 8. Oculorum impetus: *φλεγμοναὶ, Entzündung*, ut est ap. *Dioscor.* 2, 162. *Inscr.* ap. *Tochôn, cachets des ocul.* p. 60. Diarhodon ad impetum. Alia *ib.* p. 68. Diarhodon post impetum. V. FERVOR. Similiter impetus vulnerum, *Plin.* 20, 21, 84. et impetus sanguinis, *Aurel. Vict. Epit.* 45. et impetus podagrae, *Plin.* 28, 4, 9. et *Scrib. Comp.* 160. ℙ Ap. *Vitruv.* est nisus et pressus rei incumbentis, quod est onus. Sic enim habet 6, 3. Tetrastyla sunt, quae subjectis sub trabibus angularibus columnis, et utilitatem trabibus, et firmitatem praestant, quod neque ipsae magnum impetum coguntur habere, neque ab interpensivis onerantur. ℙ Aliquando significat simpliciter motum ad rem aliquam. [*Hanc sunt, qui primam ponant vocis significationem; quod facile praeferendum videtur.] *Cic. N. D.* 2, 38. Impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videmus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias. [*Quod *Ernest.* et *Schütz.* eadem vestigia secutus in *cl. Cic.* s. h. v. (prob. *Math.* ad *Cic. Man.* 12, 34. Belli impetus navigat,) docent, *impetum coeli* circumscribendo dictum esse, pro *coelo*, id, salva VV. DD. auctoritate, secus esse videtur. Significat *impetus* ambitum celerrimum et volubilissimum. V. *Eichstadt. ind. Lucret.* ubi plura ejusdem generis exempla e *Lucret.* collecta leguntur. Neque consimilem dixeris, quem utrumque locum *Ernest.* comparavit, *Cic. Tusc.* 2, 8. Biformato impetu Centaurus: ubi opp. *hostilis dextra — moles Gigantum* istam circumscribendi rationem nullam admittunt; et *Div.* 1, 22. Quum jam quieti corpus nocturno impetu Dedi: ubi vv. *nocturno impetu* non pro *noctu* posita sunt, sed pro *impetu*, scil. somni, quo uti homines nocturno tempore solent.] Et *Off.* 2, 3. Quae ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum: partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. *Sen. ep.* 58. *med.* Animantia quaedam impetum habent, incedunt, transeunt: quaedam solo affixa, radicibus aluntur et crescunt. ℙ De cursu navis. *Enn.* ap. *Macr.* 6, 1. *med.* Labitur uncta carina, volat super impetus undas. *Catull.* 4, 3. Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse praeterire. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat effervescentem animi commotionem, vim, calorem, cupiditatem. *Cic. Tusc.* 4, 22. An fortitudo, nisi insanire coeperit, impetus suos non habebit? *Plin. ep.* 7, 9. de lucubrando: Recalescere ex integro, et resumere impetum fractum omissumque. *Cic. Or.* 68. *extr.* Aliter in oratione nec impetus ullus, nec vis esse potest. *Plin. ep.* 2, 19. Actiones, quae recitantur, impetum omnem caloremque perdunt; et *Cic. Att.* 11, 5. Impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione. *Id. Off.* 1, 15. *f.* Repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati. *Id. Fam.* 10, 5. Tota mente omnique animi impetu in rempubl. incumbere. *Vell.* 2, 55. Adolescens impetus ad bella maximi. *Cic. Fam.* 8, 2. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed consilio. *Id. Coel.* 5. Delendi hujus imperii conscelerati impetus exstitit. *Id. Div.* 1, 49. Horum sunt auguria, non divini impetus, sed rationis humanae, *h. e.* instinctus. *Plin.* 37, 10, 54. Impetus hominum et iracundias domare. *Stat. Th.* 10, 704. Da spatium tenuemque moram; male cuncta ministrat Impetus, *h. e.* temeritas, nimia celeritas. [*Adde *Ov. Her.* 5, 64. ubi *Ruhnk.* laud. Ejusd. *Rem. Amor.* 10. Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit; et *Suet. Oth.* 9. Impetum cepit moriendi. Coll. *Casaub.* ad *Theophr. Char.* 2. p. 108. Et *Liv.* 26, 7. Multa secum volventi (Hannibali) subiit animum impetus, caput ipsum belli, Romam petendi.] *Sen. Agam.* 127. Feroces impetus animo gerere. *Plin. ep.* 1, 8. Ad munificentiam non impetu quodam, sed consilio trahebamur, *h. e.* inconsiderantia. *Ov. Fast.* 5, 523. si quid fert impetus, opta: Omne feres, *h. e.* si quid cupis. *Id. Pont.* 4, 2, 26. Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit; et *Tac. A.* 14, 16. Carmen non impetu et instinctu, nec uno ore fluens. *Ov. Met.* 2, 662. jam latis currere campis Impetus est. Sic *Amor.* 2, 5, 46. laniare capillos, Et fuit in teneras impetus ire genas. Adde *Hor.* 5, 64. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 38.] ℙ Impetum cepi, vehementem appetitum, *ὁρμήν. Sen. in. Consol. ad Helv.* Saepe impetum cepi consolandi te. Adde *Suet. Aug.* 42. et *Cal.* 43. ℙ Ap. *Stat. Th.* 7, 47. Impetus amens unus est e ministris, sive satellitibus Martis. ℙ In aliis casibus, praeter eos, qui sunt in allatis exemplis, non est, quod sciam, in usu ℙ *Impetu* in dativo pro *impetui*, ut *aspectu, concubitu. Cicero:* Quibus subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat. Ita refert *Pierius* ad illud *Virg. G.* 4, 198. V. ASPECTUS. ℙ De ablativo *impete*, V. IMPES.

IMPEXUS et Inpexus, a, um, adj. *ἀκτένιστος*, non pexus. *Virg. G.* 3, 366. Stiriaque impexis induruit horrida barbis. *Hor. Sat.* 2, 3, 125. Caput impexa porrigine foedum. [*Tibull. 1, 3, 69. Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues, etc.] *Ov. Met.* 1, 529. Et levis impexos retro dabat aura capillos. *Virg. A.* 7, 666. tegumen immane leonis Terribili impexum seta. ℙ Translate pro inculto ponitur. *Auct. dial. de Or.* 20. Antiquitas tristis et impexa.

IMPIAMENTUM, i, n. impia contaminatio, scelus. *Cyprian. ep.* 63. Ne tales ad altaris impiamenta et contagia fratrum denuo redeant.

IMPIĀTUS et Inpiatus, a, um, part. ab *impio:* sceleratus, ut *Fest.* exponit, h. e. scelere pollutus, impius factus, *μιαρθείς. Sen. Hippol.* 1185. conjugis thalamos petam Tanto impiatos facinore? *Appul. Met.* 1. Cruore humano aspersus atque impiatus; et *ib.* 3. Reus tot caedibus impiatus.

IMPĬCO, as, a. 1. *πισσόω*, pice illino. *Colum.* 12, 29. Eamque oblinito et impicato diligenter; et 43. Pediculos uvarum impicato dura pice.

IMPICTUS. V. IMPUNCTUS.

IMPIĔ, adv. *ἀσεβῶς, ἀνοσίως*, scelerate, nefarie: et proprie, quando quis de Deo, patria, aut de parentibus male meretur, aut de iis, qui parentum loco sunt. *Cic. N. D.* 2, 16. Quae qui videat, non solum indocte, sed etiam impie faciat, si Deos esse neget. *Id. Tusc.* 5, 2. Impie ingratum esse. *Suet. Dom.* 10. Impie loqui, [*i. e. contra Caesaris, tanquam Dei, majestatem. V. *B. Crus.* ad h. l. et ad *Vit.* 3. *Gesner.* ad *Plin. ep.* 7, 33. et *Pan.* 33, 3.] *Plin. Pan.* 37. Ratus, improbe, et insolenter, ac paene impie his nominibus inseri publicanum. *Curt.* 5, 12. Impie deserere regem. ℙ [*Sup. *Impiissime* habet *Salvian de avar.* 3. p. 98. ed. *Rittersh.* et *Marcell.* ac *Faust. lib. prec.* ad Imp. ed. *Sirmond.* p. 26. *B. A.*]

IMPĬĔTAS, atis, f. *ἀσέβεια*, sceleratus inhumanusque affectus adversus Deum, patriam, parentes, eosve, qui parentum loco sunt: et generatim scelus, fraus, peccatum. *Cic. Fin.* 4, 24. Nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus. *Ov. Met.* 8, 476. Et consanguineas ut sanguine leniat umbras, Impietate pia est. *Tac. A.* 6, 47. Albucilla defertur impietatis in principem, *h. e.* criminis laesae majestatis. [**Plin. Pan.* 33, 3. Nemini impietas, ut solebat, objecta, quod odisset gladiatorem. *Suet. Lucan.* Sperans impietatem (in matrem) sibi apud parricidam Principem profuturam.]

IMPĪGER et Inpiger, gra, grum, adj. *ἄοκνος*, non piger, sed strenuus, et diligens. *Cic. Fam.* 2, 1. Quis est tam impiger in scribendo, quam ego? *Id. Font.* 15. Vir ad labores belli impiger. [**Lucan.* 4, 798. ceciditque in strage suorum, Impiger ad letum, et fortis virtute coacta.] *Virg. A.* 1, 742. ille impiger hausit Spumantem pateram. *Sall. Jug.* 7. Impigro atque acri ingenio esse. *Id. Or. Macri Licin. ad pleb. med.* Impigrae linguae, ignavi animi. *Liv.* 3, 5. *extr.* Cohortes Latinae, gratiis ob impigram militiam actis, remissae domos. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. In itineribus praebere se patientem atque impigrum. *Nep. Timoth.* 1. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus. *Tac. A.* 3, 20. Impiger manu, exercitus militia. *Hor. Od.* 4, 3, 4. Impiger equus. ℙ Cum infinito Graecorum more. *Id. ib.* 14, 22. impiger hostium Vexare turmas. ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 3, 48. Impiger militiae. ℙ Alio modo. *Flor.* 3, 2. Impiger fluminum Rhodanus, *h. e.* omnium fluviorum velocissimus.

*IMPIGRĂBĬLIS, e, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Impigrabile, *ἐνεργέστατον. B. A.*

IMPIGRĔ, adv. *ἀόκνως*, sine mora, diligenter, strenue. *Pl. Rud.* 4, 2, 10. De nocte multa impigreque exsurrexi. *Sall. Jug.* 93. Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere. *Liv.* 1, 10. Ne Crustumini quidem, pro ardore iraque Caeninensium, satis impigre se movent. *Id.* 2, 47. Consulem impigre milites secuti sunt. *Curt.* 3, 11. Quod is imperasset, impigre exsequi; et 12. Functas supremo in regem officio se impigre morituras; et 10, 3. Impigre militiam tolerare. *Liv.* 3, 8. Impigre promissum auxilium.

IMPIGRĬTAS, atis, f. *ἀοκνία*, diligentia. *Cic. de Rep.* 3., ut citat *Nonius* 2, 434. Nunquam viri fortissimi, fortitudinis, impigritatis, patientiae *fructu caruerunt.* Ita complenda sententia videtur *A. Maio.*

IMPĪLĬA et Inpilia, ium n. plur. *πόδια*, vel *ποδεῖα*, socculi, pedum tegumenta e lana coacta, non quasi sine pilis, sed a Graeco *ἐμπίλια*, coactilia, quae ita dicuntur, quia *πιλητὰ*, coacta, stipata. *Plin.* 19, 2, 10. Theophrastus auctor est, esse bulbi genus, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia, vestesque quaedam conficiantur. V. BULBUS. *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. Fasciae crurales, pedulesque, et inpilia, vestis loco sunt. Ita *Torrent.*, at *Haloander* et item pilea.

IMPINGO et Inpingo, is, pegi, pactum, a. 3. *ἐπάγω*, impello: quasi in aliquem locum pango, illido, jacio alicui in os, objicio, obtrudo. *Virg. A.* 5, 804. cum Troia Achilles Exanimata sequens impingeret agmina muris. *Tac. H.* 2, 41. Hostes in vallum impingere; et *ib.* 3, 22. Vitellianus exercitus, indigus rectoris, paratis jam Flavianis impingitur. *Stat. Th.* 7, 28. impingit Tyriis Danaa agmina muris. *Sil.* 4, 299. structo Tyrrhena ad litora saxo Pila immane sonans, impingitur ardua ponto; et 12, 187. Propulsum Borea scopulis impingitur aequor. *Quint.* 4, 1. *med.* Qui navem, dum portum egreditur, impegit. *Plin. ep.* 3, 16. Parieti caput ingenti impetu impingere. *Lact.* 2, 3. Impingere in lapides. *Phaedr.* 3, 5. Aesopo quidam petulans lapidem impegerat. *Afran.* ap. *Fest.* in *Mustricola:* Mustricolam in dentes impingam tibi. *Pl. Rud.* 3, 4, 5. Pugnum in os impinge. *Id. Pers.* 4, 4, 24. et *Capt.* 3, 5, 76. impingere alicui compedes, *h. e.* indere, invitum compedibus vincire. Sic *Sen. Tranquill.* 10. laqueum alicui. *Pl. in Suppos. Amph.* Quis tam vasto, *f.* vulnus. *Sen. ep.* 119. venenum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *f.* fustem. *Cic. Tusc.* 3, 19. Huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat. *Pl. Cas.* 5, 2, 38. Impingere alicui suavium, *h. e.* quasi nolenti, aut nil tale exspectanti.

[*Illustrant hunc dicendi usum *Cort.* ad *Lucan.* 3, 491. Ita vero plerumque poetae et argent. aet. scriptores loquuntur. *Tac.* exempla v. ap. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 244. Adde *Liv.* 27, 28. Hostem — cum caede magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere.] ℙ *Impingere se* est ire impactum, praecipitem ferri in aliquem. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Impingere se in columnas. ℙ Translate. *Id. ib.* 2, 8. Quocumque visum est, libido se impingit. *Id. ep.* 95. *med.* Illum libido in contraria impinget; et *ep.* 117. Impingere aliquem in litem ac molestiam. *Sen. alter Herc. Fur.* 991. Quo se caecus impegit furor? *Val. Fl.* 7, 400. Obvius ut sera cum se sub nocte magistris Impingit, pecorique pavor, *h. e.* occurrit, incurrit in oculos. ℙ *Impingere aliquid* translate est invito quippiam objicere, offerre, inferre. *Ter. Ph.* 2, 3. *f.* Si tu illam attigeris, dicam tibi impingam grandem. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* et *Sen. ep.* 95. Impingere alicui ingentem epistolam. *Id. Prov. f.* Renunciare naturae, et munus suum illi impingere. *Id. Benef.* 1, 1. Impingere beneficium. *Pl. Mil.* 3, 3, 53. Impingere culpam omnem in aliquem. Plerique al. leg. *imponere.* ℙ *Impingere populos in arma*, ap. *Lucan.* 6, 406. est compellere, inducere. [*V. *Cort.* ad h. l., qui plura laudat.] ℙ *Flor.* 3, 12. Egestas Catilinam patriae suae impegit, *h. e.* compulit patriam impetere. ℙ *Impingere calcem* proverbialis locutio est pro: curam alicujus rei prorsus deponere. *Petr. Fr. Trag. Burm.* 46. Jam Graeculis calcem impingit, et Latinas coepit non male appetere, *h. e.* Graecarum litterarum studium abjecit, deposuit, dimisit. ℙ *Impingere oculum* est conjicere in aliquid, ap. *Tert. Idol.* 2. Si oculum quis impegerit libidinose.

IMPINGUĀTUS, a, um, part. ab *impinguo:* pinguis factus. *Tert. Jejun.* 6. Cui cor impinguatum.

[IMPINGUO, as, n. 1. pinguis fio. *Apic.* 8, 7. Porcellum tamdiu coques, donec lenis fiat, et impinguet, *h. e.* quasi a pinguedine resplendeat. ℙ Active. *Gloss. Phil.* Impinguo, *παίνω. F.*]

IMPĬO, as, avi, atum, a. 1. impium facio, polluo, contamino. *Pacat. Pan. Theod.* 43. Ne oculos istos omnibus salutares homo funebris impiaret. *Prud. hymn. ante somn.* 53. At qui coinquinatum Vitiis cor impiavit, etc. ℙ *Impiare se* est se scelere obstringere, impie agere. *Pl. Rud.* 1, 3, 8. Si erga parentem aut Deos me impiavi. ℙ *Impiatum est* impersonaliter. *Minut. Fel. Octav.* 25. Toties Romanis impiatum est, quoties triumphatum.

IMPĬTĔ, impetum facite. *Paul.* ex *Festo.* Legunt critici *impetite:* vel *impete*, impetum fac.

IMPĬUS et Inpius, a, um, adj. *ἀνόσιος, ἀσεβής, ἄθεος*, sceleratus, nefarius, non pius: et praecipue qui de Deo, patriave, aut parentibus male meretur. *Cic. Pis.* 20. Me fugerat, Deorum immortalium has esse in impios et conscelleratos poenas certissimas constitutas. *Id. Quint* 6. Si pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui affinem fortunis spoliare conatus est, impium se esse fateatur. *Suet. Rhet.* 6. Impius erga parentes. *Tac. A.* 16, 31. Impios Deos invocare, *h. e.* rebus magicis dare operam. [*Lucret.* 1, 82. ne forte rearis Impia te rationis inire elementa, etc.] *Virg. G.* 1, 468. Impia saecula; et *ib.* 2, 537. Impia gens. *Id. Ecl.* 1, 71. Impius miles. *Id. A.* 1, 298. impius furor. *Id. ib.* 5, 733, Impia Tartara. *Hor. Epod.* 3, 1. Impia manu parentis guttur frangere. *Tibull.* 1, 3, 52. dicta in sanctos impia verba Deos. *Ov. Met.* 14, 801. generique cruorem Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis. *Id. Her.* 10, 100. Impia facta; et *ib.* 14, 26. Dantur in invitos impia tura focos. *Auson. Gratiar act.* 17. Quae ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, supprimeret. *Mart. Dig.* 28, 5, 46. Impiissimus filius. ℙ Item ferus, inhumanus, crudelis. *Hor. Epod.* 5, 13. Impube corpus, quale posset impia Mollire Thracum pectora. *Ov. Amor.* 1, 8, 104. Impia sub dulci melle venena latent. ℙ Item universim malus. *Virg. A.* 4, 298. Impia fama. ℙ Cum de poetis, aut carminibus sermo est, *impius* interdum est *malus*, indoctus: quia sacros se esse jactant poetae, et sacra studia sequi. Impius ergo qui indigna Musis et Apolline carmina facit. *Catull.* 14, 6. Isti Dii mala multa dent clienti, Qui tantum tibi misit impiorum. Contra *pius* est bonus et doctus poeta. *Virg. A.* 6, 662. Quique pii vates, et Phoebo digna locuti. Quamquam hoc *Servius* ad veracitatem vaticinantium refert. ℙ De *impia herba* haec habet *Plin.* 24, 19, 113. Impia herba vocatur incana, rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita atque capitata: inde alii ramuli assurgunt, sua capitula gerentes. Ob id impiam appellavere, quoniam liberi super parentem excellant. Alii potius ita apellatam, quod nullum animal eam attingat, existimavere. Haec *Plin.*

IMPLĀCĀBĬLIS et Inplacabilis, e, adj. *ἀκαταπράϋντος*, qui placari non potest. *Cic. Pis.* 33. Seque mihi implacabilem, inexpiabilemque praeberet. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Implacabiles iracundiae. *Id. Fam.* 3, 10. *med.* Implacabilem esse in aliquem. *Liv.* 8, 35. *extr.* Implacabilem esse alicui. *Nep. Dat.* 9. Implacabile odium suscipere in aliquem. *Virg. A.* 12, 816. Adjuro Stygii caput implacabile fontis, *h. e.* quod nulla expiatione a perjuris placari potest. *Sil.* 17, 252. in classem ruere implacabile coelum.

IMPLĀCĀBĬLĬTAS, atis, f. obstinatus animus, qui se placari non sinit. *Ammian.* 14, 1. et 26, 10.

IMPLĀCĀBĬLĬTER, adv. *ἀκαταλλάκτως*, sine placatione. *Tac. A.* 1, 13. Cui implacabilius irascebatur.

IMPLĀCĀTUS, a, um, adj. non placatus. *Ov. Met.* 8, 845. implacataeque vigebat Flamma gulae.

IMPLĂCĬDUS et Inplacidus, a, um, adj. *δυσάρεστος*, non placidus, inquietus: item implacabilis, inhumanus, immitis, saevus, importunus. *Hor. Od.* 4, 14, 10. Genaunos implacidum genus. *Id. Stat. Th.* 9, 4. Mars Divum implacidissimus. *Id. ib.* 5, 198. Rore madens Stygio morituram ampletitur urbem Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu. *Id. Silv.* 2, 1, 216. implacido letalis Sirius igni. Adde *Prop.* 4, 9, 14.

*IMPLAGĬUM, i, n. Minus rete. *Gloss. Isid.* Adde *Is. Or.* 19, 5. *B. A.*

IMPLĀGO, as, a. 1. in plagas seu retia conjicio, irretio. *Sidonii* exemplum vide in IMPLICATURA.

[IMPLĀNĀTOR, oris, m. V. v. seq. *F.*]

[IMPLĀNO, as, avi, a. 1. planum haud redigo, et translate decipio. *Auct. lib. de singul. Cleric. Cypriano* tributi *n.* 3. ex *Gal.* 6, 3. Si quis putat, se aliquid esse, cum non sit, se ipsum implanat. Pro certo implanator proprius suam animam decipit. *Not. Tir.* p. 79. Planus, implanat, explanat. *Gloss. Phil.* Implano, *ἀποπλανάομαι.* Hinc ap. *Vulgat.* interpretem *Eccl.* 15, 12. Non dicas: ille me implanavit. Adde *ib.* 34, 11. *F.*]

IMPLĀNUS, a, um, adj. non planus. *Aurel. Vict. Caesar.* 27. Inter implana urbis.

[IMPLĒBĬLIS, e, adj. qui impleri potest. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *n.* 139. Herodicus *(hydropicis)* ventris adhibet purgationem, atque post coenam vomitus, qui sunt implebiles potius, quam siccabiles, *h. e.* qui magis faciunt, ut impleatur, quam siccetur hydropicus. *F.*]

[IMPLĒCTĬCUS, a, um, adj. ut Implecticus bos apud *Veg. Vet.* 3, 29. qui nempe riget, et se difficulter admodum flectit: ab *in* privativa, et *πλεκτικὸς*, flexilis. *F.*]

IMPLECTO, is, a. 3. innecto, implico. *Appul. Apol.* Crocodilus, quod est ore amplo, sed elingui, et plerumque in aqua recluso, multae hirudines dentibus implectuntur.

[IMPLĒMENTUM, i, n. repletio, impletio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. Sic etiam in iracundia constitutos capitis implemento affici, atque aestimare se in furorem devenisse. *F.*]

IMPLĒO et Inpleo, es, evi, etum, a. 2. *πληρόω*, plenum reddo, expleo, compleo. *Cic. Phil.* 2, 25. Frustis esculentis gremium suum, et totum tribunal implevit. *Id. Fam.* 9, 18. Ollam denariorum implere. *Colum.* 12, 36. Implere amphoram ad summum. *Virg. A.* 1, 733. Implevitque mero pateram; et *ib.* 7, 23. Neptunus ventis implevit vela secundis; et *ib.* 11, 274. scopulos lacrimosis vocibus implent. *Cic. Acad.* 4, 27. De quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo. *Virg. A.* 9, 72. manum pinu flagranti fervidus implet; *h. e.* sumit pinum implentem manum. *Val. Fl.* 6, 526. Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento Implet equum. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Arboris crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat; et 18, 10, 20. *n.* 4. Modius grani sexdecim libras implet. ℙ Illa notanda sunt. *Pl. Aul.* 3, 3, 6. Postquam implevisti fustibus istorum caput. *Id. Cas.* 1, 1, 35. Dolia nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris. *Cels.* 4, 2. *n.* 1. *med.* Caput calido oleo implere, *h. e.* totum perfundere. Sic 3, 18. *med.* Herbarum succo expresso caput impleatur. ℙ Refertur aliquando ad tempus aetatis. *Quint.* 3, 1. et *Plin. ep.* 1, 12. Implevit annum septimum et sexagesimum. *Hor. Ep.* 1, 20, 27. Me quater undenos sciat implevisse decembres. *Plin.* 7, 16, 16. Implere cursum vitae. Sic *Tac. A.* 2, 42. *f.* Finem vitae, sponte, an fato, implevit. ℙ Item ad cibum capiendum. *Virg. A.* 1, 219. Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinae. *Petr. Sat.* 16. Praeparata nos implevimus coena. *Cels.* 1, 2. *extr.* Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque aestui se debet committere. Et translate. *Val. Fl.* 7, 121. comitum visu fruitur miseranda suarum, Implerique nequit. [*Cic. Agr.* 2, 18. Quum sese regum sanguine implerint. *Sil.* 9, 528. Se caedibus implet, i. e. ingentes caedes edit, ita ut satietate quadam capiatur. ℙ Ponitur etiam pro contaminare. V. *Doederl.* 2, 55. qui laud. *Tac. A.* 1, 31. Vernacula multitudo — lasciviae sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos, i. e. contaminare suis vitiis, suo morbo: ubi *Fr. A. Wolf:* Aures seditiosorum implere, animos impellere latinum est; et *Liv.* 4, 30. Urbs deinde impletur scil. contagione morbi. (Cf. *ib.* 26, 41. Punicum nomen maria terrasque foeda fuga impleturum.) Et Gr. similem usum ap. *Thucyd.* 2, 51. *Ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι;* et *Ruhnk.* ad *Tim.* p. 31. Sed v. in IMPELLERE.] ℙ *Implere se*, onerare. *Colum.* 3, 2. *med.* Nomentanae vites se frequenter implent, et id, quod ediderunt, optime tuentur. ℙ Hinc ponitur et pro nutrire, et pinguem facere. *Cels.* 1, 3. *med.* Implet corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, etc. ℙ Item carnem inducere in vulneribus curandis, cui contrarium est erodere. *Id.* 5, 28. *n.* 1. Purusque jam sinus curari potest implentibus. ℙ Item pro inflare, distendere. *Id.* 2, 8. *med.* Si aqua inter cutem quem implevit. *Plin.* 19, 1, 5. Flatus implet vela. ℙ Et pro gravidare. *Colum.* 7, 6. Caper quinquennis parum idoneus habetur feminis implendis. *Plin.* 9, 23, 39. Muraenas vulgus coitu serpentium impleri putat. *Id.* 8, 51, 77. Sues implentur uno coitu. *Ov. Met.* 11, 265. ingentique implet Achille: *scil.* Peleus Thetidem. Adde *Lucan.* 8, 409. [*V. quae ad h. l. notata sunt in *ed. Web.*] ℙ Translate. *Cic. Or.* 29. *extr.* Demosthenes quamquam unus eminet inter omnes, tamen non semper implet aures meas, ita sunt avidae et capaces. [**Plin. Pan.* 22, 2. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret, i. e. recrearet, visendi desiderio satisfaceret. Adde *ib.* 26, 3. Conspectu Romanae sobolis impleri. Similiter *satiare oculos.* — *Id. ib.* 15, 4. Quod denique tectum magnus hospes impleveris: ubi non de corporis magnitudine, sed de dignitate et majestate ejus, qui domum intrat, cogitandum. Cf. *Eund. ep.* 7, 24. ubi v. *Cort.* et *Gierig.* ad *Pan.* 50, 6. Alio sensu *Liv.* 1, 33. Quum montem Albani implessent, i. e. habitandum occupassent.] *Plin. ep.* 1, 10. Utinam quam spem ille de me concepit, impleverim! *Sen. prooem. l.* 3. *Controv.* Implere controversiam, quaestionem, *h. e.* totam persequi dicendo. [*Consimili ratione Gr. dicunt *πληροῦν μεταφοράν* vel *λόγον.* V. *Ernest. lex. techn. Gr. rhet. Id.* in *lex. techn. lat. rhet.* p. 206. sq. laud. *Quint. Inst.* 2, 6, 1. materias — latius dicendo persequebantur, nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus, i. e. tam late exsequebantur, ut non solum omnia ea afferrent, quae ad probandam rem pertinerent, sed etiam omnia animi commovendi praesidia exhaurirent. Et 6, 1, 12. Quae conciliant accusatorem, in praeceptis exordii jam diximus. Quaedam tamen, quae illic offendere satis est, in peroratione implenda sunt magis, etc., i. e. latius persequenda, omnibus orationis praesidiis et momentis instruenda.] *Tac. A.* 1, 22. Osculis ac lacrimis dolorem suum implere. *Val. Fl.* 2, 167. tum voce Deos, tum questibus implet; et 4, 81. Implere aliquem hortatibus. *Ov. Met.* 7, 428. muneribus. *Liv.* 1, 46. *f.* Celeriter adolescentem suae temeritatis implet; et 7, 7. Implere aliquem spei animorumque. *Id.* 5, 28. aliquem religionis. *Id.* 10, 14. hostes fugae et formidinis. *Id.* 36, 29. multitudinem exspectatione vana. *Id.* 26, 50. *f.* Implevit populares laudibus meritis Scipionis. *Id.* 24, 26. Quae virgines impleturae urbem tumultu fuerint. ℙ Absolute. *Stat. Th.* 3, 618. assensuque furentem Implet Achaea manus, *h. e.* turba assentiendo furenti addit ei animos, et quadam armorum insania implet. [*Ita positum vult h. v. *Cort.* ap. *Lucan.* 1, 39. Diros Pharsalia campos Impleat, i. e. sanguine et cadaveribus Romanorum: ubi *Mart. Lag.* contra disputat, interpunctione locum juvans; quod nescio an praeferendum sit.] ℙ Illa quoque poetica sunt. *Stat. Th.* 8, 292. visusque sibi nec sceptra capaci Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram, *h. e.* oneri regiminis impar esse. Loquitur de regio puero in patris regnum succedente; et 9, 721. Nondum tela procax, arcumque implere valebas, *h. e.* tela manu tenere, et arcum sagitta imposita tendere. *Id.* 10, 435. et toto praecordia protinus Arcas Implevit capulo, *h. e.* ensem capulo tenus immersit in praecordia. *Id. Silv.* 2, 1, 23. dulcibus alloquiis implere noctem. ℙ Pro complere. *Pallad.* 7, 2. *f.* Ita per paucos itus ac reditus, brevi horarum spatio, tota messis impletur. ℙ [*Pro instaurare, ita ut legitimus numerus perficiatur, supplere, quod deest. Ita saepius dicitur in delectu militum. *Vell.* 2, 20, 4. Equorum delectu CCC. amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat. *Lucan.* 1, 305. Implentur validae tirone cohortes; ubi v. *Cort.* Sic *Plin. ep.* 1, 19. Implere equestres facultates, pro *supplere, quod equestri censui deest.*] ℙ Pro praestare, perficere, adimplere. *Cic. Cluent.* 18. Ne id profiteri videar, quod non possim implere. *Plin. ep.* 2, 12. Implere promissum, et fidem exsolvere. *Id. ep.* 10, 56. Vereor, ne non implesse officii mei partes videar. *Tac. A.* 3, 53. Implere munia sua. *Ulp. Dig.* 48, 1, 5. Inchoatas delationes implere. *Vell.* 2, 95. Cum Paulus vix posset implere censorem, *h. e.* vim auctoritatemque habere censoris. [*V. *Ruhnk.* ad

h. l. et *Cort.* ad *Lucan.* 6, 213. Neque omittenda erat Graecorum similis consuetudo. Laudat *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 244. *Hom. Od. E.* 207. *Κήδε' ἀναπλῆσαι; Herod.* 5, 4. *ἀναπλῆσαι κακά; Lucian. Q. H. C. S.* 8. *οὐ γὰρ ἱκανὸς ὁ Ζεὺς — ἀναπλῆσαι τὸ κάλλος αὐτοῦ.*] *Plin. ep.* 7, 33. Non advocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse. *Tac. H.* 1, 16. Implere consilium; et *A.* 4, 38. locum principem, *h. e.* ita tenere, ut plene, quae sunt principis, exsequare. *Id. Agr.* 44. Vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat. *Plin.* 10, 18, 20. Nec multo post prodigium implevit. Sic *Liv.* 1, 7. *f.* Implere fata, *h. e.* quod portendebant, praestare. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 135.] *Plin. ep.* 8, 13. Implere vestigia alicujus, *h. e.* sequi, assequi, imitari, aequare; et *ep.* 6, 6. alicujus vices; et *Claud. VI. cons. Honor.* 432. Ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul Impleret. ℙ Pro assimilare. *Solin.* 1. *med.* Oratorem L. Plancum Rubrius histrio sic implevit, ut et ipse Plancus a populo vocaretur. ℙ Pro plane explicare, plene exprimere. *Tert. Spectac.* 19. Malo haec non implere, quam meminisse. ℙ Saepe syncopen admittit, *implesti*, *implerunt*, *implerint*, *implessem*, *implesse*, etc. *Cic.*, *Virg.*, *Hor.*, *Pers.* etc.] ℙ [*Confunduntur *implere* et *complere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 553. et 8, 378.]

[IMPLĒTĬO, onis, f. idem ac implementum, actus implendi. *Salvian. Gubern. D.* 2. *med.* Regimen suum Dominus, et impletionem ostendit. *Id. ib.* Impletio divinitatis. *F.*]

IMPLĒTUS, a, um, part. ab *impleo: πληρωθείς*, plenus factus. [*Liv. 26, 14. Impletae cibis vinoque venae.] *Justin.* 29, 4. *f.* Ut spe impletos in societatis jure retineret; et 24, 6. Mentes vatum Deo impletae. *Liv.* 7, 2. Histriones impletas modis saturas peragebant.

IMPLEXĬO, onis, f. implexus. *Capell.* 2, 42. Serpentis gemini implexio.

IMPLEXUS et Inplexus, a, um, part. ab *implecto: ἐμπεπλεγμένος*, involutus, implicatus, innexus. [*Lucr. 3, 332. Implexis ita principieis.] *Virg. G.* 4, 482. caeruleos implexae crinibus angues Eumenides. *Albin.* 1, 223. salice implexus, muscoque, et arundine crinis. *Plin.* 8, 13, 13. Dracones quaternos quinosque inter se cratium modo implexos; et 2, 70, 70. Tres circuli zonis implexi. *Appul. Apol.* Capillus horrore implexus atque impeditus. *Id. Met.* 3. Implexa manibus ambabus collo meo, Paveo, inquit, etc.; et *ib.* Plerique columnis implexi, alii statuis dependuli. [*Tac. *A.* 16, 10. Vidua implexa luctu continuo.]

IMPLEXUS, us, m. implicatio, amplexus, *ἐμπλοκή*. In sexto casu sing. *Plin.* 9, 51, 74. Polypus cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. *Id.* 2, 65, 66. Ut terra et aqua mutuo implexu jungerentur.

IMPLĪCĀMENTUM, i, n. implicatio. *August. de serm. Dom. in monte* 1, 3. *med.* Miseriarum implicamentis se expedire.

IMPLĪCĀTĬO, onis, f. *περιπλοκή*, *ἐμπλοκή*, implexus. *Cic. N. D.* 2, 55. *extr.* Nervorum implicatio toto corpore pertinens. *Id. Inv.* 2, 32. Oportebit per locorum communium implicationem ostendere, etc., *h. e.* complexum argumentorum. *Id. Sex.* 46. Qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quam suo deflagrare, *h. e.* turbatas, implicatasque rationes, atque aes alienum.

[IMPLĪCATRIX, icis, f. quae implicat. *Gloss. Philox.* Implicatrix, *ἐμπλέκτρια. F.*]

IMPLĪCĀTŪRA, ae, f. implicatio. *Sidon. ep.* 9, 9. *f.* Vernaculis implicaturis in retia sua praecipites implagabuntur.

IMPLĪCĀTUS et Inplicatus, a, um, part. ab *implico: ἐμπλεχθείς*, involutus, innexus, implicitus. *Caes. B. G.* 7, 73. Quini ordines stipitum conjuncti inter se atque implicati, quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant. *Hor. Epod.* 5, 15. Canidia brevibus implicata viperis Crines. *Plin.* 21, 17, 65. Iasione unum folium habet, sed ita implicatum, ut plura videantur. *Id.* 11, 4, 3. Insectis nihil intus, nisi admodum paucis intestinum implicatum. *Tac. A.* 4, 53. Implicatus morbo. V. IMPLICITUS. ℙ Translate. *Sall. or. ad Caes. de rep. ordin.* 2. *med.* Alii judiciis publicis, alii privatis suis negotiis implicati. [*Cic. *Ac. Post.* 1, 3. Dum me reip. procuratio multis officiis constrictum et implicatum tenebat. *N. D.* 1, 19. Deus nullis occupationibus est implicatus; coll. *ib.* 1, 20.] *Id. Leg.* 1, 17. Voluptas penitus in omni sensu implicata insidet. *Id. Tusc.* 5, 1. Animi angoribus et molestiis implicati. *Id. Har. resp.* 4. Illaqueatus omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii implicatus. *Id. Phil.* 2, 32. *f.* Implicata inscitia impudentia est, si, etc. [*Id. *Vat.* 1. Inconstantia perjurio implicata. *Off.* 1, 5, 15. Quae quatuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt.] *Gell.* 19, 12. Innexus et implicatus; et 9. Implicata carmina facere; et 6, 2. *extr.* Obscurissima et implicatissima quaestio. [*Cic. *Or.* 3, 14. Reliquae sunt magnae, implicatae, variae, etc. *Fin.* 3, 1. Nec in Torquati sermone quidquam implicatum aut tortuosum fuit.] *Ammian.* 26, 6. *f.* Per artus tremore diffuso, implicatior ad loquendum. *Sen. Apocoloc. med.* Vox nullius terrestris animalis, sed qualis esse marinis beluis solet, rauca et implicata. ℙ Refertur et ad conjunctionem necessitudinis et familiaritatis. *Nep. Dion.* 1. Utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Nam ille superior sororem Dionis habuit in matrimonio, etc. *Cic. Fam.* 6, 12. Omnes Caesaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et benevolentia. *Id. Att.* 1, 19. *med.* Novis amicitiis implicati. *Id. Pis.* 29. Revocare se non poterat familiaritate implicatus. *Id. Amic.* 22. *extr.* Implicati ultro et citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis. ℙ Item ad texturam orationis. *Cic. Or.* 56. Intervallorum longorum et brevium varietas, quibus implicata atque permixta oratio. *Gell.* 18, 2. Versus Ennii uno multifariam verbo concinniter implicati.

IMPLĪCĬSCOR, eris, dep. 3. mente aberro. *Pl. Amph.* 2, 2, 95. *Amph.* Delirat uxor. *Sos.* atra bili percita est. Nulla res tam delirantes homines concinnat cito. *Amph.* Ubi primum tibi sensisti, mulier, impliciscier? *Alc.* Equidem ecastor sana et salva sum, *(impliciscier* est paragoge, pro *implicisci.)* ℙ [Est etiam *implicisco, is*, n. 3. animo deficio. *Front. 3. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 13. *ex vet. poeta. Loquitur Hero ad Leandrum.* Nam ego potius te caruero, tametsi amore ardeo, potius quam te ad hoc noctis natare tantum profundi patiar; ne luna occidat, ne ventus lucernam interemat, ne quid tibi ex frigore impliciscar (fortasse legend. *implicscat)*, ne fluctus, ne vadus, ne piscis aliquo noxsit. *Gloss. Phil.* Implicisco, *ἀποτροπιάζω. F.*]

IMPLĪCĬTĒ, adv. involute, abscondite. *Cic. Inv.* 2, 23. Absoluta constitutio est, quae ipsa in se, non ut negotialis, implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quaestionem continet.

IMPLĪCĬTO, as, a. 1. frequentat. ab *implico. Plin. ep.* 9, 33. Varios orbes implicitat, expeditque, *h. e.* involvit, et evolvit. Al. leg. *implicat.*

IMPLĪCĬTUS et Inplicitus, a, um, part. ab *implico:* idem quod implicatus. *Hor. A. P.* 423. Litibus implicitum eripere. *Nep. Ages.* 8. *f.* et *Liv.* 23, 34. In morbum implicitus decessit. [*Adde *Cim.* 3, 4. ubi v. *Brem.*] *Caes. B. C.* 3, 18. et *Liv.* 23, 40. Praetor gravi morbo implicitus. (Et absolute *Mart.* 1, 102. Ureret implicitum cum scelerata lues.) *Liv.* 6, 21. Ni privato, ut fit, periculo publicum implicitum esset. *Mart. Spect.* 11. Implicita visco fuga. *Stat. Th.* 10, 718. sic colla manusque tenebat Implicitus. *Ov. A. Am.* 2, 580. Impliciti laqueis. *Id. Her.* 9, 94. Comae angue implicitae; et *A. Am.* 1, 561. Implicitam sinu abstulit. [*Lucan. 8, 5. incerta fugae vestigia turbat, Implicitasque errore vias. *Implicitus* dicitur etiam de amplexibus *Val. Fl.* 1, 264. Lactus at impliciti Peleus rapit oscula nati, ubi v. *Burm.* Adde *Stat. Silv.* 3, 3, 17. tenet ecce seniles Leniter implicitos vultus. V. *Burm.* ad *Lucan.* 3, 694.] ℙ Translate. *Pl. Merc.* 1, 1, 14. implicitus muliere. *Lucan.* 3, 432. terrore, vel torpore. *Plin. ep.* 7, 16. Calestrium familiarissime diligo, et privatis mihi, et publicis necessitudinibus implicitum; et *ep.* 3, 9. Implicitus suspicionibus. *Cic. Manil.* 7. Implicitum esse et cohaerere cum aliqua re.

IMPLĪCO et Inplico, as, cui, et cavi, citum, et catum, a. 1. *ἐμπλέκω*, innecto, involvo, impedio, irretio. *Catull.* 61, 34. Ut tenax hedera huc et illuc Arborem implicat errans. *Pompejus ad Dom.* 3. *post. Cic. Att.* 8, 12. Ut te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit. *Virg. A.* 11, 751. volans alte raptum cum fulva draconem Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus haesit; et *ib.* 10, 892. calcibus auras Verberat, effusumque equitem, super ipse secutus, Implicat. *Id. ib.* 2, 552. Implicuitque comam laeva; et 72. dextrae se parvus Iulus Implicuit; et *Ov. Met.* 1, 762. implicuit materno brachia collo; et *Amor.* 2, 18, 9. Implicuitque suos circum mea colla lacertos. *Tibull.* 1, 4, 51. Post etiam collo se implicuisse volet. *Catull.* 61, 108. Implicari in complexum alicujus. *Virg. A.* 11, 632. totas Implicuere inter se acies, *h. e.* miscuere in pugnam. *Sall. Jug.* 63. Implicare ac perturbare aciem. *Mart.* 6, 15. de formica: Implicuit tenuem succina gutta feram. *Curt.* 4, 3. Ad implicanda navigia, quae muros subibant. *Virg. A.* 4, 149. Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro; et *ib.* 7, 135. frondenti tempora ramo Implicat. *Ov. Fast.* 5. 220. Sertaque coelestes implicitura comas. *Implicare caput*, pro ornare, comam religando, ex *Afranio* affert *Non.* 2, 420. *Virg. A.* 12, 743. Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes. [*Laud. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 5. *Sil.* 15, 621. Implicat actus Caeco errore vias; et *Pacat. Pan. Theodos.* 38. Quin ipsos viae implicabat errores. V. IMPLICITUS.] ℙ Pro penitus immittere, immiscere. *Cic. Div.* 1, 36. Dii cum vim suam terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. *Virg. A.* 7, 355. atque ossibus implicat ignem. *Val. Fl.* 7, 598. propinquanti noctem implicat. ℙ *Implicari morbo.* V. IMPLICITUS. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 40. Nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses; et *Off.* 2, 11. Contrahendis negotiis implicari; et *Tusc.* 4, 27. Bene adhibita ratio cernit quid optimum sit: neglecta multis implicatur erroribus; et *Verr.* 2, 2, 18. Ipse te impedies: ipse tua defensione implicabere. *Virg. A.* 11, 108. Quaenam vos tanto Fortuna indigna, Latini, Implicuit bello? *h. e.* immiscuit, et irretivit. *Liv.* 40, 46. Nisi forte implacabiles irae vestrae implicaverint animos vestros, *h. e.* in errorem induxerint, confuderint. Al. aliter legunt. *Cic. Inv.* 1, 22. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur, *h. e.* confunduntur, miscentur. *Liv.* 2, 21. Tanti errores implicant temporum, ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, digerere possis; et 27, 43. Eum primo incertis implicantes responsis. ℙ Refertur interdum ad conjunctionem amicitiae et propinquitatis. *Cic. Balb.* 27. Aequa lex et nobis, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur. *Id. Fin.* 2, 14. Se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate. V. IMPLICATUS. Non absimile est illud *Cic. Brut.* 47. Ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, *h. e.* versaretur, consuetudinem haberet. ℙ *Implicatus* et *Implicitus* V. s. l.

IMPLORĀBILIS, e, adj. qui implorari potest, aut debet. *Val. Fl.* 1, 572. de apice Castorum: lumenque innoxia fudit Purpureum miseris olim implorabile nautis.

IMPLORĀTĬO, onis, f. *ἀνάκλησις*, invocatio, auxilii petitio in rebus afflictis. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. Si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhibebat. *Id. Or.* 2, 47. Omniumque Deorum, et hominum, et civium, et sociorum imploratio.

IMPLORĀTUS et Inploratus, a, um, part. ab *imploro:* plorando invocatus. *Justin.* 22, 2. Ad cujus auxilium Amilcar imploratus, praesidia militum mittit; et 23, 3. Imploratus a Siculis in auxilium. *Catull.* 68, 65. Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata. ℙ Pro deploratus. In *Epit. Liv.* 54. Ab exercitu suo multum imploratus, ac nobilissime tumulatus. Al. leg. *comploratus.* *Liv. 91. *fr.* p. 95. ed. *B. G. Niebuhrio:* Inploratam esse opem Pompei conpererat. *B. A.*

IMPLORO et Inploro, as, avi, atum, a. 1. *ἐπικαλέω*, plorando voco, invoco ad auxilium, appello, testor, exposco, peto. *Festus* in *Endoploro.* Implorare est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis. *Serv.* ad *A.* 10, 19. Implorare est auxilium cum miseratione deposcere. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 13, 195.] *Cic. Fl.* 2. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? *Id. Verr.* 2, 5, 72. Vos etiam atque etiam imploro et appello, sanctissimae Deae; et *mox.* Deos Deasque omnes imploro atque obtestor. *Id. Cat.* 2, 13. *f.* Deos precari, venerari, implorare debetis, ut, etc. *Id. Mil.* 34. Misericordiam implorare et exposcere. *Id. Rabir. perduell.* 3. Consulis auxilium implorare et flagitare. *Id. Sull.* 23. Implorarem sensus vestros, uniuscujusque indulgentiam in suos testarer, peterem errato veniam. *Id. Mur.* 40. Vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat. *Id. Verr.* 2, 3, 62. *f.* Vestram fidem, dignitatem, religionem in judicando non imploro *Id. in Sen.* 15. *f.* Cum me vestra auctoritas arcessierit, populus R. revocarit, respubl. implorarit. *Caes. B. G.* 1, 51. Mulieres flentes implorabant milites, ne se in servitutem Romanis traderent. *Hor. Ep.* 2, 1, 135. Coelestes aquas prece implorare. *Virg. A.* 10, 18. O pater, o hominum Divumque aeterna potestas, (Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?) Cernis, ut insultent Rutuli? *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit. *Id. ib.* 2, 5, 49. Mater me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans. *Id. Acad.* 4, 4. Ille Heracliti memoriam implorans, quaerere ex eo, num ea e Philone audivisset aliquando, *h. e.* petens ab Heraclito, ut memoriam ipse suam consuleret, num, etc. *Caes. B. G.* 1, 31. Dixerunt, sese neque auxilium a populo Romano imploraturos. [*Liv. 9, 4. A Vejis exercitum Camillumque ducem implorabunt, i. e. precibus suis arcessent.] *Cic. Quint.* 30. *f.* Qui Deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda est? ℙ [*Singularis constructio est ap. *Plin. Pan.* 46, 8. Mederis erroribus, sed implorantibus, i. e. precibus commotus medicinam affers peccatis: quem locum frustra tentarunt VV. DD. defendente *Gierig.*, q. v.]

IMPLUMBO, as, a. 1. plumbo ferrumino. *Vitr.* 10, 6. Ferreos enodaces in capitibus scaporum implumbavit.

IMPLŪMIS, e, adj. *ἀπτήν*, sine plumis, involucris. *Hor. Epod.* 1, 19. Assidens implumibus pullis avis. *Plin.* 11, 37, 64. Columbarum fetus implumes. *Sil.* 8, 421. *implumes* dicit *conos* galearum, pennarum et cristae ornatu carentes. ℙ Per cata-

chresin est sine pilis. *Plin.* 8, 55, 81. Lepus aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. Ita legit *Hard.* ex MSS. suspicatur *Salm.* in *Solin.* p. 283. legendum *impile.*

IMPLŪO et Inpluo, is, ui, impers. 3. supra, vel intus pluo, ἐφύω. *Varr. L. L.* 4, 33. Deorsum, quo impluebat, impluvium dictum. *Colum.* 2, 8. Prius quam impluerit, ab avibus aut formicis sata edi. Al. leg. *impluverit. Plin.* 2, 96, 97. Fanum Veneris, in cujus aram (al. *aream*) non impluit. ℙ Pro simplici pluo. *Sen. Q. N.* 1, 6. Si arcus circa occasum refulsit, rorabit, et leviter impluet. ℙ Active. *Oc. Met.* 1, 572. Peneus spumosis volvitur undis etc., summasque aspergine silvas Impluit. *Sid. ep.* 2, 2. *med.* Si turbo austrinus insorduit, lacus immane turgescit; ita ut arborum comis, quae margini insistunt, superjectae adsperginis fragor impluat. *Id. carm.* 22, 132. torrens ipsis adspergine tectis Impluit. ℙ Translate. *Pl. Most.* 4, 1, 15. Malum cum impluit ceteros, non impluat mihi.

[IMPLŪTUS, a, um, part. ab *impluo:* imbutus. *Non.* 16, 3 Impluviatus color, quasi fumato stillicidio implutus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus. *F.*]

IMPLŪVIA, ae, f. idem videtur esse ac vestis impluviata. Quidam censent, genus hoc vestis dictum esse a colore fusco, vel pullo: alii definiunt vestem, qua sacerdotes per imbrem utebantur. *Varro:* Salium quoque sereno tempore impluvia amictum fuisse criminabantur. Ita *Nicol. Perottus,* quem penes sit fides. ℙ [Porro in *Gloss. Phil.* Impluvia, μανδύη. Ap. *Hesych.* Μανδύας ἢ μανδύας, εἶδος ἱματίου Περσῶν πολεμικόν. Ap. *Ducang.* vero *Gloss. med. et inf. Graecit.* legitur haec vox, quae et μανδύον scribitur, a pluribus Graecis scriptoribus usurpata pro pallio imperatorum, episcoporum, et monachorum, unde profecto derivatum est Italorum *mantello,* ut ex *impluvia* eorundem *pieviale,* seu *piviale. F.*]

IMPLŪVIĀTUS, a, um, adj. *Non.* 16, 3. Impluviatus color, quasi fumato stillicidio implutus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus, nempe modica fuligine infuscatus. ℙ Hinc *impluviata, ae,* f. vestis a colore ita appellata, de qua *Pl. Epid.* 2, 2, 39. *Periph.* Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? *Epid.* Impluviatam, ut istaec faciunt vestimentis nomina. *Periph.* Ut? in impluvium induta erat? Ex postremis his *Plauti* verbis *Turneb. adv.* 14, 19. conjicit, aliter hoc interpretandum esse: nempe ut vites, inquit, impluviatae, sic et vestis impluviata de similitudine impluviorum dicetur, quae ea figura est, ut quaterna, id est quatuor quadrata lateribus undique corpus ambiat: quae forma est impluviorum in cavaediis. ℙ [*V. *Ferrar. de re vest.* 1, 3. *B. A.*]

IMPLŪVIUM, ii, n. locus sine tecto in aedibus, quo impluere imber in domum possit, ut ait *Ascon.* ad *Cic. Verr.* 2, 1, 23. *Varr. L. L.* 4, 33. Cavum aedium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum. In hoc locus si nullus relictus erat sub divo qui esset, dicebatur testudo. Si relictus erat in medio, ut lucem caperet; deorsum, quo impluebat, impluvium dictum; et sursum, qua compluebat, compluvium: utrumque a pluvia. Hic *Varro* collocat *compluvium* ad tectum, et *impluvium* ad solum, cum alii auctores contra collocent. V. COMPLUVIUM. *Cic. Verr.* 2, 1, 23. Duo signa pulcherrima, quae nunc ad impluvium tuum stant; et 56. Columnae ad impluvium locatae. *Liv.* 43, 13. Palmam enatam in impluvio suo nuntiabat. *Ter. Eun.* 3, 5, 40. de Jove ad Danaen veniente: per alienas tegulas Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. Alii melius leg. *clanculum, per pluviam fucum factum* etc. *Vitr.* 6, 4. *f.* Impluvii lumen latum latitudinis atrii ne minus quarta, ne plus tertia parte relinquatur. Alii pro *impluvii* leg. *compluvii.* [*Plura addidit. *F.*]

IMPOENE. V. IMPUNE.

IMPOENITENDUS, a, um, adj. non poenitendus. *Appul. Met.* 11. Impoenitendae se pauperiei committere.

[IMPOENĪTENS, entis, adj. quem non poenitet. In declam., quae inscribitur *Tribunus Marianus,* (quae perperam *Quintiliano* tribuitur) *c.* 3. ter legitur. *Hieron. in Isaj.* 12, 40, 27. Hi qui habent cor impoenitens. Alibi vero ap. *eund.* saepius. *F.* *Adde *Vulgat. Rom.* 2, 5. et *Fulgent. Ep. ad Venant. B. A.*]

[IMPOENĪTENTĬA, ae, f. conditio illius, quem non poenitet. *Hieron. in Isaj.* 18, 65, 23. Ne comederet Adam ex eo, et impoenitentiae, desperationisque ac superbiae morte moreretur. *F.* *Reperitur ap. *Sarisb. Policrat.* 2, 5. et *Fulgent. Ep. ad Venant. B. A.*]

IMPOENĪTUS, a, um, adj. impunitus: a poena. *Gell.* 12, 7. Veneficium, non admittendum impoenitum videbatur; et 11, 18. Furta omnia fuisse licita et impoenita.

IMPŌLĪTĒ, adv. ἀκόσμως, sine politione et ornatu. *Cic. Or.* 1, 49. Cum tibi senatus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus assensus.

IMPOLĪTIA, ae, f. ἀκοσμία. *Gell.* 4, 12. Si quis eques R. equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiae notabatur *(a censoribus).* Id verbum significat, quasi si tu dicas, incuriae. *Festus:* Impolitias censores facere dicebantur, cum equiti aes abnegabant ob equum male curatum.

IMPOLĪTUS et Inpolitus, a, um, adj. ἄζοος, ἄκομψος, non politus, rudis. *Quint.* 8, 6. *med.* Structurae lapidum impolitiorum. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 85. Orationes Catonis valde laudo, significant enim quandam formam ingenii, sed admodum impolitam, et plane rudem. *Id. Or.* 2, 31. Quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum; et 14. Timaeus ipsa compositione verborum non impolitus. *Id. Prov. cons.* 14. Impolitae vero res, et acerbae si erunt relictae, efferent se aliquando, etc., *h. e.* non perfectae.

IMPOLLŪTUS, a, um, adj. ἀμίαντος, non pollutus. *Tac. A.* 14, 35. Virginitas impolluta; et *ib.* 16, 26. Intemeratus, impollutus. *Sil.* 13, 679. Pro barbara nunquam Impolluta fides!

IMPOMENTA, quasi imponimenta, quae post coenam mensis imponebant. *Festus.*

IMPONO et Inpono, is, sui, situm, a. 3. ἐπιτίθημι, superpono. *Virg. A.* 1, 65. molemque, et montes insuper altos Imposuit. *Cic. Fl.* 32. Imponere coronam alicui. *Id. Off.* 3, 7. Operi absoluto fastigium. *Liv* 45, 19. frenos animo alicujus. *Cic. Fam.* 13, 56. onus alicui. *Id. Att.* 5, 15. clitellas bovi. *Liv.* 7, 24. claves portis. *Ov. Met.* 1, 327. laticem igni. *Tac. A.* 1, 61. pontes paludibus. [*Plura *Tac.* exempla v. ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 244. sq.] *Julian. Dig.* 6, 1, 59. fenestras et ostia in aliena aedificia. *Curt.* 9, 7. *f.* pedem super cervicem jacentis. *Pl. Most.* 2, 2, 4. pedem in undam; et *Pers.* 4, 6, 10. aliquid in collum. *Liv.* 35, 35. aliquem in equum; et 5, 40. *extr.* in plaustrum. *Stat. Th.* 6, 321. cum natum imponeret axi, *h. e.* in currum. *Cic. Tusc.* 1, 35. in rogum. *Gell.* 20, 1. jumento. *Ov. Fast.* 2, 473. et *Met.* 1, 230. mensis. *Pl. Rud.* 2, 6, 6. pedem in navem. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. exercitum in naves. *Ov. Met.* 6, 511. imposita est pictae Philomela carinae. *Suet. Caes.* 66. Vetustissima nave imponere. [*V. *Burm.* et *Oudend.* ad h. l. Coll. *Brem. ib.* Ita etiam in multis libris: monumentum impositum colle hortorum ap. *eund. Ner.* 50.] ℙ Absolute, pro in navem imponere. *Cic. Div.* 2, 40. Cum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret. Adde *Att.* 1, 10. et *Caes. B. C.* 3, 6. ℙ Pro immittere, inferre. *Ov. Her.* 11, 122. Sparsa, precor, nati collige membra tui: Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro. ℙ Pertinet etiam ad sacra. *Virg. A.* 4, 453. turicremis cum dona imponeret aris. *Pl. Aul.* 2, 8, 15. Tusculum emi, et hasce coronas floreas: Haec imponentur in foco nostro Lari. *Ov. Fast.* 1, 127. Libum Jano imponere. *Juven.* 12, 84. Sertaque delubris et farra imponite cultris. ℙ Item ad medicos. *Plin.* 20, 6, 23. Porrum imponitur et vulneribus; et *ib.* 4, 13. Raphanos imponi super umbilicum contra tormenta vulvae; et *rursus ib.* 6, 23. Allium imponitur in vulnera; et 23, 7, 71. Imponuntur et per se folia. ℙ Item ad admissuram animalium ad sobolem. *Colum.* 6, 36. *extr.* Ita efficitur, ut *(asinus)* fastiditae imponatur equae. Adde 7, 2. *f.* ℙ Imponere praesidium oppido. *Liv.* 24, 7., *Curt.* 3, 7. et 9, 8. et *Just.* 6, 6. ℙ Imponere nomen, vocabulum. *Cic. Verr.* 2, 3, 85. *med.* Huic praedae ac direptioni, cellae nomen imponis. *Liv.* 35, 47. Filiis duobus Philippum, atque Alexandrum, et filiae Apamiam, nomina imposuerat. *Hor. Sat.* 2, 3, 280. imponens cognata vocabula rebus. [*Coll. *Tac. A.* 4, 34. et 14, 39. Honestum pacis nomen segni otio imposuit.] ℙ Significat etiam indicere, imperare. *Cic. Agr.* 1, 4. Agris praegrande vectigal imponere. *Caes. B. C.* 3, 32. tributum in capita; et *B. G.* 1, 44. stipendium victis. *Hirt. B. G.* 8, 49. nova onera civitatibus. *Caes. B. C.* 3, 74. Sibi quisque poenae loco graviores imponeret labores. ℙ Item inferre. *Cic. Verr.* 2, 4, 9. Quibus tu privatim injurias plurimas contumeliasque imposuisti; et *ib.* 2, 2, 60. Mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri. *Sall. or. ad Caes.* 2. servitutem civibus. *Cic. Sext.* 19. plagam alicui. *Id. Fin.* 4, 24. et *Att.* 1, 16. *med.* vulnera reipublicae. ℙ Item [*causam, culpam invito, innocenti vi quadam inculcare.] *Id. Att.* 4, 5. Mihi necessitatem volui imponere hujus novae conjunctionis. *Sall. Cat.* 44. Belli invidiam consuli imponere. *Liv.* 36, 27. Ita enim et illis violandi supplices verecundiam se imposituros. ℙ Item ponere, statuere. *Liv.* 5, 4. Imponere finem spei. *Id.* 4, 24. modum alicui. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* modum dolori. *Ov. Her.* 9, 76. manum calathis, i. e. manu prehendere; et *Trist.* 4, 1, 28. manum sacris Pieridum. Sic *Pont.* 4, 8, 82. manum studiis. *Id. Rem. Am.* 114. manum supremam bellis. Sic *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3. summam manum operi; et *Virg. A.* 7, 572. extremam manum alicui rei. [*Tibull.* 2, 1, 10. non audeat ulla Lanificam pensis imposuisse manum.] *Colum.* 3, 19. clausulam disputationi. *Quint.* 12, 7. *f.* pretium alicui rei. *Ulp. Dig.* 50, 16, 131. poenam delicto. ℙ Item injungere. *Cic. Att.* 15, 26. Si mihi imposuisset aliquid, animo iniquo tulissem. *Anton.* ad *Cic. Att.* 10, 10. Partes mihi Caesar has imposuit, ne paterer, etc. *Cic. Agr.* 2, 18. Vos mihi personam hanc imposuistis. *Ulp. Dig.* 22, 3, 18. Imponere probationem actori. ℙ Plus est aliquando quam committere, nempe de iis dicitur, quae commissa oneri sunt, et molestiae. *Cic. Sext.* 28. Nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt. ℙ Item praefitere. *Id. Planc.* 25. Si emimus, quem villicum imponeremus. *Liv.* 40, 12. *med.* Ut quem vellent, imponerent Macedoniae regem. *Id.* 37, 25. Romanos Masinissam in Syphacis regnum imposuisse. [*Tac.* exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 245.] *Cic. N. D.* 1, 20. Imponere dominum in cervicibus alicujus. [*Praepositionem aptis exemplis stabilivit *Davis.* Ceterum saepissime usurpatur h. v. ad significandam vim et licentiam. *Id. Phil.* 13, 17. Si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat? *Sall. Cat.* 51, 28. Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere: ubi v. *Kritz. Liv.* 45, 36. Quid si domini milites imperatoribus imponantur? Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 393. Quodque virum toti properans imponere mundo Perdidit hos fortuna dies.] ℙ Item injicere, conjicere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 17. Curio, cujus amicitia me paulatim in hanc perditam causam imposuit. ℙ Item adjicere, adjungere. *Nep. Cim.* 4. Imponere custodem hortis. [*Brem.* leg. ut nunquam in eis custodem imposuerit: rariorem dicens hanc loquendi rationem, eandemque nonnisi obviam, ubi de rebus sermo sit; de hominibus nunquam dici posse. Eodem modo locutus est *Liv.* 8, 23. Coloniamque in Samnitium agro imposuerit. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 1, 18, 8. Ceterum *Brem. Nep. Dion.* 4, 4. discrimen inter *imponere* et *apponere,* ita constituit, ut hoc de personis, quae custodiam accipiant, illud de locis maxime dicatur.] *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. imponere fundo servitutem. ℙ Item decipere, cum dativo: et subaudiendus videtur accusativus *fraudem, fallaciam,* aut ejusmodi. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Catoni egregie imposuit Milo noster; et *Nep. Eum.* 5. *extr.* Simulata deditione, dum de conditionibus tractat, praefectis Antigoni imposuit. *Petr. Sat.* 102. Utcumque imponi vel dormienti posset. [*Tac. H.* 1, 30. Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Adde *Plin. ep.* 3, 15. *Sen. ep.* 25. et sic saepissime ap. hujus aetatis scriptores.] ℙ Imponere leges, i. q. dare. *Cic. Phil.* 2, 1. De imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. *Id. Or.* 1, 60. Nimis duras leges imponere visus es huic aetati. [*Tac. A.* 11, 19.] ℙ Imponere aliquem periculo ap. *Petr. Sat.* 102. est exponere, objicere, in periculo ponere. ℙ Imponere vadimonium. V. VADIMONIUM. ℙ *Imposisse* leg. ap. *Pl. Most.* 2, 2, 4. pro *imposivisse,* nempe contractum pro imposiisse, quod est antiquum praeteritum non infrequens in verbo *pono,* et ejus compositis. *Id. Rud.* 2, 3, 27. Quidquid domi fuit, in navem imposivit.

IMPORCĀTUS, a, um, part. ab *imporco,* in porcas redactus. *Colum.* 2, 10. Cum semen crudo solo ingesserimus, inarabimus, imporcatumque occabimus: [*e ridotto sulla sommità delle porche l' erpicheremo. F.*]

IMPORCĬTOR, oris, m. qui porcas facit in agro arando. *Fest.* Docet *Serv.* ad *G.* 1, 21. *Fabio Pictore,* hos Deos invocari a flamine, sacrum cereale faciente Telluri, et Cereri: Vervacturem, Reparatorem (al. *Redaratorem*), (*Pontedera* vero *Op. posth. T.* 2. p. 320. *Repastinatorem* reponendum censet) Imporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, (al. *Subruncatorem*) Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem: nempe a diversis officiis, quae praestant in rusticis rebus. *Vervactor* enim praeerat primae agrorum arationi, quae vere fiebat: *Reparator* (lege *Repastinator*) alteri, tertiae *Imporcitor,* nam post tertiam arationem, porcas facere mos erat. Reliqua nomina facilem intellectum habent.

*IMPORCO, as, a. 1. porcas in agro facio. *Gloss. Philox.* Imporco, αὐλακίζω, *B. A.*

IMPORTĀBILIS, e, adj. qui portari non potest. *Tert. adv. Marc.* 4, 27. *med.* Excusandos censuisset, si importabilia portare non possent.

IMPORTĀTĪCĬUS, a, um, adj. qui importatur, advecticius. *Hirt. B. Afr.* 20. Frumento se in Africa, nisi importaticio, uti non posse.

IMPORTĀTUS, a, um, part. ab *importo:* illatus, aliunde invectus. *Caes. B. G.* 5, 12. Ferri exigua copia est: aere utuntur importato; et *ib.* 4, 2. Germani jumentis importatis non utuntur. *Cic. Or.* 1, 9. Plura detrimenta publicis rebus, quam adiumenta per homines eloquentissimos importata. [*Id. de Rep.* 2. (ed. *A. Maio*) 15. Facile patior, non esse nos transmarinis et importatis

artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus. *F.*]

IMPORTO et Inporto, as, avi, atum, a. 1. *εἰσφέρω*, [*εἰσάγειν] infero, inveho. *Caes. B. G.* 1, 1. Minime ad eos mercatores commeant, atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important; et *ib.* 4, 2. Vinum ad se omnino importari non sinunt; et *B. C.* 3, 40. Commeatus importare in oppidum. *Plin.* 7, 30, 31. Importare Graecam linguam. *Varr. R. R.* 1, 16. Fructuosior sit fundus, quam si longe sint importanda. [**Vell.* 2, 114, 2. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei, etc.] ℙ Saepe est afferre [*inferre], cum dativo. *Hor. Ep.* 1, 13, 4. Ne studio nostri pecces, odiumque libellis Sedulus importes. *Cic. Off.* 2, 5. *extr.* Si quid importetur nobis incommodi, propulsemus. *Id. Sext.* 69. *f.* Importare alicui calamitatem. *Id. Tusc.* 4, 15. aegritudines anxias. *Id. Dejot.* 15. *f.* pestem alicui, aut incolumem famam. *Phaedr.* 1, 28. luctum alicui. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. *med.* suspicionem. *Liv.* 39, 14. fraudem aut periculum. *Papin. Dig.* 50, 2, 5. Crimen, quod ignominiam importat. *Plin.* 14, 18, 22. Vinum in Arcadia fieri, quod fecunditatem feminis importet, viris rabiem. *Id.* 2, 47, 48. Grandines Septentrio importat et Corus.

IMPORTŪNĒ et Inportune, adv. *ἀκαίρως*, praeter loci, aut temporis, aut personarum rationem: atque adeo perperam, aut moleste. *Paul. Dig.* 13, 6, 17. Si pugillares mihi commodasti, non recte facies importune repetendo. *Plin.* 7, 12, 10. Perquam importune fortuitum hoc quoque fuit. *Cic. Acad.* 4, 25. Confidere suis testibus, et importune insistere, [*i. e justo audacius.] *Gell.* 10, 16. *f.* Potest medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est. *Just.* 42, 1. Tyrannica crudelitate multas civitates importune vexavit. *Lact.* 5, 2. Importunius veritati insultare. *Gell.* 20, 6. *f.* Importunissime fecerunt, qui scripturam istam sincerissimam corruperunt.

IMPORTŪNĪTAS et Inportunitas, atis, f. *ἀκαιρία*, intempestivitas, quae neque loci, ut ait *Donatus*, neque temporis observat commoditatem. *Ter. Andr.* 1, 4, 4. Importunitatem spectate aniculae. [*Laud. *Ruhnk* ad h. l. *Cic. Amic.* 15. Miror illa superbia et importunitate si quemquam habere potuit. (ita *Orell.*) coll. *Gronov.* ad *Sen. Ben.* 4, 3. et *Duk.* ad *Flor.* 1, 8.] ℙ Accipitur non raro pro immanitate, feritate, impotentia, nimia licentia, audacia. *Cic. Cluent.* 69. Importunitatem matris a filii capite depellite. *Id. ib.* 61. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto vellet. *Id. Pis.* 9. *extr.* Animal ex omnium scelerum importunitate, et omnium flagitiorum impunitate concretum. *Id. Verr.* 2, 2, 30. Homo incredibili importunitate atque audacia. *Id. ib.* 2, 3, 16. Vide inter importunitatem tuam, senatusque bonitatem quid intersit. *Id. Sen.* 3. Moderati, et nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem: importunitas autem, et inhumanitas omni aetati molesta est: i. e. morosa, ac molesta natura. *Pl. Trin.* 3, 3, 6. Tanta importunitas, tantaque injuria facta in nos est ab hero nostro. *Cic. Verr.* 2, 3, 54. Ex tuo scelere, importunitate, avaritia, crudelitate. *Hirt. B. Afr.* 87. Sedandae eorum importunitatis gratia, singulis HS centum divisit. ℙ *Importunitas loci* est incommoda loci alicujus ratio ad rem aliquam perficiendam, ap. *Gell.* 3, 7.

IMPORTUNUS et Inportunus, a, um, adj. portu carens, atque adeo periculosus, infestus. *Ov. Met.* 14, 481. Quos communis hiems, importunusque Caphareus Mersit aquis. Al. leg. *importunisque. Festus:* Importunum, in quo nullum est auxilium, velut esse solet portus navigantibus. ℙ Item intempestivus, incommodus, *ἄκαιρος*. *Cic. Or.* 2, 5. Num aut locus hic non idoneus videtur, aut importunum tempus in tanto otio? *Lambin.* mallet *inopportunus.* [*Recepit *Orell.*] *Tac. A.* 12, 12. *f.* Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat. *Gell.* 1, 15. Leves, et futiles, et importuni locutores. *Virg. G.* 1, 470. Obscenaeque canes, importunaeque volucres, [*i. e. quae tempore insolito apparent, ut bubo, odiosae, mali ominis cantu, v. *Cerd.*] ℙ Hinc pro molesto, gravique ponitur. *Cels.* 4, 3. Neque alius importunior, acutiorque morbus est, quam, etc. *Hor. Od.* 3, 16, 37. Importuna tamen pauperies abest. ℙ *Homo importunus* dicitur, qui modum non habet, ac sine ullo discrimine loci, temporis, rerum, aut personarum, incommodus omnibus, durus, iniquus, difficilis est, neque alios quiescere patitur, ut maria, quae portu carent. *Ter. Heaut.* 1, 2, 23. Immo ille fuit senex importunus semper. *Hor. Sat.* 2, 5, 96. Importunus amat laudari? [**Schol. Acr. importunus* pro *importune* (*über alle Gebühr*).] *Id. Ep.* 2, 2, 185. alter Dives, et importunus, ad umbram lucis ab ortu Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum. *Id. ib.* 1, 6, 53. Cui libet, is fasces dabit, eripietque curule Importunus ebur. *Pl. Asin.* 1, 1, 47. Uxor importuna atque incommoda. *Cic. in Senat.* 6. *extr.* Ut omnes suas libidines latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum in forum detulisset, *h. e.* durum, et severitatem prae se ferentem. *Id. Verr.* 2, 4, 50. Importunissimae libidines, *h. e.* quae nullo non loco, aut tempore, et contra omnis generis homines insolescunt. *Hor. Od.* 4, 13, 9. Cupido importunus transvolat aridas Quercus, etc. ℙ Item immanis, saevus, crudelis, ut qui nullo non tempore furit, nocetque sine discrimine. *Liv.* 29, 17. *f.* Crudelissimus atque importunissimus tyrannus. *Cic. Cluent.* 63. Crudelis atque importuna mulier. *Id. Verr.* 2, 1, 3. Singularem quandam poenam istius immanis atque importuna natura desiderat; et *ib.* 5, 54. Importunissima pestis; et *Cat.* 2, 6. Importunissimus hostis. *Liv.* 5, 2. Importuni decemviri. *Cic. Verr.* 2, 5, 40. Importunus atque amens tyrannus. *Ov. Met.* 4, 482. Nec mora: Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem. *Id. Amor.* 3, 9, 19. omne sacrum mors importuna profanat. ℙ Item nequam, malus, improbus. *Cic. Fam.* 9, 21. *f.* Quare ad patres censeo revertare: plebeji quam fuerint importuni, vides. *Lege totam epistolam.* ℙ Est etiam non idoneus, ineptus. *Sall. Jug.* 97. Aggeribus, turribusque, et aliis machinationibus locus importunus. *Sil.* 3, 540. importuna locorum, *h. e.* non apta itineri. *Gell.* 3, 1. Nunquam tam importuna atque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium, vel subtilissimum brevitatis artificem, periphrasin poetarum facere diceret.

IMPORTŪOSUS et Inportuosus, a, um, *ἄλιμενος*, qui est sine portu. *Sall. Jug.* 20. Mare saevum, importuosum et ager frugum fertilis. *Plin. ep.* 6, 31. *f.* Litus importuosum. *Plin. alter* 4, 12, 23. Importuosissima insula. [*Adde *Tac. A.* 4, 67. *Liv.* 10, 2. *Sen. cons. ad Helv.* 8. et *ep.* 25. Oppon. *portuosus.*]

IMPOS et Inpos, ōtis, adj. *ἀκρατής*, ab *in* privativa, et *potis*, idem est quod impotens, *h. e.* qui rem aliquam in sua potestate non habet: cui contrarium est *compos.* Hinc *impos animi*, aut *sui* est, qui aegritudine aliqua extra se est, cui mens sana non est. *Pl. Trin.* 1, 2, 93. quid interest, dare te in manus Argentum amanti homini adolescenti, animi impoti? *Id. Cas.* 3, 5, 7. Eripite isti gladium, quae sui est impos animi. *Sen. Agam.* 117. Impos sui amore caeco. ℙ *Impos veritatis*, qui veritatem assequi non valet. *Appul. de Deo Socrat. in.* ℙ *Impos damni* ap. *Auson. Idyll.* 10, 274. est impatiens jacturae. ℙ Absolute *impos* est, inquit *Festus*, qui animi sui potens non est, qui animum suum in potestate non habet. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Impotem ipsum aliorum addici potestati.

IMPOSĪTĪCIUS, a, um, adj. *ἐπιθετικός*, qui imponitur, ut *impositicia nomina* ap. *Varr. L. L.* 7, 2. de quibus V. in DECLINATUS, a, um. ℙ *Impositicia res* dicitur, quae cum alia conjuncta non est tanquam pars ejus, sed extrinsecus est imposita. *Paul. Dig.* 30, 1, 41. §. 11. Canthari per quos aquae saliunt, poterunt legari, maxime si impositicii sint. ℙ *Impositicia causa* distinguitur a naturali, et a publica a *Sexto Pedio* ap. *Ulp. Dig.* 39, 1, 5. *med.* V. JCtos. ℙ Scribitur et *Impositītius*, sed *Impositicius* praestat.

IMPOSĪTIO, onis, f. *ἐπίθεμα*, actus imponendi. *Plin.* 27, 13, 115. Succus vel semen impositione spicula e corpore ejicit. ℙ Ap. *Varr. L. L.* 4, 1. et *ib.* 9, 3. *impositio verborum* et *nominum* est eorum inventio, et usus ad significanda ea, quibus imponuntur.

IMPOSĪTĪVUS, a, um, adj. idem quod impositicius, ut *impositiva nomina* ap. *Varr. L. L.* 9, 3. *med.* et *Plin.* 28, 4, 6., *h. e.* quae imponuntur rebus significandis.

IMPOSĪTOR, oris, m. qui imponit. *Varr. L. L.* 6. *in.* Cum haec adminicula addas ad eruendam voluntatem impositoris, *h. e.* ejus qui rei nomen imposuit.

IMPOSĪTUS et Inpositus, a, um, part. ab *impono: ἐπιτεθείς*, supra positus. *Cic. Att.* 5, 15. Clitellae bovi impositae. *Virg. G.* 4, 477. Impositique rogis juvenes ante ora parentum. *Stat. Silv.* 2, 1, 63. Impositus stratis. *Hor. Od.* 4, 14, 12. Arces impositae alpibus. *Id. Ep.* 1, 7, 77. Impositus mannis. *Petr. Sat.* 114. Imposita scaphae. *Ov. Met.* 15, 820. Ferre onus impositum. *Id. Amor.* 2, 2, 24. Imposita gremio stertere fronte potes. *Lucr.* 6, 741. Nomen ab re impositum. *Sall. Cat.* 49. Contumelia imposita alicui. *Ov. Her.* 19, 28. impositas servet arena notas, *h. e.* impressas. *Suet. Caes.* 73. Imposita stigmata, *h. e.* inusta. *Cic. Att.* 1, 18. Consul impositus nobis, *h. e.* praepositus, praefectus. *Id. Font.* 5. Vectigal impositum frugibus. *Id. Balb.* 18. Impositae leges. ℙ *Impostus* per syncop. est poeticum. *Virg. A.* 9, 716. Inarime imposta Typhoeo. *Lucr.* 5, 544. Imposta pondera. *Prop.* 4, 2, 29. Imposta corona. *Val. Fl.* 4, 186. arma imposta aris. *Stat. Th.* 1, 227. Mens cunctis imposta manet.

IMPOSĪTUS, us, m. idem ac impositio. In sexto casu sing. *Plin.* 24, 4, 6. Ulcera commanducatu imposituque efficacissime sanari. Al. leg. *commanducato impositoque.*

IMPOSSĪBĪLIS et Inpossibilis, e, adj. *ἀδύνατος*, qui fieri non potest. *Quint.* 5, 10. Non longum tantum, sed etiam impossibile, ac potius infinitum est; et 13. *med.* Impossibilia aggredi. *Just.* 2, 4. Imperare aliquid quasi impossibile. *Appul. Met.* 1. Nihil impossibile arbitror. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. *med.* Impossibile est, ut alveus fluminis publici non sit publicus. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Sextus modus per impossibile tantum approbatur. Adde *Macr. Sat.* 7, 3. *med.*

IMPOSSĪBĪLĪTAS, atis, f. *ἀδυναμία*. *Appul. Met.* 6. Impossibilitate ipsa mutata in lapidem Psyche. Adde *Tert. Baptism.* 2. *f.*

IMPOSTOR, oris, m. *πλάνος, ἐπιθέτης*, qui imponit, seu decipit. *Ulp. Dig.* 21, 1, 4. Nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos. (Impostoris lepide puniti historiam V. ap. *Trebell. l. c. in v. seq.*) *Hieron. ep.* 38. *f.* Si tunica non canduerit, statim illud e trivio: impostor et Graecus est. *Id. ep.* 54. *n.* 5. hoc idem Graece habet, *ὁ Γραικὸς, ὁ ἐπιθέτης:* ex quo apparet proverbiale quoddam dictum fuisse: et maxime in Christianos illorum temporum. Adde *Paulin. Nolan. carm.* 21, 338.

IMPOSTŪRA, ae, f. *ἐπίθεσις*, fraus, deceptio. *Ulp. Dig.* 47, 20, 3. Si quis imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius, stellionatus poterit postulari. (Fortasse *impostura* hoc loco veneficium, incantamentum significat.) *Trebell. Gallien.* 12. Imposturam fecit, et passus est.

IMPOTENS et Inpotens, entis, adj. *ἀκρατής*, non potens, infirmus. *Cic. Mur.* 28. *f.* Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam: valeant haec omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum. *Id. Fin.* 1, 16. Neque homini infanti atque impotenti injuste facta conducunt. *Sall. in or. Macri Licin.* Neque me praeterit, quanto opes nobilitatis, solus, impotens, pellere dominationem incipiam. ℙ [*Hinc dicitur *impotens*, qui regendae, coercendae, moderandae alicujus rei destitutum viribus se praebet. Ita construitur cum genitivo. Pertinent huc, praeter *Curt.* 4, 7. Quidam ob sitim impotentes sui: quem l. Noster seq. §. addiderat, ea exempla, quae antea ad finem posita legebantur.] *Liv.* 29, 9. Impotens irae; et 30, 42. laetitiae. *Curt.* 8, 1. *f.* animi. *Tac. H.* 4, 44. amoris. *Sen. Agam.* 126. consilii, *h. e.* prudentiae et moderationis impatiens aut incapax. *Liv.* 9, 14. Gens impotens rerum suarum prae domesticis seditionibus, *h. e.* quae res suas regere nescit, aut nequit. *Id.* 35, 11. Equi impotentes regendi, *h. e.* qui regi nequeunt. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 37, 10. quidlibet impotens Sperare. *Liv.* 27, 48. Elephanti impotentes regi, et inter duas acies versari. Al. melius leg. *impotentius.* [*V. *Lex. Liv.* s. h. v.] ℙ Tum est incontinens, insolens, effrenatus, vehemens, impatiens, qui in sua potestate non est, qui affectus suos regere non potest, sed ab iis vincitur et aufertur. *Cic. Fam.* 4, 9. Victoria etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit; et *Phil.* 5, 9. Impotens, iracundus, contumeliosus, superbus, semper poscens, semper rapiens, semper ebrius; et 16. Homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos. *Vell.* 2, 11. Marius immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. *Cic. Phil.* 11, 7. Ipse est confidens, impotens, etc. *Id. Har. resp.* 2. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo. [*Pertinent huc ista quae inferius Noster posuerat. *Sen. Med.* 143. Sceptro impotens, *h. e.* qui propter regiam potentiam insolescit; et *Id. Hippol.* 276. Cupido impotens flammis simul, et sagittis, *h. e.* saeviens in omnes sine discrimine aut modo. Porro notabilis illa ad Graecorum morem facta constructio ap. *Just.* 26, 3. Statim a principio superbus, regiae familiae militibusque impotens erat, i. e. insolenter, superbe egit erga, etc. ℙ Denique transfertur ad ea, in quibus modum tenere, affectus nostros regere non possumus, quibus omnis moderatio deest.] *Cic. Tusc.* 5, 7. Impotenti laetitia efferri; et *Fam.* 10, 27. Ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est. Adde *Nep. Lys.* 1. [*ubi v. *Brem.*] *Liv.* 29, 9. In multo impotentiorem subito rabiem accensi. *Catull.* 35, 12. Illum deperit impotente amore. (*Plin.* ap. *Charis.* 1, 108. antique dictum ait *impotente* pro *impotenti.* Contra *Id. Plin. ib.* p. 101. statuit ex *Verr. Flacco* (qui fuit Augusti aequalis) nominum, quae in *ns* finiuntur, ablativum in *e* exire: additque auctoritatem *C. Caesaris* in *ep. ad Cic.* Confirmat *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 25, 17. afferens loca plus quam 60. ejusdem et alior. in *e* desinentia.) *Quint.* 12, 1. Impotentissimae cogitationes cupiditatis, avaritiae, invidiae. *Curt.* 4, 10. Superstitio impotens, saeva, mutabilis. *Tac. A.* 3, 33. Pervicacia et impotentia mulierum jussa. *Liv.* 7, 41. *extr.* Impotens postulatum; et 38, 56. *f.* Impotens injuria. *Sen. Herc. Oet.* 715. Quis tam impotens, o mise-

ra, te casus rotat? *h. e.* saevus, immanis, nimis potens, cujus violentiae resisti nequit. *Catull.* 4, 18. de phaselo: Et inde tot per impotentia freta Herum tulisse, *h. e.* procellosa, et quae regi nequeant. ℙ [*Confunduntur *impotens* et *impudens*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 5, 4. p. 106. et *c.* 13. p. 125.]

IMPŌTENTER, adv. ἀκρατῶς, impotenti animo, effrenate, intemperanter, immodice. *Hirt. B. Alex.* 33. Impotenter regnare. [*V. *Mor.* ad h. l. et *Drakenb.* ad *Liv.* 38, 48.] *Justin.* 16, 4. Cum plebs novas tabulas, et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret. *Quint.* 6, 3. *med.* Impotenter dicere aliquid; et 1, 3. Ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer. *Sen. ep.* 42. Subita et magna potentia impotenter uti; et *Ben.* 4, 17. Quis est, qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? ℙ [*De comp. impotentius v. v. praeced.]

IMPŌTENTĬĂ, ae, f. ἀδυνασία, imbecillitas, infirmitas. *Ter. Ad.* 4, 3, 16. Magis propter suam impotentiam se semper credunt negligi, [*i. e. inopiam, humilem conditionem.] ℙ Saepe sumitur pro animi effrenatione, qua se quis continere non potest, ut in IMPOTENS dictum est. *Cic. Tusc.* 4, 15. Inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi, a temperantia et moderatione plurimum dissidentem; et *ib.* 5, 7. Impotentia efferri. *Hor. Epod.* 16, 61. nullius astri Gregem aestuosa torret impotentia. *Vell.* 2, 29. Nunquam potentia sua ad impotentiam usus. Sic *Tac. Ann.* 1, 4. Muliebris impotentia. *Plin.* 34, 3, 6. Impotentia libidinis. *Suet. Caes.* 77. Nec minoris impotentiae voces propalam edebat. *Tac. A.* 14, 31. Fovere militum impotentiam. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 12, 31. [*Plura habet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 245. sq.] ℙ Caret plurali numero.

*IMPRAEGNĀTUS, a, um, part. pass. ab Impraegno. *Guil. Brit. Phil.* 7, 607. Et jam finis erat hiemis, tellusque calore Impraegnata novo flores gignebat et herbas. *B. A.*

*IMPRAEGNO, as, a. 1. gravidam reddo. *Sarisb. Policrat.* 8, 11. V. *Voss. de V. L. L.* 1, 23. ℙ Translate est augeo ap. *Guil. Brit. Phil.* 5, 566. *B. A.*

IMPRAEPĔDĪTĒ, et

IMPRAEPĔDĪTO, adv. sine impedimento, nullo impediente. *Ammian.* 27, 10. Impraepedite abduxit. *Id.* 26, 6. Ut impraepedito ipse pergeret, quo tendebat.

IMPRAEPĔDĪTUS, a, um, adj. non praepeditus. *Ammian.* 21, 5. Impraepedito cursu tendentes, Daciarum fines occupemus.

IMPRAEPŪTĬĀTUS, a, um, adj. idem quod praeputiatus, habens praeputium. *Tert. Monog.* 11. *f.* ex *Cor.* 1, 7, 18. Impraeputiatus vocatus es? ne circumcidaris.

IMPRAESCĬENTĬĂ, ae, f. praescientiae carentia. *Tert. adv. Marc.* 2, 7. Deceptus ex impraescientia futuri.

IMPRAESENTĬĀRUM, Inpraesentiarum, et In praesentiarum, ἐν τῷ παρόντι, dictio conflata ex *in praesentia rerum*, ut putat *Voss. in Etym.*, idem significat, quod *in praesens*, *in praesentia*, *in praesenti:* neque solum dicitur de eo, quod praesens nunc est, sed et de eo, quod praesens fuit, aut erit. [*Sequitur hanc sententiam *Ramsh. Lat. Gr.* §. 150. p. 469. ubi praeter largum exemplorum numerum ex veterrimis collectorum et recentissimis scriptoribus, locum exhibet *Cic. Inv.* 1, 30, 49. ubi pro vulg. *in praesentia*, unus cod. *in praesentiarum* habet. — Alii docent, *in praesentiarum* ad eas pertinere locutiones, quae praepositiones aliis interdum casibus, quam quos consuete regant, junctas habeant, ita ut *praesentiarum* a praep. *in* pendeat; alii a suppressa voce *tempore* genitivum *praesentiarum* regi volunt. V. *Perizon.* ad *Sanct. Min. II.* 3. p. 171. *Nolten. Antib.* p. 1004. *Ruddim.* 1, 312. et 2, 334. Sunt etiam, qui, quod nullus veterum Grammat. mentionem ejus faciat, prorsus ejiciendum h. v. e Latio censeant: a quorum partibus stare videmus *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 1, 17, 55. „*Impraesentiarum* equidem non concoquo." — Novam denique *Doederl.* 1, 140. sqq. hanc rationem addit: esse *praesentiarum* adjectivum e substantivo *praesentia* formatum, eodem modo quo *praesentarius* et *praesentaneus* a *praesens*; et *impraesentiarum* in codicibus eodem jure exhiberi, quo *imperpetuum* ap. *Scrib. Larg.* 11, 102. Cf. *Doederl.* 3, 312. sq.] *Cato R. R.* 144. Extra quam si quem socium impraesentiarum dixerit. *Nep. Ann.* 6. Exhaustis jam patriae facultatibus cupivit in praesentiarum bellum componere, quo valentior congrederetur. *Fannius. Annal.* 1. (V. FANNIANUS.) Ap. *Prisc.* 13, 960. Cum in vita agenda didicimus multa, quae impraesentiarum bona videntur: post inventa, etc. *Tac. A.* 4, 59. Plerumque tamen, quid in praesentiarum conduceret, oblitus. *Ulp. Dig.* 43, 5, 1. Tempus ei dandum est, si non potest in praesentiarum exhibere. *Appul. Apol.* Quamquam sedulo in praesentiarum a laudibus tuis tempero. *Id. Flor. n.* 16. Nam nunc impraesentiarum laetitia facundiae obstrepit.

IMPRAESTĀBĬLIS, e, adj. qui nihil praestat. *Firm. Math.* 8, 29. *med.* Longaevi et impraestabiles.

IMPRANSUS et Inpransus, a, um, adj. ἀνάριστος, qui nondum pransus est. *Hor. Sat.* 2, 2, 7. Verum hic impransi mecum disquirite. [*Adde *ib.* 2, 3, 257.] *Pl. Amph.* 1, 1, 98. Hoc adeo, hoc commemini magis, quia illo die impransus fui.

IMPRĔCĀTĬO et Inprecatio, onis, f. ἀρά, exsecratio, devotio, dirae. *Sen. Ben.* 6, 35. Exsecraris enim illum, et caput sanctum tibi, dira imprecatione defigis. *Plin.* 5, 8, 8. Solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur.

IMPRĔCOR et inprecor, aris, atus sum, dep. 1. καταράομαι, mali quippiam precor. *Virg. A.* 4, 628. Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor. *Plin.* 8, 7, 7. Diras Pompejo imprecari. *Quint. decl.* 15. *f.* Imprecari debilitates, naufragia, morbos. *Mart.* 7, 24. Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis, ut etc. ℙ In bonam partem quandoque accipitur. *Appul. Met.* 9. Solito sermone salutem ei fuerat imprecatus. *Petr. fr. Trag.* 78. *Burm.* Ut totus mihi populus bene imprecetur. *Hieron. ep.* 97. *f.* Cui multos imprecamur annos. ℙ Pro simplici *precor*. *Appul. Met.* 2. Tunc orientem obversus, et incrementa solis augusti tacitus imprecatus, etc. ℙ [Part. *Imprecandus* ap. *Hieron. in Helv. n.* 2. Deus pater est imprecandus, ut matrem filii sui virginem ostendat fuisse post partum. *F.*]

IMPRENSĪBĬLIS et Inprensibilis, e, adj. incomprehensibilis. *Gell.* 11, 5. Omniumque rerum fidem veritatemque ita imprensibilem videri ajunt, etc. Alii aliter leg.

IMPRESSĒ, adv. efficaciter, attente, graviter. *Tert. Exhort. cast.* 3. Alte et impresse recogitare. *Id. Car. Christi* 12. Ut impressius dixerim. *Coel Aurel. Tard.* 3, 6. *med.* Dehinc rursus defricandus, tenacius quidem, sed non impressius.

IMPRESSĬO et Inpressio, onis, f. εἰσβολή, actus imprimendi, seu premendi in aliquid. *Cic. Acad.* 4, 18. Cum visa in animos imprimuntur, non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species, et quasdam formas eorum. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Vi atque impressione evertere aliquem. *August. Doctr. Christ.* 2, 25. Impressiones nummorum. *Appul. Dogm. Pl.* I. Initium omnium corporum materiam esse: hanc signari impressione formarum. ℙ Saepe dicitur de impetu atque aggressione militari, cum hostis in hostem incurrit, eumque aggreditur, premit, instatque ut loco depellat. *Varr. R. R.* 2, 4. Hostes arbitrati occasionem se habere victoriae, impressionem facere coeperunt in castra. *Liv.* 8, 9. Hastati non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. *Id.* 4, 28. *f.* Dant impressionem, qua Albinus cohortes objecerat. *Id.* 25, 37. Dein valida impressione pulsi, terga vertunt. *Id.* 2, 70. Impressione una totum equitatum fudere. *Hirt. B. G.* 8, 6. Impressionem facere in fines hostium. ℙ [Significat etiam turbam hominum sese prementium, Itali *calca* dicunt. *Front.* 5. *ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 30. ita scribit Kal. Jan.: Metui ego, invalido adhuc corpore, turbae, et impressioni me committere. Si Dei juvabunt, perendie vos vota nuncupantes videbo: *nempe* III. Non. Jan., vota nuncupabantur pro salute principis. *F.*] ℙ Est item expressio. *Cic. Acad.* 1, 5. In pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua explanatam vocum impressionem. Est qui mallet *expressionem*. [*Ita *Orell.*] In sonis et vocibus *impressio* est, ubi altius quodammodo vox imprimitur, et insistit, et percussio quaedam intervallorum fit. *Cic. Or.* 3, 48. Si numerosum est id in omnibus sonis et vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus.

IMPRESSUS et Inpressus, a, um, part. ab *imprimo*, ἔντυπος, signatus, inustus, expressus. *Cic. Att.* 2, 21. Ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus. *Id. Acad.* 4, 27. Signa anulis impressa. *Virg. A.* 5, 536. Cratera impressum signis. *Tibull.* 1, 7, 14. Impressus dens. *Cic. Or.* 3. Vestigia in aliquo loco impressa. *Id. Fam.* 5, 20. *med.* Locus tot vestigiis impressus. *Petr. Sat.* 105. Stigmata captivorum frontibus impressa. *Lucan.* 9, 176. et impressas auro, quas gesserat olim, Exuvias, *h. e.* intextas, aurum impressum habentes. *Cic. Div.* 2, 23. Sulcus altius impressus. *Virg. A.* 4, 659. Dido os impressa toro. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 11. Verum impressum in animo atque mente. *Id. Or.* 2, 45. Motus in ipso oratore impressi atque insti. *Id. Mil.* 27. Memoria tabulis publicis impressa. ℙ Item premendo impositus. *Virg. A.* 12, 303. Impressoque genu nitens, terrae applicat ipsum; et 357. Pes collo impressus. *Ov. Met.* 8, 453. Impresso pollice nere stamina. ℙ Non pressus. *Propert.* 2, 25, 70. Missus et impressis haedus ab uberibus, *h. e.* non mulctis. Ita *Scalig.*, *Passerat.*, *Broukus.* qui et illud *Statii* affert *Theb.* 5, 403. At levis, et miserae nondum mihi notus Iason, Transtra per et remos, impressaque terga virorum, etc. Uterque tamen locus intelligi aliter potest.

IMPRESSUS, us, m. idem ac impressio. *Prud. Psych.* 273. Sub pectoris impressu.

[IMPRĔTĬĀBĬLIS, e, adj. omne pretium superans, inaestimabilis. *Cas. Var.* 4, 1. Indicamus, nos impretiabilis quidem rei, sed more gentium, suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales. *F.*]

IMPRĪMIS. V. PRIMUS.

IMPRĪMO et Inprimo, is, essi, essum, a. 3. ἐντυπόω, premendo immitto, ita premo quippiam, ut nota aut vestigium exsistat, signo, inscribo, exprimo. *Cels.* 2, 11. Os cucurbitulae sic corpori aptatur imprimiturque, donec inhaereat. *Cic. Div.* 1, 13. Sus rostro si humi A litteram imprimeret. *Id. Acad.* 4, 26. *extr.* Annulo sigilla in cera imprimere. *Petr. Sat.* 80. Nudo ecce jugulum: convertite huc manus, imprimite mucrones. *Cic. Phil.* 13, 15. Non sentis, te, extra munitiones tuas, vestigium ubi imprimas non habere? *Hor. Od.* 1, 13, 13. Imprimere dente notam labris. *Plin.* 8, 25, 37. et *Colum.* 6, 17. morsum; et 7, 11. vulnus. *Lucan.* 9, 806. dentes alicui. *Hor. Od.* 1, 16, 20. aratrum muris. *Virg. G.* 1, 263. pecori signum, aut numeros acervis. *Mart.* 10, 42. basia. *Val. Fl.* 8, 111. gressus dorso alicujus. *Calpurn. Ecl.* 5, 84. Impressurus ovi tua nomina; *scil.* inusturus notas in armo ovium. ℙ Passive. *Cic. Tusc.* 1, 25. An imprimi, quasi ceram, animum putamus? ℙ Pro simplici premo. *Pers.* 1, 37. num levior cippus non imprimit ossa? ℙ Pro effodere, infodere. *Pallad.* 1, 34. Si fons desit, imprimendus est puteus. ℙ Est etiam inserere, immittere. *Plin.* 17, 16, 26. Exempta scutula cortici, imprimitur ex alia cortex par, cum sui germinis mamma. *Id.* 25, 13, 107. Radix ephemeri cavis et excisis dentibus imprimitur. ℙ Item affigere. *Id.* 35, 4, 10. Idem in curia quoque duas tabulas impressit parieti. ℙ Item adprimere. *Propert.* 3, 4, 17. Humidaque impressa siccabat lumina lana. *Plin.* 8, 26, 40. Ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus. ℙ Translate est introducere, inserere, infigere. *Cic. N. D.* 1, 16. In omnium animis Deorum notionem impressit ipsa natura. *Id. Fat.* 4, 19. Visum objectum imprimet, et quasi signabit in animo suam speciem. *Id. Acad.* 4, 18. Cum visa in animos imprimuntur; et 7. Quo e genere nobis notitiae rerum imprimuntur. *Id. Phil.* 5, 6. Ut hos judices legere auderet, quorum lectione duplex imprimeretur reipubl. dedecus; et *ib.* 2, 24. Horum flagitiorum iste vestigiis totam Italiam impressit.

IMPROBĀBĬLIS et Inprobabilis, e, adj. ἀδοκίμαστος, qui probari non potest. *Cic. Acad.* 4, 11. Quamobrem sive tu probabilem visionem, sive improbabilem, et quae non impediatur, sive aliud quid praeferres. *Cels. praef. med.* Rationes sequi non improbabiles. *Sen. ep.* 75. *med.* Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti, et concitati. *Plin.* 4, 13, 27. Haud improbabili argumento. *Ulp. Dig.* 50, 14, 3. Non improbabilis mos.

IMPROBĀBĬLĬTER, adv. *Sidon. ep.* 1, 11. *med.* Si objecta non improbabiliter cassaverimus.

IMPROBĀTĬO, onis, f. ἀδοκιμασία, actus improbandi. *Auct. ad Her.* 2, 6. Haec et ad improbationem et approbationem testium pertinebunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 74. Siciliae omne frumentum improbas, etc., ista omnis improbatio cogendae pecuniae causa nata est.

IMPROBĀTOR, oris, m. qui improbat. *Appul. de Deo Socr.* Malorum improbator, bonorum probator. Adde *Tert. Patient.* 5.

IMPROBĀTUS, a, um, part. ab *improbo:* rejectus, improbus. *Cic. Font.* 4. Si coacti sunt munire omnes, et multorum opera improbata sunt. *Ulp. Dig.* 10, 2, 4. Libri improbatae lectionis; et *ib.* 2, 2, 5. Illicitum jusjurandum improbatae religionis. *Id. ib.* 13, 7, 24. *f.* Si prostituit ancillam, vel aliud improbatum facere coegit. *Appul. Met.* 8. Juvenis morum improbatus, *h. e.* ob mores perditos improbatus. In *lemmate c.* 13. *l.* 18. *Gellii.* Sententia probatissima, quam improbatissimus homo dixisset.

IMPROBĒ, adv. πονηρῶς, non probe, nequiter, male, inique. *Cic. Rosc. Am.* 36. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti. *Id. Verr.* 2, 3, 60. Est aliquid, quod improbius fieri potest. *Id. Att.* 16, 15. Improbissime tractare aliquem. *Id. Sull.* 10. Quid ego miror, si quid ab improbis de me improbe dicitur? *Id. Fin.* 1, 16. Praeda improbe parta. *Id. Pis.* 6. Improbissime respondere: ut qui aperte mentitur. Eodem sensu *Pl. Amph.* 2, 1, 21. Improbe rogare. *P. Syr.* in *Mimis* ap. *Gell.* 17, 14. Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit, *h. e.* injuste. *Quint.* 12, 7. Improbe litigare. ℙ Est etiam rustice, duriter, quasi improbando. *Plin. ep.* 6, 28. Tantum mihi copiarum tuo nomine oblatum est, quas omnes improbe quidem, accepi tamen. ℙ Item perperam, minus recte. *Gell.* 15, 5. Ignorantia et inscitia improbe dicentium, quae non intelligunt; et 9. Improbe indocteque. Adde *Plin.* 16, 19, 32. ℙ Item

enormiter, prave, modum excedendo. *Suet. Vesp.* 23. De quodam procerae staturae, improbiusque nato, *h. e.* cui natura virilis enormiter magna erat. *Charis.* 1, 78. Chilones improbius labrati. *Marcell. Empir.* 31. *med.* Ad eos, quibus intestinum improbe prominet. ℙ Pertinet etiam ad obscenitatem et nequitiam. *Catull.* 68, 126. de columba: quae multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro. *Petr. Sat.* 26. Per rimam improbe diductam applicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia.

IMPROBĬTAS, atis, f. *πονηρία*, malitia, pravitas morum, perversitas animi. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Non ita, ut sperarunt mali, alacris exsultat improbitas in victoria. *Id. Mur.* 4. Amicorum neglectio improbitatem coarguit. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Cum te alicujus improbitas perversitasque commoverit. ℙ Item audacia, temeritas, imprudentia. *Quint.* 6, 4. *med.* Improbitas licet adversario molesta sit, judici invisa est. *Ov. A. Am.* 1, 676. improbitas muneris instar habet. *Plin.* 2, 23, 21. Mirum, quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquando invitata successu. ℙ Item aviditas, insatiabilitas cum audacia conjuncta. *Id.* 19, 6, 34. *f.* Adversus improbitatem alitum semina depascentium. *Id.* 29, 1, 8. *f.* Homero fastidio non fuit inter proelia Deorum improbitatem muscae describere. ℙ *Ab eod.* 15, 14, 15. *extr.* tribuitur improbitas et acerbitas quibusdam malis silvestribus, *h. e.* mala natura, malus sapor.

IMPROBĬTER, adv. improbe. *Petr. fr. Tragur.* 66. *Burm.*

IMPROBO et Inprobo, as, avi, atum, a. 1. *ἀποδοκιμάζω*, non probo, rejicio, damno. *Cic. Acad.* 4, 30. Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare; et *ib.* Ex his sequendas esse alias, alias improbandas. *Id. Or.* 2, 37. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint. *Id. Div.* 1, 72. Haec improbantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. *Caes. B. C.* 2, 31. Curio utrumque improbans consilium. *Hor. Ep.* 5, 8. Per improbaturum haec Jovem. *Plin.* 17, 4, 3. Virgilius terram, quae filicem ferat, non improbat vitibus. *Id.* 37, 6, 23. Sardonyches melleae et faeculentae improbantur. *Id.* 9, 39, 63. Dibapha Tyria Lentulus primus in praetexta usus imbrobabatur. ℙ Est etiam contemnere, deridere. *Ov. Met.* 14, 520. Nymphae Ad numerum motis pedibus duxere choreas. Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti, etc. ℙ Item irritum reddere. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. Quod C. Sacerdotis judicium improbare istum ausurum, non arbitrabatur. ℙ Item improbum reddo, seu dedecoro. *Pl. Merc.* 5, 4, 9. Suopte culpam generi capiunt, genus ingenio improbant, *h. e.* eorum culpam generi proprio tribuunt, ipsumque ingenuo malo dedecorant. Alii aliter leg. et interpretantur.

IMPROBRO et Inprobro, as, a. 1. pro exprobrare, tribuitur *Pl. Truc.* 2, 2, 25. Rus tu mihi improbras? ut nacta es hominem, quem pudeat probri! Plerique alii leg. *opprobras.*

IMPROBŬLUS, a, um, dimin. audaculus ex aviditate. *Juven.* 5, 71. dextram cohibere memento: Salva sit artoptae reverentia: finge tamen te Improbulum: superest illic, qui ponere cogat.

IMPROBUS et Inprobus, a, um, adj. *πονηρός, κακός*, minime probus, malus, nequam, sceleratus. *Cic. Or.* 2, 73. Improbus homo et perfidiosus. *Pl. Mil.* 3, 1, 137. Improbi et scelesti. *Id. Truc.* 2, 3, 12. Improbe nihilique homo. *Brutus* ad *Cic. ad Brut.* 1, 11. Homo nequissimus atque improbissimus. *Cic. Att.* 9, 15. *f.* Te ipsum quodam modo hic violavit, cum in me tam improbus fuit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 11. Improbis improbum esse. *Cic. Or.* 1, 46. Populum inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare. *Pl. Pseud.* 1, 2, 16. Vos estis perditi, negligentes, ingenio improbo. *Id. Truc.* 4, 3, 59. Improbum esse ab ingenio. *Id. Epid.* 4, 1, 39. Eam rem adeo sobrie et frugaliter accuravit, ut alias res est impense improbus: *alias res* Graecus accusativus, atque idem significat ac *cetera*, q. v. vide §. 5. *Cic. Fam.* 14, 4. Improbissima lex. *Quint.* 12, 7. Improba causa. *Sen. Herc. Fur.* 406. Improba cupidine acti. *Pl. Truc.* 2, 7, 4. Improba facta facere. *Id. Rud.* 2, 3, 43. Improbae merces. *Id. Most.* 3, 2, 139. Postes improbiores, quia ab infimo tarmes secat. *Cic. Verr.* 2, 1, 42. Improbum testamentum, *h. e.* contra leges, ut *Ascon.* exponit. *Ov. Trist.* 1, 11, 41. Improba hiems. *Id. Fast.* 5, 686. Improba verba, *h. e.* perjura. *Mart.* 10, 5. Panis improbus. ℙ Aliquando est improbatus, neglectus, abjectus, vilis, infamis, nullo loco, pretiove habitus, *ἄτιμος*. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 31. Postilla ut semper improbus, nihilque sis. *In leg. XII. Tab.* ap. *Gell.* 15, 13. Ni testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto. ℙ Item protervus, petulans. *Juven.* 3, 282. improbus annis, Atque mero fervens. ℙ Item lascivus, obscenus, impudicus. *Ov. A. Am.* 3, 796. Improba verba. *Id. Trist.* 2, 441. carmina. *Mart.* 5, 78. Improbae Gades. *Id.* 3, 86. Non sunt haec mimis improbiora. *Id.* 3, 75. improba satureja, *h. e.* salacia, et Venerem excitantia. ℙ Item turpis, deformis. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 250. Omnes formosi fortes: ergo improbus es tu. Alii aliter leg. ℙ Item dolosus. *Stat. Silv.* 1, 2, 74. Hunc egomet tota quondam (tibi dulce) pharetra Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi. *Mart.* 14, 16. Quaerit compositos manus improba mittere talos. ℙ Item audax; inverecundus, impudens. *Plin. ep.* 7, 9. Audax haec, non tamen improba, quia secreta contentio. *Stat. Th.* 6, 804. assurgentem alio puer improbus ictu Perculit, eventuque impalluit ipse secundo. (Hoc loco in bonam partem positum videri potest. Pro callido et fraudulento ponitur in illo *Virg. A.* 11, 512. Aeneas equitum levia improbus arma Praemisit: quaterent campos.) *Sen. praef. l.* 4. *Q. N. med.* Quo apertior adulatio, quo improbior, hoc citius expugnat. *Quint.* 11, 3. *med.* Perfricare faciem, et quasi improbam facere. *Mart.* 8, 24. Improba non fuerit si mea charta, dato, *h. e.* libellus supplex si inverecundus non fuerit. *Suet. Grammat.* 15. Oris improbi homo. *Quint.* 12, 1. *med.* Improbae spes. *Cic. Verr.* 2, 2, 41. Mala et improba defensione uti. *Plin.* 2, 108, 112. *extr.* Improbum ausum. ℙ Item avidus, insatiabilis, et ob id audax, et perstans. *Virg. G.* 3, 430. de angue: Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet; et *A.* 10, 727. de leone praedam tenente: haeret Visceribus superincumbens: lavit improba teter Ora cruor; et *ib.* 2, 356. lupi, quos improba ventris Exegit caecos rabies. ℙ Cum gen. *Stat. Th.* 7, 298. Dircetis expertem thalami, crudumque maritis Ignibus, ante diem cupido violavit amore, Improba connubii. ℙ Item obstinatus, perstans, continuus. *Virg. G.* 1, 145. labor omnia vincit Improbus. *Mart.* 12, 18. Ingenti fruor improboque somno, Quem nec tertia saepe rumpit hora. ℙ Item nimius, immodicus, modum excedens. (Ad hanc notionem reduci potest non una ex praedictis.) *Sen. ep.* 94. *med.* Non est, quod imbecillam aciem committas improbo lumini. *Virg. A.* 12, 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu. *Sen. Q. N.* 4. 4. *extr.* Aquilone flante, minutae pluviae sunt: Austro, imber improbior est, et guttae pleniores. *Stat. Th.* 6, 838. sic grandibus alte Insurgens humeris, hominem super improbus exit. *Val. Fl.* 6, 702. Improba barbaricae procurrunt tegmina plantae, *h. e.* modum pedum longe excedentia. *Plin.* 12, 17, 37. Improbus barbarum villus in capris, *h. e.* praelongus. *Id.* 14, 1, 3. Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate atria media complentes. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 355. Immutilato corpore improbo patibulo eminens affigebatur, *h. e.* altissimo. *Charis.* 1, 78. Chilones ex Graeco, a labris improbioribus. *Colum.* 6, 1. *f.* Parandi sunt boves cornibus proceris, cervice longa, etc. cruribus compactis, nec genibus improbis. [**Sil.* 14, 508. Spatia improba, i. e. permagna; et 6, 525. Furor improbus Euri, i. e. summa vis.] ℙ *Improbus color* dicitur de purpureo valde saturo, et excellenti, quasi superbus ille sit, et colores ceteros tum venustate, tum pretio longe excedens: vel quod initio, cum adhiberi coepit, civilem vestiendi modum excedere visus sit. *Sen. ep.* 114. *med.* Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam. Hinc *Mart.* 10, 10. Quidquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno.

IMPROCĔRUS, a, um, adj. *μικρὸς, βραχὺς*, non procerus, humilis. *Gell.* 4, 19. Corpora eorum improcera fieri. *Tac. G.* 5. Improcera pecora.

IMPROCREĀBĬLIS, e, adj. qui procreari non potest. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Materia improcreabilis et incorrupta.

IMPROFESSUS, a, um, adj. qui conditionem suam professus non est. *Suet. Dom.* 12. Deferebantur qui vel improfessi Judaicam intra Urbem viverent vitam. Al. aliter leg. [**V. Burm.* et *Oudendorp.*] *Mart. Dig.* 39, 4, 16. Si quis improfessus servus fuerit, et probetur in commissum cecidisse. ℙ Passive *ἀνεπάγγελτος*. *In lemmate decl.* 341. earum, quae tribuuntur *Quintiliano.* Quod quis per publicanos improfessum transtulerit, commissum sit.

IMPRŌFUNDĬES. V. IMPERFUNDIES.

IMPROLIS vel Improlus, qui nondum est adscriptus in civitate. *Fest.* In *Gloss. Philox.* exponitur *ἄγονος*, sine prole.

*IMPROLOQUIBĬLIS, e, adj. Improloquibile, *ἀλάλητον. Glossar. B. A.*

IMPROMISCŪUS et Inpromiscuus, a, um, adj. non promiscuus, non admixtus, sincerus, purus. *Gell.* 12, 4. In his versibus suavitas tam impromiscua, tamque a fuco omni remota est, ut, etc. *Id.* 1, 7. Verbum neque numeris, neque generibus praeserviens, sed liberum undique, et impromiscuum, *h. e.* separatum, neque cum alio concordans. Utroque loco leg. al. *impromiscus;* nam et *promiscus* legitur.

IMPROMPTUS, Inpromptus et Inpromtus, a, um, adj. *βραδὺς*, tardus. *Liv.* 7, 4. Quia infacundior sit, et lingua impromptus. *Auson. Idyll.* 2, 9. Sermone impromptus Latio.

IMPRŌPĔ, adv. prope. *Tert. Exhort. ad cast.* 10. Si orationem facit ad Dominum, improper est coelo.

IMPRŌPĔRANTER, adv. pedetentim, sensim. *Auson. Epit.* 35. Improperanter agens primos e carcere cursus.

IMPRŌPĔRĀTUS, a, um, adj. non festinatus. *Virg. A.* 9, 798. Haud aliter retro dubius vestigia Turnus Improperata refert.

IMPROPĔRĬUM, ii, n. dedecus, probrum. Legitur in *decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus*, perperam olim *Quintiliano* attributa, l. Sempiternum incussit improperium paludatis. Al. leg. *opprobrium. Gloss. Philox.* Improperium, *ὀνείδισις.* V. v. sq.

IMPRŌPĔRO et Inpropero, as, n. 1. intro propero, hoc est festinanter et properanter ingredior. *Varr.* ap. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Quo siquis improperet, sine glomere lini, etc. exitum invenire nequeat. Adde *Not. Tir.* p. 95. ℙ Active significat crimen, aut aliquod probrum alicui objicere. Est tamen vox vulgi, et cadentis Latinitatis, quae videtur derivata ex *improbro. Pl. Rud.* 3, 4, 28. Etiam vim improperas, flagitii fragrantia? Alii tamen melius leg. *opprobras. Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* Non impropero illi. *Gloss. Philox.* Impropero; *ὀνειδίζω.* Saepissime vero hoc verbo eadem significatione utitur, ut etiam nomine inde derivato *improperium, Vulg. interpr.* Hinc in *ep. Pauli ad Rom.* 15, 3. Improperia improperantium. [**Plura addidit. F.*]

IMPROPĔRUS, a, um, adj. tardus, non properus. *Sil.* 3, 96. Improperae cui ducant fila sorores.

IMPROPRĬĒ, adv. *οὐ κυρίως*, non proprie. *Plin.* 8, 10, 10. de elephantis: Spirant, et bibunt, odoranturque haud improprie appellata manu. *Gell.* 17, 1. Ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre, atque improprie, atque inconsiderate locutum. *Id.* 6, 6. In his Virgilii versibus reprehendit Hyginus *praepetibus pennis*, quasi improprie et inscite dictum.

IMPROPRĬĔTAS, atis, f. *Gell.* 1, 22. *extr.* Cavenda est improprietas verbi.

IMPROPRĬUS et Inproprius, a, um, adj. *ἄκυρος*, non proprius, non conveniens. *Plin.* 37, 8, 37. Iaspis terebinthizusa, improprio, ut arbitror, cognomine dicta. *Quint.* 12, 10. *med.* Falsa et impropria ratio. ℙ *Improprium* absolute, *ἀκυρολογία*, vitium orationis, de quo V. in ACYROLOGIA. *Quint.* 8, 2. Proprietati contrarium est vitium id, quod apud nos improprium, *ἄκυρον* apud Graecos vocatur: quale est (*Virg. A.* 4, 419.) tantum sperare dolorem, etc.

IMPROPUGNĀTUS, a, um, adj. non propugnatus. *Ammian.* 29, 6. Impropugnata civitas. Adde 26, 5.

IMPROSPECTĒ, adv. inprovide, incaute. *Tert. Anim.* 24. Satis improspecte. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 23. Jephte improspecte voverat.

IMPROSPECTUS, a, um, adj. non prospectus, non visus. *Sever. Aetn.* 339. vel qua liberrimus Aetna Improspectus hiat.

IMPROSPER et Inprosper, a, um, adj. *ἀτυχής*, infelix. *Tac. A.* 14, 65. Orta insidiarum magna moles, sed improspera; et *ib.* 4, 44. Multa claritudine generis, sed improspera. [**Adde ib.* 3, 24. Domi improspera fortuna. Ceterum haec vox ap. solum Tacitum nonnisi feminino genere occurrit.]

IMPROSPĒRĒ, adv. *δυστυχῶς*, non prospere, infeliciter. *Colum.* 1, 1. *med.* Ubi quid perperam administratum cessit improspere. *Tac. A.* 1, 8. Libertas improspere repetita. *Gell.* 9, 9. Nihil quicquam tam improspere Virgilium ex Homero vertisse, quam, etc.

*IMPROSPICŪUS, a, um, adj. *ἀπερίβλεπτος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

IMPROTECTUS, a, um, adj. *ἀνυπεράσπιστος*, non protectus, defensore destitutus, indefensus. *Gell.* 13, 27. *extr.* Ne qua in re adversa et repentina incursio imparatis improtectisque nobis obortiatur. *Id.* 7, 3. *med.* Sed Cato non nudam, neque solitariam, nec improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis praefulcit. *Ammian.* 21, 13. Ne mox partes petiturus Arctoas, improtectum Mesopotamiae relinqueret latus. Adde 31, 13.

IMPROVĪDĒ, adv. *ἀπρονοήτως*, incaute. *Liv.* 27, 27. *f.* Neque pro veteris prudentia ducis tam improvide se collegamque in praeceps dederat. *Colum.* 6, 17. Et caecilia saepe, cum bos improvide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit.

IMPROVĪDENTĬA, ae, f. providentiae carentia. *Tert. adv. Marc.* 2, 23. Improvidentia sententias vertere.

IMPROVĪDUS et Inprovidus, a, um, adj. *ἀπρονόητος*, qui non praevidet, incautus. *Cic. Lig.* 6. Fatalis quaedam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse. *Id. Att.* 7, 20. Improvidi et negligentes duces. *Id. Amic.* 26. *f.* Stultissima persona improvidorum et credulorum senum. *Liv.* 22, 19. Improvidos incautosque hostes opprimere. *Virg. A.* 2, 200. Objicitur magis, atque improvida pectora turbat. *Cic. Tusc.* 5, 20. Iis enim se adolescens improvida aetate

irretierat erratis, ut, etc. ℙ Cum genitivo. *Liv.* 26, 39. Velis tum forte, improvidus futuri certaminis, Romanus veniebat. *Plin.* 36, 3, 3. Rudis et improvida hujus mali civitas. *Tac. H.* 3, 56. Sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, improvidus consilii, *h. e.* consilio et consultatione nihil providens. ℙ Passive (ut videtur) qui non praevidetur. *Plin. ep.* 4, 22. *med.* Tela, quae caeca et improvida feruntur. ℙ Cum infinito. *Sil.* 4, 286. de hasta: Ac nimio jactu servasse improvida campi Distantis spatium, propiorem transvolat hostem.

IMPROVISĒ, adv. improviso. *Tert. carm. adv. Marc.* 2, 12. Improvise necans incautos morte suprema. Hic perperam ultima corripitur. Addunt et *Pl.* locum *Truc.* 2, 7, 3. Atque improvise partibus exspoliet. Sed legendum: *atque improbis sese artibus exspoliet.*

IMPROVISO et Inproviso, adv. *ἀπροσδοκήτως, ἐξαίφνης*, subito, repente, ita ut praevideri non potuerit. *Cic. Verr.* 2, 2, 14. Sane homini praeter opinionem improviso incidi. *Id. Div.* 1, 24. Improviso eos in castra irrupisse. *Caes. B. G.* 1, 13. Quod improviso unum pagum adortus esset; et *B. C.* 1, 54. Collem improviso occupat. *Virg. A.* 12, 576. Scalae improviso, subitusque apparuit ignis. *Pl. Asin.* 2, 2, 44. Tantum adest boni improviso. ℙ Revera est ablativus casus adjectivi *improvisus:* quare nonnunquam praepositionem recipit. *Caes. B. C.* 2, 6. Nostris de improviso, imprudentibus atque impeditis vulnera inferebant. *Cic. Rosc. Am.* 52. De improviso in milites incidere. *Id. Verr.* 2, 1, 43. *f.* Ex improviso si quae res natae essent. Adde *Ter. Andr.* 2, 2, 23.

IMPROVISUS et Inprovisus, a, um, adj. *ἀπροϊδής, ἀπροσδόκητος*, non provisus, subitus, repentinus, inopinatus. *Cic. Tusc.* 3, 14. Omnia quae mala putantur, sunt improvisa graviora. *Id. Agr.* 2, 22. Unde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? *Id. Verr.* 2, 2, 28. Cum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset. *Id. Font.* 15. Cum tot bella subito atque improvisa nascantur. *Id. Tusc.* 4, 17. Sapienti nihil improvisum accidere potest, nihil inopinatum, nihil omnino novum. *Virg. A.* 2, 182. pelagoque remenso, Improvisi aderunt; et *ib.* 1, 598. cunctisque repente Improvisus ait; et *ib.* 8, 524. Namque improviso vibratus ab aethere fulgor Cum sonitu venit, *ἀπαλλαγή*. *Tac. H.* 5, 16. Dux sibi delectos retinuerat ad improvisa. *Id. A.* 2, 47. Quo improvisior graviorque pestis fuit.

IMPRŪDENS et Inprudens, entis, adj. *ἀγνώς*, non prudens, *h. e.* ignarus, inscius. *Cic. Brut.* 77. *extr.* Imprudens M. Servilium praeteriisse videris. *Ter. Ph.* 2, 1, 38. Probe horum facta imprudens depinxit senex. *Id. Hec. f.* Plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. *Id. Heaut.* 4, 1, 20. scio, Te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia. *Nep. Ages.* 2. Omnes imparatos imprudentesque offendit. [*V. *Brem.* ad *Nep. Dat.* 4, 3.] *Caes. B. C.* 2, 38. Imprudentes atque inopinantes hostes aggrediuntur. [*Cf. *Held.* et *Kreyssig.*] *Hirt. B. Afr.* 11. Ne imprudentes suae naves in classem adversariorum inciderent. ℙ Eleganter adhibetur in sexto casu. *Cic. Rosc. Am.* 8. Haec omnia imprudente L. Sulla facta esse, certe scio; et *Caes. B. G.* 3, 29. Ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset. [*V. *Moeb.*] ℙ Cum genitivo. *Ter. Eun.* 1, 2, 56. Imprudens harum rerum ignarusque omnium. Ubi *Donatus:* Prudentia naturalis est: gnaritas extrinsecus venit: *imprudens* per se, *ignarus* per alios. *Cic. Inv.* 2, 31. Imprudentes legis. *Liv.* 31, 14. religionis; et 34, 9. maris. *Colum.* 3, 18. Antiquitatis imprudens consuetudo. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 372. de vite: Praecipue dum frons tenera, imprudensque laborum, *h. e.* nondum coeli injurias experta. [*Heyn. expl. ignara et impatiens injuriae ex dente pecudis.] ℙ Cum infinito. *Curt.* 8, 8. Non imprudens, cum permisissem huic latroni dicere, usurum eum rabie, qua, etc. ℙ Est etiam improvidus. *Petr. Sat.* 102. Non imprudens consilium, si aditum haberet. *Sen. Const. Sap.* 19. Quidquid horum ab imprudentioribus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) negligendum. ℙ Opponitur *sapienti*, in illo *Sen. ep.* 90. *med.* Illa sapiens licet invenerit, non qua sapiens erat, invenit; multa enim facit, quae ab imprudentissimis aut aeque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. ℙ Pro valde prudenti quidam accipiendum putant in illo *Virg. G.* 1, 373. nunquam imprudentibus imber Obfuit. Sed contra stat *Serv.* qui optime ita interpretatur: Nunquam imber obfuit non ante provisus, ut *imprudentibus* pro *ignaris* accipiamus. [*Cf. *Heyn.*]

IMPRŪDENTER, adv. *δι' ἄγνοιαν*, per ignorantiam, inscienter. *Cic. Acad.* 4, 6. Illud imprudenter, si alios esse Academicos, alios Peripateticos arbitrantur. *Vell.* 1, 2. Pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium, de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est. [*Ruhnk. Acidalium secutus locum ita exhibet: de industria rixam sciens, imprudenter interemptus est.] ℙ Item incaute, improvide. *Nep. Ann.* 2. *extr.* Si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram. *Ter. Andr.* 1, 1, 103. Ad flammam accessit imprudentius, satis cum periculo.

IMPRŪDENTIA, ae, f. *ἄγνοια*, inscitia, ignorantia, error. *Cic. Inv.* 2, 31. Imprudentia est, cum scisse aliquid is, qui arguitur, negat. *Id. Har. resp.* 17. Quod sacrificium tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? *Ter. Eun. prol.* 27. peccatum imprudentiae est poetae. *Petr. Sat.* 79. Imprudentia locorum. ℙ Per *imprudentiam* est imprudenter. *Cic. Verr.* 2, 2, 23. *extr.* Perperam judicare: quod saepe per imprudentiam fit. ℙ Excludit etiam interdum voluntatem et libertatem. *Id. Inv.* 1, 27. Imprudentiae partes sunt, inscientia, casus, necessitas. *Id. Or.* 56. Inculcamus per imprudentiam saepe etiam minus usitatos (*versus in oratione*), sed tamen versus; et *Or.* 3, 39. Imprudentia teli emissi, *h. e.* si telum manu fugit, ut *Enn.* ait. ℙ Est etiam improvidentia, consilii defectus. *Nep. Epam.* 7. Totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli periturum. *Id. Dion.* 8. Se armat imprudentia Dionis. *Gell.* 6, 1. Quo modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia?

IMPŪBES et Inpubes, vel Impubis, is, et eris, adj. *ἄνηβος*, qui pube et barba caret: diciturque de pueris, qui annum quartumdecimum, et puellis, quae duodecimum nondum attigerunt, ut *Justin. Institut.* 1, 22. docet. *Ov. Fast.* 2, 239. Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis. *Virg. A.* 5, 546. comitemque impubis Iuli. *Plin.* 28, 4, 9. Capillus impubium impositus; et 23, 7, 64. Corticem puer impubis si detrahat dentibus. *Hor. Ep.* 5, 13. Impube corpus. *Id. Od.* 2, 9, 15. nec impubem parentes Troilon flevere. *Virg. A.* 9, 751. Impubes malae. *Ov. Met.* 9, 416. impubibus annis. *Cic. Cat.* 4, 6. Filium impuberem in carcere necatum esse dixit. *Suet. Claud.* 43. Impubi teneroque togam dare. ℙ Cum accusativo more Graeco. *Sil.* 2, 112. Impubem malas Lyxum. ℙ Item caelebs, castus, qui nempe tamquam impubes se gessit. *Caes. B. G.* 6, 21. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. [*V. *Moeb.*] ℙ Qui rectum casum *impuber* ponunt, nullo probant exemplo.

IMPŪBESCENS, entis, adj. qui nondum lanuginem emisit. *Plin.* 23, 7, 64. Corticem ejus impubescentem puer impubis si detrahat. *Hard.* mallet *intumescentem.*

IMPŪDENS et Inpudens, entis, adj. quem non pudet, inverecundus, petulans, perfrictae frontis, *ἀναιδής*. *Ter. Eun.* 5, 1, 22. Vide, amabo, si non, cum aspicias, os impudens Videtur? *Cic. Fam.* 5, 12. Qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 250. Debes odisse improbitatem ejus, quia impudentissimum nomen delegerit. *Id. Att.* 7, 2. *med.* Impudentissimae litterae. *Ter. Heaut.* 2, 3, 72. O hominis impudentem audaciam! *Cic. Cluent.* 60. Magnum et impudens mendacium. *Ter. Ph.* 3, 2, 14. Incogitans atque impudens. *Gell.* 6, 11. Impudentes et improbi homines. *Cic. Verr.* 2, 2, 78. Ut cum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si negaret. *Ter. Andr.* 4, 1, 10. Impudentissima oratio,

IMPŪDENTER, adv. inverecunde, petulanter, *ἀναιδῶς*. *Cic. Fam.* 5, 12. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Callide, audacter, impudenter. *Id. Fam.* 9, 22. *med.* patuit impudenter: depsit, multo impudentius; et *Verr.* 2, 4, 7. Impudentissime mentiri.

IMPŪDENTIA, ae, f. *ἀναίδεια*, inverecundia, audacia, petulantia. *Cic. Or. f.* Verecundia negandi scribendi impudentiam suscepi. *Id. Fl.* 15. Impudentia atque audacia fretus. *Id. Har. resp.* 1. Reprimere alicujus impudicam impudentiam. *Id. Dom.* 38. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut possim intueri, etc.?

IMPŪDENTĬUSCŬLUS, a, um, dim. aliquantum impudens. *Cic. Fam.* 7, 5. *f.* Simus enim impudentiusculi, quam per te vix licet, verum, etc. Plerique cod. habent *putidiusculi.* [*Ita *Orell.* nulla lectionis varietate notata.]

IMPŪDĪCĀTUS, a, um, adj. stupratus, impudicus factus. *Festus.*

IMPŪDĪCĒ, adv. *ἀσελγῶς*. *Tert. Idol.* 2. Si quis animam commoverit impudice. *Eutr.* 8, 22. Impudicissime et obscenissime vixit.

IMPŪDĪCĬTIA, ae, f. *ἀσέλγεια*, impuritas: et praecipue *τὸ παθικόν*. *Pl. Amph.* 2, 2, 189. Tu si me impudicitiae captas, non potes capere. *Id. Pers.* 2, 2, 11. Impudicitiam opprobrare alicui. *Tac. A.* 5, 3. objectare. *Suet. Aug.* 71. Infamiam impudicitiae facillime refutavit, circa libidines haesit. *Gell.* 18, 3. Aliquem de impudicitia accusare. *Ulp. Dig.* 1, 6, 2. Ad impudicitiam compellere.

IMPŪDĪCUS et Inpudicus, a, um, adj. *ἄναγνος, ἀσελγής*, impurus, lascivus et praesertim qui est pudicitiae suae prodigus, *παθικός*. *Cic. Cat.* 2, 10. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. *Id. Phil.* 2, 28. Et consul, et impudicissimus. *Id. Har. resp.* 1. Impudica impudentia. *Mart.* 6, 70. Digitus impudicus, *h. e.* medius, *δι' ὁμοιότητα σὺν ἰθυφάλλῳ.* ℙ Etiam de mulierum Venere incesta. *Cic. Cat.* 2, 5. Complexi mulieres impudicas. *Pl. Curc.* 1, 1, 52. A me pudica est, nisi si est osculando quidpiam impudicior. ℙ Item impudicatus, violatus. *Auct. Priap.* 60. Si fur veneris, impudicus ibis. V. PUDICUS. ℙ Item impudens, temerarius. *Pl. Rud.* 2, 3, 62. O facinus impudicum! quam liberam esse oporteat, servire postulare. ℙ *Impudicus odor* est teter, foedus. *Mart.* 12, 32. Odor impudicus urcei.

*IMPUDORĀTE, adv. *Vet. Interpr. Iren.* 2, 14. Cum haec dicuntur ab ipsis impudorate. *B. A.*

*IMPUDORĀTUS, a, um, adj. *Vet. Interpr. Irenaei* 3, 25. Vere impudorati et audaces. *B. A.*

IMPUGNĀTIO, onis, f. *προσβολή*, oppugnatio. *Cic. Att.* 4, 3. Ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat.

IMPUGNĀTOR, oris, m. qui impugnat. *Liv.* 27, 15. Caulonis impugnatores. Ita legit *Gruter.* Ast alii melius *oppugnatores.*

IMPUGNĀTUS, a, um, part. ab *impugno*, oppugnatus, victus. *Plin.* 5, 24, 20. Primo hunc illi impugnatus cursum Taurus aufert. *Hard.* ex MSS. leg. *in pugna.* ℙ Item non oppugnatus, sine certamine relictus. *Gell.* 1, 6. Turpe est rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat.

IMPUGNO et Inpugno, as, avi, atum, a. 1. *προσβάλλω*, contra aliquem pugno, oppugno, aggredior. *Caes. B. G.* 3, 26. Nostri, redintegratis viribus, acrius impugnare coeperunt. *Justin.* 22, 4. Et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena; et 2. Syracusae a cive hostili odio impugnatae sunt. *Id.* 38, 4. Quin sit resistendum impugnantibus. *Liv.* 3, 70. Impugnare terga hostium. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrere. *Plin.* 26, 12, 76. Morbus regius impugnatur centaurio majore poto. *Suet. Cal.* 3. Veneficiis et devotionibus impugnari se comperit. ℙ Translate est adversari, contra dicere. *Cic. Fam.* 3, 12. Nullamne in tabellae quidem latebra fuisse absconditam malivolentiam, quae te impugnare auderet. *Id. fragm.* ap. *Non.* 5, 68. et *Hirt. B. G.* 8, 53. dignitatem alicujus. *Tac. H.* 4, 8. sententiam. *Ov. Met.* 5, 151. meritum et fidem. *Quint.* 7, 3. finitionem. *Id.* 2, 17. *f.* Saepe quae in aliis litibus impugnarunt actores causarum, eadem in aliis defendunt. *Sall. Jug.* 31. Acerrime impugnare aliquem. *[*Adde *Suet. Caes.* 21. Cujus vel praecipua opera — Bibulum impugnaverat.] ℙ Passive impersonaliter, et cum dativo. *Inscr.* sub Hadriano, ap. *Fabrett.* p. 450. *n.* XIII. Cum commodis eorum inpugnaretur. *Pugno* quoque, et *certo* similiter a poetis Graecos imitatis usurpantur.

IMPULSĬO, onis, f. *ὠθισμός, ἔπωσις*, actus impellendi, impulsus. *Cic. Univ.* 5. Omnis coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur et frangitur. ℙ Translate. *Id. Inv.* 2, 5. Impulsio est, quae sine cogitatione, per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo; et *mox.* Cum aliquid impulsione factum esse dicet, illum impetum et quandam commotionem animi, affectionemque verbis amplificare debebit; et *Or.* 3, 53. Ad hilaritatem impulsio, *h. e. χαριεντισμός*, figura sententiarum. V. CHARIENTISMUS. [*Synonym. est *studium*, ita tamen discrimine interposito, ut hoc intrinsecus, illud extrinsecus commotam perficiendae alicujus rei voluntatem significet. V. *Doederl.* 1, 126.]

IMPULSOR, oris, m. qui impellit et incitat ad aliquid faciendum. *Cic. Att.* 16, 7. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti. *Id. Prov. cons.* 8. Impulsor atque adjutor. *Ter. Ad.* 4, 2, 21. Me impulsore hanc esse emptam ait. *Tac. H.* 4, 68. Ne ferocia aetatis et pravis impulsoribus, paci belloque male consuleret.

[IMPULSTRIX, icis, f. quae incitat ad aliquid faciendum. *Non.* 2, 631. usurpari hanc vocem affirmat, quemadmodum et tonstrix, curatrix, plaustrix, assestrix. *F.*]

IMPULSUS et Inpulsus, a, um, part. ab *impello: ἐπωθούμενος*, pulsus, propulsus, protrusus. *Caes. B. C.* 3, 40. Biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus in interiorem partem transduxit. *Virg. A.* 12, 856. nervo per nubem impulsa sagitta. *Id. G.* 2, 211. rudis enituit impulso vomere campus. *Lucan.* 3, 527. impulsae tonsis tremuere carinae. *Hor. Od.* 4, 6, 11. impulsa cupressus Euro procidit. *Tac. A.* 4, 22. Tiberius visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. *Vell.* 2, 51. Proelium, quo graviter impulsi sunt Caesaris milites. *Lucan.* 5, 330. Impulsum bellum, *h. e.* profligatum. ℙ Item ictus, pulsus. *Ov. Met.* 10, 145. impulsas tentavit pollice chordas.

Claud. cons. Prob. et Olybr. 175. collesque canoris Plausibus impulsi. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 1, 40. Furore atque amentia impulsus; et *ib.* 7, 1. Hac impulsi occasione; et *ib.* 2, 14. Impulsos a suis principibus ab Aeduis defecisse. *Virg. A.* 10, 68. Cassandrae impulsus furiis. *Ter. Hec.* 3, 5, 34. Impulsus ira. *Nep. Milt.* 5. Ejus auctoritate impulsi. *Justin.* 1, 9. In caedem regis impulsus. [*V. IMPELLO.]

IMPULSUS, us, m. ἔπωσις, idem quod impulsio. *Cic. Somn. Scip.* 11. Sonus, qui impulsu et motu ipsorum orbium conficitur. *Id. N. D.* 2, 12. Is ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur. *Id. Caec.* 15. Impulsu scutorum, conflictu corporum, conjectione telorum. *Appul. de Mundo.* Ventus, qui inferiora repentinis impulsibus quatit. *Sen. Herc. Oet.* 1414. Dolor impulsu gravi anhelum pectus quatit. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 5, 25. Ne civitas eorum impulsu deficeret. *Cic. Rosc. Am.* 37. Ipsos non negare, ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. *Gell.* 1, 11. *f.* Impulsu et instinctu extraneo indigere. ℙ Pertinet etiam ad effectus, et impetus animi. *Cic. Somn. Scip.* 9. *f.* Impulsu libidinum voluptatibus obedientium, Deorum et hominum jura violaverunt. *Id. Inv.* 2, 5. *f.* Qui simili impulsu aliquid commiserint. *Val. Max.* 9, 8. Temeritatis etiam et subiti et vehementes sunt impulsus, quorum ictibus mentes concussae, etc. V. IMPULSIO.

IMPULVĔRĔUS, a, um, adj. qui est sine pulvere, hoc est sine labore. *Gell.* 5, 6. Impulverea incruentaque victoria. V. ACONITI.

IMPUNCTUS, a, um, adj. non punctus, nullis asper punctis, ἀκέντητος. *Appul. Met.* 2. Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum. Alii perperam leg. *impictum.* V. ACENTETA.

IMPUNĔ et Inpune, adv. ἀζημίως, sine poena, seu punitione, absque periculo aut damno, tuto, impunite. *Cic. Fin.* 2, 17. Id Sextilius factum negabat, poterat autem impune; quis enim redargueret? *Id. Fam.* 13, 77. Cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. *Id. Leg.* 1, 15. Ut dictator quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere. *Id. Att.* 1, 16. *f.* Qui nummos in tribu pronunciarit, si non dederit, impune sit. *Virg. A.* 9, 653. Sit satis, Aeneide, telis impune Numanum Oppetiisse tuis, *h. e.* te illaeso. *Sall. Jug.* 35. Impune injuriam accipere. Sic *Phaedr.* 4, 3. *extr.* Impune laedi, *h. e.* nullam poenam expetendo. *Ter. Ad.* 5, 3, 38. Hoc licet impune facere huic, illi non licet. *Sall. Jug.* 36. Impune quaelibet facere, id est regem esse. *Cic. Quint.* 3. Libertate usus est, quo impunius dicax esset. *Ter. Eun.* 5, 2, 13. Credin' te impune abiturum? Et 5, 7, 18. Siquidem istuc impune habueris, *h. e.* si consequeris, ut istud tibi impune sit. *Tac. A.* 3, 70. Neque tantum maleficium impune habendum, *h. e.* impunitum relinquendum. *Cic. Agr.* 2, 4. Majorum nostrorum labore factum est, ut impune in otio esse possemus. Sic *Hor. Od.* 1, 31, 14. Mercator ter et quater Anno revisens aequor Atlanticum Impune. *Juven.* 4, 152. impune ac vindice nullo. *Sen. Contr.* 2, 13. *med.* Aliquod tempus impune a legibus. *Virg. A.* 11, 134. Per silvas Teucri, mixtique impune Latini Erravere jugis, *h. e.* altero alterum nihil laedente per inducias. (Similem locum habes *Aurelii Opilii* ap. *Gell.* 1, 25.) *Hor. A. P.* 381. Ne spissae risum tollant impune coronae. *Juven.* 1, 3. Impune ergo mihi recitaverit ille togatas, Hic elegos? impune diem consumpserit ingens Telephus? *h. e.* ut non tantundem audiat. *Virg. G.* 2, 32. Et saepe alterius ramos impune videmus Vertere in alterius: de insitione loquitur. *Plin.* 18, 14, 36. Lupinum impune jacet, vel derelictum etiam, ab omnibus animalibus amaritudine sua tutum. ℙ Vult *Nonius* 1, 468. significare *impudenter*, in illo *Lucilii:* Homo impuratus, et impune est rapinator. ℙ [Sup. *Impunissime* ap. *Pl. Poen.* 1, 3, 2. Impunissime tibi vendere hasce aedes licet. ℙ *Impoene ἀρχαϊκῶς* usurpat *Cato* ap. *Front. ad Antonin. Aug.* 1. (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *f.* Ita inductum est male facere, impoene; bene facere, non impoene licere. *F.*]

IMPUNIS, e, adj. ἀζήμιος, ἀθῶος, impunitus, illaesus. *Solin.* 27. *med.* Mulier obtestata occursantes feras, impunis rediit. Al. leg. *immunis.* Huc referri possunt illa (nisi malis esse adverbia) *Ov. Met.* 11, 67. Haud impune tamen scelus hoc sinit esse Lyaeus. *Tac. A.* 3, 70. Neque tantum maleficium impune habendum.

IMPUNĪTAS et Inpunitas, atis, f. ἀθώωσις, poenae remissio, licentia, libertas, securitas a poena, venia. *Liv.* 8, 7. *f.* Cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda. *Cic. Rabir. Post.* 10. Quorum impunitas fuit non modo a judicio, sed etiam a sermone, *h. e.* impune tulerunt non solum apud judices in foro, sed etiam apud populum in sermonibus. *Id. Mil.* 16. Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? et 31. Quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. *Id. Tusc.* 4, 20. Impunitas peccatorum data videtur eis, qui et ignominiam et infamiam ferunt sine dolore. *Id. Phil.* 1, 11. Cum praesertim tanta gladiorum sit impunitas. *Id. Pis.* 9. *extr.* Funestum animal, ex omnium scelerum importunitate, et flagitiorum impunitate concretum. *Id. Phil.* 8. *f.* Ceteris, si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto. *Tac. A.* 3, 60. Crebrescebat licentia atque impunitas asyla statuendi; et *ib.* 15, 56. Promittere impunitatem. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 91. *f.* Is dedit operam, ut nimis redundantes nos, et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret.

IMPUNĪTĒ, adv. impune. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. O superbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunite licere. Al. leg. *impune. Fest.* in *Non.* Quo impunitius uxor ejus moecharetur.

IMPUNĪTUS et Inpunitus, a, um, adj. ἀτιμώρητος, non punitus, liber a poena. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. Possemus hanc injuriam, ignominiamque nominis R. inultam impunitamque dimittere; et *Div. Verr.* 16. Ceterorum quoque injuriae sint impunitae atque inultae; et *Verr.* 2, 4, 30. Si istius haec tanta injuria impunita discesserit. *Id. Off.* 2, 8. Nisi multorum impunita scelera tulissemus. *Id. Cat.* 1, 7. Tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. *Hor. Sat.* 2, 7, 105. Qui tu impunitior illa opsonia captas? *Liv.* 3, 50. Libidinem Appii, quo impunitior sit, eo effrenatiorem fore. ℙ Scribitur et *impoenitus*, q. v. v. s. l.

IMPŪNO, onis, m. qui impunitatis spe est impudens, legitur a quibusdam in verbis *Lucilii*, quae habet *Non.* 2, 468. Sed alii melius leg. *impune.* V. locum in RAPINATOR.

*IMPURĀTE, adv. *Interpr. Iren.* 1, 29. *B. A.*

IMPURĀTUS, a, um, part. ab *impuro*, impudicatus, violatus, impurus. *Ter. Ph.* 4, 3, 64. Impuratus me ille ut etiam irrideat? *Pl. Rud.* 3, 4, 46. Scio probiorem hanc esse, quam te, impuratissime; et 2, 6, 59. Jam postulabas te, impurata belua, Totam Siciliam devoraturum insulam. *Appul. Met.* 8. Impuratissima illa capita (*hominum*).

IMPŪRĒ, adv. ἀκαθάρτως, αἰσχρῶς, spurce, foede. Translate ponitur pro impudice, turpiter, flagitiose. *Cic. Fin.* 3, 11. Quis animo aequo videt eum, quem impure atque flagitiose putet vivere? *Id. Div.* 1, 29. Multa facere impure atque tetre. *Id. Phil.* 2, 21. Ea, quae ipse in se, atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter fecerit. *Id. Att.* 9, 12. Impurissime ab aliquo despici.

IMPURGĀBĬLIS, e, adj. inexcusabilis. *Ammian.* 22, 3. Impurgabile crimen.

[IMPURGO et Inpurgo, as, a. 1. non purgo. *Not. Tir.* p. 120. Purgat, impurgat. *F.*]

*IMPURĪMUS, a, um, adj. i. q. impurissimus. *Vet. Gloss.* Impurimum, ἀκάθαρτον. *B. A.*

IMPURĪTAS, atis, f. ἀκαθαρσία, spurcities, foeditas. Translate impudicitia, improbitas, scelus. *Cic. Phil.* 2, 3. Cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustrisque confectus.

IMPURĪTIA, ae, f. idem ac impuritas. *Pl. Pers.* 3, 3, 7. Trecentis versibus tuas impuritias traloqui nemo potest.

IMPŪRO, as, a. 1. impurum reddo, conspurco, foedo. *Sen. ep.* 87. *med.* Utrum illum pecunia purum effecit, an ipse pecuniam impuravit? quae sic in quosdam homines, quomodo denarius in cloacam, cadit.

IMPŪRUS et Inpurus, a, um, adj. ἀκάθαρτος, non purus, foedus, spurcus, contaminatus. *Ov. Ib.* 223. impurae matris prolapsus ab alvo. *Flor.* 2, 20. Impura medicamina, *h. e.* venena. ℙ Translate est impudicus, impuratus, obscena libidine contaminatus. *Petr. Sat.* 81. Impurus omni libidine. *Cic. in Sen.* 5. Impura intemperantia. *Id. Cat.* 2, 20. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. *Id. Rosc. Com.* 7. Persona illa lutulenta, impura, invisa. *Pl. Rud.* 3, 2, 38. Impudens, impurus, inverecundissimus. *Cic. Dom.* 18. Omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimus; et *Phil.* 3, 6. Quis illo maledico impurior? *Ov. Trist.* 2, 416. Eubius impurae conditor historiae. *Catull.* 108, 2. Impuri mores; et 66, 84. Impurum adulterium. *Sen. ep.* 87. *med.* Homo tam improbae linguae, quam impurae. Adde *Mart.* 11, 61. ℙ Item universim sceleratus, improbus. *Sall. Cat.* 15. Namque animus impurus neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat. *Ter. Ad.* 2, 1, 28. *Aesch.* Usque ad necem operiere loris. *Sa.* Loris liber? *Aesch.* sic erit. *Sa.* O hominem impurum! *Cic. Amic.* 16. *med.* Nec se adduci posse, ut hoc a Biante dictum crederet; sed impuri cujusdam aut ambitiosi esse sententiam. *Ter. Eun.* 2, 2, 3. Conveni hodie quendam mei loci hinc atque ordinis, Hominem haud impurum, itidem qui patria abligurierat bona, *h. e.* non avarum, non improbum, inquit *Donat.* Et sic laudamus eos, in quibus nihil est, quod magnopere efferamus. Sic *Heaut.* 4, 1, 16. erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi Exponendam. ℙ *Impurus* post mortem cognominatus est Elagabalus, teste *Lamprid. Elagab.* 17., quod ejus corpus in cloacam detrusum fuit.

IMPŬTĀTĬO, onis, f. actus imputandi. *Callistr. Dig.* 35, 1, 80. Legendas offerre rationes, deinde computare, ut explorari possit, imputationes probe an improbe referantur, recte relata accepta, an non recte, i. e. expensilationes.

IMPŬTĀTĪVUS, a, um, adj. qui imputari potest, accusatorius. *Tert. adv. Marc.* 2, 25. Non simplici modo, idest interrogatorio sono legendum est, Ubi es Adam? sed impresso, et incusso, et imputativo.

IMPŬTĀTOR, oris, m. qui imputat, et expensum fert. Translate *Sen. Ben.* 2, 17. *med.* Multi sunt tam pravae naturae, ut malint perdere quae praestiterunt, quam videri recepisse, superbi et imputatores.

IMPŬTĀTUS et Inputatus, a, um, adj. ἄτμητος, non putatus, *h. e.* non amputatus: ex *in* privativa, et *puto*, *as. Hor. Epod.* 16, 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, Et imputata floret usque vinea. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 5. Imputata buxus. ℙ *Festus:* Imputatum, nondum purgatum. putum enim est purum. V. PUTO. ℙ Item part. ab *imputo*, in rationes illatus, in computationem adductus. V. v. sq. *Plin. ep.* 10, 52. Eidem civitati imputata sunt terna millia, quae viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Moesiae praeest, publice salutandum.

IMPŬTO et Inputo, as, avi, atum, a. 1. προσλογίζομαι, ἀναλίσκω. Verbum est rationum, et significat inferre in rationes, adscribere, expensum ferre, in computationem adducere. *Colum.* 1, 7. *f.* Villici servi longe plus imputant seminis jacti, quam quod severint. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. *med.* Si quis ex sociis propter societatem profectus sit, eos dumtaxat sumptus societati imputabit, qui in eam rem impensi sunt. Viatica igitur et vecturas recte imputabit. *Maecian. ib.* 35, 2, 90. In quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas jure hereditario capit. *Cajus ib.* 75. Si a statu libero peculiares nummos accipiat, pro sua parte quadranti eos imputare debet. *Paul. ib.* 23, 2, 61. Nec in numerum trium tutelarum haec imputantur. Addunt quidam *Catonis* fragmentum, *ne reipublicae imputaret naulum:* sed ea verba translata sunt e Graeco ex *Plutarcho in Cat. maj.* ℙ Translate. *Sen. Ira* 3, 42. Stat super caput fatum, et pereuntis dies imputat. Simile est illud *Mart.* 5, 20. Nunc vivit sibi neuter, heu! bonosque Soles effugere atque abire sentit, Qui nobis pereunt, et imputantur. *Sen. ep.* 8. *f.* Hoc non imputo in solutum: de tuo tibi. ℙ Hinc saepe est collati beneficii loco ponere, objicere, vel jactare tanquam beneficium: quod *Ter. Andr.* 2, 1, 31. dixit, postulare, quippiam gratiae apponi sibi. [*Gr. ἐλλογεῖν, nostr. *als ein Verdienst, eine Wohlthat anrechnen.* De hac notione verbi *imputare* scriptoribus sequioris aevi, *Plin., Quint., Suet.*, aliisque usitata v. *Reitz.* de *Ambig.* etc. p. 290. *Casaub.* ad *Suet.* T. IV. p. 40. Ed. *Wolf. Duk.* ad *Flor.* 4, 12. *Schwab.* ad *Phaedr.* 1, 22, 8. *Nolten. Lex. Antib.* T. 1. p. 1096. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 20, 2.] *Phaedr.* 1, 22. Noli imputare vanum beneficium mihi. *Sen. Tranqu.* 6. Quidam ultro officia nostra nobis imputant. *Tac. G.* 21. Gaudent muneribus: sed nec data imputant, nec acceptis obligantur, [*i. e. non postulant, sibi pro iis gratiam deberi. V. *Hess.* ad h. l.] *Id. H.* 3, 86. *f.* Imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere; et *ib.* 5, 24. Dolo a se flexos, imputavit Civilis. *Plin. ep.* 8, 21. Alii transeunt quaedam, imputantque, quod transeant. *Mart.* 4, 83. Hos quoque commenda Venulejo, Rufe, libellos: Imputet et nobis ostia parva, roga, *h. e.* concedat: et sic tanquam beneficium agnoscemus, patiemurque imputari nobis. *Id.* 12, 48. Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum, *h. e.* largiatur pro magno munere. ℙ Et absolute. *Tac. H.* 1, 38. Hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet, *h. e.* quis majus mihi beneficium contulisse se dicat, et magis me sibi obnoxium esse ostendat. *Plin. Pan.* 24. Copiam tui, non ut imputes, facis. *Quint. decl.* 1, 2. Ut heredem filium scriberet, non est res, quae imputetur. *Plin. Pan.* 39. Ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam. ℙ Item assignare, adscribere, et fere in malam partem. *Ov. Met.* 2, 400. Saevit enim, natumque objectat, et imputat illis; et *ib.* 15, 470. mortem senioribus imputet annis. [*Vell.* 2, 23, 4. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, etc.] *Tac. Agr.* 34. Approbate reipubl. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli, aut causas rebellandi; et 27. Prospera omnes sibi vindicant: adversa uni imputantur. *Id. H.* 4, 31. Imputare alicui initium belli; et *ib.* 4, 14. ambiguam fortunam. *Quint.* 5, 10. *med.* An ei caedes imputanda sit. *Val. Max.* 5, 7. *n.* 1. *extr.* Imputans ipsius pudori. *Sen. ep.* 86. Suum exsilium reipublicae imputaturus. *Plin.* 18, 1, 1. culpam. *Id. praef. H. N.* Hanc igitur audaciam tibi imputabis, et in nostra culpa tibi ignosces. *Ulp. Dig.* 42, 7, 1. *med.* Sibi imputent,

cur minus idoneum fidejussorem acceperint. *Id. ib.* 4, 8, 27. Stari debet sententiae arbitri, sive aequa, sive iniqua sit: et sibi imputet, qui compromisit. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Et tibi scilicet, qui requisisti, imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur. *Ulp. Dig.* 27, 4, 3. *med.* Si non postulavit, sibi imputet. ℙ In bonam partem. *Just.* 38, 6. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam.

IMPŪTRESCO, is, utrui, n. 3. κατασήπομαι, intus putresco. *Colum.* 6, 17. Et cum imputruit oleo mus, conteritur.

IMPŪTRĪBĪLIS, e, adj. qui non putrescit. *Hieron. ep.* 64. *n.* 9. Ligna imputribilia. Adde *August. in Psalm.* 95. et *C. D.* 21, 7.

IMPŪTRĪBĪLĪTER, adv. *August. ep.* 32. *ad Paul.* Cedri Libani mundi hujus fluctus imputribiliter secant.

IMŪLUS, a, um, dimin. ab *imus*, et ejusdem significationis. *Catull. carm. ad Thall.* 25. mollior cuniculi capillo, Vel anseris medullula, vel imula oricilla, *h. e.* auricula infima mollior, ut ait *Cic. Q. Fr.* 2, 15.

ĪMUS, a, um, adj. κατώτατος, ὕστατος, infimus, infimo loco, vel in fundo positus: ab *infimus* per syncop. *Cic. Rosc. Com.* 7. Ab imis unguibus usque ad verticem summum. *Id. Somn. Scip.* 5. Terra immobilis manens, ima sede semper haeret. *Auct. ad Her.* 3, 18. Nihil intersit, utrum a summo, an ab imo dicere incipiamus. *Virg. A.* 6, 581. fundo volvuntur in imo. *Hor. Sat.* 2, 3, 308. ab imo Ad summum totus moduli bipedalis. *Ov. Fast.* 5, 665. superis imisque Deorum. *Phaedr.* 2, 4. ad imam quercum. *Plin.* 11, 45, 103. Est in ima aure memoriae locus, *h. e.* in ima auris parte. *Hor. Sat.* 1, 3, 8. voce modo summa, modo ima. *Mart.* 10, 80. Et gemitus imo promit de pectore. Sic *Ov. A. Am.* 3, 675. suspirare ab imo. *Virg. A.* 10, 464. magnumque sub imo Corde premit gemitum. *Id. G.* 3, 457. ima ossa. Sic *Ov. Trist.* 1, 5, 9. imis infixa medullis. ℙ Substantivi more *Plin.* 4, 11, 18. Amnis ambiens ima montis; et 32, 6, 21. Ima maris. *Hor. Sat.* 2, 4, 57. ima petere. ℙ *Ima ventris* sunt genitalia. *Appul. Met.* 8. Quendam fortissimum rusticanum, industria laterum, et imis ventris bene praeparatum, comitem coenae secum adducunt, *h. e.* hominem bene mutoniatum. Hoc idem *imum ventrem* dixit *Justin.* 38, 1. Scrutatori curiosius imum ventrem pertractanti ait, Caveret, ne aliud telum inveniret, quam quaereret. ℙ Ima summis mutare, *Hor. Od.* 1, 34, 12. et miscere, *Vell.* 2, 2. est vertere omnia, permiscere, turbare. *Ov. Met.* 5, 588. aquas perspicuas imo. ℙ Refertur etiam ad ordinem, et ultimum significat. *Hor. A. P.* 126. servetur ad imum, Qualis ab incepto processerit, *h. e.* ad finem. *Ov. Fast.* 2, 52. imus mensis, *h. e.* Februarius, ultimus anni. Hinc in convivio *imus*, qui imo lecto accumbit, vel ima lecti parte. V. ACCUMBO. *Hor. Sat.* 2, 8, 40. secutis omnibus imis. Al. aliter leg. *Mart.* 6, 74. Medio recumbit imus ille qui lecto. ℙ *Ad imum*, ad extremum, denique. *Hor. Ep.* 1, 18, 33. Cum pulcris tunicis sumet nova consilia, et spes: Dormiet in lucem: scorto postponet honestum Officium: nummos alienos pascet: ad imum Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

IN

IN, ἐν, εἰς, praepositio accusativo serviens, cum motum adsignificat: cum vero quietem, ablativo: a Graeca priore voce allata. Ad motum haec pertinent. *Cic. Cat.* 1, 8. Abire in aliquas terras. *Caes. B. G.* 4, 6. In fines Eburonum pervenerant. *Nep. Milt.* 3. Ex Asia in Europam exercitum trajicere; et 4. In Asiam mittere. [**Id. Paus.* 4, 5. Confugit in aram, i. e. in vestigia aræ, Gr. ἐπί. ℙ Conjungitur c. *versus*, ita quidem, ut *versus* non abundet, ut *Ruhnk.* ap. *Ter. Adelph.* 4, 2, 36. et *Ernest.* ad *Tac. G.* 1. docent, sed hujus praepositionis vim accuratius definiat, eamque quasi corrigat. Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 56, 4. In Galliam versus; coll. *Caes. B. G.* 7, 8. In Avernos versus; et *al.*] ℙ Ad quietem. *Cic. Cluent.* 28. In occulto stare. *Id. Div.* 2, 54. In senatu dicere; et *ib.* 1, 28. Manere in villa. *Id. Fin.* 2, 21. In solio sedens. *Id. Fam.* 6, 8. Esse in Sicilia. ℙ [*Differt autem a praepos. *ad* ita, ut haec *propinquitatem* tantum, *in* ipsam *praesentiam* notet, vel *petitam*, ubi accusativum regit, vel *manentem*, *durantem*, ubi ablativo jungitur, τὸ εἶναι ἐν τόπῳ τινὶ, vel τὸ ἐέναι εἰς τόπον. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 414. ℙ Poterat hic ea notari dicendi ratio, qua praepos. *in* c. abl. neutr. adject. vel substant. haud raro pro simplici adjectivo vel adverbio ponitur. *Sall.* 5, 3. in aperto esse: ubi v. *Cort. Cat.* 52, 6. In dubio esse. V. *Cort.* ad *Cat.* 51, 1. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 10. Magnum exemplorum numerum collegit etiam *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 246.] ℙ Non raro tamen haec fallunt. Nam et cum verbis motus ablativum regit. *Pl. Amph.* 4, 3, 14. Introrumpam in aedibus. *Ov. Her.* 20, 48. Inque tui cupido rapta ferere sinu. *Phaedr.* 5, 1. In conspectu meo audet venire. *Manil.* 5, 385. Cum venit in regione tuae, Capricorne, figurae. *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Si fortes fueritis in eo, etc. Ideo *in eo* dixit, et non *in eum*, quia hoc in utrumque casum profertur, sicut Virgilius (*A.* 2, 541.) *Talis in hoste fuit Priamo:* cum *in hostem Priamum* dicere debuit. ℙ Et saepius cum verbis quietis accusativum, Graecorum more, qui εἰς cum accusativo efferunt, quietem significantes. *Cato R. R.* 52. Eum qualum in arborem relinquito; et 156. Brassicam in aquam macerare oportet. *Pl. Amph.* 1, 1, 25. Nunc mihi in mentem fuit Diis gratias agere. (V. *Gell.* 1, 7.) *Id. Cas.* 2, 3, 26. Ubi in lustra jacuisti? *Id. Aul.* 4, 8, 6. Me collocavi in arborem. *Cic. Div. Verr.* 21. Ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi R. ditionemque essent, injurias propulsare. *Id. Manil.* 12. Vestros portus in praedonum fuisse potestatem, sciatis. V. *Gell. l. c.* et 17, 2. Plura in hanc rem congessere *Voss. de Grammat. l.* 7. *c.* 65. *Gifan.* in *Lucret.*, *Pareus* in *Lex. Crit.*, *Sciopp.* et al. [**Adde Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 2, 2, 29. *Intpp.* ad *Liv.* 2, 14. *Walch. Emendd. Livv.* c. III. p. 46.] ℙ Eandem vim status ac motus habet ratione personae, aut rei. *Cic. Or.* 64. Paeon commodissime putatur in solutam orationem illigari. *Id. Quint.* 30. Ea res nunc in discrimen versatur, utrum, etc. *Id. Verr.* 2, 1, 21. In publicas tabulas ad aerarium perscribenda curavit. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 4. In custodiam, vel in pistrinum tradere aliquem. *Id. N. D.* 2, 49. Aves, quae se in mari mergunt. *Id. Att.* 1, 13. *f.* In illam orationem Metellinam addidi quaedam. *Id. Or.* 2, 1. Patris studium in filiis erudiendis. ℙ Interdum vacat. *Propert.* 2, 7, 52. Maximaque in parva sustulit ossa manu; et *ib.* 10, 33. Et sit in exiguo laurus superaddita busto. Adde *ib.* 18, 44. Saepe pro *erga* ponitur. *Cic. Or.* 1, 44. Inflammati amore in patriam; et *ib.* 2, 40. Indulgentia in liberos. *Id. Leg.* 1, 15. Obsequia in homines, religiones in Deos. *Id. Or.* 38. Facta, consilia, merita in rempublicam. [**Suet. Caes.* 26. Nullum officiorum in quemquam genus; et al.] ℙ Cum ablativo. *Id. Fam.* 3, 8. Studia eorum mihi placere, qui in te benemerito grati essent. ℙ Item pro *contra*. *Cic. Or.* 1, 46. Populum inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare. *Id. N. D.* 3, 34. Ita ad impietatem in Deos, in homines adjunxit injuriam. *Id. Att.* 2, 22. Impetum facere in aliquem. *Id. Rabir. perd.* 6. Quod in hunc majus crimen exspectas? [**Suet. Caes.* 12. Sorte judex in reum ductus.] ℙ Et cum ablativo. *Nep. Phoc.* 4. *f.* In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut, etc. [**Id. Dion.* 6, 2. Primum in filio — suam vim exercuit: ita *Brem.* pro vulg. *in filium*, bene monens *in* c. accus. ad consilium, c. abl. ad factum ipsum referri; coll. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 2, 32. et ad *Suet. Tib.* 22. Omnium autem accuratissime de hac constructione disputavit, largumque exemplorum numerum congessit *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 9, 2. In amicis fideles erant.] ℙ Est etiam *super*, vel *de*. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. In eam tabulam magni risus consequebantur. *Id. Att.* 2, 22. In eam sententiam cum multa dixisset. *Id. Or.* 2, 61. Ridiculum est illud vetus in furace servo, etc. quod idem in bono servo dici potest. [**Nep. Eum.* 13, 2. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, etc. ubi v. *Brem.* — Saepius explicari potest: *quod attinet ad.* Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 35. Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor; coll. *ib.* §. 15. In hominibus impiis sceleris obliti. *Cic. Fam.* 2, 14. *med.* Sed in hoc homine nullam accipio excusationem; et *ib.* 12, 22. *extr.* In Sempronio maximam laudem adeptus esses; et 10, 28. *extr.* Magnum damnum factum est in Servio.] ℙ Item *versus*. *Pl. Cist.* 2, 3, 78. Quid nunc supina sursum in coelum conspicis? ℙ Item *apud*, vel *circa*. *Prop.* 1, 3, 6. Qualis in herboso concidit Apidano; et *ib.* 2, 11. Surgat et in solis formosius arbutus antris. [*Huc pertinet etiam locus *Cic. Par. prooem.* Cato ea sentit, quae non sane probantur in vulgus.] ℙ Et *inter*. *Caes. B. C.* 1, 61. Caesaris autem in barbaris erat nomen obscurius. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Reponere aliquem in suis. *Cic. Fl.* 19. Esse in clarissimis civibus. *Id. N. D.* 2, 27. Luna in septem numeratur tanquam vagantibus. *Id. Off.* 1, 19. *f.* Hic in magnis viris non est habendus. [**Suet. Caes.* 83. In tutoribus. *Claud.* 6. In tertiis heredibus nuncupatus; et *ib.* 25. in Senatu sedere, i. e. inter Senatores. *Dom.* 8. in Equite spectare, i. e. inter Equites. Unde: in fabulis esse ap. *eund. Aug.* 70. in oblectamentis. *Tib.* 72. in deliciis. *Luv.* et sim. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 417. ℙ Hic poterant notari ista *Sall. Cat.* 51, 21. Quam ob rem in sententiam non addidisti, uti etc. ubi *in* c. *accus.* sententiam non ut jam factam et absolutam proponit, sed ut talem, quae adhuc ferretur. Codd. aliq. exhibent *in sententia*. Comparat *Kritz.*, cujus verba sequimur, similes locutiones, *referre in numerum, codicem*, alia, et *referre in numero*, etc. Coll. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 5, 30, 92. et ad *Cat.* 2, 2, 4. et qui aliter hunc locum explicat. *Gerlach.* Vol. II. P. 1. p. 132.] ℙ Et *ad*. *Pl. Cas.* 5, 8, 47. Vocare aliquem ad se in nuptias. *Cic. Div.* 2, 54. Ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari videantur. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 470. Servulum in populum perduxit armatum. [**Nep. Cim.* 2, 2. Decem millia Atheniensium in coloniam misit, i. e. ad coloniam constituendam. *Timoth.* 3, 2. Huic in consilium dantur, i. e. quorum consilio uteretur: quod mox seq. Gr. ἐπί.] ℙ Et *sub*. *Cic. Or.* 2, 14. Ambulare in sole. ℙ Et *supra*. *Id. Or.* 1, 53. Pupillum filium paene in humeros extulisset. *Nep. Milt.* 3. Pontem fecit in Istro flumine. *Pl. Curc.* 5, 2, 13. Ludere in chlamydem. ℙ Et *cum*. *Pl. Aul.* 3, 5, 12. In pauciores avidos altercatio est. *Ov. A. Am.* 2, 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus. *Suet. Cal.* 52, Processit aliquando cycladatus: ac modo in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga. *Val. Fl.* 1, 641. trifida Neptunus in hasta; et 5, 349. Colchis in vittis. *Cic. Inv.* 2, 37. Partes aliam in aliam implicatam videbit. *Virg. A.* 5, 37. Horridus in jaculis. Adde *Tac. H.* 4, 3. ℙ Et *ad*, *juxta*, *secundum*. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. *extr.* Hostilem in modum. *Id. Quint.* 20. Judicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse. ℙ Et cum accusativo idem significat ac *instar*. *Albin.* 2, 88. de Jove in bovem, Europae causa, mutato. Dicitur in nitidum procubuisse bovem. *Appul. Met.* 3. In lapidem steti gelidus. *Id. ib.* 6. Juppiter mugivit in bovem. ℙ Et *usque ad*. *Plin.* 18, 34, 77. *n.* 3. Vulturnus si a serena coeli parte coeperit flare, non durabit in noctem: at Subsolanus in majorem partem noctis extenditur. *Varr. R. R.* 2, 5. Boves pariunt in decem annos. *Colum.* 12, 24. In partem dimidiam decoquere aquam. ℙ Et *per*. *Cic. Fl.* 26. Leges in omnes terras distributae. *Id. Or.* 2, 79. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam. ℙ Et *ob*, *propter*. *Nep. Att.* 25. *extr.* Cavit, ne qua in re jure plecteretur; et *Timol.* 4. Se in ea re maximas Diis gratias agere; et *Paus.* 2. In quo facto domum revocatus, etc. [*i. e. dum ista faciebat: ita *Brem.* q. v. Adde *Sall. Cat.* 57. in fuga sequeretur, i. e. quum fuga esset, sc. hostium. Cf. *Kritz.* ad h. l. et *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 8, 22. In tanta felicitate, i. e. dum tanta felicitate fruitur.] ℙ Saepe notat causam finalem. *Pl. Aul.* 2, 5, 2. hos ut accipias cocos, Tibicinamque, obsoniumque in nuptias. *Vell.* 2, 41. Qui semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur; et *ib.* In hoc scilicet, ne suspectus his foret; et *Sen. Ben.* 7, 23. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. *Cic. Cluent.* 66. *med.* In familiae luctum, atque in privignorum funus nupsit. *Id. Rabir. Post.* 12. Nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. *Id. Att.* 16, 1. *f.* Haec scripsi in eam partem, ne me motum putares. ℙ Finalem causam notant et illa *Petr. Sat.* 89. scissaque in molem cadunt robora, *h. e.* caesa cadunt robora, ut equus ligneus fiat. Sic *Lucan.* 1, 396. In classem cadit omne nemus. *Suet. Caes.* 8. Conscriptae in Ciliciam legiones, *h. e.* ut in Ciliciam ducerentur. ℙ Refertur etiam ad tempus. *Cic. Phil.* 2, 30. Qui in proximum annum consulatum peteres; et *Att.* 6, 3. Renovato in singulos annos fenore, *h. e.* singulis annis; et *ib.* Pompejo talenta ducenta in sex mensibus promissa. Sic *Top.* 10. Si filius natus esset in decem mensibus. *Id. Att.* 14, 20. *f.* Consilia temporum sunt, quae in horas commutari vides; et *Tusc.* 5, 11. Vivere in diem. V. DIES. *Id. Off.* 3, 14. Ad coenam invitavit in posterum diem; et *Tusc.* 1, 38. Non deterret sapientem mors, quo minus in omne tempus reipublicae consulat. ℙ Aliquando ad tempus *in* additur, licet abesse recte possit. *Id. Brut.* 93. In hoc spatio et in iis post aedilitatem annis. *Ter. Andr.* 4, 5. *f.* Nolo, me in tempore hoc videat senex. *Cic. Quint.* 1. Hae contra nos faciunt in hoc tempore. In *fr.* 2. *ep. Cornel. matr. Gracchor.* inter *fr. Nepot.* In eo tempore. [*In hac constructione illud est notandum: si praepositio *in* vocabulis *tempus*, *tempestas*, *aetas*, *dies* addatur, non tempus ipsum nude significari, sed rerum quae eo tempore obtineant conditionem: sine hac adjectione praepositionem addi nunquam posse. Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 48, 5. in tali tempore: ubi plura exempla collecta sunt.] ℙ Quod idem et in propriis locorum nominibus reperitur interdum. *Pl. Curc.* 4, 4, 6. Salvus cum advenis in Epidaurum. *Id. Mil.* 2, 1, 35. Invitam mulierem in Ephesum advehit. ℙ [*Omittitur etiam praepos. *in* propriis in locorum nominibus. *Nep. Ham.* 2, 5. Tota Africa tantum otium reddidit, ut, etc. Adde *praefat.* 5.] ℙ Illa quoque ad tempus referri possunt. *Nep. Att.* 1. In pueritia, *h. e.* dum puer fuit. *Id. Cim.* 4. In bello, in pace, *h. e.* tempore belli et pacis. *Id. Paus.* 5. Cum jam in eo esset, ut comprehenderetur; et *Pl. Trin.* 1, 1, 2. In aetate est utile; in vita, seu aliquo vitae tempore. *Plin.* 12, 25, 54.

med. Lacrima in fricando odorata, *h. e.* dum fricatur. *Id.* 8, 42, 66. *f.* In bibendo profundius nares mergit. ℙ [*Inservit etiam praepos. *in* denotandis muneribus, quibus quis fungatur, ubi Gr. praepos. ἐν c. particip. ὤν ponunt. V. *Brem.* ad *Nep. Eum.* 2, 2. Quod fere omnes in magnis imperiis concupiscunt, i. e. omnes, qui sunt in magnis imperiis.] ℙ Nonnunquam suo casui postponitur. *Nep. Milt.* 5. Hoc in tempore. *Avien. Arat.* 402. longis hoc tempore in anni otia sunt remis. ℙ In distributionibus, ac divisionibus saepe usum habet cum accusativo. *Caes. B. G.* 1. *in.* Gallia est omnis divisa in partes tres. *Liv.* 2, 33. *extr.* Sextantibus collatis in capita. [*Gr. εἰς, κατὰ, nostr. *auf, zu. Suet. Caes.* 38. in pedites singulos dedit, etc. *Ner.* 30. Quadringenis in punctum sestertiis. *Aug.* 40. ter in annum (καν' ἔτος). *Caes.* 44. Plura ac majora in dies destinabat, (καθ' ἡμέραν). *Tib.* 13. Contemtior in dies; et sic saep. nostr. *von Tag zu Tage.*] ℙ *In* pro *intra.* V. *l. Gellii* in ULS. ℙ In compositione multiplicem vim habet, modo enim intendit, augetque, ut *increpo, insono, infractus:* modo (idque saepius) negat, privatque, ut *insanus, ineptus. (Cic. Top.* 11. Praepositio *in* privat verbum ea vi, quam haberet, si *in* praepositum non fuisset, ut dignitas indignitas, humanitas inhumanitas.) modo *contra* significat, ut *insulto:* modo *intro*, ut *ingredior:* modo *intus*, ut *inaedifico, inambulo:* modo *supra*, ut *immineo.* Ante *b, m, p* mutant *n* in *m*, ut *imbuo, immitto, impono:* ante *l*, et *r* in easdem vertit, ut *illigo, irretio:* ante *gn* amittunt, ut *ignarus:* ante alias consonantes integram servat. Sunt qui ante omnes integram servari volunt, ex veterib. MSS. et lapidib., ut est ap. *Noris.* in *Cenotaph. Pisan. dissert.* 4, 6., *Pier.* ad *A.* 8, 3. et *Cellar.* in *Orthogr.;* itaque scribunt *inmitto, inpono, inligo, inrito.* Nos in hoc opere utramque scribendi rationem posuimus. ℙ [*Confunduntur *in* et *inde. Spald.* ad *Quint. prooem.* 4. et *ab. Cort.* ad *Lucan.* 1, 600. 2, 264. 4, 61. et *ad Id. ib.* 2, 712. 3, 190. 8, 720 et *en. Id. ib.* 3, 21. et *et. Id. ib.* 1, 254. *al.* et *non. Id. ib.* 3, 156. 4, 366. 5, 121.]

ĪNA, ae, f. vena, seu pars chartae tenuissima. *Fest.* in *Ilia*, et *Exiles. Marcell. Empir.* 31. Ad ulcera in ano facta chartae combustae, seu inarum ejus drachma I. etc. Affert *Voss.* in *Etymol. v. Inane*, exempla ex *Plin.* 13, 12, 25. et ex *Varrone R. R.* 3, 9. Ibi tamen in optimis codicib. *vena* legitur. V. tamen *Scalig.* et *Schneider. in l. Varron. c.* Est autem *ina* ab ἴς. ἰνός, vena: cujusmodi sunt in chartis, et in ovorum vitellis, in quibus fecunditatis vis inesse putatur.

ĪNABRUPTUS, a, um, adj. ἄῤῥηκτος, non abruptus. *Stat. Silv.* 5, 1, 43. Nec mirum, si vos collato pectore mixtos Junxit inabrupta concordia longa catena.

[ĪNABSCONDĪBĪLIS, e, adj. qui abscondi non potest. *Gloss. Philox.* Inabscondibile, ἀκρυπτον. *F.*]

*ĪNABSCONSUS, a, um, adj. *Vet. Interpr. Iren.* 1. *B. A.*

ĪNABSŌLŪTUS, a, um, adj. non absolutus, imperfectus. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Quas ἰδέας idem vocat, inabsolutas, informes.

ĪNACCENSUS, a, um, adj. non accensus. *Sil.* 1, 96. inaccensi flagrant altaribus ignes, *h. e.* non ab aliquo accensi, sed sponte ardentes. *Claudian. Rapt. Pros.* 1, 225. Pectus inaccensum Veneri. Utrumque ita restituit *Heins.* ex veterib. libris. Nam priore loco alii leg. *in accensis:* posteriore *inaccessum.*

ĪNACCESSĪBĪLIS, e, adj. ἀπρόσιτος, inaccessus. *Mamert. Genethl. Maximian.* 9. Tanta facilitate illa (*loca*), quae tunc aliis forent inaccessibilia, superastis. Adde *Tert. adv. Prax.* 15. ex *Timoth.* 1, 6, 16.

ĪNACCESSUS, a, um, adj. ἀνεπίβατος, ἄβατος, quo non acceditur, vel accedi non potest. *Plin.* 12, 14, 30. Mare scopulis inaccessum; et 6, 28, 32. Oppidum circumdatum montibus inaccessis. *Sen. Herc. Fur.* 606. Loca inaccessa omnibus. *Sil.* 3, 516. Rumpit inaccessos aditus. *Virg. A.* 7, 11. Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu, *h. e.* ad quos nemo debet accedere. V. ILLAUDATUS. *Macr. Sat.* 5, 17. *med.* Pindarus, quem Flaccus (*Od.* 4, 2, 1.) imitationi inaccessum fatetur.

ĪNACCRESCO, is, n. accresco, cresco. *Tert. adv. Gnost.* 1. *med.* Nausea nominis inaccrescit. Al. leg. *inacrescit*, *h. e.* inacescit.

[ĪNACCŪSĀBĪLIS, e, adj. qui accusabilis non est. *Gloss. Philox.* Inaccusabilis, ἀνέγκλητος. *F.*]

ĪNACCŪSĀTUS, a, um, adj. *Tert. Apol.* 49. Inaccusati et impuniti.

[ĪNĀCERBO, as, a. 1. exacerbo. *Gloss. Philox.* Inacerbo, δεινοποιῶ. *F.*]

ĪNĀCESCO, is, acui, n. 3. ξοξύνομαι, idem quod acesco. *Plin.* 28, 9, 36. Acido lacte addito in recens, quod velis inacescere. *Scrib. Compos.* 104. Quibus frequenter inacescit cibus. ℙ Translate. *Ov. R. Am.* 307. Haec tibi per totos inacescant omnia sensus: Haec refer: hinc odii semina quaere tui, *h. e.* acria fiant, pungant, displiceant. Sic *Pl. Bacch.* 5, 1, 13. Hoc, hoc est, quod peracescit: hoc est demum, quod percrucior. Al. ap. *Ov.* leg. *marcescant*, sed minus recte. *Appul. Met.* 5. Si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia.

ĪNACHĪDES, ae, m. Ἰναχίδης, patronym. filius, vel nepos Inachi. *Ov. Met.* 1, 753. Non tulit Inachides, *h. e.* Epaphus filius Ius, quae Inachum patrem habuit. *Id. ib.* 4, 719. Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo, *h. e.* Perseus filius Danaes, Acrisii Argivorum regis filiae. Ipsi enim Argivi Inachidae dicti sunt, tum ab Inacho fluvio, qui Argos oppidum praeterfluit; tum ab Inacho eorum rege. *Stat. Th.* 3, 365. trepidi de sedibus adstant Inachidae.

ĪNACHIS, ĭdos, et ĭdis, f. Ἰναχίς, Io, seu Isis Inachi filia. *Prop.* 2, 24, 3. Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente Misit matronis Inachis Ausoniis. *Ov. Fast.* 1, 454. quo minus anser Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas. *Id. Met.* 1, 610. inque nitentem Inachidos vultus mutaverat ille juvencam. ℙ *Inachides, um*, sunt mulieres Argivae. *Claud. B. G.* 407. ℙ Adjective. *Ov. Met.* 1, 640. Venit ad Inachidas ripas, *h. e.* Inachi fluvii. *Virg. Cat.* 11, 33. Regia non Semele, non Inachis Acrisione, *h. e.* Danae Acrisii Argivorum regis filia. Acrisii autem proavus fuit Inachus.

ĪNACHĪUS, a, um, adj. Ἰνάχιος, ad Inachum pertinens. *Virg. G.* 3, 153. Inachiae Juno pestem meditata juvencae, *h. e.* Ius Inachi filiae in vaccam conversae. *Id. A.* 7, 286. Inachii Argi, *h. e.* quos Inachus fluvius alluit, et ubi Inachus regnavit. *Virg. A.* 11, 286. Inachiae urbes, *h. e.* Argivae, Graecae. Sic *Val. Fl.* 8, 148. Inachiae natae, *h. e.* Graecae puellae: eo modo, quo *Argivi* de omnibus Graecis dicuntur. *Sen. Apocoloc. med.* Inachia urbs, *h. e.* Cumae Campaniae oppidum a Graecis conditum, quo appulisse dicitur Hercules cum bobus ex Hispania rediens. *Prop.* 2, 10, 8. Inachius Linus, *h. e.* filius Psammathis filiae Crotopi regis Argivorum. *Val. Fl.* 4, 397. Inachiae undae, *h. e.* Inachi fluvii. At *Lucan.* 4, 634. Inachiae undae sunt paludis Lernaeae, ubi Hercules Hydram contudit. Lerna autem est apud Argos oppidum. *Val. Fl.* 8, 125. Inachia antra, *h. e.* Nemeaeae silvae in eadem regione. *Ov. Fast.* 5, 656. Inachium litus, *h. e.* sinus Argolici. *Stat. Th.* 2, 145. Inachius rex, *h. e.* Adrastus rex Argivorum. *Petr. Sat.* 139. Inachia Tirynthius ira exagitatus, *h. e.* ea, qua Juno agitavit Io Inachi filiam. *Claud. in Ruf.* 1, 278. Inachius Perseus. V. INACHIDES. ℙ *Inachia, ae*, f. est nomen proprium puellae ap. *Hor. Ep.* 12, 15. Inachiam ter nocte potes.

ĪNACHUS, i, m. Ἴναχος, fluvius Argolicae regionis in Peloponneso, qui Argos oppidum alluit: de quo *Stat. Th.* 4, 118. fluviorum ductor Achivum, Inache. Adde *Plin.* 4, 5, 9. ℙ Item primus Argivorum rex Ius pater, qui vel fluvio nomen dedit, vel ab eo accepit. *Hor. Od.* 3, 19, 1. Quantum distet ab Inacho Codrus, etc. ℙ In fabulis idem est fluvius, et rex, nempe Oceani filius (ap. *Hyg. praef.* Ponti, et Maris) Ius, seu Isidis pater. ℙ Adjective. *Stat. Th.* 8, 363. Inacha pubes, *h. e* Argiva, Graeca juventus.

ĪNACRESCO. V. INACCRESCO.

ĪNACTŪOSUS, a, um, adj. segnis, deses. *August. C. D.* 4, 16. Faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, idest nimis desidiosum et inactuosum. Adde *Serv.* ad *A.* 3, 587.

ĪNACTUS. V. INIGO.

ĪNĀDĪBĪLIS, e, adj. qui adiri non potest, inaccessus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Is lacus solo palustri voraginosus, et vestigio inspectoris inadibilis est.

ĪNĀDŪLĀBĪLIS, e, adj. ἀκολάκευτος, non adulabilis, non obnoxius adulationi. *Gell.* 14, 4. Judicem oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem.

ĪNĀDUSTUS, a, um, adj. non adustus. *Ov. Her.* 12, 93. Jungis et aeripedes, inadusto corpore, tauros. *Prud. Apoth.* 131. Inadustis fratribus, *h. e.* tribus pueris in fornace Babylonis.

ĪNAEDĪFĪCĀTĬO, onis, f. aedificatio. *Pl. Mil.* 2, 2, 54. Ecce autem aedificat: columnam mento suffulsit suo. Apage: non placet profecto mihi illa inaedificatio.

ĪNAEDĪFĪCĀTUS, a, um, part. ab *inaedifico*, aedificatus in aliquo loco. *Caes. B. C.* 2, 16. Cum paene inaedificata in muris ab exercitu nostro moenia viderentur. *Cic. Har. resp.* 14. In domo tua ita est inaedificatum sacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo sit demoliendum. *Liv.* 39, 44. Et quae in loca publica inaedificata, immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. Adde *Colum.* 6, 37. et *Hirt. B. G.* 8, 5. ℙ Translate. *Lucr.* 6, 264. Multa nubila multis inaedificata, *h. e.* alia super alia exstructa. ℙ Item aliquo aedificio occupatus, impeditus. *Cic. Har. resp.* 15. A Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, incensa, inaedificata, oppressa, summa denique turpitudine esse foedata nescimus? *Liv.* 44, 45. Nec clausae modo portae, sed etiam inaedificatae erant.

ĪNAEDĪFĪCO, as, avi, atum, a. 1. ἐνοικοδομέω aedificando occupo, obstruo, impedio. *Caes. B. C.* 1, 27. Portas obstruit, vicos plateasque inaedificat, fossas transversas viis praeducit. *Hirt. B. G.* 8, 9. Castra imperat vallo muniri, coronisque pro ratione ejus altitudinis inaedificari. *Scaev. Dig.* 13, 7, 43. Inaedificare locum aliquem. ℙ Item in aliquo loco aedifico. *Plin.* 10, 3, 4. Quinto aquilarum generi inaedificatur nido lapis aetites, *h. e.* inseritur, immittitur. Al. leg. *innidificatur. Pomp. Dig.* 41, 1, 30. *extr.* Inaedificare supra pilas. Ita *Torrent.*, alii *aedificare.* ℙ Translate. *Sen. Consol. ad Marc.* 2. Adolescens patiens laboris: quantumcumque imponere avunculus, et ut ita dicam, inaedificare voluisset, laturus.

[ĪNAEPŌDIXIS, is, f. facilis probatio: ab *in* privativa, et *aepodixis*, quam vocem vide suo loco. *F.*]

ĪNAEQUĀBĪLIS, e, adj. ἄνισος, inaequalis. *Varr. R. R.* 1, 6. *extr.* Campester locus inaequabilis. *Plin.* 7, 51, 52. Venarum inaequabili, aut formicante percussu. *Cic. Part.* 4. Inaequabili varietate distinguere.

ĪNAEQUĀBĪLĪTAS, atis, f. inaequalitas. *Arnob.* 2, 81. Inaequabilitas elementorum.

ĪNAEQUĀBĪLĪTER, adv. inaequaliter. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Ova inaequabiliter maturescunt. *Suet. Galb.* 9. Varie et inaequabiliter provinciam rexit.

ĪNAEQUĀLIS, e, adj. ἀνώμαλος, non aequalis, dispar. *Mart.* 1, 56. Pinguis inaequales onerat cui villica mensas. *Ov. Met.* 1, 117. Inaequalis autumni, *h. e.* varii, ac modo sereni, modo pluvii: modo frigidi, modo calidi. *Hor. Od.* 2, 9, 2. mare Caspium Vexant inaequales procellae, *h. e.* quae aequor inaequale et asperum faciunt. *Id. Ep.* 1, 1, 94. Inaequalis tonsor, *h. e.* qui inaequaliter tondet. *Id. Sat.* 2, 6, 68. Siccat inaequales calices conviva, solutus Legibus insanis, *h. e.* modo plenos, modo dimidios, ut libet. Alii interpretantur, modum excedentes, et numerum. *Id. ib.* 2, 7, 10. Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas, *h. e.* varius, inconstans, mutabilis. *Sen. V. B.* 12. Illi ipsi stulti, et inaequales, et sub ictu poenitentiae positi, etc. *Ov. Her.* 4, 29. Quam male inaequales veniant ad aratra juvenci, *h. e.* qui non aequis sunt viribus. *Plin. ep.* 9, 5. Nihil est ipsa aequalitate inaequalius. *Suet. Aug.* 75. Inaequalissimarum rerum sortes.

ĪNAEQUĀLĪTAS, atis, f. ἀνισότης, disparilitas. *Varr. L. L.* 7, 13. Cum dissimillima sit virilis toga tunicae muliebri, tamen inaequalitatem hanc sequimur. *Colum.* 3, 12. Opus est inter has inaequalitates magno temperamento. *Quint.* 12, 9. *f.* Inaequalitas coloris. *Plin.* 2, 70, 70. Inaequalitates temporum. ℙ Ap. *Varr. L. L.* 8. *in.* est anomalia. Sic *Gell.* 2, 25. Ἀνωμαλία est inaequalitas declinationum, consuetudinem sequens.

ĪNAEQUĀLĪTER, adv. ἀνίσως, cum inaequalitate. *Colum. Arbor.* 7. *med.* Sicubi inaequaliter findi videbitur. *Liv.* 37, 53. Inaequaliter alios deprimere, alios extollere. *Cels.* 2, 6. Brachia inaequaliter dispergere.

ĪNAEQUĀTUS, a, um, part. ab *inaequo:* idem quod aequatus, aequalis. *Tibull.* 4, 1, 43. Qualis (*libra*) inaequatum si quando onus urget utrinque, Instabilis natat alterno depressior orbe.

ĪNAEQUO, as, a. 1. ἰσόω, adaequo, complano, planum et aequum facio. *Caes. B. C.* 1, 27. Haec levibus cratibus terraque inaequat.

ĪNAESTĪMĀBĪLIS, e, adj. ἀτίμητος, qui aestimari non potest, quia nullius est pretii. *Cic. Fin.* 3, 6. Aestimabile appellamus id, quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit: contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium. ℙ Item pretium omne excedens. *Liv.* 29, 32. Id vero inaestimabile gaudium fore. *Val. Max.* 4, 8. *n.* 1. Accedit pretio rei inaestimabile monumentum occasionis. ℙ Utramque significationem habere potest illud *Livii* 35, 14. *extr.* Perplexum Punico astu responsum, et improvisum assentationis genus Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum, velut inaestimabilem, secrevisset. ℙ Item de quo judicium fieri non potest. *Id.* 31, 34. Nihil tam incertum, nec tam inaestimabile est, quam animi multitudinis.

ĪNAESTĪMĀTUS, a, um, adj. non aestimatus. *Ulp. Dig.* 25, 3, 10. Si pretiis inaestimatis aliquid accesserit. *Tryphon. ib.* 75. Si in dotem fundum inaestimatum dedit.

ĪNAESTŪO, as, n. 1. in aliqua re aestuo. *Hor. Epod.* 11, 15. si meis inaestuet praecordiis Libera bilis.

ĪNAFFECTĀTUS, a, um, adj. non affectatus. *Quint.* 11, 1. *extr.* Quia simplicitas illa, et securitas inaffectatae orationis mire tenues causas decet. *Plin. Pan.* 67. Inaffectata veritas verborum.

ĪNAGGĔRĀTUS, a, um, adj. in aliquo loco aggeratus. *Sidon. ep.* 3, 12. *in carm.* Ne fors tempore postumo, viator, Ignorans reverentiam sepulti Tellurem tereres inaggeratam.

ĪNĀGĪTĀBĪLIS, e, adj. qui agitari non potest.

Sen. Q. N. 5, 5. An existimas, aerem inertem, inagitabilem relictum esse?

INAGITĀTUS, a, um, adj. *Sen. ep.* 75. *f.* Inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec Deos. *Id. Suasor.* 1. Inagitata remigio vastitas, *h. e.* mare nullis remis pulsatum.

INALBĔO, es, n. 2. albus fio. *Appul. Met.* 7. *in.* Ut primum tenebris abjectis dies inalbebat. Sunt qui leg. *inalbabat*, et putant esse sumptum ex *Annali Ennii* 6.; sed perperam, nam etiam *albeo*, *es* neutrum est, et *albo*, *as* activum.

INALBESCO, is, n. 3. albus fio. *Cels.* 2, 7. *f.* Venae sub lingua inalbescunt.

INALBO, as, avi, atum, a. 1. album facio. *Appul. Met.* 10. Cerei nocturnas tenebras inalbabant. *Id. ib.* 9. Viminea cavea lacinias circumdatas, suffusa candido fumo sulfuris inalbabat. V. INALBEO.

[INĀLESCO, is, n. 3. una cresco. *Not. Tir.* p. 110. Inalescit, inaluit. *F.*]

INALGESCO, is, n. 3. idem ac algesco. *Cels.* 3, 3. Ubi extremae partes membrorum inalgescunt.

INĀLIĒNĀTUS, a, um, adj. non alienatus, incorruptus. *Scrib. Comp.* 214. Adjicitur propolis inalienatae, sincerae, bonae selibra.

*INALIĒNUS, a, um, adj. non alienus. *Tert. adv. Marc.* 4, 8. *B. A.*

[INĀLO, is, ui, n. 3. idem ac inalesco, q. v. v. *F.*]

INALPĪNUS, a, um, adj. qui est in Alpibus. *Suet. Aug.* 21. Domuit Vindelicos, ac Salassos, gentes inalpinas. *Plin.* 3, 5, 7. Inalpini populi. ℙ *Inalpini*, *orum*, absolute, populi nempe inalpini. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 4. et *Plin.* 3, 4, 5.

INALTĀTUS, a, um, part. ab *inalto*, in altum sublatus. *Appul. Trismeg.* Inaltata est cava mundi rotunditas in modum sphaerae.

INALTĔRO, as, a. 1. *Tert. Virg. vel.* 4. Quas non divisit, tacendo inalteravit, *h. e.* alteram in altera complexus est.

INALTO, as, a. 1. exalto, extollo. *Paulin. carm.* 21, 738. Quia qui superbos deprimit, Humiles inaltat.

INĀMĀBĬLIS, e, adj. *ἀνέρασστος*, non amabilis. *Plin. ep.* 9, 10. Genus operis inamabile, inamoenum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile. ℙ Item odio dignus, invisus. *Virg. A.* 6, 438. tristique palus inamabilis unda. V. ILLAUDATUS. *Ov. Met.* 14, 590. Inamabile regnum, *scil.* Inferorum. *Id. Pont.* 1, 6, 5. Non cadit in mores feritas inamabilis istos. *Id. A. Am.* 3, 289. Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet. *Pl. Bacch.* 4, 3, 3. Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo. *Sen. Contr.* 3, 20. *med.* Nihil est inamabilius, quam diligens stultitia.

INĀMĀRESCO, is, n. 3. idem ac amaresco. *Hor. Sat.* 2, 7, 107. Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae, *h. e.* cruditate acescunt. Alii minus recte leg. *immarcescunt.*

INĀMĀTUS, a, um, adj. non amatus, invisus. *Sil.* 12, 526. hinc Allifanus laccho Haud inamatus ager.

INAMBĬTĬOSUS, a, um, adj. non ambitiosus. *Ov. Met.* 11, 765. Secretos montes et inambitiosa colebat Rura.

INAMBŪLĀTĬO, onis, f. ambulatio, deambulatio. *Auct. ad Her.* 3, 15. Si contentio fiet, celeri porrectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara supplosione uti oportebit. *Cic. Brut.* 43. Non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis. ℙ Translate est lecti hac illac nutantis quassatio. *Catull.* 6, 10. tremulique quassa lecti Argutatio, inambulatioque. ℙ Item locus ipse, ubi inambulatur. *Plin.* 14, 1, 3. Una vitis subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat. Adde *Vitr.* 1, 3.

INAMBŪLO, as, n. 1. *περιπατέω*, spatior, spatia ambulando conficio. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Ante lucem inambulabam domi. *Liv.* 23, 43. Per muros inambulare. *Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Cum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis, inambularet. *Cic. Leg.* 1, 5. In viridi opacaque ripa inambulantes.

INĀMISSIBĬLIS, e, adj. qui amitti non potest. *August. C. D.* 22, 30. *med.*

INĀMOENUS, a, um, adj. *ἀηδής*, non amoenus, asper, horridus, tristis. *Ov. Met.* 10, 15. Persephonen adiit, inamoenaque regna tenentem Umbrarum dominum. *Stat. Silv.* 2, 2, 32. Qua prius obscuro permixti pulvere soles, Et feritas inamoena viae, nunc ire voluptas. V. ILLAUDATUS.

INĀNĔFACTUS, a, um, adj. inanis, atque irritus factus. *Ulp. Dig.* 10, 4, 18. Solutione chirographo inanefacto, et pignoribus liberatis. Al. rectius leg. *inani facto.*

INĀNESCO, is, n. 3. inanis fio, *κενοῦμαι*. *Ammian.* 23. *f.* Conchulae concussae metu fulgurum inanescunt. Adde *August. de Music.* 6, 13.

INĀNIA, ae, f. inanitas, ut *Non.* 2, 421. docet. *Pl. Aul.* 1, 2, 5. Hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus: Ita inaniis sunt oppletae (*aedes*) atque araneis.

*INANILOQUĬUM, i, n. *κενολογία*. *Vulg. Tim.* 2, 2, 16. *B. A.*

INĀNĬLOQUUS, a, um, adj. *κενολόγος*, qui inania loquitur. *Pl. Ps.* 1, 3, 24. Surdus sum: profecto inaniloquus es. Al. leg. *inanilogus*, alii *inanilogista*, quae idem significant, sed voces hybridae sunt. *Glos. Phil.* Inaniloguus, *κενολόγος*. Hic fortasse *inaniloquus* legendum est.

INĀNĪMĀLIS, e, adj., inanimatus, non animalis. *Appul. Trismeg.* Animalia omnia, et inanimalia. *Macr. Sat.* 4, 6. Sermo dirigitur ad inanimalia. Adde *Tert. Apol.* 48.

INĀNĪMANS, antis, adj. inanimalis. *Sen. ep.* 58. Corpus quomodo divido? ut dicam, aut animantia sunt, aut inanimantia. Al. leg. *inanimata.*

INĀNĪMĀTUS, a, um, adj. *ἄψυχος*, anima carens. *Cic. N. D.* 3, 16. Singulas stellas numeras Deos, eosque aut beluarum nomine appellas, ut Capram, etc., aut rerum inanimatarum, ut Argo, etc. *Id. Amic.* 19. In iis etiam, quae sunt inanimata, consuetudo valet. *Id. Top.* 18 Ut anteponantur animata inanimatis. *Lambin.* qui vocem hanc minus Latinam putat, ubique *inanimus* reponit. *Voss. de vitiis serm.* rejicere non audet, sed certius esse *inanimus*, vere affirmat. Sed omnino retinent ac tuentur *Manut.*, *Cellar. in Cur. poster.*, *Borrich. in Voss.* et alii, a quibns standum profecto est, ita evincentibus libris melioribus et analogia.

INĀNĪMENTUM, i, n. inane, res inanis. *Pl. Stich.* 1, 3, 19. Inanimentis explementum quaerito.

INĀNĪMIS, e, adj. sine anima. *Appul. Met.* 1. Mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, *h. e.* sine flatu, quae *anima* dicitur; et *ib.* Humi projectus, inanimis, nudus, et frigidus, *h. e.* exanimis; et *ib.* 2. Inanimis et indigens alio custode.

INĀNĪMUS, a, um, adj. *ἄψυχος*, sine anima. *Cic. Acad.* 4, 12. Cum inter inanimum, et animal hoc maxime intersit, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid. *Id. Tusc.* 1, 23. Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo. *Liv.* 41, 18. Satiati caede animantium, quae inanima erant parietibus adfligunt. *Tac. A.* 4, 69. *extr.* Etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur. Adde *Quint.* 8, 6.

INĀNIO, is, ivi, itum, a. 4. *ἰνέω*, *κενόω*, vacuo. *Plin.* 20, 3, 8. Herbacea arefacta per se inanit alvum. *Id.* 21, 20, 84. Polium vesicas inanit. *Id.* 2, 99, 99. Sidus Lunae accedens corpora impleat, abscedens inaniat. *Lucr.* 6, 1003. Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacefit In medio locus, etc.

INĀNIS, e, adj. *κενὸς*, vacuus, cassus, vanus: ab *ἰνέω*, vacuo, ut videtur. *Cic. Fat.* 11. Cum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus. *Id. Att.* 14, 3. Structores ad frumentum profecti, inanes redierunt; et *Verr.* 2, 2, 34. Domum ejus exornatam atque instructam, fere jam iste reddiderat nudam atque inanem. *Plin.* 18, 17, 45. Granum inane cassumque. *Plin. Pan.* 31. Inde navigia inania et vacua, hinc plena et onusta mittantur. *Cic. Att.* 2, 8. Permoleste tuli, nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat; et *Verr.* 2, 3, 52. Agyrinensis ager centum septuaginta aratoribus inanior est. *Ov. Her.* 3, 60. Sanguinis atque animi pectus inane fuit. *Cic. Or.* 1, 9. Omnia plena consiliorum, inania verborum. *Hieron. ep.* 38. *n.* 2. Verba omni inaniora fumo. *Cic. Mur.* 12. Quae inanissima prudentiae reperta sunt. *Virg. G.* 3, 134. Surgentem ad Zephyrum paleae jactantur inanes, *h. e.* leves; et *ib.* 4, 196. Inania nubila; et *A.* 6, 740. Inanes venti; et *G.* 3, 170. rotae inanes, *h. e.* sine pondere. Sic *Pl. Amph.* 1, 1, 174. et *Asin.* 3, 3, 70. Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes; et *Prop.* 4, 5, 47. Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus, etc. *h. e.* nihil muneris afferens. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 104. Inanis a marsupio, *h. e.* crumenam inanem denariorum habens. *Pl. Most.* 3, 1, 44. Hic homo est inanis. *Cic. Verr.* 2, 2, 66. Equus inanis, *h. e.* nullo sessore. *Hor. Sat.* 1, 6, 127. Inani ventre diem durare. ℙ *Inania tempora* in rhythmis sunt, [*cum syllaba brevis est pro longa. V. *Spalding.* ad l. mox laudandum.] *Quint.* 9, 4. *med.* Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient: quamquam haec et in metris accidunt: major tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, et pedum et digitorum ictu intervalla signant. ℙ *Inane vulgus* ap. *Stat. Th.* 1, 93. sunt manes, quia vita carent et corpore. Sic *inanis imago* ap. *Ov. Fast.* 5, 463. est umbra defuncti, et *inanis umbra*, *Trist.* 3, 11, 25. Hinc *inania regna Ditis*, ubi sunt manes, *Virg. A.* 6, 269. et *inania Tartara*, *Ov. Met.* 11, 670. et *inane* absolute, *Stat. Th.* 4, 477. ℙ *Inane corpus* est mortuum, et *inane animae. Ov. Her.* 15, 116. et *Amor.* 3, 9, 6. et *Ib.* 154. et *Cic. Leg.* 2, 18., ubi quidam minus recte leg. *inanime.* ℙ *Inanes vultus* appellat *Sen. Phoeniss.* 43. hominis caeci, cui oculi effossi sunt. ℙ *Inanem leonem* vocat *Stat. Th.* 1, 483. leonis pellem avulsam a corpore. Sic *tigrin inanem. Id. ib.* 6, 722. ℙ *Inane* absolute est locus inanis. *Lucr.* 1, 439. Scilicet hoc id erit, vacuum quod inane vocamus. *Virg. A.* 12, 906. lapis vacuum per inane volutus; et *Cic. N. D.* 1, 23. *extr.* Corporibus omnis obsidetur locus: ita nullum inane. *Plin.* 8, 43, 68. Pes per inane emicat. *Id.* 9, 35, 54. Species inflata inani; et 30, 1, 4. Ars oceanum quoque transgressa, et ad naturae inane pervecta. *Virg. Ecl.* 6, 32. magnum per inane coacta Semina terrarum. *Stat. Th.* 1, 310. sublimes raptim per inane volatus Carpit. Sic *Ov. Met.* 2, 506. celeri raptos per inania vento Imposuit coelo. Adde *Tibull.* 4, 1, 130. ℙ Translate inanis est otiosus, ut *inane tempus*, in quo nihil agitur. *Val. Fl* 3, 657. moras, et inania tempora. *Virg. A.* 4, 433. Tempus inane peto, requiem spatiumque labori. ℙ Item vanus, supervacuus, sine vi, aut effectu. *Virg. A.* 9, 219. causas nequicquam nectis inanes. *Hor. Epod.* 6, 3. Inanes minae; et *Epod.* 5, 7. Inane decus purpurae. *Id. A. P.* 433. Inanem operam insumere. *Sall. or. Macri Licinii.* Inanis species magistratus. *Virg. G.* 4, 345. Cura inanis; et 400. Doli inanes. *Cic. Or.* 3, 2. O inanes nostras contentiones, quae in medio cursu saepe franguntur et corruunt! *Virg. A.* 10, 627. Spes inanes pascere. *Val. Fl.* 1, 707. visu lassatur inani, *h. e.* frustra lassatur intenta oculorum acie, cum nihil cernat. *Id.* 3, 661. vacuos cur lassant aequora visus? ℙ Item vanus, hoc est superbus, et ea ostentans, quae re vera non habet. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Nihil est in me inane: neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque me commovet. *Liv.* 45, 23. *f.* Non negaverim, et totam Asiae regionem inaniora parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse. *Sall. Jug.* 68. Homo inanis et regiae superbiae. ℙ Item futilis, levis: cui opponitur *gravis. Lucr.* 1, 639. de Heraclito: Clarus ob obscuram linguam, magis inter inanes, Quamde graves inter Grajos, qui vera requirunt. ℙ *Inania famae* sunt rumores, qui sparguntur in vulgus incerto auctore. *Tac. A.* 2, 76. Neque suspiciones imbecillas, aut inania famae pertimescenda. ℙ *Inanis* pro falso. *Virg. A.* 10, 639. dat inania verba, Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis. Ubi *Serv.* nec a membris, nec a mente venientia. ℙ *Inane*, inanitas. *Pers.* 1, 1. O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

INĀNĪTAS, atis, f. *κενότης*, vacuitas. *Cic. Fat.* 9. Cum duo individua per inanitatem ferantur. *Pl. Cas.* 4, 3, 5. Mihi inanitate jamdudum intestina murmurant. ℙ Item cavitas. *Quint.* 1, 11. Nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare. ℙ Pro vanitate. *Cic. Fin.* 1, 13. Ut sapiens solum, amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus sine aegritudine possit, et sine metu vivere. *Gell.* 13, 8. Inanitates verborum et imaginum.

INĀNĪTER, adv. *κενῶς*, vane. *Cic. Tusc.* 4, 6. Cum tamen inaniter et effuse animus exsultat. *Hor. Ep.* 2, 1. mire laudat poetam illum, qui *v.* 211. pectus inaniter angit, Irritat, mulcet, *h. e.* rebus Inanibus quidem et fictis, moventibus tamen. ℙ item frustra. *Ov. Met.* 2, 618. et medicas exercet inaniter artes.

INĀNĪTUS, a, um, part. ab *inanio:* vacuatus, inanis. *Lucan.* 6, 1022. rarior aer Factus, inanitusque locus magis, ac vacuatus.

INANTĔ. V. ANTE.

INANTESTĀTUS. V. INATTESTATUS.

INĀPERTUS, a, um, adj. non patens, non expositus. *Sil.* 7, 26. Fraudique inaperta senectus.

INAPPĀRĀTĬO, onis, f. incuria, negligentia apparationi contraria. *Auct. ad Her.* 2, 4. Ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur fuisse.

INAPPRĔHENSĪBĬLIS, e, adj. qui comprehendi non potest. *Tert. Adv. Valent.* 11. et *adv. Hermog.* 43.

[INĀQUO, as, a. 1. in aquam verto. V. HYDROPISMUS. *F.*]

INĀQUOSUS, a, um, adj. siccus, aridus. *Tert. Baptism.* 1. Serpentes arida et inaquosa sectantur. **Gloss. Cyrill.* *ἀνυδρος*, Inaquosus. *B. A.*

INĀRĀTUS, a, um, adj. *ἀνήροτος*, non aratus, incultus. *Virg. G.* 11, 81. Nec ulla interea est inaratae gratia terrae. *Stat. Th.* 10, 512. quanta pariter cervice gementes Profringunt inarata diu Pangaea juvenci.

INĀRCŬLUM, i, n. virgula erat ex malo Punica incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat. *Festus.* V. ARCULUM.

INĀRDĒO, es, arsi, n. 2. idem quod ardeo, aut valde ardeo. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 2, 54. Flammam a sapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat. Al. leg. divisim *in ardente. Hor. Ep.* 3, 17. Nec munus humeris efficacis Herculis Inarsit aestuosius.

INĀRDESCO, is, n. 3. flammam concipio, accendor, ignesco. *Virg. A.* 8, 622. cum caerula nubes Solis inardescit radiis, longeque refulget. *Plin.* 13, 25, 51. Arbusculas in igne, ut ferrum inar-

descentes. ℙ Translate. *Quint.* 11, 3. Affectus omnes languescant, necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. *Tac. A.* 6, 32. Cupidine vindictae inardescere. ℙ Est etiam rubore suffundi. *Sen. Herc. Oet.* 251. Nunc inardescunt genae.

INĂREFACTUS, a, um, adj. aridus factus, siccatus, idem ac arefactus. *Plin.* 32, 10, 43. Ad sanguinem sistendum ranarum illinunt sanguinem inarefactum.

INĂRESCO, is, arui, n. 3. καταξηραίνομαι, idem quod aresco, vel in aliqua re, aut penitus aresco. *Col.* 4, 24. Nec patiuntur ante maturitatem fructum inarescere; et 1, 6. *med.* Cum tectorium inaruerit. *Vitr.* 7, 3. Non patiatur uno tenore opus inarescere. *Cels.* 5, 17. *f.* Medicamenta inarescunt. *Plin.* 31, 6, 32. Coenum illitum sole inarescit. *Id.* 26, 8, 40. Inarescere in sole. *Id.* 28, 11, 46. Ut paulum capiti inarescant. *Quint.* 6, 1. Nihil facilius, quam lacrimas, inarescere. *Plin. ep.* 2, 4. Liberalitas e frugalitate, velut e fonte decurrit: quae tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat.

INARGENTĀTUS, a, um, part. ab *inargento:* ἐπάργυρος, argento obductus, illitus. *Plin.* 21, 2, 3. Lamina aerea tenuis inaurata, aut inargentata. *Paul. Dig.* 33, 10, 3. Lecti inargentati vel inaurati.

[INARGENTO, as, a. 1. argento aliquid obduco. *Not. Tir.* p. 126. Argentum, inargentat. *F.*]

INARGŪTĒ, adv. non acute. *Gell.* 21, 13. *med.* Non mehercule inargute, inquit, nec incallide opposuisti hoc Tullianum.

INARGŪTUS, a, um, adj. ut Sententia non inarguta, *Ulp. Dig.* 7, 5, 5.

INĂRIMĒ, es, f. insula maris inferi in ora Campaniae, et sinu Puteolano. V. AENARIA. Hoc nomen conflatum est ex duabus Graecis vocibus, ap. *Homer. Iliad.* 2, 783., ubi Graecorum naves enumerat, Εἰν Ἀρίμοις ὅθι φασὶ Τυφώεος ἔμμεναι εὐνάς. Hic tamen ed. *Villoisonii* habet Εἰναρίμοις. Quem versum in mente habuit *Virg.*, cum ait *Aen.* 9, 715. durumque cubile Inarime, Jovis imperiis imposta Typhoeo. Quare illum reprehendunt alii, quod ex εἰν Ἀρίμοις *Inarimen* fecerit: defendunt alii. V., si placet, *Heynium Excurs.* 2. ad *Virg. l. c.* Secuti sunt *Virgil. Ov. Met.* 14, 89., *Val. Fl.* 3, 298., *Stat. Silv.* 2, 2, 76., *Sil.* 12, 148., *Lucan.* 5, 101. et alii.

INĂRO, as, avi, atum, a. 1. idem quod aro, vel in aliquo loco aro. *Plin.* 18, 14, 36. Inarari protinus solum opus est. *Ulp. Dig.* 43, 23, 9. Si quis vi aut clam agrum inaraverit, vel fossam fecerit. ℙ Item arando obruo. *Cato R. R.* 37. Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato, aut infodito. *Col.* 2, 5. Disjectum fimum inarari, et obrui convenit. *Plin.* 18, 18, 47. Inarare semina abjecta. *Varr. R. R.* 1, 23. Fabalia pro stercore inarare. *Col.* 2, 2. *med.* Arboribus, si rarae sunt, tantum succidendis, incendendisque, et inarandis.

INARTĪCŪLĀTUS, a, um, adj. ἄναρθρος, non expressus, et nihil significans, ut *coax, cra,* (quod affert exemplum *Prisc. in. l.* 1.) quae a nullo affectu mentis proficiscuntur. *Arnob.* 2, 59. Nonne vocem si fuerit coactus emittere, ut solemne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?

INARTĬFĪCĬĀLIS, e, adj. *Quint.* 5, 1. Illas *(probationes)* ἀτέχνους, idest inartificiales vocaverunt. Adde 5. et 10. *Capell.* 5, 183. Inartificialia argumenta.

INARTĬFĪCĬĀLĬTER, adv. ἀτέχνως, sine artificio. *Quint.* 2, 17. *f.* Qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat.

INASCENSUS, a, um, adj. non ascensus, inaccessus. *Plin. Pan.* 65. Procedere in rostra, inascensumque illum superbiae principum locum tenere.

INASPECTUS et Inadspectus, a, um, adj. non visus, non conspectus. *Stat. Th.* 1, 50. imaeque recessu Sedis inaspectos coelo, radiisque Penates Servantem.

[INASPĪCĀBĬLIS, e, adj. invisibilis. *Gloss. Phil.* Inaspicabilis, ἀόρατος. *F.*]

INASPĪCŪUS et Inadspicuus, a, um, adj. inaspectus. *Auson. ep.* 23, 22. Lacte incide notas: arescens charta tenebit Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.

INASSĀTUS, a, um, adj. ἔνοπτος, idem ac assatus. *Plin.* 30, 8, 22. Verendorum formicationibus, verrucisque medetur arietini pulmonis inassati sanies.

INASSĒRO, as, a. 1. asseribus contego. *Vet. Inscr.* ap. *Grut.* 207, 2. Trabiculas inasserato asseribus abiegneis sectilibus, [*copri le travette con travicelli di abete segaticci.* Ita locum vertendum putat *Zannonius.* V. ABIEGNEUS. *F.*]

[INASSIGNĀTUS et Inadsignatus, a, um, adj. non assignatus. *Aggen. Contr. agr.* p. 70. *Goes.* Superfuit inadsignatus agrorum modus. *F.*]

INASSUĒTUS et Inadsuetus, a, um, adj. non assuetus. *Ov. Fast.* 4, 449. Panditur interea Diti via: jamque diurnum Lumen inassueti vix patiuntur equi. *Id. A. Am.* 299. Ipse novas frondes, et prata tenerrima tauro Fertur inassueta subsecuisse manu. *Sil.* 3, 235. at vestigia nuda sinusque Cingere, inassuetum, *h. e.* inusitatum est, non est in more positum. *Fragm. or.* Claudii Aug. ap. *Grut.* 502, 2, 37. Cum ad census (alii leg. *a censu*), novo tum opere et inadsueto Galliis, ad bellum avocatus esset.

INATTĀMĪNĀTUS, a, um, adj. *Tert. Cor. mil.* 15. Serva Deo rem suam inattaminatam. *Sciopp.* rectius leg. *intaminatam.*

INATTENTĒ adv. *Ammian.* 30, 8. *f.* Ad pavores irritos aliquoties abjectius pallens, et quod nusquam erat, inattente formidans. Al. melius leg. *ima mente.*

INATTĒNŪĀTUS, a, um, adj. *Ov. Met.* 8, 843. Attenuarat opes, sed inattenuata manebat Tum quoque dira fames.

INATTESTĀTUS, a, um, adj. qui testatus non est, qui in jus non est vocatus. *Pl. Curc.* 5, 3, 17. Huccine pacto indemnatum atque inattestatum me arripi? Al. leg. *intestatum*, alii *inantestatum.*

INATTRĪTUS, a, um, adj. non attritus. *Paul. Nol. carm.* 10, 254. de trabea: Fulget inattrito longum venerabilis auro.

[INAVARĪTĬES, ei, f. idem ac avarities. *Inscr.* opt. notae ap. *Fabrett.* p. 421. *n.* 388. Fido fida viro vixsit studio parili, quam (in lapide est QVM; sed videtur exaratum fuisse QVAM pro QVAM, ut saepe alias) Nulla inavarities cessit ab officio, *ritrasse dal dovere*, ita ut *cessit* sit active usurpatum. *F.*]

INAUDAX, acis, adj. omn. gen. ἄτολμος, timidus. *Hor. Od.* 3, 20, 3. Dura post paulo fugies inaudax Proelia raptor.

INAUDĪBĬLIS, e, adj. qui nequit audiri. *Censorin. de die nat.* 13. Ut dulcissimam concinant melodiam, sed nobis inaudibilem.

INAUDIENTĬA, ae, f. inobedientia. *Cyprian. ep.* 28., ubi tamen alii leg. *inobedientia.*

INAUDĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. ἐναχούω, idem quod audio, intelligo. *Pl. Mil.* 2, 2, 56. Nam os columnatum poetae esse inaudivi barbaro. ℙ Fere de rebus nondum vulgatis dicitur. *Cic. Fam.* 9, 24. Fabrateriae consilia sunt inita de me: quae te video inaudisse. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Num quid de quo inaudisti? *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 442. Quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primum inaudieram. *Pl. Aul.* 2, 2, 88. Credo, jam illum inaudiisse, mihi esse thesaurum domi. *Id. Most.* 3, 1, 11. Metuo, ne de hac re quippiam hic inaudiverit. Adde *Nov., Pacuv., Afran.* ap. *Non.* 2, 442.

INAUDĪTĬUNCŪLĂ, ae, f. ἀκροαμάτιον, auditiuncula. *Gell.* 5, 21. Habebatque nonnullas disciplinae grammaticae inauditiunculas partim rudes inchoatasque, partim non probas.

INAUDĪTUS, a, um, adj. ἀνήκουστος, non auditus, novus, inusitatus. *Cic. Or.* 1, 31. Nihil dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. *Id. Balb.* 5. *f.* Incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia praeditus. *Id. Sext.* 39. *f.* Insignis quaedam, inaudita, nova magnitudo animi. *Id. Vat.* 14. Quod in hac republica non modo factum ante nunquam est, sed in omni memoria est omnino inauditum. *Id. Caec.* 13. Novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum. *Id. Har. resp.* 27. Sacra maribus non invisa solum, sed etiam inaudita. [*Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3. (ed. *A. Maio)* 23. Hominum nescias invisitatius, an inauditius genus. *F.*] ℙ Item non auditus. *Sen. Med.* 199. Qui statuit aliquid parte inaudita altera, Aequum licet statuerit, haud aequus fuit. *Tac. A.* 2, 77. Ut te inauditum et indefensum primo rumore rapiant. *Justin.* 22, 2. *f.* Inauditum per injuriam damnare. Adde *Suet. Vitell.* 14. ℙ Item non audiens. *Gell.* 7, 6. Quaedam animalium aut caeca natura gignuntur, aut inodora, inauditave. Ita legit *Non.* 2, 463. alii *inora*, *inauritave*, h. e. sine ore et auribus. Sed prior lectio magis placet. ℙ Item auditus. *Cic. Balb.* 18. Re denique multo ante Gadibus inaudita, fore, etc. ab *inaudio.* Alii tamen leg. *jam audita.*

INĀVERSĀBĬLIS, e, adj. ἀναπρότρεπτος, qui averti et evitari non potest. *Appul. Trismeg. f.* Aeternitas inaversabilis, immobilis, insolubilis est. Al. leg. *inaversibilis* eod. sensu.

INAUGŪRĀTĬO, onis, f. *Tert. adv. Valent.* 11. Inauguratio quaedam dividendae doctrinae Valentini, *h. e.* augurium, principium.

INAUGŪRĀTO, adv. οἰωνιστικῶς, idem ac augurato, idest, captato augurio, praecedente augurio, et addicentibus avibus. *Liv.* 1, 36. Id quia inaugurato Romulus fecerat; et 44. Locum inaugurato consecrare.

INAUGŪRĀTUS, a, um, part. ab *inauguro*, auguriis captis electus, dedicatus. *Cic. Dom.* 53. Simulacrum in templo inaugurato dedicare.

INAUGŪRO, as, a. 1. οἰορίζομαι, augurium capto. *Pl. Asin.* 2, 1, 11. Impetritum, inauguratum est. *Liv.* 1, 7. Palatinum Romulus, Aventinum Remus ad inaugurandum, templa capiunt. *Varr. L. L.* 4, 8. Per sacram viam augures ex arce profecti solent inaugurare. ℙ Inaugurare aliquem flaminem, *Liv.* 27, 8. est flaminem creare et consecrare. ℙ Inaugurare locum est, capto augurio, locum rei gerendae auspicatum deligere. *Id.* 3, 20. Augures jussos adesse ad Regillum lacum; locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset. ℙ Transfertur etiam ad homines, cum munus aliquod publicum suscipiunt, nefas enim erat veteribus magistratum aliquem, aut sacerdotium assumere, aut aedem Diis sacrare, nisi captis prius auguriis. *Cic. Phil.* 2, 43. Quid igitur cessas? cur non inaugurare? Sume diem; vide qui te inauguret. *Liv.* 30, 26. Augur in locum ejus inauguratus est filius. *Appul. Met.* 7. Singulos exosculatus, et in summo pulvinari locatus, coena et poculis magnis (dux) inauguratur. ℙ Interdum est divinare. *Liv.* 1, 36. Agedum divine, inaugura, fieri ne possit, quod nunc ego mente concipio.

INAURĀTOR, oris, m. χρυσοχόος, qui aurum obducit. *Inscr.* ap. *Mur.* 971, 1. Philomusus Teri (corrige ex *Gor. Columb. Liv.* p. 150. Tertii) L. inaur*ator.* V. BRACTEARIUS.

INAURĀTUS, a, um, part. ab *inauro:* χρυσωθείς, auro illitus, obductus. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. Inauratam statuam alicui ponere. *Id. Div.* 1, 24. Columna extrinsecus inaurata. *Ov. Med. fac.* 18. Vultis inaurata corpora veste tegi, *h. e.* auro texta. Sic *Auct. ad Her.* 4, 47. Citharoedus palla inaurata indutus. ℙ Translate. *Tert. Pall.* 3. *in.* Omni patagio inauratior pavo. ℙ Item non auratus, auro carens. *Titin.* ap. *Charis.* 2, 181. Inauratae atque inlautae mulieris.

INAURES, ium. f. plur. ἐνώτια, ἐλλόβια, ornamenta ex auro, margaritis, aut gemmis, ab auribus pendentia. *Isid. Orig.* 19, 31. Inaures, ab aurium foraminibus nuncupatae, quibus pretiosa grana lapidum dependent. Harum usus in Graecia; puellae utraque aure, pueri tantum dextra gerebant. *Pl. Men.* 3, 3, 17. Inaures da mihi faciundas, pondo duum nummum stalagmia. *Plin.* 9, 55, 81. Muraenae, quam diligebat, inaures addidit. *Id.* 32, 2, 7. Anguillae inaures additas gerunt. ℙ Improprie *inauris* vocatur anulus, qui in Arabia, ornamenti causa, ex feminarum naribus pendet. Hujus meminit *Hieron.* in *Ezech.* 4, 16, 12.

[INAURĪO, is, a. 4. aurium usum tribuo. *Lact. Epit.* 45. Christus caecis visum restituebat, mutis eloquium dabat, surdos inauribat. *F.*]

INAURĪTUS, a, um, adj. ἄωτος, carens auribus. V. INAUDITUS.

INAURO, as, avi, atum, a. 1. χρυσόω, auro obduco, aurum illino. *Plin.* 33, 3, 18. Laquearia primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras quoque et parietes, qui jam et ipsi, tanquam vasa, inaurantur: cum sua aetas varia de Catulo existimaverit, quod tegulas aureas Capitolii inaurasset primus. Adde *Vitr.* 7, 8. ℙ Translate est divitiis cumulare. *Hor. Ep.* 1, 12, 9. ut te Confestim liquidus fortunae rivus inauret. *Cic. Fam.* 7, 13. Moriar, ni (quae tua gloria est) puto, te malle a Caesare consuli, quam inaurari.

INAUSPĪCĀTO, adv. ἀπαισίως, non captatis, vel perperam captatis auspiciis. *Cic. Div.* 1, 17. Quod inauspicato pomoerium transgressus esset. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 6. Inauspicato consul creatus.

INAUSPĪCĀTUS, a, um, adj. non auspicatus, infelix, sine auspicio. *Sen. Oed.* 723. Inauspicata bos. *Plin.* 28, 2, 5. Bibente conviva mensam tolli, inauspicatissimum judicatur. *Id.* 18, 1, 1. Inauspicatarum animantium vice.

INAUSUS, a, um, adj. audacter non susceptus, intentatus. *Virg. A.* 8, 205. ne quid inausum, Aut intentatum scelerisve dolive fuisset. *Val. Fl.* 1, 807. si quod inausum Arcanumque nefas superest. *Sen. ep.* 91. *med.* Sciat animus, nihil inausum esse fortunae. *Id. Thyest.* 20. Audere inausa. *Id. Troad.* 669. Fuerat hoc prorsus nefas Danais inausum. *Tac. A.* 1, 42. Quid enim per hosce dies inausum intemeratumve vobis?

*INAUXILIĀTUS, a, um. *Vulg. Sapient.* 12, 16. Animae inauxiliatae. *B. A.*

INCAEDŪUS, a, um, adj. ἄτμητος, qui non caeditur, ex *in*, et *caeduus*, ut *incaedua silva*, quae non caeditur, *incaedui montes*, in quibus arbores non caeduntur. *Ov. Fast.* 2, 435. Multis incaeduus annis Junonis magnae nomine lucus erat. *Id. Amor.* 3, 1, 1. Stat vetus, et multos incaedua silva per annos. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 5, 63. Intonsi montes, silvosi, incaedui.

[INCAELĀTUS, a, um, adj. non caelatus. *Gloss. Philox.* Incaelatus, ἀτόρνευτος, ἄγλυφος. *F.*]

INCĂLĀTĬONES, invocationes. *Festus.*

INCĂLĀTĪVE, vocative. *Idem.*

INCALCĀTUS, a, um, adj. non calcatus. *Paul. Nol. carm.* 16, 110. Monstrat inaccessos humus incalcata recessus.

INCĂLESCO, is, alui, n. 3. διαθερμαίνομαι, valde calidus fio. *Colum.* 2, 4. Proscindendi sunt an-

ni tempore jam incalescente. *Liv.* 1, 57. Incaluerant vino. *Id.* 22, 6. Incalescente sole depulsa nebula. ℙ Translate. *Ov. Met.* 2, 87. de equis: acres Incaluere animi, cervixque repugnat habenis; et 640. fatidicos concepit mente furores, Incaluitque Deo. *Id. Pont.* 3, 4, 29. Plausibus ex ipsis populi, laetoque favore Ingenium quodvis incaluisse potest. *Id. Her.* 11, 25. Ipsa quoque incalui, *h. e.* amorem concepi. *Prop.* 4, 7, 28. Atram quis *(vidit)* lacrimis incaluisse togam?

INCALFACĬO, ăcis, a. 3. calefacio *Ov. Met.* 15, 735. Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros. *Id. Fast.* 4, 919. si culmos Titan incalfacit udos.

INCALLIDĒ, adv. ἁπλῶς, non callide, simpliciter. *Cic. Off.* 3, 33. In his tribus generibus non incallide tergiversantur, *h. e.* non sine industria.

INCALLĬDUS, a, um, adj. ἄδολος, ἁπλοῦς, non callidus, simplex. *Cic. Inv.* 1, 3. Arbitror, alios fuisse non incallidos homines. *Id. Cluent.* 16. Servus non incallidus. *Tac. A.* 3, 8. Incallidus alioqui, et facilis juventa. Et *Capitol. Macrin.* 13. Fuit in jure non incallidus, *h. e.* non imperitus. *Sabin. Her.* 3, 55. Atque utinam formae judex incallidus essem Creditus.

[INCALLO, as, a. 1. in callum verto. *Veg. Vet.* 2, 27. *in.* Carnem indurat, et incallat. *F.*]

INCĂLO, as, a. 1. invoco. *Festus:* Incalanto, invocanto.

INCANDESCO, is, andui, n. 3. ἐκπυρόομαι, candens et ignitus fio, vehementer incendor. *Ov. Met.* 2, 729. Volat illud, et incandescit eundo; et *ib.* 12, 12. vetus accensis incanduit ignibus ara. *Virg. G.* 3, 478. morbo coeli miseranda coorta est Tempestas, totoque autumni incanduit aestu, *h. e.* exarsit, increvit. *Plin. Pan.* 30. Pars magna terrarum alto pulvere incanduit. *Sen. Q. N.* 3, 16. Aetas suo tempore incanduit.

INCANDĬDO, as, a. 1. candidum facio. *Firmic. err. relig.* 28. Maculas Christi sanguis incandidat.

[INCANDĬDUS, a, um, adj. non candidus. *Gloss. Philox.* Incandidus, ἀλεικαντος. *F.*]

INCĀNĔO, es, ui, n. 2. πολιόομαι, albus, vel canus fio. *Catull.* 64, 13. Tortaque remigio spumis incanuit unda. *Virg. G.* 2, 71. ornusque incanuit albo Flore piri. *Val. Fl.* 6, 611. gelu, magnoque incanuit imbre Caucasus. *Sil.* 3, 328. cum pigra incanuit aetas.

INCANTĀMENTUM, i, n. ἐπῳδή, incantatio. *Plin.* 28, 2, 3. Valeant ne aliquid verba, et incantamenta carminum.

INCANTĀTĬO, onis, f. ἐπῳδή, incantamentum. *Firmic. Mathes.* 5, 5. Magicas insequentur incantationes. *Tert. Hab. mul.* 2. Incantationum vires.

INCANTĀTOR, oris, m. *Tert. Idol.* 9. Nusquam invenias, aut incantatores, aut conjectores, aut magos, nisi plane punitos.

INCANTĀTUS, a, um, part. ab *incanto. Hor. Sat.* 1, 8, 48. Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis Vincula. *Appul. Apol.* Cum illi incantatam mulierem dicerent.

INCANTO, as, a. 1. ἐπάδω, idem quod canto, aut in aliquo loco canto. *In leg. XII. Tab.* ap. *Plin.* 28, 2, 4. Qui malum carmen incantasset, *h. e.* magico carmine quippiam supra naturam nocendi causa molitus esset. Quo sensu absolute *Appul. Apol.* Quaesisti, quod mihi emolumentum fuerit incantandi: responderunt, ut mulier rueret. *Id. Met.* 8. Dum forte passerem incantantem sepiculae consectatur arripere.

INCĀNUS, a, um, adj. πολιὸς, idem quod canus, aut valde canus. *Catull.* 64, 346. Cum cinere incanos solvent a vertice crines. *Colum.* 8, 2. *med.* Gallinaceorum paleae ex rutilo albicantes, quae velut incanae barbae dependent. *Virg. G.* 3, 311. barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci. [**Suet. Dom.* 20. Caput, varietate capilli subrutilum et incanum. Gr. ἑπιπολιός.] *Catull.* 95, 5. de Smyrna Cinnae: Smyrnam incana diu saecula pervolvent, *h. e.* antiqua, multorum annorum saecula.

INCĂPĀBĬLIS, e, adj. qui capi non potest, incomprehensibilis. *Arriani* ap. *August. ep.* 174. dicebant, credere se Deum patrem invisibilem, ingenitum, incapabilem. *Gloss. Philox.* Incapabilis, ἀχώρητος.

INCĂPAX, acis, adj. non capax. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 588. Scio, incapacem te sacramenti, impie; et 348. Aedes incapax solvi.

INCĂPISTRO, as, a. 1. capistro vincio: et translate irretio. *Appul. Met.* 11. Cum me malis incapistrasset erroribus.

*INCARCERĀTUS, a, um, in carcerem conjectus. *Sarish.* 6, 8. Alii capti, alii incarcerati. ℙ *Varroni* etiam tribuitur et *Livio*, locis non comparentibus. *B. A.*

*INCARDĬUM, i, n. ἐγκάρδιον, medulla. *Theod. Prisc.* 1, 12. Al. leg. *incordium. B. A.*

[INCĂRESCO, is, ui, n. 3. idem ac caresco, vel multum caresco. *Not. Tir.* p. 95. Incarescit, incaruit. *F.*]

*INCARNO, Incarnatus, et Incarnatio, apud Medicos et Theologos. *Comment. Vet. in Marc.* 1, 7. *qui Hieronymo adscribitur*, Mysterium incarnationis Dei. Adde *Theodulf. carm.* 2, 7, 545. *Vinc. Lirinens. Commonit.* p. 33. ed *Baluz. B. A.*

[INCASĔATUS, a, um, adj. idem ac caseatus, caseo abundans. *August. Confess.* 9, 3. Dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi. V. CASEATUS. *F.*]

INCASSUM. V. CASSUS.

INCASTĔ, inceste. Legitur ap. *Sen. Controv.* 2, 13. *in.*

INCASTĪGĀTUS, a, um, adj. ἀδιόρθωτος, non castigatus. *Hor. Ep.* 1, 10, 45. Nec me dimittes incastigatum.

*INCASTRATŪRA, ae, f. commissura tabularum. *Vulg. Exod.* 26, 17. et 36, 22. et 24. *B. A.*

*INCASTRO, as, a. 1. excavo, *Plinio* tribuitur. Cf. *Isid. Gloss. B. A.*

INCASTUS. V. INCESTUS.

INCAVILLĀTĬO, per despectum irrisio. *Festus.*

INCAVO, as, a. 1. κοιλόω, idem quod cavo, excavo, effodio. *Colum.* 4, 25. Cum allevare quid debet, scalpro; cum incavare, rostro falcis utitur.

INCAUTĒ, adv. ἀπρονοήτως, improvide, imprudenter. *Cic. Att.* 7, 10. Stulte omnia et incaute. *Liv.* 7, 15. *f.* Incaute atque inconsulte pugnare. *Plin. ep.* 1, 15. *extr.* Potes apparatius coenare apud multos: nusquam hilarius, simplicius, incautius, *h. e.* securius, ita ut cauto minus sit opus, liberius et minori sollicitudine. [*Liv.* 21, 7. Sed dum murum incautius subit, femur trabula ictus cecidit. *August. mor. Manich. c. ult.* Ut se ipsos incautissime proderent. *F.*]

[INCAUTĒLA, ae, f. actus illius, qui incaute aliquid agit. *Salvian. Gubern. D.* 6. *med.* Unus incautior perit, ne multi per incautelam depereant. *F.*]

INCAUTUS, a, um, adj. ἀδόκητος, qui sibi cavere nescit. *Cic. Planc.* 22. Qui te incautum fortasse nunc tuo loco dimovere potuerunt. [**Id. Phil.* 11, 2. Trebonius oppressus est ab hoste incautus.] *Liv.* 30, 13. Juventa incautior. *Id.* 5, 44. *f.* Ab secundis rebus incauti. *Sid. ep.* 8, 11. Incautissimus, quia credulus. [**Liv.* 9, 12. Incautus ad credendum pavor, i. e. qui in eo parum sibi caveret, quod crederet. *Lucan.* 4, 719. Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri, i. e. ne ipsa Juba non satis cautus nec adventum suum satis occultans timeatur a Curione. Ita *Cort.*, q. v. — De patrono causarum qui non satis cavet clientibus. *Cic. Brut.* 70. Messala — prudens, acutus, minime incautus patronus.] ℙ Cum ablat. et praeposit. *a*, vel *ab. Liv.* 40, 5. Incautus a fraude fraterna juvenis. ℙ Cum genitivo. *Stat. Th.* 6, 766. at ille nocendi Prodigus, incautusque sui, ruit omnis, etc. ℙ Est etiam qui non cavetur, passive. *Tac. A.* 1, 50. Iter impeditius, et intentatum, eoque hostibus incautum. [**Liv.* 35, 4. Agmine incauto, ut inter pacatas, ducebat.] *Sil.* 2, 98. rueretque inopina sub ictu Ante fera incauto, quam sibila poneret arcus. [**ubi v. quae colleg. *Drakenb.*] *Liv.* 25, 38. *med.* Quod neglexeris, incautum atque apertum habes. *Lucan.* 5, 500. Sponte per incautas audet tentare tenebras, Quod jussi timuere, fretum, *h. e.* in quibus nihil cavere possumus. [**V. *Cort.*] *Prop.* 2, 1, 80. Sic est incautum quidquid habetur amor. [**Lucret.* 6, 390. Incautum scelus, i. e. a quo sibi non cavent homines.]

INCĔDO, is, essi, essum, n. 3. βαδίζω, ingredior, eo, ambulo; ab *in*, et *cedo*, qua ire significat. [**Nostr. *einhergehen.*] *Cic. Div.* 1, 24. Belluam, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere. [**Id. Sext.* 8. Quam teter incedebat, quam truculentus, quam terribilis aspectu.] *Liv.* 8, 36. *med.* Incessit deinde, qua duxit praedae, spes, victor exercitus. *Id.* 28, 9. *f.* Etiam si pedes incedat, memorabilem fore. *Just.* 41, 3. Servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt. *Ov. Fast.* 6, 653. vagus incedit tota tibicen in urbe. *Pl. Curc.* 1, 1, 32. Caute incedere via. *Id. Merc.* 2, 3, 71. per vias. *Id. Most.* 4, 3, 6. a foro domum. *Id. Poen. prol.* 10. Nimia est stultitia, sessum impransum incedere. *Id. Rud.* 3, 3, 31. Malitiae lenonis contra incedam. *Virg. A.* 5, 188. media socios incedens nave per ipsos. *Lucan.* 2, 675. Incedere super fretum. ℙ Pro venire, advenire. *Pl. Most.* 1, 3, 152. Estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua? *Tac. A.* 11, 32. Undique nuncii incedunt, qui afferrent, etc. ℙ Pro accedere, progredi. *Cic. Inv.* 2, 14. Facilius ad inventionem animus incedet, si, etc. *Sall. Cat.* 62. Tuba signum dat: cohortes paulatim incedere jubet. *Id. Jug.* 50. Pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere. *Tac. A.* 1, 51. Incessit itineri, et proelio, *h. e.* viae pariter, et pugnae compositus. [*Haec dicendi ratio sine aliorum exemplo est. *Liv.* 2, 63. Sabini usque ad portas urbis populantes incessere; et 21, 33. Prima deinde luce castra mota, et agmen reliquum incedere coepit; et 28, 14. Segnius Hispanorum signa incedebant. *Tac. A.* 4, 47. Propius incedentes.] *Sall. Jug.* 107. Barbari in perculsos Romanos acrius incedere. [**Liv.* 8, 8. Unoque continenti agmine in hostem incedebant: ubi tamen codd. pars maxima, *Drakenborchio* assentiente, *incidebant.* Cf. 9, 21.] ℙ Pro intrare. *Just.* 34, 3. Mittitur legatus Popilius ad Antiochum, qui obstinere illum Aegypto, aut si jam incessisset, excedere juberet. ℙ Pertinet etiam ad gravitatem, ac tarditatem gressus. *Sen. Q. N.* 7, 31. Tenero et molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus. Huc illa pertinent *Sall. Jug.* 34. Incedunt per ora vestra magnifice. *Cic. Fam.* 2, 9. Repente vero incessi omnibus laetitiis. *Virg. A.* 1, 500. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit, magna juvenum stipante caterva. *Hor. Epod.* 15, 18 quicumque es felicior, et meo Superbus incedis malo. ℙ Item illa, in quibus pro apparere, aut esse ponitur, simulque gravitatem incessus significat. *Virg. A.* 1, 500. Ast ego quae Divum incedo regina, Jovisque Et soror, et conjux. *Propert.* 2, 2, 57. Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto Corpore: et incedit vel Jove digna soror; et 3, 11, 11. Matrona incedit census induta nepotum. *Pl. Bacch.* 4, 9, 146. Ut ovans praeda onustus incederem. [**Liv.* 1, 26. Quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis; et 2, 6. Nostris decoratus insignibus magnifice incedit; coll. 2, 49. *Lucr.* 3, 76. Incedit claro honore.] ℙ Cum accusativo vi praepositionis, quae inest in ipso verbo. *Tac. A.* 1, 61. Incedunt moestos locos, visuque ac memoria deformes. ℙ Saepe est advenire, intrare, ingruere, invadere, occupare: et fere in praeteritis usurpatur. *Colum.* 2, 10. Si sterilitas annonae incessit hominibus. [*Hujus verbi cum dativo conjuncti plura exempla collegit *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 31, 3. Ad hoc mulieres, quibus reipublicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, etc.] *Id.* 11, 1. *med.* Ubi crepusculum incesserit. *Id.* 12, 50. Cum majora frigora incesserunt; et 11, 3. *f.* Ubi noxia incesserunt animalia. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac.* Inopia ambos incessit. *Id. or. ad Caes.* 1. *med.* Is incessit mos, ut adolescentuli sua atque aliena consumere, pulcherrimum putent; et *Jug.* 13. Ubi Romam legati venere, tanta commutatio incessit, ut, etc. *Liv.* 29, 10. Tanta incessit in ea castra vis morbi, ut, etc. *Sall. Jug.* 45. Ubi formido illa mentibus decessit, ilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere. *Liv.* 4, 57. *med.* Gravior cura patribus incessit. *Id.* 1, 17. Timor patres incessit, ne, etc. *Id.* 8, 17. Religio deinde incessit, vitio eos creatos. *Id.* 24, 13. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi; et 3, 60. Indignatio hostes incessit. *Ter. Andr.* 4, 3, 15. Nova nunc religio in te istaec incessit. *Justin.* 22, 6. Stupor omnes et admiratio incessit. ℙ Non desunt grammatici, qui verbum impersonale faciunt, vel ab *incesso* ducunt. Apparet tamen, duci ab *incedo* ex sequentibus. *Liv.* 29, 24. Periculum erat, ne timor in exercitu incederet. Al. leg. *in exercitum incideret. Tac. A.* 3, 26. Ubi pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes; et 36. Incedebat deterrimo cuique licentia, impune probra in bonos excitandi; et *ib.* 15, 37. Postquam tenebrae incedebant; et *ib.* 2, 55. *extr.* Haud invito imperatore ea fieri, occultus rumor incedebat.

[INCĔLĀTUS, a, um, adj. non celatus. *Gloss. Phil.* Incelatus, ἄκρυπτος *F.*]

INCĔLEBRĀTUS, a, um, adj. *Tac. Ann.* 6, 7. *extr.* Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata. [*Ap. solum Tacitum.]

INCĔLEBRIS, e, adj. ἀδοκίμαστος, non celebris. *Sil.* 8, 379. Incelebri valle. *Gell.* 5, 14. Non in celebres libri. *Id.* 1, 22. Non incelebris advocatus.

INCENDĔFĂCĬO, is, a. 3. incendo. *Treb. Claud.* 8. Qui carraginem tantam nunc incendefecit. Ita legit *Salmas.* Alii *incendi fecit*, alii *incendio offecit.*

[INCENDĬĀLIS, e, adj. *Tert. ad nat.* 1, 18. Si crucem, configendi corporis machinam, nullus ex vobis regulus pepigit, attamen jam ignis contemptus evasit, ex quo se quidam proxime vestiendum incendiali tunica ad certum usquequaque tempus auctoravit. V. MOLESTUS et TUNICA. *F.*]

INCENDĬĀRĬUS, a, um, adj. ad incendium spectans, *Ammian.* 20, 11. Malleolos atque incendiaria tela torquentes. *Veg. Mil.* 4, 8. et 18. Oleum incendiarium, *h. e.* naphtha. ℙ De incendiaria ave ita *Plin.* 10, 3, 17. Inauspicata est incendiaria avis, propter quam saepe numero lustratam Urbem, in Annalibus invenimus, sicut L. Cassio, C. Mario Coss., (*h. e.* an. U. C. DCXLVII.) quo anno et bubone viso lustrata est. Quae sit avis ea, nec reperitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam esse quaecumque apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus. Alii spinturnicem eam vocant. Sed haec ipsa quae esset inter aves, qui se scire diceret, non inveni. Haec *Plinius.* ℙ Absolute *Incendiarius*, *ii*, m. πυρεύς, qui aedificiis ignem injicit. *Quint. Decl.* 9, 21. Morabar inter sacrilegos, incendiarios, et

(quae gladiatoribus una laus est) homicidas inclusos turpiore custodia. *Tac. Ann.* 15, 67. Auriga, et histrio, et incendiarius exstitisti. Adde *Suet. Vit.* 17.

INCENDIOSUS, a, um, adj. incendio, seu calore plenus. *Appul. Herb.* 58. Folia gustu remordentia, et incendiosa. *Fulgent. Mythol.* 1, 15. Solis fervor incendiosior.

INCENDIUM, ii, n. ἔμπρησις, inflammatio, ignis dilatatio et augmentum. *Plin.* 2, 68, 68. Incendium siderum. *Id.* 18, 33, 76. Auster Africae incendia cum serenitate affert. *Id.* 3, 8, 14. Aetna nocturnis mirus incendiis. ℙ Item saepius combustio. *Cic. Dom.* 24. Domus ardebat non fortuito, sed oblato incendio. *Id. Cat.* 2, 5. Eructant sermonibus suis caedem bonorum atque urbis incendia. *Id. Par.* 4. *f.* Incendium facere. *Id. Mur.* 25. *extr.* excitare et restinguere. *Ov. R. Am.* 117. sedare. *Plin. ep.* 10, 42. compescere. *Suet. Ner.* 16. arcere. *Curt.* 3, 4. *extr.* inhibere. *Petr. Sat.* 124. portare terris. *Virg. A.* 10, 406. immittere silvis. *Ov. Met.* 14, 539. jactare incendia dextra, *h. e.* faces, flammas. Sic *Virg. A.* 2, 329. incendia miscere; et *G.* 2, 311. glomeratque ferens incendia ventus. *Nep. Them.* 4. Oppidum incendio delere. *Caes. B. G.* 7, 55. Incendio frumentum corrumpere. *Tac. H.* 4, 60. *extr.* Cunctos, qui proelio superfuerant, incendium hausit. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 4. Incendio consumi. *Cic. Cat.* 1, 11. *extr.* conflagrare. *Justin.* 1, 3. Se et divitias suas in incendium mittere. *Virg. A.* 5, 680. Sed non idcirco flammae atque incendia vires Indomitas posuere. ℙ De igne, aut facibus. *Id. ib.* 9, 71. socios incendia poscit ovantes. ℙ De nimio calore stomachi. *Lucr.* 4, 869. glomerataque multa vaporis Corpora, quae stomacho praebent incendia nostro, Dissipat adveniens liquor. ℙ Translate est calamitas, exitium, periculum. *Cic. Mur.* 25. *extr.* Si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum. [*Cf. *Sall. Cat.* 31. *f.*] *Id. Tusc.* 4, 32. Amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia! *Just.* 9, 3. Ne, victis Atheniensibus, bellum, veluti vicinum incendium, ad se transiret. *Cic. Marc.* 9. Belli civilis incendium salute patriae restinguere. *Id. Cat.* 1, 11. *extr.* Invidiae incendio conflagrare. *Liv.* 22, 40. Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse. [*Cic. Fam.* 10, 33. Res cogit huic incendio succurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi Rom. salvum esse volunt. Adde *ib.* 4, 13. ubi de conjur. Catil. ponitur. — Item de judicio capitis *Cic. Fam.* 5, 20. Incendio Plaetoriano Sejus adustus est, recte *intpr. Manut.* quod in condemnatione Plaetorii Sejus quoque in judicium vocatus sit, et, quo ea pecunia pervenerit, quaesitum. Coll. *Liv.* 39, 6. Incendio alieni judicii — conflagrare, i. e. propter invidiam alieni judicii condemnari et perire.] ℙ Item vehemens animi commotio ex cupiditate, amore, et hujusmodi. *Cic. Fin.* 5, 24. Cupiditatum incendiis inflammatus. *Pl. Merc.* 3, 4, 3. Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium: ni oculos lacrimae defendant, jam ardeat, credo, caput. *Ov. Fast.* 1, 411. aliae Satyris incendia mitia praebent. *Id. A. Am.* 2, 301. movere incendia, *h. e.* excitare amorem. *Cic. Or.* 8. Restinctis jam animorum incendiis. *Id. Or.* 2, 47. Qui accusando quaestore meo tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore, et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere. *Vell.* 2, 130. Abstruso pectus ejus flagravit incendio, *h. e.* dolore; et 125. Plurimo igne emicans incendium militaris tumultus, *h. e.* seditionis vis. [*Laud. *Ruhnk.* ad h. l. *Marm.* ap. *Grut.* 1067, 5. abolendo incendio tumultus civilis.] *Appul. Met.* 8. Aper incendio feritatis ardescens. ℙ Γνώμη est illud *Flori* 3, 5. Exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt. ℙ *Incendium annonae* est ejus pretii incrementum. *Quint. Decl.* 12, 4. Si quid residui erat, ut carius venderent, ad annonae incendium suppressum est. *Manil.* 4, 168. Et gravia annonae speculantem incendia, ventis Credere opes. V. v. sq.

INCENDO, is, endi, ensum, a. 3. ἐμπυρίζω, accendo, inflammo, comburo: ab *in* intentiva, et inusitato *cando*, unde *candeo*. *Caes. B. C.* 2, 11. Cupas taeda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt. *Id. B. G.* 1, 5. Oppida, vicos, aedificia incendere. *Cic. Att.* 9, 6. Naves omnes aut praecidisse, aut incendisse. *Id. Verr.* 2, 4, 35. Tus et odores incendere; et *ib.* 2, 5, 35. Classem inflammare et incendere. *Virg. G.* 1, 81. agros; et 271. vepres. *Id. A.* 3, 279. aras votis, *h. e.* votivas victimas aris cremare. *Lucan.* 4, 68. Incendere diem nubes oriente remotae, *h. e.* effecere, ut sol esset ardentior, et diem calore accenderet. *Liv.* 9, 9. Si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? *Caes. B. G.* 7, 30. Quod primo incendendum Avaricum, post deserendum censuerat. ℙ Item calefacere. *Colum.* 12, 19. Levi igne, et tenuibus lignis fornacem incendemus. ℙ Item illuminare, igneum colorem inducere. *Virg. A.* 5, 87. maculosus et auro Squamam incendebat fulgor. *Ov. Pont.* 2, 1, 41. Deque triumphato, quod sol incenderit, auro, etc. *Stat. Silv.* 2, 1, 134. vivis digitos incendere gemmis, *h. e.* ornare ita ut splendeant. ℙ Translate est affectum aliquem vehementer commovere, concitare. *Cic. Fam.* 15, 21. Cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendae nostrae. *Id. Att.* 9, 1. Ne odia improborum rursus in nos quae jam exstincta erant, incendamus. [*Huc pertinent et ista *ib. Or.* 2, 45. Nulla mens potest incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris. *Fam.* 13, 15. Hominem perustum etiamnum gloria volunt incendere. *Att.* 2, 16. Si ulla res est, quae bonorum animos, quos jam video esse commotos vehementius possit incendere; et al.] *Ter. Hec.* 4, 1, 47. Incendor ira, esse ausam facere haec te injussu meo. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Incendi amore. *Id. Or.* 10. desiderio. *Id. Tusc.* 1, 2. gloria ad studia. *Ter. Andr.* 2, 1, 8. Lubidinem alicujus incendere. *Sen. Brev. vit.* 16. Quid est aliud vitia nostra incendere, quam auctores illis inscribere Deos? *Suet. Cal.* 15. studia hominum omni genere popularitatis. *Virg. A.* 4, 147. animum dictis; et *ib.* 6, 890. animum famae venientis amore. *Val. Fl.* 6, 92. proelia cornu; quod *Virg. A.* 6, 165. Martemque accendere cantu. *Juven.* 6, 647. Rabies jecur incendit. ℙ Cum infinito. *Enn.* ap. *Non.* 2, 696. Deum me incendit facere pietas, civium porcet pudor. ℙ *Incendere aliquem*, commovere, incitare, irritare. *Virg. A.* 4, 260. Desine meque tuis incendere, teque querelis. *Sall. Jug.* 27. Ne amplius morando, Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet. (Adde *Ter. Ph.* 1, 4, 9.) *Hor. Sat.* 2, 6, 47. acris ubi me Natura incendit. *Val. Fl.* 6, 207. Tyndariden incendit amor. *Quint.* 4, 2. *med.* Incendere aliquem, et plenum irae relinquere. *Sall. Cat.* 13. juventutem ad facinora; et 39. plebem largiundo atque pollicitando. ℙ Pro implere per catachresin, ut *Servius* notat in illo *Virg. A.* 10, 895. clamore incendunt coelum. Adde *ib.* 11, 147. Sic *Just.* 38, 8. *f.* Ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Simile est illud *Sil.* 14, 209. atque hinnitibus aera flammat. ℙ Pro amore accendere. *Ov. Met.* 3, 426. pariterque incendit, et ardet. Adde *Virg. A.* 1, 664. ℙ Pro augere. *Virg. A.* 5, 455. pudor incendit vires; et *ib.* 9, 500. incendere luctus. *Varr. R. R.* 3, 2. *f.* annonam: quod *paulo sup.* dixerat *excandefacere*. ℙ *Incendere genus suum* est perdere, et quasi incendio consumere, ap. *Pl. Trin.* 3, 2, 42. ℙ *Opus artificem incendit* ap. *Sever. Aetn.* 187. *h. e.* accendit cupiditate intelligendi, acuit, stimulat. ℙ In illo *Stat. Th.* 1, 630. de Phoebo: Pestifera arma jacit, camposque, et celsa Cyclopum Tecta superjecto nebularum incendit amictu: *incendit* est corrumpit, absumit, velut incendio, nebulis, aestuque pestilenti. ℙ *Rogum incendere*, ap. *Pl. Men.* 1, 2, 44. proverbiali locutione est opipare vivere, genio indulgere, vino et epulis diem consumere. Versu praecedenti dixerat *diem comburere*. V. COMBURO. ℙ *Incensit*, pro *incenderit*, olim dictum est, *Festo* teste.

INCENSE, adv. vehementer, ardenter. *Gell.* 10, 3. *med.* Odium in Verrem incense, atque acriter, atque inflammanter facit.

INCENSIO, onis, f. ἔμπρησις, incendium, combustio. *Cic. Cat.* 3, 4. Annus post Capitolii incensionem vicesimus. *Id. Sull.* 11. Incensione urbem, internecione cives liberavi. *Arnob.* 7, 234. Incensio turis.

*INCENSIVUS, a, um, adj. *Macer de Junip. carm.* 4, 10. Juniperi virtus est incensivaque et acris. *B. A.*

INCENSOR, oris, m. ἐμπρηστής, qui incendit. *Claud. Sat. Dig.* 48, 19, 16. §. 9. Messium incensores. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* edidit *incisores*. Sed *incensores messium* habetur etiam ap. *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 20. ℙ *Incensores specularum* ap. *Appul. de Mundo* sunt qui in speculis ignes accendunt significandi gratia. V. SPECULA. ℙ Translate est concitator. *Ammian.* 31, 9. Metuendus antehac incensor turbarum.

[INCENSUM, i, n. tus, thymiama. *Isid. Orig.* 4, 12. Incensum dictum, quia igne consumitur, dum offertur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 639. Et praeterea omnibus Kalendis, Nonis, Idibus suis quibusque mensibus lucerna lucens sibi ponatur, incenso imposito. *Gloss. Philox.* Incensum, θυμίαμα. *F.*]

INCENSUS, a, um, part. ab *incendo:* accensus. *Virg. A.* 1, 730. dependent lychni laquearibus aureis Incensi. *Id. G.* 3, 459. Profuit incensos aestus avertere. *Id. A.* 8, 285. Incensa altaria. ℙ Item ἐμπεπυρισμένος, combustus. *Sall. Cat.* 48. Vigesimus annus ab incenso Capitolio. *Nep. Milt.* 7. Lucus nocturno tempore incensus. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 1. Aiax fulmine incensus. ℙ Translate est aliqua animi perturbatione commotus, concitatus, inflammatus. *Sall. Cat.* 49. Incensus odio. *Nep. Lys.* 2. dolore. *Id. Pelop. f.* ira. *Virg. A.* 4, 376. Furiis; et *ib.* 3, 298. magnoque incensum pectus amore, Compellare virum, etc.; et *ib.* 5, 719. Talibus incensus dictis. *Cic. Rosc. Am.* 16. Incensus studio, quod ad agrum colendum pertinet; et *opt. gen. Or. f.* Inimicitiis incensa contentio. ℙ Absolute. *Hirt. B. G.* 8, 48. Equus incensus calcaribus. *Nep. Eum.* 10. Adeo erat incensus, ut leniri non posset. [*V. *Brem.*] Sic *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Vehementer Sthenio incensus. Al. leg. *infensus*. [*ita *Orell.*] *Phaedr.* 3, 10. Incensus ille falso uxoris crimine. *Virg. A.* 4, 300. totamque incensa per urbem Bacchatur. *Cic. Prov. cons.* 14. Nec imperatorem incensum ad rempubl. bene gerendam revocare debemus. *Justin.* 18, 4. Incensus pecunia, *h. e.* pecuniae cupiditate. *Cic. Fam.* 1, 9. Caesar a Crasso in me incensus. *Plin. Pan.* 73. Huc magis incensi sumus, ut precaremur. [*Lucan. 3, 484. at postquam virtus incensa virorum Perpetuam rupit, defesso milite cratem, etc. i. e. ad furorem usque adaucta. V. *Cort.*] ℙ Est etiam non census, in censu non descriptus. *Cic. Caec.* 34. Hominem incensum vendere. *Liv.* 1, 44. Lex de incensis lata. *Id.* 4, 8. Populus per multos annos incensus. ℙ [*Permutantur *incensus* et *incautus*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 11, 781.]

INCENTIO, onis, f. ἐπαύλησις, cantio, sonus: ab *in* intentiva, et *cantio*. *Gell.* 4, 13. Democritus docet, plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum. ℙ Speciatim sumitur pro incantamento, quod vocis modulatione fiebat. *Gell.* 16, 11. Et incentionibus, herbarumque succis faciant medelarum miracula.

INCENTIVUS, a, um, adj. ἐπαυλητικὸς, qui ad canendum inservit. Tibia incentiva, quae a dextra canit, sicut succentiva, quae a sinistra succinit. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. ℙ [Translate incentivus dicitur qui prior est, ut succentivus qui posterior. *Id. ib.* Aliud pastio, aliud agricultura, sed affinis. Et licet adjicias, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, quae succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra dextrae. *F.*] ℙ Item ad incitandum aptus: quia incentione tubarum solent milites ad pugnam incitari. *Prud. Hamart.* 250. terras lues incentiva fatigat. ℙ *Incentivum* absolute est invitamentum, stimulus. *Hieron. ep.* 52. *n.* 3. Incentiva vitiorum, et carnis titillationes. *Incertus Auct. Pan. ad Constant.* 1. Non tubae solum, sed etiam Spartanae tibiae incentivum aliquod feruntur habuisse. *Prud. Apoth.* 929. Est incentivum peccaminis.

INCENTOR, oris, m. qui incinit. V. ACCENTOR. *Paul. Nol. carm.* 15, 32. Carminis incentor Christus. *Avien. Perieg.* 895. Incentore canam Phoebo, Musisque magistris. ℙ Translate est concitator, stimulator. *Ammian.* 15, 1. Apodemius quoad vixerat, igneus turbarum incentor. [*V. *Lindenbr.* et cf. 16, 12. 19, 12.] *Oros.* 7, 28. Persecutionis Christianorum incentor. [*Id. 5, 19. Sertorius jam hic civilis belli incentor; et 20. Incentore Mario consule; et 6, 11. Rebellionis totius incentorem; et sic saepissime apud hujus aetatis scriptores.]

INCEPS pro deinceps, ap. vet. *Festus.*

INCEPTIO, onis, f. ἀρχή, inceptum, principium, actus incipiendi. *Cic. Acad.* 4, 38. Tam praeclari operis inceptio intermitti non debet. *Ter. Andr.* 1, 3, 12. Audire eorum est operae pretium audaciam: nam inceptio est amentium, non amantium. Quidquid peperisset, decreverunt tollere.

INCEPTO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιχειρέω, frequentativum ab *incipio*, et ejusdem fere significationis, aggredior, ordior. *Pl. Curc.* 1, 1, 23. Numquid tu, quod te, aut genere indignum sit tuo, Facis, aut inceptas facinus facere? *Id. Truc.* 1, 2, 28. Quo iter inceptas. *Id. Trin.* 4, 3, 23. Basilica hic facinora inceptat loqui. *Ter. Eun.* 5, 8, 1. Qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso? *Gell.* 1, 11. Tibicines canere inceptabant. ℙ Sunt qui scribunt *incoepto*, tanquam sit a *coepi:* sed ab *inceptum* ducere, et diphthongum omittere, magis videtur esse ex analogia.

INCEPTOR, oris, m. ἐξαρχος, qui incipit. *Ter. Eun.* 5, 9, 4. O mearum voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector!

INCEPTUM, i, n. ἐγχείρημα, principium, institutum. *Cic. Cat.* 2, 12. Si cujus ego non modo factum, sed inceptum ullum, conatumve contra patriam deprehendero. [*Ita saepius *inceptum* de conatu temerario dici solet. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 16. hujusmodi inceptum duntaxat arguere. Plura exempla collegit etiam *Burm.* ad *Vell.* locum mox seq.] *Vell.* 2, 68. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *extr.* Cupio deterrere, ne permaneas in incepto. *Ov. Met.* 6, 50. Perstat in incepto. *Liv.* 31, 26. Absistere incepto. *Virg. A.* 1, 41. me ne incepto desistere victam? *Sall. Cat.* 4. Detinere ab incepto aliquem. *Nep. Dion.* 8. *extr.* deterrere. *Sall. Cat.* 7. *extr.* Ea res longius nos ab incepto trahit; et *Jug.* 4. *extr.* Nunc ad inceptum redeo, *h. e.* ad rem redeo. *Virg. A.* 5, 678. Piget incepti: et *ib.* 7, 259. Dii nostra incepta secundent; et *ib.* 11, 469. magna incepta deserere; et *ib.* 2, 654. haerere in

incepto; et *ib.* 4, 452. inceptum peragere. *Sall. Jug.* 73. patrare. *Id. Cat.* 17. Favere inceptis alicujus. *Nep. Milt.* 1. Incepta prospera. *Ov. Am.* 3, 2, 56. inceptis annue, Diva, meis. *Hor. A. P.* 127. ab incepto.

INCEPTUS, a, um, part. ab *incipio*. *Ter. Andr.* 3, 3, 7. Amicitia, quae incepta a parvis, cum aetate accrevit. *Virg. G.* 2, 39. inceptumque una decurre laborem. *Caes. B. G.* 7, 17. Inceptam oppugnationem relinquere. *Virg. A.* 8, 90. iter inceptum celerare; et *ib.* 12, 832. inceptum frustra submitte furorem. ℙ Pro non ceptus, initium non habens. *Appul. de Mundo f.* Saturnum illi appellant *Κρόνον*, quasi *χρόνον*, idest quendam inceptum ab origine, interminum ad finem.

INCĔPTUS, us, m. inceptum. *Nep, Iphicr.* 2. Epaminondae retardavit inceptus. Al. leg. *impetus*. *Val. Fl.* 6, 124. inceptus jam lancea temnit heriles.

INCĔRĀMENTUM. V. INTERAMENTUM.

INCĔRĀTUS, a, um, part. ab *incero:* cera obductus. *Cels.* 8, 8. Ex ferula facto canaliculo, eoque intus incerato.

INCERNĬCŬLUM, i, n. *τηλία*, genus cribri minutioribus foraminibus praediti, quo farina a furfuribus secernitur. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 153. Cribrum incerniculum, lucernam in laterem, in telam licium. Alii putant hic divisim scribendum *Cribrum in cerniculum*. *Cato R. R.* 13. Cribrum unum, incerniculum unum. *Plin.* 8, 44, 69. Athenienses decretum fecere, ne frumentarii negotiatores ab incerniculis eum (mulum) arcerent; nempe in quibus furfures, seu potius farina, venui exponebantur, ut habet *Suidas*. *Τηλία, περίφραγμα σανίδων ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν τῇ ἄλφιτα ἐπιπράσκοντο.* [*Egregie hunc locum immutavit et auxit *F.*]

INCERNO, is, crevi, etum, a. 3. unam rem in aliam cribro, sive incerniculo cerno: ab *in* intentiva, et *cerno*, dirimo, sejungo. *Cato R. R.* 48. Et eo terram cribro incernito. *Varr.* ap. *Non.* 2, 355. Liba cum sunt facta, incerni solent farris semina. *Vitr.* 7, 1. Super fricaturam incernatur marmor. *Colum.* 5, 6. Atque ita cribro putrem terram duos alte digitos incernemus. [*Et hic locus emendatione a *F.* instituta gaudet.]

INCĔRO, as, a. 1. *κηρόω*, aliquid cera tego. *Genua Deorum incerare*, erat tabellis sua vota inscribere, eaque Deorum genubus affigere. *Juven.* 10, 55. Propter quae fas est genua incerare Deorum. Ita *Rutgers. l.* 5. *Variar. lect. c.* 5. ubi multa congerit in hanc rem. Idem sentire videtur *Turn. adv.* 1, 17. Alii tamen *incerare* interpretantur, saepe repetitis osculis et amplexibus, unguen ac sordes, veluti ceram, inducere. *Prud. contr. Sym.* 1, 203. saxa illita ceris Viderat, unguentoque Lares humescere nigros. *Id. Hamart.* 404. Incerat lapides fumosos idololatris Religio.

INCERTĔ, adv. *Enn.* ap. *Gell.* 19, 10. Incerte meus errat animus. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 2. Incerte errans vagat.

INCERTO, adv. idem ac incerte. *Pl. Ps.* 4, 2, 7. Quotumas aedes dixerit, id ego admodum incerto scio. Adde *Epid.* 3, 4, 68. Sic 4, 1, 18. Incerto autumo.

INCERTO, as, a. 1. *ἀδηλόω*, incertum, seu dubium reddo. *Pl. Ep.* 4, 1, 18. Longa dies meum incertat animum. *Appul. Met.* 11. Cursus spatio prospectum suum nobis incertat; et *ib.* 5. Singultu lacrimoso sermonem incertans. Adde *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 423.

INCERTUS, a, um, adj. *ἄπορος*, *ἄδηλος*, non certus, dubius: et cum de rebus dicitur, obscurus, non plane cognitus. *Cic. Agr.* 2, 25. Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe, et caeca exspectatione pendere. *Id. Or.* 28. Ancipites dicendi, incertique casus. *Id. Verr.* 2, 5, 52. Aetas puerilis maxime lubrica atque incerta. *Plin.* 17, 1, 1. *f.* Incerta atque dubia tractare. *Caes. B. G.* 5, 36. Incertis itineribus per silvas in hiberna perveniunt; et *ib.* 7, 16. Incertis temporibus diversisque itineribus ire. *Sen. Agam.* 748. Incertos vultus gerere. [**Id. Med.* 123. Incerta, vecors mente non sana feror Partes in omnes; et 939. anceps aestus incertam rapit. *Lucan.* 8, 166. odiumque futuri Projecit fessos incerti pectoris aestus, i. e. quod in varia consilia diducitur, et nihil constituit.] Et *Ov. Amor.* 1, 11, 1. Colligere incertos, et in ordine ponere crines, *h. e.* turbatos, incompositos. *Mart.* 2, 66. comarum Annulus incerta non bene fixus acu, *h. e.* non stabili. *Virg. A.* 6, 270. per incertam lunam sub luce maligna, *h. e.* quae non plene apparet nubibus involuta. Sic *ib.* 3, 203. Incerti soles, *h. e.* obscuri. *Id. ib.* 2, 223. fugit cum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervice securim, *h. e.* quae certum ictum non fecit. *Cic. Mur.* 17. Nihil est incertius vulgo. *Id. Sext.* 22. *med.* Vitam suam ad incertissimam spem reservare. [**Lucan.* 5, 226. Jure sed incerto mundi, subsidere regnum Chalcidos Euboicae, vana spe rapte, parabas. Sensus est: cum adhuc incertum esset, quis mundi dominus esset futurus. *Id.* 2, 593. et dedita Sacris Incerti Judaea dei, i. e. cui nullum nomen fuerit impositum, neque ulla imago facta. ℙ Incertus est etiam i. q. parum firmus. Ita *Ter. Andr.* 5, 1, 11. *incertae nuptiae* sunt non diu duraturae. Contra *certus maritus* est ap. *Ov. Her.* 5, 107. ℙ Incertum os ap. *Ov. Her.* 8, 92. est: vox balbutiens, qualis est infantum verba tentantium. *Quint. Inst.* 1, 1, 21. Futurus eloquentissimus dedit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit; ubi v. *intpp.*] ℙ Habet post se particulas dubitandi vim habentes. *Cic. Att.* 1, 9. Cum incertus essem, ubi esses. *Virg. A.* 3, 7. Incerti, quo fata ferant; et *ib.* 5, 95. Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis Esse putet. *Ter. Heaut.* 1, 1, 43. Habeam, necne, incertum est. *Id. Hec.* 3, 4. *extr.* Quid dicam hisce, incertus sum. *Id. Phorm.* 4, 3, 54. Incertus sum, utrum, etc. *Liv.* 3, 27. Quid quaeque nox aut dies ferat, incertum esse. *Sall. Jug.* 71. Incerti ignarique, quid potissimum facerent; et 106. Incertus, quonam modo aciem instrueret. *Plin. ep.* 4, 11. Confessus est quidem, sed incertum, utrum quia verum erat, an quia, etc. [**Cic. Sen.* 20. Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 354. p. 306.] ℙ Passive. *Sall. Jug.* 53. Neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, *h. e.* non bene cogniti. ℙ *In incerto esse* est incertum esse: vel *in incertum habere*, pro incerto habere. *Hirt. B. Alex.* 16. Omnia victoribus erant futura in incerto. *Sall. Jug.* 42. Postremo, fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat; et 50. Absens an praesens perniciosior esset, in incerto habebatur; et *Cat.* 42. Allobroges diu in incertum habuere, quidnam consilii caperent. [*V. *Kritz.* ad h. l.] *Tac. H.* 2, 33. In incerto relinquere. [*V. IN.] ℙ *In incertum* est in incertum tempus, vel in incertum casum. *Liv.* 4, 13. Minucius praefectus annonae in incertum creatus. ℙ *Ad*, vel *in incertum revocare*, est incertum reddere. *Cic. Caec.* 13. Ad incertum revocari possessiones omnium; et 27. In dubium incertumque revocare. ℙ *Incertum* absolute est res incerta. *Liv.* 4, 13. Ne cujus incerti vanique auctor esset. *Pl. Ps.* 2, 4, 69. Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, nunc liquet. *Tac. A.* 3, 54. Incerta maris et tempestatum. *Plin. ep.* 3, 19. Incerta fortunae experiri. *Liv.* 30, 2. Duas legiones scripserunt ad incerta belli. ℙ [*Incertum ponitur pro adverbio. *Ov. Her.* 10, 9. Incertum vigilans, i. e. dubie. *Stat. Th.* 5, 212. Incertumque oculis vigilantibus. Contra *certum vigilans* ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 100. ubi v. *Bentl.* ℙ Interdum etiam ablativus *incerto* absolute, ponitur pro: quum incertum esset. *Liv.* 28, 36. Multi adnantes navibus, incerto prae tenebris quid peterent aut vitarent, foede interierunt. Laud. h. l. *Ruddim.* 2, 296. *n.* 4. cf. *n.* 8.] ℙ *Incerti agere*, de re incerta et indeterminata actionem instituere. *JCti* in *Dig.* saepe: sic *incerti stipulatio*, *incerti condicere*, etc. ℙ Cum genitivo historicorum est ac poetarum. [*Disputat de h. constructione prae ceteris Tacito usitatissima *Ramsh. Gr. Lat.* §. 108. 4. N. p. 323.] *Liv.* 24, 30. Solliciti incertique rerum suarum Megaram referri signa jubent; et 4, 23. Tubero incertus veri est; et 57. Incertus sententiae. *Tac. A.* 2, 75. ultionis; et *ib.* 6, 46. animi. *Ov. Trist.* 3, 3, 4. salutis. *Stat. Th.* 5, 524. sui. *Sen. Oed.* 312. viae. *Id. Troad.* 898. voti. *Hirt. B. Afr.* 7, 21. et 28. Naves incertae locorum. ℙ *Incertus* absolute. *Pl. Epid.* 3, 4, 1. Cave, praeterbitas ullas aedes, quin roges: Incertus tuum cave ad me retuleris pedem. ℙ *Incerto me*, insciente me. *Pl. Asin.* 2, 4, 60. Ego certe, me incerto, scio hoc daturum nemini homini. ℙ Sententia est Illud *Ennii* ap. *Cic. Amic.* 17. *extr.* Amicus certus in re incerta cernitur, *h. e.* in dubiis et adversis rebus. ℙ *Incertum* pro *incertorum* dixit *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 1. ℙ *Incertus ager* apud augures qui sit, V. PEREGRINUS.

INCESSĀBĬLIS, e, adj. *ἀκατάπαυστος*, qui non cessat. Est *Orosii prooem. l.* 7. *f.*, *Coel. Aurel. Tard.* 4, 6., et *Capell.* 1, 14.

INCESSĀBĬLĬTER, adv. incessanter. *Hieron. ep.* 64. *n.* 19. Incessabiliter velut rotam in suo axe torqueri. Adde *Capell.* 9, 303. et *Fulgent. Mythol. l.* 1. *in.*

INCESSANTER, adv. *ἀπαυστὶ*, indesinenter. *Imp. Zeno Cod.* 11, 42, 10. *extr.* Excubiis aquae custodiendae incessanter inhaereant. Adde *Sid. ep.* 8, 11. *med.*

INCESSĬO, onis, f. actus incessendi. Affertur locus *Cic. Att.* 12, 5. *f.* Mihi et calendae vitandae fuerunt, incessionumque *ἀρχέτυπα* fugienda. Sed ibi legendum *Nicasionumque*, feneratorum nempe nomen proprium, qui Romae pecuniam fenori dabant, quorumque *ἀρχέτυπα*, *h. e.* calendaria sibi fugienda ait *Cicero*, qui solvendo tunc non fuisse videtur.

INCESSIT. V. INCEDO.

INCESSO, is, ivi, et essi, a. 3. *παραγείνομαι*, invado, appeto, impeto, aggredior, molestus sum, lacesso: frequentativum ab *incedo*. *Liv.* 8, 24. *f.* Cum jaculis saxisque procul incesseretur. *Col.* 8, 11. *med.* Cum tot unum incesserent manus. *Plin.* 33, 3, 16. Feras noxii incessivere. *Suet. Rhet.* 6. Aliquem, ut impium, incessere. *Id. Cal.* 25. *extr.* Infestis digitis ora et oculos infantium incessere. *Ov. Met.* 14, 402. saevisque parent incessere telis. *Stat. Silv.* 1, 4, 76. Bello quempiam incessere. *Ov. Met.* 13, 132. dictis protervis. *Suet. Claud.* 12. exsecrationibus. *Id. Tib.* 11. convicio. *Sil.* 11, 209. verbis amaris. [**Lucan.* 5, 680. sq. Circumfusa duci flevit, gemituque suorum Et non ingratis incessit turba querelis. Laud. *Cort.* ad h. l. *Lucan.* 8, 64. Non ultra gemitus tacitos incessere fatum Permisere sibi; et *Ov. Trist.* 3, 11, 31. et *Sil.* 3, 171.] *Stat. Th.* 1, 245. poenis. *Tac. H.* 2, 23. criminibus, *h. e.* accusare. Sic *ib.* 3, 65. occultis suspicionibus; et 77. Fuere, qui uxorem Vitellii incesserint, tanquam superbe et severe egisset, *h. e.* arguerint, criminati sint. *Gell.* 1, 2. Juvenes objurgatione justa incessivit. *Stat. Th.* 11, 390. Incessere moras. *Quint. Decl.* 5, 2. Famam alicujus incessere. *Symm. ep.* 1, 2. (*al.* 5.) Nequicquam taciturnitatis incessimur. *Sil.* 1, 473. cuncta e muris unum incessentia tela. *Suet. Vit.* 17. Quibusdam stercore et coeno incessentibus. ℙ In illo *Stat. Th.* 11, 361. Tecta incessentem, *Eutyches* 2, 2184. legi ait *incessantem*, ut a prima conjugatione. Sed depravato codice videtur usus.

INCESSUS, us, m. *βάδισις*, gressus, ambulatio, actus, et modus incedendi: et dicitur tum de hominibus, tum de aliis animalibus. *Cic. Off.* 1, 35. *med.* Status, incessus, sessio, accubitio teneant illud decorum. *Id. Fin.* 2, 24. Incessum fingere, quo gravior videaris. *Sall. Cat.* 15. Citus modo, modo tardus incessus. *Ov. A. Am.* 3, 306. In incessu molliorem esse. *Quint.* 5, 9. *f.* Incessus fractus. *Tac. H.* 1, 53. Caecina decora juventa, cito sermone, erecto incessu; et *ib.* 4, 11. Apparatu, incessu, excubiis vim principis complecti. *Ov. Met.* 11, 636. Exprimere incessus, vultumque, sonumque. *Virg. A.* 1, 409. Et vera incessu patuit Dea. *Plin.* 10, 38, 54. Omnibus animalibus certus et uniusmodi incessus est. *Cic. Or.* 18. Rarus incessus, nec ita longus: quem *Quint.* 11, 3. *med.* ambulationem vocat. ℙ Item ingressus, invasio. *Tac. A.* 12, 50. Incessu Parthorum sine acie pulsi Iberi; et *ib.* 4, 24. Primo incessu solvit obsidium. ℙ Item aditus. *Id. ib.* 6, 33. Cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum, mare inter et montes, aestas impediret.

INCESTĔ, adv. *μιαρῶς*, non caste, inquinate, impure, turpiter. *Cic. Coel.* 14. *extr.* Ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere? *Liv.* 1, 45. *f.* Inceste sacrificium Dianae facere. *Lucret.* 1, 98. Inceste nubere. *Arnob.* 5, 170. Agit incestius res suas.

INCESTĬFĬCUS, a, um, adj. *μιαρὸς*, incestuosus. *Sen. Phoen.* 223. Nefandus, incestificus, exsecrabilis.

INCESTO, as, avi, atum, a. 1. *μιαίνω*, incestum reddo, polluo, contamino. *Virg. A.* 6, 150. totamque incestat funere classem. *Stat. Th.* 11, 120. de Furiis: Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem Suffundi maculis. *Id. Silv.* 5, 5, 4. quas incestavimus aras. *Claud. cons. Mall. Theod.* 267. Turpia non Latios incestant nomina fastos. [*V. *Heins.* ad *Vell.* 2, 73.] ℙ Refertur ad impudicitiam, illicitosque concubitus. *Suet. Tib.* 43. Ut monstrosi concubitus repertores invicem incestarent se. *Tac. A.* 6, 19. Sex. Marius defertur incestasse filiam, et saxo Tarpejo dejicitur. ℙ Simpliciter pro violare, corrumpere. *Pl. Poen.* 5, 2, 136. Neque puellam incestavit unquam.

INCESTUM, i, n. *ἀνόσιος συνουσία*, flagitium impudicum, illicitus cum aliqua congressus lege aut moribus prohibitus. *Cic. Tusc.* 4, 35. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique. (Duo priora *παιδοφθόρων* sunt, reliqua *καταγνναίων.*) *Id. Inv.* 1, 40. Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem, fecit igitur incestum. *Paul. Dig.* 23, 2, 39. Incestum committere. *Quint.* 7, 8. Incesti damnata.

INCESTŬOSUS, a, um, adj. qui incestum committit, incestificus, incestus. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 7. Quae sacris Bacchanalium incestuosae fuerant. Al. rectius leg. *incestu usae.*

INCESTUS, a, um, adj. *ἀνόσιος*, *μιαρὸς*, non castus, impurus, contaminatus, pollutus: ab *in* privativa, et *castus*. A Graeco *ἀνήκεστον*, inexpiabile, incurabile, *Festus* ducit. [*Lact.* ad *Stat. Th.* 2, 283. putat ducendum a cesto, *h. e.* cingulo, quod in honestis nuptiis nova uxor marito tradit; hinc eas vocari nuptias incestas, quae sine cesto fiunt. V. CESTUS. *F.*] *Sen. Hippol.* 1184. Morere, si casta es, viro: si incesta, amori; et 1195. Juvenisque castus crimine incestae jacet. *Cic. Dom.* 40. Incesto flagitio et stupro polluit caeremonias. *Stat. Achill* 1, 45. Incestus praedo, *h. e.* Paris adulter. *Cic. Phil.* 11, 2. Verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerare. *Ov. Trist.* 2, 503. incestis temerari vocibus aures. Sic *Liv.* 8, 28. Perlicere aliquem incesto sermone. *Tac. A.* 12, 4. Incestus amor; et *ib.* 11, 25. *extr.* Incestae nuptiae. *Id. H.* 5, 4. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quae apud nos incesta. *Stat. Th.* 9, 27. subtexunt astra catervae Incestarum avium, *h. e.* corvorum, et hu-

jusmodi, quae humani sanguinis et cadaverum pastu polluuntur. [*Hor. Od.* 3, 2, 30. Saepe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum, *h. e.* reo innocentem. [**Plin. Pan.* 52, 3. Incestus princeps, i. e. stupro aliis illato contaminatus; et 63, 7. Incestae noctes, i. e. stupris rebusque foedissimis peractae, pollutae.] ℙ *Gloss. Philox.* Incestus, ἄοσμος. ℙ *Incesta* est cognomen R., ut C. Valerius Incesta in *Inscr.*, quam vide in V. BOCCHORITANUS. *F.*]

INCESTUS, us, m. incestum. *Cic. Brut.* 32. Sunt enim et aliae, et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio. *Id. Mil.* 22. De servis nulla quaestio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium.

[INCHĂRAXO, as, a. 1. aperio, perforo: ab *in* intentiva, et *charaxo*. *Apic.* 6, 5. Avem incharaxas, et perfundis, *h. e.* perforas ad accipiendum emittendumve humorem.

[INCHOĀMENTUM, i, n. actus inchoandi, principium. Translate rudimentum significat. *Capell.* 3, 93. Scholaria inchoamenta. *Id.* 5, 139. Haec inchoamentorum primordia detrectaret excurrere. Adde 6, 189. *F.*]

[INCHOĀTĬO, onis, f. idem ac inchoamentum. *August. ep.* 120, (al. 222.) 3. Non enim parva est inchoatio cognitionis Dei. *Id. de Genesi in Manich.* 1, 14. Vespera propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis *F.*]

INCHOĀTĪVUS, a, um, adj. ἀοριστέος, ut inchoativa verba, quae rem inchoatam, et futuram significant, ut *horresco*, idest incipio horrere; *torpesco*, incipio torpere. *Charis.* 3, 223., *Diom.* 1, 333., *Prisc.* 8, 824. et *Capell.* 3, 84.

INCHOĀTOR, oris, m. inceptor. *Prud. praef. Hamartig.* 27. ille mortis inchoator, *h. e.* Cain, qui primus occidit hominem.

INCHOĀTUS, a, um, part. ab *inchoo*: ἡμιεργής, inceptus, ac nondum perfectus. *Cic. Or.* 1, 2. Quae adolescentulis nobis, ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt. *Id. Off.* 1, 43. *med.* Cognitio manca atque inchoata. *Id. Brut.* 33. Praeclare inchoata multa, perfecta non plane. *Id. N. D.* 1, 20. *extr.* Erat autem difficile, rem tantam tamque praeclaram inchoatam relinquere. *Pl. Trin.* 1, 2, 95. Qui exaedificaret suam inchoatam ignaviam. *Colum.* 4, 3. Ab inchoato domos exstruere. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 3. Scholam ab inchoato refecerunt, marmoribus ornaverunt, etc. et 169, 6. Schola ab inchoato exstructa, solo dato ab T. Furio, etc. ℙ Item confectus, perfectus. Sic enim multi intelligunt illud *Catulli* 35, 13. Nam quo tempore legit inchoatam Dindymi dominam, etc. Et *mox.* est enim venuste Magna Caecilio inchoata Mater, *h. e.* poema de Cybele. [Sed nihil vetat, quo minus interpretemur, hujus carminis primam tantum partem Caecilium scripsisse, nondum vero idem absolvisse. *F.*]

INCHOO, as, avi, atum, a. 1. ἄρχομαι, incipio, exordior, attingo. Inchoare, inquit *Festus*, videtur ex Graeco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos. *Scaurus* quoque *de Orthogr.* 2251. et *Modest.* ap. *Diom.* 1, 361. a *chaos* deducunt. Sed *Verrius Fl.* et *Tranquill. ib.* a *cohum*, quod apud veteres mundum significat: unde et *incoho* scribi volunt: quod a majoribus factitatum fuisse, *Servius* ad *G.* 3, 223. testatur. [Ita etiam scriptum se reperisse in *Codd. palimpsestis* ait *A. Majus* tum ad *Cic. de Rep.* 1, 35. et *ib.* 3, 2., tum ad *Front.* p. 154. *ed. Rom.*; *Marinius* vero *Frat. Arv.* p. 363. hanc scriptionem Augusteo aevo frequentatam fuisse affirmat. *F.*] Sed scribendi usus *inchoo* obtinuit: et ex vett. lapidib. probatur a *Cellar.* in *Orthogr.*, a quo stant *Manut.*, *Dausq.* et alii. [*Cf. *Casaub.* et *Burm.* ad *Suet. Caes.* 46. *Schaefer.* ad *Plin. ep.* 5, 5, 4., et *Gesner.* in *Thesauro* s. h. v. *Doederl.* 3, 157. docet: *incoho* nonnisi pronuntiatione leniori quidem differre ab *incopo*, ut *hilus* a *pilus*, ideoque ab *incipio* esse deducendum. Ceterum oppon. *perficere* et similia. Exempla v. ap. *Doederl. l. l.* 158. sq.] *Cic. Arch.* 11. Quas res nos in consulatu nostro gessimus, attigit hic versibus, atque inchoavit. *Id. Or.* 9. *extr.* Referamus nos igitur ad eum, quem volumus, inchoandum, et eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius. *Id. Dom.* 51. *med.* Novum delubrum inchoare. *Plin.* 11, 14, 14. Inchoandae vindemiae dies; et 16, 25, 39. Favonius ver inchoans. [*Curt.* 6, 7. Dixit, ab illo capite conjuratos pulcherrimum facinus inchoaturos. *F.*] ℙ Passive. *Plin.* 11, 16, 16. de apib.: Reges plures inchoantur, ne desint. ℙ Neutrorum more. *Symmach. ep.* 7, 75. Moris est, ut munus hujusmodi a proficiscentibus inchoet. *Pall.* 2, 25. *f.* Inchoante mense. ℙ Pro aras sacrificio facto dedicare, usui tradere, ἐγκαινίζειν. *Virg. A.* 6, 252. Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras. *Servius* hic monet esse verbum sacrorum. Sed fortasse pro simplici incipio positum est. ℙ Cum infinito. *Pall.* 13, 2. Post idus pastina inchoemus effodere. [**Lucr.* 3, 184. Quam si mens fieri proponit, et inchoat ipsa.] *Lucan.* 10, 173. longis Caesar producere noctem Inchoat alloquiis. ℙ Absolute. *Stat. Th.* 8, 623. post longa silentia rursus Inchoat Ismene, *h. e.* infit, fari incipit.

[INCIBO, as, a. 1. idem ac cibo. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 10, 230. Hirundo pleno ore volat, dum incibat filios suos, *h. e.* eis ingerit in os cibum. *F.*]

INCĪCUR, ūris, vel ōris, adj. non cicur, immansuetus, ferus. *Pacuv.* ap. *Fest.* Reprime incicorem iracundiam.

INCĪDO, is, īdi, casum, n. 3. ἐμπίπτω, in, vel supra aliquid cado. *Cic. Phil.* 4, 5. Incidere in foveam. [**Lucret.* 6, 1174. Inciderunt praecipites nymphis putealibus.] *Id. Fat.* 3. Ex spelunca saxum in crura ejus incidit. *Ov. Met.* 5, 104. Demetit ense caput, quod protinus incidit arae. *Liv.* 21, 10. *med.* Sagunti ruinae capitibus vestris incident. *Virg. A.* 2, 466. turris Danaum super agmina late Incidit. *Cic. Fam.* 13, 29. *med.* Ille in morbum continuo incidit, ex quo non convaluit. *Stat. Th.* 5, 233. sic illa jacenti Incidit. *Virg. A.* 12, 926. incidit ictus Ingens ad terram duplicato poplite Turnus. ℙ Item accido. *Plin.* 2, 27, 27. Ea accidisse, non quia haec facta sunt, arbitror; verum haec ideo facta, quia incasura erant illa. *Liv.* 1, 46. Forte ita inciderat, ne, etc. *Id.* 26, 23. Forte ita incidit, ut comitiis perfectis nunciaretur, etc. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Si cucurbitula non est (quod tamen vix incidere potest) tum, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Si casus inciderit. [**Auct. B. Afr.* 1. incidit per id tempus, ut.] ℙ Item casu incurro. *Cic. Mil.* 1. Quocumque oculi inciderint. *Id. Rosc. Am.* 52. In eo loco, quo fugam hostium fore arbitrantur, milites collocant, in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. *Cic. Cluent.* 7. Adolescentulus bello captus in Q. Sergii manus incidit. *Id. Fam.* 7, 3. Si quando in vituperatores meos incidisses. *Id. Fam.* 2, 7. Quod in reipubl. tempus non inciderit, sed veneris, (judicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides, etc. *Id. ib.* 5, 8. Non me fortuito ad tuam amplitudinem amplectendam incidisse. [**Quint. Decl.* 15, 2. p. 307. Securi estote pro innocentia nostra, talis incidit, talis adamavit; nec habuit, quod perderet in tam immodico ardore, nisi mentem. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 5, 633. Restituit hanc vocem *Brem.* ap. *Nep. Eum.* 1, 2. Nam quum ejus aetas incidisset in ea tempora: ubi v. Notari poterat elegans usus, quo v. *incidere* de male cautis dicitur, qui, aliud malum evitantes, in aliud idque majus incurrunt. Hinc notissimum illud: Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim: pro quo *Hor. Sat.* 1, 2, 24. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Adde *Cic. Off.* 1, 9, 28. Nam alterum genus assequuntur, in inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt: discendi enim studio impediti, quos tueri debeant, deserunt. *Verr.* 1, 11, 32. *extr.* Qua stultitia fuissem, si in eam diem (scil. reo eripiendo accommodatissimam) ego, cum potuissem vitare, incidissem. Huc pertinent etiam ista, quae Noster paulo superius laudaverat *Liv.* 25, 29. Incidunt inermes inter catervas armatorum; et *Sall. fr.* ap. *Non.* 13, 8. Incidit forte per noctem in lenunculo piscantis; *Cic. Fam.* 7, 3. Incidere in insidias. Adde *Sall. Cat.* 14, 4. Quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat: Optime respondet vernaculum *hineingerathen.*] ℙ Item advenio, supervenio, insto. *Liv.* 28, 13. *f.* Acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat. [**Plin. Pan.* 20, 4. Ut si vis aliqua, vel ipsi illi barbari, quos fugiebat, inciderent. V. *Broukh.* ad *Prop.* 1, 15, 28.] *Cic. Verr.* 2, 2, 74. Sane homini improviso incidi. *Virg. A.* 11, 699. Incidit huic, subitoque adspectu territus haesit Apenninicolae bellator filius Auni. *Caes. B. C.* 3, 13. Tantus terror incidit exercitui, ut, etc. *Virg. G.* 2, 107. navigiis violentior incidit Eurus. *Id. A.* 2, 304. Flamma in segetem incidit. *Ov. R. Am.* 662. nulla simultas Incidit. *Ter. Heaut.* 2, 4, 15. Incidit amori vestro calamitas. *Caes. B. G.* 6, 14. Cum aliquod bellum incidit. *Liv.* 27, 24. Pestilentia gravis incidit per urbem agrosque. Plerique al. leg. *in urbem. Id.* 5, 11. *f.* Cum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore, incidentem portis exercitum viderint, *h. e.* accedentem, et prae lassitudine veluti in portis cadentem. Adde 3, 3. et 27, 13. ℙ Cum accus. vi praepositionis, quae inest in verbo. *Nep. Attic.* 10. Ne quod periculum incideret, praesidium ei misit. Al. leg. *in periculum.* [*Ita *Brem.* quod praeferendum: nam ap. solos poetas *incidere* c. accus. sine praepos. *in* construi solet; excepto *Tac.*, qui *H.* 3, 29. *Quos inciderat balista*, exhibet.] *Virg. A.* 9, 721. Bellatorque animos Deus incidit. Al. leg. *animo. Lucr.* 4, 569. pars vocum non aures incidit ipsas. Al. leg. *accidit. Solin.* 11. Coturnices vela incidunt. ℙ Translate est casu venire. *Cic. Div. Verr.* 15. *f.* Quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi. *Liv.* 1, 57, Potantibus his apud Sex. Tarquinium, incidit de uxoribus mentio. *Cic. Or.* 1, 24. Fortuito in aliorum sermonem incidere; et *Amic.* 1. Memini in eum sermonem illum incidere, qui, etc. *Id. Brut.* 2. *extr.* Cum in eam memoriam et recordationem nuper ex sermone quodam incidissemus. *Ter. Ph.* 2, 3, 5. Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset; et *Heaut.* 3, 3, 37. Aliud ex alio incidit. [Incidere in aliquem ap. *Cic. Fat.* 8. i. e. in ejus sententiam.] ℙ Dicitur et de iis, quae in idem tempus congruunt. *Cic. Pis.* 4. Cum tert. Kal. Jan. Compitaliorum dies incidissent; et *Att.* 6, 1. *f.* Facies me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem. *Id. Or.* 12. Quorum aetas in eorum tempora, quos nominavi, incidit.

INCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. διατέμνω, κόπτω, caedo, praecido, amputo: ab *in* et *caedo*. *Cic. Att.* 4, 2. *med.* Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci. *Quint.* 2, 13. *f.* Si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Scalpello circa vulnus incidere. *Id. praef. l.* 1. Nocentes homines vivos incidere; et *ib.* Incidere vivorum corpora. *Id* 7, 19. Si inguen incidendum est. *Plin.* 14, 9, 41. Palmes inciditur in medullam. *Id.* 29, 6, 58. Incidere venam. *Virg. Ecl.* 8, 29. novas incide faces; et *Ecl.* 3, 11. vites incidere falce; et *A.* 3, 667. funem. ℙ Item caedendo insculpere. *Ov. Met.* 8, 245. ferroque incidit acuto Perpetuos dentes, et serrae repperit usum. *Virg. Ecl.* 10, 53. tenerisque meos incidere amores Arboribus. *Ov. Met.* 9, 528. verba ceris. *Cic. Phil.* 10. leges in aes. *Id. Fam.* 15, 36. nomina in tabula. *Plin. Pan.* 54. *extr.* Non trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis aeternis laudis inciditur. Eodem sensu *incidi* pro inscribi in tabulis publicis, dixit *Id. ib.* 26. et 28. *Plin. alter* 16, 9, 14. Incidens litteras in fago recenti. ℙ Translate est abrumpere. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Poema ad Caesarem, quod composueram, incidi. *Hor. Ep.* 1, 14, 36. Non lusisse pudet, sed non incidere ludum. *Liv.* 44, 6. *med.* et 3, 38. Incidere spem. *Id.* 32, 37. *f.* Longiorem exorsis orationem, brevis interrogatio sermonem incidit. *Albinov.* 3, 7. non omnia dixit: Inciditque pudor, quae prope dixit amor. *Stat. Th.* 9, 884. Tandem haec singultu verba incidente profatur. *Sil.* 3, 78. Si quis forte Deum tantos inciderit actus. ℙ Item auferre, tollere, delere. *Sen. ep.* 101. Ipsam, quam premimus, horam casus incidit. *Cic. Or.* 2, 82. Inciditur omnis jam deliberatio, si intelligitur non posse fieri. *Marc. Dig.* 28, 4, 3. Incidere testamentum. ℙ Item decidere, dirimere. *Virg. Ecl.* 9, 14. Incidere lites. [*V. de varia constructione hujus verbi *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 75, 1.]

INCĪDŪUS, pro *Incaeduus* quidam leg. ap. *Ov.* locis in INCAEDUUS allatis, et ap. *Stat. Th.* 6, 90.

INCĪENS, entis, adj. femina praegnans, propinqua partui: ita dicta, inquit *Fest.* in *Gravida*, quod incitatus sit fetus ejus: vel, ut alii, quod cieat, et invocet alias ad auxilium: vel quod se ciet, seu incitat, ac movet ad pariendum: vel denique ab ἐγείνω, praegnans sum. *Plin.* 11, 37, 84. Incientes sues occidere. *Varr. R. R.* 2, 2. Faciendum quoque septa secreta ab aliis, quo incientes oves secludere possis. V. INCINCTUS.

INCIĒO. V. INCIO.

INCILE, is, n. διωρυγή, ἀμάρα, locus depressus ad latus fluminum, aquae derivandae causa. *Ulp. Dig.* 43, 21, 1. deducit ab *incidendo*, quia incidi tur lapis, vel terra, unde aqua ex flumine agi possit: alii ab *incieo*. *Festus:* Incillae (lege *incilia*) fossae, quae in viis fiunt ad deducendam aquam, sive derivationes de rivo communi factae. *Colum.* 5, 9. A superiore parte, si olea in clivo sit, incilia excitentur, quae limosam aquam ad codicem deducant. *Cato R. R.* 155. Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire, aquam deducere in vias. *Ulp. Dig.* 43, 13, 1. Incile ducere. [*Appul. Met.* 9. Via lacunosis incilibus voraginosa. [*V. latius haec disputantem *Salm.* ad *Solin. f.* 512.] ℙ Translate. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 5. Sane tanquam in quodam incili jam omnia adhaeserunt. Alii aliter leg. ℙ Etiam *inciles*, *ium*, m. plur. *in Gloss. Philox.* Inciles, διωρυγες. *F.*] ℙ Adjective. *Cato l. c.* In monte fossas inciles puras habere oportet.

INCĪLO, as, avi, atum, a. 1. increpo, objurgo, improbo, dictis asperis mordeo. *Voss.* vellet esse ab *incieo*, commoveo. Alii ab *incido*, concido. *Lucr.* 3, 977. Jure, ut opinor, agat, jure increpet, inciletque. *Accius* ap. *Non.* 2, 430. Spernere, incilare probris. *Id. ib.* Incilare factum alicujus. *Pacuv. ib.* Si quis hac me oratione incilet, quid respondeam? *Lucil. ib.* Incilans nos laedis vicissim. ℙ Pro incilia facere. *Pall.* 12, 3. Vinea vetus viridissima parte corticis feriatur, et fossa frequentius inciletur. Al. aliter leg.

INCINARĬUM. V. INCINERĀRIUM.

INCINCTUS, a, um, part. ab *incingo:* idem quod cinctus, amictus, circumdatus. *Cic.* vertens *Euripidis* versus *Acad.* 4, 28. Furiae incinctae igni incedunt. *Liv.* 8, 9. Incinctus cinctu Gabino. *Petr. Sat.* 135. Anus incincta quadrato pallio. *Virg. G.* 4, 342. de Nymphis: Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae, *h. e.* succinctae. Sic *Ov. Fast.* 2, 634. Nutriat incinctos missa patella Lares: (V. SUCCINCTUS.) et *ib.* 5, 675. incinctus tunicas

mercator. Al. leg. *tunica;* et 337. capilli incincti philyra. *Solin.* 15. *med.* Capitum ossa auro incincta. *Mela* 2, 6. Hispania pelago undique incincta est. *Ov. Met.* 3, 162. de fonte: Margine gramineo patulos incinctus hiatus. *Scrib. Comp.* 163. et 164. Habere aliquid incinctum, *h. e.* in zona habere: suspicatur *Rhodius*, legendum esse *in cinctu.* ℙ Item non cinctus, discinctus. *Tibull.* 3, 2, 18. ossa Incinctae nigra candida veste legant. Sic *Suet. Aug.* 100. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, et discincti, pedibusque nudis. Potest tamen ap. *Tibull. l. c.* intelligi *incinctae nigra veste*, amictae, indutae, ut ap. *Petr. l. c. incincta pallio.* [*Incincta femina* dicitur quae gravida est. *Isid. Orig.* 10. Incincta, id est, sine cinctu: quia praecingi fortiter uterus non permittit. At alii rectius fortasse ducunt ab *inciente;* hinc Itali *incinta*, Galli *enceinte*, Hispani *encinta* eandem vocant. V. INCIENS. *F.*]

INCINĔRĀRĬUM, ii, n. *Charis.* 1, 78. Muliebre ministerium, incinerarium dicitur; nam Cato in Originibus, Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis. Haec *Charis.* Porro hoc ministerium erat eorum, qui cinerarii, et ciniflones dicebantur. V. CINERARIUS, ii. Ap. *Charis.* al. leg. *incinarium:* quod corruptum videtur.

INCINGO, is, inxi, inctum, a. 3. *καταζωννύω*, idem quod cingo, circumdo. *Ov. Amor.* 3, 8, 47. turritis incingere moenibus urbes. *Id. Met.* 7, 242. Aras verbenis, silvaque incinxit agresti; et *ib.* 14, 720. nitidaque incingere lauro; et *Her.* 9, 66. incingi zona. *Mela* 2, 3. *med.* Arcadiam Peloponnesiacae gentes undique incingunt. *Catull.* 64, 258. Pars sese tortis serpentibus incingebant.

INCINGŬLUM, i, n. idem quod cingulum. *Non.* 1, 234. Cingulum a cingendo, quod incingulum plerumque dicitur.

INCĬNO, is, a. 3. *ἐπάδω*, cano, accino, insono: ab *in*, et *cano*. *Prop.* 2, 18, 6. varios incinit ore modos. *Gell.* 1, 11. *med.* Si ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti, numeros, et modos, et frequentamenta quaedam varia tibicen incineret. *Id.* 4, 13. Si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.

INCĬO, is, a. 4. vel Incieo, es, a. 2. moveo. *Lucr.* 5, 960. Et Venus in silvis incibat corpora amantum. Al. leg. *inciebat*, ut sit synaeresis: sed et *incibat* ab *incio* esse potest, ut *lenibant* a *lenio*, et *servibat* a *servio*, et *nutribant* a *nutrio*, etc. Al. *jungebat.*

INCĬPĔRA, pro impera, quidam legunt ap. *Pl. Truc.* 3, 2, 8. V. INCITEGA.

INCĬPESSO. V. INCIPISSO.

INCĬPĬO, is, epi, eptum, n. 3. *ἄρχω*, inchoo, coepi, initium facio: ab *in*, et *capio*. *Cic. Off.* 1, 37. *extr.* Ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. [*Proprie v. *incipere* oppon. *desinere*, *desistere*, *cessare*. V. *Döderl.* 3, 158. ubi praeter h. *Cic.* locum et *Tusc.* 1, 49. Homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. (q. l. noster paulo inferius attulerat,) laudantur *Plin. ep.* 9, 4. Ut saepe incipere, saepe desinere videatur; et *ib.* undecumque inceperis, ubicumque desieris. Coll. *ib.* 5, 6, 31. *Pan.* 54, 6. 57, 2. *Sen. Ep.* 116. *in.* Non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris.] *Cic. Att.* 7, 8. Epistola, quam incipiente febricula scripseras. *Sall. Jug.* 117. Statim rex sic incipit: Nunquam ego sum ratus, etc. [*Tac. *A.* 12, 10. Mandata in hunc modum incipiunt.] *Just.* 13, 6. Quibusdam placebat, bellum in Macedoniam transferri: sed in rem visum est, ab Aegypto incipere. *Curt.* 3, 1. *med.* Unde nexus incipere, quove se conderet, perspici non poterat. *Pl. Capt.* 5, 3, 3. Quam diu id factum est? *Stal.* hic annus incipit vicesimus. *Virg. Ecl.* 3, 58. Incipe, Damoeta, tu deinde sequere Menalca. *Id. A.* 2, 268. Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris Incipit. *Plin.* 5, 13, 14. Mox Idumaea incipit et Palaestina. *Id.* 27, 13, 109. Incipiente aestate. *Id.* 8, 5, 5. Menander Syracusanus incipientis juventae. *Id.* 24, 15, 80. Trixago incipientibus hydropicis efficax. *Quint.* 1, 2. Incipientibus et teneris jucundior. *Sall. Cat.* 21. Tantummodo incepto opus est. ℙ Cum accus. *Pl. Cas.* 4, 4, 2. Sospes iter incipe hoc. *Liv.* 7, 34. *f.* Opus incipit nemo. *Virg. Ecl.* 8, 21. Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. *Id. G.* 1, 230. Incipere sementem. ℙ Saepissime infinito jungitur: quod et in praecedentibus subintelligi facile potest. *Pl. Truc.* 2, 5, 14. Si bene facere incepit. *Virg. G.* 1, 5. Hinc canere incipiam. *Caes. B. G.* 2, 2. Cum pabuli copia esse inciperet; et *B. C.* 1, 80. Iter facere incipere. *Cic. N. D.* 2, 3. bella gerere. *Tusc.* 5, 1. diffidere. [*Adde *Lucr.* 4, 884. 1, 50. 4, 33. et al.] ℙ Passive. *Tac. H.* 5, 17. et *Sall. Jug.* 61. et 77. Dein proelium incipitur. *Lact.* 2, 8. *med.* Nec incipi, aut fieri, aut consummari quidquam potest, nisi, etc. *Ov. Fast.* 5, 570. A tantis princeps incipiendus erat. *Ter. Ph.* 1, 4, 48. In re incipiunda. ℙ Impersonaliter. *Quint.* 9, 4. *med.* Optime incipitur a longis: recte aliquando a brevibus. ℙ Interdum ponitur pro suscipio, aggredior. *Ter. Eun.* 5, 5, 25. Quid igitur faciam miser, quidve incipiam? *Id. Ad.* 2, 2, 19. Hoccine incipere Aeschinum, ut hanc mihi eripere postulet? *Sall. Cat.* 20. Ausus est pulcherrimum facinus incipere. *Id. or. Cottae ad Coss.* Quare incipere, nobisque, et republica incipitis? ℙ [*Differt *coepi* et *incipio* triplici ratione: illud in formis *coepio*, *coepere*, *coepiam*, cet., nonnisi ad tempus anteciceronianum pertinet, aureae aetatis scriptores exhibent, *coepi*, *coeperam*, *coeptus;* tum *coepi* proprie cum infin., *incipio* cum nomine conjungi solet; denique *coepi* factum potius, cujus initium fit, respicit; *incipio* denotat initium alicujus rei, et majori cum vi poni solet. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Quum autem ver esse coeperat — (sed quum rosam viderat, tum ver incipere arbitrabatur) dabat se labori atque itineribus. *Ov. A. Am.* 1, 615. Saepe tamen vere coepit simulator amare, Saepe, quod incipiens finxerat, esse fuit. Hinc, quod Gr. dicunt, *ἐμματικῶς* dici solet, de etiam, quod Gr. dicunt, *ἐμματικῶς* dici solet, de consilio temerario. V. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 3, 13. et *Frotsch.* ad *Rut. Lup.* 1, 16. Cf. quae dicta sunt ad v. INCEPTUM.] ℙ Praeteritum *incepi* habent praeter *Plaut. l. c.* et al., etiam *Virg. A.* 3, 8. et *Ter. Andr.* 5, 1, 13. et *Adelph.* 2, 2, 19. Ceterum prosae scriptores, *Cicero* praesertim, *Caesar*, *Nepos*, et hujusmodi, *coepi* libentius usurpant. Ex quo quidam non *incepi*, sed *incoepi* scribendum putarunt, tanquam non a *capio*, aut *incipio*, sed vel a *coepi*, vel a *coepio* sit. ℙ *Incepsit* pro *inceperit* olim dictum est. *Fest.* in *Incensit.*

INCĬPISSO, is, n. 3. antique idem est, quod incipio. *Pl. Capt.* 3, 3, 17. Maximas nugas ineptiasque incipisso; et 4, 2, 22. Quid hic incipissit facere cum tantis minis? *Id. Mil.* 2, 2, 73. Magnam rem incipissis; et 82. Sic rationem incipissam. *Id. Capt.* 2, 1, 19. Brevem orationem incipisse. ℙ In quibusdam lib. leg. *incipesso.*

INCIRCUMCĪSUS, a, um, adj. non circumcisus. *Prud. Psych.* 389. nec *(Samuel)* victum vivere regem Incircumcisum patitur. Adde *Tert. adv. Jud.* 2.

INCIRCUMSCRIPTUS, a, um, adj. non circumscriptus. *Prud. Apoth.* 863. Incircumscriptus Dominus.

INCĪSĔ, et Incisim, adv. *κατὰ κόμματα*, per incisa, incisis, seu minutis particulis. *Cic. Or.* 63. Quo pacto debeat incise, membratimve dici, jam videbimus; et *paulo post:* Haec quidem duo binis pedibus incisim: dein membratim. Adde 67.

INCĪSĬO, onis, f. *διαιρεσή*, actus incidendi, incisura. *Colum. Arbor.* 8. Infra incisionem et alligaturam vitem vulnerato. [Sed hic legendum, ut habent *Gesneri*, et *Schneideri* editiones, *insitionem F.*] ℙ *Incisiones interiorum* sunt tormina ventris ap. *Veg. Vet.* 1, 39. Dolorem ventris in jumentis torsiones vocant, et interiorum incisiones. ℙ In re oratoria est brevissima periodi pars. V. v. sq. *Cic. Or.* 61. De eorum particulis, et tanquam incisionibus disserendum est; et 64. In incisionibus et in membris. ℙ Ap. grammaticos *incisiones* sunt, quae alias *caesurae* appellantur. V. CAESURA. *Diom.* 3, 496.

INCĪSUM, i, n. *κόμμα*, pars periodi brevior apud rhetores: nam longior membrum est. *Quint.* 9, 4. *med.* Incisum, quantum mea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus: plerisque pars membri. Tale est enim quo Cicero utitur (*Or.* 67.) *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas.* Fiunt autem etiam singulis verbis incisa, ut *Diximus*, *testes dare volumus.* Incisum est *diximus. Cic. ib.* 62. Nescio, cur, cum Graeci *κόμματα*, et *κῶλα* nominent, nos non recte incisa, et membra dicamus.

INCĪSŪRA, ae, f. idem ac incisio. *Plin.* 11, 39, 94. Pili recisi, non, ut herbae, ab ipsa incisura augentur, sed ab radice exeunt. Adde *Colum.* 12, 54. ℙ Incisurae etiam dicuntur in manibus, quae vulgo lineae vocantur. *Plin.* 11, 52, 114. Et in manu duas incisuras longas habentes. ℙ Item in foliis plantarum, in insectis, etc. quae et divisurae appellantur. *Id.* 26, 8, 29. Astragalus folia habet longa incisuris multis. *Id.* 11, 1, 1. Insecta appellata ab incisuris, quae nunc cervicum loco, nunc pectorum, atque alvi, praecincta separant membra. *Id.* 15, 11, 10. Chrysomela incisuris distincta ℙ Denique in pictura incisurae dicuntur divisiones umbrarum ab lumine, ut *Id.* docet 33, 13, 57. V. HARMOGE.

INCĪSUS, a, um, part. ab *incīdo: ἐπικοπείς*, caesus, abscissus. *Tac. A.* 16, 19. Incisae venae. *Caes. B. G.* 2, 17. Tenerae arbores incisae atque inflexae. *Plin.* 11, 37, 88. Incisi nervi non solidantur. *Id.* 25, 5, 23. Incisus forficulis. *Stat. Th.* 5, 517. squamisque incisus adaestuat amnis. ℙ Translate. *Liv.* 2, 16. et 3, 58. Incisa spes. ℙ Item incisuris divisus. *Cic. Div.* 1, 39. Cur pulmo incisus in bonis extis proferat diem. *Plin.* 25, 6, 29. Eupatoria foliis per ambitum incisis. ℙ Item insculptus, inscriptus. *Cic. Verr.* 2, 2, 63. Videmus in basi statuarum maximis litteris incisum, A communi Siciliae datas. *Id. Balb.* 23. Foedus in columna incisum et perscriptum. *Id. Font.* 14. Incisus ac notatus in monumentis rerum gestarum. *Liv.* 3, 57. *f.* Leges in aes incisas in publico proponere. *Hor. Od.* 4, 8, 13. incisa notis marmora publicis. *Suet. Gr.* 17. Fasti marmoreo parieti incisi. ℙ [Item *incisus* etiam dicitur is, cujus nomen in tabulis aeneis publicis incisum est. *Inscr.* ap. *Mur.* 116, 11. Eutycheti filio, qui vixit ann. VI. diebus VI. incisus, ingenuusque accepit congiarium *(ostio)* XC. *Sen. Ben.* 4, 28. Frumentum publicum tam fur, quam periurus, et adulter accipiunt, et sine delectu morum quisquis incisus est. V. INCĪDO. *F.*]

INCĪSUS, us, m. idem ac incisio. *Plin.* 16, 12, 23. Fructum quaedam proximo anno ab incisu largiuntur.

INCĪTĀ. V. INCITUS, a, um.

[INCĪTĀBĬLIS, e, adj. qui incitari potest. *Gloss. Phil.* Incitabilis, *παροξυντικός*. *F.*]

INCĪTĀBŬLUM, i, n. idem ac incitamentum. *Gell.* 15, 2. Fomitem esse quendam dicens, et incitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagraret.

INCĪTĀMENTUM, i, n. *ὁρμητήριον*, stimulus, invitamentum. *Cic. Arch.* 10. Hoc maximum et periculorum incitamentum est, et laborum. *Curt.* 9, 5. Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum. *Tac. A.* 1, 55. Incitamenta irarum. [*Plin. *Pan.* 27, 1. Educandi incitamentum. ℙ Permutatur *incitamentum* et *invitamentum*. V. *Intprr.* ad *Curt.* 4, 10, 25.]

INCĪTĀTĒ, adv. *ὁρμητικῶς*, cum incitatione. *Cic. Or.* 20. Locutio, quod incitatius feratur, etc.; et 63. Tum incitatius, tum tardius.

INCĪTĀTĬO, onis, f. actus incitandi, *ὅρμημα*, *ὁρμή*. *Cic. Or.* 2, 9. Languentis populi incitatio, et effrenati moderatio; et 43. Inflammatur animus judicis acri et vehementi quadam incitatione. [*De discrimine inter vv. *instigatio*, et *incitatio Doederl.* 3, 314. haec disputat, ut hoc voluntatem ad strenue, impigre agendum compellat; illud mentem, animum votis, optatis impleat. *Irritatio*, quod tertium *ib.* additur, affectus, cupiditates amplectitur, et vehementer caecoque impetu ut quis in rem tractandam feratur, efficit.] ℙ Item motus incitatus, impetus, celeritas. *Cic. Acad.* 4, 26. Sol tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit. *Id. Or.* 1, 35. Sic evolavit oratio, ut ejus vim atque incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim. *Caes. B. C.* 3, 92. Est quaedam animi incitatio atque alacritas innata omnibus, quae studio pugnae incenditur. ℙ [*Item furor divinus.] *Cic. Div.* 1, 40. Helenus et Cassandra divinantes, alter augurиis, altera mentis incitatione divina, *h. e.* furore. V. INCITATUS, a, um.

INCĪTĀTOR, oris, m. *ὀτρυντήρ*, qui incitat. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) *med.* Apollo paeanum auctor, Liber dithyramborum cognitor, Fauni vaticinantium incitatores. *F.*] *Prud. περὶ στεφ.* 10, 67. Incitator et fax omnium. *Ammian.* 28, 1, *f.* Male sanus incitator.

INCĪTATRIX, icis, f. quae incitat. *Arnob.* 2, 64. Incitatrix ad vitia. *Lact. Ira D.* 23. Opulentia libidinum incitatrix. *Nazar. Pan. ad Constant.* 34. Incitatrix licentiae.

INCĪTĀTUS, a, um, part. ab *incito: παρορμηθείς*, citatus, impulsus, vehementer motus. *Cic. N. D.* 3, 6. Equo incitato se in hostes immittens. *Id. Or.* 59. Incitatior cursus. *Sen. Troad.* 999. Incitato gradu accurrere. *Id. Hipp.* 1236. Incitati turbines. *Caes. B. G.* 7, 60. Lintres magno sonitu remorum incitatae. *Cic. Somn. Scip.* 5. Mundi incitatissima conversio. [*Liv.* 44, 8. Incitatus hibernis pluviis (fluvius).] ℙ Translate. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Cum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo. *Id. Sen.* 12. Incitatus voluptate. *Caes. B. C.* 3, 78. celeritate et studio. *Cic. Leg.* 2, 22. acerbiore odio. *Id. Tusc.* 5, 24. Esse studio incitato ad investigandam veritatem. *Id. Or.* 1, 46. Populum incitatum in bonos mitigare. *Liv.* 44, 30. Incitatus ad Romanum bellum. *Caes. B. G.* 1, 4. Cum civitas, ob eam rem incitata, armis suum jus exsequi conaretur. Sic *ib.* 4, 14. Milites pristini diei perfidia incitati. *Hirt. B. G.* 8, 35. Acrius incitati contra armatos. ℙ Refertur et ad vim, impetumque dicendi. *Cic. Or.* 12. Herodotus sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit: Thucydides incitatior fertur, et de bellicis rebus canit quodammodo bellicum. ℙ [*Item ad numerum oratorium. *Cic. Or.* 59. Interdum est cursus in oratione incitatior, interdum moderata ingressio.] ℙ Item ad furorem divinum. *Cic. Acad.* 4, 5. Exclamant quasi mente incitati. *Catull.* 63, 93. Alios age incitatos, alios age rabidos. ℙ *Incitatus* ap. *Suet. Cal.* 55. nomen est equi, cui Caligula consulatum destinasse traditur. Ap. *Mart.* vero 10, 76. et 11, 1. videtur esse celebris aurigae Circensis.

INCĪTĀTUS, us, m. idem ac incitatio. *Plin.* 2, 45, 45. Venti sive assiduo mundi incitatu, et contrario siderum occursu nascuntur, etc. Alii leg. *incitu.*

INCĪTĔGA, ae, f. machinula, in qua constituebatur in convivio amphora, de qua subinde defer-

rentur vina. *Fest.* Usus ejus erat, ne amphora, fundo suo maculam mensae imprimeret. Nomen ex eo, quod tegeret mensae partem: ab *incitego*, pro *intego*, interjecta syllaba *ci* per epenthesin, quod veteres in multis faciebant, ut *concipilo* pro *compilo*, *recipero*, sive, ut nunc dicimus, *recupero* pro *reparo*, *reciprocus* pro *reprocus*. *Scalig.* ℙ [Ceterum, ut observat *Fea* ad illud *Hor. Sat.* 1, 6, 116. et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet; *Incitega* videtur esse vox corrupta ex ἐγγυθήκη (ab ἔγγος pro ἄγγος, vas, et θήκη, repositorium), quae plerumque marmorea erat, ut ait *Jabolen. Dig.* 32, 1, 100. §. 3., basis vasorum collocandorum causa parata, quamque ita describit *Sidon. carm.* 17, 7. Nec per multiplices abaco splendente cavernas Argenti nigri pondera defodiam. Ubi *abaco* est pro mensa seu delphica multiforatili, in cujus *cavernis*, seu foraminibus pocula fundo olim sphaerico praedita, non, ut apud nos, plano, inserebantur in convivarnm usum a pocillatore identidem depromenda. V. REPOSITORIUM. *F.*]

INCĪTO, as, avi, atum, a. 1 παροξύνω, vehementer impello, concito, commoveo: ab *in* et *cito* frequentat. a *cieo*. *Cic. N. D.* 2, 40. Stellarum motus tum incitantur, tum retardantur: saepe etiam insistunt. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 16. Incitare saxa per pronum. *Lucr.* 3, 744. pavor incitat artus. *Val. Fl.* 1, 409. Incitare hastas. *Caes. B. C.* 2, 41. vehementius equos; et *ib.* 3, 24. Scaphae se in hostes incitaverunt. *Id. B. G.* 3, 12. Cum ex alto se aestus incitavisset. *Id. B. C.* 2, 14. Nostri ex castris se incitant, *h. e.* se proripiunt. ℙ Translate est excitare. *Cic. Or.* 2, 35. Ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. *Id. Brut.* 92. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent. *Id. Div.* 2, 2. Quorum studio legendi meum scribendi studium in dies incitatur. [*Q. Fr.* 1, 1, 16. Haec non eo dicuntur ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur.] *Plin.* 20, 7, 26. Incitare aviditatem. *Ov. R. Am.* 632. Et multam saliens incitat unda sitim. ℙ Item divino afflatu concitare. *Cic. Div.* 1, 36. *med.* Nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. V. INCITATUS, a, um. ℙ Item irritare, provocare. *Cic. Fl.* 28. Neque enim desunt, qui istos in me atque in optimum quemque incitent. *Id. Acad.* 4, 47. Opifices si undique omnes convenerint, facile contra vos incitabuntur. *Quint.* 6, 4. Iracundia nonnunquam judices incitat. [*Liv.* 8, 33. His vocibus quum in se magis incitarent dictatorem; et 4, 2. Eodem tempore et consules senatum in tribunum, et tribunus populum in consules incitabat.] ℙ Item hortari, impellere, stimulos admovere. *Cic. Or.* 1, 61. Cohortationibus ad studium et ad laborem incitare juvenes. *Id. Fin.* 3, 20. Natura incitari ad servandum genus hominum. *Caes. B. G.* 3, 10. Multa Caesarem ad id bellum incitabant. *Id. B. C.* 1, 56. Incitare aliquem praemiis et pollicitationibus. *Suet. Caes.* 7. Incitare ad amplissimam spem. [*Liv.* 1, 27. Ad bellum atque arma incitantur.] ℙ Item vexare, agitare. *Suet. Cal.* 50. Incitabatur insomnia maxime. [*Al.* ut *B. Crus.*, *Brem.* interpr. *ad insaniam*, *furorem* excitabatur.] ℙ Item augere, intendere. [*Huc pertinet locus *Cic.* quem Noster superius paulo laudaverat, *Cic. Or.* 1, 20. Consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acuit, et eloquendi celeritatem incitat. Adde *ib.* 2, 6. Incitatur ea ratio, i. e. invalescit.] *Tac. A.* 3, 25. Relatum de moderanda Papia Poppaea, quam Augustus post Julias rogationes, incitandis caelibum poenis, sanxerat. ℙ *Incitare arborem* est cultu promovere, ut libere crescat. *Col.* 4, 22. Frequentibus fossuris terra permiscetur, ut incitari vitis possit; et 33. *f.* Castanea ferro repetenda est, ut incitetur ejus proceritas; et 3, 21. Interest, pluresne, an pauciores vehementer materias vinitor submittat, prolixisve flagellis incitet, an, etc. *Cic.* hoc sensu verbo *excitare* usus est *Or.* 2, 21. Nova sarmenta cultura excitare. *Col.* 4, 28. eadem ratione *concitare* adhibuit. ℙ *Incitare currentem* proverb. V. CURRO.

INCĪTUS, a, um, adj. παρόρμητος, incitatus, concitatus, vehementer impulsus, velox: ab *in* intentiva, et *citus*. *Lucr.* 1, 271. venti vis verberat incita portus. [*Cic. N. D.* 2, 35. Inciti delphini.] *Virg. A.* 12, 492. apicem tamen incita summum Hasta tulit. *Val. Fl.* 1, 728. talem incita longis Porticibus conjuxque fugit, natique Lycurgum. *Sil.* 1, 491. pronoque silex ruit incitus ictu. ℙ *Incitus* est etiam qui cieri, et ulterius promoveri nequit, immotus: ab *in* privativa, et *citus*. Hinc in ludo calculorum seu latrunculorum proprie incitus dicebatur lusor, qui pluribus calculis spoliatus reliquos habebat nullos, nisi alligatos seu incitos, quos nempe sine damno ciere non poterat. *ha scaccomatto. Isid. Orig.* 18, 67. Calculi partim ordine moventur, partim vage. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant: at vero qui moveri omnino non possunt, incitos dicunt. Unde et egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat. Haec *Isid.* ℙ Porro *ad incitas*, scil. calces, seu *ad incita*, scil. loca, *redactus* is translate dicitur, qui fortunis atque opibus accisus in summa rerum difficultate, consiliique inopia ita versatur, ut inde expediri nequeat. Hinc *Gloss. Isid.* Incitae, ultima conditio fortunarum. *Pl. Poen.* 4, 2, 85. *Sy.* Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas *(puellas)* abduxerit. *Mi.* Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem coverit. (Hic *calcem* calculum significat. V. CALX.) *Id. Trin.* 2, 4, 136. Ut ad incitas redactus est! *Lucil.* ap. *Non.* 2, 422. Illud ad incita cum redit, atque internecionem *Id. ib.* Villicum Aristocrates, mediastinum, atque bubulcum Commanducatus corrupit, ad incita adegit. *Mamert. Gratiar. act. ad Julian.* 9. Epirotae ad incitas, intolerandi tributi mole, depressi. *Appul. Met.* 3. *f.* Ad extremas incitas deducti, *h. e.* ad ultima salutis jam detrusi, ut ait *Id. ib.* 9. Plura huc pertinentia vide ap. *Wernsdorf.* ad *Poet. Lat. min. T.* 4. p. 415. et sqq. ℙ *Charis.* 1, 73. docet, *incitas* unius tantum casus esse, ut *inficias*, *suppetias*, *adfatim*, etc. [Plura h. l. addidit atque immutavit *F.*]

INCĪTUS, us. V. INCITATUS, us.

INCĪVĪLIS, e, adj. ἄπολις, immoderatus, superbus, inhumanus, inter cives inusitatus, iniquus, rationi aequitatique non consentaneus. *Gell.* 10, 6. Ob haec mulieris verba tam improba ac tam incivilia. *Aurel. Vict. Caes.* 22. Horum nihil, praeter saevos atque inciviles animos, interim reperimus. *Ulp. Dig.* 48, 19, 9. Sunt quidem hae poenae inciviles, invitum hominem jubere facere, quod facere non potest. *Id. ib.* 50, 13, 3. Incivile factum coerceat praetor. *Paul. ib.* 23, 2, 67. Libertum eam pupillam, cujus patronus res administrat, uxorem ducere, satis incivile est. *Eutrop.* 9, 27. Homo ferus et incivilis ingenii. [*Est hoc serioris aevi vocabulum.]

INCĪVĪLĪTAS, atis, f. inhumanitas, saevitia, vis. *Ammian.* 18, 2. Ut saepe contigit per incivilitatem militis occurrentia vastantis.

INCĪVĪLĪTER, adv. incivili modo, injuste, inhumaniter, inusitate. *Suet. Tit.* 6. Praefecturam egit aliquanto incivilius et violentius. *Flor.* 1. *f.* Manlius altius se et incivilius efferens. *Appul. Met.* 7. An te nos tractamus inciviliter, qui nostrum asinum furatus abducis? *Ulp. Dig.* 50, 13, 2. Novi rivi inciviliter instituti. *Id. ib.* 4, 2, 23. Judex inciviliter extorta restitui jubeat. Adde *Ammian.* 29, 5.

INCLĀMĀTĬO, onis, f. exclamatio. *Tert. adv. Marc.* 4, 41. Inclamatio imprecationis.

INCLĀMĀTUS, a, um, part. ab *inclamo:* clamando vocatus. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus quocumque diei tempore inclamatus a puero, ex imo advolabat; et *ib.* 10. Ultro, neque inclamati, praesto sunt.

INCLĀMĬTO, as, a. 1. frequent. ab *inclamo*. *Pl. Epid.* 5, 2, 46. Etiam inclamitor quasi servus.

INCLĀMO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιβοάω, clamore voco. *Cic. Att.* 2, 18. *extr.* Ita te para, ut si inclamaro, advoles. *Id. Inv.* 2, 4. Comitem illum suum inclamavit semel ac saepius. *Liv.* 26, 15. *med.* Inclamare aliquem nomine. *Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. Alicujus nomen inclamare. *Gell.* 17, 19. Inclamabat Deum atque hominum fidem. ℙ Item exclamo, clamo. *Cic. Or.* 1, 53. *extr.* Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit. *Gell.* 5, 9. *f.* Repente in eum, qui id faciebat, sese videre, quid faceret, magnum inclamavit. [*Gr. μέγα φθέγγεσθαι. Adde *Quint. Inst.* 2, 10, 10. Sane paululum aliquid inclamare ad voluptatem audientium debemus; ubi v. *Spalding.*] *Aurel. Vict. Epit.* 12. *f.* Voce quam maxima inclamare contra aliquem. ℙ Item clamando objurgo, alta voce increpo. *Pl. Stich.* 2, 2, 4. Tuos inclama: tui delinquunt. *Id. Cist.* 1, 1, 110. Nolito acriter eum inclamare. (Adde *Mil.* 4, 2, 45. et *Truc.* 3, 2, 4.) *Ov. Amor.* 1, 7, 45. Nonne satis fuerat timidae inclamasse puellae? *Liv.* 1, 25. Inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri. *Festus:* Inclamare, conviciis et maledictis insectari.

INCLĀRĔO, es, ui, n. 2. ἐπιφαίνομαι, clarus sum, manifestus, notus. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 28. Inclaruit maxime discipulo Nicia Atheniensi, qui diligentissime mulieres pinxit. *Suet. Gr.* 17. Docendi genere inclaruit. *Plin.* 33, 12, 55. In auro caelando inclaruisse neminem. *Id.* 7, 37, 38. Quae artes pluribus inclaruere exemplis.

INCLĀRUS, a, um, adj. non clarus, obscurus: ab *in* privativa, et *clarus*. *Symm. ep.* 3, 4. An ita vel mei animi fides inclara est, vel meriti tui angusta monumenta sunt, ut, etc.?

INCLĒMENS, entis, adj. ἀπηνής, durus, asper: ab *in* privativa, et *clemens*. *Liv.* 8, 32. *med.* Increpabant inclementem dictatorem. *Id.* 9, 34. *f.* Inclementiori verbo appellare. *Macr. Somn. Scip.* 1, 10. Dionysius aulae Siculae inclementissimus incubator. Adde *Sil.* 8, 440.

INCLĒMENTER, adv. ἀπηνῶς, dure, aspere. *Pl. Amph.* 2, 2, 110. Iterum hic jam in me inclementer dicit. *Id. Ps.* 1, 1, 25. Inclementer dicere alicui; et *Poen.* 5, 5, 44. Alicui inclementer loqui. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 3. Inclementer censuit. *Liv.* 3, 48. Si quid inclementius in te sum invectus.

INCLĒMENTĬA, ae, f. ἀπήνεια, crudelitas, asperitas. *Virg. A.* 2, 602. inclementia Divum Has evertit opes. *Id. G.* 3, 68. durae inclementia mortis. *Stat. Silv.* 1, 4, 50. gravis inclementia fati. ℙ Translate. *Claud. B. G.* 210. maris inclementia. *Just.* 9, 2. coeli. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 82. de Plutone: dirae riget inclementia formae.

INCLĪNĀBĪLIS, e, adj. qui facile inclinat et propendet. *Sen. ep.* 94. *med.* Dubios et in pravum inclinabiles animos revocat ad rectum bonorum virorum conversatio.

INCLĪNĀMENTUM, i, n. declinatio et positio verborum. *Nigid.* ap. *Gell.* 4, 9. Inclinamentum hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, nummosus, signat copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur.

INCLĪNANS, antis, part. ab *inclino*, qui inclinat, et propendet. *Cic. Or.* 2, 44. *extr.* Tantam vim habet oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed, etc.; et *Tusc.* 4, 23. Danais inclinantibus, proelium restituit. *Tac. A.* 13, 34. *extr.* Libertate ignota magis ad servitium inclinantes; et *H.* 4, 68. Suopte ingenio ad mitiora inclinantes. *Plin.* 27, 12, 105. Color ad crocum inclinans, *h. e.* accedens, proximus, similis.

INCLĪNĀTĬO, onis, f. ἔγκλισις, actus inclinandi. *Cic. N. D.* 1, 34. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. *Plin.* 16, 43, 83. Alterna inclinatione egerunt scobem. *Id.* 8, 51, 77. Merso navigio inclinatione lateris unius. *Tac. H.* 2, 35. Cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges, propugnatoresque turbarentur. *Plin.* 37, 10, 58. Eristalis gemma, cum sit candida, ad inclinationes rubescere videtur. *Quint.* 11, 3. *f.* Inclinationes vocis. *Cic. Or.* 18. vocat *flexiones*. ℙ Inclinatio coeli est clima. *Vitr.* 1, 1. Propter inclinationes coeli, quae Graeci κλίματα dicunt. *Id.* 6, 1. Inclinationes mundi. *Gell.* 14, 1. *med.* Sub ea inclinatione coeli, sub qua Chaldaei fuerunt. ℙ [*Translate dicitur de animi vel rei in partes alicujus propensione. *Sen. Clem.* 2, 4. *med.* Crudelitas est inclinatio animi ad asperiora. *Quint. Inst.* 5, 13. *f.* Inclinatio causae. Hinc saepissime, i. q. favor; *Neigung*, *Zuneigung*. *Cic. Or.* 2, 29. Necesse est, ut is, qui nobis causam adjudicaturus est, inclinatione voluntatis propendeat in nos. *Id. Mur.* 20. Magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim cum incubuit ad virum bonum. *Tac. A.* 4, 20. Principum inclinatio in hos, offensio in illos. *Id. ib.* 1, 28. Utendum ea inclinatione Caesar ratus, i. e. animorum ad obedientiam imperatori praestandam propensione. *Id. ib.* 2, 38. Inclinatio senatus (ad misericordiam) incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur. *H.* 2, 92. Variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. *Liv.* 44, 31. Adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes et justitia praetoris; cf. 27, 17.] ℙ Tum est conversio, et mutatio, cum quippiam in aliam rationem inclinatur et vertitur. *Cic. Balb.* 26. Fuit hoc sive meum, sive reipubl. fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. *Id. Agr.* 2, 29. An ignoratis illa magnifica populi R. vectigalia perlevi saepe momento fortunae, inclinatione temporis, pendere? *Id. Sext.* 31. Fieri quaedam ad meliorem spem inclinatio visa est. ℙ *Inclinationes verborum* sunt eorum derivationes ab uno ad aliud, ut a *vino vinosus*. *Varr. L. L.* 8. *in princ. et f.* V. DECLINATIO et INCLINO.

INCLĪNĀTUS, a, um, part. ab *inclino:* ἐπικλινής. *Cic. Tusc.* 3, 3. Inclinato in postmeridianum tempus die. *Plin.* 15, 11, 10. Cotonea colore ad aurum inclinato. Sic 24, 15, 86. Herba coloris in luteum inclinati. ℙ *Inclinata domus*, quae ruinam minatur. Allegorice *Virg. A.* 12, 59. in te omnis domus inclinata recumbit. ℙ *Inclinata vox* est demissa, simulque plena, quam βαρύτονον Graeci dicunt; opponiturque altiori et erectae, quae acutiore sono funditur. *Cic. Or.* 8. *extr.* Inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere; et 17. *f.* Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce atrociter dicere, et summissa leniter; et inclinata videri gravis, et inflexa miserabilis. ℙ Item proclivis, propensus. *Liv.* 23, 46. Plebs ante inclinatior ad Poenos fuerat. *Tac. H.* 1, 81. Inclinatae ad suspicionem mentes. ℙ *Inclinatus* etiam dicitur, qui optimum statum, seu tenorem non amplius servat. *Cic. Fam.* 2, 16. Inclinata fortuna et prope jacens. *Liv.* 42, 59. Inclinata res. Sic inclinatae copiae, *h. e.* ad fugam versae, *Nep. Pelop.* 5. [*Vell.* 2, 52, 3. et *ib.* 55, 1.] Sic *Cic. ad Brut.* 1, 18. Ferre praesidium labenti et inclinatae reipublicae. ℙ *Inclinatus morbus* est qui ad finem accedit. *Cels.* 3, 2. et *Plin.* 23, 4, 40. ℙ *Inclinati mores*, in pejus mutati. *Plin.* 35, 12, 46. ℙ *Inclinata rerum* sunt res inclinatae et adversae. *Sil.* 6, 119. Quidquid adest duri et rerum inclinata feramus.

INCLĪNĀTUS, us, m. idem ac inclinatio. *Gell.* 3, 12. Neque aliud est, quod simili inclinatu dicatur, *idest* derivatione. V. DECLINATIO.

INCLĪNIS, e, adj. qui inclinatur et flectitur. *Val. Fl.* 4, 307. sonat omnis vulnere cervix Inclinis, ceditque malis. *Minuc. Fel. Octav.* 3. *f.* Inclinis atque humilis. ℙ Item non inclinans, ἀκλινής. *Manil.* 1, 596. His eadem est via, quae mundo, pariterque rotantur Inclines.

INCLĪNO, as, avi, atum, a. 1. ἐγκλίνω, torqueo, flecto, inflecto, declino. Usurpatur tum active cum accusativo, tum neutrorum more, accusativo omisso, ac subaudito. *Ov. Met.* 11, 355. Parsque boum fulvis genua inclinarat arenis; et 208. omnes Inclinavit aquas ad avarae litora Trojae; et *ib.* 2, 720. super Actaeas agilis Cyllenius arces Inclinat cursus. *Mart.* 1, 77. arbor Inclinat varias pondere nigra comas. *Lucr.* 6, 572. terra inclinatur, retroque recellit. *Prop.* 4, 7, 25. At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes, *h. e.* clausit oculos jam morte natantes. ℙ *Inclinari*, et *inclinare acies* dicitur, cum retro cedit, et ad fugam spectat. *Liv.* 1, 12. Ut Hostus cecidit, confestim Romana inclinatur acies. *Id.* 7, 33. Ita conflixerunt, ut aliquandiu in neutram partem inclinarent acies; et *ib.* Tum primum referri pedem, atque inclinari rem in fugam apparuit. *Id.* 34, 28. *f.* Tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt. ℙ dies, sol, cum ad vesperam vergit. *Hor. Od.* 3, 28, 5. Inclinare meridiem sentis. *Liv.* 9, 32. Prius sol meridie se inclinavit, quam, etc. Adde *Juven.* 3, 316. ℙ fortuna, aut respubl. aut quid simile, cum in melius, aut deterius mutatur. *Caes. B. C.* 1, 52. Magna erat rerum facta commutatio, ac se fortuna inclinaverat: ut nostri inopia rerum conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus. *Lucan.* 3, 752. Inclinant jam fata ducum, *h. e.* Pompeji in deterius, in melius Caesaris. [*V. *Cort.*] *Liv.* 1, 18. Quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumpto, videbantur. Τρώμη est illud *Just.* 5, 1. *extr.* Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat flecti, propendere, proclivem esse. *Cic. Or.* 2, 44. Si se dant, et sua sponte quo impellimus, inclinant et propendent, etc. *Curt.* 10, 7. In stirpem regiam inclinavere studiis. *Liv.* 4, 26. *f.* Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda. *Cic. Sen.* 6. Cum sententia senatus inclinaret ad pacem, et foedus faciendum cum Pyrrho. *Liv.* 27, 46. *med.* Multorum eo inclinabant sententiae, ut tempus pugnae differretur. *Id.* 32, 13. Inclinavit sententia, suum in Thessaliam agmen dimittere. Al. leg. *demittere*. *Cic. Fin.* 3, 3. Inclinare se ad Stoicos. *Liv.* 7, 9. Ut belli causa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. *Id.* 29, 33. *extr.* Haec animum inclinant, ut credam, etc. ℙ Cum dativo. *Hor. Sat.* 1, 3, 69. amicus dulcis, ut aequum est, Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce (Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari Si volet, *h. e.* his faveat; haec magis spectet, quam vitia. ℙ Aliquando significat imminuere, in deterius vertere. *Quint.* 10, 1. *med.* Quin etiam Phalereum illum Demetrium (quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenii habuisse et facundiae fateor. ℙ Item transferre. *Liv.* 5, 8. *f.* Cum omnem culpam in collegam inclinaret. ℙ *Inclinari*, nutare, demitti. *Cic. Att.* 3, 13. Ut me paulum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut, etc. ℙ *Inclinare puerum*, vel *virum* est illum pronum ita obvertere, ut stuprum patiatur. *Juven.* 10, 224. quot discipulos inclinet Hamillus. *Id.* 9, 26. atque ipsos etiam inclinare maritos. V. INCURVO. Aliter vero interpretandus est locus, qui huc referri a quibusdam solet, *Pl. Pers.* 4, 8, 7. Nam jam inclinabo me cum liberta tua: hic enim significat tantum *accumbam*, ut patet ex *eod. ib,* 5, 1, 4. ℙ Ap. grammaticos *inclinare* est ab una voce aliam formare, inclinatione postremae syllabae (quod et *declinare* dicitur) ut *ingeniosus*, *formosus*, *officiosus*, quae ab *ingenio*, et *forma*, et *officio* inclinata sunt, inquit *Gell.* 4, 9. *med.* Adde 3, 12. et 18, 5. *med.* ℙ Item in casus variare. *Id.* 10, 13. Nam *partim* hoc in loco adverbium est, neque in casus inclinatur.

INCLĪTUS. V. INCLYTUS.

INCLOCTOR, oris, m. vox ficta de lorariis, qui crebris ictibus servorum terga caedentes κλωγμὸν, seu strepitum edebant. Quidam tribuunt *Plauto*, *Asin.* 3, 2, 6. ubi alii alia. V. INDUCTOR.

INCLŪDO, is, si, sum, a. 3. κατακλείω, intus claudo. *Cic. Sen.* 21. Nam dum sumus inclusi in his compagibus corporis. *Id. Univ.* 10. Sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat. *Id. Verr.* 2, 5, 55. Includere in custodias. *Id. Phil.* 3, 12. Armatos in cella Concordiae inclusit. *Id. Att.* 1, 13. *f.* Τοποθεσίαν, quam postulas, includam orationi meae. *Virg. A.* 2, 19. corpora furtim Includunt caeco lateri. *Lucr.* 4, 1119. grandes viridi cum luce smaragdi Auro includuntur. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *f.* Illa (*emblemata*) ex patellis et turibulis quae vellerat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut, etc. Et *Att.* 13, 19. Constituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui viverent; et *Or.* 3, 48. Includere verba versu. ℙ Est etiam claudere. *Prop.* 2, 12, 54. Forsitan includet crastina fata dies. *Plin.* 11, 16, 15. Mellatio idib. Novembr. fere includitur. *Sil.* 13, 685. peracta est Illa suprema dies, et laude inclusimus aevum. *Cels.* 1, 8. *f.* Omnes potiones aqua frigida includere. ℙ Item praecludere, impedire. *Liv.* 27, 26. Circuiere, qui a tergo includerent viam. *Plin.* 11, 37, 84. Includere spiritum. *Cic. Rabir. Post.* 17. *extr.* Me dolor debilitat, includitque vocem. *Stat. Th.* 12, 318. Inclusitque dolor lacrimas. ℙ Item inserere. *Virg. G.* 2, 76. huc alienas ex arbore germen Includunt, udoque docent adolescere libro. ℙ Pro induere, aut circumdare. *Virg. A.* 11, 488. surasque incluserat auro, *h. e.* ocreis aureis. Adde *ib.* 12, 430. ℙ Pro definire, terminare. *Plin.* 5, 27, 28. Asiam in duas partes terminare. *Plin.* 5, 27, 28. Asiam in duas partes terminare. *Plin.* 5, 27, 28. Asiam in duas partes

incola est; et illis, apud quos civis est. *Cic. N. D.* 2, 56. Sunt enim e terra homines, non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum. *Id. Off.* 1, 34. *f.* Peregrini et incolae officium est, nihil praeter suum negotium agere, minimeque in aliena esse republica curiosum. ℙ Dicitur et universim de omnibus alicubi habitantibus. *Nep. Milt.* 1. Cum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulae sub potestatem redigere vellet Atheniensium. *Plin.* 18, 5, 6. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur. ℙ [**Incola* dicitur etiam, qui agros incolit. *Lucan.* 9, 976. Phryx incola manes Hectoreos calcare vetat: Laudat h. l. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 52. ubi *Heins.* conj. *accola victor* pro vulg. *Incola victor* jure abjicitur.] ℙ Item de animalibus. *Cic. Tusc.* 5, 13. Bestias nantes aquarum incolas esse voluit. *Plin.* 9, 17, 29. Novum incolam *(piscem)* mari dedit. *Phaedr.* 1, 6. Rana stagni incola. ℙ Adjective. *Ov. Fast.* 3, 582. Cameren incola turba vocat. ℙ Translate. *Plin.* 12, 3, 7. Quae *(arbores)* incolarum numero esse coepere, dicentur inter frugiferas. *Id.* 3, 19, 23. Adduam, Ticinum, Mincium, omnes Padi incolas, *h. e.* in Padum influentes. *Hor. Od.* 3, 10, 3. Projectum ante fores objicere incolis Aquilonibus.

INCOLĀTUS, us, m. habitatio in aliena patria: item tempus, quo quis alicubi incola est. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 2. Sex. Venejo Juventiano flamini Divi Aug., adlecto in curiam Lugudunensium nomine incolatus a splendidissimo ordine eorum. Adde aliam ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 32., quae tamen sublestae fidei est. *Modest. Dig.* 50, 1, 34. Incola jam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere, incolatui renunciare non potest. ℙ [Translate. *Tert. Resurr. carn.* 26. Sancta sit terra, vere sancta per incolatum Spiritus Sancti. *F.*]

*INCŌLO, as, a. 1. i. q. incolo, is. *Tert. de resurr. carn.* 26. *extr.* Quae eum *(paradisum)* incolare et custodire sortita est. *B. A.*

INCŌLO, is, lui, a. 3. ἐνοικέω, κατοικέω, in aliquo loco habito. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Qui Delum incolebant; et *ib.* 2, 4, 10. Incolere urbem. *Id. Tusc.* 1, 6. aliquem locum. *Id. N. D.* 2, 16. terras. *Tibull.* 1, 11, 18. Sic veteris sedes incoluistis avi. *Pl. Rud.* 4, 2, 2. Neptuno, qui salsis locis incolit. ℙ In illo *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Justisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? *incolere* videtur referri ad animum, et ad curam cultumque villae, quae domino valde placet: *inhabitare* ad corpus et mansionem. Simile est illud *Sil.* 14, 672. indulgens templa vetustis Incolere atque habitare Deis.

INCOLONĀTUS, us, m. incolatus. *Imp. Jul. Cod.* 12, 1, 52. sed falsa esse videtur lectio: nam eodem loco et *incolatus* habetur, et hanc vocem, non illam res, de qua ibi agitur, postulat.

[INCŌLOR, oris, adj. colore destitutus. *Gloss. Phil.* Incolor, ἄχροος. *F.*]

INCŌLORĀTĒ, adv. *Ulp. Dig.* 4, 4, 18. Denique Glabrionem Acilium, Divus Severus, et Imp. Antoninus non audiverunt, incolorate restitui desiderantem, *h. e.* nullo colore, seu causa allegata.

INCŌLŪMIS, e, adj. ἄρτιος, ὑγιής, salvus, sanus, integer: ab *in* intentiva, et *columis*: quod a *columen*, quo stante fulcitur domus. *Cic. Mil.* 34. Valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati. *Id. Planc.* 5. Equestrem splendorem incolumem a calamitate retinere. *Hor. Sat.* 1, 4, 118. vitam famamque tueri incolumem. *Cic. Rosc. Am.* 47. Se ad eos jungere, quibus incolumibus dignitas retineretur. *Id. Div. in Verr. f.* Ut haec quae dixi, retinere per populum R. incolumia ac salva possimus. *Id. Fin.* 4, 8. Se et salvum et incolumem velle. *Id. Cat.* 3, 10. *extr.* Urbem et cives integros incolumesque servavi. *Caes. B. C.* 1, 64. Transducto incolumi exercitu, copias instruit; et *ib.* 3, 6. Omnibus navibus ad unam incolumibus. *Hor. A. P.* 222. Incolumi gravitate jocum tentavit. *Id. Od.* 4, 10, 8. incolumes non redeunt genae, *h. e.* integrae et florentes, quales in puero fuerunt. *Id. ib.* 3, 24, 31. Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi, *h. e.* virtutem eorum, qui vivi et incolumes sunt. *Plin.* 16, 34, 62. de hedera: Totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis et solida arbores sugit, et strangulat. *Ulp. Dig.* 39, 2, 13. Non vitio incolumium aedium hoc factum, si aliae in eas incidentes damnum mihi dent. *Pl. Trin.* 3, 3, 14. Dotem incolumem sistere alicui. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 17, 2. *med.* Deteriores sunt incolumiores. ℙ In sexto singulari, fere in *i* desinit: interdum et in *e*. *Cic. fr. Charis.* 1, 108. Quo stante et incolume. *Pompon. ib.* Incolume illo. *Liv.* 5, 14. *f.* Nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset. ℙ [*Ad etym. quod attinet a Nostro supra laudatum, *Doederl.* 1, 34. docet: *incolumis* unam quidem eandemque respicere originem cum vv. *columen*, *columna*, minime vero ab his recte posse deduci. Radicem esse in obsoleta forma *cellere* = *pellere*, κέλλειν, quae in nostro vocabulo subvertendi, affligendi notionem leniori quodam sensu contineat, ita ut *incolumis* idem fere sit, quod *non perculsus*, synon. v *integer*. Cf. *Eund.* 2, 93. — De discrimine inter *salvus*, *sospes*, *incolumis* v. *ib.* p. 36. coll. 3, 306. sq.]

INCOLŪMĪTAS, atis, f. ἀβλάβεια, σωτηρία, salus. *Cic. Inv.* 2, 56. Incolumitas est salutis tuta atque integra conservatio. *Id. N. D.* 2, 46. Quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturae. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Habere precariam incolumitatem ab aliquo. *Nep. Att.* 10. *extr.* Qui ex tot procellis civilibus ad incolumitatem pervenit. *Caes. B. C.* 3, 28. Incolumitatem deditis polliceri. *Hirt. B. Afr.* 95. concedere. *Tac. H.* 1, 66. Salutem et incolumitatem alicujus commendare; et *ib.* 3, 60. alicui quaerere. ℙ In plur. numero. *Cic. ad Quirit.* 1. Reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumitates afferebant. Al. aliter leg. [**Orell.* q. v. leg. *quam tunc incolumitatis afferebant.*] *Arnob.* 2, 52. Non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas?

INCOMES, mītis, adj. sine comite. *Festus.*

INCOMIS, e, adj. ἄξεστος, non comis, incultus. *Macr. Sat.* 1, 7. *med.* Ab incomi et tenebrosa vita quasi ad lucem et bonarum artium scientiam editi sumus.

INCOMĪTĀTUS, a, um, adj. ἀπαράπεμπτος, non comitatus, comite destitutus. *Cic. Or.* 1, 55. Cujus artem cum indonatam esse atque incomitatam videres, etc. *Varr. R. R.* 2, 10. *med.* Virginibus in Illyrico incomitatis vagari licet. *Ov. Pont.* 2, 3, 35. per seque petenda est Externis virtus incomitata bonis. *Id. R. Am.* 592. Certa necis causa est: incomitata fuit. *Sil.* 9, 101. Incomitata vestigia ferre, *h. e.* solum ire, sine comite. *Lucr.* 6, 1223. Incomitata funera, *h. e.* sine pompa exsequiarum.

INCOMĪTĪO, as, a. 1. Incomitiare, inquit *Festus*, significat tale convicium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est in conventum venire, Plautus: *(Curc. a.* 3. *v.* 30.) quaeso te me incomities. Haec *Festus*. Ceterum verbum est nove a *Plauto* fictum ex persona Curculionis parasiti: neque facile usurpandum.

INCOMMA, ae, f. *Gloss. Isid.* In omma, mensura militum. Videtur autem fuisse palus defixus in castris, ad cujus altitudinem statura exigeretur eorum, qui militiae nomina dabant, ut *Salmas.* putat ad illud *Lampr. Alex. Sev.* 4. Fuit et staturae militaris. *Veg. Mil.* 1, 5. Proceritatem tironum ad incommam scio semper exactam ita ut senos pedes, vel certe quinos et denas uncias habentes in primis legionum cohortibus probarentur. ℙ Est ab ἔγκομμα, incisura; nam instrumentum illud incisuras habebat, quibus pedum et unciarum notae insculptae erant. Hinc etiam *Encomma*, ătis, n. legitur ap. *Hieron. in Jovin.* 2. *n.* 34. Si tollis ordinem tabernaculi, templi, ecclesiae; si omnes qui a dextris sunt, unum, ut vulgo dicitur, encomma ad militiam probat; nequidquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi sunt. Praeterea plures codices MSS. in loc. cit. *Vegetii* habent *ad incommada*, quod *incommata* patet legendum. [Plura addidit. *F.*]

INCOMMEĀBĪLIS, e, adj. non commeabilis. *Ammian.* 16, 11. Vias clivosas, et incommeabiles clausere sollerter. [Alii rectius leg. *clivosas concaedibus clausere. F.*]

INCOMMENDĀTUS, a, um, adj. non commendatus. *Ov. Met.* 11, 434. Nil illis *ventis)* vetitum, incommendataque tellus Omnis, et omne fretum, *h. e.* impune violata.

*INCOMMINĀTUS, a, um, i. q. comminatus. *Appul. Met.* 10. *med.* p. 241, 16. *Elmenh.* Illum parricidam fraterno exitio, et incomminata novercae nece sicarium, i. e. quia necem novercae minatus fuerit. *B. A.*

INCOMMISCĪBĪLIS, e, adj. qui misceri non potest. *Tert. Anim.* 12. Simplex et incommiscibilis animus.

INCOMMOBĪLĪTAS, atis, f. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Incommobilitas dicta Graece ἀοργησία; ita enim dixerim, quae non exstinguit incitamenta irarum, sed ea stupore defigit immobili.

INCOMMODĀTIO, onis, f. incommoditas. *Cic. Att.* 1, 17. Atque in ista incommodatione aliena ti animi et offensi, illud inest tamen commodi. Ita referunt cum *Nizolio* plerique Lexicographi: at libri habent *incommoditate.*

INCOMMŌDĒ, adv. ἀχρήστως, moleste, intempestive, sine modo. *Cic. Att.* 7, 8. Posse pro re nata te non incommode ad me in Albanum venire. *Ter. Eun.* 2, 3, 37. Incommode fieri obviam alicui. *Caes. B. G.* 5, 33. Quod consilium etsi in hujusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommode accidit. *Pl. Trin.* 5, 1, 8. Fores hae sonitu suo mihi moram objiciunt incommode. *Liv.* 40, 51. Ab his columnis, quae incommode opposita videbantur, signa amovit. *Gell.* 9, 15. Quod genus Graeci ἄκαιρον vocant, Latine non nimis incommode inexplicabile dici potest; et 11, 4. Hos versus Q. Ennius non sane incommode aemulatus est. *Colum.* 1, 8. *med.* Ut rusticos, qui modo non incommode se gessissent, saepius, quam urbanos, familiariusque alloquerer; et *Varr. R. R.* 1, 7. Non incommode Cato videtur dicere, cum scribit, optimum esse agrum, qui sub radice montis situs sit, et spectet ad meridianam coeli partem, *h. e.* non absurde. *Cic. Amic.* 4. Quamobrem cum illo quidem actum optime est, mecum autem incommodius. *Id. Att.* 5, 9. Incommodissime navigare.

INCOMMODISTĪCUS, a, um, adj. vox a parasito efficta ap. *Pl. Capt.* 1, 1, 19. *h. e.* incommodus. Al. leg. *incommodesticus*, vel *incomedesticus*, ab edendo. V. INVENATICUS. [**Lindem.* vulg. retinuit.]

INCOMMODĪTAS, atis, f. incommodum, damnum, res intempestiva, et noxia. *Ter. Andr.* 3, 3, 35. Nempe incommoditas denique huc omnis redit, Si eveniat, quod Dii prohibeant, discessio: At si corrigitur, quot commoditates, vide. *Liv.* 10, 11. Romae tum desiderio viri, tum incommoditate temporis, tristis nuncius fuit, *h. e.* quia maxime inopportuno tempore acciderat. *Pl. Mil.* 3, 1, 49. Incommoditate abstinere me apud convivas commode commemini. [*Gr. ἀηδία, vitium illud, quo aliis semper molesti sumus, et fastidium creamus. *Lindem.*] V. INCOMMODATIO. ℙ In plurali num. *Pl. Aul.* 3, 5, 58. Hae sunt in magnis dotibus incommoditates. *Arnob.* 2, 54. et 3, 125. Morborum incommoditatibus frangi.

INCOMMODO, as, avi, atum, a. 1. βλάπτω, incommodum affero, officio, molestus sum. *Cic. Quint.* 16. Cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis jure incommodi cadere possit. *Ter. Andr.* 1, 1, 135. magis id adeo, mihi ut incommodet, Quam ut obsequatur gnato. *Gell.* 7, 17. Obnoxium eum dici, cui quid ab eo, cui esse obnoxius dicitur, incommodari et noceri potest. *Appul. Met.* 8. Et puellae, si vellet, furatrinae conjugalis incommodaret rudimentum, *h. e.* imperitia obstaret. ℙ Cum accusativo. *Ulp. Dig.* 43, 11, (*Torrentino* 12.) 1. §. 15. Si quid aliud fiat, quod navigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorsus impediat. *Haloander* habet *incommodiorem difficilioremve faciat.* ℙ Passive. *Id. ib.* 21, 1, 14. Si incommodatur ad usum manus, *h. e.* impeditur, inepta redditur.

INCOMMODUM, i, n. βλάβη, calamitas, detrimentum, clades, damnum, molestia. *Cic. Off.* 1, 7. *f.* Cum is, qui noceri alteri cogitat, timet, ne nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. *Id. Att.* 7, 7. Te commoveri incommodo valetudinis tuae nolo; et *ib.* 12, 46. Nec id incommodo tuo feceris. *Ulp. Dig.* 43, 13, 1. §. 6. Neque ripae cum incommodo accolentium muniendae sunt. *Cic. Brut.* 1. *f.* Nostro incommodo detrimentoque doleamus. *Id. Div. Verr.* 3. Multis incommodis difficultatibusque affectum esse. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 3. Ferre incommodum alicui. *Id. Fin.* 5, 19. dare. *Caes. B. C.* 3, 63. afferre. *Cic. Off.* 2, 5. importare. *Lucr.* 3, 878. conciliare alicui. *Cic. Verr.* 2, 3, 46. capere. *Caes. B. G.* 5, 10. accipere. *Id. B. C.* 3, 9. sustinere; et 73. sarcire. *Cic. Inv.* 2, 5. rejicere, deminuere, devitare. *Caes. B. C.* 5, 48. Accidit repentinum incommodum: tanta enim tempestas cooritur, etc. *Nep. Att.* 12. In deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis. *Plin.* 24, 17, 102. Incommoda corporum, *h. e.* morbi. Sic 28, 7, 21. pulmonum; et 27, 12, 101. vesicae.

INCOMMODUS, a, um, adj. βλαβερός, ἄκαιρος, damnum, molestiam afferens, adversus, inutilis, alienus, intempestivus. *Cic. Brut.* 34. Valetudine incommoda Calvinus fuit. *Id. Cluent.* 59. Hujus illum opes in rebus ejus incommodis sublevarunt. *Ter. Hec.* 4, 2, 27. Rem incommodam pati; et 3, 4, 1. Incommodum iter. *Plin.* 8, 32, 50. pondus; et 35, 15, 51. Incommodi oculorum pili. *Pl. Asin.* 1, 1, 47. Uxor importuna atque incommoda. *Id. Poen.* 1, 2, 189. Incommodum esse alicui. *Liv.* 3, 14. *f.* Nec voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret, paulatim permulcendo mansuefecerant plebem; et 27, 31. Periculosum et viris, et parentibus erat, moram incommoda severitate libidini regiae fecisse, *h. e.* in re praesenti sibi importuna. *Cic. Att.* 14, 6. Colloquium pro re nata non incommodum. *Ulp. Dig.* 10, 4, 11. *med.* Ut actori incommodior esset exhibitio.

*INCOMMONĪTUS, a, um, adj. non commonitus. *Zen. Veron.* Incommonitum aliquem praeterire. *B. A.*

INCOMMOTĒ, adv. firmiter. *Justin. ep. ad Joann. Papam, post. leg.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *Cod.* Statum Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, et incommote permanet.

*INCOMMUNICABĪLIS, e, adj. *Vulgat. Sapient.* 14, 21. Nomen incommunicabile. *B. A.*

[INCOMMUNĪCĀTUS, a, um, adj. non communicatus. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 5. Potiare, inquit, o rex, Cleopatrae, potiare: e qua tibi spero privatos filios atque incommunicatos alteri proventuros. *F.*]

INCOMMŪNIS, e, adj. non communis. *Tert. Pall.* 3. *f.* Variae indumentorum formae, quarum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes.

INCOMMŪTĀBĪLIS, e, adj. ἀμετάβλητος, non

commutabilis, immutabilis. *Varr. L. L.* 8, 56. Omnia verbi principia incommutabilia viderentur. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 33. Incommutabilem rei publicae conservare statum. *F.*] *August. Retract.* 1, 9. Incommutabile bonum.

INCOMMŪTĂBĬLĬTAS, atis, f. immutabilitas, ἀμεταβλησία. *August. Conf.* 12, 12. Aeternitas et incommutabilitas.

INCOMMŪTĂBĬLĬTER, adv. immutabiliter, ἀμεταβλήτως. *August. ep.* 3, 3. Incommutabiliter immortalis. Adde *Trin.* 7, 1.

INCOMPĂRĂBĬLIS, e, adj. ἀσύγκριτος, cui nihil potest comparari. *Plin.* 7, 25, 26. Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas. *Quint.* 1, 2. Incomparabilis magister. *Inscr.* ap. *Grut.* 486, 7. P. Vettio P. F. Cam. Sabino Cornelia Maximina marito incomparabili, et sibi viva posuit. Alia ap. *eund.* 432, 8. Juliae Chrysanthidi T. Lusidienus Nestor con*jugi* incomparabili. ℙ [Sup. *Incomparabilissimus* in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 147. *n.* 183. L. Percennio Lascivo alumno Karissimo et incomparabilissimo L. Percennius Pollio parens. *F.*]

INCOMPĂRĂBĬLĬTER, adv. ἀσυγκρίτως, sine comparatione. *August. C. D.* 21, 9. *med.* Incomparabiliter plura. *Id. ad Hieron.* inter *epist. ejusd. ep.* 67. *n.* 7. Incomparabiliter pulcrior est veritas Christianorum, quam Helena Graecorum.

INCOMPĂRĂTUS, a, um, adj. incomparabilis. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 421. *n.* 386. L. Cordio Agatocleti Flavia Vera conjux conjugi incomparatissimo.

INCOMPASSĪBĬLIS, e, adj. qui simul pati non potest. *Tert. in Prax.* 29. Tam incompassibilis Pater est, quam impassibilis etiam Filius, ex ea conditione, qua Deus est.

INCOMPERTUS, a, um, adj. ἀγνώριστος, incognitus, et de quo nihil certi habemus. *Liv.* 4, 23. Cetera vetustate incomperta. *Plin.* 12, 8, 16. Qualis sit ea, incompertum habeo. *Id.* 34, 13, 38. Origo atque natura ejus incomperta est mihi.

[INCOMPĒTENS, entis, adj. non competens. *Theod. Prisc.* 2, 17. *in.* Cum vero corruptis stomachi humoribus incompetentibus, etc. *F.*]

INCOMPĒTENTER, adv. non competenter, inconvenienter. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 1, 3, 19. et *Cassiod. Variar.* 5, 14.

[INCOMPLĒBĬLIS, e, adj. qui compleri nequit, non implebilis. *Gloss. Phil.* Incomplebilis, ἀπλήρωτος. *F.*]

INCOMPLĒTUS, a, um, adj. *Firm. Math.* 5, 2. Et qui semper imperfecta incompletaque sua consilia derelinquant.

[INCOMPLEXĪVUS, a, um, adj. non complexivus, qui non complectitur. *Gloss. Phil.* Ἀνσπερίληπτος, incomprehensibilis, incomplexivus. *F.*]

[INCOMPLEXUS, a, um, adj. non complexus. *Gloss. Phil.* Incomplexus, ἀπερίληπτος. *F.*]

INCOMPOSĪTĒ, adv. ἀτάκτως, inordinate. *Liv.* 25, 37. Et in hostem negligenter et incomposite venientem incurrunt. *Quint.* 10, 2. Qui horride atque incomposite quidlibet frigidum extulerunt, antiquis se pares credunt, *h. e.* aspera verborum compositione.

INCOMPOSĪTUS, a, um, adj. male compositus, inordinatus, ἄτακτος. *Liv.* 5, 28. Incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem adorti Aequi, terrore injecto, in proximos perpulere tumulos. *Virg. G.* 1, 350. Det motus incompositos, *h. e.* incondite saltet. *Hor. Sat.* 1, 10, 1. Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucilli, *h. e.* duris pedibus fluere: *durum componere versus*, supra dixerat *Sat.* 4, 8. *Quint.* 9, 4. *in.* Si ordo vitiosus est, licet et juncta sit, et apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur, *h. e.* si nimis longas transgressiones habeat, et asperam compositionem. *Id. ib. in.* opponit *incompositum* in oratione *juncto et bene collocato.* Ap. *eund.* 4, 5. *incompositus moribus* dicitur, qui moderatus ac patiens non est, sed facile ira, aliove affectu turbatur.

INCOMPRĔHENSĪBĬLIS, e, adj. ἀκατάληπτος, qui comprehendi, seu capi non potest. *Solin.* 20. Alces incomprehensibili fuga pollet. *Sen. ep.* 94. Si praecepta singulis damus, incomprehensibile opus est. *Cels. praef. med.* Cum igitur illa incerta incomprehensibilisque sit, a certis potius et exploratis petendum esse praesidium. *Col. praef. l.* 10. *f.* Ut, quod ajunt Graeci, ex incomprehensibili parvitate arenae funis effici non possit. *Suidas.* Ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν. *Plin. ep.* 1, 20. Ut est in disputando incomprehensibilis et lubricus, ita eludit, ut, etc. *Sen. Consol. ad Helv.* 11. Vitiosae consuetudinis immensum et incomprehensibile arbitrium est, *h. e.* quod coerceri, et intra certos fines contineri non potest.

*INCOMPRĔHENSIBILĬTER, adv. *Hieron. Ep.* 87. *B. A.*

INCOMPRĔHENSUS, a, um, adj. ἀσύλληπτος, non comprehensus. *Cic. Acad.* 4, 29. *extr.* Quae nos incomprehensa et non percepta dicimus. Et per syncopen *Prud. Apoth.* 812. Incomprensa manet virtus.

INCOMPTĒ et Incomte, adv. inornate, ἀκόμψως. *Stat. Silv.* 5, 33. juvet illaudabile carmen Fundere, et incompte miserum laudare dolorem. *Ammian.* 31, 2. Effigiati stipites dolantur incompte.

INCOMPTUS et Incomtus, a, um, adj. ἄκομψος, non comptus, incompositus, inornatus. *Hor. Ep.* 5, 16. Incomptum caput. [**Suet. Aug.* 69. incomptior capillus. *Tac. G.* 14. epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. ℙ Translate, de oratione.] *Cic. Or.* 23. Ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat; sic haec subtilis oratio, quasi incompta, delectat.

INCONCESSĪBĬLIS, e, adj. qui concedi non potest. *Tert. Pudic.* 9. *f.* Delicta inconcessibilia.

INCONCESSUS, a, um, adj. ἀσυγχώρητος, non concessus, negatus, prohibitus. *Virg. A.* 1, 655. Pergama cum peteret, inconcessosque hymenaeos. *Quint.* 10, 2. *f.* Cum totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum.

INCONCĬLĬO, as, avi, atum, a. l. contrariam significationem habet τῷ *concilio*, et significat improbare, inimicum facere, irritare, alienare. *Pl. Most.* 3, 1, 84. Ne inconciliare quid nos porro postules. *Id. Pers.* 5, 2, 53. Eo credo, quia non inconciliavit, cum te emo. [**Id. Bacch.* 3, 6, 22. Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali facere, et in me inconciliare copias omnes meas, i. e. abalienare, inimicas reddere.] ℙ *Festus* docet, valere etiam, comparare, commendare, idem scilicet, quod conciliare: additque apud antiquos fuisse, per dolum decipere. [*Huc pertinet locus *Pl. Trin.* 1, 2, 99. Inconciliastin' eum, qui mandatus tibi, i. e. blandimentis, verbis ad persuadendum compositis permovisti. V. *Lindem.*] ℙ [Part. *Inconcilians* ap. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 82. Sed inconciliantibus Bessi sociis, jugumque gentium nominantibus, *h. e.* improbantibus. *F.*]

INCONCINNĒ, adv. inconcinniter, incomposite. *Appul. Met.* 1. Perspiciens malum istum verberonem blaterantem, atque inconcinne causificantem, *h. e.* futiles ineptasque causas afferentem.

INCONCINNĬTAS, atis, f. ἀναρμοστία, incomposita et praepostera rerum coagmentatio, incongruentia, ineptiae. *Suet. Aug.* 86. Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate. Alii leg. *concinnitate.* [*V. *B. Crus.* qui vulg. defendit. Hoc prob. *Ernest.*, *Oudendorp.* et *Ruhnk.*] *Appul. Dogm. Plat.* 2. Quae a semetipsa tot modis discrepet, et non solum disparilitatem, sed etiam inconcinnitatem prae se gerat.

INCONCINNĬTER, adv. ἀναρμόστως, incomposite, incongruenter, inornate, inepte. *Gell.* 10, 17. Vertitque in eam rem, quam tum agebat, non inconcinniter.

INCONCINNUS, a, um, adj. ἀνάρμοστος, incompositus, incongruens, ineptus, rudis, inelegans. *Cic. Or.* 2, 4. Qui in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus esse dicitur. *Hor. Ep.* 1, 17, 29. Personamque feret non inconcinnus utramque. *Id. ib.* 18, 6. Asperitas agrestis, et inconcinna, gravisque.

INCONCĪTUS, a, um, adj. non concitus, non concitatus. *Ammian.* 24, 6. Leni et inconcito gradu. [Alii melius leg. *leni ante, dein concito. F.*]

INCONCRĒTUS, a, um, adj. non concretus. *Nazar. Pan. Constant.* 14. Quamvis coelestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex et inconcreta substantia naturae tenuis eludat, *h. e.* materia et corpore carens.

INCONCŪPISCENDUS, a, um, adj. valde concupiscendus. *Appul. Flor. n.* 17. Mihi vestra amicitia inconcupiscenda. [Alii rectius leg. *concupiscenda. F.*]

INCONCUSSĒ, adv. constanter, firmiter, ἀσείστως. *August. Retract.* 1, 11. Hoc sane inconcusse retinendum esse, non dubito. *Imppp. Gratian., Valens et Theod. Cod.* 11, 61, 6. Inconcusse possidere aliquid.

INCONCUSSUS, a, um, adj. ἄσειστος, non concussus, immobilis, constans, firmus, [*qui locum suum semper tenet. Ita *Lucan.* 2, 267. Coelestia semper Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu; et 2, 248. pacemne fueris, Inconcussa ferens dubio vestigia mundo? ℙ Translate.] *Sen. Ira* 3, 25. Qui non irascitur, inconcussus injuria perstitit: qui irascitur, motus est. *Stat. Silv.* 5, 1, 142. Florebant hilares inconcussique Penates. *Plin. Pan.* 82. Inconcussus et immotus. *Sen. ep.* 67. *f.* In otio inconcusso jacere. [**Tac. A.* 2, 43. Fratres proximorum certaminibus inconcussi: *Hist.* 2, 6. inconcussa pax. *Sen. V. B.* 3. inconcussum gaudium.]

[INCONDEMNĀTUS, a, um, adj. non condemnatus. *Cato* ap. *Gell.* 13, 24. Decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, incondemnatis. Alii leg. *Indemnatis. F.*]

INCONDĪTĒ, adj. ἀτάκτως, confuse, inordinate, incomposite. *Cic. Div.* 2, 71. Nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. *Id. Or.* 3, 44. Ille rudis incondite (*ohne alles Ebenmaass.*) fundit, quantum potest; et id quod dicit, spiritu, non arte determinat: orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et adstricto, et soluto. *Gell. praef.* Indigeste et incondite; et 12, 14. Temere et incondite. *Spart. Carac.* 2. *f.* Involute, et incondite questus est.

INCONDĪTUS, a, um, adj. non conditus. *Colum.* 3, 2. Inconditum fructum mercantibus vendere; et 1, 5. Situs inconditos conditosque fructus corrumpit. ℙ Item insepultus. *Lucan.* 6, 101. dum mixta jacent incondita vivis Corpora. ℙ Item saepius ἄτακτος, ἄκοσμος, incompositus, inordinatus, inconcinnus, agrestis. *Festus:* Inconditum, inordinate compositum. *Cic. Or.* 3, 44. Incondita antiquorum dicendi consuetudo; et 1, 44. Incredibile est, quam sit omne jus civile, praeter hoc nostrum, inconditum, ac paene ridiculum. *Id. Or.* 70. Si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam. *Id. ib.* 44. Quamvis suaves gravesque sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures, *h. e.* hiulca, aut aspera junctura compositis. *Liv.* 44, 39. Acies incondita et inordinata; et 24, 24. Dum turbata omnia nova atque incondita libertate essent. *Plin.* 16, 30, 53. Inconditus ramorum ordo. *Id.* 8, 2, 2. de elephantis: Inconditos motus edidere saltantium modo; et 9, 13, 15. Vituli marini incondito fremitu, nomine vocati, respondent. *Plin. ep.* 9, 13. Inconditus turbidusque clamor. *Sev. Aetn.* 233. Incondita sidera, i. e. errantia. *Liv.* 30, 28. Syphax inconditae barbariae rex. *Id.* 24, 29. Multitudo incondita ac tumultuosa; et 26, 40. Syracusis nova pace inconditas componere res. [**Vell.* 2, 14, 1. Immensa illa et incondita cinctus multitudine: ita ex conjectura certissima *Acidalii*, quam dicit *Ruhnk.*, legitur; codices exhibent *incognita.* V. *Heins.*, qui nubem exemplorum congessit.] ℙ *Incondita carmina* sunt versus, quibus, ut ait *Atil. Fortunatian.* p. 2680., antiqui usi sunt, non observata lege, nec uno genere custodito inter se versus. V. SATURNIUS. *Liv.* 4, 20. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus spolia opima regis interfecti gerens: in eum milites carmina incondita, aequantes eum Romulo, canere. ℙ *Inconditus* non factus, non creatus. *Tert. adv. Hermog.* 18. Ne quid innatum et inconditum, praeter solum Deum, crederemus.

INCONFECTUS, a, um, adj. non confectus. *Hieron. ep.* 119. *n.* 1. Quae mihi ad vestram tunicam paraveram, vobis inconfecta transmisi. ℙ Item non concoctus, ubi de cibo sermo est. *Cels.* 4, 16. Intestinorum laevitas, qua continere nihil possunt, et quidquid assumptum est, inconfectum protinus reddunt. Alii leg. *imperfectum.*

INCONFESSUS, a, um, adj. non confessus. *Ov. Met.* 2, 557. Servandum dederat, sed enim inconfessa quid esset. *Heinsius* hunc versum spurium esse pronunciat, [ideoque in plerisque editionibus abest. *F.* *Prob. *Heinsii* rationem *Gierig.*]

*INCONFUSIBILIS, e, adj. non confusus. *Vulg. Intpr. Timoth.* 2, 2, 15. Inconfusibilis operarius. *B. A.*

[INCONFŪSĪBĬLĬTER, adv. non confuse. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 15. *in.* Inconfusibiliter misceri. *F.*]

INCONFŪSUS, a, um, adj. non confusus. ℙ Proprie. *Sen. Q. N.* 2, 45. Dei consilio huic mundo providetur, ut inconfusus eat, et actus suos explicet. *Claud. VI. Cons. Honor.* 622. Armatos hic saepe choros certaque vagandi Textas lege fugas, inconfusosque recursus, etc. ℙ Translate. *Sen. Q. N. prooem.* 3. *f.* Animus, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere: et adversus utramque intrepidus inconfususque prodire; et *Ira* 1, 12. Officia sua vir bonus exsequitur inconfusus, intrepidus.

INCONGĔLĂBĬLIS, e, adj. ἀκρυστάλιστος, qui non potest congelari. *Gell.* 17, 8. *f.* Mare omne incongelabile sit. Alii leg. *ingelabile.*

INCONGRESSĪBĬLIS, e, adj. quem alloqui non possumus, cum quo congredi non licet. *Tert. adv. Marc.* 2, 27. Invisibilis, et incongressibilis Deus. [Alii perperam leg. *incognoscibilis. F.*]

INCONGRŪĒ, adv. incongruenter. *Macr. Sat.* 5, 13. *med.* Hoc idem Maro de fama dixit, sed incongrue. *August. ad Hieron.* inter *ep. ejusd. ep.* 67. *n.* 5. Nec mendaciter, nec incongrue faceret. Adde *Capell.* 9. *in.*

INCONGRŪENS, entis, adj. ἀνάρμοστος, qui non congruit rei, de qua agitur. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Illam alteram dissolutam atque etiam incongruentem vocant. *Gell.* 12, 5. *med.* Stoica disciplina pleraque est et sibi, et nobis incongruens.

INCONGRŪENTER, adv. inconvenienter. *Tert. Bapt.* 19. Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur.

INCONGRŪENTĬA, ae, f. *Tert. Anim.* 6. Incongruentia definitionis. *Id. adv. Marc.* 2, 25. Ad incongruentias interpretandas.

INCONGRŪUS, a, um, adj. incongruens, inconveniens. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 12. Quam incongruo ambitu amplectar. Al. leg. *quam angusto. Appul.*

Dogm. Plat. 3. Incongruae inter se propositiones. Adde *Veg. Mil.* 2, 19. et *Sym. ep.* 4, 8.

INCONJŪGUS, a, um, adj. qui cum alio definite conjungitur. *Prisc.* 17, 1065. [Conjuga sunt personis pronomina, cum similiter et conjuncte per omnes personas definiuntur vel demonstratione, vel relatione: verba vero inconjuga, cum in prima quidem, et secunda persona finiuntur, in tertia vero non, nisi praecipuus sit ad aliquem unum pertinens actus, ut *fulminat* et *tonat* de Jove solo intelligimus, non quod verbum tertiae personae finitum est, sed quod is, qui ejus significationem agit, proprium habet hunc actum: sc. prima, et secunda persona verbi definiuntur a pronomine *ego*, et *tu*, tertia vero inconjuga est, *h. e.* non definitur a solo pronomine *ille*, sed ab infinitis nominibus personarum, quae eam significationem agunt. *F.*]

INCONNEXUS, a, um, adj. non connexus. *Auson. Idyll. ad Paul.* 12. Res exigua est, et fastiditur; inconnexa, et implicatur. [*Marius Victorin.* p. 2534. Quae commutatio plerumque inter initia versuum fit, nec facile in medietate, nisi in eo genere versuum, quae ἀσυνάρτητα, idest inconnexa sunt, reperitur. *F.*]

INCONNĪVENS, entis, adj. ἀσκαρδάμυκτος, qui palpebras non movet. *Gell.* 2, 1. A summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconnivens. ℙ Translate. *Ammian.* 29, 2. Inconnivens justitiae oculus.

INCONNĪVUS, a, um, adj. idem ac inconnivens, ut Inconnivi oculi, Inconniva vigilia, ap. *Appul. Met.* 2. et 6.

[INCONSCĬENTĬA, ae, f. *Gloss. Phil.* Inconscientia, ἀσυνειδησία. *F.*]

INCONSCĬUS, a, um, adj. ἀσυνείδητος, non conscius. *Liv.* 21, 12. Alcon inconsciis Saguntinis cum ad Annibalem noctu transiisset. Meliores libri hab. *insciis.*

INCONSCRIPTUS, a, um, adj. non conscriptus. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 2, 4. Incondita, id est inconscripta.

INCONSENTĀNĔUS, a, um, adj. non consentaneus. *Capell.* 5. *in.* Nihil magis inconsentaneum atque indecens.

INCONSĔQUENS, entis, adj. qui non consequitur, ἀνακόλουθος. *Ascon. Verr.* 2, 9. Inconsequens locutio, simi'isque soloecismi. Adde 18. ℙ Hujus decomposito *perinconsequens* usus est *Gell.* 14, 1.

INCONSĔQUENTĬA, ae, f. ἀνακόλουθον, vitium orationis, cum aut res, aut verba praetermittuntur, quae ad superiora subsequi deberent. *Quint.* 8, 6. *med.* Quae est inconsequentia rerum foedissima.

INCONSĪDĔRANS, antis, adj inconsideratus. *Cic. Div.* 2, 27. Nos ita leves atque inconsiderantes sumus. Al. leg. *inconsiderati.* [*Ita *Orell.* nulla lectionis varietate notata.] *Tert. adv. Marc.* 2, 29. Inconsiderantissime Marcion.

INCONSĪDĔRANTER, adv. inconsiderate. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. *f.* Tutor, qui inconsideranter pupillum, vel dolo abstinuit hereditate. Ita *Torrent.*, at *Haloander* edidit *inconsiderate. Hieron. ep.* 108. *n.* 20. Non quod inconsideranter, et ultra vires sumpta onera probem.

INCONSĪDĔRANTĬA, ae, f. ἀβλεψία, ἀλογιστία, inconsulta ratio. *Suet. Claud.* 39. In eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam. Est qui legit *inconsiderationem.* Sed V. CONSIDERANTIA. [**Cic. Q. Fr.* 3. *ep. ult.* Cujus in hoc uno inconsiderantiam et ego sustinebo, ut potero, et tu ut possis est tuorum nervorum. Ita *Orell.* q. v.]

INCONSĪDĔRĀTĒ, adv. ἀσκέπτως, inconsulte, temere. *Cic. Off.* 1, 29. Temere et fortuito, inconsiderate, negligenterque agere. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 9. Inconsideratius proeliando.

INCONSĪDĔRĀTĬO, onis, f. i. q. inconsiderantia. *Salvian. de gub. Dei* 1. *extr.* Qui sola mentis inconsideratione peccasset. V. INCONSIDERANTIA.

INCONSĪDĔRĀTUS, a, um, adj. qui non considerat, ἀπερίσκεπτος. [**gedankenlos. Cic. Div.* 2, 27. Nos ita leves atque inconsiderati sumus, ut, etc.] *Id. Quint.* 25. O rem incredibilem, o cupiditatem inconsideratam! *Nep. Con.* 5. Inconsideratior in secunda, quam in adversa fortuna. *Cic. Har. resp.* 26. Plenus inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis.

*INCONSILĬUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat.* ἀβουλία, Inconsilium. *B. A.*

INCONSĪTUS, a, um, adj. incultus, ut Inconsitus ager, *Varr. L. L.* 4, 4.

INCONSOLĀBĬLIS, e, adj. ἀπαράκλητος, cui consolatio nulla mederi potest. *Ov. Met.* 5, 426. inconsolabile vulnus Mente gerit tacita.

[INCONSŌNANS, antis, adj. non consonans, male sonans. *Pompej. in lib. Donati de barb. et metapl.* 6. de metacismo: Non enim videris dicere *hominem amicum*, sed *homine mamicum*, quod est incongruum, et inconsonans. *F.*]

*INCONSONANTER, adv. *Vet. Interpr. Iren.* 5, 17. Inconsonanter et inconsequenter dispersum esse. ℙ Laudatur quoque *Priscianus*, loco incerto. *B. A.*

INCONSPECTUS, a, um, adj. inconsideratus. *Gell.* 17, 21. Ne in sermonibus inconspectum aliquid temere diceremus.

INCONSPĪCŪUS, a, um, adj. non conspicuus, incelebris. *Flor.* 4, 2. *med.* Non inconspicua tamen morte.

INCONSPRĒTUS, non improbatus. *Festus.*

*INCONSTABĬLIS, e, adj. *Vet. Interpr. Iren.* 5. *B. A.*

INCONSTANS, antis, adj. ἀβέβαιος, ἄστατος, qui sibi non constat, levis, mobilis, volubilis, varius. *Cic. Rosc. Com.* 6. Mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem et laederes, et laudares. [**Id. Inv.* 1, 50. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re, diverse dicitur.] *Id. Fam.* 10, 16. Cum is frigidas sane et inconstantes recitasset litteras Lepidi. *Plin.* 18, 35, 80. Inconstantes venti. *Id.* 29, 1, 1. Medendi arte nulla inconstantior. *Cic. Div.* 2, 62. Si ea quoque divina, quid inconstantius Deo? *Sen. ep.* 99. *med.* Populus in omnibus inconstantissimus. *Gell.* 13, 30. Accepit librum inconstantissimo vultu et moestissimo.

INCONSTANTER, adv. ἀβεβαίως, leviter, nulla constantia. *Cic. Tusc.* 4, 10. Jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide. [**Unzusammenhängend und verwirrt.*] *Id. Acad.* 4, 17. Inconstanter loqui, [*nicht folgerecht sprechen. Id. Fin.* 2, 27. Haec dicuntur inconstantissime: *in dieser Behauptung ist nicht die geringste Consequenz.*] *Hirt. B. Afr.* 82. Inconstanter immoderateque prodire. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* 3. (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Inconstantius agens. *F.*]

INCONSTANTĬA, ae, f. ἀστασία, levitas, mutabilitas. *Cic. N. D.* 3, 24. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. *Id. Tusc.* 4, 35. Inconstantia mutabilitasque mentis. *Id. Dom.* 2. Varietas, et inconstantia, et crebra, tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio. *Id. Phil.* 7, 3. Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, cum singulis hominibus, tum vero universo senatui turpius? *Id. Vat.* 1. Inconstantia levitate implicata. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Famam inconstantiae pertimescere. *Plin.* 11, 52, 114. Inconstantiae notam habere. *Cic. Att.* 16, 7. Nemo doctus unquam mutationem consilii inconstantiam dixit esse. *Quint.* 9, 3. *f.* Frontis ac luminum inconstantia trepidare. *Plin.* 37, 13, 76. Inconstantia fulgoris. *Id.* 7, 49, 50. artis. *Id.* 6, 26, 30. mensurae

INCONSUĒTUS, a, um, adj. non consuetus, inusitatus, ἀήθης. *Vitr. praef. l.* 5. Inconsueto sermone objiciunt sensibus obscuritatem; et 1, 4. *f.* Inconsueta salsitudo. ℙ Et non assuetus. Cum genitivo. *Sil.* 11, 282. stupet inconsuetus opimae Sidonius mensae miles.

INCONSULTĒ, adv. ἀβούλως, inconsiderate, stulte, temere, nullo consilio. *Cic. N. D.* 1, 16. Haec, qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur. *Liv.* 4, 37. *med.* Proelium incaute inconsulteque commissum. *Sen. Ben.* 1. *in.* Temere inconsulteque vivere. *Caes. B. C.* 1, 45. Incitati studio inconsultius processerant. [**Plin. Pan.* 83, 4. Inconsultius uxor assumta.]

INCONSULTO, adv. idem ac inconsulte. *Auct. ad Her.* 3, 5. Inconsulto se in periculum mittere. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Quae in testamento legi possunt, ea inconsulto deleta et inducta, nihilominus valent; consulto non valent.

INCONSULTUS, a, um, adj. is, a quo consilium non est petitum. Afferunt Lexicographi haec verba ex *Varr. R. R.* 1, 10. Etenim inscio atque inconsulto domino, servi saepe ex agro discedunt. ℙ Item is, cui non datum est consilium. *Virg. A.* 3, 452. Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae. ℙ Item qui consilio non utitur, temere agens, imprudens, ἄβουλος. *Cic. Dejot.* 6. Haec homo inconsultus et temerarius non videbat. *Id. Rabir. Post.* 1. Qui illam Postumi sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive temeritatem vituperandam putet. *Liv.* 3, 21. Turbam inconsultam imitari. *Pl. Mil.* 3, 1, 6. Bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui. *Val. Fl.* 4, 302. vacuas agit inconsulta per auras Brachia. *Sen. ep.* 40. Inconsultae aures turbae. *Liv.* 5, 20. Largitionem novam, prodigam, inconsultam arguens. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* 4. (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Si quod verbum absurdius, aut inconsultior sensus, aut infirmior littera istic erit, id tempori apponas. *F.*] *Nazar. Pan. Constant.* 13. Confessus est se inconsultior dolor, nec timuit deprehendi. *Tryphon. Dig.* 23, 2, 77. §. 6. Si inconsultus hoc fecerit: cui opponitur *ib.* si optimo consilio usus sit. *Gell.* 19, 1. *med.* Motus rapidi et inconsulti, officium mentis atque rationis praevertentes. ℙ Cum infinito. *Sil.* 8, 546. Capua rebus servare serenis Inconsulta modum. ℙ *Ex inconsulto*, ex temerario et inconsulto decreto senatus. *Id.* 8, 217. jam bellum atque arma senatus Ex inconsulto posuit Tirynthius heros. ℙ [*Inconsultum*, *i*, n. est inconsiderantia, inconsulta ratio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 52. Implicati ordines universi non tam discriminum necessitate, quam multitudinis inconsulto. ℙ Sup. *Inconsultissimus* ap. *Salvian. de avarit.* 1, 18. *Rittersh.* Inconsultissimum est. *F.*] **Jul. Valer. res. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 9. Duo nomina inconsultissima. *B. A.*

INCONSULTUS, us, m. *Inconsultu meo*, me inconsulto. *Pl. Trin.* 1, 2, 130. Me absente atque insciente, inconsultu meo Aedes venales inscribit.

INCONSUMMĀTĬO, onis, f. imperfectio, ut Inconsummatio generationis, ap. *Tert. adv. Valent.* 10.

INCONSUMMĀTUS, a, um, adj. non perfectus. *Ammian.* 31, 14. Ut erat inconsummatus et rudis; et 21, 10. *extr.* Inconsummatus et subagrestis.

INCONSUMPTUS, a, um, adj. non consumptus. *Ov. Met.* 7, 592. Inque manu turis pars inconsumpta reperta est. *Id. Pont.* 1, 2, 41. Tityi jecur inconsumptum semperque renascens. *Id. Met.* 4, 17. ad Bacchum: tibi enim inconsumpta juventa: Tu puer aeternus.

*INCONSUTĬLIS, e, adj. *Vulg. Interpr. Joh.* 19, 23. Inconsutilis tunica. Cf. *Lex. Phil. Mart. B. A.*

[INCONSŪTUS, a, um, adj. ἄῤῥαφος, non consutus, qui nullis suturis junctus est, sed uno tenore contextus, ut *Inconsuta tunica* (quae a *Vulg. interpr. Joann.* 19, 23. *inconsutilis* dicitur), eadem ac *recta*, qua apud Romanos utebantur tum tirones seu adolescentes, cum toga praetexta deposita, puram seu virilem sumerent; tum virgines pridie nuptiarum diem. V. RECTA. *Hieron. ep.* 22. *n.* 19. Consuant tunicas, qui inconsutam desursum tunicam perdiderunt: nempe vir, et femina, qui continentiam servare nequiverint, tunica inconsuta deposita, consutam induant, *h. e.* nubant. *F.*]

INCONTĀMĪNĀBĬLIS, e, adj. qui contaminari non potest. *Tert. adv. Marc.* 4, 9. Incontaminabilis Deus. *August. Confess.* 7, 3. *in. Salvian. de gub. Dei* 3. p. 78. *B. A.*

[INCONTĀMĪNĀBĬLĪTER, adv. *August. de Genes. ad litt. c. ult. F.*]

INCONTĀMĪNĀTUS, a, um, adj. ἀμίαντος, impollutus, purus. *Liv.* 4, 2. Ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit. *Varr. R. R.* 3, 9. Gallinae rusticae aspectu et facie incontaminatae, *h. e.* non fucatae coloribus.

INCONTANTER. V. INCUNCTANTER.

INCONTĒMPLĀBĬLIS, e, adj. quem contueri et contemplari non licet. *Tert. Resurr. carn.* 55. Incontemplabilis claritas. Ita legit *Junius. Id. adv. Marc.* 5, 11. Facies Moysi incontemplabilis filiis Israel.

INCONTEMPTĪBĬLIS, e, adj. non contemptibilis. *Tert. Apol.* 45. incontemptibilis dispector Deus: ubi alii leg. *intemptibilis* eodem sensu.

INCONTENTUS, a, um, adj. non contentus, non tensus. *Cic. Fin.* 4, 27. Ut in fidibus, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint, etc. [*Nostr. *verstimmt.*]

INCONTĪGŪUS, a, um, adj. non contiguus, qui non tangitur. *Arnob.* 7. *in.* Deus omni est incontiguus tactu.

INCONTĪNENS, entis, adj. qui non continet, seu retinet, quod infusum est. *Plin.* 8, 43, 68. Incontinens uterus urinam reddit. ℙ Item intemperans, qui se non continet a foedissimis praesertim voluptatibus gustus et tactus, ut *Gell.* 19, 2. docet, ἀκόλαστος, ἀκρατής. *Pl. Asin.* 5, 2, 9. Madidus, nihili, incontinens. *Hor. Od.* 3, 4, 77. Incontinens Tityus; et *ib.* 1, 17, 26. Incontinentes manus injicere. ℙ Translate. *Sen. Q. N.* 3. *f.* Nihil est tam violentum et incontinens sui, tam contumax infestumque retinentibus, quam magna vis undae.

INCONTĪNENTER, adv. ἀκρατῶς, intemperanter, sine continentia. *Cic. Off.* 3, 8. *extr.* Nihil tam avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. *Cels.* 1, 3. Periclitatur et qui semel, et qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit.

INCONTĪNENTI. V. CONTINENS.

INCONTĪNENTĬA, ae, f. imbecillitas, qua infusum quippiam contineri, seu retineri non potest. *Plin.* 20, 15, 57. Cumino urinae incontinentiam cohiberi. Adde 28, 8, 27. ℙ Item intemperantia et effusa libido gustus, aut tactus, ἀκράτεια. *Cic. Coel.* 11. Multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. ℙ Refertur etiam ad nimiam cupiditatem habendi: cui abstinentia opponitur. *Cic. Verr.* 2, 4, 15. Est boni judicis, parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque et cupiditatis et incontinentiae: qui reus, re et opinione hominum paene damnatus, temperare non potuerit maximo conventu, quin L. Sisennae argentum tractaret et consideraret, etc.

INCONTINGĪBĬLIS, e, adj. qui contingi non potest. *Appul. de Mundo.* Mundi cardo robustus et incontingibilis. Al. melius leg. *immobilis:* [*Aristo-*

teles enim, quem hic *Appulejus* imitatur, ἀλύπητος habet. *F.*]

INCONTRADĪCĪBĪLIS, e, adj. cui contradici non potest. *Tert. adv. Marc.* 4, 39. Quid incontradicibilius confessione simplici?

INCONTROVERSUS, a, um, adj. qui in dubium vocari non potest. *Cic. Or.* 1, 57. Licet impune oratori omnem hanc partem juris incontroversi ignorare. Ita legit *Lambinus.* Sed MSS. et antiquae editt. *in controversiis.* [*Ita etiam *Orell.*, qui *incontroversus* nec Ciceronianum vocabulum nec latinum omnino esse dicit.]

INCONVĒNIENS, entis, adj. ἀνάρμοστος, qui cum alio non convenit, dissentaneus, disconveniens, incongruens. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 13. Nostra facta, non subita, nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum, etc. *Sen. V. B.* 12. Desinant ergo inconvenientia jungere, et virtuti voluptatem implicare. ℙ Item indecorus. *Appul. de Mundo.* Si regi indecorum est, per semetipsum procurare omnia; multo magis Deo inconveniens erit. ℙ Item dissimilis. *Phaedr.* 3, 13. de fucis et apib.: Non inconveniens est corpus, et par est color.

INCONVĒNIENTER, adv. incongrue. *August.* 11. *de Gen. ad litt.* 15. Cui testimonio non inconvenienter aptatur illud, etc. Adde *de Trin.* 2, 9.

INCONVĒNIENTIA, ae, f. incongruentia. *Tert. adv. Marc.* 4, 16. *med.* Inconvenientia voluntatis et facti.

INCONVERTĪBĪLIS, e, adj. qui converti et immutari non potest. *Tert adv. Herm.* 12. Deus inconvertibilis et indemutabilis. Adde *Anim.* 21.

INCONVOLŪTUS, a, um, adj. convolutus, involutus; vel potius explicatus, evolutus. *Ammian.* 29, 2. Post inconvolutos multiplices casus.

[INCONVULSUS, a, um, adj. non convulsus. *Fragm. Cod. Theod.* 5, 13, 14. (ed. *A. Peyronio*) *Priusquam* securitatis publicae firmaverint cautionem, susceptos scilicet semel fundos, post emensa immunitatis spatia, inconvulsa a se vectigalium pensione, retinendos, *h. e.* manente apud se praestandorum vectigalium obligatione. *Not. Tir.* p. 148. Avulsus, inconvulsus. *F.*]

INCOPĪOSUS, a, um, adj. non copiosus, ut incopiosa solitudo, ap. *Tert. Jejun.* 5.

[INCOPRĪO, as, a. 1. conspurco: a κοπρίας, scurra. V. COPREA. *Commod. Instruct.* 19. Incopriat cives qui detestabilis omnes. *Gloss. Isid.* Scurra, qui incopriatur. *F.*]

INCOQUO, is, oxi, octum, a. 3. ἐνέψω, in aliqua re coquo. *Virg. G.* 4, 279. Hujus odorato radices incoque Baccho. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 2. Cotonea incoqui melle oportet. *Id.* 12, 17, 37. Succum incoqui sole. *Cels.* 6, 7. *n.* 6. Incoquendum mel est, et eo utendum. ℙ Ap. *eund.* 34, 17, 48. Incoquere stannum aereis operibus, *h. e.* coquendo illinere et *ib.* Incoquere argentum.

INCORAM. V. CORAM.

INCORONĀTUS, a, um, adj. corona privatus. *Appul. Met.* 4. Simulacra incoronata, et arae viduae frigido cinere foedatae.

INCORPORĀBILIS, e, adj. incorporalis. *Tert. adv. Marc.* 3, 17. Habitus incorporabilis. [Alii leg. *in corporali* *F.*]

INCORPORĀLIS, e, adj. ἀσώματος, qui non habet corpus. *Sen. ep.* 90. *med.* Deinde a corporibus se ad incorporalia transtulit. Adde *Brev. Vit.* 8. [**Id. Clem.* 5, 2.] *Quint.* 5, 10. *f.* Jus, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse. [**Spald.* ad h. l. ICtorum vocabulum dicit, coll. *Institutt.* 2, 2. et *Dig.* 8, 1, 1. ℙ *Incorporalia nomina* ap. *Prisc.* 2, 579. sunt, quae rem incorporalem significant, ut *virtus:* et *corporalia*, quae corporalem, ut *homo.*

INCORPORĀLĪTAS, atis, f. corporis deficientia. *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. et 11. et *Tert. Anim.* 7.

INCORPORĀLĪTER, adv. sine corpore. *Claud. Mamert. de statu anim.* 3, 14. Memoria incorporaliter etiam corporalium reminiscitur.

INCORPORĀTIO, onis, f. corporis constitutio, μετενσωμάτωσις. *Colum.* 6, 2. *f.* de bobus: Custodiendum est, ne incorporatione, vel statura, vel viribus impar cum valentiore jungatur. [Alii multo melius leg. *in comparatione*, *h. e. nel far la compera*, atque ita edidit *Schneiderus* loco gemino fretus *Pall.* 4, 11. Curandum est, ut viribus ad trahendum comparentur aequales. *F.*]

INCORPORĀTUS, a, um, adj. *Prud. Cath.* 12, 80. Ducem salutis coelitus Incorporatum gignere. *August. ep.* 34. (al. 31.) *n.* 5. Aliud est enim nolle incorporare, quae desunt; aliud jam incorporata divellere. ℙ [Est etiam qui corpori alicui, seu collegio est adscriptns. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 36. Civis Lugd*unensis* incorporat*us* inter utriclarios Lugd*uni* consistentes. V. CORPORATUS. *F.*]

INCORPOREUS, a, um, adj. ἀσώματος, corpore carens. *Macr. Sat.* 7, 15. De incorporeis disputat. *Gell. Macrobio* antiquior 5, 15. testatur, fictam esse hanc vocem a quibusdam ad explicandam Graecam ἀσώματος. Quare prudenter dubitari potest, an ea usus fuerit *Cic.*, cujus haec verba afferuntur ex *Fin.* 3, 14. Omnis ista rerum incorporearum aestimatio, etc. Alii enim leg. *in corpore sitarum*, [quod rectius *F.* *Ita *Orell.*] alii *corporearum.*

INCORPORO, as, a. 1. ἐνσωματίζω, unio, conjungo in uno corpore. *Solin.* 22. *extr.* Variae animalium effigies incorporantur [*Fragm. vet. JCti de jure fisci* (ed. *Goesch.*) §. 14. Eorum bonorum, quae ad fiscum pertinere dicuntur, si controversia moveatur, ante sententiam nec obsignari, nec describi, aut incorporari possunt. *F.*] Adde *August. D. Chr.* 2, 6. V. INCORPORATUS.

INCORRECTUS, a, um, adj. ἀνεπανορθωθείς, non correctus. *Ov. Trist.* 3, 14, 23. Nunc (*opus*) incorrectum populi pervenit ad ora.

INCORRUPTE, adv. ἀφθάρτως, pure, sincere. *Cic. Fin.* 1, 9. Incorrupte atque integre natura judicante. *Gell.* 13, 21. Scite atque incorrupte loqui. *Cic. Marc.* 9. Qui multis post saeculis de te judicabunt, et quidem haud scio an incorruptius, quam nos.

INCORRUPTĒLA, ae, f. incorruptio. *Tert. Car. Christ.* 15., et *Resurr. carn.* 51., item *August. ep.* 146. *ad Consent. n.* 15. ex 1. *Cor.* 15, 53.

INCORRUPTĪBILIS, e, adj. *Lact.* 1, 3. et *Tert. Anim.* 50.

INCORRUPTĪBILĪTAS, atis, f. *Tert. Apol.* 48. *f.* et al. V. INCORRUPTORIUS.

INCORRUPTĪBILĪTER, adv. incorrupte. *August. Conf.* 3, 2. de Deo: Qui purius et incorruptibilius misereris, quia nullo dolore sauciaris.

INCORRUPTIO, onis, f. integritas, conservatio, ἀφθαρσία. *Tert. Resurr. carn.* 51. ex 1. *Cor.* 15, 53., *August. de Trin.* 13, 7. et *Hieron. ep.* 119. *n.* 2.

INCORRUPTĪVUS, a, um, adj. incorruptibilis. *Hieron. ep.* 119. *n.* 7. Corruptivum hoc incorruptivum efficitur.

INCORRUPTORIUS, a, um, adj. incorruptus. *Tert. adv. Marc.* 2, 16. Incorruptorios sensus in Deo efficit incorruptibilitas substantiae divinae.

INCORRUPTUS, a, um, adj. ἄφθαρτος, non corruptus, integer. *Cic. Brut.* 9. Succus et sanguis incorruptus. *Plin.* 13, 16, 30. Immortalitas materiae contra omnia vitia incorruptae. *Id.* 2, 103, 106. Incorruptae aquae. *Id.* 16, 6, 8. Fortius lignum quercus habet, et incorruptius. *Liv.* 32, 33. Nicephorium, Venerisque templum, quae spoliasset evastassetque, pro incorruptis restitui. [*i. e. ita ut corruptionis vestigia nulla supersint.] ℙ Item sincerus, non adulterinus. *Plin.* 10, 3, 3. Quintum aquilarum genus γνήσιον vocatur, velut verum solumque incorruptae originis. ℙ Translate nullo affectu, aut cupiditate labefactatus, inviolatus, integer, purus, fidus, certus, sincerus. *Cic. Fin.* 1, 21. Incorrupti atque integri testes. *Id. Acad.* 4, 7. Integri incorruptique sensus. *Id. Tusc.* 1, 19. Animus incorruptus suique similis. *Liv.* 4, 6. Incorruptum judicium. *Hor. Sat.* 1, 6, 81. Custos incorruptissimus. *Tac. H.* 1, 35. Adversus blandientes incorruptus. *Id. A.* 2, 12. Explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, agitabat, *h. e.* quonam modo ea exploratio sincera et tuta esset; et *ib.* 12, 41. Libertus incorrupta fide. *Cic. Or.* 19. Virgo incorrupta. *Id. Brut.* 35. Incorrupta quaedam Latini sermonis integritas. ℙ Cum accusativo, Graeco more. *Stat. Silv.* 2, 3, 68. Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus.

INCOXO, as, a. 1. *Incoxare nates* est inflectere, demittere, ut qui sedendi gratia subsidunt. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 180. Neque interim cacandi causa unquam incoxavi nates. ℙ Absolute *Pacuv.* Adeo incoxanti mihi pes obstupuerat. Ita referunt plerique Lexicographi. Etiam in verbis *Pomponii* al. leg. *incoxavi nate.*

INCRASSĀTUS, a, um, adj. crassus factus. *Tert. adv. Marc.* 3, 6. ex *Isai.* 6. et *Jejun.* 6. ex *Deuter.* 32.

*INCRASSO, as, 1. *Tert. adv. Psych.* 6. *B. A.*

INCREBRESCO, is, ui, n. 3. διαθρυλλοῦμαι, creber fio, crebresco, augeor, invalesco. *Cic. Fam.* 7, 20. *extr.* Ventus increbrescit. *Virg. G.* 1, 359. Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur. [**Sil.* 10, 1. Vidit increbrescere pugnas.] *Pl. Merc.* 5, 1, 9. Ubi mores deteriores increbrescunt in dies. *Liv.* 7, 12. Gallici belli fama increbrescebat. *Cic. Or.* 20. Ipse numerus increbruit. *Id. Phil.* 14, 5. Haec consuetudo, quae increbruit. *Id. Opt. gen. Or.* 4. Nonnullorum sermo increbruit, partim seipsos Attice dicere, partim neminem. *Liv.* 8, 8. *med.* Inde rem ad triarios redisse, proverbio increbruit. ℙ [Part. *Increbrescens* ap. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 3. Increbrescente annonae caritate. *F.*] ℙ Quidam mallent *r* litteram expungere, *increbresco, bui.* [*A quorum partibus stare videmus *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 93. De scriptura *increbrescere* et *increbruit* rectiore quam *increbescere* et *increbuit*. V. *Burm.* ad *Suet. Aug.* 11. et *Virg. G.* 1, 359. *Drak.* ad *Liv.* 7, 12, 7. et 45, 1.] V. dicta in CREBRESCO.

INCREBRO. V. CREBRO, as.

INCREDENDUS, a, um, part. ab inusit. *incredo*, incredibilis. *Appul. Met.* 2. Incredenda fabula; et *Flor. n.* 15. Incredendae potentiae. *Id. Apol.* habet *incredundus.*

INCREDĪBILIS, e, adj. παράδοξος, ἄπιστος, qui credi non potest, fidem superans, improbabilis. *Cic. Inv.* 2, 13. Quae rem credibilem aut incredibilem facere possunt. *Id. Part.* 4. Incredibilia probabilibus intexere. *Id. Phil.* 7, 3. Si erit vel acerbum auditu vel incredibile; et *ib.* 2, 27. Incredibile ac simile portenti est quonam modo illa effuderit. *Id. Fam.* 13, 54. Singularis et prope incredibilis fides. *Id. Or.* 1, 38. Incredibilis quaedam, et prope singularis, et divina vis ingenii. *Id. Sull.* 27. Incredibilis ac singularis furor. *Vell.* 2, 99. Mira et incredibilis, atque inenarrabilis pietas. *Q. Cic.* ad *Tiron. Fam.* 16, 27. Incredibile est, quae ego illos scio in aestivis fecisse. *Ter. Ph.* 2, 1, 9. Praeter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit. *Cic. Att.* 13, 23. Incredibile est, quam ego ista non curem, etc.; et *ib.* 15, 1. Incredibile est, quanta me molestia affecerit; et *ib.* 5, 16. Incredibilem in modum concursus fiunt ex agris. *Sall. Cat.* 6. et 7. Incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. *Nep. Ann.* 6. et *Just.* 12, 9. Incredibile dictu est, ut eum non multitudo hominum, non vis magna telorum terruerit; et 1, 10. Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo, quod, etc.; et 36, 2. *extr.* Quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. *Sen. Q. N.* 3, 17. Quanto incredibiliora sunt opera luxuriae, quoties, etc.! [**Incredibile est, incredibile dictu est*, eodem modo ut *dici non potest*, *dici vix potest*, vulgares ap. Lat. formulae sunt eximium aliquid ac singulare significantes. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 60, 149.] ℙ Item is cui non creditur. *Pl. Bacch.* 4, 3, 3. Incredibilis imposque animi, inamabilis, illepidus vivo. ℙ Item incredulus *Appul. Trism.* Incredibiles enim post delicta cogentur credere non verbis, sed exemplis.

INCREDĪBILĪTAS, atis, f. ἀπιστία. *Ulp. Dig.* 48, 5, 29. Adumbrare patientiam praetextu incredibilitatis. *Appul. Trism.* Mors, quam ignoratio, aut incredibilitas contemnit humana. [*V. *Duker. Lat. Vett. Ict.* 422.]

INCREDĪBILĪTER, adv. ἀπίστως, supra fidem, incredibilem in modum. *Cic. Sen.* 15. Quibus ego incredibiliter delector. *Id. Phil.* 1, 15. Incredibiliter consentiens populi R. voluntas. *Id. Att.* 8, 7. Incredibiliter pertimuit.

INCREDĪTUS, a, um, adj. ἄπιστος, cui non creditur. *Sen. Controv.* 5, 30. Increditam adhuc inertiam miratus est. *Appul. de Deo Socrat.* Incredita vaticinia Cassandrae.

INCREDŪLĪTAS, atis, f. ἀπιστία. *Appul. Met.* 1. Obstinata incredulitate sermonem ejus respuebat. *Paul. Nol. carm.* 6, 95. poenas incredulitate meretur.

INCREDŪLUS, a, um, adj. ἄπιστος, qui non credit. *Hor. A. P.* 188. Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi. *Quint.* 12, 8. Optimus est patronus incredulus. ℙ Incredibilis. *Gell.* 9, 4. Res inauditae incredulae.

INCREDUNDUS. V. INCREDENDUS.

INCRĒMĀTUS, a, um, adj. idem ac crematus. *Flor.* 4, 2. *med.* Viginti centurionibus incrematis.

*INCREMENTO, as, a. 1. αὐξάνω. *August.* Dominus incrementat. *B. A.*

INCRĒMENTŪLUM, i, n. dimin. parvum incrementum. *Appul. Met.* 5. Miratur de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri.

INCRĒMENTUM, i, n. αὔξησις, augmentum: ab *increscо. Cic. Sen.* 15. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? *Id. Fin.* 2, 27. Negat summo bono afferre incrementum diem. *Curt.* 9, 3. Virtus tua semper in incremento erit: nostra vis in fine jam est. *Id.* 5, 1. *med.* Incremento novare exercitum. *Colum.* 8, 15. *med.* Parvi incrementi animalia. *Id.* 9. *f.* Incrementi minuti pisces. [*Spart. Had.* 7. Pueris, et puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementa liberalitatis adjecit. *F.*] ℙ De augmento dignitatis, et ascensu honorum. *Vell.* 2, 51. Illis incrementis fecit viam, quibus in triumphum, et pontificatum assurgeret. *Suet. Vit.* 3. Existimatus initium et causa incrementorum patri fuisse. ℙ [Et pro usura. *Papin. Dig.* 34, 1, 9. Eandemque summam penes te esse volo, cujus ex incremento eos (alumnos) alere te volo. *Inscr.* ap. *Grut.* 1028, 5. Rei (*h. e.* summae) incrementa postea ad epulum plebis urb*anae* voluit pertinere. [**Suet. Aug.* 66. Legata cum incremento restituere consuerat. *Dio* 56, 32. μετὰ τῶν προσόδων i. e. cum iis, quae interea sorti accreverant. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 421. V. etiam *Brem.* ad h. *Suet.* locum.] ℙ Item pro interpretio. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 14, 16, 1. Incrementa, quae venundato tritico accesserint, etc. *F.*] ℙ Item de nutrimento. *Front.* ap. *Putsch.* p. 2198. Alitudo (*est*) incrementum corporis, alimentum incrementum infantis. ℙ Item de alumnis. *Virg. Ecl.* 4, 49. Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum. *Curt.* 5, 1. *med.* Magnorum praefectorum et ducum haec incrementa sunt et rudimenta, *nempe* hi aluntur et erudiuntur, ut sint aliquando praefecti et duces. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 425. Niceratus Augustorum N servus paedagogus fecit sibi et duobus incrementis Victori, et Chrysomallo. ℙ Et de curiae praetextatis. *Inscr.* ap. *Grut.* 461. Ex

quorum reditu quot annis daretur puer*is* curiae incrementi*s* crustu*lum*, mulsum, et HS ꝟIIII. N. *F.*] ℙ Item de filiis. *Appul. Met.* 5. Nimirum istud incrementum lenam me putavit. Hic loquitur Venus indignabunda de Cupidine filio suo. *Inscr.* ap. *Mur.* 981, 9. C. Valerius .... incrementum maximum annor. XI. M. V. D. VII. P. (*fortasse* II.) III. ℙ De semine, unde increscit soboles. *Ov. Met.* 3, 102. motaeque jubet supponere terrae Vipereos dentes, populi incrementa futuri. ℙ Pars est etiam amplificationis rhetoricae. *Quint.* 8, 43. Quatuor maxime generibus video constare amplificationem, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementum est potentissimum, cum magna videntur, etiam quae inferiora sunt. Id aut uno gradu fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Omnibus his sufficit vel unum Ciceronis exemplum. (*Verr.* 2, 5, 66.) Facinus est vincire civem R.; scelus, verberare; prope parricidium, necare; quid dicam in crucem tollere? Haec, et plura *ib. Quint.* [*V. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 212.]

INCRĔPĀTĬO, onis, f. objurgatio. *Tert. adv. Marc.* 4, 7. *f.* et *ib.* 5, 20. **Vet. Gloss. Lat. Gr.* Increpacio, *ἐπιτίμησις*: it. *ἐπικρότησις*, et *ἐπιφώφησις*. *B. A.*

INCRĔPĀTĪVĒ, adv. increpando. *Sidon. ep.* 6, 9. Non increpative, sed consolatorie aliquem compellare.

*INCREPĀTOR, oris, m. *Gloss. ἐπιτιμητής. B. A.*

INCRĔPĀTORĬUS, a, um, adj. ad increpandum inserviens. *Sid. ep.* 9, 7. Nostra judicia nil minantur increpatorium.

INCRĔPĀTUS, a, um, part. ab *increpo*, increpitus. *Prud. Cath.* 7, 195. Sed increpata fraude, post tergum ruit. *Lact.* 4, 11. Judaei a prophetis increpati. V. INCREPITUS.

INCRĔPĬTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιπλήττω*, frequentativum ab *increpo*, sed ejusdem fere significationis. *Caes. B. G.* 2, 15. Increpitare atque accusare reliquos Belgas, qui se populo R. dedidissent; et 30. Irridere ex muro atque increpitare vocibus. *Liv.* 1, 7. Cum verbis quoque increpitans, adjecisset, sic deinde quicumque alius transiliet moenia mea. *Virg. A.* 10, 900. Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris? *Id. G.* 4, 138. Aestatem increpitans seram, zephyrosque morantes, *h. e.* incusans. *Sil.* 9, 6. Increpitare aliquem segnitiae. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 2. *extr.* Increpitare ignaviam alicui. ℙ Cum dativo. *Prop.* 2, 20, 15. Et tibi prae invidia Nereides increpitarent. ℙ Pro objicere. *Id.* 3, 13, 34. Et speculo rugas increpitante tibi. ℙ Pro ferire ut *increpo*. *Festus:* increpitato, ferito. *Stat. Th.* 10, 132. increpitans languentia pectora dextra. ℙ Est etiam excitare, hortari. *Virg. A.* 1, 742. Tum Bitiae dedit increpitans: ille impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro. *Servius* exponit *inclamans*. *Vulpius* ad *Prop. l. c.* refert ad crepitum vini in libatione humi fusi. Alii explicant *increpitans moram ad* bibendum, sed simpliciter intelligendum est, *invitans*, *ut ipse biberet*.

INCRĔPĬTUS, a, um, part. ab *increpo:* increpatus. *Liv.* 23, 26. Praefecti, post classem per pavorem desertam, graviter increpiti; et 24, 17. *f.* Graviter ab consule increpitus. Est qui legit *increpatus*. (Adde 42, 9. *f.*) *Appul. Apol.* Levitatis et inconstantiae increpitus. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 17. Ignaviae increpitos. *B. A.*

INCRĔPĬTUS, us, m. increpatio. In sexto casu sing. *Appul. de Deo Socrat.* Increpitu indignatum Amorem recinendo placare. *Tert. adv. Marc.* 4, 8. Jussu et increpitu daemonia expellens.

INCRĔPO, as, ui, itum, *raro* avi, atum, a. 1. *ψοφέω*, crepo, crepitum edo, sono, insono. *Cic. Or.* 2, 5. Simul ut discus increpuit. *Virg. G.* 1, 382. Corvorum increpuit densis exercitus alis. *Id. A.* 12, 753. vividus Umber Increpuit malis, morsuque elusus inani est. *Prop.* 4, 7, 12. at illi Pollicibus fragiles increpuere manus. [*Abeunt in duas partes interpretes, aliis de attentione excitanda, aliis de ira cogitantibus. Hoc unice ferendum.] *Minuc. Fel. Octav.* 5. Flare ventos, grandines increpare, tonitrua mugire. Adde *Prop.* 3, 12, 6. ubi de trocho agit. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 1, 7. Quidquid increpuerit, Catilinam timeri. *Id. Mur.* 10. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. *Liv.* 4, 40. *f.* Si quid increpet terroris. *Sen. Troad.* 302. Timide cum increpuit metus. ℙ Cum accusativo. *Prop.* 1, 17, 6. saevas increpat aura minas, *h. e.* magno strepitu ventus minatur. *Sil.* 5, 188. Increpuere simul feralia classica signum. *Sever. Aetn.* 62. validos tum Juppiter ignes Increpat. *Virg. A.* 9, 503. At tuba terribilem sonitum procul aere canoro Increpuit ℙ Est etiam percutere, ferire, quia percutiendo crepitus, aut sonitus fit. *Ov. Trist.* 1, 4, 24. Increpuit quantis viribus unda latus! *Id. Met.* 14, 820. conscendit equos Gradivus, et ictu Verberis increpuit. *Id. ib.* 12, 51. Juppiter atras Increpuit nubes. *Id. Ib.* 230. Terque cruentatas increpuere manus, *h. e.* manibus plausere. *Id. Her.* 3, 118. et *Amor.* 2, 11, 32. Threiciam digitis increpuisse lyram. ℙ Increpare hibernum. V. HIBERNUS. ℙ Item insono, persono. *Enn.* ap. *Non.* 4, 63. Sonitus aures meas pedum pulsu increpat. *Calpurn. Ecl.* 5, 56. simul argutae nemus increpuere cicadae. ℙ Item dictito, jacto, in ore habeo, canto, intono. *Prop.* 3, 8, 9. Alcyonum positis requiescant ora querelis: Increpet absumptum nec sua mater Ityn. *Id.* 4, 11, 59. Ille sua nata dignam vixisse sororem, Increpat. *Turpil.* ap. *Non. l. c.* Age tu, hymenaeum increpa. ℙ [Item disrumpor, findor. *Theod. Prisc.* 1, 28. Quibus vero perniones increpuerint, et vulnerati fuerint, his spuma argenti trita, mixto adipe porcino, pro emplastro apponi debet. *F.*] ℙ Translate est reprehendere, incusare, objurgare, quasi crepare, et altius loqui in aliquem. [*Gr. *ἐπιτιμᾶν*.] *Pl. Most.* 3, 2, 63. Numquid increpavit filium? *Sall. Cat.* 22. Maledictis increpare omnes bonos. *Liv.* 23, 45. Gravibus probris increpare. *Suet. Cal.* 39. Modo avaritiae singulos increpans. *Id. Galb.* 15. Saevitiae populum increpuit. *Liv.* 4, 50. Saxo ictus turba excedit: insuper increpante, qui vulneraverat, habere quaestorem, quod imperator esset militibus minatus. [*Quam in sqq. hujus § locis constructionem videmus, rariorem ap. priores dicit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 250. ubi plura *Tac.* exempla congessit.] *Liv.* 23, 47. Increpare ignaviam alicujus. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. perfidiam. *Ov. Her.* 1, 82. moras. *Cic. Acad.* 4, 23. arrogantiam. [**Id. Hortens. Fr.* Tum — totam dialecticam aut illudis aut increpas?] *Ov. Met.* 3, 646. Increpor a cunctis. [*Ap. *Suet.* saepissime construitur c. v. *ut*, *als.* Ita *Aug.* 86. M. Antonium ut insanum increpat. *Tib.* 24. Amicos increpans ut ignaros. *Ner.* 41. Ut malum citharoedum se increpitum. *Claud.* 39. Ut somniculosos per nuncium increpuit. Adde *Tib.* 52. Ut gloriosissimas victorias ceu damnosas Reip. increparet. Al. *increparit*, de quo perf. v. *Oudend.* ad h. l. et *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 32, 1.] ℙ *Increpare aliquid* est quippiam dicere objurgandi atque accusandi causa. *Liv.* 1, 51. Haec Aricinus in regem increpans, ex concilio abiit; et 6, 37. Haec indigna miserandaque auditu, cum apud timentes sibimet ipsos, increpuissent, etc. *Sall. or. ad Caes. de Rep. ord.* 1. *med.* Illa quae in Cn. Pompejum, victoriamque Sullanam increpabantur. ℙ [*Cum Dativo. *Lucr.* 3, 945. Denique, si vocem rerum natura repente Mittat, et hocc' aliquoi nostrum sic increpet ipsa.] ℙ Ponitur et pro stimulare, acuere, hortari. *Tibull.* 1, 1, 10. Aut stimulo tardos increpuisse boves. *Virg. A.* 9, 127. et *ib.* 10, 278. Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro. ℙ Et pro mordere, carpere, pungere, arguere. *Flor.* 1, 1. Cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu, etc. ℙ *Sabella carmina increpant pectus*, ap. *Hor. Epod.* 17, 28., *h. e.* quasi vehementi sonitu penetrant in pectus, percelluntque animum, ac de statu dejiciunt.

INCRESCO, is, evi, a. 3. *αὐξάνομαι*, idem quod cresco. *Cels.* 1, 3. *f.* Maxime cibo eget, qui increscit. *Id.* 3, 2. Videndum est, morbus an increscat, an consistat, an minuatur. *Colum.* 3, 21. Ne cum increverint (*arbores*), inumbrent. [*Inscr.* ap. *Mur.* 539, 1. Ne patiare meis tumulis increscere silvas. *F.*] *Ov. Met.* 4, 476. cuti squamas increscere sentit. [**Lucan.* 2, 376. Moestamque genis increscere barbam.] *Ov. Trist.* 1, 4, 5. increscunt aequora ventis. *Plin.* 28, 11, 46. Taedia animalium capillis non increscunt, *h. e.* in capillis non crescunt. (V. TAEDIUM.) *Virg. A.* 9, 688. increscunt animis discordibus irae. *Pers.* 3, 32. fibris increvit opimum Pingue. *Sen. Med.* 951. Increscit dolor. *Quint.* 8, 4. Hoc genus increscit, et fit manifestius. De *incremento* amplificationis loquitur. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Quam sententiam quotidie increscere et invalescere videmus. *Liv.* 1, 33. *f.* Increscens audacia. [*Quaedam habet *Burm.* ad *Quint. Decl* 8, 1. p. 165.]

INCRĒTO, as, a. 1. creta illino, obduco. *Petr. Sat.* 102. Perunde aures, ut imitemur Aethiopes; increta facies, ut suos Gallia cives putet.

INCRĒTUS, a, um, part. ab *incerno*, sed contraria significatione, non cretus, non purgatus. *Appul. Met.* 7. Mihi vero furfures apponebat incretos ac sordidos. [*Oudend.* interpretatur cribro a farina separatos, et sordibus ac lapillis salebrosos. *F.*] ℙ Item indivisus, confusus, admixtus. *Festus:* Increta, indivisa. *Hor. Sat.* 2, 4, 74. piper album cum sale nigro Incretum. *Plin.* 37, 6, 23. Minium incretum candido pingui. V. INCERNO.

INCRĪMĪNĀTĬO, onis, f. criminationis, vel criminis, vel accusationis defectus. *Tert. Resurr. carn.* 23.

INCRISPĀTĬO, onis, f. *August. ep.* 112. *ad Paul.* 22. ex 1. *Petri* 3, 3. Ornatus capillorum incrispationibus.

INCRISPO, as, a. 1. *Tert. Idol.* 8. Incrispare ornamenta parietibus. Ita legit *Junius*, alii *incrustare*.

[INCRŪCĬO, as, a. 1. valde crucio. *Not. Tir.* p. 109. Cruciat, incruciat, excruciat, discruciat. *F.*]

INCRŪDESCO, is, dui, n. 3. crudesco. *Incrudescit*, et *incruduit* habentur in *Not. Tir.* p. 81.

INCRŪENTĀTUS, a, um, adj. non maculatus cruore. *Ov. Met.* 12, 496. manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Coeneus Elateius ictu. ℙ [Est etiam item ac cruentatus. *Tert. ad Nat.* 1, 7. *med.* Quis unquam semeso puero supervenit, quis incruentato pane vestigia dentium deprehendit. *F.*]

INCRŪENTĒ, adv. *ἀναιμεί. Prud. περὶ στεφ.* 10, 1094. Si vos sinatis, incruente vivimus.

INCRŪENTUS, a, um, adj. *ἀναίμακτος*, sine sanguine, sine caede: ut Incruenta victoria, in qua nullus cruor effusus est ab iis, qui vicere: in qua nulli, aut pauci ex victoribus caesi sunt. *Liv.* 2, 56. *f.* Certatum haud incruento proelio foret, ni, etc. et 7, 8. *extr.* Nec Romanis incruenta victoria fuit; et 8, 29. *f.* Uno proelio cecidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo; et 9, 17. *f.* Alexander Darium incruentus devicit. *Sall. Jug.* 97. Multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento. [**Tac. H.* 3, 66. incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. *Agr.* 17. Non incruenta proelia. *H.* 3, 13. Integros incruentosque quid dicturos? Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 250. sq. ubi nubem exemplorum praesertim ex *Liv.*, cui usitatissima vox est, congestam habebis. Adde *Vell.* 2, 21, 6. Haud incruentis certaminibus editis; et 2, 112, 6. Non incruentis centurionibus, i. e. ipsis centurionibus cladis expertibus.]

INCRUSTĀTĬO, onis, f. affixio crustae marmoris, aut laminae ad parietem, pavimentum, aut vas. *Procul. Dig.* 8, 2, 12. *extr.* Incrustatio parietis. *Paul. ib.* 50, 16, 79. Voluptariae impensae sunt viridaria, incrustationes, loricationes, picturae.

INCRUSTĀTUS. V. CRUSTATUS.

INCRUSTO, as, avi, atum, a. 1. *πλακόω*, crusta marmoris, aliusve rei operio: obduco. *Varr. R. R.* 3, 14. *f.* Ollam incrustare sapa et farre. *Id. ib.* 15. Tota maceria levi lapide aut tectorio intrinsecus incrustetur. *Hor. Sat.* 1, 3, 56. Sincerum vas incrustare. *Procul. Dig.* 8, 2, 12. parietem.

INCŪBĀTĬO, onis, f. *ἐγκοίμησις*, actus incubandi, cum aves ova excludunt. *Plin.* 10, 54, 75. Incubationi datur initium post novam lunam. Est qui legit *incubitioni:* et *ib.* 56, 77. Incubatio ovis noxia; et *ib.* 60, 80. Incubationem derelinquere. ℙ Translate. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 7, 38, 3. Diuturna incubatio, *h. e.* occupatio et detentio alicujus fundi, seu domus. V. INCUBO.

INCŪBĀTOR, oris, m. qui alicubi incubat. *Tert. Anim.* 49. Incubatores fani. V. INCUBO, as. ℙ Item possessor anxius aut iniquus alicujus rei. *Macr. Somn. Scip.* 1, 10. *f.* Dionysius aulae Siculae inclementissimus incubator. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 16, 10, 20. Omnia loca, quae sacris error veterum deputavit, nostrae rei jubemus sociari, ita ut fructus ab incubatoribus exigantur. *Serv.* ad *A.* 7, 266. Apud nos incubator imperii, tyrannus dicitur. V. INCUBO.

INCŪBĀTUS, us, m. idem ac incubatio. *Plin.* 10, 54, 75. Si incubatu tonuerit, ova pereunt. Al. leg. *incubitu*.

INCŪBĪTĀTUS, a, um, part. ab *incubito*, de eo dicitur, super quo quis incubitat. *Pl. Pers.* 2, 4, 13. *Sa.* Video ego te: jam incubitatus es. *Pae.* ita sum quid id attinet ad te? At non sum ita, ut tu, gratis. Sunt qui interpretantur *in cubitum nixus*, *seu cubitissim obversus stuprum passus es.* [*Hujus loci probe curam gessit. *F.*]

INCŪBĪTĬO. V. INCUBATIO.

INCŪBĪTO, as, n. 1. frequent. ab *incubo*. *Colum.* 8, 14. *f.* Cellas, in quibus incubitant, siccissimas esse oportet, substratasque habere paleas, *h. e.* incubant ovis excludendis. *Plin.* 8, 43, 68. Asini non nisi spatiosa incubitant laxitate, *h. e.* decumbunt dormiendi causa.

INCŪBĪTUS, a, um, part. ex *incubo*. *Plin.* 29, 3, 11. Cum ova triduo incubita tolluntur.

INCŪBĪTUS, us, m. idem ac incubatio. *Plin.* 10, 54, 75. Quaedam autem citra incubitum sponte naturae gignunt. ℙ Incubitus dextri lateris est, dum aliquis supra dextrum latus cubat. *Id.* 28, 4, 14. Celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius a supinis.

INCŪBO, as, ui, itum, et (cum refertur ad aves ova foventes) avi, atum, a. 1. *ἔγκειμαι*, *ἐπίκειμαι*, super aliqua re cubo, incumbo, quiesco. Differt ab *incumbo*, quod fere ad actionem refertur: *incubo* autem fere ad quietem. *Virg. A.* 7, 88. Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit. *Just.* 23, 1. Sine veste, quam induerent, vel cui incubarent. *Sen. Thyest.* 909. Resupinus ipse purpura atque auro incubat. *Plin.* 11, 45, 105. Omnia animalia a dextris partibus incedunt, sinistris incubant. *Sen. V. B.* 25. Super tomentum incubabo. ℙ Cum accusativo. *Stat. Th.* 6, 575. tunc Palladios non inscius haustus Incubuit. *Appul. Met.* 7. Tabernulam

quandam litori proximam incubabat. ℙ *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 88. *incubare*, inquit, dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est, *ille incubat Jovi*, id est dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere. Haec *Servius.* Solebant id facere, et qui opem a Diis petebant. *Pl. Curc.* 1, 1, 61. Hic leno aegrotus incubat in Aesculapii fano; et *ib.* 2, 2, 16. incubare satius te fuerat Jovi, Tibi qui auxilium in jurejurando tulit. *Ca.* Si quidem incubare velint, qui pejeraverint, locus non praeberi potis est in Capitolio. [*Tert. Anim.* 48. Superstitio *(est)*, ut cum apud oracula incubaturis jejunium indicitur, ut castimoniam inducat. *F.*] ℙ Saepe dicitur de avibus, quae insidendo fovent ova, et excludunt. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Quae velis, incubent, negant, plus vigintiquinque oportere ova incubare; et *paulo post.* Ova, quae incubantur. *Colum.* 8, 5. *med.* Gallinas incubare fetibus alienigenis patiemur. *Plin.* 10, 59, 79. Ova gallinis incubanda subjicere. ℙ Metonymice est soboli operam dare. *Id.* 11, 16, 15. de apib.: Nam nisi incubavere, favos lividos faciunt. V. infra. ℙ Est etiam incumbere, inclinari, inniti. *Id.* 2, 54, 55. Omnia contrarias incubant in partes: homo, nisi convertatur in percussas *(fulmine)*, non exspirat. *Id.* 6, 17, 20. Jugum incubans mari. ℙ Item supra extendi, superjacere, premere, contegere. *Val. Fl.* 2, 494. coelumque, quod incubat urbi. *Plin.* 3, 1, 3. *extr.* Incubuere maria tam longo aevo: alibi processere litora. ℙ Et translate. *Hor. Od.* 1, 3, 30. macies, et nova febrium Terris incubuit cohors. *Sen. Hippol.* 99. Sed major alius incubat moestae dolor; et 268. Incubat menti furor. ℙ De iis, qui nituntur in gladium, ut sibi necem inferant. *Sen. ib.* 259. Laqueone vitam finiam, an ferro incubem? ℙ Et qui moriendo procumbunt. *Ov. Her.* 9, 87. Ut Tegeaeus aper cupressifero Erymantho Incubet, et vasto pondere laedat humum. ℙ Pro inhabitare, morari. *Pl. Cas.* 1, 1, 21. Quando ego eam mecum rus uxorem duxero, Rure incubabo in praefectura mea. Hic vero ea etiam innuitur significatio, de qua supra, [*scil. soboli operam dandi; quod praeferendum.] *Appul. Met.* 4. Hoc genus bestiae lucos consitos et colles amoenos semper incubare. ℙ Pro sedere, haerere, stare. *Ov. Met.* 6, 592. Vite caput tegitur: lateri cervina sinistro Vellera dependent: humero levis incubat hasta. ℙ De iis, qui vigilant. *Sen. Thyest.* 570. pavidusque pinnis *(murorum)* Anxiae noctis vigil incubabat. ℙ [*Item de iis, qui corporibus mortuorum se dolore impulsi injiciunt. *Lucan.* 2, 27. incubat amens, Miraturque malum; et 9, 57. Ergo indigna fui — — gelidosque effusa per artus incubuisse viro? *Stat. Silv.* 5, 1, 201. Incubat amissae. Adde *Lucan.* 8, 727. Incubuit Magno: ubi v. *Cort.*] ℙ Et translate de iis, qui mala fide possident, et alienam rem injuste detinent: quasi ei rei assidue immineant, vigilentque, ne elabatur. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 45. Quasi jam probaverit, possessorem esse eum, qui incubavit; et *mox.* Nec adimere tibi licet possessionem incubanti, nec dare jure poscenti. *Serv.* ad illud *A.* 1, 93. ponto nox incubat atra: *incubat* dixit, quod alienum tempus invasit: nam *incubare* proprie dicitur per vim rem alienam velle tenere. Sic *Flor.* 2, 6. *f.* Ut inhaerentem atque incubantem Italiae extorqueret Annibalem. ℙ Et universim de iis, qui alicui rei inhiant, et cupide adhaerent, arcteque custodiunt. *Cic. Cluent.* 26. *f.* Planus improbissimus, quaestu judiciario pastus, qui illi pecuniae, quam condiderat, spe jam atque animo incubaret. *Virg. G.* 2, 507. Condit opes alius, defossoque incubat auro. *Id. A.* 6, 610. Aut qui divitiis soli incubuere repertis. *Appul. Met.* 4. Pannosus ac sordidus aureos folles incubabat. [*Liv. 6, 15. Incubare publicis thesauris, i. e. premere, occultare, ut ad alios nihil inde perveniat.]

INCŪBO, onis, m. qui incubat alicui rei custodiae causa. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* Cum modo incuboni pileum rapuisset, thesaurum invenit. [*Gloss. Philox.* Incubones, ἐπικεκυφότες. *F.*] ℙ Item qui cubantibus insilire videtur, et praefocare, ἐφιάλτης, ut in v. sq. dicetur. *Scrib. Comp.* 100. Haec compositio facit ad eos, qui saepius existimantur ab incubone deludi. *Tert. Anim.* 44. Genus fuerat gravioris aliquanto soporis, ut de incubone praesumptio est. Adde *Coel. Aurel. Tard.* 1. *toto c.* 3. ℙ Tertium incubonum genus V. in v. sq.

INCŪBUS, i, m. ἐφιάλτης, ἐπιβολή, πνιγαλίων, morbus noctu quiescentes infestans, cum externa quaedam vis dormientes videtur invadere, et veluti suo pondere pressos gravare. Vana est autem opinio illorum, qui aut daemonem, aut Cupidinem, aut vetulam quandam pectus supine cubantis comprimentem esse putaverunt. V. v. praec. ℙ Praeterea *Incubos* vulgo vocant Silvanos, et Faunos, qui feruntur improbi saepe exstitisse mulieribus, ut *August. C. D.* 15, 23. Adde *Hieron. Vit. Hilar.* et 5. *in Isaj.* 13, 21.; *Isid. Orig.* 8, 11. et *Serv.* ad *A.* 6, 776., ubi *Incubones* appellat, [Itali vero *fantasime* dicunt. *F.*]

INCULCĀTIO, onis, f. *Tert. Apol.* 39. Disciplinam praeceptorum inculcationibus densamus.

INCULCĀTOR, oris, m. qui pedibus calcat. *Tert. adv. Gnost.* 6. Deus hominem diaboli inculcatorem voluit efficere.

INCULCĀTUS, a, um, part. ab *inculco:* calcatus, infartus, calcando impressus. *Plin.* 29, 2, 9. Lana succida canis rabiosi morsibus inculcata. *Colum.* 8, 15. Solum stagni lapidibus inculcatis ac tectorio munire. *Gell.* 2, 6. *f.* Quidquid nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squalere dicebatur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 69. Apud alios audatur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 69. Apud alios audatur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 69. Apud alios aud

tius nobilitatis viribus incubuit, ut se consulem dicerent. ℙ Cum infinito. *Virg. G.* 4, 249. hoc acrius omnes Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas. [**Tac. H.* 2, 10. Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere.] ℙ Absolute. *Ov. Met.* 10, 657. nunc nunc incumbere tempus, Hippomene, [*i. e. omnes ad cursum vires intendere.] ℙ Cum accusativo. *Stat. Th.* 6, 575. tunc Palladios non inscius haustus Incubuit, *h. e.* oleo et palaestrae adjecit animum. *Avien. Perieg.* 849. Asiam incumbit Taurus. ℙ Est etiam propendere, inclinari, voluntate, oratione, etc. studere, velle, curare. *Cic. Or.* 3, 14. *f.* Ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, possit impellere, [*i. e. in quamcumque partem commovere auditorem voluerit.] *Id. Phil.* 6, 7. Idem volunt omnes ordines, eodem incumbunt municipia, coloniae, cuncta Italia. *Id. Att.* 1, 19. *med.* Pompejus ad voluntatem perferendae legis incubuerat. *Id. Mur.* 26. Magna est comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim cum incubuit ad virum bonum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. In quam *(causam)* incubuisse cum senatu Pompejus videtur, ut Caesar id. Novembr. decedat. ℙ Incumbere in cupiditatem, iram, etc. est se incitare ad cupiditatem. *Cic. Att.* 5, 13. Cujus in cupiditatem, te auctore, incubui, nec me piget, [*i. e. eas juvi. *Id. Q. Fr.* 3, 8. Se perfecturum, ut in illo Caesar incumbat.] *Sen. Med.* 902. Incumbe in iras, teque jacentem excita. ℙ *Hoc mihi incumbit*, mei officii est, ap. JCtos. *Ulp. Dig.* 48, 2, 5. Accusandi necessitas incumbet domino. *Paul. ib.* 22, 3, 2. Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. *Ulp. ib.* 21, 1, 25. *med.* Judici omnium rerum officium incumbit. ℙ *Incumbere ova* pro *incubare* quidam leg. ap. *Petr. Sat.* 33., sed dubia est lectio. ℙ Monet *Quint.* 9, 3. *in.* Veteres libentius dixisse *incumbere in illum*, quam *illi.* ℙ *Incumbuverim* pro *incubuerim*, quod ita postulet metri ratio, quidam legunt ap. *Phaedr. prol. l.* 3. ut *fuvi* pro *fui*, etc. ℙ Nonnulla, quae hic adscripta sunt, ad verbum *Incubo* referri possunt.

INCŪNĂBŪLA, orum, n. plur. *σπάργανα*, ea, quae cunis insunt, quae ad cunas muniendas et ornandas pertinent, idest lectulus, et fasciae lineae, laneaeque, quibus infantes involvuntur. *Pl. Truc.* 5, 13. Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis. *Incunabula* hic sunt lora, aut vincula, quibus in cunis illigantur infantes, ne excidant. ℙ Translate sumitur pro loco, unde orti sumus, vel pro natalibus et origine generis. *Cic. Att.* 2, 15. Ego vero ad montes patrios, et ad incunabula nostra pergam. *Ov. Met.* 8, 99. Jovis incunabula Crete. *Justin.* 31, 8. Majorum incunabula. ℙ Denique generatim pro principio et origine. *Liv.* 4, 36. Ab incunabulis imbutus odio tribunorum. *Cic. Or.* 13. *extr.* Non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. *Id. Or.* 1, 6. Ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae. *Quint. prooem. l.* 1. Ab ipsis dicendi velut incunabulis.

INCUNCTĂBĬLIS, e, adj. qui moram, vel dubium non patitur. *Arcad. Dig.* 22, 5, 21. Illud quoque incunctabile est, ut, si res exigat, testimonium dicant.

*INCUNCTANS, antis, adj. non cunctans, promptus. *Paul. Petroc. Vit. S. Mart.* 5, 133. Incunctante fide praesentia munera poscunt. *B. A.*

INCUNCTANTER vel Incontanter, adv. non cunctando. *Lact.* 6, 12. Incunctanter ac fortiter mortem subire. (Adde 1, 15. *f.*) *Appul. Met.* 11. Incunctanter continuare pompam. *Ulp. Dig.* 40, 2, 20. Incunctanter debet ei permitti. Adde *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 13.

INCUNCTĀTUS et Incontatus, a, um, adj. non cunctatus, qui omnem cunctationem sustulit, qui sine mora facit. *Appul. Met.* 5. At illae incontatae, statim conferto vestigio domum penetrant. Al. leg. *incontanter.*

INCŪPĬDUS, a, um, adj. non cupidus. *Afran.* ap. *Non.* 9, 1. Majores nostri incupidiores liberum fuere. Al. interpret. *valde cupidi*, ut *in* sit intentiva.

[INCŪRĀBĬLIS, e, adj. non curabilis, qui curari non potest. *Gloss. Phil.* Incurabilis, *ἀθεράπευτος. F.*]

INCŪRĀTUS, a, um, adj. non curatus. *Hor. Ep.* 1, 16, 24. Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. *Vopisc. Aurel.* 28. Neque quidquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur, aut incuratum.

INCŪRĬA, ae, f. *ἀμέλεια*, negligentia: ab *in*, et *cura.* [*Primo loco collocari debebant ea exempla, quae v. *incuria* active positam referunt. Noster parum recte omnia miscuit. Huc pertinent.] *Cic. Prov. cons.* 3. Milites populi R. incuria, fame, morbo, vastitate consumpti. [*Adde *Tac. A.* 3, 31. Incuria magistratuum; 4, 48. Incuria eorum comperta. *Agr.* 20. vel incuria vel tolerantia. ℙ Passive. Cf. praeter locos a Nostro laudatos. *Nep. Att.* 20. et *auct. ep.* ad *Caes.* de ord. rep. 1.] *Cic. Amic.* 23. Vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria. *Hor. A. P.* 351. non ego paucis Offendar maculis, quas haud incuria fudit, Ast humana parum cavit natura. Ita legend. monuit *Sibiliatus* pro vulgari *aut incuria fudit*, *Aut humana*, etc. *Cato* ap. *Ammian.* 16, 5. Magna cura cibi, magna virtutis incuria. ℙ De negligentia in capillis comendis. *Appul. Apol.* Capillus prorsus inenodabilis diutina incuria. *Tert. Poenit. f.* Capilli incuria horrorem leoninum praeferens. *Arnob.* 5, 174. Partem illam corporis, per quam secus femineum et sobolem prodere, et nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, *h. e.* a pilis in eadem jam silvescentibus volsella, seu novacula purgat. ℙ Incuria Dei, ap. *Tert. adv. Marc.* 4, 15. *med.* neglectus, impietas.

INCŪRĬOSĒ, adv. *ἀμελῶς*, sine cura, negligenter. *Liv.* 8, 38. Castra in hostico incuriose posita. *Tac. H.* 1, 13. Otho pueritiam incuriose egerat, *h. e.* sine cura pudoris, et custodia sui. *Gell. praef. med.* Incuriose et immeditate. *Id.* 19, 9. Homines amoeni, et nostras quoque litteras haud incuriose docti. *Tac. H.* 4, 28. Caesae cohortes incuriosius agentes.

[*INCŪRĬOSĬTAS, atis, f. indiligentia. *Cassiod. Variar.* 7, 4. Nec nostros ad gentes sub incuriositate transmittas. *Gloss. Phil.* Incuriositas, *ἀφαγμοσύνη. Salv. de gub. Dei* 1. *in.* De incuriositate ac negligentia sensisse. *F.* et *B. A.*]

INCŪRĬOSUS, a, um, adj. *ἀμελής*, negligens, socors, curam non habens. *Tac. H.* 5, 22. Remeabat disjecto agmine, incuriosis vigiliis. *Id. A.* 4, 23. Ptolemaeus Jubae filius, juventa incuriosus; et *ib.* 14, 38. Sed nihil aeque, quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos. *Suet. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut, etc. *Id. Galb.* 3. Multiplicem nec incuriosam historiam edidit. *Tac. A.* 6, 17. *extr.* Acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine, *h. e.* neglecto, remisso. ℙ Cum genitivo. *Plin. ep.* 8, 20. Ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur. *Tac. A.* 2, 88. Vetera extollimus, recentium incuriosi. *Id. H.* 1, 49. Incuriosus famae; et *Ann.* 4, 32. imperii proferendi. *Gell.* 6, 5. Alfenus rerum antiquarum non incuriosus. ℙ Eo sensu, quo nos dicimus, *unbekümmert*, qui scire non curat, *Gell.* 2, 28. *f.* M. Cato incerta et incuriosa super ea re opinatus est. V. integrum loc. Proximum est illud *Solin. praef.* Nonnulla etiam digna memoratu, quae praetermittere incuriosum videbatur. ℙ *Agnum incuriosum* ap. *Appul. Flor. n.* 2. *extr.* quidam exponunt pinguem, quasi qui nulla cura maceat, ut contra *Pl. Aul.* 3, 6, 25. *agnum curiosum* macrum intelligit. V. CURIOSUS. Alii melius interpretantur *agnum incuriosum*, qui nullas cavet insidias, et sine cura in prato oberrat, atque hinc facile ab aquila rapitur.

INCURRO, is, incurri, et incucurri, ursum, a. 3. *ἐπιτρέχω*, in aliquem curro, intus curro. *Cic. Or.* 67. Incurristi amens in columnas. *Id. Planc.* 7. Incurrere atque incidere in aliquem. ℙ Cum dativo. *Ov. Met.* 7, 545. Non aper irasci meminit, nec fidere cursu Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi. *Tac. A.* 2, 16. Ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. *Liv.* 28, 15. Peditum signa cornibus incucurrerunt. Al. aliter leg. [**Id.* 22, 17. Levi armaturae hostium incurrere.] *Sil.* 13, 179. ardore pari nisuque incurrere muris. ℙ Cum accusativo sine praeposit. *Sall. fragm.* ap. *Rufin. de schem. lex.* Atque eos a tergo incurrerunt. *Id. Jug.* 10. Rediens ab latere Mauros incurrit. Al. leg. *Mauris. Tac. A.* 1, 51. Tota vi novissimos incurrunt; et *ib.* 2, 17. Validissimos equitum incurrere latus jubet. [*V. *Cort.* ad *Sall. Jug* 101. *Duk.* ad *Liv.* 28, 16. et *Frotsch Comment.* in *Sall. Vol.* 3. p. 378.] ℙ In re militari est incursionem facere. *Liv.* 26, 25. Incurrere ea gens Macedoniam solita erat. Al. leg. *in Macedoniam.* *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Ut decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca, in quae incurrerit. *Liv.* 29, 5. Dixit, extemplo infestos utrinque exercitus in agrum suum incursuros. ℙ Translate est invehi, insectari. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. *f.* In quos tanta libertate verborum incurreret. [**Liv.* 5, 11. Trepidi rerum suarum in tribunos militares incurrunt, i. e. in eos invehuntur, accusant eos.] ℙ Item protendi, dilatari. *Cic. Agr.* 2, 30. Ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, coemeret. ℙ Item objici, occurrere. *Cic. Att.* 12, 21. *med.* In oculos incurrentibus iis, quos aequo animo videre non possum. *Sen. Ben.* 1, 5. Id quod oculis incurrit, solum notant. *Cic. Fam.* 2, 16. Incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed etiam in voculas malevolorum. ℙ Item incidere. *Cic. Off.* 3, 13. Per errorem in maximam fraudem incurrere; et *ib.* 1, 42. Quaestus, qui in odia hominum incurrunt. *Id. Fam.* 4, 2. *f.* Nihil constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. *Id. Fin.* 1, 1. Ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret; et 14. Incurrere in morbos, in damna, in dedecora. *Id. Fam.* 9, 2. Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? *Ulp. Dig.* 24, 1, 13. Nihil vitii mulier incurrit. *Paul. Sentent.* 1, 15. Incurrere periculum plus petendi, et causam perdere. *Lampr. Alex. Sev.* 12. In milites gravissime animadvertit, qui forte incurrerunt aliquid, quod videretur injustum, *h. e.* commiserunt. ℙ Item libidinose aliquem, vel aliquam aggredi. *Juven.* 6, 331. Si nihil est, servis incurritur. *Appul. Met.* 10. Ne quo casu nescius nesciam sororem incurreret. V. INCURSO. ℙ Item obtingere, accidere, incidere. *Cic. Tusc.* 5, 10. Casus, qui in sapientem potest incurrere. *Id. Fam.* 15, 11. *extr.* Si me navigatio non morabitur, quae incurrebat in ipsos etesias. *Id. Att.* 7, 7. Tua *λῆψις* in quem diem incurrat, nescio. *Suet. Tib.* 26. Natalem suum plebejis incurrentem Circensibus, vix unius bigae adjectione honorari passus est. *Cic. Top.* 21. Illud intelligendum, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem. *Papin. Dig.* 39, 6, 41. Quaerebatur, an mulier, etc. incurrebat haesitatio, etc. i. e. emergebat, interveniebat. ℙ Item venire, incidere dicendo. *Cic. Sext.* 6. Neque quemquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non invasisse, sed incurrisse videamur. *Id. Brut.* 69. Ordinem sequens, in memoriam notam et aequalem necessario incurro. *Quint.* 1, 5. *med.* Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus.

INCURSĀTĬO, onis, f. incursio, ut Larvarum incursatione animo vexari, ap. *Non.* 1, 213.

INCURSĀTUS, a, um, part. ab *incurso. Liv.* 24, 41. Agmen Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat.

INCURSAX, ācis, adj. omn. gen. qui incursiones crebro facit. *Sidon. ep.* 8, 12. Incursaces Massagetae.

INCURSIM, adv. incurrendo, celeriter. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 448. Rem omnem incursim perdere. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Omnium opinione compertum et traditum est, sanguinem, ubi abundet, incursim detrahendum, postea pedetemptim esse reparandum. *F.*]

INCURSĬO, onis, f. actus incurrendi, *ἐπιβολή*, cursus, excursio. *Cic. N. D.* 1, 40. Cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturque incursione atomorum sempiterna. *Id. Caec.* 15. *extr.* Incursio atque impetus armorum. ℙ Irruptio militaris. *Liv.* 1, 11. Antemnatium exercitus hostiliter in fines Romanos incursionem facit. *Caes. B. G.* 6, 9. Prohibere hostem ab injuriis et incursionibus. *Hirt. B. G.* 8, 11. Subitas hostium incursiones sustinere. *Plin.* 6, 28, 32. Incursionem molientes Parthos inundatione arcere.

INCURSĬTO, as, n. 1. frequent. ab *incurso. Sen. V. B.* 27. Si exercere istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. *Id. ep.* 110. Tota vita incursitamus. *Id. Ira* 2, 35. Incursitans, vastans, fugans. *Id. ib.* 3, 6. Per frequentia urbis loca properanti in multos incursitandum est.

INCURSO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπιτρέχω*, curro adversus aliquem, incurro, invado, aggredior: frequent. ab *incurro. Liv.* 36, 14. *med.* Juventus omnis armata in agmen Romanum incursavit. *Pl. Bacch.* 5, 2, 29. Arietes truces non erimus: jam in vos incursabimus. *Cels.* 3, 22. Febris incursat. *Plin.* 11, 37, 54. Oculi lubrici propter incursantia, *h. e.* incidentia. ℙ Cum accusativo sine praeposit. quae inest in ipso verbo. *Pl. Rud.* 3, 4, 16. Ego te follem pugilatorium faciam, et pendentem incursabo pugnis. *Id. Aul.* 2, 2, 57. Asini me mordicus scindant, boves incursent cornibus. *Id. Asin.* 1, 1, 22. Ubi vivos homines mortui incursant boves, *h. e.* lora bubula incidunt et pulsant. *Liv.* 5, 31. Volsinienses superbia elati, ultro agros Rom. incursavere. [*Cf. 28, 11.] *Tac. H.* 3, 18. Nutantem aciem victor equitatus incursat. *Sev. Aetn.* 351. Aura incursat corpora. ℙ Cum dativo. *Ov. Met.* 1, 302. silvasque tenent delphines, et altis Incursant ramis; et *ib.* 14, 190. Praetentatque manu silvas, et luminis orbus Rupibus incursat, *h. e.* incidit, impingit. *Quint.* 10, 3. *med.* Nihil eorum, quae oculis, vel auribus incursant, ad animum perveniet, *h. e.* occurrunt, objiciuntur. *Plin.* 28, 8, 28. Lana ovis nigrae, cui nullus alius color incursaverit, *h. e.* intercurrerit. Sic 29, 4, 27. Reliqua parte corporis nigra, albis incursantibus respersum guttis. ℙ *Incursare mulierem* est libidinose comprimere. *Tert. Pud.* 4. Nec interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam feminam. V. INCURRO. ℙ Passive. *Tac. A.* 15, 1. Eo contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur. *Liv.* 24, 41. Agmen Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat. *Arnob.* 1, 3. Pestilentia, et bellis negotia incursantur humana. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 6. Alexander filius incursatur. *B. A.* ℙ Translate. *Cic. Att.* 12, 41. Quod nisi fieri videro, (audebo hoc dicere, et tu, ut soles, accipies) incursabit in te dolor meus. *Auct. ad Her.* 4, 39. In omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans.

[INCURSUS, a, um, part. ab *incurro:* injectus. *Sid. ep.* 8, 9. Si quid asperum aut triste *(acciderit)*, non statim se poetica teneritudo a vinculo incursi angoris elaqueat. *F.*]

INCURSUS, us, m. ἐπιβολή, εἰσβολή, incursio, aggressio, invasio, impetus in aliquem. *Cic. Caec.* 8. Impetum armati, ceterorumque tela atque incursus effugit. *Caes. B. C.* 1, 71. Vix equitum incursus sustinere. Et 72. Incursus atque impetus militum. *Liv.* 2, 25. Primo statim incursu pulsi hostes. [**Lucan.* 6, 161. confringite tela Pectoris incursu: ita *Cort.* q. v.] ℙ Translate. *Quint. decl.* 8, 9. Morborum incursibus mederi; et *decl.* 9, 4. Saevos tempestatis incursus perferre. ℙ *Incursus fluminis* ap. *Plin. ep.* 10, 73. est cursus atque impetus, quo aliquem locum impetit, et evertit, abraditve. Simile est illud *Lucani* 7, 700. Respice turbatos incursu sanguinis amnes.

INCURVĀTĬO, onis, f. κύφωσις, actus incurvandi. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 25. Flagello infra relicto, et nasci coacto incurvatione materiae.

INCURVĀTUS, a, um, part. ab *incurvo*, ἐπικυρτωθείς, curvatus. *Cic. Fin.* 2, 11. Incurvatum bacillum. *Ov. Met.* 6, 246. Incurvata dolore Membra. V. DUPLICATUS.

INCURVESCO, is, n. 3. κυρτόομαι, incurvus fio. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 38. Ramos baccarum ubertate incurvescere. Al. leg. *incurviscere*, ut *Non.* 2, 412. [**Recepit Orell.*; sunt etiam qui leg. *inturgescere.*]

INCURVĪCERVĪCUS, a, um, adj. qui incurvat cervicem. *Pacuv.* ap. *Quint.* 1, 5. *med.* Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus. *Quint. ib. mox.* Cum κυρταύχενα mirati sumus, incurvicervicum vix a risu defendimus.

INCURVO, as, avi, atum, a. 1. κυρτόω, incurvum facio. *Virg. A.* 5, 500. Tum validis flexos incurvant viribus arcus. *Plin.* 16, 42, 81. Robur et olea incurvantur, ceduntque oneri. *Catull.* 64, 183. lentos incurvans gurgite remos. ℙ Translate. *Sen. Ira* 3, 5. *extr.* Non est magnus animus, quem incurvat injuria, *h. e.* affligit, deprimit. (Adde *ep.* 82. *med.*) *Pers.* 1, 90. verum, nec nocte paratum Plorabit, qui me volet incurvasse querela, *h. e.* flectere animum meum ad misericordiam. ℙ Obsceno sensu usurpat *Mart.* 11, 43. Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu. V. INCLINO.

INCURVUS, a, um, adj. κυρτός, idem quod curvus aut valde curvus. *Cic. Div.* 1, 17. Lituus, idest incurvum, et leviter a summo inflexum bacillum. *Id. Verr.* 2, 2, 35. Stesichori poetae statua senilis, incurva. *Ter. Eun.* 2, 3, 44. Incurvus, tremulus, labiis demissis. *Plin.* 11, 52, 114. Longae vitae esse incurvos humeris. *Virg. G.* 1, 494. Agricola incurvo terram molitus aratro. *Plin.* 21, 12, 41. Herba incurvo folio. *Ov. Met.* 14, 534. Incurva carina; et *ib.* 15, 690. incurvo munitos aggere portus. *Id. Trist.* 4, 6, 2. Incurvum jugum. *Id. Amor.* 1, 15, 12. Incurva falx. *Lucr.* 2, 376. Incurvum litus.

INCUS, ūdis, f. ἄκμων, instrumentum e solido ferro, super quod fabri ferri massas cudunt et formant. *Virg. G.* 2, 540. Impositos duris crepitare incudibus enses. *Id. A.* 7, 629. Quinque adeo magnae, positis incudibus, urbes, Tela novant, *h. e.* officinis ferrariis institutis. *Id. ib.* 8, 419. Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus Auditi referunt gemitum. *Lucan.* 7, 146. Martius incaluit Siculis incudibus ensis. *Hor. Od.* 1, 35, 38. o utinam nova Incude defingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. *Ov. Amor.* 2, 17, 19. incude relicta. *Plin.* 7, 56, 57. Cinyra Agriopae filius invenit forcipem, martulum, vectem, incudem. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 441. incudi reddere versus. *Auct. dial. de Or.* 20. Juvenes, et in ipsa studiorum incude positi, *h. e.* dum adhuc formantur in scholis. *Pl. Ps.* 2, 2, 20. Hic mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos. ℙ *Incudem eandem tundere* proverbio dicitur idem opus assidue urgere, in eodem labore perseverare. *Cic. Or.* 2, 39. Si quem plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis, uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus.

INCŪSĀBĬLIS, e, adj. accusabilis. *Tert. ad Nat.* 1, 12. Hoc quidem vos incusabiliores, etc.

INCŪSĀTĬO, onis, f. αἰτίασις, reprehensio, querela, actus incusandi. *Cic. Or.* 3, 27. Quorum partim habent vitiorum, et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam.

INCŪSĀTĪVUS, a, um, adj. ut *Incusativus casus*, et absolute *Incusativus* idem est ac accusativus ap. *Diomed.* 1, 296.

INCŪSĀTOR, oris, m. accusator. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 36, 18. §. 8.

INCŪSĀTUS, a, um, part. ab *incuso*, accusatus, reprehensus. *Colum.* 3, 17. Sterilitas cacuminis jure incusata. *Plin.* 7, 45, 46. Augusto incusatae liberorum mortes, *h. e.* adscriptae, quasi is in causa fuerit, cur mortui sint. *Spart. Sever.* 8. Incusati proscriptionis.

INCŪSO, as, avi, atum, a. 1. αἰτιάομαι, μέμφομαι, accuso, arguo, quasi *causam*, seu culpam *in alium* transfero, reprehendo cum querela. In re forensi usurpari non solet: in quo ab *accuso* differt. [**V. Doederl.* 3, 165.] Neque enim verum est alterum illud discrimen, quod tradit *Serv.* ad *A.* 1, 414. *incusare* esse, superiorem arguere; *accusare*, parem, vel inferiorem: quod et *Valla elegant.* 6, 13. monuit. [**De discrimine inter incusare, arguere* et *culpare* v. *Doederl.* 3, 163.] *Virg. A.* 2, 745. Quem non incusavi amens hominumque Deorumque? *Pl. Truc.* 1, 2, 58. Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet. *Caes. B. G.* 1, 40. Convocato concilio, vehementer eos incusavit, quod, etc. *Ter. Phorm.* 3, 1, 7. Nos incusavit, quod, etc. *Ter. Phorm.* 3, 1, 7. Nos jamdudum hic te absentem incusamus, qui abieris. *Curt.* 7, 7. Deos quoque incusans querebatur. *Curt.* 7, 7. Deos quoque incusans querebatur, se jacere segnem, etc. *Val. Fl.* 8, 158. Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis? *Ov. R. Am.* 479. Incusare factum alicujus. *Virg. A.* 11, 471. Multaque se incusat, qui non acceperit ultro Dardanium Aeneam. *Tac. A.* 2, 78. Incusare aliquem luxus et superbiae; et *ib.* 1, 35. angustias stipendii, duritiam operum; et *ib.* 6, 23. casum. *Sil.* 9, 15. contraria Paullo Auspicia incusante.

INCUSSOR, oris, m. qui incutit, et percutit. *Paul. Petroc. Vit. S. Mart.* 5, 285. Incussor laceri quatiebat corporis artus.

INCUSSUS, a, um, part. ab *incutio*, immissus, impactus, illisus. *Val. Fl.* 2, 339. et incussae sonitum mirabere massae *Curt.* 6, 11. Flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat. *Sen. ep.* 45. *f.* Grando incussa tectis crepitat. *Lucan.* 3, 490. aries Incussus densi compagem solvere muri Tentat. *Tac. H.* 4, 30. Turrim promoti contra validi asseres, et incussae trabes perfregere. *Plin.* 16, 38, 72. Cortex in moro lapide incussus manat; altius fractus, siccus videtur; et 9, 30, 48. de polypo: Afflatu terribili canes agebat, nunc extremis criminibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis clavarum modo incussos. ℙ *Incussi articuli*, et absolute *incussa* (subintellige *membra*) sunt quae alicubi incutiendo et impingendo quis laesit. *Plin.* 30, 9, 23. Incussos articulos aranei telae commodissime curant; et 29, 2, 9. Succidam lanam imponunt percussis, lividis, incussis, collisis, contritis, dejectis; et 22, 14, 16. Medetur contusis, incussisque. ℙ Translate. *Vell.* 2, 126. Recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas, *h. e.* injecta: [**Frustra tentarunt h. l. VV. DD.* Vere enim cum vi quadam ponitur v. *incussa*, ut invitis quasi obedientiam Caesaris auctoritate injectam significet. V. *Burm.* et *Cort.* ad *Lucan.* 5, 165. Cf. etiam exempla, quae sim. ad v. *incutio* allata sunt.]

INCUSSUS, us, m. actus incutiendi. In sexto casu sing. *Tac. H.* 4, 23. Armorum incussu praecipitati. *Sen. Const. Sap.* 6. Munimenta incussu arietis labefieri.

INCUSTODĪTUS, a, um, adj. ἀφύλακτος, non custoditus, non servatus. *Ov. Trist.* 1, 6, 10. Incustoditum captat ovile lupus. *Mart.* 1, 35. Incustodita et aperta limina. *Sil.* 15, 245. Incustoditam sine milite liquerat urbem; et 333. Incustodita penetravit moenia nocte, *h. e.* qua vigiliae habitae non sunt. *Plin. ep.* 6, 29. *f.* Julius Bassus, ut incustoditus nimis et incautus, ita minime malus. *Tac. A.* 12, 4. Incustoditus amor, i. e. non celatus; et *ib.* 15, 50. Cum per noctem huc illuc cursaret incustoditus; et *ib.* 2, 12. *extr.* Cum secreti et incustoditi, inter militares cibos, spem aut metum proferrent; et *ib.* 15, 55. Tabulas testamenti saepius a se, et incustodita dierum observatione, signatas, i. e. omissa, neglecta observatione.

INCŪSUS, a, um, part. ab inus. *incudo*, ἐμπαίω, significat cudendo impressus. *Virg. G.* 1, 275. lapidemque revertens Incusum, aut atrae massam picis urbe reportat, *h. e.* molam cudendo asperatam. Al. leg. *incisum. Pers.* 2, 52. Si tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram, *h. e.* caelata, aspera signis. Alii male interpretantur, non cusa, non elaborata, sed ex rudi massa auri. ℙ Translate est percisus. *Auson. ep.* 131, 4. Et teris incusas pumice Clazomenas. V. CLAZOMENAE.

INCŪTĬO, is, ussi, ussum, a. 3. ἐμβάλλω, injicio, immitto, objicio, infundo: ab *in* et *quatio:* et dicitur fere de iis, quae animum subito quatiunt, turbant, immutant. *Cic. Or.* 2, 51. *f.* Timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Incutit multis magnum metum. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Incutere alicui dolorem. Al. leg. *inurere.* [**Ita Orell.* q. v.] *Id. Univ.* 10. errorem. *Pers.* 5, 187. alicui Deos, *h. e.* objicere, et injicere Deorum timorem. *Ov. Trist.* 1, 11, 42. se rigidas incutiente minas. *Liv.* 22, 42. *med.* religionem animo. *Id.* 2, 8. alicui foedum nuncium. *Curt.* 4, 10. formidinem; et 3, 6. ingentem sollicitudinem. *Hor. Ep.* 1, 18, 77. pudorem. [**Hor. Sat.* 2, 1, 39. seu quod Lucania bellum Incuteret violenta; ubi v. *Heindf.*] *Lucr.* 6, 592. tremorem; et 772. morbos. *Justin.* 38, 7. *med.* Adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum. *Hor. Ep.* 1, 14, 22. fornix, et uncta popina Incutiunt urbis desiderium; et *Sat.* 2, 1, 80. ne forte negotI Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum, *h. e.* aliquod negotium facessat. *Lucr.* 1, 19. et 922. amorem per pectus, et in pectus. [**V. incussus* in f.] ℙ Pro indere, addere. *Virg. A.* 1, 73. Incute vim ventis. ℙ Pro concutere, percellere. *Val. Fl.* 5, 551. Crebrior incussit mentem pavor. ℙ Pro infligere. *Sen. Herc. Fur.* 88. Viperea saevae verbera incutiant manus. *Juven.* 9, 5. colaphum incutimus lambenti crustula servo. *Liv.* 5, 41. *f.* Incutere scipionem in caput alicujus. *Seren. Sammon.* 47, 872. scorpius incussit vulnus atrox. ℙ Pro impingere. *Plin.* 7, 53, 54. Incutere pollicem limini cubiculi. *Quint.* 2, 12. *med.* Terrae pedem incutere. *Curt.* 9, 9. Incutiebantur puppibus prorae. ℙ Pro mittere, jacere. *Tac. A.* 13, 39. Tormentis faces et hastas incutere. *Id. H.* 3, 31. Tela saxaque incutere. *Curt.* 8, 4. Repente imber grandinem incutiens, torrentis modo effunditur. ℙ Pro quatere, pulsare. *Avien. Perieg.* 827. incute doctam, Phoebe, chelyn; totis Helicon adspiret ab antris.

INDĀGĀBĬLIS, e, adj. ὑπεύθυνος, reus, in quem quaestio de crimine aliquo haberi potest. *Varr. L. L.* 4, 5. Qui aliter facit, indagabilis ex ambitu causam dicit. Al. leg. *indagabili:* alii eam vocem omittunt.

INDĀGANTER, adv. cum indagatione. *Colum.* 5, 1. Boni venatoris est indaganter quampluri mas feras capere. [*Schneid.* rectius leg. *indagantem. F.*]

INDĀGĀTĬO, onis, f. θήρευμα, inquisitio ferarum: et translate omnis inquisitio, seu perscrutatio. *Cic. Off.* 1, 5. Velut ex ea parte, quae primo descripta est, inest indagatio, atque inventio veri. [**V. Beier.* ad h. l.] *Gell.* 18, 2. Inopinati rariorisque verbi indagatio.

INDĀGĀTOR, oris, m. venator, θηρευτής, qui nempe, ut ait *Virg. A.* 4, 121., saltus indagine cingit. *Isid. Orig.* 10. *extr.* Quatuor sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores, pressores. ℙ Translate inquisitor in genere. *Colum.* 9, 8. *f.* Sed indagatorem conveniet matutina tempora vestigandi eligere. *Id.* 2, 2. *med.* Indagator aquarum. *Pl. Trin.* 2, 1, 15. Celati indagator. V. INDICATOR.

INDĀGĀTRIX, icis, f. quae indagat. *Cic. Tusc.* 5, 2. O vitae philosophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! *Non.* 1, 86. Feminae ad libidinem virorum indagatrices.

INDĀGĀTUS, a, um, part. ab *indago:* venando conquisitus. Translate. *Cic. Att.* 2, 7. Eaque etiam velim, omnibus vestigiis indagata ad me afferas.

INDĀGĀTUS, us, m. indagatio. In sexto casu sing. *Appul. Met.* 7. Tota factione militarium vexillationum indagatu confecta atque concisa.

INDĀGES, is, f. indagatio. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 2. Quid dignum tanta indage sentirent. *Prud. Symm.* 2, 845. Quaesitura Deum variata indage latentem.

INDĀGO, as, avi, atum, a. 1. ἐξιχνιάζω, θηρεύομαι, proprie est verbum venatorum, et canum feras investigantium: ab *in*, aut *indu*, et *ago*, vel *agito. Cic. Fin.* 2, 13. Canis natus ad indagandum. *Appul. Met.* 8. Die quadam Tlepolemus indagaturus feras. ℙ Translate est diligenter inquirere, exquirere, investigare. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Acutissime tota provincia, quid cuique esset necesse, indagare et odorari solebat. *Id. Mil.* 37. Cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi. *Id. Or.* 3. Inusitatas vias indagare, tritas relinquere. *Id. Att.* 2, 4. *med.* Tu quidquid indagaris de republica, et maxime quos consules futuros putes, facito ut sciam. ℙ Deponentis forma. *Varr. L. L.* 4, 18. Vestigator a vestigiis ferarum, quas indagatur.

INDĀGO, ginis, f. venatorum vox est, significans inclusionem ferarum, quae fit retibus seu plagis, vel etiam serie seu corona hominum itinera obsidentium, item formidine, fossa, aut sepibus, ita cingendo saltus et nemora, ut ibi latentes ferae qua evadant, non habeant, ἐξιχνιασμός. *Virg. A.* 4, 121. Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt. *Tibull.* 4, 3, 7. densos indagine colles Claudere. *Claud. in Ruf.* 2, 375. Sic ligat immensa virides indagine saltus Venator. *Flor.* 4, 2. *med.* Missae quoque in auxilium ejus rates, nova arte, actis sub mare funibus, captae quasi per indaginem; et 12. *med.* Partito exercitu totam amplexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. *Hirt. B. G.* 8, 18. Campus patens, silvis undique impeditissimis, aut altissimo flumine, velut indagine munitum. [**Plura* v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 252.] ℙ Translate *indago* dici potest septum fossa, aggere, turribus longo spatio ductum, arcendis hostium incursibus. *Lucan.* 6, 38. planumque per ardua Caesar Ducit opus, pandit fossas, turritaque summis Disponit castella jugis; magnoque recessu Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua, Et silvas, vastaque feras indagine claudit. [**Plura* collegit *Cort.* ad h. l.] Sic *Arnob.* 4, 151. *f.* Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine, *h. e.* veste tanquam reti. *Plin. Pan.* 35. Delatores in aeternum repressisti, mille poenarum indagine inclusos. *Tac.*

A. 13, 42. Testamenta, et orbos velut indagine capi. ℙ Universim est inquisitio, investigatio. [*Recentioribus haud rara locutio, nusquam, quod sciam, reperitur ap. vett. *Boettich.* in *Lex. Tac. l. l.*] *Plin.* 9, 7, 6. In qua sententia fuisse Aristotelem video, et multis persuasisse doctrinae indaginibus. *Gell.* 7, 16. Has undiquevorsum indagines cupediarum majori detestatione dignas censebimus. *Imp. Justin. Cod.* 4, 31, 14. Si invenerint, eas majorem et ampliorem exposcere indaginem.

[INDĂGUS, a, um, adj. qui indagat. *Capell.* 1, 9. Quodque indaga veri Cura facit dubium. Alii melius leg. *indiga veri*, nam secunda syllaba male corriperetur in *indaga*. *F.*]

INDĒ, adv. ἐκεῖθεν, ex eo loco. *Cic. Att.* 7, 21. Eo die mansi Calibus: inde has litteras dedi. *Caes. B. G.* 1, 33. Ut in provinciam exirent, atque inde in Italiam contenderent. *Cic. Att.* 13, 39. Nec inde venit, unde mallem. *Liv.* 8, 22. Palaepolis fuit haud procul inde ubi nunc Neapolis sita est. *Caes. B. C.* 3, 45. Si legiones sese recepissent inde, quo temere essent progressae. [*Plaut. *Amph.* 1, 1, 4. Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum? V. de constructione hujus v. et simil. cf. oppositione pos. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 800. ℙ *Inde — inde*, i. q. hinc, illinc. *Cic. N. D.* 2, 23, 61. Inde virtutis templum, inde honoris, etc. *Lucan.* 7, 230. sq. Ituraeis cursus fuit inde sagittis: Inde, truces Galli solitum prodistis in hostem; et *infr.* V. 511. Inde sagittae, Inde faces et saxa volant.] ℙ Refertur interdum ad res ipsas. *Cic. Rosc. Am.* 27. Ex avaritia erumpat audacia, necesse est: inde omnia scelera gignuntur. *Id. Inv.* 1, 20. Si unde necesse est, inde initium sumetur. *Liv. praef.* Inde tibi, quod imitere, capias. *Plin. ep.* 7, 5. Inde est, quod, etc. ℙ Interdum ad personas. *Ter. Ad.* 1, 1, 21. uxorem duxit: nati filii Duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi. [*Laud. *Ruhnkenius* ad *Ov. Her.* 2, 54. *Servium* ad *Virg. A.* 1, 6. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 12, 19. et *Drakenb.* ad *Sil.* 1, 283.] ℙ Saepe ad tempus, et significat ex eo tempore. *Nep. Phoc. f.* Ne perorandi quidem ei data est facultas. Inde judicio damnatus, etc. *Suet. Tib.* 9. Exhinc Rhaeticum bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. *Liv.* 1, 3. Agrippa inde, post Agrippam Romulus Silvius regnat. *Caes. B. C.* 3, 9 Eodem impetu altera castra sunt adorti, inde tertia, deinceps reliqua. *Cic. Prov. cons.* 13. Jam inde a principio hujus imperii. *Liv.* 4, 36. Jam inde ab incunabulis. *Cic. Arch.* 1. Quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis: inde usque repetens, hunc video, etc. et *Brut.* 90. *extr.* Prima causa pro Sex. Roscio dicta: deinceps inde multae. *Ter. Heaut.* 1, 1, 1. Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est: Inde adeo, quod agrum in proximo hic mercatus es: *h. e.* omnino ex eo tempore, quo, etc. [*V. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 2, 1, 10.] ℙ *Hinc inde.* V. in HINC. ℙ *Inde loci* est ex eo loco: sed per catachresin ponitur pro ex eo tempore, vel deinde. *Lucr.* 5, 789. inde loci mortalia saecla creavit. *Enn.* ap. *Fest.* in *Lituus.* Inde loci lituus sonitus effudit acutos. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 105. Multis inde loci sermonibus concelebrarunt. Al. hic aliter leg.

INDĒBĪTĒ et Indebito, adv. ἀεικῶς, ἀναξίως, immerito, injuria. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. *f.* Si cautio indebite exposita esse dicatur. *Ulp. ib.* 12, 6, 25. Tria indebito soluta sunt.

INDĒBĪTUS, a, um, adj. qui non debetur. *Virg. A.* 6, 66. et *Ov. Her.* 16, 19. Praemia magna quidem, sed non indebita posco. *Val. Fl.* 5, 509. Non aliena peto terrisve indebita nostris. ℙ *Indebitum* absolute est res vel pecunia indebita. *Paul. Dig.* 12. *tit.* 6. qui inscribitur: *De condictione indebiti, leg.* 65. *f.* Indebitum est, non tantum quod omnino non debetur, sed et quod alii debetur, si alii solvatur, aut si id, quod alius debebat, alius, quasi ipse debeat, solvat.

INDĒCENS, entis, adj. ἀπρεπής, non decens, deformis, indecorus, turpis. *Petr. Sat.* 128. Numquid indecens sum? numquid incompta? *Mart.* 5, 14. Oculoque ludos spectat indecens uno; et 2, 11. indecens nasus. *Id.* 11, 61. morbus. *Suet. Claud.* 30. risus. *Quint.* 11, 3. *med.* In hac cunctatione sunt quaedam non indecentes, ut appellant scenici, morae, caput mulcere, manum intueri, etc. *Vitr.* 7, 5. *med.* Ita indecens inter locorum proprietates status signorum, publice civitati vitium existimationis adjecit. V. INDECENTIA. *Sen. Contr. praef.* 5. *med.* Nihil indecentius, quam ubi scholasticus forum, quod non novit, imitatur. *Sid. ep.* 9, 1. Indecentissimum est materiae unius simplex principium, triplices epilogos inveniri.

INDĒCENTER, adv. ἀπρεπῶς, non decenter, parum decenter. *Quint.* 1, 5. *f.* Non indecenter efferri. *Mart.* 12, 22. Quam sit lusca Philaenis indecenter, etc. *Petr. fragm. Trag.* 64. *Burm.* Catella indecenter pinguis. *Sen. ep.* 27. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. *Quint.* 8, 3. Intersistere indecentissime.

INDĒCENTIA, ae, f. *Vitr.* 7, 5. *med.* Non magnum indecentiae vitium. Loquitur *Vitruv.* de Alabandeis, quorum in gymnasio omnes statuae erant causas agentes, in foro autem discos tenentes, aut currentes, seu pila ludentes: quod contra esse oportuerat.

INDĒCET, ebat, uit, imp. 2. οὐ πρέπει, dedecet. *Plin. ep.* 3, 1. Juvenes adhuc confusa quaedam, et quasi turbata non indecent. *Not. Tir.* p. 111. Decet, indecet, condecet. ℙ Est etiam idem ac decet. *Gell.* 7, 12. Feminis solis vestem longe lateque diffusam indecere existimaverunt. Alii leg. *indecorem.* Possis etiam conjicere legendum *addecere.*

INDECLĪNĂBĪLIS, e, adj. ἄκαμπτος, ἀκλινής, qui nullam in partem declinat, rigidus, firmus, constans. *Sen. ep.* 66. Virtus animum rectum et indeclinabilem praestat; et *ep.* 74. *med.* Exacta prudentia, indeclinabilis justitia. *Gell.* 6, 2. Fatum est sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum. *Ammian.* 25, 4. Indeclinabilis judex. ℙ *Indeclinabile nomen* dicitur a grammaticis, quod in casus non flectitur. *Diomed.* 1, 288, 289. et *Prisc.* 5, 668. etc.

INDECLĪNĂTUS, a, um, adj. indeclinabilis, firmus, constans. *Ov. Trist.* 4, 5, 23. Teque, quod est rarum, praesta constanter ad omne Indeclinatae munus amicitiae. *Id. Pont.* 4, 10, 83. qui perstas indeclinatus amico.

INDĒCOR, ōris, vel Indĕcŏris, et re, ἀσχήμων, ἀπρεπής, idem ac indecorus. *Serv. in Aen.* 7, 231. putat compositum esse a nomine *decor*, et paenultimam obliquorum naturaliter produci, sed a poetis corripi per systolen, vel certe carere nominativo singulari. Etiam *Prisc.* 6, 699. ponit nominativum *indecor.* Sed *Non.* asserit, apud antiquos fuisse in usu nominativum *indecoris* et *indecore.* Utcumque sit, *indecor* hodie non est in usu. [*Notandus tamen locus *Taciti Agr.* 16. indecoris atque humilis: ubi *Hertel* recte hoc v. retinuisse videtur. *Walch.* rejicit.] *Accius* ap. *Non.* 8, 43. Cujus sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit. *Virg. l. c.* Non erimus regno indecores. *Id. A.* 12, 24. Sunt aliae innuptae Latio, et Laurentibus arvis, Nec genus indecores: ἀσχήμονες τὸ γένος, Graeca loquendi ratio. *Val. Fl.* 1, 810. pudibunda exitia, indecoresque obitus. *Claud.* 2. *I. Cons. Stil.* 145. non indecores aeraria lassant Expensae.

INDĒCORĀBILĬTER, adv. indecore. *Accius* ap. *Charis.* 2, 182. Indecorabiliter alienos alunt.

INDĒCORĒ, adv. ἀπρεπῶς, indecenter, turpiter. *Cic. Off.* 1, 4. Ne quid indecore, effeminateque faciat. *Tac. H.* 5, 23. Captae lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur. [*Front. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 2. *med.* Nec mediocriter laborandum est, ne procerae illae sententiae male sint amictae, neve indecorius cinctae, neve sint seminudae. *F.*]

INDĒCŎRIS. V. INDECOR.

INDĒCŌRO, as, a. 1. dedecus affero. *Accius* ap. *Non.* 2, 430. Me spernens, incilans probris, sermone indecorans. Quidam tribuunt et *Hor. Od.* 4, 4, 36. Indecorant bene nata culpae. Al. leg. *dedecorant*, sed prius praestat.

INDĒCŌRUS, a, um, adj. ἀπρεπής, indecens, turpis. *Cic. Off.* 1, 27. Quod animo magno fit, id dignum viro et decorum videtur: quod contra, id ut turpe, sic indecorum. *Id. Fin.* 3, 4. Nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum. *Id. Or.* 21. *extr.* Quam indecorum est, de stillicidiis cum dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus; de majestate populi R. submisse et subtiliter! *Plin. Pan.* 46. Effeminatae artes et indecora saeculo studia. *Quint.* 1, 10. Indecorus gestus. *Plin.* 18, 35, 88. Pecora exsultantia et indecora lascivia ludentia. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 3. Uva indecora visu; et 13, 12, 24. Charta indecoro visu pertranslucida.

INDĒFĂTĪGĀBĪLIS, e, adj. ἀκάματος, qui defatigari non potest. *Sen. Ira* 2, 12. Vigiliam indefatigabilem extendit.

INDĒFĂTĪGĀTUS, a, um, adj. non defatigatus, ἀκάματος. *Sen. Consol. ad Marc.* 18. Intratura es urbem indefatigata coelestium officia volventem.

INDĒFECTUS, a, um, adj. indeficiens, perpetuus. *Appul. de Deo Socr.* Vivacitas aeterna et indefecta. *Tert. Pall.* 3. Chamaeleon jejunus semper et indefectus.

INDĒFENSĒ, adv. sine defensione, et munimine juris, legum, consuetudinis. *Imp. Justin. Cod.* 4, 18, 2. *extr.* Quae negotiatores indefense constituerint.

INDĒFENSUS, a, um, adj. non defensus. *Liv.* 25, 15. Ut Capuam desertam indefensamque populo R. tradat; et 4, 28. Hic praebituri vos telis hostium estis, indefensi, inulti? *Tac. A.* 3, 77. Ut te inauditum et indefensum vulgus imperitum primo rumore rapiat; et *ib.* 11, 34. Ne indefensa conjux exitio daretur. *Sil.* 6, 652. Campania bellum indefensa recepit. [*Cf. de hac voce *Drakenb.* ad *Liv.* 23, 43, 1.]

INDĒFESSĒ, adv. *Spart. Ael. Ver.* 5. Cursores suos indefesse atque inhumaniter faciens cursitare, quasi non fatigarentur. *Auson. Gratiar. act.* 35. Omnia agere indefesse et benigne.

INDĒFESSĪM, adv. indefesse. *Sid. ep.* 3, 2. *f.* Bonorum amicitias indefessim expetere.

INDĒFESSUS, a, um, adj. ἀκάματος, non fessus, indefatigatus. *Virg. A.* 12, 651. Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem. *Ov. Met.* 9, 198. defessa jubendo est Saeva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo. *Tac. A.* 16, 22. Assiduus et indefessus.

INDĒFĪCIENS, entis, adj. qui non deficit. *Tert. adv. Jul.* 14. Decor indeficiens.

INDĒFĪCIENTER, adv. indesinenter. *August. Conf.* 12, 11.

INDĒFĪNĪTĒ, adv. non determinando. *Gell.* 2, 24. Promiscue atque indefinite largiri.

INDĒFĪNĪTUS, a, um, adj. ἀόριστος, nullis rationibus circumscriptus, obscurus, implexus. *Gell.* 16, 4. Indefinitus inexplicabilisque sermo fiet. *Id.* 1, 7. Plautus *occisurum*, Laberius *facturum* indefinito modo dixerunt, *h. e.* absolute, et nulla habita ratione numeri, personae, generis.

[INDEFLĒBĬLIS, e, adj. qui defleri non potest. *Gloss. Phil.* Indeflebilis, ἀκλαυστος. *F.*]

INDEFLĒTUS, a, um, adj. ἄκλαυστος, non defletus, cujus mortem nemo lacrimis est prosecutus. *Ov. Met.* 7, 611. indefletaeque vagantur Natorum matrumque animae.

INDEFLEXUS, a, um, adj. ἄκαμπτος, qui non flectitur, non inclinatur. *Plin. Pan.* 4. Ad hoc aetatis indeflexa maturitas, *h. e.* nondum deflexa in senii debilitatem. *Appul. de Deo Socr. in.* Indeflexo cursu.

INDEJECTUS, a, um, adj. non dejectus. *Ov. Met.* 1, 288. Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto Indejecta malo. Al. leg. *indisjecta.* [*Quod prob. *Burm.* ad 12, 109.]

INDĒLASSĀTUS, a, um, adj. *Manil.* 5, 63. Indelassato properantia corda labore.

INDĒLĒBĬLIS, e, adj. ἀνεξάλειπτος, qui deleri non potest. *Ov. Met.* 15, 876. nomenque erit indelebile nostrum. [*Salvinus ex vet. ed. legi jubet: *erit indeflebile nomen*, recte improb. *D'Orvill.* ad *Charit.* p. 417. ed. *Lips.*] *Id. Pont.* 2, 8, 26. saecli decus indelebile nostri.

INDĒLECTĀTUS, a, um, adj. non delectatus. *Petr. Sat.* 87. At ille non indelectatus nequitia mea.

INDĒLĪBĀTUS, a, um, adj. ἄψαυστος, illibatus, intactus. *Ov. Trist.* 1, 5, 28. Indelibatas cuncta sequuntur opes. *Sil.* 15, 271. Indelibata virgo.

INDĒLICTUS, a, um, adj. non malus, nihil delicti in se habens. *Attius* ap. *Fest.* in *Probrum.* Qui nisi probrum, omnia alia indelicta aestimant. *Indelicta* alii substantive accipiunt, *h. e.* non delicta, ut *inquies*, non quies, *incultus* substant. non cultus, quae V. s. l.

INDEMNĀTUS, a, um, adj. ἄκριτος, non damnatus. *Cic. Agr.* 2, 21. Cum bona indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet. *Vell.* 2, 45. Indemnatum civem interimere. *Pl. Cure.* 5, 3, 17. Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi? ℙ Idem ac innocens. *Appul. Met.* 10. *f.* Mihi vero quasi indemnato et innoxio parceret.

INDEMNIS, e, adj. ἄζήμιος, nullo affectus damno. *Sen. ep.* 9. *f.* Illaesus et indemnis evasit. *Ulp. Dig.* 17, 2, 23. Socios praestare indemnes. *Non.* 4, 367. tribuit etiam *Ciceroni Off.* 3, 16. *med.*, ubi in editis aliter leg. [*V. *Heins.* ad *Vell.* 2, 52, 4.]

INDEMNĪTAS, atis, f. ἄζημία, ratio damni vitandi, securitas. *Papin. Dig.* 3, 5, 31. Alicujus indemnitati consulere. *Ulp. ib.* 12, 4, 5. Indemnitatem alicui praestare. *Ammian.* 21, 16. Provinciarum indemnitati prospicere.

INDĒMONSTRĀBILIS, e, adj. qui demonstrari non potest, vel demonstratione non eget. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Primi quatuor (*modi*) indemonstrabiles nominantur, non quod demonstrari nequeant, sed quod simplices tamque manifesti sunt, ut demonstratione non egeant.

INDĒMŪTĀBĬLIS, e, adj. qui mutari non potest. *Tert. adv. Herm.* 12. Deus inconvertibilis et indemutabilis.

INDĒNUNCĬĀTUS, a, um, adj. *Sen. Suas.* 5. Arma indenunciata. *Id. ib.* 2. Indenunciata sorte rapi.

INDĒPISCI, adsequi, adipisci. *Festus.* V. INDIPISCO.

INDEPLORĀTUS, a, um, adj. ἄκλαυστος, indefletus. *Ov. Trist.* 3, 3, 46. Indeploratum barbara terra teget.

INDEPRĀVĀTUS, a, um, adj. ἄφθαρτος, incorruptus. *Sen. ep.* 76. *med.* Si una indepravata virtus est, et sola permanet tenoris sui.

INDEPRĒCĀBILIS, e, adj. ἀπαράιτητος, qui nullis precibus potest averti. *Gell.* 1, 13. Et poena indeprecabilis subeunda esset.

INDEPRĒHENSĪBĬLIS, e, adj. ἀκατάληπτος, qui deprehendi non potest. *Quint. decl.* 8, 11. Inerrabile, indeprehensibile est, [quidquid nos elementorum varia compago formavit. *Id. ib.* 4, 15. Nec *(mathematicus)* per varias ambages indeprehensibi-

lem sparsit errorem. *Inscr.* in *Bibliot. Ital. T.* 3. p. 54. Sig*num* indeprehensibilis Dei (*h. e.* Mithrae) C. Valerius Sacerdos *sua pecunia posuit. F.*]

INDEPRĔHENSUS, et *per sync.* Indeprensus, a, um, adj. non deprehensus, incognitus. *Virg. A.* 5, 591. de labyrintho: Falleret indeprensus et irremeabilis error. *Stat. Th.* 6, 563. quis Maenaliae Atalantes Nesciat egregium decus, et vestigia cunctis Indeprensa procis?

INDEPTĀRĔ, consequi. *Festus.* [*Cf. *Doederl.* 3, 147. et 293.]

INDEPTUS, a, um, part. ab *indipiscor:* qui consecutus est. ℙ Passiva significatione. *Plin. praef. H. N.* Cato repulsis tanquam honoribus indeptis gaudens. Al. male leg. *ineptis. Impp. Honor. et Theod. Cod.* 12, 24, 14. Indeptae dignitatis honore potiantur.

INDESCRIPTUS, a, um, adj. non descriptus. *Colum.* 3, 21. *med.* Quod indescriptis vitibus contingere potest. Male qui separatim leg. *in descriptis*, at melius qui cum *Pontedera* leg. *indiscretis.* V. INDISCRETUS. *Sidon. carm.* 2, 412. Halant rura rosis, indescriptosque per agros Fragrat odor, *h. e.* nullis privatorum terminis definitos.

INDĒSERTUS, a, um, adj. qui non deseritur. *Ov. Amor.* 2, 9, 52. Indeserta meo pectore regna tene.

INDĒSES, ĭdis, adj. omn. gen. non deses, strenuus, ἄοχνος. *Gell.* 7, 22. *extr.* Existimandum est, non omnino inculpatum, neque indesidem visum esse, cujus corpus in tam immodicum modum luxuriasset, exuberassetque.

*INDESĪNENS, entis, adj. *Sarisb. ep.* 174. Indesinentibus procellis jactatus. *B. A.*

INDĒSĪNENTER, adv. ἀδιαλείπτως, semper, sine intermissione. *Varr. R. R.* 2, 9. *extr.* Et, si alter indesinenter aeger est. Quae tamen lectio *Scaligero*, *P. Victorio*, *Borrich.* et aliis mendosa, [at *Schneidero* abundare videtur. *F.*] *Veg. Mil.* 1, 26. Ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines indesinenter observent. Al. recte omittunt *indesinenter. Cyprian. ep.* 69. *f.* Sacrificia indesinenter offero. *Hieron. praef. in translat. Isaj.* Obtrectatio, qua me indesinenter aemuli laniant. *August. Conf.* 12, 11. Indesinenter et indeficienter cohaerere.

INDESPECTUS, a, um, adj. qui despici, seu aspici nequit. *Lucan.* 6, 748. Indespecta tenet vobis qui Tartara. Al. leg. *inspectata.* [*V. *Cort.*]

INDESTRICTUS, a, um, adj. non destrictus, illaesus. *Ov. Met.* 12, 92. removebitur omne Tegminis officium, tamen indestrictus abibo. Al. leg. *indistrictus.*

INDĒTERMĪNĀBĬLIS, e, adj. qui terminari, seu definiri non potest. *Tert. adv. Haer.* 7. Indeterminabiles quaestiones.

INDĒTERMĪNĀTUS, a, um, adj. non determinatus. *Tert. adv. Haer.* 33. Indeterminatae genealogiae.

INDĒTONSUS, a, um, adj. ἄκαρτος, [*ἀκειρεκόμης.] non tonsus, intonsus. *Ov. Met.* 4, 13. Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus.

[INDĒTRĪBĬLIS, e, adj. qui deteri non potest. *Paul. Nol. ep.* 16. Soliditas indetribilis. *F.*]

INDĒTRĪTUS, a, um, adj. non detritus. *Tert. Resurr. carn.* 58. Indetrita vestimenta.

INDĒVĪTĀTUS, a, um, adj. non devitatus. *Ov. Met.* 2, 605. Indevitato trajecit pectora telo.

INDĒVŌRĀTUS, a, um, adj. tribuitur a quibusdam *Martiali* 7, 20. Indevorato capite turturem truncum, *h. e.* devorato, comeso. Sed rectius leges *et inde vorato:* vel *et devorato.*

INDĒVŌTĒ. V. v. sq.

INDĒVŌTĬO, onis, f. devotionis, seu pietatis, et obedientiae legibus debitae defectus. *Imp. Justin. Cod.* 7, 2, 15. et *ib.* 4, 17. *extr.* et 8, 54, 35. *f.* Addunt etiam *Ulp. Dig.* 33, 9, 1. *extr.* Sed ea verba alii *Triboniani* esse putant, qui *Ulpiano* recentior est, et *Justiniani* aequalis. *Justin. Novell.* 1, 3. indevotionem appellat repugnantiam heredis solvendi legata; et *ib. praef.* eos, qui adeunt hereditates, et legata non implent, *indevote eas percipere* dicit.

INDĒVŌTUS, a, um, adj. devotionis, pietatis, et obedientiae legibus ac principi expers. *Imp. Justin. Cod.* 8, 55, 35. *f.* Donator non solum indevotus, sed etiam impius.

INDEX, ĭcis, m. et f. ἐνδείκτης μηνυτής, qui aliquid indicat, manifestat, defert, ostendit. In re forensi is est, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat impunitate proposita, ut *Ascon. in Div. Verr.* 11. docet: ubi etiam tradit, certas esse personas, quae indices fieri possunt: itaque neque repetundarum causas per indices agi solere; neque senatoriam personam posse indicium profiteri, salvis legibus. Universim autem de eo dicitur, qui occultum quippiam patefacit ei, cuja interest sciri. *Cic. Cat.* 4, 3. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Sestius ab indice Cn. Nerio de ambitu est postulatus. *Id. Cluent.* 7. Venit index ad Dineam, neque obscurus, neque incertus, qui nunciaret ei, filium ejus vivere. *Justin.* 32, 2. *extr.* Ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat. *Tac. A.* 4, 28. Structas principi insidias, index idem et testis, dicebat. [*Notandum, Ciceronis temporibus *indicis* v. convicium et nomen hominis perditi fuisse et nocentis, ut, imprimis sub imperatoribus, nomen *delatoris* et *cognitoris.* Cf. *Cic. Mur.* 24. Catilinam vallatum indicibus atque sicariis. *Sext.* 44. Septus armatis indicibus. Adde *Vat.* 10. 11. *Flacc.* 38. *Sext.* 63. *Suet. Caes.* 17. ubi v. *Ernest.* et *Brem.*] ℙ De *Hercule indice* V. *Cic. de Div.* 1, 25. *extr.* ℙ Translate est quidquid rem quampiam indicat. *Cic. Phil.* 11, 2. Complexus summae benevolentiae falsi indices exstiterunt in amore simulato. *Id. Rabir. perduell.* 6. Quin continetis vocem, indicem stultitiae vostrae, testem paucitatis? *Ov. Pont.* 2, 10, 3. auctoris annulus index. *Id. Fast.* 4, 393. non est opus indice causa. *Plin.* 18, 27, 67. Herbae horarum indices, heliotropium ac lupinum. *Cic. Or.* 18. Imago animi vultus, indices oculi. *Stat. Achill.* 1. *f.* partus index Lucina resolvit. ℙ *Silex index* est, qui tactu indicat auri et aliorum metallorum bonitatem. *Ov. Met.* 2, 706. In durum silicem, qui nunc quoque dicitur index. V. BATTUS. [Sunt tamen qui recte putant, hic non esse intelligendum, Battum in illud genus lapidis fuisse conversum, qui *Lydius* dicitur, a Latinis vero *coticula* appellatur; sed in lapidem seu scopulum fuisse mutatum, cui, ob perfidum indicium, indicis nomen haeserit, et cum nomine etiam infamia. Hinc *Lact. Placid.* in *Argum. ejusd. fab.* Mercurius perfidia ejus offensus, in lapidem eum mutavit, qui ab eventu index circa Pylum vocatur. *F.*] ℙ *Digitus index* est primus a pollice, quo res indicare solemus. *Hor. Sat.* 2, 8, 25. qui, si quid forte lateret, Indice monstraret digito. Adde *Plin.* 28, 2, 5. et *Cic. Att.* 13, 46. ℙ In libris est summa, seu elenchus, quo res, quae in iis continentur, summatim indicantur. *Varro R. R.* 1, 1. Scribam tibi tres libros indices, ad quos revertare, si qua in re quaeres, quemadmodum quidque te in colendo oporteat facere. *Sen. ep.* 39. Sume in manus indicem philosophorum: haec ipsa res expergisci coget, si videris, quam multi tibi laboraverint. (Adde *Plin. ep.* 3, 5. *in.*) Sic *Quint.* 10, 1. *med.* Indicem poetarum ex bibliotheca sumptum transferre in libros suos. *Macr. Sat.* 2, 9. Refero vobis pontificis vetustissimam coenam, quae scripta est in indice quarto Metelli pontificis. ℙ Hinc *per indicem rem exponere*, ap. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 9. est summatim exponere indicando summa capita. ℙ Est etiam idem ac sillybus. *Cic. Att.* 4, 4. Glutinatores sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci, ut opinor, σιλλύβους appellatis. V. SILLYBUS. ℙ Item titulus et frons prima, quae indicat, qua de re in libro agatur. *Cic. Or.* 2, 14. In philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, etc. *Suet. Cal.* 49. Reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri Gladius, alteri Pugio index erat. *Liv.* 38, 56. Index orationis P. Scipionis, nomen M. Naevii trib. pleb. habet. *Gell. praef.* Neque desunt qui indices libris suis fecerint, aut *Epistolarum moralium*, aut *Epistolicarum quaestionum.* ℙ In statuis, et similibus est inscriptio, titulus. *Tibull.* 4, 1, 30. Nec quaeris, quid quaque index sub imagine dicat. *Liv.* 41, 28. Tabula in aede Matris Matutae cum indice hoc posita est: Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi R. Sardiniam subegit, etc. ℙ [*Curator ab indicibus*, vel absolute *ab indices* pro *ab indicibus* (V. CAESAR et CAPUT.) is dicebatur in militia, qui nomina militum legionis, vel cohortis servabat, et in laterculis insculpenda curabat. *Inscr.* ap. *Donat.* 275, 4. M. Apicio T. F. Cam. Tironi evo*cato* salari*ariorum*, curat*ori* ab indici*bus* etc. Alia Romae penes *Aloys. Blondium V. C.* L. Antistio L. F. Sab. Quieto evoc. ab indices fecit Maria Justa mater filio pientissimo. *F.*]

INDI, orum. V. INDUS, a, um.

INDIA, ae, f. regio Asiae orientalis ab Indo fluvio sic dicta, ab eo usque ad Sinarum regnum se extendens. Duplex est, citerior, quae intra Gangem fluvium, et ulterior, quae ultra jacet. Eam accurate describunt *Plin.* 6, 17, 21. et sqq., *Mela* 3, 7. et *Curt.* 8, 9. *Virg. G.* 1, 57. India mittit ebur. ℙ Notat *Turneb. advers.* 21, 9. latissime Indiae nomine usos veteres, ut qui Aethiopiam interdum eo significarent. V. INDUS, a, um.

INDIĀNUS, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Grut.* 519, 7. Albano Vitali eq. alae Indianae Treviro an. XXX. stip. X. H. ex T. E. C. Fortasse alam designat, quae cum Trajano Imp. in expeditione fuit, cum ad Indos prope accessit, qua Oceanus rubro mari infunditur.

INDĪCĀBĬLIS, e, adj. qui indicat. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 3. Signum facere indicabile lethargi.

INDĪCĀTĬO, onis, f. τίμησις, aestimatio, taxatio, et propositio pretii alicujus rei a venditore facta. *Plin.* 22, 24, 50. Mellis causas atque differentias, nationesque, et indicationem in apium, ac deinde florum natura diximus. *Pl. Pers.* 4, 4, 37. *Sa.* Indica, fac pretium. *Do.* tua merx est, tua indicatio est. [*Ulp. Dig.* 19, 1, 13. §. 3. Hic (*venditor sciens*) praemonere debuit, furem esse (*servum*) hic (*venditor ignorans*) non debuit facilis esse ad temerariam indicationem. V. INDICATURA. *F.*]

INDĪCĀTĪVUS, a, um, adj. ὁριστικὸς, id quo aliquid indicatur. *Indicativus modus* est unum ex attributis verborum. Dictus est, quia eo praesentem actionem indicamus. *Diomed.* 1, 329. *Prisc.* 8, 819. etc.

INDĪCĀTOR, oris, m. qui indicat. *Solin.* 40. Anaxagoras naturae indicator. Al. melius leg. *indagator.*

INDĪCĀTŪRA, ae, f. idem ac indicatio. *Plin.* 37, 2, 7. Neque est hodie murrhini alterius praestantior indicatura. *Id.* 29, 1, 8. de medicis: Dolorum indicaturam, et mortis arrham, aut arcana praecepta, *h. e.* pretium a medicis constitutum pro morbis sanandis. *Id. praef. med.* Haec fiducia operis est, haec indicatura. V. INDICATIO.

INDĪCĀTUS, a, um, part. ab *indico, as:* μηνυθείς, indicio delatus, manifestatus, delatus. *Caes. B. C.* 3, 112. *f.* Indicati deprehensique internuncii. *Cic. Cluent.* 65. A puero conscio indicatus. ℙ Item paucis monstratus, ostensus. *Plin.* 31, 8, 44. Haec obiter indicata sint desideriis vitae. *Id.* 6, 33, 38. Abunde orbis terrarum extra intra indicatus. ℙ Item aestimatus, taxatus vendendi causa. *Plin.* 37, 1, 3. Indicatus sex aureis denariis smaragdus. *Id.* 28, 13, 57. Emi lienem vituli, quanti indicatus sit, jubent magi.

*INDICIBĬLIS, e, adj. *Sarisb. Ep.* 291. Referre longum est et indicibile nobis. *B. A.*

INDĪCĪNA, ae, f. indicium, delatio. *Appul. Met.* 7. Ob indicinae praemium. *Id. ib.* 6. Accipere aliquid indicinae nomine.

INDĪCĬUM, ii, n. μήνυμα, delatio, manifestatio, detectio rei occultae, praesertim criminis: et quidem proprie, quae ab eo fit, qui delicti est conscius. V. INDEX ab in. *Sall. Cat.* 49. [*Al. 48.] Frequens senatus decernit, Tarquinii indicium falsum videri. *Cic. Div.* 2, 20. Eo ipso tempore, quo fieret indicium conjurationis in senatu. *Pl. Cist.* 4, 2, 9. Facite indicium, si quis vidit. *Ter. Ad.* 4, 4, 7. Id anus mihi indicium fecit. *Cic. Dom.* 52. Afferre ad aliquem indicium rei alicujus. *Tac. A.* 2, 28. Deferre indicium ad aliquem. *Caes. B. G.* 1, 4. Ea res est Helvetiis per indicium enunciata. *Auct. B. Hisp.* 18. Indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Caesar, etc. *Sall. Cat.* 57. Convictus indicio alicujus. *Id. Jug.* 39. Sed ipse deprehensus, multis hortantibus, indicium profitetur, *h. e.* palam fatetur et indicat. Sic *Tac. A*, 11, 35. Indicium offerre. *Profiteri*, et *offerre indicium* est proprie ejus, qui, cum sit sceleris particeps, ultro indicat, et manifestat socios, aut auctores sceleris, ut impunitatem obtineat. Simile est *indicium postulare*, de quo *Cic. Att.* 2, 24. Vettius reus, cum esset damnatus, erat indicium postulaturus: quod si impetrasset, judicia fore videbantur. Ubi male alii leg. *judicium.* Adde *Div. Verr.* 11. ℙ Item universim signum, argumentum. *Cic. Cluent.* 10. *extr.* Indicia et vestigia veneni. *Id. Cat.* 3, 5. Certissima argumenta atque indicia sceleris. *Id. Har. resp.* 12. Scelerum indicia ostendere, et periculorum signa patefacere. *Id. Sull.* 27. Notae scelerum, indicia parricidiorum. *Id. in Senat.* 4. Hoc specimen virtutis, hoc indicium animi sui fore putavit. *Id. Fam.* 7, 6. Insigne indicium meae erga te benevolentiae. *Ter. Hec.* 4, 1, 31. Res indicium haec facit, quo pacto factum volueris. ℙ *Indicium dare* est ostendere, indicare. *Varr. L. L.* 8, 13. Sic indicium edere. *Lucr.* 2, 556. indicium mortalibus edant, Infidi maris insidias, viresque, dolumque Ut vitare velint. ℙ *Indicio esse*, argumento esse. *Cic. Dom.* 42. Quae domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus. *Ter. prol. Ad.* 4. indicio de se ipse erit. *Nep. Att.* 16. Ei rei indicio sunt sexdecim volumina epistolarum. *Id. Lys.* 3. Quam vere de eo foret judicatum, oratio indicio fuit. *Id. Timol.* 2. Quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod, etc. *Ter. Heaut.* 2, 4, 4. Mihi, quale ingenium haberes, indicio fuit oratio. ℙ *Indicium* pro praemio indicii. *Ulp. Dig.* 12, 5, 4. Si tibi indicium dedero, ut fugitivum meum indices, vel furem rerum mearum. *Petr. Sat.* 97. In lance argentea indicium et fidem praeferebat. *Cic. Off.* 3, 20. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque indicio, *h. e.* poena proposita, et praemio promisso indicanti eos, qui contra fecissent. Ita leg. *Facciolat.* ex conjectura: editi vero libri habent *judicio*, [h. e. judicii formula, q. v. v. *F.* *Beier. accipit per ἓν διὰ δυοῖν pro poena judicii, vel judicio persequenda. *I. M. Heus.* explicat: Edicto constituerunt, rem nummariam: adversus quod qui faceret multaretur, aut ad populum accusatus publico judicio damnaretar. At *indicium* pro *praemio indicii* reperitur ap. *Cic. Rosc. Am.* 37, 107. et *Vat.* 11, 26.] ℙ In illo *Vitr.* 9, 3. Postquam indicium est factum, dempto auro, tantundem argenti in id coronarium opus admixtum esse: *indicium* videtur

esse ab indice lapide, quo de auri argentique bonitate experimentum capitur. V. INDEX. Sunt tamen qui putant, hic *indicium* significare tantum suspicionem. [*Prius facile praeferendum.]

[INDĪCĪVUS, a, um, adj. qui indicat. *Not. Tir.* p. 90. Indicium, indicivus. *F.*]

INDĪCO, as, avi, atum, a. 1. *μηνύω, καταμηνύω*, manifesto, detego, patefacio: et dicitur praesertim de iis, qui crimen deferunt, cujus sunt ipsi conscii, ut in INDEX, et INDICIUM diximus. Etymon vocis vide in DICO, as. *Donat. ad Ter. Adelph. prol.* 4. *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit: sed *confitetur*, qui de se tantum, et qui invitus. *Cic. Cluent.* 64. Puer ille conscius pertimuit: rem omnem dominae indicavit. *Id. Mur.* 25. Catilina, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. *Sall. Cat.* 49. Nisi de eo indicasset, cujus consilio, etc. et 31. Indicare de conjuratione. *Cic. Tusc.* 2, 22. Conscios delendae tyrannidis indicare. *Ulp. Dig.* 50, 16, 197. Indicasse est detulisse, arguisse, accusasse, et convicisse. *Val. Max.* 3, 3. *extr.* 3. Indicandorum consciorum gratia. ℙ Est etiam universim ostendere, monstrare, indicare. *Cic. Univ.* 2. Indicare aliquid in vulgus; *εἰς πάντας λέγειν. Id. Leg.* 1, 9. Vultus indicat mores. *Id. Brut.* 94. Dicendi genus, quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris indicabunt. *Id. Fl.* 37. Quis tibi, Laeli, de epistolis istis indicavit? *Nep. Att.* 4. *extr.* Lacrimis indicare dolorem. *Ter. Eun.* 4, 3, 16. Hoc, quod fecit, res ipsa indicat. *Id. Adelph.* 4, 4, 19. Non me hanc rem patri, Ut ut erat gesta, indicasse? *Liv.* 8, 24. *med.* Indicans iter. *Id.* 8, 18. Ancilla quaedam indicaturam sese causam publicae pestis, professa est. *Hirt. B. Alex.* 54. Ne ex eo quid sensisset, indicaretur. *Phaedr.* 1, 15. Id esse verum parva haec fabella indicat. *Plin.* 11, 37, 51. Supercilia maxime indicant fastum. *Id. ib.* 64. Aetas veterinorum indicatur dentibus. *Id.* 34, 7, 16. Indicare se Deum. ℙ Aliquando est brevi, et paucis verbis, et quasi per indicem, ut *Ascon.* loquitur in *Verr.* 2, 1, 9., dicendo aliquid attingere. *Plin.* 6, 23, 26. Priusquam haec generatim persequamur, indicare convenit, quae prodit Onesicritus. *Id.* 33, 1, 5. Indicare aliquid obiter. *Id.* 15, 14, 15. nominatim. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 7. Signa aerea, ut indicavimus, fuerunt tria millia. ℙ Praeterea *indicare* est vendentium, cum rem venalem proponunt, et pretium statuunt, et quanti venditurі sint, indicant. *Cic. Off.* 3, 15. Cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur. *Pl. Pers.* 4, 4, 25. Hanc eme. *Do.* modo ut sciam, quanti indicet; et 37. indica, fac pretium. ℙ *Indicasso, is*, pro *Indicavero, is*, est *Plauti Poen.* 4, 2, 66. et *Rud.* 4, 3, 89.

INDĪCO, is, ixi, ictum a. 3. *καταγγέλλω*, dicendo significo, denuncio. Etymon vocis vide in DICO, is. *Caes. B. G.* 7, 63. Totius Galliae concilium Bibracte indicitur; et *ib.* 90. *f.* Romae dierum viginti supplicatio indicitur. *Liv.* 31, 49. *f.* Comitiis diem indixit. *Id.* 6, 12. Indicere exercitum in aliquem locum, *h. e.* ut conveniat. *Cic. Cat.* 2, 6. *extr.* Bellum populo R. suo nomine indixit. *Id. Phil.* 5, 12. Justitium indici, saga sumi dico oportere. *Liv.* 1, 9. Indici finitimis spectaculum jubet. *Suet. Claud.* 22. Ut ferias, advocata concione, praetor indiceret. *Id. Cal.* 55. Viciniae silentium per milites indicere solebat. *Id. Ner.* 27. Indicebat et familiaribus coenas, *h. e.* jubebat, eos sibi coenam apparare. *Virg. A.* 7, 467. Indicere iter; et *ib.* 1, 636. honorem templis Divum; et *ib.* 5, 758. forum. *Liv.* 1, 50. concilium. *Varr. L. L.* 5, 7. et *Suet. Caes.* 84. funus, *h. e.* vocare ad exsequias. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. mercatum. *Tac. A.* 3, 49. ultimum supplicium alicui. *Virg. A.* 11, 737. choros indixit tibia Bacchi. ℙ Pro imponere. *Cic. Verr.* 2, 3, 1. Legem sibi ipsi indicunt innocentiae, qui ab altero rationem vitae reposcunt. Al. leg. *dicunt.* [*Ita *Orell.*] *Plin.* 18, 3, 3. Indicere multam. *Liv.* 4, 60. tributum. *Tac. H.* 3, 58. servorum numerum et pondus argenti senatoribus. [**Lucan.* 2, 4. legesque et foedera rerum Praescia monstrifero vertit natura tumultu, Indixitque nefas. *Sen. ep.* 123. et indixit sibi patientiam; et hoc verbum amari a *Seneca* docebit *Fr. Gron.* ad *Oed.* 17. nobis majus indicunt scelus. Adde *Suet. Cal.* 26. Horreis praeclusis, populo famem indixit] ℙ Part. *Indicens* pro *non dicens. Liv.* 22, 39. Nam et duo boni consules, etiam me indicente, omnia e republica faceretis. Al. leg. *tacente*, invitis sanioribus criticis. *Ter. Adelph.* 3, 5, 62. Non me indicente haec fiunt, *h. e.* ita ut non ego aliquando haec dixerim, seu praedixerim. *Cic. Fin.* 2, 3. *f.* Etiam indicente te, intelligo. Al. leg. *non dicente.* [*Ita *Orell.*, idque recte! illud enim *I. Fr. Gronov.* susp., quia deerat in suo cd. *non.*] *Indicendus* in *Gloss. Phil.* Indicendus, *ἀλεκτος. F.*] ℙ *Indice* pro *indic* antiquum est, *Pl. Ps.* 1, 5, 133. Indice ludos nunc jam, quando lubet. ℙ [*Indixtei* pro *indixisti* ap. *Front. de Fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *F.*] ℙ [*Confunditur *indicere* et *inducere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 4. et *Burm.* ad *Virg. E.* 5, 30.]

INDICTĪCĬUS, a, um, adj. indictivus. *Cassiod. Variar.* 5, 14. Indicticia onera.

INDICTĬO, onis, f. genus tributi, quod non in pecunia, sed in frugibus imponitur agris, seu possessionibus, ut pro modo redituum solvatur. Hoc significatur illis verbis *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Ubi *Ascon.* Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. *Plin. Pan.* 29. Nec novis indictionibus pressi, ad vetera tributa deficiunt. *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. *med.* Si qua tributorum, aut vectigalis, indictionisve nomine praestare oporteret. *Paul. ib.* 33, 2, 28. Si fundo indictiones temporariae indictae sint. Adde *Lact. Mort. persecut.* 7. qui *ib.* 31. auri, argentique indictiones memorat. Ex quibus omnibus satis colligi videtur, *indictionem* esse, cum quippiam extra ordinem, ac de novo solvendum, publice indicitur. [*V. *Schwarz.* ad *Plin.* l. supra citatum; et *Burm.* de *vectigg. P. R.*]

INDICTĬONĀLIS, e, adj. ad indictionem pertinens, *h. e.* ad tributum. *Ammian.* 17, 3. Indictionale augmentum oblatum sibi humi projecit.

INDICTĪVUS, a, um, adj. indictus. *Indictivum funus* erat, ad quod per praeconem evocabantur. *Fest.* et *Varr. L. L.* 6, 3. ℙ Formulam, qua usi, docebit *Ter. Ph.* 5, 8, 37. Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, jam tempus est. His adde ex *Varr. l. c.* Ollus leto datus est; et ex *Festo* in *Quirites.* Ollus Quiris leto datus.

INDICTUS, a, um, adj. non dictus: ab *in* privativa, et *dictus. Ter. Ph.* 5, 7, 58. Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est. *Liv.* 5, 15. Quae tum cecinerit, ea se nec, ut indicta sint, revocare posse, etc. *Virg. A.* 7, 733. Nec tu carminibus nostris indictus abibis, Oebale. *Gell.* 1, 22. Nescio quid aliud indictum inscitumque dicit, *h. e.* non dictum a veteribus, non usurpatum, insolitum. *Hor. Od.* 3, 25, 7. Dicam insigne, recens, adhuc Indictum ore alio. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Deum coelestem, indictum, innominabilem, *h. e.* qui dici non potest, *ἄῤῥητον.* ℙ *Indicta causa* est non audita defensione. *Cic. Leg.* 1, 15. Ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* In aliquem animadvertere, indicta causa. *Id. Rabir. perduell.* 4. Indicta causa, civem R. capitis condemnare. *Id. Verr.* 2, 2, 17. *extr.* Indicta causa, fortunis omnibus everti. *Id. Phil.* 2, 23. Res judicata, indicta causa. ℙ Item denunciatus, significatus, part. ab *indico, is. Cic. Off.* 1, 11. Bellum denunciatum ante, et indictum. *Id. Verr.* 2, 5, 72. *extr.* Quorum *(Deorum)* templis et religionibns iste bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum. *Id. Dom.* 16. Indictum funus. [*His *funeribus indictis* nobilium opponuntur *tacita* hominum inferioris conditionis V. *Kirchm. de funer.* p. 19.] *Id. Verr.* 2, 5, 71. Tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt, quam indictae et apertae. *Ov. Fast.* 4, 354. indictas concelebrare dapes. *Tac. A.* 2, 60. Indicta gentibus tributa; et *ib.* 12, 65. Indicta mors. [**Suet. Cal.* 41. Ejusmodi vectigalibus indictis (i. e. per praeconem), neque propositis (h. scripto.)] ℙ *Senatus indictus* opponitur *legitimo.* Est legitimus, qui habetur certis anni diebus lege vel more constitutis. *Suet. Aug.* 35. Sanxit, ne plus, quam bis in mense legitimus senatus haberetur. *Indictus* autem, qui aliis diebus vocabatur, prout respublica postulabat: quare hic extraordinarius erat, ille ordinarius. *Capitol. Gord.* 11. Non legitimo, sed indicto senatus die consul domi conventus, etc. ℙ **Indicto audiens*, immorigerus. *Vet. Interpr. Iren.* 4, 80. *B. A.*

INDĬCŬLUM vel Indiculus, i, m. vel n. brevis epistola vel scriptum, in quo res breviter, et per indicem conscriptae sunt. *Symmach. ep.* 6, 49. (al. 48.) Quae ad urbem pertinent, indiculi cohaerentis lectione noscetis. *Id. ep.* 7, 81. (al. 82.) Capita rerum subjecto indiculo strictim notavi.

INDĬCUS, a, um, adj. *Ἰνδικός*, ad Indiam, vel Indos pertinens, Indus. *Ter. Eun.* 3, 1, 23. Elephanti Indici: quos *Mart.* appellat 5, 37. Indicas pecudes. *Id.* 1, 73. Indicum cornu, *h. e.* dens elephanti; et 10, 98. Indici dentes. *Ov. Pont.* 1, 5, 80. Taprobanen Indica cingit aqua. *Petr. Sat.* 55. Margarita Indica. ℙ *Indicum milium* species est milii, de quo haec habet *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Milium intra hos decem annos ex India in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, praegrandibus culmis: lobas vocant: omnium frugum fertilissimum. Haec *Plin.* In quibusdam Italiae regionibus dicitur *sorgo*, et *sorgo rosso*, et *saggina.* ℙ *Indicum, i*, n. absolute, *Ἰνδικόν*, genus est coloris caerulei, non pridem, inquit *Plin.* 33, 13, 67. ex India apportari coeptum, cujus usus in pictura ad incisuras, hoc est umbras dividendas ab lumine. Aliud est Indicum antiquius, Romanisque magis cognitum et pretiosius, indidem veniens, arundinum spumae adhaerescente limo: cum teritur, nigrum; at in diluendo mixturam purpurae caeruleique mirabilem reddens. Alterum genus ejus est in purpurariis officinis innatans cortinis, et est purpurae spuma. Qui adulterant, vero Indico tingunt stercora columbina, aut cretam Selinusiam: vel anulariam vitro inficiunt. Probatur carbone. Reddit enim, quod sincerum est, flammam excellentis purpurae, et dum fumat, odorem maris. Haec *Id.* 35, 6, 26. *Vitr.* 7, 11. quod *Plin. l. c.* vocat absolute *Indicum*, ipse appellat *colorem Indicum.*

INDĬDEM, adv. *ἐντεῦθεν, αὐτόθεν*, ex eodem loco: ab *inde*, et *idem. Cic. Rosc. Am.* 27. Indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? [*V. *Math.* ad h. l.] *Nep. Epam.* 5. Habuit obtrectatorem Meneclidem indidem Thebis, *h. e.* ipsum quoque Thebanum, ut erat Epaminondas. *Liv.* 39, 12. Indidem ex Aventino. ℙ Item ex eadem re. *Cic. Or.* 3, 40. Unde simile duci potest (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod, etc. *Liv.* 39, 8. Falsi testes, falsa signa ex eadem officina exibant: venena indidem, intestinaeque caedes. *Cato R. R.* 25. Indidem, si voles, lavito.

INDIFFĔRENS, entis, adj. qui non differt, qui nec bonus, nec malus est, *ἀδιάφορος. Cic. Fin.* 3, 16. Quod illi *ἀδιάφορον* dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem. Adde *Sen. ep.* 82. *med.* ℙ *Indifferens homo*, qui non est difficilis aut morosus in re aliqua. *Suet. Caes.* 53. Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem fuisse docet, ut ab hospite conditum oleum pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse. [*Gr. *εὔχολος*. V. *Casaub.* ad h. l.] ℙ *Indifferens syllaba*, quae nihil refert longa, an brevis sit. *Quint.* 9, 4. *med.* Clausula e longis firmissima est: sed cludent et breves, quamvis habeatur indifferens ultima.

INDIFFĔRENTER, adv. *ἀκρίτως, ἀδιαφόρως*, indiscriminatim, promiscue. *Quint.* 11, 3. Utraque appellatione indifferenter uti licet. *Gell.* 10, 24. Consuetum veteribus litteris his uti indifferēnter, sicuti *praefiscine*, et *praefiscini*, etc. *Paul. Dig.* 48, 3, 10. Cum scierint, sibi quoque molestiae futurum magistratum, si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient, *h. e.* passim, promiscue, et quacumque de causa. ℙ *Indifferenter ferre* est aequo animo ferre, neque dolendo, neque gaudendo. *Suet. Dom.* 23. Occisum eum populus indifferenter, miles gravissime tulit. ℙ *Indifferenter vivere* ap. *Scrib. Comp.* 122. est quocumque cibo uti, more eorum, qui sani sunt, et nullis medicorum legibus subjici volunt.

INDIFFĔRENTĬĂ, ae, f. *ἀδιαφορία*, similitudo, affinitas, convenientia. *Gell.* 13, 3. Hoc ego scripsi de utriusque vocabuli indifferentia.

[INDIFFĪCULTER, adv. non difficulter. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 21. *med.* Aquas indifficulter haurimus. *F.*]

INDĪGĔNĂ, ae, adj. comm. gen. *αὐτόχθων*, genitus in eo loco, ubi degit: ab *indu* pro *in*, et *geno* pro *gigno.* Omnes terrae habitatores aut indigenae sunt, aut advenae. Indigenae sunt inde geniti, quos vocant Aborigines Latini, Graeci *αὐτόχθονας*, de Faunis *Virg.* dixit *A.* 8, 314. Advenae de uno loco venientes, ut Saturnus. Convenae de diversis, ut Ausones, et Sicani. Haec *Serv.* ad *Virg. l. c. Virg. A.* 12, 823. Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri jubeas. *Colum.* 1, 7. Felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet. *Liv.* 21, 30. Ne majores quidem eorum indigenas, sed advenas Italiae cultores, etc. *Prud. Symm.* 2, 500. Perfidia ne Deum indigenum cecidere tot urbes? ℙ Tribuitur et aliis rebus. *Ov. Am.* 3, 13, 4. Casta sacerdotes Junoni festa parabant Per celebres ludos, indigenamque bovem. *Col.* 6, 2. *med.* Longe omnis bos indigena melior est, quam peregrinus. *Ov. Met.* 14, 343. Apri indigenae. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Indigena vinum. *Flor.* 2, 18. *med.* Cum sese implevissent carnis semicrudae, et celiae: sic vocant indigenam ex frumento potionem. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 161. de Aetna: Nunc vomit indigenas nimbos. *Id. Cons. Probi, et Olybr.* 254. indigenae fluvii. *Id. VI. Cons. Hon.* 8. Indigenas habitus nativa Palatia sumunt, *h. e.* vere Romanos. *Prud. l. c.* 341. indigena pietas, *h. e.* orta inter nos. *Rutil. Itiner.* 2, 65. Indigenis saxis. ℙ **Indegena* scriptum in palimpsesto *Symmach.*, (ed. *A. Maio.*) V. v. g. *Symm. in Laud. Valent. orat.* 1, 1. et 12. *B. A.*

INDĪGENS, entis, part. ab *indigeo*, *ἐνδεής*, qui indiget, pauper, egens, indigus. *Cic. Off.* 2, 15. Indigentibus benigne facere. *Id. Amic.* 9. Quid enim? Africanus indigens mei? minime hercle: at ne ego quidem illius. *Nep. Reg. f.* Alienarum opum indigens. *Auct. B. Hisp.* 17. Cives R. indigentes praesidii. [**Suet. Aug.* 78. Indigens somni.] *Val. Max.* 1, 4. *n.* 5. Nullo vocis ministerio indigens. *Gell.* 14, 2. *med.* Disceptatio multa cura indigens. *Plin.* 36, 22, 47. Cotes oleo indigentes. [*Jul. Val.*

res gest. Alex. M. (ed. *A. Maio*) 2, 1. Aquarum indigentissimae terrae. *F.*]

INDĬGENTIA, ae, f. *Ἔνδεια*, inopia, egestas, penuria. *Cic. Amic.* 8. A natura mihi videtur potius, quam ab indigentia orta amicitia. *Id. Tusc.* 4, 9. Indigentia est libido inexplebilis. [**Id. ib.* 4, 7. Subjecta sunt ... libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium. Hoc vocabulum nusquam alibi legitur. De significatione atque discrimine, quo distet a *paupertate* et *egestate* disputat *Doederl.* 3, 111 et 113.]

[INDĬGĔNUS, a, um, adj. idem ac indigena. *Appul. Met.* 1. *in.* Mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenum sermonem excolui. *F.*]

INDĬGĔO, es, ui, n. 2. *ἀπορέω*, egeo: ex *indu* et *ggeo. Cic. Or.* 34. Jam illa non tam artis indigent, quam laboris. *Id. Fam.* 6, 4. Quae ad consolandum majoris ingenii, et ad ferendum singularis virtutis indigent. *Id. Att.* 12, 35. Indigeo tui consilii. *Id. Amic.* 14. Qui minime alterius indigeant. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Ut, vivo me, aliis indigeres. *Id. Rosc. Com.* 15. Indigere bona existimatione. *Nep. Ages.* 7. pecunia. *Id. Att.* 21. medicina. *Caes. B. C.* 2, 35. iis rebus, quae ad oppugnationem castrorum sunt usui. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 11. cohortatione. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 3, 5. consolatione. *Varr. R. R.* 1, 31. *extr.* Quod indigent potui, poma dicta esse possunt. Ita leg. *Non.* 9, 20. al. *potu.* ℙ Cum infinito. *Gell.* 4, 1. Hoc plane indigeo addiscere. ℙ Cum accusativo. *Afran.* ap. *Non.* 9, 19. Male merentur de nobis heri, qui nos tantopere indigent in pueritia. *Varr. L. L.* 4, 17. Dives, qui ut Deus, nihil indigere videtur. ℙ Passive impersonaliter. *Plin.* 10, 27, 39. Cum praesidio earum indigetur. Adde *Pall.* 7, 4. ℙ Pro cupere aut sectari, metonymice. *Cic. Sull.* 8. Contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere.

INDĬGES, ētis, m. V. INDIGETES.

INDĬGES, is, adj. indigens. *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 2, 46. Quem aetate exacta, indigem liberum lacerasti, orbasti, exstinxisti.

INDĬGESTĒ, adv. *ἀτάκτως*, inordinate, incomposite. *Gell. praef.* Quas breviter, et indigeste, et incondite annotationibus, tractationibus, lectionibusque variis feceramus.

INDĬGESTĪBĬLIS, e, adj. qui concoqui in ventriculo non potest. *Theod. Prisc. de diaet.* 6.

INDĬGESTĬO, onis, f. cruditas. *Hieron. ep.* 22. *n.* 17. Ad orationem tibi nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas.

INDĬGESTUS, a, um, adj. *ἄτακτος*, non digestus, confusus, perturbatus, sine ordine. *Ov. Met.* 1, 7. Chaos, rudis indigestaque moles. *Plin.* 13, 15, 30. Indigesta simplicitas. *Id.* 17, 10, 12. Turba indigesta. ℙ Est etiam idem ac crudus. *Macr. Sat.* 7, 7. *med.* de menstruo: Indigestum est enim et crudum, quod egeritur e corpore muliebri, et quasi infirmum effluit.

INDĬGĔTES, um, m. plur. *Ἀνθρωποδαίμονες*, qui ex hominibus Dii facti sunt: ab *in*, et *dico*, *as*, hoc est dedico, consecro, unde *indices*, et c in g converso *indiges*, inter Deos consecratus: vel ab *indigito* invoco, quod ab *indu* pro *in*, et *cito*, voco, quia una cum ceteris Diis invocantur: vel a *Deus*, et *ago*, quasi in Diis agentes. Aliqui censent, Deos Indigetes esse Deos patrios, seu Deos topicos, qui Graecis *Θεοὶ πατρῷοι*, et *ἐγχώριοι*, et *τοπικοὶ*, vel *ἐντόπιοι* vocantur, et dici ab *indu* pro *in*, et *ago*, habito, ut Indiges sit, qui locum aliquem incolit. *Serv.* ad *A.* 12, 794. Sed hac acceptione dicti potius fuerunt ab *inde*, et *geno*, quod in eo loco geniti sint, in quo coluntur. Ceterum *Servius* aliorum opinionem hic recitat. Nam in *G.* 1, 498. Deos patrios ab Indigetibus distinguit, his verbis: Patrii Dii sunt, qui praesunt singulis civitatibus, ut Minerva Athenis, Juno Carthagini: Indigetes autem proprie sunt Dii ex hominibus facti, quasi in Diis agentes. ℙ Sunt qui stricte intelligunt Semideos Curetes. *Gloss. Philox.* Indigetes, *ἡμίθεοι Κουρῆτες*. *Arnob.* 3, 125. Aut si Curetas pro Laribus invocaro, quos Indigetes Samothracios pars vestrorum adseverat auctorum. Al. melius leg. *Digitos.* ℙ Universe dicebantur Indegetes, qui Dii ex hominibus facti essent. Aliqui Indigetes dicunt esse Deos tutelares, quorum nomina vulgari non licet. Aliqui omnes Deos Indigetes appellari volunt ab *indigeo*, quod nullius rei indigeant, vel quod nos eorum indigeamus. Sed verius esse videtur, Indigetes esse Deos ex hominibus factos, et ibi maxime cultos, ubi nati sunt. *Hesiod.* ap. *Macr. Somn. Scip.* 1, 9. et *Serv.* ad *cit. A.* 12. etc. *Liv.* 8, 9. Lares, Dii Novensiles, Dii Indigetes, Divi quorum est potestas nostrum hostiumque. *Virg. G.* 1, 498. Dii patrii, Indigetes, et Romule, Vestaque mater. ℙ In singulari num. est Indiges, etis. *Virg. A.* 12, 794. Indigetem Aeneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi coelo. Adde *Gell.* 2, 16. *f.* et *Fest.*

INDĬGĔTO vel Indigito, as, avi, atum, a. 1. proprie significat invocare: ab *in*, vel *indu* pro *in* et *cito*. *Macr. Sat.* 1, 17. Namque Virgines Vestales ita indigetant, Apollo Medice, Apollo Paean. *Festus:* Indigitanto, imprecanto, *h. e.* invocanto. ℙ *Indigitare precem* ap. *Tert. Jejun.* 16. est precari. ℙ Quia Deos invocans, nomine eos appellare solet, *indigitare* et pro nominare ponitur. *Arnob.* 4, 144. Qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indigitatur. Al. leg. *indicatur.*

INDĬGĬTAMENTA, orum, n. plur. appellantur libri pontificales, qui Deorum nomina et eorum invocandorum rationem ritusque continent, *ἱερατικὰ βιβλία*. *Arnob.* 2, 95. Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire. Adde *Serv.* ad *G.* 1, 21. ℙ Ap. *Festum* legitur: *Indigitamenta*, *incantamenta*, vel *indicia*. Sed eam interpretationem notant critici, non *Festi*, sed *Pauli Diac.* esse.

INDĬGĬTO. V. INDIGETO.

INDIGNĀBUNDUS, a, um, adj. *δυσχεραίνων*, *δύσοργος*, indignationis plenus. *Liv.* 38, 57. Illa muliebriter indignabunda, nihil de communi filia secum consultatum. *Suet. Aug.* 40. Indignabundus et clamitans. *Gell.* 19, 9. Animo irritato indignabundus.

INDIGNANS, antis, part. ab *indignor*, *δύσοργος*, qui indignatur et detrectat, impatiens. *Col.* 8, 17. *med.* Mullorum genus mollissimum est, et indignantissimum servitutis. *Ov. Met.* 6, 584. dolor ora repressit, Verbaque quaerenti satis indignantia linguae Defuerunt. *Id. Fast.* 4, 896. cadit Mezentius ingens, Atque indignanti pectore plangit humum. *Id. Met.* 12, 353. qui prensos montibus ursos Ferre domum vivos, indignantesque solebat. ℙ Translate. *Id. ib.* 11, 491. Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent. V. INDIGNOR.

INDIGNANTER, adv. *Arnob.* 3, 103. Mussitare indignanter. *Ammian.* 15, 1. Indignanter ferre.

INDIGNĀTĬO, onis, f. *ἀγανάκτησις*, ira, stomachus, dolor ob rem indignam, quam ferre quis non potest. *Hirt. B. G.* 8, 44. Drapes sive indignatione et dolore vinculorum, sive timore gravioris supplicii, paucis diebus sese cibo abstinuit, atque ita interiit. *Hor. Epod.* 4, 9. Ut ora vertat huc et huc euntium Liberrima indignatio. *Vell.* 2, 66. Cogit excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio. *Justin.* 12, 4. Indignatio omnium totis castris erat, a Philippo illum patre tantum degeneravisse. *Plin.* 33, 1, 6. Tanta senatus indignatio exarsit, ut, etc. *Id.* 8, 42, 64. Equus indignatione accensus. *Id.* 9, 30, 48. Alicujus indignationem in se convertere. *Liv.* 4, 50. Indignationem movere. *Id.* 3, 48. Publicae indignationes. ℙ Ap. *Cic. Inv.* 1, 53. *indignatio* est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur: et *mox.* Ex iis rebus, quae personis atque negotiis attributae sunt, quaevis amplificationes et indignationes nasci possunt. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* s. v. *amplificatio;* et *ejusd. Lex. gr. technol. rhet.* in *δείνωσις* et *καταγέχειν.*] ℙ Pro indignitate. *Quint. decl.* 5, 1. Nec intelligit, majorem se factis meis auctoritatem hac indignatione conferre. ℙ A *Veg. Vet.* saepe usurpatur de laesione alicujus membri, ex qua veluti indignatur, irritatur, et dolet, [Itali dicunt *irritazione. F.*] v. g. 1, 63., 2. *prol.* et 13. et 16., 3, 15. etc. Sic *Coel. Aurel. Acut.* 3, 3. Potum dabimus paulatim, ne tumentia indignentur.

INDIGNĀTĬUNCŪLA, ae, f. parva indignatio. *Plin. ep.* 6, 17. Indignatiunculam, quam in cujusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare, quo minus apud te per epistolam effundam.

INDIGNĀTĪVUS, a, um, adj. qui indignatur. *Tert. Anim.* 16. Indignativum, quod appellant *θυμικόν*.

INDIGNĀTUS, a, um, part. ab *indignor*. V. INDIGNOR.

INDIGNĒ, adv. *ἀεικῶς*, *ἀναξίως*, contra dignitatem, contra jus fasque, inhoneste, ignominiose. *Ter. Ad.* 3, 2, 10. Cui miserae, indigne per vim vitium obtulerat. *Id. Phorm.* 5, 1, 3. Indigne aliquem injuria afficere. *Cic. Verr.* 2, 5, 57. Cervices in carcere frangebantur indignissime civium R. *Ter. Phorm.* 5, 8, 20. An quidquam est hodie factum indignius? *Caes. B. G.* 7, 38. Persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt. *Pl. Cist.* 2, 3, 21. Tute tibi indigne dotem quaeras corpore. *Id. Bacch.* 3, 3, 66. Meretricem indigne deperit. ℙ Item cum indignatione, aegre, moleste [**scil.* propter laesam dignitatem.] *Nep. Eum.* 1. Macedones, eum sibi anteponi, indigne ferebant. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Cum indigne pateretur uxor Cleomenis, in conventum suum mimi filiam venisse. *Phaedr.* 3, 18. Pavo ad Junonem venit, indigne ferens, Cantus luscinii quod sibi non tribuerit.

INDIGNĪTAS, atis, f. *ἀπρέπεια*, contrarium dignitatis, turpitudo, dedecus. [*Primo loco collocari debebant ista.] *Cic. Or.* 2, 32. Si quid affert praeterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quaestionem est. [**Id. Caecil.* 19. Quorum nemo propter indignitatem repudiatus est, i. e. quia indignus esset accusatoris munere, idque sustinere non posset. ℙ Dicitur deinde active de eo, qui facit, quae non debebat in hominem se multo meliorem: unde *indignitas* hominis dicitur de humilitate, sordibus et turpitudine generis, sortis, vitae.] *Id. Vat.* 6. Ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati aspera videatur. [*Adde *ib.* 1. et sic est in illa oratione aliquoties. Porro *Dejot.* 1. Accusatoris indignitas: erat enim servus. De quo est etiam *Verr.* 2, 4, 50. *Pis.* 41. ℙ Hinc transfertur ad res et significat indignum factum, iniquitatem, atrocitatem. Gr. *ἀείκεια.*] *Caes. B. G.* 7, 56. Infamia atque indignitas rei. *Cic. Mur.* 25 Neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit. *Id. Verr.* 2, 5, 46. *extr.* Indignitas calamitatis; et *ib.* 3, 55. injuriae. ℙ [*Sed dicitur etiam passive, si quis indignis modis tractatur, injuria, contumelia afficitur, quo dignus non erat. *Cic. Fam.* 2, 4, 14. Cum venissem mane ad Caesarem, atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem.] *Caes. B. G.* 2, 14. Omnes indignitates contumeliasque perferre. *Liv.* 42, 52. Omnibus indignitatibus compulsus ad rebellandum. *Id.* 5, 48. *extr.* Rei foedissimae per se adjecta indignitas est: pondera ab Gallis allata iniqua, et adjectus ab insolente Gallo ponderi gladius. ℙ Est etiam indignatio [*e laesa dignitate orta. Laudat *Ernest.* in *cl. Cic.*, prob. *Schütz.*, *Cic. Att.* 10, 8. Tacita esse poterit indignitas nostra? et *Menk. Observv. L. L.* p. 485.] *Liv.* 5, 45. Inde primum miseratio sui, deinde indignitas, atque ex ea ira animos cepit. *Just.* 3, 5. Cum hinc injuria, inde indignitas animos acuerit.

INDIGNĬTER, adv. indigne. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 176. *Burm.* Vixit bis decem annis nata indigniter.

INDIGNOR, aris, atus sum, dep. I. *ἀγανακτέω*, rem indignam esse ajo, ferre non possum, stomachor, cum ira detrecto, graviter fero. *Cic. Inv.* 1, 17. Ea, quae indignantur adversarii, tibi quoque indigna videri. *Nep. Dion.* 4. Id cum factum multi indignarentur. *Caes. B. G.* 7, 19. Indignantes milites, quod conspectum suum hostes ferre possent. *Hor. A. P.* 359. Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit. *Virg. A.* 2, 93. Et casum insontis mecum indignabar amici. *Claud. IV. cons. Honor.* 557. Ipse tibi famulas praeberet Pegasus alas, Portaretque libens, melioraque pondera passus Bellerophonteas indignaretur habenas. *Sen. Tranqu.* 10. Ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet. *Quint.* 1, 3. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur. ℙ Cum infinito. *Id. ib.* 1. Cedere peritis indignantur. *Ov. Met.* 10, 604. a tanto non indignabere vinci. *Sall. Jug.* 34. Taciti indignabamini, aerarium expilari. *Lucan.* 10, 444. Et timet incursus, indignaturque timere. *Caes. B. C.* 3, 108. Queri atque indignari coepit, regem ad dicendam causam evocari. *Stat. Th.* 1, 720. Indignata sequi. *Quint.* 1, 11. *f.* Quod facere oportet, non indignandum est discere. ℙ Cum dativo. *Ulp. Dig.* 48, 5, 2. Quique contaminationi non indignatur. Ita *Torrentin.*, at *Haloander*, contaminatione. ℙ Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Virg. A.* 1, 59. Venti indignantes circum claustra fremunt; et *ib.* 8, 728. pontem indignatus Araxes. *Id. G.* 2, 162. indignatum magnis stridoribus aequor. *Sil.* 5, 606. Clausus ubi exusto liquor indignatur aheno, [*i. e. aqua bullit.] V. alium locum *Coelii Aurel.* huc pertinentem in v. INDIGNATIO. ℙ Part. *Indignandus* ap. *Ov. Met.* 8, 658. sed et haec vilisque vetusque Vestis erat, lecto non indignanda saligno. Adde *Val. Fl.* 1, 547. et *Cic. Inv.* 2, 18. *med.* ℙ *Indignarier* pro *indignari* paragoge est ap. *Lucr.* 3, 884.

INDIGNUS, a, um, adj. *ἀνάξιος*, non dignus, qui non meretur, qui non convenit, alienus: tum in bonam, tum in malam partem. In malam. *Cic. Tusc.* 5, 16. Divitias quivis, quamvis indignus, habere potest. *Id. Rosc. Am.* 41. Iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? [**Liv.* 22, 59. Indigni, ut a vobis redimerentur.] *Id. Vat.* 16. Te omni honore indignissimum judicat. *Ter. Ad.* 3, 4, 44. haec te admittere indigna genere nostro? *Caes. B. G.* 7, 17. Nulla vox est audita populi R. majestate, et superioribus victoriis indigna; et *ib.* 5, 35. Nihil, quod ipsis esset indignum, committebant. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 12, 649. magnorum haud unquam indignus avorum. ℙ Cum infinito. *Ov. A. Am.* 1, 681. Fabula nota quidem, sed non indigna referri. ℙ Cum de rebus dicitur, iniquum, foedum, crudelem, turpem significat. *Liv.* 29, 9. Lictoribus indignum in modum mulcatis. *Ter. Ad.* 2, 1, 12. Indignis cum egomet sim acceptus modis. *Id. Andr.* 1, 1, 118. Indignum facinus. *Id. Eun.* 5, 5, 4. Indigna exempla. *Virg. A.* 6, 162. Misenum indigna morte peremptum. *Liv.* 1, 40. Antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno tutoris fraude pulsos. *Cic. Off.* 2, 8. *med.* Hoc uno sol quidquam non vidit indignius. [*V. quae *Beier.* laudat ad h. l.] *Virg. A.* 9, 595. digna atque indigna relatu vociferans; et *ib.* 12, 811. Digna, indigna pati. [*Gr. *ῥητὰ καὶ ἀῤῥητα.* *Liv.* 31, 30. Non indigna pati, i. e. quae quis ex jure belli pati de-

bet.] ℙ *Indignae hiemes* sunt asperae, saevae, horridae. *Virg. G.* 2, 373. [*V. *Heyn.*] ℙ *Indignum est*, res est indigna, aliena. *Cic. Quint.* 31. Indignum est a pari vinci, aut superiore: indignius ab inferiore. *Lucan.* 10, 102. Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibique, Pompejum fuisse, etc. *Sall. Jug.* 81. Sed quoniam in has regiones venimus, non indignum videtur, egregium facinus duorum Carthaginiensium memorare. ℙ *Indignum* aliquando interjectio est indignantis, ut *infandum*, *nefas*. *Ov. Met.* 5, 36. nisi post altaria Phineus Isset: et (indignum!) scelerato profuit ara. *Id. Amor.* 1, 6, 1. Janitor (indignum!) dura religate catena. ℙ In bonam partem dicitur de eo, qui malum non meretur, immerito, immerenti. *Cic. Tusc.* 4, 20. Ad calamitates hominum indignorum sublevandas. [*Ita Gr. saepissime οὐκ ἄξιος. V. *Heindf.* ad *Plat. Cratyl.* §. 43.] *Hor. Sat.* 2, 2, 103. Cur eget indignus quisquam, te divite? *Pl. Curc.* 4, 2, 27. Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico. *Lucr.* 2, 1101. saepe nocentes Praeterit, exanimatque indignos atque merentes. *Ov. Her.* 5, 8. Quae venit indignae poena, dolenda venit. *Ter. Ad.* 2, 1, 12. Indignus injuria. *Ov. Amor.* 2, 3, 14. Forma indigna perire situ. *Id. Met.* 1, 508. Crura indigna laedi. *Sil.* 2, 111. indignumque sagittae Impubem malas tam certae occurrere Lyxum. ℙ Item quem non decet, qui non debet. *Cic. Pis.* 23. L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus. *Ter. Eun.* 5, 2, 26. nam si ego digna hac contumelia Sum maxime; at tu indignus qui faceres tamen. ℙ Pro magno, ingenti, vult *Servius* poni in illo *Virg. Ecl.* 10, 10. indigno cum Gallus amore periret. Additque *Ennium* dixisse *indignas turres*, idest magnas. Sed *Scaligero indignus* his locis est ἄφατος, ineffabilis, inenarrabilis, quique aestimari non potest. Nam *dignum*, inquit, quod aestimari ac monstrari potest. Sic Attici τὸ ἄξιον vocabant, quod facile aestimari poterat, παρὰ τὸ δυνύειν. Haec ille ad illud *Virg. Cir.* 310. Verum haec tum nobis gravia atque indigna fuere. [*Utrumque mittas. Longe praeferenda est *Heynii* facilior haec interpretatio: *indigno — amore*, quo dignus non erat; cum meliore flamma, ut *Hor. Od.* 1, 27. dignus esset tam obnoxius, tam constans amator, non ut perfida et levi puella sperneretur.]

INDĪGUS, a, um, adj. ἐνδεής, ἄπορος, indigens, egenus. Vox fere poetica. *Stat. Silv.* 3, 1, 102. mihi pauper et indigus uni. *Lucr.* 1, 60. Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri. *Virg. G.* 2, 428. Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostrae. *Plin.* 8, 40, 61. Canes fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. *Id.* 4, 7, 11. Civitas non indiga ullius praeconii. *Capell.* 1, 9. Quodque indiga veri Cura facit dubium. Alii leg. *indaga*. [*Tac. *H.* 3, 22. Indigus rectoris; et cp. 48. Urbem externae opis indigam.] ℙ Cum ablativo. *Lucr.* 5, 224. indigus omni Vitai auxilio. *Appul. Met.* 9. Refectione virium vehementer indigus. ℙ Item cupidus. *Lucan.* 9, 254. et omnis Indiga servitii fervebat litore plebes.

INDĪGŪUS, a, um, adj. indigus. *Paul. Nol. carm.* 27, 4. Quos magis indiguos opis, et virtute carentes Affectu rimante vident. Adde *carm.* 16, 196. Sunt qui *indiguus* leg. etiam ap. *Appul. l. c.* in v. praec.

INDĪLĪGENS, entis, adj. non diligens, negligens, ὀλίγωρος. *Ter. Ad.* 4, 5, 50. Vereor, ne indiligens nimium sies. *Pl. Bacch.* 2, 2, 23. Vide, quaeso, ne quis tractet illam indiligens: Scis tu, ut confringi vas cito Samium solet. *Caes. B. G.* 7, 71. Si indiligentiores fuerint. *Gell.* 15, 28. Cornelius Nepos rerum memoriae non indiligens. ℙ Passive. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus, *h. e.* non diligenter cultus, neglectus.

INDĪLĪGENTER, adv. ἀμελῶς, ὀλιγώρως, negligenter, remisse. *Cic. Att.* 16, 3. Nihil ab eo arbitror neque indiligenter neque illiberaliter factum. *Gell.* 4, 12. Agrum suum indiligenter curare. *Pl. Mil.* 1, 1, 28. At indiligenter iceram. V. ICO, [*et quae nos ibi notavimus.] *Caes. B. G.* 2, 33. Nostros praesidia deducturos, aut denique indiligentius servaturos crediderant.

INDĪLĪGENTIA, ae, f. ὀλιγωρία, negligentia. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Litterarum missarum indiligentiam reprehendere. *Caes. B. G.* 7, 17. Summa difficultate rei frumentariae affecto exercitu, indiligentia Aeduorum. *Plin.* 14, 4, 5. Praedia per indiligentiam neglecta. *Tac. H.* 4, 49. Gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri, et adulandi libidine, [*i. e. incuria perscrutandae veritatis.]

[INDĪLŪCESCO, is, n. 3. idem fere ac dilucesco. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 42. Cum jam ferme dies insequens indilucesceret. *F.*]

[INDĪMENSUS, a, um, adj. non dimensus, immensus, innumerabilis. *Ammian.* 19, 2. Cernentes populos tam indimensos in nostrorum conversos exitium. *F.*]

INDĪMISSUS, a, um, adj. non dimissus. *Tert. adv. Marc.* 4, 34. Illicite dimissam uxorem pro indimissa ducens, adulter est.

INDĪPISCO, is, a. 3. idem ac indipiscor. *Pl. Asin.* 2, 2, 13. Nunquam aedepol quadrigis albis indipiscet postea. *Id. Aul.* 4, 10, 45. Neque partem tibi ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies? Ita leg. *Non.* 2, 460., alii *inde posces*. V. v. sq.

INDĪPISCOR, eris, eptus sum, dep. 3. ἐπιτυγχάνω, adipiscor, assequor, nanciscor, invenio. [*Differt ab *adipisci* ita, ut hoc accedendi, comprehendendi notionem contineat; illud cum possidendi, imperii significatione ponatur. V. *Doederl.* 3, 146.] *Pl. Rud.* 5, 2, 28. Magna hercle praeda est: largiter mercedis indipiscar. *Id. Epid.* 3, 4, 15. Divitias magnas indeptus. *Lucr.* 3, 212. simul atque hominem leti secura quies est indepta, *h. e.* mors hominem occupavit. *Liv.* 26, 39. *med.* Quam quis indeptus navem erat ferrea injecta manu, etc. *Pl. Trin.* 2, 1, 2. Indipisci multum dolorem. *Gell.* 17, 2. Indipisci animo, *h. e.* mandare memoriae. *Appul. Met.* 6. Nec indipisci jam maritum volatilem quiens. ℙ Pro incipere. *Gell.* 1, 11. Achaeos pugnam indipisci, non tibiarum concentu, sed mentium animorumque conspiratu. ℙ Dicebant etiam *indepiscor*, ut *Festus* docet: atque ita quidam leg. in priore loco *Plauti*, quem in v. praec. attulimus, item *Rud.* 5, 2, 28.

INDĪRECTUS, a, um, adj. non directus. *Quint.* 5, 13. Cum accusatori satis sit plerumque, verum id esse, quod objecerit: patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat: quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio, hinc mille flexus, et artes desiderantur.

INDĪREPTUS, a, um, adj. non direptus. *Tac. H.* 3, 71. *extr.* Sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit.

[INDISCIPLĪNA, ae, f. defectus disciplinae. *Gloss. Phil.* Indisciplina, ἀμαθία. *F.*]

[INDISCIPLĪNĀTĒ, adv. sine disciplina, inordinate. *Commodian. Instruct.* 76. Indisciplinate loqueris. *F.*]

INDISCIPLĪNĀTĬO, onis, f. defectus disciplinae. *Cassiod. Variar.* 7, 3. Ne qua inter consortes, ut assolet, indisciplinatio nasceretur.

INDISCIPLĪNĀTUS, a, um, adj. disciplina carens. *Cyprian. ep.* 62. *f.* et *August. ep.* 169.

*INDISCIPLĪNOSUS, a, um, adj. *Vulg. Interpr. Siracid.* 23, 7. *B. A.*

INDISCISSUS, a, um, adj. non discissus. *Hieron. ep.* 15. *n.* 1. Indiscissa Domini tunica, *h. e.* inconsutilis.

INDISCRĒTĒ, adv. indifferenter, indiscriminatim, ἀδιακρίτως. *Plin.* 11, 37, 65. Avium et animalium vocis indiscrete editur imitatio. *Spartian. Nigr.* 3. Cum indiscrete subsellia Circi repleta essent. [*Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 37. Additur, Hephaestiona una cum vidissent mulieres indiscretius cultum, de auctu corporis melius opinatas, ipsum pro Alexandro salutasse, *egualmente vestito*. *F.* *Adde 116. et *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 41. edente eodem *Maio. B. A.*]

INDISCRĒTIM, adv. indiscrete. *Sol.* 30. Locus opiparis epulis semper refertus, quibus indiscretim omnes vescuntur.

INDISCRĒTUS, a, um, adj. ἄκριτος, qui discerni non potest, maxime similis. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14. Imagines adeo similitudinis indiscretae pinxit. *Virg. A.* 10, 392. simillima proles Indiscreta suis. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 44. Haeccine vita juvat silvestribus abdita lustris, Indiscreta feris? *Varr. R. R.* 3, 1. Cum agriculturam primo propter paupertatem maxime indiscretam haberent, quod a pastoribus qui erant orti in eodem agro et serebant, et pascebant; qui postea creverunt, peculia diviserunt, ac factum, ut dicerentur alii agricolae, alii pastores. ℙ *Indiscretum nomen* idem est ac indifferens. *Cels.* 4, 3. Quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. ℙ Item indivisus, conjunctus. *Plin.* 11, 37, 46. Quibusdam indiscretum caput est, ut cancris. *Tac. H.* 4, 52. Suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus. *Colum.* 3, 21. *med.* Quod indiscretis vitibus contingere solet; *nempe* vitibus, quae diversae sunt notae seu qualitatis, conjunctim positis. Alii minus recte *indescriptis* leg.: opponuntur enim iis vitibus, quas *Id. paulo supra* vocat *discreta* semina. ℙ Item par. *Impp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 6, 7, 1. Praefectum urbi, praefectum praetorio, magistros equitum ac peditum indiscretae ducimus dignitatis.

INDISCRĪMĪNĀBILIS, e, adj. indiscretus. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 10. Ut sint et negotio, et sensu, et verbo indiscriminabilia.

INDISCRĪMĪNĀTIM, adv. ἀκρίτως, ἀδιαφόρως, indifferenter, et sine discrimine. *Varr. L. L.* ap. *Non.* 2, 449. Quibus nos in hoc libro utemur indiscriminatim et promiscue.

*INDISCUSSIBILIS, e, adj. *Claud. Mamert. de statu Anim.* 2, 12. *med.* Indiscussibilis auctoritas. ubi tamen ed. *Barth.* habet *discussibilis*. *B. A.*

INDISCUSSUS, a, um, adj. non examinatus, ἀλογοθέτητος. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 3, 11. Illud indiscussum restat.

INDISERTĒ, adv. non diserte. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Orationem meam non indiserte collaudavit.

INDISERTUS, a, um, adj. ἀφραδής, non disertus. *Cic. N. D.* 2, 1. Neque indisertum Academicum pertimuissem. *Id. Or.* 3, 35. Malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem.

INDISJECTUS. V. INDEJECTUS.

[INDISJUNCTIM, adv. non disjunctim, continuo. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 12. *med.* Indisjunctim namque mox adjicit, ac dicit, etc. *F.*]

INDISPENSĀTUS, a, um, adj. non dispensatus, immoderatus. *Sil.* 16, 342. at queis prudentia Circi Altior, effusas primo certamine vires Damnare, et cassis longe increpitare querelis Indispensato lassantem corpora nisu. [*i. e. impetu, qui omnes vires initio statim effundit et absumit, ut nihil supersit ad reliquum opus peragendum.] *Seneca* dixit eodem sensu *praef. Contr.* 1. *med.* Nesciebat dispensare vires suas, sed immoderati adversum se imperii fuit.

INDISPOSĪTĒ, adv. incomposite. *Sen. ep.* 124. *med.* Quid ergo, inquis, muta animalia perturbate et indisposite moventur?

INDISPOSĪTUS, a, um, adj. incompositus. *Tac. H.* 2, 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta pervigiliis ac bacchanalibus, etc. [*Absolum Tacitum.]

INDISSĪMĪLIS, e, adj. non dissimilis. *Varr. L. L.* 8, 29. Formae vocum indissimiles.

INDISSĪMŪLĀBĪLIS, e, adj. non dissimulatus. *Gell.* 10, 22. Cum quadam indissimulabili veritate disseruit.

INDISSOCĪĀBĪLIS, e, adj. *Lactant. Opif. D.* 10. Indissociabilem praetendunt unitatem. *Cf. *Ambros. Ep.* 14. *in. B. A.*

*INDISSOCIABILĪTER, adv. *Auct. Brev. Fid. adv. Arian.* p. 95. ed. *Sirmond.* Mens indissociabiliter una. *B. A.*

INDISSŌLŪBĪLIS, e, adj. ἄλυτος, qui dissolvi non potest, insolubilis. *Plin.* 11, 24, 28. Maculasque paribus intervallis, indissolubili modo implicat. ℙ Translate. *Cic. Univ.* 11. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis.

INDISSŌLŪBĪLĪTER, adv. ita ut non possit dissolvi. *Claud. Mam. Stat. anim.* 2, 2. Indissolubiliter nexum.

INDISSŌLŪTUS, a, um, adj. non dissolutus, non solutus, colligatus. *Cic. Univ.* 11. Haec sunt indissoluta, me invito. Plerique al. leg. *non sunt dissoluta*.

[INDISTANTER, adv. sine distantia, nulla mora interposita. *Prisc.* 2, 565. Syllaba est vox litteralis, quae sub uno accentu, et uno spiritu indistanter profertur. ℙ Translate idem est ac indifferenter. *Ammian.* 27, 9. Imperator puniens gregariorum errata, parcens potioribus, qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas. *F.*]

INDISTINCTĒ, adv. ἀδιακρίτως, indiscriminatim. *Gell. praef.* Ita quae libitum erat, cujus generis cumque erant, indistincte atque promiscue adnotabam. *Ulp. Dig.* 32, 1, 73. Nummis indistincte legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati videantur, *h. e.* generaliter. *Paul. ib.* 4, 8, 32. Julianus indistincte scribit, si per errorem, etc. *h. e.* absolute, omnino, sine ulla distinctione.

INDISTINCTUS, a, um, adj. ἀδιάκριτος, inordinatus, confusus. *Quint.* 8, 2. *f.* Neque inordinata, neque indistincta. *Catull.* 64, 283. Indistinctae corollae. [*Tac. *A.* 6, 8. Indistincta haec defensio et promiscua dabitur.] ℙ *Indistinctus orator*, qui indistincte et obscure loquitur. *Quint.* 12, 10. *med.* An non in privatis et acutus, et non asper, et non indistinctus, et non supra modum elatus M. Tullius?

INDISTRICTUS. V. INDESTRICTUS.

INDĪTUS, a, um, part. ab *indo*, *is*, datus, impositus, immissus, ἐντεθειμένος. *Sen. Ot. sap.* 31. Utrum Deus extrinsecus (*operi suo*) circumfusus sit, an toti inditus. Et *Curt.* 10, 10. Venenum potioni inditum. *Flor.* 3, 1. *f.* Indita monti urbs, *h. e.* imposita. *Tac. A.* 11, 2. Vinclisque inditis in urbem raptus; et *ib.* 12, 57. Inditi pontes; et *ib.* 3, 28. Inditi custodes, *h. e.* additi, appositi; et 14. Inditus lecticae, *h. e.* impositus. *Pl. Men.* 2, 1, 38. Huic urbi nomen Epidamno inditum est. *Sen. Troad.* 584. Ferrum inditum visceribus.

INDĪVĪDŪĪTAS, atis, f. *Tert. Monog.* 5. Individuitas matrimonii. *Id. Anim.* 51. animae.

INDĪVĪDŪUS, a, um, adj. ἄτομος, qui non potest dividi, vel qui non separatur. *Cic. Fin.* 1, 6. Ille atomos, quas appellat, id est, corpora individua. *Id. Acad.* 4, 17. Ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni affirmat. *Tac. A.* 6, 10. E vetustissimis familiarium Rhodum secuti, et apud Capreas individui. [*Quint. *Decl.* 5, 3. p. 106. Individua pietas, i. e. quae omnia aequo jure amplectitur. Nemo praeterea h. v. usus esse videtur.]

INDĪVISĒ, adv. sine divisione. *Ascon. in Verr.*

2, 1, 55. *Particeps*, qui certam habet partem, et non indivise agit, ut *socius*.

INDIVISĪBĬLIS, e, adj. individuus, ut Indivisibilis materia, ap. *Diomed.* 2, 415. Indivisibilis anima, ap. *Tert. Anim.* 51.

INDIVISĪBĬLĬTER, adv. ἀδιαιρέτως. *Tert. Anim.* 51. Mors indivisibili animae indivisibiliter accidens.

INDIVĪSUS, a, um, adj. ἄσχιστος, non divisus. *Varr. R. R.* 2, 7. Equorum, qui ungulas indivisas habent. *Stat. Th.* 8, 312. O rerum media, indivisaque magnis Fratribus, *h. e.* tellus communis Jovi, Neptuno, Plutoni. *Cato R. R.* 137. Vineam curandam partiario: partiario foenum et pabulum: cetera omnia pro indiviso, i. e. pariter, et ex aequo communia. Sic *Plin.* 17, 1, 1. Pro indiviso possessa a feris, *h. e.* pari jure simul cum homine. *Id.* 9, 39, 64. Jus temperatur aqua, et pro indiviso humani potus excremento, *h. e.* aequis portionibus. *Id.* 16, 32, 59. Mutari naturam in iisdem (*arboribus*) et pro indiviso valere, *h. e.* aeque, perinde, similiter. Adde *Sen. Cons. ad Helv.* 17. et *Front. limit.* p. 41. *Goes.*

INDĪVULSUS, a, um, adj. non divulsus. *Macr. Sat.* 1, 11. *med.* Gracchum servus indivulsus comes tutatus est.

INDO, is, dĭdi, dĭtum, a. 3. ἐντίθημι, immitto, injicio, impono: ab *in*, et *do*. *Pl. Mil.* 2, 5, 1. Inde ignem in aram. *Id. Men.* 1, 1, 3. Fugitivis servis indunt compedes. *Id. Merc.* 1, 2, 92. Quasi in aquam indideris salem. *Id. Cas.* 2, 3, 31. Si in os meum vini guttam indidi. *Tac. A.* 15, 57. Vinclo fasciae indidit cervicem. *Cato R. R.* 21. Uti cupam in columella indere possis. *Liv.* 1, 34. Puero ab inopia Egerio inditum nomen. *Tac. A.* 2, 56. Indere alicui vocabulum. *Pl. Rud.* 1, 1, 6. fenestras; et *Asin.* 3, 2, 7. cicatrices in scapulas. *Ulp. Dig.* 48, 13, 1. aliquid in aurum argentumve. *Tac. H.* 5, 4. novos ritus; et *ib.* 4, 34. pavorem suis, alacritatem hostibus. *Gell. praef.* titulos libris. *Id.* 1, 23. Catonis verba huic commentario indidissem, si, etc. Alia V. in INDITUS. ℙ Part. *Inditurus* ap. *Cat. R. R.* 100. Oleum sic in metretam novam inditurus eris.

[INDOCĪBĬLIS, e, adj. idem ac indocilis. *Gloss. Phil.* Indocibilis, δυσμαθής. *F.* **Vulg. Interpr. Iren.* 4, 28. *B. A.*]

INDOCĪBĬLĬTAS, atis, f. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Prudentiam indocibilitas impugnat, quae non abolitionem infert scientiae, sed contraria est disciplinae discendi.

INDOCĬLIS, e, adj. ἀδίδακτος, δυσμαθής, qui doceri non potest: et ad eum refertur, qui docetur. *Cic. N. D.* 1, 5. Quia nimis indociles quidam tardique sunt. *Plin.* 10, 45, 62. E volucribus hirundines esse indociles, e terrestribus mures ℙ Cum genitivo. *Sil.* 12, 726. vir indocilis pacisque modique. ℙ Cum dativo. *Id.* 11, 11. gens vana, indocilisque quieti. (Sic *Juv.* 14, 40. dociles imitandis turpibus.) Al. leg. *quietem* Graeco more. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 1, 18. Mercator indocilis pauperiem pati. *Lucan.* 5, 538. quamquam plebejo tectus amictu, Indocilis privata loqui. *Stat. Th.* 6, 313. equus ferus, indocilisque teneri. [*Adde *Sil.* 13, 310. et 15, 570.] ℙ Aliquando ad rem, quae docetur. *Cic. Acad.* 4, 1. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. ℙ Est etiam indoctus. *Virg. A.* 8, 321. Is genus indocile, et dispersum montibus altis Composuit, legesque dedit. *Plin.* 18, 25, 60. Indocilis coeli agricola. *Sen. Troad.* 82. Non indociles lugere sumus. ℙ Translate est rudis, ineruditus. *Ov. Trist.* 4, 1, 5. Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero cum grave mollit opus; et *ib.* 3, 12, 8. Indocilique loquax gutture vernat avis. ℙ Item culturam non recipiens. *Sil.* 1, 237. Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho. *Plin.* 14. *in.* Arbores indociles nasci alibi, quam ubi coepere. ℙ Item non doctus, non monstratus, nulla arte paratus. *Propert.* 1, 2, 12. Et sciat indociles currere lympha vias.

INDOCTĒ, adv. ἀμαθῶς, imperite, inscite. *Cic. N. D.* 2, 16. Quae qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si Deos esse neget. *Pl. Pers.* 4, 4, 14. Verba haud indocte fecit. *Gell.* 12, 5. Dicam ego indoctius, ut ajunt, et apertius, quae fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius, si quis nunc adesset Stoicorum. Nosti enim credo verbum illud vetus et pervulgatum, ἀμαθέστερόν πως εἰπὲ, καὶ σαφέστερον λέγε. Haec *Gell.*, unde colligitur *indoctius* et *apertius* proverbium esse.

INDOCTOR, oris, m. pro servorum castigatore usurpatur a *Pl. Asin.* 3, 2, 6., quemadmodum indoctores puerorum virgis eos castigare solent. Est tamen ibi lectionis mira varietas. V. INDUCTOR.

INDOCTUS, a, um, adj. ἀπαίδευτος, non doctus, imperitus, inscitus, ineruditus, rudis, ignarus. *Pl. Bacch.* 5, 1, 3. Omnes longe anteeo stultitia, et moribus indoctis. *Auct. ad Her.* 4, 46. Homo indoctus, quamvis sit ingeniosus, ad virtutem non potest pervenire. *Cic. Brut.* 48. T. Juventius nec indoctus, et magna cum juris civilis intelligentia. *Id. Part.* 25. Hominum duo esse genera: alterum indoctum et agreste, alterum humanum et politum. *Id. Fin.* 1, 21. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, etc. *Id. Tusc.* 1, 2. Themistocles cum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. *Id. Div.* 2, 63. Hominum levissimum et indoctissimum genus. [**Sall. Cat.* 2, 8. indocti incultique: de quo loco v. *incultus.*] ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 2, 6, 2. Cantabrum indoctum juga ferre nostra. ℙ Cum genitivo. *Id. A. P.* 380. Indoctusque pilae, discive, trochive quiescit. ℙ Cum accus. *Gell.* 9, 10. Homo pleraque alia non indoctus. ℙ Dicitur et de ipsis rebus imperite factis. *Cic. Or.* 3, 48. Rudis et indocta loquacitas. Al. leg. *impolita.* [*V. *Orell.*] *Hor. Ep.* 2, 2, 9. Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti. *Sen. Herc. Oet.* 129. Pastor indocta referens carmina fistula. *Quint.* 1, 11. *f.* Ut recta sint brachia, ne indoctae rusticaeve manus, ne status indecorus.

INDOLĀTĪLIS, e, adj. qui dolari nequit. Translate. *Sidon. ep.* 5, 5. Corporibus ac sensibus rigidi, indolatilesque. Al. leg. *indociles.*

INDOLĀTUS, a, um, adj. non dolatus. *Arnob.* 7, 253. Lapis indolatus et asper: et 6, 196. Indolatum lignum.

INDOLENTIĀ, ae, f. ἀναλγησία, vacuitas doloris. *Cic. Fin.* 2, 4. Num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Adde *Off.* 3, 3. et *Sen. ep.* 66. *med.* et *ep.* 87. et *Macr. Sat.* 7, 9. ℙ *Cicero* libentius usurpat *doloris vacuitas.* V. INDOLORIA.

INDŎLES, is, f. φύσις, vis innata, et ingenita: et per metaphoram egregia spes in pueris, seu significatio quaedam futurae probitatis, et in viris signum praesentis virtutis: et generatim praestantia, seu generositas quaedam virtutis atque animi. Etymon vocis vide infra. *Cic. Sen.* 8. Ut enim adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, etc. *Id. Off.* 3, 4. Homines, in quibus est virtutis indoles, commoventur. *Id. Coel.* 17. Si qui hac indole virtutis ac continentiae fuit, ut respueret omnes voluptates. *Id. Or.* 13. Ad virtutem major indoles. *Id. ad Brut.* 1, 18. Videtur in eo esse indoles: sed flexibilis aetas, multique ad depravandum parati. *Tac. A.* 12, 26. Segnis indoles; et *H.* 1, 15. Praeclara indoles. *Gell.* 19, 9. Adolescens laetae indolis. *Liv.* 21, 4. de Annibale adolescente: Cum hac indole virtutum ac vitiorum sub Asdrubale meruit; et 2. Gener ob altam indolem adscitus. *Id.* 1, 3. Tantisper tutela muliebri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina stetit. ℙ Transfertur ad muta atque inanima. *Liv.* 38, 17. In frugibus pecudibusque non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terrae proprietas coelique, sub quo aluntur, mutat. *Gell.* 12, 1. Arborum indolem vel deterere, vel augere. *Pl. Rud.* 2, 4, 10. quae indoles in savio est! ℙ In plurali numero rarum est. *Gell.* 19, 12. Ne bonas quoque et utiles animi indoles amittamus. ℙ Extra eos casus, qui sunt in allatis exemplis, non facile usurpaverim. ℙ Etymologi ducunt ab *indu*, et *olesco*, cresco. Hinc *Festus* indolem, *incrementum* interpretatur et *industriam*, qua crescit vis innata in pueris, et in virtutem roboratur. *Gell.* 20, 6. In plures libros mendae istius indoles manavit.

INDOLESCO, is, olui, n. 3. διαλγέω, idem quod doleo, aut queror. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Mihi videtur veternosi et infelicis animi, imbecillitatis sibi conscii, saepe indolescere. *Cels.* 8, 9. Tactu is locus leviter indolescit. *Plin.* 31, 3, 27. Tanta intentione oculorum opus est, ut indolescant. *Cic. Phil.* 2, 25. Quis fuit, qui non indoluerit, tam sero se, quem hominem secutus esset, cognoscere? *Ov. Trist.* 2, 570. Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem, Auguror, at multos indoluisse malis; et *ib.* 5, 11, 3. Indolui, non tam quod, etc. quam quia, etc. [**Tac. A.* 4, 17. Aequari adolescentes senectae suae impatienter indoluit.] ℙ Cum accusativo Graeco more. *Id. Met.* 2, 468. id ipsum Indoluit Juno. *Just.* 12, 13. *f.* Tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia poscceret, tactumque hominum, velut vulnera, indolesceret. ℙ Cum genitivo. *Ov. Met.* 2, 788. successorumque Minervae Indoluit. Al. aliter leg. [*V. *Heins.*] ℙ Part. *Indolescendus* ap. *Sidon. ep.* 2, 12. Moeroris retia amicis et externis indolescenda. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 5.

INDOLORIĀ, ae, f. idem ac indolentia. *Sidon. ep. praefixa carmini* 14. scribit, *Ciceronem* ipsum hac voce usum, scil. *Fin.* 2, 4., ubi tamen viri docti *indolentia* substituunt: ipsum etiam *Sidonium* eodem modo corrigendum censent, quamquam *Sirmondus* eam lectionem tueri videtur.

INDOLORIS, e, adj. sine dolore, expers doloris. *Gloss. Philox.* Indoloria, ἀνάλγητα. V. ANODYNA.

INDOMĀBĬLIS, e, adj. ἀδάμαστος, qui domari non potest. *Pl. Cas.* 4, 3, 12. Aedepol nae tu, si esses equus, esses indomabilis.

[INDOMINĀBĬLIS, e, adj. qui dominum pati nequit. *Gloss. Philox.* Indominabilis, ἀδέσποτος. *F.*]

INDOMĪTUS, a, um, adj. ἀδάμαστος, qui domari et mitescere non potest: et qui nondum domitus est, ferus, ferox, pervicax, contumax. *Caes. B. C.* 1, 57. Pastores indomiti, spe libertatis excitati. *Liv.* 21, 20. Ferocia atque indomita ingenia Gallorum. *Tac. A.* 15, 27. Indomitae et praeferoces nationes. *Auct. ad Her.* 4, 46. Equus indomitus, quamvis natura bene compositus, idoneus non potest esse ad eas utilitates, quae desiderantur ab equo. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Boves indomitos emere. *Plin.* 8, 44, 69. Mula effrenis et indomitae tarditatis, *h. e.* quae compelli non potest, ut gradum celeret. *Id.* 33, 3, 19. Aurum igni indomitum; et 37, 4, 15. Adamantis indomita vis; et 17, 10, 14. Indomita ponderibus immensis prela. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 14. Indomitae animi cupiditates. *Id. Cluent.* 6. O libidinem effrenatam et indomitam! *Id. Har. resp.* 24. Indomiti atque effrenati furores. *Pl. Men.* 1, 2, 1. Mulier indomita imposque animi. *Id. Trin.* 3, 3, 22. Adolescens indomitus, plenus amoris ac lasciviae. *Virg. A.* 2, 594. Indomitae irae; et 440. Mars indomitus, *h. e.* pugna ac vis hostium crescens, et cui resisti non potest. *Plin. Pan.* 14. *extr.* Hercules indomitus semper indefessusque. *Ov. Met.* 13, 355. Dextra indomita, *h. e.* fortis, insuperabilis. *Id. Her.* 15, 9. Euri indomiti. *Stat. Silv.* 5, 3, 192. indomitus alumnus, *h. e.* Achilles. *Virg. A.* 5, 880. Sed non idcirco flammae atque incendia vires Indomitas posuere. *Pl. Bacch.* 4, 9, 92. Animo cupido atque oculis indomitis fui. *Tibull.* 2, 6, 27. Indomitum mare. *Pers.* 3, 3. falernum, *h. e.* quod vix concoqui potest, atque edormiri: vel quod austerissimum est, et difficile frangitur. [*Sim. locus est *Lucani* 10, 163.] *Juven.* 14, 175. saeva cupido Indomiti census, *h. e.* magnarum opum, quibus homines indomiti fiunt ac superbi. *Hor. Od.* 2, 14, 4. Indomita mors. *Id. Epod.* 12, 9. Indomitam rabiem sedare. *Id. Od.* 3, 24, 28. licentiam refrenare. *Ov. Fast.* 2, 585. indomito captus amore. *Quint.* 10, 2. *med.* Forte quidem sed indomitum ingenium, *h. e.* quod nulla arte mollitur, aut flectitur. *Sever. Aetn.* 184. Rupes igni indomitae. ℙ *Indomitum argentum* ap. *Arnob.* 6, 200. est infectum.

INDONĀTUS, a, um, adj. non donatus, ἀδώρητος. *Lampr. Elag.* 28. Nec quemquam facile indonatum relinquebat.

INDORMIO, is, n. 4. ἐπικοιμάομαι, est in re aliqua, vel super rem aliquam dormire. *Hor. Sat.* 1, 1, 70. congestis undique saccis Indormis. [**Virg. G.* 2, 506. et Sarrano indormiat ostro; v. *Heins.* qui ex *Medic.* hanc lectionem pro *vulg. dormiat* recepit.] *Petr. Sat.* 79. Indormivit alienis amplexibus. ℙ Per metaphoram accipitur pro cessare, et tardum esse. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Qui in isto homine colendo tam indormivi diu. ℙ *Indormire causae* est remissius et segnius tractare negotium [*quasi somnolentum.] *Cic. Phil.* 2, 12. An faces admovendae sunt, quae te excitent tantae causae indormientem? *Senec. Vit. beat.* 10. Desidiam dissolutionemque segnis animi indormientis sibi, *h. e.* sibi uni vacantis et securi. *Plin. ep.* 1, 2. Longae desidiae indormiens. *Curt.* 6, 10. *med.* Cum me malis indormientem mei inimici vinciendo excitarunt, *h. e.* securum malorum imminentium dormientem. ℙ [*Peculiare est illud in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 62. T. Curvius T. L. Heliades, in quo nunquam indormivit timor. ℙ Apud *Veg. Vet.* 3, 24. et 47. *indormire* dicitur membrum, quod torpescit, induratur: eodemque sensu utitur verbo *obdormio*, eod. *c.* 47. Itali dicunt *indormentire. F.* *Nos: *einschlafen.*]

*INDORMIS, e, adj. insomnis. *Gloss. Philox.* Indormis, ἀκοίμητος. *B. A.*

INDOSTRŪUS. V. INDUSTRIUS.

INDOTĀTUS, a, um, adj. ἄπροικος, dote carens. *Ter. Phorm.* 5, 7, 45. vos me indotatis modo Patrocinari fortasse arbitramini: Etiam dotatis soleo. [*Adde *Adelph.* 4, 7, 11. et *Phorm.* 1, 2, 70.] *Hor. Ep.* 1, 17, 46. Indotata mihi soror est, paupercula mater. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 55. Cujus artem cum indotatam esse, atque incomitatam et incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. *Ov. Met.* 7, 608. corpora missa neci Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos Indotata rogos, *h. e.* nullis ductis exsequiis, nullis ornamentis ac muneribus, quae alias in rogum una cum cadavere conjicere mos erat. ℙ Varie a variis exponitur illud ejusdem *Met.* 4, 756. de Perseo: Protinus Andromeden, et tanti praemia facti Indotata rapit. Hic *praemia* per appositionem additum videtur; *indotata* vero, quia ipse puellam, spreto regno, quod parentes dotis loco promiserant supra *v.* 705., sibi vindicat.

INDŪ, praep. ap. veteres pro *in*, a Syracusano ἔνδοι, sive ἐνδοῖ, pro ἔνδον, *intus.* Nam ab ἔνδοι, fit *endoe*, et converso *oe* in *u* fit *indu*, quomodo a *poena* est *impune*, a *Poenus* est *Punicus. Gifanius* negat, invenire se *indu* a veteribus dictum pro *in*, sed *endo*, unde *Endo procinctu*, *endoperator*, *endogredi*, *endoitium*, *endoplorato*, etc. Sed dubium non est, quin *indu* quoque dixerint, quia in veteribus libris *Lucretii*, aliisque non tantum

endo, sed et *indu*, et corrupte interdum *inde* legitur, quod *Gifanius* ipse agnoscit: et quia in compositis *indu* non minus reperitur, quam *endo*, ut induperator, indigena, induciae, indigito, industrius, etc. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Indu mari magno fluctus extollere certant. Haec *Voss.* in *Etymol.* Sic *Lucil.* ap. *Lactant.* 5, 9. Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam. [*Et *Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. Concilio indu foro lato, sanctoque senatu. *B. A.*]

INDŪBĬTĂBĬLIS, e, adj. certus, de quo dubitari non potest. *Quint.* 4, 5. Illo sequenti (si modo indubitabile sit) utendum solo. [*Id. *Decl.* 9, 22. p. 210. En indubitabile saeculi decus.] *Ulp. Dig.* 28, 5, 9. *med.*

INDŪBĬTĂBĬLĬTER, adv. indubitanter. *Arnob.* 5, 183. Cunctis indubitabiliter notum est.

INDŪBĬTĂNDUS, a, um, nom. part. indubitatus. *August. ep.* 19, 2. Ut veritas indubitanda persistat.

INDŪBĬTĂNTER, adv. *ἀναμφιβόλως*, certo. *Plin.* 18, 11, 29. Quae palma frugum indubitanter Italiam contingit. *Hard.* legit *indubitata* ex MSS. *Ulp. Dig.* 37, 11, 2. *med.* Indubitanter probatur. *August. de vera relig.* 46. Indubitanter invictus. *Venant. carm.* 9, 14, 10. Et fidei tribuis indubitanter opem.

INDŪBĬTĂTĒ, adv. indubitanter, sine dubio, haud dubie. *Liv.* 33, 40. Quaedam ex proxima Thracia, quae indubitate Lysimachi fuerint. *Vell.* 2, 60. Falsi indubitateque corrupti commentarii. [*Recte *Ruhnk.* q. v. hujus adverbii ap. idoneum scriptorem usum negat, fretus *Drakenb.* testimonio, qui ad locum *Liv.* modo a Nostro laud. docet: in prisc. edd. mendose quidem, sed ita, ut aliud a *Livio* scriptum esse appareat, locum ita exhiberi: sunt quae diu dubitare Lysimachi fuerunt. Unde scribendum censet *Kreyss.* quem dubitare, quin Lysimachi fuerint.] *Oros.* 3. *f.* Indubitatissime probatur.

INDŪBĬTĀTO, adv. indubitate. *Tert. adv. Marc.* 1, 9. Major indubitato eo, quem abscondit.

INDŪBĬTĀTUS, a, um, adj. *ἀναμφίβολος*, certus, de quo dubitari non potest. *Quint.* 9, 4, 2. In iis ero, quae indubitata sunt, brevior. [*Adde *ib.* 1, 1, 31. Indubitata litterarum inter se conjunctio; et 1, 6, 33. Et alia plurima indubitata.] *Plin.* 31, 3, 27. indubitata spes. *Stat. Achill.* 2, 72. cubilia praedae Indubitata tenens, multo legit arva molosso Venator. *Plin.* 23, 1, 21. Alvo citae Signinum (*vinum*) maxime conducere, indubitatum est. *Paul. Dig.* 42, 1, 49. Indubitati juris est. *Ulp. ib.* 43, 13, 1. §. 8. Illius aestatis fluxus indubitatior est.

INDŪBĬTO, as, n. l. *ἀπιστέω*, dubito, diffido. *Virg. A.* 8, 404. absiste precando Viribus indubitare tuis. *Stat. Silv.* 3, 5, 110. sed ingratus, qui plura adnecto, tuisque Moribus indubito. *Servius* notat, ante *Virgil.* usum hoc verbo fuisse neminem.

INDŪBĬUS, a, um, adj. *Tac. A.* 14, 45. Plurimorum indubia innocentia. [**Comment. ad Terent.* ex cod. *Ambros.* edente *Angelo Maio*, p. 53. ed. *Mediol.* Indubia etiam scriptura nomen arboris invenitur, etc. *B. A.*]

INDŪCĬAE. V. INDUTIAE.

*INDUCIOMĂRUS vel Indutiomărus, i, m. de Trevirorum principatu cum Cingetorige contendit. *Caes. B. G.* 5, 2. ℙ Paenultimam brevem esse, colligo ex voce *Virdomarus*. V. *Virdomarus. B. A.*

INDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. *εἰσάγω*, in aliquem locum duco, introduco, infero, adduco. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Oves et armenta inducere in rura. *Stat. Th.* 12, 326. age, moenibus induc, Et patrios ostende lares. *Suet. Ner.* 16. Fossa mare urbi inducere. [**Sil.* 3, 668. Exceptos hospes tectis inducit.] *Hirt. B. Alex.* 5. aquam in privatas domos. *Plin. ep.* 2, 12. aliquem in senatum. *Plin. alter* 7, 35, 35. aliquem Romam. *Varr. R. R.* 3, 2. *extr.* aliquem in viam. *Liv.* 31, 28. exercitum in Macedoniam. *Suet. Aug.* 43. Parthorum obsides per arenam mediam ad spectaculum induxit. *Virg. G.* 1, 316. messorem induceret arvis Agricola. *Sall. Cat.* 63. [*al. 60, 5.] Inducere cohortem praetoriam in medios hostes. *Liv.* 30, 34. *f.* principes triariosque in cornua. [*Ita dicitur etiam absolute. *Virg. A.* 11, 620. Princeps turmas inducit Asylas.] *Caes. B. C.* 3. *f.* Pars erat regiae, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus. *Hor. Sat.* 1, 5, 9. Nox terris umbras inducit. *Plin. ep.* 2, 17. Inducunt venti nubilum. [**Virg. G.* 4, 552. ubi nona suos Aurora induxerat ortus.] ℙ *Inducere alicui novercam* dicitur pater, qui filios habens ex priore conjuge, post ejus mortem aliam ducit uxorem. *Plin. ep.* 6, 33. Sic *inducere pellicem*, qui viva uxore, cum alia vivit. *Val. Fl.* 2, 132. charasque toris inducere Thressas. ℙ Interdum ponitur pro induere. *Suet. Aug.* 92. Si sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur. *Cic. Inv.* 2, 50. Ligneae soleae in pedes inductae sunt. *Stat. Silv.* 5, 2, 67. albentique humeros induxit amictu. *Virg. A.* 8, 457. tunicaque inducitur artus, Graeca constructio. ℙ Item pro illinere, allinere, obducere. *Vitr.* 7, 3. *f.* Inducere arenatum, et marmor, et omne tectorium. *Plin.* 35, 10, 35. *n.* 20. colorem picturae; et *ib.* 6, 26. purpurissum; et *ib.* 17. aurum ligno; et 33, 7, 40. parieti ceram liquefactam; et 24, 8, 33. cuti nitorem. *Justin.* 21, 6. ceram desuper. *Hor. A. P.* 1. Humano capiti cervicem pictor equinam Jungere si velit, et varias inducere plumas, *h. e.* appingere capiti humano plumas. *Ov. Met.* 7, 642. humanam membris inducere formam, *h. e.* apponere, dare. [**Lucan.* 1, 610. jam fundere Bacchum Coeperat, obliquoque molas inducere cultro. V. *Cort.* ad h. l. Adde *Vell.* 2, 36, 1. Omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. Laudat *Ruhnk. Quint. Inst.* 10, 1. p. 500. ubi similis usus v. *obducere* est.] ℙ *Inducere pontem* ap. *Curt.* 5, 5. est supra flumen ducere. ℙ *Inducere cicatricem*, curare ut vulnus cicatricem ducat. *Plin. ep.* 8, 5. *f.* ℙ Pro obtegere. *Caes. B. G.* 2, 33. Scuta ex cortice facta pellibus inducere; et *B. C.* 2, 10. coria supra lateres. *Pl. Most.* 3, 2, 142. postes pice. *Ov. Met.* 4, 408. brachia penna ℙ Et aequare, complanare, quod fit inducenda in rimas materia, qua impleantur. *Plin.* 2, 80, 82. Ita inducto solo, ut nulla vestigia exstent. ℙ Hinc delere significat, verso stilo ceram complanando, ut litterarum ductus tollantur: et translate abrogare, tollere, abolere. *Cic. Att.* 13, 14. Nomina jam facta sunt: sed vel induci, vel mutari possunt. *Id. ib.* 1, 20. Inducendi senatus consulti maturitas nondum est. *Liv.* 39, 44. Quas locationes cum senatus, precibus et lacrimis publicanorum victus, induci, et de integro locari jussisset, etc. Adde *Ulp.* et *Marcell. Dig.* 28. *tit.* 4. qui De his quae in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur, inscribitur. Ubi *delere* est inverso stilo litteras omnino tollere; *inducere*, per ipsas litteras lineam ducere, ut appareat voluisse tollere, quod et perducere dicitur. V. INDUCTIO et INDUCTUS. ℙ Praeterea est aliquem loquentem facere; ducta metaphora ab actoribus fabularum, a gladiatoribus, a ceteris spectaculis, quae proprie induci dicuntur, cum ad agendum scenam aut arenam ingrediuntur. *Cic. Off.* 3, 9. Hinc ille Gyges inducitur a Platone. *Id. Coel.* 15. Sed quid ego, judices, ita gravem personam induxi? *Id. Tusc.* 5, 39. Augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poetae, nunquam inducunt deplorantem caecitatem suam. Sic *Att.* 13, 19. Puero me, hic sermo inducitur. ℙ [*Item afferre. *Cic. Inv.* 1, 36. Inducere approbationem. *Fam.* 11, 22. Causam inducere. Huc poterant etiam referri loca, quae noster infra posuerat. *Cic. Fat.* 10. *f.* Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod, etc. et *Coel.* 23. *extr.* Si ei tanta consuetudo, quanta a vobis inducitur, non erat quae cum servis potuit familiaritas esse tanta. Porro huc pertinet *Tac. A.* 1, 7. ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem.] ℙ De spectaculis scenae, et arenae. *Cic. opt. gen. Or.* 6. A me autem gladiatorum par nobilissimum inducitur. *Plin.* 8, 6, 6. Elephantos in circum inducere. *Suet. Ner.* 11. Inducta est et Afranii togata, quae Incendium inscribitur. ℙ Est etiam producere, sistere. *Suet. Claud.* 40. Teste inducta in senatu, etc. *Id. Dom.* 11. Quosdam majestatis reos in curiam induxerat, et facile perfecerat, ut condemnarentur. ℙ Interdum emittere, proferre. *Colum.* 5, 9. *f.* Arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris, nec fructum nec laetam frondem olea inducet. ℙ Translate multiplices elegantesque habet usus. *Cic. Or.* 2, 28. Qui hoc primum in nostros mores induxit. *Id. Rabir. Post.* 4. Inducere morem novorum judiciorum in rempublicam. *Id. Phil.* 13, 19. Inducere novum verbum in linguam Latinam. *Id. Off.* 1, 25. seditionem atque discordiam in civitatem. *Id. Amic.* 16. Amici jacentem animum excitare, et inducere spem cogitationemque meliorem. Et *Q. Fr.* 3, 3. *f.* Si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem, consuetudinemque inducemus; et *Off.* 2, 15. Inducere aliquem in spem; et *Brut.* 85. et *Off.* 3, 13. in errorem; et *Catull.* 30, 8. in amorem. *Ter. Hec.* 4, 4, 67. animum ad aliquid. *Pl. Pers.* 4, 4, 91. aliquem in memoriam; et *Cic. Verr.* 2, 1, 41. pecuniam in rationem; et *Agr.* 2, 26. agrum alicui pecunia ingenti, *h. e.* adscribere alicui, emptum alicui referre, tanquam si ingenti pecunia coemptus sit. [*Adde *Fam.* 3, 10. rationes in quibus, quantum legatis datum induxit. ℙ Saepius est i. q. instituere. *Suet. Tib.* 30. Speciem libertatis quandam induxit; et *Ner.* 55. Multis rebus ac locis vetere appellatione detracta novam induxit ex suo nomine. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 11, 1.] ℙ Saepe est adducere, impellere, cogere. [*Imprimis ad errorem et peccatum. Nostr. *verleiten.* Quo differt ab *adducere*; ubi v.] *Cic. Rosc. Am.* 28. Pretio, gratia, spe, promissis aliquem inducere. [*scil. ad parricidium. Adde *Auct. ad Her.* 2, 19. multos induxit in peccatum pecuniae spes.] *Id. Rosc. Com.* 16. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum. *Id. Brut.* 50. Induci ad misericordiam, ad pudendum, ad pigendum. *Nep. Ann.* 8. Si forte Carthaginienses ad bellum posset inducere. *Id. Con.* 3. Induci ad credendum. *Ter. Andr.* 2, 3, 25. Vide, quo me inducas; et *Heaut.* 4, 4, 1. Me Syri promissa huc induxerunt. [**Quint.* 11, 3, 58. Ab his affectibus, in quos inducendus est judex, recedere. Ita insolentius etiam usurpatum legitur juncto infinitivo ap. *Tac. A.* 12, 9. Consulem — promissis inducunt sententiam promere.] ℙ *Inducere animum* (quasi *ducere in animum*) sequente fere infinito, est sibi persuadere, adduci. *Cic. Att.* 7. 3. *med.* Id quod animum induxerat, paulisper non tenuit; et *ib.* 14, 12. *extr.* Etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilominus, me invito. *Id. Div.* 1, 13. Tu igitur animum poteris inducere, de divinatione dicere, qui, etc? *Id. Tusc.* 5, 10. Inducant animum opes contemnere. *Ter. Hec.* 1, 2, 24. quod nunquam credidi Fore, ut, illa viva, posset animum inducere, Uxorem habere. ℙ Sequente conjunctivo, et *ut*, aut *ne* particula. *Cic. Rosc. Am.* 19. Vitia filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut patrem esse sese, obliviscereturque. *Pl. Asin.* 5, 1, 5. Possum inducere animum, ne aegre patiar. ℙ *Inducere in animum* eodem sensu dicitur. [*Quin potius est: id unum propositum habere, id faciendum putare, in eo omnem operam censere ponendam, ut. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 54, 4. Postremo Caesar in animum induxerat, laborare, vigilare, etc. Coll. *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 17, 4.] *Cic. Sull.* 30. In animum inducam, ejus vitam defendere. *Ter. Hec.* 4, 2, 27. Non tute incommodam rem in animum inducas, pati? *Id. Heaut.* 5, 4, 5. Ne istuc in animum inducas tuum, alienum esse te. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Non sustinui inducere in animum, quo minus illi indicarem. *Liv.* 27, 9. Quod consules in senatu ut pronunciarent, in animum inducere non possent. ℙ [*Inducere affectum est ita animum permovere, ut certo quodam modo afficiatur. *Tac. Dial.* 6. Coire populum — et accipere affectum quacumque (i. e. Osanno interprete, *quocumque modo*) orator induxerit (affectum scil.). Ita rectius haud dubie c. *Dronkio* et *G. Jacobo Osannus*, quam quae est *Lipsii* conjectura facilitate tantum commendata: *quemcumque orator induerit;* nam quae praecedit v. *accipere* ejusmodi verbum postulat quo quid agat tribuatque orator populo, non quomodo ipse affectus sit, exprimatur. *Böttich. Lex. Tac.* p. 258.] ℙ Saepe etiam est decipere; ducta metaphora a feris, quae in casses pertrahuntur. *Cic. Pis.* 1. Hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. *Id. Rosc. Am.* 40. Socios induxit, decepit, destituit. *Tibull.* 1, 7, 1. Semper ut inducas, blandos offers mihi vultus. Al. melius leg. *inducar.* ℙ *Inducere injuriam*, inferre. *Cajus Dig.* 5, 2, 4. Non est consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt. ℙ Cum accusativo sine praeposit., quae inest in ipso verbo, *Tert. adv. Valent.* 11. *extr.* Et veram inducerentur quietem, *h. e.* in quietem ducerentur. ℙ Part. *Inducens* ap. *Cels.* 7, 8. Conjicienda eo pinna est illita medicamento cicatricem inducente. *Inducturus* ap. *Hirt. B. Afr.* 90. Edicit, se bonorum venditionem inducturum. *Inducendus* ap. *Cels.* 5, 22. *n.* 6. Ad inducendam cicatricem, squamae aeris, turis fuliginis, singulorum P. X. 1. ℙ *Induce* pro *induc*, antique, est *Varron. R. R.* 3, 2. *extr.* et *Pomponii* ap. *Non.* 14, 3. ℙ *Induxti* syncope est pro *induxisti* ap. *Ter. Andr.* 5, 3, 12. et *Hec.* 4, 4, 67. ℙ [*Confund. *inducere* et *indicere*. V. *indicere in f.* — et *includere*. V. *Burm.* ad *Virg. G.* 2, 77. et quem ib. laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 2 — et *induere* V. *Spald.* ad *Quint.* 5, 7, 11.]

INDUCTĪBĬLIS, e, adj. qui potest induci, et illini. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. Coagulata, inductibiliaque, et digitis convoluta.

[INDUCTĪCĬUS, a, um, adj. qui inductus fuit. *Gloss. Phil.* Inducticius, *ἐπείσακτος. F.*]

INDUCTĬO, onis, f. *εἰσαγωγή*, actus inducendi, immissio, introductio, *Cic. N. D.* 2, 60. *extr.* Nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus. *Liv.* 44, 9. Horum (*juvenum*) inductio (*in circum*) in parte simulacrum decurrentis exercitus erat. *Cic. Or.* 3, 53. *f.* Personarum ficta inductio, *h. e.* prosopopoeia; et *ib.* Inductio erroris, *h. e.* apoplanesis. V. ℙ *Inductiones velorum* in circo, et theatris, cum vela expanduntur soli arcendo. *Vitr. praef.* 10. ℙ *Inductio animi* est persuasio, cum quis in animum induxit, aliquid facere. [*Deliberata voluntas.] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, facilem se praebere, praeclarum magis est, quam difficile: non enim est positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi atque voluntate. *Id. Fam.* 1, 8. Tantum enim animi inductio, et mehercule amor erga Pompejum apud me valet, ut, etc. ℙ Est etiam genus argumentationis oratoriae, *ἐπαγωγή*, qua rebus dubiis captatur assensio ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. Ita describit *Cic. Inv.* 1, 31., et exemplum subjicit. *Quint.* 5, 11. Inductio, qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam: cum plura interrogasset, quae fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset. ℙ Item tecto-

rii, aut coloris appositio: et ipsa calx, quae inducitur, tectorium. *Pallad.* 1, 15. Prima trullis frequentetur inductio: cum siccari coeperit, iterum inducatur; et *ib.* Quae inductio tamdiu subigenda est, ut rutrum, quo calx subigitur, mundum levemus. ℙ Item rei scriptae deletio, abrogatio. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Lituras, inductiones, superductiones ipse feci. Adde *ib.* 2. et V. INDUCO.

INDUCTĪVĒ, adv. indulgendo, obsequendo, quasi inductione, et persuasione. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. *n.* 157. Sed inductive nunc indulgeant consentientes, nunc insinuando corrigant, etc.

INDUCTOR, oris, m. qui aliquid inducit. *Gloss. Philox.* Inductor, εἰσακτής. Translate *inductores* sunt, qui servos caedunt, quod exercitum ulmorum in eorum terga tanquam tectorium in parietes, inducunt. *Pl. Asin.* 3, 2, 6. Inductores acerrimi, gnarique nostri tergi, Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt. Alii male leg. *indoctores*, alii pejus *incloctores.* [**Gloss. Vet.* Inductor, εἰσακτής. *B. A.*]

INDUCTORĬUM, i, n. quod induci potest. *Plin. Valer.* 1, 3. Facere inductorium. *B. A.*

INDUCTRIX, icis, f. quae inducit. *Appul. Flor. n.* 23. *extr.* Corvus crocire adortus, praedae, quam ore gestabat, inductricem compotivit, *h. e.* vulpem, quae fraude illum ad canendum induxerat, ac deceperat.

[INDUCTŪRĂ, ae, f. idem ac inductio, appositio. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *med.* Sicut fit, cum grave quisquam cataplasma apponendum putarit ex plurima atque corporosa inductura: *scil.* ex multa et magnae molis materia. *F.*]

INDUCTUS, a, um, part. ab *induco:* εἰσαχθείς, intro ductus. *Plin. ep.* 2, 12. Firminus inductus in senatum respondit crimini. ℙ Item perductus, adductus. *Nep. Ann.* 5. Sempronium in insidias inductum sustulit. *Plin. alter* 7, 35, 35. Inducta Romam Deum mater. *Prop.* 4, 10, 34. Vineaque inductum longa tegebat opus, *h. e.* perductum usque intra muros urbis. ℙ Item impulsus, persuasus, ὑπαχθείς. *Cic. Quint.* 3. Inductus familiaritate fecit societatem. *Id. Planc.* 42. falsa spe. *Id. Fam.* 5, 6. odio. *Id. Mur.* 30. auctoribus eruditissimis. *Id. Coel.* 16. cupiditate. *Phaedr.* 2, 6. verbis. *Plin.* 7, 43, 44. argumentis. ℙ Item deceptus. *Cic. Phil.* 2, 32. Dolabella impulsus, inductus, elusus. *Id. Att.* 3, 15. *f.* Proditus, inductus, conjectus in fraudem. ℙ Item ad loquendum adductus. [*Quin potius adhibitus, comparatus, factus, prolatus ad, etc. Adde *Fam.* 1, 4. a tuis invidis atque obtrectatoribus inductum nomen fictae religionis.] *Cic. Coel.* 11. Verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio, ad animos vestros sensim accideret. ℙ [*Item inventus, receptus in philosophiam. *Cic. Acad.* 4, 33. Inducto et constituto probabili. *Tusc.* 1, 26. Quinta natura ab Aristotele inducta. Huc etiam pertinere videtur l. *Vell.* 2, 1, 1. inducta nova disciplina. ℙ Inceptus, ortus. *Tusc.* 2, 4. Sermo inductus a tali exordio. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item illitus, appositus, impositus. *Cic. Verr.* 2, 1, 55. *f.* Tectorium vetus delitum, et novum inductum. *Ov. Her.* 7, 23. inducto ceratae sulphure taedae. ℙ Et translate adsciticius, aliunde arcessitus. *Plin. ep.* 4, 3. *extr.* Neque enim conjectura eget, quid sermone patrio exprimere possis, cum hoc insiticio et inducto tam praeclara opera perfeceris. *Id. ep.* 5, 6. *f.* Si nihil inductum, et quasi devium loquimur, non epistola quae describit, sed villa, quae describitur, magna est. ℙ Item obductus. *Pall.* 1, 38. Podia inducta testaceo. *Ov. Met.* 7, 161. inductaque cornibus aurum Victima vota cadit. ℙ Item deletus. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Quae in testamento legi possunt, ea inconsulto deleta et inducta nihilominus valent. *Suet. Ner.* 52. *extr.* Multa (*in libellis*) et deleta, et inducta, et superscripta inerant. V. INDUCO. ℙ Item indutus, immissus, circumdatus. *Auct. ad Her.* 1, 13. Soleae ligneae pedibus inductae *Plin.* 28, 20, 81. Pellicula collo inducta. *Ov. A. Am.* 2, 495. laurus sacris inducta capillis. ℙ Item illatus, adductus. *Ov. Met.* 1, 99. inducta latas caligine terras Occuluit; et *ib.* 11, 231. inductum aequor arenis. ℙ [*Confund. *inducta* et *induta.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 132.]

INDUCTUS, us, m. ἐπαγωγή, inductio, persuasio, impulsus. In sexto casu sing. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 5, 10. Utrum velitis, casu illo itinere Varenum usum esse, an hujus persuasu et inductu. *Auct. ad Her.* 2, 17. Num concedi reo conveniat, quod alieno inductu fecerit.

INDŪCŪLĂ, ae, f. vestis interioris genus, ab induendo dictae. De vestitu femineo usurpat *Plaut.*, sed quae ejus forma fuerit, incompertum est. *Epid.* 2, 2, 39. *Periph.* Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? *Epid.* Impluviatam, ut istaec faciunt vestimentis nomina. Videtur *Non.* 14, 13. legere *tuniculam.* Certe in tunicarum genere *inducula* ponenda videtur.

INDUGRĔDĬOR. V. ENDOGRĔDI, et INDU.

INDULCĀTUS, a, um, dulcis factus, dulcoratus. *Constant. Afer.* 5. Optatus indulcatus. Adde *Octav. Horat.* 1, 10. *Vulgat. Siracid.* 12, 16. *B. A.*

[INDULCĔO, es, a. 2. valde dulceo. *Gloss. Phil.* Indulceo, ἐγγλυκαίνω. *F.*]

INDULCĬTAS, atis, f. non dulcitas, ap. *Non.* 2, 215., ubi *Caecilius:* Tanta huic invasit in corda indulcitas.

INDULCO, as, a. 1. γλυκαίνω, dulce facio, idem ac edulco. *Tert. adv. Jud.* 13. Hoc lignum, quo Moyses aquam amaram indulcavit.

[INDULCORO, as, a. 1. valde dulcoro. *Gloss. Phil.* Indulcoro, ἡδύνω. *F.*]

INDULGENS, entis, part. ab *indulgeo*, συγχωρέων, φιλόστοργος, qui indulget et obsequitur, facilis, clemens. *Cic. Amic.* 24. Molesta veritas: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit. *Liv.* 22, 61. Civitas minime in captivos, jam inde antiquitus, indulgens. *Cic. Cluent.* 5. Quo ipsum nomen amantius, indulgentiusque maternum, hoc illius matris singulare scelus, etc. *Suet. Vesp.* 21. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur. *Sen. Consol. ad Helv.* 2. *med.* Avunculus indulgentissimus. *Vell.* 2, 117. Indulgens alicui in re aliqua. *Quint. decl.* 18, 10. Si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior, *h. e.* cui plus natura indulcerit decoris: vel quia decori aspectu mites et indulgentiores esse videntur: vel quia pulcris indulgere facile solemus. [**Liv.* 24, 25. Non ferme desunt, irarum indulgentes ministri.] ℙ Ap. *Nep. Att.* 1. *indulgens pater* in laude ponitur: et de eo dicitur, qui ex naturali caritate nihil omittit eorum, quae ad honestam filii educationem pertinent: eodemque modo *indulgentia* usurpatur. [*V. *Brem.* ad h. l.] ℙ Est etiam deditus, proclivis. *Suet. Aug.* 70. Notatus est et ut aleae indulgens. ℙ Passiva significatione de eo, cui quis indulget, usurpari videtur a *Quint. decl.* 10, 13. Fili, indulgentissime adolescens, vidi te, nec semel vidi.

INDULGENTER, adv. πειθηνίως, φιλοστόργως, indulgendo, obsequenter, blande, facile, ad gratiam. *Cic. Att.* 9, 9. *med.* Illud me praeclare admones, cum illum videro, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. *Liv.* 36, 14. Athamanum captivis indulgenter habitis. [**Id. Fragm. lib.* 133. *n.* 34. Quum ab Augusto capta indulgentius tractaretur.] *Plin.* 7, 40, 41. Abunde atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui jure dici non infelix potest. *Cic. Fin.* 2, 33. Bestiae multa faciunt indulgenter vel cum labore, *h. e.* in gratiam aliorum. *Solin.* 9. Voluptati aurium indulgentissime deditus. *Sen. Ben.* 4, 32. Dii alios indulgentius tractant. *Id. Consol. ad Helv.* 5. Omnia illa, quae fortuna in me indulgentissime conferebat.

INDULGENTĬA, ae, f. ἄνεσις, συγγνώμη, φιλοστοργία, facilitas, et remissio animi, lenitas, obsequentia, qua faciles sumus ad concedendum, remittendum, gratificandum, connivendum: idque fere in deteriorem partem, cum scilicet plus gratiae amorique tribuitur, quam par est. (In bonam usurpavit *Tac. Agr.* 4. Mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis. In hujus sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit.) *Cic. Leg.* 1, 23. Cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit; et 13. Homines inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia contineri. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Ejus nimia indulgentia in Lepidum, ad haec pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. *Balb. et Opp.* ad *Cic. (f.) post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Et hoc Caesarem, pro sua indulgentia in suos, probaturum putamus. *Liv.* 37, 52. *f.* Cum aliquandiu, hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes invicem, certatum esset. *Vell.* 2, 80. Vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus. [*Cf. *Liv.* 23, 2.] *Plin. ep.* 10, 3. Experiri alicujus plenissimam indulgentiam, *h. e.* benignitatem, liberalitatem. *Ulp. Dig.* 29, 1, 1. Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit, *h. e.* amplam facultatem condendi testamenta sine solemnitatibus legum. *Plin. ep.* 10, 107. Rogatus a P. Accio, ut mitterem tibi libellum, per quem indulgentiam pro statu filiae suae implorat, *h. e.* ut civis Romana fiat. ℙ Praecipue vero dicitur de caritate, et facilitate in liberos, parentes, agnatos. *Cic. ad Quirit.* 1., *Verr.* 2, 1, 44. et *Or.* 2, 40. et al., *Nep. Att.* 17. et *Quint.* 1, 2. ℙ Pro remissione poenae. *Capit. Anton.* 6. His, quos Hadrianus damnaverat, in senatu indulgentias petiit. ℙ In plur. numero usurpavit etiam *Auson. Gratiar. act. ad Gratian.* 32. et *Inscr.* ap. *Labus.*, *Colonna di Maguzz.* p. 10. Inter plurima indulgentiarum suarum in Aquilejenses providentissimus princeps restituit. ℙ Pro remissione tributi. *Eum. Gratiar. act. ad Constant.* 8. et 10. et *Ammian.* 16, 5. *f.* ℙ *Indulgentia coeli* ap. *Virg. G.* 2, 345. et *Plin.* 17, 2, 2. et 18, 21, 50. est temperatus aer, tepidum coelum, bonitas climatis, qua fruges facile proveniunt.

INDULGĔO, es, lsi, ltum, n. 2. εἴκω, χαρίζομαι, indulgens sum, facile concedo, plus aequo permitto, conniveo, gratificor, inservio. Volunt esse ab *in* privativa, et *urgeo:* nam qui indulgens est, non urget, aut severe exigit, sed remittit facile, et condonat, vel potius ab *indu*, et *algeo*, quia indulget is, qui aegre quidem et exoratus aliquid alicui, ceteroquin non concessurus, permittit. *Caes. B. G.* 1. et 7, 40. Aeduorum civitati Caesar praecipue indulserat. *Sen. Ben.* 3, 21. Dominus servo indulsit, liberalius educavit. *Just.* 32, 4. *f.* Annibal coenans nunquam plus, quam sextario vini indulsit. *Nep. Lys.* 1. Sic sibi indulsit, ut ejus opera in odium Graeciae Lacedaemonii pervenerint, *h. e.* tantum licentiae sibi sumpsit. *Id. Chabr.* 3. Indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam vulgi posset effugere, etc. *Ter. Ad.* 1, 1, 36. Cur perdis adolescentem nobis? cur amat? Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris? Vestitu nimio indulges. *Liv.* 3, 53. *f.* Irae vestrae magis ignoscendum, quam indulgendum est. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 246. Tu quid irae indulges nimis? manus a muliere abstinere melius est. *Cic. Tusc.* 4, 18. ipsa sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens. *Liv.* 9, 43. Indulgent consules legionum ardori. *Nep. Reg.* 1. Indulgere dolori. *Plin. ep.* 1, 14. *extr.* amori; et *ep.* 4, 15. precibus; et *ep.* 5, 15. gaudio. *Val. Fl.* 3, 371. lacrimis. *Plin. ep.* 10, 34. desiderio alicujus. *Pers.* 5, 151. Genio. V. GENIUS. [**Liv.* 40, 5. Cui (odio Philippi in Romanos) Perseus indulgeret, *h. e.* quod ille irritabat, alebat.] *Ov. Met.* 12, 597. et *Trist.* 1, 3, 57. animo, [*i. e. obsequens irato impetui animi. *Lucan.* 4, 664. Indulsit castris, i. e. cum bona spe et voluptate castra posuit. Adde 7, 54. Indulgens regno, i. e. sese delectans regno orbis. V. *Cort.* utroque loco.] *Virg. G.* 2, 276. Sin tumulis acclive solum, collesque supini, Indulge ordinibus, *h. e.* vitium ordines laxa, majus eis da spatium atque intervallum. ℙ Cum accusativo personae. *Afran.* ap. *Non.* 9, 19. Male merentur de nobis heri, qui nos tantopere indulgent in pueritia. *Ter. Heaut.* 5, 2, 34. Dum istis fuisti solus, te indulgebant, tibi dabant. *Id. Eun.* 2, 1, 16. Ejicienda est mollities animi: nimis me indulgeo. Al. legunt *mi.* [*V. *Donat.* ad h. l. et *Cort.* ad *Sall. Cat.* 2.] ℙ Est etiam libenter inservire, enixam operam, etiam plus aliquanto, quam par est, dare. *Cic. Amic.* 15. Veteres amicitias spernere, indulgere novis. *Id. Fam.* 16, 18. Ut ut est, indulge valetudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. *Id. Verr.* 2, 3, 24. Cives R. coluit, his indulsit, eorum voluntati et gratiae deditus fuit. *Virg. A.* 6, 135. Indulgere labori; et *ib.* 9, 615. choreis; et 165. vino; et *ib.* 4, 51. hospitio. *Ov. Rem. Am.* 751. theatris. *Quint.* 10, 1. *med.* eloquentiae. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 49. Gymnasio indulgent Graeculi. *Tac. A.* 16, 19. Indulgere somno. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 45, 35. Nihil relicturus, si aviditati indulgeretur, quod in aerarium referret. [**Liv.* 40, 15. Qui jam nunc sanguine meo sibi indulgeri aequum censet.] *Colum.* 5, 7. *med.* Si segetibus indulgetur. ℙ Cum accusativo rei, et dativo personae significat permittere, concedere, largiri. *Suet. Aug.* 41. Usum ejus pecuniae gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. *Id. Claud.* 24. Ornamenta consularia etiam procuratoribus indulsit. *Id. Dom.* 11. Indulgere damnatis arbitrium mortis. *Val. Fl.* 2, 356. moras et spatium amori. *Quint.* 2, 17. *med.* nomen oratoris malis moribus. *Mart.* 1, 105. improbaeque tigres Indulgent patientiam flagello, *h. e.* praebent, praestant. ℙ *Indulgere se alicui*, facilem se praebere. *Stat. Silv.* 4, 6, 36. Deus, ille Deus, seseque videndum Indulsit, Lysippe, tibi. *Juven.* 2, 165. ardenti sese indulsisse tribuno. ℙ Cum infinito. *Sil.* 14, 672. Jussit stare domos, indulgens templa vetustis Incolere atque habitare Deis. *Stat. Th.* 1, 500. Indulgens reparare animum. Adde *ib.* 9, 317. ℙ Passive. *Gell. praef.* Animus, interstitione aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset, *h. e.* recreari. *Modest. Dig.* 48, 16, 17. Abolitio reorum, quae publice indulgetur, *h. e.* conceditur. *Ulp. ib.* 4, 3, 9. *extr.* Neque enim passim haec actio indulgenda est. ℙ Inter *indulgere*, et *ignoscere* hoc interest, quod illud ad peccata futura refertur, hoc ad praeterita; et illud ad miseros et obsecrantes, hoc ad reos tantummodo spectat. Videtur tamen pro hoc illud poni a *Quint. decl.* 10, 11. Indulge sane vanae rei, ignosce: libenter se orbitas decipit. ℙ Part. *Indulgens* V. s. l. *Indulturus* ap. *Ulp. Dig.* 42, 6, 1. §. 14. De his autem omnibus an admittenda separatio sit, necne, ejus erit notio, qui separationem indulturus est.

INDULGĬTAS, atis, f. indulgentia (vetus verbum.) *Coel.* ap. *Serv.* ad *G.* 2, 345. Consuetudine uxoris, indulgitate liberum. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 439. Bassus assiduitate, indulgitate victus. [*Gloss. Philox.* Indulgitas, συγχώρησις. *F.*]

INDULTOR, oris, m. qui indulget. *Ter. adv. Marc.* 4, 9. *f.* Malus jam, quando legis eversor; si bonus, cum legis indultor.

INDULTUM, i, n. concessio, permissio. *Impp. Hon. et Theodos. Cod. Theod.* 4, 15, 1. Juxta Con-

stantinianae legis indultum. *Iidem ib.* 3, 10, 1. Indultum principis.

INDULTUS, a, um, part. ab *indulgeo*, concessus. *Callistr. Dig.* 50, 5, 6. *med.* Non potest privilegiis navicularii indultis uti. *Ammian.* 14, 1. Licentia crudelitati indulta. *Sid. ep.* 4, 24. Indultis tantisper indutiis. *Ov. de nuce* 39. Non odium facit hoc, sed spes indulta rapinae. Al. leg. *inducta:* al. *indicta. Pall. in. l. de insit.* Habes aliud indultae fidei testimonium, *h. e.* datae fidei.

INDULTUS, us, m. concessio, venia. In sexto casu sing. *Sid. ep.* 1, 11. *med.* Oro, ut indultu clementiae tuae in accusatorem meum, quae volo, scribam.

INDŪMENTUM, i, n. *ἔνδυμα*, vestis. *Gell.* 16, 19. de Arione: Oravit, ut priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi omnia indumenta. *Gabius Bassus* ap. *eund.* 5, 7. de persona: Indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit. *Aurel. Vict. Caes.* 21. Indumenta in talos demissa. ℙ Translate. *Prud. Cath.* 9, 99. Patres carnis indumenta sumunt, eque bustis prodeunt, *h. e.* mortuis resurgunt corpus assumendo.

INDŪO, is, ui, utum, a. 3. corpori circumdo, induco, vestio: ab *ἔνδυω*, quod idem significat: et dicitur tam de eo, qui ipse se, quam qui alium vestit: item tam de vestibus, quam de aliis, quae corpori circumdantur, seu inducuntur. Quid ab *amicio* differat, V. in *Amictus, a, um. Cic. Tusc.* 2, 8. Cum Deianira Herculi sanguine Centauri tinctam tunicam induisset. *Id. Fin.* 2, 22. Ex ejus spoliis sibi torquem induit. *Caes. B. G.* 2, 21. Induere galeam. *Ter. Eun.* 4, 4, 34. vestem. *Curt.* 4, 6. loricam. *Val. Fl.* 2, 399. vincula. *Plin.* 28, 4, 7. calceamentum. *Virg. A.* 7, 417. albos cum vitta crines. *Plin.* 37, 6, 23. smaragdos et sardonychas; et 33, 11, 49. Induere soleas ex auro jumentis. *Ov. Am.* 2, 15, 4. et *Cic. Off.* 3, 9. anulum articulis. *Ov. A. Am.* 1, 197. et *Liv.* 30, 31. arma alicui. *Ov. Her.* 21, 90. vestes humeris. *Id. Met.* 6, 598. alicui insignia Bacchi. *Virg. A.* 11, 76. vestem juveni; et 5. Ingentem quercum, decisis undique ramis, Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma, *h. e.* trophaeum erigit. ℙ Passive. *Ter. Eun.* 4, 4, 40. Indui veste. *Ov. Trist.* 4, 10, 29. Induiturque humeris cum lato purpura clavo. ℙ Et cum accusativo rei Graeco more. *Virg. A.* 2, 393. Androgei galeam, clypeique insigne decorum Induitur; et *ib.* 7, 639. clypeumque, auroque trilicem Loricam induitur. *Ov. Met.* 6, 568. Induiturque atras vestes. ℙ *Induere aliquem* pro munire, armare. *Val. Fl.* 2, 10. de gigantibus: Quos scopulis trabibusque parens miserata, jugisque Induit, et versos exstruxit in aethera montes. *Id.* 7, 371. Talibus infelix contra sua regna venenis Induitur. ℙ *Induere scalas* est ferre humeris, quia saepe fit, ut scalas qui ferunt, caput collumque gradibus inserant. *Ov. Met.* 14, 649. Induerat scalas: lecturum poma putares. Huc facit illud *Stat. Th.* 10, 841. Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus, Aerium sibi portat iter. ℙ Translate est sumere, assumere, inire, capere. *Cic. Tusc.* 1, 38. *extr.* Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. *Virg. A.* 1, 688. notos pueri puer indue vultus. *Cic. Off.* 3, 10. *med.* Ponit enim personam amici, cum induit judicis. *Liv.* 1, 56. Juvenis longe alius ingenio, quam cujus simulationem induerat. [*V. *B.* Patruum ad *Tac. A.* 1, 7.] *Liv.* 3, 83. Induere sibi novum ingenium. *Cic. Fin.* 2, 22. sibi cognomen. *Mart.* 2, 41. vultus severos. *Petr. Sat.* 113. supercilium domini. *Tac. A.* 11, 7. magnum animum. *Claud. III. cons. Honor.* 157. Indue mente patrem, *Curt.* 6, 6. Induere mores Persarum. *Tac. A.* 15, 45. animum bonis artibus; et *ib.* 1, 69. munia ducis. *Id. H.* 4, 38. falsos pavores. *Stat. Th.* 8, 392. et *Sil.* 1, 38. iras. *Tac. H.* 4, 57. hostiles spiritus. *Id. A.* 4, 12. habitus ac voces dolentum, simulatione magis, quam libenter. *Id. ib.* 2, 15. seditionem; et *ib.* 12, 13. societatem; et 16, 28. palam proditorem et hostem, *h. e.* personam proditoris. *Id. ib.* 6, 33. Sceptuchi, utrinque donis acceptis, more gentico diversa induere, *h. e.* alii aliis partibus adhaesere. *Quint.* 1, 1. Induere sibi falsam persuasionem scientiae. *Plin.* 23, 1, 22. Vino fumi amaritudine vetustas induitur. [*Tac. *A.* 6, 20. Qualem diem Tiberius induisset. V. in DIES.] ℙ Item indere, injicere, immittere. *Sen. Phoen.* 180. Nunc manum cerebro indue. *Petr. Sat.* 4. Eloquentiam pueris induunt adhuc nascentibus. *Gell.* 12, 5. Induere alicui amorem sui; et 2, 29. aliquid in mentes hominum. *Sil.* 15, 739. cunctis pavorem; et 4, 13. splendorem ferro. *Sen. Hipp.* 574. frenos alicui. *Stat. Silv.* 1, 4, 17. Nec tantum induerint Fatis nova saecula crimen. [*Liv. 6, 18. Quod mihi cura mea et fides nomen (patroni plebis) induit, i. e. imponit. Gr. *ἐνδύσασθαι.* Adde 30, 13. Donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma — induerit.] ℙ Item affingere, attribuere. *Quint.* 4, 1. *med.* Fictam orationem induere personis. ℙ *Induere se* est se immittere, implicare. *Cic. Div.* 2, 19. Cum venti se in nubem induerint. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 25. Mea praeda est illa: proin tu te in laqueum induas. *Caes. B. G.* 7, 73. et 82. Quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis inducebant. [*Vallis est *Dativ.* V. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 188. *Metaph.* vert. *ἑαυτοὺς εἰς τοὺς ὀξυτάτους ἐκείνους σταυροὺς ἐνέδυσαν.*] *Virg. A.* 10, 681. Induere se mucrone; et *Liv.* 44, 41. *extr.* Induere se hastis. Sic *Ov. Met.* 12, 339. Decidit in praeceps, et pondere corporis ornum Ingentem fregit, suaque induit ilia fractae. *Gron.* [*ad *Sen. Herc. Fur.* 1312.] mallet *fracta.* ℙ Singulare est illud *Statii Th.* 9, 281. Induit a tergo Mucalesia cuspis Agyrten, *h. e.* transfigit. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 64. Sua confessione induatur ac juguletur, necesse est; et *ib.* 2, 2, 42. Videte, in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediret; et *Div.* 2, 17. Induere se in captiones. [*Absolute *Id. Mur.* 25, 51. Non se purgavit, sed indicavit atque induit: ubi v. quae laudat *Math.*] *Lucr.* 4, 815. in fraudem. *Quint.* 12, 1. Qui in gravissimas frequenter legum, semper vero malae conscientiae poenas a semetipsis, improviso rerum exitu, induantur. *Sen. Clem.* 1, 4. *extr.* Ita se induit reipublicae Caesar, ut seduci alterum non possit sine utriusque pernicie, *h. e.* junxit, immiscuit, inseruit. ℙ Illa quoque translata sunt. *Virg. G.* 1, 187. cum nux se plurima silvis Induet in florem; et *ib.* 4, 143. pomis se induit arbos. *Id. A.* 7, 19. Quos hominum ex facie Dea saeva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum, *h. e.* verterat, et sub specie ferarum occuluerat. *Col.* 4, 24. *med.* Vites se induunt uvis. *Plin. Pan.* 30. Aegyptus tantis segetibus induebatur, ut, etc. *Lucan.* 7, 834. Nunquam tanto se vulture coelum Induit, aut plures presserunt aera pennae, [*i. e. plenum, occupatum erat. Plura de h. v. vide ap. *Barth.* ad *Claud. IV. Hon. princ.* p. 534.] *Val. Fl.* 4, 509. cinis induit urbes, *h. e.* obtegit. ℙ [*Confund. *induere* et *inducere.* V. hoc in f.]

INDŪPĔDIO. V. ENDOPEDIRI.

INDŪPĔDITUS, a, um, adj. impeditus. V. ENDOPEDIRI.

INDŪPĔRANS, antis, part. ab *indupero*, imperans. *Enn.* ap. *Fest.* in *Navus.* Navorum imperium servare est induperantum. Sic enim legendum ibi, monet *Scaliger*, non *insuperantum.*

INDŪPĔRATOR. V. ENDOPERATOR. V. etiam INDU. et ENDO.

[INDŪPĔRO, as, a. 1. idem ac impero. *Hyg. fab.* 221. Nosce, inquit, tete Chilon Lacedaemone cretus: Cecropiusque Solon, ne quid nimis, induperabit. [*Gloss. Philox.* Indupero, induperat, *ἐπιτάττω, ἐπιτάττει. F.*]

INDŪRĀTUS, a, um, adj. *Stat. Th.* 4, 64. Robora indurata flammis. ℙ Translate. *Liv.* 30, 18. Induratus praeter spem resistendo hostium timor. *Sen. Ira* 1, 11. Germanis quid induratius ad omnem patientiam?

INDŪRESCO, is, rui, n. 3. *σκληρύνομαι*, durus fio. *Cels.* 6, 18. *n.* 8. Si vetus condyloma jam induruit. *Colum.* 2, 21. Antequam ex toto grana indurescant. *Virg. G.* 3, 366. Stiriaque impexis induruit horrida barbis. ℙ Translate. *Tac. H.* 3, 61. Gregarius miles induruerat pro Vitellio, *h. e.* constantiam induerat. *Quint.* 1, 3. Frangas citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt. *Ov. Trist.* 5, 2, 5. corpus ipso vexatum induruit usu. ℙ Cum accusativo Graecorum more. *Lucan.* 4, 631. totosque induruit artus. [*V. *Cort.* ad h. l.]

INDŪRO, as, avi, atum, a. 1. *σκληρύνω*, durum reddo. *Plin.* 31, 2, 8. Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari. *Ov. Trist.* 3, 9, 14. nivem Indurat Boreas, perpetuamque facit. *Plin.* 8, 52, 78. Sues indurantes attritu arborum costas. ℙ Translate. *Tac. H.* 2, 46. Quas inter voces, ut flexerat vultum, aut induraverat Otho, etc., *h. e.* ad constantiam composuerat. *Sen. ep.* 51. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. *Id. ep.* 4. *med.* Adversus omnia, quae accidere possunt, adhortare te, et indura. *Id. Ben.* 7, 28. *f.* Indurare frontem, *h. e.* pudorem exuere.

INDŪRUS pro valde durus, legitur a quibusdam ap. *Ov. Met.* 12, 131. et induro laedi quoque corpore ferrum. Sed alii divisim *in duro*, rectius.

INDUS, a, um, adj. *Ἰνδός*, ad Indiam pertinens, Indicus. *Virg. A.* 12, 67. Indum ebur. *Catull.* 64, 48. Indus dens, *h. e.* ebur. *Prop.* 1, 8, 39. Indae conchae, *h. e.* margarita. *Lucan.* 8, 343. Indum litus; et 10, 120. Inda testudo. ℙ *Indi, orum*, Indi fluminis accolae, Indiae populi, *Ἰνδοί. Catull.* 11, 2. extremi. *Prop.* 2, 7, 67. longinqui. *Id.* 3, 3, 1. dites. *Virg. G.* 2, 172. imbellis Indus. *Tibull.* 2, 2, 15. gemmarum quidquid felicibus Indis Nascitur. *Ov. A. Am.* 3, 130. aures onerate lapillis, Quos legit in viridi decolor Indus aqua. *Id. Fast.* 3, 720. Et domitas gentes, turifer Inde, tuas. ℙ Indorum nomine aliquando veniunt et Arabes et Persae Indis contermini, itemque Aethiopes: quod et *Turn. Adv.* 21, 9. adnotavit. Hinc *Virg. G.* 4, 293. (si modo ille locus mendo caret) Nili fontes apud Indos posuit, cum in Aethiopia sint. *Hyg. fab.* 275. Thebas in India nominat, quae in superiori Aegypto sunt. Fortasse etiam *Ov. l. c.* turiferos Indos vocans, Arabas intelligit, cum tus praecipue in Arabia nascatur. ℙ [*Indus vocabatur magister et rector elephanti, licet Indus non esset. V. *Liv.* 38, 14.]

INDUS, i, m. *Ἰνδός*, fluvius Asiae ingens in India, quae ab eo nomen accipit, et a Persia disterminatur. Oritur ex Paropamiso monte, Caucasi parte excelsissima, longoque decursu in meridiem decurrens, atque undeviginti amnes recipiens, duobus ostiis longe distantibus oceano Indico infunditur. V. *Plin.* 6, 20, 23. et *Melam* 3, 7. *Cic. N. D.* 2, 52. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat, et mitigat, sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum secum, frumenti similium, dicitur deportare. *Ov. Trist.* 5, 3, 23. lato spatiantem flumine Gangen, Et quascumque bibit decolor Indus aquas. ℙ Est hujus nominis fluvius etiam in Caria. *Liv.* 38, 14. et *Plin.* 5, 28, 29.

INDUSIĀRIUS, ii, m. qui conficit indusia. *Pl. Aul.* 3, 5, 35. Patagiarii, indusiarii, flammearii, violarii. [*Gloss. Isid.* Indusiarii, vestiarii. *F.*]

INDUSIĀTUS, a, um, adj. indusio vestitus. *Appul. Met.* 2. Pueri calamistrati, pulere indusiati; et *ib.* 8. Variis coloribus indusiati; et *ib.* 10. Pulcre indusiatus adolescens. ℙ *Indusiatam vestem* nominat *Pl. Epid.* 2, 2, 47. inter varia feminearum vestium nomina: ab indusio certe denominatam, quod interioris vestimenti genus est. Videtur autem vox esse adjectiva. *Varr. L. L.* 4, 30. hunc eundem *Plauti* locum referens *intusiatam* legit. V. INDUSIUM.

INDUSIO, as, a. 1. vestio, induo. *Capell.* 1, 17. Cum ipsum Tonantem exuviis indusiari publice cernerent; et 2, 28. Ex illa herbarum felicium lana, qua indusiari perhibent Indicae prudentiae vates.

INDUSIUM, ii, n. genus vestis interioris et adstrictae membris, corpori adhaerens intra plurimas vestes, ut *Non.* 14, 18. definit. Est ab *induo*, ut etiam *inducula:* [*Hoc unice probandum.] vel ab *intus*, ut *Varroni* placet *L. L.* 4, 30. qui proinde *intusium* scribit. Ejus verba sunt: Alterius generis (h. e. *earum vestium, quae corpus amiciunt*) unum quod foris, et palam, palla: alterum quod intus, a quo intusium: id quod Plautus *(Epid.* 2, 2, 47.) dicit: intusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotuiam. Adde *eund.* ap. *Non.* 14, 36. [*Gloss. Philox.* Indusium, *χιτωνίσκος. F.*] Fuisse videtur propria mulierum, ut *subucula* virorum. *Plaut.* enim *indusiarios* ponit inter eos, qui matronarum cultui operantur. *Varr. l. c.* cum palla conjungit, quae muliebris est. Similiter in allatis *Plauti* verbis patagiata, caltula, crocotula femineae vestes sunt. Non tamen ausim hoc perpetuum dicere. Nam *Appul.* ter de viris usurpat. V. INDUSIATUS. Ceterum in illis *Appuleji* locis sermo est de pueris mollibus, et quasi muliebriter indutis.

INDUSTRIA, ae, f. *σπουδή, φιλοπονία*, [*προθυμία.*] solertia, diligentia, sedulitas, vis ingenii, qua quippiam excogitamus, et adipiscimur. Itaque supra naturam et ingenium addit studium, et artem, et laborem. [*Industria*, scil. ars, proprie adjectivum substantivi loco positum, pertinet non ad peragendum opus, sed ad suscipiendum, urgendum.] De notatione hujus vocis V. INDUSTRIUS. *Cic. ad Brut.* 1, 15. Messala tanta industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur. *Id. Coel.* 19. Ingenium industria alitur. *Id. Manil.* 11. Virtutes imperatoriae, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. *Id. ib.* 1. Nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere. *Id. ad Quirit.* 10. Hoc vobis repromitto, mihi in perferendo labore industriam non defuturam. *Id. Fam.* 3, 9. *med.* Qui in scribendo tantum industriae ponam. *Id. ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.*: Vibullii virtutem industriamque libenter agnovi: et *Att.* 15, 13. Enitar, ne desideres aut industriam meam aut diligentiam. [*Discrimen, quo distet *industria* a *diligentia*, v. in h. v. Cf. *Doederl.* 1, 120. *Sedulitas* et *industria* in eo maxime differunt, ut hoc in rebus severis, vires hominis atque fortitudinem testificantibus, ponatur; illud agilitatem quandam, et imaginem velut turbati, commoti animi referat. V. *Doederl.* 1, 120. sqq.] *Nep. Ages.* 3. Magna industria bellum apparavit; et *ib.* Quorum egregia in ea re fuisset industria. *Id. Cat.* 3. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria *Caes. fr.* ap. *Gell.* 13, 3. Mihi videor non labore, non opera, non industria defuisse; et 11, 16. Res obire plurimas cum industria et celeritate. [*Virtus et *industria* saepissime conjunguntur. V. quae laudat *Ruhnken.* ad *Rut. Lup.*]; et 5, 3. *f.* Quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior. *Suet. Aug.* 8. Industria itineris, *h. e.* in itinere faciendo. ℙ [Significat etiam vim, robur. *Dictys Cret. B. Troj.* 2, 2. Quem rex ob industriam virium, atque ingenii inter duces habuerat. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 10, 136. Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat. Eod. sensu *Appul. Met.* 8. dixit *fortissimum rusticanum industria laterum bene praeparatum. F.*] ℙ *De*, et *ex industria* est dedita opera. [*Non deditam

operam sed consilium denotat induentis consulto, non casu incidentis. Nostr.: *absichtlich*, *vorsätzlich*. Recte monet *Nolten. Lex. Antib.* p. 745. ne quis in talibus *studium* dicat. V. *Doederl.* l. l.] *Liv.* 1, 56. et *l.* 26. *f.* Ex industria famam captae Carthaginis compresserunt. (Adde *Quint.* 1, 5. et 10, 1. *f.*) *Ter. Andr.* 4, 4. *f.* Paulum interesse censes, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria? *Cic. Or.* 44. Ubi etiam de industria id faciendum fuit. *Id. Off.* 1, 7. Injuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur. ℙ Et *industria* absolute. *Plin.* 16, 1, 2. Velut industria fluctibus agerentur in proras. ℙ *Ob industriam*, idem est. *Pl. Cas.* 4, 3, 6. Quid illaec nunc tam diu intus remoratur, quasi ob industriam? ℙ In plurali num. *Pl. Most.* 2, 1, 1. Summis opibus atque industriis. ℙ Est etiam hoc nomine oppidum Ligurum, nunc *Monteù*, ab urbe Augusta Taurinorum XVI. mill. pass., ad dexteram ripam Padi, quod memorat *Plin.* 3, 5, 7. et *ib.* 16, 20.

INDUSTRIĒ, adv. *σπουδαίως*, cum industria, diligenter, solerter. *Cato* ap. *Charis.* 2, 181. Rempublicam curare industrie, summum periculum esse. *Caes. B. G.* 7, 60. Ut ea, quae imperasset, diligenter industrieque administrarent. *Id. B. C.* 3, 95. Castra industrie defendere. *Cic. Dom.* 11. Quis apud populum R. de illius dignitate industrius, quis senatui saepius dixit? Al. leg. *illustrius.* [*V. de hoc comparativo v. *industrius in f.*] *Suet. Galb.* 3. Causas industrie actitare. [*Id. Dom.* 8. Jus diligenter et industrie dixit. (*Diligenter*, i. e. cum magna cura et circumspectione; *industrie*, i. e. saepe et assidue.)] *Justin.* 43, 5. Auxiliis industrie socios juvare.

INDUSTRIENSIS, e, adj. ad Industriam oppidum Liguriae pertinens, ut Collegium pastophorum Industriensium, *Tab. aenea* ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 230. V. INDUSTRIA.

INDUSTRIŌSĒ, adv. industrie, *τεχνικῶς*. *Suet. Vit. Juven.* Genus scripturae industriose excoluit. [*Front. ad M. Caes.* 4. (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Rari admodum veterum scriptorum in eum laborem, studiumque, et periculum verba industriosius quaerendi sese commisere. *F.*] *Cato* ap. *Charis.* 2, 181. Duas res industriosissime persequitur, rem militarem, et argute loqui.

INDUSTRIŌSUS, a, um, adj. *σπουδαῖος*, *τεχνικός*, industria praeditus, industrius. [*Ab *industria* factum, ut *gratiosus* a *gratia*. Ita *Doederl.* 1, 120. contra *Vall. Elegg.* 1, 20. Ab *industria* non habemus *industriosus*, sed *industrius.*] *Sen. Prov.* 2. Cui non industrioso otium poena est? *Val. Max.* 3, 4. *n.* 2. Industriosum pro ignominioso, pro inviso gloriosum reddidit. Al. hic aliter leg.

INDUSTRIUS, a, um, adj. *φιλόπονος*, *σπουδαῖος*, sedulus, promptus, solers, laboriosus, multum artis et operae ponens in rebus agendis: ab *indu*, et *struo:* quia, ut docet *Festus*, Industrium antiqui dicebant *indostruum*, quasi qui quidquid ageret, intro strueret et studeret domi. [**Industrius* ab *induere* factum, eadem adjectivi terminatione, qua *menstruus*, *sinister*, *illustris* et *al.* V. *Doederl.* 1, 119. sq.] *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator [*Quid *industrius* et *diligens* differant V. in DILIGENTIA; quid *sedulus*, dictum in *Industria*. De discrimine inter *gnavus* et *industrius Popma* p. 402. haec disputat: *Industrius* est, qui semper aliquid agit; *navus*, qui strenue negotia exsequitur, et constanti animo contra omnes difficultates obnititur. Ille assiduitate, hic fortitudine et tolerantia commendatur. Quae addita sunt: Et *Industrius* sibi, *navus* alteri operam navat: ea recte omittenda censet *Doederl.* 1, 125. *Id. ib.* p. 123. *industrius* et *actuosus* ita discernit, ut hoc ipsam rem agendam, illud inveniendas res ad perficiendum opus necessarias respicere doceat.] *Id. ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Vigilans homo, et industrius. *Justin.* 29, 3. *extr.* Quem promptum in bella, industriumque cognoverant; et 1, 7. Gens industria. *Cic. Coel.* 31. Quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii, consequi non possunt. *Id. Tusc.* 5, 20. Vir acer et industrius in rebus gerendis. *Tac. A.* 12, 12. Industrios ac ignavos pax in aequo tenet. ℙ Comp. *Industrior*, vel *industriior*, antiquum est. *Pl. Most.* 1, 2, 71. Quo neque industrior de juventute erat: Arte gymnastica, disco, hastis, pila, Cursu, armis, equo victitabam volupe. *Cato* ap. *Prisc.* 3, 601. Imperator exercitum meliorem et industriiorem facit. *C. Gracch. ib.* Ut in me industriior scis, quam in te. [*Adde *Cic. Dom.* 11, 27. ubi tamen cdd. aliq. *illustrius.* Hinc *Doederl.* 1, 120. aliam formam *industris* ap. Veteres fuisse putat.]

INDŪTIAE et Induciae, arum, f. plur. *ἀνοχαί*, belli cessatio ad tempus: differuntque a pace et foedere, quae in perpetuum dantur. *Varr.* ap. *Gell.* 1, 25. definit, *Indutiae sunt pax castrensis paucorum dierum.* Item *Indutiae sunt belli feriae.* Quas definitiones *Gell. ib.* reprehendit. Originem autem vocis sumit ex *inde uti jam:* quod sit pactum, ut ante certam diem ne pugnetur; ex eo die postea uti jam omnia belli jure agantur. *Aurel. Opil. ib.* ab *initus*, seu *introitus*, quasi *initiae*, quod hostes inter se utrinque utroque alter ad alterum impune, et sine pugna ineant. Sed hae grammaticae nugae videntur. Aliis *induciae* appellatae videntur, quia per id tempus exercitus in hostes non ducitur; [*probatur haec vocis notatio *B. Cras.* in *cl. Suet.* p. 424. *Lünemannus* in *Lex. Lat.* s. h. v. deducit ab *induo*, sicut *indutilis*, et significare dicit tempus indutum s. insertum, i. e. intercalare.] alii vero aptius deducunt ab *in* vel *indu*, et *otium*, quod antiquitus scribebatur *oitium* vel *oetium*, unde recte, diphthongo *oe* in *u* contracta, ut in *punio* a *poena*, *indutiae* derivatae, quia per id tempus otiantur arma. Utrique etymo convenit quantitas antepaenultimae, quae longa est; item scribendi varietas; *Manut.* enim, *Cellar.* et *Dausq.* per *t*, nonnulli per *c* scribi volunt. *Cic. Off.* 1, 10. Cum triginta dierum essent cum hoste pactae indutiae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae non noctium indutiae. *Liv.* 10, 5. *f.* Pax negata: indutiae biennii datae; et 1, 15. Agri parte multatis in centum annos indutiae datae; et 4, 30. Indutias octo annorum impetraverunt. *Cic. Phil.* 8, 7. Indutias facere. *Plin. Pan.* 11. inire aequis conditionibus. *Nep. Ages.* 2. petere; et *ib.* conservare. *Liv.* 30, 4. tollere. *Sall. Jug.* 31. agitare. *Id. Cat.* 50. et *Liv.* 30, 37. Per indutias, *h. e.* indutiarum tempore. ℙ Translate. *Ter. Eun.* 1, 1, 15. In amore haec omnia insunt vitia, injuriae, Suspiciones, inimicitiae, indutiae. *Plin. ep.* 8, 14. Postulabam, ut tribus sententiis constaret suus numerus, nec se brevibus indutiis duae jungerent. *Pl. Amph.* 1, 1, 233. Imo indutiae parumper fiant, si quid vis loqui. *Appul. Met.* 2. Noctis indutias cantus perstrepebat cristatae cohortis, *h. e.* nocturnam quietem finiebat cantus gallorum. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 125. Unum sed orans flagito, Induciarum paululum, Dum fungar efficacius Promissionis munere. [*Nonnulla immutavit et addidit *F.*]

INDŪTĪLIS, e, adj. qui indui seu inseri potest. *Cato R. R.* 135. Vomis indutilis optimus erit. Al. leg. *in Rutulis*, alii rectius *inde utilis.*

INDŪTŌRIUS, a, um, adj. ad induendum pertinens, ut Indutoria pellis, ap. *Paul. Sent.* 3, 7. *med.*

INDŪTUS, a, um, part. ab *induo*, *περιβεβλημένος*, vestitus, circumdatus. *Virg. G.* 3, 364. vestesque rigescunt Indutae. *Cic. Or.* 3, 32. Pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. V. AMICTUS, a, um. *Hor. Ep.* 1, 17, 28. Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet. *Auct. ad Her.* 4, 47. Citharoedus palla inaurata indutus. *Curt.* 7, 5. Thoracem indutus. *Virg. A.* 2, 275. Hector exuvias indutus Achillis. *Id. ib.* 5, 674. Indutus galea; et 668. Indutus capiti: *pro* caput. *Ov. Met.* 14, 262. pallamque induta nitentem. ℙ Item cinctus, circumdatus. *Plin.* 13, 4, 7. Vitilem sibi arborique induti circulum. *Coel. Sabin.* ap. *Gell.* 7, 4. Mancipia jure belli capta, coronis induta venibant. *Virg. A.* 11, 83. Trunci induti hostilibus armis. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 30. Duabus quasi nos indutos esse personis. *Id. N. D.* 2, 24. Dii induti specie humana. *Petr. Sat.* 127. Terra vario gramine induta. ℙ [*Conf. *inducta* et *inducta.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 132.]

INDŪTUS, us, m. vestitus. *Tac. A.* 16, 4. Ne sudorem, nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret. *Ammian.* 30, 7. Indutibus imperatoriae majestatis ornatus. [*Nusquam alibi legitur.] V. AMICTUS, a, um.

INDŪVIAE, arum, f. plur. *ἐνδύματα*, indumenta, quibus quis induitur: ab *induo*, sicut *exuviae* ab *exuo. Pl. Men.* 1, 3, 9. Induviae tuae, atque uxoris exuviae, rosa, *h. e.* quibus tu induaris, exuatur uxor. *Prud. Psych.* 578. omnibus ibat Nudata induviis. Adde *in Symmach.* 2, 288.

*INDUVIUM, i, n. *φλοιός*, cortex arboris, quo ipsa induitur. *Plin.* 13, 4. Utilem sibi arborisque induviis circulum mira pernicitate tum homine subeunte. *De palmis loquitur.* ℙ Sed a recto *Induviae* ducenda potius videtur haec vox. *B. A.*

*INĒA, ae, f. Ab *Ina* derivat hoc nomen *Salmas.* ad *Solin.* p. 278. et interpretatur fullonis instrumentum illud spinis confertum (ut hodie fere carduis, quamquam etiam ferreis uncinulis densas tabulas habent), quo *inae* in vestibus erigebantur, ut pexa mollities in his surgeret. *Ineae* quoque ferreae, quibus linum pectebatur, atque in multas veluti tenues inas discriminabatur. Fundus est *Plin.* 27, 10. Hippophaeston nascitur in spinis, ex quibus fiunt aeneae fulloniae. *Aeneae*, ortum putat ex *eneae*, hoc autem ex *ineae.* Et 19, 1. ubi de lini medulla: Et ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur: pro *hamis* esse ait in MSS. *aenis*, unde facit *ineis. B. A.*

INEBRAE aves, quae in auguriis aliquid fieri prohibent (*scil.* ab inhibendo): et prorsus omnia inebra appellantur, quae tardant, vel morantur agentem. *Festus.* [Haec fere eadem habet etiam *Isid. Orig.* 12, 7. et *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 246., ubi et *inhibrae* legitur. *Gloss. Philox.* Inebra, *ὄρνεον μαντευτικόν.* ℙ Etiam *Eniber*, *bra*, *brum*, adj. antique fuit usurpatum eodem sensu. *Festus.* Enibro, inhibenti. *Gloss. Philox.* Eniber, *ὄρνις πονηρά*; enibra, *ἐναντία*; enibrum, *πράγματος ἐπιβλαβές. F.*]

*INEBRIATĪO, onis, f. ap. *Firmic. B. A.*

INEBRIĀTOR, oris, m. qui inebriat. *Tert. adv. Marc.* 5, 18. Inebriatores increpantur.

INEBRIĀTUS, a, um, part. ab *inebrio. Plin.* 8, 12, 12. Dracones inebriati sanguine. *Id.* 35, 6, 26. Purpurissum fervente aheno rudibus medicamentis inebriatum. *Id.* 17, 26, 40. Inebriatae radices, *h. e.* nimis irrigatae. *Sid. ep.* 1, 5. *med.* Spiritus aeris venenatis flatibus inebriatus.

INEBRIŌ, as, avi, atum, a. 1. *μεθύσκω*, ebrium reddo. *Plin.* 12, 22, 47. Palma, quae vocatur adipsos, vescentes inebriat. *Id.* 14, 1, 3. Conduntur et musto uvae, ipsaeque vino suo inebriantur. *Id.* 9, 41, 65. de colorib.: Amethystum absolutum inebriatur Tyrio, *h. e.* saturatur. ℙ Translate. *Juven.* 9, 113. Miseram vinosus inebriet aurem, *h. e.* impleat, garrulitate obtundat, ut ebrii solent.

[INĒDAX, acis, adj. omn. gen. non edax, seu parum edax. *Gloss. Philox.* Inedax, *ὀλιγοφάγος. F.*]

INĒDIA, ae, f. *ἀσιτία*, abstinentia a cibo, et tempus, quo quis ab edendo abstinuit: ab *in* et *edo. Cic. Fin.* 5, 27. *extr.* Vigiliis et inedia necatus. ℙ Differt a fame; nam fames semper est cum cupiditate edendi, inedia non item, ut in aegrotis, et in iis, qui voluntaria ciborum abstinentia sibi mortem inferunt. [*Doederl.* 3, 119. sq. de discrimine inter *inedia*, *fames* et *esuries* haec disputat, ut *famem* alimentorum penuriam dicat singulos homines et totos populos urgentem, *Hungersnoth*, object., ut *frigus*, *morbus; inediam* ad singulum hominem referat, cibo abstinentem, nulla quidem ratione sensus habita, quo talis agendi mos afficiat, sicut *frigedo*, *aegritudo; esuries* denique eum significet cum dolore conjunctum affectum, quo quis cibum cupiat, nec habeat, quo fruatur.] *Plin. ep.* 3, 7. Modo nunciatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia vitam finisse. *Id. Pan.* 13. Cum milites tecum inediam, tecum ferrent sitim. *Cels.* 1, 3. *med.* Inediam sustinere. *Gell.* 3, 10. Inedia mori. ℙ In plur. num. *Plin.* 11, 54, 118. Septimo die inedias durasse.

INĒDĪTUS, a, um, adj. non editus, non promulgatus, *ἀνέκδοτος. Ov. Pont.* 4, 16, 39. Essent et juvenes, quorum quod inedita cura est, Appellandorum nil mihi juris adest.

INEFFĀBĪLIS, e, adj. *ἀνεκφώνητος*, quem effari non possis, aut exprimere. *Plin. praef. l.* 5. Populorum ejus oppidorumque nomina vel maxime sunt ineffabilia, praeterquam ipsorum linguis. *Id.* 28, 2, 4. Ineffabilia verba.

[INEFFĀBĪLĪTAS, atis, f. status illius, qui enarrari nequit. *August. ep.* 147. (*al.* 112.) 13. Necesse est, abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur. *F.*]

INEFFĀBĪLITER, adv. *ἀῤῥήτως. August. Enchir.* 89. Deus ineffabiliter artifex. *Id. ep. ad Paul.* 32. Ineffabiliter gaudere.

[INEFFĪCĀCIA, ae, f. inutilitas. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 94. De prioris inefficacia libertatis, etc. *F.*]

INEFFĪCĀCĪTER, adv. inutiliter, frustra. *Paul. Dig.* 49, 8, 2. Eum, qui in rebus humanis non fuit sententiae dictae tempore, inefficaciter condemnatum videri. *Symm. ep.* 6, 54. (*al.* 53.) Verecundiam creant inefficaciter postulata.

INEFFĪCAX, acis, adj. *ἀνενέργητος*, non efficax. inutilis. *Sen. Ira* 1, 3. Vox ineffica verborum, *h. e.* quae verba non potest exprimere; et 10. Ratio sine affectu inefficax est. *Plin.* 34, 11, 25. Fit et ex candido aere squama, longe Cypria inefficacior. *Inscr.* ap. *Grut.* 415, 10. Parentes inefficacissimi, *h. e.* imbecillimi. *Sen. Ben.* 4, 4. Alloqui surda Numina, et inefficaces Deos, *h. e.* nihil agentes, et nihil boni hominibus facientes, ut deliravit Epicurus.

INEFFĪGĪĀBĪLIS, e, adj. qui effingi non potest. *Tert. Anim.* 24. Anima invisibilis, ineffigiabilis.

INEFFĪGĪĀTUS, a, um, adj. *ἄμορφος*, effigie carens, informis. *Gell.* 17, 10. Ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque. *Tert. Anim.* 9. Anima indissolubilis et ineffigiata.

[INEFFRĒNĀTUS, a, um, adj. sine freno, infrenatus. *Auct. Collat. Mosaic. et Rom. leg. tit.* 6. §. 4. De futuro nemo audeat ineffrenatis cupiditatibus obedire. *F.*]

INEFFŪGĪBĪLIS, e, adj. *Appul. de Mundo f.* Ineffugibilis necessitas ultionis.

[INEFFŪSUS, a, um, adj. non effusus. *Appul. Met.* 2. Sed, ut mihi morem plenius gesseris, ineffusum laxa crinem, et capillo fluenter undante ede complexus amabiles. Alii leg. eod. sensu *in effusum laxa crinem*, ita ut *laxa* non verbum, sed nomen sit. *F.*]

INĒLĀBORĀTUS, a, um, adj. *ἀνέργαστος*, artificio non satis excultus. *Quint.* 4, 1. *med.* Sed saepe simplici atque inelaboratae similis. Alii leg. *illaboratae. Sen. Tranqu.* 1. Inelaborata oratio.

INĒLĒGANS, antis, adj. omn. gen. *ἄχομψος*, non elegans, sine elegantia. *Cic. Brut.* 81. Ineratque et ingenium satis acre, et orationis non

inelegans copia. [*Suet. Dom. 20. Sermonis tamen nec inelegantis.] Catull. 6, 1. Deliciae illepidae atque inelegantes. Plin. 21, 25, 98. Odor non inelegans.

INĔLĔGANTER, adv. ἀκόμψως, sine elegantia. Cic. Brut. 26. Historia non ineleganter scripta. Gell. 17, 2. f. Non hercle inscite, nec ineleganter. [*Suet. Claud. 41. Magis inepte, quam ineleganter: ubi B. Crus. in cl. Suet. p. 425. illud de re, hoc de stilo.] ℙ Item sine delectu, judicio, ratione. Cic. Fin. 2, 9. Primum divisit ineleganter. Duo enim genera quae erant, fecit tria, hoc est non dividere, sed frangere rem.

[INĔLĔGANTIA, ae, f. ἀμουσία, inconcinnitas. Translate. Cajus Institut. 1. (ed. Goesch.) §. 84. Divus Hadrianus iniquitate rei, et inelegantia juris motus restituit juris gentium regulam, ut, cum ipsa mulier libera permaneat, liberum pariat. Adde §. 85. Gloss. Philox. Inelegantia, ἀκρασία. F.]

*INĔLŌQUAX, acis, adj. Novatian. de Trin. 29. Gemitibus ineloquacibus, h. e. ineffabilibus, ἀνεκλαλήτοις. B. A.

INĔLŌQUENS, entis, adj. omn. gen. non eloquens. Lact. Opif. D. 20. Tullius eloquentiae unicum exemplar, ab indoctis et ineloquentibus, qui tamen pro vero nitebantur, saepe superatus est.

INĔLŌQUĪBĬLIS, e, adj. ineffabilis. Lact. 7, 11. Ineloquibilis et divinus fructus; et ib. 5. Aeternae vitae ineloquibile praemium.

INĔLUCTĀBĬLIS, e, adj. qui evitari non potest, ut ut eluctere, et exire coneris. Stat. Th. 9, 502. Ineluctabile coenum. Virg. A. 2, 324. Venit summa dies, et ineluctabile tempus Dardaniae. Id. ib. 8, 334. et Vell. 2, 57. Ineluctabile fatum.

INĔLŬĬBĬLIS, e, adj. qui elui et deleri non potest. Lact. 7, 20. med. Ineluibilem quendam fucum trahant, labemque terrenam. Id. Ira D. 23. Ineluibiles sibi maculas inusserunt.

INĔMENDĀBĬLIS, e, adj. ἀδιόρθωτος, qui emendari non potest. Quint. 1, 1. f. Pravitas inemendabilis. Sen. Ira 3, 41. Inemendabilis affectus, cum ex ira in odium occaluit.

[INĔMENDĀTUS, a, um, adj. non emendatus. Hieron. in Ezech. 40, 5. Ut sciat, omnia prope verba Hebraica, et nomina, quae in Graeca et Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata; et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, immo nullius gentis, dum et Hebraea esse desierint, et aliena esse non coeperint. F.]

[INĔMENSUS, a, um, adj. non emensus. Not. Tir. p. 18. Mensus, emensus, immensus, inemensus, permensus, peremensus. F.]

INĔMĔRĬBĬLIS, e, adj. quem mereri, seu consequi non possumus. Tert. Resurr. carn. 18.

INĔMŌRĬOR, eris, tuus sum, dep. 3. immorior, In aliqua re morior. ἐπιθνήσκω. Hor. Epod. 5, 34. Inemori spectaculo,

INEMPTUS et Inemtus, a, um, adj. ἀπρίατος, non emptus. Virg. G. 4, 133. dapibus mensas onerabat inemptis. [Hor. Epod. 2, 48. Dapes inemptas apparet. F.] Tac. H. 2, 60. Consulatus innoxius, et inemptus.

INĔNARRĀBĬLIS, e, adj. ἀνέκφραστος, ἀνεκδιήγητος, qui enarrari non potest. [*Vell. 2, 99, 2. mira quadam, et incredibili, atque inenarrabili pietate, etc.] Liv. 44, 5. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque. Sen. Q. N. 3, 22. Flumina, quorum inenarrabilis natura est. Plin. 8, 7, 7. de elephantis: Misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes, supplicavere.

INĔNARRĀBĬLĬTER, adv. Liv. 41, 15. Jecur omne inenarrabiliter absumptum. [*Kreuss. scribendum censet: jecur omne inenarrabili tabe absumptum. V. ejus adnotatt. ad h. l.]

INĔNARRĀTUS, a, um, adj. inexplicatus. Gell. 12, 6. Quod reliquimus inenarratum, ut legentium conjecturas in requirendo acueremus. Id. 19, 14. Verba inenarrata.

INĔNĀTĀBĬLIS, e, adj. qui enatari non potest, ut Inenatabile profundum, ap. Tert. Idol. 24.

INĔNODĀBĬLIS, e, adj. ἀχαταλύτος, qui enodari et dissolvi non potest, inextricabilis, perplexus. Cic. Fat. 9. Et uno tempore suscipiat res duas inenodabiles. Acc. ap. Non. 1, 49. Tam obscurum dicunt esse, tamque inenodabile. Appul. Apol. Capillus prorsus inenodabilis diutina incuria non modo comendi, sed saltem expediendi et discriminandi.

INĔNORMIS, e, adj. non enormis. Appul. Met. 2. in. Inenormis proceritas, succulenta gracilitas, rubor temperatus.

INĔNUNTĬĀBĬLIS, e, adj. qui enuntiari non potest, inenarrabilis. Censorin. de die nat. 19. Incomprehensibile quiddam, et inenuntiabile.

INĔO, is, ivi, vel ii, itum, a. 4. εἰσέρχομαι, ingredior: ab in, et eo, is. Cic. Dejot. 3. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti. [*Id. Harusp. 18. cubile.] Liv. 24, 9. Quia in urbem non inierat. Id. 3, 24. Triumphantes victore cum exercitu urbem inierunt. Aurelius Opilius ap. Gell. 1, 25. f. Indutiae dicuntur, cum utrinque utroque alter ad alterum impune et sine pugna ineunt. Ov. Fast. 2, 266. nemus nullis illud initur equis. Cic. Off. 1, 11. extr. Monet igitur, ut caveat, ne proelium ineat; et Div. 1, 24. Inire audacius pericula proeliorum. Stat. Th. 8, 107. Argolicas acies non ignarus ini, h. e. inii. Cic. Rosc. Am. 18. Convivia cum patre non inibat. Suet. Tib. 54. Anno ineunte. Nep. Alcib. 2. Ineunte adolescentia. Cic. Or. 1, 21. Ab ineunte aetate. [*Cf. Oudend. ad Suet. Tib. 61.] ℙ Absolute pro incipere. Virg. Ecl. 4, 11. Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit, Pollio. ℙ Est etiam συνουσιάζειν: et ad mares refertur, tum voce activa, tum passiva; et tam de hominibus, quam de animantibus usurpatur. Varr. R. R. 2, 7., Plin. 10, 63, 83. et M. Anton. ap. Suet. Aug. 69. ℙ Inire magistratum. Cic. Phil. 3, 1. Quod confido equidem, consules designatos, simulac magistratum inierint, esse facturos. Liv. 24, 9. Consulatum ineuntes. Suet. Cat. 1. Inire honorem. Id. Tib. 67. imperium. [*Id. Vesp. 5. Comitia secundi consulatus ineunte Galba, i. e. adeunte, auspicante. Wolf. vv. comitia inire ad glossas refert, quippe quae neque usu neque analogia firmentur.] ℙ Inire numerum, i. e. recensere. Liv. 38, 23. Numerus interfectorum haud facile iniri potuit. Caes. B. G. 7, 76. Numerus inibatur, praefecti constituebantur. ℙ Inire rationem. Cic. N. D. 3, 29. Inire et subducere rationem. Cato R. R. 2. Rationem inire oportet operarum, dierum. ℙ Et translate considerare, videre, invenire cogitando. Cic. Fam. 13, 28. Rogo, ut adjuves, ineasque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. Id. Verr. 2, 3, 46. Mihi ineunda ratio, et via reperiunda est, qua ad Apronii quaestum possim pervenire. Id. Fam. 5, 20. Ut multa tam gravis ipsi T. Mario depelleretur, a me inita ratio est. Id. Phil. 5, 19. Ut inirent rationem de commodis militum veteranorum augendis. Nep. Ann. 10. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Liv. 28, 8. Vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus, geratur bellum. ℙ Inire aestimationem, i. e. pretium alicujus rei constituere. Sen. Ben. 3, 8. extr. Horum quomodo judex inibit aestimationem? ℙ mensuram agrorum, i. e. instituere. Colum. 5, 3. ℙ societatem cum aliquo, i. e. socium alicujus fieri. Planc. ad Cic. Fam. 10, 8. Ut potius cum pluribus societatem defendendae libertatis iniremus. ℙ indutias. Plin. Pan. 11., i. e. accipere conditiones indutiarum. ℙ consilium, h. e. capere. Ov. Fast. 3, 380. Consilium multae calliditatis init. Caes. B. G. 7, 9. Si quid de sua salute ab Aeduis consilii iniretur; et alio sensu 43. Consilia inibat, quemadmodum a Gergovia discederet, i. e. deliberare, consultare. Nep. Lys. 3. Iniit consilia, reges Lacedaemoniorum tollere. Vell. 2, 88. Interficiendi Caesaris consilia inierat. Cic. Dejot. 2. Inire consilium facinoris contra vitam alicujus. ℙ gratiam, i. e. sibi demereri, quasi ire in gratiam. Cic. Brut. 57. extr. Plures ineuntur gratiae, si uno tempore dicas pro pluribus. Id. Har. resp. 23. et alibi, Caes. B. G. 6, 44. et Nep. Alcib. 9. extr. Inire gratiam ab aliquo. Liv. 36, 5. Apud regem initam gratiam volebant. (Adde Curt. 5, 7.) Cic. Att. 7, 9. med. Quod si ille faciat, jam cum bonis omnibus summam ineat gratiam. Ita Aldus: alii jam jam a bonis: [*Ita Orell. tamen a bonis susp. Ernest.] alii et a, et cum omittunt, ut P. Victor. etc. ℙ imperia alicujus, h. e. subire, et iis parere. Stat. Achill. 1, 280. de equo: non aspera praebet Ora lupis, dominique gemit captivus inire Imperia. ℙ nexum. Liv. 7, 19. Sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant, [*i. e. operas in servitute pro pecunia, quam debebant, praestabant.] ℙ viam, iter. Cic. Mur. 12., Curt. 3, 4. f., et Val. Fl. 3, 629. Et translate. Liv. 1, 23. f. Ineamus viam aliquam, qua utri utris imperent, decerni possit. ℙ somnum, i. e. se tradere. Virg. Ecl. 1, 56. ℙ munus alicujus, i. e. suscipere. Virg. A. 5, 846. Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo. ℙ formam vitae. Tac. A. 1, 74. Formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum fecerunt. ℙ suffragia, i. e. dare. Liv. 3, 17. et 25. ℙ Inietur pro inibitur, et iniet pro inibit, V. in EO, is.

IN ĔOPTĔ, in eo ipso. Festus.

INEPTĔ, adv. ἀλόγως, ἀναρμόστως, minus apte, inconvenienter, stulte, sine ratione. Cic. Tusc. 1, 6. Inepte disserere. Id. Brut. 82. Qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide. Hor. Sat. 1, 10, 2. quis tam Lucill fautor inepte est, Ut non hoc fateatur? Id. A. P. 140. nil molitur inepte. Gell. 13, 24. Inepte et frigide uti verbis. Id. ib. 30. Homo inepte gloriosus. Id. 18, 5. Inscite ineptequе argutus. Lact. 3, 17. med. Quo sano nullus aeger ineptius deliravit. Quint. 11, 3. med. Moneor, ineptissime fieri, cum inter moras laudationum in aurem alicujus loquuntur.

INEPTIAE, arum, f. plur. ἀπειροκαλία, res absurdae, incongruae, nugae futiles. Cic. Or. 2, 4. Omnium ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit major, quam ut illi solent, quocumque in loco, quoscumque inter homines argutissime disputare; et ib. 1, 24. Petamque a vobis, ne meas ineptias efferatis. Id. Rosc. Am. 16. Quid ad istas ineptias abis? Id. Tusc. 1, 39. Pellantur istae ineptiae paene aniles. Colum. 1, 8. Socors et somniculosum genus mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleae, popinae, lupanaribus consuetum, nunquam non easdem ineptias somniat. Ter. Eun. 4, 6, 3. Ferre ineptias alicujus. Suet. Aug. 86. Sententiarum ineptiae, atque inconcinnitas. Catull. 6, 14. Ni tu quid facias ineptiarum. ℙ In sing. numero. Pl. Merc. prol. 26. Ineptia, stultitiaque adeo, et temeritas. Ter. Ad. 4, 7, 31. Video ego tuam ineptiam.

INEPTĬO, is, n. 4. ματαιοῦμαι, inepte ago, ineptias dico aut facio. Ter. Ad. 5, 8, 10. De. Hanc te aequum est ducere. Mi. me? De. te. Mi. ineptis. Catull. 8, 1. Miser Catulle, desinas ineptire. [Inscr. ap. Grut. 660, 1. Venusta, amoena, ineptiens et garrula. De puella annos tres nata et menses novem. At eadem ap. De Lama, Iscrizioni di Parma p. 119. Venusta, amoena, inter morbum garrula. F.]

INEPTĬŌLA, ae, f. dimin. ab ineptia. Auson. ep. Idyll. 11. praemissa. Fuit ineptiolae hujus ista materia.

INEPTĬTŪDO, inis, f. idem ac ineptia. Caecil. ap. Non. 2, 455. Homo ineptitudinis cumulatus.

INEPTUS, a, um, adj. ἀπειρόκαλος, qui non est aptus, qui a quovis reprehendi potest, qui sui aliorumque, rei, loci, temporis, modi nec habet, nec callet rationem. Cic. Or. 2, 4. Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit aptus. Idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus esse dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim hujus mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci ineptum appellent, non reperies. Id. Leg. 1, 2. In orationibus multus, et ineptus ad summam impudentiam. Catull. 39, 16. Nam risu inepto res ineptior nulla est. Quint. 11, 3. de actione oratoria: Discursare, ineptissimum. Hor. Ep. 1, 17, 32. Sine, vivat ineptus. Cic. Or. 9. Nihil insolens aut ineptum. Id. Tusc. 1, 35. Ineptum sane negotium, et Graeculum. Ter. Andr. 1, 5, 22. Causa inepta. Gell. 12, 2. Sententiae inepto inanique impetu; et 14, 1. Ineptum absurdumque. Hor. Ep. 2, 1, 270. quidquid chartis amicitur ineptis. Cic. Att. 16, 13. Longulum sane iter, et via inepta: Al. leg. amara, al. madida, al. molesta, al. aliter. [*Hor. Sat. 1, 3, 49 Ineptus Et jactantior hic paulo est, i. e. nimis officiosum se praebet ita ut molestiam afferat. V. Heindf.] ℙ Adhibetur et in conviciis. Ter. Eun. 5, 7, 6. Quid est, inepta? quid rides? Ov. Rem. Am. 472. Officio natam laedis, inepte, tuo.

INĔQUĪTĀBĬLIS, e, adj. qui equo adiri non potest. Curt. 8, 14. Imber campos lubricos et inequitabiles fecerat.

INĔQUĪTO, as, n. 1. ἐνιππάζομαι, in aliquo loco equito. Appul. Met. 3. in. Commodum punicantibus phaleris Aurora coelum inequitabat. Flor. 4, 12. Sarmatae patentibus campis inequitant. ℙ Translate. Macr. Sat. 7, 15. Medicina audet inequitare philosophiae, de incorporeis et vere divinis tractanti, h. e. insultare. Sic Arnob. 7, 235. Sed frustra, inquit, inequitas nobis. Simile est illud Cic. Verr. 2, 4, 20. Jactabit se, et in his equitabit equuleis: emi, pecuniam solvi. ℙ [Obsceno sensu. Arnob. 4, 131. Cujus (Mutini) immanibus pudendis, horrentique fascino vestras inequitare matronas et auspicabile ducitis, et optatis. V. EQUITO. F.]

INERMAT, armis spoliat. Festus.

INERMIS, e, et Inermus, a, um, adj. ἄνοπλος, non armatus: ab in privativa, et arma. Cic. Fam. 11, 12. Cum paucis inermis, perterritis metu, fugisse Antonium. Lepid. ad Cic. Fam. 10, 34. Multitudo inermorum. Caes. B. G. 3, 29. Ne quis inermibus militibus ab latere impetus fieri posset. Brut. ad Cic. Fam. 11, 10. Cum parvulam manum peditum haberet inermium. Sall. Jug. 115. Nec decere quemquam, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere. Sisenn. ap. Non. 8, 75. Plerique inermi in castra perfugiunt. Ov. Met. 5, 175. trepidum Perseus, et inermia frustra Brachia tendentem confodit. Cic. Dom. 29. Ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem. Liv. 29, 4. med. Praedas agens ex agro inermi ac nudo praesidis. Plin. 5, 9, 10. Nilus fama tantum, inermi quaesitu cognitus, sine bellis, quae ceteras omnes terras invenere. ℙ Translate. Ov. Ib. 2. Omne fuit Musae carmen inerme meae, h. e. innoxium, et neminem laedens. Cic. Fin. 1, 7. In altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, inermis ac nudus est, h. e. minime instructus. Prop. 4, 6, 32. Aut te-

studineae carmen inerme lyrae, *h. e.* imbelle, armis minime aptum. *Stat. Silv.* 1, 2, 80. illum parcentes inermi strinximus arcu, *h. e.* levem sagittam jaculante. *Juven.* 10, 200. Frangendus misero gingiva panis inermi, *h. e.* dentibus carente. *Claud. Cons. Probi, et Olybr.* 27. jam caligantibus armis Debilis Orion dextram miratur inermem, *h. e.* exigua et maligna luce fulgentem. *Prud. Cath.* 3, 154. inerme virus.

INERRĀBĪLIS, e, adj. non errans. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Globorum coelestium omnium supremum esse eum, qui inerrabili meatu censetur. Adde *de Mundo.*

INERRANS, antis, part. ab *inerro*, ἀπλανής, non errans. Unde *inerrantes stellae* dicuntur, quae et fixae appellantur. *Cic. N. D.* 2, 21. Nec vero eae stellae, quae inerrantes vocantur, non significant eandem mentem atque prudentiam, quarum est quotidiana, conveniens constansque conversio; et *ib.* 3, 20. Si Luna Dea est, ergo etiam Lucifer, ceteraeque errantes numerum Deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes.

INERRO, as, n. l. ἐμπλανάομαι, idem ac erro, vel in loco quopiam erro. *Plin. ep.* 1, 6. Nam magis Dianam montibus, quam Minervam inerrare. *Id. ep.* 7, 27. Memoria imaginis oculis inerrabat, *h. e.* obversabatur. [*Ubi plura congessit *Cort.*] *Stat. Silv.* 1, 5, 58. ubi languidus ignis inerrat Aedibus. ℙ [Cum accusativo, et praeposit. *in. Minuc. Fel. Octav.* 31. Dum etiam domi natos alienae misericordiae frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare. ℙ Et sine praepositione, quae ipsi tamen verbo inest. *Appul. Met.* 10. Puelli, puellaeque, dispositis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, *h. e.* saltantes choreas ducebant. ℙ Translate. *Tibull.* 4, 1, 201. Quod tibi si versus noster totusve, minusve, Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore, *ti stia in sulla punta della lingua. F.*]

INERS, ertis, adj. omn. gen. ἄτεχνος, qui nullam exercet artem. *Cic. Fin.* 2, 34. Lustremus animo has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a majoribus nominabantur. *Lucil.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 158. Ut prohibetur iners, ars in quo non erit ulla. ℙ Universim dicitur de nihil agente, nihil moliente, otioso, segne, ignavo, deside, pigro, ut sunt qui nullam artem exercent. *Cic. Sen.* 11. Quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. *Id. Verr.* 2, 2, 78. Homo inertior, ignavior proferri non potest. *Ter. Andr.* 3, 5, 2. Quandoquidem tam iners, tam nullius consilii sum. *Id. Heaut.* 5, 4, 10. Gerro, iners, fraus, heluo. *Cic. Agr.* 2, 33. Inertissimum et desidiosissimum otium. *Id. Fin.* 1, 2. Rudem esse in nostris poetis, inertissimae segnitiae est. *Plin.* 8, 21, 32. Fera iners membris. *Pl. Bacch.* 3, 6, 13. Lingua factiosi, inertes opera. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 20. vacui Averni vulgus iners, *h. e.* animae mortuorum, quae et vita carent et actione. *Colum.* 6, 27. Iners in aliquam rem. *Id.* 8, 2. *f.* Gallinae inertes ad incubandum. *Naevius* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. Silvicolae homines, bellique inertes. [**Ov. Met.* 8, 679. Nec iners pauperque voluntas: ubi *non iners* pertinet ad sedulitatem et ardorem, quo accipiebant hospites; *non pauper* ad liberalitatem, qua apponebant quidquid habebant, etc.] ℙ Translate refertur ad res inanimas. *Ov. Her.* 18, 121. et *Sen. Q. N.* 5, 15. inertes aquae quae non moventur. [**Ov. Met.* 4, 434. Styx nebulas exhalat iners. Consimili ratione *languidus* ab *Hor.* de flumine, et *piger* a Nostro de palude dicitur.] Et *Ov. Pont.* 1, 10, 14. Iners stomachus, *h. e.* qui non concoquit. *Virg. G.* 1, 94. Inertes glebae, *h. e.* steriles et nihil gignentes. [*Ita intelligit *Gierig.* etiam *Ov. Met.* 1, 8. Pondus iners. Adde 12, 361. Non tamen arbor iners cecidit, i. e. sine fructu.] *Sil.* 5, 571. stipula crepitabat inani Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam. *Id.* 6, 146. Lucus iners, *h. e.* inutilis, nulli usui patens, inhabitabilis. *Hor. Od.* 3, 4, 45. Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum, *h. e.* gravem, immobilem, brutam. *Id. Sat.* 2, 6, 61. somno et inertibus horis ducere vitam, *h. e.* quas inertes otiosique transigimus. *Grat. Cyn.* 44. de lino: Ipse in materia damnosus candor inerti, *h. e.* inutili, venationi inepta. *Ov. Her.* 16, 314. et *Pont.* 1, 15, 44. iners tempus, *h. e.* in quo nihil fit. [**Tibull.* 1, 1, 71. iners aetas, i. e. senecta.] ℙ ad cibos, qui insipidi, et sine acrimonia. *Hor. Sat.* 2, 4, 41. Curvet aper lances carnem vitantis inertem. *Plin.* 20, 22, 93. *f.* Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla *Id.* 31, 7, 39. Iners sal. ℙ Metaphorice. *Hor. A. P.* 445. inertes versus reprehendere. ℙ Metonymice dicitur de iis, quae pigros et inertes faciunt. *Cic. Fat.* 13. Iners genus interrogationis. V. IGNAVUS. *Ov. Met.* 8, 791. Frigus iners; et *Amor.* 2, 10, 19. inertes somni. *Plin.* 16, 43, 43. Viridia ligna serrarum dentes replent aequalitate inerti, *h. e.* quae serram reddit secando ineptam. ℙ Ponitur et pro minime strenuo, imbelli, infirmo. *Virg. A.* 4, 158. Spumantemque dari pecora inter inertia votis Optat aprum. ℙ Item pro minime vafro, incallido. *Prop.* 2, 23, 10. Tendis iners docto retia nota mihi. ℙ *Iners censoria nota* ap. *Liv.* 24, 18. est quae a censoribus inuritur iis, qui militiam detrectarunt, et sine causa vacatione armorum usi sunt. [*V. *interprr.* ad h. l.] ℙ *Iners victoria*, quae nullo aut exiguo labore ac certamine, et fortuna potius, quam virtute parta est. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 4, 452. [*Adde *Ov. Met.* 7, 544. Leto moriturus inerti, i. e. sine sanguine. Sic *ignava mors* ap. *Sil.* 9, 512.] ℙ In bonam partem accipitur in illo *Tibulli* 1, 1, 5. Me mea paupertas vitae traducat inerti, *h. e.* quietae, sine curis ac negotiis, ἀναφαξίᾳ, καὶ ἀπραξίᾳ. ℙ In sexto casu singulari fere in *i* desinit. Poetice autem etiam in *e. Ov. Pont.* 1, 5, 8. estque minor factus inerte situ; et *ib.* 10, 14. Stabit et in stomacho pondus inerte diu.

[INERSITUDO, inis, f. eadem ac inertia. *Gloss. Philox.* Inersitudo, ἀθυμία. *F.*]

INERTIA, ae, f. ἀτεχνία, ignoratio omnis artis, imperitia. V. INERS. *Cic. Part.* 10. Animi spectantur, quomodo affecti sint, virtutibus, vitiis; artibus, inertiis. *Petr. Sat.* 135. Illa inertiam meam accusans, etc., dentibus folliculos perite spoliat. ℙ Item artis defectus, cum scilicet artem aliquam exercere non licet, vel cum nihil agi potest. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Ubi eos paulatim expulsos agris, inertia atque inopia incertas domos habere coegit. ℙ Item saepissime pigritia, desidia, ignavia, ῥᾳθυμία. Ab ignavia, et desidia quomodo differat, in iis vocibus dictum est. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. Inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio. *Cic. Or.* 1, 15. Duo illa relinquamus: idque largiamur inertiae nostrae. *Id. Cat.* 1, 2. Jam me ipsum inertiae nequitiaeque condemno. *Id. Or.* 1, 41. Castigare segnitiem hominum, atque inertiam. *Sall. Cat.* 56. Inertia, et mollitia animi. *Cic. Rosc. Com.* 8. Propter inertiam laboris, *h. e.* fugam. [**Vell.* 2, 42, 4. Quippe sequebatur invidia inertiam: ubi recte *Ruhnk. Cl. Oudendorpii* conjecturam, *avaritia* pro *invidia* legentis, rejecisse videtur; coll. *Sen. Tranqu.* p. 345. Alit enim livorem infelix inertia: et omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere; et *Cic. Phil.* 10, 2. Verum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius, qui suae confideret, virtuti invidere.] *Liv.* 33, 45. *f.* Inertia operis. *Hor. Ep.* 1, 11, 28. Strenua nos exercet inertia. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Libertatem per inertiam amittere.

INERTĬCŬLUS, a, um, adj. dimin. *Inerticula* appellatur genus vitis, de qua ita *Colum.* 3, 2. *med.* Inerticula tamen nigra, quam quidam Graeci amethyston (ἀμέθυστον) appellant, potest in secunda quasi tribu esse, quod et boni vini est, et innoxia: unde etiam nomen traxit, quod iners habeatur in tentandis nervis, quamvis gustu non sit hebes. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. Inerticulam e nigris appellavere, justius sobriam dicturi, inveterato praecipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam: siquidem temulentiam sola non facit.

INERŪDĪTE, adv. ἀπαιδεύτως, non erudite. *Quint.* 1, 10. *med.* Non inerudite ad declamandum ficta materia. *Gell.* 7, 3. Inerudite, et ἀναγώγως principio nimis insolenti usus est *(Cato).*

[INERŪDĪTIO, onis, f. eruditionis defectus. *Gloss. Philox.* Ineruditio, ἀπαιδευσία. Usurpat etiam *Vulg. Interpr. Eccli.* 4, 30. *F.*]

INERŪDĪTUS, a, um, adj. ἀπαίδευτος, non eruditus, indoctus, illitteratus. *Cic. Fin.* 1, 21. Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, etc. *Id. Acad.* 4, 43. Ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat. *Quint.* 10, 1. Ineruditus judex. *Suet. Gramm.* 15. Sallustius Catonis verborum ineruditissimus fur. ℙ Translate. *Quint.* 1, 12. *extr.* Quanto plus delectationis habiturus, quam ex ineruditis voluptatibus?

INERVO. V. ENERVO.

*INESCATĬO, onis, f. *August. B. A.*

*INESCATORĬUM, i, n. *Sarisb.* 3, 7. Gratia inescatorium est lucri. *B. A.*

INESCĀTUS, a, um, part. ab *inesco: δελεασθείς*, esca captus: et translate deceptus. *Liv.* 22, 41. Quin potius credere velut inescatam temeritatem ferocioris consulis. Adde *Flor.* 3, 5. ℙ Proprie est esca repletus. *Appul. Met.* 9. Gravi odore sulphuris juvenis inescatus, atque obnubilatus. *Id. ib.* 7. Canes largissimae coenae reliquiis, rapinisque inescati, atque distenti.

INESCO, as, a. l. δελεάζω, proprie est pisces et aves esca captare. Translate sumitur pro decipere, allicere. *Ter. Ad.* 2, 2, 12. Nescis inescare homines, Sannio. *Petr. Sat.* 140. Sicut muta animalia cibo inescantur, sic homines non caperentur spe, nisi aliquid morderent. *Liv.* 41, 23. Specie parvi beneficii inescamur. *Sen. ep.* 74. *med.* Nec quidquam ex his hominem inescantibus ad Deum pertinet. *Vell.* 2, 13. Inescandae multitudinis causa.

[INĒSUS, a, um, adj. non comesus. *Gloss. Philox.* Inesus, ἄβρωτος. *F.*]

INĒVECTUS, a, um, adj. idem ac evectus. *Virg. Cul.* 310. Cur aliquis propriae fortunae munere dives Tendit inevectus coelum super? Adde *ib.* 100.

INĒVĪTĀBĪLIS, e, adj. ἀδιάδραστος, qui vitari non potest. *Sen. Q. N.* 2, 50. Mala inevitabilia. *Albin.* 2, 443. Sed rigidum jus est, et inevitabile mortis. *Curt.* 4, 6. Inevitabile fatum. *Tac. A.* 1, 74. crimen.

INĒVĪTĀBĪLĪTER, adv. *August. Enchir.* 13. Inevitabiliter nos compellit.

INĒVŌLŪTUS, a, um, adj. non evolutus. *Mart.* 11, 1. *ad librum suum:* Vadas et redeas inevolutus.

INĒVULSĪBĪLIS, e, adj. non evellendus, indissolubilis, indivulsus. *August. Bapt. contra Donat.* 3, 10. Universae Ecclesiae inevulsibile membrum esse gaudebat.

INEXĀMĪNĀTUS, a, um, adj. *Firmic. Math.* 1, 2. Inexaminatae partis allegationes. *Capell.* 9, 303. Inexaminatas mulieres explodere.

INEXCĪTĀBĪLIS, e, adj. qui excitari non potest. *Sen. ep.* 83. *med.* Oppressus inexcitabili somno.

INEXCĪTUS, a, um, adj. non excitus, non excitatus. *Virg. A.* 7, 623. Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante.

INEXCOCTUS, a, um, adj. non excoctus. *Sidon. carm.* 7, 380. pando pronus aratro Vertit inexcoctam per pinguia jugera glebam.

INEXCOGĪTĀBĪLIS, e, adj. qui excogitari non potest. *Lact.* 1, 8. Inexcogitabilis, et nulli alii satis notus. Adde *Tert. adv. Valent.* 37.

INEXCOGĪTĀTUS, a, um, adj. qui excogitatus, et praemeditatus non est. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. Novum et inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille rex.

INEXCULTUS, a, um, adj. ἄκομψος, ἀνέργαστος, inornatus. *Gell.* 13, 22. Villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praelitas fuisse dicit.

INEXCŪSĀBĪLIS, e, adj. ἀναπολόγητος, qui excusari non potest. *Hor. Ep.* 1, 18, 58. ne te retrahas, et inexcusabilis abstes. *Ov. Met.* 7, 511. felix et inexcusabile tempus, *h. e.* in quo nulla excusatio afferri potest. *Ulp. Dig.* 5, 1, 50. Inexcusabilia onera, *h. e.* quae detrectare non licet.

INEXCUSSUS, a, um, adj. non excussus. *Virg. Cul.* 300. Assidet hac juvenis, sociat quem gloria, fortis, Acer, inexcussus. ℙ Item inexaminatus. *Scaev. Dig.* 33, 8, 23., sed ibi est interpretatio Graecae vocis ἀνεξέταστος.

INEXERCĪTĀTUS, a, um, adj. ἀγύμναστος, non exercitatus. *Cic. Sen.* 18. Nec tanquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. *Id. Tusc.* 2, 16. Rudis et inexercitatus miles. *Id. Or.* 2, 17. Homo non hebes, neque inexercitatus; et *Brut.* 36. Promptus et non inexercitatus ad dicendum. *Auct. dial. de Or.* 5. Inexercitata eloquentia. *Cels. praef. f.* Famem facilius inexercitatus, quam exercitatus homo sustinet.

INEXERCĪTUS, a, um, adj. idem ac inexercitatus. *Macr. Sat.* 7, 8. Disarium nostrum inexercitum non relinquo. Affertur et locus *Cic. Tusc.* 5, 39. Asclepiadem ferunt non ignobilem, nec inexercitum philosophum. [Alii melius leg. *non ignobilem Eretricum philosophum. F.*]

INEXĔSUS, a, um, adj. non exesus. *Minuc. Fel. Octav.* 35. Poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.

INEXHAUSTUS, a, um, adj. [*qui non exhauritur, qui exhauriri non potest. Ita *Virg. A.* 10, 174 Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis, i. e. fodinae quae exhauriri non possunt prae abundantia. Hinc dicitur de eo, quod furtis et rapinis belli non est vexatum, quod integrum permansit. *Sil.* 14, 686. Inexhaustas pax relinqueret urbes, i. e. non spoliatas, vastatas. Huc pertinet etiam locus *Tac. G.* 20. Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas. ℙ Hinc translate, Gr. ἀνεξάντλητος, i. q. nunquam esse desinit. *Cic. Fin.* 3, 2. Erat enim in eo inexhausta aviditas legendi.]

[INEXOPTĀBĪLIS, e, adj. non exoptabilis. *Not. Tir.* p. 106. Optabilis, exoptabilis, inexoptabilis. *F.*]

INEXORĀBĪLIS, e, adj. ἀπαραίτητος, implacabilis qui exorari non potest. *Cic. Sull.* 31. Ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum. *Liv.* 34, 4. *f.* Adversus te, et rem tuam, et liberos tuos inexorabiles. *Tac. A.* 11, 18. Inexorabilis delictis. *Gell.* 14, 4. Contra improbos nocentesque immisericors atque inexorabilis. *Id.* 1, 13. Ferox, durus, indomitus, inexorabilis. *Liv.* 2, 3. Leges rem surdam, inexorabilem esse. *Tac. H.* 1, 51. Inexorabilis disciplina, *h. e.* quae nunquam remittitur. *Ov. Met.* 5, 244. sed inexorabile durus Exerces odium. [**Ter. Ph.* 3, 2, 12. Adeon' ingenio te esse duro atque inexorabili.] *Virg. G.* 2, 491. inexorabile fatum. [**Sil* 16, 97. Inexorabilis Auster, i. e. durus, saevus.] ℙ Item qui impetrari non potest. *Val. Fl.* 5, 321. Annuet ipse, reor: neque inexorabile certe, Quod petimus. ℙ Translate. *Val. Max.* 4, 8. *extr. n.* 2. Arcae inexorabilibus claustris obseratae.

INEXORĀTUS, a, um, adj. non rogatus. *Ar-*

nob. 3, 114. Hoc est proprium Dei, inexorata beneficia praebere.

*INEXORTUS, a, um, adj. ἄναρκτον, inexortum. *Gloss. quod initio caret. B. A.*

INEXPECTĀTUS. V. INEXSPECTATUS.

INEXPĒDĪBĪLIS, e, adj. inexplicabilis. *Ammian.* 31, 13. *med.* Ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam.

INEXPĒDĪTUS, a, um, adj. non expeditus, non promptus, impeditus. *Arnob.* 7, 247. Inexpeditus in rebus obeundis. *Id.* 5, 182. Quia cuncta, quae scripta sunt, inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare.

INEXPĒRIENTIĀ, ae, f. *Tert. Anim.* 20. Obtundunt inscitiae, inexperientiae, otia, vitia.

INEXPERRECTUS, a, um, adj. non experrectus. *Ov. Met.* 12, 317. In tanto fremitu ductis sine fine jacebat Sopitus vinis, et inexperrectus Aphydnas.

INEXPERTUS, a, um, adj. passive, ἄπειρος, non expertus, intentatus. *Virg. A.* 4, 415. Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat. [*Tibull.* 2, 1, 56. Inexperta ars, i. e. cujus nullum factum periculum, nova, intentata.] *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Genus quaestionis inexpertum. *Tac. H.* 2, 75. Legiones civili bello inexpertae. *Liv.* 28, 18. *f.* Committere se in fidem inexpertam. *Id.* 23, 18. *med.* Exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana saepe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. *Id.* 6, 18. Animus ad contumeliam inexpertus. *Val. Fl.* 1, 97. inexpertos tentare parentibus Austros Aesoniden. [*Sil.* 3, 446. Inexpertae arces, i. e. nemini adhuc transitae.] ℙ Active, qui expertus non est, qui periculum non fecit. *Hor. Ep.* 1, 18, 86. Dulcis inexpertis cultura potentis amici. Expertus metuit. *Ov. Her.* 12, 23. Jussus inexpertam Colchos advertere puppim. *Tac. A.* 16, 5. Quique per longinquas provincias lasciviae inexperti. [*Tibull.* 1, 7, 31. Primus inexpertae commisit semina terrae: i. q. *Val. Fl.* 1, 69. ignaras Cereris terras dixit.] ℙ *Inexpertum carmen* ap. *Stat. Silv.* 4, 5, 11. est adhuc contentum domi, necdum prolatum, recitatumve.

INEXPĪĀBĪLIS, e, adj. ἀκάθαρτος, qui expiari non potest. *Cic. Tusc.* 1, 12. Nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent. *Id. Har. resp.* 27. Inexpiabile scelus. ℙ Translate sumitur pro implacabili. *Liv.* 39, 31. Inexpiabile odium Romanorum in Annibalem. *Id.* 4, 35. Inexpiabile bellum, [*i. e. culpa belli contracti inexpiabilis: Gr. πόλεμος ἀσπεισιος.] *Cic. Pis.* 3. Sese alicui implacabilem inexpiabilemque praebere. [*Quint. Inst.* 2, 16, 2. Sed bella etiam inexpiabilia excitentur: ubi v. *Spald.*, qui plura laudat. Adde *Suet. Caes.* 78. Inexpiabilem sibi invidiam movit, i. e. nullo modo placandam, itaque exitiabilem, quod suasit *Oudend.* etiam *Brem.*]

INEXPĪĀBĪLĪTER, adv. modo inexpiabili. *August. de Gen. ad litt.* 11, 13. Inexpiabiliter corruptus atque perversus.

INEXPĪĀTUS, a, um, adj. non expiatus. *August. ep. ad Dioscor.* 56. *in.* Dedecus inexpiatum remanet.

[INEXPLĀCĀBĪLIS, e, adj. non explacabilis. *Not. Tir.* p. 106. Placabilis, implacabilis, explacabilis, inexplacabilis. *F.*]

INEXPLĀNĀBĪLIS, e, adj. inexplicabilis. *Capell.* 4, 95. Nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur.

INEXPLĀNĀTUS, a, um, adj. non planus, impeditus, ut inexplanata lingua, *h. e.* impedita. *Plin.* 11, 37, 65. Metellum pontificem linguae adeo inexplanatae fuisse accepimus.

INEXPLĒBĪLIS, e, adj. ἀσυμπλήρωτος, qui expleri non potest, insatiabilis. *Cic. Tusc.* 5, 6. Omnia rapide appetentem cum inexplebili cupiditate. *Liv.* 28, 17. Vir inexplebilis virtutis veraeque laudis. *Plin.* 11, 25, 30. Scorpiones cum sitiunt, *(sunt)* inexplebiles potu. *Just.* 31, 8. Inexplebile desiderium videndi. *Sen. ep.* 89. *extr.* Inexplebilis stomachus. *Id. Cons. ad Helv.* 15. Ubi colloquia, quorum inexplebilis eram? [*Tac. H.* 2, 62. epularum foeda et inexplebilis libido; et cp. 95. inexplebiles Vitellii libidines: ita saepius utuntur h. v. Taciti aequales serioresque.]

INEXPLĒTUS, a, um, adj. non expletus, inexplebilis. *Ov. Met.* 3, 439. de Narcisso: Spectat inexpleto mendacem lumine formam, [*i. e. quod contemplanda imagine expleri, satiari non poterat.] *Stat. Silv.* 3, 3, 8. inexpleto rumpentem pectora questu. *Id. Th.* 2, 518. Inexpleta alvus. *Val. Fl.* 6, 762. Semper inexpletis agnoscit Iasona curis. *Stat. Th.* 6, 703. Ardet inexpleto saevi Mavortis amore; et *ib.* 4, 473. et formidabile regnum Mortis inexpletae; et *ib.* 8, 482. inexpleto rapitur per millia ferro. Sic 667. Inexpletae caedes, *h. e.* plurimae quidem, sed quae nondum tamen crudelitatem explevere. Adde *ib.* 4, 474. [*Lucan.* 2, 176. inexpleto non fanda piacula busto, i. e. insatiabili: quasi ejus ira, qui vindicabat Catulum, integra semper surrexerit, quoties occisi fratris recordabatur. Ita *Cort.*, q. v. plura ad h. l. laudantem.] ℙ *Inexpletum* adverbii more, *Virg. A.* 8, 559. Inexpletum lacrimans.

INEXPLICĀBĪLIS, e, adj. ἄλυτος, involutus, impeditus, difficilis, unde se facile expedire quis nequit. *Cic. Att.* 8, 3. *f.* O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! atqui explicanda est. [*Adde *ib.* 10, 2. et 15, 9.] *Liv.* 40, 33. Inexplicabiles continuis imbribus viae. *Id.* 37, 52. Cum aliquandiu hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes invicem, non magis mutua, quam inexplicabili facilitate certatum esset. *Quint.* 5, 10. *med.* Laquei inexplicabiles. *Curt.* 3, 1. Inexplicabile vinculum. *Tac. A.* 3, 73. bellum. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Inexplicabilis error viarum. *Gell.* 14, 2. ambiguitas. ℙ Item inenarrabilis, ἀνέκφραστος, ἄπορος. *Cic. Acad.* 4, 29. *extr.* Haec inexplicabilia esse dicitis. [*Ib.* cp. 30. Postulant, ut excipiantur haec inexplicabilia.] *(ἄπορα* Graece haec dici, *Gell.* 9, 15. docet: et ad dialecticos pertinent.) *Plin.* 34, 7, 17. Inexplicabilis multitudo. *Id.* 23, 1, 19. De generibus singulis disserere immensum et inexplicabile est.

INEXPLICĀBĪLITER, adv. *Appul. Met.* 2. *f.* Cetera corporis inexplicabiliter ad regulam congruentia, *h. e.* ita ut explicari verbis non possit. *August. ep.* 255. *med.* Inexplicabiliter implicare.

INEXPLICĀTUS, a, um, adj. non explicatus. *Arnob.* 7, 219. Quas tamen nos partes inexplicatas transcurrimus, atque intactas.

INEXPLICĪTUS, a, um, adj. inexplicatus, inexplicabilis. *Stat. Th.* 2, 510. de Sphinge: Conlustrat campos, si quis concurrere dictis Hospes inexplicitis, aut comminus ire viator Audeat. *Mart.* 9, 48. Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas.

INEXPLORĀTĒ, adv. ἀκαταισκόπως, ἀνεξετάστως, sine exploratione, et inquisitione. *Gell.* 5, 19. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur.

INEXPLORĀTO, adv. idem ac inexplorate. *Liv.* 21, 25. Ibi inexplorato profectus, in insidias praecipitatus, etc. *Id.* 22, 4. Inexplorato angustiis superatis, *h. e.* non explorato itinere per speculatores praemissos. [*Ita saepissime ap. *Liv.*]

INEXPLORĀTUS, a, um, adj. ἀνεξέταστος, non exploratus, non investigatus, non ante cognitus, incompertus, obscurus. *Liv.* 26, 48. Inexplorata stagni vada. [*Cf. 39, 51. Adde 43, 4. Vicina etiam inexplorata erant.] *Plin.* 35, 6, 25. Apportatur et Indicum ex India, inexploratae adhuc inventionis mihi.

INEXPUGNĀBĪLIS, e, adj. ἀνάλωτος, qui expugnari non potest. *Liv.* 2, 7. Ibi alto et munito loco arcem inexpugnabilem fore. [*Adde 5, 6. et *Vell.* 2, 115, 4. Quippe Perustae ac Desitiates Delmatae, situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, sed praecipue angustiis saltuum paene inexpugnabiles.] ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 14. Volumus enim, eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum. *Sen. ep.* 57. Naturalis affectio inexpugnabilis rationi. *Quint.* 7, 3. Verborum finitio inexpugnabilis. *Plin.* 33, 4, 21. Terra prope inexpugnabilis, *h. e.* quae perfringi et cavari non potest. *Ov. Met.* 5, 486. inexpugnabile gramen, *h. e.* inexstirpabile. *Plin.* 35, 13, 46. Lapis undis inexpugnabilis, *h. e.* qui ab undis non eroditur, consumiturve. *Ov. Met.* 11, 767. Non agreste tamen, nec inexpugnabile amori Pectus habens. *Arnob.* 7, 218. Inexpugnabilis necessitas. *Cels.* 3, 20. In hoc *(morbo)* marcor est, et inexpugnabilis paene dormiendi necessitas.

INEXPUGNĀTUS, a, um, adj. non expugnatus, non victus. *Paul. Nol. ep. ad Vitric.* 18. *n.* 5. Voluntas sanctis operibus, et pio ministratu inexpugnata.

INEXPŪTĀBĪLIS, e, adj. ἀσυλλόγιστος, cujus ratio et numerus iniri non potest. *Colum.* 9, 4. Nam inexputabilis erat numerus.

INEXSĀTŪRĀBĪLIS et Inexaturabilis, e, adj. ἀπλήρωτος. *Virg. A.* 5, 781. Junonis gravis ira, et inexsaturabile pectus. Al. leg. *nec exsaturabile. Arnob.* 2, 71. Inexsaturabilis appetitus.

[INEXSĒCRĀBĪLIS, e, adj. non exsecrabilis. *Not. Tir.* p. 152. Exsecrabilis, inexsecrabilis. *F.*]

*INEXSĒCUTIO, onis, f. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 34. Inefficacem illam inexsecutionem Alexander laboraret. Ita cod. pro *insectationem* vel *insecutionem. B. A.*

INEXSPECTĀTUS et Inexpectatus, a, um, adj. ἀπροσδόκητος. *Cic. Or.* 2, 55. Pro Dii immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! *Sen. ep.* 107. Nihil insolitum, nihil inexspectatum est. *Ov. Met.* 12, 65. inexspectatus in armis Hostis adest. [*Quint. Inst.* 9, 2, 24. Etiamsi quid nobis ipsis dicamus inexspectatum accidisse: ubi *cd. Ambr.* 1. *inexspectato*, sed rasum *o.* Hinc *Spalding.* addendum fortasse adverbium Lexicis putat.]

INEXSTINGUĪBĪLIS et Inextinguibilis, e, adj. qui exstingui non potest. *Lact.* 7, 19. Flamma inexstinguibilis. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 2, 479. Mala consuetudo diu importata est inexstinguibilis.

INEXSTINCTUS et Inextinctus, a, um, adj. *Ov. Fast.* 6, 297. Ignis inexstinctus templo celatur in illo. ℙ Translate. *Id. Ib.* 424. inexstincta conficiare fame; et *Trist.* 5, 14, 35. Aspicis, ut longo maneat laudabilis aevo, Nomen inexstinctum, Penelopea fides? *Id. Fast.* 1, 413. Inexstincta libido.

INEXSTIRPĀBĪLIS et Inextirpabilis, e, adj. *Plin.* 15, 20, 22. Radices multae atque altae, et ideo inexstirpabiles.

INEXSUPERĀBĪLIS et Inexuperabilis, e, adj. ἀνυπέρβλητος, qui superari non potest. *Liv.* 5, 34. de Alpib.: Quas inexsuperabiles visas, haud equidem miror. *Id.* 44, 35. Natura et operibus inexsuperabilis ripa videbatur. *Id.* 8, 7. Inexsuperabilis vis fati. [*Cf. *Lex. Liv.* s. h. v. Adde *Vell.* 2, 32, 4. Inexsuperabili manu terrarum orbem liberavit; coll. *ib.* 120, 4.] *Sen. ep.* 85. *med.* Beata vita bonum in se perfectum habet, inexsuperabile, *h. e.* quod a nullo alio bono vincitur. [*Inscr.* ap. *Orell.* 1373. Inexsuperabile donum.]

INEXTERMĪNĀBĪLIS, e, adj. qui exterminari non potest. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 10. ex *Sap.* 2, 23. Deus creavit hominem inexterminabilem.

INEXTRĪCĀBĪLIS, e, adj. unde se facile extricare atque expedire quis nequit. *Virg. A.* 6, 27. de labyrintho: Hic labor ille domus, et inextricabilis error. [*Sil.* 4, 584. Inextricabile litus, i. e. e quo evadere non est.] *Plin.* 20, 21, 86. Stomachi inextricabilia vitia, [*i. e. quae sanari non possunt.] ℙ Item qui avelli non potest. *Plin.* 16, 39, 74. Caedi tempestivum, quae decorticentur, cum germinant: alias cortice inextricabili. ℙ Translate est inexplicabilis, inenarrabilis. *Cic. Acad.* 4, 29. *extr.* Haec inextricabilia esse dicitis: *ἄπορα.* Al. leg. *inexplicabilia.* [*Ita *Orell.*] Et *Plin.* 11, 2, 1. Inextricabilis perfectio.

INEXTRĪCĀBĪLĪTER, adv. *Appul. Met.* 11. In extricabiliter contorta fatorum licia.

[INEXTRĪCĀTUS, a, um, adj. non extricatus. *Gloss. Philox.* Inextricatus, ἄτρητος. *F.*]

INFĀBRĒ, adv. ἀτέχνως, ἀκόμψως, inartificiose, inornate, impolite. *Liv.* 36, 40. In Gallicis vasis, non infabre suo more factis. *Hor. Sat.* 2, 3, 22. Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset. ℙ *Non.* 1, 192. exponit etiam foede, ut *affabre*, pulcre: affertque illud *Pacuv.* (quem loc. habet etiam 4, 46.) Barbaricam pestem navibu' nostris obtulit, Nova figura factam, commissam infabre.

INFABRĪCĀTUS, a, um, adj. ἀκαταισκεύαστος, ἀνέργαστος, non fabricatus, impolitus. *Virg. A.* 4, 400. Frondentesque ferunt ramos et robora silvis Infabricata fugae studio.

INFĀCĒTĒ et Inficete, adv. ἀκόμψως, minime facete, rustice, ineleganter, insulse: et saepe praecedente negativa particula ponitur. *Vell.* 2, 33. *extr.* Quem haud infacete Pompejus Xerxem togatum vocare assueverat. *Suet. Tit.* 20. Unde quidam urbanorum non infacete, Dicam, inquit, cum, etc. *Plin.* 35, 4, 8. Ostendens in tabula pictum inficetissime Gallum exserentem linguam. *(Cic. Or.* 2, 66. eandem rem narrat.)

INFĀCĒTIAE, arum, f. plur. res, aut dicta infaceta, ineptiae. *Catull.* 36, 19. At vos interea venite in ignem Pleni ruris et infacetiarum, Annales Volusi. Al. leg. *inficetiarum.*

INFĀCĒTUS et Inficetus, a, um, adj. ἄκομψος, minime facetus, insipidus, insulsus, inurbanus, illepidus. Fere particulae negativae postponitur. *Cic. Off.* 3, 14. Canius nec infacetus, et satis litteratus. *Id. Coel.* 29. Non inficetum mendacium. [*Ante Gruterum leg. *infacetum.*] *Suet. Gramm.* 23. Non infaceto dicto notatus. *Mart.* 5, 78. Sed quod grave sit, nec infacetum Parvi tibia condyli sonabit. ℙ Item rudis, rusticus, fatuus, elegantiarum expers atque ignarus. *Catull.* 43, 1. Tecum Lesbia nostra comparatur? O saeclum insipiens et inficetum! *Pl. Truc.* 2, 4, 4. Qui tam infacetus Lemno adveniens, qui tuae Non des amicae suavium? *Catull.* 22, 14. Idem inficeto est inficetior rure. [*Doederl.* 2, 83. ita discrimen ponit inter *infacetus* et *inficetus*, ut hoc sensu affirmativo hominem significet, stultum, ineptum; illud negative de eo dicatur, qui animi alacritate, solertia caret.]

INFACTUS pro Infectus legitur a nonnullis ap. *Tert. Apol.* 11.

INFĀCUNDIĀ, ae, f. ἡ ἐν τῷ λέγειν ἀπειρία, imperitia loquendi, aut dicendi, infantia. *Gell.* 11, 16. *f.* Hujus tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet infacundia, qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissime dicere, quod a Graecis perfectissime uno verbo, et planissime dicitur.

INFĀCUNDUS, a, um, adj. ὁ ἐν τῷ λέγειν ἄπειρος, non facundus, infans, imperitus dicendi aut loquendi. *Liv.* 4, 49. *med.* Tribunus plebis vir acer, nec infacundus. *Gell.* 18, 3. Vir inopi lingua et infacundus. *Liv.* 7, 4. *f.* Quod filium juvenem in opus servile dederit, quia infacundior sit et lingua impromptus.

INFAECO, as, a. 1. faece polluo, maculo, con-

spurco. *Tert. Anim.* 53. *f.* Animam concretione carnis infaecat.

INFALSĀTUS, a, um, adj. corruptus, ut Infalsati codices, *August. contra Faust.* 13, 4. *f.*

*INFAMATIO, onis, f. *JCt. B. A.*

*INFAMĀTOR, oris, m. *Digest. B. A.*

INFĀMĀTUS, a, um, part. ab *infamo:* vituperatus. *Nep. Alcib.* 11. Hunc infamatum a plerisque tres historici laudibus extulerunt. *Ov. Met.* 14, 446. infamataeque relinquunt Tecta Deae.

INFĀMIA, ae, f. δυσφημία, malus sermo dissipatus, malus rumor, mala fama. *Ov. Met.* 1, 211. Contigerat nostras infamia temporis aures; [*i. e. rumor de perversitate hominum hujus temporis.] et 215. minor fuit ipsa infamia vero. ℙ Item ἀδοξία, nota ex mala fama, probrum, turpitudo nominis, macula. *Caes. B. G.* 7, 56. Cum infamia atque indignitas rei impediebat. *Pl. Pers.* 3, 1, 27. Hominum immortalis est infamia: etiam tum vivit, cum esse credas mortuam. *Ter. Andr.* 2, 6, 13. Haec res est mihi infamiae. *Cic. Cluent.* 22. Illa judicia senatoria insigni turpitudine notata, atque operta dedecore et infamia. *Id. Cat.* 1, 6. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae? *Id. Tusc.* 4, 20. Ignominiam et infamiam ferre sine dolore. *Ter. Heaut.* 2, 3, 18. In summa infamia esse. *Cic. Att.* 4, 18. Flagrare infamia. *Julian. Dig.* 3, 2, 1. notari. *Ulp. ib.* 6. laborare. *Nep. Alc.* 3. aspergi. *Cic. Verr.* 1, 12. urgeri; et *ib.* 2, 3, 60. *extr.* Ex infamia eripere; et *ib.* 1, 15. liberare. *Hirt. B. G.* 8, 30. De re aliqua infamiam capere. *Justin.* 3, 4. colligere. *Caes. B. G.* 6, 22. habere. *Ulp. l. c.* 13. alicui irrogare. *Cic. Coel.* 18. inferre. *Liv.* 44, 25. *extr.* movere. *Tac. A.* 14, 22. ferre alicui; et 56. alicui parare. *Justin.* 3, 7. acquirere alicui. *Caes. B. C.* 3, 74. sarcire. *Justin.* 30, 3. expiare. *Suet. Caes.* 79. discutere. *Id. Aug.* 71. refutare. *Id. Dom.* 1. Primae adolescentiae tempora tanta infamia gessisse fertur, ut, etc. *Id. Aug.* 55. Libellos ad infamiam cujusquam edere. *Tac. A.* 12, 4. Trahere aliquid ad infamiam, *h. e.* infamem reddere. *Suet. Aug.* 68. Variorum dedecorum infamiam subire. *Ov. Fast.* 1, 551. Cacus Aventinae timor atque infamia silvae, *h. e.* qui silvam Aventinam infamem reddidit. Sic *Met.* 8, 97. Dii te submoveant, o nostri infamia saecli, Orbe suo. [*Notari etiam poterant ista: *Vell.* 2, 33, 2. Infamia pecuniae, i. e. quam Lucullus collegerat ex pecuniae cupidine. Laud. *Ruhnk.* ad h. l. *Caes. B. C.* 1, 4. Infamia duarum legionum, i. e. quam Pompejus sibi contraxerat ob duas legiones interceptas: ubi v. *Moeb.*] ℙ In plur. num. *Pl. Pers.* 3, 1, 19. si ad paupertatem admigrant infamiae, Gravior paupertas fit. *Tac. A.* 4, 33. Qui, Tiberio regente, poenam, vel infamias subiere.

INFĀMIS, e, adj. ἄτιμος, qui ob scelus, aut turpitudinem mala fama est, male audit, turpis, famosus, vitiis notus. *Cic. Font.* 11. Turpis adolescentia, vita infamis. *Tac. G.* 14. Infamis et probrosus. *Cic. Cluent.* 47. Homines ceteris vitiis, atque omni dedecore infames. *Id. Verr.* 2, 4, 9. Multas familias in perpetuum infames tuis flagitiis fecisti. *Tac. H.* 2, 56. Valens ob lucra et quaestus infamis. *Id. A.* 1, 73. Infamis corpore, *h. e.* flagitiis; et *ib.* 6, 7. Infamis per flagitia. [*Tibull. 2, 4, 38. ut infamis hic deus esset amor: quippe qui puellarum avaritia juvenes bonis exuat et perdat.] ℙ Metonymice. *Plin. ep.* 7, 27. Spatiosa et capax domus; sed infamis et pestilens. *Cic. Div. Verr.* 7. Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami, et nefaria, *h. e.* quae corruptis judicibus infamiam peperit. V. quae *Ascon. ib. Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod.* 10, 31, 34. Infamissima utilitas. ℙ *Infamis digitus* est medius, qui et impudicus ob penis similitudinem dicitur. V. IMPUDICUS. *Pers.* 2, 33. uda labella Infami digito, et lustralibus ante salivis Expiat. ℙ *Infamis in aliquem* dicitur, qui alicui infamiam creat, praesertim stupro oblato. Interdum enim *infamis* absolute dicitur, qui libidinum probro laborat. *Quint.* 9, 2. *med.* et *decl.* 19. Pater, qui infamem in matrem filium secreto occidisset. *Petr. Sat.* 92. Nescio quis eques Romanus, ut ajebant, infamis. *Quint.* 6, 3. *med.* Dicebantur infames feminae ad eam convenire solitae. ℙ Dicitur de rebus inanimis, et de locis, in quibus aut scelus aliquod commissum est, aut periculum inest ac pernicies. *Ov. R. Am.* 254. Non anus infami carmine rumpet humum. [*Id. Met. 7, 269. Addit — Et strigis infames — alas: *scil.* quod strigis alae adhibebantur in arte magica. V. quae laudat in h. rem *Gierig.* et *Jahn.*] *Liv.* 8, 18. Quorum mors infamem annum pestilentia fecit. *Id.* 21, 31. Infames frigoribus Alpes. *Id.* 44, 24. *extr.* Quae colloquia occulta et legationes infames quidem erant, sed quid actum esset, ignorabatur. *Hor. Sat.* 2, 2, 47. Gallonl praeconis erat acipensere mensa Infamis, *h. e.* propter nimios sumptus. (De hac re exstant *Lucilii* versus ap. *Cic. Fin.* 2, 8.) *Id. Od.* 1, 3, 20. Infames scopulos Acroceraunia, *h. e.* propter crebra naufragia. *Stat. Th.* 1, 333. Infames Scirone petrae, *h. e.* propter latrocinia et caedes Scironis. [*Ov. *Met.* 4, 285. infamis Salmacis, *scil.* quod ex eo bibentes eoque se lavantes effeminet, molliatque. V. *Gierig.* ad h. l.] ℙ *Infames materias* appellat *Gell.* 17, 12. quas Graeci ἀδόξους ὑποθέσεις, *h. e.* ignobiles, viles, et de quibus mala apud omnes opinio est, ut febris, Thersites, asinus, musca, quorum laudes non defuere qui animi causa, ostendendique ingenii, luculentis scriptionibus persequerentur.

INFĀMISSĪMĒ, adv. superlat. ab infamiter (cujus tamen adhuc exempla non vidimus.) *Capitol. Pert.* 13. *extr.* Cornificiae infamissime dicitur adhaesisse.

INFĀMO, as, avi, atum, a. l. ἀτιμάζω, infamia afficio, ignominiam vel notam inuro. *Cic. Fam.* 9, 12. Ut tua moderatio et gravitas aliorum infamet injuriam: *Prop.* 3, 9, 28. Juppiter infamat seque suamque domum. *Ov. Pont.* 3, 6, 43. Desine mitem animum vano infamare timore. Alii leg. *inflammare.* Al. *informare. Sil.* 3, 273. ferrum infamare veneno, *h. e.* imbuere. Al. leg. *inflammare. Sen. ep.* 22. Non est, quod quisquam illos apud te temeritatis infamet. *Petr. Sat.* 6. Sententias rident, ordinemque totius dictionis infamant, *h. e.* carpunt, damnant, explodunt. *Stat. Th.* 7, 416. Acheloon utroque Deformem cornu vagus infamabat Acarnan, *h. e.* vulgabat, diffamabat. *Claud. B. G.* 513. Insanos infamat navita montes, *h. e.* infami nomine insanos appellat. *Colum.* 1, 7. Ita fit, ut et actor et familia peccent, et ager saepius infametur, *h. e.* agro imputetur peccatum familiae, et domini damnum. *Id.* 9, 8. Non sunt degeneres apes intermiscendae, quae infament generosas. *Stat. Th.* 9, 96. Funera infamantia bellum. *Liv.* 40, 7. Infamandae rei causa januam obserare jubet.

INFANDUS, a, um, adj. ἄῤῥητος, inenarrabilis, nefandus, exsecrandus: is, de quo quis fari non debet, vel non potest. Fere in malam partem sumitur, scil. de rebus turpissimis, aut miserrimis. [*Differunt *infandus* et *nefandus*: illud dicitur de eo quod propter ingentem facinoris magnitudinem proloqui nemo potest; hoc respicit rem, quam pronuntiare propter atrocitatem nemo vult aut nemini licet. *Doederl.* 2, 150.] *Cic. Or.* 2, 79. Res crudelis, infanda, praeter opinionem. *Id. Sext.* 55. Vix homines odium suum a corpore ejus impuro atque infando represserunt. *Virg. A.* 2, 3. Infandum regina jubes renovare dolorem. *Id. ib.* 4, 85. infandum si fallere possit amorem; et *ib.* 1, 601. infandos Trojae miserata labores; et *ib.* 4, 613. Infandum caput, *h. e.* homo exsecrabilis; et *ib.* 7, 583. infandum contra omina bellum; et *ib.* 8, 578. infandum casum Fortuna minaris; et *ib.* 10, 673. infanda mors; et *ib.* 2, 132. infanda dies; et *ib.* 3, 644. infandi Cyclopes; et *ib.* 8, 483. infandae caedes. ℙ Absolute. *Id. ib.* 8, 489. infanda furentem Armati circumsistunt. *Lucan.* 5, 307. Passurasque infanda nurus. *Sen. Oedip.* 15. infanda timeo. *Quint. Varius* ap. *Quint.* 3, 8. *med.* Jam fero infandissima, jam facere cogor. ℙ Ritu adverbii. *Virg. A.* 1, 255. Navibus (infandum!) amissis, unius ob iram, etc.

INFANS, antis, adj. ἄλαλος, qui fari nescit, vel nequit: ab *in* privativa, et *fari. Cic. Div.* 1, 53. Scribit Herodotus, Croesi filium, cum infans esset, locutum. ℙ Item indisertus, infacundus, dicendi imperitus. *Id. Brut.* 26. *f.* Quae historia neque nimis est infans, neque perfecte diserta. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore infantius. *Id. Cluent.* 18. *extr.* Ut timerem, si nihil dixissem, ne infantissimus; si multa, ne impudentissimus existimarer. *Auct. ad Her.* 2, 11. Dialectici dum caute et expedite loqui volunt, infantissimi reperiuntur. *Hor. Sat.* 1, 6, 57. Infans namque pudor prohibebat plura profari. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Varr.* ap. *Non.* 1, 275. Infantior, quam meus est mulio: *proverb.* ℙ Saepe dicitur de puero, qui nondum fari coepit. *Varr. L. L.* 5, 7. Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem: ab eo, antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes. *Cic. Cluent.* 9. Cum haberet ex Naevia infantem filium. *Id. Or.* 2, 39. Omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Id. Rosc. Am.* 53. Infantium puerorum incunabula; et *Verr.* 2, 1, 58. Iste infanti pupillae fortunas patrias ademit. *Ov. Fast.* 6, 145. Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis, *h. e.* pectora puerorum; et *ib.* 4, 208. Tutus ut infanti vagiat ore puer. *Id. Her.* 9, 86. infans manus; et *ib.* 11, 119. infantes umbrae, *h. e.* manes puerorum. ℙ Absolute. *Cic. Fin.* 2, 11. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem. *Caes. B. G.* 7, 28. Non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. *Liv.* 31, 12. In Sabinis incertus infans natus, masculus, an femina esset. *Virg. A.* 6, 427. infantumque animae flentes. ℙ Dicitur et de fetu in utero. *Liv.* 24, 10. Infantem in utero matris clamasse, etc. Adde *Cels.* 7, 29. et 5, 21. ℙ *Ab infante* est a puero. *Colum.* 1, 8. et *Sen. Ira* 2, 5. Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus. *Cels.* 7, 7. *n.* 15. In his, qui ab infantibus id vitium habent. ℙ [In *Inscr.* ap. *Grut.* 682, 9. et in alia ap. *Mur.* 1160, 11. dicitur *infans* puer annorum novem; in alia ap. *Grut.* 671, 13. itidem puella annorum duodecim; et auriga in alia, quam vide in V. BIGARIUS. *Inscr.* ap. *Guarini, Ricerche di Eclano* p. 113. C. Pontio Hygino infanti dulcissimo decurioni C. Cogitatus pater. V. DECURIO. Alia ap. *Labus., Ant. marm.* p. 4. C. Julio Ingenuo *Clarissimo Iuveni* Trib. Leg. III Ital. Tib. Claud*ius* Victor *Vir Egregius* infanti benigno plura de se merenti. V. *eund. ib.* p. 31., ubi plurima huc pertinentia. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Att.* 10, 18. Illa Hortensiana omnia fuere infantia, *h. e.* puerilia, non enim, quae promiserat, praestitit. ℙ Per catachresin usurpatur de brutis animalibus. *Plin.* 10, 33, 49. de halcyonibus: Nidum mollibus plumis consternunt, ne durus sit infantibus pullis: et *ib.* 61, 81. de vespertilione: Mater geminos volitat amplexa infantes. *Id.* 29, 5, 32. Infantes catuli. Adde *Mart.* 13, 97. ℙ Item de rebus inanimis. *Plin.* 22, 22, 46. Infans boletus, *h. e.* recens editus. *Hor. Sat.* 2, 5, 39. *(fortasse ex persona alterius poetae)* rubra Canicula findet Infantes statuas, *h. e.* e recenti et viridi ligno factas: [alii exponunt *mutas. F.* *Illud praeferendum. V. *Heindf.*] ℙ *Infans*, infandus. *Accius* ap. *Non.* 1, 275. et 4, 478. Infans facinus.

INFANTĀRIUS, a, um, adj. ab *infans.* Infantaria a *Mart.* 4, 88. dicitur mulier, quae infantes amat, vel quae infantem gestat. ℙ Hinc *infantarii* dicebantur, quos olim in Christianorum coetus infantem sacrorum causa mactandum, et comedendum portare falso putabant ethnici. *Tert. ad nat.* 1, 2. Porrigenda quaestio in socios, consciosque. Perducerentur infantarii *(qui infantem attulerunt)*, et coqui *(qui coxere)*, et ipsi canes pronubi *(eversores luminum)*; emendata res esset. V. PRONUBUS. [*Plura addidit *F.*]

INFANTĪA, ae, f. ἀλαλία, ἀφωνία, inscitia, aut impotentia loquendi. *Lucr.* 5, 1029. ipsa videtur Protrahere ad gestum pueros infantia linguae. ℙ Item imperitia dicendi, jejunitas, orationis inopia. *Cic. Att.* 4, 16 *med.* Accusatorum incredibilis infantia. *Id. Or.* 3, 35. Neque infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, esse laudandam. *Suet. Gramm.* 4. Quae quidem omitti jam video desidia quorundam, et infantia. ℙ Item aetas hominis, qua nondum fari coepit, vel, si loquitur, non rationabiliter tamen et congruenter, νηπιότης. Ea usque ad septimum annum fere producitur, ut colligitur ex *Ulp. Dig.* 26, 7, 1. (V. AETAS.) *Quint.* 1, 1. Quantum in infantia praesumptum est temporis, adolescentiae acquiritur. ℙ Pro ipsis infantibus. *Plin.* 32, 2, 11. Surculi curalii, infantiae adalligati, tutelam habere creduntur. ℙ Per catachresin dicitur de prima brutorum aetate. *Plin.* 8, 44, 69. Infantia asini. *Id.* 11, 48, 108. Solidipedes in infantia scabunt aures posterioribus cruribus. *Id.* 10, 63, 83. Cervi ab infantia educati. ℙ Item de rebus inanimis recentibus. *Plin.* 15, 19, 21. Culices lacteum humorem, hoc est infantiam pomi, absumunt. *Colum.* 5, 5. *med.* Posito semini arundo adnectitur, quae velut infantiam ejus tueatur. *Macr. Sat.* 7, 7. *med.* Vinum cum in infantia est, dulce; cum pubescit, magis suave, quam dulce est. ℙ *Ab infantia*, a puero. *Tac. A.* 1, 4. Prima ab infantia eductus in domo regnatrice. ℙ Translate. *Juven.* 10, 199. madidique infantia nasi, *h. e.* destillatio nasi in senectute, qualis in infantia esse solet.

INFANTĪCĪDA, ae, m. et f. qui infantem occidit. *Tert. Apol.* 4.

INFANTĪCĪDĬUM, ii, n. caedes infantis. *Tert. Apol.* 2.

INFANTĪLIS, e, adj. ad infantem pertinens. *Just.* 17, 3. Parvulum infantilibus blandimentis inductus diu protexit. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. Infantilis vestis. *Appul. Met.* 5. Hic adhuc infantilis uterus gestat nobis infantem alium, si texeris nostra secreta silentio, divinum; si profanaveris, mortalem, *h. e.* parvus, paucis ab diebus praegnans; de Pneyche vero loquitur ex Cupidis gravida.

INFANTO, as, a. l. infantis instar nutrio. *Tert. adv. Marc.* 1, 14. Lactis et mellis societatem, qua suos infantat.

INFANTŪLA, ae, f. dimin. *Appul. Met.* 10. Habebat filiam parvulam de marito, huic infantulae quod leges successionem deferrent, etc. [Adde *Hieron. in Ezech.* 4, 16, 4. et 5. *F.*]

INFANTŪLUS, i, m. dimin. ab infans. *Appul. Met.* 8. Gerebamus infantulos et mulieres. Adde carmen lapidi incisum, ap. *Mur.* 1514, 3., [quod tamen sublestae fidei esse, jamdiu critici monuerunt ad *Anthol. Lat. Burm. T.* 2. p. 80., ubi legitur: Cresce puer, tu cresce infans, infantule cresce. *F.*]

INFARCIO et Infercio, is, si, tum, a. 4. ἐμπλάττω, implendi causa immitto, conjicio. *Colum.* 12, 53. Et maxime in eas partes, quibus ossa relicta sunt, largum salem infarcito. *Plin.* 33, 1, 6. Bracteas infarcire leviore materia. *Prud. Psych.* 459. infarcire crumenis Turpe lucrum. V. FORMACEUS. ℙ *Infercire verba*, inculcare et sine ordine insere-

re. *Cic. Or.* 69. Neque inferciens verba, quasi rimas expleat.

INFARSUS et Infersus, a, um, part. ab *infarcio*, impletus. *Tert. Pall.* 4. et *adv. Marc.* 3, 10.

*INFAS antique pro Infans, *Ennii* esse dicitur. Sed inde videtur sumtum, quod *H. Columna* ad *Ennium* p. 290. generatim dicit, veteres dixisse *adveneies, abses, infas*, pro *adveniens, absens, infans.* ℙ *Infas*, pro Nefas. *Gloss. Lat. Gr.* Infas, *ἀθέμιτον*. Cf. *Infans f. B. A.*

[INFASCĬNĂBĬLIS, e, adj. qui fascinari non potest. *Gloss. Philox.* Infascinabilis, *ἀβάσκαντος*. *F.*]

[INFASCĬNĀTĒ, adv. sine fascino. *Gloss. Philox.* Infascinate, *ἀβασκάντως*. *F.*]

INFASTĪDĪTUS, a, um, adj. *Sidon. carm.* 16, 124. Infastiditum fers ipse ad busta cadaver.

INFĂTĪGĂBĬLIS, e, adj. *ἀκάματος*, qui non defatigatur. *Plin.* 28, 19, 78. Dentes quidem eorum maximi equis quoque alligati, infatigabilem cursum praestare dicuntur. *Sen. V. B.* 7. Altum quiddam est virtus, regale, invictum, infatigabile. *Id. ep.* 66. *med.* Animum servare infatigabilem. [*Inscr.* ap. *Grut.* 317, 6. Ob infatigabilem pietatem ejus. Alia ap. *eund.* 408, 1. Rempublicam nostram infatigabili cura gubernat. *F.*]

INFĂTĪGĂBĬLĪTER, adv. sine fatigatione. *August. ep.* 32. *ad Paul.* Infatigabiliter gaudere.

INFĂTĪGĀTUS, a, um, adj. indefatigatus. *Capell.* 6, 190. Crepidas permenso orbe contritas viatrix infatigata gestabat.

[INFĂTĪGO, as, a. 1. non fatigo. *Not. Tir.* p. 118. Fatigat, fatigabilis; infatigat, infatigabilis. *F.*]

[INFĂTŪĀTUS, a, um, adj. fatuus et stolidus factus. *Lact.* 1, 5. *extr.* Nisi eos retrorsum infatuata parvis opinionibus consuetudo rapuisset. Ita legit *Bunemannus, Heumannus*, et optimae habent editt.: olim legebant *infucata*. *F.*]

INFĂTŪO, as, a. 1. *μωραίνω*, fatuum atque stolidum facio. *Cic. Phil.* 3, 9. Ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica. *Id. Fl.* 20. Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. [**Auct. B. Afr.* 16. Vos quoque iste verbis infatuavit.] *Sen. Suas.* 2. *f.* Sed ne vos diutius infatuem, finem suasoriae faciam. Adde *ep.* 59. *med.*

INFĂVORĂBĬLIS, e, adj. non favorabilis. *Cels. Dig.* 37, 6, 6. Nec infavorabilis sententia est.

INFĂVORĂBĬLĪTER, adv. sine favore. *Ulp. Dig.* 50, 2, 2. *f.* Non infavorabiliter quis medium tempus illi prodesse respondebit.

INFAUSTUS, a, um, adj. *δυστυχής*, non faustus, improsper, infelix, mali ominis. *Virg. A.* 5, 635. infaustas exurite puppes; et *ib.* 7, 717. Allia, nomen infaustum; et *ib.* 11, 347. auspicium. *Sen. Agam.* 416. nuncium. *Tac. H.* 2, 91. Infaustus dies; et *A.* 1, 30. Castra infausta temerataque; et *ib.* 4, 74. Infaustae amicitiae gravis exitus imminebat. *Id. H.* 1, 6. Infaustus omine. *Ov. Her.* 6, 45. sed tristis Erinnys Praetulit infaustas sanguinolenta faces. *Id. Met.* 3, 36. lucum Infausto tetigere gradu. *Val. Fl.* 8, 315. infausto sese occulit antro Certa mori. *Suet. Oth.* 8. Quod antiquitus infaustum haberetur. *Plin.* 16, 36, 66. Quod notatum apud Chaeroniam infausto Atheniensium, *h. e.* infortunio. Ita legi vult *Hard.* Alii aliter. *Tac. A.* 12, 10. Socors domi, belli infaustus. Plerique al. leg. *bellis*. [**Lucan.* 1, 591. Infaustae flammae, i. e. quae in rebus mali ominis adhibentur.]

INFECTĬO, onis, f *ἀπροξία*. *Eum. Pan. ad Constant. Caes.* 18. Nec idcirco minoribus gaudiis feruntur, dempto periculi metu, quod experiundi necessitate caruerunt; sed hoc ipso et in administratione providentiae vestrae, et infectione fortunae impensius gratulantur, quod, etc. *più consolansi e dell' operato dalla vostra provvidenza, e della fortuna, che nulla fece.* Alii leg. *effectione*, vel *festinatione*, vel *confectione*. ℙ Significat etiam actum tingendi, tincturam, *tintura. Gloss. Philox.* Infectio, *βαφή, βάμμα. Theod. Prisc.* 1, 1. De infectionibus capillorum. ℙ [Translate est contaminatio, violatio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 51. Neque enim animus barbari improvisa formidine incitatus ab infectione raptae mulieris temperabit. *Hunc locum multis additamentis ampliavit *F.*]

INFECTĪVUS, a, um, adj. ad inficiendum, seu tingendum pertinens, *βαφικός*. *Vitr.* 7, 14. *f.* Haec autem infectiva appellantur.

INFECTOR, oris, m. *βαφεύς*, qui lanam colore aliquo inficit, idest tingit. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* Curtius dibaphum cogitat, sed eum infector moratur. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Plin.* 20, 7, 24. Infectores lanarum. Adde *Pl. Aul.* 3, 5, 42. ℙ Adjective *infector succus*, quo lanae, vel quidpiam aliud tingitur, et inficitur. *Plin.* 11, 3, 3. Purpurarum generi infector ille succus.

INFECTORĬUS, a, um, adj. infectivus. *Marcell. Empir.* 4. Infectorium alumen. ℙ [*Infectorium, ii*, n. *tintoria*, officina tinctoris. *Gloss. Phil.* Infectorium, *βαφεῖον*. *F.*]

INFECTUS, a, um, adj. *ἄπρακτος*, non factus: ab *in* privativa, et *factus. Varr. R. R.* 2. Ubi cognovit, opera quae facta, infectaque sient. *Pl. Amph.* 3, 2, 3. Ea, quae sunt facta, infecta refert. *Cic. Inv.* 2, 27. Et id, quod judicatum non sit, pro infecto haberi oportere. [**Vell.* 2, 100, 3. Quippe filia ejus Julia, — nihil quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit.] *Liv.* 9, 11. Si sponsionis factae poenitet, restituat legiones: omnia pro infecto sint. *Ter. Phorm.* 5, 8, 45. Quando accusando fieri infectum non potest, ignosce. *Id. Eun.* 1, 1, 8. Infecta pace ultro ad eam venies. *Hor. Od.* 3, 29, 47. Diffingere aliquid, infectumque reddere. *Cic. Top.* 4. Si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit. (V. DAMNUM.) *Caes. B. C.* 1, 33. Infectis iis, quae agere destinaverat, ab urbe proficiscitur. *Id. B. G.* 6, 11. et *Liv.* 9, 32. Re infecta abire; et *ib.* 23. *med.* Infecta victoria [*i. e. aequo Marte.] Et 34, 10. Argentum infectum, *h. e.* non signatum, aut caelatum. [*Opponitur *signatum*; it. *factum*.] Sic *Virg. A.* 10, 527. sunt auri pondera facti Infectique mihi. *Pl. Most.* 1, 3, 27. Infecta dona facere, *h. e.* dona promissa revocare. *Id. ib.* 4, 3, 23. Speras, dissimulando infectum hoc reddere, *h. e.* irritum. *Stat. Th.* 3, 430. Facta, infecta loqui, *h. e.* vera et falsa. De Fama sermo est, de qua etiam *Virg. A.* 4, 190. pariter facta atque infecta canebat. *Petr. Sat.* 114. Rudis atque infecta materies, *h. e.* non dolatum, non politum lignum. ℙ Item non confectus, imperfectus. *Ov. Met.* 4, 10. Telasque, et calathos, infectaque pensa reponunt; et *ib.* 6, 202. et *Val. Fl.* 3, 117. infectaque sacra relinquunt. *Prop.* 2, 19, 65. infecto deposcit praemia cursu. ℙ *Infecta verba* dicuntur a *Varr. L. L.* 8, 55. et sqq., quae rem non jam factam, sed quae vel nunc fit, aut fiebat, aut facienda est, ostendunt: ut *pungebam, pungo, pungam:* contra *perfecta*, quae rem jam factam significant, ut *pupugeram, pupugi, pupugero*. ℙ Est etiam tinctus: ab *inficio*, *βεβαμμένος*. *Prop.* 2, 13, 58. infectos imitare Britannos, *h. e.* fucatos. *Plin.* 11, 37, 56. Palpebrae infectae mulieribus. *Id.* 32, 7, 25. Infecta conchylio lana. *Prop.* 2, 13, 58. infectas sanguine habere manus. *Plin.* 6, 19, 22. Infecti sole populi. Sic *Stat. Silv.* 5, 1, 123. conjux sole infecta Sabino. *Plin.* 37, 9, 37. Veluti infecta fumo iaspis. *Claud. B. G.* 369. juvenci Semineces, et adhuc infecta mapalia tabo; et *in Ruf.* 2, 131 Infectae pallore genae. ℙ Plus est, quam inquinatus. *Sen. ep.* 59. *med.* Vitia elui difficile est; non enim inquinati sumus, sed infecti. ℙ Item veneno imbutus, corruptus. *Virg. A.* 7, 341. Gorgoneis Alecto infecta venenis. *Just.* 21, 4. Pocula veneno infecta. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 203. infectae spumis vitiantur arenae. ℙ Ubi de corio, et de pellibus sermo est, infectus dicitur, qui non medicatus est. V. CONFECTUS. ℙ Translate. *Plin.* 30, 1, 2. Magica arte infectus orbis. *Liv.* 40, 11. Imbuti et infecti delenimentis Romanis. *Lucan.* 4, 736. infectaque semper Punica bella dolis. *Tac. A.* 2, 85. Homines superstitione infecti. *Id. G.* 24. Nullis aliarum nationum connubiis infecti. *Virg. A.* 6, 741. aliis sub gurgite vasto Infectum eluitur scelus, *h. e.* animus scelere infectus: hypallage. Vel *scelus infectum*, *h. e.* penitus immissum in animo: quasi intus factum. ℙ Absolute. *Claud. Nupt. Honor. et Mariae* 229. Infecti enses; et *in Ruf.* 1, 301. infecto morbus crudescere coelo Incipiens. ℙ Item simpliciter imbutus. *Plin.* 9, 7, 6. Odorem quidem non aliud, quam infectum aera, intelligi potest. *Id.* 11, 13, 13. Mel optimum et minime fronde infectum. *Manil.* 2, 357. Aeraque infectum nostras dimittit ad auras, *h. e.* imbutum vi siderum. ℙ Ornatum significat in illo *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 264. Ostroque infecta corusco Humida gemmiferis illuxit regia mensis. ℙ Non fictum, *h. e.* non ornatum, non politum, non fucatum, in illo *Pl. Stich.* 5, 5, 3. ita est ingenium muliebre: Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen, *h. e.* nondum perfecta.

INFECTUS, us, m. *βαφή*, tinctura. *Plin.* 8, 48, 73. De reliquarum lanarum infectu suo loco dicemus.

INFĒCUNDĒ, adv. *ἀφόρως*, non fecunde. *Gell.* 19, 3. Infecunde atque jejune laudare, *h. e.* parce, frigide.

INFĒCUNDĬTAS, atis, f. *ἀφορία*, sterilitas. *Colum. prooem. l.* 1. Culpantes agrorum infecunditatem. *Tac. A.* 4, 6. Infecunditas terrarum. *Plin.* 11, 16, 16. apum.

INFĒCUNDUS, a, um, adj. *ἄφορος*, non fecundus, sterilis. *Virg. G.* 2, 48. Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt. *Sall. Jug.* 17. Ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus. *Colum.* 2, 4. Ut infecundior materia mixta pinguiori segetem minus uberem reddat.

INFĒLĪCĬTAS, atis, f. *δυστυχία*, adversa fortuna, calamitas. *Cic. Fin.* 2, 27. Beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis; item omnem infelicitatem in dolore. *Ter. Adelph.* 4, 2, 5. Quid hoc, malum, infelicitatis? [**Liv.* 40, 55. Infelicitatem suam, in liberis graviorem, quod alter perisset, censebat.] ℙ Plurali num. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Miseriae et infelicitates.

INFĒLĪCĬTER, adv. *δυστυχῶς*, misere, incommode, improspere. *Ter. Eun.* 2, 3, 36. Fit mihi obviam infeliciter. *Liv.* 1, 45. Ob rem toties infeliciter tentatam in armis. ℙ Comp. *Infelicius* habent *Sen. Contr.* 5, 33. et *Quint.* 8, 6.

INFĒLĪCĪTO. V. v. sq.

INFĒLĪCO, as, a. 1. *δυστυχῆ ποιῶ*, infelicem et miserum facio. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 443. Ut te Dii omnes infelicent cum male monita memoria. *Plaut. Cas.* 2, 3, 30. Dii me et te infelicent. Adde *Merc.* 2, 3, 99. et *Poen.* 2, 1, 1. etc. Sunt qui ubique legend. putent *infelicitent;* at *Taubmann.* et *Pareus* in *Lex. Crit.* et *Bothe* in *Poet. Scen. Lat. T.* 2. p. 139. contendunt, legendum esse *infelicent*, ita enim in MSS. esse. *Gloss.* vero *Phil.* Infelixent, *ἀτιστοῦσιν*. Quae profecto mendosa ita quisque corrigenda putet: Infelicent, *ἀτιστῶσιν*. [*Plurima addidit *F.*]

INFĒLIX, icis, adj. omn. gen. *δυστυχής*, infortunatus, calamitosus, miser, cui nihil succedit. *Cic. Verr.* 2, 5, 62. *extr.* Crux infelici et aerumnoso comparabatur. *Id. Rosc. Am.* 41. Postulabant pro homine miserrimo atque infelicissimo. *Virg. A.* 12, 608. totam infelix vulgatur fama per urbem; et *ib.* 9, 786. Infelix patria. *Liv.* 5, 12. Ne infelicior domi, quam militiae esset. *Quint. decl.* 18, 1. Mulier infelicis simi pudoris. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 4, 529. Infelix animi Phoenissa. *Sil.* 12, 432. fidei Petilia; et 9, 627. ausi. ℙ Per metonymiam dicitur de iis, quae infelicem faciunt. *Cic. Phil.* 2, 26. Si quis reipublicae sit infelix, felix esse non potest. *Prop.* 3, 3, 29. O prima infelix fingenti terra Prometheo. *Virg. A.* 6, 521. Infelix thalamus; et *ib.* 10, 850. exsilium; et *ib.* 12, 941. balteus; et *ib.* 2, 245. monstrum; et *ib.* 3, 246. vates, *h. e.* quae infelicia praedicit. [**Liv.* 3, 48. Puellae infelicem formam — deplorant; et cp. 56. suum infelix erga plebem Romanam studium.] ℙ Pro inauspicato, tristi, adverso. *Prop.* 3, 5, 29. Infelix aquilo, raptae timor Orithyiae, Quae spolia ex illo tanta fuere tibi? *Claud. IV. Cons. Honor.* 496. infelices tabulae. ℙ Aliquando est infecundus, sterilis. *Cic. Rabir. perduell.* 13. Arbori infelici suspendito. *Virg. G.* 2, 239. Tellus infelix frugibus; et 314. oleaster; et *Ecl.* 5, 37. lolium. *Plin.* 16, 26, 45. et 24, 9, 41. Infelices arbores existimantur damnataeque religione, quae neque seruntur unquam, neque fructum ferunt. V. FELIX et ARBOR.

[INFENDĬTOR, oris, m. qui in alicujus rationes inquirit: est autem illius contrarium *defensor*. *Gloss. Phil.* Infenditor, *σύνδικος*. V. v. sq. *F.*]

[INFENDO, is, a 1. inquiro in rationes alicujus: opponitur autem verbo *defendo*. *Gloss. Phil.* Infendere, *ἐπιτεῖναι, ἐγκλημαίσαι*. V. INFINDO. *F.*]

INFENSĒ, adv. *ἐχθρωδῶς*, infenso animo, inimice. *Cic. Or.* 51. Quis Isocrati est adversatus infensius? Al. leg. impensius. [*Hoc languere sibi videri et omnino Tullianum non esse dicit *Orell.*] *Liv.* 34, 15. Infensius hostes pro vallo pugnabant. [**Duk. impensius, Periz. intentius* legendum cens.] *Tac. A.* 5, 3. Tiberius etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

INFENSO, as, a. 1. *ἐνοχλέω*, infesto, turbo, insector. *Tac. A.* 13, 37. Palam bello infensare Armeniam; et *ib.* 6, 34. Adequitare castris, infensare pabula; et *ib.* 13, 41. Ut quasi infensantibus Diis, exitio tradi crederetur. [*Ap. solum Tacitum.]

INFENSUS, a, um, adj. *ἐχθρός*, iratus, qui ira in alium elatus est. Differt ab *infestus*, quia *infensus* est vehementer iratus, *infestus* vehementer molestus, et qui alicui malum infert; et plus est quam inimicus. *Cic. Verr.* 2, 2, 61. Infenso atque inimico animo venire. [**Liv.* 1, 53. Quum, si nihil moverentur, infensus ira porro inde abiturus videretur, benigne ab Gabinis excipitur.] *Virg. A.* 5, 641. prima infensum vi corripit ignem, *h. e.* ipsa infensa: hypallage. *Id. ib.* 10, 521. procul infensam contenderat hastam; et *ib.* 11, 122. Drances infensus Turno. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 201. Phlegra nobis infensior aether. *Tac. A.* 11, 1. Opes principibus infensae, *h. e.* inimicae, noxiae. *Id. ib.* 1, 81. *f.* Infensius servitium, *h. e.* magis obnoxium, gravius; et *ib.* 14, 56. Rarus per urbem, quasi valetudine infensa, *h. e.* adversa. *Id. H.* 4, 25. Infensior illius miles culpam cladis in Hordeonium vertebat. [**Liv.* 2, 34. Adeo coorta erat infensa plebs: pro *infense*. Id ex more Graecorum *Liv.* facit saep., ut adjectiva adverbiorum loco adhibeat. V. *Drakenb.* ad h. l.]

INFER, a, um, adj. idem ac inferus apud veteres, ut *citer, exter. Cato R. R.* 149. Ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito, *h. e.* qui pratum super te, quique infra te habet.

INFĔRAX, acis, adj. omn. gen. non ferax. *Hieron. Homil. translata ex Orig.* 2. *med.* Silvae inferaces existimantur.

INFERCĬO. V. INFARCIO.

INFĔRI, orum, m. plur. *οἱ κάτω*, loci inferi terrae, vel daemones, et homines mortui, qui in cen-

tro terrae habitant. *Cic. Tusc.* 1, 5. Num te illa terrent, triceps apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, etc. *Liv.* 26, 32. Si ab Inferis exsistat rex Hiero. *Cic. Cat.* 2, 9. Si salvi esse velint, Sulla sit iis ab Inferis excitandus. *Id. Vat.* 6. Inferorum animas elicere. *Id. Phil.* 14, 12. Illi igitur impii, etiam ad inferos poenas parricidii luent: vos vero piorum estis sedem et locum consecuti, *h. e.* apud Inferos. ℙ [*In arte rhetorica, quum mortuorum dicta laudantur, aut ii loquentes inducuntur, hi dicuntur *ab inferis excitari*. *Cic. Or.* 25. non faciat (orator in genere tenui) remp. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit. *Brut.* 93. Nemo (erat) qui memoriam rerum Rom. teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret. *Schütz.* in *cl. Cic.*] ℙ *Inferum* pro *Inferorum*. *Sen. Ira* 2, 35. Teterrimae Inferum exeunt Furiae. Adde *Varr.* ap. *Macr. Sat.* 1, 16.

INFĔRIAE, arum, f. plur. *ἐναγίσματα*, sacrificia, quae Diis Manibus inferebant, ut *Festus* definit. Eae fiebant tum victimis mactandis, tum liquoribus libandis, aqua, vino, lacte, sanguine: neque Diis solum, sed propinquis etiam, amicis, et viris illustribus: nec tantummodo eorum mortis tempore, sed aliis deinceps temporibus. V. INFERO. *Cic. N. D.* 3, 16. Tertius Hercules est ex Idaeis Dactylis; cui inferias afferunt. [*Gr. *χοαί*. *Creuz.* apte notavit harum inferiarum vestigia residua esse in artium monumentis; quorum ibi exemplum attulit.] *Virg. A.* 9, 215. Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro. In *Cenotaph. Pis. L. Caesaris:* Inferias alicui mittere. *Ov. Fast.* 5, 422. Inferias tacitis Manibus illa dabunt. *Tac. H.* 2, 95. Quod extructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. *Suet. Cal.* 15. Inferias his annua religione instituit. *Catull.* 101, 8. Tradita sunt tristes munera ad inferias. *Ov. Met.* 8, 490. magnoque paratas Accipite inferias uteri mala pignora nostri; et *ib.* 13, 615. alasque, adversaque pectora lassant, Inferiaeque cadunt cineri cognata sepulcro. *Id. Ib.* 453. Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse, Cujus ab inferiis culter abesse solet. [*Lucan.* 2, 176. Cum victima tristis Inferias Marius — Pendit: ubi vide, quae collegit *Cort.*] ℙ Aliquando cum altero accusativo jungitur. *Virg. G.* 4, 545. Inferias Orphei Lethaea papavera mittes. *Id. A.* 10, 519. inferias quos immolet umbris; et *ib.* 11, 81. quos mitteret umbris Inferias. *Sil.* 4, 232. Mactare aliquem inferias alteri. *Hor. Od.* 2, 1, 27. victorum nepotes Rettulit inferias Jugurthae. ℙ Caret singulari numero, monente etiam *Gell.* 19, 8.

INFĔRIĀLIS, e, adj. ad inferias pertinens, feralis. *Appul. Met.* 8. Officiis inferialibus statim exactis.

[INFĔRĬLĬA, orum, n. plur. eadem ac inferiae, seu infernalia. *Gloss. Philox.* Inferilia, *καταχθόνια. F.*]

INFĔRIOR. V. INFERUS.

INFĔRIUS, adv. V. INFRA.

INFĔRIUS, a, um, adj. *Inferium vinum*, idem ac calpar, idest vinum novum, quod ex dolio demebant sacrificii causa, in honorem Jovis, antequam vina gustarent. Nisi enim id facerent, vinum omne in apothecis sacrum fiebat, usibusque humanis eripiebatur: vini parte libata, hac religione solvebantur. Dictum est inferium, quia solum inferretur, his verbis: *Macte hoc vino inferio esto.* Festum, quo id fiebat, *Vinalia* appellabatur. Haec ex *Trebatio Arnobius* 7. p. 236. V. CALPAR. Meminit et *Festus* his verbis: *Inferium vinum, id quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur.* Quibus hoc fortasse significat, eo vino, cum Jovi libabatur, moris fuisse pateram infra labra tantummodo impleri. Ceterum etiam extra Vinalia inferium vinum Jovi libare solitos fuisse veteres, constat ex *Cat. R. R.* 132. et 134. unde colligas *inferium* universim dictum, quod Jovi inferretur. Etiam Minervae hoc vinum libari potuit, ut est ap. *Arnob.* 4, 138. ℙ De inferiis rebus, V. INFERIAE.

INFERMENTĀTUS, a, um, adj. *ἄζυμος*, non fermentatus, ut Infermentati panes, *Paul. Nol. carm.* 23, 47.

[INFERMENTUM, i, n. id quod fermentatum non est. *Gloss. Philox.* Infermentum, *ἀφύραιον, τὸ μὴ ἐζυμωμένον.* Fortasse legendum *Infermentatum. F.*]

INFERNĀLIS, e, adj *καταχθόνιος*, ad Inferos pertinens, infernus. *Alcim. Avit.* 2, 290. infernali jamdudum nocte sepultis. *Prud. adv. Symm.* 1, 389. Haec sunt deliciae Jovis infernalis.

INFERNAS, atis, adj. omn. gen. qui est ex regione infera. *Inscr.* ap. *Grut.* 1086, 6. Imp. Fl. Val. Constantino codicarii navicularii infernates devoti N. M. Q. ejus, *h. e.* qui infero mari navigant. ℙ *Infernas arbor* dicitur, quae ex Apennino, qua parte mare inferum Etruriamque spectat, caeditur: sicut *supernas*, quae aversa parte, et ad superum. *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. Ideo Romae infernas abies supernati praefertur. *Vitr.* 2, 10. Ideo infernates, quae ex apricis locis apportantur, meliores sunt, quam quae ab opacis de supernatibus advehuntur.

INFĔRNE, adv. *κάτωθεν*, ab inferiori parte. Ultima corripitur a *Lucr.* 6, 596. Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas; et 763. hinc animas Acherontis in oras Ducere forte Deos manes inferne reamur. Adde 186.

INFERNUS, a, um, adj. *ὁ κάτω*, in inferiore parte positus, et infra nos sicut *supernus*, qui supra. *Cic.* vertens *Arati* versus *N. D.* 2, 44. Huc sese infernis e partibus erigit Hydra. *Liv.* 24, 38. *f.* Superi, infernique Dii. *Id.* 8, 24. Amnis fluens in stagna inferna. *Sen. Q. N.* 2, 49. Inferna fulmina sunt, cum e terra exsiliunt ignes. *Plin.* 2, 47, 48. Auster infernus ex imo maris spirat. *Lucan.* 2, 400. mare infernum, *h. e.* Tyrrhenum. ℙ Speciatim de iis dicitur, quae ad Inferos pertinent. *Virg. A.* 6, 106. inferni janua regis, *h. e.* Plutonis; et 138. Juno inferna, *h. e.* Proserpina. *Id. ib.* 8, 244. Infernae sedes; et *ib.* 3, 386. Inferni lacus; et *ib.* 7, 325. Infernae tenebrae. *Tac. A.* 2, 28. Infernas umbras carminibus elicere. *Ov. Fast.* 2, 610. Inferna palus, *h. e.* Styx. *Prop.* 3, 3, 36. Inferna ratis, *h. e.* cymba Charontis. *Id.* 1, 9, 20. Inferna rota, *h. e.* Ixionis. *Claud. in Rufin.* 1, 27. Infernae sorores, *h. e.* Furiae, et ceterae pestes Inferorum. *Tac. G.* 43. Nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. *Sil.* 2, 426. supplex infernis Annibal aris, *h. e.* quae sacrae sunt Diis infernis. ℙ Absolute *Infernus* dicitur de ipso loco Inferorum: *Ἅιδης:* et frequenter usurpatur a Christianis Theologis. Dubium est tamen, utrum ab antiquioribus dictum sit unquam: tametsi contra Latinam consuetudinem non est, cum *locus* facile subintelligatur. Afferunt locum *Varr.* ap. *Non.* 4, 226. *Infernus tenebrosus κακοδαίμονας tenet.* Verum is locus dubiae est lectionis, varieque ac multum exagitatur a criticis. ℙ *Inferni, orum*, sunt ipsi Inferi. *Prop.* 2, 1, 37. Theseus infernis, superis testatur Achilles; et *ib.* 21, 49. sunt apud infernos tot millia formosarum. ℙ *Inferna, orum*, res infernae, loca inferna. *Tac. H.* 5, 5. Eadem de infernis persuasio: coelestium contra. *Sen. Here. Fur.* 423. Inferna tetigit, posset ut supera assequi. ℙ Item loca inferiora corporis, per quae stercus, et urina secernuntur. *Plin.* 26, 8, 42. Helioscopion trahit bilem per inferna. *Id.* 25, 11, 87. Hyssopum cum fico sumptum purgat per inferna; et 26, 13, 83. Si sanguis per os, redditus est, fluxitve ab infernis. *Tert. Resurr. carn.* 61. Forata sunt inferna in viro, et in femina, nimirum qua libidines fluitent; cur non magis qua defluxura colentur!

INFĔRO, ers, tuli, latum, a. anom. *εἰσφέρω*, intro fero, importo, inveho. *Colum.* 12, 1. Quae domum inferuntur, diligenter inspicere. *Cic. Dom.* 39. Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit. *Id. Cat.* 3, 9. Tectis et templis ignes inferre conati sunt. *Hor. Od.* 1, 3, 28. Iapeti genus Ignem fraude mala gentibus intulit. *Caes. B. G.* 6, 18. Inferre aliquid in ignem. [**Id. ib.* 6, 29. *extr.* Illum in equum quidam ex suis intulit, i. e. imposuit: *er brachte ihn auf ein Pferd.*] *Tac. A.* 11, 13. Inferre fontes urbi; et *ib.* 13, 54. semina arvis. *Pl. Poen.* 1, 2, 106. ignem in aram. *Liv.* 32, 24. scalas ad moenia. [**Ter. Ph.* 4, 4, 9. Qui te ad scopulum e tranquillo inferat. *Pl. Truc.* 2, 7, 19. Meum herum miserum sua blanditia intulit in pauperiem. *Cic. Font.* 15. inferre oculos in curiam, ubi alii legunt *inserere.* Ita melius collocasse videmur, quae Noster infra posuerat.] ℙ Est tricliniare verbum, et significat apponere in mensa. Habet passim *Apicius*, praesertim *l.* 4. Sic *Plin.* 9, 35, 68. Inferri secundam mensam jussit. *Id.* 33, 11, 52. Lancem, quam multi conservi ejus inferrent. ℙ Item funebre, sepelire. *Cic. Leg.* 2, 26. Ne quis sepulcra deleat, neve alienum inferat. *Nep. Paus. f.* Mortui corpus cum eodem dicerent inferri oportere, quo, etc. *Just.* 11. *f.* Reliquias ejus majorum tumulis inferri jussit. ℙ Item tributi conferendi. *Colum.* 1, 1. *med.* Tributum alicui inferre. *Plin. Pan.* 39. Ne remotus quidem vigesimam inferre cogetur. *Id. ep.* 2, 11. *med.* Septingenta millia aerario inferenda. ℙ Item rationum. *Cic. Fl.* 19. Cum pro frumento pecuniam accepisset, celavit suos cives, ultroque iis sumptum intulit; et 9. Inferre rationes falsas. *Colum.* 1, 7. *extr.* Nec frumentum conditum cum fide rationibus inferunt. *Julian. Dig.* 34, 3, 12. Inferre aliquid in rationes. ℙ [*Jam sequi debebant ea, ubi de rebus militaribus dicitur; quae Noster inferius justo posuerat.] *Signa inferre*, i. e. acie instructa milites in hostem movere, signa eodem promovendo. *Caes. B. G.* 2, 26. Ut paulatim sese legiones conjungerent, et conversa signa in hostes inferrent. *Liv.* 3, 18. *med.* Trepidare tum hostes, nec ulli satis rei fidere: trepidantibus inferunt signa Romani. *Id.* 4, 18. Dictator dextro cornu adversus Faliscos, sinistro contra Vejentem Quintius intulit signa. *Hirt. B. Afr.* 69. Legionarios jubet celeriter signa hostibus inferre. ℙ [*Eodem fere sensu dicuntur ista:] *Curt.* 7, 9. Turbatis acriter pedem inferre coeperunt. *Liv.* 10, 33. Inferunt pedem, urgentque, et impulsos semel terrore eodem agunt. *Id.* 35, 1. Gradum acrius intulere Romani, cessitque Lusitanus. *Id.* 2, 14. Adeo concitato impetu se intulerant Etrusci, ut funderent ipso incursu Aricinos. *Id.* 4, 33. Effreno equo in medios ignes infertur. *Virg. A.* 10, 66. Inferre se hostem alicui. ℙ [*Hinc inferre bellum, *mit Krieg überziehen.*] *Cic. Att.* 9, 1. Bellum Italiae terra marique inferamus. *Id. Phil.* 2, 22. Inferre bellum contra patriam. *Liv.* 1, 30. Inferre arma. ℙ Extra rem militarem, inferre pedem est ingredi. *Cic. Caec.* 14. Pedem cum intulero, atque in possessionem vestigium fecero. *Pl. Men.* 5, 2, 67. Inferre pedem in aedes. *Virg. G.* 4, 358. jubet discedere late Flumina, qua juvenis gressus inferret. ℙ *Inferre se* est intro ire, se conferre. *Liv.* 1, 21. Lucus erat, quo se Numa sine arbitris inferebat. *Virg. A.* 1, 443. Infert se septus nebula per medios, miscetque viris. *Id. ib.* 11, 36. Aeneas foribus sese intulit altis. *Vell.* 2, 74. *extr.* Transfixum se gladio flammae intulit. *Cic. Caec.* 5. Atque etiam se ipse inferebat, et intrudebat, *h. e.* non vocatus aderat. Al. aliter leg. *Id. Balb.* 10. Inferre se in periculum capitis, atque in vitae discrimen. ℙ Item se offerre. *Gell.* 19, 1. *med.* Visa vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitanda. ℙ Aliquando est cum fastu incedere. *Pl. Mil.* 4, 2, 54. Viden' ignavum, ut se inferat! et *Ps.* 4, 1, 7. Ut magnifice infert sese. — ℙ [*Hinc i. q. afferre. Huc pertinent loca, quae Noster summa imis miscuerat.] *Cic. Off.* 1, 40. Turpe est in re severa delicatum aliquem inferre sermonem. *Liv.* 4, 1. mentionem. *Caes. B. G.* 2, 25. spem alicui; et *ib.* 1, 39. inferre causam; et *Auct. B. Hisp.* 1. Aliqua ei inferebatur causa, ut, etc. *Caes. B. C.* 3, 75. Neque vero Pompejus, cognito consilio ejus, moram ullam ad insequendum intulit. ℙ Tum ponitur pro offerre, Diis libare. *Pl. Curc.* 1, 1, 72. Me inferre Veneri jam vovi jentaculum. *Virg. A.* 3, 66. Inferimus tepido spumantia cymbia lacte, Sanguinis et pateras. Hinc *inferiae.* ℙ Saepe ponitur transl. pro [*immittere, injicere.] *Caes. B. G.* 7, 8. Inferre hostibus terrorem maximum; et 54. alicui injuriam; et *ib.* 1, 12. calamitatem. *Cic. Phil.* 14, 3. *f.* turpitudinem. *Id. Sext.* 1. periculum civibus. *Id. Coel.* 18. probrum castis, labem integris, infamiam bonis. *Id. Inv.* 1, 9. moram et impedimentum alicui rei. *Id. Har. resp.* 18. injuriam stupri in aliquem. *Id. Sext.* 27. injurias in socios. *Id. Mil.* 7. mortem alicui per scelus. *Id. Har. resp.* 2. excisionem, inflammationem, aversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris. *Hirt B. G.* 8, 16. magna detrimenta. *Cic. Mil.* 19. vim. *Vell.* 2, 45. vim vitae suae. Sic *Hirt. B. Afr.* 93. sibi manus; et *Cic. Cat.* 1, 8. *f.* vim et manus cuipiam. *Ov. Ib.* 613. in aliquem. [*Neque differunt ista.] *Caes. B. C.* 2, 6. Inferre vulnera hostibus. *Hirt. B. G.* 8, 21. poenam. [*Porro huc pertinent:] *Cic. Amic.* 18. Delectari crimenibus inferendis. *Cluent.* 41. *f.* et *Rabir. Post.* 4. inferre litem capitis in aliquem. *Verr.* 2, 5, 41. Inferre alicui crimen proditionis.] ℙ *Inferre judicium*, judicare. *Maxim. Dig.* 5, 2, 4. Parentes maligne circa sanguinem suum, inferentes judicium, novercalibus delinimentis corrupti. ℙ Et pro concludere, colligere, conficere. *Cic. Inv.* 1, 47. Cum concesseris propositionem, et assumptionem, complexio est infirmanda: aliud enim, quam cogebatur, illatum est. [**Quint. Inst.* 5, 11, 27. Itaque in hoc genere maxime quaeritur, an simile sit, quod infertur. V. quae laudat *Spalding.* ad h. l.] Adde *Appul. Dogm. Plat.* 3. ℙ Part. *Inferens* ap. *Suet. Caes.* 81. Avem Pompejanae curiae se inferentem volucres discerpserunt. *Illaturus* ap. *Liv.* 22, 2. Ut appareret, Amilcare duce Poenos arma Italiae illaturos esse.

INFERSUS. V. INFARSUS.

[INFERTĬLIS, e, adj. non fertilis, infecundus. *Gloss. Philox.* Infertilis, *ἄγονος. F.*]

[INFERTĬLĬTAS, atis, f. sterilitas. *Gloss. Phil.* Infertilitas, *ἀγονία. F.*]

[INFERTOR, oris, m. qui dapes in convivium infert, structor. *Gloss. Philox.* Infertor, *παραθέτης. F.*]

INFERTUS. V. CALCEATUS.

INFERVĔFĂCIO, is, a. 3. idem ac fervefacio, vel intus fervefacio. *Cato R. R.* 156. Infervefacito paulisper. *Col.* 12, 17. Liquatumque acetum infervefaciant.

INFERVĔFACTUS, a, um, part. ab *infervefio. Col.* 9, 13. Omnia eadem aequis ponderibus in unum levigata, et fictili vase cum Amineo vino infervefacta.

INFERVĔFĬO, is, actus sum, anom. 3. fervens fio, infervesco. *Scrib. Comp.* 271. Tertio die cum infervefiunt.

INFERVĔO, es, bui, n. 2. idem quod ferveo. *Cato R. R.* 108. Facito, bis aut ter inferveat. *Hor. Sat.* 2, 4, 67. Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis. *Cels.* 2, 30. Mulsum, quod inferbuit. *Id.* 5, 25. *n.* 4. Cum eo humore passum misceatur, inferveatque.

INFERVESCO, is, n. 3. idem ac fervesco. *Cato R. R.* 90. Et fabae tertia pars ut infervescat. *Sil.* 13, 341. Obtendensque manum, solem infervescere

fronti Arcet. *Plin.* 19, 12, 60. Ne infervescat aqua sole.

INFĔRUS, a, um, adj. ὁ κάτω, qui infra est, inferior, ut *superus*, qui est supra. *Liv. Andron.* in *Odyss.* ap. *Prisc.* 3, 606. Inferus, an superus Deus, etc. *Cic. Tusc.* 1, 26. Ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. *Pl. Merc.* 5, 1, 1. Limen superum inferumque salve. *Liv.* 31, 31. In Deos superos inferosque. *Plin.* 2, 52, 53. Cum sit illa ratio non inferi ictus, sed adversi; et *ib.* 78, 80. Illis in supera succum evocari, his in inferas partes depelli. ℙ *Inferum mare*, mare illud est, quod Etruriam alluit, et Tuscum ac Tyrrhenum dicitur: sicut *mare superum* est Adriaticum et Ionium. Dictum est tum quia vergit ad meridiem, et occidentem Italiae; superum vero ad septemtriones, quae pars coeli altior esse videtur: tum quia ex Urbe versus Adriaticum euntes fere semper ascendunt; contra ex Urbe ad mare Tuscum, descendunt: tum quia mare Adriaticum et Ionium revera altius est, cum per fretum Siculum assidue in Tuscum defluat. *Plin.* 3, 5, 10. Inter duo maria, inferum et superum. Adde *Cic. Or.* 3, 19. et *Lucan.* 2, 400. ℙ De inferis avibus V. PRAEPES. ℙ De inferis Diis. V. INFERI. ℙ *Non.* 1, 221. docet, *inferum* dici posse quidquid desuper mittatur. *Varr. ib.* Nubes aquam vomentes inferam mortalibus. ℙ Comparativum est *inferior, ius:* et refertur ad locum. *Caes. B. G.* 7, 35. Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit; et *ib.* 2, 25. Ex inferiore loco subeuntes; et *ib.* 7, 46. Inferiore omni spatio vacuo relicto. *Stat. Th.* 4, 332. inferior vultu Dea visa, *h. e.* demissa, humilis, atque adeo minime laeta. *Ov. Pont.* 4, 14, 12. Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet. *Id. Met.* 15, 240. suoque Pondere in inferius tellus atque unda feruntur. *Plin.* 16, 24, 36. Foliorum pars inferior a terra herbido viret colore. *Tac. H.* 1, 61. Inferior exercitus, *h. e.* Germaniae inferioris. ℙ Item ad ordinem pro *posterior*. *Ov. Amor.* 1, 1, 1. Arma gravi numero, violentaque bella parabam Edere, materia conveniente modis. Par erat inferior versus. *Varr. L. L.* 5, 3. Inferiores quinque dies. ℙ Item ad tempus. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. Maximos motus nostrae civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum aetas, qui loquebantur. *Id. Brut.* 64. Inferioris aetatis erat proximus L. Sisenna; et 49. Aetate inferiores paulo, quam Julius, sed aequales propemodum fuerunt Cotta, Sulpicius, etc. ℙ Ad numerum. *Caes. B. C.* 1, 57. Erat multo inferior numero navium Brutus. ℙ Ad genus, et dignitatem. *Caes. B. C.* 1, 46. Qui propter eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerant. *Ov. A. Am.* 1, 770. Vilis in amplexus inferioris eat. *Cic. Quint.* 31. Indignum est a pari vinci aut superiore; indignius ab inferiore atque humiliore. ℙ Ad vires, et virtutem, fortunam, etc. *Nep. Dat.* 8. Inferior copiis. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui unquam fuerunt amplissimi. *Id. Brut.* 48. In jure civili non inferior, quam magister, fuit. *Sall. fragm.* ap. *Arus. Mess* Nulla arte cuiquam inferior. *Prop.* 2, 7, 27. Inferior multo cum sim vel matre, vel armis. *Justin.* 44, 4. Inter cervorum greges, haud inferior velocitate, peragravit. *Cic. Fam.* 13, 5. Gravissimum est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna. *Auct. ad Her.* 4, 40. In superiores contumax, in inferiores crudelis. *Caes. B. G.* 3, 24. Romanos sub sarcinis inferiores animo adoriri cogitabant. ℙ Dicitur et de iis, qui vincuntur tum in acie, tum in judicio. *Prop.* 1, 4, 9. si levibus fuerit collata figuris, Inferior duro judice turpis eat. *Cic. Brut.* 8. Docere se profitebantur, quomodo causa inferior dicendo fieri superior posset. *Curt.* 5, 1. Alexandrum, quibus antea vicisset, inferiorem fore. [*Saepius in his est *deterior* synonym. vocis *inferior*, sed ita ut hoc semper loci rationem quandam habeat et ordinis; illud nonnisi animum respiciat. V. *Doederl.* 1, 51.] ℙ Superlativum *infimus* est. *Cic. N. D.* 1, 6. Omnia supera esse meliora: terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer. *Id. Div.* 1, 33. Ut ab infima ara subito anguis emergeret, *h. e.* ab infima parte arae. (Sic *Pl. Curc.* 4, 1, 41. In foro infimo; et *Caes. B. G.* 2, 18. Infimus collis.) *Id. Q. Fr.* 3, 1, 6. Cum scripsissem haec infima, quae sunt mea manu. *Pl. Most.* 3, 2, 14. Postes ambo ab infimo tarmes secat, *h. e.* ab infima parte. *Tac. A.* 13, 3. Quod Italiam, velut infimam nationum, afflictavisset. *Cato R. R.* 110. Testam demittito in dolium infimum leniter. ℙ Saepe refertur ad conditionem, genus, fortunam. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Infima faex populi. *Id. Off.* 1, 13. Est autem infima conditio et fortuna servorum; et *ib.* 2, 12. Summos cum infimis pari jure retinebat. *Id. Fl.* 11. Infimo loco natus. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. L. Tarius Rufus infima natalium humilitate. *Liv.* 8, 2. *med.* Precibus infimis petiere, ut, etc. ℙ Pro recto *inferus*, cujus nondum exempla vidimus, *infer* a *Catone* dictum est. V. s. l.

[INFESSUS, a, um, adj. non fessus, indefessus. *Gloss. Philox.* Infessus, ἄοκνος. *F.*]

INFESTĀTĬO, onis, f. ἐνόχλησις, vexatio, molestia. *Tert. Apol.* 1. Sectae hujus infestatio obstruit viam defensioni.

INFESTĀTOR, oris, m. qui molestiam affert. *Plin.* 6, 28, 32. Nomadas, infestatoresque Chaldaeorum Scenitae claudunt. [Adde *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 81. *F.*]

INFESTĀTUS, a, um, part. ab *infesto*. *Vell.* 2, 73. Latrociniis ac praedationibus infestatum mare. Superlat. *infestatissimus*, legitur ap. *Oros. praef. ad August.*, etsi al. legunt *infestissimus*.

INFESTE, adv. ἐχθρωδῶς, noxie, inimico animo. *Liv.* 26, 13. Age contra, quae illi infeste in nos fecerint, repetite. *Id.* 2, 55. Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere et spoliare lictor. *Cic. Quint.* 21. Sin inimicissime atque infestissime contendere perseveret. *Quint.* 12, 8. *med.* Infestissime interrogare et premere. [*Vell. 2, 45, 3. Cujus domus, quam infeste disjecta erat, etc.]

INFESTĬVĬTER, adv. non festive. *Gell.* 9, 9. Cetera vertit non infestiviter.

INFESTĪVUS, a, um, adj. ἐκτράπελος, ἀκαιός, infacetus, injucundus. *Gell.* 1, 5. Homo subagresti ingenio et infestivo.

INFESTO, as, avi, atum, a. 1. ἐνοχλέω, infestus sum, saepe nocere aggredior, molestiam infero, vexo. *Hirt. B. Alex.* 3. Unoque tempore et nostras munitiones infestabant, et suas defendebant. *Colum.* 6, 14. *f.* Clavorum, qui fere cervicem *(boum)* infestant, minor molestia est. *Id.* 1, 5. *med.* Assiduis divertentium hospitiis infestat rem familiarem. *Ov. Met.* 13, 730. Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis Infestant. *Plin.* 6, 32, 37. *f.* Infestari eas *(insulas)* belluis, quae expellantur assidue, putrescentibus. [*Vell. 2, 73, 3. Infestare mare latrociniis et piraticis scleribus, i. e. intutum navigantibus reddere.] ℙ Item corrumpere, vitiare. *Plin.* 2, 103, 106. Fons amaritudine infestatur. *Id.* 27, 4, 5. Aloe non infestat stomachum. *Cels.* 4, 12. Si exulceratio stomachum infestat. *Plin.* 15, 23, 25. Infestare saporem. *Colum.* 11, 2. *med.* Materia sic caesa judicatur carie non infestari. *Plin.* 23, 1, 22. Vinum infestat nervos. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 165. attonitus stabulo ceu pastor inani, Cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum, Aut populatrices infestavere catervae. *Colum.* 11, 1. *med.* Haruspicem, sagamque sua sponte non noverit, quia utraque genera vana superstitione rudes animos infestant.

INFESTUS, a, um, adj. ἐχθρός, ὀχληρός, δάϊος, inimicus, adversus, molestus, hostilis, qui crebro malum infert: ab *in* privativa, et *festus*, ut volunt plerique etymologi. *Nigid.* autem ap. *Non.* 1, 255. et *Gell.* 9, 12. ducit a festinando. Nam qui instat alicui, eumque properans urget, et opprimere studet, festinatque, is infestus dicitur. Haec ille. Sunt etiam qui ab *infero* utcumque derivant. Quid ab *infensus* differat, ibi est dictum. *Cic. Quint.* 2. *f.* Cum ei summam per injuriam omnia inimica atque infesta fuerint. *Id. Phil.* 10, 10. Gallia, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. *Id. Verr.* 2, 1, 5. Clamore populi R. infesto atque inimico excitatus. [*Ex his locis apparet, solemnem quasi esse vocabulorum *infestus* et *inimicus* conjunctionem. — Hinc parum recte videntur versati, qui in loco *Sall. Cat.* 19, 1. quod cum infestum inimicumque Cn. Pompejo cognoverat: *inimicum* ut gloss. ejecerunt; neque eorum sententia probanda, qui retinuerunt quidem, sed pro substantivo accipientes, *infestum* ut adjectivum per *acerrimum* explicant. Quin potius part. *que*, quam *edd.* aliquot v. *inimicus* adjunctam praebent, in textum est recipienda et ita exhibendus locus; *infestum inimicumque Cn. Pompejo:* ut utrumque vocabulum conjunctum summum, inexpiabile odium significet.] et *Verr.* 2, 5, 55. Qui nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur; et 56. Sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliae partibus imminebat. *Nep. Amilc.* 3. Fidenti animo atque infesto Romanis. *Hirt. B. Alex.* 61. In regionibus alienis, et sibi infestis. *Sall. Cat.* 56. Dii irati infestique sunt. *Catull.* 66, 73. Infestis quempiam dictis discerpere. *Tac. Agr.* 1. Saeva et infesta virtutibus tempora. *Cic. Lig.* 8. Veniebatis in provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam. *Auct. ad Her.* 4, 40. Ingratus in amicos, infestus in cognatos. Al. leg. *infestus cognatis*. *Cic. Cluent.* 66. Infestum et immane scelus. ℙ *Infesta signa* sunt vexilla militaria, quae in hostes pugnandi, caedendi, fugandique animo inferuntur. *Caes. B. G.* 6, 7. Ubi praeter spem, quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt; et *ib.* 7, 51. Legiones infestis contra hostes signis constiterunt; et *B. C.* 3, 93. Infestisque signis tanta vi in equites impetum fecerunt, ut, etc. *Cic. Font.* 16. Infestis prope signis inferuntur Galli in Fontejum. Sic *Caes. B. C.* 3, 93. Milites, dato signo, cum infestis pilis procucurrissent; et *Tac. A.* 1, 69. Infesto agmine Gallias petere. *Just.* 37, 1. Infesta arma contra populum R. tulerant. [*V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 8, 19. et *Drak.* ad *Liv.* 2, 46.] ℙ Passive est is, cui sunt alii infesti, vexatus, impetitus, infestatus, plenus discriminis, uti docet *Gell. l. c.*, affertque illud *Cic. Planc.* 1. Si hujus salus ob eam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua custodia texisset. *Id. Rosc. Am.* 11. Filii vita infesta, saepe ferro et insidiis appetita. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 432. et *Liv.* 26, 24. Uno myoparone mare infestum habere, *h. e.* infestare. Sic *Just.* 40. *f.* Syriam latrociniis infestam reddere. *Cic. Prov. cons.* 2. Via Barbarorum incursionibus infesta. *Id. Phil.* 12, 10. Iter infestum et periculosum. *Id. Fam.* 2, 10. *med.* Infestissima Ciliciae pars. *Sall. Jug.* 94. Alia omnia vasta, inculta, infesta serpentibus. [*De duplici hujus et sim. vv. significatione v. quae laudat *Cort.* ad *Lucan.* 5, 500., *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 7, 5. 10, 5. 15, 4. et *Jug.* 89, 5.]

INFĪBŪLA, ae, f. uncus fibulam iniens. *Tert. Pall.* 1. Pallii habitus infibulae morsu humeris acquiescebat. Ita legit *Junius*, alii melius *in fibulae*.

INFĪBŪLĀTUS, a, um, part. ab *infibulo:* fibula vinctus. *Festus:* Infibulati sacrificabant flamines, propter usum aeris antiquissimum, aereis fibulis, *h. e.* fibulis vestes subnexi.

INFĪBŪLO, as, a. 1. ἐμπεφορνάω, fibula necto. *Cels.* 7, 25. Infibulare quoque adolescentulos interdum valetudinis causa quidam consueverunt. V. ibi cetera, et quae in FIBULA diximus. ℙ *Infiblare* per syncopen legitur a nonnullis ap. *Apic.* 8, 7.

INFĪCĒTUS, etc. V. INFACETUS.

INFĪCĬĀLIS. V. INFITIALIS.

INFĪCĬAS. V. INFITIAS.

INFĪCĬĀTĬO, etc. V. INFITIATIO.

INFĪCIENS, entis, adj. non faciens, iners, nihil agens. *Varr. R. R.* 3, 16. de apib.: Neque ipsae sunt inficientes; necnon oderunt inertes. *Id. L. L.* 5, 8. Dicimus, qui aliquid agit, non esse inficientem.

INFĪCIO, is, eci, ectum, a. 3. βάπτω, imbuo, tingo: ab *in*, et *facio*, quasi *intus facio:* color enim inditus, se immittit, et intro pervadit. *Caes. B. G.* 5, 14. Omnes se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem. *Plin.* 7, 56, 57. Textilia Aegyptii invenere: inficere lanas Sardibus Lydi. *Ov. Met.* 6, 63. Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus Inficere ingenti longum curvamine coelum. *Sen. Herc. Oet.* 337. Scythasque tepida Phoebus inficiet rota, *h. e.* illustrabit, et calefaciet. *Tibull.* 3, 4, 32. virgo Inficitur teneras ore rubente genas. [*Tac. H. 2, 55. Quem locum Galba moriens sanguine infecerat.] ℙ Item leviter tingere. *Sen. ep.* 71. *f.* Sapientia nisi alte descendit, et diu sedit, animum non coloravit, sed infecit. ℙ Item imbuere. *Plin.* 15, 3, 4. Dulcem succum olivas bibere, et alieno sapore inficiunt. ℙ Pro immiscere. *Virg. A.* 12, 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit, occulte medicans. ℙ Translate est instituere. *Cic. Fin.* 3, 2. *f.* Infici debet iis artibus, quae si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior. *Id. Leg.* 1, 17. Teneros et rudes animos inficiunt, et flectunt, ut volunt. ℙ Est etiam vitiare, corrumpere. *Virg. G.* 3, 481. Corrupitque lacus, infecit pabula tabo. *Plin.* 18, 1, 1. Inficere flumina. *Ov. Met.* 13, 601. Nigrique volumina fumi Infecere diem. [*V. INFECTUS et cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 261., ubi plura laudantur.] ℙ Et translate. *Cic. Tusc.* 5, 27. *med.* Umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus. *Id. Leg.* 3, 13. Cupiditatibus principum, et vitiis infici solet tota civitas. *Id. Tusc.* 3, 2. Inficimur opinionum pravitate.

INFĪCĬOR. V. INFITIOR.

INFICTUS pro infixus. *Callistr. Dig.* 47, 9, 7. Navi vel inficta, vel fracta intra fines agri cujusque. Ita *Torrentin.* probante *Cujacio*, et aliis: *Haloander* edidit *infixa*. ℙ [Est etiam non fictus, ab *in* privativa, et *fictus* part. a *fingo*. *Gloss. Philox.* Infictus, ἀνυπόκριτος. *F.*]

INFĪDĒLIS, e, adj. ἄπιστος, non fidelis, qui promissis non stat, nec fidem promissam exsolvit, quin potius violat. *Cic. Off.* 3, 29. Nullam esse fidem, quae infideli data sit. *Id. Fam.* 15, 4. *f.* Ut ex infidelissimis sociis firmissimos redderem. *Pl. Capt.* 2, 3, 83. Infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi. *Hor. Epod.* 5, 49. o rebus meis Non infideles arbitrae, Nox et Diana. ℙ Translate. *Plin.* 36, 22, 49. Silex ad structuram infidelis, nisi multa suffrenatione defunctus. *Plin. Pan.* 45. *extr.* Infidelis recti magister est metus, *h. e.* non diuturnus magister officii, ut est ap. *Cic. Phil.* 2, 36. *Vulg.:* cui simile est illud *ejusd. Off.* 2, 7. Malus custos diuturnitatis metus.

INFĪDĒLĬTAS, atis, f. ἀπιστία, fides violata, perfidia. *Cic. Tusc.* 5, 22. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat. *Id. Mil.* 26. Quantae infidelitates in amicis. *Caes. B. C.* 2, 33. Infidelitatis suspicionem sustinere.

INFĪDĒLĬTER, adv. ἀπίστως, sine fide. *Cic. ad Brut.* 2, 1. Minus me putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quam si infideliter. [*Salv. contra avarit.* 3. *med.* Quaerunt infi-

delissime, quos propinquos suos, aut affines suos dicant. *F.*]

INFIDIBULUM. V. INFUNDIBULUM.

INFĪDUS, a, um, adj. ἄπιστος, non fidus, infidelis. *Cic. Amic.* 15. Se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos. *Liv.* 1, 14. Infida societas regni. *Sall. Cat.* 50. Rhodiorum civitas infida atque advorsa nobis fuit. *Id. Jug.* 96. *extr.* Genus hominum mobile, infidum. *Just.* 11, 1. Barbarae gentes fidei dubiae et mentis infidae. *Liv.* 9, 45. Aequi sub specie infidae pacis quieti. [*Cf. *Vell.* 1, 12, 6.] *Val. Fl.* 2, 578. promissa infida tyranni. *Liv.* 34, 28. *f.* Fuga infida ac trepida, *h. e.* intuta. ℙ Translate. *Plin.* 36, 15, 22. *n.* 8. de amphitheatro versatili Curionis: Sedere ausi tam infida instabilique sede. *Lucr.* 2, 557. Infidi maris insidias, viresque, dolumque Vitare. [*V. quae laudat *Cort.* ad *Lucan.* 5, 415.]

INFĪGO, is, ixi, ixum, a. 3. ἐμπήγνυμι, intus figo, immitto. *Cic. Div.* 2, 31. Timide signifer evellebat, quod fidenter infixerat. *Id. Tusc.* 4, 22. Gladium hosti in pectus infixit. *Virg. A.* 9, 746. portaeque infigitur hasta; et *ib.* 5, 504. adversique infigitur arbore mali. *Nemesian. Cyn.* 221. Infigere morsus. *Sil.* 12, 738. natis infigunt oscula matres. ℙ Translate. *Quint.* 9, 2. Alia repetitione, alia commemoratione infigere; et *ib.* 4. *f.* Docere aliquid et infigere animis. *Plin. ep.* 1, 20. Quae sint inculcanda, infigenda, repetenda.

INFĪGŪRĀBĪLIS, e, adj. non figuratus, informis, deformis. *Ammian.* 24, 4. Compage scutorum, velut testudine infigurabilium fornicum, operiebantur.

INFĪMAS, atis, m. et f. qui ex infima plebe est, ut *summas*, qui nobilis, ac summae est nobilitatis. *Pl. Stich.* 3, 2, 36. Ergo oratores populi, summates viri, Summi accumbent: ego infimatis infimus. *Infimatis* pro *infimas* dictum est, quod et *Prisc.* adnotavit 7, 761. et 12, 943. V. CUJAS. [*Gloss. Philox.* Infimates, οἱ ὑστερεύοντες. *F.*]

INFĪMĀTUS, a, um, adj. infimus factus. *Appul. de Deo Socrat.* Ingenia ad miserias infimata.

INFĪMĪTAS, atis, f. *Ammian.* 17, 13. Ad infimitatem obsequiorum venire servilium. *Id.* 29, 2. Ipsa sortis infimitate ad omnia praeceps.

INFĪMO, as, a. 1. deprimo, infimum facio. *Appul. Met.* 1. Manes sublimare, Deos infimare.

INFĪMUS. V. INFERUS.

INFINDO, is, ĭdi, issum, a. 3. ἐπισχίζω, idem quod findo, vel in aliqua re findo. *Virg. A.* 5, 142. Infindunt pariter sulcos; et *Ecl.* 4, 33. telluri infindere sulcos. *Val. Fl.* 1, 687. volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum. ℙ Tribunt et *Cic. Brut.* 16. Cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infinderentur genus. [At omnino legend. *infunderentur*, h. e. s'*intrudessero*. *F.* *Illud *Scal.* suspic.] ℙ *Paul.* ex *Festo:* Infindere, intercipere, interponere, *h. e.* interjicere: ducta metaphora a surculis, qui infissis truncis arborum inseruntur, inquit *Scaliger:* [vel potius *infundere* hic scribitur pro *infendere*. V. INFENDO. *F.*]

INFĪNĪBĪLIS, e, adj. qui finem habere non potest. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Cum viduata sit fine, infinibilis recte videri potest. [*Capell.* 2, 45. Universumque totum infinibilis patris profunditate coercitum veneratur. *F.*]

[INFĪNIS, e, adj. qui finem non habet, infinitus. V. DEFINIS. *F.*]

INFĪNĪTAS, atis, f. ἀοριστία, ἀπειρία, immensitas. *Cic. N. D.* 1, 26. Infinitas locorum, innumerabilitasque mundorum. *Id. Tusc.* 5, 39. Infinitatem omnem peregrinabatur. *Ammian.* 15, 1. Infinitates mundorum.

INFĪNĪTĒ, adv. ἀορίστως, sine fine, immense. *Cic. Par.* 6, 3. Supellectilem et vestem infinite concupiscenti. *Id. Acad.* 1, 7. Infinite secare ac dividere aliquid. ℙ Item universim. *Gell.* 14, 7. *med.* Referri oportere (*ad senatum*) aut infinite de republica, aut de singulis rebus finite.

INFĪNĪTĬO, onis, f. idem ac infinitas. *Cic. Fin.* 1, 6. *f.* Infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est.

INFĪNĪTĪVUS Modus, seu infinitus, ἀπαρέμφατον, est unus ex modis verborum: quia nullum certum numerum, nec personam sibi aperte definit. Nam numeri et personae in infinitivo sunt incerta, obscure latent, evolvenda sunt beneficio pronominum, ut me amare, illos amare, etc. *Diomed.* 1, 331. et *Prisc.* 8, 808. et 822. V. INFINITUS.

INFĪNĪTUS, a, um, adj. ἄπειρος, ἀόριστος, qui finem, seu terminum non habet, immensus, interminatus. *Cic. Div.* 2, 50. Nihil, cum habeat extremum, infinitum sit, necesse est; et 43. Intervalla infinita et immensa. *Id. Off.* 1, 16. Infinita multitudo eorum, qui his egent. *Gell.* 14, 1. Infinitus prope et innumerabilis annorum numerus. *Cic. Dejot.* 5. A Pompejo discessit: spem infinitam persequi noluit. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Spelunca infinita altitudine. [*Vell. 2, 106, 1. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus.] Et *N. D.* 1, 9. Ab infinito tempore; et *Balb.* 27. Si qui sunt, quibus infinitum sit odium. *Id. Or.* 1, 1. Infinitus rerum forensium labor. *Plin.* 25, 5, 23. Singultus infiniti, aut sternutamenta. *Id.* 25, 8, 53. Quidquid in Creta nascitur, infinito praestat ceteris alibi genitis. *Senec. prooem. l.* 2. *excerpt. controvers. med.* Ex tempore coactus dicere, infinito se antecedebat. *Quint.* 8, 4. *f.* Infinito plus. Rursus *Plin.* 34, 2, 3. Cum ad infinitum operum pretia creverint. *Ulp. Dig.* 38, 16, 2. Deincepsque ceteri, si qui sunt, in infinitum. *Plin.* 17, 25, 38. In infinitum ne abeamus. *Paul. Dig.* 8, 2, 23. Cujus aedificium jure superius est, ei jus est, in infinito supra suum aedificium imponere, *h. e.* in infinitum. *Cels. ib.* 1, 9. Si cui simpliciter via per fundum cujuspiam cedatur, in infinito, videlicet per quamlibet ejus partem, ire, agere licebit. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat. Et absolute *Id.* 16, 39, 64. Infinitum refert et lunaris ratio. ℙ Item indefinitus. Hinc *infinita quaestio* dicitur a rhetoribus, in qua aliquid indefinite et universim quaeritur, v. g. *expetenda ne sit eloquentia:* cui opponitur *finita*, in qua certum quippiam ac determinatum disputatur. V. FINITUS. *Cic. Or.* 1, 31. Esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis ac temporibus locata. Adde *Part.* 18. ℙ Item amplus, multiplex, numerosus. *Cic. Or.* 1, 15. Si cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita posui. *Id. Top.* 8. Formarum certus est numerus, quae cuique generi subjiciantur: partium distributio saepe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio. ℙ Item immodicus. *Jabolen. Dig.* 35, 2, 61. Cum heres fundum emere, nisi infinito pretio non posset. *Liv.* 3, 9. Duos pro uno dominos, acceptos, immoderata, infinita potestate. ℙ *Infinitus* verborum *modus* ap. grammaticos est, qui nullas designat personas, aut numerum. V. INFINITIVUS. *Quint.* 1, 6. Dummodo per eandem litteram in infinito exeant ℙ *Infinitum verbum* est verbum infinitivi modi. *Id.* 9, 3. (ad illud *Pers.* 1, 9. nostrum istud vivere triste.) Cum infinito verbo usus sit pro appellatione. ℙ *Infinitum nomen* est, quod rem indefinitam significat, ut *qualis*, *quantus*, *quot*, cum sine interrogatione ponuntur. *Prisc.* 2, 580. ℙ *Infinitum pronomen* est, quod personas non recipit, ut *quis*, *quae*, *quid:* contra *finitum*, quod recipit, ut *ego*, *tu*, *ille*. *Varr. L. L.* 9, 1. et *Don. edit.* 2, 1752. ℙ *Infinitae conjunctiones* ap. *Cic. Fat.* 8. et *infinita connexa* sunt propositiones, quas vocant *particulares*, *h. e.* de re aliqua indefinita, ut Si quis natus est oriente Canicula, in mari non morietur.

INFIRMĀTĬO, onis, f. ἀσθένωσις, actus infirmandi. *Cic. Agr.* 2, 3. Sed suspicione, ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum. ℙ Speciatim sumitur pro argumento, quo ratio infirmatur. *Cic. Inv.* 1, 13. Judicatio est, quae ex infirmatione et confirmatione rationis nascitur controversia. Adde *ib.* 2, 21.

INFIRMĀTUS, a, nm, part. ab *infirmo*, ἀσθενής, debilitatus, fractus. *Cic. Pis.* 19. Infirmatus conscientia scelerum. *Ammian.* 17, 5. Infirmato imperii robore. *Hermogen. Dig.* 49, 14, 46. Infirmatus contractus, *h. e.* rescissus.

INFIRMĒ, adv. ἀσθενῶς, debiliter. *Cic. Fam.* 15, 1. Etsi intelligebam socios infirme animatos esse. *Plin. ep.* 1, 21. *f.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme. *Suet. Aug.* 9. Tonitrua et fulgura paulo infirmius expavescebat.

INFIRMIS, e, adj. idem ac infirmus. *Ammian.* 2, 6. Coagmenta lapidum recens structorum, madoreque etiamnum infirmium.

INFIRMĪTAS, atis, f. ἀσθένεια, invaliditas, imbecillitas, debilitas illa, quae vel ex aetate, vel ex morbo contingit. *Cic. Sen.* 10. Infirmitas est puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis. *Id. Brut.* 91. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis. *Plin.* 18, 7, 18. Hordeo contra tempestates maxima infirmitas. *Alphen. Dig.* 39, 2, 43. aedificii. *Cic. Fam.* 7, 1. valetudinis. *Plin. ep.* 7, 21. oculorum. ℙ De iis, qui infirmi sunt. *Liv.* 34, 7. *extr.* Patiendum huic infirmitati est, quodcumque vos censueritis, *h. e.* mulieribus. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 4. Impositum onus propter infirmitatem animi deponere. *Sen. ep.* 11. Infirmitas mentis. *Papin. Dig.* 41, 2, 44. memoriae. ℙ Ponitur et pro levitate, et inconstantia. *Caes. B. G.* 4, 5. Infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles, et novis plerumque rebus student. [*Cf. ep. 13.] Adde *Colum.* 3, 10. ℙ Item pro morbo. *Suet. Tib.* 72. Ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis interfuit. *Just.* 28, 3. Infirmitate correptus in itinere decedit. (Adde 11, 8. et 26, 3.) *Plin. ep.* 10, 6. Proxima infirmitas mea obligavit me Marino medico. *Ulp. Dig.* 4, 6, 38. Si infirmitate impeditus continuare iter non potuit. Adde *Auct. dial. de Or.* 23. *med.* ℙ Infirmitas vini est imbecillitas, qua ferre aetatem nequit. *Colum.* 12, 20. *f.* Propter nimiam infirmitatem vini, quod vix triginta diebus integrum permanebat.

INFIRMĬTER, adv. infirme. *Arnob.* 7, 250. Quam infirmiter invalideque dicatur.

INFIRMO, as, avi, atum, a. 1. ἀσθενόω, infirmum reddo. *Cels.* 2, 12. Alvus, si vehementius fluit, hominem infirmat. *Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 534. Ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur. *Tac. A.* 15, 10. Legiones promiscuis militum commeatibus infirmaverat. ℙ Saepius translate sumitur pro confutare, refellere, dissolvere, ostendendo scil. verbis nullam in re, quae objicitur, aut teste vim inesse ad probandum. *Cic. Rosc. Am.* 15. Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. *Id. N. D.* 2, 59. Quanta vero illa sunt, quae vos Academici infirmatis et tollitis? *Id. Or.* 1, 31. *extr.* Quae pro adversariis sunt, infirmare et frangere. *Id. Rosc. Com.* 15. Infirmare fidem testis. *Id. Att.* 15, 26. Dubitans, utrum morem gerat Leptae, an fidem infirmet Silio. ℙ Item pro rescindere, irritum reddere. [*Vell. 2, 2, 2. Nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari.] *Hermog. Dig.* 49, 14, 46. Infirmare contractum. *Afric. ib.* 30, 105. *med.* legatum. *Ulp. ib.* 28, 4, 2. testamentum. ℙ *Infirmare legem*, est vim ei, atque auctoritatem adimere. *Liv.* 34, 3. et *Quint.* 7, 1. *f.*

INFIRMUS, a, um, adj. ἀσθενής, non firmus, imbecillus, debilis. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Nemo aetate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non surrexerit. *Id. Brut.* 48. *extr.* Infirma atque etiam aegra valetudine esse; [*Cf. *Vell.* 2, 70, 1.] *Id. Verr.* 2, 5, 33. Classis inops et infirma. *Lucan.* 5, 545. Infirmum lumen solis. *Cels.* 2, 18. Infirmior est panis ex polline; infirmissimus cibarius panis, *h. e.* minoris alimenti. *Colum. arbor.* 3. *extr.* Infirmi saporis vinum, nec perenne. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 1. Infirmissimae arbores. *Id.* 23, 2, 28. Infirmi nervi. *Id.* 36, 20, 37. Infirmior ad omnia haec est, quem schiston appellant, *h. e.* minoris virtutis adversus haec mala. *Ov. Ib.* 44. Infirmum pecus, *h. e.* oves. *Curt.* 4, 14. *med.* Famam, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. *Caes. B. G.* 7, 17. Alteri non magnis facultatibus, quod civitas erat exigua et infirma. *Id. B. C.* 3, 9. Cum essent infirmi ad resistendum. [*Front. ad M. Caes.* 3. (ed. *A. Maio*) *ep.* 29. Sum adhuc a cubito et cervice infirmus. *F.*] ℙ Substantivi more. *Plin.* 9, 43, 67. Glutiunt usque ad infirma lineae. ℙ De eo, qui aeger est. *Plin. ep.* 7, 26. Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. ℙ Translate saepe refertur ad animum. *Caes. B. C.* 1, 32. Tenuis et infirmus, animus; et 3. Quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur. ℙ Et quoniam ex infirmitate metus, sic ex metu religio sive superstitio oritur, hinc infirmus dicitur superstitiosus, δεισιδαίμων. *Hor. Sat.* 1, 9, 70. nulla mihi, inquam Relligio est. At mî: sum paulo infirmior. Eod. sensu *Cic. Div.* 2, 39. Imbecilli animi superstitiosa ista concipiant. ℙ Speciatim de iis dicitur, qui inconstantes sunt, ac leves animo, aut fide: quo sensu et *infirmitas* a *Caesare* adhibetur. *Colum.* 3, 10. Veniunt imprudentissimi ad rem maxime necessariam: deinde etiam infirmissimi. ℙ Praeterea refertur ad ea, quae minus valent ad probandum, minusque habent auctoritatis ac ponderis. *Cic. Caec.* 23. Omnino ad probandum utraque res infirma et nugatoria est. *Id. Rosc. Com.* 2. Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur? *Id. Fam.* 7, 18. Vestrae cautiones infirmae sunt.

INFIT, incipit, ἄρχεται: verbum defectivum, cujus haec sola in usu est persona: de qua ita *Festus:* Infit, incipit, sed diversae significationis est ab eo, quod est *fit*, nam *infit* agentis, *fit* autem patientis est. [*Corruptum hunc Festi locum ita emendat *Doederl.* 3, 160. *Infit*, incipit ab eo quod est fit, sed diversae significationis, nam *infit* agentis, *fit* autem patientis est. At ne sic quidem, licet sensu non careat, falsam abesse sententiam: *infit* esse active intelligendum. Ceterum respondere nostr. *anhaben.* Cf. *Ruddim.* 1, 269. V. et INCIPIO.] *Pl. Aul.* 2, 4, 38. Homo ad praetorem deplorabundus venit: Infit ibi postulare, ut, etc. *Id. As.* 2, 2, 76. Me infit percontarier. *Id. Merc.* 2, 1, 25. Infit mihi praedicare, sese abduxisse, etc. *Id. Rud. prol.* 51. Infit laudare. *Virg. A.* 5, 708. his Aeneam solatus vocibus infit; et *ib.* 11, 242. ita farier infit. *Lucr.* 3, 516. Commutare animum quicumque adoritur, et infit; et 5, 1207. caput erigere infit. ℙ Absolute est, incipit dicere. *Virg. A.* 10, 860. alloquitur moerentem, et talibus infit; et 100. Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, Infit: eo dicente, etc. *Liv.* 3, 71. Ibi infit, annum se tertium et octogesimum agere, etc. [*Adde 1, 23. Monet *Doederl. l. l.* praeter poetas ap. solum Livium nonnisi in primis libris, quorum ad poetarum dicendi rationem accedat sermo, in usu esse videri h. v.] *Ov. Met.* 4, 475. Atque ita, non longis opus est ambagibus, infit. ℙ *Infit*, loquitur. *Prud. Apoth.* 805. de anima: Im-

perat, antevidet, perpendit, praecavet, infit. ℙ *Prisc.* 8. *f.* docet *infio* ap. *Varr.* inveniri. In *Gloss.* quoque *Philox.* legitur *infe*, ἄρξαι, *h. e.* incipe: et *infiunt* ap. *Capell.* 2. *f.* Nunc ergo mythis terminatis, infiunt Artes libelli qui sequentes asserent.

[INFĪTENS, entis, part. ab *infiteor*, qui non fatetur. *Gloss. Phil.* Infitentes, ἀρνούμενοι. *F.*]

INFĪTĒRI, non fateri. *Festus.*

INFĪTĬĀLIS et Inficialis, e, adj. negativus, ut Constitutio infitialis, qua negamus quod objicitur, vel quod petitur. *Cic. Top.* 24. Itaque aut infitialis, aut conjecturalis prima appellatur. V. INFITIOR.

INFĪTĬAS et Inficias, nomen defectivum, in quarto plurali solummodo usurpatum, cum verbo *eo, is.* Itaque *infitias ire* est negare, ea ratione, qua *exsequias, suppetias ire* dicimus: omissa *ad* praepositione, quae exprimitur in illo *Pauli Dig.* 10, 2, 44. Non calumniae causa ad infitias ire. Ita *Torrent.*, nam *Haloand.* τὸ *ad* omittit. Fere dicitur de iis, quae vera sunt, et probe scimus, sed fateri nolumus. De ratione scribendi V. INFITIOR. *Ter. Ad.* 3, 2, 41. Si hoc palam proferimus, ille infitias ibit. *Pl. Cist.* 4, 1, 9. Omnia infitias ire ea, quae dudum confessa est mihi. *Id. Bacch.* 2, 3, 25. Infitias ire coepit filio. *Nep. Ep. f.* Hujus de virtutibus satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat infitias. *Quint.* 3, 7. Neque infitias eo, quasdam esse ex hoc genere materias. *Liv.* 6, 40. Quorum alterum neque nego, neque infitias eo, nos enixe operam dedisse, etc. *Front. Aquaed.* 72. Nec eo infitias, quin, etc.

INFĪTĬĀTĬO et Inficiatio, onis, f. ἄρνησις, negatio. *Cic. Or.* 2, 25. Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. ℙ Item negatio pecuniae debitae, aut depositi. *Sen. Ira* 2, 9. Circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes. *Cels. Dig.* 47, 2, 69. Infitiatio depositi. *Terent. ib.* 46, 7, 16. Compellere ad infitiationem.

INFĪTĬĀTOR et Inficiator, oris, m. ἀποστερητής, qui infitiatur: et praesertim qui debitam pecuniam, aut depositum, aut hujusmodi negat fraudandi causa. *Cic. Or.* 1, 37. Si ille infitiator probasset judici, ante petitam esse pecuniam, etc. *Id. Cat.* 2, 10. Hos non tam acres milites, quam infitiatores lentos esse arbitror. *Mart.* 1, 104. In jus, o fallax atque infitiator, eamus. *Sen. Ben.* 3, 17. *f.* Tristis et sollicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet. De orthographia V. in INFITIOR.

INFĪTĬĀTRIX et Inficiatrix, icis, f. quae infitiatur. *Prud. Psych.* 630. Fidei fraus infitiatrix.

INFĪTĬOR et Inficior, aris, atus sum, dep. 1. ἀρνέομαι, nego, pernego: et dicitur fere de iis, qui quae vera sunt, et sibi nota optime, tamen negant. Quibusdam placet esse ab *in* privativa, et *facio*, quasi quis ajat, se non fecisse: itaque per *c* scribunt. Aliis ab *in*, et *fateor:* et scribunt per *t.* Hos inter sunt *Fest.*, *Manut.*, *Cellar.*, inter illos *Dausquius.* In neutram partem *Voss.* inclinat: nos in priorem: ita tamen ut alteram non damnemus. *Cic. Off.* 3, 16. Quae qui initiatus esset, dupli poenam subiret. [*V. *Beier.* ad h. l.] *Id. Cat.* 3, 5. Cum id posset infitiari, repente confessus est. *Id. Sext.* 22. Neque enim, in hoc me hominem esse, infitiabor unquam. *Varr. L. L.* 4. *f.* Infitiari de re aliqua. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. Earum rerum nullam sibi iste neque infitiandi, neque defendendi facultatem reliquit. *Id. Part.* 29. Is qui defendit, resistat oportet aliquo statu, aut infitiando, aut definiendo, etc. *Flor.* 1, 22. Postumium infitiantem, quas promiserat, praedas, lapidavit. *Nep. Ann.* 1. Non est infitiandum, Annibalem tanto praestitisse, etc. *Ov. Pont.* 4, 6, 42. cum magna meorum Notitiam pars est infitiata mei. *Id. Her.* 9, 4. fama Decolor, et factis infitianda tuis. [*i. e. non agnoscenda, non fatenda, quia turpis est, nec convenit factis tuis. *Amor.* 2, 17, 26. Non erit hic nobis inficiandus amor. *Ruhnk.*] *Mart.* 5, 30. Varro, Sophocleo non infitiande cothurno, *h. e.* quem tragica poesis nunquam infitiabitur suum maximum cultorem. ℙ De iis, qui pecuniam debitam, depositum, aliudve id genus negant, fraudandi causa. *Festus:* Infitiari, creditum fraudare. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Quid, si infitiatur? quid, si omnino non debetur? *Juven.* 13, 60. si depositum non infitietur amicus. V. INFITIATOR, et INFITIATIO.

INFIXUS, a, um, part. ab *infigo*, ἐμπαγείς, intro fixus, immissus, injectus. *Caes. B. G.* 7, 73. Taleae pedem longae, ferreis hamis infixis, totae in terram infodiebantur. *Cic. Tusc.* 5, 24. Sidera certis infixa sedibus. *Liv.* 27, 14. In quorum tergis infixa stetere pila. *Virg. A.* 4, 689. infixum stridet sub pectore vulnus. *Id. ib.* 9, 699. hasta stomacho infixa sub altum Pectus abit. *Pompon. Dig.* 33, 7, 21. Quaecumque infixa inaedificataque sunt, fundo legato continentur. *Plin.* 26, 12, 7. Omnia infixa corpori extrahunt folia tussilaginis, daucum, etc. ℙ Translate. *Cic. ad Quirit. f.* Haec cura erit infixa animo meo sempiterna. *Id. ad Brut.* 1, 15. Animus semper infixus est in patriae caritate. *Id. Cluent.* 6. Si hoc, quod in communibus hominum sensibus, atque in ipsa natura positum atque infixum est, non viderem. *Liv.* 3, 71. Rem se vetustate oblitteratam, ceterum suae memoriae infixam afferre. [**Id.* 29, 18. Religio infixa animis.] *Ov. Trist.* 1, 5, 9. Haec mihi semper erunt imis infixa medullis. *Virg. A.* 4, 4. haerent infixi pectore vultus. *Sen. ep.* 11. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. *Τνώμη. Tac. A.* 15, 5. Vologesi vetus, et penitus infixum erat, arma Romana vitandi. ℙ *Infixum est*, decretum est, certum est. *Sil.* 4, 331. nec leti cura decori, Sed fugere infixum est. Adde 10, 644.

INFLĀBELLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *inflabello. Tert. adv. Valent.* 23. His omnibus elementis atque corporibus ignis inflabellatus est, *h. e.* stando immissus. V. FLABELLO.

INFLĀBĬLIS, e, adj. qui inflari potest. *Lact. Opif. D.* 11. pulmonem vocat viscus inflabile, atque aeris capax.

INFLACCĔO, es, n. 2. flaccidus, infirmus, inutilis fio. *Enn.* ap. *Non.* 2, 323. Inflaccebunt conditiones.

INFLAGRO, as, n. 1. intus flagro, vel accendor. *Sol.* 5. *f.* de Sicilia: Sarmenta, licet viridia, ignem sponte concipiunt, et, nullo inflagrante halitu, ab ipso Numine fit accendium.

INFLAMMANTER, adv. *Gell.* 10, 3. *med.* Acriter et inflammanter facit complorationem tam acerbae rei.

INFLAMMĀTĬO, onis, f. φλόγωσις, φλεγμονή, actus inflammandi. *Flor.* 4, 2. Caesaris furor totum, qua patebat, imperium quodam quasi diluvio, et inflammatione corripuit. *Nazar. Pan. Constant.* 21. Cum portarum inflammatio ignem late distulisset. ℙ Ap. medicos sic dicitur, cum noxius humor collectus in aliqua parte corporis eum doloris sensum facit, qui ignis ardore sentitur. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. Oculos interdum inflammatio occupat. *Plin.* 22, 25, 64. Inflammatio aurium; et *ib.* nervorum; et 28, 9, 37. ulcerum; et *ib.* 4, 13. sedis. *Cels.* 4, 5. stomachi; et 6. Laterum inflammatio se remittit. *Plin.* 21, 20, 86. Inflammationem discutere. *Id.* 22, 25, 74. sedare. *Id.* 24, 8, 35. refrigerare. *Id. prooem. l.* 23. mitigare. *Cels.* 7, 25. reprimere. *Id.* 6, 6. *extr.* lenire. *Id.* 5, 26. *n.* 20. *extr.* solvere; et *n.* 21. et 23. movere; et *n.* 28. excitare. V. INFLAMMO. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 46. *extr.* Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.

INFLAMMATRIX, icis, f. quae inflammat, incitat, et accendit. *Ammian.* 14, 1. Megaera inflammatrix. *Mamert. Pan. Julian.* 3. Eaedem odii causae, quae amoris inflammatrices.

INFLAMMĀTUS, a, um, part. ab *inflammo:* flamma correptus, accensus, φλογωθείς, ἔμφλοξ. *Suet. Ner.* 38. Horrea labefactata, atque inflammata sunt. ℙ *Inflammatum membrum* est noxio humore, ardentique dolore laborans, ut in INFLAMMATIO dictum est. *Plin.* 28, 16, 62. Inflammata omnia sedat fimi vitulini cinis. ℙ Translate est aliqua vehementi animi aegritudine correptus. *Cic. Dom.* 23. *extr.* In quos propter eorum crudelitatem inflammatae nostrae mentes fuerunt; et *Fam.* 1, 7. *med.* A pueritia inflammatus ad gloriam. *Id. Fin.* 1, 18. Voluptatum potiendi spe inflammati. *Id. Tusc.* 5, 6. Libidinibus inflammatus et furens. *Id. Or* 1, 44. amore in patriam. *Id. Verr.* 2, 5, 62. scelere et furore. *Mart.* 10, 86. amica. *Hirt. B. Afr.* 19. audacia. *Plin.* 8, 16, 17, cupidine noscendi animalium naturas. *Claud. in Ruf.* 1, 231. Inflammata semel nescit mitescere virtus. *Id. I. Cons. Stil.* 293. pretio inflammata manus, *h. e.* corrupta, et stimulata pecunia. [**Sil.* 2, 514. petit (fides) inflammata Saguntum.]

INFLAMMO, as, avi, atum, a. 1. φλογόω, ἐμφλέγω, flammam infero, accendo, igne corripio. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Ceres dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt. ℙ Item exuro, comburo. *Cic. Att.* 8, 2. *extr.* Cum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam. *Id. ib.* Patriam diripiendam et inflammandam reliquimus. *Id. Verr.* 2, 5, 35. Classem populi R. inflammari incendique jussit. [**Liv.* 10, 2. Vicos expugnant, inflammant tecta.] ℙ Apud medicos est nimium calorem, noxio humore collecto, in corpore accendere, et ardoris sensum facere. V. INFLAMMATIO. *Plin.* 22, 23, 49. Laser tauros inflammat, naribus illitis. *Id.* 30, 4, 10. Buprestis bovem ita inflammat, ut rumpat; et 25, 2, 5. Inflammari vulnera ac morbos; et *ib.* 8, 53. Equi pasti inflammantur rabie. ℙ Translate est excitare, permovere, incitare. *Cic. Verr.* 2, 1. Cum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conantur. *Id. Orat.* 1, 14. Admovere orationem ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos. *Id. Tusc.* 1, 19. Cum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates. *Id. Har. resp.* 1, 19. Animos imperitorum excitare et inflammare. *Id. Fin.* 1, 16. cupiditates. *Id. Marc.* 10. odium. *Id. Or.* 1, 46. populum in improbos. *Virg. A.* 4, 54. aliquem amore. *Claud. III. Cons. Honor.* 51. Inflammare magis amorem pugnae. *Cic. Amic.* 23. Inflammari cupiditate honorum.

INFLĀTĒ, adv. tumide. Translate. *Caes. B. C.* 2, 17. Atque haec ad eum latius atque inflatius Afranius perscribebat. [*Adde ep. 39.] *Id. ib.* 3, 79. [*Adde ep. 108.] Latius inflatiusque multo, quam res erat gesta, fama percrebuerat.

INFLĀTĬO, onis, f. φύσημα, tumor praesertim in corpore, ex morbo. *Cic. Div.* 1, 30. Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus. *Cels.* 2, 26. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus, etc. Feniculum vero et anethum inflationes etiam levant. *Colum.* 12, 11. Si bibatur, inflationem stomachi facit. *Plin.* 23, 6, 57. Mala dulcia inflationes pariunt. *Id.* 27, 7, 28. Inflationes discutere. *Id.* 23, 4, 40. Inflationem sedare. *Sen. Q. N.* 5, 4. In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quae non sine magna narium injuria emittitur, et ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius. Adde *Vitr.* 8, 3. ubi dicitur de spiritu ex aqua percalefacta efflante. *Hieron. in Isaj.* 15, 47, 2. Inflationem ventris crepitu digerere. ℙ [*Est etiam i. q. inflammatio, *Entzündung. Suet. Aug.* 81. Et initio veris praecordiorum inflatione tentabatur. V. *Brem.*]

INFLĀTUS, a, um, part. ab *inflo:* ἐμπνευσθείς, ὀγκύλος, flatu impletus, inspiratus. *Cic. Brut* 51. Si tibiae inflatae non referant sonum, abjiciendas eas sibi tibicen putat. *Ov. Met.* 1, 340. buccina cecinit jussos inflata receptus *Plin.* 9, 35, 54. Species modo inani inflata, sine corpore. *Sen. Agam.* 90. Vela secundis inflata Notis. *Cic. Or.* 3, 11. Nolo verba exiliter exanimata exire: nolo inflata et quasi anhelata gravius, [*i. e. in quorum pronuntiatione, ob nimiam contentionem, nimius spiritus consumitur, ita ut anhelent immoderatius, qui ea eloquuntur. *Ernest.* in *lex. technol. lat. rhet.* p. 214.] ℙ Item tumidus, turgidus. *Cic. Vat.* 2. Serpens inflato collo, tumidis cervicibus. [**Suet. Rhet.* 5. Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, acumen stili tentare dixit.] *Virg. Ecl.* 6, 15. Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho. *Liv.* 40, 33. Inflati amnes. *Ov. A. Am.* 3, 145. capilli, *h. e.* laxi, sparsi, fluentes. *Tert. Pall.* 4. *med.* Vestis inflatior. [**Virg. Cat.* 7, 2. Ite hinc, inanes rhetorum manipli, inflata rore non Achaico turba.] ℙ Translate est superbiens, elatus. *Cic. Agr.* 2, 35. Quibus illi rebus elati et inflati non continebuntur. *Id. Tusc.* 3, 9. Inflatus et tumens animus. *Id. Mur.* 15. Cum hostium classis Italiam, spe atque animis inflata, peteret; et 24. Inflatus promissis. *Id. Phil.* 14, 6. Inflati laetitia atque insolentia impii cives. *Curt.* 10. *f.* Titulo Spartanae victoriae inflatus. *Liv.* 29, 37. Intempestiva jactatione severitatis inflatus. *Id.* 24, 6. Inflatus assentationibus. *Cic. Acad.* 4, 36. Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi, se illa scire, persuaserit? *Id. Off.* 1, 26. Homines inflati opinionibus turpiter irridentur. [**Vell.* 2, 80, 2. Inflatusque amplius XX legionum numero, i. e. ad fanam fiduciam elatus.] *Liv.* 39, 53. Et ipse juvenis haud dubie inflatior redierat, subnixus erga se judiciis senatus, concessisque sibi, quae patri negata essent. *Juven.* 8, 72. quem nobis fama superbum Tradit, et inflatum, plerumque Nerone propinquo. [**Suet. Ner.* 37. Elatus inflatusque tantis velut successibus.] ℙ Refertur etiam ad orationem nimis elatam ac turgidam. *Auct. ad Her.* 4, 10. Gravis oratio saepe imperitis videtur ea, quae turget et inflata est. *Auct. dial. de Or.* 18. Ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens, etc. videretur. *Prop.* 2, 25, 32. non inflati somnia Callimachi. *Quint.* 12, 10. Attici pressi et integri, Asiani inflati et inanes. [**Suet. Rhet.* 2. Subtractoque nomine, hordearium eum rhetorem appellat, desidem, ut inflatum, ac levem et sordidum. V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 214. sq.]

INFLĀTUS, us, m. ἔμπνευσις, actus inflandi, inflatio. *Cic. Brut.* 51. Oratori populi aures, tanquam tibiae sunt: eae si inflatum non recipiunt, etc. et *Acad.* 4, 7. Primo inflatu tibicinis. ℙ Item afflatus. *Id. Div.* 1, 6. Instinctu inflatuque divino futura praenunciat.

INFLECTO, is, exi, exum, a. 3. idem quod flecto, ἐπικάμπτω. *Colum.* 5, 6. Radices in nodum inflectere. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore inflectitur. *Id. N. D.* 2, 19. Stellae nunquam cursus sui vestigium inflectunt. *Tibull.* 1, 8, 37. Voces inflectere cantu, *h. e.* variare. *Prop.* 4, 8, 77. Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum. *Plin.* 6, 17, 20. A Caspio mari in Eoum cursus inflectitur. *Caes. B. G.* 1, 25. Cum ferrum se inflexisset. *Cic. ad Quirit.* 3. Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret, *h. e.* in se converteret. *Catull.* 64, 256. Evoe bacchantes, evoe capita inflectentes. ℙ Translate est mutare, deflectere, movere, in aliam mentem inducere. *Virg. A.* 4, 22. Solus hic inflexit sensus, animumque labantem Impulit. *Id. ib.* 12, 800. Desine jam tandem, precibusque

inflectere nostris; et *Stat. Th.* 8, 716. Lacrimis aliquem inflectere. *Cic. Caecin.* 26. Jus civile neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia potest. ℙ [**Inflectere orationem* est ejus, qui non recta oratione utitur, sed figurate, oblique dissimulate dicit, quem *λόγον ἐσχηματισμένον* Gr. vocarunt. *Cic. Brut.* 9. de Phalereo: Hic primus, inquit, inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit, et suavis videri maluit, quam gravis; i. e. Phalerus hoc maxime agebat, ut orationem, quam simplex et incompta antiquitas fecerat rectam, figurarum pluribus quasi flexibus distingueret, quibus suavis aliqua varietas illi conciliaretur. *Sen. Controv.* 1. *praef.* 1, 68. *Bip.* de Latrone Porcio: non placebat illi orationem inflectere, nec unquam recta via discedere, nisi cum hoc aut necessitas coegisset, aut magna suasisset utilitas: summam esse dementiam detorquere orationem, cui rectam esse liceret. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 215.] ℙ Grammatice *inflectere* est circumflexum accentum verbo apponere. *Arnob.* 1, 35. Inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti.

INFLĔTUS, a, um, adj. indefletus. *Virg. A.* 11, 372. animae viles, inhumata, infletaque turba. [*Expressit vulgare Graecorum *ἡμεῖς ἄθαπτος καὶ ἄκλαυστος ὄχλος;* quasi tam viles habiti, ut projiciantur vel insepulti. Minus bene *Servius* et al. aliter. *Heyn.*] Adde *Val. Fl.* 6, 651.

INFLEXĪBĬLIS, e, adj. *ἄκαμπτος*, qui inflecti non potest. *Plin.* 28, 12, 52. Dolorem inflexibilem (opisthotonon vocant) levat urina caprae. ℙ Translate. *Sen. ep.* 95. *med.* Necessaria sunt decreta, quae dant animis inflexibile judicium, *h. e.* certum et immutabile. *Plin. ep.* 10, 97. Pervicaciam et inflexibilem obstinationem debere puniri.

INFLEXĬO, onis, f. *ἔγκαμψις*, inflectendi actus. *Cic. Or.* 59. Laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra.

INFLEXUS, a, um, part. ab *inflecto*, *ἐπικαμπής*, flexus. *Cic. Div.* 1, 17. Incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. *Plin.* 4, 8, 15. Montes inflexi theatrali modo. *Prop.* 3, 13, 34. inflexo genu cadere. *Colum.* 4, 26. *f.* Meminerit, ne retorqueat sarmentum, sed tantum inflexum devinciat. *Suet. Aug.* 79. Capillus leniter inflexus. ℙ Translate de voce. *Cic. Or.* 2, 46. Ut idem, inflexa ad miserabilem sonum voce, flens ac lugens dicere videatur. *Id. Or.* 17. Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce atrociter dicere; et submissa, leniter; et inclinata, videri gravis, et inflexa, miserabilis. Utrobique *Schützius* pro *inflexa* legit *flexa*, nam hic mox sequitur *inflexus sonus* alia significatione; et ap. *eund. Or.* 3, 57. habetur *flexus sonus, h. e.* ad misericordiam compositus. V. FLEXUS, a, um. [**Orell.* Vulg. retinuit; non tamen improbata *Schützii* conj. *Or.* 17. De loci sententia v. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 216.] ℙ *Inflexus sonus* est idem ac flexus vel circumflexus. *Cic. Or.* 17. *extr.* Mira est enim quaedam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus. V. INFLECTO. Ap. *Capell.* 3, 61. et 62. *circumflexus*, *inflexus*, et *flexus* idem significant. ℙ Item placatus. *Stat. Th.* 8, 759. jamque inflexo Tritonia patre venerat. [*Quaedam h. l. addidit *F.*]

INFLEXUS, us, m. *κατάκαμψις*, inflexio. *Juven.* 3, 236. rhedarum transitus arcto Vicorum inflexu. *Sen. B. V.* 12. Vocem, cujus rectum cursum natura et optimum, et simplicissimum fecit, inflexu modulationis inertissimae torquent. *Arnob.* 2, 57. Nec sit introitus rectus, sed adeatur inflexibus flexuosis.

INFLICTĬO, onis, f. actus infligendi. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 9, 17, 2. Factum, solitum sanguine vindicari, multae inflictione corrigimus.

INFLICTUS, a, um, part. ab *infligo:* percussus. *Val. Fl.* 4, 281. jam ecce ruunt, inflictaque late Terga sonant. ℙ Item illatus, incussus. *Imp. Gordian. Cod.* 5, 51, 2. Damnum inflictum alicui. *Imp. Antonin. ib.* 10, 8, 1. Summa poenae nomine inflicta. *Prud. Apoth. f.* inflictos casus contemnite, *h. e.* illatas calamitates. ℙ [Item illisus. *Virg. A.* 10, 303. Puppis inflicta vadis. *F.* *Hic locus ab initio poni debebat. V. INFLIGO.]

INFLICTUS, us, m. inflictio, collisio, ut Inflictus dentium et labiorum, quo nempe sonos articulamus: ap. *Arnob.* 3, 111.

INFLĪGO, is, ixi, ictum, a. 3. [*Mirum in modum Noster hujus loci exempla miscuit, neque propriae neque translatae significationis discrimine spectato. Hinc immutatum ita recte videmur disposuisse ordinem: Primum significat *infligere* i. q. injicere, immittere, illidere aliquid aliquo. Gr. *προστρίβομαι, ἐμβάλλω.* Ita *Cic. Planc.* 29. Infligere alicui securim. *Lactant. Mort. persecut.* 49. Caput parietibus infligere. V. INFLICTUS *in f.* ℙ Translate quasi loquendo facere, ut verba tanquam tela volitent. *Cic. Or.* 2, 63. Cum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur. ℙ Hinc caedendo alicui aliquid inferre. *Cic. Vat.* 8. Mortiferam plagam infligere. *Pis.* 14. Vulnera. ℙ Translate afficere aliquem aliqua re, nostr. *zufügen, anthun. Cic. Pis.* 26. Sempiternam alicui turpitudinem, h. e. inurere. *Just.* 3, 5. detrimenta civitati, h. e. inferre. *Ulp. Dig.* 42, 9, 6. Infligere alicui damnum. ℙ Item imponere, nos: *aufbürden, auferlegen: Paul. Dig.* 22, 1, 11. graviores usuras. *Julian. Dig.* 3, 5, 30. Infligere alicui pretium rei emptae, i. e. imponere onus solvendi pretii. Alii tamen legunt *affligere.*]

INFLO, as, avi, atum, a. 1. *ἐμπνέω, φυσάω*, [*flando aliquid injicere. Huc pertinet locus, quem Noster in fine hujus §. posuerat.] *Cat. R. R.* 90. Ex ore in os palumbi inflare aquam. ℙ [*Tum flando aliquid implere, turgidum facere.] *Virg. A.* 3, 357. tumidoque inflatur carbasus Austro. *Hor. Sat.* 1, 1, 20. merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet. [*Laud. ad h. l. *Heindf. Demosth. de F. Leg.* p. 442. *Reisk. διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν.* Adde *Quint. Inst.* 11, 3, 80. Non et corrugare nares, ut Horatius ait, et inflare, et movere, etc. ℙ Hinc refertur ad cibos, stomachum, ventrem tumore afficientes.] *Cels.* 2, 26. Inflant (corpus) omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia praedulcia. *Ov. Med. fac.* 70. Et simul inflantes corpora frige fabas. ℙ [*Denique dicitur de iis, qui flatum immittunt, instrumentis musicis, ut sonum edant. *Lucr.* 5, 1382. Inflare cavas cicutas. *Virg. Ecl.* 5, 2. Calamos inflare leves. — Absolute. *Cic. Acad.* 4, 27. Simul inflavit tibicen a perito carmen agnoscitur. *Cic. Or.* 3, 60. Servus cum eburneola fistula, qui inflaret eum sonum.] ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 5, 98. Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. *Cic. Pis.* 36. *extr.* Cum tibi spe falsa animos rumor inflasset. *Liv.* 35, 42. Quibus mendaciis erexerat multorum animos, iisdem et regis spem inflabat. *Id.* 45, 31. Inflavit ad intolerabilem superbiam animos. [*Id. 37, 26. Aliquid etiam inflabat animos classis Rhodia.] *Paul. Dig.* 39, 4, 9. Locatio vectigalium, quae calore licitantis ultra modum solitae conductionis inflatur. *Quint.* 11, 1. *med.* Ipse (*judex*) erit gloria inflandus. ℙ Refertur et ad orationem. *Cic. Leg.* 1, 2. Quid tam exile, quam isti omnes? Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, sed, etc., *h. e.* fuit in historia scribenda plenior: ducta, opinor, metaphora ab inflandis tibiis.

INFLOREO, es, ui, n. 2. in aliquo loco floreo, vigeo. *Claud. II. cons. Stil.* 124. Pristina Romuleis infloruit arcibus aetas.

INFLŪENS, entis, part. ab *influo*, qui influit. *Curt.* 8, 9. et *Plin.* 3, 5, 6. Amnis influens in mare. *Just.* 11, 8. Flumen per mediam urbem influens. *Quint.* 1, 2. *f.* Humor sensim influens. ℙ Item ingruens, irruens. *Cic. Prov. cons.* 13. Influentes in Italiam Gallorum copias reprimere. *Plin. Pan.* 8. Si quando cum influentibus negotiis paria fecisti. ℙ Item incurrens, immeans. *Cic. Univ.* 13. Influens atque effluens divinus animus. ℙ *Fortuna influens* est favens, propitia. *Sen. Thyest.* 536. Quis influentis dona Fortunae abnuit? ℙ *Influentes capilli* ap. *Cels.* 6, 1. sunt excidentes, decidui.

INFLŪO, is, xi, xum, n. 3. *εἰςρέω*, intro fluo, illabor. *Cic. Tusc.* 1, 39. Apud Hipanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit; et *N. D.* 2, 55. In quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. *Id. Div.* 1, 35. Atque in amnes mare influxerit. ℙ Translate ponitur pro sese insinuare, sensim irrepere. *Cic. Off.* 2, 9. Ut in universorum animos tanquam influere possimus, [*i. e. blanditiis nos insinuare.] *Id. Amic.* 21. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis! *Id. Leg.* 2, 15. Nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos. *Quint.* 12, 10. Paulatim sermone Graeco in proximas Asiae civitates influente. ℙ Item irrumpere magna vi, et copia instar fluminum. *Plin.* 6, 7, 7. Influxisse eo Scythas tradunt. V. INFLUENS. ℙ Cum dativo. *Quint. decl.* 3, 13. Influxit Italiae inaudita multitudo. *Albin.* 1, 395. dolor menti influit aegrae. *Sen. ep.* 50. *med.* Illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere. ℙ Cum accusativo sine praeposit. quae inest in ipso verbo. *Caes. B. G.* 1, 8. Lacus Lemanus, quem flumen Rhodanum influit. [*Vera hujus loci lectio haec est: *qui in flumen Rhodanum influit:* solennis enim est Caesaris loquendi ratio, ut ipsum lacum, in quem flumen influat, influere in flumen dicat. Cf. 7, 57. Palus influit in Sequanam flumen. Quem morem inde ortum putat *Moebius*, quod flumina, cum in lacus influant, eos propter impetum fluctus ita transeant, ut lacus cum flumine, non fluminis undae cum lacu conjungi videantur. Posse vero etiam flumen ut majus quid cogitari, cui lacus ut minus quasi affluens adjungatur. Ceterum notandum *qui* h. l. esse pro *qua* sumendum; neque Caesarem absolute dicere *influere* c. *acc.*, sed semper cum praepos. *in.* V. *Mor. Oberl.* et *Moeb.* ad h. l.] Adde *ib.* 3, 9. *Plin.* 6, 24, 28. Oceanum qui influit, Azanium appellant. ℙ Cum adverbiis motus ad locum. *Caes. B. G.* 4, 1. Non longe a mari, quo Rhenus influit. *Ov. Pont.* 4, 10, 48. Huc Lycus, huc Sagaris influit. ℙ In illo *Cic. Or.* 2, 53. Ex illa lenitate ad hanc vim acerrimam influat, oportet, aliquid; et ex hac vi nonnunquam animi aliquid influendum est illi lenitati. Sunt qui *infundendum*, sunt qui *inflandum* reponunt, sunt qui multo rectius *inflammandum.* [*Ita *Orell.* q. v.] ℙ Part. *Influens* v. s. l.

INFLŪVĬUM, ii, n. profluvium. *Vell.* 2, 120. *extr.* Ut protinus pariter sanguinis cerebrique influvio exspiraret. Alii legunt *profluvio*, alii *effluvio.* [**Ruhnk.* vulg. retinuit.]

INFLŪUS, a, um, adj. qui influit. *Paul. Not. carm.* 15, 107. tam largiter influa traxit Dona Dei.

INFLUXĬO, onis, f. influxus, illapsus, actus influendi. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Materialis influxio in corpus.

INFLUXUS, us, m. actus influendi. *Firm. Math.* 1, 1. Si ex solis stellarum influxibus pendeamus.

INFODĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *ἐπισκάπτω*, idem quod fodio, vel in aliquo loco fodio. *Colum.* 3, 13. Atque ita sequentem sulcum infodiunt; et *ib.* Campestris locus alte duos pedes infodiendus est. ℙ Item terra obruo, sepelio, planto. *Cato R. R.* 37. Sarmenta concidito minute, et ibidem inarato, aut infodito. *Virg. G.* 2, 348. squalentes infode conchas; et *ib.* 3, 535. Unguibus infodiunt fruges; et *A.* 11, 200. corpora multa virum terrae infodiunt. *Caes. B. G.* 7, 73. Taleae totae in terram infodiebantur. *Nep. Paus.* 5. Procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. *Plin. prooem.* 12. Gemmas infodere corpori, *h. e.* una cum corpore sepelire. ℙ Translate est intus impingere. *Sil.* 10, 235. saxum perfractae cassidis aera Ossibus infodiens. Sic *Lucan.* 6, 193. Et galeae fragmenta cavae compressa perurunt Tempora.

INFOECUNDUS, etc. V. INFECUNDUS.

INFOEDERĀTUS, a, um, adj. foedere non junctus. *Tert. Praescr.* 12. Qui miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regibus, stipendium captat, nisi plane desertor?

INFORMĀBĬLIS, e, adj. qui formari et creari nequit. *Tert. adv. Prax.* 27. Deus immutabilis et informabilis.

INFORMĀTĬO, onis, f. *ὑποτύπωσις, περιγραφή*, proprie dicitur prima illa et rudis forma, quae ab artifice operi alicui inducitur. *Vitr.* 4, 6. *f.* Aedium sacrarum informationes. ℙ Translate accipitur pro notione a natura animo impressa, hoc est, quasi praesumpta notitia, et anticipata. *Cic. N. D.* 1, 16. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari possit. [*et cp. 36. Habebam, inquis, in animo insitam informationem quandam dei. Ita legitur ap. *Orell.*] *Id. Or.* 2, 87. *extr.* Unius verbi imagine totius sententiae informatio. *Id. Part.* 29. Informatio verbi, *h. e.* explicatio, et ostensio significationis.

INFORMĀTOR, oris, m. qui informat, et instruit. *Tert. adv. Marc.* 4, 22. Moses populi informator.

INFORMĀTUS, a, um, part. ab *informo:* delineatus, deformatus, institutus, sed rudis adhuc, impolitus, imperfectus. *Virg. A.* 8, 426. His informatum manibus, jam parte polita, Fulmen erat. ℙ Translate. [*Primum dicitur de notionibus innatis s. anticipatis. E locis, quos Noster distorto satis ordine laudavit, huc pertinet:] *Cic. N. D.* 1, 27. Ita est informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de Deo cogitet, forma occurrat humana. [*Adde *ib.* 2, 5. Cleanthes dixit, in animis hominum informatas Deorum esse notiones. ℙ Adumbratus, demonstratus.] *Cic. Quint.* 10. Ab illo qui ante dixit, informata jam causa est. [**Id. Fin.* 5, 13. Summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda; quibus quasi informatum est, quod hominis natura postulet. ℙ Institutus.] *Cic. Off.* 1, 4. Ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi, etc. [*i. e. paulo erectior, in quo est virtutis indoles; optimo quisque et splendidissimo ingenio. Eodem modo dicitur *animus bene constitutus* in *Lael.* 13. *extr.* Gr. *εὐφυής. Beier.* ℙ Constitutus.] *Cic. Att.* 1, 1. Petitorum haec est adhuc informata cogitatio. *Id. Att.* 6. Non nominatim, sed generatim proscriptio est informata.

INFORMĪDĀBĬLIS, e, adj. *Coripp. Laud. Just.* 2, 354. Omnis erit judex informidabilis illi.

INFORMĪDĀTUS, a, um, adj. *Sil.* 15, 241. Hac tacite nitens informidatus adire.

INFORMIS, e, adj. *ἄμορφος*, sine forma, inchoatus, rudis. *Auct. ad Her.* 4, 53. Cum res muta aut informis fit eloquens et formata. *Liv.* 21, 26. *extr.* Alveos informes (nihil, dummodo innare aquae, et capere onera possent, curantes,) raptim faciebant. [**Tac. H.* 4, 23. informe opus (machinarum)] *Plin.* 7, 15, 13. Mola est caro informis, inanima, ferri ictum respuens. *Id.* 10

63, 83. Leaenae, et vulpes informia pariunt, postea lambendo figurant. ℙ Item deformis, squalidus, turpis, foedus. *Virg. A.* 8, 264. pedibusque informe cadaver *(Caci)* Protrahitur. *Hor. Od.* 2, 10, 15. Informes hiemes. *Id. Ep.* 2, 2, 118. Informis situs. *Val. Fl.* 4, 245. horrendosque toris informibus artus. *Prop.* 1, 5, 16. Et timor informem ducet in ora notam. *Tibull.* 4, 4, 6. Informis color. *Stat. Th.* 12, 528. Informes sanguine peltae. *Lucan.* 6, 224. imbre cruento informis facies. [*V. *Cort.* ad 4, 225.] *Tac. A.* 6, 49. ℙ Papinius repentinum et informem exitum delegit, jacto in praeceps corpore; et *ib.* 12, 37. Sors mea mihi informis, tibi magnifica est. *Virg. A.* 12, 603. Et nodum informis leti trabe nectit ab alta, *h. e.* suspendii. *Sen. ep.* 94. *med.* Nihil est illis *(metallis)* dum fiunt, et a faece sua separantur, informius.

INFORMĪTAS, atis, f. formae, figurae privatio. *Sol. ep. priore ad Advent.* Scabra informitas. Adde *August. Confess.* 12, 12. et *Tert. adv. Herm.* 42.

INFORMĪTER, adv. sine forma. *August. Confess.* 12, 29.

INFORMO, as, avi, atum, a. 1. *ὑποτυπόω, διαμορφόω*, primam et rudem alicui rei formam induco, deformo, describo, inchoo. [*Huc pertinet locus, quem Noster ab initio v. *informatus* posuerat. *Verr.* ap. *Gell.* 3, 10. Quarta hebdomade caput et spina, quae est in dorso, informatur.] *Virg. A.* 8, 447. Ingentem clypeum informant. *Colum.* 2, 2. *med.* Sarmentis connexus velut funis informabitur in eam crassitudinem, quam, etc. *Id.* 11, 3. *med.* Areae sic informandae sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant. *Sil.* 17, 525. Informare effigiem. *Plin. carm. ep.* 9, 7. Et nunc *(cera)* informet Martem castamque Minervam, nunc Venerem effingat. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 331. Noctivago taedas informatura labori. ℙ Translate. [*Fingere sibi animo et quasi comprehendere alicujus rei imaginem, faciem.] *Cic. N. D,* 1, 15. Chrysippus magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, cum mens nostra quidvis videatur conjectura posse depingere. [*Adde *Acad.* 4, 16. Inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, sive in quiete, etc. ℙ Describere. *Fin.* 4, 17. Dicitis informari non posse virtutem, si quidpiam, nisi quod honestum sit, numeretur.] *Or.* 2. Atque eo in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit; et 9. *extr.* inchoare et informare oratorem. [*Laud. *Ernest.* in *cl. Cic. Att.* 7, 3. Qui in sexto libro informatus est.] ℙ Est etiam prima institutione imbuere, instituere, docere. *Cic. Arch.* 3. Artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet. ℙ [*Instruere, componere. *Cic. Sull.* 18. Cornelius ipse etiam nunc de indicando dubitat, informat adhuc adumbratum indicium filii, i. e. ut recte *Graev.* interpretatur, in illo ficto indicio instruendo et componendo adhuc laborat. *Schütz.* in *cl. Cic.*]

INFORMUS, a, um, adj. valde calidus. V. FORMUS. ℙ Pro *informis* tribuunt quidam *Tertulliano Pall.* 2., sed alii melius leg. divisim *in forma.*

INFŌRO, as, a. 1. *ἐντίτρημι*, intus foro: ex *in*, et *foro*, *as. Plin.* 17, 14, 24. Timebant prisci truncum findere, mox inforare ausi medio. [Hic *Hard.* ex MSS. legit *imperare*, quod melius videtur. V. IMPERO. *F.*] ℙ Est etiam in forum, sive in jus vocare: ab *in*, et *forum. Pl. Curc. a.* 3. *v.* 30. *Curc.* Quaeso, ne me incomities. *Ly.* Licetne inforare, si incomitiare haud licet? *Curc.* Non inforabis me quidem: nec mihi placet Tuum profecto nec forum, nec comitium. Ubi tamen alius latet, et obscenus quidem sensus. V. PERFORO.

INFORTŪNĀTUS, a, um, adj. *δυστυχής*, infelix, miser, calamitosus, aerumnosus. *Ter. Eun.* 2, 3, 7. O infortunatum senem! *Pl. Bacch.* 5, 1, 20. Homo miser et infortunatus. *Cic. Att.* 2, 24. *f.* Nihil me infortunatius. *Appul. Met.* 4. Infortunatissimus maritus.

INFORTŪNĪTAS, atis, f. idem ac infortunium. *Gell.* 6, 1. Itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas.

INFORTŪNĬUM, ii, n. *ἀτυχία*, infelicitas, calamitas, aerumna. *Ter. Ad.* 2, 1, 24. Si attigisses, ferres infortunium. *Liv.* 1, 50. *extr.* Ni pareat patri, habiturum infortunium esse, *h. e.* meritam poenam. *Pl. Amph.* 1, 1, 130. Modo sis, veni huc: invenies infortunium; et 4, 2, 14. Mactare aliquem infortunio; et *Merc. prol.* 21. multare. ℙ *Vitare infortunio* dixit *Id. Curc.* 2, 3, 19. pro *infortunium*, quemadmodum *Rud.* 3, 5, 48. cave sis infortunio; et *Bacch.* 1, 2, 39. cavere malo.

INFOSSĬO, onis, f. actus infodiendi. *Pall.* 3, 16. Vetus vinea mergis melius reparabitur, quam si infossione totius corporis obruatur.

INFOSSUS, a, um, part. ab *infodio*, *ἐνόρυκτος*, fossus. *Colum.* 9, 1. Infossi lacus Signino consternuntur. *Stat. Th.* 8, 534. Vulnera penitus infossa cerebro. ℙ Item sepultus. *Hor. Ep.* 5, 33. Infossus puer. *Plin.* 13, 13, 27. Libri tot infossi duraverunt annis.

INFRĀ, *ὑπὸ, κάτω*, sub: praepos. accusativum regens: cui contraria est *supra.* [*Cic. Verr.* 2, 4, 23. Argentum, in lectica cubans, ad mare infra oppidum exspectabat: hunc locum sequentibus perperam *F.* adscripserat. Adde *Tac. Agr.* 12. Infra coelum et sidera nox cadit: ubi v. *Pichen.* et *Walch.*] Sed et sine casu interdum more adverbii ponitur. Et ab *infer*, *infera*, ex quo *infra*, per sync. *Pompejus* ad *Cons.* ap. *Cic. Att.* 8, 6. et *Fam.* 6, 8. *extr.* Earum litterarum exemplum infra scripsi. *Cic. Somn. Scip.* 4. Infra nihil est nisi mortale: supra lunam sunt aeterna omnia. *Cels.* 3, 23. *f.* Ferro candente in occipitio, et infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere. ℙ Sequente *quam. Varr. R. R.* 1, 41. In qua vite inserunt, in ea paulo infra, quam insitum est, incidunt. *Plin.* 16, 30, 53. Si infra, quam rami fuere, praecidatur. ℙ Absolute inferos significat in illo *Tibulli* 1, 11, 35. Non seges est infra, non vinea culta, sed audax Cerberus, etc. ℙ In discumbendo *infra* est, qui ad dexteram est alterius; *supra*, qui ad sinistram. *Infra* autem locus erat honoratior. V. ACCUMBO. ℙ Refertur interdum ad tempus. *Cic. Brut.* 10. Homerus non infra superiorem Lycurgum fuit. ℙ Et ad magnitudinem. *Caes. B. G.* 6, 28. Uri sunt magnitudine paulo infra elephantos. ℙ Item ad dignitatem. *Ter. Eun.* 3, 2, 36. Tace tu quem ego esse infra infimos omnes puto homines. *Tac. Ann.* 2, 43. Vix Tiberio concedere: liberos ejus, ut multum infra despectare. *Cic. Tusc.* 3, 7. Qui invictus sit, eum res humanas despicere, atque infra se positas arbitrari. *Id. Fin.* 3, 7. Sapientia et animi magnitudinem complectitur, et ut omnia, quae homini accidant, infra se esse judicet. [*Vell. 2, 76, 4. E quo infra se et Caesarem videret et remp., i. e. despiceret. Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Sen. Thyest.* 365. Qui tuto positus loco, Infra se videt omnia. Adde *Vell.* 2, 127. *f.* Semperque infra aliorum aestimationes se metientem; et 2, 83. et infra servos cliens.] *Prop.* 1, 20, 5. Est tibi non infra speciem, non nomine dispar Thiodamanteo proximus ardor Hylae, *h. e.* est tibi ejusdem formae, et nominis puer non inferior Hyla. ℙ Huc et illa pertinent *Plin. ep.* 6, 2, Conferant se Marii, Sullae, Pompeji: infra Pallantis laudes jacebunt; et *ep.* 1, 20. *med.* Non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra dicit, *h. e.* minus quam res et causa postulat. *Quint.* 1, 7. Id quidem infra grammatici officium est. ℙ Comparativum est *inferius. Ov. Met.* 2, 136. Altius egressus coelestia tecta cremabis, Inferius terras. *Id. Trist.* 2, 263. Persequar inferius, etc. Posse nocere animis carminis omne genus. *Sen. ep.* 79. Virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. *Ov. Met.* 2, 208. Inferiusque suis fraternos currere Luna Admiratur equos; et *ib.* 12, 420. inferius, quam collo pectora subsunt, Cyllare, te fixit. ℙ *Infra esse* est inferiorem esse. *Plin.* 25, 7, 38. Multum infra hunc succum est, qui in Gallia fit. *Id.* 19, 3, 15. Laser in Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum. ℙ *Inferius*, pejus, deterius. *Sol.* 2. *med.* Quae praeterire, quam inferius exsequi, tutius duximus. ℙ *Magis infra* pro *inferius*, seu potius interius, penitius, altius. *Lucret.* 3, 274. penitus prorsus latet haec natura, subestque, Nec magis hanc infra quicquam est in corpore nostro. ℙ Differunt *infra*, et *intra* non uno discrimine. *Intra* contrarium habet *extra: infra*, *supra.* Praeterea *intra* ad numerum et spatium refertur, ut *intra viginti dies*, et *intra muros: infra* ad dignitatem, ut dictum est. Quibus locis *intra* non videtur locum habere. Ita *Valla elegant.* 2, 53. Reperitur tamen *infra* relatum ad numerum. *Plin.* 18, 26, 62. Ternadena *(ova)* subjicito aestate tota, hieme pauciora, non tamen infra novena. Etiam *Petr.* posuit *infra* pro *intra*, *Sat.* 137. Infra manus meas camellam vini posuit. *Intra* tamen est, qui reponat.

INFRACTĬO, onis, f. idem quod fractio. Translate dicitur de animo pro torpore, demissione, pusillanimitate. *Cic. Tusc.* 3, 7. In eundem cadere timorem, et infractionem quidem animi, et demissionem.

INFRACTUS, a, um, part. ab *infringo*, *ἐπικλασθείς*, idem omnino quod fractus, vel valde fractus. *Colum.* 8. *f.* Nuces digitis infractae; et 12, 53. Sal mola infractum. *Plin.* 23, 1, 16. Infracta ossa extrahere. *Id.* 8, 36, 54. Caput ursi colapho infractum. *Val. Fl.* 6, 199. infracta est vulnere cervix. *Plin.* 8, 50, 76. Mares caprarum longis auribus infractisque probant, *h. e.* deciduis, (*flaccidas* et *praegravantes* vocat *Colum.* 7, 6.) quasi fractae sint. ℙ Item inflexus. *Cic. Acad.* 4, 25. Infractus remus, [*i. e. remus, qui quamvis integer sit, in aqua tamen quasi fractus vel inflexus esse videtur.] *Plin.* 2, 38, 38. Infracti radii resiliunt. ℙ Translate quoque eandem, ut *fractus*, vim habet apud probatum quemque scriptorem. Neque audiendus est *Serv.*, qui illud *Virg. A.* 12, 1. Turnus ut infractos adverso Marte Latinos Defecisse videt, etc. exponit, antea semper infractos. Sunt enim hic Latini debilitati, afflicti, dejecti, demissi, abjecti, accisis viribus. Sic *Cic. Dom.* 25. Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus; et *ad Quir.* 8. Cum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. *Attic.* ad *Cic. Att.* 9, 12. *f.* Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta. *Virg. A.* 9, 499. torpent infractae ad proelia vires. *Id. ib.* 5, 784. de Junone: Nec Jovis imperio, fatisve infracta quiescit; et *Ov. Met.* 6, 627. Mota quidem est genetrix, infractaque constitit ira. *Stat. Achill.* 2, 213. Infracta virtus. *Liv.* 38, 14. Oratio submissa, et infracta. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 1. *extr.* Oratione nulla ex parte infractiore concionatus est. *Cels.* 3, 7. *n.* 2. Infractus calor, *h. e.* domitus, et sublatus. *Liv.* 7, 31. Infractos animos gerere. *Val. Fl.* 3, 236. infracti languescunt frigore cursus, *h. e.* debilitati, retardati. *Tac. H.* 1, 1. Veritas pluribus modis infracta, *h. e.* corrupta, adulterata; et *ib.* 3, 42. Fides metu infracta, *h. e.* violata; et *ib.* 4, 57. Infracta tributa, *h. e.* imminuta. *Id. A.* 13, 12. Infracta paulatim potentia matris. ℙ *Infracta fama* ap. *Virg. A.* 7, 332. et *Tac. H.* 2, 22. est imminuta et corrupta. ℙ Refertur et ad sermonem. *Cic. Or.* 51. Infracta et amputata loqui, *h. e.* interrupta, et veluti confragosa collocatione comprehensa. ℙ [Hinc *infracta loquela*, seu *vox* est effeminata et mollis, qualis esse cinaedorum solet, ac praecipue nutricum, quae de industria decurtata et fracta verba coram infantibus loquuntur. *Gell.* 3, 5. Cum vocem ejus *(delicati)* infractam, capillumque arte compositum, et oculos ludibundos, atque illecebrae voluptatisque plenos videret. *Lucr.* 5, 231. Almae nutricis blanda atque infracta loquela. *Arnob.* 4, 141. Ergone Juppiter ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, et vocibus delinitus infractis? Huc spectat locus *Philodemi de musica* ap. *Viscont. Iscriz. Triop.* p. 310. *ed. Mediol.*, ubi *κεκλασμένη φωνὴ* legitur, quae in loco simili *Aristoph. Nub. v.* 973. *μαλακὴ* dicitur. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 2. et *Hieron. ep.* 79. *n.* 6. *F.*] ℙ Pro *non fractus* usurpatur a *Symmach. ep.* 1, 3. (ed. *Ger. Wingendorpii* 1653: nam ap. *Juret.* deest) *med.* Fractae opes infractos animos repererunt; et a *Hieron.* in *Vita Pauli med.* Infractus et hoc Antonius spectaculo.

INFRAENO, etc. V. INFRENO.

[INFRĀFORĀNUS, a, um, adj. qui infra forum est, ut *circumforaneus*, qui circum forum. *Inscr.* ap. *De-Vita*, *AA. BB.* 26, 3. C. Umbrio Eudrasto collegium Martensium infraforanum memor liberalitatis et honorificentiae. *F.*]

INFRĀGĬLIS, e, adj. *ἄῤῥηκτος*, qui frangi nequit. *Plin. prooem. l.* 20. Adamantem infragilem omni cetera vi, et invictum, sanguine hircino rumpente. ℙ Translate firmus et validus. *Ov. Trist.* 1, 5, 53. Si vox infragilis, pectus mihi firmius aere, etc. [*V. *intprr.* ad h. l.] *Sen. V. B.* 9. Summum bonum est infragilis animi rigor. Ubi minus recte al. leg. *infrangibilis. Albin.* 1, 354. Infragilemque animum, quod potes, usque tene, [*i. e. fortem, invictum.]

INFRANGĪBĬLIS. V. v. praec.

INFRĒMO, is, ui, n. 3. idem quod fremo, hoc est, murmure indignationem ostendo. *Virg. A.* 10, 711. de apro: Infremuitque ferox. ℙ Accipitur aliquando pro personare, et sonitu horrorem incutere. *Sil.* 3, 230. Nec bellum raptis tam dirum mille carinis Acrius infremuit, trepidumque exterruit orbem.

INFRĒNĀTĬO et Infraenatio, onis, f. freni injectio. *Tert. adv. Marc.* 1, 29. Infrenatio libidinis.

INFRĒNĀTUS et Infraenatus, a, um, adj. *ἀχάλινος*, non frenatus. *Liv.* 21, 44. Video generosissimarum gentium equites frenatos et infrenatos. ℙ Item part. ab *infreno*, frenum habens. *Id.* 37, 20. Non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos. *Sil.* 4, 315. undique nudi Assiliunt frenis, infrenatique manipli.

INFRENDĔO, es, n. 2. *τοὺς ὀδόντας βρύχω*, est dentes irascendo quatere, et invicem collidere. *Virg. A.* 3, 664. Dentibus infrendens gemitu. *Stat. Th.* 8, 580. Saepius infrendentem aliis, aliosque sequentem. ℙ Est etiam *infrendo*, *is*, 3. conjugat. *Ter. Apol.* 12. Infrendite, inspumate.

[INFRENDIS, e, adj. qui infrendere non potest. *Lact.* ad *Stat. Th.* 5, 663. Infrendere est dentes dentibus quatere; ut *Virg.* (*A.* 3, 664.) Dentibus infrendens. Infantes enim sine dentibus infrendes dicuntur. *F.*]

INFRĒNIS et Infraenis, e, et Infrenus et Infraenus, a, um, adj. *ἀχάλινος*, sine freno. *Virg. A.* 10, 750. Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem, etc. *Id. ib.* 4, 41. Et Numidae infreni, *h. e.* infrenis equis utentes. *Colum.* 10, 215. infreno volitare per aethera cursu Passus equos, *h. e.* celeri, praecipiti. ℙ Translate. *Gell.* 1, 15. *med.* Quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper colluvione verborum teterrima. *Seren. Sammon.* 43, 804. infrenus manat de vulnere sanguis.

INFRĒNO et Infraeno, as, avi, atum, a. 1. *χαλινόω*, frenum impono. *Liv.* 37, 20. *f.* Pauci stabant impavidi equi: eos ipsos non sternere, non

infrenare, aut ascendere facile poterant. *Virg. A.* 12, 287. Infrenant alii currus, *h. e.* equos, qui currus trahant. ℙ Translate est cohibere, detinere, coercere. *Plin.* 9, 31, 51. Statim pluribus ancoris navigia infrenant, et 32, 1, 1. de echeneide: Infrenat impetus, et domat mundi rabiem.

INFRĒNUS. V. INFRENIS.

INFRĒQUENS, entis, adj. *μανὸς*, non frequens, *h. e.* parum frequentans. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Cum Appius senatum infrequentem coegisset. *Caes. B. C.* 3, 2. Eae copiae ipsae hoc infrequentiores imponuntur, quod multi Gallicis tot bellis defecerant. *Hor. Od.* 1, 34, 1. Parcus Deorum cultor et infrequens. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: et sum equidem, ut scribis, et Romae, et in praediis infrequens, *h. e.* sensu passivo et mea domus Romae, et praedia mea servis frequentia non sunt. ℙ *Infrequens miles*, inquit *Festus*, qui abest, abfuitque a signis. Confirmat *Cincius Milit.* 3. ap. *Gell.* 16, 4. *f.* Hinc *Pl. Truc.* 2, 1, 19. Ubi nihil det, pro infrequente cum mittas militia domum. V. EMANSOR. ℙ Cum genitivo. *Auct. ad Her.* 4, 27. Te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt. *Gell.* 13, 24. Non usque eo infrequens sum vocum Latinarum, ut ignorem, etc. *h. e.* parum assuetus. ℙ Dicitur et de loco non frequentato. *Liv.* 31, 23. Paulo ante lucem, qua infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim scalis cepit. *Colum.* 9, 14. *med.* Alvi, quae paucitate plebis infrequentes sunt. ℙ [*Infrequens causa ap. *Cic. Or.* 2, 79. est, in qua agenda pauci auditores adesse solent. *Ern.* in *cl. Cic.*] ℙ Et de iis, quae raro fiunt. *Ulp. Dig.* 43, 31, 1. Infrequens est hoc interdictum. *Gell.* 9, 12. *f.* Infrequens usus. *Id.* 2, 22. Infrequens vocabulum.

INFRĒQUENTĀTUS, a, um, adj. *Sidon. ep.* 9, 15. Metrum infrequentatum durius texitur.

INFRĒQUENTIĀ, ae, f. *μανότης*, paucitas, raritas. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Summa infrequentia. *Liv.* 2, 23. *med.* Nec agi quicquam per infrequentiam poterat senatus. *Tac. A.* 15, 10. Unde famam aucti exercitus sperat, prodita infrequentia; et *ib.* 14, 27. Veterani Tarentum, et Antium adscripti: non tamen infrequentiae locorum subvenere, i. e. solitudini.

INFRIĀTUS, a, um, part. ab *infrio. Colum.* 7, 5. *med.* Superfusoque aceto, vel aeris aerugine infriata. *Plin.* 20, 13, 51. Dare rutam cum bitumine infriatam potioni, propter anhelitum.

INFRICĀTUS, a, um, part. ab *infrico*, idem ac infrictus. *Plin.* 30, 12, 34. Muscae infricatae digito medico. *Id.* 31, 9, 45. Sal infricatus. *Colum.* 6, 32. *extr.* Fuligo ulceri infricata.

INFRĪCO, as, a. 1. *ἐντρίβω*, est fricare, et fricando contundere, vel etiam illinere. *Colum.* 12, 30. Et pondo quadrantem amphoris singulis infricato, et oblinito. *Plin.* 30, 3, 8. Cinerem ex aceto infricare. *Id.* 28, 11, 49. Infricare dentes.

[INFRĪCŌLO, as, a. 1. frequent. v. *infrico:* saepe infrico. *Pelag. Veter.* 31. *f.* Misces simul; et deinde secundo, vel tertio ad diem oculum infrigolato (lege *infricolato*), *due o tre volte al giorno fregherai*, seu *strofinerai l'occhio:* Veneti nunc vulgo dicunt *sfregolare. F.*]

INFRICTIO, onis, f. *ἔντριψις*, actus infricandi. *Cels.* 8, 11. *f.* Infrictionem membro adhibere. [*Targa* in 2a. editione habet *frictionem*, atque ita legend. probat. *F.*]

INFRICTUS, a, um, part. ab *infrico;* idem ac infricatus. *Marc. Empir.* 10. Infrictus naribus.

INFRĪGĒO, es, xi, n. 2. frigidus fio. *Cels.* 5, 25. *n.* 4. Cum infrixit, catapotia ex eo fiunt.

INFRĪGESCO, is, n. 3. infrigere incipio. *Veg. Vet.* 3, 28. De cauda parum sanguinis demis: nam si amplius tuleris, infrigescet.

INFRĪGIDĀTIO, onis, f. *Veg. Vet.* 1, 29. Sudoris subita infrigidatio.

INFRĪGIDO, as, a. 1. refrigero. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *med.* [Navigationes fluminales caput infrigidant. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 7, 194. Infrigidatus fuit. *F.*]

INFRINGO, is, egi, actum, a. 3. *καταῤῥήγνυμι*, idem quod frango, aut valde frango (unde *infractus*), *in* praeposit. augente. *Ov. Met.* 10, 190. Ut si quis violas, riguoque papaver in horto, Liliaque infringat; et *ib.* 5, 82. Ingentem manibus tollit cratera duabus, Infregitque viro. Sic *Pl. fragm. Amph.* ap. *Non.* 15, 1. Optimo jure infringatur aula cineris in caput. Al. leg. *refringatur. Hor. Epod.* 11, 22. postes et Limina dura, quibus lumbos et infregi latus. *Val. Fl.* 5, 412. genibusque tumens infringitur unda. *Ov. Met.* 9, 208. infringere vestes. [*Gierig. ad h. l. ita: *infringere vestes*, pro discindere, insolens. Dedi ergo ex *Genev.* et uno *Heins. refringere*, quod et *Burm.* arridebat.] *Stat. Th.* 2, 556. Infringens cautibus manus. ℙ *Infringere manus* est etiam inter se usque ad articulorum strepitum constringere, seu conterere, ut *Petr. Sat.* 17. loquitur. *Id. ib.* 23. Qui ut infractis manibus congemuit, ejusmodi carmina effudit. *Quint.* 11, 3. *f.* eodem sensu dixit *infringere articulos.* V. CONTERO. ℙ *Digitos citharae infringere*, ap. *Stat. Achill.* 1, 575. est illidere chordis, easque pulsare. ℙ *Infringere alicui colaphum* est infligere, illidere. *Ter. Ad.* 2, 1, 46. Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi. [*V. *Donat.* ad h. l.] ℙ *Infringendo* passive, *Lucr.* 6, 141. Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur Dant infringendo graviter. ℙ Translate est minuere, debilitare, reprimere. *Sen. ep.* 67. Nondum me committo frigidae: adhuc rigorem ejus infringo. *Lucr.* 3, 156. infringi linguam *(metu)*, vocemque aboriri, *h. e.* retardari et haerere. *Sen. Contr.* 3, 19. Vocem de industria infringere, *h. e.* demittere, submittere, ad miserationem mollire. *Plin. ep.* 7, 31. Nunquam officiorum varietate continuam laudem humanitatis infregit, *h. e.* interrupit, corrupit. *Caes. B. C.* 3, 92. Ut primus excursus visque militum infringeretur; et *ib.* 2, 21. Infringere conatus adversariorum. *Liv.* 38, 16. *f.* animos hostium. *Cic. Balb.* 6. florem dignitatis. *Id. Mil.* 2. gloriam. *Tac. A.* 14, 1. potentiam. [**Liv.* 8, 39. hoc demum proelium Samnitium res ita infregit, ut, etc.] *Tac. A.* 11, 19. ferociam. *Cic. Or.* 2. spem. *Prop.* 1, 14, 17. vires. *Colum.* 2, 4. *f.* difficultatem, i. e. vincere. *Ov. Trist.* 2, 411. Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem, Infregisse suis fortia facta modis. *Cic. Or.* 1, 7. Cum Drusi tribunatus infringi jam debilitarique videretur. *Id. Att.* 7, 2. Vehementius esse quiddam suspicor, quod te infringat. *Tac. A.* 4, 19. Infringere jus consulis. *Paul. Dig.* 34, 9, 5. *f.* testamentum. *Modest. ib.* 50, 4, 11. immunitatem. ℙ Refertur ad dictionem. *Cic. Or.* 3, 48. Membra illa modificata esse debent: quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus; et *Or.* 69. Infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abjectum incidunt. [*Cf. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 216. sq.] ℙ Pro placare. *Stat. Achill.* 1, 144. humilique Deos infringe precatu.

INFRIO, as, a. 1. *ἐπιτρίβω*, idem ac frio, hoc est comminuo, vel rem friatam et comminutam rei alicui impono. *Cato R. R.* 79. Eos melle ungito, papaver infriato. *Colum.* 8, 5. *f.* Atque ita paulum triti salis vulneribus infriatur. *Cato R. R.* 156. Farinam infriet in aquam. *Varr.* ap. *Non.* 3, 177. et *Charis.* 1, 64. Infria seni papaverem. *Cels.* 7, 12. Arida medicamenta infrianda sunt.

INFRONS, ondis, adj. omn. gen. sine frondibus. *Ov. Pont.* 4, 10, 31. Hic agri infrondes, *h. e.* sine arboribus. Est qui leg. *informes.*

[INFRONTĀTE, adv. petulanter. *Fulg. de prisc. serm. n.* 22. Catillare est per alienas domos infrontate gyrare. V. CATILLO. *F.*]

INFRUCTUOSE, adv. sine fructu. *Hieron. ep.* 112. *n.* 16. et *August. ep.* 67. *n.* 6. Comp. *Infructuosius* ap. *Sidon. ep.* 1, 9.

INFRUCTUOSITAS, atis, f. inanitas. *Tertull. Resurr. carn.* 33. Judaica infructuositas.

INFRUCTUOSUS, a, um, adj. *ἄκαρπος*, qui non fert fructum. *Colum.* 11, 2. *med.* Post quem diem sera et infructuosa fit hujusmodi rerum cultura. *Id. arbor.* 8. Infructuosae vites. ℙ *Infructuosae preces*, vanae, frustra factae. *Plin. ep.* 8, 23. Obversantur oculis cassi labores, et infructuosae preces. Sic infructuosa epistola, *Sen. Contr.* 3, 19. *f.* militia, *Tac. H.* 1, 51.

INFRUNĪTUS, a, um, adj. *ἄφρων, ἀπειρόκαλος*, insipiens, stultus, insulsus, fatuus, quasi qui communi sensu caret, et rebus recte *frui* nescit. [*V. *Doederl.* 3, 136., ubi corripi penultimam recte putat legibus analogiae convenientius.] V. FRUNISCOR. *Sen. V. B.* 23. Sapiens nec jactabit opes, nec abscondet: alterum infruniti animi est, alterum timidi et pusilli. *Id. Ben.* 3, 16. Infrunita et antiqua est, quae nesciat matrimonium vocari, unum adulterium. *Gell.* 4, 9. *f.* Verba infrunita, *h. e.* insipida. Al. leg. *infinita. Macr. Sat.* 5, 1. *med.* Dicendi genus, in quo nec praeceps brevitas, nec infrunita copia, nec jejuna siccitas, nec laetitia pinguis.

INFŪCĀTUS, a, um, adj. fuco tinctus. *Cic. Or.* 3, 25. In scriptis et in dictis, non aurium solum, sed animi judicio etiam magis infucata vitia noscuntur. ℙ Item non fucatus. *Arnob.* 2, 75. Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta.

INFŪCO, as, avi, atum, a. 1. *φυκέω*, fuco tingo. Translate sumitur pro tegere, simulare. *Pl. Mil.* 2, 6, 46. Nunc pol ego metuo, ne quid infucaverit. Ubi *infucare aliquid* dixit, pro fallaciam aliquam latenter struere, et quibusdam quasi coloribus ita simulare, ut deprehendi vix possit. Al. melius leg. *infuscaverit.* V. INFUSCO. *Id. Cist.* 1, 1, 21. Infucare merum, *h. e.* aqua diluere. Sed ibi quoque *infuscare* legitur. V. INFUSCO.

INFUDIBŪLUM. V. INFUNDIBULUM.

INFŪLA, ae, f. *στέμμα, μίτρα*, ornamentum capitis sacerdotale: est ab *involvo. Festus* ita describit: Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes, et hostiae, templaque velabantur. Plenius vero *Serv.* ad illud *A.* 10, 538. Phoebi, Triviaeque sacerdos, Infula cui sacra redimibat tempora vitta. Infula, *inquit*, fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent: quae plerumque lata est, plerumque tortilis, de albo, et cocco. ℙ Metonymice *Prud. Apoth.* 486. genus hoc hominum *(Christianorum)* tremit infula, et omne Pulvinar Divum. Hinc *Lactant.* 4, 27. Cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. ℙ De ornatu hostiarum. *Varr. L. L.* 6, 3. Infulas dictas apparet in hostiis, quod velamenta e lana, quae adduntur, infulae, etc. *Lucr.* 1, 87. de Iphigenia: infula virgineos circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa est. *Virg. G.* 3, 486. Saepe in honore Deum medio stans hostia ad aram, Lanea dum nivea circumdatur infula vitta, etc. ℙ Item sepulcrorum, et hastarum militarium. *Frontin. Strateg.* 1, 12. *n.* 5. Epaminondas, contristatis militibus, quod ex hasta ejus ornamentum, infulae more dependens, ventus ablatum in sepulcrum Lacedaemonii cujusdam depulerat: Nolite, inquit, milites, trepidare; Lacedaemoniis significatur interitus. Sepulcra enim funeribus ornantur. ℙ Prosae scriptores fere in plurali usurpant. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. Praesto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. *Flor.* 4, 2. *f.* Quae omnia velut infulae in destinatam morti victimam congerebantur. *Liv.* 30, 36. Velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis: *scil.* tanquam sacra esset, et pacem prae se ferret. Is enim mos fuit pacem petentium. *Caes. B. C.* 2, 12. Inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt, ad exercitum supplices manus tendunt. *Tac. H.* 1, 66. Velamenta et infulas praeferentes, genua, vestigia prensando, flexere militum animos. Adde *ib.* 3, 31. ℙ *Infularum loco esse*, vel *habere* est sacrum, ac religiosum esse, ac veneratione dignum. *Sen. ep.* 14. *med.* Hae litterae, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt. *Id. Consol. ad Helv.* 13. Qui adversus saevissimos casus se extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miserias infularum loco habet. [*V. *Lips.* ad h. l. Nec omitti debebat locus *Cic. Agr.* 1, 2. His insignibus atque infulis imperii venditis, quibus ornatam vobis majores vestri rem publicam tradiderunt, etc., ubi provinciis, quas modo enumeratas exhibet, ideo nomen *infularum* additum est, quod omnes erant virtutis fortitudinisque Romanae gravissimi testes.] ℙ Dicuntur etiam *infulae* ornamenta et insignia magistratuum. Hinc Infulas honorum, *Imp. Constant. Cod.* 7, 63, 1. Infulas imperiales, *Imp. Justinian. ib. tit.* 37. *f.* Hinc et pro ipso magistratu ponuntur, ut fasces. *Spart. Hadrian.* 6., ut quidem legit *Salmas.*, Martium Turbonem, post Mauritaniae praefecturam, infulis ornatum Pannoniae, Daciae quoque ad tempus praefecit. ℙ De ornatu aedium, et templorum. *Lucan.* 2, 355. Infulaque in geminos discurrit candida postes. ℙ De qualibet fascia, aut tabella oblonga. *Cic. Or.* 3, 21. *f.* In infulis rem aliquam depingere. [*Cf. de h. l. *Ernest. cl. Cic.*]

INFŪLĀTUS, a, um, adj. infula ornatus. De homine, qui hostiae in modum per vicos ageretur, ex aggere mox praecipitandus, *Suet. Cal.* 27. Alterum, qui se periturum pro salute sua voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum, infulatumque. *Prud. Cath.* 9, 5. Christus est, quem rex sacerdos adfuturum Infulatus concinebat voce, chorda, et tympano, *h. e.* rex David diademate cinctus. [*Adde *Inscr.* ap. *Orell.* 642. Inferiae mittantur, bosque et ovis atri infulis caerulis infulati diis manibus ejus mactentur.]

INFULCIO, is, lsi, ltum, n. 4. idem ac infercio, ingero, inculco. [*De hoc verbo v. *Gronovii observv.* 4, 22.] *Suet. Tib.* 53. Mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum jussit. [*Frontin. Strateg.* 3, 13. *n.* 4. Aliqui et jumentum (lege *jumento*) in aversam partem infulserunt (*litteras*), dum stationes transeunt, *h. e.* in podicem intruserunt. *F.*] ℙ Translate. *Sen. ep.* 114. Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire; et *ep.* 106. Ut aliud quoque, de quo non quaeris, infulciam; et *ep.* 24. *med.* Quaeris, quid huic epistolae infulserim, quod dictum alicujus animosum, quod praeceptum utile. Adde *Ben.* 3, 28. [*Capitol. Macrin.* 5. Infulsit praeterea nomen Severi, cum illius nulla cognatione tangeretur, *h. e.* inseruit Severi nomen propriis nominibus: nam, cum ille adhuc privatus *M. Opelius Macrinus* appellaretur, imperio arrepto vocatus est *Imp. Caes. M. Opel. Sev. Macrinus Aug.*, ut constat ex ejus nummis apud *Eckhel. D. N. V. T.* 7. p. 237., ac proinde rejicienda est conjectura *Salmasii*, qui legend. putavit *Infulsit praeterea in nomen Severi se.* Alii vero male *infulsit* ab *infulgeo* derivant. *F.*]

INFULGĒO, es, lsi, n. 2. idem quod fulgeo. V. v. praec. *in f.* ℙ Sunt qui partic. *Infulgens* legunt in illo *Catull.* 64, 388. Saepe pater Divum templo infulgente revisens Annua sacra. Alii melius leg. divisim *in fulgente.*

[INFULGĒRAT, abat, impers. idem ac fulgerat, seu fulgurat, vel valde fulgurat; ut *fulgerator* pro *fulgurator.* q. v. v. *Not. Tir.* p. 118. Fulgerat, infulgerat. *F.*]

[INFULLONĬCĀTUS, a, um, adj. qui fullonicam pilam non est expertus. *Gloss. Philox.* Infullonicatus, ἄχναφος. *F.*]

INFUMĀBŪLUM. V. INFURNIBULUM.

INFUMĀTUS, a, um, adj. fumo expositus, aut siccatus. *Plin.* 28, 16, 63. Asini cerebrum infumatum; et *ib.* 11, 48. Putant haec efficaciora, in cornu caprino per dies viginti infumata.

INFŪMĪBŪLUM. V. INFURNIBULUM.

INFŪMUS, a, um, adj. antiquo loquendi more pro *infimus*. *Vet. Inscr.* ap. *Grut.* 204, 10. Ad rivom Vinelascam infumum. Adde *ib. lin.* 14. et 20.

INFUNDĪBŪLUM, i, n. χώνη, vas in summo latum et expansum, in imo angustum, et in fistulam desinens, quo in vasa angusti oris liquores infundimus. *Colum.* 3, 18. *f.* Illa quae reflexa et resupina, more infundibuli per medullam transmittit quidquid aquarum superfluit. Adde *Cat. R. R.* 10, 11. et 13., *Pall.* 7, 7. et *Vitr.* 10, 10, 12. et 13., quibus locis MSS. habent *infidibulum*, quasi ab *infindendo*, quia eo tanquam infinduntur vasa angusta. Al. leg. *infudibulum*. ℙ Est etiam instrumentum, per quod frumentum in molam infunditur. *Vitr.* 10, 10. In qua machina impendens infundibulum subministrat molis frumentum.

INFUNDO, is, udi, usum, a. 3. ἐγχέω, intro fundo, injicio. *Colum.* 6, 5. *extr.* Visci folia cum vino trita per nares infundere jubet. *Id. ib.* 4. Spicas allii cum vino conteras, et in naribus infundas; et 6. Vini sextarium faucibus infundere. [**Cic. Tusc.* 1, 25. Utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tanquam in aliquod vas, ea quae meminimus infundantur.] *Sen. Ben.* 7, 19. Vinum infundere reticulo, aut cribro. *Plin.* 20, 17, 69. Tritum cum oleo in nares infunditur. *Id.* 33, 3, 14. Mithridates Aquilio capto aurum in os infudit; et 24, 9, 40. Clystere aliquid infundere; et *eod. sensu* 27, 4, 5. Aloe dysenteriae infunditur; et 20, 21, 84. Malvas tenesmo et dysentericis utilissime infundi. *Id.* 31, 7, 39. Infundere mare in salinas; et *ib.* 10, 46. *n.* 2. salinis. *Id.* 3, 1, 1. Oceanus Atlanticum mare infundens, *h. e.* per Gaditanum fretum immittens. *Id.* 2, 38, 38. Tellus inani coelo spiritum infundit. [**Ov. Met.* 1, 361. Atque animas formatae infundere terrae.] ℙ *Infundere alicui* est miscere, dare, porrigere. *Cic. Phil.* 11, 6. Hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. *Hor. Epod.* 5, 77. majus infundam tibi Fastidienti poculum. *Juven.* 8, 154. infundet jumentis hordea lassis. ℙ *Infundere sibi aliquid* est se proluere, aut perfundere. *Auct. B. Hisp.* 33. Ipse de tempore coenavit: resinam et nardum identidem sibi infudit. *Plin.* 10, 46, 63. Bibunt aves suctu, et capite resupinato, velut infundentes sibi. ℙ Pro perfundere, aspergere. *Colum.* 12, 47. Olivas aceto non acerrimo infundere; et 54. Rapa sinapi et aceto infundere. *Pall.* 11, 9. Si uvam nimius imber infuderit. ℙ Pro superfundere. *Virg. A.* 4, 121. nigrantem commixta grandine nimbum Desuper infundam. *Id. G.* 1, 385. Certatim largos humeris infundere rores. *Cels.* 1, 3. Multa aqua per caput infundenda. ℙ Pro effundere. *Curt.* 8, 9. Gemmas, margaritasque mare litoribus infundit. *Suet. Caes.* 94. Infundere merum super altaria. ℙ Pro injicere, immittere. *Flor.* 3, 21. Collina porta geminum agmen Urbi infudit. *Curt.* 7, 9. Barbari ingentem vim sagittarum infudere ratibus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 87. Ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. *Id. Leg.* 3, 14. Vitiosi principes vitia infundunt in civitatem. [**Id. Or.* 2, 74. de Themistoclis memoria: qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse.] *Sen. Hipp.* 154. Rebus lumen infundere. *Pers.* 1, 79. monitus pueris. *Auct. decl.* quae inscribitur *Tribun. Marian.* 3. opprobrium alicui. *Justin.* 3, 5. civitati detrimenta. Al. leg. *infligere*. V. INFINDO. ℙ [*Est etiam i. q. immiscere. *Cic. Brut.* 16. quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus. *Fam.* 9, 15. Tunc quum in urbem nostram infusa est peregrinitas. *Schütz. cl. Cic.*]

INFURNĪBŪLUM, i, n. instrumentum ad fumum excipiendum, quasi parvus furnus. *Plin.* 24, 15, 85. Radix ejus imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor per infurnibulum imbibitur in vetere tussi. Ita in quibusdam MSS. legit *Hard.*, in aliis *infundibulum*. Sunt etiam, qui leg. *infumibulum*. [In *Gloss. Philox.* Infumabulum, καπνοδόχη. *F.*]

INFUSCĀTUS, a, um, part. ab *infusco*. *Colum.* 11, 2. *med.* Si vinacea jam infuscata, et nonnulla propemodum nigra fuerint. *Sen. praef. Controv.* 1. *med.* Vox robusta, sed sordida lucubrationibus, et negligentia, non natura, infuscata. ℙ Translate ponitur pro obumbrato, vel inquinato. *Cic. Planc.* 9. Vicinitas retinens veterem illum officii morem, non infuscata malevolentia, non assueta mendaciis, non fucata, non fallax.

INFUSCO, as, avi, atum, a. 1. ἀμαυρόω, fuscum reddo: item inquino, inficio. [**Cic. Tusc.* 3, 12. Barba paedore horrida infuscat pectus illuviae scabrum: ex poeta.] *Plin.* 9, 29, 45. Sepiae, ubi sensere, se apprehendi, effuso atramento infuscata aqua, absconduntur. *Id.* 2, 51, 52. Humida fulmina non urunt, sed infuscant. *Aurel. Vict. Orig. gentis R.* 14. Subitis turbinibus infuscato aere. *Virg. G.* 3, 388. Nigra subest udo tantum cui lingua palato, Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis Nascentum; et 493. Summaque jejuna sanie infuscatur arena. *Gell.* 2, 26. Rufum colorem nigro infuscantes. ℙ *Infuscare vinum* ap. *Pl. Cist.* 1, 1, 21. est diluere: nam merum nigrum est: addita aqua ad fuscum accedit. V. INFUCO. ℙ *Infuscare saporem* est aliquo modo corrumpere, hebetare. *Colum.* 12, 19. Nec omnino quidquam *(vino)* permiscendum, quo naturalis ejus sapor infuscetur. ℙ *Infuscare sonum* est graviorem, et obscuram, et minus claram vocem edere. *Plin.* 10, 29, 43. de lusciniae cantu: Copulatur intorto spiritu, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato. Sic *infuscata vox* ap. *Sen.* V. INFUSCATUS. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 74. Omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. *Pl. Mil.* 2, 6, 46. Metuo ne quid infuscaverit, *h. e.* turbaverit. V. INFUCO. *Just.* 12, 11. Ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent; et 5. Ne victoriae gloria saevitiae macula infuscaretur. [**Calpurn. Decl.* 24. dum non per manum vilem jus pietatis infuscet.]

INFUSCUS, a, um, adj. idem quod fuscus. *Colum.* 9, 3. Apes infusci coloris, horridique pili; et 10. Quidam *(reges apum)* infusci atque hirsuti reperiuntur.

INFUSIO, onis, f. ἔγχυσις, actus infundendi. *Plin.* 20, 21, 84. Vulvas et cibo, et infusione mollit in oleo, *h. e.* injectione per clysterem. V. INFUNDO. Al. leg. *insessione*, invitis MSS., inquit *Hard.* Et eodem sensu *Id.* 27, 13, 113. Thlaspi et ipsum utile ischiadicorum infusioni: διακλυσμῷ. *Pall.* 3, 25. *med.* Rigandae sunt, quoties coelestis negatur infusio, *h. e.* aqua pluvia; et *ib.* 28. Theriacae infusione assidua vim succi senescentis iterare.

INFUSOR, oris, m. qui infundit. *Prud. Cath.* 4, 11. Infusor fidei.

INFUSORIUM. V. SUFFUSORIUM.

[INFUSŪRA, ae, f. intrita. *Gloss. Philox.* Infusura, τρίμμα προσφαγίου. V. INTRITUS. *F.*]

INFUSUS, a, um, part. ab *infundo*: ἐγχυθείς, intro, aut supra fusus. *Lucr.* 1, 496. infuso lympharum rore superne. *Plin.* 20, 8, 27. Succus infusus auribus. *Id.* 30, 3, 8. Cinis infusus in aurem; et *mox*. Fimus auriculae infusus. *Just.* 32, 4. Aurum in statuis infusum. *Plin.* 25, 13, 92. Succus per nares infusus. *Ov. A. Am.* 1, 437. Cera infusa tabellis. *Id. Met.* 7, 183. nudos humeris infusa capillos, *h. e.* capillos habens infusos humeris: *hypallage*. *Catull.* 64, 224. Canitiem terra, atque infuso pulvere foedans. *Plin.* 32, 11, 53. Maria tot millibus passuum terrae infusa. *Virg. A.* 9, 461. Jam sole infuso, jam rebus luce retectis; et *ib.* 8, 406. Conjugis infusus gremio. Sic *Ov. Her.* 2, 93. collo infusus amantis. *Id. Met.* 11, 386. collo infusa mariti. *Plin.* 23, 1, 27. Acetum sistit alvum et rheumatismos interaneorum infusum, *h. e.* per clysterem injectum. V. INFUNDO. ℙ Translate. *Val. Fl.* 4, 551. tam largus honor, tam mira senectae Majestas infusa, *h. e.* indita, addita. *Virg. A.* 5, 552. populus circo infusus, *h. e.* magno numero circum ingressus, ac totum occupans more aquarum inundantium. ℙ Est etiam perfusus, aspersus. *Pall.* 6, 1. Si foena pluviis infusa fuerint. ℙ *Infusus vino*, ap. *Macr.* est vino madens, temulentus, *Sat.* 7, 3. Vino vel infusum, vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem; et 5. Infusus vino fit similis insano. ℙ Item diffusus. *Virg. A.* 6, 726. totamque infusa per artus Mens agitat molem. *Sil.* 7, 258. sensim infusa tranquilla per aequora pace. ℙ Ap. *Quint.* 6, 1. *med.* imago senis cadaveri infusa, est e cera facta, quae in mortui facie infusa sit. V. IMAGINARIUS. *Plin.* 35, 12, 49. Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, cerague in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius. *Appul. Apol.* Quod luto fictum, vel aere infusum, vel lapide incisum, vel cera inustum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio assimulatum.

INFŪSUS, us, m. idem ac infusio. In sexto casu singul. *Plin.* 24, 6, 15. Sonitus aurium emendat infusu, strumas illitu.

INGELĀBĬLIS. V. INCONGELABILIS.

INGĔLĬDUS, a, um, adj. non gelidus, tepidus. *Prud.* in *Symm.* 2, 1084. Discit et ingelido nova nupta tepescere lecto. Al. divisim *in gelido* rectius legunt.

[INGĔMĪNĀTĬO, onis, f. actus geminandi, geminatio. *Mall. Theod. De metr.* 11. Metrum unius pedis ingeminatione expletur. *F.*]

INGĔMĪNĀTUS, a, um, part. ab *ingemino*: geminatus. *Virg. G.* 3, 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. *Ov. Pont.* 4, 16, 43. Maternos Cottas cui, Messalasque paternos Maxima nobilitas ingeminata dedit.

INGĔMĬNO, as, avi, atum, a. 1. idem quod gemino, aut frequenter gemino, duplico, itero. Vox poetica. *Virg. G.* 1, 410. Tum liquidas corvi presso ter gutture voces, Aut quater ingeminant. *Id. A.* 5, 457. Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra; et *ib.* 7, 578. Terrorem ingeminat. ℙ Absolute neutrorum more, ita tamen ut accusativus subaudiatur. *Id. G.* 1, 333. ingeminant austri et densissimus imber; et *A.* 1, 751. Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur; et *ib.* 5, 227. Ingeminat clamor; et *ib.* 4, 531. Ingeminant curae. *Ov. Met.* 1, 653. Me miserum! ingeminat. Sic *Val. Fl.* 4, 328. Salve vera Jovis, vera o Jovis, undique, proles, Ingeminant.

INGĔMISCO, is, n. 3 idem quod ingemo, queror. *Cic. Tusc.* 5, 27. Pueri Spartani non ingemiscunt, verberum dolore laniati. *Id. Phil.* 13, 10. Quid ingemiscis hostem Dolabellam judicatum? *Suet. Aug.* 65. *extr.* Ad omnem ejus mentionem ingemiscens. *Cic. Att.* 7, 23. In quo tu quoque ingemiscis. *Id.* vertens *Sophoclis* carmina *Tusc.* 2, 8. *extr.* Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo. *Plin. Pan.* 53. Laetemur his quibus fruimur: ingemiscamus illis, quae patiebamur. ℙ Transfertur ad inanima. *Sen. Herc. Oet.* 1732. Tantum ingemiscit ignis. ℙ Part. *Ingemiscendus* ap. *Ammian.* 30, 7. Clades ingemiscendas Illyrici vindicasset.

[INGĔMĪTUS, us, m. idem ac gemitus. *Gloss. Philox.* Ingemitus, ἐπιστεναγμός. *F.*]

INGĔMO, is, ui, n. 3. ἐπιστενάζω, idem quod gemo, aut valde gemo, queror, doleo. *Cic. Phil.* 2, 26. Una illa in re, servitutis oblita civitas ingemuit. *Hor. Epod.* 5, 30. Ligonibus duris humum Exhauriebat, ingemens laboribus. *Liv.* 36, 28. *extr.* Ingemuerunt quidem principes conditioni suae: parendum tamen victori censebant. *Suet. Vesp.* 15. Justis suppliciis illacrimavit etiam, et ingemuit. *Tac. G.* 46. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, *h. e.* in agris excolendis. [**V. Boettich. Lex. Tac.* p. 269.] *Ov. Pont.* 2, 5, 8. Diceris exsiliis ingemuisse meis. *Virg. G.* 1, 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere. ℙ Cum accusativo. *Virg. Ecl.* 5, 27. tuum Poenos etiam ingemuisse leones Interitum, *h. e.* ob mortem tuam. *Sen. Herc. Oet.* 1785. caesos ingemunt nati patres. *Stat. Th.* 9, 2. ingemuere jacentem. Adde *ib.* 4, 354. ℙ Cum infinito. *Mart.* 9, 60. Ingemuit, citro non satis esse suo. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Ov. Met.* 14, 407. Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos; et *ib.* 4, 449. sacroque a corpore pressum Ingemuit limen.

INGĔNĔRASCO, is. V. GENERASCO.

INGĔNĔRĀTUS, a, um, part. ab *ingenero*: ἐγγινόμενος, genitus. *Cic. Leg.* 1, 8. Animum esse ingeneratum a Deo. ℙ Item ingenitus, inditus, insitus. *Id. Div.* 2, 46. Si haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. *Id. Sext.* 9. Ut ingenerata familiae frugalitas videretur.

INGĔNĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἐμφύω, ἐνεργάζομαι, genero, intus genero, insero. *Cic. Off.* 1, 4. Natura ingenerat praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt. *Id. Agr.* 2, 35. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, etc. *Liv.* 5, 27. Societas, quam ingeneravit natura. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 417. In tanta animalium varietate homini ut soli cupiditas ingeneraretur cognitionis et scientiae. [*Colum.* 10, 196. Ingenera *(tellurem)*: nunc sunt genitalia tempora mundi, *h. e.* generationem plantarum in horto tuo promove. *F.*]

INGĔNĬĀTUS, a, um, adj. ingenio seu natura praeditus, natura aptus alicui rei. *Pl. Mil.* 3, 1, 135. divos dispertisse vitam humanam, aequum fuit: Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent: Qui improbi essent et scelesti, iis adimerent animam cito. Est qui leg. *ingenuatus*. *Gell.* 12, 1. *med.* Corpus et animum bene ingeniatis primordiis inchoatum degeneri alimento corrumpere. *Appul. Flor. n.* 18. Versutus alioquin et ingeniatus ad astutiam.

INGĔNĬCLA. V. INGENICULUS.

INGĔNĬCŬLĀTUS, a, um, part. ab *ingeniculo*, nixus genibus. Dicitur a *Vitr.* 9, 6. de sidere illo, qui et ingeniculus vocatur.

INGĔNĬCŬLO, as, avi, atum, a. 1. γονατίζω, dextrum genu flecto, altero eminente, unico genu nitor. *Lampr. Elag.* 5. Nudusque ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis. *Hyg. Astron.* 2, 6. *f.* Herculem se ingeniculasse, multis jam vulneribus acceptis. [*Gloss. Phil.* Ingeniculari, γονυπετεῖν. *F.*]

INGĔNĬCŬLUS, i, m. ἐν γόνασι, sidus Herculis in coelo, dextro genu nitentis, de quo V. in ENGONASI. *Firm. Math.* 8, 17. In extremis partibus oritur *Ingeniculus*, qui a Graecis ἐν γόνασιν dicitur. ℙ Per syncopen *ingenicla imago* dicitur a *Manil.* 5, 645., unde apparet, vocem esse adjectivam. V. ENGONASI.

INGĔNĬŎLUM, i, n. dimin. ingenii. *Arnob.* 5, 157. Apparet, puerilium esse ingeniola fictionum.

Hieron. adv. Ruf. 4. *extr.* Hoc est, quod destruit strophas ingenioli tui.

INGĔNĬOSE, adv. εὐφυῶς, acute, solerter. *Cic. Acad.* 4, 27. Tractantur ista ingeniose, disputantur etiam eleganter. *Id. Inv.* 1, 6. Ingeniose et diligenter electas res collocare. *Plin.* 15, 13, 12. Nec aliud pomum ingeniosius geminatum est. *Vell.* 2, 48. Homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico.

INGĔNĬOSUS, a, um, adj. εὐφυής, qui naturalem vim ad aliquid agendum accommodatam habet, qui ingenio pollet, solers, acutus. *Cic. Tusc.* 1, 33. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. *Id. Fin.* 5, 13. Docilitas, memoria, quae fere appellantur uno ingenii nomine: easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. *Id Att.* 14, 20. Vir ingeniosus et eruditus. *Id. Rosc. Com.* 11. Quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Id. Mur.* 30. Homo ingeniosissimus. *Ov. Met.* 11, 313. furtum ingeniosus ad omne. *Id. Amor.* 1, 11, 4. dandis ingeniosa notis. *Mart. praef. l.* 1. Ingeniosum esse in aliqua re. *Ov. Trist.* 2, 342. Inque meas poenas ingeniosus eram. *Id. Amor.* 1, 8, 62. Crede mihi, res est ingeniosa, dare. ℙ De iis, quae ingeniose excogitata, vel facta sunt. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Pinxit demon (δῆμον) Atheniensium argumento quoque ingenioso. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Ov. Amor.* 2, 6, 18. vox mutandis ingeniosa sonis, *h. e.* apta, accomodata. *Id. Her.* 6, 117. terra ingeniosa colenti; et *Fast.* 4, 683. nec olivis apta ferendis Terra, sed ad segetes ingeniosus ager. ℙ [Sup. *Ingenuosissimus* in *Inscr.* ap. *Mur.* 1742, 15. C. Sejus Ingenuus ingennosissimus. *F.*]

INGĔNĬTUS, a, um, part. ab *ingeno*, ἔμφυτος, ingeneratus, insitus, a natura inditus. *Sen. ep.* 11. Quidquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. *Plin.* 27, 13, 119. Ingenitae animalibus morborum omnium medicinae. *Colum.* 3, 7. Vites natali et ingenita sterilitate laborantes. *Auct. Pan. ad Pis.* 92. ingenitae stat nobilitatis in illo Pulcher honos. *Suet. Ner.* 1. Ut tamen vitia cujusque, quasi tradita et ingenita retulerit. ℙ Est etiam non genitus. *Arnob.* 1, 17. Deus infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus. *F.*]

INGĔNĬUM, ii, n. φύσις, εὐφυΐα, ἀγχίνοια, vis, natura, indoles, insita facultas cujusque rei: ab antiquo *geno* pro *gigno*, unde *genui* praeteritum. *Colum.* 3, 1. Arbores silvestres ac ferae sui cujusque ingenii poma gerunt. *Virg. G.* 2, 177. Nunc locus arvorum ingeniis, quae robora cuique, etc. *Tac. H.* 5, 14. Campi suopte ingenio humentes. *Gell.* 3, 6. Ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus non cedat. *Id.* 12, 1. Lactis ingenia et proprietates. *Sever. Aetn.* 214. Ingenium velox igni, motusque perennis. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 235. Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur, et *Sil.* 14, 283. Ingenio portus urbs invia. *Petr. Sat.* 126. Crines ingenio suo flexi; et *Naev.* ap. *Non. l. c.* Ingenio arbusta nata sunt, non obsita, *h. e.* sua sponte, naturaliter. ℙ De hominibus etiam dicitur, et significat naturam, indolem, mores. *Ter. Andr.* 1, 1, 50. Ut ingenium est omnium hominum ab labore proclive ad lubidinem. *Id. Ad.* 4, 5, 49. Ingenium novi tuum liberale. *Id. Hec.* 1, 2, 77. pium ac pudicum. *Id. Ph.* 3, 2, 12. durum atque inexorabile. *Id. Eun.* 5, 2, 41. inhumanum. *Id. Heaut.* 1, 1, 99. lene in liberos. *Plin. ep.* 2, 11. *f.* mobile. *Varr. L. L.* 6, 5. cicur et mansuetum. *Ter. Andr.* 3, 2, 7. Ingenio bono esse; et *Eun.* 4, 7, 42. novi ingenium mulierum: Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Enn.* ap. *Cic Or.* 3, 58. Alter terribilem minitatur vitae cruciatum, et necem: Quae nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia, Quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu; [*Ap. ipsum Ciceronem rarissimus est hic dicendi usus. Cf. *Inv.* 1, 45. Inverecundum animi ingenium.] et *Liv.* 3, 68. Vera loqui, etsi meum ingenium non moueret, necessitas cogit. *Ter. Hec.* 5, 4, 20. Tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines. *Pl. Merc.* 4, 1, 2. Feci ego ingenium meum; et *Liv.* 3, 36. Ingenio suo vivere; et *Ter. Ad.* 1, 1, 45. Redire ad ingenium, *h. e.* ad pristinam animi pravitatem, et vitiosos mores, quos diu quis dissimulatione celaverit. Sic *Liv.* 2, 22. Volscis levatis metu suum rediit ingenium. Ap. *Plaut.* vero *ingenium ingenii* est ipsa vis, proprietas, inclinatio ingenii. Aedepol (inquit *Stich.* 1, 2, 69.) vos lepide tentavi, vestrumque ingenium ingenii. [*Praeter poetas *Liv.* in primis hac significatione hanc vocem usurpat. Plura *Livii* et *Curtii*, qui eodem modo plerumque mores exprimit *ingenii* vocabulo, exempla v. ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 270. Omnes Taciti locos invenies *ib.* p. 271. sq.] ℙ Saepissime sumitur pro solertia, et vi animi ac facultate insita excogitandi, percipiendi, addiscendi. *Plin.* 10, 3, 3. Ingenium est aquilae, testudines raptas frangere, e sublimi jaciendo. *Cic. Fin.* 5, 13. Docilitas, memoria, quae fere appellantur uno ingenii nomine. [**Hor. Sat.* 1, 4, 43. Ingenium cui sit: *Phantasie und productive Geisteskraft. Heindf.*] *Id. Font.* 14. Multum habet ingenii ad fingendum. *Id. Or.* 2, 74. Crassi responsum excellentis cujusdam est ingenii, ac singularis. *Id. Or.* 5. Vir acerrimo ingenio. *Id. Or.* 2, 27. Tardum ingenium. *Id. Div.* 1, 36. acutum aut retusum. *Id. Tusc.* 5, 24. eximium. *Id. Fin.* 2, 16. praestantissimum. *Id. Acad.* 4. *in.* magnum; et *Coel.* 1. illustre. *Quint.* 2, 8. imbecillum. *Id.* 10, 2. *med.* tenue. *Plin. ep.* 8, 12. pulcherrimum et maximum; et *ep.* 14. hebetatum, fractum, contusum. *Cic. Or.* 1, 25. Celeres ingenii motus; et *ib.* 3, 5. Ingenii acies. *Id. Brut.* 15. lumen. *Id. Fl.* 14. acumen. *Id. Phil.* 5, vis. *Hor. Od.* 2, 18, 9. vena. *Ov. Met.* 8, 254. vigor. *Quint. prooem. l.* 6. ingeniculi; et *ib.* vires; et 1, 1. tarditas. *Nep. Eum.* 1. celeritas. *Id. Att.* 1. docilitas. *Cic. Fam.* 4, 8. Ingenio abundare. *Quint.* 1, 8. valere. *Cic. Acad.* 4, 36. divino esse. *Id. Phil.* 10, 8. hebeti. *Id. Coel.* 19. elucere in re quapiam. *Pl. Trin.* 2. 2, 16. Colere et imbuere ingenium artibus. *Quint.* 1, 4. acuere; et 8. alere; et 2, 4. exercere multiplici variaque materia. [*Cf. *Boettich. l. l.* egregie in hanc rem disputantem.] ℙ *Cum ingenio* est ingeniose, et cum delectu. *Cic. Fam.* 13, 10. Versabatur in hoc studio nostro et cum ingenio, ut nosti, nec sine industria. *Ulp. Dig.* 1, 16, 9. Patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur. ℙ Interdum dicitur de ipsis hominibus ingeniosis, [*i. q. nos dicimus *Geister*. Adde *Suet. Aug.* 89. Ingenia seculi sui omnibus modis fovit. *Vesp.* 18. Ingenia et artes vel maxime fovit.] *Sen. Consol. ad Polyb.* 8. (al. 27.) Intentatum Romanis ingeniis opus. *Id. ep.* 2. Certis ingeniis immorari, et innutriri oportet, si velis aliquid trahere. ℙ Item de opera, facultate, industria. *Tac. H.* 1, 90. In rebus urbanis Galerii ingenio utebatur. *Id. A.* 14, 3. Obtulit ingenium Anicetus. ℙ Item de re ingeniose excogitata. *Plin. Pan.* 49. *f.* Exquisita ingenia coenarum, *h. e.* ingeniosi apparatus. *Tac. H.* 3, 28. Hormi ne id ingenium, an potior auctor sit Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim.

INGĔNO, is, ui, enitum, a. 3. ingigno, gigno. *Lucr.* 3, 745. Ex ineunte aevo ingenerascunt, inque genuntur; *tmesi* pro *ingenuntur*. *Manil.* 5, 137. His etiam ingenitur visendi nota cupido. Alii leg. *ingenium*.

INGENS, entis, adj. εὐμεγέθης, immanis, immensus. De origine ita *Festus:* Ingens dicitur augendi consuetudine, ut inclamare, invocare; quia enim gens populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum. Ex *Festi* mente locutus videtur *Sall. Cat.* 10. Nationes ferae et populi ingentes; et *Virg. A.* 8, 475. ingentes populos, opulentaque regnis Castra. *Scalig.* tamen, et *Voss.* ducunt a *censeo:* ut sit quasi *incens*, nempe ita magnus, ut censeri non possit. [*Praeferenda videtur, quam *Doederl.* 1, 124. Martinium secutus, hujus vocis originationem exhibet, qui ad *gignere* putat verisimile posse referri; coll. *Onomast.* ingens, ὑπερφυής.] Quod vero plus significet, quam *magnus*, colligitur ex illo *Ter. Eun.* 3, 1, 1. *Thr.* Magnas vero agere gratias Thais mihi? *Gn.* Ingentes. (*Cic. Amic.* 26. Satis erat respondere *magnas: ingentes*, inquit: semper auget assentator.) *Id. Ad.* 4, 7, 3. Ingentia flagitia. *Cic. Verr.* 2, 3, 46. Ingens immanisque praeda. *Id. Or.* 3, 19. Ingens immensusque campus. *Id. Prov. cons.* 3. Ingens pecunia, [*Ap. *Cic.* in universum rara vox.] *Liv.* 35, 9. Aquae ingentes eo anno fuerunt. *Hor. Od.* 1, 7. *extr.* Ingens aequor; et *ib.* 2, 3, 9. pinus; et *Sat.* 2, 3, 111. acervus. *Val. Fl.* 8, 185. ingens exitus Istri. *Liv.* 2, 23. clamor; et 22. *f.* gloria. *Ov. Met.* 1, 166. ira. *Hor. Sat.* 2, 7, 103. virtus atque animus. *Flor.* 4, 12. *f.* Ingentia facta. *Sen. Herc. Fur.* 441. Ingens vir. [*Maxime Tacito frequens h. v. Ita *Ann.* 3, 30. ingentibus negotiis par; cp. 13. ingentibus bellis; 4, 5. ingens terrarum sinus; *Hist.* 2, 8. ingentia promissa. Plura v. ap. *Boettich. Lex. Tac.* p. 273.] ℙ Ingens aliqua re dicitur, qui abundat, polletve. *Virg. A.* 11, 124. Vir fama ingens, ingentior armis; et 641. Ingentem animis, ingentem corpore et armis Dejicit Herminium. *Stat. Silv.* 1, 4, 71. Ingens eloquio. [*Praeter poetas *Liv.* et argenteae aetatis scriptores hanc constructionem amant. *Tac. A.* 11, 10. ingens gloria; 15, 53. et *H.* 1, 53. corpore ingens; cp. 61. ingens viribus opibusque; 2, 81. Vetustis opibus ingens. Similiter *Liv.* habet *viribus, auctoritate, favore, victoria ingens.*] ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 1, 69. Femina ingens animi; et *H.* 4, 66. *extr.* Vir ingens rerum. ℙ Sequente infinito. *Sil.* 10, 216. Ingens ferre mala, *h. e.* magni animi in ferendis malis. ℙ Interdum notat gravitatem, auctoritatem, vim, robur. *Sil.* 11, 67. coetu patrum, ingentique senatu. *Id.* 17, 297. Ingens Paulus. *Liv.* 21, 1. Ingentis spiritus vir. ℙ Et nobilitatem, antiquitatem, in illo *Virg. A.* 12, 225. Cui genus a proavis ingens. ℙ Sup. *Ingentissimus* ap. *Veg. Mil.* 4, 8. Rotae de lignis viridibus ingentissimae fabricantur. *F.*]

INGĔNŬĀTUS. V. INGENIATUS.

INGĔNŬĒ, adv. ἐλευθερίως, liberaliter, et ut hominem ingenuum decet. *Cic. Fin.* 3, 11. Honesta in familia institutus, et educatus ingenue. ℙ Item aperte, simpliciter, vere, ἁπλῶς. *Cic. Fam.* 5, 2. Me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebar. Adde *Att.* 13, 27. ℙ Item libere. *Quint.* 12, 3. Potest autem, quae tum audiet, fortiter affirmare, aut ingenue pro suis dicere?

[INGĔNŬĪLIS, e, adj. idem ac ingenuus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 538, 9. Aurelius Ingenuilis. V. *Ducang. Gloss. med. et inf. Latin.* in V. *Ingenuilis. F.*]

[INGĔNŬĪNUS, a, um, adj. ad ingenuum pertinens. Est cogn R. *Inscr.* ap. *Grut.* 8, 7. M. Ingenuius Ingenuinus. *F.*]

INGĔNŬĪTAS, atis, f. ἐλευθεριότης, conditio ingenui hominis, honestas, nobilitas. *Cic. Verr.* 2, 1, 44. Eripies igitur pupillae togam praetextam? detrahes ornamenta non solum fortunae, sed etiam ingenuitatis? *Liv.* 8, 28. Cum ingenuitatis magis, quam praesentis conditionis memorem videret. *Suet. Aug.* 14. Assertus in ingenuitatem. *Auct. dial. de Or.* 32. Eloquentia olim omnium artium domina, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim, sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discitur. ℙ Item probitas, pudor, honestas morum. *Cic. Acad.* 1, 9. Vir ita moratus, ut prae se probitatem quandam, et ingenuitatem ferat. *Id. Or.* 2, 59. *extr.* Praestare ingenuitatem et ruborem, verborum turpitudine et rerum obscenitate vitanda. ℙ Item simplicitas, veritas. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 4. Fertur Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem: ad quas cum advolasset avis, eadem ingenuitate processit iratus operi, et dixit: uvas melius pinxi, quam puerum. ℙ In plur. num. usurpavit *Arnob.* 2, 98. *f.*

INGĔNŬOSUS. V. INGENIOSUS.

INGĔNŬUS, a, um, adj. nativus, innatus, naturalis, natura insitus, non manu, aut arte factus, non adventicius, non fucatus: ab *in*, et antiquo *geno* pro *gigno*. *Lucr.* 1, 230. Unde mare, ingenui fontes, externaque longe Flumina suppeditant? *Juven.* 3, 20. nec ingenuum violarent marmora tophum. *Pl. Mil.* 3, 1, 38. Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles. *Prop.* 1, 4, 13. Ingenuus color. ℙ *Ingenuus homo* olim dicebatur, qui certo patre natus esset: quasi ex eo genitus, non aliunde adscitus. *Liv.* 10, 8. *med.* En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? ℙ Deinde strictiore significatione ita dicitur qui statim ac nascitur, liber est, et servo, ac libertino opponitur, ἐλεύθερος, εὐγενής. Talis autem est tum qui ex duobus ingenuis matrimonio natus est; sive ex duobus libertinis; sive ex altero libertino, altero ingenuo; sive ex matre libera, et patre servo, aut etiam incerto: et sufficit liberam esse matrem, quo tempore peperit, licet serva conceperit: aut si libera conceperit, quamvis ancilla facta pariat. Ita enim *Just. Instit.* 1, 4. docet. Differt a libero in eo, quod *ingenuus* est ex natali: *liber* etiam ex manumissione, quamvis servus sit natus. *Pl. Mil.* 4, 1, 15. Ea ingenuan', an festuca facta e serva libera est? *Id. ib.* 3, 1, 189. Ingenuamne an libertinam? *Cic. Cat.* 4, 7. Omnis ingenuorum adest multitudo. *Hor. Ep.* 1, 19, 33. Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri. *Id. Sat.* 1, 6, 91. Ingenui clarique parentes. [**Id. ib.* 1, 6, 8. Cum referre negas, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus: ubi *Heindf.* contra *Schol. Acr.* et *Cruq.: honestis moribus. Ingenuus hic ad morum probitatem pertinet:* docet: ad mores h. v. non referendum esse, nisi in istis: *ingenuus animus, ingenuus vultus, ingenuae artes*, cet. Neque convenire philologiae legibus Wielandii interpretationem, hanc vocem ancipiti sensu, et ad ortum liberi hominis et ad mores spectante, positam censentis.] ℙ Praeterea usurpatur in iis, quae ingenuum hominem decent: et sumitur pro honesto, liberali: cui opponitur servilis, abjectus, illiberalis, sordidus. *Cic. Phil.* 3, 11. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens; et *Off.* 1, 42. Opifices omnes in sordida arte versantur: nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. *Id. Or.* 2, 3. Pudore a dicendo, et timiditate ingenua quadam refugisti. *Id. Phil.* 10, 9. Ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitari. *Id. Fam.* 5, 21. *f.* Vita ingenua in beata civitate et libera vivere. *Id. ib.* 2, 6. Est animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere. *Id. Fin.* 5, 18. Ingenuis studiis atque artibus delectari. *Id. Or.* 3, 6. Ingenuae et humanae artes; et 32. Liberales doctrinae atque ingenuae. *Juven.* 11, 154. Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris, Quales esse decet, quos ardens purpura vestit. *Hor. Od.* 1, 27, 16. Ingenuus amor. *Auson. Idyll.* 10, 442. Ingenui mores. *Mart.* 10, 82. Per gemitus nostros, ingenuasque cruces, *h. e.* quae cum sint servile supplicium, ab homine ingenuo ferun, tur. *Id.* 6, 11. Non minus ingenua est et mihi-

Marce, gula, *h. e.* delicata, et sciens, qualis est ingenui, et domini. Servi enim cum vilioribus cibis pascantur, nosse nequeunt, quid magis sapiat. *Ov. Trist.* 1, 5, 72. Illi corpus erat durum, patiensque laborum: Invalidae vires, ingenuaeque mihi, *h. e.* moderatae, aut delicatae: non immensae, ut in servis labori assuetis. ℙ Interdum est liber, verax, sincerus. *Cic. Brut.* 67. Respuere aliquid ingenuo liberoque fastidio. *Id. Amic.* 18. Aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. *Hor. Sat.* 2, 3, 186. Astuta ingenuum vulpes imitata leonem. ℙ Ingenuus opponitur ei, qui aliquando servus fuit. *Liv.* 40, 18. Naves sociis civibus R., qui servitutem servissent, complerentur, ingenui tantum ut iis praeessent. ℙ [*Ingenuus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 289, 4. C. Julius Ingenuus. *F.*]

INGĔRO, is, essi, estum, a. 3. ἐμφορέω, εἰσφέρω, intro gero, infero, importo. *Pl. Ps.* 1, 2, 24. Tu, qui urnam habes, aquam ingere: face plenum ahenum sit cito. *Tibull.* 2, 1, 22. Ingeret ardenti grandia ligna foco. *Petr. Sat.* 136. Collocavit ignem cassis arundinibus collectum, ingestisque super pluribus lignis, etc. *Plin.* 31, 7, 39. E puteis aquam in salinas ingerunt. *Colum.* 2, 16. Stercus ingerere vitibus; et 10. lupinum novalibus. Proverbium est illud *Pl. Ps.* 1, 3, 135. In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus. V. DANAUS, i. ℙ Est etiam porrigere, praebere. *Plin.* 20, 12, 48. Ocimum equis asinisque ingeritur. *Pall.* 1, 30. Saginandis anseribus polentae duas partes, et furfuris quatuor ingerunt, pro appetentis voluntate sumenda. *Nemes. Cyneg.* 5. Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno Ingerit. *Cels.* 5, 27. Vinum merum calidum cum ruta quamplurimum ingerendum est. [*In sequentibus Noster exempla imis summa miscuit. Restituti ordinis haec ratio esto:] ℙ *Ingerere se* est se immiscere, se conjicere aliquo. *Justin.* 11, 14. Ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat. *Sen. Herc. Fur.* 1032. Quo te obvium morti ingeris? *Sil.* 10, 4. In medios fert arma globos, seseque periclis Ingerit. [*Huc pertinent loci, quos Noster supra posuerat. *Suet. Aug.* 54. E curia per iram se propipienti quidam ingesserunt, licere oportere, etc. *Val. Fl.* 7, 651. Nec si ipse sibi terga ingerat ultro, Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti; et 8, 53. modo ne quis abactam Huc referat me forte dies, oculisque parentis Ingerat.] ℙ Dicitur etiam *ingerere se*, qui ultro, nec vocatus se operamque offert suam. *Plin. Pan.* 86. Praefectum praetorii, non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere. ℙ [*Hinc offerre, praebere. *Suet. Gr.* 23. *extr.* Cum in turba osculum sibi ingerentem devitare non posset. Adde *Hor.* ne recusanti quidem amicitiam suam ingere re desiit. Nostr. *antragen. Auct. dial. de Or.* 7. Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt. *Petr. Sat.* 140. Filium filiamque ingerebat orbis senibus, h. e. obtrudebat.] ℙ Item infligere, incutere. [*Tac. A.* 2, 81. Saxa et faces ingerere.] *Ter. Phorm.* 5, 7, 95. Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere. *Curt.* 6, 11. verbera. *Sen. ep.* 99. *med.* manus capiti. *Val. Fl.* 6, 230. Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem. *Virg. A.* 9, 763. fugientibus ingerit hastas in tergus. *Liv.* 2, 65. Saxa ingerere in subeuntes. *Stat. Th.* 9, 303. tela. *Plin.* 10, 1, 1. lapides contra aliquem. [*Liv.* 36, 18. Sagittas simul et jacula ingerere. ℙ Tum infligendo, ingerendo aliquem aliqua re afficere. *Tac. H.* 3, 85. Ac deinde ingestis vulneribus concidit; cf. *A.* 2, 81. *Ter. Andr.* 4, 1, 16. mala multa. *Sen. Med.* 461. Ingerere supplicia. ℙ Hinc immittere, injicere. Plerumque hostilem impetum eumque iteratum et crebram alicujus rei, maxime ejus, qua quis ignominia afficiatur, commemorationem exprimit.] *Hor. Sat.* 1, 5, 11. convicia alicui. *Pl. Asin.* 5, 2, 77. dicta in aliquem. *Liv.* 2, 45. probra. [*Tac. A.* 1, 39. Ingerunt contumelias.] *Liv.* 3, 68. Vocis verborumque quantum voletis, ingerent et criminum in principes, et legum, et concionum. *Sen. Ben.* 1, 12. Oblivisci non sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat. *Petr. Sat.* 36. Ingerebat lentissima voce, carpe, carpe, *h. e.* repetebat, dictitabat. Sic *Sen. Ben.* 7, 22. Hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt. [*Adde *Tac. A.* 4, 42. Voces quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. *H.* 4, 78. Vera erant, et a tribunis praefectisque eadem ingerebantur. *A.* 2, 79. Magnitudinem imperatoris identidem ingerens, i. e. crebro commemorans.] ℙ Item aggerare, adjicere. *Sen. Thyest.* 731. Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit? *Justin.* 6, 8. Quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt. ℙ *Inger* in imperativo, ut *fer. Catull. carm.* 27. *ad puer. suum.* Minister veteris puer Falerni, Inger mi calices amariores, *h. e.* misce ac porrige. Al. leg. *infer*, alii *misce.*

INGESTĂBĬLIS, e, adj. qui gestari non potest, importabilis, ἀβάστακτος. *Plin.* 7, 6, 5. Ingestabile onus.

INGESTĬO, onis, f. actus ingerendi, ingestus. *Capell.* 5, 148. Primae vocis ingestio.

INGESTO, as, a. 1. idem quod ingero: ab *in*, et *gesto*. Part. *Ingestans* quidam tribuunt *Appul. Met.* 11., sed lectio variat.

INGESTUS, a, um, part. ab *ingero*: εἰσφερόμενος, illatus, impositus. *Ov. Ib.* 464. Saucius ingesta contumuleris humo. *Plin.* 19, 7, 36. Paxillo caverna facta, ac fimo ingesto. *Id.* 31, 3, 23. Aqua frigida ingesta sistitur sanguis; et 30, 13, 38. Adeps pastillis ingestus, *h. e.* praebitus. Sic 29, 1, 8. *med.* Cibi saepius die ingesti. *Stat. Th.* 4, 180. summis ingestum montibus Aepy, *h. e.* Aepy oppidum Messenae impositum montibus. ℙ Item oblatus, obtrusus. *Tac. A.* 1, 72. Nomen patris patriae Tiberius, a populo saepius ingestum, repudiavit. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 81. facies ingesta sopori. ℙ Item inditus. *Claud. B. G.* 395. ingesta vincula unguibus.

INGESTUS, us, m. actus ingerendi et immittendi, ingestio. *Tert. Resurr. carn.* 42. Immortalitatis ingestus.

INGIGNO, is, ingenui, ingenitum, a. 3. ἐγγενάω, intus gigno, ingenero, insero. Usum habet in praeteritis. *Lucan.* 6, 438. herbasque nocentes Rupibus ingenuit tellus. *Cic. Fin.* 2, 14. natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi. Adde *ib.* 5, 21. *Id. N. D.* 2, 48. *extr.* Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam.

INGLOMĔRO, as, a. 1. μηρύω, idem ac glomero, idest coacervo, accumulo, et veluti in globi formam involvo. *Stat. Th.* 1, 350. sed plurimus Auster Inglomerat noctem.

INGLORĬUS, a, um, adj. ἄδοξος, qui nullam gloriam sua virtute consecutus est, inhonoratus, ignobilis. *Cic. Leg.* 1, 11. Beati, qui honorati sunt, videntur; miseri, qui sunt inglorii. *Virg. A.* 9, 548. Parmaque inglorius alba. *Id. G.* 4, 94. horridus alter Desidia, latamque trahens inglorius alvum. *Tac. A.* 12, 14. Brevi et inglorio imperio perfunctus est. *Id. Agr.* 9. Vincere inglorium arbitrabatur. *Id. ib. f.* Multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet. *Cic. Tusc.* 3, 34. Vita inhonorata et ingloria. ℙ Cum genitivo. *Tac. H.* 3, 59. Inglorius militiae. *Sil.* 12, 39. inglorius ausi. ℙ Translate. *Stat. Th.* 9, 108. convulsae cuspide longe Diffugere jubae, patuitque ingloria cassis, *h. e.* indecora, sine cristis, sine ornamentis.

[INGLŪTĪNĀTUS, a, um, non glutinatus. *Gloss. Philox.* Inglutinatus, ἀκόλλητος. *F.*]

INGLŪVĬES, ei, f. πρόλοβος, sinus ille in gutture avium, in quem demittunt cibos, priusquam in ventrem recondant: a *gula*, ut *Festo* placet, ita ut sit pro *inguluvies*. V. v. sq. *Colum.* 8, 5. *med.* de pullis gallinaceis: Singuli tentandi, ne quid hesterni habeant in gutture: nam si vacua non est ingluvies, cruditatem significat. ℙ Item universim gula, guttur. *Virg. G.* 3, 430. de angue: hic piscibus atram Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet. *Appul. Met.* 1. Restis ad ingluviem adstricta; et *ib.* 5. Priusquam bestia ingluvie voraci me misellam hauriret. [*Front. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) 2, 12. Iis margaritis collos filiarum suarum despoliabis, ut cujus tandem ingluvies turgida ornetur? *F.*] ℙ Item voracitas, liguritio. *Ter. Eun.* 5, 4, 15. Harum videre ingluviem, sordes, inopiam: Quam inhonestae solae sint domi, atque avidae cibi. Al. leg. *illuviem. Hor. Sat.* 1, 2, 7. avi cur, atque parentis Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem. *Gell.* 7, 16. Nomina edulium, quae profunda ingluvies vestigavit. *Petr. Sat.* 119. *f.* Fenoris ingluvies. [*Eutrop.* 7, 18. Vitellius notabilis ingluvie et voracitate.]

INGLŪVĬOSUS, a, um, adj. gulosus, vorax, heluo. *Fest.* Ingluvies a gula dicta: hinc ingluviosus.

INGRANDESCO, is, dui, n. 3. μεγαλύνομαι, grandior fio, augeor, cresco. *Colum.* 2, 10. *med.* Lens ut celeriter prodeat, et ingrandescat; et 3, 6. Ne difficulter acinus ingrandescat; et 11, 3. Licet porrum, si jam ingranduit, transferre.

INGRĀTĒ, adv. ἀχαρίστως, non jucunde, sine gratia. *Plin.* 37, 5, 19. Ingrate virens gemma, atque intus sordida. *Ov. A. Am.* 2, 435. Sunt, quibus ingrate timida indulgentia servit, *h. e.* nullam gratiam ineundo. ℙ Item non libenter, ingratiis. *Plin.* 18, 3, 5. Non ingrate nominando M. Varrone. ℙ Item ingrato animo. *Cic. Fam.* 12, 1. et *Dejot.* 11. Ingrate nostra facilitate abutuntur. *Plin.* 27, 2, 2. Quae si quis ab homine excogitari potuisse credit, ingrate Deorum munera intelligit. *Tac. H.* 1, 52. Infensus Galbae, tanquam oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset. ℙ Translate de iis dicitur, quae fructu spei non respondent. *Pall.* 7, 5. Ubi ramos multa poma densabunt, interlegenda sunt quaecumque vitiosa, ut succus, qui ingrate his posset impendi, ad meliora vertatur, *h. e.* sine utilitate, tanquam ingratis.

INGRĀTĬA, ae, f. contrarium gratiae; ἀχαριστία. *Tert. Poen.* 1. Poenitet fidei, amoris, simplicitatis, prout quid in ingratiam incidit; et 2. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis poenitentiam cogit. ℙ In ablativo plurali sumitur adverbii more, ἀέκητι. *Pl. Cas.* 2, 5, 7. Vobis invitis, atque amborum ingratiis. *Id. Merc.* 2, 4, 11. nimium multum scis. *Eu.* tuis ingratiis. *Nep. Them.* 4. Ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Ter. Eun.* 2, 1, 14. Ingratiis dormire. [*Cic. fragm. or. pro Tull.* (ed. *A. Peyronio*) *n.* 5. Tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. *Id. Quint.* 14. Extorquendum est invito atque ingratiis, *h. e.* velit, nolit. V. INGRATIS. *F.*]

INGRĀTĬFĬCUS, a, um, adj. ingratus, beneficii immemor. *Cic. Sext.* 57. ex *Accio.* O ingratifici Argivi, inanes Graji, immemores beneficii.

INGRĀTĬIS. V. INGRATIA.

INGRĀTĬS, adv. ἀχαρίστως, ingratiis. *Lucr.* 3, 1083. Effugere haud potis est, ingratis haeret, et angit. Adde 5, 45. et 6, 215. Sic *Lact.* 2, 10. Ingratis tamen Epicurus eripiet. Al. leg. *ingrate.* Videtur autem in locis *Lucretii* esse per synaeresin dictum metri causa pro *ingratiis:* Veteres enim Latini litteram *i* nunquam geminabant. Quidam male putant esse ab *ingratus*, et ejusdem rationis atque *alternis*, *omnimodis.*

INGRĀTĬTŪDO, inis, f. ingrati animi vitium, ἀχαριστία. Perperam ponitur in titulo *l.* 5. *c.* 3. *Val. Max.*, ut diximus in V. GRATITUDO. Habet tamen *Firm. Math.* 5, 1. *med.* Ingratitudinis vitio inquinati; et *Cassiod. Variar.* 5, 8. Sine ingratitudinis naevo. Legitur praeterea apud *Curt.* in quibusd. editionib. *l.* 5. *f.* At is locus *Curtii* non est, sed ex Supplementis *Freinshemii.* ℙ Pro ingratia, indignatione. *Cassiod. Variar.* 1, 30. Noverit, se nostrae ingratitudinis pericula subiturum.

INGRĀTUS, a, um, adj. ἀχάριστος, ἀηδής, non gratus, non acceptus, injucundus, molestus. *Cic. Fam.* 5, 5. *med.* Quae si ego non profundere videbor, omnibus meis viribus sustinebo: sin autem ingrata esse sentiam, non committam, etc. *Tac. A.* 2, 5. Tiberio haud ingratum accidit, turbari res orientis. *Hor. Od.* 3, 10, 9. Ingratam Veneri pone superbiam. *Caes. B. G.* 7, 30. Fuit haec oratio non ingrata Gallis. *Virg. G.* 3, 97. Ingratus labor. *Ov. Fast.* 3, 738. Ingrati joci. *Colum.* 7, 8. *extr.* Non ingrati saporis caseus. ℙ Item qui beneficium non agnoscit. *Sen. Ben.* 3, 1. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. *Cic. Att.* 8, 4. Nihil cognovi ingratius: in quo vitio nihil mali non inest. *Id. Att.* 9, 2. *med.* Ingrati animi crimen; et *N. D.* 1, 33. *extr.* et *Liv.* 38, 50. Ingratum esse in aliquem. *Paul. Dig.* 4, 2, 21. Ingratus contra aliquem. *Vell.* 2, 69. Vir adversus merita Caesaris ingratissimus. ℙ Cum genitivo *Virg. A.* 10, 666. Ingratus salutis, *h. e.* ob salutem acceptam. Graecismus est: ἀχάριστος σωτηρίας, *scil.* ἕνεκα. ℙ Transfertur et ad res inanimas: et dicitur de iis, ex quibus exiguus, aut nullus fructus percipitur, etsi plurimus labor impendatur. [*Cic. Fam.* 5, 5. Sin autem ingrata esse sentiam. V. *Graev.* ad *Cic. Mil.* 37.] *Ov. Amor.* 1, 15, 6. Ingrato vocem prostituisse foro. *Mart.* 10, 47. Non ingratus ager. [*V. quae laudat *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 5, 116.] Et 5, 19. colit ingratas pauper amicitias: *Ter. Heaut.* 5, 1, 60. Ignosces tamen post; et id erit ingratum, *h. e.* nullam tibi pariet gratiam. *Hor. Sat.* 1, 2, 7. Hunc si perconteris, avi cur, atque parentis Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem, etc., *h. e.* gula, et ventre, qui cito voluntatis, et ingestorum ciborum obliviscitur, nec unquam satiatur. [*V. *Heindf.* ad h. l.] Sic ap. *eund. Ep.* 2, 1, 187. migravit ab aure voluptas Omnis ad ingratos oculos, *h. e.* qui cito spectacula obliviscuntur, et nova poscunt. Ita enim legit *Bentl.*: alii *incertos.* ℙ De eo, cui gratiae actae non sunt. *Stat. Th.* 1, 700. de Phoebo: Seu Trojam Thymbraeus habes, ubi fama volentem Ingratis Phrygios humeris subiisse molares.

INGRĀVĀTĒ, adv. non gravate. *Ammian.* 17, 10. *extr.* Obsecundabant imperiis ingravate. Adde 18, 2.

INGRĀVĀTĬO, onis, f. vexatio, molestia, onus. *Imppp. Valentian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 7, 13, 7. Perpetuae ingravationi addici.

INGRĀVĀTUS, a, um, part. ab *ingravo*, gravis factus. *Plin.* 28, 11, 48. Ingravatas aures sic perluendas putant, *h. e.* quae gravitate, et difficultate audiendi laborant. *Spart. Sever.* 21. Ingravatus morbo.

INGRĀVESCO, is, n. 3. ἐπιβαρύνομαι, gravior et molestior fio. *Plin.* 31, 7, 39. Vix credibili pondere ingravescit. *Plin. alter ep.* 2, 17. *med.* Patentibus fenestris Favonios accipit, transmittitque, nec unquam aere pigro et manente ingravescit. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 11. Et corpora quidem defatigatione et exercitatione ingravescunt. *Id.* ad *Brut.* 1, 10. Ingravescit in dies malum. *Id. Dom.* 5. Annona ingravescit, *h. e.* carior fit. *Id. Div.* 2, 6. Ingravescens morbus. *Id. Sen.* 2. *f.* Ingravescens aetas. *Id. Att.* 10, 4. Alter ardet furore et scelere: nec remittit aliquid, sed in dies ingrave-

scit. [*Huc referendus etiam locus *Tac. H.* 3, 54. ubi similiter ad ipsum hominem pertinet. Verba sunt: Confitenti consultantique (Vitellio) supererant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis (rumoribus) ingravescebat: *er liess sich durch falsche Gerüchte immer tiefer ins Verderben stürzen.*] ℙ In bonam partem. *Cic. Fam.* 4, 4. *f.* Hoc studium quotidie ingravescit, *h. e.* crescit, augetur. ℙ Pro gravidam fieri. *Lucr.* 4, 1242. Suscipiunt aliae pondus magis, inque gravescunt: *tmesis.*

INGRĂVIDĀTUS, a, um, part. ab *ingravido*, gravidus, seu gravis factus. *August. Confess.* 7, 5. *f.* Pectus meum ingravidatum curis mordacissimis.

INGRĂVĬDO, as, a. I. idem quod gravido. *Paul. Nol. carm.* 24, 253. Ingravidat coeuntes.

INGRĂVIS, e, adj. valde gravis, molestus. *Ulp. Dig.* 29, 5, 3. *in.* Si quis ingravi valetudine affectus. Al. leg. *ingravescente.*

INGRĂVO, as, avi, atum, a. I. ἐπιβαρέω, gravitate ponderis deprimo, gravis fio. *Stat. Th.* 5, 401. puppemque alternus utrinque Ingravat, et medias ardet descendere in undas. ℙ Translate. *Plin.* 19, 8, 51. Iisdem fruticibus utuntur, si non saevitia hiemis ingravat. *Virg. A.* 11, 220. Ingravat haec saevus Drances, *h. e.* exaggerat, et graviora facit. *Ov. Trist.* 3, 4, 60. Illa meos casus ingravat, illa levat. *Phaedr.* 5, 10. canis Languere coepit annis ingravantibus.

INGRĔDĬOR, ĕdĕris, essus sum, dep. 3. εἰσέρχομαι, intro gradior, introeo. *Cic. Phil.* 2, 27. *f.* Tu ingredi illam domum ausus es? *Id. Cat.* 3, 2. *extr.* Cum pontem Milvium ingredi inciperent. *Id. Sen.* 10. *f.* Ingredi iter pedibus. *Justin.* 8, 3. Non Diis Penatibus, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit. *Cic. Brut.* 96. In vitam paulo serius, tanquam in viam, ingressus. *Id. Sen.* 2. *extr.* Via, quam nobis quoque ingrediendum sit. Al. leg. *qua nobis*, etc. *Id. Caecin.* 8. Ingrediens intra finem ejus loci, quem, etc. *Caes. B. G.* 5, 9. Ingredi intra munitiones. *Lucan.* 10, 224. fluvius, ingresso vere, tumescit. ℙ Pro venire, prodire. *Plaut. fr.* ap. *Non.* 6, 32. Nihil te pudet, scelestе, populi in conspectum ingredi? ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 32. *med.* Quam quisque viam vivendi sit ingressurus. *Id. Fam.* 12, 25. Quo primum die in spem libertatis ingressus sum. *Id. Phil.* 7, 3. Magna spe ingredior in reliquam orationem; et *Cat.* 2, 6. Quem jam ingressum in orationem; et *Cat.* 2, 6. Quem jam ingressum in bellum esse dicebam. *Id. Planc.* 3. Qua nolui jam ingressus sum in causam. *Id. Or.* 1, 21. Antequam ad discendum ingressi sumus; et 28. Cum istam disputationem mecum ingressus esset. *Caes. B. C.* 3, 18. Ingredi in sermonem. [*Cf. *ib.* 1, 2. Marcellus in eam orationem.] *Cic. Arch.* 1. Hunc video mihi principem ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. *Vell.* 2, 61. et *Quint. prooem. l.* 6. Caesar decimum nonum annum ingressus. *Hirt. B. Afr.* 22. Ingredi in rempubl., *h. e.* in administrationem reipubl. [*Gravius hoc dictum censet, quam *accedere ad rempl. Moebius*, propter liberam firmamque voluntatem, cujus operam reipublicae navandi notionem referat. Coll. ejus *adnott.* ad *Cic. Rosc. Am.* 1, 2.] *Quint.* 6, 1. *med.* consulatum. *Val. Fl.* 5, 70. primo laetos sic tempore rector Ingreditur cursus. ℙ Pro incipere, aggredi, cum infinito. *Cic. Acad.* 1, 1. *extr.* Posteaquam sum ingressus eas res mandare monumentis. *Id. Att.* 15, 11. Cum ingressus essem dicere, quid oportuisset. *Vell.* 2, 119. Fuga Rhenum petere ingressus est. *Virg. A.* 4, 107. Sic contra est ingressa Venus: *subaudi* dicere. Sic *ib.* 6, 867. Anchises lacrimis ingressus obortis. ℙ Cum accusativo. *Virg. G.* 2, 174. tibi res antiquae laudis et artis Ingredior, *h. e.* aggredior. *Suet. Aug.* 92. Terra marive ingrediens longinquam profectionem. ℙ Pro adire, subire. *Cic. Mur.* 2. Qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur. ℙ Saepe ponitur pro simplici gradior, incedo, ambulo. *Cic. Tusc.* 1, 31. Qui in compedibus semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur. *Id. Att.* 2, 23. Si stas, ingredere: si ingrederis, curre. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Clavus in pedibus dolorem ingredienti movet. *Colum.* 11, 3. *med.* Ingredi per semitas. *Curt.* 5, 6. Rex pedes per nivem et glaciem ingredi coepit. *Ov. Fast.* 4, 481. Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis Implet. *Virg. A.* 10, 762. quatiens Mezentius hastam Turbidus ingreditur campo; et *G.* 4, 177. Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit: *campo* et *solo* ablativi casus sunt; et *ib.* 3, 75. pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur. *Plin.* 8, 5, 5. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. ℙ Translate. *Cic. Somn. Scip.* 9. Ingredi vestigiis patris. Eodem sensu dixit *Liv.* 37, 53. Ingredi vestigia patris. *Ov. Fast.* 2, 16. per titulos ingredimurque tuos, *h. e.* carmine procedimus. *Quint.* 9, 4. *f.* Sublimia debent ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere, *h. e.* alte velut incedere. [*Ern. in *lex. techn. lat. rhet.* p. 137. expl. iis vocibus significari, quibus ex longioribus pedibus gravis quidam et severus stabilisque incessus est, ut hoc ipsa sublimitatis natura sustentetur. V.] ℙ *Ingredier* paragoge pro *ingredi* est ap. *Phaedr.* 5, 7. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 4, 885. ut velit ire, Inque gredi. ℙ [*Confund. *ingredi* et *congredi*. V. *Snakenb.* ad *Curt.* 6, 1, 10. et *adgredi Burm.* ad *Virg. G.* 2, 175.]

INGRESSĬO, onis, f. εἴσοδος, actus ingrediendi. *Cic. Phil.* 5, 4. Ita ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres. ℙ Item principium. *Cic. Or.* 3. Ac video hanc primam ingressionem meam e media philosophia repetitam, etc. ℙ Item ambulatio, incessus. *Cic. Or.* 59. Interdum cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio.

INGRESSUS, us, m. εἴσοδος, actus ingrediendi, introitus. *Plin. ep.* 10, 28. Haec tibi, domine, in ipso ingressu meo scripsi: sc. in provinciam. ℙ [*Item janua, portus, aditus. *Prud. Psych.* 843. trinis ingressibus aram Cordis adit: Noster in fine h. l. posuerat. Adde *Tac. A.* 15, 3. Ingressus hostiles intercipere.] ℙ Item initium. *Quint.* 9, 4. *med.* Si pars posterior in clausula, deprehendatur rursus in ingressu. *Id. prooem. l.* 8. Affectus maxime in ingressu causae ac fine dominantur. *Id.* 10, 1. In ingressu operis. *Virg. G.* 4, 316. Unde nova ingressus hominum experientia cepit? *h. e.* novum hoc experimentum hominum undenam initia sumpsit? *Vitr.* 1, 1. *f.* Operum ingressus, qui manu aut tractationibus ad elegantiam perducuntur. ℙ Item ambulatio, incessus. *Cic. N. D.* 1, 34. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. [*Huc pertinet locus, quem Noster perperam ab initio posuerat. *Caes. B. C.* 1, 84. Prohiberi ingressus, i. e. interprete *Heldio*: *sie könnten keinen freien Schritt mehr thun.* Adde *Liv.* 24, 34. Eadem causa ad subeundum arduum aditum instabilemque ingressum praebebat.] *Plin.* 2, 94, 96. Quaedam terrae ad ingressus tremunt. *Id.* 11, 16, 16. *extr.* Crura recta, ingressus celsior. *Id.* 28, 4, 7. Animalis ingressum corrigere. ℙ [*Confund. *ingressus* et *incessus*. V. *Spald.* ad *Quint.* 1, 2, 31.]

INGRŪENS, entis, part. ab *ingruo*, qui ingruit, et adventat. *Liv.* 5, 21. Quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset; et 37. Adeo occaecat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult. *Plin.* 8, 16, 21. Sago contra ingruentis ferae impetum objecto. *Colum.* 11, 3. *med.* Ingruente aestate. *Curt.* 5, 1. Ingruentes morbi. *Flor.* 4, 2. *med.* Ingruentia tela et saxa.

INGRŪO, is, ui, n. 3. ἐπιορήπτω, ἐπιπίπτω, advento, irruo, cum vi accedo, prope sum. Differt ab *immineo*, *impendeo*, quae dicuntur de iis, quae licet sint prope, et supra caput, tamen interdum non eveniunt: at quae *ingruunt*, et imminent, et certo in nos irruunt, et invadunt, ac nocent. *Voss.* (potius quam a *gruibus:* unde quidem derivant) duci mallet ab *in*, et *ruo*, inserto *g.* [*V. *Doederl.* 2, 122. Et primum quidem dicitur de hominibus, animalibus.] *Pl. Amph.* 1, 1, 81. Hostes crebri cadunt: nostri contra ingruunt Vicinius, vi feroces. [*Huc referendus locus, quem Noster mox posuerat. *Virg. A.* 12, 628. Ingruit Aeneas Italis, et proelia miscet. Adde *Tac. A.* 1, 27. Simul ingruunt, saxa jaciunt; 6, 38. ingruentes accusatores; et 12, 12. 2, 11. *H.* 3, 43. ℙ Tum transfertur ad inanimata.] *Liv.* 28, 44. *f.* Illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, ceterae belli clades, quae in nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur. *Id.* 37, 23. Ingruere morbi vulgo, maxime in remiges coeperunt. *Plin.* 7, 50, 51. Et universis gentibus ingruunt morbi; et 284. ferreus ingruit imber; et *ib.* 8, 535. Si bellum ingrueret. *Plin.* 9, 30, 50. Si nullus ingruat metus. *Colum.* 4, 29. Frigus ingruit. [*Tac. A.* 4, 2. Si quid subitum ingruat; et 1, 65. tela ingr.; et 4, 35. damnatio. Plura laudat *Böttich.* in *lex. Tac.* p. 274.] ℙ [Part. *Ingruens* V. in v. praec. *F.*]

INGUEN, inis, n. βουβών, pars corporis humani anterior, ad latera pubis, ubi coxendices imo ventri junguntur. [*Voss.* in *Etym.* ab *ingeno* derivat, quia ibi sunt partes genitales: alii ab ἐν, *in*, et γονή, *genitale;* nisi potius *inguen* dictum sit quasi *unguen*, quod ab inusit. ὔγω, *succosus sum*, unde ὑγρὸς, *madidus;* inguen enim semper madescit: alii ob eandem causam ab *inquino* deducunt. *F.* *Quod facile praeferendum. V. *Doederl.* 2, 56. qui *inguen* ab *inquino* eodem modo factum putat, quo *cunnus* a *cunnio.*] ℙ Adhibetur tum in singulari numero, tum in plurali. *Cels.* 7, 2. et *Plin.* multis in locis. ℙ Interdum sumitur pro tumore inguinum. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Tama.* Inguen ne exsistat, papulae, tama, ne boa noxit. *Cels.* 3, 5. Si febris vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex aestu fuit. Adde 2, 7. *med.* ℙ [Et pro tumore in genu exulcerato. *Front. ad M. Caes.* 5. (ed. *A. Maio*) *ep.* 44. Ita genum mihi simul abrasum, et ambustum est, postea etiam inguen ex ulcere extitit. *F.*] ℙ A similitudine dicitur in arboribus sinus ille, qua ramus trunco adhaeret. *Plin.* 16, 36, 65. de arundine; et 17, 21, 35. *n.* 1. de vite. ℙ A loci vicinitate de pudendis virilibus, ac femineis. *Horat., Petr., Ov., Mart., Juven.* etc. ℙ Per synecdochen de toto imo ventre. [*Suet. Dom.* 17. legenti suffodit inguina.] *Stat. Th.* 6, 900. procumbentemque secutus Colla simul dextra, pedibus simul inguina vinxit.

INGUĪNALIS, e, adj. ad inguina pertinens. *Plin.* 26, 9, 59. Inguinalis (*herba*), quam quidam argemonem vocant, passim in vepribus nascens, ut prosit inguinibus, etc. V. BUBONION.

INGURGĪTĀTĬO, onis, f. *Firm. Math.* 5, 8. Qui conviviis et ingurgitationibus delectantur.

INGURGĪTĀTUS, a, um, part. ab *ingurgito*, qui se ingurgitavit. *Petr. Sat.* 79. Anus diutius ingurgitata ne ignem quidem admotum sensit. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 3. Temeto ingurgitatus aut distentus.

INGURGĪTO, as, a. I. γαστρίζω, cum vehementia devoro, gulam impleo, cibo aut potu intemperanter me obruo. V. GURGES. *Cic. Fin.* 2, 8. Crudique postridie se rursus ingurgitant. *Pl. Curc.* 1, 2, 35. Ingurgitat se in merum. Ubi alii legunt: *ingurgitat in se merum. Gell.* 15, 2. Ingurgitare ingenium crebris et ingentibus poculis. *Appul. Met.* 4. Merum saevienti ventri tuo soles aviditer ingurgitare. ℙ Translate sumitur pro immergere se, immittere. *Cic. Pis.* 18. Ingurgitare se in flagitia. *Id. Phil.* 2, 27. In ejus copias cum se subito ingurgitavisset. *Gell.* 5, 16. Ingurgitare se in philosophiam. *Lact.* 4, 17. Sus se ingurgitat coeno. ℙ Aliquando significat redundare, exundare. *Plin.* 17, 2, 2. Humor ex nivibus non universus ingurgitans, diluensque, sed distillans.

INGUSTĂBĬLIS, e, adj. ἄγευστος, qui gustari non potest. *Plin.* 16, 26, 43. Fert baccas acerbas et ingustabiles cunctis animantibus. *Id.* 2, 106, 110. Fons ille ingustabilis.

INGUSTĀTUS, a, um, adj. non gustatus. *Hor. Sat.* 2, 8, 30. Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi, *h. e.* quae ante nunquam gustaveram. [*V. *Heindf.* ad h. l.]

INGUSTO, as, avi, atum, a. I. gustandum do, ap. *Tert. adv. Gnost.* 7. Jovi in media urbe sanguis humanus ingustatur.

INHĂBĬLIS, e, adj. qui facile haberi, *h. e.* adhiberi et tractari non potest. *Liv.* 24, 34. Quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est. *Id.* 33, 30. Navis regia, inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. *Curt.* 8, 9. *med.* Telum inhabili pondere oneratur; et 9, 2. de elephantis: Ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. *Tac. Agr.* 36. Quod et ipsis vetustate militiae exercitatum, et hostibus inhabile, *h. e.* impeditum, incommodum. *Ulp. Dig.* 8, 5, 4. Inhabile iter. ℙ Item non aptus, ἀνεπιτήδειος. [*Cic. *fragm. Oeconom.* 4. *ed. Orell.* Mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit.] *Liv.* 26, 16. *med.* Multitudinem nullius rei inter se sociam, inhabilem ad consensum fore. *Sen. ep.* 15. Reddere aliquem inhabilem studiis. *Colum.* 2, 1. Progenerandis esse fetibus inhabilem; et 6, 1. Boves labori et culturae non inhabiles. [*Quint. Inst.* 11, 3, 46. Habet enim acre quiddam atque expeditum et calori concitationique non inhabile.] *Callistr. Dig.* 50, 2, 11. Illi, quasi inhabiles rempublicam tueri, ad tempus excusantur.

INHĂBĬTĂBĬLIS, e, adj. ἀνοίκητος, qui habitari non potest. *Cic. N. D.* 1, 10. Atque terrae magnas regiones inhabitabiles incultasque videmus. *Mela* 3, 7. *f.* Indi ostia inhabitabilia. *Plin.* 6, 17, 20. Inhabitabilis ejus prima pars. ℙ [Est etiam idem ac simplex habitabilis. *Arnob.* 1, 3. Quos homines per inhabitabiles oras terrae sparsit prima incipiensque navitas. *F.*]

[INHĂBĬTĀCŬLUM, i, n. locus, in quo quis inhabitat. *Not. Tir.* p. 113. Habitat, habitaculum; inhabitat, inhabitaculum. *F.*]

INHĂBĬTĀTĬO, onis, f. habitatio, domicilium. *Tert. adv. Marc.* 3, 24. ex *Gen.* 27, 40. De opimitate terrae erit inhabitatio tua.

INHĂBĬTĀTOR, oris, m. qui inhabitat. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. Nisi vel dominus fuerit aedium, vel inhabitator. *Hieron. adv. Helv.* 1. Jesus sacri ventris novem mensibus inhabitator fuit.

INHĂBĬTO, as, avi, atum, a. I. ἐνοικέω, in aliquo loco habito, incolo. *Petr. Sat.* 116. Cum diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent nobile solum. *Plin.* 6, 17, 20. Inhabitatur illa regio. *Appul. Met.* 8. Ut in asini corio hominem inhabitare credas. ℙ *Inhabitare* ap. *Tert.* est in habitum seu vestem assumere, vel potius habere, usurpare, uti, *Pall.* 3. *f.* Varias indumentorum formas promulgavere, quarum pars gentilitus inhabitantur, ceteris incommunes; pars vero passivitus omnibus utiles. ℙ Tribuitur etiam *Liv.* 24, 3., sed alii leg. *habito.* ℙ *Inhabitantes* sunt inhabitatores, incolae. *Plin. ep.* 7, 27. Inhabitantibus tristes noctes per metum vigilabantur. *Appul. Met.* 1. Densa inhabitantium aedificia.

*INHAEREDĬTO, as, a. I. *Vulg.* 4. *Esdr.* 7, 67. *B. A.*

*INHAERĔDO, as, inhaeredito. *Salvian. contr. avar.* 2. p. 384. *B. A.*

INHAERĔO, es, aesi, aesum, n. 2. προσέχομαι, προσκολλάομαι, in aliqua re haereo, adhaereo, infixus sum. *Cic. Div.* 2, 46. Quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent; et *N. D.* 2, 39. Partim fluitantes et innantes belluae, partim ad saxa nativis testis inhaerentes. *Id. Univ.* 10. Sidera suis sedibus inhaerent, et perpetuo manent. *Id. Div.* 1, 50. Animi, qui corporibus non inhaerent. *Id. Tusc.* 2, 8. Inhaerere visceribus; et *ib.* 4, 11. in visceribus. *Id. Or.* 2, 39. Ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura. *Ov. Met.* 1, 535. Inhaesuro similis, jam jamque tenere Sperat. *Colum.* 9, 8. *med.* Prioribus inhaerens vestigiis. [*Vell.* 2, 129, 3. Qua vi consiliorum suorum, ministro ac adjutore usus Druso, filio suo, Maroboduum, inhaerentem occupati regni finibus, velut serpentem abstrusam terrae, salubribus medicamentis coegit egredi?] ℙ De iis qui arcte amplectuntur. *Virg. A.* 8, 124. Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit. *Plin. ep.* 5, 16. Ut illa patris cervicibus inhaerebat! ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 15. Sed nescio quomodo, inhaeret in mentibus quoddam augurium, etc. [*Vell.* 1, 14, 1. oculis animisque inhaereat. V. *Burm.*] *Ov. Trist.* 4, 3, 19. Vultibus illa tuis, tanquam praesentis, inhaeret; et *ib.* 1, 6, 3. pectoribus tu nostris, uxor, inhaeres; et *ib.* 3, 7, 11. Inhaerere studiis, *h. e.* incumbere. *Id. A. Am.* 3, 561. semper alicui. *Petr. Sat.* 88. Lysippum statuae unius lineamentis inhaerentem, inopia extinxit, *h. e.* nimis assidue intentum statuae perficiendae. *Cic. Tusc.* 4, 11. Opinatio inhaerens, et penitus insita. *Id. Fin.* 1, 20. Virtutes semper voluptatibus inhaerent, *h. e.* voluptates habent conjunctas. [*Vell.* 2 36, 3. Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, i. e. ante oculos cujuscunque versantium ideoque notissimorum.] ℙ Cum accusat. *Appul. Met.* 8. Frustra timorem illum satis inanem perfuncti, longe pejores inhaesimus laqueos.

INHAERESCO, is, n. 3. προσκολλάομαι, inhaerens fio, adhaeresco. *Cic. N. D.* 2, 57. Ut si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco inhaeresceret. *Caes. B. C.* 2, 9. Ne quid emineret, ubi ignis hostium inhaeresceret. *Plin.* 12, 17, 37. Succum villis inhaerescere. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 2. Poetae audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus.

*INHAESĬO, onis, f. apud *August. B. A.*

INHĂLĀTUS, a, um, part. ab *inhalo*, afflatus. *Appul. Met.* 2. Surculis, et lapillis, et hujusmodi frivolis inhalatis, *h. e.* magico carmine afflatis.

INHĂLĀTUS, us, m. afflatus, spiritus. *Appul. Met.* 2. Patentis oris inhalatu cinnameo.

INHĂLO, as, avi, atum, a. 1. εἰσπνέω, halitu inspiro, afflo. *Cic. Pis.* 6. Cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses. *Lact. Ira D.* 10. *med.* Si cerae inhalaveris, paulatim per minutissimos rores aqua concrescit.

[INHĂMO, as, a. 1. hamo involvo. Translate. *Sidon. ep.* 9, 9. *med.* Ligati syllogismis uncatis, volubilem tergiversantum linguam inhamantibus. *F.*]

INHĬANTER, adv. inhiando, cupide. *August. Confess.* 9, 8. Plenos mero calículos inhianter haurire; et *ep.* 112. *n.* 8. Videre Deum cupiunt, et inhianter ardescunt.

INHĬĀTĬO, onis, f. actus inhiandi. *Trebell. Poll. Gallien.* 9. Uniuscujusque vultum mira inhiatione mirantes, *h. e.* intentione oculorum, et animi, quae oris hiatu interdum significari solet.

INHĪBĔO, es, bui, bitum, a 2. ἐπέχω, ἀνείργω, rem coeptam, ne ultra progrediatur, impedio, cohibeo, prohibeo, sisto: ab *in* et *habeo*. [*Desumtus est usus verbi ab arte equitandi. *B. Crus.* in *Cl. Suet.* p. 429.] *Virg. A.* 12, 693. Parcite jam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini. *Petr. Sat.* 105. Inhibete crudelissimas manus. *Liv.* 1, 48. Inhibuit frenos is, qui jumenta agebat. *Catull.* 91, 4. a turpi mentem inhibere probro. *Petr. Sat.* 108. Inhibere facinus. *Liv.* 39, 21. *extr.* impetum victoris. *Ov. Met.* 2, 128. equos; et *ib.* 1, 511. fugam; et *ib.* 7, 849. cruorem. *Plin.* 19, 8, 40. alvum. *Id.* 34, 6, 14. Inhibere non potuit, quominus, etc. ℙ Cum infinito. *Id.* 2, 16, 13. Inhibentur rectum agere cursum. *Sen. Herc. Oet.* 1030. Inhibenda tamen est *(mater mori)*. ℙ Significat etiam habere, exercere, uti, adhibere; ita ut *in* intentiva sit, non privativa. [*Sunt, qui primam ponant hanc vocis significationem.] *Cic. Agr.* 3, 2. Sed tamen inhibet illis legibus spem nonnullam ille, cui ademptus est. Al. leg. *habet in illis*. [*Corruptus locus est. Hoc editur inde a *Hervagio;* illud edd. etiam *Erf. Ven.* cet. praebent. Ortum vero est ex *imbibit*, vocabulo Ciceroni adamato, librariis adeo exoso, ut ubique fere corruptum sit. Hinc recipiendum censet *Orell. imbibit illis legibus.*] *Liv.* 36, 28. Dum ego imperium inhibeam in deditos. Al. leg. *id habeam:* alii *adhibeam*. *Id.* 3, 50. *med.* Imperium si quis inhiberet, et viros et armatos se esse, respondetur. Al. leg. *imperio*. [*Id.* 3, 38. Neque animis ad imperium inhibendum imminutis. V. *Bauer. Ind. ad Exc. Liv.* h. v.] *Pl. Bacch.* 3, 3, 43. Istoccine hic pacto potest Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet? *Id. Stich.* 5, 4, 17. utrum Fontinali, an Libero Imperium te inhibere mavis? *h. e.* utrum aquae, an vino praeesse mavis? *Liv.* 4, 53. Damnum et coercitionem inhibenti auxilio futuros esse. Al. leg. *ferenti. Cic. Phil.* 13, 18. Ut Brutum, Cassium discruciatos necaret, eademque inhiberet supplicia nobis. Al. leg. *adhiberet.* ℙ Pertinet interdum ad rem nauticam. *Liv.* 37, 30. *f.* Cum, divellere se ab hoste cupientes, inhiberent Rhodii. *Cic.* ipse explicat, quid hoc sit. Ita enim scribit *Att.* 13, 21. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet: est enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent jussi remiges. Id non esse ejusmodi, didici heri, cum ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant: id ab ἐποχῇ remotissimum est; et *mox*. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. Hactenus *Cic.*, qui tamen alibi *inhibere* jam posuerat eo sensu, quem hic damnat, nempe *Or.* 1, 33. ubi sic habet: Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum. ℙ Dicitur etiam *inhibere remis*, et *inhibere retro* eo sensu, quem *Cic. Att.* 13, 21. probat. [*Gr. πρύμναν κρούεσθαι, vel ἐπὶ πρύμναν κρούεσθαι. Cf. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Just.* 2, 12. Ite cessim, inhibete remis, et a bello discedite. *Gron. Observ.* 4, 26. (ubi multa in hanc rem) reprehendit eos, qui *remos* legunt. *Curt.* 4, 4. Tyrii inhibentes remis aegre evellere navem, quae haerebat. *Liv.* 26, 39. Cum rostris concurrissent, neque retro navem inhiberent. *Lucan.* 3, 659. Postquam inhibent remis (alii leg. *remi)* puppes, ac rostra reducunt. [*Male alii *remi*. V. *Cort.*] ℙ *Inhibere remos* aliud omnino significat, scil. a remigando cessare, quemadmodum *inhibere tela* ap. *Liv.* 30, 10. *med.* est cessare a telorum jactu. *Quint. praef.* 12. Hoc mare ingressus contrahit vela, inhibetque remos, *h. e.* ulterius progredi non audet. [*Dubibat *Gron. Observv.* 4, 24. an veteres *inhibere remos* dixerint. Cf. *Spald.* ad *Quint. l. l.*]

INHĪBĬTĬO, onis, f. actus inhibendi. *Cic. Att.* 13, 21. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. V. INHIBEO.

INHĪBĪTUS, a, um, part. ab *inhibeo:* cohibitus, frenatus. *Curt.* 10, 6. Futuri exspectatio, inhibitis lacrimis, silentium fecit. *Id.* 4, 16. Inhibitus cursus. [*Et *Liv.* 3, 59. Inhibito salubriter modo nimiae potestatis: nisi fortasse legendum *potestati*. V. *intpp.* ad h. l. it. *Bauer.* p. 101.] ℙ *Inhibita navis* est ad puppim conversa. V. INHIBEO. *Liv.* 30, 10. *f.* Ut quaeque retro inhibita rostrata onerariam haerentem unco traheret. ℙ Item adhibitus, usurpatus. *Liv.* 37, 51. Magnis contentionibus certatum est, et imperia inhibita ultro citroque, et pignora capta, et multae dictae. V. INHIBEO.

INHIBRAE. V. INEBRAE.

*INHINNĬO, is, n. 4. *Prudent. in Symmach.* 1. v. 57. Ille puellis primus inhinnivit. *B. A.*

INHIO, as, avi, atum, n. 1. ἐπιχάινω, idem quod hiare, ore aperto esse: translate autem vehementer cupere, appetere: tractum a lupis famelicis, qui aperto ore cibum appetere dicuntur. Unde illud *Stat. Th.* 1, 626. Oraque sicca ferunt trepidorum inhiasse luporum, *h. e.* aperto rictu, et morsu non illato. Regit tum dativum, tum accusativum, vi praepositionis, quae est in ipso verbo. *Pl. Stich.* 4, 2, 25. Illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus. *Id. Aul.* 2, 2, 17. Inhiat, aurum ut devoret. *Cic. Cat.* 3, 8. Romulus lactens uberibus lupinis inhians. *Senec. Herc. Fur.* 166. Hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians. *Val. Fl.* 2, 531. Inhiare praedae. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. mortem alicujus *Virg. G.* 2, 463. varios pulcra testudine postes. [*Flor.* 3, 11, 12. auro.] ℙ Item vehementer in aliquid intendere, cognoscendi causa, aut videndi. *Virg. A.* 4, 63. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta; et 7, 812. Illam omnis tectis agrisque effusa juventus, Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem, Attonitis inhians animis. *Val. Fl.* 5, 469. postquam primis inhiantia dictis Agmina, suppressumque videt jam murmur Iason. [*Suet. Ter.* 1. Dum Afr. vocem div. inhiat avidis auribus.] ℙ Etiam in admiratione ac stupore locum habet. *Virg. G.* 4, 483. tenuitque inhians tria Cerberus ora.

[INHISCO, is, n. 3. idem ac inhio. *Gloss. Phil.* Inhisco, ἐπιχάινω. *F.*]

INHONESTĀMENTUM, i, n. dehonestamentum, dedecus, ἀτιμία. *Gracchus* ap. *Isid. Orig.* 2, 21. Pueritia tua adolescentiae tuae inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicae flagitium. *Appul. Apol.* Sedulo laboro, ne quid maculae aut inhonestamenti in me admittam.

INHONESTAS, atis, f. inhonestamentum, dedecus. *Tert. adv. Marc.* 5, 5. *f.* Stultitiae, et infirmitati, et inhonestati, et contemptui deputari possunt. *Id. adv. Jud.* 14. Omni inhonestate prostratus.

*INHONESTATĬO, onis, f. ap. *Hieron. B. A.*

INHONESTĔ, adv. αἰσχρῶς, indecore, turpiter. *Ter. Andr.* 4, 5, 2. Inhoneste optavit parere hic divitias, Potius quam in patria honeste pauper vivere. *Cic. Att.* 2, 1. *f.* Accusavit Nasicam inhoneste: modeste tamen dicit. [*V. *intpp.* ad h. l.] *Gell.* 10, 19. Inhoneste et improbe facere aliquid. *Vell.* 2, 37. Inhoneste submitti alicui. *Capitol. Ver.* 8. Libertis inhonestius indulsit.

INHONESTO, as, avi, atum, a. 1. ἀτιμάζω, dedecoro, dehonesto. *Ov. Trist.* 4, 8, 19. Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas, Languidus in pratis gramina carpit equus. *Heinsius* hoc distichon illegitimum esse suspicatur.

INHONESTUS, a, um, adj. ἄτιμος. [*Primum signif. id, quod honore non est honestatum, quod gloria parum fruitur. Huc ex locis a Nostro laudatis pertinent ista *Cic. Rosc. Am.* 18. Homo turpissimus atque inhonestissimus: [i. e. propter operam, quam agro colendo navabat, publico munere non dignus ideoque destitutus: de *Atilio* loquitur.] *Hor. Sat.* 1, 6, 36. Ignota matre inhonestus. [*Adde *Sall. Cat.* 20, 9. Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam — per dedecus amittere? Laudat *Kritz.* ad h. l. *Prop.* 2, 20, 58. Exitus hic nobis non inhonestus erit, i. e. inglorius. ℙ Hinc i. q. dedecus, ignominiam affert, quia contra dignitatem factum est.] *Prop.* 2, 7, 89. Mors inhonesta. [Cf. *Liv.* 29, 18.] *Virg. A.* 6, 497. truncas inhonesto vulnere nares. *Ov. Fast.* 2, 211. hostes inhonesta vulnera tergo accipiunt. *Gell.* 7, 3. *med.* Velle id facere, si liceat, inhonestum non est. ℙ Pro sordido, deformi. *Ter. Eun.* 2, 3, 65. Illumne, obsecro, inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem, mulierem? et 5, 4, 15. Harum videre illuviem, sordes, inopiam, quam inhonestae solae sint domi, atque avidae cibi. ℙ [*Tum pertinet ad mores turpes, flagitiis contaminatos.] αἰσχρός, turpis, inhonorus, foedus. *Cic. Dom.* 41. Cum expeti nihil ab iis, quod sit injustum atque inhonestum arbitrere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Omnia foeda et inhonesta sunt. *Cic. Q. Fr.* 1, 6. *extr.* Inhonestissima cupiditas. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 9. Quid hoc joco inhonestius?

INHONORĂBĬLIS, e, adj. inhonorus. *Tert. adv. Marc.* 3, 17. Si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis.

INHONORĀTUS, a, um, part. ab *inhonoro*, ἀτίμητος, non honoratus, *Liv.* 33, 23. Inhonoratior triumphus. *Cic. Tusc.* 3, 34. Vita inhonorata et ingloria, *h. e.* ejus, qui nullos honores in republica gessit. *Ov. Met.* 8, 280. Inhonorata Dea, *h. e.* cui nulli turis et sacrificii honores sunt habiti. ℙ Item indonatus, nullo praemio affectus. *Liv.* 37, 54. Ne regem amicum inhonoratum dimitteretis. *Id.* 35, 12. Omnium Graeciae gentium inhonoratissimi. *Flor.* 2, 8. Inhonoratam apud Romanos querens militiae suae societatem. Adde *Ov. Met.* 13, 41.

INHONORĪFĪCUS, a, um, adj. *Sen. Const. Sap.* 10. Ob factum dictumque inhonorificum.

*INHONORIS, e, adj. idem ac inhonorus. *Jul. Valer. res. gest. Alex. M.* 1. (ed. *A. Maio)* 35. Et Parmenion quidem jussa complet, ipse quoque non inhonoris hoc labore. *B. A.*

INHONORO, as, avi, atum, a. 1. *Tert. Resurr. carn.* 10. et *Fug. in persecut.* 5.

INHONORUS, a, um, adj. ἀκλεής, sine honore, ignobilis. *Plin.* 5, 30, 33. Aliaeque inhonorae civitates. *Tac. H.* 4, 62. Revulsae imperatorum imagines, inhonora signa. *Plin.* 15, 24, 28. In honorum pomum, *h. e.* nullo in pretio habitum. *Id.* 36, 5, 5. n. 12. Inhonorus Hercules, *h. e.* cui nullus honor sacri habetur. *Sil.* 10, 391. heu rebus facies inhonora sinistris, *h. e.* turpis, tristis, miseranda.

INHORRĔO, es, ui, n. 2. ἐπιφρίττω, idem quod horreo, aut valde horreo, horridus fio. V. HORREO, et HORRENS. Frequentem habet usum in praeteritis. *Lucr.* 6, 1193. inhorrebat rictum, *h. e.* ore rigebat. *Virg. G.* 1, 314. Spicea jam campis cum messis inhorruit. *Id. A.* 10, 711. Aper ferox infremuit, et inhorruit armos. *Appul. Met.* 8. Aper pilis inhorrentibus corio squalidus. *Petr. Sat.* 17. Tam periculoso inhorrui frigore, ut tertianae etiam impetum timerem. *Liv.* 8, 8. Hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. *Virg. A.* 3, 195. et inhorruit unda tenebris. *Ov. Pont.* 3, 3, 9. agitatus inhorruit aer. *Val. Fl.* 3, 348. inhorruit aether, Luctificum clangente tuba. ℙ De iis, qui horrore frigoris percelluntur in febris accessione. *Cels.* 3, 12. Cum primum aliquis in-

horruit, et ex horrore incaluit. V. HORRESCO. ℙ Item qui metu, aut stupore. *Cic. fr.* ap. *Non.* 5, 7. Horum severitate dicitur inhorruisse primum civitas. Al. leg. *severitatem. Tac. A.* 11, 28. Igitur domus principis inhorruerat. ℙ *Inhorruit* dixit *Stat. Th.* 1, 309. de Mercurio, ad explicandum ejus transitum ab aura coelesti ad terrestrem.

INHORRESCO, is, n. 3. ἐπιφρίττω, inhorrere incipio, horresco. *Plin.* 10, 41, 57. Gallinae inhorrescunt, edito ovo, excutiuntque sese. *Id.* 11, 23, 27. Frigoris impatientia papiliones villis inhorrescunt. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 14. Inhorrescit mare, tenebrae conduplicantur. *Curt.* 4, 3. *med.* Inhorrescens mare paulatim. *Plin.* 18, 35, 89. Trifolium inhorrescere, et folia contra tempestatem subrigere. *Solin.* 24. Atlas manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur. ℙ De iis, qui horrore febrili corripiuntur, aut frigore. *Cels.* 3, 12. *med.* Antequam inhorrescere possit, operiatur. *Id.* 1, 3. Frigidae potio inutilis est iis, qui facile inhorrescunt. *Appul. de Mundo.* Aer nivibus et glacie inhorrescit. ℙ Et qui horrorem ac metum sentiunt. *Appul. Met.* 5. *f.* Rusticae feminae colloquium prius adhibendum est? inhorresco. *Tac. H.* 3, 85. Terret solitudo, et tacentes loci: tentat clausa, inhorrescit vacuis. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. *med.* Adeo rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente aeque audientem inhorrescere. ℙ Cum accusativo. *Aurel. Vict. Caesar.* 24. Cum tantae severitatis vim milites inhorrescunt.

INHORTĀTUS, a, um, part. passivae significationis ab *inhortor. Appul. Met.* 9. *f.* Canes pastoricios in eorum exitium inhortatos immitti praecepit.

INHORTOR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod hortor, vel valde hortor. *Appul. Met.* 8. Jubilationibus solitis, et cujuscemodi vocibus nobis inhortantur.

INHOSPĪTĀLIS, e, adj. ἄξενος, qui nullos recipit hospites, inhabitabilis. *Plin. praef.* 6. Pontus Euxinus ante ab inhospitali feritate Axenos appellatus. *Hor. Od.* 1, 22, 6. Facturus iter per inhospitalem Caucasum. [**Gierig.* ad h. l. docet inhospitales poetis imprimis dici terras, ubi nemo habitet, neque adeo hospitium praebeat.] *Plin. Pan.* 34. *extr.* Nuda saxa et inhospitale litus incolere. *Sen. Troad.* 215. Inhospitale regnum. ℙ Translate. *Plin.* 17, 14, 24. de insitione: Reliqua observatio, ne fissura in nodo fiat: repudiat quippe advenam inhospitalis duritia.

INHOSPĪTĀLĪTAS, atis, f. ἀξενία, vitium contrarium hospitalitati. *Cic. Tusc.* 4, 11. *extr.* Ut inhospitalitas sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, eaque inhaerens et penitus insita.

INHOSPĪTĀLĪTER, adv. crudeliter, inciviliter. *Tert. adv. Marc.* 4, 24. Populum inhumane, et inhospitaliter copiis defraudare.

INHOSPĪTUS, a, um, adj. ἄξενος, inhospitalis, hospitio non aptus, sive propter asperitatem loci, sive propter inhumanitatem incolarum. Vox poetica. *Ov. Met.* 15, 15. Ipse domum magni, nec inhospita tecta Crotonis Intrasse. *Virg. A.* 4, 41. Inhospita Syrtis; et *ib* 5, 627. inhospita Saxa. *Hor. Ep.* 1, 14, 19. deserta et inhospita tesqua. ℙ Translate. *Sil.* 1, 237. Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho. ℙ Substantive. *Id.* 4, 753. tanta inter inhospita. *Id.* 6, 308. Et durus facilem per inhospita ducere vitam.

INHOSTUS, a, um, adj. iniquus. *Tac. H.* 2, 31. Vitellius ventre et gula sibi inhostus: et *A.* 15, 25. Pax inhosta. Ita leg. *Pareus*, et *Graevius:* Alii priore quidem loco, *sibi ipse hostis:* posteriore vero *inhonesta.*

INHŪMĀNĀTIO, onis, f. ἐνσάρκωσις. *Imp. Justin. Cod.* 1, 5. et 6. *f.* Unigeniti Dei Filii inhumanationem, sive humanitatem, etc.

INHŪMĀNĀTUS, a, um, part. ab *inhumano*, ἐνσαρκωθείς, homo factus. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 6. Iesus Christus inhumanatus, sive homo factus est, et passus crucem pro nobis.

INHŪMĀNĒ, adv. ἀπανθρώπως, duriter et contra legem humanitatis, inurbane, inciviliter. *Cic. Off.* 3, 6. Inhumane feceris, contraque naturae legem. [**V. Beier.* ad h. l.] *Ter. Heaut.* 5, 5, 1. Nimis graviter cruciat adolescentulum, nimisque inhumane. *Naz. Pan. ad Constant.* 16. Tenebo hunc orationis modum, ut nec inhumane de ceteris muta sit, nec odiose de instantibus loquatur, *h. e.* maligne, cum invidentia. *Cic. Amic.* 13. Inhumanius dicere.

INHŪMĀNĪTAS, atis, f. ἀπανθρωπία, vitium humanitati contrarium, immanitas, crudelitas. *Cic. Verr.* 2, 1, 44. Illam clementiam, mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam? *Id. Dejot.* 12. Quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? ℙ Interdum quiddam minus significat, scil. rusticitatem, incivilem animum, et qui se minus comem et obsequentem praebet. *Cic. Or.* 1, 22. Me tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, dixisti: quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, etc. [**Ungefälligkeit.*] Affinis huic est alter locus *ejusd. Phil.* 2, 4., ubi *inhumanitatem* [**Mangel an Lebensart*] Antonio objicit, quod litteras a se amice missas, offensione interposita, palam recitasset; hoc enim esse, tollere e vita vitae societatem. Unde colligimus universim *inhumanitatem* dici quidquid humanae societati, vitaeque civili opponitur. [**Ita Mur.* 4. dicitur de eo, qui defensionem rei deponit, *(Undienstfertigkeit)* opp. officiosus. Porro *Sen.* 3. Importunitas autem et inhumanitas (*mürrisches Wesen*) omni aetati modesta est. — Est etiam ejus, qui propter sordidam parsimoniam abhorret a vitae humanae cultu et elegantia. *Mur.* 36. Odit populus Rom. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem (*Filzigkeit und unanständige Knickerei*) multo minus. *Schütz. cl. Cic.*]

INHŪMĀNĪTER, adv. ἀπανθρώπως, inhumane. [**Unartig, unhöflich.*] *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 6. Me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur.

INHŪMĀNUS, a, um, adj. ἀπάνθρωπος, humanitatis expers, crudelis, immanis. *Cic. Fin.* 3, 19. *extr.* Vox inhumana et scelerata eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur. (*Suet. Ner.* 38. Dicente quodam, Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, imo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος.) *Id. Verr.* 2, 5, 46. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus, qui non illorum miseria commoveretur? *Ov. Trist.* 3, 9, 2. Inter inhumanae nomina barbariae. *Tac. H.* 2, 70. Inhumana via, *h. e.* cadaveribus strata, et strage recentis pugnae; et *ib.* 3, 83. Inhumana securitas, *h. e.* quae in media caede, et urbis direptione voluptatibus tamen dat operam. [**Liv.* 1, 48. Foedum inhumanumque inde traditur scelus; et 21, 4. Inhumana crudelitas.] ℙ Interdum mitiore sensu usurpatur de eo, qui agrestibus est moribus, qui humanae naturae ac societatis ignarus, qui incivilis, durus, difficilis. *Cic. Verr.* 2, 4, 4. *f.* At mores commodi: quis contumacior, quis inhumanior, quis superbior? At haec sine cujusquam malo: quis acerbior, quis insidiosior, quis crudelior unquam fuit? *Id. Sen.* 3. Moderati nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem. *Id. Att.* 12, 46. Isto animo nihil agreste, nihil inhumanum est. *Id. Off.* 1, 40. *f.* Si quid attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur: [**Unartig.*] et 36. Adhibenda est munditia, non odiosa et exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. *Ter. Eun.* 5, 2, 41. Non adeo inhumano ingenio sum, neque ita imperita, ut quid amor valeat, nesciam. *Id. Phorm.* 3, 2, 24. Homo inhumanissimus. [**Huc pertinent etiam ista *Cic. Or.* 31. Inhumanae aures, i. e. stupidae, indoctae; et *Sen. p. Red.* inhumanum negotium. *Verr.* 2, 1, 42. Testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum, i. e. iniquum.] ℙ Pro non humanus, sed coelestis, divinus. *Appul. Met.* 5. Lavacro pulcherrimo, et inhumanae mensae lautitiis eas opipare reficit.

INHŪMĀTUS, a, um, part. ab *inhumo:* ἄταφος, non humatus, insepultus. *Cic. Div.* 2, 69. Is cum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret, amica corpus ejus texit suo pallio. *Virg. A.* 11, 22. Interea socios, inhumataque corpora terrae Mandemus. *Lucan.* 7, 820. cui dant poenas inhumato funere gentes.

INHŪMECTUS, a, um, adj. non humectus, siccus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *med.* Cum inhumectum atque siccum fuerit corpus.

INHŪMĪGO, as, a. 1. madefacio. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 1, 311. Confluges ubi conventu campum totum inhumigant.

INHŪMO, as, a. 1. ἐνθάπτω, humo intego, terra obruo. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 3. Non inhumare taleas, aut siccare prius, quam serantur, utilius compertum.

INĪBI, adv. αὐτόθι, in eo ipso loco: ex *in*, et *ibi. Cic. Agr.* 1, 7. Superbia nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur. *Cato R. R.* 18. Prelum longum pedes vigintiquinque: inibi lingulam pedes duos, *h. e.* in eo. Sic *Gell.* 17, 8. Aula lentis Aegyptiae, et cucurbitae inibi minutim caesae; et 12. Inibi in iisdem laudibus. ℙ Item in ea re. *Pl. Pers.* 1, 3, 45. Marsupium habeat: inibi paulum praesidii. ℙ Refertur etiam ad tempus, et significat prope, jam jam, mox. *Cic. Phil.* 14, 2. Quod sperare debemus, aut inibi esse, aut jam esse confectum. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 427. Profecto aut inibi est, aut jam potiuntur Phrygum. *Caecil. ib.* Liberne es? non sum: verum inibi est. *Gell.* 1, 3. Cum die vitae suae postremo eum inibi mors occuparet.

INJECTĬO, onis, f. ἐπιβολή, actus injiciendi. Manus injectio est jus domini in re capienda, quam suum agnoscit, seu vindicatio rei nobis debitae, nulla judicum auctoritate exspectata. *Quint.* 7, 7. *f.* Patri in filium, patrono in libertum manus injectio sit. *Ulp. Dig.* 2, 4, 10. Venditor manus injectionem excepit. *Lex XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. *med.* Aeris confessi debitique jure judicatis triginta dies justi sunto: post deinde manus injectio esto, in jus ducito, etc. *h. e.* injecta manu et obtorto collo, ut ait *Pl. Poen.* 3, 5, 45., in jus ducere fas esto. ℙ Translate. *Sen. Const. sap.* 5. Habebat secum vera bona, in quae non est manus injectio, *h. e.* in quae fortuna jus non habet, ut auferat, cum libuerit. ℙ Pro objectione usurpat *Tert. adv. Herm.* 10. et *adv. Marc.* 3, 21.

[**INJECTĬŌNĀLE, is, n. id quod injicitur, clyster. *Theod. Prisc.* 4, 8. Ut neque clysteris injectio accipiatur *(ab intestino)*, omnibus concidentibus et obstantibus injectionali. Adde *Octav. Hor.* 1, 5. *F.* et *B. A.*]

INJECTĪVUS, a, um, adj. *Aggen. in Frontin. de limit. agr.* p. 63. *Goes.* Injectivus status est generalis. Nam sive de possessione, sive de fine controversia nascatur, per hoc repetitio justa injustaque injicitur.

INJECTO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. ab *injicio. Stat. Theb.* 9, 133. Ausus erat furto dextram injectare Leonteus, Pone viros, atque arma latens, positumque trahebat, Prenso crine, caput. Adde *Sil.* 3, 183. et *Lucan.* 3, 611.

INJECTUS, a, um, part. ab *injicio*, ἐπεβλήμενος, intro jactus, immissus. *Cic. Cluent.* 29. Injectus in flammam. *Hirt. B. Alex.* 29. Repentino aggere injecto, flumen transierunt. [**Vell.* 2, 33. *f.* Injectae moles mari.] ℙ Item conjectus. *Auct. B. Hisp.* 23. Multis telis injectis, complures vulneribus affecere. [**Huc referendus locus, quem Noster §. 1. adjecerat. *Caes. B. C.* 1, 58. Injecta manu ferrea, et retenta utraque nave.] ℙ Item impositus. *Liv.* 27, 32. Raptus ab suis, atque alteri equo injectus fugit. *Cic. Div.* 1, 27. Se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum. *Catull.* 64, 153. neque injecta tumulabor mortua terra. *Nep. Ages.* 8. Ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset injecta. *Caes. B. G.* 4, 17. Haec directa materia injecta contexebantur. *Liv.* 1, 51. *f.* Turno injectae catenae. [**Vell.* 2, 19, 2. Injecto in collum loro.] *Ov. Met.* 14. *in.* Giganteis injectam faucibus Aetnen; et *ib.* 11, 770. Injectos humeris siccantem sole capillos, *h. e.* sparsos, diffusos. *Id. A. Am.* 3, 266. Injecta lateant fac tibi veste pedes. ℙ *Injectus vestem* Graeca loquendi ratione, est vestem injectam, seu super indutam habens. *Appul. Met.* 9. Raptim tunicam injectus, procurrit cubiculo. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. *f.* Hominem pecuniosissimum, sine aliqua causa quaestus injectum ad tam incredibile crimen, *h. e.* inductum. Al. leg. *electum.* [**Ita *Orell.*] *Id. Cluent.* 38. Tam atrocis rei suspicio injecta, *h. e.* mota; et *Prov. cons.* 18. et *Liv.* 27, 28. Terror alicui injectus, *h. e.* illatus. *Id. Mur.* 23. Plaga injecta petitioni tuae, *h. e.* inflicta. *Id. Caec.* 29. Periculum mortis injectum, *h. e.* objectum. *Id. Cluent.* 28. Injectus scrupulus. *Id. Att.* 7, 3. Cogitatio de triumpho nobis injecta. *Hor. Sat.* 1, 4, 94. Injecta mentio. *Cic. Har. resp.* 21. Injecta fax luctuosa reipublicae, *h. e.* conjecta. *Phaedr.* 1, 27. Injecta illi divitiarum cupiditas.

INJECTUS, us, m. idem ac injectio. *Plin.* 8, 16, 21. Quamvis levi injectu operto capite, *h. e.* injectu vestis operto leonis capite. [**Tac. A.* 6, 50. Macro intrepidus opprimi senem injectu multae vestis jubet.] et *Plin.* 17, 21. Secutus, qua trahebat vestem unguium levi injectu, *h. e.* immissis leviter in vestem unguibus. *Id.* 11, 17, 18. Quae dimicatio injectu pulveris discutitur. *Stat. Silv.* 4, 3, 22. novoque Injectu solidat graves arenas. *Lucr.* 2, 738. In quae corpora si nullus tibi forte videtur Posse animi injectus fieri, procul avius erras, *h. e.* immissio, infusio.

INĪENS, ineuntis, part. ab *ineo:* ἀρχόμενος. *Cic. Fin.* 4, 12. Magnum et difficile certamen iniens. *Curt.* 5, 1. *med.* Feminarum convivia ineuntium modestus est habitus. *Just.* 23, 4. *f.* Prima bella ineunti aquila in clypeo consedit. *Gell.* 2, 15. *extr.* Consulatum ineuntes. ℙ Saepe refertur ad tempus anni, aut aetatis incipiens, ut ineunte aestate, *Cic. Att.* 4, 2. *f.* ineunte vere. *Id. Manil.* 12. *extr.* ab ineunte aetate. *Id. ib.* 1. adolescentia. *Id. Div. Verr.* 2. ineuntis aetatis inscientia. *Id. Off.* 1, 34. ex ineunte aevo. *Lucr.* 5, 857. ineunte anno novo. *Suet. Tib.* 61.

INJEXIT, injecerit. V. in INJICIO.

INĪGO, is, egi, actum, a. 1. ἐπάγω (ab *in*, et *ago*) intro ago, induco, impello: cui contrarium est *exigo:* verbum rusticorum, et de pecudibus usurpatum. *Festus:* Inigere pecus, agere, idest minare. *Varr. R. R.* 2, 2. Quibus locis messes sunt factae, oves inigere est utile, *h. e.* ad pastum inducere; et *paulo post:* Inigunt in stabula ea, quae habent ad eam rem seclusa; et *ib.* 1, 2. *med.* Capram Athenis in arcem non inigi, praeterquam semel ad sacrificium. [*Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 15. Ubi id audivi, calcar equo subringo, equum in oves inigo. *F.*] ℙ De aliis rebus. *Sen. ep.* 103. Nunquam feras ad nocendum

nisi necessitas inigit. *Appul. Met.* 4. Anus repentino pulsu nutantem ac pendulum praeceps inegit, *h. e.* in praeceps egit, praecipitem dedit. [*Front. B. Parth.* (ed. *A. Maio*) p. 203. Si eorum (*Poenorum*) linguas resecari imperasset (*Scipio*), navem onustam linguis hostium Romam inegisset. *F.*] ℙ Part. *Inactus* ap. *Varr. R. R.* 2, 52. Apud alios exteritur (*seges*) grege jumentorum inacto et ibi agitato perticis.

INJĬCIO, jĭcis, jeci, jectum, a. 3. ἐμβάλλω, ἐπιῤῥίπτω, intro jacio, ingero, immitto, conjicio: ab *in*, et *jacio*. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Struthea, coluthea appara, bene ut in scutris concaleant: calamum injice. *Plin.* 18, 18, 48. Semen protinus injiciunt, cratesque supertrahunt. *Colum.* 12, 22. Aquae decoctae congios duos injicito. [*Cic. carm. de suo consulatu Div.* 1, 12. Et Capitolinis injecit sedibus ignem, *h. e.* fulmen injecit. *Liv.* 40, 31. *extr.* Injicere ignem castris: collocavimus hic loca, quae Noster seq. §. addiderat.] ℙ *Injicere se*, se conjicere. *Ter. Andr.* 1, 1, 113. Quae se in ignem injicere voluit. *Virg. A.* 2, 408. Et sese medium injecit periturus in agmen; et *ib.* 8, 257. seque ipse per ignem Praecipiti injecit saltu; et *ib.* 9, 552. fera sese haud nescia morti Injicit, et saltu supra venabula fertur. *Plin.* 8, 40, 61. Injicere se flammae. ℙ Item super jacio, impono. *Quint. prooem. l.* 6. Infaustum opus super immaturum funus consumpturis viscera mea flammis injicere. *Plin.* 8, 12, 12. Ab excelsa arbore se injicit. *Caes. B. C.* 2, 10. Eo super tigna bipedalia injiciunt. *Liv.* 26, 6. Injicere pontem. *Hirt. B. Afr.* 83. Tela in elephantos injicere. *Cic. Mur.* 24. securim alicui, *h. e.* impingere, illidere, infligere. *Val. Fl.* 2, 235. taedas ad fastigia tectorum. *Pl. Epid.* 5, 2, 25. tragulam in aliquem. *Id. Capt.* 3, 5, 1. manicas alicui. *Virg. Ecl.* 6, 19. et *Cic. Fin.* 3. *f.* vincula. *Hor. Od.* 4, 15, 10. et *Cic. Phil.* 5, 9. frenos cuipiam. *Virg. A.* 6, 365. terram alicui. Rursus *Pl. Truc.* 2, 5, 26. Pallium injice in me huc, Archilis, *h. e.* indue me. Sic *Ov. Pont.* 3, 4, 101. Prome, quod injicias humeris victoribus ostrum; et *Cic. N. D.* 3, 34. Eique laneum pallium injecit. *Quint.* 11, 3. *f.* Togam ex integro injicere. *Ov. Met.* 3, 389. injiceret sperato brachia collo. *Catull.* 35, 9. manusque collo Ambas injiciens. *Ov. Met.* 1, 184. Injicere anguipedum captivo brachia coelo. ℙ Translate est immittere, afferre, objicere. *Cic. Cat.* 3, 3. Injicere tumultum civitati. *Id. Verr.* 2, 3, 28. formidinem alicui. *Id. Att.* 3, 22. spem. *Id. Fin.* 5, 11. terrorem mortis. *Pl. Cas.* 3, 3, 26. metum alicui in pectus. *Cic. Caec.* 33. religionem. *Id. Cluent.* 28. scrupulum. *Nep. Eum.* 9. suspicionem. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. cupiditatem. *Caes. B. G.* 1, 46. alacritatem et studium pugnandi exercitui. *Cic. Mil.* 31. alicui mentem, ut audeat, etc. *Id. Att.* 7, 3. cuipiam cogitationem de triumpho. *Liv.* 27, 4. curam, ne, etc. *Virg. A.* 10, 728. iras stimulis haud mollibus. *Pl. Amph.* 3, 1, 15. frustrationem, *h. e.* fallere, decipere. *Id. Ps.* 2, 1, 15. metum et fugam perduellibus. *Nep. Iphicr.* 3. admirationem sui, *h. e.* excitare. *Varr. R. R.* 1, 17. alicui voluptatem praefecturae. Al. leg. *voluntatem*. *Liv.* 34, 4. certamen, *h. e.* praebere occasionem certaminis. [*V. *Drak.* ad 3, 64.] *Id.* 35, 25. cunctationem. *Stat. Th.* 1, 241. arma regnis, *h. e.* bellum inferre. *Cic. Caec.* 2. Sperarunt, se injecturos vobis causam deliberandi, et judicandi justam moram, *h. e.* praebituros. ℙ *Injicere alicui nomen cujuspiam* est inculcare, et veluti imprimere. *Cic. Dom.* 6. Meum nomen operis ediderat, imperitis injecerat, *h. e.* servis quidem jusserat, ut me nominarent, imperitis vero suaserat. ℙ *Injicere manum*, est extensa manu prehendere, ἐπιβάλλειν χεῖρα. [*Nostr. *Hand anlegen.*] *Petr. Sat.* 115. Injicio ego phrenetico manum, jubeoque, etc. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Com.* 16. Ipsa mihi veritas manum injecit, et paulisper consistere, et commorari cogit. *Sen. prooem. controv.* 1. *med.* At cum sibi manum injecerat, et se blandiendo, unde abduxerat, revocarat, tantis viribus incumbebat in studium, ut, etc. *Vell.* 2, 41. Scribenti manum injicere, *h. e.* retinere, et morari. [*Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Lamb.* ad *Hor. Od.* 1, 17, 26.] ℙ Praeterea *injicere manum*, verbum est juris, et significat manu capere, sibi vindicare, possessionem apprehendere alicujus rei, aut personae, tanquam nostri sit juris, non exspectata sententia judicis, ut in INJECTIO dictum est: quod in quibusdam casibus lex permittit, ut domino in servum fugitivum, etc. *Liv.* 3, 44. Virgini venienti in forum minister decemviri manum injecit, serva sua natam (servamque appellans) esse: sequique se jubebat: cunctantem vi abstracturum. *Ov. Her.* 8, 16. Injice non timidas in tua jura manus. Adde *Paul. Dig.* 18, 7, 9. ℙ Translate. *Virg. A.* 10, 419. Injecere manum Parcae, telisque sacrarunt Euandri, *h. e.* tanquam suum vindicarunt, et ad mortem traxere. *Sen. Consol. ad Helv.* 11. *extr.* Animus sacer et aeternus est; et cui non possint injici manus. *Plin. ep.* 10, 19. Quieti ejus injeci manum, et exegi, ut me in Bithynia consilio instrueret, *h. e.* otiosum eum nactus, quasi injecta manu me sequi jussi, ejusque operam mihi vindicavi. ℙ Etiam qui in jus vocant, *injicere manum* dicuntur. *Pl. Pers.* 1, 2, 18. Ubi quadruplator quempiam injexit manum; tantidem idem illi rursus injiciat manum: *injexit* antique dictum pro *injecerit*, praepositionem autem omittit, quia inest in ipso verbo: scil. *in quempiam jecerit manum*. Sic *Truc.* 4, 2, 49. Post id ego te manum injiciam quadrupli, venefica. ℙ Hujus generis est illud *ejusd. Ps.* 2, 2, 47. Nunc certo scio, hoc febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas. ℙ Pertinet etiam ad sermonem, et significat inferre mentionem, et in medio sermone de re quapiam leviter et paucis meminisse. *Cic. Quint.* 21. An vero id, quod Hortensium, quia nuper injecit, [*weil er es neulich so hinwarf*,] dicturum arbitror, etc. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Cum mihi in sermone injecisset, se velle Asiam visere. *Cic. Att.* 16, 5. Bruto cum saepe injecissem de ὁμοπλοίᾳ, etc. ℙ Part. *Injiciendus* ap. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Utraque neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est. ℙ Altero *i* extrito, poetae primam corripiunt. *Sil.* 10, 570. fulgentia pingui Murice suspirans inicit velamina, et auro. [*Jul. *Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 65. Et statim inici flammas etc. *B. A.*] ℙ *Endojacito* pro *iniicito* vide suo loco.

INIMĪCĀLIS, e, adj. inimicus. *Sidon. ep.* 1, 3. Stimulis inimicalibus excitari in aliquem.

INIMĪCE, adv. ἐχθρωδῶς, hostiliter, adverso animo, et infenso. *Cic. Phil.* 2, 14. Ego autem, vide, quam tecum agam non inimice. *Id. N. D.* 1, 3. Quempiam inimice insectari. *Quint.* 11, 1. *med.* Inimice corripere. *Cic. Quint.* 21. Inimicissime atque infestissime contendere. [*Liv. 28, 29. De nullis enim, quam de vobis, infestius aut inimicius consuluerunt: al. iniquius.]

INIMĪCITER, adv. idem quod inimice, sed antiquius. *Acc.* ap. *Non.* 11, 41. Placare hostem ferocem, inimiciterque accensum. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 3, 8. Nos pro tuis injuriis commoti inimiciter. *Tubero* ap. *Charis.* 1, 181. Inimiciter irasci. Adde *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

INIMĪCĪTIA, ae, f. ἔχθρα, simultas, alienatio, disjunctio. *Cic. Tusc.* 4, 9. Inimicitia est ira ulciscendi tempus observans. ℙ Fere usurpatur in numero plur. *Ter. Ph.* 2, 3, 23. Capere inimicitias in familiam aliquam. *Cic. Fam.* 2, 18. Suscipere inimicitias graves. *Id. Coel.* 13. Intercedunt mihi inimicitiae cum aliquo. *Id. Rosc. Am.* 6. Erant ei veteres inimicitiae cum Rosciis. *Id. Front.* 11. insitas habere et gerere cum aliquo. *Caes. B. C.* 3, 16. habere conceptas ex re aliqua. *Sall. Cat.* 49. exercere cum aliquo. *Quint.* 7, 1. *med.* contrahere. *Cic. Verr.* 2, 5, 71. subire. *Id. Fl.* 1. denunciare alicui. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* deponere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. simpliciter et candide ponere. *Cic. Prov. cons.* 9. exstinguere, et ad amicitiam consuetudinemque traducere. *Id. Fam.* 5, 4. suas donare reipubl. *Id. Sext.* 33. *extr.* temporibus reipubl. permittere. *Tac. A.* 3, 12. privatas ulcisci; et *ib.* 11, 6. fovere. ℙ [*Nota celebratissimum dictum ap. *Cic. Rab. Post.* 12. Neque me poenitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Cf. *Liv.* 40, 46. et al. Ita *Quint. Decl.* 257. Non oportet immortales esse inimicitias.] ℙ In singul. num. *Enn.* ap. *Gell.* 19, 8. et *Non.* 2, 467. Amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. *Pl. Stich.* 3, 1, 8. Cum eo reveni ex inimicitia in gratiam. Adde *Ulp. Dig.* 5, 1, 15. et *Accium* ap. *Charis.* 1, 75.

INIMĪCO, as, a. 1. ἐχθραίνω, inimicum facio. *Hor. Od.* 4, 15, 20. Et miseras inimicat urbes, *h. e.* hostilium loco habet. *Stat. Th.* 2, 419. hostiles inimicant classica turmas, *h. e.* ad pugnam incitant. [*Cic. Att.* 2, 19. Noster autem Publius mihi inimicatur. Alii minus recte leg. *minitatur*. [*Longe alia est, nec frustra, *Orellii* de h. v. sententia, qui ullam ejus certam auctoritatem esse negat, quum ap. *Q. Cic. de pet. cons.* 12. nonnisi e glossis aliquando exhibuissent.] *Sidon. ep.* 5, 19. *in.* Quod vos, nosque inimicat. *F.*] Adde *Auson. ep.* 24, 63.

INIMĪCUS, a, um, adj. δυσμενής, ἐχθρός, non amicus, alienatus, aversus, infensus, infestus. *Cic. Verr.* 2, 2, 61. Quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis. *Id. Div. Verr.* 13. Inimicum infensumque esse alicui. *Id. Phil.* 10, 10. Gallia, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. *Id. Quint.* 10. Cum ei omnia inimica atque infesta fuerint. [*Liv. 35, 12. Tam inimici infestique erant Romanis; et 22, 39. Inter omnia inimica infestaque. V. de hac dicendi ratione INFESTUS. *Cic. Att.* 2, 19, 4. Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est, i. e. aperte nunc inimicum agit. Ita *Orell.* ad h. l. coll. *ib.* 21. C. Clodius inimicus est nobis.] *Pl. Bacch.* 3, 6, 18. Inimicos ipsi in sese omnes habent. *Cic. Tusc.* 4, 15. Animorum motus inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. *Id. Coel.* 13. *extr.* Mulier semper amica omnium potius, quam cujusquam inimica. *Id. Att.* 11, 10. Qui mihi tam crudeliter inimici sunt. *Id. Or.* 57. Nec quidquam inimicius, quam oratio versibus. *Nep. Paus.* 3. Consilia capere cum patriae, tum sibi inimica. [*Vell. 2, 78, 2. ne, res disciplinae inimicissima, otium corrumperet militem.] *Ov. Pont.* 2, 8, 38. Numina sint precibus non inimica meis. *Virg. A.* 9, 355. lux inimica propinquat; et *ib.* 1, 127. naves Accipiunt inimicum imbrem. *Hor. Sat.* 2, 4, 53. Odor nervis inimicus. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Ne parum aut nimium saturentur, utrumque enim ad corpus alendum inimicum. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. Raphani dentibus inimici, quoniam atterunt. *Id.* 20, 9, 38. Brassica inimicissima stomacho. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 22. Maritare ulmos, nisi validas, inimicum. ℙ Quamvis *inimicus* et *hostis* differant, ut in HOSTIS dictum est; tamen *inimicus* saepe poetice pro *hostili* ponitur. *Virg. A.* 11, 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi; et 809. Tela inimica; et *ib.* 12, 944. insigne, *h. e.* spolium caesi hostis; et *ib.* 8, 375. casurasque inimicis ignibus arces; et *ib.* 10, 295. terra inimica. ℙ Absolute *inimicus*, i, qui odit et aversatur. *Cic. Verr.* 2, 2, 24. Si eo animo esset, quo quivis liber debet esse, aspicere te non potuisset, inimicus, hostis esset. *Id. Prov. cons.* 8. Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? *Id. Mil.* 9. Ubi vidit fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem. *Liv.* 39, 28. *f.* Aliquem insectari tanquam inimicum et hostem. V. HOSTIS. ℙ *Inimicus* appellatur interdum maritus respectu uxoris, divortio facto. *Tryphonin. Dig.* 23, 3, 78. *med.* Cuivis magis gratiam praestare, quam relinquere apud inimicum, jus a se translatum. ℙ In illo *Cic. Fam.* 3, 8. *f.* Sententia qua nihil mihi potest esse inimicius. Quidam MSS. habent *inimicitius*. Simile quiddam in AMICUS, a, um, adscripsimus. ℙ [*Confunduntur *inimicus* et *iniquus*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 7, 4. p. 156. et 313. p. 619. *Gronov.* ad *Liv.* 28; 29.]

INIMĪTĀBĪLIS, e, adj. ἀμίμητος, quem imitari non possumus. *Quint.* 10, 2. Quaedam sunt inimitabilia, quibus infirmitas naturae non sufficit. *Id.* 8, 3. *med.* *Olli* enim, et *quianam*, et *mis*, et *pone* aspergunt illam, quae etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. *Id.* 1, 10. Muta animalia mellis illum inimitabilem humanae rationi saporem perficiunt. *Vell.* 2, 97. Morum dulcedo inimitabilis.

ININĪTĬĀTUS, a, um, adj. initio carens. Tribuunt *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 23. Operante Deo, principali potestate, et stabili motione, atque ininitiato substantiarum cardine. Alii leg. *in initiato*.

*ININTELLĪGĪBĬLIS, e, adj. non intelligibilis. *Ambros. Off.* 1, 14. Inintelligibilis Dei splendor. *B. A.*

ININTERPRĔTĀBĬLIS, e, adj. non interpretabilis. *Tertulliano* tribuunt *adv. Valent.* 14. Ininterpretabile nomen. Alii male leg. *interpretabile*. Sic *Vulgat. Interpr. Hebr.* 5, 11. Sermo ininterpretabilis. Ceterum haud digna vox est, pro qua labores. [*Quaedam addidit *F.*]

ININTERPRĔTĀTUS, a, um, adj. non interpretatus. *Hieron. ep.* 29. *n.* 4. Quod quare alibi interpretari voluerint, alibi ininterpretatum reliquerunt, etc. Al. leg. *non interpretatum*.

ININVENTĪBĪLIS, e, } qui inveniri et investigari non potest. Voces sunt *Tert. adv. Herm.* 45. ex *Rom.* 11, 33., et ipsi relinquendae.
ININVESTĪGABĪLIS, e, }

[ININVĪCEM, adv. non invicem, sed continuo. *Not. Tir.* p. 84. Invicem, ininvicem. *F.*]

INĪQUĒ, adv. [*non aeque, ut in rebus ponderandis, dividendis, quando communi et justae rationi non respondent. Primo loco posuimus hanc vocis significationem, quam Noster secundo adscripserat.] *Aurel. Vict. vir. illustr.* 23. Praedam inique dividere. [*Adde *Ter. Ph.* 1, 1, 7. Quam inique comparatum est! Pertinet huc etiam alius *Ter.* l. quem Noster perperam sequentibus immiscuerat, *Adelph.* 2, 2½, 3. Nunquam vidi iniquius Certationem comparatam, i. e. in qua certant minime pares. Adde *Quint. Decl.* 9, 6. p. 194. Quod videbar inique comparatus. ℙ Injuste, injuria. ἀδίκως, παρανόμως. *Id. Dom.* 33. Qui expulsi sunt inique, sed tamen legibus reducti. *Brut.* ad *Cic. Brut.* 1, 4. Inique facis, qui hostilis animi in rempubl. homines, cives appelles. *Hor. Ep.* 1, 14, 12. Inique causari aliquem. *Gell.* 4, 15. Inique interpretari. *Id.* 6, 2. Poenae legibus inique constitutae. [*Liv. 29, 48. Inique an jure occidissent. ℙ Inepte stulte. Ita discerni debent loca, quae Noster sine discrimine ceteris addiderat. *Cic. Dejot.* 11. Vide, quid intersit, etsi inique Castorem cum Domitio comparo; et *Cluent.* 21. Jam hoc prope iniquissime comparatum est, quod in morbis corporis medicus nobilissimus quaeritur; in periculis capitis deterrimus patronus adhibetur.] ℙ Item aegre, iniquo animo. *Suet. Caes.* 45. Ut calvitii deformitatem iniquissime ferret. [*χαλεπώτατα φέρειν.] *Lact.* 6, 4. *med.* Inique ferunt, id habere aliquem, quod ipsi non habent.

INĪQUĬTAS, atis, f. ἀνωμαλία, inaequalitas. *Ap-*

pul. Met. 7. Lapidibus additis insuper, sic iniquitati ponderis medebatur, *h. e.* sarcinae in alterum latus praeponderantis. ℙ Item difficultas quae oritur, cum quippiam gravius est, quam vires ferre possint. *Colum.* 2, 4. *med.* Boves iniquitate operis maxime multantur. ℙ Iniquitas loci in re bellica est locus iniquus, seu inaequalis, ubi cum hostibus ut congrediaris, ascensu opus est, aut transitione fluminis, etc. unde incommodum oritur, et victoriae difficultas. *Liv.* 38, 22. Subsidia in talibus iniquitatibus locorum maximo saepe usui fuerunt. *Caes. B. G.* 7, 45. Quid iniquitas loci habeat incommodi, proponit. ℙ *Iniquitas rerum* est, cum et loca iniqua sunt, et alia simul obstant, quo minus prospere res geratur. *Caes. B. G.* 2, 22. *extr.* In tanta rerum iniquitate, fortunae quoque eventus varii sequebantur. ℙ Temporum iniquitas. *Liv.* 35, 16. *f.* Quod aliquando servierunt, temporum iniquitate pressi *Curt.* 7, 7. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporis. ℙ Apud *Cic. Rosc. Am.* 1. *iniquitas temporum* respicit nimium Sullae potentiam, qua vis et libido dominabantur. Nam saepe *iniquitas* refertur ad animum, et significat vitium aequitati contrarium, injustitiam, injuriam, *ἀδικία. Cic. Cat.* 2, 11. Aequitas, temperantia, fortitudo certant cum iniquitate, luxuria, ignavia. *Id. Quint.* 2. Id accidit praetoris iniquitate et injuria. *Id. Fam.* 1, 2. *med.* Dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus. *Id. Verr.* 2, 3, 89. Locus intra oceanum nullus est, quo non nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit. Sic *Plin.* 12, 19, 42. Ob iniquitatem praepotentium; et 28, 8, 27. Iniquitates potestatum. *Tac. H.* 2, 84. Vespasiano ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante, *h. e.* tributa subditorum vires excedentia. *Id. A.* 16, 17. Iniquitas exitii. *Caes. B. G.* 7, 19. Summae se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat cariorem. ℙ Item illud vitium, quod nos dicimus *unbillige*, *übertriebene Forderung*, cum scil. plus postulatur, quam praestare quis possit. *Cic. Or.* 1, 48. Quae si vobis non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem. ℙ [*Iniquitas dicitur etiam ubi summo jure agitur *(unbillige Strenge.) Cic. Caec.* 23. Si verbis et litteris, et (ut dici solet) summo jure contenditur, solent ejusmodi iniquitati boni et aequi nomen dignitatemque opponere. *Schütz. cl. Cic.*]

INIQUO, as, a. 1. iniquum facio. *Laber.* ap. *Non.* 2, 444. Aequum animum indignanti iniquat contumelia.

INIQUUS, a, um, adj. *ἀνώμαλος*, non aequus, inaequalis, impar: atque adeo difficilis, arduus, incommodus. *Virg. A.* 10, 303. Puppis inflicta vadis dorso dum pendet iniquo Anceps sustentata diu, etc. *Id. ib.* 889. urgetur pugna congressus iniqua: *scil.* quia pedes contra equitem stabat. *Val. Fl.* 3, 486. Haeret Hylas lateri (*Herculis*), passusque moratur iniquos, *h. e.* suis grandiores. *Ulp. Dig.* 33, 1, 3. Si adjectum sit, pensionibus iniquis, inaequales debebuntur. ℙ Item difficilis, arduus, incommodus, ut sunt loca non plana, sed inaequalia. *Liv.* 2, 31. Loco iniquo subeundum erat ad hostes. *Id.* 28, 16. Cum hostis nequicquam subire iniquo ascensu conatus esset. *Caes. B. G.* 5, 32. Iniquissimo nostris loco proelium committere coeperunt; et *ib.* 2, 10. In locum iniquiorem progredi pugnandi causa; et 27. Ascendere altissimas ripas, subire iniquissimum locum. *Tac. A.* 1, 63. Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, *h. e.* inviam. *Virg. A.* 5, 202. dum proram ad saxa suburget Interior, spatioque subit Sergestus iniquo, *h. e.* angusto, atque adeo difficili transitu. (Adde *G.* 4, 147.) *Liv.* 8, 38. Iniqua ad transitum loca. ℙ Est etiam modum excedens, vel a modo deficiens, ut in ponderibus et mensuris, quando communi et justae rationi non respondent. *Pers.* 1, 130. Fregerit heminas Aretl aedilis iniquas. *Seren. Sammon.* 37. Pocula iniqua siccare, *h. e.* majora. *Ulp. Dig.* 19, 1, 32. Oleum adhibitis iniquis ponderibus accipere. *Paul. Dig.* 40, 5, 31. Iniquum pretium. *Virg. G.* 1, 164. iniquo pondere rastri, *h. e.* ingenti, nimio. *Id. A.* 7, 226. et si quem extenta plagarum Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui, *h. e.* nimis ardentis. *Val. Fl.* 3, 66. Iniquum merum, *h. e.* nimis large potum. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 25; et 7, 866. ℙ Item contrarium, naturae, legibus, rationi alicujus rei repugnans. *Pl. Capt. Prol.* 61. Nam hoc paene iniquum est Comico choragio, i. e. contrarium, adversarium rei comicae.] ℙ Item injustus. *Ter. Heaut.* 2, 1, 1. Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices. *Hor. Sat.* 1, 3, 67. Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam! *Ter. Heaut.* 5, 3, 9. Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta postules. *Cic. Quint.* 2. Quid hoc iniquius, aut indignius dici potest? *Id. Har. resp.* 3. *extr.* Cui praeripere destinatam laudem, valde est iniquum. *Ter. Andr.* 1, 5, 22. Iniqua causa; et *Ad.* 2, 1, 33. Iniqua loqui. *Cic.* ad *Pomp.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* Pacem vel iniqua conditione retinere. ℙ Item improbus, malignus. *Hor. Od.* 2, 6, 9. Parcae prohibent iniquae. *Virg. A.* 10, 380. fatis adductus iniquis. ℙ Item alienatus, inimicus, infestus. *Cic. Planc.* 16. Homines natura asperi, atque omnibus iniqui. *Ter. Heaut. prol.* 27. Ne plus iniquum possit, quam aequum oratio, pro *iniquorum. Virg. A.* 8, 291. ut duros mille labores Rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquae Pertulerit. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Haec frequentia, quae nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur. *Id. Fam.* 1, 5. *f.* Partim sunt obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. *Gell.* 19, 3. Qui maledicit et vituperat, pro iniquo et inimico ducitur. *Ter. Hecyr.* 3, 5, 25. Iniquum esse in aliquem. *Ov. A. Am.* 1, 313. vultu iniquo spectare, *h. e.* malevolo, invido. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Quorum iniqui sermones ad me perferuntur, *h. e.* obtrectationes. ℙ Absolute, ut *inimicus*, *adversarius. Cic. Planc.* 16. Notes et tuos, et tuorum necessarios, vel iniquos meos, vel etiam defensorum meorum; et 23. *med.* Nonnulli nostri iniqui. *Id. Fam.* 11, 27. Me scio a te contra iniquos meos solere defendi. ℙ Item noxius, gravis. *Plin.* 13, 4, 9. Vina iniqua capiti. *Virg. A.* 6, 475. casu percussus iniquo. *Liv.* 2, 23. Tributum iniquo suo tempore imperatum. ℙ Item miser, infelix. *Virg. A.* 12, 243. et *ib.* 6, 232. sortem miseratur iniquam. ℙ Item aeger, invitus. *Cic. Sen.* 23. iniquissimo animo mori; et *Tusc.* 2, 2. Iniquo animo ferre aliquid. *Ter. Eun.* 2, 1, 6. Iniquo animo pati. *Ov. Met.* 8, 634. Paupertas non iniqua mente ferenda. *Hor. Sat.* 1, 9, 20. Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, Cum gravius dorso subiit onus. ℙ [*Hinc est i. q. iratus, parum propitius, opponitur aequus. Ita *Ov. Her.* 8, 87. *Coelestes iniquos* dicit, i. e. non faventes. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 3, 2.] ℙ Translate. *Colum* 3, 3. *med.* Nullus vel iniquissimus locus non majorem quaestum reddet, quam acceperit impensam, *h. e.* ut incultus sit, et minus respondens laboribus atque impensis agricolarum.

INITĀLIA, um, n. plur. sacra et caeremoniae initiorum. *Capitol. M. Aurel.* 27. Athenis fuit, et initalia Cereris adiit. Al. leg. *initialia:* alii melius *inter alia Cereris templum adiit.* Priorem lectionem defendit *Salmas.*

INITĀLIS, e, adj. ad initium pertinens. *Appul. Met.* 4. Rerum naturae prisca parens, elementorum origo initialis; et *ib.* 11. Saeculorum progenies initialis. *Aggen. in Frontin. de limit.* p. 63. *Goes.* Initialis controversiae status. ℙ *Initiales, ium*, absolute dicuntur, qui primo in collegium aliquod coaluerunt, ac proinde ejusdem initium constituerunt. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Initiales collegii Silvani Aureliani. V. GLADIATOR. ℙ [*Initialis* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 42, 4. Marti Arruntius Initialis V. S. M. F.]

INITĀMENTA, orum, n. plur. institutiones, rudimenta, quibus aliquis ad sacra admittitur, et initiatur. Translate. *Sen. ep.* 90. *med.* Haec ejus (*sapientiae*) initiamenta sunt, per quae non municipale sacrum, sed ingens omnium Deorum templum, mundus iste reseratur.

INITĀTIO, onis, f. *μύησις*, actus initiandi, seu cooptandi in participationem sacrorum: quod quibus ritibus perageretur, docet *Appul. Met.* 11. ℙ Item ipsa initiorum sacrorum celebratio. *Suet. Ner.* 34. Peregrinatione quidem Graeciae, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce praeconis submoventur, interesse non ausus est.

INITĀTOR, oris, m. qui in sacrorum communionem adsciscit, *μυσταγωγός*. Translate. *Tert. adv. Marc.* 4, 14. Novi testamenti initiator.

INITĀTRIX, icis, f. *Tert. ad Nat.* 2, 7. *med.* Denique per hanc initiatricem litteraturae ingenuitatis studia producitis.

INITĀTUS, a, um, part. ab *initio: μεμυημένος*, sacris initiorum imbutus, ad initia praeparatus. *Liv.* 31, 14. Acarnanes duo juvenes, per initiorum dies, non initiati templum Cereris ingressi sunt. *Justin.* 11, 7. Mida ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus Phrygiam religionibus implevit. *Cic. Tusc.* 1, 13. Reminiscere, quoniam initiatus es, quae tradantur mysteriis. ℙ Translate significat imbutum in primis alicujus rei initiis: item absolute instructum, edoctum. *Aurel. Arcad. Dig.* 1, 11, 1. His cunabulis praefectorum auctoritas initiata in tantum augeri meruit, ut, etc. *Plin. ep.* 5, 15. Aliis enim chartis, aliis sum litteris initiatus. V. INITIO. ℙ Item inchoatus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 3, 6, 3. Absque conventione personae legitimae initiatum jurgium videtur.

INĪTIO, as, avi, atum, a. 1. *μυέω*, sacris imbuo, ad sacra praeparo, admittoque: ab *initiis.* Dicitur enim primo de sacris Cereris, et usurpatur saepius passiva voce. *Cic. Leg.* 2, 9. Neve quem imitanto, nisi ut assolet Cereri, Graeco sacro. *Id. ib.* 15. Initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. *Vitr. praef. l.* 7. *f.* Ita aucto vestibulo, laxamentum initiantibus adjecit. ℙ Deinde ad alia quoque sacra refertur. *Liv.* 39, 14. et 15. Initiari Bacchis. *Plin.* 30, 2, 6. Magicis etiam coenis eos initiaverat. *Ter. Phorm.* 1, 1, 13. Geta Ferietur alio munere, ubi hera pepererit: Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies: Ubi initiabunt. Al. leg. *initiabitur.* Ubi *Donat.* Legitur apud Varronem, initiari pueros Eduliae, et Potine, et Cubae, Divis edendi, et potandi, et cubandi; Ubi primum a lacte et cunis transierunt. Sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracum a certo tempore pueros initari, more Atheniensium. Haec *Donat.* Porro *Varronis* verba sunt ap. *Non.* 2, 310. Cum pro cibo et potione initarent pueros, sacrificabatur ab edulibus Edusae, et a potione Potinae nutrici. ℙ Pro baptizare. *Tert. Monog.* 8. *de Jo. Bapt.:* Qui non tantum praedicaverit, verum etiam baptizaverit Christum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quam ejusmodi caro, etc.? ℙ Translate. *Quint.* 1, 2. *med.* Neque enim est sanctius sacris iisdem, quam studiis initiari. *Pl. Cas.* 2, 3, 9. Postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditianti Deo, *h. e.* magis do operam munditiis, quasi sacra faciens Amori, Deo munditiarum. Alii tamen aliter leg. V. MUNDITIA. *Quint. decl.* 1, 13. Maritum et uxorem, nisi liberis initiarentur, non fortissimis corporum vinculis inhaerere. *Symmach. ep.* 4, 20. Dum filius meus Graecis litteris initiatur. V. v. praec. ℙ Pro inchoare, incipere. *Firm. Math.* 2, 12. Ver enim tunc initiatur, cum primam ejus signi (*Arietis*) partem sol fuerit ingressus. *Pall.* 7, 4. Brassicam seremus vel irriguo loco, vel pluvia initiante madefacto, *h. e.* post caniculam redeunte. *Ter. adv. Valent.* 15. Ex his initiata sunt cetera.

INĪTIUM, ii, n. *ἀρχή*, principium: ab *initum* verbi *ineo:* quasi ingressus in rem aliquem. [**Initium* et *principium* ita differunt, ut hoc rei vel actionis alicujus eam partem significet, quae vere primum locum inter reliquas teneat, easve antecedat, fundamenti loco sequentibus inserviens, durans: illud ad tempus referatur, quo quid incipiat easque rei suscipiendae primas partes denotet, quae a sequentibus loco moveantur, mutentur, tollantur. *Doederl.* 3, 163. At non ubique hoc discrimen a scriptoribus probe servari docent exempla.] *Cic. Tusc.* 1, 38. Quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster affert, sic exitum mors; et *ib.* 5, 24. Inde est indagatio nata initiorum, et tanquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta. *Id. Brut.* 34. Bonis initiis orsus tribunatus, tristes exitus habuit consulatus. *Id. Or.* 2, 12. Ab initio rerum Romanarum usque ad, etc. *Id. ib.* 1, 26. Sic initio accusationis exanimatus sum, ut, etc. *Id. ad Brut.* 1, 10. Cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. *Id. Leg.* 2, 1. Dicendi initium sumere. *Caes. B. G.* 1, 1. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano. *Quint.* 3, 2. Initium dicendi dedit natura, initium artis observatio. *Cic. Phil.* 14, 14. Facere initium confligendi cum hostibus; et *ib.* 5, 7. Caedis initium a me fecisset; et *Att.* 10, 18. Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur; et *ib.* 9, 9. Bellum exitiosum impendet, cujus initium ducetur a fame. *Quint.* 1, 9. Ethologiae initium ex lectione ducunt. *Justin.* 1, 2. Primis initiis. *Id.* 21, 1. Inter initia regni. *Auct. ad Her.* 1, 9. Ab ultimo initio rem repetere. ℙ [*Dicitur pro prooemio. Ita *Spald.* ad *Quint.* 4. *prooem.* 5. Si quod in initio, quo primum hanc materiam inchoavi. Idem V. D. *ib.* §. 4. inseri *in* ante *initiis operum* vult, quanquam in libro nullo legatur; coll. *ib.* 1, 5. sed quia initiis praecipue, ubi *vett. edd. in* exhibent. At negat *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 53, 197. dici *initium* pro *prooemio.*] ℙ *Initio* adverbii ritu ponitur pro in principio. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Quemadmodum senatus initio censuit, et *paulo post:* Redeo ad illud, quod initio scripsi. *Nep. Timol.* 3. Quod ab his initio Siracusae erant conditae. [*Sunt qui dicant, posse in his sine discrimine poni *initio* et *in initio:* ita *Zumpt. Gr. Lat.* §. 475. not. Contra stant *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 7, 11. et *Oudendorp.* ad *Suet. Caes.* 4. qui *in* proscribunt fere. Conjunguntur *initio* et *primum* ap. *Rut. Lup.* 1, 9. p. 104. ed. *Frotsch.* Sed initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus: ubi frustra *Ruhnk. initio* mutandum censet in *invitos.* V. *Koehlerum* in *Seebodii* libro: *Neues Archiv für Philologie und Pädagog. Fasc.* 1. *A.* 1828. p. 128. et qui hunc laudat *Frotsch.*] ℙ De origine et conditione natalium. *Vell.* 2, 76. Qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa accepisse. ℙ De principiis alicujus scientiae. *Cic. Acad.* 4, 36. Non quaero ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat, etc. ℙ Pro auspiciis, quia haec omni rei gerendae initium praebent. *Curt.* 5, 9. Novis initiis et omnibus opus est. ℙ Saepe *initia* sunt mysteria et sacra Cereris, ita dicta, quod ab ea initium vitae sit, vel quod ea sacra essent initium melioris vitae. *Varr. R. R.* 3, 1. Nec sine causa Terram eandem appellabant et Cererem, et qui eam colerent, piam et utilem agere vitam credebant: atque eos solos reliquos esse ex stirpe Saturni regis. Cui consentaneum est, quod initia vocantur potissimum ea, quae Cereri fiunt sacra. *Cic. Leg.* 2, 14. Nam cum multa eximia divinaque videntur

Athenae tuae peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, et mitigati sumus; initiaque ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. *Justin.* 2, 6. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est: in cujus muneris honorem noctes initiorum sacratae. ℙ Item res, quae in hujusmodi initiis adhiberi solent. *Catull.* 63, 8. Niveis citata cepit manibus leve tympanum: Tympanum, tubam, Cybele, tua, mater, initia. ℙ Alia quoque sacra aliquando *initia* appellantur. *Varr. R. R.* 2, 4. Initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur. *Curt.* 8, 1. Initia Samothracum.

INĪTO, as, frequent. ab *ineo*, ἐμβατέω. *Pacuv.* ap. *Diom.* 1, 336. Loca horrida initas. [*Gloss. Phil.* Inito, ἐμβατεύω. *F.*]

INĪTUS, a, um, part. ab *ineo*. *Cic. Leg.* 3, 19. Altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat, nondum initis seditiosis tribunis plebis. Al. tamen leg. *et nondum natis seditiosis*, etc. *idest* nondum creato vel constituto magistratu tribunorum. [*Ita *Orell.* coll. *Dirk.* p. 648.] *Vell.* 2, 65. Inita potentiae societas. *Caes. B. G.* 2, 2. Inita aestate. *Liv.* 28, 12. *f.* Hispania prima Romanis inita, *h. e.* adita, intrata. *Cic. N. D.* 3, 29. Inita subductaque ratione. *Vell.* 2, 45. Initum adulterium, *h. e.* patratum; et 85. certamen. *Ter. Andr.* 5, 1, 5. Ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes *Colum.* 5, 9. *f.* Arbores tenebrari Gallica terebra convenit, atque ita in foramen viridem taleam demitti: sic velut inita arbor fecundo semine fertilior exstat, *h. e.* veluti mare admisso gravidata.

INĪTUS, us, m. coitus brutorum animalium: ab *ineo*. *Ov. Fast.* 4, 94. de Venere: Perque suos initus continet omne genus. *Plin.* 8, 44, 69. Et quae non primo initu generare coeperit. *Id.* 10, 63, 83. Sues initum matutinum appetere. ℙ Item ingressus, adventus. *Lucr.* 1, 12. Aeriae primum volucres te, Diva, tuumque Significant initum, perculsae corda tua vi. Al. leg. *initium*, ut sit synaeresis. [*Quod minime ferri posse videtur. Cf. quae in hanc rem disputat *Döderl.* 3, 161. sq. ℙ Hinc initium, principium. *Lucr.* 1, 384. Unde initum primum capiat res quaeque movendi; et 2, 269. Ut videas initum motus a corde creari; et 3, 272. et mobilis olla Vis, initum motus ab se quae dividit olleis.]

INJŪCUNDĒ, adv. ἀηδῶς, ingrate, insuaviter. *Cic. Att.* 1, 20. Res quae mihi asperius a nobis atque nostris, et injucundius actae videbantur.

INJŪCUNDĪTAS, atis, f. τὸ ἀτερπὲς, insuavitas. *Cic. N. D.* 2, 55. Ne quid habeat injucunditatis oratio.

INJŪCUNDUS, a, um, adj. ἀηδὴς, qui displicet, minimeque gratus, insuavis, tristis, molestus. *Cic. Fin.* 1, 1. *extr.* Minime nobis injucundus labor. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *med.* Rumor dictatoris injucundus bonis. *Plin.* 25, 7, 36. Herba odore non injucundo. *Gell.* 13, 20. Injucundus et laxior vocis sonus. *Quint.* 10, 1. *f.* Levis quidem, sed non injucundus tamen auctor. ℙ Est etiam sermone asper, severus, acerbus. *Tac Agr.* 22. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut bonis comis, ita adversus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat.

INJŪDĪCĀTUS, a, um, adj. ἄκριτος, non judicatus. *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Decem hominibus vitam eripis, indicta causa, injudicatis, indemnatis. *Quint.* 10, 1. *med.* Id injudicatum relinquo.

INJŪGĀTUS, a, um, adj. qui jugum non habet. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm.* Vinxit ad tauri latus injugati.

INJŪGES Hostiae, ἄζευκται θυσίαι, vocabantur, quae nunquam domitae, aut jugo subditae fuerant. *Fest.* et *Macr. Sat.* 3, 5. Addit *Manilius Chrestus* ap. *Fulg. Planc. de prisco serm.* injuges boves Minervae sacrificari, quia virginitas jugum nescit maritale, et virtus nunquam est jugo prementi subjecta. ℙ *Injuges versus* sunt, qui nulla conjunctionis syllaba copulantur, quos Graeci ἀσυνδέτους nuncupant, sicut (*Virg. A.* 7, 170.) *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.* Nullus enim conjunctionis nexus occursat. Haec *Diomed.* 3, 498.

INJUNCTĬO, onis, f. actus injungendi. *Sidon. ep.* 9, 2. Quae litterae plurimum nobis honoris, plus oneris imponunt: unde et ipsarum sic benedictione laetor, quod injunctione (hac scil. oneris) confundor.

INJUNCTUS, a, um, part. ab *injungo*. [*Primo loco signif. immissus, innexus. Huc pertinet locus, quem Noster in fine seq. § adscripserat: *Pall.* 3, 10. Vitis transferatur ad scrobem, cui arbor injuncta est, *h. e.* implantata. ℙ Hinc] idem quod junctus, conjunctus, συνημένος. *Liv.* 5, 7. Cum agger promotus ad urbem, vineaeque tantum non injunctae moenibus essent. *Scaevola Dig.* 19, 1, 52. *extr.* Ante domum mari injunctam. *Jabolen. ib.* 2, 57. Area injuncta domui. ℙ Item mandatus. *Liv.* 32, 3. Seu injuncta seu suscepta foret militia. Al. leg. *invita*. *Tac. Agr.* 13. Injuncta imperii munera impigre obeunt. ℙ Item non junctus. *Tert. ad Uxor.* 2, 2. Fideles injuncti, *h. e.* non juncti matrimonio.

INJUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. [*Primum significat immittere, inserere, innectere. Huc pertinent loca quae Noster cum ceteris miscuit. *Liv.* 44, 5. Duo validi asseres in terra defigebantur: in eos transversi incumbentes tigni, ut pons esset, injungebatur: nostr. *einzäpfen*. *Pall.* 1, 6. *med.* Inter novellas vites omnino nihil est conserendum. Graeci jubent, exceptis caulibus, tertio anno, quae libebit injungere, i. e. plantare, serere. ℙ Tum] idem quod jungo, adjungo, conjungo, συνάπτω, ἐπιζεύγνυμι. *Id.* 37, 26. Vineas et aggerem muro injunxit. *Colum.* 8, 3. *med.* Fenestellis scandulae injungantur. *Id.* 6, 2. Jugum quarto die accipiunt, cui ramus illigatur, et temonis vice trahitur: interdum et pondus aliquod injungitur, *h. e.* adalligatur. Sic 5, 21. Singulis brachiis licebit bina injungere flagella. Al. leg. *jungere*. *Pall.* 1, 6. *med.* Pro macie, vel soliditate vitium, nutrienda sarmenta putator injungat, *h. e.* non amputet, sed reservet, et pedamento suo injungat. ℙ Translate. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 50. Ne respublica male administraretur, amicitiam cum eo injunxit. Plerique al. leg. *junxit*. ℙ Saepe est imponere. [*Plerumque in malam partem cum severitatis perpetuitatisque notione: de jumentis ducta metaphora.] *Caes. B. G.* 7, 77. Civitatibus aeternam servitutem injungere. *Liv.* 5, 4. alicui novum laborem; et 26, 35. *extr.* seu aequum, seu iniquum onus. *Id.* 39, 37. leges alicui. *Hirt. B. Alex.* 44. moram sibi aut necessitatem. *Tac. Agr.* 15. delectus; et *Germ.* 25. tributum. *Liv.* 8, 32. ignominiam. *Plin. Pan.* 86. sibi tormentum, *h. e.* sibi ipsi vim facere, se macerare. *Ulp. Dig.* 47, 15, 2. alicui poenam extraordinariam. [*Ab his parum recte Noster sejunctim posuit ista:] *Liv.* 3, 65. *extr.* Injuriam a nobis repulsam injungimus aliis. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *med.* Ne quod detrimentum reipubl. injungant. *Ulp. Dig.* 50, 16, 135. damnum alicui. ℙ Item demandare. *Liv.* 3, 35. Injungere alicui munus comitiorum habendorum. *Plin. Pan. ult.* In istis officiis, quae e studiis nostris circa tuendos socios injunxeratis. *Id. ep.* 2, 18. Quid a te jucundius mihi potuit injungi, quam ut praeceptorem fratris tui liberis quaererem? et *ep.* 4, 9. Mihi Bassus injunxerat, ut defensionis fundamenta jacerem; et *ep.* 13. *f.* Injungo autem, et pro rei magnitudine rogo, ut, etc. [*Huc ex anteced. § pertinent ista: *Plin. ep.* 10, 55. injungo mihi, ut mittam nova diplomata, i. e. legem mihi impero, statui.] ℙ Item addere, indere. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 12. Crasso pecuniae magnitudo locupletis nomen dedit: sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem injunxit.

INJŪRĀTUS, a, um, part. ab *injuro*, ἀνώμοτος, qui non juravit. *Cic. Caec.* 1. Cum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo. *Pl. Amph.* 1, 1, 281. Injurato, scio plus credet mihi, quam jurato tibi. *Liv.* 10, 41. *med.* Pariter jurati injuratique fugiunt. *Cic.* vertens *Eurip.* versum, *Off.* 3, 29. Juravi lingua, mentem injuratam gero.

INJŪRĬA, ae, f. ὕβρις, ἀδίκημα, omne id, quod non jure fit, sive re fiat, ut cum manus inferuntur; sive verbis, ut in convicio, et contumelia. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 10. qui est *De injuriis*, *l.* 1. Injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat! omne enim quod non jure fit, injuria fieri dicitur: hoc generaliter. Specialiter autem injuria dicitur contumelia. Interdum injuriae appellatione damnum culpa datum significatur: interdum iniquitatem injuriam dicimus. *Auct. ad Her.* 4, 25. Injuriae sunt, quae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant. *Cic. Fin.* 3, 21. Alienum est a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere *Ulp. Dig.* 47, 10, 1. *med.* Nulla injuria est, quae in volentem fit. *Ter. Adelph.* 2, 1, 35. Tibi a me nulla orta est injuria. *Virg. A.* 3, 604. Si sceleris tanta est injuria nostri, Spargite me in fluctus. *Ter. Hecyr.* 5, 1, 14. Injuriam offerre alicui. *Cic. Off.* 1, 7. *extr.* alicui inferre. *Id. Verr.* 2, 4, 9. imponere. *Id. Par.* 4. jacere, et immittere in aliquem. *Id. Div. Verr.* 18. accipere ab aliquo. *Id. Amic.* 21. pati. *Id. Rosc. Am.* 50. propulsare. *Caes. B. C.* 1, 7. *extr.* defendere; et *B. G.* 1, 20. condonare alicui; et *ib.* 7, 38. *extr.* persequi. *Ter. Hecyr.* 1, 2, 90. ferre. *Caes. B. G.* 1, 12. ulcisci. *Ter. Ph.* 5, 1, 3. Injuria afficere. *Id. Andr.* 5, 1, 8. Injuriis onerare. *Id. ib.* 1, 3, 9. Quo jure, quaque injuria, praecipitem me in pistrinum dabit? et *Hec.* 4, 4, 70. Facis injuriam, cum fingis causas ad discordiam, *h. e.* injuste facis. ℙ *Per injuriam* est injuste, cum injuria. *Cic. Verr.* 2, 3, 97. Quid potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores per summam injuriam ignominiamque pervenerit? ℙ Ablativus *injuria*, adverbii more, est injuste, immerito, cum injuria. *Cic. Cat.* 1, 7. Si me meis civibus injuria suspectum viderem. *Pl. Poen. prol.* 37. Ne palma detur cuiquam artifici injuria. ℙ Saepe habet ante se negantem particulam. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. *f.* Hoc horret Milo, nec injuria. *Ter. Eun.* 3, 1, 43. Metuebant omnes jam me. *Gna.* non injuria. *Id. Heaut.* 3, 3, 20. Credo: neque id injuria. *Curt.* 3, 5. *f.* Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta. ℙ *Injuriarum* actio est, cum damnum quodvis culpa alicujus nobis illatum persequimur. *Cic. Caec.* 12. *extr.* Actio injuriarum non jus possessionis assequitur, sed, etc. *Pl. Poen.* 5, 5, 57. Injuriarum multam dicere. *Ter. Ph.* 2, 2, 15. Injuriarum dicam alicui scribere. *Paul. Dig.* 47. *tit.* 10. qui est *De injuriis*, *l.* 6. Agere injuriarum. *Ulp. ib. l.* 11. Teneri injuriarum; et *ib. f.* experiri; et *l.* 13. Injuriarum judicio convenire quempiam. ℙ De rebus, quae per injuriam ablatae sunt. *Liv.* 29, 1. *med.* Partim edicto, partim judiciis, etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam, redditis, suas res Syracusanis restituit. ℙ Nonnunquam active sumitur, scil. ratione ejus, qui injuriam facit. *Cic. Quint.* 2. Id accidit praetoris iniquitate et injuria. *Id. Par.* 2. *f.* Quocumque aspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae, quae te respirare non sinunt. *Id. Caec.* 11. Ut meum jus teneam, et tuam injuriam persequar. *Pl. Truc.* 1, 2, 66. Vostra hercle factum injuria, quae properavistis, etc. ℙ [*Etiam passive, ut in regimine ad eos saepe referatur, qui perferunt. *Sall. Cat.* 51, 11. Injuriae suae, i. e. ipsi illatae; et 52, 6. Sociorum injuriae. *Vell.* 1, 1, 1. Ob segnitiam non vindicatae fratris injuriae, i. e. fratri illatae. *Caes. B. G.* 1, 30. Pro veteribus Helvetiorum injuriis populi Romoni, i. e. pro injuriis, quas Helvetii intulerant populo Romano. V. *Oudendorp. Nep. Con.* 5, 1. Injurias patriae, ubi laud. *Brem. Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 2, 5, 26. *Liv.* 1, 13, *in.* Sabinae mulieres, quarum ex injuria bellum ortum; ubi v. *Drakenb. Eutr.* 1, 2. Propter raptarum injuriam, cf. 1, 12. et 4, 14. De structurae ratione v. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 73, 1. *not.* 1. p. 337. Ceterum in hoc differunt *injuria* et *offensio*; quod hoc nonnisi sensu passivo dicitur. Ita *Doederl.* 3, 140. contra *B. Crus. Clav. Suet.* p. 549. Hic poterant collocari, quae Noster supra posuerat, in quibus refertur ad stuprum.] *Pl. Aul.* 4, 10, 64. Ego me injuriam fecisse filiae fateor tuae. *Id. Cist.* 1, 3, 32. Ejus se ex injuria peperisse gnatam. Adde *Petr. Sat.* 25. et 140. ℙ Videtur etiam sumi pro vindicta injuriae. *Liv.* 42, 1. *extr.* Injuria consulis, etiam si justa, non tamen in magistratu exercenda. Est qui *ira* vult legi. *Virg. A.* 3, 256. dira fames, nostraeque injuria caedis. ℙ Et pro nimia severitate, et saevitia. *Ter. Heaut.* 5, 2, 39. matres omnes filiis In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria Solent esse; et 1, 1, 85. *filius* carens patria ob meas injurias. ℙ Denique frequenter significat laesionem, damnum, detrimentum, quod vel ex rebus inanimis proficiscitur, vel ipsis rebus inanimis infertur. *Plin. ep.* 3, 5. Orabat, ut se ab injuria oblivionis assereret. *Colum.* 11, 3. Veprem post ignis injuriam melius renasci. *Id.* 9, 1. Quidquid sub injuria pluviarum magis diuturnum est. *Id.* 3, 18. Nulla stirps vexata et infracta melius provenit, quam quae integra et inviolata sine injuria deposita est. *Id.* 5, 6. *med.* Ut novae virgae ab injuria pecoris tutae sint. *Plin.* 13, 24, 47. Cytisus non aestuum, non frigorum, non grandinum, aut nivis injuriam expavescit. *Id.* 19, 12, 60. Porrum, raphani, apium in translatione desinunt sentire injurias. *Just.* 43, 2. Puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decessit. *Suet. Aug.* 14. Qui desiderabatur, repente comparuit incolumis, ac sine injuria. *Cels.* 2, 10. *med.* Opportuniores hae partes injuriae sunt, quam quae jam male habent; et *Plin.* 33, 12, 55. Tam opportuna injuriae subtilitas erat. Injurias *Id.* 22, 7, 8. vocat ictus, morsusque animalium. *Seren. Sammon.* 35, 452. Cum saevit penitis haerens injuria lumbis, *h. e.* morbus, et dolor.

INJŪRĬĒ, adv. injuriose. *Naevius* ap. *Non.* 2, 429. Injurie facere. *Ammian.* 16, 12. *f.* Quidam Julianum injuriissime Victorinum nominabant. Alii rectius leg. *irrisive*.

INJŪRĬOR, aris, atus sum, dep. 1. ἀδικέω, injuriam facio. *Sen. Const.* 9. Omne fortuitum citra nos saevit, atque injuriatur. Al. aliter leg. ℙ Impersonaliter *Tert. adv. Gnost.* 6. Plus victoriatum est, quam injuriatum.

INJŪRĬOSĒ, adv. ὑβριστικῶς, cum injuria. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Quae in magistratibus injuriose decreverant. *Id. Manil.* 5. Majores vestri saepe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt. *August. de quaest.* 83. *n.* 82. Quae in eos, qui juste vivunt, injuriosissime cogitantur.

INJŪRĬOSUS, a, um, adj. ὑβριστὴς, ὑβριστικὸς, qui injuriam infert, injurius, injustus. *Cic. Off.* 1, 14. In eo peccant, quod sunt injuriosi in proximos. *Id. Leg.* 1, 14. Injuriosa et facinorosa vita. *Auct. ad Her.* 4, 25. Avaritia, injuriosa appetitio alienorum. *Sen. contr.* 2, 12. *med.* Adversus patrem injuriosior. *Hadrian. Imp. in ep.* ap. *Vopisc. Saturn.* 8. Genus hominum seditiosis-

simum, injuriosissimum. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 17, 33. donec cinis Injuriosis aridus ventis ferar. ℙ Item damnosus, perniciosus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Cum circum fossor injurioso ictu vitem verberavit. *Cic. Balb.* 9. In socios vero ipsos injuriosum et contumeliosum est. *Hor. Od.* 1, 35, 13. ad Fortunam: Injurioso ne pede proruas Stantem columnam.

INJŪRIUM, perjurium, *Festus.*

INJŪRIUS, a, um, adj. ὑβριστικὸς, ἄδικος, injuriosus, injustus, iniquus. *Cic. Off.* 3, 23. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injurium. *Ter. Andr.* 2, 3, 2. Si id succenseat, ipsus sibi esse injurius videatur. *Id. Hec.* 1, 1, 15. Injurium autem est ulcisci adversarios.

[INJŪRO, as, avi, atum, a. l. non juro. *Inscr.* opt. notae ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 70. Ex hac lege magister, magistrive judicium danto: Qui injuraverit . . ., recuperatorem unum communem adeunto, simulque juranto. *F.*]

INJŪRUS, a, um, adj. injurius, injustus, exlex, ut *perjurus. Pl. Pers.* 3, 3, 4. Impure, inhoneste, injure, illex, labes populi. Al. leg. *injurie.*

INJUSSUS, a, um, adj. ἀκέλευστος, non jussus. *Hor. Sat.* 1, 3, 2. inter amicos Ut nunquam inducant animum cantare rogati, Injussi nunquam desistant. [**Lucan.* 7, 38. Te mixto flesset luctu juvenisque senexque, Injussusque puer: ubi v. *Cort.*] ℙ Translate ponitur pro spontaneo, vel naturali. *Virg. G.* 1, 55. atque injussa virescunt Gramina. [*V. *Cort.* ad *Mart.* 1, 34, 2.] *Hor. Epod.* 16, 49. injussae veniunt ad muletra capellae. *Colum.* 10, 16. *tellus* injussi consternitur ubere mali. [**Lucan.* 6, 78. Injussaque tela vagantur, i. e. quae non modo dux non imperavit, sed etiam quae invitis et aliud veluti agentibus praeter voluntatem excidunt. Ita *Cort.* q. v. ℙ Confunduntur *injussus* et *invisus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 38.]

INJUSSUS, us, m. ἀπαραγγέλτως, sine jussu, alio non praecipiente. Usurpatur fere in ablativo. *Cic. Balb.* 15. Populus Rom. non potest injussu suo religione obligari. *Id. Sen.* 20. Vetatque Pythagoras, injussu imperatoris, id est, Dei, de praesidio et statione vitae decedere. *Liv.* 3, 63. Senatus in unum diem supplicationes decrevit: populus injussu et altero die frequens iit supplicatum. *Id.* 4, 32. *f.* Magistro equitum praecipit, ne injussu pugnam incipiat. [*Usitatissima Livio vox est. V. *Lex. Liv.* s. h. v.] *Hirt. B. Afr.* 61. Pars equitatus injussu ac temere longius progressi, etc.

INJUSTĒ, adv. ἀδίκως, inique, injuriose. *Cic. Fl.* 17. Facis injuste, Laeli, si putas periculo nostro vivere tuos contubernales. *Nep. Them.* 7. Lacedaemonios male et injuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. *Sall. Jug.* 90. Injustissime luxuria et ignavia, pessimae artes, illis qui coluere eas, nihil officiunt, reipublicae innoxiae cladi sunt. *Pl. Capt.* 2, 2, 58. Injuste imperare alicui. *Id. Bacch.* 3, 3, 59. Dicere injuste in aliquem; et *Poen.* 5, 2, 77. Loqui injuste alicui. ℙ *Cels.* 7, 3. Morbus ipse, sive subito solutus est, sive permanet, non injuste terret, i. e. non injuria.

INJUSTĪTIA, ae, f. ἀδικία, iniquitas. *Cic. Off.* 1, 7. Sed injustitiae duo genera sunt, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. *Id. ib.* 13. *extr.* Totius autem injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. ℙ Item nimia severitas. *Ter. Heaut.* 1, 1, 82. Ego eum hinc ejeci injustitia mea.

INJUSTUS, a, um, adj. ἄδικος, non justus, qui a justitia et ratione recedit, sive excedendo, sive deficiendo. [*Noster hic, ut solet, omnia miscuit. Primum dicitur de hominibus contra jus, perperam, male in alios agentibus. Ex allatis exemplis huc referenda sunt:] *Cic. Tusc.* 5, 20. Vir maleficus natura et injustus. *Id. Fl.* 38. *extr.* Nemo erit tam injustus, quin potius de praemiis, quam de poena cogitandum putet. *Ter. Adelph.* 1, 2, 18. Homine imperito nunquam quidquam injustius. Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. *Virg. Ecl.* 3, 33. Injusta noverca. [**Joh. Schrader.* malebat infesta, χαλεπή, ut ap. *Theocr.* χαλεπὸς ὁ ὁ πατὴρ μου χἁ μάτηρ. Possent haec innumeris adaugeri. ℙ Hinc translate usurpatur a poetis de rebus, quibus injuriam homines hominibus inferre solent, quae pertinent ad homines injuriosos. A Nostro haec laudata sunt:] *Ov. Her.* 12, 176. Injustis auribus apta loqui, i. e. iniquis inimicis. *Id. Pont.* 3, 4, 73. Laedere vivos Liquor, et injusto carpere dente solet, *h. e.* invido, maligno. [*Adde *Liv.* 7, 29. Samnites Sidicinis injusta arma quum intulissent. Cum his poterant conjungi ista:] *Ov. Amor.* 2, 11, 12. Injustum mare, *h. e.* aeque iniquum omnibus. *Sen. Troad.* 545. Est quidem injustus dolor rerum aestimator. ℙ [*Tum passive signif. id, quod injuria factum, comparatum est.] *Cic. Or.* 2, 50. Ut illa non Norbani seditionem, sed populi R. iracundiam, neque eam injustam, sed meritam ac debitam fuisse, defenderes. *Ter. Heaut.* 4, 7, 11. Quam multa injusta ac prava fiunt moribus! [*Meliorem hujus loci lectionem conservavit *Eugraphius: quam multa justa injusta fiunt moribus*, i. e. quam multa sive justa sive injusta fiunt moribus et in communi vita dominantur. Prob. *Bentl.* et *Ruhnk.* Idem factum in *Ad.* 5, 9, 33. ubi pro vulg. *ista injusta*, leg. *justa injusta.*] *Id. Off.* 3, 21. Id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. *Id. Fam.* 5, 17. Injustissima atque acerbissima incommoda. *Ov. Met.* 5, 277. Injustaque regna tenebat, *h. e.* injustis artibus parta. [*Adde *Eund. ib.* 2, 627. Injustaque justa peregit: ὀξυμόρως, qui injusta nece affecerat Coronida. Ita *Gierig.* Sed *Schirach.* namque non admodum bene de eo fuerat merita Coronis.] ℙ Injustum absolute est injustitia. *Hor. Sat.* 1, 3, 111. Jura inventa metu injusti, fateare necesse est. ℙ [*Hinc in universum ponitur pro eo, quod modum, aequitatem, rationem excedit.] *Cic. Or.* 10. *extr.* Ut, si sustinere tantam quaestionem non potero, injusti oneris impositi tua culpa sit, *h. e.* immodici, et meas vires excedentis. Sic *Virg. G.* 3, 346. acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam cum carpit. [*Liv. 40, 5. foenus injustum.] *Stat. Th.* 6, 774. injustis collatum viribus hostem, *h. e.* iniquis, imparibus, majoribus.

INLAQUEĀTUS. V. ILLAQUEATUS.

INLARGIO, is, a. 4. idem quod largior. *Cato* ap. *Non.* 7, 19. Pecuniam inlargibo tibi.

INLEX. V. ILLEX.

INLICITĀTOR, emptor. *Festus.*

INLICIUM. V. ILLICIUM.

INLITTERĀTUS. V. ILLITTERATUS.

*INLOQUIBILIS, e, adject. *Vet. Interpr. Iren.* Locum V. in *Semivocabilis. B. A.*

INLŪDIA. V. ILLUDIA.

INLŪTUS. V. ILLOTUS.

INNĀBILIS, e, adj. innavigabilis. *Ov. Met.* 1, 16. Sic erat instabilis tellus, innabilis unda.

INNARRĀBILIS, e, adj. inenarrabilis. *Lactant. carm. de Phoenic.* 54. *ex MS. Voss.* Innarrabilibus nocte dieque sonis. Al. aliter leg. *Not. Tir.* p. 72. Narrabilis, innarrabilis.

INNASCIBĪLIS, e, adj. qui nasci non potest. *Tert. Praescript. adv. Haer.* 46. Innascibilem virtutem, idest Deum.

INNASCOR, eris, atus sum, dep. 3. ἐμφύομαι, [*in aliqua re nasci, intus nasci. Noster exempla sine ordine posuit. Primum locum haec teneant.] *Hor. Sat.* 1, 3, 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. ℙ [*Jam sequi translatae significationis, quae Noster attulit, ista poterant.] *Cic. Off.* 1, 19. Quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia, et nimia cupiditas principatus innascitur. *Pl. Mil.* 4, 2, 71. Non mihi avaritia unquam innata est. *Caes. B. G.* 1, 41. Conversae sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est. [*Saepius Caesar hanc dicendi rationem usurpat. V. *B. G.* 7, 42. et *B. C.* 3, 92. quae F. laudavit in INNATUS.]

INNĀTO, as, avi, atum, a. l. εἰχνέω, in aliquem locum nato, adnato. *Cic. N. D.* 2, 48. Cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint. [*Kürch.* h. signif. secundo loco ponit.] ℙ Item super aquam nato, fluito, supernato, ἐπινήχομαι, ἐπιπολάζομαι. *Id. ib.* 39. Beluae partim submersae, partim fluitantes et innatantes. *Virg. G.* 2, 451. torrentem undam levis innatat alnus. *Colum.* 4, 1. *f.* Humus condensata subsidit, ac velut innatantes, radices vitium summo solo destituit; et 12, 4. *f.* Ubi non innatent, sed semper sint jure submersa. *Plin.* 8, 25, 38. Homines flumini innatant. *Hor. Sat.* 2, 4, 59. lactuca innatat acri Post vinum stomacho. [*Adde *Plin. H. N.* 23, 22. Dulce vinum minus inebriat, sed stomacho innatat; austerum facilius concoquitur. Contrarium est *sedere.* V. *Hor. Sat.* 2, 2, 73.] ℙ Translate. *Quint.* 10, 7. *f.* Ita enim servabitur pondus, et innatans illa verborum facilitas in altum reducetur. Loquitur de extemporali dicendi facultate. *Id.* 7, 1. *med.* Haec veluti innatantia videbunt, *h. e.* exstantia, manifesta, in oculos incurrentia. ℙ Pro influere, inundare. *Plin.* 5, 9, 9. Nilus fecundus innatat terrae. Adde *Plin. alter ep.* 8, 17. ℙ Eleganter de comis dicitur. *Val. Fl.* 3, 525. tenui vagus innatat unda Crinis, ad obscurae decurrens cingula mammae.

*INNATURĀLIS, e, adj. qui praeter naturam est. *Sarisb.* 1, 4. Ad innaturales transire amplexus. *B. A.*

INNĀTUS, a, um, part. ab *innascor:* ἐπιγεννηθείς, in aliqua re natus, intus natus, insitus. *Ov. Her.* 7, 37. innataque rupibus altis Robora. *Hor. A. P.* 245. Fauni innati triviis. *Just.* 2, 6. Eodem innati solo, quod incolunt. *Plin.* 8, 32, 50. Innata in cornibus cervi hedera. *Id.* 11, 37, 47. Calvitium uni tantum animalium homini, praeterquam innatum, *h. e.* exceptis iis, quibus naturale est, ut corvis aquaticis, etc. *Id.* 37, 7, 25. Carbunculi innato fulgore radiantes. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 2. Nos habere insitam quandam, vel potius innatam cupiditatem scientiae. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Hoc Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur. *Id. Top.* 18. Innata atque insita anteponantur assumptis atque adventitiis. *Quint.* 9, 3. *med.* Affectatio innata, non arcessita. [**Plin. Pan.* 20, 2. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata. V. *Gierig.*] ℙ Pro non natus. *Tert. adv. Herm.* 5. et 18. Innatus Deus: an non et innata materia? *Prud. Apoth.* 245. natum scimus ab innato. Adde *ib.* 80.

INNĀVIGĀBILIS, e, adj. ἄπλοος, ubi quis navigare non potest. *Liv.* 5, 13. Adeo ut viae clausae, Tiberis innavigabilis fuerit.

INNĀVIGANS, antis, adj. qui navigat. *Mela* 2, 1. *in.* Europe est modo sinistro latere innavigantium apposita.

INNECTO, is, exui, exum, a. 3. ἐμπλέκω, ἐνείρω, colligare, adnectere, circumligare. *Virg. A.* 7, 351. fit tortilé collo Aurum, ingens coluber: fit longae taenia vittae, Innectitque comas; et *ib.* 8, 661. lactea colla Auro innectuntur; et *ib.* 5, 425. Et paribus palmas amborum innexuit armis, *h. e.* caestibus palmas induit. *Ov. Trist.* 5, 3, 3. Innectere tempora sertis. *Id. Met.* 10, 378. fauces laqueo; et *ib.* 11, 240. colla lacertis. *Stat. Th.* 4, 26. brachia collo. *Hor. Epod.* 17, 72. vincla gutturi. *Sil.* 11, 250. huic meritas innecte catenas. (*Bentl. ad Hor. l. c.* negat *innectere vincula alicui* Latine dici: sed non videtur probare.) *Stat. Th.* 1, 511. ambos Innectens manibus, tecta ulterioris ad aulae Progreditur. *Tac. H.* 4, 46. Innecti cervicibus, *h. e.* amplecti cervices. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 241. innectere retia lustris. *Prud. Psych.* 357. rigidas nodis innectier ulnas: *paragoge.* ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 51. causas innecte morandi, *h. e.* aliam super aliam affer morandi causam. *Stat. Th.* 5, 743. plures moras innectere. *Tac. A.* 6, 37. Hyrcanis per affinitatem innexus erat. *Sen. Hipp.* 416. Innectere mentem, *h. e.* veneficio illigare.

*INNERVIS, e, adj. sine nervis, effeminatus, enervis. *Sidon. ep.* 1, 6. Ad majora se pingui otio marcidus et innervis animus attollat. *B. A.*

INNEXUS, a, um, part. ab *innecto:* illigatus, nexus. *Colum.* 11, 1. *med.* Mancipia compedibus diligenter innexa. ℙ Cum accusativo, Graeco more. *Virg. A.* 5, 510. de columba: nodos et vincula rupit, Queis innexa pedem malo pendebat ab alto; et *ib.* 6, 281. Vipereum crinem vittis innexa cruentis; et *ib.* 7, 669. Herculeoque humeros innexus amictu. ℙ Translate. *Tac. A.* 3, 10. Innexus conscientiae alicujus. *Virg. A.* 6, 604. fraus innexa clienti, *h. e.* conflata, parata. *Gell.* 19, 12. Motus animi innexi implicatique vigoribus quibusdam mentium.

*INNEXUS, us, m. *Appul. Met.* 2. p. 115. Innexu germanitatis una coaluimus. *B. A.*

INNĪDIFICO. V. l. *Plinii* in INAEDIFICO.

INNISUS. V. v. sq.

INNITOR, eris, ixus, et isus sum, dep. 3. ἐνισχυρίζομαι, in aliqua re nitor, incumbo, inhaereo: cum dativo aut ablativo. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 15. Vineis breves ad innitendum cannas circumdare. *Ov. Met.* 14, 655. Innitens baculo. *Caes. B. G.* 2, 27. Ut etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi proelium redintegrarent. *Stat. Th.* 12, 144. Debile carpit iter, fractaeque innititur hastae. *Ov. Met.* 3, 599. Doque leves saltus, udaeque innitor arenae; et *ib.* 15, 726. Innixus moderamine navis. *Liv.* 4, 19. Et ipse hasta innixus se in pedes excepit. *Ov. Met.* 7, 401. Avis innixa alis; et *Pont.* 3, 2, 49. templa vastis innixa columnis; et *Amor.* 3, 1, 31. pictis innixa cothurnis. *Plin.* 16, 31, 56. Arbores radicibus innituntur. ℙ Cum accus. et *in* praepos. *Plin.* 7, 53, 54. In Pansam fratrem innixus. ℙ *Inniti* etiam dicitur de eo, qui incumbit premendi causa. *Hirt. B. Afr.* 84. Cum elephantus lixam sub pede subditum, deinde genu innixus, pondere suo premeret atque enecaret. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 27. *extr.* Vix haec, si undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohaerebunt. *Tac. A.* 3, 30. Praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur; et *ib.* 15, 60. Salutem suam incolumitate Pisonis inniti. *Quint.* 6, 1. *med.* Omnia curae tutelaeque unius innixa. *Id.* 12, 10. *med.* Syllabae nostrae in *b* litteram, et *d* innituntur, *h. e.* desinunt, et veluti incumbunt. [**Plin. Pan.* 66, 5. tuisque promissis freti et innixi.] ℙ Pro *innixus* dicitur etiam *innisus,* ut ab *enitor enisus. Tac. A.* 2, 29. Lectica delatus ad fores curiae, innisusque fratri, etc. V. NIXUS, a, um.

INNIXUS. V. v. antec. *Innixum sidus* ap. *Avien. Arat.* 205. est Engonasi. V. h. v.

INNO, as, avi, atum, n. l. εἰχνέω, in aliquo loco nare, innatare. *Virg. A.* 10, 222. innabant pariter, fluctusque secabant; et *ib.* 8, 93. fluvio pictas innare carinas; et 691. pelago credas innare revulsas Cycladas. *Liv.* 21, 26. *extr.* Alveos informes (nihil, dummodo innare aquae, et capere onera possent, curantes) raptim faciebant. *Virg. A.* 3, 142. fluviosque innare rapaces. Sic *ib.* 8, 651. Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis. *Suet. Ner.* 12. Marina aqua innantes beluae. *Hor. Od.*

3, 17, 7. dicitur Princeps et innantem Maricae Littoribus tenuisse Lirim.

INNOBĬLĬTĀTUS, a, um, adj. ignobilis. *Lampr. Elag.* 4. Quae nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatae remanerent.

INNOCENS, entis, adj. ἄκακος, ἀβλαβής, qui nocet nemini, qui damni in culpa non est, innocuus, innoxius. [*Discrimen inter *innocens* et *innoxius* declarat locus *Pl. Capt.* 3, 5, 7. Decet innocentem servum atque innoxium Confidentem esse, suum apud herum potissimum. Cf. *Ps.* 1, 5, 45. scil. *innocens* signif. eum, qui in certa quadam re nihil peccavit; *innoxius* pertinet ad eum, qui omnino gaudet animo fraudis nescio *(der reines Herzens ist). Serv.* ad *Virg. A.* 10, 301. Innocens re, innoxius animo dicitur. Cf. *Popm.* p. 407.] *Cic. Tusc.* 5, 14. Innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet. *Id. Rosc. Am.* 20. Innocens si accusatus sit, absolvi potest: nocens nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. *Id. Verr.* 2, 4, 4. Vir integer, innocens, religiosus. *Id. Brut.* 48. Erat et bonus vir, et innocens. *Mart.* 3, 44. Vir justus, probus, innocens. *Ter. Ad.* 2, 1, 1. Ferte misero atque innocenti auxilium. *Tac. A.* 4, 34. Verba mea arguuntur: adeo factorum innocens sum. *Flor.* 4, 1. Innocens parricidii. [**Vell.* 2, 2, 2. Vir alioqui vita innocentissimus.] *Cic. Verr.* 2, 2, 33. Innocentissimo patre privatus est. *Tac. Agr.* 45. Innocenti sanguine perfundi. *Plin. prooem. l.* 33. Innocens et beata vita. [**Vell.* 1, 11, 6. Innocentes contentiones, i. e. sine acerbitate factae. V. *Ruhnk.*] ℙ Speciatim *innocens* dicitur, qui abstinet se ab alieno, et manus continet, ne quidquam cuiquam detrimenti in re sua inferat: quae laus est praecipua magistratuum provincialium. *Cic. Verr.* 1, 4. Siciliam ita vexavit ac perdidit, ut vix per multos annos, innocentesque praetores recreari posse videatur. *Sall. Cat.* 57. de Catone: Cum strenuo virtute; cum modesto pudore; cum innocente abstinentia certabat. [**Plin. Pan.* 28, 3. Quodque antea principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis objectabant, id tu tam innocens populo dedisti, quam populus accepit; ubi *Gierig.* ita: *innocens* dedit Trajanus, quia nemini illud donum ereptum, et quia non exorare illo tumentem plebem volebat; *innocens* accepit populus, quia sciebat non se eo corrumpi. Adde *Suet. Vit.* 2. vir innocens et industrius.] ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quae innocuae sunt. *Cic. Fam.* 5, 18. *f.* Epistolam tuam conscidi innocentem, nihil enim habebat, quod non vel in concione recte legi posset. *Mart.* 1, 83. Innocens ruina. *Hor. Od.* 1, 17, 21. innocentis pocula Lesbii ducere. *Plin.* 23, 7, 67. Nec est alius eis pomis innocentior cibus.

INNOCENTER, adv. ἀβλαβῶς, sine noxa, sine culpa, innoxie. *Quint.* 7, 4. *med.* Innocenter vivere. *Tac. A.* 4, 44. Opes innocenter paratae, et modeste habitae. *Plin.* 18, 32, 75. Omnia, quae caeduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente luna, quam crescente fiunt, *h. e.* salubrius, melius, a damno magis procul. *Tac. H.* 1, 9. Innocentius agere. *Auct. decl. in Sall.* 2. Vita innocentissime acta.

INNOCENTĬA, ae, f. ἀβλάβεια, ἀκακία, probitas, integritas, justitia, sanctitas. *Cic. Tusc.* 3, 8. Innocentia, quae apud Graecos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλάβειαν. Nam est innocentia affectio talis animi, quae noceat nemini. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 65. Ubi libido dominatur, innocentiae leve praesidium est. *Cic. Phil.* 3, 10. Vir summa integritate atque innocentia.] [**Liv.* 39, 40. Rigidae innocentiae Cato erat.] *Plin.* 12, 14, 32. Silva turis, divisa certis portionibus, mutua innocentia tuta est, *h. e.* dum nemo eorum, quibus eae portiones contigere, alteri nocet. [**Liv.* 2, 3. Periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia vivere: i. q. innocenter.] ℙ Speciatim est abstinentia, ut in INNOCENS dictum est: et rapacitati, atque avaritiae opponitur. *Cic. Manil.* 13. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores! Adde *Nep. Arist.* 1. et 2. [*Primo *Nep.* loco latiori significatione sumendum est v. *innocentiae.* V. *Brem.* qui ad secundum comparat *Caes. B. G.* 1, 40. Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 30, 2. 37, 1. 38, 5. et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 12, 1.] ℙ Tribuitur et brutis, et rebus inanimis. *Plin. H. N. f.* Italia principatum obtinens nemorum salubritate, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, etc. *Pall.* 1, 35. *med.* Nocentes spiritus innocentia fumi graveolentis exagitat.

*INNOCĬA, ae, f. ἀβλάβεια, Innocentia, ap. *Gloss.* V. *Salm.* ad *Solin.* p. 325. *B. A.*

INNOCŪE, adv. non nocendo, ἀβλαβῶς. *Suet. Dom.* 19. Sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. *Ov. A. Am.* 1, 640. Innocue vivere.

INNOCŪUS, a, um, adj. ἀβλαβής, active est qui non nocet, innoxius. [*Haec vox usque ad Plinium majorem nonnisi apud poetas occurrit. Ita *Doederl.* 2, 155. Ceterum *id. ib.* ita discernit *innocuus* et *innoxius*, ut hoc per *unschädlich von Natur*, illud per *unschuldig* vertendum censeat: coll. *Ernest. synonym. n.* 1359. Virum *innocentem* damnari, injustum; *innocuo* civi fortunas adimi, injurium; *innoxium* opprimere inhumanum est.] *Ov. Met.* 14, 299. Spargimur innocuae succis melioribus herbae. *Plin.* 8, 34, 52. Luporum genus innocuum homini. *Id.* 18, 17, 44. *n.* 2. Imber leguminibus innocuus. *Ov. Met.* 9, 373. Viximus innocuae. *Id. Trist.* 2, 273. Agere causas innocuas, *h. e.* innocentium; et *ib.* 3, 9, 26. Innocuum rigido perforat ense latus. *Virg. A.* 7, 229. Diis sedem exiguam patriis, litusque rogamus Innocuum, *h. e.* quod sine aliorum damno possideamus. ℙ Passive cui non nocetur. *Virg. A.* 10, 301. sedere carinae Omnes innocuae. *Ov. Fast.* 4, 800. Aeneas, Innocuum cui dedit ignis iter. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 330. Fida per innocuas errent incendia turres.

INNODĀTUS, a, um, part. ab *innodo*, ἐνδεδεμένος, vinctus, nodo constrictus. *Ammian.* 28, 6. *f.* Innodato gutture laquei nexibus interire. ℙ Translate. *Imp. Justin. Cod.* 4, 31, 14. Si causa liquida sit, et non multis ambagibus innodata, *h. e.* implicata, involuta, obscura.

INNODO, as, avi, atum, a. 1. περιστρέφω, nodo constringo. Translate. *Sidon. ep.* 9, 9. *f.* Spiris categoricis lubricas quaestiones innodare.

INNOMĪNĀBĬLIS, e, adj. ἀνώνυμος, qui nomine significari non potest. *Tert. adv. Valent.* 37. Inexcogitabilis, inenarrabilis, innominabilis. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Indictus, innominabilis.

*INNOMINĀTUS, a, um, adj. *Sarisb.* 2, 27. *B. A.*

*INNOTESCENTĬA, ae, f. *Sarisb.* in *Epist. B. A.*

INNOTESCO, is, tui, n. 3. διαγνωρίζομαι, notus fio. Usum habet fere in praeteritis. *Phaedr.* 1, 10. Quicumque turpi fraude semel innotuit, Etiam si verum dicit, amittit fidem. *Ov. Amor.* 3, 12, 7. nostris innotuit illa libellis. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 33. Ctesilochus petulanti pictura innotuit. *Suet. Ner.* 42. Carmina, quae vulgo innotuerunt. *Just.* 12, 2. Ubi Appulis oraculum innotuit. ℙ In aliis temporibus. *Val. Max.* 8, 14. *n.* 3. *extr.* Etiam sceleribus innotescere non dubitarunt. *Auct. dial. de Or.* 10. Quando enim rarissimarum recitationum fama per tot provincias innotescat? *Capitol. Maxim.* 2. Innotescendi sub Severo imperatore prima haec fuit causa. *Macr. Somn. Scip.* 1, 1. Ut liquido mens operis innotescat. *Ulp. Dig.* 4, 9, 3. Ut innotesceret praetorem curam agere reprimendae improbitatis. Al. leg. *Praetor*, Graeca loquendi ratione. ℙ Pro cognoscere. *Id. ib.* 26, 7, 4. *f.* Ex quo innotuit tutor, se esse tutorem. Ita *Torrent.*, alii *tutori.* ℙ Etiam pro notum facere usurpari posse, affirmat *Salm.* non uno in loco Historiae Augustae [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 776.]: et legitur *in c.* 7. *Soliloquior.* quae olim *Augustino* tribuebantur. Sed neque hic, neque praecedens dicendi modus satis Latinus est. [**Duk. Lat. Ict.* 347.]

INNOTĬTĬĀ. V. IGNOTITIA.

INNOTO, as, a. 1. pro noto, adnoto, tribuunt quidam *Hyg. Astr.* 4, 1., sed dubia est ejus loci scriptura.

INNOTUS, pro ignotus legitur a quibusdam ap. *Ammian.* 29, 2. Ultimi sanguinis et innoti.

INNOVĀTĬO, onis, f. actus innovandi, renovatio. *Tert. adv. Marc.* 1, 1. Innovationis ejus occasio aliquid adjicere persuasit. *Arnob.* 1, 7. Rerum innovatio. Adde *Appul. Trismeg.*

INNOVĀTUS, a, um, part. ab *innovo:* renovatus. *Minuc. Fel. Octav.* 11. *f.* Vellem sciscitari, utrumne sine corpore, an cum corporibus; et corporibus quibus, ipsisne, an innovatis resurgatur. [*Inscr.* in *Giorn. di Firenze an.* 1789. p. 454. Villa fundi Barbani a solo innovata Antonino Aug. et Advento Cos., *scil.* an. a Chr. n. 218. *F.*] Adde *Lact.* 7, 22. *med.*

INNOVO, as, avi, atum, a. 1. ἐγκαινόω, νεόω, novum facio, renovo. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *f.* Labeo fiducia doctrinae fretus, plurima innovare instituit. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 36. *extr.* Cum tibi spe falsa animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam, scelerate, innovasti? *h. e.* iterum ad intemperantiam rediisti.

INNOX, pro innoxius habetur in tribus *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 144., 145. et 317., quae monumenta Christianorum sunt, et sequioris aevi.

INNOXĬĒ, adv. innocue. *Plin.* 31, 9, 45. Sal emollit alvum in vino mixtus, innoxie. *Vopisc. Aurel.* 4. Quod vinctum fasciola Aurelianum aquila innoxie de cunis levaverit. *Minuc. Fel. Octav.* 33. Deum caste, innoxie, religioseque coluerunt.

INNOXĬUS, a, um, adj. ἀβλαβής, innocuus, innocens. *Pl. Capt.* 3, 5, 7. Decet, innocentem servum atque innoxium, confidentem esse, suum apud herum potissimum. [*De discrimine inter *innoxius* et *innocens* v. h. v. Quid *innocuus* differat, dictum est in h. ipso verbo.] *Ov. Met.* 9, 628. non possum innoxia dici. *Nep. Milt.* 8. *f.* Maluit eum innoxium plecti, quam, etc. *Cato* ap. *Prisc.* 3, 601. Animus innoxior. Al. leg. *innoxiior.* [*Recentiores Lexicographi in sequentibus exemplis primam h. v. significationem viderunt.] *Tac. H.* 4, 20. Innoxium iter, *h. e.* in quo miles nemini nocet. [**Herzog.* ad *Sall. Cat.* 39, 2. v. innoxium h. l. passive positum dicit.] *Plin.* 8, 59, 84. Quaedam animalia indigenis innoxia, advenas interimunt. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 4. Vitis viribus *(libentium)* innoxia. *Id.* 21, 31, 105. Innoxia medicamina. *Id.* 10, 37, 52. Innoxia vulnera, *h. e.* sanabilia. *Id.* 3, 5, 6. Innoxii saltus, *h. e.* in quibus nullum est a noxiis animalibus periculum. *Tac. H.* 3, 47. *extr.* Hinc, vel illinc appellere, indiscretum et innoxium est. [**Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 276. hunc locum ad eos refert, in quibus *innoxius* passive, i. q. tutus, ponitur.] ℙ Cum genitivo *Sever. Aetn.* 354. fax innoxia rapti, *h. e.* quae nihil corripit, uritve. Al. aliter leg. ℙ Passive (ut INNOCUUS) est is, cui non nocetur. *Colum.* 2, 10. *med.* Faba sic condita, a curculionibus erit innoxia. *Lucan.* 9, 892. gens a saevo serpentum innoxia morsu. *Sall. Cat.* 40. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere. *Colum.* 12, 38. *extr.* Quod non decoxeris, poterit innoxium durare biennio. Sic *ib.* 45. Mel exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conservat. [*Adde *ib.* 5, 9. Ut sit innoxius ab injuria pecorum; et *Curt.* 9, 4, 11. Leviora (navigia) quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt. *Tibull.* 2, 5, 63. Sic usque Sacras innoxia laurus Vescar. *Lucr.* 6, 394. Innoxius volvitur in flammis. ℙ Peculiari significatione dicitur ap. *Tac. A.* 13, 34. *Paupertas innoxia*, in qua noxa s. culpa non est, i. e. quae sine culpa contracta est. *Boettich. l. l.*]

INNŪBĬLO, as, a. 1. nubilum induco, obscuro. *Solin.* 53. *med.* Orbiculi lapillorum rufo colore innubilantur. *August. ep.* 238. Serenitatem gaudii foeda innubilare tristitia.

INNŪBĬLUS, a, um, adj. αἴθριος, non nubilus, clarus, serenus. *Lucr.* 3, 21. semperque innubilus aether Integit.

INNŪBIS, e, adj. ἀνέφελος, qui est sine nubibus. *Sen. Herc. Oet.* 238. Et fulsit Iole, qualis innubis dies.

INNŪBO, is, psi, ptum, n. 3. ἐγγαμέω, est transire ad domum mariti. Unde *innubere in illustrem familiam* dicuntur mulieres, quae nobili viro nubunt. *Liv.* 1, 34. Ea cum innupsisset. Al. leg. *Ea, quae innupsisset.* [*Id *Bauer.* in *ind.* h. v. explicat: quibus, in quae, in quam domum. Ceterum *Cort.* ad *Lucan.* 3, 23. (ubi *Grot.* secutae edd. omnes *innupsit) innubere* interpr. infra suum ordinem humiliori nubere.] *Ov. Met.* 7, 856. Ne thalamis Auram patiare innubere nostris. ℙ Per catachresin sumitur pro *transire* in genere. *Lucil. Sat.* 6. Invadere atque innubere censent. Ita *Non.* 2. *n.* 431.

INNŪBUS, a, um, adj. ἄγαμος, ut mulier innuba, quae nunquam nupsit. *Ov. Met.* 14, 141. contempto munere Phoebi Innuba permaneo. Sic *laurus* dicitur *innuba* propter Daphnen virginem, quam fabulantur in laurum fuisse conversam. *Ov. Met.* 10, 92. Nec tiliae molles, nec fagus, et innuba laurus.

*INNUCLEĀTUS, a, um, adj. non enucleatus. *Plin. Valer.* 1, 7. Uvae passae, innucleatae, *h. e.* ex quibus nuclei non exempti. *B. A.*

INNŪMĔRĀBĬLIS, e, adj. ἀναρίθμητος, qui numerari non potest. *Cic. in Senat.* 5. Cum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio ad eum supplex sordidata venisset. *Id. Quint.* 11. Doce, te petiisse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Hor. Od.* 3, 30, 4. Innumerabilis annorum series. *Gell.* 14, 1. *med.* Infinito prope, et innumerabili numero annorum. *Plin.* 2, 23, 21. Innumerabilis multiplicatio. [**Vell.* 2, 46, 1. Innumerabilia millia hostium.]

INNŪMĔRĀBĬLĪTAS, atis, f. ἀπειρία, infinitas. *Cic. N. D.* 1, 26. Tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitates locorum, innumerabilitatemque mundorum. *Id. ib.* 39. Innumerabilitas atomorum. **Arnob.* 3. p. 132. *in.* ed. *Herald.* Per suboles subolum multiplicata semper innumerabilitas ampliatur. *B. A.*

INNŪMĔRĀBĬLĬTER, adv. sine numero. *Lucr.* 5, 274. Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto Innumerabiliter privas mutatur in horas. [*Adde *Cic. Div.* 1, 13. *extr.*]

INNŪMĔRĀLIS, e, adj. idem ac innumerabilis *Lucr.* 2, 1084. Non esse unica, sed numero magis innumerali.

*INNUMERĀTUS, a, um, adj. innumerosus. *Tertull. adv. Marc. carm.* 2. *v.* 17. Innumerata Dei miracula. *B. A.*

[INNŪMĔRŌSUS, a, um, adj. idem ac numerosus. *Coripp. Joann.* 5, 662. jam crescit iniquis Innumerosa manus. *F.*]

INNŪMĔRUS, a, um, adj. ἀνάριθμος, innumerabilis. *Cic. Or.* 2, 22. *extr.* Isocrates, cujus e ludo, tanquam ex equo Trojano, innumeri principes exierunt. Al. rectius leg. *meri.* [*Ita *Orell.* negans esse *innumerus* v. Ciceronianum. Vulgatam nuperrime defend. *Schütz.*, *Müll.* et *Ellendt.* ad

Brut. p. 29.] *Virg. A.* 6, 706. Hunc circum innumerae gentes, populique volabant. *Ov. Trist.* 5, 12, 20. Cinctus ab innumero me tenet hoste locus. *Id. Her.* 16, 366. de Hectore: Unus is innumeri militis instar habet. *Mart.* 8, 55. Innumero quoties silva leone furit. [*Tibull.* 2, 3, 42. Ut multo innumeram jugere pascat ovem.] *Plin.* 6, 17, 21. Multitudo populorum innumera. *Id.* 18, 26, 45. *n.* 2. Innumera rusticos cura distringit. *Id.* 29, 2, 10. Innumeros prope usus habent. *Lucr.* 2, 1052. innumero numero semina. *Val. Fl* 2, 130. innumerum flatus confingis equorum: pro innumerorum. *Plaut.* epitaphio, quod sibi ipse composuit, teste *Varrone* ap. *Gell.* 1, 24. Scena est deserta, dein Risus, Ludu', Jocusque, Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt, *h. e.* innumerabiles versus comici, quos conscripsit. *Turneb. adv.* 10, 12. alterum ab altero distinguit commate, et per *numeros* comicos versus, per *innumeros* prosam orationem intelligit, quae sine numeris est: ut *in* sit privativa. Additque eodem modo interpretandum esse illud *Auson. Idyll.* 4, 47. tu flexu, et acumine vocis Innumeros numeros doctis accentibus effer. *Scalig.* in *Lect. Auson.* 2, 17. nihil distinguendum censet, sed versus comicorum *innumeros* appellari, quia numeri quidem sunt, sed lege soluti, ut ait *Hor. Od.* 4, 2, 12., et prosae orationis similes. Sunt etiam qui ita scribi ap. *Auson.* volunt, *in numeros numeros*, ut dicat, effer numeros doctis accentibus in numeros, h. e. ad musicae leges. *Barth. advers.* 37, 11. putat etiam *Cic. Div.* 1, 21. *extr.* dixisse *innumerum*, numeris non inclusum: sed ibi longe aliter alii leg. [*In optimis edd. ut ap. *Orell.* leg. *quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus ejusmodi est*, etc.] ℙ [*Innumerum* absolute more adverbii. *Tert. Exhort. castit.* 6. Innumerum nubere. *F.*]

INNŬO, is, ui, utum, n. 3. ἐπινεύω, signo aliquo capitis voluntatem ostendo. *Ter. Eun.* 4, 5, 9. Abiens innuit mihi. *Id. Ad.* 2, 1, 17. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus in mala haereat. *Pl. Rud.* 3, 4, 26. Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis, ego vos virgis circumvinciam. *Auct. ad Her.* 4, 26. Si iste suos hospites rogasset, immo innuisset modo, hoc facile perfici posset. Al. aliter leg. [*Vulg. exhibet *Orell.* Cf. *Liv.* 8, 4. Respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma.] *Juven.* 3, 317. Nam mihi commota jamdudum mulio virga Innuit. *Vitr.* 8, 5. *extr.* Aqua innuetur his signis esse tenus, et in summa salubritate.

INNUPTA, ae, adj. mulier, quae non nupsit. *Virg. G.* 4, 476. pueri, innuptaeque puellae. *Id. A.* 2, 31. Innupta Minerva. [*Ov. Met.* 1, 476. Innuptaeque aemula Phoebes. *Sil.* 2, 75. Innupta manus, i. e. Amazones.] ℙ Absolute. *Catull.* 62, 6. Cernitis, innuptae, juvenes? consurgite contra; et 64, 78. Electos juvenes simul, et decus innuptarum. ℙ *Innuptae nuptiae*, quae contra jus fasque factae sunt. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Orat.* 3, 58. Qua tempestate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis. Sic *insepulta sepultura* ap. *Cic.* et *funera ne funera* ap. *Catull.* et Graecis ἄγαμος γάμος. ℙ *Innupta bos*, ap. *Sen. Oed.* 373., quae marem nondum est experta. Al. tamen leg. *infausta.*

INNUTRIBĬLIS, e, adj. qui non nutrit. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. *f.* Juscellum innutribile.

INNUTRĬO, is, a. 4. ἐντρέφω, in aliquo loco nutrio, vel simul nutrio. *Sil.* 2, 286. ne castris innutriretur et armis. *Sen. ep.* 2. Vide ne ista lectio multorum auctorum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.

*INNUTRĬTĬO, onis, f. ap. *JCtos* in *Cod. B. A.*

INNUTRĪTUS, a, um, part. ab *innutrio:* nutritus in aliqua re, vel loco. *Plin. ep.* 9, 33. Donec homines innutritos mari subiret timendi pudor. *Suet. Aug.* 3. Innutritus amplis opibus. [*Coll. *ib. Cal.* 8. patriis nutritus in armis. Ita *Plin. Pan.* 16, 1. Innutritus bellicis laudibus; ubi V. *Schwarz. Vell.* 2, 94, 1. Innutritus coelestium praeceptorum disciplinis.] *Sen. Consol. ad Polyb.* 21. *f.* Liberalibus disciplinis non innutritus tantum, sed inatus est. ℙ Item non nutritus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 17. *med.* Aegrotantem innutritum relinquere.

INO, us, f. Ἰνώ, filia Cadmi et Hermiones, soror Semeles, uxor Athamantis Thebarum regis, nutrix Liberi Patris. Cum illam et filium Melicerten Athamas Junonis, seu Tisiphones instinctu furens, tanquam leaenam et leonem insequeretur, una cum filio se de scopulo praecipitem misit in mare: et Deorum miseratione ambo in Deos marinos versi sunt, et Ino quidem Leucothea, et Matuta dici coepit, Melicertes vero Palaemon, et Portumnus. *Ov. Met.* 4, 416. et sqq. et *Fast.* 6, 485. et sqq. et *Cic. Tusc.* 1, 12. *extr.* Adde his *Hyg. fab.* 2, 4, 224. et 243., quibus locis modo *Ino, us*, Graeco more, modo Latino *Ino, onis*, declinat. Porro *cit. fab.* 2. aliter rem narrat: scilicet voluisse eam Phrixum et Hellem, ejusdem Athamantis, sed ex alia uxore, filios interficere, eisque insidias struxisse: re cognita, Athamantem ultionis ergo ipsam interficere voluisse: et primo quidem, insania ab Jove objecta, Learchum filium occidisse: deinde cum Ino quoque cum altero filio Melicerte necare vellet, hos fuga mare petiisse, seque in illud praecipitasse, etc. V. dicta in ATHAMAS.

INOBAUDIENTIA, ae, f. inobedientia. *Tert. adv. Marc.* 4, 17. *f.*

INOBAUDIO, is, a. 4. non obedio. *Tert. adv. Marc.* 16. ex *Exod.* 23, 21.

*INOBEDIENS, entis, adj. non obediens. *Vulg. Interpr. Deuteron.* 8, 20. et *Tit.* 1, 10. *B. A.*

INOBEDIENTER, adv. *August. C. D.* 14, 17. Voluntatem libido inobedienter movebat.

INOBEDIENTIA, ae, f. παρακοή, ἀπείθεια. *August. C. D.* 14, 17. Damnata culpa inobedientiae. *Hieron. Quaest. Hebraic. ad Reg.* 2, 1. Saulus per inobedientiam periit.

*INOBEDĬO, is, a. 4. non obedio. *Ambros. Serm. Epiph.* 1. A paradiso recessistis superbiendo, inobediendo et cibum prohibitum comedendo. *B. A.*

INOBĒDUS, a, um, adj. non obediens. *Arnob.* 7, 248. Ut ab ipso patre terror coercitionis inciperet, apud quem causa tanti fuerat motus, et inobeda cessatio. Al. leg. *et in obeundo.*

[INOBJURGATUS, a, um, adj. non objurgatus. *Charis.* 1, 41. Utcumque dixeris, jure inobjurgatum est, *h. e.* irreprehensum. *F.*]

INOBLECTOR, aris, dep. 1. in aliqua re oblector. *Tert. adv. Herm.* 18. Inoblectabatur in filiis hominum.

INOBLITTĔRĀTUS, a, um, adj. non oblitteratus, non deletus. *Tert. Anim.* 24. Scientia inob litterata.

INOBLĪTUS, a, um, adj. perpetuo memor. *Ov. Pont.* 4, 15, 37. Semper inoblita repetam tua munera mente.

INOBRŪTUS, a, um, adj. non obrutus. *Ov. Met.* 7, 356. Deucalioneas effugit inobrutus undas.

INOBSCŪRABĬLIS, e, adj. qui obscurari non potest. *Tert. Anim.* 3. Inobscurabilis regula.

INOBSCŪRO, as, a. 1. ἀμαυρόω, obscurum reddo. *Cic. Phil.* 9, 5. Nulla ejus legationem posteritatis inobscurabit oblivio. Alii leg. *obscurabit.* [*Ita *Orell.*]

INOBSEPTUS, a, um, adj. non septus. *Lact. Opif. D.* 8. Aurium foramina inobsepta.

INOBSĒQUENS, entis, adj. contumax, non obsequens, ἀπειθής. *Sen. Hippol.* 1068. Inobsequentes protinus frenis equi Rapuere currum. *Sen. alter praef. Q. N. f.* An a magno artifice prave formentur multa, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, saepe inobsequens arti est.

*INOBSĒQUENTIA, ae, f. inobedientia. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 21. Quod eorum culpa inobsequentiae argueremini. *B. A.*

INOBSERVĀBĬLIS, e, adj. qui observari non solet, aut potest. *Plin.* 2, 17, 15. Cujus est maxime inobservabilis cursus. *Catull.* 64, 115. Ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustraretur inobservabilis error.

INOBSERVANS, antis, adj. non observans. *Pall.* 1, 25. *med.* Quod si inobservantes homines sub aere deprehendant, etc.

INOBSERVANTIA, ae, f. indifferentia circa rem aliquam. *Suet. Aug.* 76. Ex hac inobservantia nonnunquam solus vel ante initum, vel post dimissum convivium coenitabat. [*Al. leg. *observantia.* V. *B. Crus.*]

INOBSERVĀTUS, a, um, adj. ἀπροφύλακτος, non observatus. *Mart.* 8, 32. Luserat hos casus, nisi inobservata maneret. *Ov. Fast.* 3, 111. Inobservata sidera. *Sen. Q. N.* 3, 26. *med.* Tempus inobservatum et incertum. [*Cf. *Ov. Met.* 2, 544. et 4, 341.]

INOBSOLĒTUS, a, um, adj. non obsoletus. *Tert. Resurr. carn.* 58. Vestimenta inobsoleta et indetrita.

INNOCCĀTUS, a, um, part. ab *inocco*, occatus. *Colum.* 3, 15. Pastinatio emundata, inoccata, et aequata.

INOCCĬDŪUS, a, um, adj. qui occasu non absconditur. *Lucan.* 8, 175. Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto. [*V. *Cort.* ad h. l.] *Claud. Rapt. Pros.* 3, 400. ignes inoccidui *Arnob.* 2, 68. Vita continua et inoccidua. ℙ Translate. *Stat. Th.* 6, 277. Spectat inocciduis stellatum visibus Argum, *h. e.* oculis semper vigilantibus.

INOCCO, as, avi, atum, a. 1. ἐμβωλοκοπέω, est semen cooperire, quod fit, cum semen in agro seminatum est, et glebas sarculis, aut cratibus dissolvimus, ut semen humo contegatur: ex *in*, et *occo. Colum.* 2, 8. Semen, quod sicco solo ingestum, et jam innoccatum est. *Id.* 11, 2. *med.* Sementi facta, innoccare oportet quod sparseris.

INOCŪLĀTĬO, onis, f. ἐνοφθαλμισμός, actus inoculand, insitio per oculum, cum gemma seu oculus arboris cum exiguo cortice, alterius arboris delibrato cortici inseritur: quae et emplastratio dicitur, ut *Cato R. R.* 42., *Colum.* 5, 11. et 11, 2. *med.* et *Pall.* 7, 5. docent. ℙ Olim inoculatio alio modo fiebat, scil. fistula aperiendo in arbore oculum cortice inciso; semenque seu surculum includendo, eadem fistula sublatum ex alia: quae sunt verba *Plin.* 17, 14, 23., qui proinde *ib.* 16, 26. recte eam ab emplastratione distinguit. [Consule *Schneiderum* ad *Colum.* 5, 11. *F.*]

INOCŪLĀTOR, oris, m. qui inoculat. *Plin.* 18, 33, 76. Hunc caveat insitor calamis, gemmisque inoculator.

INOCŪLĀTUS, a, um, part. ab *inoculo*, per inoculationem insitus. Translate. *Appul. Met.* 6. Bullis aureis inoculatus, *h. e.* distinctus, ornatus.

INOCŪLO, as, avi, atum, a. 1. ἐνοφθαλμίζω, insitionem per oculum facere, eo modo quo in INOCULATIO dictum est. *Colum.* 11, 2. *med.* His diebus arbores ficorum inoculantur: quod genus insitionis emplastratio vocatur. *Pall.* 12, 7. *med.* Mense Junio persicus inoculari potest: quod emplastrari dicitur. ℙ Translate. *Macr. Somn. Scip.* 1, 1. Ad hunc justitiae affectum pectoribus inoculandum, *h. e.* inserendum, imprimendum.

[INODIĀTUS, a, um, adj. minime exosus. *Not. Tir.* p. 77. Odiosus, inodiatus, perosus, perodiatus. *F.*]

INODORO, as, a. 1. odore inficio. *Colum.* 11, 3. *med.* Allium sic satum, et rursus sic reconditum, existimatur neque acerrimi saporis existere, neque mandentium halitus inodorare.

INODOROR, aris, atus sum, dep. 1. est indagare, quod in occulto latet. *Cic. Att.* 2, 25. Mirabiliter enim inodoratus est, sicut nosti. Ita legit *Manut.* Alii melius *moratus.* [*Ita *Orell.*]

INODORUS, a, um, adj. ἄνοδμος, qui est sine odore. *Pers.* 6, 35. urnae ossa inodora dabit, *h. e.* nullis unguentis condita. Al. leg. *inhonora. Appul. Met.* 4. Flos inodorus. ℙ Item carens sensu odoratus. V. INAUDITUS.

INOFFENSE, adv. ἀβλαβῶς, sine offensione. *Gell.* 6, 2. Omnem illam vim, quae de fato extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt.

INOFFENSUS, a, um, adj. ἀβλαβής, qui non offenditur, illaesus. *Plin. ep.* 6, 4. Voluptates, regionisque abundantiam inoffensa transmitteres. *Gell.* 2, 1. Ut omnia fere vitae suae tempora valetudine inoffensa vixerit. *Tibull.* 1, 8, 62. Inoffensum pedem referre. *Pall.* 1, 3. Inoffensum lumen oculorum. *Virg. A.* 10, 292. Sed mare inoffensum crescenti allabitur aestu. *Ov. Trist.* 1, 9, 1. Detur inoffensae vitae tibi tangere metam, *h. e.* felicis, nullis vexatae malis. *Quint.* 1, 1. *f.* Inoffensa atque indubitata litterarum inter se conjunctio, *h. e.* ad quam quis legendo non offendit, nec moratur; et 10. Structura quaedam et inoffensa copulatio vocum, *h. e.* plana, aequabilis, ut in proferendo quis non offendat, et retardetur. *Sen. ep.* 52. Inoffensa et molliter lapsa oratio. *Mart.* 11, 209. Inoffensa via currere, *h. e.* expedita. *Tac. H.* 1, 48. Cursu honorum inoffenso, legioni post praeturam praepositus, *h. e.* expedito, et non interrupto. *Lucan.* 8, 201. Cogit inoffensae currus accedere metae.

*INOFFICIOSE, adv. *JCt.* in *Digest. B. A.*

*INOFFICIOSĬTAS, atis, f. *Salvian. Epist.* 3, *Ruricius ep.* 2, 15. *B. A.*

INOFFĬCĬOSUS, a, um, adj. qui contra officium facit, ἄχαρις, illiberalis, inhumanus. *Cic. Att.* 13, 27. De epistola ad Caesarem, nobis vere semper rectissime placuit, ut isti ante legerent: aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi, et in nosmetipsos periculosi. *Ulp. Dig.* 37, 14, 1. Si libertus inofficiosus patrono sit, castigari eum, et dimitti oportet. *Tert. Apol.* 40. Humana gens inofficiosa Dei, *h. e.* negligens. ℙ Inofficiosum testamentum, inquit *Paul. Sentent.* 4, 5. est, quod frustra liberis exheredatis, non ex officio pietatis videtur esse conscriptum. *Cic. Verr.* 3, 42. Testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. Ubi *Ascon.* Haec testamenta non solent valere, nam improbum, contra leges: inofficiosum, contra merita, inhumanum, contra pietatem. *Ulp. Dig.* 5, 2. qui *De inofficioso testamento* inscribitur, *l.* 1. Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas. Omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficioso licet disputare.

INOLENS, entis, adj. non olens, ἄνοδμος. *Lucret.* 2, 849. inolentis olivi Naturam, nullam quod mittat naribus auram.

INOLESCO, is, ēvi, ŏlĭtum, n. 3. ἐπιφύομαι, idem quod cresco, in, vel cum aliqua re adolesco, coalesco: ab *in*, et *olesco. Virg. G.* 2, 76. huc aliena ex arbore germen Includunt, udoque docent inolescere libro. *Colum.* 4, 29. *med.* Tradux a materno sustinetur ubere, dum inolescat, *h. e.* in aliena vite crescat; et 22. Vastior plaga nisi habeat superpositam valentem materiam, qua possit inolescere, solis halitu torretur, *h. e.* crescente circa cortice claudi. *Virg. A.* 6, 739. Multa diu concreta modis inolescere miris. *Sil.* 8, 583. Duritiem lapidum mersis inolescere ramis, *h. e.* circum ramos crescere. *Prud. Hamart.* 830. sanxit edaces Perpetuis scelerum poenis inolescere vermes. ℙ Translate. *Gell.* 5, 21. Assidua veterum scriptorum tractione inoleverat linguae illius vox, quam

saepe offenderat, *h. e.* inhaeserat, et simul quodammodo creverat. *Auson. ep.* 141. Quae nosti meditando velis inolescere menti, *h. e.* inseri, et simul cum ea crescere. ℙ Active est insero, et crescere facio. *Gell.* 12, 5. Natura induit nobis, inolevitque amorem nostri et caritatem. *Auson. Gratiar. act. ad Gratian.* 36. Gratiano ejusmodi semina nostri amoris inolesti, ut, etc. ℙ [Part. *Inolitus* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 33. Inolitum nomen urbi. *F.*] *Inolescendus* ap. *Gell.* 12, 1. *med.* In moribus inolescendis magnam fere partem ingenium altricis, et natura lactis tenet.

INOMĪNĀLIS, e, adj. mali ominis, inominatus. *Gell.* 5, 17. Tanquam inominalem diem, plerique vitant. Adde *Macr.*, qui e *Gellio* descripsit, *Sat.* 1, 16. *med.*

INOMĪNĀTUS, a, um, adj. κακόφημος, δυσοιώνιστος, idem quod inominalis, male ominatus. *Hor. Ep.* 16, 38. mollis et exspes Inominata perprimat cubilia.

INOPĀCO, as, a. 1. opacum reddo, obumbro, ἐπισκιάζω. *Colum.* 8, 15. Viridia quae inopacant avium receptacula.

[INOPĀCUS, a, um, adj. non opacus. *Gloss. Phil.* Inopacus, ἄσκιος. *F.*]

INOPĔRĀTUS, a, um, adj. non operatus, otiosus. *Tert. adv. Marc.* 2, 11. Nec natura inoperatam debuit continuisse bonitatem.

INOPĔROR, aris, dep. 1. idem quod operor, facio. *Tert. adv. Marc.* 5, 17. ex *ad Ephes.* 1. Ille inoperatus est in Christum valentiam suam, suscitando eum a mortuis.

INOPERTUS, a, um, adj. non opertus. *Sen. Ot. sap.* 30. Inoperta ac confessa veritas. *Id. V. B.* 13. Capite inoperto.

INOPIA, ae, f. ἔνδεια, ἀπορία, opis carentia, indigentia. [*Significat eam hominis conditionem, qua penuria cujuscunque generis, imprimis ad vitam sustentandam rerum necessariarum laborat. Perperam Noster exempla miscuit. Primo loco ea poni debebant, quae v. *inopiae* absolute positam exhibent. Quod secus visum *Kärch.*, qui secundo loco haec adscripsit.] *Cic. Inv.* 1, 47. Si propter inopiam in egestate estis. *Id. Amic.* 8. Num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia; et 9. Amicitiam ex inopia atque indigentia natam volunt. *Id. Cat.* 2, 11. Neque vero ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo. *Id. Off.* 3, 12. Magnum frumenti numerum Rhodum advehere in Rhodiorum inopia, et fame, summaque annonae caritate. *Pl. Ps.* 3, 2, 9. Si me arbitrabare isto pacto, Cur conducebas? *Bal.* inopia: alius non erat. *Cic. Quint.* 1. Praesidio esse contra vim et gratiam solitudini, atque inopiae, *h. e.* ejus, qui inops est ab advocatis. *Caes. B. C.* 1, 48. Inopiae subsidium; et *ib.* 3, 17. Inopiam vitare. *Pl. Rud.* 3, 2, 3. Inopiae opem ferre. *Suet. Tib.* 47. Alicujus inopiam sustentare. *Tac. A.* 2, 37. *extr.* Defendere ab inopia aliquem; et 38. *extr.* Ad pudendam inopiam delabi. *Id. H.* 3, 48. Inopiam alicui facere, *h. e.* afferre. *Id. Agr.* 28. Ad extremum inopiae venire. *Sall. Cat.* 38. Manuum mercede inopiam tolerare. [*Poterat hic conferri alius *Sall.* locus *ib.* 11, 3. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur: ubi *Kritz.* contra *edd.*, qui vv. *copia* et *inopia* trita significatione accipiunt; et *Tell.*, qui p. 241. *copiam* explic. opportunitatem et occasionem divitias comparandi, *inopiam* vero talis opportunitatis defectum, ita loci sententiam doctissime constituit, ut *copiam* referat ad eas res, quas quis jam comparavit, *inopiam* ad eas, quas adhuc sibi acquirendas putat. Legas integram V. D. notam ad h. l. et ad 15, 4., ubi auctorem tali oxymoro quandam animi ἀπορίαν in diversas partes agitati, et quid sequatur prorsus nescientis exprimere voluisse credit.] *Justin.* 9, 1. Mercibus distractis anhelantem inopiam recreare. *Modest. Dig.* 2, 4, 25. Inopia laborare. *Curt.* 4, 1. *med.* Inopiam patientia ferre. *Nep. Att.* 2. Suis opibus aliorum inopiam levare. *Pl. Bacch.* 3, 3, 134. Inopia excruciatum mori. *Liv.* 29, 16. aerarii inopia [**Erschöpfung des Staatsschatzes*; i. q. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. dicit: Aerarium inops et exhaustum. Huc pertinet etiam locus *Vell.* 2, 54, 3. Ingenti cum difficultate itinerum, locorumque inopia, i. e. rerum ad vitam necessariarum defectu. Similiter *Sen.* ad *Helv.* 12. Nec tantum conditio illos temporum, aut locorum inopia; et *Justin.* 2, 13. Multorum dierum inopia. Ita *Sall.* ap. *Schol. Juv.* ad *Sat.* 15, 115. quod, quantum conjicio, locorum egestate, rapto vivere coacti; et *Colum.* 9, 14. Temporum penuria. Laudat haec *Ruhnk.* ad *Vell.* l. allatum.] ℙ Refertur ad dicendi facultatem. *Cic. Brut.* 55. Cavenda est presso illi oratori inopia et jejunitas [**Gedankenleere und Trokkenheit.*] ℙ Jam sequantur ea, quae omnino defectus notionem referunt, adjecto genitivo rei, qua quis eget.] *Cic. Dom.* 30. Propter inopiam tecti in foro pernoctans; et 7. Inopia frugum, et 3. frumentariae rei. *Caes. B. G.* 5, 2. summa rerum omnium. *Pl. Curc.* 2, 3, 55. argenti. *Suet. Cal.* 56. Aliis per inopiam occasionis cunctantibus. *Tac. A.* 13, 57. Inopia remedii. *Id. H.* 1, 35. veri; et *Liv.* 1, 33. loci, et *Cic. Att.* 6, 3. Affici inopia consilii. *Id. Rosc. Am.* 16. *extr.* criminum. *Sall Jug.* 88. Pati inopiam rei alicujus; et 96. Inopiam frumenti lenire. *Caes. B. G.* 5, 24. Mederi inopiae frumentariae. *Tac. A.* 11, 7. advocatorum. ℙ Differt a paupertate, ut majus a minori, gravior enim inopia est, et latius patet. *Suet. Gramm.* 11. Vixit in summa paupertate ac paene inopia. V. EGESTAS. ℙ [Est etiam negatio noctis, et opponitur copiae, quam sui facit meretrix. *Ter. Heaut.* 2, 3, 125. haec arte tractabat virum, Ut illius animum cupidum inopia incenderet. *F.* *Eo sensu inopia vix alibi reperitur.]

INOPĪNĀBĬLIS, e, adj. παράδοξος, non opinabilis, qui opinione concipi non potest, vel de quo non facile opinamur. *Gell.* 17, 9. *f.* Profunda quaedam et inopinabilis latebra; et 12. Infames materias, sive quis mavult dicere inopinabiles, quas Graeci ἀδόξους ὑποθέσεις appellant. *Aurel. Vict. Caesar.* 39. *med.* Quae res post memoriam humanam nova atque inopinabilis fuit.

INOPĪNANS, antis, adj. improvidus, incogitabilis, incautus, nec opinans. *Caes. B. G.* 4, 4. Omni hoc itinere una nocte confecto, inscios inopinantesque Menapios oppresserunt; et *ib.* 1, 12. Impeditos et inopinantes aggressus; et *B. C.* 2, 38. Imprudentes atque inopinantes hostes aggredi; et 3. Freto Siciliae, imprudente atque inopinante Curione, provehitur; et *B. G.* 6, 36. Inopinantes nostri re nova perturbantur. Adde *Nep. Dat.* 3. et *Liv.* 27, 48. *f.*

INOPĪNANTER, adv. ἀπροσδοκήτως, praeter opinionem, inopinate, inopinato. *Suet. Tib.* 60. Piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, etc.

INOPĪNĀTĒ, et

INOPĪNĀTO, idem quod inopinanter. *Sen. Consol. ad Helv.* 5. Hostium adventus eos prosternit, quos inopinate occupavit. *Liv.* 26, 6. *med.* Cum inopinato in castra Romana Numidae irrupissent.

INOPĪNĀTUS, a, um, adj. ἀπροσδόκητος, qui praeter opinionem evenit, improvisus, subitus. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Nova tibi haec sunt et inopinata; et 28. Cum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset. *Suet. Caes.* 87. Finis vitae repentinus et inopinatus. *Plin. Pan.* 33. Ac sic quoque plura inopinata, plura subita. *Cic. Par.* 5, 1. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum atque mirabile. *Id. Dom.* 4. Allata est a me res inopinata et recens. *Sil.* 7, 133. si praecipitare sequentem, Atque inopinata detur circumdare fraude. *Caes. B. C.* 2, 12. Hostes inopinato malo permoti. *Justin.* 13, 1. Principes regnum, vulgus militum thesauros, velut inopinatam praedam, spectabant. *Cic. Tusc.* 3, 31. Nihil inopinati accidit. *Id. N. D.* 2, 48. Aliae ut ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt. *Suet. Galb.* 10. Repente ex inopinato prope cuncta turbata sunt. *Gell.* 4, 11. Verba ipsa Plutarchi, quoniam res inopinata est, subscripsi. *August. Trin.* 7, 1. Ex quo conficitur inopinatissimus sensus. [**Liv.* 6, 40. Neque novum neque inopinatum mihi sit; cf. 34, 28. *Vell.* 2, 79, 4. Inopinato classis adventu.]

*INOPĪNOR, aris, dep. 1. i. q. opinor. *Gell.* 18, 7. Misit librum, quem promiserat: Verrii, inopinor, Flacci erat. *Gronov.* legit *opinor.* ℙ Part. *inopinatus* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 52. Sed id consilium Persae dissici Alexander facilius inopinatus, etc. *B. A.*

INOPĪNUS, a, um, adj. idem quod inopinatus: sed vox magis poetica. *Virg. A.* 5, 857. Inopina quies; et *ib.* 6, 103. nulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit; et *ib.* 8, 476. fors inopina salutem Ostentat. *Ov. Met.* 4, 232. inopino territa visu. *Val. Fl.* 5, 639. Vel tu sola polo tacitis inopina tenebris Labere. *Plin. Pan.* 30. Aegyptus inopina siccitate exaruit.

INOPĬOSUS, a, um, adj. idem quod inops. *Pl. Poen.* 1, 1, 2. Saepe ego res multas tibi mandavi, dubias, egenas, inopiosas consilii.

INOPPĬDĀTUS, a, um, adj. oppidis carens. *Sidon. ep.* 5, 13. Singulos Gabalitanos sparsos, inoppidatos nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc etc. [*Gloss. Philox.* Inoppidatus, ἀοίκητος. *F.*]

INOPPORTŪNUS, a, um, adj. non opportunus. *Cic. Or.* 3, 5. Est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni.

INOPS, ĭnŏpis, adj. omn. gen. ἄπορος, qui est sine ope, egens, carens, nudus: ab *in* privativa, et *ops.* Unde *Festus:* Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus, ut testimonio est ei contrarius inops; et *Varr. L. L.* 4, 17. Ab ope inops, qui ejus indiget. Hoc sensu *Virg. A.* 9, 290. At tu, oro, solare inopem, et succurre relictae, *h. e.* matri, quae unico amisso filio, non habet praeterea, unde opem exspectet. Sic *Cic. Verr.* 2, 5, 34. *med.* Inopes relicti a duce; et *Liv.* 9, 1. Nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi. ℙ Plus est quam *pauper*, et *egens;* et latius patet: quin *egens* ab *inope* fit, ut effectus a causa. V. INOPIA. *Ov. Her.* 14, 14. Cum sene nos inopi turba vagamur inops. *Cloat.* ap. *Gell.* 16, 12. Commodi esse videantur inopibus nummos desiderantibus. *Petr. Sat.* 133. Inops et rebus attritis egenus. *Pl. Rud.* 1, 5, 24. Hic pauperes res sunt, inopesque. *Suet. Ner.* 6. et *Gramm.* 8. Adeo inops atque egens, ut, etc. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. Aerarium inops et exhaustum. *Ov. Ib.* 24. nostras inopes noluit esse vias, *h. e.* abitum meum et exsilium, quia opes mihi non ademit. *Hor. Sat.* 1, 4, 17. Inopis et pusilli animi esse, *h. e.* sine audacia. [**Lucr.* 4, 1138. advorsus atque inops amor. Gr. ἀμήχανος. ℙ Jam recte videmur facto discriminis signo sejunxisse sequentia ab antecedentibus.] *Ov. Met.* 14, 423. Sex illam noctes, totidem redeuntia solis Lumina viderunt inopem somnique cibique. *Liv.* 3, 7. *med.* Inops senatus auxilii humani, ad Deos vota vertit. *Cic. Or.* 2, 10. humanitatis. *Id. Amic.* 15. amicorum. *Ov. Pont.* 2, 2, 96. Terra inops pacis, *h. e.* in qua perpetua sunt bella. *Id. Fast.* 4, 457. Inops mentis. Sic *Virg. A.* 4, 300. animi; et *Stat. Th.* 1, 373. rationis. Sic *Liv.* 26, 18. consilii. *Plin.* 16, 1, 2. remedii. *Id.* 6, 29, 33. Inops aquarum iter. *Tac. H.* 2, 6. Provinciae nec virorum inopes, et pecuniae opulentae. *Stat. Th.* 10, 356. tumuli inops. (Quo sensu absolute *Virg. A.* 6, 325. Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.) *Hor. Ep.* 2, 2, 50. inops paterni Et laris, et fundi. *Juven.* 7, 60. aeris. *Sil.* 9, 334. miles Martis inops, *h. e.* cui non datur pugnandi facultas. *Stat. Th.* 12, 444. tuque exsul ubique Semper inops aequi, *h. e* cui omnes negant, quod aequum est. ℙ Cum [*praepos. *a* et] ablat. *Cic. Dom.* 22. *med.* et *Att.* 1, 1. Sic inopes et ab amicis, et ab existimatione sunt. ℙ Cum infinito. *Prop.* 2, 8, 27. inopes laudis conscendere carmen, *h. e.* carens viribus ingenii, quibus conscendam, etc. ℙ Refertur ad facultatem dicendi. *Cic. Brut.* 67. Non erat abundans, non inops tamen; et 70. Non tardus sententiis, non inops verbis; et 76. Ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. *Id. Fin.* 1, 3. *f.* Latinam linguam non modo non inopem, sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Gell.* 18, 3. Vir inopi lingua, et infacundus. *Calpurn. Ecl.* 3, 60. carmen inops. *Hor. A. P.* 322. versus inopes rerum, nugaeque canorae. ℙ *Inops* qui parvo emitur. V. l. *Mart.* in STURNUS.

INOPTĀBĬLIS, e, adj. non optabilis. *Appul. Met.* 9. Inoptabilis officinae disciplina.

INOPTĀTUS, a, um, adj. non optatus. *Senec. excerpt. contr.* 8, 6. Lacrima est indicium inoptatae rei.

INOPUS, i, m. Ἴνωπος, fons, seu fluvius insulae Delos, ubi Dianam et Apollinem Latona peperit. *Plin.* 2, 103, 166. tradit, eodem, quo Nilus, modo, et pariter cum eo decrescere, et augeri. Unde alii credidere, sicut Alpheus subterraneis meatibus ex Peloponneso in Siciliam usque subter mare decurrere dicitur; sic Nilum ex Aegypto Delum defluere. Sed haec fabulosa sunt. *Val. Fl.* 5, 105. Fidus, et Inopi materna gratior unda.

INORĀBĬLIS, e, adj. inexorabilis. *Acc.* ap. *Non.* 8, 28. Sed pervico Ajax animo atque inorabili. Ita legit *Lips. ep. Quaest.* 4, 8., [alii melius *immemorabili. F.*]

INORĀTUS, a, um, adj. non oratus. *Cic. Rosc. Am.* 10. Legati Ameriam re inorata reverterunt; *id est* re non exposita. *Enn.* ap. *Non.* 2, 745. Quo nunc incerta re, atque inorata gradum regredere conare?

INORDĪNĀLĬTER, adv. inordinate. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. *med.* Inordinaliter sacrificandum.

INORDĪNĀTĒ, adv. ἀτάκτως, sine ordine. *Cels.* 3, 3. Febres inordinate redire; et l. 4. *f.* Inordinate agere.

INORDĪNĀTIM, adv. inordinate. *Ammian.* 19, 7. Acies non inordinatim incedebant.

INORDĪNĀTĬO, onis, f. ἀταξία, confusio. *Appul. Trismeg.* Senectus mundi, inordinatio, irrationabilitas bonorum.

INORDĪNĀTUS, a, um, adj. ἄτακτος. non ordinatus. *Cic. Univ.* 3. Idque ex inordinato in ordinem adduxit. *Liv.* 22, 50. Inordinati et incompositi milites. *Quint.* 8, 2. *med.* Inordinata, aut indistincta dicere. *Appul. Met.* 2. Non operosus, sed inordinatus ornatus addebat gratiam. *Plin.* 22, 22, 45. Inordinatissimi pili.

INORDĪNO, as, a. 1. idem quod ordino, dispono. *Colum.* 11, 3. *med.* Mox inordinandi, pastinandique soli duo sunt tempora, *h. e.* in areolas distribuendi. Alii melius leg. *ordinandi.*

INORĬOR, oreris, dep. 4. idem quod orior. *Tac. A.* 11, 23. Quid, si memoria eorum inoriretur, qui, etc. Al. aliter leg.

INORIS, e, et Inōrus, a, um, adj. ἄστομος, qui est sine ore. *Festus:* Inori, inores. Al. leg. *Inori, sine ore. Turpil.* ap. *Non.* 3, 152. In acta

cooperta age inores ostreas. V. etiam INAUDITUS.

INORMIS, pro enormis legit *Salm.* ad *Spart. Ael. Ver.* 1. *extr.* ex MSS., eamque lectionem multis probare nititur. Sic

INORMĪTAS, pro enormitas. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 8, 5, 30. Excedere legem vel vehiculi inormitate, vel ponderis.

INORNĀTĒ, adv. *ἀκόμψως*, sine ornatu. *Auct. ad Her.* 4, 31. Hoc pacto non inornate poterimus dicere, [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Quod Paterculus res inornatius scripsisset. *F.*]

INORNĀTUS, a, um, adj. *ἄκομψος*, non ornatus, incultus, rudis. *Cic. Or.* 23. Mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas in ipsum deceat. *Ov. Her.* 8, 9. clamantem nomen Orestae Traxit inornatis in sua tecta comis. ℙ Refertur ad orationem, quae exornationibus et figuris caret. *Cic. Or.* 9. Lysias tenuis atque inornatus. *Auct. ad Her.* 4, 56. Ne nuda atque inornata inventio vulgari sermone efferatur. *Hor. A. P.* 234. Nomina et verba inornata, et dominantia, *h. e.* vulgaria, passim usurpata, omni urbanitatis aut troporum ornamento carentia. ℙ Item illaudatus. *Id. Od.* 4, 9, 31. non ego te meis Chartis inornatum silebo, Lolli.

INORNO, as, a. 1. idem quod orno. *Tert. Anim.* 19. Et folia formantur, et flosculi inornantur.

INORO, as, avi, atum, a. 1. circa oram ornare. *Tert. Resurr. carn.* 16. Calix de coronis quoque potatoris sui inorabitur. Al. leg. *inornabitur.*

INORUS. V. INORIS.

INOTĬOSUS, a, um, adj. non otiosus, *ἀσχολος*, ut Inotiosa actio, *h. e.* gestus non lentus et gravis, sed celer et velut cursitans. *Quint.* 11, 3. *extr.* Non immerito reprehenditur pronunciatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, et vocis mutationibus resultans. Nec inutiliter ex Graecis veteres transtulerunt: quod ab his sumptum Laenas Popilius posuit, esse hanc inotiosam actionem. [*Cf. *Spalding.* ad h. l. et *Ernest. Lex. technol. Lat. rhet* p. 217.] V. MOCOSUS.

[INOVANS, antis, adj. valde ovans. *Appul. Met.* 11. p. 264. Inovanti gradu. Alii melius leg. *in ovanti. F.*]

INOUS, a, um, adj. *Ἰνῶος*, ad Ino Cadmi filiam pertinens. *Virg. G.* 1, 437. Glauco, et Panopeae, et Inoo Melicertae. *Ov. Met.* 4, 496. angues Inoosque sinus, Athamantheosque pererrant. *Val. Fl.* 1, 280. Inoo linquens Athamanta Learcho. *Stat. Th.* 10, 425. Inoa fuga. *Id. Silv.* 2, 1, 98. Bacchus Inoo pectore reptans, *h. e.* sinu Inus nutricis. *Ov. A. Am.* 3, 175. qui quondam Phrixon, et Hellen Diceris Inois eripuisse dolis. *Val. Fl.* 1, 521. Inoae arae, *h. e.* quas Ino noverca Phrixo exstruxerat, ut eum mactaret, praetextu sedandae pestilentiae, ut *Hyg. fab.* 2. narrat. *Id.* 2, 608. Inoae undae, *h. e.* mare circa Thebas. *Stat. Silv.* 4, 3, 60. Inous Isthmus, *h. e.* ubi ludi in honorem Inus ab Athamante instituti. V. ATHAMAS. Eadem ratione Inoum Lechaeum *Id.* dixit *Silv.* 2, 2, 35., quia est Isthmi promontorium.

INQUAESĪTUS, a, um, adj. inquisitus. *Tert. carm. adv. Marc.* 5, 3. Inquaesita ergo, sed non erepta probatur.

INQUAM. V. INQUIO.

[INQUASSĀTUS, a, um, adj. non quassatus. *Gloss. Philox.* Inquassatus, *ἀθραύστος. F.*]

INQUĪES, etis, f. idem ac inquietudo. *Plin.* 14, 22, 28. Furiales somni, et inquies nocturna. *Tert. Anim.* 25. Si desierit inquies ejus, *scil.* infantis in utero.

INQUĬES, etis, adject. omn. gen. idem ac inquietus. *Sall. Hist.* 1. ap. *Prisc.* 6, 704. Hominem lingua peritum et inquietem. *Id. ib.* 5, 656. Humanum genus inquies atque indomitum. [*Adde *Eund. H.* 1. p. 949. ed. *Cort.* expers consilii inquies; et p. 951. prolatandis seditionibus inquies.] *Vell.* 2, 68. Vir inquies. *Plin. prooem. H. N.* Animus inquies pascitur opere. *Tac. A.* 1, 68. Haud minus inquies Germanus spe, cupidine; et *ib.* 3, 4. Dies modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies; et *ib.* 16, 14. Inquies animo, et occasionum haud segnis. [*Appul. Met.* 2. Nec animo tantum, verum etiam corpore ipso ad libidinem inquies et petulans. *F.* *Cf. *Ruhnk.* ad *Vell.* 1. l. et *Cort.* ad *Sall. H.* 1. p. 934. qui similes etiam e *Justino*, *Appul.* aliisque h. generis scriptoribus locos attulerunt.]

INQUIESCENS, entis, adj. idem quod quiescens. *Appul. Met.* 9. *in.* Immo vero jam virus, inquiescente saevitia, prorsus exstinctum. [Alii melius leg. *increscente. F.*]

INQUĬĒTĀTĬO, onis, f. *σφαδασμός*, actus inquietandi. *Liv.* 22, 27. de bobus, quorum cornibus sarmenta succensa alligaverat Annibal: Capitum inquietatio excitans flammas, hominum passim discurrentium speciem praebebat. Alii tamen melius leg. *irrita quassatio. Sen. Suasor.* 2. de Euripo: Qua vix minimo aditus navigio est: et hujus quoque remigium arcet inquietatione, quod circumfluit, mare.

INQUĬĒTĀTOR, oris, m. qui inquietat. *Tert. Spectac.* 23. Inquietator animarum.

INQUĬĒTĀTUS, a, um, part. ab *inquieto: Petr. Sat.* 100. Inquietatus ille moleste tulit. *Suet. Cal.* 26. Inquietatus fremitu; et *ib.* 59. umbris.

INQUĬĒTĒ, adv. sine quiete, sine intermissione. *Solin.* 30. Mons ingenito igne per aeternum fervidus, et inquiete jugis flagrantibus. *Ammian.* 27, 3. Eaque confidentia deinceps inquietius agitans multa.

INQUĬĒTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐνταράττω*, turbo, quietem agere non sino. *Colum.* 8, 5. Ne incubantes matrices ab aliis avibus inquietentur. *Petr. Sat. in.* Num alio genere furiarum declamatores inquietantur? *Sen. V. B.* 12. Opiniones inter se contrariae mentem inquietabunt. *Plin. ep.* 1, 9. Nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor. *Suet. Aug.* 53. Officii causa inquietare aliquem. *Tac. H.* 3, 84. Inquietare victoriam. *Ulp. Dig.* 48, 5, 26. Quiescens matrimonium non debet alius turbare, atque inquietare: *scil.* uxorem adulterii accusando. Porro ap. *JCtos* in *Dig.* frequens est pro accusare, in jus vocare, actionibus et litibus inferendis turbare. *Suet. Ner.* 34. Inquietare aliquem litibus. *Modest. Dig.* 31, 1, 35. *med.* Sciant heredes mei, nullam pecuniam esse penes uxorem meam: ideoque eam hoc nomine inquietari nolo.

INQUĬĒTŪDO, inis, f. *ταραχή*, privatio quietis. *Sen. Ben.* 2, 8. Tametsi inquietudinem Tiberius ne hoc quidem modo, quo putabat, potuit effugere. Al. aliter leg. *Solin.* 1. Jam inde incipiet capitis inquietudo, et caligine visus hebetabitur. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7, 14, 5. Ne de cetero inquietudinem sustineres. Adde *Hieron. ep.* 108. *n.* 20. ℙ [Est etiam febricula, commotiuncula. *Marc. Empir.* 20. *med.* Stomachum corroborat herba absinthii decocta cum vino austero, si febres non erunt: quod si inquietudo fuerit, cum aqua coqui, et dari debet. *F.*]

INQUĬĒTUS, a, um, adj. *ἄστατος*, qui est sine quiete. *Hor. Od.* 3, 3, 3. auster Dux inquieti turbidus Adriae. *Sen. Herc. Oet.* 1537. Si quis fecerit aper silvas inquietas. *Liv.* 1, 46. Animus inquietus. *Id.* 22, 21. Ingenia inquieta, et in novas res avida. *Ammian.* 22, 5. *extr.* O Sarmatae, tandem alios vobis inquietiores inveni. Al. leg. *inertiores. Sen. Ben.* 7, 22. Inter affectus inquietissimos rem quietissimam, fidem, quaeris?

INQUĪLĪNĀTUS, us, m. habitatio inquilini. *Tert. Anim.* 38. *f.* Desiderabit inquilinus toto inquilinatus sui tempore. Adde *Sidon. ep.* 5, 19.

[INQUĪLĪNO, as, a. 1. habito. *Gloss. Philox.* Inquilino, *ἐνοικέω. F.*]

INQUĪLĪNUS, a, m. et f. *ἔνοικος*, qui in alienis et privatis aedibus habitat: et proprie in conducticiis: ab *in*, et *colo*, quasi *incolinus. Justin.* 43, 4. Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. ℙ Differt a *colono:* quia inquilinus proprie nihil praeter domum alienam colit: colonus agros quoque. *Marcell. Dig.* 41, 2, 37. Ut is, qui hypothecam dedit, pro colono in agro, in aedibus pro inquilino sit. *Ulp. ib.* 43, 31, 1. Hoc interdictum proponitur inquilino, qui soluta pensione vult migrare, nam colono non competit. ℙ Differt etiam ab *incola*, quia incola habitatorem notat in genere: inquilinus est habitator alienae domus. ℙ Sed neque hoc semper servatur. *Plin.* 21, 12, 43. Hostilia vicus alluitur Pado. Hujus inquilini, pabulo circa deficiente, imponunt navibus alvos, etc. ℙ Denique differt ab *advena*, quia advena non perpetuo habitat, sed brevi migrat: inquilinus manendi animo incolit. *Cic. Phil.* 2, 41. At vero te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum. *Suet. Ner.* 44. Jussit, inquilinos privatarum aedium atque insularum pensionem annuam repraesentare fisco. ℙ Dicitur etiam *inquilinus*, qui in domo mea habitat. *Festus:* Inquilinus, qui eundem colit focum. *Mart.* 1, 87. Vicinus Novio, vel inquilinus Sit, si quis Novium videre non vult. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 15, 18. Ubi igitur, inquies, philosophia? Tua quidem inquilina. Al. melius leg. *in culina.* V. CULINA. *Sen. ep.* 108. Quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. *Ammian.* 30, 5. Cum non suppeteret, quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini. *Varr.* ap. *Non.* 4, 444. In quarum locum subierunt inquilinae, impietas, perfidia, impudicitia. *Tert. Resurr. carn.* 46. *f.* Anima inquilina est carnis. ℙ Adjective. *Sall. Cat.* 32. *extr.* Cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. [*V. *Kritz.* ad h. l.]

[INQUĪNĀBŬLUM, i, n. idem ac inquinamentum. *Gloss. Philox.* Inquinabulum, *μόλυμμα. F.*]

INQUĪNĀMENTUM, i, n. *ῥυπαρία*, sordes et immunditia. *Vitr.* 8, 5. *extr.* Si neque inquinatus ab aliquo inquinamento is locus fuerit. *Gell.* 2, 6. *extr.* Ut jam squalor de re nulla alia, quam de solis inquinamentis dici coeperit.

INQUĪNĀTĒ, adv. *ῥυπαρῶς*, sordide. Translate *inquinate loqui* est nimis vulgaribus, sordidis, inelegantibus aut barbaris verbis uti: ut *Cic. Brut.* 37. et 74. docet.

INQUĪNĀTUS, a, um, part. ab *inquino*, *μολυνθείς*, foedatus, contaminatus, pollutus. *Cic. Tusc.* 5, 34. Darius in fuga, cum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit, unquam se bibisse jucundius. ℙ Et translate. *Cic. Rosc. Am.* 24. Nisi turpis adolescentia, nisi omnibus vitiis inquinata. *Id. Fl.* 22. Nihil hoc homine egentius, nihil inquinatius. *Id. Off.* 2, 6. Quae sordidissima quidem est ratio et inquinatissima. *Id. Har. resp.* 24. An ille foedior atque inquinatior in Cn. Pompejo accusando, quam in universo senatu accusando fuit? *Id. Coel.* 6. Quis in voluptatibus inquinatior? et 32. Ore, lingua, manu, vita omni inquinatus. *Id. Har. resp.* 12. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Cic. Q. Petit. cons. f.* Comitia largitione inquinata. *Catull.* 33, 3. Nam dextra pater est inquinatiore, *h. e.* multis furtis polluta et contaminata. ℙ Pro tinctus, infectus. *Mart.* 4, 4. bis murice vellus inquinatum. ℙ Refertur ad orationem, in qua adhibentur verba aut barbara, aut sordida, aut nimis vulgaria. *Cic. opt. gen. Or.* 3. Est vitiosum in verbis, si inquinatum, si abjectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. *Id. Or.* 49. Splendidis nominibus illuminatus est versus: sed proximus inquinatus, insuavissima littera finitus. *Auct. dial. de Or.* 20. Exigitur jam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii, aut Pacuvii veterno inquinatus, sed, etc. ℙ Et in qua honesta, ac turpia dicuntur. *Cic. Verr.* 2, 5, 26. Tantum ejus sermo inquinatissimus, et blanditiae flagitiosae valuerunt. ℙ De eo, qui leviter est imbutus. *Petr. fr. Trag.* 46. *Burm.* Nam litteris satis inquinatus est. *Sen. ep.* 59. *med.* Diu in istis vitiis jacuimus, elui difficile est, non enim inquinati sumus, sed infecti.

INQUĪNO, as, avi, atum, a. 1. *μολύνω, χοινόω*, sordibus aspergo, polluo, foedo, maculo. Videtur esse a *χοινόω*, vel *ἐγχοινόω*, quae sunt ejusdem significationis. *Festus* ducit a *cunire*, quod est stercus facere. V. CUNIO. [*V. *Döderl.* 2, 38.] *Pl. Capt.* 2, 2, 17. Ne id quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinet. *Phaedr.* 1, 29. Inquinari sanguine. *Hor. Sat.* 1, 8, 37. Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum. *Ov. Fast.* 4, 928. Ruris opes niteant: inquinet arma situs. *Id. Met.* 14, 55. Inquinare aquas venenis. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *med.* Si lolium in segetem alienam injeceris, quo eam inquinares. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 2, 757. Saepe unus puer petulans atque impurus inquinat gregem puerorum. *Cic. Planc.* 19. Quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id. Dejot.* 12. Idcirco in hanc urbem venisti, ut hujus urbis jura et exempla corrumperes, domesticaque tua immanitate inquinares? *Liv.* 9, 46. Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat. *Cic. Phil.* 2, 17. Quos iste agros, ereptos reipublicae, turpissimis possessoribus inquinavit. *Id. Fin.* 5, 8. Obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. *Liv.* 29, 37. *med.* Inquinare famam alterius. *Cic. Tusc.* 5, 2. se parricidio; et *ib.* 1, 30. vitiis atque flagitiis. *Curt.* 6, 11. *f.* innoxios. *Hor. Od.* 3, 6, 17. Fecunda culpae saecula nuptias Primum inquinavere, et genus, et domos. *Id. Epod.* 16, 64. Juppiter inquinavit aere tempus aureum. ℙ V. alia in v. praec.

INQUIO, et saepius Inquam, is, *λέγω, φημί*, dico, loquor. Est a. 3. secundum *Prisc.* 10. *in.* et 4. secundum *Diomed.* 1, 375. Putat *Voss.* esse *inquio* ab *ἐνέπω*, et *inquam* per syncopen ab *inquiebam*, ut olim fuerit imperfectum, nunc vero usu pro praesenti usurpetur. [Rectius tamen duxeris ab inusit. *ἔνημι*, compos. ex *ἐν*, in, et *ημι* Dorice pro *φημί*, dico; deinde, absorpta ultima vocali *ι*, ortum *inquam*, et Latina desinentia *inquio. F.* *Vossii ratio praeferenda videtur: nempe *inquio* ab *ἐνέπω* eodem modo factum est, quo *sequor* ab *ἕπομαι.*] Verbum est defectivum, et sine casu usurpatur: cujus tempora, ac personas omnes hic subnectam. *Hor. Sat.* 1, 3, 66. Communi sensu plane caret, inquimus, eheu, etc. *Arnob.* 2, 44. Non credimus, inquitis, vera esse quae dicit. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? *Id. Top.* 12. Inquibat Gallus noster. Al. leg. *inquiebat. Catull.* 10, 14. At certe tamen, inquiit, quod illic, etc. Al. leg. *inquiunt. Cic. Or.* 2, 64. Tu vero, inquisti, molestus non eris. *Catull.* 24, 7. non est homo bellus, inquies? est. *Cic. Verr.* 2, 2, 18. Ergo, inquiet aliquis, donavit, etc. *Auct. ad Her.* 2, 21. Quid amor? inquiet quisquam. *Ter. Heaut.* 4, 7, 1. Eccum me, inque. *Pl. Aul.* 4, 10, 58. et *Rud.* 5, 2, 55. Ita Dii faxint, inquito. *Auct. ad Her.* 4, 3. Quid enim tibi vis? inquiat aliquis. Ita legit *Prisc.* 10. *in.* alii *inquiet.* ℙ Usitatissima sunt *inquam*, *inquis*, *inquit*, quae poni non solent in oratione, nisi post unum aut alterum verbum. *Nep. Alcib.* 8. Ab hoc discedens Alcibiades, quoniam, inquit, victoriae repugnas; etc. *Cic. Planc.* 26. *extr.* Cum respondissem, me ex provincia decedere, etiam mehercules, inquit, ut opinor, ex Africa. Huic ego jam

stomachans fastidiose, immo ex Sicilia, inquam, etc. Sic *Cat.* 3, 5. Quaesivi, cognosceretne signum, annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum, etc. ℙ [**Inquit* etiam precantis est ap. *Liv.* 1, 12. Romulus — Jupiter, inquit, tuis jussus avibus, etc.] ℙ *Inquam* adhibetur saepe in repetitione. *Cic. Phil.* 2, 44. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem defende, si potes. *Id. Att.* 1, 20. *f.* Per mihi, per, inquam, mihi gratum feceris, si, etc. *Id. Fin.* 2, 22. Delector enim: quamquam te non possum, ut ais, corrumpere: delector, inquam, et familia vestra et nomine. ℙ *Inquam, inquit* in dialogis locum habent, qui aliorum nomine referuntur. *Cic. Amic.* 1. Quasi ipsos induxi loquentes, ne *inquam*, et *inquit* saepius interponeretur. *Id. Att.* 5, 1. At illa audientibus nobis, ego sum, inquit, hic hospita. Adde *ib.* 13, 42. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 797. p. 585. Differt ab *ait* in eo, quod hoc affirmandi, concedendi notionem continet. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 186. p. 800. sq.] ℙ *Inquam* servit etiam indignationi. *Lucr.* 2, 257. Libera per terras unde haec animantibus exstat, Unde est haec, inquam, fatis avulsa voluntas? [**Cic. Verr.* 2, 4, 29. Rex maximo conventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracusis. *Vell.* 2, 66, 3. Nihil tamen egisti, M. Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis, terumpens animo et pectore indignatio;) nihil, inquam, egisti, etc. Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 736. p. 551.] ℙ Cum dativo personae. *Cic. Att.* 5, 1. Tum Quintius, en, inquit mihi, haec ego patior quotidie. *Catull.* 10, 27. minime, inquio puellae. Est qui leg. *inquii.* ℙ Praeterea *inquit* veluti formula est, ubi aliquid ex adverso nobis objici, et opponi fingimus; sive ab uno, sive a pluribus; sive a praesente, sive ab absente fiat. [*Nostr. *sagt man*, *heisst es.* Laud. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 161. *n.* 1. p. 578. *Cic. Leg.* 2, 24. Cetera funebria, quibus luctus augetur, duodecim sustulerunt. Homini, inquit (sc. lex) mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat; et *Sen. Ira* 2, 12. Non magis quisquam eodem tempore et iratus potest esse, et vir bonus, quam aeger et sanus. Non potest, inquit, (sc. aliquis) omnis ex animo ira tolli, nec hoc hominis natura patitur. V. quae laudat *Spald.* ad *Quint.* 5, 11, 21.] *Cic. Cluent.* 34. Hoc vos Cluentio putatis obesse oportere: quam ob causam? Si ex lege subsortitus non erat Junius, aut si in legem aliquando non juraverat, idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio judicabatur? Non, inquit: sed ille idcirco his legibus condemnatus est, quod, etc. (pro *inquitis.*) *Id. Fl.* 23. Nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suam ne dicant, sibi a civitatibus collatam in usum suum: cupio audire. Non, inquit, dicimus. Quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine, ad hujus dies festos atque ludos. Quid tum? hanc te, inquit, capere non licuit, (pro *inquiunt.*) *Hor. Sat.* 1, 4, 78. laedere gaudes, Inquit, et hoc studio pravus facis, (pro *inquis.*) Al. leg. *inquis:* sed contradicit *Bentl.* (a quo haec desumpsimus) alia quoque congerens in hanc rem. [*V. *Gronov.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 34, 3, 9.] ℙ Interdum *inquit* omittitur. *Phaedr.* 5, 5. Turpemque aperto pignore errorem probans, En, hic declarat, quales sitis judices. Adde 1, 30., *Ter. Hec.* 1, 2, 73., *Val. Fl.* 1, 626. et *Virg. G.* 4, 356. [*Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 9, 1. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 205. 3. b. p. 983. *Spald.* ad *Quint.* 6, 3, 96. ℙ Interdum etiam abundanter ponitur. *Rut. Lup.* 1, 5. *f.* Cui Proculejus pater subjecit: immo vero, inquit, velim meam mortem exspectes; ita h. l. emend. *Ruhnk.* qui haec laud. *Liv.* 7, 16. Sex. Tullius exclamat: Adspice, imperator, inquit, etc. *Sen. Ira.* 23. Excepit Demochares: Te, inquit, suspendere. *Gell.* 2, 13. de Graccho ita scripsit: Orare coepit, inquit. coll. *Gronov.* ad h. l. etc. Adde *Nep. Ann.* 2, 2. hoc adjunxit: Pater, inquit, meus, cet. ubi *Brem.* de simili usu Gr. v. φησὶ comparat *Sturz. Lex. Xenoph.* s. v. φάναι *n.* 16. c. ℙ Repetiti hujus vocabuli exempla haec sunto. *Cic. N. D.* 1, 7, 17. Mihi vero, inquit, Cotta videtur; sed ut hic qui intervenit cet. — Quamobrem inquit, Vellei, nisi molestum est: ubi *Heindf.* laudat ista: *Or.* 2, 3. Crassus, numquidnam, inquit, novi? Nihil sane, inquit, Catulus; etenim vides esse ludos: sed vel tu nos ineptos licet, inquit, vel molestos putes, cum ad me in Tusculanum, inquit, heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit, cet.; et *ib.* 2, 74. Dicam equidem, Caesar inquit, quid intelligam; sed et tu et vos omnes hoc, inquit, mementote etc. *Suet. Caes.* 32. Tunc Caesar, eatur, inquit, quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea est, inquit: ubi defendit quidem alterum *inquit Oudendorp.*; sed suspectum est *B. Crusio* et rejecerunt etiam *Ernest.* et *Brem.* ut in concitatiori sermone minus apto loco positum. Similis est Gr. usus in v. ἔφη. *Plat. Phaedon.* §. 60. ed. *Heindf.* Πόθεν οὖν ἔφη, ὦ Σώκρατες, τῶν τοιούτων ἀγαθὸν ἐπῳδὸν ληψόμενα, ἐπειδὴ σὺ, ἔφη, ἡμᾶς ἀπολείπεις;] ℙ **Inquid* pro *inquit* saepe scribitur, seq. *t*, aut alia consonante, ut *inquid Tubero* ap. *Cic. de Rep.* 1. (ed. *A. Maio*) 15., et *inquid tam mane* ap. *eund. ib.* 9., et *inquid Philus* ap. *eund. ib.* 11. *B. A.*

INQUĪRO, is, sivi, situm, a. 3. ἐξετάζω, ἐπιζητέω, exquiro, anquiro, perquiro, investigo, quasi in aliqua re quaero. *Cic. Tusc.* 3, 2. Vera illa honestas, quam natura maxime inquirit. *Liv.* 22, 7. *med.* Priusquam omnia ordine inquisissent. [*Huc referendus locus, quem Noster in f. h. §. posuit. *Just.* 3, 4. Ad sedes inquirendas proficiscuntur Partheniae. ℙ Tum frequentissimus hujus verbi usus est de iis, quorum ratio, natura, quaenam sit, investigatur. Ita saepissime in rebus philosophicis.] *Cic. Or.* 3, 29. Consecutio autem tractatur, cum, quid quamque rem sequatur, inquiritur. *Quint.* 3, 11. *med.* Ne parum diligenter inquisisse de opere, quod aggressi sumus, videremur. *Hor. Sat.* 1, 3, 41. Primum nam inquiram, quid sit furere. *Id. ib.* 1, 3, 28. Vitia alicujus inquirere. *Cic. Off.* 1, 34. De alieno negotio nihil inquirere. Al. leg. *anquirere.* [*Hoc unice c. *edd.* optimis probandum est. *Anquirere* enim est, ex omnibus undique locis conquirere, quo utaris; *inquirere* de eo dicitur, quod scire cupimus, neque commode post se habet praepositionem *de*, quae ap. seriores demum in usum venit dicendi ratio. Seq. loco *Orell. inquiras* tuetur.] et *Leg.* 1, 1. diligenter in ea, quae memoriae sunt prodita. Al. leg. *anquirere.* ℙ Est etiam verbum forense, et dicitur de iis, qui accusandi causa, aut judicandi, quaerunt qui mores ejus sint, quae crimina, quo de agitur. *Cic. Verr.* 1, 2. Cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem. *Id. Mur.* 21. *f.* Scis tu, illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quaerere? *Caes. B. G.* 1, 18. *f.* Reperiebat Caesar inquirendo, initium ejus fugae a Dumnorige factum esse. [*Ap. *Moeb.* legitur *in quaerendo.*] *Curt.* 6, 8. *extr.* Inquirere de rebus capitalibus. [**Liv.* 40, 20. Inquisitum missi de iis, quorum, etc.] ℙ Hinc translate. *Cic. Brut.* 82. Nimium inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. *Ov. Met.* 1, 148. Filius ante diem patrios inquirit in annos, *h. e.* aetatem sciscitatur et valetudinem, ejus mortem cupit, adeundae hereditatis impatiens; et *ib.* 12, 62. de Fama: Ipsa quid in coelo rerum, pelagoque geratur, Et tellure videt, totumque inquirit in orbem. *Tac. G.* 34. Obstitit oceanus, in se simul, atque in Herculem inquiri. ℙ [*Confund. *inquirere* et *incurrere.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 16. p. 174. sq. ed. *Frotsch.*]

INQUĪSĪTE. V. ANQUISITE.

INQUĪSĪTĬO, onis, f. ἐξέτασις, investigatio, disquisitio. *Pl. Cas.* 3, 1. *f.* Sed tu cave, inquisitioni mihi sis. *Plin.* 8, 30, 44. Ab uno animali sepulcra erui, inquisitione corporum. [*Huc pertinet locus, quem Noster in f. posuerat. *Curt.* 4, 6. *f.* Amyntam in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. V. v. sq. ℙ Hinc omnino studium, quid in quaque re verum sit, perspiciendi, *Untersuchung*, *Forschung.* Hic debebat collocari exemplum a Nostro positum ab initio. *Cic. Off.* 1, 4. Hominis est propria veri inquisitio atque investigatio: ubi ita differt *investigatio*, ut difficilem et operosam veri perscrutationem, dum vestigia veritatis passim latentia legimus ac persequimur, significet.] ℙ Speciatim est investigatio vitae et criminum alicujus, qui accusandus, aut judicandus est. *Cic. Verr.* 2, 2, 4. Ecquem existimatis unquam ulla in provincia reum absentem, contra inquisitionem accusatoris, tantis opibus esse defensum? *Id. Mur.* 21. Non placet mihi inquisitio candidati, praenuncia repulsae. *Tac. A.* 13, 43. Inquisitionem annuam impetrare, *h. e.* annum ad inquirendum. Sic *Ascon. in argum. or. pro Scauro.* Inquisitionem in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, *h. e.* veniam, et facultatem inquirendi. Sic *Plin. ep.* 3, 9. Postulare inquisitionem in aliquem; et *ep.* 5, 20. Dare inquisitionem alicui. *Plin. alter* 29, 1, 8. agere. *Id.* 30, 2, 5. Inquisitiones alicui mandare. *Tac. Agr.* 2. Ademptum per inquisitiones loquendi audiendique commercium.

INQUĪSĪTOR, oris, m. ἐξεταστής, qui inquirit, seu investigat. *Plin.* 8, 40, 61. Scrutatur vestigia (*canis*), atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens, *h. e.* venatorem. *Suet. Caes.* 1. Ut prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seque ab inquisitoribus pecunia redimere. [*V. *B. Crusium* et *Casaubonum* ad h. l.] *Juven.* 4, 49. dispersi protinus algae Inquisitores agerent cum remige nudo. [*Huc pertinet locus a Nostro ad f. positus. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 39. de tironibus: Lecti si sunt, inquisitor peccavit: si vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederunt. Al. leg. *inquisitio:* quam v. v. ℙ Hinc dicitur de iis, qui in rebus philosophicis studio investigandi, perscrutandi ducuntur. *Cic. fr. Acad.* ap. *August. contra Acad.* 2, 11. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Sen. Q. N.* 6, 13. Rerum naturae inquisitor fuit.] ℙ Speciatim est, qui in alterius vitam inquirit, accusationis, aut judicii causa. *Cic. Verr.* 1, 2. Ille Achaicus inquisitor ne Brundusium quidem pervenit. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Norbanus legatus et inquisitor reum postulavit. *Sen. Ben.* 5, 25. Inquisitorem habebat veterem amicum, *h. e.* putabat veterem amicum esse inquisitorem sui.

INQUĪSĪTUS, a, um, part. ab *inquiro*, ἐπιζητηθείς, investigatus. *Liv.* 10, 40. *med.* Juvenis rem inquisitam, ne quid incompertum deferret ad consulem, detulit. *Id.* 22, 7. Flaminii corpus magna cum cura inquisitum, non invenit. ℙ Item non quaesitus. *Pl. Amph.* 2, 2, 217. Istam rem inquisitam certum est non amittere; et 4, 1, 9. Quaestionem inquisitam amittere.

INRĀDO. V. IRRADO.

*INRECTUS, a, um, adj. non rectus. *Non.* 1, 226. Vulpinari dictum est ab inrecto, seu intorto vulpium cursu. V. VULPINOR. *B. A.*

INRĔDĪVĪVUS,

INRESTINCTUS, et hujusmodi. V. IRREDIVIVUS, etc.

INRŪDIS. V. IRRUDIS.

INSĂLUBRIS, e, adj. ἀνυγιὴς, νοσώδης, non salubris, gravis, noxius. *Colum.* 1, 4. et *Plin.* 18, 5, 6. Fundum sicuti ne fecundissimi quidem soli, cum sit insalubris; ita nec effeti, si vel saluberrimus sit, parandum. *Plin.* 17, 2, 2. Meridiem vineas spectare colono insalubre est. *Gell.* 19, 5. *med.* Manet, quod est gravius, sordidius, et insalubrius. *Plin.* 23, 1, 22. Vinum fumo inveteratum, insaluberrimum est.

*INSĂLUBRĬTER, adv. non salubriter. *Salv. in avar.* 3. *in.* Loco et causae huic non insalubriter coaptatur. *Id. paulo post.* Parentibus naturae insalubriter indulgentibus. *B. A.*

INSĂLŪTĀRIS, pro salutaris, quidam legunt ap. *Appul. Met.* 2. Licet insalutare non erit, Fotis illa tentetur. Sed alii multo rectius *salutare.*

INSĂLŪTĀTUS, a, um, adj. ἀπροσηγόρητος, non salutatus. *Sidon. ep.* 4, 10. Annis jam multis insalutatus. Per tmesin *Virg. A.* 9, 288. Inque salutatam linquo.

INSĂNĂBĬLIS, e, adj. ἄνιατος, qui sanari non potest. *Cic. Tusc.* 5, 1. Insanabiles morbi. *Colum.* 7, 5. Vulnus insanabile. *Plin.* 7, 15, 13. Insanabili veneno morsus inficitur. *Hor. A. P.* 300. tribus Anticyris caput insanabile. *Liv.* 28, 25. Laetari, quod nihil tristius, nec insanabilius esset. *Id.* 1, 28. Insanabile ingenium. *Cic. Or.* 26. Insanabiles contumeliae. *Curt.* 10, 2. Remedia insanabilibus adhibere. *Plin.* 24, 17, 100. Insanabili leto perire. ℙ Apud *Lactant.* 4, 19. legitur (si locus mendo caret) Insanibili furore correpti, *h. e.* insanienti. Ut *infinibilis* a *finio* fit, a *partio partibilis*, ita *insanibilis* ab *insanio.*

*INSANABILĬTER, adv. *Marcell. et Faust. in lib. Prec. ad Imp.* p. 19. ed. *Sirmond.* Cum animi morbo insanabiliter aegro. *B. A.*

*INSANCTUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat.* Insanctus, ὁ μὴ ἅγιος. *B. A.*

INSĀNE, adv. ἐπιμανῶς, insipienter, stulte. *Pl. Curc.* 1, 3, 20. Bonum est pauxillum amare sane: insane non bonum est. *Hor. Sat.* 1, 10, 34. In silvam non ligna feras insanius, ac si, etc. *August. ep.* 238. Insanissime desperare. ℙ Item vehementer, immodice. *Varr. L. L.* 6, 5. Plautus vehementer cum vellet dicere, dicit insane: quod insani faciunt omnia vehementer. *Plauti* locus est *Mil.* 1, 1, 24. Esuriens insane bene.

INSĀNĬA, ae, f. ἄνοια, μανία, morbus animi, quo de suo statu deducitur, dementia, insipientia, stultitia. *Cic. Tusc.* 3, 4. Nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum, i. e. insanitatem et aegrotum animum, quam appellarunt insaniam; et *mox.* Sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit; et 5. *extr.* Furorem esse rati sunt, mentis ad omnia caecitatem: quod cum majus esse videatur, quam insania, tamen ejusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. V. FUROR. *Id. Pis.* 20. Mihi non venerat in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. *Val. Fl.* 2, 525. vanique insania coepti. *Virg. A.* 7, 461. Saevit amor ferri, et scelerata insania belli. *Mart.* 9, 71. Nulla est insania ferri, *h. e.* bellicus furor. *Plin.* 9, 36, 60. purpurae, *h. e.* nimia cupiditas. Sic *Mart.* 8, 48. foedique insania lucri. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Concupiscere aliquid ad insaniam. Sic *Suet. Cal.* 55. Favere alicui ad insaniam. *Plin.* 21, 31, 105. Insaniam facere; et 25, 4, 17. gignere; et 31, 2, 4. abolere. *Ter. Adelph.* 1, 2, 31. Adigere ad insaniam. ℙ De mentis alienatione poetica. *Hor. Od.* 3, 4, 5. Auditis? an me ludit amabilis Insania? audire, et videor pios Errare per lucos. ℙ De immodica magnitudine, aut impensis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ea villa, quae

nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quae objurget ceterarum villarum insaniam. *Plin.* 13, 15, 29. Insania mensarum. *Id.* 19, 1, 5. Vestium insania. *Cic. Sull.* 25. Insania libidinum, *h. e.* immodicae, immensae libidines. *Liv.* 7, 2. *extr.* Ut appareret, quam ab sano initio res in hanc, vix opulentis regnis tolerabilem, insaniam venerit. ℙ Transfertur et ad orationem. *Cic. Brut.* 82. Insulsitatem et insolentiam, tanquam insaniam quandam orationis, odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. ℙ In plur. num. *Pl. Aul.* 4, 4. 15. Larvae hunc, atque intemperiae, insaniaeque agitant senem. *Cic. Fam.* 4, 1. Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. *Plin.* 26, 11, 72. Contra insanias vettonica bibitur. ℙ *Optimum est aliena insania frui*, proverb. ap. *Plin.* 18, 5, 6. *extr.* h. e. parvo emere, quae alii maximis impensis compararunt. ℙ A *Celso* dicitur de morbo, qui φρενῖτις Graece appellatur, *h. e.* continua dementia cum febri: de qua plura ille 3, 18.

INSANĬBĬLIS. V. INSANABILIS.

INSANIENS, entis, part. ab *insanio*, μαινόμενος, insania laborans. *Ter. Adelph.* 4, 2, 22. Verum venit post insaniens: nihil pepercit. *Curt.* 8, 7. Scelere et malis insanientem ultra negat audiendum. *Petr. Sat.* 3. Necesse habent cum insanientibus furere, (proverbii genus, de quo *Hor. Sat.* 2, 3, 39. pudor, inquit, te malus angit, Insanos qui inter vereare insanus haberi.) *Plin.* 25, 5, 22. Elleborum nigrum medetur insanientibus. ℙ *Insaniens*, phrenitide laborans, non semel ap. *Cels.* 3, 18. ℙ *Insanientem sapientiam* appellat *Hor. Od.* 1, 34, 2. sectam Epicuri, qui Deos, ac religionem sustulit. ℙ Translate. *Id. ib.* 3, 4, 30. Insanientem navita Bosphorum Tentabo, *h. e.* furentem undis, procellosum.

INSĀNĬO, is, ivi, et ii, itum, n. 4. μαίνομαι, παραφρονέω, insanus sum, furo, desipio. *Cic. Att.* 1, 29. Nec tamen insaniturum illum puto. *Id. Or.* 67. In alienos insanus insanisti. *Ter. Ph.* 4, 3, 37. Primo homo insanibat: (pro *insaniebat*, ut *audibat*, *lenibant*, etc.) scilicet nimis multam pecuniam postulando. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Usque eo est commotus, ut insanire omnibus ac furere videretur. *Id. Fam.* 9, 21. Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses. *Id. Att.* 7, 10. Adhuc certe, nisi ego insanio, stulte omnia, et incaute. *Pl. Merc.* 2, 2, 53. Insanire ex amore. *Ter. Adelph.* 2, 1, 43. et *Liv.* 7, 39. ex injuria. *Plin.* 10, 37, 53. amore alicujus rei. [**Hor. Sat.* 1, 2, 49. Sallustius in quas Non minus insanit quam qui moechatur. *Bentl. in qua*, scil. *classe*, ad Gr. morem μαίνεσθαι ἐπί τινι. *Valk.* ad *Theocrit.* 1, 48. At discrimen est inter *insanire in aliqua* et *in aliquam*. Illud dicitur de amore usque ad insaniam excitato; hoc pertinet ad eum, qui in consuetudine cum aliquo insanum se aliqua ratione gerit; quae est hujus loci sententia. V. *Heindf.*] ℙ Cum accus. Graeco more. *Hor. Sat.* 2, 3, 63. errorem; et *Ep.* 1, 1, 101. solemnia; et *Sat.* 2, 3, 301. stultitiam. Al. leg. stultitia. [*Ita *Heindf.* quem v. illud *Bentl. Lambin.* et *Cruq.*] *Propert.* 2, 25, 25. amores alicujus, *h. e.* deperire eam, quam ille quoque amat. *Sen. V. B.* 12. Hilarem insaniam insanire ac per risum furere. ℙ Refertur ad nimios sumptus, et res immodicas. *Pl. Mil.* 3, 1, 160. Quid opus fuit hoc, hospes, sumptu tanto, nostra gratia? Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem. *Id. Merc.* 2, 1, 40. Amavi equidem olim in adolescentia: Verum ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio. ℙ Et ad contentionem, et oestrum poetici certaminis. *Virg. Ecl.* 3, 36. Insanire libet quoniam tibi. ℙ Et ad ardorem pugnandi. *Stat. Theb.* 3, 668. Illic augur ego, et mecum quicumque parati Insanire manu. ℙ Et ad orationem nimis veluti bacchantem. *Quint.* 12, 10. *f.* Vitiosum et corruptum dicendi genus, quod aut praecipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit. ℙ Dicitur et de brutis animalibus, cum ex morbo furunt. *Plin.* 27, 11, 76. de bobus: Alligari ad praesepia oportet, donec purgentur; insanire enim soleut. ℙ De eo, qui cupide aedificat. *Auct. ad Her.* 4, 50. *extr.* Tametsi in Tusculano quidem coepi insanire, et in iisdem fundamentis aedificare. ℙ *Insanire cum ratione* de iis est, quae fieri nullo modo possunt. *Ter. Eun.* 1, 1, 18. et *Hor. Sat.* 2, 3, 270. ℙ Passive impersonaliter. *Sen. Contr.* 2, 9. *med.* Domus in qua totiens aut insanitur a patre, aut peccatur in liberos.

INSĀNĬTAS, atis, f. mala valetudo, morbus. *Cic. Tusc.* 3, 4. Nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum, idest insanitatem et aegrotum animum; et 5. Sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam. Adde *Varr.* ap. *Non.* 1, 245. et 2, 414.

INSĀNĬTER, adv. insane. *Pompon.* ap. *Non.* 11, 4. et ap. *Prisc.* 15, 1010. Ludit nimium insaniter.

INSĀNUS, a, um, adj. μανικός, παράφρων, non sanus: sed refertur ad animum, qui aegritudine, quasi morbo, perturbatur, (V. *Cic. Tusc.* 3, 4. et 5.) amens, demens, furens, vesanus. *Ter. Eun.* 2, 2, 23. Hic homines prorsus ex stultis insanos facit; et 5, 2, 22. Abin' hinc, insana? *Cic. Par.* 4. Ego vero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper; sed amentem et insanum rebus addicam necessariis. *Id. Acad.* 4, 17. Quod idem contingit insanis, ut incipientes furere, sentiant. *Id. Rosc. Am.* 12. Hominem longe audacissimum, et quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. *Id. Sext.* 7. Homo flagitiis insanus. *Hor. Sat.* 2, 3, 102. uter est insanior horum? *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Acrior et insanior cupiditas. *Id. Mil.* 17. Insanissima concio. *Virg. A.* 9, 760. caedisque insana cupido. *Id. Ecl.* 10, 44. Insanus amor duri me Martis in armis Detinet. *Tibull.* 2, 5, 116. insana mente nefanda loqui. *Propert.* 4, 8, 60. Omnis et insana semita nocte sonat, *h. e.* feminis noctu insanientibus. *Id.* 4, 1, 134. insano verba tonare foro, *h. e.* ubi homines actionibus strepunt, ac veluti insaniunt. *Id.* 2, 18, 16. Et Phrygis insanos caeditur ad numeros, *h. e.* ad sonum tibiae Berecynthiae, quando cultris se ipsos secabant, qui illis sacris operabantur. *Calpurn. Ecl.* 1, 59. Insani enses, *h. e.* eorum arma, quos belli insania cepit. ℙ Metonymice. *Seren. Sammon.* 20. *f.* Insana herba, *h. e.* hyoscyamus, quia insaniam gignit. *Plin.* 16, 44, 89. Laurum insanam vocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiunt, donec abjiciatur. Sic *Lucan.* 7, 413. insana fames, *h. e.* quae ad insaniam redigit; et *Ov. Fast.* 4, 364. Amnis it insana, nomine Gallus, aqua, *h. e.* quae pota insaniam inducit. ℙ De iis, qui divino furore, oestroque percelluntur. *Virg. A.* 3, 443. Insanam vatem aspicies, quae rupe sub ima Fata canit. ℙ Rebus quoque inanimis tribuitur. *Virg. Ecl.* 9, 43. Huc ades: insani feriant sine litora fluctus. *Tibull.* 2, 4, 9. insanis cautes obnoxia ventis. *Stat. Th.* 1, 366. Insanus turbo. *Sen. Phoen.* 420. insanae procellae. *Id. Agam.* 598. maria asperis insana coris, *h. e.* procellosa. Sic *Hor. Od.* 3, 7, 6. insana Caprae sidera. *Virg. G.* 1, 481. insano contorquens vertice silvas Fluviorum rex Eridanus. *Pers.* 3, 5. insana Canicula. *Stat. Th.* 5, 373. puppemque insana flagellat Arbor, *h. e.* malus navis impellente procella, nutat, casuro similis, et frangi proximus, quasi insanus sit, et loco stare nesciat. ℙ Saepe significat magnum, immodicum, vehementem, qualia sunt, quae insani faciunt. *Cic. Mil.* 31. Arae, quas ille praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat. *Auson. Sapient. de Solone* 20. Dives insanum in modum. *Liv.* 32, 17. *extr.* Insana trepidatio. *Virg. A.* 6, 133. insano juvat indulgere labori. [**Hor. Sat.* 2, 2, 5. Cum stupet insanis acies fulgoribus, i. e. nimis magnis. *Lamb.* ab effectu, quia animum spoliant sanitate. *Plin. H. N.* 36, 24, 2. Substructiones insanae Capitolii.] ℙ De insanis vitibus. *Plin.* 16, 27, 50. Vites quidem et triferae sunt, quas ob id insanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. ℙ *Insani montes* ap. *Liv.* 30, 39. et *Flor.* 2, 6. *med.* sunt praealti in Sardinia, e quorum vertice validi venti et maxime incerti (unde nomen) in mare ruunt, et periculum navigantibus afferunt. *Claud. B. G.* 513. insanos infamat navita montes. ℙ *Insanus* pro non sanus, ut ad corporis valetudinem referatur, videtur quibusdam usurpari tum in ipsis Sardiniae *insanis montibus*, quod dicantur ob altitudinem prohibere septentrionales ventos, unde pars ejus insulae meridionalis pestilens sit: tum ex loco *Silii*, ubi narrat de Annibale 1, 250. vertice nudo Excipere insanos imbres, etc. Sed non satis id probant. ℙ *Insanum* adverbii more ponitur pro insane, h. e. valde. *Pl. Most.* 3, 3, 5. quid porticus? *Theu.* insanum bonam. *Id. Bacch.* 4, 5, 1. Insanum magnum molior negotium. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 450. Insanum valde uterque deamat.

INSĀTĬĀBĬLIS, e, adj. ἀπλήρωτος, quia satiari nequit, insaturabilis, inexplebilis. *Cic. Tusc.* 1, 19. Natura inest mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi. *Sall. Cat.* 11. Avaritia semper infinita, insatiabilis est. *Cic. Tusc.* 5, 25. Insatiabili gaudio compleri. *Id. Phil.* 11, 3. Insatiabilem crudelitatem exercere. *Liv.* 4, 13. Est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet. *Just.* 1, 8. *extr.* Insatiabilem esse sanguinis. *Val. Max.* 8, 14. *n.* 3. *extr.* Pectus insatiabile laudis. *Juven.* 14, 125. acquirendi insatiabile votum. *Ov. Ib.* 173. Deque tuo fiet (licet hac sis laude superbus) Insatiabilibus corpore rixa lupis. ℙ Item qui satietatem, et fastidium non affert. *Cic. N. D.* 2, 39. Terra universa cernatur, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 441. Coeli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemque pulcritudinem spectare. *Id. N. D.* 2, 62. Nulla est enim insatiabilior species, nulla pulcrior.

INSĀTĬĀBĬLĬTAS, atis, f. ἀπλησία, cupiditas inexplebilis. *Ammian.* 31, 4. *med.* Quantos undique insatiabilitas colligere potuit canes.

INSĀTĬABĬLĬTER, adv. ἀκορέστως, sine satietate. *Lucr.* 3, 921. Insatiabiliter deflebimus, aeternumque; et 6, 978. Insatiabiliter toti (*sues*) ut volvantur ibidem (*in coeno*). *Plin. ep.* 9, 6. In re inani insatiabiliter desidere. *Tac. A.* 4, 38. *extr.* Insatiabiliter parare memoriam sui. *Lact. Epit.* 4. *med.* Opes congerere.

INSĀTĬĀTUS, a, um, adj. non satiatus. *Stat. Th.* 6, 305. Insatiatus ardor eundi.

INSĀTĬĒTAS, atis, f. *Pl. Aul.* 3, 5, 13. Quorum animis avidis, atque insatietatibus Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.

INSĀTĪVUS, a, um, adj. qui non seritur, sed sponte provenit. *Plin.* 19, 12, 60. Hoc insativum rumex vocatur. Al. rectius leg. *in sativis.*

INSĀTŪRĀBĬLIS, e, adj. inexsaturabilis, insatiabilis. *Cic. Sext.* 51. *extr.* Manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant. *Oros.* 3, 18, *f.* Alexander insaturabilis sanguinis humani.

INSĀTŪRĀBĬLĬTER, adv. idem ac insatiabiliter. *Cic. N. D.* 2, 25. Annisque praeteritis insaturabiliter expletur.

INSĀTŪRĀTUS, a, um, adj. insatiatus. *Avien. Phaenom. Arat.* 183. Noverca insaturata odiis.

[INSĀTŪRUS, a, um, adj. insaturabilis. *Coripp. Joann.* 3, 368. et tantis implevit praedia rebus Insaturus. *F.*]

INSCALPO. V. INSCULPO.

INSCALPTUS. V. INSCULPTUS.

INSCENDO, is, endi, ensum, a. 3. ἀναβαίνω, idem quod ascendo. *Cato R. R.* 127. Supra pilam inscendat. *Pl. Amph.* 1, 1, 294. Quadrigas Jovis inscendere. *Id. Aul.* 4, 6, 12. Inscendere in arborem. *Id. Asin.* 4, 1, 31. in lectum. *Id. Men.* 5, 2, 110. in currum. *Suet. Ner.* 48. equum. *Tac. A.* 14, 15. scenam. De bucephalo *Gell.* 5, 2. Haud unquam inscendi sese ab alio, nisi a rege, passus est. ℙ *Inscendere* absolute, pro in navem inscendere, conscendere. *Pl. Mil.* 2, 1, 37. Ubi amicam avectam scio, Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nunciem. ℙ *Inscendere mulierem* est inire, συννοιάζειν, ap. *Appul. Met.* 7. et 10.

INSCENSĬO, onis, f. ascensio. *Pl. Rud.* 2, 6, 19. Quid hinc abitio, quidve in navem inscensio est? **Auct. Itin. Alex.* 99. *extr.* ed. *A. Maio. B. A.*

INSCENSUS, a, um, part. ab *inscendo*. *Appul. Met.* 7. Properiter inscensum (*asinum*) baculo obverberans per obliquam ducebat viam. *Id. ib.* 2. Inscenso grabatulo. *Suet. Tit.* 4. equo.

INSCENSUS, us, m. Pro initu (in sexto casu sing.) *Appul. Met.* 7. Daturus dominis equarum inscensu generoso multas mulas alumnas.

INSCĬĒ, adv. inscienter. *Appul. de Deo Socrat.* Hos Deos plurimi, sed non rite, venerantur; omnes, sed inscie, metuunt; pauci, sed impie, diffitentur.

INSCĬENS, entis, adj. ἀγνῶς, ignarus. *Cic. Fam.* 5, 2. Nihil in ea re per collegam meum, me insciente, esse factum. *Ter. Phorm.* 1, 2, 9. Abi, sis, insciens. *Id. Heaut.* 4, 1, 18. Si peccavi, insciens feci; et 20. Certo scio, te inscientem atque imprudentem dicere ac facere omnia. *Cic. Balb.* 5. Utrum inscientem vultis contra foedera fecisse, an scientem? ℙ *Insciens* pro sciens. *Alfen. Dig.* 41, 3, 34. Si servus, insciente domino, rem peculiarem vendidisset, emptorem usucapere posse. In *fragm. legis Mamiliae*, p. 340. *Goes.* In terminos singulos, quos ejecerit, locove moverit insciens dolo malo, HS XXV. dare damnas esto. Al. leg. *sciens:* et de loco etiam *Digestor.* mirae lites a criticis excitantur.

INSCĬENTER, adv. δι' ἄγνοιαν, per imprudentiam, sive ignorantiam. *Cic. Top.* 8. Ut si partiri velis tutelas, inscienter facias, si ullam praetermittas. *Liv.* 25, 10. Tuba inscienter a Graeco inflata. *Hyg. Astron.* 2, 12. Ut quidam inscientissime interpretantur.

INSCĬENTĬA, ae, f. ἄγνοια, ignorantia. [*Pertinet ad eos, qui aliquid nesciunt, cujus scientia aut ad ipsos non pertinet, ideoque postulari jure non potest; aut cujus comparandae occasio data nulla est. Hinc saepius c. v. *error* conjungitur.] *Cic. Sull.* 14. Vos in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae. *Id. Or.* 1, 46. Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. [*Adde *ib.* 3, 35, 142. Neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam. *N. D.* 3, 38. Deo non est excusatio inscientiae. *Inv.* 1, 2. Ita, propter errorem atque inscientiam, etc. *Acad.* 4, 47. *f.* Quod inscientia multa versaretur in vita. *Fin.* 1, 14. Vitam omnem perturbari videmus errore atque inscientia. ℙ Notandus est singularis hujus vocabuli usus in rebus philosophicis ap. *Cic. N. D.* 1, 1. De qua (natura Deorum) tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam, i. e. principium philosophiae, esse inscientiam, i. e. ignoratio, s. potius confessio ignorationis. Ita locum difficillimum eum-

que vexatissimum exhibet *Orell.* coll. *Tunstallo in Ep.* ad *Middleton.* p. 209. quem recte veram hujus loci lectionem defendere atque explicare dicit. Contra stant cum *Wyttenb. Schütz. Heindf. al.* qui vv. *id est principium philosophiae* ut ab explicatore profecta expungunt. V. quae de hac ratione disputantur a *Wolf.* Laudat praeter h. l. *Ernest.* in *cl. Cic.* etiam *Acad.* 1, 12. ℙ Ponitur c. genitivo subjecti. Huc pertinent ista: *Caes. B. G.* 7, 43. Inscientiam vulgi et *Plin.* 26, 1, 4. medicorum. ℙ Cum genitivo objecti, in quo dicendi genere Cicero plerumque utitur vv. *ignorantia s. ignoratio. Inscientiam* usurpat *Or.* 1, 34. ubi legitur *dicendi inscientia.*] *Caes. B. G.* 3, 9. Inscientia locorum; et 13. lini, *h. e.* lini elaborandi. *Nep. Epam.* 7. belli. ℙ [*Confunduntur fere ubique *inscientia* et *inscitia.*]

INSCĪTĒ, adv. *ἀμαθῶς, ἀτέχνως*, imperite, ineleganter, incompte, impolite. *Cic. Fin.* 3, 7. Inscite autem medicinae et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. *Id. Div.* 2, 13. Democritus non inscite nugatur. *Liv.* 36, 43. Romanas naves inscite factas, immobiles esse. *Gell.* 10, 16. Inscitissime petit.

INSCĪTĬA, ae, f. *ἄγνοια*, defectus facultatis applicandi id, quod alioquin scimus, imperitia. [*De discrimine, quo hoc vocabulum distet ab *inscientia* disputat *Gernhard.* in excursu ad *Cat. Maj.* ab eo una c. *Parad.* ed. Tribuitur junioribus, inertibus, imperitis, imprudentibus, stultis, qui nullo decori sensu ac judicio rem gerere solent.] *Cic. Prov. cons.* 5. Negotii gerendi inscitia. *Id. Or.* 1, 22. rerum. *Hor. Sat.* 2, 1, 81. sanctarum legum; et *ib.* 3, 43. quemcumque inscitia veri Caecum agit. *Tac. H.* 1, 1. Inscitia reipublicae. *Suet. Ner.* 41. artis. *Plin.* 7, 48, 49. temporum. *Tac. G.* 16. aedificandi. *Id. Agr.* 28. Amissae naves per inscitiam regendi. *Id. H.* 1, 54. Per inscitiam occidere aliquem; et *A.* 15, 58. Quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios; et *ib.* 11, 25. *extr.* Isque illi finis inscitiae erga domum suam, *h. e.* rerum domesticarum. ℙ Est etiam stultitia, quod et *Festus* monuit. *Pl. Curc.* 1, 3, 29. Male mereri de immerente inscitia est. *Id. Poen.* 4, 2, 99. Si eadem hic iterem, inscitia est. Adde *vet. Poet.* ap. *Cic. Sext.* 48. et *Ter. Eun.* 5, 9, 41. et *Ph.* 1, 2, 27. ℙ [Plurali num. *Front. Princip. Hist.* (ed. *A. Maio*) p. 319. Sed forte temere Syrorum munditias introspicere, et Pannoniorum inscitias. *F.*]

INSCĪTŬLUS, a, um, dimin. insciti. *Afran.* ap. *Non.* 1, 41. Novi non inscitulam ancillulam vestiplicam, et vestispicam.

INSCĪTUS, a, um, adj. *ἄτεχνος, ἄμουσος, μωρὸς*, qui, quod sciat, scite applicare nescit, stultus, imprudens. *Cic. N. D.* 2, 13. *med.* Quid est autem inscitius, quam eam naturam, quae omnes res sit complexa, non optimam dici? *Pl. Most.* 1, 3, 51. Inscita ecastor tu quidem es, quae istuc cures, ut te ille amet; et 2, 3, 85. Mulier haec stulta atque inscita est. *Id. Mil.* 3, 1, 141. Qui Deorum consilia culpat, stultus inscitusque est. *Id. Most.* 5, 2, 14. Sed tu quid istuc confugisti in aram inscitissimus? *Id. Merc.* 5, 4, 57. Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus scortarier, Cum eo lege agemus: inscitum arbitrabimur, *h. e.* invenustum, illepidum, ineptum, risu dignum. Sic *Suet. Ner.* 28. Exstatque cujusdam non inscitus jocus. *Auson. epigr.* 138. inscite magister. *Gell.* 2, 23. Ancilla non inscito ministerio, et facie non illiberali. *Pl. Rud.* 3, 1, 5. Mirum atque inscitum somniavi somnium: absurdum, ineptum, et quod, quid portendat, non facile dignoscas. ℙ Passive est non scitus. *Gell.* 1, 22. *med.* Nihil istorum vult dicere, sed nescio quid aliud indictum inscitumque dicit.

INSCIUS, a, um, adj. *ἀμαθής, ἀνεπιστήμων*, qui minime scit, nescius, ignorans, rudis, imperitus. *Cic. Acad.* 4, 7. *f.* Artem si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio? *Colum. prooem. l.* 6. Majus dispendium sequitur inertem et inscium pastorem, quam prudentem diligentemque compendium. *Varr. L. L.* 9, 3. *med.* Naturam usu inscio depravare. *Cic. Brut.* 85. Socrates se omnium rerum inscium fingit et rudem. *Id. Leg.* 2, 5. *f.* Neque medicorum praecepta dici vere possent, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint. *Id. Phil.* 9, 5. Perficite, ut is, quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat a vobis; et *Planc.* 16. Tu, me ignaro, nec opinante, inscio, notes et tuos, et tuorum necessarios? *Virg. A.* 1, 722. inscia Dido, Insideat quantus miserae Deus. *Caes. B. G.* 7, 77. Inscii quid in Aeduis gereretur; et *ib.* 4, 4. Inscios inopinantesque Menapios oppresserunt. *Hirt. B. Afr.* 37. Itaque, omnibus insciis, neque suspicantibus, jubet legiones educi. ℙ *Inscius de aliqua re* ap. *Pl. Trin.* 1, 2, 178. Ego de eorum verbis famigeratorum inscius, prosilui, etc. Potest tamen *inscius* cum *prosilui* conjungi. *Tryphon. Dig.* 16, 3, 31. Latro spolia deposuit apud Sejum inscium de malitia deponentis. ℙ Cum accusativo communi. *Turpil.* ap. *Non.* 9, 14. At enim scies ea, quae fuisti inscius. ℙ Cum infinito. *Varr.* ap. *Non.* 2, 760. Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 648. Sancta anima, atque inscia culpae, *h. e.* non conscia, non rea. *Id. G.* 3, 189. equus inscius aevi, *h. e.* etiamnum pullus, et qui quasi per aetatem nondum vivere didicit. *Ov. Fast.* 4, 750. Pabulaque in bustis inscia carpsit ovis. *Val. Fl.* 4, 36. de Argo: lumina inscia somni, *h. e.* oculi, qui nunquam somno clauduntur. *Sen. Oedip.* 545. humor lucis et Phoebi inscius, *h. e.* quem solis radii nunquam vident. *Juven.* 11, 66. Haedulus inscius herbae, *h. e.* qui nondum attigit herbam, et solo lacte est nutritus. ℙ *Non inscius* commode et eleganter de eo dicitur, qui probe omnino scit. *Cic. Fin.* 5, 19. Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Non inscius, neque imprudens sum, quae saevitia, quaeque tempestates futurae sint, etc. *Virg. A.* 10, 907. juguloque haud inscius accipit ensem. *Val. Fl.* 2, 278. de vate oestro assueta: et flatu non inscia gliscit anhelo. ℙ Passive etiam usurpatur pro ignoto, non cognito. *Appul. Met.* 5. Psyche inscio quodam tramite accedit quandam civitatem.

INSCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. *ἐπιγράφω*, supra, vel in aliqua re scribo. [*Primum dicitur de iis, quae in aliqua re scribuntur: a Nostro haec laudata erant.] *Cic. Pis.* 38. Ut esset, quod in basi tropaeorum incidi inscribique posset. *Id. Arch.* 11. Philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt. Al. leg. *in illis libellis.* [*Vulg. *illis libellis* exhibet *Orell.*] *Id. Fam.* 12, 3. In statua, quam posuit in rostris, inscripsit, Parenti optime merito. *Id. Har. resp.* 27. Vestris monumentis nomen suum inscripsit. Sic *Plin.* 29, 1, 5. Cum monumento suo Iatronicen se inscripserit. *Gell.* 1, 25. *f.* Opilius in primo librorum, quos *Musarum* inscripsit. [*Hic laudandus locus est, quem Noster infra posuerat, ubi *inscribere* pro simplici *scribere* dictum videtur. Respondet nostr. *aufschreiben.*] *Cic. Att.* 4, 1. Ea inscribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. [*Orell.* tamen exhibet *scribam.* ℙ Hinc translate in universum de signis, quae alicubi tanquam scribendo infiguntur, i. q. notare, signare.] *Sil.* 13, 327. et imo Vix ulla inscribens terrae vestigia cornu. *Sen. Ben.* 4, 37. *f.* Inscribere alicui stigmata. V. CONSCRIBILLO et CONSCRIBO. ℙ [*Hinc orta sunt ista:] *Cic. Cat.* 1, 13. Sit inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republ. sentiat. *Or.* 2, 87. Ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. *Sen. V. B.* 12. Vitiis suis sapientiam inscribit, et abscondenda profitetur, *h. e.* dat vitiis suis titulum sapientiae. [*Cic. Tusc.* 5, 26. Epicurus, qui tantummodo induit personam philosophi, et sibi ipse hoc nomen inscripsit, i. e. cum arrogantia sibi sumpsit, vindicavit. ℙ Porro huc pertinent ea, in quibus signif. tribuere, auctorem facere, imputare alicui aliquid.] *Sen. Ben.* 1, 15. Quod ostentare libet, et inscribere sibi. *Ov. Met.* 15, 128. ipsos Inscripsere Deos sceleri. [*Laudat *Jahn.* ad h. l. *Sen. Br.* V. 16. Vitiis auctores inscribere deos.] *Sil.* 10, 619. Adversis etenim frangi, non esse virorum, Qui Martem inscribant genti, *h. e.* Martem suae gentis auctorem faciant. *Ov. Met.* 10, 198. mea dextera leto Inscribenda tuo est, [*i. e. mors tua dextrae meae adscribenda, ego mortis tuae auctor. ℙ Secundo loco *inscribere* dicitur de iis, quae inscriptionem, titulum accipiunt. A nostro haec laudata sunt:] *Cic. Div.* 2, 41. *med.* Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? *Verr.* 2, 2, 69. Statuae illae equestres, quas tu poni, inscribique jussisti. [*Plin. Pan.* 47, 4. Arcem publicarum aedium nomine inscripserat.] ℙ *Inscribere aedes* est scripto affixo venales, vel locandas proponere. *Pl. Trin.* 1, 2, 131. Inconsultu meo aedes venales hasce inscribit litteris. *Ter. Heaut.* 1, 1, 92. Inscripsi illico aedes mercede. [*Pro quo frequentius dicitur *aedes proscribere. Cic. Att.* 4, 2. ubi v. *Manut.* et *Fam.* 7, 29. ubi v. *Graev. Ruhnk.*] ℙ Inscribere librum. *Cic. Fam.* 15, 2. Oratorem meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendavi. *Id. Or.* 3, 31. Aliquid de oratoris arte paucis praecipiunt libellis, eosque rhetoricos inscribunt. *Plin. ep.* 4, 14. *f.* Cogito has nugas meas ita inscribere, Hendecasyllabi: qui titulus, etc. *Cic. Off.* 2, 24. *extr.* In eo libro, qui Oeconomicus inscribitur. ℙ [*Translate.] *Virg. A.* 1, 482. Et versa pulvis inscribitur hasta. *Pl. fragm.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. l.* Corpus tuum virgis ulmeis inscribam, *h. e.* dilacerabo. *Ov. Met.* 6, 73. Sua quemque Deorum inscribit facies, i. e. ostendit, qui Deus sit. ℙ Pro subscribere accusandi gratia. *Imp. Zeno Cod.* 9, 35, 11. V. INSCRIPTIO. ℙ [*Inscribere* est etiam veteri scripturae aliam ita inducere, ut, priore obscurata, recentior tantum appareat: differt autem a *superscribere*, id enim est, intacta remanente priore scriptura, aliud superius scribere. *Dig. l.* 28. *tit.* 4. De his, quae in testamento delentur, inducuntur, inscribuntur. V. INDUCO et SUPERSCRIBO. *F.*]

[INSCRIPTĬLIS, e, adj. qui scribi nequit. *Diomed.* 2. *in.* p. 413. Vox litteralis, vel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest. Confusa est irrationalis, vel inscriptilis, simplici vocis sono animalium efficta, quae scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugitus.

INSCRIPTĬO, onis, f. actus inscribendi, *ἐπίγραμμα, ἐπιγραφή*. *Cic. Dom.* 20. Quid? operum publicorum exactio: quid? nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac bonorum meorum direptio? ℙ Speciatim est titulus, qui in fronte libri inscribitur. *Cic. Att.* 16, 11. *med.* Quod de inscriptione quaeris; non dubito, quin *καθῆκον* officium sit; sed inscriptio plenior, *de officiis. Id. Top. in.* Incidisti in Aristotelis topica quaedam: qua inscriptione commotus, etc. *Plin. ep.* 5, 19. Et ars quidem ejus, et quasi inscriptio comoedus, in qua plurimum facit. ℙ Item epigramma, quod statuis, sepulcris et hujusmodi inscribi solet. *Cic. Phil.* 13, 4. Haec causa fuit, cur decerneretis statuam in rostris cum inscriptione praeclara. In *monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 232, 12. Opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. *Plin.* 29, 1, 5. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, *turba se medicorum periisse*, et *Petr. Sat.* 29. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. *Vell.* 2, 104. Bellum ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter: eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum triumphalia ornamenta. *Flor.* 3, 19. *med.* Fuit de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret, *h. e.* ne, cum mos esset perscripta devictorum nomina praeferre in triumpho, cogeretur id facere de servis, quos devicerat. [*Cf. *Suet. Aug.* 97. *Vit.* 3. *Cal.* 8. *Ner.* 45.] ℙ Item stigma, compunctio, nota. *Petr. Sat.* 103, Frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puniti; et 106. Utinam quidem hac se inscriptione frontis maculassent! ℙ Item perscriptio, delatio nominis ejus, quem quis accusare aggreditur. *Ulp. Dig.* 48, 5, 2. *f.* Si pater praevenerit, et libellos inscriptionis deposuerit. *Paul. ib. tit.* 2. (qui *De accusationib.* et *inscriptionib.* est) *l.* 3. Libellorum inscriptionis conceptio talis est: consul, et dies: apud illum praetorem, vel proconsulem L. Titius professus est, se Maeviam adulterii ream deferre, etc. et *mox.* Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, rei nomen abolctur. *Impp. Sever. et Antonin. Cod.* 9, 1, 1. Inscriptionem deponere.

INSCRIPTŪRA, ae, f. inscriptio, seu nota impressa alicui rei. *Tert. adv. Valent.* 30., ubi alii divisim leg. *in scriptura.*

INSCRIPTUS, a, um, part. ab *inscribo: ἐπιγεγραμμένος*, scriptus, notatus. [*Primum pertinet ad ea, quae in aliqua re vel in aliquo loco scripta sunt.] *Cic. Dom.* 53. Ut si quae essent incisae, aut inscriptae litterae, tollerentur. *Id. Tusc.* 5, 23. Senarioli in monumento inscripti. ℙ [*Hinc.] *Inscriptum, i*, absolute est inscriptio, titulus, *Gell. praef. med.* Et quaedam alia inscripta nimis lepida, multasque prorsus concinnitates redolentia. [*Ov. Met.* 10, 215. et ai ai Flos habet inscriptum. ℙ Tum dicitur de iis, in quibus litterae, notae, signa quacumque ratione infiguntur.] *Cic. Dom.* 37. *extr.* Sepulcrum inimico nomine inscriptum. *Suet. Cal.* 8. Aras ostendi inscriptas, Ob Agrippinae puerperium. *Virg. Ecl.* 3, 106. flores inscripti nomina regum. (Graeca locutio) *Cic. Att.* 6, 3. Q. Cicero puer legit epistolam inscriptam patri suo, solet enim aperire. ℙ Item titulo notatus. *Cic. Div.* 2, 1. Eo libro, qui est inscriptus, Hortensius. *Id. Or.* 2, 14. Deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus. *Suet. Caes.* 55. Oratio inscripta pro Metello. *Mart.* 11, 45. inscriptae limina cellae, *h. e.* quae praefert perscriptum nomen prostantis. *Stat. Th.* 8, 269. solus stat puppe magister Pervigil, inscriptaque Deus, qui navigat alno, *h. e.* navi pictum aut inculptum habente Deum aliquem in tutelam, et ab ejus nomine appellata. [*Liv.* 25, 10. Recipere se in domos suas quemque jussit, et foribus nomen suum inscribere: se domos eas, quae inscriptae non essent, signo extemplo dato, diripi jussurum. V. *Wunderlich.* ad *Tibull.* 1, 33, 54.] ℙ Item stigmate notatus. *Juven.* 14, 24. Inscripta ergastula. *Plin.* 18, 3, 4. Nunc eadem illa vincti pedes, damnatae manus, inscriptique vultus exercent. Absolute *Mart.* 8, 75. Quatuor inscripti portabant vile cadaver, *h. e.* stigmatiae. ℙ *Inscriptus*, non scriptus. *Quint.* 3, 6. *med.* Unde et illa divisio est, alia esse scripta, alia inscripta: *ἔγγραφα*, et *ἄγραφα.* ℙ *Inscriptae merces* sunt, quas mercatores, ne portoria solvant, apud publicanos non profitentur. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestivatum, atque ad publicanum profitentur, ne, si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 169. Facit idem, quod illi, qui inscriptum ex portu exportant clanculum, ne portorium dent. ℙ *Inscriptum maleficium* est, de quo nihil in legi-

bus scriptum, cautumque est, ἄγραφον ἀδίκημα. *Sen. praef. l.* 3. *excerpt. controv. f.* Postulavi, ut praetor nomen ejus reciperet, lege inscripti maleficii. Adde *tit. controv.* 1. *l.* 5. *excerpt.* et *Quint.* 7, 4. *f.* [*Ubi v. quae congessit *Spalding.*]

INSCRŪTĂBĪLIS, e, adj. qui investigari non potest. *August. ep.* 106. *n.* 4. Non valentes inscrutabilia Dei judicia perscrutari.

INSCRŪTOR, aris, dep. 1. idem quod scrutor. *Macr. Sat.* 7, 1. *med.* Si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius. Al. leg. *scruteris.*

INSCULPO, is, psi, ptum, a. 3. ἐγγλύφω, in aliqua re sculpo, incido, inscribo. *Hor. Sat.* 2, 3, 90. cum summam patrimoni insculpere saxo Heredes voluit. *Ov. Met.* 15, 620. Cornuaque aeratis, miram referentia formam, Postibus insculpunt. *Quint.* 1, 1. *med.* Litteras tabellae quam optime insculpere. *Suet. Claud.* 1. *f.* Elogium tumulo alicujus versibus insculpsit. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 17. Natura insculpsit in mentibus, ut Deos aeternos et beatos haberemus. ℙ [Legitur etiam *inscalpo* ap. *Lact. Phoen.* 153. Protinus inscalpunt sacrato in marmore formam. Alii tamen leg. *insculpunt*, vel *exsculpunt. F.*]

INSCULPTUS, a, um, part. ab *insculpo*, incisus, inscriptus. *Cic. Div.* 2, 41. Sortes in robore insculptae. *Plin. ep.* 8, 6. Incisa et insculpta sunt publicis aeternisque monimentis. [*Liv. 2, 33. Foedus columna aenea insculptum; cf. 28, 46.] ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 4. *f.* Omnibus innatum est, et quasi insculptum, esse Deos. *Id. Acad.* 4, 1. *med.* Res habere insculptas in animo. ℙ Dicitur et *inscalptus. Plin.* 36, 5, 4. *n.* 14. Sunt etiamnum in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumenta.

INSĔCĂBĪLIS, e, adj. ἄτμητος, qui secari aut dividi non potest. *Sen. ep.* 118. *f.* Aliquid difficulter secari, cogitavimus: novissime, crescente difficultate, insecabile inventum est. *Quint.* 2, 17. *f.* Corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt, *h. e.* atomos. Adde *Vitr.* 2, 2.

INSĔCĔ, *h. e.* persequere, dic, narra. *Cato* et *Ennius* ap. *Gell.* 18, 9. [*Verba sunt: Virum mihi, Camena, insece versutum; Gr. ἔνεπε. V. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 4, 6, 5.] ℙ Ejusdem rationis est *insecendo*, *h. e.* fando, narrando. *Cato* ap. *Gell. ib.* Scelera nefaria, quae neque insecendo, neque legendo audivimus. Hinc *insectiones* narrationes, teste eodem *Gellio.* V. INSEQUE.

INSĔCENDO. V. v. praec.

INSĔCO, as, cui, ctum, a. 1. ἐντέμνω, idem quod seco, sive intus seco. *Auct. ad Her.* 4, 49. Insecare aliquid dentibus. *Colum.* 4, 15. Sequente deinde anno insecatur superior pars curvaturae usque ad medullam. *Id.* 12, 47. Olivam acuta arundine insecare; et *mox.* Sive contuderint, sive insecuerint olivas, etc. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. Corpora mortuorum insecare ad scrutandos morbos. *Colum.* 4, 29. *med.* Vimen cum inaruerit, penetrat et insecat corticem. *Id.* 9, 15. Insecandi sunt favi.

INSECTĂ. V. INSECTUS.

INSECTANTER, adv. ὀνειδιστικῶς, cum insectatione, infeste. *Gell.* 19, 3. Insectanter et graviter vituperari.

INSECTĀTĬO, onis, f. διωξις. [*Actus insectandi, persequendi, e. g. hostes.] *Liv.* 21, 47. Ut ratibus, sine tumultu atque insectatione hostis, copias trajiceret. ℙ [*Hinc translatum est ad eos, qui artibus clandestinis, insidiis cujuscumque generis clam structis vexare inimicos atque perdere studeant.] *Brut.* in *ep. Cic. Fam.* 11, 1. Tanta est hominum insolentia, et nostri insectatio. [*Liv. 1, 51. Inde illam absentis insectationem esse natam, quod morando spem destituerit. ℙ Tum dicitur de iis, qui aliorum vitam et mores perstringunt; qui calumniis, falsis criminationibus iram, furorem aliorum concitare cupiunt.] *Liv.* 22, 34. C. Terentius Varro plebi insectatione principum conciliatus. *Suet. Gramm.* 9. Ne principum quidem virorum insectatione abstinuit; et 19. Insectatio studiorum et morum alicujus. *Tac. A.* 2, 55. Insectationibus petere aliquem; et *ib.* 12, 14. Hostem ad proelium per insectationes et nuncios vocare. *Quint.* 6, 3. *med.* et 11, 1. *f.* Insectatio fortunae, *h. e.* qua miseram alicujus fortunam insectamur et deridemus.

INSECTĀTOR, oris, m. qui insectatur. *Liv.* 3, 33. *med.* Trux et saevus insectator plebis. *Quint.* 10, 1. *f.* Seneca egregius vitiorum insectator.

INSĔCTĀTUS, a, um, part. activae signific. V. INSECTOR ab *in.* Passiv. *Hirt. B. Afr.* 71. Gravis armaturae miles, simul atque ab his insectatus constiterat, illi veloci cursu periculum vitabant.

INSECTĬO, onis, f. narratio, sermo, ab insecendo. V. INSECE.

INSECTO, as, avi, atum, a. 1. idem ac insector, apud veteres. *Pl. Capt.* 3, 4, 61. Jam illic nos insectabit lapidibus. *Justin.* 15, 3. Insectanti regi quosdam palantes hostes. *Cic. Div.* 2, 70. Aquila insectans alias aves, et agitans.

INSECTOR, aris, atus sum, dep. 1 διώκω, persequor, insequor, insto, urgeo, agito, frequentativum ab *insequor.* [*Primum pertinet ad eos, qui vere aliquem persequuntur tanquam hostem.] *Pl. Capt.* 3, 4, 17. Hic hastis insectatus est domi matrem et patrem. *Cic. Leg.* 1, 14. Impios agitant insectanturque furiae. *Tac. A.* 1, 20. Retinentes centuriones irrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur. ℙ [*Hinc denotat eos, qui in judiciis adversarium exagitant, postulant.] *Cic. Font.* 1. Insector ultro, atque insto accusatori, judices: insector, inquam, et flagito testes. *Planc.* 19. *f.* Quid taces? quid dissimulas? etiam atque etiam insto, atque urgeo, insector; posco, atque adeo flagito crimen. ℙ [*Tum in universum ponitur pro vituperare, perstringere cum irrisione, opprobriis, calumniis, maledictis aliquem quacunque demum causa cumulare.] *Plin. ep.* 1, 10. et 6, 21. vitia. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 4. miserorum fortunam. *Id.* ad *Attic. ib.* 17. dolores alicujus. *Tac. A.* 4, 12. contumaciam. *Id. H.* 4, 8. aliquem ut tumidum infestumque. *Cic. Att.* 10, 1. audaciam improborum; et *ib.* 5, 17. *med.* injuriam alicujus. *Cic. Fin.* 2, 25. quempiam maledictis. *Ulp. Dig.* 1, 18, 6. calumniosis criminibus innocentes. *Cic. Amic.* 16. Acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius. *Id. N. D.* 1, 3. Inimice insectari quempiam. *Auct. ad Her.* 4, 26. O virtutis comes invidia, quae bonos insequeris plerumque, atque adeo insectaris. *Tac. H.* 2, 96. In hunc modum Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus. [*Plin. *Pan.* 53, 3. Insectari malos principes. *Curt.* 4, 2, 21. Haec ipsa insectatio alacritatem militum accendit.] *Phaedr.* 3, 11. Insectari damnum amissi corporis, *h. e.* objicere, exprobrare. ℙ Translate. *Virg. G.* 1, 155. assiduis terram insectabere rastris, *h. e.* assidue rastris versabis, et veluti infeste exercebis. Simile est illud *ib.* 104. jacto qui semine protinus arva Insequitur.

INSECTŪRA, ae, f. incisura. *Sen. Q. N.* 1, 7. Virgula totidem redderet soles, quod habuisset insecturas.

INSECTUS, a, um, part. ab *inseco*, διαχωρθείς, concisus, sectus, dissectus. *Varr. L. L.* 4, 22. Insecta caro. *Ov. Met.* 6, 57. insecti pectine dentes. *Colum.* 12, 54. Napi integri, si minuti sunt; majores autem insecti, eodem jure, quo rapa, condiri possunt. *Gell.* 10, 10. Insecta apertaque humana corpora. *Plin.* 16, 24, 38. Folia divisa platano, insecta pectinum modo piceae, abieti. ℙ *Insecta, orum*, absolute sunt parva animalia, τὰ ἔντομα, alia, inquit *Plin.* 11, 1, 1. pennata, ut apes; alia utroque modo, ut formicae; aliqua et pennis et pedibus carentia: jure omnia insecta appellata ab incisuris, quae nunc cervicum loco, nunc pectorum, atque alvi, praecincta separant membra, tenui modo fistula cohaerentia. Aliquibus vero non tota incisura eam ambiente ruga: sed in alvo, aut superne tantum, imbricatis flexili (*incisura*) vertebris: nusquam alibi spectatiore naturae rerum artificio. Haec *Plin.* qui et sequentibus capitibus multa de his. *Id. ib.* 28, 33. Insectorum quaedam binas gerunt pinnas, ut muscae, quaedam quaternas, ut apes.

[INSĔCUNDUS, a, um, adj. qui non secundat, inobsequens. *Not. Tir.* p. 95. Secundus, insecundus, obsecundus, obsecundatus. *F.*]

INSĔCŪTĬO, onis, f. actus insequendi. *Appul. Met.* 8. Nequissimi fugitivi, caecae festinationis temeritate, ac metu incertae insecutionis, non exspectata luce, etc.

INSĔCŪTOR, oris, m. qui quempiam insequitur nocendi causa. *Tert. Apol.* 5. Tales semper nobis insecutores, injusti, impii. *Prud. Cath.* 12, 126. Quos lucis ipso in limine Christi insecutor sustulit. *Appul. Met.* 7. *in.* Nam et praesidium fugae, quo velocius, frustratis insecutoribus, procul abderet sese, eidem facile suppeditasse, etc.

[INSĔDĂBĪLIS, e, adj. qui sedari non potest. *Gloss. Phil.* Insedabilis, ἀκατάπαυστος. *F.*]

INSĔDĂBĪLĬTER, adv. sine ulla sedandi ratione. *Lucr.* 6, 1174. Insedabiliter sitis arida corpora mersans [i. e. insatiabili cupiditate.]

INSĔDĀTUS, a, um, adj. non sedatus, turbulentus, commotus. *Cic. Part.* 22. *f.* Et omne, quod est ejus generis, grave, insedatum, turbulentum. Al. leg. *sedatum.* [*Ita *Orell.*]

[INSĔDŪLUS, a, um, adj. non sedulus. *Gloss. Phil.* Insedulus, ἀσπούδαστος. *F.*]

[INSEGNIS, e, adj. non segnis. *Gloss. Phil.* Insegnis, ἀδρανής. *F.*]

INSĔMĬNĀTUS, a, um, part. ab *insemino. Vitr. prooem.* l. 8. Terra ex coelestium imbrium conceptionibus inseminata. *Arnob.* 2, 93. Ex conventu Jovis inseminati et nati sunt.

INSĔMĬNO, as, a. 1. ἐμβάλλω, insero. *Gell.* 19, 5. Tabem et morbos sensim, atque in diem longam visceribus inseminare. Adde *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* et *f.*

[INSĔMĪTĀTĬO, onis, f. ubi nulla est semita, iter impervium. *Gloss. Phil.* Insemitatio, ἀνοδία. *F.*]

[INSĔNESCĪBĪLIS, e, adj. qui senescere non potest. *Gloss. Phil.* Insenescibilis, ἀγήρως, ἀγήρατος. *F.*]

INSĔNESCO, is, nui, n. 3. ἐγγηράσκω, diutissime immoror in aliqua re, quasique in ea aetatem consumo, et senex fio. [*Vox poet. ab argent. aetate recepta in solut. orat.] *Tac. A.* 4, 6. Cum plerique iisdem negotiis insenescerent. *Hor. Ep.* 2, 2, 82. Insenuit libris et curis. *Quint.* 10, 3. Quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? *Ov. Pont.* 1, 4, 47. Te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui, Credibile est nostris insenuisse malis, *h. e.* ob calamitatem exsilii mei.

INSENSĀTUS, a, um, adj. ἄλογος, rationis sensu carens. *Tert. Praesc.* 27. ex *Gal.* 3, 1. et *adv. Marc.* 4, 43. ex *Luc.* 24, 25. et *August.* 3. *de Gen. ad litt.* 12. ex *Psalm.* 48, 13.

INSENSĪBĪLIS, e, adj. ἀναίσθητος, qui non sentitur, qui sub sensum cadere non podest. *Gell.* 17, 10. Inenarrabile esse ait, et propemodum insensibile. *Seren. Sammon.* 3. de porrigine: Est insensibilis morbus, sed noxia formae, etc. ℙ Item qui expers est sensus. *Lact.* 6, 13. *f.* Insensibilia simulacra.

INSENSĪLIS, e, adj. idem ac insensibilis. *Lucr.* 2, 864. necesse est Ex insensilibus tamen omnia confiteare Principiis constare. [*V. *Eichstadt. Ind. Lucr.* s. h. v.]

INSENSŪĀLIS, e, adj. sensu carens. *Cassiod. Variar.* 2, 40. *med.* Res insensuales.

INSĔPĂRĂBĪLIS, e, adj. ἀχώριστος, qui separari non potest. *Sen. ep.* 118. Bonum honestumque aliquid inter se habent mixtum et inseparabile; et *ep.* 85. *med.* Ei juncta semper est, et inseparabilis. *Gell.* 1, 9. *extr.* Coire societatem inseparabilem. *Appul. Met.* 9. Anus quotidie inseparabilis aderat. *August. Trin.* 15, 23. Trinitas inseparabilior.

INSĔPĂRĂBĪLĬTAS, atis, f. conjunctio inseparabilis. *August. Trin.* 15, 23. In Trinitate tanta est inseparabilitas, ut, etc. et *ep.* 29, 2. Inseparabilitas virtutum.

INSĔPĂRĂBĪLĬTER, adv. ἀδιαχωρίστως, non separabiliter. *Macr. Somn. Scip.* 1, 22. Quae inseparabiliter involuta rerum necessitas in se vinxit. *Lactant.* 3, 11. Inseparabiliter connexa.

INSĔPĂRĀTUS, a, um, adj non separatus. *Tert. adv. Prax.* 9. Inseparatos ab alterutro Patrem, et Filium, et Spiritum testor. Adde 18.

INSEPTUS, a, um, adj. idem quod septus. *Sen. Ben.* 4, 19. Hunc inseptum ingenti muro, divisumque a conspectu mortalium, etc. ℙ Significat etiam non septum, teste *Festo.*

INSĔPULTUS, a, um, adj. ἄθαπτος, non sepultus, inhumatus. *Cic. Cat.* 4, 6. Cerno animo miseros, atque insepultos acervos civium. *Liv.* 29, 9. *f.* Nec satiatus poena virorum, insepultos projecit. *Hor. Epod.* 5, 99. Post insepulta membra different lupi. *Sen. Tranqu.* 14. Mortem insepultam minari alicui, *h. e.* sine sepultura. ℙ *Insepultam sepulturam* (τάφον ἄταφον, ex *Eurip.* in *Phoeniss.*) appellat *Cic. Phil.* 1, 2. tumultuarias exsequias et funus illegitimum C. Caesari occiso factum in foro. Cum enim, ut narrat *Suet. Caes.* 84., rogus ei in campo Martio fuisset exstructus, ut ibi cremaretur; lectus autem cum cadavere in forum delatus esset, ut inde per exsequias ad locum rogi transferretur, repente immisso igne congestisque subselliis et tribunalibus, in medio foro combustus est. Verba *Cicer.* sunt: Nam cum serperet in Urbe infinitum malum, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, etc. Al. perperam leg. *refecerant:* quia Caesari, inquiunt, instauratum funus fuit. Porro *bustum facere* hoc loco significat monumentum excitare, ubi Caesar crematus fuit. Populus ei combusto columnam ibidem statuit, ad quam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam distrahere perseveravit, donec a Dolabella consule eversa est. Quod vero *bustum* etiam monumentum significet, in ea voce jam est dictum. ℙ Item sepultus, ut *in* ea ratione sumatur, qua in *infractus, incanus*, etc. *Cic. Phil.* 14, 12. Vestra virtus ne oblivione eorum, qui nunc sunt; nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. Est qui leg. *sepulta.*

INSĔQUĔ, insece, dic, narra: antiquum. *Enn.* ap. *Fest.* et *insexit*, dixit. *Id. ib. Gloss. Philox.* Inseque, εἰπέ. V. *Gell.* 18, 9. et supra INSECE et SĔQUOR. [*Ramsh. Gr. Lat.* §. 74. p. 207. docet, *insece* non antique dictum esse pro *inseque*, sed radicem vocis esse *secare*, coll. sim. dicendi genere *caedere sermones.*]

INSĔQUENS, entis, part. ab *insequor*: qui post sequitur, ἑπόμενος. *Cic. Or.* 44. Ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. *Liv.* 2, 18. Insequens annus Postumum Cominium, et T. Lartium consules habuit. *Id.* 26, 14. Cum noctem totam, et diei insequentis partem animam egissent. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Prata restitui debent, faba in his sata, mox insequenti anno frumento. *Gell.* 3, 2. Unum et eundem diem esse a meridie ad in-

sequentem meridiem. *Vell.* 1, 6. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis translatum est ad Medos. *Suet. Aug.* 31. Ut illorum veluti ad exemplar insequentium aetatum principes exigerentur a civibus. [*Prae ceteris amat *Suet.* h. dicendi genus, ut raro simpl. *sequens* utatur. V. *Brem.* ad *Aug.* 50. et *B. Crus.* in *cl. Suet.* qui *Aug.* 94. pro *vulg. in sequenti* probe restituit *insequenti;* et *Ner.* 43. *insequenti die* scribendum optimorum edd. auctoritate cum *Oudendorpio* censet. Praefert tamen contra *eund. Oudendorp.*, qui *Aug.* 44. dedit *in insequentis dici* cet. *sequentis* ob *part. in;* nam post voculas *ut*, *ne* et similes omisisse videri Latinos eodem usu, quo *siquis*, *nequis* scribant, non *si aliquis* etc.] *Hirt. B. G.* 8, 23. Nocte insequenti legati responsa referunt. ℙ Item pone sequens. *Petr. Sat.* 31. Discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes, et paronychia tollentibus. *Justin.* 32, 3. Vestigia Argonautarum insequentes. ℙ Item qui persequitur nocendi causa. *Sall. Jug.* 24. Multitudo Numidas insequentes moenibus prohibuit; et *Caes. B. C.* 1, 45. Hostem insolenter atque acriter insequentem supprimere.

INSĔQUENTER, adv. *ἀνακολουθῶς*, inconsequenter. *Gell.* 10, 29. Obscure, et insequenter particula illa posita. Al. aliter leg. ℙ Pro deinceps, protinus, habet *Nonius* 4, 384.

[INSĔQUENTĪNUS, a, um, adj. ad Insequentem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 389, 1. Flavia Insequentina. *F.*]

INSĔQUOR, eris, quutus, et cutus sum, dep. 3. *ἑφέπομαι*, *ἀνακολουθέω*, statim sequor, post venio, subsequor. [*V. de h. v. *Schwarz* ad *Plin. Pan.* 53, 2.] *Virg. A.* 5, 320. Proximus huic, longo sed proximus intervallo Insequitur Salius. *Ov. Met.* 11, 468. insequitur fugientem lumine pinum. *Val. Fl.* 1, 715. qua te, infelix, quibus insequar oris? *Cic. Or.* 48. Postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. *Id. Fin.* 1, 16. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum judex. *Id. Brut.* 10. Hunc proximo saeculo Themistocles insecutus est. *Id. Div.* 1, 29. At mors insecuta Gracchum est. *Lucr.* 3, 171. Si minus offendit vitam vis horrida leti, Attamen insequitur languor. *Phaedr.* 3, 2. Nox insecuta est: abeunt securi domum. *Plin.* 7, 11, 9. Quae septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus geminos enixa est. *Virg. A.* 1, 91. Una Eurusque, Notusque ruunt, etc. Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum. *Plin.* 18, 35, 78. Arundinem impendente pluvia seri jubent, et fruges insecuturo imbre. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 3, 32. Rursus et alterius lentum convellere vimen Insequor. ℙ Interdum est instare, urgere. *Cic. Or.* 2, 3. Nec vero te, frater, rhetoricis quibusdam libris insequor, ut erudiam. ℙ [*Ita saepissime est disceptantium cum eadem urgendi, instandi notione positum. *Cic. N. D.* 3, 17, 44. Haec Carneades ajebat, non ut Deos tolleret, sed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret. Itaque insequebatur: ubi *Heindf.* distinxit: *convinceret*, *itaque insequebatur. Verr.* 2, 3, 20. Pergam atque insequar longius.] ℙ Saepius est persequi, insequi, insectari ultionis causa, *διωκειν. Cic. Phil.* 2, 9. Cum tu illum in foro, gladio stricto insecutus es. *Ov. Met.* 8, 130. Insequi crimen. *Virg. A.* 8, 146. crudeli bello aliquem. *Ov. Met.* 12, 234. ora alicujus protervis manibus, *h. e.* pulsare, cadere; et *ib.* 13, 568. morsibus. *Val. Flacc.* 3, 638. saevis dictis. *Cic. Att.* 14, 14. *med.* homines benevolos contumelia; et *Sext.* 11. irridendo; et *Cluent.* 8. clamore ac minis. [*Id. *Sull.* 29. Insequi turpitudinem vitae, i. e. perstringendo enarrare. *Plin. Pan.* 53, 2. Praeterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum civium officium est, insequi dissimiles, i. e. insectari, castigare.] ℙ Saepe est militare verbum, et est instare fugientibus. *Caes. B. G.* 1, 15. Qui cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco proelium committunt; et *ib.* 7, 53, Ne tum quidem insecutis hostibus, tertio die pontem refecit. *Virg. A.* 12, 7 8. Insequi et urgere. *Liv.* 26, 6. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit. [*Suet. *Claud.* 1. Hostem — non prius destitit insequi etc. ad quem locum *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 434. *Insequi* est, vestigia hostis sequi, *persequi*, hostem usque ad finem, continuo sequi. Adde *Cal.* 45. Obsides quosdam, cum equitatu insequutus, reduxit.] ℙ Translate. *Virg. A.* 1, 244. Nunc eadem Fortuna viros tot casibus actos Insequitur. *Id. G.* 1, 104. jacto qui semine protinus arva Insequitur. V. INSECTOR. ℙ *Insequi*, narrare, persequi. T. *Liv.* ap. *Sen. Suasor.* 7. *med.* Vir memorabilis fuit, et in cujus laudes insequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Al. leg. *sequendas* eod. sensu. V. INSEQUE et SEQUOR.

[INSĔRĂBILĬTER, adv. ita ut sera removeri nequeat. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 100. Et aditu reserato, quem inserabiliter obstruxerant. *F.*]

INSĔRĔNUS, a, um, adj. non serenus, nubilus. *Stat. Silv.* 1, 6, 21. Non tantis Hyas inserena nimbis Terras obruit.

INSĔRO, is, evi, situm, a. 3. *ἐνσπείρω*, in aliquo loco sero, insemino. *Colum.* 5, 7. *med.* Arboribus rumpotinis, si frumentum non inseritur, in utramque partem viginti pedum spatia interveniunt: at si segetibus indulgetur, quadraginta pedes, etc. ℙ Item unius arboris surculum alteri arbori includere. *Varr. R. R.* 1, 40. *med.* Si in pirum silvaticam inseveris pirum quamvis bonam. *Colum. arbor.* 8. Vitem, quam insiturus es, resecato, et plagam laevato. *Id.* 5, 11. Omne genus surculi omni generi arboris inserere. *Cato R. R.* 50. Quem ramum insiturus eris, praecidito, inclinato aliquantum, ut aqua defluat. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 1, 3, 34. denique teipsum Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim Natura, *h. e.* immiserit, introduxerit. [*Tibull.* 1, 1, 74. Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes Non pudet, et rixas inseruisse juvat: ubi v. *Heyn.*] ℙ Pro jungere. *Cic. Univ.* 12. Cum autem animis corpora cum necessitate insevisset, etc.

INSĔRO, is, erui, ertum, a. 3. *ἐμφυτεύω*, surculum arboris in aliam arborem immitto. Quamvis etymologi hoc a superiore verbo, non solum praeterito, sed etiam origine ipsa disjungant, ut in CONSERO, erui, dictum est; tamen hoc pro illo ponitur. *Colum. arbor.* 8. Quidquid inserueris, vimine diligenter ligato; et *ib.* Nocet nimius humor, nec patitur surculos insertos comprehendere. ℙ Saepius significat immittere, ingerere, imponere, injicere. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Homini collum in laqueum inserenti subvenisti. *Phaedr.* 1, 26. Ciconia lagenae rostrum inserens. *Cic. Or.* 2, 39. Omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Prop.* 3, 12, 30. Nec digitum angusta est inseruisse via. *Ov. Amor.* 3, 2, 63. potes, si forte juvabit, Cancellis primos inseruisse pedes. *Id. Met.* 2, 93. utinamque oculos in pectora posses Inserere. *Cic. Coel.* 31. Amputanda plura sunt illi aetati, quam inserenda. *Val. Max.* 3, 3, 1. *extr.* Inserere oculos alicui rei, *h. e.* intendere, intueri. *Liv.* 8, 36. Inserere in tentoria caput. *Sen. Herc. Oet.* 493. caput astris. *Quint.* 2, 20. grana ciceris in acum. *Curt.* 9, 1. gemmas aureis soleis. *Ter. Heaut.* 3, 3, 2. meretrici manum in sinum. *Ov. Amor.* 2, 15, 12. Et laevam in tunicis inseruisse manum. *Colum.* 6, 4. Inserere integrum crudum ovum jejuni bovis faucibus. *Gell.* 2, 3. H litteram plerisque vocibus. *Stat. Th.* 5, 230. ensem, *h. e.* adigere. Sic *Sen. Hippol.* 1177. Inserere ferrum pectori. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 2, 53. Jus est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit, ℙ Pro admiscere. *Colum.* 12, 57. Cum viridia, quae dicta sunt, contriveris, nuces juglandes inserito. *Ov. Trist.* 2, 444. nec obfuit illi Historiae turpes inseruisse jocos. *Id. Amor.* 3, 7, 9. Osculaque inseruit cupidae luctantia linguae. *Tac. H.* 1, 23. Inserendo saepius querelas, et ambiguos de Galba sermones. [*Liv. 35, 17. Dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserit: ad q. l. v. *Bauer.* p. 237.] *Id.* 27, 23. Adeo minimis etiam rebus parva religio inserit Deos. *Justin.* 38, 3. *f.* Trogus in Livio, et Sallustio reprehendit, quod conciones directas operi suo inserendo, historiae modum excesserint. [*Ita saepissime de scriptoribus ponitur qui narrationibus suis rerum gestarum historias tanquam serto innectunt. Ita *Vell.* 2, 107, 1. Non tempero mihi, quin tantae rerum magnitudini, qualecumque est, inseram. *Id.* 1, 14, 1. atque huic loco inserere, quae quoque tempore, etc. *Suet. Tib.* 61. Annalibus suis vir consularis inseruit; et *Dom.* 18. Quamvis libello — haec etiam inseruit. Porro fieri mentio poterat istorum locorum. *Suet. Cal.* 18. Quibus (muneribus) inseruit catervas Afrorum Camp. pugilum. *Plin. Pan.* 70, 9. Bene suffragiis consularium virorum urbes, populi, gentes inseruntur. Huc pertinent et ista, in quibus signif. inferre, injicere. *Lucan.* 8, 552. Tanti, Ptolemaee, ruinam Nominis haud metuis, coeloque tonante, profanas Inseruisse manus, impure ac semivir, audes: ubi *Cort.* Ergo *inserere manus* hic est adjuvare ruinam, manus inferre ad promovendam ruinam. Deinde laud. *ib.* 6, 504. Insereretque suas flammis coelestibus umbras; et 9, 1071. et inseruit nostro sua tela labori; et 2, 299. juvat ignibus atris Inseruisse manus; et 9, 483. Inseruitque manus terrae. Adde *ib.* 6, 609. Inseruisse mores: ubi v. eund. *Cort.* Etiam *Vell.* 2, 103, 4. h. formula usus est: et vota paene inserentium coelo manus: ubi per hyperbolen pro manus ad coelum tendere, vovendi causa dictum est.] ℙ Translate. *Sen. Thyest.* 322. Quid est necesse liberos sceleri meo inserere? *h. e.* implicare, et una mecum auctores sceleris ac reos facere. *Ov. Met.* 13, 33. Inserit Aeacidis alienae nomina gentis. *Tac. A.* 6, 2. Ignobilitatem suam magnis nominibus inserit. [*Plin. *Pan.* 37, 7. Ratus, improbe et insolenter ac paene impie his nominibus inseri publicanum.] ℙ *Inserere se*, se immittere, immiscere. *Tac. H.* 2, 19. Jamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus, laudari providentia ducis, etc. [*Id. *ib.* cp. 61. Inter magnorum virorum discrimina — Mariccus quidam e plebe Bojorum inserere sese fortunae et provocare arma Romana.] *Ov. A. Am.* 1, 605. Inserere se turbae. *Id. Met.* 3, 117. bellis civilibus. *Val. Max.* 6, 2, 1. *extr.* Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis. [*Claud. *Eutrop.* 1, 271. quid te, turpissima, bellis Inseris, etc. *Lucan.* 6, 411. Inseruit celsis prope se cum Pelion astris.] ℙ *Inserere aliquem vitae* ap. *Stat. Silv.* 5, 5, 72. Poscentemque novas tremulis ululatibus auras Inserui vitae, *h. e.* asserui, servavi, ut viveret, curavi. ℙ *Inserere nomen famae* ap. *Auct. dial. de Or.* 10. est committere, mandare. ℙ Cum ablat. sine praepos. quae inest in ipso verbo. *Quint.* 8, 2. *med.* Interjectio, qua et oratores frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, *h. e.* interponant.

INSERPO, is, psi, ptum, n. 3. idem ac serpo, vel in aliquo loco serpo. *Stat. Th.* 1, 340. jam somnus avaris Inserpit curis. *Appul. Met.* 7. Ei lanugo malis inserpebat. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 256. raucum bibulis inserpere murmur arenis.

INSERTA. V. INSERTUS.

INSERTĀTĬO, onis, f. actus inserendi, insitio, immissio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *f.*

INSERTĀTUS, a, um, part. ab *inserto*, idem ac insertus, immissus. *Prud. Apoth.* 464. Jamque insertato reserarat viscera cultro.

[INSERTĬCĬUS, a, um, adj. idem ac insiticius, qui inseri potest. *Gloss. Phil.* Inserticius, *ἐγκεντρήσιμος*, *ἐντάξιμος. F.*]

INSERTIM, adv. inserendo, immittendo. *Lucr.* 2, 114. cum solis lumina cumque Insertim fundunt radios per opaca domorum.

INSERTĬO, onis, f. actus inserendi. *August. ep.* 120. *n.* 20. Insertio oleastri. *Macr. Sat.* 1, 7. *med.* Huic Deo insertiones surculorum tribuunt.

INSERTĪVUS, a, um, adj. qui inseritur. *Calpurn. decl.* 24. Nemo unquam sacra gentilicia insertiva stirpe corrupit, *h. e.* filiis illegitimis. Sic *insitivi liberi* ap. *Phaedr.* 3, 3.

INSERTO, as, a. 1. *παρεντίθημι*, saepe insero, vel insero simpliciter, frequent. verbi *insero*, a supino *insertum*. *Petr. Sat.* 97. Insertans commissuris secures, claustrorum firmitatem laxavit. *Virg. A.* 2, 672. clypeoque sinistram Insertabam aptans. *Sil.* 5, 482. arbor nubibus insertans caput. *Prud. in Symmach.* 2, 726. Quos spargam flores? quibus insertabo coronis Atria?

INSERTORĬUM, ii, n. *Coel. Rodig.* 10, 4. ait esse lorum scuti in modum anuli, inter quod et scutum laeva manus inseritur. Hoc adstruit loco *Plinii* 33, 1, 4. qui varie a variis legitur, et ab *Harduino* expenditur *in not. et emend. n.* 2. V.

INSERTUS, a, um, part. ab *insero*, *ἐμβληθείς*, *ἐντεθείς*, immissus, injectus. *Enn.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 2, 25. Insertae malae. V. CALCEATUS, a, um. *Plin.* 10, 57, 78. Pinna per transversas inserta nares. *Id.* 33, 3, 12. Inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant. *Virg. G.* 3, 509. Profuit inserto latices infundere cornu, *h. e.* immisso faucibus. *Ov. Amor.* 2, 1, 27. Sera inserta posti. *Caes. B. G.* 3, 14. Falces praeacutae, insertae, atque affixae longuriis. *Senec. Agam.* 92. Nubibus ipsis inserta caput Turris, pluvio vapulat Austro, *h. e.* tam alta, ut cacumen inter nubila immittere videatur. Graeca constructio. *Virg. A.* 11, 770. quem pellis aenis In plumam squamis, auroque inserta tegebat, *h. e.* habens aurum assutum, et quasi intextum. Al. leg. *auro conserta;* et *ib.* 3, 151. multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat luna fenestras, *h. e.* luna inserta per rimas fenestrae: hypallage. *Servius* praeter hanc, aliam quoque interpretationem addit. Aut, inquit, clathratas, aut non seratas, ut sit quasi inseratas, idest non clausas; et dictum quomodo aspros, compostus, vixet, pro asperos, compositus, vixisset. *Plin. ep.* 3, 19. Praedia agris meis vicina, atque etiam inserta, venalia sunt, *h. e.* immissa, et veluti permixta. ℙ Item infusus. *Sen. Herc. Oet.* 521. Tabum fluentem vulneris insertum ungulae. *Cels.* 5, 23. *in.* Venena vel per morsus, vel per cibos aut potiones corporibus inserta. ℙ Item insitus. *Colum. arbor.* 8. Nocet nimius humor, nec patitur surculos insertos comprehendere. ℙ Translate. *Quint.* 2, 4. Vix ullus est tam communis locus, qui possit cohaerere cum causa, nisi aliquo propriae quaestionis vinculo copulatus; appareatque, eum non tam insertum, quam applicitum. *Auct. dial. de Or.* 25. Supersunt aliqua, epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur. [*Vell. 2, 60, 4. Actorum ejusdem insertis falsis, civitatibusque corruptis: ubi v. *Ruhnk.*] *Suet. Tib.* 3. Insertus Liviorum familiae, adoptato in eam materno avo. *Id. Aug.* 42. Manumissi insertique civium numero ℙ *Inserta*, *ae*, absolute. *P. Syrus* ap. *Gell.* 17, 14. et *Macr. Sat.* 2, 7. Frugalitas inserta est rumoris boni, *h. e.* ornamentum bonae existimationis. Volunt enim alii, *insertam* esse emblema quod inseritur ornatus causa: alii vittam, institam, fasciam, ornatus item

causa assutam vesti: alii denique rectius leg. *miseria*, *h. e.* frugaliter vivere perinde est ac misere vivere, nisi quod cum rumore fit bono, non malo, ut in avaritie.

INSERVIO, is, ivi, itum, a. 4. δουλεύω, servio, obsequor, studiosus et obnoxius sum. *Tac. H.* 2, 81. Antiochus inservientium regum ditissimus, *h. e.* imperio R. subjectorum. ℙ [*Hinc in universum ponitur pro morem gerere, adesse alicui, gratificari. Huc pertinent, quae Noster mixta cum ceteris infra laudavit: *Ter. Heaut.* 3, 1, 8. Inservire amico atque aequali suo. *Cic. Off.* 1, 15. *extr.* A quo plurimum sperant, ei potissimum inserviunt. *Liv.* 2, 21. Plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriae a primoribus fieri coepere, *h. e.* indultum et curatum erat, ut in omnibus satis fieret: coll. 45, 37.] ℙ Cum accusativo. *Pl. Most.* 1, 3, 59. Si illum inservibis solum; et 33. Unum inservire amantem. ℙ Translate. *Gell.* 1, 25. Non id fuit Varroni negotium, ut legibus rationibusque omnibus definitionis inserviret. ℙ Saepissime est dare operam, more eorum, qui serviunt, incumbere, studere, attendere. *Cic. Fam.* 16, 17. Valetudo tua me valde sollicitat: sed inservi, et fac omnia. *Id. Fin.* 2, 35. Quos suis commodis inservituros, et quidquid ipsis expediat facturos arbitramur. *Nep. Alc.* 1. Temporibus callidissime inserviens. *Cic. Off.* 2, 1. *f.* Inservire honoribus. *Id. Or.* 4. artibus. *Tac. A.* 13, 8. famae; et *ib.* 16, 27. hortorum amoenitati. *Colum.* 9, 14. fortiter operibus. *Hirt. B. Alex.* 12. Accurate alicui rei studere atque inservire; et *B. G.* 8, 8. Omnibus rebus inserviendum statuit, quo celerius, etc. *Cic. Fam.* 6, 12. Nihil est a me inservitum temporis causa. *Gell.* 13, 20. Inservire auribus, *h. e.* curare, ne aures offendantur. *Sil.* 7, 341. feroci Pervigil inservibat equo: ἀγχαίκως, ut *lenibant*, *insanibat*, etc. *Pl. Poen.* 4, 2, 105. Et illud autem inserviendum est consilium vernaculum, *h. e.* adjuvandum, promovendum.

INSERVO, as, a. 1. idem quod servo, observo. *Stat. Th.* 10, 886. gemit, inservante noverca, Liber. *Id. ib.* 6, 935. piget inservare, *h. e.* servare de coelo. Sic *ib.* 8, 194. Elysias dedit inservare volucres.

INSESSOR, oris, m. ut Insessor viarum, *h. e.* obsessor, ap. *Symmach. ep.* 2, 48. Sic *Festus:* Insessores, latrones, qui circa vias insidientur sedentes.

INSESSUS, a, um, part. ab *insideo:* cui aliquis insidet, et insistit, occupatus, possessus. *Liv.* 7, 34. Consul exercitum incaute in saltum cava valle pervium, circaque insessum ab hoste, induxit. *Tac. A.* 13, 39. Commeatus per montes ducebantur praesidiis nostris insessos; et *ib.* 12, 43. Insessum diris avibus Capitolium. *Stat. Th.* 12, 236. horrendis insessa cubilia monstris; et *Silv.* 1, 1, 56. insessaque pondere tanto Subter anhelat humus. ℙ [*Insessus* est etiam, qui certam non habet sedem, vagans. *Sicul. Fl. de cond. agr.* p. 3. *Goes.* Accidit autem insessarum earum gentium populis saepe mutantibus id *(solum)* in Italia, et in provinciis, ut Phryges in Latio, ut Diomedes cum Gallis in Apulia. *F.*]

INSEXIT, dixit. V. INSEQUE.

INSIBILO, as, a. 1. ἐπισυρίττω, sibilo, spirando sibilo. *Ov. Met.* 15, 603. Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus, Murmura pinetis fiunt. *Stat. Th.* 6, 421. densis insibilat aer Verberibus. *Sil.* 12, 615. jactae in turmas per nubila flammae Stridorem servant, membrisque insibilat ignis. *Id.* 2, 625. verbera Erinnys Incutit, atque atros insibilat ore tumores, *h. e.* sibilando inspirat.

INSICCABILIS, e, adj. qui siccari non potest. *Sidon. ep.* 9, 16. Licet antiquarium moraretur insiccabilis gelu pagina, et calamo durior gutta.

INSICCATUS, a, um, adj. non siccatus. *Stat. Th.* 3, 364. Vulneraque ista ferens putri insiccata cruore; et *ib.* 8, 246. Insiccatus cruor.

INSICIA, ae, f. et Insicium, ii, n. genus farciminis, seu obsonii ex carne concisa. *Varr. L. L.* 4, 22. Insicia, ab eo, quod insecta caro, ut in carminibus Saliorum est: quod in extis dicitur nunc prosectum. *Macr. Sat.* 7, 8. Dicas, quae causa difficile facit insicium: quod ab insectione insicium dictum, amissione litterae postea, quod nunc habet, nomen obtinuit. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 2, 26. Fartores, qui insicia et farcimina faciunt. ℙ Scribitur et *Insitia*, et *Isicium*. Quidam vellent et *Esitium*. Ex *Macr.* autem discimus *isicium* frequentius esse; [unde *salisicia* pro *salis isicia*, quod nempe ex suilla concisa atque salita, inque intestinis insita fit, mox *salsicia*, hinc Italice *salsiccia*. *F.*]

INSICIARIUS, ii, m. qui insicia facit. Legitur in quodam ludicro testamento M. Grunnii Corocottae Porcelli, quod habetur ap. *Briss. de Formul.* 7, 57. Ejus meminit etiam *Hieron. prooem. l.* 12. *in Isaj.* et *in Ruf.* 1. *n.* 17. V. BUBULARIUS.

INSICIATUS vel Isiciatus, a, um, adj. insicio conditus, vel ad modum insicii conditus. *Apic.* 8, 7. *f.* Isiciatus pullus.

INSICIOLUM vel Isiciolum, i, n. insicium minutum. *Apic.* 5, 4. Isiciola porcina. Adde 2, 2. etc.

INSICIUM. V. INSICIA.

INSIDEO, es, edi, essum, ere, n. 2. ἐπικάθημαι, super aliqua re sedeo: in quo differat ab *insido*, V. ad eam vocem. *Liv.* 7, 6. Insidere equo. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* currum. (al. leg. *insidĕre.*) *Sen. Med.* 29. curru. *Id. Phoen.* 122. saxum. *Ov. Her.* 20, 134. toro. *Plin.* 5, 13, 14. Ioppe insidet collem. ℙ Dicitur de his, qui in aliquo loco habitandi causa considunt. *Virg. A.* 8, 479. ubi Lydia quondam Gens bello praeclara jugis insedit Etruscis. ℙ Et de his, qui exspectandi, aut spectandi gratia alicubi se locant. *Plin. Pan.* 26. Adventante congiarii die, observare principis egressum, insidere vias examina infantium solebant. ℙ Est etiam universim locum aliquem morando occupare, tenere, obsidere. *Liv.* 21, 54. Mago locum monstrabit, quem insideatis. *Id.* 24, 31. Quibusdam ad itinera insidenda missis. *Tac. A.* 2, 16. Cherusci juga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. *Sil.* 5, 3. Silvarum anfractus caecis insederat armis. (Al. leg. *insiderat.*) Sic *Virg. A.* 11, 531. Arripuitque locum, et silvis insedit iniquis. *Liv.* 26, 44. Quingentis militibus arcem insedit. ℙ [*Vox passiva. *Liv.* 25, 13. *in.* Viaeque omnes hostium praesidiis insidentur. *Gell.* 18, 5. Equus insidetur *B. A.*] ℙ Translate. *Val. Fl.* 4, 445. mea quod vates insedit Apollo Pectora. ℙ *Insidere alicui*, h. e. insidiari. *Lact. Opif. D.* 1. Adversarius noster saluti insidet. Al. melius leg. *saltus insidet.* ℙ Saepe est consistere, haerere, inhaerere, incumbere. *Cic. N. D.* 2, 51. Cum in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese. *Hor. Epod.* 3, 15. Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosae Apuliae. *Plin. ep.* 1, 12. *med.* Dolor non pedibus solis insidebat, sed omnia membra pervagabatur. *Sen. Oedip.* 224. Torpor insedit per artus. *Cels.* 3, 1. Longus morbus, cum penitus insedit, acuto par est. *Tac. A.* 2, 21. Insidens capulo manus, *h. e.* arcte haerens gladii manubrio, et fortiter tenens, ac vibrans. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 28. Nihil quisquam unquam, me audiente, egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. *Id. Or.* 5. Insidebat in ejus mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. *Id. Leg.* 1, 17. *extr.* Voluptas, quae penitus in omni sensu implicata insidet. *Id. Tusc.* 4, 10. *extr.* Cum hic fervor concitatioque animi inveteraverit, et tanquam in venis medullisque insederit, tunc exsistit morbus, etc. *Id. Manil.* 3. Macula, quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi R. nomine. *Lucr.* 3, 932. Insidet mihi desiderium alicujus rei. [*V. *Heins.* ad *Ov. Rem. Am.* 268. et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 55. Adde *ib.* 82, 9. Cujus non occupationibus aliqua species severitatis insideat.] ℙ In multis hoc verbum cum *insido*, *is*, confunditur, et in libris saepissime invicem commutantur.

INSIDIAE, arum, f. plur. ἐνέδρα, ἐπιβουλή, occulta et dolosa exspectatio ad aliquem aggrediendum: ab *insideo*, quia clam aliquis insidetur locus, ex quo in tempore ad vim afferendam erumpatur. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Insidias facere vitae alicujus. *Id. Att.* 13, 10. Marcellus insidiis interfectus est. Sic *Dom.* 23. Per insidias quempiam interficere. *Id. Sext.* 18. Insidias ponere vitae alicujus. *Id. Agr.* 2, 18. Insidias penitus abstrusas ponere contra aliquem. *Id. Rosc. Am.* 9. alicui parare. *Id. Caec.* 29. opponere. *Id. Rosc. Com.* 16. tendere. *Id. Mil.* 10. collocare; et *Cluent.* 16. comparare; et 66. *extr.* instruere. *Ov. Met.* 1, 198. struere. *Tac. H.* 5, 22. et *Prop* 2, 23, 69. componere in aliquem. *Tibull.* 1, 7, 4. componere alicui. *Quint.* 4, 2. *med.* disponere. *Pl. Mil.* 2, 3, 32. et *Cas.* 2, 7, 13. dare alicui, *h. e.* facere. *Calpurn. Ecl.* 1, 40. afferre ovilibus. *Virg. G.* 1, 271. avibus moliri; et *Ecl.* 5, 60. pecori lupus meditatur. *Suet. Caes.* 86. undique imminentes satius est subire semel, quam cavere semper; et 74. evadere. *Just.* 7, 5. Insidiarum fraude decipere. *Sall. Jug.* 7. Insidiis opprimere aliquem. *Caes. B. G.* 1, 42. Per insidias circumvenire. *Nep. Ann.* 4. Insidiis circumventum occidere. *Id. ib.* 5. In insidias inducere; et *Just.* 44, 5. deducere. ℙ Ad locum ipsum, in quo insidiae collocantur, videntur ea, quae sequuntur, pertinere posse. *Cic. Dejot.* 7. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat? *Id. Cat.* 2, 1. Illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. *Caes. B. G.* 3, 20. Milites in insidiis collocare. *Liv.* 23, 1. disponere; et *ib.* Trahere in insidias. *Caes. B. C.* 3, 38. Intrare insidias; et 37. Subito illi ex insidiis consurrexerunt. *Sall. Jug.* 121. Ex insidiis invadere aliquem. *Ter. Ph.* 1, 4, 52. Nunc prior adito tu: ego in insidiis hic ero Succenturiatus. *Virg. G.* 3, 537. Nec lupus insidias explorat ovilia circum, *h. e.* captat locum insidiis idoneum. ℙ De ipsis insidiatoribus. *Hirt. B. G.* 8, 19. Qui sustinuerant primos impetus insidiarum. *Tac. H.* 2, 24. Equites procedere longius jussi, donec insidiae cooriren-tur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 51. Nimis insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur; et 61. *extr.* Compositae orationis insidiis fidem alicujus attentare. *Petr. Sat.* 3. Adulatores insidias auribus faciunt. *Virg. G.* 1, 426. neque insidiis noctis capiere serenae. *Id. Ecl.* 3, 18. caprum excipere insidiis; et *Cic. Or.* 12. Non ex insidiis, sed aperte ac palam elaborare. *Val. Fl.* 1, 416. Nosse insidias maris. *Virg. A.* 2, 36. Aut pelago Danaum insidias, suspectaque dona Praecipitare jubent, *h. e.* id, quo insidiae fiunt, nempe equum durateum. ℙ *Insidiis prima*, singulari num. dixit *Sall. fragm.* ap. *Charis.* 1, 75.

INSIDIANTER, adv. per insidias, cum insidiis. *Justin.* 6, 6. Securi insidianter absentiam Arcadum speculati. Al. leg. *insidiantes.*

INSIDIATOR, oris, m. ἐπίβουλος, qui tendit insidias. *Cic. Cat.* 2, 12. Nullus est portae custos, nullus insidiator viae. *Id. Mil.* 7. Insidiator in foro collocatus. *Hor. Sat.* 2, 5, 25. si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo. [**Suet. Claud.* 10. Insidiatores Caji.]

INSIDIATRIX, icis, f. *Ammian.* 24, 4. *f.* Insidiatrix manus, *h. e.* hostilis.

INSIDIO, as, avi, atum, n. 1. insidior. *Callistrat. Dig.* 48, 19, 28. *med.* Servi, qui saluti dominorum suorum insidiaverint. Ita *Torrent.* edidit. Al. leg. *insidiati erunt.*

INSIDIOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐνεδρεύω, insidias facio. *Nep. Dat.* 9. Cum nunciatum esset, quosdam sibi insidiari. *Cic. Cat.* 1, 5. Quam diu mihi, Catilina, insidiatus es, me privata diligentia defendi. *Id. Mil.* 14. Haec sica intentata nobis est: haec insidiata Pompejo est. *Id. Cat.* 1, 10. Vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Al. leg. *ad insidiandum.* [*Non improb. *Orell.*] *Id. Or.* 1, 50. Quod neque precibus, nec insidiando, nec speculando assequi potui. *Mart.* 12, 14. Insidiari apris. *Hirt. B. Afr.* 65. Cum magno equitatu, levique armatura insidiaturus locis idoneis consedit. *Cic. Coel.* 21. Magnum crimen, vel in legatis insidiandis, vel in servis sollicitandis. ℙ Translate. *Liv.* 23, 35. Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, vigilia prima tolli jussit signa, *h. e.* hostibus hoc tempore. [*V. ad h. l. *Bauer.* p. 301.] Alio sensu *Vell.* 2, 21. Ita se dubium mediumque partibus praebuit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur, *h. e.* tempora captaret, occasionesque, et ad mutationes temporum consilia mutaret sua. Sic de Amynta *Curt.* 4, 1. *med.* Utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens.

INSIDIOSE, adv. ἐπιβούλως, ex insidiis, cum insidiis, dolose, fraudulenter. *Cic. Rab. Post.* 12. Insidiose in gratiam rediit cum illo. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *f.* Me sceleratissime insidiosissimeque tractavit.

INSIDIOSUS, a, um, adj. ἐπιβούλευτος, ἐπιβουλευτικός, qui saepe insidiatur, plenus insidiis, fallax. *Cic. Att.* 8, 16. Hujus insidiosa clementia delectantur. *Plin.* 3, 5, 11. Capraria insidiosa naufragiis. *Ov. Her.* 20, 210. Verba insidiosa; et *ib.* 15, 22. O facies oculis insidiosa meis! *Id. Met.* 14, 294. Insidiosa pocula Circes. *Cajus Dig.* 6, 1, 36. Qui per insidiosa loca servorum misit. [*Ita *Suet. Caes.* 58. Insidiosa itinera, i. e. insidiis exposita.] *Cic. Verr.* 2, 2, 78. *f.* Quis acerbior, quis insidiosior, quis crudelior unquam fuit? *Plin.* 29, 1, 8. In qua conditione insidiosissima auctoritatem pessimis boni faciunt.

INSIDO, is, n. 3 ἐφιζάνω, ἑδίζω: ab *in*, et *sido*, idem est quod *insideo*, adeoque commune cum illo habet praeteritum, et in aliquibus temporibus facile cum illo commutatur: alii tamen *insido* ita interpretantur, demitto me ad sedendum; cum *insideo* sit sedeo alicubi, locum teneo absessum. *Virg. A.* 6, 707. ubi apes aestate serena Floribus insidunt variis. (Ad hunc locum *Serv.* adducit illud *ejusd. A.* 1, 722. nescia Dido, Insidat quantus miserae Deus. Et ita legit etiam *Donat.*, alii *insideat.*) *Stat. Th.* 2, 35. Stat sublimis apex ventosque imbresque serenus Despicit, et tantum fessis insiditur astris, *h. e.* ab astris insidentibus premitur. *Id. ib.* 150, locumque, Quo serere arcanas aptum, atque evolvere curas, Insidunt. ℙ Est etiam haerere, inhaerere. *Colum.* 2, 2. *med.* In opere boves arcte junctos habere convenit, quo jugum melius aptum cervicibus insidat. ℙ Translate. *Quint.* 10, 7. Dum illa verba fabricentur, et memoriae insidant. [*et 6, 2, 31. Non animo sanguis et pallor et gemitus, extremus denique exspirantis hiatus insidet? ubi v. *Spalding.*] ℙ Est etiam sidere, descendere, immergi. *Ov. Met.* 10, 257. Et credit tactis digitos insidere membris. *Quint. decl.* 6, 7. Insidunt ossibus catenae. *Pall.* 1, 4. Aqua sit perspicui coloris: nullus illi limus insidat. ℙ *Insidi* praeteritum pro *insedi* quidam leg. ap. *Sil.* 5, 3. et 12, 487., sed varia est lectio. ℙ [*Confunduntur *insidere* et *insistere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 461.]

INSIGNE, is, subst. n. παράσημα, signum, indicium, nota, monimentum, id quod in veste, vexil-

lo, et hujusmodi insignitum est, aut ipsa vestis, vexillum, etc. *Cic. Att.* 1, 3. Minerva singulare est insigne ejus gymnasii. *Id. Verr.* 2, 1, 58. Bulla erat ornamentum pueritiae, indicium et insigne fortunae. *Id. Sext.* 26. Sedebat cum purpura, et sceptro, et insignibus illis regiis. [**Vell.* 2, 56, 4. Insigne regium, i. e. diadema; cf. 2, 122, 2. Adde 2, 71, 3. insignia honorum; et *ib.* 58, 3. Fasces atque insignia consularia; et 2, 20, 4. insignia consulatus. *Id.* 2, 81, 3. Insigne coronae classicae; et 2, 10, 3. ad triumphi autem paene omnes pervenerunt insignia. Ita *Suet. Aug.* 29. et *Dom.* 13. insignia triumphorum.] *Virg. A.* 2, 389. Danaumque insignia, nobis Aptemus clypeos. *Caes. B. C.* 2, 6. Navem Bruti, quae ex insigni facile agnosci poterat; [*i. e. vexillo purpureo navis praetoriae, *die Flagge des Admiralschiffes*, cf. *Scheff. de milit. nav.* p. 175.] et *B. G.* 1, 22. Dicit montem ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse; [**Metaphr. σημείων.* At insignia h. l. non de copiarum signis, sed de ornamentis galearum, scutorum, imprimis apud centuriones, tribunos, etc., usitatis intelligendum docent seqq. *Caes.* loci. Ceterum diversa erant *Rom.* et *Gall.* insignia: illi cristas pennasque avium; hi cornua aut animalium partes gestabant variasque effigies. Cf. *Lips.* in *Analect. ad milit. Rom.* 3, 15. V. *Moeb.*] et *ib.* 2, 21. Temporis tanta fuit exiguitas, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas tempus defuerit; et *ib.* 7, 45. Tectis insignibus suorum, occultatisque signis militaribus. *Veg. Mil.* 2, 13. et 16. ursinas pelles, et agenteas cristas in galeis commemorat. *Virg. A.* 12, 944. atque humeris inimicum insigne gerebat, *h. e.* balteum Pallantis a se occisi. ℙ Translate ponitur pro omni honorum genere. *Cic. Fam.* 3, 13. Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt. *Id. Sull.* 9. Sibi habeant honores, imperia, triumphos, et alia praeclara laudis insignia. ℙ Item pro aliquo insigni ac pretioso ornatu: unde et ad orationem transfertur. *Cic. Or.* 39. Et reliquas ex collocatione verborum, quae sumuntur, quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scenae aut fori appellantur insignia: non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quae sunt orationis lumina, et quodammodo insignia, cum aut duplicantur iteranturque verba, etc. ℙ Accipitur etiam simpliciter pro signo. *Cic. Or.* 3, 33. Quod erat insigne, eum, qui ita faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam. *Caes. B. G.* 2, 20. Vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret. ℙ *Lucret.* 5, 699. solem vocat *radiatum insigne diei.* ℙ De genitivis notis. *Plin.* 8, 46, 71. Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Insigne ei in dextro latere candicans macula.

[INSIGNIĀRIUS, ii, m. qui insignia servat, iet profert. *Gloss. Philox.* Insigniarius, ἑπλοπάροχος. *F.*]

INSIGNIFĪCĀTĪVUS, dicitur a nonnullis grammaticis infinitivus modus, quia per se nullam personam significat. *Diomed.* 1, 331.

INSIGNIO, is, ivi, itum, a. 4. ἐπισημαίνω, insignem reddo, signis noto, distinguo. *Virg. A.* 7, 790. At laevem clypeum sublatis cornibus Io Auro insignibat; et *ib.* 11, 385. passimque tropaeis Insignis agros. *Plin.* 9, 17, 30. Mulli insigniuntur barba gemina inferiori labro. *Auct. dial. de Or.* 26. Malim oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. *Sen. ep.* 18. Illud temperatius, non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus. ℙ Item insignem, seu infamem reddo. *Liv.* 4, 29. *f.* Imperioso, Manlio cognomen inditum: Postumius nulla tristi nota est insignitus. *Suet. Cal.* 31. Queri de conditione suorum temporum solebat, quod nullis calamitatibus insignirentur. *Tac. Agr.* 41. Cum omnis annus funeribus et cladibus insigniretur. *Id. A.* 16, 13. Tot facinoribus foedum annum etiam Dii tempestatibus et morbis insignivere. ℙ Item denotare, nominare, notum facere. *Plin. ep.* 8, 22. *f.* Quisquis ille est, qualiscumque, sileatur: quem insignire, exempli nonnihil; non insignire, humanitatis plurimum refert. ℙ *Insignibam*, et *insignibo*, pro *insigniebam* et *insigniam* in imperfecto et futuro in 4. conjugat. frequens est ap. poetas. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 246. Hic elementorum seriem, sedesque paternas Insignibat acu.

INSIGNIS, e, adj. ἐπίσημος, qui signo aliquo, vel nota inter alia eminet: in quo est aliquod signum, unde ab aliis dignoscitur, insignitus. *Festus:* Insignes appellantur boves, qui in femine, et in pede album habent, quasi insigniti. *Tert. Resurr. carn.* 57. Itaque caeci, et claudi, et paralytici, et ut quis insignis excesserit, ita et revertetur. *Virg. G.* 3, 56. maculis insignis et albo. ℙ Item ornatus, distinctus. *Virg. A.* 4, 134. ostroque insignis et auro Stat sonipes. *Ov. Amor.* 1, 1, 11. Crinibus insignis Phoebus. *Virg. A.* 9, 583. Puer insignis facie. *Liv.* 1, 20. Insigni eum veste, et curuli regia sella adornavit. *Plin.* 35, 12, 46. Insignes officinae. ℙ Translate dicitur de eo, qui ob decus aliquod facile incurrit in oculos, et ab aliis distinguitur, singularis, praestans, eximius, egregius. *Cic. Amic.* 27. Virtus Scipionis etiam posteris erit clara et insignis. *Virg. A.* 1, 14. Vir pietate insignis. *Ov. Trist.* 4, 10, 15. excolimur teneri, curaque parentis Imus ad insignes Urbis ab arte viros. *Cic. N. D.* 2, 31. Sol et luna, quorum insignem vim et illustrem faciem videmus. *Prop.* 3, 23, 4. Versibus insignem te pudet esse meis. *Ov. Her.* 3, 121. Insignia facta. *Cic. Or.* 14. Haec sunt insignia ad maximam laudem. *Id. Or.* 2, 22. Aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene vitiosa, consectantur imitando. [**Suet. Dom.* 6. insignis aquila, i. e. ob magnitudinem conspicua.] ℙ Refertur etiam ad deformitatem, vitium, vituperationem. *Cic. Leg.* 3, 8. *extr.* Insignis ad deformitatem puer. *Id. Har. resp.* 17. Maxime illustre atque insigne perjurium. *Id. Rabir. perduell.* 9. Hominem omnibus insignem notis turpitudinis accusare. *Hor. Sat.* 2, 1, 46. Flebit, et insignis tota cantabitur urbe, *h. e.* notatus, infamatus. [**Suet. Aug.* 38. Senio vel aliqua corporis labe insignibus; et *Cal.* 26. Insignes debilitate aliqua corporis. V. *Gronov.* ad *Pl. Mil.* 3, 1, 127.] ℙ Ponitur et pro ingenti, vehementi, in utramque partem. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 266. Coquus non curat, caudam insignem esse, illa dum pinguis siet. *Cic. Fin.* 2, 22. *med.* Cujus studium insigne fuit erga me. *Id.* ad *Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Insigne odium in aliquem. *Id. Or.* 2, 58. *f.* Insignis improbitas, insignis miseria. *Id. Acad.* 1. *f.* temeritas. *Id. Verr.* 2, 4, 29. impudentia. *Liv.* 4, 4. An esse ulla major aut insignior contumelia potest? [*Nisi cum *Drakenborchio* leg. *insignitior.* Cf. *Parei Lex. Crit.* p. 617. a.] *Id.* 22, 7. *f.* Feminarum praecipue et gaudia insignia erant, et luctus. *Ter. Eun.* 5, 6. *extr.* Jamdiu causam quaerebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret iis, [*i. e. magnam aliquam injuriam.] ℙ Cum genitivo. *Tert. Pall.* 4. *med.* Qui, nisi insignes libidinum, alias reges nemo nosset. ℙ Sup. *Insignissimus* ap. *Tert. Spectac.* 12. et *Apol.* 21.

INSIGNĪTĒ, adv. παρασήμως, insigniter, valde, summe, clare. *Cic. Quint.* 23. Neque quisquam inventus est tam insignite improbus. *Pl. Cas.* 5, 4, 31. Mihi quidem edepol insignite facta est magna injuria. *Id. Poen.* 3, 6, 14. Postulare aliquid insignite a quopiam, *h. e.* aperte, aut enixe. *Gell.* 6, 15. Neque se tam insignite locuturum, absona inauditaque ut diceret, *h. e.* perperam, vel deformiter: nam et *insignitus* in malam partem sumitur. *Cic. Or.* 2, 85. Nec bonum virum proprie et copiose laudari, sine virtutum; nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite atque aspere posse. Al. tum hic, tum ap. *Gell.* leg. *insigniter.* [*In *Cic.* loco *Orell.* exhibet *insignite.*] [*Liv.* 8, 13. Quo insignitius omissa res consuli exprobraretur. Al. leg. *insignius. F.*]

INSIGNĪTER, adv. παρασήμως, insignem in modum, eximie, valde, clare: in utramque partem. *Suet. Tib.* 14. Pullus insigniter cristatus apparuit. *Cic. Part.* 23. Amicos praecipue atque insigniter diligere. *Id. Phil.* 3, 4. Quis unquam fuit tam insigniter impudens? Al. leg. *insignite.* [*Ita *Orell.*] *Justin.* 7, 2. *f.* Amyntas propria virtute insigniter clarus. *Id.* 33, 2. Dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat. *Plin. ep.* 9, 29. Satius est unum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter. *Id. ep.* 2, 11. *med.* Dixit pro Mario Fronto Catius insigniter. *Gell.* 18, 3. Graviter insigniterque accusare aliquem; et 19, 7. Verba nove et insigniter dicta; et 1, 15. Neque minus insigniter veteres nostri hoc genus homines in verba projectos, locutulejos, et blaterones dixerunt, *h. e.* significanter, expresse. [*Nep. Ages.* 3. Et quo studiosius armarentur, insigniusque ornarentur, praemia proposuit. *F.* *Sunt qui vv. *insignius ornarentur* ad splendorem referant: at *Brem.* recte hic de firmitate armorum, licet cum ornatu conjuncta, posita contendit.] *Hieron.* in *Euseb. Chron.* ad an. Chr. 46. Clodius Quirinalis rhetor Arelatensis Romae insignissime docet.

[INSIGNĪTOR, oris, m. qui gemmas anulis includendas insculpit, easque signis seu imaginibus, ad cellas, litteras, testamenta, aliaque his similia obsignanda, exornat. *August. C. D.* 21, 4. Adamantem lapidem multi apud nos habent, et maxime aurifices, insignitoresque gemmarum; qui lapis nec ferro, nec igni, nec alia vi ulla perhibetur, praeterquam hircino sanguine, vinci. *F.*]

INSIGNĪTUS, a, um, part. ab *insigno:* ἐπίσημος, signatus, notatus: in utramque partem. *Pl. Mil.* 3, 1, 127. Ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut bronchum filium. [*Hi versus non leguntur in codicibus, non in edd. vett. neque vero etiam in ed. rescripto Ambrosiano, sed e *Festo* huc traducti sunt a *Bern. Sarraceno*, qui tamen in vet. aliquo codice se invenisse testatus est. Citat *Festus* eos e *Scytha liturgo*, alia *Plaut.* fabula. Ap. *Festum* etiam initium eorum paulo aliter legitur: *Sin (sit) ea mihi inf. Lindem.*] *Petr. Sat.* 110. Non translaticia deformitate insignitus. ℙ *Insignita* in corpore sunt etiam signa et livores ex percussione, praesertim circa oculos. *Plin.* 27, 4, 4. Oculorum vitia sanari ea, convenit: privatim prurigines, et scabiem genarum, item insignita, ac livida; et *ib.* 12, 105. Epiphoras oculorum sedat, ex passo illita: insignita cum melle, et alia liventia, ex aceto. ℙ Item insignibus ornatus. *Varr. L. L.* 4, 32. Muri summa, pinnae, ab his, quas insigniti milites habere in galeis solent. ℙ *Insigniti milites*, per signa descripti, sub signis dispositi. *Enn.* ap. *Prisc.* 1, 556. Insignita fere tum millia militum octo Duxit, dilectos, bellum tolerare potentes. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 87. *f.* Utendum imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint, *h. e.* expressis, notabilibus, et veluti signo impressis. *Id. Top.* 5. Conformatio insignita, et impressa intelligentia. *Id. Div.* 1, 30. *f.* Plenus est aer immortalium animorum, in quibus tanquam insignitae notae veritatis appareant. ℙ Est etiam insignis, singularis, apertus, notabilis. *Cato* ap. *Gell.* 10, 3. *f.* Insignitae injuriae. *Liv.* 7, 15. *f.* Qua foeditate supplicii aliquanto ignominia populi R. insignitior fuit. Al. leg. *insignior.* [*V. INSIGNIS.] *Tac. A.* 4, 51. Insignitius flagitium; et *ib.* 3, 70. Insignitior infamia.

[INSIGNO, as, a. 1. idem ac signo. *Gloss. Philox.* Insigno, ἐγχαράσσω. [**Vet. Schol.* in *Juvenal.* 10, 55. *genua incerare deorum* interpretatur: In signis insignare, vota facere. *Gloss. B. A.*]

INSĪLIA, um, n. plur. instrumentum textorum, aut nentium, quod quidam volunt, esse binas regulas ligneas, pedibus textorum supposita, quae alternis depressae stamen diducunt, aut contrahunt: ab *insiliendo*, quia in eas textor insilit. *Lucr.* 5, 1351. Nec ratione alia possunt tam laevia gigni Insilia, ac fusi, radii, scapique sonantes. Illud adjunctum *laevia* hanc interpretationem videtur evertere, ut recte monet *Creech.* Sed dici potest, quod alterno motu invicem atteruntur, et laevigantur, ideo *laevia* appellari. *Voss.* in *Catull.* legit *ensilia. Lambin.* vero *insubula*, vel *insubla*, *Salmas.* ad *Trebell. ex XXX. Tyrann.* l. dicta esse ait pro *ansilia*, haec esse κανόνια, telae. [Porro *Schneiderus*, in Indice *Script. R. R.* in V. *Tela*, recte putat, *insilia* ap. *Lucretium*, et *insubulum* ap. *Isid. Orig.* 19, 29. esse *liciatorium*, perticam scilicet licia annexa gerentem, quae in tela plana scamillis sursum deorsumque calcatis trahitur, simulque filorum strata gemina alternat, dum radius tramae insertus subtemen immittit. Vocantur autem *insilia* ab insiliendo; *insibulum* vero, quia, ut *Isid. l. c.* ait, insubulatur, *h. e.* inter licia, quasi subulo, trajectum est. V. INSUBULUM, et LICIATORIUM. *F.*] Hinc *Hesych.* habet: *Κανὼν, κτείνας, ἢ τὸ ξύλον, περὶ ὃ ὁ μίτος. Schol. Homer.* ad *Iliad. ψ v.* 761. *Κανὼν, ὁ κάλαμος, περὶ ὃν εἵλεῖται ὁ μίτος ὁ ἱστουργικός.*

INSĪLIO, is, ui, n. 4. εἰσάλλομαι, ἐπιπηδάω, saltu ingredior, aut ascendo: ab *in* et *salio. Pl. Rud.* 2, 3, 36. E navi in scapham insiluimus. *Ov. Met.* 11, 731. Insilit huc: mirumque fuit potuisse; volabat. *Plin.* 8, 16, 19. Leo dum sequitur, insilit saltu: quo in fuga non utitur. *Liv.* 6, 7. In equum insilit, et ante signa, etc. *Phaedr.* 1, 2. Tignumque supra turba petulans insilit. ℙ Cum dativo. *Ov. Trist.* 1, 4, 7. Monte nec inferior, prorae, puppique recurvae Insilit, et pictos verberat unda Deos. *Id. Met.* 8, 367. Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis; et *ib.* 12, 345. Insilire tergo centauri. ℙ Cum accusativo sine praeposit. quae inest in ipso verbo. *Caes. B. G.* 1, 52. Reperti sunt milites, qui phalanges insilirent. [*Al. rectius leg. *in phalanges insilirent*, cum h. v. nonnisi apud poetas et argenteae aetatis scriptores cum quarto casu sine praepos. legatur. Ita recte etiam ap. *Ov. Met.* 8, 142. *insilit undas*; ubi v. *Heins.* qui etiam 11, 731. pro *huc* legendum putat *hanc.*] *Hor. A. P.* 465. ardentem frigidus Aetnam Insiluit. *Suet. Claud.* 21. Tauros defessos insiliunt. *Val. Fl.* 8, 132. et *Lucan.* 3, 625. attonita cum virgine puppim Insilit. *Appul. Met.* 8. Insilire aliquem, *h. e.* aggredi. ℙ Translate. *Plin.* 17, 22, 49. *n.* 11. Palmes in jugum insilit. *Pl. Mil.* 2, 3, 8. Metuo, ne hodie in malum cruciatum insiliamus. [**Insilire in crucem* dictum esse volunt pro eo, quod est *tolli in crucem.* Sed haud dubie non nisi translate usurpatur, ut *insilire in crucem* joculariter pro *incurrere malum*, *periculum*, cet. dicatur. *Lindem.*] [*Sil.* 14, 540. subito cum pondere victus, Insiliente mari, submergitur alveus undis. *F.*] ℙ Pro *insilui*, legitur et *insilii* apud *Lucan.* et *Claud.* sed inconstanti lectione.

*INSIMILIS, e, adj. dissimilis. *Festus. B. A.*

INSĪMUL, adv. idem ac simul. *Stat. Silv.* 1, 6, 36. Et gentes alis insimul togatas. *Flor.* 2, 20. Tota insimul regna veniebant; et *prooem.* Si pariter atque insimul universam magnitudinem ejus ostendero.

INSĪMŪLĀTĬO, onis, f. ἔγκλησις, accusatio. *Cic. Font.* 13. In falsam atque iniquam probrorum

insimulationem vocabatur. *Id. Verr.* 2, 5, 9. Insimulatio repentina capitalis atque invidiosi criminis. *Appul. Met.* 10. Falsis insimulationibus Palamedes proditionis damnatur.

INSĪMŪLĀTOR, oris, m. κατήγορος, accusator. *Pacat. Pan. Theodos.* 43. Nisi te purgare eodem teste, quo insimulatore voluisses. Adde *Appul. Apol.*

INSĪMŪLĀTUS, a, um, part. ab *insimulo:* accusatus, κατηγορηθείς. *Cic. Cluent.* 65. At is et ex serrula insimulatus, et a puero conscio est indicatus. *Pl. Amph.* 3, 2, 7. neque me perpetiar probri Falso insimulatam. *Caes. B. G.* 7, 38. Insimulatus proditionis. [**Suet. Vitell.* 6. Insimulatum insuper parricidii.] *Liv.* 6, 16. Senatus insimulatus falso crimine. [*Cf. 4, 56. it. 28, 43. Adde *Vell.* 2, 77, 3.]

INSĪMŪLO, as, avi, atum, a. 1. καταιτιάομαι, προβάλλομαι, accuso, criminor, arguo: a *simulo*: et proprie significat crimen confingere in aliquem, ut docet *Festus:* sive illud verum sit, sive falsum: quod confirmat *Donat.* ad illud *Ter. Ph.* 2, 3, 12. Si herum insimulabis avaritiae, male audies. *Pl. Men.* 5, 2, 54. Male facit, si istuc facit: si non facit, tu male facis, Quae insontem insimules. *Id. Amph.* 1, 2, 15. Amphitruo uxorem insimulabit probri. *Ter. Heaut.* 1, 2, 30. Et quod illum insimulat durum, id non est. *Cic. Acad.* 4, 10. *f.* Queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere. *Id. Att.* 10, 19. De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii insimularem. *Id. Tusc.* 3, 27. Peccati se insimulant, quod dolere intermiserint. *Caes. B. G.* 7, 20. *f.* Insimulare aliquem proditionis. *Ov. Her.* 6, 21. utinam temeraria dicar Criminibus falsis insimulasse virum. *Cic. Verr.* 2, 5, 41. Non possum quemquam insimulare falso. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* Adde *Vell.* 2, 60, 3. Mox etiam, velut insidiis ejus petitus, sceleste insimulare coepit; et *Lex. Liv.* p. 343. sq. ubi exempla hujus vocis passive positae haec laudantur. *Liv.* 29, 20. Neque aliud quam patientia, aut pudor, quod legato pepercisset, insimulari possit; et 44, 16. Postremo, quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit. ℙ Differunt *insimulare*, *criminari* et *calumniari:* illud etiam errorem adjunctum habere potest; *criminari*, licet plerumque veram accusandi causam contineat, semper ad invidiam, iracundiam, suspicionem, malevolentiam referendum est. *Calumniari* utrumque et consilium et fraudem spectat. *Doederl. l. l.* 2, 167.] ℙ Universim vero accusare significat, culpam conferre, arguere, reum facere. *Cic. Caec.* 1. Si testes sunt boni viri, me adjuvant, cum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo. *Id. Verr.* 2, 4, 15. Mirari stultitiam alii, quod in ipso judicio, ejus ipsius cupiditatis, cujus insimularetur, suspicionem augeret. [**Id. Cat.* 3, 5. Nihil eorum, quae Galli insimulabant, negarunt.] ℙ Cum altero accusativo rei. *Pl. Amph.* 2, 2. *f.* collibitum est Meo viro sic me insimulare falsum facinus tam malum; et *ib.* 188. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. *Id. ib.* 3, 2, 21. Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es. ℙ Tmesis est in illo *Pl. Stich.* 1, 2, 19. Quasi nunquam quicquam in eas simulem, *h. e.* eas insimulem. ℙ Pro simulare, fingere, afferunt locum *Cic. Verr.* 2, 2, 24. *extr.*, qui ad rem non facit, et *Pacuv.* ap. *eund. Off.* 3, 26., ubi plerique leg. *assimulo*, aut *simulo.*

INSINCĒRUS, a, um, adj. διεφθαρμένος, non sincerus, non integer, corruptus. *Virg. G.* 4, 284. quoque modo, caesis jam saepe juvencis, Insincerus apes tulerit cruor, [*i. e. corruptus ex putredine.] *Prud. Hamart.* 4. Insincera acies duo per divortia semper Spargitur, in geminis visum frustrata figuris. ℙ Translate. *Gell.* 5, 3. *f.* Protagoras insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum fuit, *h. e.* fallax, captiosus.

INSINŪĀTIO, onis, f. actus insinuandi. *Avien. Perieg.* 397. eadem insinuatio Ponti Europam et Lybiam rapido disterminat aestu, *h. e.* ingressus oceani per fretum Gaditanum. ℙ Apud rhetores quid sit, loca docent, quae subjicio. *Auct. ad Her.* 1, 4. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod Graece προοίμιον appellatur; et insinuatio, quae ἔφοδος nominatur; et 7. Inter insinuationem et principium hoc interest, quod principium hujusmodi esse debet, ut statim apertis rationibus aut benevolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem: at insinuatio ejusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus. *Cic. Inv.* 1, 15. Exordium in duas partes dividitur in principium, et insinuationem. Principium est oratio perspicue, et protinus perficiens auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio, quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum. Adde *Quint.* 4, 1. *med.* [*Cf. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 217. sq.] ℙ *Imp. Constant. Cod.* 8, 54, 32. et *Imp. Just. ib.* 36. usurpant pro denunciatione cujuspiam rei apud magistratum facta, per quam res ipsa publice nota fit. [**Duk. de lat. Vett. Ict.* 439.] ℙ [Translate est adhortatio, suasio; hinc Itali suum repetunt *insinuazione. Capell.* 9, 303. Verum Superum pater, licet insinuatione germanae, ut properaret, admonitus, etc. *F.*]

INSINŪĀTOR, oris, m. qui insinuat. *Arnob.* 1, 39. Insinuator, magister, atque auctor. *Tert. ad Nat.* 2, 1. Insinuatores Deorum, *h. e.* qui Deos introducunt.

[INSINŪĀTRIX, icis, f. quae insinuat. *August. ep.* 110. (al. 135.) *n.* 1. Epistola rem quidem mihi in te notissimam insinuavit; verumtamen etsi non mihi rei novae insinuatrix, nova tamen rescriptorum exactrix fuit. *F.*]

INSINŪĀTUS, a, um, part. ab *insinuo*, in sinu positus, seu conditus. *Appul. Met.* 9. Siccine vacuus, et otiosus insinuatis manibus ambulabis mihi? Sed aliqui explicant manibus inflexis, complicatis, compressis. [Sic *Liv.* 7, 13. Cur veteranus dux compressis, quod ajunt, manibus sedeas? *F.*] ℙ Item qui se insinuavit. *Lucr.* 3, 699. intrinsecus insinuatam Permanare animam nobis per membra solere; et 4, 525. vox insinuata in aures. ℙ Translate est qui se insinuavit, et alicujus familiaritatem et gratiam est adeptus. *Suet. Oth.* 2. Per hanc insinuatus Neroni. [*Adde *Cal.* 12. et *Hor.* primo Maecenati, deinde Augusto insinuatus. V. v. seq.] ℙ Item penetratus, pervasus. *Gell.* 1, 15. Ne ulla tua aedificatio e ligno, correpta atque insinuata flammis arderet.

INSINŪO, as, avi, atum, a. 1. ἐγκολπίζω, παρεισάγω, proprie est in sinum immittere. *Tert. Resurr. carn.* 28. Moyses manum in sinum condit, et emortuam profert: et rursus insinuat, et vividam explicat. ℙ Translate paulatim introducere, sensim intromittere, injicere. *Caes. B. G.* 4, 33. Cum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, et pedibus proeliantur. *Liv.* 44, 41. *f.* Romani quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. *Id.* 9, 2. Aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda. [*Adde 32, 13. qua se inter valles flumen insinuat.] *Curt.* 5, 3. Tigris leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. *Lucr.* 6, 859. de sole: cum vix possit per septa domorum Insinuare suum radiis ardentibus aestum. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *f.* Futura mala explores, ne se insinuent. *Cic. Or.* 2, 35. Penitus insinuare se in causam, i. e. causam penitus perspicere. *Auct. ad Her.* 1, 6. His nos rebus insinuabimus ad causam, *h. e.* ingrediemur, aditum nobis faciemus. (V. INSINUATIO.) *Cic. Tusc.* 5, 11. Zeno insinuasse se in antiquam philosophiam videtur. *Prop.* 3, 7, 27. Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni Tempore tam faciles insinuentur opes, *h. e.* ad te veluti ingrediantur, accedant, ingerantur. *Avien. Arat.* 312. Insinuare ratem terris, *h. e.* appellere. ℙ Neutrorum more omisso accusativo *se*, qui tamen facile subintelligitur. [*V. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 4, 13.] *Cic. Or.* 1, 20. Quod ita nati essemus, ut et blandiri, et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, possemus. [**Id. Phil.* 5, 3. Eccui potestas in forum insinuandi fuit? *(sich einzuschleichen.) Scil.* quia aditus omnes sepsisset Antonius. Sunt qui leg. *introeundi.* Adde *Liv.* 40, 37. Fraudis quoque humanae insinuaverat suspicio animis. V. *Parei Lex. Crit.* p. 617. b.] *Virg. A.* 2, 229. tremefacta novus per pectora cunctis insinuat pavor. *Manil.* 4, 602. Italiaeque urbes dextram insinuantis in undam, *h. e.* procurrentis. *Lucr.* 4, 330. semina possidet ignis Multa, dolorem oculis quae gignunt insinuando. Adde *Gell.* 3, 7. ℙ Omissa praeposit. quae inest in ipso verbo. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 267. Agmen perturbatum pedites insinuant, ac loco commovent. *Lucr.* 1, 116. de anima: An pecudes alias divinitus insinuet se. *Id.* 1, 408. caecasque latebras Insinuare omnes, *h. e.* se in latebras insinuare. *Stat. Silv.* 2, 1. *extr.* desolatamque sororem, Qua potes, et miseros perge insinuare parentes. ℙ Saepe de iis dicitur, qui paulatim et quasi latenter ad amicitiam et familiaritatem alicujus perveniunt. *Pl. Mil.* 2, 1, 27. Miles insinuat se ad illam amicam heri mei. *Cic. Caec.* 5. Insinuare se in familiaritatem alicujus. *Pl. Cist.* 1, 1, 94. in amicitiam cum aliquo. *Cic. Fam.* 4, 13. *f.* in consuetudinem alicujus. *Liv.* 40, 21. *extr.* Per omne obsequium insinuare se in quam maxime familiarem usum. *Justin.* 5, 2. Insinuare se alicui officii comitate, et obsequendi gratia. *Cic. Agr.* 2, 5. Cum familiariter me in eorum sermonem insinuarem, ac darem, celabar, excludebar. [*Ponitur etiam *insinuari* hoc sensu, sed raro. V. *Suet. Gr.* 21. Augusto etiam insinuatus est. Cf. INSINUATUS.] ℙ Insinuari sacris *Appul. Met.* 11. est initiari, introduci. ℙ Insinuare aliquem alicui, commendare, tradere alicui in amicitiam. *Suet. Gramm.* 21. Quare cito manumissus, Augusto et insinuatus est. *Plin. Pan.* 62. Hoc est igitur, quod penitus illos animo Caesaris insinuavit. ℙ *Insinuare alicui aliquid*, est in ejus animum suadendo, aut rogando infundere. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 3. Vitam moresque feris etiam tum mentibus insinuans. *Claud. ep.* 3, 21. littera Labris atque animis insinuanda meis. ℙ Pro notum facere. *Ulp. Dig.* 32, 1, 11. Voluntatem suam fideicommittentis heredibus insinuare. *Solin. ep.* 2. *med.* Quod cum primis industriae tuae insinuatum velim. [**V. Duk. de lat. Vett. Ict.* 439.]

INSĪPĬDUS, a, um, adj. ἄχυμος, non sapidus, saporis expers, insulsus. *Firm. Math.* 2, 12. *med.* Significat saporem salsum, et insipidum. ℙ Translate. *Gell.* 6, 1. Nihil est prorsus istis imperitius, nihil insipidius, qui opinantur, etc. Al. leg. *insubidius.*

INSĪPĬENS, entis, adj. ἀνόητος, non sapiens, desipiens, stultus, qui non cogitat, quae agenda sunt. *Cic. Amic.* 15. Neque quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. *Id. Fin.* 15. Turpe est sapientem ex insipientium sermone pendere. *Id. Div.* 23. Ego insipientior, quam illi ipsi. *Sen. Q. N.* 2, 59. Timidissimus omnium et insipientissimus.

INSĪPĬENTER, adv. ἀνοήτως, imprudenter. *Cic. Sen.* 19. Sperat adolescens diu se victurum: insipienter sperat. *Pl. Mil.* 2, 6, 78. Insipienter a me factum, at non malitiose tamen.

INSĪPĬENTĬA, ae, f. ἀνοησία, dementia, amentia, imprudentia. *Cic. Tusc.* 3, 5. Ita fit, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania, eademque dementia; et 28. Neque insipientia ullum majus malum est. *Pl. Amph. prol.* 36. Justa ab injustis petere, insipientia est. *Id. Poen.* 5, 2, 130. Subdolum esse amico, insipientia est. *Id. Mil.* 3, 3, 5. Stultitia atque insipientia insulsa, atque maxima.

INSĪPO, is, pui, a. 3. injicio, conjicio; a *sipo*, quod significat jacio: unde *dissipo* disjicio: *obsipo* objicio, ut *Fest.* docet in *Supat*, et in *Insipere.* Hinc *Cato R. R.* 85. Ita insipito in aulam novam. *Pompon.* ap. *Non.* 10, 3. Facite, ut ignis fervat: ligna insipite, far concidite; et 1, 181. Partem insipui, conclusi, condepsui. *Festus:* Insipere, farinulam jacere pullis. ℙ Est etiam *insipo, as*, ut *dissipo, as*, teste eodem *Festo.*

INSISTO, is, institi, n. 3. φίσταμαι, super, vel in aliqua re me sisto, consisto, innitor, incumbo. *Cic. Somn. Scip.* 6. Cingulus australis, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia. *Id. Verr.* 2, 4, 49. *extr.* Insistebat in manu Cereris dextra simulacrum Victoriae. *Plin. ep.* 8, 8. *f.* Villae, quae secutae fluminis amoenitatem, margini insistunt. *Caes. B. G.* 4, 26. Quod neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant; et 33. Per temonem percurrere, et in jugo insistere. [**Suet. Cal.* 26. Quo firme verberaturi insisterent *(fest auftreten).*] *Stat. Th.* 7, 765. jam lubrica tabo Frena, nec insisti madidus dat temo. *Caes. B. G.* 2, 27. Ut cum primi eorum cecidissent, proximi jacentibus insisterent, *h. e.* sisterent se supra jacentes. [**Liv.* 22, 51. Ad spolia legenda insistunt.] *Tac. A.* 15, 57. Nam, dissolutis membris, insistere nequibat. *Quint.* 11, 3. *med.* Indecora in dextrum, ac laevum latus vacillatio alternis pedibus insistentium. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 27. Hastae insistens, se Diis Manibus devovit. *Quint. l. c.* Insistere in sinistrum pedem. ℙ Item resistere, subsistere, gradum sistere: cujus contrarium est progredi. *Cic. N. D.* 2, 40. Stellarum, quas vagas dicimus, motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. *Id. Phil.* 12, 3. *extr.* Ut non referat pedem, insistet certe. *Id. Fin.* 5, 25. *med.* Quae cum dixisset, paulumque institisset, etc. *Id. Or.* 56. Circuitus ille incitatior numero ipso fertur, et labitur, quoad perveniat ad finem, et insistat. *Gell.* 9, 11. Corvus repente improvisus advolat, et super galeam tribuni insistit. *Cic. Or.* 66. Saepe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum. *Ov. R. Am.* 315. Vitiis alicujus insistere. [**Curt.* 8, 4, 8. Insistebat vis mali.] ℙ Sic *Plin.* 13, 15, 30. *extr.* Inter pauca nitidioris vitae instrumenta haec arbor est: quapropter insistendum ei paulum videtur, [*i. e. paulisper immoremur ejus descriptioni.] ℙ Item urgere, instare, premere. *Nep. Eum.* 4. Neque eo magis ex proelio excessit, sed acrius hostibus institit. *Liv.* 26, 44. Adeo effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinisset, permixti fugientibus, etc. [*Adde 27, 13. et 42, 60. ℙ Hic notanda videtur Livii singularis quaedam loquendi ratio: 2, 51. Bellum ipsis institit moenibus, i. e. accessit ad portas, minitando proxima urbis loca occupaverat.] ℙ Item persistere, pergere. *Cic. Acad.* 4, 25. Confidere suis testibus, et importune insistere. *Nep. Att.* 11. Ceterosque pari fortuna perculsos institit tueri. *Cic. Fam.* 10, 16. Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret, etc. *Liv.* 24, 46. Arpos institit oppugnare; et 27, 2. *f.* Ubi lux fugam hostium aperuit, vestigiis institit sequi. [*Est haec Livio usitatissima dicendi formula. V. *Lex. Liv.* p. 344.] *Pl. Capt.* 3, 4, 53. Vide, ne quid tu huic temere insistas credere, *h. e.* credere pergas. ℙ Cum accusativo, praesertim cum motum aliquem adsignificat. *Virg. A.* 11, 573. Utque pedum primis infans vestigia plantis Institerat, etc., *h. e.* stare in vestigia, et ambulare coeperat. *Stat. Th.* 3, 318. ira Jovis si quando nivalem Othryn, et Arctoae gelidum caput

institit Ossae. *Virg. A.* 6, 563. Nulli fas casto sceleratum insistere limen, *h. e.* adire, ingredi. *Pl. Cas.* 4, 4, 21. Institit plantam, *h. e.* pedem pede pressit. Adde *Acc.* ap. *Non.* 1, 50. ℙ *Insistere viam, rationem*, est inire, perstare in via, ratione, quam semel sis ingressus. *Pl. Cist.* 4, 2, 11. Facite indicium, utrum hac, an illac iter institerit. *Ter. Eun.* 2, 3, 3. Ubi quaeram? ubi investigem? quam insistam viam? Al. leg. *qua via. Liv.* 37, 7. Iter, quod insistis, ego quoque approbo. *Caes. B. G.* 3, 14. Neque satis constabat, quam rationem pugnae insisterent. [*V. *Moeb.* ad h. l.] *Virg. G.* 3, 164. Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi. ℙ *Insistere vestigiis* est haerere, vestigia alicujus sequi. *Quint. prooem. l.* 1. Ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem. *Liv.* 5, 30. Insistere omnes vestigiis laudum suarum. ℙ Translate. *Plin. ep.* 4, 8. Laetaris enim, quod honoribus ejus insistam, quem aemulari in studiis cupio, *h. e.* sequar eum per eosdem honorum gradus. ℙ *Insistere alicui rei*, vel *in aliquam rem* est incumbere, attendere, animo instare. *Caes. B. G.* 6, 5. Totus et mente et animo in bellum Trevirorum insistit. *Pl. Mil.* 2, 4, 4. Age jam nunc insiste in dolos. *Quint.* 1, 12. Insistere studiis. *Plin.* 28, 1, 2. curae rerum. *Tac. H.* 3, 77. perdomandae Campaniae. [*Plura v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 278.] *Tibull.* 4, 1, 135. magnis rebus. *Plin.* 7, 52, 53. funeri, *h. e.* curare, et interesse. [*Vell. 1, 17, 4. quisquis temporum insteriterit notis.] ℙ Et cum accusativo. *Pl. Mil.* 3, 3, 54. Agite, intro abite, insistite hoc negotium sapienter. *Cic. Or.* 3, 45. Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur, nos hanc vim consequi posse? ℙ Passive impersonaliter. *Tac. A.* 2, 62. Utque, fracto jam Maroboduo, usque in exitium insisteretur, *h. e.* persisteretur usque ad exitium creandum. ℙ Pro insectari, persequi. *Id. ib.* 4, 60. Insistentibus contra, irridentibusque, qui Sejano fautores aderant. ℙ Pro urgere, sollicitare, instare. [*Liv. 4, 46. Dicitur Servius, institisse filio, ut cet. i. e. suasisse vi quadam urgendi adhibita.] *August. in Psalm.* 63. *n.* 4. Institit quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. *Macr. Sat.* 1, 6. *med.* Papirius, quid ipsi mater audire institisset, quid matri ipse simulasset, enarrat. *Inscr.* portae antiquae Veronensis ab Imp. Gallieno constructae, ap. *Maff. Mus. Ver.* 197. Muri Veronensium fabricati ex die III. Non. Aprilium, dedicati prid. Non. Decembris, jubente sanctissimo Gallieno Aug. N., insistente Aur. Marcellino V. P. Duc. Duc., curante Jul. Marcellino. ℙ [*Confunduntur *insistere* et *insidere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 461.]

INSĪTĪCĬUS, a, um, adj. *ἐμφυτεία*, inserendi actus. *Cic. Sen.* 15. *extr.* Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil invenit agricultura solertius. *Colum.* 3, 9. *med.* Vitis celerrime insitionibus ad maximum numerum perducitur. ℙ Item ipsa arbor insita. *Pall.* 5, 2. Insitionem prope infra terram nutriemus. ℙ Item inserendi tempus. *Ov. R. Am.* 195. Venerit insitio: fac, ramum ramus adoptet. ℙ De variis insitionum generibus V. *Colum.* 5, 11. et *arbor.* 26. et *Plin.* 17, 14, 24. Est praeterea *de insitione* integer *lib.* 14. *Palladii.*

[INSĪTĬUM, ii, n. interpositio. *Gloss. Philox.* Insitium, *ἐνθεσις. F.*]

INSĪTĪVUS, a, um, adj. *ἔνθετος*, ex insito proveniens, insiticius. *Hor. Epod.* 2, 19. Insitiva decerpens pira. V. SECURICULA. ℙ Translate. *Phaedr.* 3, 3. Insitivi liberi, *h. e.* illegitimi. *Cic. Sext.* 48. Cum insitivum Gracchum censu prohibuisset, *h. e.* qui se Gracchum esse simulabat, mentitus conditionem ac nomen. *Sen. Controv.* 2, 9. *med.* Tota familia expellere insitivum heredem cupiente, *h. e.* per adoptionem heredem factum. *Gell.* 12, 1. *med.* Insitivum, et degener alimentum lactis alieni, *h. e.* aliunde, quam a matre sumptum.

INSĪTOR, oris, m. qui inserit. *Propert.* 4, 2, 17. Insitor hic solvit pomosa vota corona. *Plin.* 18, 33, 86. Hunc caveat insitor calamis, gemmisque inoculator. ℙ *Insitoris* nomine flamen Cerealis Deum invocabat, sacrum Telluri ac Cereri faciens. V. IMPORCITOR.

INSĪTUS, a, um, part. ab *insero, evi:* insertus, impositus. *Colum. arbor.* 20. Arbor insita fructuosior est, quam quae insita non est. *Virg. G.* 2, 33. mutatamque insita mala Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna. *Plin.* 15, 15, 17. Insita nucibus arbutus, cerasis ulmus. [*Cic. *Brut.* 58. O generosam stirpem, et tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam sapientiam. *Lucr.* 5, 539. Terra — Partibus auriis mendi, quibus insita vivit. V. integrum locum.] ℙ *Insitum* absolute est surculus insitus. *Colum.* 5, 11. *med.* Terram circa arborem adaggerato usque ad ipsum insitum. *Varr. R. R.* 1, 41. Aqua recenti insito inimica; tenellum enim cito facit putre. ℙ Item immissus, injectus. *Colum.* 6, 36. de mulis: Equam convenit membris fortibus eligere, ut discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat, ac perferat. ℙ [*Item inscriptus, infixus. *Lucr.* 5, 333. Quo tot facta virum totiens cecidere? neque usquam Aeterneis famae monimentis insita florent?] ℙ Translate [*de eo, quod animo impressum est, inhaeret.] *Cic. Verr.* 2, 2, 48. Hoc Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur; et *ib.* 2, 5, 53. Reliqua est ea causa, quae non jam recepta, sed innata; neque delata ad me, sed in anima sensuque meo penitus affixa atque insita est. *Id. N. D.* 1, 17. Insitas Deorum, vel potius innatas cognitiones habemus. *Id. ib.* 1, 24. Habere notiones tot rerum insitas, et quasi consignatas in animis. *Id. Cluent.* 1. *f.* Evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam. *Id. Har. resp.* 25. Haud obscurum odium, atque id insitum penitus, et inustum animis hominum. ℙ [*Hinc ponitur pro eo ipso, quod innatum et naturale est. *Id. Mur.* 14. ubi *insita virtus* opponitur studiis ad honorem dispositis, ut eloquentiae, et sientiae militaris.] *Id. Fin.* 1, 9. *f.* Notio quasi naturalis atque insita in animis nostris. *Id. ib.* 4, 7. *med.* Insitus menti cognitionis amor. *Liv.* 28, 24. Insita hominum libido alendi de industria rumores. Al. leg. *hominibus. Cic. Sull.* 30. Hoc natura est insitum, ut, etc. *Liv.* 23, 14. Industria insita animis; et 34, 20. Silvestrem gentem insita feritas continebat in armis. [*Vell. 2, 62, 6. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompejanarum partium, etc.] *Hor. Od.* 4, 4, 33. Doctrina sed vim promovet insitam. ℙ Item adscriptus, adscitus. *Cic. Sext.* 33. Ex deserto Gavii horreo in Calatinos Atilios insitus. *Tac. A.* 13, 14. Insitus, et adoptivus.

INSĬTUS, us, m. insitio. In sexto casu sing. *Plin.* 15, 14, 15. de malis: Est quibusdam sanguineus color, origine ex mori insitu tracta. Adde 14, 3, 4. *n.* 7.

*INSOBRES pro Insubres, scribebant Veteres, teste *Scalig.* in *Varr. R. R.* 2. V. INSUBER. *B. A.*

INSOCĬĂBĬLIS, e, adj. *ἀσυνάλλακτος, ἀσύναχτος*, qui sociari, seu conjungi non potest, qui societatem commerciumque cum aliis non habet, [*non patitur.] *Liv.* 27, 39. Homines omni generi humano insociabiles. Al. leg. *insociales. Id.* 37, 1. Indomita et insociabilis gens. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 7. Inserendi nova ratio Columellae excogitata, qua vel diversae, insociabilesque naturae arborum copulentur. *Id.* 16, 43. 83. Et glutinum abdicant quaedam, et inter se, et cum aliis insociabilia glutino. *Tac. A.* 13, 17. et *Curt.* 10, 9. Insociabile est regnum, *h. e.* socium non admittit: quia ut ait *Lucan.* 1, 92. Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit. *Tac. A.* 4, 12. Anum suapte natura potentiae anxiam, insociabilem nurui efficiebat.

[INSOCĬĂLIS, e, adj. idem ac insociabilis. *Porphyr.* ad *Hor. Ep.* 1, 18, 6. Inconcinna, insocialis. *F.*]

INSOLĂBĬLĬTER, adv. *ἀπαραμυθήτως, ἀπαρηγορήτως*, sine consolatione. *Hor. Ep.* 1, 14, 7. rapto de fratre dolentis Insolabiliter.

INSOLĀTĬO, onis, f. *ἡλίασις*, siccatio in sole. *Plin.* 21, 14, 49. Candidissima cera fit post insolationem etiamnum recocta.

INSOLĀTUS, a, um, part. ab *insolo*, in sole expansus, sole calefactus, siccatus, *διηλιωθείς, εἰλητρής. Colum.* 4, 27. Uvae commodius insolatae percoquuntur. *Id.* 12, 43. Uva sine noxa servari potest, si sereno coelo, post horam quartam, cum jam insolata est, nec roris quidquam habet, viti detrahatur. ℙ *Insolati dies* sunt sereni, et sole perfusi. *Id.* 11, 3. *med.* Tepidis diebus, et insolatis sub divo ponat.

INSOLENS, entis, adj. *ἀήθης*, non solens, insuetus. *Ter. Andr.* 5, 4, 4. Quid tu Athenas insolens? *Cri.* evenit. *Hor. Od.* 1, 5, 7. aspera Nigris aequora ventis Emirabitur insolens. ℙ [*Cum casu objecti.] *Cic. Att.* 2, 21. Ille amicus noster, insolens infamiae, semper in laude versatus. *Caes. B. C.* 2, 36. Multitudo insolens belli diuturnitate otii. *Gell.* 19, 12. *med.* Ruris colendi insolens. *Sall. Cat.* 3. Insolens malarum artium. *Cic. Sext.* 56. Non sum tam ignarus causarum, non tam insolens in dicendo, ut, etc. [*Id. Or. 1, 48. Ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens.] *Tac. A.* 15, 67. Nero ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat. ℙ Item insolitus. *Cic. Or.* 8. Nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. *Gell.* 11, 7. Verbis uti aut nimis obsoletis, exculcatisque, aut insolentibus. *Id.* 2, 27. *f.* Non corporis dehonestamento laetus, quod est insolens, et immodicum, sed, etc. et 7, 3. *med.* Principio nimis insolenti usus est. Adde quae congessit *Non.* 4, 234. ℙ [*Doederl. I, 177. v. *insolens* homonymon dicit; utque *adolere* ab *olere, adolescere* contra una cum *suboles* et *proles* ab *alere* originem habeat, ita *insolens* nonnisi, cum id significet, quod contra solitum usum fiat, sicut *insolitus* a *solere;* quando elatum, arrogantem, superbum denotet, sicut *insultans* a *salire* esse deducendum.] ℙ Translate est intemperans, immodicus, nimius, solitum morem excedens, nimium elatus, atque adeo superbus, arrogans, audax, immodestus. *Cic. Marc.* 3. Victoria natura insolens et superba est. *Id. Tusc.* 5, 14. *extr.* Temperantia insolenti alacritate gestire non sinit. *Id. Par.* 6. Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? *Hirt. B. Alex.* 51. Insolenti voluptate efferri. *Hor. Od.* 2, 3, 2. Mentem in rebus bonis servare ab insolenti temperatam laetitia. *Cic. Sen.* 10. Nec erat ei verendum, ne vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. *Id. Or.* 3, 84. Non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia. *Hor. Od.* 1, 16, 21. imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. *Nep. Timol.* 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. *Vell.* 2, 110. Pannonia insolens longae pacis bonis. *Plin.* 35, 18, 58. Insolens fortuna, *h. e.* quae saepe humiles homines nimium extollit, et contra omnem morem ac fas sua bona distribuit. *Auson. Gratiar. act.* 11. *extr.* Eum pagina Fastorum suorum fecit insolentem. *Hirt. B. G.* 8, 13. *extr.* Utrum secundis rebus insolentiores, an adversis timidiores essent. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. *med.* Insolentissimi homines, summis ludis circensibus meis, postulandum me lege Scantinia curant. *Quint. in prooem.* 1. Nomen sibi insolentissimum arrogare. *Suet. Vesp.* 15. Non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 1. Insolentissimos Numantinae urbis spiritus contundere. ℙ [*Dissolutus, profusus. *Cic. Rosc. Am.* 8. qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 20. et v. in INSOLENTIA.] ℙ *Insolens locus* dicitur a *Pall.* qui infrequens est, ubi non solent homines saepe versari, 12, 4. Si regio insolens, et incustodita contigerit.

INSOLENTER, adj. *ἀηθῶς*, praeter id, quod fieri solet, praeter morem et consuetudinem. *Cic. Inv.* 1, 28. Evenire ne vulgo soleat, an insolenter et raro. *Gell.* 1, 21. *f.* Non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter, sed in carminibus Lucretii inventum est; et 10, 13. Insolentius paulo hac figura usus est. *Catull.* 25, 12. Insolenter aestuare, *h. e.* immodice, vehementer jactari. ℙ Item praeter id, quod decet, par est, opus est: atque adeo immodice, intemperanter. *Cic. Or.* 52. *f.* Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur, quas Isocrates moderatius temperavit. ℙ Item superbe, arroganter. *Caes. B. G.* 1, 14. Victoria sua insolenter gloriari; et *B. C.* 1, 45. Hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit; et *ib.* 3, 46. Insolentius atque audacius nostros premere coeperunt. *Cic. Cat.* 2, 9. Qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque tractarunt. *Id. Phil.* 9, 3. Auctorem senatus exstinctum, laete atque insolenter tulit. *Id. Tusc.* 4, 17. Efferre se insolenter. [*Liv. 23, 36. Ab re bene gesta insolenter laetum exercitum tironum etc.] *Flor.* 1, 26. Insolenter irridere aliquem. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 21. Insolentissime obequitantem consectatus interemit.

INSOLENTĬA, ae, f. *ἀήθεια*, insuetudo, novitas. *Cic. Rosc. Am.* 31. *extr.* Qui propter fori, judiciorumque insolentiam, non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidat. Sic *Liv.* 30, 42. *f.* Ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, impotentes laetitiae insanire. [*Adde 23, 18. Quo avidius (Poeni) ex insolentia in eas (voluptates) se merserant.] *Sall. Jug.* 99. Timidus insolentia itineris. *Cic. Dejot.* 2. Moveor etiam ipsius loci insolentia, quod tantam causam dico intra domesticos parietes, etc. et *Coel.* 31. Fama adolescentis paulum haesit ad metas, notitia nova mulieris, et infelici vicinitate, et insolentia voluptatum. *Id. Or.* 1, 22. Insolentia disputationis. ℙ [*In oratione insolentia vitium est ex inusitatis verbis et quaesita ambiguitate. *Cic. Brut.* 82. Insulsitatem et insolentiam tanquam insaniam quandam orationis odit.] *Id. Or.* 3, 13. verborum, *h. e.* verba inusitata; et 12. Peregrina insolentia. ℙ Saepe in malam partem accipitur pro intemperantia, et excessu ab eo, quod ex laudabili consuetudine fieri solet, praesertim in coenarum sumptibus. *Cic. Phil.* 9, 6. Mirifice Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus saeculi insolentiam vituperabat. *Id. Fam.* 9, 20. In Epicuri nos castra conjecimus: nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, etc. [*V. *Manut.* ad h. l. et cf. INSOLENS.] ℙ Item pro arrogantia, superbia. [*Gr. *ὕβρις.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 41. Illa tua singularis insolentia, superbia,

contumacia. *Id. Or.* 2, 52. Non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. *Id. Agr.* 1, 6. Modeste insolentiam suam continere. *Id. ad Brut.* 2, 2. Coeperat esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. [*Caes. B. C.* 1, 32. Crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis.] *Sall. Jug.* 4. Ne per insolentiam quis existimet memet studium meum laudando extollere; et 44. Insolentia ex secundis rebus. *Nep. Ep.* 5. Insolentiam alicui objicere. *Id. Ag.* 5. Tantum abfuit ab insolentia gloriae, ut, etc. *Justin.* 39, 2. Superba insolentia spernere aliquem. *Quint.* 1, 6. Abolita atque abrogata retinere, insolentiae cujusdam est et frivolae in parvis jactantiae. *Senec. Ben.* 3, 29. Hominum insolentiam contundere. [*Huc pertinet locus, quem Noster male intellectum §. anteced. adscripserat, *Suet. Vit.* 10. Plurimum meri propalam hausit, passimque divisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem *Memoriae Othonis* inscriptum intuens, dignum eo mausoleo ait. Item alius a Nostro in fine §. l. positus locus *Hor. Ep.* 17, 75. Meaeque terra cedet insolentiae, *h. e.* novis ausis, insolitis ac novis viribus, quibus ulciscar et deprimam omnes. Porro cf. *Vell.* 2, 45, 5. Insolentia (Catonis) paene argui potest.] ℙ In plurali num. *Phaedr.* 3. *epil.* A noxiorum premitur insolentiis. *Gell*, 13, 20. *f.* Insolentias verbornm respuere.

INSŌLĔO, es, n. 2. idem ac soleo. *Caecil.* ap. *Gell.* 3, 16. Iosoletne mulier decimo mense parere? Pol nono, etiam septimo, atque octavo.

INSŌLESCO, is, n. 3. *ἁβρίνομαι*, insolens, immodicus, superbus fio. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Ne Romani, Persa quoque rege victo, ad superbiam, ferociamque, et immodicum modum insolescerent. *Sall. Cat.* 6. *extr.* Per licentiam animus humanus insolescit. *Tac. H.* 2, 7. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. *Id. Ann.* 2, 75. Neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina. [*Cf. *Just.* 31, 8.] ℙ Translate. *Hier. in Helv. n.* 18. Novem mensibus uterus insolescens, *h. e.* intumescens praeter solitum.

INSŌLĬDUS, a, um, adj. *μαλακὸς*, non solidus, infirmus, mollis. *Ov. Met.* 15, 202. tunc herba nitens, et roboris expers Turget, et insolida est.

INSŌLĬTĒ, adv. praeter consuetudinem, insolenter. *August. Doctr. Christ.* 2, 23. *extr.* Si forte insolite acciderint. *Gellio* quoque tribui solet, 1, 2. Multa atque immodica intempestive atque insolite disserebat. Sed plerique omnes leg. *insubide. Coripp. Johann.* 2, 431. intremuit crescentia sidera credens Insolite esse polis.

INSŌLĬTUS, a, um, adj. *ἀήθης*, qui non assuevit, insuetus, insolens. *Cic. Verr.* 2, 1, 37. Cur pudentissimas feminas in tantum virorum conventum insolitas, invitasque prodire cogis? *Caes. B. C.* 3, 85. Ut insolitum ad laborem Pompeji exercitum quotidianis itineribus defatigaret. [*Rarum dicendi genus. Aliud exemplum habes ap. *Ov. Fast.* 4, 215. sq. de Cybele sermo est: Cur huic genus acre, leones, Praebent insolitas ad juga curva jubas?] *Sall. Jug.* 43. Civitas insolita rerum bellicarum, timere libertati. *Id. fragm.* ap. *Arus. Mess.* Genus armis ferox, et servitii insolitum. *Virg. G.* 3, 543. insolitae fugiunt in flumina phocae, *h. e.* quae non solent in fluminibus versari. [*Liv.* 10, 28. Insolitos ejus tumultus Romanorum conterruit equos. V. *Lex. Liv.*, s. h. v. p. 344.] ℙ Passive est non solitus, novus. *Cic. Or.* 2, 88. *extr.* Quae causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit. *Id. Brut.* 81. Aestus quidam non insolitae adolescentibus gloriae. *Id. Balb.* 16. Priscum aut insolitum verbum interpretari. [*Adde *Tusc.* 1, 24. Animus quum tam repente in insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit; et *Sext.* 9. de Gabinio ad consulatum evecto: Quum is praeter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset, qui non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, sed ne lucem quidem insolitam aspicere posset: ubi *lux insolita* dicitur administratio reipublicae, quae consuli erat credita, qui ut paulo ante dictum erat, *emersus erat subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum. Schütz. cl. Cic.*] *Tac. A.* 12, 37. Novum et moribus veterum insolitum. *Plin. Pan.* 60. Sed in principe rarum ac prope insolitum est, ut se putet obligatum. *Tac. H.* 4, 23. Machinas etiam, insolitum sibi ausi; et *ib.* 2, 95. Ingenti paratu, et ante illum diem insolito; et *ib.* 4, 62. Insolito spectaculo frui. *Quint.* 11, 3. *med.* Insolitus labor. *Stat. Th.* 1, 431. Insolitus clamor. *Virg. G.* 1, 475. insolitis tremuerunt motibus Alpes. *Tac. H.* 1, 86. Insoliti animalium partus. [*Lucr. 5, 101. Insolitam auribus rem.] ℙ *Insolitum est fieri*, fieri non solet. *Callistrat. Dig.* 48, 19, 27. Suam mutare sententiam neminem posse; idque insolitum esse fieri.

[INSOLLĬCĬTUS, a, um, adj. non sollicitus, securus. *Gloss. Philox.* Insollicitus dies, *ἀμνήμονος ἡμέρα.* Ubi legend. videtur *ἀμέριμνος. F.*]

INSOLO, as, avi, atum, a. l. *ἡλιάζω*, ad solem expando, sicco ad solem. *Colum.* 12, 39. Uvae, quas per triduum insolaveris. *Id.* 4, 17. *f.* Sic facilius insolatur humus, et fructus percoquitur.

INSOLŪBĬLIS, e, adj. *ἄλυτος*, qui solvi non potest. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Insolubili inter se vinculo elementa devinxit. *Sen. Ben.* 4, 12. Beneficium, creditum insolubile est. ℙ Translate. *Quint.* 5, 9. Ubi est signum insolubile, ibi ne lis quidem est, *h. e.* indubitatum, et quod solvi et infirmari non potest.

INSOLŪBĬLĬTAS, atis, f. difficultas, ambages. *Sidon. ep.* 4, 11. Quaestionum insolubilitas labyrinthica.

INSOLŪBĬLĬTER, adv. ita ut solvere non possis. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Non tenaciter tantum, sed etiam insolubiliter vinciuntur.

INSOLUM. V. SOLUM, i.

[INSOLŪTUS, a, um, adv. non solutus. V. SOLUTUS. *F.*]

INSOMNĬA, ae, f. *ἄϋπνία*, privatio somni, vigilia. *Caecil.* ap. *Non.* 3, 113. Consequitur comes insomnia: ea porro insaniam affert. *Sall. Cat.* 28. Vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. *Id. ep. Mithrid. ad Arsac.* Persen, acceptum in fidem, insomniis occidere, *h. e.* prohibendo, ne somnum caperet. *Pacuv.* ap. *Charis.* 1, 78. Perdita illuvie, atque insomnia. *Suet. Cal.* 50. Incitabatur insomnia maxime, neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat. [*Alii leg. *insomnio.* V. *Oudendorp.*] *Gell.* 6, 4. *f.* Captivos insomnia cruciatos interiisse.

[INSOMNĬĒTAS, atis, f. idem ac insomnia. *Theod. Prisc.* 2, 1. Febris procurat capitis dolorem, linguae asperitatem, aliquando insomnietates. Adde *Plin. Valer.* 1, 35. *F.*]

INSOMNĬOSUS, a, um, adj. qui insomniae morbo laborat. *Cato R. R.* 157. *med.* Omnis qui insomniosus est, hac eadem curatione sanum facies, *h. e.* brassica adhibita: de qua etiam *Plin.* 20, 9, 33. Insomnia etiam, vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant. Ubi *insomnia* neutro gen. pro *insomnias* posuisse videtur. [At *Pontedera Op. posth. T.* 1. p. 290., approbante *Schneidero*, locum *Catonis* ex Cod. *Politiani* ita legit: *Insomnis, vel qui seniosus est*, etc. Ita ut *insomnis* ap. *Cat.* ad *insomnia* ap. *Plin.*, et *seniosus* ad *vigilias* referantur, quippe senes vigiliis tentantur. *F.*]

INSOMNIS, e, adj. *ἄϋπνος*, sine somno, vigil. *Tac. A.* 1, 65. Cum ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis, quam pervigiles. *Virg. A.* 9, 166. noctem custodia ducit Insomnem ludo. *Hor. Od.* 3, 7, 6. frigidas Noctes non sine multis Insomnes lacrimis agit. *Stat. Th.* 3, 328. Insomnes oculos rubor excitat. *Ov. Met.* 9, 190. Pomaque ab insomni male custodita dracone. *Lucan.* 2, 239. Invenit insomni volventem publica cura Fata virum; et 4, 552. insomni dente creati Terrigenae, *h. e.* dentibus satis draconis insomnis.

INSOMNĬUM, ii, n. *ἐνύπνιον*, fit, cum cura oppressi animi, corporisve, sive fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti: animi, si amator deliciis suis aut fruentem se videat, aut carentem: corporis, si temeto ingurgitatus, aut distentus cibo, vel ex abundantia praefocari se existimet, vel gravantibus onerari: fortunae, cum se quis aestimat vel potentia, vel magistratu aut augeri pro desiderio, aut exui pro timore. Haec et his similia, quoniam ex habitu mentis quietem sicut praevenerant, ita et turbaverant dormientis, una cum somno avolant, et pariter evanescunt; hinc et insomnio nomen est, non quia per somnium videtur, sed quia in ipso somnio tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnium nullam sui utilitatem, vel significationem relinquit. Haec *Macr. Somn. Scip.* 1, 3., ubi quinque species enumerat eorum, quae videre sibi dormientes videntur. *Arnob.* 7, 244. Rusticulo cuidam Jovem per insomnium dixisse, etc. ℙ Usurpatur fere in plurali num. *Plin.* 5, 8, 8. Atlantes insomnia non visunt, qualia reliqui mortales. ℙ Saepius de malis somniis dicitur. *Cic. Sen.* 13. Carent etiam vinolentia, cruditate, et insomniis. *Virg. A.* 6, 897. Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes. *Tibull.* 3, 4, 1. Dii meliora ferant, nec sint insomnia vera. *Sil.* 10, 357. Exercent rabidam truculenta insomnia mentem; et 11, 102. furibunda insomnia. ℙ Pro insomnia, V. INSOMNIOSUS.

INSŌNO, as, ui, n. l. *ἐνηχέω, κατηχέω*, idem quod sono, in aliqua re sono, resono. *Virg. A.* 2, 53. Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae. *Ov. Met.* 11, 161. calamis agrestibus insonat ille. *Lucan.* 1, 578. Insonuere tubae. *Virg. A.* 5, 579. insonuitque flagello; et *ib.* 7, 450. geminos erexit crinibus angues, Verberaque insonuit, *h. e.* per verbera, inquit *Serv.*, et *A.* 12, 366. Edoni Boreae cum spiritus alto Insonat Aegaeo. *Ov. Met.* 6, 286. insonuit contento nervus ab arcu; et *ib.* 4, 688. unda insonuit. [*Sil. 14, 427. sq. Et rapidus fervor, per pingues unguine taedas Illapsus, flammis victricibus insonat alveo.] *Petr. Sat.* 137. alto Insonuit gemitu turbatum murmure pectus. *Quint.* 11, 3. *med.* Si memoria fefellerit, quasi faucibus aliquid obstiterit, insonare, *h. e.* ingenti sonitu fauces purgare conari. *Terent. de litter.* p. 2389. Graecus pueros ut docet insonans magister. ℙ [*Dicitur etiam de tonitru. *Lucan.* 5, 633. Atque arduus axis Insonuit. Laudat *Cort.* ad h. l. praeter alia *Virg. A.* 8, 239. Impulsu quo maximus insonat aether.]

INSONS, sontis, adj. omn. gen. *ἀθῷος, ἀναίτιος*, innocens, innoxius, minime reus: ab *in* privativa, et *sons. Sall. Cat.* 16. Insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare. *Hor. Sat.* 1, 6, 69. vivo purus et insons. *Pl. Amph.* 3, 1, 9. Insontem probri accusare. *Id. Bacch.* 3, 3, 70. Aliquem falso atque insontem arguere. *Liv.* 4, 15. Regni crimine insons. *Id.* 22, 49. Insons culpae cladis hodiernae. Al. leg. *culpa. Id.* 34, 32. Insontes publici consilii. *Ov. Met.* 13, 149. fraterni sanguinis insons. ℙ Eleganter *Val. Fl.* 6, 130. et qui tua jugera nondum Eruis, ignotis insons, Arimaspe, metallis, *h. e.* abstinens, integer, et nulla habendi cupiditate flagrans: atque adeo a vitiis immunis. *Sen. Hippol.* 486. Non illum avarae mentis inflammat furor, Qui se dicavit montium insontem jugis. ℙ Item qui non nocet. *Hor. Od.* 2, 19, 29. Te vidit insons Cerberus aureo Cornu decorum. *Stat. Th.* 12, 682. ille quidem ramis insontis olivae Pacificus. *Val. Fl.* 1, 103. quibus arvorum, studiumque insontis aratri. *Ov. Trist.* 3, 10, 66. Et cremat insontes hostica flamma casas. [*Maxime *Tacito* frequentatur hoc vocabulum. Exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 279.]

INSŌNUS, a, um, adj. *ἄψοφος*, sono, seu strepitu carens. *Appul. Met.* 3. Ad cubiculum suspenso et insono vestigio me perducit. *Ammian.* 27, 12. Insonis passibus repens. ℙ *Insonae litterae* ap. *Appul. de Mundo* sunt mutae, *ἄφωνα γράμματα.*

INSOPĪBĬLIS, e, adj. qui sopiri non potest. *Capell.* 1, 4. Insopibilis perennitatis igniculos incendere. *Id.* 9, 308. Insopibilis flamma.

INSOPĪTUS, a, um, adj. *ἄϋπνος*, insomnis, pervigil. *Ov. Met.* 7, 36. Terrigenasque feros, insopitumque draconem. Adde *Lucan.* 9, 357. ℙ *Insopitus ignis*, inexstinctus. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 401.

INSORDESCO, is, ui, n. 3. sordidus fio. *Sidon. ep.* 5, 13. Dejectu caducae frondis agger insorduit. *Id. ep.* 2, 2. *med.* Si turbo austrinus insorduit, lacus immane turgescit. *Rutil. Itin.* 1, 617. subitis tectus nimbis insorduit aether. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 558.]

INSORTĪTUS, a, um, adj. non sortitus. *Pl. Cas.* 2, 4, 27. Spicula etiam insortita sunt mihi. Al. melius leg. *Etiam specula in sortitu est mihi.*

INSPARGO. V. INSPERGO.

INSPARSUS. V. INSPERSUS.

INSPĀTĬANS, antis, adj. in aliquo loco spatians. *Prud. Apoth.* 130. quem videat Babylonis ab arce tyrannus Innocuas inter flammas procul inspatiantem. Al. melius leg. *exspatiantem.*

INSPĔCĬĀTUS, a, um, adj. in suas species non divisus. *Tert. adv. Valent.* 10. *extr.* Substantia informis et inspeciata.

INSPĔCĬOSUS, a, um, adj. non speciosus, deformis. *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Non inspeciosus puer.

INSPECTĀTĬO, onis, f. actus inspectandi, inspectio. *Sen. Q. N.* 6, 4. Quorum adeo mihi dulcis inspectatio. [Alii melius leg. *inspectio.* At *inspectatio* legitur apud *eund. ib.* 1, 7. Si apte fabricata foret (virgula vitrea, striata, vel tortuosa), totidem redderet soles, quot habuisset inspectationes. Loquitur hic *Seneca* de *prismate*, quod non habet inspectationes, Itali dicunt *facciate*, in quas sol radios recte immittat. *F.*]

INSPECTĀTOR, oris, m. inspector. *Symmach. ep.* 6, 9. Adhibiti inspectatores, muro dividi loca nostra dixerunt. Alii leg. *inspectores.*

INSPECTĀTUS. V. INDESPECTUS.

INSPECTĬO, onis, f. *ἐπίλαχεψις, ἐπιθεώρησις.* [*Primum significat actum inspiciendi, adspiciendi, *das Hineinschauen*, *das Anschauen.* Huc pertinet locus, quem Noster infra laudavit. *Appul. Apol.* Inspectio speculi.] *Colum.* 1, 4. Ager prima inspectione neque vitia, neque virtutes abditas ostendit, quae mox retractantibus facilius apparent. ℙ [*Tum dicitur de diligenti alicujus rei consideratione, quae inspiciendo fit, *Durchsicht*, *Revision.*] *Quint.* 5, 5. Tabularum inspectio saepe falsum deprehendit. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 57. Eos, qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum. ℙ [*Hinc refertur ad rem auguralem, in qua, quid sit, v. in SPECTIO. ℙ Deinde pertinet in universum ad animum, i. q. contemplatio, inquisitio, nostr. *Betrachtung*, *Ueberlegung*, *Untersuchung.*] *Quint.* 2, 18. Artium aliae positae in inspectione, idest cognitione et aestimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quae *θεωρητικὴ* vocatur: aliae in agendo, etc. *Tryphon. Dig.* 41, 1, 63. Inspectio in illo est, num ex operis servi acquiratur, etc. *Id. ib.* 16, 3, 31. Incurrit hic et alia inspectio, an, etc.

[INSPECTĪVUS, a, um, adj. qui invisibilia inspicit. *Isid. Orig.* 2, 24. Alii definierunt, philosophiae rationem in duabus consistere partibus, quarum prior inspectiva est, secunda actualis. Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia, de divinis aliquid et coelestibus contemplamur, eaque mente tantum inspicimus, quoniam corporeum supergrediuntur obtutum. Dividitur in naturalem, doctrinalem, et divinalem. *F.*]

INSPECTO, as, avi, atum, a. l. ἐφοράω, attente inspicio, diligenter intueor: frequentativum ab *inspicio*. *Pl. Poen.* 3, 3, 69. Illinc procul nos istuc inspectabimus. *Id. Rud*, 3, 6, 31. Viden' me, ut rapior? *Char.* video atque inspecto libens. *Id. Mil.* 2, 2, 18. Nescio quis inspectavit per impluvium. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Quoniam, me inspectante, saepe eum amplexarentur. *Caes. B. C.* 2, 20. Legio ex castris Varronis, adstante et inspectante ipso, signa sustulit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 4. *f.* Quod utinam inspectare possis timorem de illo meum! Et *Stat. Silv.* 3, 3, 1. Summa Deum Pietas, cujus gratissima coelo Rara profanatas inspectant numina terras, *h. e.* aequis oculis aspiciunt.

INSPECTOR, oris, m. ἐπόπτης, qui aliquid inspicit: et praesertim qui considerat et examinat aliquid venale, ut videat, probumne sit, pretiumque statuat. *Plin.* 37, 7, 28. Accedit religio narrata, a siderum cognatione, ab inspectoribus. *Ulp. Dig.* 13, 6, 10. Si rem inspectori dedi, dum volo pretium exquirere, etc. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Lacus a vestigio inspectoris inadibilis est. ℙ In lemmate *tit.* 57. *l.* 11. *Cod. Justin.* et in *Cod. Theod.* 11, 1, 31. et 33. et *ib.* 28, 2. inspectores sunt, quos princeps dimittit per provincias, ut inspiciant, quae praedia vectigalibus subjicienda sint.

[INSPECTRIX, icis, f. quae inspicit. *Ambros. ep.* 5. (al. 64.) Legimus etiam in veteri Testamento obstetrices, sed non inspectrices; ad parturientes ingrediebantur, non ad virgines; ut partus susciperent, non ut pudorem examinarent. *F.*]

INSPECTUS, a, um, part. ab *inspicio*. [*Noster sine ordine exempla posuit, quae ita rectius collocata videntur.] *Tac. H.* 2, 6. Auditi saepius Caesares, quam inspecti. ℙ [*De epistolis, quas perlegendi causa inspeximus, i. q. perlectus.] *Pl. Trin.* 3, 3, 65. Si epistolas obsignatas non feret, dici hoc potest, Apud portitorem eas resignatas sibi, Inspectasque esse. [*Potest huc trahi locus *Suet. Cal.* 29. Nullius inspecto elogio. ℙ In universum dicitur de rebus, quas quis diligenti consideratione perlustravit, percontatus est.] *Colum.* 1, 8. Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus, et inspectus experimentis. [*Liv. 6, 27. Inspecto aere alieno, i. e. tabulis ad cognoscendum aes alienum.] De eo, qui emendi causa inspicitur, *Mart.* 6, 82. Quidam me modo, Rufe, diligenter Inspectum velut emptor, aut lanista, etc. V. INSPICIO. ℙ [*Hinc in rebus sacris, de hostiarum visceribus a sacerdote captandi ominis causa perquisitis.] *Tac. H.* 2, 78. Inspecta exta. ℙ [*Denique transfertur ad ea, quae animo, contemplatione pervestigantur.] *Plaut. in argum. Aul.* 2, 7. Reque omni inspecta, servulus id surpit.

INSPECTUS, us, m. inspectio, intuitus. *Sen. ep.* 92. Vacat animus molestia, liber ad inspectum universi. *Appul. Met.* 10. Oculis inspectu minacibus. *Ammian.* 22, 1. Inspectu jecoris praedoctus.

INSPĒRĂBILIS, e, adj. ἀνέλπιστος, ἄελπτος, qui sperari non potest. *Gell.* 4, 18. Pacem et victoriam vobis peperi insperabilem.

INSPĒRANS, antis, adj. ἀνελπίζων. In obliquis casibus fere adhibetur. *Cic. Or.* 1, 21. Insperanti mihi, sed valde optanti cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id. Marc.* 7. Quibus tu salutem insperantibus reddidisti. *Ter. Andr.* 3, 4, 24. Feci hodie ut fierent nuptiae, insperante hoc, atque invito Pamphilo. *Catull.* 107, 5. Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te. [*Tibull. 1, 9, 13. Insperanti tibi venit puella.] ℙ In recto casu sing. et de re tristi. *Inscr.* ap. *Grut.* 1133, 15. Manlius hic situs est Montanus, raptus iniqua Femineaque manu, insperans incidit aetas. V. INSPERATUS.

INSPĒRĀTĒ, adv. insperato. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 2. *extr.* Et quo vehementius noceat, insperatius prodest.

INSPĒRĀTO, adv. praeter spem, ἀέλπτως. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 150. Insperato abiit, quem una angina abstulit hora. In *argum. Aul. Plauti* 1, 14. Aulam insperato invenit. *Appul. Met.* 9. Insperato et contra opinionem.

INSPĒRĀTUS, a, um, adj. ἀνέλπιστος, non speratus, inexpectatus. *Cic. Phil.* 10, 11. Insperatum et repentinum praesidium. *Id. Cat.* 2, 9. Insperatae repentinaeque pecuniae. *Pl. Most.* 1, 3, 40. Insperata accidunt magis saepe, quam quae speres. *Id. Men.* 5, 9, 72. O salve insperate, multis annis post quem conspicor, Frater. *Id. Poen.* 5, 3, 8. Hanno, insperatissime Mihi tuisque filiis, salve. [*Sil. 1, 426. Insperata juventus, i. e. juvenum manus ex insperato erumpens.] [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 3. Insperatum, atque inopinatum verbum appella, quod praeter spem, atque opinionem audientium, aut legentium promitur. *F.*] ℙ De re tristi. *Cic. Tusc.* 3, 13. Insperatum et necopinatum malum. *Liv.* 3, 26. Nihil tam necopinatum nec insperatum accidere potuit, *h. e.* quod hostes castra R. adorirentur, obsiderentque. *Inscr.* ap. *Grut.* 671, 15. M. Aurelius Lucidius infelicissimus pater insperatos tumulos dedit, misitque ultima dona. *F.*] ℙ *Ex insperato*, insperato. *Pl. Stich.* 2, 1, 32., *Liv.* 2, 35. et 30, 10. *extr.* et *Plin.* 25, 2, 6.

INSPERGO, is, ersi, ersum, a. 3. ἐπιπάσσω, super aliquam rem spargo. *Cic. Div.* 2, 16. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris. *Cato R. R.* 65. Oleam sale inspergito. *Colum.* 11, 2. *med.* Stercoris pars in prata digerenda, pars oleis et ceteris arboribus inspergenda. *Plin.* 19, 8, 53. Papaver panis rustici crustae inspergitur, affuso ovo inhaerens. *Id.* 26, 8, 46. Farina potioni inspergitur; et *prooem.* 23. *f.* Oenanthe vulneribus inspergitur. ℙ Dicitur etiam *inspargo*. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Postea gypsi pars quarta inspargitur. *Id.* 34, 12, 32. *extr.* Ursorum in arena, et leonum ora atramento inspargere.

INSPERSIO, onis, f. διάπασμα, actus inspergendi, aspersio. *Pall.* 4, 9. *med.* Ruta seritur locis apricis, solius cineris inspersione contenta.

INSPERSUS, a, um, part. ab *inspergo*: ἐπίπαστος, supra sparsus, in aliqua re sparsus. *Hor. Sat.* 1, 6, 67. Egregio inspersos reprehendas corpore naevos. *Plin.* 28, 15, 60. Suis cinis potioni inspersus. *Id.* 24, 16, 92. Aron aridum in potione inspersum; et *ib.* 98. Siccata in farinae modum, et inspersa vino albo. ℙ Dicitur et *insparsus*. *Plin.* 26, 14, 87. Farina ejus carnes excrescentes, per se insparsa consumit. *Minuc. Fel. Octav.* 28. *med.* Fama semper insparsis mendaciis alitur.

INSPERSUS, us, m. inspersio. In sexto casu sing. *Appul. Met.* 7. Corium affirmatum cineris inspersu; et *ib.* 9. Comae sordentes inspersu cineris.

INSPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. εἰσοράω, ἐποπτεύω, in aliquid aspicio, intueor. *Pl. Bacch.* 4, 4, 72. Intro inspice. *Petr. fragm. Tragur.* 71. *Burm.* Inspicere horas. *Ter. Adelph.* 3, 4, 51. Inspicere tanquam in speculum, in vitas omnium Jubeo. *Ov. Fast.* 4, 389. cum Romam inspexerit Eos. [*Inspicere* h. l. est ex alto despicere. Recte huc trahit *Gierig.* locum, quem Noster in fine adscripserat. *Virg. A.* 2, 47. In nostros fabricata est, machina muros, Inspectura domos. Pertinet huc etiam, qui mox legitur, locus *Ov. Met.* 12, 39.] *Id. Trist.* 3, 1, 9. Inspice quid portem: nihil hic, nisi triste videbis. *Id. A. Am.* 3, 232. Inspice quam tenuis bractea ligna tegat; et *ib.* 12, 39. Orbe locus medio est etc. Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit, Inspicitur. *Justin.* 4, 1. Ea est procul inspicientibus natura loci, ut, etc. ℙ De iis, qui legunt. *Ov. A. Am.* 3, 471. Inspice, quodque leges, ex ipsis collige verbis, etc. *Id. Fast.* 4, 257. Carminis Euboici fatalia verba sacerdos Inspicit. *Cic. Balb.* 14. Si neque Poenorum jura calles, neque nostras leges inspicere potuisti. *Pl. Stich.* 3, 2, 1. Inspicere libros. ℙ De iis, qui quippiam considerant examinantque, quale sit, quantique, ut fit in rebus venalibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Petit a rege, ut candelabrum ad se mittat: cupere se dicit inspicere. *Pl. Most.* 3, 2, 65. te hoc orare jussit, Ut sibi liceret inspicere has aedes. *Si.* Non sunt venales. *Colum.* 1, 3. In emendo inspiciendoque agro praecipue duo esse consideranda, etc. *Ulp. Dig.* 19, 5, 18. Si rem tibi inspiciendam dedi, et dicas, te perdidisse. Adde *Mart.* 9, 60. et 10, 80. et *Suet. Oth.* 6. [*Huc pertinent ista *Pl. Pers.* 2, 5, 15. Inspicere morbum tuum lubet; et *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 57. Inspicere rationes. *Cic. Caec.* 21. Tanquam si arma militis inspicienda sint, ita probat armatum. *Suet. Dom.* 12. Quum a procuratore inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 560. ubi plura laudat. ℙ Notandus etiam prae ceteris est hujus v. usus, quo pertinet ad sacerdotes, hostiarum exta diligenter ominis causa perscrutantes. *Ov. Met.* 15, 577. Inspicere exta; et *ib.* 137. Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt. ℙ Solennis formula est ap. *Liv.* 21, 6. *Inspicere res sociorum:* quod de populo Romano dicitur, cum ad socios propter discordias inter eos ortas, vel de quacumque alia causa legatos mittit, qui inquirant, quaenam res sint, et qua ratione pacandae. V. *Intpp.* ad *Fragm. Liv. l.* 91. p. 402. Usurpatur alias etiam *aspicere*; q. v.] ℙ Translate est considerare, cognoscere. [*Cic. Fin. 3, 19. Etiam in bestiis vis naturae inspici potest.] *Id. Phil.* 2, 17. *extr.* Visne igitur, te inspiciamus a puero? [*Ita saepissime *inspicere aliquem* dicitur de iis, qui alicujus animum et mores noscitant. *Liv.* 6, 41. Est aliquis, qui se inspici, aestimari fastidiat: de patriciis honorum candidatis. *Plin. Pan.* 83, 1. Sed tibi, Caesar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quam penitus inspici; et 87, 3. familiariter inspicere. *Sen. ep.* 5. Dissimiles nos esse vulgo, sciat, qui inspexerit propius.] *Quint.* 11, 1. Eum demum dicere apte, qui non solum quid expediat, sed etiam quid deceat, inspexerit. *Pl. Mil.* 2, 1, 51. Inspexi mulieris sententiam, i. e. cognovi, intellexi. [*Recte Lambinus annotavit, eodem modo *inspicere sententiam* dici, quemadmodum contra dicatur *ostendere alicui suam sententiam*, *aperire sententiam.*] *Plin.* 29, 1, 8. Satis esse ingenia Graecorum inspicere, non perdiscere. [*Liv. 3, 25. Duum mensium spatium consulibus datum est, ad inspiciendam legem.] *Petr. Sat.* 15. Flagitabant, ut postero die judex querelam inspiceret, *h. e.* de querela cognosceret. *Mart.* 1, 55. Inspice, an possit fieri, etc.

[INSPĬCĬUM, ii, n. idem ac inspectio. *Tert. carm. adv. Marc.* 1, 12. posse videre Extorum inspiciis, resque exspectare futuras. *F.*]

INSPĪCO, as, avi, atum, a. l. *Inspicare faces* est ligna in usum facium ita incidere, ut in acutum desinant, et multis praeterea incisuris dividantur, in morem spicae, et aristarum: quas ideo *multifidas* vocat *Ov. Met.* 8, 644. V. MULTIFIDUS. *Virg. G.* 1, 292. ferroque faces inspicat acuto. Hinc *Grat. Cyneg.* 484. spicatae faces, [et *Gloss. Phil.* Inspico, διαστιχίζω. *F.*]

INSPĪRĀMENTUM, i, n. inspiratio. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. Inspiramentis inserere.

INSPĪRĀTĒ, adv. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 2. *extr.* Blandum animum sane temeritati casus facit, ubi pravo consilio propitius adspirat: et quo vehementius noceat, inspiratius prodest, *h. e.* magis inspirando, seu adspirando, benignius, prolixius.

INSPĪRĀTĬO, onis, f. ἔμπνευσις. *Sol.* 7. *med.* Fontes (*Aganippes*, et *Hippocrenes*) poti inspirationem litterariam faciunt.

INSPĪRĀTOR, oris, m. qui inspirat, et injicit. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. Apollo furoris inspirator.

INSPĪRĀTUS, a, um, part. ab *inspiro*, ἐμπνευσθείς, spirando immissus, injectus. *Colum.* 6, 17. *f.* Facit idem trita sepiae testa, et per fistulam ter die oculo inspirata. ℙ Translate. *Id.* 3, 10. *med.* Videmus hominibus inspiratam, velut aurigam rectricemque membrorum, animam. *Justin.* 18, 5. Cum inspirati vates canerent, non impune laturum.

INSPĪRĪTĀLIS, e, adj. non spiritalis. Est vox *Paul. Nol. ep.* 22. (al. 7.)

INSPĪRO, as, avi, atum, a. l. εἰσπνέω, ἐμπνέω. [*Immutavimus in quibusdam hujus loci ordinem, ut nimis distorta ratione a Nostro institutum. Primum significat intro spiro. Exemplum, in ceteris quidem abditum, hoc erat laudatum:] *Flor.* 3, 19. In ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. ℙ [*Hinc spiritum, seu ventum immitto.] *Sen. Hippol.* 1008. Nullus inspirat salo ventus. *Quint.* 10, 3. Inspirantes ramis arborum aurae. [*Ov. Met. 1, 334. Inspirare conchae.] ℙ Cum accusativo sine praepos. quae inest in ipso verbo. [*Lucr. 4, 1105. et inspirant pressanteis dentibus ora.] *Id.* 10, 29, 43. Qui lusciniae sonum, addita in transversas arundines aqua, foramen inspirantes, linguaeque parva aliqua opposita mora, indiscreta redderent similitudine. *Gell.* 1, 11. *med.* Fistula sensim graviusculum sonum inspirare. *Id.* 2, 3. Atticos ἰχθὺν, ἴχον inspirantis primae litterae dixisse, *h. e.* prima littera aspirata. Al. leg. *inspirantes primae litterae:* alii *primam litteram*, sed eodem recidunt omnia. ℙ [*Passive *Colum.* 1, 6. *med.* Granaria modicis fenestellis aquilonibus inspirentur. ℙ In universum spirando aliquid immittere, injicere, infundere.] *Cels.* 7, 27. Si qua (medicamenta) erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. *Plin.* 34, 12, 32. Si gravitati aurium per fistulas aliquid inspiretur. *Virg. G.* 4, 236. Laesaeque venenum Morsibus inspirant. [*Ov. Met. 2, 800. Inspiratque nocens virus, et 8, 820. Seque viro inspirat: de Fame loquitur jejunia sua homini injiciente. ℙ Hinc transfertur ad affectus, motus, sensus cujuscumque generis, quibus mens, animus hominis afficitur, impletur.] *Virg. A.* 1, 688. Occultum inspires ignem. *Id. ib.* 6, 11. magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Stat. Silv.* 1, 2, 194. Inspirare amorem. *Curt.* 4, 13. fortitudinem. *Quint.* 12, 10. *f.* iram, misericordiam. *Id.* 2, 5. Quanta in dividendo prudentia, quum subtilis argumentatio: quibus viribus inspiret, qua jucunditate permulceat, *h. e.* inserat, imprimat quod dicit. ℙ [*Imprimis hic notandus usus, quo de iis dicitur, qui divino spiritu oestroque implentur.] *Justin.* 43, 1. Unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur, *h. e.* divino spiritu oestroque impleri. ℙ [*Elegans est dicendi ratio ap. *Quint. Inst.* 5, 14, 32. Verba sunt: Nam quid illa miserius lege velut praeformatas infantibus litteras persequentium, et, ut Graeci dicere solent, quem mater amictum dedit, sollicite custodientium: propositio ac conclusio, ex consequentibus et repugnantibus? Non inspiret? non augeat? non mille figuris variet ac verset? Ubi *inspirare* eodem modo ab auctore positum, quo alias *implere*, i. e. magnum facere, amplificare. Gr. *φυσᾶν*. Adde 2, 5, 8. Constructio

redit eodem fere, quo *aliquis* omissum ad *inquit, velit.* V. *Spalding.*]

INSPISSĀTUS, a, um, adj. conspissatus. *Veg. Vetr.* 2, 30. Melicēris est tuber, in quo caro inspissata, quomodo in verrucis, invenitur.

[INSPLENDESCO, is, n. 3. in aliquo loco splendesco. *Gloss. Phil.* Insplendesco, *ἐνλάμπω. F.*]

INSPOLIĀTUS, a, um, adj. non spoliatus. *Quint.* 7, 1. *med.* Occisus est non praedae gratia, quia inspoliatus est. *Virg. A.* 11, 594. corpus et arma Inspoliata feram tumulo.

INSPŪMO, as, n. 1. spumas emitto. *Tert. Apol.* 12. O sacrilega convicia! infrendite, inspumate: iidem estis, qui, etc.

INSPŬO, is, ui, a. 3. *ἐπιπτύω*, super aliquid spuo. *Plin.* 22, 21, 25. Commanducata ea si inspuatur, mori serpentem. *Id.* 31, 9, 45. Et oculis jumentorum inspuitur. *Sen. Ira* 3, 38. *extr.* Inspuere alicui in frontem mediam *Id. Consol. ad Helv.* 13. Inspuere in faciem alicujus. *Suet. Vesp.* 7. Restituturum oculos, si inspuisset.

INSPŪTO, as, avi, atum, a. 1, *εἰςπτύω*, frequentativum ab *inspuo*, sed ejusdem fere significationis. *Pl. Capt.* 3, 4, 21. Ain' eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier? *He.* Ne verere: multos iste morbus homines macerat, Quibus insputari, saluti fuit. Loquitur *Plaut.* de comitiali morbo (de quo *Plin.* 28, 4, 7. V. DESPUO.) et paulo ante dixerat 18. Illic isti, qui insputatur, morbus interdum venit. Ex quo intelligimus, non solum evertendi ejus morbi causa, sed etiam sanandi, in eum, qui laboraret, inspui morem fuisse. Nam saliva hominis in multis vim medicinae habere creditur. V. *Plin. l. c.*

INSTĀBILIS, e, adj. *ἀβέβαιος, ἀσταθής.* [*Primum signif. id, quo insisti, in quo pes figi nequit. Huc pertinet locus, quem Noster ab initio quidem sed secus intellectum posuerat.] *Ov. Met.* 1, 16. Sic erat instabilis tellus, innabilis unda: [*ubi *instabilis*, si passive accipis, nove quidem et paulo insolentius dictum erit, sed bene convenit v. *innabilis.* Porro] *Tac. A.* 1, 64. Locus uligine profunda: idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus. ℙ [*Tum pertinet ad ea, quae propter loci iniquitatem non habent, quo tuto collocari, firmiter haerere, stare queant.] *Curt.* 8, 11, 13. Instabili ac lubrico gradu praecipites recidebant [*Adde 7, 11, 16. Quos instabilis gradus fefellerat. *Liv.* 24, 34. Instabilis ingressus. *Plin. Pan.* 22, 4. Ac ne eum quidem vacantem locum, qui nonnisi suspensum et instabile vestigium caperet *Lucan.* 9, 465. Nullusque potest consistere miles, Instabilis raptis etiam quas calcat arenas. *Liv.* 21, 5. Quippe ubi pedes instabilis, ac vix vado fidens, vel ab inermi equite, etc. et 9, 35. Fluctuans et instabilis acies; et 27, 18. *med.* Hostis instabilis ad cominus conserendas manus. ℙ Hinc omnino denotat id, quod infirmo loco positum est, quod natura sua fluctuat, vacillat. *Plin. Pan.* 26, 6. Frustraque proceres plebe neglecta, ut defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere tuetur. *Liv.* 23, 24. Instabilemque per se ac male haerentem (arborem succisam). *Tibull.* 4, 1, 43. Qualis (libra), inaequatum si quando onus urget utrinque Instabilis natat. *Lucan.* 3, 217. Et Tyros instabilis, i. e. infamis terrae motibus. Ita *Cort.* q. v. *Ov. Met.* 6, 191. Instabilemque locum Delos dedit. *Tibull.* 1, 9, 10. Instabiles rates. *Ov. Met.* 2, 163. Utque labant curvae justo sine pondere naves, Perque mare, instabiles nimia levitate, feruntur. *Virg. G.* 4. 195. cymbae instabiles fluctu jactante saburram Tollunt.] *Plin.* 31, 6, 33. Vomitiones instabili volutatione commotae, *h. e.* excitatae navis agitatione. ℙ [*Instabilis dicitur etiam id, quod moveri potest. Ita *Ov. Met.* 11, 174. sq. Nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram; sed — — Instabilesque imo facit, et dat posse moveri. ℙ Translate est inconstans, incertus, mutabilis, brevi durans. *Caes. B. G.* 4, 23. Res maritimae celerem atque instabilem motum habent. [*i. e. non diu eadem manentem, sed omnibus horae momentis mutatum.] *Pacuv.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 23. de Fortuna: Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilis sit. *Tac. A.* 13, 19. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixae. *Virg. G.* 4, 105. Instabiles animos ludo prohibebis inani. *Sen. Thyest.* 215. Ubi non est pudor, nec cura juris, instabile regnum est. *Curt.* 7, 8. Jam etiam ad pecora nostra avaras et instabiles manus porrigis, *h. e.* quae huc illuc veluti vagantur praedandi causa, neque ullo pretio aut lucro implentur. [*Zumpt. ex conj. *insatiabiles* in textum recepit.]

INSTĀBĪLĪTAS, atis, f. *ἀστασία*, inconstantia. *Plin.* 24, 17, 102. Herbam hanc comedi contra omnia corporum incommoda, instabilitatemque mentis. *Arnob.* 6, 196. Luna vobis ducibus et figuratoribus femina est, quae per habitus mille quotidiana instabilitate mutatur.

[INSTĀBĪLĪTER, adv. non stabiliter. *August. Confess.* 13, 20. Genus humanum profunde curiosum, et procellose tumidum, et instabiliter fluidum. *F.*]

[INSTAGNO, as, n. 1. in aliquo loco stagno. *Not. Tir.* p. 183. Stagnat, instagnat, restagnat. *F.*]

INSTANS, antis, part. ab *insto*, qui stat in aliquo loco. V. INSTO. ℙ Item *ἐνεστώς*, qui instat, praesens, imminens. *Cic. Tusc.* 4, 6. Quae enim venientia metuuntur, eadem afficiunt aegritudine instantia. *Id. Or.* 2, 25. In deliberationibus plerumque ex controversia futuri, raro etiam ex instantis, aut facti. *Id. Phil.* 11, 10. Vereor ne exercitus nostri tardentur animis, si quidquam aliud a nobis, nisi de instanti bello, cogitatum putent. *Auct. ad Her.* 2, 5. Id dividitur in tempora tria, praeteritum, instans, consequens. *Nep. Paus.* 3. Pecunia et potentia instans, periculum depellere. In *vet. S. C. circa an. U. C.* DCCC. ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 11. Convenit felicitati saeculi instantis. ℙ Ap. grammaticos *tempus instans* in verbis est tempus praesens. *Charis.* 2, 147. et *Diomed.* 4. saepe. Adde *Auct. ad Her. l. c. in §. anteced.* ℙ Substantivi more. *Cic. Fat.* 12. Ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerint instantia; sic futura, quorum consequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicemus. Al. leg. *vera fuerit*, et *erit instantia*, ut sit substantiv. singuiare. [*Ita *Orell.*] ℙ Est etiam urgens, flagitans. *Suet. Aug.* 65. Deprecans, et pertinacius instans. *Hirt. B. G.* 8, 31. Non dubitabat, quin dato spatio ac tempore, eodem instante Dumnaco, possent concitari; et 14. Ut discedere ex eo loco, sine periculo, barbari, militibus instantibus, non possent; et *B. Afr.* 69. Cum et proficiscentes insequerentur, et refugerent instantes. [*Vell.* 2, 112, 3. Neque instantem sustinere; ubi cum *Acidal.* et *Lipsio instantes* legendum esse censet *Ruhnk.*] *Justin.* 23, 3. Instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis; et *Virg. A.* 5, 167. ecce Cloanthum Respicit instantem tergo, et propiora tenentem; et *Hor. Od.* 3, 3, 1. Justum et tenacem propositi virum Non vultus instantis Tyranni Mente quatit solida, *h. e.* urgentis, minitantis. [*Tac. H.* 4, 83. Donec eadem species terribilior jam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret.] *Quint.* 11, 3. *med.* Gestus in exprobrando et arguendo acer atque instans; et *ib. f.* Argumentatio plerumque agilior, et acrior, et instantior, consentientem orationi postulat etiam gestum, idest fortem celeritatem. *Tac. A.* 2, 56. Nota haec Germanico: sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit. *Gell.* 13, 24. *med.* Duplex eadem compellatio admonitionem facit instantiorem. *August. Retract.* 1, 19. *extr.* Instantissima petitio. [*Ov. Her.* 17, 78. instantes oculos, i. e. acriter et pertinaciter intentos. ℙ Dicitur instans alicui rei, qui operam perficiendae rei navat. Pertinet huc locus, quem Noster antecedentibus adscripserat *Virg. A.* 1, 508. Instans operi regnisque futuris. V. INSTO.]

INSTANTER, adv. *ἐνστατικῶς*, instando, urgendo, vehementer, magna vi et contentione. *Quint.* 9, 4. *f.* Ubicumque acriter erit, et instanter, pugnaciterque dicendum, membratim caesimque dicemus; et 3. *med.* Dissolutio est apta, cum quid instantius dicimus: nam et singula inculcantur, et quasi plura fiunt. *Plin. ep.* 5, 19. Dum intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit; et *ep.* 7, 22. Instanter petere. *Suet. Claud.* 5. Instantius flagitare. *Tac. A.* 6, 35. Pharasmanes instantius concurrit. *Gell.* 4, 18. *med.* Instantissime desiderare.

INSTANTĬA, ae, f. *παρουσία*, praesentia temporis. V. INSTANS. ℙ Item actus urgendi aliquid. *Nigid.* ap. *Gell.* 9, 12. Is infestus dicitur ab instantia atque imminentia fraudis. ℙ Item attentio, sedulitas, assiduitas, *σπουδή. Plin. ep.* 3, 5. *f.* Quid est enim, quod non aut illae occupationes impedire, aut haec instantia non possit efficere? *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 351, 5. L. Fabius Modestus sibi et suis omnibus instantia et laboribus suis fecit. [Alia ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 13. Ordo splendidissimus civi ob memoriam et instantiam erga patriam civesque. *F.*] *Solin.* 2. *med.* Duces duo sunt: alter agmen anteit, alter insequitur: ille ut iter dirigat; hic ut instantia urgeat tarditatem. ℙ Item vis, vehementia. *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Oratio maxime vi, amaritudine, instantia: historia tractu et suavitate, atque etiam dulcedine placet. ℙ Item diligens et assidua petitio, flagitatio, exactio. *Papin. Dig.* 32, 1, 32. Omissa est repetendi debiti instantia. *Scaevola ib.* 13, 7, 43. Cullei instantia Caji reciperati sunt. *Appul. Met.* 2. Sed instantia Byrrhaenae perfecit, ut vellet.

INSTAR, *ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα*, similitudo, exemplar, aequiparatio, vis tantundem valens. Nomen indeclinabile: cujus originem alii aliam comminiscuntur etymologi. V. *Voss.* et *Martin.*, etc. [*Cf. *Ruddim.* 1, 123, 58.] *Virg. A.* 6, 866. quantum instar in ipso est! *Plin.* 34, 7, 18. Quod primum operis instar fuit. *Cic. Tusc.* 1, 17. Terra ad universi coeli complexum quasi puncti instar obtinet. *Id. Off.* 3, 3. Omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habent. [*Cf. *Liv.* 28, 17. Parvum instar eorum, quae spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. *Cic. Pis.* 22. Unus ille dies Ciceroni immortalitatis instar fuit, quo in patriam rediit.] *Ov. Her.* 2, 29. Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi: Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet; et *ib.* 16, 366. de Hectore: Unus is innumeri militis instar habet. *Cic. Brut.* 51. Plato mihi unus instar est omnium. *Just.* 4, 4. Auxilium a Lacedaemoniis petierunt. Ab his mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. *Flor.* 3, 5. *med.* Classem aggressa tempestas tam foeda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret. [*Plin. Pan.* 29, 1. Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonae; et 37, 4. Civitasque Romana instar erat odii, i. e. habebat similitudinem odii.] *Just.* 36, 3. Vallis continuis montibus ad instar castrorum clauditur. *Ulp. Dig.* 6, 2, 7. Ad instar proprietatis, non ad instar possessionis. [*Negat *Servius* ad *A.* 12, 923. *ad instar* in idoneis auctoribus inveniri. At v. *Duk.* ad *Flor.* 4, 2, 88. *Burm.* ad *l. Virg. l.* et ad *Suet. Caes.* 84. qui tamen usitatius *instar* per appositionem dici fatetur.] *Ulp. Dig.* 39, 1, 22. Si proponatur instar quoddam, et quasi facies quaedam operis facta. (Falluntur qui *adinstar* conjunctim scribunt, et adverbium esse putant.) ℙ Saepius absolute usurpatur, subaudito aliquo verbo per ellipsin, et sequente genitivo. Refertur ad qualitatem. *Cic. Off.* 2, 20. Clientes appellari, mortis instar putant. *Caes. B. G.* 2, 17. Ut instar muri, hae sepes munimenta praeberent. *Varr. L. L.* 4, 30. Laena, quod de lana multa, duarum enim togarum instar. [*Vell.* 2, 81, 2. Et aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instar, et amoenitatis ornamentum est; et 1, 8, 6. Centum homines instar habuit consilii publici.] ℙ Item ad quantitatem, et magnitudinem. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Eranam, quae fuit non vici instar, sed urbis, cepimus. *Id. Att.* 10, 4. Epistola, quae voluminis instar erat. *Virg. A.* 2, 15. Instar montis equus. [*Tac. Ann.* 2, 61. Inter vix pervias arenas sunt instar montium eductae Pyramides certamine et opibus regum.] *Colum.* 6, 14. Porri succus instar heminae pari olei mensurae miscetur; et 4, 8. Recedere ab ipso codice instar unius digiti spatio conveniet. ℙ Item ad numerum. *Caes. B. C.* 3, 66. Animadversum est, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post silvam. *Hirt. B. Alex.* 19. Cohortium trium instar in terram exposuit. [*Vell.* 2, 20, 4. Ac triginta legionum instar impleverat. *Liv.* 35, 49. Vix duarum male plenarum legiuncularum instar.] *Cic. Att.* 16, 5. *extr.* Mearum epistolarum nulla est *συναγωγή*: sed habet Tiro instar septuaginta. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* In quae volumina de Graecis libris adjecit non pauca, et de Magonis dempsit instar librorum octo. *Vell.* 2, 29. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit. *Colum.* 12, 28. Irim cribratam, quae sit instar pondo quincuncem et trientem. ℙ *Val. Prob.* in *Cathol.* p. 1444. tribuit genitivum *instāris:* sed usu caret.

INSTAURĀTĪCĬUS, dictus est dies additus ludis circensibus, senatus consulto et lege Maevia, placandi Jovis causa, quod cum quidam ante spectaculi commissionem servum suum verberatum, patibuloque constrictum per circum egisset; ea re iratus Juppiter Annio cuidam per quietem significaverat, non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. (Quod narrat etiam *Liv.* 2, 36.) Dictus est autem non a patibulo, ut quidam putant, Graeco nomine *ἀπὸ τοῦ σταυροῦ;* sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse, instar novare. Haec *Macr. Sat.* 1, 11. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 126, 2. de agitatore circensi: Instauratiam tertius l., *h. e.* ut *Id. ib.* interpretatur, die instauraticia (pro mendosa voce *instauratiam*) tertias palmas semel tulit.

INSTAURĀTĬO, onis, f. *ἀνασκευή*, renovatio, repetitio. *Cic. Har. resp.* 11. Si ludi sunt non rite facti, mentes Deorum immortalium, ludorum instauratione, placantur. *Liv.* 2, 36. Ludi forte ex instauratione magni parabantur. *Gell.* 15, 18. Instauratio pugnae. *Paul. sentent.* 5, 5. *f.* Instaurationem causae deposcere. Rursus *Gell.* 13, 24. *med.* Quid valet haec repetitio instauratioque ejusdem rei sub alio nomine, in *manubiis*, et in *praeda?* ℙ Item refectio, restitutio, reparatio. *Eumen. Pan. ad Constant.* 20. Civitas Aeduorum exstructione veterum domorum, et refectione operum publicorum, et templorum instauratione consurgit. *Id. Restaur. schol.* 4. Divinae imperatorum nostrorum providentiae hujus quoque operis instauratione parendum est.

INSTAURĀTĪVUS, a, um, adj. qui instauratur et renovatur; ut Instaurativi ludi, qui in locum eorum, qui aut praetermissi erant, aut perperam facti, instaurabantur. *Cic. Div.* 1, 26 Itaque ludis intermissis, instaurativi constituti sunt.

INSTAURĀTOR, oris, m. *ἐπισκευαστής*, qui instaurat et renovat. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 31. Instauratori moenium. *Ammian.* 27, 3. Nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor.

INSTAURĀTUS, a, um, part. ab *instauro:* renovatus, repetitus. *Cic. Har. resp.* 10. Quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur. *Id. Rosc. Am.* 53. Cavete, ne nova et

multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. *Id. Prov. cons.* 8. *f.* Instauratae maximi belli reliquiae ac renovatae. [**Vell.* 2, 60, 1. Instauratum Sullani exempli malum, proscriptio.] *Just.* 12, 13. Instaurata comissatio. *Virg. A.* 2, 669. proelia. ℙ Item refectus, restitutus. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 7. Levati status, instauratae fortunae. *Virg. A.* 2, 451. Instaurati animi.

INSTAURO, as, avi, atum, a. 1. ἀναοχεναίζω, renovo, repeto. Si *Varronem* audias (ap. *Macr. Sat.* 1, 11.) et *Festum*, est ab *instar*, et significat, instar novare, *h. e.* aliquid ad pristinam similitudinem, et comparationem reficere. *Cic. Att.* 1, 11. *med.* Instaurare sacrificium; et *Q. Fr.* 2, 6. Latinas. *Id. Dom.* 3. caedem. *Id. Verr.* 1, 4. et renovare scelus pristinum. *Liv.* 37, 19. novum de integro bellum. *Id.* 24, 42. Poeni gens nata instaurandis reparandisque bellis. [**Lucan.* 3, 615. Fortique instaurat proelia laeva. Laud. *Cort.* ad h. l. *Val. Fl.* 3, 470. Instaurant primi certamina.] *Virg. A.* 3, 62. funus; et *ib.* 4, 63. diem donis, *h. e.* diei celebritatem sacris renovare: (Sic *Stat. Th.* 2, 88. Instaurare diem, festasque reponere mensas.) et 145. choros; et *ib.* 7, 146. epulas. *Val. Fl.* 5, 691. mensas. *Suet. Ner.* 57. societatem. *Stat. Th.* 5, 9. vias. Sic *ib.* 2, 743. iter ad Argos. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 4. quaestionem. *Colum.* 11, 2. *f.* omne genus operis, auspicandi causa. *Sil.* 1, 391. Mox instaurantis pugnam circumsilit arma. ℙ Item reparare, reficere, resarcire. *Eumen. Restaur. schol.* 3. Instaurare opera, reparare templa. *Plin.* 14, 20, 25. Cinere aut gypso instaurare vina. ℙ Item conficere, parare, facere. *Plin.* 11, 23, 27. Bombycas frigorum impatientia villis inhorrescere, et adversum hiemem tunicas sibi instaurare densas. *Id.* 31, 2, 3. Instaurare sibi monumenta. [**Tac. A.* 6, 50. Instaurari epulas jubet. *Hist.* 2, 70. Instaurabat sacrum Diis loci. Ita *Liv.* saepissime. V. *Lex. Liv.* s. h. v.]

INSTERNO, is, instravi, atum, a. 3. ἐπιστρώννυμι, supersterno, superextendo, operio. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. Si palo adacto caverna palea insternatur. *Virg. A.* 2, 722. fulvique insternor pelle leonis. *Stat. Th.* 3, 213. terraque insternar avita, *h. e.* humer, sepeliar. *Vet. poeta*, fortasse *Enn.* ap. *Terent.* p. 2408. Pontibus instratis conjunxit litora Xerxes. *Gell* 20, 1. *med.* In jus vocato, qui ingredi non quiret, plaustrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicate arceram jusserunt. V. ARCERA. *Hor. A. P.* 279. modicis instravit pulpita tignis. ℙ Item prosterno, prostro. *Stat. Th.* 12, 800. Turbine quo sese caris instraverit audax Ignibus Evadne.

INSTIGATIO, onis, f. instigandi actus. *Auct. ad Her.* 2, 30. Amplificatio est res, quae per locum communem instigationis auditorum causa sumitur. *Cajus Dig.* 5, 2, 4. Novercalibus instigationibus corrupti. Adde *Lact.* 5, 19.

INSTIGATOR, oris, m. qui instigat. *Auson. ep.* 17. Superfluus instigator agitabo. *Papin. Dig.* 3, 2, 20. Instigator accusationis. [**Tac. H.* 1, 38. Sibi quisque dux et instigator.]

INSTIGATRIX, icis, f. quae instigat. *Tac. H.* 1, 51. Acerrima instigatrix adversus Galbianos.

INSTIGATUS, a, um, part. ab *instigo*. *Plin.* 29, 4, 22. Neque anguis venenatus est, nisi per mensem luna instigatus.

INSTIGATUS, us, m. instigatio. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Si instigatu alterius fera damnum dederit.

INSTIGO, as, avi, atum, a. 1. ἐπικεντίζω, παροξύνω, παροράω, incito, impello: a στίζω, pungo. [*Hanc derivationem probare videtur locus, q. laud. *Doederl.* 1, 159. *Plin. ep.* 3, 7. Scio te stimulis non egere; me tamen tui caritas evocat, ut currentem quoque instigem.] Alii derivant ab *insto*, quia qui instat, atque urget, is proprie instigat. [**Doederl. l. l. instigare* ortum esse contendit ex *instinguere*, eodem modo, quo *jugare* a *jungere;* ideoque pertinere proprie non ad ipsum incitandi actum, sed consilii, persuadendi, informandi continere significationem. Minus esse, quam *irritare* et *incitare;* plus quam *invitare.*] *Ter. Andr.* 4, 2, 9. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. *Cic. Pis.* 11. Cum in Palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus injectis instigante te. *Liv.* 33, 47. Infensi et irati Romanos in Annibalem instigabant. *Sen. ep.* 10. Instigare iracundiam. *Vell.* 1, 12. Instigare in arma; et *Tac. H.* 1, 73. Ad instigandum in arma Clodium Macrum. *Petr. Sat.* 95. Canem instigare in aliquem. *Sen. Thyest.* 27. mentes caecus instigat furor. *Stat. Silv.* 4, 4, 33. vires instigat alitque Tempestiva quies: major post ostia virtus, *h. e.* excitat. ℙ Cum infinito. *Lucr.* 4, 1075. Et stimuli subsunt, qui instigant laedere id ipsum.

INSTILLATIO, onis, f. ἐνστάλασις, infusio stillatim et guttatim facta. *Plin.* 29, 6, 39. Instillatio lactis sedat dolorem. *Pall.* 12, 10. Urinae quatuor cotylas circa truncum debere suffundi, ut ad radices instillatio ipsa descendat.

INSTILLATUS, a, um, part. ab *instillo:* guttatim infusus. *Ov. Trist.* 3, 3, 21. Si jam deficiat suppresso lingua palato, Vix instillato restituenda mero. *Quint.* 1, 2. *med.* Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt; sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur. *Plin.* 32, 4, 14. Testudinum sanguis instillatus cerebro capitis dolores sedat; et 30, 3, 8. Instillatus cinis ex oleo cyprino per aurem.

INSTILLO, as, avi, atum, a. 1. ἐνσταλάζω, intro stillo, guttatim infundo. [**Doederl.* 1, 161. *instillare* deminutivum dicit ab *instigare.*] *Cic. Sen.* 11. Haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. *Hor. Sat.* 2, 2, 62. Oleum instillare caulibus. *Ov. Her.* 19, 153. merum in ignes. *Plin.* 20, 9, 33. auribus succum brassicae. *Id.* 24, 10, 47. Hederae acinos tritos in rosaceo oleo instillavit dentium dolori. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Diu instillandum vinum est. ℙ Cum accus. sine praeposit. quae inest in ipso verbo. *Cic.* vertens *Aeschyli* carmina, *Tusc.* 2, 10. Guttae, quae saxa assidue instillant Caucasi, *h. e.* cadunt guttatim in saxa. ℙ Translate est sensim immittere, paulatim infundere. *Cic. Att.* 9, 7. Uberrimae tuae litterae mihi quiddam quasi animulae instillarunt. Al. leg. *restillarunt.* [*Retinuit hoc quidem *Orell.*, sed non improbat illud, quod est ex conjectura Turn., quum *restillare* vix invenias nisi ap. *Prudentium.*] *Hor. Ep.* 1, 8, 16. subinde Praeceptum auriculis hoc instillare memento. *Sen. Ben.* 6, 16. *f.* Praeter illa, quae a praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit, ac tradidit.

INSTIMULATOR, oris, m. *Cic. Dom.* 5. Seditionis instimulator, et concitator. Al. leg. *stimulator.* [*Illud *Orell.*]

INSTIMULATUS, a, um, part. ab *instimulo. Marc. Dig.* 5, 2, 3. Falso instimulati parentes liberos suos vel exheredant, vel praetereunt.

INSTIMULO, as, avi, atum, a. 1. stimulo, instigo. *Ov. Fast.* 6, 508. Latias Saturnia Bacchas Instimulat fictis insidiosa sonis. *Sil.* 2, 543. Sic voce instimulans.

INSTINCTOR, oris, m. stimulator, impulsor. *Tac. H.* 1, 22. Nec deerat sceleris instinctor; et *ib.* 4, 68. Acerrimus instinctor belli.

INSTINCTUS, a, um, part. ab *instinguo:* instigatus, stimulatus, incitatus. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. Quorum templis et religionibus iste nefario quodam furore et audacia instinctus, bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum; [*et *fragm. de suis consil.* Adolescentes tibiarum cantu instincti.] *Liv.* 9, 40. et 6, 14. His vocibus instinctos milites in proelium ducit. *Lucan.* 5, 150. sacro mens instincta furore. *Sil.* 12, 518. Instincti glomerant gressus, *h. e.* hortationibus ducis incitati. *Justin.* 12, 7. Exercitus repentino impetu mentis, in sacros Dei ululatus instinctus, sine noxa discurrit. *Vell.* 1, 12. Universa instincta in bellum Achaia. *Lucr.* 1, 923. Instinctus amore. *Liv.* 1, 47. furiis. *Quint.* 12, 10. *med.* divino spiritu; et 10, 1. *med.* oraculo. [**Tac. Agr.* 16. His atque talibus invicem instincti, i. e. excitati atque diviniore quasi furore afflati; sic cp. 35. *dial. de or.* 14. Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus.] *Val. Max.* 1, 5. *extr.* 1. arrogantia. *Suet. Caes.* 19. injuria.

INSTINCTUS, us, m. παρόρμησις, ἐνθουσιασμός, instigatio, incitatio, impulsus: et proprie is, qui intus in animo fit: ab *instinguo. Cic. Div.* 1, 18. Oracula, quae instinctu divino afflatuque funduntur. [**Eingebung.* V. *Doederl.* 1, 160. Plura praebet *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Suet. Vesp.* 7. *extr.* Tegeae in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt vasa operis antiqui, etc. *Gell.* 1, 11. *med.* Effervescente impulsu et instinctu extraneo. *Id.* 16, 17. Vaticinia, quae vi atque instinctu ejus Dei fiunt. *Tac. H.* 1, 70. Milites instinctu decurionum transiere in partes. [*Et *ib.* 2, 46. Ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabat.] *Plin. Pan.* 73. Multa fecimus sponte: plura instinctu quodam et imperio: nam gaudio quoque cogendi vis inest. *Quint. decl.* 4, 19. Tanquam sequar classici vocantis instinctum. *Lactant.* 4, 30. Instinctibus daemonum populus Dei scissus est.

INSTINGUO, is, nxi, nctum, a. 4. instigo, stimulo, a *stinguo*, quod a στίζω, pungo. [**Doederl.* 1, 160. *stinguere* non a Gr. στίζειν, sed a *tangere* oriundum censet, ut *fingere* a *facere*, *stringere* a *trahere*, et nostr. *wischen* a *waschen.*] *Gell.* 17, 20. Haec admonitio non modo non repressit, sed instinxit nos ad elegantiam Graecae orationis verbis Latinis affectandam.

INSTIPO, as, a. 1. ἐνστοιβάζω, in aliquid stipo, iufercio, impleo. *Cato R. R.* 113. Post quatriduum in culleum (lege *post quadriennium in cuneum*) amphoras componito, et instipato, *h. e.* ita invicem proximas colloca, ut cadere nequeant. V. CUNEUS. *Marc. Empir.* 10. *med.* Ficus veteres contritae naribus instipantur.

INSTIPULOR, aris, dep. 1. idem ac stipulor. *Pl. Pseud.* 4, 6, 7. Quas minas abs te est instipulatus Pseudolus. *Id. Rud.* 5, 3, 25. Ni dolo malo instipulatus sis.

INSTITA, ae, f. πέζα, λῶμα, κράσπεδον, περιτώνιον, limbus, seu fascia, quae matronarum stolae ad oram assuebatur: et per synecdochen ipsa stola: ita appellata ab *insisto*, *institum*, quod ea vesti insistat. *Hor. Sat.* 1, 2, 29. Quarum subsuta talos tegit instita veste, *h. e.* instita subsuta vesti: hypallage. *Ov. A. Am.* 1, 32. Quaeque tegis medios, institа longa, pedes; et *ib.* 2, 600. Luditur in nostris institа nulla jocis, *h. e.* matrona: metonymia. [*Cf. *Boettich. Sab.* 361. 378.] ℙ Item fascia ad vinciendum. *Petr. Sat.* 20. Duas institas ancilla protulit de sinu (al. leg. *de suris*), alteraque pedes nostros alligavit, altera manus. *Scrib. Comp.* 133. Ventrem constringere institа longa. *Petr. ib.* 97. Ut raptim grabatum subiret, annecteretque pedes et manus institis, quibus sponda culcitam ferebat. In *Gloss. Isid.* Institae, grabati resticulae. ℙ [Item taenia, quae ex thyrso Baccharum dependet. *Stat. Th.* 7, 654. Candida pampineo subnectitur institа pilo. *F.*]

INSTITIO, onis, f. actus insistendi, quies, mora. *Cic. Tusc.* 1, 25. Qui errantium stellarum cursus, progressiones, institiones notavit. Al. male leg. *institutiones*, alii vero *regressiones.*

INSTITIUM, ii, n. idem quod institio. In *vet. Kalend.* ap. *Grut.* 138. mense Junio, quando solstitium fit, *solis institium* legitur. Sed illud Kalendarium habetur apocryphum a *Pontedera* in *Antiqu. Gr.* et *Lat. ep.* 46., genuinum vero a *Morc. de Stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 79. ed. *Patav.* [*Ultima addidit *F.*]

INSTITO, as, n. 1. saepe urgeo, contra sto, repugno: frequent. ab *insto. Caes. B. G.* 1, 25. Rursus institare, et proelium redintegrare coeperunt. Al. plerique leg. *instare.*

INSTITOR, oris, m. παλιγκάπηλος, ἐπιστάνης, qui a mercatore negotiationi est praepositus: ab insistendo, quod negotio gerendo instet, ut *Ulp. Dig.* 14. *tit.* 3. qui De *institoria actione* inscribitur, *l.* 3. docet. Itaque institor est, qui vel tabernae est praepositus, vel cuilibet alii negotiationi, ut qui a vestiario, vel linteario vestem accipit circumferendam et distrahendam: item mulio; item fullonum, et sarcinatorum praepositus: item stabularius: item qui peregre mittitur ad merces comparandas, ut *Id. ib. l.* 5. tradit: denique praepositus apud mensam pecuniis mutuis dandis, et accipiendis, ut *Papin. ib.* 19. et *Paul. ib.* 5, 8. docet. *Hor. Epod.* 17, 20. Amata nautis multum et institoribus. *Ov. A. Am.* 1, 421. Institor ad dominam veniet distinctus emacem, Expediet merces teque sedente suas. *Prop.* 4, 2, 38. et ibo Mundus demissis institor in tunicis. *Liv.* 22, 25. *extr.* Patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis. *Juven.* 7, 221. Institor hibernae tegetis, niveique cadurci. *Sen. Q. N.* 4, 13. *med.* Habet institores aqua, et annonam, pro pudor! variam. ℙ Apud poetas allatos *institores* praecipue sunt, qui variis mercibus extraneis, ad mundum muliebrem pertinentibus, ad mulieres ventitabant: quarum amorem propterea omni cura captabant, allicie bantque: quod adnotavit *Broukus.* ad *Prop. l. c.* ℙ Translate. *Quint.* 8, 3. et 11, 1. *med.* Ambitiosus institor eloquentiae, *h. e.* ostentator, jactator. Sic *Val. Max.* 6, 1. *n.* 9. vocat *institorem libidinis*, qui in pueritia corpore quaestum fecerat. ℙ Sidus Vergiliarum *institorem vestis* dici ait *Perott.* in *Cornucop.*, quia in ejus occasu fiat conjectura futurae hiemis: quae, si nubilus fuerit, pluviosa exspectatur: unde institores lacernarum pretia augent. Haec ille ex *Plin.* 18, 25, 60. hausit, ubi tamen res aliter se habet. *Plinii* enim verba sunt, ut ex MSS. legit *Hard.*, Hoc, ipso Vergiliarum occasu fieri putant aliqui, a. d. III. Id. Novembris: servantque id sidus etiam vestis institores, etc. statimque augent lacernarum pretia.

INSTITORIUS, a, um, adj. ad institorem pertinens. [*Hieron. in Helv. n.* 21. Ad virginem veniam, quae institorias exercet artes, nescio an corpore; quod scio, spiritu virgo non permanet. *F.*] ℙ *Institoria actio*, de qua est integer titulus 3. *l.* 14. *Dig.*, est quae datur ex contractu cum institoribus facto. [Item *institoria formula* ap. *Caj. Institut.* (ed. *Goesch.*) 4. p. 71. est ea, qua agitur in institores. *F.*] Item *institoria* absolute. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. *med.* Non institoria, sed ex locato tenebitur; et *f.* Institoriae locus erit. ℙ *Institorium, ii*, absolute est institoris munus, vel locus, ubi institor merces vendendas proponit. *Suet. Ner.* 27. Matronae institorio copas imitantes. [Alii melius leg. *Matronae institorias operas imitantes*: alii vero *institorum loco invitantes. F.* *Cf. *Burm. Oudendorp.* et *B. Crus.*]

INSTITUO, is, ui, utum, a. 3. καθιδρύω, ἐνίσταμαι, in aliquo loco statuo, pono, constituo. *Cic. Agr.* 2, 25. Jugera tercenta, ubi institui vineae possunt. *Varr. R. R.* 1, 37. *med.* Instituere segetes. *Plin.* 13, 4, 8. plantaria. ℙ Refertur ad alia. *Cic. Font.* 5. Instituere portorium vini. *Id. Verr.* 2, 4, 24. officinam. *Id. Phil.* 3, 12. mercatum. *Id. Rosc. Com.* 2. codicem, et conscribere. [**Verr.* 2, 4, 26. Pistrinum. Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Plin.* 35, 2, 2. bibliothecam. *Varr. R. R.* 3, 2. ὀρνιθοβοσκεῖον. *Val. Fl.* 3, 427.

aras. ℙ Pro facere, construere. *Caes. B. G.* 5, 39. Magnus muralium pilorum numerus instituitur; et 11. Instituere naves; et *ib.* 4, 18. pontem; et *ib.* 7, 69. munitionem. *Val. Fl.* 1, 16. delubra. *Hor. A. P.* 22. amphora coepit Institui: currente rota cur urceus exit? *Suet. Tit.* 7. convivia. *Virg. A.* 7, 109. dapes. *Sil.* 11, 272. epulas de more. *Caes. B. G.* 5, 36. Longior consulto ab Ambiorige instituitur sermo. ℙ Pro comparare, ordinare, cogere. *Caes. B. C.* 3, 93. Quartae aciei, quam instituerat sex cohortium numero, signum dedit; et *ib.* 1, 16. Instituere delectum; et *B. G.* 3, 8. remiges ex provincia. *Cic. Or.* 1, 19. civitates; et *Plin.* 35, 12, 46. collegium figulorum. ℙ Et pro creare, [**Einsetzen.*] *Cic. Fam.* 13, 61. Qui me cum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. *Id. Or.* 1, 53. Populum R. tutorem instituit filiorum orbitati. [**Att.* 6, 1. Hic magistratus multis annis post decemviros institutus est.] *Val. Max.* 5, 9. *n.* 3. Instituens heredem. ℙ Et pro decernere, inducere. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 3. Instituere ferias diesque festos. *Ov. Met.* 1, 446. Instituit sacros celebri certamine ludos. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. Instituendorum ludorum causa. *Caes. B. G.* 5, 1. Discedens ab hibernis in Italiam, ut quotannis facere instituerat. [*Ex auctoritate plurimorum edd. leg. recentt. edd. *consuerat.*] *Cic. Fin.* 2, 1. Arcesilas instituit, ut ii, qui se audire vellent, ipsi dicerent, quid sentirent. ℙ Et omissa *ut* particula. *Suet. Caes.* 41. *extr.* Instituit, quotannis subsortitio a praetore fieret. ℙ Pro invenire, auctorem esse. *Plin.* 7, 56, 57. *f.* Biremem Damastes Erythraeos, triremem Thucydides Aminoclem Corinthium, quadriremem Aristoteles Carthaginienses, quinqueremem Mnesigiton Salaminios ferunt instituisse. ℙ Pro suscipere. *Cic. Acad.* 1, 12. Cum Zenone Arcesilas sibi omne certamen instituit. ℙ Pro inire. *Pl. Stich.* 3, 1, 26. Ubi coenas hodie, si hanc rationem instituis? *Caes. B. C.* 1, 42. In praesentia similem rationem operis instituit. ℙ Saepe est incipere, aggredi, ordiri. *Cic. Leg.* 1, 3. et *Att.* 16, 13. *f.* Historia nec institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi. *Id. Or.* 2, 28. Tu vero, Antoni, perge, ut instituisti. *Id. Mur.* 32. Ut ad id, quod institui, revertar. *Pl. Poen.* 4, 2, 103. Id negotium institutum est: non datur cessatio. *Ter. Andr.* 1, 1, 40. Sapienter instituere vitam. *Sall. Jug.* 15. amicitiam cum aliquo. *Cic. Fam.* 7, 19. Ut primum Velia navigare coepi, institui Topica conscribere; et *ib* 16, 20. Confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Perge tenere istam viam, quam instituisti. *Pl. Ep.* 3, 2, 27. Instituere astutiam. *Cic. Acad.* 1, 1. Jam pridem ad hunc ipsum quaedam institui, quae et sunt magna sane, et limantur a me politius, *h. e.* orsus sum quaedam, ad hunc ipsum dirigens sermonem. ℙ Frequenter etiam erudire, docere, *παιδεύω*, praesertim adolescentulos, et nulla adhuc praeditos disciplina. *Cic. Coel.* 17. Haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? *Id. Or.* 2, 39. Aliquem plane rudem instituere ad dicendum. *Id. Quint.* 21. Quem tu a puero sic institueras, ut ne gladiatori quidem cederet. *Quint.* 1, 1. Instituere aliquem disciplinis Graecis; et 3. *extr.* artibus; et 10. lyra. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. Filios instituere atque erudire ad majorum instituta, atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia atque ad tuas turpitudines debuisti. *Colum.* 6, 2. Sic perdomiti boves mox ad aratrum instituantur. *Sall. Jug.* 17. Nos ita instituit, ne quem coleremus, nisi populum R. *Cic. Sen.* 9. Senectus adolescentulos docet, instituit, ad omne officii munus instruit, (*docere* est rem monstrare: *instituere* est, re monstrata, ad recte agendum dirigere, et quasi in honesta re monstrata statuere et collocare: *instruere* est ornare, et veluti apparare.) [**Plin. Pan.* 9, 1. Ille nos instituit et induxit, ut, etc. i. e. animum nostrum ita formavit, adeoque cupiditatem eam injecit, ut.] ℙ Cum infinito. *Colum.* 1, 1. *med.* M. Cato censorius agricolationem Latine loqui primus instituit. *Frontin. Strateg.* 3, 13. *extr.* Disposito quibusdam locis cibo, columbas illuc devolare instituerat. ℙ Pro statuere, decernere. *Cic. Dom.* 48. Instituere poenam in aliquem. *Id. Mur.* 28. *extr.* Iniquam legem et miseram conditionem instituere periculis hominum. *Virg. A.* 6, 142. Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus Instituit. ℙ Pro consilium capere, constituere. *Nep. Cat.* 3. Senex scribere historias instituit. *Id. Alcib.* 5. Itaque tempus ejus interficiendi quaerere instituerunt. [**V. Brem.*] ℙ Et pro parare, adjungere, acquirere. *Cic. Quint.* 3. Qui ab adolescentulo quaestum sibi instituisset sine impendio. *Id. Verr.* 2, 4, 9. *extr.* Instituere aliquos sibi amicos. ℙ Et pro applicare, adhibere. *Ter. Ph.* 2, 1, 10. Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. Ubi *Donat.* Bene *instituere* dixit, quo verbo quies ostenditur cogitativae mentis. ℙ Pro ordinare, disponere, componere. *Cic. Mur.* 9. *f.* Tu actionem instituis, ille aciem instruit. *Id. Fam.* 14, 18. Velim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis litteras accipiam. ℙ Cum accusativo, et *in* praeposit. *Pl. Most.* 1, 2, 2. Argumenta in pectus multa institui, *h. e.* versavi, excogitavi. *Ter. Ad.* 1, 1, 13. Quemquam ne hominem in animum instituere, aut parare, quod, etc. *h. e.* in animo statuere, ponere. Al. leg. *in animo.* ℙ [**Confund. *instituere* et *instruere.* V. *Spald.* ad *Quint.* 8, 6, 2.]

INSTITŪTIO, onis, f. [**Primum significat adornationem, nostr. *Einrichtung.* *Cic. N. D.* 2, 13. Neque dici potest, in ulla rerum institutione, non esse aliquid extremum atque perfectum. ℙ Hinc rationem aliquid agendi, institutum, propositum, *Plan.* Noster in fine laudaverat *Cic. Att.* 1, 17. *f.* Sic ego conservans rationem institutionemque nostram *(bleibe meinen Maassregeln und meinem Plane getreu)*, tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam. ℙ Tum ponitur pro educatione, doctrina, disciplina, Gr. *παιδεία.*] *Cic. Or.* 2, 1. L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset; et *N. D.* 1, 4. Complures Graecis institutionibus eruditi. *Id. Off.* 1, 2. *extr.* Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci; et *Q. Fr.* 1, 1, 6. Haec institutio, atque haec disciplina potest sustinere in rebus statuendis et decernendis eam severitatem, qua, etc. [*Adde *Or.* 1, 9, et 3, 9. *Suet. Gr.* 4. Instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam: nostr. *Anweisungen*, *Methoden*; cf. *ib.* 23.]

INSTITŪTOR, oris, m. qui instituit, et edocet. *Lampr. Commod.* 1. Qui in aula institutores habentur. ℙ Item qui aliquid instituit, et facit. *Tert. Spectac.* 2. Multum interest inter institutorem, et interpolatorem. *Ammian.* 14, 8. Institutores veteres urbium.

INSTITŪTUM, i, n. *προαίρεσις, σκοπὸς*, scopus, propositum, inceptum. [**Cic. Hortens. fr.* ejus omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est: laudat h. l. *Schütz.* in *cl. Cic.* — Tum praecipue dicitur de argumento, quod sibi aliquis in libro tractandum sumpsit.] *Cic. Top.* 6. Sed ad hujus libri institutum illa nihil pertinent. [*Adde *Inv.* 2, 54. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate praecipiendi remotum est.] ℙ Sumitur etiam pro more, seu certa quadam vitae ratione ad mores spectante, *ἦθος.* *Cic. Att.* 4, 18. Me nunc oblitum consuetudinis et instituti mei, rarius ad te scribere. *Id. Coel.* 20. Si qua mulier sit vita institutoque meretritio. *Caes.* ad *Oppium post. ep.* 8. l. 9. *ad Att.* Meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. *Cic. Fin.* 4, 15. Institutum vitae capere. [*Adde *Fam.* 2, 13.] ℙ Et speciatim dicitur de publicis moribus consilio et ratione sumptis, et civili disciplina, quae litteris non mandatur, sed observatur communi opinione bonorum virorum per quandam consuetudinem. Unde *De institutis externis* titulus est ap. *Val. Max.* 2, 6., id est, de moribus usu et consuetudine receptis. *Cic. Brut.* 77. Sed bene juris publici leges et instituta cognoverat. *Id. Agr.* 2, 1. Est hoc in more positum institutoque majorum. *Id. Div. Verr.* 2. Adductus sum consuetudine institutoque majorum, ut onus hoc suscipiendum putarem. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] *Nep. Ages.* 4. Institutis patriae parere. [*Laudat *Brem.* h. l. ad *Nep. praef.* 3. ubi discrimen inter *leges* et *instituta* hoc ponit, ut, qui illas laeserit, poenam luat; haec qui neglexerit, ludibrium, irrisionem patiatur.] ℙ Item institutio, doctrina. *Cic. Off.* 1, 1. Abundare praeceptis institutisque philosophiae. [**Instituta philosophiae* sunt exercitia in philosophia tractanda, explicanda aliisque tradenda. *Beier.*] *Quint.* 1, 1. Optimis institutis mentem infantium informare. ℙ Item conventio, pactum. *Liv.* 6, 10. *f.* Cur per eos annos militem ex instituto non dedissent.

INSTĪTŪTUS, a, um, part. ab *instituo:* in aliquo loco statutus, positus, plantatus, excitatus. *Caes. B. G.* 5, 50. Institutas turres, testudines, munitionesque hostium admiratur. *Suet. Galb.* 1. Arborem ab ipso institutam elanguisse. ℙ Item inceptus. *Caes. B. C.* 1, 83. Munitiones institutas Caesar parat perficere. *Hor. Od.* 3, 27, 5. Rumpit et serpens iter institutum. *Cic. Fam.* 5, 12. Quantis oneribus premerere susceptarum rerum, et jam institutarum. *Quint. ad Tryphon.* Institutum opus. *Id.* 1, 5. *med.* Institutum ordinem sequi. ℙ Item eruditus, doctus. *Cic. Brut.* 47. Graecis doctrinis institutus. ℙ Item declaratus, factus. *Plin.* 7, 36, 36. Heres bonis omnibus institutus. ℙ Item inventus, inductus, in more positus. *Plin.* 29, 1, 8. Luctatus, ceromata valetudinis causa instituta. *Id.* 9, 23, 39. Mulcta instituta alicui, *h. e.* statuta, imposita, inflicta.

INSTO, as, institi, atum, n. l. *ἐνίστημι*, in vel super aliqua re sto, insisto. *Virg. A.* 11, 529. instare jugis, et grandia volvere saxa. *Lucr.* 1, 65. Horribili super aspectu mortalibus instans. *Lucan.* 8, 177. instabit summis minor Ursa ceruchis. *Suet. Tib.* 72. *extr.* Instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellavit. *Calpurn. Ecl.* 4, 121. Jamque palam presso magis ac magis instat aratro, *h. e.* innititur, stat super ac premit, ut altius tellurem sulcet. ℙ Item vicinum esse, imminere. *Caes. B. C.* 2, 43. Ut alii dicerent, cum legionibus instare Varum, jamque se pulverem venientum cernere. *Cic. Cat.* 2, 5. Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et poenas jamdiu debitas aut instare jam plane, aut certe jam appropinquare. *Id. Pis.* 27. Instant apparatissimi magnificentissimique ludi. *Id. Att.* 13, 23. Cum illi iter instaret et subitum, et longum. *Sall. Cat.* 58. Optimum factu ratus, noctem, quae instabat, ante capere. *Ter. Ad.* 3, 2, 9. Partus instabat prope. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Tibi ab iis instat periculum. [**Liv.* 35, 22. Quando nihil ab Antiocho instaret.] ℙ Hoc sensu in praeteritis non tam saepe invenitur. *Ov. Met.* 9, 768. dilataque tempora taedae Institerant, unusque dies restabat. *Id. Fast.* 1, 315. Institerint Nonae, etc. ℙ Cum accusativo vi praeposit. quae inest in ipso verbo. *Pl. Poen.* 4, 2, 96. Tantum eum instat exitii. ℙ Item urgere, insistere, premere. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Caedere januam saxis, instare ferro. *Liv.* 10, 36. Diversique integri atque intacti abiissent, ni cedenti instaturum alterum, timuissent. [**Front. Strat.* 2, 6. Fugientibus instaturos victores. *B. A.*] *Caes. B. C.* 3, 46. Audacius nostros premere et instare coeperunt; et *ib.* 1, 80. *extr.* Instabat agmen Caesaris, atque universum imminebat. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 6. Si me instabunt, ad praetorem sufferam. Al. leg. *mi.* [**Nep. Epam.* 9, 1. Quum acie instructa audacius instaret hostes; ubi v. *Brem.*] ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 32. Quamobrem, ut facis, urge, insta, perfice. *Id. Font.* 1. Insector ultro, atque insto accusatori, judices; insector, inquam, et flagito testes. *Ter. Andr.* 1, 1, 120. ego illud sedulo Negare factum: ille instat factum, *h. e.* contendit factum esse. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Quod instat, quod imminet, et praesentem postulat curam. *Cic. Inv.* 2, 11. *extr.* Quare, ante factis omissis, illud quod instet, agi oportere. *Virg. Ecl.* 9, 66. Desine plura puer, et quod nunc instat, agamus. ℙ *Instare alicui rei* est urgere, sedulam dare operam sine intermissione. *Tac. Agr.* 18. Non ignarus instandum famae, ac prout prima cessissent, fore universa. Et cum accusativo. *Naev.* ap. *Non.* 3, 134. Instat mercaturam, spero, rem faciet: frugi est homo. *Virg. A.* 8, 433. Parte alia Marti currumque, rotasque volucres Instabant, *h. e.* urgebant fabricando. Est enim sermo de Cyclopibus Vulcani ministris. ℙ *Instare viam* est insistere, pergere. Translate. *Pl. Asin.* 1, 1, 39. Estne hoc, ut dico, Libane? *Li.* rectam ut instas viam! ℙ Pro flagitare. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Nolo cum Pompejo pugnare: satis est, quod instat de Milone. *Id. Att.* 3, 15. Quod profecto cum sua sponte, tum, te instante, faciet; et *Or.* 1, 22. Cupienti atque instanti negare. *Liv.* 2, 4. Evincunt instando, ut, etc. ℙ Cum infinito. *Cic. Verr.* 2, 3, 59. *extr.* Instat Scandilius poscere recuperatores. ℙ Cum conjunctivo, et *ut* particula. *Id. Quint.* 10. Tibi instat Hortensius, ut eas in consilium. *Pl. Cas.* 2, 5, 33. Uxor acriter tua instat, ne mihi detur. *Ter. Heaut.* 5, 1, 22. Unum instat, ut conficiantur nuptiae. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 2, 44. *f.* Profecto, si instetur, suo milite vinci Romam posse. *Tac. A.* 3, 21. Ubi instaretur, cedens: ac rursum in terga remeans. ℙ Multa quae efferuntur in praeteritis, ad *insisto* commode reduci possunt, cum quo id tempus commune habet.

INSTRĀGŬLUM, i, n. *στρῶμα*, stragulum. *Cato R. R.* 10. et 11. *extr.* Culcitas quatuor, instragula quatuor, pulvinos sex.

INSTRĀTUS, a, um, part. ab *insterno*, stratus, *στρωτός.* *Liv.* 34, 7. Et equus tuus speciosius instratus erit, quam uxor vestita? et *Virg. A.* 7, 277. instratos ostro alipedes. *Suet. Aug.* 73. Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili, et modice instrato. *Gell.* 20, 1. *med.* Arcera instrata vestimentis. *Lucr.* 5, 985. instrata cubilia fronde. *Virg. G.* 2, 230. instrato saxa cubili, *h. e.* cubili instrato saxis; hypallage. ℙ Absolute *instratum* est vestis stragula, *στρῶμα.* *Ulp. Dig.* 50, 16, 45. Instrato omne vestimentum contineri, quod injiciatur, Labeo ait. (*Torrent.* habet *in stratum* divisim: quod verius videtur.) *Cato R. R.* 10. Sirpeas stercorarias tres, semuncias tres, instrata asinis tria. ℙ [**Variantur in codd. *instratus* et *instructus.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 7, 277.]

INSTRĒNĒ, adv. non strenue. *Just.* 17, 2. In eo bello Lysimachus non instrenue moriens.

INSTRĒNŬUS, a, um, adj. *ῥᾴθυμος*, imbellis, timidus, piger, ad res gerendas minime promptus. *Pl. Most.* 1, 2, 23. Atque ubi illo immigrat nequam homo, indiligens, cum pigra familia, immundus, instrenuus, etc. *Ter. Heaut.* 1, 1, 68. Tamen animi est pudentis signum, et non instrenui. [**Suet. Vesp.* 4. Quum exercitu ampliore et non instrenuo duce — opus esset.]

INSTRĔPĬTO, as, n. l. frequent. ab instrepo.

Venant. carm. 3, 9, 26. Floribus instrepitans *(apis)* poplite mella rapit.

INSTRĔPO, is, epui, epitum, n. 3. *ἐμβομβέω*, idem ac strepo, cum quadam tamen intensione soni ex vi praepositionis accedentis, ut sit gravem strepitum et sonum emittere. *Virg. G.* 3, 172. Post valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat. [**Hom. Il. E.* 838. *μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων.*] *Liv.* 4, 43. *f.* Unde si quid instrepat terroris, etc. Al. leg. *increpet. Claud. Cons. Mall. Theod.* 222. nec dentibus unquam Instrepis horrendum, *h. e.* infrendes. ℙ Cum accusativo more Graecorum. *Appul. Met.* 2. Sic ille senior lamentabiles questus singultim instrepebat.

INSTRICTUS, a, um, part. ab *instringo*, idem quod strictus, aut valde strictus. *Appul. Met.* 9. Feralibus amiculis instrictus atque obditus. ℙ Item perstrictus. *Id. ib.* 8. Dolore pellicatus uxor ejus instricta.

INSTRĪDENS, entis, adj. idem quod stridens, vel in aliquo loco stridens. *Sil.* 14, 435. Fax nidore gravi foedavit comminus auras Ambusto instridens pelago.

INSTRINGO, is, inxi, inctum, a. 3. idem quod stringo, aut valde stringo. *Quint. decl.* 5, 16. Jacet inter vincula, quibus instringat adhuc recentem pirata captivum. ℙ Tribuitur etiam *Catullo* 76, 11. Quin te animo obfirmas, teque instringisque, reducisque. Alii melius leg. *teque istinc usque reducis.*

INSTRUCTĒ, adv. cum apparatu, aut ordine. *Liv.* 1, 35. Ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecit. *Appul. Apol.* Instructius accusare.

INSTRUCTĬLIS, e, adj. non structilis, ut Instructilis anima, *Tert. Anim.* 14.

INSTRUCTĬO, onis, f. *κατασκευή*, actus instruendi, aedificatio. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 35. Si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est. *Vitr.* 5, 9. *med.* Tubulorum instructio in cloacas, *h. e.* immissio in parietibus cloacarum, et in ipsas cloacas inclinatio. ℙ Item praeparatio, dispositio, ordinatio. *Cic. Caec.* 15. Saepe clamore ipso militum, aut instructione aspectuque signorum magnas copias pulsas esse audivimus. ℙ Item institutio. *Arnob.* 5, 167. Illam *(historiam)* quotidie perlegi, et futuri temporis pro instructione per ordinem succedentium tradi.

INSTRUCTOR, oris, m. *κατασκευαστής*, qui instruit et apparat. *Cic. in Sen.* 6. *f.* Si sunt conditores instructoresque convivii.

INSTRUCTŪRA, ae, f. instructio et dispositio aciei. *Front. Strat.* 2, 3. *med.* Quadrigae exterritae clamore turbaverunt Macedonum instructuram. ℙ [Item verborum structura. *Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Ut in compositionis instructura aeque mollitia sit delictum, quam in sententiis impudentia. *F.*]

INSTRUCTUS, a, um, part. ab *instruo:* ordinatus, dispositus, in re militari. *Liv.* 4, 18. Exercitus ita stetit instructus, ut dextrum cornu Vejentes, sinistrum Falisci tenerent. *Caes. B. G.* 1, 48. Instructa acies. *Sall. Cat.* 62. Instructi ordines. *Virg. A.* 11, 449. Instructos acie descendere Teucros. ℙ Translate. *Ter. Ph.* 2, 2, 7. Cedo senem: jam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. *Cic. Leg.* 1, 13. *extr.* Res satis scite instructae et compositae. [*Ita in rebus oratoriis, pro apte disposito, et collocato dicitur. *Gell. praef.* p. 12. parum instructa, i. e. quae nullo ordine disposita sunt.] ℙ Item *κατασκευασθείς*, ornatus, paratus, mūnitus. *Cic. N. D.* 2, 37. Domicilia ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur. *Id. Verr.* 2, 2, 34. Domum exornatam et instructam iste redderat nudam et inanem. [*Cf. *Nep. Ages.* 7, 4. ibique *Brem.*] et *ib.* 2, 5, 51. Instructae ornataeque naves. *Id. Manil.* 8. Mithridatis copiae omnibus rebus ornatae atque instructae. *Id. Phil.* 10, 4. Graecia copiis non solum instructa, sed etiam ornata. *Id. Fam.* 15, 1. Nos quemadmodum instructos, et quibus praesidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. *Ov. Met.* 4, 762. convivia pulcro instructa paratu. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Omnibus rebus instructum et paratum convivium. *Virg. A.* 12, 124. Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis Pugna vocet. *Ov. Met.* 11, 167. Fides instructa gemmis et dentibus Indis. ℙ [**Praeditus*, i. q. prae ceteris datus s. donatus, praestantiam et splendorem spectat; *instructus* et *exstructus* bonitatem et utilitatem; ita quidem ut hoc absolute signif. id, quod est ab omni parte paratum, passivo proprie sensu: illud in utramque partem et active et passive ponatur de eo, quod certo quodam tempore ad certum finem apte praeparatum videmus. *Ornatus* utrumque et *praeditum* et *instructum* continet, tamque signif. eximiam alicujus rei utilitatem, quae decoris loco haberi queat. *Doederl.* 3, 260.] ℙ De *instructo fundo* V. INSTRUMENTUM. ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Or.* 5. *f.* Ad permovendos et convertendos animos instructi et parati. *Id. Fin.* 2, 17. *f.* Instructus ad mortem contemnendam, ad exilium, ad dolorem etiam. *Id. Or.* 3, 8. *extr.* Ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur; et *ib.* 1, 58. *med.* Satis instructi in jure civili; et 16. *extr.* Omnibus ingenuis artibus instructus. *Ov. Met.* 15, 479. Talibus atque aliis instructo pectore dictis. *Just.* 20, 4. Pythagoras instructus legibus Minois, et Lycurgi. *Liv.* 34, 61. Aristonem instructum mandatis ab Annibale venisse. *Cic. Brut.* 43. *extr.* Nisi qui a philosophia, a jure civili, ab historia esset instructior. ℙ In malam partem. *Id. Vat.* 1. *f.* Accusatores instructi et subornati. *Virg. A.* 2, 152. dolis instructus et arte Pelasga. *Ter. Heaut.* 3, 1, 41. Instructa pulcre ad perniciem. *Hor. Ep.* 1, 18, 25. Vitiis instructior.

INSTRUCTUS, us, m. apparatus, copia, ornatus. *Cic. Or.* 3, 6. Oratio, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. [*Gr. *κατασκευή.*] *Appul. Met.* 11. Instructum teletae comparo. V. TELETA.

INSTRUMENTUM, i, n. *ἐργαλεῖον, τὰ σκεύη*, copia et apparatus earum rerum, sine quibus tueri, aut exercere quippiam non licet, supellex. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. Hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum posthac, his praeclaris nominibus amissis, in instrumento ac supellectili C. Verris numerabuntur. *Id. Dom.* 24. In fundum vicini consulis non modo instrumentum aut ornamenta villae, sed etiam arbores transferebantur. *Suet. Aug.* 71. Cum nihil sibi praeter unum murrhinum calicem, ex instrumento regio retinuerit. *Caes. B. G.* 6, 30. Omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Cum arationes magnas conductas haberet, easque magna impensa, magno instrumento tueretur. *Colum.* 4, 3. Liberos avare nutrire, nec disciplinis, aut ceteris corporis instrumentis excolere *Cato R. R.* 1. Villa instrumenti magni ne siet. Idem *ib.* 10. et 11. et *Pall.* 1, 43. instrumentum rusticum enumerant: quod *Varr. R. R.* 1, 17. ex quorumdam sententia in tria genera dividit, *vocale*, in quo sunt servi; *semivocale*, in quo sunt boves; *mutum*, in quo sunt plaustra: ex aliorum in duo, homines scilicet, et adminicula hominum. *Suet. Caes.* 37. Primum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, diverso quemque apparatu et instrumento. *Plin. ep.* 3, 19. Instrumentum venatorium. *Mart. Dig.* 33, 2, 17. piscatorium et balnearium. *Hor. Sat.* 1, 3, 131. artis. Sic *Ov. Met.* 3, 697. crudelia jussae Instrumenta necis, ferrumque, ignisque parantur. *Plin.* 7, 50, 51. Ciborum instrumenta, h. e. omnia membra, per quae cibus conficitur. ℙ Fabrilium instrumentorum figuras habes ap. *Grut.* 644, 1. et 2. ℙ In *Dig.* titulus est 7. l. 33. qui *De instructo, vel instrumento legato* inscribitur: ubi *instructo* subintelligitur *fundo: instrumentum* itidem ad fundum pertinet. Porro haec duo ita differunt, nt si *fundus cum instrumento* legatus sit, omnia instrumenta, quae ad fundi culturam pertinent, legato contineantur: si vero *fundus instructus*, non tantum agri instrumentum, sed et proprium suum instrumentum dominus legasse videtur: quae sunt verba *Ulpiani* in *Dig.* 33, 7, 12. §. 27. Quare *instructo legato* et supellex continebitur, quae illic fuit usus ipsius domini gratia, et vestis non solum stragula, sed et qua uti solebat: mensae quoque eboreae, item vitrea, et aurum, et argentum, vina quoque etc. ℙ Pro ornamento simpliciter. *Ov. Trist.* 1, 1, 9. Felices ornent haec instrumenta libellos ℙ Pro vestitu et cultu. *Id. Met.* 14, 766. in juvenem rediit, et anilia demit Instrumenta sibi. ℙ [*Instrumentum tricliniorum* in *Inscr.* ap. *Grut.* 215, 2. est omne vasorum genus, quo in tricliniis veteres utebantur, ut *Instrumentum cocinatorium* ap. *Ulp. Dig.* 34, 2, 9. §. 12. quo in culinis. *F.*] ℙ *Instrumenta litis* sunt ea, quibus causa instruitur, et probationibus firmatur, et speciatim tabulae, chirographa. *Quint.* 12, 8. *med.* Opus est intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum est. *Modest. Dig.* 2, 14, 35. Instrumentum divisionis. *Paul. ib.* 24, 3, 49. et 26, 7, 42. dotis. *Scaev. ib.* 24, 1, 58. emptionis. ℙ [Etiam acta publica *instrumenta* dicuntur. *Suet. Cal.* 9. Ego in Actis Antii editum (*Cajum*) invenio: et *mox:* Sequenda est igitur, quae sola restat, publici instrumenti auctoritas. *F.*] ℙ *Instrumentum imperii* dicitur tabularium publicum in Capitolio: ubi senatusconsulta et plebiscita servabantur. *Suet. Vesp.* 8. Aerariarum tabularum tria millia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus; instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio Urbis senatusconsulta, plebiscita de societate, et foedere, ac privilegio, cuicumque concessis. ℙ [Hinc inter officia domus Augustae fuit servus *ab instrumentis*, qui scilicet eorum conficiendorum curam habebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 586, 2. Valentinus, qui et Potinianus Aug. N. vern. libr. ab instrum. Alia ap. *Mur.* 913, 2. Phrygio Augg. NN. ab instrumentis. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 36. In oratoris instrumento tam lautam supellectilem nunquam videram; et *ib.* 2, 34. Hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus. [*Cf. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 220.] *Tac. H.* 4, 7. Nullum majus boni imperii instrumentum, quam bonos amicos. ℙ Itaque commode sic dicitur omne subsidium ac praesidium ad aliquid agendum. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Quanta instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam. *Id. Cat.* 2, 5. Industriae subsidia, atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumere. *Id. Brut.* 97. Eloquentiam locupletare graviorum artium instrumento. *Plin.* 13, 15, 30. Vitae nitidioris instrumenta. *Quint.* 12, 11. *med.* Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? [**Hülfsmittel und nothwendige Hülfswissenschaften zum Studium der Beredtsamkeit.* Nempe exposuit auctor de iis, quae ad informandum et perficiendum oratorem maxime essent necessaria. Adde *ib.* 12, 5. Cf. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 220.] *Gell.* 18, 7. Utinam muti omnes homines essemus! minus improbitas instrumenti haberet. *Justin.* 1, 1. Cum proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset.

INSTRŪO, is, uxi, uctum, a. 3. *κατασκευάζω*, in aliquo loco struo, aedifico, construo, exstruo. *Nep. Them.* 6. Postquam audierunt, muros instrui, legatos Athenas miserunt. [**Brem.* ad h. l. docet, *instruere*, licet aedificandi notionem contineat, maxime ad comparandas res aedificationi necessarias referendum, eamque primam esse vocis significationem.] *Plin.* 35, 14, 48. Ex terra parietes inferciuntur verius, quam instruuntur. *Tac. H.* 2, 22. Instruere aggerem. *Curt.* 9, 10. tuguria conchis, et ceteris purgamentis maris. *Caes. B. C.* 2, 9. Ubi turris altitudo perducta est ad contabulationem, eam *(contabulationem)* in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum extrema parte structura tegerentur, *h. e.* struendo immiserunt. [*Rarior quidem est haec cum praepos. *in* constructio; sed v. l. *Liv.* 8, 8. in. §. seq. adscriptum.] Sic *Vitr.* 5, 9. *med.* Instruere tubulos in parietibus. ℙ Item dispono, ordino, praesertim in re militari. *Pl. Amph.* 1, 1, 66. Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones: item hostes contra suas instruunt. *Cic. Mur.* 9. et *Caes. B. G.* 1, 22. Copias in collem subducit, aciem instruit. *Sall. fr.* ap. *Arusian. Mess.* Antequam Sertorius instrueret pugnae suos. *Cic. Cat.* 2, 11. Instruite nunc contra has Catilinae copias vestra praesidia, vestros exercitus. [**Liv.* 8, 8. *in.* Postremo in plures ordines instruebantur.] ℙ Item compono, construo. *Cic. Brut.* 59. *extr.* Cum tardus in cogitando, tum instruendo dissipatus fuit. [*Gr. *κατασκευάζειν* et *κατασκευή.* V. *Ernest.* in *lex. Rhet. Lat.* p. 221.] *Colum.* 11, 2. *med.* His diebus commode instruuntur horti. ℙ Item colloco, struo, paro, molior. *Cic. Cluent.* 66. *extr.* Instruere insidias in loco aliquo. *Liv.* 23, 35. Instruendae fraudi aliquanto intentior. *Id.* 6, 23. Locum insidiis instruere, *h. e.* parare. Al. aliter leg. *Catull.* 21, 7. Insidias mihi instruens. ℙ Item apparo, adorno: de rebus necessariis prospicio. *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Instruere domum; et 27. et parare convivium omnibus rebus. *Ov. Met.* 8, 571. mensas epulis. *Justin.* 6, 3. classem. *Liv.* 6, 5. agrum, *h. e.* cultoribus, et instrumento rustico ornare. *Ov. Fast.* 2, 318. de Omphale: Cultibus Alciden instruit illa suis. *Colum.* 4, 3. navigia armamentis ministrisque. *Virg. A.* 8, 80. socios armis. *Justin.* 6, 6. *extr.* frumento et stipendio victorem. *Suet. Vesp.* 14. Filiam splendidissime maritavit, dotavit etiam et instruxit. Singularis est loquendi ratio in illo *Plauti Mil.* 4, 1, 35. Instruere mulieri aurum atque ornamenta. Adde 4, 3, 7. [*Poterant et ista commemorari. *Cic. Agr.* 2, 33. Capra opportunissimam se nobis praebuit et ad bellum instruendum et ad exercitus ornandos. *Plin. Pan.* 75, 5. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum.] ℙ *Instruere accusationem, litem*, etc. est tabulis, testibus, ceterisque ad agendum necessariis adornare ac munire. *Cic. Cluent.* 6. Hoc ipsum judicium, hoc periculum, illa accusatio, omnis testium copia, a matre initio est adornata, a matre hoc tempore instruitur. *Plin. ep.* 10, 85. Ut longiorem diem ad instruendam causam darem, petit. ℙ Instruere se, parare ad aliquid. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. *extr.* Ne cui forte nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, cum potestatem habuerit, instruxisse et ornasse: et 19. Ad judicium nondum se satis instruxerat: et *Att.* 5, 6. Instruar etiam consiliis idoneis ad hoc negotium. *Ov. Met.* 13, 544. seque armat et instruit ira. ℙ Saepe significat docere, erudire. *Cic. Coel.* 30. Disciplinae et artes quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rempubl., ad honorem, gloriam, dignitatem. *Quint.* 4, 2. *med.* Protinus judex notitia rerum instruendus videtur. *Petr. Sat.* 140. Salubribus praeceptis juvenes instruere. *Plin. ep.* 10, 97. ignorantiam alicujus. *Quint. prooem.* 1. *f.* aliquem scientia alicujus rei. *Ov. Met.* 6, 590. Deique Ritibus instruitur. ℙ [*Confund. *instruere* et *instituere.* V. hoc vocabulum in *f.* Adde *Cort.* ad *Lucan.* 4, 711.]

INSTŪDIOSUS, a, um, adj. ἀφιλόπονος, non studiosus. *Appul. Apol.* Medicinae neque instudiosus, neque imperitus.

INSTŪPENS, entis, adj. idem ac stupens, aut valde stupens, stupidus, expers sensus. *Plin.* 28, 4, 7. Torporem sedari, quocumque membro instupente; si quis in sinum exspuat.

INSUĀSUM appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio. *Festus.* V. SUASUM. *Pl. Truc.* 2, 2, 16. Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam. [Alii melius leg. *Quia tibin' suaso*, etc. *Gloss.* tamen *Phil.* Insuasum, εἶδος δοκαρίου κεχαινισμένου. V. IMPLUVIATUS. *F.*]

INSUĀVIS, e, adj. non suavis, injucundus, tristis, asper, ἀηδής. *Colum.* 12, 51. *extr.* Oleum non insuavis odoris. *Vitr.* 8, 1. Aqua limosa et insuavis. *Plin.* 24, 16, 97. Herba cibo non insuavis. *Cic. Att.* 10, 4. Ipsius videmus vitam insuavem reddidisse. *Hor. Sat.* 1, 3, 84. paulum deliquit amicus, Quod nisi concedas, habeare insuavis. *Auct. ad Her.* 3, 12. Quid insuavius, quam clamor in exordio causae? *Gell.* 18, 11. Voces dictu profatuque ipso tetrae, aut insuaves. [*Cic. Or.* 47. Ipsum meridiem cur non medidiem? credo quod erat insuavius; et 49. Versus insuavissima littera inquinatus. V. in A. *F.*]

INSUĀVITAS, atis, f. acerbitas, molestia. *Tert. Poen.* 10. Per insuavitatem medentur. *Gell.* 1, 21. Insolentia et insuavitas dictionis.

INSŪBER, ris, adj. ad Insubriam pertinens. Sed vox ipsa *Insubria* Latino adhuc auctore caret. *Cic. fr. Pis.* ap. *Ascon.* Insuber quidam fuit, idem mercator, et praeco, etc. *Liv.* 22, 6. Insuber eques. ℙ *Insubres, ium*, absolute populi sunt Galliae transpadanae, quorum urbes Mediolanum, Comum, Cremona, Laus Pompeja, Novaria, etc. *Liv.* 30, 18. In agro Insubrium Gallorum; et 21, 25, Boji, sollicitatis Insubribus, defecerunt. *Plin.* 3, 17, 21. Insubres Mediolanum condidere. [*Inscr.* ap. *Mur.* 712, 7. Vester ego, Insubres, jaceo hic sub marmore vester Laevinus. *F.*] ℙ *Insubris* pro *Insuber* quidam male leg. apud *Spartian. Julian.* 1. ℙ In genitivo plur. habet *brum*, et *brium*. *Plin.* 10, 29, 41. Immensa finitimo Insubrium tractu examina graeculorum. *Id.* 3, 17, 21. Interiere et Caturiges, insubrum exsules. In MSS. *Livii* 30, 18, et 32, 30. modo una, modo altera positio habetur.

INSŪBĪDĒ, adv. praecipitanter, priusquam subeat, aut veniat in mentem, quid faciamus, aut quid dicamus. Alii exponunt: invenuste, rustice. V. v. sq. *Macr. Sat.* 7, 14. Ipsam vero videndi naturam non insubide introspexit Epicurus. *Gell.* 1, 2. Multa atque immodica de philosophiae doctrinis intempestive atque insubide disserebat. Al. *insolite.*

INSŪBĪDUS, a, um, adj. improvidus, inconsideratus, cui non subit, quid agendum sit: vel a *subidus*, (q. v. v. s. l.) ut praepositio *in* augeat vim significationis. Alii exponunt, invenustus, rusticus, truculentus, durus. *Gell.* 19, 9. Sed ne nos, id est nomen Latinum, tanquam profecto vastos quosdam et insubidos ἀναφροδισίας condemnetis; et 6, 1. Nihil est prorsus istis imperitius, nihil insubidius, qui opinantur, bona esse potuisse, si non essent ibidem mala; et 13, 20. Relato Virgilii versiculo *Urbis ne invisere, Caesar*, etc. subdit: Verte, et muta, ut *urbes* dicas, insubidius nescio quid facies, et pinguius. In duobus his posterioribus locis sunt qui legant *insipidius. Lampr. Commod.* 17. Fuit vultu insubido, ut ebriosi solent.

INSUBJECTUS, a, um, adj. non subjectus, nulli subditus. *Prud. Hamart.* 699. Insubjecte, potens, rerum arbiter. Al. melius leg. *In subjecta potens.*

*INSUBSIDIĀTUS, a, um, adj. *Vulg. Esdr.* 3, 9, 11. Non possumus insubsidiati stare. *B. A.*

*INSUBSTANTĪVUS, a, um, adj. *Interpr. Iren.* 1, 10. Pater, cujus pater nemo est, qui est inexcogitabilis et insubstantivus. *B. A.*

INSŪBTĪLIS, e, adj. non subtilis, crassus. Translate. *Papin. Dig.* 30, 1, 11. Julianus non insubtili ratione motus.

INSUBTĪLĪTER, adv. insubtili ratione. *Ulp. Dig.* 2, 14, 7. *med.* Quod non insubtiliter dici potest. Adde *ib.* 28, 5, 1. *f.*

INSŪBŪLO, as, a. 1. V. INSILIA, et v. sq.

[INSŪBŪLUM, i, n. ἄντλον, lignum teres, circa quod licia involvuntur; hinc porro factum est, ut apud Italos nunc *subbio* appelletur lignum illud, circa quod tela textoris involvitur. *Is. Or.* 19, 29. Insubulum textoris instrumentum, sic dictum, quod infra et supra sit, vel quia insubulatur. *Gloss. Phil.* Insubulum, et Insublum, ἄντλον. V. INSILIA. *F.*]

INSUCCĀTUS, a, um, part. ab *insucco:* succo imbutus. *Colum.* 9, 13. Uvae passae austero vino insuccatae. *Id.* 7, 5. *med.* Lanae oleo atque vino insuccatae.

INSŪCCO, as, avi, atum, a. 1. ἐμβάπτω, succo imbuo, tingo, immergo. *Colum.* 7, 4. Lana vino et oleo insuccanda.

INSŪDO, as, avi, atum, n. 1. ἱδρόω, idem quod sudo, aut valde sudo, vel in aliqua re sudo. *Cels.* 2, 2. Si corpus dormientis circa partes aliquas, contra consuetudinem, insudat. *Hor. Sat* 1, 4, 71. Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos, Queis manus insudet vulgi.

[INSŪDUS, a, um, adj. idem ac sudus. *Gloss. Phil.* Insudus, ἀνυδρος, ἄβροχος. *F.*]

INSUĒFACTUS, a, um, adj. [*i. q. assuetus.] *Caes. B. G.* 4, 24. Paululum in aquam progressi equos insuefactos incitarent.

INSUESCO, is, evi, etum, n. 3. ἐθίζομαι, assuefio. *Ter. Adelph.* 1, 1, 30. Nam qui mentiri, aut fallere insuevit patrem, etc. *Tac. A.* 11, 29. Duas pellices, quarum is corpori insueverat. [*Plura laudat *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 279. Utitur etiam *Liv.* h. v. Ita 5, 6. Ad disciplinam certe militiae plurimum intererat insuescere militem nostrum, non solum parata victoria frui; et *al. Lucr.* 4, 1270. Insuescat facile vir; et *ib.* 881. Insuerit quae res tantum oneris corporis nostri protrudere. *Sall. Jug.* 8. Neu quibus largiri insuesceret. *Cat.* 11, 6. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare etc.] ℙ Habet etiam accusativum et activam significationem. *Hor. Sat.* 1, 4, 105. Insuevit pater optimus hoc me, Ut fugerem, etc. [*Ita saepissime *assuescere, consuescere, desuescere.* V. *Bentl.* qui vv. ita conjungit: *insuevit me pater, ut hoc fugerem.* Quam recte *Heindf.* ut maxime contortam rationem refutavit, comprobata duplicis accusativi constructione, praeter analogiam vv. *docere* et *monere*, etiam Gr. consimili loquendi usu ἐθίζειν τινά τι, εἴθισμαι τοῦτο, coll. annotatione sua ad *Plat. Euthyd.* 11.] *Colum.* 6, 4. *f.* Maxime tamen habetur salutaris amurca, si tantundem aquae misceas, et ea pecus insuescas. Et passive. *Id.* 11, 3. Ubi coeperunt aliquod incrementum habere, sic insuesci debent, ut, etc.

INSUĒTĒ, adv. praeter consuetudinem. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. Insuete immorari. *August. ep.* 3. Insuetius perscrutari.

INSUĒTŪDO, inis, f. ut Insuetudo cibi, *h. e.* cui quis non est assuetus. *Spart. Sever.* 16. Fluente quoque per insuetudinem cibi alvo militum.

INSUĒTUS, a, um, adj. ἀήθης, qui rei alicui non assuevit. *Cic. Att.* 2, 21. Tam acer in ferro, et tam insuetus contumeliae. *Caes. B. G.* 7, 30. *extr.* Homines insueti laboris; [*V. *Herz.* ad h. l.] et *ib.* 5, 6. Insuetus navigandi: et *B. C.* 3, 49. Insueti operum. *Nep. Dion.* 7. Insuetus male audiendi. *Liv.* 28, 18. Syphax barbarus insuetusque moribus Romanis. *Id.* 4, 31. Moesta civitas vinci insueta. *Id.* 31, 18. Insuetus vera audire. *Virg. A.* 10, 364. Arcadas insuetos acies inferre pedestres. *Liv.* 31, 35. Eques insuetus ad stabilem pugnam; et 41, 21. *f.* Insueti ad tale spectaculum. *Caes. B. C.* 1, 78. Corpora insueta ad onera portanda. [*Ov. *Met.* 7, 119. et insuetum ferro proscindere campum: sc. quia Marti sacer, quem adeo aratro scindere nefas. *Tibull.* 1, 4, 48. Insuetae operi manus.] ℙ Item imperitus. *Auct. ad Her.* 4, 4. Videte, ne insueti rerum majorum videamini. ℙ Dicitur et de rebus ipsis, quibus non assuevimus, et insolitum significat. *Virg. Ecl.* 5, 56. insuetum miratur limen Olympi; et *ib.* 1, 50. Insueta pabula. *Id. A.* 6, 16. Insuetum iter. *Liv.* 3, 52. Insueta solitudo. [*et 28, 27. Insueti foetus, i. q. praeter naturales.] *Ov. Pont.* 3, 4, 49. reformidant insuetum lumina solem. *Suet. Dom.* 2. Poeticae studium tam insuetum antea sibi. [*Sil. 5, 12. Insueta tubae monstravit murmura, i. e. incognita.] ℙ *Insueta* neutrum plurale, adverbii more. *Virg. A.* 8, 248. de Caco: Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem. ℙ Idem est ac suetus, particip. ab *insuesco. Liv.* 24, 48. Ita majores suos bella gessisse, ita se a pueris insuetos.

INSUFFĪCIĒNS, entis, adj. qui non est satis idoneus ad aliquid faciendum. *Tert. adv. Hermog.* 15. Nisi si insufficiens fuit divina virtus omnibus producendis.

INSUFFĪCIĒNTIĀ, ae, f. *Tert. ad Uxor.* 1, 4. Concupiscentia causas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam.

[INSUFFLĀTĪO, onis, f. actus insufflandi. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. Aceti insufflatio naribus. *F.*]

INSUFFLO, as, a. 1. intro sufflo, inflo. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 920. Insufflat, ipsos ceu videret daemonas. *Tert. Resurr. carn.* 5. Et finxit Deus hominem, limum de terra: et insufflavit in faciem ejus flatum vitae. *Veg. Vetr.* 2, 21. Per fistulam os plenum vino insufflet.

INSŪLA, ae, f. νῆσος, terra in medio mari, undique aquis cincta: quasi *in salo*, ut *Festo* placet. Alii alias origines comminiscuntur. *Cic. Fam.* 15, 16. Si insulam Britanniam coepero cogitare. *Id. Manil.* 11. *extr.* Quam multas existimatis insulas esse desertas? *Virg. A.* 3, 210. Strophades Grajo stant nomine dictae Insulae Ionio in magno; et 386. Aeaeaeque insula Circes. ℙ Item terra seu locus flumine, aut lacu clausus. *Cic. Mil.* 27. Ut insulam in lacu Prilio venderet. *Liv.* 2, 5. Insulam inde paulatim, et aliis, quae temere fert flumen, eodem invectis factam. ℙ De poena relegationis in insulam V. DEPORTO. ℙ A similitudine *insulae* dicuntur domus urbanae, quae non jungunturcommunibus parietibus cum vicinis, circuitu-que publico, aut privato cinguntur, ut *Festus* docet, ita ut eae via, tanquam insulae mari, cinctae essent. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 4, 2, 39. Domos vel portus, vel insulas veteres dixerunt. *Cic. Off.* 3, 16. Claudius proscripsit insulam, vendidit. ℙ Hujusmodi insulae plura saepe coenacula, et cubicula habebant, quae pluribus familiis locabantur, et fere pauperiorum. Quare *insula* in *Gloss. Philox.* dicitur συνοικία, *h. e.* plurium simul habitatio. *Sen. Ira* 3, 35. *extr.* Parietes insularum exesi, ruinosi, inaequales; et *Ben.* 6, 15. *f.* Agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendere. *Mart.* 4, 37. Ex insulis fundisque tricies soldum, Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi. *Suet. Caes.* 41. Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit. ℙ Hinc licet aliud discrimen colligere inter domum, et insulam, ut illa sit, in qua una familia habitat, quod fere ditiores faciunt (sive aliis aedibus juncta sit, sive insulae modo separata); haec, in qua plures, et pauperiores: sive itidem aliis aedificiis cohaereat, sive ab aliis disjungatur. *Tac. A.* 6, 45. Exsolutis domuum, et insularum pretiis. *Suet. Ner.* 16. Formam aedificiorum urbis novam excogitavit: et ut ante insulas, ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur; et 38. Tunc praeter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae; et 44. Inquilini privatarum aedium, atque insularum. ℙ Promiscue adhiberi haec duo videntur a *Capitol. Anton.* 9. Incendium, quod trecentas quadraginta insulas, vel domos absumpsit. [*Beier. ad *Cic. Off.* 3, 16, 66. ejusdem generis laudat ista: *Att.* 16, 1. Quos plus permutasti, quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit; et *Procul.* in *Dig.* 8, 2, 13.] ℙ *Muratorius* p. 2125. *suar. Inscript.* cum animadvertisset, numerum insularum in descriptione Urbis Romae esse 46602; domuum vero 1790, dubitare se scripsit, an eorum opinio praeferenda sit, qui *insulas* fuisse putant aedes privatas, plerasque conducticias, parietibus tantum a vicinis divisas, quas Itali dicunt *affittanze:* domos autem, quas iidem appellant *palazzi.* Fortasse haec ita componuntur, ut *Festus* recte et proprie *insulas* definierit, ut posuimus: qui vero Urbem postea descripserunt, *insularum* nomine improprie, et per synecdochen partes ipsarum appellaverint, quae a singulis familiis incolebantur: unde in tantum earum numerus excreverit. ℙ *Templa etiam *Insulas* dixere Ecclesiastici scriptores, quod ab aliis aedibus undique sejuncta essent. V. *Gonsal. de Salas* ad *Petr.* p. 216. (*c.* 95.) *Is. Voss.* ad *Just.* 32, 2. item *Durant. Observ. de eccles. cathol. rit.* V. et *Insularis* ad fi. *B. A.*

INSŪLĀNUS, i, m. insulae incola, νησιώτης. [*Cic. N. D.* 3, 18. Achillem Astypalaeenses insulani sanctissime colunt. *F.*] *Pacat. Pan. Theodos.* 23. Cum pauci homines, et insulani totius incendium continentis adolerent. ℙ [In *Gloss. Philox.* legitur *insulaneus.* ℙ *Insulana, ae*, f. est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1183, 4. Sulpicia Insulana. *F.*]

INSŪLĀRIS, e, adj. νησιωτικός, ad insulam pertinens. *Auct. Priap.* 33. Ductor ferreus insularis, *h. e.* qui in insula ad metalla damnatus, ferrum ducit. *Ammian.* 15, 11. Matrona, et Sequana, post circum clausum ambitu insulari Parisiorum castellum, consociatim meantes; et 7. Insulari poena multavit, *h. e.* deportatione in insulam. V. DEPORTO. ℙ *Insulares* ap. *Justin.* 32, 2. sunt insularii, seu custodes templi, (nam et templa *insulae* dicta sunt, quia sejuncta ab aedibus privatorum) vel etiam inquilini, qui in conductis aedibus templo adhaerentibus habitant.

INSŪLĀRIUS, ii, m. servus, qui insulas, *h. e.* aedes conducticias custodit, et pensiones locationum exigit. *Pompon. Dig.* 7, 8, 16. Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, vel usuario, fundum vel aedes per saltuarium, vel insularium custodire poterit; et *ib.* 50, 16, 166. Insularius urbanorum servorum numero est. *Impp. Sever. et Antonin.* ap. *Ulp. Dig.* 1, 15, 4. Insularios, et eos, qui negligenter ignes apud se habuerunt, potes fustibus et flagellis caedi jubere. *Inscr.* ap. *Grut.* 624, 10. M. Antonius Felix insularius. Alia ap. *Viscont. Monum. degli Scip. tab.* 6. *n.* 10. T. Flavius Augusti L. Daphnus praepositus insulariorum. Sic alia in *Memor. dell' Accad. Arch. Rom. T.* 1. p. 173. Narcissus Ti. Claudii Imp. Lib. supra insulas. In *Gloss. Philox.* Insularius, ἐνοικολόγος, *h. e.* exactor pretii pro habitatione. ℙ Item inquilinus, qui in conducta insula, seu aede habitat. *Petr. Sat.* 95. Interim coctores, insulariique mulcant exclusum. *Inscr.* ap. *Mur.* 943, 11. Cerdo insularius.

INSŪLĀTUS, a, um, adj. in insulam redactus. *Appul. de Mundo:* Audivimus, terras, quae prius fuerint continentes, hospitibus atque advenis fluctibus insulatas. *August. C. D.* 4, 2. eadem verba habet.

[INSULCĀTĬO, onis, f. humi dispositio in modum sulci. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 20. Omnia (*flumina*) vergentia juxtim in mare, sicuti nunc etiam ad memoriam veteris insulcationis datur visere. *F.*]

[INSULCO, as, a. 1. in modum sulci humum converto. *Not. Tir.* p. 155. Sulcat, insulcat. *F.*]

INSŪLENSIS, e, adj. insularis. *Solin.* 54. Ab insulense, ut consequens est, ad continentem.

INSŪLOSUS, a, um, adj. insulis abundans. *Ammian.* 23, 6. Mare Persicum ex omni latere insulosum, et celebre.

INSULSĒ, adj. *ἀνοήτως*, inepte, frigide, inaniter. *Cic. Att.* 15, 4. Nescio quid ab eo litterularum, uti me sibi restituerem: sane insulse, ut solet: nisi forte, quae non ames, omnia videntur insulse fieri; et *ib.* 5, 10. Ita multa vel iracunde, vel insolenter, vel in omni genere stultitiae insulse, arroganter et dicuntur, et tacentur quotidie. [*Or.* 2, 54. Nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur: *nicht uneben.*] *Gell.* 16, 12. Sive hoc ipse Claudius, sive nescio qui alius nebulo effutivit, nihil potest dici insulsius; et 12, 2. Postea hoc etiam addidit insulsissime.

INSULSĪTAS, atis, f. ineptia, stultitia, *ἀναισθησία, ἀπειροκαλία. Cic. Att.* 13, 29. In villa, cujus insulsitatem bene notam, video nihil, aut pauca mutata; et *Rabir. Post.* 13. Jam nostis insulsitatem Graecorum. *Id. Brut.* 82. Insulsitatem et insolentiam tanquam insaniam quandam orationis odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat.

INSULSUS, a, um, adj. *ἄναλος*, non salsus, non salitus, insipidus, fatuus. *Colum.* 2, 9. *med.* Amurca insulsa perfundunt sulcos. *Hieron. ep.* 22. *n.* 40. Si cibus insulsior fuerit, contristamur. *Cic. Att.* 13, 31. *extr.* O gulam insulsam! *h. e.* quae insulsa appetit. ℙ Translate est ineptus, frigidus, insuavis, absurdus. *Cic. Or.* 2, 64. Est etiam in verbo positum non insulsum genus (*ridiculi*) ex eo, cum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare. *Id. Fam.* 9, 16. *med.* Incidunt in sermone vario multa, quae fortasse illis, cum dixi, nec illitterata, nec insulsa esse videantur. *Id. Coel.* 29. Adolescens non tam insulsus, quam non verecundus. *Id. Tusc.* 1, 8. Mihi videris Epicharmi, acuti, nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *f.* Insulsa efflagitatio. *Ter. Eun.* 5, 8, 49. Fatuus, insulsus, tardus. *Catull.* 17, 12. Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar bimuli. *Prud. in Symmach.* 1, 213. insulsus usus, *h. e.* stulta consuetudo, ineptus mos.

INSULTĀBUNDUS, a, um, adj. valde insultans. *August. ep.* 86. *ad Casulan.* In temulenta convivia, et nequissimas ebrietates insultabundus invehitur.

INSULTĀTĬO, onis, f. actus insultandi. *Solin.* 52. *med.* Adeo proceri, ut elephantos, velut equos, facillima insultatione transiliant. ℙ Translate est insolens jactatio in re, de qua nihil amplius dubitamus. *Quint.* 8, 5. *med.* Et addita in clausula est, epiphonematis modo, non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. ℙ Item irrisio alienae calamitatis cum superbia, et contemptu. *Flor.* 4, 12. *med.* Nihil insultatione Barbarorum intolerantius.

INSULTĀTŌRĬĒ, adv. insultando. *Sidon. ep.* 1, 7. Libere queror, non insultatorie.

INSULTĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad insultandum, et irridendum inserviens, ut Insultatorium verbum, ap. *Tert. adv. Marc.* 5, 10. *extr.*

[INSULTATRIX, icis, f. quae insultat. *Hieron. in Isaj.* 5, 23, 1. Tyrus inimica, et insultatrix subversionis Jerusalem. *F.*]

INSULTO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπαηδάω*, in aliquam rem insilio, irruo, *Virg. G.* 3, 116. atque equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos. *Id. A.* 7, 580. attonitae Baccho nemora avia matres Insultant thiasis, *h. e.* saltant per nemora. *Enn.* ap. *Charis.* 2, 214. Juvenum coetus Bacchico insultans modo. *Virg. G.* 4, 10. neque oves, haedique petulci Floribus insultent. *Id. A.* 11, 599. fremit aequore toto Insultans sonipes. *Hor. Od.* 3, 3, 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum. [*Prop. 2, 8, 20. Insultetque rogis, calcet et ossa mea. Gr. *κύμβῳ ἐπιθρώσκειν. Hom. Il.* 4, 177.] *Ter. Eun.* 2, 2, 54. Nae tu istas (*fores*) faxo, calcibus saepe insultabis frustra. ℙ Translate est, ex confidentia, aut superbia, et contemptu quippiam calcare, et tanquam victum premere. *Ov. Met.* 1, 133. quaeque diu steterant in montibus altis, Fluctibus ignotis insultavere carinae. [*Ex veterum opinione, quasi insolentia sit navigare. Ita *Hor. Od.* 1, 3, 24. Impiae non tangenda rates transiliunt vada. *Tibull.* 1, 3, 37. Nondum caerulcus pinus contemserat undas. *Claud. R. P. praef.* 11. Nauta vagus exsultat pelago. V. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 3, 22. In seq. loco sine insolentiae notione positum est.] *Tac. A.* 2, 8. Batavi, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. ℙ Item irridere, dictis aggredi, alienae calamitati illudere, in alienum dolorem gaudere, insolenter se gerere, ludibrio habere. *Ov. Trist.* 2, 571. Insultare jacenti; et *ib.* 5, 8, 4. casibus alicujus. *Stat. Th.* 2, 18. malis, rebusque aegrescere laetis. *Auct. ad Her.* 4, 39. in alicujus miserias. *Cic. Verr.* 2, 5, 50. alicui in calamitate. *Id. Mil.* 32. in rempublicam. *Prop.* 3, 4, 24. Si placet, insultet, Lygdame, morte mea. *Tac. A.* 4, 59. *extr.* patientiam et segnitiam cujuspiam. *Liv.* 2, 45. Quippe impune se insultaturos, etc. [*Plura v. in *Lex. Liv.* p. 347.] *Sall. fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. l. c.* et *Serv.* ad *A.* 9, 643. Multos ab adolescentia bonos insultaverat. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 262. Insultat miserum te quoque, Muti. ℙ [*De philosophis alios impugnantibus. *Cic. N. D.* 2, 29. nominat Epicurum insultantem in omnes sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore.] ℙ *Insultare capiti alicujus* est aliquem irrumare. *Suet. Caes.* 22. Proinde frequenti curia jactaret, se insultaturum omnium capitibus. Hinc *Lact.* 6, 23. *med.* De istis loquor, quorum teterrima libido, et exsecrabilis furor ne capiti quidem parcit. V. ILLUDO.

INSULTŪRA, ae, f. actus insiliendi. *Pl. Mil.* 2, 3, 8. ne hodie Maximum in malum cruciatumque insiliamus. *Pa.* tu sali Solus; nam ego istam insulturam et desulturam nihil moror.

[INSULTUS, us, m. insultatio. *Lact. carm. de pass. Chr.* 30. Collige consilia, insidiasque, meique nefandum Sanguinis innocui pretium, et simulata clientis Oscula, et insultus, et saevae jurgia turbae. *F.*]

INSUM, ines, inest, infui, anom. *ἔνειμι*, in aliqua re aut loco sum: ab *in*, et *sum*. *Lucr.* 3, 1094. Praeterea versamur ibidem, atque insumus usque. *Val. Fl.* 5, 403. Jamque inerat populo, mediaeque incognitus urbi. *Ov. Fast.* 4, 658. nec digitis anulus ullus inest. *Id. Amor.* 1, 14, 32. Comae insunt capiti. *Pl. Rud.* 5, 3, 3. Omnia ut infuere, ita salva sistentur tibi. *Id. Amph. prol.* 144. Meo patri torulus inerit aureus sub petaso. *Id. Rud.* 5, 2, 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt. ℙ [*Proprius hujus vocabuli usus est, ubi de rebus internis, imprimis de animi ingeniique virtutibus vel vitiis dicitur, quae insunt in homine. Noster exempla perperam miscuerat, quorum huc pertinent ista:] *Cic. N. D.* 1, 42. Superstitio in qua inest timor inanis Deorum; et 43. Imagines divinitate praeditas inesse, in universitate rerum. [*Ita legitur in optimis edd. negante quidem ad h. l. *Heindf.* Ciceronem usquam *inesse*, cum dativo conjunxisse, coll. satis magno locorum numero, ex hoc ipso libro congestorum. Sed dativus exhibetur. *Off.* 1, 42. Quibus artibus prudentia major inest: ubi *Orell.* nullam lectionis varietatem notat. Alius locus est. *Sen.* 21. ubi tamen *Orell.* leg. *tanta est stultitiae inconstantia atque perversitas:* non improb. *inest inconstantia stultitia.* V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 416. p. 351. *Cic. Fam.* 5, 15. *med.* Manere in vita, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis.] *Plin.* 10, 36, 52. Columbis inest quidam gloriae intellectus. *Ov. Her.* 17, 130. Tarda solet magnis rebus inesse fides. *Sall. or. Cottae ad pop. f.* Multa cura summo imperio inest. [*Adde *Cic. Off.* 1, 37, 13. Vitium aliquod inesse in moribus. *Ter. Eun.* 1, 1, 14. In amore haec omnia insunt vitia. *Sall. Cat.* 20, 11. Cui virile ingenium inest; 23, 2. Huic homini non minor veritas inerat; 58, 2. Quanta audacia animo inest. Plura ejusdem generis exempla e Tacito, qui semper c. dat. construit, collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 259. ℙ *Id. ib.* recte discernit ea exempla, quae v. *inesse* absolute, sed ita ut facile pronomen intelligatur, positum referunt. *Sall. Cat.* Multus lepos inerat. *Jug.* 64, 1. Inerat contemptor animus et superbia. *Cic. Phil.* 11, 1. Inest tamen aliquid, quod reipublicae profuturum putem. *Liv.* 9, 16. Praecipue pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit (Papirio Cursori). *Tac. Agr.* 39. Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum.]

INSUMO, is, mpsi, mptum, a. 3. *ἀναλίσκω*, consumo, impendo. *Cic. Att.* 5, 17. Sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruntius insumatur in quemquam. *Id. Inv.* 2, 38. Quid sumptus in eam rem, aut laboris insumpserit. [*Plura Ciceronis exempla v. in *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Gell.* 2, 24. *med.* Sestertios tricenos in coenam insumere. *Tac. A.* 2, 53. Paucos dies insumpsit reficiendae classi. ℙ Translate est ponere, adhibere. *Liv.* 10, 18. *extr.* Frustra operam insumere. *Tac. A.* 3, 44. Insumere operam libellis accusatorum. *Auct. dial. de Or.* 29. Nec in evolvenda antiquitate satis operae insumitur; et *ib.* 9. Insumere vitam versibus. *Plin.* 9, 46, 70. Omnis cura ad speculandum hoc malum insumitur. ℙ Aliquando est sumere, assumere. *Stat. Th.* 12, 643. dignas insumite mentes Coeptibus; et *ib.* 2, 38. medium cava nubila montis Insumpsere latus, *h. e.* sibi veluti sumpsere ad insidendum, immorandumque. *Tac. A.* 14, 44. Creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse?

INSUMPTĬO, onis, f. actus insumendi, impensa. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 6, 24, 3. Ita etiam sportularum diversa esse debebit insumptio.

[INSUMPTUM, i, n. impensa, id quod insumptum est. *Not. Tir.* 68. Sumptus, insumptum. *F.*]

INSŪO, is, ui, utum, a. 3. *ἐνράπτω*, in aliqua re suo, suendo includo, consuo, adsuo. *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* Cingulum cum clavulis capitatis, quae intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. *Colum* 3, 15. Linea insuitur purpura, vel alio conspicuo colore. *Plin.* 29, 5, 32. Alii vermem adalligavere, aut intus caudae pilos insuere vulneri. *Sen. Clem.* 1, 23. Insuere aliquem culeo. [*Ov. Met.* 3, 312. Imperfectus adhuc infans — Eripitur, patrioque tener — Insuitur femori.] *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Quoniam Smyrnae duos Mysios insuisses in culeum. [*Adde *Rosc. Am.* 25.] ℙ *Insuere* dicuntur, qui acu, et Phrygio opere vestes ornant. *Tert. Hab. mulier.* 1. Si Milesii oves tonderent, et Seres arbores nerent, et Tyrii tingerent, et Phryges insuerent, et Babylonii intexerent. *Ov. A. Am.* 3, 131. insutum vestibus aurum. ℙ Translate. *Liv.* 40, 51. Censores opera ex pecunia attributa haec confecerunt: Lepidus molem ad Tarracinam: ingratum opus, quod praedia habebat ibi, privatamque publicae rei impensam insuerat, *h. e.* implicaverat, conjunxerat. Alii leg. *imposuerat.*

INSŪPER, praeposit. *ὑπέρ*, super, supra. Adhibetur absolute. *Liv.* 22, 2. *med.* Cumulatis in aquas sarcinis, insuper incumbebant. *Virg. A.* 3, 579. ingentemque insuper Aetnam Impositam. *Sall. Cat.* 58. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera, etc. *Lucr.* 6, 190. Aut ubi per magnos montes cumulata videbis Insuper esse alia alia. ℙ Cum accusativo. *Cato R. R.* 18. Insuper arbores, stipitesque trabem planam imponito. *Vitr.* 5, 12. Insuper eam exaequationem pila struatur. Adde 10, 20. [*Cf. *Ruddim.* 2, 334.] ℙ Et cum ablativo. *Id.* 5, 1. *f.* Supra eas trabes everganeae sunt collocatae: quibus insuper transtra cum capreolis collocata sustinent culmen, etc.; et 10, 21. Erigebantur arrectaria duo, conjuncta capitibus transversario tigno, quo insuper collocata erat materies, etc. ℙ Pro desuper. *Lucan.* 3, 610. Ausus Romanae Graja de puppe carinae Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus Amputat. ℙ Est etiam *περίεστι*, ad hoc, praeterea. [*Constat sententia de synonymia vv. *insuper*, *ultro*, *praeterea*. Cf. *Arntzen.* ad *Plin. Pan.* 6, 4. *Drak.* ad *Liv.* T. 4. p. 436. *Brem.* ad *Suet. Tib.* 11. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 14, 126. At discrimen est: *Praeterea* pertinet ad id, quod implendo, perficiendo additur; *insuper* spectat novum aliquid, adjuncta notione abundantiae; *ultro* ponitur de eo, quod antecedentia ita superat, ut rationem eorum nullam amplius habeas. *Doederl.* 3, 108.] *Pl. Amph.* 3, 2, 8. ego illum aut deseram, Aut satisfaciat mihi, atque adjuret insuper, Nolle esse dicta, quae, etc. *Id. Merc.* 4, 2, 1. Parumne est, quod amat, Ni sumptuosus insuper etiam siet? *Ter. Ad.* 2, 2, 38 Etiam insuper defraudat? *Liv.* 3, 67. Si id parum est, insuper poenas expetite. *Virg. A.* 2, 593. roseoque haec insuper addidit ore. *Id. ib.* 9, 273. Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma: Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus. Al. leg. *insuper id. Liv.* 23, 7. Haec pacta: illa insuper, quam quae pacta erant, facinora Campani ediderunt, *h. e.* ultra quam. Al. leg. *Alia insuper*, *quam*, etc. [*Suet. Caes.* 66. Non negando minuendove, sed insuper amplificando ementiendoque. Plura praebet *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 439. Notandus etiam usus *Suet.*, quo part. *insuper* hac significatione ponit anteced. participio. Ita *Tib.* 1. a Patribus in patricias cooptata, agrum insuper trans Anienem etc. accepit; et *Claud.* 6. Legato etiam prosecutus commendavit insuper exercitibus.] ℙ *Insuper habere* est negligere, tanquam rem supervacaneam, et non necessariam, nihili facere, posthabere, non curare, contemnere. *Gell.* 1, 19. Tarquinius eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intelligit; et 4, 1. *f.* Haec ego, cum philosophiae me dedissem, non insuper tamen habui discere. *Appul. Met.* 1. Hic est, qui, meis amoribus insuper habitis, non solum me diffamat probris, verum, etc. Adde *Papin. Dig.* 11, 7, 43. [*Cf. *Duk.* de *Lat. Vett. Ict.* 413.] ℙ *Insuper* pro *de*, V. in CACHINNO. ℙ Quidam malunt divisim scribere *in super*, ut *ab usque*, *in ante*, *in coram:* afferuntque illud *Pl. Merc.* 1, 2, 82. Neque quisquam hominem conspicatus est, donec in navi super. Contendunt alii, junctim scribendam esse: quibus ego libentius accessero. Neque enim quidquam *Plauti* locus conficere videtur.

INSŪPĔRĂBĬLIS, e, adj. [*Immutavimus exemplorum scri m, quam Noster summa imis miscens perperam instituerat. Primum signif. id, in quod ascendere, eniti, quod ingredi nemo potest. Huc pertinent loca, quae in f. posita erant:] *Liv.* 21, 23. Alpium transitus; et 36. via. [*V. *Drakenb.* ad cp. 30. ℙ Hinc i q. vinci, superari non potest, Gr. *ἀδάμαστος*. Hanc significationem *Forc.* primo loco posuerat, his laud. exemplis:] *Virg. A.* 4, 40.

genus insuperabile bello. *Sever. A.* 535. nil insuperabile ab igni. [*Adde *Ov. Met.* 12, 613. Aeacides, caput insuperabile bello. *Claud. B. Gild.* 459. Caput insuperabile rerum Aut ruet in vestris, aut stabit Roma lacertis. Huc referendus locus, quem Auctor infra posuerat:] *Plin. ep.* 2, 2. Insuperabilis valetudo, i. e. quae curari non potest. ℙ [*Dicitur de eo, quod evitari non potest.] *Ov. Met.* 15, 807. Insuperabile fatum.

INSŪPĔRĂBĬLĬTER, adv. *August. C. D.* 5, 8. Dei potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur.

INSŪPĔRANS. V. INDUPERANS.

INSŪPĔRĀTUS, a, um, part. ab *insupero*, invictus. *Maximian. Gall.* 1, 33. tolerantia rerum Spernebat cunctas insuperata minas.

[INSŪPĔRO, as, avi, atum, n. 1. idem ac supero, q. v. v. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 3. Qua fortitudine ego princeps semper militiae, laborisque semper dux in proeliis insuperavi. *F.*]

INSURGO, is, rexi, rectum, n. 3. *ἀνθίσταμαι*, erigor, assurgo, tollor. *Tac. Germ.* 39. Si forte prolapsus, attolli, et insurgere haud licitum. *Virg. A.* 9, 33. nigro glomerari pulvere nubem Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis; et *ib.* 11, 754. Arrectisque horret squamis, et sibilat ore, Arduus insurgens. [*Sil. 2, 546. Sibilat, insurgens capiti, et turgentia circum Multus colla micat squalenti tergore serpens, i. e. caput erigens; et 16, 557. et crista nitenti insurgens cono, i. e. erecta.] *Val. Fl.* 5, 671. coeperat ardens Hic iterum alternis Mavors insurgere dictis. ℙ *Insurgere remis*, dicuntur nautae, cum vehementius remigant: tunc enim, ut totis viribus in remos incumbant, e transtris assurgere solent. *Virg A.* 3, 560. et *ib.* 5, 189. *Val. Fl.* 2, 14. Vela legunt: remis insurgitur; et 1, 450. Insurgit transtris, et remo Nerea versat Canthus. ℙ Et qui incumbunt, dant operam, animum intendunt in aliquid. *Plin. Pan.* 66. Universos adhortatus es resumere libertatem, capessere imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, et insurgere. [*Livin. Arnzen.* et *Gesn.* hoc dicendi genus e re nautica sumptum docent. *Gierig.* tamen et aliter explicari posse videtur: nempe quod otiosi, ignavi *sedere* dicantur, ex eo jam, qui animum sumant, seque operi alicui perpatrando accingant, imprimis libertati recuperandae, eos *assurgere*, *consurgere*, *exsurgere*, *insurgere* dici. V. quae laud. in hanc sententiam.] ℙ Et qui alterum aggreditur, aut ei resistit. *Val. Fl.* 4, 274. paulatim insurgere fesso Integer. *Hor. Epod.* 10, 7. Insurgat Aquilo, quantus altis montibus Frangit trementes ilices. [*Sil. 1, 401. et ferit alte Insurgens gladio cristatae cassidis aera.] *Virg. A.* 12, 902. Altior insurgens, et cursu concitus heros. *Sen. Hippol.* 1064. Contra feroci gnatus insurgens minax vultu, etc. *Ov. Met.* 9, 444. Insurgere regnis alicujus, *h. e.* ad regna invadenda; [*et *ib.* 11, 530. Vastius insurgens decimae ruit impetus undae.] ℙ Praeterea, *insurgere* dicuntur, quae praealta sunt et imminentia. *Virg. A.* 8, 233. Stabat acuta silex, praecisis undique saxis, Speluncae dorso insurgens. *Tac. A.* 2, 16. Pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis, etc. ℙ Item qui fortuna, opibus et honore crescunt. *Tac. ib.* 1, 2. Insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, etc. et *ib.* 11, 16. Romanas opes insurgere. ℙ Pro oriri, excitari. *Val. Flacc.* 2, 82. Insurgunt fremitus. ℙ Transfertur et ad orationem. *Quint.* 10, 1. *med.* Lyricorum Horatius fere solus legi dignus, nam et insurgit aliquando, etc. *h. e.* stilo sublimi utitur; et 9, 4. *med.* Augeri debent sententiae, et insurgere; et 12, 2. *f.* Haec sunt, quibus mens pariter, et oratio insurgant; et 11, 3. *in.* Vox imbecilla inhibet multa, ut insurgere, exclamare; et aliqua cogit, ut summittere, deflectere. [*Cf. *Ernest Lex. technol. Lat. rhet.* p. 221.] ℙ Active. *Appul. Met.* 1. *in.* Jugi, quod insurgimus, aspritudinem fabularum jucunditas levigabit, *h. e.* quod ascendimus.

[INSURRECTĬO, onis, f. idem ac surrectio. *Gloss. Phil.* Insurrectio, *ἐπανάστασις*. *F.*]

INSUSCEPTUS, a, um, adj. non susceptus. *Albinov.* 1, 197. Vota insuscepta reliquit.

INSUSTENTĂBĬLIS, e, adj. qui ferri nequit, intolerabilis. *Lactant.* 7, 16. Insustentabili dominatione vexare orbem. *Id. Mort. persecut.* 49. Insustentabilis dolor.

INSŪSURRĀTĬO, onis, f. actus insusurrandi. *Capit. M. Aurel.* 19. Cum suos mores semper teneret, neque alicujus insusurratione moveretur.

INSŪSURRĀTUS, a, um, part. ab *insusurro*, in aurem dictus. *Sen. Brev. vit.* 14. Insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent.

INSŪSURRO, as, avi, atum, n. 1. *καταψιθυρίζω*, susurro, submissa voce in aurem loquor. *Cic. Tusc.* 5, 36. Demosthenes illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculae, insusurrantisque alteri, Hic est ille Demosthenes. *Id. Verr.* 2, 5, 41. Eum vident sedere ad latus praetoris, et ad aurem familiariter insusurrare. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 4. Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate insusurretur. *Id. Att.* 1, 19. *med.* Ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam. *Sen. ep.* 10. Turpissima vota Diis insusurrare. [*Suet. Cal.* 22. Cum Capit. Jove secreto fabulatur, modo insusurrans ac praebens invicem aurem, modo clarius.] V. MURMUR. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 48. Quoniam non solum nauta significat, sed etiam Favonius ipse insusurrat, navigandi nobis tempus esse.

*INSUSPICĂBĬLIS, e, adj. de quo non potest esse suspicio, *ἀνυπονόητος*. *Vulg. Sir.* 11, 5. *B. A.*

INSUTĪCĬUS, a, um, adj. insutus, ut insuticius asinus, et fartilis, cujus scil. corio latrones puellam quandam insuere volebant, ap. *Appul. Met.* 6. *f.*

INSUTUS, a, um, part. ab *insuo*: *Virg. A.* 4, 505. Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant, *h. e.* caestus. *Cic. Rosc. Am.* 11. Insutus in culeum. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 13. culeo. *Ov. Ib.* 321. pelle juvenci. *Id. A. Am.* 3, 131. insutum vestibus aurum, *h. e.* assutum, consutum Phrygio opere. V. INSUO.

[INSŪTUS, us, m. actus insuendi. *Appul. Met.* 7. Expromptis mille aureûm, quos insutu laciniae contexerat. Al. leg. *insutos*. *F.*]

INTĂBESCO, is, bui, n. 3. *ἐκτήκομαι*, tabesco, macie consumor, succum et vigorem paulatim amitto, maceror, languesco. *Cic. N. D.* 3, 35. Diuturno morbo intabescere. Al. leg. *tabescere*. [*Ita *Orell.* non tamen improb. *intabescentem.*] *Hor. Epod.* 5, 39. Interminato cum semel fixae cibo Intabuissent pupulae. *Colum.* 4, 3. Novella vitis dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem, et sic intabescit, ut nullis deinceps impensis recreari possit. *Ov. Met.* 2, 780. de Invidia: Sed videt ingratos, intabescitque videndo, Successus hominum. *Sen. Consol. ad Polyb.* 24. Intabescere dolori. *Pers.* 3, 38. Virtutem videant, intabescantque relicta. ℙ Item liquesco. *Ov. Met.* 3, 487. ut intabescere flavae Igne levi cerae, matutinaeve pruinae Sole tepente solent. [*Adde *ib.* 14, 826. ceu lata plumbea funda Missa solet medio glans intabescere coelo.]

INTACTĬLIS, e, adj. *ἄψαυστος*, *ἀναφής*, qui tangi nequit, qui sensui tactus non est subjectus. *Lucret.* 1, 435. Cui si tactus erit, etc. Corporum augebit numerum, etc. Sin intactile erit, etc. Scilicet hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.

INTACTUS, a, um. adj. *ἄψαυστος*, *ἄπτιστος*, non tactus, integer, illaesus. *Plin.* 37, 1, 4. Polycratis gemma, quae demonstratur, illibata intactaque est. *Id.* 16, 2, 2. Hercyniae silvae roborum vastitas intacta aevis; et 25, 1, 1. Herbarum folia quadrupedum pabulo intacta. [*Liv. 21, 36. Intacta nix, i. e. nondum trita, calcata; et *ib.* cp. 25. Intactis assidere muris, i. e. ita, ut eos non tangas.] *Juven.* 14, 194. Caput intactum buxo, *h. e.* impexum, nullo pectine culta coma. *Sall. Jug.* 58. *extr.* Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit. *Liv.* 2, 12. *f.* Intactum aliquem inviolatumque dimittere; et 5, 38. *f.* Integri intactique fugerunt. [*Liv. 10, 14. Ne ab exercitu integro intactoque opprimerentur; et cp. 27. Lupus, integer et intactus] *Curt.* 5, 9. *f.* Intactae regionis opulentia, *h. e.* bello non vastatae. [*Ita *Lucan.* 3, 427. Belloque intacta priore: ubi *Cort.* laud. *Ammian.* 18, 6. Omnibus ante bellis intactae.] *Virg. G.* 4, 540. intacta cervice juvencae, *h. e.* quae nondum passa est jugum. *Id. A.* 11, 419. et opes nobis, et adhuc intacta juventus, *h. e.* nullis proeliis imminuta, nullo bello adhibita. *Hor. Epod.* 7, 7. Intactus Britannus, *h. e.* nondum Romanis armis petitus, aut domitus. Sic *Justin.* 2, 3. Scythae perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut invicti. *Sall. Jug.* 85. *extr.* Tempus procedere, bellum intactum trahi, *h. e.* non inceptum. *Stat. Silv.* 5, 1, 77. intacta fides, *h. e.* intemerata, integra. *Curt.* 9, 7. Intactae vires, *h. e.* integrae, non imminutae, non domitae. *Id.* 4, 6. Intactus superstitione, *h. e.* carens, expers, vacuus. Sic *Liv.* 5, 15. Vir haud intacti religione animi. *Id.* 38, 51. Intactus infamia, *h. e.* nulla infamia notatus; et 10, 40. et *Sen. ep.* 41. Intactus cupiditate, *h. e.* non cupidus; et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Intactus a sibilo pervenit Hortensius ad senectutem, *h. e.* nunquam exsibilatus, nunquam adverso clamore proscissus. [*Vell. 2, 3, 2. atque equestris ordinis pars melior et major et intacta perniciosis consiliis plebs, etc.] ℙ Item intractatus, intentatus. *Virg. G.* 3, 40. Dryadum silvas, saltusque sequamur Intactos, *h. e.* agriculturam a nullo adhuc Latino poeta tractatam. Sic *Hor. Sat.* 1, 10, 66. intacti carminis auctor. *Sall. Jug.* 70. Prorsus nihil intactum, neque quietum pati. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Nova intactaque ratione. *Juven.* 7, 87. Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven, *h. e.* tragoediam nullis manibus tractatam, nulli lectam, non editam. ℙ Item Veneris expers, castus. *Hor. Od.* 1, 7, 5. Intacta Pallas. *Virg. A.* 1, 349. Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus. *Juven.* 6, 162. intactior omni Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.

INTACTUS, us, m. non tactus, ut *inusus* non usus, [*qualitas tactui contraria, *τὸ* tangi non posse. *Eichstadt.* in *Ind. Lucret.*] *Lucret.* 1, 453. Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai, Tactus corporibus cunctis, intactus inani.

INTĂMĬNĀTUS, a, um, adj. incontaminatus, purus. *Hor. Od.* 3, 2, 18. Virtus repulsae nescia sordidae, Intaminatis fulget honoribus. (Adde *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 2, 14. et *Tert. Cor. mil.* 15. *in.* V. INATTAMINATUS) Al. leg. *Virtus repulsae nescia sordidae in - Contaminatis* etc., propterea quod *intaminatus* in *Gloss. Philox.* exponitur *μιανθείς*, *h. e.* pollutus, inquinatus: qua de re multa *Bentl.*

INTARDANS, antis, adj. tardans, moram trahens. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 4. *med.* Magis intardans atque perseverans perspicitur.

[INTARDĀTUS, a, um, adj. idem ac tardatus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 3. *extr.* Sic enim intardata corporibus emoveri, atque excludi mutatione poterunt curationis. *F.*]

[INTECTĀMENTUM, i, n. integumentum tecti. *Gloss. Philox.* Intectamentum, *σκέπασμα στέγης*. *F.*]

INTECTUS, a, um, part. ab *intego*, tectus, contectus. *Liv.* 27, 3. Stramento intecta omnia. *Plin.* 9, 14, 16. Pisces crustis intecti. *Lucret.* 1, 404. canes montivagae persaepe ferai Naribus inveniunt intectas fronde quietes. ℙ Item adjectivum est, non tectus, non vestitus, *ἀκάλυπτος*. *Tac. H.* 5, 22. Dux semisomnus, ac prope intectus. *Id. Germ.* 17. Tegumen omnibus sagum: cetera intecti. *Id. Ann.* 2, 59. Sine milite incedere, pedibus intectis, et pari cum Graecis amictu, *h. e.* non calceis pedes indutus, sed soleis. *Appul. Met.* 10. Nudum et intectum corpus. ℙ Translate. *Tac. Ann.* 4, 1. Tiberium devinxit adeo, ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum intectumque efficeret.

INTĔGELLUS, a, um, dimin. ab *integer*. *Cic. Fam.* 9, 10. Sed tamen suavissimum *συμβιώτην* nostrum praestabo integellum. *Catull.* 15, 4. Quod castum expeteres et integellum.

INTĔGER, gra, grum, adj. *ὁλόκληρος*, *ἀθιγής*, cui nihil deest, totus, solidus, intactus, plenus. Est ab antiquo *tago* pro *tango*, ut rem intactam significet, cujus partem nullam quisquam tetigit, abstulitque. *Caes. B. G.* 7, 35. Iisdem sublicis, quorum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit, [*i. e. haud rescissa.] *Id. B. C.* 1, 49. Loca integra, *h. e.* bello non vastata, atque adeo omni copia abundantia. *Hor. Od.* 2, 17, 7. Nec carus aeque, nec superstes integer. *Id. ib.* 4, 5, 38. Integro die. *Cic. Prov. cons.* 8. Annus est integer vobis exspectandus. *Pl. Truc.* 4, 2, 13. Integer et plenus thesaurus. *Liv.* 5, 38. *f.* Non tentato certamine, integri intactique fugerunt. *Pl. Bacch.* 4, 9, 148. Domum reduco integrum omnem exercitum. *Stat. Th.* 8, 487. puer malasque, comamque Integer: *ἑλληνιομὸς*, *h. e.* barbatus, et capillatus. [*Suet. Caes.* 42. Quod integris patrimoniis exsulabant. (Oppon. bonis omnibus parricidas, reliquos dimidia parte multavit.) Adde *ib. Ner.* 6. Cujus ex parte tertia heres ne hanc quidem integram cepit, correptis per Cajum uni versis bonis.] ℙ Item purus, incontaminatus, incorruptus. *Hor. Od.* 1, 26, 6. integri fontes. *Id. Sat.* 2, 4, 54. integer sapor. *Cic. Top.* 18. Ut anteponantur integra contaminatis, jucunda minus jucundis, etc. *Hor. Sat.* 2, 2, 91. Vitiatum aprum commodius, quam integrum consumere. *Colum.* 12, 20. integrum vinum. ℙ Refertur ad valetudinem et vires, quibus nihil aut morbus, aut labor demsit, aut aetas. *Cic. Fin.* 2, 20. Integra valetudo; et 11. Natura movet infantem, ut se ipse diligat, ut integrum se, salvumque velit. *Ter. Andr.* 1, 1, 45. Mulier egregia forma, atque aetate integra. [*Suet. Tib.* 10. integra aetate ac valetudine: *im Flor seines Alters und seiner Gesundheit.*] *Stat. Th.* 4, 94. jam laetus et integer artus; et *ib.* 1, 414. Integer annorum. Sic *Virg. A.* 9, 255. integer aevi Ascanius, *h. e.* adolescens, et robustae aetatis. *Albinov.* 3, 5. Pectore maturo fuerat puer, integer aevo. *Prop.* 4, 5, 57. rugis integer annus. *Quint. prooem. l.* 8. Corpora sana et integri sanguinis. *Nep. Eum.* 9. Ad lassitudinem sedandam militum, quo integriore exercitu decerneret. *Caes. B. G.* 3, 4. Integris viribus repugnare, [*i. e. pugnando non imminutis. V. *Moeb.* ad h. l.] et 26. Cohortes integrae ab labore. [*Meliores edd. *intritae* praebent. V. *Moeb.* et quem laud. *Gronov.* ad *Liv.* 22, 39.] et *ib.* 5, 16. *extr.* Integri et recentes defatigatis succederent; et *B. C.* 3, 94. Cum recentes atque integri defessis successissent. [*i. e. qui pugnae nondum interfuerant atque igitur non defessi ac vulnerati erant. Cf. *Suet. Oth.* 9.] *Cic. Div.* 1, 29. Somnia vera multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus. [*Inscr.* ap. *Grut.* 934, 4. Vixit annis (fortasse legend. *annos*) LXXX. integer integros, *h. e.* vixit incolumis annos octoginta totos, et decessit natali suo. Sic alia ap. *Don. cl.* 10. *n.*

30. *Quae vixit annos* XV. integros integra. *F.*] [*Poterant hic commemorari et ista. *Suet. Tib.* 68. Malum recens et integrum, i. e. nondum putredine corruptum; et *Ner.* 46. Posteriore corporis parte in simiae speciem transfigurato, ac tantum capite integro, i. e. non mutato; et *Caes.* 56. Integra veritate, i. e. salva veritate, sine errore vel fraude.] ℙ A *Celso* dicuntur *integri*, qui febri carent, 3, 4. *f.* Quam integerrimis corporibus cibum offerre; et *mox.* Antequam ex toto integer fiat. ℙ Item ad ordinem aciei, nam integri milites dicuntur, qui in acie ordinem servant. *Caes. B. C.* 2, 42. Partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. [*Integri* h. l. sunt, qui defatigatione viriumque defectu concidunt. Ita recte locum explicat *Held.* una cum *Waill.* qui vertit: les autres tombent de faiblesse et d'epuisement. *Mori* interpretationem, *integros* opponi *fugientibus* et significari eos, qui ne fugam quidem, ut mortem evitarent tentassent, jure ut non ferendam refutat *Moebius.*] *Tac. H.* 4, 12. Integris turmis Rhenum perrumpere. ℙ Item ad pudorem, et florem virginitatis, et inviolatum castumque significat. *Ter. Hec.* 1, 2, 70. Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet. *Cic. Verr.* 1, 5. *f.* Quibus liberos conjugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est. ℙ Item ad fortunam, quam nulla imminuit calamitas: et ad conditionem et statum florentis, salvi, et incolumis. *Cic. Fam.* 13, 4. *med.* Si Volaterranos omnibus rebus integros incolumesque esse volueris. *Id. Planc.* 35. Quos ego florentes atque integros sine ferro viceram. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Ne quo progredereris, inclinata jam re, qua integra etiam, progrediendum tibi non existimasses. *Hor. Sat.* 2, 2, 113. Integris opibus novi non latius usum, Quam nunc accisis. *Attic.* ad *Cic. Att.* 9, 10. *f.* Non scilicet integra re, sed certe minus infracta. *Cic. Quint.* 15. Dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. *Ov. Trist.* 3, 3, 35. Integer hanc potui nuper bene reddere lucem: Exsul ut occiderem, nunc mihi vita data est; et *ib.* 5, 1, 7. Integer et laetus laeta et juvenilia lusi, etc. Ut cecidi, perago subiti praeconia casus. *Sall. or. Cottae ad popul.* Fama et fortunis integer. *Liv.* 9, 41. Gens integra a cladibus belli. ℙ Item ad vitam omni ex parte honestam, et mores nullo vitio corruptos. *Cic. Or.* 1, 53. Cum esset ille vir exemplum innocentiae, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior. *Id. Verr.* 2, 4, 3. Homines integri, innocentes, religiosi. *Id. Planc.* 1. Integerrima vita, modestissimi mores. *Hor. Od.* 1, 22, 1. Integer vitae, scelerisque purus; et *ib.* 3, 2, 29. saepe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum. *Cic. Fin.* 1, 21. Incorrupti atque integri testes. *Papin. Dig.* 22, 5, 13. Ejus testimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere. *Tac. H.* 2, 97. Integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius egerat, *h. e.* innocentem, abstinentem. *Curt.* 10, 2. Quo facilius ab integris sumptuosos secerneret. ℙ *Integer urbis* ap. *Val. Fl.* 2, 374. est qui urbis deliciis se corrumpi non est passus. ℙ Dicitur et de iis, qui nullo affectu et cupiditate perturbantur. *Hor. Od.* 3, 7, 21. scopulis surdior Icari Voces audit, adhuc integer, *h. e.* intactus amore. Sic *ib.* 2, 4, 21. Brachia, et vultum, teretesque suras Integer laudo. *Id. Sat.* 2, 3, 219. Si quis gnatam pro muta devovet agna, Integer est animi? Sic *ib.* 65. integer mentis; et *Od.* 1, 31, 18. integra mens. *Cic. Att.* 7, 26. Integrum se servare, i. e. neutrius partis studiosum. *Tac. Ann.* 15, 52. Integer a conjuratione. ℙ Et de iis, qui rem quampiam nondum experti sunt. *Cic. N. D.* 3, 3. Quia sic aggredior ad hanc disputationem, quasi nihil unquam audierim de Diis immortalibus, nihil cogitaverim; rudem me discipulum, et integrum accipe. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 10, 902. Curionem quaesivit, uti adolescentior, et populi suffragiis integer, aetati concederet Mamerci. ℙ *Res integra est*, de qua nondum quidquam est deliberatum, intacta, libera; atque adeo facilior, quae transigatur. *Cic. Att.* 5, 21. *f.* Praesertim cum integram rem et causam reliquerim. *Id. Off.* 2, 23. Rem integram ad reditum suum jussit esse. *Id. Fam.* 13, 4. Integram omnem causam reservare alicui. *Id. Mur.* 21. Ea dicam, vobis audientibus, amisso jam tempore, quae ipsi soli, re integra, saepe dixi. *Caes. B. C.* 1, 85. Qui etiam bona conditione, et loco confligere noluerit, ut quam integerrima essent ad pacem omnia. [*i. e. ne quid factum esset, quo pax impediretur.] ℙ *Integrae offensiones*, ap. *Tac. A.* 3, 24. sunt, quae nondum sedatae sublataeque, et adhuc durant. ℙ *Integrum est mihi*, res est mihi integra, alterutram partem eligere possum, res est in mea potestate. *Cic. Att.* 15, 23. Quousque? inquies: quoad erit integrum; et *Phil.* 1, 10. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis. *Id. Pis.* 24. *med.* Non est integrum Cn. Pompejo consilio jam uti tuo; et *Tusc.* 5, 21. Ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret. *Id. Part.* 38. Defendet, eam sententiam quemvis prudentem hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse. *Id. Verr.* 2, 2, 40. Cum tibi in integro tota res esset. ℙ *In integrum restituere*, est in pristinum statum reponere, id enim est integrum, inquit *Hirt. B. Alex.* 35., quod ita est, ut fuit. *Caes. B. C.* 3, 1. et *Cic. Cluent.* 36. et *JCti* in *Dig.* saepe. [*Ap. *Suet. Caes.* 16. dicitur de eo, qui demta omni honoris, dignitatis vel conditionis imminutione pristinum statum recipit.] ℙ *De integro, ab integro, ex integro* est rursus, denuo. *Cic. Att.* 13, 27. Ut mihi de integro scribendi causa non sit. *Liv.* 21, 8. Acrius de integro obortum est bellum. *Virg. Ecl.* 4, 5. Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Unam columnam efficere ab integro novam, an quatuor illas reponere. *Colum.* 9, 13. *med.* Ut omnes vitiosi favi eximantur, et cibus ex integro recens ponatur. *Quint.* 10, 3. Calor ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires. *Suet. Aug.* 16. Navibus ex integro fabricatis. ℙ *Ad integrum*, integre, omnino. *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. *med.* Haec est prima incorporea natura, post corporea, sed non pure, nec ad integrum carens corpore.

INTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. ἀμφιχαλύπτω, idem quod tego. *Caes. B. G.* 7, 22. Turres coriis intexerant; et 73. Reliqua pars scrobis, ad occultandas insidias, viminibus ac virgultis integebatur. *Pl. Rud.* 1, 2, 13. Villam integundam intellego totam mihi. Nam nunc perlucet ea, quam cribrum, crebrius. *Sen. Oed.* 551. ipse funesto integit Vates amictu corpus. *Stat. Th.* 4, 303. casside crines integere. *Plin.* 34, 4, 9. Statuas auro integere; et 11, 37, 80. Intestina tenui omento integuntur. *Prop.* 2, 15, 25. Qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit. [*Hirt. B. G.* 8, 5. Tentoriorum integendorum gratia. ℙ *Integere viam*, non est lapide sternere, ut quidam putarunt, verum fornice viam tegere; id enim indicat locus ipse camera tectus perpetua, in quo reperta Tiburi est *Inscr.* ap. *Grut.* 150, 1. C. Rustius C. F. Flavos iterum, L. Octavius L. F. Vitulus IIII. VIR. *De Senatus Sententia* viam integendam curavere. Hinc *Prop.* 2, 18, 55. quaenam nunc porticus illam (*puellam*) Integit. V. FORNICATUS. *Ultima immutavit et auxit *F.*]

INTEGRASCO, is, n. 3. ἀνασκενάζομαι, integror, in pristinum statum redeo, in integrum restituor. *Ter. Andr.* 4, 2, 5. Perii! hoc malum integrascit, [*i. e. renovatur.]

INTEGRĀTIO, onis, f. ἀνασκευή, ἐπανάληψις, instauratio, renovatio, in integrum restitutio. *Ter. Andr.* 3, 3, 23 Amantium irae amoris integratio est. [*V. *Ruhnk.*] *Symmach. ep.* 3, 73. Amici inopiam rei familiaris integratione solare.

INTEGRĀTOR, oris, m. ἀνασκευαζόμενος, restitutor, instaurator. *Tert. Apol.* 46. *extr.* Veritatis integrator.

INTEGRĀTUS, a, um, part. ab *integro: ἀνασκευασθείς*, in integrum restitutus, instauratus. *Flor.* 4, 10. Integrata amicitia. *Papin. Dig.* 29, 5, 21. Integratum jus. *Auson. ep.* 14, 7. Integratus vigor.

INTEGRĔ, adv. in totum, omnino. *Tac. H.* 1, 52. Sordem et avaritiam Fonteji Capitonis, adimendis assignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. ℙ Nisi malis hoc ad vitae integritatem, morumque innocentiam, et abstinentiam referre, ut *Cic. Fin.* 1, 9. Incorrupte atque integre judicare; et *Manil.* 1. In amicorum periculis caste integreque versatus: ἀδωροδοκήτως. [*V. *Matth.* ad h. l.] Et *Plin. ep.* 7, 25. Procuratione Narbonensis provinciae integerrime functus; et *Suet. Vesp.* 4. Asiam integerrime administravit; et *Tac. H.* 1, 48. Provinciam severe integreque regere; et *A.* 13, 46. Integre sancteque agere. *Cic. Mil.* 22. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius? ℙ Refertur et ad orationem, quae sana est, nullaque barbarie, aut vitio corrupta. *Cic. opt. gen. Or.* 4. Integre, et ample, et ornate dicere, καθαρῶς. *Gell.* 7, 11. Proprie atque integre loqui; et 13, 6. Pure atque integre locuti sunt; et 18, 9. Recte atque integre scriptum.

INTEGRĪTAS, atis, f. totum aliquod integrum. *Macr. Somn. Scip.* 2, 14. Ex accidenti moventur, quae in eo sunt, quod movetur, ut in navi sarcina, aut etiam cum pars movetur quiescente integritate. ℙ Item ἀδιαφθαρσία, qualitas rei integrae, soliditas, incorruptio, sanitas. *Colum.* 8, 11. *med.* Pavones perticis insistentes enituntur ova, quae quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem. *Cic. Fin.* 5, 14. *extr.* Integritas corporis: *quod est* membra omnia tum integra habere, tum bene valentia: quae duo alibi distinxit, ut *ib.* 2, 11. Non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, etc. *Phaedr.* 3, 11. Integritatis testes desunt mihi, *h. e.* testiculi, qui ἀφορότητος testes sunt. Verba sunt eunuchi. *Cic. Fin.* 5, 27. Valetudo, vires, integritas unguiculorum omnium. *Id. Tusc.* 5, 34. Integritas valetudinis. Vocat *Celsus* 3, 5. integritatem, cum omnino febri caret is, qui febri intermittente laborat: quod idem habet *ib.* 4. *f.* et *Vitr.* 8, 7. *med.* Integritas saporis (*in aqua*). ℙ Translate. *Labeo Dig.* 28, 1, 2. Integritas mentis. ℙ Saepe refertur ad animum, vitam, mores. *Cic. Div. Verr.* 9. Multa esse oportet in eo, qui alterum accuset: primum integritatem, atque innocentiam singularem, etc. *Nep. Phoc.* 1. Integritas vitae. *Cic. Lig.* 1. Sic provinciae praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset ejus integritas et fides. *Tac. Agr.* 9. Integritas et abstinentia. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 16. Ut omnes aequitatem tuam, temperantiam, severitatem, integritatemque laudent; et 13. Omnes ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut, etc.; et 6. Tua integritas et continentia; et *Att.* 6, 2. *med.* Laudator integritatis et elegantiae nostrae. ℙ Speciatim ad castitatem, pudicitiam, virginitatem. *Cic. Verr.* 2, 1, 25. Mulierem eximia pulcritudine, sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. *Flor.* 2, 6. *med.* Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. ℙ Interdum ad orationem puram, emendatam, vitio carentem. *Cic. Brut.* 35. Incorrupta quaedam Latini sermonis integritas.

INTEGRITŪDO, inis, f. integritas. *Imp. Trajan.* ap. *Ulp. Dig.* 29, 1, 1. Secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, *h. e.* voluntatem integre propensam, bonitatem, benevolentiam.

INTEGRO, as, avi, atum, a. 1. ἀνασκευάζω, renovo, instauro, repeto, in integrum restituo. *Liv.* 1, 29. *med.* Et conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrimas. *Id.* 7, 7. *extr.* Equites provolant ante signa, et novam integrant pugnam. *Stat. Th.* 8, 657. Integrare bellum. *Liv.* 5, 25. seditionem. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 445. caedem. *Pacuv. ib.* inimicitiam. *Virg. G.* 4, 514. ramo sedens philomela miserabile carmen Integrat, *h. e.* de integro repetit. Quod quidem suavius expresserat *Homer. Odyss. l.* 19. *v.* 521. Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν. *Tac. H.* 4, 81. Elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari, *h. e.* in integrum restitui, et sanari. *Lucr.* 2, 1145. Omnia debet enim cibus integrare novando. *Accius* ap. *Non. l. c.* Huc venio, ut mea ope opes Trojae integrem. *Stat. Th.* 5, 29. immania vulnera, rector, Integrare jubes, *h. e.* quod *Virg.* dixit *A.* 2, 3. infandum renovare dolorem. *Lucr.* 1, 1029. ut largis avidum mare fluminis undis Integrent amnes. ℙ Pro reficere, recreare. *Cic. Inv.* 1, 17. *extr.* Animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renovatur. *Gell.* 15, 2. Modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia.

INTĔGŪMENTUM, i, n. σκέπασμα, id quo quippiam integitur, tegumentum, velamentum. *Liv.* 40, 59. *f.* Lana (al. *laena*) cum integumentis, quae Jovi opposita (al. *apposita*) fuit, decidit. Adde 10, 38. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 86. Libenter te aliquando evolutum illis integumentis dissimulationis tuae, nudatumque perspicio; et *ib.* 1, 35. Sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta ejus ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi. *Id. Pis.* 6. Vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat. *Id. Coel.* 20. Huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed, etc. *Pl. Bacch.* 4, 2, 19. dic mihi, Quis tu es? *Parasitus.* illius sum integumentum corporis, *h. e.* latus ejus tego tanquam satelles, et custos: comes assiduus, sodalis, mensaeque assecla.

INTELLECTĬO, onis, f. νόησις, actus intelligendi. Figura est rhetorica, quae Graeco vocabulo *synecdoche* dicitur. *Auct. ad Her.* 4, 33. Intellectio est, cum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars. ℙ Pro ipso intelligendi actu non solent Latini hac voce uti, sed *intelligentia.*

INTELLECTOR, oris, m. qui intelligit. Est *August. Doctr. Christ.* 2, 13. et *de Gen. ad litt.* 8, 2. et *de morib. Manich.* 2, 3. et *ep.* 111. *ad Fortunatian. med.*, qui videtur alicubi, v. gr. postremo loco laudato, pro attento lectore usurpare.

INTELLECTŪĀLIS, e, adj. *Appul. Dogm. Plat.* et *August. de Gen. ad litt.* 12, 7.

INTELLECTŪĀLĪTAS, atis, f. intellectus. *Tert. Anim.* 38. *extr.*

INTELLECTUS, a, um, part. ab *intelligo:* perceptus, cognitus. *Ov. Met.* 7, 759. Carmina non intellecta. *Plin.* 32, 1, 1. Intellecta causa; et 35, 10, 36. *n.* 3. Intellectus error. *Gell.* 18, 13. Captio parum intellecta; et 16, 19. Intellecta pernicies. *Justin.* 2, 8. Jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiat, sacra celebrare; et *Ov. Met.* 11, 41. os illud Auditum saxis, intellectumque ferarum Sensibus.

INTELLECTUS, us, m. νόησις, actus intelligendi, intelligentia. *Tac. A.* 6, 36. Queis neque boni intellectus, neque mali cura. *Quint.* 1, 1. *med.* Capere intellectum disciplinarum. *Sen. Ben.* 3, 17. Alicujus rei intellectum amittere. *Quint.*

2, 5. *med.* Intellectu consequi aliquid; et *Sen. ep.* 120. *med.* Facere multis intellectum sui, i. e. notum se multis facere; et *Plin.* 8, 42, 65. Equi in circo ad currus juncti non dubie intellectum adhortationis et gloriae fatentur; et *ib.* 1, 1. Elephantis intellectus sermonis patrii, et imperiorum obedientia. *Id.* 29, 6, 34. de muscis: Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus. *Tac. A.* 13, 38. Dissimulare intellectum insidiarum. ℙ *Intellectu carere*, est non intelligi, ap. *Quint.* 1, 1. *f.* Stilus rudis et confusus intellectu caret. ℙ *Intellectum habere*, est intelligi, ap. *Tac. G.* 26. Hiems, et ver, et aestas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. ℙ Est etiam notio, sententia. *Quint.* 7, 9. *in.* Verba quaedam diversos intellectus habent, ut *cerno*. *Id.* 8, 3. *med.* Mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus. *Id. ib. f.* Ἐμφάσεις altiorem praebet intellectum, quam verba per se ipsa declarant; et 1, 7. Cum eadem littera alium atque alium, prout correpta vel producta est, intellectum facit; et *ib.* 5. *f.* Translata alium natura intellectum, alium loco praebent. ℙ Raro sumitur pro intelligendi vi, facultate, quae animo inest, quam *mentem* et *intellegentiam* saepius dicimus. *Sen. ep.* 120. Per analogiam nostro intellectu et honestum et bonum judicante. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Nostrae enim sudicante. per stellarum cursibus opiniones disputationesque possunt in errorem intellectum inducere. *Paul. Dig.* 29, 2, 92. Mutus dominus, si intellectu non careat, nutu jubere potest, etc. ℙ Refertur etiam ad perceptionem, quae sensu fit. *Plin.* 11, 37, 65. Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini et in palato. *Id.* 19, 8, 54. Citra intellectum acrimoniae. *Id.* 11, 53, 116. Nec est intellectus ullus in odore vel sapore, *h. e.* neque ex odore, neque ex sapore sentitur venenum. *Id.* 16, 39, 76. Intellectus in cortice protinus peritis, *h. e.* periti ex cortice statim intelligunt, quaenam arbor sit. *Vell.* 1, 13. Magis pro republica fuit, quam in tantum ea intelligi. [*V. *Burm.* ad *Petr.* 52. et *Quint. Inst.* 1, 2. et 12, 10.] V. INTELLIGENTIA et INTELLIGO.

INTELLĪGENS, entis, part. ab *intelligo*: συνετός, qui intelligit, sciens, peritus, ingeniosus. *Cic. Brut.* 49. Semperne vulgi judicium cum intelligentium judicio congruit? et 54. Intelligens dicendi existimator. *Id. opt. gen. Or.* 4. Si teretes aures habent, intelligensque judicium. *Id. Fin.* 3, 5. *extr.* Doctus et intelligens vir; et *ib.* 2, 20. Erat et cupidus voluptatum, et cujusvis generis ejus intelligens. *Tac. A.* 5, 9. Imminentium intelligens. *August. Retract.* 1, 19. *med.* Aliquid vigilantiore atque intelligentiore mente discutere. ℙ [**Intelligens alicujus* significat etiam eum, qui mores hominis alicujus tenet. Huc pertinet locus, quem Noster sine discrimine cum ceteris laudaverat. *Plin. ep.* 6, 27. Omni specie adulationis abstinui, non tanquam liber et constans, sed tanquam intelligens principis nostri. Cf. *Buchnerum* ad h. l. Plura v. in INTELLIGO.] ℙ Speciatim dicitur de eo, qui in judicandis dignoscendisque operibus artificum callidus est, et peritus. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Signa pulcherrima, quae non modo istum hominem, ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent; et 15. Ita studiosus est hujus praeclarae existimationis, ut putetur in istis rebus intelligens esse. V. INTELLIGO.

INTELLĪGENTER, adv. συνετῶς, cum intelligentia. *Cic. Part.* 8. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. *Plin. ep.* 5, 16. Quam studiose, quam intelligenter lectitabat!

INTELLĪGENTIA, ae, f. ἔννοια, νόησις, facultas animae nobilissima, qua res, etiam incorporeas, percipimus et contemplamur. *Cic. Inv.* 2, 53. Intelligentia est, per quam animus ea perspicit, quae sunt. *Id. Univ.* 3. Deus intelligentiam in animo, animum inclusit in corpore. *Id. Div.* 1, 32. Pars animi, rationis atque intelligentiae particeps. *Id. N. D.* 1, 18. *extr.* In eas imagines mens intenta, infixaque nostra intelligentia capit, quae sit beata natura; et 17. Haec quamquam dicta sunt subtilius, quam ut quivis ea possit agnoscere; tamen fretus intelligentia vestra, dissero brevius, quam causa desiderat. *Id. Off.* 3, 4. Id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit; et 17. Ratione et intelligentia tenere aliquid. *Id. ib.* 1, 4. Quod in nostram intelligentiam cadit. *Id. Or.* 1, 3. *extr.* Quod longissime est ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum. ℙ Dicitur item de particularibus notionibus, quas mente assequimur ac tenemus. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente concipere. *Id. Tusc.* 1, 22. Quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse dixerunt; et *ib.* 5, 24. Quae nos magis ad cognitionem intelligentiamque convertant. *Id. Phil.* 9, 5. Habere intelligentiam juris civilis. *Just.* 36, 2. Somniorum primus intelligentiam condidit, *h. e.* artem interpretandi. [*V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 19. p. 52. *a.*] ℙ Et speciatim de cognitione et peritia in rebus artefactis. *Cic. Rosc. Am.* 17. Quid censes hunc ipsum Sex. Roscium? quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus? *Id. Verr.* 2, 4, 21. Ut intelligatis in homine intelligentiam esse, non avaritiam: artificii cupidum, non argenti fuisse. *Id. Inv.* 1, 29. Pecuniae quaerendae intelligentia. Adde *Verr.* 2, 4, 44. *extr.* V. ELEGANS et INTELLIGO. ℙ Refertur etiam ad ea, quae sensibus percipiuntur. *Cic. Acad.* 4, 7. In gustu et odoratu intelligentia, etsi vitiosa, est quaedam tamen. ℙ In Pandectis Florentinis *Dig.* 20, 1, 29. *f.* legitur *intellegentia*. V. INTELLIGO.

INTELLĪGIBILIS, e, adj. νοητός, qui intelligi potest. *Sen. ep.* 124. Quicumque voluptatem in summo ponunt, sensibile judicant bonum: nos contra intelligibile, quia illud animo damus. ℙ Item qui sub sensum cadit. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* In corporis intelligibilis lineam *(dyas)* prima defluxit.

INTELLĪGIBĪLITER, adv. νοητῶς, ita ut intelligi, sentirive possit. *August. ep.* 218. Multa nos ad corpus pertinentia intelligibiliter posse percipere. *Id. Soliloquior.* 1, 1. Deus intelligibilis lux, in quo, et a quo, et per quem intelligibiliter lucent, quae intelligibiliter lucent omnia.

INTELLĪGO et intellego, is, exi, ectum, a. 3. συνίημι, διανοέω, mente percipio, intelligentia comprehendo, cognosco, animadverto: ab *intus*, vel *inter*, et *lego*, *is*. *Cic. Or.* 2, 14. Haec dumtaxat in Graecis intelligo, quae ipsi qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi. *Id. N. D.* 1, 39. Puderet me dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis; et 26. *extr.* Corpus, quid sit intelligo? quasi corpus quid sit, nullo prorsus modo intelligo; et *ib.* 3, 14. Non intelligo, quo modo, calore exstincto, corpora intereant. [*Adde *ib.* 3, 21. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam, cum cognovero: ubi *Wopkens.* in *lectt. Tull.* 2, 16. verba *intelligere* et *cognoscere* ita distingui docet, ut hoc sit, nunc primum discere s. mente accipere, illud autem, jam perspicere, ac tenere, quae accepta sint. Ita velle Cottam, se rem illam tum intellecturum, si quis eam recte docuisset, et probasset, nunc nondum intelligens.] *Id. Rosc. Am.* 31. Quam sis audax, hinc omnes intelligere potuerunt, quod, etc. *Nep. Paus.* 5. E vultu cujusdam, insidias sibi fieri intellexit. *Cic. Off.* 1, 41. Magna saepe intelligemus ex parvis. *Id. Att.* 6, 9. Intellexi ex tuis litteris, te audisse, etc. *Id. Vat.* 15. De gestu intelligo, quid respondeas; et *Att.* 8, 12. Aliquid penitus intelligere. *Id. Off.* 2, 14. Intelligere, et sapere plus quam ceteros. *Id. Top.* 5. Cernere aliquid animo, atque intelligere. *Nep. Dion.* 9. Facile intellectu est, quam invisa sit, etc. *Id. Att.* 15. Difficile intellectu est, utrum, etc. *Cic. Marcell.* 1. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, te auctoritatem hujus ordinis tuis doloribus anteferre. *Tac. A.* 1, 49. Et quidam bonorum caesi, postquam, intellecto, in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. [**Ter. Andr. Prol.* 17. Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant? ubi v. *Bentl.* et *Ruhnk.* qui comparat Gr. ματαιός ἐστι καὶ φρονεῖν οὐδὲν φρονεῖν. ℙ *Intelligi necesse est* solennis formula in rebus, quas quis ex antecedentibus colligens ut veras et omnem extra dubitationem positas exhibet. *Cic. N. D.* 1, 19, 50. In qua intelligi necesse est, eam esse naturam, etc. ubi *Wopkensius* in *Lectt. Tull.* 2, 2. ad tuendam vulg. hujus loci lectionem protulit ista: *Cic. N. D.* 1, 17. intelligi necesse est, esse deos; *Tusc.* 3, 5. Eos enim sanos, quoniam intelligi necesse est; et 28. intelligi necesse est, non rem ipsam causam — esse moeroris. *Fin.* 3, 11. intelligi necesse est, pluris id aestimandum esse; et 5, 19. Quocirca intelligi necesse est, in ipsis rebus invitamenta inesse.] ℙ In responsionibus *intelligo* est annuentis se percipere, quae dicuntur. *Ter. Eun.* 2, 3, 79. *Par.* Pro illo te deducam. *Chae.* audio. *Par.* te esse illum, dicam. *Chae.* intelligo. *Id. Ph.* 2, 3. *f.* Si quid opus fuerit, heus, domo me. *Ge.* intelligo. Adde *Pl. Epid.* 2, 2, 63. ℙ Speciatim *intelligere* dicuntur, qui artefacta optime dignoscunt, et in statuis, picturis, et hujusmodi aestimandis peritiam habent. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Simulacrum, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulcrius: tametsi non multum in istis rebus intelligo; et 14. *extr.* Ego antea nugatorium sciebam, ista intelligere. *Petr. fragm. Trag.* 52. *Burm.* Habeo pocula omnia ponderosa: meum enim intelligere nulla pecunia vendo. V. INTELLIGENS et INTELLIGENTIA. ℙ Pro discerno. *Lact.* 2, 16. Oraculorum praestigias profani a veritate intelligere non possunt. ℙ Pro scire, videre, cognoscere, sentire. *Cic. Ligar.* 5. Intelligo, quid loquar. *Nep. Alc.* 4. Quia nocere se ei non posse intelligebant. *Id. Dat.* 7. Intelligebat, sibi cum viro forti esse negotium; et *Eum.* 3. Intelligebat, copias suas dilapsuras. *Caes. B. C.* 2, 42. Ubi neque cohortationes suas, neque preces audiri, intelligit; et *B. G.* 2, 33. Illi ante inito, ut intellectum est, consilio, etc. *Hirt. B. G.* 8, 3. Illud vulgare incursionis signum, quod incendiis aedificiorum intelligi consuevit. [*Comparat *Moebius* Gr. τεκμαίρεσθαί τινι.] *Pl. Truc.* 2, 6, 64. Vehementer nunc mihi est irata: sentio, atque intelligo. *Petr. Sat.* 129. Non intelligo me virum esse, non sentio. *Tac. A.* 14, 6. Solum remedium insidiarum, si non intelligerentur. [*Plura exhibet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 280.] *Cic. Fam.* 16, 22. Si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. ℙ [*Elegans hoc loco commemorandus dicendi usus est, quo hoc verbum insolentius paulo ad ipsos homines pertinet, ita ut *intelligere aliquem* significet mores alicujus tenere. Laud. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup. Sen. de Const. Sap.* 1. Quod Catonem aetas sua parum intellexisset. *Quint. Inst.* 11, 1, 10. Quando (Socrates) ab hominibus sui temporis parum intelligebatur. Adde *Vell.* 2, 114, 5. Quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit. *Tac. A.* 3, 3. Tiberius atque Augusta publico abstinuere — ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur.] *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 13. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem. Sic *Vell.* 2, 116. Quem virum ne qui intellexit quidem, abunde miratus est. [*Poterit huc etiam referri *Quint. Inst.* 1, 2, 6. Nondum prima verba exprimit, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit: ubi v. *Spalding.*, qui *Zumptio* in *supplem. annotat.* ad *Quint. Inst.* p. 15. recte videtur disputationem eo deducere, ut *coquum* praeferat *cocco*, prob. *Sarpio Anal.* p. 20. qui hoc explicandi causa adjecit: Nos similiter dicimus: *er kennt den Koch*, ut offendamus de coqui artificio intelligenter judicari. Contrarium est *ignorare*. V. *Gronov.* ad *Just.* 12, 1. et *Broukh.* ad *Prop.* 2, 2, 56. et de simili Gr. dicendi ratione ἀγνοεῖν τινα cf. *Brem.* ad *Demosth. Olynth.* 1. (vulg. II.) §. 7.] ℙ Saepe refertur ad sensum gustus, tactus, etc. et significat sentire; atque hac ratione etiam brutis animalibus tribuitur. *Ov. Met.* 9, 456. Illa quidem primo nullos intelligit ignes. *Colum.* 12, 21. *f.* Si genus vini tantum valeat, ut aquae salsae non intelligatur sapor. *Id. arbor.* 13. Cum frigus, contra consuetudinem, intellexeris. *Plin.* 28, 4, 14. Perfundere caput calida, et postea frigida, saluberrimum intelligitur. *Id.* 8, 16, 21. Vestigia hominum intelligi a feris. *Id.* 10, 18, 20. Pici, percussi corticis sono, pabulum subesse intelligunt. *Ov. Trist.* 3, 14, 40. Intellecturis auribus utar. ℙ De visu oculorum recte dici, negat *Quint.* 10, 1. ℙ *Intellexti* pro *intellexisti*, et *intellexes* pro *intellexisses* syncopae sunt: illa *Cic. Att.* 13, 32. et *Ter. Eun.* 4, 6, 30., haec *Pl. Cist.* 2, 3, 81. ℙ *Intellego* per secundam vocalem saepissime apud *Plaut.* legitur, et *Terent.*, itemque in multis opt. MSS. aliorum scriptorum inveniri, plures critici testantur: non desunt etiam, qui ita omnino scribendum putant. Quare non est ea scriptio damnanda: alteram tamen per *i* communior usus tuetur. *Dausquius.*

INTĔMĔRĂBĪLIS, e, adj. inviolabilis. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 3. *med.* Intemerabilis divinitas. *Epithalam.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 640. *Burm. v.* 71. ab excelsa laus intemerabilis arce Monstrat iter.

INTĔMĔRANDUS, a, um, nom. part. ex *in*, et *temerandus*, non violandus, aut contaminandus, referturque ad res sacras. *Val. Fl.* 5, 642. An Martia templa Intemeranda minus?

INTĔMĔRĀTĒ, adv. incorrupte. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 15, 5, 3. Dum popularibus plausibus intemerate serviunt. Al. melius leg. *intemperate*, alii *intemperanter*.

INTĔMĔRĀTUS, a, um, adj. ἀμίαντος, non temeratus, incorruptus, inviolatus, integer. *Virg. A.* 11, 583. Aeternum telorum, et virginitatis amorem Intemerata colit; et *ib.* 2, 143. Intemerata fides; et *ib.* 3, 177. munera libo Intemerata focis, *h. e.* pura, et rite oblata. *Tac. A.* 1, 42. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? *Id. H.* 4, 58. Ut si vobis non fuit cordi, me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Classico ne sinatis; et *A.* 1, 49. Octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit, *h. e.* integra, et in officio manens. [*Adde 12, 34. Intemerata conjugum et liberorum corpora; et 16, 26. Intemeratus, inpollutus.] *Val. Fl.* 4, 270. ratis rapidum, ventis certantibus, aequor Intemerata secat; et *Stat. Th.* 2, 724. Intemeratae equae, *h. e.* virgines, quae currum Minervae trahere dicuntur. *Appul. Flor. n.* 16. Integrum et intemeratum beneficium. *Id. Met.* 2. *f.* Intemerata veritas. *Capell.* 1, 3. Intemeratior cunctis, pulcriorque virginibus.

INTĔMPĔRĀBĪLIS, e, adj. Est *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *med.* ubi etiam alii leg. *intemporalis*.

INTĔMPĔRANS, antis, adj. ἀκρατής, ἀχόλαστος, qui temperare sibi nescit, incontinens, immoderatus, intemperatus. *Cic. Acad.* 1, 1. Intemperantis

esse arbitror, scribere quod occultari velit. *Id. Vat.* 1. Fui paulo intemperantior fortasse, quam debui. [**Ich hätte doch wohl mehr Schonung beweisen sollen.* Cf. *Liv.* 42, 14. Libertate intemperantius invectus in regem.] *Cic. Att.* 13, 26. Intemperans sum in ejus rei cupiditate, quam nosti. [**Id. Tusc.* 2, 17. Intemperans militaris in forti viro gloria. *Liv.* 36, 38. de rerum scriptore veritatis parum curioso: quia in augendo eo non alius intemperantior est.] *Suet. Cal.* 45. In hoc quoque mimo praeter modum intemperans. [*V. *Brem.*] *Sen. Ira* 1, 3. Ferae in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. *Aurel. Vict. Epit.* 6. Ad vescendum intemperans. *Liv.* 24, 25. *f.* Avidi atque intemperantes animi. *Appul. Met.* 1. Ne quam tibi lingua intemperante noxam contrahas. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* Intemperans licentia. ℙ Saepe dicitur de incontinente voluptatum. *Cic. Verr.* 2, 3, 68. *extr.* Inter impudicas mulieres, et intemperantes viros versari. *Id. Pis.* 29. Impurissima atque intemperantissima pecus. [**Id. Sen.* 9. Libidinosa et intemperans adolescentia. *Nep. Alc.* 1, 4. luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur: ubi v. *Brem.* qui v. *intemperans* ad voluptates cum virili sexu exercendas referendum docet. *Suet. Hor.* Ad res Venereas intemperantior traditur.] ℙ Proprie. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *f.* Aequalitas ista sicci, humidi, ferventis, ac frigidi sanitatem largitur: sicut illa intemperans atque immoderata permixtio animal celeri exitio corrumpit.

INTEMPĔRANTER, adv. ἀκρατῶς, ἀκολάστως, intemperate, incontinenter, immoderate. *Cic. Phil.* 1, 5. Nimis iracunde hoc quidem, et valde intemperanter; et *ib.* 5, 18. Ne honoribus nostris elatus, intemperantius suis opibus utatur. [**Id. Tusc.* 1, 3. Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris.] *Plin. ep.* 1, 5. Intemperanter lacerare aliquem. *Liv.* 31, 37. Aviditate caedis intemperantius insecuti, in cohortes Romanas incidere. [*Cf. 23, 1.] *Plin. Pan.* 68. *extr.* Intemperantius amare. [**Suet. Claud.* 38. Quod ille adversus privatum se intemperantius affuisset, i. e. nimio, quam par est studio.] *Appul. Apol.* Intemperantissime gloriari.

INTEMPĔRANTIA, ae, f. ἀκρασία, idem quod intemperies. *Sen. Const. sap.* 9. et *Colum. prooem. l.* 1. Intemperantia coeli. *Cato R. R.* 141. Calamitates intemperantiasque prohibessis. Al. leg. *intemperiasque.* V. h. v. §. 1. ℙ Saepius est incontinentia, immoderatio, ἀκράτεια. *Cic. Tusc.* 4, 9. Omnium perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam, quae est a tota mente, et a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant; et *mox.* Menti inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. *Id. Agr.* 2, 36. *f.* Haec ego vos concupisse, pro vestra stultitia, atque intemperantia, non miror. *Id. Coel.* 11. Is multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. *Id. Dom.* 9. Tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris rationem occultare non posses. *Id. Off.* 1, 34. Intemperantia libidinum. [**Id. P. Red.* in *Sen.* 5. Qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare. *Liv.* 44, 30. Violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat, i. e. nimius vini usus. *Suet. Tib.* 62. Quem quum morbo et intemperantia periisse existimaret; adde *ib.* 72.] *Nep. Eum.* 8. Periculum est, ne faciant sua intemperantia, nimiaque licentia, ut omnia perdant, *h. e.* immodestia, et incivili insolentia, παρανομία. [*Ut h. l. v. *intemperantia* de militibus dicitur, qui militaris disciplinae ita leges ludibrio habent, ut imperare etiam ducibus velint; ita pertinet ap. *Eund. Arist.* 2, 3. ad superiores, qui insolentia, superbia, crudelitate erga inferiores se gerunt: opp. aequitas. Verba sunt ap. *Nep.:* Tum autem et intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis, etc. ubi v. *Brem.*] *Plin.* 11, 37, 80. Intemperantia risus. *Sen. ep.* 106. *f.* litterarum. *Tac. A.* 4, 18. linguae. [*Cf. *Liv.* 35, 48.] *Tac. H.* 2, 1. Intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinantis. Eleganter *Val. Max.* 2, 1. *n.* 3. secundas nuptias *legitimam intemperantiam* vocat. V. ILLEGITIMUS. Hinc etiam Christiani monogamiam laudabant, digamiam vero vituperabant.

INTEMPĔRĀTĒ, adv. idem ac intemperanter. *Cic. Univ.* 12. Qui autem immoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet. V. INTEMERATE.

INTEMPĔRĀTUS, a, um, adj. ἄκρατος, ἀκρατής, non temperatus, immoderatus, intemperans. *Sen. Consol. ad Helv.* 6. Quid ad ipsum loci situm horribilius? quid ad coeli naturam intemperatius? *Cic. Amic.* 20. *med.* Ne intemperata quaedam benevolentia impediat magnas utilitates amicorum. *Id. Pis.* 10. Intemperatissimae perpotationes. Al. leg. *intemperantissimae.* [*Ita *Orell.*] ℙ *Intemperatum vinum*, ap. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *med.* est non temperatum, merum, ἄκρατος.

INTEMPĔRIAE, arum, f. plur. intemperies. *Cato R. R.* 141. Calamitates intemperiasque prohibessis. [*Formula lustrandi agros.] ℙ Cum referuntur ad animum, insaniam, furorem significant, qui ex intemperie cerebri nascitur. Quidam Furias intelligunt, quae mentem agitant et corrumpunt: alii Deas, quae vim habeant per intemperantiam nocendi. *Capell.* 2, 40. jungit cum Furina, et Mania. *Pl. Mil.* 2, 5, 24. quae te intemperiae tenent, Qui me perperam perplexo nomine appelles? *Id. Aul.* 1, 1, 32. Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent: Pervigilat noctes totas; et 4, 4, 15. Larvae hunc atque intemperiae, insaniaeque agitant senem. *Gell. praef. med.* Qui intemperiarum, negotiorumque pleni sunt, abeant a Noctibus his procul, *h. e.* insanis curis, quibus eorum mens distinetur, et quasi a Furiis agitatur. ℙ De intemperantia, et morum difficultate, qua quis ab injuriis, quasi furens, abstinere nescit. *Id.* 1, 17. Xantippe Socratis uxor morosa admodum fuisse fertur, et furiosa. Has ejus intemperias in maritum Alcibiades demiratus, etc. Ita legit *Non.* 8, 78. Alii *intemperies.*

INTEMPĔRIES, ei, f. ἀκρασία, δυσκρασία, mala rerum mixtarum temperatura, ut *intemperies coeli*, cum aer immoderate aut calidus est, aut frigidus, aut humidus, aut siccus. *Liv.* 8, 18. et *Colum. in. praef.* Coeli noxia frugibus intemperies. *Id.* 11, 2. *med.* Intemperies solis, aut anni. *Liv.* 3, 31. Annona propter aquarum intemperiem laboratum est. [*Adde 22, 2. Ex verna primum intemperie variante calores frigoraque.] *Pl. Capt.* 4, 4, 3. Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum. [*V. *Lindem.*] ℙ Transfertur ad mores. *Cic. Att.* 4, 6. Video stulte illius amici intemperiem non tulisse. Sic *Gell.* 18, 7. *med.* Intemperies ista, quae μελαγχολία dicitur, non parvis nec abjectis ingeniis accidit; et 1, 23. Senatores ingredientes curiam, quid illa mulierum intemperies sibi vellet, mirabantur. *Tac. H.* 1, 64. Benigne excepti, modestia certavere: sed brevis laetitia fuit, cohortium intemperie, quas, etc. ℙ Pro intemperantia. *Justin.* 12, 13. *extr.* Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis disseminaverunt.

INTEMPESTĪVĒ, adv. ἀκαίρως, παρακαίρως, extra tempus, importune, incommode. *Cic. Off.* 1, 25. Si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus. [**Id. Fam.* 11, 16. Quemadmodum coram qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt, sic epistolae offendunt, non loco redditae.] *Ov. Pont.* 4, 11, 19. vulnera mentis Intempestive qui fovet, ille novat. *Phaedr.* 3, 19. *extr.* Intempestive qui occupato alluserit. *Tac. A.* 2, 23. Miles pavidus turbat nautas, vel intempestive juvat. Adde *Colum.* 11, 2. *med.* [**Vell.* 1, 14, 1. Huic rei per idem tempus civitates propagatas — — haud intempestive subtexturi videmur, i. e. apto loco; et 2, 50, 3. intempestive principalium armorum arbitria captans. *Liv.* 45, 21. Tum inter praetorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat.]

INTEMPESTĪVITAS, atis, f. inopportunum tempus, ἀκαιρία. *Gell.* 3, 16. *f.* Octavi mensis (*ad partum*) intempestivitas.

INTEMPESTĪVĪTER, adv. intempestive. In *lemmate* ap. *Gell.* 4, 20. Qui dixerant joca quaedam imtempestiviter.

INTEMPESTĪVUS, a, um, adj. ἄκαιρος, ἄνωρος, qui praeter tempus fit, inopportunus. *Cic. Amic.* 6. *f.* Amicitia nunquam intempestiva, nunquam molesta est. *Id. Att.* 4, 14. Intempestiva epistola. *Pl. Most.* 3, 2, 141. Postes intempestivos excisos credo: id eis vitium nocet. [*Ap. *Lucr.* legitur 2, 873. 929. 6, 1101.] *Ov. Met.* 10, 689. Intempestiva cupido. *Id. Trist.* 5, 6, 45. Intempestivi timores. [**Id. Met.* 4, 33. Intempestiva turbantes festa Minerva, i. e. alieno tempore operam dantes lanificio, cui Minerva praeerat. *Vell.* 2, 68, 4. Immodica et intempestiva libertas.] *Val. Max.* 7, 8. *extr.* Quid hoc joco intempestivius? [**Suet. Vit.* 13. Intempestiva gula, i. e. quam praeter tempus in sacrificiis quoque et itineribus expleret. ℙ *Intempestivus* dicitur etiam is, qui intempestive, i. e. inopportuno tempore aliquid facit, i. q. molestus. Huc pertinet locus, quem Noster perperam mixtum cum ceteris sine discrimine posuerat. *Plin.* 18, 35, 87. Anseres continuo clangore intempestivi, i. e. intempestive clangentes.] ℙ Intempestiva convivia. V. TEMPESTIVUS.

INTEMPESTUS, a, um, adj. ἄκαιρος, ἄνωρος, intempestivus. Fere est epithetum noctis, quae rebus agendis idoneum tempus non habet, ut *Macr. Sat.* 1, 3. *f.* loquitur. *Virg. G.* 1, 247. Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox Semper, et obtenta densantur nocte tenebrae, etc. Est hoc nomine certum noctis tempus, scilicet inter concubiam noctem, et mediam (V. CONCUBIUS) ut *Macr. ib.* et *Censor. de die nat.* 24. docent. *Serv.* ad illud *A.* 3, 587. Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat: ipsam mediam noctem *intempestam* dici tradit. *Varro L. L.* 5, 2. cum *concubio*, et *silentio* noctis, seu conticinio confundit. Omnes tamen in eo conveniunt, ut significet altiorem noctis partem, cum tempus agendi nullum est. Consentit *Festus*, qui noctem intempestam diei ait incertius noctis tempus, quia non tam facile noctis horae, quam diei possunt intelligi. V. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.*, qui convenire videtur cum *Appulejo*, cujus locum lege in CONCUBIUS. Porro noctis tempora eo incertiora sunt, quo magis ab initio ejus, et fine distant. *Cic. Phil.* 1, 3. Cum intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii. *Id. Pis.* 38. Domum se abdidit: inde nocte intempesta, crepidatus, veste servili, navem conscendit. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 37, 14, 3. et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 27, 3.] ℙ Refertur etiam ad intemperiem aeris. Hinc *intempestas Graviscas* dixit *Virg. A.* 10, 184. quod oppidum illud gravitate coeli laboraret, ut *Cato* et *Plin.* ap. *Serv. ad eum loc.*, itemque *Diomed.* 1, 407. docent. *Stat. Th.* 2, 153. quibus ipse per imbres Fulminibus mixtos, intempestumque tonantem Has meus usque domos vestigia fecit Apollo.

INTEMPŌRĀLIS, e, adj. qui est extra tempus, hoc est aeternus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Praeteriti, futurique aevi ultimas partes attingere, et esse quodammodo intemporalem. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 316. Intemporalis ante, quam primus dies. ℙ Item intempestivus, inopportunus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *med.* Intemporalis cibus. Adde *ib.* 3, 17. et *August. in Psalm.* 39. *n.* 13.

INTEMPŌRĀLĪTAS, atis, f. intempestivitas. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. *med.* Somni intemporalitatem interrumpere. Adde 15.

INTEMPŌRĀLĪTER, adv. intempestive. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. *med.* Intemporaliter uti cataplasmatibus.

[INTENDĪTUS, a, um. V. v. seq. *F.*]

INTENDO, is, di, tum, et sum, a. 3. ἐκτείνω, idem quod tendo, aut valde tendo, extendo, porrigo. *Plin.* 26, 10, 62. Nervos intendere, aut remittere. *Cic. Att.* 16, 15. *med.* Et simul dextram intendit ad statuam. *Colum.* 6, 17. Folia malagmatis more scarificationi intenduntur. *Val. Fl.* 8, 68. Jamque manus Colchis, crinemque intenderat astris. *Ov. Pont.* 4, 4, 36. Intendere aures ad verba. [**Tac. A.* 4, 70. Quo intendisset oculos, i. e. convertisset.] Et *Sen. Clem.* 1, 25. Intendere alicui manus. Al. leg. *intentare. Cic. Tusc.* 4, 17. Acrem in omnes partes aciem intendit; et *Acad.* 4, 25. Intendi longius acies non potest. *Virg. A.* 8, 704. arcum intendebat Apollo; et *ib.* 3, 683. vela ventis. *Pl. Bacch.* 4, 4, 58. ballistam in aliquem. *Virg. A.* 5, 34. Zephyri intendunt vela. *Plin.* 8, 35, 53. Histrici longiores aculei, et cum intendit cutem, missiles. *Liv.* 1, 57. *med.* Intendentibus se tenebris; et 7, 28. Nox interdiu visa intendi. ℙ Item dirigere, injicere, intentare. *Virg. A.* 9, 590. Intendere sagittas. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* telum in jugulum. *Tac. A.* 16, 9. ictus. [*V. *Heyn.* ad *Virg. A.* 9, 623.] ℙ Pro illigare, innectere. *Virg. ib.* 2, 206. et stupea vincula collo Intendunt; et *ib.* 5, 403. duroque intendere brachia tergo, *h. e.* corio caestuum. ℙ Pro circumdare. *Id. ib.* 4, 506. Intenditque locum sertis, et fronde coronat. [*V. *Burm.*] ℙ Translate est augere, quia quae intenduntur, majorem vim habent. *Virg. A.* 7, 513. cornuque recurvo Tartaream intendit vocem. *Val. Flacc.* 8, 362. moestas altis intendere voces Puppibus. *Tac. A.* 2, 38. Languescet industria, intendetur socordia. *Id. H.* 2, 54. Intendere formidinem; et *ib.* 1, 12. cupiditates hiantes facilitate; et *A.* 4, 26. gloriam. *Plin. Pan.* 19. studium et laborem. *Sall. Jug.* 78. officia. *Tac. A.* 13, 15. odium, [*et *ib.* 14, 45. Ne mos antiquus per saevitiam intenderetur. Ita dicitur ap. *eund.* intendere socordiam; intendere vera; omnia conquirere et intendere, et plura his consim., quae collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 281. sq.] ℙ Item tendere. *Cic. Mur.* 9. *f.* Ut eo, quo intendit, cum exercitu mature perveniat. ℙ *Intendere iter* est dirigere. *Liv.* 31, 33. Ad explorandum, quonam hostes iter intendissent. *Id.* 36, 21. A porta ad praetorem iter intendit. *Id.* 21, 29. Coeptum iter in Italiam intendere. ℙ Absolute. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Avaritia, bellua fera, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros vastat. *Ter. Andr.* 2, 2, 6. Ubi quaeram? aut quo nunc primum intendam? ℙ *Intendere fugam* est fugae se enixe dare. *Liv.* 7, 37. *f.* Neque, utrum castra peterent, an longiorem intenderent fugam, constare poterat. ℙ *Intendere animum* est adhibere, convertere, sed cum conatu et studio. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 256. Quaero enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem. *Id. Acad.* 4, 15. Parum defigunt animos, et intendunt in ea, quae perspicua sunt. *Id. Verr.* 1, 3. Quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. *Liv. praef. med.* et *Sall. Jug.* 47. et *Plin. ep.* 7, 27. Acriter intendere animum ad aliquid. *Hor. Ep.* 1, 2, 35. Intendere animum

studiis et rebus honestis. *Sall. Jug.* 23. In regnum Atherbalis animum intendit. *Cic. Inv.* 2, 33. *extr.* Intendere considerationem in aliquam rem. *Sall. Cat.* 50. ingenium. *Liv.* 40, 5. omnes cogitationes ad aliquid; et 37, 36. *extr.* totam curam in belli apparatum. [*Passive. *Id.* 9, 31. Omnium eo curae sunt intentae; et 25, 9. In cetera adeo nihil ob id intenta cura est. Porro hic poterant commemorari *Id. ib.* 24, 37. Intenderant eum ad cavendi omnia curam tot auditae proditiones; et 21, 49. Intendere aliquem ad custodiae curam, i. e. hortari ad intentiorem custodiam.] *Quint.* 10, 7. *med.* Vis omnis intendenda rebus, et remittendum aliquid ex cura verborum, *h. e.* vis animi adhibenda in rebus, et verborum cura remittenda. ℙ *Intendere* absolute, pro intendere animum. *Cic. Or.* 2, 42. Quod est tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere. Sic *Sall. Jug.* 27. Quod ubi secus procedit, neque quod intenderat, efficere potest, etc; et 77. Quocumque intenderat, res advorsae erant. *Plin. ep.* 8, 19. Intende libro, quem cum hac epistola accipies. *Quint.* 10, 1. Nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue convenire intendentibus, ut oratores fiant, existimem, persequar, *h. e.* enitentibus, conantibus. *Justin.* 13, 6. Ad nuptias Cleopatrae intendit. *Val. Fl.* 6, 600. campis intendere suadet, Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas. *Lactant.* 7, 27. *f.* Intendamus justitiae, quae ad Deum sola perducet. [*V. *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 18.] ℙ Cum infinito. *Sall. Jug.* 115. *extr.* Quo ire intenderant, perventum est; et 97. Quem locum Marius summa vi capere intendit; et *or. ad Caes.* 2. *med.* Neque ullam rem agere intendit, nisi illi auctores fierent. *Liv.* 36, 44. Dolonibus erectis altum petere intendit; et 45. Postero die hostem persequi intenderunt. Adde 38, 2. ℙ *Intendere se* est animo, et viribus parare se, eniti, intentum se praebere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Qui se intenderant adversarios in ejus tribunatum. *Quint* 4, 1. *med.* Intendere se in rem. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ne ingemiscit quidem vir fortis, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, *h. e.* vires suas colligat. ℙ *Intendi animo* est intentum adhibere animum. *Liv.* 1, 25. Erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. ℙ *Intendere animo* est statuere, propositum habere. *Cic. Phil.* 10, 4. Si C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset. ℙ Est etiam intente agere, contendere, affirmare. *Cic. Quint.* 29. Quem, quo modo nunc intendit, ne in vivorum quidem numero tum demonstrat fuisse. *Pl. Mil.* 2, 4, 27. Pergin', sceleste, intendere, atque hanc arguere? *Ter. Eun.* 3, 3, 19. Nisi si illa forte, quae olim periit parvula Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia. *Sen. Const. sap.* 4. Cum potentes, et consensu servientium validi nocere ei intendent. ℙ Item inferre, intentare. *Cic. Mil.* 14. Intendere alicui actionem perduellionis. *Liv.* 9, 26. crimen in aliquem; et *Cic. Or.* 1, 10. alicui litem. *Suet. Vit.* 7. alicui injuriarum formulam. *Vell.* 2, 13. *f.* Intendere injurias. *Tac. A.* 1, 28. Spem offerre, metum intendere. *Cic. Har. resp.* 1. alicui periculum judicii; et *Rosc. Am.* 3. periculum in omnes. *Tac. A.* 3, 36. probra et minas alicui. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 281.] *Liv.* 21, 6. *f.* bellum in Hispaniam, et Annibalem. *Auct. ad Her.* 4, 27. Intendere orationem, *h. e.* dirigere in aliquem: oratione et criminatione quempiam aggredi. ℙ *Intendere in se* est ad se respicere, in se ipsum animo et cogitatione converti. *Sen. Q. N. praef. l.* 1. Quid sit Deus: totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat. ℙ *Intendere leges* ap. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* est earum severitatem sequi: ducta translatione ab intendendo arcu. Cui contrarium est mitigare. ℙ *Intendere alicui* converti ad aliquem, aliquem spectare. *Stat. praef. Silv.* 3. *f.* Cum scias hanc destinationem quietis meae tibi maxime intendere. ℙ *Intendere consilium* est parare, translatum, inquit *Donat.*, a venatoribus, qui retia intendunt ad feras captandas. *Ter. Andr.* 4, 3, 18. Repudio quod consilium primum intenderam. Simile est illud *ejusd. Heaut.* 3, 2, 2. Intendenda est in senem fallacia. ℙ Apud rhetores *intendi* dicitur, quod in prima argumentationis propositione (quae et *intentio* vocatur) exprimitur. *Quint.* 5, 14. *med.* In qua idem concluditur, quod intenditur. ℙ Apud grammaticos *intendere* aliquando est producere. *Gell.* 13, 22. *f.* Primam syllabam intendit, tertiam corripuit ℙ [Part. *Intenditus* ap. *Front. de fer. Alsiens.* (ed. *A. Maio*) 3. Quis arcus perpetuo intenditus? *F.*]

INTENSE. V. INTENTE.

INTENSIO, onis, f. ἐπίτασις, vis rei intentae, extensio, intentio. *Sen. Q. N.* 2, 6. Intensionem aeris ostendent tibi inflata, nec ad ictum cedentia; et *mox.* Quid est vox, nisi intensio aeris? et 8. Nihil non intensione vehementius est. *Scrib. Comp.* 255. Cervix rigida cum intensione oculorum et maxillarum.

INTENSUS, a, um, part. ab *intendo*, idem quod intentus, contentus, vehemens. *Sen. Ira* 2, 13. Qui meditatus est per intensos funes ire: et 35. Acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se, nisi eruperit. *Nazar. Pan. ad Constant.* 23. Virtus in parvis remissa, in mediocribus modice intensior. ℙ Tribuunt et *Ciceroni*, sed apud eum rectius leges *intentus*, quod frequentius est, et magis Latinum.

[INTENTĀBĬLIS, e, adj. qui tentari non potest. *Gloss. Phil.* Intentabilis, ἀπείρατος. *F.*]

*INTENTĀLIS, e, adj. *Gloss. Gr. Lat.* ἀπείρατος. *B. A.*

INTENTĀTĬO, onis, f. actus intentandi. *Sen. Ira* 2, 4. Oculi ad intentationem subitam digitorum comprimuntur. Est qui legit *intentionem. Tert. Apol.* 46. Intentatio criminum, *h. e.* objectio. Al. leg. *intentio.*

INTENTĀTUS, a, um, part. ab *intento*, objectus. *Liv.* 9, 6. Gladii etiam plerisque intentati, et vulnerati quidam, necatique. [*Cf. INTENTO.] ℙ Item adj. non tentatus, non expertus, ab *in* privativa, et *tento. Hor. Od.* 1, 5, 12. miseri, quibus Intentata nites. *Id. A. P.* 285. Nil intentatum nostri liquere poetae. *Gell.* 9, 4. Notavi quaedam mirabilia, et scriptoribus fere nostris intentata. *Virg. A.* 10, 39. Nunc etiam Manes (hanc intentata manebat Sors rerum) movet. *Tac. A.* 1, 50. Iter intentatum. *Sen. Med.* 62. Vacca intentata jugo.

INTENTĒ, adv. ἐντόνως, intentis viribus, intento animo, acriter, impense, vehementer. *Auct. ad Her.* 4, 56. Alia meliora sunt, quae multo intentius petimus in vita. Est qui leg. *intensius. Plin. ep.* 5, 19. Dum intente instanterque pronunciat, sanguinem rejecit. *Quint.* 2, 2. *med.* Intente et modeste audire aliquem. *Liv.* 8, 17. Cum delectus intentius, quam adversus finitima bella, haberetur; et *ib.* 1. *f.* Intentius apparare bellum; et 25, 30. Quo intentius custodiae serventur. *Tac. A.* 3, 35. Intentius se excusare; et *ib.* 11, 11. Intentius adesse alicui rei; et *ib.* 15, 13. Intentius premere obsessos. *Lampr. Elag.* 14. Exspectans intentissime. ℙ [Comp. *Intensius* legitur apud *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) 3. *med. F.*]

INTENTIO, onis, f. ἔντασις, ἐπίτασις, actus intendendi, extensio: contentio: cui opponitur laxatio, remissio, languor. *Cic. Tusc.* 1, 10. Ipsius corporis intentionem quandam, velut in cantu, et fidibus, quae harmonia dicitur. *Colum.* 6, 6. Cruditatis signa sunt fastidia cibi, nervorum intentio, hebetes oculi. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. Quidquid aridum est, et intentione quadam proximum quoque locum male habet, concidere. (Adde 8, 18.) *Plin.* 28, 4, 14. Intentio vocis. *Gell.* 5, 16. aeris; et 18, 10. *extr.* et remissio motus. *Tac. A.* 16, 34. vultus. ℙ Translate est cura, studium, conatus, contentio. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt; simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat attollere; et 27. Patientiam dolorum animi intentione firmare. *Plin. Pan.* 71. Intentio humanitatis, *h. e.* contentio, qua se aliis ostentare studebat. *Id. ep.* 1, 3. Intentio rei familiaris obeundae. *Cic. Tusc.* 4, 2. Mentem a cogitationum intentione, cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere; et *Inv.* 2, 14. Cum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit *Quint.* 6, 3. Risus animum ab intentione rerum frequenter avertit. *Id.* 10, 3. *med.* Quae delectant, necesse est, avocent ab intentione operis destinati. *Liv.* 4, 17. Non aversus ab intentione lusus animus. *Sen. ep.* 113. Dicam, si mihi accommodaveris subtilitatem et intentionem tuam. *Plin Pan.* 78. Haec nempe intentio tua, ut libertatem revoces ac reducas. ℙ In plurali num. *Gell.* 15, 2. Animos ad intentiones rursum capiendas fieri habiliores. ℙ Aliquando est objectio, accusatio, actio. *Quint.* 3, 9. Judiciale genus officiis constat duobus, intentionis ac depulsionis. *Id.* 7, 1. Intentio simplex: *occidit Saturninum Rabirius:* conjuncta: *lege de sicariis commisit L. Varenus. Ulp. Dig.* 11, 6, 1. Si ex locato fuerit actum, dicendum erit, non tenere intentionem. Adde *Cic. Inv.* 1, 10. et *ib.* 2, 43. et *Auct. ad Her.* 1, 16. ℙ Nonnunquam propositio, seu prima pars argumentationis. *Quint.* 5, 14. Ita erit prima intentio, secunda assumptio, tertia connexio. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 222.] ℙ Item augmentum. *Sen. ep.* 78. Summi doloris intentio invenit finem. *Gell.* 16, 5. *Ve* particula tum intentionem significat, tum minutionem; et 7, 7. *Ad* praeverbium significat ἐπίτασιν, quam nos intentionem dicimus. ℙ Raro est voluntas, mens, consilium; [hinc Itali nunc habent *intenzione. F.*] *Papin. Dig.* 34, 1, 10. Intentionem quidem defuncti prima facie refragari.

[INTENTĬOSĒ, adv. cum intentione, ut *contentiose* est cum contentione. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 11, 15. Intentiose emunt, quae carius distrahuntur. *F.*]

INTENTĪVUS, a, um, adj. intendendi, et augendi vim habens, ut Intentiva adverbia, *Prisc.* 15, 1022.

INTENTO, as, avi, atum, a. 1. προτείνω, frequentativum ab *intendo. Liv.* 3, 47. Virginius intentans in Appium manus, Icilio, inquit, non tibi filiam despondi. *Petr. fr. Trag.* 70. *Burm.* Intentavimus oculos in proeliantes, notavimusque, etc. et *Sat.* 122. Intentans cum voce manus ad sidera. ℙ Saepe est injicere, objicere terrendi, et nocendi causa. *Id. ib.* 95. Veru extis stridentibus plenum in oculos ejus intentat. *Auct. B. Hisp.* 22. Et ei manus intentare coeperunt. *Cic. Mil.* 14. Haec manus intentare coeperunt. *Cic. Mil.* 14. Haec sica intentata nobis est. *Id. Tusc.* 5, 27. Dolor ardentes faces intentat. *Tac. H.* 1, 69. Tela, ac manus in ora legatorum intentant; et *ib.* 3, 31. Ingerebant probra, intentabant ictus. *Justin.* 2, 5. Intentare verbera. *Liv.* 6, 27. arma Latinis, Hernicis. [*Suet. Caes.* 14. Etiam strictos gladios intentans perseveranti. *Curt.* 9, 7, 22. Stipitem intentans, elisurusque eo victum, ni prohibitus esset a rege. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 38, 5.] *Virg. A.* 1, 95. Praesentemque viris intentant omnia mortem. *Tac. A.* 3, 28. Terror omnibus intentatur. *Quint.* 3, 10. *extr.* Intentare invicem crimen. [*Liv. 42, 12. Nisi discussa res per paucos, Romanum imperium intentantes, esset, i. e. ad terrorem ostentantes. Plura v. in *Lex. Liv.* p. 349. ℙ Hinc absolute dicitur de eo, qui actionem intendit, accusat. *Cic. Inv.* 2, 43. Tum ipsum adversarium, quasi intentantis loco, producendo, *h. e.* interrogando, utrum scriptum neget, etc. i. e. quasi ejus qui actionem intendat s. intentet alteri, loco assumto. Al. leg. *intendentis*, cui, licet aeque bene dicatur, illud ut rarius praeferendum e nset *Orell.*]

INTENTUS, a, um, part. ab *intendo*: ἐντενής, ἔντονος, extensus, [*porrectus, expansus. Ex locis, quos Noster cum ceteris mixtos laudaverat, huc pertinent. *Cic. Or.* 3, 57. Intentae chordae; et *Virg. A.* 5, 136. Intentaque brachia remis. Adde *Tac. A.* 2, 42. Tandem — claudae naves raro remigio, aut intentis vestibus — revertere: quod vix simili ap. alios exemplo legitur. ℙ Tum signif. id, quod tectum, instructum, ornatum est, scil. intendendo: nostr. *bespannt*, *bezogen.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 12. et 31. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Quint.* 6, 3. Sella intenta loris. *Ov. Pont.* 1, 2, 21. intentus nervo levis arcus equino. ℙ Item intentatus, illatus, [*terroris injiciendi, damni inferendi causa elatus.] *Cic. Prov. cons.* 9. Cum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem. *Id. Pis.* 2. Tela intenta jugulis civitatis. [*Adde *Sext.* 7. et 19.] *Val. Fl.* 5, 340. Intenta nex. ℙ Translate. [*Nostr. *verbreitet.*] *Cic. N. D.* 1, 11. Animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commeantem. ℙ Saepe est acer, vehemens. *Cic. Or.* 2, 52. *extr.* Oratio, quae suscipitur ab oratore ad commutandos animos, intenta et vehemens esse debet. *Ov. Pont.* 1, 5, 60. Intentus labor. *Val. Fl.* 3, 103. intentae vires. ℙ Item attentus, diligens. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Cic. Phil.* 11, 9. Intentus animus tuus est ad fortissimum virum liberandum. *Caes. B. G.* 7, 80. Militum intenti animi pugnae eventum exspectabant; et *ib.* 3, 26. Omnium oculi mentesque ad pugnam intentae; et 22. Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis. [*Suet. Caes.* 65. miles paratus et intentus: ubi v. *B. Crus.*] *Tibull.* 4, 1, 132. Intentaque tuis precibus se praebuit aure. *Sall. Cat.* 2. *extr.* Aliquo negotio intentus. (Ablativus hic regitur a praepositione, quae inest in ipso adjectivo.) [*V. *Kritz.* ad h. l. qui recte constructionis rationem ita explicat, ut ablativum tum tantum posse cum dativo permutari dicat, quum verbum ejusmodi sit, ut possit et cum objecto tertii casus conjungi, et absolute poni, ea re per ablativum adjuncta, qua id, quod verbum significat, efficitur. Absolute positi vocabuli exempla laud. *Sall. Cat.* 6, 5. At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare cet. et *ib.* 16, 5. Senatus nihil sane intentus; et *Jug.* 40, 3. et *Caes. B. C.* 1, 58.] *Val. Fl.* 4, 351. Intentis canere. *Virg. A.* 5, 137. Intenti exspectant signum. *Cic. Fl.* 11. Totam causam quam maxime intentis, quod ajunt, oculis contemplari. *Liv.* 29, 35. *med.* Cum intentissima conquisitione ad triginta millia peditum confecisset. *Id.* 39, 19. Intentiore custodia asservare aliquem. *Id.* 25, 22. et *Quint.* 10, 1. *f.* Quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset. *Val. Fl.* 4, 257. Intenta silentia. ℙ [*Huc pertinent insolentius dicta *a*) ubi *intentus* idem fere est, quod adductus, i. e. severus. *Tac. A.* 12, 42. Intentiorem fore disciplinam; et 11, 18. intentum et magnis delictis in exorabilem scias; cf. *Liv.* 8, 17. Intentius delectum habere; *b*) ubi *Intentus* designat eum, qui cum cura alicui rei praeest. *Tac. A.* 5, 10. Is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 281.] ℙ Item auctus. *Tac. H.* 1, 89. Intenta alimentorum pretia.

INTENTUS, us, m. extensio. *Cic. Sext.* 55. Voces quidem, et palmarum intentus, et maledictorum clamorem omnes profuderunt.

INTĒPĒO, es, ui, n. 2. idem ac tepeo, vel tepidus fio. *Sen. ep.* 67. Ver quo tempore calere debebat, intepuit. *Prop.* 4, 1, 124. Et lacus aesti-

vis intepet Umber aquis. *Ov. Fast.* 5, 215. Roscida cum primum foliis excussa pruina est, Et variae radiis intepuere comae. *Stat. Th.* 2, 376. ambustaque sontibus alte Intepet Hydra vadis.

INTĒPESCO, is, n. 3. idem fere ac intepeo. *Sen. ep.* 78. *f.* Ne quis intepescat cibus. *Colum.* 1, 1. Intepescente frigore. *Id.* 11, 2. *in.* Intepescit annus, permittitque clementior dies opera moliri. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 94. Paulatim intepescente saevitia.

INTER, μεταξύ, [*ἐν] praepositio accusativum regens, et significans medium quiddam: [*inter* est pro *intera*, quod etiam contractum fuit in *intra*; ab ἐντερος nempe derivatur inusit. *interus*, pro quo comparativum *interior* in usu est. *F.*] Refertur ad locum, ad tempus, ad personas. [*Triplicem hujus praepositionis rationem *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 440. ita constituit, ut *medium* aliquem vel aliquid esse *in pluribus*, vel *numero*, vel *loco* vel *tempore* eodem conjunctis significari dicat, nostr. *unter*, *zwischen*, *während*. Quem secuti ita recte hujus loci a Nostro perperam institutum ordinem in melius redegisse videmur. Primum pertinet ad numerum, nostr. *unter*, Gr. ἐν. Ex locis a *Forc.* laud. huc ref. ista.] *Nep. Milt.* 4. Inter quos magna fuit contentio, utrum, etc. *Cic. Or.* 28. *f.* Furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur. *Cic. Or.* 2. In oratoribus vero, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. *Liv.* 2, 46. Inter primores genus Fabium insigne spectaculo civibus erat. *Plin.* 21, 7, 19. Iris Africana amplissima inter omnes. *Id.* 25, 9, 70. Inter primas celebratur peucedanum. *Id.* 29, 4, 26. Inter praecipua laudant. *Liv.* 22, 7. Nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi R. clades. [*Ubi comparationibus inservire dixerat praepos. *inter*. Alia haec sunto: *Cic. Rosc. Am.* 6. Propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur: ubi *Matth. comp. Heus.* monentem, raro superlativis addi *inter*, et ita tantum, si positivo jam addi potuerit, ut ap. *Just.* 12, 7. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. *Sen. Contr.* 2, 9. Croesus inter reges opulentissimus. *Mela* 2, 2. Borysthenes inter Scythiae amnes amoenissimus. *Liv.* 10, 11. Quum exerceretur inter equites, i. e. quum in equitum numero exercitia faceret. Cf. ingentem exemplorum numerum, quem ex *Suet.* collegit *B. Crus.* in *cl. Suet.* l. l. quorum pauca hic adscribamus. *Caes.* 17. Inter socios Catilinae nominatus; et 42. inter pastores habere aliquem. *Aug.* 17. inter heredes nuncupare aliquem. *Caes.* 49. Inter cetera carmina — etiam illud. *Tib.* 1. inter cognomina et Neronis assumsit. *Aug.* 100. inter alia complura. ℙ Huc pertinent etiam intendendi, exaggerandi formulae exempla. *Quint. Inst.* 10, 3. Inter paucos disertus. *Plin. H. N.* 27, 7. de usu ejus (absynthii) convenit dicere, herba facillimae atque inter paucos utilissimae. ℙ Tum ponitur de loco, nostr. *zwischen*, *unter*, mixta plerumque numeri et loci notione, ubi plures eodem sunt loco, in quorum medio aliquid est positum. Noster haec exempla cum ceteris miscuerat.] *Caes. B. G.* 1, 2. Mons Jura qui est inter Sequanos et Helvetios. [*Adde *Liv.* 2, 5. Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit. *Cic. Or.* 1, 46. Orator potest incolumis vel inter hostium tela versari. *Suet. Vit.* 2. Socculum — inter togam tunicamque gestavit; et *Caes.* 58. Inter oppositas classes transmisit; *Vitell.* 11. Introiit inter signa atque vexilla. Plura v. in *cl. Suet.* Porro huc pertinent quaedam ex iis, in quibus Noster praepos. *inter* pro *in* pos. dixerat:] *Cic. Verr.* 2, 5, 11. *f.* Ut alius inter manus e convivio auferretur. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 13, 3.] *Gell.* 1, 11. Tibicines inter exercitum positi canere incoeptabant, i. e. in medio exercitu. [*Suet. *Vesp.* 24. Inter manus sublevantium exstinctus. ℙ Ita saepissime i. q. *apud.*] *Plin.* 8, 42, 65. Et fere inter omnes constare video. [*Adde *Suet. Claud.* 26. Dote inter Auspices consignata. *Caes.* 34. Professus ante inter suos. *Aug.* 61. Domi et inter suos. *Tac. A.* 2, 85. more inter veteres recepto. *H.* 1, 34. Credula fama inter gaudentes et incuriosos; et *al.* V. exempla e *Livio* allata ap. *Tursellinum.* ℙ Ponitur etiam de coloribus ad significandum discrimen quo distent. *Suet. Aug.* 79. Color inter aquilum candidumque, i. e. cui medium locum tribuas inter aquilum candidumque, mixtus ex utroque. ℙ Porro hic debebat commemorari usus, quo *Tacitus* saepe hanc praepos. adhibet, et haud raro praegn. constr., ad ambiguitatem vel dubitationem aliquam exprimendam. *A.* 2, 3. Armenia inter Parthorum et Romanas opes infida; cp. 66. inter metum et iram cunctatus. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. h. v.] ℙ Ponitur pro *ad*. *Virg. A.* 12, 436. nunc te mea dextera bello Defensum dabit, et magna inter praemia ducet. Ubi *Servius: Inter* veteres pro *ad* ponebant. *Cicero* (*Cat.* 1, 4.) Dico, te priore nocte venisse inter falcarios, id est, ad falcarios. Haec *Serv.* ℙ Et pro *invicem*. [*Ducet *Brem.* ad *Nep. Dion.* 4, 1. esse in his ellips. pronominis reciproci: coll. *Olivet. Eclog.* p. 190.] *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Cicerones pueri amant inter se. *Id. Cat.* 3, 5. *extr.* Furtim nonnunquam inter se aspiciebant. *Nep. Arist.* 1. Obtrectarunt inter se. *Cic. Div.* 1, 28. Nos inter nos esse complexos. *Id. Amic.* 22. Neque solum colent inter se, et diligent, sed etiam verebuntur. *Id. Off.* 1, 16. Latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societas haec est. *Id. ad Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att. f.* Ut nosmetipsi inter nos conjunctiores simus. ℙ *Inter nos dicere liceat* ap. *Cic.* est familiariter, et arcano: *Att.* 2, 4. Serapionis librum ad me misisti, ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo. Sic *Sen. ep.* 12. Quod inter nos sit; ego illas platanos posueram. Alii leg. *intra*, alii aliter; sed nihil mutandum. ℙ Repetitur interdum. *Cic. Par.* 1. *f.* Sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? *Id. Fin.* 1, 9. Interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis, et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem. *Id. Amic.* 25. Quid intersit inter popularem, idest assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem. *Id. Fat.* 9. *med.* Sed interest inter causas fortuito antegressas, et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. In l. c. ex *Par.* al. alterum *inter* omitt. [*Ita *Orell.*] *Virg. A.* 9, 556. inter et hostes, Inter et arma. *Tibull.* 4, 1, 165. Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes. *Prop.* 2, 23, 15. inter matrem Deus ipse, interque sororem. *Hor. Ep.* 1, 2, 11. Nestor componere lites Inter Peliden festinat, et inter Atridem. Adde *Sat.* 1, 7, 12., [*V. *Heindf.*] *Tibull.* 2, 1, 67., *Val. Fl.* 5, 13. et 6, 509., *Sil.* 11, 180. et *Claud. in Ruf.* 2, 195., quae omnia congessit *Cuningam.* in *Bentlej. Horatii* loca sollicitantem. [*De hac repetitione v. *Burm.* ad *Suet. Aug.* 71.] ℙ Postponitur interdum, aut interponitur suis casibus. *Cic. Amic.* 22. Si quos inter societas aut est, aut fuit. *Hor. Sat.* 1, 1, 116. extremos inter euntem. *Phaedr.* 2, 8. Haec inter ipse dominus a coena redit. *Liv.* 22, 3. Qui Faesulas inter, Arretiumque jacent. *Tac. Agr.* 31. Verbera inter, ac contumelias. *Id. A.* 1, 10. Paucos inter senum regum; et *ib.* 14. 33. Medios inter hostes. ℙ Poetice a suo etiam casu, interjecto verbo, disjungitur. *Virg. Ecl.* 9, 36. argutos inter strepere anser olores. *Hor. Od.* 3, 27, 51. utinam inter errem Nuda leones; et *ib.* 15, 5. inter ludere virgines. ℙ Adverbii ritu, sine casu. *Val. Fl.* 6, 219. Quis tibi fatales unquam metuisset Amyclas, Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter Diviso, totidemque fretis? *h. e.* tot montibus interpositis. Hinc cum verbis quoque jungi posse ait *Prisc.* 14, 991., ut si dicas *Tu dextrorsum*, *ille sinistrorsum*, *ego curro inter*. Nullo id tamen Latino auctore confirmat. ℙ [*De tempore significat medium aliquod temporis momentum post initium et ante finem, itaque quod adhuc durat, ut nostr. *unter*, *während*, Gr. μεταξύ, v. *Goerenz.* ad *Cic. Acad.* 1, 7, 29.] *Cic. Verr.* 2, 2, 52. *extr.* Ut dies quadragintaquinque inter binos ludos tollerentur. ℙ Pro *in* aliquando ponitur. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 282.] *Pl. Cist.* 2, 1, 28. Inter novam rem verbum usurpabo vetus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 6. Haec inter coenam Tironi dictavi. *Ter. Eun.* 4, 2, 1. coepi egomet mecum inter vias Aliam rem ex alia cogitare; et *Gell.* 9, 4. Plus cernant oculis per noctem, quam inter diem; et 13, 7. Leaenas inter omnem vitam semel parere. ℙ Huc pertinent illa *Virg. Ecl.* 9, 24. inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. *Gell.* 1, 26. Vociferari inter vapulandum incipit; et *ib.* 12. *f.* *Amata* inter capiendum a pontifice appellatur. *Justin.* 11, 8. Inter bibendum. [*Suet. *Caes.* 4. inter jocum, h. est, in jocando, dum jocabatur. Al. *per jocum.* V. *Oudend.* et *Duk.* ad *Flor.* 2, 6, 41. *Drak.* ad *Liv.* Plur. v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 441.] ℙ Illa etiam huc trahi possunt *Celsi* 3, 8. Inter initia sanguis mitti debet, *h. e.* in ipsis initiis; et 7, 27. Cibus inter principia non nisi humidus dari debet. Adde *Tac. H.* 3, 18. ℙ Et pro *intra*. [*Cic. *Verr.* 1, 13, 37. inter decem annos, postquam, i. e. per decem illos annos, quibus etc. Adde *Manil.* 23, 67. Qui inter annos tot unus inventus sit. V. *Gronov.* ad *Liv.* 1, 10, 7.] *Titin.* ap. *Non.* 1, 3. Inter decem annos nequisti unam togam detexere. *Cic. Quint.* 14. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium. *Pl. Stich.* 1, 3, 61. Quot prandia inter continuum perdidi triennium! ℙ *Inter haec*, *inter quae* est interea. *Liv.* 2, 23. *f.* Inter haec major alius terror. *Cels.* 4, 2. *n.* 4. Inter quae unctione, et consueto cibo nihilominus uti licet. [*Suet. *Caes.* 26. Inter quae: ubi male *Burm. interimque.* V. *Oudendorp.*] ℙ *Inter id* idem valet. *Varr. L. L.* 5. *f.* Inter id cum circum muros mittitur, etc. ℙ In compositione cum omnibus litteris jungitur, et fere vim suam retinet. Aliquando tamen augere videtur, ut in *interbibo* omnino bibo, *intertraho* penitus extrabo, *interficio*, penitus conficio; aliquando significat contra, ut in *interdico*; aliquando cum, ut in *interprimo*, comprimo. ℙ [*De confusione praepos. *inter* et intra v. *Oudendorp.* ad *Suet. Tib.* 16. et *Claud.* 17., *Drak.* ad *Liv.* 1, 10. et 5, 27., *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 30, 4.]

*INTERAESTĪMĀTĬO, onis, f. i. q. aestimatio vel pretium. *Pomp.* in *Pandect. l.* 21. *tit.* 1. *leg.* 65. Interaestimationem servorum proinde fieri debere, atque etc. ubi legendum *in aestimatione* contendunt quidam. *B. A.*

INTĔRAESTŪANS, antis, adj. per intervalla aestuans. *Plin. ep.* 6, 16. *f.* Stomachus illi natura invalidus, et angustus, et frequenter interaestuans erat.

INTĔRALBĪCANS, antis, adj. albicans per intervalla. *Plin.* 37, 10, 62. Leucochrysos fit chrysolitho interalbicante. *Hard.* ex MSS. emendat: Leucochrysos sicut crystallus albicat.

INTĔRĀMENTUM, i, n. quidquid ad aliquid interius muniendum, vel instruendum requiritur: ab *inter*, vel *intra*. *Liv.* 28, 45. *med.* Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela, Volaterrani interamenta navium, et frumentum polliciti sunt, *h. e.* interiorem navium apparatum. Aliquis legit *inceramenta*, h. e. picem, et ceram, et similia ad naves oblinendas. V. CERA.

INTĔRAMNĀNUS. V. INTERAMNUS.

INTĔRAMNAS, atis, adj. omn. gen. qui est ex oppido Interamna, quo nomine plura fuerunt in Italia, ex eo sic appellata, quod *inter* duos amnes sita essent, ut *Varro L. L.* 4, 5. docet. Ex his unum fuit Umbriae, in agro Sabino, nunc *Terni*, quod Nare fluvio circumfluum est. *Id. R. R.* 3, 2. De controversiis Interamnatium et Reatinorum. *Plin.* 3, 14, 19. Interamnates cognomine Nartes. *Id. ib.* 12, 17. Fidenates, Interamnates, Nursini. *Cic. Att.* 4, 15. Reatini me ad sua τέρματα duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem, et decem legatos. *Inscr.* ap. *Grut.* 422, 7. L. Julio L. F. Pal. Juliano, curatori civitatis Interamnatium Nartium. ℙ Item qui est ex oppido nunc exciso Volscorum in novo Latio, ubi nunc locus est, qui ex *Romanelli Topogr. Napol. T.* 3. p. 384. dicitur *Terame:* ejus incolae appellantur *Interamnates Lirinates*, quia inter fluvios Lirim, nunc *Garigliano*, et alterum, qui nunc *Sogne* dicitur; quin et *Succasini* sunt vocati, quia infra seu sub Casinum oppidum siti sunt. *Plin.* 3, 5, 9. Interamnates Succasini, qui et Lirinates vocantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 7. L. Luccejo L. F. Ter. Hibero Cur. R. P. Interamnati*um* Lirina*tium* Casinates publ. ob merita ejus. ℙ Item qui est ex oppido Frentanorum, nunc *Termoli in Capitanata*, ad mare Adriaticum, inter fluvios Tifernum, et alterum, qui nunc *Sinarco* dicitur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1050, 7. M. Blavio Q. F. IIII. V. I. D. aedili, curatori viar. Valeriae Claudiae, et Trajanae Frentanae Interamnates, Histonienses, Bucani bene merenti. V. *Romanelli ib.* p. 27, 41. et 632. ℙ Item qui est ex oppido mediterraneo Praetutianorum in Piceno, quod nunc *Teramo in Abruzzo* dicitur, inter fluvios Albulatem, nunc *Vezzola*, et Batinum, nunc *Tordino:* ejus meminit *Front. de colon.* p. 118., 125. et 142. *Goes. Id. ib.* p. 41. Sicut in Piceno, inter montium Praecutianorum (lege *Interamnatium Praetutianorum*) quandam oppidi partem Asculanorum fine circumdari. Hoc conciliabulum fuisse fertur, et postea in municipii jus relatum. *Inscr.* ap. *Delfico, Interamn. Pretuz.* p. 125. Collegio centonariorum Interamnitium (ita legit pro *Interamnatium*) Praetutianorum. Alia ap. *eund. ib.* p. 126. P. Fadius P. F. Vel. Gratus Inter*amnas*. V. *Romanelli ib.* p. 297. [*Hujus loci, quem *Forc.* paucis absolverat, curam egregie gessit *F.*]

INTĔRAMNIS, e, adj. qui est ex Interamna. *Cic. Mil.* 17. C. Cassius cognomento Schola, Interamnis. Alii melius leg. *Interamnas.*

INTĔRAMNUS vel Interamnanus, a, um, adj. qui inter duos amnes jacet, μεσοποτάμιος. *Lamprid. Alex. Sev.* 56. Terras interamnas (Mesopotamiae *scil.*) recepimus. Alii leg. *interamnanas. Solin.* 32. *in.* Nilus scissus a loco, cui Delta nomen est, ad insulae faciem spatia amplectitur interamna. [**Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 70. Scito etiam primum colere nos interamnanum a Machonico (*an* Machelonico) flumine locum omnem, quo etc. *B. A.*] ℙ [*Interamnanus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 161, 3. C. Cassius Interamnanus Pisibanus Priscus praetor. V. v. praec. *F.*]

INTĔRĀNĔA, orum, n. plur. ἔντερα, intestina: ab *intra*. *Colum.* 9, 14. *med.* Exemptis interaneis occisas aves intus includunt. *Plin.* 30, 7, 20. Occulti interaneorum morbi; et 22, 25, 70. Lens glutinat interanea procidentia. ℙ In singulari num. *Id.* 32, 9, 33. Procidentis interanei morbum coercere. ℙ Adjective. *Id.* 20, 11, 46. Hipposelinum, poto semine, torminibus interaneis medetur. *Hard.* ex MSS. *torminibus*, *et interaneis* corrigit. *Scrib. Comp.* 96. Purgat etiam interaneas vomicas.

INTĔRĀNĔUS, a, um, adj. internus. V. v. praec.

[INTĔRANNĪENSIS, e, adj. ad Interannium pertinens, Lusitaniae oppidum. *Plin.* 4, 22, 35. In Lusitania Colarni, Interannienses, Lancienses.

Inscr. ap. *Grut.* 162, 3. Municipia provinciae Lusitaniae, stipe conlata quae opus pontis perfecerunt: Icaeditani, Lancienses, Talori, Interannienses, Colarni etc. *F.*]

[INTERAPERIO, is, a. 4. adaperio. *Gloss. Philox.* Interaperio, *διανοίγω*. *F.*]

INTERARESCO, is, n. 3. *διαξηραίνομαι*, est penitus arescere, *h. e.* omnino aridum fieri. *Vitr.* 7, 8. Hae glebae, propter humoris plenitatem, conjiciuntur in fornacem, ut interarescant. *Id. prooem. l.* 8. Animalia sine humoris potestate interarescent, *h. e.* exstinguentur. Sic *Cic. Tusc.* 5, 14. Nihil enim interarescere, nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit.

INTERATIM. V. INTERDUATIM.

*INTERATUS, a, um, adj. *Gloss.* Interata, *ξεντεριοθέντα*. *B. A.*

INTERBIBO, is, n. 3. *ἐκπίνω*, totum bibo, plane ebibo. *Pl. Aul.* 3, 6, 22. Quae mihi interbibere sola, si vino scatet, Corinthiensem fontem Pyrenen potest.

INTERBITO, is, n. idem quod intereo, pereo. *Pl. Most.* 5, 1, 47. Ne illi huc confugere possint, quaestioni quos dabo, Hic ego tibi praesidebo, ne interbitat quaestio. Eadem significatione usurpatur *Perbito* ab eodem *Plauto*, et aliis ap. *Non.* 2, 654.

[INTERBLANDIENS, entis, part. ab inusit. *interblandior*, idem fere ac blandiens. *August. Confess.* 9, 12. Obsequiis meis interblandiens appellabat me pium. *F.*]

*INTERBROMIUM, i, n. Italiae oppidum, in Pelignis. *Anton. Itin. B. A.*

INTERCALARIS, e, adj. *ἐμβολιμαῖος, ἐμβόλιμος*, qui intercalatur, seu interponitur. *Intercalaris dies* est, qui quinto quoque anno inseritur inter Terminalia et Regifugium, seu inter vigesimum quartum fere, et vigesimum quintum diem Februarii mensis, ut temporum ratio solis itineri congruat, uti loquitur *Plin.* 2, 8, 6., seu, quod idem est, ut annus civilis ad naturalem exaequetur, ut est ap. *Censor. de die nat.* 20. et *Solin.* 1. *med.* ubi multa hac de re, sumpta fere ex *Macr. Sat.* 1, 13. et 14. V. INTERCALO. ℙ Quod *Plinius* ait *quinto quoque anno*, alii dicunt *quarto*. Conveniunt tamen. Nam ille intelligit quinto quoque anno incipiente: alii quarto quoque anno transacto, ut est ap. *Macr. l. c.* ℙ *Intercalaris mensis* olim fuit, qui ceteris anni mensibus interponebatur ad solis cursum exaequandum: postea ita dictus est mensis Februarius, quod in eo dies addi coeptus, ut dictum est. *Macr.* et *Censor. l. c.* ℙ *Intercalares Calendae* sunt ejus mensis, cujus praecedenti dies inseritur. *Liv.* 45, 44. Intercalatum eo anno: postridie Terminalia intercalares fuerunt; et 43, 11. *f.* Hoc anno intercalatum est: tertio die post (al. *postridie*) Terminalia calendae intercalares fuere. ℙ *Intercalares Calendae priores*, aut *posteriores* (idem dic de Nonis, atque Idibus) dictae sunt primi et secundi mensis, quos Jul. Caesar, ut anni perversam rationem emendaret, interseruit ante mensem Decembrem, anno U. C. DCCVII. ut *Suet. Caes.* 40. docet. *Cic. Fam.* 6, 14. Cum a. d. V. cal. intercalares priores venissem mane ad Caesarem. De his *Manut. de quaes. per epist. n.* 3. [*V. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Intercalaris annus* est, in quo dies additur Februario mensi. *Plin.* 2, 47, 48. ℙ Translate *intercalaris versus* est, qui inter aliquot versus interponitur, ut in *Ecl. Virg.* 8. illud *Incipe Maenalios*, etc. Et *Ducite ab Urbe domum*, etc. *Servius ib.* 21.

INTERCALARIUS, a, um, adj. idem quod intercalaris. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. *extr.* Cephaloeditani decreverunt intercalarium *(mensem)* quadraginta dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur. *Liv.* 37, 59. et *Suet. Caes.* 40. Intercalarius mensis. *Plin.* 18, 25, 57. Ad CCCLXV. adjiciunt etiamnum intercalarios diei noctisque quadrantes.

INTERCALATIO, onis, f. interpositio. *Plin.* 2, 47, 47. Competit ferme et hoc omnibus, quos deinde ponam, per singulas intercalationes uno die anticipantibus. *Macr. Sat.* 1, 13. Omni intercalationi mensis Februarius deputatus est.

INTERCALATOR. V. INTERCALO.

INTERCALATUS, a, um, part. ab *intercalo:* interpositus, insertus, ut Intercalati dies, *Macr. Sat.* 1, 14. *f.* ℙ Translate dilatus, prorogatus. *Liv.* 9, 9. Hanc jam ut intercalatae poenae usuram habeant.

INTERCALCO. V. INTERCULCO.

INTERCALO, as, avi, atum, a. 1. *παρεμβάλλω*, interpono, intersero: et dicitur proprie de diebus, qui interponuntur alicui mensi, ut anni civilis cursus naturalem annum exaequet. Quia enim olim apud Romanos, rudes, et rerum coelestium ignaros, anni spatium brevius, quam par esset, institutum fuerat, necesse habuerunt identidem dies aliquot interponere, ut solis annuam circuitionem ac quo dierum anni numero plene complecterentur. Quod cum varie, neque satis certa ratione factitatum esset, C. Jul. Caesar, qui annum civilem emendavit, inter alia instituit, ut quarto quoque anno dies unus Februario mensi adderetur, ut in INTERCALARIS dictum est. Id porro ideo *intercalare* appellarunt, quod mos erat vetus, ut a pontificibus cujusque mensis novae, idus, calendae populo *calarentur*, h. e. indicerentur. V. CALO, as. Ex eo, si dies interponeretur, intercalare dictum est. Fere usurpatur passiva voce, et impersonaliter. *Cato R. R.* 159. Si intercalatum erit cal. Majis. *Plin.* 18, 25, 57. Ut duodecim annis continuis non intercalaretur. *Suet. Caes.* 40. Ut unus dies quarto quoque anno intercalaretur. ℙ Intercalandi arbitrium ante correctionem C. Caesaris penes pontifices maximos erat, qui non semper habita temporum ratione, sed privatis frequenter inducti rationibus, vel id faciebant, vel omittebant; modo plures, modo pauciores dies interponebant: quod ex *Cic. Leg.* 2, 12., *Suet. l. c.* et *Macr. Sat.* 1, 14. licet cognoscere. Unde ambitu, et potentia, saepe cuja intererat, annum brevi excurrere, obtinebat, ne intercalaretur: cuja longius protrahi, ut pluribus diebus intercalaretur. *Cic. Att.* 5, 9. Memento curare, ut annus noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur, hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur. Adde *ib.* 13. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* ℙ *Intercalantes dies* ap. *Macr. l. c.* 13. *med.* sunt dies intercalati. Est qui leg. *intercalatores.*

INTERCAPEDINANS, antis, part. ab inusit. *intercapedino*, intermittens, omittens, cessans, vel cessare faciens. *Fulgent. Mythol. l.* 1. *in.* Intercapedinante pavoris prolixitate. *Abstineas.*

INTERCAPEDINATUS, a, um, part. ab inusit. *intercapedino*, intervallo distinctus, divisus. *Capell.* 9, 312. Vanescentia intercapedinatae prolixitatis oblivia. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Nunc continuae, nunc intercapedinatae exacerbationes.

INTERCAPEDO, inis, f. *διαχώρημα, διάστημα*, spatium, interstitium, interruptio. *Festus:* Intercapedo, tempus interceptum, cum scilicet mora est ad capiendum. *Cic. Fam.* 16, 21. Me non poenitebat intercapedinem scribendi fecisse; et *Fin.* 1, 18. *f.* Quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae: nunquam molestia vacant. *Suet. Vesp.* 10. Litium series majorem in modum excreverant, intercapedine jurisdictionis. *Id. Aug.* 38. Post longam intercapedinem reducto more transvectionis. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur: intercapedine, et quasi remissione languescit. *Turpil.* ap. *Non.* 8, 12. et 12, 30. Videre mihi aegre id pati, quia hos dies compluscolos intercapedo sumpti faciundi fuit. *Id. ib.* 4, 279. Intercapedo amicitias levat, *h. e.* interruptio consuetudinis minuit amicitias. ℙ In recto casu singulari interdum habet obscenum sensum: eique affinis est *divisio. Quint.* 8, 3. *med.* Sed *divisio* quoque affert injuriam pudori, ut si *intercapedinis* nominativo casu quis utatur. *Cic. Fam.* 9, 22. *med.* Non honestum verbum est divisio? at inest obscenum: cui respondet intercapedo. V. DIVISIO.

[INTERCAPIO, is, a. 3. idem ac intercipio. Agnoscitur a *Prisc.* 4, 624. Ut intercapio, intercapis, intercapedo; torpeo, torpes, torpedo. *F.*]

INTERCARDINATUS, a, um, adj. ut Intercardinatae trabes, *h. e.* cardine simul colligatae, ap. *Vitr.* 10, 20.

[INTERCATIENSIS, e, adj. qui est ex Intercatia, oppido Hispaniae Tarraconensis in confinio Asturiae, nunc *S. Maria de Rebilla*, cujus meminit *Inscr.* ap. *Don.* 298, 2. Pintajus Pedilici F. Astur transmontanus castello Intercatia. *Plin.* 37, 1, 4. Intercatiensem illum, cujus patrem Scipio, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 10. L. Antonius Modestus Intercat*iensis* ex gente Vaccaeorum. ℙ *Intercatienses, ium*, sunt incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 5, 4. *F.*]

INTERCEDO, is, essi, essum, n. 3. *ἐπέρχομαι*, proprie est intervenire, advenire, accedere; ab *inter*, et *cedo*, quod proprie ire significat. [*Primum locum teneat exemplum, quod *Forc.* tertio posuerat. *Plin.* 2, 11, 8. Non posset totus sol adimi terris, intercedente luna, i. e. medium inter terram et solem locum occupante.] *Pl. Most.* 5, 1, 56. Huc si quis intercedat tertius, pereat fame. *Id. Curc.* 1, 1, 5. Si status condictus cum hoste intercedit dies. *Cic. Brut.* 47. Etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret: et *Fam.* 15, 2. *med.* Cum vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem tuerer. *Gell.* 4, 1. Cumque nimis odiose sibi placeret, intercessit placide Favorinus, et, Jam, inquit, bone magister, etc. *h. e.* interpellavit; et 15, 9. Cum homo vultum intorqueret, et non hisceret, tum ego intercessi, et, Vade, inquam, etc. ℙ Item *stare, ἐνίστασθαι*, medium esse inter duo quaedam, interjacere, interesse. *Caes. B. G.* 7, 26. Longe ab oppido castra Vercingentorigis aberant: et palus, quae perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat; et *ib.* 2, 17. Inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere. *Plin.* 2, 83, 84. Pratis, oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis. ℙ Refertur ad tempus, quod medium inter duo quaedam transit. *Cic. Or.* 2, 21. Vix annus intercesserat ab hoc sermone, cum iste accusavit, etc. *Nep. Att.* 20. Nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet. [*Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Una nox intercesserat.] ℙ Ponitur et pro intervenire, accidere. [*ἐντυγχάνειν.*] *Ter. Andr.* 5, 5, 4. Nam mihi immortalitas parta est, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit. *Caes. B. C.* 1, 21. Saepe in bello parvis momentis magni casus intercedunt. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Caesare intercessit, quod ille non illustri gratia exceperit, *h. e.* non exstitit. ℙ Saepe de iis dicitur, per quae alteri injungimur, aut alienamur. *Cic. Fam.* 13, 23. Inter nosmetipsos vetus usus intercedit; et *ib.* 65. Multa et magna inter nos officia, paria et mutua intercedunt; et *Quint.* 15. Is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causae, et necessitudines veteres intercedebant. *Id. Fin.* 3, 20. Ut ei cum genere humano quasi civile jus intercederet; et *Coel.* 13. *f.* Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro. *Ter. Hec.* 3, 1, 25. Magnum nescio quid necesse est evenisse, unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu. *Caes. B. G.* 5, 11. *extr.* Huic cum reliquis civitatibus contientia bella intercesserant. *Nep. Att.* 20. Obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Caesarem, atque Antonium. *Modest. Dig.* 20, 1, 25. Cum vitiose, vel inutiliter contractus pignoris intercedat. ℙ Saepe etiam significat opponere se, ne aliquid fiat: Veneti dicunt *intromittere.* Apud Romanos fuit proprium tribunorum plebis, qui cum legem, aut senatusconsultum, aut quippiam ejusmodi perferri nolebant, voce *veto* (ut ap. *Liv.* 6, 35.) utebantur, et rem impediebant, donec ferretur ad populum, ejusque arbitrio permitteretur. Haec intercedendi potestas eis concessa fuit, ut auxilii lationem pro plebe adversus consules, aliosque omnes magistratus haberent, ut ap. *Liv.* 2, 33. habetur. *Cic. Or.* 2, 47. *extr.* Vi pulsum ex templo Cottam, et Didium, cum intercedere vellent rogationi. *Id. Leg.* 3, 8. Quod genus legationis ego consul, approbante senatu, nisi mihi levissimus tribunus plebis intercessisset, sustulissem. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Ea, quae de reductione regis scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut, etc. *Id. Prov. cons.* 8. Ea lege, qua intercedi de provinciis non licebit. *Liv.* 38, 60. Pronunciavit, praetori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur. [*Suet. *Caes.* 30. Si quid de Tribunis pl. intercedentibus pro se gravius a Senatu constitutum esset.] ℙ Etiam reliquis magistratibus intercedendi jus fuisse, colligitur ex *Varr.* ap. *Gell.* 14, 7., ubi docet, intercedendi, ne senatusconsultum fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent. Item ex *Ascon. in Pison.* 26. ubi narrat, Q. Scaevolam consulem intercessisse senatusconsulto, quo triumphus Crasso collegae decernebatur. Denique ex *Liv.* 5, 9., ubi tradit, duos tribunos militum consulari potestate intercessisse senatusconsulto de abrogando sibi magistratu. ℙ Universim pro opponere se, obstare, et impedire, ne quid fiat. [*Suet. *Tib.* 26. Intercessit et, quominus in acta sua juraretur, et, ne mensis September Tiberius etc. vocarentur; et *ib.* 17. De cognomine intercessit Augustus.] *Tac. Agr.* 46. Non quia intercedendum putem imaginibus, sed, etc. Est qui malit *interdicendum. Plin. Pan.* 4. Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet, intercessurus etiam publicis, si, etc. et 25. *extr.* Intercedere casibus, occursare fortunae; [*et 80, 4. Intercedere iniquitatibus magistratuum.] *Plin. alter* 32, 1, 1. de echeneide: Invenere adhaerentem gubernaculo, ostenderuntque Cajo indignanti, hoc fuisse, quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. *Appul. Met.* 11. Plurimum duritia paupertatis intercedente. ℙ Et pro interponere se, mediumque se offerre spondendo et fidejubendo. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Biduo per unum servum confecit totum negotium: arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. *Id. Phil.* 2, 18. Orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem: tantum enim se pro te intercessisse. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Adscribit etiam, et quasi calcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam, *h. e.* spondendo impetrasse. Al. leg. *intercessisse a se.* Adde *Ulp.*, *Paul.*, *Cajum*, *et alios* toto fere *Dig. t.* 1. *l.* 16. ℙ Qui putant, poni etiam pro deprecari, *intercedere;* quamvis ea significatio facile ab antecedenti descendat, nondum tamen plane probare potuerant. V. INTERCESSOR. ℙ [Part. *Intercedendus* ap. *Front. ad Anton. Imp.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 7. Quae sine mora intercedenda alia mihi scripsit. *F.*]

INTERCEPTIO, onis, f. *διάληψις*, actus intercipiendi. *Cic. Cluent.* 60. Quae deinde interceptio poculi?

INTERCEPTOR, oris, m. *μεσολαβών*, qui intercipit, interversor. *Liv.* 4, 50. Praedaene interceptorem fraudatoremque, etiam malum minitari

militibus? *Id.* 3, 72. Populus R. quadruplatoris, et interceptoris litis alienae personam laturus. *Tac. H.* 3, 10. Interceptor donativi.

INTERCEPTUS, a, um, part. ab *intercipio*. [*Noster sine ordine exempla posuit. Nos, secundum eam quam in v. *intercipio* recte videmus institutam significationum seriem, ita collocavimus:] *Caes. B. G.* 2, 27. Ut ex tumulo tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent, *h. e.* excepta. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Ne cujusquam animum meae litterae interceptae offendant. *Hirt. B. Afr.* 19. Intercepti hostium complures. *Liv.* 29, 9. Tum ipsum ab suis interceptum et seclusum hostiliter lacerant. [*Cf. 29, 18.] *Rut. Itin.* 1, 101. Intercepta tuis conduntur flumina muris, *h. e.* in medio cursu derivata in aliam partem, et inter muros tuos inclusa. *Tac. A.* 4, 45. Interceptae e publico pecuniae. [**Plin. Pan.* 52, 7. Intercepti hostiarum greges. *Liv.* 21, 1. Sardiniam inter motum Africae fraude Romanorum — interceptam.] *Cic. Agr.* 2, 2. Ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occasionem interceptus esse videatur. *Ov. Met.* 6, 379. Terga caput tangunt; colla intercepta videntur. [**Plin. Pan.* 16, 5. Interceptum mare, i. e. ablatum, remotum.] *Rut. Itin.* 1, 411. Sola manent interceptis vestigia muris, *h. e.* vetustate absumptis, dirutis. *Plin. ep.* 10, 50. Rex mortalitate interceptus. *Tac. A.* 3, 12. Interceptus veneno. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 283.] *Stat. Theb.* 8, 87. exstincto tamen interceptus in ore Augurii perdurat honos, *h. e.* subtractus, subductus injuriae leti. Sic *Ov. Met.* 10, 476. Myrrha fugit, tenebris et caecae munere noctis Intercepta neci.

INTERCEPTUS, us, m. interceptio. In sexto casu singul. *Fulg. Myth.* 3, 10. Quae quidem serpentis ictu moritur, quasi astutiae interceptu secretis velut inferis transmigratur.

INTERCESSĬO, onis, f. interventus, intercessus. *Gell.* 14, 2. Probari debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensae rationibus, chirographi exhibitione, testium intercessione. ℙ Item saepius ἀντιπαράστασις, actus intercedendi, oppositio, quae fit a tribuno plebis, quo minus quippiam perferatur. V. INTERCEDO. *Caes. B. C.* 1, 7. Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse. *Cic. Agr.* 2, 12. Cum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura. *Liv.* 38, 54. *extr.* Remittentibus tribunis intercessionem, omnes tribus, uti rogas, jusserunt. *Gell.* 7, 19. *extr.* Intercessionem facere pro aliquo. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 10. Tribuni intercessionem suam interponere noluerunt. ℙ Item fidejussio in re pecuniaria. *Cic. Att.* 1, 4. Utile est, te aliquando transigere: mea intercessio parata et est, et fuit. *Id. Par.* 6, 2. Intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum. *Ulp. Dig.* 16, 1, 8. Pignoris datio intercessionem facit. ℙ Item exsecutio, in *Cod. Justin.* 12, 22, 1. et in *Cod. Theod.* 6, 28, 4. et 8, 9, 1.

INTERCESSOR, oris, m. διαπορευόμενος, qui intercedit, et quippiam fieri vetat: et proprie de tribuno plebis dicitur. *Cic. Agr.* 2, 12. Cum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura. *Id. Sull.* 23. Agrariae legi intercessorem fore professus est. *Liv.* 4, 53. Tribuni jam ante praeparati intercessores legis agrariae. ℙ Item universim qui rem aliquam impedit. *Cic. Rosc. Am.* 38. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt. *Id. Leg.* 3, 4. et 19. Intercessor rei malae, salutaris civis esto. ℙ Item fidejussor, vel proxeneta. *Senec. ep.* 119. Ut negotiari possis, aes alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris. ℙ Possit videri etiam mediator, consiliator, deprecator, ap. *Appul. Apol.* Res acta est in Rufini cujusdam domo, intercessoribus et deprecatoribus ipso Rufino, etc. sed ibi quoque de pecuniaria re agitur. Nihilominus locus est *Ciceronis Fam.* 7, 27. ubi *intercessoris* vocem, ludens in ambiguo, et pro tribuno intercedente, et pro deprecatore usurpari posse ostendit: quod et *Manut.* et *Graev.* et *Cellar.* adnotarunt. En ejus verba *l. c. ad Gallum.* Utinam semper esses tribunus: intercessorem non quaereres. Petierat enim a Cicerone Gallus, ut pro se restituendo apud Caesarem verba faceret. Etiam *Sidon.* hoc sensu usurpat *ep.* 7, 9. in concione: Praeterea pro conciliatore pacis, et dirimente lites ponitnr a *Quint. decl.* 300. *med.* Non existimabam tam asperam illam dissensionem, nec veram esse litem, quae ad filium ducebatur. Videbamini mihi quaerere intercessorem. ℙ Denique in *Cod. Just.* non semel ponitur pro executore, ut 1, 42, 8. et 8, 17, 7. et pro fidejussore *ib.* 8, 3, 41. in *Authent.*

INTERCESSUS, us, m. interventus. In sexto casu sing. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 2. Consulem graviter saucium intercessu suo servavit. [*Impp. Dioclet.* et *Constant.* inter *fragm. juris antejustin.* (ed. *A. Maio*) p. 75. Praeses provinciae, ne qua tibi legitime possidenti fiat injuria, intercessu auctoritatis suae providebit. *F.*]

INTERCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. διακόπτω, in medio seco: ab *inter*, et *caedo*. *Plin. ep.* 6, 22. Corrupto scribae servo, interceperat commentarios, intercideratque. *Colum.* 4, 32. Arundinetum densatum potest intercidi, et disrarari: quod opus rustici castrationem vocant. *Plin.* 5, 29, 31. Intercidi planitiem eam jusserat, ut duos sinus jungeret, *h. e.* fossam duci per mediam planitiem. ℙ Et universim praecidere, dividere. *Caes. B. G.* 2, 9. Ut castellum expugnarent, pontemque interciderent. Al. leg. *interscinderent*. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Intercidere radices. *Id.* 11, 37, 65. venas. *Ulp. Dig.* 9, 2, 49. Qui incendii arcendi gratia vicinas aedes intercidit. *Gell.* 13, 30. Intercidere sententias, et verba corrupte pronunciare. *Cels.* 5, 26. *n.* 21. Venae duobus locis deligandae, intercidendae sunt.

INTERCĬDO, is, ĭdi, n. 3. διαπίπτω, inter aliqua cado: ab *inter*, et *cado*. *Liv.* 26, 39. Ita in arcto stipatae erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret. Est qui leg. *incideret*. *Id.* 21, 8. *extr.* Nullo inter arma corporaque vano intercidente telo. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 231, 5. . . . . Hadrianus viam Juliam Aug. a flumine Trebia, quae vetustate interciderat, sua pecunia restituit. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 5, 8. Si qua interciderunt, non tam re, quam suspicione violata, ea cum fuerint falsa et inania, sint evulsa ex omni memoria, *h. e.* intervenerunt. ℙ Item universim cado, concido, pereo. *Plin.* 9, 51, 74. Polypi ova excludunt quinquagesimo die: e quibus multa propter numerum intercidunt. *Id.* 4, 12, 20. Oppida Coressus, Poeessa interciderunt. ℙ Translate est perire, interire, deficere. *Cic. Dejot.* 9. ex Graeco poeta: Pereant amici, dum una inimici intercidant. *Liv.* 2, 8. Credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, memoria intercidisse. Al. leg. *memoriam*. *Sen. Ben.* 3, 1. *med.* Utrum pejorem vocas, apud quem gratia beneficii intercidit, an apud quem etiam memoria? *Ov. Fast.* 2, 443. Augur erat: nomen longis intercidit annis. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 1. Caecubum jam intercidit, et incuria coloni, locique angustia. *Id.* 35, 8, 34. Et opera *(pictorum)* ipsa conveniet attingere, sive exstant, sive intercidere. *Quint.* 1, 5, *f.* Quamquam haec sequenti tempore interciderunt. Sic 10, 2. Cum verba intercidant, invalescantque temporibus. *Justin.* 6, 9. Hujus morte etiam Atheniensium virtus intercidit. *Id.* 3, 4. Quantum juventutis bello intercidat, mulierum fecunditate suppleri. *Papin. Dig.* 5, 3, 49. Si periculum erit, ne inter moras rationes intercidant. *Id. ib.* 40, 5, 26. *med.* Quaestionis est, an fideicommissa libertas non debeat intercidere: et putem, dici debere, salvam esse. *Hor. Sat.* 2, 4, 6. Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox, *h. e.* si oblitus fueris.

INTERCĪDŌNA. V. DEVERRA.

[INTERCĪLĬUM, ii, n. locus medius inter supercilia. *Gloss. Philox.* Intercilium, μεσόφρυον. *Isid. Orig.* 11, 1. Intercilium est medium illud inter supercilia, quod sine pilis est. Suppresso nomine idem describit *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 267. Quam juncto leviter sese discrimine confert Umbra supercilii! et *Capell.* 2. p. 34. Ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas; et *Ov. A. Am.* 3, 201. Supercilii confinia nuda. Hinc *Aristaen. l.* 1. *ep.* 1. Τὸ μεσόφρυον ἐμμέτρως τὰς ὀφρῦς διορίζει. *F.*]

INTERCINCTUS. V. INTERSTINCTUS.

INTERCĬNO, is, a. 3. παρῴδω, cantum immisceo, interpono, insero. *Hor. A. P.* 194. neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat, *h. e.* nihil immisceat, quod non ad rem faciat.

INTERCĬPĬO, is, epi, eptum, a. 3. μεσολαβέω, [*ante capere, quam ad dominum, locum, usum destinatum quid veniat. Hinc primo loco ponenda erant exempla, quae Noster tertio adscripserat:] *Pl. Asin.* 1, 1, 93. Tu redimes me, si me hostes interceperint? *Caes. B. C.* 1, 55. Inopinantes aggressi magnum numerum jumentorum atque hominum intercipiunt. *Hirt. B. G.* 8, 48. Complures hostium partim in fuga proteruntur, partim intercipiuntur. *Tac. H.* 4, 75. Hostes discretos intercipere. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Iphicr.* 2, 3. et *Drak.* ad *Liv. Epit.* 117.] *Ter. Eun.* 1, 1. *extr.* Quod nos capere oportet, haec intercipit. *Hirt. B. G.* 8, 47. Infestisque itineribus, commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercipiebat. *Liv.* 36, 3. Classem paratam ad commeatus intercipiendos habebat. *Cic. Cluent.* 60. Venenum cum daretur in mulso, Balbutium quendam intercepisse, bibisse, statimque esse mortuum. *Id. Att.* 1, 13. Litterae non sunt committendae ejusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint; et *ib.* 10, 8. De iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. [**Liv.* 9, 43. Opportuna loca hostes inter consulum castra interceperunt, i. e. praeoccuparunt. Huc pertinet etiam locus, quem *Forc.* in f. posuerat. *Plin.* 29, 3, 12. In sublime jactari sagoque intercipi, ne tellurem attingat.] ℙ Eleganter *Virg. A.* 10, 401. Ilo namque procul validam direxerat hastam, Quam medius Rhoeteus intercipit, *h. e.* in alium directam ipse corpore excipit, et quasi alieno ictu concidit. ℙ Tum in universum significat, auferre, rapere, furari. *Liv.* 3, 71. *f.* Intercipere aliquid ab aliquo. *Ov. Pont.* 4, 7, 25. aliquid alicui. *Plin.* 9, 8, 8. quaestus alicujus. *Plin. alter Pan.* 75. Quae vos, ne qua interciperet oblivio, in acta mittenda censuistis, *h. e.* deleret, tolleret. *Phaedr.* 4, 11. dives arca veram laudem intercipit, *h. e.* pecunia sibi sumit eam laudem, quae uni virtuti deberetur. *Suet. Gr.* 3. Quum liberum soceri nondum editum fraude intercepisset; et 5. Commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, i. e. ex aliis clam desumpta, detracta. ℙ Hinc spectat ad eos, qui subito interficiuntur, praematura morte abripiuntur. *Colum.* 9, 3. Apes saepe morbis intercipiuntur. *Quint. prooem. l.* 6. Si me, quod aequum fuit, fata intercepissent. [*V. in INTERCEPTUS. ℙ Denique ponitur omnino pro impedire, quominus procedere res qualescunque bene possint.] *Curt.* 4, 2. Praeceps in salum murus pedestre interceperat iter, i. e. interciderat; et 4, 13. *f.* Intercipiente usum aurium fremitu duorum agminum. *Quint.* 6, 4. *med.* Ut obstrepant ingenti clamore, et medios sermones intercipiant, et omnia tumultu confundant.

INTERCISĒ, adv. ἀποτόμως, per incisa, et divisim: cui opponitur continuate, conjunctim, perpetua oratione. *Cic. Part.* 7. Ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur; deinde idem intercise, atque permixte, *h. e.* naturalem verborum ordinem, alio verbo interposito, abrumpendo: ut *nullum intermisi diem; ab heroicis ducta temporibus*. *Gell.* 11, 2. Ex eodem libro Catonis haec etiam sparsim et intercise commeminimus. *Id.* 15, 3. *Autumo* dictum intercise, quasi *abaestumo*, *h. e.* per syncopen, intercidendo mediam syllabam.

*INTERCISĪMEN, inis, n. *Gloss. Gr. Lat.* διακοπή. *B. A.*

INTERCĪSĬO, onis, f. διάκοψις, actus intercidendi, sectio, abscissio. *Varro* ap. *August. C. D.* 6, 9. Intercidonam nuncupari a securis intercisione. V. DEVERRA.

INTERCĪSĪVUS. V. INTERSECIVUS.

INTERCĪSUS, a, um, part. ab *intercīdo*, διακοπείς, abscissus, dissectus. *Cic. Att.* 4, 15. Lacus a Curio emissus, interciso monte. *Tac. A.* 16, 14. Intercisae venae. *Plin.* 16, 34, 62. Hedera etiam pluribus locis intercisa vivit tamen, duratque. ℙ Item separatus, divisus. *Hirt. B. G.* 8, 14. Jugum mediocri valle a castris intercisum. *Id. B. Alex.* 72. Colles intercisi vallibus. *Sen. Cons. ad Marc.* 17. Insula ab Italia angusto intercisa freto. ℙ Translate. *Stat. Th.* 2, 184. Non fugeret diras lux intercisa Mycenas, *h. e.* interrupta, cum sol condidit se die medio, ne Thyestae coenam videret. Adde *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 171. ℙ *Intercisi dies* apud Romanos sunt Deorum hominumque communes, *h. e.* partim festi, partim profesti, quod quibusdam eorum horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere. Nam cum hostia caeditur, fari nefas est: inter caesa et porrecta fari licet: rursus cum adoletur, non licet. Haec *Macr. Sat.* 1, 16. Paulo distinctius *Varr. L. L.* 5, 4. Intercisi dies sunt, per quos mane et vesperi est nefas; medio tempore, inter hostiam caesam et exta porrecta, fas: a quo quod fas tum intercedit, intercisi dies: aut quod tum intercisum nefas. Hactenus *Varro*, cujus posterius etymon verius est, quam primum. *Ov.* tacito nomine, eosdem *Fast.* 1, 49. describit. ℙ Quod in veteri quodam Calendario ap. *Grut.* 133. non semel legitur *en*, ea nota hos dies designat, leguntque *endotercisus*, quod *endo* olim pro *in* usurpatum fuit; [alii *entercisus*, quod et *en* pro *in* dictum fuerit: quod confirmatur ex *Fragm. Fastor. Verrii Flacci* a *Fogginio* editis, ubi ad diem IV. Id. Jan. quaedam leguntur mutila verba idipsum declarantia. ℙ *Intercisa* nempe *saxa* memorat *Itin. Hierosol.* et *Tab. Peut.*, quae ab *Aur. Victore Epitom.* 9. vocatur *Petra pertusa*, in via Flaminia inter Fanum et Forum Sempronii, ubi Vespasianus Aug. montem intercidit ad viam complanandam in loco, qui nunc *il Furlo* appellatur: et a *Claud.* VI. *Cons. Honor.* 500. describitur. *F.*]

INTERCLĀMANS, antis, part. ab inusit. *interclamo*, clamore obstrepens. *Ammian.* 31, 13. Cedentes nostri multis interclamantibus restiterunt.

INTERCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. διακλείω, inter eundum quippiam claudo, intersepio, obsto ne quis progrediatur, prohibeo. *Cic. Att.* 7, 20. Illum ruere nunciant, non ut manum conserat, sed ut fugam intercludat. *Id. Rosc. Am.* 38. Hisce, aliqua fretus hora, semper omnes aditus ad Sullam intercludere. *Id. Rabir. perduell.* 1. Omnes seditionum vias intercludere. [*Huc pertinet locus, quem Noster in f. posuerat. *Cic.* ad *Quir.* 5. Inimici mei flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.] *Pl. Mil.* 2, 2, 68. Intercludito inimicis commeatum. ℙ [*Tum pertinet ad eos, quos removemus, arcemus ab aliqua re.] *Caes. B.*

G. 3, 23. Nostros commeatibus intercludere instituunt. *Id. B. C.* 1, 72. Quod re frumentaria adversarios interclusisset; et *ib.* 2, 20. Ne itinere, aut transjectu intercluderetur. *Liv.* 27, 42. Intercludi a castris. [*Huc referendum exemplum, quod *Forc.* alieno loco infra adscripserat, *Caes. B. C.* 1, 43. Ab oppido, et ponte, et commeatu omni se interclusurum adversarios confidebat. Adde *Liv.* 8, 24. Quum interclusissent trifariam exercitum a mutuo inter se auxilio. Plura praebet *Lex. Liv.* s. h. v. ℙ Hinc i. q. includere.] *Caes. B. G.* 3, 69. Veriti, ne angustiis intercluderentur. Sic *Cic. Caec.* 29. In iis ipsis intercludere insidiis, quas mihi conaris opponere. *Liv.* 23, 7. Comprehensos balneis includi jussit, ubi fervore atque aestu anima interclusa, foedum in modum exspirarent. Sic *Curt.* 7, 5. Qui intemperantius hauserant, intercluso spiritu exstincti sunt. *Stat. Silv.* 5, 1, 131. Amazonia latus intercludere pelta, *h. e.* claudere, tegere, ne tela feriant. [*Virg. A.* 2, 111. Saepe illos aspera ponti Interclusit hiems, *h. e.* impediit, ne discederent. Noster ab initio h. l. posuerat. ℙ Ponitur in universum cum notione impediendi.] *Cic. Att.* 8, 8. Intercludor dolore, quominus ad te plura scribam, *h. e*, impedior, prohibeor.

INTERCLUSIO, onis, f. *ἀπόληψις*, actus intercludendi, impedimentum. *Cic. Or.* 3, 46. Clausulas enim, atque interpuncta verborum animae interclusio, *(das Aushalten des Athems)* atque angustiae spiritus attulerunt. ℙ *Παρένθεσιν* quam Graeci vocant, figuram dicendi, tum *interpositio*, tum *interclusio* Latine dicitur, teste *Quint.* 9, 3. *med.*

INTERCLŪSUS, a, um, part. ab *intercludo*, *κατάκλειστος*, seclusus, inclusus, prohibitus, impeditus. *Cic. Coel.* 18. Via deserta et inculta, atque interclusa frondibus et virgultis. [*Ex ordine, quem recte videmur constituisse in *intercludo*, hic collocavimus locum, quem Noster in f. posuerat. *Suet. Aug.* 16. Interclusi commeatus, famesque ingravescens.] *Cic. Att.* 9, 6. Plane interclusi captique sumus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *med.* Ipsum apud Bellovacos circumsederi, interclusum ab reliquo exercitu. Sic *Caes. B. G.* 7, 59. Legiones a praesidio et impedimentis interclusas flumen distinebat. [*Huc pertinent ista:] *Caes. B. C.* 2, 20. Omni interclusus itinere; et *ib.* 3, 42. Pompejus interclusus Dyrrachio. *Cic. Agr.* 2, 28. Cum totam Italiam suis opibus obsidebunt, vestram libertatem suis praesidiis interclusam tenebunt; et *Prov. cons.* 4. Cum Byzantii Mithridaticos impetus, totumque Pontum crumpentem, aegre repulsum, et cervicibus interclusum suis, sustinerent. *Liv.* 23, 7. et *Tac. A.* 6, 50. Interclusa anima.

INTERCOLUMNĬUM, ii, n. *μεσόστυλον*, spatium inter columnas. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Hedera convestit intercolumnia ambulationis. *Id. Verr.* 2, 1, 19. Signa omnibus intercolumniis disposita. Adde *Vitr.* 3, 1. et 2. et 4, 3.

INTERCONCĬLĬO, as, a. 1. idem ac concilio, idest benevolum reddo. *Quint.* 12, 10. *med.* Sive aliud interconciliandi videtur praestare officium. [*Ejiciendum ex finibus Latii hoc vocabulum censet *Burmannus*, quod nusquam praeterea occurrat, quum ope optimorum edd. manifestorumque in ceteris vestigiorum ab altera sede, quam olim in verbis mox sequentibus occupaverit, deturbatum sit; quodque ejus significatio, *alios inter se conciliandi*, parum cum loci sententia faciat.]

[INTERCREĀTUS, a, um, adj. ab *inter*, et *creatus*, intra generatus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *med.* Denique augmento passionis intercreatus humor in saniem transit. *F.*]

INTERCULCO, as, a. 1. calco in medio, vel inter aliqua: ex *inter*, et *calco*. *Colum.* 12, 43. *f.* Ita distantes, ut interculcari possint vinacea. [*Schneiderus* ex MS. legit *intercalcari*. *F.*]

INTERCURRO, is, ri, rsum, n. 3. *παρεμπίπτω*, inter aliqua curro. *Plin.* 3, 11, 13. Latitudine intercurrentis freti. *Liv.* 5, 19. Indicto delectu in diem certam, ipse interim Vejos ad confirmandum militum animos intercurrit, i. e. medio tempore currit ℙ Item intercedo, intersum: et dicitur saepe de iis, quae inter aliqua porriguntur in longum. *Lucr.* 2, 373. intercurrit quaedam distantia formis. *Plin.* 37, 5, 18. Quibusdam smaragdis intercurrit umbra, surdusque fit colos; et *ib.* 10, 59. Gemma candida intercurrentibus sanguineis venis; et 12, 3, 7. Folium ejus est unedonis, intercurrentibus spinis. ℙ Item intervenio. *Cic. Phil.* 8, 6. Pugnatur acerrime: qui intercurrerent, misimus tres principes civitatis: hos contempsit Antonius. *Id. Tusc.* 2, 15. Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit. *Auct. ad Her.* 1, 8. Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis causa. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 5, 1373. olearum Caerula distinguens inter plaga currere posset Per tumulos, etc.

INTERCURSO, as, avi, atum, n. 1. frequentativum ab *intercurro*. *Plin.* 5, 18, 16. Intercursant, cinguntque has urbes tetrarchiae, regionum instar singulae. *Liv.* 21, 25. Postero die, jam segnius intercursantibus barbaris, junctae copiae, [*i. e. incursantibus.] *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Acinos foliis

incursantibus. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 3, intercursantibus. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 3, 263. Inter enim cursant primordia principiorum.

INTERCURSUS, a, um, part. ab *intercurro*, intercurrendo peragratus. *Ammian.* 15, 10. *med.* Navigatione veloci intercurso spatio maris haud longo.

INTERCURSUS, us, m. cursus inter aliqua. In sexto casu singul. *Liv.* 37, 42. Ibi perturbati ordines, et impeditus intercursu suorum usus praedines, et impeditus intercursu suorum usus praedines, et impeditus intercursu suorum usus praed

neque interdius. [*Addatur *Cato R. R.* 83. itemque *Varro R. R.* 2, 10. *ed. Schneid.* ubi *ed. Gesner.* habet interdiu. *B. A.* Cf. *Ruddim.* 1, 120. *n.* 49.]

INTERDŪATIM et Interatim dicebant antiqui, quod nunc *interdum* et *interim*. *Festus.* Hinc *Pl. Truc.* 4, 4, 29. Id quoque interduatim nomen commemorabitur. Al. leg. *interim futatim.* V. FUTATIM.

INTERDŪCĀ. V. DOMIDUCUS.

INTERDUCTUS, us, m. *διαστολή*, interpunctio et distinctio, quae inter sententias a librariis duci solet. *Cic. Or.* 68. Ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quae non aut spiritu pronunciantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere.

INTERDUM, adv. *ἐνίοτε, ὅτε*, aliquando, nonnunquam: ab *inter* et *dum*. *Cic. Or.* 59. Interdum cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. *Id. Brut.* 67. Saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. *Id. Or.* 3, 54. Habet interdum vim, leporem alias. *Cels.* 1, 1. Interdum quiescere, sed frequentius se exercere debet. [*Suet. Cal.* 43. Modo — interdum; et *Aug.* 75. *Ner.* 49. modo — modo — interdum. ℙ *Interdum* semel positum bis intelligendum est ap. *Vell.* 2, 110, 1. Rumpit, interdum moratur proposita hominum fortuna: ubi v. quae laud. *Ruhnk.*] ℙ Significat etiam interea, interim, quasi *interea dum. Sil.* 4, 491. Dumque vada et molles aditus per devia flexo Circuitu petit, et stagni languentia quaerit, Interdum rapta, etc. (Adde 6, 30.) *Appul. Met.* 3. *in.* Haec identidem mecum replicans, fortunas meas ejulabam. Quati fores interdum, etc. et *ib.* 9. Ille nocturnas tenebras causabatur sibi obsistere. Interdum Philesietaerus, cognito strepitu, etc. *Modest. Dig.* 40, 5, 15. Ideoque nec vendere eum interdum alii potest, ut ab eo, cui traditus est, manumittatur. ℙ Huc alii trahunt et illud *Just.* 11, 9. Movebat haec multitudo hostium respectu paucitatis suae, Alexandrum; sed interdum reputabat, etc. et *Vell.* 2, 74. L. Antonius vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers; et *Tac. A.* 1, 5. Acribus custodiis domum, et vias sepserat Livia: laetique interdum nuncii vulgabantur, donec, etc. [*Refellunt hanc Acidalii ad *Vell.* l. c. propositam sententiam *Grut. ib.*, assentiente *Ruhnk.*, et *Duk.* de *Lat. Vett. Ict.* 375.]

INTERDŪO, is, a. 3. pro interdo, as, a. 1. idem fere ac do, aestimo, facio. *Pl. Capt.* 3, 5, 36. Dum pereat, nihil interduo. [*V. *Lindem.* ad h. l.] *Pl. Trin.* 4, 2, 152. Ciccum non interduim. Adde *Rud.* 2, 7, 22. Porro *interduim* simile est *τοῖς faxim, ausim.*

INTERĔA, adv. *ἐν τούτῳ, ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ*, interim: ex *inter* et *ea*. Habet ultimam longam, etsi accusativus *ea* corripitur, quia adverbium est, ut *praeterea, antea*, et similia. [*Zumpt. *Gr. Lat.* §. 270. p. 246. docet, non sine dubitatione fieri posse, ut *interea* compos. ex praepos. *inter* et accus. neutr. plur. pronom. demonst. *ea* dicatur. *Lünem.* in *Lex. Lat.* s. h. v. *ea* ablat. singul. intelligit.] *Ter. Hec.* 1, 2, 82. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? *Pa.* quotidie. *Cic. Quint.* 6. *extr.* Haec dum Romae geruntur, Quintius interea de agro detruditur. *Id. Or.* 1, 42. *extr.* Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, coguntur, licet, etc. *Caes. B. C.* 1, 10. Interea quoad fides esset data, non intermissuros consules delectus. *Virg. Ecl.* 1, 58. Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes, etc. ℙ Apud comicos additur genitivus *loci*, et significationem nihil mutat. *Ter. Eun.* 2, 2, 24. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum, etc. *Pl. Men.* 3, 1, 1. Plus annis triginta natus sum, cum interea loci Nunquam quicquam feci pejus, quam hodie, cum, etc. ℙ Significat etiam interdum. *Sil.* 7, 395. Interea (crede experto: non fallimus) aegris, Nil movisse, salus rebus. *Interim* quoque nonnunquam hanc vim habet. V. hanc vocem ipsam.

INTĔREMPTĪBĬLIS, e, adj. qui interimi potest. *Tert. adv. Marc.* 3, 6. [Non eas scripturas evolvam, quae interemptibilem Christum edicentes utique et ignorabilem affirmant. *F.*]

INTĔREMPTĬO et Interemtio, onis, f. *καθαίρεσις*, actus interimendi, occisio. *Cic. Manil.* 11. Iter Gallorum interemptione patefactum est. Ita legit *Gruter.* Alii *interitione*, vel *internecione.* [*Ita *Orell.* q. v. Ceterum ubique fere *interemptio* substituerunt in MSS. librarii. V. *Duk.* ad *Flor.* 2, 17, 16. *Drak.* ad *Liv.* 36, 34, 2. *Garaton.* ad *Cic.* l. l.] *Porcius Latro decl. in Cat.* 10. Hastam contorquere in omnium nostrum ruinam atque interemptionem. *Gloss. Philox.* Interemptio, *καταφαγή.*

INTĔREMPTOR, oris, m. qui interimit. [*Vell. 2, 129, 1. Interemptor fratris.] *Sen. ep.* 70. *med.* Interemptorem sui heri. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 2. Virginius filiae pudicae interemptor.

INTĔREMPTRIX, icis, f. quae interimit. *Lact.* 1, 10. Fratris interemptrix. *Tert. Spect.* 17. Ipsae illae *(feminae)* pudoris sui interemptrices.

INTĔREMPTUS et Interemtus, a, um, part. ab *interimo*. [*Immutavimus exemplorum ordinem, ita a Nostro institutum, ut ea primo loco posita videres, quae interficiendi notionem continent.] Ademptus, sublatus. *Ulp. Dig.* 40, 7, 3. *f.* Quatenus dilatione interempta, illico accipiat, quod post tempus consequi poterat. V. INTERFICIO. ℙ Interfectus. *Hor. Od.* 4, 4, 72. Asdrubale interempto. *Justin.* 26, 2. Obversantibus ante oculos Manibus interemptorum. [*Liv.* 25, 28. Hippocrate interempto (de peste). ℙ Saepissime *interemptus* per *interfectus* ab *interpr.* explic. V. *Wund. Varr. Lectt. praef.* p. 114.]

INTĔRĔO, is, ii, itum, n. 4. *διαφθείρομαι*, intercido, pereo, morior, occido. *Cic. N. D.* 3, 14. Non intelligo, quomodo calore exstincto, corpora intereant, non intereant humore aut spiritu amisso; praesertim cum intereant etiam nimio calore: et *ib.* Ignem interiturum esse, nisi alatur. *Id. Fin.* 3, 14. Ut interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae. *Id. Arch.* 4. Tabulas publicas, incenso tabulario, interisse, scimus omnes. *Ov. Met.* 2, 305. omnia fato Interitura gravi. *Virg. G.* 1, 152. intereunt segetes: subit aspera silva, Lappaeque, tribulique. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 6, 9. Multi commeatus interierant insidiis latronum. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Tegeticulis subjectis oves tondere solent, ne qui flocci intereant. *Cic. Dom.* 13. Sacra gentis Clodiae cur intereunt, quod in te est? *Id. Verr.* 2, 3, 55. Vectigalia sunt deminuta: res frumentaria, commeatus, copiae, salus urbis atque exercituum nostrorum istius avaritia interiit. *Id. Att.* 1, 13. Litterae aut interire, aut aperiri, aut intercipi possunt. *Nep. Them.* 2. Cum pecunia publica largitione magistratuum quotannis interiret. *Caes. B. C.* 2, 16. Tormentorum usum spatio propinquitatis interire; et *ib.* 3, 27. Naves naufragio intereunt; et *B. G.* 5, 30. Ferro aut fame interire. *Cic. Acad.* 1, 7. *med.* Omnes res intereunt, non in nihilum, sed in suas partes: et *mox.* Nihil esse valentius, a quo ratio perfecta intereat, *Hor. Od.* 2, 18, 15. Truditur dies die, Novaeque pergunt interire lunae, *h. e.* condi et confici. Sic *ib.* 4, 7, 9. ver proterit aestas Interitura, simul Pomifer Autumnus fruges effuderit. *Ov. A. Am.* 1, 374. interit ira mora, *h. e.* desinit, sedatur. *Paul. Dig.* 27, 3, 10. Actiones morte tutoris intereunt, *h. e.* exstinguuntur, finiuntur. *Papin. ib.* 41, 2, 44. Interit possessio, *h. e.* amittitur. ℙ *Interii* (ut *perii*) familiaris et frequens exclamatio est, apud comicos, ejus, qui de se actum putat. *Ter. Hec.* 3, 1, 42. Interii! cur mihi id non dixti? *Pl. Most.* 4, 3, 36. Hei mihi disperii! vocis non habeo satis: Vicini, interii, perii. *Id. Bacch.* 5, 1, 7. Omnibus exitiis interii. ℙ Differt a *pereo* magno discrimine. Nam *perire* levius est, et habet inventionis spem, et non omnium rerum finem. Ita *Non.* 5, 4. Hinc *Pl. Capt.* 3, 5, 32. Qui per virtutem peritat, non interit. [*Lindem.* exhibet; qui per virtutem periit at non interit. Cf. *Doederl.* 3, 177.] ℙ Proprie est ire, vel positum esse inter aliqua: quo sensu *Sever. Aetn.* 450. disjectaque saxa Intereunt venis, *h. e.* eunt inter venas, seu venis immiscentur. Hinc *Gloss. Philox.* Intereo, *ὑπεισέρχομαι.*

INTĔRĔQUĪTO, as, n. 1. per medios equito. *Liv.* 35, 5. *med.* Obstabant duces, caedentes terga trepidantium, et redire in ordines cogentes: sed interequitantes alarii non patiebantur. *Id.* 34, 15. Ipse interequitans sparo percutit. ℙ Cum accusativo, qui a praepositione ipsi verbo praefixa regitur, *Id.* 6, 7. Ordines interequitans. *Curt.* 4, 13. Praetores agmina sua interequitantes.

INTĔRERRO, as, n. 1. inter aliquid erro. *Prud. Cath.* 6, 43. Nunc splendor intererrat, Qui dat futura nosse. *Minuc. Fel. Octav.* 10. Deus locis omnibus intererrat.

INTĔREST, impers. anom. n. *διαφέρει*, refert, pertinet: ab *inter* et *sum*. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. Hoc vehementer interest reipublicae; et *Phil.* 1, 9. Quis enim est hodie, cujus intersit istam legem manere? *Id. Fam.* 4, 10. Multum interest rei familiaris tuae, te quamprimum venire. *Id. Att.* 10, 4. *med.* Quid illius interest, quoniam in senatum non venis, ubi sis? ℙ Et sequente alia particula. *Id. Fam.* 13, 10. In omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit. *Caec.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur. *Liv.* 26, 31. *f.* Ea vos rata habeatis, nae magis reipublicae interest, quam mea. *Cic. Fam.* 16, 1. Magni ad honorem nostrum interest, me venire. ℙ *Mea, tua, nostra interest*, est e re mea, tua, etc. quasi *est in re mea*, etc. *Id. ib.* 16, 4. *med.* Tua, et mea maxime interest, te valere. *Tac. H.* 1, 30. Vestra interest, ne imperatorem pessimi faciant. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 114. p. 334. sqq. et *Zumpt. Gr. Lat.* §. 449. p. 373.] ℙ Omittitur in illo *Bruti ad Brut.* 1, 17. *med.* Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut, etc.? ℙ Loco genitivi *cujus* potest *cuja* usurpari. V. CUJUS. ℙ Habet etiam genitivos pretii, *magni, parvi, tanti*, etc. *Cic. Att.* 11, 22. *extr.* Illud mea magni interest, te ut videam. *Id. Fam.* 13, 10. Malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. *Ulp. Dig.* 2, 13, 8. Vel minoris, vel pluris interesse coepit. ℙ Cum adverbiis quantitatem significantibus. *Cic. Or.* 16. Si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas; quid in causis, etc.? *Id. Fam.* 12, 9. Multum interest, te venire; et *ib.* 3, 11. Ad rem nihil interest. *Id. Sull.* 28. Vestra enim, qui summa integritate vixistis, hoc maxime interest. *Id. Mil.* 21. Semper ille, quantum interesset P. Clodii se perire, cogitabat. *Id. Mur.* 2. *f.* Ostendam quantum salutis communis intersit, duos consules esse. *Id. ad Brut.* 1, 5. Quantopere intersit, opprimi Dolabellam. ℙ Sunt aliae hujus verbi notiones, quas vide in INTERSUM.

INTERFĂCĬO, is, a. 3. interim, vel per intervalla facio. *Liv.* 25, 11. [Reliquit tamen modicum praesidium, ut simul interfaciendo muro adjuvaret, *h. e.* dum murus fieret. Plerique tamen rectius leg. ut *simul in faciendo muro. F.*]

INTERFĀRIS, atus sum, dep. 1. *διακόπτω*, interpello, loquentem interrumpo. *Liv.* 3, 47. Priusquam ille postulatum perageret, interfatur Appius. *Plin. ep.* 1, 23. Quem *(tribunum plebis)* interfari nefas esset, hunc etiam convicia audire. *Liv.* 7, 36. Interfante Decio, distulit concionem. *Virg. A.* 1, 390. medio interfata dolore est. *Liv.* 32, 34. Orsum eum dicere Phaeneas interfatus, etc.

INTERFĀTĬO, onis, f. actus interfandi, brevis sermo interpositus, interlocutio, *μετάβασις. Cic. Sext.* 37. Itaque fretus sanctitate tribunatus, cum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba et interfationem legibus sacratis esse armatum putaret. Alii perperam leg. *intercessionem.* [*Alii *interfectionem.* Retinuit quidem *Orell. interfationem*, sed dubiam dicit hanc *Turnebi* conjecturam, quod non habeat, unde constet, nisi locum Quintiliani, a Nostro mox laudatum, ubi *Spalding.* ad eam recurrat; quodque in oratione tam foede corrupta *interfectionem* oriri possit etiam ex *interpellationem*, q. v. sit Tullianum. Accedit, quod *interfatio* ap. *Quint.* quidem non est, illa, quam *μετάβασιν* Graeci dixerunt, quae latius patet, v. *Ernest. Lex. techn. Gr. rhet.* s. h. v.; sed formam dicendi significat, qua orator ab una parte narrationis ad alteram progreditur.] *Quint.* 4, 2, 50. Interim expediet expositiones brevi interfatione distinguere: *audistis, quae ante acta sunt; accipite nunc, quae insequantur.*

INTERFECTĪBĬLIS, e, adj. qui interfectionem cohibet. *Appul. Herb.* 89. Ruta interfectibilis viperarum.

INTERFECTĬO, onis, f. caedes, *φόνος. Brut. ad Cic.* ad *Brut.* 2, 3. Interfectio Trebonii. *Ascon.* in *argum. Milon.* Interfectio Clodii. *Lampr. Commod.* 4. Compulit ad ejus interfectionem consilia inire.

INTERFECTĪVUS, a, um, adj. letalis, ut Interfectivus morbus, ap. *Coel. Aurel. praef.* et *Tard.* 5, 10.

INTERFECTOR, oris, m. *φονεύς*, qui interfecit. *Cic. Mil.* 27. Quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria. *Sen. ep.* 7. *med.* Interfectores interfecturis jubentur objici. ℙ Translate. *Tert. Carn. Christ.* 5. Interfector veritatis, *h. e.* destructor.

INTERFECTRIX, icis, f. *Tac. A.* 3, 17. Interfectricem nepotis aspicere. **Hyg. fab.* 122. *B. A.*

INTERFECTUS, a, um, part. ab *interficio*: [*i. q. finitus, perditus. *Imppp. Grat., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 4, 22, 2. Ut neuter reparationem interfecti hoc pacto negotii audeat postulare, *h. e.* finiti, exstincti. *Appul. Met.* 5. Novam nuptam interfectae virginitatis curant. V. INTERFICIO. ℙ Tum signif. occisus, Gr. *κτεινόμενος.*] *Cic. Manil.* 5. Vos legatum populi R. omni supplicio interfectum inultum relinquetis? ℙ [*Insolentius de voluntaria morte usurpatur. *Tac. A.* 1, 2. interfecto Antonio, — Eadem ratio est v. *occidere. Id. H.* 1, 53. Occiso Nerone; cf. *Suet. Ner.* 49. ferrum jugulo adegit juvante Epaphrodito. V. INTERFICIO. ad f. ℙ Permutantur *interfectus* et *interceptus.* V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 7, 18. p. 501.]

INTERFĔMĪNĬUM, ii, n. pudendum muliebre, ita appellatum, quia inter femina jacet. *Gloss. Philox.* Interfeminium, *τὸ γυναικεῖον. Appul. Apol.* de Venere: Interfeminium tegat et femoris objectu, et palmae velamento. V. SEMIREDUCTUS. [*Plura addidit *F.*]

[INTERFĔMUS, ŏris, n. spatium medium inter femora, idem ac *περίναιον. Gloss. Philox.* Interfemus, *μεσομήριον. F.*]

INTERFĬCĬO, is, eci, ectum, a. 3. [*Compositum ex *inter* et *facere* proprie signif. medium aliquid facere; quod aut miscendi, jungendi, aut separandi, dirimendi causa fieri possit. Illuc referendus est locus, quem Noster laudaverat addita inficiendi, imbuendi notione: *Plin.* 2, 100, 104. Terrae natura medicatas aquas interficit. — Huc pertinet aliud ab *Eod.* allat. exemplum, ubi cum interrumpendi notione positum voluit *interficere. Appul. Met.* 11. Singultu crebro sermonem interficiens. ℙ Hinc, quoniam rei, cujus turbato ordine aut dirimantur partes aut coeant, propria natura,

faciesque perit, ita ut existere, adesse amplius dici nequeat, orta est, a) in bonam partem, consumendi, finiendi significatio, cujus haec Noster exempla posuerat: *Lucil.* Piscium magnam, atque altilium vim interfecisti. Ita *Non.* 4, 263. interpretatur. *Accius* ap. *eund.* 1, 51. Fati internecionem fore Meleagro, ubi torris esset interfectus flammeus. *Lucil.* ap. *eund.* 6, 9. Durum, molle voras, fragmenta interfici' panis. Tum b) in malam partem ponitur pro perdere, pessumdare. Huc refer ex iis, quae Noster laudaverat, ista: (de rebus inanimis). *Virg. G.* 4, 330. Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 6, 9. Herbas arescere et interfici. ℙ Comice *Pl. Merc.* 5, 1, 4. Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc aedium interemptus est, interfectus est, alienatus est. ℙ Neque aliter intelligenda videntur, in quibus ablativus rei, cujus quis damnum accipiat, vel afferat, additur, ubi privandi notionem inesse *Forc.* voluit. *Gell.* 12, 7. Mulier virum, et filium, venenis clam datis, vita interfecerat. *Pl. Truc.* 2, 6, 37. Qui me interfecisti paene et vita, et lumine. ℙ Porro huc pertinet, cujus nulla a Nostro facta erat mentio, dicendi ratio, *interficere exercitum*, i. e. ita hostium aciem caedere, ut maxima eorum pars morti detur. *Nep. Arist.* 2, 1. Idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeos in proelio, quo Mardonius fusus Barbarorumque exercitus interfectus est: ubi v. *Brem.;* et *Eutrop.* 3, 20. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum pugnat, exercitum ejus interficit. ℙ Tum denique sensu praegnante usurpatur de quovis mortis genere pro occidere, interimere, conficere, Gr. κτείνειν. V. *Doederl.* 3, 186. sq. Exempla Noster haec posuerat:] *Cic. Dom.* 23. Eum toties per insidias interficere voluistis. *Nep. Dat.* 9. Eum insidiis interficere studuit. *Caes. B. G.* 3, 6. Undique circumventos interficiunt. *Pl. Most.* 1, 3, 35. Dii, Deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant, Nisi ego illam anum interfecero siti, fameque, atque algu. *Lucr.* 5, 1248. feras interficere, et ditescere praeda. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 1. Quinque millia Praenestinorum interficienda curavit. *Liv.* 40, 14. Capta domo dominum interfecturus eram.

INTERFĬO, is, n. pass. anom. ἀναιρέομαι, plane tollor, consumor, intereo. *Lucr.* 3, 886. Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto, Aut flammis interfiat, malisve ferarum. *Pl. Trin.* 2, 4, 131. Istic oportet obseri mores malos, si in obserendo possint interfieri.

INTERFLŬO, is, xi, n. 3. διαῤῥέω, per medium fluo. *Liv.* 27, 29. *f.* Per fretum, quod Naupactum, et Patras interfluit. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 128 a. p. 379.] *Plin.* 3, 5, 11. Angusto freto interfluente. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 6. Cum inter duos consulatus anni decem interfluxissent. Al. leg. *interfuissent.* ℙ Passive. *Appul. de Mundo.* Insulae interfluuntur, *scil.* mari. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 4, 228. Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.

INTERFLŪUS, a, um, adj. μεσοῤῥόος, qui interfluit. *Plin.* 6, 26, 30. Interfluo Euphrate. *Pall.* 10, 10. *extr.* Interfluus humor. **Solin.* 66. *in.* Scinditur amne interfluo. *B. A.*

INTERFŌDĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. idem ac fodio, pungo. *Lucr.* 4, 720. Pupillas interfodiunt.

INTERFOR. V. INTERFARIS.

INTERFOSSUS, a, um, part. ab *interfodio*, effossus. *Pall.* 11, 12. Cuneum salicis interfossis radicibus premi.

[INTERFRĪGESCO, is, n. 3. interea frigesco. Translate, interea elanguesco, cesso. *Fragm. jur. civ. antejustin.* (ed. *A. Maio*) p. 45. Nec in infinitum captiosi silentii tempus, per quod res interfrigescat, concessum sibi credat. *F.*]

INTERFRINGO, is, ēgi, actum, a. 3. idem quod infringo. *Cato R. R.* 44. Et si quid ventus interfregerit, ea omnia eximito. Adde *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 1.

INTERFŬGĬO, is, a. 3. inter aliqua fugio. Per tmesin dividit *Lucr.* 6, 331. Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.

INTERFULGENS, entis, part. ab inusit. *interfulgeo*, inter aliqua fulgens. *Liv.* 28, 23. Aurum argentumque cumulo aliarum rerum interfulgens.

INTERFUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. διαχέω, per medium fundo. *Avien. Perieg.* 255. Sic vasti moles pelagi interfunditur oras. *Id. ib.* 1110. Et tentis procul interfunditur undis.

INTERFŪRO, is, n. 3. in medio duorum insanio. *Stat. Achill.* 1, 395. Et alternum Mavors interfurit orbem.

INTERFŪSĬO, onis, f. actus interfundendi. *Lact.* 7, 3. *f.* Maris opulenta et copiosa interfusio.

INTERFŪSUS, a, um, part. ab *interfundo. Plin.* 3, 8, 14. Sicilia Bruttio quondam agro cohaerens, mox interfuso mari avulsa. *Virg. A.* 4, 643. maculisque trementes Interfusa genas. *Id. G.* 4, 480. quos novies Styx interfusa coercet. ℙ Translate. *Stat. Th.* 3, 677. Haec alterna ducum nox interfusa diremit.

INTERFŪTŪRUS. V. INTERSUM.

INTERGANNĪTUS. V. v. sq.

INTERGARRĪTUS, a, um, part. ab inusit. *intergarrio*, inter aliqua garritus, garriendo interpositus, effutitus. *Appul. Apol.* Dein pauculis verbis intergarritis, etc. Al. leg. *intergannitis*, simili sane sententia, sed prius praestat.

[INTERGĔRIES, ei, f. *Gloss. Philox.* Intergeries, paries, τοῖχος ὁ δύο κτήσεις διορίζων, *h. e.* murus duas possessiones separans. *F.*]

INTERGĔRĪNUS. V. v. sq.

INTERGĔRĪVUS, a, um, adj. interjectus. Intergerivi parietes, inquit *Festus*, dicuntur, qui inter confines struuntur, et quasi intergeruntur. *Plin.* 35, 14, 49. Sesquipedalis paries non plus, quam unam contignationem tolerat: cautumque est, ne communis crassior fiat, nec intergerivorum ratio patitur. ℙ Transfertur ad alia. *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerivis sic a solo fornicatis, ne desit aditus ad sarciendum, *h. e.* interstruendo quasi pilas, quae favos per intervalla sustineant. ℙ Tribuunt quidam etiam *Vitr.* 5, 12., sed dubia est lectio. ℙ Sunt, quibus placet *intergerinus* ubique legi. *Scaliger* mallet etiam *intergerrivus*, a gerris, *h. e.* cratibus.

INTERGĔRĬUM, ii, n. quidquid alicui rei interjicitur, seu intergeritur. Itaque *Plin.* 13, 12, 26. intergerium vocat glutinamentum quoddam, quod inter duas chartas inseritur in earum confectione: ducta metaphora ab intergerivo pariete.

INTERGĔRO, is, a. 3. interpono, intersero. Exemplum *Festi* V. in INTERGERIVUS.

INTERGRESSUS, us, m. interventus. In sexto casu sing. *Minut. Fel. Octav.* 15. Vires actionis meae intergressu gravissimae disputationis infringere.

INTĔRHĬO, as, n. 1. in medio hio. *Tert. Apol.* 48. *f.* Finis et limes medius, qui interhiat.

INTERJĀCĔO, es, n. 2. παρέγκειμαι, in medio jaceo. *Liv.* 37, 41. Interjacebat campus: colles imminebant nudi. *Plin.* 5, 4, 4. Regio, quae duas syrtes interjacet. [**Liv.* 7, 29. Samnites descendunt in planitiem, quae Capuam Tifataque interjacet. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 128. a p. 379.] *Id.* 4, 12, 20. Interjacet haec inter eam et Rhodum. *Colum.* 11, 3. Spatium, quod sulcis interjacet. *Liv.* 21, 30. *extr.* Campus interjacens Tiberi, ac moenibus Romanis. [*Huc pertinet locus quem *Forc.* v. seq. adscripserat *Plin. ep.* 2, 17. Transitu interjacente.]

INTERJĀCĬO et Interjicio, is, jeci, jectum, a. 3. παρεμβάλλω, inter aliqua jacio, interpono, intersero, admisceo. *Caes. B. C.* 1, 73. Crebras stationes disponunt equitum, legionariasque interjiciunt cohortes. [*V. in INTERJECTUS.] *Tac. A.* 2, 10. Pleraque sermone Latino interjaciebat. *Cic. Univ.* 7. Tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, idque interjecit inter individuum, atque id, quod, etc. [**Suet. Caes.* 40. Inter *Nov.* et *Dec.* mensem interjicit duos alios, *h. e.* intercalavit.] *Tac. A.* 1, 23. *extr.* Ni miles preces et minas interjecisset. *Id. H.* 3, 81. Si moram interjecissent. *Inscr.* ap. *Mur.* 575, 2. Proposito eorum restitit provocatione interjecta.

INTĔRĪBI, adv. interea, interim. *Pl. Pers.* 1, 3, 85. Abi, et istuc cura: interibi ego puerum volo mittere, etc. *Gell.* 3, 7. Interibi, dum ea pugna fit. Adde *Afran.* ap. *Non.* 13, 14.

INTĔRĪBĬLIS, e, adj. qui interire potest, mortalis. *Tert. adv. Herm.* 34. *f.* Nihil Deus interibile fecisset. *Arnob.* 2, 65. Animae passivae atque interibiles.

INTERJECTĬO, onis, f. παρένθεσις, interpositio, insertio. *Auct. ad Her.* 1, 6. Et tamen occulte dicemus interjectione verborum. V. INTERJECTUS, us. ℙ Ap. grammaticos est pars orationis indeclinabilis, quae varios animi affectus ostendit, ut *Euge*, *malum*, *vah*, etc. *Charis.* 2, 171. *Quint.* 1, 4. etc. ℙ Item figura rhetorica, eadem ac parenthesis, seu interruptio. *Quint.* 8, 2, 15. Etiam interjectione, qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est. [*V. *Gesner.* ad h. l. et *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 222. sq.]

INTERJECTĪVĒ, adv. ad modum interjectionis. *Prisc.* 15. *f.* [Aliae quoque partes orationis singulae vel plures solent interjective proferri, ut Virgilius (*Aen.* 1, 251.) Navibus, infandum! amissis, unius ob iram Prodimur. *F.*]

INTERJECTĪVUS, a, um, adj. qui interjicitur, seu interponitur. *Simplic. de re agrar.* p. 78. *Goes.* Interjectivi rigoris incessus.

[INTERJECTŪRA, ae, f. idem ac interjectio. *Frontin. de colon.* p. 135. *Goes.* Sunt et per recturas positae interjecturae. *F.*]

INTERJECTUS, a, um, part. ab *interjacio*, interpositus. [**Lucr.* 4, 413. Interjectaque sunt terrarum millia multa. Amat *Caes.* h. v. V. *B. G.* 2, 17, ubi *Oudendop. Intertextis.* Adde *ib.* cp. 22. et 7, 36. *Tibull.* 4, 1, 150. Interjecto mundi pars altera sole: intellige terras ultra tropicum.] *Cic. N. D.* 2, 57. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. *Id. Off.* 1, 26. Aut interjecti inter philosophos, et eos qui rempublicam administrarent. *Id. Somn. Scip.* 6. In ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas vides. *Id. Prov. cons.* 8. Annus interjectas vides. *Id. Prov. cons.* 8. Annus interjectus; et *Off.* 1, 9. Quasi longo intervallo interjecto. *Liv.* 1, 58. Paucis interjectis diebus. [*Adde *Vell.* 2, 99, 1. et *ib.* 2, 1. *Suet. Caes.* 37. ubi *interjectis diebus* oppon. continuis diebus. *Aug.* 26. Tertium consul. anno interjecto gessit: Oppon. sequentes continuavit; et *Cal.* 18. Edidit et Circenses — interjecta modo Afric. venatione, modo Trojae decursione, *h. e.* exhibita per diei intervalla. ℙ *Interjecta* absolute signif. *loca interjecta* ap. *Liv.* 9, 13. Interjecta inter Romam et Arpos. cf. 21, 54. it. 34, 28.] ℙ Dividitur per tmesin a *Lucr.* 3, 873. Inter enim jecta est vitai pausa. ℙ *Interjectus*, disjectus. *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 28. Utque erat interjecta comas, turbata capillos, *h. e.* comam habens non in unum collectam, sed divisis, disjectisque capillis solutam.

INTERJECTUS, us, m. idem ac interjectio. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna interpositu interjectuque terrae repente deficit. *Tac. A.* 3, 51. *extr.* Interjectu temporis; et *ib.* 6, 39. Interjectu noctis; et *ib.* 3, 67. Petito paucorum dierum interjectu. *Colum.* 3, 21. *med.* Si vero interjectibus capere cujusque generis fructum aveat, etc. *h. e.* per intervalla temporis. Al. leg. *interjectionibus* eod. sensu. ℙ Pro actu interjacendi. *Appul. Flor. n.* 23. Velut in maceria lapides temerario interjectu poni necesse est.

INTERJICĬO. V. INTERJACIO.

INTĔRIM, adv. μεταξύ, interea: ab *inter*, et *im* pro *eum*. V. IM. *Cic. Fam.* 10, 12. Interim ad me venit Munatius noster. *Id. Or.* 2, 86. Hoc interim spatio conclave illud concidisse. *Ter. Andr.* 1, 1, 100. Funus interim procedit. *Id. Eun.* 5, 2, 3. interim, Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam venit. *Cic. Rosc. Am.* 29. Interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle, *h. e.* dum ista dicis. ℙ Significat etiam interdum, modo, quemadmodum etiam *interdum* aliquando pro *interim* ponitur. [*V. *Spald.* ad *Quint.* 1, 1, 8. et *Frotsch.* ad *Eund.* 10, 3, 7. *Böttich. Lex. Tac.* p. 281.] *Sen. Ira* 1, 16. Interim optimum misericordiae genus est, occidere. *Sen. alter Herc. Oet.* 481. Interim scelus est fides. *Quint.* 9, 3. *med.* Ut in cibis interim acor ipse jucundus est. *Id.* 5, 10. *med.* Haec interim necessario fiunt, interim plerumque, sed non necessario. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 27. Prudenter constituis interim navibus, interim vehiculis uti. Scripserat *Plin. ep. praeced.* destinasse se partim navibus, partim vehiculis provinciam petere. Adde *Melam* 3, 6. ℙ [*Est etiam i. q. aliquando, aliquamdiu, τέως ap. solum, ut videtur, *Tac. A.* 1, 4. Serviendum adolescentibus, qui rempublicam interim premant quandoque distrahant; et 14, 41. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos — detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. *Böttich. Lex. Tac.* p. 281.]

INTĔRĬMO, is, ēmi, emptum, a. 3. ἀφαιρέω, e medio tollo, adimo, intercipio: ab *inter* et *emo*, quod sumere, tollere significat: ut in *abemere*, *adimere*, *eximere*, etc. [*V. *Döderl.* 3, 187.] *Cic Mur.* 12. *f.* Senes ad coemptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. *Pl. Epid.* 4, 2, 24. et *Cas.* 3, 5, 29. Interimere ait velle vitam. *Lucr.* 3, 288. Interimere sensum. [*Neque differunt quae Noster tertio loco adscripserat.] *Lucr.* 1, 215. ubi quaeque in sua corpora rursum Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res. *Colum.* 11, 3. Hunc veprem manifestum est interimi non posse, nisi radicitus effodere velis. [*Front. ad M. Caes.* 3. (ed. *A. Maio*) *ep.* 13. *med.* Ne luna occidat, ne ventus lucernam interimat. *F.*] ℙ Saepe est διαφθείρειν, e vivis tollere, interficere, occidere. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 13. Accurrite amabo, ne se interimat. *Cic. N. D.* 1, 19. Si quae interimant, innumerabilia sint, etiam ea quae conservent, infinita esse debere. *Hor. Sat.* 2, 3, 131. Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno. [**Ov. Met.* 13, 245. Ausum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dodona Interimo. *Id. Fast.* 2, 809. Interimam famulum.] *Liv.* 1, 3. *f.* Addit sceleri scelus: stirpem fratris virilem interimit. *Just.* 14, 4. Ipsum Alexandrum interempturi. [**Vell.* 2, 85, 4. Interimere ferro. Suetonii exempla v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 443. Discrimen inter *interimere* et *interficere* in eo potissimum cernitur, quod illud, ut nostr. *aus dem Wege räumen*, maxime de interfectione clam et sine ostentatione perpetrata, nunquam fere de supplicio publice sumpto dicitur. *Doederl.* 3, 187.] ℙ Translate. *Pl. Merc.* 3, 4, 22. Disperii! illaec interemit me modo hic oratio. *Cic. Mil.* 34. Me quidem, judices, exanimant et interimunt hae voces Milonis.

INTĔRĬOR, ius, oris, adj. ἐνδότερος, qui est magis intus. *Cic. Sext.* 10. Quibuscum hominibus in interiore aedium parte vivebat. [**Ov. Met.* 7, 670. Phocus in interius spatium, pulchrosque recessus Cecropidas ducit. *Liv.* 40, 8. Secessit in partim interiorem cum amicis. *Ter. Eun.* 3, 5, 31. In interiore parte ut maneam solus cum sola, i. e.

in gyneconitide.] *Cic. N. D.* 1, 11. Nihil est interius mente. *Id. Manil.* 22. Regna interiorum nationum, i. e. a mari remotiorum. [*V. *Matth.* ad h. l.] Sic *Liv.* 42, 39. Ab Dio Perseus in interiora regni se recepit. Adde *Varr. R. R.* 1, 2. [**Caes. B. G.* 2, 2. In interiorem Galliam qui deduceret, i. e. interiorem Galliae partem, ut inde altius et in ulteriorem Galliam penetraret. Ita *Moeb.* Al. leg. *ulteriorem.* V. *intpp.* Adde *Tac. A.* 2, 24. Multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemtas ab interioribus reddidere, i. e. remotis, Romanis ignotis. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 281. *Eutrop.* 8, 18. Arabas interiores: ubi v. *Tzschuck.*] ℙ *Interiora* absolute pro interaneis. *Veg. Vet.* 1, 39. Torsiones vocant, et interiorum incisiones. *Cels.* 1, 1. Facilius omnium interiorum morbi, curationesque in notitiam venient, si prius eorum sedes breviter ostendero. ℙ *Interior homo* ap. *Pl. Asin.* 3, 3, 66. est ipsa anima et vita. ℙ [**Interiores* ap. *Caes. B. G.* 7, 82. sunt oppido inclusi.] ℙ In cursu circensi *interior* est sinister: ita enim metam adibant quadrigis, ut a dextra ad laevam partem flecterent, eam circumituri. Hinc *interior rota* est sinistra: *interior equus* sinister. Ex quo etiam fit, ut *interior* sit propinquior, quia sinistra pars propius ad metam accedit, et minorem gyrum, circa eam flectendo, facit. Contrarium *dexter* et *exterior* significant. *Ov. Amor.* 3, 2, 12. Nunc stringam metas interiore rota. *Id. A. Am.* 2, 426. Interior curru meta terenda meo est. *Virg. A.* 5, 170. Radit iter laevum interior; et 202. dum proram ad saxa suburget Interior; et *ib.* 11, 694. de Camilla: magnumque agitata per orbem Eludit gyro interior, sequiturque sequentem. [**Sil.* 16, 362. Sed laevo interior stringebat tramite metam, i. e. intra metae fines manebat, hosque tantum leviter attingebat.] Sic *Hor. Sat.* 2, 6, 26. bruma nivalem Interiore diem gyro trahit. [**Cic. N. D.* 2, 41. Cursu interiore brevi convertitur orbe.] ℙ Hinc saepe idem est, quod propinquior, vicinior. *Liv.* 7, 10. *med.* Cum scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque, [*i. e. tutus, quia nimis propinquus est infestanti se;] et 24, 34. *med.* Propius quaedam subibant naves; quo interiores ictibus tormentorum essent. [*Ad nostrae militiae linguaeque rationem est: *Unter die Kanonen.*] *Cic. Or.* 2, 51. *f.* Timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus: interior ille est proprius, sed hic quoque communis, etc. et *Off.* 3, 17. Societas latissime patet hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt: propior eorum, qui ejusdem civitatis. ℙ In ambulando *interior* est, qui a media via est remotior, et parieti propior (sive dexter sit, sive sinister), et honoratiorem locum tenet: contra exterior, qui minus honorato loco ambulat, scilicet mediam viam versus, et a pariete longius. Hic dicitur latus tegere, aut claudere. *Ov. Fast.* 5, 68. Et medius juvenum *(senior)*, non indignantibus ipsis, Ibat; et interior, si comes unus erat. [*V. *Gierig.*] *Hor. Sat.* 2, 5, 16. ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses. ℙ *Lectus interior* est ejus pars ab janua remotior, et parieti cubiculi propior: in ea cubabant pueri, et mulieres. *Ov. Amor.* 3, 14, 32. Cur pressus prior est, interiorque torus? *h. e.* utraque lecti sponda. Sic *Suet. Caes.* 49. Interior sponda regiae lecticae. ℙ *Interior epistola* ap. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 7. *med.* est pars epistolae remotior a principio, *h. e.* vel media, vel mediae proxima. *Manutio* placet, esse eam, quae a fine propius absit, nimirum a consuetudine complicandi epistolas in volumen, ita ut quae ultima scripta in pagina pars erat, involveretur prima; quae prima, ultima. Sic enim volumine confecto, postrema pars interior remanebat. ℙ Translate est occultus, reconditus, non vulgatus. *Cic. Div.* 2, 60. Sed haec quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. *Id. N. D.* 3, 16. Qui interiores scrutantur et reconditas litteras. [*V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] *Ov. A. Am.* 3, 239. pars maxima rerum Offendat, si non interiora tegas. *Nep. Ann.* 2. Cum se ab interioribus consiliis segregari vidisset. *Suet. Tib.* 54. Patefacta interiore animi sui nota; et *Aug.* 61. Referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam. *Hor. Od.* 2, 3, 8. Interiore nota Falerni, *h. e.* magis recondita, ac diligentius asservata. ℙ Item familiaris, intimus. *Liv.* 42, 17. Litteris spem amicitiae interioris, magnaeque inde fortunae facientibus. *Tac. H.* 1, 2. Alii sacerdotia et consulatus adepti, procurationes alii, et interiorem potentiam, *h. e.* gratiam familiaritatis apud principem et ex ea potentiam. [**Suet. Cal.* 19. Interiores aulici. ℙ *Interior cura* ap. *Sil.* 16, 339. At, quis interior cura, et prudentia Circi Altior, etc.: est accuratior. *Liv.* 23, 19. Interiore custodia cautum, i. e. arctiore, diligentiore. Alii tamen legunt: *intentiore.*]

INTĔRĪTĬO, onis, f. interitus. *Cic. Verr.* 2, 3, 54. Tamen aratorum interitio facta nulla est. Ita leg. *Non.* 3, 112. et alii: alii *internecio*, [*vel *internicio.*] *Auct. B. Hisp.* 24. *extr.* Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum poena litata est. *Arnob.* 2, 87. Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret. Adde *Auson. perioch. Odyss.* 24. ℙ *Interitio rerum* est, cum penitus destructae in nihilum rediguntur. *Vitr. praef. l.* 8. Quae de aere nascerentur, item in coeli regiones reverti, neque interitiones recipere, sed dissolutione mutata, in eandem recidere, in qua ante fuerant, proprietatem.

INTĔRĪTUS, a, um, part. ab *intereo*: *διεφθαρμένος. Claud. Quadrig.* ap. *Prisc.* 9, 869. Pugna acriter commissa, et multis utrinque interitis. *Sidon. ep.* 2, 10. Eam brevi abolitam defleamus, interitamque.

INTĔRĪTUS, us, m. *ἀναλύσεις, διάλυσις*, quasi discessus, et secretio, ac diremptio earum rerum, quae junctione aliqua tenebantur, ut *Cic. Tusc.* 1, 29. definit. *Id. N. D.* 1, 25. *extr.* Individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur. *Id. Div.* 2, 16. *f.* Natura omnium rerum interitus, atque obitus conficit. *Id. Cat.* 3, 8. Caedes, atque incendia, et legum interitum, atque imperii occasum appropinquare. *Id. Sull.* 11. Ad occasum interitumque reipublicae. *Nep. Ep.* 8. Uno proelio Thebas ab interitu retraxit. *Cic. Div.* 1, 32. Cum interitum exercitus nunciavisset. (Adde *Off.* 2, 6.) et *Fin.* 2, 9. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum! *Id. Brut.* 33. Damnum enim, illius immaturo interitu, Latinae litterae fecerunt. *Gell.* 15, 7. Sexagesimum tertium vitae annum cum periculo venire aut morbi gravioris, aut vitae interitus, aut animi aegritudinis. *Lucr.* 5, 875. Redigere aliquid ad interitum. *Sen. Troad.* 489. Ab interitu arcere aliquem. [**Plin. Pan.* 50, 4. Ab interitu vindicare ingentia opera.] *Cic. Marc.* 5. Ad interitum ruere voluntarium. [*Differunt *obitus* et *interitus*, ita quidem ut illud mortem fatalem, sicut *exitus;* hoc plerumque fere vi illatam mortem denotet, eo discrimine distans ab *exitio*, quo nostr. *Untergang* a *Vernichtung.* V. *Döderl.* 3, 176.]

INTERJUNCTUS, a, um, part. ab *interjungo*, jugo junctus inter alia jumenta. Ita sumitur a *Stat. Th.* 6, 307. Saepe per Ionium, Libycumque natantibus ire Interjunctus equis. (De Arione celebri equo Neptuni filio loquitur.) V. v. sq.

INTERJUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. *ἐφίστημαι*, est equos, intermisso paulum itinere, a curru disjungere, et cibo ac quiete recreare. *Mart.* 3, 67. et hora lassos Interjungit equos meridiana. *Id.* 2, 6. Lassus tam cito deficis viator: Et cum currere debeas Bovillas, Interjungere quaeris ad Camenas. ℙ Translate est intermittere, quiescere. *Sen. Tranqu.* 15. *med.* Quidam medio die interjunxerunt, et in postmeridianas horas aliquid levioris operae distulerunt. *Id. ep.* 83. Brevissimo somno utor, et quasi interjungo. Al. leg. *intervigilo.* ℙ Pro jungere. *Liv.* 22, 30. Tum dextrae interjunctae, militesque benigne invitati.

INTĔRĬUS, adv. *ἐνδοτέρω*, compar. ab *intra. Ov. Met.* 6, 306. Ipsa quoque interius cum duro lingua palato Congelat. *Plin.* 3, 26, 29. In eo sinu duo maria: Ionium in prima parte, interius Adriaticum. *Juven.* 11, 15. Interius si attendas. [**Virg. G.* 3, 137. Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat. ℙ Saepe dicitur de terris mediterraneis et a mari remotis. *Mela* 1, 6, 2. Interius, et longe satis a litore — esse invenirique narrantur; et *ib.* 19, 1. Interius Bithyni sunt et Mariandyni: in ora Grajae urbes, etc. et 2, 1, 12. Interius habitantium ritus asperior. *Vell.* 2, 120, 2. Penetrat interius, aperit limites, etc. V. in INTERIOR.] ℙ Translate a cursu circensi. *Sen. Tranqu.* 9. Non in cursu tantum, circique certamine, sed in his spatiis vitae interius flectendum est, *h. e.* breviore circuitu, et propius metam. V. INTERIOR. Sic *Cic. Or.* 3, 49. Ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius.

INTERLĀBOR, eris, apsus sum, dep. 3. *παρεμπίπτω*, inter aliquid labor. *Stat. Th.* 2, 649. Parce per has stellis interlabentibus umbras. *Virg. G.* 2, 349. per tmesin: Inter enim labentur aquae. [**Sil.* 6, 18. Nervis interlabentibus, i. e. vacillantibus.]

INTERLĂTĔO, es, n. 2. inter aliqua lateo. *Senec. Q. N.* 6, 16. *f.* Non est dubium, quin multum spiritus interlateat, et caeca sub terra spatia aer latus obtineat. *Al. leg. *lateat intus. B. A.*

INTERLATRANS, antis, part. ab inusit. *interlatro. Paul. Nol. ep.* 4. (al. 41.) *med.* Inter nos et Deum peccatis interlatrantibus.

INTERLECTĬO, onis, f. lectio, quae in opere aliquo interponitur. *Tert. ad Uxor.* 2, 6. Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? ℙ [Item conjectio ad scopum. *Gloss. Philox.* Interlectio, *στοχασμός. F.*]

INTERLĔGO, is, egi, ectum, a. 3. inter aliqua lego, seu colligo, decerpo. *Pall.* 3, 25. *med.* Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quaeque vitiosa. Adde 7, 5. et 8, 3. ℙ Tmesis est in illo *Virg. G.* 2, 366. uncis Carpendae manibus frondes, interque legendae.

INTERLĪDO, is, isi, isum, a. 3. idem fere ac illido. *Paul. Not. carm.* 10, 261. gravem interlidere dentem.

INTERLĪGO, as, a. 1. *Stat. Th.* 7, 571. alterno maculas interligat ostro.

INTERLĪNO, is, interlevi, itum, a. 3. *καταλείφω*, est scripturam, vel picturam atramento, vel aliqua alia re superinducta corrumpere, destruere, abolere. *Cic. Cluent.* 44. Qui tabulas publicas municipii sui corrupisse judicatus sit, qui testamentum interleverit. ℙ Item illinere, seu allinere. *Curt.* 5, 1. Constat Babylonios muros hujus fontis bitumine interlitos fuisse. *Plin.* 28, 9, 34. Caseus oleo interlinitur.

INTERLĪSUS, a, um, part. ab *interlido*, in medio elisus. *Gabius Bassus* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. Jovis glans, litteris interlisis, juglans nominatur.

INTERLĪTUS, a, um, part. ab *interlino. Cic. Cluent.* 33. In eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur, *h. e.* deletus. *Id. Verr.* 2, 2, 42. Corruptae atque interlitae tabulae. ℙ Item illitus. *Curt.* 5, 1. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus. *Liv.* 21, 11. Caementa non calce durata erant, sed interlita luto. ℙ Item madefactus. *Hieron. ep.* 14. *n.* 1. Litterae lacrimis interlitae.

*INTERLŌCO, as, a. 1. *Mela* 2, 1. *B. A.*

INTERLŌCŪTĬO, onis, f. *διαλογισμός*, sermonis interpositio, interpellatio. *Quint.* 5, 7. *med.* Brevi interlocutione patroni refutandus est. *Gell.* 14, 2. *med.* Nisi is, qui judicat, crebris interrogationibus, et necessariis interlocutionibus et suos sensus aperiat, et litigantium deprehendat. ℙ Ap. JCtos *interlocutio* est pronunciatio judicis initio, mediove litis, quae totam causam non perimit, finitque, sed ex parte solum definit, et judicat: quae *sententia interlocutoria* hodie in scholis appellatur. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignes habuerunt, aut severa interlocutione comminatus, fustium castigationem remittit. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 7, 45, 9. Nec causam ullam interlocutiones plerumque perimunt. Adde *Imp. Gordian. Cod.* 2, 12, 17. etc.

INTERLŌQUOR, eris, quutus, seu cutus sum, dep. 3. *διαλέγομαι, διαιρέω*, est alio loquente sermones intermiscere, ac quodammodo interturbare loquentem. *Ter. Heaut.* 4, 3, 13. Siccine mihi interloquere? *Gell.* 14, 2. *med.* Aliter atque aliter eadem in causa, eodemque in tempore sentire, et interloqui videatur. ℙ Ap. JCtos *interloqui* dicitur judex, cum quippiam inter cognoscendum pronunciat: ut in v. praec. explicatum est. *Ulp. Dig.* 48, 19, 32. Si judex ita interlocutus sit, Vim fecisti. *Id. ib.* 38, 3, 6. *med.* Si de decurione puniendo praeses, scribendum principi, interlocutus est. ℙ [Translate. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 51. Interscatentibus lymphis, et interloquentibus rivulis, *h. e.* interstrepentibus. *F.*]

INTERLŪCĀTĬO, onis, f. collucatio, recisio ramorum inutilium. *Plin.* 17, 27, 45. Interlucatio arboribus prodest, sed omnium annorum trucidatio inutilissima.

INTERLŪCĀTUS. V. INTERLUCO.

INTERLŪCĔO, es, uxi, n. 2. *παρεμφαίνω*, in medio luceo, inter aliquid luceo. *Liv.* 29, 14. Duos soles visos, et noctu interluxisse. ℙ Translate ponitur pro apparere, conspici. *Auct. ad Her.* 3, 19. Ut loci distincte interlucere possint. ℙ [Item prae aliis eminere. *Liv.* 2, 42. Servius conditor omnis in civitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet. *F.*] ℙ Dicitur et de iis, quae rara sunt, et intervalla habent, per quae visus transit. *Virg. A.* 9, 508. Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. *Quint. decl.* 12, 2. Rari per vias interlucent. *Front. Strat.* 2, 3. *med.* Ea ipsa intervalla velitibus implevit, ne interlucerent acies. [*Veg. Mil.* 1, 26. Ita rariores *(milites)* atque interlucentes aditum perrumpendi hostibus praestant. *F.*]

[INTERLŪCESCO, is, n. 3. idem ac interluceo. *Gloss. Philox.* Interlucesco, *διαφαίνω. F.*]

INTERLŪCO, as, a. 1. *διακαθαίρω*, ramos, seu plantas inutiliter pullulantes cum intervallo reseco, superfluos ramos amputo: a *lucus:* vel a *luce*, quod cum caeduntur rami, lux fiat ipsi arbori amplior. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 28. Deputantur enim pariter cum vite, interlucata densitate ramorum, qui sint supervacui; et *ib.* 12, 19. *extr.* Adultas arbores interlucare justo plus, et in senectam praecipitare.

INTERLŪDO, is, usi, usum, a. 3. inter aliquid ludo. *Auson. Idyll.* 10, 76. Interludentes examina lubrica pisces.

INTERLŪNIS, e, adj. ut Nox squalida et interlunis, ap. *Ammian.* 19, 6. cum scilicet interlunium est.

INTERLŪNĬUM, ii, n. *σύνοδος, συμπνία*, lunae silentium, luna silens, cum luna est in conjunctione solis, id spatium temporis, quo nec amplius luna vetus apparet, nec adhuc nova videtur, quia radiis solaribus superne illustratur, non autem ab

ea parte, quae nobis conspicua est: ab *inter*, et *luna*, quasi aliquod tempus sit inter veterem, novamque lunam. *Plin.* 18, 32, 75. In coitu vero (quod interlunium vocant) cum luna apparere desierit. *Id.* 7, 5, 4. Septimo non nisi pridie, posterove plenilunii die, aut interlunio concepti nascuntur. *Id.* 16, 39, 74. Inter omnes convenit, utilissime in coitu lunae sterni, quem diem alii interlunii, alii silentis lunae appellant. *Hor. Od.* 1, 25, 11. Thracio bacchante magis sub interlunia vento. [*Gloss. Philox.* Interlunium, *μεσοσέληνον*. *F.*]

INTERLŪO, is, a. 3. [*Primum significat lavare, abluere aliquid inter alia, quae ordine fiunt. Huc pertinet locus, quem *Forc.* in fine laudaverat, ubi pro simplici *abluo* positum voluit *interluere*. *Cato R. R.* 132. Manus interluito, postea vinum sumito. V. integrum locum. ℙ Hinc transfertur ad aquas, quae molem circumdatam alluendo excavant, perforant, donec compagibus laxatis, opus corruat; nostr. *unterwaschen*. Huc referendus locus, quem Noster laudavit. *Curt.* 4, 3, 6. Saxaque interluens unda medium opus rupit. ℙ Tum in universum ad mare, flumina, cet. quae quibus includuntur, litora, ripas, alia fluctibus, undis suis interlabendo, interfluendo quasi lavant, abluunt, Gr. *διαχλύζω*. Hinc saepissime confunduntur *interluere* et *interfluere*.] *Liv.* 41, 23. Quantum interluit fretum? [*Pro *interluit* al. scrib. censent *interfluit*. V. *adnotatt. Kreyss.* Cf. *Tac. A.* 6, 1. Quod Capreas et Surrentum interluit fretum.] *Virg. A.* 3, 418. de freto Siculo: arvaque et urbes Litore diductas angusto interluit aestu. [*Adde *ib.* 7, 717. Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.]

INTERLŪVIES, ei, f. *ὁ μεταξὺ πορθμὸς*, fretum interluens seu interfluens. *Solin.* 22. *med.* Hebudes insulae angusta interluvie dividuntur.

INTERMĀNĔO, es, ansi, n. 2. inter, vel in medio maneo. *Lucan.* 6, 47. Defessus Caesar mediis intermanet agris.

INTERMĔDĬUS, a, um, adj. *ἔμμεσος*, medius inter aliqua, interjectus, interpositus, interjacens. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Porticus, primoribus columnis lapideis, intermediis arbusculis humilibus ordinatae.

INTERMENSTRŬUM, i, n. interlunium. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 16. Itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse, nisi intermenstruo tempore. *F.*] *Varr. R. R.* 1, 37. Quoad veniat ad intermenstruum, a quo die dicitur luna esse extrema, et prima.

INTERMENSTRŬUS, a, um, adj. inter duos menses interjectus. *Plin.* 18, 32, 78. Maxime autem luna intermenstrua, dimidiaque stercorato, *h. e.* interlunio. V. v. praec.

INTERMĔO, as, avi, atum, n. 1. *διαῤῥέω*, interfluo, per medium meo. *Plin.* 5, 30, 33. Longeque clarissimum Asiae Pergamum, quod intermeat Selinus.

INTERMESTRIS, e, adj. interjectus inter menses, ut Luna intermestris, idest interlunium, coitus lunae. *Cato R. R.* 37. et *Plin.* 16, 39, 75. Nisi intermestri luna, atque dimidiata, ne tangas materiam. Adde *Varr. L. L.* 5, 2.

[INTERMĒTĬUM, ii, n. spatium inter duas metas. *Gloss. Philox.* Intermetium, *τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων*. V. EURIPUS. *F.* *Cf. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 460.]

INTERMĬCO, as, icui, n. 1. *διαστίλβω*, in medio splendeo. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 183. rutilum squamis intermicat aurum. *Stat. Th.* 12, 252. e speculis moriens intermicet ignis. *Val. Flacc.* 4, 662. tenebras, nimbosque intermicat ignis. [*Lact.* 6, 20. Intermicantibus astrorum luminibus. *F.*]

INTERMĪNĀBĬLIS, e, adj. *ἄορος*, sine termino, interminatus. *Tert. adv. Marc.* 2, 3. Immensa et interminabilis aetas. *Sid. ep.* 2, 7. *extr.* Jurgium prope interminabile. **Salv. de avar.* 2. *med.* p. 84. *Rittersh.* Longa et interminabilia vitate. *B. A.*

INTERMĪNĀTĬO, onis, f. comminatio. *Imppp. Valentin., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 16, 5, 18. De hac urbe pellantur sub interminatione judicii; et *ib.* 8, 7, 21. Quos etiam monuimus sub viginti interminatione librarum auri.

INTERMĪNĀTUS, a, um, adj. *ἀπέραντος*, non terminatus, termino carens, indefinitus. *Cic. N. D.* 1, 20. Si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis. *Vell.* 2, 33. Interminata cupiditas imperii. ℙ [*Item comminatus, *angedroht*. part. ab intermino.] *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 5, 16, 60. Interminatae poenae erunt obnoxii. ℙ [*Hinc minis interpositis vetitus, prohibitus.] *Hor. Ep.* 5, 39. Interminato cum semel fixae cibo Intabuissent pupulae.

[INTERMĪNIS, e, adj. idem ac interminus. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 30. Mundumque istum interminem regis. *Gloss. Philox.* Interminis, *ἀπέραντος*. *F.*]

INTERMĪNO, as, avi, atum, a. 1. idem ac interminor. *Pl. Mil.* 2, 3, 42. Quis homo interminat?

INTERMĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. *διαπειλέω*, interpositis minis aliquid veto. *Ter. Andr.* 3, 2, 15. edixin' tibi? Interminatus sum, ne faceres? num veritus? *Id. Eun.* 5, 1, 14. Istuccine interminata sum tibi? *Pl. As.* 2, 2, 95. Mihi, tibique interminatus est, nos futuros ulmeos, Nisi, etc. *Id. Cas.* 3, 5, 28. Viro suo interminatur vitam, *h. e.* se vitam viro ablaturam minatur. *Id. Capt.* 4, 2, 11. Eminor, interminorque, ne quis mi obsisterit obviam. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 88. *in.* Interminaturque *(Alexander)* quam sancte nisi ex fide dixerint *(prodigiorum interpretes)*. *B. A.*

INTERMĪNUS, a, um, adj. idem ac interminatus. *Avien. Perieg.* 74. Oceanus interminus. *Prud. in Symm.* 2, 106. longis intermina saeclis. *Auson. ep.* 16, 38. Perge, o libelle, et utere Felicitate intermina. [*Appul. de Mundo:* Agens stellarum choros intermino lapsu. *F.*]

INTERMISCĔO, es, iscui, ixtum, a. 2. *παρεμμίγνυμι*, misceo in medio. *Col.* 11, 3. *f.* Quibus et aliquod saturejae semen intermiscendum erit. *Virg. Ecl.* 10, 5. Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos, Doris amara suam non intermisceat undam. *Liv.* 4, 56. Turbam indignorum intermiscendo dignis.

INTERMISSĬO, onis, f. *διάλειψις*, vacatio ab aliquo munere per aliquod tempus. [**Ernest. n.* 486. *Cessatio* pigrum et cessantem arguit, *intermissio* est operis destinati, ut quiescas aut aliud agas.] *Cic. Div.* 2, 68. Nunc quidem propter intermissionem forensis operae et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi. *Id. N. D.* 1, 41. Cum sine ulla intermissione pulsetur agiteturque atomorum incursione sempiterna. *Id. Off.* 1, 6. Virtutis laus in actione consistit, a qua tamen saepe fit intermissio, multique dantur ad studia reditus. *Liv.* 5, 5. Ipsi per intermissiones et intervalla lentiorem spem nostram facimus. *Cels.* 2, 10. *med.* Intermissio febris. *Cic. Fam.* 7, 13. epistolarum; et *ib.* 5, 17. consuetudinis; et *Amic.* 2. *med.* Intermissionem officii facere. Al. aliter leg. *Id. Part.* 6. Verba disposita aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum, *h. e.* vel per periodos, vel per membra, vel per incisa. *Ulp. Dig.* 28, 1, 20. *med.* Si furiosus habet intermissionem: [**einen lichten Zwischenraum.* ℙ *Macr. Sat.* 6, 6. eodem vocabulo *ἀποσιώπησιν* Graecorum interpretatur, qualis est illa *Virg. A.* 1, 135. Quos ego — *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 223.]

INTERMISSUS, a, um, part. ab *intermitto*, [*Primum pertinet ad ea, quae media inter alia sita sunt, i. q. interpositus, interjectus. a) De loco: Noster laudaverat:] *Caes. B. G.* 7, 70. Planities intermissa collibus, [*i. e. media inter colles, interjecta. Adde *ib.* 7, 72. Hoc intermisso spatio, i. e. intervallo; et 8, 9. valle intermissa, i. e. intermedia. b) De tempore:] *Id. ib.* 4, 34. Brevi tempore intermisso, in castra legiones reduxit. [*Adde *Cic. Mur.* 17. Dies intermissus unus aut nox interposita saepe perturbat omnia. *Caes. B. G.* 1, 27. Nocte intermissa. V. quae laud. *Moeb.* ℙ Tum *intermissa* dicuntur etiam ea, quae cingendo, circumeundo excluduntur, non tanguntur, i. q. in medio relictus, non occupatus, vacuus. a) De loco: *Caes. B. G.* 7, 17. Castris ad eam partem oppidi positis, quae intermissa a flumine et a palude aditum angustum habebat, i. e. non obducta flumine et palude. *Liv.* 24, 35. Intermissa custodiis loca. Cf. 7, 36. b) De tempore:] *Cic. N. D.* 1, 20. Nullo puncto temporis intermisso. *Caes. B. G.* 5, 11. Ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. [*V. *Moeb.* ℙ Unde signif. id, quod cum intervallis, discrimine interposito exhibetur; oppon. continens, continuus.] *Plin. ep.* 2, 17. Litus ornant nunc continua, nunc intermissa tecta villarum; [**Caes. B. G.* 7, 23. Ut — neque inter se contingant trabes, sed paribus intermissae spatiis arte contineantur, i. e. sejunctae, distantes. Huc spectat etiam locus, quem *Forc.* in fine laudaverat, *Sen. Q. N.* 1, 3. *med.* de iride: Incipit facies esse non multarum imaginum intermissarum, sed unius longae atque continuae: ubi *intermissus* per *separatus*, *distinctus* interpretatus erat. ℙ Hinc omnino denotat id, cujus ratio, ordo ad tempus omittitur, cessat, interrumpitur, Gr. *διαλελειμμένος*.] *Cic. Or.* 3, 38. Verba prisca et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa. *Id. Off.* 2, 7. Acriores morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae. *Caes. B. G.* 1, 26. Nullam partem noctis itinere intermisso. *Ov. Pont.* 1, 4, 16. Non intermissis cursibus ibit equus. *Plin.* 7, 12, 10. Intermissus ordo, *h. e.* non continuatus. *Plin. alter ep.* 9, 13. *f.* Intermissum morem reducere. *Curt.* 4, 3. Sacrum multis saeculis intermissum repetere. [**Ov. Met.* 1, 746. metuitque loqui, ne more juvencae mugiat; et timide verba intermissa retentat. *Vell.* 2, 17, 2. qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familiae ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, etc. et cp. 28, 2. Cujus honoris usurpatio per annos CXX intermissa.] *Liv.* 34, 37. *extr.* Per intermissa moenia urbem intrarunt. ℙ Omissus. *Hieron. praef. ad Chron. Euseb. f.* Nonnulla, quae mihi intermissa videbantur, adjeci.

INTERMISSUS, us, m. idem quod intermissio. In sexto casu singul. *Plin.* 10, 29, 43. Lusciniis diebus ac noctibus quindecim garrulus sine intermissu cantus.

INTERMITTO, is, isi, issum, a. 3. [*Primum significat medium aliquid interponere. V. INTERMISSUS. Quod quum fieri etiam possit, non occupando, in medio quasi intactum relinquendo, (exempla v. in INTERMISSUS), hinc denotat vacuum aliquod spatium relinquere, loco vel re aliqua ad opus constitutum, non uti. Ita *Caes. B. G.* 1, 38. Reliquum Spatium, quod est non amplius pedum DC, qua flumen intermittit, etc. i. e. qua spatium aqua non offusum relinquit. *Plin. H. N.* 17, 22, 35. *n.* 9. Marsi ad vicenos pedes intermittunt arationis gratia: ubi Noster explicationem adscripserat: vitem non serunt, intervalla relinquunt. ℙ Imprimis de tempore ponitur, quod quis sine labore, sine opera praetermittit.] *Pl. Bacch.* 2, 2, 31. Non tantulum unquam intermittit tempus, quin eum nominet; et *Ter. Ad.* 3, 1, 6. Nunquam intermittit diem, quin semper veniat. *Cic. Att.* 9, 16. Ne quem diem intermitterem, has dedi litteras. *Id. Div.* 1, 34. Gallos gallinaceos sic assidue canere coepisse, ut nihil intermitterent. [*Caesar, qui prae ceteris hanc dicendi rationem amat, conjungere solet v. *intermittere* c. praepos. *a*. Ita *B. C.* 1, 32. Ut reliquum tempus a labore intermitteretur. *B. G.* 7, 24. Ne quod omnino tempus ab opere intermitteretur. — Interdum vero etiam c. praepos. *ad* construit. *B. G.* 5, 40. Nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur. ℙ Hinc in universum, ad tempus omitto, interim relinquo, differo, interrumpo, Gr. *διαλείπω*, *παύομαι*. Differt *omitto*, quod eum spectat, qui vere finem alicujus rei facit, sine consilio resumendi, retractandi operis. *Cessare* vituperationis notionem habet. V. *Doederl.* 3, 300. sq.] *Cic. Or.* 10. In maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinae. *Id. Fam.* 7, 12. Mirabar, quid esset, quod tu mihi litteras mittere intermisisses. *Id. Tusc.* 1, 28. Non intermittit suo tempore coelum mitescere, arbores frondescere. *Caes. B. G.* 4, 31. Obsides dare intermiserant. *Id. B. C.* 3, 13. Intermittere iter. *Id. B. G.* 3, 5. paulisper proelium; et 29. opus. *Tac. A.* 4, 13. curam rerum; et *ib.* 1, 16. solita munia. *Ov. Met.* 3, 154. laborem. *Quint.* 11, 1. *med.* dolorem. *Plin. ep.* 7, 31. Intermittere et ponere otium. *Plin. alter* 10, 46, 63. Aves, quibus longa colla, intermittentes bibunt. *Caes. B. C.* 1, 10. Non intermissuros consules, Pompejumque delectus. *Cels.* 3, 22. Post cibum intermittenda hora.

INTERMIXTUS et Intermistus, a, um, part. ab *intermisceo*, *παρεμμεμιγμένος*. *Liv.* 21, 46. Turbabant equos pedites intermixti. *Id.* 10, 20. Intermixti hostibus. *Scrib. Comp.* 207. Ubi his adjectis et intermixtis intepuerit medicamentum. [*Repos. Concub. Mart. et Ven.* 19. Dumque intermixti captatur spiritus oris, *h. e.* junctis osculis animas miscent. *F.*]

INTERMŎRĬOR, eris, tuus sum, dep. 3. *ἀποθνήσκω*, idem quod morior, intereo, pereo: quasi in media re morior. [*Nunquam idem est, quod *morior:* neque locus esse videtur, cui conveniant, quae Noster posuit: *quasi in media re morior*. Significat *intermori* proprie transitum a vita ad mortem, non uno temporis puncto, sed viribus paulatim decrescentibus factum, nostr. *absterben*, *unter der Hand sterben*, *unvermerkt sterben*. Sed nota, hac significatione nonnisi translate positum exhiberi. V. *Döderl.* 3, 182.] *Cato R. R.* 161. Asparagum vellito ab radice: nam si defringes, stirpes fient, et intermorientur. *Plin.* 21, 18, 69. Radices omnibus annis intermoriuntur. *Curt.* 6, 6. *med.* Si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant: sed qua flamma dederat locum, hostis obstabat. *Liv.* 34, 49. Satius visum esse, tyrannum debilitatum relinqui, quam intermori vehementioribus, quam quae pati posset, remediis civitatem sinere. *Bithynicus* ad *Cic. Fam.* 6, 16. Peto, ut absentem me tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas, [*i. e. oblivione deletum iri.] *Ulp. Dig.* 43, 7, 3. Viarum vicinalium pars in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. ℙ Est etiam deficere, spiritu linqui, morientis modo. [*Quasi in tempus, in praesens, ad interim mori.] *Cels.* 5, 26. *n.* 25. Multi ex profluvio sanguinis intermorientes, ante ullam curationem vino reficiendi sunt.

INTERMORTŬUS, a, um, part. ab *intermorior*, inter mortem vitamque veluti positus, exspiranti proximus. *Liv.* 37, 53. Cum Boeotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, paulo post exspiravit. [*V. *Duk.* ad h. l.] *Plin.* 32, 10, 46. Vituli marini adeps instillatur naribus intermortuarum vulvae vitio. [*Huc pertinent etiam ista:] *Suet. Ner.* 42. Collapsus, animoque male fracto, diu et sine voce, et prope intermortuus jacuit. *Plin.* 37, 7, 27. Anthracitides gemmae jactatae in ignem, velut intermortuae, exstinguuntur: contra aquis perfusae exardescunt, *h. e.* igneum colorem amittunt. [**Doederl.* 3, 183. melius hoc loco legi putat: jactatae in ignem in-

termortuae velut exstinguuntur, ubi Noster perperam *intermortuus* idem esse dixerat, quod mortuus. Ceterum hoc notandum multis in locis, multisque in dicendi rationibus perquam esse difficile dijudicatu paulatimne an in tempus factam mortem intelligas.] ℙ Translate. *Cic. Mil.* 5. Declarant hujus ambusti tribuni plebis illae intermortuae conciones, *h. e.* incendii coorti flamma intermissae, atque abruptae, atque adeo fractae et perditae. *Pl. Trin.* 1, 1, 7. Mores boni plerique omnes jam sunt intermortui: sed dum illi aegrotant, interim mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime. *Cic. Pis.* 7. *f.* Intermortuae Catilinae reliquiae. *Ov. Pont.* 2, 5, 5. Candor, in hoc aevo res intermortua paene. *Cic. Mur.* 7. *extr.* Memoriam prope intermortuam generis sui, virtute renovare, *h. e.* abolitam.

[INTERMŎVĔO, es, a. 2. inter duco. *Symmach. ep.* 8, 69. Rusticari te asseris, et ducendis vitibus aut arboribus inserendis crudam senectutem fovere: non hoc litterae tuae sapiunt; alios sulcos stilo intermoves, alios ordines pangis. *F.*]

INTERMUNDĬUM, ii, n. [*Gr. *μεταχόσμιον.*] spatium medium inter plures mundos. Voluit enim Epicurus, infinitos esse mundos, et inter eos spatia magna inania, per quae atomi volitantes alios atque alios mundos coagmentarent. [**Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. Intermundia sunt loca vacua inter mundos, quae Epicurus sedes esse Deorum fingebat. *Cic. Div.* 2, 17. Deos ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles et habitantes tanquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum.] *Cic. Fin.* 2, 23. Individua cum dicitis, et intermundia, quae nec sunt ulla, nec possunt esse, intelligimus. *Id. N. D.* 1, 8. Tanquam modo ex Epicuri intermundiis descendisset.

INTERMŪRĀLIS, e, adj. qui est inter muros. *Liv.* 44, 46. Divisa est intermurali amni, et eadem ponte juncta.

INTERMŪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *intermuto*, invicem mutatus. *Tert. Baptism.* 8. Nepotes suos Jacob, capitibus impositis, et intermutatis manibus, benedixit, *h. e.* decussatis.

INTERNĀSCOR, eris, dep. 3. *παρεμφύομαι*, in medio nascor. [*Sen. V. B.* 9. In arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur. *F.*] *Plin.* 18, 16, 43. Internascentesque herbas excludi, opus est.

INTERNĀTUS, a, um, part. ab *internascor. Liv.* 28, 2. Angustiae et internata virgulta ordines dirimebant. *Tac. H.* 4, 60. Internatas saxis herbas vellentes. *Plin.* 17, 27, 42. Dilatatae cicatrices, et internato corpore expletae. [*Hunc locum exemplis vocis antecedentis a *Forc.* adscriptum recte huc traxit *F.*] Adde *Colum.* 4, 24.

INTERNĔ, adv. intra, interius, *ἔνδον. Auson. de clar. urb.* 14, 14. Distinctas interne vias mirere domorum. Alii aliter leg. *Id. ep.* 5, 21. Implicitum quam te nostris interne medullis, etc. ℙ Utroque loco ultima corripitur: quod in *inferne* et *superne* fecit etiam *Lucretius.*

INTERNĔCĀTUS, a, um, part. ex *interneco: Pl. Amph.* 1, 1, 34. Internecatis hostibus.

INTERNĔCĪĀLIS vel Internicialis, e, adj. letifer. *Liv.* 27, 23. Pestilentia magis in morbos longos, quam interneciales evasit. Ita leg. *Rhenanus* ex vet. cod. Alii melius *in perniciales.*

[INTERNĔCĪDĀ, ae, m. est qui falsum testamentum fecit, et ob id hominem occidit. Haec *Isid. Orig.* 10. V. etiam INTERNECIVUS. *F.*]

[INTERNĔCĪES, ei, f. idem ac internecio. *Gloss. Isid.* Internecies, mors, jactura. ℙ *Internecium, ii*, n. eodem sensu habent *Not. Tir.* p. 123. *F.*]

INTERNĔCĪNUS. V. INTERNECIVUS.

INTERNĔCĬO, onis, f. *παγωλεθρία*, actus internecandi, occisio, nex illata, excidium, exitium. *Prisc.* 4, 623. ab *internectus* deducit, extrito *t* euphoniae causa; [sed eadem ratione rectius ab *internectio* deducitur. *F.*] *Cic. Dom.* 24. Vicissem cum magna internecione improborum. *Id. Att.* 2, 20. Neque enim resisti sine internecione posse arbitramur. *Id. Cat.* 3, 10. Illae dissensiones non reconciliatione concordiae, sed internecione civium dijudicatae. *Sall. ep. Pomp. ad senat.* Hispaniam ad internecionem vastavimus. *Nep. Eum.* 3. Bella, quae ad internecionem, post Alexandri mortem, gesta sunt. Sic *Liv.* 9, 26. Lucerini ad internecionem caesi; et *Vell.* 2, 119. Exercitus ad internecionem trucidatus. *Liv.* 9, 45. *f.* Nomen Aequorum ad internecionem deletum. *Tac. A.* 2, 21. Solam internecionem gentis finem bello fore. *Caes. B. G.* 2, 28. Prope ad internecionem gente ac nomine Nerviorum redacto. *Colum.* 4, 22. Ad internecionem vineta perducere; et 1, 3. *med.* Interneciones hostium facere. *Curt.* 4, 11. *med.* Persequi aliquem ad internecionem; et *Suet. Oth. f.* Multi, accepto nuncio, prae dolore, armis inter se ad internecionem concurrerunt. [**Liv.* 25, 26. de pestilentia: Ad internecionem omnes perierunt.] ℙ In illo *Plinii* 18, 6, 7. *n.* 4. In gloria internecionem ergo, famemque censebimus? *internecio* est, neglectus culturae, quo agri fertilitas interimitur quodammodo, et utilia sata intereunt. *Id. pronem. l.* 14. Internecionem memoriae inducere, *h. e.* oblivionem. ℙ Legitur et *internicio.*

INTERNĔCĪVĔ, adv. cum internecione, ad internecionem. *Ammian.* 27, 9. Internecive cuncta disperdere.

[INTERNĔCĪUM, ii, n. V. INTERNECIES. *F.*]

INTERNĔCĪVUS, a, um, adj. *παγώλεθρος*, ad internecionem pertinens: ut *internecivum bellum*, quod ad internecionem alterius partis suscipitur: *internecivum odium*, quod, nisi internecione et excidio, non satiatur. *Cic. Phil.* 14, 3. et *Liv.* 9, 25. *extr.* Internecivo bello certare. *Justin.* 6, 6. Assidua bellorum interneciva odia. *Gell.* 2, 1. Pestilentia Atheniensium civitatem internecivo genere morbi depopulata est. ℙ *Internecivum testamentum* est, propter quod dominus ejus necatus est. *Festus.* Hinc *internecivi actio* ap. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 9, 1, 14. ubi alii intelligunt actionem de veneficio, qua vitae hominis internecio infertur. Et *internecivi judicium* ap. *Isid. Orig.* 5, 26. Internecivi judicium in eum dabatur, qui falsum testamentum fecerat, et ob id hominem occiderat. ℙ Scribitur et *internecinus*, quod a nonnullis etiam praefertur: a nobis stat, praeter alios, *Dausquius*, qui probe ex analogia eam scriptionem confirmat. Non tamen alteram damnaverim.

INTERNĔCO, as, a. 1. interimo, exstinguo. *Prud. prooem. Apoth.* 61. Ne forte culmum fibra inanis spiceum Simul revulsa internecet. V. INTERNECATUS.

INTERNECTĬO, vitae privatio: a nece denominato vocabulo. *Festus.*

INTERNECTO, is, a. 3. *συμπλέκω*, inter aliqua necto, annecto. *Virg. A.* 7, 816. ut fibula crinem Auro internectat. *Stat. Th.* 8, 168. et efflantes libet internectere plagas, *h. e.* hiantium vulnerum oras sutura jungere.

INTERNIDĬFĬCO, as, n. 1. inter aliqua nidifico. *Plin.* 10, 33, 49. Ripas excavant, atque ita internidificant.

INTERNIGRANS, antis, part. ab inusit. *internigro:* inter aliqua nigricans. *Stat. Th.* 6, 336. noctemque diemque Assimilant maculis internigrantibus albae.

INTERNĪTĔO, es, n. 2. *καταλάμπομαι, συλλάμπω*, inter aliqua niteo. *Curt.* 5, 4. Etiam si qua sidera internitebant. *Plin.* 37, 5, 17. Tellure internitent smaragdi. *Curt.* 5, 4. Gemmae internitentes.

[INTERNOCTĀTĬO, onis, f. pervigilium. *Gloss. Philox.* Pernoctatio, excubiae, *παννυχίδες. F.*]

INTERNŌDĬUM, ii, n. *γόνυ, ὑποκώλιον*, spatium medium inter duos nodos, quale videmus in arundinibus, et culmis. *Plin.* 7, 2, 2. Arundines vero tantae proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. *Colum. arbor.* 3. Brevia internodia habent. *Ov.* ad crura transtulit *Met.* 6, 256. Mollia nervosus facit internodia poples. *Varr. R. R.* 2, 9. de canibus: Crassis cervicibus, internodiis articulorum longis, cruribus rectis, etc. *Calpurn. Ecl.* 1, 26. Longa internodia, *h. e.* longa crura. *Virg. Cir.* 491. de vitello ovi in pullum abeunte: internodia membris Imperfecta novo fluitant concreta calore, *h. e.* internodia membrorum. ℙ *Internodius, ii*, masc. gen. *Colum.* 3, 2. Internodius quoque rarior. Al. melius leg. *internodiis.*

INTERNOSCO, is, ovi, otum, a. 3. *διαγινώσκω*, inter alios nosco, sive discerno. *Cic. Acad.* 4, 18. Mater geminos internoscit consuetudine oculorum. *Id. Amic.* 25. Secerni blandus amicus a vero, et internosci potest, adhibita diligentia. *Id. Acad.* 4, 7. *extr.* Geometres cernere ea potest, quae internosci a falsis non possunt; et 15. *f.* Ut internoscat, visa vera illa sint, anne falsa. *Pacuv.* ap. *Auctor. ad Her.* 2, 23. Fortuna dignum atque indignum nequit internoscere. *Varr. L. L.* 8, 38. Propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas columbus, femina columba.

INTERNUCŪLUS a quibusdam legitur ap. *Petr. Sat.* 7. pro puero meritorio. Sed dici vix potest, quam varie is locus a variis legatur. Meliores editiones habent *inter titulos.*

INTERNUNDĪNĬUM, ii, n. spatium novem dierum, inter quos fiunt nundinae. *Mar. Victorin.* ut Latinum agnoscit, *artis Gramm.* 1. p. 2469. V. NUNDINAE.

INTERNUNTĬĀ. V. INTERNUNTIUS.

INTERNUNTĬO, as, a. 1. est nuntios vicissim mittere. *Liv.* 42, 39. Paulisper internuntiando cunctatio fuit.

INTERNUNTĬUS et Internuncius, ii, m. *διάκτωρ*, qui inter aliquos medius est ad aliquid tractandum, et modo illi per vices nuntiat. *Ter. Eun.* 2, 2, 56. Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam curset. *Pl. Mil.* 4, 1, 16. Egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius? *Id. Amph. prol.* 71. Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium. *Tac. A.* 15, 56. Internuntium esse inter aliquos. *Nep. Alc.* 5. Colloqui per internuntium cum aliquo. *Caes. B. C.* 1, 20. Internuntiis ultro citroque missis. *Cic. Verr.* 2, 5, 6. *extr.* Ut ab eo vita, vel ipso carnifice internuntio, redimeretur. *Id. Phil.* 13, 5. Utrum igitur augurem Jovis optimi maximi, cujus interpretes internuntiique constituti sumus, etc. [**Liv.* 33, 28. Totius internuntius et minister rei.] ℙ Femininum. *Cic. Div.* 2, 34. Hae sunt aves internuntiae Jovis. *Pl. Mil.* 4, 1, 39. Haec celox illius est, quae hic egreditur, internuntia. *Plin.* 10, 37, 53. Columbae internuntiae in rebus magnis fuere. ℙ Neutrum. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *f.* Ea, quae sunt internuntia sentiendi. ℙ Cum genitivo more adjectivi. *Appul. Met.* 9. Anus quaedam adulteriorum internuntia.

INTERNUS, a, um, adj. *ὁ ἐντὸς*, interior, intestinus: ab *intus*, vel *intra. Sen. Q. N.* 6, 27. Aer corruptus internorum ignium vitio. *Plin.* 2, 1, 1. Interna mundi; et *ib.* 68, 68. Oceanus infusus in multos sinus, adeo vicino accessu interna maria allatrat, ut, etc. *Sil.* 8, 21. Internae tabes, et civica invidia. *Tac. A.* 2, 26. Internae discordiae; et 54. Provinciae internis certaminibus fessae; et *H.* 2, 69. Internum simul externumque bellum; et *A.* 4, 32. Si quando ad interna praeverterent. ℙ *Interna boum*, sunt viscera, ap. *Veg. Vet.* 3, 2. *med.*

INTĔRO, is, trivi, itum, a. 3. *ἐντρίβω*, idem quod tero, tritumque alteri rei immisceo. *Cato R. R.* 156. *med.* Infundito in catinum: eo interito, etc. *Plin.* 28, 19, 80. Aridi, ut potioni interi possint. *Id.* 30, 9, 23. Cochleae illinuntur cum helxines herbae succo: quidam ex aceto intrivisse contenti sunt. ℙ Notum est illud *Ter. Phorm.* 2, 2, 4. Tute hoc intristi: tibi omne exedendum est. Ubi *Donatus: Παροιμία* apta parasito, quae de cibo est: hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene *intristi*, proprie enim *intrita* dicitur hujusmodi cibus. Haec *Donat.* Porro hoc proverbium significat: tu te in hoc periculum conjecisti: tu quoque te expedire debes. [**Nos: Du hast dies eingebrockt* etc.]

INTĔRORDĪNĬUM, ii, n. *μεσοστίχιον, μετόχιον*, spatium quod est inter ordines arborum. *Colum.* 3, 13. Minimum est quinque pedum interordinium, septem maximum. *Id.* 4, 14. Cum terra vitibus detrahitur, et in media spatia interordiniorum confertur.

INTERPĀTĔO, es, n. 2. patesco, apertus sum. *Macr. Sat.* 1, 18. Ei Deo aedes dicata est specie rotunda, cujus medium interpatet tectum; et *ib.* 7, 15. *med.* Pulmo tot meatibus distinctus est, et interpatet rimis. *Veg. Mil.* 3, 15. Senos pedes inter singulas acies in latum diximus interpatere debere.

INTERPĔDĬO, is, ivi, tum, a. 4. impedio. *Macr. Sat.* 7, 12. *extr.* Gustatum linguae fervor interpedit.

INTERPELLĀTĬO, onis, f. *διακοπή*, interruptio. *Cic. Fam.* 6, 18. Itaque ne litterae quidem meae impediuntur, in quibus sine ulla interpellatione versor. *Id. Part.* 8. Si interventus alicujus, aut interpellatio dederit occasionem. *Id. Or.* 2, 10. Cursum orationis interpellatione impedire. *Id. Prov. cons.* 8. Orationem interpellatione interrumpere. ℙ Item judiciaria persecutio. *Paul. Dig.* 5, 1, 23. Non potest videri in judicium venisse id, quod post judicium acceptum accidit: ideoque alia interpellatione opus est. *Ulp. Dig.* 50, 16, 188. Obtinere aliquid sine interpellatione.

INTERPELLĀTOR, oris, m. *ὁ ὑποβάλλων*, interventor, qui interrumpit sermonem, aut aliquid aliud agentem. *Cic. Off.* 3, 14. Et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. *Auct. ad Her.* 2, 11. Dialectici alieni sermonis molesti interpellatores. *Suet. Aug.* 97. Cum interpellatores aliis atque aliis causis in jure dicendo *(eum)* detinerent. ℙ Item qui de re turpi aliquam appellat. *Paul. Dig.* 74, 11, 1. Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores.

INTERPELLĀTRIX, icis, f. quae interpellat. *Hieron. ep.* 60. *n.* 11. Vidua interpellatrix duri judicis.

INTERPELLĀTUS, a, um, part. ab *interpello:* interruptus, impeditus. *Cic. Att.* 1, 19. *med.* Haec tota res interpellata bello refrixerat. *Caes. B. C.* 3, 105. Senatores ex provincia vocasse, sed interpellatum adventu Caesaris profugisse. *Liv.* 9, 14. *f.* Infensi milites ob interpellatam dulcedinem irae. Adde *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med. Suet. Claud.* 15. Interpellatus ab adversariis de propria lite. ℙ Item appellatus, ut debitum solvat. *Papin. Dig.* 22, 1, 32. Si interpellatus opportuno loco, non solverit. *Paul. ib.* 36, 2, 24. Cum interpellatus heres fundum non dederit.

[INTERPELLĀTUS, us, m. idem ac interpellatio. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 31. *in.* Post id magnae curae Alexandro fuit, Ciliciam quoque omni hostium interpellatu purgare. *F.*]

INTERPELLO, as, avi, atum, a. 1. *ὑποβάλλω, διακόπτω*, est loquentem interrumpere, interfari: ab obsoleto *pello, as*, quod ex compositis conjicimus, pro *loqui* usurpatum fuisse. V. COMPELLO, as. *Cic. Tusc.* 1, 8. *extr.* Nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. *Id. Q. Fr.*

2, 10. Tu vero, ut me et appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare, velim. [*Suet. Tib. 27. Si quid in sermone vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare ac reprehendere et commutare continuo.] ℙ Item alloqui aliud agentem, cogitantemve. *Curt.* 6, 10. *med.* Id me, cum a Cebalino interpellatus sum, movere non poterat; et 9, 4. *med.* Si quis arti tuae intentum, et exta spectantem sic interpellet. [*Suet. Ter.* 3. Petiisse ab ea, ne interpellaretur. ℙ Unde id quod precibus aliquem adire adjuncta importunitatis notione. *Id. Tib.* 34. Interpellari se toto mense ab iis, qui potestatem sui die festo non habuissent. (Nostr. *stören, bestürmen, überlaufen.*) *Id. ib.* 40. Urbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat. ℙ Ponitur etiam sine importunitatis notione. *Id. ib.* 75. Nemo exstabat, qui adiri interpellarique posset; et *Vesp.* 23. Interpellanti mox ministro.] ℙ *Interpellare aliquam*, est de re turpi appellare. *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Qui mulierem, puellamve interpellaverit. *Id. Sent.* 5, 4. Interpellari de stupro. ℙ *Interpellare debitorem*, est in, vel extra judicium ab eo debitum petere. *Paul. Dig.* 26, 7, 44. Improbe alterum illius nomine conabitur interpellare; et 50, 1, 21. Post mortem patris in reliqua collegarum interpellari coepit. *Pomp. ib.* 22, 2, 2. Si nemo sit, qui ex parte promissoris interpellari trajecticiae pecuniae possit. ℙ Pro dicere, alloqui. *Lucil.* 28. Verum tu quid agis? interpella me ut sciam. Ita *Non.* 4, 264. ℙ Translate est aliquid agentem impedire, remorari, mediam rem turbare, intercipere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Interpellent me, quo minus honoratus sim, dum ne interpellent, quo minus respubl. a me administrari possit. *Matius* ad *eund. ib.* 28. *f.* Caesar nunquam interpellavit, quin, quibus vellem, uterer. *Cic.* ad *Anton. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att. f.* Interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. *Liv.* 4, 43. Tribunis interregem interpellantibus, ne senatusconsultum fieret. *Caes. B. G.* 1, 44. Nos esse iniquos, quod in suo jure se interpellaremus. [*Suet. Caes.* 20. M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem — jussit, i. e. obloquentem, resistentem.] ℙ Ad inanima etiam refertur. *Caes. B. C.* 3, 73. Sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna partam jam victoriam interpellassent. [*Vell.* 1, 9, 6. Cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, i. e. impedire conaretur.] *Liv.* 3, 57. Stupro interpellato magis, quam caede motus. *Curt.* 6, 6. Otium bello interpellare. *Hirt. B. Alex.* 50. Sibi, quod rapuerant, acceptum ferebant: quod interciderat, aut erat interpellatum, Cassio assignabant, *h. e.* interceptum. [*Intercidit* id, quod aliquis casu non potest redigere in suam potestatem: *interpellatur* id, quod quominus quis in potestatem redigat, impeditur ab altero. *Morus* ad h. l.] *Curt.* 4, 6. Nec saxa, cotesque, quae interpellent specus, obstabant, *h. e.* intercidant, obstruant, impediant. Sic 6, 4. Amnis saxo, quod alveolum interpellat, repercussus, duo itinera aperit. ℙ Cum infinito. *Hor. Sat.* 1, 6, 127. Pransus non avide, quantum interpellet inani Ventre diem durare, *h. e.* quantum impediat, ne ventre jejuno totum diem durem. ℙ Huc pertinent illa JCtorum, *Tryphon. Dig.* 23, 5, 16. Lex Julia non interpellat eam possessionem, quae per longum tempus fit, *h. e.* interrumpit, tollit. *Paul. ib.* 8, 6, 18. Interpellare jus alicujus; et 41, 5, 2. *extr.* usucapionem. *Julian. ib.* 17, 1, 30. manumissionem servi, *h. e.* impedire. *Modest. ib.* 40, 5, 36. *extr.* jurisdictionem.

INTERPENDIUM. V. INTERPONDIUM.

INTERPENSĪVĀ, orum, n. plur. scilicet tigilla, ap. *Vitr.* 6, 3., aliis sunt tigilla ab angulis parietum ad angulos tignorum, ad imbres in colliquias derivandos, vel alium quemvis usum interlocata, quasi ea, quae a pendendo Graeci *κρεμαστήρια* appellant. Aliis sunt fulcra stillicidiorum, quae uno capite trabes projectas sustinent, altero infiguntur parieti. Aliis trabes a pariete in parietem trajectae ad easdem trabes sustinendas. Eorumdem interpensivorum dispositionem, et usum demonstrare conatus est *Jos. Riva*, in opere, cujus mentionem habes in V. DISPLUVIATUS, p. 38. quem consulesis. [*Plura addidit *F.*]

INTERPLĪCO, as, a. 1. *παρεμπλέκω*, implico, involvo, internecto. *Stat. Th.* 2, 282. raptumque interplicat atro Tisiphones de crine ducem; et *ib.* 4, 218. Albaque puniceas interplicat infula cristas.

[INTERPOLAMENTUM, i, n. id quod miscetur, interpolatur. *Claud. Mamert. de stat. anim. praef.* Sicque adjectis nostris aliquot sine alienorum interpolamento finem liber accepit. *F.*]

INTERPOLĀTĬO, onis, f. *ἀναζάνωσις*, actus interpolandi, renovatio. *Plin.* 13, 12, 23. de charta: Excepit hanc Fannii sagax officina, tenuatamque curiosa interpolatione, principalem fecit e plebeja.

INTERPOLĀTOR, oris, m. *ἐπισκευαστής*, qui interpolat, reficit, renovat: et praesertim qui renovando fucum facit, et corrumpit. *Tert. Spect.* 2. Multum interest inter corruptelam, et integritatem, quia multum est inter institutorem, et interpolatorem. *Id. Testim. anim.* 3. Satanas totius saeculi interpolator; et *Apol.* 46. *extr.* Interpolator veritatis.

INTERPOLĀTRIX, icis, f. quae interpolat, et rei veteri novam speciem inducit. Afferunt quidam hoc fragmentum *Pomponii.* Interpolatricem arcessire oportet, quae huic vestem adducet. ℙ Translate, quae fucum facit, et corrumpit. *Nazar. Pan. Constant.* 15. de historia: Neque in hoc veri interpolatrix tenenda. *Tert. adv. Haeret.* 7. *f.* Sapientia humana affectatrix, et interpolatrix veritatis.

INTERPOLĀTUS, a, um, part. ab *interpolo:* renovatus, refectus. *Plin.* 36, 26, 67. Ex quo apparet antiquior materiae origo, et nunc vitri similitudine interpolata. ℙ Item interruptus, abruptus. *Sen. ep.* 47. Magno malo ulla voce interpolatum silentium luitur. Al. leg. *interpellatum.* ℙ Item depravatus, corruptus. *Minuc. Fel. Octav.* 34. Interpolata veritas.

INTERPŌLIS, e, adj. qui interpolari potest: item interpolatus, refectus. *Plin.* 19, 2, 8. Est sparti natura interpolis, rursumque quam libeat vetustum novo miscetur. [*Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Peritia opus est, ut vestem interpolem a sincera discernas. *F.*] ℙ Translate. *Plin.* 29, 1, 5. de medicina: Mutatur ars quotidie, toties interpolis. *Pl. Most.* 1, 3, 117. Istaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles, Vetulae, edentulae, *h. e.* quae se pigmentis oblinunt, ut faciem renovent.

INTERPŌLO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναζαινόω*, est immittere, interponere, et novam formam e vetere fingere in vestibus. Est enim proprium artis fulloniae, quae poliendo diligenter vetera quaeque, quasi in novam speciem mutat. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Quod nolit, inquam, renovare honores eosdem, quo minus togam praetextam quotannis interpolet. ℙ Translate ponitur pro, rebus quibuslibet vetustis novam formam inducere, immutare, renovare, instaurare, nova veteribus miscendo. *Cic. Verr.* 2, 1, 61. de tabulis: Semper aliquid demendo, mutando, curando, ne litura appareat, interpolando. *Pl. Amph.* 1, 1, 161. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo. *Plin.* 12, 14, 32. At hercle Alexandriae, ubi tura interpolantur, *idest* rudia cum sint, poliuntur. Convehebatur enim illuc tus rude, aspectu simile cortici; et 35, 16, 56. Tectoriorum albaria interpolare. *Ulp. Dig.* 21, 1, 37. Quia igitur venaliciarii sciunt, facile decurri ad novitiorum emptionem, idcirco interpolant veteratores, et pro novitiis vendunt. ℙ Est etiam addendo corrumpere. *Prud. praef. Apoth.* 2, 45. qui laeta Christi culta fur interpolat, Addens avenas aemulas. ℙ Item interpellare, interrumpere. *Curt.* 4, 6. *f.* Vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpolabo. Al. leg. *interpellabo. Id.* 6, 2. Satietatem epularum ludis interpolabat, *h. e.* intermiscebat, nam et qui interpolant, miscent nova veteribus. ℙ [Part. *Interpolans* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 57. Ebeno plurima interpolante. *F.*]

INTERPŌLUS, a, um, adj. interpolatus, refectus. *Mart. Dig.* 18, 1, 45. Si vestimenta interpola quis pro novis emerit, Trebatio placere, ita emptori praestandum quod interest, si ignorans interpola emerit. ℙ Qui *interpollus* scribunt, male scribunt.

[INTERPONDĬUM, ii, n. idem ac aequipondium, cum nempe in utraque librae lance paria sunt pondera. *Gloss. Philox.* Interpondium, *παράλληλον*, *Salmas.* in *Solin.* p. 708. *interpendium* legendum putat. *F.*]

INTERPŌNO, is, sui, situm, a. 3. *παρεντίθημι*, inter aliqua pono, interjicio, intersero. *Cic. Amic.* 1. Quasi ipsos induxi loquentes, ne *inquam*, et *inquit* saepius interponeretur. *Hirt. B. Afr.* 13. Inter eos levis armaturae Numidas interposuerant. *Id. B. G.* 8, 17. Equitatui interponit praesidia levis armaturae. *Plin.* 28, 4, 14. Cibis frigidam interponere, *h. e.* bibere inter cibos. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 6, 1. Nullam moram interponendam insequendi Antonium putavi. *Id. Acad.* 1, 1. Nullam moram interponendam putavimus, quin, etc. *Caes. B. C.* 3, 74. Interponere spatium ad recreandos animos. *Tac. A.* 13, 46. cunctationem. *Hirt. prooem.* 1. *B. G.* 8. Qui me mediis Caesaris scriptis interposuerim. *Cic. Phil.* 13, 7. Interponere auctoritatem. *Liv.* 34, 25. jusjurandum. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. querelas; et *Verr.* 2, 3, 57. nomen alicujus in re turpi. ℙ *Interponere fidem*, est sua fide confirmare, in suam fidem recipere, polliceri. *Cic. Rosc. Am.* 39. et *Caes. B. G.* 5, 36. Inque eam rem fidem suam interponeret. *Hirt. B. Alex.* 63. Fidem suam in re omni interponit. ℙ *Interponere se*, est se immiscere. *Cic. Fam.* 10, 27. Sapientius facies, si te in istam pacificationem non interpones. *Id. Div. Verr.* 6. Cur te interponis invitissimis his, quibus, etc.? *Id. Q. Fr.* 3, 4. *f.* Tu vero, quod voles, facies: nihil me interpono. *Flor.* 3, 10. *med.* Num me interpono Romanis? *Cic. Vat.* 15. *f.* Num quem putas posse reperiri, qui se interponat, quo minus, etc.? ℙ Aliquando est adhibere, admittere. *Suet. Cal.* 39. Provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. *Id. Ner.* 22. Interponere aliquem epulis familiaribus. ℙ Item interfari, interloqui. *Cic. Quint.* 4. Neque interea verbum ullum interposuit Naevius. *Quint.* 6, 3. Augustus praefecto, quem cum ignominia mittebat, subinde interponenti precibus, *quid respondebo patri meo?* dixit, *dic, me tibi displicuisse.* ℙ Item intercedere, opponere. *Cic. Phil.* 2, 4. Quid enim me interponerem audaciae tuae? *Ulp. Dig.* 44, 1, 2. Exceptionem actioni interponere. [*Liv.* 35, 35. Qui suum consilium interponere. ℙ Item adhibere, uti. *Cic. Div. Verr.* 19. *extr.* Pro sociis, pro salute provinciae operam, studium, laborem interponere. ℙ Item proferre, proponere. *Id. Att.* 7, 15. Interponere postulata. *Id. Div.* 2, 72. *f.* Cum proprium sit Academiae, judicium suum nullum interponere. ℙ Item edicere, indicere, facere. *Id. Verr.* 2, 2, 48. Ob decreta interponenda pecuniam accipere; et *ib.* 2, 3, 19. Acerbiorem legem, duriora edicta interposuit; et 27. Iste, poenis compromissisque interpositis, HS CCC. extorquenda curavit. ℙ Item afferre. *Nep. Them.* 7. Dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. [*Thucyd.* 1, 90. *Οὐ προσήει πρὸς τὰς ἀρχάς, ἀλλὰ διῆγε καὶ προυφασίζετο.*] ℙ Item submittere. *Cic. Verr.* 2, 1, 11. Interposuistis accusatorem, qui etc.

INTERPOSĪTĬO, onis, f. *παρένθεσις*, insertio, interjectio. [*Primo loco ponendum erat exemplum, quod Noster secundo collocaverat. *Vitr.* 6, 5. Interpositiones columnarum.] *Cic. Inv.* 1, 6. Quaestionem autem eam appellat, quae habeat in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione. ℙ De iis, quae lineis superscribi, et interscribi solent, dum aliquid emendatur. *Cic. Fam.* 16, 22. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo, de quadrimo Catone. ℙ Dicitur et de parenthesi, figura rhetorica. *Quint.* 9, 3. *med.* V. INTERCLUSIO.

INTERPOSĪTUS, a, um, part. ab *interpono:* interjectus. *Cic. Cluent.* 2. Spatio interposito, et causa cognita consenescat. *Id. Mur.* 17. Dies intermissus unus, aut nox interposita saepe perturbat omnia. *Ulp. Dig.* 44, 5, 1. *med.* Parvi refert, protinus libertus patrono cogatur dare, an per interpositam fidejussoris personam. *Caes. B. G.* 1, 11. Tridui mora interposita. *Cels.* 3, 3. Illo tantum interposito discrimine, quod, etc.

INTERPOSĪTUS, us, m. idem quod interpositio et interventus. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna interpositu interjectuque terrae repente deficit. *Plin.* 2, 10, 7. Solis radios luna interpositu suo auferens terrae.

INTERPRES, ētis, m. et f. *μεσίτης*, internuncius, qui in aliqua re agenda medium se interponit, quasi consiliator, et auctor. Alii ab *inter* ducunt et *pretium*, quod praesertim locum habeat in contrahendo: alii a *pars*, quod sit quasi inter partes: alii a *paro:* alii aliunde. *Cic. Verr.* 1, 2, 12. *extr.* Qui aut deponere, aut recipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse. Ubi *Ascon.* per quos inducitur pactio. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. *f.* Utor in hac re adjutoribus interpretibusque fratre meo, et Laterense. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 64. Quod te praesente istic egi, teque interprete. *Id. Mil.* 4, 1, 6. Quae tibi conditio nova, et luculenta fertur per me interpretem! *Liv.* 21, 12. Se pacis ejus interpretem fore pollicetur. *Val. Fl.* 6, 690. Regius interpres ut foedera jungat. *Cic.* ad *Brut.* 1, 10. Caesarem quidam improbissimis litteris, fallacibusque interpretibus ac nunciis impulerunt in spem certissimam consulatus. [*Fallaces interpretes ac nuncios* dicit eos, qui res gestas ac non gestas interpretationibus suis in partem aliam detorquent, ut spem metumve injiciant, aut incitent aliquem in alterum, de qua vi verbi v. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 19, 4. *Ernest. cl. Cic.*] *Virg. A.* 4, 377. Jove missus ab ipso Interpres Divum fert horrida jussa per auras, *h. e.* Mercurius, qui est Deorum internuncius. [*Ita saepissima Gr. *ἑρμενεὺς* pro *κήρυξ*. Cf. *Musgr.* ad *Eurip. Iphig. Taur.* 1302.] Et 608. Tuque harum interpres curarum, et conscia Juno, *h. e.* quae has nuptias conciliasti. ℙ Quoniam vero hujusmodi homines eorum animos sciscitantur, quibuscum agunt; hinc *interpres* accipitur etiam pro eo, qui obscura exponit, *ἐξηγητής*. *Cic. Top.* 1. Interpres juris. *Id. Div.* 1, 18, Grammatici interpretes poetarum. *Id. Div.* 2, 44. Interpretes coeli, *h. e.* astronomi. *Id. Leg.* 1, 10. *extr.* Interpres est mentis oratio. [*Lucret.* 6, 1148. Interpres animi lingua. *Prop.* 3, 10, 27. Sit sors et nobis tatorum interprete jactu.] *Hor. A. P.* 111. effert animi motus interprete lingua. *Plin.* 36, 6, 5. Menander diligentissimus interpres luxuriae. *Liv.* 27, 44. *extr.* Metus interpres semper in deteriora inclinatus. ℙ [*Ap. *Cic. N. D.* 2, 4. Interpretes comitiorum dicuntur Haruspices, qui scil.

scirent, utrum justa comitia fuerint, an vitiosa. Sic *Phil.* 5, 4. Sunt *interpretes* armorum, qui judicant an aliquis arma ceperit contra rempublicam.] ℙ Saepe dicitur de auguribus, et somniorum conjectoribus. *Virg. A.* 3, 359. Trojugena interpres Divum. *Cic. Div.* 2, 28. *f.* Quod etiam conjector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur; et *ib.* 35. Avis illa videri posset interpres et satelles Jovis; et *Phil.* 13, 5. Augures interpretes internunciique Jovis. *Liv.* 1, 7. *med.* Mater veridica interpres Deum. Adde *Ov. Amor.* 3, 5, 45. ℙ Item de eo, qui ex una in aliam linguam convertit. *Cic. opt. gen. Or.* 5. Nec converti, ut interpres, sed ut orator. *Id. Fin.* 3, 4. *med.* Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent. ℙ Item qui duorum diversa lingua utentium sermonem explicat. Hujusmodi homines habere solebant in provinciis Romani magistratus. *Caes. B. G.* 1, 19. Divitiacum ad se vocari jubet, et quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium, familiarem suum cum eo colloquitur. *Cic. Fam.* 13, 54. M. Marcilius, amici atque interpretis mei filius. *Id. Div.* 2, 64. Tanquam si Poeni, aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. *Plin.* 25, 2, 2. Appellare aliquem per interpretem. *Cic. Fin.* 5, 29. *f.* Audire aliquem cum interprete. *Gell.* 17, 17. Per interpretem colloqui. *Liv.* 27, 43. Litteraeque lectae per interpretem sunt. ℙ [**Interpres* etiam dicitur artis alicujus magister. *Cic. Fam.* 7, 19. Cogitare debebis nullam artem litteris *(blos aus Büchern)* sine interprete et sine aliqua exercitatione praecipi posse. *Schütz. Cl. Cic.* s. h. v.]

INTERPRĔTĀBĬLIS, e, adj. qui explicari potest. *Tert. adv. Valent.* 14. V. ININTERPRETABILIS.

INTERPRĔTĀMENRUM, i, n. ἑρμήνευμα, idem ac interpretatio. *Gell.* 6, 2. Si cui istud interpretamentum videbitur obscurius. [*Id.* 13, 9. Propterea suculas appellarint Romani, quod eas ὑάδας Graeci vocant; tanquam id verbum Latinum Graeci interpretamentum sit. *F.*] *Petr. Sat.* 10. Interpretamenta somniorum.

INTERPRĔTĀTĬO, onis, f. ἑρμηνεία, expositio, conjectura, judicium. *Cic. Off.* 1, 10. Exsistunt etiam saepe injuriae calumnia quadam, et nimis callida, sed malitiosa juris interpretatione. *Liv.* 2, 8. Nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. *Plin.* 2, 53, 54. Interpretatio fulgurum; et 7, 56, 57. ostentorum et somniorum; et 2, 107, 111. naturae; et 3, 17, 21. nominis; et 18, 5, 6. Singula magnas interpretationes habent. *Suet. Caes.* 14. Consulem non piguit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire. [*i. e. sententiae mitiorem sensum subjicere.] ℙ Speciatim *interpretatio* est figura rhetorica, eadem ac illa, quae Graeco vocabulo synonymia vocatur. *Auct. ad Her.* 4, 28. Interpretatio est, quae non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valeat: hoc modo: Rempubl. radicitus evertisti, civitatem funditus dejecisti, item: Patrem nefarie verberasti, parenti manus scelerate intulisti.

INTERPRĔTĀTĬUNCŪLA, ae, f. brevis interpretatio. *Hieron. ep.* 112. *n.* 19. Miror, quod Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris.

INTERPRĔTĀTOR, oris, m. explicator, interpres. *Tert. adv. Prax.* 19. Ipse interpretator est, quomodo coelum solus extenderit. *Id. Monog.* 6. Apostolus edoceat interpretator utriusque testamenti.

INTERPRĔTĀTUS, a, um, part. ab *interpretor:* expositus, explicatus in passiva significatione. *Cic. Leg.* 2, 12. Vesta quasi focus Urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum interpretatum nomen tenemus. *Id. Har. resp.* 17. Quae nunc ex Etruscis libris in te conversa atque interpretata dicuntur. [**Suet. Nero* 13. Verba supplicis interpretata praetorio viro multitudini pronuntiante. *Liv.* 23, 11. Ex graeco carmina interpretata; cf. 45, 29.]

INTERPRĔTĬUM, ii, n. lucrum, vel damnum inter emptum et venditum; saepius tamen accipitur pro lucro: ut si quid pretio unius solidi sive aurei emptum, tribus postea solidis sive aureis vendam, interpretium erit duo solida. *Ammian.* 28, 1. Verum quoniam, denis modiis *(tritici)* singulis solidis indigentibus venundatis, emerat ipse tricenos, interpretii compendium ad principis aerarium misit, *h. e.* cum tritici decem modios uno solido vendidisset, triginta modios eodem solido comparaverat, ideoque interpretii compendium, quod erat duorum solidorum in singulum solidum, ad publicum aerarium misit. [*Gloss. Philox.* Interpretium, παράλληλον, *h. e.* τίμημα. Adde *Cass. Variar.* 2, 26. *F.*]

INTERPRĔTOR, aris, atus sum, dep. 1. ἑρμηνεύω, interpretem ago, expono, explico rem obscuram. *Cic. Off.* 2, 2. Nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. *Id. Leg.* 1, 4. Qui jus interpretari populo, et responsitare soliti sunt; [*V. *Spalding.* ad *Quint. prooem.* 23.] et *ib.* 2, 5. In ipso nomine legis interpretando inest vis et sententia justi. ℙ *Interpretari somnium, prodigium,* etc. est, quid illa portendant, explicare: quod est augurum, conjectorum, et hujusmodi. *Cic. Div.* 1, 6. Monstra, aut fulgura interpretantes; et 2. In monstris interpretandis, aut procurandis; et 41. Etruria interpretatur, quid quibusque ostendatur portentis. [**Suet. Caes.* 7. Conjectores — arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes. Plura v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 445.] ℙ Est etiam in bonam aut malam partem accipere. *Cic.* ad *Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. f.* Sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum judicem. *Id. Mur.* 31. Mitiorem in partem aliquid interpretari. *Id. Brut.* 1. *extr.* Grato animo alicujus felicitatem interpretari. *Id. N. D.* 3, 31. Bene dicta male interpretari. *Plin. ep.* 2, 13. *med.* Beneficia mea ipse tam grate interpretatur, ut, dum priora accipit, posteriora mereatur. *Sen. ep.* 63. *med.* Beneficium fortunae male interpretari. [**Tac. Agr.* 15. Conferre injurias et interpretando accendere, i. e. singularum causas rationesque invidiose exponendo, enarrando.] ℙ Pro colligere, eruere, intelligere. *Cic. Inv.* 2, 47. Cogitationem alicujus assequi, et voluntatem interpretari. *Id. Tusc.* 3, 17. *med.* Numquid est aliud? rectene interpretor sententiam tuam? *Id. Att.* 15, 28. Bruti epistolae, quam interpretari vix ipse poteram, exemplum tibi miseram. *Colum.* 11, 2. *med.* Vindemiarum maturitatem alii aliter interpretati sunt: quidam cum vidissent partem aliquam uvarum virescere: quidam cum coloratas animadvertissent, etc. [**Tac. H.* 2, 39. Miles alacer, qui tamen jussa Ducum interpretari, quam exsequi mallet. Laudandus hic etiam alius *ejusd.* locus *Agr.* 40. Ut plerique — viso asdpectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur: qui optime a *Walch.* explicatur: *Sie vermissten den äusseren Glanz, welchen der Ruf von Agrikola's Grösse erwarten liess. Wenige (Tieferschauende) begriffen ihn.*] ℙ Cum infinito. *Cic. Off.* 3, 32. Reditu enim in castra, liberatum se esse jurejurando, interpretabatur. *Liv.* 3, 36. Nec attinuisse demi securim, cum sine provocatione creati essent, interpretabantur. *Plin.* 2, 25, 23. Interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci, interpretatus est. [*Adde *Plin. Pan.* 33, 4. ℙ Dicitur etiam de iis, qui prava cum vaniloquentia, inani superbia aliorum merita, virtutes sibi vindicant. Ita *Vell.* 2, 80, 2. de Lepido: Dicendo totam victoriam ut suam interpretaretur, audebatque denuntiare Caesari, excederet Sicilia; et 83, 2. Clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur: ubi *Ruhnk.* laud. *Sulp. Sev.* 2, 40. Quin etiam Synodum Nicaenam pro se interpretantes. ℙ Item pro dijudicare. *Cic. Rab. Post.* 10. Nolite — consilium ex necessitate nec voluntatem ex vi interpretari; et *Brut.* 2. Summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur.] ℙ Pro definire, pronunciare. *Liv.* 1, 23. Cupido imperii duos cognatos populos ad arma stimulat: neque, recte, an perperam, interpretor. ℙ *Interpretari memoriae alicujus* ap. *Pl. Epid.* 4, 1, 25. est divinare, et dicere, quid quis meminerit. ℙ *Interpretari diabolo, h. e.* tribuere, acceptum ferre, dixit *Tert. virg. vel.* 15. ℙ Divisit more suo per tmesin *Lucr.* 4, 830. Cetera de genere hoc inter quaecumque pretantur. ℙ Passiva significatione. [*Cf. *Duk. de Lat. Vett. Icti.* 334. qui praeter alia laudat *Cic. Div.* 1, 25. Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, etc.: unde apparet v. *interpretari* non solum part. perf. apud bonos scriptores passive ursurpari. *Ramsh.* hujus loci mentionem non facit. *Ruddim.* et *Zumpt. Gr. L.* §. 207. p. 198. ne vocabulum hoc quidem in iis deponentium exemplis commemorant, quae passive posita exhibent.] *Ammian.* 24, 6. Flumen Naarmalcha, quod amnis regum interpretatur. (nam Hebr. נָהָר *naàr* est amnis, et מֶלֶךְ *mélech* rex.) *Julian. Dig.* 28, 5, 37. Haec verba sic interpretanda sunt, ut, etc. *Macer Dig.* 49, 1, 4. An jure interpretatum sit. Adde *Paul. ib.* 50, 17, 12. et *August. in Psalm.* 126. *n.* 3.

INTERPRĪMO, is, essi, essum, a. 3. διαπιέζω, comprimo, vel premendo collido, re aliqua compressa spiritum intercludo. *Pl. Rud.* 3, 2, 46. Qui sacerdoti scelestus fauces interpresserit. ℙ Pro occultare. *Minuc. Fel. Octav.* 10. Quod colunt, et interprimunt.

[INTERPROMINĬUS pagus Marrucinorum, a Corfinio XII. mill. pass. dissitus, ubi nunc est urbs *S. Valentino,* in via Valeria Claudia. *Inscr.* ap. *Romanelli, Topogr. Napol. T.* 3. p. 117.... Sulmonii Primus, et Fortunatus ponderarium pagi Interprominii vi terraemotus dilapsum a solo restituerunt. In *Itinerar. Antonini* legitur *Interpromium,* in altero *ejusd. Interbromium;* in *Tab.* vero *Peut.* est *Inter primum,* ubique mendose. *F.*]

INTERPUNCTĬO, onis, f. διαστολή, actus interpungendi, distinctio. *Cic. Mur.* 11. Res enim sunt parvae prope in singulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatae.

INTERPUNCTUM, i, n. idem ac interpunctio. *Cic. Or.* 3, 46. *f.* Clausulas et interpuncta verborum animae interclusio et angustiae spiritus attulerunt.

INTERPUNCTUS, a, um, part. ab *interpungo:* διεστραμμένος, distinctus. *Cic. Or.* 2, 80. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus. *Id. Or.* 16. Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est: distincta alios, et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant.

INTERPUNGO, is, a. 3. punctis distinguo, διαστέλλω, διαστίζω. *Sen. ep.* 40. *med.* Nos etiam cum scribimus, interpungere consuevimus. ℙ De ratione interpungendi agunt *Diomed.* 2, 432., *Lips. epist. cent. miscell.* 3. *n.* 39., *Manut.* et *Cellar.* in *Orth.* et *Emman. Alvar.* 3, 18.

INTERPURGO, as, avi, atum, a. 1. idem fere quod purgo. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 3. Herbas malas radicitus erui, ficus interpurgari, *h. e.* interputari.

INTERPŪTO, as, a. 1. idem quod puto, per intervalla amputo. *Cato R. R.* 50. Ficos interputare. *Varr. R. R.* 1, 30. oleam. *Colum. arbor.* 30. rosas.

INTERQUĔROR, eris, estus sum, dep. 3. in media aliqua re queror. *Liv.* 33, 35. *f.* Aetolorum principes interquesti sunt, quod, etc. [*Sunt qui legere malint *leniter questi sunt.* V. *intpp.*]

INTERQUĪESCO, escis, evi, etum, n. 3. inter aliquid agendum quiesco. *Cic. Brut.* 23. Cum haec dixissem, et paululum interquievissem. *Cato R. R.* 159. Adde vini Coi cyathum unum, bibe, interquiesce: deinde iterum eodem modo, deinde tertium. *Plin. ep.* 8, 21. Julio mense, quo maxime lites interquiescunt, *h. e.* cessant. *Sen. ep.* 78. Dolor interquiescit.

INTERRĀDO, is, asi, asum, a. 3, διαξέω, per intervalla rado, ita ut aliquid politum, aliquid vero sit perforatum. *Plin.* 33, 11, 49. Vasa *(argentea)* repositoriis imponimus, et ad sustinenda opsonia interradimus latera; et interest, quam plurimum lima perdiderit. ℙ Item stolones arborum hac illac interputo. *Id.* 15, 1, 2. Oleae tondentur, cum et vites, atque etiam interradi gaudent. Sic *Colum.* 11, 2. Oleae putantur, et emuscantur. ℙ Item intervello. *Colum. arbor.* 19. Arbores si spisse posueris, fructuosae non erunt, nisi eas interraseris. *Id.* 5, 10. eadem verba repetens habet *intervulseris.*

INTERRĀSĬLIS, e, adj. rasus, limatus per intervalla. *Plin.* 12, 19, 42. Coronas cinnamo interrasili auro primus omnium in templis Capitolii, atque Pacis dicavit Vespasianus Aug. [*Hieron.* in *Ezech.* 12, 41, 16. Fenestrae quoque erant factae in modum retis, instar cancellorum, ut non specular lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur. *Venant. carm.* 1, 13, 15. Hic sculptae camerae decus interrasile pendet. *Vulg. Interpr. Exod.* 25, 25. et 37, 12. Corona aurea interrasilis; et *Reg.* 3, 7, 28. Opus basium interrasile erat. *Anastas.* vero *bibliothec.* in *Vit. pontif. Leonis III.* Hic idem praesul fecit crucem anaglypham interrasilem ex argento purissimo. *F.*]

[INTERRĀSOR, oris, m. artifex operum interrasilium. *Gloss. Philox.* Interrasor, διαχρυσεύς. *F.*]

INTERRĀSUS, a, um, part. ab *interrado,* idem ac interrasilis. *Plin.* 35, 1, 1. Interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. [*Paul. Nol. carm.* 24, 254. *(de virgis a Jacobo per intervalla decorticatis,* ex *Genes.* 30, 37.) Ut de interrasa variatis cortice virgis Insignita gregis sancti fetura probetur. *Lact.* ad illud *Stat. Th.* 7, 658. et fibula rasilis auro; haec habet. Ad luxuriam retulit pulcritudinem fibulae; erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo interrasas appellant. *F.*]

INTERREGNUM, i, n. μεσοβασιλεία, regni intervallum, tempus illud, quo regnum rege vacat: ab *inter,* et *rex,* quia inter regem defunctum, et regem eligendum interpositum est. Ejus originem *Liv.* 1, 17. tradit. *Id. ib.* Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum. ℙ Translate dicebatur, cum consulum loco, quod abessent reipubl. causa, aut vitio creati fuissent, si dictatorem dici non placeret, interrex creabatur, per quem consularia comitia haberentur. *Cic. Att.* 9, 9. Nam permagni ejus interest, rem ad interregnum non venire; et *ib.* 7, 9. Rem adduci ad interregnum. ℙ *Interregnum inire,* est interregis potestatem capere. *Liv.* 3, 8. Tertio die, quam interregnum inierat, consules creat.

INTERREX, ēgis, m. μεσοβασιλεύς, qui regis mortui munere fungitur, donec novus creatus sit. Apud Romanos primum interrex creatus fuit post mortem Romuli. Hinc mos exstitit, ut quando rex mortuus esset, interrex constitueretur. Creatus est a patribus, et ex patribus. Patres enim illi, ex quibus senatus a Romulo constitutus est, Romulo mortuo, decem factis decuriis eorum senatorum, qui prima electione ex Albanis electi fuerant, (nam *Livius* 1, 8. quidem centum senatores a Romulo creatos esse scripsit: sed *Dionysius l.* 2.

ducentos duabus electionibus, prima ex Albanis, altera ex Sabinis) singulos ex singulis legerunt, qui summae rerum praeessent, et ex his unum declareverunt, qui esset cum fascibus et reliquis regiae potestatis insignibus. Primi illius interregni imperium quinque dierum spatio finiebatur. Nam singulos imperare oportebat eo ordine, quo sors unicuique obtigisset. Transacto quinquaginta dierum spatio, quo illi decem primi regnarant, rursus decem decuriis factis ex secundae electionis senatoribus, qui ex Sabinis erant, decem alii creati eum magistratum suscepere. Atque ita imperium per omnes in orbem ibat. Regni intervallum annuum fuit, rege denique constituto Numa Pompilio. Vide *Dionys. l.* 2., *Liv.* 1, 17. ℙ Etiam reipubl. tempore interrex creari solitus fuit. Cum enim consules abessent reipubl. causa, aut vitio creati fuissent, si dictatorem comitiorum causa dici non placeret, res deducebatur ad interregem, et per eum consularia comitia habebantur. Ejus imperium similiter quinque dierum erat, ut tradit *Asconius* in *Milonian.* 5. ℙ Interregem patricium esse, et a patricio prodi necesse erat. *Cic. Dom.* 14. *Id. Agr.* 3, 2. L. Flaccus interrex legem de Sulla tulit, ut omnia quaecumque ille fecisset, rata essent. *Cic. Dom. l. c.* Interregem prodere. ℙ Moris non fuit, ut qui primus interrex proditus esset, ab eo consularia comitia haberentur, sed a secundo, aut tertio, etc. *Ascon. l. c.*

INTERRĪTĒ, adv. intrepide. *Capell.* 1, 7. Dum sola *(Virtus)* cunctos interrite transmearet.

INTERRĪTUS, a, um, adj. ἀδεής, non territus, imperterritus, intrepidus. *Virg. A.* 11, 737. spectatque interrita pugnas. *Quint.* 1, 3. Haec vultu interrito, nulla tardati verecundia, proferunt. *Ov. Met.* 5, 506. nec adhuc interrita vultu. *Tac. A.* 1, 64. Secundarum, ambiguarumque rerum sciens: eoque interritus. *Vell.* 2, 70. Cervicem interritus praebuit. *Gell.* 19, 1. Scire cupiens, quo statu animi, et an interritus intrepidusque esset. *Quint.* 5. 7. Plus deprehensi nocent, quam firmi et interriti profuissent. *Sen. ep.* 41. Homo interritus periculis, intactus cupiditatibus. ℙ Cum genitivo *Ov. Met.* 10, 616. et mens interrita leti.

INTERRĪVĀTĬO, onis, f. derivatio aquarum inter duo loca. *Capell.* 6, 213. Quas angustias Hellespontum dicunt: verum haec angustiora quadam interrivatione per octoginta sex millia distenduntur.

INTERRĪVĀTUS, a, um, adj. inter duo loca derivatus. *Capell.* 6, 191. Quae tamen immenso, quo cingitur illa profundo, Interrivata marmore tellus erat.

[INTERRŌGĀMENTUM, i, n. idem ac interrogatio. *Gloss. Philox.* Interrogamentum, πεῦσις. *F.*]

INTERRŌGĀTĬO, onis, f. ἐρώτησις, πεῦσις, actus interrogandi, percontatio. *Quint.* 8, 5. Sententia per interrogationem; et 5, 7. Contra testes duplici acie confligitur, actionum, et interrogationum; et *ib. med.* Interrogationi instare; et 6, 3. *med.* Instare interrogatione. ℙ Item quaestio, inquisitio. *Mart. Dig.* 48, 3, 6. Cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptoribus, et interrogationes litteris inclusas atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. *Tac. A.* 6, 47. Interrogatio testium. [*Est actoris, cum testem, sive suum, sive adversarii interrogat: cujusmodi est oratio in Vatinium. V. *Argum. Or. in Vat.* ad *Fam.* 1, 9. Tota vero interrogatio mea nihil habuit, nisi reprehensionem tribunatus ejus. — Ex interrogatione hac Vatinii intelligitur, etiam objecta esse testibus interrogando, quibus fides eorum infirmari posset. Cf. de h. genere *Casaub.* ad *Suet. Aug.* 33. et *Grut.* ad *Tac.* locum modo laud. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Apud rhetoras est figura sententiarum, cum non simpliciter sciscitandi gratia quidpiam interrogamus, sed instandi et urgendi. *Quint.* 9, 2. et 3. [*V. *Ernest. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 223.] ℙ Quia veteres dialectici saepe per interrogationem, et responsionem argumenta disponebant: rogabant enim aliquid, quo admisso conficeretur id, quod argumentatione probare conabantur: (qua de re *Gell.* 16, 2.) hinc aliquando *interrogatio* argumentum significat, licet interrogando non efferatur. *Cic. Fat.* 12. *extr.* Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum ac iners nominatum est. *Sen. ep.* 87. *med.* Volo paucissimas interrogationes nostrorum tibi reddere: Quod bonum est, bonos facit: fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona. Adde *ib. f.* et *ep.* 82, 83. et 85. et *Q. N.* 2, 37. V. INTERROGO. ℙ Pro stipulatione, quia et haec per interrogationem fit. *Sen. Ben.* 3, 15. Ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis, facit: ille non est interrogatione contentus, nisi reum (al. minus recte *rem*) manu sua tenuit. V. STIPULATIO.

INTERRŌGĀTĪVĒ, adv. ἐρωτηματικῶς. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 56. Hucusque interrogative pronunciandum est: et contra responsive, *omnes rejecti sunt.* Adde 42. *et *Tert. adv. Marc.* 4, 41. *extr. B. A.* INTERRŌGĀTĪUNCŪLA, ae, f. ἐρωτημάτιον, brevis interrogatio: item breve argumentum, ut in INTERROGATIO dictum est. *Cic. prooem. Par.* Minutis interrogatiunculis, et quasi punctis, quod proposuit, efficit. *Sen. ep.* 82. *f.* Verba mihi captiosa componis, et interrogatiunculas nectis. *Adde *Cic. de Fin.* 4, 3. *extr. Martian. Capell.* 4. *in.* p. 95. ed. *Grot. B. A.*

INTERRŌGĀTĪVUS, a, um, adj. πευστικὸς, interrogationem continens. *Prisc.* 17, 1059. Adverbia quo, ubi, unde, qua, et quando possunt et interrogativa, et relativa, et infinita esse. *Diomed.* 2, 432. Interrogativa particula.

INTERRŌGĀTOR, oris, m. ἐπερωτητής, qui interrogat. *Ulp. Dig.* 11, 1, 11. *med.* An obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem.

INTERRŌGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ἐρωτηματικὸς, ad interrogandum pertinens, interrogativus. *Callistrat. Dig.* 11, 1, 1. Interrogatoriae actiones. *Tert. adv. Marc.* 2, 25. Interrogatorio sono legendum est.

INTERRŌGĀTUS, a, um, part. ab *interrogo:* ἐρωτηθείς. *Cic. Or.* 2, 54. A Philippo interrogatus, quid latraret? furem se videre respondit. *Id. Or.* 40. Ut interrogando urgeat, ut rursus, quasi ad interrogata, sibi ipse respondeat. *Paul. Dig.* 45, 1, 83. §. 2. et *Cajus ib.* 141. §. 3. Respondere ad interrogatum. *Suet. Tib.* 71. Miles interrogatus testimonium. *Vell.* 2, 35. Paene inter ultimos interrogatus sententiam. Sic *Tac. H.* 2, 53. Interrogatus causam digressus; et 72. Interrogatus quisnam mortalium esset. *Id. A.* 12, 22. Interrogatum Apollinis simulacrum super nuptiis imperatoris. *Suet. Caes.* 74. *extr.* Interrogatus, cur, etc.; et *Aug.* 54. Interrogatus, an, etc. ℙ Item accusatus. *Sall. Cat.* 18. Legibus ambitus interrogati, poenas dederant. Adde 32. et *Vell.* 2, 13. et V. v. seq.

INTERRŌGO, as, avi, atum, a. 1. ἐρωτάω, percontor, sciscitor, quaero, rogo. *Pl. Merc.* 1, 2, 70. Hoc quod te interrogo, responde. *Cic. Part.* 1. Ut tu me Graece soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus Latine interrogem. *Id. Q. Fr.* 2, 3. Interrogabat suos, quis esset, etc. *Id. Cat.* 1, 5. *extr.* Interrogas me, num, etc. *Nep. Iphicr. f.* Cum interrogaretur, utrum, etc. *Caes. B. C.* 3, 71. *extr.* Magna verborum contumelia (eos) interrogans, solerentne, etc. *Pl. Curc.* 2, 3, 61. Me interrogat, ecquem trapezitam noverim? *Id. Poen.* 3, 4, 20. Censetis, hominem interrogem, meus servus si ad eum venerit, necne? *Suet. Vesp.* 23. Interrogavit, quanti calceasset; et *Ner.* 49. Interrogavit, quale id genus poenae esset; et *Caes.* 21. et *Liv.* 45, 25. Interrogare sententias, *h. e.* petere a senatoribus, ut in senatu, quid sentiant, expromant. Quo sensu absolute, *Plin. Pan.* 76. Quis antea loqui, quis hiscere audebat, praeter miseros illos, qui primi interrogabantur? *Id. ep.* 1, 5. *med.* Interrogare testes in reos. *Id. Pan.* 41. Interrogandus videris, satisne, etc. [**Quint. Inst.* 9, 2, 6. Quid enim tam commune, quam interrogare, vel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, quamquam alterum noscendi, alterum arguendi gratia videtur adhiberi: ubi *Spalding.*, cum *interrogare* ad arguendum, ad noscendum *percontari* plerumque referatur, remoto usu, tantummodo ratione etymi habita, non dubitat, quin *interrogare* potius sit noscendi, *percontari* vero arguendi ejus, qui curiosius excutatur, cum videatur celare velle, quae noverit. ℙ *Cic. Fl.* 10. *Bene testem interrogavit:* — Moris erat, cum testis ab aliquo in judicio producebatur, ut et ipse, qui eum produceret, de iis rebus, quas vellet testimonio ejus confirmari, eum interrogaret, et patronus ejus, contra quem producebatur, si forte responsiones elicere posset ejusmodi, quibus se impediret ipse, quibusque testimonium ejus convinci posset, falsitatis: in quo imprimis ingenium et artificium patroni cernebatur. Atque hoc est *bene interrogare.* V. INTERROGATIO. *Ernest.* in *cl. Cic.*] ℙ Pro accusare, inquirere in aliquem. *Liv.* 38, 50. Neminem civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit. *Cic. Dom.* 29. Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit? *Tac. A.* 13, 14. Pepigerat Pallas, ne cujus facti in praeteritum interrogaretur; et *ib.* 14, 46. Damnatus Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus. ℙ Pro argumentari. (V. INTERROGATIO.) *Sen. ep.* 87. *f.* Posidonius sic interrogandum ait: Quae neque magnitudinem animo dant, nec securitatem, non sunt bona: divitiae nihil horum faciunt: ergo non sunt bona. ℙ *Interrogandi casus,* est genitivus. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 25. et ipse *Gell.* 20, 6.

INTERRUMPO, is, upi, uptum, a. 3. διαῤῥήγνυμι, in medio rumpo, divido, abrumpo. *Cic. N. D.* 2, 45. Contingere idem terrae necesse est, ut omnibus ejus partibus in medium vergentibus, nihil interrumpat, quo labefactari possit. *Caes. B. C.* 1, 48. et *Liv.* 2, 10. Pontes ambos, quos Fabius fecerat, uno die interrupit. [**Id.* 44, 41. Aciem hostium interrupit.] ℙ Item interpellare, dirimere. *Caes. B. C.* 3, 19. Quorum mediam orationem interrumpunt undique subito tela immissa. *Cic. Att.* 4, 2. Occupatio nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, et officii mei. *Colum.* 11, 2. *med.* et *Tac. H.* 2, 27. Ordinem coeptum interrumpere. [**Liv.* 41, 50. Interrumpi tenorem rerum; et 9, 34. Connubia patrum et plebis interrupit.] *Plin.* 28, 4, 14. somnos. *Pl. Trin.* 5, 2, 25. sermonem. *Ov. Met.* 11, 420. Singultuque pias interrumpente querelas. *Cajus Dig.* 41, 3, 5. Interrumpitur possessio, cum quis de possessione dejicitur. *Curt.* 5, 1. Interrumpendae sunt res Asiae. ℙ Tmesis est in illo *Lucret.* 5, 288. et radios inter quasi rumpere lucis.

INTERRUPTĒ, adv. incise, divise. *Cic. Or.* 2, 80. *extr.* Si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur.

INTERRUPTĬO, onis, f. actus interrumpendi. *Paul. Dig.* 41, 3, 2. Usurpatio est usucapionis interruptio. ℙ Est hoc nomine figura rhetorica. *Quint.* 9, 2. *med.* Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant.

[INTERRUPTOR, oris, m. qui interrumpit. *Gloss. Philox.* Interruptor, διαφθορεύς. *F.*]

INTERRUPTUS, a, um, part. ab *interrumpo:* abruptus, diremptus. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 157. Co- hors una, qua murus erat interruptus, evasit. *Caes. B. G.* 7, 34 et *Tac. H.* 3, 70. Interrupti fluminum pontes. *Id. A.* 3, 31. Itinera interrupta et impervia. *Id. ib.* 16, 15. Venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant. *Cic. Somn. Scip.* 6. Hos qui incolunt terram, interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, i. e. dissiti. *Virg. A.* 9, 239. Interrupti ignes, *h. e.* rari, nec totis castris continuati. *Plin.* 6, 14, 17. Interruptis angusto transitu jugis. [**Liv.* 40, 40. Turbatae legiones sunt, prope interrupta acies.] ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 5, 300. nec loca lux inter quasi rupta relinquit. ℙ Item intermissus. *Cic. Fam.* 5, 8. Multa varietate temporum interruptum officium, cumulate reddidi; et *ib.* 15, 14. Amicitia, quae longis intervallis temporum interruptam consuetudinem habuit. *Id. Leg.* 1, 3. Neque tam facile interrupta contexo, quam absolvo instituta. *Id. Coel.* 24. Interruptis atque morientibus vocibus significabat, quanta impenderet procella urbi. *Virg. A.* 4, 88. Pendent opera interrupta. *Quint.* 11, 2. *f.* Interruptus actionis impetus; et 9, 2. *med.* Interrupta silentio dictio. *Tac. H.* 2, 41. Interruptus sermo; et *A.* 1, 25. Interruptus tumultus, *h. e.* tantisper sedatus.

INTERSCALMĬUM, ii, n. μεσοσκάλμιον, spatium illud in navi, quod est inter duos scalmos. *Vitruv.* 1, 2.

[INTERSCALPTUS, a, um, adj. in medio scalptus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 58. Quod una de gemma scalptum templum, indidemque columnas cerneret interscalptas. *F.*]

INTERSCĀPILĬUM, ii, n. μετάφρενον, spatium illud in dorso, quod inter scapulas est. *Appul. Flor. n.* 14. Cum interscapilium Crates retexisset, quod erat aucto gibbere. Optimae edition. utrobique habent *interscapulum*, et *interscapulo*, ut et ap. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. Cucurbitulae apponendae stomacho atque thoraci, et interscapulis atque praecordiis. Adde *Gloss. Philox.*; at in *Not. Tir.* p. 128. legitur *interscapulium.* [Ul ima adjecit *F.*]

[INTERSCĀTENS, entis, adj. in medio scatens. V. INTERLOQUOR. *F.*]

INTERSCINDO, is, īdi, issum, a. 3. διαχόπτω, medium discindo, sive abrumpo, divido. *Cic. Leg.* 2, 4. A tergoque pontem interscindi juberet. *Caes. B. G.* 7, 24. *extr.* Alii turres reducerent, aggeremque interscinderent. *Hirt. B. G.* 8, 43. Opera flamma comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. *Liv.* 28, 7. Chalcis arcto interscinditur freto, *h. e.* separatur, dirimitur. *Tac. A.* 15, 35. Brachiorum venas Torquatus interscidit. *Sen. Q. N.* 3, 11. Saepe ruina interscindit aquas, *h. e.* fontium iter interrumpit. ℙ Translate. *Gell.* 12, 1. *f.* Vinculum illud animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt. *Sen. ep.* 72. *med.* Imperfectis adhuc interscinditur laetitia: sapienti vero contexitur gaudium: nulla rumpitur causa.

INTERSCRĪBO, is, ipsi, iptum, a. 3. παρεγγράφω, in medio scribo, inter versus scribo, interpono, intersero. *Plin. ep.* 7, 9. Multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere. ℙ Translate. *Solin.* 33. *med.* de phoenice: In cauda roseis pennis caeruleus interscribitur nitor, *h. e.* intermiscetur. *Id.* 5. *f.* de achate lapide: Quippe interscribentes eum venae naturalibus sic notant formis, ut varias praeferat rerum imagines, *h. e.* intercurrentes et distinguentes.

INTERSĒCĪVUS, a, um, adj. intersectus, divisus: ab *interseco.* In agris *intersecivi termini* sunt, qui interciduntur montibus, vel alio soli genere, quod culturam non patitur. *Front. de colon.* p. 112. 119. et 123. *Goes.* Al. leg. *intercisivus*, quod est ab *intercido*, eodem sensu.

INTERSĔCO, as, ecui, ectum, a. 1. *διατέμνω*, per medium seco, in partes seco. *Auct. ad Her.* 3, 14. Ut ipsa pronunciatione res ipsas, quas demonstravimus, inserere, aut intersecare videamur in animis auditorum, [*i. e. per partes inculcare.] Alii aliter leg. *Ammian.* 29. *f.* Tiberis media intersecans moenia.

INTERSECTIO, onis, f. actus intersecandi, *διαχοπή*. *Vitr.* 3, 3. *med.* Intersectio, quae Graece *μεσοχὴ* dicitur, sic est dividenda, etc., *h. e.* spatium inter denticulos, qui sunt supra zophorum.

INTERSĔMĬNĀTUS, a, um, adj. in medio, vel per intervalla seminatus. *Appul. Apol.* Remedia sane sunt plurima in omnibus rebus naturae munere interspersa atque interseminata.

INTERSĔPIO, is, epsi, eptum, a. 4. [*Primum significat sepibus quibusdam, munimentis interpositis aliquid munire, ne quis adire vel egredi possit. Ex locis quos Noster laudaverat huc pertinent:] *Cic. Tusc.* 1, 20. Foramina illa, quae patent ad animum a corpore, terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo; et *Liv.* 34, 40. Nunc proeliis lacessendo, nunc operibus intersepiendo quaedam, ne exitus ad fugam esset. [*Cf. 24, 23. it. 31, 46. V. *Drak.* ad 6, 3. Adde 38, 7. Intersepientibus cuniculum — nunc ciliciis praetentis etc. ℙ Tum intercludere aliquid ab aliquo.] *Liv.* 25, 11. Vallo urbem ab arce intersepire statuit. ℙ [*Hinc in universum impedire, auferre, Gr. *διείργω*.] *Liv.* 1, 27. *med.* Id factum magnae parti peditum Romanorum conspectum abeuntis exercitus intersepsit.

INTERSEPTUS, a, um, part. ab *intersepio:* interclusus. *Cic. Balb.* 18. Ne interseptum sit his iter perpetuo ad hoc amplissimum praemium civitatis. [*Cf. *Liv.* 6, 9. Adde 42, 63. Incendio intersepti ab hostibus.] *Tac. H.* 3, 53. Intersepta Germanorum auxilia; et 21. Legio densis arbustis intersepta. ℙ [*Interseptum, i*, n. absolute idem est ac diaphragma. *Gloss. Philox.* Interseptum, *διάφραγμα*. *F.*]

INTERSĔRO, is, evi, itum, a. 3. *παρεμφυτεύω*, inter aliqua sero. *Colum.* 3, 9. *med.* Quemnam igitur existimas vitium numerum interseri posse duorum jugerum malleolis? et 16. Malleolus ordinariis vitibus interserendus est. *Pall.* 1, 41. Serrulae manubriatae, quibus facile est, quod per serram fieri non potest, resecando trunco arboris, aut vitis interseri. ℙ Translate est interponere, intermiscere, interjicere. *Nep. Milt.* 4. Causam interserens, se hostem esse Atheniensibus. *Ov. Met.* 10, 559. mediis interserit oscula verbis. *Pall.* 9, 11. Si se vallis interserat. *Stat. Th.* 6, 781. et manibus necopinum interserit ictum, *h. e.* inter manus ictum caventes plagam infligit.

*INTERSIGNĬUM, i, n. locus inter duo signa. V. *Salm.* in *Plin. Exerc.* p. 460. *ed. sec. B. A.*

INTERSISTO, is, stiti, statum, n. 3. *διίσταμαι*, in medio immoror. Translate. *Quint.* 8, 3. Intersistere nos indecentissime cogit, *h. e.* in medio sermone consistere; et 9, 4. *med.* Vocalium concursu hiat, et intersistit, et quasi laborat oratio. ℙ Passive impersonaliter. *Id. ib.* Longae syllabae aliquid etiam medii temporis inter vocales, quasi intersistatur, assumunt; et *med.* Ubi cursus orationis exigitur, et clausulis non intersistitur. [*V. *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 224.]

INTERSĪTUS, a, um, part. ab *intersero:* inter aliqua satus. *Colum.* 8, 15. *med.* Eaque contegantur intersitis buxeis, aut myrteis fructibus. *Lucr.* 5, 1376. pomis intersita dulcibus. ℙ Translate, interpositus. *Plin.* 9, 15, 17. Nullis ossibus spinisve intersitis, carne praedulci. *Plin. alter ep.* 3, 19. Habet multum jucunditatis soli coelique mutatio, ipsaque illa peregrinatio intersita. *Gell.* 2, 22. *med.* Quatuor venti intersiti inter primores duos. *C. Aelius Gallus* ap. *eund.* 16, 5. Janua procul via est, area vacanti intersita.

INTERSŌNO, as, n. 1. in medio sono. *Stat. Th.* 5, 344. mediis intersonat Orpheus Remigiis.

INTERSPERSUS, a, um, adj. sparsus per intervalla. *Appul. Met.* 5. Interspersus rara canitie. V. INTERSEMINATUS.

INTERSPĪRĀTĬO, onis, f. *διαπνοή*. *Cic. Or.* 3, 44. Interspirationis enim, non defatigationis nostrae, neque liberariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt. *Plin.* 23, 1, 18. Mustum raptim, et sine interspiratione potum.

INTERSPĪRO, as, avi, atum, n. 1. *διαπνέω*, de medio, seu per medium spiro. *Cato R. R.* 112. Operculum imponito, relinquito, qua interspiret.

INTERSTERNO. V. INTERSTRATUS.

INTERSTĔS, ĭtis, adj. interjectus, interpositus, medius: ab *inter*, et *sto. Tert. adv. Marc.* 4, 33. *f.* Desierunt vetera, et coeperunt nova, interstite Joanne.

INTERSTINCTĬO, onis, f. distinctio, divisio. *Arnob.* 6, 191. Sidereos evomunt variata interstinctione fulgores. Alii leg. *interstitione.*

INTERSTINCTUS, a, um, part. ab *interstinguo*, distinctus, divisus, *διάστικτος*. *Stat. Silv.* 3, 5, 90. Spatia interstincta columnis. *Tac. A.* 4, 57. Ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta. *Plin.* 37, 10, 54. Candor interstinctus coloribus; et 36, 8, 36. *n.* 2. Lapis interstinctus aureis guttis. Est qui *intertinctus* hoc loco malit. Quidam etiam *intercinctus.*

INTERSTINGUO, is, inxi, inctum, a. 3. est penitus exstinguere. Nam propositio *inter* hic vim habet *φθαρτικὴν*, idest corruptivam, ut *interficio*, *interimo*. [*Tenet primariam praepos. *inter* significationem suam, et *interstinguere* proprie, est inter aliqua, in medio aliquo fundere, infundere; unde factum, ut signandi, distinguendi, etiam dividendi notionem acciperet, scil. notis quasi tingendo, infundendo factis. Exempla v. in INTERSTINCTUS. ℙ Hinc infundendo delere, quae praegnans est in simpl. v. *stinguo* significatio.] *Lucr.* 5, 760. Quae faciunt ignes interstingui atque perire. *Appul. Met.* 4. Jamque protinus oblisis faucibus interstinguere eam debuisset.

INTERSTĬTĬO, onis, f. *μεταπαυσωλή*, intervallum, cessatio, vacatio: ab *inter*, et *sto. Gell.* 20, 1. *med.* Velut quoddam justitium, idest juris inter reos quasi interstitionem quandam et cessationem. *Id. praef.* Quando animus eorum, interstitione aliqua negotiorum data, laxari indulgerique potuisset! ℙ Item discrimen, dissimilitudo. *Arnob.* 6, 198. Interstitio fieri quae poterit singulorum, cum qui Juppiter fuerat, idem possit existimari Mars esse?

INTERSTĬTĬUM, ii, n. *διάστημα, διαχώρημα, τὸ μεταξύ*, distantia, spatium, intervallum, quod inter aliqua interjectum est: ab *inter*, et *sto. Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Ex quatuor elementis, et tribus eorum interstitiis absolutionem corporum constare. ℙ Dicitur etiam de spatio seu intervallo temporis. *Tac. A.* 5, 4. Dandum interstitium poenitentiae. Al. aliter leg. *Capell.* 6, 195. Quantum interstitii dies habet, cum coeli culmine sol elatus illustrat, tantum spatii longior nox, cum sol in brumam decidens repraesentat. *Id. ib. paulo ante.* Aequinoctialis temporis interstitia.

INTERSTO, as, intersteti, n. 1. *δίσταμι*, inter aliquid sto, seu intercedo. *Ammian.* 22, 11. Cum tempus interstetisset exiguum. *Avien. Perieg.* 849. de Tauro monte: Interstatque jugo mediam, *scil.* Asiam: hic accusativus regitur a praepos. *inter*, quae inest in ipso verbo.

INTERSTRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *intersterno*, inter aliqua stratus. *Plin.* 29, 2, 9. Assulis taedae subjectis, et subinde interstratis. *Just.* 1, 2. Murum urbi cocto latere circumdedit, arenae vice bitumine interstrato.

INTERSTRĔPO, is, n. 3. *διαψοφέω*, est strepitum inter alios, vel inter rem aliquam emittere. *Virg. Ecl.* 9, 36. argutos interstrepere anser olores. Potest etiam divisim legi. Non sic tamen ap. *Claud. in Rufin.* 2, 393. mediis Nereus interstrepat undis.

INTERSTRINGO, is, xi, ictum, a. 3. *διασφίγγω*, idem quod stringo, comprimo, interprimo. *Pl. Aul.* 4, 4, 31. Ibo intro, atque illi tuo socienno jam interstringam gulam.

INTERSTRŬO, is, xi, ctum, a. 3. *διαδομέω, συνάπτω*, simul inter se struo. *Sil.* 10, 149. Telesinus, ad ossa Illiso saxo, qua spina interstruit artus, Occumbit, *idest* ubi spina, quae est in medio dorso, artus connectit. *Tert. adv. Marc.* 4, 39. *med.* Nullam hic poteris interstruere distinctionem, *h. e.* interponere.

INTERSUM, es, fui, n. anom. *διαφέρομαι, μέτειμι*, inter aliqua sum, intercedo, medius sum. *Cic. Cat.* 3, 2. Ut Tiberis inter eos, et pons interesset. *Liv.* 22, 4. Via tantum interest perangusta. *Mela* 3, 5. *extr.* Emensosque quae intererant, tandem in Germaniae litora exiisse. *Plin.* 6, 30, 35. Fertilissima regio, quae interest, auri. ℙ Refertur ad tempus. *Cic. Sen.* 17. Cujus inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. ℙ Est etiam distare. *Cato R. R.* 4. Clathros interesse oportet pede. ℙ Item differre, discrepare, *διαφέρειν*. *Cic. Acad.* 4, 17. *f.* Ut inter eos, ne minimum quidem intersit; et *mox.* Nihil differat, nihil intersit; et *Off.* 1, 4. Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod, etc. *Id. Div. Verr.* 11. Vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem; et *Acad.* 4, 15. In his rebus nihil omnino interest. *Pl. Bacch.* 3, 3, 57. Triduum non interest aetatis, uter major siet; et *Ter. Ad.* 1, 1, 51. Hoc pater ac dominus interest: *τούτῳ πατὴρ καὶ δεσπότης διαφέρει*. *Liv.* 26, 11. *extr.* Tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit. *Cic. Acad.* 4, 13. Quae visa sunt ejusmodi, ut in iis nihil intersit. ℙ Cum ablativo, et *a* vel *ab* praepositione. *Id. ib.* 9. Qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quidquam a falsis interesse; et 26. Nullum esse visum verum, a sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit. ℙ Cum dativo. *Hor. A. P.* 231. Effutire leves indigna tragoedia versus, Ut festis matrona moveri jussa diebus, Intererit Satyris paulum pudibunda protervis. ℙ Cum genitivo. *Cic. Att.* 5, 19. *extr.* Sed plane gaudeo: quoniam *τὸ νεμεσᾶν* interest *τοῦ φθονεῖν*, *h. e.* indignatio differt ab invidentia. ℙ Saepe significat adesse, *παρεῖναι*. *Cic. Inv.* 1, 54. Perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac praesens viderit. [*Cf. *Suet. Dom.* 12. Interfuisse me adolescentulum memini, quum, etc.] *Cic. Att.* 14, 22. Quod et plura audis, et interes consiliis. *Id. Rosc. Am.* 14. Hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. *Id. Cluent.* 59. Neque hic in testamento faciendo interfuit. *Id. Att.* 9, 5. *extr.* Melioris viri putabam, quovis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum praeesse, verum etiam interesse. *Id. Fam.* 1, 6. Omnibus negotiis non interfuit solum, sed etiam praefuit. *Caes. B. G.* 9, 12. Interesse rebus divinis; et *ib.* 7, 87. *extr.* proelio. *Liv.* 36, 4. Interfuturus bello. *Auct. ad Her.* 1, 9. Quibus in rebus alicujus firma auctoritas videbitur interfuisse. [*Liv. 10, 39. Absentis collegae consilia omnibus gerendis intererant rebus.] *Arnob.* 7, 255. Bellicas res amat, interque esse desiderat pugnis: *τιμῆσις*. ℙ [*Dicitur non solum *interesse rei*, *quae fit*, sed etiam *interesse homini*, *qui rem facit.* Ita ap. *Suet. Oth.* 6. Etiam sacrificanti interfuit, i. e. adfuit: quod *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 443. non magis rejiciendum esse censet, quam *interesse Curiae* et *Senatui.* V. ejus Notam ad h. l. *Wolf.* haec animadvertit: *Interfuit* bene interpretantur *inter alios affuit.* Certe non nimis offendere debet, quod *interesse* alias dicitur rebus, non hominibus, Dativus in hoc genere quasi casus commodi est, nec proprie pendet a verbo: ut dicitur *operam dare* alicujus *sermoni*, et *narranti alicui.* Sed propior est similitudo duplicis regiminis in verbo *intervenire.* ℙ Refertur etiam ad tempus. *Vell.* 2, 114, 2. Quisquis illis temporibus interfuit: hinc locutionem sumsit *Sulpic. Sever. Dial.* 3, 3. Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Quem locum indicavit *Wopkens. Misc. Obs.* 8. p. 75.] ℙ Item referre, e re esse, pertinere. V. supra INTEREST s. l.

INTERTĂLĔO, as, a. 1. interseco. *Non.* 4, 473. Taleas scissiones lignorum vel praesegmina Varro dicit de R. R. lib. 1; [nam etiam nunc rustica voce intertaliare dicitur dividere vel exscindere ramum] ex utraque parte aequabiliter praecisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant. Ita *Non. Pontedera* vero *Antiqq. Gr. et Lat.* p. 134. putat, verba uncis hic inclusa glossema esse, et ex margine in *Nonii* textum irrepsisse; ergo verbum *intertaleo* perperam Latinitate donatum fuisse. [Quaedam addidit *F.*]

INTERTEXO, is, xui, xtum, a. 3. *διϋφαίνω*, texo, contexo, intexo. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Fabricator mundanae animae Deus partes ejus ex pari et impari intertexuit.

INTERTEXTUS, a, um, part. ab *intertexo*, *παρυφής*, inter aliqua textus, et aliquid in medio textum habens. *Quint.* 8, 5. *med.* Neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. *Ov. Met.* 6, 128. Nexilibus flores hederis habet intertextos.

INTERTIGNĬUM, ii, n. spatium inter tigna, et ornamentum in eo spatio factum. *Vitr.* 4, 2. Antiqui fabri quodam in loco aedificantes, cum ita ab interioribus parietibus ad extremas partes tigna prominentia habuissent collocata, intertignia struxerunt; et *ib. med.* Quod inter duas opas est intertignium, id metopa apud eos est nominatum.

INTERTINCTUS. V. INTERSTINCTUS.

INTERTORTUS, a, um, adj. legitur a quibusdam apud *Petr. Sat.* 124. Atque intertorto laceratam pectore vestem. Sed ea lectio valde incerta est.

INTERTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. *ἑλκω*, de medio traho, eripio, aufero. *Pl. Amph.* 2, 2, 41. Nae ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

[INTERTRĪGĪNOSUS, a, um, adj. qui intertrigine laborat. *Not. Tir.* p. 180. Intertrigo, intertriginosus. Perperam hic leg. *intestigo*, *intestiginosus. F.*]

INTERTRĪGO, iginis, f. *παράτριμμα*, morbus, cum femina sive equitando, sive alia de causa attrita sunt, adusta, excoriata: item cum in genere veterinario pes pedem, ungula ungulam terit. *Varr. L. L.* 4, 36. Intertrimentum ab eo, quod duo, quae inter se trita, etiam deminuta sunt: a quo etiam intertrigo. *Cato R. R.* 159. Intertrigini remedium, in viam cum ibis, absinthii Pontici surculum sub anulo habeto. *Colum.* 6, 32. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida, mox decocto, ac trito sale cum adipe defricatur. Adde 7, 5. *Plin.* 20, 14, 53. Intertrigines menta prohibet.

INTERTRĪMENTUM, i, n. *παράτριμμα*, detrimentum, deminutio ex re detrita, aut absumpta. V. locum *Varronis* in v. praec. [*Cf. *Brisson. de Verb. signif.*] *Liv.* 34, 7. In purpura, quae teritur absumiturque, aliquam causam tenacitatis video: in auro vero, in quo, praeter manus pretium, nihil intertrimenti fit, quae malignitas est? *Id.* 32, 2. Id argentum, quia, probum non esse, quaestores renunciaverant, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romae mutua sumpta inter-

trimentum argenti suppleverunt. *Scaevola Dig.* 13, 7, 43. Intertrimentum culleorum. ℙ Item universim jactura, damnum. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. *f.* Is pupilli tutor erat, cum eo, sine ullo intertrimento, convenerat jam, quemadmodum traderetur. Ubi *Ascon.* Detrimentum vel unius partis dici potest: intertrimentum non ad unius partis spectat, sed dantis, et accipientis. Hoc tamen *Asconii* discrimen non servatur. *Ter. Heaut.* 3, 1, 39. Paululum erat contenta etc., nunc sine magno intertrimento non potest haberi. [*Cic. Fr. orat. pro Font. ed.* a *Niebhurio* p. 59. Nullum in iis nominibus intertrimenti, aut deminutionis vestigium reperietur, *h. e. nessun calo, nessuna diminuzione nella moneta. F.*]

INTERTRĪTŪRA, ae, f. intertrimentum. *Scaevola Dig.* 13, 7, 43. Quaero intertrituram culleorum, quae ex operis facta est, utrum debitor, an creditor agnoscere debeat.

INTERTURBĀTĬO, onis, f. status ambiguus inter turbationem, et animi constantiam. *Liv.* 23, 8. Patre animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem causante.

INTERTURBO, as, a. 1. *διαταράττω*, valde turbo, in media re turbas cieo. *Ter. Andr.* 4, 1, 39. Quis homo istuc interturbat? *Pl. Bacch.* 4, 4, 81. Ne interturba: jam imperatum in cera inest.

[INTERTURRĬUM, ii, n. castri moenia, quae turres jungunt. *Inscr.* sub Constantino M. sculpta ap. *Donat.* 220, 3. Milites turrim cum interturrio fecerunt. *F.* Cf. *Orell. Corp. Inscr. Lat.* 1086.]

INTERVĀCANS, antis, adj. inter aliqua vacans. *Colum.* 4, 32. Bulbus tripedaneis intervacantibus spatiis obrutus, anno celerius maturam perticam praebet.

INTERVALLĀTUS, a, um, adj. *περιοδικός*, per intervalla disjunctus, ut intervallata febris, quam intermittentem, et revertentem vocamus. *Gell.* 1, 12. *extr.* Haec biduo medio intervallata febris. *Ammian.* 26, 1. Intervallato brevi tempore.

INTERVALLUM, i, n. *διάστημα*, proprie est spatium inter capita vallorum, idest stipitum, quibus castrense vallum fit, ut ex *Varrone* docet *Ann. Cornutus* ap. *Cassiod. de orthograph.* p. 2284. Ex quo per synecdochen de quovis loci spatio vacuo, et distantia dicitur. *Caes. B. G.* 7, 23. Trabes directae, paribus intervallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur. Ea autem intervalla grandibus saxis effarciuntur; et *ib.* 1, 43. Legionem Caesar passibus ducentis ab eo tumulo constituit: itemque equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. *Liv.* 1, 25. Respiciens videt magnis intervallis sequentes. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 6, 680. Flumen, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit. *Cic. N. D.* 2, 20. *f.* Mercurii stella nunquam a sole longius unius signi intervallo discedit. *Hor. Ep.* 2, 2, 70. Intervalla vides humane commoda. *Plin.* 14, 21, 27. Intervalla doliis dare. *Suet. Dom.* 19. Sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. *Cic. Tusc.* 1, 18. Harmoniam ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias facit plures. ℙ Saepe refertur ad spatium temporis, quo aliquid intermittitur. *Cic. Fam.* 1, 7. Quoniam intervallo locorum et temporum disjuncti sumus. *Id. Fin.* 2, 29. Dolor si longus, levis, dat enim intervalla, et relaxat; et *Or.* 16. Flumen aliis verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: distincta alios et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant; et 57. *med.* Ne spondeum quidem intelligit esse aequalem dactylo; syllabis enim metiendos pedes, non intervallis existimat: quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par iambo; et *Fam.* 7, 18. Si intervallum longius erit mearum litterarum, ne sis admiratus; eram enim abfuturus mense Aprili, *h. e.* intermissio, cessatio. *Pl. Men.* 1, 1, 28. Sed mihi intervallum jam hos dies multos fuit, *h. e.* cessavi, intermisi coenare foris. *Cic. Fam.* 15, 14. Ut te tanto intervallo viderem; et *Arch.* 4. Interim satis longo intervallo, cum esset in Siciliam profectus, venit Heracleam. *Liv.* 3, 38. Cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent. *Gell.* 15, 12. *f.* Atque ibi ex intervallo, Itaque inquit, etc. et *Cic. Or.* 66. *Missos faciant patronos: ipsi prodeant;* nisi intervallo dixisses *ipsi prodeant;* sensisset profecto, effugisse senarium. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Statim sine intervallo cibum dare. *Liv.* 2, 2. Ne intervallo quidem facto. *Suet. Claud.* 41. Subinde ex intervallo reminisci. *Liv.* 28, 44. Multa quae ex intervallo non apparent, bellum aperiet. *Plin.* 8, 42, 66. Dare quippiam alicui per intervalla, *h. e.* non continuate, sed per interruptas vices. Sic *Tac. A.* 4, 73. Per intervallum adventantes; et *Agr.* 44. *extr.* Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et veluti uno ictu rempublicam exhausit. *Id. Ann.* 4, 3. Dolus intervalla scelerum poscebat, *h. e.* ut per interjectum tempus scelera fierent. *Vell.* 1, 13. *med.* Intervalla negotiorum otio dispungere. ℙ Interdum est differentia, dissimilitudo, discrimen. *Cic. Agr.* 2, 33. Videte, quantum intervallum sit interjectum inter majorum consilia, et istorum dementiam. *Id. Rabir. perduell.* 5. Cum vero his rebus omnibus Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te et illum interjectum putas?

[INTERVECTUS, a, um, adj. erectus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 38. Duas vero viseres arbores coelum proceritudine intervectas. *F.*]

INTERVELLO, is, ulsi, ulsum, a. 3. *διαπάλλω*, inter aliqua evello, e medio evello. *Sen. ep.* 114. *med.* Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt, qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cetera parte. *Tert. cult. fem.* 8. Barbam acrius caedere, intervellere. *Plin.* 17, 27, 47. Poma intervelli melius est, ut quae relicta sint, grandescant. *Colum.* 5, 10. Arbores si spisse posueris, nec infra serere quid poteris, nec ipsae fructuosae erunt, nisi intervulseris. *Quint.* 12, 9, 17. *med.* [*V. *Spald.* ad h. l.] Inviti recedunt a praeparatis, et tuta actione respiciunt, num aliquid ex illis intervelli, atque ex tempore dicendis inseri possit; et 10, 7. Quae ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. *Solin.* 1. *med.* Tres Lepidi, intervulsa tamen serie, ex eadem domo, obducto membrana oculo similes. [*Addidit quaedam *F.*]

INTERVĒNIENS, entis, part. ab *intervenio:* interpositus, interjectus. *Colum.* 4, 29. *f.* Plaga laevis relinquitur; quae facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interveniente lanugine; et 9, 1. Stipes in circuitu vivarii, certis intervenientibus spatiis, defixus erigitur.

INTERVĒNĬO, is, ēni, entum, n. 4. *ἐπέρχομαι*, inter aliqua venio, in media re venio, intercedo, intersum. *Cic. Or.* 2, 3. *f.* Verens ne molesti vobis interveniremus. *Id. Cluent.* 16. *f.* Multi boni viri cum ex occulto intervenissent. *Caes. B. G.* 6, 37. Casu Germani equites interveniunt. *Liv.* 23, 18. Plures cecidissent, ni nox proelio intervenisset; et 1, 48. Huic orationi Servius cum intervenisset, etc. *Quint.* 9, 3. *med.* Graeci *παρένθεσιν* vocant, dum continuationi sermonis melius aliquis sensus intervenit. V. INTERJECTIO. ℙ Cum accusativo sine praepos., quae inest in ipso verbo. *Tac. A.* 3, 23. Ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant. [*Ap. unum *Tacitum.*] ℙ Pro intercedere, medium esse. *Jabol. Dig.* 33, 3, 4. Medius paries, qui utrasque aedes distinguat, intervenit. *Paul. ib.* 8, 1, 14. Interveniente via publica. *Plin.* 37, 7, 25. Carbunculi varii intervenientibus maculis albis. ℙ Pro interesse, adesse. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 1. Statius intervenit nonnullorum querelis, quae apud me de illo habebantur. *Suet. Tib.* 33. Eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. *Ulp. Dig.* 3, 3, 33. *extr.* Si quis in rem suam procurator interveniat. *Paul. ib.* 4, 4, 24. Intervenire negotiis alicujus. ℙ Translate pro accidere, contingere. *Cic. Fin.* 1, 19. Epicurus exiguam dicit fortunam intervenire sapienti. *Id. Fam.* 7, 5. Casus mirificus quidam intervenit. *Ter. Heaut.* 4, 3, 1. Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta, quae, etc. ℙ Pro intercedere, fidejubere, alterius nomine se obligare, se interponere, et auctorem fieri alicujus rei. *Ulp. Dig.* 15, 1, 3. Si filiusfamilias, vel servus pro aliquo fidejusserint, vel alias intervenerint, vel mandaverint. *Papin. ib.* 50, 1, 17. *extr.* Fidejussores poenalibus actionibus non adstringuntur, in quas inciderunt hi, pro quibus intervenerunt. [*V. *Duk. de Lat. Vett. Ict.* 442.] ℙ Et sese opponere. *Suet. Claud.* 38. Quod inquilinos praediorum suorum, contra vetitum cocta vendentes, multasset, villicumque intervenientem flagellasset. *Calv. Ecl.* 3, 23. quis vestro Deus intervenit amori? ℙ Et auctoritatem suam interponere, quod est magistratus jus dicentis. *Paul. Dig.* 4, 4, 23. Si in eventu damnum minor passurus sit, sine dubio praetor interveniet; et *Suet. Caes.* 30. Cum adversariis pepigit, ut, etc. verum neque senatu interveniente, et adversariis negantibus, etc. ℙ Translata sunt illa quoque *Sall. Jug.* 119. Cognationem, affinitatem, praeterea foedus intervenisse. *Liv.* 1, 6. *f.* Intervenit his cogitationibus avitum malum regni cupido, [*i. e. accessit. Cf. 3, 45. *it.* 9, 14.] *Pl. Amph.* 3, 2, 59. Irae interveniunt: redeunt rursum in gratiam. *Ov. Met.* 11, 708. Plura dolor prohibet; verboque intervenit omni Planctus. *Afric. Dig.* 10, 3, 9. Si neutrius culpa intervenerit. *Ter. Hec.* 3, 2, 15. Omnem rem narrabit, quae inter vos intervenerit. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Top.* 20. Si interventum est casu. *Ter. Heaut.* 2, 3, 40. Ubi de improviso est interventum mulieri.

INTERVĒNĬUM, ii, n. locus vacuus, et permeans intra terram, per quem aqua, aut ignis discurrit. *Vitr.* 2, 6. Penitus ignis per intervenia permanans et ardens, efficit levem eam terram; et 7. Ignis interveniorum vacuitates occupans; et 8, 7. *f.* Per intervenia fistulosa terrae; et *Pall.* 9, 8. Ne aquae inventae inter rimas refugiant, et per intervenia dilabantur. [*Gloss. Philox.* Intervenium, *τὸ μεσοφλέβιον. F.*]

INTERVENTĬO, onis, f. actus interveniendi, intercessio, fidejussio. *Ulp. Dig.* 4, 4, 7. Non solum autem in his eis succurritur, sed etiam in interventionibus, ut puta si fidejussorio nomine se, vel rem suam obligavit.

INTERVENTOR, oris, m. *ὁ ἐπελθών*, qui aliquid agenti supervenit. *Cic. Fat.* 1. *extr.* Quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die. ℙ Item qui pro altero intervenit, et fidem suam interponit. *Ulp. Dig.* 15, 1, 3. *med.* Si filius fidejussor, vel quasi interventor acceptus sit; et 37, 15, 7. *extr.* Honor his personis habebitur ipsis, non autem interventoribus eorum. [*V. *Duk. de Lat. Vett. Ict.* 442.] ℙ Item deprecator. *Lampr. Comm.* 4. Paternum autem hujus caedis auctorem et interventorem, ne conjuratio latius pateret, a praefecturae administratione submovit. *Paul. Nol. carm.* 23, 195. Tunc velut Ezechiae fuit Interventor Isajas.

INTERVENTUS, us, m. *ἐπέλευσις*, superventus. *Caes. B. G.* 3, 15. Perpaucae *(naves)* noctis interventu, ad terram pervenerunt. *Cic. Part.* 8. *f.* Si quando tempus, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio dederit occasionem, etc. *Id. Att.* 16, 11. Caleni interventum, et Calvenae cavebis. *Id. Cat.* 3, 3. Interventu Pomptini pugna sedatur. [*Liv.* 23, 41. Ne cujus interventus coepta impediret. Cf. 3, 45.] *Just.* 11, 1. Iis rebus veluti medela quaedam interventus Alexandri fuit. ℙ Item interpositio. *Plin.* 29, 3, 12. Donec arceantur amnis alicujus interventu. *Id.* 2, 10, 7. Solem interventu lunae occultari. *Ulp. Dig.* 4, 6, 26. *med.* Dies, quibus actor agere voluit, et interventu feriarum impeditus est. *Cic. N. D.* 1, 40. Quae ergo vita? suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu. ℙ Item interpositio auctoritatis, aut fidei. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 68. Statui alicujus subvenire interven u principis. *Pomp. Dig.* 33, 1, 7. *extr.* Interventu judicis haec omnia debent ad effectum perduci. *Marc. ib.* 46, 3, 68. Conditio potest impleri citra interventum tutoris. *Suet. Caes.* 18. Retinentes creditores interventu sponsorum removit.

INTERVERSĬO, onis, f. eversio, subversio, turbatio. *Tert. adv. Marc.* 1, 20. O Christe patientissime, qui tot annos interversionem praedicationis tuae sustinuisti. ℙ Item interceptio, fraus, aversio. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 10, 70, 12. De interversione convictus.

INTERVERSOR, aris, pass. 1. usurpatur praesertim de piscibus, qui coitus tempore inter se colliduntur. *Plin.* 9, 50, 74. de piscib.: Nec satis est generationi per se coitus, nisi, editis ovis, interversando mares vitale asperserint virus. Alii leg. *nisi inter se versando mares ac feminae*, etc.

INTERVERSOR, oris, m. qui ex pecunia publica aliquid intervertit, interceptor. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 10, 1, 8. Qui in contractibus scelestis, ac fisco perniciosis interversorum maculosis se fraudibus implicuerint.

INTERVERSŪRA, ae, f. versura, et flexus agri in obliquum extensi, antequam ad ejus finem pervenias. *Hyg. de limit.* p. 178, 198. et 218. *Goesii.*

INTERVERSUS, a, um, part. ab *interverto*, interceptus, praereptus, fraudatus. *Cic. Verr.* 2, 4, 30. *f.* Si intellexerunt, interverso hoc regali dono, graviter vos tulisse. *Tac. A.* 16, 10. Interversis patroni rebus, ad accusationem transgrediens libertus. *Aurel. Vict. vir. illustr.* 33. Cum interversae pecuniae argueretur. *Cic. Dom.* 43. Interversa aedilitas, *h. e.* alio conversa, cum praetextu aedilitatis in rem suam quis vertit, quod populo R. debebatur. *Sen. Consol. ad Marc.* 22. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt: sed interversa plerumque sunt.

INTERVERTO (antique Intervorto) is, rti, rsum, a. 3. rem alio directam alio verto, averto, *ἀποτρέπω*. *Vitr.* 4, 3. In extremis partibus triglyphi semicanaliculi intervertantur. *Scaev. Dig.* 43, 20, 8. Cui per fundum iter aquae debetur, quacumque vult, in eo rivum faciat, licet: dum ne aquaeductum intervertat. ℙ Translate *Imp. Alex.* ap. *Paul. Dig.* 31, 1, 87. §. 3. Ob intervertendam inofficiosi querelam. Sic *Papin. ib.* 36, 1, 54. Intervertendi fideicommissi gratia. V. et l. *Sen.* in v. praec. ℙ Saepe est rem alteri debitam ad dominum pervenire non sinere, et in rem suam convertere, sibique retinere, surripere, intercipere, *ὑπεξαιρέω, παρακλέπτω*. *Cic. Phil.* 2, 32. Ille induxit, ut peteret: et receptum intervertit, ad seque transtulit. *Suet. Vit.* 7. Quorum publica vectigalia interverterat. *Marc. Dig.* 16, 3, 22. Rem depositam dolo intervertere. *Celsus JCtus* ap. *Ulp. Dig.* 43, 2, 44. *med.* Res non intervertitur ei, qui eam sponte jecit. *Paul. ib.* 4, 5, 5. Ea capitis deminutione, quae salva civitate accidit, per quam publica jura non interverti constat, *h. e.* adimi. *Marc. ib.* 41, 2, 20. Cujuspiam rei possessionem alicui intervertere. ℙ Absolute est etiam absumere. *Tac. H.* 2, 95. Vitellius novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. *Fulg. Myth.* 2, 15. Ideo etiam nudus Bacchus, quod omnis ebriosus inter-

vertendo nudus remaneat. ℙ *Intervertere aliquem re quapiam* est spoliare, fraudare. *Pl. As.* 2, 1, 10. Unde sumam? quem intervortam? *Id. Ps.* 3, 2, 110. Ut me, si posset, muliere intervorteret. *Gell.* 11, 18. *med.* Condemnatum furti colonum, qui fundo, quem conduxerat, vendito, possessione ejus dominum intervertisset.

INTERVIBRANS, antis, adj. *Capell.* 6, 191. Aethra intervibrans.

*INTERVIGILIUM, i, n. *Sarisb.* 2, 15. Quodam quasi intervigilio. *B. A.*

INTERVIGILO, as, avi, atum, n. 1. idem ac vigilo, vel per intervalla vigilo. *Lampr. Alex. Sev.* 61. Dormientibus cunctis, solo tantum imperatore intervigilante. *Sen. ep.* 83. Somno brevissimo utor, et quasi intervigilo. Optimae edit. hab. *interjungo:* q. v. v.

INTERVIREO, es, n. 2. in medio vireo. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 2, 100. de Iride: Semita discretis interviret humida nimbis. *Stat. Th.* 4, 98. de angue: laetisque minax interviret herbis.

INTERVISO, is, si, sum, a. 3. inviso, aliquem inter negotia, vel per intervalla viso, *ἐπισκέπτομαι. Pl Stich.* 3, 2, 3. Nunc interviso jamne a portu advenerit. *Id. Aul.* 2, 7, 1. Intervisam, quid faciant coci. *Id. Stich.* 1, 2, 90. Intervisam prius domum, si a viro tibi forte veniet nuncius. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget ille quidem: sed etiam ipse crebro interviso. *Id. Fam.* 7, 1. *f.* Quod nos minus intervisis, fero animo aequiore. [*Suet. Aug.* 24. Uxorem intervisere.]

INTĔRŪLA, ae, f. vestis interior, et corpori adhaerens, ut tunica, subucula, indusium. Est qui a tunica sic distinguit, ut sub toga tunica sit, sub pallio interula: alii hoc discrimen non agnoscunt. *Appul. Met.* 8. Discissaque interula, decora brachia saevientibus palmulis converberat. [*Gloss. Philox.* Interula, *χιτωνίσκος. F.*] Adde *Tert. Pall.* 5. ℙ Revera est adjectivum. V. v. seq.

INTĔRŪLUS, a, um, adj. interior, internus. *Capell.* 9. *in.* Quin etiam interulos gaudens dissolvere nexus. *Valer. Imp. in ep.* ap. *Vopisc. Prob.* 4. Tunicas russulas duas, interulas paragaudias duas. *Appul. Flor. n.* 9. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici, *h. e.* purpura bis tinctam. V. v. praec.

INTĔRUNDĀTUS, a, um, adj. in undarum figuram distinctus. *Solin.* 17. Hoc fulvum nigrantibus segmentis interundatum, varietate apprime decet.

INTERVOCĀLĬTER, adv. *Appul. Met.* 9. Intervocaliter clamare, *h. e.* magna voce.

INTERVOLĬTO, as, n. 1. in medio volito. *Liv.* 3, 10. Carne pluit: quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur.

INTERVOLO, as, avi, atum, n. 1. in medio volo. *Val. Fl.* 2, 614. Immittitque ratem, mediasque intervolat urbes; et 5, 27. Ille recens oculis intervolat Idmon. *Stat. Th.* 2, 539. fuscas intervolat auras Hasta. Adde *Colum.* 8, 10.

INTERVOMO, is, ui, itum, n. 3. inter aliqua vomo. Translate *Lucr.* 6, 894. Quod dulces inter salsas (*aequor*) intervomit undas, *h. e.* interfundit.

INTĔRUSŪRĬUM, ii, n. commodum, vel usura medii temporis. *Ulp. Dig.* 15, 1, 9. *f.* Ut medii temporis interusurium creditor consequatur.

INTERVULSUS, a, um. V. INTERVELLO.

INTESTĀBĬLIS, e, adj. *ἀδόκιμος, ἀμάρτυρος*, qui testari, h. e. testis esse non potest. *Cajus Dig.* 28, 1, 26. Cum lege quis intestabilis esse jubetur, eo pertinet, ne ejus testimonium recipiatur: et eo amplius, ut quidam putant, neve ipsi dicatur testimonium. Lex *XII. Tab.* ap. *Gell.* 6, 7. et 15, 13. *extr.* Improbus, intestabilisque esto. ℙ Item qui testamentum facere non potest. *Ulp. Dig.* 28, 1, 18. Si quis ob carmen famosum damnetur, senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit, ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis. ℙ Translate est detestabilis, exsecrandus, infamis. *Hor. Sat.* 2, 3, 180. uter aedilis fueritve Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto. [*V. *Heindf.*] *Gell.* 7, 18. *extr.* Eos, qui ad Annibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut taedium vitae ceperint, necemque sibi consciverint. *Sall. Jug.* 71. Quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur. *Id.* in *or. Lepidi.* Cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si pejor atque intestabilior metu vestro fuerit. *Tac. H.* 4, 42. *f.* Neronem extremum dominorum putatis, cum interim intestabilior et saevior exortus est. *Id. A.* 6, 40. Lepida crebris criminibus maritum insecuta, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat; et *ib.* 51. Intestabilis saevitia; et *ib.* 15, 55. Intestabilis et sceleratus. *Plin.* 30, 2, 6. Ars magica intestabilis, irrita, innanis; et 28, 8, 24. Reliqua intestabilia, et infanda. [*Liv.* 37, 57. Intestabili perjurio incessere: ubi v. *Gronov.*] ℙ Ludit in ambiguo *Pl. Curc.* 1, 1, 30. et *Mil. a.* 5. *v.* 24.: intestabilis enim est etiam, cui adempti sunt testes. V. DETESTATIO et INTESTATUS.

INTESTĀTO. V. v. seq.

INTESTĀTUS, a, um, adj. *ἀδιάθετος*, est non solum qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hereditas adita non est, ut *Paul. Dig.* 50, 16, 64. docet. Sed praecipue dicitur de eo, qui nullo facto testamento decessit. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. Mulier ita propinqua, ut etiam si intestata esset mortua, Epicratem, Bidinorum legibus, heredem esse oporteret. *Labeo* ap. *Gell.* 1, 12. *extr.* Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato, neque intestatae quisquam. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 88. Nicenses, qui intestatorum civium suorum concessam vindicationem bonorum a divo Augusto affirmant. ℙ Ablativus *intestato*, et *ab intestato*, adverbii ritu, est, nullo testamento facto, *ἀδιαθέτως:* sed posterius fere ad heredem refertur. *Cic. Or.* 1, 40. Paterfamilias cum uxorem praegnantem reliquisset, mortuusque esset intestato. *Ulp. Dig.* 37, 7, 1. *f.* Filia, quae ab intestato patri heres fit. *Mart. ib.* 29, 7, 8. Ab intestato succedere. *Ulp. ib.* 36, 1, 17. *extr.* Bonorum possessor ab intestato. ℙ Est praeterea *intestatus*, cujus verbis fides non habetur, si *Nonio* est fides habenda, qui 4, 23. haec affert verba *Pomponii:* Ipsus cum uno servo senex intestato proficiscitur. ℙ Item nullis testibus convictus. *Pl. Curc.* 5, 3, 17. Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi? ℙ Et cui adempti sunt testes. Itaque in ambiguo jocatur *Id. Mil. a.* 5. *v.* 24. Si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxia. V. INTESTABILIS.

INTESTĪNĀ, orum. V. INTESTINUS.

INTESTĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad intestinum opus pertinens. Hinc Faber intestinarius, qui intestinum opus facit, *λεπτουργός. Inscr.* ap. *Mur.* 929, 6. M. Atius Atiae L. Faustus fabr. intest. Alia ap. *eund.* 939, 7. M. Avidius M. L. Aesopus fabr. intestin. ℙ *Intestinarius, ii*, absolute, idem significat. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Intestinarii, statuarii, musicarii.

INTESTĪNUS, a, um, adj. *ὁ ἔνδοθεν*, interior, internus, intimus: ab *intus. Cic. Acad.* 4, 15. *med.* Nihil ut esset, qui distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quidquam interesset inter intestinum, et oblatum. *Id. Verr.* 2, 1, 15. Occultum, intestinum ac domesticum malum. *Id. Cat.* 2, 13. Bellum intestinum ac domesticum. *Liv.* 4, 52. *f.* Nihil eo biennio intestini externive incommodi fuit. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Intestinus dolor. *Just.* 20, 5. Intestina discordia. *Curt.* 6, 7. Intestino facinore peti. Sic 9, 6. *f.* Intestina fraus. ℙ *Intestinum opus* est, quod sub tecto, et intra domum subtiliore, et elegantiore artificio fit, praesertim e ligno, *λεπτουργία. Varr. R. R.* 3, 1. *f.* Cum villam haberes opere tectorio, et intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam. *Plin.* 16, 42, 82. Abies valvarum repagulis, et ad quaecumque libeat intestina opera aptissima. *Vitr.* 4, 4. Intercolumnia pluteis marmoreis, sive ex intestino opere factis intercludantur. *Id.* 5, 2. Praecingendi sunt parietes medii coronis ex intestino opere, aut albario. ℙ *Intestinum, i*, et *Intestina, orum* sunt interanea, h. e. ductus cibi, et excrementorum in ventre animalium, qui a ventriculo alimenta excipiunt, et longis anfractibus per inferna dejiciunt, *ἔντερα, ἐντόσθια.* Differunt a visceribus (apud medicos) quae in superiore parte usque ad ventriculum locum habent. *Lucr.* 4, 114. animalia sunt tantula, eorum Tertia pars nulla ut possit ratione videri: Harum intestinum quodvis quale esse putandum est? *Cic. N. D.* 2, 55. Reliquiae cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. *Id. Fam.* 7, 26. Cum decimum jam diem graviter ex intestinis laborarem. *Pl. Cas.* 4, 3, 6. Mihi inanitate jamdudum intestina murmurant; et *Men.* 5, 5, 26. Quando esurio, intestina tum crepant. ℙ Intestinorum nomina, ap. *Cels.* 4, 1., sunt *jejunum, tenue, caecum:* deinde quod anatomici *colon* vocant, late fusum atque sinuatum: postremo loco *rectum. Jejunum* inde nomen habet, quia nunquam quod accepit, continet, sed protinus in inferiores partes transmittit: *caecum*, quia ab altera parte non est pervium: *rectum* dicitur a figura. Anatomici plura intestina faciunt, quae persequi non est nostri muneris. ℙ Intestinum medium ap. *Cic. N. D.* 2, 55. est *μεσεντέριον*, seu *μεσάραιον*, h. e. membrana in mediis intestinis sita, de qua v. anatomicos. ℙ *Intestinus, i*, m. usurpatum fuit a *Varrone* (V. HYDRAGOGIA) teste *Non.* 3, 114. et praeterea *Hard.* ex MSS. ita legit locum *Plinii* 11, 37, 78. Sanguine carentibus intestinus ab ore incipit, et quibusdam eodem reflectitur, ut saepiae, polypo. In homine adnexus infimo stomacho, similis canino, etc.

INTESTIS, is, adj. *ὁ σπάδων*, qui testibus caret, cui testes sunt adempti. *Arnob.* 5, 160. de Attide: Caeremoniis annuis, et sacerdotum intestibus honoratur. Alii minus recte leg. *investibus*, ut probat *Salmas.* in *not.* ad *Tert. Pall.* 3.; etenim Gallos, Matris Deum sacerdotes, appellatos esse ait intestes, quia sine testibus erant. V. INTESTATUS.

INTEXO, is, xui, xtum, a. 3. *ἐνυφαίνω*, in aliqua re texo, implico, innecto, contexo. *Ov. Met.* 6, 577. Purpureasque notas filis intexuit albis. *Plin.* 8, 48, 74. Diversos colores picturae intexere. *Virg. Ecl.* 2, 49. casia, atque aliis intexens suavibus herbis, Mollia luteola pingit vaccinia caltha; et *ib.* 5, 31. Et foliis lentas intexere mollibus hastas. *Id. G.* 2, 221. laetis intexit vitibus ulmos. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 128. lilia fuscis intexit violis. ℙ Pro simplici texo, contexo. *Plin.* 10, 33, 50. Acanthyllis nidum ex lino intexens. ℙ Pro assuere. *Ulp. Dig.* 10, 4, 7. Si purpuram vestimento intexueris. ℙ Translate. *Tibull.* 4, 1, 5. Nec tua praeter te chartis intexere quisquam Facta queat, *h. e.* describere. [*Laud. *Heyn.* ad h. l. *Virg. Cir.* 39. Naturae rerum magnis intexere chartis.] *Petr. Sat.* 118. Ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. ℙ Pro immiscere, inserere. *Cic. Part.* 4. Cum parva magnis, simplicia conjunctis, obscura dilucidis, laeta tristibus inteximus. *Id. Or.* 2, 16. Aliquid in causa prudenter intexere. *Id. Att.* 13, 12. Scis, me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nunquam possem intexere.

INTEXTUS, a, um, part. ab *intexo:* intus textus, in aliqua re textus. *Auct. ad Her.* 4, 47. Chlamys purpurea, coloribus variis intexta. *Suet. Ner.* 50. Stragula alba, auro intexta. *Ov. Met.* 6, 166. Intextum vestibus aurum. *Virg. G.* 3, 25. Purpurea intexti tollant aulaea Britanni, *h. e.* intexti in ipsis aulaeis. *Lucan.* 5, 517. domus sterili junco, cannaque intexta palustri. *Cic. N. D.* 2, 55. Venae et arteriae crebrae, multaeque toto corpore intextae. *Virg. A.* 10, 785. Opus tribus tauris intextum, *h. e.* scutum triplici taurino corio contextum. *Claud. IV. cons. Honor.* 605. Liber Erythraeis intextus nebrida gemmis, *h. e.* nebrida habens gemmis intextam; et *Nupt. Honor. et Mar.* 167. diadema gravibus baccis intextum. *Id. Epith. Pallad. et Celer.* 2. Antrum intextum vitibus. [*Liv.* 7, 2. Inventus — ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare etc.]

INTEXTUS, us, m. *Plin.* 2, 8, 50. Aeterna est coelestibus natura, intexentibus mundum, intextuque concretis.

*INTHRONIZO, as, a. 1. *Sarisb. Ep.* 299. Solemniter inthronizatus est. *B. A.*

*INTIBILI, oppidum Hispaniae Tarraconensis, trans Iberum flumen, cujus ad ostium situm est. *Liv.* 23, 49. et *Anton. Itin.* ℙ *Indibile* audit *Frontin. Strateg.* 2, 3. *in. B. A.*

INTĪBUS. V. INTUBUS.

INTĪMĀTĬO, onis, f. denunciatio. *Capell.* 9, 304. Doctae intimationis excursus. *Imp. Antonin. Cod.* 9, 40, 1. Si reus post intimationem suam fuerit defunctus.

INTĪMĀTOR, oris, m. qui aliquid introducit, atque insinuat. *Capitol. Pert.* 10. Velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat.

INTĪMĀTUS, a, um, part. ab *intimo:* edictus, propositus, insinuatus. *Spart. Ael. Ver.* 7. Quod contrarium est his, quae de adoptionis poenitentia per auctores plurimos intimata sunt. *Trebell. Poll. Gallien.* 16. Haec vita Gallieni fuit, breviter a me litteris intimata. *Imp. Justin. Cod.* 1, 2, 19. Ut donationes, licet minus in actis intimatae essent, tamen valerent, *h. e.* insertae. *Arnob.* 5, 180. Unde est vobis cognitum, vel unde intimatum?

INTĪMĒ, adv. *ἐνδοτάτω*, intrinsecus, intus. *Appul. Met.* 2. Si te meus igniculus afflaverit, ureris intime. *Id. Dogm. Plat.* 2. Summus Deorum cuncta haec comperta intime providae ordinationis constantia regit. ℙ Refertur ad amicitiam et familiaritatem. *Nep. Att.* 5. Utebatur intime Q. Hortensio. *Appul. Apol.* Arcto contubernio intime junctus. ℙ Enixe, vehementer, ex animo. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari.

INTĪMĪDĒ, adv. non timide. *Ammian.* 26, 6. Huic intimidius incedenti nec resistebat populus, nec favebat. *Hadrian. Valesius* exponit, valde timide, ut *in* augeat.

INTĪMO, as, avi, atum, a. 1. intimum reddo, insinuo, introduco, infundo. *Solin.* 32. *med.* Nilus mari intimatur; et 5. Quantam sui partem gurgiti intimaverit, tantam it perditum. *Appul. de Mundo in.* Ut cum ipsius intervalli conditione a mundi vicinia natura nos secretos esse voluisset, immensitati tamen ejus cogitationum nos pernicitas intimaret. *Id. Ἀνεχόμ.* 15. Carpant papillas, atque amplexus intiment. ℙ Item immittere, adigere. *Tert. Hab. mul.* 5. *f.* Nullus bidens aurum demergit in terram: nullus clavus argentum intimat tabulis. ℙ Translate. *Id. adv. Valent.* 17. Imaginem aliquam imbibere, et sibi intimare, *h. e.* in intimum animum inducere, et altius imprimere. ℙ Saepe est docere, significare, indicare, et quasi in intimos sensus inducere, apud sequioris aevi scriptores. *Symmach. ep.* 10, 33. (al. 40.) Prae-

decessor meus perennitati vestrae rationem dicitur intimasse. *Sidon. ep.* 7, 10. Qui, quid negotii ferat, praesentaneo compendiosius potest intimare memoratu. *Firm. Math.* 8, 5. Breviter tibi promissi operis intimabo decreta. *Imp. Leo Cod.* 8, 54, 30. Donationem suam apud magistratum intimare. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 10, 10, 5. Rerum nobis notitia intimetur. Adde *Capelt.* 6, 192. et 7, 236., *Spart. Jul.* 2. et *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1111. ℙ Item edicere, indicere. *Imp. Constant. Cod.* 14, 3, 1. Cunctis pistoribus intimari oportet, quod si quis, etc. Sic *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 15, 3, 6. Quam legem provinciarum judicibus intimari conveniet.

*INTIMORĀTE, adv. *ἀφόβως*, sine metu. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 1. Intimorate omnia operantur. *B. A.*

INTĪMUS, a, um, adj. *ἐνδότατος*, qui maxime intus est, internus, reconditus: superlat. ab *intra*, ut *extimus* ab *extra*. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. Tunica intima. V. INTERULA. *Cic. Verr.* 2, 4, 45. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum, *h. e.* in intima sacrarii parte. *Id. Fam.* 13, 29. *med.* Abdidit se in intimam Macedoniam. [*Liv.* 34, 47. In intima finium; et 36, 21. Emporium — in intimo sinu Corinthiaco retractum.] *Pl. Truc.* 2, 7, 41. Traxit ex intimo ventre suspirium. *Plin.* 11, 37, 65. Ranis lingua prima cohaeret, intima absoluta a gutture, *h. e.* interior linguae pars. *Cic. Leg.* 1, 5. Penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas: [*Id. Or.* 53. Disputatio est artis intimae;] et *Verr.* 1, 6. *extr.* Ad intima alicujus consilia pervenire. [*Id. N. D.* 2, 27. dea (Vesta) quae est custos rerum intimarum, i. e. ararum et focorum.] ℙ Refertur saepe ad amicitiam et familiaritatem. *Nep. Alcib.* 5. Cum in intimam regis amicitiam pervenisset; et *Att.* 12. Intima familiaritate conjunctus Caesari. *Cic. Cat.* 2, 5. Qui se non intimum Catilinae esse fateatur. *Nep. Dion.* 1. Erat intimus Dionysio priori. *Cic. Att.* 4, 16. Itaque in intimis est meis, cum antea notus non fuisset. *Id. Fam.* 13, 27. M. Aemilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis. *Ter. Eun.* 1, 2, 47. tute scis, quam intimum Habeam te, et mea consilia, ut tibi credam omnia. *Id. Andr.* 3, 3, 44. Davus, qui intimus est eorum consiliis. *Pl. Mil.* 2, 1, 30. Facere se intimum apud aliquem.

INTINCTĬO, onis, f. actus intingendi. *Hieron. ep.* 125. *n.* 1. Judas nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellae, nec osculi gratia frangitur. *Tert.* de baptismo usurpat, *Poenit.* 2, 6. et 7. Sic intinctionem secundam, martyrium intelligit, *Patient.* 13. *med.*

INTINCTUS, a, um, part. ab *intingo*, *βαπτὸς*, tinctus, madefactus, imbutus. *Vitr.* 1, 5. Intinctus in aqua. *Id.* 8, 2. *extr.* Sapor *(aquae)*, et odor, et color intinctus, et commixtus propter naturae raritatem. *Ov. Met.* 7, 260. Faces intinctae sanguine. *Cels.* 2, 24. Oleae aceto intinctae. *Plin.* 28, 17, 70. Sevum oleo intinctum. *Tert. Poenit.* 6. *f.* absolute *intinctus* est baptizatus. V. INTINCTĬO. ℙ Item conditus, condimento imbutus. *Ov. Fast.* 2, 634. Nutriat intinctos missa patella cibos. Al. rectius leg. Nutriat incinctos missa patella Lares.

INTINCTUS, us, m. *ἔμβαμμα*, condimentum liquidum, jusculum, quo intinguntur cibi saporis gratia. *Plin.* 20, 7, 26. Oxypori obolis asperitatem, addito dulci, ad intinctum aceti temperantes; et *ib.* 9, 33. Vel cum his trita sorbenda est brassica, vel ex hoc intinctu sumenda. *Id.* 15, 29, 35. Eadem origine aprorum sapor commendatur, plerumque ad intinctus additis myrtis.

INTINGO et Intinguo, is, nxi, nctum, a. 3. *ἐμβάπτω*, in aliqua re tingo, madefacio. *Quint.* 10, 3. *f.* Membranae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quod intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. [*Hermannus* ap. *Frotsch.* legendum conjecit *crebra relictionis — repetione*, quod nihil aliud est quam *crebra relictione.* Mihi *crebra relictione, quoad instinguntur calami, et repetione* scribendum videtur, intellige *membranarum*, quas manus crebro et relinquit et repetit. *Zumpt. Suppl. annotat.* ad *Quint.* p. 423.] ℙ Refertur ad cibos, qui intinctu condiuntur. *Cato R. R.* 156. Brassicam si crudam edes, in acetum intinguito. *Plin.* 20, 17, 72. Anisum omnibus, quae condiuntur, quaeque intinguntur, desideratum.

INTOLĔRĂBĬLIS, e, adj. *ἄνλητος*, *δύσοιστος*, qui ferri et tolerari non potest, intolerandus, non ferendus. *Cic. N. D.* 2, 50. *extr.* Intolerabilis odoris foeditate insectantes depellunt. *Id. Rosc. Am.* 45. Intolerabile frigus. *Id. Acad.* 4, 8. Intolerabilis dolor. *Liv.* 1, 53. saevitia. *Pl. Aul.* 3, 5, 59. Intolerabiles sumptus. *Cic. Or.* 65. *extr.* Intolerabile vitium est; et 8. Verba dura, odiosa, intolerabilia. *Id. Fam.* 3, 7. Intolerabilia tributa exigere; et *ib.* 4, 3. Multo intolerabiliorem futurum. *Juven.* 6, 459. Intolerabilius nihil est, quam femina dives. *Cic. Att.* 11, 13, Mihi cum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod etc. [*Vell.* 2, 120, 4. Difficultates intolerabiles. *Quint. Inst.* 6, 2, 16. Namque eos graves et intolerabiles id ipsum demonstrat.] ℙ Active est intolerans. *Afran.* ap. *Non.* 2, 435. Quod si fecissem id saepius, didicisset is ferre, et non esset intolerabilis.

[INTOLĔRĂBĬLĬTAS, atis, f. intolerantia. *Gloss. Philox.* Intolerabilitas, *ἀνυποστότης*. *F.*]

INTOLĔRĂBĬLĬTER, adv. ita ut ferri non possit. *Colum.* 1, 4. *f.* Quaedam loca frigoribus hiemis intolerabiliter horrent.

INTOLĔRANDUS, a, um, part. ab *intolero:* intolerabilis. *Cic. Vat.* 9. Intolerandus tyrannus. *Liv.* 22, 1. Intoleranda frigora. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. *f.* Res indigna atque intoleranda. *Id. Agr.* 1, 5. Omnium rerum infinita atque intoleranda licentia. *Id. Font.* 16. Immanis atque intoleranda barbaria. *Id. Rosc. Am.* 13. Perniciosa atque intoleranda potentia. *Tac. H.* 3, 26. Intolerandus tam longi itineris labor. *Id. A.* 12, 10. Dominatio nobilitati plebique juxta intoleranda. *Gell.* 10, 12. Multa vana atque intoleranda auribus. *Sall. Cat.* 61. Res foedae atque intolerandae; et 10. *extr.* Crudele intolerandumque factum. ℙ *Intolerandum* adverbii more. *Gell.* 17, 8. Olla, ut video, intolerandum fervit.

INTOLĔRANS, antis, part. ab *intolero*, *δυσανάσχετος*, qui tolerare non potest, impatiens. *Liv.* 9, 18. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit; et 10, 28. Corpora intolerantissima laboris atque aestus. *Tac. H.* 4, 80. Superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum, intolerantis; et *A.* 2, 75. Omnium, quae ultionem morarentur, intolerans. ℙ Item intolerandus. *Id. ib.* 11, 10. Vir ingens gloria, atque eo ferocior, et subjectis intolerantior; et *ib.* 3, 45. Quanto intolerantior servitus iterum victis. (Utroque loco *Grotius* malebat *intoleratior.)* [*V. *Gron.* et *Ernest.* ad utrumque locum; *Rupert.* ad 3, 45.] *Flor.* 4, 12. *med.* Nihil insultatione Barbarorum intolerantius fuit. *Gell.* 13, 8. Nihil posse fieri indignius, atque intolerantius, quam quod homines ignavi, etc. *Laev.* ap. *eund.* 19, 7. Curis intolerantibus.

INTOLĔRANTER, adv. *δυσαναχέτως*, intolerabiliter. *Cic. Tusc.* 2, 9. *extr.* Intoleranter dolere. *Caes. B. G.* 7, 51. Intolerantius Gallos insequentes legio tardavit. *Cic. Or.* 2, 52. Intolerantius se jactare; et *Vat.* 12. De divitiis intolerantissime gloriaris.

INTOLĔRANTĬĂ, ae, f. *ἀδυναμία*, impotentia, insolentia, superbia quae ferri ac tolerari non potest. *Cic. Cluent.* 40. *f.* Quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset? *Id. Agr.* 2, 13. Perspicite quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regis esse dicetis. *Suet. Tib.* 51. Acerbitas et intolerantia morum. ℙ Item impatientia. *Gell.* 17, 19. *f.* Intolerantia, cum injurias, quae sunt ferendae, non toleramus, neque ferimus.

INTOLĔRĀTUS, a, um, adj. Intoleratus aeger ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 19. *f.* est nullis cibis recreatus. V. INTOLERANDUS.

[INTŌLĔRO, as, a. 1. impatienter fero. *Not. Tir.* p. 140. Tolerat, intolerat. *F.*]

INTOLLO, is, a. 3. extollo, ut Clamores absonos intollere, *Appul. Met.* 8.

INTŌNĀTUS, a, um, part. ab *intono. Hor. Epod.* 2, 51. Si quos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc vertat mare, *h. e.* procellosa tempestas in Eoum mare cum tonitru et ventis immissa.

INTONDĔO, es, ondi, onsum, a. 2. *κείρω*, tondeo. *Colum.* 11, 3. *med.* Et fibrarum summas partes intondeas.

INTŌNO, as, ui, *raro* avi, n. 1. idem quod tono, aut valde tono. *Cic. Div.* 1, 47. Partibus intonuit coeli Pater ipse sinistris. *Virg. A.* 2, 693. subitoque fragore Intonuit laevum; et *ib.* 1, 94. Intonuere poli; et *ib.* 8, 527. iterum atque iterum fragor intonat ingens. *Non.* 4, 258. leg. *increpat:* alii, fragor intonat aures. *Sidon. ep.* 9, 14. Praeparare aures fragoribus intonaturis, *h. e.* plausibus, qui personabunt. ℙ Translate dicitur de quovis sono ac voce vehementiore. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 210.] *Petr. fr. Trag.* 78. *Burm.* Consonuere cornicines funebri strepitu: unus praecipue servus tam valde intonuit, ut, etc. *Sen. Agam.* 328. chelys Nil acre velim, Magnumque modis intonet altis. *Plin.* 8, 40, 61. Intonuit ingenti latratu canis. *Virg. A.* 7, 515. Contremuit nemus, et silvae intonuere profundae. *Val. Fl.* 2, 365. magnis cum fratribus Eurus Intonat Aegaeo. *Paul. Nol. carm.* 21, 903. Cum prima signum suscitandis mortuis Coelo tuba intonaverit. [*Sil.* 14, 298. Armis intonat urbi; et 2, 211. Et concussa procul membris velocibus arma Letiferum intonuere, etc.] ℙ Et praesertim de eo, qui impetu quodam, clamoseque loquitur, ut fit in ira, aliove animi impetu. *Cic. Mur.* 38. Jam hesterna concione intonuit vox perniciosa tribuni. *Liv.* 3, 48. Cum haec intonuisset plenus irae. *Ov. Amor.* 1, 7, 45. Nonne satis fuerat timidae inclamasse puellae, Nec nimium rigidas intonuisse minas? *Prop.* 2, 1, 39. Phlegraeos Jovis Enceladique tumultus Intonet augusto pectore Callimachus. *Sen. Agam.* 544. furibundum intonat, Superasse nunc se pelagus atque ignes. *Tac. A.* 12, 1. Claudius coelibi vitae intonans, *h. e.* invehens. Alii rectius leg. *coelibis vitae intolerans. Val. Fl.* 3, 168. Occupat os barbamque viri, clavaque superne Intonat, *h. e.* quasi tonitru, et fulmine, sonantes ictus infligit. Al. leg. *clavamque*, et est, clavam intentando inclamat, et tonanti voce percellit. ℙ [*Confunduntur in edd. *intonare* et *insonare.* V. *intpp.* ad *Virg. Aen.* 7, 515. et 8, 239. et *increpare.* V. *ib.* 12, 332.]

INTONSUS, a, um, adj. *ἄκουρος*, non tonsus. *Accius* ap. *Cic. Tusc.* 3, 26. Scindens dolore identidem intonsam comam. *Hor. Epod.* 15, 9. Intonsi capilli. *Ov. Fast.* 4, 655. Intonsum caput. *Virg. A.* 9, 181. Ora intonsa, *h. e.* nondum rasa. Sic *Curt.* 8, 22. *med.* Mentum intonsum. *Colum.* 7, 3. Intonsae oves. *Virg. Ecl.* 5, 63. Intonsi montes, *h. e.* nemorosi, et incaedui. *Id. A.* 9, 681. quercus intonsa coelo attollunt capita, *h. e.* frondosa. *Stat. Silv.* 4, 7, 10. intonsa myrtus. ℙ Saepe dicitur de antiquis Romanis, qui cum nullis dediti deliciis essent, ne comam quidem tondebant: unde et *hirsuti* dicti sunt. *Plin.* 7, 59, 59. Tonsores in Italiam venere post R. C. anno CCCCLIV., antea intonsi fuere. *Tibull.* 2, 1, 34. et *Ov. Fast.* 2, 30. Intonsi avi; et *ib.* 6, 264. intonsi regia magna Numae. [*Idem omnino, quod priscus. Adde *Hor. Od.* 2, 15. Intonsus Cato.] ℙ Et universim de incultis hominibus, et pauperem asperamque vitam agentibus. *Liv.* 21, 32. de Alpinis incolis: Homines intonsi et inculti. *Tibull.* 1, 8, 16. Cilices. *Ov. Pont.* 4, 2, 2. Getae. ℙ *Intonsus Deus* est Apollo. *Ov. Trist.* 3, 1, 60. et *Prop.* 3, 11, 52. ℙ Cum accus. Graeco more. [*Ov. *Met.* 5, 87. Intonsamque comas Elycen — Sternit.] *Sil.* 15, 674. Rhodanique comas intonsa juventus.

[INTORPĔO, es, n. 2. maxime torpeo. *Not. Tir.* p. 94. Torpet, intorpet. *F.*]

INTORQUĔO, es, orsi, ortum, a. 2. *ἐπιστρέφω*, idem quod torqueo, contorqueo, inflecto. *Cic. Or.* 2, 66. Mentum in dicendo intorquens. *Virg. G.* 4, 451. Ardentes oculos intorsit lumine glauco. *Plin.* 19, 6, 34. Debet intorqueri caulis, ut caput validius fiat. *Claud. II. cons. Stil.* 363. Intorquere clavum. *Colum.* 5, 10. *med.* ramulos. *Val. Fl.* 8, 287. Intorquere undas remis. *Lucr.* 6, 123. Cum subito validi venti collecta procella Nubibus intorsit sese, *h. e.* se involvit, et induit. *Auct. B. Hisp.* 38. Huc accedebat, ut etiam talum intorsisset. ℙ Item jaculari, conjicere, vibrare, quod torquendo brachio fit. *Cic. Att.* 9, 7. Vereor, ne Pompejo quid oneris imponam, *μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου* intorqueat. *Virg. A.* 2, 231. et tergo sceleratam intorserit hastam; et *ib.* 10, 322. et *ib.* 11, 637. Intorquere jaculum, hastam alicui, *h. e.* in aliquem; et 882. et *Sen. ep.* 45. *med.* telum in hostem. *Tac. A.* 14, 36. Ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 36. Alternis versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae. *Sil.* 11, 342. Intorquere vocem diram. ℙ [*Permutantur *intorquere* et *contorquere.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 52. et *attorquere.* V. *Eund. ib.* 9, 52.]

INTORTĔ, adv. contorte. *Plin.* 16, 16, 27. Bruscum intortius crispum, molluscum simplicius sparsum.

INTORTĬO, onis, f. contortio. *Arnob.* 3, 108. Hos capillorum intortionibus crispulos.

INTORTUS, a, um, part. ab *intorqueo*, *εἰλιγματώδης*, contortus, flexus, involutus. *Catull. carm.* 64, 235. Intorti rudentes. *Petr. Sat.* 131. De sinu licium protulit varii coloris filis intortum; et 80. Intorto circa brachium pallio, composui ad proeliandum gradum. *Liv.* 25, 16. *f.* Paludamento circa laevum brachium intorto, in hostes impetum fecit. [*Sil.* 5, 367. Intortos de more adstrictus amictus, i. e. complicatos.] *Hor. Od.* 2, 13, 35. Angues intorti capillis Eumenidum. *Val. Fl.* 6, 563. et *Mart.* 8, 33. Intorti capilli. *Liv.* 28, 30. *f.* Navis repente intorta, in proram circumagebatur. *Val. Fl.* 4, 452. niger intorto turbine nimbus. ℙ Translate. *Pl. Cist.* 4, 2, 63. Intorta oratio [*i. e. obscura propter turbatum verborum ordinem, et insolentem vocum significationem.] *Pers.* 5, 38. Intorti mores, *h. e.* minus recti, pravi. *Plin.* 10, 29, 43. Sonus concisus, intortus. V. LUSCINIA. *Appul. Flor. n.* 13. Noctuae intorto carmine occinunt, ℙ Est etiam jactus, vibratus. *Virg. A.* 10, 382. hunc, magno vellit dum pondere saxum, Intorto figit telo. *Sil.* 1, 304. verba ocius acer Intorto sancit jaculo.

*INTORTUS, us, m. vox nitens auctoritate *Harduini* ad *Plin.* 8, 12. ubi legendum censet: Quamobrem in amnibus mersos *(dracones)* insidiari *(elephantis)* bibentibus: intortuque illigata manu in aurem morsum defigere, h. e. *spirarum volumine*, ut exponit ipse. Sed vix Lexicis Latinis inserenda vox est. Omnes edd. *arctatisque* pro *intortuque. Salmasius* conjicit *arctiusque*, nimis frigide, ut putat *Harduinus.* Metuo ne alterum illud sit frigidius. Vulgatum retinuerim, mutata paululum inter-

punctione, *arctatisque, illigata manu, in aurem morsum defigere. In aurem arctatis* idem videtur esse ac *in aurem arctatorum.* Dativus est pro genitivo positus per Colophoniam, quam dicunt, figuram. *B. A.*

INTRĀ, *ἐντός, ἔντοθι*, in, intus, inter: praepositio regens accusativum: ab *in*, ut *citra* a *cis*, *ultra* ab *uls*, ut *Gell.* 12, 13. et *Prisc.* 14, 991. docent. [*Contractum est ex *intĕrā*, scil. *parte*, et significat finem loci vel temporis, quo quis, vel quid continetur. V. *Gronov.* ad *Liv.* 1, 10. nostr. *innerhalb.* Hinc primo loco exempla ponenda sunt, in quibus *intra* sine casu adverbii more adhibetur. *Forc.* §. 2. laudaverat ista:] *Cels.* 7, 15. Pars, quae intra, longior esse debet, quam quae extra. *Colum.* 12, 43. *med.* Vasa extrinsecus, et intra diligenter picata. *Petr. Sat.* 22. Idem tota intra, forisque familia fecerat. [*Adde *Suet. Caes.* 84. Intraque lectus eburneus, etc. Ita saepissime usurpatur in rebus geographicis de terris a mari remotis, de regionibus regni alicujus internis, in medio quasi positis. *Mela* 1, 4, 4. Intra vix jam homines magisque semiferi — habent potius terras quam habitant; et *ib.* 6, 2. Interius, et longe satis a litore, etc. V. *Interior* et cf. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 8, 18. ℙ Refertur ad mare mediterraneum. *Mela prooem.* 2. Deinde rursus oras omnium et litora, ut intra extraque sunt, etc. et 1, 4, 5. Intra extraque circumvectus orbem. *Plin. H. N.* 6, 32. Abunde orbe terrarum extra intraque indicato: ubi intra de mari mediterraneo, Gr. *ἡ ἔσω θάλασσα*, et *extra*, Gr. *ἡ ἔξω θάλασσα*, de Oceano intelligendum.] Refertur saepe ad locum. *Cic Att.* 3, 10. *med.* Nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur. *Id. ad Brut.* 1, 18. Cum tantum resideat intra muros mali. *Auct. ad Her.* 4, 3. Intra carceres stare. *Virg. A.* 11, 608. Jamque intra jactum teli progressus uterque. *Pl. Merc.* 1, 2, 75. Ubi eam vidit? *Acanth.* Intus intra navim. *Cic. Sext.* 27. Antiochum intra montem Taurum regnare jusserunt, *h. e.* intra fines montis Tauri, ita ut cis eum montem transgredi non liceret. (V. *Liv.* 38, 38.) *Flor.* 3, 10. et 4, 12. Intra ripam, *h. e.* in ulteriore ripa. *Cic. Verr.* 2, 3, 89. Locus intra oceanum jam nullus est, quo, etc. *h. e.* in omnibus terris, quas ambit oceanus: quod est, in toto terrarum orbe. *Liv.* 5, 35. Intra Apenninum tamen sese tenuere, *h. e.* cis Apenninum transgressi non sunt, neque propius Romam accessere. *Cels.* 3, 18. Quidam phrenetici intra verba desipiunt: alii insurgunt, et violenter quaedam manu faciunt, *h. e.* verbis tantum desipiunt, neque ulterius progrediuntur. [*Curt.* 7, 1, 25. Intra verba peccare, i. e. sic ut ultra verba et ad facta non transscendas.] *Plin.* 12, 21, 45. Ea intra se consumunt Arabes, *h. e.* inter se ipsi consumunt, neque extra fines suos exportant; et 9, 51, 75. Torpedo intra se parit ova, in alium locum uteri transferens; et 10, 42, 59. Picae meditantes intra se, *h. e.* secum ipsae. *Quint.* 11, 3. Quae intra nosmet ipsos componimus. *Plin. ep.* 3, 10. Praecipue cum affirmetis, intra vos futura, donec placeat emittere; et *Flor.* 1, 3. Abstulit virtus parricidam, et facinus intra gloriam fuit, *h. e.* intra gloriae fines: adhuc fuit gloriosum. *Plin. ep.* 4, 16. *med.* Paulisper se intra silentium tenuit. [*Vell.* 2, 111, 4. Quanto opere inclusus custodiis exercitus nostri, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, et intra se furens, viribus hostis elanguesceret: ubi *intra se* non debebat sollicitari ab *Heinsio* et *Burmanuo*, ut recte notat *Ruhnk.*, qui laud. *Flor.* 3, 21, 1. Hoc deerat unum populi Romani malis, jam ut ipse intra se parricidale bellum domi stringeret: coll *Duk.* ad h. l.] *Sil.* 14, 466. At princeps generis quanto majora paravit Intra pastorem sibi nomina: ubi bene *intra pastorem* videtur explicare *Barthius*, pastoritia vita et fortuna contentus. Conjecturam *Heinsii inter* non improbat *Drakenb.* ℙ Nota dicendi usum, quo *Suetonius* saepius praepos. *intra* utitur, ubi alii *in* ponere solent. Ita *Cal.* 27. Stans intra porticum mediam: ubi v. *Brem.* qui comparat *Galb.* 8. Quum sacrificaret intra aedem publicam; et 14. una et intra Palatium habitantes. ℙ Interdum etiam pro *inter* videtur exhiberi. *Curt.* 4, 4, 15. Multis tamen saluti fuere Sidonii, qui intra Macedonum praesidia erant, i. e. quae in numero erant praesidiorum, quae Macedones circa urbem obsessam collocaverant.] ℙ Refertur etiam ad motum ad locum. *Cic. Caec.* 8. Ingredienti intra finem ejus loci. *Id. Or.* 2, 34. *extr.* Nosse regiones, intra quas venias. *Caes. B. G.* 1, 32. *extr.* Qui intra fines suos Ariovistum recepissent. *Liv.* 34, 33. Compulsus intra moenia hostis. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 19. Ferre aliquid intra limen. *Id. Truc.* 1, 1, 23. Ea intra pectus se penetravit potio. ℙ Item ad tempus. *Caes. B. G.* 1, 36. *extr.* Qui intra annos quatuordecim tectum non subiissent. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 77. Dimidiam partem nationum subegit solus intra viginti dies. *Tac. A.* 2, 71. Quod Dii me intra juventam praematuro exitu raperent. ℙ Sequente *quam. Liv.* 36, 10. Intra decimum diem, quam Pheras venerat, *h. e.* in spatio dierum decem, postquam venerat. *Sen. Tranqu.* 11. *med.* Quem populus R. intra annum, quam timuerat, spectavit. *Colum.* 12, 23. Intra quartum diem, quam de lacu sublatum est. [*Suet. Caes.* 35. Intra quintum, quam affuerat, diem, *i. e.* nondum exactis quinque diebus.] ℙ *Gell.* 12, 13. multa disserit de sententia horum verborum *intra calendas:* et quidem ex vi verborum esse ait in ipsis calendis: ex consuetudine autem significare totum illud tempus, quod ante calendas futurum est. Utrum autem et ipsae calendae comprehendantur, non statuit: at ipsas quoque comprehendi, aperte significat *Ulp. Dig.* 38, 9, 1. *med.* et 50, 16, 133. Verba ejus priore loco sunt: Quod dicimus, intra dies centum bonorum possessionem peti posse, ita intelligendum est, ut et ipso die centesimo bonorum possessio peti possit: quemadmodum intra calendas, etiam ipsae calendae sint. *Plin.* 16, 25, 42. *extr.* Deflorescunt omnia septenis diebus: quaedam tardius, sed nulla pluribus bis septenis: omnia et intra VIII. Id. Jul. *h. e.* antequam ille dies elabatur. ℙ Ponitur et pro citra. *Liv.* 1, 43. Secunda classis intra centum, usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta. Translate. *Cic. Fam.* 9, 26. *f.* Epulamur una non modo non contra legem, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto, *h. e.* ut ne omne illud quidem mensae inferamus, quod lex permittit, sed aliquanto minus; et *ib.* 4, 4. *med.* Modice hoc faciam, aut etiam intra modum. [*V. *Manut.* ad h. l.] *Gell.* 12, 13. *med.* Modice, id est cum modo aequo et pari: intra modum, minus quam modice, id est non ad ipsum modum, sed retro paululum, et citra modum. *Quint.* 11, 3. Hortensii scripta intra famam sunt, *h. e.* sunt minora fama. [*V. *Spald.* ad h. l. et ad 3. *prooem.* 1. Intra quem modum plerique scriptores artium constiterunt.] *Flor.* 4, 11. *f.* Cleopatrae pulcritudo intra pudicitiam principis fuit, *h. e.* minus potuit, quam principis pudicitia. *Cels.* 3, 24. *f.* Oportet carnis aliquid esse, intraque aquam manere, *h. e.* solam aquam bibere vino abdicato. [*Prop.* 3, 9, 2. Intra fortunam qui cupis esse tuam, i. e. limites fortunae tuae non egredi, contentum esse fortuna tua; nec plus nec minus sapere.] ℙ Postposuit suo casui *Tac. A.* 4, 48. Dum populatio lucem intra sisteretur. ℙ Quid differant *intra*, et *infra*, V. in INFRA.

INTRĀBĬLIS, e, adj. qui adiri potest. *Liv.* 22, 19. *f.* Intrabile os amnis. Ita legit *Gronov.* cum aliis.

[INTRACLŪSUS, a, um, adj. qui intra est clusus. *Aggen. Urb. de limit.* p. 49. *Goes.* Quidquid enim inter quatuor limites minus, quam intraclusum est, fuerit assignatum. ℙ Etiam divisim *intra clusus* scribitur. *F.*]

INTRACTĀBILIS, e, adj. qui tractari non potest, durus, asper, indomabilis, *ἀδάμαστος, ἀμεταχείριστος. Sen. Hippol.* 229. et 271. Tentemus animum tristem et intractabilem, i. e. qui commoveri non potest. *Sen. ep.* 25. Respice aetatem ejus jam duram et intractabilem: non potest reformari, i. e. quae corrigi nequit. *Virg. A.* 1, 343. genus intractabile bello. *Plin.* 19, 5, 25. Pastinacae virus intractabile est, i. e. quod gustare sine damno nemo potest. *Grat. Cyneg.* 159. Ira intractabilis. *Virg. G.* 1, 211. Intractabilis bruma. Sic *Justin.* 24, 4. Loca frigore intractabilia, i. e. inhabitabilia. *Gell.* 18, 7. Domitius, cui cognomen Insano factum est, quoniam erat natura intractabilior, et morosior. ℙ Apud eundem *Gell.* 4, 15. *f.* quidam leg. *intrectabilis.*

INTRACTĀTUS, a, um, adj. *ἄδμητος*, non tractatus, indomitus. *Cic. Amic.* 19. Nemo est, qui non equo eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. *Grat. Cyn.* 134. intractatus decor, *h. e.* nativus, non arte elaboratus, nullo artificio politus. *Virg. A.* 8, 205. Caci mens effera, ne quid inausum, Aut intractatum scelerisve, dolive fuisset, Quatuor tauros avertit, *h. e.* intactum a furtis suis.

INTRACTĬO, onis, f. *Plin.* 7, 12, 6. Rictum in loquendo, intractionemque linguae, et sermonis tumultum piscator quidam reddidit. Al. leg. *contractionem.*

INTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. traho. *Appul. Met.* 11. Sol inclinatus intrahebat vesperam. *Id. ib.* 5. Sulcatos intrahens gressus. ℙ Ap. *Festum* intrahere, est contumeliam intorquere.

[INTRĀMĒĀTUS et Intromeatus, us, m. actus meandi intra. *Not. Tir.* p. 85. Meatus, intrameatus, intromeatus. V. EXTRAMEATUS. *F.*]

INTRĀMŪRĀNUS, a, um, adj. qui est intra muros, urbanus. [*Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. de' Fast. cons. tav.* 7. *n.* 12. M. Herennio M. F. Picenti Cos. municipes municipii Augusti Vejentis intramurani patrono. Haec *Inscr.* pertinet ad an. U. C. 720. *Ascon.* in *Verr.* 2, 2, 6. Magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administrator ejus Romae est, ad urbem dicitur. V. EXTRAMURANUS. ℙ Quandoque *intra murum* idem significat. *Inscr.* in *Antol. Rom. n.* 41. p. 321. Tabernarii intra murum negotiantes. Alia ap. *Viscont. Monum. Gab.* p. 35. Decurionibus sing. ✕ V., item ⅴⅰ. Aug. sing. ✕ II., item tabernariis intra murum negotiantibus ✕ I. *F.*]

[INTRANSĪBĬLIS, e, adj. is, quo intrari non potest. *Hieron.* in *Isaj.* 4, 11, 15. Nilus aquarum multarum, qui prius uno fluebat alveo, et intransibilis erat, in septem valles humillimas, et rivos divisus est atque concisus. *F.*]

INTRANSĪTĪVĒ, adv. *Prisc.* 18, 1134. Quae habent passivam terminationem impersonalia, non possunt infinitis adjungi, ut *statur*, *curritur*, *sedetur*, et intransitive intelliguntur.

INTRANSĪTĪVUS, a, um, adj. non transiens. *Prisc.* 14, 982. Per intransitivam dicuntur elocutionem, id est non transeuntem ab alia ad aliam personam, ut *percurrit homo excelsus.*

INTRĀTUS, a, um, part. ab *intro*, *as. Ov. Pont.* 2, 8, 56. Intrata est Superis quod domus una tribus. *Vell.* 2, 105. Intrata protinus Germania. *Liv.* 21, 25. *med.* Ubi rursus silvae intratae, tum postremos adorti, etc. *Sil.* 12, 323. Phoebo jam intrata sacerdos, *h. e.* afflata. *Sidon. carm.* 2, 147. cum bellua ferrum Ferret, et intratos exirent arma per armos, *h. e.* transfixos.

INTRĒMĬDUS. V. TREMIDUS.

INTRĒMĪSCO, is, n. 3. contremisco. *Plin.* 2, 79, 81. Terrae intremiscunt, sopito mari. *Id.* 8, 4, 5. Elephas, vestigio hominis animadverso, priusquam homine, intremiscere insidiarum metu, circumspectare, etc. *Cels. praef.* 7. *med.* Manu stabili esse, nec unquam intremiscente. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 26. Ludebat oculos intremiscentium. *B. A.*

INTRĒMO, is, mui, n. 3. idem quod tremo. *Cels.* 3, 3. Totum corpus intremit. *Virg. A.* 3, 581. intremere omnem Murmure Trinacriam. *Ov. Met.* 2, 180. subito genua intremuere timore. ℙ Transitive. *Sil.* 16, 664. Annibalem ecce senectus Intremit, aut aegros simulat mentita timores. Al. leg. *Annibali.* Et 8, 60. Intremuit regum eventus. V. TREMO.

INTRĒMŬLUS, a, um, adj. tremens, tremulus. *Auson. Epit.* 34. Intremulam baculo non subeunte manum.

[INTRĔPĬDANS, antis, adj. non trepidans, firmus, validus. *Inscr.* ap. *Paulovich. Marm. Macarens.* p. 61. Licinia Prima, et Licinius Gerontius, Crescenti conjux et filius, adhuc intrepidantis aetatis patri, cui non licuit infantiam ejus ad suos annos perducere, pio et bene merenti, et omnium amatori suorum et amicorum, digno hunc titulum posuerunt. *F.*]

[INTRĔPĬDANTER, adv. idem ac intrepide. *Non.* 12, 44. Festine et intrepidanter adscendere. *F.*]

INTRĔPĬDE, adv. *ἀδεῶς*, sine pavore, audacter. *Liv.* 26, 4. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri. *Gell.* 9, 11. Progreditur intrepide modesteque obviam.

[INTRĔPĬDO, as, avi, atum, a. 1. trepidanter, seu festinanter moveo. *Symmach.* ap. *Jornand. de reb. Get.* 15. Imperator, equo adacto in cursum calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc usque ad suam fatigationem variis inflexibus intrepidavit. Hoc idem narrans ait *Capitol. Maxim.* 3. Equum admisit multis circuitionibus. V. TREPIDIARII. *F.*]

INTRĔPĬDUS, a, um, adj. *ἀδεής*, non trepidus, impavidus, imperterritus. *Ov. Met.* 13, 478. Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus. *Val. Fl.* 1, 503. non intrepidus genitor discrimine nati. *Tac. H.* 1, 35. *extr.* Intrepidus minantibus, adversus blandientes incorruptus. *Just.* 24, 4. Ptolemaeus adventum Gallorum intrepidus audivit. *Gell.* 1, 11. *extr.* Intrepida modulatio. *Id.* 19, 1. Interritus intrepidusque; et 12. Tranquillus, intrepidus, immobilis. *Sen. Hipp.* 593. Intrepida verba. *Curt.* 8, 11. *f.* Saluti fuit, quod sensim, et intrepidi se receperunt. *Tac. Agr.* 22. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, *h. e.* hiberna quieta ac tuta ab hostibus. ℙ [*Ponitur etiam c. accus. Gr. more. *Lucan.* 5, 317. stetit aggere fultus Cespidis, intrepidus voltum, meruitque timeri, etc.]

[*INTRESECUS. V. INTRINSECUS.]

[INTRIBŪLĀTUS, a, um, adj. tribulo tusus: a *tribulo, as. Cato R. R.* 127. Vini sextarium origaniti dato jejuno et puero pro aetate intribulatum, et viro heminam. Ita legendum probat *Pontedera Op. posth. T.* 1. p. 282. pro *triobolum et vini heminam. F.*]

INTRĪBŬO, is, a. 3. *εἰσφέρω*, contribuo, confero, tributum solvo. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 33. Modo ne quid ideo intribuant.

INTRĪBŪTĬO, onis, f. *εἰσφορά*, actus intribuendi, collatio, pensio, contributio. *Ulp. Dig.* 49, 18, 4. Nec ab intributionibus veteranos esse excusatos, palam est; et 50, 1, 22. *extr.* Omnibus patrimonii intributionibus fungi debent. Adde *Arcad. ib.* 4, 6. *med.*

INTRĪCĀTUS, a, um, part. ab *intrico*, impeditus, implicatus. *Pl. Pers.* 4, 1, 9. Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo, Ut ipsus sese, qua se expediat, nesciat.

INTRĪCO, as, avi, atum, a. 1. implico, involvo, *ἐμπλέκω*: a tricis. *Afran.* ap. *Non.* 1, 26. Ita in-

tricavit hanc rem temeritas. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. *f.* Is quoque deteriorem facit, qui servo persuadet, ut injuriam faceret, vel furtum, vel ut peculium intricaret. *Id. ib.* 15, 1, 21. Intricare peculium in necem creditorum, *h. e.* obligare, aeri alieno subjicere. *Cic. fragm.* ap. *Gell.* 6, 2. *extr.* Chrysippus aestuans laboransque, quonam pacto explicet, et fato omnia fieri, et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

INTRIGO, inis, f. idem ac intertrigo. *Varr. L. L.* 4, 36.

INTRIMENTUM, i, n. conditura ex rebus tritis, et in cibos condiendi gratia infusis. *Appul. Met.* 10. Sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita.

INTRINSĔCUS, adv. *ἐσωθεν*, in interiore parte: ab *intra*, et *secus*, qua notat juxta, prope. *Varr. R. R.* 2, 11. Eam intrinsecus eadem re perungunt. *Colum.* 12, 43. Lata vasa intrinsecus et exterius crasse picari jubebat. *Id.* 8, 3. Aviaria intrinsecus et extrinsecus poliantur opere tectorio. *Lucr.* 6, 1145. Sudabant etiam fauces intrinsecus atro Sanguine. *Suet. Aug.* 95. Immolanti omnium victimarum jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt. ℙ [*In *inscr.* ap. *Orell.* 3327. leg. *intresecus* pro *intrinsecus*. ℙ Confund. *intrinsecus* et *extrinsecus*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 14, 36.]

INTRĪTA. V. v. sq.

INTRĪTUS, a, um, part. ab *intero*, in aliqua re tritus. *Plin.* 24, 3, 3. Glans intrita duritias cum salsa axungia sanat. *Id.* 30, 9, 23. *extr.* Cantharides cum uva tamima intritae. ℙ Item aqua, aliove humore mollitus, maceratus, subactus. *Varr. R. R.* 3, 9. *f.* Panis triticeus intritus in aquam; et *ib.* 10. Hordeum intritum in aqua. *Plin.* 17, 10, 11. Grandissimis baccarum tusis leviter, ne grana frangantur, eaque intrita reste circumlini, atque ita seri. ℙ Ap. *Scrib. Comp.* 201. *acetum intritum* est quod rebus contusis, et intritis infunditur. ℙ *Intrita*, *ae*, f. *ὑπόχριμμα*, res aliqua intrita. *Plin.* 35, 14, 49. de confectione laterum: Quin et intritam ipsam eorum, priusquam fingantur, macerari oportet; et 36, 23, 55. Intrita quo vetustior, eo melior; et 17, 15, 25. Atque ita ligatum insitum, intritaque illitum operire terra, *h. e.* luto paleis mixto, et subacto, ut ipse *ib.* 14, 24. *f.* et *Colum. arbor.* 26. docent. *Col.* 12, 55. Semen sinapis in mortarium conjicito, et pistillis conterito: cum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, et comprimito manu plana. V. INFUSURA. *Phaedr.* 1, 26. intrito cibo Plenam lagonam posuit. *Plin.* 9, 8, 9. et *Cels.* 3, 19. *med.* Intrita panis e vino: [**Weinkatteschale.*] *Cels. ib.* 6. *med.* Dari potest intrita ex aqua calida; et 4, 3. *f.* Incipiendum erit a pulticula, vel intrita bene madida. Docet *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 2, 4. a rusticis *intritam* vocari alliatum moretarium. V. MORETUM. ℙ Dicitur etiam *intritum*, *i*, n. *Appul. Met.* 11. Et insuper fluctus libant intritum lacte confectum. ℙ Denique *intritus*, *a*, *um*, adj. est non tritus, non fractus. *Col.* 12, 49. Deinde intrita oliva novo fisco includĭtur, et prelo subjicitur, *h. e.* integra. *Caes. B. G.* 3, 26. Eductis quatuor cohortibus, quae, praesidio castris relictae, intritae ab labore erant, etc. Alii leg. *integrae*. [*Male! v. *Gronov.* ad *Liv.* 22, 39. Gr. *ἀκραιφνεῖς*.]

INTRO, adv. [*Contractum est ex *intero*, scil. *loco*. Hinc primo loco ponenda exempla sunt, quae Noster in f. adscripserat, in quibus *intus* signif.] *Cato R. R.* 157. Omnia sana faciet, intro quae dolitabunt. *Pall.* 1, 40. Ut si pilam miseris, intro stare non possit. [**Quint. Inst.* 1, 5, 50. Eo tamen *intus* et *intro sum* soloecismi sunt. Sed v. *Spald.* ad h. l.] ℙ Maxime servit verbis motus ad locum, Gr. *ἐσω*. Frequentissimum est apud comicos: et fere ad aedes refertur. *Pl. Truc.* 3, 2, 19. Sequere intro me, amabo. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? V. INTROVOCO. *Ter. Eun.* 5, 7, 2. Modo senex intro ad nos venit. *Pl. Most.* 2, 2, 39. In hasce aedes pedem nemo intro tetulit. *Id. Merc.* 2, 1, 20. Respondet, ni properem illam ab sese abducere, Ad me intro domum ad uxorem ducturum meam. *Id. Ps.* 2, 2, 59. Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris. *Hirt. B. Afr.* 88. Cum dormitum isset, ferrum intro clam in cubiculum tulit.

INTRO, as, avi, atum, a. 1. *εἰσέρχομαι*, intro eo, ingredior. *Cic. Phil.* 2, 27. Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? *Id. N. D.* 2, 4. Cum pomoerium postea intrasset. *Id. Rabir. Post.* 8. Una reprehensio est, quod regnum intrarit. *Petr. Sat.* 139. Mulier quaedam januam intravit. *Hirt. B. G.* 8, 16. Cum equites intrare fumum et flammam densissimam timerent. *Virg. A.* 6, 59. Tot maria intravi, duce te; et *ib.* 8, 390. medullas intravit calor. *Val. Fl.* 2, 11. Amnis intrans aequora. *Ov. Met.* 14, 656. cultosque intravit in hortos; et *ib.* 7, 492. in portusque intrat amicos. *Cic. Dom.* 3. In Capitolium intrare non debuisti. *Liv.* 9, 36. Abhorrebat ab fide, quemquam Ciminios saltus intraturum. *Id. ib.* Regio, quae intranda erat. *Caes. B. G.* 7, 73. Quo qui intraverant, etc. *Plin.* 6, 29, 35. Intravere eo arma Romana. *Caes. B. G.* 7, 8. Intrare intra praesidia. *Mart.* 11, 98. Intrare per rimas. *Hirt. B. Afr.* 79. Ne hostes intrare ad se possent. *Phaedr.* 5, 9. Cum vix intrare posset ad praesepia. *Stat. Th.* 5, 355. vultu galĕas intrare soluto Non pudet, *h. e.* capiti induere. [**Prop.* 4, 11, 3. Quum semel infernas intrarunt funera leges.] ℙ Poetice dativum regit. *Val. Fl.* 1, 590. mediis intrarent montibus undae. *Sil.* 9, 289. discordia demens Intravit coelo; et 11, 473. Intrare ponto; et *Stat. Th.* 1, 255. septis et turribus aureus intres. Adde *Sil.* 7, 464., dubia tamen lectione. ℙ Passive. *Tac. A.* 2, 5. Si mare intretur; et *ib.* 16, 25. Intrari curiam placebat. *Id. H.* 3, 20. Non, si pateant portae, nisi explorato, nisi die, intrandum. ℙ Impersonaliter. *Caes. B. G.* 2, 17. Quo non modo intrari, sed ne perspici quidem possit. ℙ Interdum est aggredi. *Stat. Th.* 6, 774. Saepe etiam injustis collatum viribus hostem Ultro audax animis, intrat, etc. ℙ Item penetrare, transfigere. *Mart.* 7, 27. Quem *(aprum)* meus intravit splendenti cuspide Dexter; et 14, 30. de venabulis: Intrabunt ursos, sit modo firma manus. ℙ Translate est se insinuare, penetrare. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 246.] *Cic. Acad.* 4, 39. Nulla acies humani ingenii tanta est, quae penetrare in coelum, terram intrare possit. *Id. Fin.* 5, 16. Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus quid ea postulet, pervidendum. *Id. Fl.* 10. Querendum est ergo de omni accusationis iniquitate, etc. propius accedo: nego esse ista testimonia, etc. intrabo etiam magis: qui gessit, non adest; etc. et *Or.* 2, 25. *extr.* Definitio in sensum et in mentem judicis intrare non potest. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Intrare penitus in alicujus familiaritatem. *Sil.* 1, 124. Intravit mentes Superum, *h. e.* exploravit et intellexit consilia et voluntatem Deorum. *Id.* 3, 697. Ecce intrat subitus vatem Deus, *h. e.* invadit, impletque oestro ejus animum. *Tac. Agr.* 5. Intravit animum militaris gloriae cupido. *Id. A.* 1, 39. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, etc. ℙ Ad forum et judicia aliquando pertinet. *Plin. ep.* 5, 4. Alio senatu Vicetini sine advocato intraverunt; et *ep.* 6, 31. A parte heredum intraverunt duo, omnino postularunt, etc.

INTROCĔDO, is, essi, essum, n. 3. introeo. *Appul. Met.* 5. Post opimas dapes quidam introcessit, et cantavit invisus; et *ib.* 10. Super has introcessit alia visendo decore praepollens.

[INTROCLŪDO, is, a. 3. idem ac intracludo. *Gloss. Philox.* Introcludo, *ἐγκαταλείω*. V. INTRACLUSUS. *F.*]

INTROCURRO, is, n. 3. curro intro, incurro. *Nov.* ap. *Non.* 3, 92. Per fretum introcurrimus.

INTRODŪCO, is, xi, ctum, a. 3. *εἰσάγω*, duco intro, induco. *Sall. Jug.* 12. Noctu milites introducit. *Caes. B. G.* 2, 5. Copias in fines hostium introducere; [**Liv.* 40, 25. In Ligures exercitum introduxit, i. e. in fines Ligurum. Cf. 41, 10. Forma dicendi Livio alibi non usurpata; sed *inducere*, *traducere exercitum* dici ab eo solet, sine mentione finium. *Ernest. Lex. Liv.* s. h. v.] *Caes. B. C.* 3, 26. Eo naves introduxerunt. *Curt.* 6, 7. Opperiens aliquem, quo introduceretur ad regem. [**Suet. Oth.* 2. Non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.] *Pl. Aul.* 3, 3, 4. Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium. *Paul. Dig.* 25, 5, 2. Introducere aliquem in possessionem. *Cic. Tusc.* 5, 4. Philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit. ℙ Translate. *Id. N. D.* 1, 8. Non modo natum mundum introduxit, sed etiam paene manu factum, *h. e.* docuit, posuit, mundum natum esse. *Id. Acad.* 4, 42. *f.* Introducebat enim Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui, etc. *Id. Amic.* 1. Quasi ipsos introduxi loquentes. Al. leg. *induxi*. [*Ita *Orell.* coll. *Garaton.* ad *Coelian.* p. 449.] *Quint.* 9, 2. *med.* Et nostros cum aliis sermones, et aliorum inter se introducimus. [**Lucr.* 3, 630. Pictores itaque, et scriptorum saecla priora, sic animas introduxerunt sensibus auctas.] *Cic. Phil.* 11, 8. Introducere ambitionem in senatum. ℙ Novum aliquid instituere, et in usum inducere. V. locum *Cic. fil.* in INTRODUCTUS. *Paul. Dig.* 13, 2, 1. Si obligatio nova lege introducta sit. *Id. ib.* 9, 4, 26. Id enim praetor introduxit, ne eluderetur actio. *Ulp. ib.* 29, 5, 1. Ideo senatusconsulta introducta sunt de publica quaestione habenda.

INTRODUCTĬO, onis, f. actus introducendi, *εἰσαγωγή*. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum introductiones nonnullis jŭdicibus pro mercedis cumulo fuerunt. V. DEDUCO.

INTRODUCTOR, oris, m. *εἰσαγωγεύς*, qui introducit. *Ruf. invectiv. in Hieron.* 2, 7. Porphyrius, quem iste introductorem et instructorem ad logicam habere gloriatur.

[INTRODUCTORĬUS, a, um, adj. qui introducit. Translate. *Cassiod. Instit. div. litt.* 24. Post introductorios libros auctoritatem cum expositoribus suis sedula intentione curramus. *F.*]

INTRODUCTUS, a, um, part. ab *introduco*: inductus, invectus. *Cic. Att.* 2, 24. Introductus Curio filius dixit ad ea, quae Vettius dixerat. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Introducta consuetudo. [**Id. Coel.* 15. Jam ipse tecum nulla introducta persona loquar.]

INTROĔO, is, ivi, et ii, itum, n. 4. *εἰσέρχομαι*, intro, ingredior. *Cic. Phil.* 5, 8. Ad urbem eo intro, ingredior. *Cic. Phil.* 5, 8. Ad urbem venturum, introiturum, quotiescumque vellet. *Id. Att.* 7, 7. Quod scribis in urbem introisse; et *ib.* 16, 11. Ut etiam in Sicae domum introeat. *Nep. Alcib.* 7. Primus in Thraciam introit. *Sall. Jug.* 74. In tabernaculum introit, epistolam sumit ac perlegit. *Cic. Pis.* 23. Cum ego Coelimontana porta introisse dixissem. *Sall. Cat.* 29. et *Ter. Hec.* 4, 1, 36. Introire ad aliquem. [*Front. ad amic.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Cum ei jus introeundae curiae non esset ut relegato. *F.* **Suet. Cal.* 47. Triremes, quibus introierat Oceanum.] ℙ Cum accusativo. *Cic. Phil.* 2, 28. An tu illa spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas? *Suet. Caes.* 81. *f.* Introiit curiam; et 18. Nisi privatus introisset urbem; et 80. Consule theatrum introeunte. ℙ Cum ablat. et praepos. *Cato R. R.* 157. *f.* Si polypus in naso introierit. ℙ Sequente infinito. [*Cf. de hac constructione *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 52, 24.] *Ter. Hec.* 3, 2, 10. Tuus filius introiit videre, quid agat. ℙ Passive impersonaliter. *Varr. R. R.* 1, 63. Cum periculo introitur recenti apertione. *Cato R. R.* 66. Caveat, quam minimum in cellam introeatur. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 628. Castra sine vulnere introitum. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. Si in fundum alienum introitum sit. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 4. Quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. ℙ *Introiet* pro *introibit* habetur in *Dial. Hieron. in Lucifer. n.* 5. *f.* V. in EO, is.

INTROFĔRO, ers, tuli, latum, anom. a. infero, in aliquem locum porto, *εἰσφέρω*, *εἰσκομίζω*. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem. *Liv.* 43, 7. Princeps eorum pedibus captus, lectica est introlatus. *Suet. Tib.* 30. Lectica quondam introlatus aeger comites a se removit.

INTROGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *εἰσέρχομαι*, introeo. *Virg. A.* 1, 524. Postquam introgressi, et coram data copia fandi.

[INTROĪTORĬUS, a, um, adj. qui in ingressus adhiberi potest. *Gloss. Philox.* Introitorius, *εἰσόδιος*. *F.*]

INTROĪTUS, a, um, part. ab *introeo*. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. Quod se pulsatum verberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat.

INTROĪTUS, us, m. *εἴσοδος*, actus introeundi, ingressus. *Cic. Phil.* 11, 2. Nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem. *Id. Dom.* 28. *med.* Adventus meus, atque introitus in urbem. *Colum.* 11, 2. *med.* Sol in Geminos introitum facit; et *paulo post:* Sol introitum in Cancro facit. *Lucr.* 2, 407. introituque suo perrumpere corpus. *Tac. H.* 1, 31. Primo statim introitu. *Cic. Caec.* 13. *extr.* Aliquem introitu prohibere. *Plin.* 20, 9, 39. Introitum alicujus rei pellere, *h. e.* repellere quippiam ne introeat. *Plin. alter ep.* 10, 113. An qui deinde buleutae leguntur, certum aliquid debeant pro introitu dare. *Suet. Claud.* 9. Sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere. [*Nostr. *Antritt.*] *Scaev. Dig.* 32, 1, 102. *f.* Militiam illam cum introitu comparari volo, *h. e.* cum pecunia, quae pro introitu in militiam erogari solet. [**Sil.* 5, 52. Introitu facilem piscem, i. e. qui facile introit.] ℙ Est etiam aditus, seu locus, qua introitur. *Cic. N. D.* 2, 57. Aures duros et quasi corneolos habere introitus. *Id. Verr.* 2, 5, 31. Litus propter ipsum introitum atque ostium portus. *Caes. B. G.* 5, 9. Omnes introitus erant praeclusi; et *Cic. Caec.* 8. Ad omnes introitus, qua adiri poterat in eum fundum, armatos homines opposuit. *Suet. Ner.* 48. Dum clandestinus ad villam introitus pararetur. *Plin.* 4, 12, 23. In Euripo Euboico, primo fere introitu, quatuor insulae, etc. *Id.* 12, 12, 25. Primo statim introitu ammis. ℙ Translate est principium, initium. *Cic. Att.* 1, 18. Primus introitus fuit in causam fabulae Clodianae. *Id. Coel.* 2. Mihi quidem videtur hic introitus defensionis adolescentiae M. Coelii maxime convenire. *Plin.* 6, 27, 31. In introitu hujus operis. ℙ [*In *inscript.* ap. *Orell.* 2103. leg. *introito* pro *introitu*.]

INTROJŪGUS, a, um, adj. *Introjugus equus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 337. imperante Antonino Pio, in qua Dioclis, circensium agitatoris, victoriae enumerantur, est, opinor, qui sub jugum ab interiori parte junctus est, et *interior* etiam appellatur. V. INTERIOR. Legitur ibi: *duobus introjugis, Cotyno et Pompejano, vicit:* et *introjugis tribus, Abigejo, Lucido, Parato vicit:* et *Cotyno, Galata, Abigejo, Lucido, Pompejano, introjugis quinque vicit*, etc.: quibus verbis et nomina equorum indicantur, et quo loco sub currum juncti essent. Numerus autem ipsorum equorum non significat duos, aut

tres, aut quinque simul introjugos uno cursu adhibitos fuisse; sed duobus cursibus v. gr. primum Cotyno, deinde Pompejano victoriam esse partam. Soli autem *introjugi* nominabantur, quamvis quatuor, aut sex sub currum irent, quia in his maximum erat victoriae momentum, propter flexum metae; ideoque eisdem titulus palmae adscribebatur, et eorum tota quadriga designari solita fuit, ut plurimis probat *Salm. in Solin. c.* 45.

INTROLĀTUS, a, um. V. INTROFERO.

INTROMISSUS, a, um, part. ab *intromitto:* admissus. *Cic. Sull.* 18. *extr.* Ut cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more, et jure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret.

INTRŌMITTO, is, isi, issum, a. 3. εἰσπέμπω, mitto intro, immitto. *Caes. B. G.* 7, 11. Legiones, portis accensis, intromittit, atque oppido potitur. *Auct. B. Hisp.* 34. Legatos ad Caesarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret. *Tac. A.* 15, 61. *extr.* Intromisit ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. *Ulp. Dig.* 48, 2, 4. Qui cum bestiis depugnandi causa in arenam intromissi sunt. *Varr. R. R.* 3, 12. Quatuor lepores intromittere in leporarium. [*Liv.* 24, 13. Sex millia peditum — qui praesidio senatui essent, Nolam intromisit.] ℙ Saepe est εἰσδέχομαι, in domum admitto, recipio. *Ter. Eun.* 3, 1, 52. Phaedriam comissatum intromittamus. *Pl. Truc.* 4, 2, 6. Nec quemquam interim istoc ad vos, qui sit odio, intromittam; et *ib.* 53. Quid si me jubeat intromittier? et *Aul.* 1, 2, 20. in aedes meas, me absente, neminem Volo intromitti: atque etiam hoc praedico tibi: Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris. ℙ Aliquando est introducere, inducere. *Gell.* 19, 13. Verba, quae a Laberio ignobilia nimis, et sordentia in usum linguae Latinae intromissa sunt. *Id.* 1, 13. Intromittere exemplum.

[INTROPONO, is, a. 3. *Not. Tir.* p. 38. Ponit, imponit, introponit. *F.*]

[INTROPORTO, as, a. 1. *Not. Tir.* p. 11. Portat, importat, introportat. *F.*]

INTRORĒPO, is, n. 3. rependo, ingredior. *Appul. Met.* 2. Repente introrepens mustela; et *ib.* 9. Fide tenebrarum contectus introrepere posset. ℙ Potest etiam divisim scribi.

INTRORSUM et Introrsus, adv. introversus, *h. e.* versus interiora. [*Lucr.* 3, 533. Ipsam naturam se posse per artus introrsum trahere, etc.] *Caes. B. G.* 2, 18. Collis infimus apertus, ab superiore parte silvestris, ut non facile introrsus perspici posset; et *ib.* 7, 22. Introrsus reducere aliquid. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 5, 373. Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est. *Tac. A.* 2, 25. Eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, exscindit; [*i. e. ad interiores regni partes;] et *ib.* 6, 33. Pulso introrsus freto, brevia litorum nudantur. ℙ Cum accus. *Id. H.* 2, 81. Quantum introrsus Pontum, et Armenios patescit. Al. rectius leg. *in Pontum.* ℙ [*Continet etiam quietis notionem, i. q. intus, in interiore alicujus rei parte. Huc pertinent exempla, quae cum ceteris mixta Noster laudaverat:] *Hor. Ep.* 1, 16, 44. Sed videt hunc omnis domus, et vicinia tota Introrsus turpem; et *Liv.* 10, 33. Cedunt primo, et hostem introrsum in media castra accipiunt; et *Sen. V. B.* 3. Ista, quae spectantur, foris nitent, introrsum misera sunt. [*Adde *Ov. Met.* 13, 539. Lacrimasque introrsus obortas Devorat ipse dolor; cf. *Fast.* 4, 845. *Liv.* 25, 21. Clamantibus tribunis, nihil introrsus roboris, ac virium esse. ℙ In *inscr.* ap. *Orell.* 4354. leg. *introrursus* pro *introrsus.* V. *Hagenb. Diptych. Quir.* p. 197. In al. ap. *Eund.* 4034. INTROSUS.]

INTRORUMPO, is, upi, uptum, n. 3. εἰσβάλλω, irruo, cum impetu introeo. *Caes. B. G.* 5, 49. Quod ea non posse introrumpere videbantur, *h. e.* per portas. Al. leg. *eas*, scil. portas, ut sit accusativus verbi. *Gell.* 15, 22. Cerva emissa in cubiculum Sertorii introrupit. *Ter. Eun.* 5, 6, 26. Cesso huc introrumpere? Al. leg. *intro irrumpere. Pl. Mil.* 2, 5, 50. Introrumpam recta in aedes. *Gell.* 15, 4. *f.* Parthos in Syriam introrumpentes tribus proeliis fusos.

*INTROSPECTĬO, onis, f. *Mart. Capell. B. A.*

INTROSPECTO, as, a. 1. introspicio. *Pl. Most.* 4, 2, 27. Quid volunt? quid introspectant? Al. leg. divisim *intro spectant.*

*INTROSPECTOR, oris, m. *August. B. A*

INTROSPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. εἰσοράω, intro aspicio. *Cic. Har. resp.* 15. Ne quis meorum imprudens introspicere possit domum tuam, tollam altius tectum. ℙ Translate est perspicere, diligenter considerare, animadvertere. *Cic. Font.* 15. Inserite oculos in curiam, introspicite penitus in omnes reipubl. partes. *Id. Sull.* 27. Penitus introspicite Catilinae, Cethegi, ceterorumque mentes. *Id. Fin.* 2. *ult.* Tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione pertractans, percunctare ipse te, etc. *Tac. A.* 11, 38. Tum primum fortunam suam introspexit. *Gell.* 17, 2. Si quis ea verba non incuriose introspiciat. *Tac. A.* 1, 7. Ad introspiciendas etiam procerum voluntates. ℙ Et simpliciter pro intueri. *Id. H.* 2, 20. Insita hominum natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere. [*Plura de hoc verbo v. in *Böttich. Lex. Tac.* p. 285.]

INTROTRŪDO, is, a. 3. intrudo. *Cato R. R.* 157. Turundam introtrudito. Al. scribunt divisim *intro trudito.*

*INTROVENĬO, is, a. 4. introgredior. *Jul. Obseq. de Prodig. c.* 126. Lunae fulgore, qui introvenerat, Calpurnia excitabatur. *B. A.*

INTROVERSUS, adv. introrsus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 188. Quid sibi vult? quare fit, ut introversus, et ad te Spectent, atque ferant vestigia se omnia prorsus? *Hor.* eandem sententiam his verbis retulit *Ep.* 1, 1, 74. quia me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Varr. R. R.* 2, 7. Genua equi nec magna, nec introversus spectantia sint. ℙ Potest etiam divisim scribi *intro versus.*

INTROVŌCĀTUS, us, m. [*Das Hineinrufen.] *Ammian.* 29, 1. Primo introvocatu.

INTROVŌCO, as, a. 1. εἰσκαλέω, in domum advoco. *Liv.* 10, 24. *extr.* Priusquam introvocarentur ad suffragium tribus. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Cur ad nos filiam tuam non introvocari jubes? ℙ Part. *Introvocatus* ap. *Appul. Met.* 8. Introvocata Charite invadit, ac supersistit sicarium. ℙ Potest etiam divisim scribi. V. INTRO adv.

INTRŪDO, is, usi, a. 3, εἰσωθέω, intro trudo, et quasi vi quadam. *Cic. Caec.* 5. Atque etiam se ipse inferebat et intrudebat [*drang sich auf.*]

INTŪBĀCĔUS, a, um, adj. qui est ex intubo. *Plin.* 27, 12, 82. Intubacea folia.

INTŪBUS vel Intybus, i, m. vel f. vel Intubum, seu Intybum, i, n. ἔντυβον, σέρις, herba eadem ac cichorea, ut *Servius* ait in *G.* 1, 120. Sed aliis herba est ex cichoriorum genere, radice capillata, quam vulgo vocant endiviam. [*Ap. *Virg. G.* 1, 120. herba eadem est, ac cichorea, in agris crescens, flore caeruleo, Cichorium Intybus, *L.*; et *ib.* 4, 120. est quam in hortis alimus, endivia, Cichorium Endivia, *L.*] *Plin.* 20, 8, 29. Intubi quoque non extra remedia sunt: succus eorum cum rosaceo, et aceto capitis dolores lenit. *Id.* 19, 8, 39. Intubi hiemis patientiores: sed caule non minus grati. *Virg. G.* 4, 120. Quoque modo potis gauderent intuba rivis. *Colum.* 10, 110. et torpenti grata palato Intyba. *Pomp.* ap. *Non.* 3, 111. Rustici edunt libenter paedidos, tristes, acres intybos. ℙ Qui per *y* scribunt, Graecae scriptioni adhaerent: qui per *u*, Latinae. In *Edict.* tamen *Dioclet.* p. 16. scribitur intiba, ut et in *Gloss. Philox.*

INTŪĔOR, ēris, ĭtus sum, dep. 2. εἰσοράω, βλέπω, in aliquid oculos conjicio, aspicio, contueor. *Cic. Tusc.* 5, 21. Tum ad mensam pueros delectos jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes, diligenter ministrare. Al. leg. *ad nutum. Id. Somn. Scip.* 5. Intueri solem adversum nequitis. *Id. Univ.* 10. In speciem rerum intuens. *Id. Tusc.* 2, 13. Dumque in ea intueberis, te continebis. *Id. Brut.* 97. Sed in te intuens, Brute, doleo; et *Or.* 1, 2. Mihi quidem in summos homines intuenti, visum est, etc. *Id. Fam.* 5, 17. *f.* Nec minus nostra sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. *Id. Prov. cons.* 9. Intueor coram haec ornamenta reipubl. *Id. Or.* 1, 40. *f.* Huc atque illuc intuens. *Id. Planc.* 1. Cum intueor et contemplor unumquemque vestrum. *Id. Or.* 2. *extr.* Eam intuens, in eaque defixus. ℙ Translate, [*i. q. considerare, *(betrachten, beobachten.)*] *Id. Tusc.* 1, 30. Mentis acies seipsam intuens nonnunquam hebescit. *Id. Or.* 1, 32. Commonens oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret; et *Agr.* 2, 28. Intentis oculis omnes reipubl. partes intueri; et *Or.* 1, 34. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores. *Quint.* 5, 10. Intuendum etiam quid affectet quisque, etc. [*V. *Spald.* ad *Eund. ib.* 5. *prooem.* 4.] *Nep. Att.* 9. *f.* Potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent, i. e. spectabat. *Cic. Planc.* 43. Quos enim ego tum alios animo intuebar? et *Tusc.* 5, 3. *f.* Rerum naturam studiose intueri. *Plin. Pan.* 55. Ac mihi intuenti in sapientiam tuam, minus mirum videtur, etc. ℙ [*Rationem alicujus habere, *(Rücksicht nehmen.)* *Cic. Phil.* 11, 15. Non tam vetera nos intuendos vobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiae — quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. *Schütz.* in *cl. Cic.*] ℙ Interdum est cum admiratione aspicere, admirari, suspicere. *Id. Manil.* 14. Pompejum, sicut aliquem, non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum intuentur. [*Id. Sext.* 45. Quid est igitur propositum his reip. gubernatoribus, quod intueri, et quo cursum suum dirigere debeant? *Fam.* 1, 9. Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem et speciem hujus vitae intuentur, sollicitudinem autem et laborem perspicere non possunt.] *Liv.* 37, 54. *med.* Genus humanum vestrum numen imperiumque, juxta ac Deos immortales, jampridem intuetur. *Petr. Sat.* 85. Ut me mater praecipue, tanquam unum ex philosophis, intueretur. ℙ [*Contemplari aliquid imitandi causa. *Cic. Or.* 2, 21. Omnino in illud genus eum (Sulpicium) Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat; sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset, atque ita dicere consuesset. ut tota mente Crassum atque omni animo intueretur. ℙ De ejus quod proxime instat praevisione. *Id. Sext.* 9. qui non modo tempestatem impendentem intueri tumulentus, sed ne lucem quidem insolitam aspicere posset. *Schütz.* in *cl. Cic.* Adde *Nep. Alc.* 4, 1. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, etc. Ita leg. *Brem.* q. v.] ℙ Pro versum esse, prospectum habere, *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Cubiculum, quod hippodromum, vineas, montes intuetur. ℙ Passive. *Ammian.* 23, 5. Hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere. ℙ Divisit per tmesin *Lucr.* 4, 713. Nenu queunt rapidi contra constare leones, Inque tueri. ℙ *Intui* in infinitivo V. CONTUEOR.

INTŪĬTUS, us, m. actus intuendi, aspectus, ἔποψις. *Quint.* 10, 1. *med.* Non ad intuitum rei, pugnamque praesentem. Al. rectius leg. *actum. Plin.* 16, 10, 19. Abies hilarior intuitu. Al. rectius leg. *in totum.* ℙ Translate. *Modest. Dig.* 34, 1, 14. Pietatis intuitu, *h. e.* ratione, gratia. Sic *Papin. ib.* 46, 1, 47. Intuitu humanitatis. *Typhon. ib.* 23, 2, 68. Affectionis intuitu.

INTŪMESCO, is, intumui, n. 3. turgesco, inflor, ὀγκύλλομαι. [*Vox ap. poetas tantum et seriores scriptores usitata.] *Plin.* 2, 81, 83. Fluctus flatu intumescens. [*Lucan.* 6, 470. Aequor intumuit: ubi v. *Cort.* Adde *Curt.* 9, 9, 10. Identidem intumescens mare. Ita *Zumpt.* Al. leg. *intumescere.*] *Colum.* 1, 4. *f.* Loco tamen ipso paululum intumescente, *h. e.* altius surgente. *Ov. Fast.* 6, 700. Vidi virgineas intumuisse genas; et *ib.* 1, 215. de hydropicis: quibus intumuit suffusa venter ab unda. *Plin.* 20, 6, 23. Si partes corporis in vesicas intumuerint. [*Curt.* 4, 6, 19. Vulnus, quod recens adhuc dolorem non moverat, frigente sanguine intumuit; et 6, 11, 17. Intumescens corpus vulneribus. *Quint. Decl.* 6, 23. p. 150. Per tot fluctus volutatum corpus intumuit. ℙ Jam sequi poterant, quae in f. Noster exempla posuit, in quibus crescere, augeri significat. Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 16, 136.] *Tac. A.* 1, 38. Intumescente motu, *h. e.* seditione crescente. *Id. G.* 3. Affectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. ℙ Translate sumitur pro efferri, superbire. *Quint.* 1, 1. Jure quodam potestatis intumescere. *Tac. H.* 4, 19. Intumuere statim superbia ferociaque. *Sen. Consol. ad Polyb.* 36. *f.* Supra humanum modum intumescere. ℙ Item pro irasci. *Ov. Fast.* 2, 607. Juppiter intumuit, quaque est non usa modeste, Eripit huic linguam. *Id. Pont.* 4, 14, 34. Intumuit vati non tamen Ascra suo, *h. e.* in vatem ira non exarsit. *Stat. Th.* 1, 412. Irae intumuere.

INTŪMŬLĀTUS, a, um, adj. insepultus, inhumatus. *Ov. Her.* 2, 136. Occurramque oculis intumulata tuis.

INTUNDO, is, a. 3. idem quod tundo, aut valde tundo. *Scrib. Comp.* 71. Haec omnia intunduntur, cribrantur.

INTŬOR, ĕris, dep. 3. intueor. *Turpil.* ap. *Non.* 7, 20. Tamen oculis longa intercapedine appetunt cupide intui. *Pl. Most.* 3, 2, 150. Nullam equidem cornicem intuor. *Sen. Hippol.* 898. Quod facinus cerno? quod monstrum intuor? *Ter. Heaut.* 2, 4, 23. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? [*Nep. Chabr.* 3, 3. Neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.] ℙ Hinc infinitus *intui.* V. CONTUEOR.

INTURBĀTUS, a, um, adj. ἀτάραχος, non turbatus. *Plin. Pan.* 64. Et sedit inturbatus, interritus, et tanquam ita fieri soleret. [*Observat *Schwarz.* non facile alibi obviam esse h. v.; *Tacitum* pro ea dixisse *inturbidus.*]

INTURBĬDUS, a, um, adj. non turbidus, quietus, tranquillus. [*Ap. solum *Tac.*] *Tac. A.* 3, 52. Inturbidus externis rebus annus. *Id. ib.* 14, 22. Esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa frueretur. *Id. H.* 3, 39. Vir sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris appetens.

INTURGESCO, is, n. 3. idem quod turgesco. *Veg. Vet.* 1, 56. *med.* Pridie infundas in calidam, ut inturgescat.

INTUS, adv. ἔνδον, ἔσω, intra: ab ἐντὸς, quod idem significat: vel ab *in*, ut *Gellio* 12, 13. et *Prisc.* 15, 991. placet. *Cic. Sull.* 5. *f.* Ille relictus intus, exspectatus foris. *Pl. Rud.* 3, 3, 27. Signum in fano hic intus. *Id. Capt.* 1, 2, 89. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam. *Cic. Cat.* 2, 5. Intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis. *Id. Or.* 2, 68. Nasica sensit, illum intus esse. Sic *Ter. Ad.* 4, 2, 30. Estne frater intus? et *Cic. Sen.* 4. *f.* Nec vero ille in luce modo atque oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. *Plin.* 3, 4, 5. Regio Anatilio-

rum, et intus Desuviatium; et *Cic. Fin.* 3, 5. *med.* Ea, quae sunt intus in corpore; et *Univ.* 10. Omne animal in mundo intus incluserat. *Pers.* 3, 30. ego te intus et in cute novi. *Varr. R. R.* 1, 7. In Gallia transalpina intus ad Rhenum. ℙ Cum genitivo. *Appul. Met.* 8. Intus aedium audito ruditu meo, *h. e.* intra aedes. ℙ Cum accusativo more praepositionis. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 136. 1. p. 403.] *Pl. Mil.* 2, 6, 55. Vide, sitne istaec vostra intus domum. *Liv.* 27, 11. Romae intus cellam Fortunae signum prolapsum. Al. leg. *intra:* alii *intus in cellam*, vel *in cella*. [*Plin. H. N.* 33, 1. Tellurem intus. ℙ Cum ablativo. *Lucr.* 4, 1085. Nam cibus atque humor membris assumitur intus: ita saepius ap. hunc poetam. V. *ind. Eichstadt. Virg. A.* 7, 192. Intus templo divum. *Liv.* 25, 11. naves sinu exiguo intus inclusae.] ℙ *Intus et foris canere* quid sit, V. in ASPENDIUS. ℙ [**Quod intus est*, dicitur id, quod domesticum est. *Cic. Dejot.* 21. de servis in dominum sollicitatis: Ubi id, quod intus est, atque nostrum impune evolare potest contraque nos pugnare, fit in dominatu servitus, in servitute dominatus. *Schütz. cl. Cic. s. h. v.*] ℙ Cum verbis, et casibus motus ad locum pro *intro*. [**Quint. Inst.* 1, 5, 50. Eo tamen *intus* et *intro* sum, soloecismi sunt. Sed v. *Spald.* ad h. l.] *Caes. B. C.* 3, 26. Quo simul atque intus est itum, etc. *Lucr.* 2, 710. Nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus Corpora discedunt. *Cels.* 7, 4. Si recta intus tendunt. *Pl. Cas.* 5, 2, 7. Intus novam nuptam deduxi via recta. *Scrib. Comp.* 46. Injicere autem intus narem oportebit cochleae vivae carnem; et 121. Non patitur late fieri, nec intus vulnus converti. [**Albinov. Eleg.* 114. Lacrimas intus agit, i. e. comprimit, compescit. *Ov.* dicit *devorare; Stat. resorbere* lacrimas.] ℙ Et de loco, ap. comicos. *Pl. Epid.* 5, 2, 43. Abeamus intro hinc ad me. *Stratip.* atque aliquanto lubentius, quam abs te sum egressus intus. *Id. Amph.* 2, 2, 137. Tu intus pateram proferto foras; et *Bacch.* 1, 1, 63. Ego tibi argentum jubeo jam intus efferri foras; et *Most.* 3, 1, 144. Evocato aliquem intus ad te; et *Cist. a.* 3. *v.* 8. Aliquis intus prodeat propere. ℙ Sunt plurima *Plauti* loca, in quibus *intus* hac ratione effertur: quae alii ita accipiunt, ut per ὑφ' ἓν dictum sit, v. gr. *argentum intus efferri*, quod est domi in arca: *evocato aliquem intus*, aliquem eorum, qui intus sunt domi, etc. ℙ *Intus equum agere* est breviore gyro circumagere, ac metam propius accedendo: sumptum a cursu equorum in circo, de quo V. INTERIOR. Hinc translate *Ov. Fast.* 6, 585. Tertia causa mihi spatio majore canenda est: Nos tamen adductos intus agemus equos.

INTŪSĬUM, etc. V. INDUSIUM.

INTŪTUS, a, um, adj. ἐπισφαλής, minime tutus, non securus, incustoditus, indefensus. *Liv.* 5, 45. Castra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti invadunt. *Sall. or. Phil. contra Lep.* Quousque cunctando rempubl. intutam patiemini? *Tac. H.* 3, 76. Intuta moenium firmare. *Id. A.* 2, 42. Intuta amicitia. [*Plura habet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 286.] *Plin.* 34, 14, 39. Intutum est scribere stylo. *Nazar. Pan. Constant.* 26. Non intutior tempore, quam Deo tectior.

INTYBUS. V. INTUBUS.

INVĀDO, is, si, sum, n. 3. ἐπέρχομαι, in aliquem locum vado, ingredior (et fere cum aliqua vi, aut impetu) aggredior, irrumpo, irruo. *Cic. N. D.* 2, 15. Ignis quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. *Id. Phil.* 2, 31. Cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit, in collum invasit. *Petr. Sat.* 91. Invadere amplexibus pectus alicujus; et 85. Invadere aliquem basiolis. *Prop.* 3, 6, 5. Invadere capillos alicujus. [**Suet. Caes.* 71. Ut Jubae, regis filio, in altercatione barbam invaserit; nostr: *Einem in den Bart fahren.*] *Virg. A.* 6, 260. Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum; et *ib.* 3, 382. Vicinosque, ignare, paras invadere portus; et *ib.* 2, 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. *Colum.* 7, 12. *med.* Canes constantius appropinquantem violenter invadunt. *Nep. Them.* 2. Xerxes Europam cum tantis copiis invasit, quantas neque ante, neque postea habuit quisquam. *Cic. Phil.* 11, 2. In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella. *Id. Verr.* 2, 1, 20. *f.* Si in eas urbes vi cum exercitu invasisses. *Id. Caec.* 9. *f.* Invadere cum ferro in aliquem. *Virg. A.* 12, 710. Procursu rapido, conjectis eminus hastis, Invadunt Martem clypeis atque aere sonoro. *Liv.* 10, 35. Jam invasurum castra Samnitem credentibus. *Id.* 33, 44. Spes orta Aegypti invadendae. ℙ Passive. *Sall. Jug.* 92. Sperans, mox effusos hostes invadi posse; et 121. *extr.* Signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. *Pl. Asin.* 5, 2, 58. In oculos invadi nunc est optimum. ℙ De iis, qui alienum per vim, et nefas occupant. *Petr. Sat.* 15. Nescio qui calvus invaserat pallium, exhibuturumque crastino die affirmabat. [**Lucan.* 1, 242. Invadunt clypeos, i. e. corripiunt, celeriter aut avide comprehendunt. Comparat *Mart. Laguna* Gr. δύνειν, coll. *Apollon.* 1, 627. 635. 1025. τεύχεα δύντες, i. e. arma invadentes.] *Cic. Phil.* 2, 16. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris heredibus, tanquam heres esset, invaserat. *Id. Rosc. Am.* 5. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt. *Suet. Caes.* 9. Invadere dictaturam. [**Sil.* 7, 540. Invasit nostros fasces, i. e. illegitime sibi impetravit.] *Cic. Phil.* 1, 2. Uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Num potui magis in arcem illius causae invadere? [*i. e. magis adversari Caesaris ac Pompeji voluntati: cf. *Off.* 1, 22. Illud optimum est, invadi solere ab improbis et invidis audio: ubi *invadere* est carpere aliquid et cum irrisione reprehendere.] *Virg. A.* 4, 265. Continuo invadit, *h. e.* verbis aggreditur, alloquitur. ℙ Pro corripere. *Sall. Jug.* 39. *f.* Ne reliquos populares mepere. *Lucr.* 6, 658. arripit acer Saepe dolor dentes: oculos invadit in ipsos. *Caes. B. C.* 1, 14. Tantus repente terror invasit, ut etc. [*V. *Held.* ad *Eund. ib.* cp. 25. et *Walch.* ad *Tac. Agr.* 4. cf. similem usum vocis *incedere. Kritz.* ad *Sall. Cat.* 10, 6.] *Pl. As.* 1, 1, 40. Eum morbus invasit gravis. *Cic. Off.* 3, 7. *med.* Negat ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam, etc. ℙ Pro suscipere, aggredi. *Virg. A.* 9, 186. aliquid jamdudum invadere magnum Mens agitat mihi. ℙ Cum dativo personae. *Cic. Fam.* 16, 12. Mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur. Al. leg. *improbos, sed etiam hos*, etc. [**Orell.* leg. *improbis, sed etiam iis.* Consimili ratione loquitur *Plutarch. Pomp.* 19. Πομπήῳ δ' ἀνὴρ μέγας πεζὸς ἐφώρμησε.] *Pl. Epid.* 5, 2, 5. Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Lucr.* 6, 1210. Usque adeo mortis metus his invaserat acer. Al. aliter leg. *Varr.* ap. *Non.* 9, 7. Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut, etc. *Gell.* 19, 4. Quibus invasit repentinus rei magnae timor. ℙ Pro irruere, incidere. *Accius* ap. *Non.* 4, 238. Ut profugiens hostem, inimici invadam manus. ℙ Pro ire, inire, iter conficere. *Tac. A.* 11, 8. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invasit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat. ℙ *Invasse* syncope pro *invasisse*, est *Lucilii* ap. *Non.* 4, 154., ubi al. leg. *involasse.* ℙ *Est et forma *invado, as*, si qua fides *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 85. Contenderunt rem sacram esse, neque contemnendo periculo invadari a quopiam posse. *B. A.*

INVĀLENTĬA, ae, f. idem quod invaletudo. *Gell.* 20, 1. *med.* Vitium aliquod imbecillitatis atque invalentiae demonstratur. *Appul. Dogm. Plat. f.* Alioquin invehit aegritudinem, atque invalentiam, et foeditatem.

INVĀLĔO, es, ui, n. 2. idem quod valeo, aut valde valeo, invalesco. *Lucr.* 2, 300. Et quae consuerunt gigni, gignentur eadem Conditione, et erunt, et crescent, inque valebunt. *Cic. Mur.* 15. Tantum ipse opibus conatuque invaluit, ut, etc. *Tac. H.* 2, 98. Haec, illave defensurus, prout invaluissent. ℙ Translate. *Suet. Vesp.* 11. Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat. [*Nostr: *über Hand nehmen.*] *Id. Gramm.* 4. Appellatio grammaticorum Graeca consuetudine invaluit: sed initio litterati vocabantur. *Plin. ep.* 6, 8. Amor hic mansit, nec refrixit judicio, sed invaluit.

INVĀLESCO, is, n. 3. ἐπιῤῥώννυμαι, vires ac firmitatem acquiro. *Quint.* 2. *in.* Tenuit consuetudo, quae quotidie magis invalescit. *Id.* 10, 2. *med.* Verba intercidunt, invalescuntque temporibus. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Quam sententiam quotidie increscere et invalescere videmus. *Suet. Ner.* 27. Paulatim invalescentibus vitiis. [*Cf. *Aug.* 19. Tumultus, rerum novarum initia, conjurationesque priusquam invalescerent — compressit: nostr. *mächtig, stark werden.*]

INVĀLĒTŪDĬNĀRĬUS, a, um, adj. idem ac valetudinarius, saepius aegrotans. *Sen. praef. Q. N. l.* 1. Non video, quare sibi placeat, qui robustior est invaletudinario. Sed rectius alii leg. *in valetudinario.*

INVĀLĒTŪDO, inis, f. ἀῤῥωστία, imbecillitas. *Cic. Att.* 7, 2. Invaletudo tua me valde conturbat.

INVĀLĬDĒ, adv. debiliter. *Arnob.* 7, 250. Quam infirmiter invalideque dicatur. Legitur etiam in *Cic. Att.* 10, 8. An invalide solus tuli scelus? Alii rectius leg. *invalidi.*

INVĀLĬDUS, a, um, adj. ἄῤῥωστος, infirmus, debilis, aegrotus. *Liv.* 6, 8. Qui ubi videre Camillum, jam ad munera corporis senecta invalidum, valentem in hostes. *Colum.* 2, 11. Ne alterius generis herba invalidam Medicam perimat. *Plin.* 8, 36, 54. Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum. *Liv.* 23, 16. Calones, lixaeque, et invalidi milites. *Val. Fl.* 5, 24. Pueri invalidi, et adhuc genitoris egeni. *Just.* 41, 6. Ad postremum ab invalidioribus Parthis oppressi sunt. *Suet. Aug.* 13. Invalidus atque aeger. [*Illud minus, hoc majus.] *Tac. A.* 1, 46. Invalidus et inermis. *Plin.* 7, 37, 37. Ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse; et *Tac. A.* 12, 16. Invalida moenia adversus irrumpentes; et *ib.* 1, 65. Invalidi ignes. *Gell.* 20, 1. *med.* Si homo morbo, aut aetate aeger, ad ingrediendum invaldus est. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 170. Invalidum venenum. *Ulp. Dig* 48, 18, 1. *med.* argumentum. *Lucan.* 7, 67. Addidit invalidae robur facundia causae. [**Liv.* 41, 2. Stationes invalidas esse pro castris, i. q. infrequentes. Sic 7, 37. Consul pacatos per agros quum vidisset hostes, stationes infrequentes relictas, etc.] ℙ Item valde validus. *Lucr.* 1, 969. Telum invalidis contortum viribus. Al. leg. *id validis.* [*Ita *Eichstadt.*] *Sil.* 1, 552. Invalidam duris evellit ab ossibus hastam. Al. leg. *et validam* rectius. Huc trahunt quidam et illud *Virg. A.* 6, 113. de Anchise: Atque omnes pelagique minas coelique ferebat Invalidus, vires ultra sortemque senectae. [At *Heynius* interpretatur *ferebat, licet esset invalidus*, quod probandum. *F.*]

*INVĀNUS, a, um, adj. i. q. vanus. *Tertull. adv. Herm.* c. 37. Invanum laborare. Adde *Fulgent. ad Prob. de Orat. Vulgat. Exod.* 20. 7. Melius forte distinguitur. *B. A.*

INVĀSĬO, onis, f. actus invadendi, occupatio. *Gloss. Philox.* Invasio, ἐφόρμησις, ἔφοδος. *Symmach. ep.* 10, 41. (al. 48.) Ut in examen clementiae vestrae invasionis indignitas perveniret.

INVĀSOR, oris, m. qui invadit et occupat. *Aurel. Vict. Epit.* 35. Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit. *Imp. Constant. Cod.* 7, 4, 5. Invasor locorum poena teneatur legitima. Adde *August. in. Tract. in Ep. Joann.* 4.

INVĀSUS, a, um, part. ab *invado*, occupatus. [*Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 4, 18, 1. Praedoni quidem ratio a die invasi loci usque ad exitum litis habeatur. *F.*] *Pall. de Insit.* 120. Persuadet moris tetrum mutare colorem Ficus, et invasis dat sua jura comis, *h. e.* ramis, quos insitione invasit.

INVĀSUS, us, m. occupatio, aggressio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 82. Primo invasu affici passione.

ĪNŪBER, eris, adj. non uber. *Gell.* 20, 8. Ostreae cum appositae fuissent, et multae quidem iouberes macraeque essent.

*INUCA, ae, f. oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Tab. Peut. B. A.*

[ĪNŪDO, as, a. 1. valde udo, humidum facio. *Paul. Nol. carm.* 18, 418. de juvencis: lambuntque vicissim Mulcentem, labrisque manus palpantis inudant. Alii minus recte leg. *inundant. F.*]

INVECTĬCĬUS, a, um, adj. qui invehitur aliunde. *Plin.* 10, 29, 41. Cum Theophrastus tradat, invecticias esse in Asia etiam columbas. *Sen. ep.* 23. Quodcumque invecticium gaudium est, fundamento caret.

INVECTĬO, onis, f. invehendi actus. *Cic. Off.* 2, 3. *med.* Jam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset. ℙ Ponitur etiam pro insectatione, et impetu animi in aliquem. *Cic. Inv.* 2, 54. Clementia, per quam animi temere in odium alicujus concitati invectiones comitate retinentur. Ita locum legendum putat *Garatonius* in *Curae secundae* ad orat. *Cic. pro Planc.* p. 136. *Ascon.* in illud *Cic. Verr.* 1, 10. Quid est, quaeso, Metelle, judicium, corrumpere, etc. Invectio est ad Metellum consulem.

INVECTĬVĀLĬTER, adv. *Sidon. ep.* 1, 11. Qui satis invectivaliter abusi nominum nuditate carpebant plurimum vitia, plus homines.

INVECTĬVUS, a, um, adj. σιηλιτευτικὸς, quo in aliquem invehimur, hoc est maledictis eum insectamur. Unde *invectivae orationes* dicuntur adversus aliquem scriptae, quibus in illius mores, vel ingenium, aut vitam, invehimur. *Ammian.* 21, 10. Orationem acrem, et invectivam, probra quaedam in eum explanantem et vitia, scripserat ad senatum. *Id.* 22, 14. In eos volumen composuit invectivum, quod Misopogonem appellavit. Hinc grammatici dum citant orationes *Ciceronis* in Catilinam, saepe *invectivas* appellant, ut *Diomed.* 1, 318. et *Prisc.* 16, 1023. etc.

INVECTOR, oris, m. qui aliquid invehit. *Symmach. ep.* 10, 27. (al. 34.) *med.* Lanati pecoris invector.

[INVECTRIX, icis, f. quae invehit. *Ambros. ep.* 63. (al. 71.) *n.* 3. Etsi Epicurus neget invectricem mali esse voluptatem. *MSS.* habent minus recte *inventricem. F.*]

INVECTUS, a, um, part. ab *invehor*, pro *feror. Cic. Somn. Scip.* 2. Cum eris curru in Capitolium invectus. *Id. Fin.* 5, 24. Rex Perses eodem flumine invectus. *Liv.* 4, 29. Ipse triumphans invectus Urbem dictatura se abdicavit. *Id.* 22, 15. Concitatis equis invectus. *Plin.* 6, 22, 24. Carmaniae portum invectus. *Id.* 9, 8, 8. Delphinus in arenam invectus expiravit. ℙ Item importatus, illatus. *Plin.* 33, 1, 3. Commercia victus gratia invecta, et 18, 10, 20. *n.* 4. Externa omnia ab Oriente invecta; et 5, 5, 5. Gemma ex Aethiopia invecta; et 18, 7, 10. *n.* 3. Milium ex India in Italiam invectum. *Suet. Aug.* 41. Invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam

nummariae rei effecit, ut, etc. [*Curt. 8, 9, 16. Invecta animalia, i. e. aliunde importata.] ℙ *Invecta et illata*, et omissa conjunctione *invecta*, *illata* apud JCtos sunt res mobiles, quae a conductoribus in aedes conducticias invehuntur, et inferuntur, utendi causa. *Paul. Dig.* 2, 14, 4. Placet, in urbanis habitationibus locandis, invecta illata pignori esse locatori. *Mart. ib.* 20, 2, 2. Invecta et illata pignori erunt obligata. Adde *Ulp. ib.* 3. et 13, 7, 11. Sic inducta, invecta, importata, *Scaevola ib.* 20, 1, 32. Quo spectat illud *Tert. Patient.* 13. Rector animus facile communicat spiritus invecta cum habitaculo suo, *h. e.* bona, seu dona spiritualia cum corpore. ℙ Est etiam pro, maledictis insectatus. *Ov. Trist.* 2, 133. Tristibus invectus verbis.

INVECTUS, us, m. idem quod invectio. *Plin.* 4, 1, 2. Et Artemiram insulam assiduo terrae invectu continenti annectens. *Id.* 2, 85, 87. Terrae nascuntur fluminum invectu, sicut Echinades insulae ab Acheloo amne congestae. *Varr. R. R.* 1, 16. Quae praedia vicinitatis evectus habent idoneos, quae nascuntur, ut ibi vendant; et illinc invectus opportunos, ut ea, quae in fundo opus sunt, emant. Ita legend. monet *Schneiderus.*

INVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. ἐμφορέω, ἐπάγω, intro veho, importo, infero. *Cic. Off.* 2, 22. Tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. *Plin.* 18, 30, 33. Frumenta invehere: *scil.* in horreum. *Id.* 18, 17, 45. Limum non invehunt Euphrates, Tigrisque: *scil.* in agros. *Id.* 33, 11, 53. Victoria Achaica signa et tabulas pictas invexit: *scil.* Romam. *Plin.* 29, 1, 8. Invehi peregrinas merces displicuit majoribus. *Sen. Oedip.* 79. Vitia, quae tecum invehis, infaustus hospes; et *Hippol.* 1032. litori invexit malum majus timore. *Liv. praef. f.* Divitiae avaritiam invexere. *Cic. Tusc.* 4, 17. Ut quemcumque casum fortuna invexerit, hunc quiete ferat, *h. e.* attulerit. *Suet. Claud.* 18. Nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. [*Liv. 22, 5. Terrae motus mare fluminibus invexit; et 39, 8. Nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit.] ℙ Pro inducere, *h. e.* in aliquem locum ducere. *Val. Fl.* 2, 624. Ogygii quam (*urbem*) nec trieterica Bacchi Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris. ℙ Passive de iis dicitur, qui equo, curru, aut navi feruntur aliquo. *Liv.* 2, 31. Dictator triumphans urbem invehitur; et 1, 59. *med.* Invecta corpori patris nefando vehiculo filia. *Ov. Trist.* 5, 3, 19. aetherias meritis invectus es arces; et *ib.* 3, 10, 54. Invehitur celeri barbarus hostis equo; et *Met.* 14, 597. Perque leves auras junctis invecta columbis. *Virg. A.* 6, 785. Invehitur curru Phrygias turrita per urbes. ℙ Absolute. *Cic. N. D.* 1, 28. Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis; pro *invectus.* [*Laudat ad h. l. *Heindf. Brut.* 97. Cujus in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit misera fortuna rei publicae; audire jubens *Vechner. Hellenol.* 1, 1, 6. p. 68. ibique *Heus.* V. etiam *Ellendt.* ad hunc *Cic.* locum ab *Heindf.* laud.] ℙ *Invehi in aliquem* est infestum inferri pugnandi causa. *Liv.* 5, 8. *med.* Cum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, utrinque invehi hostem, nunciaretur. [*Curt. 8, 14, 18. Invehitur eques: nostr. *bricht ein.*] Sic *invehere se*, ap. *eund.* 28, 15. Cum eo ipso acrius, ubi inclinatam sensere rem, victores se undique inveherent. [*Frequens haec ap. *Liv.* est locutio. Adde *Curt.* 9, 4, 10. Invehunt se fluctus.] ℙ Translate est asperioribus verbis aggredi, increpare, maledictis incessere; et plerumque passiva voce. *Cic. Phil.* 2, 29. *f.* De quo Caesar in senatu, aperte in te invehens, quaestus est. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 259. In eum palam vehementer est invectus; et *Or* 275. Si in homines caros acerbius et contumeliosius invehare. ℙ Cum accusativo communi, Graeco more. *Nep. Timol.* 5. Cum nonnulla inveheretur in Timoleonta. *Id. Ep.* 6. Cum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos. *Liv.* 3, 48. Ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te sum invectus.

INVĔLĂTUS, a, um, adj. non velatus, intectus, nudus. *Capell.* 1, 3. de Mercurio: Chlamyde indutus parva, invelatus cetera.

[INVĔNĀLIS, e, adj. non venalis, invendibilis. *Gloss. Phil.* Invenalis, ἄπρατος. *F.*]

[INVĔNĀTĬCUS, a, um, adj. non venaticus, qui venatum non exercet. Vox joculariter efficta a *Pl. Capt.* 1, 1, 17. Item parasiti rebus prolatis latent. In occulto, miseri victitant succo suo, Dum ruri rurant homines, quos liguriant. Prolatis rebus parasiti invenatici Sumus; quando rure redierunt, molossici, Odiosicique, et multum incommodistici. Ita recte edidit *Bothe*, alii leg. *venatici;* perperam profecto, nam canes molossici sunt quam qui maxime venatici, minime vero iisdem opponuntur. *F.* *At v. *Lindem.* qui nihil h. l. mutandum censet.]

INVENDĪBĬLIS, e, adj. qui non potest facile vendi. *Pl. Poen.* 1, 2, 128. Invendibili merce oportet ultro emptorem adducere.

INVENDĬTUS, a, um, adj. non venditus, ut Praedia invendita, *Scaevola Dig.* 18, 5, 10.

INVĔNĬO, is, ēni, entum, a. 4. εὑρίσκω, reperio, quasi *in rem venio*: et dicitur de rebus omnibus, quae vel data opera quaesita, vel casu oblata, quocumque modo comperimus. *Caes. B. G.* 5, 5. Naves reliquas paratas ad navigandum, atque omnibus rebus instructas invenit. *Nep. Dion.* 8. Quem si invenisset idoneum, facile omnium animos cogniturum, etc. *Ter. Andr.* 2, 2, 1. Ubi inveniam Pamphilum? *Pl. Amph.* 4, 1, 2. Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit. *Id. Merc.* 2, 4, 24. unde erit argentum, quod des? *Cha.* Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. *Id. Bacch.* 2, 2, 41. Quod ames, paratum est: quod des, invento est opus, *h. e.* invenire oportet. *Phaedr.* 3, 2. Quasi inventuri mortuam postridie. *Ov. Fast.* 1, 556. spelunca Abdita, vix ipsis invenienda feris. *Virg. G.* 1, 139. laqueis captare feras, et fallere visco Inventum. *Cic. Or.* 1, 2. Cum vix singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. *Liv.* 3, 23. *f.* Eodem anno descisse Antiates, apud plerosque auctores invenio. [*Ita saepissime. V. *intpp.* ad *Eund.* 9, 15.] *Plin.* 10, 21, 25. Invenitur in Annalibus, in Ariminensi agro locutum gallinaceum; et 14, 13, 14. Invenimus inter exempla, uxorem, quod vinum e dolio bibisset, interfectam fusti a marito, etc. *Id.* 28, 1, 1. Pleraque inventu rara ac difficilia. ℙ Qui discrimen statuunt inter *invenio*, et *reperio*, ut illud de re quaesita, hoc de casu oblata dicatur, frustra sunt. Neque enim quidquam probat, quod mutilum ex *Ov.* afferunt *Met.* 1, 654. *tu non inventa reperta es.* Integrum enim sic legi debet: *tu non inventa reperta Luctus eras levior*, h. e. levius te lugebamus non inventam, quam postquam reperiimus. Deprehendimus enim buculam factam, quae eras puella. Itaque hic ipse locus satis ostendit promiscue utrumque usurpari. Sic *Cic. Rosc. Am.* 15. Ille, quomodo crimen commenticium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leves qua ratione infirmem, reperire non possum. *Quint.* 5, 10. *f.* Hoc reperire, difficilius, quam cum inveneris, argumentis adjuvare. *Pl. Aul.* 4, 2, 13. Perscrutabor fanum, si inveniam uspiam aurum: sed si reperero, o Fides! [*Vice versa *invenire*, ut recte vocis significationem ab initio constituit *F.*, in universum denotat rem aliquam quocumque modo comperire; *reperire* spectat id quod reconditum, clandestinum in lucem dedita opera, adhibito consilio ponitur. V. *Doederl.* 3, 142. sq. et 149.] ℙ Ponitur et pro cognoscere, comperire, intelligere. *Caes. B. G.* 2, 16. Inveniebat ex captivis, Sabin flumen ab suis castris non amplius millia passuum decem abesse, [*i. e. quaerendo comperit. Ceterum notanda videtur h. l. dicendi varietas; cp. 15. *Caes.* scripsit *reperiebat;* et 17. *cognitum est ex captivis.*] *Ter. Ph.* 5, 3, 34. Gnatam inveni nuptam cum filio tuo. ℙ Pro excogitare, comminisci. *Cic. Dom. in.* Multa divinitus a majoribus nostris inventa atque instituta sunt. *Ter. Heaut.* 3, 3, 35. Inveni quandam nuper fallaciam. *Tibull.* 1, 9, 35. At Venus inveniet puero succumbere furtim, *h. e.* inveniet locum, ubi possis furtim etc. [*V. *Heyn.*] *Plin.* 27, 11, 61. Inventum est, ut cum pisce sumerentur; et 37, 12, 75. Inventum est, traducere, etc. ℙ Pertinet hoc sensu ad artem rhetoricam, cum excogitamus res veras, aut verisimiles, quae causam probabilem reddant, ut est ap. *Cic. Inv.* 1, 7. Sic *Quint.* 10, 1. *med.* Tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas. ℙ Pro comparare, acquirere. *Cic. Fin.* 1, 7. Eum Torquatum, qui primus hoc cognomen invenit. [*Nomen invenire* dicendi genus Ciceroni usitatissimum, significat casu vel occasione participem nominis fieri. V. INVENTUS. Adde *Suet. Tib.* 3. Drusus sibi posterisque suis nomen invenit, i. e. auctor fuit dati cognominis. Semel tantum ap. *Cic. Fin.* 1, 10, 16. legitur *reperire nomen.* V. *Doederl.* 3, 144.] *Plin.* 7, 43, 45. Pecuniam magnam bono modo invenire. *Ter. Andr.* 2, 1, 34. si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia, Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi. [*Liv. 1, 53. Se — sua praesentia ardoris aliquid ad bellum — inventurum, i. e. excaturum.] *Tac. A.* 1, 74. Perniciem aliis, ac postremo sibi invenere. [*Virg. *A.* 2, 645. Ipse manu mortem inveniam, i. e. a manu hostium accipiam, ut cum aliis explicat *Burm.*, qui laudat *Sil.* 4, 140. Sic elanguescens, ac jam casura, petitum Invenit vulnus, caedemque invenit ab hoste.] ℙ Pro scire, aut videre. *Ov. Pont.* 4, 12, 45. Nec quid agam, invenio, nec quid nolimve, velimve. ℙ Pro deprehendere, detegere. *Cic. Cat.* 3, 7. *f.* Haec tanta in rempublicam conjuratio manifesto inventa atque deprehensa est. *Ter. Hec.* 3, 1, 19. Invenire aliquem in culpa. *Quint.* 2, 10. *med.* Quae nos, quamlibet per alia in scholis exercitati simus, tirones in foro inveniunt. *Ter. Eun.* 5, 9, 6. Scis, Pamphilam meam inventam civem? ℙ *Non invenire se*, dicuntur, qui aliquando eas in se vires, aut facultatem non agnoscunt, quam alias habere se, probe sciunt, quique cum se putent posse aliquid, in re praesenti nihil possunt. *Sen. Ben.* 5, 12. *f.* Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum aestus subest, minusque se inveniunt, quo in majorem materiam inciderunt. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Multis jam diebus venter mihi non respondet: nec medici se inveniunt; et *Ov. Her.* 16, 113. Postquam se dolor invenit, nec pectora plangi, Nec puduit scissis exululare comis. ℙ *Inveniri* aliquando est esse. *Pl. Capt.* 3, 4, 49. Quia tu te ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est; Omnes inveniri similes tibi vis. ℙ *Invenibit* pro *inveniet*, antiquum est. *Pompon.* ap. *Non.* 7, 96. Saepe annuit, invenibit saepe.

INVENTĀRĬUM, ii, n. ἀναγραφή, idem quod repertorium. *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inventarium appellatur, dolo fecisse videtur. Ex quo colligas, *Ulpiani* temporibus vocem hanc minus receptam apud doctos fuisse, et *repertorium* elegantius usurpari. *Id. ib.* 27, 3, 1. Inventaria proferre; et 37, 8, 1. *f.* Inventarium rerum facere. *Scaev. ib.* 26, 7, 56. Ex inventario convenire aliquem. [*Cf. *Duk.* de *Lat. Vett. Ict.* 441.]

INVENTĬO, onis, f. εὕρεσις, εὕρημα, actus inveniendi. *Cic. Tusc.* 1, 25. Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? *Petr. Sat.* 88. Chrysippus, ut ad inventionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. *Plin. Pan.* 72. *f.* Alia tristium inventio, alia gaudentium, *h. e.* alia sunt, quae a tristibus inveniuntur, alia, quae a gaudentibus. ℙ Speciatim *inventio* est pars officii oratorii. *Cic. Inv.* 1, 7. et *Auct. ad Her.* 1, 2. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quae causam probabilem reddant. *Quint.* 12, 10. *med.* Quo minus adjuvat sermo, rerum inventione pugnandum est. *Just.* 9, 8. Ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus, *h. e.* rerum inventarum. [*Cf. *Ernest. lex techn. lat. rhet.* p. 224. sqq.]

INVENTĬUNCŪLA, ae, f. dimin. parva inventio. *Quint.* 8, 5. *med.* Ad hoc plerique minimis etiam inventiunculis gaudent.

INVENTOR, oris, m. εὑρετής, qui quippiam primus invenit. *Cic. N. D.* 3, 18. Aristaeus, qui olivae dicitur inventor; et *Fin.* 1, 10. Ille inventor veritatis, et quasi architectus beatae vitae; et *Or.* 1, 11. Harum disputationum inventor, et princeps omnium in dicendo gravissimus et eloquentissimus, Plato. *Caes. B. G.* 6, 16. Galli Mercurium omnium artium inventorem ferunt. [*Liv. 2, 56. Ut inventor legis Volero, sic Laetorius — auctor, quum recentior, tum acrior erat.] *Ter. Eun.* 5, 9, 5. o mearum voluptatum omnium Inventor, inceptor, perfector. *Virg. A.* 2, 164. scelerumque inventor Ulysses. [*V. *Burm.*] *Stat. Silv.* 1, 1, 78. auctor ego, inventorque salutis. ℙ *Inventor*, cognominatus est Juppiter ab Hercule ob inventas boves, quas Cacus abduxerat, ap. *Solin.* 1. *in.* et in *Inscr.* ap. *Gud.* 2, 7. Juppiter *inventor* dicitur quod Trajano Decebali Daciae regis victori ejusdem thesauros in flumine Sargetia absconditos indicaverit.

INVENTRIX, icis, f. εὑρέτρια, quae invenit. *Cic. Or.* 1, 4. Atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas. *Id. N. D.* 3, 21. Qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt. *Virg. G.* 1, 18. oleaeque Minerva Inventrix.

INVENTUM, i, n. εὕρημα, commentum, res inventa. *Cic. Mur.* 29. Aemuli inventorum Zenonis. [*Liv. 7, 3. Eoque Minervae templo dicatam legem, quia numerus Minervae inventum sit.] *Virg. G.* 4, 283. Memoranda inventa. *Ter. Heaut.* 4, 6, 7. Ut te omnes Dii cum istoc invento atque incepto perduint. *Ov. Met.* 1, 521. Inventum medicina meum est. *Id. Fast.* 6, 696. Estque sub inventis haec quoque turba meis.

INVENTUS, a, um, part. ab *invenio*: εὑρημένος, repertus. *Ov. Met.* 1, 654. Tu non inventa reperta Luctus eras levior. (V. INVENIO.) *Virg. G.* 1, 184. Inventusque cavis bufo. *Ter. Ph.* 3, 3, 26. Inventas reddam, *h. e.* inveniam. *Cic. Cat.* 3, 7. Conjuratio inventa atque deprehensa. [*Tac. *G.* 2. Ut omnes primum a victore (*Tungurorum s. Germanorum natione*) ob metum (*Gallis injiciendum*), mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur: Ita recte locum, ubi *inventum nomen* opponitur gentis appellationi hereditate acceptae, explicat *Hess.*] ℙ Excogitatus. *Virg. A.* 6, 663. Inventas aut qui vitam excoluere per artes. *Cic. Or.* 2, 41. Nequaquam satis est, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 404, 2. L. Egnatius Inventus. Alia in *Effem. letter. Rom. T.* 11. p. 47. Inventae animulae dulcissimae Quintilius Classicus, et Sulpicia Nice vernae suae fecerunt. Vixit an. VIII. *F.*]

INVENTUS, us, m. idem ac inventio. *Plin.* 17, 10, 13. Ex eodem inventu est surculos abscissos serere. Al. leg. inventum; et *ib.* 21, 35. *n.* 5. Inventu novitio finditur malleolus, etc.

INVĒNUSTĒ, adv. ἀμούσως, ἀχαρίτως, illepide, inepte. *Quint.* 1, 6. Quare mihi non invenuste dici videtur. *Gell.* 17, 12. Inibi in eisdem laudibus non hercle hac sententiola invenuste lusit. *Apul. de Mundo:* Qui in ligneolis hominum figuris gestum movent, quando filum traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, etc. nec invenuste totus videbitur vivere.

INVĒNUSTUS, a, um, adj. ἄμουσος, illepidus, et sine Venere (ut ait *Donatus* ad *Terentii* l. c. in §. 2.) id est sine gratia. *Cic. Brut.* 67. Non invenustus actor, sed iners et inimicus fori. *Catull.* 10, 3. scortillum Non sane illepidum, nec invenustum; et 12, 5. Sordida res et invenusta. *Colum.* 5, 6. Arbustum invenustum. ℙ Proprie significat eum, cui amores male procedunt, ἀναφρόδιτος; atque hinc sumitur pro infelici. *Ter. Andr.* 1, 5, 10. Adeone hominem esse invenustum, aut infelicem quemquam, ut ego sum? Ubi *Donatus:* Invenustus, cui displicens objicitur: infelix, cui placens negatur.

INVĒRĒCUNDĒ, adv. impudenter, ἀναισχύντως. *Sen. ep.* 114. Aliqua aetas fuerit, quae translationis jure uteretur inverecunde. *Quint.* 7, 4. Non inverecunde dicet. *Ulp. Dig.* 3, 1. *med.* Inverecunde postulans, et magistratum inquietans. *Hieron. ep.* 128. *n.* 2. Cum quo multo inverecundius, quam cum marito, egisti.

INVĒRĒCUNDIA, ae, f. impudentia, ἀναισχυντία. *Arnob.* 4, 150. Obduratus inverecundia. *Tert. Poenit.* 6. *f.* Praesumptio inverecundiae portio est.

INVĒRĒCUNDUS, a, um, adj. ἀναιδής, impudens, omnis verecundiae expers. *Cic. Inv.* 1, 45. Sin inverecundum animi ingenium possidet, etc. *Pl. Rud.* 3, 2, 43. Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus. *Val. Max.* 7, 7. *n.* 1. Quid enim illis inverecundius? *Quint.* 2, 4. *med.* Inverecunda frons. *Sall.* ap. *Suet. Gramm.* 15. Os improborum, inverecundus animus. *Paul. Dig.* 32, 1, 23. Ex imperfecto testamento legata vindicare, inverecundum est. ℙ *Inverecundus Deus* ap. *Hor. Epod.* 11, 13. est Bacchus, quia in vino verecundiam abjicimus. ℙ Tertiam syllabam licenter corripit *Venant. de Vit. S. Mart.* 1, 393. Irruit in medios clamoribus inverecundus.

INVERGO, is, a. 3. ἐπιχέω, inverto fundendi gratia. *Virg. A.* 6, 244. frontique invergit vina sacerdos. Ubi *Serv.:* Vergere est, conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in infernis sacris fit. *Pl. Curc.* 1, 2, 12. Invergere in me liquores tuos sino ductim. *Ov. Met.* 7, 247. invergens tepidi carchesia lactis. *Val. Fl.* 2, 611. pelago vina invergens, dux talibus infit.

INVERSIO, onis, f. actus invertendi. *Quint.* 8, 6. *med.* τὴν ἀλληγορίαν interpretatur *inversionem*, quia invertitur verborum sensus, dum aliud dicimus, aliud significamus. Propter eandem causam *ironia* inversio appellatur a *Cic. Or.* 2, 65. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 207. 3. N.]

*INVERSO, as, a. 1. *Fulg. de Contin. Virg.* p. 241. ed. *Munk. B. A.*

INVERSOR, aris, dep. 1. in aliqua re versor. *Lucil.* ap. *Lact.* 6, 5. Queis inversamur, queis vivimu' rebus adesse.

INVERSŪRA, ae, f. *Vitr.* 5, 3. Aditus directus, et sine inversuris.

INVERSUS, a, um, part. ab *inverto*, ἀνεστραμμένος, in contrarium versus, perversus. *Hor. Ep.* 2, 63. Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido. *Sall. Jug.* 21. Alveos navium inversos pro tuguriis habuere. *Plin.* 12, 25, 54. Inversa manus: cui *supina* opponitur. *Id.* 2, 10, 7. Figura umbrae terrae similis metae, aut turbini inverso. *Id.* 32, 10, 48. Inversa rana; et 15, 17, 18. *n.* 3. Inversa vasa; et 19, 8, 47. Inversos ramos serere. *Juven.* 14, 187. Inversae pelles. *Mart.* 4, 87. Inversa charta, *h. e.* aversa, seu ab ea parte, qua scripta non est: in tergo, inquit *Juven.* 1, 6. Ap. *Hor. Sat.* 1, 1, 36. inversus annus, *h. e.* revolutus ad suum principium: quod fit Januario mense: *cum se verterit annus* dixit *Juven.* 7, 242. ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 5, 7. Pro curia, inversique mores! *h. e.* in pejus versi. *Val. Fl.* 3, 646. potioribus ille Deteriora fovens, semperque inversa tueri Durus. *Quint.* 3, 9. *extr.* Inversa consuetudo. *Prop.* 1, 15, 30. Inversae anni vices. *Lucr.* 1, 642. Inversa verba, *h. e.* translata, in alium a proprio sensum detorta, atque adeo obscura. Sic *Appul. Apol.* Voluntatem meam inversis verbis periclitabundus, etc. *Ter.* quoque *inversa verba* dixit *Heaut.* 2, 3, 131. praepostere, ac inversis syllabis pronunciata ab amatoribus, quae solae amicae intelligant, non item ceteri, qui forte adsunt. ℙ *Inversum* adverbii more. *Solin.* 8. Surculis inversum superpositis.

INVERTO, is, rti, rsum, a. 3. ἀναστρέφω, in contrariam partem verto, perverto, immuto. *Cic. Part.* 7. Ut cum semel dictum sit directe, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur. *Hor. Ep.* 10, 5. Invertere mare. *Lucan.* 6, 390. Boreas invertit ornos. *Virg. A.* 11, 202. nox humida invertit coelum. Ubi *Serv.* ut ea pars, quae noctem haberet, sub terra esset. *Plin.* 9, 30, 48. Si polypus invertatur, elanguescit vis. *Hor. Sat.* 2, 8, 39. Invertunt Allifanis vinaria tota. *Sil.* 16, 569. serva albentes invertere lanas Murice Gaetulo docta ℙ *Invertere terram*, est arare, quia tunc in solem glebae vertuntur. *Virg. G.* 1, 64. Pingue solum fortes invertant tauri; et *ib.* 3, 525. Vomere terras invertere. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Nisi noster Pompejus, Diis hominibusque invitis, negotium inverterit. Al. leg. *everterit.* [*Ita *Orell.*] *Hor. Sat.* 1, 3, 55. At nos virtutes ipsas invertimus, *h. e.* male interpretamur. *Cic. Har.* resp. 24. Videant ii, quam se cito inverterit. ℙ In illo *Tac. A.* 15, 63. de Seneca moriente: Advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo: *invertere* est sententias aliis verbis exprimere. Est tamen qui mallet *innectere.* ℙ *Ascon. in Verr.* 2, 1, 69. Vertumnus Deus invertendarum rerum est, id est mercaturae, *h. e.* permutandarum.

INVESPĒRASCIT, ebat, impers. 3. ἑσπεράζει, vesper fit. *Liv.* 39, 50. Jam invesperascebat.

INVESTĪGĀBĪLIS, e, adj. qui investigari potest. *Lact.* 3, 27. Res non investigabiles quaerere. Al. leg. *vestigabiles. Tert. in Herm.* 43. *extr.* Quae nec inveniri, nec investigari, nisi a solo Deo possent: alioqui investigabilia, si, etc.

INVESTĪGĀTIO, onis, f. ἐξιχνιασμός, indagatio, inquisitio. *Cic. Fin.* 5, 4. Qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. *Id. Off.* 1, 4. Veri inquisitio, atque investigatio.

INVESTĪGĀTOR, oris, m. ἀνιχνευτής, inquisitor. *Cic. Univ.* 1. Acer investigator et diligens earum rerum, quae natura involutae videntur, et *Sull.* 30. Conjurationis investigator atque ultor.

INVESTĪGATRIX, icis, f. quae investigat. *Capell.* 5, 141. Investigatrix comprehensio.

INVESTĪGĀTUS, a, um, part. ab *investigo*, indagatus, perquisitus, et deprehensus. *Rut. Itin.* 1, 255. flagrantia taurus, Investigato fonte, lavacra dedit. *Ov. Met.* 15, 146. Magna, nec ingeniis investigata priorum, Quaeque diu latuere, canam. Al. leg. *evestigata.* [*Ita *Gierig.* recte secutus *Heins.*, qui hanc vocem rarissimam quidem, sed ob id ipsum h. l. probe tenendam e codicibus haud contemnendis recepit. V. *Evestigatus*, ubi bene doctissimus *Wüstemannus* hunc *Ov.* locum laudavit.]

INVESTĪGO, as, avi, atum, a. 1. ἐξιχνεύω, per vestigia quaero, vestigiis insequor, et deprehendo: pertinetque ad rem venatoriam. *Cic. N. D.* 2, 63. Canum tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium. ℙ Deinde universim perquirere, inquirere, indagare. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. Immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui investigabant, et perscrutabantur omnia. *Q. Cic. Petit. cons.* 8. Perquirere et investigare homines. *Cic. Att.* 12, 17. Ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. ℙ Item reperire, deprehendere. *Cic. Att.* 9, 1. Ubi Lentulus sit, investigare non possum *Id. Verr.* 1, 16. Habeo certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. [*Huc pertinet locus, quem Noster in INVESTIGATUS laudaverat, *Cic. Lig.* 1. Diligentia inimici investigatum est, quod latebat.] *Pl. Merc.* 4, 5, 4. Nihil investigo quicquam de illa muliere. *Id. Rud.* 5, 2, 52. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi, Cum auro atque argento salvum investigavero, Isque in potestatem meam pervenerit. *Id. Aul.* 4, 9, 4. Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo Certum investigare. *Ter. Heaut.* 4, 2, 8. Nihil tam difficile est, quin quaerendo investigari possiet. *Curt.* 8, 4. Tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita, necessitas investigaverat. ℙ *Investigandum* pro *investigandorum* dixit *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 1.

INVESTIO, is, a. 3. χοσμέω, veste tego, orno. *Plin.* 35, 7, 33. Publicas porticus investivit pictura. ℙ Non est imitandum illud *Maecenatis* ap. *Sen. ep.* 114. Focum mater, aut uxor investiunt, *h. e.* circumsident, cingunt: vel, ut alii minus recte interpretantur, veste obducta tegunt. V. *Lips. in h. l.*

INVESTIS, e, adj. ἄχιτων, sine veste, nudus. *Tert. Pall.* 3. Homo nudus certe, et investis figulo suo constitit ℙ Item imberbis, impubes, qui necdum pubertate vestitus est, ἄνηβος. *Festus* in *Vesticeps:* Investis puer, qui necdum pubertate vestitus est. *Macr. Sat.* 3, 8. Romani pueros et puellas nobiles et investes, camillos et camillas appellant, flaminicarum, et flaminum praeministros. *Pall.* 11, 14. *f.* Ut quoties vinum movetur, investis puer hoc, aut aliquis satis purus efficiat. Adde 8, 7. ℙ Item quia impuberes Venerem nesciunt, *investis* accipitur etiam pro eo, qui Venerem expertus non est, ἄφθορος. Minus placet *Non.* qui 1, 220. scripsit, investem dici quasi *in Vesta*, hoc est pudicitia, seu castitate, quam amat Vesta, cujus nempe virginibus nubere non licebat. Igitur idem est, *mas investis*, et *mas virgo.* Sed tamen *virgo* proprie de muliebri sexu dicitur, *investis* de virili. *Tert. Virg. vel.* 8. Si virgo mulier non est, nec vir investis est. Si non operitur virgo, quia mulier non sit, operiatur investis, quia vir non sit; et 11. *extr.* Mater familiae vocatur licet virgo, et pater familiae licet investis. ℙ Translate est spoliatus, privatus. *Id. ad uxor.* 2, 9. An ideo sit investis dotalibus, cui Deus censum suum credidit.

INVESTĪTUS, a, um, adj. vestitus, tectus, obsitus. *Enn.* ap. *Fest.* in *Scrupi, de ceto:* Scrupeo investita saxo, atque ostreis. V. SCRUPEUS *Prud. in Symm.* 2, 38. Nec tumidas fluitante sinu investita papillas. Al. leg. *vestita.*

INVĒTERASCO, is, n. 3. περιγηράσκω, vetustatem acquiro. *Cic. Tusc.* 5, 14. Nihil inveterascere, nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in re, nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Al. leg. *interarescere.* [*Ita *Orell.*] *Caes. B. G.* 2, 1. Populi R. exercitum hiemare atque inveterascere in Gallia moleste ferebant. *Nep. Att.* 2. Neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. ℙ Metaleptice sumitur pro invalescere, confirmari. *Cic. Cat.* 3, 11. Res nostrae litterarum monumentis inveterascent et corroborabuntur. *Caes. B. G.* 5, 40. Ut hanc inveterascere consuetudinem nolint. *Lucr.* 4, 1060. Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo. ℙ Praeteritum *inveteravi* ad *Invetero* pertinet.

INVĒTĒRĀTIO, onis, f. παλαιότης, vetustas, antiquitas. *Cic. Tusc.* 4, 37. *extr.* Inveteratio autem ut in corporibus aegrius depellitur, quam perturbatio, *h. e.* morbus, qui inveteravit.

INVĒTĒRĀTUS, a, um, part. ab *invetero:* παλαιωμένος, antiquus. *Cic. Phil.* 5, 11. *extr.* Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. *Id. Sen.* 20. Conglutinatio recens aegre, inveterata facile dissolvitur. *Id. Fam.* 3, 9. *med.* Pro nostra non instituta, sed jam inveterata amicitia. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 2. Inveteratum vinum *Nep. Eum.* 8. Inveterata licentia et gloria. *Curt.* 3, 10. Macedones inveteratae virtutis admonebantur.

INVĒTĒRO, as, avi, atum, a. 1. ad vetustatem servare, curare, ut aliquid vetus fiat. *Col.* 12, 12. Quibus curae non fuit inveterare aquam coelestem, recentem sumunt. *Plin.* 19, 6, 34. Si diutius allium, coepamque inverterare libeat, aqua salsa tepida ungenda sunt. *Id.* 23, 2, 29. Aquae marinae sextarios pariter coquebant, atque ita diffundebant, inveterabantque. *Curt.* 10, 3. *f.* Inveteravi peregrinam novitatem, *h. e.* quasi veterem et consuetam reddidi. ℙ *Inveterari* est vetus fieri, et aetatem ferre. *Plin.* 31, 10, 36. *n.* 3. Ad ea, quae inveterari volunt, nitro utuntur. *Id.* 28, 9, 37. Adeps inveteratur duobus modis, aut cum sale, aut sincerus; et 19, 4, 19. *n.* 2. Inveterari vina, saccisque castrari. ℙ Pro passiva voce saepe activa usurpatur eodem sensu, neutrorum more, sed fere in praeteritis. *Cels.* 3, 13. Si res inveteraverit. *Id. ib.* Si malum inveteravit, nonnisi magna mole discutitur. *Plin.* 12, 12, 26. Nardo color qui inveteraverit, nigriori melior. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 14, 3. Spes reliqua est in novis tribunis plebis, et in primis quidem diebus: nam si inveterarit, actum est. ℙ Saepe est invalescere, corroborari, obtinere. *Cic. Verr.* 1, 1. Inveteravit jam opinio perniciosa reipublicae, vobisque periculosa. *Id. Man.* 3. Illa macula, quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi R. nomine. *Id. Sull.* 8. Si tibi nos peregrini videmur, quorum jam et nomen, et honos inveteravit et huic urbi, et hominum famae, ac sermonibus. ℙ Impersonaliter. *Id. Off.* 2, 16. *f.* Intelligo in nostra civitate inveterasse a bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postuletur. ℙ Active pro abolere, antiquare. *Lact.* 2, 16. *f.* Hac versutia, et his artibus notitiam veri Dei apud omnes inveteraverunt.

INVĒTĪTUS, a, um, adj. non vetitus. *Sil.* 2, 441. It liber campis pastor, cui fine sine ullo Invetitum saltus penetrat pecus.

[INVĪĀBĪLIS, e, adj. invius. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 38. Agminibus militaribus inviabiles aditus. *Id. ib.* 61. Palus aspera satis, et inviabilis prae rigore. *F.*]

INVĪCEM, adv. ἀλλήλων, πρὸς ἀλλήλους, alternis, vicissim, per vices, in vicem alterius altero succedente, et paria paribus reponente. *Caes. B. G.* 4, 1. Quot annis singula millia armatorum suis ex finibus educunt: reliqui domi manent, pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent. [*Comparat *Moeb.* ad h. l. praeter alia Gr. ἂν πάλιν, et *Aristoph. Nub.* 973. εἶτ' αὖθις αὖ πάλιν.] *Caes. B. G.* 7, 85. Defatigatis invicem integri succedunt. *Hirt. B. Afr.* 70. Equitatu suo extremo agmine remoto, legiones invicem ad extremum agmen evocabat. *Liv.* 2, 57. Cum timor atque ira invicem sententias variassent; et *ib.* 44. *extr.* Multis invicem casibus victi, victoresque. *Col.* 4, 26. Pedamenta submovenda, quae cariosa sunt; eorumque invicem idonea reponenda. (Al. divisim leg. *in vicem:* quod fere fit cum casum regit.) *Cels.* 3, 2. *med.* Bibenda aqua: postero die etiam vinum: deinde invicem alternis diebus modo aqua, modo vinum. ℙ Item mutuo inter se, contra. *Plin. ep.* 7, 20. *extr.* Ut invicem ardentius diligamus. *Tiber.* ap. *Suet. Tib.* 28. Invicem odisse. *Quint.* 9, 4. *f.* Ut homines, qui manibus invicem

apprehensis gradum firmant, continent, et continentur. *Cic. Att.* 5, 10. *f.* Et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem. Al. leg. *eramus juncti. Quint.* 4, 1. *med.* Haec invicem obstant; et 3, 10. Litigatores idem crimen invicem intentant; et 1, 4. O atque U permutatae invicem. *Suet. Aug.* 66. Exegit et ipse invicem ab amicis benevolentiam mutuam. *Tac. H.* 3, 46. Cuncta invicem hostilia, *h. e.* ultro citroque. ℙ Dividitur per tmesin, interjecto verbo. *Stat. Th.* 2, 149. inque vicem dextras junxere. Adde 7, 817. et *Ov. Pont.* 3, 2, 86. et *Virg. G.* 4, 166. ℙ *Ad invicem*, instar. Est *Veg. Vet.* 2, 7. *extr.*, sed non imitandi. ℙ *Ininvicem.* V. s. l.

INVICTĒ, adv. *August. ep.* 28. *f.* Ut abs te liquidissime, atque invictissime defendatur, *h. e.* ita ut tuam defensionem avertere nemo possit.

INVICTRIX, icis, f. invicta. *Inscr.* incertae auctoritatis ap. *Grut.* 1065, 6. Invictricis Fortunae filius. *Reines.* legit *victricis.*

INVICTUS, a, um, adj. *ἀνίκητος*, qui victus non est, aut qui vinci non potest. *Cic. Marcell.* 4. *extr.* Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est. *Id. Off.* 1, 5. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. *Tac. A.* 15, 21. Invictus adversum gratiam animus. *Cic. Off.* 1, 20. Invictum se a labore praestare. *Liv.* 22, 26. Invictus a civibus hostibusque animus. *Cic. Agr.* 2, 35. Luxuries Annibalem, armis invictum, voluptate vicit. *Ov. Met.* 7, 792. ambo invicti certamine cursus. *Just.* 12, 15. In hostem et in mortem invictus animus. *Plin.* 8, 25, 37. Crocodilus contra omnes ictus cute invicta. Sic *Ov. Met.* 12, 167. invictum ad vulnera corpus. *Plin.* 19, 2, 7. Spartum in aquis, marique invictum; et 7, 16, 15. Dentes invicti ignibus; et 20. *in prooem:* Adamas infragilis omni cetera vi, et invictus. Adde *Ov. Pont.* 4, 12, 32. *Lucan.* 10, 322. Invicti fluctus, *h. e.* qui nullo obice frangi, et contineri possunt. *Sen. ep.* 30. *med.* Necessitas invicta. *Liv.* 6, 16. Sed invicta sibi quaedam, patientissima justi imperii civitas fecerat, *h. e.* quibus contraire non auderet. *Cic. in Sen.* 12. Constans, perpetua, fortis, invicta defensio. *Id. Verr.* 2, 4, 38. Invictissimus imperator. *Pl. Mil.* 1, 1, 57. Pyrgopolinices virtute, et forma, et factis invictissumis. *Id. Poen.* 5, 4, 17. Invicta pietas, *h. e.* constans, perpetua, quae nunquam defecit. *Hor. A. P.* 123. Sit Medea ferox invictaque, *h. e.* indomabilis. *Id. Od.* 3, 27. *f.* Uxor invicti Jovis, *h. e.* omnipotentis. ℙ Cum genit. et infin. *Sil.* 3, 326. Cantaber hiemisque, aestusque, famisque Invictus, palmamque ex omni ferre labore. *Tac. A.* 1, 20. Invictus operis ac laboris. Al. melius leg. *vetus.* ℙ Proprium fuit epithetum Herculis, ut videre est in multis Inscriptionibus ap. *Grut.* 46. 7. 8. 9. 10. 11. et 12. et 47. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. et 11. et 48. 1. 2. 3. 4. 5. 6. et 11. et 49. 1. etc. Hinc *invictum juvenem* appellat *Prop.* 1, 20, 23. ℙ Item Solis Mithrae. *Grut.* 33. et 34. et *Reines. cl.* 1. *n.* 45. et sq. ℙ Comp. *Invictior* est *Augustini de immortal. anim.* 8. Quae sententia invictiore ratione approbatur. Adde *de morib. Manich.* 2, 11. ℙ [*Confund. *invictus* et *invitus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 607.]

INVĪDENS, entis, part. ab *invideo*, invidus. *Cic. Tusc.* 4, 8. Nocere invidenti. *Vell.* 2, 73. Speciosis invidens. ℙ Item nolens, invitus. V. INVIDEO.

INVĪDENTĬA, ae, f. *φθόνος, βασκανία*, aegritudo animi, quam describit *Cic. Tusc.* 4, 8. Invidentiam esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti; et *ib.* 3, 10. Atqui quemadmodum misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia aegritudo est ex alterius rebus secundis; et 9. Posset sapiens incidere in invidentiam. Non dixi, in invidiam, quae tum est, cum invidetur: ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius; et *ib.* 4, 7. Subjicitur aegritudini invidentia. Utendum est enim docendi causa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur. [**Doederl.* 3, 68.]

INVĪDĔO, es, īdi, isum, a. 2. *φθονέω, βασκαίνω*, ex alicujus rebus secundis dolore afficior: ab *in*, et *video*, quod oculos, et animum in eos, quibus invidemus, assidue intentos teneamus. Suapte natura activum est primi ordinis, et accusativum postulat vel personae, vel rei, ut simplex *video*, unde factum est. Ex consuetudine fere usurpatur in 3. ordine neutrorum, aliquando in 3. activorum. *Quint.* 9, 3. *in.* Paene jam quidquid loquimur, figura est, ut *huic rei* (optimae edit. habent *hac re*) *invidere:* non, ut omnes veteres, et Cicero praecipue, *hanc rem.* [*Placuit argenteae aetatis scriptoribus structura ablativi in re, quam per accusativum efferebant Cicero et veteres. Cf. *Spald.* ad h. l.] *Cic. Tusc.* 3, 9. Ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippo: Florem quisnam liberum invidit meum? Male Latine videtur. Sed praeclare *Accius.* Ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori dicitur. Nos consuetudine prohibemur; poeta jus suum tenuit, et dixit audacius. [*Cf. de hac obsoleta dicendi ratione *Burm.* ad *Ov. Her.* 13, 137. et *Oberl.* ad *Tac. A.* 1, 22.] *Cic. Or.* 2, 52. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus. *Id. Tusc.* 3, 2. Ut nobis optimam naturam invidisse videantur. Al. leg. *optimae naturae.* [*Varie hunc locum tentarunt. *Arntzen.* ad *Plin. Pan.* 364. leg. *optima natura. Bentl.* conj. *optimam magistram. Orell.*, qv., ex praestantissimis cdd. *ut nobis* [optime] *naturam invidisse videantur*, recepit.] Sic *Hor. Sat.* 2, 6, 84. neque illi Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae. Al. tamen leg. *ille.* [*Ita recte *Heindf.* qui graeco more genitivos *sepositi ciceris* et *longae avenae* positos docet, ut *φθονεῖν τινί τινος*: coll. *Od.* 2, 9, 17. desine querelarum, *λῆγε ὀδυρμῶν. Epod.* 17. *extr.* plorem artis, *οἰμώξομαι τῆς τέχνης. Virg. A.* 11, 126. Justitiaene prius mirer belline laborum. *Vechner. Hellenol.* 1, 2, 24. *Gron. aliquid* supplendum censet.] *Cic. Agr.* 2. *f.* Qui honori inviderunt meo. *Hor. Sat.* 1, 6, 50. Invidere honorem alicui. *Val. Fl.* 5, 508. Tu modo ne claros Minyis invideris actus. *Hor. Od.* 2, 10, 7. caret invidenda Sobrius aula. ℙ Cum dat. et abl. et praep. *in. Cic. Fl.* 29. In qua tibi invideo, quod unis vestimentis tandiu lautus es. *Id. Or.* 2, 56. Nisi interdum in hoc Crasso paulum inviderem. ℙ Passive. *Hor. A. P.* 56. ego cur, acquirere pauca Si possum, invideor? Impersonaliter. *Cic. Or.* 2, 51. Invidetur enim commodis hominum ipsorum. ℙ Reperitur etiam usurpatum pro inspicio. *Sall. or.* 2. *ad Caes. de rep. ord. f.* Mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine inviderí. Al. leg. *invisi.* Huc pertinet et illud ex *Acc.* in *Menalippo*, quod affertur a *Cic. cit.* ℙ Item pro nolo, invitus sum. *Hor. Od.* 1, 37. *f.* de Cleopatra: Saevis Liburnis scilicet invidens Privata deduci superbo Non humilis mulier triumpho. ℙ *Invidere cuipiam aliquid* dicitur is, qui ab illo aufert, et habere non sinit. *Virg. Ecl.* 7, 57. Liber pampineas invidit collibus umbras; et *A.* 11, 42. Tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret, Invidit Fortuna mihi, ne regna videres Nostra? *Tac. A.* 1, 22. Responde, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturae invident (optimae edit. habent *sepultura*). *Plin.* 15, 2, 3. Africae solo oleum et vinum Natura invidit. ℙ Cum ablat. *Lucan.* 7, 798. Invidet igne rogi miseris, *h. e.* comburi, et sepeliri prohibet. [*V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Cum infinito. *Id.* 2, 550. his te quoque jungere, Caesar, Invideo, *h. e.* invitus te his jungo: nolim te his jungere. [**Hor. Sat.* 1, 2, 100. Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem, i. e. prohibeant. Laudat *Heindf.* praeter *Lucani* locum modo laud. *Hom. Od.* 2, 346. *μήτερ ἐμή, τί νύ ἄρα φθονέεις ἑρίηρον ἀοιδὸν τερπειν, ὅππη οἱ νόος ὄρνυται;*] ℙ Pro non video. *Appul. Apol.* Qui cum adversum me eas litteras promeret, invidit profecto, cupiditate laedendi, si quid mihi ex illis fieret criminosum, id mihi secum esse commune.

INVĪDĬA, ae, f. *φθόνος, βασκανία*, moeror ex aliena prosperitate: ab *in*, quod hic auget, et *video*, idest a nimis intuendo fortunam alterius. Differt ab invidentia, quia invidentia active sumitur, invidia tum active, tum passive, idest, dicitur et de eo, qui invidet, et de eo, cui invidetur. *Quintil.* 6, 2. Invidia duplex: altera invidum, altera invidiosum facit. V. INVIDENTIA. Differt etiam ab odio. Nam invidemus fortunato, odimus vitioso. Invidemus et in iis, quae non laedunt, odimus quae laedunt. Deinde invidia hominum tantum est, odium reliquorum etiam animantium. ℙ De invidia cum pro invidentia usurpatur, haec exempla sunto. *Nep. Eum.* 10. Invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque militum Antigono est deditus. *Cic. Phil.* 14, 6. *f.* Digna imitatione, non invidia, excellentium hominum virtus est. *Hor. Ep.* 1, 2. 58. Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum. *γνώμη.* ℙ *Sine invidia* est libenti animo, et non invidente aut repugnante. *Mart.* 3, 65. Quid, si tota dares illa *(basia)* sine invidia? ℙ Saepius vero usurpatur passive pro odio, et malevolentia, cum scilicet quis invidetur, ut dictum est. Hinc invidiam facere alicui, ap. *D. Brut.* ad *M. Brut. Fam.* 11, 1. *f. Sen. Herc. Oet.* 1861. [*De formula *invidiam facere diis Cort.* ad *Lucan.* 2, 36., ubi nubem exemplorum collegit, haec docet: Invidiam faciunt diis supplices, quando orantes et venerantes eos non exaudiuntur, eo enim fit, ut homines deos non esse, aut humanum et pietatem non curare, aut saltem male agere, quod pietatem non honorent, precantes non audiant, conquerantur.] Et *Ov. Met.* 4, 547. Invidiam subire. *Cic. Div. Verr.* 14. In invidia esse. *Id. Att.* 2, 9. et *Sall. Jug.* 27. (Utroque loco alii tollunt *in.* Sic *Cic. ib.* 21. *med.* Bibulus admirabili gloria est; et *Plin. praef. H. N. f.* Ob id magna invidia fuere omnia ea.) In invidia magna esse, *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Invidiam quaerere in aliquem, *Cic. Rab. Post* 17. Habere invidiam, *h. e.* invidia laborare, *Id. Agr.* 2, 26. In summam invidiam adducere, *Id. Fam.* 1, 1. *f.* Invidiam exstinguere, *Id. Balb.* 6. *f.* Venire in invidiam, *Suet. Tib.* 8. Invidia onerare quemquam, *Id. Ner.* 34. Cumulare alicui invidiam, *Liv.* 3, 12. *f.* Conflare, *Cic. Cat.* 1, 9. Invidiae alicui esse, *Liv.* 4, 49. *med.* Invidia rumpi, *Mart.* 9, 98. Opprimi, *Quint.* 7, 2. *med.* Invidiam a se removere, *Ov. Met.* 12. *f.* Sedare, *Cic. Verr. in.* Lenire, *Sall. Cat.* 23. *extr.* Pati, *Ov. Her.* 20, 67. Macerat me invidia, *Lucr.* 3, 75. ℙ *Absit verbo invidia*, formula est, qua deprecamur invidiam, cum aliquid dicturi sumus, quod superbiam jactationemque sapiat: ne scil. laudatio fraudi esset illis, qui laudabantur; veteres enim putabant, invidendo malum aliquod afferri posse iis, quibus invidemus. *Liv.* 9, 19. *f.* Absit verbo invidia: nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite laboravimus. Al. leg. *vero. Id.* 36. 7. Hoc ego adjuncto (absit verbo invidia) qui dubitare de eventu possim? ℙ *Ἐνώμη* est illud *Liv.* 45, 35. Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit. ℙ In plur. numero. *Cic. Cluent.* 56. Vita remota a procellis invidiarum. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Malevolorum obtrectationes et invidias prosternere. ℙ In fabulis Invidia Dea est, filia Stygis et Pallantis gigantis. *Hyg. praef. fab.*

INVĪDĬOLA, ae, f. dimin. ab *invidia*, *Cicero:* Cum nescio quid invidiolae inter eos exortum fuisset. Ita *Sipontin.* in *Cornucop.* nullo designato loco. In *Thesaur. Nizol.* designatur *Cic.* ad *Att.* Mihi adhuc haec verba incomperta sunt.

INVĪDĬOSĒ, adv. *ἀπεχθῶς*, odiose, ut Invidiose aliquid dicere, vel facere, idest, eo animo quippiam dicere, vel facere, ut aliquem in invidiam, hoc est in odium adducamus. *Cic. Acad.* 4, 47. *med.* Num minus haec invidiose dicuntur? *Id. Mil.* 5. Conciones illae, quibus invidiose potentiam meam criminabatur. *Vell.* 2, 45. de Ciceronis exsilio: Neque quisquam aut expulsus invidiosius, aut restitutus laetius. ℙ Passive. *Auct. ad Her.* 4, 20. *f.* Invidiose vivere. *Sen. ep.* 87. Tantum suburbani agri possidet, quantum invidiose in desertis Appuliae possideret.

INVĪDĬOSUS, a, um, adj. qui invidet, invidus, *φθονερός. Propert.* 2, 21, 12. Illa peraeque Prae se formosis invidiosa Dea est. *Ov. Met.* 15, 234. Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas, Omnia destruitis. ℙ Item cui invidetur, *ἐπίφθονος. Cic. Agr.* 2, 26. Qui possessiones invidiosas tenebant. *Id. Balb.* 25. Pecunia non invidiosa ℙ In bonam partem *Prop.* 2, 1, 83. Maecenas nostrae spes invidiosa juventae, Et vitae, et morti gloria justa meae. ℙ Item invisus, odium creans. *Cic. Cluent.* 58. Etiam si is invidiosus ac multis offensus esse videatur; et 37. Quod fuit in illo judicio invidiosissimum. *Id Verr.* 2, 2, 17. Putabant absentis damnationem multo invidiosiorem fore, quam si, etc. *Id. Att.* 8, 3. *f.* Triumphum accipere, invidiosum ad bonos; et *Coel.* 9. Neque id ego dico, ut invidiosum sit in eos, quibus gloriosum esse debet. *Q. Cic. Petit. cons.* 3. Qui ex eo judicio tam invidiosus discessit, ut aliud in eum judicium quotidie flagitetur. Adde *Prop.* 2. 23, 102.

INVĪDUS, a, um, adj. *φθονερός, βάσκανος*, qui invidet, hoc est ex alterius prosperitate tristatur et dolet. Hinc *Hor. Ep.* 1, 2, 57. Invidus alterius macrescit rebus opimis: *γνώμη.* Sic *Curt.* 8, 12. *f.* Invidos homines nihil aliud quam ipsorum esse tormenta. *Nep. Timoth.* 3. Populus acer, suspicax, invidus etiam potentiae. *Cic. Fl.* 1. Si forte aut beneficii obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset. *Id. Tusc.* 4, 12. Invidi, malevoli, et lividi. *Hor. Od.* 4, 3, 16. Et jam dente minus mordeor invido. *Sen. Herc. Fur.* 524. O Fortuna viris invida fortibus! *Varr.* ap. *Non.* 9, 1. Invidum tabes: pro *invidorum.* ℙ Interdum substantivi more usurpatur, ut *amicus, Cic. Fam.* 7, 2. *med.* Persuaserat nonnullis invidis meis; et *ib.* 1, 4. A tuis invidis et obtrectatoribus. ℙ *Invida* etiam translate dicuntur, quaecumque quippiam nobis auferunt, aut habere non sinunt. *Phaedr.* 5, 6. Invidum fatum. *Lucr.* 1, 320. Sed quae corpora decedant in tempore quoque, Invida praeclusit speciem natura videndi. *Hor. Ep.* 1, 10, 18. Est ubi divellat somnos minus invida cura? *Id. Od.* 4, 8, 24. Invida taciturnitas, *h. e.* quae silet res praeclare gestas, ne veniant ad posteros, et famam extendant. *Id. ib.* 1, 11, 7. dum loquimur, fugerit invida Aetas, *h. e.* tempus cito praeteriens, et voluptatibus diu frui non sinens. *Ov. Met.* 9, 485. Noxque fuit praeceps, et coeptis invida nostris; et *ib.* 10, 330. et quod natura remittit, Invida jura negant. *Calpurn. Ecl.* 4, 156. Invida paupertas. [**Lucan.* 1, 70. Invida fatorum series, summisque negatum Stare diu: ubi v. *Cort.*]

INVĪGĬLĀTUS, a, um, part. ab *invigilo:* evigilatus, elucubratus. *Cinna* ap. *Isid. Orig.* 6, 12. Haec tibi Arateis multum invigilata lucernis Carmina.

INVĪGĬLO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπαγρυπνέω*, in aliqua re vigilo: et translate curam in aliqua re pono, diligenter incumbo. *Ov. Fast.* 4, 530. Nec capiat somnos, invigiletque malis. *Sil.* 10, 331.

Sed mens invigilat curis, noctisque quietem Ferre nequit. *Stat. Th.* 3, 4. Curae invigilant animo; et *ib.* 8, 624. Cura invigilat quieti. *Val. Fl.* 2, 374. Invigilans rati Hercules. *Virg. G.* 4, 158. de apib.: Namque aliae victu invigilant; et *A.* 9, 605. Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant. *Colum.* 10, 159. Invigilate, viri, tacito nam tempora gressu Diffugiunt. *Ov. Trist.* 1, 5, 43. Invigiles igitur nostris pro casibus oro, Diminui si qua numinis ira potest. [**Lucan.* 7, 766. Invigilat cunctis saevum scelus, i. e. instat sine intermissione. V. *Cort.*] ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 5, 257. Ergo omnes prohibere minas praedictaque Phrixi Invigilat.

[INVĪLESCO, is, ui, n. 3. non vilesco. *Not. Tir.* p. 66. Vilescit, invilescit, inviluit. *F.*]

[INVĪLĬTO, as, a. 1. valde vilito. *Gloss. Philox.* Invilitat, εὐτελίζει. *F.*]

INVINCĪBĬLIS, e, adj. qui vinci non potest, invictus, ἀνίκητος. *Appul. Apol.* Cum haec ab illis quasi gravia et invincibilia dicerentur, *h. e.* quibus responderi non posset. *Tert. adv. Herm.* 11. Invincibile et insuperabile malum.

INVINCĪBĬLĬTER, adv. invicte. *Appul. Flor. n.* 18. Ratio conclusa acriter et invincibiliter videbatur.

INVINCTUS, a, um, adj. valde vinctus. Nam praeposit. *in* interdum negat, interdum auget. *Callistrat. Dig.* 48, 15, 6. Qui hominem ingenuum invitum celaverit, invinctum habuerit. Ita *Torrentin.*, at *Haloand.* habet *in vinculis.*

INVĪNĬUS, a, um, adj. ἄοινος, abstemius. *Appul. Met.* 11. Praecipit, neque ullum animal essem, et invinius essem. [Adde *Gloss. Philox. F.*]

[INVĬO, adv. V. INVIUS. *F.*]

INVĬO, as, avi, atum, a. 1. viam facio, vel viam ingredior, calco, ἐνοδίζω. *Solin.* 2. Parcius depavita levibus vestigiis inviare.

INVĬOLĂBĬLIS, e, adj. qui violari non potest, ἀνεκβίαστος. *Lucr.* 5, 306. Inviolabilia haec ne credas forte vigere. *Sil.* 16, 16. caput inviolabile telis. [**Tac. A.* 3, 62. Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret.]

INVĬOLĂBĬLĬTER, adv. inviolate, ἀνεκβιάστως. *Marcellin. et Faustin. in libello ad Imppp. Valent., Theodos. et Arcad.* p. 46. ed. *Sirmondi.* Fidem integram inviolabiliter possidere.

INVĬOLĀTE, adv. integre. *Cic. Sen.* 22. *extr.* Memoriam nostri pie inviolateque servabitis. *Gell.* 7, 18. Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque.

INVĬOLĀTUS, a, um, adj. ἀνεκβίαστος, non violatus, illaesus, integer, incorruptus. *Cic. Sext.* 67. Invulnerati inviolatique vixerunt. *Id. Coel.* 5. Praestare aliquid integrum atque inviolatum. *Id. Sull.* 17. *extr.* Inviolata amicitia. *Liv.* 28, 28. *med.* Nihil divinarum humanarumque rerum inviolatum vobis est. *Ov. de nuce* 52. quae longius absunt, Nativum retinent inviolata decus. *Sil.* 13, 875. Vita inviolata, *h. e.* felix, prospera; et 11, 309. Mens inviolata mero. *Varr. R. R.* 2, 1. Cum viverent homines ex iis rebus, quae inviolata ultro ferret terra, *h. e.* nullo ferramento exculta.

[INVĬOLENTUS, a, um, adj. non violentus. *Not. Tir.* p. 88. Violentus, inviolentus. *F.*]

[INVĬOLO, as, a. 1. non violo. *Not. Tir.* p. 88. Violat, inviolat. *F.*]

INVISCĔRĀTUS, a, um, part. ab. *inviscero*, in viscera immissus. *August. serm.* 24. *edition. recent.* Ejus sanctam caritatem invisceratam sentimus in cordibus nostris. Adde *ep.* 57. *f.*

INVISCĔRO, as, avi, a. 1. indo, intus gigno, in viscera immitto. *Nemes. Cyn.* 214. hoc canibus blandis inviscerat aestus.

[INVISCO, as, a. 1. visco oblino. *Not. Tir.* p. 160. Viscum, inviscat. *F.*]

[INVĪSĔ, adv. invisibiliter. *Fulg. Myth.* 3, 6. Ut invise vespertinus advenerat, ita in crepusculo incognitus etiam discedebat. Loquitur de Cupidine, qui ad Psychen vesperi invisus se conferebat. Sunt qui legend. putent *invisus*, sed V. INVIDEO. *F.*]

INVĪSĪBĬLIS, e, adj. ἀόρατος, qui videri non potest. *Cels. praef. med.* Si manantia corpuscula, per invisibilia foramina subsistendo iter claudant. *Lactant.* 7, 9. Deus incorporalis, invisibilis, aeternus.

INVĪSĪBĬLĬTAS, atis, f. *Tert. adv. Prax.* 14.

INVĪSĪBĬLĬTER, adv. ἀθεωρήτως. *Tert. adv. Valent.* 14.

INVĪSĪTĀTUS, a, um, adj. non visitatus. *Liv.* 27, 39. Galli invisitati ante alienigenis, nec videre ipsi advenam in sua terra assueti. *Quint. decl.* 12, 18. Nulla celebris civitas invisitata transitur. *Vitr.* 9, 4. Omnia visitata et invisitata, temporum necessitudine sunt constituta, *h. e.* quae videntur, et quae non videntur. Adde *Liv.* 4, 33., 5, 17. et 34. et alibi: quib. loc. *inusitatus* al. leg., quod criticis plerisque minus placet. [*Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 23. Hominum nescias invisitatius, an inauditius genus. *F.*] [*Adde *ib.* 10. Ante belli tempus hostibus invisitatae (statuae). V. quae laudat *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 448. Exhibent hanc vocem etiam edd. aliq. ap. *Cic. Div.* 2, 67. ubi tamen *Orell. inusitata.*]

[INVĪSĪTO, as, a. 1. frequent. saepius inviso. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 50. Sed inter haec jam Alexandrum juxtim posuisse castra noscit, propterque vicinum fluvium invisitare. *F.*]

INVĪSO, is, si, sum, a. 3. ἐπισκέπτομαι, idem quod viso, nisi si quid addit praepositio vehementiae. *Cic. Or.* 1, 58. Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Id. Att.* 1, 20. *extr.* Ut jam invisas nos, non rogo. *Id. Dom.* 40. Quid tibi necesse fuit sacrificium, quod alienae domi fieret, invisere? *Virg. A.* 4, 144. Delum maternam invisit Apollo. *Catull.* 66, 20. Invisente novo praelia torva viro. *Pl. Stich.* 1, 2, 9. Ad meam majorem filiam inviso domum; et *Men.* 1, 1, 32. Nunc ad eum inviso; et *Merc.* 3, 2, 12. Huc intro ad me invisam domum. ℙ Pro visere, perlustrare inspiciendi causa, et imperii administrandi. *Virg. G.* 1, 25. urbesne invisere, Caesar, Terrarumque velis curam. ℙ Pro simplici video, cerno. *Catull.* 64, 333. simul ac nostros invisent lumina colles. *Appul. Apol.* Speculum invisere.

INVĪSOR, oris, m. invidens, invidus. *Appul. Flor. n.* 9. Si quis forte in hoc pulcherrimo coetu ex illis invisoribus meis malignus sedet.

INVĪSUS, a, um, adj. ἀόρατος, non visus. *Cic. Har. resp.* 27. Sacra occulta, et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita. *Caes. B. C.* 2, 4. Communi fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus. *Cato R. R.* 141. Uti tu morbos visos invisosque prohibessis. ℙ Saepius est odiosus, displicens, quem aequo animo videre non possumus, μισητός. *Ter. Hec.* 3, 1, 48. Invisos omnes non esse illis sentio. *Id. Ad.* 5, 9, 32. Si ob eam rem vobis mea vita invisa est. *Cic. Man.* 16. Ne aut invisa Diis oratio nostra, aut ingrata esse videatur. *Id. Off.* 2, 9. *f.* Quo quis versutior, et callidior est, hoc invisior, et suspectior. *Plin. ep.* 2, 20. Cujus marito inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat. *Suet. Tib.* 13. Contemptior in dies, et invisior. *Quint.* 3, 7. *med.* Quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, et invisos magis fecit. *Justin.* 36, 2. *f.* Ne eadem causa invisi apud incolas forent. *Tac. H.* 4, 70. Invisus avunculo, infensusque. *Cic. Rosc. Com.* 7, Persona lutulenta, impura, invisa. *Plin.* 22, 13, 15. Urtica quid esse invisius potest? *Hor. Ep.* 1, 14, 17. invisa negotia me trahunt Romam. *Id. Od.* 2, 14, 23. Invisae cupressus. *Sen. ep.* 51. *extr.* Voluptates praecipue exturba, et invisissimas habe. *Mart.* 7, 21. O Nero crudelis, nullaque invisior umbra, *h. e.* nulla re magis invisus, quam caede Lucani, de quo est epigramma. [**Lucan.* 1, 9. Gentibus invisis Latium praebere cruorem: ubi v. *Cort.*, qui gentes invisas dici docet, quascunque ob veterem aliquam noxam odio haberemus. ℙ Confunduntur *invisus* et *injussus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 38.]

INVĪTĂBĬLIS, e, adj. ἐπαγωγὸς, blandus, delectabilis, jucundus. *Gell.* 13, 11. Sermones jucundos et invitabiles, et cum quadam illecebra et voluptate utiles. Adde *Not. Tir.* p. 50.

INVĪTĀMENTUM, i, n. invitatio. *Appul. Apol.* Filia autem per adolescentulos ditiores invitamento matris suae circumlata, quibusdam etiam procis ad experiundum permissa. ℙ Translate est illecebra. *Cic. Hortens.* ap. *Non.* 4, 232. Voluptates nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus. *Id. Fin.* 5, 6. *extr.* Fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae.

INVĪTĀTĬO, onis, f. παράκλησις, invitamentum. *Cic. Att.* 9, 12. In Epirum vero invitatio quam suavis, quam liberalis, quam fraterna! *Id. Tusc.* 3, 34. Aegritudo non natura exoritur, sed judicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum. *Id. Verr.* 2, 2, 34. Quae studiose compararat, non tam suae delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum, amicorum suorum atque hospitum; et *ib.* 3, 26. Fit sermo inter eos, et invitatio, ut Graeco more biberetur. *Gell.* 15, 2. Largior paulo jucundiorque vini invitatio, quae fit, etc.

INVĪTĀTĬUNCŬLA, ae, f. levis, aut brevis invitatio. *Gell.* 15, 2. in lemmate: Largiores laetioresque in conviviis invitatiunculae vini.

INVĪTĀTOR, oris, m. qui invitat, praesertim ad coenam. *Mart.* 9, 92. Ad coenam si me diversa vocaret in astra Hinc invitator Caesaris, inde Jovis. *Sidon. ep.* 9, 13. Quos undique ascitos invitator in unam coenam contraxerat. ℙ Fuisse inter officia domus Augustae etiam invitatores, colligitur tum ex allato loco *Mart.*, tum ex *Cod. Justin.* 12, 60, 10., tum ex *Inscr.* ap. *Viscont. Op. var.* T. 1. p. 182. ed. *Mediol.* P. Aelius Aug. Lib. Melitinus invitator fecit sibi etc., et ex alia apud *Grut.* 598, 6. Agathopus Augg. Lib. invitator, et Junia Epictesis etc. V. VOCATOR.

INVĪTĀTORĬUS, a, um, adj. ad invitandum pertinens. *Tert. Anim.* 57. Invitatoria operatio. *Hieron. ep.* 1. *n.* 15. Invitatoria scripta transmittere ad aliquem.

[INVĪTATRIX, icis, f. quae invitat. *Symm. ep.* 1, 59. *in.* Placet hortatio invitatrix religionis. *F.*]

INVĪTĀTUS, a, um, part. ab *invito*, vocatus. *Cic. Att.* 8, 11. Haec a te invitatus breviter exposui; et *ib.* 2, 19. *f.* Cosconio mortuo, sum in ejus locum invitatus. *Liv.* 1, 9. Invitati hospitaliter per domos. *Curt.* 9, 7. Invitatus ad epulas. *Suet. Cal.* 22. *extr.* Invitatus in contubernium. *Suet. Cal.* 22. *extr.* Jucunditate quadam ad legendum invitati; et *Caes. B. G.* 4, 6. Invitati, uti ab Rheno discederent; et *ib.* 6, 34. Invitati praeda longius procedunt. *Suet. Cal.* 59. Invitatus lucro. *Plin.* 8, 17, 23. Feras dulcedine invitatas corripiunt. *Plin. alter ep.* 8, 17. Anio, delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus, retentusque.

INVĪTĀTUS, us, m. invitatio. *Cic. Fam.* 7, 5. Ut initio mea sponte, postea invitatu tuo mittendum duxerim.

INVĪTĒ, adv. non libenter, coacte, ἀκουσίως. *Cic. Att.* 8, 3. *med.* Invite cepi Capuam. *Id. Or.* 2, 89. Quem ego paulo sciebam vel pudentius, vel invitius ad hoc genus sermonis accedere. *Id. Fam.* 3, 10. Qui cum maximis rebus suis coactus a me invitissime discessisset. Melius tamen legitur *invitissimo.* [*Ita *Orell.*]

INVĪTĬĂBĬLIS, e, adj. qui vitiari, et corrumpi non potest. *Prud. Psych.* 626. spes invitiabilis aevi.

INVĪTO, as, avi, atum, a. 1. προσκαλέω, voco, advoco: et fere ad hospitalitatem refertur, et convivia. *Cic. Fam.* 7, 9. Is me crebro ad coenam invitat. *Id. Att.* 13, 2. Invito eum per litteras, ut apud me diversetur. *Id. Phil.* 12, 9. *extr.* Tota familia occurret, hospitio invitabit. *Liv.* 28, 18. Utrumque in hospitium invitat. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Ecquis est, qui senatorem tecto ac domo non invitet? et *ib.* 4, 36. Eum domum suam statim invitant. *Just.* 1, 6. Eosdem postero die apparatis epulis invitat. ℙ Absolute. *Caes. B. C.* 1, 74. Alii suos in castra, invitandi causa adducunt, *h. e.* coena excipiendi. [*Adire jubet *Moebius Graevium* ad *Just.* 1, 6. Eosdem — apparatis epulis invitat; et 12, 13. Instaurata commessatione et ipsum et sodales ejus invitat.] *Cic. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Cum Scipio unum et alterum invitasset, et plures invitaturus esset. ℙ [**Invitare* pertinet ad pares; *evocare* est superioris erga inferiorem; *arcessere* utrumque spectat. V. *Döderl.* 3, 283. Originem vocis *Id.* 1, 161. hanc statuit, compositam esse ex *in* et *vitare*, quod aut frequent. sit v. *videre*, eodem modo formatum, quo *refutare*, francogall. *refuser*, a *refundere*, igitur contractione vel per syncopen factum ex *viditare* (ut *cette* ex *cedite* et *stipendium* ex *stipipendium*) aut secundaria quaedam forma v. *visere*, qua signif. *providere*, *circumspectare*, *ἀθρῆσαι*. Hinc *invitare*, assumta causativa notione, proprie esse *facere*, *ut aliquis visat aliquem*, ut Gr. *θεωρεῖν*, ex *Hermanni* ap. *Soph. Oed. Col.* 1085. expl.] ℙ *Invitare aliquem poculis* est praebibere, et ad bibendum provocare. *Pl. Rud.* 2, 3, 31. perit potando, opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit. ℙ Hinc *invitare se* est ad bibendum se excitare. *Id. Amph.* 1, 1, 126. Credo edepol dormire solem, atque appotum probe. Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum. *Suet. Aug.* 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 232. Cum se ibi cibo vinoque laeti invitarent. Adde *Turpil.*, *Lucil.*, *Varron.* apud *Non.* 4, 232. ℙ Refertur et ad alia. *Cic. Att.* 2, 18. *med.* A Caesare liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus. *Hirt. B. G.* 8, 19. Invitare hostes ad deditionem; et *B. Afr.* 73. ad dimicandum. *Suet. Cal.* 22. lunam in amplexus; et 53. *extr.* aliquem ad audiendum; et *Ner.* 12. ad spectaculum. *Id. Caes.* 3. Lepidi societate, quamquam magnis conditionibus invitaretur, abstinuit. *Cic. Ligar.* 4. *extr.* Praemiis invitare ad quippiam agendum. *Suet. Cal.* 41. Misit circum fora, et basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes, senesque. ℙ Translate est allicere, attrahere, incitare. *Cic. ad. Brut* 1, 15. *med.* Praeclara illa quidem ingenia, quae gloria invitantur. *Id. Sen.* 16. *f.* Ad agrum fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. *Id. Amic.* 26. Assentationem ipsi allectant et invitant. *Id. Fin.* 5, 6. *f.* Invitare et allicere appetitum animi. *Pl. Trin.* 1, 1, 5. Ni me id invitet, ut faciam, fides. *Vell.* 2, 129. Invitare luxuriam. *Virg. G.* 1, 302. Invitat genialis hiems, curasque resolvit. *Ov. Met.* 11, 604. Invitat somnos crepitantibus unda lapillis. *Id. Her.* 17, 183. invitant omnia culpam, *h. e.* ut culpam admittam. *Sil.* 8, 327. si qua interea invitaverit aura, Annueritque Deus, velox accede secundis. *Plin.* 33, 4, 22. Spes invitat. *Id.* 23, 1, 22. Invitatur vino appetentia ciborum; et 22, 24, 52. Aqua mulsa invitat vomitiones. *Solin.* 2. *f.* Marius factis manu fossis invitavit mare, *h. e.* viam fecit, ut posset influere, adduxit. [*Quid differant in his *irritare incitare*, *instigare* a nostro verbo v. ap. *Döderl.* 1, 156. sqq.] ℙ Cum infinito. *Virg. G.* 4, 23. Vicina invitet decedere ripa calori. *Liv.* 22, 31. Re-

liquum sanguinem invitantes haurire. Al. leg. *jubentes*. ℙ Pro vita privare, ut *evitare*, (V. EVITO.) est illud *Pl. Cas.* 3, 6, 21. gladium Ancilla Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet. Alii minus recte putant, allusisse *Pl.* ad coenam, de qua antea verba fecerat: vel potius ad illud *invitare aliquem poculis*, quod supra ex eodem attulimus: sed prior interpretatio unice vera est; nam haec habet *Id. ib.* 3, 5, 49. Casina gladium habet. *Pa.* Et duos: altero te occisurum ait, Altero villicum. Sic *invitare aliquem clava* dixit, quasi in eodem ambiguo ludens, *Rud.* 3, 5, 31. (ubi *invitassitis* ἀρχαϊκῶς habet pro *invitaveritis*) quod Itali dicunt, *far un invito di bastonate*.

INVĪTŪPĔRĂBĬLIS, e, adj. non vituperabilis. *Tert. adv. Marc.* 2, 10. et *ib.* 4, 1.

INVĪTUS, a, um, adj. ἀκούσιος, non libens, repugnans, recusans, iniquo animo faciens. [**Doederl.* 1, 161. *invitus* formam dicit secundariam activae significationis ab *invisus*, ita ut *me invito* idem sit, quod *me invidente*.] *Cic. Par.* 5, 1. Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus; et *Fam.* 13, 63. Ego eum a me invitissimus dimisi; et *Att.* 5, 21. *med.* Contendam a Q. fratre, ut se praefici patiatur: quod et illo et me invitissimo fiet; et *Sen.* 12. *f.* Invitus feci, ut L. Flamininum e senatu ejicerem; et *Verr.* 2, 2, 62. *extr.* Pecunia coacta ab invitissimis; et 67. Statuas inviti per vim atque imperium dederunt; et *Or.* 2, 4. *extr.* Hoc nos ab istis adolescentibus facere, inviti et recusantes, heri coacti sumus. *Id. Rosc. Com.* 13. Fannium invitum, et huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se dicere cogo. *Id. Quint.* 14. Extorquendum est invito atque ingratiis, quod non debet. *Id. Q. Fr.* 3, 2. Diis hominibusque invitis; et *Att.* 7, 13. Delectus adhuc quidem invitorum est, et a pugnando abhorrentium; et *N. D.* 3, 35. Invita in hoc loco versatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccandi. *Nep. Eum.* 4. Exercitus in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset. *Caes. B. G.* 1, 8. Si, se invito, transire conarentur; et *B. C.* 3. *f.* Ne pugnare invitus cogeretur. *Hirt. B. G.* 8. *in prooem.*: Utinam scire possent, quam invitus susceperim, etc. *Ov. Pont.* 2, 1, 16. invita saepe juvamur ope, *h. e.* quae proficiscitur ab eo, qui juvare nollet. *Val. Fl.* 3, 391. invito maduerunt sanguine dextrae, *h. e.* quem fundere noluissent, qui caedem fato casuve admiserunt. [**Lucan.* 6, 931. Mors invita, i. e. coacta et admota, ante tempus facta. V. *Cort.*] ℙ Praecedente negativa particula. *Cic. Fin.* 1, 2. Cum iidem fabellas Latinas non inviti legant. *Id. Amic.* 1. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu; et *Hor. A. P.* 311. Verbaque provisam rem non invita sequentur. [*Pl. fragm. Cistell.* (ed. *A. Maio*) p. 19. Nam sola nulla invitior solet esse. *F.*] ℙ *Invita Minerva* V. MINERVA. ℙ Cum genitivo. *Ulp. Dig.* 16, 3, 11. Credidit, dominum non invitum fore hujus solutionis, *h. e.* se non facturum hanc solutionem invito domino. ℙ [*Confunduntur *invitus* et *invictus*. V. s. h. v. Adde *Burm.* ad *Quint. Decl.* 377. p. 773. et *eund.* ad *Calp.* 22. p. 819.]

INVĬUS, a, um, adj. ἄνοδος, ἄβατος, qui est sine via. [*Jam sequi poterunt ista, quae Noster perperam cum ceteris miscuerat:] *Virg. A.* 4, 151. Altos ventum in montes, atque invia lustra. *Liv.* 9, 14. Invii saltus. ℙ Substantivi more. *Sil.* 4, 306. Dimittit passim dumosa per invia pestem. *Liv.* 21, 35. In jugum Alpium perventum est, per invia pleraque, et errores; et 38, 23. Ruunt caeci per vias, per invia. *Lucan.* 9, 386. tentare invia. ℙ [*Invio* adverbii more. *Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *f.* Ut, ubi quaesitis *(verbis)* opus sit, per viam potius ad vestigandum, quam invio progrediamur, *h. e.* eo, ubi nulla via est. *F.*] [*Hinc dicitur id, quod adiri non potest, ad quod nulla via patet.] *Virg. A.* 6, 154. lucos Stygios, regna invia vivis; et *ib.* 9, 130.' maria invia Teucris, Nec spes ulla fugae. *Ov. Fast.* 5, 582. Gens circumfusis invia fluminibus. *Plin.* 12, 14, 30. Regio rupibus invia. *Flor.* 3, 20. Invius exitus. *Ov. Met.* 14, 113. Invia virtuti nulla est via: *γνώμη*. Sic *Tac. Agr.* 27. Nil virtuti invium. Ap. *Ov. Met.* 11, 414. facere locum aliquem invium, est aditus praecludere, qua ad illum accedi potest. ℙ Cum infinito. *Sen. Herc. Fur.* 715. Acheron invius renavigari. ℙ Translate. *Sil.* 14, 639. tot bellis invia tecta, *h. e.* urbs non expugnata. *Mart.* 7, 2. Invia Sarmaticis domini lorica sagittis.

ĬNŪLĂ, ae, f. ἑλένιον, herba eadem ac helenium, pastinaca et sisere brevior, sed radice torosior, amariorque, per se stomacho inimicissima, sed dulcibus mixtis saluberrima. [**Alant*, Inula Helenium, *L.*] Ejus condiendae rationes non unas tradunt *Plin.* 19, 5, 29. et *Colum.* 12, 46., usus in medicina enumerat *Plin.* 20, 5, 19., culturam *Id.* 19, 5, 29., *Colum.* 11, 3. *med.* et *Pall.* 3, 24. *f.* docent. *Hor. Sat.* 2, 8, 51. Erucas virides, inulas ego primus amaras Monstravi incoquere. V. HELENIUM.

ĬNULCĔRO, as, a. 1. ulcus facio. *Veg. Vet.* 2, 59. Ne aliquid asperitatis inhaereat, quod sub pondere inulceret pellem *(jumenti.)*

ĬNULTĒ, adv. *Curt.* 4, 4. Nonnulli ruunt in hostem, haud inulte tamen perituri. Alii leg. *inulti*. [*Ita *Zumpt.*]

ĬNULTUS, a, um, adj. ἀνεκδίκητος, qui acceptam injuriam ultus non est. *Cic. Sext.* 23. Marius vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem reservavit. *Sall. Cat.* 61. *extr.* Cavete, ne inulti animam amittatis. *Id. fr.* ap. *Prisc.* 6, 699. Dedecores, inultique ab hostibus caedebantur. *Liv.* 25, 37. Ne inultos imperatores suos jacere sinerent. *Virg. G.* 3, 227. gemens quos amisit inultus amores. *Id. A.* 10, 739. non me quicumque es, inulto Victor, nec longum laetabere. *Hor. Sat.* 2, 8, 34. Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti. *Id. Od.* 1, 28, 33. precibus non linquar inultis, *h. e.* non exauditis: non exoratis Diis, quin te ulciscantur, quod me precantem neglexeris. ℙ Passive est impunis, impunitus, seu is, de quo ultio sumpta non est. *Cic. Cluent.* 62. Cur hunc Asellium esse inultum tamdiu sinis? *Hor. Epod.* 17, 56. Inultus ut tu riseris Cotyttia Vulgata? *Sall. Jug.* 73. Ne ager inultis hostibus vastaretur. *Hor. Od.* 3, 3, 40. Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum, et catulos ferae Celent inultae. Adde *Pl. Epid.* 3, 1, 6. ℙ Item res ea, quae non punitur. *Cic. Div. Verr.* 16. Ut ceterorum quoque injuriae sint impunitae atque inultae. *Ter. Andr.* 3, 5, 4. Sed id inultum nunquam auferet. *Val. Max.* 9, 7. *n.* 2. Tantumque scelus curia inultum habuit, *h. e.* ulta non est. *Sen. Agam.* 220. Victrix inultum Graecia hoc facinus feret? ℙ De eo, qui est ab injuria tutus. *Curt.* 3, 4. Jugum itineri imminens obtinere, unde inultus subeuntem prohibere potuisset.

ĬNUMBRĀTĬO, onis, f. umbra, obscuratio, tenebrae. *Capell.* 1, 20. de Plutone: Lucifuga inumbratione pallescens.

ĬNUMBRĀTUS, a, um, part. ab *inumbro*, ἐπίσκιος, umbra tectus, umbrosus. *Curt.* 3, 4. Amnis multa riparum amoenitate inumbratus. *Appul. Flor. in.* Spelunca frondibus inumbrata. ℙ Translate. *Cels. Dig.* 41, 2, 18. Si furioso, quem mentis suae existimasti, eo quod in conspectu inumbratae quietis fuerit constitutus, etc.

ĬNUMBRO, as, avi, atum, a. 1. ἐπισκιάζω, umbram induco, umbra tego, opaco. *Virg. A.* 11, 66. Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant. *Id. G.* 4, 20. Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster inumbret. *Lucr.* 5, 290. Terraque inumbratur, qua nimbi cumque feruntur. *Plin.* 19, 1, 6. Velis forum inumbravit. ℙ Absolute. *Tac. H.* 3, 19. Inumbrante vespera, universum exercitus robur advenit. ℙ Pro tegere. *Lucr.* 3, 927. et inumbrant ora coronis. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 25. stridentia colla Gorgonos obtentu pallae fulgentis inumbrat. *Id. Cons. Prov. et Olybr.* 69. metasque tenetis Ante, genas dulces quam flos juvenilis inumbret. *Appul. Met.* 5. Juvenis lanoso barbitio genas inumbrans. *Id. ib.* 10. Venus tenui pallio inumbrabat pubem. *Plin. ep.* 2, 6. Areola, quae quatuor platanis inumbratur. ℙ Est etiam solarium, quod plerumque apertum, Italice *loggia scoperta*, erat, addita porticu, ita integere, ut fiat quod Itali dicunt *loggia coperta*. *Varr. L. L.* 5, 2. Ut Praeneste incisum in solario vidi, quod Cornelius *(Sulla)* in basilica Aemilia, et Fulvia inumbravit. Hinc *Pompeja umbra* dicta est porticus a Pompejo Romae facta. V. UMBRA. ℙ Translate est obscurare. *Plin. Pan.* 19. Parva et exilia sidera validiorum exortus obscurat: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur.

ĬNUNCĀTUS, a, um, part. ab *inunco*, unco apprehensus. *Colum.* 7, 3. *med.* Lana obnoxia est rubis, quibus, velut hamis inuncata, a pascentium tergoribus avellitur.

ĬNUNCO, as, avi, atum, a. 1. ἁρπάζω, unco apprehendo, traho, rapio, arripio. *Appul. Flor. n.* 2. Aquila de coelo improvisa, campis pecua cernens, unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet vel agnum, vel leporem. *Id. Apol.* Instrumenta non falcibus metenda, sed hamis inuncanda. *Paul. Nol. carm.* 20, 267. quem *(oculum)* diducebat inuncans Suffixo clavus cilio. ℙ Translate, *Lucil.* ap. *Non.* 2, 42. aut qui nummos tristis inuncas.

ĬNUNCTĬO, onis, f. ἄλειψις, actus inungendi, illitus. *Cels.* 7, 7. *n.* 14. *extr.* Opus est lenium medicamentorum inunctionibus. *Colum.* 6, 33. Omnis dolor oculorum inunctione succi plantaginis levatur. *Plin.* 28, 8, 29. Felle glaucomata et suffusiones corrigi, tridui inunctione. *Id.* 29, 6, 38. *med.* Accipiter decoctus in rosaceo, efficacissimus ad inunctiones omnium vitiorum putatur.

ĬNUNCTUS, a, um, part. ab *inungo:* illitus. *Hor. Sat.* 1, 3, 25. Cum tua praevideas oculis mala lippus inunctis. *Plin.* 25, 13, 109. Succus inunctus hyoscyami; et 28, 11, 47. Ungulae asininae cinis inunctus e suo lacte. *Mart.* 7, 78. Et bene si coenas, conchis inuncta tibi est, *h. e.* condita.

ĬNUNDĀTĬO, onis, f. καταχλυσμός, aquarum exuberantia, exundatio. *Colum.* 3, 11. *f.* Valles, quae fluminum alluvie, et inundationibus concreverint. *Suet. Aug.* 28. Urbs inundationibus obnoxia; et 30. Inundationes coercere. *Plin.* 5, 13, 14. Ioppe Phoenicum antiquior terrarum inundatione.

ĬNUNDĀTUS, a, um, part. ab *inundo:* aquarum vi obrutus. Translate. *Curt.* 5, 7. Exercitus, quibus Europa inundata est. *Id.* 9, 2. *med.* Cilicia inundata cruore Persarum. ℙ Metaphorice. *Petr. Sat.* 101. Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat, etc., *h. e.* obrutus; et 118. Mens ingenti flumine litterarum inundata.

ĬNUNDO, as, avi, atum, a. 1. πλημμυρέω, aquis extra ripas diffluentibus obruo, redundo, exundo, superfluo. *Cic. N. D.* 1, 37. Ut terra infimum locum teneat: hanc inundet aqua. *Liv.* 8, 24. Imbres continui, campis omnibus inundantes. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 280. Hinc densi rursus inundant Troes. *Just.* 38, 4. Cimbros more procellae inundasse Italiam. *Liv.* 24, 38. Crastino die aut vestro, aut Ennensium sanguine Enna inundabitur. *Petr. Sat.* 21. Vino etiam Falerno inundamur, *h. e.* abunde proluimur; et 113. Inundavere pectus lacrimae, dolore paratae. ℙ Est etiam abundo, plenus sum. *Virg. A.* 10, 24. et inundant sanguine fossae. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 5. Quod in quiete viderat, urina ejus omnes Asiaticas gentes inundasse. [*Codd. aliq. *urinam* exhibent.]

ĬNUNGĬTO, as, a. 1. frequent. ab *inungo*. *Cato* ap. *Charis.* 1, 78. Mulieres nostrae capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis. *Serv.* hoc idem referens ad *A.* 4, 698. habet *unctitabant*. Alii leg. *ungitabant*.

ĬNUNGO, is, nxi, nctum, a. 3. ἐναλείφω, in aliquo loco ungo, illino: et dicitur de oculis ungendis medicinae causa. *Cels.* 7, 7. *n.* 3. Si intus plaga est, inungendum primo lenibus, deinde acrioribus. *Plin.* 29, 6, 38. Cinere mustelarum cum melle inungi caligines, utilissimum est. *Hor. Ep.* 1, 1, 28. Non possis oculos quantum contendere Lynceus: Non tamen idcirco contemnas lippus inungi. *Varr. L. L.* 4, 8. Inungere oculos. ℙ De aliis rebus. *Plin.* 18, 30, 73. Lentem siccatam oleo inungunt. *Id.* 13, 3, 4. Aquilae, ac signa inunguntur festis diebus. ℙ Legitur et *inunguo*.

ĬNUNĪTUS, a, um, adj. unitus, conjunctus. *Tert. adv. Valent.* 29. Triformem naturam professi, et tamen inunitam in Adam. *Appul. Apol.* Radii lumini extrario mixti atque inuniti. Al. leg. *ei uniti*.

INVOCĀTĬO, onis, f. ἀνάκλησις, actus invocandi, nominatio, appellatio. *Ascon. in Div. Verr.* 13. Incipiebant veteres ab invocatione Deorum. *Quint.* 10, 1. *med.* Benevolum auditorem facit invocatione Dearum, quas, etc. Adde 6, 1. *med.*

INVOCĀTUS, a, um, adj. ἄκλητος, non vocatus. *Cic. N. D.* 1, 38. *extr.* Quid, quod imagines rerum etiam ad dormientem veniunt invocatae? *Pl. Capt.* 1, 1, 1. Juventus nomen indidit scorto mihi, Eo quia invocatus soleo esse in convivio. *Nep. Cim.* 4. Quotidie sic ei coena coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. Adde *Vitr.* 6, 8. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. et *Ter. Eun.* 5, 9, 29. ℙ Item vocatus, nominatus, part. ab *invoco*. Mos fuit Graecorum, ut talis ludentes scorta invocarent, fausti ominis et jactus causa. Hinc parasitus in verbis *Plauti* allatis, sibi scorto nomen impositum ait, quod *invocatus* esset in convivio: alio tamen sensu, nam scorta *invocata* quidem erant, et appellata; parasiti vero vel non vocati aderant ultro, aliena quadra viventes. *Id. ib.* 4. in convivio sibi Amator, talos cum jacit, scortum invocat. Estne invocatum, an non est? est planissime. Verum, hercle, verum nos parasiti planius, Quos nunquam quisquam neque vocat, neque invocat. *Plin. Pan.* 80. Omnia invisere, omnia audire, et undecumque invocatum statim, veluti numen, adesse. *Just.* 18, 6. Diu viri nomine cum multis lacrimis invocato. *Sen. Hippol.* 944. Et invocata munus hoc sanxit Styge. *Mamert. Pan. ad Maxim.* 3. Ad restituendam rempublicam invocatus.

[INVOCĀTUS, us, m. ἀκλητῶς, sine vocatu. *Front. ad Verum* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. An verba, si ultro, si injussu atque invocatu meo venerint, quidem recipi jubes? *F.*]

INVŌCO, as, avi, atum, a. 1. εἰσκαλέω, ἐπικαλέω, idem quod voco, aut intro voco. *Naevius* ap. *Isid. Orig.* 1, 26. Alium invocat, cum alio cantat. *Sall. or. ad Caes.* 1. *med.* Neque quisquam te ad crudeles poenas, aut acerba judicia invocat. *Sen. Hippol.* 888. Te, te, creator coelitum, testem invoco. *Curt.* 4, 10. *f.* Ille quaestioni corpus offerre, Deos testes invocare, etc. *Id.* 5, 12. Deos patrios testes fidei suae invocanti, etc. *Liv.* 2, 45. *f.* Si fallat, Jovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat Deos. ℙ Item nominare, appellare. *Enn.* ap. *Cic. N. D.* 2, 2. Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem. Ap. *Fest.* in *Sublime* leg. *vocant*. *Curt.* 10, 5. Persae justissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invocantes, certamen quoddam moeroris edebant. *Appul. Met.* 11. *in.* Quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas est invocare. ℙ Saepe est ap-

pellare ad auxilium ferendum. *Cic. N. D.* 2, 27. Junonem Lucinam in pariendo invocant. *Id. Or.* 2, 47. Invocare aliquem ad communem fortunam defendendam. *Pl. Merc.* 5, 2, 23. Invoco vos, Lares viales, ut me bene juvetis. *Id. Amph.* 5, 1, 9. Ubi parturit, Deos sibi invocat. *Quint. prooem. l.* 4. Invocare Deos in auxilium. *Tac. A.* 16, 31. Deos precibus; et *ib.* 2, 71. leges; et *ib.* 15, 56. auxilia libertati; et *ib.* 2, 46. arma alicujus adversus alium. *Id. H.* 2, 9. fidem suorum militum. *Quint. decl.* 321. *med.* Quem Deorum, hominumque invocaturus? ℙ Cum conjunctivo, omissa *ut* particula. *Tac. H.* 4, 79. Justae preces invocantium, ad ultionem accingerentur. ℙ De more invocandi amicas in jaciendis talis, quem tradit *Pl. Curc.* 1, 1, 4. et tangit *Asin.* 4, 1, 36. et 5, 2, 60. et *Curc.* 2, 3, 77. dictum est in v. praec.

*INVOLĀTOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat.* κλέπτης, Fur, involator. *B. A.*

INVOLĀTUS, us, m. idem ac volatus, verbum est augurum ex avium volatu omen captantium. *Cic. Fam.* 6, 6. *med.* Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu oscinis, etc.

*INVOLENTIA, ae, f. involuntas. *Salvian. de gub. Dei* 7. Etsi involentia non carent, malevolentia carent. *Baluz.* legit p. 166. *vinolentia. B. A.*

INVOLĬTO, as, avi, atum, n. 1. frequent. ab involo. *Prud. περὶ στεφ.* 13, 100. Nec minus involitat terris. ℙ Translate. *Hor. Od.* 4, 10, 3. Et quae nunc humeris involitant, deciderint comae. *Paul. Nol. ep.* 32. (al. 12.) *n.* 6. *in carm.* involitare Superis.

INVOLO, as, avi, atum, n. 1. ἐφίπταμαι, intro volo. *Varr. R. R.* 3, 7. At in villam intro involant columbae. *Colum.* 8, 3. Neque enim debent ipsis nidis involare, ne pedibus ova confringant. ℙ Translate sumitur pro irruere in aliquem, manus violenter alicui injicere, caedendi, aut auferendi causa: translatione ab avibus in escam irruentibus. *Ter. Eun.* 5, 2, 20. Vix me contineo, quin involem in capillum. *Pl. Amph.* 1, 1, 89. Equites parent citi: ab dextera maxumo cum clamore involant impetu alacri. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 139. Involare oculis. *Hirt. B. Alex.* 52. *extr.* Involare ad aliquem, eumque sauciare. *Cic. Or.* 3, 31. Nostra est omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis involaverunt. ℙ Cum accus. sine praeposit. *Plin.* 9, 59, 85. Piscator singulos involat verius, quam capit. *Tac. H.* 4, 33. Adeo improvisi castra involavere, ut, etc. *Id. A.* 1, 49. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, *h. e.* incessit. [*Involare* c. quarto casu satis vindicavit *Heins.* ad *Ov. Met.* 13, 560. Atque ita correptum captivarum agmine matrum Involat. Adde *Lucan.* 6, 588. Quos Caesaris involet artus.] ℙ Hinc *involare aliquid* est auferre, furari. *Catull.* 25, 6. Remitte pallium mihi meum, quod involasti. *Petr. Sat.* 43. Hereditatem accepit, ex qua plus involavit, quam illi relictum est; et *fragm. Trag.* 56. *Burm.* Anuli, quos amicae tuae involasti. *Callistr. Dig.* 47, 9, 6. Ancorae involantur de mari. ℙ *Serv.* ad *A.* 3, 233. et ad *G.* 2, 88. ducit a *vola* manus.

INVOLUCRĔ, is, n. ὠμόλινον, linteum illud, quo tonsores humeros tondendorum involvunt, ne vestes capillorum segmentis sordidentur: ab *involvo.* Ita *Turneb. adv. l.* 28. *c.* 38. et *l.* 14. *c.* 7. interpretatur. *Pl. Capt.* 2, 2, 17. Ne id quidem, involucre injicere, voluit, vestem ut ne inquinet. Al. melius leg. *involucrum.*

INVOLUCRIS, e, adj. ἄπτερος, qui volare non potest. *Gell.* 2, 29. Pulli tunc involucres erant.

INVOLUCRUM, i, n. εἴλημα, quidquid aliquid involvendo tegit ac circumplectitur. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Candelabrum involutum attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt. *Plin.* 13, 12, 23. Emporetica inutilis scribendo involucris chartarum usum praebet. *Ulp. Dig.* 47, 2, 21. Involucrum solvere. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 35. Divitias ac ornamenta ejus ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 5. Multis simulationum involucris, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. ℙ Male corripuit paenultimam *Prud. Cath.* 5, 36., *Hamart.* 929. et *praef. in Symmach. l.* 1, 54.

[INVOLUMEN, inis, n. idem ac involumentum. *Gloss. Philox.* Involumen, ἐνείλημα. *F.*]

INVOLUMENTUM, i, n. involucrum. *August. C. D.* 4, 8. Geniculis nodisque culmorum praefecerunt Deum Nodotum, involumentis folliculorum Deam Volutinam.

INVOLUNTĀRĬUS, a, um, adj. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 3. Urinae involuntaria emissio.

INVOLUNTAS, atis, f. non voluntas. *Tert. Apol.* 45. Ex involuntate, vel necessitate delinquere.

INVOLVO, is, olvi, utum, a. 3. ἐνειλέω, in aliquo loco, vel super aliquid volvo, voluto, convolvo, volvendo injicio. *Virg. G.* 1, 281. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum. *Ov. Met.* 12, 507. Saxa trabesque super, totosque involvite montes. *Virg. A.* 12, 687. Fertur in abruptum mons, silvas, armenta virosque Involvens secum; et 291. ruit ille recedens, Et miser oppositis a tergo involvitur aris In caput, inque humeros. [*Porro hic poterat commemorari alius Ejusdem locus 15, 627. Exiguum involvunt orbem, i. e. exiguo in orbe feruntur, eunt.] *Sen. Herc. Fur.* 683. flexibus multis gravem Involvit amnem. [*Lucan.* 3, 631. Vicinum involvens contorto vertice pontum: ubi v. *Cort.*] ℙ Item circumvolvo, circumplico. [*Hic ponendus locus erat, quem Noster sequentibus adscripserat: *Plin.* 11, 23, 27. Involvere aliquid corpori. Adde *Sil.* 8, 637. Apium se involvere nubes aquilis (Romanis), i. e. adhaeserunt examina. ℙ Hinc volvendo tegere.] *Caes. B. C.* 1, 75. Sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt. *Petr. Sat.* 26. Caput flammeolo involverat. *Phaedr.* 4, 1. mustela Involvit se farina, et obscuro loco Abjecit negligenter. *Tibull.* 3, 1, 9. Lutea sed niveum involvat membrana libellum. *Plin.* 11, 24, 28. de araneis: Namque et lacertarum catulos venantur, os primum tela involventes. *Paul. Dig.* 33, 10, 5. Pelles, quibus involvuntur vestimenta. *Ov. Fast.* 4, 705. Captivam vulpem stipula foenoque involvit. *Sen. Thyest.* 624. Nube aliquem involvere. [*Lucr.* 6, 443. Involvat nubibus se venti vortex.] *Ov. Met.* 2, 232. Involvi fumo. *Virg. G.* 2, 308. Ignis totum involvit flammis nemus. [*Lucan.* 4, 489. Cum permixtis acies sua tela tenebris Involvunt.] *Virg. A.* 3, 198. Involvere diem nimbi; et *ib.* 2, 251. nox Involvens umbra magna terramque polumque. [*Lucan.* 1, 542. Involvitque orbem tenebris: ubi v. *Cort.*] *Sil.* 7, 460. assuetum casside crinem involvere. *Cels.* 2, 17. Curiose involvendus vestimentis is est. *Tac. A.* 1, 70. de obruto exercitu vi tempestatis: Nihil strenuus ab ignavo, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Sic *Virg. A.* 6, 336. quos Obruit auster, aqua involvens navesque virosque. [*Cf. *Sen. Q. N.* 3, 27.] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 20. *f.* Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo. *Hor. Od.* 3, 29, 54. mea Virtute me involvo. *Plin. ep.* 7, 3. Involvere se otio. *Id. ep.* 1, 5. se laqueis insidiosae interrogationis. [*Sil. 3, 312. Involves bello Italiam.] *Plin. alter* 2, 7, 5. *med.* Quae singula improvidam mortalitatem involvunt. *Lucan.* 7, 89. Involvat populos una Fortuna ruina, *h. e.* simul opprimat. [*V. *Cort.*] ℙ Interdum est tegere, obscurare. *Virg. A.* 6, 99. horrendas canit ambages, Obscuris vera involvens. *Ov. Ib.* 57. historiis involvam carmina caecis. [*Lucan.* 1, 638. Flexa sic omina Tuscus involvens, multaque tegens ambage canebat. V. *Cort.*] *Tac. A.* 3, 63. Ut perspecto jure, et si qua iniquitas involveretur, etc., *h. e.* lateret.

INVOLVŌLUS. V. INVOLVULUS.

INVOLŪTĒ, adv. obscure. *Spart. Caracall.* 2. Questus est de fratris insidiis involute et incondite.

INVOLŪTĬO, onis, f. actus involvendi, vel res involuta, ἕλιγμα. *Vitr.* 10, 11. Tabulae pertegant etiam involutionem.

INVOLŪTO, as, a. 1. frequentat. ab involvo. *Apic.* 2, 1. Singula involutantur folia lauri.

INVOLŪTUS, a, um, part. ab *involvo:* volutus. *Caes. B. C.* 2, 11. Cupas de muro in musculum devolvunt: involutae labuntur. [*Poetarum est haec dicendi ratio, ap. prosae orationis scriptores rarissima. V. *intpp.* ad h. l.] *Sen. Herc. Oet.* 731. Involutos fluctus frangit Leucas opposita. ℙ Item circumplicatus, obvolutus, εἰλητός, ἑλικτός. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Ut candelabrum id involutum quam occultissime deferrent; et *ib.* 2, 5, 60. Qui capitibus involutis in piratarum numero producebantur, ut securi ferirentur. *Iust.* 15, 3. Manum amiculo involutam in os leonis immersit. [*Liv. 1, 21. Manuque ad digitos usque involuta.] *Suet. Aug.* 83. Lodicula involutus. *Plin.* 31, 9, 45. Sal in linteolo involutus; et 28, 4, 11. Clavus lana involutus. ℙ Translate est tectus, implicatus, intricatus, obscurus. *Cic. Phil.* 7, 6. Pacis nomine bellum involutum reformido. *Plin.* 2, 15, 13. Res multis involuta miraculis. *Tac. A.* 16, 32. *extr.* Homo involutus fraudibus. *Cic. Fin.* 1, 9. Occulta quaedam, et quasi involuta aperire. *Id. Or.* 29. Res involutas definiendo explicare. *Sen. Q. N.* 2, 41. Adhibitis in consilium Diis, quos superiores et involutos vocant: *nempe* antiquitus Deorum simulacra vestibus circumvolvebantur, ut Diana Ephesia; et plures Aegyptiorum Dii, quin et ipsa Venus; eam enim primus Praxiteles nudam (teste *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5.) exsculpit. *Id. ib.* 6, 5. Res omnium maxima atque involutissima.

INVOLVŪLUS vel Involvolus, i, m. ἴψ, ἕονλος, vermiculus, qui et *convolvulus* dicitur, qui sese foliis arborum et vitium involvit et implicat. *Festus. Pl. Cist.* 4, 2, 63. Imitatur nequam bestiam, et damnificam. *P.* quamnam, amabo? *L.* Involvulam, quae in pampini folio intorta implicat sese. **Festi* verba sunt: Involvus vermiculi genus, qui se involvit pampino, ubi corrigendum videtur *involvulus. B. A.*

INURBĀNĒ, adv. non urbane, illepide, invenuste. *Cic. N. D.* 3, 19. Apud quos non inurbane Stratonicus, ut multa, etc. *Plin. ep.* 2, 14. Non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur. *Quint.* 8, 3. *med.* Emendavit hoc non inurbane in Hirtio Cicero.

INURBĀNUS, a, um, adj. ἄγροικος, illepidus, infacetus. *Cic. Brut.* 63. Expedita erat, et perfacile currens oratio: et erat ejus quidem tanquam habitus non inurbanus. *Id. Or.* 2, 90. Non essem tam inurbanus, ac paene inhumanus, uti eo gratam inurbanus, ac paene inhumanus, uti eo gratam varer, quod vos cupere sentirem. *Quint.* 6, 3. *med.* Aspectus et habitus oris, et gestus non inurbanus. *Hor. A. P.* 273. Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

INURGĔO, es, ursi, a. 2. ἐπισπέρχω, contra aliquem urgeo. *Lucr.* 5, 1034. petit, atque inurget vitulus cornibus. *Appul. Met.* 8. Pergit linguae sauciantis susurros improbos inurgere.

INURĪNO, as, n. 1. in aliquo loco urino, aquam subeo. *Colum.* 8, 14. de anserib: Lacus piscinaque manu fiant, ut sint, quibus inurinare possint aves.

INURO, is, ussi, ustum, a. 3. ἐγκαίω, in aliqua re uro, exuro; deuro. *Cels.* 1, 3. *med.* Extenuat corpus balneum, inurens sol, et omnis calor. *Colum.* 11, 3. *med.* Solum, quod vere conserere destinaverimus, post autumnum patiemur effossum jacere, brumae frigoribus et pruinis inurendum. *Id.* 4, 29. *f.* Terebra Gallica sic excavat truncum, ne foramen inurat, *h. e.* ne inaequaliter caedat instar ignis amburentis. ℙ De encaustico picturae genere. *Plin.* 35, 4, 10. Nicias scripsit, se inussisse, *h. e.* pinxisse caustica ratione; et *ib.* 7, 31. Cerae tinguntur iisdem coloribus ad eas picturas, quae inuruntur. ℙ Saepe est ignito ferro inscribere, notam, vel stigma imprimere, ut fit in armentorum coxis, et servorum frontibus. *Virg. G.* 3, 158. de vitulis: Continuoque notas et nomina gentis inurunt. ℙ Translate. *Cic. Sull.* 31. Ne qua generi, ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur. [*Vell. 2, 64, 3. Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas: ubi v. *Ruhnk.*] *Cic. Mil.* 12. Quas ille leges fuit impositurus nobis atque inusturus? *h. e.* pervim perlaturus. *Id. Or.* 23. *f.* Inurere aliquid calamistris. *Id. Cluent.* 46. Censoriae severitatis nota inuri. *Id. Phil.* 11, 15. Acerbissimum alicui dolorem inurere. *Id. Mur.* 4. Inurere alicui famam superbiae et crudelitatis, *h. e.* imponere. *Id. Phil.* 2, 46. plurima mala reipublicae, *h. e.* infligere. *Id. Prov. cons.* 7. alicui ignominiam. *Liv.* 3, 58. eam maculam Claudiae genti, ut carcere et vinculis digni videantur. *Mart.* 6, 64. At si quid nostrae tibi bilis inusserit ardor, Vivet et haerebit. *Arnob.* 4, 149. Illud acerbissime vulnerat, quod inurit innoxius. [*Liv. 9, 3. Vivet semper in pectoribus illorum quidquid istuc praesens necessitas inusserit.]

INUSĬTĀTĒ, adv. ἀήθως, praeter consuetudinem. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Absurde et inusitate scriptae epistolae. *Id. Brut.* 75. Inusitate loqui. *Id. Or.* 46. Poeta inusitatius contraxerat. *Macr. Sat.* 1, 4. *med.* Inusitatissime *nox* pro *noctu* dixerunt. Al. leg. *inusitate.*

INUSĬTĀTO, adv. inusitate. *Plin. Pan.* 5. Inusitato enituit. Al. leg. *inusitato indicio enituit.*

INUSĬTĀTUS, a, um, adj. ἀήθης, insolitus, praeter consuetudinem, raro visus, inauditus. *Caes. B. C.* 3, 47. Nova et inusitata belli ratio. *Cic. Off.* 3, 9. Hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata. *Id. Or.* 2, 23. Alter leporem quendam inusitatum nostris oratoribus est consequutus. *Accius* ap. *Non.* 3, 231. Pro Dii immortales! speciem humanam inusitatam, egregiam, indignam clade et squalitudine. *Plin. Pan.* 3. Magna et inusitata principis gloria. *Caes. B. G.* 4, 25. Species navium inusitatior. ℙ [*Confund. fere semper in cdd. *inusitatus* et *invisatus.*]

INUSQUĔ, adv. pro usque in, ut *hucusque* pro usque huc. *Stat. Th.* 1, 439. neque enim meus audeat istas Civis inusque manus. ℙ Est etiam praepositio. *Avien. Ora marit.* 525. tum jugum Celebandicum Inusque salsam dorsa porrigit Thetin. Adde 606. et 641. Scribitur et divisim *in usque.*

[INUSTĬO, onis, f. exustio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 59. Cui *(saxo)* cum sint igneae quaedam maculae, vel inustiones, *h. e.* notae inustae. *F.*]

INUSTUS, a, um, part. ab *inuro:* deustus, combustus. *Ov. Met.* 12, 275. vulnere sanguis inustus Terribilem stridore sonum dedit. [*V. *Gierig.* ad h. l.] *Colum.* 7, 5. *med.* Vetus hominis urina testis candentibus inusta. *Lucan.* 9, 852. Ire libet, qua zona rubens, atque axis inustus Solis equis. *Plin.* 22, 14, 16. Medetur contusis, incussisque, inustis, et strumis; 18, 28, 68. *n.* 3. Qos inustus sole acri. ℙ Item igne adhibito inscriptus, impressus. *Lucr.* 6, 219. quali natura praedita constent Fulmina, declarant ictus, et inusta vapore Signa. [*Id. *ib.* 1165. Ulceribus quasi inustis, omne rubere corpus. *Curt.* 5, 5, 6. quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barbararum litterarum notis, — reservaverant. V. intrpp. ad h. l.] ℙ Et translate quocumque modo impressus, inflictus. *Catull.* 25, 10. Ne laneum latus-

culum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent. *Claud. in Ruf.* 2, 504. en pectus inustae Deformant maculae, vitiisque inolevit imago. *Cic. Pis.* 13. Lex inusta per servos, incisa per vim, imposita per latrocinium. *Prop.* 4, 11, 70. Nunc tibi commendo communia pignora, natos: Haec cura et cineri spirat inusta meo. *Cic. Or.* 2, 45. Nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. *Id. Har. resp.* 25. *f.* Odium insitum penitus et inustum animis hominum. *Id. Cat.* 1, 6. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? *Id. Prov. cons.* 7. Ignominia inusta alicui. *Id. Cat.* 2, 9. *extr.* Inustus dolor. [*Inuri dicuntur, quae duratura sunt, ut monuit *Gronov.* ad *Liv.* 9, 3, 13. qui addit etiam imposita a necessitate, *Matth.*] ℙ Videtur esse, non ustus, in illo *Lucani* 8, 786. semiusta rapit, resolutaque nondum Ossa satis nervis, et inustis plena medullis. [*Non respuit loci sententia solitam vocis significationem. *Cort.*]

INUSUS, us, m. desuetudo, ignavia. *Pl. Most.* 1, 2, 65. Ego sum inusu factus nimio nequior. Alii rectius leg. divisim *in usum:* respondent enim iis, quae leguntur supra *ib.* 42. Ut et in usum boni, et in speciem populo sint.

INŪTĬLIS, e, adj. ἄχρηστος, non utilis, ad nullam rem utilis, vanus. *Cic. Off.* 3, 6. *med.* Homo iners atque inutilis. *Id. Fin.* 1, 4. Ad usus civium non inutile. *Hor. Ep.* 2, 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. *Caes. B. G.* 2, 16. Quique per aetatem ad pugnam inutiles viderentur; et *ib.* 7, 78. Qui valetudine aut aetate inutiles sunt bello; et *ib.* 4, 29. Naves ad navigandum inutiles; et *ib.* 7, 27. Non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus. *Col.* 3, 10. Nam et inutilissimus quisque, et qui nullum alium laborem ferre queat, huic officio applicatur. ℙ Item perniciosus, incommodus, noxius. *Cic. Off.* 3, 13. *f.* Nonne inutile est, vitiorum subire nomina? et *ib.* 2, 14. Seditiosus et inutilis civis. *Liv.* 42, 14. *f.* Orationem habuit invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suae. *Sen.* 6, 27. Aquae inutiles pestilentesque in abdito latent. *Cels.* 5, 27. *n.* 17. Si fungos inutiles quis assumpsit. *Ov. Met.* 13, 37. solertior isto, Sed sibi inutilior. *Plin.* 17, 27, 45. Interlucatio arboribus prodest: sed omnium annorum trucidatio inutilissima. Adde *Liv.* 5, 5. *f.* [*V. *Spald.* ad *Quint.* 5, 10, 82.]

INŪTĬLĬTAS, atis, f. ἀχρηστία. *Lucr.* 5, 1272. Nam fuit in pretio magis aes, aurumque jacebat, Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum. *Cic. Inv.* 2, 52. Ut appetendarum rerum partes sint honestas, et utilitas, vitandarum turpitudo, et inutilitas.

INŪTĬLĬTER, adv. sine utilitate, ἀχρήστως. *Liv.* 3, 51. Non inutiliter respondere. *Quint.* 2, 4. *med.* Narrationibus non inutiliter subjungitur opus destruendi confirmandique eas. ℙ Item perniciose. *Hirt. B. Alex.* 65. Multa Romae male et inutiliter administrari. *Varr. R. R.* 3, 5. Late diffusa aqua et inquinatur facilius, et bibitur inutilius.

INVULGĀTUS, a, um, part. ab *invulgo*, vulgatus, vulgaris. *Gell.* 11, 7. Culpatius esse arbitror, verba nova, incognita, inaudita dicere, quam invulgata et sordentia. *Id. praef. med.* Non aspernentur, quasi nova invulgataque.

INVULGO, as, avi, atum, a. 1. idem ac vulgo, divulgo. *Gell.* 20, 5. Non recte eum fecisse, quod disciplinas ἀκροατικὰς, libris foras editis, invulgasset. *Id.* 4, 9. *med.* Reformidanda sunt magis, quam invulganda. ℙ Antique est *involgo. Cic. Att.* 2, 1. Septima oratio, qua Catilinam emisi: octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit: nona in concione, quo die Allobroges involgarunt, *h. e.* conjurationem in vulgus ediderunt, patefecerunt: alii minus recte leg. *invocarunt*, vel *indicarunt.* Consule *Cic. Cat.* 3, 4.

INVULNĔRĀBĬLIS, e, adj. ἀτρωτος, qui vulnerari non potest. *Sen. ep.* 9. et *Cons. ad Helv.* 12. Virtus animum undique invulnerabilem praestat. *Id. Ben.* 5, 5. Hostis invulnerabilis.

INVULNĔRĀTUS, a, um, adj. ἀτρωτος, non vulneratus. *Cic. Sext.* 67. Aut omnino invulnerati inviolatique vixerunt.

ĬNŪUS, i, m. Ἴναν, Deus idem qui Pan: ab ineundo passim cum omnibus animalibus sic dictus, ut placet *Servio* ad illud *Virg. A.* 6, 775. Pometios, Castrumque Inui. Ita etiam sentit *Isid. Orig.* 8, 11. *f. Liv.* 1, 5. Lyceum Pana venerantes, quem Romani deinde vocarunt Inuum. *Arnob.* 3, 113. Armentorum et pecorum gregibus Pales praesunt, Inuusque custodes. Adde *Macr. Sat.* 1, 22. V. FATUELLUS. ℙ *Voss.* in *Etym.* in v. *Eo* notat, in antiquis *Livii* codicibus legi *Inivum:* id fortasse factum, quia ut a *vaco* facta sunt *vacuus* et *vacivus*, sic ab *ineo inuus* et *inivus.* ℙ **Castrum Inui*, Latii urbs maritima, prope Antium. *Virg. A.* 6, 775. *Castrum* nude audit *Ov. Met.* 15, 727. *Sil.* 8, 761. ℙ Ap. *Rutil.* 1, 232. oppidum Hetruriae est. V. *Cellar.* T. 1. p. 583. *B. A.*

INUXŌRUS, a, um, adj. coelebs, ut Inuxora virginitas, ap. *Tert. Exhort. ad castit.* 9. *med.*

IO

IŌ, ἰώ, dolendi interjectio exclamantis in aliquo affectu: ut in dolore. *Tibull.* 2, 4, 6. Uror! io, remove saeva puella faces? *Ov. Met.* 3, 442. Ecquis, io silvae, crudelius, inquit, amavit? ℙ In laetitia, et plausu. *Tibull.* 2, 5, 121. lauro devinctus agresti Miles, io, magna voce, triumphe, canet; et 83. Laurus, io, bona signa dedit: gaudete coloni. *Ov. A. Am.* 2, 1. Dicite, io Paean, et io, bis dicite, Paean. *Plin. ep.* 3, 9. Io, io, liber ad te venio. ℙ In invocatione. *Tibull.* 1, 1, 27. Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes Clamet, io, messes, et bona vina date. *Pl. Cas.* 4, 3, 3. Io hymen hymenaee, io hymen. ℙ In admonendo, de re magni momenti. *Ov. Her.* 5, 118. io, prohibe! Graja juvenca venit. [*V. *Ruhnk.*] *Virg. A.* 7, 400. Clamat, io matres, audite, ubicumque Latinae. Ubi *Servius* adscribit, vocem esse Bacchantium propriam. *Mart.* 5, 25. Ecquis, io, revocat? V. IOBACCHUS. ℙ In admiratione. *Id.* 8, 4. Quantus, io Latias mundi conventus ad aras Suscipit, et solvit pro duce vota suo! ℙ Est etiam instanter vocantis. *Ov. Met.* 5, 625. Et bis, io Arethusa, io Arethusa, vocavit. ℙ Raro monosyllabon est. *Mart.* 11, 2. Clamant ecce mei, io Saturnalia! versus. Rectius fortasse dixeris, omissa ultimae vocalis in *mei* elisione, eademque more Graecorum correpta, anapaestum pro dactylo fuisse usurpatum, sic *mēi*, iō. V. FLUVIUS.

IO, Ius, f. contract. Ἰώ, filia Inachi primi Argivorum regis. Hanc Juppiter amavit, fugientemque nube remoratus compressit. Cum Juno inusitatas tenebras diurnis horis, aspexisset, suspicans, aliquid fraudis a conjuge admitti, e coelo delapsa caliginem discussit. Juppiter praesentiens Junonis adventum, puellam, ne agnosceretur, in juvencam transformavit. Sed Juno suspicata id, quod res erat, vaccam eam a Jove sibi dono dari postulavit, quam cum accepisset, apposuit ei custodem Argum, a quo molestissima custodia servabatur. Id aegre Juppiter ferens per Mercurium eum interficiendum curavit. Quam ob rem irata Juno Argi oculos pavonis caudae affixit, oestrum pellici immisit, cujus aculeis exagitata in Aegyptum usque perfugit. Ibi implorato Jovis auxilio pristinam formam recuperavit, regique Osiridi nupsit. Aegyptiis omnibus adeo cara fuit, ut post mortem Dea habita sit: quam illi Isidem appellarunt, sacraque ejus Isiaca, quibus anser immolari consuevit. Dicitur Aegyptiis usum lini, agriculturam, litteras, et alia multa tradidisse. *Suidas* scribit, Jovem Isim ex Argo Graeciae urbe rapuisse, et, cum Junonem timeret, mutasse nunc in bovem candidam, nunc in nigram, nunc in violaceam, cumque ea oberrantem in Aegyptum venisse. Mythologici Isidis in vaccam metamorphosin de navi interpretantur, qua Juppiter in Aegyptum navigavit, quod vacca navis insigne fuerit. *Ov. Met.* 1, 588. et *sqq.* et 724. et *sqq.*, *Val. Fl.* 4, 351. et *sqq.*, *Lact.* 1, 11., *Hyg. fab.* 145. et *Serv.* ad *A.* 7, 790. qui ad *G.* 3, 153. et ad *A.* 3, 211. tradit, Ionio mari nomen dedisse, in quod se praecipitaverat. ℙ [*Jablonsk. Panth. Aegypt. l.* 3. *c.* 1. §. 2. et 3. probat, Aegyptios hoc nomine primum coluisse Lunam, eandemque vaccam finxisse, quia bina cornua Lunae tribui solent; eam vero deinde, mutato nomine, Isidem nuncupasse. *F.*] ℙ Ad nominis declinationem quod attinet, eadem est hujus ratio, et nominis *Dido:* scilicet et *Io*, *Ius* dicitur, et *Io*, *Ionis*, sed est prior illa usitatior. *Ov. l. c.* Viderat a patrio redeuntem Juppiter Io Flumine. *Nemes. Cyn.* 31. Stellatumque oculis custodem virginis Ius. *Prop.* 2, 23, 19. Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io; et *ib.* 24, 7. Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io, Sensisti, multas quid sit inire vias. *Pl. Aul.* 3, 6, 20. Argus, quem quondam Ioni Juno custodem addidit. *Actius* ap. *Charis.* 1, 47. Custodem assiduum Ioni apposuit virgini. *Serv.* ad *G.* 3, 153. Ionem dicit Inachi filiam. Confirmat *Prisc.* 6, 685. ℙ Raro primam syllabam brevem habet. *Ov. Her.* 14, 103. Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras? *Id. Ib.* 624. Quem memor a sacris nunc quoque pellit Io. Al. legunt *Ion*, a recto Graeco Ἴων.

IOBACCHUS, i, m. cogn. R.: ex *Io* Bacchantium exclamatione et *Bacchus. Inscr.* ap. *Passion. cl.* 4. *n.* 4. P. Aelius Aug. Lib. Iobacchus fecit, etc. *F.*]

JOCĀBUNDUS, a, um, adj. joci plenus, jocans, ludibundus. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. Juventus rudi atque incomposito motu corporum jocabunda; et 3, 2. *n.* 6. *extr.* Veneni potionem non dubitanter hausit, quodque ex ea superfuerat, jocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit. *Lact.* 2, 7. Cum jocabundus ac ludens interrogaret.

JOCĀLĬTER, adv. jocose, joculariter. *Ammian.* 15, 12. Quos jocaliter murcos appellant. Al. leg. *joculariter*, alii rectius *localiter.* V. MURCUS.

IOCASTA, ae, f. Ἰοκάστη, filia Menoecei (ut est ap. *Hyg. fab.* 67. et 242.) soror Creontis Thebanorum regis, et uxor Laii. Post mariti necem Oedipo filio imprudens nupsit, ex quo Eteoclem, et Polynicen genuit: qui cum se mutuis vulneribus confecissent, ipsa quoque sibi manus intulit. *Stat. Th.* 1, 681. Et genitrix Iocasta mihi. Adde *Sen.* in *Phoeniss.* et in *Oedip. Hyg. fab.* 66. 67. 242. (ubi et *Iocaste*, *es* legitur, Graeca positione) et 243.

JOCĀTĬO, onis, f. τὸ γελοῖον, actus jocandi, jocosum dictum, jocus. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Nunc venio ad jocationes tuas. Adde *Att.* 2, 8.

JOCĬNOR, oris. V. JECUR.

JOCO, as, n. 1. activa forma pro jocor. *Pl. Cas.* 4, 4, 10. Quasi jocabo.

JOCOR, aris, atus sum, dep. 1. παίζομαι, joco utor, venuste et facete aliquid dico, ac per ludum, risus causa. *Cic. Off.* 1, 29. *med.* Duplex jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. *Id. Fam.* 9, 14. Quamquam, mi Dolabella, (haec enim jocatus sum) libentius omnes meas laudes ad te transfuderim. *Id. N. D.* 2, 17. Hic quam volet Epicurus jocetur, homo non aptissimus ad jocandum. *Id. Or.* 1, 7. Eaque esset in homine jucunditas, et tantus in jocando lepos, ut, etc. *Ter. Heaut.* 4, 4, 7. Tu hanc jocari credis? faciet, nisi caveo. Sic *Cic. Att.* 16, 5. Jocari me putas? moriar, si quisquam me tenet praeter te. *Id. Fam.* 2, 4. Jocari cum aliquo per litteras. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Familiariter cum aliquo cavillari ac jocari. *Id. Fam.* 7, 11. Jocari cum aliquo de re gravissima. *Hor. Sat.* 1, 5, 62. Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus. *Cic. Acad.* 4, 19. *med.* Me quoque (jocansne, an ita sentiens) coepit hortari, etc. *Ov. Trist.* 2, 497. Quid, si scripsissem mimos obscena jocantes? [**Suet. Ner.* 33. Nam et morari eum inter homines desisse, producta prima syllaba, jocabatur.] ℙ Dicitur etiam de facete et ridicule factis, et pro *ludo*, *is* ponitur. *Juven.* 3, 39. Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. ℙ Sic *ludere* de festive dictis, pro *jocari. Cic. N. D.* 3, 1. Cum vero, Deos nihil agere, nihil curare, confirmat, ludere videtur. [*V. *Döderl.* 2, 34.] *Plin. ep.* 1, 11. Ludere me putas? serio peto. *Cic. Or.* 3, 43. *f.* In me quidem lusit ille, ut solet. V. JOCUS.

JOCOSE, adv. παιδικῶς, cum joco, per jocum, et risum, joco, festive. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Eumque lusi jocose satis. *Id. Fam.* 9, 24. *f.* Cave existimes, me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reipublicae. *Nep. Alcib.* 2. *extr.* Odiosa multa delicate, jocoseque fecit. *Hor. Sat.* 1, 4, 104. liberius si Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris Dabis.

JOCOSUS, a, um, adj. εὐτράπελος, ad jocum pertinens, ludicrus, per jocum facetus. *Cic. Off.* 1, 37. *f.* Si seriis de rebus loquatur, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. *Ov. Met.* 3, 332. arbiter sumptus de lite jocosa. *Id. Fast.* 5, 183. Mater ades florum, ludis celebranda jocosis; et *ib.* 6, 692. Jocosa verba. *Hor. Od.* 1, 10, 7. Jocosum furtum. *Id. Sat.* 1, 10, 11. Jocosus sermo. ℙ De eo, qui jocis abundat, et delectatur. *Varr. R. R.* 2, 5. Q. Lucienus homo quamvis humanus et jocosus. *Hor. Epod.* 3, 20. si quid unquam tale concupiveris, Jocose Maecenas. *Ov. Trist.* 2, 354. Vita verecunda est, Musa jocosa mihi. ℙ *Jocosa imago* dicitur ab *Hor. Od.* 1, 12, 3. Echo, quae veluti per jocum verba reddere videtur. ℙ *Jocosum Nilum* dixit *Ov. Trist.* 1, 2, 80. propter mores Alexandrinorum, quos otio et luxui, hilarique ac delicatae vitae deditos fuisse legimus.

JOCŬLANS, antis part. ab inusit. *joculor:* jocos agens, ludens, joculabundus. *Liv.* 7, 10. *f.* Inter carminum prope modum incondita quaedam militariter joculantes.

JOCŬLANTER, adv. jocose. *Sidon. ep.* 1, 2. *med.* Joculanter compellare.

JOCŬLĀRIS, e, adj. παιγνιώδης, per jocum dictus, aut factus, joco, aut risu dignus. *Cic. Leg.* 1, 20. Joculare istuc quidem, et a multis saepe derisum. *Id. Fat.* 8. O licentiam jocularem! *Ter. Phorm.* 1, 2, 84. Jocularis audacia. *Hor. Sat.* 1, 1, 23. ut qui jocularia ridens Percurram. *Sen. Constant. sap.* 12. Joculare convicium. *Gell.* 12, 12. Joculari responso quippiam eludere. *Liv.* 7, 2. Inconditis versibus jocularia fundere.

JOCŬLĀRĬTER, adv παιγνιωδῶς, per jocum, jocose. *Ascon. in Div. Verr.* 11. Jocularíter irridere. *Plin.* 22, 22, 38. Aristophanes Euripidi objicit jocularíter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse. *Suet. Aug.* 75. Festos dies jocularíter celebrare. *Id. Caes.* 49. Carmina jocularíter canere.

JOCŬLĀRĬUS, a, um, adj. jocularis *Ter. Andr.* 4, 4, 43. Jocularium in malum insciens paene incidi.

JOCŬLĀTĬO, onis, f. jocus, facetiae, festivitas. *Firm. Math.* 5, 5. Joculationes cantusque exercebunt.

JOCŬLĀTOR, oris, m. qui jocos facit. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic joculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui. [Ita recte *Schutzius*, alii aliter

leg. V. v. sq. *F.*] [*Etiam *Orell.* ita locum exhibet. *Schütz.* quidem susp. *cavillatorem senem.* Sed *Orell.*, licet v. *joculator* hoc uno loco nitatur, neque ipse videat, quomodo Scaevolae conveniat, *cavillatoris* tamen nomen consentaneum esse negat viro, de quo *Cic. Or.* 1, 9, 35. Scaevola comiter, ut solebat, Cetera, inquit, etc. *Capularem senem* si Cd. aliquis offerret, neminem putat, de lect. veritate dubitaturum.]

JOCULATORIUS, a, um, adj. idem ac jocularis. *Cic. Att.* 4, 16. Huic joculatoriae disputationi senem illum, ut noras, interesse sane nolui. Alii aliter leg. V. v. praec. *Diomed.* 3, 486. Hi (primi poetae comici) veteris disciplinae joculatoria quaedam minus scite et venuste pronunciabant.

JOCULUS, i, m. brevis jocus. *Pl. Most.* 3, 3, 20. Egone te joculo modo ausim, dicto, aut facto fallere? *Id. Truc.* 1, 2, 11. Per joculum et ludum oblectare aliquem. *Id. Rud.* 3, 4, 24. Occipito modo illis afferre vim joculo pauxillulum: Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris. *Id. Merc.* 5, 4, 33. Joculo dicere aliquid. ℙ Item res, quibus ad jocum pueri et puellae utuntur, ludrica. *Vitr.* 4, 1. Post sepulturam ejus (virginis), quibus ea viva joculis delectabatur, nutrix collecta et composita in calatho pertulit ad monumentum, et ad summum collocavit. Ita leg. *Salmas.* in *Solin.* p. 790. Alii minus recte *poculis.*

JOCUNDUS. V. JUCUNDUS.

JOCUS, i, m. et in plur. num. etiam Joca, orum, n. [*Utrumque ponitur sine discrimine; hoc tamen observa, praeter *Ciceronem* et *Lucretium* ab omnibus fere scriptoribus mascalinum praeferri.] *παιδιά*, dictum, aut factum non serium, sed ludicrum, et risu dignum, ludus, lepor, facetia. Derivant alii a *ἰάχχος*, vel *ἰαχὸς*, clamor: alii a *juvo.* [*Hoc unice probandum: *jocus* enim a *juvare* eodem modo factum, quo *focus* a *fovere*, et *nix*, *ninguis* a *nivere.*] *Quint.* 6, 3. Jocum accipimus, quod est contrarium serio. Nam et fingere, et terrere, et promittere interim, jocus est. *Cic. Or.* 2, 54. Suavis est, et vehementer saepe utilis jocus et facetiae. *Id. Fin.* 2, 26. *f.* Quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia; et 20. *f.* Risus et jocus comes levitatis. *Id. Att.* 14, 15. Joca tua plena facetiarum. *Ov. Trist.* 2, 444. Historiae turpes inseruisse jocos. *Sall. Jug.* 101. Joca, atque seria cum humillimis agere. *Ov. Met.* 3, 320. agitare jocos cum aliquo. *Cic. Phil.* 2, 17. Joci causa magistrum adhibes. *Sall. Cat.* 26. *extr.* et *Hor. Ep.* 1, 19, 20. Movere alicui jocum. *Suet. Cal.* 27. Provocare aliquem ad hilaritatem et jocos. *Id. Aug.* 99. Cachinnum sustulit, atque in jocos effusus est; et 67. Rem non minimi periculi in jocum vertit; et *Claud.* Rem non minimi periculi in jocum vertit; et *Claud.* 21. Immiscere frigidos et arcessitos jocos. *Id. Ner.* 28. Non inscitus jocus. *Id. Cal.* 27. ambiguus. *Id. Aug.* 56. Lacessere aliquem invidiosis ac petulantibus jocis. *Petr. Sat.* 17. *extr.* Religionem risum jocumque facere; et *fragm. Trag.* 57. *Burm.* Spero me sic vivere, ut nemini jocus sim. Sic *Prop.* 2, 18, 64. Fallaci dominae jam pudet esse jocum; et *Hor. Sat.* 2, 5, 36. haec mea cura est, Ne quid tu perdas, neu sis jocus, *h. e.* ne fabula fias, ut *Id.* ait *Ep.* 1, 13, 9. Rursus *Id. Sat.* 1, 5, 98. Dare alicui risus et jocos. *Catull.* 42, 3. Jocum me putat esse moecha turpis. ℙ *Joco*, et *per jocum* est cum joco, jocose, festive. *Ter. Heaut.* 3, 2, 30. Jocon' an serio illaec dicat, nescio; et *Nep. Ep.* 3. Adeo veritatis amator, ut ne joco quidem mentiretur; et *Pl. Amph.* 3, 2, 39. Si quid dictum est per jocum, non aequum est, id te serio praevortier. *Cic. Fam.* 4, 4. Quem tu per jocum (sic enim accipio) divitias orationis habere dicis. ℙ *Extra jocum*, *remoto joco*, est sine joco, serio. [**Scherz bei Seitel*] *Cic. Fam.* 7, 16. Sed mehercules, extra jocum, homo bellus est; et 11. Remoto joco, tibi hoc amicissimo animo praecipio, ut, etc. ℙ *Ludus*, et *jocus* hoc differunt, quod ille in factis, hic in verbis est. *Cic. Off.* 1, 29. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur: et *mox.* Ludo et joco uti licet, sed sicut somno et quietibus ceteris. [*Recte quidem in universum hoc discrimen statuunt *Valla*, aliique. Cf. *Popm.* p. 418., sed illud notandum, *lusus* et *ludus* fieri remittendi, relaxandi animi causa, *Zeitvertreib*, *Zerstreuung*; *jocus* pertinere ad eum, qui delectandi, exhilarandi gratia facete, cum festivitate rem seriam tractet: *Scherz*, *Spass.* V. *Doederl.* 2, 33. sq.] ℙ Interdum sic in oratione junguntur, ut nulla ejus discriminis ratio habeatur. *Cic. Verr.* 2, 1, 60. Paucos homines, hoc adjutore, Q. Opimium, per ludum et jocum fortunis omnibus evertisse. *Plin. ep.* 5, 14. *extr.* Cum alii divinum me; alii meis rapinis occursum, per ludum ac jocum dictitant. *Ter. Eun.* 2, 3, 8. Hic vero si occeperit, ludum jocumque dices fuisse illum alterum, praeut hujus rabies quae dabit. Adde *Liv.* 28, 42. et *Mart.* 4, 49. [*Haec fere proverbii more dicta sunt. V. *Longol.* ad *Plin. Ep.* 5, 14. *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 8.] ℙ Aliquando *ludus* pro *joco* ponitur. *Hor. Sat.* 1, 1, 27. Sed tamen amoto quaeramus seria ludo. ℙ Sic *Ludere* pro *jocari.* V. JOCOR. ℙ Contra *jocus* pro *ludo.* *Ov. A. Am.* 3, 367. Mille facesse jocos: turpe est nescire puellam Ludere. ℙ Hinc *jocus* pro turpi actu et lascivo. *Id. ib.* 796. *Plin.* 8, 40, 61. et *Just.* 7, 3. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 15, 48. ℙ Confunduntur *jocus* et *locus* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 6, 3. p. 527.]

JOGALIS. V. JUGALIS.

IOHIA, interjectio renuentis, aut negantis. *Pl. Merc.* 4, 3, 31. Illa quidem est. *Do.* quae illa est? *Ly.* illa. *Do.* iohia, illa! *Bothe* monstrum verbi esse putat, ideoque edidit *io, hias?* h. e. eja, quid hias? senex enim Lysimachus os subinde aperiens ad loquendum, nec quidquam proferens, recte *hiare* dicitur.

IOLAUS, i, m. *Ἰόλαος*, Iphicli filius (al. Aristaei) fratris Herculis. Herculi hydram interficienti adfuit, ferroque candenti cruorem restrinxit atque cohibuit. Cum ad decrepitam aetatem pervenisset, Herculis precibus juventuti restitutus est. Ad extremum cum Thespiadis in Sardiniam venit, eam ad pacem reduxit, priorem illius partem tenuit, et Ioleam a se denominavit, populosque Iolenses: ubi plures urbes condidit. *Ov. Met.* 9, 399. Ora reformatus primos Iolaus in annos. *Id. ib.* 8, 310. Hyanteus Iolaus.

IOLCHIACUS et Iolciacus, a, um, adj. ad Iolchon pertinens. *Prop.* 2, 1, 56. Colchis Iolciacis urat ahena focis. (Alludit ad fabulam Aesonis regis Thessaliae a Medea recocti.) *Virg. Cir.* 377. Regis Iolchiacis animum defigere votis, *h. e.* Thessalicis, magicis. *Ov. Met.* 7, 158. Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.

IOLCHOS et Iolcos, i, m. *Ἰωλχὸς*, et *Ἰωλκὸς*, oppidum, et portus Thessaliae, in Magnesia, ad sinum Pelasgicum, unde Iason cum Argonautis solvisse dicitur. *Plin.* 4, 9, 16.

IOLCI, orum, m. plur. *Ἰωλκοὶ*, populi Thessaliae, seu Magnesiae, quorum oppidum Iolcos. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 34.

IOLE, es, f. *Ἰόλη*, Euryti Oechaliae regis filia fuit, ab Hercule adamata, quam cum Eurytus jam victus ei tradere recusasset, licet certaminis lege debitam, ira accensus Hercules Eurytum interfecit, urbeque direpta Iolen abduxit. Postea Hylo filio suo uxorem tradidit. Sed ab aliis scriptum est, Hylum patre mortuo, Iolen in uxorem duxisse. *Ov. Met.* 9, 140. Amphitryoniaden Ioles ardore teneri. *Id. A. Am.* 3, 156. capta vidit ut urbe Alcides Iolen, hanc ego, dixit, amo. *Hyg. fab.* 35. ℙ Apud *Prop.* 4, 5, 35. est ancillae nomen.

ION, ii, n. *ἴον*, viola. *Plin.* 21, 6, 14. Ex iis (*violis*), quae sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureae, latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt, solaeque Graeco nomine a ceteris discernuntur, appellatae ia, et ab his hiantina vestis. *Id. ib.* 11, 38. Florum prima ver nunciantium viola alba: postea quae ion appellatur, et purpurea: proxime flammea. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 284. *n.* 186. Hic jacet Optatus pietatis nobilis infans, Cui precor ut cineres sint ia, sintque rosae. ℙ Item gemma violacei coloris, sed dilutioris. *Plin.* 37, 10, 61. Ion apud Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet. V. IONIUS. ℙ *Ion, ōnis*, m. fuit vir Atheniensis Zuthi, seu Xuthi et Creusae filius, quo duce Athenienses, ex oraculo Apollinis, tredecim uno tempore in Asiam colonias deduxerunt, qui tractus inde *Ionia* dictus est. *Vitr.* 4, 1. V. IONES.

JONAEUS, a, um, adj. ad Jonam prophetam pertinens. *Juvenc.* 2, 711. Hinc et Jonaeis monitis potiora jubentur.

JONAS, ae, m. *Ἰωνὰς*, propheta Dei celebris in sacra Scriptura. Disyllabum faciunt, Latino more, *Prud. Cath.* 7, 101., *Sidon. carm.* 16, 26. et *Paul. Nol. carm.* 21, 169. Jonas ut olim ventre navis abditus.

IONES, um, m. plur. *Ἴωνες*, populi Ioniae. *Plin.* 5, 29, 31. et 13, 8, 16., *Cic. Fl.* 27., *Vitr.* 4, 1. et *Claud. in Eutrop.* 2, 239.

IONIA. V. IONIUS.

IONIACUS, a, um, adj. *Ἰωνιακὸς*, Ionius. *Ov. Her.* 9, 73. Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas.

IONICE, adv. *Ἰωνικῶς*, more, vel lingua Ionum. *Gell.* 6, 15. *Ἔσχον*, *καὶ ἔσκον* Ionice, a verbo *ἔχω*.

IONICUS, a, um, adj. *Ἰωνικὸς*, ad Ioniam, seu Iones pertinens. *Hor. Epod.* 2, 54. et *Mart.* 13, 61. Attagen Ionicus. *Plin.* 6, 2, 2. Ionica gens. ℙ Quia Iones deliciis maxime dediti fuisse dicuntur: nempe e Graecia in regionem mollioris ac fertilioris soli translati, facile moribus corrupti sunt ex affluentia rerum; hinc *Hor. Od.* 3, 6, 21. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo, et fingitur artibus. *Pl. Stich.* 5, 7, 1. Qui Ionicus, aut cinaedicus, qui hoc tale facere possiet? *h. e.* saltator, nam peculiare fuit saltationis genus, molle ac lascivum (de quo etiam *Hor.* loquitur) ab Ionibus profectum. Idem *Pl. Ps.* 5, 1, 27. Orant me, uti saltem: quippe ego, qui probe Ionica perdidici, etc. Adde *Varr.* ap. *Non.* 1, 15. ℙ *Ionica lingua* Graeca est quidem, sed propria dialecto differens in multis: de qua V. grammaticos. Iones enim ab Attica illo profecti, genuinum illud Atticum paulatim vertere. *Quint.* 8, 3. *med.* Ut si Atticis Dorica, Ionica, Aeolica etiam dicta confundas. ℙ *Ionicas columnas* primi erexere in Asia in templo Dianae Ephesiae Athenienses illi tredecim, qui duce Ione Zuthi, vel Apollinis filio cum tredecim coloniis in Asiam profecti sunt, et tredecim urbes condiderunt; qui a suo duce Iones appellati fuere. Hoc genus columnae factum fuit ad similitudinem pedis muliebris, sed crassitudo erat octava (*Plin.* 36, 23, 56. est nona) pars altitudinis. Adhibuere autem ornamenta. Nam basi supposuere spiram, quasi pro calceo, in capitulo dextera et sinistra collocaverunt volutas, seu concrispatos cincinnos praependentes, a fronte cymatia, et encarpos ad instar capillorum, toto corpore demiserunt strias, quasi pro rugis stolarum. Placuit hoc genus columnae, appellare Ionicum, eo quod secundum suum exemplum, non alienum effecissent. *Vitr.* 4, 1.

IONIS, idis, f. *Ἰωνὶς*, mulier ex Ionia. *Sen. Troad.* 362. quo jugari Thessalae cultu solent, Ionidesve, vel Mycenaeae nurus. ℙ *Ionides insulae* sunt, quae in mari Aegaeo prope litus Ioniae jacent. *Avien. Perieg.* 722. Nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto, etc.

IONIUS, a, um, adj. *Ἰώνιος* et *Ἴόνιος*, ad Ioniam, seu Iones pertinens. *Plin.* 10, 48, 68. Attagen Ionius. ℙ *Ionia, ae*, f. est Ionum regio, *Ἰωνία*, nempe regio Asiae minoris maritima in ora maris Aegaei, dicta ab Ione Atheniensi (V. ION.) inter Aeoliden, et Cariam, ubi tredecim coloniae Atheniensium fuerunt. Ejus caput fuit Miletus. Reliqua oppida enumerant *Plin.* 5, 29, 31. et *Mela* 1, 17. *Ov. Fast.* 6, 175. Nec Latium norat, quam praebet Ionia dives, Nec, quae Pygmaeo sanguine gaudet, avem, *h. e.* attagenem. *Prop.* 1, 6, 31. mollis qua tendit Ionia. ℙ *Ionium mare* primo est pars Aegaei, Ioniam alluens, qui et *Ionius sinus* dicitur: et sane ita appellatur in tabulis a geographis. Secundo poetice per synecdochen ita dicitur ipsum Aegaeum. *Val. Fl.* 1, 22. Aemoniam primis Pelias frenabat ab annis, etc. illius amnes, Ionium quicumque petunt. ℙ Tertio, et quidem saepissime, est mare illud, quod Italiam, et Graeciam interjacet, a faucibus Adriatici incipiens, alluensque inferiora Italiae et Siciliam, ab oriente item Macedoniam, Epirum, Peloponnesum. (*Ionium sinum* appellat *Avien. Perieg.* 141.) Dictum est vel ab Ionum naufragio; vel ab Ione Italo Adriae patre; vel ab Ionio Illyrico; vel ab alio ejusdem nominis, Dyrrachii filio, quem Hercules, cum imprudens occidisset, in hoc mare projecit; vel denique ab Io, seu Ione filia Inachi: quod postremum *Serv.* ad *A.* 3, 211. et *Hyg. fab.* 145. tradunt: qui tamen Ionium mare latius extendunt, ut Cretam usque atque etiam ultra pertineat, ex more Graecorum, qui, teste *Plin.* 4, 11, 18. *f.* illud in Siculum, et Creticum dividunt. Si *Solin.* 23. audias, iidem Graeci mare Tuscum, seu Tyrrhenum, Ionium appellant. ℙ Cum de mari sermo est, secunda syllaba fere corripitur, prima producitur. *Virg. G.* 2, 108. Nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus; et *A.* 3, 211. Insulae Ionio in magno. *Ov. Met.* 4, 534. Jactari quos cernis in Ionio immenso. *Hor. Ep.* 10, 19. Ionius udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit. Sic semper aliis in locis, et *Prop.*, *Val. Fl.*, *Lucr.*, *Catull.* etc. ℙ *Ionius magister* ap. *Val. Fl.* 7, 83. est, qui Ionio mari navigat. Et *Ioniae naves* eadem ratione ap. *Sen. Thyest.* 143. ℙ In genere ardentium gemmarum una est quae *Ionia* appellatur a colore. V. ION. *Plin.* 37, 7, 29. Secunda bonitate similis est Ionia, appellata a praelatis floribus.

IONUS, a, um, adj. *Ἴωνος*, Ionius. Quidam sic leg. ap. *Hor. Ep.* 2, 51. Si quos Ionis intonata fluctibus, etc., ubi plerique alii *Eois.* Hinc *Iona, ae* pro Ionia. *Prop.* 2, 21, 53. Et quot Iona tulit, vetus et quot Achaia formas. Al. minus recte leg. *Troja:* nam *v.* 54. Et Thebae, et Priami diruta regna senis.

[IOPPICUS et rectius Ĭŏpĭcus, a, um, adj. ad Ioppen, seu Iopen pertinens, Judaeae urbem maritimam, quae Hebr. יָפוֹא *iaphò*, in nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 3. p. 433. *Ἰόπη*, nunc vero *Jaffa.* Ejus meminere *Prisc. Perieg.* 852. Hi muros Iopes, Gazam, quoque Elaida complent; et *Avien. Perieg.* 1069. Urbs Iope, sterilisque dehinc habitatur Elais. *Plin.* 5, 14, 15. Reliqua Judaea dividitur in toparchias decem: Hiericuntem, Emmaum, Lyddam, Ioppicum, etc. *F.*]

[IOSEPH et Jōseph, indecl. *Ἰωσὴφ*, ab Hebr. יוֹסֵף, addens; ita appellatus fuit filius Jacob a Rachele ejus matre, quia illa, nato Ioseph, Deum precata est, ut alium adderet. *Genes.* 30, 24. ℙ Alius fuit *Ioseph* conjux Mariae Virginis. *Matth.* 1, 18. ℙ Alius senator ab Arimathae. *Juvenc.* 4, 720. Hic ab Arimathia nomen gestabat Ioseph. ℙ Item alius *Justus* cognominatus, qui meruit, ut una cum Matthia in Judae proditoris locum sorte Apostolus eligeretur. *Arat. Act. Apost.* 1, 104. tunc

summa precantes Constituere duos, Joseph cognomine Justum, Matthiamque. ℙ Etiam Latina terminatione *Iosephus* vel *Josephus*, *i*, m. nobilis historicus Graecus, Hierosolymae Flavii Vespasiani Aug. captivus, qui ei imperium, sibi libertatem vaticinatus est, quique ideo *Flavius Josephus* est appellatus. V. *Fl. Joseph. B. Jud.* 3, 14. *Suet. Vesp.* 5. Unus ex nobilibus captivis, Josephus, cum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam imperatore. *F.*]

IOTA, n. indecl. nomen Graecum ejus litterae, a qua ipsa haec vox incipit, *ἰῶτα*. Vox est trisyllaba, sed Latino more disyllaba fit. *Cic. Or.* 3, 12. Ut iota litteram tollas, et e pleuissimum dicas. *Mart.* 2, 93. Unum de titulo tollere iota potes. ℙ Si quando feminino genere effertur, littera subintelligitur. *Auson. Idyll. in monosyllab. de litteris*, 20, 23. Ansis cincta duabus erit cum jota, leges *Θ*. ℙ *Id.* declinavit etiam in casus *ib.* 7. Littera sum jotae similis, vox plena jubens I.

IOTACISMUS, i, m. *ἰωτακισμός*, vitium sermonis, cum i littera supra justum decorem in dictionibus pronunciando extenditur: vitium oris, et linguae, quod demonstrari scripto non potest. Ita *Quint.* 1, 5. *med.* et *Diomed.* 2, 448. ℙ Ap. *Capell.* 5, 167. est, cum in oratione saepius, quam par est, i littera recurrit, ut si dicas, Junio Juno Jovi jure irascitur. ℙ Graeca vox est, et Graece melius adhibetur.

JOVIALIS, e, adj. ad Jovem pertinens. *Macr. Somn. Scip.* 1, 19. *f.* Veneria, et Jovialis stella, *h. e.* planeta Veneris, et Jovis. *Id. Sat.* 5, 16. *med.* Ganymedes Jovialium poculorum minister. *Arnob.* 5, 162. Jovialis incontinentia; et 171. pellacia. *Capell.* 6, 190. majestas.

[JOVIANUS, a, um, adj. ad Jovium, seu Diocletianum Aug. pertinens, qui Jovius dictus fuit. V. JOVIUS. Hinc *Joviani* sunt appellati milites legionis, quae in honorem ejusdem imperatoris *Jovia* etiam fuit nuncupata. *Ammian.* 22, 3. Qui praesentibus Jovianorum, Herculianorumque principibus, et tribunis, causas vehementius aequo bonoque spectaverunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 495, 3. eademque emendatior ap. *Maff. Antiq. Gall.* p. 55. *Flavio* Memorio V. P., qui milit*avit* inter Jovianos annos XXVIII. ℙ Theodosio vero imperante fuerunt *Joviani seniores*, qui in Italia; et *juniores*, qui in Illyrico militabant. *Notitia dignit. utr. imper.* Hinc *Inscr.* ap. *Labusium* in *Monum. epigraf. Christ.* p. 37. Derdio ex tribuno militavit an. XL. inter Jovianos sen*iores*, vixit an. LXXV. *F.*]

[JOVINUS, a, um, adj. ad Jovem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 121, 4. C. Burchius Jovinus. Alia ap. *Donat.* 275, 7. Saturnina Jovina. *F.*]

JOVIS, is, m. qui nunc Juppiter dicitur, olim recto casu ita dicebatur, teste *Varr. L. L.* 7, 38. *extr.* Nam, ut ait *Gell.* 5, 12., quod elisis, aut immutatis litteris est Juppiter, id plenum atque integrum est Jovis pater. Videtur deductum ab Hebraeo יְהוָה Iehovà. *Appul. Met.* 4. *f.* in *carm.* Quem tremit ipse Jovis. *Ennius* ap. *eund. de Deo Socr.* Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo. Adde nummos Othonis et Vespas. in quibus est *Jovis custos:* item *Hyg. fab.* 54., *Caecil.* atque *Accium* ap. *Prisc.* 6, 695. et *Petr. fr. Trag.* 58. *Burm.* ℙ In plurali num. *Pl. Cas.* 2, 5, 26 Repente ut emoriantur humani Joves. ℙ [*Jovis flos*, *Διὸς ἄνθος*, flos aestivus et inodorus, colore purpureo, cujus gratia coronamentis expetitur. *Plin.* 21, 10, 33. ℙ *Jovis gemma*, *Διὸς λίθος*, gemmae species, candida, non ponderosa, tenera. *Id.* 37, 10, 61. *F.*]

JOVISJURANDUM, juramentum per Jovem. *Enn.* ap. *Appul. de Deo Socrat.*

JOVISTAE, compositum a *Jove*, et *justae*. *Festus:* quae verba critici suspecta habent, et aliter, atque aliter legenda putant.

JOVIUS, a, um, adj. ad Jovem pertinens, Jovialis. *Arnob.* 6, 194. Nec erubuit, cum vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare. ℙ [*Jovia Venus* est appellata a pago Jovo prope Capuam. *Inscr.* ap. *Daniel. Numism. Cap.* p. 78. Hisce magistris Venerus (*ἀρχαϊκῶς* pro *Veneris*) Joviae murum aedificandum coiraverunt. Alia *ib.* p. 102. Pagus Herculaneus scivit, uti conlegium, sive magistri Jovi compagi, etc. *F.*] ℙ *Jovia cohors* fuit legio instituta ab Diocletiano Aug., qui et Jovius cognominatus est, hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 280, 3. Diocletianus Jovius, et Maximianus Herculeus Caes. Augg. *et nummus* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 8. p. 9. Jovio Diocletiano Aug., Herculio Maximiano Aug. *Aurel. Vict. Caes.* 39. Huic (*Maximiano*) postea cultu numinis Herculei cognomentum accessit, uti Valerio (*Diocletiano*) Jovium; unde etiam militaribus auxiliis longe in exercitum praestantibus nomen impositum. *Claud. B. G.* 418. Herculeam suus Alcides, Joviamque cohortem Rex ducit Superum. ℙ [Item *Jovia porticus* fuit Romae in honorem ejusdem imperatoris. *Inscr.* ap. *Grut.* 111, 6. Genio Jovii Aug. Jovia porticus ejus a fundamentis absoluta exculaque. ℙ Item *Jovia porta* fuit Mediolani et Gratianopoli in honorem ejusdem appellata. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 772. Collegium jumentariorum portae Vercellinae, et Joviae. Alia ap. *Grut.* 167, 1. D. N. Imp. Caes. Cajus Aurelius Valerius Diocletianus Cularonensibus portam Romanam Jovianam vocari jussit. ℙ Ipsa etiam Roma eadem de causa *Jovia* est dicta. *Mamert. Pan. in Maxim.* 13. Utere quaeso, felix Roma, tuorum principum utroque cognomine, cum non cogaris eligere. Licet nunc simul et Herculea dicaris, et Jovia. *F.*]

I P

[IPARGENSIS, e, adj. ad Ipargum pertinens Hispaniae Baeticae urbem inter Angellas et Uliam ex *Itin. Anton.* ℙ *Ipargenses*, *ium*, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Mur.* 1052, 3. Ipargenses pii in suis. *F.*]

IPHIANASSA, ae, f. *Ἰφιάνασσα*, eadem quae Iphigenia. *Lucr.* 1, 86. Aulide quo pacto Triviai virginis arma Iphianassai turparunt sanguine foede Ductores Danaum, genit. antiquus *Lucretio* usitatus. Al. leg. *Iphianassaeo*, ut sit adjectivum. [*Illud *Eichstadt.* exhibet.] ℙ Aliis est nomen alterius ex filiabus Proeti, quae in vaccas conversae sunt. V. PROETIDES.

IPHIANASSAEUS. V. v. praec.

IPHIAS, ădis, f. patronym. *Ἰφιάς*, Iphidis filia. *Ov. Trist.* 5, 14, 38. Ausaque in accensos Iphias ire rogos. V. EVADNE.

IPHIGENIA, ae, f. *Ἰφιγένεια*, Agamemnonis et Clytaemnestrae filia. Cum Agamemnon in Aulide cervum Dianae ignarus occidisset, Dea irata ventorum flatus amovit, ut Graeci navigare in Troadem non possent. Quapropter cum oraculum consulerent, responsum est, Agamemnonio sanguine Deam esse placandam. Missus igitur Ulysses Iphigeniam astu a matre abduxit, sub praetextu facti cum Achille matrimonii. Sed cum jam immolanda esset, Dea ejus miserta, cervam pro ea supposuit, virginem autem in Tauricam regionem transtulit, ubi a Thoante rege ejusdem Deae sacris praefecta est, quae humano sanguine fieri solebant. Quo cum postea Orestes a furiis agitatus, et ab incolis captus venisset, jamque esset immolandus, a sorore agnitus et liberatus est, cum quo non multo post, occiso Thoante rege, aufugit, ablato secum Dianae simulacro in lignorum fasce abscondito, propter quod illam Fascelidem vocarunt. Tandem venerunt in Italiam, et in Aricino nemore simulacrum locaverunt, aedificato Deae insigni templo. *Ov. Met.* 12, 27. et *Trist.* 4, 4, 63. et *Pont.* 3, 2, 45., *Serv.* ad *A.* 2, 116. et ad *ib.* 3, 331. et *Hyg. fab.* 98. et 120. Meminit etiam *Cic. Tusc.* 1, 48. et *Or.* 22. item *Off.* 3, 25. Ubi tamen non navigandi causa, sed voti implendi infantem, non nubilem, ab Agamemnone immolatam Iphigeniam dicit. ℙ In illo *Ov. c. l. Pont.* 3, 2, 61. liquidas fecisse per auras Nescio quam dicunt Iphigenian iter: *Iphigenian* quartus est casus Graece positionis.

IPHIMEDIA, ae, f. *Ἰφιμέδεια*, uxor fuit Aloei, quae compressa a Neptuno filios geminos peperit, Oetum, et Ephialtem, qui singulis mensibus novem digitorum longitudinem staturae suae adjiciebant, cumque paucis annis in summam corporis molem excrevissent, una cum ceteris gigantibus adversus Superos bellum moventes, Apollinis, et Dianae telis confixi sunt. *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 582. et *Hyg. fab.* 28.

[IPHINOE, es, f. *Ἰφινόη*, Proeti Argivorum regis filia, quam cum sororibus Iphianassa, et Lysippe, cum se Junoni pulcritudine praeferrent, furiis agitatam Melampus sanitati restituit. *Virg. Ecl.* 6, 48. et *Ov. Met.* 5, 326. ℙ Item mulier Lemnia, quae cum reliquis consilium cepit viros ab expeditione Thracica reduces trucidandi. *Val. Fl.* 2, 162. et 327. *F.*]

[IPHINOUS, i, m. *Ἰφίνοος*, unus ex Centauris, de quo *Ov. Met.* 12, 210. *F.*]

IPHIS, is, m. *Ἶφις*, puer fuit formae venustate conspicuus, qui cum Anaxareten puellam efflictim amaret, neque illa ejus amori responderet, impatientia amoris vitam laqueo finivit, cumque jam ad sepulturam afferretur, Anaxarete e fenestra prospiciens in saxum mutata est. *Ov. Met.* 14, 698. et sqq. ℙ *Iphis*, *idis*, f. fuit puella quaedam Cretensis ex Phaesto oppido, Lygdi et Telethusae filia, quam mater inscio viro (qui, si filia sibi nasceretur, occidi eam imperarat) virili habitu Isidis jussu educaverat. Qua ratione cum ad annos pubertatis patrem fefellisset, Lygdus Ianthen puellam ei despondit. Quapropter inops consilii Telethusa Isidis auxilium imploravit, quae ipso nuptiarum die Iphidem transformavit in marem. *Ov. Met.* 9, 665. et sqq. ℙ Denique Iphis unus fuit Argonautarum. *Val. Fl.* 1, 441.

[IPHITUS, i, m. *Ἴφιτος*, Euryti filius ex Antiopa, unus ex Argonautis. *Hyg. fab.* 14. ℙ Item vir Trojanus. *Virg. A.* 2, 435. ℙ Item rex Elidis, a quo certamen Olympicum est restauratum. *Val. Fl.* 1, 363. *F.*]

[IPORCENSIS, e, adj. ad Iporcum pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum. Hinc *Iporcenses*, *ium* sunt illius oppidi incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 325, 10. Ordo Iporcensium.

IPSE, a, um, *αὐτός*, pronomen demonstrativum primae, secundae, ac tertiae personae, quod cum alio pronomine junctum, ejus vim ac significationem accipit, et vicissim majorem demonstrandi vim addit. [*Compos. ex *is* et *pse.*] *Cic. Tusc.* 1, 17. Ego ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. *Id. Att.* 2, 1. *f.* Me, illum ipsum vindicem aeris alieni, aere circumforaneo obruerunt. *Ter. Andr.* 1, 1, 124. Tute ipse his rebus finem praescripsti pater. *Cic. Div.* 2, 28. Quarum causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito. *Id. Or.* 3, 32. Ipse ille Gorgias in illo ipso Platonis libro profitetur, etc. *Id. Manil.* 12. Ejus ipsius liberos, qui cum praedonibus bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos; et 11. Africa, quae magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. *Id. Att.* 4, 1. *med.* Natali suo ipso die. *Id. Tusc.* 5, 9. Nisi idem hoc ipsum ad voluptatem referret. *Id. Att.* 7, 3. *med.* Cur respublica, consule isto ipso, defensa non est? *Id. Fin.* 1, 16. Hoc ipso, quod adest. *Plaut. Bacch.* 5, 2. *f.* Lepide ipsi hi sunt capti. *Cic. Or.* 2, 6. Meque, cum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare, delectat. *Id. Or.* 1, 16. In orationibus hisce ipsis. *Id. Acad.* 1, 1. Ad hunc eum ipsum quaedam institui, quae, etc. *Id. in Senat.* 2. Illo ipso tempore; et *Att.* 4, 1. Illo ipso die, quo lex est lata; et *Fam.* 7, 23. *med.* Ea ipsa hora. *Id. Div.* 1, 46. Id ipsum est, Deos non putare, quae ab iis significantur, contemnere. *Ter. Adelph.* 4, 4, 17. Ipsum id metuo ut credant. ℙ Jungitur passim ipsis nominibus, atque emphasin addit. *Cic. Amic.* 23. A multis ipsa virtus contemnitur. *Id. Fam.* 6, 10. Neque enim ipse Caesar est alienus a nobis. *Ter. Eun.* 5, 2, 66. Adest optime ipse frater. *Hor. Od.* 1, 16, 12. nec tremendo Juppiter ipse ruens tumultu. *Sall. Jug.* 94. Naturam serpentium, ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re, accenditur. *Virg. G.* 3, 239. fluctus immane sonat per saxa neque ipso Monte minor. ℙ Cum pronominibus *me*, *te*, *se*, sed fere in alio casu. [*Nomina virorum doctorum, qui de hoc pronominis *ipse* usu dixerunt, exhibet ad *Sall. Cat.* 20, 6. *Kritz.*, cujus veram sententiam hic ponimus: *Ipse* nominativo poni, si enunciationis subjectum, quo significetur is, qui aliquam rem faciat, ita extollatur, ut alteri, qui eandem rem facere potuisse videatur, sed non fecerit, opponatur: eundem vero casum habere atque pronomen personale, si verbi actio sive praedicatum ita ad objectum enunciationis pertinere dicatur, ut id cuivis alii opponatur.] *Cic. Fam.* 6, 10. Agam per me ipse, et moliar; et *ib.* 3, 11. Mihi ipse assentor fortasse. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Medici ipsi se curare non possunt. *Sen. Ben.* 3, 23. Illos quoque ad suos redisse, et dominam sibi ipsos dedisse. *Varr. R. R.* 2, 4. Ut se ipsa stans sustinere non possit. *Ter. Adelph. prol.* 4. Indicio de se ipse erit. *Plin. ep.* 3, 4. Factum S. C., ut darer provincialibus patronus, si ab ipso me impetrassent. ℙ *Per se ipsum* est ipsum solum. *Cic. Har. resp.* 17. Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor; sed ex eo, quod sequitur, suspicor, etc. ℙ [*Significat etiam *per se*, *sua sponte*. *Cic. Coel.* 19. Valeat tamen ipsum suis viribus. *Div.* 1, 34. Valvae se ipsae aperuerunt. *Or.* 1, 24. Non ipse aliquid a me prompsisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. Huc pertinet illud *Off.* 1, 22. Delapsa arma ipsa ceciderunt, i. e. sponte, sine vi externa, ubi male *Gron.* v. *ipsa* deleri vult. Sic Graeci utuntur v. *αὐτός*. *Callim. hym.* in *Appoll.* 1. Ita *Ernest.* et *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. Legendum conjecit *Gron. fil. impia*, ex cdd. alqq. scriptura *ipia* et *ipa*, cui conjecturae, qua recte dicit *Orell.* debilitari oppositionem inter *consilia* et *arma*, suffragatur *Gernhard*, perperam censens interpretationem v. ipsa, quam *Ernest.* dederit, minus convenire ad ablativos *consiliis diligentiaque nostra*. V. *Beier.*, cujus alia quidem explicatio, quam ex *Or.* 2, 24, 84. verbis *arma ipsa* accommodari posse putat, nimirum: *quibus adeo tentata res sit*, *ne solveretur*, gravem loci sententiam parum auget. Nonnulla exempla laudat etiam *Matth.* ad *Cic. Cat.* 2, 1.] ℙ Cum relativo *qui*, *quae*, *quod*. *Cic. Mur.* 25. Cum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset. *Id. Att.* 12, 21. *f.* Quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam. *Just.* 1, 9. *f.* Quibus ne ipsis quidem animus defuit. ℙ Absolute. *Cic. Amic.* 22. Amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab iis desiderant. Par est autem, ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. Sic *Div.* 2, 40. Hoc est ipsum esse contra se copiosum et disertum. ℙ Interdum vim relativi habet. *Ter. Eun.* 2, 2, 32. Tanquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis vocabula, *h. e.* ipsis philosophis. ℙ Et reciproci. *Nep. Annib.* 2. Ut Annibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum, *h. e.* a se. Sic *Sen. Ben.* 3,

23. Quaerentibus, quaenam esset, dominam, et quidem crudelissimam, ad supplicium ab ipsis duci, professi sunt. *Curt.* 8, 12. *f.* Invidos homines nihil aliud, quam ipsorum esse tormenta. *Plin.* 7, 56, 57. Medicinam Aegyptii apud ipsos volunt repertam. ℙ Pro *ego*, *me*, *nos*, *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *extr.* Urbanam expolitionem urget illam quidem et Philotimus, et Cincius; sed etiam ipse crebro interviso. *Virg. Ecl.* 1, 10. et ipsum Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti, *h. e.* me. *Quint.* 11, 1. Ipsos erubescere, etiam cum ab aliis laudabimur, decet, *h. e.* nos. ℙ Eleganter adhibetur ad designandum determinatum tempus, aut numerum. *Cic. Sext.* 63. Cum ipsis nonis Sext. idem dies adventus mei fuisset, natalis idem carissimae filiae; et *Att.* 3, 21. Triginta dies erant ipsi, cum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam; et *Caec.* 10. Cum dixisset, minus abesse LIII., populus cum risu acclamavit, ipsa esse; et *Brut.* 15. *extr.* Qui L. Marcio, M. Manilio Coss. mortuus est, annis octoginta tribus ipsis ante me consulem: *Ter. Andr.* 5, 6, 10. O Charine, in tempore ipso mihi advenis! ℙ Interdum *ipse* (quemadmodum et *ille*) dicitur de eo, qui satis notus est, et licet non nominetur, statim tamen, quis sit, intelligitur. *Pl. Cas.* 4, 2, 10. Quid tu hic agis? *Ancilla.* ego eo, quo me ipsa misit, *h. e.* hera. Huc pertinet illud *ipse dixit*, *αὐτὸς ἔφα*, quod de Pythagora magistro suo discipuli usurpabant, ap. *Quint.* 11, 1. *med.* ℙ *Ipsus* in recto casu est comicis frequens. *Pl. Ps.* 4, 7, 43. Te is ipsus coram praesens praesentem videt. *Ter. Hec.* 3, 5, 5. Ipsus est, de quo hic agebam tecum. *Cato R. R.* 70. et 71. Bos ipsus sublimiter stet. *Cic.* quoque usurpavit, si *Diomedi* credimus, qui 1, 318. Ipsus: inquit, quod est in comoediis, est et apud Tullium. ℙ Hinc neutrum *ipsud* legitur in *Gloss. Philox.* Ipsud, *αὐτὸ*. ℙ Et *ipsi* pro *ipsius*. *Afran.* ap. *Prisc.* 6, 694. Ipsi me velle vestimenta dicito. *Sever. Aetn.* 218. in promptu est operis natura, solique Una ipsi, et venti. ℙ Superlat. *ipsissimus*, ut Graece *αὐτόιατος*, est *Pl. Trin.* 4, 2, 146. Ergo ipsusne es? *Char.* ipsissimus. ℙ Genitivus *ipsius* in prosa oratione paenultimam producit: poetice interdum corripit. *Virg. G.* 1, 452. Ipsius in vultu varios errare colores. *Id. A.* 1, 118. Ipsius ante oculos. ℙ Particula *ce* addita vim addit demonstrandi. *Macr. Sat.* 5, 22. Quod epitheton ipsiusce legerat, sociae ejus imposuit.

[IPSEPLEX, ĭcis, m. qui ipse per se plicatur: ut *multiplex*, qui multum plicatur. *Gloss. Phil.* Ipsiplices, *αὐτοπτυκτα φύλλα*. *F.*]

IPSIPĔ, ipsi, neque alii. *Fest.* ubi notant critici, *ipsipte* legi posse, ut *mihipte*, *eopte*. At *Nic. Ignarra* in *Opusc.* p. 65. putat legendum *ipsipse*, atque etiam in *Gloss. Phil.* pro mendoso *Iosipse*, *αὐτὸς*, reponendum *ipsipse*, *αὐτανδρός*. Haec enim vox in Graeca inscriptione ibidem ab eodem allata legitur.

IPSŬLAE. V. in SALISUBSULUS.

IPSULLĬCES, vel Ipsilices, bracteae in virilem, muliebremque speciem expressae. *Festus.* ubi quidam suspicantur, intelligi imagunculas, quibus magi in amatoriis sacrificiis utebantur, ut eos, quos referebant, ad amandum illicerent: ab *ipse*, et *ille*. Dicuntur et *ipsilles*, et *subsilles*. De quibus *Festus:* Subsilles sunt, quas aliter ipsilles vocant, lamellae necessariae sacris, quae ad rem divinam conferre dicuntur maxime, specie virum ac mulierum.

I R

IR. V. HIR.

IRĂ, ae, f. *ὀργή*, dolor animi vehemens ob injuriam, unde est cupido vindictae. De ea scripsit *Seneca* libris tribus: in quorum 1.° c. 1., 2.° c. 35. et 3.° c. 4. irati hominis habitum ipse depingit. *Cic. Tusc.* 4, 9. Ira est libido puniendi ejus, qui videatur laesisse injuria. *Hor. Ep.* 1, 2, 62. Ira furor brevis est. *Cic. Tusc.* 4, 23. quam bene Ennius iram initium esse dixit insaniae. *Id. Off.* 1, 38. Ira procul absit, cum qua recte nihil fieri potest. *Id. Tusc.* 4, 37. Facere aliquid per iram. [*Cic. N. D.* 1, 17, 45. Neque ira neque gratia teneri, Gr. *οὔτε ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεσθαι*.] *Hirt. B. Afr.* 46. Ira percitus; et 85. et *Nep. Pelop. f.* Ira et dolore incensus. *Ter. Hec.* 3, 5, 35. Quibus iris impulsus, etc. *Cic.* vertens *Homeri* locum *Tusc.* 3, 9. Corque meum penitus turgescit tristibus iris. *Sall. Cat.* 32. Ira commotus. *Virg. A.* 2, 594. quis indomitas tantus dolor excitat iras? et 316. furor iraque mentem Praecipitant. *Id. ib.* 12, 590. Iram acuere. *Sil.* 11, 7. iras servare repostas; et 1, 38. cunctas sibi induere; et 17, 443. accendere. [*Lucan.* 3, 133. in iram accendi: ubi v. *Cort.*] *Tac. H.* 2, 48. asperare. *Virg. A.* 2, 381. attollere. *Ter. Hec.* 3, 1, 33. concire; et 4, 1, 47. ira incendi. *Val. Fl.* 7, 294. aestuare. *Just.* 5, 10. *f.* Iram concipere. [*Lucan.* 1, 207. Totam dum colligit iram: de qua dicendi ratione v. *Cort.* et quos laudat ad 2, 93.] *Val. Fl.* 6, 556. cassa ira frendere; et 3, 637. ira fluctuare; et 1, 748. irarum ignes concipere. *Ov. Pont.* 4, 14, 41. iram concitare. *Ter. Ad.* 3, 2, 14. evomere in aliquem. *Hor. Ep.* 5, 54. vertere in aliquem. *Petr. Sat.* 139. satiare. *Liv.* 23, 3. Indulgere irae. *Val. Fl.* 1, 673. consurgere in iras. *Virg. A.* 12, 499. irarumque omnes effundit habenas; et 314. Iram cohibere. *Petr. Sat.* 94. exstinguere. *Sen. Med.* 381. comprimere; et 866. frenare. *Colum.* 6, 2. contundere. *Tibull.* 1, 7, 64. et *Just.* 9, 8. vincere. *Val. Fl.* 2, 315. et *Quint.* 6, 3. frangere; et 3, 8. lenire. *Virg. A.* 1, 61. temperare. *Hor. A. P.* 160. ponere. *Id. Ep.* 1, 2, 59. moderari irae. *Cic. Tusc.* 4, 36. Ira defervescit. *Liv.* 40, 8. deflagrat. *Ter. Hec.* 3, 5, 55. decedit. *Id. Andr.* 3, 3, 20. Irae sunt inter aliquos. *Id. Hec.* 3, 1, 25. Ira inter eas intercessit. *Val. Fl.* 7, 34. talique effunditur ira, *h. e.* hujusmodi voces iratas profert. *Ov. Amor.* 1, 8, 81. Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram. [*Poterant hic commemorari et ista: *Lucan.* 1, 146. Quoque ira vocasset: ubi plura laudat *Cort. Val. Fl.* 4, 483. Jam tandem cessere irae. *Sen. de Ira* 1, 8. Ira evanescit et sua sponte discedit. *Lucan.* 4, 284. Paullatim fugit ira ferox. *Claud. Get.* 585. Immanique oculos infecerat ira. *Sil.* 5, 673. stant in vultibus irae. *Sid. Carm.* 7, 260. ira sibi facies facit.] ℙ *Irae esse alicui*, iram movere. *Virg. A.* 10, 714. Haud aliter justae quibus est Mezentius irae. *Macr. Sat.* 6, 6. Odio esse aliquem, usitatum: irae esse, inventum Maronis est. ℙ [*Epitheto-rum, quae v. *irae* addi solent haec exempla sunto: *Lucan.* 3, 614. Plus nobilis irae truncus habet; ad quem locum *Cort.* laudat *Vet. Epigramma de Leone:* sic nobilis ira leonis. *Lucan.* 3, 141. Acrior ira; et 4, 284. ira ferox. *Claud. Get.* 585. Immanis ira. *Suet. Claud.* 30. ira turpior. *Prop.* 3, 15, 44. ira ruens; et 4, 5, 31. utilis; et 2, 9, 35. feminea; et *al.*] ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 2, 575. subit ira cadentem Ulcisci patriam. ℙ Translate. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 10, 887. Nisi cum ira belli desenuisset. *Val. Fl.* 7, 149. ipsum horrisoni quatit ira flagelli. *Id* 1, 37. Ira maris. [*De usitatissima hac dicendi ratione multa collegit *Cort.* ad *Lucan.* 5, 600.] *Grat. Cyn.* 418. morbi. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 25. tunc fulva Leonis Ira perit, *h. e.* splendor, aut calor sideris Leonis. *Id. Rapt. Pros.* 1, 146. caput inde Pachyni Respuit Ionias praetentis rupibus iras, *h. e.* fluctus et procellas. [*Huc pertinent et ista: *Prop.* 2, 16, 52. ira fulminis. *Sil.* 17, 254. ira ventorum; et 12, 610. grandinis ira.] ℙ Metonymia est in illo *Ov. Pont.* 4, 3, 21. dic aliquam, quae te mutaverit, iram; et *Grat. Cyn.* 374. commissam ulciscitur iram, *h. e.* injuriam, ex qua ira orta est; et *Sil.* 7, 344. renovant tela . . . . . et dant mucronibus iras, *h. e.* saxo asperant. ℙ *Ira alicujus rei* est, quae ob rem aliquam oritur. *Liv.* 27, 7. *f.* Qui ex praetoris exercitu ob similis iram fugae missi eo ab senatu fuerant. [*Id. 1, 5. Ob iram praedae amissae. Plura v. in *lex. Liv.* s. h. v.] ℙ Passive. *Liv.* 2, 61. Nunquam ante tam invisus plebi reus ad judicium vocatus populi est: plenus suarum, plenus paternarum irarum. ℙ *Irai* pro *irae* more suo dixit *Lucr.* 3, 304.

IRĀCUNDĒ, adv. cum iracundia, irate, *ὀργίλως*. *Cic. Phil.* 8, 5. Vehementer me tecum agere fateor; iracunde nego. *Just.* 12, 6. Iracunde accipere aliquid. *Cic. Rosc. Com.* 11. Quo quisque est ingeniosior, eo docet iracundius et laboriosius.

IRĀCUNDIĂ, ae, f. *ὀργιλότης*, proclivitas in iram. *Verrius*, sive *Festus*, sive *Paulus*, dicit iracundiam dictam esse, quod iram accendat, quasi conflata sit ex *ira*, et veteri *cando*, unde *accendo*, et *incendo*. Sed hoc ineptum videtur. Quid enim fiet *facundia?* Differt ab ira, quia iracundia est vitium, ira est motus animi ad tempus. *Cic. Tusc.* 4, 12. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt: estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt anxietas ab angore. Neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, neque anxii semper anguntur, ut inter ebrietatem et ebriositatem interest, aliudque est esse amatorem, aliud amantem. Haec *Cic.* (Adde *Suet. Claud.* 38.) Sed haec differentia non observatur: ac saepe pro ira ponitur. *Id. Acad.* 4, 44. Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant. *Id. Har. resp.* 2. Qui hesterno die dolore me elatum, et iracundia longius prope digressum arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet. *Ter. Ad.* 3, 2, 12. Ardere iracundia. *Id. Heaut.* 5, 1, 47. Prae iracundia vix sum apud me. *Id. Ad.* 5, 3, 8. Iracundiam reprimere; et 4, 7, 37. omittere. *Cic. Phil.* 8, 6. remittere. *Id. Marcell.* 3. cohibere. *Caes. B. C.* 1, 8. suam reipubl. dimittere; et *ib.* 3, 16. Esse summa iracundia. *Cic. Or.* 2, 75. Iracundia efferri. *Id. Verr.* 2, 2, 20. exardescere, et stomacho; et *Tusc.* 4, 22. inflammari. *Curt.* 10, 5. *f.* Iracundiam irritare, aut mitigare. *Petr. Sat.* 97. satiare. *Sall. Cat.* 50. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Iracundias domitas habere. ℙ [*Iracundia est etiam figura eloc., Gr. *ἀγανάκτησις*, ap. *Cic. Or.* 3, 53.]

IRĀCUNDĬTER, adv. idem ac iracunde. *Caecil.* ap. *Non.* 11, 45. Temere rem agere, et iracunditer. Adde *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

IRĀCUNDUS, a, um, adj. *ὀργίλος*, qui natura ad iram proclivis est, et ex parva, vel nulla causa irascitur. Differt ab *iratus*, quia *iratus* dicitur, qui ira concitatus est, *iracundus*, qui facilis est ad iram, etiamsi tunc nulla ira movetur. V. IRACUNDIA. *Cic. Sen.* 18. Sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes. *Id. Phil.* 5, 9. Impotens, iracundus, contumeliosus, superbus. *Id. Planc.* 26. Iracundum esse in aliquem. *Just.* 7. *f.* adversus aliquem. *Caes. B. G.* 1, 31. Homo barbarus, iracundus, temerarius. *Hor. Od.* 1, 3. *f.* Neque Per nostrum patimur scelus, Iracunda Jovem ponere fulmina. *Ov. Met.* 15, 86. Armeniaeque tigres, iracundique leones. *Hor. Sat.* 1, 3, 29. Iracundior est paulo. *Sen. Ira* 2, 6. *extr.* Aut iniquus erit sapiens, si aequaliter irascetur delictis inaequalibus; aut iracundissimus, si etc.

IRASCENTIĂ, ae, f. iracundia. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Irascentiam ad domicilium cordis deductam esse; et *ib. f.* Irascentiam subigere.

IRASCĪBĬLIS, e, adj. qui facile irascitur, iracundus. *Firm. Math.* 5, 9. Irascibilem effici.

[IRASCĪTIVUS, a, um, adj. idem ac irascibilis. *Hieron. in Ezech.* 1, 1, 7. Plerique juxta Platonem, rationale animae, et irascitivum, et concupiscitivum, quod ille *λογικὸν*, et *θυμικὸν* et *ἐπιθυμητικὸν* vocat, ad hominem, et leonem ac vitulum referunt. Quod *Hieron. l. c.* vocat *irascitivum*, id *Tert. Anim.* 16. appellat *indignativum; Cic.* vero *Div.* 1, 29. vocat *eam animi partem, in qua irarum exsistit ardor. F.*]

IRASCOR, ĕris, dep. 3. *ὀργίζομαι*, iram concipio, ira incendor, succenseo. *Cic. Tusc.* 3, 9. Nunquam sapiens irascitur, nam si irascitur, etiam concupiscit. *Id. Phil.* 8, 5. *f.* Omnino irasci amicis non temere soleo. *Id. Att.* 15, 17. Arabioni de Sitio nihil irascor. *Caes. B. C.* 1, 8. Graviter irasci inimicis. *Pl. Truc.* 4, 2, 56. de nihilo. *Id. Merc. prol.* 37. alicui ob multiloquium. *Cic. Rosc. Com.* 16. Ex perfidia et malitia Dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt. *Ov. Her.* 1, 68. Irascor votis, heu! levis ipsa meis. *Quint.* 2, 6. Admonitioni alicujus irasci. *Prop.* 3, 22, 12. Irascor, quoniam es, lente, moratus heri. *Virg. A.* 12, 104. taurus irasci in cornua tentat, Arboris obnixus trunco. *Pl. Capt.* 4, 2, 60. Noli irascier. *Quint. decl.* 9, 3. Hic irascendo pertinax erat: ille incendendo contumax. *Gell.* 1, 26. Haec super irascendo sentio. *Cic. Brut.* 95. Saepe videbam cum irridentem, tum etiam irascentem, et stomachantem Philippum. *Petr. Sat.* 139. *extr.* Vix fieri posse, ut rabies irascentis sine verbere considat. *Ov. Met.* 6, 269. Mirantem potuisse, irascentemque, quod ausi Hoc essent Superi. ℙ Cum accusativo. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Idne irascimini, si quis superbior est, quam nos? *Gell.* 19, 12. *extr.* Nihil dolent, nihil irascuntur. *Liv.* 34, 32. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. *In Suppositis Mercatoris Plautini*, *Scena*, *quae incipit:* Syra non redit; *v.* 15. Istuc dictum tibi non amplius irascor. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 104. *extr.* Cum pelago ventus irascitur. *Plin.* 9, 36, 60. Color irascenti similis mari. ℙ *Irascere* activa forma, pro *irasci*, usi sunt *Pompon.* et *Nigid.* ap. *Non.* 2, 446.

IRĀTĒ, adv. *χαλεπῶς*, *ἐπικότως*, cum ira. *Phaedr.* 4, 24. ne irate dimissum te sentiam, Ad coenam mihi promitte. Al. aliter leg. *Colum.* 7, 12. Ut nonnunquam etiam conservos iratius intueantur.

IRĀTUS, a, um, adj. *ὀργισθείς*, ira commotus. Irati descriptionem habes ap. *Sen. Ira* 1, 1., 2, 35. et 3, 4. Hinc *Cic. Tusc.* 4, 36. *extr.* Archytas cum villico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? *Id. Phil.* 8, 6. Caesar illis fuerat iratissimus. *Id. Att.* 14, 19. Habere aliquem iratum. *Id. Or.* 1, 51. Iratum adversario judicem facere. *Id. Fl.* 4. Quam iratus de judicio, et de villico! *Pl. Pseud.* 5, 2, 30. Numquid iratus es mihi propter has res? *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Iratus, quod evocatus esset invitus. *Nep. Cat.* 2. Neque hoc per senatum efficere potuit: qua ex re iratus, etc. *Prop.* 4, 8, 57. Iratos ungues in vultum alicujus conjicere; et 3, 23, 30. irata janua fracta manu. *Phaedr.* 4, 19. *extr.* Diis iratis natus. ℙ Translate. *Hor. Epod.* 2, 6. Iratum mare. *Id. Sat.* 2, 8, 5. Quae prima iratum ventrem placaverit esca. *Prop.* 4, 9, 62. Irata sitis; et *ib.* 6, 28. Irati venti. *Petr. Sat.* 114. fluctus. [*Occurrit hoc dicendi genus etiam ap. prosae orationis scriptores. Ita *Plin. Pan.* 35, 1. iratosque fluctus sequi: ubi v. *Gierig.*] *Claud. IV. Cons. Honor.* 426. vultus Lunae, *h. e.* rubentes.

IRCĔUS ap. *Fest.* est genus farciminis. Putant autem esse ab *hircus*, omissa aspiratione, et farcimen ex hircino sanguine significare.

[IRCUS, i, m. pro *hircus*, omissa aspiratione, dixerunt veteres Latini, teste *Quint.* 1, 5. *med. F.*]

[IRĒNAEUS, i, m. *εἰρηναῖος*, pacis studiosus.

Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 709, 7. C. Julius Irenaeus. *F.*]

IRĒNARCHA vel Irenarches, ae, m. εἰρηνάρχος, magistratus ad id constitutus, ut ad provincialium tutelam, quietis et pacis per singula territoria concordiam stare faciat, ut habetur in *Cod.* 10, 75. ab εἰρήνη, pax, et ἀρχὸς, princeps. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. Irenarchae, qui disciplinae publicae, et corrigendis moribus (al. leg. *motibus*) praeficiuntur. *Mart. ib.* 48, 3, 6. Ut Irenarchae, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis, et receptoribus, etc.

[IRĒNĒ, es, f. εἰρήνη, pax. Et cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 719, 2. Alfidia Irene. *F.*]

[IRĒNĪCUS, i, m. εἰρηνικὸς, pacificus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 717. *n.* 389. Claudius Irenicus. *F.*]

IRI, et IRĪER. V. in EO, is.

[IRĪĀTES et Irienses, ium, m. plur. incolae urbis Liguriae, decem mill. pass. a Dertona dissitae, quae olim *Julia Iria*, a *Ptolem. l.* 3. *c.* 1. Εἰρία, a *Plin.* 3, 5, 7. Iria, deinde *Vicus Iriae*, nunc *Voghera* est appellata. *Liv.* 31, 10. Insubres, Cenomanique, et Boji, excitis Statiellibus, Iriatibusque, et ceteris Ligusticis populis Placentiam invaserunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 1108, 4. C. Metilio C. Fil. Pomp. Marcellino patrono coloniae Forojulii Iriensium etc. Adde aliam ap. *eund. ib.* 5., in qua pro *Deccoleor. Juliiriens.* legendum *Dec. Col. Julii Iriens.* V. plura huc pertinentia ap. *Labus. Notiz. del P. Recagni* p. 24. et sqq. ℙ *Iria Flavia* fuit urbs Gallaeciae in Hispania, cujus meminit *Ptolem. l.* 2. *c.* 6., quamque alii putant esse *Padron*, alii *S. Maria di Finisterra.* Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 305, 8. Sex. Allio M. F..... flamini Divorum August. concilii Iriensis etc. *F.*]

IRĪCOLOR, oris, adj. Iridis colores referens. *Auson. ep.* 3, 15. Iricolor pluma columbae.

IRĪNUS, a, um, adj. ἴρινος, ad iridem herbam pertinens, ut *irinum oleum*, seu *unguentum*, et *irinum* absolute, quod ex ejus radice fit. *Plin.* 30, 14, 43. Irino succo perunctus. Adde 13, 1, 2. et 20, 17, 71. et 21, 7, 19. et *Cels.* 2, 33. *f.* V. IRIS.

IRĪO, onis, m. ἰρύσιμον, genus frugis sesamae simile, fruticosum, foliis erucae, semine nasturtii, ut *Plin.* 22, 25, 75. describit. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 1. et *ib.* 10, 22. enumerat inter aestiva frumenta, *h. e.* quae aestate seruntur.

IRIS, is, *saepius quam* idis, f. ἶρις, colores varii in nubibus impressi, et in modum ingentis arcus conformati, qui ex radiis solis uvidis nubibus impressis fiunt. De ea multa *Sen. Q. N.* 1, 3. et sqq. *Plin.* 2, 59, 60. et *Ammian.* 20, 11. *med.* ℙ In fabulis est filia Thaumantis et Electrae, ut est ap. *Hyg. praef.*, nuncia non solum Junonis et Dearum, sed etiam Jovis et ceterorum Deorum, ut docet *Serv.* ad *A.* 5, 606. ubi *Virg.* Irim de coelo misit Saturnia Juno Iliacam ad classem; et ad *A.* 9, 16. ubi *Virg.* 803. aeriam coelo nam Juppiter Irim Demisit; et 18. Iri, decus coeli, quis te mihi nubibus actam Detulit in terras? *Id. ib.* 4. *f.* Iris croceis per coelum roscida pennis, Mille trahens varios adverso sole colores Devolat. *Ov. Met.* 1, 270. varios induta colores Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert; et *ib.* 14, 830. Irin ad Hersiliam descendere limite curvo Imperat. *Auson. in perioch. Iliad.* 2. Iride ita monente; et *perioch.* 15. Minaciter per Iridem conterritus. ℙ Est etiam *Iris* herba, gladioli foliis, sed majoribus, radice odorata (ex qua irinum unguentum fit) flore colorum varietate coelestem arcum referente. [*Fortasse nostrum *Schwertlilie.*] *Plin.* multa de ea 21, 7, 19., item *ib.* 20, 83. ubi varios ejus usus tradit in medicina. *Pall.* 1, 37. Hyacinthus, qui iris, vel gladiolus dicitur similitudine foliorum. *Cato R. R.* 107. Iris aridae contusae heminam infundito, et sertam Campanicam una cum iri contundas. *Colum.* 12, 27. Irim bene pinsitam addito; et 51. Junci radicis, tum etiam iridis Graecae pari pondere. ℙ Item gemma *(cristallo ad iride)*, quae sub tecto percussa sole, species et colores arcus coelestis in proximos parietes ejaculatur, subinde mutans, magnaque varietate admirationem sui augens. *Plin.* 37, 9, 52. ℙ Est etiam fluvius in Pontum Euxinum influens. *Plin.* 6, 3, 3.

IRNĒA. } V. HIRNEA et HIRNELLA.
IRNELLA. }

IRŌNIA, ae, f. εἰρωνεία, Latine *inversio*, *dissimulatio*, et *illusio*, figura est rhetorum, allegoriae species, qua non solum aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ut in allegoria, sed omnino contrarium significatur. Duplex est, alia tropi, seu verborum: alia schematis, seu sententiarum, ut *Quint.* 9, 1. et 2. docet. Illa in paucis verbis, haec in tota sententia conspicitur. Plures ejus species enumerat *Id. c.* 2. *med.* monetque, et jocos, et totam interdum causae conformationem, tum etiam vitam alicujus universam, ironiam habere, qualis est visa Socratis, qui ideo dictus εἴρων, id est agens imperitum, et admirator aliorum, tanquam sapientium. *Cic. Or.* 2, 67. Socratem opinor in hac ironia, dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse; et *Brut.* 85. Ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, facetam et elegantem puto; et 87. Nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Sine ulla mehercule ironia loquor. ℙ Triplex est ratio detegendae ironiae, nam aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Si qua enim illarum dissentit verbis, apparet, diversam esse orationi voluntatem. *Quint.* 8, 6. *med.*

IRONICĒ, adv. εἰρωνεικῶς, per ironiam. *Ascon.* in *Verr.* 2, 13. Et *honeste* ironice dictum est.

IRPEX, icis, m. ἅρπαξ, ἁρπάγη, genus rastri ferrei, plures dentes habentis, ad exstirpandas herbas in agris, ut *Festus* docet. *Varr. L. L.* 4, 31. Irpices, regula cum pluribus dentibus, quam item ut plaustrum boves trahunt, ut eruant, quae in terra sunt. *Cato R. R.* 10. Irpicem unum, crates stercorarias quatuor. *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 95. Vimineasque trahit crates, etc. instrumenta rustica, ad agrorum scilicet exaequationem, quam rustici irpicem vocant. Ap. *Cat.* al. leg. *urpicem:* alii mallent aspirationem *h* appingere, quod sit a Graeca voce allata. *Varr. l. c.* videtur a *serpo* deducere.

IRPĪNI. V. HIRPINI.

IRQUITALLUS. V. HIRQUITALLUS.

IRRADIĀTUS et Inradiatus, a, um, part. ab *irradio*, radiis illustratus. *Capell.* 8, 273. Candore luminis propinquantis plures irradiati refulsere Divi.

IRRADIO et Inradio, as, a. 1. ἀκτιβολέω, radiis illustro. *Stat. Th.* 6, 64. teretes hoc undique gemmae Irradiant. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 84. Grajorum obscuras Romanis floribus artes Irradias, *h. e.* Latino eloquio illustras. ℙ Item neutra significatione resplendeo, radios emitto. *Sedul.* 5, 315. in *Matth. c.* 28. Coeperat interea post tristia sabbata felix Irradiare dies.

IRRADO et Inrado, is, a. 3 aliquid in aliquam rem rado. *Cato R. R.* 157. Eodem silphium inradito: bonum est, *h. e.* rade et insperge.

IRRĀSUS et Inrasus, a, um, part. ab *irrado*, ξεστὸς, in aliquam rem rasus, et immixtus. *Cato R. R.* 157. Sic et laserpitium inrasum cum brassica ex oxymeli. ℙ Item simpliciter rasus. *Pl. Rud.* 5, 2, 16. Dii te ament cum irraso capite. De naufrago loquitur. Mos enim erat, ut post naufragii periculum caput raderent. Hinc *Juven.* 12, 81. gaudent ibi vertice raso Garrula securi narrare pericula nautae. Est tamen, qui putat, hoc *Plauti* loco, non rasum, significare, ut in §. 3., crispum nempe. ℙ Item rudis, non rasus, ἄξοος, αὐτοφυὴς. *Sil.* 8, 584. Aptabat dextris irrasae robora clavae, *h. e.* ferro non polita, sed ut e silva decisa fuerat.

IRRATIONĀBĪLIS et Inrationabilis, e, adj. ἄλογος, ratione, aut causa carens. *Quint. decl.* 9, 16. Sive coelestis providentia, sive irrationabilis casus. *Id. decl.* 325. *med.* Sunt quidam irrationabiles impetus animorum. *Cels. praef. med.* Irrationabile animal hanc artem posse praestare. [*Pertinet hic locus ad v. *irrationalis* nempe pro *irrationabile irrationale* legendum: v. *Spald.* ad *Quint.* 2, 16, 16., ubi vix adduci posse fatetur, ut *rationabilem* et *irrationabilem Celso*, *Sen.* aliisque latinitatis auctoribus tribuat, quas voces vix Appulejo imputet.] *Lact. Ira D.* 7. Rationale animal cum mutis et irrationabilibus coaequare.

IRRATIONĀBĪLITAS et Inrationabilitas, atis, f. *Appul. Trismeg.* Talis senectus veniet mundi, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium. Al. leg. *hominum.*

IRRATIONĀBĪLITER et Inrationabiliter, adv. ἀλόγως, sine ratione. *Tert. Poen.* 1. In poenitentiae actu irrationabiliter deversari. Adde *Charis.* 1, 41.

IRRATIONĀLIS et Inrationalis, e, adj. ἄλογος, ratione carens. *Sen. ep.* 92. Bonum rationalis animi ex irrationabilis nectere. *Quint.* 8, 6. Secantur haec in plures, ut a rationali ad rationale, et idem de irrationalibus. ℙ [*Quam Gr. ἄλογον τομὴν vocarunt, *Quint.* 10, 7, 11. *usum irrationalem* interpretatus est, habitum quendam, quo manus in scribendo decurrit, quo oculi simul in lectione versus, flexusque eorum et transitus intuentur, et ante sequentia vident, quam priora dixerunt: *die Routine, die sich auf lange Uebung gründet.* In ea re nempe nec ars nec ratio cernitur, sed naturali quodam membrorum impetu omnia fieri videntur; cf. *Cic. Or.* 2, 30. ubi ejusdem rei quaedam vestigia notat: neque enim, *inquit*, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi litterae sunt cogitatione conquirendae. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 229.]

IRRATIONĀLITER et Inrationaliter, adv. ἀλόγως, sine ratione. *Tert. adv. Marc.* 2, 6. Irrationaliter bonum; et *adv. Prax.* 3. Unitas irrationaliter collecta.

IRRAUCĒO et Inrauceo, es, ausi, n. 2. βραγχάω, raucus sum, aut fio. *Cic. Or.* 1, 61. At Aesopum, si paulum irrauserit, explodi. Ita legit etiam *Prisc.* 10, 904. Sunt tamen, qui minus recte malunt *irraucuerit.*

IRRĒCĪTĀBILĪTER et Inrecitabiliter, adv. ineffabiliter. *Venant. carm.* 3, 9, 49. Irrecitabiliter manans de corde Parentis.

IRRĒCOGITĀTIO et Inrecogitatio, onis, f. incogitantia. *Tert. exhort. ad cast.* 4. Irrecogitationem excessus sui passa. Alii minus recte leg. *recogitationem.*

IRRĒCORDĀBĪLIS et Inrecordabilis, e, adj. cujus meminisse quis nequit. *Arnob.* 2, 62. Aliquid irrecordabili oblitteratione deperdere.

IRRĒCŪPERĀBĪLIS et Inrecuperabilis, e, adj. ἀνεπιοκεύαστος, irreparabilis. *Tert. Pud.* 14. Immunditi irrecuperabili tabiosum cadaver, *h. e.* quae eluí non potest.

[IRRĒCŪPERĀBĪLĪTER, adv. irremisse. *Acron.* ad *Hor. A. P.* 452. Mali poetae carmina ab omnibus excipiuntur, et irrecuperabiliter deridentur. *F.*]

IRRĒCŪSĀBĪLIS et Inrecusabilis, e, adj. qui recusari non potest. *Imp. Just. Cod.* 3, 1, 13. *med.* Irrecusabilis occasio.

IRRĒDĪVĪVUS et Inredivivus, a, um, adj. non redivivus, qui reviviscere non potest. *Catull.* 17, 2. sed vereris inepta Crura ponticuli adsulitantis, inredivivus Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat, *h. e.* irreparabilis.

IRRĒDUX et Inredux, ūcis, adj. omn. gen. qui redux esse non potest. *Lucan.* 9, 408. Irreducemque viam deserto limite carpit, *h. e.* qua non erat rediturus.

IRRĒFORMĀBĪLIS et Inreformabilis, e, adj. qui reformari, et in melius mutari non potest. *Tert. Virg. vel.* 1. Regula Fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis. *Id. adv. Valent.* 29. Immutabilis et irreformabilis natura.

IRRĒFŪTĀBĪLIS et Inrefutabilis, e, adj. qui refutari non potest. *Arnob.* 4, 139. Si mendaces illi, vos, veritas quae sit, exponite, et irrefutabile aperite secretum.

IRRĒFŪTĀTUS et Inrefutatus, a, um, adj. non refutatus. *Lact.* 5, 16. *f.* Irrefutata haec, tanquam foveam, praetergressus est.

IRRĒGĪBĪLIS et Inregibilis, e, adj. qui se regere, vel regi ab alio non potest. *Veg. Vet.* 2, 3. Animal freneticum repente salit, et velut effugere velit, parietibus se tanquam irregibilis impingit. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 14. Corporis fluxa et irregibilis laxitas, *h. e.* immoderata.

IRREGRESSĪBĪLIS et Inregressibilis, e, adj. qui regredi non potest. *Irregressibilis transgressio* ap. *August. C. D.* 8, 22. a qua regredi quis non potest.

*IRREGULĀRIS, e, adj. *irregular. Guil. Tyr.* l. c. 13, 26. Irregularis ventorum concursus. *Sarish.* l. c. 7, 26. Irregularem regulam profiteri. *B. A.*

IRRĒLĪGĀTUS et Inreligatus, a, um, adj. non religatus, solutus. *Ov. A. Am.* 1, 530. Nuda pedem, croceas irreligata comas. *Albinov.* 2, 5. Irreligata ratis, *h. e.* non ligata ripae.

IRRĒLĪGIO et Inreligio, onis, f. irreligiositas. *Appul. Trismeg.* Irreligio, inordinatio, irrationabilitas.

IRRĒLĪGIOSĒ et Inreligiose, adv. ἀσεβῶς, sine religione. *Tac. A.* 2, 50. Si qua de Augusto irreligiose dixisset. *Arnob.* 1, 13. Vestra sunt haec irreligiose opinata, et irreligiosius credita.

IRRĒLĪGIOSĪTAS et Inreligiositas, atis, f. ἀσέβεια, religionis defectus, impietas. *Tert. Appol.* 24. Committitis crimen verae irreligiositatis.

IRRĒLĪGIOSUS et Inreligiosus, a, um, adj. ἀσεβὴς, religionis expers, impius. *Liv.* 5, 4. *f.* Irreligiosum ratus, sacerdotes sacraque populi R. pedibus ire ferrique; se, ac suos in vehiculo conspici. *Plin. ep.* 4, 1. Templi dedicationem differre, irreligiosum est. *Arnob.* 5, 185. Potest irreligiosius quidpiam existimari? *Tert. Or.* 12. *extr.* Factum istud irreligiosissimum est.

IRRĒMEĀBĪLIS et Inremeabilis, e, adj. unde remeare non licet. *Virg. A.* 5, 590. de labyrintho: qua signa sequendi Falleret indeprensus, et irremeabilis error. *Id. ib* 6, 425. ripam irremeabilis undae, *h. e.* Stygis. *Sen. Herc. Fur.* 548. ire vias irremeabiles. *Sil.* 5, 41. Irremeabile litus.

IRRĒMĒDIĀBĪLIS et Inremediabilis, e, adj. ἀνηκεστος, cui remedium adhiberi non potest. *Plin.* 25, 13, 95. Cicuta in vino pota irremediabilis existimatur. *Maecenas* ap. *Sen. ep.* 114. Irremediabilis factio, *h. e.* implacabilis.

[IRRĒMISSĒ, adv. sine indulgentia. *Ammian.* 29, 2. *med.* Inremisse ab extremis regionum intervallis exhibitis omnibus, quos accusator perduci debere mandarat, suscipi quaestionem criminose praecepit. *F.*]

IRRĒMISSĪBĪLIS et Inremissibilis, e, adj. qui remitti, seu condonari non potest. *Tert. Pudic.* 2. et 13. Irremissibilia peccata. *Hieron. ep.* 42. *n.* 1. Irremissibilis blasphemia.

IRRĒMŌTUS et Inremotus, a, um, adj. non remotus. *Prud.* περὶ στεφ. 5, 407. Hoc munus implet sedule, Et inremotus excubat.

IRRĒMUNERĀBĪLIS et Inremunerabilis, e, adj. ἀνταλλακτος, quem remunerari non possumus. *Appul. Met.* 3. et 11. Irremunerabile beneficium.

IRRĒMUNERĀTUS et Inremuneratus, a, um.

adj. cui nihil repensum est. *Cassiod. Variar.* 2, 16. *extr.* Soboles irremunerata.

IRREPARABILIS et Inreparabilis, e, adj. *ἀνεπιδιόρθωτος*, qui reparari, seu recuperari non potest. *Sen. ep.* 123. *med.* Fluunt dies, et irreparabilis vita decurrit. *Colum.* 11, 1. *f.* Temporis fuga irreparabilis. *Virg. G.* 3, 284. et *A.* 10, 467. breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae.

*IRREPARABILITER, adv. *Sarisb.* 2, 27. Irreparabiliter stratus. *B. A.*

IRREPERCUSSUS et Inrepercussus, a, um, adj. non repercussus. *Tert. Apol.* 16. *extr.* Ne quid rumoris irrepercussum praeterissemus, *h. e.* irrefutatum. Al. leg. *impercussum.*

IRREPERTUS et Inrepertus, a, um, adj. *ἀνεύρετος*, non repertus. *Hor. Od.* 3, 3, 49. Aurum irrepertum, et sic melius situm, Cum terra celat, spernere fortior. *Sen. Med.* 648. Herculi magno puer irrepertus.

IRREPLETUS et Inrepletus, a, um, adj. non repletus. *Paul. Nol. carm.* 17, 60. Cogimur victo, licet irrepleti, Cedere voto.

IRREPO et Inrepo, is, psi, n. 3. *προέρπω, ὑπεισέρχομαι*, rependo introeo, illabor, sensim, aut clam me infero. Proprie dicitur de iis, quae repunt: late de aliis. *Plin.* 29, 4, 23. Salamandra si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno. *Suet. Aug.* 94. Draconem repente irrepsisse ad eam. *Colum.* 4, 1. Ut sit inferior tenera terra, quae non arceat, nec duritie sua repellat novas irrepentes radiculas. *Id.* 3, 18. *f.* Irrepentibus aquis, praedictisque animalibus, celeriter senescunt. *Flor.* 2, 12. Summa arte et industria ducis, cum alia minatus, alia irrepsisset. *Appul. Met.* 3. et 8. Summa cum trepidatione irrepit cubiculum; et *ib.* 4. Caveam festinus irrepsit; et *ib.* 9. Latenter irrepit hospitium. ℙ Translate. *Cic. Or.* 28. Eloquentia modo perfringit, modo irrepit in sensus. *Id. Or.* 3, 53. Irrepere in mentes hominum. *Id. Har. resp.* 24. *extr.* in opinionem gratiae. *Id. Arch.* 5. in tabulas municipiorum. *Id. Off.* 3, 19. in testamenta locupletium. *Sen. Consol. ad Polyb.* 26. *f.* Dolor requiescenti animo paulatim irrepet. *Colum. prooem. l.* 12. *f.* Cum in totum exoleverit vetus ille matrum familiarum mos, necessaria irrepsit villicae cura, quae tueretur officia matronae. *Gell.* 1, 6. Ad movendos animos hominum qualicumque astu irrepere *Stat. Th.* 5, 60. lentoque irrepunt agmine poenae. *Plin.* 26, 1, 3. Irrepsit haec lues in Italiam. *Pomp.* ap. *Non.* 9, 11. Quot laetitias insperatas mihi irrepsere in sinum! *ἱλληνιαμός.* ℙ De iis, qui paulatim, aut clam ad alicujus familiaritatem perveniunt. *Tac. A.* 13, 12. Adolescentuli, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus irrepserant per luxum et ambigua secreta. *Id. H.* 2, 63. Vitellius irrepentibus dominationis magistris, superbior et atrocior.

IRREPOSCIBILIS et Inreposcibilis, e, adj. qui reposci non potest. *Appul. Apol.* Vidua nihil affert irreposcibile, jam ab alio praeflorata. *Sidon.* 8, 15. Quod mihi insolubile videtur, tibi quoque videatur irreposcibile.

IRREPREHENSIBILIS et Inreprehensibilis, e, adj. qui reprehendi non potest. *Tert. Resurr. carn.* 23. *f. ex Timoth.* 1, 6. Mandatum immaculatum irreprehensibile. *Firm. Math.* 1, 3. *med.* Post dictaturae irreprehensibiles actus. *Arnob.* 2, 53. Inculpabiles, et ideo irreprehensibiles vivimus.

IRREPREHENSUS et Inreprehensus, a, um, adj. *ἀνέλεγκτος*, non reprehensus, irreprehensibilis. *Ov. Trist.* 5, 14, 22. Et laudem probitas irreprehensa tulit. *Id. Met.* 3, 340. Irreprehensa dabat populo responsa petenti, *h. e.* vera, et non simulata.

*IRREPROBABILIS, e, adj. *Vet. Interpr. Iren.* 4, 45. Sanum et irreprobabile. *B. A.*

*IRREPTIO, onis, f. *August. ep.* 107. *B. A.*

IRREPTO et Inrepto, as, n. 1. frequent. ab *irrepo*, et ejusdem fere significationis. Cum dativo. *Stat. Th.* 4, 386. Pampineumque jubes nemus irreptare Lycurgo, *h. e.* circumfundi, et circumvincire. *Id. Silv.* 3, 1, 177. grexque protervus Nunc humeris irreptet avi. ℙ Cum accusativo. *Id. Th.* 11, 731. Argos eat, hostilesque Mycenas Squalidus irreptet.

IRREPTOR et Inreptor, oris, m. qui irrepit. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 2, 26, 2. Irreptor agrorum, *h. e.* qui alienos agros sine jure invasit.

IRREQUIEBILIS et Inrequiebilis, e, adj. irrequietus. *Scrib. Comp.* 105. Stomachi vitium, quod cum siccitate, et irrequiebili, ut ita dicam, et inexstinguibili siti consistit. Eadem verba habet *Marc. Emp.* 20.

IRREQUIES et Inrequies, etis, adj. irrequietus. *Auson. Idyll. de membr.* 12, 5. Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre calens cor; et *de inconnex.* 11. pervigil, irrequies gens. *Paul. Nol. carm.* 5, 16 Irrequies cuncta ipse movens.

IRREQUIETUS et Inrequietus, a, um, adj. *ἄπαυστος*, qui requiem non habet, qui nunquam cessat. *Ov. Met.* 2, 386. ab aevi Sors mea principiis fuit irrequieta; et *ib.* 13, 730. irrequieta Charybdis; et *Trist.* 2, 236. Bellaque cum multis irrequieta geris. *Plin.* 2, 5, 4. Irrequietus mundi circuitus.

[IRREQUISITUS, a, um, adj. non quaesitus. *Sidon. ep.* 9, 3. Custodias aggerum publicorum nequaquam tabellarius transit irrequisitus. *F.*]

IRRESECTUS et Inresectus, a, um, adj. non resectus. *Hor. Epod.* 5, 47. Hic iresectum saeva dente livido Canidia rodens pollicem.

IRRESOLUBILIS et Inresolubilis, e, adj. non resolubilis. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Pares paribus irresolubili nexu junguntur.

IRRESOLUTUS et Inresolutus, a, um, adj. non resolutus, contentus. *Ov. Pont.* 1, 2, 21. At semel intentus nervo levis arcus equino, Vincula semper habens irresoluta manet.

IRRESPIRABILIS et Inrespirabilis, e, adj. qui respirari non potest. *Tert. Idol.* 24. Inenatabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium, irrespirabile devoratis hypobrychium.

IRRESTINCTUS et Inrestinctus, a, um, adj. inexstinctus. *Sil.* 3, 29. Irrestincta focis servant altaria flammae.

IRRETIO et Inretio, is, ivi, itum, a. 4. *σαγηνεύω, πεδάω*, reti involvo, circumretio, implico, illaqueo. *Cic. Acad.* 4, 29. Quid enim ad illum, illaqueo. *Cic. Acad.* 4, 29. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat, an loquentem? *Colum.* 4, 2. Vitis toto prostrata corpore inferius solum quasi cancellavit, atque irretivit. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 21. *extr.* Iis enim se adolescens irretierat erratis, ut, etc. *Id. Cat.* 1, 6. Quem adolescentulum corruptelarum illecebris irretisses. *Id. Vat.* 5. Cum homines negotia gerentes judiciis iniquissimis irretires. ℙ Part. *Irretiens* ap. *Ammian.* 19, 8. Festinandi studio aliis irretientibus alios.

IRRETITUS et Inretitus, a, um, part. ab *irretio:* reti implicatus, illaqueatus, captus, detentus. *Colum.* 3, 11. Solum pluribus radicibus impeditum, et quasi irretitum. ℙ Translate. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 313. Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est. *Cic. Har. resp.* 4. Illaqueatus omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii implicatus. *Id. Fin.* 5, 18. *f.* Si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur. *Id. Or.* 1, 10. *med.* Stoici disputationum suarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. *Id. Vat.* 1. Ut istam loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitam retardarem.

*IRRETORQUIBILIS, e, adj. *Augustin. B. A.*

IRRETORTUS et Inretortus, a, um, adj. non retortus, non reflexus, rectus. *Hor. Od.* 2, 2, 23. Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos, *h. e.* rectis, et nil curantibus oculis: sapiens enim divitias securus spectat, neque iis capitur, sed contemnit; contra insipiens aurum videns, cupide miratur, et etiam si praetereat, retorquet vultum, et visu fruitur, quamdiu licet. Alii interpretantur, oculo recto, non limo, ut invidi solent.

IRRETRACTABILIS et Inretractabilis, e, adj. qui retractari, seu revocari non potest. *August. Confess.* 10, 33. *med.* Magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, etc.

IRREVERENS et Inreverens, entis, adj. *ἀνεύλαβής*, qui non veretur, aut metuit. *Plin. ep.* 8, 21. Sum deprecatus, ne quis ut irreverentem operis argueret, quod, etc. *Spart. Caracall.* 2. Matri irreverentem esse. *Tert. adv. Marc.* 2, 14. *extr.* Immisit pueris ursos irreverentibus in prophetam; et *Or.* 12. *f.* Irreverens est assidere sub conspectu ejus, quem maxime reverearis.

IRREVERENTER et Inreverenter, adv. sine reverentia, aut metu, *ἀναιδημόνως*. *Plin. ep.* 2, 14. Audaces huc transeunt tam irreverenter et temere, ut, etc. *Id. ep.* 6, 13. Egit Claudius Capito irreverenter magis, quam constanter, ut qui ipsum senatusconsultum apud senatum accusaret.

IRREVERENTIA et Inreverentia, ae, f. *ἀναίδεια*, defectus reverentiae, quae Deo, dominis, legibus, magistratibus, et majoribus debetur. *Tac. A.* 13, 26. Quibusdam, coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse, frementibus; et *ib.* 3, 31. Majores juventutis irreverentiam gravibus decretis notaverunt. *Id. H.* 3, 51. Tantam victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse, ut gregarius eques, occisum a se proxima acie fratrem professus, praemium a ducibus petierit.

IRREVOCABILIS et Inrevocabilis, e, adj. *ἀναπότρεπτος*, qui revocari non potest. *Lucr.* 1, 468. Aetas praeterita irrevocabilis. *Hor. Ep.* 1, 18, 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. *Liv.* 42, 62. Ut secunda fortuna in conditione honestae pacis uteretur, potius quam spe vana evectus in casum irrevocabilem se daret. *Lucan.* 1, 509. ruit irrevocabile vulgus. *Plin. ep.* 3, 7. Morbi taedio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit. *Plin. alter* 32, 1, 1. Ancorae pondere irrevocabili jactae, *h. e.* quae propter pondus reduci et retrahi vix possunt, cum semel jactae sunt. *Id.* 16, 36, 65. Hamus irrevocabilis. *Paul. Dig.* 39, 5, 35. Donatio irrevocabilis. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 42. Domitiani natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior, *h. e.* implacabilior.

IRREVOCABILITER et Inrevocabiliter, adv. ita ut non sit revocandi locus. *August. ep.* 120, 24. Superbia, qua diabolus irrevocabiliter progressus est.

IRREVOCANDUS et Inrevocandus, a, um, part. ab inusit. *irrevoco*, irrevocabilis. *Claud. B. G.* 122. ferro ne largius acto, Irrevocandus eat sectis vitalibus error.

IRREVOCATUS et Inrevocatus, a, um, adj. non revocatus. *Hor. Ep.* 2, 1, 223. Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati. V. REVOCO. *Ov. Met.* 11, 401. sed enim irrevocatus ab acri Caede lupus perstat.

*IRRHESIA, ae, f. maris Aegaei insula, non procul a sinu Thermaico. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

IRRIDENTER et Inridenter, adv. irridendo. *Laber.* ap. *Charis.* 1, 181. Iridenter petit, *August. ep.* 5. *med.* Irridenter admonere. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 235. Irridentius aliquem contemnere. *F.*]

IRRIDEO et Inrideo, es, isi, isum, a. 3. *καταγελάω*, in, seu super aliqua re rideo. *Cic. Att.* 12, 6 Caesar mihi irridere visus est. *Ter. Heaut.* 5, 2, 29. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas? *Phaedr.* 5, 3. Calvi momordit musca nudatum caput: Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem. Tunc illa irridens, etc. *Tac. A.* 1, 8. Multum irridentibus, qui ipsi viderant, etc. ℙ Et derideo, ridendo contemno, ludibrio habeo. *Pl. Trin.* 2, 4, 45. Bonis tuis rebus meas res irrides malas. *Id. Amph.* 2, 1, 40. Venis ultro irrisum dominum. *Cic. Agr.* 2, 35. Irridere aliquid et contemnere. *Id. Fam.* 9, 26. An tu id melius, qui etiam in philosophum irriseris? Est qui omittit [*in. Id. Acad.* 4, 39. *med.* Vos ab illo irridemini, et ipsi illum vicissim eluditis. *Id. N. D.* 2, 3. Per jocum Deos irridens. *Plin. Pan.* 63. Perpessus es non irridendam moram. ℙ Olim fuit etiam *irrido, is. M. Brutus* ap. *Diomed.* 1, 378. Irridunt horum lacrymas.

IRRIDICULE et Inridicule, adv. non ridicule, infacete. *Caes. B. G.* 1, 42. Non irridicule quidam ex militibus dixit, etc. [*V. *Moeb.*]

IRRIDICULUM et Inridiculum, i, n. idem ac deridiculum, irrisio. *Irridiculo habere* est irridere. *Pl. Poen.* 5, 4, 8. Praepotentes, pulcrae, pacisque potentes, soror fuimus, neque ab juventute ibi irridiculo habitae. ℙ *Irridiculo esse* est irrideri, ludibrio, seu irrisui esse. *Id. Cas.* 5, 2, 3. Atque ita irridiculo sumus ambo. Al. leg. *ridiculo.*

IRRIGATIO et Inrigatio, onis, f. *ἄρδευσις*, actus irrigandi. *Varr. R. R.* 1, 35. Pulvinos irrigationes et pluviae tempestates abluunt. *Cic. Off.* 2, 4. Ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes. *Plin.* 36, 12, 17. *n.* 3. Irrigatione fluminis diluere aliquid.

IRRIGATOR et Inrigator, oris, m. qui irrigat. *August. ep.* 95. *med.* Plantator et irrigator extrinsecus.

IRRIGATUS et Inrigatus, a, um, part. ab *irrigo: ἀρδόμενος. Colum.* 2, 14. Melius habetur foenum, quod suapte natura succoso gignitur solo, quam quod irrigatum aquis elicitur. *Phaedr.* 4, 14. Ubi irrigatus multo venas nectare. *Liv.* 7, 3. Cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset. ℙ Joculariter. *Pl. Epid.* 1, 2, 18. Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo.

IRRIGO et Inrigo, as, avi, atum, a. 1. *ἄρδω*, in aliquem locum rivos deduco. *Cic. N. D.* 2, 52. Aegyptum Nilus irrigat; et *ib.* 1, 43. Fontibus irrigare hortulos. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *med.* Jugera quinquaginta prati Caesius irrigaturum facile te arbitrabatur. *Just.* 11, 10. Cum operam oblocare ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos solitus esset. ℙ Translate. *Virg. A.* 3, 511. fessos sopor irrigat artus. *Lucr.* 4, 905. somnus per membra quietem Inriget. (Hinc *irriguus somnus* ap. *Pers.* 5, 56.) *Lucr.* 5, 282. Largus item liquidi fons luminis aetherius sol Irrigat assidue coelum candore recenti. *Pl. Poen.* 3, 3, 86. Coo vino edentulo aetatem irriges, *h. e.* madefacias, foveas, et quasi virides reddas annos tuos. *Lucil.* ap. *Non.* 9, 5. Si voles per aures pectus irrigarier. ℙ Pro madefacere. *Sen. Phoen.* 441. Irrigare fletu genas. *Id. Thyest.* 44. Irrigat terram cruor. ℙ *Irrigare aquam* est derivare, et ducere agri irrigandi causa. *Cato R. R.* 151. Si quando non pluet, aquam irrigato leniter in areas. *Virg. G.* 4, 115. et amicos irriget imbres. *Cato R. R.* 36. Amurcam spargas, vel irriges ad arbores. ℙ Translate. *Virg. A.* 1, 695. At Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat. *Accius* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 605. Et lanugo florea nunc demum irrigat.

IRRIGUUS et Inriguus, a, um, adj. *καταῤῥύτος*, aquis abundans, unde facile irrigari potest. *Hor. Sat.* 2, 4, 16. Irriguus hortus. *Pl. Trin.* 1, 1, 9. Herba irrigua. *Plin.* 5, 14, 15. Regio irrigua fontibus. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 1, 9. Irriguumque mero sub noctem corpus habento, *h. e.* madens, perfusum. V. IRRIGATUS et IRRIGO. ℙ Active *irrigua aqua* quae irrigat. *Virg. G.* 4, 32. irriguumquo bibant violaria fontem. *Ov. Amor.* 2, 16, 2. irriguis ora salubris aquis. Adde

Tibull. 2, 1, 44. ℙ Translate. *Pers.* 5, 56. Hic satur irriguo mavult turgescere somno. Sic *Lucr.* 4, 905. somnus per membra quietem Irrigat. ℙ *Irriguos ignes* dixit *Sever. Aetn.* 28. qui per occultos terrae meatus more aquae manant, et discurrunt. ℙ *Irriguum carmen* dixit *Id. ib.* 295. significans sonos, qui per organa hydraulica ope aquae eduntur. Addit *Scalig.* similem locum *Manilii* 3, 4., ubi alii aliter leg.

IRRĪMOR et Inrimor, aris, dep. 1. idem quod rimor, investigo. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 395. Cum incultos pervestigans inrimarer sinus.

IRRĪO. V. HIRRIO.

IRRĪSĪBĬLIS et Inrisibilis, e, adj. qui irrideri potest, vel irrideri dignus. Est *August. Serm.* 87. *n.* 9. *(al. c.* 7.)

IRRĪSĬO et Inrisio, onis, f. *κατεγέλως, μυκτηρισμός,* actus irridendi, derisio, ludibrium. *Cic. Acad.* 4, 39. *med.* Liber igitur a tali irrisione Socrates. *Id. Or.* 1, 12. Haec oratio omnium irrisione luditur. *Id. Off.* 1, 38. *extr.* Deforme est, de se ipso praedicare, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum, *h. e.* ut ab audientibus irridearis.

IRRĪSĪVĒ, irridendo. V. INJURIE.

IRRĪSOR et Inrisor, oris, m. *χλευαστής,* qui irridet. *Cic. Par.* 1, 4. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis ac sententiae. *Prop.* 1, 9, 1. Dicebam tibi venturos, irrisor, amores.

IRRĪSORĬUS et Inrisorius, a, um, adj. ad irridendum pertinens. *Capell.* 8, 273. Irrisoria lepidaque versutia inter insana semper deridebas.

IRRĪSUS et Inrisus, a, um, part. ab *irrideo:* derisus, contemptus. *Pl. Epid.* 3, 4, 81. Perdam potius, quam sinam, me impune irrisum esse habitum. *Virg. A.* 5, 272. Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat. *Tac. A.* 4, 9. Ad vana et toties irrisa revolutus.

IRRĪSUS et Inrisus, us, m. irrisio. *Caes. B. C.* 2, 15. Suam virtutem irrisui fore, perdoluerunt. *Liv.* 7, 10. Gallus linguam ab irrisu exserens. *Plin.* 28, 8, 29. Irrisu coarguere aliquid. *Id.* 37, 9, 40. Non sine irrisu et contemptu generis humani. *Tac. A.* 13, 15. Nero Britannico jussit, exsurgeret, et cantum aliquem inciperet: irrisum ex eo sperans pueri sobrios convictus ignorantis. *Appul. Met.* 5. *f.* Ego nunc irrisui habita quid agam?

IRRĪTĀBĬLIS et inritabilis, e, adj. *ὀργιστικός, ἐρεθιστικός,* qui facile irritatur. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, et eosdem placabiles. *Hor. Ep.* 2, 2, 102. Multa fero, ut placem genus irritabile vatum. ℙ Item qui facile irritat, et provocat. *Lactant.* 6, 23. Diabolus objicit oculis irritabiles formas, suggeritque fomenta.

IRRĪTĀBĬLĪTAS et Inritabilitas, atis, f. vis irascendi. V. EXCANDESCENTIA.

IRRĪTĀMEN et Inritamen, inis, n. irritamentum. *Ov. Met.* 13, 434. opes, animi irritamen avari; et *ib.* 12, 102. Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto Cum sua terribili petit irritamina cornu, Puniceas vestes.

IRRĪTĀMENTUM et Inritamentum, i, n. *ἐρέθισμα,* id, quo quispiam irritatur, lacessitur, provocatur. *Liv.* 40, 27. Quibuscumque irritamentis poterat, iras militum acuebat; et 30, 11. Quod irritamentum certaminum equestrium est. *Ov. Met.* 1, 140. Effodiuntur opes, irritamenta malorum. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 1. Irritamenta luxuriae. *Sall. Jug.* 94. gulae. *Tac. A.* 3, 9. invidiae. *Id. Agr.* 20. pacis. *Just.* 31, 6. *extr.* belli. *Plin. Pan.* 8. irarum. ℙ [Translate est impedimentum fluvio oppositum, quod ille quasi irritatus superare conatur. *Plin.* 5, 9, 10. Sic quoque Nilus, Siris nominatus per aliquot millia, subinde insulis impactus, totidem incitatus irritamentis non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. V. INDIGNOR. *F.*]

[IRRĪTĀTĒ, adv. cum frequenti irritatione. *Ammian.* 22, 15. *med.* Trochilus, avicula brevis, dum escarum minutias captat, circa cubantem feram *(crocodilum)* volitans blande, genasque ejus irritatius titillando pervenit adusque ipsam viciniam gutturis. *F.*]

IRRĪTĀTĬO et Inritatio, onis, f. *ἐρεθισμός,* actus irritandi. *Liv.* 31, 14. *med.* Et irritatio animorum ea prima fuit. *Sen. ep.* 9. *med.* Ad amicitiam fert illum sapientem nulla sua utilitas, sed naturalis irritatio. (Adde *Consol. ad Helv.* 6.) *Gell.* 7, 16. Reperire irritationes edendi, *h. e.* gulae irritamenta. *Tac. G.* 19. Feminae nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae.

IRRĪTĀTOR et Inritator, oris, m. *ἐρεθιστής,* qui irritat, provocat, lacessit. *Sen. ep.* 108. Omnibus natura fundamenta dedit, semenque virtutum: omnes ad ista nati sumus: cum irritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita, excitantur.

IRRĪTĀTUS et Inritatus, a, um, part. ab *irrito:* provocatus, lacessitus, ad iram incitatus, commotus. *Ter. Ph.* 2, 1, 10. Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere. *Pl. Capt.* 3, 1, 25. Canis irritata. *Just.* 12, 6. *f.* Infestae et irritatae bello gentes. *Ov. Met.* 13, 967. furit ille, irritatusque repulsa, etc. *Suet. Galb.* 21. Maxime irritati ad talem jocorum petulantiam, quod, etc. *h. e.* stimulati, invitati. *Sen. ep.* 97. *med.* Laetatur ille adulterio, in quod irritatus est ipsa difficultate, *h. e.* invitatus. *Gell.* 19, 9. Animo irritato indignabundus; et 15, 9. Atque ego his ejus verbis irritatior, Audi, inquam, etc.

IRRĪTO et Inrito, as, avi, atum, a. 1. *ἐρέθω, παροργίζω, παροξύνω,* ad iram provoco, lacesso, incendo. *Irritari,* inquit *Non.* 1, 131. et *Donat.* ad *Ter. Ad.* 2, 4, 18. et ad *Andr.* 3, 4, 18. proprie dicuntur canes, qui ante latrandum, restrictis dentibus, R litteram sono asperiore imitantur. Hinc *Lucil. de littera R.* Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit. Alii tamen etymologi aliunde derivant. [*Unice probanda videtur ratio, quam *Doederl.* 1, 157. refert, qui *irritare* frequentativum dicit v. *irruere.*] *Cic. Mil.* 31. Ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet. *Liv.* 29, 15. et *Stat. Th.* 11, 716. Irritare iram alicujus. *Liv.* 33, 46. sibi simultates. *Sall. fragm.* ap. *Non. l. c.* bellum. *Varr. ib.* ventos et procellas. *Ov. Met.* 8, 418. hostem ad iram. *Just.* 9, 2. animos. *Vell.* 2, 66. aliquem ad necem cujuspiam. [*Liv. fragm. l.* 91. (ed. Romae *Niebuhrio*) p. 91. Eadem virtus, quae inritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. *Sen. Ira* 3, 8. Fugere debebit omnes, quos irritaturos iracundiam sciet. *Liv.* 31, 5. Opportune irritandis ad bellum animis litterae allatae. ℙ *Irritare crabrones,* proverb. V. CRABRO. *F.*] ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 29, 40. Cum fera diluvies quietos Irritat amnes. *Tac. A.* 13. *in.* Ingenii violentia exitum (al. leg. *exitium*) irritavit. ℙ Est etiam excitare, commovere. *Quint.* 1, 1. *med.* Irritare infantiam ad discendum. *Ov. Fast.* 2, 649. sicco cortice irritare flammas. *Id. Am.* 2, 4, 9. forma meos irritat amores; et *ib.* 3, 4, 11. vitia irritare vetando. *Tac. H.* 3, 4. suspiciones. *Sen. ep.* 7. *med.* cupiditatem. *Hor. A. P.* 180. Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, *h. e.* tardius, lentius, minus movent, afficiunt, excitantque. *Lucr.* 1, 70. Irritare virtutem animi. *Prop.* 4, 6, 75. Ingenium potis irritat Musa poetis. *Sen. Ben.* 6, 29. Irritare ac provocare naturam per se pronam ad humanitatem. *Sil.* 13, 355. Poculaque Eoa luxum irritantia gemma. ℙ *Irritassis* antique pro *irritaveris* ap. *Pl. Amph.* 1, 1, 298. Num si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes? ℙ *Irrĭto, as,* pro irritum reddo, parum Latinum est. *Imp. Theodos. Cod.* 3, 12, 2. *extr.* Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.

IRRĪTUS et Inritus, a, um, adj. *ἄθεσος, ἄκυρος,* non ratus, vanus, inanis, inutilis, effectu carens. *Ter. Ph.* 5, 7, 58. Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est. *Cic. Verr.* 2, 2, 26. Ut omnes istius injurias, quas modo posset, rescinderet et irritas faceret; et 57. Ea, quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita jussit esse. *Id. Leg.* 2, 8. *extr.* Quae augur injusta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunto. *Pl. As.* 1, 2, 10. Ingrata atque irrita esse omnia intelligo, Quae dedi, et quod bene feci. *Cic. Phil.* 2, 42. *f.* Testamentum irritum facere. *Suet. Tib.* 51. Testamentum pro irrito habere. *Gell.* 13, 14. Remus aves irritas habuit. *Quint.* 12, 1. et *Ov. Met.* 1, 273. irritus labor. *Tac. H.* 4, 81. irritum remedium. *Virg. G.* 4, 519. irrita dona. *Id. A.* 2, 459. tela; et *ib.* 10, 95. jurgia. *Catull.* 30, 9. tua dicta omnia factaque Venti irrita ferunt; et 64, 142. Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti; et 59. irrita promissa. *Plin. Pan.* 26. Irritis precibus surdas principis aures adstrepere. *Liv.* 29, 35. *f.* Ab irrito incepto abscedere. *Id.* 28, 31. Spes ad irritum redacta. Al. leg. *in irritum. Id.* 2, 6. Incensus dolore tantae ad irritum cadentis spei. *Tac. H.* 3, 53. *extr.* In irritum cecidere labores; et 26. Victoria ad irritum revolvebatur; et *ib.* 3, 34. irrita paeda, *h. e.* quae nullum emolumentum affert *Prop.* 3, 11. *extr.* irrita lingua, *h. e.* quae in cassum loquitur. ℙ Irritus contractus, irrita emptio, venditio, solutio, pactio, et hujusmodi, h. e. nullius valoris, aut roboris, frequentissima sunt apud JCtos. ℙ *Irrita ova,* quae Graece hypenemia et zephyria, sunt, ex quibus incubando nihil gignitur. *Plin.* 10, 58, 79. et *ib.* 60, 80. [*Sil.* 4, 17. irrita vulnera, i. e. ictus vulnera non facientes.] ℙ *Irritus alicujus rei,* est, qui frustra et sine effectu quippiam egit. *Tac. H.* 4, 32. *extr.* Irritus legationis. *Vell.* 2, 63. consilii. *Curt.* 5, 6, 5. *f.* spei. *Sil.* 7, 131. incepti. *Nazar. Pan. Const.* 2. cupitorum. *Ammian.* 20. *f.* propositi. ℙ Et absolute. *Virg. A.* 5, 441. Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum, et variis adsultibus irritus urget; et *Sen. Ben.* 6, 11. Domum non minus lassus, quam irritus rediit. *Tibull.* 2, 3, 22. Venit et e templis irrita turba domum, *h. e.* sine ullo oraculi responso: inconsulta. *Tac. A.* 15, 25. Irriti legati remittuntur, cum donis tamen; et *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. Sumptuosus, cupidus, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur, *h. e.* inutilis, nequam. ℙ Videtur *irrito,* adverbii ritu usurpari in illo *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 11. In eo quod irrito petebatur.

IRROBORO et Inroboro; as, avi, atum, a. 1. robur addo, vires do. Neutrorum more adhibetur a *Gell.* 1, 22. Irroboravit inveteravitque falsa atque aliena verbi significatio.

IRROGĀTĬO et Inrogatio, onis, f. actus irrogandi, constitutio, impositio, inflictio. *Cic. Rabir. perduell.* 3. Quod est in eadem multae irrogatione praescriptum. *Plin. Pan.* 40. *f.* Tarditatem solvendi dupli vel quadrupli irrogatione multare.

IRROGĀTUS et Inrogatus, a, um, part. ab *irrogo:* impositus, constitutus, inflictus. *Tac. A.* 13, 23. Irrogatum accusatori exsilium; et *ib.* 16, 5. Tenuioribus irrogata supplicia. *Gell.* 7, 19. *f.* Multa irrogata Scipioni.

IRROGO et Inrogo, as, avi, atum, a. 1. *ὑποτιμάω,* constituo, impono, infligo: quasi contra aliquem rogo. Nam in irrogandis alicui legibus, multa, tributo rogabatur populus contra eos, in quos leges ferebantur, multa dicebatur, tributum imponebatur, rogabatur, inquam, ut suo suffragio ea confirmaret. *Cic. Dom.* 17. Leges privatis hominibus irrogare; et 42. privilegia tyrannica; et 22. et *Mil.* 14. multam alicui. *Plin. Pan.* 37. alicui tributum. *Tac. A.* 13, 28. poenam; et *ib.* 16, 5. supplicium; et *ib.* 4, 10. *extr.* sibi mortem. *Quint.* 10, 3. *med.* Labori non plus irrogandum est, quam quod somno supererit, *h. e.* assignandum, tribuendum. *Id. decl.* 10, 15. Religionem alicui irrogare, *h. e.* injicere, imponere. *Plin.* 2, 7, 5. Irrogare imperium in aliquem, *h. e.* imponere, tribuere. ℙ Pro rogare, petere. *Eum. Restaur. Schol.* (si sanus est locus) 4. Cum obsessa civitas auxilium Romani principis irrogaret. ℙ *Irrogassit* pro *irrogaverit. Cic. Leg.* 3, 3.

IRRORĀTUS et Inroratus, a, um, part. ab *irroro:* rore aspersus. *Cels.* 5, 26. *n.* 8. Sudores tenues, malique odoris, tanquam irrorato corpore oriuntur. *Colum.* 9, 14. *med.* Irroratis floribus apes mella conficiunt.

IRRORO et Inroro, as, avi, atum, a. 1. *δροσίζω,* rore aspergo, perfundo, madefacio. *Colum.* 12, 24. Noctibus vas tegendum erit, ne irroretur. *Id.* 10, 147. Primitiis plantae modicos tum praebeat imbres Sedulus irrorans olitor. *Ov. Met.* 7, 189. ter sumptis flumine crinem Irroravit aquis; et *ib.* 1, 371. irrorare liquores Vestibus et capiti. *Sil.* 11, 303. Bacchi liquorem mensis; et 2, 123. oculos lacrimis. *Colum.* 12, 47. Plusculum mellis adjiciunt, oleoque viridi irrorant, *h. e.* guttatim perfundunt. *Pers.* 6, 21. irrorans patinae piper. *Cels.* 7, 19. *med.* Bis die tantum aceto irroranda lana, vel spongia. ℙ Translate. *Sil.* 10, 355. de Somno: quatit inde soporas Defexo capiti pennas, oculisque quietem Irrorat, tangens Lethaea tempora virga. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 75. Zephyrus assiduis irrorat flatibus annum. ℙ Absolute et impersonalium more. *Colum.* 10, 331 de Jove: Saepe etiam gravidis irrorat pestifer undis; et 11, 2. *med.* Africus (*spirat*), interdum Auster irrorat. *Val. Fl.* 7, 359. cum viscere vultur adeso Tollitur e scopulis, et rostro irrorat aperto, *h. e.* stillat guttas sanguinis. *Ov. Met.* 9, 369. Lacrimae irrorant foliis.

IRROTO et Inroto, as, a. 1. rotando, seu circumagendo impello. *Minuc. Fel. Octav.* 3. de puerili lusu, qui Graece dicitur *ἐποστρακισμός,* Gallice *ricochet.* Testam super undas irrotare, *h. e.* libratam manu ita projicere, ut summam aquam stringat, et in ea velut rotetur.

IRRŪBESCO et Inrubesco, is, ui, n. 3. *ἐρυθριάω,* ruber fio. *Stat. Th.* 6, 230. nec sanguine ferrum Irrubit. *Id. Silv.* 5, 3, 31. tuus ut mihi vultibus ignis Irrubuit. *Solin.* 5. *extr.* Haemachates sanguineis maculis irrubescit.

IRRUCTO et Inructo, as, a. 1. *ἐρεύγω,* est ructu afflare. *Pl. Pseud.* 5, 2, 6. Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius irructas?

[IRRŪDIS, e, adj. non rudis. *Not. Tir.* p. 123. *F.*]

IRRŪFĀTUS et Inrufatus, a, um, adj. rufus factus. *Tert. Apol.* 22. *extr.* Barba tactu irrufata. *Id. Jejun.* 17. Lenticula defruto irrufata.

IRRŪFO et Inrufo, as, a. 1. rufum facio, *ἐρυθραίνω. Hieron. ep.* 107. *n.* 5. Nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes.

IRRŪGĀTĬO et Inrugatio, onis, f. rugarum contractio. Est *Serv.* ad *A.* 1, 652.

IRRŪGO et Inrūgo, as, a. 1. in rugas contraho, corrugo, *ῥυτιδόω. Gell.* 12, 1. *med.* Ne aequor illud ventris irrugetur. *Stat. Th.* 4, 266. Undantemque sinum nodis irrugat Iberis, *h. e.* vestem laxam fibula contrahit, vel balthei fascia.

IRRŪMĀTĬO et Inrumatio, onis, f. actus irrumandi. *Catull.* 21, 8. Tangam te prius irrumatione.

IRRŪMĀTOR et Inrumator, oris, m. qui irrumat. *Firm. Math.* 8, 20. Prima pars Tauri irrumatores faciet, et cinaedos. ℙ Translate qui alios pecunia et bonis defraudat. *Catull.* 10, 12. Praesertim quibus esset irrumator Praetor, nec faceret pili cohortem. V. IRRUMO.

IRRŪMĀTUS et Inrumatus, a, um, part. ab *ir-*

rumo. Catull. 21, 13. Ne finem facias, sed irrumatus. ℙ Translate *irrumata unda* est aqua publici balinei a lavantium mentulis polluta. *Mart.* 2, 70. Undis ne fovearis irrumatis.

IRRŪMO et Inrumo, as, avi, atum, a. 1. rumam, seu mammam praebeo: paenultima brevis est, licet sit longa in *ruma*. Translato et obsceno sensu est mentulam alicui fellitandam praebere. *Catull.* 16, 1. Paedicabo ego vos, et irrumabo. *Auct. Priap.* 36, 5. Paedicaberis, irrumaberisque. Adde *Mart.* 2, 47. et 83. ℙ Est etiam ludibrio habere, contumelia afficere, bonis aliquem defraudare. *Catull.* 29, 9. O Memmi, bene me, ac diu supinum Tota ista trabe lentus irrumasti, *h. e.* sordide et illiberaliter mecum egisti: verbis enim obscenis, et imagine impudica ex trivio et lupanari petita rem non obscenam, sed turpem et inhonestam expressit. Adde 37, 8. et 74, 5. V. IRRUMATOR.

[IRRUMPIBILIS, e, adj. qui rumpi non potest. *Gloss. Philox.* Irrumpibilis, ἀῤῥηκτος. *F.*]

IRRUMPO et Inrumpo, is, upi, uptum, n. 3. εἰσπίπτω, introrumpo, irruo, vi atque impetu ingredior, invado, irruptionem facio. *Ter. Eun.* 5, 7, 26. Cesso huc intro irrumpere? *Cic. Div.* 1, 24. Syracusanos improviso in castra irrupisse. *Caes. B. G.* 5, 43. Et quae pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. *Sall. Cat.* 49. *f.* Cethegus libertos suos orabat, uti, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. *Plin.* 6, 23, 28. Mare in terras irrumpit; et *ib.* 13, 15. Mare irrumpit e Scythico oceano in aversa Asiae. *Sen. Octav.* 732. Irrumpere intra tecta. *Virg. A.* 9, 728. qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem. *Tac. Agr.* 25. Interim cognoscit, hostes plurimis agminibus irrupturos. ℙ Et omissa praeposit. quae inest in ipso verbo. *Sall. Jug.* 62. Portam irrumpit. *Caes. B. C.* 3, 111. Primo impetu domum ejus irrumpere conatus est. *Tac. H.* 3, 9. Repentino incursu stationes hostium irrumpit; et *ib.* 5, 20. irrumpere pontem; et *ib.* 4, 13. Italiam; et *ib.* 1, 82. convivium. ℙ Poetice cum dativo. *Virg. A.* 6, 528. Irrumpunt thalamo. *Sil.* 2, 378. attoniti, ceu templo irrumperet hostis; et 9, 365. irrupit trepidis hostis; et 10, 368. sacris irrumpere muris. ℙ Immanis hyperbole est in illo *ejusd.* 15, 167. Tellurem procul irrumpentem in sidera cernunt, Aerias Alpes. ℙ *Irrumpere se*, est impetu ferri. *Varr.* ap. *Non.* 4, 76. Quidam navicularius irrupit se in curiam. Sic *erumpere se*, dixere *Caes.*, *Virg.* et alii. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 44. Atrocitas ista quo modo in Academiam irruperit, nescio; et 40. Imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpunt. *Id. Or.* 3, 27. *extr.* Qui in nostrum patrimonium irruperunt; et 42. Luxuries in domum irrupit. *Sen. ep.* 117. *med.* Quomodo istas calamitates removeam, quae ad me irruperunt, quomodo illas, ad quas ego irrupi. *Tac. H.* 1, 15. Irrumpet adulatio. *Ov. Trist.* 5, 1, 78. Irrumpunt curae, quoque vetantur, eunt. *Lucan.* 1, 470. Fama irrupit animos populi. *Quint.* 2, 1. Grammatici ad prosopopoeias usque, et ad suasorias irrumpunt, *h. e.* accedunt ad ea tradenda, quae non sunt artis suae, quasi in alienam provinciam irrumpentes. *Stat. Achill.* 1, 508. Eja, irrumpe Deos, *h. e.* scrutare, explora Deorum mentem: *intrare mentes Superum*, hoc sensu dixit *Sil.* 1, 124. Rursus *Stat. Th.* 10, 341. Phoebe veni: saepe hanc dignare irrumpere mentem, *h. e.* numine et afflatu invadere. ℙ [*Confunduntur *irrumpere* et *irrepere*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 57, 144.]

IRRŬO et Inruo, is, ui, n. 3. ἐφορμάω, in aliquid ruo, impetu me infero, vi me immitto, invado, irrumpo. *Ter. Eun.* 4, 7, 18. Quam mox irruimus? Ubi *Donat.* irruere proprie dicuntur, qui cum furore proelium ineunt. *Cic. Fin.* 2, 19. Et equo admisso, in mediam aciem Latinorum irruebant. *Ter. Ad.* 1, 2, 8. Fores effregit, atque in aedes irruit alienas. *Virg. A.* 3, 222. Irruimus ferro. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 194. Irruet intrepidus flammis; et *Cic. Dom.* 45. *extr.* Omni impetu furoris irruere in aliquem. *Curt.* 10, 9. Ut non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit. ℙ *Irruere se*, dicitur, ut *irrumpere*, aut *erumpere se*. *Ter. Ad.* 4, 2, 11. Vide, ne ille huc prorsus se irruat. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 10. In alienas possessiones temere irruere; et *ib.* 3, 41. Verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse videatur. *Id. Verr.* 1, 12. De industria in odium alicujus et offensionem irruere. *Lucan.* 7, 60. Cladibus irruimus, nociturague poscimus arma.

IRRUPTĬO et Inruptio, onis, f. ἐπιδρομή, εἰσβολή, actus irrumpendi, incursio. *Cic. Manil.* 6. Cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur. *Plin. Pan.* 81. Submovere campis irruptionem ferarum. *Flor.* 2, 12. Regem securum subita belli irruptione terruit. *Pl. Poen. prol.* 42. Irruptionem facere in popinam. *Vall.* 10, 17. Botryones in loco obscuro sine luminis irruptione suspendere.

IRRUPTUS et Inruptus, a, um, adj. ἄῤῥηκτος, non ruptus. *Hor. Od.* 1, 13, 17. Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula.

IRTĬOLA vel Irciola, ae, f. genus est vitis, atque uvae, Umbriae, Mevanatique et Piceno agro peculiaris. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. ℙ Hanc nuper sibi cognitam ait *Colum.* 3, 2. *f.*, nobis vero prorsus incognita est: etsi non desunt, qui *uvam passam* esse putant.

IRUS, i, m. Ἶρος, mendicus fuit Ithacensis, ascecla procorum Penelopes, quem Ulysses domum reversus pugno interfecit. Hujus paupertas abiit in proverbium, ut hominem extremae inopiae Iro pauperiorem dicamus. *Ov. Trist.* 3, 7, 42. Irus et est subito, qui modo Croesus erat. *Prop.* 3, 3, 39. Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro. *Mart.* 6, 77. Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus. *Id.* 5, 39. Croeso divitior licet fuissem, Iro pauperior forem, Charine, Si, etc. ℙ Binominem appellat *Ov. Ib.* 419., quia et Arnaeus appellatus est ab ejus matre. V. *Homer. Odyss. l.* 18. *v.* 5.

IS

IS, ea, id, οὗτος, ἐκεῖνος, αὐτός, pronomen demonstrativum, et relativum, tertiae personae, mediam vim habens inter *hic* et *ille:* nam pro utroque ponitur. [*De significatione hujus pronom. v. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 127. p. 118.] Vult *Voss.* esse a Graeco ὅς, quamvis usu differat, *o* in *i* conversо. [Rectius tamen *Scheid.* in *Animadv.* ad *Sanctii Minerv.* p. 43. putat, esse ab antiquissimo pronomine *i*, ac terminatione adjecta *us*, ex Gr. ος derivata, factum fuisse *ius;* deinde per syncopen scriptum *is* masc., *ea* fem. pro *ia*, et *id* neutr. pro *ide*, ex *i* nempe, et Gr. δέ. V. ibi reliqua huc spectantia. *F.*] *Cic. Att.* 2, 1. Venit mihi obviam tuus puer: is mihi litteras abs te reddidit. *Ter. And.* 1, 3, 16. fuit quidam senex Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam: Is obiit mortem. *Caes. B. G.* 1, 3. Constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, comparare. *Ter. Eun.* 4, 4, 56. Id modo dic, abiisse Dorum; et *ib.* 3, 4, 7. quisnam hinc a Thaide exit? Is est, an non est? ipsus est. ℙ De *id*, et *eo*, et *ea* suo loco egimus. ℙ Saepe adjective ponitur, *h. e.* cum ipso nomine jungitur. *Caes. B. G.* 1, 4. Ea res ut est Helvetiis enunciata, etc. *Cic. Off.* 3, 13. Ea re, quia turpe sit, faciendum non esse, *h. e.* ob eam rem. *Plin.* 6, 17, 21. *med.* Quam urbem is rex condidit. *Ter. Ad.* 5, 6, 5. Is mihi profecto est servus spectatus satis, Cui dominus curae est. *Liv.* 2, 17. Cum jam in eo res esset, ut in murum evaderet miles, *h. e.* in eo statu. Al. leg. *cum jam in eo esset, ut*, etc. ℙ Saepe est talis, hujusmodi. *Cic. Fam.* 5, 12. Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias. *Id. Att.* 7, 8. Itaque ego is in illum sum, quem tu me esse vis. *Id. Fl.* 15. Est enim, credo, is vir iste, ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat. *Ter. Heaut.* 2, 3, 118. In eum jam res rediit locum, ut, etc. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 203. 1, 4. *n.**) ℙ Omittitur plerumque pronomen *is*, quando eodem casu cum relativo suo positum est; rarius, si exhibetur alio casu. *Cic. Am.* 22. Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 765. *Ramsh.* §. 177. 4. p. 734. sq. et §. 265. 2. p. 980. Quod fieri saepissime solet praeced. pronom. relat. ubi *is* nonnisi cum gravitate quadam sequitur. *Cic. Off.* 2, 6. Male se res habet, quum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. V. *Zumpt. l. l.* Omittitur etiam tum, cum pronom. *is* eundem casum obliquum requirit, quo antecedens nomen, ad quod spectat, positum est. *Sen. ep.* 79. multos illustrat fortuna, dum vexat. *Zumpt.* §. 766.] ℙ Cum secunda persona. *Cic. Phil.* 2, 30. *f.* Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, is per municipia coloniasque Galliae cum gallicis et lacerna cucurristi, *h. e.* cum talis esses. ℙ Interdum refertur ad primam. *Pl. Merc.* 3, 4, 47. Egomet credidi homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo. *Cic. Fam.* 12, 14. *f.* Atque haec omnia is feci, qui sodalis Dolabellae eram. Adde *Sen. ep.* 63. *f.* ℙ Interdum emphasin habet. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 1. i. p. 528. sq.] *Cic. Phil.* 3, 12. Antonius cum una legione, eaque vacillante. *Id. Att.* 5, 1. In primis nobis sermo, isque multus, de te fuit; et *ib.* 12, 10. Tuus dolor, humanus is quidem, sed magnopere moderandus. *Id. Cat.* 4, 4. Vincula, eaque sempiterna. *Id. Phil.* 2, 18. Certa flagitiis merces, nec ea parva. *Sall. Cat.* 50. Silanum certe scio, quae dixerit, studio reipubl. dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere: eos mores, eam modestiam viri cognovi. ℙ Interdum vim habet reciproci. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 604. p. 475. *Ruddim.* 2. p. 54.] *Caes. B. G.* 1, 5. Helvetii persuadent Rauracis, ut una cum iis proficiscantur, *h. e.* secum; et 12. *f.* Caesar etiam privatas injurias ultus est, quod ejus soceri avum Tigurini interfecerant. Sic 11. Liberi eorum, *h. e.* sui. [*Est *Caesari* haec dicendi usitatissima ratio, ut se ipsum cogitatione substituat in locum subjecti, quod totius elocutionis sententia continetur.] ℙ Aliquando redundat. *Cic. Acad.* 4, 25. Quod ne id facere posses, idcirco, etc. *Ter. Eun.* 1, 2, 70. Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius. *Pl. Trin.* 4, 3, 16. Quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum. *Cic. Tusc.* 4, 36. Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor? *Id. Sen.* 15. Malleoli, plantae, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? *Liv.* 1, 19. Urbem novam, conditam vi et armis, jure eam, legibusque de integro condere parat. Al. omitt. *eam. Plin.* 16, 4, 5. de corona civica: Quam duodecim eas accepit Siccius Dentatus. ℙ [*Is* potius cum substantivo eodem genere, numero et casu, licet partem ejus tantummodo significet. *Cic. Mil.* 7. Antequam ad eam orationem venio, quae est propria vestrae questionis, i. e. ad eam orationis partem.] ℙ Aliquando assumit syllabicam adjectionem. *Pl. Merc. prol.* 91. Iisce confectis, nauvim solvimus. *Id. Truc.* 2, 6, 15. Alios collaudat, eapse se vero non potest. *Id. Curc.* 4, 3, 2. eapse illa, qua, etc.; et *ib.* 6. eopse illo, quo, etc. et *Cist.* 1, 3, 22. Eampse vos audistis. ℙ In genitivo *eiius* primo, deinde *ejus* fuisse usurpatum, docet *Prisc.* 1, 545., qua ratione prima producitur. ℙ In dativo *eii* pro *ei* scriptum. *Pl. Curc.* 4, 3, 12. eii reddidi; et *Cas. prol.* 35. eii est filius; et 37. est eii quidam servus. *Lucr.* 2, 1134. Nec fas eum solum omnis dicitur eii. *Ei* monosyllabum ap. *Catull.* 82, 3. Eripere ei noli, multo cile in venas cibus quod carius illi Est oculis. ℙ *Eae* pro *ei*. *Cato R. R.* 46. Quam simillimum genus terrae eae, ubi semina positurus eris. Sic *eo* pro *ei*, in *vet. Tab.* mox citanda. Eam semitam eo aedificio continentem constratam recte habeto, *h. e.* aedificio adhaerentem. ℙ In recto plurali *ei*, *iei*, et *ieis* dictum est olim pro *ii*. *Cic. Brut.* 54. Ut ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet. Al. leg. *ii.* [*Illud *Orell.*] *Enn.* ap. *Fest.* in *Sos*, ex lectione *Scalig.* hortantur ei sos. *Vet. Inscr.* ap. *Mur.* 582, 1, 8. Queive abs ieis prognati sunt, erunt, iei omnes postereique eorum, etc. Alia ap. *Grut.* 207, 3. Quod ieis improbarint, improbum esto. ℙ Pro *eorum* antiqui dixerunt *eum*, teste *Festo:* et habetur in *vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582, 2. *lin.* 11. ℙ Dativus, et ablat. pluralis est *eis* et *iis:* et hoc est illo usitatius: item *ieis. Pl. Amph. prol.* 92. Auxilio eis fuit; et *As.* 2, 2, 3. Triumphum eis affero. Adde *Capt.* 4, 2, 36. *Curc.* 2, 1, 35. et al. Sic *Plin.* 23, 7, 67. Nec est alius eis pomis innocentior cibus. ℙ *Iis* frequentius est, quam ut exemplis firmari oporteat. Pro quo *iibus* et *ibus*, apud antiquos invenitur. *Pl. Curc.* 4, 2, 20. Parissimi estis iibus. Al. leg. *hibus* pro *his. Id. Mil.* 1, 1, 74. Ibus dinumerem stipendium. *Non.* quoque ita legit 8, 21. ubi *Pompon.* Fac, voluptati sies ibus. *Titin. ib.* Si moratae sitis ambae ibus. Adde *Pl. Truc.* 1, 2, 14. et *Rud. prol.* 73. ℙ *Eabus* pro *eis*, dixit *Cato R. R.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas: eabus latera doliis perfricato. ℙ Putant aliqui ita olim declinatum fuisse: *Is*, *is*, *i*, *im:* unde in plur. num. *ii*, *iis* et *ibus. Plaut. fragm.* ap. *Non.* 2, 541. Boni im miserantur, irrident mali. Alii aliter leg. In vet. epitaph. anno 1739. Romae via Salaria effosso, ap. *Mazzoch.* in *ep. de Ascia*, p. 130. Amplexus vitae i reddere post obitum. ℙ *Eum*, *eam*, *eos*, in fine versus pentametri improbari solet: non caret tamen exemplis. *Prop.* 2, 22, 8. Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum. *Mart.* 5, 47. Non coenat, quoties nemo vocavit eum. *Auson. epigr.* 104. Te tamen et cultus damnat, et actus eam. ℙ In medio versu tolerari potest. *Ov. Fast.* 1, 721. Utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet; et *ib.* 4, 521. Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit. Adde *Met.* 5, 521. et *ib.* 10, 235. ℙ Ne *ejus* quidem in medio, aut fine versus caret exemplis. *Hor. Od.* 3, 11, 17. quamvis furiale centum Muniant angues caput ejus, atque, etc. *Prop.* 4, 2, 35. Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus, etc. et *ib.* 6, 67. Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus, etc. *Tibull.* 1, 7, 25. Saepe velut gemmas ejus, signumve probarem. *Ov. Met.* 8, 16. saxo sonus ejus inhaesit. *Id. Trist.* 3, 4, 27. Non foret Eurymedes orbus, si filius ejus, etc. *Grat. Cyn.* 224. si qua est, qua fallitur, ejus Turba loci. Ceterum illud *ejus* languidos reddit versus et prosae orationis similiores: quare in toto *Virgilio* nusquam legitur. V. *Bentl.* ad *Hor. l. c.* ℙ [*Confunduntur *is* et *his*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 171.]

*ISAAC, indecl. vel Isaacus, i, m. Abrahami filius. *Prud. Peristeph.* carm. 10. *(de S. Romano)* v. 748. Isaac fuisse parvulum patri unicum. *B. A.*

ISAEUS, i, m. Ἰσαῖος, rhetor Graecus, Chalcidensis, Demosthenis praeceptor, cujus meminit *Quint.* 12, 10. Alius item Graecus *Plinii* aequalis laudatur impense ab *eod. ep.* 2, 3. a summa facultate, copia, ubertate dicendi. De hoc intelligendus videtur *Juven.* 3, 74. sermo promptus, et Isaeo

torrentior. ℙ [*Isaeus* item, ab *Ἰσαῖος*, poet. pro *ἴσος*, aequalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 548, 10. C. Julius Isaeus. *F.*]

ISĂGOGE, es, et Isăgōgă, ae, f. *εἰσαγωγή*, introductio, prima scientiae artisve alicujus rudimenta, quae ad majora altioraque veluti introducunt: ab *εἰσάγω*, introduco. *Gell.* 1, 2. Se in theorematibus tantum nugalibus, et puerilium isagogarum commentationibus oblectantes.

ISĂGOGĬCUS, a, um, adj. *εἰσαγωγικός*, ad isagogen pertinens. Graece legitur ap. *Gell.* 14, 7., at in lemmate ejus capitis, Latine: Dedit commentarium, quem appellavit isagogicum.

[ISAJAS, ae, m. propheta Hebraeus, unus ex quatuor majoribus. *Paul. Nol. carm.* 23, 195. Tunc velut Ezechiae fuit interventor Isajas. *F.*]

ISĂRA, ae, m. fluvius Galliae, qui ex Alpibus ortus, Gratianopolim alluit, et in Rhodanum influit. *Lucan.* 1, 399. Hi vada liquerunt Isarae, qui gurgite ductus Per tam multa suo, famae majoris in amnem Lapsus, ad aequoreas nomen non pertulit undas. Adde *Plin.* 3, 4, 5. **Planc.* in *Cic. Fam. ep.* 10, 23. ℙ Item flumen Galliae Belgicae, in Sequanam illabens, hodie *l'Oise*. *Anton. Itin.* ubi *Brivaniseram* impressum pro *Brivam Isarae*. *B. A.*

*ISARCI, orum, m. populi Alpini, in Rhaetica degentes. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

[ISARGYRUS, i, m. aequalis argento: ab *ἴσος*, aequalis, et *ἄργυρος*, argentum. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 257. Julius Isargyrus libertus. *F.*]

*ISĂRI, orum, m. populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

ISĂTIS, is, et idis, f. *ἴσατις*, genus herbae silvestris, lacteo succo praeditae, cujus folia trita cum polenta prosunt vulneribus. *Plin.* 20, 7, 25. ℙ Alias est sativa, alio nomine glastum, et vitrum, cujus usus est lanis caeruleo colore tingendis. *Id. ib.* et 22, 1, 2.

*ISAURA, orum, oppidum Isauriae. *Plin.* 5, 27. ℙ *Isauros* (Isaurus) audit *Flor.* 3, 6. qui *arcem Ciliciae* vocat. *B. A.*

ISAURĬCUS, a, um, adj. *Ἰσαυρικός*, ad Isauriam pertinens, quae regio est Asiae prope Taurum montem, pars Galatiae, Pisidiae contermina, inter Lycaoniam, et Ciliciam. *Plin.* 5, 27, 23. Isaurica gens. *Cic. Att.* 5, 21. Isauricum forum. ℙ *Isauricus* cognominatus est P. Servilius Vatia, qui proconsul eam provinciam subegit. *Epit. Liv.* 93. et *Fasti cons.* ap. *Grut.* 294.

ISAURUS, a, um, adj. *Ἰσαυρός*, Isauricus. *Ov. Fast.* 1, 593. alter Isauras, Aut Cretum domitas testificatur opes. Al. leg. *Isaurum*, h. e. *Isaurorum*. ℙ *Isauri, orum*, sunt Isauriae populi. *Claud. in Eutr.* 1, 217. Indomitos curru Servilius egit Isauros. Adde *Epit. Liv.* 93. et *Melam* 1, 2. *f.*

*ISAURUS, i, m. flumen Piceni. *Lucan.* 2, 406. ubi fluctuat lectio. ℙ Item oppidum Isauriae. V. *Isaura, orum*. *B. A.*

*ISCA, ae, f. Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

ISCHAEMON, ōnis, n. *ἰσχαῖμον*: ab *ἴσχω*, sisto, et *αἷμα*, sanguis, herba a Thracibus primum inventa, qua ferunt sanguinem sisti, non aperta modo vena, verum etiam praecisa. Serpit e terra milio similis, foliis asperis et lanuginosis. *Plin.* 25, 8, 45. et 26, 12, 82.

ISCHĬĂCUS et

ISCHĬĂDĬCUS, a, um, adj. *ἰσχιακός*, et *ἰσχιαδικός*, ischiadis morbo laborans. *Cato R. R.* 123. Vinum ad ischiacos sic facito. *Gell.* 4, 13. Ischiaci cum maxime doleant, etc. *Plin.* 28, 2, 4. Carmine ischiadicos sanari; et 30, 8, 22. Ischiadicis cochleas crudas tritas prodesse. ℙ *Ischiadici dolores*, sunt *Hüftschmerzen*. *Plin.* 26, 7, 27. Ischiadicos dolores, et spinae levat agaricum potum. ℙ *Ischiadicus*, *i*, absolute, est is qui ischiade laborat. *Id.* 25, 13, 106. Ischiadicis drachmam (*senecionis*) cum oxymelite ab ambulatione propinavere.

ISCHĬAS, ădis, f. *ἰσχιάς*, morbus coxendicum, ad caput ossis ejus, quod *ἰσχίον* dicitur, Latine a *Celso* 8, 1. femur. *Plin.* 27, 5, 16. Arction bibitur propter ischiada, et stranguriam. ℙ Item herba, quae et leucacantha, radice cyperi. *Plin.* 22, 16, 28.

ISCHNON ĔROMĔNĬON, *ἰσχνὸν ἐρωμένιον*, *h. e.* gracilis amicula. Graecae voces in quibusdam editionibus Latine scriptae. *Lucr.* 4, 1159. Ischnon eromenium tum fit, cum vivere non quit Prae macie.

ISCHOMĂCHE, es, f. *Ἰσχομάχη*, Hippodamia, Atracii, seu Atracis filia, uxor Pirithoi, ex Atracia Thessaliae parva regione, quam cum Centauri Pirithoo praeripere conarentur, ingenti clade ab Hercule, et Theseo profligati sunt. Dicta est ab *ἴσχω*, cohibeo, et *μάχη*, pugna. *Propert.* 2, 2, 61. Ischomache Lapithae genus heroinae. V. HIPPODAME.

ISCHŪRĬĂ, ae, f. *ἰσχουρία*, integra urinae in vesica suppresio. Vox Graeca ab *ἴσχω*, reprimo, sisto, et *οὖρον*, urina. *Veg. Vet.* 3, 15.

*ISCIA, ae, f. Italiae insula, in mari Hetrusco, e regione Veliae, alio nomine Oenotria dicta. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

ISCORPĬO. V. SCORPIO.

ISĔLASTĬCUS, a, um, adj. *εἰσελαστικός*, ab *εἰσελαύνω*, invehor, ingredior: ut *Iselastica certamina*, in quibus victores cum magna pompa coronati quadrigis, diruta murorum parte, introducebantur quisque in patriam suam. *Plin. ep.* 10, 119. Quae pro iselasticis certaminibus constituisti. ℙ Haec autem certamina erant Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, quibus qui vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerant, uti non modo in conventu, stantes cum palma et corona, ferrent laudes, sed etiam cum revertebantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia, et in patrias inveherentur, e reque publica, perpetua vita, constitutis vectigalibus fruerentur: quae sunt verba *Vitruvii* in *praef. l.* 9. *in.* ℙ *Iselasticum*, absolute, pro eo quod Iselasticis victoriae nomine dabatur. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 120. Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere debere, cum quis in civitatem suam *εἰσῆλασεν*.

ISĒUM, i, et Isīum, ii, n. *Ἴσειον*, templum Isidis. *Plin.* 5, 9, 10. Crocodilus Caesareae in Iseo dicatus. *Eutr.* 7, 23. narrat, Domitianum Romae Iseum, et Serapeum fecisse, *h. e.* instaurasse, nam *Dion. l.* 66. *c.* 24. affirmat, utrumque incendio fuisse dirutum, Tito imperante. *P. Victor de region. Urb. Romae* ibidem Iseum ponit in regione nona. *Lampr. Alex. Sev.* 26. Isium, et Serapium decenter ornavit, additis signis, et deliacis, et omnibus mysticis. V. GERUSIA.

ISĬACUS, a, um, adj. *Ἰσιακός*, ad Isim pertinens. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. Isiaci conjectores. *Ov. Pont.* 1, 1, 51. Vidi ego linigerae numen violasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos. *Juven.* 6, 488. Isiacae sacraria lenae. *Manil.* 1, 916. Isiacum sistrum. ℙ *Isiacus*, *i*, absolute, est sacerdos Isidis. *Suet. Dom.* 1. Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanae superstitionis ita latuit, ut, etc. *h. e.* linteo amictu, quo illi utebantur. [*Inscr.* Pompejis reperta, ap. *Rosin. Dissert. isag.* p. 63. *tab.* 7. *n.* 7. Cn. Helvium Sabinum aedilem Isiaci universi rogant. *Plin.* 27, 7, 29. Seriphii ramum Isiaci praeferre solemne habent. *F.*]

[ISĬĂRĬUS, ii, m. ad Isidem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Winckelm. Saggio sull' alleg.* p. 33. Plaetorius Rhodo sacerdos Isiarius D. D. *F.*]

[ISĬAS, ădis, f. patronym. ab *Isis*, filia Isidis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 3. Juliae Isiadi Primigenius Aug. *servus* conjugi optimae. *F.*]

ISĬCĬUM, etc. V. INSICIA.

[ISĬDORUS, i, m. Isidis donum: ab *Ἶσις*, Isis, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1578, 10. C. Lucretius C. L. Isidorus. *F.*] ℙ **Isidorus*, *i*, m. *Ἰσίδωρος*, Characenus (Charax urbs Parthiae ortum ei ac nomen dedit), tempore Augusti claruit. Parthiam descripsit eo libro qui hodieque exstat, *Σταθμοὶ Παρθικοὶ* inscriptus. De eo *Plin.* 4, 4. V. *Voss. de Hist. Graec.* 4, 10. ℙ Isidorus Cordubensis, sive *senior*, sub Honorio et Theodosio juniore vixit anno 412. ℙ Isidorus Pelusiota, cujus epistolae hodie exstant, obiit anno 440. ℙ Isidorus Hispalensis, cujus *Originum* libri XX doctorum manibus teruntur, anno Christi 598. Episcopus factus, praecipuum eo tempore Hispaniae sidus fuisse dicitur. ℙ Ceterum de omnibus hisce et pluribus ejusdem nominis V. *Fabric. B. G.* ℙ Isidorum statuarium meminit *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[ISĪGONUS, i, m. *Ἰσίγονος* (ab *Ἶσις*, Isis, et *γόνος*, filius) scriptor Nicaeensis, laudatus a *Plin.* 7, 2, 2. et *Gell.* 9, 4., a quo inter scriptores haud parvae auctoritatis censetur. ℙ Item nobilis statuarius ap. *Plin.* 34, 8, 19. *F.*]

[ISINDENSIS, e, adj. ad Isindum pertinens, Pamphyliae urbem, in cujus nummis ap. *Mionnet, Descr. des méd. ant.* T. 3. p. 456. *ΙCΙΝΔΕΩΝ. Liv.* 38, 15. Valenti consuli causa in Pamphyliam divertendi oblata est; adveniens obsidione Isindenses exemit. ℙ In *Livii* editionibus perperam legitur *Isiondenses. F.*]

*ISINISCA (*Anton. Itin.*), et Isunisca (*Tab. Peut.*), oppidum fuit Vindeliciae, *Cluverio* vulgo appellatum *München. Mannertio* est hodiernum *Iser. B. A.*

ISIONDENSIS. V. ISINDENSES.

ĪSIS, is, et ĭdis, f. *Ἶσις*, Dea Aegyptiorum. V. IO, Ius, *ab in. Ov. Amor.* 2, 13, 7. et *Met.* 9, 772. Isi, Paraetonium, genialiaque arva Canopi Quae colis, et Memphin, palmiferamque Pharon. *Stat. Silv.* 3, 2, 101. Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris, Nunc regina Phari. *Ov. Amor.* 1, 8, 74. Et modo quae causas praebeat, Isis erit. *Id. Ib.* 623. Isidis hospes. *Lucan.* 9, 158. Evolvam busto jam numen gentibus Isin. ℙ Utrumque genitivum, ut posuimus, ponit etiam *Val. Prob. in Cathol.* p. 1473. Etiam *Varro* in genit. *Isis* dixit, teste *Charis.* 1, 69. ℙ *Isidis crinis*, arbor est peregrina, et ignota, de qua *Juba* ap. *Plin.* 13, 25, 52. ℙ *Isidis sidus*, a quibusdam appellatur stella Veneris. *Id.* 2, 8, 6. ℙ *Isis* est etiam appellatus fluvius in Colchide. *Id.* 6, 4, 3. ℙ **Ad Pontem Isidis*, nomen loci fuit in Norico. *Tab. Peut.* ℙ *Isis*, *is*, f. Urbis Romae pars tertia, conjuncta Coelimontanae, sita in ea Esquiliarum parte, quae latus australe respicit. Describunt illam *Rufus* et *Victor*. Cf. *Nardin. Rom. Vet.* 3, 8. *B. A.*

ISĬTĬA. V. INSICIA.

ISĪUM. V. ISEUM.

[ISMAELĬTĬCUS, a, um, adj. ad Ismaelem pertinens, filium Abrahami, ex Agar ancilla. *Not. Tir.* p. 193. Ismael, Ismaeliticus. *F.*]

ISMĂRĬCUS, a, um, et

ISMĂRĬUS, a, um, adj. ad Ismarum pertinens. *Avien. Perieg.* 33. Ismaricique riget semper flabris Aquilonis. *Ov. Met.* 10, 305. Gentibus Ismariis, et nostro gratulor orbi. *Id. ib.* 9, 641. Ismariae celebrant repetita triennia Bacchae. *Id. Fast.* 3, 410. Fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis. *Prop.* 2, 24, 32. Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi, Nec non Ismario tu, Polypheme, mero, *h. e.* in Ismariis collibus nato; nam *Virg. G.* 2, 37. juvat Ismara Baccho Conserere. Hoc autem vinum, quo Polyphemus periit, Ulyssi dederat Maron, Apollinis Ismarii sacerdos. *Prop.* 2, 10, 6. Ismaria vallis, *h. e.* ubi Orpheus in Thracia feras lyrae sono traxit.

ISMĂRUS, i, m. et Ismara, orum, n. plur. mons Thraciae, partim asper, partim olivetis ac vinetis cultus (atque adeo Baccho gratus) apud Hebrum fluvium, et Maroneam urbem, quem Orpheus incoluit: cujus accolae ab Homero Cicones dicuntur, ubi palus, et Ismara vel Ismarum urbs quondam fuit. *Virg. Ecl.* 6, 30. Nec tantum Rhodope miratur, et Ismarus Orphea. *Lucr.* 5, 30. Thracen, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter. *Virg. G.* 2, 37. juvat Ismara Baccho Conserere. ℙ Graeca positione. *Sabin.* 1, 60. Ismaron errantes cum tenuere rates. ℙ De oppido. *Virg. A.* 10, 351. Et tres, quos Idas pater, et patria Ismara mittit. Ubi *Serv.*: Hic feminino genere, quia patriam dixit: ibi (*G. cit.* 2.) neutrius est.

*ISMĒNE, es, f. *Ἰσμήνη*, Oedipi filia. *Stat. Th.* 8, 623. Agenorea Ismene. *B. A.*

*ISMĒNĬAS, ae, m. *Ἰσμηνίας*, nomen Thebani, optimi tibicinis. *Appul. de deo Socr.* p. 53. Nescio, ut Ismenias tibiis canere, ut Apelles pingere, ut Lysippus fingere. Adde *Plin.* 37, 1. Cf. *Aelian. V. H.* 4, 16. ibique *Perizonium*. Adde *Voss. Inst. Orat.* 2. p. 271. *B. A.*

ISMĒNĬS, ĭdis, f. *Ἰσμηνίς*, Thebana: ab Ismeno fluvio. *Ov. Met.* 3, 732. Talibus exemplis monitae nova sacra frequentant, Turaque dant, sanctasque colunt Ismenides aras; et 169. Ismenis Crocale.

ISMĒNĬUS, a, um, adj. *Ἰσμήνιος*, Thebanus. *Ov. Met.* 13, 682. Hospes ab Aoniis Therses Ismenius oris. *Stat. Th.* 2, 307. et *ib.* 1, 673. Ismenius heros, *h. e.* Polynices rex Thebanus. *Id. ib.* 8, 498. Haemon.

ISMĒNUS, i, m. *Ἰσμηνός*, fluvius Boeotiae cum oppido et monte cognomine, qui ex Cithaerone monte oritur, Thebas alluit circa Dircen fontem, et apud Saganeum oppidum in Euripum labitur, non procul ab Aulide. Dictus est ab Ismeno Pelasgi filio. Graeca positione. *Stat. Th.* 9, 404. At pater arcano residens Ismenos in antro; et *ib* 1, 40. Horruit ingenti venientem Ismenon acervo.

*ISMUC, oppidum Numidiae distans a Zama XX. mill. pass. *Vitr.* 8, 4. *in. B. A.*

ISOCINNĂMON, i, n. *ἰσοκίνναμον*, frutex, al. daphnois, praestantissimi odoris, in iisdem fere locis nascens, in quibus cinnamomum, et casia, ita dictus, quod cinnami praestantiam adaequare videatur: nempe ab *ἴσος*, par, aequalis. *Plin.* 12, 20, 43.

[ISOCHRYSUS, a, um, adj. aequalis auro, seu auro contra carus: ab *ἴσος*, aequalis, et *χρυσός*, aurum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 990, 3. Cn. Pompejus Pompejae Cn. Magni F. Lib. Isochrysus. Alia ap. *eund.* 835, 5. Vagia Isochrysa. ℙ *Isochryson*, *i*, n. est collyrium a *Galeno de compos. pharm. l.* 4. memoratum. *Inscr.* ap. *Tochon, Cach. des ocul.* p. 31. Junii Tauri isochryson ad scabritias, et claritatem. Alia ap. *eund. ib.* p. 62. M. Jul. Charitonis isochrys. ad clar. *F.*]

ISOCOLON, i, n. *ἰσοκῶλον*, Latinis *compar*, figura verborum per similitudinem, per quam membra periodi ex pari ferme numero vocabulorum constant: ab *ἴσος*, aequalis, et *κῶλον*, membrum. *Quint.* 9, 3. et *Capell.* 5, 174. Graece scribunt. V. COMPAR.

ĪSOCRĂTES, is, m. *Ἰσοκράτης*, praestantissimus rhetor et orator Atheniensis. Adolescens senem Gorgiam audivit, et Platonem. Plato exagitator omnium rhetorum illum unum mirabatur. Pudore et timiditate abstinuit a dicendo. Aristoteles ei invidens una cum philosophia etiam rhetoricam docere coepit, dicens, turpe sibi esse tacere, cum Isocratem dicere pateretur. Appellatur pater eloquentiae; sed ejus eloquentia non est apta ad forum. ℙ Scripsit in senectute, idest anno aetatis 94., Panathenaicum ad Philippum Macedonem: vi-

xitque annos septem et nonaginta. Unam orationem vendidit viginti talentis. Haec ex *Cic.* variis in locis: postremum vero tradit *Plin.* 7, 30, 31.

ISOCRĀTEUS, et
ISOCRĀTIUS aut Isocratius, a, um, adj. Ἰσοκράτειος, et Ἰσοκράτιος, ad Isocratem pertinens. *Cic. Or.* 61. Placet omnia dici Isocrateo more. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Isocrateam rationem oratoriam complecti. *Lucil.* ap. *Gell.* 18, 8. Si minu' delectat, quod ἄτεχνον Isocratium est, etc. Al. leg. τέχνιον Isocrateum: alii aliter. *Gell. ib.* Qui se Isocratios videri volunt.

ISODŌMON, i, n. *ἰσόδομον*, Graeca vox, ab *ἴσος*, par, aequalis, et *δομέω*, struo, aedifico. *Plin.* 36, 22, 51. Graeci e lapide duro aut silice aequato construunt veluti latericios parietes. Cum ita fecerint, isodomon vocant genus structurae: at cum inaequali crassitudine structa sunt, pseudisodomon. Tertium genus est emplecton, tantummodo frontibus politis: reliqua fortuito collocant. Haec *Plin.* cui similia habet *Vitruv.* 2, 8. ℙ Structurae genus *isodomon* appellatum, simile est illi, quod Romani vocabant *reticulatum*, quia nempe retis quodammodo speciem exhibebat; quadratis enim, nec ideo jacentibus, sed in latus stantibus lapidibus construebatur. *Pseudisodomon* vero, quod Romani *opus incertum* appellabant; hoc non ordinatim dispositis, sed fortuito collocatis lapidibus struebant, ita ut impares et inaequales choriorum ordines exhiberet. Tertium vero genus, quod et *emplecton* et *diamicton* vocitabant (V. EMPLECTON et DIAMICTON), erat hujusmodi, ut in frontibus tantum politis saxis, reliqua, ita ut nata erant, cum materia, *h. e.* calce, collocata alternis alligarent in muri crassitudinem coagmentis, nec ullum intrinsecus cavum facerent, sed in unam crassitudinem murum consolidarent.

ISOĒTES, is, n. *ἰσοετὲς*: ab *ἴσος*, par, et *ἔτος*, annus. Ita dicitur aizoi genus minusculum, quod semper vireat, ac toto sit anno sui simile. *Plin.* 25, 13, 102.

ISOPLEURON, i, n. *ἰσόπλευρον*: ab *ἴσος*, aequalis, et *πλευρά*, latus, adjunctum trianguli tria latera aequalia habentis. *Auson. praef. ad Idyll.* 13. *qui est cento nuptialis.*

ISOPYRON, i, n. *ἰσοπυρὸν*, herba, quam aliqui vocant phasiolum, quoniam ejus folium, quod est aniso simile, in pampinos torquetur. Capitula habet in summo caule tenuia plena seminis melanthii. *Plin.* 27, 11, 70.

ISOSCĒLES, is, m. *ἰσοσκελὲς*: ab *ἴσος*, aequalis, et *σκέλος*, crus, adjunctum est trianguli duo tantum latera aequalia habentis. *Auson. cit. in voce* Isopleuron.

ISRĀEL, ēlis, m. Ἰσραὴλ, nomen alterum patriarchae Jacobi, et totius populi ex eo nati. *Prud. Psych.* 650. respectans victor hiantem Israel rabiem ponti post terga minacis. ℙ Corripuit *Sidon. carm.* 16, 7. rapiens cum tympana siccus Israel appensi per concava gurgitis iret. ℙ Ab *Isid. Orig.* 7, 7. perperam exponitur *vir Deum videns*, sed reapse est compositum ab Hebr. שָׂרָה, vel שָׂרַר, principem, seu fortem se gessit, et אֵל, Deus, *h. e.* fortem se gessit cum Deo. Hinc

ISRĀELĪTA, ae, m. et
[ISRĀELĪTĬCUS, a, um, ad Israelem pertinens. Licenter secundam et tertiam corripuit *Juvenc. Act. Apost.* 1, 208. Israelitarum cumulatae gloria plebis. *Not. Tir.* p. 192. Israel, Israeliticus. *F.*]

[ISRĀELĪTIS, ĭdis, f. patronym. ab Israele, femina Haebrea. *Hieron. ep.* 70. *n.* 2. Quid ergo mirum, si et ego de ancilla et captiva Israelitidem facere cupio? *F.*]

*ISSA, ae, opp. V. v. sq. *B. A.*

ISSAEUS et Issaicus, a, um, et Issensis, adj. ad Issam pertinens, nunc *Lissa*, insulam maris Adriatici, prope Tragurium in Illyrico. *Liv.* 31, 45. Issaeorum viginti lembi classi Romanorum adjuncti sunt. *Id.* 32, 21. Triginta Issaici lembi maritimam oram vastarent. *Id.* 43, 9. Senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum praesidio duarum Issensium navium insulae praeerat. ℙ *Issenses*, *ium*, absolute, sunt populi Issam insulam incolentes. *Liv.* 45, 26. Non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses, pronunciavit. *F.*]

*ISSATIS, oppidum Parthiae. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

[ISSĒ, es f. filia Macarei, cum qua Apollo, sub forma pastoris, concubuisse fertur. *Ov. Met.* 6, 124. ut pastor Marcareida luserit Issen. *F.*]

ISSĬCUS, a, um, adj. ab Isso oppido Ciliciae, ut Issicus sinus, *il golfo di Lajazzo*, qui id oppidum alluit, ap. *Ammian.* 26, 8. *f.* et *Plin.* 2, 108, 112. et 5, 27, 22.

ISSŬLUS. V. v. sq.

ISSUS et diminut. Issulus, a, um, adj. videtur esse vox derivata ab *ipsus* pro *ipse*, et *ipsulus*, quibus efferendis cum frustra laborarent apud Romanos pupi, pupulaeque, eorum parentes ita eosdem blandimenti causa appellasse recte putat *Fabrett.* ad hanc *Inscr.* p. 45. *n.* 255. Cineribus Terentiae Melitinae: Issa have. Alia ap. *Cardinali, Iscriz. Velit.* p. 119. *n.* 55. Claudiae Veneriae Gellius Valens, et Fulvius Secundus fecerunt, et Gellius Zoilus Issae suae B. M. Alia ap. *Fabrett. l. c. n.* 254. L. Aponius Abascantus Vixit Annos III. Menses VI. T. Flavius Anicetus, et Aponia Syrilla Issulo et delicio suo fecerunt. ℙ *Issa* est etiam nomen catellae ap. *Mart.* 1, 110. Issa est deliciae catella Publi. *Curt. 3, 7. *Mela* 1, 3. init. ℙ Scribitur et *Issos*. ℙ Notandus locus *Plin. alt. ep.* 10, 42. Nicomediae vastissimum incendium multas privatorum domos, et duo publica opera, quamquam — via interjacente, Gerusiam et Isson absumsit: ubi quid sit *Isson*, difficile est dictu; nisi forte legendum *Iseon* vel *Iseum*, *h. e.* templum Isidis, ut credunt nonnulli. *B. A.*

ISSUS, i, f. Ἰσσὸς, *Lajazzo*, urbs Ciliciae extrema, in Syriae confinio, prope Amanum montem, ad mare mediterraneum. Hic Darius rex primo fusus fuit ab Alexandro M. *Plin.* 5, 27, 6. et *Ammian.* 26, 8. *f.*

ISTAC, adv. τῇδε, per istum locum. *Ter. Heaut.* 3, 3, 27. Abi sane istac, istorsum, quovis.

ISTACTĒNUS, adv. usque ad istum locum, aut terminum. *Pl. Bacch.* 1, 2, 58. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est.

ISTAEC. V. ISTIC.

*ISTAEVŌNES, um, m. gens Germaniae perantiqua, Rhenum accolens. *Tac. G.* 2. *Plin.* 4, 14. *B. A.*

ISTĒ, a, ud, οὗτος, pronomen demonstrativum ad ea ostendenda, quae ad eum quoquo modo pertinent, quocum loquimur. Discrimen inter *hic*, et *iste* in voce HIC posuimus. Videtur esse compositum ex *is*, et syllaba *te*, sicut Graeci ex pronom. ὅ, et δὲ componunt ὅδε, ἥδε, τόδε. *Sen. ep.* 43. Non est quod te ad hunc locum respiciens metiaris: ad istum respice, in quo moraris. *Cic. Quint.* 5. Tum iste vir optimus, qui, etc. *Id. Att.* 7, 3. Ut jam ne istius quidem rei culpam sustineam. *Nep. Epam.* 4. Istud faciam, neque tua causa, sed mea, *h. e.* hoc, quod tu petis. Sic *Cic. Amic.* 2. *med.* Nec enim ab isto officio abduci debui, *h. e.* hoc, quod tu dicis. Adde *Acad.* 1, 4. ℙ Jungitur et aliis pronominibus. *Cic. Or.* 2, 29. Istius ipsius in dicendo facultatis. *Id. Tusc.* 5, 25. Transeat idem iste sapiens ad rempubl. tuendam. *Pl. Amph.* 2, 2, 125. Scio ista haec facta, proinde ut proloquor. ℙ Post relativum *qui*. *Auct. ad Her.* 4, 16. Necesse est, eam, quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati, timere permultos. Quos istos? virum, parentes, ceteros, ad quos, etc. ℙ Interdum pro *hic* ponitur. *Quint.* 11, 1. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus. *Cic.* non semel *hic pro iste* posuit; ut *Fam.* 3, 10. *med.* Ni purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te mallem. Adde *ib.* 10, 25. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10., quae loca congessit *Manut. ad cit. l. Fam.* 3. V. HIC. ℙ Aliquando pertinet ad augendum, et vim habet v. *tantus*, aut *talis*. *Cic. Mur.* 6. Quare cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio. [*Id. Rosc. Am.* 53. Homines sapientes et ista auctoritate praeditos, qua vos estis, his rebus mederi convenit. Adde *Off.* 2, 2. *extr.* Qui ista praeclara, philosophiam, peperisset: ubi cit. *Heus. N. D.* 2, 29. cf. *Sext.* 26, 57.] ℙ Aliquando ad contemptum. *Cic. Dom.* 26. Quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil jure esset actum; et *mox*: Scripto illo istius, sententiam dicere vetabatur; et *mox*: Lex, quam idem iste tulerat. [*Ita saepissime Cicero hanc vocem usurpat de Verre. Pertinet huc etiam locus *Cic.*, quem Noster supra posuerat. *N. D.* 1, 44. Non erit ista amicitia, sed mercatura. Adde *Caes. B. G.* 7, 77. Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paullisper ferre non posse.] *Stat. Th.* 1, 455. tecto prohibere quis iste Arcuit? Adde *Petr. Sat.* 9., *Ov. Amor.* 1, 8, 57. et *Stat. Th.* 11, 287. ℙ *O isti*, quemadmodum ap. Graecos ὦ οὗτοι, appellatio est urgentis, irridentis, et contemnentis, frequens ap. *Arnob.* ut 1, 23. et 36., 2, 51. et 67., 4, 138., 5, 155., 6, 197. et 205. et 7, 222. Exemplum unum sit ex *cit. lib.* 4. Quid dicitis, o isti, qui ad Deorum nos cultum membrorum laniatibus invitatis? ℙ Recipit et syllabicam adjectionem. *Pl. Rud.* 3, 4, 40. Argentum pro istisce ambabus dedi. ℙ Genitivus *istius* a poetis interdum in paenultima corripitur. *Virg. A.* 12, 648. Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae. ℙ Olim *isti pro istius* dictum fuit. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 694. Pecunia mea reipubl. profuit, quam isti modi, uti tu es. *Subaudi* magis. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 38. Quae ames hominem istimodi? ℙ In dativo *isto* pro *isti*, est qui legit ap. *Appul. Met.* 7. *f.* Caput pessimo isto asino demere. Sed plerique omnes *isti* agnoscunt. ℙ Reperitur et *istae* in feminino. *Pl. Truc.* 4, 3, 16. Istae dedi. ℙ *Isto* ablat. propter istam causam. *Pl. Rud.* 4, 7, 8. Isto tu pauper es, cum nimis sancte pius. ℙ [*Confund. *istud* et *illud*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 870. *iste* et *esse*. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 31, 86.]

ISTER et Hister, tri, m. fluvius Germaniae de quo V. in DANUBIUS. *Virg. G.* 3, 350. Turbidus et torquens flaventes Ister arenas. *Ov. Pont.* 1, 8, 11. Stat vetus urbs, ripae vicina binominis Istri. ℙ De gentibus hujus fluvii accolis. *Claud. VI. Cons. Honor.* 648. Colla triumphati proculcat Honorius Istri. ℙ *Istro fallacior* dicitur Marcion a *Tert. adv. Marc.* 1, 1., quia is fluvius propter aquarum impetum, tortuosos meatus, et multiplicia ostia valde fallax et periculosus habetur. ℙ *Istrus*, vel *Histrus* pro *Ister*, quidam leg. ap. *Tibull.* 4, 1, 146. quin *Istrum* pro *Istrus*, olim usurpavere teste *Prisc.* 5, 658. ℙ Ad scriptionem quod attinet, aspirationem asserunt *Cassiod. de orthogr.* 2313. et *Terent. de litter.* 2338., quibus favere videtur *Dausq.* in *Orthogr.* Contra sine aspiratione est in Inscr. optimae notae ap. *Grut.* 236, 5. Libri editi variant. Neutram praetulerim, aut improbaverim.

ISTHMIA, orum, n. plur. τὰ Ἴσθμια, certamina, ac ludi solemnes, in Graecia celebrati, in Isthmo Corinthiaco, prope Neptuni templum, pari dignitate cum Olympiis, Nemeaeis, et Pythiis: instituti a Sisypho Corinthi rege, Athamantis fratre, vel ab ipso Athamante, cum Melicerta filius in mare sese projiciens, Deus factus est, et Palaemon appellatus, ut in ATHAMANTEUS dictum est. Hos ludos diu intermissos, instauravit, et Neptuno dicavit Theseus, ut est ap. *Plutarch.* in ejus vita. *Pindari* aevo, tertio quoque anno incipiente fiebant, ut ex ipso constat *Nemeor. od.* 6. *v.* 69. et Graeco ibi Scholiaste. Quinquennales tamen fuisse, tradunt *Plin.* 4, 5, 9., *Solin.* 7. et *Auson. Eclog. f.* Fortasse ab initio trium, postea quinque annorum intervallo celebrati sunt. In iis victores pinu coronabantur, teste *Plin.* 15, 10, 9. illa, opinor, de causa, quod ex ea arbore maxime naves fiunt, in quas Neptunus summum jus habet. *Liv.* 33, 32. Isthmiorum statum ludicrum aderat, semper quidem et alias frequens, cum propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis artium, viriumque, ac pernicitatis visuntur; tum quia propter opportunitatem loci, per duo diversa maria, omnium Graecorum undique conventus erat.

ISTHMIĀCUS, et Isthmicus, et Isthmius, a, um, adj. Ἴσθμιος, Ἰσθμιακὸς, ad Isthmum pertinens, et ad ludos ibi factos. *Stat. Th.* 6, 557. Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena. *Claud. Ruf.* 1, 252. Isthmiaca pinus. (V. SINIS.) *Id. IV. Cons. Honor.* 463. Isthmiacum litus. *Val. Max.* 4, 8. *n.* 5. Isthmicum spectaculum. *Liv.* 33, 32. Ludi Isthmii. *Hor. Od.* 4, 3, 3. Isthmius labor. ℙ Quod Syracusarum urbs in Sicilia ab advenis Isthmi, et Corinthi fundata fuit, ut *Sil.* 14, 50. docet et *Tert. Pall.* 2. *f.*, hinc *Isthmiacus* interdum pro Syracusano ponitur. *Sil. ib.* 341. Vir fuit Isthmiacis decus immortale colonis, *h. e.* Archimedes; et *ib.* 642. Tunc sese Isthmiacis aequassent oppida tectis. ℙ *Isthmia Dione* ap. *Stat. Silv.* 2, 7, 2. est Venus, quae in arce Corinthi templum habuit. ℙ *Isthmiacae favillae* ap. *eund. ib.* 2, 68 incendium, quo Corinthus absumpta est.

[ISTHMIŌNĪCES, ae, m. Ἰσθμιονίκης, victor in ludis Isthmiis: ab Ἴσθμιος, et νίκη, victoria, ut *Olympionices*, qui victor fuit in ludis Olympiis. *Not. Tir.* p. 174. Isthmus, Isthmia, Isthmionices. *F.*]

ISTHMUS, et Graeca positione *Isthmos*, *i*, m. ἰσθμὸς, proprie apud Graecos collum significat: a cujus similitudine terra oblonga et angusta inter duo maria, duas continentes jungens, *Isthmus* dicitur. *Ov. Met.* 7, 406. bimarem pacaverat Isthmon. ℙ Isthmi multi numerantur. Primus est Peloponnesi, qui et Corinthiacus et Achaicus vocatur, et Peloponnesum reliquae Graeciae connectit. In hujus isthmi faucibus Corinthus sita est, totius Peloponnesi urbs clarissima. Hunc multi perfodere tentavere, Demetrius rex Asiae, cognomento Poliorcetes, C. Caesar dictator, Cajus princeps, et Nero, infausto, ut omnium patuit exitu, incepto. *Plin.* 4, 4, 5. et *Suet. Ner.* 19. V. ISTHMIA. ℙ Alius Isthmus est in Thracia Chersoneso, tertius in Aegypto, inter mare Mediterraneum, et sinum Arabicum, quartus Tauricae Chersonesi, quintus in Macedonia, etc. de quibus consulendi geographi. ℙ Est etiam angustum fretum inter duas terras. *Prop.* 3, 21, 1. Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos, Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua: *(die Dardanellen)*. Aliter *Passerat.*, qui et peccare aliquid videtur in geographia. ℙ *Appul. Met.* 1. *in.* feminino genere extulit, *Isthmos Ephyraea:* videturque ad ipsam circa regionem respexisse. Eadem est ratio de *Hymettos Attica*, ac *Taenaros Spartiaca*, quae *ib.* leguntur: et *aperta Taenaros* ap. *Lucan.* 9, 36.

*ISTIAEA, ae, f. opp. Euboeae insulae. *Mela* 2, 7. *med.* *B. A.*

ISTIC, aec, oc, et uc, pronom. οὗτος, idem quod *iste*, *a*, *ud*. *Ter. Ph.* 5, 8, 6. Quid istic narrat? *Pl. Capt.* 5, 3, 10. Isne istic fuit, quem vendidisti? *Id. Truc.* 2, 6, 40. Istic labor. *Id. Ps.* 2, 4, 47. Istic servus. *Id. Amph.* 2, 1, 43. Miserrima istaec miseria est servo bono. *Id. Bacch.* 3, 1, 15. Priusquam malum istoe addis, dicam

patri. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Si istuc ita est. *Pl. Curc.* 1, 1, 32. Quid istuc est verbi? *Id. Mil.* 3, 1, 24. et *Ter. Heaut.* 1, 1, 58. Istuc aetatis homo. *Cic. Acad.* 1, 4. Istuc quidem considerabo. *Pl. Curc.* 1, 1, 2. Cum istoc ornatu. *Id. Amph.* 1, 1, 222. Ergo istoc magis, quia vaniloquus es, vapulabis, *h. e.* hoc magis. *Ter. Hec.* 4, 2, 17. Nihil mihi istaec res voluptatis ferunt. *Pompej.* ad *Dom.* 2. post. *ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Si ille circum istaec loca commoraretur. *Cic. Att.* 14, 1. Non posse istaec sic abire. ℙ Recipit syllabicam adjectionem. *Ter. Eun.* 5, 1, 14. Istuccine interminata sum hinc abiens tibi? *Pl. Ps.* 3, 2, 58. Istaccine causa tibi hodie nummum dabo? *Id. ib.* 1, 1, 81. Istoccine pacto me adjutas? *Id. As.* 5, 2, 82. Istoscine patrem aequum mores est liberis largirier? *Id. Truc.* 3, 2, 16. Istaecce ridicularia. ℙ Sunt quibus placet aspirationem inserere, *isthic, isthaec, isthuc*, etc. quod ab *iste*, et *hic* conflata sint. Opponit *Manut.* in *Orthogr.* libros veteres, et Virgilium Carpensem: cui favere videtur *Dausq.* Si quis tamen sic scribat, ne damnaveris.

ISTIC, adv. *αὐτόθι*, in isto loco: et refertur ad locum in quo tu es. *Cic. Att.* 3, 12. Intelligo, te istic prodesse: hic ne verbo quidem levare me posse. *Id. Fam.* 1, 10. Ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. *Ter. Andr.* 5, 2, 8. Quid istic tibi negotii est? *Id. Eun.* 5, 2. *f.* Tu istic mane, ut Chremem introducas. ℙ Urbane *Cic. Fin.* 5, 26. *extr.* Istic sum, inquit, exspectoque, quid respondeas, *h. e.* sum animo in ista re, quam tu dicis: istud ago. Sic *Ter. Hec.* 5, 2, 39. Ausculta. *Phi.* istic sum. ℙ Pro in ista re. *Ter. Andr.* 2, 5, 9. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. ℙ Cum adjectione syllabica. *Pl. Rud.* 1, 2, 22. Isticcine vos habitatis? ℙ Scribitur et *isthic*. V. v. praec.

ISTIM, pro Istinc, V. ILLIM.

ISTĬMŌDI, istiusmodi. V. ISTE.

ISTINC, adv. *αὐτόθεν*, ex isto loco. *Cic. Fam.* 1, 10. Qui istinc veniunt, superbum te esse dicunt. *Pl. Capt.* 3, 4, 71. Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam. *Id. Mil.* 2, 3, 72. Serva istas fores, ne tibi clam se subterducat istinc. *Id. Rud.* 3, 5, 28. Age, alter istinc, alter hinc assistite. ℙ Item ex ista re. *Id. Ps.* 4, 7, 68. Memento dimidium istinc mihi de praeda dare, *h. e.* de ista praeda. Sic *Rud.* 4, 4, 33. Neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo. ℙ Scribitur et *isthinc*. V. ISTIC, aec.

ISTIUSMŌDI, istius modi, formae, generis. *Ter. Heaut.* 2, 4, 7. Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est. *Cic. Verr.* 1, 11. *f.* Necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. *Pl. Epid.* 1, 2, 16. istiusmodi amicos. *Id. Rud.* 2, 2, 15. Cum istiusmodi virtutibus.

ISTO, *δεῦρο*, adv. motus versus istum locum, ubi tu es. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* Liceat modo isto venire. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Si minima causa est properandi isto mihi. *Plin. ep.* 4, 12. *extr.* Si cognoverit, factum suum isto usque penetrasse. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 205.] ℙ Item in istam rem. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Trebatium meum quod isto admisceas, nihil est.

ISTOC, adv. idem quod *isto*. *Pl. Truc.* 4, 2, 6. Nec quemquam interim istoc ad vos intromittam. *Id. Mil.* 2, 5, 45. Do fidem, istoc me intro ituram. ℙ Item ab isto loco, istinc. *Ter. Adelph.* 2, 1, 15. Accede illuc, Parmeno: nimium istoc abisti. ℙ Pro *istuc*, V. ISTIC, aec.

*ISTONĬUM, i, n. *Ἰστόνιον*, Italiae opp., in agro Frentanorum. *Histonium* appellat *Mela* 2, 4. *med. Plin.* 3, 12. *B. A.*

ISTORSUM, *πρὸς τόνδε τὸν τόπον*, adv. motus versus locum, idest, versus eum locum, ubi tu es. *Ter. Phorm.* 5, 1, 14. Concede hinc a foribus paululum istorsum, sodes, Sophrona. Adde *Heaut.* 3, 3, 27.

ISTRI, orum, m. plur. populi extremi Italiae, Liburnis finitimi, quorum regio Istria. Hos fama est originem a Colchis duxisse, missis ab Aeeta rege ad Argonautas persequendos, qui ut a mari intraverunt Istrum fluvium, nec raptores invenere, sive metu regis, sive taedio longae navigationis, juxta Aquilejam consederunt, Istrique ex amnis nomine, quo a mari concesserant, sunt appellati. *Liv.* 41, 11., *Pl. Men.* 2, 1, 10., *Plin.* 3, 19, 23. ℙ Al. scribunt *Histri*. V. v. sq.

ISTRĬA, ae, f. *Ἰστρία*, regio Italiae in confinio Illyrici, in mare Adriaticum, ut paeninsula, excurrens. *Plin.* 3, 19, 23. ℙ Scribitur et *Histria*. Tradit enim *Festus*, dictos *histriones*, quod primum ex *Histria* venerint: quae etymologia, licet minus vera sit, id tamen ostendit, aspirationem aliquando huic verbo appingi consuevisse. Confirmant Inscriptiones ap. *Maff. Mus. Ver.* 88, 2. et ap. *Grut.* 285, 2., 402, 4., 433, 4., sed in hac posteriore etiam per *y* scribitur, *Hystria;* quod non est imitandum: tandem ea, quae Patavii reperta an. 1819. servatur adhuc ibidem in *Mus. Lapidar.* Aspirationem vero abjiciunt libri quamplurimi, Graeci, *Ammian.*, *Plin.* et al. Utraque igitur admittenda est.

ISTRĬĀNI, orum, m. plur. Istri. *Just.* 9, 2. Cum bello Istrianorum premeretur.

ISTRĬCUS, a, um, adj. ad Istriam pertinens. *Liv.* 41, 1. et 11. Istricum bellum. *Plin.* 32, 6, 21. Istrica ostrea. ℙ Scribitur et *Histricus*. V. ISTRIA. ℙ *Item ad Istrum sive Danubium pertinens. Hinc *Istrici, orum*, m. audiunt Istrum accolentes. *Mela* 2, 1. *med. B. A.*

*ISTROPŌLIS, is f. *Ἰστρόπολις*, oppidum Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum Istrique ostium. *Mela* 2, 2. *med. Plin.* 4, 11 et 12. ℙ *Istrus* appellatur ab *Eutr.* 6, 8. (al. 10.) et *Anton.* in *Itiner. B. A.*

ISTRUS, a, um, adj. Istricus. *Mart.* 12, 63. Uncto Corduba laetior Venafro, Istra nec minus absoluta testa, *h. e.* oleo Istrico in testis condito, quod et *Plin.* laudat 15, 2, 3. ℙ Scribitur et *Histrus*. V. ISTRIA.

ISTUC, adv. *δεῦρο*, in, vel ad istum locum. *Pl. As.* 3, 3, 56. Concedite istuc. *Id. Merc.* 4, 1, 25. Istuc eo, quantum potest. *Id. Poen.* 3, 3, 1. Jam istuc ego revortar. ℙ Pro *istud*, V. ISTIC, aec. ℙ Scribitur et *Isthuc*. V. *ib.*

ISTUCCĬNĔ. V. ISTIC, aec.

*ISŪRA, ae, f. insula Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

IT

*IT pro Id scriptum interdum reperitur in MSS., v. g. in cod. rescript. *Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 6. p. 21. Cf. *Set;* item *Apud* ad f. *B. A.*

ĬTĀ, *οὕτως, οὕτω*, sic: adv. similitudinis. Primitiva vox est, teste *Prisc.* 15, 1007. non composita. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. Est, judices, ita, ut dicitur. *Id. Off.* 1, 44. *f.* Non est ita. *Id. Att.* 12, 17. Des operam, ut investiges, sitne ita; et *ib.* 7, 8. Quod putasti fore, ut Pompejum viderem, factum est ita. *Id. Rabir. perduell.* 2. Quae cum ita sint. *Id. Div.* 2, 32. Itane censes, ante coronam herbae exstitisse, quam conceptum esse semen? et *ib.* 1, 13. Casu, inquis: itane vero? ℙ [*Amat auctor *Decl.*, quae *Quintiliano* adscribi solent, interrogationem per *ita non*, cum rem haud dubiam esse, significare vult. V. *Decl.* 1, 9. p. 24. Ita non ille percussus est homo, quem Caecus occidit? ubi *Schulting.* nubem exemplorum laudat. ℙ *Ita non* est etiam ironiae elegans forma. V. *Quint. Decl.* 12, 23. p. 264. Tempestate, inquit, adpulsus sum. Ita plane: infelix navigator es, et cujus votis aurae non respondeant? ubi *Burm.* eandem formulam bis in *seq. decl.* exhiberi dicit.] ℙ Servit conjunctioni, et complexioni. *Cic. Div.* 2, 39. Ita nobis sinistra videntur, Grajis dextra, meliora. *Id. Or.* 1, 25. *med.* Ita quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. *Id. Off.* 1, 45. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare sapienter. *Id. N. D.* 1, 40. Virtus actuosa est; et Deus vester nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. ℙ Est etiam optantis et jurantis. *Cic. Cat.* 4, 6. Ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut, etc. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ita, incolumi Caesare, moriar. *Ter. Eun.* 4, 1, 1. Ita me Dii bene ament, non nihil timeo; et *Cic. Att.* 5, 15. Ita vivam, ut maximos sumptus facio. *Id. Fam.* 16, 20. Sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo. *Prop.* 1, 7, 3. Atque, ita sim felix, primo contendis Homero. *Quidam disertus* ap. *Sen. ep.* 117. *med.* Ita quamprimum moriar. ℙ Et respondentis cum affirmatione. *Ter. Andr.* 1, 2, 20. Omnes, qui amant, graviter, sibi dari uxorem, ferunt. *Da.* Ita ajunt; et 1, 1, 27. Nam antea qui scire posses, dum aetas, metus prohibebant? *So.* Ita est; et 5, 2, 9. Quid istic tibi negotii est? *Da.* mihin'? *Si.* ita; et *Pl. Most.* 4, 2, 31. *Pha.* Herus hic noster potat. *Theu.* herus hic vester potat? *Pha.* ita loquor. *Id. Men.* 5, 9, 37. Menaechmum, opinor, te vocari dixeras. *Me.* Ita vero. ℙ Ponitur et pro valde, multum, vel tam, idque fere post negationem. *Cic. Or.* 8. Non ita lato interjecto mari; et *Or.* 2, 19. Mihi quidem non ita molesti sunt: facile omnes perpetior; et *Brut.* 66. Fimbria non ita diu jactare se potuit. *Id. Fin.* 2, 13. *med.* Accessione utuntur non ita probabili. *Id. Verr.* 2, 4, 49. *f.* Simulacra praeclara, sed non ita antiqua. *Id. N. D.* 1, 31. Quibus homines non ita valde moventur. *Liv.* 5, 19. Praedae pars maxima ad quaestorem redacta est: haud ita multum militi datum. *Id.* 3, 20. *f.* Non ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti possit. *Nep. Cim.* 3. Post, neque ita multo, Cyprum missus. *Cic. Quint.* 4. Nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quintius. *Id. Fam.* 4, 7. *med.* Cum ita late pateat ejus potestas. ℙ Et pro adeo, et seryit epiphonemati. *Pl. Amph.* 5, 1, 46. uxorem tuam Neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus: Ita profecto sine dolore peperit. *Cic. Fam.* 2, 5. Non quo verear ne tua virtus opinioni hominum non respondeat; sed ne cum veneris, non habeas jam, quod cures: ita sunt omnia debilitata, et jam prope exstincta. ℙ Et pro talis. *Ter. Ad.* 1, 2, 63. Nam ita est homo; et 4, 7, 21. Ita est vita hominum, quasi cum ludas tesseris. ℙ Frequentissime particulam *ut* post se habet: interdum *quasi, quemadmodum, si*, etc. *Ter. Eun.* 1, 2, 36. Coepit studiose educere, ita uti si esset filia; et 4, 2, 1. Coepi egomet mecum inter vias, ita ut fit, aliam rem ex alia cogitare; et *Andr.* 3, 3, 10. Oro te, ut me adjuves in re hac, atque ita ut nuptiae Fuerant futurae, fiant; et *Cic. Att.* 5, 9. *med.* Hoc tibi ita mando, ut dubitem, etc. et *Fam.* 13, 21. Mihi ita benevole praesto fuit, ut si a me manumissus esset; et *ib.* 1, 7. *med.* Ita fore, ut per te restituatur. *Caes. B. G.* 1, 12. Arar influit incredibili lenitate, ita ut, in utram partem fluat, judicari non possit. *Liv.* 22, 61. Ita admissi sunt, ne tamen iis senatus daretur; et *Just.* 11, 4. *f.* Bellum deprecantibus ita demum remisit, ut duces sibi dederentur, i. e. hac conditione. *Cic. Phil.* 5, 17. Senatui placere, ejus rationem ita haberi, prout, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 22. Neque enim ita se gessit in his rebus, tanquam rationem aliquando esset redditurus, sed ita, quasi reus nunquam esset futurus; et *Fam.* 13, 4. *med.* Ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos; et *Agr.* 2, 1. *extr.* Me consulem ita fecistis, quomodo pauci facti sunt. *Just.* 12, 2. Ita cupide profectus est, veluti sibi Occidens sorte contigisset. *Cajus Dig.* 35, 2, 1. *med.* Aut ita ratio habeatur, tanquam pure debeatur; aut ita tanquam nihil debeatur. *Cic. Fam.* 15, 20. Crebris nos litteris appellato: atque ita, si idem fiat a nobis. *Prop.* 2, 4, 11. Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae, Quam facile irati verbo mutantur amantes. Adde *Lucr.* 2, 1035. ℙ Seq. *atque. Ulp. Dig.* 29, 1, 1. Ita judicandum, atque in propriis servis, senatus censuit. *Paul. ib.* 5, 3, 36. *f.* Ita condemnatur, atque si possideret. ℙ [**Ita*, Seq. part. *ut*, non semper gradationi, sed etiam deminutioni sententiae inservit. *Cic. Manil.* 3. Vestri imperatores ita triumpharunt, ut ille (Mithridates) pulsus superatusque regnaret, i. e. duces vestri tam exiguo successu triumphum de Mithridate egerunt, ut ejus opes non debilitatae sed auctae firmataeque viderentur. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 281. p. 254. ubi plura laudantur.] ℙ Seq. infinito. [*Non habet secum *ita* infinitivum, sed sequitur infinitivus elocutionem, cui *ita* cum abundantia quadam additum est, quod saepissime fieri solet, ut lectoris vel auditoris animus ad ea, quae sequantur, advertatur. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 204. 4. b. p. 975. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 748.] *Cic. Fam.* 6, 2. Velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere. *Id. Cluent.* 19. Collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum. [*Adde *Fam.* 13, 10. Quum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas litteras maximum apud te pondus habituras, cet.; et 24. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse.] *Liv.* 1, 55. Id omen ita acceptum est, non motam Termini sedem firma stabiliaque cuncta portendere. [**Suet. Caes.* 30. Cnejus Pompejus ita dictitabat, quod neque opera consummare, quae instituerat, etc. — turbare omnia ac permiscere voluisse. Adde cp. 56. De iisdem commentariis Hirtius ita praedicat: adeo probantur omnium judicio, ut etc.] ℙ Aliquando redundat. *Cato R. R.* 144. Scalae ita uti datae erunt, ita reddito. ℙ [*Notanda est etiam constructio, qua poni cum superlativo solet, antecedente *ut*, nostr. *je — desto.* V. *Ramsh. Gr. Lat.* 155. 4. p. 503. ubi nubem exemplorum invenies, quorum pauca hic sufficiant: *Cic. Cluent.* 21. In morbis corporis ut quisque est difficillimus, ita medicus nobilissimus atque optimus quaeritur. *Quint. Fr.* 1, 1, 4. Ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. *Caes. B. G.* 6, 15. Gallorum equites omnes in bello versantur: atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habent.] ℙ *Quid ita* est cur? *Cic. Rosc. Am.* 12. Accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus vestris effugit. *Liv.* 32, 21. Quid ita passus est, Eretriam capi? quid ita tot Thessaliae urbes? quid Locridem, etc.? Adde 27, 34. ℙ Pro deinde usurpari putat *Brisson. de V. S.* congestis pluribus JCtorum locis: sed non est necesse a prima ejus notione discedere.

[ITAEŌMĒLIS, is vel ĭtis, m. vini facticii species, cujus nominis ratio ignoratur. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 6. Vocarunt et scyzinum, et itaeomelin, et lectisphagiten, quorum jam oblitterata ratio est. *F.*]

ĬTĂLĬA, ae, f. *Ἰταλία*, regio Europae pulcherrima, inter Alpes a septentrione, fretum Siculum a meridie, Adriaticum et Ionium ab oriente, et Tyrrhenum ab occasu. Dicta putatur vel ab Italo rege Siciliae, vel Ligurum; vel advena Molossio; vel a quodam hujus nominis augure; vel a filia Minois Cretensis; vel denique (quod *Varr. R. R.* 2, 5., *Festus*, et *Colum. prooem. l.* 6. docent) a bubus, quibus abundat, quos Graeci *ἰταλοὺς* vocant: unde *vituli:* quae omnia leges ap. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 536. nunc fama, minores Italiam dixisse, etc. V. ITALICUS. ℙ De ejus laudibus V. *Plin.* 3, 5, 6. et 37, 13, 67. ℙ Prima syllaba

brevis est, sed a poetis ex metri necessitate producitur. *Virg., Hor., Ov.*, etc. ℙ Adjective *Italia terra* dixit *Cato* ap. *Gell.* 2, 6. V. dicta in ARABIA. ℙ *Italia* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 78. Claudia Italia.

ITALICA, ae, f. *Sevilla la veja*, col. et urbs Hispaniae Baeticae condita a Scipione Africano, ad Baetim fl. Hispali vicina. Aliis est *Alcalà del Rio*, opp. inter Hispalim et Castrum Album. *Plin.* 3, 1, 3. ℙ *Italica* item urbs Pelignorum in Aprutio cit., ita dicta bello Italico, seu Marsico, seu sociali, quod Marsi, Picentes, Peligni, Vestini, Marrucini, Frentani, Hirpini, Pompejani, Picentini, Venusini, Iapyges, Lucani, Samnites, atque omnis ora a Liri fl. usque ad Ionium sinum cum populo R. gesserunt. Hi enim Corfinium communem patriam, et belli caput legere, et *Italicum* appellavere. *Vell.* 2, 16. ℙ Utra ex his patria Silii Italici poetae fuerit, non satis constat. Posteriorem fuisse, censet *Voss.*, priorem alii: neutram *Cellar.* in *dissert. de Sil. Ital. sect.* 7., sed cognomen illud non patriam designare, sed casu impositum, fortasse quia majores ejus olim ab Italica Hispana venerint.

ITALICĒ, adv. Italorum more. *Messala Corvin.* incertae, et fortasse nullius auctorit. scriptor *de progen. Aug.* 11. Troja namque vulgo Italice, Latineque scrofa, vel sus dicitur.

ITALICENSIS, e, adj. ad Italicam pertinens. *Hirt. B. Alex.* 52. Italicenses homines. *Inscr.* ap. *Grut.* 385, 1. Colonia Italicensis in provincia Baetica. *Gell.* 16, 13. D. Hadrianus in oratione, quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuit, in senatu habuit.

ITALICUS, a, um, adj. ad Italiam pertinens. Cum de hominibus dicitur, Italos omnes significat, sed extra Latium, et Galliam Cisalpinam. *Ulp. Dig.* 28, 5, 35. Quidam duos heredes scripsit, unum rerum provincialium, Italicarum rerum alterum. *Plin. ep.* 9, 23. Italicus es, an provincialis? *Plin. alter* 3, 21, 25. Jus Italicum habere. *Id.* 28, 28, 67. Italicum genus falcium; et *ib.* 7, 12. *n.* 1. Italicum triticum. *Tac. A.* 3, 71. Italica oppida; et 6, 12. Italicae coloniae, *h. e.* extra Italiam ex Italis hominibus deductae. *Id. H.* 1, 59. Italica legio, *h. e.* ex Italicis hominibus conscripta. (V. *Suet. Ner.* 19.) *Id. A.* 15, 13. Italicus populus. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. labyrinthus, *h. e.* factus a Porsenna Etruriae rege sub urbe Clusio. *Id.* 17, 12, 19. De qua *(olea)* Catonis Italica sententia, etc. *h. e.* Italico coelo accommodata. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Italicum bellum. V. de hoc (quod et sociale, et Marsicum dicitur) *Flor.* 3, 18., *Vell.* 2, 15. et 16. et *Eutrop.* 5, 3. ℙ Scribunt *Dionys. Halicarn. l.* 1. et *Strabo l.* 6. eam primum regionem, quae Oenotria, et postea Magna Graecia appellata est, *Italiam* dictam esse. Ejus autem incolae luxus et deliciarum studiosi fuere: unde *Tarentinae deliciae*, et *Sybaritici cibi*, etc. Huc referuntur illa *Cic. Sen.* 21. Pythagorei, qui essent Italici philosophi quondam nominati: *scil.* quia Pythagoras Crotone diu vixit, et docuit; et *Tusc.* 5, 35. Italicae, et Syracusiae mensae. *Liv.* 24, 47. de Arpinis: Quam ob noxam Romanorum pro alienigenis Italici bellum gererent. ℙ De Silio Italico V. in ITALICA.

ITĂLIS, idis, f. Itala, Italica. *Virg. A.* 11, 655. Larinaque virgo, Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeja securim, Italides. *Mart.* 11, 53. Italides matres. *Sil.* 7, 429. Nympharum maxima natu Italidum. *Ov. Pont.* 2, 3, 84. Italis ora.

ITĂLĬUS, a, um, adj. Italus. Tribuunt *Lucretio* et *Ov.* non uno in loco: sed utrobique lectio variat. V. dicta in ARABIA.

ITALUS, a, um, adj. Ἰταλός, ad Italiam pertinens. *Cic. Har. resp.* 9. *extr.* Itali ac Latini. *Virg. A.* 1, 256. Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris; et *ib.* 6, 92. Quas gentes Italum, aut quas non oraveris urbes! pro *Italorum*; et *ib.* 7, 643. quibus Itala jam tum Floruerit terra alma viris; et *ib.* 12, 827. Itala virtus. ℙ *Italus sermo* ap. *Arnob.* est sermo Latinus, 4, 135. Tam sermone Italo explicuere, quam Graeco; et 147. Euhemeri libellos Ennius sermonem in Italum transtulit. ℙ *Italus, antiquus Italiae rex, a quo nomen traxisse dicitur. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 2. (al. 6.) *Hyg. fab.* 127. et *Festus.* V. *Italia. B. A.*

*ITANI, orum, m. populi Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, in Ausetanorum Lacetanorumque regione. *Plin.* 3, 3. Ita ed. *Elzev. Harduinus* vocem expungit, eo scilicet quod nusquam alias memorantur hi populi. Haud probaverim. *B. A.*

*Itanum, i, n. Cretae promontorium, ab orientali insulae parte. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

ITAQUE, οὖν, τοιγαροῦν, conjunctio similem vim habens v. ergo, et igitur: item v. quamobrem. Concludentis enim est, et ex praecedentibus deducentis, continuantisque sermonem. *Cic. Amic.* 1. *med.* Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut, etc. *Nep. Milt.* 7 Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo facit frater ejus. *Caes. B. G.* 1, 9. Itaque rem suscipit, et a Sequanis impetrat, etc. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Omnium sententiis absolutus itaque est. ℙ Interdum ponitur in ipso ingressu orationis. *Cic. Part.* 7. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum. ℙ Non raro valet simpliciter *et ita*, ex quibus conflatur, et connectendae tantummodo orationi inservit: accentumque transfert in secundam syllabam. *Cic. Div. Verr.* 1. Cum quaestor in Sicilia fuissem, itaque ex ea provincia discessissem, ut Siculis jucundam memoriam nominis mei relinquerem. [*Id. fragm. or. pro Font.* (ed. *Niebuhrio*) 1. Nam ita ego defendo M. Fontejum, judices, itaque contendo, etc. *F.*] *Caes. B. G.* 1, 52. Ita nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt: itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur. *Cic. Cluent.* 19. Collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum, itaque feci: sic pugnavi, etc. Sic *Dejot.* 7. Eodem te, cum coenavisses, rediturum dixeras; itaque fecisti. Adde *Att.* 15, 20. *extr. Ter. Hec.* 2, 1, 10. et 4, 2, 3. et 28. et *Liv.* 3, 30. *med.* ℙ *Itaque ergo* est atque ita igitur. *Ter. Eun.* 2, 3, 24. Tametsi bona natura est, reddunt curatura junceas. Itaque ergo amantur. *Liv.* 9, 31. *f.* Loca difficilia hosti quaesita, ipsos tum sua fraude impediebant. Itaque ergo perpaucis effugium patuit. Adde 39, 25. et alibi.

ITARGUS, i, m. nunc *Weser*, fluv. Germaniae, quem nonnulli Visurgim vocant. *Albinov.* 1, 386. Decolor infecta testis Itargus aqua. ℙ Alii rectius *Itargus* scribendum putant; ita enim vocabatur fluv. Sueviae, qui Campodunum rigat, deinde in Danubium labitur, nunc vero *Iter* dicitur. *F.*]

[ITĀTĒNUS, adv. ex *ita* et *tenus*. *Claud. Mamert. stat. anim.* 10. Duoque ista itatenus uniuntur, ut sint indiscriminabilia. ℙ Saepius utitur hac voce hic auctor, cujus loco rectius quispiam usurpavit *illatenus*, vel *illactenus*.

*ITĒA, ae, f. unus ex quinquaginta Danai filiabus. *Hygin. fab.* 170. *B. A.*

ITEM, adv. ὁμοίως, similiter, eodem modo, etiam, quoque: ab *itidem* per syncop.; vel ab *ita*, insuper; vel ab *ita*. *Cic. Div.* 1, 48. Romulus augur cum fratre item augure; et 52. Item igitur, si sine divinatione non potest, etc.; et *ib.* 2, 6. Solis defectiones, itemque lunae praedicuntur in multos annos. *Id. Leg.* 2, 21. Placuit Scaevolae, et Coruncanio, itemque ceteris, qui, etc. *Varr. L. L.* 5, 5. Democritus, secuti et item alii, qui infinita principia dixerunt. *Vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *in.* Is eadem omnia item, eisdemque diebus ad Cos. profitemino. *Ter. Andr.* 1, 1, 49. Postquam amans accessit unus, et item alter. *Id. Ad.* 1, 1, 24. solum id est carum mihi: Ille ut item contra me habeat, facio sedulo. *Sall. Jug.* 105. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat, *h. e.* ut similiter armati essent milites, et intenti. *Cic. Att.* 2, 21. Spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris non item. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* His lapides substernendi, aut quid item. Sic *ib.* 9. *med.* Substernitur eis acus, aut quid item aliud. ℙ Habet post se particulas *ut*, *atque*, *quasi*, *quemadmodum*. *Cic. Or.* 60. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet. *Id. Verr.* 2, 4, 9. *f.* Fecisti item, uti praedones solent. *Varr. L. L.* 9, 4. Analogia non item ea definienda, quae dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quae ad usum loquendi. (Adde 8, 40. *extr.*) *Liv.* 39, 19. *med.* Uti Feceniae tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. Ut item palaestritae Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palaestritae Syracusani ab Eraclio petissent. ℙ Pro iterum. *Suet. Tib.* 6. Parentes vagitu suo paene bis prodidit: semel, cum a nutricis ubere; item cum a sinu matris raptim auferretur.

ITER, itineris, n. πορεία, ὁδεία, actus eundi, profectio, via. *Cic. Att.* 13, 23. Cum illi iter instaret et subitum, et longum. *Id. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Confestim cum Q. fratre iter ad te in Apuliam facere coepi, et *mox*. Caesarem iter habere Capuam. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 5. §. 6. Iter agentes. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi. *Id. Rosc. Am.* 34. *f.* Contendere iter, *h. e.* quod dixit *Liv.* 21, 29. intendere, *h. e.* celerare. *Caes. B. C.* 1, 63. maturare. *Tac. A.* 15, 12. properare. *Ov. Fast.* 6, 520. urgere. *Nep. Alcib.* 10. comparare; et *Cic. Mil.* 10. Iter est mihi Lanuvium. *Id. Att.* 5, 14. Iter conficere pulverulenta via. *Ov. Met.* 2, 715. agere in aliquam partem. *Caes. B. G.* 7, 56. convertere in aliquem locum. *Virg. A.* 7, 35. flectere. *Stat. Th.* 12, 232. frangere, *h. e.* minuere, vel deflectere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. dirigere ad Mutinam. *Cic. Sen.* 10. *f.* ingredi pedibus. *Id. Planc.* 41. praestare tutum alicui. *Caes. B. G.* 1, 9. Itinere prohibere aliquem. *Cic. Att.* 15, 24. Ex itinere redire; et *Inv.* 1, 30. venire; et *Div.* 1, 15. revertere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Esse in itinere. *Sall. Cat.* 35. Catilina ex itinere plerisque consularibus litteras mittit: postquam ex urbe discesserat. *Caes. B. G.* 1, 3. Ut in itinere copia frumenti suppeteret. *Cic. Phil.* 12, 10. Committere se itineri infesto, et periculoso. *Caes. B. G.* 5, 11. Desistere itinere. *Id. B. C.* 3, 36. Continuare iter die ac nocte. *Ov. Met.* 2, 598. coeptum dimittere. *Virg. A.* 7, 810. ferre per medium mare. *Stat. Th.* 1, 326. ferre Inachias urbes, *h. e.* ad Inachias urbes. *Virg. A.* 6, 384. inceptum peragere. *Ter. Hec.* 1, 2, 119. et *Tac. A.* 4, 20. pergere. *Sall. Jug.* 81. et *Hirt. B. Afr.* 69. Maturavere iter pergere. *Cic. Fam.* 15, 4. Cum abessem ab Amano iter unius diei; et *Caes. B. G.* 6, 24. Cum dierum iter quadraginta processerit. ℙ Etiam de brevi ambulatione dicitur. *Ter. Ph.* 3, 3. *f.* Dicam in itinere, *h. e.* dum ad Phormionem imus. *Plin. Pan.* 77. Iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in campum. *Liv.* 1, 28. *f.* In diversum iter equi concitati. ℙ *Justum iter diei* non est, ut aliqui tradunt ex *Veg. Mil.* 1, 9., viginti, vel viginti quatuor mill. pass., sed satis magnum viae spatium pro diei longitudine. *Caes. B. C.* 3, 76. Confecto justo itinere ejus diei, quod proposuerat Caesar. V. *Oberl.* in *not.* ad *l. c.* ℙ Notat aliquando modum itineris faciendi. *Id. B. G.* 1, 7. Quam maximis itineribus potest, in Galliam contendit; et *ib.* 38. Magnis diurnis nocturnisque itineribus contendere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Biduo me antecessit, itinera multo majora fugiens, quam ego sequens. *Ov. Pont.* 4, 5, 8. Ut festinatum non faciatis iter. *Ter. Hec.* 3, 4, 1. Ain' tu, tibi hoc in commodum evenisse iter? *h. e.* navigationem. ℙ Saepe sumitur pro via; et proprie in re agraria significat viam angustiorem, qua pedes, vel eques tantummodo ire quis potest: unde ab *actu* differt, quo etiam jumentum et vacuum vehiculum, et a *via*, qua etiam vehiculum onustum agitur, ut in VIA dicetur. Hinc *Plin. praef. H. N. med.* Praeterea iter est, non trita auctoribus via. *Varr. L. L.* 4, 3. Qua ibant, ab itu iter appellarant. *Inscr. in Giorn. Arcad. T.* 18. p. 100. Iter privatum Annii Largi: precario utitur Antonius Australis. ℙ Item jus, quod quis habet, ut pedes ire aliqua possit. *Cic. Caec.* 26. Aquaeductus, haustus, iter, actus a patre sumitur. *Paul. Dig.* 8, 3, 7. Qui sella aut lectica vehitur, ire, non agere dicitur; jumentum vero ducere non potest, qui iter tantum habet. ℙ Universim vero de quacumque via dicitur. *Caes. B. G.* 1, 6. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent; et *ib.* 3, 9. Pedestria itinera concisa aestuariis; et *B. C.* 1, 27. Aditus atque itinera duo, quae extra murum ad portum ferebant, defixis trabibus praesepit; et *B. G.* 1, 8. Dare iter alicui per provinciam; et *Cic. Manil.* 11. Patefacere alicui iter in aliquem locum. *Sall. Cat.* 61. Ferro iter aperire. *Ov. Her.* 20, 144. Ad sepem alterius quis tibi fecit iter? et *Met.* 15, 106. Facere iter sceleri; et *Cels. Dig.* 8, 1, 10. Fodiendo, substruendo iter facere: viam munire. *Cic. Att.* 14, 10. Itineribus deviis proficisci in provinciam; et *Ulp. Dig.* 9, 3, 1. Sine metu et periculo per itinera commeare. ℙ In aedibus est locus, per quem ex uno in alium domus membrum transitur. Hoc sensu adhibetur a *Vitruv.* 6, 9. *f.* ℙ De quocumque meatu, et via. *Cels.* 7, 25. et 26. Iter urinae. *Virg. A.* 7, 734. vocis. *Colum.* 8, 17. Itinera aquae. ℙ Translate est via, ratio, institutum. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. *f.* Ipse puer declamatorio illo genere delectari videtur: in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus. *Id. Att.* 4, 2. Nulla occupatio esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri, et officii mei. *Plin. ep.* 8, 10. Iter pronum ad honores. *Virg. A.* 2, 387. fortuna salutis Monstrat iter. Adde *Prop.* 2, 24, 22. ℙ *Itiner* integer est casus, a quo *iter* per syncop. factum videtur. *Lucr.* 6, 338. Obvia discutiat plagis, itinerque sequatur. *Pl. Merc.* 5, 2, 72. Inceptum hoc itiner perficere exsequar. *Manil.* 1, 88. Fecit et ignotis itiner commercia terris. *Varr.* ap. *Non.* 8, 2. Itiner longum sermone levare. Adde *Acc.* et *Turpil. ib.*, item *Enn.* et *Pacuv. ib.* 54. et *Juvenc. in.* 2. *Act. Apost.* ℙ In obliquis pro *itineris* reperitur *iteris*. etc. *Prop.* 2, 10, 40. memento hoc itere ad cineres cana venire meos. Al. aliter leg. *Lucr.* 5, 652. Concussos itere, et labefactos aere multo. *Acc.* ap. *Non. ib.* 13. Te longo itere cerno vadere. *Varr. ib.* Properans citus itere. *Naev. ib.* et 2, 428. et ap. *Prisc.* 6, 695. Ignotae iteris sumus. Adde *Jul. Hygin.* ap. *Charis.* 1, 108. ℙ In plur. num. *itinera* semper habet, non *itera*. *Charis ib.* p. 63.

ITĔRĂBĬLIS, e, adj. quod iterari potest. *Patricii Epithal. v.* 21. (in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 639. *Burm.*) ducitque canendo Aetherias Siren iterabile carmen ad auras. *Tert. adv. Marc.* 2, 28. Iterabilem injuriam facere.

ITĔRĀTIO, onis, f. ἀνάληψις, repetitio, resumptio, redintegratio, geminatio. *Cic. Or.* 25. Itemque si quae verborum iterationes contentionem aliquam et clamorem requirent. *Id. Or.* 3, 53. Et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio, *h. e.* repetitio, figura rhetorum, late sumpta, quae et ἐπανάληψις dicitur. ℙ Pertinet ad rem rusticam. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate, vel rastro, et sato semine iteratio,

h. e. occationis repetitio operiendorum seminum gratia. *Colum.* 11, 2. *med.* Iterationem arationis peragere. *Id.* 2, 12. *f.* Iteratio sarritionis; et *ib.* 4. Compluribus iterationibus resolvatur vervactum in pulverem. *Id.* 12, 50. *med.* Plurimum refert non miscere iterationem cum prima pressura, *h. e.* secundam olei pressuram. ℙ Latini, inquit *Ulp. tit.* 4. *Regular. de Latinis*, jus Quiritium consequuntur his modis: beneficio principali, liberis, iteratione, militia, etc. et *paulo post*: Iteratione fit civis R., qui post Latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juste manumissus est ab eo, cujus ex jure Quiritium servus fuit.

ĬTĔRĀTĪVUM Verbum, *h. e.* frequentativum, ap. *Diomed.* 1, 335. et 336. et *Charis.* 3, 226.

ĬTĔRĀTO, adv. *αὖθις*, iterum. *Justin.* 43, 4. Iterato petiit. *Id.* 22, 7. Iterato Carthaginienses superat; et 16, 3. Iterato ad oraculum decurrunt. *Modest. Dig.* 49, 16, 3. *med.* Si iterato hoc admiserint.

ĬTĔRĀTUS, a, um, part. ab *itero*, *δευτεροωθείς*, iterum factus, repetitus. *Cic. Part.* 15. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, et ea, quae ascendunt gradatim, *h. e.* per figuram repetitionis; et *ib.* 6. Verba geminata, atque duplicata, vel etiam saepius iterata ponantur. *Id. Or.* 2, 30. Ager non semel aratus, sed novatus, et iteratus. *Just.* 29, 4. Iterato proelio victi. *Suet. Ner.* 23. Iterata certamina. *Hor. Epod.* 12, 21. Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae, *h. e.* bis tinctae. *Ov. Met.* 8, 172. de labyrintho: Utque ope virginea, nullis iterata priorum Janua difficilis, filo est inventa relicto, *h. e.* quae ingredientibus reperta fuerat, non reperta iterum egredi volentibus. ℙ *Iteratus* dicitur miles, qui honesta missione dimissus, iterum ad militiam revocatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 538, 9. C. Cornelius Memor Q. Mil. Coh. IIII. Pr. 7. Patroni mil*itavit* an. XXVIII., iteratus vixit an. LXXX.

ĬTERDŪCĀ. V. DOMIDUCUS.

[ĬTĔRĪNUS, i, m. a vetusto *iter*, *iteris:* ad iter pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 233, 2. C. Sartius Iterinus. *F.*]

[ĬTĔRO, adv. idem ac iterum. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. di Fast. cons. tav.* 10. *n.* 26. Consulibus tunc natus eram, iteroque Severo, Et Fulvo pariter, quo coepi dulcis haberi, *h. e.* an. a Chr. n CXX. C. Catilio Severo II., et T. Aurelio Fulvo II. Cos. *Nummus* Hadriani Aug. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 477. Aug. Ger. Dac. Par. P. M. Tr. P. Cos. itero. *F.*]

ĬTĔRO, as, avi, atum, a. 1. *δευτερόω*, iterum aliquid facio, repeto. *Enn.* ap. *Cic. Acad.* 4, 27. et *Tusc.* 2, 19. et *Att.* 14, 14. Itera dum eadem ista mihi, non enim satis intelligo, etc.; et *Or.* 39. Cum duplicantur, iteranturque verba, *h. e.* per figuram repetitionis. *Hor. Od.* 2, 19, 11. truncis Lapsa cavis iterare mella, *h. e.* semel et iterum cantare. *Ov. Fast.* 6, 199. Mane ubi bis fuerit, Phoebusque iteraverit ortus, *h. e.* iterum retulerit diem. *Pl. Poen.* 4, 2, 99. Quae audistis, si eadem hic iterem, inscitia est. *Ov. Met.* 3, 495. quotiesque puer miserabilis eheu Dixerat, haec resonis iterabat vocibus eheu. *Hor. Od.* 1, 34, 3. nunc retrorsum Vela dare, atque iterare cursus Cogor relectos. Sic *ib.* 1, 7, 32. Cras ingens iterabimus aequor, *h. e.* rursus navigabimus. *Liv.* 6, 32. Iterare pugnam. *Plin.* 7, 55, 56. vitam morte, *h. e.* post mortem iterum vivere. *Lampr. Alex. Sev.* 22. causas. ℙ *Bis iterare* pleonasmus est ap. *Pl. Ps.* 1, 3, 154. Sic *iterum iterare* ap. *eund. Rud.* 4, 8, 1. Quamquam est interdum simpliciter referre, memorare, narrare. *Id. Amph.* 1, 1, 56. Haec ubi Telebois ordine iterarunt, etc. *Id. Cas.* 5, 2, 5. Operam date, dum mea facta itero: est operae auribus percipere: Ita ridicula auditu, iteratu ea sunt. *Sempron. Asell.* ap. *Gell.* 5, 18. Scribere bellum, et quae in eo gesta sint, iterare. ℙ *Iterare calceamentum*, *anulos*, ap. *Lampr. Elagab.* 32. est bis gestare; et *iterare mulierem* ap. *eund. ib.* 24. est iterum inire. ℙ *Stat. Th.* 12, 775. Multiplicem tenues iterant thoraca catenae, *h. e.* duplicant, et densiorem faciunt. ℙ Est rusticorum verbum. *Colum.* 2, 4. *med.* Siccitatibus censeo, quod jam proscissum est, iterare, pluviamque opperiri; et *paulo post:* Colles pinguis soli Februario statim proscindendi sunt, deinde ab Aprili medio iterandi, tertiandique Septembri; et 11, 3. Locus exherbandus, stercorandus, et diligenter fossione iterandus; et *ib.* 2. *med.* Iterare sarriturum. *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 2. segetes, *h. e.* iterum sarrire.

ĬTĔRUM, adv. *αὖθις*, secunda vice, rursus, denuo. Volunt etymologi esse ab *iter:* quasi eadem via rursum ineatur. *Cic. Brut.* 18. Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur. *Id. Div.* 1, 35. C. Flaminius consul iterum. (V. BIS.) *Hor. Ep.* 1, 5, 4. Vina bibes, iterum Tauro diffusa, *h. e.* iterum consule. *Caes. B. G.* 1, 31. Cum his Aeduos semel atque iterum armis contendisse. *Cic. Dom.* 52. *med.* Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. *Id. Inv.* 1, 39. *f.* Primo quidem decipi, incommodum est: iterum, stultum: tertio, turpe. *Pl. Men.* 2,

3, 58. In Sicilia, ubi rex Agathocles regnator fuit, et iterum Phinthias, tertium Liparo. *Cic. Div.* 2, 59. Nemo est, quin saepe talos jactans, Venerium jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum ac tertium; et *Rosc. Am.* 22. Iterum ac tertio nominavi. *Liv.* 3, 19. Seditiosi homines iterum atque tertium tribuni. *Cic. Fam.* 13, 42. Iterum ac saepius te rogo. *Id. Div.* 1, 25. *f.* Quod semel ille iterumque neglexit. *Id. Font.* 8. Pecuniam semel, atque iterum, ac saepius dare coacti sunt. *Cels.* 4, 4. *f.* Iterum tertioque. *Plin.* 14, 22, 28. Iterum tertiumque. *Varr. R. R.* 1, 18. *f.* Iterum et tertio. *Quint.* 2, 13. Id maxime praecipiam, ac repetens iterumque iterumque monebo. *Virg. A.* 3, 435. praeque omnibus unum Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo. *Hor. Sat.* 1, 10, 39. iterum atque iterum spectanda. ℙ Pro vicissim, vel itidem. *Caes. B. G.* 1, 44. *med.* Ut sibi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret; sic iterum nos esse iniquos, quod in suo jure se interpellaremus.

ĬTHĂCĂ, ae, f. *Isola del Compare, Val di Compare*, *Ἰθάκη*, insula maris Ionii, regnum Laertae et Ulyssis, inter Cephaleniam ad Occ. et Echinadas ad Or. *Virg. A.* 3, 272. Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna. ℙ **Ithace* pro Ithaca *Hor. ep.* 1, 7, 41. ed. *Bentl. B. A.*

ĬTHĂCENSIS, e, adj. ad Ithacam pertinens. *Hor. Ep.* 1, 6, 63. Ithacensis Ulysses.

*ĬTHĂCESĬA, ae, f. insula inferioris Italiae, in mari Hetrusco, in Bruttiis, exadversum Vibonem oppidum. *Plin.* 3, 7. Contra Vibonem parvae *(insulae)*, quae vocantur Ithacesiae, ab Ulyssis specula. ℙ Ex *Plinii* loco apparet plures ejus nominis fuisse insulas. Unam tantum meminit *Solin.* 9. (al. 3.) Ithacesiam, quae Ulyxis proditur specula. *B. A.*

ĬTHĂCĒSĬUS, a, um, adj. Ithacensis. *Sil.* 8, 541. Ithacesia sedes, *h. e.* Bajae, quae dicuntur nomen habere a Bajo, Ulyssis gubernatore, ut *Id.* 12, 113. significat. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Ithacesium antrum.

ĬTHĂCUS, a, um, adj. ad Ulyssem, et Ithacam pertinens. *Ov. Amor.* 3, 12, 29. Aeolios Ithacis inclusimus utribus Euros. *Id. Pont.* 2, 7, 60. Ithaca puppis. *Id. Met.* 13, 512. Ithacae matres. Adde *Prop.* 3, 10, 29.

ĬTHĂCUS, i, m. Ulysses, rex Ithacae ins. *Virg. A.* 2, 104. Hoc Ithacus velit. *Prop.* 1, 35, 9. At non sic Ithaci digressu mota Calypso.

[ĬTHĂRUS, i, m. *ἰθαρός*, liquidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 69, 5. G. Sejus Itharus. *F.*]

*ĬTHŌMĒ, es, f. *Ἰθώμη*, oppidum Peloponnesi, in Messenia. *Plin.* 4, 5. *Stat. Th.* 4, 179. Al. leg. *Ithone. B. A.*

ĬTHŌNAEUS, a, um, adj. possess. ab Ithone urbe Boeotiae. Hinc *Ithonaei* ejus urbis incolae, ap. *Stat. Theb.* 7, 330. ℙ *Scribitur et *Itonaeus. B. A.*

*ĬTHONE et Ītōne, es, f. Boeotiae opp. V. v. praeced. *B. A.*

ĬTHYPHALLĬCUM Carmen (dictum, quod eo Athenis in mysteriis utebantur, rectum stipitem in modum fascini tenentes) *ἰθυφαλλικὸν μέτρον*, constat dimetro brachycatalecto, ut *Bacche junge tigres. Serv. in Centim.* p. 1819. et *Atil. Fortunatian.* p. 2698. ℙ Etiam Phalaecium aliquando Ithyphallicum appellatur. *Mar. Victor.* 3. p. 2566.

ĬTHYPHALLUS, i, m. *ἰθύφαλλος*, lignum effictum in modum fascini, *h. e.* *τοῦ αἰδοίου ἐντεταμένου*: ab *ἰθὺς* pro *εὐθὺς*, rectus, et *φαλλὸς*, veretrum. Item ipse Priapus talium turpitudinum turpissimus Deus. *Colum.* 10, 31. truncum forte dolatum Arboris antiquae, numen venerare Ithyphalli. *Arnob.* 5, 176. In Liberi honorem patris Ithyphallos subrigit Graecia, et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 95, 5. *Ἰθυφάλλῳ κορυνηφόρῳ, κηποφύλακι, κλειτοριάστιγι*, etc.

ĬTĬDEM, adv. *παραπλησίως*, similiter, eodem modo, pariter, item: ab *ita*, et *dem* adjectione syllabica: vel ab *iterum*, et *idem*. *Cic. Part.* 22. Temperantia in suas itidem res, et in communes distributa est. *Caes. B. G.* 1, 36. Itidem populum R. victis ad suum arbitrium imperare. *Varr. L. L.* 8, 38. Nullius nostrum filium, et filiam, non apte discerni marem ac feminam: contra Deorum liberos non itidem. ℙ Sequente *quasi*, vel *ut* ap. *Pl. Most.* 1, 3, 119. Ubi se sudor cum unguentis consociavit, illico Itidem olent, quasi cum una multa jura confundit cocus. *Id. Curc.* 5, 3, 12. Ita te nervo torquebo, itidem uti catapultae solent. *Ter. Eun.* 1, 2, 13. Utinam hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet.

ĬTĪNER. V. ITER.

*ĬTĪNĔRANS, antis, part. iter faciens. *Salv. de Gub. Dei* 1. p. 33. (22. *Baluz.*) *B. A.*

ĬTĪNĔRĀRĬUM, ii, n. *ὁδοιπορικὸν*, descriptio itineris. V. HODOEPORICON. *Veg. Mil.* 3, 6. Primum itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissime dux habere debet perscripta; usque eo, ut solertiores duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum adspectu oculorum viam profecturis eligerent. *Itineraria perscripta*, et *adnotata* sunt ea, quae loca, eorumque distantias habent notata, ut *Itinerarium Antonini*, et *Hierosolymitanum:* sunt autem *picta*, quae ipsa loca oculis repraesentant, Itali dicunt *carte topografiche*, ut *Tabula Peutingeriana*. ℙ Item itineris signum. *Ammian.* 24, 1. Itinerarium sonare lituos jubet.

ĬTĪNĔRĀRĬUS, a, um, adj. *ὁδοιπορικὸς*, ad iter pertinens. *Lampr. Commod.* 9. Sumptus itinerarius. *Ammian.* 21, 15. Ratus, itinerario motu imminutae valetudinis excuti posse discrimen. *Id.* 19, 8. Tanquam itinerario aggere, vel superposito ponte complanatum spatium, *h. e.* summo viae dorso, media viae eminentia.

ĬTĬO, onis, f. *πορεία*, profectio, actus eundi: a sup. *itum. Cic. Att.* 11, 16. De obviam itione ita faciam, ut suades. *Ter. Phorm.* 5, 8, 23. Haeccine erant itiones crebrae, et mansiones diutinae Lemni?

[ĬTĬS, is, f. vox Tusca, de qua sic *Macr. Sat.* 1, 15. Iduum nomen a Tuscis, apud quos is dies *Itis* vocatur, sumptum est. *Item* autem illi interpretabantur Jovis fiduciam. Nam cum Jovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carmine canunt, et Cretenses *Δία τὴν ἡμέραν* vocant; ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem; jure hic dies Jovis fiducia vocatur. *F.*]

ĬTĬTO, as, frequent. ab *ito. Naevius* ap. *Calp. Pison.* MS. referente *Merula ad fr. Ennii* p. 417. Caesum funera agitant, exsequias ititant, Temulentiamque tollunt festam.

ĬTO, as, n. 1. *φοιτάω*, frequenter eo. In *edicto censorum* ap. *Suet. Rhet.* 1. Et quos in ludos itare vellent. *Cic. Fam.* 9, 24. Te ad coenas itare desisse, moleste fero. *Gell.* 3, 18. Pedibus itare in curiam. ℙ Pro simplici *eo*, *is*, *Pl. Most.* 1, 2, 48. Ad legionem cum itant, adminiculum eis dannunt, *h. e.* cum proficiscuntur in militiam.

ĬTŌNĪDA vel Itonia, Minerva, a loco sic appellata. *Fest.* V. v. sq.

ĬTŌNUS, i, et Iton, onos, m. et f. urbs Boeotiae, in qua antiquissimum Palladis templum. Item mons, et urbs Thessaliae, in qua itidem Pallas culta fuit. *Catull.* 64, 228. sancti incola Itoni. ℙ Scribitur et *Ithonus.*

*ĬTUCCI, oppidum Hispaniae Baeticae, Virtus Julia cognominatum. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

ĬTŪRAEUS, a, um, adj. *Ἰτουραῖος*, ad Ituraeam pertinens, quae provincia est Coeles Syriae, teste *Plin.* 5, 23, 19., cujus populi Ituraei a sagittandi peritia laudantur. *Virg. G.* 2, 447. et bona bello Cornus: Ituraeos taxi curvantur in arcus. *Servius* falso Parthos intelligit. *Lucan.* 7, 230. Ituraeis cursus fuit inde sagittis. *Cic. Phil.* 2, 44. Cur homines omnium gentium maxime barbaros, Ituraeos, cum sagittis deducis in forum? ℙ Scribitur et *Ityraeus. Inscr.* ap. *De-Vita AA. BB.* p. 232. Praef. Coh. III. Ityraeor. Eadem ap. *Grut.* 444, 5. mendose habet *Itureos.* Alia ap. *eund.* 533. 9. Eq. Alae Aug. Ityraeorum, domo Ityraeus. ℙ Rectius tamen legitur *Itouraeus* ex Graeco fonte *Ἰτουραῖος. *Inscr.* ap. *eund.* 519, 5. Lucanus Dec. Alae Aug. Itouraeorum.

*ĬTURĪSSA, ae, f. Hispaniae Tarraconensis oppidum. *Mela* 3, 1. ℙ *Iturisa* est *Anton. Itiner. B. A.*

ĬTUS, us, m. idem ac itio: a sup. *itum. Cic. Att.* 15, 5. Quis porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter istos? *Inscr.* ap. *Grut.* 73, 9. Pro salute, itu, ac reditu DD. NN. M. Aur. Antonini Pii Aug. et P. Septimii Getae. *Alia* 63, 9. Pro salute itus ac reditus Imp. Caes. Divi F. Augusti. *Suet. Tib.* 38. Vota pro itu et reditu suo suscipi passus. *Lucr.* 3, 389. Nec repentis itum cujusviscumque animantum Sentimus, *h. e.* incessum. *Titin.* ap. *Non.* 2, 419. Itum, gestum, amictum qui videbant ejus. ℙ Jus eundi in aliquem locum, v. gr. ad sepulcrum. V. AMBITUS, us. ℙ In plur. num. *Pall.* 7, 2. *extr.* Ita per paucos itus ac reditus, brevi horarum spatio, tota messis impletur.

ĬTYLUS, i, m. filius Zethi ex Aedone conjuge. Itylum mater noctu per errorem interfecit, putans eum esse Amalea Amphionis filium. Invidebat enim uxori Amphionis, eo quod ei essent sex filii masculi. Quae cum errorem suum cognovisset, optavit mori, sed Deorum commiseratione in carduelem versa, Itylum deflet. V. AEDON. Facile autem cum Ity confunditur. De Ity enim est illud *Catull.* 65, 13. Qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias, absumpti fata gemens Ityli. Contra de Itylo videtur esse illud *Senecae Agam.* 671. Ramo cantat tristis aedon, Ityn in varios modulata sonos.

ĬTYRAEUS. V. ITURAEUS.

ĬTYS, ityos, ityn, m. *Ἴτυς*, Terei et Prognes filius fuit, qui (ut est in fabulis) a Progne matre discerptus, et patri epulandus appositus, in pha-

sianum mutatus est. Aliqui dicunt mutatum fuisse in carduelem. V. PROGNE, et DAULIAS. *Ov. Met.* 6, 652. Tantaque nox animi est: Ityn huc arcessite, dixit; et *ib.* 658. Prosiliit, Ityosque caput Philomena cruentum Misit in ora patris. ℙ *Itys* pro *Itylo*. V. ITYLUS.

JU

JŪBA, ae, f *χαίτη*, crines, qui a collo animalium pendent, ut leonum, et equorum: a *φόβη*, crinis. *Cic. Div.* 1, 33. Et equum alacrem laetus aspexit, cujus in juba examen apum consederat. *Virg. A.* 11, 497. luduntque jubae per colla, per armos. ℙ *Colum.* 8, 2. *med.* jubas vocat etiam plumas exstantes in collo gallinaceorum; et *Virg. A.* 2, 206. usurpat de serpentum cristis. Sic *Val. Fl.* 8, 88. de dracone vellus aureum servante. *Id.* 3, 196. et *Virg. A.* 2, 412. et *ib.* 7, 785. de coma, seu crista galeae; et *Val. Fl.* 6, 111. de villosis canum collis. De crinibus cometae, qui pogonias dicitur, *Plin.* 2, 25, 22. et de frondibus arborum, *Id.* 6, 22, 24. Denique de coma, et capillis humanis, *Sen. Br. V.* 12. et *Mart.* 1, 32. ℙ Ad orationem modeste transtulit *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Hanc *(historiam)* saepius ossa, musculi, nervi; illam *(orationem)* tori quidam, et quasi jubae decent. ℙ *Est et *Juba*, *ae*, m. *Ἰόβας Plutarcho*, nomen proprium, Numidiae, ut videtur, regibus commune. V. *Tac. H.* 2, 58. ℙ Juba I. rex Numidiae et Mauretaniae partis, post patrem Hiempsalem, Pompeii partes secutus, Curionem a Caesare in Africam missum cum omnibus copiis delevit. Mox, victo Pompeio, cum Scipione copias junxit, commissoque proelio superatus, cum nulla jam spes reliqua esset, magnifice epulatus, cum Petreio mutuis vulneribus concurrens cecidit, regno in provinciam a Caesare redacto, cujus primus praefectus Sallustius. Hujus meminerunt *Hor. Od.* 1, 22, 15. *Caes. B. C.* 2, 25. et alibi, *Auct. B. Afr.* in variis locis, e. g. c. 25. et 43. *extr. Flor.* 4, 2. *Suet. Caes.* 35. *Tac. A.* 4, 5. et 23. *Lucan.* 3, 309. 9, 213. 300. 301. 869. et 10, 475. *Mela* 1, 6. *Tert. Apol.* 24. *Minuc. Fel.* in *Octav.*, *Isid. Orig.* 8, 11. ℙ Juba II. Jubae I. filius, Romam patris defuncti vice in triumphum ductus a Caesare: qua occasione Romanis institutus disciplinis, *factus est*, inquit *Plinius*, *studiorum claritate mirabilior etiam*, *quam regno.* Scripsit de expeditione Arabica ad C. Caesarem Augusti filium, de rebus Assyriorum, de pictoribus, historiam theatricam, et alia plura. Antonii et Cleopatrae filiam duxit uxorem, ex qua Ptolemaeum filium tulit, Mauritaniae utriusque regem, Caligulae jussu postmodum occisum. *Plin.* 5, 1. et 6, 27. *Tac. A.* 4, 5. et 23. *Suet. Calig.* 26. et 35. V. *Voss. de Hist. Graec.* 2, 4. Alius *(Hofmannum* cito) est Juba, ex quo *Prisc.* in *l. de versibus Comicis* aliqua refert de Iambicis cacometris. Grammaticus is fuit, ac Latine scripsit. ℙ De Juba patre ac filio V. *Spanhem. de usu et praest. num. diss.* 8. p. 539. sq. *B. A.*

JŪBAR, āris, n. *raro* m. *σέλας*, radii et splendor stellarum, jubae quandam similitudinem referens. Primo dici coeptum est de radiis luciferi. *Varr. L. L.* 6, 4. Jubar dicitur stella lucifer, quae in summo habet diffusum lumen, ut leo jubam; et *ib.* 5, 2. Inter vesperuginem, et jubar dicta nox. *Festus:* Jubar, stella quam Graeci appellant *φωσφόρον*, vel *ἕσπερον*, hoc est lucifer, quod splendor ejus diffunditur in modum jubae leonis. [*Recte *Doederl.* 2, 68. hanc vocis *jubar* originationem ita videtur improbare, ut solis radiorum cum juba leonis comparationem, si vere Veteres cogitaverint, infelicissime quidem factam dicat, cum quae in sole prae ceteris constet, a medio quodam radiorum quasi emanatio, ea ne significetur quidem in leone vel equo, ut in hominis capite. Hinc, licet fortasse audacius factum, praeferendum esse a *dies* etymon *(diuar)*. Litterae *d* elisionem comprobari in vv. *Janus* et *Diana*, *Jupiter* et *Diespiter;* ad insertionem litt. *b.* conferenda esse vv. *puer* et *pubes*, *duo* et *dubius.* V. *Eund.* 1, 6.] Eadem habet *Servius* ad illud *Virg. A.* 4, 130. It portis, jubare exorto, delecta juventus. *Ov. Fast.* 2, 149. Quintus ab aequoreis nitidum jubar extulit undis Lucifer. *Calvus* ap. *Prisc.* 5, 658. Hesperium ante jubar quatiens. ℙ Deinde de splendore ac radiis cujusvis sideris, aut alterius rei fulgorem habentis. De sole *Lucr.* 5, 696. Sub terris ideo tremulum jubar haesitat ignis. De luna *Ov. Fast.* 4, 944. Sustulit immenso ter jubar orbe suum. De astro quolibet *Id. Met.* 15, 840. Hanc animam interea, caeso de corpore raptam, Fac jubar. *Id. Fast.* 1, 77. Flamma nitore suo templorum verberat aurum, Et tremulum summa spargit in aede jubar. *Val. Fl.* 5, 411. Tale jubar per tecta micat, *h. e.* auri splendor. *Stat. Theb.* 3, 223. cristarum galeae jubar. ℙ Transfertur ad mejestatem hominis. *Sen. Troad.* 448. de Hectore: Non ille vultus flammeum intendens jubar, Sed fessus ac dejectus, et fletu gravis. *Mart.* 8, 65. Purpureum fundens Caesar ab ore jubar. ℙ In masc. genere. *Enn.* ap. *Prisc.* 5, 658. Interea fugit albu' jubar Hyperioni' cursum, *h. e.* luna, vel lucifer. *Sev. Aetn.* 332. Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro, *h. e.* sol.

JŪBĀTUS, a, um, adj. *χαιτήεις*, jubam, aut cristam habens. *Plin.* 8, 16, 20. Jubati leones; et *ib.* 34, 52. Jubata cervix. *Liv.* 41, 21. *extr.* et *Pl. Amph.* 5, 1, 56. Jubati angues. *Varr. L. L.* 5, 2. Jubata stella, *h. e.* radios, seu jubar habens.

JŪBĒO, es, jussi, jussum, a. 2. *κελεύω*, impero, mando, praecipio. *Ter. Eun.* 2, 3, 97. Jubesne? *Chae.* jubeo, cogo, atque impero. *Juven.* 6, 222. Hoc volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas. *Virg. A.* 2, 3. Infandum, regina, jubes renovare dolorem. *Caes. B. G.* 1, 27. Eos in eo loco suum adrem. *Caes. B. G.* 1, 27. Eos in eo loco suum adventum exspectare jussit. *Ter. Eun.* 2, 3, 16. Jubete istos foras exire. ℙ Elegantem habet usum pro firme aliquid velle, aut serio et intente hortari. *Pl. Pers.* 2, 5, 2. Jubeto, habere bonum animum; et *Cic. Fam.* 14, 1. Sperare nos amici jubent; et *ib.* 7, 2. *f.* Valde jubeo, gaudere te; et *Att.* 12, 6. *f.* Caesar te sine cura esse jussit; et *ib.* 4, 14. Dionysium jube salvere. (Et omisso infinito, qui facile subintelligitur. *Ter. Andr.* 3, 3, 1. Jubeo Chremetem.) et *ib.* 5, 2. Illum salutavi, postea jussi valere. ℙ Sequente conjunctivo, cum, vel sine particula *ut*, aut *ne.* [*Lis est inter viros doctos, v. quos mox laudavimus, an *jubeo te ut facias* Latine dicatur. Et negant quidem *Voss. Constr.* c. 36. et *Burm.* ad *Petr.* 71., itemque *Sciopp. Styl. Hist.* p. 118. quemquam de meliore nota scriptorem sic loqui. *Saturnius* etiam, 1, 18. *extr.* hoc loquendi genus usque adeo rarum, ut vix aliud quidquam rarius, pronunciat. V. *Ruddim.* 2, 133.] *Pl. Amph.* 1, 1, 50. jubet, sententiam ut dicant suam. *Suet. Vesp.* 23. Jussit, ut continuo ponerent. [*V. *B. Crus.* ad h. l. item *Oudend.* ad h. l. et ad *Tib.* 22., *Duk.* ad *Liv.* 23, 21. et *Drak.* ad *Liv.* 32, 16.] Jussitque, ut quae venissent naves, Euboeam peterent. *Hor. Sat.* 1, 121. sive jubebat, Ut facerem quid. *Ov. Amor.* 1, 11, 19. rescribat multa, jubeto. *Ter. Eun.* 4, 4, 24. Jube, mihi denuo respondeat. *Hirt. B. G.* 8, 52. *extr.* Quod ne fieret, consules jusserunt, [*i. e. *κατὰ σύνεσιν* vel ad sensum, ut recte *Herz.*, i. q. vetuerunt, obstiterunt.] Al. leg. *intercesserunt.* ℙ Regit etiam dativum personae. [*Multis exemplis firmare hunc dicendi usum conantur, *Sanct.* p. 183. *Perizon. ib. n.* 6. *Munck.* ad *Hyg. fab.* 196. *Saturn.* 1, 18. *Davis.* ad *Caes. B. C.* 96. *Sciopp. Gramm. Phil. Praef. Rhenius*, p. 361. *Ursin.* 240. etc. In contrarium tamen nituntur *Voss. Constr.* c. 36. *Gronov. Observ.* 1, 17. et ad *Liv.* 27, 24. *Cellar. Antibarb.* p. 268. et *Cur. poster.* p. 98. *Burm.* ad *Petr.* 71. *Drak.* ad *Sil.* 12, 607. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 84, 1., qui vel infinitivum in his intelligi, vel corrupta loca, aut sequioris aetatis esse contendunt. *Ruddim.* 2, 132. sq.] *Cic. Att.* 9, 13. Quamquam hae mihi litterae Dolabellae jubent ad pristinas cogitationes reverti. [**Corradi* susp. *me.* In sequenti *Caesaris* loco optimae notae et codices et editiones exhibent *commendavit.*] *Caes. B. C.* 3, 98. Militibus suis jussit, ne qui eorum violarentur, neu quid sui desiderarent. *Tac. A.* 13, 40. Quibus jusserat, ut instantibus resisterent; et *ib.* 15. Britannico jussit, exsurgeret, et cantum aliquem inciperet. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 16. Sulla mihi jussit. *Claud. in Ruf.* 2, 154. regit Italiam, Libyenque coercet, Hispanis Gallisque jubet. Adde *in II. cons. Stilich.* 85. ℙ Item accusativum vel personae, vel rei. [*Sunt qui accusativum non a v. *jubere* regi, sed ad infinitivum omissum quidem esse referendum censeant, ita ut proprie constructio accus. c. inf. sit. V. *Ruddim.* 2, 132.] *Cic. Fam.* 13, 26. *med.* Litterae, non quae te aliquid juberent, sed quodam modo commendaticiae. *Pl. Stich.* 2, 2, 71. Jube famulos, rem divinam mihi apparent. *Appul. Flor. n.* 22. Aegrum jubet, uti sit animo bono. *Suet. Vesp.* 23. Nunciantes legatos, decretam ei publice statuam, jussit, ut continuo ponerent. Al. leg. *nunciantibus. Mart.* 9, 66. Sed tu jussisses Eurysthea. *Tac. A.* 13, 15. Neque jubere caedem fratris palam audebat. *Id. Agr.* 45. Nero jussit scelera, non spectavit. *Stat. Th.* 7, 373. Jubere silentia alicui. Sic *Lucan.* 2, 528. secuturo jussurus classica Phoebo; et 8, 684. Jubere bella; et *ib.* 832. sistra jubentia luctus. ℙ Et accusativum rei cum dativo personae. *Tac. A.* 4, 72. Tributum iis Drusus jusserat modicum; et *Stat. Th.* 7, 32. aspiciam terras, pacemque jubebo Omnibus, *h. e.* cogam pacem servare. ℙ Passive. *Caes. B. G.* 3, 6. Quod jussi sunt, faciunt. *Hor. Ep.* 1, 7, 75. jubetur Rura suburbana indictis comes ire Latinis. *Liv.* 3, 30. Consules jubentur scribere exercitum. *Petr. Sat.* 120. Inferni manes coelum sperare jubentur. *Plin.* 28, 2, 5. Pollices, cum faveamus, premere, etiam proverbio jubemur. *Plin. alter ep.* 6, 29. *f.* Opto, ut ea potissimum jubear, quae, me deceat vel sponte fecisse. *Just.* 19, 1. Poeni mortuorum corpora cremare a rege jubebantur. *Tac. H.* 4, 76. Germanos non juberi, non regi; sed cuncta ex libidine agere. [*Quaedam laudat *Ruddim.* 2, 132. *n.* 57. Sequitur etiam infinitivus pass. *Suet. Tib.* 11. Jussi sunt omnes aegri — deferri. *Vesp.* 15. interfici jussum; et *Claud.* 37. arcessi statim ac mori jussus est.] ℙ *Jubere legem*, *magistratum*, *pacem*, *foedera* ad eum pertinet, quem penes suprema auctoritas, jus, ac potestas est: et significat sciscere, creare, firmare. Romae mos fuit, ut magistratus quidem (in rebus gravioribus) ac senatus censerent, decernerentque; at populus juberet, quo jubente, tum demum rata et firma erant, quae proponebantur. *Cic. Balb.* 17. Legem populus R. jussit de civitate tribuenda. *Liv.* 1, 22. Tullum Hostilium regem populus jussit. *Cic. Or.* 1, 14. Dicere apud populum de legibus jubendis, aut vetandis. *Id. Verr.* 2, 2, 67. Senatus decrevit, populusque jussit, ut, etc. *Sall. Jug.* 41. Sed plebs, incredibile memoratu est, quanta vi rogationem jusserit, decreverit, voluerit. *Liv.* 3, 30. Id modo excepere, ne postea eosdem tribunos juberent. *Sall. Jug.* 85. Postquam ei provinciam Numidiam populus jussit. ℙ Hinc illa *velitis*, *jubeatis*, quibus rogabat populum magistratus, cum perferri quippiam volebat. In *formula arrogationis* ap. *Gell.* 5, 19. Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio jure legeque filius siet. *Liv.* 31, 6. Rogationem promulgavit: vellent, juberent, Philippo regi bellum indici. ℙ Huc pertinet illud *Ov. Fast.* 5, 461. ex persona Remi: Qui modo, si volucres habuissem regna jubentes, In populo poteram maximus esse meo, *h. e.* bono auspicio regnum mihi portendentes. [*V. *Gierig.* ad h. l.] ℙ *Jubere de manufactis*, V. in JUSSUS, a, um. ℙ *Jubere fide*, V. in FIDEJUBEO. ℙ *Jusso* syncope est v. *jussero*, poetis concedenda. *Virg. A.* 11, 467. Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma. Adde *Sil.* 12, 175. Sic *justi* pro *jussisti. Ter. Eun.* 5, 1, 15. Ita ut tu justi, soli credita est. ℙ *Jussitur* antiquum est pro *jubetur. Cato R. R.* 14. Faber haec faciat oportet: parietes omnes, uti jussitur, calce et caementis, pilas ex lapide, etc. ℙ *Jusit* olim pro *jussit* scriptum fuisse affirmat *Quint.* 1, 7. Atqui paulum superiores etiam illud, quod nos gemina *s* dicimus, *jussi*, una dixerunt.

JŪBERNA vel Juverna, ae, f. eadem quae Hibernia, insula Angliae proxima ad occidentem. *Juven.* 2, 159. arma quidem ultra Litora Jubernae promovimus, etc. ℙ *Ierne*, vel *Hiberne*, *es*, dicitur a *Claudiano.* V. HIBERNIA.

JŪBĪLAEUS seu Jubelaeus, i, m. ap. Hebraeos dicebatur annus quinquagesimus exclusive, scilicet quadragesimus nonus, quo fiebat remissio a servitute, et fundi redibant ad veterem dominum, et servi fiebant sui juris: hinc et annus remissionis vocatus. Est dictus ab Hebr. יוֹבֵל *jobèl* buccina, seu cornu arietinum, cujus clangore hujus anni initium populo Hebraico nunciabatur. *Arat. Act. Apost.* 2, 677. quinquagesimus annus Cum Jubilaeus adest, proprii distractio ruris Antiquo donatur hero, etc. Graece est *Ἰωβηλαῖος*, vel *Ἰωβιλαῖος:* quare medias rectius syllabas *Arator* produxisset. Sed non est is valde solicitus de prosodiae legibus.

JŪBĪLĀTĬO, onis, f. *ὁλολυγμός*, clamor inconditus pastorum, jubilum. *Appul. Met.* 8. Pastores canes rabidos et immanes, quos ad tutelae praesidia curiose fuerant alumnati, jubilationibus solitis, et cujuscemodi vocibus nobis inhortantur, *h. e.* contra nos incitant.

[JŪBĪLĀTUS, us, m. idem ac jubilatio, et jubilum. *Gloss. Philox.* Jubilatus, *ὁλολυγμός*, *κραυγὴ ἀγροίκων. F.*]

JŪBĪLO, as, avi, atum, a. 1. *ὁλολύζω*, rustica voce inclamo, ut ait *Festus:* ab *ἰοὺ*, *ἰὼ* rusticorum inclamationes. *Varr. L. L.* 5, 7. Vicinaque horum quiritare, et jubilare: quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat; et *mox:* Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum. Itaque hos imitatus apte *Accius*, ait in Bacchis: Quis me jubilat? vicinus antiquus tuus. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 4. (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Deinde uvis metendis operam dedimus, et consudavimus, et jubilavimus. *F.*]

JŪBĪLUM, i, n. *κραυγή*, clamor inconditus rusticorum, cantus pastoralis. *Sil.* 14, 475. Et laetus scopulis audivit jubila Cyclops, *h. e.* cantus Daphnidis pastoris. *Calpurn. Ecl.* 1, 30. nihil armentale resultat: Non montana sacros distinguunt jubila versus; et *Ecl.* 7, 3. Et tua moerentes exspectant jubila tauri. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* 4. (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Venator, aut vindemiator, qui jubilis suis cubiculum meum perstrepunt. *F.*]

JŪCUNDĒ, adv. *ἡδέως*, *ἁλύπως*, suaviter, dulciter, laete. *Cic. Coel.* 6. Cum tristibus severe, cum remissis jucunde vivere. *August. in ep.* ap. *Suet. Aug.* 71. Quinquatriis satis jucunde egimus. *Gell.* 20, 9. Jucunde lepideque fictum. *Plin.* 20, 17, 69. Herba jucunde olet. *Suet. Tit.* 3. Cantare, et psallere jucunde, et scienter. *Cic. Tusc.* 5, 34. Darius in fuga, cum aquam turbidam bibisset, negavit, unquam se bibisse jucundius. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 8. *extr.* Jucundissime loqui. *Cic. Fin.* 1, 22. vivere.

[JŪCUNDILLA, ae, f. dimin. jucundae. Est

cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 704, 8. Vettia Jucundilla. *F.*]

[JŪCUNDĪNUS, i, m. dimin. jucundi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1153, 6. C. Abienus Jucundinus. *F.*]

JŪCUNDĬTAS, atis, f. ἡδονὴ, suavitas, voluptas, res grata sensum aut animum movens, et voluptate afficiens. *Cic. Fin.* 1, 18. Corporis morbis vitae jucunditas impeditur. *Id. Agr.* 2, 29. Quibus ista agri spes et jucunditas ostenditur. *Id. Q. Fr.* 2, 10. Epistola plena jucunditatis. *Id. fragm.* ap. *Gell.* 12, 2. Suaviloquens jucunditas. *Id. Or.* 3, 38. Delectatio et jucunditas. *Id. Marc.* 6. Fructus et jucunditas. *Id. Off.* 1, 3. Vitae commoditas et jucunditas; et *ib.* 34. Relaxare animum, et dare se jucunditati. *Id. Fin.* 2, 3. Jucunditate perfundi. *Id. Or.* 1, 7. Ea est in homine jucunditas, et tantus in jocando lepos, ut, etc. Et in plur. num. *Cic. Att.* 10, 8. *f.* Nihil mihi ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti, *h. e.* jucundis officiis. *Quint. prooem. l.* 6. *med.* Vocis jucunditas et claritas.

JŪCUNDO, as, a. 1. ἡδύνω, jucunditatem affero, voluptate afficio, gaudio perfundo. *August. de Gen. ad litt.* 12, 34. ex *Psalm.* 94, 19. Consolationes Dei jucundant animam. *Lact.* 4, 6. ex *Prov.* 8, 30. Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus. ℙ Part. *Jucundans* ap. *Oros. praef. c.* 4. Infantes jucundantes, *h. e.* ludentes.

JŪCUNDUS, a, um, adj. ἡδὺς, τερπνός, suavis, gratus, dulcis: a *juvo*, ut *Cic.* docet *Fin.* 2, 4. *f.*, est enim id omne jucundum, quod sensum aut animum movet et juvat: praesertim vero quod tristitiae opponitur, et hilaritatem in eo ac laetitiam gignit. Differt a *gratus*, quia *grata* accepta sunt, *jucunda* etiam delectabilia. Omne jucundum est gratum, sed non contra: ut medicina aegro grata quidem est, sed non jucunda. *Id. Cat.* 4, 1. Est mihi jucunda in malis, et grata in dolore vestra erga me voluntas; et *ib.* 6. Comes alicui carus atque jucundus; et *ib.* 7. *extr.* Commune patriae solum cum sit carum, tum vero est dulce et jucundum. *Caes. B. C.* 1, 86. Id vero militibus fuit pergratum et jucundum. *Cic. Manil.* 1. Conspectus vester est mihi multo jucundissimus. *Id. Fam.* 5, 15. Amor tuus est mihi gratus et optatus: dicerem, jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. *Id. Att.* 3, 14. *f.* Ista veritas, etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est; et *Fam.* 4, 6. Cujus officia jucundiora scilicet mihi semper fuerunt, nunquam tamen gratiora. *Id. Arch.* 3. et *Nep. Att.* 16. Homo alteri jucundissimus. *Just.* 2, 10. Jucunda convivia habere. *Cic. Or.* 1, 49. Verba ad audiendum jucunda. *Id. Tusc.* 5, 43. Nihil visum est illo pane jucundius. *Plin.* 6, 32, 37. Aqua potui jucunda. *Cels.* 5, 26. *n.* 27. Aqua sic temperanda est, ut manu contingenti jucunda sit. *Cic. Agr.* 2, 16. Agri jucundi, et fertiles; et *Verr.* 2, 3, 9. *extr.* Odor suavis et jucundus. *Catull.* 46, 3. Jucundae aurae Zephyri. *Pl. Poen.* 1, 1, 78. Jucundissimi ludi. *Val. Fl.* 7, 236. O nimium jucunda dies! *Virg. A.* 6, 363. coeli jucundum lumen. *Ov. Trist.* 3, 3, 24. Jucundum tempus agere. *Hor. Epod.* 1, 5. Quid nos, quibus te vita si superstite, Jucunda; si contra, gravis? *Gell.* 19, 9. Jucundum in modum canere. ℙ Legitur et *jocundus* tum in antiquis libris non unis, tum in lapidib. ap. *Grut.* 331, 7. et 871, 2. etc., et defenditur ab his, qui a *jocus* deducunt. Jure tamen improbant *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.*

JŪDAEA, ae, f. Ἰουδαία, regio Palaestinae, dicta a Juda filio Jacob, vel potius a tribu Juda. *Plin.* 5, 14, 15. et 12, 25, 54.

JŪDAEUS, a, um, adj. Ἰουδαῖος, ad Judaeam pertinens. *Plin.* 13, 4, 9. Judaea gens. *Id.* 31, 8, 44. sacra. *Id.* 14, 20, 25. resina. ℙ *Judaei, orum*, Hebraei, qui a Juda primogenito Jacob originem trahebant. Sed postquam eorum regnum in duo divisum fuit, Judae, et Israel, duarum tribuum populi, Judae, et Beniamin, Judaei appellari coepti sunt: progressu temporis omnes Hebraei *Judaei* dicti. De his multa fabulosa *Just.* 36, 2. et *Tac. H.* 5. Veriora et S. Scripturis consona *Lact.* 4, 10.

JŪDĂĪCE, adv. Judaeorum more, vel superstitione. V. APOSTATICE.

JŪDĂĪCUS, a, um, adj. dicitur fere de rebus ad Judaeos pertinentibus. *Cic. Fl.* 28. Judaicum aurum. *Quint.* 3, 7. *med.* Judaica superstitio. *Tac. H.* 2, 4. Judaicum bellum; et *ib.* 78. Judaica victoria, *h. e.* de Judaeis reportata; et *ib.* 79. Judaicus exercitus, *h. e.* in Judaea militans; et *ib.* 5, 4. panis, *h. e.* azymus; et *ib.* 7. Judaicum mare. *Juven.* 14, 101. Judaicum ediscunt, et servant, et metuunt jus.

JŪDĂISMUS, i, m. Judaeorum religio. *Tert. adv. Marc.* 1, 20. et *ib.* 4, 11.

*JUDAIZO, as, n. 1. Judaeorum more vel legibus vivo. *Vulg. Gal.* 1, 13. sq. *B. A.*

*JUDAS, ae, m. Ἰούδας, cognomento Ischariotes, unus ex duodecim Apostolis, Jesu Christi Domini sui ac nostri proditor. *Sedul. Carm.* 5, 38. et 117. *B. A.*

JŪDEX, icis, m. et f. κριτὴς, qui litigantium causas cognoscit, et sententiam fert. *Varr. L. L.* 5, 7. Judex, quod jus dicat, accepta potestate. *Cic. Rosc. Am.* 30. Verissimus et sapientissimus judex. *Id. Verr.* 2, 2, 12. Judex nequam et levis. *Id. Planc.* 13. Plurimarum rerum judex sanctissimus et justissimus. *Id. Verr.* 1, 10. Severissimi atque integerrimi judices. *Id. Fin.* 3, 2. Aequissimus eorum studiorum aestimator et judex. *Brut.* ad *Cic. inter ep.* 1. *ad Brut.* 6. Sumere aliquem judicem de controversia hereditaria. *Cic. Or.* 2, 48. *extr.* Apud judicem causam agere. *Id. Caec.* 17. Habere aliquem de re quapiam. *Id. Cluent.* 38. Sedere judicem in aliquem; et *ib.* 43. Esse judicem de re pecuniaria; et *Fam.* 9, 10. inter aliquos; et *Dom.* 13. Judicem de quaque re constituere. *Id. Fam.* 5, 2. *f.* Aequum se judicem rei alicui praebere. *Petr. Sat.* 80. Judici litem committere. *Ter. Ad. prol.* 4. vos eritis judices Laudin', an vitio duci id factum oporteat. *Phaedr.* 3, 13. Lis ad forum deducta est, vespa judice. *Ov. Met.* 2, 427. de caespite virgo Se levat, et, salve numen, me judice, dixit, Audiat ipse licet, majus Jove. *Id. Fast.* 4, 322. Morte luam poenas, judice victa Dea. *Lucan.* 10, 368. Et sumus, ut fatear, tam saeva judice, sontes. *Plin.* 14, 13, 14. Judex pronuntiavit, videri, etc. ℙ De *judicum decuriis.* V. in DECURIA. ℙ *Judicem ferre alicui* dicebatur accusator reum citans ad judicium subeundum; aut ipse nominando judicem, aut jubendo reum nominare, quem sumeret; sequente *ni* particula. *Liv.* 3, 24. Ni ita esset, multi privatim ferebant Volscio judicem; et *ib.* 57. Proinde ut ille iterum ac saepius provocet, sic se iterum ac saepius judicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in servitutem dederit. *Cic. Or.* 2, 70. Cum ei M. Flaccus, multis probris objectis, P. Mucium judicem tulisset. Adde *ib.* 65. et *Rosc. Com.* 15. et *Liv.* 8, 33. ℙ *Judicem dicere* erat ipsius rei judicium se subire profitentis. *Liv.* 3, 56. Omnium tibi, quae impie per biennium es ausus, gratiam facio: unius tantum criminis ni judicem dices, te ab libertate in servitutem, contra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci jubeo. Ita *Gronov.*, alii aliter leg. ℙ *Dare judicem* est praetoris, cum causae cognitionem cuipiam committit. Nam Romae non erant certi causis cognoscendis assignati judices, sed certus ordo solummodo (modo senatorius, modo equestris, etc.), ex quo a praetore deligebantur, vel sorte ducebantur, qui res disceptarent, judicarentque, cum praetor prae copia causarum non omnia per se posset cognoscere. Licebat autem tum actoribus, tum reis hunc, vel illum ejerare, rejicere, excludere. Etiam senatus, aut princeps judices dabat, cum suae cognitionis res non esse censebat. Horum omnium exempla habes ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 12. et *Or.* 2, 70., *Plin. ep.* 2, 11. et *Pan.* 36., *Ulp. Dig.* 4, 4, 18. etc. Hinc *judices petere* ap. *Plin. c. l.* 2. est postulare, ut causa non in senatu, sed apud ordinarios judices agatur. ℙ *Judices* aliquando dicti sunt ipsi consules. *In commentariis consularib.* ap. *Varr. L. L.* 5, 9. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, inlicium visite huc ad judices; et *mox:* Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad judices. Adde *Liv.* 3, 55. *f.* ℙ De *judice quaestionis* V. QUAESTIO. ℙ *Lusus ad judices* est ludus puerilis, quo pueri inter se ludentes, unum aliquem judicem constituebant, qui medius inter eos incederet, et fictam jurisdictionem exerceret. *Spart. Sev.* 1. et *Vopisc. Proc.* 13. Simile est illud *Suet. Ner.* 35. Ducatus, et imperia ludere.

JŪDĬCĀBĬLIS, e, adj. qui judicio est subjectus. *Capell.* 5, 149. Hic illud judicabile posse versari, etc.

JŪDĬCĀTĬO, onis, f. κρίσις, actus judicandi, cognitio, disceptatio. *Cic. Fam.* 3, 9. Longi subsellii (ut noster Pompejus appellat) judicatio, et mora si quem tibi item unum, alterumve diem abstulerit, tamen, etc. *Quint.* 6, 5. Consilium est ratio quaedam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habensque in se et inventionem, et judicationem. *Vet. tabula aenea sub Vespas.* ap. *Grut.* 242. *f.* Neve cui de ea re actio, neve judicatio esto. ℙ Apud rhetores *judicatio τὸ κρινόμενον* est quaestio nata ex conflictione, et quasi concursu inter rationem rei, et infirmationem accusatoris: in qua quaeritur, quid veniat in judicium, et de quo disceptetur: v. gr. Orestes matrem occidit, et se juste fecisse dicit: status est qualitatis: quaestio an juste fecerit: ratio illa, quod patrem Orestis occiderit: judicatio, an oportuerit vel nocentem matrem a filio occidi. Quod si Orestes alteram afferat matris necatae causam, quod responsis sit impulsus, altera ratio erit, indeque judicatio altera, an responsis parere debuerit. Quot enim causae faciendi afferuntur, tot sunt judicationes. *Auct. ad Her.* 1, 16. et *Quint.* 3, 11. ℙ *Cic. Part.* 30. *disceptationem* vocat: et *Top.* 24. *quaestionem juridicialem:* et *ib.* 25. *qua de re agitur*, JCtorum more; et *Inv.* 1, 13. *quaestionem.* [*V. *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 231. sq.]

JŪDĬCĀTO. V. JUDICATUS, a, um.

[JŪDĬCĀTŌRĬUS, a, um, adj. δικαστικὸς, ad judicandum pertinens. *August. ep.* 54. *med.* Judicatorius rigor, *h. e.* severitas judicum. ℙ *Judicatorium, ii*, n. judicii locus. *Gloss. Philox.* Judicatorium, δικαστήριον. *F.*]

JŪDĬCĀTRĬX, icis, f. quae judicat. *Quint.* afferens verba eorum, qui *Theodori Gadarei* definitionem rhetoricae ex Graeco transtulerunt, 2, 15. *med.* Ars inventrix, et judicatrix, et enunciatrix, decente ornatu, etc.

JŪDĬCĀTUS, a, um, part. ab *judico*, κρινόμενος, disceptatus, cognitus, dijudicatus, sententia judicis constitutus. *Cic. Rabir. Post.* 4. Causa judicata, atque damnata. *Id. Phil.* 11, 5. Ut intelligamus, illos, quorum res judicatas irritas fecimus, bene et e republica judicavisse. *Id. Verr.* 2, 2, 48. Ut aliquando de rebus ab isto cognitis judicatisque dicere desistamus. *Id. Fl.* 21. Re judicata stari ostendit placere. (De re judicata est *tit.* 1. *l.* 42. *Dig.*) *Id. Sen.* 21. Socrates omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. *Id. Fam.* 7, 33. Mihi judicatum est deponere illam personam, *h. e.* certum est, deliberatumque. ℙ Item damnatus. *Pl. As.* 5, 2, 87. Judicatum me uxor adducit domum. *Liv.* 6, 14. Centurionem judicatum pecuniae cum duci vidisset. (Adde *leg. XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. *f.*) et *ib.* 34. Fama, et corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant. ℙ *Judicatum, i*, est res judicata. *Auct. ad Her.* 2, 13. Judicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum. *Cic. Inv.* 1, 30. Judicatum est res assensione, aut auctoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata; et *ib.* 44. Solitarium aliquod, aut rarum judicatum afferre. *Id. Fl.* 21. Decrevit, ut si judicatum negaret, in duplum iret, *h. e.* negaret rem judicatam esse, vel se debere id, quod ex sententia judicis debebat: atque adeo sententiae judicis non pareret. *Id. ib.* 20. *extr.* Cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est, *h. e.* non praestaret id, quod ex sententia judicis praestare debuit. *Papin. Dig.* 27, 3, 21. Quamvis postea judicatum fiat, tamen actio data non intercidit. *Id. Dig.* 31, 1, 80. Qui post dictam sententiam judicatum solvere supersederunt: *judicatum solvere*, est aestimationem litis solvere, aut rem, quae actione petita est, restituere. Porro quicumque in rem actione conveniebatur, cavere cogebatur actori, *judicatum solvi:* qua stipulatione tres clausulae continentur, ut docet *Ulp. ib.* 46, 7. qui inscribitur *Judicatum solvi, l.* 6. h. e. de re judicata, de re defendenda, et de dolo malo. *Cic. Quint.* 8. Postulat a praetore, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet, *h. e.* sponsores det, a quibus quod judicatum fuerit, solvatur, si Quintius damnetur. Hinc illa ap. JCtos, *stipulari, promittere, spondere, cavere, judicatum solvi; teneri ex stipulatu judicatum solvi; satisdare stipulatione judicatum solvi:* quae habentur ap. *Ulpian., Cajum, Paul., Modest. et alios c. tit.* 7. Sic *judicatum solvi satisaccipere* ap. *Ulp. Dig.* 3, 3, 28. ℙ *Judicati actio* est, quae ex sententia datur. *Id. ib.* 3, 3, 28. et 31. etc. Hinc *judicati agere, Id. c. l.* 28. et *judicati conveniri, Modest. ib.* 46, 1, 41. [*V. *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 232.] ℙ *Judicatum* pro judicatione. *Gell.* 14, 2. *f.* Juravi, mihi non liquere: atque ita judicato illo solutus sum. Alii leg. *judicatu.* ℙ *Judicato*, adverbii ritu, ponitur pro considerate, maturo judicio, κεκριμένως. *Id.* 14, 1. Exercendine gratia ingenii, an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere.

JŪDĬCĀTUS, us, m. κρίσις, facultas judicandi, judicatio, judicis munus. *Cic. Phil.* 1, 8. Isti ordini judicatus lege Julia patebat. *Gell.* 14, 2. Juravi, mihi non liquere: atque ita judicatu illo solutus sum. V. DECURIA.

JŪDĬCĬĀLIS, e, adj. δικαστικὸς, ad judicium pertinens. *Cic. Arch.* 12. Judicialis consuetudo. *Id. Verr.* 2, 4, 47. Legibus et judiciali jure aliquem persequi. *Id. Brut.* 69. Illius judicialis anni severitatem non tulit. [**Judicialis annus* est is, quo lege Pompeja binae ad accusandum, ternae ad defendendum horae datae sunt, oratoresque brevi interposita hora, sine comperendinatione dici jussi: quod cum minus exercitati non possent, ab agendo desistere coacti sunt. *Ellendt.*] *Id. Att.* 13, 6. Judiciali molestia carere. ℙ *Judiciale genus* ap. rhetores est, in quo accusatur et defenditur, vel petitur et negatur. *Cic. Inv.* 1, 5. Judiciale est, quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. *Id. Div.* 2, 26. Judiciales causae. [*Lege *Ernest. Lex. techn. Lat. rhet.* p. 233.]

[JŪDĬCĬĀLĬTER, adv. cum judicio. *Sidon. ep.* 5, 156. Bibliopolam vestrum non gratiose, sed judicialiter expertus insinuo. *F.*]

JŪDĬCĬĀRĬUS, a, um, adj. δικαστικὸς, ad judicem, vel judicium pertinens. *Cic. Pis.* 39. Ecquid sentis, lege judiciaria lata, quos posthac judices simus habituri? *Id. Cluent.* 26. *med.* Quaestu judiciario pastus. *Id. Verr.* 2, 1, 2. Judiciariae controversiae finem constituere. *Capitol. M. Au-*

rel. 10. Judiciarii dies, *h. e.* quibus judicia exercentur, dies actui rerum accommodati, ut *Suet. Aug.* 32. loquitur. *Id. ib.* 56. Judiciariae leges.

JŪDĬCĬŎLUM, i, n. dimin. parvum judicium. *Ammian.* 27, 11. Juste, an secus, non judicioli est nostri. Adde 28, 4.

JŪDĬCĬUM, ii, n. κρίσις, κρῖμα, legitima causae seu rei controversae, apud judicem inter duos aut plures litigantes, contentio et disceptatio. *Cic. Caec.* 2. *f.* Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. *Id. Quint.* 2. Praetor judicium prius de probro, quam de re fieri maluit. *Id. Fl.* 38. Gravia judicia pro reipubl. dignitate, multa de conjuratorum scelere fecistis. *Id. Rosc. Am.* 4. Judicium inter sicarios hoc primum committitur. *Id. Coel.* 1. Crimen, quod versatur in judicio. *Id. opt. gen. Or.* 7. Adducere causam aliquam in judicium. *Id. fr. contra C. Anton.* ap. *Ascon.* Judicio aequo certare cum aliquo. *Id. Quint.* 20. Judicio aliquid defendere. *Plin.* 9, 35, 58. Judicium agere. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. exercere, *h. e.* agere, facere. *Id. Balb.* 28. et *Coel.* 1. *in.* Vocare aliquem in judicium. *Id. Fl.* 6. Judicio quempiam arcessere. *Id. Rosc. Am.* 39. condemnare. *Ulp. Dig.* 2, 6, 1. sistere; et *ib.* 5, 4. Sistere in judicium. ℙ *Judicium dare* dicitur praetor, cum agendi potestatem facit, et in eam rem dat actionem, et judices. *Cic. Fl.* 35. In Lurconis libertum judicium ex edicto dedit. Adde *Verr.* 2, 2, 12. ℙ Etiam *exercere judicium* aliquando ad praetorem pertinet. *Id. Arch.* 12. Ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium exercet, certe scio. ℙ *Accipere*, et *suscipere judicium* est litigatorum: quod fit litis contestatione. *Cic. Quint.* 20. Judicium quin acciperet, non recusavit. *Ulp. Dig.* 5, 3, 7. Nolebat ad liberale judicium ire, dicens, suscepturum se de inofficioso testamento judicium. ℙ *Judicium pati* est rei, ὑπομένειν δίκην. *Cic. Quint.* 20. ℙ Accipitur et pro ipsa causae actione, quae in judicio fit. *Cic. Fam.* 9, 21. Quid enim simile habet epistola aut judicio aut concioni? ℙ Item pro loco, ubi judicium fit. *Nep. Ep.* 8. At ille in judicium venit: nihil eorum negavit, quae, etc. *Quint.* 4, 2. *med.* Pompejus judicium militibus armatis clauserat. ℙ Item pro ipsis judicibus. *Val. Max.* 2, 10, 1. Cum tabulae ad nomen inspiciendum circa judicium ferrentur. *Quint.* 12, 5. Cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, etc. ℙ Extra rem forensem est mens, sententia, existimatio, opinio. *Cic. Tusc.* 1, 1. Meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora. *Anton.* ad *Cic. post. ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* Si bonitas tua respondebit judicio meo, quod semper habui de te. *Hirt. B. Alex.* 15. Nos proelium sustinebimus, neque tuum judicium fallemus. *Caes. B. G.* 1, 41. Decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset. *Cic. Fam.* 13, 29. Ut primum per aetatem judicium facere potueris, quanti quisque sibi faciendus esset; et *ib.* 1, 7. *med.* Facti tui judicium non tam ex consilio tuo, quam ex eventu homines esse facturos. *Ter. Phorm.* 5, 8, 56. Ejus judicio permitto omnia: quod is jubebit, faciam. *Cic. Or.* 1, 27. Grave judicium in dicendo subire. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 15. Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt. *Id. Off.* 3, 30. Non enim suo judicio stetit, sed suscepit causam, ut esset judicium senatus. *Id. fr.* ap. *August. contra Acad.* 3, 7. Eum recte primum esse judicio suo, qui omnium ceterorum judicio sit secundus. *Id. Brut.* 8. Intra parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, est poeta consecutus, i. e. ut ego sentio. Sic *Quint.* 9, 3. *med.* Similia sunt illa, meo quidem judicio, in quibus, etc. *Nep. Att.* 9. *extr.* Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent, i. e. semper sui arbitrii, contentusque se uno, ut *Suet. Tib.* 18. loquitur. *Tac. A.* 6, 22. Mihi haec audienti in incerto judicium est, fatone res mortalium, an forte volvantur. ℙ De testamento: quia ibi testator judicium facit de iis, quos dignos aut indignos bonis suis existimat. *Val. Max.* 7, 7. *n.* 4. Testamento utrumque filium praeteriit, a quibus aditus D. Augustus, et nuptias mulieris, et suprema judicia improbavit. Adde *Just.* 5, 11., *Suet. Aug.* 66. et *Sen. Ben.* 4, 11. *f.* ℙ Item vis et facultas discernendi, et solertia judicandi de re qualibet. *Cic. Or.* 7. *extr.* Sed tamen eos, studio optimo, judicio minus firmo praeditos, docere, quae sit propria laus Atticorum, non alienum puto. *Id. opt. gen. Or.* 4. Qui teretes aures habent, intelligensque judicium. *Hor. Ep.* 2, 1, 242. Judicium subtile videndis artibus. *Cic. Fin.* 2, 12. Si quid mei judicii est, *h. e.* si quid ego video, et judicare possum. *Caes. B. C.* 1, 35. Neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem habeat causam. (Hinc formula *si quid mei judicii est*, qua utebantur judices, cum sententiam pronunciabant, teste *Cic. Fin.* 2, 12.) *Nep. Att.* 15. *extr.* Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reipubl. procurationem. Sic *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. *extr.* Videor id judicio facere. *Tac. H.* 1, 83. Saepe honestas rerum causas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. *Lucr.* 2, 1040. Acri judicio perpendere aliquid. [*Cf. quae de hujus vocabuli usu et significatione disputat *Schütz.* in *cl. Cic.*]

JŪDĬCO, as, avi, atum, a. 1. κρίνω, jus dico, judicium exerceo, statuo, decerno, sententiam fero: a *jure dicendo*, ut docet *Varr. L. L.* 7. Sed tamen proprie loquendo aliud est *judicare*, aliud *jus dicere*. (V. DICO, as, et DICO, is.) Nam judex pedaneus proprie *jus* non *dicit*, quamquam cognoscendi habet judicandique facultatem: at praetor, aliusve magistratus *jus dicere*, non *judicare* dicendus est, quando judici a se dato jus quasi constituit, et formulam juris atque aequitatis praescribit, a qua in cognoscendo judicandoque recedere non possit. Hoc discrimen valide firmat, quod interdum ut diversa conjunguntur, quomodo titulus est in *Cod. Just.* 3. *tit.* 5. Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Argumento quoque est, quod, cum possit quis in sua causa judicare, jus tamen dicere non possit. *African. Dig.* 5, 1, 77. In privatis negotiis pater filium, vel filius patrem judicem habere potest; et *Ulp. ib.* 2, 1, 10. Qui jurisdictioni praeest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris, quos secum habet. ℙ Varie usurpatur. *Cic. Rosc. Am.* 48. Si recte et ordine judicaris; et *Flacc.* 20. *extr.* Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione judicarunt. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 50. judicavit inclutum judicium inter Deas aliquis. *Cic. Caec.* 25. *extr.* Nunquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. *Just.* 5, 7. Miseriorem incolumium, quam amissorum fortunam judicantes. *Caes. B. G.* 1, 40. De itinere ipsos brevi tempore judicaturos. *Cic. Verr.* 1, 10. Homo in rebus judicandis spectatus et cognitus. ℙ Cum genitivo: *judicare capitis*, *pecuniae alicui* est judicium intendere, dicam impingere. *Liv.* 26, 3. Seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad vel capitis vel pecuniae judicasset privato. Tum Sempronius, perduellionis se judicare Cn. Fulvio, dixit. ℙ Interdum est adjudicare, addicere. *Pl. Men.* 1, 1, 20. Nam ego ad Menaechmum nunc eo, cui jam diu Sum judicatus. Alii leg. *quo*, h. e. in quam domum. V. *Plaut. l. c.* in JŪDĬCĀTUS. ℙ Item damnare. *Gell.* 20, 1. *f.* Quantae pecuniae judicati essent. V. JUDICATUS. ℙ Item declamare, et in numero habere. *Cic. Phil.* 3, 6. Judicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis, Antonius. *Nep. A.* 7. *extr.* Bona ejus publicarunt, ipsum exsulem judicarunt. ℙ Judicare inedia de seipso ap. *Tert. Apol.* 4. est inedia sibi mortem consciscere. ℙ Extra forum interdum est aestimare. *Cic. Off.* 2, 22. *f.* Non enim numero haec judicantur, sed pondere. ℙ Saepe existimare, putare, judicium facere. *Cic. Div.* 2, 43. Oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quae ratione atque animo videre debebant. *Id. Or.* 2, 42. Plura homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, quam veritate, aut praescripto, aut legibus. *Id. Fam.* 3, 4. Quod egomet multis argumentis jam antea judicaram. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Exploratum habes, malle me tuum judicium, quam ex altera parte omnium istorum; tu enim a certo sensu et vero judicas de nobis. *Ter. Eun.* 1, 2, 118. Ex aliorum ingeniis judicare aliquem. *Caes. B. G.* 7, 52. Temeritatem militum reprehendit, quod sibi ipsi judicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur. *Cic. Amic.* 25. Concio judicare solet, quid intersit inter, etc. *Id. Fam.* 12, 3. Cetera cujusmodi sint, ex hoc judica, quod, etc. *Id. Or.* 2, 28. Sic statuo et judico, neminem tot habuisse ornamenta dicendi. ℙ *Judicassit*, ἀρχαϊκῶς pro *judicaverit* ap. *Cic. Leg.* 3, 3. ubi XII. Tabularum more loquitur.

JŪGĀ JŪNO. V. JUGARIUS.

JŪGĀBĬLIS, e, adj. qui est jugo habilis, qui conjungi potest. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Per jugabilem competentiam foederari. Adde 2, 2.

JŪGĀLIS, e, adj. ζύγιος, ad jugum pertinens, ut *jumentum jugale* aptum jugo, et trahendo currui. *Curt.* 9, 10. Cum equorum jumentorumque jugalium vim ingentem misissent. ℙ *Jugale os*, ζυγῶδες, appellari potest os illud capitis supra aures, quod transversum a genis tendens, ab inferioribus ossibus sustinetur, inquit *Cels.* 8, 1. *med.* Habet enim jugi figuram. ℙ *Jugales* absolute apud poetas sunt equi jugales. *Virg. A.* 7, 280. Absenti Aeneae currum, geminosque jugales. *Sil.* 16, 401. sociosque trahit prior ipse jugales. ℙ Saepe transfertur ad conjugii vinculum. *Virg. A.* 4, 16. Ne cui me vinclo vellem sociare jugali; et *ib.* 496. Jugalis lectus. *Catull.* 64, 302. taedas celebrare jugales. *Val. Fl.* 8, 222. Jugale foedus. *Ov. Met.* 3, 309. Jugalia dona. *Sen. Agam.* 239. Jugalis amor. *Mart.* 10, 38. Jugales anni, *h. e.* in conjugio transacti. *Virg. A.* 7, 319. nec face tantum Cisseis praegnans ignes enixa jugales, *h. e.* Paridem, ex cujus conjugio incendium Trojae exstitit. ℙ [*Jugalis* absolute usurpatur pro marito. *Ven. carm.* 6, 2, 76. O virgo miranda mihi, placitura jugali! Loquitur Venus de Brunichilde regina nuptias jam jam initura. V. JUGUM. *F.*] ℙ *Cato R. R.* 10. et 14. in instrumento villici recenset *telam jugalem* (seu potius, ut habent libri, *jogalem*) *unam telas jogales duas:* ubi *Popma* intelligit ipsum jugum textorium, cui tela imponitur. [At *Schneiderus* in *Indice* ad *Script. R. R.* in V. *Tela* recte putat, *telam jugalem*, quae et plana dicitur, opponi *telae rectae* seu *pendulae*. V. RECTA, ae, et TELA. *F.*]

[JŪGĀLĬTAS, atis, f. conjunctio. *Fulg. Myth.* 1, 15. Quae una eademque fervoris humorisque jugalitate gignuntur. Adde 3, 7. *F.*]

JŪGĀMENTO. V. IUGUMENTO.

JŪGĀMENTUM. V. JUGUMENTUM.

JŪGĀRĬUS, a, um, adj. idem ac jugalis. *Hyg. fab.* 183. de Solis equis: Feminae jugariae: Bronte, quae nos tonitrua appellamus; Sterope, quae fulgitrua. ℙ *Jugarius* vicus fuit Romae in regione octava, ita dictus, ut ait *Festus*, quia ibi Junonis Jugae ara erat, quam putabant matrimonia conjungere. At *Nibbyus*, *del Foro Rom.* p. 103. putat, ita fuisse appellatum, quia prope jugum montis Capitolini erat: haec enim narrat *Liv.* 35, 21. Saxum ingens sive imbribus, sive motu terrae labefactatum in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, et multos oppressit. ℙ *Jugarius*, *ii*, absolute est bubulcus, Italice *bifolco*, qui boves jugales curat et jungit. *Colum.* 1, 6. Lata bubilia esse oportebit ad procumbendum pecori, et jugario ad circumeundum. [Probe immutatum auctumque hunc locum debemus *F.*]

JŪGĀTĪNUS, i, m. Deus conjugii praeses apud veteres Ethnicos. *August. C. D.* 6, 9. Cum mas et femina conjunguntur, adhibetur Deus Jugatinus.

JŪGĀTĬO, onis, f. in modum jugi alligatio. *Varr. R. R.* 1, 8. de vitibus. Jugationis species duae, una directa, altera compluviata, in longitudinem et latitudinem jugata. Adde *Cic. Sen.* 15. ℙ Item jugum, seu par boum. Hinc sumitur pro mensura agrorum, et possessionum, a jugis boum, quibus exercentur. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 10, 48, 1. Universi pro portione suae possessionis, jugationisque, ad haec munia coarctentur. Adde *Cod. Theod.* 11, 28, 4.

JŪGĀTOR, oris, m. qui jugo jungit. *Arnob.* 5, 174. Boum jugator Triptolemus. V. JUGARIUS.

JŪGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ὑποζυγιώδης, pertinens ad jugum, ut *jugatorius bos*, qui jugo subditur. *Varr. R. R.* 2, 5. Boni enim generis in Italia, plerique Gallici ad opus, contra jugatorii Ligustici. Alii rectius leg. *nugatorii*. V. NUGATORIUS.

JŪGĀTUS, a, um, part. a *jugo*: ἐπεζευγμένος, conjunctus, alligatus. *Cic. Tusc.* 3, 8. Omnes enim inter se nexae et jugatae sunt. ℙ *Jugatae vites* dicuntur, quae pedamentis, quibus stant, transversae alligantur. *Varr. R. R.* 1, 8., cujus verba V. in JUGATIO. *Colum. arbor.* 4. Vinearum genera tria, jugata, humi projecta, et quae est a terra subrecta, more arborum in se consistens. ℙ Translate. *Sen. Herc. Fur.* 852. Virgines nondum thalamis jugatae. ℙ Jugata ap. *Quint.* 6, 3. *med.* sunt conjugata, ut *justus*, *justitia*, *juste*. V. CONJUGATIO.

JŪGĔ, adv. jugiter. *Prud.* 10. περὶ στεφ. 472. Sed juge durans *(anima)* dispares casus subit.

JŪGĔRĀLIS, e, adj. ad jugerum pertinens. *Pall.* 3, 9. *med.* et 2, 12. Jugeralis tabula, *h. e.* quaevis area quadrata, jugeri modum explens.

JŪGĔRĀTIM, adv. κατὰ πλέθρα, per singula jugera. *Colum.* 3, 3. Ut primae vineae centenas amphoras jugeratim praeberent.

JŪGĔRĀTĬO, onis, f. divisio et assignatio agrorum per jugera. *Front. colon.* p. 146. *Goes.* ℙ Item modus, et mensura agrorum, ut *jugatio*. *Impp. Constantin. et Constans. Cod. Theod.* 12, 1, 33. Minorem jugerationis modum studio cultionis exercet.

JŪGĔRUM, i, n. πλέθρον, mensura ex ducentis, et quadraginta pedibus in longitudinem, centum et viginti in latitudinem. Nam fit ex duobus actibus quadratis, seu ex actu quadrato duplicato in longitudinem, actus autem quadratus centum et viginti pedes ex omni parte continet. Ita describunt *Plin.* 18, 3, 3., *Varr. L. L.* 4, 4. et *R. R.* 1, 10., *Colum.* 5, 1. et *Quint.* 1, 10. *f.* Dictum est, quod sit e duobus actibus quadratis simul junctis, ut *Varr.* et *Colum. l. c.* docent. Nam quod quidam afferunt ex *Plin. l. c. Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari possit:* alii plerique non *jugerum*, sed *jugum* legendum putant. Sic enim et ap. *Varr. R. R.* 1, 10. habetur. V. JUGUM. ℙ In num. sing. frequentius est 2. decl., in plurali saepius per 3. inflectitur, ab antiquo nominativo *juger*, vel potius *jugus*, *eris*. Reperitur tamen in singu-

lari ablat. *jugere*, et in plur. legitur *jugeris* pro *jugeribus*. [*Cf. *Ruddim.* 1, 111.] *Varr. R. R.* 1, 10. In Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. *Tibull.* 2, 6, 24. Ut multo innumeram jugere pascat ovem. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. *f.* Medimnum ex jugere decumano dari poterat. *Id. Att.* 12, 33. Is partes fecit in ripa, nescio quotenorum jugerum. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 2. Jugera quinquaginta prati facile irrigabis. *Pl. Men.* 5, 5, 15. Non potest haec res hellebori jugere obtinerier, *h. e.* tanta hellebori copia, quanta ex agri jugere meti potest. *Juven.* 9, 60. donare clientem Jugeribus paucis.

JŪGES, ejusdem jugi, pares: unde conjuges, et sejuges. *Festus.* Graece sunt ὁμόζυγες.

JŪGĪFLŪUS, a, um, adj. jugiter fluens. *Paul. Nol. carm.* 35, 439. Jugifluus semper biberis.

JŪGIS, e, adj. συνεχής, διηνεκής, perpetuus, continuus, perennis. [*Etymon a *diu:* ita *Doederl.* 1, 5. sqq. et solennis est ap. aureae aetatis scriptores, ut exempla docent, epitheton aquae fontanae, nunquam exarescentis, perennis: oppon. aquae cisterninae. A *perennis* vix differre putat *Doederl.* 1, 11. nisi, quod *jugis* aquam spectare videatur cujuscunque generis manentem; *perennis* ad fluvios tantum pertineat et rivos.] *Cic. N. D.* 2, 10. Ex puteis jugibus aquam calidam trahi. *Hor. Sat.* 2, 6, 2. Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons. [*V. *Heindf.*] *Sall. Jug.* 94. Capsenses una modo jugi aqua, cetera pluvia utebantur. *Pl. Ps.* 1, 1, 82. Is mihi thesaurus jugis in nostra est domo. *Gell.* 12, 8. *extr.* Postea jugi concordia fidissime amicissimeque vixerunt. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 12, 6, 11. Biennio jugi. *Eutr.* 8, 13. Juge triennium. ℙ In genitivo plur. habet *jugium*, pro quo *jugerum* dixit *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 40. ℙ *Juge auspicium*, inquit *Fest.*, est, cum junctum jumentum stercus facit. Hinc *Cic. Div.* 2, 36. Huic simile est, quod nos augures praecipimus, ne juge auspicium obveniat, ut jumenta jubeant dijungere. *Serv.* ad *A.* 3, 537. Juge auguribus dicitur augurium, quod ex junctis jumentis fiat. Observant enim, ne produturo magistratui disjunctis bobus plaustrum obviam veniat. Sunt qui recte legendum putant *nisi disjunctis.* [*Est haec *Dacerii* conjectura, qua propius quidem accedere Servii sententiam ad Ciceronis explicationem, minime vero parem cum ea fieri docet *Doederl.* 1, 10. sq. qui ob rerum auguralium ab ipso Cicerone saepissime notatam perturbationem utrumque falsum arguens, *juge* et *perenne auspicium*, nisi idem, synonym. tamen censet.] *Id. l. c. mox* habet genitivum *jugetis*, quasi sit *juges*, *etis*, sed fortasse legendum *jugitis:* etenim legitur in *Gloss. Philox.* Jugites, συνεζευγμένοι. ℙ Corripuit primam syllabam *Sedul.* 1, 18. et 2, 255. et alibi, non imitandus.

JŪGĪTAS, atis, f. perpetuitas, diuturnitas. *Marcell. Empir.* 8. Lacrimarum jugitatem sedare. *Imp. Constant. Cod.* 5, 17, 7. Post tam magni temporis jugitatem. Adde *Capell.* 5, 150.

JŪGĪTER, adv. διηνεκῶς, assidue, continue. *Appul. de Mundo.* Machina jugiter per circuitum suis legibus terminata. *Mamert. Gen. Maxim.* 15. Exinde salutares spiritus jugiter manant. *Auson. Parent.* 19, 4. Conjugium sancti jugiter haec habuit. *Imppp. Grat., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 16, 7, 3. Jugiter atque perpetuo. Adde *Prud. Cath.* 4, 54. ℙ Item continenter. *Auson. ep.* 19, 9. Et nonas decimas ab se nox longa calendas Jugiter acciri celebranda ad festa jubebat. ℙ Qui *Plauto* quoque hanc vocem tribuunt, *Mil.* 3, 1, 62., frustra faciunt.

JUGLANS, andis, f. κάρυον, fructus nucis arboris, gemino protectus operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis, quod compactile est ex bifidis veluti carinis: nucleus vero quadripartita distinctione divisus, lignea intercursante membrana. Dicitur tum de fructu, tum de arbore. *Varr. L. L.* 4, 21. Haec glans optima, et maxima, ab Jove et glande juglans appellata est. *Gabius Bassus* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. Juglans arbor proinde dicta est, ac Jovis glans. Nam quia id arboris genus nuces habet, quae sunt suaviore sapore, quam glans est, hunc fructum antiqui illi, qui egregium, glandique similem, ipsamque arborem Deo dignam existimabant, Jovis glandem appellaverunt: quae nunc, litteris interlisis, juglans nominatur. *Cloatius Verus ib.* a Graecis trahit. Juglans, inquit, *di* praetermissum est, quasi dijuglans, idest Διὸς βάλανος. Hanc Graeci etiam basilicam nominant. Ipse *Macr. ib.* addit, secundum nonnullorum opinionem a *juvando* et *glande* dictam existimari. Sed primum etymon verius est. *Cic. Tusc.* 5, 20. Ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. *Plin.* 17, 12, 18. Juglandium umbra gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis. ℙ Dicitur et *nux juglans. Plin.* 15, 22, 24. Ab his locum amplitudine vindicaverunt nuces juglandes. *Id.* 14, 21, 27. Defruta coquere nucibus juglandibus additis.

JŪGO, as, avi, atum, a. 1. ζεύγνυμι, in modum jugi conjungere et colligare. *Colum.* 12, 39. Furcas, vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, et perticis jugare. *Id.* 4, 26. Adminiculare, et jugare vineam. *Is. Or.* 18, 35. Primus Clisthenes Sicyonius tantum medios equos jugavit. ℙ Translate est matrimonio jungere. *Virg. A.* 1, 349. Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus. *Catull.* 64, 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Thesea sensit. *Stat. Silv.* 1, 2, 183. Quas ego non gentes, quas non face corda jugavi? Adde *Sen. Troad.* 362. ℙ Pro simplici *jungo. Naev.* ap. *Macr. Sat.* 1, 18. Sol vagus igneas habenas Immittit propius, jugatque terrae. *Terent. de syllab.* p. 2392. Y sibi tantum jugantes.

JŪGO, is, n. 3 *Festus.* Jugere milvi dicuntur, cum vocem emittunt. *Varr.* ap. *Non.* 2, 846. Jugere volitans milvus visus, aquam e nubibus tortam indicat fore. Ita leg. *Scaliger* ex conjectura. *Gloss. Phil.* Jugit, ἰκτὶν βοᾷ, *h. e.* milvus clamat. V. LIPIO. ℙ Tribuitur et aliis. *Appul. Met.* 5. Jubet tibias jugere, sonatur. Alii rectius leg. *agere.*

JŪGOSUS, a, um, adj. acclivis, jugis abundans. *Ov. Amor.* 1, 1, 9. Quis probet, in silvis Cererem regnare jugosis? [*Adde *Eund. Her.* 4, 85.]

JŪGŪLA, ae, et Jugulae, arum, f. ὠρίων, signum coeleste, quod et Orion vocatur. [*Etym. est *jugulus*, *a*, *um*, i. q. junctus, juxta positus.] *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Jugula signum est, quod Accius appellat Oriona, cum ait, Citius Orion patent. Hujus signi caput dicitur ex stellis quatuor, quas infra duae clarae, quas appellant humeros, inter quas quod videtur, jugulum, unde Jugula dicta. Hactenus *Varro.* Alii dicunt, hoc nomen esse Orioni a gladio, quo armatus fingitur, quasi jugulum petens. Alii a jugi aqua, quia Orion aquosus est. (*Voss.* in *Etym.*) *Festus* nominis rationem hanc affert, quod hoc signum sit amplius ceteris, quasi nux juglandis. Sed hoc futile est. *Pl. Amph.* 1, 1, 119. Nec Jugulae, neque Vesperugo, neque Vergiliae occidunt. *Manil.* 5, 175. Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistra Consurgunt Jugulae. Sed *Manilio* Jugulae dicuntur, quos alii Asellos in signo Cancri interpretantur. ℙ In loco allato *Plauti* al. leg *jugula*, singulari num.

JŪGŪLĀTĬO, onis, f. ἀποσφαξις, actus jugulandi. *Auct. B. Hisp.* 16. Jugulatione oppidanorum facta. Adde *ib.* 18. *extr.*

[JŪGŪLĀTOR, oris, m. qui jugulat. *Gloss. Philox.* Jugulator, φονεὺς, σφάκτης. *F.* *Salv. ad *Eccles.* 3. Adulationes gladii sunt jugulatores tui. *B. A.*]

JŪGŪLĀTUS, a, um, part. a *jugulo*, jugulo perfosso interfectus. *Nep. Eum.* 12. *extr.* Insciente Antigono jugulatus est a custodibus. *Val. Fl.* 7, 277. totque ora simul jugulata procorum Respiciens. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 54. His te litteris, homo audacissime, jugulatum esse non sentis? *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 18. Quo facilius reviviscat Pompejanorum causa toties jugulata.

JŪGŪLO, as, avi, atum, a. 1. σφάττω, jugulum praecido, incido, et generatim interficio. [*V. *Döderl.* 3, 189.] *Cic. Tusc.* 5, 40. Ne stridorem quidem serrae tum audiunt, cum acuitur, aut grunnitum, cum jugulatur sus. *Id. Phil.* 3, 2. In hospitis tectis Brundusii fortissimos viros, cives optimos jugulari jussit. *Id. Mil.* 11. Se alicui tradere jugulandum. ℙ Saepe translate usurpatur. *Cels.* 3, 15. *extr.* Quartana neminem jugulat. *Cic. Verr.* 2, 2, 26. Posteaquam tam multis eum factis, decretisque jugulasset. ℙ Jugulare hominem, est convincere. *Ter. Eun.* 3, 1, 27. Pulchre mehercle dictum, et sapienter! papae! jugularas hominem. *Cic. Verr.* 2, 5, 64. Jugulari sua confessione. ℙ *Jugulari suo gladio, suoque telo* dicitur, qui suis verbis, suo invento, dolove capitur. *Ter. Ad.* 5, 8. *f.* ℙ *Jugulare gladio plumbeo*, est futili levique argumento, et nullo negotio aliquem convincere. *Cic. Att.* 1, 16. Cum illum plumbeo gladio jugulatum tamen ifi diceret. ℙ *Jugulare falernum* ap. *Mart.* 1, 19. est depravare, corrumpere, deteriore vino immixto. ℙ *Jugulare curas*, ap. *eund.* 8, 51. est conficere, abstergere. V. BIBO.

JŪGŪLUM, i, n. et Jugulus, i, m. σφαγὴ, λαιμὸς, pars colli anterior supra pectus, ad gulam. Hoc nomine veniunt tum duo illa ossa, quae sunt supra summas costas, unde collum incipit, ut est apud *Cels.* 8, 1. *med.*, et *claviculae* dicuntur ab anatomicis: tum vero, et quidem saepius, cavum illud, quod circa gulam, supra illa duo ossa, utrinque conspicitur: unde et *jugula* plurali numero saepe vocantur. Item universim tota ipsa gula. Dicitur proprie de homine. *Cic. Fat.* 5. Zopyrus stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet. *Plin.* 11, 43, 98. Uni homini juguli, humeri: ceteris armi. *Tac. A.* 3, 15. Jugulum perfodere. *Ov. Met.* 1, 227. resolvere. *Pl. Merc.* 3, 4, 28. Demittere gladium in jugulum. *Sen. Agam.* 973. Jugulo ferrum mergere. *Ov. Met.* 13, 458. condere. ℙ Saepe refertur ad vitam, et sanguinem. *Plin.* 14. 22, 24. Alii mortifera loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent. *Juven.* 4, 110. tenui jugulos aperire susurro. *Lucan.* 2, 317. Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum. *Quint. decl.* 9, 21. Jam praebendus erat jugulus, et fundenda vita cum sanguine. *Cic. Mil.* 11. Optabilius fuit Miloni dare jugulum P. Clodio, non semel ab illo petitum, quam jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. *Tac. H.* 1, 41. Offerre alicui jugulum. *Hor. Sat.* 1, 3, 89. amaras Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit. *Cic. Phil.* 14, 9. Qui Antonii immanem crudelitatem non solum a jugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus avertit. *Manil.* 4, 128. In jugulumque dabit fructus, *h. e.* in necem, vel exitium. [*Lucan.* 7, 182. Sed mentibus unum Hoc solamen erat, voti quod turba nefandi Conscia, quae patrum jugulos, quae pectora fratrum Spirabat etc., i. e. perfodiendos jugulos et percutienda pectora spirabant. V. *Cort.* Poterant hic commemorari ejusdem et ista: 7, 644. Teximus aut jugulos, i. e. timide adversariorum ictus, belli pericula vitavimus? Sumpta dicendi ratio a gladiatoribus, qui subducta cervice, demisso capite, aut aliis modis defendere se ab adversario studebant. Contrarium legitur ap. *Eund.* 4, 541. Volteius jugulo poscens sibi fata retecto, i. e. sponte, absque omni timoris signo morti se offerre.] ℙ Elegantor dicitur orator *jugulum petere*, quando, quod est in causa potissimum, id invadit, ac premit adversarium, videturque illum jugulare argumentis. *Quint.* 8, 6. *med.* Nam illa in agendis causis jam detrita, pedem conferre, et jugulum petere, et sanguinem mittere, inde sunt, nec offendunt tamen.

JŪGUM, i, n. ζυγὸς, ligneum instrumentum recurvum quod duorum boum collo transversum impositum, eos simul jungit, et colligat: a voce Graeca allata. *Cic. N. D.* 2, 60. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus. *Ov. Fast.* 4, 216. leones Praebent insolitas ad juga curva jubas. *Plin.* 8, 16, 20. Leones jugo subdere, et ad currum jungere; et 10, 45, 62. Leones jugum subeunt. *Tibull.* 4, 1, 170. colla jugo didicit submittere taurus. *Virg. G.* 3, 57. Bos juga detrectans. *Id. Ecl.* 4, 41. Solvere juga tauris. *Hor. Od.* 3, 6, 42. Demere juga tauris fatigatis. *Id. ib.* 3, 3, 14. Collo tigres jugum trahentes. *Ov. Her.* 6, 97. tauros juga ferre coegit. ℙ Hinc interdum accipitur pro pari boum. *Plin.* 33, 10, 47. Juga boum tria millia. *Cic. Verr.* 2, 3, 51. Ager decumanus, propter istius avaritiam desertus est: neque id solum accidit, uti minus multis jugis ararent, si qui in agris remanserunt, sed etiam, etc. Adde *ib.* 52. et *Ov. Fast.* 1, 564. ℙ Immo et pro pari cujuscumque generis rerum. *Plin.* 10, 4, 5. Jugum aquilarum. *Val. Max.* 5, 5. *n.* 3. Fraternum jugum Claudiae gentis. ℙ Item pro modo et mensura agri. *Plin.* 18, 3, 3. Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. Al. leg. *jugerum;* sed *Hard.* tuetur *jugum.* Nam et *Varr. R. R.* 1, 10. In Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro R. ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possint. Hinc ap. *Colum.* 2, 13. uno jugo aliquid facere, est una opera unius bubulci cum jugo boum. ℙ Non bubus solum, sed equis etiam, mulis, asinis sub currum junctis jugum imponebatur. Et in quadrigis quidem, ubi equi quaterni aequa fronte juncti erant, duo medii jugum habebant, duo reliqui funibus ac loris alligabantur. Hinc illi *jugales*, hi *funales* dicti. Est tamen discrimen inter boum, et equorum juga. In bobus enim quorum cervix ad trahendum apta est, tria sunt jugi officia, ipsos inter se jungendi; temonis sustinendi regendique; et plaustri trahendi: in equis, qui non cervice, sed pectore trahunt, duo priora tantum: quare praeter jugum helcia quoque habebant, queis axi currus alligarentur. De asinorum, mulorumque jugo testes *Cato*, qui *R. R.* 11. jugum asinarium memorat: et *Mart.* 9, 58. Nec ruptae recutita colla mulae: *scil.* jugo ferendo. Adde *Phaedr.* 3, 6. De equis vero poetae passim, et alii. *Virg.* de his loquens *A.* 3, 541. iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre. *Ov. Met.* 12, 77. tum colla jugo candentia pressos Exhortatur equos; et 2, 314. Consternantur equi et saltu in contraria facto, Colla jugo eripiunt. *Curt.* 3, 11. Equi jugum quatere, et regem curru excutere coeperant; et 4, 15. Equi jactatione cervicum jugum excusserant. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 81. hic sub juga ferrea mittit Cornipedes. ℙ Ad equos itidem pertinet illud *Stat. Theb.* 6, 416. nunc avidi prono juga pectore tangunt, *h. e.* aurigae proni, et prope tangentes pectore jugum equorum decurrentium. ℙ Juga pro equis jugalibus, sunt in illo *Virg. A.* 5, 146. Nec sic immissis aurigae undantia lora Concussere jugis. ℙ Praeterea *jugum* dicitur in re militari, cum transversa hasta duabus stantibus imponitur (uti docent *Liv.* mox citandus, et *Festus.* Hinc *Auson. Technopaegn. de litt. monosyllab.* 15.

Hostilis quae forma jugi est, hanc efficiet *H.*) ita tamen demissa, ut qui subter transire velit, curvare se, et corpus duplicare necesse sit. Sub hoc jugum victos hostes a victoribus mitti ignominiae causa mos fuit, demptis armis, et veste detracta. *Cic. Off.* 3, 30. Cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub jugum missis, etc. V. *Liv.* 3, 28. *extr.* et 9, 4. et sqq. et *ib.* 15. et 10, 36. ℙ Translate. *Sen. Prov.* 4. Calamitates, terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. ℙ A similitudine est jugum in vitibus, cum duobus, aut pluribus pedamentis transversa earum brachia alligantur; vel pluribus perticis terrae fixis, aliae super eas transversae imponuntur, super quas ipsae vites flexae alligantur. *Varr. R. R.* 1, 8. quatuor jugorum genera enumerat, perticam, arundinem, restes, vites: jugationis duo, directum, et compluviatum: et singula describit. *Colum.* quoque multa disputat hac de re 4, 16. *f.* et *ib.* 17. et 19. Adde *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 10. Hinc illa *Colum.* 4, 22. Vineam sub jugum mittere. *Plin. ib.* 22, 35. *n.* 11. Palmes in jugum insilit.: et *mox.*; Vineam ad jugum perducere. ℙ Ex allatis *Varr.* et *Colum.* locis satis patet, *jugum* dici tum ipsam jugatam vitem, tum perticam transversam, qua jugum fit. Sunt qui putant, ab hoc vineatico jugo ad militare deductam appellationem: alii contra. ℙ Etiam scapus staterae, vel librae transversus, *jugum* dicitur. Hinc de Libra, signo coelesti, *Cic. Div.* 2, 47. Romam, in jugo cum esset luna, natam esse dicebat. *Solin.* enim *c.* 1. Romulus fundamenta murorum jecit, Jove in piscibus, Luna in Libra constitutis. *Manil.* 1, 609. Et juga Chelarum medio volitantia coelo, *h. e.* extrema Scorpii brachia, quae adeo extenta sunt, ut Librae signum occupent. ℙ Item lignum teres transversum in textorio instrumento, cui tela imponitur, et circumvolvitur. *Ov. Met.* 6, 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo. V. JUGALIS. ℙ Item transtrum, quo transverso remiges sedent: quod et Graeci ζυγὸν appellant, teste *Servio* ad illud *Virg. A.* 6, 411. Inde alias animas, quae per juga longa sedebant, Deturbat, laxatque foros. ℙ Item baculus incurvus, quem rustici collo seu humeris imponunt ad singulas utrinque corbes, seu sirpiculos, sustinendas: Graeci ἀνάφορον, et ἀσιλλιαν. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Cum inter haec bina loca, ut jugum continet sirpiculos, sic calles publicae distantes pastiones. ℙ Denique saepissime est cacumen, vertex, et universim ipse mons. *Virg. Ecl.* 5, 76. Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit. *Cic. Or.* 3, 19. Ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientum jugo sunt doctrinarum facta divortia. *Ov. Her.* 5, 138. in immensis qua tumet Ida jugis. *Id. R. Am.* 202. Nunc tua frondosis retia tende jugis. ℙ Praecipue vero dici videtur de continuo montis cacumine. *Caes. B. C.* 1, 70. Ut mutato itinere, jugis Octogesam perveniret. ℙ Neque tamen summum verticem proprie significat, sed dorsum montis vertice inferius, et colles minus assurgentes. *Ov. Met.* 4, 656. Quantus erat, mons factus Atlas: jam barba comaeque In silvas abeunt: juga sunt humerique, manusque: Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen. *Prop.* 2, 25, 78. Quo seges in campo, quo viret uva jugo. ℙ Translate a jugo boum est alienum imperium, servitus, tyrannis. *Cic. Phil.* 1, 2. Cujus a cervicibus jugum servile dejecerant. *Hor. Sat.* 2, 7, 91. eripe turpi Colla jugo: liber, liber sum, dic age. *Id. Od.* 3, 9, 18. Venus diductos jugo cogit aeneo. *Just.* 44, 5. Nec prius, perdomita provincia, jugum Hispani accipere potuerunt, quam, etc. *Tac. Agr.* 31. Exuere jugum. *Ov. R. Am.* 90. Colla jugo subtrahere. *Plin. Pan.* 11. Hostes sustulerant animos, et jugum excusserant. *Sen. Octav.* 250. Orbem turpi jugo premere; et *Agam.* 134. Animum jugo premit Cupido turpis. *Id. Herc. Fur.* 432. Servire, et jugum pati. *Stat. Theb.* 1, 19. Rhenus jugo adactus. ℙ De calamitate et incommodis. *Hor. Od.* 1, 35, 26. diffugiunt, cadis Cum faece siccatis, amici, Ferre jugum pariter dolosi. *Juven.* 13, 21. felices, qui ferre incommoda vitae, Nec jactare jugum vita didicere magistra. ℙ De conjugii vinculo. *Hor. Od.* 2, 5, 1. Nondum subacta ferre jugum valet Cervice. Ait enim *Isid. Orig.* 9, 7. Jugo in nuptiis conjuges copulantur, ne resolvi, aut separari possint. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 16. Jugali autem, propter jugum, quod imponebatur matrimonio conjungendis. ℙ *Pari jugo niti* est aequali contentione ac studio una cum altero quippiam agere. *Plin. ep.* 3, 9. et *Sen. ep.* 109. *f.*

JŪGŪMENTO, as, a. 1. est transversa materia aliquid munire, et colligare, ut in jugo vineatico, et militari fit. *Vitr.* 2, 1. Luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materia eos jugumentantes: et *paulo post*: Alternis trabibus angulos jugumentantes. Al. leg. *jugamentantes.*

JŪGŪMENTUM, i, n. colligatio in modum jugi vineatici, aut militaris. *Cato R. R.* 14. Limina, postes, jugumenta: et *paulo post*: Jugumenta, et antepagmenta, *h. e.* limina superiora januarum, fenestrarum, et hujusmodi, quae transversa erectos postes continent, ac firmant. Al. leg. *jugamenta* eod. sensu.

JŪGURTHĪNUS, a, um, adj. ad Jugurtham pertinens, qui Numidiae rex fuit, et cum populo R. diu bellum gessit: tandem a socio rege proditus, et Mario consuli traditus, ab eoque Romam in triumpho ductus, in carcere interiit: quae omnia in historia sua *Sallustius* narrat. *Cic. N. D.* 3, 30. Jugurthina conjuratio. *Hor. Epod.* 9, 23. Jugurthinum bellum. *Ov. Pont.* 4, 3, 45. Ille Jugurthino clarus, Cimbroque triumpho. *Gell.* 16, 10. *f.* Sallustii historia Jugurthina.

[JŪGUS, a, um, adj. conjunctus. *Cato R. R.* 10. Vasa juga quinque. *Varr. R. R.* 1, 22. haec eadem *Catonis* verba repetit. *F.*]

*IVIA, ae, fluvius Hispaniae Tarraconensis, hodie *Juvia*, ut ait *Cellarius*. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

IULEUS, a, um, adj. pertinens ad Iulum, vel ad aliquem e gente Julia: et praecipue ad C. Caesarem, aut Augustum. Est quadrisyllabum. *Prop.* 4, 6, 17. Actia Iuleae pelagus monumenta carinae, *h. e.* navium, quibus Augustus apud Actium Antonii classem devicit. *Ov. Fast.* 6, 797. Tempus Iuleis cras est natale calendis, *h. e.* Julii mensis, a C. Julio Caesare dicti; et *ib.* 4, 124. Magnus Iuleos Caesar haberet avos. ℙ Item universim ad Caesarem pertinens. *Mart.* 9, 36. Cujus Iuleae capiti nascantur olivae, *h. e.* corona ex olea danda a Domitiano victoribus ludorum. Sic *ib.* 102. Solus Iuleas cum jam retineret habenas, *h. e.* imperium Romanorum. *Id.* 13, 109. Iuleus mons, *h. e.* Albanus. Iulus enim Aeneae filius Albam ibi condidit, ut est ap. *Liv.* 1, 3. ℙ De Iuleis vocibus V. in IULUS.

*JULIACUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, hodie *Jülich*. *Ammian.* 17, 4. et *Anton. Itin. B. A.*

JULIĀNUS, a, um, adj. ad C. Julium Caesarem pertinens. *M. Anton. in ep.* ap. *Cic. Phil.* 13, 15. Vectigalia Juliana Lupercis ademistis, *h. e.* a C. Julio Caesare constituta. ℙ *Juliani* ap. *Suet. Caes.* 75. sunt milites, qui civili bello a C. Julio Caesare stabant. Sic *Vellej.* 2, 55. Julianarum partium dux. Adde *ib.* 63. et 68. et *Hirt. B. Afr.* 15. et 18. ℙ *Anni Juliani* ap. *Censorin. de die nat.* 20. *f.* et *ib.* 21. dicti sunt, qui post ordinatum ab eodem C. Julio annum secuti sunt. ℙ [Fuit et *Julianus*, *i*, m. nomen proprium R., ut M. Didius Severus Julianus Aug., Petronii Didii Severi filius, et Salvii Juliani JCti ex fratre nepos, cujus prosapiam illustravit *Labusius* in *Ant. Monum. Bresc.* p. 25. et sqq. Hic Pertinace Aug. mortuo, a militibus praetorianis imperium turpiter mercatus est, sed cum solvendo non esset, ab iisdem est interfectus, postquam imperasset diebus sexaginta sex, anno a Chr. n. CXCIII. V. *Spart. in ejus Vita.* ℙ Alter fuit *Julianus Aug.*, qui et Apostata dictus est, quia a Christiana in Ethnicam religionem descivisset: obiit an. a Chr. n. CCCLXIII., aetatis XXXII., imperii VII. et mens. fere octo. V. *Ammian.* 25, 3. et *Eutr.* 10, 16. *F.*]

JULIENSIS, e, adj. a Julium pertinens, ut Julienses cognominantur in Hispania Tarraconensi Teari populi, ab eorum oppido Teara Julia ap. *Plin.* 3, 3, 4. ℙ Item *Julienses Aretini* in Tuscia ap. *eund. ib.* 5, 8. ℙ Item *Julienses Carnorum*, qui et *Forojulienses:* horum fuit oppidum Julium Carnicum, nunc *Zuglio*, ap. *eund. ib.* 19, 23. ℙ Item *Julienses* coloni in fine Cenotaphii L. Caesaris sunt Pisani, quia Pisas coloniam vel C. Jul. Caesar, vel successor ejus Augustus, qui C. Julius Caesar Octavianus dictus est, deduxit. ℙ [Item *Julienses* fuere populi Phrygiae majoris in conventu Cibyratico, quorum urbs Julia, vel Juliopolis dicta ap. *eund.* 5, 29, 29. ℙ Item *Julienses* incolae foro Julii in Gallia Narbonensi, nunc *Frejus. Inscr.* ap. *Grut.* 1090, 21. Respublica Juliensium. *F.*]

*JULIOBONA, ae, Ἰουλιόβονα *Ptolemaeo*, oppidum Caletarum primarium, in Gallia Belgica, ad Sequanam amnem, hodie *Litebone* ad Sequanae ostium. *Anton. Itin.* ℙ De quantitate paenultimae V. quae dicenda in *Vindobona. B. A.*

[JULIOBRIGENSIS, e, adj. ad Juliobrigam pertinens, Hispaniae citerioris urbem, nunc *Logrono. Inscr.* ap. *Grut.* 354, 4. C. Annius C. F. Quir. Flavus Juliobrigensis ex gente Cantabrorum, provincia Hispania citeriore. *Plin.* 4, 20, 34. Portus Juliobrigensium. *F.*]

*JULIOMAGUS, i, urbs Galliae Celticae sive Lugdunensis, Andegavorum (ubi nunc *Anjou*) metropolis. Hodie *Angers* appellatur. *Tab. Peut. B. A.*

[JULIOPOLITA, ae, m. et f. et

[JULIOPOLITANUS, a, um, adj. ad Juliopolin pertinens, Bithyniae urbem ad Galatiae confinia prope fluv. Scopam, et Sangarium, nunc *Bey-Bazar. Plin.* 5, 32, 43. Agrippenses, Juliopolitae, Bithynion. ℙ Altera quoque fuit urbs Bithyniae eodem nomine, quae prius Gordiucome appellata, cujus meminit *Id. ib.* 32, 40. Hujus incolae *Julio politani* dicuntur ab altero *Plin. ep.* 10, 81. *F.*]

IULIS, idis, f. Ἰουλίς, oppidum in Ceo insula. *Plin.* 4, 12, 20. et *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. ℙ Item genus piscis saxatilis, *Plin.* 32, 9, 31.

JULIUS, a, um, adj. idem quod Iuleus. *Julia* gens patricia, Romae nobilissima, et vel uno C. Caesare dictatore celeberrima fuit. V. CAESAR. In ejus familiam (quae ab Iulo Aeneae filio originem ducere putabatur) et nomen Octavius Caesar, qui postea Augustus cognominatus fuit, testamento ejusdem dictatoris cooptatus est, ut *Suet. Caes.* 83. narrat. *Ov. Fast.* 4, 40. Unde domus Teucros Julia tangit avos. *Id. Pont.* 4, 5, 21. patres in Julia templa vocati, *h. e.* in curiam Juliam. V. HOSTILIUS. *Hor. Od.* 1, 12, 47. micat inter omnes Julium sidus, *h. e.* C. Jul. Caesar inter divos relatus. Alludit ad cometem, qui post ejus obitum per septem dies Romae visus fuit, ut *Augustus* ap. *Plin.* 2, 25, 23. et *Suet. Caes.* 88. narrant. *Hor. Od.* 4, 14, 22. Julia edicta, *h. e.* jussa, et leges ab Augusto latae. *Virg. G.* 2, 163. Julia unda, *h. e.* Bajanus sinus: de quo *Suet. Aug.* 16. Portum Julium apud Bajas immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit. *Plin. ep.* 5, 21. et *Quint.* 12, 5. Basilica Julia, *h. e.* a Julio Caesare dedicata: tametsi alii aliam intelligunt. In ea agebantur causae centumvirales. ℙ *Julius mensis*, et *Julius* absolute est Quinctilis; ita dictus in honorem C. Julii Caesaris, legem ferente M. Antonio M. F. consule, quod a. d. IV. Id. ejus is natus esset, ut ap. *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* legitur *Mart.* 12, 32. O Juliarum dedecus calendarum (His calendis mos erat Romae novas aedes conducere, ut tum ex hoc loco, tum ex *Suet. Tib.* 35. colligitur.) *Id.* 10, 62. Tostamque fervens Julius coquit messem. ℙ *Juliae leges* plurimae fuerunt celebriores referam. De civitate Italis danda, qui bello Italico in fide populi R. permanserant. Lata fuit a L. Julio Caesare solo consule, cum ejus collega P. Rutilius Lupus in proelio esset occisus. *Cic. Balb.* 8. ℙ De damnatis de vi, ut iis aqua et igni interdiceretur. Tulit C. Jul. Caesar post victum Pompejum. Meminit *Cic. Phil.* 1, 9. ℙ De adulteriis, ne quis stuprum adulteriumve faciat sciens dolo malo: de sumptibus coenarum, ut profestis diebus permitterentur ducenti aeris in coenam; calendis, idibus, nonis, et aliis quibusdam festivis trecenti; in nuptiis, et repotiis mille (V. *Gell.* 2, 24.): de pudicitia, ut insigniter impudici poenis coercerentur (*Hor. Od.* 4, 5, 22.): de ambitu, ut candidatus, qui turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit, ut vis publicae reus, in insulam deportetur (*Paul. Sentent.* 5, 30.): de maritandis ordinibus, ut coelibem vitam ducentibus certa poena infligeretur, ducentibus uxorem certa praemia essent. Has omnes tulit Augustus, teste *Suet. Aug.* 34. V. *Lips.* in *Excurs. ad Tac. A.* 3, 25. De majestate, ut qui reus majestatis sit, vitam amittat, ejusque memoria etiam post mortem damnetur. Haec C. ne Caesarem, an Augustum auctorem habeat, incertum est. *Justin. Institut.* 4, 18. §. 3. ℙ Repetundarum; lata a C. Julio Caesare, ne quis ob judicem dandum, hominem in vincula conjiciendum, litem aestimandam, judicium faciendum quippiam accipiat. *Cic. Sext.* 64. *extr.* et *Marc. Dig.* 84, 11. qui inscribitur *Ad legem Juliam repetundarum*, *l.* 7. ℙ Ab eodem latae sunt de peculatu, de vi publica, et privata, de annona, de paricidis, de pecuniis creditis, etc., quae percensere, longum esset. ℙ *Julia tribus* una fuit ex antiquis XXXV. Romanis tribubus, sed mutato nomine, Julia dicta a senatu in honorem Augusti, ut *Dio l.* 44. tradit. *Inscr.* ap. *Grut.* 924, 15. Q. Titienus Q. F. Julia Quadratus, etc. Alia *ib.* 549, 4. Q. Junius Q. F. Julia Valens mil. leg. V. etc.

IULUS, i, m. ἴουλος, lanugo quaedam arborum, florem antecedens, vel floris loco. *Plin.* 16, 29, 52. Ferunt et avellanae iulos compactili callo, ad nihil utiles. ℙ Ap. *Polluc.* 1, 1. *f.* ἴουλος est genus cantilenae, quae in honorem Cereris canebatur. Huc igitur fortasse pertinet illud *Lact. carm. de Phoenice* 45. Incipit illa sacri modulamina fundere cantus, Et mira lucem voce ciere novam: Quam nec Iuleae voces, nec tibia possit Musica Cyrrhaeis assimilare modis. Al. rectius leg. *aedoniae voces.* ℙ Fuit hoc nomine filius Ascanii, Aeneae nepos, quem gens Julia auctorem sui sanguinis credi voluit. *Virg. A.* 1, 290. Nascetur pulcra Trojanus origine Caesar Julius, a magno demissum nomen Iulo. *Val. Fl.* 1, 8. Caledonius postquam tua carbasa vexit Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos, *h. e.* Julium Caesarem, cujus classis Britanniam petens tempestate disjecta fuit, ut est ap. *Flor.* 3, 10. *med.* ℙ Alii ipsum Ascanium binominem fuisse putant, et *Iulum* quoque dictum. *Virg. l. c.* 271. At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur: Ilus erat, dum res stetit Ilia regno. Ἴουλος Graece est prima lanugo pubescentis pueri. Inde ergo dictum Iulum putat *Servius* ad hunc loc. ex *Catone*, quod prima pubertate Mezentium singulari certamine vicerit. ℙ Est etiam disyllabum. *Hor. Od.* 4, 2, 1. Pindarum quisquis studet aemulari, Jule, ceratis ope Daedalea Nititur pennis.

JUMENTĀRIUS, a, um, adj. ad jumenta pertinens. *Jabolen. Dig.* 33, 7, 27. Molas manuarias

supellectilis, jumentarias instrumenti esse, Ofilius ait. *Appul. Met.* 9. Jumentarium contubernium. *Inscr.* ap. *Murin. Frat. Arv.* p. 62. Ap. Quintius Ap. L. Nicephorus medicus jumentarius. ℙ *Collegii jumentariorum* mentio fit in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 707. *n.* 276. Locum sepulturae donavit C. Valgius Fuscus conlegio jumentariorum portae Gallicae, posterisque eorum, *h. e.* eorum, qui jumenta curant: fortasse *vetturali*, vel *mulattieri*. Adde aliam ap. *eund.* p. 91. *n.* 179. et ap. *Mur.* 525, 2.

JUMENTUM, i, n. ὑποζύγιον, quadrupes majus, ex eorum genere, quibus utimur ad gerendum, trahendumve, ut equi, muli, boves, asini, cameli, etc. a *jungo*, ut docet *Gell.* mox citandus, per syncop. a *jugumentum:* vel a *juvo*, quasi *juvamentum*, quod nostrum laborem vel onera subvectando, vel arando juvant, ut *Colum. praef. l.* 6. loquitur. [*Illud praeferendum.] *Cic. Tusc.* 1, 47. Cum illam curru vehi jus esset, morarenturque jumenta. *Nep. Timol.* 5. Vectus jumentis junctis, de vehiculo ea, quae videbantur, dicebat. *Caes. B. C.* 1, 60. Undique conquisitis jumentis, frumentum in castra deportant. *Sall. Jug.* 78. Jumenta sarcinis levare. *Nep. Ann.* 5. Sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit. *Cato R. R.* 5. *f.* Scabiem pecori et jumentis caveto. ℙ Interdum ita usurpatur, ut equos, mulos, asinosve significet, boves non significet. In vet. *Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *f.* Plostra bubus jumentisve juncta *Colum.* 6, 19. Machina fabricanda est, qua clausa jumenta, bovesque curentur; et *ib.* Firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur, vel boum cornua religantur. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38. *med.* Jumentorum appellatione non contineri boves, verius est: sed pecoris appellatione continebuntur. Hinc *Mart. Dig.* 32, 1, 63. *f.* Jumentis legatis, boves non continentur. ℙ Interdum dicitur de solis curru junctis. *Plin. ep.* 2, 17. Iter arenosum jumentis paulo gravius et longius, equo breve et molle. Alii melius leg. *junctis* pro *jumentis*. ℙ Praeterea etiam ipsum vectabulum, quod adjunctis pecoribus trahitur, jumentum veteres a jungendo dixerunt, inquit *Gell.* 20, 1. *med.* exponens illud *ex Legib. XII. Tab.* Si in jus vocat; si morbus aevitasve vitium escit, qui in jus vocabit, jumentum dato. ℙ *Malum rem jumento suo arcessere*, proverb. ap. *Pl. Amph.* 1, 1, 171., *h. e.* sui mali ipsum sibi auctorem ac fabrum esse. ℙ Servus a jumentis, qui jumenta curat. *Inscr.* ap. *Spon. Misell.* p. 209. T. Sallustio Eutycho a jumentis Caesaris N. Flavia Horaea conjugi B. M.

*JUNCARIA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, juxta montes Pyrenaeos. *Anton. Itin.* ℙ Ἡέδιον Ἰουγγάριον, Campum Juncarium, meminit *Strabo*, illic loci situm. Sic dictus est a copia juncorum, quasi nos diceremus *Rushfield. B. A.*

JUNCĒTUM, i, n. σχοινών, locus juncis consitus. *Varr. R. R.* 1, 8. Primum genus maxime quaerit salicta, secundum arundineta, tertium junceta.

JUNCĔUS, a, um, adj. σχοινώδης, qui est e junco. *Colum.* 12, 6. Sporta juncea, vel spartea. *Ov. Fast.* 4, 870. juncea vincula. *Plin.* 21, 14, 49. cratis. *Id.* 11, 23, 27. Junceus fusus. ℙ Item junco similis. *Id.* 25, 8, 47. Herba caule junceo pedali. *Ter. Eun.* 2, 3, 23. Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum: Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas, *h. e.* graciles, tenues, macras: Sic *Prud.* περὶ στεφ. 9, 132. juncea pectora. V. LIGNEUS. ℙ [Translate et jocose *Pl. Stich.* 4, 2, 56. Nam mihi intus potione juncea onerabo gulam, *h. e.* laqueo junceo mihi gulam frangam. Ita habet *Cod. Ambros.* ap. *A. Maium*, *Pl. fr.* p, 30.: editiones minus recte *vincea. F.*]

JUNCĬDUS. V. EJUNCIDUS.

JUNCĪNUS, a, um, adj. junceus. *Plin.* 15, 7, 7. Juncinum oleum.

JUNCOSUS, a, um, adj. juncis abundans. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Juncosus ager. *Ov. Met.* 7, 231. Juncosa litora.

JUNCTIM, adv. ζυγάδην, conjunctim, contigue. *Gell.* 12, 8. Ut apud eandem mensam duo illi junctim locarentur. *Mamert. Genethl. Maxim.* 11. Junctim sedere. ℙ Refertur ad tempus. *Suet. Claud.* 14. Consulatus quatuor gessit: ex quibus duos primos junctim, sequentes per intervallum.

JUNCTĬO, onis, f. ξεῦξις, conjunctio, junctura. *Cic. Tusc.* 1, 29. *med.* Est enim interitus quasi discessus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur. **Id. de amicit.* 7. in. ed. *Graev.* Junctionem benevolentiae, ubi ed. *Ernest.* habet *conjunctionem. B. A.*

[JUNCTOR, oris, m. qui mulas jungit ad rhedam, vel mulio tantum, et lecticarius. *Alfen. Dig.* 50, 16, 203. Quo in genere junctores, cubicularii, coci numerantur. Alii leg. *unctores*, sed cum voces *adjunctor*, et *junctura* recte usurpentur, quippini etiam *junctores? Gloss. Phil.* Junctor, ζευκτής. Pro hujusmodi voce pugnat etiam *Marin. Frat. Arv.* p. 824. V. ZEUGNITA. *F.*]

JUNCTŪRA, ae, f. ξεῦξις, junctio, conjunctio. *Colum.* 2, 2. *med.* In opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur, etc., hoc enim genus junctura maxime probatum est. *Ov. Met.* 2, 823. Genuum junctura; et *ib.* 12, 288. Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu Rupit, et in liquido sederunt ossa cerebro; et *ib.* 2, 375. digitosque ligat junctura rubentes, *h. e.* pellis, quae pedes ligat avium aquaticarum. *Plin.* 16, 40, 79. Ut humor teneat juncturas. Sic 13, 15, 29. Mensa commissa ex orbibus dimidiatis duobus latente junctura. *Virg. A.* 12, 273. tertius qua sutilis alvo Balteus, et laterum juncturas fibula mordet, *h. e.* oras, quibus balteus committitur. *Vitr.* 5, 12. Quadrato saxo murus ducatur juncturis quam longissimis, uti maxime medii lapides coagmentis contineantur, *h. e.* lapidibus transversis longioribus, qui alios minores per muri crassitudinem jungunt, et continent. ℙ Item copulae, habenae, lora, vel juga, quibus jumenta currui junguntur. *Capitol. Ver.* 5. Data et vehicula cum mulabus, et mulionibus, cum juncturis argenteis. ℙ Item ipsa jugalia jumenta. *Paul. Sent.* (3, 7.) *de legat. f.* Carruca cum junctura legata, mulae quoque legatae, nec non et mulio videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem. ℙ Translate. *Ov. Her.* 4, 135. Junctura generis, *h. e.* conjunctio sanguinis. ℙ Saepe dicitur de compositione oratoria verborum. *Quint.* 9, 4. In omni compositione tria sunt necessaria, ordo, junctura, numerus; et *paulo post:* Junctura est in verbis, incisis, membris, periodis. *Hor. A. P.* 242. tantum series juncturaque pollet. *Pers.* 1, 64. carmina molli Nunc demum numero fluere, ut per laeve severos Effundat junctura ungues. ℙ Et de compositione grammatica. *Hor. A. P.* 47. Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum. Hinc *verba juncta* ap. *Cic.* sunt composita. V. v. sq. [*V. *Ernest. lex. techn. Lat. rhet.* p. 233.]

JUNCTUS, a, um, part. a *jungo:* ἐζευγμένος, unitus, conjunctus, vicinus. Dicitur proprie de jumentis jugo colligatis: universim de re qualibet. *Virg. A.* 3, 113. Et juncti currum dominae subiere leones; et *ib.* 12, 735. cum prima in proelia junctos Conscendebat equos, *h. e.* currum equis junctis tractum. *Id. G.* 4, 388. Proteus magnum qui piscibus aequor, Et juncto bipedum curru metitur equorum. *Liv.* 42, 65. Juncta vehicula mille capiuntur. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* Rheda equis juncta. *Caes. B. C.* 1, 54. Naves carris junctis devehere, *h. e.* binis carris inter se junctis; et *ib.* 61. Navibus junctis pontem imperat fieri, *h. e.* binis navibus inter se colligatis. *Hor. Od.* 1, 25, 1. Fenestrae junctae. *Cic. N. D.* 2, 45. Corpora inter se juncta; et *ib.* 11. Natura cum alio juncta atque connexa; et *ib.* 45. Aer mari continuatus et junctus est. *Id. Or.* 3, 35. Sapientia juncta eloquentiae. *Id. Inv.* 2, 11. Indignatio juncta conquestioni. *Hor. Od.* 1, 4, 6. Junctaeque Nymphis Gratiae decentes. *Cic. Fat.* 16. Causa fuit propior, et cum exitu junctior. *Id. Div.* 2, 72. Religio, quae est juncta cum cognitione naturae. *Quint.* 11, 3. *med.* Junctae manus, *h. e.* quae simul ambae gestum faciunt. *Lucan.* 4, 209. Juncti amplexibus. *Calpurn. Ecl.* 6, 4. hoedos Juncta matre dedit, *h. e.* simul cum matre. ℙ Cum solo ablativo. *Cic. Or.* 2, 58. *f.* Insignis improbitas, et scelere juncta. *Id. Brut.* 44. Defensione juncta laudatio. ℙ *Verba juncta* ap. *Cic. Part.* 15. sunt composita. V. JUNGO. ℙ Refertur ad conjunctionem sanguinis. *Ov. Fast.* 2, 738. Comiter excipitur, sanguine junctus erat. *Liv.* 30, 14. Puellam matrimonio junctam accipere. *Ov. Met.* 2, 368. materno a sanguine junctus alicui. ℙ Et amicitiae. *Hor. Sat.* 1, 3, 54. Haec res et jungit, junctos et servat amicos. *Suet. Aug.* 56. Arcte junctus alicui. *Pl. Cist.* 1, 1, 28. Amicitiam bene junctam inter se habent. *Ov. Pont.* 1, 7, 31. frater tanto tibi junctus amore. *Id. Trist.* 4, 10, 46. Jure sodalitii qui mihi junctus erat. *Id. Met.* 5, 60. junctissimus illi Et comes, et veri non dissimulator amoris; et *ib.* 10, 70. Junctissima pectora. *Tac. H.* 4, 52. Principum prosperis et alii fruuntur: adversa ad junctissimos pertinent. ℙ Interdum est continuatus, connexus. *Plin. ep.* 1, 9. Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio constet, pluribus junctisque non constet. [*Lucan.* 4, 105. rerum discrimina miscet Deformis coeli facies, junctaeque tenebrae: ubi *Cort.* laudat *Ov. Met.* 11, 96. festum genialiter egit Per bis quinque dies, et junctas ordine noctes. Hoc *Claud.* 9, 4. vocat epulis continuare dies; et *Ov. Fast.* 3, 810. junctis quinque diebus.] *Ov. Met.* 12, 316. junctis sine fine jacebat Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas. Alii rectius leg. *ductis.* [*Illud conjecit *Gronov.* in *Ep.* ad *N. Heins.* 286. T. 3. p. 351. *Syllog. Burm.* et in *Obss.* 2, 3. p. 233. quae eodem modo dicta esse monet, quo alibi *juncti cyathi*, poculis ad pocula additis. Probant hanc correct. *Heins. Ep.* ad *Gronov.* 287. T. 3. p. 353. et *Bothius.* — At *Jahn.*, cujus verba sequimur, nescit an vulgata lectio *(cunctis venis sopitus)*, quam codices ad unum omnes tueantur, revocanda sit, quamvis paulo insolentius dictum videatur.] *Stat. Silv.* 2, 6, 11. cui major stemmate juncto Libertas ex mente fuit; et *Th.* 7, 81. nec longa moratus, Sicut anhelabant, juncto sudore, volantes Mars impellit equos. ℙ [*Conf. *junctus* et *vinctus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 461. *Spald.* ad *Quint.* 9, 4, 6. et ad 9, 4, 19.]

JUNCTUS, us, m. junctio. In ablat. *Varr. L. L.* 4, 8. Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinae.

JUNCŬLUS, i, m. dimin. dulciariae placentae genus, ad similitudinem junci effictum. *Appul. Met.* 10. His panes, crustula, junculos, hamos, etc. Ita legit, et explicat *Beroaldus.* Alii melius leg. *lucunculos.*

JUNCUS, i, m. σχοῖνος, frutex longi viminis, texendo, vinciendoque utilis: unde et nomen traxisse putant, nempe a *jungendo.* Varia ejus genera, varios item in medicina usus *Plin.* 21, 18, 69. recenset. *Pl. Rud.* 3, 4, 27. Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam. *Colum.* 10, 306. contorti stamina junci, *h. e.* calathum e junco. *Tibull.* 2, 3, 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci. *Virg. Ecl.* 1, 49. Limosoque palus obducat pascua junco. *Ov. Met.* 8, 336. juncique palustres; et *ib.* 4, 299. Nec steriles ulvae, nec acuta cuspide junci, ὀξύσχοινος. V. *Plin. l. c.* ℙ Est etiam nomen commune virgis flexilibus cujusque plantae, junci similibus. *Plin.* 26, 8, 46. Apios ischas juncos duos sive tres spargit in terra rubentes.

JUNGO, is, nxi, nctum, a. 3. ζεύγνυμι, proprie est jumenta sub currum, plaustrumve jugo copulare. *Virg. G.* 3, 169. Junge pares, et coge gradum conferre juvencos; et *ib.* 113. Primus Erichthonius currus, et quattuor ausus Jungere equos. *Id. A.* 7, 724. Curru jungere equos. *Plin.* 33, 3, 16. ad currum. *Virg. Ecl.* 3, 91. Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos. ℙ Universim est duo vel plura simul unire, nectere, committere, conjungere. [**Jungere* et *nectere* differunt: illud in universum significat *conferre ea, quae distant*, quovis vel modo vel consilio fiat; oppos. *separare:* hoc impediendi, coercendi notionem continet; opp. *solvere; copulare* ea spectat, quae ejusdem generis sunt, eodem pertinent; opp. *dissipare, divellere.* V. *Doederl.* 3, 274.] *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna bina sesquipedalia intervallo pedum duorum inter se jungebat. *Claud. B. G.* 17. Jungere robora; *scil.* exstruendae navi. *Hirt. B. G.* 8, 48. *med.* Incensum calcaribus equum jungit equo Quadrati. *Virg. A.* 8, 485. Mortua quin etiam jungebat corpora vivis. *Sil.* 4, 374. Jungere gradus, *h. e.* ire pariter. *Juven.* 9, 105. junge ostia, i. e. claude portas. *Cic. Or.* 1, 51. *f.* Quaedam inter se jungere et copulare. *Id. Brut.* 97. Decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude junxisses. *Id. Fin.* 5, 14. *med.* Ad illa, quae semper habuit, junget ea, quae postea accesserint. *Id. Tusc.* 5, 2. Philosophia homines inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxit. *Petr. Sat.* 86. *extr.* Cervicem alicujus amplexui jungere. *Val. Fl.* 1, 163. et *Quint. decl.* 10, 5. amplexus, *h. e.* mutuo amplecti. *Ov. Met.* 2, 357. oscula, *h. e.* mutuo osculari. [**Lucan.* 7, 493. Junxerat in seriem nexis umbonibus arma: tam arctis ordinibus constiterant milites, ut unum quasi corpus conjunctis etiam armis esse viderentur. Laudat *Cort.* ad h. l. *Liv.* 23, 27. Armaque armis jungunt in arctum conculsi.] ℙ Jungere pontem, quia sic altera alteri ripae conjungitur: vel quia ex pluribus trabibus, aut navibus junctis fit. *Virg. A.* 9, 170. pontesque et propugnacula jungunt. *Tac. A.* 1, 49. Junctoque ponte, milites transmittit. ℙ Dicimus etiam jungere ponte urbem, ut *Plin.* 5, 24, 21. et amnem ponte jungere, ut *Curt.* 4, 9. Simile est illud *Stat. Ach.* 2, 423. ingenti saltu jungere fossas, *h. e.* superare. Et *Plin. Pan.* 12. Cum Danubius ripas gelu jungit. ℙ [**Junxisse ratem* ap. *Sil.* 5, 553. explicat *Heins.* de ponte ex ratibus facto ad transeundum flumen.] ℙ Aliquando significat continuare. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Difficilius est laborem repetere, quam jungere. *Just.* 12, 13. *med.* Cum diei noctem pervigilem junxisset. *Petr. Sat.* 79. *med.* Somnum morti jungere. *Stat Silv.* 1, 5, 10. Junge puer cyathos: sed ne numerare labora. *Lucan.* 1, 167. longos jungere fines agrorum, [*i. e. interjacentia praedia et agros deinceps coemere, ut junctis finibus ager continuetur et unius domini sint, quae antea ad plures pertinebant. *Liv.* 34, 4. dicit: *continuare agros. Arnob. adv. Gent.* 1. p. 15. *Canter. Proferre imperii fines. — Sil.* 3, 638. Noctem operi jungunt, i. e. nocte opus non intermittunt, continuant opus per noctem.] ℙ Refertur eleganter ad conjugium. *Virg. A.* 4, 192. Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido; et *ib.* 1, 77. Connubio jungam stabili. *Curt.* 5, 3. Jungere aliquam secum matrimonio; et 10, 3. *med.* in matrimonio. *Stat. Silv.* 3, 4, 54. Jungere taedas. ℙ Item ad amorem, societatem, foedera. *Cic. Dejot.* 9. *f.* Cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesque jungebat. *Plin. ep.* 10, 11. Rosianum Geminum arctissimo vinculo mecum tua in me beneficia junxerunt. *Liv.* 1, 1. Latinum pa-

cem cum Aenea, deinde affinitatem junxisse. *Virg. A.* 1, 408. dextrae jungere dextram; et *ib.* 3, 83. Jungimus hospitio dextras; et *ib.* 10, 154. Tarchon jungit opes, foedusque ferit; et *ib.* 4, 212. et *Liv.* 7, 30. Jungere foedera. *Id.* 26, 24. Foedere jungi alicui. *Id.* 1, 2. Socia arma alicui jungere. *Id.* 24, 6. Per hos juncta societas Annibali, ac Syracusano tyranno. [**Tib.* 1, 1, 69. jungamus amores; cf. *Catull.* 63, 372. *Tibull.* 1, 9, 76. Jungere Venerem cum feris.] ℙ *Pro adjungere. Cic. Rosc. Am.* 47. Se ad aliquem jungere. *Virg. A.* 8, 476. Sed tibi ego ingentes populos, opulentaque regnis Jungere castra paro. ℙ [*Ponitur etiam *jungere* pro *se jungere*, *jungi*. *Virg. A.* 10, 240. Ne castris jungant (Etruscus et Arcas eques).] ℙ *Jungere vulnera* est conducere, obducere, claudere et sanare. *Stat. Th.* 10, 732. ego vulnera doctum Jungere, supremique fugam revocare cruoris Eetiona petam. ℙ *Jungere verba* est grammatice componere. *Quint.* 1, 5. *f.* Jungunt*ur* autem aut ex duobus Latinis integris, ut *superfui;* aut ex corrupto, et integro, ut *malevolus*, etc. Adde 8, 6. *med.* ℙ Item oratoria compositione collocare. *Id.* 9, 4. Tantum interest, verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel fine claudantur. ℙ Pro loqui. *Mart.* 6, 54. junget vix tria verba miser. ℙ *Jungere colloquium*, est habere, ap. *Sil.* 13, 734. ℙ Part. *Jungens* ap *Sil.* 5, 252. urgebat jungens convicia linguae. *Junc turus* ap. *Liv.* 29, 5. Satis scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio juncturum. *Jungendus* ap. *Just.* 29, 4. Jungendae amicitiae causa. ℙ [*Saepissime confunditur *jungere* cum compositis suis. Ita cum *conjungere*. V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 3, 8. cum *adjungere*. Cf. *Eund. ib.*]

JUNIĀNUS, a, um, adj. ad Junium (nomen viri) pertinens, ut Junianum judicium, in quo scil. C. Junius quaesitor, ap. *Cic. Cluent.* 1., et Junia na cerasa, grati saporis, sed paene tantum sub arbore sua, adeo tenera, ut gestatum non tolerent ap. *Plin.* 15, 25, 30. ℙ [*Latini Juniani* sunt cives Romani. V. LATINUS. *F.*]

JUNĪCULUS, i, m. palmes vetus in magnam longitudinem, et ad quartum usque pedamentum porrectus, quem alio nomine draconem vocant, ad masculeta conficienda idoneum. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 14. Nec veterem placet palmitem in longum, et ad quartum usque pedamentum emitti, quod alii dracones, alii juniculos vocant, ut faciant, quae masculeta appellant. Alii leg. *funiculos;* etenim *juniculus* videtur esse diminut. a *junior*, quo quidem nomine minus recte appellaveris palmitem veterem: qui tamen *juniculus* appellari posse aliis videtur, quia ex eo vitis renovatur, seu juvenescit.

JUNIOR. V. JUVENIS.

JUNIPĔRUS, i, f. ἄρκευθος, arbuscula, quae in locis arenosis frequens nascitur, pro foliis spinas habens perpetuo virentes, unde et topiario operi idonea est: a *junior*, et *pario*, quod juniores, et novellos fructus pariat antiquis maturescentibus. Parit enim usque ad tertium annum, arbori suae inhaerente fructu. Materiam habet carici non ob noxiam. *Plin.* 16, c. 21. 25. 26. etc. *Virg. Ecl.* 10, 76. Juniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbrae.

JUNIUS, a, um, adj. ad Junium pertinens: quod est nomen Romani hominis, a *Junio* Aeneae comite ductum, ut quidam putant. *Tac. A.* 3, 24. D. Silanus Juniae familiae redditus. ℙ *Junia gens*, Romae nobilis, duplex fuisse traditur: patricia, in qua L. Junius Brutus regum exactor, primusque Romae consul, quique pro libertate tuenda, quam asseruerat, filios suos securi percussit, ut est ap. *Liv.* 1. *f.* et 2. *in.;* plebeja, quae in plures familias propagata est, in qua celeberrimus D. Junius Brutus, princeps fuit conjuratorum in C. Caesarem. V. *Suet. Caes.* 80. et sqq. et *Vell.* 2, 56. ℙ *Junniae leges* multae fuere. De abrogandis legibus, quibus stipendia militaria minuebantur, lata est a M. Junio Silano (qui consul fuit cum Q. Caecilio Metello Numidico circa A. U. DCXLIV.) teste *Ascon. in or. pro C. Cornel.* De peregrinis Urbe ejiciendis lata a M. Junio Penno trib. pleb. circa A. U. DCXXVII. Hujus meminere *Fest.* in *Republicas*, et *Cic. Off.* 3, 11. *Junia Licinia* lata a D. Junio Silano, et L. Licinio Muraena Coss. circa A. U. DCXCI. de poenis irrogandis in eos, qui trinum nundinum in ferenda lege aliqua non servassent. *Cic. Phil.* 5, 3. *Junia Norbana* lata a M. Junio Silano, et L. Norbano Coss. sub Tib. Imp., qua servi Latinam libertatem consequebantur. *Ulp. Regular. tit.* 3. *Junia Petronia* de judiciis lata est a C. Junio Caesonio, et Petronio Turpiliano Coss. circa A. U. DCCCXIII., ut si sententiae judicum pari numero discreparent, pro libertate pronunciaretur. *Hermogen. Dig.* 40, 1, 24. *Junia Vellea* de testamentis, cujus fit mentio non semel in libris Digestorum, ut 26, 2, 10. et 28, 3, 13. *extr.* etc., varia capita habet, de quibus JCtos consule.

JUNIUS, ii, m. Ἰούνιος, sextus ex mensibus anni, a *junioribus*, quos Romulus voluit regio corpori adesse, et armis rempubl. defendere. Aliqui censent vocatum esse a Juventute, seu Hebe, filia Junonis, uxore Herculis, quam Romani in Deorum numero venerati sunt. Alii volunt, a Junone esse appellatum, et primo dictum fuisse Junonialem, vel Junonium, deinde Junium, per syncop. Alii a L. Junio Bruto, qui primus consul fuit, et civitatem regio dominatu liberavit, vel simpliciter in ejus honorem, vel etiam quod die prima hujus mensis, pulso Tarquinio, sacrum Carnae Deae in Coelio monte voti reus fecerit. Alii a *jungo* extrito *g*, in memoriam illius unionis, qua Romulus et T. Tatius rex Sabinorum regnum et populum junxerunt. V. *Ov. Fast.* 6. *in.*, *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* et *Fest.* ℙ Dicimus, *Calendis Junii*, *Idibus Junii*, etc. et adjective *Calendis Juniis*, *Idus Junias*, etc. Utramque loquendi rationem leges ap. *Col.* 11, 2. Sic *Cic. Att.* 6, 2. Ibi cum Junium mensem consumpsissem.

JŪNIX, īcis, f. δάμαλις, juvenca aetate viridior, quae jam vitula esse desiit, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenit: syncop. pro *juvenix. Pers.* 2, 47. Tot tibi cum in flamma junicum omenta liquescant. [*Paul. Nol. carm.* 27, 18. geminos Cum junice sues. *Inscr.* mendosa quidem ap. *Mur.* 21, 5., quae, ut affirmat *J. R. Carli* in *Antiq. Ital. T.* 1. p. 75. et 2, 135. Piquentii, nunc *Pinguente*, in Histria reperta, nunc vero prope Patavium exstat in *Mus. Obiciano.* Saluti Aug. pro incolumitate Piquent. L. Ventinaris Lucumo adject. junic. V. L. L. S. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 212. Felix publicus pontific*um* Bonae Deae Agresti Felici votum solvit junicem alba*m* libens animo. ℙ Usurpatur etiam de vacca provectioris aetatis. *Sever. Sanct. de cura boum* 62. vidi ego cernuam Junicem gravidam. ℙ Translate de meretricula. *Pl. Mil.* 2, 3, 32. hic te opperiar; eādem *(opera)* illi insidias dabo, Quam mox horsum ad stabulum junix recipiat se a pabulo, *h. e.* tanquam juvenca lo ab Argo custodita ad stabulum a pabulo, ad fornicem ab amatore redeat. *F.*]

JUNO, onis, f. Ἥρα, filia Saturni et Opis, soror et conjux Jovis: ita dicta a *juvando*, ut *Cic.* ipse putat *N. D.* 2, 26. Physici ajunt per Junonem intelligi aerem, idcirco autem Jovis conjugem et sororem putari, quod summa sit aeris cum aethere similitudo. *Cic. l. c. Serv.* autem ad *G.* 2, 325. dicit, Jovem fere accipi pro aethere, interdum vero pro aethere simul et aere, Junonem item plerumque pro aere, interdum pro terra et aqua. ℙ Narrabant veteres, Junonem a Thetide educatam fuisse. Aer enim aquae humore alitur, et instauratur. Dicebant reginam esse Deorum, vel quia et ipsi aerem daemonum refertum esse noverant, vel quia credebant, etiam Deos ex terra ortum habuisse. Praesidem censebant esse regnorum, et divitiarum, quia regna in terrarum orbe sita sunt, divitiae ex terra eruuntur. Eam nuptiis praeficiebant, et *pronubam Junonem* saepe nuncupabant: matrimonium enim proprium est hominum, qui terrestrem vitam vivunt. Existimabant praeesse partui mulierum: hinc *Juno Lucina* cognominata est, in *Inscr.* ap. *Grut.* 24, 16. et *pronuba*, *ib.* 25, 3. et *jugalis*, *ib.* 24, 15. Eadem enim ac Luna vulgo habita est, Luna autem magnam vim in fetum hominum et bestiarum, et aliarum rerum habet. Curru per aerem ferri fingebant, quod aer perpetuo in motu versetur. Pavones ejus currui adjungebant, quod illae aves superbae sunt, vario pennarum colore; et Juno Dearum superbissima fingitur: et ut illae in terra degunt, et facile alta petunt; sic aer et ima et sublimia loca percurrit. ℙ Ex Jove Vulcanum peperit. Praeterea Heben, et Martem absque Jove, aut alio viro genuisse dicitur. ℙ Ap. veteres mulierum Genius erat. *Plin.* 2, 7, 5. Singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciunt, Junones, Geniosque adoptando sibi. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 369. Junoni Historiae Telephus et Priscus L. D. l. *h. e.* Junoni Musae Clius, quae historiae praeerat. Alia ap. *eund. ib.* p. 370. Junonibus sacr*um* L. Vitruvius Euthetus V. S. L. M. *h. e.* Junonibus Dearum omnium. Hinc *Junones Augustae*, *Juno Claudia*, *Julia*, *Junia*, etc. in *Inscr.* ap. *Grut.* 24, 4. et 14., et 25, 9. et 10. Hinc per Junonem jurabant mulieres, ut est ap. *Petr. Sat.* 25. Proinde *Juven.* 2, 98. reprehendit quendam per Junonem jurantem, tanquam effeminatum et mollem. ℙ Juno infera, et inferna est Proserpina. *Stat. Silv.* 2, 1, 147., *Virg. A.* 6, 138. ℙ Per antonomasiam interdum pro uxore accipitur. *Pl. Cas.* 2, 3, 14. Eja, mea Juno, non decet te esse tam tristem tuo Jovi. ℙ *Junonis sacra ferre*, proverb. de eo, qui tarde incedit, et magno fastu, βαδίζειν Ἡρωΐον ἐμπεπλεγμένον. *Hor. Sat.* 1, 3, 9. Nil aequale homini fuit illi, saepe velut qui Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui Junonis sacra ferrent.

JUNONĀLIS, e, adj. Junonius. *Ov. Fast.* 6, 63. Junonale leges tempus.

JUNONĪCOLA, ae, m. et f. qui Junonem colit. *Ov. Fast.* 6, 49. Adde senem Tatium, Junonicolasque Faliscos.

JUNONIGĒNA, ae, m. Vulcanus, filius Junonis. *Ov. Met.* 4, 173. Junonigenaeque marito Furta tori, furtique locum monstravit.

JUNONĬUS, a, um, adj. Ἡρώιος, ad Junonem pertinens. *Val. Fl.* 8, 231. Junonia Hebe, *h. e.* Junonis filia. *Virg. A.* 1, 675. hospitia, *h. e.* Carthago, ubi Juno colebatur. Sic *Ov. Met.* 8, 220. Samos. *Id. Amor.* 2, 6, 55. ales, *h. e.* pavo. *Id. Met.* 14, 85. Iris, *h. e.* Junone missa, quae *Stat. Silv.* 5, 1, 103. est Junonia virgo. Sic Junonius anguis, ap. *Sil.* 6, 184. est draco, quem Juno custodem apposuerat hortis Hesperidum, irata, quod Hesperides aurea mala decerperent, quae in honorem nuptiarum suarum cum Jove Tellus ediderat, ut *Serv.* ad *A.* 4, 484. docet. Sic *Ov. Met.* 1, 678. Junonius custos, *h. e.* Argus a Junone appositus. *Id. Fast.* 6, 61. mensis, *h. e.* Junoni sacer. ℙ [*Junonia insula* ap. *Plin.* 6, 32, 37. est una ex Fortunatis. ℙ *Junonia colonia* est urbs Faliscorum III. mill. pass. ab hodierna *Civita Castellana*, ut ex lapidibus constat ibidem repertis an. 1822. *Front. de colon.* p. 113. Colonia Junonia, quae appellatur Faliscos. *F.*] ℙ *Auct. ep. ad Octav. med.* appellat *Junonium puerum* ipsum Octavium, vel quasi alterum Martem, qui Junonis filius est; vel generosissimum, ac divinae originis, ut Junonis ac Jovis filii sunt.

JUPPĬTER et Jupiter, Jovis, Jovi, Jovem, Jove, m. rex Deorum et hominum, secundum fabulas; ab antiquo nominativo *Jovis* et *pater*, quasi Jovis pater, ut Saturnus pater, Neptunus pater, Janus pater, Maspiter, idest Mars pater, etc. *Gell.* 5, 12. Sed *Cic. N. D.* 2, 25. dictus videtur quasi *juvans pater*. [**Doederl.* 1, 6. factum nomen dicit ex *diespiter*. Alii ex Ζεὺς πατήρ.] ℙ Secundum *Prisc.* 6, 695. habet genitivum proprium *Juppiteris*, vel *Juppitris*. Nam genit. *Jovis* est ab antiqno nom. *Jovis*, de quo V. *sup. s. l.* Sed hodie nullus alius genitivus, quam *Jovis*, usitatus est. ℙ Joves tres ab antiquis numerantur, duo primi Arcades, tertius Cretensis. Primus filius fuit Aetheris ex Die; secundus Coeli; tertius Saturni et Opis. Suos quisque filios habuit, sed hic fuit fecundissimus. V. *Cic. N. D.* 3, 21. Quidam posuere Jovem unum universalem mundi totius opificem, et insuper tres sub illo opifices particulares. Denique multi alii reges hoc nomine appellati sunt, ut Corythus rex Etruriae, Tantalus rex Phrygiae, qui jussit Ganymedem rapi, etc. ℙ De Jove tertio narrant, in Creta insula eodem cum Junone partu, sed posteriorem editum fuisse: cum Saturnus ex pactione cum Titano fratre inita filios suos omnes devoraret, pro Jove lapidem ei datum esse devorandum, Jovem autem fuisse educatum clam patre a Curetibus, et ab Amalthea et Melissa virginibus lacte caprino et melle, in Ida monte: cum Titanes comperissent, Jovem servatum fuisse, bellum Saturno intulisse, Saturnum et Opim victos esse; captos et conjectos in vincula, a filio, ubi adolevit, liberatos esse: Saturnum etiam tunc vitae Jovis insidiatum esse, sed cognitis insidiis a Jove expulsum fuisse ex regno: Jovem mundi imperium cum fratribus Neptuno et Plutone divisisse; Jovi coeli, et terrae regnum obtigisse, idest Cretae; Neptuno maris, idest insularum maris Aegaei; Plutoni inferorum, idest partis inferioris Graeciae, nempe Epiri; Jovem sororem suam uxorem duxisse, quae ei Vulcanum peperit. ℙ Habuit amplum templum in Peloponneso, in Elide, apud Olympiam, quingentis passibus ab urbe, ubi ludi Olympici in ejus honorem celebrabantur. Celebre etiam est templum illud Jovis, quod exstitit apud Dodonam urbem Molossiae, seu Thesprotiae in Epiro, in silva juxta Dodoneum fluv., ubi oracula fundebat; item quod Romae in Capitolio, Praeneste, etc. ℙ A Romanis optimus et maximus vocabatur. *Cic. Dom.* 57. Quo circa te, Capitoline, quem propter beneficia populus R. optimum, propter vim maximum nominavit. *Id. N. D.* 2, 25. A majoribus nostris optimus maximus dicitur; et quidem ante optimus, idest beneficentissimus, quam maximus, quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere. ℙ **Jupiter optimus*, non addito sollemni illo *maximus*, ap. *Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 33. et 3, 14. *B. A.* ℙ Aliis quoque honorificis epithetis decoratur, ut *magnus*, *aeternus*, *salutaris*, *hospitalis*, *servator*, *conservator*, *custos*, *depulsor*, *fulgurator*, *tonans*, *stator*, quae habentur ap. *Cicer.* et in *Inscr.* multis ap. *Grut.* p. 17. et sqq., item *altus*, *arduus*, *summus*, *invictus*, *omnipotens*, *altitonans*, etc. ap. poetas. *Ov. Met.* 13, 91. Ecce ferunt Troes ferrumque, ignemque, Jovemque In Danaas classes, *h. e.* Jovem faventem, Jovis auxilium. V. *Homer. Iliad.* 15. *v.* 693. Rursus *Ov. l. c.* 384. de Ajace: qui ferrum, ignemque, Jovemque Sustinuit toties, *h. e.* Jovem adversum. ℙ *Stygius*, et *Tartareus*, et *niger Juppiter* est Pluto ap. *Virg.*, *Ov.*, *Val. Fl.* et *Sen. tragic.* et in *Inscr.* ap. *Grut.* 23, 6. et 7. at *Aequoreus Juppiter* est Neptunus ap. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 282. ℙ Jovis nomine aether significatur, coelum, aer. *Cic. N. D.* 1, 15. Chrysippus disputat, aethera esse eum, quem homines Jovem appellarent. *Enn.* ap. *Cic. ib.* 2, 25. Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem. *Hor. Od.* 1, 1, 25. manet sub Jove frigido Venator, tenerae conjugis immemor; et *ib.* 22, 19. Quod

latus mundi nebulae, malusque Juppiter urget. *Claud. in Eutr.* 1, 4. nimboque minacem Sanguineo rubuisse Jovem. *Virg. G.* 2, 419. Et jam maturis metuendus Juppiter uvis, *h. e.* pluvium coelum; et *ib.* 1, 418. uvidus. *Juven.* 5, 78. vernus. *Stat. Th.* 3, 26. hibernus. ℙ Hinc *sub Jove* est sub dio. *Ov. Fast.* 2, 299. Sub Jove durabant, et corpora nuda gerebant; et *ib.* 3, 527. Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt. Adde *Met.* 4, 260. ℙ *Chrysippus* ap. *Cic. N. D.* 1, 15. etiam legis perpetuae, et aeternae vim, Jovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem. ℙ Est etiam unus ex planetis, secundus ordine. *Cic. N. D.* 2, 20. Infra hanc *(Saturni stellam)* Jovis stella fertur, quae *φαέθων* dicitur, eaque eundem XII. signorum orbem annis XII. conficit; easdemque, quas Saturni stella, efficit in cursu varietates. *Lucan.* 10, 207. Sub Jove temperies, et nunquam turbidus aer. ℙ *Jovis dies* est appellatus, quem nunc Itali *Giovedì* dicunt. V. DIES. *Inscr.* ap. *Labus.* in *Monum. epigr. Crist.* p. 6. Matrona Restuta *decessit* III. Kal. Julias *die Jovis*, Cons. D. N. Magno *Maximo Aug. h. e.* an. a Chr. n. CCCLXXXVIII., quo nempe III. Kal. Jul. in diem Jovis concurrebat. ℙ *Juppiter!* exclamatio est admirantis. *Pl. Merc.* 5, 2, 24. Juppiter! estne illic Charinus? *Catull.* 1, 7. Doctis Juppiter! et laboriosis. Adde 66, 30. et 48. ℙ *Pro Juppiter!* V. PRO interject. ℙ *Jovem lapidem jurare*, dicebantur, qui (uti docet *Fest.* in *Lapidem)* juraturi per Jovem, tenebant silicem, haec verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. *Cic. Fam.* 7, 12. Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum scias, Jovem iratum esse nemini posse? *Gell.* 1, 21. Jovem lapidem, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse. ℙ De tunica Jovis V. PALMATUS. ℙ *Juppiteres* in plurali. *Tert. Apol.* 14. Varro trecentos Joves (sive Juppiteres dicendum) introducit. ℙ Duplici *p* scribi placet *Manutio*, et *Cellar.* in *Orthogr.* ex veteribus libris, nummis et lapidibus: simplici *Dausquio* ex etymologia, nonnullis nummis, ac libris antiquis: quod et *Pierius* adnotaverat ad *Virg. A.* 7, 799. Prior itaque scribendi modus tutior. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1, 426.]

*JURA, ae, mons Galliae, hodie *Mont St. Claude.* V. *Jurensis. B. A.*

JŪRĀMENTUM, i, n. ὅρκος, sacramentum, jusjurandum. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. *med.* Judex juramenti fidem secutus. (*Cujac.* et al. putant, haec inserta a *Tribonianо* esse, qui fuit *Justiniani* aequalis.) *Ammian.* 21, 5. Juramento, quaeso, concordiam spondete mansuram. *Sulpic. Sever. H. S.* 1, 8. ex *Genes.* 21, 32. Pulsus apud puteum juramenti consedit. *Imp. Justin. Cod.* 2, 56, 4. Quod et ipse arbiter juramentum praestiterit super lite dirimenda. Adde *ib.* 59, 1. et al. Usi sunt etiam *Hieron.* et *August.* Latiniores qui usurpaverint, non facile invenies, nam illud *Sen. Clem.* 2, 1. suspectum merito criticis est: *in cujus* verba *principes, regesque juramentum faciant*, legendum est enim *jurarent*, vel *jurent.*

JŪRANDUM, i, n. jusjurandum. *Pl. Cist.* 2, 1, 26. Abi quaerere, ubi jurando tuo satis sit subsidii.

JŪRĀTIO, onis, f. actus jurandi, juramentum. *Macr. Sat.* 1, 6. *extr.* Verba jurationis concipit, nulla esse in villa sua scropham. Adde *August. ep.* 154. et *Tert. Idol.* 21.

JŪRĀTĪVUS, a, um, adj. ad jurandum pertinens. *Prisc.* 15, 1020. Jurativa adverbia, *h. e.* per quae juramus.

JŪRĀTO. V. JURATUS.

JŪRĀTOR, oris, m. qui jurat. *Macr. Sat.* 5, 19. *med.* Mox in lacu amittebat vitam falsus jurator. ℙ Juratores etiam dicuntur testes jurati. *Sen. Apocol. in.* Quis unquam ab historico juratores exegit? Ita legit, et tuetur *Lips. ib.* et *l.* 2. *epistol. quaest. ep.* 24. Sic *Pl. Poen. prol.* 58. Vos juratores estis: quaeso, operam date. Ubi *Turneb. Adv. l.* 19. *c.* 12. per translationem interpretatur spectatores, veluti arbitros et censores Fabulae. Proprie autem dicit intelligi censores, qui eum, quem censebant, jurejurando adigebant. Quo trahit illud *ejusd. Trin.* 4, 2, 30. Census cum sum, juratori recte rationem dedi, etc. Confirmat haec erudite *Gronov. Observ.* 4, 1. Ceterum ap. *Sen.* al. leg. *jurato res exegit:* quod est multo planius: et posteriorem quoque *Plauti* locum non desunt qui sollicitent. *Symmach. or. pro Synes.* 1. Precator potius, quam testis adsum: et *mox:* Dum juratoribus (*Synesius*) abundat, dum meriti sui certus est, adhibuit petitorem, quem testem sibi alius reservasset.

JŪRĀTORĬUS, a, um, adj. ad jurandum pertinens. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 19, 12. Juratoriae cautioni committatur.

JŪRĀTUS, a, um, part. a *juro:* jurejurando firmatus. *Cic. Off.* 3, 29. *med.* Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet, fieri oportere, id servandum est. *Lucan* 4, 228. Sacramenta sceleri jurata nefando. *Sil.* 11, 145. Juratum bellum; et 1, 9. Jovi foedus. *Stat. Silv.* 2, 1, 53. jurataque multum Barba tibi, *h. e.* Diis promissa. *Lucan.* 9, 850. In gladios jurata manus, *h. e.* devota, addicta, conjurata. ℙ Item jurando invocatus, testis jurisjurandi adhibitus. *Ov. Her.* 2, 25. nec te jurata reducunt Numina. *Sen. Agam.* 755. Jurata Superis unda, *h. e.* Styx. ℙ Active est qui juravit. *Cic. Sull.* 11. *extr.* An me existimasti haec injuratum in judicio non esse dicturum, quae juratus in maxima concione dixi? *Hor. Ep.* 1, 17, 60. per sanctum juratus dicat Osirim. *Stat. Silv.* 3, 2, 98. tumidoque nihil juratus Atridae. *Ov. Met.* 13, 50. ille eadem nobis juratus in arma. *Liv.* 32, 22. Juratus, se eum sua manu interempturum, pervicit, ut, etc. ℙ Est etiam jurejurando adstrictus, obligatus. *Cic. Off.* 3, 26. Regulus juratus missus est ad senatum, ut, etc. *Sil.* 6, 346. At nova Elissaei jurato foedera patres Consultant mandare duci. ℙ *Juratissimi auctores* ap. *Plin. praef. H. N. med.* sunt fidelissimi, et qui, tanquam jurati sint, se vera scripturos, nunquam mentiuntur. ℙ Ablativus *jurato* adverbii more. *Paul. Dig.* 2, 8, 16. Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse, si, etc.

JŪRĔ. V. JUS.

JŪRĔCONSULTUS. V. JURISCONSULTUS.

JŪRĔJŪRO, as, a. 1. idem ac juro. *Liv.* 41, 15. *f.* Praetores ambo in eadem verba jurejurarunt. Suspecta alicui critico haec lectio est, minime vero *Ernesto.* [*V. Annotatt. *Kreyss.*]

JŪRENSIS, e, adj. ad montem Juram pertinens, qui in Gallia est, inter Sequanos et Helvetios, ut *Caes. B. G.* 1, 8. docet. *Sidon. ep.* 4, 25. Jurensia monasteria, *h. e.* in eo monte sita.

JŪRĔPĔRĪTUS. V. JURISPERITUS.

JŪRĔUS, a, um, adj. jurulentus. *Pl. Pers.* 1, 3, 15. Quasi juream esse jus decet collyricum. Subintellige, *placentam.*

JURGĀTIO, onis, f. juris actio, ut *Fest.* exponit. V. JURGO.

JURGĀTORĬUS, a, um, adj. ad jurgium pertinens. *Ammian.* 27, 1. Vocis jurgatorio sono.

JURGATRIX, icis, f. quae jurgat. *Hieron. ep.* 117. *n.* 4. Illa jurgatrix: ergo iste placabilis.

JURGĬOSUS, a, um, adj. φιλόνεικος, contentiosus, seu contumeliosus. *Gell.* 1, 17. de Xantippe Socratis uxore: Mulier morosa admodum fuisse fertur, et jurgiosa. *Id.* 19, 9. Jurgiosa facundia. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4. *ep.* 12. Accipe aliud rixatorium jam hoc et jurgiosum. *F.*]

JURGĬUM, ii, n. φιλονεικία, ἔρις, contentio, concertatio, dissensio, et levior quaedam lis, qualis nonnunquam etiam inter propinquos, et amicos solet accidere: aliquando et inter infensos: a *jurgo. Cic. de Rep.* 4. ap. *Non.* 5, 34. Si jurgant, benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur. *Id. Sen.* 3. Ut Themistoclem ferunt Seriphio cuidam in jurgio respondisse. *Id. Amic.* 21. Ex inimicitiis jurgia, maledicta, contumeliae gignuntur. *Id. Brut.* 70. Ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile) cum judice ipso, cujus delinitor esse debet orator, jurgio saepe contenderet. *Id. Coel.* 13. Non crimina, sed maledicta jurgii petulantis. *Id. Div.* 1, 45. Litibus et jurgiis se abstinere. *Pl. Men.* 1, 2, 18. Jurgio tandem uxorem abegi ab janua. *Id. Pers.* 5, 2, 19. Jurgium hinc auferas, si sapias. *Id. Merc.* 3, 2, 14. Uxor me jurgio enicabit, si intro rediero. *Sall. Cat.* 32. et *Tac. A.* 14, 49. Optimum quemque jurgio lacessere. *Tac. H.* 2, 53. quempiam invadere; et *ib.* 3, 32. Petulantibus jurgiis illudere. *Virg. A.* 10, 95. irrita jurgia jactare. *Ov. Amor.* 2, 2, 35. nectere cum aliquo. *Id. Trist.* 5, 11, 1. per jurgia dicere aliquid. *Plin.* 16, 44, 89. Jurgia facere. *Val. Fl.* 3, 638. saevisque furens in jurgia dictis. *Just.* 10, 2. Erumpere in jurgia. *Suet. Galb.* 5. Jurgio aliquem corripere. *Tac. H.* 1, 64. Jurgia primum, mox rixa inter Batavos, et legionarios, prope in proelium evasere; et *ib.* 4, 6. Acre jurgium. *Sen. Herc. Fur.* 172. clamosi rabiosa fori jurgia vendere. *Plin. ep.* 8, 5. Vixit cum uxore XXXIX. annis, sine jurgio, sine offensa, *h. e.* sine querela. ℙ Pro lite inter propinquos, ut dictum est, vel etiam inter extraneos. *Papin. Dig.* 10, 2, 57. Licet arbiter sententiam, jurgio perempto, non dixerit. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 45. Nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. [*Sen.* in *fragm.* (ed. Romae *Niebuhrio)* p. 100. Familiare jurgium non judicem, sed arbitrum quaerit. *F.*]

JURGO, as, avi, atum, a. 1. et Jurgor, aris, atus sum, dep. 1. ἐρίζω, ζυγομαχέω. Si *Varronis* sententia placeat *L. L.* 6, 5. a *jure*, et *ago:* et proprie significat, jure litigare. Unde et *Festus* jurgationem, *juris actionem* interpretatur; et *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 34. docet, cum vicini inter se de re aliqua judicio contendunt, non *litigare* dici, sed *jurgare.* V. JURGIUM. Fere significat verbis contendere, concertare, vicissim queri, verbis lacessere. *Ter. Andr.* 2, 3, 15. Cedo, quid, jurgabit tecum? *Liv.* 8, 33. *f.* Haec simul jurgans, querens, Deum hominumque fidem implorans, plurimis cum lacrimis agebat. *Hor. Ep.* 2, 2, 22. ne mea saevus Jurgares ad te quod epistola nulla veniret; et *Sat.* 2, 2, 100. Transius istis Jurgatur verbis. *Suet. Ner.* 5. Equiti R. liberius jurganti oculum eruit. *Appul. Apol.* Utrum putas, majorem curam decoris in asseveranda oratione suscipiendam rhetori jurganti, an philosopho objurganti. ℙ Pro litigare. *Just.* 21, 5. Apud aediles adversus leones jurgari. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 2, 1, 6. Omnes jacturam litis incurrant, qui non ante in proprio foro jurgaverint. *Impp. Arcad. et Honor. ib.* 11. *tit.* 33. Ne aetates jurgantium veternosis litibus consenescant. ℙ [Part. *Jurgaturus* in *fragm. Cod. Theod.* (ed. *Clossio)* 1, 16, 6. Jurgaturus conveniendi eos *(praesides)*, nisi pretio, facultatem impetrare non possit. *F.*]

JŪRĪDĬCĀTUS, us, m. juridici auctoritas et dignitas. *Inscr.* ap. *Grut.* 1093, 3. C. Cornelio C. F. Quirin. Felici Thrallo juridico per Flam. et Umbr. Vicani vicorum VII. et Colleg. Fab. Cent. Dendr. Urb. juridicatus ejus ob eximiam moderationem, et in sterlitate annonae laboriosam erga ipsos fidem, etc.

JŪRĪDĬCĬĀLIS, e, adj. *Juridicialis constitutio*, seu *quaestio* est, in qua quaeritur, jurene, an injuria quippiam sit factum. *Auct. ad Her.* 1, 14. Juridicialis constitutio est, cum factum convenit, sed jure, an injuria factum sit, quaeritur. *Cic. Inv.* 1, 11. et *ib.* 2, 23. Juridicialis constitutio est, in qua aequi et iniqui natura, et praemii aut poenae ratio quaeritur. *Id. Top.* 24. *extr.* Accusator personam arguat facti: defensor aliquid opponat de tribus, aut non esse factum: aut si sit factum, aliud ejus facti nomen esse: aut jure esse factum. Itaque aut infitialis, aut conjecturalis prima appelletur: definitiva, altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis vocetur.

JŪRĪDĬCĪNĀ, ae, f. ipsa jurisdictio. *Tert. Pall.* 3. *f.* Cato juridicinae suae in tempore humerum exsertus haud minus palliato habitu Graecis favit, *h. e.* cum praetor esset, et jus diceret.

JŪRĪDĬCUS, a, um, adj. ad jus dicendum pertinens. *Juridicus conventus* est locus, in quo magistratus in provinciis jus dicunt, quoque provinciales conveniunt, jure experturi. *Plin.* 1, 3, 3. de Baetica provincia: Juridici conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. ℙ [*Juridicus dies* est, quo jus dicere licet. *Imppp. Valentin., Theod. et Arcad. Cod.* 3, 12, 7. Omnes dies jubemus esse juridicos: illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit; aestivos fervoribus mitigandis, et autumnos fructibus decerpendis, etc. *F.*] ℙ *Juridicus* absolute est, qui juri dicundo praeest, judex. *Sen. Herc. Fur.* 581. Flentes Eurydicem juridici sedent. *Capitol. M. Aurel.* 11. Datis juridicis Italiae consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus consulares viros reddere jura praeceperat. Adde *Ulp. Dig.* 1, *tit.* 20. qui est *De officio juridici*, *l.* 1. et 2., ubi praecipue sermo est de eo, qui principis nomine Alexandriae Aegypti jus dicebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 373, 4. L. Baebius L. F. Gal. Juncinus juridicus Aegypti, [*h. e.* qui in Aegypto judicibus, ut Romae praetor, praecrat, quique a *Strabone l* 17. δικαιοδότης dicitur, et distinguitur a praefecto: hic enim ibidem erat loco Caesaris, qui tamen ab *Eutr.* 7, 7. minus proprie *judex*, et ab *Ammian.* 17, 4. *procurator*, ejusque administratio *procuratio* a *Suet. Ner.* 35. appellatur; at ab *eod. Vesp.* 6. *praefectus*, et ab *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 17. *praefectus Augustalis*, ejusque administratio a *Suet. Aug.* 66. et *Ner.* 47. *praefectura:* suberant porro illi primum *juridicus*, deinde *procurator*, qui fiscum Caesaris in Aegypto procurabat, tum ceteri ministri. V. *Morc. de Stil. Inscr. Lat. T.* 1. p. 272. *edit. Pat.* ℙ *Juridicus de infinito* is dicebatur, cui licebat judicare de quacumque pecuniae summa: nam in *Tab. legisl. Gall. Cisalp.* a *P. De-Lama* edita, judici municipali potestas non est judicandi ultra *HS. XV. mill. N. *Inscr.* ap. *Grut.* 1090, 13. M. Aelio Aurelio Theoni Aug. juridico de infinito per Flam. et Umbriam, Picenum, etc. Ordo Ariminensium patrono. *F.*]

*JURISCONSULTOR, oris, m. *Rufus Breviar.* 16, 8. de Ulpiano. *B. A.*

JURISCONSULTUS et Jureconsultus, i, m. νομικός, juris et legum consultus: qui legum, et consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum peritus est, ut *Cic. Or.* 1, 48. *extr.* definit. *Id. Mur.* 11. *f.* Ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilavit; et *ib.* 12. Ea jureconsultorum ingeniis corrupta sunt; et *ib.* 13. Triduo me jurisconsultum esse profitebor. *Gell.* 4, 2. Jureconsulti veteres. *Quint.* 5, 14. *f.* Jurisconsultorum summus circa verborum proprietatem labor est. ℙ Cum vero jurisconsultorum cavillationes et fraudes plurimum molestiae afferrent etiam priscis Romanis, hinc in suis ipsi sepulcralibus titulis, ut eae longe abessent, sibi precabantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 5. et fidelius ex ipso lapide ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 63. Hujus (pro *huic*) mo-

num. dolus malus abesto, et juris consult. Huic formulae gemina est ea, quae legitur in alio lapide ap. *eund. ib.* Ab iis omnibus dolus malus abesto, et jus civile. In alio vero ap. *Grut.* 903, 12. Lis abeat. ℙ Scribitur et *consultus juris.* V. CONSULTUS et divisim *juris consultus.* V. supra §. 2.

JURISDICTIO, onis, f. *δικαιολογία*, ipse actus juris dicundi. *Cic. Har. resp.* 26. Justitium edici oportere, jurisdictionem intermitti. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Ut ab Athenis in Baeotiam irem, reliquamque jurisdictionem absolverem. *Cic. Fam.* 2, 13. *f.* Mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem confeceram, proficisci in Ciliciam. Edictum praetoris ap. *Gell.* 10, 15. *extr.* Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam, *h. e.* toto tempore, quo mea jurisdictio exercebitur. *Colum.* 12, 3. *f.* Assidua jurisdictione vim legum custodire. ℙ Per tmesin aliquando dividitur. *Liv.* 41, 9. *extr.* Haec causa jurisque dictio consuli decreta est. ℙ Item facultas, seu potestas jurisdictionis exercendae. *Cic. Agr.* 2, 36. Ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem urbes, nationes, provincias subjungeretis. *Sen. Clem.* 1, 1. Quas nationes funditus excidi, quibus libertatem dari, quibus eripi, quae ruant urbes, quae oriantur, mea jurisdictio est. *Suet. Cal.* 16. Magistratibus liberam jurisdictionem, et sine sui appellatione concessit. ℙ Item ipse locus, ubi jurisdictio exercetur. *Plin.* 5, 28, 29. Sed prius mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat.

JURISONUS, a, um, adj. jura sonans, leges crepans. *Sulpic. Luperc.* in *Anthol. Lat.* T. 1, 515. Ut post jurisonae famosa stipendia linguae, etc.

JURISPĔRITUS et Jureperitus, i, m. idem ac jurisconsultus. Divisim *Cic. Brut.* 21. Fabius Pictor et juris, et litterarum, et antiquitatis bene peritus. *Id. Cluent.* 38. Quis jure peritior? Adde *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 62. ℙ Conjunctim *Gell.* 4, 2. *f.* In libris jurisperitorum scriptum est. *Inscr.* ap. *Mar. Iscriz. Alb.* p. 143. . . . . adsumpto in consilium ad HS. ⅬX. M. Ⅹ. Jurisperito Antiates publice. ℙ Sup. *Jurisperitissimus* ap. *Cic. Brut.* 39. Ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur.

[JURISPRUDENS, entis, m. idem ac jurisperitus, qui jurisprudentiam callet. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 143. *n.* 149. . . . nus jurisprudens scriba aedilium curulium V. A. LIIII. M. IIII. D. X. *F.*]

JURISPRUDENTIA, ae, f. *νομικὴ τέχνη*, juris ac legum scientia. *Ulp. Dig.* 1, 1, 10. Jurisprudentia est divinarum humanarumque rerum notitia, justi atque injusti scientia. ℙ Scribitur et divisim.

JURO, as, avi, et juratus sum, atum, a. 1. *ὄμνυμι*, jurejurando confirmo, jusjurandum do: videturque esse a *jure*, quia qui jurat, inquit *Voss.*, religiose spondet, se aliquid, ceu jus sit, servaturum. *Cic. Fl.* 36. *med.* Qui si aram tenens juraret, crederet nemo. *Id. Inv.* 2, 43. *extr.* Judici demonstrandum est, quid juratus sit, quid sequi debeat; et *ib.* 45. Ex lege, in quam jurati sitis. *Pl. Rud.* 5, 3, 16. non tu juratus mihi es? *La.* Juratus sum, et nunc jurabo. *Cato R. R.* 144. Oleam qui legerint, omnes juranto ad dominum, non ad custodem, sese oleam non surripuisse. *Pl. Pers.* 3, 2, 2. Qui mihi juratus est, sese hodie argentum dare. *Sil.* 2, 351. flammis urere gentem Jurabat Phrygiam. *Calpurn. Ecl.* 6, 58. Hunc dare, si vincar, coelestia numina juro. *Claud. B. G.* 81. patrii numen juraverat Istri, Non nisi calcatis loricam ponere rostris. *Caes. B. C.* 3, 13. Jurat, se eum non deserturum; et *ib.* 87. Juravit, se, nisi victorem, in castra non reversurum. *Hor. Ep.* 2, 1, 114. Boeotum in crasso jurares aere natum. *Cic. Acad.* 4, 47. et *Liv.* 22, 53. *f.* Ex mei animi sententia, inquit, juro, ut ego rempubl. populi R. non deseram, etc. Alii omittunt v. juro. *Cic. Acad.* 4, 20. Jurarem per Jovem, Deosque Penates, me ea sentire, quae dicerem, *(jurare per aliquem* frequentissimum est apud quosque scriptores.) *Id. Off.* 3, 29. *f.* Jurare falsum. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* vere; et *ib.* verissimum pulcherrimumque jusjurandum. *Petr. Sat.* 117., *Sil.* 10, 448. et *Lucan.* 4, 228. sacramentum in verba alicujus. ℙ Notandum illud *Propertii* 3, 4. *extr.* Jurabo bis sex integer esse dies. Simile est illud *Horatii Ep.* 1, 7, 22. dignis ait esse paratus. Et *Catulli* 4, 2. Ait fuisse navium celerrimus. Quae poetica sunt, et Graecorum propria. Etenim *Homer. Iliad. l.* 18. *v.* 364. *Ἥφαιστ᾽ ὄμνυ θεῶν ἐμὸν ἀρτιεπῆ.* ℙ *Jurare Deos*, est per Deos jurare. *Cic. Fam.* 7, 12. Quomodo tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum scias, etc? (V. JUPPITER.) *Ov. Her.* 21, 2. Juraret ne quos inscia lingua Deos; et *ib.* 16, 319. Tunc ego jurabo quaevis tibi numina. Sic *Virg. A.* 12, 197. Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera juro, Latonaeque genus duplex, Janumque bifrontem, Vimque Deum infernam, et duri sacraria Ditis. Ubi *Serv.* Et ornatior elocutio, et crebra, apud majores, quam si velis addere praepositionem ut dicas, *juro per maria, per terras:* et *ib.* 6, 323. Stygiamque paludem, Dii cujus jurare timent, et fallere numen; et *ib.* 351. maria aspera juro. Adde *Tibull.* 4, 13, 15., *Propert.* 1, 15, 35., *Sil.* 8, 105. ℙ *Jurare alicui*, est jurejurando fidem alicui polliceri. *Plin. Pan.* 68. Scis, tibi ubique jurari, cum ipse juraveris omnibus. ℙ *Jurare aliquid alicui*, jurejurando promittere. *Stat. Theb.* 4, 396. alium tibi, Bacche, furorem Juravi. *Sil.* 3, 83. Et cineri juret patrio Laurentia bella. ℙ *Jurare conceptis verbis.* V. CONCEPTUS, a, um. ℙ *Jurare calumnia.* V. CALUMNIA. ℙ *Jurare bonam copiam.* V. EJURO. ℙ *Jurare in verba alicujus*, est ad praescriptam ab aliquo jurisjurandi formulam jurare, quod *jurare alio praeeunte*, h. e. dictante verba, *Plin. Pan.* 64. *extr.* dixit. *Caes. B. C.* 1, 76. Petrejus princeps in haec verba jurat. *Liv.* 28, 29. Milites in verba P. Scipionis jurarunt. *Hor. Ep.* 1, 1, 14. Nullius addictus jurare in verba magistri, *h. e.* credere ea certa ac vera habere quae a magistro dicta sunt. Adde *Sen. ep.* 12. *f.* ℙ *Jurare in se*, est jurando sibi mala imprecari. *Liv.* 2, 45. *f.* Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat. ℙ *Jurare in litem* est jurare ad litem obtinendam. *Cic. Rosc. Com.* 1. *f.* Quod nomen in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet? *h. e.* jurare, nomen illud revera exstare, pecuniamque illam sibi jure deberi, ut judex secundum hoc jusjurandum sententiam ferat. ℙ *Jurare in litem*, apud JCtos (de quo toto *Dig.* 3, 12. et alibi) est, jurejurando interposito, aestimationem facere ejus rei, de qua lis est: quod jusjurandum fere a judice defertur actori rem suam repetenti, quando ob dolum, aut contumaciam adversarii difficilis est probatio, quanti res aestimari oporteat: tunc enim ratio exigit, ut jurejurando actoris lis aestimetur. Habet autem locum praecipue in bonae fidei judiciis. Sed de his fusius JCti. *Paul. Dig.* 4, 3, 18. Ut possit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor in litem juraverit. ℙ *Jurare in rem*, est de re jurare, quae in judicium deducta est. *Ulp. Dig.* 44, 5, 1. Si fidejussor de persona sua tantum juravit, quasi non esset ipse obligatus, nihil reo proderit: si vero in rem juravit, dabitur exceptio reo quoque. ℙ *Jurare in nomen alicujus*, jurare alicui. *Suet. Claud.* 10. *extr.* Armatos pro concione jurare in nomen suum passus est. ℙ *Jurare in legem*, est secundum legem, eam ratam habendo. *Cic. Sext.* 16. Cum unus in legem per vim latam jurare noluit. ℙ *Jurare morbum*, est jurare, se morbo laborare; jurejurando morbum excusare. *Cic. Att.* 12, 13. Veniam, et ipse perpetuum morbum jurabo. Adde *ib.* 1, 1. ℙ Aliquando est conjurare. *Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Jurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina. *Ov. Her.* 10, 117. In me jurarunt somnus, ventusque, fidesque. *Id. Met.* 1, 242. In facinus jurasse putes. ℙ Passive. *Stat. Th.* 7, 102. Inachias nec tantum culta per urbes Numina: captivis etiam jurabere Thebis. *Claud. IV. Cons. Honor.* 447. juratur Honorius absens. *Lucan.* 5, 396. Et laetae jurantur aves, bubone sinistro, *h. e.* jurant augures, aves esse laetas, cum tamen solus bubo sinister et mali ominis visus sit. *Gell.* 5, 19. Jusjurandum, quod in arrogando juraretur. ℙ Passive impersonaliter. *Suet. Tib.* 26. et 67. Ne in acta sua juraretur. *Plin. Pan.* 68. Scis, tibi ubique jurari. ℙ [Part. *Juraus* ap. *Ov. A. Am.* 3, 457. Parcite, Cecropidae, juranti credere Theseo. *Juraturus* ap. *Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 11. Quid est autem, quod juraturus sum me consulatu abire? *Jurandus* ap. *Ov. Met.* 2, 46. Diis juranda palus. *F.*]

JURULENTIA, ae, f. liquor eorum, quae coquuntur. *Tert. Jejun.* 1. Siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia.

JURULENTUS, a, um, adj. *ζωμώδης*, cum jure coctus, juris plenus. *Cels.* 2, 18. *med.* Tum res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam frixa.

JUS, juris, n. *ζωμὸς*, liquor eorum, quae coquuntur. Sunt qui dictum putant a *juvo*, quod alimonia sua juvat corpus humanum, ut *pus* est a *puleo:* etenim *Pl. Capt.* 1, 2, 33. Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi. *Cic. Fam.* 9, 20. *med.* Hirtio coenam dedi; sine pavone tamen; in ea coena cocus meus praeter jus fervens nihil potuit imitari. *Ter. Eun.* 5, 4, 17. Ex jure hesterno panem atrum vorare, *h. e.* sordidum, et atro jure dici hesternae maceratum. *Cic. Tusc.* 5, 34. Negavit, se jure illo nigro delectatum. *Pl. Most.* 1, 3, 120. Itidem *(mulieres)* olent, quasi cum una multa jura confundit cocus: Quid oleant, nescias; nisi id unum, ut male olere intelligas. *Varr. R. R.* 3, 9. In jus vocat pisces cocus. ℙ *Jus Verrinum*, dixit *Cic. Verr.* 2, 1, 46. ludens in ambiguo, ut Verrem jus dicentem irrideret; est enim *verres* porcus masculus. Negabant, *inquit*, mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum. ℙ In plur. numero. *Seren. Samm.* 46, 847. gallinae jura vetustae. Adde 48, 902. ℙ Dicitur etiam de liquore, qui non sit cibus, *ζέμα. Plin.* 35, 6, 26. de purpurae sanie: Addita creta in jus idem.

JUS, juris, n. *δίκη*, *τὸ δίκαιον*, a *jubeo*, quia jubetur ab eo, qui summam habet potestatem: jus enim apud Romanos fuit, quod a populo jussum fuerat, cujus proprium erat jubere; porro antiquissimi *jousa* dixerunt, (quippe *jous* per diphthongum pluries scribitur in vetusto marmore ap. *Mur.* 582. et al.) nec litteras geminabant, nec utebantur littera canina R; postea abjecta diphthongo, et sibilante littera in caninam versa *jura* dixerunt: est autem universim id, quod legibus constitutum est sive naturalibus, sive divinis, vel gentium, vel civilibus. Alio nomine vocatur aequitas communis, aequum universale, legitimum, id est adaequatum legi, tanquam norma ac regula actionum humanarum. *Ter. Heaut.* 4, 1, 29. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, neque aequum sciunt? *Cic. Tusc.* 1, 26. Jus hominum situm est in generis humani societate. *Pl. Epid.* 3, 4, 85. omnium legum, atque jurium fictor, conditor cluet. ℙ Atque haec est notio juris universalis. Est enim jus etiam particulare seu privatum, quod collectum est ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus, ut ait *Just. Inst.* 1, 1. §. 4. ℙ Jus Latium V. in LATIUS. ℙ Jus Quiritium. V. QUIRITES. ℙ ℙ Jus trium, vel quatuor, vel quinque liberorum quid sit, V. LIBERI. ℙ Sumitur praeterea speciatim pro aequo et justo, quod alicui ex justitia debetur. *Cic. Caec.* 11. Ut per interdictum jus meum teneam. *Id. Quint.* 9. Ubi nostrum jus contra ipsos obtineremus. ℙ *Jure suo agere* est libere agere, nemine impediente. *Flor.* 3, 17. Equites Romani tanta potestate subnixi peculabantur suo jure rempubl. ℙ Significat etiam, et quidem saepius, pro auctoritate et facultate, seu potestate a legibus seu jure concessa agere. *Ter. Ad.* 1, 1, 27. Non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Hinc *Sui juris facere*, Italice *far suo. Vell.* 2, 69. Decem legiones in eo tractu sui juris fecerat; et *ib.* 108. *extr.* Finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus sui juris fecit. ℙ Sumitur item jus pro justitia legali, seu pro ipsis legibus. *Cic. Or.* 2, 33. De jure alicui respondere; et *Leg.* 1, 4. Respondere jus. Italice *dar consulti in materia legale.* ℙ De variis juris divisionibus in civile, naturale, etc. V. JCtos *Dig.* 1. toto *tit.* 1. ℙ Item pro loco, in quo jus redditur. *Ter. Ph.* 5, 7, 43. In jus ambula. *Nep. Att.* 6. In jus de sua re nunquam ivit. *Cic. Quint.* 25. Ut statim de jure aliquis cucurrerit. ℙ Item pro sententia a judice prolata. Hinc praetor cum sententiam pronunciat, jus dicere, aut reddere dicitur. *Cic. Fam.* 13, 14. Ea res a Volcatio, qui Romae jus dicit, rejecta in Galliam est. *Paul. Dig.* 1, 1, 11. Praetor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit. ℙ Item pro eo, quod vim habet sanctionis et legis. *Cic. Leg.* 3, 3. Quod is, qui bellum geret, imperassit, jus ratumque esto. *Ulp. Dig.* 1, 1, 9. Non ambigitur, senatum jus facere posse. ℙ *Sui juris esse*, est liberum esse, suique arbitrii. *Sen. ep.* 11. Nihil adversus haec sapientia promittit; sui juris sunt, injussa veniunt. *Brut.* ad *Cic. inter ep.* 1. *ad Brut.* 16. *med.* Ut esset sui juris ac mancipii respublica. ℙ Item pro conditione, seu statu. *Cic. Verr.* 2, 3, 6. Ut eodem jure essent, quo fuissent. *Id. Off.* 2, 8. Universas provincias uno calamitatis jure comprehenderet. ℙ Item pro necessitudine, aut conjunctione. *Ov. Met.* 6, 536. conjugalia jura. *Suet. Cal.* 26. Jus necessitudinis. *Pomp. Dig.* 50, 17, 8. sanguinis. ℙ Item pro potestate, licentia, facultate. *Ov. Met.* 2, 47. currus rogat ille paternos, Inque diem alipedum jus, et moderamen equorum. *Plin.* 2, 7, 5. Nullum Deus habet in praeterita jus, praeterquam oblivionis. *Cic. Leg.* 2, 12. *f.* Cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare, augurum est. *Liv.* 5, 55. *f.* Materiae caedendae unde quisque vellet, jus factum. *Cic. Top.* 3. Si compascuus est ager, jus est compascere. *Lucan. in.* Jusque datum sceleri. *Plin.* 18, 34, 77. *n.* 3. Zephyrus vires putandi, fruges curandi, arbores serendi jus dabit. ℙ Item pro justitia, seu cum legibus, ac jure convenientia. *Liv.* 1, 26. *f.* Absolverunt admiratione magis virtutis, quam jure causae. ℙ *Jus summum* dicitur, cum leges severe, et sine ulla mitigatione observantur. *Cic. Verr.* 2, 5, 2. Non agam summo jure tecum. *Id. Off.* 1, 10. Ex quo illud, *Summum jus, summa injuria*, factum est jam tritum sermone proverbium. *Ter. Heaut.* 4, 5, 48. Jus summum saepe summa est malitia. *Col.* 1, 7. Jus summum antiqui summam putabant crucem. ℙ **Jus summum* a civili distinguitur ap. *Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 5, 3. Summi juris peritissimus, sine quo justus esse nemo potest, civilis non imperitus. V. notam *Maii* ad l. *B. A.* ℙ Jus petere, orare, postulare, est rem justam petere. *Pl. Ps.* 5, 2, 16. Quid dubitas dare mihi argentum? *S.* jus petis, fateor. Adde *Trin.* 5, 2, 37. ℙ *Jus est* pro justum est, vel licet. *Pl. Pers.* 1, 3, 26. Jus est apponi pernam frigidam. Sic *jus fasque est*, ap. *eund. Cist.* 1, 1, 22. ℙ Aequo jure agere, disceptare, h. e. ex aequo, et bono, leniter, remisse. *Cic. Verr.* 2, 2, 15. ℙ Ablativus *jure* eleganter ponitur more adverbii, et significat juste. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Quamobrem jure in eum animadverteretur. *Id. Cat.* 3, 6. Prae-

tores merito ac jure laudantur. *Juven.* 2, 34. Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos Contemnunt Scauros? *Sen. Clem.* 1, 12. Jure meritoque praeferri multis potest. *Pl. Most.* 3, 2, 24. Te ipse, jure optimo, merito incuses licet. Ubi nota pleonasmum. ℙ Huic opponitur *injuria. Cic. Verr.* 2, 2, 61. Non quaero, jure, an injuria sint inimici. *Ter. Andr.* 1, 3, 9. Quo jure, quaque injuria praecipitem me in pistrinum dabit. Ubi *Donat.* Proverbiale hoc est, qualia sunt *fas et nefas, nolis velis.* Al. leg. cum *Prisc.* 18, 1190. (non tamen in omnibus editionibus) Quo jure, quave injuria. ℙ *Ipso jure* est per se, citra aliud factum, vel pactum, vi sola legis, stricto et solo jure. Passim occurrit ap. JCtos in *Digestor.* libris. ℙ In genitivo plur. pro *jurium* dixit *jurum* ap. *Charis.* 1, 109. *Cato* in *Orig.* 7. Eodem loco *Charis. juribus* dici negat: quod tamen ex *Ulp. l.* 27. *ad Edict.* asserit *Voss. de Grammat.* 3, 46. *f.*

[JUSCELLĀRIUS, ii, m. qui juscellum parat. *Gloss. Philox.* Juscellarius, ζωμεπής. V. JUSCULARIUS. *F.*]

JUSCELLUM, i, n. jusculum. *Theod. Prisc.* 2, 13. Juscellum gallinarum. *Venant. carm.* 6, 10, 18. Plus juscella coci, quam mea jura, valent.

JUSCŬLĀRĬUS, ii, m. ζωμοποιός, jurulenti cibi, seu jusculi opifex. *Inscr.* ap. *Mur.* 305. Felix Aug. L. juscularius.

JUSCŬLUM, i, n. ζωμίδιον, liquor eorum, quae coquuntur, et quilibet liquidior cibus. *Cato R. R.* 156. *f.* Postea inde jusculum frigidum sorbere, et ipsam brassicam esse oportet.

*JUSCUM, i, n. i. q. jus volunt esse, et laudant *Appul. Met.* 2. p. 117. ubi *Elmenh.* Parabat viscum fartim concisum. *B. A.*

JUSJŪRANDUM, jurisjurandi, jurijurando, jusjurandum, jurejurando, n. ὅρκος, juramentum, sacramentum. *Cic. Off.* 3, 29. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Maxima voce juravi verissimum pulcherrimumque jusjurandum. *Caes. B. C.* 1, 76. Ipse idem jusjurandum adigit Afranium. *Pl. Most.* 5, 1, 36. Jusjurandum pollicitus est dare mihi, neque se hasce aedes vendidisse, neque sibi esse argentum datum. *Cic. Off.* 3, 31. Juravit, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. *Caes. B. C.* 3, 28. Tirones, jurejurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt; et *B. G.* 1, 3. *f.* Inter se fidem et jusjurandum dant. *Quint.* 5, 6. Deferre jusjurandum alicui. V. DEFERO. *Id. ib.* offerre; et *ib.* recipere; et, exigere ab aliquo; et, jurejurando stare. *Paul. Dig.* 12, 2, 6. Jusjurandum remittere, *h. e.* gratiam facere. *Ulp. ib.* 3, 4. *med.* Jurijurando modum statuere; et *mox:* Taxationem jurijurando dicere. *Tac. H.* 4, 41. Jusjurandum concipere. *Liv.* 34, 25. interponere. *Cic. Off.* 3, 27. et 28. conservare; et *ib.* 29. violare. *Id. Inv.* 1, 29. *f.* negligere. *Caes. B. G.* 1, 31. Jurejurando civitatem obstringere; et *ib.* 30. *extr.* sancire, ne quis enunciet; et *ib.* 7, 2. ac fide sancire. *Cic. Leg.* 2, 7. firmare aliquid. *Id. Off.* 3, 27. teneri. *Caes. B. G.* 4, 11. alicui fidem facere. *Cic. Fl.* 6. *extr.* Psephismata jurejurando constricta. *Id. Coel.* 22. *f.* Jurejurando devincta auctoritas. *Caes. B. C.* 3, 28. Contra religionem jurisjurandi crudelissime interficiuntur. ℙ Divisim. *Cic. Coel.* 22. Socius vestrae religionis, jurisque jurandi. *Ov. Her.* 21, 133. quid prodest jurandi formula juris? ℙ *Jusjurandi* in genitivo pro *jurisjurandi*, qui *Caesari* et *Tacito* tribuunt, non probant. ℙ *Jurajuranda* dixit *Pacuv.* ap *Fest.* in *Manticularum.* ℙ Invertit *Pl. Ps.* 1, 2, 63. Qui jurando jure malo quaerunt rem.

JUSQUIĀMUS, corrupta vox ex HYOSCYAMUS, q. v. V.

JUSSĬO, onis, f. πρόσταγμα, actus jubendi, jussum. *In Epit. Livii* 67. Secundum populi R. jussionem Caepionis bona publicata sunt. Al. aliter leg. *Modest. Dig.* 40, 4, 44. *extr.* Testatricis jussioni parere. *Lact.* 4, 15. *med.* Haec omnia verbo ac jussione faciebat. *Arnob.* 2, 49. Unius imperii jussione maris insanias compescere.

JUSSĬTUR, et

JUSSO. V. JUBEO.

[JUSSOR, oris, m. qui jubet. *Gloss. Philox.* Jussor, κελευτής. *F.*]

JUSSŪLENTUS, a, um, adj. idem ac jurulentus. *Appul. Apol.* Qualiter quisque piscium assus, aut jussulentus optime sapiat.

JUSSUM, i, n. idem ac jussio, vel jussus. *Cic. Rosc. Am.* 24. Cum praesertim Deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur. *Sall. Jug.* 25. *extr.* Jussa efficere; et *ib.* 35. Jussis alicujus obedientem esse. *Tac. A.* 3, 17. Jussa alicujus detrectare; et *ib.* 11, 19. exuere; et *ib.* 14, 3. spernere; et *ib.* 37. *extr.* abnuere; et *H.* 4, 81. exsequi; et *ib.* 83. patrare. *Virg. A.* 1, 81. capessere; et *ib.* 306. facere; et *ib.* 4, 295. facessere; et *ib.* 538. sequi, *h. e.* exsequi. *Val. Fl.* 5, 660. dira tyranni subire; et 7, 61. perficere; et *ib.* 95. pati. *Ov. Met.* 2, 119. peragere; et *ib.* 1, 385. jussis parere. ℙ Aliquando ponitur pro lege. *Cic. Leg.* 2, 5. Perniciosa et injusta jussa populis describere. *Id. Balb.* 18. Cum scita ac jussa nostra sua sententia comprobat. Huc pertinet quod *Festus jussa* exponit, *jura:* ubi tamen quidam scribendum putant *jusa* ex more veteri ponendi *s* pro *r* ut *Fusius, Furius: Lases, Lares*, etc. ℙ In singulari num. *Ov. Met.* 4, 509. Sic victrix, jussique potens, ad inania magni Regna redit Ditis. V. POTENS. *Cic. Caec.* 33. Putasne, si populus jusserit, id jussum ratum atque firmum futurum? *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 472. Tudertibus populi jusso dat civitatem. *Gell.* 11, 18. Ejus leges non decreto jussoque, sed tacito consensu oblitteratae sunt. *Sil.* 9, 602. nec jusso mora.

JUSSUS, a, um, part. ab *jubeo:* impositus, praeceptus, ἐπιτεταγμένος. *Ov. Trist.* 4, 10, 90. Errorem jussae, non scelus, esse fugae. *Hor. Epod.* 17, 37. jussas cum fide poenas luam. *Val. Fl.* 3, 508. Obsequitur tamen, et jussas petit ocius oras. *Tac. A.* 16, 17. Accepto jussae mortis nuncio, semet interfecit. *Sil.* 14, 395. Puppes jussam proram incurrunt. ℙ Saepe refertur ad personam, sequente fere infinitivo. *Caes. B. G.* 5, 36. Jussus arma abjicere, imperatum facit. *Liv.* 1, 5. Aliis alio itinere jussis ad regiam venire pastoribus. *Val. Fl.* 5, 482. cui non jusso tot adire voluptas Monstra maris? et 4, 523. agnoscunt monitus, jussaeque recedunt. *Virg. A.* 3, 236. Haud secus ac jussi faciunt. ℙ Eleganter refertur ad res inanimas, quae non sponte, sed artificio et industria coguntur praeter naturam quippiam efficere. *Prop.* 4, 1, 144. Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet. *Colum.* 10, 48. Tum jussi veniant declivi tramite rivi. *Laurea Tullius* ap. *Plin.* 31, 2, 3. Silva loco melius surgere jussa viret. *Plin. alter* 7, 9. *in carm.* Ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur Si doctos digitos, jussaque fiat opus. *Ov. Her.* 16, 362. Figitur in jusso nostra sagitta loco.

JUSSUS, us, m. jussum, jussio. *Cic. Manil.* 9. *f.* Vestro jussu coactus, partem militum dimisit. *Pl. Curc.* 2, 3, 50. Tuo jussu profectus sum. *Nep. Timoth.* 4. Populi jussu bellum gessit. *Sall. Jug.* 120. Uti jussu populi R. foedus fieret. ℙ Extra ablativum casum non facile invenies. ℙ Pro *jussui* in dativo *Augustus de Vita sua* ap. *Serv.* ad *A.* 8, 696. Antonium jussisse, ut legiones suae apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu et jussu parerent.

JUSTĒ, adv. δικαίως, jure, recte, legitime. *Cic. Off.* 1, 4. *med.* Juste et legitime imperare. *Id. Marcell.* 3. Clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter facere. *Tac. Agr.* 9. Agricola naturali prudentia facile justeque agebat. *Curt.* 10, 5. *med.* Juste aestimare aliquid. *Hirt. B. Alex.* 25. postulare. *Ov. Her.* 17, 168. timere. *Phaedr.* 4, 25. Saepe impetravit veniam confessus reus: Quanto innocenti justius debet dari? *Hor. Sat.* 2, 4, 86. Justius reprehendi. *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Quo justius poto, ut errori tribuas veniam. *Brut.* ad *Cic. inter ep. ad Brut.* 1, 4. At hoc ipsum, inquies, inique facis: immo justissime.

*JUSTIDIUM, i, n. Tempus XXX. dierum, judicato faciendo destinatum. V. *Salmas. de Modo Usur.* p. 810. qui provocat ad *Vet. Gloss.* itemque ad *Gell.* 20, 1. Confessi aeris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendae pecuniae causa, quam dissolverent. Eosque dies decemviri justos appellaverunt, velut quoddam justidium (*sic ait in veteri libro esse: sed describitur a* Gronoviis, *qui* justitium *retinent recte*), id est juris inter eos quasi interstitionem quandam et cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. *B. A.*

[JUSTĬFĪCĀTĬO, onis, f. actus justificandi. *Salv. in Avarit.* 3, 2. Unusquisque hominum aut sua justificatione salvandus, aut sua iniquitate periturus. *Gloss. Phil.* Justificatio, δικαίωσις. *F.*]

JUSTĬFĪCATRIX, icis, f. quae justum facit. *Tert. adv. Marc.* 4, 36. Disciplina justificatrix humilitatis.

JUSTĬFĪCĀTUS, a, um, part. a *justifico*, justus factus. *Prud. Apoth.* 881. Baptismate justificatus. *Tert. Or.* 13. Publicanus Pharisaeo justificatior discessit.

JUSTĬFĪCO, as, a. 1. juste facio. *Tert. adv. Marc.* 19. et *ib.* 4, 17. et 29. *f.* ex *Isaj.* 1, 17. Judicate pupillo, et justificate viduam. *Id. Tert.* hunc ipsum locum ita refert *ad Uxor.* 1, 8. juste facite viduae: et *adv. Marc.* 4, 14. juste tractate viduam. ℙ Item justum reddo. *Coripp. Laud. Justini jun.* 2. *f.* Deus est, cui verbo competit uno Justificare malos.

JUSTĬFĪCUS, a, um, adj. δίκαιος, justitiam faciens. *Catull.* 64, 407. Justifica mens Deorum.

*JUSTĪNA, ae, f. prius uxor Magnentii, deinde Valentiniani senioris, mater Valentiniani junioris. *Ammian.* 30, 10. *B. A.*

*JUSTĪNIANĒUS, a, um, adj. ad Justinianum spectans, ut *Corpus Juris Justinianeum. Justin.* in *Novell. praef.* 28. Justinianea urbs. *B. A.*

JUSTĪNIĀNUS, a, um, adj. ad Justinum II. Justiniani I. Imp. ex sorore nepotem pertinens. *Coripp. Laud. Just.* 1, 263. Justinianorum series ubi tota laborum. Hic *Coripp.* licenter secundam corripuit, ut etiam supra 223. et 237. ℙ *Justiniana felix* cognominata fuit Carthago celeberrima Africae urbs ab Imp. Justiniano I., qui, teste *Procopio* de *aedific. restaur. c.* 5., ejus muros passim ruinosos reparavit, novaque eam fossa circumdedit. *Coripp. Johann.* 5, 58. Johannem Plausibus assiduis felix Carthago magistro Justiniana favens geminis excepit in ulnis.

JUSTĪNIĀNUS, i, m. Justini maj. Imp. ex sorore nepos, imperator R. celeberrimus, qui JCtis usus praestantissimis, jus civile in eum redegit ordinem, quo nunc utimur. Obiit an. a Chr. n. DLXV. *Is per Belisarium contra Persas Vandalosque, capto Gilimero, victor, Africam recuperavit, Gothos in Italia subegit, Vitige Rege in potestatem redacto, Mauros superavit, Samaritanisque subjugatis, pristinum Romano Imperio splendorem restituit. Per totam fere vitam Christianus, paulo ante mortem in Severitarum haeresin prolapsus est, qui negarunt Christi corpus corruptibile fuisse. ℙ Justinianus II. cognomine Rhinotmetus, Rom. Imp. Constantino Barbato patri successit, A. C. 685. *B. A.*

*JUSTINOPŌLUS, is, f. sic medio aevo appellata est Aegida, Istriae urbs primaria, a Justino Caesare instaurata. Hodie est *Capo d' Istria. Plin.* 3, 19. *B. A.*

JUSTĪNUS, i, m. historicus, qui Trogi Pompeji libros historiarum in epitomen redegit. Floruit Antonini Imp. aetate, si *Vossio* credimus: praesertim cum in praefatione ejus nomen hujus imperatoris his verbis legatur: *quod ad te, Imperator Antonine, non tam cognoscendi*, etc. Monent tamen critici illam compellationem in MSS. non exstare. Alii ipsius Trogi discipulum putant, qui tempore Augusti floruit. Sunt etiam qui cum D. Justino martyre, sed perperam, confundunt. Stilus certe ejus aurea magis aetate dignus videtur, quam aenea, in quam a plerisque conjicitur. Et vero vix est credibile, ipsum non passim et verba, et dicendi modos ab eo exscripsisse, a quo rerum narrationem descripsit. ℙ [*Justinus I.* Imp. obscuro genere natus, e subulco factus miles, an. a Chr. n. DXVIII. Anastasio successit, et per novem annos imperavit. ℙ *Justinus II.* Imp. Justiniani I. ex Vigilantia sorore nepos, avunculo successit an. a Chr. n. DLXV., et post tresdecim fere imperii annos moritur. Hujus laudes adulatorio carmine celebravit *Flavius Cresconius Corippus. F.*]

JUSTĪTĬA, ae, f. δίκη, δικαιοσύνη, virtus, qua suum cuique tribuimus, quae et particularis dicitur. Est enim et universalis, quae obedientia est erga leges, et virtutes omnes morales complectitur. *Cic. Fin.* 5, 23. Quae animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem conjunctionis humanae munifice et aeque tuens, justitia dicitur: cui adjuncta sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis ejusdem. *Id. Off.* 2, 10. Justitia, ex qua una virtute boni viri appellantur. *Id. Part.* 22. *extr.* Justitia erga Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. *Flor.* 1, 2. *extr.* Ut quod vi et injuria occupaverat imperium, religione atque justitia gubernaret. *Virg. A.* 1, 527. Justitiaque dedit gentes frenare superbas. ℙ Pro bonitate vitae, lenitate, mansuetudine. *Ter. Heaut.* 4, 1, 32. nunc hoc te obsecro, Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior; Ut meae stultitiae in justitia tua sit aliquid praesidii. *Caes. B. G.* 5, 4. Legatos ad Caesarem mittant: sperare se, pro ejus justitia, quae petierint, impetraturos. *Ov. Pont.* 3, 6, 23. Principe nec nostro Deus est moderatior ullus: Justitia vires temperat ille suas. ℙ Pro aequitate civilis animi, et nihil se supra alios efferentis. *Nep. Arist.* 2. Tum autem et intemperantia Pausaniae, et justitia factum est Aristidis, ut, etc. Dixerat *paulo sup.* Ejus aequitate factum est, ut summa imperii, etc. Adde *Caes. B. C.* 1, 32. *extr.*, ubi justitiam, et aequitatem conjungit; et *Cic. Marcell.* 4., ubi justitiam, et lenitatem. ℙ Pro ipsis legibus. *Flor.* 1, 24. Ordinataque erat in duodecim tabulis tota justitia. ℙ A Romanis *Justitia*, ut Dea, culta fuit: ejus imaginem affabre descriptam habes ap. *Gell.* 14, 4. et passim exsculptam in antiquis Romanorum nummis.

JUSTĪTĬUM, ii, n. ἀπραξία, juris dicendi intermissio, quae fieri solet in publico luctu, et reipublicae calamitatibus: quasi *juris statio*, hoc est silentium, per translationem. *Gell.* 20, 1. Velut quoddam justitium, idest juris inter eos quasi interstitionem quandam et cessationem, quibus diebus nihil agi cum his jure posset. *Cic. Phil.* 5, 12. Justitium indici, saga sumi dico oportere. *Id. Har. resp.* 26. Justitium edici oportere, jurisdictionem intermitti, claudi aerarium, judicia tolli. *Liv.* 3, 5. Justitium per aliquot dies servatum est. ℙ *Justitium lustrale* vocat *Pacat. Pan. ad Theod.* 24. quinquennium illud, quo imperavit Magnus Maximus Aug., quasi vero per illud tempus calamitosum jus redditum minime fuerit. ℙ *Justitium remittere* est pristinam facultatem tractan-

darum litium publice restituere. *Liv.* 10, 21. ℙ Interdum pro luctu publico ponitur. *Sidon. ep.* 2, 8. Decessit nudius tertius, non absque justitio, matrona Philimatia, morigera conjux, domina clemens, utilis mater, pia filia. ℙ Justitii tempore non juris solum administrandi, sed aliorum etiam publicorum munerum cessatio erat, ut ex *Tac. A.* 1, 16. et 50. et *ib.* 2, 82. aperte colligitur. V. etiam *Suet. Cal.* 24. et *Liv.* 26, 26.

JUSTUS, a, um, adj. *δίκαιος*, qui jus servat, qui juste facit, qui justitia praeditus est, aequus, innocens. *Cic. Off.* 2, 12. Justus et bonus vir. *Id. Planc.* 26. Liberalis in publicanos, justus in socios. *Id. Sext.* 67. Qui omnium justissimus fuisse traditur. ℙ Item debitus, meritus. *Cic. Cat.* 1, 8. Dubitas vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugae mandare? *Id. Phil.* 2, 29. Propemodum aequa et justa dicebas. *Ov. Pont.* 4, 3, 22. Nam nisi justa tua est, justa querela mea est. *Hirt. B. G.* 8, 48. *extr.* Quam postulationem cum judicaret ab justo nasci timore, veniam petenti dedit. *Ov. Met.* 8, 58. Justa bella facere. ℙ Item legitimus. *Caes. B. G.* 4, 16. Justissima causa faciendi aliquid; et *ib.* 1, 45. Populi R. justissimum esse in Gallia imperium. *Sall. in ep. Mithrid. f.* Pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt. *Cic. Tusc.* 1, 35. Septem et decem filii justa uxore nati. *Liv.* 39, 53. Hunc justa matrefamilias, illum pellice ortum esse. *Just.* 15, 2. *f.* Justus heres. ℙ De justa libertate V. MANUMISSIO. ℙ *Justa, orum* sunt quae in quoque genere debita sunt, quae secundum leges, aut morem fieri debent. *Cic. Har. resp.* 10. *extr.* Omnia solemnia ac justa ludorum, omnibus rebus observatis, summa cum caeremonia esse servata. *Liv.* 9, 6. Justis omnibus hospitalibus, privatisque et publicis funguntur officiis; et *ib.* 8. Nec prius ingredi hostium fines, quam omnia justa in deditionem nostram perfecta erunt. *Colum.* 6, 14. et 30. Jumentum ad justa perducere, *h. e.* ad solitum et debitum opus praestandum. *Sic.* 1, 8. *med.* Justa reddere. ℙ Praecipue vero dicuntur de parentalibus, et exsequiis, quia haec maxime defunctis debentur. *Sall. Jug.* 11. Postquam illi more regio justa magnifice fecerant. *Caes. B. G.* 6, 18. *extr.* Justis funebribus confectis. *Cic. Rosc. Am.* 8. *f.* Paterno funeri justa solvere. *Plin.* 2, 109, 112. Justa peragere. *Curt.* 10, 8. *med.* praestare; et 6, 6. persolvere. *Sidon. ep.* 2, 8. *in carm.* Atque in temporibus vigentis aevi Injuste tibi justa persoluta. *Flor.* 4, 2. *med.* Justa dare Manibus aliculus. *Ov. Fast.* 5, 480. ferre avis positis. *Fragm. Inscr.* nuper effossum in *Giorn. Arcad.* T. 18. p. 100. Et memores nostris semper date justa sepulchris. ℙ De cibariis, et de menso servorum. *Colum.* 1, 8. *med.* Diligens dominus ab ipsis vinctis quaerat, an ex sua constitutione justa percipiant. *Cic. Off.* 1, 13. *f.* Servis justa praebere. ℙ Translate. *Colum.* 4, 3. Novella vitis, dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem. ℙ Est etiâm *justus* integer, plenus, perfectus, cui ad naturalem magnitudinem, aut quantitatem nihil deest. *Liv.* 39, 2. *med.* Eos primo levibus proeliis fatigavit: postremo coactos in aciem descendere justo proelio devicit. *Id.* 1, 4. Ad justi cursum amnis. *Cic. Fam.* 2, 10. *med.* Justa victoria imperator appellatus. *Caes. B. C.* 1, 23. et *ib.* 3, 76. Justum iter conficere, *h. e.* quantum a militibus agmine euntibus, uno die confici potest, quae fere viginti mill. pass. sunt, ut ex *Veg. Mil.* 1, 9. *Lipsius l.* 5. *de milit. R. dial.* 14. docet. Sed vide ITER. *Caes. B. G.* 7, 23. Dum justa muri altitudo expleatur. *Vell.* 2, 119. Ordinem atrocissimae calamitatis justis voluminibus conabimur exponere: nunc summa defienda est. *Hirt. B. Alex.* 44. Magnitudo navium non satis justa ad proeliandum. *Ov. Medic. fac.* 76. Sed justum tritis uncia pondus erit. *Id. Met.* 10, 36. cum justos matura peregerit annos; et *ib.* 2, 732. Forma justa; et *Pl. Rud.* 5, 3, 23. si vidulum Justum redegissem in potestatem ejus, juratus dare Mihi talentum, *h. e.* cum omnibus quae infuere. *Suet. Tib.* 68. Justa statura; et *Nerat. Dig.* 12, 4, 8. Si inter eas personas, quarum altera nondum justam aetatem habeat, nuptiae factae sint. *Cic. Brut.* 90. Justa eloquentia, *h. e.* vera, absoluta, perfecta. ℙ Interdum est aequus, facilis, humanus, lenis. *Cic. Fin.* 1, 1. Ut propemodum justioribus utamur iis, qui omnino avocent a philosophia, quam iis, qui, etc. *Ter. Andr.* 1, 1, 9. Ut semper tibi apud me justa et clemens fuerit servitus. ℙ In illo *Tac. A.* 2, 5. Fundi Germanos acie et justis locis: juvari silvis, paludibus: *justa loca* sunt aequa, et in quibus neuter exercitus habet subsidii quidquam praeter virtutem: quibus *iniqua* opponuntur. ℙ *Justum vadem* interpretatur *Festus* idoneum sponsorem. ℙ *Justi dies*, inquit idem *Fest.* et *Macr. Sat.* 1, 16., dicebantur triginta continui dies, cum exercitus esset imperatus, et vexillum russi coloris in arce positum. Hos dies eosdem esse ait *Macr.* ac proeliales, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere. ℙ In re civili *justi* dicebantur triginta dies, qui dabantur confessi aeris, ac debiti judicatis, conquirendae pecuniae causa, quam dissolverent: eos decemviri *justos* appellaverunt, velut quoddam justitium, id est juris inter eos quasi interstitionem quandam, et cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. Post deinde ad praetorem vocabantur, et ab eo addicebantur, etc. *Lex. XII. Tab.* ap. *Gell.* ex quo haec sumpta sunt, 20, 1. Aeris confessi ac debiti judicatis triginta dies justi sunto: post deinde manus injectio esto, in jus ducito, etc. ℙ Universim *justi dies* sunt stati ac certi, quos ab omnibus servari, justum est. *Cic. Leg.* 2, 9. Praeter Idaeae matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito. ℙ *Justum* absolute est ipsum jus, justitia. *Cic. Leg.* 2, 5. Justum ac jus colere. *Hor. Sat.* 1, 3, 98. utilitas justi prope mater et aequi. *Id. Od.* 3, 7, 24. Ne vicinus Enipeus Plus justo placeat, cave; et *Ov. Met.* 6, 470. rogare ulterius justo; et *ib.* 3, 333. gravius justo dolere. *Quint.* 9, 4. *med.* Justo longior. *Vell.* 2, 49. ferocior. *Lucr.* 4, 1231. Semen liquidum praeter justum.

JUSUM. V. SUSUM.

JUTURNA, ae, f. *Ἰουτούρνη*, Dauni filia, et Turni Rutulorum regis soror, quam Juppiter pro erepta virginitate immortalitate donavit, Numiciique fluminis Nympham fecit. Haec in bello fratrem adversus Aeneam multum adjuvit: sed videns fratri necem instare, in Numicium se fluvium occultavit. Alii dicunt eam rem habuisse cum Latino rege, eoque flagitio palam facto, sua sponte se in Numicium praecipitavisse. Frequens est ejus mentio ap. *Virg. A.* 12., ubi ad 139. *Serv.* tradit, esse hoc nomine fontem saluberrimum juxta Numicium fluvium: a *juvando* dictum: ex quo Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat. Huic fonti ac Nymphae propter aquarum inopiam sacrificari, morem fuisse: eique primum Lutatium Catulum in campo Martis templum fecisse: nam et Juturnae ferias celebrasse, qui artificium aqua exercebant, eumque diem festum Juturnalia fuisse appellatum. Haec *Servius.* Nunc *lacus Juturnae* vocatur *Lago di Torno.* [**Doederl.* 1, 6. non a *juvando*, sed a *diu* hujus vocis originationem fecit, ita ut in *juturna* eodem modo, quo in *Juppiter* littera *d* elisa, *turnus* terminationis sit genus adjectivis temporalibus proprium.] ℙ *Fuit et Juturna fons Romae, prope templum Castoris Pollucisque, forte in Foro Romano. *Ov. Fast.* 1, 708. Cf. *Varr. L. L.* 1, 10. *B. A.*

JUTURNALIA. V. in v. praec.

JUTUS, a, um, part. a *juvo:* adjutus. *Tac. A.* 14, 4. Solertia tempore juta. *Pall.* 4, 10. *f.* Rami stercorati, et humoribus juti.

JUVAMEN, inis, n. *ὠφέλημα*, auxilium. *Aemil. Macer*, c. de Betonica: Fert haemophthisicis cum posca sumpta juvamen.

JUVAMENTUM, i, n. juvamen. Tribuunt *Veg. Vet.* 3, 4. *f.*, sed rectius ibi *jumentum* leges.

JUVAVIA. V. v. sq.

[JUVAVIENSIS, e, adj. ad Juvaviam pertinens, Norici urbem in *Itin. Anton.*, et in *Tab. Peut.* memoratam, nunc *Inscr.* ap. *Grut.* 265, 4. Colonia Hadriana Juvavia. Alia ap. *Gud.* 122, 10. Ordo Juvaviensium. Alia ap. *Grut.* 375, 2. Decurio Juvavenisium (corrige *Juvaviensium*). Alia ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 36. Decurio Juvav. *F.*]

[JUVENA, ae, f. juvenis. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 369, 5. Quod si juvenae non fecerint, restituere debeb. Agitur de donatione in puellae octennis honorem a parentibus facta. *F.*]

JUVENALIS, e, adj. idem ac juvenilis. *Appul. de Mundo:* Valenti habitudine, pubertate juvenali. *Auson. Profess. Burdigal.* 15. Animo juvenali senex. *Virgilio* quoque et *Ovidio* tribuunt non uno in loco ex probatis MSS., ut videre est ap. *Pier.* ad illud *A.* 5, 475. *juvenali in corpore vires:* quod in *juvenili* passim mutatum fuit: sed *juvenali* legit etiam *Charis.* 1, 108., assignatque discrimen inter hoc adjectivum, et nomen viri proprium, quod adj. in sexto casu in *i* desinat, nomen vero proprium in *e.* Praeterea *Prisc.* 4, 631. ita ponit *juvenalis*, et *juvenilis* a *juvenis* deducta, ut satis significet *juvenalis* esse usitatius. *Plin.* 33, 2, 8. Dum juvenalem famam apud principem aucupatur. Ita ex omnibus suis MSS. *Hard.;* al. leg. *juvenilem.* ℙ Hujus vocis frequentem usum satis probant et quae sequuntur. Nam *Juvenalis* dictus fuit festus dies a Caligula institutus, et Saturnalibus adjectus, a juvenibus praecipue celebrandus, unde et nomen. *Suet. Cal.* 17. Ut laetitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem. ℙ *Juvenales ludi* a Nerone instituti, cum primum barbam deposuit, et Jovi Capitolino dicavit, ut *Dio* 59, 16. et *Xiphilin.* 61, 19. scripsere, scenici fuerunt, et imperativi, non stativi, privatimque per domos aut in hortis agitabantur. In hisce Nero primum suae vocis tirocinium posuit. *Tac. A.* 14, 15. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos, Juvenalium vocabulo, in quos passim nomina data. *Id. ib.* 15, 33. Acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domos aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis, quos ut parum celebres, et tantae voci angustos spernebat. *Suet. Ner.* 11. Juvenalibus senes quoque consulares, anusque matronas recepit ad lusum. ℙ Progressu vero temporis eorum ludorum solemnitatem recepisse Italiae provincias apparet ex vetustis monumentis, et scriptoribus, apud quos etiam *lusus Juvenalis*, et *collegii Juvenum* mentio est. *Capitol. Gord.* 4. Cordus dicit, in omnibus civitatibus Campaniae, Etruriae, Umbriae, Flaminiae, Piceni de proprio illum per quatriduum ludos scenicos, et Juvenalia edidisse. *Inscr.* ap. *Cardinali, Iscriz. Velit.* p. 20. Juvena*lia* Veliterna feliciter. Alia ap. *eund. ib.* p. 13. Curator lusus Juvena*lis.* Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 321, 2. Sodales lusus Juvenalis. Alia ap. *eund. ib.* 321, 1., emendatior vero ap. *Oderic. Dissert.* p. 88. P. Juliae A. F. Olympiadi sodali juvenum L. D. D. D. et p. 104. Collegia juvenum Brixiano*rum;* et *ib.* Ma*gister* juve*num;* et *ib.* Sacerdos collegii juvenum Brixiano*rum;* et *ib.* 106. M. Silio Epaphrodito magistro iterum juvenum juvenes Lucoferonenses patrono. Alia ap. *Fabrett.* p. 685. *n.* 88. Collegium juvenum Puteolanorum. Alia ap. *Grut.* 262, 2. Juvenes Nepesini Vianenses. ℙ Alii fuerunt ludi eodem nomine nuncupati, quos Kalendis Januarii privatim in palatio celebrabant imperatores, qui tamen circenses, non scenici fuerunt. *Sidon. carm.* 23, 307. Janus forte suas bifrons Kalendas Sumendas referebat ad curules. Mos est Caesaribus die bis uno, Privatos vocitant, parare ludos. Tunc coetus juvenum sed aulicorum Elei simulacra torva campi Exercet spatiantibus quadrigis; et *mox.* 428. Jam vero Juvenalibus peractis. ℙ *Juvenalia*, inquit *Festus* (alii leg. *juvenilia*) fingebantur Dianae simulacra, quia ea aetas fortis est ad tolerandam viam. Diana enim viarum putabatur Dea. ℙ *Juvenalis* fuit etiam cogn. R. V. v. sq.

JUVENALIS, is, m. D. Junius Juvenalis, poeta satyricus, satyras, quibus in corruptissimos saeculi sui mores acerrime invehitur, sexdecim scripsit varietate, ubertate, et acumine pulcherrimas, spurcas tamen multis in locis, et sine pudore. In exsilio mortuus creditur, ob Paridis histrionis invidiam, quem non semel versibus suis perstrinxerat. Vixit sub Domitiano, teste *Suida*, vel sub Trajano, ut alii volunt, quod et contra ipsum Domitianum liberius scripserit, quae eo vivo scribere non potuisse videtur. Auctor vitae ejus, qui a nonnullis *Suetonius* creditur, narrat per honorem militiae, quamquam octogenarius esset, missum fuisse in Aegyptum, ad praefecturam cohortis: ibique brevi angore confectum periisse. Eum laudat *Mart.* 7, 24. et alibi.

JUVENCA, ae, f. *δάμαλις, πόρτις*, vacca junior, quae jam vitula esse desiit, nondum tamen in justam magnitudinem excrevit. *Virg. G.* 3, 219. Pascitur in magna silva formosa juvenca. ℙ Dicitur etiam de puella, vel florentis aetatis muliere. *Ov. Her.* 5, 117. Graja juvenca venit, quae te, patriamque domumque Perdat: io prohibe, Graja juvenca venit. ℙ Revera est adj. et juniorem significat: unde et aliis quoque adjungi potest. *Plin.* 10, 53, 74. de gallinis: Ex iis juvencae plura, quam veteres pariunt.

[JUVENCILLA, ae, f. dimin. juvencae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1247, 12. Octavidia Juvencilla. *F.*]

JUVENCULA, ae, f. dimin. juvencae, quatenus puellam significat. *Tert. Monog.* 13. Vult, juvenculas nubere, filios suscipere, matres familiae agere; et *mox:* Juvenculas viduas, quae in viduitate, etc. *Hieron. in Isaj.* 3, 7, 14. Sin autem juavencula, vel puella, et non virgo pariat.

JUVENCULUS, i, m. dimin. juvenci, quatenus puerum significat. *Catull.* 24, 1. O qui flosculus es juvenculorum! Sed plerique omnes rectius leg. *Juventiorum*, ut qui ex nobili gente Juventia esset, cujus mentio est ap. *Cic. Planc.* 8.

JUVENCUS, i, m. *μόσχος, πόρτις*, bos juvenis, qui jam vitulus esse desiit, nondum tamen ad justam magnitudinem pervenit. *Varro* enim *R. R.* 2, 5. quatuor aetatis gradus in bubulo genere distinguit: primus est vitulorum, secundus juvencorum, tertius boum novellorum, quartus vitulorum. Dictus est autem, si eidem credimus *L. L.* 4, 19., a *juvando*, quia jam juvare ad agrum colendum potest. Alii a *juvenis* derivant. *Virg. Ecl.* 2, 66. Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci. *Id. G.* 3, 50. fortes ad aratra juvenci. ℙ De iis ad jugum domandis praeclare *Col.* 6, 2. ℙ Dicitur et de hominibus adolescentibus. *Hor. Od.* 2, 8, 21. Te suis matres metuunt juvencis, Te senes parci, etc. ℙ Per synecdochen est corium bubulum. *Stat. Th.* 3, 591. Nec pudor emerito clypeum vestisse juvenco. ℙ Adjective de equo. *Lucr.* 5, 1073. ubi equus florenti aetate juvencus, etc. V. JUVENCA. ℙ *Juvencum* pro *juvencorum* est *Virg. A.* 9, 609. et *Stat. Th.* 4, 409.

JUVENCUS, i, m. Presbyter Hispanus, qui Evangelia quatuor libris heroico carmine complexus, paene ad verbum transtulit. Vixit sub Constantino

M. circa saeculum Christi IV., scripsitque pro illis temporibus non infeliciter.

JŪVĔNESCO, is, ui, n. 3. *νεανίζω*, juvenis fio, juventutem acquiro. *Hor. Od.* 4, 2, 54. Me tener solvet vitulus, relicta Matre qui largis juvenescit herbis. ℙ Item rursus juvenis fio, ad juventutem redeo. *Ov. Am.* 3, 7, 41. Pylius juvenescere posset. *Plin.* 21, 11, 40. Rosa recisa juvenescit. *Id.* 8, 57, 82. Glires aestate juvenescunt. *Id.* 17, 18, 30. *n.* 3. Alia arbore ex eadem juvenescente. ℙ Translate. *Stat. Th.* 3, 583. Horrentesque situ gladios in saeva recurvant Vulnera, et attrito cogunt juvenescere saxo. *Claud. Laud. Stil.* 2, 20. te sospite fas est Vexatum laceri corpus juvenescere regni. *Id. VI. cons. Honor.* 534. Quam pax intulerat, bello discussa senectus, Erexit subitas turres, cinctosque coegit Septem continuo montes juvenescere muro. ℙ Praeterit. *juvenui* est *Tert. exhort. ad Castit.* 6. *f.*

JŪVĔNĪLIS, e, adj. *νεανικὸς*, ad juvenem pertinens. *Cic. Brut.* 91. *f.* Juvenilis quaedam dicendi impunitas et licentia. *Id. Or.* 30. *f.* Juvenilis redundantia. *Ov. Trist.* 2, 339. Juvenilia carmina. Al. leg. *juvenalia.* V. JUVENALIS. *Id. Met.* 8, 632. Juveniles anni; et *ib.* 1, 564. meum intonsis caput est juvenile capillis; et *ib.* 14, 314. Juvenile signum; et *Amor.* 1, 5, 22. femur; et *Trist.* 2, 167. Utque tui faciunt, sidus juvenile, nepotes, *h. e.* juvenes, Augusti nepotes, instar sideris inter Romanam juventutem fulgentes; et *Met.* 14, 639. Silvanusque suis semper juvenilior annis, *h. e.* qui quamvis sit senex, tamen amoribus et lascivia aetatem vincit. *Id. Trist.* 5, 1, 7. Integer et laetus laeta et juvenilia lusi. ℙ *Juvenile* adverbii ritu pro *juveniliter* adhibet *Stat. Silv.* 3, 5, 25. et adhuc juvenile vagantem. ℙ Ut Graecum *νεανικὸς* magnum aliquando, vehementem, validum significat; sic videtur accipi posse *juvenilis* in illo *Stat. Silv.* 1, 4, 50. Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati Terruit, et subiti praeceps juvenile pericli, *h. e.* magnum praecipitium, ingens periculum.

JŪVĔNĪLĬTAS, atis, f. *νεότης*, aetas juvenilis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 418. et 5, 42. Quam dereliquit multicupida juvenilitas.

JŪVĔNĪLĬTER, adv. *νεανικῶς*, more juvenum. *Cic. Sen.* 4. Et Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat, *h. e.* juvenili audacia, et inconsiderantia. *Ov. Met.* 7, 804. Sole fere radiis feriente cacumina primis Venatum in silvas juveniliter ire solebam, *h. e.* alacritate juvenili; et *ib.* 10, 675. Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum, *h. e.* vi magna atque impetu. Quaedam MSS. habent *juvenaliter* teste *Burmanno.* [*V. *Gierig.* ad h. l.] Rursus *Id. Trist.* 2, 117. Ingenio videor nimium juveniliter usus, *h. e.* inconsiderate, more juvenum. Hic quoque alii *juvenaliter.*

[JŪVĔNILLA, ae, f. dimin. juvenis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 670, 11. Asinia C. F. Juvenilla. *F.*]

[JŪVĔNĬO, onis, m. dimin. juvenis. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 310, 3. Juniae C. Silani F. Torquatae Vir. Vest. maximae Juvenio L. *F.*]

[JŪVĔNĬOR, oris, m. comparat. juvenis, pro quo saepissime *junior* per syncop. usurpatur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 706, 1. C. Herennius C. F. Juvenior. *F.*]

JŪVĔNIS, is, adj. *νέος*, qui ad eam aetatem, seu statum pervenit, ut juvare possit: a *juvando* enim *Varr.* ap. *Censorin. de die nat.* 14. derivat. *Ov. Met.* 7, 295. juvenes nutricibus annos Posse suis reddi. *Col.* 7, 3. *med.* Ovis juvenis habetur, quinquennis. *Calp. Ecl.* 7, 6. juvenis Deus. *Appul. Met.* 8. Unus prae ceteris et animo fortior, et aetate juvenior, et corpore validior. *Plin. ep.* 4, 8. Multo etiam juvenior, quam ille. Al. hic leg. *junior:* quod certe est usitatius: et *juvenior* paene obsolevit. *Liv.* 3, 4. In hanc sententiam ut discederetur, juniores patrum evincebant. *Hor. Ep.* 2, 1, 44. Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno. ℙ Absolute *juvenis* de homine dicitur, qui ad eos annos pervenit, qui sunt inter adolescentiam, et virilem aetatem: qua de re V. AETAS. *Plin.* 7, 36, 36. Cornelia juvenis est, et parere adhuc potest. ℙ Saepe cum adolescente confunditur. *Catull.* 62, 6. Cernitis, innuptae, juvenes? consurgite contra. *Phaedr.* 2, 2. Animosque ejus pulcra juvenis ceperat. *Cic. Sen.* 10. *med.* Infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis, etc. *Id. Off.* 2, 13. Quorum prima aetas in hominum ignoratione versatur, hi simul ac juvenes esse coeperunt, magna spectare debent. *Id. Att.* 2, 12. juvenem appellat Curionem, cujus aetatem *Fam.* 2, 1. *extr.* adolescentiam vocat: cum tamen, ut adnotavit *Manut.*, trigesimum annum excederet. *Liv.* 3, 41. Edicitur delectus: juniores ad nomina respondent. *Quint.* 2, 2. Adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur, et apud eos, juvenes etiam facti, perseverant. *Claud. IV. cons. Honor.* 385. sed proelia differ In juvenem, *h. e.* in juventutis tuae tempus. ℙ *Juvenis* pro *juventus*, h. e. juvenum manus. *Sil.* 4, 219. consul trahit undique lectum Divitis Ausoniae juvenem, Marsosque, Coramque, etc.

JŪVĔNOR, aris, dep. 1. *νεανίζω*, temere et inconsiderate, et juvenum more aliquid dico, vel facio. *Hor. A. P.* 246. Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam. *Gloss. Philox.* Juvenor, *νεωτερίζω.*

JUVENTĂ, ae, f. *νεότης*, aetas juvenilis, adolescentia, florens aetas. *Liv.* 35, 42. Non ita se a juventa eum gessisse. *Plin.* 10, 55, 76. Livia, prima sua juventa ex Nerone gravida. *Id.* 7, 2, 2. In juventa candido capillo, qui in senectute nigrescat. *Id.* 8, 10, 10. Elephantorum juventa a sexagesimo anno incipit. *Id.* 16, 23, 25. Huic arbori in juventa folia circinatae rotunditatis sunt. *Virg. G.* 3, 437. de angue: Cum positis novus exuviis, nitidusque juventa, etc. [*Inscr.* ap. *Mur.* 185, 1. A prima juventa in sac. Minerv. adscriptus. *F.*] ℙ Differt a *juventate* et *juventute.* Nam *juventa* est aetas, *Juventas* Dea, (quae tamen et *Juventa* dicitur. V. v. sq.) *juventus* multitudo juvenum, uti praeter alios *Non.* 5, 42. docet. Sed hoc discrimen non observatur. Igitur *juventa* invenitur etiam pro juventute. *Mart.* 2, 90. Quintiliane, vagae moderator summe juventae.

JŪVENTAS, atis, f. *Ἥβη*, Dea, quae juventuti seu florenti aetati praeesse putabatur, illi aedem in circo maximo (teste *Liv.* 36, 36.) dedicavit L. Licinius Lucullus, quam sexdecim annis ante, *h. e.* an. U. C. 547., voverat M. Livius Salinator consul, quo die Asdrubalem, exercitumque ejus cecidit. *Cic. N. D.* 1, 40. At poetae quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Juventatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Hinc *Ov. Pont.* 1, 10, 11. Nectar, et ambrosiam, laticesque, epulasque Deorum Det mihi formosa nava Juventa manu. V. HEBE. ℙ Metonymice accipitur pro aetate juvenili. *Hor. Od.* 2, 11, 6. fugit retro levis juventas, et decor. *Virg. A.* 5, 398. si nunc foret illa juventas. [*Plura addidit *F.*]

*JUVENTĬUS vel Juvencius, a, um, adj. ad Juventium seu Juvencium aliquem pertinens; et Juventius nomen Romanum. Sic *Juventia familia* ap. *Cic. Planc.* 8. *in.* quae fuit consularis ex municipio Tusculano. M. Juventium Pedonem, Senatorem justissimum, meminit *Cic. Cluent.* 38. et juventium Thalnam *Liv.* 39, 31 et 38. et 43, 8. etc. ed. *Drakenb.* ubi aliae edd. (e. g. *Gronovii*) habent *Juvencius. B. A.*

JŪVENTUS, utis, f. *πολιτεία*, multitudo juvenum. *Cic. Or.* 3, 24. Ob eamque causam juventus nostra dedisceret paene discendo. ℙ Saepe sumitur pro aetate. *Cic. Sen.* 6. An iis, quae geruntur juventute, et viribus? ℙ Item pro Dea, quae praeesse putabatur aetati juvenili. *Cic. Tusc.* 1, 26. Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante laetari arbitror. *Liv.* 36, 36. Juventutis aedem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. V. v. praec. Adde *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 22. Sed his tribus locis alii legunt *juventatis.*

JŪVERNĂ. V. JUBERNA.

JŪVO, as, juvi, jutum, a. 1. *ὠφελέω*, *βοηθέω*, prosum, adjuvo, opem fero, auxilior. *Cic.* ad *Capiton. Att.* 16. *f.* Multum potes nos apud Plancum juvare. *Id. Tusc.* 1, 14. Qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur. *Id. Fin.* 1, 21. Nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam juvaret. *Ov. Met.* 7, 505. juvit facundia causam. *Id. A. Am.* 1, 647. imbres arva juvantes. *Cic. Fam.* 11, 17. Si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione juveris; et *ib.* 13, 22. Juvare aliquem quibuscumque rebus honeste possis. *Id. Balb.* 9. Qui nostros duces auxilio laboris, commeatus, periculo suo juverit. *Ov. Met.* 9, 780. auxilio juvare aliquem. *Id. Her.* 2, 55. portuque, locoque, *h. e.* portu et domo excipiendo. *Id. Pont.* 1, 6, 18. pectora alloquio. *Caes. B. G.* 1, 26. hostes frumento; et *B. C.* 3, 35. opibus enixe aliquem; et *ib.* 1, 15. exercitum Caesaris omnibus rebus; et *B. G.* 7, 78. aliquem cibo. *Hirt. B. Afr.* 97. armis, militibus, pecunia. *Ter. Heaut.* 1, 1, 34. aut consolando, aut consilio, aut re. *Ov. Amor.* 3, 6, 23. et *Catull.* 68, 41. quempiam in re aliqua. ℙ Refertur ad medicum, et medicinam. *Hor. Carm. saecul.* 63. de Phoebo: Qui salutari juvat arte fessos. *Ov. Amor.* 2, 9, 8. medica ope juvare aliquem. *Id. Trist.* 2, 270. Quaeque juvans, monstrat (*medicina*), quaeque sit herba nocens. *Plin.* 23, 1, 10. Decoctum vinaceorum dysentericos et coeliacos juvat et potione, et fotu. *Id.* 28, 12, 53. Graveolentiam halitus butyrum efficacissime juvat. ℙ Impersonaliter. *Virg. G.* 2, 37. juvat Ismara Baccho Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum. ℙ *Diis juvantibus, σὺν θεῷ. Cic. Fam.* 7, 20. Meque, Diis juvantibus, ante brumam exspecta. *Liv.* 25, 38. *f.* Ite, Diis bene juvantibus, corpora curate, ut, etc. *Cic. N. D.* 2, 66. Quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est. ℙ Passive. *Cic. Verr.* 2, 1, 47. Lex Cornelia proscriptum juvari vetat. *Ov. Pont.* 2, 7, 71. Temperie coeli corpusque animusque juvantur. *Id. ib.* 4, 12. *extr.* precor, quaeras, qua sim tibi parte juvandus. *Liv.* 44, 22. Viatico a me juvabitur. ℙ Saepe est delectare, placere: quia quae prosunt, eadem fere voluptati sunt. *Cic. Fin.* 2, 4. *f.* Juvare in sensu et in animo dicitur: ex eoque jucundum. *Id. Fam.* 5, 21. Juvit me, tibi tuas litteras profuisse. *Phaedr.* 4, 6. Si nec fabellae te juvant, nec fabulae. *Liv.* 28, 27. Nec me vita juvaret, invisa civibus et militibus meis. *Ov. A. Am.* 2, 159. auremque juvantia verba. *Hor. Od.* 1, 1, 23. Multos castra juvant, et lituo tubae Permixtus sonitus, bellaque matribus Detestata. ℙ Saepe impersonaliter ponitur, sequente infinito. *Virg. A.* 1, 207. forsan et haec olim meminisse juvabit; et *ib.* 9, 615. juvat indulgere choreis; et *ib.* 3, 606. Si pereo, manibus hominum periisse juvabit. *Plin. ep.* 8, 6. *f.* Quam juvat, quod in illa tempora non incidi! *Sen. ep.* 106. Quae sint haec interrogas? quae scire magis juvat, quam prodest. V. PROSUM. ℙ Passive. *Cic. Or.* 48. Refer ad aures, probabunt: quaere, cur? ita se dicent juvari. ℙ Cum dativo perrarum est, et incertum. *Pl. Cist.* 1, 1, 118. Quando ita tibi juvat, vale, et salve. Al. leg. *lubet.* ℙ Primam in *juvi* corripuit *Catull.* 66, 18. Non, ita me Divi, vera gemunt, juverint! At potius cum *Doeringio* aliisque legendum *juerint*, extrita nempe *v* consonante, ut *Ennius* ap. *Cic. Sen. in.* O Tite, si quid ego adjuero, *h. e. adjuvero.* ℙ *Juvavi* pro *juvi* certo caret idonei scriptoris exemplo. Nam quod afferunt ex *Pall.* 13, 6., incertae lectionis est. *Voss.* quoque ex *Manilio* citat *juvavi*, sed neque locum designat, neque ego invenire adhuc potui. Legitur tamen a quibusdam *juvaturus* ap. *Sall. Jug.* 51. et *Plin. ep.* 4, 15. *f.*, fortasse quia *juturus* non ita juvaret aures: quod tamen nonnulli critici legunt *Colum.* 10, 121. Rutaque Palladiae baccae jutura saporem.

JUXTĂ, *παρὰ*, *πρὸς*, apud, prope: praeposit. regens accusat. A *jugo* pro *jungo* esse volunt: idcirco de iis dici, quae juncta aut vicina sunt. *Virg. A.* 6, 605. Furiarum maxima juxta Accubat. *Ov. Met.* 8, 809. neque enim est accedere juxta Ausa. *Caes. B. G.* 2, 26. Cum legionem, quae juxta constiterat, urgeri ab hoste vidisset; et *B. C.* 1, 16. Ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit. *Nep. Dat.* 1. Pars Ciliciae juxta Cappadociam. *Tac. G.* 17. Totos dies juxta focum atque ignem agunt. ℙ Postponitur et suo casui. *Virg. A.* 3, 506. vicina Ceraunia juxta. *Plin.* 14, 19, 23. Vitis, quam juxta, etc. *Nep. Paus.* 4. Hanc juxta locum fecerunt sub terra, etc. *Tac. A.* 13, 15. *extr.* Cubiculum Caesaris juxta. Sic alibi saepe. ℙ Translate. *Tac. G.* 30. *extr.* Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiae est, *h. e.* similis formidini; et *A.* 6, 13. Gravitate annonae juxta seditionem ventum. *Suet. Cal.* 10. Tanti fuit in avum, et qui juxta erant, obsequii, ut, etc. *h. e.* qui cognationis jure avum prope contingebant: vel qui circa avum erant, puta amici, liberti, et hujusmodi, *οἱ περὶ αὐτόν.* ℙ Significat etiam statim post, quia quae statim post sunt, prope ac vicina sunt. *Cels.* 2, 16. Neque enim convenit, juxta inediam protinus satietatem esse. *Tac. H.* 2, 76. Juxta Deos in tua manu positum est. *Gell.* 4, 9. Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varronem doctissimus. *Id.* 7, 3. *med.* Quae deinde Cato juxta dicit, ea confessionem faciunt, non defensionem. ℙ Item simul, conjunctim. *Varr.* ap. *Non.* 4, 233. Cum interea lucubrando faceret juxta ancillas lanam. *Tac. G.* 21. Periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem, *h. e.* quae geruntur inter eos, qui liberi sunt. ℙ Item secundum. *Justin.* 2, 12. *f.* Iones juxta praeceptum Themistoclis pugnae se paulatim subtrahere coeperunt. *Nazar. Pan. Constant.* 23. Virtus juxta magnitudinem exantlandi laboris erigitur. *Solin.* 9. Juxta responsum dictum Deo. *Hieron. ep.* 125. *n.* 18. Juxta illud poeticum: Prima leo, etc. ℙ Est etiam aeque, similiter, pari modo. *Sall. Cat.* 2. Eorum ego vitam mortemque juxta aestimo; et *ib.* 61. Ita cuncti suae hostiumque vitae juxta pepercerant. *Liv.* 24, 5. *f.* Adjectique poenae ceteri juxta insontes; et *ib.* 19. Fabius omittendam rem parvam, ac juxta magnis difficilem censebat. *Tac. A.* 1, 6. Juxta periculosum, seu ficta, seu vera promeret. *Id. H.* 1, 10. Vir secundis adversisque juxta famosus. ℙ Sequentibus particulis *ac*, *atque*, *et*, *quam*, *cum. Cic. in Sen.* 8. Qui me omnibus rebus, juxta ac si meus frater esset, sustentavit. *Liv.* 21, 33. Juxta invia, ac devia assueti discurrunt. *Id.* 1, 54. *f.* Absentium bona juxta, atque interemptorum divisa fuere. *Id.* 9, 13. *med.* Juxta obsidentes, obsessosque inopia vexavit. *Sall. Cat.* 51. Juxta bonos et malos interficere. *Id. Jug.* 100. Litteris Graecis atque Latinis juxta atque doctissume eruditus. *Liv.* 10, 6. *f.* Juxta eam rem aegre passi patres, quam cum consulatum vulgari viderent. *Pl. Trin.* 1, 2, 160. Juxta eam curo cum mea. *Id. Pers.* 4, 3, 75. Juxta tecum aeque scio. *Sall. Cat.* 60. *extr.* Quo in loco res nostrae sint, juxta mecum omnes intelligitis. ℙ Ultima syllaba longa est. *Virg. A.* 4, 480., *Ov. Met.* 12, 235. etc. Corripuit *Catull.* 66, 66. Callisto juxta Lycaonida, ubi *justa*

antiquo ritu in multis libr. scriptum est: alii melius leg. *juncta Lycaonidi* vel *Lycaoniae*.

JUXTIM, πλησίον, idem quod juxta, prope. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 451. Juxtim Numicium flumen obtruncatur. *Liv. ib.* In sedes collocat se regias: Clytaemnestra juxtim: tertias natae occupant. *Lucr.* 4, 503. Cur ea, quae fuerint juxtim quadrata, procul sint Visa rotunda. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 27. *B. A.*

IX

IXĬA, ae, f. ἰξία, herbae genus, ab ἰξὸς, viscum, quod quibusdam in locis circa radicem ejus invenitur, quo pro mastiche utuntur mulieres. Cum terra colorem mutat. Unde et chamaeleon appellatur. Hujus duae sunt species candido et nigro colore distinctae. *Plin.* 22, 18, 21. V. CHAMAELEON.

*IXINOS AGRIOS, herba, de qua *Appul. de herb.* 81. *B. A.*

IXĬON, Ixiōnis, m. Ἴξίων, filius Phlegyae, rex Lapitharum in Thessalia. Sed aliqui Aetionis, alii Jovis filium faciunt. Uxorem duxit Diam filiam Deionei, seu Eionei, quae illi Pirithoum peperit. Socero cum multa pro compensatione dotis pollicitus esset, et ob id ille ad hunc venisset, ut munus reciperet, Ixion facta scrobe, eaque lignis et stramentis intecta, illum in ea fraude peremit. Ab hac caede cum neque homines, neque Dii eum lustrare vellent, diuque incertus vagaretur, Juppiter illius misertus in coelum assumptum expiavit. Cum jam purgatus apud Superos degeret, Junonem amare coepit, eamque de stupro interpellavit. Quod cum Juppiter ab uxore intellexisset, nubem illi sub Junonis effigie opposuit, ex qua ille Centauros genuit. Dejectus deinde in terram, cum passim gloriaretur, se cum Deorum regina rem habuisse, Juppiter indignatus, fulmine ad inferos detrusit, curavitque, ut ibi rotae volubili anguibus alligatus, perpetuo volutaretur. *Ov. Met.* 4, 460. Volvitur Ixion, et se sequiturque, fugitque. *Virg. A.* 6, 601. Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque? V. *Hyg. fab.* 62. et *Serv.* ad *Virg. l. c.* et alibi.

IXIŌNĔUS et Ixiōnĭus, a, um, adj. ad Ixionem pertinens. *Virg. G.* 4, 484. Atque Ixionei vento rota constitit orbis. *Lampr. Elag.* 24. Parasitos ad rotam aquariam ligabat: eosque Ixionios amicos vocavit.

IXIONĬDES, ae, m. filius Ixionis, idest Pirithous. *Prop.* 2, 1, 38. Hic Ixioniden, ille Menoctiadem. *Lucan.* 6, 386. Illic semiferos Ixionidas Centauros, etc. Adde *Ov. Met.* 8, 566.

IXIONĬUS. V. IXIONEUS.

*IXOS, i, m. genus avis. *Vulg. Deut.* 14, 13. *B. A.*

IY

ĬYNX, iyngis, f. ἴυγξ, avis est linguam serpentibus similem habens, quam longitudine quatuor digitorum exserit, rursumque contrahit intra rostrum. Collum circumagit in adversum reliquo quiescente corpore. Ungues ei grandes, ceu graculis. *Plin.* 11, 47, 107. Ajunt vim habere in amatoriis. Sane *Theocrit.* in *Idyll.* 2. saepe repetit intercalarem illum versum, Ἴυγξ ἴλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα: ad cujus exemplum *Virg. Ecl.* 8, 68. Ducite ab urbe domum, etc. *Servius ib. Laevius* poeta ap. *Appul. Apol.* Philtra omnia undique eruunt: Trochisci, iynges, taeniae, etc.

IZ

*IZGI, orum, m. populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

K

K Graecorum littera est, non Latinorum, qui ejus loco *c* habent ejusdem potestatis. V. CALUMNIA.

KĂLENDAE. V. CALENDAE.

KĂLO. V. CALO.

[KOPPA, n. indecl. nomen litterae K. *Quint.* 1, 4. Et K, quae et ipsa quorundam nominum nota; et Q, cujus similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, Koppa apud Graecos nunc tantum in numero manet. Haec porro nonaginta significat, quemadmodum et ק ap. Hebraeos, quae non solum potestate, sed etiam sono perquam simillima est. *F.* ℙ *Cf. VV. DD. ad *Aristoph. Nub.* 23. *Montfauc. Palaeograph. Gr.* p. 569. *Frid. Jac. Bast. Comment. Palaeograph.* (in *Greg. Corinth.* ed. *Schaefer.*) p. 853. collato ipso *Gregorio* p. 82. *B. A.*

L

L littera Latinorum est, Graecorum λάμβδα sono et potestate respondens, una ex iis, quae a Graecis ἀμετάβολα, hoc est immutabiles, a Latinis *liquidae*, et *semivocales* appellantur. Quo fit, ut mutam immediate subsequens in eadem syllaba, praecedentem syllabam, si brevis fuerit, reddat indifferentem. ℙ In notis numeralibus quinquaginta significat: idque ex antiquo Latinorum more pro Graeco N scribentium L. Graeci autem per N quinquaginta significant, ut *Prisc.* 1, 561. docet. Propriis nominibus praefixa, *Lucius*, ut *L. Cornelius Sulla*. ℙ [*Porro signif. in notis inscriptionum *Latum*. V. ap. *Orell.* 4500. *Leuga*. V. *ib.* 1019. *Libens. ib.* 1411. *Libertus. ib.* 18, 17. *al. Liberta*. 86. *Longum*. 4500. 4562. *Lyciorum* 3674. *Loco ib.* 72, 4083. *al. Laribus* 1665. 2825. cet. ℙ De varia hujus litterae in libris MSS. et in notis inscriptionum forma; deque ejus cum aliis litteris cognatione et inde orta commutatione doctissimam scripsit disputationem *Schneiderus* in *Gr. Lat.* 1, 297.]

L A

LĂBANS, antis, part. a *labo*, qui labat, qui casui est proximus, nutans, vacillans. *Plin.* 21, 13. 73. Cauliculi decocti in vino labantes dentes firmant. *Virg. A.* 2, 463. qua summa labantes Juncturas tabulata dabant, *h. e.* non apte cohaerentes. *Val. Fl.* 3, 150. taboque labantia terga, *h. e.* lubrica. Al. aliter leg. ℙ Translate ad animum refertur dubium, inconstantem, ac varium. *Virg. A.* 4, 22. Solus hic inflexit sensus, animumque labantem Impulit; et *ib.* 12, 223. vulgi variare labantia corda. *Hor. Od.* 3, 5, 45. Donec labantes consilio patres Firmaret auctor nunquam alias dato; [*i. e. qui consilium nondum ceperunt. Cf. *Cic. Att.* 8, 14.] *Lucan.* 2, 244. tu mente labantem Dirige me.: dubium certo tu robore firma. *Tac. Germ.* 8. Aciem inclinatam jam et labantem restituere, *h. e.* jam jam fugam spectantem. *Id. H.* 2, 86. Labantibus Vitellii rebus, Vespasianum secutus; et *ib.* 14, 22. *extr.* Labante jam Aggrippina, *h. e.* deficiente ejus potentia. [*Ciceronis exempla *Schütz.* in *cl. Cic.* haec laudat. *Phil.* 2, 21. Labantem et prope cadentem rempublicam fulcire; et *Mil.* 25. Quis non intelligit omnes tibi (Cn. Pompejo) reip. partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? ℙ *Labans spiritus* ap. *Appul. Met.* 8. *med.* p. 203, 38. *ed. Elmenh.* Labanti spiritu totum se super corpus effudit: est qui modo cessat, modo redit, ita ut dijudicari nequeat, utrum vita restet, necne. ℙ *Labantes languore oculi* ap. *Catull.* 63, 37. sunt dormitantis, qui somnum propulsaturus palpebrat.]

LĂBĂRUM, i, n. λαβαρὸν, vexillum militare auro intextum, gemmisque intermicantibus splendidissimum, quod imperatori praeferri, ac a militibus paene adorari solebat a λάφυρον, *v* in *α* abeunte, ut calix a χύλιξ, et *φ* in *β*, ut ambo ab ἄμφω, quia primitus labarum fuerit λάφυρον, *h. e.* exuviae, seu spolia hosti vivo detracta, v. gr. paludamentum imperatorium, quod vexilli loco gestabatur. [Sunt qui a λάβω, capio, unde λάβρος pro λάβερος, vorax, praeceps, fluens, atque hinc λαβαρὸν deducunt, quia sit vexillum fluens. *F.*] Quidam a *labore* deducunt, quod *laborum* vulgo diceretur. Et sane *Sozomenus* 1, 4. λάβωρον per *ω* scribit. Sed *Prudentius* mediam syllabam corripit *in Symmach.* 1, 487. Christus purpureum gemmanti textus in auro Signabat labarum. Erat autem labarum hasta longa cum ligno in apice transverso; a quo pendebat pretiosus pannus cum imperatoris icone. Huic Constantinus M. coronam imposuit cum cruce et litteris initialibus nominis IESU CHRISTI, quod contra Maxentium pugnaturus crucem in aere vidisset cum verbis ἐν τούτῳ νίκα. [Ceterum cum eadem labari forma appareat in nummis familiarum, stante adhuc Rom. republica, et priorum imperatorum, ac in iis praesertim, qui victorias de Germanis, Sarmatis, et Armeniis relatas repraesentant, existimandum videtur, eam non Romanorum, sed illarum gentium devictarum fuisse propriam; ac propterea etiam *labari*, vel *labori* nomen, quod demum Constantino M. imperante primitus usurpari coepit, barbaricum esse, minimeque ejus etymon in Graeca lingua requirendum. Plura de hoc habes apud *Ducangium* in *Glossar. med. et inf. Latin.*, ubi et illud docet, posteriori aevo labarum pro cruce, seu crucis vexillo usurpari. *Ignat.* vero *Rossius* in *Etym. Egypt.* p. 351. putat, *labarum*, seu *laburo* esse vocem Egyptiacam, nempe a *labo*, velum, seu siparum, et *uro*, rex; *h. e.* velum, seu vexillum regis, vel imperatoris. Hinc *Tert. Apol.* 16. *med.* habet *sipara vexillorum. F.*] ℙ In *Cod. Just.* 12, 18. et *Cod. Theod.* 6, 25., ubi legitur *de praepositis laborum*, quidam leg. *labororum*, vel *labarorum*, et sermonem haberi ajunt de iis, qui ejus vexilli custodiae addicebantur, quod verosimile videtur *Gothofredo* multa ibidem hac super re docte disputanti.

LĂBASCO, is, n. 3. et Labascor, eris, dep. 3. καταφέρομαι, casum minor, ruinae vicinus sum: inchoativum a *labo*, *as*. *Lucret.* 4, 1280. Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu, Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit. ℙ Per translationem accipitur pro animo concidere, fragi, et de pristina constantia excidere. *Ter. Eun.* 1, 2, 98. Labascit victus uno verbo quam cito! *Id. Ad.* 2, 2, 31. Labascit: unum hoc habeo, etc. Ubi *Donat.* Proprie dixit *labascit*, ut cunctationem incipientis consentire monstraret. Et est tarde incipientis consentire monstraret. Et est metaphora ab arbore facta, quae multis succisa ictibus ferri, tandem incipit in casum pendere, ruinamque minitari. *Varro* ap. *Non.* 7, 41. Postquam vidit, misericordia labasci mentem infirmam populi. *Accius ib.* Nullum est ingenium tantum, neque cor tam ferum, Quod non labascatur lingua, mitescat malo. ℙ Producitur prima in illo *Virg. Cir.* 450. Marmorea adductis labascunt brachia nodis. *Scalig.* tamen vult legi *adductisque labascunt*, etc.; [alii leg. *tabescunt. F.* *V. *Heyn.* notam ad h. l. *Döderl.* 1, 132. retinendum censet *labascunt*, producta prima syllaba, accipiens nimirum aliam inchoativam formam *labascere* a *labor*. V. quae in hanc rem disputat Vir doctissimus.]

LABDĂ, ae, m. λάβδα, dictus est flagitiosus homo, qui id agit, quod *Varro* in *Marcipore* apud *Non.* 4, 335. dixit buccam offendere, *Suet. Tib.* 44. ore morigerari. *Varro* in *Margopoli* ap. *Non.* 2, 13. Depsistis, dicite labdae? *Auson. epigr.* 126. Cui ipse linguam cum dedit suam, labda est: *vel, ut alii scribunt, A* est. Haec ita congerit, et interpretatur *Voss.* in *Etymol.* et *Scalig.* in *Priap.*, quae in eo praecipue nituntur, quod λάβδα pro λάμβδα saepe dicunt Graeci εὐφωνίας ἕνεκα: haec autem littera prima est in λείχειν, vel λαικάζειν, vel λεσβιάζειν, quibus flagitium illud significatur. Ceterum in allatis auctorum locis non ubique certa est lectio.

[LABDĂCE, es, f. nom. prop. puellae, quae λεσβιάζειν solet. V. v. praec. *Auct. Priap.* 79, 5. nunc misella Labdace Vix posse jurat ambulare prae fossis. *F.*]

LABDĂCĬDES, ae, m. patronym. Labdaci filius, vel nepos. *Stat. Th.* 6, 450. nec verbera pallidus addit Labdacides, *h. e.* Polynices, cujus avus Laius Labdaci filius fuit. ℙ *Labdacidae*, *arum* sunt Thebani, quorum fuit rex Labdacus. *Id. ib.* 9, 777. indignantesque coibant Labdacidae. Adde *ib.* 10, 36. et *Sen. Oedip.* 710.

LABDĂCISMUS, i, m. λαβδακισμὸς, vitium sermonis, cum *l* littera nimium saepe repetitur, (a λάβδα pro λάμβδα) ut si dicas, *Sol. et luna luce lucebant alba, levi, lactea.* Ita *Capell.* 5, 167. ℙ *Isid. Or.* 1, 32. est cum pro uno *l* duo pronunciantur, ut *colloquium* pro *conloquium:* vel cum unum *l* exilius, duo largius proferimus: quod contra est: nam unum largius, duo exilius proferre debemus. ℙ [Haec eadem clarius docet *Consentius* (ed. *A. G. Cramero*) *de barbar.* 12. Labdacismus vitium in eo est, quod eadem littera vel subtilius quibusdam, vel pinguius effertur. Nam Graeci subtiliter hunc sonum efferunt; ut enim dicunt, *ille mihi dixit*, sic sonant duo *ll* primae syllabae, quasi per unum *l* sermo ipse consistat. Contra alii sic pronunciant, ut aliquid illic soni etiam consonanti admiscere videantur, quod pinguissimae prolationis est. Romani linguae emendationem habent in hac quoque distinctione; nam pinguius proferri debet, cum alia consona sequitur, ut in *albo*, *alga*, etc., exilius, ubicumque ab ea verbum incipit, ut in *lana*, *lepore*, vel ubi in eodem verbo et prior syllaba in hac finitur, et sequens ab ea incipit, ut *ille*, *allia*. Ita *Consentius*. Ex his patet, tum Gallos, tum Italos duplex *ll* eodem nunc proferre sono, quo utebatur olim Romanum vulgus, quemque improbat hic auctor, et pinguissimum appellat: Galli enim ita pronunciant *ll* in voce *bataille*, in qua *mouiller la douple ll* dicunt; Itali vero vocem *egli*, quae ab *ille* derivatur, per *g* loco prioris *l* scribunt, ut hujus litterae sonum, quem ipsi *schiacciato* appellant, legentium oculis repraesentent. *F.* *Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1, 297, 299. et 455.]

LABDĂCĬUS, a, um, adj. ad Labdacum Thebarum regem pertinens. *Stat. Th.* 2, 210. Labdacius dux, *h. e.* Etheocles, cujus avus Laius fuit Labdaci filius.

LABDĂCUS, i, m. Λάβδακος, filius Agenoris, qui, cum Cadmus ejus frater regno Thebano pulsus esset, Amphion suis manibus sibi mortem conscivisset, Lycus interfectus esset ab Hercule, rogatus ab amicis, ut Syria relicta in Graeciam veniret, quod propter senectutem itineri se minus idoneum cerneret, Laium filium misit, qui regni statim potitus est. Alii dicunt, Labdacum filium fuisse Phoenicis, senem Thebas a Thebanis vocatum venisse, ibi aliquandiu regnavisse, et Laium genuisse. *Sen. Herc. Fur.* 495. et *Phoeniss.* 53.

LABĒAE, arum. V. LABIAE.

[LABĒATAE, arum, m. plur. et

LABĒATES, ium, m. plur. populi Illyrici, qui asperam et montuosam regionem incolebant, quae nunc *Montenegro* appellatur, quorum urbs primaria fuit Scodra, nunc *Scutari:* videntur nomen habuisse a voce Illyrica *lavvi*, quae nunc montes praeruptos significat. *Plin.* 3, 22, 26. Eo tractu fuere Labeatae, Enderoduni, etc. *Liv.* 44, 31. Ad Scodram ventum est, id quod belli caput fuerat: non

eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat veluti regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est, et difficilis aditu. *Id. ib.* 32. Medeonem Labeatium gentis urbem profectus. *Id.* 45, 26. Illyricum in tres partes divisit; unam eam fecit, quae supra dicta est, alteram Labeatas omnes, tertiam Agravonitas, et Rhizonitas, et Olciniatas, accolasque eorum. Hic *Labeatas* est accusativus plur. Graecae positionis. *F.*]

[LABĒĀTIS, ĭdis, f. patronym. ad Labeates pertinens: hinc *Labeatis palus* ap. *Liv.* 44, 31., quae ab *eod. ib.* lacus Labeatium dicitur, est *lago di Scutari*, et *Labeatis terra* ap. *eund. ib.* 23. est ager Labeatium. *F.*]

*LABECĬA, ae, f. oppidum Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

LĂBĔCŬLĂ, ae, f. *κηλίς*, dimin. labis. *Cic. Vat.* 17. Et clarissimo viro nonnullam tua laudatione labeculam aspergas. V. LABES.

LĂBĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. *ἀποσφάλλω, μεταχινέω*, moveo ut evertam, vel eruam, dimoveo, percello, concutio, quasi *labare facio*. *Ter. Ad.* 2, 2, 36. omnes dentes labefecit mihi: Praeterea colaphis tuber est totum caput. *Ov. Met.* 3, 69. fixumque hastile momordit: Idque ubi vi multa partem labefecit in omnem, etc. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 47. Quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit, *h. e.* a constantia et fide demovit. *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio Movere potuit in juventa de statu; Ecce, in senecta ut facile labefecit loco Viri excellentis blandiloquens oratio! *Tac. A.* 6, 29. Nihil hunc amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium. ℙ *Labefacere fidem suam* dicitur debitor, cum tardius solvendo efficit, ne quis ei in posterum quippiam credat. *Suet. Vesp.* 4. Ut qui, prope labefacta jam fide, omnia praedia fratri obligarit. Al. leg. *labefactata*. ℙ Est etiam corrumpere, vitiare; quasi de statu bonae valetudinis deturbare et evertere. Sunt qui exponunt, quasi labem facio. *Colum.* 6, 5. Segregandi a sanis morbidi, ne quis contagione ceteros labefaciat. *Tac. H.* 2, 93. Obnoxia morbis corpora fluminis aviditas, et aestus impatientia labefecit. ℙ Translate. *Id. A.* 15, 51. Primores classiariorum labefacere, et conscientia illigare connixa est, *h. e.* ad conjurandum impellere.

LĂBĔFĂCTĀTĬO, onis, f. actus labefactandi, labefactio. *Quint.* 8, 4. *med.* Mediocris labefactatio caedi, et incendiis, et vastationi comparatur. V. LABEFACTIO.

LĂBĔFĂCTĀTUS, a, um, part. a *labefacto: μεταχινηθείς*, motus, concussus, perculsus, evertendi causa. *Cic. Har. resp.* 4. Urbem a multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, paene captam aliquando, solus evertit. *Suet. Ner.* 38. Horrea bellicis machinis labefactata, atque inflammata. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 6. *f.* Maximas respublicas ab adolescentibus labefactatas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis. Al. leg. *labefactas*; [*Ita *Orell.*] et *Fam.* 5, 2. Labefactata societas; et *ib.* 13. Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset: etenim penitus insederat; vi tamen tempestatum erat aliquantum labefactata atque convulsa. [*Cf. *Manil.* 7. Ut haec non eodem motu labefactata concidant.] *Sall. or. Lepidi contra Sull. f.* Res secundae labefactatae, *h. e.* afflictae, eversae. *Tac. A.* 13, 21. Cohortes in urbe tentatae, provinciarum fides labefactata, *h. e.* tentata, corrupta.

LĂBĔFĂCTĬO, onis, f. actus labefaciendi, concussio. *Plin.* 23, 1, 27. Acetum tussim veterem inhibet, orthopnoeam, dentium labefactionem. *Hard.* leg. *labefactationem*. Sic *Ter.* omnes dentes labefecit mihi. V. LABEFACIO.

LĂBĔFĂCTO, as, avi, atum, a. 1. *παραχινέω*, frequent. a *labefacio*, ejusdemque fere vis, atque usus. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. *Plin.* 29, 4, 27. Phalangii morsus genua labefactat. ℙ Item laedere, perstringere, corrumpere. *Colum.* 2, 2. *med.* In opere boves arcte junctos habere convenit, quo minus colla eorum labefactentur. *Ov. Amor.* 2, 13, 1. labefactat onus gravidi temeraria ventris. *Lucret.* 1, 694. Labefactare sensus. ℙ Translate. *Id.* 6, 798. animum. *Cic. ad Brut.* 1, 10. *f.* Hoc praesidium adhuc firmum esse confido: sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam, *h. e.* vexant, urgent, impellunt; et *Fam.* 12, 25. Nec vero postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua injuria provinciam absens obtinebat. *Liv.* 24, 20. Spe labefactandae fidei. ℙ Item imminuere, affligere. *Cic. Rabir. Post.* 16. Labefactare alicujus dignitatem. ℙ Item debilitare, infirmare, ac veluti prosternere. *Cic. Fin.* 1, 13. Ne invidia verbi labefactetur oratio mea. *Id. Cluent.* 2. Si quam opinionem mentibus comprehendistis, eam ratio labefactabit. *Id. Acad.* 1, 9. Aristoteles primus species labefactavit, quas mirifice Plato erat amplexatus. *Id. Caec.* 25. Labefactare leges ac jura. *Id. Cat.* 4, 10. *extr.* Perstringere, et labefactare conspirationem. *Id. Rosc. Com.* 4. *f.* Cum causam labefactari animadvertunt, *h. e.* vacillare, laborare. ℙ Item de statu depellere, evertere, dissolvere. *Cic. Fin.* 1, 13. *med.* Universas familias evertunt: totam etiam labefactant saepe rempublicam. *Id. Dom.* 11. Desinant iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. *Flor.* 3, 23. Labefactare compositam civitatem. *Cic. Fin.* 3, 21. Amicitiam, aut justitiam labefactare, atque pervertere. *Id. Verr.* 2, 3, 18. *extr.* Labefactarat vehementer aratores superior annus: proximus vero funditus everterat. ℙ Item de constantia demovere, a recto proposito avertere. *Ter. Eun.* 3, 3, 3. Ita me video ab ea astute labefactarier. ℙ Hinc labefactare donis quempiam. *Cic. Cluent.* 68. Quorum fidem pretio labefactare conata sit. *Catull.* 69, 3. Non illam rarae labefactes munere vestis.

LĂBĔFACTUS, a, um, part. a *labefacio: παραχινηθείς*, loco motus, concussus, labefactatus, prope ad ruinam deductus. *Caes. B. C.* 2, 22. Dejecta turris, labefacta magna pars muri. *Tac. A.* 1, 75. Mole publicae viae, ductuque aquarum labefactae aedes. *Ov. Met.* 8, 774. labefactaque tandem Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor Corruit; et *ib.* 12, 329. Et quatit huc illuc, labefactaque robora jactat. *Id. Pont.* 3, 8, 5. Nostra quid apportet, jam nostis, epistola, quamvis Charta sit a vinclis non labefacta suis. *Val. Fl.* 8, 357. fluctu puppis labefacta reverso Solvitur, effunditque viros. Sic *Lucr.* 5, 652. ignes labefacti aere multo. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 27. *extr.* Etenim vix haec, si undique fulciamus, jam labefacta; vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohaerebunt. *Tac. A.* 4, 60. Drusum traxit in partes, spe objecta principis loci, si priorem aetate, et jam labefactum demovisset. *Ov. Met.* 10, 375. Sic animus vario labefactus vulnere nutat. *Virg. A.* 4, 395. Multa gemens, magnoque animum labefactus amore, *h. e.* agitatus, perculsus, turbatus. *Sil.* 3, 557. ancipiti mentem labefacta timore. *Sen. Troad.* 950. Labefacta mens succubuit, *h. e.* de constantiae statu depulsa. Eodem sensu *Val. Fl.* 7, 175. mota loco labefactaque cessit. ℙ Notanda sunt illa Virgiliana *G.* 2, 264. Et labefacta movens robustus jugera fossor. Ubi *Servius:* hypallage: movens, et labefaciens; et *A.* 8, 389. notusque medullas Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit, *h. e.* commota, concussa impetu amoris. Sunt qui exponunt, liquefacta. Simile est illud *Lucr.* 4, 1107. Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt; et *Seren. Sammon.* 32. *extr.* Obruit hic morbum, labefactaque saxa remittit, *h. e.* calculos in vesica liquefactos, mollitos, diffractos. Sic ap. *Sen. Q. N.* 4, 5. nix tenera et labefacta *opponitur* fixae et durae.

LĂBĔFIO, is, actus sum, passivum v. labefacio. *Sen. Const. Sap.* 6. Munimenta incussu arietis labefieri.

LĂBELLUM, i, n. *χειλάριον*, parvum labrum. *Cic. Div.* 1, 35. Cum Platoni in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent. *Juven.* 14, 325. Haec quoque si rugam trahit, extenditque labellum. ℙ Adhibetur saepe blandimenti causa. *Virg. Ecl.* 2, 34. Ne te poeniteat calamo trivisse labellum. *Prop.* 2, 10, 29. Osculaque in gelidis ponas suprema labellis. *Ov. A. Am.* 1, 575. Fac, primus rapias illius tacta labellis Pocula. *Pl. Poen.* 2, 1, 153. Meus ocellus, meum labellum, mea salus. [*Id. Asin.* 3, 3, 78. Prehende auriculis, compara labella cum labellis, *baciami in bocca*, quod osculi genus Itali *alla Franciosa*, nostrates vulgo *alla Fiorentina* dicunt. *F.*] ℙ Item parvum vas aquarium, ad similitudinem labri, quo in balneis utebantur. [Nostrates nunc vulgo *lavello* dicunt. *F.*] *Cic. Leg.* 2, 26. *extr.* Super tumulum noluit quid statui, nisi columellam, aut mensam, aut labellum, [*i. e. lapidem excavatum in labri formam, quam et *Arcam* vocabant. V. *Guther. Iur. Man.* 2, 23. 24. qui et figuras exhibet; item *solium Liv.* 44, 6. Adde *intpp.* ad *Suet. Ner.* 50. *extr.* unde etiam sarcophagi solia dicuntur. *Plin. H. N.* 35, 12. Graeci vocant *πύελον*. *Ernest.* in *cl. Cic.*] *Colum.* 12, 43. Labellum fictile novum impleto paleis quam siccissimis, tum labello altero operito; et *ib.* 28. Gypsum, et medicamentum in labello permisceto. *Cato R. R.* 88. Eam muriam in labella, vel in patinas in sole ponito. *Catull.* 55, 3. Te quaesivimus in minore campo, Te in circo, te in omnibus labellis, *h. e.* balneis: synecdoche. Al. leg. *libellis*, h. e. tabernis librariis.

LĂBENS, entis, part. a *labor:* ruens, cadens. *Hor. Od.* 3, 6, 2. Aedes labentes Deorum reficere. *Virg. G.* 2, 133. folia haud ullis labentia ventis. *Id. A.* 4, 77. Nunc eadem, labente die, convivia poscit. *Val. Fl.* 3, 218. trepidi singultibus agri Labentum, *h. e.* morientium. ℙ *Labentes oculi* dicuntur in morte, aut somno, *h. e.* languentes, et visum jam jam amissuri. *Ov. Trist.* 3, 3, 44. Labentes oculos condet amica manus; [*cf. *Quint. Inst.* 6. *prooem.* 12.] (*oculos fugientis*, h. e. *morientis*, dixit *Ov. Amor.* 3, 9, 49. et *morte cadentes Stat. Silv.* 3, 5, 39.) [*Manil. 1, 879. Labentesque rapit populos. *Sil.* 14, 609. Cumulantur acervo Labentum.] *Prop.* 1, 10, 7. Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos. [**Labentes oculi* sunt h. l., qui vel volente, vel invito somniculoso clauduntur.] ℙ *Labentes malae* sunt morbo absumptae, et barba obsitae. De Augusto aegrotante *Suet. Aug.* 99. Petito speculo capillum sibi componi, ac malas labentes corrigi praecepit. Fiebat hoc barbam tondendo, aut radendo, aut etiam componendo pectendoque. [*Frustra defendit *Casaub. labantes*, quod nullo modo ferri potest. Perquam commode affert ad hujus loci sententiam explicandam *Gronov. Claud. Bell. Gild.* 22. Vox tenuis tardique gradus oculique jacentes; Interius fugere genae: ubi nunc legitur: *oculique latentes* Interius. Sedere genae.] ℙ Est etiam fluens, decurrens. *Virg. A.* 3, 281. Exercent patrias oleo labente palaestras. *Id. G.* 4, 366. sub magna labentia flumina terra. *Prop.* 1, 20, 19. Labens ratis. *Virg. A.* 3, 515. sidera tacito labentia coelo; et *ib.* 2, 695. Stella labens super culmina tecti; et *ib.* 14. tot jam labentibus annis; et *ib.* 1, 287. veniet lustris labentibus aetas, Cum, etc. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 21. Cum labentem et prope cadentem rempubl. fulcire cuperetis. *Id. ad Brut.* 1, 18. Ferre praesidium labenti et inclinatae reipublicae. *Id. Rabir. Post.* 16. Veterem amicum suum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide, *h. e.* excidentem de statu fortunarum suarum. *Virg. A.* 4, 318. miserere domus labentis. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 19. Labentem belli fortunam restituit; et 4, 8. *extr. n.* 2. Labentis annonae subsidia. [**Liv. prooem. p. m.* Labente deinde disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sunt: ubi *Doederl.*, qui 1, 131. h. l. laudat, *Gronovii* conjecturam, etiam *Drakenb.* probatam, *labante*, ideo recte videtur rejicere, quod oppositionem inter *disciplina* et *mores* turbet.]

LĂBĔO, onis, m. *χειλών*, idem ac chilo, qui labia habet justo majora, ut *Charis.* 1, 79. ex *Verr. Fl.* docet. *Plin.* 11, 37, 60. Labra, a quibus Brocchi labeones dicti. *Arnob.* 3, 108. Esse quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones. ℙ Cognomen id fuit familiarum Romanarum Atiniae, Fabiae, Antistiae. Ex hac fuit *Antistius Labeo*, celebris praecipue in Juris civilis scientia, de qua publice consulentibus responsitavit, et multa volumina scripsit, ceterarum quoque bonarum artium non expers: nam et in grammaticam sese, atque dialecticam, litterasque antiquiores, altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines, rationesque percalluerat: eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur. Haec *Gell.* 13, 10. Floruit sub Augusto, a quo oblatum consulatum recusavit, (ut est ap. *Pomp. Dig.* 1. *tit.* 2. *f.*) quo liberius vacaret studiis, nam totum annum ita diviserat, ut Romae sex menses cum studiosis esset, sex mensibus secederet, et conscribendis libris operam daret. Multa ex his afferuntur a JCtis in libris Digestorum. ℙ Alius certe fuit is, de quo *Plin.* 35, 4, 7. Parvis gloriabatur tabellis, exstinctus nuper in longa senecta, Antistius Labeo praetorius, etiam proconsulatu provinciae Narbonensis functus. ℙ [Alius fuit *Accius Labeo* poeta, de quo sic *Vet. Schol.* ad *Pers.* 1, 4. Labeo transtulit Iliada, et Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Ejus est ille versus: Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos, (ex *Homer. Iliad. A. v.* 35. *Ὦμὸν βεβρώθοις Πριάμοιο, Πριάμοιό τε παῖδας*). *Id. ib.* 50. Accius Labeo Iliadem Homeri versibus foedissime composuit. *F.*]

LĂBĔRIĀNUS, a, um, adj. ad Laberium pertinens. *Sen. Ira* 2, 11. Occurrat tibi Laberianus ille versus.

LĂBĔRĬUS, ii, m. Decimus Laberius, eques R. asperae libertatis mimographus floruit sub C. Caesare: a quo jam sexagenarius, quingentis millibus invitatus fuit, ut in scenam prodiret, et mimos ipse ageret, quos scriptitabat: quod quidem fecit, sed adeo dictis non abstinuit, ut ne ipsi quidem parceret, qui produxerat. V. *Macr. Sat.* 2, 7., *Suet. Caes.* 39. et *Sen. Ira* 2, 11. ℙ Exstant ejus Mimorum fragmenta solum, tum apud citatos auctores, tum ap. *Gell.*, *Charis.*, *Non.* etc. In iis nimiam ejus licentiam in fingendis Latinis vocibus notat *Gell.* 16, 7. nonnulla ejus verba insolentiora referens. *Hor. Sat.* 1, 10, 6. Et LaberI mimos, ut pulcra poemata, mirer. ℙ Si quid tolerabile habent, (inquit *Sen. Controv.* 3, 18. *f.*) jocos, et dicta habent. Ab eadem asperitate eum laudat etiam *Hor. l. c.* ℙ Rem de eo lepidam narrat *Sen. ib.* Divus Julius, inquit, ludis suis mimum produxit: deinde equestri illum ordini redditum, jussit ire sessum in equestria. Omnes ita se coarctaverunt, ut venientem non reciperent: multosque tunc in senatum legerat Caesar, et ut repleret exhaustum bello civili ordinem, et ut his, qui bene de partibus meruerant, gratiam referret. Cicero in utramque rem jocatus misit ad Laberium transeuntem: *recepissem te, nisi anguste sederem.* Laberius ad Ciceronem remisit: *atqui soles duabus sellis sedere;* quia Cicero male audiebet, tanquam

nec Pompejo certus amicus, nec Caesari, sed utriusque adulator.

LĂBES, is, f. *πτῶμα*, lapsus, casus, ruina, vitium quodlibet, quo res de suo statu labitur, deformaturque et corrumpitur: a *labor*, *eris*, ut *caedes* a *caedo*, et *nubes* a *nubo*, inquit *Voss.* Hanc originem *Serv.* quoque ad *A.* 2, 97. ei tribuit. *Cic. Div.* 1, 43. Delata ad senatum labes agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset; et *ib.* 35. *extr.* Tantos terrae motus in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes [*Erdfälle*] factae sint, terraeque desederint. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 400. *n.* 292. Imp. Caes. Trajanus substructionem contra labem montis fecit. *Just.* 30, 4. Motus terrae multas civitates ruinarum labe concussit, quasdam solidas absorbuit. *Lucr.* 2, 1143. magni moenia mundi Expugnata dabunt labem putresque ruinas. *Labeo Dig.* 19, 2, 62. Si rivum labes corrupit. *Ulp. ib.* 15. Si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, *h. e.* e coelo calamitas. *Arnob.* 5, 185. Labes imbris e coelo. ℙ Universim est damnum, exitium, pernicies, corruptio, vitium, malum. *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! *Val. Fl.* 5, 237. Tunc tibi regnorum labes, luctusque supersunt. *Cic. Fl.* 10. *extr.* Innocentiae labes ac ruina. *Quint. decl.* 12, 4. Labes frumenti. ℙ Speciatim est morbus, pestis, lues. *Grat. Cyn.* 468. praecipitem, qua spes est proxima, labem Aggredere. *Seren. Samm. de morbo comit.* 57, 1018. Concilium populi labes horrenda diremit. ℙ De cive pernicioso. *Cic. Har. resp.* 22. Non sinit eadem ista labes: eas habet conciones, ut, etc.; et *Dom.* 1. Illa labes ac flamma reipublicae; et *Verr.* 1, 1. Labes atque pernicies provinciae Siciliae. ℙ Est etiam macula, sordes, illuvies: quia quae lapsa sunt, deformia fiunt et sordida. *Hor. Ep.* 2, 1, 235. tractata notam labemque relinquunt Atramenta. *Pers.* 3, 25. purum et sine labe salinum. *Ov. A. Am.* 1, 514. Sit bene conveniens, et sine labe toga; et *ib.* 291. de tauro: Signatus tenui media inter cornua nigro: Una fuit labes, cetera lactis erant. *Virg. A.* 6, 746. Concretam exemit labem, purumque reliquit Aetherium sensum. *Suet. Aug.* 38. Senio vel aliqua corporis labe insignes. *Ov. Met.* 15, 130. Victima labe carens, et praestantissima forma. *Lact.* 7, 27. Homo subtractus his labibus terrae. ℙ Translate est turpitudo, infamia, ignominia, dedecus. *Festus:* Labes macula in vestimento dicitur: et deinde *μεταφορικῶς* transfertur in homines vituperatione dignos. *Cic. Leg.* 2, 10. Animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest. *Id. Dom.* 20. *extr.* Labes atque eluvies civitatis. *Id. Balb.* 6. Est hujus saeculi labes quaedam et macula, virtuti invidere. *Id. Vat.* 6. Ne qua ex tua indignitate labes illius dignitati adspersa videatur. *Id. Coel.* 18. Probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferre. *Id. Dom.* 38. Labem turpitudinis et inconstantiae sustinere *Curt.* 7, 7. *med.* imponere felicitati alicujus. *Tac. H.* 3, 24. abolere prioris ignominiae. *Prop.* 4, 8, 20. famae non sine labe meae. *Ov. Amor.* 3, 5, 44. Pectus adulterii labe carere negant. *Id. Pont.* 4, 8, 20. Mores labe carent; et *ib.* 2, 2, 49. vita sine labe peracta. *Cic. Off.* 3, 21. *f.* Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae vulnera? et *Lact.* 4, 26. et *Ira D.* 19. Peccatorum labibus, ac vitiorum maculis inquinati. ℙ De cive vitiis infami. *Cic. Sext.* 8. *f.* Habeo quem opponam labi illi atque coeno. ℙ *Labi* pro *labe*, ut *colli* pro *colle*, dixit *Lucr.* 5, 928. Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla. ℙ [*Discrimen quo distent *labes*, *macula*, *nota*, *Doederl.* 1, 134. ita vult constitui: Labes depravat; Macula variat; Nota insignit. ℙ Confund. *labes* et *tabes*. V. *Gronov.* ad *Liv.* 38, 38. *Drak.* ad *Sil.* 8, 21. et qui hos laudat *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 4. p. 244. *Labibus* et *lapidibus*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 5, 14.]

LĂBIAE, arum, f. plur. labra, *χεῖλη*. Vox antiqua, et usus exigui. *Pl. Stich.* 5, 4, 41. Age tibicen: refer ad labias tibias. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Labias sensim primores emovemus. *Poeta quidam Gellii aequalis* ap. *eund.* 19, 11. Animula aegra et saucia Cucurrit ad labias mihi. *Appul. Met.* 3. Nares hiantes, et labiae pendulae. Adde *ib.* 10. et *Naev.* ac *Lucil.* ap. *Non.* 3, 120. ℙ Etiam *labeae*, *arum*, legitur. *Pomp.* ap. *Non.* 6, 43. Rictum et labeas cum considero. *Gell.* 18, 4. Rictu oris, labearumque ductu contemni a se ostendens hominem ipsum, etc. ℙ In singulari num. *Appul. Met.* 3. Postrema dejecta labia. *Cato R. R.* 20. de axe trapeti: Labiam bifariam facito.

LĂBĪCĀNUS, a, um, adj. *Λαβικανός*, ad Labicos pertinens. *Liv.* 26, 9. *f.* Labicanus ager. ℙ *Via Labicana* Roma Labicos ferebat, ab Exquilina porta incipiens, simul cum Praenestina. *Id.* 4, 41. ℙ [Absolute *Labicanum*, *i*, n. est ager Labicanus. *Cic. Par.* 6, 31. Habuit fundum in Labicano. ℙ *Labicani*, *orum*, sunt incolae oppidi Labici, qui et *Labici* dicuntur. *Liv.* 4, 45. Tum Labicanis bellum indictum. V. QUINTANENSIS. ℙ Primam licenter producit *Mart.* 1, 89. Alcime, quem ruptam domino crescentibus annis Labicana levi caespite velat humus. *F.*] ℙ Scribitur et *Lavicanus*.

LĂBĪCI, orum, m. et Lăbĭcum, i, n. *Λαβῖκοι*, oppidum nunc dirutum, in loco, qui modo *la Colonna* dicitur, et colonia Latii, inter Tusculum et Praeneste: quod Glaucus Minois filius vel condidit, vel primus in eo regnavit. Dictum est *ἀπὸ τῆς λαβῆς*, ansa: quod scutum cum ansa iis civibus monstravit. Haec *Serv.* ad *A.* 7, 796. innuere videtur. *Liv.* 2, 39. Corbionem, Trebiam, Labicos, Pedum cepit. *Sil.* 12, 534. campos ingressus, et arva Labici. ℙ *Labici*, *orum* sunt etiam ejus oppidi cives. *Virg. l. c.* et picti scuta Labici. *Sil.* 8, 368. atque habiles ad aratra Labici. V. QUINTANENSES. ℙ Scribitur et *Lavicum*.

LĂBĬDUS, a, um, adj. *ὀλισθηρός*, in quo labi quis facile potest, lubricus. *Vitr. prooem. l.* 6. Labidis itineribus vadens.

LĂBIĒNIĀNUS, a, um, adj. ad Labienum pertinens, ut Labieniani milites, *Hirt. B. Afr.* 29. V. v. sq.

*LĂBIĒNUS, i, m. Caesaris partes primum secutus, et in Gallia legatione fungens, bello civili ad Pompeium defecit. *Lucan.* 5, 345. Fortis in armis Caesareis Labienus erat, nunc transfuga vilis. Adde *Caes. B. C.* 3, 13. *Hirt. B. G.* 8, 52. *Auct. B. Hisp.* 31. ℙ Alius hoc nomine, declamator nobilis, quem *magnum oratorem* nominat *Seneca* pater, ceterum tantae libertatis, ut libertatis nomen excederet, et, quia passim ordines hominesque laniabat, *Rabienus* vocaretur. V. plura de eo apud *eund. praefat. Controvers.* 5. *B. A.*

LĂBĬLIS, e, adj. qui facile labitur, *ὀλισθηρός*. *Ammian.* 27, 10. *med.* Per labilem limum incitato jumento digressus. ℙ Translate. *Arnob.* 7, 213. Et quisquam est, qui Deos sibi persuadeat dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri?

*LABILĬTAS, atis, f. *Sarisb.* 2, 21. Labilitas subjectorum. *B. A.*

LĂBĬO, onis, m. labiosus. *Verr. Fl.* ap. *Charis.* 1, 79. V. LABEO.

LĂBILLISCO. V. LAPILLISCO.

[LĂBĪNA, ae, f. moles saxorum, ac praecipue nivium conglobatarum, et e monte descendentium. *Isid.* 16, 1. Labina, eo quod ambulantibus lapsum inferat, dicta per derivationem a labe. Hinc nostrates vulgo nunc *lavina* aut *slavina* dicunt. *F.*]

[LĂBĬONILLA, ae, f. dimin. labionis: quae habet labia aliquantulum justo majora. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1149, 1. Sessia Labionilla. *F.*]

LĂBĬOSUS, a, um, adj. *μακρόχειλος*, *παχύχειλος*, qui magna labra habet, labeo, labrosus. *Lucr.* 4, 1162. Simula, Silena ac Satura est: labiosa, Philema.

LĂBĬUM, ii, n. *χεῖλος*, extremitas oris, seu membrum, quo supra infraque os aperitur, et clauditur: a *λάβω*, capio, quia labiis cibum apprehendimus. Dicitur etiam *labrum* eadem origine: sed discrimen aliqui commenti sunt, ut *labium* inferius sit, *labrum* superius: quod *Donat.* refert ad *Ter. Eun.* 2, 3, 44. Alii, contra rem se habere, putant. Ipse autem hoc statuere videtur, ut *labia* immodica sint, unde *labeones:* modica vero *labra:* quod idem ex *Verr. Fl.* tradit *Charis.* 1, 79., qui tamen recte docet, *labia* et *labra* indistincte dici. Inanissimum vero est, quod alii *labia* mulierum, *labra* virorum putarunt, quos et *Serv.* ad *Ecl.* 2, 34. reprehendit. Illud certo statui potest, *labium* minoris esse usus, et in prosa oratione vix usurpandum. *Ter. l. c.* Incurvus, tremulus, labiis demissis. *Sil.* 8, 114. volvens vix murmur anhelum Inter singultus, labiisque trementibus Anna. *Plin.* 29, 3, 11. Labiorum fissuris mederi. *Appul. Apol.* Salivosa labia. ℙ *Ductare aliquem labiis* est irridere distorquendo os, sanis illudere. *Pl. Mil.* 2, 1, 14. Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum, Majorem partem videas valgis saviis, *h. e.* pars major meretricum, quia illum labiorum obtortione solent insectari, habet ora prave distorta. V. LABIAE. ℙ In singulari num. *Seren.* ap. *Non.* 3, 120. labiumque insigne revellit. ℙ [*Nota, Ciceronem vocabulo *labium* nusquam uti: quamquam *N. D.* 1, 8, 20. *Edd. Marsi* et *Ascens.* hanc formam exhibent.]

[LĂBO pro *labores*. V. LABOR, oris. *F.*]

LĂBO, as, n. 1. *ἀστατέω*, *παραπταίω*, *σφάλλομαι*, labefactor, nuto, vacillo, ruinam minor. Unde discrimen patet inter *labentem*, et *labantem*: ille enim cadit, ruit: hic labefit, nutat, instabilis est ac dubius, non tamen labitur. [*V. quae disputat *Doederl.* 1, 128. De reliquis hujus verbi synonymis agit *id.* 3, 62. sq.] *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *f.* Signum illud nulla lababat ex parte, cum alii vectibus subjectis conarentur commovere, etc. *Virg. A.* 2, 492. labat ariete crebro Janua; et *ib.* 5, 432. tarda trementi Genva labant; et 10, 283. egressisque labant vestigia prima. *Cels.* 7, 1. *n.* 1. Si ex ictu vel alio casu labant dentes. *Val. Fl.* 3, 163. magna juvenum cum densa securi Silva labat. *Ov. Met.* 2, 163. Utque labant curvae justo sine pondere naves, Perque mare instabiles nimia levitate feruntur; Sic, etc. *Id. Fast.* 6, 678. dubii stantque, labantque pedes. *Id. A. Am.* 2, 85. de Icaro: Vincla labant, et cera Deo propiore liquescit. *Id. Her.* 10, 140. Litteraque articulo pressa tremente labat, *h. e.* tremente manu scripta, ipsa quoque, inaequalibus lineis exarata, tremere videtur. ℙ Translate est dubitare, incertum esse, a constantia decedere. *Cic. Att.* 8, 14. Scito, labare meum consilium, illud, quod satis jam fixum videbatur. *Id. Phil.* 7, 10. Cum ei labare M. Antonius videretur; et *Tusc.* 1, 32. Labamus, mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus. *Liv.* 22, 61. Qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare coeperunt; et 32, 30. Suberat suspicio animis, labare fidem sociorum. *Ov. Her.* 17, 178. in dubio pectora nostra labant. *Id. Met.* 6, 629. ex nimia matrem pietate labare, Sensit; et *Trist.* 4, 3, 12. Cur labat ambiguo spes mihi mixta metu? *Val. Fl.* 3, 75. aegra virorum Corda labant. *Plin.* 14, 22, 28. de insigni potore vini: Torquato rara gloria, non labasse sermone, non levatum vomitione, etc. [*Sil.* 2, 392. Quis lababat fides, i. e. qui fide erant dubia et incerta. Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 290.] ℙ Item esse in ancipiti, et proximum casui. *Ov. Trist.* 2, 232. pars nulla est, quae labet, imperii. *Id. Met.* 15, 438. cum res Trojana labaret. ℙ Pro deficere. *Liv.* 5, 18. Memoria labat, vigor animi obtusus. *Cels.* 3, 19. Mens in illis (*phreneticis*) labat, in hoc (*cordiaco*) constat. *Appul. Met.* 8. Labanti spiritu totam se super corpus effudit. ℙ Pro dissolvi, turbari, misceri, confundi. *Cic. Fin.* 3, 22. Quid in philosophia non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si ullam litteram moveris, labent omnia? ℙ V. alia in LABANS. ℙ [*Dicitur etiam de mortuis aut occisis. *Lucan.* 6, 93. Inde labant populi, coeloque paratior unda Omne pati virus, duravit viscera coeno.] ℙ Qui in praeteritis usurpaverit, adhuc non legi.

LĂBOR, eris, psus sum, dep. 3. *ἀποῤῥέω*, *ὀλισθαίνω*, deorsum feror, cum aliqua velocitate descendo, delabor, defluo, cado. [*Labi* denotat adjecta lenitatis significatione terminum, a quo; *cadere* terminum, ad quem. Hinc recte *Popma: cadere* plus est quam *labi*. Plura v. ap. *Doederl.* 1, 128. sqq.] *Cic. Tusc.* 4, 18. Sunt in lubrico, incitataque semel, proclive labuntur. *Ov. Ib.* 513. Lapsuram domum subire. *Virg. A.* 11, 588. Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos. *Val. Fl.* 7, 259. Cum levis a superis ad te modo laberer auris. *Hor. Od.* 1, 13, 7. Humor in genas furtim labitur. *Virg. G.* 1, 366. stellas praecipites coelo labi; et *A.* 2, 262. Demissum lapsi per funem. *Ov. Her.* 7, 185. Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem. *Cic. Fat.* 3. Naufragum illum in rivo esse lapsum. *Ov. Trist.* 1, 3, 4. Labitur ex oculis gutta. *Id. Met.* 13, 954. lapsi de fontibus amnes; et *ib.* 3, 410. lapsus ab arbore ramus; et *ib.* 699. Catenae lapsae lacertis, sponte sua, nullo solvente; et *ib.* 11, 51. medio dum labitur amne. *Lucr.* 4, 445. splendida signa videntur Labier adversum nimbos: *Ov. Met.* 13, 477. super terram defecto poplite labens. *Virg. A.* 11, 818. Labitur exsanguis: labuntur frigida leto Lumina. *Val. Fl.* 5, 2. morbis fatisque rapacibus ldmon Labitur. ℙ Item decurro, serpo, lubrico ac facili motu feror, quamvis non deorsum, unde proprie de anguibus dici, notat *Serv.* ad illud *Virg. A.* 2, 225. At gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt. *Id. ib.* 8, 91. Labitur uncta vadis abies. *Ov. Her.* 10, 65. Ut rate felici pacata per aequora labar; et *ib.* 21, 83. de insula Delo: quid me fugis, insula? dixi: Laberis in magno numquid, ut ante, mari? et *Amor.* 2, 13, 13. Pigraque labatur circa donaria serpens. *Cic. Acad.* 1, 8. Res subjectae sensibus essent ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset constans, quia continenter laberentur et fluerent omnia. [*Adde ejusd. *Univ.* 10. Sidera, quae vaga et mutabili ratione labuntur. ℙ Item *mutari*. *Id. Or.* 3. Cetera nasci, occidere, fluere, labi; nec diutius esse uno et eodem statu. *Schütz. cl. Cic.* ℙ Hinc i. q. dilabi, dissipari. V. *Tibull.* 1, 8, 53. Labentur opes, etc.] ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 1, 21. Illico res foras labitur. *Ov. Amor.* 1, 8, 49. Labitur occulte, fallitque volubilis aetas. [*Cf. *Tibull.* 1, 8, 48.] *Cic. Or.* 57. Brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius. [*Alius locus, ubi de numero oratorio dicitur, est *ib.* 56. Circuitus ille — incitatior numero ipso fertur et labitur, quoad perveniat ad finem et insistat.] *Id. Leg.* 1, 19. *extr.* Videtisne, ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius, nisi me retinuissem, *h. e.* sensim ac paulatim digrediebar, et declinabam dicendo. [*Div.* 2, 37. Sed labor longius; ad propositum revertor. ℙ *Labi* dicitur etiam de populis eodem modo, quo alias *jacere* hac vel illa regione usurpatur. *Lucan.* 8, 363. Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem Labitur, etc.: ubi v. *Cort.*] ℙ Aliquando ponitur pro excidere. *Virg. Ecl.* 1, 64. Quam nostro illius labatur pectore vultus. ℙ Item pro deficere. *Tac. A.* 6, 50. Labi spiritum, nec ultra biduum dura-

turum. [*Labi h. l. paulatim decrescere, donec penitus absumpta vita sit.] ℙ Item pro effugere, elabi. V. LAPSUS, a, um. ℙ Item pro sensim irrepere. *Ov. Met.* 11, 631. labique somnum ut sensit in artus, Effugit. *Petr. Sat.* 21. et 22. Labi in somnum. ℙ Et pro sensim devenire, paulatim abire. *Ov. Met.* 2, 628. labi in cineres. ℙ Et pro se demittere. *Tac. A.* 4, 6. Labi in adulationem. ℙ Et pro ferri. *Val. Fl.* 6, 662. Labi in gaudia. ℙ [*Pro inclinare, incidere. *Cic. Ac. pr.* 2, 45. Labor eo ut assentiar Epicuro; et *ib.* Vos — veremini ne labar ad opinionem, et aliquid asciscam, et comprobem incognitum. Sunt haec a *Schütz.* laud. in *cl. Cic.* Poterat hic etiam commemorari locus, quem noster supra posuerat *Att.* 4, 5. Nec, qua mihi liceret labi ad illos, qui etiam, tum, cum misereri mei debent, non desinunt invidere, *h. e.* deflectere, accedere, adjungi, transire.] ℙ Et pro decidere, prolabi. [*Cic. Coel.* 12. Serpit res; quae perclivius ad perniciem, quum semel coepit, labitur.] *Justin.* 1, 7. Labi in luxuriam; et 21, 2. in segnitiem. *Hor. Ep.* 2, 1, 93. in vitium. *Caes. B. G.* 5, 53. Labi spe. *Ulp. Dig.* 27, 8, 1. *med.* facultatibus. Et absolute. *Paul. ib.* 26, 7, 13. Si idoneus contutor subito lapsus sit. ℙ Et saepissime pro errare, peccare, falli, decipi. *Cic. Off.* 1, 6. Labi, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus. *Id. Brut.* 49. In aliqua re labi et cadere. *Phaedr.* 5, 5. Pravo favore labi mortales solent. *Caes. B. G.* 5, 3. Ne plebs propter imprudentiam laberetur. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Lapsus est per errorem. *Modest. Dig.* 33, 2, 19. errore. *Arr. Men. ib.* 49, 16, 6. *f.* per vinum, aut lasciviam. *Ulp. ib.* 2, 13, 1. *extr.* ob aetatem, vel rusticitatem, vel sexum. *Cic. Agr.* 2, 3. et *Phil.* 7, 6. consilio; *ἀνυχεῖν, h. e.* consilium quidem adhibere, et rem pensitare, sed errare tamen: cui opponitur ap. *eund. Agr. c.* 2. labi casu. *Id. Rabir. perd.* 9. imprudentia. *Id. Brut.* 69. ambitione; et *Phil.* 13, 4. opinione. *Papin. Dig.* 3, 5, 31. imperitia. *Paul. ib.* 24, 3, 17. ignorantia juris. *Cels.* 5, 26. *n.* 13. mente. *Ov. Amor.* 2, 8, 7. in verbo aliquo, *h. e.* cum imprudenter verbum aliquod invito effluit. *Cic. Tusc.* 2, 4. *extr.* Philosophus in ratione vitae peccans, in officio, cujus magister esse vult, labitur. *Plin. ep.* 2, 3. Ne verbo quidem labi, *h. e.* ne verbum quidem omittere eorum, quae dicenda sunt. [*Huc pertinent et ista *Cic. Or.* 1, 37. in minimis tenuissimisque rebus labi; et *Fam.* 2, 7. Nunquam labere si te audies.]

LĂBOR (antique etiam Labos) oris, m. *πόνος*, operis functio, ex qua vires labuntur, opera, defatigatio, contentio, afflictatio: est a *labo. Cic. Tusc.* 2, 15. Interest aliquid inter laborem, et dolorem: sunt finitima omnino, sed tamen differt aliquid. Labor est functio quaedam vel animi, vel corporis, gravioris operis et muneris: dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Haec duo Graeci uno nomine appellant (*πόνον*): itaque industrios homines illi studiosos, vel potius amantes doloris (*φιλοπόνους*) appellant, nos commodius laboriosos. *Id. Coel.* 17. Omnem vitae cursum in labore corporis, atque in animi contentione transigere. *Id. Or.* 1, 33. Res est magni laboris. *Pl. Rud.* 1, 3, 7. Hoc est mihi labori. *Plin.* 26, 11, 72. Lethargicos excitare, labor est; et 11, 17, 17. In labore esse. *Cic. Mur.* 18. Laborem sibi sumere, et alteri imponere. *Quint. prooem. l.* 1. alicui injungere. *Cic. Inv.* 2, 38. Sumptum et laborem insumere in rem aliquam. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Laborem et sumptum ad incertum casum impendere. *Virg. G.* 2, 61. alicui rei laborem impendere. *Cic. Or.* 1, 55. Multum operae laborisque consumere. *Id. Att.* 1, 17. *med.* Laborem sustinere; et *Acad.* 4, 34. exantlare. *Id. opt. gen. Or.* 5. suscipere. *Virg. A.* 1, 14. adire. *Cic. Att.* 3, 15. *f.* subire. *Id. Rosc. Com.* 16. *extr.* capere, *h. e.* subire, sentire. *Nep. Eum.* 18. *f.* ferre. *Liv.* 1, 54. Pericula et labores obire. *Ter. Hec.* 2, 1, 29. Labori haud parcere. *Plin. ep.* 3, 1. *f.* Laboribus conteri. *Cic. Brut.* 69. Labores magnos excipere. *Id. Fam.* 1, 8. *med.* Laboribus maximis perfunctus. *Id. Arch.* 11. *f.* Se in magnis laboribus exercere; et *mox:* Se magnis laboribus frangere; et *N. D.* 2, 23. Cum labore operoso moliri aliquid. *Id. Font.* 1. *f.* Multo sudore ac labore quippiam facere. *Ter. Ad.* 5, 4, 17. Sine labore potiri aliquid; et *Heaut. prol.* 4. Agere *(in scena)* cum labore maximo. *Plin.* 2, 63, 63. Veneni haustu exstinguimur, nullo labore. *Plin. alter ep.* 2, 19. Quae scripsimus cum labore, etiam cum labore audiri putamus. *Cic. Or.* 34. Laborem levare alicui. *Id. Fam.* 3, 6. *med.* detrahere. *Ov. Met.* 7, 208. minuere; et *ib.* 3, 154. intermittere. *Curt.* 5, 13. relaxare. *Sil.* 4, 820. labori incumbere. *Caes. B. G.* 3, 5. Ex labore se reficere; et *ib.* 5, 11. Ne nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Corpus in laboribus habui. ℙ Metonymice est molestia, calamitas, incommodum. *Cic. Fam.* 15, 8. Cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi. *Virg. A.* 4, 78. Iliacos iterum demens audire labores Exposcit; et *ib.* 2, 11. Trojae supremum audire laborem; et *ib.* 5, 617. taedet pelagi perferre laborem. *Nep. Ann.* 13. Multis variisque perfunctus laboribus. *Virg. G.* 1, 150. Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos Esset rubigo, etc. *h. e.* malum; et *ib.* 4, 340. primos Lucinae experta labores, *h. e.* nisus ac dolores pariendi; et *ib.* 2, 478. et *Ov. Met.* 7, 208. Lunae labores, i. e. defectus tunc enim *laborare* creditur. *Ter. Andr.* 5, 2. *f.* Tantum laborem capere ob talem filium! ℙ Item res gestae bellicae, quae maxime laborem postulant. *Virg. A.* 11, 126. et *Val. Fl.* 5, 133. Belli labores. *Claud. Laud. Stil.* 1, 21. Decertati labores. Hinc *Herculis labores*, de quibus V. in HERCULES. ℙ Item opus rusticum. *Virg. G.* 2, 514. et *Hor. Od.* 3, 24, 15. ℙ Item morbus. *Pl. Curc.* 2, 1, 4. Valetudo decrescit, accrescit labor. *Vitr.* 8, 3. Sulphurosi fontes nervorum labores reficiunt. ℙ Item dolor. *Scrib. Comp.* 227. *f.* Hoc medicamentum sine magno labore cadere cogit haemorrhoidas. ℙ Item discrimen, periculum. *Col* 9, 13. de apibus: Maximus autem carum labor est initio veris, quo tithymali floret frutex, etc. tali nocente cibo: quo cum se affatim repleverint, profluvio alvi intereunt. ℙ Item pondus. *Plin.* 36, 22, 48. Hi lapides tractabiles in opere, laborem quoque tolerant. *Vitr.* 2, 7. Saxa si sint in locis tectis, sustinent laborem; sin autem in apertis, friantur et dissolvuntur. ℙ Item vis, violentia, conatus. *Val. Fl.* 2, 617. Has etiam terras, consertaque gentibus arva Sic, pelago pulsante, reor Neptunia quondam Cuspis, et adversi longus labor abscidit aevi; et *ib.* 285. Visa ratis saevae defecta laboribus undae. *Virg. A.* 9, 404. Tu Dea, tu praesens nostro succurre labori. ℙ Item artificium. *Val. Fl.* 1, 143. Poculaque, insignis veterum labor; et 5, 453. nondum noscentibus, ille Quis labor. *Virg. A.* 1, 459. Artificumque manus inter se, operumque laborem Miratur; et *ib.* 6, 27. Hic labor ille domus, et inextricabilis error, *h. e.* ingeniosum opus labyrinthi. *Val. Fl.* 2, 409. Dona duci promit, chlamydem, textosque labores. ℙ Item cura, sollicitudo. *Virg. A.* 4, 379. Scilicet is Superis labor est: ea cura quietos Sollicitat; et *ib.* 1, 80. tuus, o regina, quid optes, Explorare labor. ℙ Metaphorice. *Id. ib.* 746. Hic canit errantem lunam, solisque labores, Unde hominum genus, et pecudes, etc. *h. e.* errores, seu vagos lunae cursus, et celerem statumque solis circuitum, ex quo laborare videtur. V. LABORO. ℙ *Labores uteri* sunt filii. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 193. tibi gaudia nostri Sanguinis, et caros uteri commendo labores. ℙ Inter ceteras Pestes, quas in vestibulo Ditis habitare fingunt poetae, Laborem recenset *Virg. A.* 6, 277. ℙ [Etiam *labo*, decurtata nempe voce pro *labores*, utebantur veteres, ut *coel, do, gau* pro *coelum, domum, gaudium. Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Qua malum! volup? Immo, si dimidiatis verbis verum dicendum est, ubi tu animo faceres vigil, vigilias dico: aut ut faceres labo, aut ut faceres mole, labores et molestias dico. *F.*] ℙ *Labos* legitur ap. *Pl. Merc. prol.* 72. et *Trin.* 2, 1, 35., *Ter. Hec.* 3, 1, 6., *Catull.* 55, 13., *Sall. Jug.* 105. et *in or. Macri trib. pleb.*, *Virg. l.* modo *c.*, *Val. Fl.* 7, 361. et *Non.* 8, 27. etc., tametsi in his aliquando libri variant. Hac de re ita *Quint.* 1, 4. Nam ut *Valesii* et *Fusii* in *Valerios*, *Furiosque* venerunt, ita *arbos*, *labos*, *vapos* etiam, et *clamos*, ac *lases* aetatis fuerunt. *Serv.* ad *A.* 1, 257. observat, *Sallustium* paene ubique *labos* dixisse. ℙ **Ad labores* locus fuit Pannoniae inferioris. *Tab. Peut. B. A.* ℙ [*Confund. *laborum, malorum, dolorum.* V *Cort.* ad *Lucan.* 2, 317.]

[LĂBORĀTĬO, onis, f. labor. *Front. hist.* (ed. *A. Maio*) *ab in.* Tantas res a te gestas, quantas et Achilles gessisse cuperet, et Homerus scripsisse: laborationibus his vereor, ne quando, etc. *F.*]

*LĂBORĀTOR, oris, m. ap. *Augustin. B. A.*

LĂBORĀTUS, a, um, adj. *διαπεπονημένος*, labore ac studio factus, elaboratus. *Cic. Coel.* 22. Sed haec, quae sunt oratoris propria, quae mihi fructum aliquem ferre potuissent, cum a me ipso laborata proferri viderentur, etc. *Plin.* 5, 1, 1. *med.* Laborata Herculi et Perseo. *Virg. A.* 1, 643. Arte laboratae vestes; et *ib.* 8, 180. onerantque canistris Dona laboratae Cereris. *Ov. Met.* 3, 158. antrum Arte laboratum nulla. *Quint.* 12, 6. Actio laborata dierum ac noctium studio. *Mart.* 4, 33. Laborati libri. *Id.* 9, 19. Curva laboratas antlia tollit aquas, *h. e.* magno labore haustas. *Tert. Virg. vel.* 10. Continentia laboratior, *h. e.* major labore, ac difficultate custodita. ℙ Item per labores et aerumnas actus, laboriosus, exercitus. *Val. Fl.* 5, 225. Fata laborati Phryxus compleverat aevi. *Stat. Th.* 1, 341. Grata laboratae referens oblivia vitae.

LĂBORĬAE. V. LABORINI.

LĂBORĬFER, a, um, adj. *ἐπίπονος*, ferens laborem, laboris patiens, laboriosus. *Ov. Met.* 9, 285. laboriferi cum jam natalis adesset Herculis; et *ib.* 15, 129. Laboriferi juvenci caedes. *Stat. Th.* 6, 25. Clara laboriferos coelo Tithonia currus Extulerat. *Auson. Idyll.* 4, 6. Grajo schola nomine dicta est Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

LĂBORĪNI campi, qui et Laboriae appellantur, nunc *il territorio di Gaudo*, in Campaniae tractu, qui a viis consularibus, quae a Puteolis, et quae a Cumis Capuam ducit, et Vulturno amne finitur, hinc tota Campania nunc *Terra di Lavoro* dicitur, quia ingens sit labor in eo colendo, quod agrorum genus Itali nunc *di terren forte* vocant. *Plin.* 17, 4, 3. Inter argumenta (*optimae terrae*) stipulae crassitudo est, tanta alioqui in Laborino Campaniae nobili campo, ut ligni vice utantur; sed idem solum ub cumque arduum opere, difficile cultu, bonis suis acrius paene, quam vitiis posset, affligit agricolam. *Id.* 3, 5, 9. Ibi Laborini campi sternuntur. *Id.* 18, 11, 29. *n.* 1. Quantum universas terras campus Campanus antecedit, tantum ipsum pars ejus, quae Laboriae vocantur, quem Phlegraeum Graeci appellant. Finiuntur Laboriae via ab utroque latere consulari, quae a Puteolis, et quae a Cumis Capuam ducit. [*Hunc locum egregie ampliavit *F.*]

LĂBORĬOSE, adv. *ἐπιπόνως*, cum labore. *Catull.* 38, 1. Male est, Cornifici, tuo Catullo; Male, mehercule, et laboriose. Et *Cels.* 5, 17. *n.* 2. Laboriose conteruntur ea, ex quibus emplastra pastillique fiunt. *Cic. Rosc. Com.* 11. Quo quisque est ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Id. Verr.* 1, 21. Itaque semper hi diligentissime, laboriosissimeque accusarunt.

LĂBORĬOSUS, a, um, adj. *ἐπίπονος*, qui multo cum labore fit, difficilis, molestus. *Ter. Heaut.* 4, 6, 2. vel me haec deambulatio, Quam non laboriosa, ad languorem dedit. *Cic. Leg.* 3, 8. Nihil erit his domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque provincia. *Liv.* 5, 19. *f.* Operum longe maximum, ac laboriosissimum. *Catull.* 1, 6. Omne aevum tribus explicare chartis, Doctis, Juppiter! et laboriosis. *Nep. Att.* 12. *extr.* Quod utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare. *Gallus* ap. *Non.* 2, 491. Durum rus fugite, et laboriosum. ℙ Item qui in labore libenter versatur, qui multum laboris subit, et sustinet, *φιλόπονος*. *Cic. Tusc.* 2, 15. Industrios homines Graeci studiosos, vel potius amantes doloris appellant: nos commodius laboriosos. *Nep. Timoth.* 1. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus. *Colum. prooem. l.* 6. *f.* Bos laboriosissimus hominis socius in agricultura ℙ Item laboris plenus, *h. e.* multis laboribus exercitus. *Cic. Mil.* 2. Quid enim nobis duobus laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum dici potest? *Auct. Priap.* 62. Sed quod carmina pessimi poetae Ramis sustineo laboriosis. ℙ Item qui multos dolores perfert. *Cic. Phil.* 11, 4. Dolores Trebonius pertulit magnos: multi ex morbi gravitate majores: quos tamen non miseros, sed laboriosos dicere solemus.

LĂBORO, as, avi, atum, n. 1. *πονέω*. Primo neutrorum vim ac significationem habet, scilicet laborem sentio, cum labore ago: et refertur ad corpus. *Cic. Tusc.* 2, 15. Aliud est dolere, aliud laborare. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat: cum aestu magno ducebat agmen, laborabat. Est inter haec tamen quaedam similitudo. *Id. Phil.* 5, 6. *extr.* Non quo ille scuta occulta esse vellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. *Id. Verr.* 2, 3, 52. Quamdiu intelligebant, sese sibi, et populo R. non Verri, et Apronio serere, impendere, laborare. *Quint.* 11, 3. *med.* Jumenta onere et jugo laborantia. ℙ Saepe est morbo, aut dolore aliquo male habere. *Cic. Att.* 7, 2. Invaletudo tua me valde conturbat: significant enim tuae litterae, te prorsus laborare; et *Fam.* 7, 26. Cum decimum jam diem graviter ex intestinis laborarem; et *ib.* 9, 23. Laborare ex pedibus; et *Tusc.* 2, 25. ex renibus. *Ter. Andr.* 1, 5, 34. e dolore. Sic *Hor. Od.* 3, 22, 2. laborantes utero puellae. *Colum.* 2, 10. frigore; et *Plin.* 32, 10, 47. a frigore; et 24, 10, 47. torminibus; et 17, 24, 37. *n.* 2. fame et cruditate. *Suet. Claud.* 44. abundantia. *Mart.* 1, 99. podagra. *Marcell. Empir.* 36. Constat, eum non laboraturum podagrae dolore. ℙ Hinc ad alia quoque mala refertur sive corporis, sive animi, quibus urgemur ac premimur. *Cic. Cluent.* 71. Laborare ex invidia; et *Liv.* 6, 2. odio apud hostes, contemptu inter socios. *Caes. B. C.* 3, 9. a re frumentaria. *Suet. Aug.* 47. aere alieno; et *Caes. B. C.* 3, 22. ex aere alieno. *Just.* 16, 3. pestilentia. *Suet. Ner.* 2. obsidione. *Cic. Fam.* 16, 11. ex desiderio. *Id. Inv.* 2, 2. ex inscientia. *Hor. Sat.* 1, 4, 26. ab avaritia, aut ambitione. *Just.* 4, 3. discordia. *Quint.* 12, 9. *med.* crimine temeritatis. Sic 4, 1. opinione arrogantiae. *Id.* 12, 9. fastidio. *Liv.* 34, 4. Diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitas laborat. *Hor. Od.* 1, 17, 19. laborantes in uno Penelopen, vitreamque Circen, *h. e.* flagrantes amore unius Ulyssis. *Liv.* 22, 39. Laborare a veritate, *h. e.* deficere, abesse. Al. aliter leg. *Mart.* 5, 78. Si tristi domicoenio laboras. *Cels.* 2, 7. *med.* Quibus causa doloris, neque sensus ejus est, his mens laborat. Hic *Targa* reposuit *labat*, quod aliis *Celsi* locis citatis confirmat. V. LABO. ℙ Absolute dicitur de iis, qui aliqua re inferiores sunt, et a validiore premuntur. *Quint.* 4, 1. Est enim naturalis favor pro laborantibus qui causa laborant, ut *Id. ib.*

loquitur. Hinc saepe adhibetur in re militari. *Caes. B. G.* 4, 26. Quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat; et *ib.* 7, 67. Si qua in parte nostri laborare, aut gravius premi videbantur; et *B. C.* 2, 6. Suis laborantibus succurrere. ℙ Passive impersonaliter. *Id. B. G.* 7, 85. Maxime ad superiores munitiones laboratur. ℙ *Laborare alicui*, laborando inservire. *Sil.* 8, 116. Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Caes. B. C.* 2, 6. Triremes adeo graviter inter se incitatae conflixerunt, ut vehementissime utraeque ex concursu laborarent. *Prop.* 2, 25, 52. Nec cur fraternis Luna laboret equis, *h. e.* defectum patiatur ob lumen Solis terrae interventu interceptum. V. LABOR. *Petr. Sat.* 23. Detectus paries nimbo laborat. *Hor. Od.* 2, 9, 6. Aquilonibus laborant querceta Gargani; et *ib.* 1, 9, 1. Vides, ut alta, stet nive candidum Soracte, nec jam sustineant onus Silvae laborantes. *Id. Sat.* 1, 4, 19. conclusas hircinis follibus auras, Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis. *Colum.* 11, 2. *med.* Oleis laborantibus, circum radices amurcam conveniet infundere. *Ov. Pont.* 2, 6, 22. laborantem ratem deserere. *Quint.* 9, 4. *med.* Vocalium concursu hiat, et intersistit, et quasi laborat oratio. *Petr. Sat.* 115. Sinite, me sententiam explere: laborat carmen in fine. *Flor.* 1, 12. *extr.* Laborat animalium fides, ut, Vejos fuisse credamus, *h. e.* annales vix fidem faciunt, ut credamus, etc. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat laborem ac studium impendere, contendere, curare, niti, conari. *Cic. Par.* 2. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae et cogitationes meae? *Caes. B. G.* 7, 31. Animo laborabat, ut reliquas civitates adjungeret; et *ib.* 1, 31. Non minus se id contendere et laborare, ne ea enunciarentur, quam uti ea, quae vellent, impetrarent. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. *extr.* Sponsio illa ne fieret, laborasti. *Id. Prov. cons.* 11. Ut vos decerneretis, laboravi. *Id. N. D.* 3, 24. et *Brut.* 8. *extr.* Laborare in re aliqua. *Id. Caec.* 1. et *Fam.* 13, 26. *f.* de re aliqua. *Id. Dom.* 11. *extr.* pro salute alicujus. *Sen. Ira* 3, 41. Nil in famam laboremus: sequatur vel mala, dum bene merentes, *h. e.* de fama. *Quint.* 6, 4. circa memoriam, et pronunciationem. *Id.* 8, 2. *med.* In hoc etiam malum a quibusdam laboratur, *h. e.* labor ac studium impenditur, ut hoc malum adsciscant. ℙ Cum infinito. *Nep. Pelop.* 3. Ut ne quaerere quidem de tanta re laborarint. *Hor. Od.* 2, 3, 11. obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo. *Id. A. P.* 434. Reges dicuntur multis urgere culullis, Et torquere mero, quem perspexisse laborant, An sit amicitia dignus, *h. e.* nosse curant. *Ov. Her.* 15, 77. cui placuisse laborem? *Id. Met.* 13, 285. quae nunc quoque ferre laboro. *Plin. ep.* 1, 10. Amarique ab eo laboravi. *Just.* 21, 5. *f.* Laborabat invidiam demere. Adde *Stat. Theb.* 1, 489. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 8, 19.] ℙ *Non laboro, nihil laboro*, non curo, non sum anxius. *Cic. Rosc. Am.* 34. Cujus manu sit percussus, non laboro. *Id. Rosc. Com.* 15. Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro. *Id. Phil.* 8, 9. Tironi prospicit: de se nihil laborat. *Id. Fam.* 16, 4. Nihil laboro, nisi ut salvus sis. ℙ Secundo habet vim activam, et accusativum regit, et significat elaborare, facere. [*Est haec rarissima inter prosae orationis scriptores dicendi ratio. De discrimine inter *elaborare* et *laborare* eruditissime egit *Gernhard.* ad *Cat.* 7, 24. Omnia autem in eo conveniunt, ut *elaborare* dicatur, cum ad effectum labore consequendum spectetur, *laborare* de quovis labore, corporis, animi, valetudinis, ut πονεῖν et ἐκπονεῖν, quorum illud cognatum est τῷ πάσχειν. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 7, 25. Cf. *Beier.* ad *Off.* 1, 1, 3.] *Hor. Epod.* 5, 60. quale non perfectius Meae laborarint manus. *Prop.* 4, 3, 33. Noctibus hibernis castrensia pensa laboro. *Tac. G.* 45. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. *Stat. Silv.* 5, 1, 10. Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat. *Sil.* 16, 411. Et nobis, et equis letum commune laboras, *h. e.* paras, struis. *Plin. provem. l.* 23. Ex me parata omnia, nec curvo laboranda, sed se porrigentia ultro, *h. e.* cum labore colligenda.

LĂBOS. V. LABOR.

LĂBOSUS, a, um, adj. idem quod laboriosus: a *labos*. Ita *Non.* ap. quem 8, 46. *Lucilius:* Praeterea omne iter hoc est labosum, atque lutosum. *Id. ib.* labosas Tantalu' qui poenas ob facta nefantia luvit.

LABRADĔUS, i, m. Λαβράδεος, cognomen Jovis, qui in Caria colebatur. Hujus simulacrum primum dicitur consecrasse Arselis rex, cum Gygi adversus Candaulem Lydorum regem suppetias tulisset, indeque securim, Lydorum regum gestamen, in Cariam retulisset. Securim autem Lydi λάβρυν appellant. Unde Jovi Labradeo cognomen factum est. V. *Coel.* 6, 11. ℙ Jovis Labradei meminit etiam *Plin.* 32, 2, 7., ubi tamen *Hard.* ex *Aeliano* legit *Labrandeus*, Λαβράνδεος ex Labranda Cariae vico ducta appellatione. Ita etiam *Lact.* 1, 22. Sic constituta sunt templa Jovi Atabyrio, Jovi Labrandeo: Atabyrius enim, et Labrandeus hospites ejus, atque adjutores in bello fuerunt.

*LABRĂTUM. *Vet. Gloss.* Labratum, ἀσπαστικὸν βασιλέως. Labratum, φίλημα βασιλικόν. Nempe est *Osculum labratum. B. A.*

*LABRO, onis, videtur locus fuisse in Hetruria cum portu. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* ubi probabile est hodiernum esse *Livorno*, si lectio certa. *Wesselingius* legit *Salebrone. B. A.* [*V. *Orell.*]

LĂBROS, i, m. nomen canis ap. *Ov. Met.* 3, 224. ita dicti a voracitate: nam λάβρος voracem sonat. ℙ Indidem dictus est *labrus*, piscis marini genus, cauda placens, ap. *Plin.* 32, 11, 54. *ubi *Dalechampius* legerit *labracem* (a recto *labrax, acis*, λάβραξ, i. e. lupum. *B. A.*

LĂBROSUS, a, um, adj. πρόχειλος, extremitates habens prominentes, veluti quaedam labra. *Cels.* 7, 26. *n.* 2. *f.* Ferramentum fecit in summa parte labrosum.

LĂBRUM, i, n. χεῖλος, extrema oris pars in animali, de cujus notatione in LABIUM dictum est. Fere adhibetur in plurali numero. *Cic. Div.* 2, 31. Apes, quas dixisti in labris Platonis consedisse pueri. *Plin.* 6, 28, 32. *f.* Arabes mitrati degunt, aut intonso crine: barba abraditur, praeterquam in superiore labro. *Caes. B. G.* 5, 14. Britanni capillo sunt promisso, atque omni corporis parte rasa, praeter caput et labrum superius. *Virg. Ecl.* 3, 43. Poculo labra admovere; et *A.* 11, 572. teneris immulgens ubera labris. *Hor. Ep.* 1, 16, 60. Labra movet metuens audiri. *Id. Sat.* 1, 4, 137. haec ego mecum Compressis agito labris, *h. e.* tacitus considero. *Valer. Aedituus* ap. *Gell.* 19, 9. Quid mi abs te quaeram? verba labris abeunt. *Quint.* 1, 11. *med.* Observandum ut recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur; et 11, 3. *med.* Labra male porrigere, scindere, adstringere, diducere, replicare, in latus trahere. *Sen. Ben.* 2, 24. Vix labra diduxit. *Juven.* 6, 622. longa manantia labra saliva. *Cn. Matius* ap. *Gell.* 20, 9. Labra labris conserere, *h. e.* osculari: quod, Labra labellis ferruminare, *Pl. Mil.* 4, 8, 25. dixit; et *Pseud.* 5, 1, 14. Labra ad labella adjungere. *Petr. Sat.* 132. Osculis collisa labra crepitabant; et *ib.* 26. Labra valgiter commovere; et *fragm. Trag.* 52. *Burm.* Demisso labro orare. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Projectis labris pronunciare. *Lucr.* 5, 1406. Et supera calamos unco percurrere labro. ℙ Urbane *Pl. Trin.* 4, 2, 63. et 65. Devoravi nomen imprudens modo: Atqui etiam modo versabatur mihi in labris primoribus. V. INERRO. ℙ *Linere alicui labra* proverbiali locutione ap. *Mart.* 3, 42. est decipere, verba dare: quod *os sublinere* dixit *Pl. Merc.* 2, 4, 17. ℙ *Primis* aut *primoribus labris gustare*, aut *attingere* est leviter quid attingere, addiscere, cognoscere. *Cic. N. D.* 1, 8. Hunc censes primis, ut ajunt, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? et *Or.* 1, 19. Quae isti rhetores ne primoribus quidem labris attigerunt. *Id. Coel.* 12. Qui primoribus labris gustassent hoc vitae genus, et extremis, ut dicitur, digitis attigissent. ℙ Simile est illud *Sen. ep.* 10. Non a summis labris ista venerunt: habent hae voces fundamentum, *h. e.* dicta sunt haec ex intimo animi sensu, et non ore solum prolata. ℙ *Similem habent labra lactucam*, proverb. ap. *Hieron. ep.* 7. *n.* 5. dictum a M. Crasso, cum vidisset asinum carduos comedentem: quod illi risum elicuit, qui neque antea, neque post ridens visus est unquam, teste *Lucilio* ap. *Cic. Fin.* 5, 30. et *Tusc.* 3, 15. Proverbium habet locum, ubi similia similibus contingunt, ut perforatae navi debilis gubernator, et caecus caeco dux viae, et talis sit rector, quales illi, qui reguntur. ℙ Per similitudinem *labrum* est extrema ora cujusque rei. *Caes. B. G.* 7, 72. Ut ejus fossae solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant: (Adde *Liv.* 37, 37. *extr.*) et *ib.* 6, 27. Cornua ab labris argento circumcludunt, atque pro poculis utuntur. *Cato R. R.* 107. Labra doliorum circumlinere. *Petr. Sat.* 102. Vos in duas pelles conjiciam, apertis aliquatenus labris, quibus spiritum recipere possitis. *Plin.* 22, 22, 46. Boleti raucido aspectu, livido colore, pallido per ambitum labro. *Sisenna* ap. *Non.* 6, 8. Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis. *Plin.* 31, 2, 19. Herba in labris fontis virens. *Id.* 21, 5, 11. Lilium resupinis per ambitum labris. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 7. Scrobes pulvinatis a devexitate labris. ℙ *Labrum* pro fossa cum aggere positum est in illo *Auson. de clar. Urbib.* 5, 9. Moeniaque in valli formam circumdata labro. ℙ Denique *labrum* est vas grande, latique oris, diductas habens oras, et in exteriorem partem, in modum labrorum, repandas. Hinc labrum lupinarium, et aquarium est ap. *Caton. R. R.* 10. et 11. eluacrum, *ib.* 11. olearium, *ib.* 13. et ap. *Colum.* 12, 50. *med.* fictile, aut lapideum condendis ficis, ap. *eund. ib.* 15. De vinario labro est illud *Virg. G.* 2, 6. spumat plenis vindemia labris. De aquario *A.* 12, 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit; et *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Marmoreo labro aqua exundat. De balneario *Ov. Fast.* 4, 761. Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianae; et *Cic. Fam.* 14, 20. Labrum si in balineo non est, etc. ℙ Labrum Venerium herba est in fluminibus nascens, de qua *Plin.* 25, 13, 108. V. DIPSACOS. **Labrum Veneris* herbam hanc appellat *Seren. Sammon. v.* 1038. *B. A.*

LABRUS. V. LABROS.

LABRUSCĂ, ae, f. ἀγριάμπελος, vitis agrestis: ita dicta, inquit *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 5, 7. et *Non.* 6, 8. quod in labris, h. e. extremitatibus agrorum, seu in sepibus nascatur, quod et *Isid. Orig.* 17, 5. exscripsit. *Virg. l. c.* antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. ℙ Adjective. *Colum.* 8, 5. *f.* Uva labrusca, de vepribus immature lecta. *Plin.* 12, 13, 28. Labrusca vitis.

LABRUSCUM, i, n. fructus labruscae vitis. *Virg. Cul.* 52. Densaque virgultis avide labrusca petuntur.

LĂBUNDUS, a, um, adj. labens. *Accius* ap. *Non.* 10, 4. Unda sub undis labunda sonit.

LABURNUM, i, n. arbor Alpina, dura, candidaque materia, aquas refugiens, cujus florem cubitali longitudine non attingunt apes, ut *Plin.* 16, 18, 31. tradit. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 10. optimos ex eo palos pedandis vitibus fieri docet: nunc vero plurimus est ejus ligni usus apud nostros tornatores.

LĂBYRINTHĔUS, a, um, adj. ad labyrinthum pertinens, λαβυρίνθειος. *Catull.* 64, 114. Ne labyrintheis e flexibus egredientem Tecti frustraretur inobservabilis error.

LĂBYRINTHĬCUS, a, um, adj. labyrintheus. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* Iter asperum, viasque Labyrinthicas cucurrit. *Id. ep.* 11, 4. Quaestionum insolubilitas labyrinthica.

LĂBYRINTHUS, i, m. λαβύρινθος, locus multis viarum ambagibus inflexus, ex parietibus, vel ex arboribus: a λάβιρος, fovea, vel a λαβεῖν, et ἴνιθᾶν, quod prehendendo decipiat, vel a λαβεῖν θύρας, quasi λαβίνθυρος, quod varia ab ingressu aperiuntur, et quasi prehenduntur ostia, nec tamen exitus invenitur. Ceterum *J. G. The Water* ad *Jablonskii Opusc.* T. 1. p. 122. omnes has, aliasque ex Graeca lingua derivationes merito improbat, cum nomen istiusmodi ex Aegyptio potius sermone deducendum sit; de recto tamen ejusdem etymo una cum *Jablonskio* addubitare videtur. *Sen. ep.* 44. *extr.* Quod evenit in labyrintho properantibus, ipsa illos velocitas implicat. ℙ Quatuor praecipue labyrinthi celebrantur a *Plin.* 36, 13, 19. Primus fuit Aegyptius, in urbe Heliopoli, omnium maximus, portentosissimum humani ingenii opus, lapideis e Paro columnis in introitu, reliquis Syenticis. Secundus Creticus, apud Gortynam urb. perplexis parietibus, factus a Daedalo (qui exemplar ab Aegyptio sumpsit) jussu Minois, in quo Minotaurus monstrum inclusum est. Centesimam tantum portionem ejus, qui in Aegypto erat, continebat, itinerum tamen ambagibus, occursibus, et recursibus multo admirabilior fuit. Tertius fuit Lemnius columnarum nitore insignis. Centum enim et quinquaginta columnas habebat. Quartus fuit Italicus, quem Porsena Etruscorum rex sepulchri causa sibi exstruxit. V. *Plin. l. c.* De Aegyptio multa habet et *Mela* 1, 9. *med.* De Cretico *Ov. Met.* 8, 159. Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis, Ponit opus: turbatque notas, et lumina flexum Ducit in errorem variarum ambage viarum, etc. *Virg. A.* 5, 588. Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta, Parietibus textum caecis iter, ancipitemque Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error.

LAC, lactis, n. γάλα, succus maternus, quo statim a partu animal nutritur: a genitivo γάλακτος Graecae vocis allatae. Caret autem plurali numero. [*Occurrit tamen ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Majo*) 3, 20. Lactorum feminam laevi uberis primum alimenta praestare, etc. Ita Cod., ni legendum lactantem. *B. A.*] *Lucr.* 5, 811. femina quaeque, Cum peperit, dulci repletur lacte. *Virg. Ecl.* 4, 21. Ipsae lacte domum referent distenta capellae Ubera. *Cic. Tusc.* 3, 1. Ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. *Caes. B. G.* 4, 1. Maximam partem lacte atque pecore vivunt. *Virg. Ecl.* 7, 15. Agni a lacte depulsi. *Ov. Fast.* 3, 444. Lac dare alicui; et *A. Am.* 3, 627. Lac recens, quod *Virg.* dixit *Ecl.* 2, 22. Lac novum; et *G.* 3, 463. concretum. ℙ In sacris lac, ut vinum, mel, far, sal, saepe locum habuit. V. *Virg. Ecl.* 5, 67., *A.* 3, 66., *ib.* 5, 78., *G.* 1, 344. et *Hor. Ep.* 2, 1, 143. Praecipue vero rustici, et pauperiores lacte Diis supplicabant, quod majoris pretii hostias habere non possent, ut *Plin.* adnotavit in *praef. H. N.* ℙ *Tam simile est, quam lac lacti*, proverb. de rebus simillimis. *Pl. Mil.* 2, 2, 85., *Amph.* 2, 1, 54, et *Merc.* 5, 9, 30. ℙ *Lac gallinaceum* item proverbio dicitur de re admodum rara, et singulari, ὀρνίθων γάλα. *Petr. fr. Trag.* 38. *Burm.* et *Plin. praef. H. N.* ℙ *Lac* etiam dicitur succus quarundam herbarum et arborum, lacti simile. *Cels.* 5, 7. Lac caprifici. *Colum.* 7, 8. Ficulneum lac. *Ov. Met.* 11, 606. Innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem Nox legit. ℙ Item lacteus color. *Ov. A. Am.* 1, 290.

de tauro: Signatus tenui media inter cornua nigro: Una fuit labes, cetera lactis erant. ℙ Translate. *Pl. Truc.* 1, 2, 77. In melle sant linguae sitae vestrae, atque orationes, Lacteque: corda felle sunt lita. *Quint.* 2, 4. Satiari velut quodam jucundioris disciplinae lacte. ℙ In masculino genere. *Petr. fr. Trag.* 71. *Burm.* Servi homines sunt, et aeque unum lactem biberunt. *Pl. Bacch.* 5, 2, 16. Quae nec lactem, nec lanam habent. *Gell.* 12, 1. *med.* Praesertim si ista, quam ad praebendum lactem adhibetis, aut serva, aut servilis est. *Appul. Met.* 8. Vini cadum, et lactem, et caseos donare. ℙ Olim declinabant *lacte, is. Pl. Merc.* 5, 9, 30. Neque aqua aquae, neque lacte est lacti usquam similius. Adde *Enn., Cass. Hemin., Caecil.* et *Varr.* ap. *Non.* 8, 4. et 19. et *Cato* ap. *Charis.* 1, 79. Sic *Appul. l. c.* Eum rogavit, haberetne vaenui lacte liquidum. Ap. *Plin.* 15, 15, 16. dicitur *lacte* succus pirorum, quae Falerna cognominantur, et magna vi succi abundant. ℙ Quidam, inquit *Capell.* 3, 81., cum *lac* dicunt, adjiciunt *t*, propter quod facit *lactis.* Sed Virgilius (*Ecl.* 2, 22.) *Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.* Quippe cum nulla apud nos nomina in duas mutas exeunt: et ideo veteres *lacte* in nominativo dixerunt. Haec *Capella*, quae lucem afferunt loco illi *Auson. Technopaegn. in Grammaticomast.* 12. Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac: Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact? *Val. Prob. Cathol.* p. 1445. monet, *lact* ap. solum *Varr. de L. L.* reperiri. ℙ *Lactes* V. infra suo loco.

LĂCAENĂ, ae, f. Lacedaemonia, Spartana. *Virg. G.* 2, 487. et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta; et *A.* 6, 511. Scelus exitiale Lacaenae, *h. e.* Helenae. *Val. Fl.* 7, 150. fervere caede Lacaenae, *h. e.* Clytaemnestrae. *Mart.* 9, 104. Cycno nupta Lacaena, *h. e.* Leda. ℙ Lacaenae canes memorantur a *Claud. Laud. Stil.* 3, 300. V. LACO.

LACCĂ, ae, f. tumor morbosus in cruribus jumentorum, ad similitudinem vesicae. *Veg. Vet.* 1, 27. et *ib.* 3, 19. ℙ Item genus herbae succum ferentis ad ictericos utilis. *Appul. Herb.* 3. *f.*

LACCĀRĬUS, ii, m. qui *λάκκους, h. e.* fossas, vel puteos fodit. Legunt nonnulli *Laccarii* ap. *Imp. Constant. Cod.* 10, 64, 1., ubi alii melius *lectarii*, vel *lecticarii.*

LĂCĔDAEMON, onis, m. *Λακεδαίμων*, filius Jovis secundi ex Taygeta filia Agenoris regis Phoenicum. Alii dicunt filium fuisse Semeles ex patre incerto. Regnavit in Laconia, in urbe Sparta. Hinc urbs *Lacedaemon* dicta est, populi *Lacedaemonii.* De urbe *Ov. Her.* 16, 129. quidquid Lacedaemone tota Ostendi dignum, conspicuumque fuit. *Virg. A.* 7, 363. Phrygius penetrat Lacedaemona pastor. *Nep. Lys.* 3. Legatos Lacedaemona miserunt. *Cic. Leg.* 2, 15. *extr.* Illa severa Lacedaemon. *Hor. Od.* 1, 7, 10. Patiens Lacedaemon. *Plin.* 16, 8, 13. Circa Elin, et Lacedaemonem. ℙ Ultima longa est: sed corripitur a *Sidon. carm.* 5, 44. *(fert)* Atthis mel, Phoenix palmas, Lacedaemon olivum. ℙ *Lacedaemones, um*, sunt Spartani. *Mamert. Pan. ad Maxim.* 9. Gemini illi reges Lacedaemones Heraclidae. ℙ [In Codice palimpsesto *Cic. de Republ.*, ed. *A. Maio*, constanter scriptum est *Lacaedemon*, et *Lacaedemonius.* Vaticanae scripturae, inquit *Maius*, favet gentile *Lacaena*, et vocis etymologia, si qua est, ex *δῆμος.* Sed frustra, inquit *Baileyus* in *Append. Lex. Forcellin.*, scripturam hanc defendit, exceptoris, credo, inscitiae prorsus debitam. *F.*]

LĂCĔDAEMŌNĬUS, a, um, adj. *Λακεδαιμόνιος*, ad Lacedaemonem pertinens, Spartanus. *Hor. Od.* 3, 5, 56. et *Ov. Met.* 15, 50. Lacedaemonium Tarentum, *h. e.* a Spartanis conditum. Sic de eod. *Petr. Sat.* 5. Seu Lacedaemonio tellus habitata colono. *Mart.* 2, 43. Lacedaemonius Galesus, *h. e.* qui prope Tarentum fluit, ut *Serv.* ad *G.* 4, 126. docet. *Lucan.* 3, 269. Heniochi Lacedaemonii, *h. e.* a Lacedaemoniis, Castore et Polluce, oriundi, ut ap. *Plin.* 6, 5, 5. legitur. *Grat. Cyn.* 101. Lacedaemoniae Amyclae, *h. e.* quae in Laconia sunt, ab Amycla Lacedaemonio conditae, ut *Steph. de Urbib.* docet: ad discrimen alterius urbis cognominis in Italia. *Plin.* 36, 7, 11. Lacedaemonium marmor viride, cunctisque hilarius: hinc *Mart.* 6, 42. Illic Taygeti virent metalla. V. HERBOSUS. *Juven.* 11, 173. ille fruatur Vocibus obscenis, omnique libidinis arte, Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem, *h. e.* qui exspuit supra marmor Lacedaemonium, quo stratum est pavimentum, ut ait *Vet. Schol.* ad *l. c.*; vel qui Lacedaemonum more *παιδικοῖς χρῆσθαι* solet, quique ideo Graece *κυσολάκων* dicitur. V. alias hujus loci interpretationes in voce PYTISMA. ℙ *Lacedaemonii, orum* sunt Spartani. *Cic., Nep., Sall., Liv., Plin., Just., Flor., Tac.*, etc.

LĂCER, a, um, adj. *πηρὸς, ἀνάπηρος*, amputatus, truncatus, mutilatus, abscissus, mutilus: [videtur esse a *λακέω*, cum strepitu frangor, hinc *λακερὸς* ap. *Hesych.* est lacer. *F.*] *Festus:* Lacerare, dividere, comminuere est. Lacer, quod auribus curtatis est. Lacerum, quodcumque est in corpore imminutum. *Ascon. in Verr.* 1, 6. Lacer dicitur amputatis a corpore sensuum membris, hoc est auribus oculisque. *Virg. A.* 6, 490. laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora, manusque ambas. [*Cf. *Sil.* 12, 547. lacerae umbrae, i. e. mortui, qui etiam ut *Drakenb.* notat, vulnera servabant.] *Ov. Met.* 9, 97. Caput lacerum cornu. ℙ Hinc metaphorice *lacera castra* dixit *Sil.* 15, 9. de exercitu, qui ducem in proelio amisit. ℙ Item discissus, discerptus, distractus, *ῥαψῳδης, τρυχηρός. Liv.* 1, 28. *f.* In diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus portantes. [*Cf. *Plin. H. N.* 2, 63. et *Plin. Pan.* 52. laceros artus.] *Ov. Met.* 3, 522. Mille lacer spargere locis; et *ib.* 2, 318. Sparsaque sunt late laceri vestigia currus. *Id. Her.* 2, 45. Laceras puppes reficere. *Just.* 21, 4. *f.* Corpus verberibus lacerum. *Sen. Phoeniss.* 162. Lacerae unguibus venae. *Mart. Spectac.* 7. Vivebant laceri membris stillantibus artus. *Stat. Th.* 10, 8. inhonora cohors laceris insignibus. *Id. Silv.* 3, 3, 133. Laceri crines. *Ov. Met.* 11, 509. Cum laceras aries, ballistave concutit arces. *Tac. H.* 3, 10. Lacera vestis. *Id. A.* 15, 40. *extr.* Tectorum vestigia lacera et semiusta. *Grat. Cyn.* 408. deformis lacerum dulcedine corpus Persequitur scabies. ℙ Active, lacerans. *Ov. Met.* 8, 878. Ipse suos artus lacero divellere morsu Coepit. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 39. Sparsas, atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere. *Sen. Thyest.* 432. Lacerae domus artus componere. *Rut. Itin.* 1, 331. Lacera urbs. Sic *ib.* 29. laceri post longa incendia fundi. [*Praeter Livii locum haec vox nonnisi apud poetas et argent. aetatis scriptores legitur.]

LĂCĔRĂBĬLIS, e, adj. qui lacerari potest. *Auson. Idyll.* 15, 17. ipsa senectus Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.

LĂCĔRĀTĬO, onis, f. *ἄμυξις, σπαραγμὸς*, actus lacerandi, laniatus. *Cic. Pis.* 18. Si te, et Gabinium cruci suffixos viderem, majore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, etc. *Id. Tusc.* 3, 26. Muliebres lacerationes genarum. Adde *Liv.* 7, 4.

LĂCĔRĀTOR, oris, m. *δάπτιος*, qui lacerat. *August. Mor. Ecclesiae Cathol.* 1.

*LĂCĔRĀTRIX, icis, f. quae lacerat. *Macer. carm.* 2, 6. Scabies cutis laceratrix. *B. A.*

LĂCĔRĀTUS, a, um, part. a *lacero*, discerptus, discissus, laniatus, *ἀμυττόμενος. Liv.* 3, 58. *med.* Scissa veste tergum laceratum virgis ostendit. *Phaedr.* 2, 3. Laceratus morsu canis. *Ov. Trist.* 5, 7, 35. et *Curt.* 4, 3. Navis lacerata fluctibus. *Curt.* 4, 10. Lacerata vestis. *Id.* 10, 5. et 3, 11. Laceratī crines. [*Cf. *Sil.* 4, 776. Lacerata crines.] *Suet. Aug.* 91. Lectica confossa atque lacerata. [**Sil.* 2, 562. vidi lacerato vulnere Murrum.] ℙ Translate. *Suet. Caes.* 75. *extr.* Lacerata existimatio alicujus carminibus maledicentissimis. *Quint.* 12, 10. Nihil est tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens.

LĂCERNĂ, ae, f. *τρίβων, φαινόλη*, vestis exterior ex panno crassiore, quae togae superinduebatur, vel tunicae sine illa: habebatque usum contra pluvias ac frigus, ut pallium et paenula, ac tum domi, tum militiae adhibebatur a Romanis. De vocis origine nihil certi affertur ab etymologis. Gestabatur tum in Urbe, tum extra: sed in Urbe, sine causa frigoris aut pluviae, lacernatum esse turpe fuit: ut ex *Cic. Phil.* 2, 30., *Suet. Aug.* 40. *extr.* et *Gell.* 13, 21. colligitur. Quin et honoris causa solebant, superveniente principe, eam deponere, v. gr. in spectaculis, in quibus, quod sub dio fierent, lacernis uti ad frigus arcendum, et subita coeli, fas erat: quod factum in honorem Claudii, *Suet. Claud.* 6. narrat. De usu ejus in spectaculis est et illud *Mart.* 14, 137. cujus lemma est; *Lacernae albae:* Amphitheatrales nos commendamur ad usus, Cum tegit algentes nostra lacerna togas. Quod frequentissima esset in militia, satis, praeter cetera, ostendunt illa *Ov. Fast.* 2, 745. de Lucretia: Mittenda est domino (nunc, nunc properate puellae) Quamprimum nostra facta lacerna manu; et *Prop.* 4, 3, 18. Texitur haec castris quarta lacerna tuis. Adde *Vell.* 2, 70. et 80., ex quo utroque loco, cum de ducibus sermo sit, confirmari fortasse potest, quod quidam putant, lacernam militarem eandem ac chlamydem omnino fuisse. Quod vero etiam inter domesticas vestes enumeranda sit, indicare videtur locus *Prop.* 4, 8, 85. quem integrum V. ℙ Forma lacernae fuit chlamydi similis, scil. aperta et laxa, fibula in humero, vel ad pectus connexa, longior tamen, quam chlamys, et fluxior, ut quae frigori et pluviae arcendae, totique amiciendo corpori instituta fuit. Ejus usus sero apud Romanos coepit, cum primus *Cicero* credatur ejus mentionem fecisse. Materia fuit crassior lana, ut dictum est: color fere vel nativus lanae, vel pullus: sed procedente luxu, et frequente ejus usu in ipsa Urbe, ex pretiosiore materia et colore a ditioribus gestari coepta est. Hinc Tyrias, auratas, coccineas, et purpureas lacernas legimus apud *Juven.* 1, 27. et 10, 212. et *Mart.* 14, 131. et 13, 87. et 5, 8. V. de his plura apud *Ferrar. de re Vestiar. P.* 2. *l.* 1. etc. et *T. VI. Antiquit. R. Graev.* et *Pitisc. in Lex.* ℙ An et mulieres lacernis uterentur, V. in sq. v.

LĂCĔRNĀTUS, a, um, adj. lacerna indutus, *χλαινδωτός. Vell.* 2, 80. Cum inermis, et lacernatus esset. *Petr. fragm. Trag.* 69. *Burm.* Lacernatus cum flagello mulionum fata egit. *Juven.* 1, 62. Ipse lacernatae cum se jactaret amicae, *h. e.* virili veste indutae, qualis erat lacerna. Quidam recte putant, indicari hic Sporum spadonem a Nerone adamatum, et ab eo muliebri Augustarum habitu adornatum, ut est ap. *Suet. Ner.* 28., atque inde colligi, etiam feminas lacernis usas fuisse.

LĂCĔRNŬLĂ, ae, f. *χλαινδιον*, parva lacerna. *Arnob.* 2, 56. Laenas, lacernulas, trabeas.

LĂCĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποκόπτω*, vi abscindo, amputo, divido. *Fest.* Lacerare, dividere, comminuere est. *Hor. Od.* 3, 27, 46. lacerare ferro, et Frangere enitar modo multum amati Cornua monstri. V. LACER. ℙ Item consumere, absumere. *Vell.* 2, 21. Cum utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia. ℙ Item discindere, discerpere, distrahere, *σπαράττω, ἀμύσσω. Ov. Fast.* 2, 695. mea crudeli laceravit verbere terga. *Id. Met.* 11, 726. Ora, comas, vestem lacerare. *Sen. Oedip.* 968. oculos unguibus. *Val. Fl.* 7, 636. exsectos lacerat Bellona comatos. *Suet. Tib.* 60. Lacerare alicui os locusta. *Phaedr.* 1, 12. Morsibus canum lacerari. *Ov. Trist.* 3, 3, 51. Parce tamen lacerare genas: ne scinde capillos; et *Pont.* 3, 6, 19. Neptunus navem laceravit Ulyssis. *Petr. Sat.* 36. Lacerare obsonium. *Lucan.* 9, 133. Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris. ℙ Translate est distrahere, dissipare, absumere. [*Plane respondet vernaculo *zerrütten.*] *Lucan.* 10, 44. de Alexandro: nulloque herede relicto. Totius fati lacerandas praebuit urbes. *Pl. Merc. prol.* 48. Lacerare rem suam. *Sall. Cat.* 14. manu, ventre bona patria. *Id. Or. Philippi contra Lepid.* rempublicam largitionibus. *Cic. Off.* 1, 17. *med.* omni scelere patriam. [*Cf. *Vell.* 2, 12, 5. 90, 1.] *Cato* ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 76. Cum Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret. *Pl. Curc.* 4, 2, 22. Vos fenore, illi male suadendo lacerant homines. Hinc *lacerare diem* ap. *eund. Asin.* 2, 2, 25. et *Stich.* 3, 1. *f.* est male terere, male consumere: quod supra 32. *excruciare* dixerat. ℙ Item obtrectare, detrahere, conscindere, maledicere. [*Respondet nostr. vulg. serm. v. *herunterreissen.*] *Cic. Brut.* 42. Obtrectatio invidiae, quae solet lacerare plerosque. *Id. Phil.* 11, 2. *med.* Verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerare; et *ib.* 2, 34. Haec te lacerat, haec cruentat oratio. *Liv.* 31, 6. *f.* Lacerare aliquem probris. *Id.* 38, 54. famam cujuspiam. *Ov. Pont.* 4, 16, 1. alicujus carmina. *Suet. Dom.* 23. quempiam acclamationibus. *Id. Gramm.* 15. Acerbissima satyra lacerari. *Tac. A.* 15, 73. Crebro vulgi rumore lacerabatur, tanquam insontes ob invidiam exstinxisset. ℙ Item vexare, affligere, excruciare. *Cic. Dom.* 23. Uxorem meam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. *Id. Att.* 3, 8. Meus me moeror quotidianus lacerat et conficit. *Id. Tusc.* 3, 13. Aegritudo lacerat, exest animum, planeque conficit. *Ov. Her.* 15, 212. quid laceras pectora nostra mora? *Id. Met.* 8, 784. lacerare aliquem fame. *Vell.* 2, 130. animum alicujus magnis doloribus. ℙ Interdum est spoliare bonis. *Ter. Hec.* 1, 1, 7. Te moneo, et hortor, ne cujusquam misereat, Quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis. *Cic. Quint.* 15. *extr.* Bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas. ℙ [*Permutantur *lacerare* et *laxare.* V. *Brem.* ad *Nep. Paus.* 4, 1.]

LĂCERTĂ, ae, f. et Lacertus, i, m. *σαῦρα*, serpens quadrupes satis nota. *Plin.* 8, 39, 60. Lacertae, inimicissimum genus cochleis, negantur semestrem vitam excedere. Lacerti cubitales Arabiae: in Indiae vero Nysa monte vigintiquatuor in longitudinem pedum, colore fulvi, aut punicei, aut caerulei. *Virg. G.* 4, 13. Absint et picti squalentia terga lacerti. *Mart.* 14, 172. Reptans lacerta. *Hor. Od.* 1, 23, 6. virides rubum Dimovere lacertae. ℙ *Lacerta* tam de mare, quam de femina dici videtur, sed vulgaribus ac minoris formae: *lacertus* item, sed de majoribus, et coloris varii. ℙ *Ὑνώμη* est quaedam illud *Juven.* 3, 230. Est aliquid quocumque loco, quocumque recessu Unius sese dominum fecisse lacertae, *h. e.* parvi cujuslibet loci, qui vel ad lacertam receptandam sufficiat. ℙ *Lacerta* idem est ac lacertus piscis marinus. V. LACERTUS. *Ulp. Dig.* 33, 9, 3. §. 3. Mella certe semper esculentae penui cedere, lacertas quoque cum muria sua contineri nec Labeo negavit.

LĂCERTŌSUS, a, um, adj. *μυώδης*, magnos lacertos habens, nervosus, torosus: atque adeo robustus, validus. *Cic. Phil.* 8, 9. Centuriones pugnaces, et lacertosi. *Colum.* 1, 9. Vineae non sic latos et lacertosos viros exigunt. *Ov. Met.* 11, 33. Dura lacertosi fodiebant arva coloni. *Varr. R. R.*

2, 7. *med.* Equum tum maxime crescere, ac lacertosum fieri. *Id. ib.* 3, 9. Lacertosi galli.

LĂCERTŬLUS, i, m. parvus lacertus. De pistorio opere, lacerti figura, usurpat *Appul. Met.* 10., ubi tamen al. leg. *laterculos.*

LĂCERTUS, i, m. *μυών, βραχίων,* pars brachii musculosa, quae est ab humero ad cubitum: et per synecdochen ipsum brachium. [*Ov. Met.* 1, 500. laudat digitosque, manusque, Brachiaque, et nudos media plus parte lacertos. *Curt.* 8, 9. Brachia quoque, et lacertos auro colunt. *Id.* 9, 1. Lacerti quoque et brachia margaritis ornata erant. *Ov. Met.* 14, 303. de sociis Ulyssis humanam formam recipientibus: Erigimur, setaeque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes, redeunt humeri, subjecta lacertis Brachia sunt. *F.*] *Plin.* 32, 10, 50. Dens crocodili annexus brachio, vel nervi rubetae dextro lacerto adalligati. (V. BRACHIUM.) *Cic.* vertens carmen *Sophoclis*, *Tusc.* 2, 9. O pectora, o terga, o lacertorum tori! *Auct. Dial. de Or.* 10. Immanes lacerti, et ad pugnam nati. *Sen. Ben.* 2, 6. Excusso lacerto telum torquere. *Virg. A.* 11, 561. adducto contortum hastile lacerto Immittit; et *ib.* 693. laevo dependet parma lacerto. *Val. Fl.* 8, 93. fusis circum projecta lacertis, Seque, suumque simul flevit crudelis alumnum. *Prop.* 2, 18, 37. Cupidis lacertis tenere et fovere aliquem. *Ov. Amor.* 2, 18, 8. lacertos circum colla implicare. Sic *Her.* 16, 219. collo imponere; et *Met.* 11, 240. lacertis colla innectere; et *ib.* 10, 407. 11, 240. lacertis colla innectere; et *ib.* 10, 407. complecti; et *Amor.* 3, 8, 11. amplecti; et *A. Am.* 2, 457. cingere. *Id. Amor.* 3, 12, 27. jaculari. *Id. Met.* 4, 706. sudantibus acta Navis. ℙ *Lacertus auratus* ap. *Prop.* 3, 11, 57. est aurea armilla cultus, ut *Petr.* loquitur *Sat.* 32. *Burm.* Solebant enim non feminae solum, sed viri quoque molliores, armillis lacertos ornare, ut *ib.* et *fragm. Trag.* 67. videre est. ℙ Lacertos suos in dolore et fletu percutere, frequens est. *Ov. Met.* 4, 138. Percutit indignos claro plangore lacertos; et *ib.* 9, 635. tum vero a pectore vestem Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos. Adde *ib.* 3, 493. et *Lucan.* 2, 37. ℙ [**Lacerti* non modo pars brachii humeris proxima — sed ii, quos medici musculos appellant. — Nec absurdum fortasse fuerit putare eadem similitudine et figura hos *lacertos* primum a *lacerto* pisce vel quadrupede dictos, qua deinde *musculi.* Firmat haec non *Gorraeus* modo, qui *μῦν lacertum* vocat, in *Definitionibus medicis* p. 417.; sed *Gloss. Vet. Lacerti μύες βραχιόνων.* Ita *Gesnerus*, laudante *Spaldingio*, ad *Quint. Inst.* 8. *prooem.* 19. Namque et colorata, et adstricta et lacertis expressa sunt, etc.] ℙ Translate robur, vires, nervos, potentiam significant. *Cic. Brut.* 16. *f.* In Lysia sunt saepe lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius. [**V.* quae laudat *Ellendt.* ad h. l.] *Id. Or.* 1, 57. Ab aliquo amentatas hastas accipere, easque oratoris lacertis viribusque torquere. *Ov. Her.* 1, 37. quid prodest vestris dissecta lacertis Ilios? *Hor. Ep.* 2, 2, 47. civilisque rudem tulit aestus in arma, Caesaris Augusti non responsura lacertis. *Flor. prooem. f.* Imperium inertia Caesarum quasi consenuit, atque decoxit: nisi quod sub Trajano principe movet lacertos. ℙ Eleganter *Virg.* ad apes transtulit, *G.* 4, 74. Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos. ℙ Metonymice est ictus. *Sil.* 16, 562. Et Glagus insignis ventos anteire lacerto. *Id.* 1, 262. et famam letalis amare lacerti. [**Non* opus esse videtur metonymia, ut *lacertus* pro *ictu* positum intelligamus. In primo Silii a Nostro hic allato loco *lacerto* est vi et robore lacerti; ad secundum optime *Drak.* confert *v.* 641. *fatifera dextra:* ita ut *lacertus* in universum pro brachio sit accipiendum.] ℙ De lacerto serpente V. LACERTA. ℙ Est etiam hoc nomine piscis marinus, plurium generum, terrestrem specie referens. [**Cic. Att.* 2, 6. Nam ad captandos lacertos tempestates non sunt idoneae: ita *Orell.* Al. *captandas.*] *Juven.* 14, 131. conchem aestivi cum parte lacerti. *Mart.* 10, 48. Secta coronabunt rutatos ova lacertos. Adde 12, 19., *Plin.* 32, 11, 53., *Colum.* 8, 17. et *Cels.* qui 2, 18. inter eos recenset, ex quibus salsamenta fiunt, et quorum cibus gravissimus est. V. LACERTA. ℙ *Lacertum* neutr. genere dixit *Accius* ap. *Non.* 3, 121. Tribuit verubus lacerta in focos.

*LACESCO. V. LACESSO in *f. B. A.*

LĂCESSIO, is, a. 4. V. LACESSO.

LĂCESSĪTIO, onis, f. irritatio, provocatio. *Ammian.* 19, 3. Lacessitionibus crebris occupare obsidioni adhaerentes.

[LĂCESSĪTOR, oris, m. qui lacessit. *Is. Or.* 10. in *litt. L.* Lacessitor per translationem dictus a canibus, vel a feris, quae solent lacerando provocare. *F.*]

LĂCESSĪTUS, a, um, part. a *lacesso*, *προύκλητος*, provocetus, irritatus. *Cic. Or.* 1, 8. Tenere arma, quibus possis vel provocare integros, vel ulcisci lacessitus. *Id. Att.* 1, 10. Lacessitus ad scribendum. *Id. Off.* 1, 7. injuria. *Sall. Cat.* 32. jurgio. *Hor. Ep.* 2, 1, 150. dente cruento. ℙ Translate. *Virg. A.* 7, 526. aeraque fulgent Sole lacessita. *Lucan.* 3, 194. Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo Miscuit ignotas temerato litore gentes. [**V. Cort.* ad h. l.]

LĂCESSO, is, ivi, et ii, itum, a. 3. *προκαλέω, προσκαλίζω*, provoco, irrito, tento: a *lacero*, cujus est frequentat., ut *Charis.* 3, 227. et *Diomed.* 1, 375. docent: vel a *lacio*, ut *Fest.* in *Lacit.* In praeteritis fere est quartae conjugationis: in infinito passivo aliquando. *Cic. Mil.* 31. Ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet. *Brut. et Cass.* ad *Anton. Fam.* 11, 3. Nos, Antoni, te nulla lacessimus injuria. *Cic. Phil.* 2, 1. Ultro me homo promptissimus lacessivit. *Colum.* 9, 15. Neque convenit, aestu medio exasperatas apes lacessiri. *Caes. B. G.* 4, 11. *extr.* Mittit, qui nuncessiri. *Caes. B. G.* 4, 11. *extr.* Mittit, qui nuncciarent, ne hostes proelio lacesserent: et si ipsi lacesserentur, sustinerent; et *ib.* 1, 35. Aliquem injuria lacessere; et *ib.* 6, 5. bello. *Liv.* 2, 45. ad pugnam. *Curt.* 6, 5. hostem occultis telis. *Suet.* *Ner.* 39. dictis et carminibus. *Id. Tib.* 61. probris. *Id. Aug.* 56. jocis petulantibus. *Liv.* 38, 33. jurgiis. *Virg. A.* 5, 429. Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt; et *ib.* 11, 254. ignota lacessere bella. [**V. Cort.* ad *Lucan.* 3, 553.] ℙ Translate. *Quint.* 6, 3. Non solum facto aliquo, dictove, sed etiam corporis tractu risus lacessitur. *Hor. Od.* 1, 35, 7. Quicumque Bithyna lacessit Carpathium pelagus carina, *h. e.* tentat. *Id. ib.* 2, 18, 12. nihil supra Deos lacesso, *h. e.* precibus non fatigo, et ad iram provoco. *Ov. Trist.* 5, 9, 29. fores nondum reserati carceris acer Nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus, *h. e.* icit, et reserare tentat. *Virg. A.* 12, 85. Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt Pectora plausa cavis, *h. e.* blande percutiunt, et equorum ardorem veluti provocant. [**Addi poterant* hic et ista: *Lucan.* 2, 42. his se stimulis dolor ipse lacessit, i. e. auget, exasperat.] ℙ Illa quoque translata sunt, et poetica. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 94. Et formidato clypeus Titana lacessit Lumine, *h. e.* quasi ipsum solem provocat de splendore. *Lucan.* 10, 320. Nilus spuma astra lacessit. *Stat. Th.* 12, 604. Taurus lacessit campum. *Sil.* 17, 387. Invadunt acies pugnam, et clamore lacessunt Sidera. *Virg.* eadem ratione dixit *A.* 2, 488. ferit aurea sidera clamor. ℙ Pro tentare, nocere. *Colum.* 9, 8. Ex vicinia potius, quam ex peregrinis regionibus petantur apes, quoniam solent coeli novitate lacessiri. *Id.* 3, 21. Vindemia praecox populationibus volucrum, pluviisque aut ventis lacessita dilabitur; et 10, 320. Exurat sata ne resoluti pulveris aestus, Parvulus aut pulex irrepens dente lacessat. *Catull.* 15, 16. Insidiis lacesssere caput alicujus. *Plin. ep.* 1, 5. quempiam capitaliter apud centumviros, *h. e.* accusare. ℙ Pro titillare, movere. *Lucret.* 4, 598. Haec loca per voces veniant, auresque lacessant; et *ib.* 693. Quae feriunt oculorum acies, visumque lacessunt. ℙ Pro commovere, excitare. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Hos ego sermones lacessivi nunquam: sed non valde repressi, *h. e.* nunquam in causa fui, cur haberentur, mentionem ejus rei faciendo. *Virg. A.* 10, 10. Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit. ℙ Accipitur etiam in bonam partem, pro invitare, allicere. *Cic. Fam.* 12, 20. Me amabis et scripto aliquo lacesses, ego enim respondere facilius possum, quam provocare. *Val. Fl.* 5, 572. Aesonidem magno cratere lacessit. Adde *Cic. Att.* 13, 18. et *Tusc.* 5, 41. *f.* ℙ Part. *Lacessens* ap. *Liv.* 21, 11. Saguntini nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies. *Lacessiturus* ap. *eund.* 28, 28. Nec socios populi R. ultro lacessituri bello. *Lacessendus* ap. *Caes. B. G.* 8, 14. At Caesar neque cedentes tanto collis ascensu lacessendos judicabat. ℙ **Lacesco* pro lacesso ap. *Coripp.* 3, 396. *B. A.*

*LACETĀNI, orum, m. populi Lacetaniae. *Liv.* 21, 60. seq. et 38, 34. *Plin.* et c. 3. *Caes. B. C.* 1, 60. in edd. vett. ubi tamen et *Oudend.* habet *Jacetani.* *Ἰαχκέτανοι* sunt *Ptolemaeo. B. A.*

*LACETĀNĬA, ae, f. regio Hispaniae Tarraconensis, ad montes Pyrenaeos. *Liv.* 21, 23. *Plin.* 25, 2. *B. A.*

LĂCHĂNISSO, as, n. 1. *λαχανίζω*, langueo, vacillo: a *λάχανον*, olus. *Suet. Aug.* 87. Ponit betissare pro languere, quod vulgo lachanissare dicitur. Al. scrib. *lachanizare.* V. dicta in BADIZO.

LĂCHĂNUM, i, n. *λάχανον*, olus, generatim. *Hor. Sat.* 1, 6, 115. Ad porri, et ciceris refero, lachanique catinum. Plerique al. leg. *laganique.* V. LAGANUM.

[LĂCHĒ, es, f. *λαχή*, sors. Est cogn. *R. Inscr.* apud *Marin. Frat. Arv.* p. 251. Popillia A. L. Lache. *F.*]

LĂCHĒSIS, is, f. *Λάχεσις*, una Parcarum, quam Latine sortem interpretari possumus: a *λαγχάνω*, sortior. Fingunt enim eam praeesse tempori futuro, sortiri de hominibus, quid futurum sit, nere vitam, prosperitatem, et calamitatem hominum. V. PARCAE. *Ov. Trist.* 5, 10, 45. O diram Lachesim, quae tam grave sidus habenti Fila dedit vitae non breviora meae! *Claud. B. Get.* 54. Ferrea Lachesis. *Juven.* 3, 27. Dum superest Lachesi, quod torqueat. *Mart.* 4, 54. Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum Explicat, et semper de tribus una necat.

[LĂCHNĒ, es, f. *λάχνη*, lana, lanugo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 187, 3. Claudia Antoniae Lib. Lachne. *F.*]

LĂCHRYMA. V. LACRYMA.

*LĂCĬĂCUM, i, n. oppidum Norici. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.*

[LĂCĬĂDES, ae, m. *Λαιάδης*, qui est ex Lacia, uno ex Atheniensium vicis, seu *δήμοις. Cic. Off.* 2, 18. *f.* Theophrastus scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse, et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset. *F.*]

*LĂCĬBI, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[LĂCĬDĬTAS, atis, f. natura hebes, qua quis facile laci, seu decipi potest. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Oves primum assumptae et propter utilitatem, et propter laciditatem. Ita legend. putat *Pontedera* in *Op. posth.* T. 1. p. 217. pro *placiditatem*, quam vocem hic retinent omnes editiones, quamque recte ibidem se habere putat *Schneiderus. F.*]

LĂCĪNĬA, ae, f. dicitur proprie de fimbriis, seu segmentis, quae ad oram vestis assuuntur, et alterum ab altero divisa pendent: *κράσπεδον*: a *λαχίς, ίδος*, scissura, fragmentum: quod a *λαχῶ*, lancino, lacero, scindo: vel a *lacio*, *is.* Quod vero ap. *Fest.* in *Lacerare*, inde *laciniam* dici legitur, placet aliis *lanienam* reponi: tametsi ad significationem eodem recurrunt. Hinc per similitudinem de aliis rebus dicitur, quae veluti segmentum a reliquo corpore dependent, aut prominent. *Plin.* 5, 32, 43. Promontorium in quo Megarice oppidum fuit: unde Craspedites sinus vocabatur, quoniam id oppidum velut in lacinia erat; et 15, 30, 39. Excrescente in medio folio parvulo, veluti lacinia folii. *Id.* 8, 50, 76. de capris: Feminarum generositatis insigne, laciniae corporibus a cervice binae dependentes, *h. e.* carunculae illae duae, quas *Varro R. R.* 2, 3. mammulas pensiles, *Colum.* 7, 6. verruculas, *Festus* neneolas vocant. *Plin.* 19, 7, 36. Porrum, et allium serunt in laciniis colligatum: quia *Col.* 11, 3. *med.* de re simili verba faciens, linteolum nominat. Porro ex hoc *Plinii* loco discimus, etiam particulam resectam et separatam, *laciniam* dici posse. ℙ Translate. *Col.* 7, 5. de ovib. aegrotantib.: Cum grex ad locum fuerit perductus, in lacinias colonis distribuatur: nam particulatim facilius, quam universus, convalescit, *h. e.* in minores partes. Sic *ib.* 6. de capris: Nec in pastione separatim laciniae diducantur. ℙ *Laciniae* etiam dicebantur partes agri alicujus coloniae, quae post assignationem colonis factam remanebant indivisae, ideoque juris adhuc publici. *Front. de colon.* p. 103. *Goes.* Ager ejus in laciniis est assignatus. *Id. ib.* p. 107. Ceterum ager ejus in laciniis remansit. ℙ Est etiam limbus, seu extrema ora vestis, sive in fimbrias diducta sit, sive non. *Petr. Sat.* 100. Eumolpi jam in soporem labentis laciniam duxi. *Suet. Cal.* 35. *f.* Ita se proripuit, ut calcata lacinia togae, praeceps per gradus iret. *Id. Ner.* 19. Cum in aede Vestae resedisset, consurgenti ei lacinia obhaesit. *Pl. Merc.* 1, 2, 16. Sume laciniam, atque absterge sudorem tibi. Hic *laciniam* quidam sudarium intelligunt: sed potest commode de ima veste explicari. Idem dic de illo *Cic. fil. Fam.* 16, 21. *f.* Videor videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina, *h. e.* sinu facto extrema vestis parte. ℙ *Laciniam prehendere* ejus, quem abeuntem retinere quis vellet, mos fuit. *Suet. Cal.* 15. Ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togae retenta, interdum pede apprehenso detinerent. *Pl. As.* 3, 2, 41. Lacrimantem lacinia tenet lacrimans. ℙ Urbane, ac lepide *Cic. Or.* 3, 28. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia, *h. e.* leviter, ac vix, et quasi brevi tempore elapsurum. ℙ Ab *Appul.* multis in locis *lacinia* sumitur pro tota veste: quae significatio vel per synecdochen est totius pro parte, vel proprie locum habet in veste viliori, et quasi variis laciniis, segmentisque consuta: tametsi *Appul.* universim de qualibet, etiam pretiosa, usurpat, ut *Met.* 6. Lacinias auro litteratas, ramis arborum, postibusque suffixas; et *ib.* 11. Sacerdos praecipit, tegendo mihi linteam dari laciniam; et *ib.* 1. Unam e duabus laciniis meis exuo, eumque propere vestio; et *ib.* 3. Omnibus laciniis se devestit; et *ib.* 2. Lacinias omnes exuunt, amicula dimovent.

LĂCĪNĬĀTIM, adv. per lacinias, particulatim. Translate *Appul. Met.* 8. Ut non laciniatim dispersо, sed cuneatim stipato commeatu difficultates illas transabiremus, *h. e.* agmine non diviso in particulas, sed junctim universo incedente.

*LĂCĪNIENSES, ium, incolae videntur fuisse oppidi cujusdam Liburniae, quae Lacinia forte vel Lacinium audiebat. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

LĂCĪNIO, as, a. 1. verbum est *Appul. Met.* 10.

Ut ventus adhaerens pressule, membrorum voluptatem graphice laciniaret, *h. e.* membra per lacinias distingueret, et singulorum pulcritudinem exprimeret. Alii leg. *liciniaret*, alii *liniaret* pro *linearet*, vel *delinearet*. ℙ Translate pro, in lacinias secare. *Tertull. adv. Marc.* 1, 1. Deus blasphemiis laciniatur. Alii leg. lancinatur. *Sen. ep.* 32. Vitam deducimus in particulas, ac laciniamus. Al. leg. lancinamus.

LĂCĬNĬOSĒ, adv. in laciniarum modum. *Plin.* 16, 43, 83. Laciniose crispa. Ita legit *Hard.* alii *lacunose*, alii *lacrymose*.

LĂCĬNĬOSUS, a, um, adj., in extrema ora dissectus in particulas, fimbriatus. *Tert. Cult. fem.* 9. Quid prodest faciem quidem frugi, et expeditam exhibere, cetera vero corporis laciniosis pomparum, et deliciarum ineptiis occupare? *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea spondylo brevi, atque non carnoso, nec fibris lacinioso. *Id.* 25, 10, 21. Folia erant plantaginis, nisi angustiora essent, et magis laciniosa. *Id.* 5, 10, 11. de figura Alexandriae: Ad effigiem Macedonicae chlamydis, orbe gyrato laciniosa. ℙ Translate est impeditus, implicatus: quasi laciniis incessum impedientibus. *Appul. Apol.* Namque animi, ita ut corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est. *Tert. adv. Marc.* 4, 29. *med.* Succingere debemus lumbos, id est expediti esse ab impedimentis laciniosae vitae, et implicitae; et *ib.* 1. A legis laciniosis oneribus expeditus. ℙ Item nimis diffusus, supervacuus, redundans, quasi laciniis instructus. *Id. Virg. vel.* 4. *med.* Compendium sermonis et gratum, et necessarium est, quoniam sermo laciniosus et onerosus, et vanus est. *Hieron.* in *Daniel.* 11, 22. Haec Porphyrius sermone laciniosissimo prosecutus est, quae nos brevi compendio diximus. Est qui legit *latissimo*.

LĂCĬNĬUM, ii, n. *Λακίνιον*, promont. Brutiorum, in Magna Graecia, in eo tractu, ubi nunc pars Borealis Calabriae ulterioris, inter mare Adriaticum, et Ionium. Dictum est a Laceno, seu Lacino latrone ibi ab Hercule interempto, qui partem illam Italiae infestabat. Nonnulli causam afferunt, quod latro ille boves quasdam ab Herculis armento abegisset, et praedatus esset. Vulgo autem dicitur *Capo delle Colonne*, ab exstantibus columnis templi Junonis Laciniae. Nam prope hoc promontorium Hercules occiso latrone praedicto, superbissimum templum exstruxit in honorem Junonis, quam Laciniam appellavit. *Serv.* ad *A.* 3, 552. (ubi et alias, sed incertas hujus appellationis origines tradit.) et *Plin.* 3, 10, 15. ℙ Videtur ita fuisse appellatum a *λαχὶς*, scissura, quia hujusmodi promontorium octo mill. pass. in mare protenditur. Hinc etiam *Craspedites sinus* ap. *Plin.* 5, 32, 53. vocatus est a *κράσπεδον*, lacinia, cujus locum vide in LACINIA, ℙ Re vera haec vox adjectiva est: unde Juno Lacinia, *Cic. Div.* 1, 24. et *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. quae et Diva Lacinia, *Virg. l. c.* Sic Lacinia litora, *Ov. Met.* 15, 13. et *ib.* 701. praeterque Lacinia templo Nobilitata Deae, Scylaceaque litora fertur. ℙ *Lacinium* est etiam vestis genus, quae eadem videtur fuisse ac lacinia. *Not. Tir.* p. 157. Epitogum, lacinium. V. LACINIA.

LĂCĬNĬUS, a, um. V. v. praec.

LĂCIO, is, a. 3. decipio, ab inusit. *λάκω* vel *λαχίω*, ex *λαω*, capio. *Festus.* Lacit, in fraudem inducit: lax enim fraus est. Inde est allicere, et lacessere; inde lactat, illectat, delectat, oblectat. *Lucr.* 4, 1200. Quae lacere in fraudem possent, vinctosque tenere. ℙ Praeteritum *lixi* legitur in *Not. Tir.* p. 149. Lixit, illixit. V. ILLICIO.

LĂCO et Lacon, ōnis, m. adj *Λάκων, ωνος*, ad Laconiam pertinens, Lacedaemonius. *Hor. Od.* 2, 6, 11. Flumen et regnata petam Laconi Rura Phalanto. *Nep. Timoth.* 1. A quo cum Laco pecuniam numeratam accepisset, etc. Adde *Ages.* 2. et 3. ℙ Ex Laconia canes generosissimi erant: de quibus *Nemes. Cyn.* 107. Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso, Non humili de gente canem. Hinc *Hor. Epod.* 6, 5. Molossus, aut fulvus Lacon, Amica vis pastoribus. *Sil.* 3, 295. pernix cum densa vagis latratibus implet Venator dumeta Lacon. Ap. *Ov.* quoque nomen est canis, *Met.* 3, 219. Praevalidusque Lacon et cursu fortis Aello. Adde *Colum.* 7, 12. *f.* Laudant hos canes etiam *Virg. G.* 3, 405., *Grat. Cyn.* 211., *Senec. Hippol.* 35., *Claud. Laud. Stil.* 3, 300. ℙ *Lacōnes, um* sunt populi Laconiae, Lacedaemonii. *Prop.* 3, 12, 33. Quod si jura fores, pugnasque imitata Laconum, etc. *Stat. Th.* 6, 739. nuda de plebe Laconum. *Mart.* 1, 37. Qualia Ledaei facta Lacones habent, *h. e.* Castor et Pollux filii Ledae Lacaenae: quos *Id.* vocat 9, 4. pios Laconas. Sic *Spectac.* 26. Et gratum nautis sidus fulgere Laconum. ℙ Fuit et cogn. R., ut Cornelius Laco, cujus meminit *Tac. H.* 1, 13. ℙ De duplici positione recti casus. V. RUBICO.

*LACOBRĪGA, ae, f. oppidum Lusitaniae. *Mela* 3, 1. *med.* Cf. *Festus*, cujus dicta sunt *Lacobrigae nomen compositum a lacu et briga Hispaniae oppido.* ℙ Fuit et oppidi nomen in Hispania Tarraconensi, in agro Vaccaeorum, quo spectare potest locus *Festi* citatus. *Anton. Itin.* ℙ Hinc

*LACOBRIGENSES, ium, m. incolae Lacobrigae. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

LĂCŌNĬA, ae, f. regio Peloponnesi, in ora australi, ad sinum Laconicum, inter Argiam, Arcadiam, et Messeniam: cujus metropolis Sparta, sive Lacedaemon. *Plin.* 6, 34, 39.

LĂCŌNĬCA, ae, et Laconicē, es, f. *Λακωνική*, eadem quae Laconia. Prior positio est ap. *Nep. Timoth.* 2., *Vellej.* 1, 3. et *Plin.* 25, 8, 53., altera ap. *Mel.* 2, 3., ubi tamen alii *Laconica* legunt.

LĂCŌNĬCUM. V. v. seq.

LĂCŌNĬCUS, a, um, adj. *Λακωνικὸς*, ad Laconiam pertinens, Lacedaemonius. *Hor. Od.* 2, 18, 7. Laconicae purpurae. (V. TAENARIUS.) Al. leg. *Laconiae. Plin.* 10, 63, 83. canes. (V. LACO.) *Symm. ep.* 1, 8. (al. 14.) Laconicae brevitati studere. (V. LACONISMUS.) *Pl. Most.* 2, 1, 57. Laconica clavis, *h. e.* qua foris aedes claudebantur, et intus aperiebantur: Laconum inventum: ad discrimen earum, quae intus tantummodo claudebant, quales olim primo claves apud Graecos fuisse, ex *Theone* probant *Scalig.* et *Meurs.* (*l.* 2.) *miscell. Laconic. c.* 17. Alii putant, ita fuisse compositas, ut foris quidem clauderent, at intus aperire non possent. Verba sunt *Plauti:* clavem mihi harunce aedium Laconicam Jam jube efferri intus: hasce ego aedes occludam hinc foris. ℙ *Laconicum balneum*, quod *Laconicum* absolute dicitur, Romae primus exstruxit M. Agrippa sub Augusto, teste *Dione l.* 53., et ita appellavit, quoniam Lacones nudare corpora, et oleo inungi, maxime solebant. Erat enim locus cameratus, in quo depositis vestibus, sicco calore sudorem provocabant. Accenso enim igne sub ipso pavimento, quod eam ob rem vacuum erat, et suspensum (et *hypocaustum* dicebatur), flamma et calor per tubulos in ipsum Laconicum ascendebat, et ad summam camerae curvaturam: in cujus medio erat foramen, clypeo aeneo catena apto obstructum, quo clypeo remisso, patebat calori aditus, ut ad superiora conscenderet, aestumque Laconici minueret: reducto, omnis calor in Laconico inclusus vim suam augebat: atque hac ratione perficiebatur tempera tura sudationis, qua cruditates digeri et solvi putabant. V. *Vitr.* 5, 10. *f. Assam sudationem* appellat *Cels.* 3, 27. *n.* 3. et *siccum calorem*, 2, 17. Siccus, inquit, calor est et arenae calidae, et Laconici, et clibani. *Colum. praef. med.* Ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, et exsueto sudore sitim quaerimus. Meminit et *Cic. Att.* 4, 10. ℙ **Laconicum* etiam est cognominatum Ossigi, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*LACONIMURGI, oppidum Hispaniae, dictum et Constantia Julia. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

LĂCŌNIS, idis, adj. f. Lacaena, *Λακωνίς*. *Ov. Met.* 3, 223. Et patre Dictaeo, sed matre Laconide nati. ℙ Absolute *Laconis* est ipsa Laconia. *Mela* 2, 3. *med.*

LĂCŌNISMUS, i, m. *λακωνισμὸς*, breviloquentia, a Laconum seu Lacedaemoniorum moribus, sive quod illis prolixa loquacitate nihil esset odiosius, quippe qui factis magis, quam eloquentia praecellerent; sive quod in apophthegmatis praecipue valerent, quorum praecipua est gratia, ut paucissimis verbis plurimas sententias complectantur. Graece usurpat *Cic. Fam.* 2, 25. Sed quid ago? non imitor *λακωνισμὸν* tuum: altera jam pagella procedit.

LĂCŌNĬUS. V. LACONICUS.

LĂCŌTŌMUS, i, f. *λακότομος*, linea recta meridianum circulum secans: a *λαχὶς*, frustum, et *τέμνω*, seco. *Vitr.* 9, 8. *f.* V. *Bald.* in *Lex. Vitr.* ℙ Ceterum aliter definit eam lineam *Steph. Piale* in *Mem. encicl. Rom.* T. 5. p. 105., quem consule.

LĂCRYMA et Lacrima, ae, f. *δάκρυ, δάκρυμα*, humor ex oculis fluens ex fletu, vel morbo: a Graeca voce allata. *Cic. Part.* 17. Cito arescit lacryma, praesertim in alienis malis. *Ov. Met.* 11, 720. Lacrimam dare ignoto, *h. e.* ignotum lugere. *Ter. Ad.* 4, 1, 20. Homini illico lacrymae cadunt, quasi puero, gaudio. *Id. Heaut.* 2, 3, 65. Lacrymis opplet os totum sibi. *Lucr.* 2, 975. Et lacrymis spargunt rorantibus ora genasque. *Virg. A.* 9, 251. vultum lacrymis atque ora rigabat; et *ib.* 1, 232. lacrymis oculos suffusa nitentes; et *ib.* 4, 30. sinum lacrymis implevit obortis. *Cic. Mil.* 38. Neque enim prae lacrymis jam loqui possum. *Id. Verr.* 2, 5, 67. Lacrymas in morte misera navarchorum non tenebamus. *Id. Fam.* 5, 14. Tradere se lacrymis et tristitiae; et *ib.* 14, 4. Lacrymis confici. *Curt.* 7, 2. temperare. *Val. Fl.* 4, 169. absumi. *Virg. A.* 8, 384. quempiam flectere. *Just.* 11, 15. prosequi mortem alicujus. *Caes. B. G.* 1, 20. Multis cum lacrimis obsecrare. *Curt.* 7, 8. Manantibus prae gaudio lacrymis. *Plin. ep.* 3, 16. Diu cohibitae lacrymae prorumpunt. *Lucan.* 7, 707. lacrymas luctusque remitte. *Just.* 1, 8. *f.* Dolorem in lacrymas effundere. *Val. Fl.* 3, 395. fatiscere in lacrymas. *Virg. A.* 4, 413. ire. *Tac. A.* 3, 23. effundi. *Ov. Ib.* 208. cogere aliquem. *Id. Amor.* 3, 6, 57. lacrymis madidos corrumpere ocellos. *Id. Met.* 9, 142. indulgere. *Cic. Planc.* 42. Lacrimas effundere. *Id. Font.* 17. profundere. *Ov. Met.* 11, 458. emittere. *Virg. A.* 6, 455. demittere. *Sen. ep.* 76. *med.* mittere. *Prop.* 1, 19, 23. siccare cadentes; et 2, 8, 8. supprimere. *Virg. A.* 4, 370. dare, *h. e.* fundere; et *ib.* 6, 468. ciere, *h. e.* movere, fletum excitare. *Quint.* 11, 3. alicujus concitare. Eod. sensu, *Id.* 4, 2. *med.* movere; et *Curt.* 5, 5. commovere; et *Albinov.* 1, 466. alicui elicere. *Prop.* 1, 16, 32. Surget et invitis spiritus in lacrymis, *h. e.* inter lacrymas suspirium dabit, licet invita. ℙ Transfertur ad significandum humorem, qui ex nonnullis plantis emanat. *Plin.* 11, 6, 5. E lacrymis arborum, quae glutinum pariunt. *Id. prooem. l.* 23. Lacryma vitium, quae veluti gummi est. *Colum.* 10, 103. lacryma medica panaces. *Prud. Cath.* 5, 22. *lacrimas olentes* dixit guttas stillantes cerae ardentis. ℙ Ad scriptionem quod attinet, per *y* recte scribitur, quia a *δάκρυμα*, ut dictum est: (unde *dacrymas* saepe *Liv. Andron.* posuit, teste *Festo*) itaque placet *Manut.* et *Dausq.*, satisque illud probat, quod in multis veterum monumentis, quae *Manut.* collegit, *lacruma* legitur, *y* in *u* converso, usitato more Latino, ut in *Sulla* pro *Sylla*, *sus*, a *σῦς*, *Cumae*, *inclutus*, etc. *Cellar.* videtur per *i* magis probare. Sane Graecae voces, quando longo usu sunt Latinae factae, Latinas quoque litteras assumere solent, ut *fama*, *silva*. Veteres etiam Inscriptiones plurimae pro hac scriptione stant, et *Pier.* ad *Virg. A.* 6, 1. Prisci aspirationem adhibuerunt, *lachryma* scribentes: quod eos factitasse ait *Gell.* 2, 3. firmandae vocis causa, et roborandae, ut ejus esset sonus vividior vegetiorque. Sed haec scribendi ratio jam obsolevit. V. *Cic. Or.* 48. [*Cf. *Schneider. Gr. Lat.* 1, 44., qui triplicem hujus v. scriptionem ferri posse docet.]

LĂCRYMĂBĬLIS, e, adj. *δακρυτέος, πολύδακρυς*, lacrymas commovens, dignus lacrymis, miserabilis. *Virg. A.* 3, 39. gemitus lacrymabilis imo Auditur tumulo; et *ib.* 7, 604. Getis inferre manu lacrymabile bellum. *Ov. Met.* 2, 796. de Invidia: Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit. ℙ Item lacrymae similis. *Arnob.* 7, 233. Viscum est ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lacrymabili destillatione coalescens.

LĂCRYMĂBĬLĬTER, adv. cum lacrymis. *Hieron. ep.* 140. *n.* 15. Unde et Propheta lacrymabiliter deprecatur, etc.

LĂCRYMĂBUNDUS, a, um, adj. multum lacrymans, *δακρυόεις*. *Liv.* 3, 46. *f.* Atque ille lacrymabundus, gratum est, inquit.

LĂCRYMANS, antis, part. a *lacrymo*, flens, *δακρύων*. *Caes. B. G.* 7, 38. Convocatis militibus, lacrymans, quo proficiscimur, inquit, milites? *Cic. Sext.* 69. Video hunc praetextatum filium oculis lacrymantibus me intuentem. *Virg. A.* 2, 790. lacrymantem, et multa volentem Dicere deseruit. ℙ [*Active c. accus. *Rut. Lup.* 2, 7, 110. Oculi vinum lacrymantes: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ De plantis humorem remittentibus, *Plin.* 17, 14, 24. Lacrymantes calamos inseri non oportet, non hercule magis, quam aridos.

LĂCRYMĀTĬO, onis, f. *δάκρυσις*, actus lacrymandi. *Plin. prooem. l.* 23. *f.* Omphacium emendat oculorum lacrymationes. *Id.* 11, 37, 54. Natura oculos composuit tunicis callosis, quas subinde purificant lacrymationum salivis.

*LĂCRYMĀTOR, oris, m. ap. *August. B. A.*

LĂCRYMĀTUS, a, um, part. a *lacrymo*, emissus per modum lacrymae. *Ov. Fast.* 1, 339. Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas.

LĂCRYMO et Lacrĭmo, as, avi, atum, n. 1. *saepius quam* Lacrymor, aris, atus sum, dep. 1. *δακρύω*, [**δακρυχέω*,] lacrymas fundo, fleo. *Cic. Att.* 15, 27. Te, ut a me discesseris, lacrymasse, moleste ferebam. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Ecquis fuit, quin lacrymaretur? *Sen. ep.* 63. Nec sicci sint oculi, amisso amico, nec fluant: lacrymandum est, non plorandum. [**Ov. A. Am.* 3, 291. Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter, Quoque volunt plorant tempore quoque modo.] *Ter. Ad.* 3, 4, 46. Lacrymo gaudio. [*Cf. 4, 1, 20. et *Liv.* 17, 17.] *Ter. Hec.* 3, 3, 45. Lacrymo, quae posthac futura est vita, cum in mentem venit; et 3, 2, 20. Quid tu igitur lacrymas? [*Verba, quibus affectuum vim significari lacrymis videmus, conjuncta posuit *Ennius* ap. *Auct.* ad *Her.* 4, 2. Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes. De discrimine inter *lacrymare* et *flere* v. h. v.: *plorare*, Gr. *κωκύειν*, in eo discrepat a *lacrymare*, quod illud cum ejulatione conjunctum est, nostr. *heulen und schreien;* hoc lacrymas emittere ob animi commotionem etiam laetam aliquam significat. V. *Doederl* 3, 153.] ℙ Regit aliquando accusativum, vi praepos. *ob* vel *propter*, quae subintelligitur. [*V. de hac constructione *Ruddim.* 2, 160.] *Ter. Eun.* 5, 1, 13. Num id lacrimat virgo? *Nep. Alc.* 6. Ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrymarit. *Stat. Th.* 9, 99. ne non moerentibus Argos Exsequiis lacrymandus eat. ℙ De plantis humore manantibus. *Venant. carm.* 3, 9, 18. Caudice desecto lacrimat sua gaudia palmes. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2,

7, 110.] V. LACRYMANS. ℙ Scribitur et *lacrumo*. V. LACRYMA. ℙ Part. *Lacrymans* V. s. l.

LACRYMOSE, adv. cum lacrymis. *Gell.* 10, 3. Dicere quippiam lacrymose atque miserantur. [*Vet. Schol.* in *Cic. Planc.* 31. (ed. *A. Maio*) Ut pro reis multo lacrymosius peroraret. *F.*]

LACRYMOSUS, a, um, adj. δακρυώδης, lacrymis manans, lacrymabilis. *Hor. Od.* 1, 8, 14. Lacrymosa Trojae Funera; et *ib.* 21, 13. Lacrymosum bellum. *Ov. Trist.* 5, 1, 35. carmen. *Id. Amor.* 1, 8, 111. lacrymosaque vino Lumina. *Id. Fast.* 2, 387. Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri. *Stat. Th.* 6, 164. Lacrymosus risus. *Hor. Sat.* 1, 5, 80. et *Ov. Met.* 10, 6. fumus, *h. e.* ex oculis lacrymas exprimens. Sic *Plin.* 19, 6, 32. Caepis omnibus odor lacrimosus; et *Lucil.* ap. *Non.* 3, 67. Flebile caepe simul, lacrymosaeque ordine thallae. ℙ De plantis humore manantibus. *Plin.* 17, 28, 47. Vitium radicibus aquam salsam affundi, si sint lacrymosae.

LACRYMŪLA, ae, f. δακρύδιον, parva lacryma. *Cic. Planc.* 31. Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas et fletum videre potuisti. *Ter. Eun.* 1, 1, 22. Haec verba una mehercle falsa lacrymula, Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit, Restinguet. *Catull.* 66, 16. parentum Frustrantur falsis gaudia lacrymulis.

LACT. V. LAC.

LACTA, ae, f. barbarum nomen est, quo casiae genus quoddam appellant, teste *Plin.* 12, 19, 43. Quod huc addunt ex *Tert. Pud.* 6. *med.* dubiae admodum lectionis est.

LACTĀNĔUS, a, um, adj. lactans. *Nutritores lactanei*, in quadam *Inscr.* incertae aetatis ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 293. *n.* 1. et 2. sunt pueri lactentis educatores. *Lactaneus color* ap. *Theod. Prisc.* 4, 2. est idem ac lacteus.

LACTANS, antis, part. a *lacto*, θηλάζων, lac habens, aut praebens. *Gell.* 12, 1. *med.* Nam plerumque sine discrimine, quaecumque id temporis lactans est, adhiberi solet. Al. rectius leg *lactens. Seren. Samm.* 20. Ubera fecundo multum lactantia succo. Al. melius leg. *lactentia*. Et observant eruditi, passim haec duo confundi, ut et in illo *Ov. Met.* 6, 342. Uberaque ebiberant avidi lactantia nati. ℙ Item lac sugens. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Equis anniculis dandum hordeum, usque quo erunt lactantes. Al. rectius leg. *lactentes. Liv. Andron.* in *Tereo* ap. *Non.* 2, 654. Ego puerum interea ancillae subdam lactantem meae. Al. leg. *laetantem.* ℙ *Lactantia, um*, cibi ex lacte facti, ap. *Cels.* 2, 28. et 29. et *Apic.* 7, 11. Ap. *Cels.* quidam leg. *lactentia;* sed, teste *Targa*, omnes *Codd.* et primae editt. habent *lactantia.* ℙ *Lactantes anni* ap. *Auson. Idyll.* 4, 67. sunt anni pueritiae; nisi forte hic quoque *lactentes* reponendum est. ℙ *Lactantes metae* ap. *Mart.* sunt metae lactis: 1, 44. Rustica lactantes nec misit fiscina metas. ℙ *Lactans Deus*, qui se infundit segetibus, et eas facit lactescere. *Varro* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 315., ubi *Serv.* discrimen addit inter *lactantem* et *lactentem*, quod illud lac praebentem; hoc, cui praebetur, significet. V. LACTURCIA. ℙ [*Est etiam part. frequent. *lacto*, i. q.] mulcens, inducens, illectans decipiendi causa. [*V. LACTO.] *Accius* ap *Non.* 1, 54. Frustrando lactans. *Cic. Tusc.* 4, 7. *f.* Malevolentia lactans alieno malo. Ita *Non.*, sed al. rectius aliter leg. [*V. quos laudat *Orell.* qui *lactans* exhibet.]

LACTANTIUS, L. Coelius (al. Caecilius) Lactantius Firmianus, patria Afer quibusdam fuisse videtur, aliis Italus ex Firmio, seu Firmo Piceni oppido. Ex Pagano Christianus factus, in Africa litteris operam dedit, praeceptore usus Arnobio: ubi cum valde profecisset, Nicomediam Bithyniae accitus fuit, ibique rhetoricam aliquandiu docuit. Deinde ad scribendum se contulit, pluraque emisit, quorum adhuc exstant multa. Floruit circa initium saeculi Christi IV. sub Diocletiano, et Constantino Impp., hujusque filium Crispum Caesarem jam senex in Gallia litteris erudiit. Omnium sui temporis, cunctorumque Christianorum scriptorum eloquentissimus habitus est, et magistrum ipsum suum elegantia, suavitate, ac puritate sermonis longe vicit: quod et ipsa ejus scripta ostendunt, propter quae merito Christianus Cicero est appellatus. *Hieron. ep.* 58. *n.* 10. Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. ℙ Alius fuit *Lactantius Placidus.* V. LUTATIUS.

LACTĀRIS, e, adj. lac habens, lactens. Capra lactaris est, quae lac habet, et fetus lactat. *Marcell. Empir.* 23. *med.*

LACTĀRĬUS, a, um, adj. ad lac pertinens, ut Lactaria herba Latine est, quae tithymalus, Italice *lattajuola*, a succo lacteo, quem copiose continet, appellata. *Plin.* 26, 8, 39. ℙ *Lactarium opus*, cibus e lacte confectus, γαλάκτινον. *Lampr. Elag.* 32. Ut coenam exhiberet alia die de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. ℙ *Lactarium* absolute idem significat. *Id. ib.* 27. Dulciarios, et lactarios tales habuit, ut quaecumque coci de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent. ℙ *Lactarius, ii*, qui cibos e lacte confecit, aut vendit. V. *Lampr. l. c.* supra in §. 3. *Gloss. Philox.* Lactarius, γαλακτοπώλης. ℙ Est etiam *lactarius*, qui lac sugit. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Dandum bubus lupinum, et lactariis Medica, et cytisum. ℙ *Lactaria columna* ponitur Romae a *P. Vict.* in regione undecima, in foro olitorio, ad quam infantes lacte alendos deferebant. Eadem habet *Festus.* ℙ *Lactarius mons* vocabatur collis prope Stabias in Campania, ubi vaccae plurimae herbis salubribus saginatae optimum aegris lac praebant. *Cassiod. Variar.* 11, 10. Remedia Lactarii montis expetere.

*LACTĀTĬO, onis, f. i. q. lactatus, ap. *August. B. A.*

[LACTĀTUM, i, n. idem ac lactarium. *Isid. Orig.* 20, 3. Lactatum est potio ex lacte. *F.*]

LACTĀTUS, us, m. actus lactandi. *Plin.* 32, 2, 5. de muraenis: Sibilo a piscatoribus, tanquam serpentibus, evocari, et capi, pinguescere lactatu. *Hard.* rectius leg. *jactatu* ex MSS.

LACTE. V. LAC.

LACTENS, entis, part. a *lacteo:* θηλάζων, qui lac sugit. *Cic. Cat.* 3, 8. Romulus parvus, atque lactens, uberibus lupinis inhians. *Id. Leg.* 2, 12. Lactentes hostiae. *Liv.* 37, 3. Lactentibus rem divinam facere. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Porci lactentes; et *ib.* 11. agni. *Colum.* 10, 343. lactens catulus. *Ov. Fast.* 6, 137. Carpere dicuntur *(striges)* lactentia viscera rostris: sc. puerorum lactentes. ℙ Item lac habens. *Virg. G.* 1, 315. Frutia. ℙ Item lac habens. *Virg. G.* 1, 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. *Ov. Fast.* 1, 351. sata vere novo teneris lactentia succis. *Plin.* 20, 7, 26. Lactuca lactens. ℙ Item ex lacte confectus. *Cels.* 2, 28. Facile intus corrumpuntur omne pistorium opus, lac, mel, itemque lactentia; et *ib* 29. Alvum movent mel crudum, lac, lactentia omnia, mulsum, vinum dulce. ℙ Translate *lactens annus*, dicitur vernum tempus, ab *Ov. Met.* 15, 201. Cum tener et lactens, puerique simillimus aevo Vere novo est. ℙ V. Alia in LACTANS.

LACTĔO, es, n. 2. lactens fio, γαλακτιάω. *Pall.* 3, 26. Verno tempore, cum lactent novella virentia. V. similem *Colum.* locum in LACTO. ℙ Item lac sugo. *Vet. Schol.* ad *Pers.* 3, 17. Aut dormi, aut lacte. V. LALLO. ℙ Part. *Lacteus* V. in v. praec.

LACTĔŌLUS, a, um, adj. dimin. a *lacteus*, candidulus. *Catull.* 55, 17. Num te lacteolae tenent puellae? Alii leg. *lacteolae papillae. Auson. ep.* 7. Viscus lacteolum, *h. e.* caro candida testae marinae inclusa. *Lacteolos agnos*, dixit *Prud.* περὶ στεφ. 11, 245. *h. e.* lactantes. *Id. ib.* 3, 161. Emicat inde columba nive candidior; Spiritus hic erat Eulaliae Lacteolus, celer, innocens.

LACTES, ium, f. plur. tenuiora intestina in animalibus, in quae primo cibus e ventriculo illabitur, lacteo pingui obducta, mollia, esui teneriora et delicatiora: dicta vel a lacteo colore, vel quia lactis instar suavia sunt, vel quia in his cibus in lacteum humorem vertitur. *Plin.* quidem 11, 37, 79. in homine tantum ponit, et in ove: sed de aliis quoque animalibus dici, mox patebit. Verba ejus sunt: Ab hoc ventriculo lactes in homine, et ove, per quas labitur cibus: in ceteris hillae: a quibus capaciora intestina ad alvum, etc. *Prisc.* 6, 686. Hae lactes partes sunt intestinorum, a Graeco γαλακτίδες dictae: et servaverunt apud nos quoque idem genus: cujus singulare *haec lactis* est. Titinius in Ferentinati: *Cerebellum, lactis agnina.* Pomponius in Lare familiari: *Oro te, Basse, per lactes tuas.* Hactenus ille. *Pers.* 2, 30. qua tu mercede Deorum Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis? *Pl. Curc.* 2, 3, 40. Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 2, 1. p. 417.] ℙ *Alligare canem fugitivam agninis lactibus*, ap. *eund. Ps.* 1, 3, 85. proverbium est de levi inutilique remedio ad magnum malum. **Gloss. Lat. Gr.* Lactes, λοβοὶ τῶν σπλάγχνων, λεπτὰ ἐντερα, τῶν ἐρίφων. *B. A.*

LACTESCO, is, n. 3. γαλακτόομαι, in lac convertor, lac fio. *Cic. N. D.* 2, 51. In iis animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit. ℙ Item lactens fio. *Plin.* 11, 41, 96. Asinae praegnantes continuo lactescunt.

LACTĔUS, a, um, adj. γαλακτικὸς, ad lac pertinens, e lacte confectus. *Lucr.* 1, 258. et *Ov. Met.* 15, 79. candens lacteus humor Uberibus manat distentis. *Virg. G.* 2, 525. ubera vaccae Lactea demittunt, *h. e.* lacte plena. ℙ Item lacteus. *Mart.* 3, 58. Cingunt serenum lactei focum vernae; et *ib.* 47. Nondumque victa lacteus faba porcus. ℙ Item lactis colorem referens. *Virg. A.* 8, 660. lactea colla; et *ib.* 10, 137. cervix. *Mart.* 8, 45. hanc lucem lactea gemma notet. ℙ *Orbis lacteus, via lactea*, est veluti fascia in coelo, in meridiem porrecta, candidior ceteris partibus: ob id ita nuncupata: de qua *Ov. Met.* 1, 168. Est via sublimis, coelo manifesta sereno, Lactea nomen habet, candore notabilis ipso. Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis. *Cic. Somn. Scip.* 3. *f.* Splendidissimo candore iter flammas circus elucens, quem vos, ut a Grajis accepistis, orbem lacteum nuncupatis. V. quae in hunc locum adnotavit *Macr. Somn. Scip.* 1, 15., ubi de causis ejus candoris plura disserit. Graeci vocant γαλαξίαν κύκλον, Itali *via lattea*, et *galassia.* [*Nos. *Milchstrasse.*]

[LACTICĪNA, orum, n. plur. γαλάκτινα, cibi ex lacte, et ovo. *Gloss. Phil.* Lacticina, ὠόγαλα, ab ὠόν, ovum, et γάλα, lac. *F.*]

*LACTICĪNĬUM, i, n. ὠόγαλα, cibus ex lacte. *Apic.* 7, 11. *B. A.*

LACTĬCOLOR, oris, adj. lactei coloris. *Auson. ep.* 7, 54. Aut cunctis pariter versibus oblinat Fulvam lacticolor spongia sepiam. *Lacticolorem* vocat, quia mos erat spongias arte candidas facere, e mollissimis recentes per aestatem salis spuma tingendo, et ad lunam ac pruinas sternendo, ut *Plin.* docet 31, 11, 47.

[LACTĬCŪLĀRĬUS et Lacticulosus, a, um, adj. modo remotus ab ubere. *Gloss. Phil.* Lacticularius, lacticulosus, λιπογάλακτος. *F.*]

[LACTĬDIĀCUS, a, um, adj. qui calcibus percutit: a λακτίζω, calce ferio. *Gloss. Phil.* Lactidiaci, λελακτισμένοι. *F.*]

*LACTĬDĬO, as, a. 1. lapsae Latinitatis verbum e Graeco λακτίζειν, calcibus petere, ap. *Cornutum Persii Scholiasten*, laudante *Gronov. Obs.* 4, 13. p. 210. Inde est, quod lactidiatum dicimus, qui male sit calce percussus. *B. A.*

LACTĬFER, a, um, adj. lac ferens. *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 6. Silvano Sancto Patri et custodi pecudifero, lactifero, gladifero, etc.

LACTĪLAGO, inis, f. herba eadem, quae chamaedaphne: a jucundo sapore, ceu lactis, appellata. *Appul. Herb.* 27.

[LACTĪLLA, ae, f. dimin. lacteae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 616. *n.* 134. Atilia M. F. Lactilla. *F.*]

LACTĪNĔUS, a, um, adj. lacticolor, lacteus. *Venant. carm.* 8, 1, 27. Regia lactineo commutans pallia cultu.

LACTĪTO, as, a. 1. frequent. a *lacto*, lac praebeo. *Mart.* 7, 102. Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam.

LACTO, as, avi, atum, a. 1. θηλάζω, lac praebeo. V. LACTANS. ℙ Item lac sugo. *Colum.* 7, 9. *med.* Suibus leguminum facienda est potestas: et utique vere, dum adhuc lactant. Al. rectius leg. *lactent*, et conjungunt cum sequentibus, *viridia pabula*, [*h. e. mentre sono per anche latticinose le verdi pasture.* V. LACTEO. *F.*] *Auson. Epitaph.* 32. Infans lactavit, pubes et virgo adolevit.

[*LACTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. v. *lacio*, (quod trahere, allicere significat,) blanditiis trahere, spe, promissis allicere, mulcere, inducere, et frustrari, decipere. *Ter. Andr.* 5, 4, 7. Adolescentulos imperitos rerum in fraudem illicis: Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas; et 4, 1, 23. nonne tibi satis esse hoc visum solidum est, gaudium, Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres? *Pl. Cist.* 2, 1, 9. Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, raptat, retinet, lactat. *Accius* ap. *Non.* 1, 54. Dictis lenibus lactare aliquem. *Id. ib.* Frustrando lactare. *Varr. ib.* Aviditatem speribus lactet suis. Huc pertinet illud *Lucr.* 5, 1067. Aut ubi eos lactant pedibus, morsuque petentes. Est qui leg. *jactant.* ℙ Part. *Lactans* V. s. l.]

*LACTODŪRUM, i, n. opp. Britanniae. *Anton. Itin. Cellario* est *Bedford. B. A.*

*LACTŌRA, ae, f. opp. Galliae Aquitanicae, hodie *Leictoure* vel *Lectoure. Tab. Peut.* ℙ *Lactura* audit *Ant. Itin. B. A.*

[LACTORĀTENSIS, e, adj. ad Lactoram pertineus. *Inscr.* ap. *Grut.* 30, 1. Pro salute Imp. M. Antonii Gordiani P. F. Aug. et Sabinae Tranquillinae Aug., totiusque domus divinae, proque statu civitatis Lactoratensium ordo Lact. etc. *F.*]

*LACTORĀTES, ium, dicti sunt incolae et *civitas Lactoratium* ipsa *Lactora* in *Not. Gall. B. A.*

LACTŌRIS, f. herba est oleae folio, sed minore, et flore luteo, intus plena lactis, quod gustatum vomitiones concitat. *Plin.* 24, 18, 104. ℙ **Lacteris* est *Appul. de herb.* 111. ubi al. leg. *lathoris*, vel *lateris*, vel *laceris. B. A.*

[LACTŌSUS, a, um, adj. id. ac lacteus. *Gloss Phil.* Lactosus, γαλακτώδης. *F.*]

LACTŪCA, ae, f. θρίδαξ, herba, cujus tria genera Graeci fecere: unum lati caulis, adeo ut, ostiola olitoria ex his factitari, prodiderint. Folium his paulo majus herbaceo, et angustissimum, ut alibi consumpto incremento. Alterum rotundi caulis: tertium sessile, quod Laconicon vocant. Alii colore, et tempore satus genera discrevere. Esse enim nigras, quarum semen mense Januario seratur: albas, quarum Martio: rubentes, quarum Aprili. Diligentiores plura genera faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, Graecas. In Italia olim illa solum nota erat, quae meconis vocatur, a copia lactis soporiferi: unde et *lactuca* nomen inditum. Est autem natura omnibus refrigeratrix, et ideo aestate gratae stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Haec ex *Plin.* 19, 8,

38., ubi alia plura de his. V. etiam, si lubet, *Colum.* 10, 79. et 11, 3. *med.* et *Pall.* 2, 14. etc. *Cels.* 2, 32. Lactuca, maximeque aestiva, cujus cauliculus jam lacte repletus est, somno apta est. *Mart.* 13, 14. Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes? *Virg. Mor.* 76. Grataque nobilium requies lactuca ciborum, *h. e.* finis coenae. *Mart.* 11, 53. Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo Utilis. *Id.* 10, 48. Lactuca sedens, *h. e.* sessilis. ℙ *Similem habent labra lactucam*, proverb. de quo V. LABRUM. ℙ Alia est quae *Lactuca marina* dicitur, Graece τιθύμαλος. *Cels.* 5, 7. Lac lactucae marinae, quae τιθύμαλος a Graecis nominatur, exedit. *Colum.* 6, 15. Item si vomer crus sauciavit, marina lactuca, quam Graeci τιθύμαλον vocant, admixto sale, imponitur.

LACTUCĀRIUS, ii, m. qui lactucas emit, aut vendit. Agnoscitur ut Latinum a *Diom.* 1, 313.

LACTŪCINUS. Lactucini cognominati sunt Romae quidam in Valeria familia, a studio colendae lactucae. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3.

LACTŪCOSUS, a, um, adj. lactucis abundans. Ponitur ut Latinum a *Diomed.* 1, 316.

LACTŪCŬLA, ae, f. θριδακίνις, parva lactuca. *Colum.* 10, 111. teneris frondens lactucula fibris. *Pall.* 1, 30. Lactuculas serere. *Suet. Aug.* 77. Lactuculae thyrsum pro potione sumebat.

LACTURCIA, ae, f. Dea lactescentium frumentorum, ap. Latinos. *August. C. D.* 4, 8., ubi al. leg. ex MSS. *Deum Lacturnum.* V. LACTANS.

LACTURNUS. V. v. praec.

[LĂCŪLĀTUS, a, um, adj. *Isid. Orig.* 19, 22. Laculata vestis est, quae lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu, *h. e.* clavis intexta. V. CLAVATUS et MAPPA. *F.*]

LĂCŪNA, ae, f. τέλμα, τέναγος, collectio aquae, et fossa, in qua aqua collecta stare consuevit. *Festus:* Lacuna aquae collectio: a lacu derivatur. *Lucr.* 6, 551. ubi in magnas aquae, vastasque lacunas Gleba vetustate e terra provolvitur ingens. *Virg. G.* 1, 117. cavae tepido sudant humore lacunae. *Pall.* 1, 17. Lacunas cisternarum sarcire. *Stat. Silv.* 4, 3, 54. Hi siccant bibulas manu lacunas. *Mart.* 4, 4. Quod siccae redolet palus lacunae. ℙ *Salsas lacunas*, dixit *Lucr.* aquas maris, 3, 1045. et 5, 792., eodemque sensu *Auct. ad Her.* 4, 10. Neptunias lacunas. ℙ Pro quacumque fossa. *Cic. Arat.* 431. caecas lustravit luce lacunas, E quibus ingenti exsistit cum corpore prae se Scorpius, etc. *Lucr.* 1, 115. Aut tenebras Orci visat, vastasque lacunas. ℙ Et pro quacumque cavitate. *Vitr.* 7, 1. *med.* Pavimenta testacea sunt diligenter exigenda, ut non habeant lacunas, nec exstantes tumulos. *Varr. R. R.* 2, 7. Cum supercilia cana, et sub ea lacunae, dicunt, eum equum habere annos sedecim; et *ib.* 1, 29. Qua aratrum vomere lacunam facit, sulcus vocatur. *Mart.* 8, 59. de lusco. Lippa sub attrita fronte lacuna patet. *Lact. Op. D.* 10. Labrum superius sub ipsa medietate narium lacuna quadam levi, quasi valle, signavit Deus. *Appul. Flor.* 15. Cervix succi plena, malae uberes, genae teretes, ac medio mento lacuna. ℙ Dicitur et de loco vacuo, in quo quippiam deest. Hinc translate *lacunam explere*, est damnum sarcire. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. Illi censores fecerunt idem, quod in nostra republ. solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Sic *Varr. R. R.* 2, 1. *f.* Est, qui expleas duplicem istam lacunam, *h. e.* haec duo, quae desunt, et pro his alia reponas. *Gell.* 1, 3. *med.* Minima illa labes, et quasi lacuna famae imminentis, partarum amico utilitatum ratione solidatur. (Al. leg. *munimentis* pro *imminentis*, et v. *ratione* omittunt,) *h. e.* quasi vacuum honestate locum: vel interruptae bonae existimationis intervallum, quasique fractura. *Cic. Att.* 12, 6. Vide, quaeso, ne qua lacuna sit in auro, *h. e.* ne quod detrimentum, ne quid minus probum in auro sit: translatione, inquit *Manut.*, ducta a fundis, quos lacunae deteriores faciunt. ℙ Pro lagena. V. LAGENA.

LĂCŪNAR, āris, n. σανίδωμα, φάτνωμα, interstitium tignorum in coelo cubiculi, seu alterius aedium membri, quod cameratum non sit: ex eo dictum, quia inter tignum et tignum veluti lacuna est: item ipsum coelum seu tabulatum, sive contignatione constet, sive tabulis suffixis, et inter plana intervalla cavitates seu lacus habentibus, sive etiam aequato opere coagmentatis. Hujusmodi lacunaria, quae et *laquearia* dicuntur, picturis, aliisque ornamentis apud ditiores, ut hodieque fit, expoliri solebant. *Vitr.* 7, 2. *extr.* Camerarum dispositiones in conclavibus expediantur, nisi lacunaribus ea fuerint ornata. *Hor. Od.* 2, 18, 1. Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar. *Cic. Tusc.* 5, 21. Gladium e lacunari, seta equina aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. V. LAQUEAR. ℙ *Spectare lacunar* proverbiali locutione de eo dicitur, qui alias res tum maxime agit, cum sua res agitur, et omni attentione opus est. *Juven.* 1, 56. doctus spectare lacunar, Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso. V. DORMIO. ℙ In genit. plur. *lacunariorum* pro *lacunarium* habet *Vitr.* 4, 3. et 6, 4. et in dativo *lacunaribus* 7, 2. *extr.* et *lacunariis* 5, 2. et 6, 5. et 10.

LĂCŪNĀRĬUM, ii, n. idem quod lacunar. *Vitr.* 4, 3. Impedita est distributio in opere triglyphorum, et lacunariorum.

LĂCŪNĀRĬUS, ii, m. qui lacunas fodit *Firm. Math.* 8, 21. *Gloss. Philox.* Lacunarius, λακκοποιός.

LĂCŪNĀTUS, a, um, adj. ad lacunae formam depressus. *Plin.* 15, 10, 9. Intus exiles nucleos lacunatis includit toris.

LĂCŪNO, as, avi, atum, a. 1. σανιδόω, lacunaris similitudinem alicui rei induco. *Ov. Met.* 8, 561. Pumice multicavo, nec levibus atria tophis Structa subit: molli tellus erat humida musco: Summa lacunabant alterno murice conchae.

LĂCŪNOSUS, a, um, adj. lacunis plenus, inaequalis. *Cic. N. D.* 2, 18. Quid pulcrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? *Appul. Met.* 1. Avia, et lacunosa convallis; et *ib.* 9. Via lacunosis incilibus voraginosa. Adde *Vitr.* 8, 6. *f.*

LĀCUS, us, m. δεξαμένη, λίμνη, locus profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, unde rivi, et flumina oriuntur: a λάκκος, vel λάκος, fossa. Differt a *stagno*, quod hoc temporalem habet aquam stagnantem, quae plerumque hieme colligi solet, aestate siccari: sed *lacus* aqua perpetua et perennis est. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. Deae, quae illos Ennenses lacus, lucosque colitis. *Id. Agr.* 3, 2. Agros, aedificia, lacus, stagna. ℙ *Varr. L. L.* 4, 5. lacum definit, lacunam magnam, ubi aqua contineri potest. Hinc *lacus* Romae fuerunt capaces alvei, in quibus aquae recipiebantur ex aquaeductibus in usum publicum, jumentorum potui, lotionibus, exstinguendis incendiis, et fortasse etiam usibus fullonum, coriariorum, aliorumque opificum, etc. *Frontin. Aquaed.* 3. Ponam quot castella publica privataque sint, et ex his quantum publicis operibus, quantum muneribus, quantum lacubus. *Liv.* de his intelligendus, 39, 44. ubi lacus lapide sternendos memorat. Sic *Horatii* illud huc pertinet *Sat.* 1, 4, 36. Et quodcumque semel chartis illeverit, omnes Gestiet a furno redeuntes scire, lacuque, Et pueros, et anus. Plurimos in Urbe fuisse hujusmodi lacus constat ex *Frontin. Aquaed.* 78., ubi summam eorum colligit ad DXCI. *Plin.* vero 36, 15, 24. *n.* 9. DCC. enumerat ab Agrippa factos. Itaque saepissime eorum meminit *P. Vict. de reg. Urb. R.* ℙ Quod *Pl. Curc.* 4, 1, 16. enumerans varia loca urbis Romae, in quibus varia hominum genera agitare solent: confidentes ait, garrulosque, et malevolos *supra lacum* solere consistere; varie a variis is locus designatur, cum alii lacum Curtium intelligant, alii lacum Juturnae, nam utrumque ponit *P. Pictor* in regione Urbis octava, quae et *Forum Romanum* appellatur. ℙ *Siccus lacus*, proverb. de re nullius usus, aut pretii. *Prop.* 2, 11, 11. At dum demissis supplex cervicibus ibam, Dicebar sicco vilior esse lacu. Hic quidam interpretantur *lacum sine aqua*, ideoque etiam *sine pisce*, ex *eod. ib.* 12, 34. Aridus et sicco gurgite piscis erit: *Vulpius* vero *vas vinarium epotum*, *vacuumque.* ℙ Translate dicitur de vase amplo, in quo mustum prelo, vel pedibus expressum recipitur. *Ov. Fast.* 4, 888. Praemia, de lacubus proxima musta tuis. *Cic. Brut.* 83. *f.* Sic ego istis consuerim et novam istam, quasi mustum de lacu, fervidam rationem fugiendam. [Ita legit *Schütz.* at *Schneidero* placet *quasi musteam de lacu*, *ac*, etc. [**Orell.* exhibet: *quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam:* haec notans, esse videndum etiam atque etiam, ne hoc proverbium quasi fuerit Latinorum: *de musto ac lacu.*] *Cato R. R.* 25. Vinaceos conculcato in dolia picata, vel in lacum vinarium picatum. *Colum.* 12, 18. Aptandi sunt lacus vinarii, et torcula. *F.*] ℙ Item de musti quantitate, quae una pressura pedibus aut torculari exprimitur. *Plin.* 18, 31, 74. Pressura una culeos viginti implere debet. Ad totidem culeos et lacus viginti jugeribus unum sufficit torculum. ℙ Item de vase, in quo amurca recipitur, in olei confectione. *Colum.* 12, 50 *med.* ℙ Item dicitur de conceptabulo aquae fabrorum, in quam metallum candens demergunt. *Virg. G.* 4, 173. alii stridentia tingunt Aera lacu. ℙ Item de loco, ubi calx rutro subigitur maceraturque. *Vitr.* 7, 2. ℙ Item de loco, quo distinguitur granarium ad legumina separanda. *Colum.* 1, 6. Sed et lacubus distinguuntur granaria, ut separatim quaeque legumina ponantur. ℙ Item de tignorum, sive trabium interstitio, ut idem sit ac lacunar. *Lucil.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 730. resultant aedesque lacusque. ℙ *Lacus leonum* ap. *Prud. Cath.* 4, 65. locus est depressus, et septus, in quo custodiuntur leones, vivarium. ℙ Etiam *lacus*, *i*, m. dicitur. *Vet. Poeta* in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 359. *Burm.* Fundit at October vina Falerna lacis. Alii rectius leg. *Funditat October vina Falerna lacu*, vel *lacus:* ita ut *October lacus* dicatur, quomodo *October equus* ap. *Festum.*

LĂCUSCŬLUS, i, m. parvus lacus. *Colum.* 4, 8. Hiemalis aqua, quae ex pluviis consistit in lacusculis ablaqueationis. ℙ De loculis in tabulato, ubi reponuntur olivae. *Id.* 12, 50. Quia interdum immodica multitudo baccae torcularium vincit laborem, esse oportet pensile horreum, et habere lacusculos tam multos, quam postulabit modus olivae, ut separetur, et seorsum reponatur uniuscujusque diei coactura.

LĂCŪTURRIS, e, adj. cognomen caulis, de quo *Plin* 19, 8, 41. *n.* 3. Nuper subiere lacuturres *(caules)*, ex convalle Aricina, ubi quondam fuit lacus, turrisque, quae remanet: capite praegrandes, folio innumeri, alii in orbem porrecti, alii in latitudinem torosi. De iisdem loquitur *Colum.* 10, 137. Quae *(cymata)* duri praebent cymosa stirpe Sabelli, Et Turris lacus, et pomosi Tiburis arva. Alii leg. *Turis*, alii *Turni.*

*LACYDES, Λακύδης, academicus, discipulus Arcesilae, magister Evandri. *Cic. Acad.* 4, 6. et *Tusc.* 5, 37. Hunc tradit *Plin.* 10, 22. tantopere ab ansere quodam fuisse adamatum, ut ei perpetuo comes adhaeserit, nusquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digressus. *B. A.*

*LACYDON, onis, portus Galliae Narbonensis, prope Massiliam. *Mela* 2, 5. *B. A.*

LĀDA, ae, f. λήδον, herba in Cypro ex cisti, vel cisthi generibus, longioribus foliis, et nigrioribus, quae verno tempore pingue quiddam roscidum contrahunt, quod caprarum barbis adhaerescit, indeque depexum colatur, cogiturque in offas, et ladanum appellatur. *Plin.* 26, 8, 50., ubi *Hard.* ex MSS. *ledon* pro *lada* reponit.

LĀDANUM, i, n. λήδανον, pingue illud roscidum, de quo dictum est in v. praec. *Plin.* 26, 8, 30. et 12, 17, 37.

LĀDAS, ae, m. Λάδας, Alexandri Macedonis cursor, qui traditur fuisse tanta pedum velocitate, ut vestigia ejus in arena non apparerent. Quo nomine statuam meruit apud Argos in templo Veneris, quam τιχοφόρον cognominabant. Hinc *Mart.* 10, 100. Habeas licebit alterum pedem Ladae, Inepte frustra crure ligneo curres. Adde 2, 86., *Catull.* 55, 25., *Juven.* 13, 97., *Auct. ad Her.* 4, 3. et *Sen. ep.* 85.

*LADE, es, f. Λάδη, insula Ioniae vicina, prope Miletum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[LADĪCUS, i, m. cogn. Jovis, qui ita est appellatus a *monte Ladico*, nunc *los Codos de Ladoco*, ad flumen Bibrium in Gallaecia. *Inscr.* ap. *Grut.* 1065, 1. Jovi Ladico M. Ulpius Aug. Lib. Gracilis ex voto. *F.*]

LĀDON, onis, m. Λάδων, fluv. Peloponnesi, qui per Arcadiam in Alpheum influit. *Ov. Met.* 1, 702. arenosi placidum Ladonis ad amnem. ℙ In Fabulis dic tur fuisse pater Daphnes. *Serv.* ad *Ecl.* 3, 63. et ad *A.* 2, 513., quamquam alii Peneum dicunt. *Id.* ad *A.* 3, 91. ℙ Est etiam nomen canis Actaeonis. *Ov. Met.* 3, 216.

*LAEANA, Arabiae oppidum, dictum et Aelana. *Plin.* 6, 28. ℙ Hinc

*LAEANTĪCUS, a, um, adj. ad Laeanam spectans, Aelaniticus. *Plin. ib.* Laeanticus sinus. V. AELANA. *B. A.*

[LAEBACTES, ium, m. plur. incolae pagi in agro urbis Belluni, qui olim Laebactum, nunc *Pieve di Lavazzo* dicitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 237, 6. et *Fabrett.* p. 684. *n.* 80. In honorem *Neronis* Claudii Caesaris Augusti Germanici Sex. Paeticius Q. F. Tertius, et C. Paeticius Sex. F. Firmus horilogium cum sedibus paganis Laebactibus dederunt. *F.*]

[LAECĀ, ae, m. scortator, est cogn. R., fortasse a λαικάζω, scortor, hinc λαικάστρια, meretrix, quae scilicet pudicitiam suam publicat; λαῖκὸς enim est popularis. *Sall Cat.* 17. M. Porcius Laeca; et *nummus* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5 p. 286. P. Porcius Laeca. *F.*]

LAEDO, is, si, sum, a. 3. βλάπτω, aliquid mali alicui infero, violo, noceo. Volunt esse per metathesim a δηλέω, quod idem significat. *Tac. Agr.* 42. Proprium humani ingenii est, odisse quem laeseris. Τρώμη. *Pl. Curc.* 4, 3, 9. Lora laedunt brachia. *Ov. Fast.* 6, 150. Frondes laedit hiems. *Id. Her.* 4, 21. teneros laedunt juga prima juvencos. *Id. Met.* 4, 601. Laedere aliquem vulnere. *Phaedr.* 4, 7. dente. *Virg. G.* 2, 301. ferro retuso plantas; et *ib.* 220. rubigine ferrum. *Ov. Met.* 13, 926. herbas morsu laesere juvencae. *Plin.* 27, 11, 71. Grana lathyridis stomachum laedunt. *Hor. Ep.* 1, 17, 7. si te pulvis, strepitusque rotarum, Si laedet caupona, Ferentinum ire jubebo; et *ib.* 2, 38. Quae laedunt oculum, festinas demere: si quid Est animum? *Virg. Ecl.* 10, 48. ah, ne te frigora laedant! et *ib.* 9, 64. Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus; et *A.* 7, 809. per summa volaret Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas. *Plin.* 21, 10, 31. Thymum laeditur imbribus, amittitque florem; et 37, 5, 18. Smaragdi sole laeduntur; et 13, 15, 30. Mensae splendescunt manu sic-

ca fricatae, nec a vinis laeduntur, *h. e.* si vino perfundantur, nihil gratiae amittunt. *Paul. Dig.* 9, 2, 30. *f.* Si ignis alienam segetem, vel vineam laeserit. ℙ Pro allidere, affligere. *Lucr.* 5, 999. turbida ponti Aequora laedebant naves ad saxa virosque. ℙ Illa sunt urbana, et elegantia, *Ter. Ad.* 5, 4, 10. Clemens, placidus: nulli laedere os, arridere omnibus, *h. e.* in faciem nemini male dicere. *Suet. Caes.* 49. Laedere famam alicujus gravi opprobrio. *Metell.* ad *Cic. Fam* 5, 1. ludibrio aliquem. *Quint.* 7, 2. *med.* infamia. *Hor. Sat.* 2, 1, 21. tristi versu. *Pl. Capt.* 2, 2, 53. dicto aut facto. *Lucan.* 7, 848. superos crimine. *Ov. Pont.* 3, 9, 25. animum lento curarum frigore. *Cic. Rosc. Am.* 38. *med.* fidem. *Mart. Dig.* 48, 2, 3. majestatem publicam. ℙ Speciatim *laedere* dicitur testis, qui contra reum dicit. *Cic. Caec.* 10. Cum ita vehemens acerque venisset, ut non modo Caecinam perjurio suo laederet, sed etiam mihi videretur irasci. *Id. Or.* 2, 70. *med.* Cum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset. Adde *ib.* 74. et *Quint.* 6, 3. *med.* ℙ Vete res *laedere* res rapere dicebant, etiam si rapinae nullum crimen exsisteret: similiter *satisfacere* reddere. *Serv.* ad *A.* 10, 14. ℙ Absolute pro inreddere. *Serv.* ad *A.* 10, 14. ℙ Absolute pro injuriam facere, *Nep. Att.* 10. Nullas inimicitias gessit, quod neque laedebat quemquam, neque, etc. ℙ Et pro dictis pungere, maledicere. *Sall. Jug.* 86. Marius antea infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare, singulos modo, modo universos laedere. ℙ [*Laedere* saepe idem est, quod *ludibrio habere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 151. Haud aeque laesura ducem, cui falsa canebat, Quam tripodes, Phoebique fidem. ℙ De discrimine inter *laedere*, *violare* et *offendere Doederl.* 3, 139. haec habet: *laedere* spectat objectum, in quo adhuc aliquid est, quod perdi possit; *violare* pertinet ad id, quod injuria affici nefas est; *offendere* nonnisi ad mentem et animum referendum.] ℙ Part. *Laedens* ap. *Ov. Rem. Am.* 293. laedentia pectus Vincula qui rupit. *Laesurus* ap. *eund. ib.* 90. Et tua laesuro subtrahe colla jugo. ℙ [*Confunduntur *laedere* et *ludere. Cort.* ad *Lucan.* 5, 151. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 6, 3. p. 535.]

LAELAPS, ăpis, m. *λαῖλαψ*, canis nomen, quod signat procellam, aut turbinem. *Ov. Met.* 7, 772. et *ib.* 3, 211. altero hoc loco inter canes Actaeonis enumerans: priore ita appellans canem Cephali, qui cum vulpem feram, infestamque incolis persequeretur, una cum ipsa in lapidem versus est.

*LAELĬA, ae, f. mater uxoris L. Crassi, cujus sermo patris sui elegantia tinctus erat, ut ait *Cic. Brut.* 58. ℙ Item virgo Vestalis, cujus meminit *Tac. A.* 15, 22. *B. A.*

LAELĬĀNUS, a, um, adj. ad Laelium pertinens: ut Laelianae naves, ap. *Caes. B. C.* 3, 100. *h. e.* quibus D. Laelius imperabat.

*LAELĬUS, i, m. C. Scipioni Africano familiarissimus, orator insignis, Romanis *Sophos* vel *Sapiens* appellatus. Consul semel fuit, et quidem cum repulsa A. DCXIII. *Hor. Sat.* 2, 1, 72. Mitis sapientia Laeli. *Lucil.* ap. *Cic. de Fin.* 2, 8. In quo Laeliu' clamores Sophos ille solebat Edere. *Cic.* pro *Mur.* 31. *Id. Brut.* 21. de *Off.* 1, 30. 2, 11. 3, 4. de *Amic.* (qui et *Laelius* inscriptus liber est) 1. et 2. *Tusc.* 5, 19. et alibi pluries. Adde *Liv.* 30. passim et *Quint.* 8, 6. ℙ Decimus Laelius, orator. V. *Burm.* ad *Quint.* 10, 1. ℙ Laelius Archelaus, Grammaticus insignis, memoratur a *Suet. de Ill. Gramm. B. A.*

LAENĀ, ae, f. *χλαῖνα*, genus vestis, quae aliis superinduitur; a voce Graeca allata, quam ducunt a *χλαίνω*, calefacio: tametsi sunt apud *Fest.* qui Tuscae originis esse arbitrantur. Certe non est audiendus *Varro*, qui *L. L.* 4, 30. dictam putat, quod de *lana* multa, quia duarum togarum instar erat. Multiplex ejus fuit usus. Legimus enim, a sacerdotibus in sacrificio adhibitam fuisse, apud *Cic. Brut.* 14. (V. v. sq.) eaque usos flamines, a flaminicis suis texta (sic enim oportebat) etiam *Serv.* ad *A.* 4, 262. tradit. Item a regibus et principibus viris, ut ex *Virg. ib.* et *Sil.* 15, 424. colligitur. Item a ditioribus, et denique a vulgo. *Pers.* 1, 30. ecce inter pocula quaerunt Romulidae saturi, quid dia poemata narrent. Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est, etc. *Juven.* 5, 130. plurima sunt, quae Non audent homines pertusa dicere laena. Ex loco *Persii* colligimus, domesticam quoque et coenatoriam vestem fuisse: quod confirmatur illo *Mart.* de lusco furante in convivio, 8, 59. Et tectus laenis saepe duabus abit. ℙ Etiam militare vestimentum fuisse, docet *Non.* 14, 26., sed non probat. ℙ Praecipua ejus utilitas, postquam passim adhiberi coepta est, frigori arcendo: unde ex crassiore panno (quare et *duplex* dicitur a *Serv. l. c.* et *Festo*) et villosa fuit. *Mart.* 14, 136. cui titulus *Laena:* Tempore brumali non multum laevia prosunt: Calfaciunt villi pallia vestra mei. Hinc Graecum proverb. *ἐν θέρει τὴν χλαῖναν καταιρίβεις:* de eo, qui rebus necessariis in tempore uti nescit. ℙ Propria fuit virorum, ut ricinium mulierum, teste *Varr. l. c.* ℙ Formam fuisse putant similem lacernae, aut pallio, aut chlamydi, apertam scilicet et toga breviorem: aptam proinde, quae superinduceretur tunicae, et aliquando etiam togae, fibula ad humeros, aut collum adstringente. Plura V. ap. *Ferrar.* et alia *in T. VI. Antiquitat. R. Graevii.*

LAENAS, atis, m. et f. In Popilia gente Romana, familia fuit cognomine *Laenas*, inde ducto, ut fertur, quod cum M. Popilius consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres seditione nunciata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate, tum oratione sedavit. Ita *Cic. Brut.* 14. ℙ *M. Popilium Laenatem meminit *Liv.* 41, 28. ℙ C. Popilius Laenas, Consul Romanus, Antiocho legatus missus. *Liv* 42, 9. et 45, 12. ℙ Pluralem *Laenates* usurpat *Quint.* 1, 4. *B. A.*

[LAENILLA, ae, f. dimin. laenae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 44, 5. Aristides Mummiae Laenillae C. F. servus actor. *F.*]

*LAEPA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae, dictum et Ilipa, ut probabile est. *Mela* 3, 1. *med.* ℙ Hodie est *Lepe. B. A.*

*LAEROS vel Laerus, i, m. Hispaniae Tarraconensis amnis. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

LAERTES, ae, m. *Λαέρτης*, filius Acrisii, seu Arcesii. Ex uxore Anticlia filia Autolyci Ulyssem suscepit, et Echimenen. Hinc Ulysses dicitur *Laertiades*, et *Laertius Heros. Ov. Her.* 1, 113. Respice Laerten: ut jam sua lumina condas, etc. ℙ In recto casu est etiam *Laerta* Latina positione. *Sen. Troad.* 699. Annosque, tum te recipit, extendat suos Laerta. ℙ In genitivo etiam *Laertis*, ut *Prisc.* docet 6, 705.

LAERTIADES, ae, m. *Λαερτιάδης*, filius Laertae, aut nepos. *Ov. Met.* 13, 48. Saxa moves gemitu, Laertiadaeque precaris, Quae meruit. *Hor. Sat.* 2, 5, 59. O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non; et *Od.* 1, 15, 21. Non Laertiaden, exitium tuae Gentis, non Pylium Nestora respicis?

LAERTIUS, a, um, adj. ad Laerten spectans, ut Laertia regna, Ithaca insula, ubi Laertes regnavit. *Virg. A.* 3, 272. Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna. *Ov. Trist.* 5, 5, 3. Laertius heros, *h. e.* Ulysses. ℙ *Laertius* est quoque incola Laertis, urbis maritimae in Trachea Ciliciae, quam *Strabo l.* 14. statuit Hamaxiam inter, et Selinuntem fluvium, ex qua *Diogenes Laertius* philosophorum historicus, qui vixit Severo imperante, cognominatus est.

LAESIO, onis, f. *δήλησις*, actus laedendi, damnum, injuria. *Papin. Dig.* 10, 3, 28. *extr.* Si quid, absente socio, ad laesionem ejus fecit. *Lactant. Ira D.* 17. *med.* Irritat laesio dolorem. *Inscr.* ap. *Grut.* 422, 10. et 428, 10. Conjugi rarissimi exempli, quae vixit mecum an. XXIII. sine ulla animi laesione. ℙ In re oratoria enumerat *Cic. Or.* 53. *extr.* inter figuras sententiarum. Verba sunt: Purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecratio. Videtur autem esse, cum reum ob alias causas, quam ob quas accusatur, dictis, obtrectatione, detractione pungit orator, et lacerat, ut ei aversiores judices faciat.

LAESTRYGONES, um, m. plur. *Λαιστρυγόνες*, pop. Latii novi circa Formias urbem excisam incolentes, ubi Laestrygonia regio, cum urbe cognomine, quae et Lamus dicta est, nunc *Gaeta.* Immanissimi fuisse dicuntur, et humana carne victitasse. *Plin.* 7, 2, 2. et 3, 5, 9. et *Gell.* 15, 21. Hinc *Juven.* 15, 18. Fingentem immanes Laestrygonas, et Cyclopas. ℙ In sing. num. *Ov. Met.* 14, 233. Inde Lami veterem Laestrygonis, inquit, in urbem Venimus. *Id. Pont.* 2, 9, 41. Quis non Antiphaten Laestrygona devovet? ℙ Fuere Laestrygones etiam in Sicilia in Leontinis campis. *Sil.* 14, 125. Prima Leontinos vastarunt proelia campos, Regnatam diro quondam Laestrigone terram. ℙ Scribitur et *Lestrigones*, sine diphthongo.

LAESTRYGONIUS, a, um, adj. ad Laestrygones pertinens. *Ov. Ib.* 390. Laestrygoniae domus, *h. e.* Formiae. *Sil.* 7, 276. de Italia: Hinc Laestrygoniae rupes, *h. e.* Formiana saxa, ut *Liv.* 22, 16. appellat; et *ib.* 410. Litora Cajetae, Laestrygoniosque recessus, *il golfo di Gaeta. Hor. Od.* 3, 16, 34. Nec Laestrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi, *h. e.* Formianorum collium, quos a vini bonitate laudat *Id. ib.* 1, 20. *extr.* ℙ De Sicilia: *Plin.* 3, 8, 14. Flumina Symaethum, Terias: intus Laestrygonii campi.

LAESURA, ae, f. laesio. *Tert. Patient.* 7. Laesura divitiarum, *h. e.* detrimentum, jactura. *Inscr.* ap. *Grut.* 567, 8. Vixit mecum annis XVII. sine ulla animi laesura. Adde 828, 10. V. LAESIO.

LAESUS, a, um, part. a *laedo*, *δεδηλημένος. Cic. Verr.* 2, 3, 1. Nulla laesus injuria. *Ov. Met.* 12, 421. parvo cor vulnere laesum. *Id. R. Am.* 608. Laese vir a domina, laesa puella viro; et *ib.* 159. Aetola Venus a cuspide laesa; et *Fast.* 4, 120. Laesus cuspide. *Id. Amor.* 1, 7, 40. Laesae genae. *Id. Met.* 2, 408. laesae silvae, *h. e.* incendio corruptae. *Id. Fast.* 5, 322. grandine laesa Ceres. *Id. A. Am.* 2, 376. vipera laesa pede; et *ib.* 3, 207. laesa figura. *Mart.* 3, 47. Leporemque laesum Gallici canis dente. *Id.* 9, 57. Non jaculo, non ense fuit, laesusve sagitta; et 12, 54. lumine laesus. *Id. ib.* 29. Nuper cum Myrino peteretur missio laeso, *h. e.* gladiatori vulnerato. ℙ Absolute. *Ov. R. Am.* 615. Dum spectant oculi laesos laeduntur et ipsi. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 42. Laesa dignitas. *Ov. Her.* 5, 104. pudicitia. *Quint.* 1, 2. opinio. *Tac. A.* 3, 24. religio. *Hor. Od.* 1, 33, 4. fides. *Nep. Timol.* 1. pietas. *Ulp. Dig.* 4, 6, 1. Laesum jus alicujus. *Virg. A.* 12, 496. foedus; et *ib.* 1, 12. numen. *Ov. Trist.* 5, 12, 21. ingenium longa rubigine. *Lucan.* 5, 456. Laesus nube dies. ℙ Ap. JCtos *laesus* dicitur, qui est damnum passus, deceptus, fraudatus. *Paul. Dig.* 4, 6, 44. In aliqua parte laesus, non restituitur. ℙ *Laesae res* ap. *Sil.* 11, 6. sunt accisae, attritae, adversae.

LAETA, orum. V. LAETUS, i.

LAETABILIS, e, adj. laetitia dignus. *Cic. Tusc.* 1, 21. Quid habet ista res aut laetabile, aut gloriosum? et *ib.* 4, 17. Is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum videri potest. *Ov. Met.* 9, 255. cunctisque meum laetabile factum Dis fore confido. *Val. Fl.* 6, 606. Sidus laetabile alicui. *Mamert. Genethl.* 18. Quanto hoc laetabilius, ac melius?

LAETABUNDUS, a, um, adj. laetans, valde laetus. *Gell.* 11, 15. *f.* Laetabundus is dicitur, qui abunde laetus est.

LAETAMEN, inis, n. *κόπρος*, fimus, qui per agros jacitur: quod facit laetas segetes, *h. e.* pingues ac fertiles, votisque agricolae respondentes. *Plin.* 18, 16, 46. Secale nascitur qualicumque solo, ipsumque pro laetamine est. *Id.* 17, 9, 6. Haec sunt laetamina, quibus ad tellurem alendam utuntur homines. Editiones omnes male habent *certamina. Pall.* 1, 23. Anserum laetamen satis omnibus inimicum est. *Id.* 3, 1. Prata sparso laetamine saturare.

LAETANS, antis, part. a *laetor. Cic. Cluent.* 9. *f.* Itaque nubit Oppianico continuo Sassia, laetanti jam animo, et spe optima confirmata. *Virg. A.* 1, 397. laetantes agmine cygni. *Catull.* 64, 33. oppletur laetanti regia coetu. *Pl. Stich.* 3, 1, 5. Olim quos abiens affeci aegrimonia, Eos nunc laetantes faciam adventu meo. *Lucret.* 2, 344. volucres, laetantia quae loca aquarum Concelebrant, *h. e.* amoena et laetitiam inducentia.

LAETANTER, adv. laete. *Lampr. Commod.* 5. Quod Commodus laetanter accepit.

LAETASTER, tri, adj. *χαιρεντιζόμενος*, aliquantum laetus. Prisca vox *Titinii* ap. *Fest.* in *Obstrudant.*

LAETATIO, onis, f. laetitia. *Caes. B. G.* 5, 50. *extr.* Neque hostibus diutina laetatio, neque ipsis dolor longior relinquatur.

[LAETATUS, a, um, part. a *laeto*, laetus factus. *Virg. A.* 12, 841. Adnuit his Juno, et mentem laetata retorsit. *Sall. Jug.* 69. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati. *F.*]

LAETE, adv. *γηθοσύνως*, *ἱλαρῶς*, jucunde, hilariter. *Cic. Phil.* 9, 3. Laete atque insolenter tulit. *Gell.* 3, 15. Laetissime gaudere. *Vell.* 2, 45. de Cicerone: Neque quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est laetius. *Quint.* 8, 3. *med.* Concitate dicere, aut moderate; laete, aut severe; abundanter, aut presse. ℙ Translate. *Colum.* 5, 9. *med.* Truncus laetius frondet, *h. e.* uberius. *Plin.* 16, 31, 56. Laurus recisa laetius fruticat; et 33, 5, 27. Seges laete virens.

[LAETICULOSUS, a, um, adj. laetitia plus aequo gestiens. *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* Tu laeticulosus nec mu, nec ma argutas. Alii perperam leg. *febriculosus* contra fidem codicis, qui habet *laeticulosus:* alii vero fortasse rectius leg. *lacticulosus*, *h. e.* modo e lacte depulsus, *slattato.* V. LACTICULARIUS. *F.*]

LAETICUS, a, um, adj. ad laetos servos, seu milites pertinens. V. LAETUS, i. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 13, 11, 9. Quoniam ex multis gentibus sequentes Romanam felicitatem, se ad nostrum imperium contulerunt, quibus terrae laeticae administrandae sunt, nullus ex his agris aliquid, nisi ex nostra adnotatione, mercatur.

LAETIFICANS, antis, part. a *laetifico*: pro laeto posuit *Pl. Pers.* 5, 1, 8. Omnes hilaros, lubentes, laetificantes faciam ut fiant.

*LAETIFICATIO, onis, f. ap. *Arnob. B. A.*

*LAETIFICATOR, oris, m. ap. *Tertull. B. A.*

LAETIFICATUS, a, um, part. a *laetifico. Sedul.* 1, 41. Laetificata seges, spinis mundatur ademptis.

LAETIFICO, as, avi, atum, a. 1. *εὐφραίνω*, laetum, facio. *Lucan.* 3, 48. non illum gloria pulsi Laetificat Magni. *Pl. Aul.* 4, 9, 15. nunc alii eo laetificantur Meo malo et damno. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 40. Sol quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum coelo hilarata videatur. ℙ Pro stercorare. *Id. ib.* 52. Indus non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed etiam eos conserit. *Plin.* 18, 13, 30. Faba solum laetificat stercoris vice. *Id.* 17, 9, 6. de fi-

mo: Apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus laetificans reperitur. ℙ Part. *Laetificans* V. etiam s. l.

LAETĬFĬCUS, a, um, adj. *χαρτὸς*, laetum faciens, laetus. *Lucr.* 1, 192. uti sine certis imbribus anni Laetificos nequeat fetus submittere tellus. *Sen. Troad.* 597. Laetifica referre alicui. *Stat. Th.* 8, 261. Laetifici tumultus; et *ib.* 12, 521. plausus.

[LAETĪNUS, a, um, adj. ad laetum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 418, 7. M. Herennius M. F. Galeria Laetinus. *F.*]

LAETISCO, is, n. 3. *εὐφραίνομαι*, laetus fio, laetor. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 494. Utrumne Divi cultu erga se mortalium laetiscant, an superna agentes humana negligant. ℙ Translate. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 28. Coelum mitescere, arbores frondescere, Vites laetiscere, pampinis pubescere. Al. rectius leg. *laetificae pampinis.*

LAETĬTIA, ae, f. *χαρά, γηθοσύνη*, est opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videtur, ut ap. *Cic. Tusc.* 4, 7. definitur: vel, ut est ap. *Gell.* 2, 27., exsultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. Differt a *gaudio*, ut in ea voce dictum est. Nam in gaudio vel nihil animus, vel certe moderate diffunditur: in laetitia effuse exsultat et gestit: tametsi hoc ab oratorie loquentibus non servatur. *Cic. Or.* 1, 44. Percipere laetitiam et voluptatem ex re quapiam; et *ib.* 57. Itaque hilaritatis plenum judicium ac laetitiae fuit. *Id. Tusc.* 4, 32. Efferri laetitia. *Id. Att.* 14, 6. exsultare. *Id. Cat.* 1, 10. perfrui; et *Mil.* 28. afficere aliquem; et *Fam.* 2, 10. Comitia ista praeclara me laetitia extulerunt; et *ib.* 9. Repente incessi omnibus laetitiis. *Id. Att.* 14, 14. Laetitiam capere oculis. *Id. Planc.* 42. dare alicui, *h. e.* laetandi occasionem. Sic *Ter. Heaut.* 1, 2, 12. objicere; et *Hec.* 5, 3, 18. offerre. *Plin.* 15, 30, 40. afferre. *Pl. Merc. prol.* 72. parere alicui. *Liv.* 4, 40. Tantam ex metu laetitiam fecere, ut, etc. *Ter. Heaut.* 2, 3, 51. Ne me in laetitiam frustra conjicias. *Sall. Jug.* 109. Magna laetitia nobis est, cum te Dii monuere, ut aliquando pacem malles. *Nep. Timoth.* 2. Victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut, etc. *Pl. Stich.* 3, 2, 13. Prae laetitia lacrymae praesiliunt mihi. *Just.* 12, 13. Totus in laetitiam effusus. *Ter. Ad.* 4, 1, 6. Diem perpetuum in laetitia degere. ℙ Facile convenit cum voluptate. *Cic. Fin.* 2, 4. Huic verbo *(voluptatis)* omnes qui Latine sciunt, duas res subjiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore; et *ib.* 1, 7. *f.* Recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, idest voluptatem. *Ov. Met.* 10, 443. de Myrrha cum patre concumbente: infelix non toto corpore sentit Laetitiam virgo. ℙ Translate est venustas, pulcritudo, quia videndo laetos facit. *Stat. Th.* 6, 571. Effulsere artus, membrorumque omnis aperta est Laetitia, insignesque humeri, nec pectora nudis Deteriora genis: latuitque in corpore vultus. ℙ Saepe de satis, et plantis dicitur, quae fertiliter et ubertim proveniunt et gignunt. *Col.* 4, 24. *med.* Vites ita se induunt uvis, ut nequeant maturitatem capere, si benignitas terrae, atque ipsius trunci laetitia non adsit; et *Just.* 44, 4. *med.* In hac insula tanta pabuli laetitia est, ut, etc. ℙ Item de solo ipso, ubi laetae segetes, plantaeque proveniunt. *Col.* 4, 21. Loci laetitia plures palmites, exilitas pauciores desiderat. ℙ Item de ratione dicendi ornata, luminibus verborum distincta. *Auct. Dial. de Or.* 20. Laetitia et pulcritudo orationis.

LAETĬTŪDO, inis, f. laetitia. Antiqua vox *Accii* ap. *Non.* 2, 487. Me excitasti ex luctu in laetitudinem. *Id. ib.* Quanta in venando affectus es laetitudine?

LAETO, as, avi, atum, a. 1. *εὐφραίνω*, laetum facio, laetitia afficio. [*Factum a *laetus.*] *Liv.* ap. *Non.* 2, 494. Jamne oculos specie laetavisti optabili? *Acc. ib.* Te ut triplici laetarem bono. ℙ *Laetare arbores* est stercorare. V. v. sq.

LAETOR, aris, atus sum, dep. 1. *γηθέω, χαίρω*, laetus sum, laetitiam capio. [*Laetum fieri: est enim proprie passiva forma v. *laeto.*] Differt a *gaudeo*, quia *gaudere* est interno animi motu exsultare: *laetari* est extrinsecus signa gaudii proferre, et effundi exsultatione liberius. Hinc *Varr. L. L.* 5, 6. *extr. laetari* dictum putat, *quod latius gaudium* propter magni boni opinionem diffusum. [*Martinius et *Vossius*, a *λάω*, volo, unde *λανῶ*, fruor; At v. *Laeto* et *laetus.*] Quamquam promiscue saepissime usurpantur. *Cic. Rosc. Am.* 47. Quae perfecta esse, gaudeo, judices, vehementerque laetor. *Id. Div.* 2, 9. An Cn. Pompejum censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si scisset, se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri? *Id. Fam.* 2, 9. Laetor tum praesenti, tum sperata tua dignitate. *Id. Marcell.* 11. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Laetaris tu in omnium gemitu, et triumphas. *Id. Phil.* 11, 4. *f.* In hoc est semper laetatus, quod ea faceret, quae, etc. *Id. Man.* 1. *f.* Illud in primis mihi laetandum jure esse video, quod, etc. *Id. Fam.* 7, 1. Utrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse, et animo valuisse. *Sall. Jug.* 17. Laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. ℙ Etiam cum genitivo loco ablativi more Graecorum. *Virg. A.* 11, 280. Nec veterum memini, laetorve malorum. ℙ Translate pro delectari, juvari. *Suet. Ner.* 46. Asturconem, quo maxime laetabatur, etc. *Col.* 3, 9. *f.* Omne vitis genus naturaliter laetatur tepore potius, quam frigore. *Pall.* 1, 6. *med.* Frumenta omnia maxime laetantur patenti campo, et ad solem reclivi. *Id. ib.* Loca sterilia beneficio laetantur incendii; et *f.* In laetandis arboribus crates faciemus, terram prius trunco admoventes, et mox laetamen, *h. e.* stercorandis. ℙ Part. *Laetans* V. s. l.

LAETORĬUS, a, um, adj. [*Laetoria lex*, quam a M. Laetorio Planciano trib. pleb. an. U. C. CCCCXC. latam fuisse affirmat *Ernest.* in *Clavi Cicer. F.*] vetabat, minorem annis vigintiquinque stipulari, h. e. *ἐπερωτᾶσθαι*, ut *Suet. fragm.* ap. *Prisc.* 8, 794. docet. Curatores dabat vel propter lasciviam, vel propter dementiam: vindicabatque adolescentium circumscriptiones, ut est ap. *Cic. Off.* 3, 15. Adde *N. D.* 3, 30. et *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 12, 2. *V. et *Capitol.* in *M. Antonio Phil.* etc. ℙ *Laetorius*, *i*, m. nomen proprium ap. *Mart. epigr.* 12, 6, 13. *B. A.*

LAETUS, a, um, adj. *γηθόσυνος, εὔοχθος*, qui hilaritatem, quam intus habet, vultu et aliis signis ostendit. *Varr.* ducit a *latus*, ut in LAETOR dictum est. Alii ad Graecum *λαῖτος* referunt, quod integrum, incolumem significat. [*Laetus contractum est ex *laevigatus.* V. *Doederl.* 3, 240.] *Cic. Mur.* 24. Catilina alacer atque laetus. *Id. Font.* 11. Vagantur laeti atque erecti passim toto foro. *Id. Att.* 8, 9. Laeto vultu gratulantes. *Plin.* 8, 17, 21. Laeta atque gestiens. *Caecil.* ap. *Cic. Fin.* 2, 4. Laetus omnibus laetitiis. *Ter. Andr.* 2, 2, 3. Laetus est nescio quid. *Id. Ph.* 5, 4, 1. Laetus sum, fratri obtigisse quod vult. *Id. Eun.* 3, 1, 2. ain' tu, laeta est? *Gn.* non tam ipso quidem Dono, quam abs te datum esse. *Id. Ad.* 2, 2, 45. Sed Ctesiphontem video: laetus est de amica. *Virg. A.* 6, 863. Frons laeta parum. *Tac. Agr.* 39. Fronte laetus, pectore anxius. *Virg. A.* 3, 524. Laetus clamor. *Sil.* 11, 370. laeta convivia. *Sen. Herc. Oet.* 1675. Diem laetum ducere. *Ov. Met.* 9, 242. Laeto ore quempiam alloqui. *Vell.* 2, 127. Vir severitatis laetissimae, hilaritatis priscae. *Tac. A.* 2, 75. Luctum laeto cultu mutare. *Quint.* 11, 3. *bis.* Res laetae. *Plin.* 23, 1, 16. Laetior color. [*Differunt *Laetus* et *hilaris:* illud, ut participium, Nostr. *erfreut*, significat affectum, statum, quem quis certis quibusdam rebus comparatum in tempus tenet; cernitur fronte exhilarata, rugis non contracta; minus est, quam *hilaris;* oppon. *tristis*, *moestus:* — hoc, nostr. *fröhlich*, habitum denotat manentem, cujus posita in rei natura causa est; spectatur oculis; majus est quam *laetus;* oppon. *austerus*, *severus. Doederl.* 3, 240. sq.] ℙ Metonymice *laetus* est, qui prompte, et lubenti animo quidpiam facit. *Sall. Jug.* 86. Senatus supplementum etiam laetus decreverat. *Virg. A.* 9, 88. Has ego Dardanio juveni, cum classis egeret, Laeta dedi. *Hor. Ep.* 1, 7, 39. Inspice, si possum donata reponere laetus. *Stat. Th.* 2, 396. Fortunam exuere, et laetum descendere regno, *h. e.* ultro. ℙ Item qui contentus est. *Sen. ep.* 92. *med.* Mutis aggregetur animal pabulo laetum. Est qui leg. *natum. Mart.* 4, 77. Nunquam divitias Deos rogavi, Contentus modicis, meoque laetus. ℙ Item qui delectatur. *Hor. Od.* 3, 4, 33. Visam Britannos hospitibus feros, et laetum equino sanguine Concanum. *Sil.* 1, 170. saevis gens laeta. *Id.* 9, 223. et ferro vivere laetum Vulgus. ℙ Item gratus, acceptus. *Val. Fl.* 1, 30. virtus haud laeta tyranno. *Tac. H.* 1, 71. Laeta primoribus civitatis Celsi salus, ne militibus quidem ingrata fuit; et *ib.* 4, 68. Laetum militibus id nomen. *Id. A.* 12, 8. Veniam exsilii pro Seneca impetrat, laetum in publicum rata, ob claritudinem studiorum ejus. *Grat. Cyn. in.* laetae venantibus artes. ℙ Item prosper, secundus. *Val. Fl.* 4, 31. Jam socii laetis rapuerunt vincula ventis. *Id.* 5, 69. primo laetos sic tempore rector Ingreditur cursus. *Sall. or. ad Caes.* 1. Qui clementia imperium temperavere, his laeta et candida omnia visa. *Sil.* 10, 552. Primitias pugnae, et laeti libamina belli. ℙ Item favens, propitius. *Pl. Amph. prol.* 1. Ut vos in vostris voltis mercimoniis Emundis vendundisque me laetum lucris Afficere, *h. e.* ut vos vultis me propitium afficere lucris in mercimoniis vestris emendis, etc. Verba sunt Mercurii. *Val. Fl.* 4, 540. Omnis adhuc sors laeta quidem. ℙ Item faustus, felix. *Suet. Caes.* 77. Eo arrogantiae progressus est, ut haruspice tristia exta nunciante, futura diceret laetiora, cum vellet. *Plin.* 11, 37, 77. Laetum prodigium. *Tac. H.* 1, 62. augurium. *Plin.* 8, 46, 71. Delubra ei gemina: alterum intrasse, laetum est, in altero dira portendit. ℙ Item universim de iis dicitur, quae laetitiam afferunt. *Cic. Att.* 7, 26. Omnia erant facta hoc biduo laetiora. *Tac. A.* 2, 48. Ceteris haud laeta memoria Quirini erat. ℙ Saepe de agris pinguibus, de satis, plantisque, in quibus fertilitas et ubertas est, quia hujusmodi et laeta sunt visu, et fructu laetos faciunt. *Cato R. R.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 23. Ubi ager crassus et laetus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet. *Cic. Sen.* 15. *med.* Vite quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulcrius? *Virg. G.* 1, 1. Laetae segetes; et *ib.* 74. laetum siliqua quassante legumen; et *ib.* 101. hiberno laetissima pulvere farra; et *ib.* 3, 385. laeta pabula. *Sen. Herc. Fur.* 698. prata viridi laeta facie germinant. ℙ Translate. *Quint.* 2, 4. Laeta indoles, *h. e.* quae fructum eloquentiae spondet. ℙ Pro bene habito, et pingui. [*Synonym. est *nitidus:* ita *Nep. Eum.* 5, 6. Jumenta nitida. Differunt *laetus* et *nitidus* in eo, quod illud plerumque naturae, hoc artis notionem involvat. *Doederl.* 2, 73.] *Virg. A.* 3, 220. Laeta boum passim campis armenta videmus. *Id. G.* 2, 520. Glande sues laeti redeunt. *Plin. Pan.* 82. Et laetum opere corpus, et crescentia laboribus membra mirabor. *Nemes. Cyn.* 286. laetae redeunt in pectora fortia vires. ℙ Pro copioso, fluenti. *Virg. G.* 3, 310. Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. ℙ Pro venusto, gratiae pleno. *Id. A.* 1, 595. et laetos oculis afflarat honores. ℙ Pro superbo, fidenti, jactanti. *Id. ib.* 2, 417. Confligunt Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois Eurus equis. ℙ Pro ornato figuris dicendi, florido, amoeno. *Quint.* 9, 4. Dicendi genus tenue laetioribus numeris corrumpere; et 8, 3. *f.* Copia dicendi floribus laeta. *Id.* 10, 1. de Homero: Idem laetus ac pressus, jucundus et gravis, etc. *Plin. ep.* 3, 18. *f.* Laetior stilus. Sic *Auct. dial. de Or.* 20. Laetitia, et pulcritudo orationis. ℙ Graeco more genitivo jungitur ab historicis et poetis. *Vell.* 2, 93. et *Tac. A.* 2, 26. Juvenis ingenuarum virtutum, laetusque animi et ingenii. *Virg. A.* 11, 73. laborum *Sil.* 17, 308. irae. *Id.* 7, 338. incepti. *Val. Fl.* 3, 659. laetus opum pacisque meae, *h. e.* contentus. *Virg. A.* 1, 445. Lucus laetissimus umbrae. Al. leg. *umbra. Sil.* 14, 279. plebs facilis impelli, et laeta tumultus. *Sall. fragm.* ap. *Serv. ib.* Frugum pabulique laetus ager, *h. e.* fertilis, copiosus. ℙ Et poetis cum infinito. *Sil.* 9, 453. laetus uterque Spectari Superis; et 16, 565. laetus bellare Latinis; et 3, 575. Gens ferri patiens, et laeta domare labores. ℙ *Laetum* adverbii modo, laete. *Stat. Ach.* 1, 323. laetumque rubet.

[LAETUS, i, m. ita appellatus fuit sequiori Latinitatis tempore ille, qui ex barbaris gentibus potioris erat conditionis, quam servus infimi ordinis, cui praedium aliquod incolendum dabatur, ut statum tributum domino suo persolveret: ita cognominatus fuisse videtur ob laetitiam, animique alacritatem, qua proelia inire solebat, cum ad bellum aliquod vocatus esset; hinc apud Saxones *lassen*, apud Sicambros *lathen*, apud Frisios *liten* iidem dicti sunt a verbo Theutonico *lassen*, servare, qui *servi* apud Romanos. V. *Gloss. med. et inf. Latin. Ducangii* in V. *Litus*, qui eum *adscripticium servum glebae* vocat. *Eumen. Pan. Const.* 21. Sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Nerviorum, et Treverorum arva jacentia laetus postliminio restitutus, et receptus in leges Francus excoluit. *Ammian.* 20, 8. Equos praebebo curules Hispanos, et miscendos gentilibus atque scutariis adolescentes laetos quosdam, cis Rhenum editam barbarorum progeniem, vel certe ex dediticiis, qui ad nostra desciscunt. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 7, 20, 10. Si quis praepositus fuerit aut fabricae, aut classi, aut laetis. ℙ Sunt qui perperam huc spectare putant locum *Hesychii. Λαΐτων, τῶν δημοσίων τόπων*, ita ut *λάϊτα*, seu *laeta* sint agri publici, a *λάϊτος*, popularis; cum certo constet, ibidem sermonem esse de archiis, sive archivis. *F.*]

LAEVA, ae, f. sinistra manus. V. LAEVUS.

LAEVĀTUS. V. LĒVATUS.

LAEVĒ, adv. male, stulte, contra ac fieri debet. *Hor. Ep.* 1, 7, 52. Puer hic non laeve jussa Philippi Accipiebat. V. LAEVUS.

LAEVĬĀNUS, a, um, adj. ad Laevium pertinens, quod est nomen Romani poetae antiqui, cujus fragmenta aliquot *Gell.* servavit, 19, 7., 2, 24., 12, 10. etc., item *Prisc.* 6, 9, 11. etc., sed ejus nomen saepe in *Livius* a librariis mutatum esse, critici jam adnotarunt, ita ut *Livius Andronicus* pro *Laevio* accipiatur. Scripsit Erotopaegnia obsceno Lyrico carmine, teste *Auson. f. Centonis nupt.* et alia. *Voss. de Poet. Lat. c.* 8. recenset inter antiquos incertae aetatis. *Gell. c. l.* 19, 7. Laevianum carmen, et *ib.* Laeviana verba.

[LAEVICUS, a, um, adj. ad laevam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 596, 2. Messius Laevicus, Ovia Laevica. *F.*]

LAEVĪGĀTIO. V. LEVIGATIO.

*LAEVIGĀTOR, oris, m. ap. *Mart. Capell. B. A.*

LAEVĪNUS, i, m. scaeva, qui laeva manu pro dextra utitur. Est cogn. R. *Hor. Sat.* 1, 6, 12. Laevinus, Valeri genus. *Liv.* 13, 1. P. Valerius Laevinus.

LAEVIS. V. LĒVIS.

LAEVĪTAS. V. LEVITAS.

LAEVĬUS. V. LAEVIANUS.

LAEVORSUM et Laevorsus, adv. *ἐπ' ἀριστερᾷ*, ad laevam, sinistrorsum. *Fest.* in *Laeva*. *Appul. Flor.* 2. Aquila nutu clementi laevorsum, vel dextrorsum tota mole corporis labitur. *Ammian.* 31, 10. Laevorsus flexus itinere.

LAEVUS, a, um, adj. *λαιός*, sinister: a Graeca voce allata. *Cic. Acad.* 4, 47. Laevam manum admovere. *Hor. Ep.* 1, 15, 12. Laeva habena; et 16, 6. et *Ov. Met.* 12, 415. Laevum latus; et *ib.* 336. Laeva auris. *Id. Ib.* 101. Laevus pes. *Id. Her.* 9, 62. humerus; et *ib.* 12, 28. Ponti qua plaga laeva jacet. *Id. Fast.* 4, 834. laevo fulmina missa polo, *h. e.* laeva coeli parte. *Id. Pont.* 4, 9, 119. laevus Pontus, *h. e.* ad laevam situs. *Virg. A.* 5, 170. radit iter laevum interior. ℙ Laeva manus saepe *laeva* absolute dicitur. *Virg. A.* 1, 615. Ilionea petit dextra, laevaque Serestum. *Ov. Met.* 15, 163. Cognovi clypeum laevae gestamina nostrae. ℙ Item locus, pars ad laevam manum sita. *Liv.* 4, 32. Dextra montibus, laeva Tiberi amne septus. *Id.* 21, 43. Dextra laevaque duo maria claudunt. *Ov. Met.* 3, 642. dextra mihi lintea danti, Quid facis? inquit: laevam pete. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 2. Falernus ager a ponte Campano, laeva petentibus coloniam Sullanam, incipit. ℙ *Laeva*, neutr. plur. laeva loca. *Ov. Fast.* 5, 257. Thracen, et laeva Propontidos intrat. *Plin.* 6, 32, 37. Insulae Fortunatae contra laeva Mauritaniae. ℙ Ad laevam, in laevum, in laevam. *Cic. Univ.* 13. Ante, et pone; ad laevam, et ad dexteram. *Ov. Trist.* 1, 10, 17. Fleximus in laevum cursus. *Plin.* 28, 8, 27. Si in laevam detorserit. ℙ *Laevi boves* qui sint, V. CAMURUS. ℙ Quia laeva manus ad officia tardior est, et veluti stupidior, *laevus* aliquando tardum, stupidum, fatuum significat. *Virg. A.* 2, 54. si mens non laeva fuisset. *Hor. A. P.* 301. o ego laevus, Qui purgor bilem sub verni temporis horam. ℙ Item inopportunus. *Hor. Sat.* 2, 4, 4. Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo Interpellarim. ℙ In re augurali *laeva* felicia habentur, et fausta: quia Romani captaturi auguria, ad meridiem se vertebant: atque ita a laeva orientem, a dextera occidentem habebant: cujus rei exemplum est ap. *Liv.* 1, 18. in auguratione Numae. Porro nobilior plaga est oriens, ex qua dies incipit, quam occidens, in qua desinit. *Plin.* 2, 54, 55. Laeva prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est. *Id. ib.* In sedecim partes coelum divisere Tusci: has iterum in decem partes coelum divisere Tusci: has iterum in quaternas: ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras. *Varr.* ap. *Fest.* in *Sinistrae*. A Deorum sede cum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes: hinc factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextra esse existimentur: *a Deorum sede* est a septentrione: illa enim pars, quia est altior, vicinior est domicilio Deorum, uti docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 2, 693. subitoque fragore Intonuit laevum. Porro *Serv. ib.* et ad *ib.* 9, 631. aliam affert causam, cur *laeva* fausta sint: quod quae nobis coelum intuentibus sinistra sunt, Diis sunt dextera. *Phaedr.* 3, 18. Laeva cornici omina. *Ov. Fast.* 4, 833. Ille precabatur: tonitru dedit omina laevo Juppiter, et laevo fulmina missa polo. Augurio laeti jaciunt fundamina cives. *Virg. G.* 4, 7. si quem Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo. *Gell.* 5, 12. *extr.* hoc loco *laeva* interpretatur adversa et laedentia: quod magis placet. Nam contra interdum *laevus* infaustum, infelicem, adversum significat: idque vel more Graecorum augurum, qui se ad septentrionem convertebant: vel habita ratione Deorum, a quibus auguria mittuntur, quorum sunt dextera, quae nobis laeva apparent, ut ex *Serv.* modo est dictum: vel denique habita ratione laevae manus, quae incommoda est agentibus, et impeditior. *Hor. Od.* 3, 27, 15. Teque nec laevus vetat ire picus. *Val. Fl.* 6, 70. laevum omen. *Stat. Th.* 1, 634. laevus ignis, *h. e.* pestilentia. Adde *Senec. Thyest.* 698. et *Mart.* 6, 85. ℙ *Laevi (Levi) Ligures, antiqua gens Italiae, a Gallis expulsa, qui ipsi postea id nominis subiere. *Liv.* 5, 35. ℙ Laevi (Levi) nude audiunt *Liv.* 33, 37., *Plin.* 3, 17. *B. A.*

*LAGANĬA, ae, f. oppidum Galatiae. *Tab. Peut. B. A.*

LĂGĂNUM, i, n. *λάγανον*, genus placentae conditae ex simila et oleo in sartagine cocto, ut est ap. *Hesych.*, vel cibus ex siligine quasi membrana compositus, et cum piperis liquamine coctus, ut est ap. *Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 6, 115. inde domum me Ad porri et ciceris refero, laganique catinum. Al. leg. *lachani*, h. e. oleris, quod melius cum porro, et cicere conjungi videtur. Describunt alii *lagana*, membranulas ex farina et aqua, quae jure pingui coctae, caseo, pipere, croco, et cinnamomo condiuntur. Illud certum est, cibum esse teneriorem, et qui nullo labore mandi potest. Nam *Cels.* 8, 7. *extr.* praecipit maxillam fractam habenti humidum cibum diu assumere: atque etiam, cum tempus processit, in lagano similibusque aliis perseverare: neque quicquam edere, donec ex toto maxillam callus firmaverit. Ap. *Apic.* 4, 2. laganum substernitur patinae Apicianae, quae sumine cocto, pulpis piscium et pulli, ficedulis coctis, ovis, oleo, pipere, vino, passo constat. Unde colligitur, simile esse iis, quae Itali vocant *lasagne*, quae hodieque multis delicatioribus impensis, quas dicunt *torte*, *basticci*, substerni solent, continendi gratia.

*LAGARĪNUS, a, um, adj. ad Lagariam spectans: fuit autem Lagaria, *Λαγαρία*, urbs Lucaniae in monte excisa, nunc *Lagara*. *Plin.* 14, 6. Lagarina vina. *B. A.*

LĂGĔA Vitis. V. LAGEOS.

*LAGECĬUM, i, n. oppidum Britanniae. *Anton. Itin.* ℙ *Legeolium* audit *ib. B. A.*

LĂGĒNĂ, ae, f. *λάγηνος*, vas fictile capax, collo instructum et ore angustiore, et ut *Appul. Met.* 2. loquitur, cessim dehiscente, in usum praesertim defundendi vina in pocula. *Quint.* 6, 3. Juvenes Tarentini multa de Pyrrho rege securius inter coenam locuti, cum rationem facti reposcerentur, et neque negari res, neque defendi posset, risu et opportuno joco elapsi sunt. Namque unus ex his, immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te. *Colum.* 10, 385. de cucurbita: sobolem dabit illa capacem Naryciae picis, etc. Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam. *Hor. Sat.* 2, 8, 41. imi Convivae lecti nihilum nocuere lagenis. *Plin.* 28, 11, 48. Urina caprae calfacta, vapore per lagenae collum subeunte: (*cógoma* vulgo apud nostrates). *Petr. Sat.* 22. Lagenam expilare; et *ib.* frangere. *Mart.* 14, 116. in *lemmate*. Lagena nivaria, *h. e.* in qua frigida decocta servatur vino miscenda. *Id.* 7, 61. Nulla catenatis pila est praecincta lagenis, *h. e.* quas simul colligatas in pilis caupones exponebant ad ostendendum ibi esse vinum venale. ℙ Obsignandi lagenas vini plenas, fuit mos passim, ut ex *Hor.* colligitur *Ep.* 2, 2, 134. et *Mart.* 9, 88. Quin et inanes matrem suam obsignare fuisse solitam, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae, scribit ad Tironem *Q. Cicero Fam.* 16, 26. ℙ Habet etiam usum condendis pomis, defruto, et hujusmodi. *Colum.* 12, 45. Cydonea maturissima legantur, et in lagena nova, quae sit patentissimi oris, componantur leviter et laxe, ne collidi possint; et *ib.* 11. Aquam mulsam decoctam, cum tam crassa fuerit, quam defrutum, bene picatis lagenis condere. ℙ Fiunt et ex alia materia. *Plin.* 16, 31, 56. E fici radicibus montani praetenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas, et alia vasa nectunt. *Mart.* 4, 46. Et nigri Syra defruti lagena, *h. e.* vitrea, ut quidam volunt, quia in Syria primum inventum est vitrum, teste *Plin.* 36, 26, 65. ℙ Quia Graece non solum *λάγηνος*, sed et *λάγυνος*, per *v* scribitur; hinc pro *lagena* etiam *laguna* in vett. MSS. vidisse se, testantur eruditi, ex more scil. Latinorum Graecam *v* vertendi in *u*: unde *laguncula*. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 1. M. Ulpio Aug. Lib. Phaedimo, Divi Trajani Aug. a potione, item a laguna. (Adde *ib.* 4.) *h. e.* qui lagenae curam habebat, ex qua bibebat princeps. Quodnam sit discriminis inter servum *a potione*, et *a laguna*, V. in POTIO. Quia vero interdum Graeca *v* in *o* Latine mutatur, ut *νύξ*, nox, *μύλη*, mola; hinc etiam *lagona* in probatis libris reperitur bis ap. *Phaedr.* 1, 26. Denique etiam *lagoena* alicubi scriptum fuit, ut adnotavit *Dausq.* in *Orthogr.*, item *lacuna*, propter affinitatem litterarum *C* et *G*, ut ap. *Grut.* 578, 4.

LĂGĒOS, i, f. genus vitis: est a *λάγειος* pro *λαγῶος*, leporinus. *Virg. G.* 2, 93. Et passo Psithia utilior, tenuisque Lageos. Ubi *Servius:* Lageos est, quae Latine leporaria dicitur. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. *Lageam vitem* appellat, et peregrinam esse dicit.

LĂGĒUS, a, um, adj. ad Lagum pertinens, qui fuit pater Ptolemaei Aegypti regis: et pro Aegyptio ponitur. *Val. Fl.* 6, 118. Et centumgeminae Lagea novalia Thebes. Al. aliter leg. *Lucan.* 1, 684. Qua mare Lagei mutatur gurgite Nili. *Sil.* 10, 322. Lagea ratis. *Id.* 1, 196. Lageus amnis, *h. e.* Nilus. *Mart.* 10, 26. Lagea litora. *Marcell. carm. de Medic.* 67. cataplus. Ita leg. *Salm.*, alii *Lelegea*, alii minus recte *Lalagea*. ℙ Scribitur et *Lagaeus*, sed minus recte.

*LAGĬA, ae, f. Sic a quibusdam appellata est Delos insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*LAGNUS, i, sinus maris Baltici, vulgo *Beltz*. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

LAGO, inis, f. herba, quae et scammonia tenuis dicitur, ramis bipedalibus, foliosis, non dissimilibus scammoniae: in vineis et arvis nascens. Estur, ut olus, cum oleo ac sale. *Plin.* 24, 15, 89.

LĂGOENA. V. LAGENA.

LĂGOIS, idis, f. *λαγωΐς*, vel *λαγώς*, aut *λαγὼς θαλάσσιος*, lepus marinus, genus piscis: a *λαγώς*, lepus. *Hor. Sat.* 2, 2, 22. Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois. Aliqui dicunt, *lagoidem* etiam avem esse, quae leporinas habet carnes, et eadem videtur esse, quam Itali nunc *chiurlo*, Latini etiam *lagopodem* vocant. V. LAGOPUS

*LAGON, onis, m. celebratae formae puer, de quo *Mart. epigr.* 9, 51. (ubi pro *Lagona* legunt nonnulli *Langona*) et *epigr.* 14, 171. *Plin.* 34, 8, Lyciscus (*statuarius*) fecit Lagonem puerum subdolae et fucatae vernilitatis. *B. A.*

LĂGŌNĂ. V. LAGENA.

LĂGONOPŌNOS, i, m. iliorum dolor, *τῶν λαγόνων πόνος*. *Plin.* 20, 4, 13. Semen raphani commanducatum prodest ad lagonoponon.

LĂGOPHTHALMOS, i, m. *λαγωφθάλμὸς*, oculorum vitium, cum superior palpebra non descendit, et oculum semiapertum relinquit: a *λαγὼς*, lepus, et *ὀφθαλμὸς*, oculus, quia lepores apertis oculis dormire dicuntur. *Cels.* 7, 7. *n.* 9. habet, sed Graecis litteris scriptum.

LĂGOPUS, ōdis, f. *Λαγώπους*, avis Alpina candida, magnitudine columbae, habens pedes villo leporino: a *λαγὼς*, et *ποῦς*, pes, quasi leporipes, ut *Plin.* 10, 28, 68. describit. *Mart.* 7, 87. Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus. *Scaliger* tamen ad *Prop.* 4, 3. legendum contendit *glaucopide*, *h. e.* bubone, upupa, ita appellata a *γλαυκὸς*, glaucus, et *ὤψ*, *ὠπὸς*, oculus, quia glaucos habet oculos: quod probandum est pro *lagopode*, quia hujus syllaba prima brevis est, nec ea avis inter monstrosas annumeranda, nec aurita est, quod hic innuit poeta. ℙ Est et herba quaedam a pedis leporini similitudine sic dicta. *Plin.* 26, 8, 34. *n.* 10. Lagopus sistit alvum e vino pota, aut in febri ex aqua. Nascitur in segetibus.

*LAGOS, i, f. Phrygiae majoris oppidum. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

LĂGOTRŌPHĬON, ii, n. *λαγωτροφεῖον*, locus conclusus, in quo aluntur lepores, leporarium: a *λαγὼς*, lepus, et *τρέφω*, nutrio. Item universim, pecudum silvestrium, quae nemoribus clauduntur, vivarium. Sic enim interpretatur *Colum.* 8, 1. *extr.*, ubi ipsam vocem Graece usurpat.

*LAGOUS, i, Asiae amnis, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

LĂGŪNĂ. V. LAGENA.

LĂGUNCŬLĂ, ae, f. *λαγήνιον*, parva laguna, seu lagena. *Plin. ep.* 2, 6. Vinum parvulis lagunculis in tria genera descripserat. *Colum.* 12, 38. *f.* Liquatum succum lagunculis bene picatis condere.

*LAGUNCULĀRIS, e, adj. ad lagunculam pertinens. *Marc. Empir.* 36. Lagunclaris pix. *B. A.*

LĂGUNCŬLUS, i, m. genus dulciarii panis ap. *Stat. Silv.* 1, 6, 17. Al. melius leg. *lucunculus*.

*LAGUS, i, m. Ptolemaei, Aegyptii regis, pater; unde Aegyptii reges omnes, qui inter Alexandrum M. et Augustum Caesarem fuerunt, *Lagidae* appellabantur. *Lucan.* 10, 527. Non omnis regia Lagi. *Sil.* 17, 596. Flumina Lagi, *h. e.* Nilus. V. *Lageus, a, um. B. A.*

*LAGUSA, ae, f. insula maris Mediterranei, prope Lyciam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*LAGUSSAE, arum, f. (*Λαγοῦσσαι*, sc. *Λαγόεσσαι*, i. e. leporum plenae,) maris Aegaei insulae, prope Troadem. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*LAGYRĀNI, orum, m. incolae Lagyrae, oppidi in Chersoneso Taurica, cujus meminit *Ptolemaeus*. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LAĬĀDES, ae, m. *Λαϊάδης*, filius Laii, *h. e.* Oedipus. *Ov. Met.* 7, 759. Carmina Laiades non intellecta priorum Solverat ingeniis. V. LAIUS. ℙ Alii leg. *Naiades*, et *solvunt*.

LAĬCUS, a, um, adj. *λαϊκὸς*: a *λαὸς*, populus, ap. *Tertull.* significat quempiam e populo, qui sacerdos non sit: in *exhort. ad castit.* 7. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sunt? Adde *Sulpic. Sev. H. Sacr.* 2, 47. et *dial.* 1. *f.* **Vulg. Reg.* 1, 21, 4. *B. A.*

[LAĬDUS, i, m. popularis, abjectus, obscenus: a *λαὸς*, populus, unde etiam nomen Laidis meretricis famosae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 530, 1. P. Avonius Laidus. *F.*]

LAĬS, ĭdis, et ĭdos, f. *Λαΐς*, famosa meretrix, natione Sicula, domicilio Corinthia, quae suae sibi pulcritudinis conscia, immenso pretio vendebat se procis, et Demosthenem quoque ipsum, mille drachmarum petita mercede, deterruit, dicentem, cum recederet, *οὐκ ὠνοῦμαι δραχμῶν μυρίων μεταμέλειαν*. *Ov. Amor.* 1, 5, 12. Dicitur et multis Lais amata viris. *Prop.* 2, 5, 1. Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes, Ad cujus jacuit Graecia tota fores. *Auson. epigr.* 17. Canus rogabat Laidis noctem Myron; et *epigr.* 18. Laidas et Glyceras lascivae nomina famae.

LAĬUS, ii, m. filius Labdaci, Thebarum regis. *Stat. Th.* 2, 7. Pone senex trepida succedis Laius umbra; et *ib.* 66. gemuit prope limina nati Laius, etc. Adde *ib.* 1, 296. ℙ In vocativo est *Lai* ap. *eund. ib.* 7, 355. tuus, o mitissime Lai, etc.

[LĂLĂGE, es, f. *λαλαγή*, clamor, garrulitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur* 1367, 1. Livia Lalage. *F.*]

LĂLĂGĒUS. V. LAGEUS.

[LĂLĒMĂ, ae, f. a *λάλημα*, *ατος*, loquacitas, garrulitas. Latini enim saepe Graecorum nomina neutra in *μα*, *ατος*, declinant per *a*, *ae*, in genere

feminino. V. SCHEMA. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 362. *n.* 101. Velia Lalema. *F.*]

LĂLĒTĀNUS, a, um, adj. Laletani, orum, populi sunt Hispaniae citerioris, seu Tarraconensis, inter Gerundam et Tarraconem. *Plin.* 3, 3, 4. ℙ Laletana vina *Id.* 14, 6, 8. *n.* 6. copia nobilitari, scribit. Bonitate non item commendabantur. Unde *Mart.* 1, 27. A caupone tibi faex Laletana petatur; et 7, 53. Et Laletanae nigra lagena sapae: *faecem* et *sapam* vocat, quia turbidum id vinum erat. ℙ Regio illa est *Laletania* ap. *eund.* 1, 50. et *Sall. ep. Pompeji ad Senat.*

LĂLĪSĬO, onis, m. Africana vox, qua significatur pullus asini silvestris. *Plin.* 8, 44, 69. Onagri in Phrygia et Lycaonia praecipui. Pullis eorum, ceu praestantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant. *Mart.* 13, 97. Cum tener est onager solaque lalisio matre Pascitur, hoc infans, sed breve nomen habet.

[LĂLĪSUS, i, m. videtur esse nomen positivum, unde diminutivum *lalisio*, quod V. in v. praec. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1142, 8. Ti. Claudius Lalisus. *F.*]

[LALLĂ, ae, f. λάλλη, lapillus litoris marini aut fluviatilis cum strepitu agitatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 376, 3. Acceptius Verusius, et Totila Lalla patres. ℙ *Lalla* pro *Lallum.* V. in LALLO. *F.*]

[LALLĀTĬO, onis, f. actus lallandi. *Quint.* 1, 10. Chrysippus nutricum, quae adhibetur infantibus, allectationi suum quoddam carmen assignat. *Spalding.* ex conjectura *Hemsterhusii* pro *allectationi* reponendum putat *lallationi. F.*]

LALLO, as, n. 1. verbum est exprimens voces nutricum, quibus somnum infantibus conciliant: quia litteram *l* facile puelli pronunciant. *Pers.* 3, 17. Et similis regum pueris, pappare minutum Poscis, et iratus mammae, lallare recusas, *h. e.* fastidis et respuis cantilenam nutricis ad soporem invitantis. *Vet. Schol.* ad *Persii l. c.* Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe: Lalla, lalla, lalla; aut dormi, aut lacte. *Auson.* eandem cantilenam *lallum* vocat *ep.* 16, 90. Nutricis inter lemmata, Lallique somniferos modos. *Pers.* autem pro ipso nomine verbum posuit: quae figura *enallage* est, ut ap. *Cic. Att.* 13, 28. Quam turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit nobis? pro *vita ipsa.* Imitatus *Persium* est *Hieron. ep.* 14. *n.* 3. Mater, antiquum referens mammae lallare, congeminet. *Gloss. Phil.* Lallare, *βαβάζειν.* ℙ *Turneb.* 18, 34. Lallum sibi videri scribit, fuisse nutricum Deum: sed non probat.

LALLUM vel Lallus. V. in dictione praec.

[LĂLUS, i, m. et Lălis, ĭdis, f. est cogn. R. a λάλος, garrulus, loquax. *Inscr.* ap. *Mur.* 1464, 9. Florus (lege *Florius*) Lalus Floriae Lalidi fil. *F.*]

LĀMĂ, ae, f. locus humidus, palustris, voraginosus, ubi pes non consistit. *Fest.* Lacuna, aquae collectio, quam alii lamam, alii lustrum dicunt. *Gloss. Phil.* Lamae, *πηλώδεις τόποι, h. e.* loci lutosi. *Hor. Ep.* 1, 13, 10. Viribus uteris per clivos, flumina, lamas. *Porphyr.* ad *Hor. l. c.* Lama est vorago: λάμος enim est ingluvies. *Enn.* ap. *vet. Schol. Hor. ib.* Silvarum saltus, latebras, lamasque lutosas. Hinc *Dante Inf. c.* 20. *v.* 79. *Non molto ha corso, che truova una lama, Nella qual si distende, e la 'mpaluda.* ℙ Est etiam genus mastiches. *Plin.* 12, 17, 36.

[LAMBĂSENSIS, e, adj. ad Lambasam, seu Lambaesam, seu Lambesam (tot enim modis scribitur) haud obscuram Numidiae coloniam inter Tamugadim et Dianam, a *Ptolem.* 4, 3. et *Itin. Antonini* memoratam, in qua legio III. Augusta stationem habuit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 458, 6. Imp. Caes. M. Aurelio Antonino Armeniaco Lambasensium *Decurionum Decreto.*

LAMBDĂCISMUS, i, m. λαμβδακισμός, vitium pronunciationis, quo *l* littera pleniore sono effertur, quam par est. *Diomed.* 2, 448. V. LABDACISMUS.

LAMBĔRO, as, a. 1. secundum *Festum* est scindere, atque laniare. *Pl. Ps.* 2, 4, 53. Lepide, Charine, me meo ludo lamberas, *h. e.* me meo lacessis ludo, inquit *Scalig.* in *Conjectan. ad Varron.*

LAMBĪTO, as, a. 1. frequent. a *lambo. Solin.* 15. *med.* Aegyptii canes e Nilo nunquam nisi currentes lambitant.

LAMBĪTUS, us, m. actus lambendi. *Aurel. Vict. de orig. gentis R.* 20. Lupam primo lambitu pueros detersisse, dein mammas praebuisse.

LAMBO, is, bi, a. 3. λάπτω, λείχω, lingua leviter tango, lingo: videturque factum a sono, quem edunt lingentes, v. gr. canes, dum bibunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 11. *f.* Hi canes, quos tribunal meum vides lambere. *Phaedr.* 1, 26. Cum vulpes lagonae frustra collum lamberet. *Mart.* 4, 30. pisces Qui norunt dominum, manumque lambunt. *Id.* 14, 67. Lambere quae turpes prohibet tua prandia muscas. *Colum.* 8, 17. *med.* Pisces, quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt. *Luc.* ap. *Prisc.* 10, 884. Jucundasque puer qui lamberat ore placentas. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 48. Cum illa immanissima bellua (*Domitianus*) nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. ℙ Dicitur de fluminibus, quae leni cursu ripas alluunt, non abradunt. *Hor. Od.* 1, 22, 7. vel quae loca fabulosus Lambit Hydaspes. ℙ Item de igne, qui leviter tangit, nec dum comburit. *Hor. Sat.* 1, 5, 73. flamma summum properabat lambere tectum. *Virg. A.* 2, 684. tactuque innoxia molli Lambere flamma comas: ὑπερβολικῶς. *Id. ib.* 3, 574. Attollitque globos flammarum et sidera lambit. ℙ De aliis rebus. *Pers. prol.* 5. quorum imagines lambunt hederae sequaces, *h. e.* circumdant. De Phoebo Delum accedente *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 189. tunc insula notos Lambit amica pedes, *h. e.* ad ejus pedes advolvitur quasi osculatura. ℙ Est etiam obsceno sensu idem ac fellare. *Auson. ep.* 120. Lambere cum vellet mediorum membra virorum Castor. Adde *Juven.* 2, 49. ℙ *Lambui* in praeterito legitur in vulgata versione S. Scripturae, *Judic.* 7. *v.* 5. 6. et 7. et in *Not. Tir.* p. 112., sed non est facile imitandum. ℙ Supinum *lambitum* a vetustissimis usurpatum fuisse, scribit *Prisc. l. c.*, appellat tamen neminem. ℙ Pro *lambo* vero *Cassiod. de Orthogr.* p. 2309. ex *Adamantio*, agnoscit *lambio, is, ivi:* sed neque hoc, sine graviori auctoritate, usurpandum.

LĂMELLĂ, ae, f. parva lamina. *Vitr.* 7, 3. *med.* Speculum argenteum tenui lamella ductum, *Sen. Br. V.* 12. Qui Corinthia anxia subtilitate concinnat, et majorem dierum partem in aeruginosis lamellis consumit. *Id. V. B.* 21. *med.* M. Cato cum laudaret Curium, et Coruncanium, et saeculum illud, in quo censorium crimen erat, paucae lamellae argenti, *h. e.* argentum factum parvi pretii. Sic *Ov. Fast.* 1, 208. Jura dabat populis, posito modo consul aratro: Et levis argenti lamina crimen erat.

LĂMELLŬLĂ, ae, f. parva lamella. *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* Glebulas emi, lamellulas paravi, *h. e.* parvas massas auri, aut argenti infecti, ad cudendam pecuniam: vel etiam facti, ut in dictione praecedenti. Al. aliter leg., sed nihil mutandum.

[LĂMENSIS, e, adj. ad Lamam pertinens, Lusitaniae urbem a *Ptol.* 2, 5. memoratam, quae nunc *Lamegal* esse putatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 845, 4. L. Attius Natalis Lamensis. *F.*]

LĂMENTA, ae, f. lamentatio apud veteres. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 493. Lamentas, fletus facere compendi licet.

LĂMENTĂBĬLIS, e, adj. πολύθρηνος, lamentis plenus, queribundus. *Cic. Tusc.* 2, 13. *f.* Afflictus et jacens, et lamentabili voce deplorans. *Id. Leg.* 2, 25. Sumptuosa funera, et lamentabilia. *Stat. Silv.* 5, 3, 1. Lamentabile carmen. ℙ Item lamentatione dignus. *Virg. A.* 2, 4. Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai. *Ov. Met.* 8, 263. jam lamentabile Athenae Pendere desierant, Thesea laude, tributum.

LĂMENTĂRĬUS, a, um, adj. θρηνώδης, qui ingerit lamentationem. *Pl. Capt.* 1, 1, 28. quae aedes lamentariae Mihi sunt: quas quotiescumque conspicio, fleo.

LĂMENTĀTĬO, onis, f. θρῆνος, actus lamentandi, querimonia, questus, lamentum. *Cic. Tusc.* 4, 8. Lamentatio est aegritudo cum ejulatu; et *ib.* 1, 13. *f.* Lugubris lamentatio, fletusque moerens. *Id. Verr.* 2, 4, 21. Hic quos putatis fletus, quas lamentationes fieri solitas? *Id. Or.* 38. Plangore et lamentatione complere forum. *Id. in Sen.* 7. Lamentatio et gemitus urbis. *Id. Inv.* 2, 26. Sponsi nomen appellans cum gemitu et lamentatione. *Pl. Merc.* 5, 2, 29. Aegritudo, lacrimae, lamentatio. *Liv.* 37, 7. Inutili lamentatione complorare fortunam suam. *Id.* 25, 37. Lamentationem sedare. *Justin.* 18, 6. Viri nomine cum multis lacrimis, et lamentatione flebili invocato. *Sen. Hippol.* 852. Moesta lamentatio. *Plin.* 8, 7, 7. Elephanti quadam sese lamentatione complorantes.

[LĂMENTĀTOR, oris, m. qui lamentatur. *Gloss. Philox.* Lamentator, θρηνητής. *F.*]

[LĂMENTATRIX, icis, f. quae lamentatur. V. *Pomponii* locum in CEREBRUM. *F.*]

LĂMENTĀTUS, a, um, part. a *lamentor.* Active. *Appul. Met.* 8. Diu lamentatus lacrimis inefficacibus. ℙ Passive. *Sil.* 13, 711. Armipotens ductor, quam sunt tua fata per urbem Lamentata diu! *Stat. Theb.* 12, 224. Nocte velut Phrygia cum lamentata resultant Dindyma, *h. e.* clamoribus, et ululatibus se vulnerantium completa.

LĂMENTOR, aris, atus sum, dep. 1. θρηνέω, voce querula, tristique oratione dolorem ac damnum suum testari. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet. Id viri est officium: fletus muliebri ingenio additus. *Pl. Mil.* 4, 2, 41. Lamentari, cruciari et lacrimantem se afflictare. *Suet. Ner.* 49. et *Oth.* 8. Lamentari, ac plangere. *Cic. Or.* 1, 57. *extr.* Lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegisset. *Id. Tusc.* 5, 38. Lamentari caecitatem alicujus. *Suet. Vit.* 3. aliquem pro afflicto. *Ter. Phorm.* 1, 2, 46. matrem mortuam. *Pl. Pers.* 4, 9, 7. se ipsum. *Hor. Ep.* 2, 1, 224. Cum lamentamur, non apparere labores nostros. *Pl. Merc.* 1, 2, 105. Quid ego hic in lamentando pereo? et *Ps.* 1, 3, 79. Quod nunc lamentare, non esse argentum tibi. *Id. Pers.* 4, 9, 5. Quid cesso infelix lamentarier minas sexaginta? *Cic. Cat.* 4, 2. *extr.* Ut nemo ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur. *Gracch.* ap. *Cic. Or.* 3, 56. Matrem ne ut miseram, lamentantemque videam, et abjectam? *Gell.* 12, 5. *med.* Ejulans, atque lamentans, ac miserum sese, et infelicem appellans. *Enn.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 5, 4, 2. Sed quid ego haec animo lamentor? ℙ *Lamentari vitam* est ostendere, lamentatione dignam esse. *Cic. Tusc.* 1, 31. Nam haec quidem vita mors est: quam lamentari possem, si liberet. *A.* Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus: quam cum lego, nihil malo, quam has res relinquere. ℙ Passive impersonaliter. *Appul. Met.* 4. Moeretur, fletur, lamentatur diebus plusculis.

LĂMENTUM, i, n. θρῆνος, lamentatio. [**Doederl.* 3, 150. sq. docet: *lamentum* factum ex *lacmentum:* ut *jumentum* ex *jugmentum*, *semita* ex *secmita*, *examen* ex *exagmen;* radicem vias esse, *lacere* quod in *lacit* ap. *Fest.*, in *lacerare*, *lacessere*, *lancinare*, *laniare*, *allicere* reservatum videamus. Hinc non ejulatus primam esse significationem, sed pertinere proprie ad eum, qui cum ejulatu ora, comas, vestem laceret.] Usurpatur fere in plurali numero. *Cic. Sen.* 20. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare. *Id. Tusc.* 2, 21. Si se lamentis muliebriter, lacrimisque dedet. *Id. Pis.* 36. Diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti. *Virg. A.* 4, 667. Lamentis, gemituque, et femineo ululatu Tecta fremunt. *Gell.* 7, 5. Luctu atque lamentis opplere omnia. *Tac. H.* 4, 45. Planctum, et lamenta, et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata. *Id. G.* 27. Lamenta ac lacrimas cito; dolorem et tristitiam tarde ponunt. *Id. Agr.* 28. Filium amisit: quem casum neque ambitiose, neque per lamenta ac moerorem muliebriter tulit. *Appul de Mundo.* Lamentis et ploratibus ejulare. ℙ Translate. *Plin.* 10, 55, 76. Lamenta gallinarum.

LĂMĬAE, arum, f. plur. λάμιαι, veneficae mulieres, quae strigum instar infantium sanguinem sugunt, sive ipsae striges. Hae cum foris essent egregie oculatae, domi prorsus caecutiebant, ut scribit *Plut. de curiosit.* V. plura ap. *Coel. Rhodig.* 29, 5. Dictae sunt a λαιμός, vel λάμος, ingluvies, ut quae infantes et adolescentes devorarent. *Hor. A. P.* 340. Neu pransae Lamiae puerum vivum extrahat alvo. V. DEVORATRIX. *Appul. Met.* 1. At ille colore spurcissimi humoris percussus, quo me Lamiae illae infecerant, aspernatur. ℙ Lamiae turres, et pectines solis apud *Tert. adv. Valent.* 3. sunt fabellae nutricularum, quibus conciliare solebant somnum infantibus. ℙ Fuit hoc nomine nobilis familia Romae in gente Aeliorum, ortum habens a Lamo Antiphatis patre, et rege Laestrygonum, qui Formiis regnavit. Ex hac familia fuit Aelius ille Lamia senator, de quo *Hor. Od.* 3, 17, 1. Aeli, vetusto nobilis ab Lamo, etc. *Juven.* 4, 154. hoc nocuit Lamiarum caede madenti. ℙ Denique *lamia* nomen est piscis plani, pro spina cartilaginem habentis, quem Itali nunc *carcaria* vocant. *Plin.* 9, 24, 40.

LĂMĬĀNUS, a, um, adj. a Lamiis familia Rom. *Suet. Cal.* 59. Cadaver in hortos Lamianos asportatum *Cic. Att.* 12, 21. *(Horti)* venales sunt fortasse et Lamiani.

LĀMĪNĂ, et per syncop. Lamna, ae, f. λεπίς, ἔλασμός, metalli, aut ligni, aut marmoris frustum in latitudinem ductum, crassius tamen, quam bractea. *Cic. Leg.* 2, 23. Cum lamina esset inventa, et in ea scriptum, Honoris. *Caes. B. C.* 2, 10. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis, clavisque religant. *Ov. Met.* 5, 172. extrema percussae parte columnae Lamina dissiluit. *Virg. G.* 1, 143. argutae lamina serrae. *Tac. H.* 1, 79. Cataphractorum tegmen ferreis laminis, aut praeduro corio consertum. *Petr. Sat.* 32. Brachium armilla aurea cultum, et eboreo circulo lamina splendente connexum. *Plin.* 34, 18, 50. Lamina plumbi pectori imposita. *Id.* 18, 26, 64. Doliorum laminas scabendo purgare. *Quint.* 2, 4. Tenuem nimium laminam ducere, et quam caelatura altior rumpat. *Plin.* 8, 3, 4. Ossa in laminas secare. *Id.* 34, 8, 20. Aes in laminas tenuare; et 33, 9, 45. Ex argento laminas ducere. *Ov. de nuce* 93. laminam vocat tenerae adhuc nucis putamen, quod membranae simile est. *Sen. Agam.* 855. lamnam crepitantem dixit folium aureae arboris, quam bracteam appellat *Virg. A.* 6, 209. *Appul. Met.* 3. Lamina litterata; et *ib.* 3. Videt dona pretiosa, et laminas auro litteratas ramis arborum, postibusque suffixas, quae nomen Deae, cui fuerant dicata, testabantur. ℙ Dicitur de vasis e tenui lamina factis. *Ov. Fast.* 1, 209. Et levis argenti lamina crimen erat. V. LAMELLA et LAMELLULA. ℙ Item de serra. *Sen. Ben.* 4, 6. Tenues crustas, et ipsa, qua secantur, lamina graciliores. *Val. Fl.* 1, 123. pinus gracili dissolvere lamna. ℙ Item de massis tenuibus auri et argenti ad faciendam

pecuniam: et universim de auro et argento infecto. *Ulp. Dig.* 34, 2, 28. *extr.* Argentum factum recte quis ita definierit, quod neque in massa, neque in lamina, neque in signato, etc. sit. *Hor. Od.* 2, 2, 2. inimice lamnae, Crispe Sallusti. *Sen. Ben.* 7, 10. Laminae utriusque materiae. *Ov. Met.* 11, 124. Lamina fulva. ℙ In cruciatibus laminae usus erat, cum ferrea, aut aerea candens corpori admovebatur. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. Cum ignes, ardentesque laminae, ceterique cruciatus admovebantur. *Pl. Asin.* 3, 2, 4. Advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque. Adde *Lucr.* 3, 1031., *Hor. Ep.* 1, 15, 36., *Pacat. Pan. ad Theod.* 42. et *Quint. decl.* 18, 11. et 15. ℙ Non soli poetae, sed et *Vitr.* 7, 9. bis habet *lamna* pro *lamina*. ℙ Aurium laminae sunt imae partes cartilaginosae auricularum. *Arnob.* 2, 72. Gemmas, lapillos, margaritas compararent: innecterent his colla, laminas pertunderent aurium. Adde *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. et 14.

LĂMĬUM, ii, n. urticae genus prorsus innoxium, quam urticam mortuam herbarii appellant: ita appellatur, quia ad lamas nascitur. *Plin.* 21, 15, 55. Quae innoxia est, morsu carens, lamium vocatur. Adde 22, 14, 16.

LAMNA. V. LAMINA.

LAMNŪLA, ae, f. lamella. *Tert. Cor. mil.* 12. Triumphi laurea lamnulis ornatur. Alii leg. *lamnis.*

LAMPĂDA, ae, f. idem ac lampas: ab accusativo Graeco λαμπάδα, ut *hebdomas*, et *hebdomada*, et alia. *Pl. Cas.* 4, 4, 16. Tene hanc lampadam. Ac ne quis putet *lampadem* legendum esse, accedit auctoritas *Prisc.* 7, 758. affirmantis *lampadam* dixisse *Plautum*. Sic *Manil.* 1, 352. cui tertia lampada dispar Conspicitur, etc. Alii leg. *quod terna lampade.* *In *Plauti* loco *lampadam* habent edd. *Taubm. Buchner. Douz.* et *Parei* (ut patet ex margine), quanquam *Gronov.* et *Camerar.*, quibus adstipulatur ed. *Juntina* (1514.), legunt *lampadem*. Addi potest *Ter. Ad.* 5, 7, 9. *Schellero* judice. Sed nihil opus. ℙ Expungenda e Lexicis esse, quae pro forma *lampada* afferuntur, facile intelligat, qui *Bentl.* ad *Manil.* 1, 359. in consilium vocarit. Ceterum *Santenius* noster Manilii versum felicius, quam *Bentl.*, sic sanavit: Succedit, iniquo Divisum spatio, quod terna lampade dispar Conspicitur paribus. Haec *Ruhnk. B. A.*

LAMPĂDĂRĬUS, ii, m. δᾳδοῦχος, qui lampada, seu funale praefert magistratui, vel imperatori, de quo plura habet *Ducangius* in *Gloss. med. et inf. Latin.* Ejus quoque mentionem faciunt *Impp. Leo et Zeno Cod.* 12, 60, 10. *Inscr.* ap. *Mur.* 888, 5. Aprilis lampadarius Ti. Caesaris ser. vix. annis XX. etc. Adde aliam ap. *Fabrett.* p. 307. *n.* 309. *Suet. Aug.* 29. eundem *servum praelucentem* appellat.

LAMPĂDĬAS, ae, m. λαμπαδίας, genus cometae, ardentes faces imitantis, ut *Plin.* 2, 25, 22. docet

[LAMPĂDĬFER, a, um, adj. idem ac lampadarius, qui lampadem fert. *Not. Tir.* p. 165. Lampas, lampadius, lampadifer. *F.*]

LAMPĂDĬON, ii, n. λαμπάδιον, parva lampas, facula. Hoc nomine amatores vocant suas puellas loquaculas, audaculas, et petulantiores, ut vitii speciem imminuant. *Lucr.* 4, 1157. Balba loqui nequit; traulizi: muta; pudens est: At flagrans, odiosa, loquacula; lampadion sit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 906. Quid tristiorem video te esse? num angit haec lampadion? Nos dicimus, *è un fuoco.* Quod *haec lampadion* dicit, ad vocem *puella* refertur, ut ap. *Ter. Eun. prol.* 32. *Eunuchum suam*, hoc est *fabulam.*

[LAMPĂDĬUS, ii, m. ad lampadem pertinens, idem ac lampadarius. V. LAMPADIFER. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 126, 1. Aurelius Lampadius. *F.*]

LAMPAS, ădis, f. λαμπάς, fax, ignis: a λάμπω, luceo. *Acc.* ap. *Cic. N. D.* 3, 16. Ille, cui in monte Oetaeo illatae lampades fuerunt. *Virg. A.* 9, 535. Princeps ardentem conjecit lampada Turnus, Et flammam affixit lateri. *Ov. Pont.* 3, 3, 59. ad Cupidinem: At tu sic habeas ferientes cuncta sagittas: Sic nunquam rapido lampades igne vacent. *Id. Met.* 12, 247. Lampadibus densum rapuit funale coruscis. *Val. Fl.* 3, 124. gravem nodis, pinguique bitumine quassant Lampada. *Petr. Sat.* 124. Sumite, et in medias immittite lampadas urbes. Adde *Stat. Th.* 8, 776. ℙ Splendor. *Id. ib.* 10, 121. de Somno: ipse autem nec lampade clara, Nec sonitu, nec voce Deae perculsus, eodem More jacet. ℙ Lychnuchus, lucerna. *Ov. Her.* 14, 25. Undique collucent praecinctae lampades auro. *Colum.* 12, 18. Dolia, quae demersa sunt, ferreis lampadibus ardentibus calefiunt, et cum pix in fundo destillavit, sublata lampade, etc. *Juven.* 3, 285. aenea lampas. *Lucr.* 2, 25. lampades igniferae. ℙ Ignes in coelo apparentes. *Plin.* 2, 26, 25. Emicant et faces, non, nisi cum decidunt, visae. Duo genera earum: lampades vocant plane faces, alterum bolidas. Distant, quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte: bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem. *Lucan.* 1, 532. Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit coelo. Adde 10, 502. et *Sen. Q. N.* 1, 15. ℙ Poetice solis, lunae, diei splendor. *Virg. A.* 7, 148. Postera cum prima lustrabat lampade terras Orta dies; et *ib.* 3, 637. Phoebaeae lampadis instar. *Val. Fl.* 7, 366. decima sub lampade Phoebes, *h. e.* nocte decima Luna. *Nemes. Cyn.* 130. cum se bina formavit lampade Phoebe, *h. e.* post duos menses. *Lucr.* 6, 1196. nona reddebant lampade vitam, *h. e.* nono die. ℙ Alio sensu *Stat. Silv.* 4, 8, 59. Quippe et opes, et origo sinunt, hanc lampade prima Patricias intrare fores, *h. e.* primis nuptiis: nam in his lampades, seu faces praeferebantur. Unde *Ter. Ad.* 5, 7, 9. Missa haec face, hymenaeum, turbas, lampadas, tibicines, [*i. e. faces nuptiales *Ov. ep.* 12, 137. ut subito nostras Hymen cantatus ad aures Venit et accenso lampades igne micant: ubi v. *Burm.*] *Stat. Silv.* 1, 2, 4. Demigrant Helicone Deae, quatiuntque novena Lampade solemnem thalamis coeuntibus ignem. ℙ *Lampada cursu tradere*, proverbialis locutio, *h. e.* partes suas, quasi successione, et per manus in alium transferre: ducta a ludo juvenum Atheniensium, in quo lex erat, ut lampada, seu taedam ardentem ab uno ad alium locum, atque inexstinctam, non intermisso cursu, perferrent: si enim intermisisset, fax exstinguebatur, cursus agitatione cessante. Itaque primus aliquis cursum inibat: qui defessus alteri integro tradebat lampada: hic deinceps tertio, etc. donec ad statam metam perveniretur. *Auct. ad Her.* 4, 46. Non enim, quemadmodum in palaestra qui taedas candentes accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille, qui tradit; ita melior imperator novus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit: propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Quod de fructu nihil dixi, nunc (lege *non*) cursu lampada tibi trado; et *Lucr.* 2, 77. Inque brevi spatio mutantur saecla animantum, Et quasi cursores, vitai lampada tradunt. ℙ De re quasi cursores, vitai lampada tradunt. ℙ De re praepostera. *Pers.* 6, 61. Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?

*LAMPE, es, f. oppidum Arcadiae. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

[LAMPĔTĬĒ, es, f. Λαμπετίη, Solis filia, Phaethontis soror, in arborem succi feracem mutata. *Ov. Met.* 2, 349. et *Hyg. fab.* 154. ℙ Eadem Phoebi patris juvencos paverat, quos, dum Ulyssis socii verubus assarentur, mugitus edidisse narrat *Prop.* 3, 10, 29. *F.*]

[LAMPETRĂ, ae, f. eadem ac muraena: ita appellata, quia petris plerumque adhaerens, easdem lambere videtur. *Gloss. Philox.* Lampetra, μύραινα. *F.*]

*LAMPEUS, i, m. mons Arcadiae, teste *Plin.* 4, 6. *B. A.*

*LAMPĬA, ae, Arcadiae amnis, cujus meminit *Stat. Th.* 4, 290. Cadensque jugis Lampia nivosis. Al. leg. *Lampea. B. A.*

[LAMPĪCUS, a, um, adj. splendidus: a λάμπω, splendeo. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 620, 6. Lampicus agitator. *F.*]

[LAMPON, onis, m. nomen equi: a λάμπων, splendens, candidus. *Sil.* 16, 334. Evolat ante omnes, rapidoque per aera cursu Callaicus Lampon fugit. *F.*]

*LAMPONĬA, ae, f. Λαμπωνία, insula maris Aegaei, prope Thraciam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LAMPRĬDĬUS. V. CAPITOLINUS, i.

*LAMPRUS, i, m. musici nomen, de quo *Nepos* in *Epaminonda* 2. V. ibi *Lambinum. B. A.*

LAMPSĂCĒNUS et

LAMPSĂCĬUS, a, um, adj. ad Lampsacum pertinens, quae est urbs Asiae minoris, in primis clara et nobilis (ut ait *Cic. Verr.* 2, 1, 24.) in Mysia, ad Hellespontum et ostia Granici amnis: ubi Priapus praecipuo cultu adorabatur, tanquam conditor oppidi, et gentis auctor. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 4. *extr.* Lampsacenae urbis salus. *Mart.* 11, 16. Non mea Lampsacio lascivit pagina versu, *h. e.* obsceno, et Priapi digno; et *ib.* 51. Lampsaciae puellae. *Inscr.* ap. *Grut.* 95, 4. Lampsacios melior non imbuet hostia cultros, *h. e.* quibus mactantur Lampsaci Priapo victimae. ℙ *Lampsaceni*, *orum* ejus urbis cives. *Cic. l. c.*

LAMPSĂCUM, i, n. ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 24. et Lampsacus vel Graeca positione Lampsacos, f. ap. *Val. Fl.* 2, 624. et *Ov. Trist.* 1, 10, 26. urbs Asiae minoris, de qua V. v. praec.

LAMPSĂNĂ. V. LAPSANA.

*LAMPSEMANDUS, i, insula prope Cariam, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*LAMPSUS, i, oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 14. *B. A.*

*LAMPTER, eris, sic dictum est Phocaea oppidum, vel forte pars ejus. *Liv.* 37, 31. *B. A.*

[LAMPUS, i, m. unus ex canibus Actaeonis. *Hyg. fab.* 181. ℙ Item unus ex quatuor Solis equis. *Fulg. Myth.* 1, 11. *F.*]

[LĂMUS, i, m. Λάμος, antiquus Laestrygonum rex, Neptuni filius, Cajetae, et Formiarum conditor. Hinc ap. *Ov. Met.* 14, 233. *urbs Lami* est Formiae. V. LAMIAE. ℙ Alius fuit Lamus Herculis filius ex Omphale. *Ov. Her.* 9, 54. ℙ Item equus generosus ap. *Sil.* 16, 474. *F.*]

LAMPYRIS, ĭdis, f. λαμπυρίς, πυγολαμπίς, genus insecti noctu lucens. *Plin.* 11, 28, 34. Lucent ignium modo noctu, laterum et clunium colore (leg. *candore*, vel *fulgore*) lampyrides, nunc penumbratae, non ante matura pabula, aut post desecta conspicuae. V. CICINDELA.

LĂMYRUS, i, m. λάμυρος, piscis marinus e lacertorum genere. *Plin.* 32, 11, 53. et *Ov. Hal.* 120. ℙ [*Lamyros*, *a*, *um*, adj. λάμυρος, facetus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 40. Flavius Lamyrus. Alia apud *Grut.* 1045, 5. Catia Lamyra. *F.*]

LĀNA, ae, f. ἔριον, pili ovium. Vox est Graeca, inquit *Varr. L. L.* 4, 23. ut Polybius, et Calcha

confectores coriorum, fullones, lanarii, pictores, coci. Adde *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 701. *n.* 233. ℙ [*Lanarius coactiliarius.* V. h. v. ℙ *Lanarius pectinarius.* V. h. v. s. l. ℙ *Lanarius carminator.* V. CARMINATOR. *F.*] ℙ *Lanaria, ae,* f. subaudi *officina,* in qua lana fit. *Inscr.* ap. *Grut.* 173, 4. Lanarias, et quae in iis sunt, sua pecunia fecerunt. ℙ [*Lanarius* est etiam cogn. R. ap. *Cic. Off.* 3, 16. P. Calpurnius Lanarius. *F.*]

*LANASSA, ae, f. Herculis neptis, a Pyrrho Achillis filio rapta, cui octo liberos peperit. *Just.* 17, 3. ℙ V. *Pyrrhus. B. A.*

LĀNĀTUS, a, um, part. a *lano,* ἐριώδης, lanam habens. *Colum.* 6, 2. Lanatae pelles. *Id.* 7, 3. Lanatae oves, *h. e.* intonsae. *Plin.* 8, 49, 75. Lanata animalium stultissima. *Mart.* 14, 65. in lemmate: Lanatae soleae. ℙ In pelle lanata (inquit *Fest.* ad vocem *In pelle)* nova nupta considere solet, vel propter morem vetustum, quia antiquitus homines pellibus erant induti: vel quod testetur lanificii officium se praestaturam viro. ℙ *Lanatas* absolute pro ovibus dixit *Juven.* 8, 155. lanatas, torvumque juvencum More Numae caedit Jovis ante altaria. ℙ Item lanuginosus. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 1. et *Colum.* 3, 2. *med.* Lanata vitis, *h. e.* quae lanuginem habet in foliis. *Plin.* 15, 14, 14. mala. *Id.* 9, 17, 28. Lanatus lupus. (V. LANEUS.) *Id.* 21, 20, 84. Folia molliora, et lanatiore canitie. ℙ Proverb. est *Dii lanatos pedes habent,* ap. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm. extr.* V. LANEUS. ℙ *Lanatus* est cogn. R. in gente Menenia, ut T. Menenius T. F. Lanatus. Fasti *Capitol.* ap. *Grut.* 289.

LANCĔA, ae, f. *Varr.* ap. *Gell.* 15, 30. *extr.* dixit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse. *Fest.* ducit a Graeco λόγχη, hasta. *Isid. Orig.* 18, 7. Lancea est hasta habens amentum in medio: dicta quia aequa lance, id est aequali amento ponderata vibratur. Sed, ut cetera admittantur, *Isidori* notatio frigida videtur: verum potius est a Celtico *lang,* longus, unde et ap. *Hesych.* Λαγγίς, δόρυ: quia nempe inter hastilia sit omnium longissima. *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 26. dicit, esse Suevorum, sicut materes Gallorum. Est certe in antiquo usu Latinis, videturque fuisse longior pilo, et hasta. Inventam primo fuisse scribit *Plin.* 7, 56, 57. ab Aetolis. ℙ Quod missile telum fuerit, patet ex illo *Virg. A.* 12, 374. hunc lata retectum Lancea consequitur, rumpitque infixa loricam: *latam* dixit, *h. e.* lato ferro. *Mart. Spectac.* 11. Nec volet excussa lancea torta manu. Unde et venatorium telum fuisse, colligitur. Sic *Val. Fl.* 3, 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur. ℙ Ejus usum passim in militia ostendunt haec, quae subjicio. *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 26. Galli materibus, Suevi lanceis configunt. *Flor.* 3, 3. *med.* de uxorib. Cimbror.: Objectis undique plaustris, altae desuper, quasi e turribus, lanceis contisque pugnabant. *Tac. H.* 3, 27. Disjectam testudinem lanceis contisque scrutantur; et *ib.* 1, 79. Romanus miles missili pilo, aut lanceis assultans. *Hirt. B. G.* 8, 48. Lanceaque infesta femur ejus transjicit. *Lucan.* 7, 472. Cujus torta manu commisit lancea bellum. *Sil.* 1, 318. impulsa levi torquetur lancea nodo, *h. e.* levi amento. *Curt.* 6, 5. *med.* de Amazone: Equo ipsa desiliit, duas lanceas dextra praeferens. *Just.* 24, 5. Caput ejus amputatum, et lancea fixum, tota acie circumfertur. Adde *Val. Fl.* 6, 124. ℙ Fuit gestamen satellitum, seu custodum corporis. *Suet. Claud.* 35. Spiculatores cum lanceis circumstabant. *Id. Galb.* 18. Spiculator, impulsu turbae, lancea prope vulneravit. ℙ Translate. *Appul. Met.* 1. Mihi quoque non parvam incussisti sollicitudinem, immo vero formidinem, injecto non scrupulo, sed lancea, ne, etc. *h. e.* gravi timore, quo animum meum quasi transadegisti.

LANCĔĀRĬUS. V. LANCIARIUS.

LANCĔO, as, a. 1. lanceam tracto, lanceae manum admoveo: vel lancea ferio, lanceam mitto. *Tert. adv. Jud.* 9. *med.* Qui ante norint lanceare, quam lancinare. Eadem verba habet *adv. Marcion.* 3, 8.

LANCĔŎLA, ae, f. σιβύνιον, parva lancea. *Capitol. Maxim. jun.* 4. Lanceola sic fissa est fulmine, ut tota, etiam per ferrum, scinderetur. *Appul. Met.* 8. Tunicae albae, in modum lanceolarum quoquo versum fluente purpura, depictae; *ubi edd. *Elmenh. Vulcan. Pricaei* et *Oudend.* habent *lanciolarum.* Tunicae in modum lanciolarum depictae, sunt *vestes virgatae,* ut loquitur *Sil.* 4, 155. *B. A.*

[LANCĔŎLĀTUS, a, um, adj. lanceola armatus. *Macer de plantagine* 5. Altera vero minor, quam vulgo lanceolatam Dicunt, quod foliis, ut lancea, surgat acutis. *F.*]

LANCES. V. LANX.

LANCIA. V. LANCIENSIS.

LANCĬĀRĬUS, ii, m. λογχοφόρος, lancea armatus, hastatus. *Ammian.* 21, 13. *f.* Cum lanciariis, et mattiariis, et catervis expeditorum. Adde 31, 13. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver. praef.* IX. Praepositus lanciariorum. Alia ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 630. In prima Minerves militavit ann. V., in undecima ann. IIII., in lanciaria ann. V., in praetorio ann. V. ℙ *Valesius* ad *Ammian. l. c.* adnotavit in *Codd.* non *lancearii*is, sed *lanciariis.*

LANCĬCŬLA, ae, f. parva lanx. *Arnob.* 2, 59. Trulla, lancicula, candelabrum.

LANCĬENSIS, e, adj. ad Lanciam pertinens, Lusitaniae urbem, cujus meminit *Flor.* 4, 12. *med.* Gemina fuerunt in Lusitania hujus nominis municipia. In *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 5. memorantur *Lancienses Oppidani,* et *Lancienses Trascudani,* et *Plinius* 4, 22, 35. duplices agnoscit *Lacienses,* quorum primi sine cognomine, alteri Occlenses sunt cognominati. *F.*]

*LANCINATĬO, onis, f. apud *Celsum. B. A.*

LANCĬNĀTOR, oris, m. qui lancinat et discerpit. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1057. Lancinatores gregum.

LANCĬNĀTUS, a, um, part. a *lancino:* scissus, laceratus, discerptus. *Arnob.* 1, 20. Conjux membratim lancinatus. ℙ Translate usurpatur a *Catull.* 29, 18. V. v. sq.

LANCĬNO, as, avi, atum, a. 1. ἀμύσσω, λαχίζω, κατακνίζω, in frusta scindo, lacero, lanio. A λαχίζω censet esse *Voss.*, ut a πήγω, pango, *n* inserta. Alii a *lance,* quasi primo significet dividere, distribuere, deinde laniare. *Sen. Ira* 1, 2. Alium inter sacra mensae ira percussit: alium inter celebris spectaculum fori lancinavit. *Sen. alter Thyest.* 778. lancinat gnatos pater, Artusque mandit ore funesto suos. *Plin.* 9, 6, 5. Morsu lancinare aliquem. ℙ Translate. *Catull.* 29, 18. Paterna prima lancinata sunt bona, *h. e.* dissipata, distracta, absumpta. *Sen. ep.* 32. Vitam diducimus in particulas, ac lancinamus. Al. leg. *lanciniamus. Plin.* 4, 5, 9. *f.* Tot sinus Peloponnesi oram lancinant. *Arnob.* 2, 47. Credulitatem facetiis jocularibus lancinare.

LANCŪLA, ae, f. parva lanx. *Vitruv.* 10, 8. de statera: Cum ansa propius caput, unde lancula pendet, etc. ℙ Ap. *Varr. L. L.* 4, 25. *f.* legitur *langula:* quod idem cum lancula esse videtur.

[LANDĪCA, ae, f. κλειτορίς, pars pudendi muliebris, quae ita describitur in *Ep. Sorani ad Cleopatr.* inter *op. Petronii, edit. Antonid.* p. 81. Intus quod a superiore parte descendit in medio dicta est landica, motum saepe titillationis habens ex libidine. *Gloss. Phil.* Landica, ἐσχαράδιν. *Vulcanius* suspicatur legendum ἐσχαράα γυναικεία: sed terminatio *ădi* est diminutiva novae Graeciae. *Landira* legendum conjicit *Martinius,* non improbante *Vossio de vit. sermon.* Contra sunt, qui vocem hanc tribuunt *Cic. Fam.* 9, 22. Hanc culpam majorem, an *illam dicam?* potuit obscenius? Non, inquis: non enim ita sensit. Non ergo in verbo est obscenitas. [*V. *Orell.*] ℙ Aliis recentis Barbariae nomen videtur, nec id significare, quod dicimus, sed ἐσχάραν proprie dictam foculum, ferramentum nempe, cui tanquam crati, imposita ligna propter aeris ab inferiori parte accessum facilius ardeant, scribendumque *landiram,* cum sit Gallorum *landier,* Italorum *alare,* quem *subicem,* seu *subjicem focarium* interpretatur *Bodaeus.* Sed poterat alicui etiam *landie* Gallorum, et Italorum *landra* in mentum venire. Haec fere ex *Bailleyo* in *Auctario. F.*]

LĀNĔA seu Lānĭa pro laniena legitur a quibusdam ap. *Liv.* 44, 16.

LĀNĔRUM, vestimenti genus ex lana succida confectum. *Fest.*

LĀNESTRIS, e, adj. laneus. *Vopisc. Aurel.* 29. Lanestre pallium.

LĀNĔUS, a, um, adj. εἰρίνεος, qui est ex lana. *Cic. N. D.* 3, 34. Aureum ei detraxit amiculum, etc. eique laneum pallium injecit. *Prop.* 3, 4, 30. Lanea vitta. *Virg. G.* 3, 487. infula. *Suet. Aug.* 82. Subuculae thorax laneus. *Macr. Sat.* 1, 8. Laneum vinculum. *Stat. Silv.* 5, 3, 183. Lanea cui Phrygii est coma flaminis, *h. e.* filum laneum in capite flaminis. ℙ Laneae effigies, Compitalibus, noctu dabantur in compita, quod lares, quorum is erat dies festus, animae putabantur esse hominum, redactae in Deorum numerum. *Festus.* ℙ Item lanatus, lanosus, lanuginosus. *Plin.* 15, 15, 16. Pira laneo corio. ℙ Translate est mollis. *Catull.* 25, 10. Laneum latusculum. *Mart.* 13, 89. laneus lupus, *h. e.* piscis, de quo *Plin.* 9, 17, 28. Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, a candore mollitiaque carnis. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Haud multi militum vibrantes hastas, pars major sine vi et vigore, tanquam laneas, jacere. ℙ *Dii* irati *laneos pedes habent* proverb. ap. *Macr. l. c.*, *Petr. fragm. Trag.* 44. *extr. Burm.* et *Porphyr.* ad *Hor. Od.* 3, 2. *extr.*, quo significatur, pedes Deorum esse vinculo veluti laneo constrictos, et tarde quidem venire ad puniendа scelera; venire tamen, et quidem tacitos et inopinantibus. Quod *Hor. ib.* dixit: Raro antecedentem scelestum Deseruit pede poena claudo; et *Tibull.* 1, 10, 4. Sera tamen tacitis poena venit pedibus. *Macr.* ex *Apollodoro* tradit inde ortum esse proverbium, quod Saturnum mos esset alligari per annum laneo vinculo, solvi autem Saturnalibus. *F.*]

LANGA, ae, f. lacertae genus: a Celtico *lang,* longus, quia longam habet caudam. V. LANGURIA.

LANGĬA, ae, f. fluvius Peloponnesi in Arcadia, qui ex Nemeaea silva per Sicyoniam in sinum Corinthiacum fluit. Postea Archemorus dictus est ab Archemoro filio Lycurgi Thracum regis, quem ibi cum Hypsipyle nutrix Argivis fluvium hunc ostensura, in gramine reliquisset, serpens interemit. *Stat. Theb.* 4, 717. et sqq. ℙ In hujus honorem Nemeaea certamina celebrata sunt ab Argivis, ut describit *Id.* 6. *in.*

[LANGOBARDI, orum, m. plur. Germaniae septentrionalis populi, siti inter Albim, nunc *Elba,* vel Viandrum, nunc *Oder,* et Vistulam, nunc *Vistola,* fluvios (olim Rhenum accolebant, ut refert *Ptolomaeus)* qui paulatim progredientes Pannoniam primum, mox anno DLXVIII., duce Alboino, magnam Italiae septentrionalis partem occuparunt; hinc Galliae Cisalpinae pars maxima nunc *Lombardia* appellatur. Eorum meminere *Tac. G.* 40. et *Ann.* 2, 45. et *ib.* 11, 17., *Vell.* 2, 106. et *Strabo l.* 7. ℙ Quoad vocis etymon, *Isid. Orig.* 9, 2. et *Paul. Diac. de reb. Longob. l.* 1. *n.* 9. eos ita vocatos putant a Germanico *lang,* longus, et *bart,* barba, quia longam pascebant barbam. *F.*]

*LANGOBRĬGA, ae, oppidum Lusitaniae. *Anton. Itin. B. A.*

LANGUĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. languere facio, languorem affero. *Cic. Leg.* 2, 15. Incitare languentes, et languefacere excitatos. Est qui legit *languere facere.*

LANGUENS, entis, part. a *langueo:* ἄτονος, νωθρός, languidus. *Cic. Leg.* 2, 15. Incitare languentes. *Id. Or.* 2, 44. Facilius est currentem incitare, quam commovere languentem. *Id. Fam.* 10, 28. Senatum jam languentem et defessum ad pristinam virtutem revocavi. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Languenti stomacho esse. *Caes. B. C.* 2, 14 Nostri languentes, atque animo remissi. *Val. Fl.* 4, 388. languentia lumina somno. *Petr. Sat.* 101. Languentem visere officii causa. *Phaedr.* 4, 25. Languens aevum. *Cic. Off.* 1, 37. Vox nec languens, nec canora. *Catull.* 64, 99. Quantos illa tulit languenti in corde timores. *Virg. A.* 11, 69. Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi. Ubi *Serv.:* aut postquam decerptus sit; aut quia non est acuti coloris; aut quanto demittit caput. *Id. ib.* 10, 289. Languens pelagus, *h. e.* remittens se ad litus. *Lucan.* 3, 692. ictus. *Val. Fl.* 7, 24. cum languentes levis erigit imber aristas. *Suet. Aug.* 92. Veterrimae ilicis demissos ad terram, languentesque ramos convaluisse. *Auct. Priap.* 83. Licebit, aeger, aut languentior cubes. Alii multo rectius leg. *aeger angue lentior cubes.*

LANGUĔO, es, gŭi, n. 2. ἀτονέω, ὀσθενέω, viribus deficior, vigore careo, flaccesco, infirmus sum. Refertur tum ad corpus, tum ad animum: a λαγγέω, cesso: etenim *Hesych.* Λαγγάζει, ὀκνεῖ: οἱ δὲ, Λαγγεῖ. *Cic. Phil.* 1, 5. Cum de via languerem, et mihimet displicerem. *Ov. Her.* 18, 161. Saepe per assiduos languent mihi brachia motus. *Id. Pont.* 1, 4, 3. Jam vigor, et quasso languent in corpore vires. ℙ Translate. *Prop.* 4, 2, 46. Flos languet. *Stat. Th.* 6, 12, 305. Lunae languet jubar, *h. e.* lumen amittit. *Val. Fl.* 7, 466. Languent ignes. *Sever. Aetn.* 427. lapis languet in ignes, *h. e.* in cinerem, igni ustus, dilabitur. ℙ De aegrotantibus. *Virg. G.* 4, 252. tristi languebunt corpora morbo. *Tibull.* 3, 5, 28. Languent ter quinos sed mea membra dies. *Suet. Aug.* 81. Sub natale suum plerumque languebat. *Id. Ner.* 51. Ter omnino per quatuordecim annos languit. Adde *Mart.* 5, 9. ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Pis.* 33. Languet juventus, nec perinde atque debet, in laudis cupiditate versatur. *Id. Off.* 3, 1. *med.* Neque solitudinem languere patior, [*i. e. fieri, ut ea solitudo languorem mihi afferat, patior. *Beier.*] *Id. N. D.* 1, 4. Languere otio. *Id. Acad.* 4, 2. *f.* In otio hebescere et languere. *Gell.* 19, 12. Languet animus, et torpet. *Ov. A. Am.* 2, 436. Et, si nulla subest aemula, languet amor. *Sall. Cat.* 56. Si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt, *h. e.* remisse ac timide agere. *Quint.* 9, 3. *med.* Haec schemata et convertunt in se auditorem, nec languere patiuntur, subinde aliqua notabili figura excitatum. *Lucr.* 5, 1144. genus humanum defessum vi colere aevum, Ex inimicitiis languebat. *Sil.* 17, 361. mihi gratia languet, Et cecidit jam primus amor. ℙ *Languere* dicitur mare, cum nulla aura movetur: quod valde incommodum est navigantibus. *Mart.* 10, 30. Nec languet aequor, viva sed quies Ponti Pictam phaselon adjuvante fert aura. *Lucan.* 8, 471. Flectit iter: nec Phoebus adhuc, nec carbasa languent, *h. e.* nec sol adhuc occasu lucem amittit, nec vela lentiora fiunt cessante vento. ℙ Praeteritum trisyllabum est. *Lucan.* 7, 245. Illa quoque in ferrum rabies promptissima, paulum Languit, et casus, etc. *Ov. Met.* 6, 291. moribunda relanguit ore. Ceterum rarus est hujus verbi usus in praeteritis. ℙ Part. *Languens* V. in v. praec.

LANGUESCO, is, n. 3. καταμαλθαζόμαι, ἐκνύο-

μαι, languere incipio, languidus fio, langueo. *Cic. Fin.* 4, 24. Hebes acies est cuipiam oculorum: corpore alius languescit. *Id. Sen.* 9. Senectute languescere. *Catull.* 64, 188. languescunt lumina morte. *Virg. A.* 9, 436. flos succisus aratro Languescit moriens. *Hor. Od.* 3, 16, 34. Nec Laestrygonia Bacchus in amphora Languescit mihi, *h. e.* asperitatem et vim amittit, vetustate molliente. *Ov. Fast.* 2, 775. Ut solet a magno fluctus languescere flatu, *h. e.* cessare, minui post flatum. *Val. Fl.* 3, 236. Deficit: infracti languescunt frigore cursus. *Plin.* 18, 15, 27. Vites languescunt, si vicia in arbusto seratur. *Id.* 27, 13, 109. Color in luteum languescens, *h. e.* qui dilutior fit, et ad luteum accedit. *Tac. A.* 1, 28. Luna claro repente coelo visa languescere. ℙ Pro aegrotare. *Ov. Trist.* 3, 3, 39. Nec mea consueto languescent corpora lecto? ℙ Translate. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Ne, si longius extracta esset cognitio, satietate et taedio quodam justitia cognoscentium severitasque languesceret. *Id. Pan.* 18. Militaria studia languescunt. *Id. ep.* 8, 20. Omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est, *h. e.* minuitur. *Quint.* 11, 3. Affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant.

LANGUĪDĒ, adv. cum languore, remisse, lente, ἀνειμένως, ῥᾳθύμως. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Panicum cacumine languide nutante. *Colum.* 11, 1. *med.* Ne statim a prima luce familia cunctanter et languide procedat. *Petr. Sat.* 98. Languide agere. *Caes. B. G.* 7, 27. Suosque languidius in opere versari jussit. *Plin.* 13, 4, 7. Palmae languide dulces; et 37, 7, 25. Carbunculi languidius ac lividius lucent. *Cic. Tusc.* 5, 9. Theophrastus vexatur scholis omnium philosophorum, quod laudarit illam sententiam: *Vitam regit fortuna, non sapientia.* Negant ab ullo philosopho quidquam dictum esse languidius, *h. e.* mollius, et magis abhorrens a constantia et severitate philosophiae.

LANGUĪDŬLUS, a, um, adj. dimin. languidi. *Catull.* 64, 331. Languiduli somni. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium.

LANGUĪDUS, a, um, adj. ἀσθενής, ἀνειμένος, languens, remissus, viribus defectus, debilitatus, tardus, lentus. *Cic. Fin.* 2, 13. Tarda et languida pecus. *Id. Cat.* 2, 5. et *Verr.* 2, 3, 12. Vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti. *Hor. Epod.* 2, 63. Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido; et *ib.* 5, 55. latent in silvis ferae Dulci sopore languidae. *Id. Od.* 2, 14, 17. ater flumine languido Cocytos errans; [**Liv.* 1, 4. Posse quamvis languida mergi aqua, spem ferentibus dabat.] *Hor. Od.* 3, 21, 8. Promere languidiora vina, *h. e.* vetustiora, atque adeo minus austera, mitiora. *Ov. Pont.* 2, 1, 2. et *ib.* 4, 10, 44. Ventus languidus. *Lucan.* 5, 421. languida carbasa, *h. e.* vela non contenta, vento cessante. *Plin.* 12, 12, 26. Languidus color. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 17. Sufflare languidos ignes. *Id.* 22, 20, 24. Tenuiora folia et languidiora; et 17, 2, 2. Arbores foliorum amissione languidae. *Id.* 11, 37, 88. Venarum languidus ictus. *Alter Plin. ep.* 6, 20. *med.* Dubius, et quasi languidus dies. *Quint.* 11, 3. *med.* Vultus non moestus, nec stupens, nec languidus. ℙ Aegrotus. *Mart.* 9, 86. Languidior noster si quando est Paulus. *Laurea Tull.* ap. *Plin.* 31, 2, 3. Languida quae infuso lumina rore levant. *Pall.* 3, 25. Si languida arbor est piri, ablaqueatae radicem terebras. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 3, 4, 10. Semina laetitiae languidiora facit. *Cic. Or.* 1, 52. *f.* Philosophus mollis, languidus, enervatus, omnia ad voluptatem corporis referens. *Id. Sen.* 8. Senectus non modo languida atque iners non est, verum etiam operosa, et semper agens aliquid et moliens. *Id. Ligar.* 9. Languidiore studio in causa fuistis. *Id. Q. Fr.* 1, 2. *f.* Si qui antea aut alieniores fuerant, aut languidiores, *h. e.* negligentiores. *Plin.* 15, 29, 36. Languida auctoritas patrum. *Lucan.* 4, 699. languida segni Cernit cuncta metu. ℙ Metonymice. *Virg. A.* 12, 908. oculos ubi languida pressit Nocte quies. *Tibull.* 4, 1, 181. Languida otia.

LANGUĪFĪCUS, a, um, adj. languidum faciens. *Auson. Ecl. in versib. Q. Cic.* Languificusque Leo proflat ferus ore calores.

*LANGUĪTAS, atis, et

*LANGUITŪDO, inis, f. *Gloss. Gr. Lat.* ἀῤῥωστία, Languitudo, languitas. *B. A.*

LANGŪLA. V. LANCULA.

LANGUOR, oris, f. ἀσθένεια, ῥᾳθυμία, defectio virium, remissio vigoris, lassitudo, infirmitas. *Ter. Heaut.* 4, 6, 3. Haec deambulatio me ad languorem dedit. *Catull.* 55, 30. Defessus tamen omnibus medullis, Et multis languoribus peresus Essem te, mi amice, quaeritando. *Id.* 63, 37. Piger his labantes languores oculos sopor operit. *Ov. Met.* 11, 648. de Somno: et rursus molli languore solutus Deposuitque caput, stratoque recondidit alto. ℙ Morbus. *Cic. Div.* 2, 62. Animus cum languore corporis nec membris uti potest, nec sensibus. *Ov. Met.* 9, 766. Nunc ficto languore moram trahit. *Hor. Od.* 2, 2, 15. Languor aquosus. *Mart.* 9, 86. Tu languore quidem subito, fictoque laboras. *Suet. Tib.* 72. In languorem incidere. *Id. Ner.* 41. Excusato languore faucium, propter quem non adesset. ℙ Translate est torpor, ignavia, debilitas animi. *Cic. Off.* 1, 34. Nihil magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiaeque dedat; et *ib.* 3. *in.* Otium et solitudo languorem afferunt. *Id. Att.* 14, 6. Vides languorem bonorum. *Tac. H.* 2, 42. Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit. ℙ De mari omnino tranquillo. *Sen. Agam.* 160. Redemit illa classis immotae moras, Et maria pigro fixa languore impulit. V. LANGUEO. ℙ Refertur et ad colores. *Plin.* 37, 9, 46. Gemmarum vitia, languor, et alienis turbari coloribus.

[LANGURIA, ae, f. lacertae viridis genus, quod nostrates vulgo *languro* vocant: vox composita ex Celtico *lang*, longus, et οὐρὰ, cauda, quia longam habet caudam; ceterum quidam ex Graecis scriptoribus falso putarunt, ita eam appellatam fuisse, quia ejus urina in succinum concresceret, etenim οὖρον urinam significat. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. Demostratus *(succinum)* lyncurium vocat, et fieri ex urina lyncum bestiarum, e maribus fulvum et igneum, e feminis languidius et candidum. Alii dixere langurium, et esse in Italia bestias langurias. Zenothemis langas vocat easdem, et circa Padum iis vitam assignat. *F.*]

LANGURIUM, ii, n. idem ac succinum, quod et lyncurium dicitur. V. v. praec.

LANIĀRĬUM, ii, n. χρεωπώλιον, idem quod laniena. *Varr. R. R.* 2, 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo. Sunt qui putant hoc loco ablativum *laniario* esse a recto *laniarius*, Italice *beccajo:* [sed minus recte; nam laniena, non lanius, opponitur fundo: adde *laniarius* esse vocem nihili. *F.*]

LANIĀRĬUS, ii, m. idem ac lanius. *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 4. C. Nigidius Primus laniarius. [*Ead.* tamen rectius legitur ap. *Mur.* 967, 2. Q. Nigidius Primus lanarius. Itaque *laniarius* e Latio amandandus. *F.*]

LANIĀTĬO, onis, f. ἄμυξις, σπάραξις, χρεουργία, actus laniandi. *Sen. Clem.* 2, 4. In caedes hominum, et laniationes pervenit.

[LANIĀTOR, oris, m. idem ac lanius. *Gloss. Philox.* Laniator, μαχελλάριος. *F.*]

[LANIĀTORĬUM, ii, n. idem ac laniena. *Gloss. Philox.* Laniatorium, μαχελλεῖον, χρεωπωλεῖον. *F.*]

LANIĀTUS, a, um, part. a *lanio. Ov. Met.* 7, 349. laniatum mersit in undis. *Virg. A.* 6, 494. laniatum corpore toto Deiphobum vidit. *Id. ib.* 12, 606. Laniata genas. *Ov. Met.* 4, 139. comas; et *ib.* 2, 335. sinus. *Tac. H.* 3, 85. Vestis laniata. [**Liv.* 21, 46. laniatis obviis ipse intactus evaserat.] ℙ Translate. *Ov. Her.* 7, 135. laniataque classis Postulat exiguas semirefecta moras.

LANIĀTUS, us, m. idem ac laniatio. *Cic. Tusc.* 1, 43. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti? *Just.* 41, 3. de Parthis: Sepultura vulgo, aut avium aut canum laniatus est. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 11. Avium ferarumque laniatibus objectus; et 9, 2. *f.* Laniatui esse animalibus, quae corporibus innasci solent. ℙ Translate. Ap. unum *Tac. A.* 6, 6. Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus, et ictus: quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur.

LANĪCĬA, ae, f. et

LANĪCĬES, ei, f. lana, lanicium. *Laber.* ap. *Non.* 3, 13. Nil refert, mollem ex lanicia Attica, an ex hircorum pecore vestitum geras. *Tert. in carm. adv. Marc.* 2, 24. Sed quia lanicies renovata haec corpora vestit. ℙ Sunt qui scribunt *lanitia*, et *lanities.*

LANĪCĬUM, ii, n. ἔριον, idem quod lana, vel lanae proventus. *Virg. G.* 3, 384. Si tibi lanicium curae, primum aspera silva, Lappaeque, tribulique absint. *Plin.* 6, 17, 20. Seres lanicio silvarum nobiles. *Id.* 8, 47, 72. Cujus coloris arietes sub lingua habuere venas, ejus et lanicium est in fetu. ℙ [Item pecus lanatum. *Arnob.* 1, 8. Ovilibus insidiatur lupus, numquid in culpa natura est, quod lanitiis extulit importunissimam beluam? *Id. ib.* p. 12. Dii lanitia curent vestra numerosis fetibus multiplicari. *F.*]

*LANĪCĬUS, a, um, adj. lanatus. *Arnob.* 5, 174. Custos gregis lanicii. *B. A.*

LANĪCUS, ūtis, adj. omn. gen. qui cutem lanosam habet. *Laber.* ap. *Tert. Pall.* 1. *med.* Aries reciprocicornis, lanicus, testitrahus.

LANĪENA, ae, f. χρεωπώλιον, macellum, officina, in qua laniantur ac venduntur carnes. *Pl. Epid.* 2, 2, 15. Per myropolia, et lanienas circumque argentarias Rogitando sum raucus factus. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 281. ℙ Accipitur etiam pro ipsa laceratione. Hinc *Prud.* περὶ στεφ. 10, 497. Num mitiores sunt manus medentium, Laniena quando saevit Hippocratica? ℙ *Tabernae lanienae* adj. dixit *Varr.* ap. *Non.* 12, 55., ubi perperam alii legunt *ligneae;* male item nonnulli *lanignae*, tanquam a *lanius.*

LANĪFER, a, um, adj. ἠριοφόρος, lanam ferens. *Plin.* 13, 14, 28. Aethiopia Aegypto contermina insignes arbores fere non habet, praeter laniferas.

LANĪFĪCĬUM, ii, n. ἠριουργία, lanae opificium. *Vitr.* 6, 10. Oeci, in quibus matresfamiliarum cum lanificiis habent sessiones. Est qui rectius leg. *lanificis. Aurel. Vict. Vir. illustr.* 9. Lucretiam in*nificis.* *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 9. Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. *Colum. praef.* 12. *med.* Ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur. *Just.* 2, 6. Athenienses primi usum lanificii docuere.

LANĪFĪCUS, a, um, adj. ἠριουργὸς, qui lanae artem exercet. *Mart.* 6, 58. Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores Stamina, *h. e.* tres Parcae. *Tibull.* 2, 1, 10. Manum lanificam imponere pensis. *Claud. in Eutrop.* 2, 382. Lanificae doctissimus artis. ℙ Lanificae mulieres non solum lanam facere, sed texere etiam, et vestem ex ea conficere solebant. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Item lanificae, quae familiam rusticam vestiunt. *Ov.* quoque *Met.* 6. *in.*, ubi de Arachne loquitur celebri *lanificae laudibus artis*, non solum subigendae ac nendae, sed et texendae lanae, et conficiendarum inde vestium artificio mirabilem fuisse dicit.

LANĪGER, a, um, adj. ἠριοφόρος, qui lanam fert. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Pecus lanigerum eximia pulcritudine. *Plin.* 12, 10, 21. Ejusdem insulae excelsiore suggestu lanigerae arbores alio modo, quam Serum, *h. e.* quae gossipion ferunt. *Ov. Met.* 7, 312. innumeris effetus laniger annis, *h. e.* aries. *Phaedr.* 1, 1. Laniger timens, *h. e.* agnus. *Virg. G.* 3, 287. Lanigeri greges. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Est quaedam intus lanigera fertilitas. *Manil.* saepissime *lanigerum* de Ariete signo coelesti dixit.

LANĪGNUS, a, um. V. LANIENA.

*LANILŬTOR, oris, m. ἠριοπλύνης *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

LANĬO, as, avi, atum, a. 1. ἀμύσσω, in frusta seco, scindo, lacero. *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* Cum homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. *Liv.* 9, 1. *med.* Nisi hauriendum sanguinem, laniandaque viscera nostra praebuerimus; [*et 32, 29. Duo lupi oppidum ingressi obvios aliquot laniaverant.] Adde *Ov. Met.* 4, 456., *Virg. G.* 3, 514. Discissos nudis laniabant dentibus artus. *Tac. H.* 1, 41. Ceteri crura brachiaque foede laniavere. [**Quint. Inst.* 11, 3, 174. Vestes laniare.] *Ov. A. Am.* 2, 171. Laniare tunicam; et *Met.* 5, 398. vestem ab ora summa; et *ib.* 2, 350. crinem manibus; et *A. Am.* 3, 678. ora digitis. ℙ Translate. *Ov. Met.* 1, 60. Venti mundum laniant. *Id. R. Am.* 367. Et tua sacrilegae laniarunt carmina linguae. [**Sen. ep.* 51. Vitia cor laniant.] ℙ Part. *Lanians* ap. *Cic. Div.* 1, 47. Se intorquentem lanians.

LANĬO, onis, m. idem ac lanius. *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* In Libra laniones, et unguentarii nascuntur. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. Cum de lanionis instrumento quaeritur. *Pompon. ib.* 1, 2, 2. *med.* Arrepto cultro de taberna lanionis. *Flav. Caper de Orthogr.* p. 2245. *Lanius* nomen est: verbum autem *lanio, as:* at dixerunt tamen et *lanio* in nomine. ℙ [*Lanio* dicitur etiam carnifex. *Sedul. carm.* 2, 127. ad Herodem: Quis tibi nunc, lanio, cernenti talia sensus? *F.*]

[LANĬŎLUM, i, n. dimin. lanii, parva laniena. *Fulg. Myth. praef.* 1. *med.* Galeni curia exclusisset, quae paene cunctis Alexandriae ita est inserta angiportis, quo chirurgicae carnificinae laniola pluriora habitaculis numerentur. *F.*]

LANĬONĬUS, a, um, adj. ad lanium pertinens, χρεουργικός. *Suet. Claud.* 15. Carnificem statim acciri cum machaera, mensaque lanionia flagitavit, *h. e.* mensa, in qua scinditur caro.

[LANĪPENDENS, entis, part. ab inusit. *lanipendo*, qui lanam pendit, lanipendius. *Gloss. Philox.* Lanipendens, σταθμοῦχος, γυνὴ ἡ τὸν σταθμὸν παρέχουσα ταῖς ἄλλαις. *F.*]

[LANĪPENDĬUM, ii, n. locus, in quo pensa distribuuntur lanificis mulieribus. *Inscr.* ap. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 2. p. 273. Philodespotos Adjutoris Ti. Claudii Caesaris Aug. servus vicarius Zosimeni conservae lanipendii ministrae fecit. *F.*]

LANĪPENDĬUS, a, um, adj. qui lanam pendit, et distribuit lanariis nendam, aut carminandam. *Paul. Dig.* 24, 1, 38. *in.* In ea re uxor tanquam lanipendia fuerit, et viri negotium procuraret. **Vet. Schol.* ad *Juven. sat.* 6, 476. *libraria* exponit lanipendia, *h. e.* quae lanam librat, et quasillariis adpendit, vel pensa lanificis ancillis distribuit, ut interpretatur *Rupertus. B. A. Gloss. Phil.* Lanipendius σταθμοῦχος ἐριδίων. ℙ [Scribitur etiam *lanipendus, a, um. Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 223. D. M. Irenes lanipendae V. A. XXXVIII. Olympus benemerenti fecit. Alia in *Mus. Acad. Mant.* p. 22. T. Flavius Aug. L. Zosimus lanipendus. Adde aliam ap. *Don. cl.* 8. *n.* 57. *F.*]

LANĪPES. V. PLANIPEDES.

*LANISE, maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LĀNISTA, ae, m. *μονομαχοτρόφος*, qui ludo praeest gladiatorio, et gladiatores exercet in arte pugnandi, ut publice mutuo lanientur. Lanistae (quorum artificium probrosum erat) familias domi habebant, (V. *Suet. Aug.* 42.) quas in gladiatura instituebant, (V. *eund. Caes.* 26.) et mox paratas vendere solebant munerariis. *Cic. Rosc. Am.* 40. *f.* Num aut ille lanista omnino jam a gladiis recessisse videtur, aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere? *Id. Att.* 1, 16. Cum accusator, tanquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret: reus: tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret. *Juven.* 6, 215. Testandi cum sit lenonibus, atque lanistis Libertas; et 11, 8. Scripturus leges, et regia verba lanistae. ℙ Translate de eo dicitur, qui alios committit, et causa est rixae et demicationum. *Anton.* in *ep.* ap. *Cic. Phil.* 13, 19. Ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicantes. *Liv.* 35, 33. Populum R. cum Antiocho, lanistis Aetolis, non sine pernicie Graeciae dimicare. ℙ *Rixosarum avium lanistas*, appellat eleganter eos *Colum.* 8, 2., qui ferocissimum quemque alitem certaminibus, et pugnae praeparabant: qua de re *Plin.* 10, 21, 24. de gallis gallinaceis: Jam ex his quidam ad bella tantum, et proelia assidua nascuntur, quibus etiam patrias nobilitarunt, Rhodum aut Tanagram, etc.

LĀNISTĀTŪRA, ae, f. lanistae artificium. In *vet. Tab. aen. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 424. *n.* 49. Queive lanistaturam, artemve ludicram fecit, fecerit. Ubi *Mazoch.* p. 443. Vox Lexicis ignota, nunc primum in Latium, unde aevo optimo prodierat, ope aeris hujus revocatur.

LĀNISTĬCĬUS, a, um, adj. ad lanistam pertinens, ut Lanisticia familia, ap. *Petr. fr. Trag.* 45. *Burm.*, quae a *Suet. Aug.* 42. lanistarum familia dicitur.

LĀNĪTĬA, et

LĀNĪTĬES, et

LĀNĪTĬUM. V. LANICIA, LANICIES, et LANICIUM.

*LANITONDĬUM, i, n. *Scholiasta Hor. Epod.* 2, 16. Oves aestate lanitondium patiuntur. Cf. *Barbitondium. B. A.*

LĀNĪVĪNUS. V. LANUVINUS.

[LĀNĬUM, ii, n. idem ac laniena. *Phaedr.* 3, 4. Pendere ad lanium quidam vidit simium. Alii tamen ita locum interpretantur, ut *lanium* sit accusativus a *lanius*. V. tamen LANIOLUM. *F.*]

LĀNĬUS, ii, m. *κρεωπώλης, κρεουργός*, qui carnes in carnario vendit populo: a laniandis pecudibus, quod eas concidat lanietque. *Varr. R. R.* 2, 5. Lanii, qui ad cultrum bovem emunt. *Cic. Off.* 1, 42. Cetarii lanii, coqui, ut ait Terentius. (*Eun.* 2, 2, 26.) *Phaedr.* 3, 4. Pendere ad lanium quidam vidit simium. V. LANIUM. ℙ [*Lanius* dicitur etiam victimarius. *Varr. R. R.* 2, 5. Lanii, qui ad cultrum bovem emunt, et qui ad altaria, hostiae sanitatem non solent stipulari. *F.*] ℙ De discrimine inter lanium, et macellarium, V. MACELLARIUS. ℙ [*Lanius* dicitur etiam carnifex. *Pl. Ps.* 1, 3, 98. Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis. *F.*]

LANNA pro *lamna*, quae syncope est pro *lamina* legitur in quibusdam MSS. *Arnob.* 2, 72. teste *Heins.* ad *Petr.* 58. *Burm.* Et *Gloss. Phil.* Lannae, *λοβοί.*

[LĀNO, as, n. 1. lanosus fio, lanam porto. *Gloss. Phil.* Lano, as, *ἐριοφορέω. F.*]

LĀNŌCŬLUS, i, m. qui lana tegit oculi vitium. *Festus.* V. dicta in LANA.

*LANOS, i, fluvius Asiae ulterioris, in Serum regione. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

LĀNOSĬTAS, atis, f. lanicies, lana. *Tert. Pall.* 3. Muscosae lanositatis conchae. V. BULBUS.

LĀNOSUS, a, um, adj. *ἐριώδης*, lana abundans. *Colum.* 7, 3. *med.* Prolixi villi, nec asperi, lanosi et ampli uteri. [*Appul. Met.* 5. Confingit, esse juvenem quendam et speciosum, et commodum, lanoso barbitio genas inumbrantem. *F.*]

LANTERNA. V. LATERNA.

[LANTHANŪSA, ae, f. *λανθανοῦσα*, latens, part. a *λανθάνω*, lateo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 685, 7. Disidia Lanthanusa. *F.*]

*LANUENSES, ium, incolae urbis cujusdam Italiae, in Frentanis, quae Lanua forte audiebat. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

[LĀNŪGĪNĔUS, a, um, adj. idem ac lanuginosus. *Appul. Herb.* 62. Foliis paulo majoribus, atque floccosis, vel lanugineis adnationibus. *F.*]

LĀNŪGĪNOSUS, a, um, adj. *λαχναῖος*, lanuginem habens. *Plin.* 29, 4, 27. Lanuginosus araneus. *Id.* 30, 15, 47. vermiculus. *Id.* 25, 8, 45. Aspera et lanuginosa folia. *Id.* 22, 20, 24. Herba lanuginosior.

LĀNŪGO, inis, f. *ἴουλος, λάχνη*, tenera quasi lanae tenuioris mollities, qualis in puerorum genis, in pullis avium pennas emittere incipientibus, in herbis, in pomis quibusdam, ut in malis cotoneis, et similibus. *Virg. A.* 10, 324. flaventem prima lanugine malas Dum sequeris Clytium. *Ov. Met.* 13, 753. octonis iterum natalibus actis Signarat dubia teneras lanugine malas. *Virg. Ecl.* 2, 51. cana legam tenera lanugine mala. *Lucr.* 5, 814. herba cubile Praebebat, multa et molli lanugine abundans. *Ov. Amor.* 1, 14, 23. Comae graciles, et lanuginis instar. *Colum.* 3, 2. *med.* Aminea vitis praecipue canescit lanugine. *Plin.* 24, 11, 50. Arundinum lanugo illita auribus. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 3. Gosipion similem barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. *Id.* 24, 12, 66. Folia araneosa lanugine obducta. *Id.* 8, 32, 50. Cervorum cornua arundineas in paniculas molli plumata lanugine. *Id.* 32, 10, 44. Linea lanugo, *h. e.* quae ex lineis pannis deraditur. ℙ De scobe. *Colum.* 4, 29. *f.* Plaga laevis relinquitur, nulla interveniente lanugine, quam excitabat antiqua terebra.

LANŪLA, ae, f. dimin. lanae. *Cels.* 6, 9. *f.* Alumen involutum in lanula. *Id.* 7, 27. Tenues carunculae lanulis similes.

LĀNŪVĪĀNUS, a, um, adj. ad Lanuvium pertinens, ut Lanuviana templa, ap. *Capitol. Anton.* 8., ubi alii rectius *Lanuvina* legunt. *Inscr.* apud *Fabr.* p. 603. *n.* 37. Juno Lanumviana. [Fortasse hic quoque *Lanuvina* legendum. *F.*]

LĀNŪVĪNUS, a, um, adj. ad Lanuvium pertinens, quod est oppidum Latii prope viam Appiam, inter Ariciam et Ardeam, nunc corrupto nomine *Civita Lavinia* appellatur. *Hor. Od.* 3, 27, 3. ab agro Rava decurrens lupa Lanuvino. *Cic. Fam.* 9, 22. *f.* Colei Lanuvini, *h. e.* familia Coleorum Lanuvii. V. CLITERNINUS. ℙ [*Lanuvini, orum*, absolute sunt incolae Lanuvii. *Liv.* 8, 14. Lanuvinis civitas data. ℙ Etiam *Lanivinus* scribitur in *Inscr.* ap. *Mar. Frat. Arv.* p. 224. Senatus Populus Que Lanivinus Ti. Claudio Caesari Aug. Germanico; et in alia ap. *Grut.* 381, 1. Curator Rei Publicae Lanivinorum. Hinc patet, vulgus imperitum id oppidum sequiori tempore *Civita Lavinia* pro *Lanivia* appellasse. *F.*]

LANX, lancis, f. *πίναξ*, vas escarium latum, et cavum ex aliquo nobiliori metallo plerumque factum, in quo cibi reponuntur, et mensae inferuntur. Videtur *Varr. L. L.* 4, 25. a *latitudine* ducere: sed est ab inusit. *λάνω* pro *λάω*, seu *τλάω*, fero, cujus praet. perf. *λέλαγκα*, unde prius *lancs* deinde *lanx:* nisi mavis esse a *λάω*, *n* inserto, ut saepissime alias ap. Latinos; hinc etiam *lagena*, quod capiat. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* In filicatis lancibus, et splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere: quid te in vasis fictilibus appositurum putem! *Hor. Sat.* 2, 4, 40. rotundas Curvet aper lances; et *ib.* 2, 4. inter lances mensasque nitentes. *Mart.* 11, 31. Sic implet gabatas, paropsidasque, Et leves scutulas, cavasque lances. *Id.* 10, 29. Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem, Misisti dominae, Sextiliane, tuae. *Pl. Curc.* 2, 3, 42. *Phae.* Si scias, reliquiae quae sint. *Cur.* scire nimis lubet. *Phae.* Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. *Cur.* ain' tu omnia haec? In carnario fortasse dicis. *Phae.* immo in lancibus. *Juven.* 5, 80. Aspice quam longo distendat pectore lancem, Quae fertur domino squilla. *Ov. Pont.* 3, 5, 19. Et magis adducto pomum decerpere ramo, Quam de coelata sumere lance juvat. ℙ Insignis magnitudinis lances in luxu Romanorum fuisse, legimus. *Plin.* 33, 11, 52. Lances e centenis libris argenti, quas tunc super quingentas numero Romae fuisse constat; et *mox.* Claudii principatu servus ejus Drusillanus quingenariam lancem habuit, cui fabricandae officina prius exaedificata fuerat: et comites ejus octo octingentarum quinquaginta librarum, *h. e.* e quingentis libris argenti: comites vero ejus octo universae, non singulae ex octingentis quinquaginta. ℙ Lancium usus etiam in sacris frequens fuit, impositis victimae carnibus, aut ture, etc. *Virg. G.* 2, 194. Lancibus et pandis fumantia reddimus exta; et *ib.* 394. Baccho lances et liba feremus; et *A.* 8, 284. cumulantque oneratis lancibus aras. *Ov. Pont.* 4, 8, 39. Nec quae de parva Dis pauper libat acerra Tura, minus, grandi quam data lance, valent. *Auson. Technopaegn. de monosyllab. per interrogat.* 5. Turibula, et paterae: quae tertia vasa Deum? lanx. ℙ Etiam quadratas lances memorat *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. et *Paul. ib.* 6, 1, 6. ℙ *Per lancem et licium furta concipere* ap. *Festum* in *Lance*, et *Gell.* 11, 18. prisci Romani ex jure Attico (V. *Aristoph. Nub. v.* 497.) hoc modo solebant. Qui furti quaerendi causa domum alienam, in qua illud latere suspicio erat, nudus intrabat, ne rem furtivae similem sub veste habere videretur, sed propter matrumfamiljas aut virginum praesentiam licio seu linteo virilia tectus erat, lancem vero manibus tenebat. Hac ratione si furtum inventum esset, fur perinde multabatur, ac si manifestum furtum fecisset, poena autem manifesti furti ex lege XII. Tabularum capitalis erat. *Cajus Institut.* (ed. *Goeshen.*) 3. §. 192. Qui furtum quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lancem habens; qui si quid invenirit, jubet id lex furtum manifestum esse. Quid sit autem linteum, quaesitum est, sed verius est, consuti genus esse, quo necessariae partes tegerentur; et *mox:* Deinde lex lancem ideo haberi jubet, ut manibus occupantis nihil subjiciatur, sive ideo, ut quod invenerit, ibi imponat. His similia habet *Schol. Aristoph.* ad *loc. cit.* et *Plato de legib. l.* 12. ubi *licium* vel *linteum χιτωνίσκον* appellat, qui tamen, ut et *Aristophanes*, nullam lancis mentionem facit. ℙ Hunc quaerendi furti ritum sustulisse videtur lex Aebutia; ait enim *Gell.* 16, 10. Cum furtorum quaestiones cum lance et licio evanuerint, omnisque illa XII. Tabularum antiquitas, lege Aebutia lata, consopita sit, etc. Sed ex eo tempore non amplius ab ipsis dominis, iisque nudis, requirebantur res furtivae, sed a praecone, et servo publico, adhibitis testibus, ut patet ex *Pl. Merc.* 3, 4, 78. et *Petr. Sat.* 97. ℙ A similitudine *lances* sunt in libra duo illa vascula, in quorum altero pondus, in altero res ponderanda imponitur: unde bilanx dicta, *bilancia. Cic. Acad.* 4, 12. Ut enim necesse est lancem in libra, ponderibus impositis, deprimi; sic animum perspicuis cedere. *Id. Tusc.* 5, 17. *extr.* Critolaus cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam boni lancem putat, ut terram et maria deprimat. ℙ Hinc translate. *Virg. A.* 12, 725. Juppiter ipse duas aequato examine lances Sustinet, et fata imponit diversa duorum. *Pers.* 4, 10. Scis etenim justum gemina suspendere lance Ancipitis librae. *Plin.* 7, 7, 5. Is demum profecto vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit. *Modest. Dig.* 42, 1, 20. Quod et in persona mulieris aequa lance servari, aequitatis ratio suggerit, *h. e.* pari, eodemque modo.

[LAOCOON, ontis, m. *Λαοκόων* (ex *λᾶας*, *λᾶος*, lapis, et *κέω*, seco), fuit Priami regis, et Hecubae filius, vel Acoetis filius, et Anchisae frater, vel tandem Antenoris filius, Thymbraei Apollinis sacerdos. Hic, cum Trojanos frustra admonuisset de fraude lignei equi a Graecis relicti, in eundemque hastam intorsisset, dum sacrificaturus cum duobus filiis ad aram accederet, a binis draconibus e Tenedo per maris fluctus egressis, jussu Palladis, interemptus cum filiis est. *Virg. A.* 2, 41 et 201., *Hyg. fab.* 135. ℙ Mirabile ejusdem Laocoontis marmoreum symplegma, quod *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 11. trium artificum Rhodiorum opus fuisse narrat, Romae adhuc servatur in *Mus. Vaticano*, ejusque desriptionem habes ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 135. — 253. *tab.* XXXIX. *ed. Mediol. F.*]

LAODAMĬA, ae, f. *Λαοδάμεια*, Bellerophontis filia ex Achaemene conjuge, quam cum forma excelleret, Juppiter amavit, suscepitque Sarpedonem, qui postea Lyciae rex factus est. Verum cum Bellerophon rerum successu elatus in coelum evolare Pegaso insidens conaretur, Juppiter hominis temeritatem aegre ferens, oestrum equo immisit, quo exagitatus sessorem excussit. Diana quoque Laodamiae infensa suis eam telis confixit. *Homer. Iliad.* 6, 196. ℙ Altera fuit Laodamia, Acasti et Laodothea filia, quae tanto amore Protesilaum virum suum adamavit, ut cum ab Hectore occisum cognovisset, superstes ei esse noluerit. Priusquam tamen interiret, in solatium moeroris optaverat, ut mortui umbram videret, qua visa in illius amplexibus exspiravit. *Hyg. fab.* 243., *Catull* 68, 74. etc. et *Ov. Pont.* 3, 1, 110. V. *ejusd. Her.* 13.

*LAODĬCE, es, f. *Λαοδίκη*, Priami filia, quae Helicaoni, Antenoris regis Thraciae filio, nupsit. *Hygin. fab.* 90. ℙ Altera hoc nomine (quae autem fuerit, incertum, certe non Agamemnonis ex Clytaemnestra filia, ut *Fabro Gesneroque* placet,) memoratur ab *Ov. Her. ep.* 19. *v.* 135. *B. A.*

LAODĬCENSIS, e, et

LAODĬCĒNUS, a, um, adj. ad Laodiceam urbem pertinens, ut *Laodicensis civitas*, ap. *Cic. Fam.* 5, 20. et *Laodiceni, orum*, ejus urbis cives, ap. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 13. et *Plin.* 5, 23, 19. Porro *Laodicea*, *Λαοδίκεια*, multiplex fuit: altera in Coelesyria ad Libanum montem, et Orontem fluvium: altera Syriae metropolis, in ora maris Phoenicii: tertia in Lydia, ad Lycum fluvium. De aliis V. geographos. ℙ *De variis Laodiceis plenius rectiusque sic statuas: Una, urbs in Coelesyria, ad Libanum montem. *Mela* 1, 12. ℙ Altera, ad mare sita, in Seleucide fuit. *Lentul.* in *Cic. Fam.* 12, 14. *med.* et 15. *f. Cass. ib.* 15. *Plin.* 5, 20. *Anton. Itin.* ℙ Tertia, in Media, vel in Mediae Persidisque confinibus. *Plin.* 5, 26. ℙ Quarta, in Mesopotamia. *Id.* 6, 26. ℙ Quinta, quae et Laudicea, urbs Phrygiae majoris, ad Lycum flumen, non procul ab Apamea; de qua (ait *Ernestus*) capiendus est *Cicero*, quoties de Laodicea provinciae suae attributa loquitur. *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* et 3, 7. *in. Id. Att.* 5, 15. et 20. *in.* et *f. Plin.* 5, 29. ℙ Laodicea, *Combusta* dicta, in Lycaonia fuit. *Strabo* et *Steph. Byzant. B. A.*

*LAOMĂCHE, es, f. *Λαομάχη*, Amazonum una. *Hyg. fab.* 163. *B. A.*

LAOMĔDON, ontis, m. *Λαομέδων*, filius Ili, nepos Trois, pronepos Erichthonii, abnepos Dardani, rex Troadis, pater Priami. Cum de aedificandis Trojae moenibus cogitaret, Apollini et

Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox exstructis moenibus se soluturum jurejurando affirmavit. Verum perfecto opere, perjurus pactam mercedem negavit. Propter quod Dii irati, Neptunus aquam, Apollo pestem urbi immisere. Duplici igitur calamitate affectus, de remedio oraculum consuluit. Responsum est, non aliter Deos placari posse, quam si singulis annis virgo Trojana ceto dilaceranda exponeretur. Institutum itaque est, virginem quotannis exponi, eamque sorte eligi. Sed cum tandem sors in Hesionem Laomedontis filiam cecidisset, (quam tamen alii solam ab Apolline et Neptuno postulatam tradunt) et jam scopulo alligata monstrum exspectaret, Hercules forte illac transiens, vel, ut alii scripsere, in Colchos cum Argonautis proficiscens, liberaturum se filiam Laomedonti pollicitus est, si equos divino semine procreatos, quos habere eum constabat, in praemium sibi traderet. Rex pollicitus est, et jurejurando se obstrinxit. Hunc igitur in modum pactione facta, Hercules interfecta bellua, virginem liberavit. Sed cum Laomedon promissis non staret, indignatus Hercules, collecto undecumque exercitu, Ilium expugnavit, Laomedontem occidit, Hesionem Telamoni uxorem dedit, quod primus murum conscendisset, Priamum regis filium captivum abduxit, qui postea auro a vicinis redemptus fuit. *Prop.* 2, 11, 2. Cum caderent magni Laomedontis opes. *Ov. Met.* 6, 96. nec profuit Ilion illi, Laomedonve pater. *Hor. Od.* 3, 3, 21. ex quo destituit Deos Mercede pacta Laomedon.

LAOMĔDONTĔUS, a, um, adj. *Λαομεδόντειος*, ad Laomedontem spectans, Trojanus. *Virg. A.* 4, 542. necdum Laomedonteae sentis perjuria gentis? *Ov. Met.* 11, 196. Laomedontea arva. *Val. Fl.* 2, 474. Laomedontei penates. *Sil.* 1, 543. Laomedonteae flammae, *h. e.* ignis Vestae ab Aenea Romam translatus.

LAOMĔDONTĬADES, ae, m. patronym. Priamus, vel alius ex filiis Laomedontis. *Virg. A.* 8, 158. Laomedontiadem Priamum Salamina petentem. ℙ *Laomedontiadae, arum* sunt Trojani. *Virg. A.* 3, 248. Laomedontiadae, bellumne inferre paratis?

LAOMĔDONTĬUS, a, um, adj. Laomedonteus. *Virg. A.* 8, 18. Talia per Latium: quae Laomedontius heros Cuncta videns, etc. *h. e.* Aeneas Trojanus; et *ib.* 7, 105. Laomedontia pubes, *h. e.* Trojana juventus.

LAPATHIUM, ii, n. idem quod lapathum. *Varr.* ap. *Non.* 17, 3. Eandem voluptatem consequi lapathio, et ptisana possum.

LAPATHUM, i, n. *λάπαθον*, herba duplicis generis, sativi et silvestris. Sativum, cujus varii sunt usus in medicina. Silvestre sapore proximum sativo, foliis acutis, colore betae candidae, radice minima: Latina appellatione *rumex* dictus. *Plin.* 20, 21, 85., ubi et alias ejus species recenset. *Seren. Sammon.* 20, 369. calami radix, lapathique legumen.

LAPATHUS, i, f. *λάπαθος*, herba eadem quae lapathum. *Colum.* 10, 373. Lubrica jam lapathos, jam rhamni sponte virescunt: *lubrica* dicitur, quia ventrem ciet. *Hor. Sat.* 2, 4, 29. teste. ℙ Est etiam masc. gen. *Lucil.* ap. *Cic. Fin.* 2, 8. O lapathe, ut jactere necesse est, cognitu' cui sis. Innuit *Lucil.* fuisse inter hortensia in deliciis mensarum. Unde *Hor. Epod.* 2, 54. Non attagen Ionicus Jucundior, quam lecta de pinguissimis Oliva ramis arborum, Aut herba lapathi prata amantis. et gravi Malvae salubres corpori.

*LAPATHUS, untis, f. castellum in Thessalia, juxta Tempe. *Liv.* 44, 2. et 6. *B. A.*

*LAPETHOS, i, oppidum Cypri. *Plin.* 5, 31. ℙ *Λάπηθος* est *Steph. Byz.* *Λάπιθος Ptolem.* *Λάπαθος Straboni. B. A.*

[LAPHRĬA, ae, f. cognomen Dianae, quae hoc nomine templum habuit Patris, ubi servabatur ejus signum, quod ademptum Aetolis Augustus Patrensibus concessit. venatricis habitu effictum, ut *Pausan.* 7, 18. narrat: est per syncop. a *λάφυρον*, praeda. In nummis Neronis, et Domitiani ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 257. Diana Laphria. *F.*]

LAPĪCAEDĪNA. V. LAPICIDINAE.

LAPĪCĪDA, ae, m. *λιθουργός*, *λιθοξόος*, qui lapides caedit, et polit. *Varr. L. L.* 7, 33. Qui lapides caedunt, lapicidas: qui ligna, lignicidas non dici. ℙ Scribitur et *lapidicida*, quamvis *lapicida* rectius, ut *homicida* dicitur, non *hominicida*; est autem idem ac quadratarius. *Sidon. ep.* 3, 12. de epitaphio: Vide, ut vitium non faciat in marmore lapidicida: quod factum sive ab industria, seu per incuriam mihi magis, quam quadratario, lividus lector adscribat.

LAPĪCĪDĪNAE, arum, f. plur. *λατομία*, locus, ubi exciduntur lapides. *Cic. Div.* 1, 13. *f.* In Chiorum lapicidinis saxo diffisso, caput exstitisse Panisci. *Pl. Capt.* 5, 1, 24. In lapicidinas compeditum condidi, Ubi rescivi mihi data esse verba. *Plin.* 36, 7, 11. Quantislibet molibus caedendis sufficiunt lapicidinae. *Id.* 7, 56, 57. Lapicidinas invenit Cadmus Thebis, aut, ut Theophrastus, in Phoenice. ℙ Sunt quibus placet *lapidicina*, quod etiam ex *Festo* probari posse videtur, si ordinem ibi litterarum spectes, atque ita etiam scribitur in *Not. Tir.* p. 93. et in *Gloss. Philox.*, idque sic adprobat *Consentius de barbar.* (ed. *A. G. Cramero*) 9. Simile est, ut cum dicit quis *lapidicinas* et *lapicidinas*; in utroque enim metaplasmus non est per transmutationem, quoniam utrumque certa etymologia recte et Latine dicitur. Haec *Consentius.* Ceterum si a *lapicida* derivatur, hoc autem a *lapis* et *caedo*, *lapicidina* est praeferendum, ut *ruina* est a *ruo*, *fodina* a *fodio*. Quin etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 2. et in alia ap. *Labus. Epigr. Lat. Egiz.* p. 5. *lapicaedinae* scribitur. ℙ *Servus a lapicidinis*, fuit inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 593, 8. Hymeneus Caesaris N. ser. Thamyrianus a lapicidinis Carystiis. [*Quaedam addidit *F.*]

LAPĪCĪDĪNĀRĬUS, ii, m. qui lapicidinis praeest. *Inscr.* ap. *Mur.* 751, 2. T. Tremelius T. L. Nestor lapicidinarius, et tabularius Portuens*is* a ratione marmorum. ℙ Etiam *lapidicinarius* scribitur in *Gloss. Philox.* Lapicidinarius, *λαξευτής*; et *mox: Gloss. Philox.* Lapidicinarius, *λιθοξόος*. V. LAPICIDINAE.

*LAPICĪNI, orum, populi Liguriae. *Liv.* 41, 19. *B. A.*

LAPĪDĀRĬUS, a, um, adj. ad lapides pertinens. *Pl. Capt.* 3, 5, 65. Inde ibis porro in latomias lapidarias. *Petr. Sat.* 117. Quid vos, inquit, me jumentum putatis esse, aut lapidariam navem? *h. e.* qua vehuntur lapides. *Id. fragm. Trag.* 58. *Burm.* Lapidarias litteras scio, *h. e.* quae in lapidibus quadratae et grandiores inscribi solent. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 223. Opifices lapidarii. ℙ *Lapidarius* absolute, subaudi *faber*, lapicida. *Id. ib.* 65. Habinnas sevir est, idemque lapidarius, qui videtur monumenta optime facere. *Mela* ap. *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *med.* Si servus lapidario commodatus sub machina perierit. ℙ *Lapidarii campi*, ap. *Solin.* 2., sunt lapidosi. V. LAPIDEUS.

LAPĪDAT. V. LAPIDO.

LAPĪDĀTĬO, onis, f. jactus lapidum, actus lapidandi. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *f.* Fit magna lapidatio. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 73. Intercedentem Baebium collegam facta per populum lapidatione submovit. *Flor.* 3, 8. Non diu lapidatione terruere Romanos. ℙ Lapidatio fuit etiam supplicii genus apud Hebraeos, tum etiam apud Macedones. Nam *Curt.* 6, 11. *f.* Omnes ergo a Nicomacho nominatos, more patrio, dato signo, saxis obruerunt. Sed nullus est auctoris Latini locus, in quo ea vox hac significatione fuerit usurpata. ℙ De casu grandinis, *Imp. Constant. Cod.* 9, 18, 4. Ne vindemiae ventis, grandinisque lapidatione quaterentur.

LAPĪDĀTOR, oris, m. *λιθοβόλος*, lapides jaciens. *Cic. Dom.* 5. Percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiae.

LAPĪDĀTUS, a, um, part. a *lapido*, lapidibus ictus. *Macr. Sat.* 2, 6. Lapidatus a populo Vatinius. ℙ Translate. *Id. ib.* 2, 7. Notantes impotentiam ejus hac dicacitate lapidatam.

LAPĪDESCO, is, n. 3. *λιθόομαι*, in lapidem convertor, seu in lapideam duritiem. *Plin.* 32, 2, 11. de coralio: Ajunt, tactu protinus lapidescere. *Id.* 24, 13, 73. Spongiae ipsae lapidescunt. *Id.* 16, 6, 8. Glans, cujus in balano utrinque ex longitudine, extrema lapidescit duritia.

LAPĪDĔUS, a, um, adj. *λίθινος*, ad lapidem pertinens, ex lapide constans. *Cic. Div.* 2, 28. Lapideus, aut sanguineus imber. *Liv.* 1, 38. *f.* Muro lapideo urbem cingere. *Plin.* 27, 11, 74. Lapidea duritia. *Id.* 34, 18, 50. In lapideo mortario terere. *Varr. R. R.* 3, 5. Flumen marginibus lapideis. *Id. ib.* Lapideae columnae. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 423, 4. Porticus lapideae marmoratae, *h. e.* e lapide structae, et opere tectorio marmorato ornatae. *Curt.* 5, 2. *med.* Pons lapideus, flumini impositus, jungit urbem. *P. Syrus* ap. *Petr. Sat.* 55. Quo Carchedonios optas ignes lapideos? *h. e.* gemmas ignei coloris. *Pl. Truc.* 4, 3, 44. Lapideus sum: commovere me miser non audeo, prae stupore et metu. ℙ Est etiam lapidosus. *Plin.* 3, 4, 5. et 21, 10, 31. Lapidei campi. Priore loco designat campum saxis plenum, in quo Hercules contra Neptuni liberos pugnans, cum tela omnia consumpsisset, ab Jove imbre lapidum adjutus dicitur. Credas, pluisse, inquit *Mela* 2, 5., adeo multi passim, et late jacent. Is est in Gallia Narbonensi, non longe ab ostiis Rhodani. *Solin.* 2. in Liguria locat.

[LAPĪDĪCAESOR, oris, m. idem ac lapicida. *Gloss. Philox.* Lapidicaesor, *λατόμος*. *F.*]

[LAPĪDĪCĪDA. V. LAPICIDA. *F.*]

LAPĪDĪCĪNA. V. LAPICIDINAE.

LAPĪDO, as, avi, atum, a. 1. *λιθάζω*, lapides jacio, lapidibus aliquem peto. *Petr. Sat.* 93. Per fidem, saltem nobis parce, qui te nunquam lapidavimus. *Auct. B. Hisp.* 22. Ab oppidanis concursu facto, eum, qui legatos jugulasset, lapidare coeperunt. *Flor.* 1, 22. Exercitus imperatorem, facta seditione, lapidavit. *Suet. Cal.* 5. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversae Deum arae. [*V. *Casaub.* ad h. l., *Gesner.* ad *Plin. Pan.* 40, 3. *Kirchmann. de fun. Rom.* 2, 12.] ℙ Item saxa congero, saxis tego. *Petr. Sat.* 114. Si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut praeteriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit, aut imprudens arena componet. ℙ Impersonaliter est lapidibus pluere. *Liv.* 27, 37. Novendiale sacrum fuit, quia Vejis de coelo lapidaverat. *Id.* 29, 14. Novendiale sacrum, quod de coelo lapidatum esset, factum. *Id.* 29, 10. Libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de coelo lapidatum inspectis. *Id.* 43, 13. Reate imbri lapidavit.

LAPĪDOSĪTAS, atis, f. durities similis lapidi. *Tert. Hab. mul.* 6. In piscium cerebris lapidositas quaedam est.

LAPĪDOSUS, a, um, adj. *λιθώδης*, lapidibus abundans. *Varr. R. R.* 1, 9. Lapidosa terra. *Ov. Met.* 1, 44. Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes; et *ib.* 8, 799. Lapidosus ager; et *ib.* 15, 23. fluvius. *Id. Fast.* 3, 273. rivus. ℙ Item durus instar lapidis. *Claud. B. G.* 240. lapidosos grandinis ictus. *Virg. G.* 2, 34. Lapidosa corna, *h. e.* quae nucleum intus habent durissimum. Sic *Colum.* 10, 15. lapidosa poma pruni. *Pall.* 3, 25. Lapidosi generis pira. *Hor. Sat.* 1, 5, 91. Lapidosus panis. *Sen. Ben.* 2, 7. Fabius beneficium ab homine duro aspere datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere, necessarium sit, esse acerbum. *Plin.* 37, 10, 54. Aromatites gemma lapidosa. *Id.* 34, 12, 30. Sory splendescit, ut misy, et est lapidosius. ℙ Podagram *lapidosam* appellat *Pers.* 5, 58., quia in articulis lapidosam duritiem creat.

[LAPILLISCO vel Lapillesco, is, n. lapillus fio, et translate turgeo in modum lapilli. *Tert. ad nat.* 2, 12. Denique simul coepit et Coelo vox insolescere, et ubera Terrae lapilliscere, faciunt nuptias inter se, *h. e.* ubi coepit pubescentis Coeli vox immutari, et Terrae papillae durae stantesque, seu sororiantes et horridulae fieri coeperunt, quales solent esse puellarum nuptias appetentium.

LAPILLŬLUS, i, m. dimin. lapilli. *Solin.* 10. Grues sublatis lapillulis saburrantur.

LAPILLUS, i, m. *λιθάριον*, parvus lapis. *Ov. Met.* 11, 604. Invitat somnos crepitantibus unda lapillis. *Plin.* 10, 23, 30. de gruib.: Lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, et decidens, indiligentiam sono coarguat. *Id.* 28, 4, 9. Lapillus ejectus calculoso. *Mart.* 9, 53. diesque nobis Signanda melioribus lapillis, *h. e.* albis. Ita enim notabant faustos dies: infaustos vero atris. Sic *Pers.* 2, 1. Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo. De hoc more verba facit et *Plin.* 7, 40, 41. V. CALCULUS. ℙ Mos erat antiquis (inquit *Ov. Met.* 15, 41.) niveis atrisque lapillis, His damnare reos, illis absolvere culpae. ℙ Saepe de gemmis dicitur, et fere quidem de margaritis. *Hor. Sat.* 1, 2, 80. inter niveos, viridesque lapillos: *nivei* sunt margaritae: *virides* smaragdi. Sic *Sen. Hippol.* 391. nec niveus lapis Deducat aures, Indici donum maris. V. LAPIS. Rursus *Hor. Ep.* 1, 10, 19. Lapilli Libyci, *h. e.* tesserulae e marmore Numidico. *Mart.* 1, 110. Indici; et 5, 37. Erythraei. *Prop.* 1, 15, 7. Eoi. *Ov. de nuce* 141. peregrini. *Id. A. Am.* 3, 129. caris aures onerare lapillis. ℙ *Servius JCtus* ap. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *f.* ita lapillos a gemmis distinguit, ut hae sint pellucidae materiae, lapilli non item: margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, ibidem *Sabinus* ait. ℙ [Lapillus idem etiam est ac lapis sepulcralis. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 1536, 6. et 2058, 4., emendata vero in *Anthol. Lat. T.* 2. p. 269. *Burm.* Parva sub hoc, titulo Festi, sunt ossa lapillo, Quae moerens fato condidit ipse pater. *F.*]

LAPĬO, is, ivi, itum, a. 4. *λιθόω*, durum efficio, et quasi in lapidem converto, apud veteres. *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 87. Lapit cor cura, aerumna corpus conficit, *h. e.* perstringit, et veluti indurat. *Voss.* in *Etymol.* verbum neutrum putat, et haec verba ita exponit: cor lapit, *h. e.* lapidescit cura et moerore. *Festo* lapire, est dolore afficere.

LAPIS, ĭdis, m. *λίθος*, *πέτρα*, petra, saxum. Differt a silice, quia silex est proprie lapis sectilis: est a *λαΐς* pro *λᾶας*, deinde *λάϐις* cum digamma Aeolico, unde *lapis*. *Plin.* 36, 18, 29. Lunensem silicem serra secari. *Id. ib.* 22, 51. Graeci e lapide duro, aut silice aequato construunt veluti latericios parietes. Eodem fere modo *Vitr.* 2, 8. *med.* loquitur. Lapis autem est petra suae formae, et nulla arte elaborata. *Cic. Or.* 47. et *Dom.* 5. *med.* A quibus ille se lapidibus appetitum, etiam percussum esse dixit. *Petr. Sat.* 90. Lapidibus aliquem prosequi; et *ib.* Lapides in quempiam mittere. *Sall. Jug.* 61. Lapidibus pugnare. *Pl. Stich.* 4, 2, 33. Lapide percutere. *Nep. Reg.* 2. ictus. ℙ Differt a marmore, quod et rarius est, et solidius, et pretiosius, et ad subtiliora artis opera aptius. *Plin.* 36, 6, 5. Fuit tamen inter lapidem, atque marmor differentia jam et apud Homerum. Dicit enim marmoreo saxo percussum. *Id. ib.* 22, 46. In Cappadocia lapis repertus est duritia marmoris. *Lampr. Elag.* 25. Parasitis in secunda mensa saepe cereum coenam, nonnunquam vel marmoream, vel lapideam exhibuit, *h. e.* vel cibis e marmore sculpto, vel e naturalibus lapidi-

bus vario colore cibos imitantibus. Praeterea *lapis* genus est, *marmor* species, ita ut omne marmor lapis sit, non contra. V. *Plin.* 36. *in.* Differt etiam a saxo, quod durius est, et asperius quid significat: lapis autem nitidioris est significationis. *Plin.* 36, 22, 49. Est et viridis silex, vehementer igni resistens, sed nunquam copiosus: et ubi invenitur, lapis, non saxum est. ℙ Haec tamen discrimina passim negliguntur. *Cic. Or.* 1, 57. *f.* Lapides mehercule omnes flere coegisset. *Curt.* 5, 1. *med.* Supra pilas lapide quadrato solum stratum est. *Virg. G.* 2, 348. Lapis bibulus, *h. e.* arenarius, vel pumex; et *ib.* 1, 275. incusus, *h. e.* mola cudendo asperata. *Quint.* 2, 19. molaris. *Virg. A.* 1, 593. Parius. *Plin.* 36, 19, 30. vivus. *Catull.* 68, 148. Quo lapide illa diem candidiore notet, *h. e.* albo calculo. V. CALCULIS. *Pl. As.* 1, 1, 16. Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? *h. e.* in pistrinum, et molam. ℙ *Lapidem ferre altera manu, altera panem ostentare*, proverb. ap. *eund. Aul.* 2, 2, 18. de iis, qui palam blandiuntur, ut clam deinde noceant. ℙ *Verberare lapidem*, aliud proverb. de eo, qui ludit operam, et in eo laborat, in quo plus est damni, quam utilitatis. *Id. Curc.* 1, 3, 41. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manum. ℙ *Lapides loqui*, res auditu molestas, duras, et acerbas dicere. *Id. Aul.* 2, 1, 29. mihi misero cerebrum excutiunt Tua dicta, soror: lapides loqueris. Contra *Aristoph. Nub. v.* 907. Ῥόδα μ' εἴρηκας. ℙ *Omnem movere lapidem*, proverb. omnia experiri, nihil intentatum relinquere. Graece *Plin. ep.* 1, 20. Omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ. ℙ Lapis saepe est limes in agro positus. *Tibull.* 1, 3, 43. non fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva, lapis. Hic etiam *sacer* dicebatur, vel quia saepe Dei alicujus; vel quia nefas erat illum violare; vel denique quia Terminus ipse Deus habebatur. *Liv.* 41, 13. In Crustumino avem fanualem sacrum lapidem rostro cecidisse. [*Sunt, qui statuas deorum intelligant; alii de ceteris lapidibus religiose cultis capiunt; *Drakenborchius* denique de lapide coelitus lapso et cp. 9. memorato. Media sententia tutior videtur. *Ern.* in *Lex. Lib.* s. v. *lapis.*] *Sen. Hippol.* 528. Nullus in campo sacer Divisit agros, arbiter populis, lapis. *Lactant.* 1, 20. *f.* Lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus. ℙ Item sepulcri tegumen. *Tibull. l. c.* 54. Fac, lapis his scriptus sit super ossa notis. *Prop.* 3, 1, 37. Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro. *Lapidem ultimum*, vocat *Id.* 1, 17, 20. ℙ Item lapillus, seu gemma. *Catull.* 69, 3. Non illam rarae labefactes munere vestis, Aut pellúciduli deliciis lapidis. Adde *Tac. A.* 3, 53. ℙ Saepe autem margaritam significat. *Ov. A. Am.* 1, 432. Elapsusque cava fingitur aure lapis. *Sen. Here. Oet.* 661. Nec gemmiferas detrahit aures Lapis Eoa lectus in unda; et *Hippol.* 391. nec niveus lapis Deducat aures Indici donum maris. Adde *Hor. Od.* 3, 2, 48., *Sil.* 12, 231. et *Mart.* 11, 50. et V. LAPILLUS. Huc etiam plerique trahunt locum *Catulli* modo allatum. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 80.] ℙ Fuit Romae locus eminens, seu lapideus suggestus, ad quem venales servi prostabant, et a praeconibus proclamabantur. Hinc homo de lapide emptus, scil. abjectus, vilissimus. *Pl. Bacch.* 4, 7, 17. nescis nunc, venire te: Atque in eo ipso astas lapide, ubi praeco praedicat. *Colum.* 3, 3. *med.* Vel de lapide noxium comparare. *Cic. Pis.* 15. Praeter duos de lapide emptos tribunos plebis, *h. e.* pretio corruptos, et quasi mercede conductos. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.*] V. MENSA. ℙ Metonymice *lapis* est spatium mille passuum in viis: quia Romanis singula passuum millia in viis militaribus lapide, seu columella distinguebantur, in qua inscriptum erat, quoto milliario ab Urbe distaret. *Rutil. ib.* 2, 7. Intervalla viae fessis praestare videtur, Qui notat inscriptus millia crebra lapis. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Fundus in Sabinis, qui est ad quartum et vicesimum lapidem, via Salaria, a Roma. *Plin. ep.* 10, 24. *f.* Municipium et agri sunt ultra centesimum et quinquagesimum lapidem. *Plin. alter* 33, 12, 56. Effoditur ad vigesimum ab Urbe lapidem. *Liv.* 5, 4. *f.* Intra vicesimum lapidem. *Tac. A.* 3, 45. Duodecimum apud lapidem. *Just.* 22, 6. Castra deinde in quinto lapide a Carthagine statuit. Al. omittunt *in. Flor.* 2, 6. *med.* Moventi castra a tertio lapide Annibali Deos restitisse; et *f.* Jam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. *Ov. Fast.* 6, 682. Sacra videt fieri sextus ab urbe lapis. [*V. magnam hujus generis copiam exemplorum ap. *Ruddim.* 2, 287. *n.* 52.] ℙ Interdum lapis omittitur. *Tac. H.* 2, 24. Ad duodecimum a Cremona locus Castorum vocatur; et *ib.* 3, 15. Ad octavum a Bedriaco progressus. *Marmor* posuit *Mart.* pro *lapis.* V. MARMOR. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 291.] ℙ Hujusmodi lapidum exempla multa habes ap. *Grut.* p. 153. 154. 155. 156. et 158. ℙ Metaphorice dicitur de homine tardo, stulto, stupido, bardo, ignavo, ut et λίθος Graecis. *Ter. Heaut.* 4, 7, 3. I, quid stas, lapis? quin accipis? et 5, 1, 43. Quot res dedere, ubi possem persentiscere, Ni essem lapis! *Tibull.* 1, 11, 59. Ah lapis est ferrumque, suam quicumque puellam Verberat: [*Adde *Ov. Her.* 10, 50.]. ℙ Per synecdochen. *Hor. Sat.* 1, 6, 116. Coena ministratur pueris tribus, et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet, *h. e.* mensa, vel repositorium ex albo marmore. *Mensam vinariam* intelligit. V. MENSA. ℙ Reperitur et in genere feminino: ad *Homeri* similitudinem, inquit *Non.* 3, 123., qui et ἡ λίθος dixit. *Enn. ib.* Tanto sublatae sunt agmine tunc lapides. ℙ Olim *lapis, is*, declinatum fuit. Hinc in ablat. *lapi* pro *lapide*, ut *Prisc.* 6, 708. docet. *Enn. ib.* Obcumbunt multi leto, ferroque, lapique. ℙ *Lapidorum* pro *lapidum* dixit *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 40. Sed haec jampridem obsolevere. ℙ [*Confund. *lapidibus* et *labibus.* V. h. v. in f.]

LAPITHAE, arum, m. plur. Λαπίθαι, populi Thessaliae circa Olympum montem, et Larissam urbem incolentes: dicti a Lapitha filia Apollinis, teste *Isid. Orig.* 9, 2., qui primi omnium equos domuisse, eorumque frenos et strata invenisse creduntur. Eorum rex aliquando Pirithous Ixionis filius fuit, in cujus nuptiis cum Centauris, Hippodamen sponsam rapere conantibus, certaverunt, quam pugnam graphice describit *Ov. Met.* 12, 210. et sqq. Hinc *Hor. Od.* 1, 18, 8. Ac ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata. *Id. ib.* 2, 12, 5. Lapithae saevi. *Virg. A.* 7, 304. Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit: pro *Lapitharum.* ℙ Confundit hos cum Centauris (nam Thessali omnes fuerunt) *Id. G.* 3, 115. Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere Impositi dorso, etc. simulque docet, sive Centauros, sive Lapithas, primos domandorum equorum rationem invenisse: quod et *Lucan.* 6, 399. confirmat. *Plin.* 7, 56, 57. ubi de rerum inventoribus agit, frenos et strata equorum inventa dicit a Pelethronio: pugnam ex equis a Thessalis, qui Centauri dicti sunt. ℙ In singulari num. *Ov. Met.* 12, 250. Illisit fronti Lapithae Celadontis. *Val. Fl.* 5, 516. His Lapithes adsuerat eques. ℙ In feminino gen. *Prop.* 2, 2, 6. Qualis et Ischomache, Lapithae genus heroinae.

LAPITHAEUS, a, um, adj. ad Lapithas pertinens. *Ov. Met.* 12, 530. O salve dixit, Lapithaeae gloria gentis.

LAPITHEIUS, a, um, ad Lapithas spectans. *Ov. Met.* 12, 670. nec quae Lapitheia movit Proelia.

LAPITHONIUS, a, um, adj. ex stirpe Lapitharum. *Stat. Theb.* 7, 297. Confudere modos, puerum Lapithonia Nympha, etc. Alii leg. *Lapithaona*; accusativus nempe Graecae positionis, nomenque proprium pueri.

LAPPA, ae, f. ξανθίον, tribuli genus, capitula habens leviter hamata, ideoque vestibus adhaerentia: a λαβεῖν, prehendere, quod vestes prehendat. *Virg. G.* 1, 152. intereunt segetes: subit aspera silva, Lappaeque, tribulique. *Ov. Pont.* 2, 1, 14. Mixta tenax segeti crescere lappa solet. Hinc *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 2. eam numerat inter frugum morbos. *Id.* 21, 17, 64. Notabile et in lappa, quae adhaerescit, quoniam in ipsa flos nascitur, non evidens, sed intus occultus, et intra seminat, velut animalia, quae in se pariunt. *Id.* 24, 19, 116. Lappa, quae canaria appellatur. *Id.* 26, 11, 66. *n.* 4. boaria. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 482, 2. T. Pompullius L. F. Lappa. *Juven.* 7, 72. mentionem facit Rubreni Lappae, poetae tragici. *F.*]

LAPPACEUS, a, um, adj. lappae formam habens. *Plin.* 22, 17, 19. de helxine: Semina in capitibus lappaceis adhaerentia vestibus.

LAPPAGO, inis, f. herbae species: a *lappa*, quia lappae similis est: ut *cunilago*, quia similis cunilae. *Plin.* 26, 10, 65. Et lappago similis anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, gravis odoris.

LAPRIUS, ii, m. cogn. Jovis ap. *Lactant.* 1, 22. *med.* Quidam *Elaphrum* intelligunt, secundum *Hesych.* in Creta cultum.

LAPSABUNDUS, a, um, adj. labascens. *Sen. ep.* 52. *med.* Puta duo aedificia excitata esse, ambo paria, aeque excelsa, atque magnifica: alterum puram aream accepit; illic protinus opus crevit; alterius fundamenta lapsabunda; in mollem ac fluidam demissa humum, multumque laboris exhaustum est, dum pervenitur ad solidum. Alii leg. *laxabunda.* Alii rectius leg. *alterum fundamenta laxa habet.*

LAPSANA, ae, f. λαψάνη, et λαψάνη, genus oleris, seu cymae silvestris, pedalis altitudinis, hirsutis foliis, napi simillimis, nisi candidior esset flore. [*Fortasse Sinapis arvensis. *L.*] Coquitur in cibo: alvum lenit, et mollit. Ita *Plin.* 20, 9, 37. ubi inter silvestres brassicas recenset. *Celsus* vero refert inter ea, quae stomacho sunt aliena, 2, 25., et quae urinam movent *ib.* 31. *Varro* inter ea, quae triplicem fructum praebent, *R. R.* 2, 16. *med.*, scilicet cibum, mel, ceram. Creat enim florem apibus amicissimum, ut est ap. *Colum.* 9, 4. *f.* Hic denique inter ea, quae conditura servantur, 12, 7. ℙ Etiam *lapsanium*, ii, n. usurpatur ab *Hieron. in Reg. S. Pachom.* 52. Sed reddere poterit ei, qui attulit, sive lapsania, quod genus herbarum est viliorum, sive panes, sive olera praemordica. ℙ Proverbium est *lapsana vivere* de victu praeparco minimique sumptuoso: quod tangere videtur *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3., ubi narrat exercitum Julii Caesaris inter jocos militares alternis versibus exprobrasse ei, lapsana se vixisse apud Dyrrachium, praemiorum parcimoniam cavillantes. ℙ Sunt qui *lampsana* scribunt, haerendo Graecis litteris.

*LAPSIAS, ae, fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

LAPSILIS pro *Dapsilis* legunt in pluribus MSS. *Plauti Pareus* et *Lipsius antiquar. lect.* 1, 15. V. DAPSILIS. ℙ Est etiam idem ac lubricus. *Gloss. Philox.* Lapsilis; γλίσχρος.

LAPSIO, onis, f. ὄλισθημα, πτῶσις, casus, lapsus, ruina, praecipitium. *Cic. Tusc.* 4, 12. Haec in bonis rebus facilitas nominetur, in malis proclivitas, ut significet lapsionem.

LAPSO, as, n. 1. frequentat. a *labor*: ὀλισθάνω, saepe labor, nutanti incertoque gradu incedo. *Flor.* 2, 10. Cum subinde crapula, et capitis errore lapsaret. *Virg. A.* 2, 551. Priamum trementem, et in multo lapsantem sanguine nati. *Tac. Ann.* 1, 65. Equi sanguine suo, et lubrico paludum lapsantes. *Sil.* 3, 631. tumulis delatus iniquis, Lapsantem dubio devexa per invia nisu Firmabat gressum. ℙ Pro cadere. *Stat. Theb.* 5, 223. Gyan vidi lapsare cruentae Vulnere Myrmidonis. ℙ Translate. *Gell.* 1, 15. Qui sunt leves, et futiles, et importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi, verbis humidis et lapsantibus diffluunt, *h. e.* ultro, et facile ex ore excidentibus.

LAPSUS, a, um, part. a *labor*: πεσών, ὀλισθήσας. [*Cic. Harusp.* 28. Aliquis lapsus de coelo.] *Hor. Sat.* 2, 8, 72. si patinam pede lapsus frangat agaso. *Val. Fl.* 6, 366. Galea lapsa solo insonuit. *Sen. Thyest.* 701. regium capiti decus bis terque lapsum est. *Val. Fl.* 4, 503. de Harpyiis: Hoste novo turbata lues, lapsaeque rapinae Faucibus. *Ov. Fast.* 3, 29. cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos. *Virg. A.* 2, 693. stella de coelo. *Hor. Od.* 2, 19, 11. mella cavis truncis. *Prop.* 1, 3, 23. lapsos formare capillos. et 2, 12, 5. somno lapsi ocelli. *Tac. H.* 4, 22. Lapsus in somnum. *Sen. Hippol.* 361. Lapsae genae. Sic *Suet. Aug.* 99. Malae labentes; et *Stat. Silv.* 3, 5, 39. oculi jam morte cadentes; et *Claud. B. Gild.* 21. Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes, Interius fugere genae. ℙ Translate *Ov. Pont.* 2, 9, 11. Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis, *h. e.* qui statu exciderunt, afflictis, miseris. *Prop.* 1, 1, 25. Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici, Quaerite non sani pectoris auxilium, *h. e.* qui in morbum amoris incidit. *Caes. B. G.* 5, 53. Lapsus spe. *Just.* 20, 4. Populum in luxuriam lapsum, auctoritate sua ad usum frugalitatis revocavit. *Id.* 21, 2. In segnitiem lapsus. *Tac. A.* 4, 6. in adulationem. *Ov. Amor.* 2, 8, 7. verbo lapsus in uno, *h. e.* cui imprudenti verbum unum excidit: vel qui in verbo peccavit. *Lucr.* 2, 176. Lapsus a vera ratione. *Cic. Marcell.* 6. *f.* Boni viri non cupiditate, aut pravitate aliqua lapsi, sed opinione officii, et specie quadam reipublicae; et *Dejot.* 3. Errore communi lapsus; et *Phil.* 7, 6. consilio; et *ib.* 10, 2. inopia verbi. *Suet. Caes.* 56. memoria. *Ulp. Dig.* 27, 8, 1. *med.* facultatibus. *Cic. Off.* 2, 3. in re aliqua. *Suet. Caes.* 48. mente. Sic *Val. Max.* 5, 3. *n.* 2. Lapsae mentis error. *Virg. G.* 4, 449., *Ov. Trist.* 1, 5, 35. et *Sen. Herc. Fur.* 646. Lapsae res, *h. e.* afflictae, accisae, adversae. *Virg. G.* 4, 249. generis lapsi sarcire ruinam. *Plin. Pan.* 18. Disciplinam castrorum lapsam exstinctamque refovisti. *Ov. Her.* 2, 102. Lapsa fides. *Curt.* 6, 2. *in.* Omnia in externum morem lapsa. [*Liv. 9, 12. Samnites inter consilia media lapsi, i. e. qui, dum consulerent, perverso consilio usi sunt.] ℙ Dicitur et de iis, quae descendunt, defluunt, decurrunt, ut aquae, aves, angues, et hujusmodi. *Val. Fl.* 1, 399. anguis lapsus ab arbore. *Ov. Met.* 13, 954. lapsi de montibus amnes. *Val. Fl.* 5, 254. lapsus montibus anguis. *Mart.* 4, 64. Lapsae per Tiberim volant carinae. *Virg. A.* 2, 262. Demissum lapsi per funem; et *G.* 3, 457. ima dolor balantum lapsus ad ossa; et *A.* 7, 374. penitusque in viscera lapsum Serpentis furiale malum. *Tac. H.* 3, 71. *f.* Ignis lapsus in porticus. ℙ Pro elapsus. *Id. A.* 5, 10. Lapsus custodia; et *ib.* 11, 31. *extr.* Seu forte lapsa vox in praesagium vertit. *Curt.* 3, 13. E manibus custodientium lapsus. ℙ De iis, quae sensim, ac tacite praetereunt. *Ov. Trist.* 4, 6, 17. cuncta potest tacito pede lapsa vetustas. *Ulp. Dig.* 3, 2, 6. Lapsa tempora. ℙ Sunt qui scribunt *lassus*: quod in aliquib. MSS. vidisse se, testatur *Pier.* ad *G.* 2, 305. et *ib.* 3, 448., sed improbant *Dausq.* et vulgatior usus. ℙ [*Confund. *lapsus* et *lassus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 695. 3, 623. 7, 840.]

LAPSUS, us, m. idem quod lapsio, prolapsio.

[*Cic. Div.* 1, 11. Atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto, i. e., ut recte expl. *Hotting.*, strues collapsa est, ruina diu ante praestituta.] *Virg. A.* 10, 750. infrenis equi lapsu jacens. *Appul. Met.* 9. Assiduis lapsibus contusa crura. *Plin.* 22, 17, 20. Contra ulcera, rupta, lapsusque. *Id.* 9, 35, 56. Nullo lapsu franguntur. *Id.* 7, 37, 37. Lapsu scalarum exanimatus. *Liv.* 21, 35. *f.* Sustinere se a lapsu. ℙ Translate est error, culpa per imprudentiam admissa, σφάλμα. *Cic. Acad.* 1, 12. Cohibere, et ab omni lapsu continere temeritatem. *Id. Or.* 2, 83. Cum sint populares multi variique lapsus. *Plin.* 5, 1, 1. Haud alius fidei pronior lapsus, quam ubi falsae rei gravis auctor exsistit. ℙ Est etiam cursus, decursus; et dicitur de aquis, stellis, avibus, et hujusmodi. *Cic. Div.* 1, 44. Si lacus emissus lapsu, et cursu suo ad mare profluxisset. *Id. ib. in carm. de suo consul.* 11. Sic stellae certo lapsu, spatioque feruntur. *Virg. A.* 4, 524. medio volvuntur sidera lapsu. *Id. ib.* 3, 243. Harpyiae celeri fuga sub sidera lapsae. *Cic. N. D.* 2, 39. Volucrum lapsus, atque cantus. *Val. Fl.* 1, 91. Deae celeri per aethera lapsu Diversas petiere vias. *Ov. Met.* 8, 163. de Maeandro: ambiguo lapsu refluitque, fluitque. *Colum.* 1, 5. Aqua palustris, quae pigro lapsu repit. *Hor. Od.* 1, 12, 10. rapidos fluminum lapsus morari. *Virg. A.* 2, 225. gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt. *Id. ib.* 7, 349. anguis inter vestes lapsus. *Cic. fr.* ap. *Lactant.* 3, 19. Castos animos, puros, integros levi quodam et facili lapsu ad Deos pervolare. *Id. Sen.* 15. Vitis serpens multiplici lapsu, et erratico. ℙ *Lapsus rotarum* ap. *Virg. A.* 2, 235. sunt ipsae rotae, aut cylindri labentes, quibus subjectis facilius moles aliqua movetur, et traducitur.

*LAPURDENSIS. V. v. sq. *B. A.*

*LAPURDUM, i, n. opp. Galliae Aquitanicae, ad Aturrum flumen, hodie *Bayonne. Notit. Imber.* ℙ Hinc *Lapurdensis*, e, adj. ut *locustae Lapurdenses* ap. *Sidon.* 8, 12. *f. B. A.*

LAQUEAR, āris, n. idem quod *lacunar*, ejusdemque originis, per ἀντίστοιχον. *Virg. A.* 1, 730. dependent lychni laquearibus altis; et *ib.* 8, 25. summi laquearia tecti. *Sen. ep.* 90. Versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula, mutentur. V. LAQUEATUS. *Plin.* 33, 3, 18. Laquearia, quae nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. *Id.* 12, 1, 5. Laetior quam marmorum nitore, picturae varietate, laquearium auro. *Appul. Met.* 5. *in.* Summa laquearia citro et ebore curiose cavata, subeunt aureae columnae. *Claud. B. Get.* 223. Laquearia auro fulta. ℙ *Laquear*, recti casus positio est a *Prisc.* 6, 691. Alii ponunt *laqueare*, alii *laquearium. Virg. Cul.* 62. si nitor auri Sub laqueare domus animum non tangit avarum. In *Gloss. Philox.* Lequear, καλάθωσις; Laqueare, σαγθωμα: Laquearium, ὀροφώσεις, ὀροφή. Hanc postremam habent etiam *Isid. Orig.* 19, 12. et *Sere.* ad c. *A.* 1. Quamvis autem tribus diversis Graecis vocibus reddantur, eae tamen eandem fere significationem habent.

LAQUEĀRIUM, ii. V. v. praec.

LAQUEĀRIUS, ii, m. qui laquearia facit. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Architecti, laquearii, albarii, tignarii, etc. ℙ Item gladiator. V. v. sq.

LAQUĔĀTOR, oris, m. qui laqueum injicit. *Isid. Orig.* 18, 56. fuisse ait gladiatores *laqueatores* dictos, quorum pugna erat ejusmodi, ut adversarium injecto laqueo captare studerent, atque irretitum confodere. Hos Latini *retiarios* dicunt. *Isid.* tamen ab his diversos laqueatores facit, cum de retiariis *ib.* 54. verba faciat. Alii ap. *Isid.* legunt *laquearii.*

LAQUĔĀTUS, a, um, part. a *laqueo*, ἐμπαγησθείς, laqueo irretitus, ligatus. *Col.* 6, 19. *extr.* Ceterum corpus laqueatum et distentum temonibus obligatur. *Paul. Nol. carm.* 20, 74. Fit laqueus laqueatus homo, et sua praeda latronem Decipit. ℙ Item laquearibus ornatus, φατνωτός. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 35. et *Hor. Od.* 2, 16, 11. Tecta caelata, laqueata. *Lucr.* 2, 28. laqueata auratagque templa. *Suet. Ner.* 31. Coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. V. LAQUEAR. *Ov. Fast.* 2, 315. Antra subit tophis, laqueataque pumice vivo.

[LAQUĔO, as, avi, atum, a. 1. παγιδεύω, laqueo irretio. *Manil.* 5, 659. extentis laqueare profundum Retibus, et pontum vinclis arctare furentem. *Grat. Cyn.* 29. cassem Per senos circum usque sinus laqueabis, *h. e.* nectes. *Lact.* ad *Stat. Th.* 11, 644. Erigone se nimio luctus dolore laqueavit. ℙ Translate. *Juvenc.* 1, 537. Si te forte oculi dextri laqueaverit error. Adde *Palaemon.* p. 1384. ℙ Part. *Laqueans* ap. *Manil.* 1, 532. Haec igitur texunt aequali sidera tractu Ignibus in varias coelum laqueantia formas, *h. e.* in modum laquearis coelum conformantia. V. LAQUEAR. *F.*]

LAQUĔUS, i, m. πάγη, βρόχος, vinculum ita nexum, ut pondere magis claudatur. Ducunt a *lax*, quod fraudem significat, teste *Festo* in *Lacit:* unde *lacio*, in fraudem induco. *Virg. G.* 1, 139. Tum laqueis captare feras, et fallere visco. *Phaedr.* 4, 1. mus, Qui saepe laqueos et muscipula effugerat. *Liv.* 1, 26. Duumvir inquit, i lictor, colliga manus: accesserat lictor, injiciebatque laqueum. *Caes. B. G.* 7, 22. Laqueis falces avertebant. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Collum inserere in laqueum. *Sall. Cat.* 58. Laqueo gulam alicui frangere. *Sen. Hipp.* 259. vitam finire. *Ov. Met.* 7, 604. claudere animam; et *ib.* 10, 378. innectere fauces; et *ib.* 6, 132. ligare guttura. *Hor. Ep.* 1, 16, 37. premere collum. *Id. Sat.* 2, 3, 131. aliquem interimere. *Sen. Hipp.* 1086. Implicare laqueo tenaci corpus. *Prop.* 2, 25, 48. in validis laqueis haerere. *Suet. Vit.* 17. Injicere cervicibus laqueum. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Quempiam ad laqueum compellere. [*Inscr.* ap. *Orell.* 4404. Quei sibi laqueo manus attulissent.] ℙ Translate est fraus, insidiae. *Ov. A. Am.* 3, 591. Captus late est fraus, insidiae. *Ov. A. Am.* 3, 591. Captus amator cadit in laqueos; et *ib.* 2, 595. rivali laqueos disponere. ℙ Et universim quidquid capere potest, et constringere. *Cic. Mil.* 15. *med.* Cum illam belluam, judicii laqueos declinantem, jam irretitam teneret. *Id. Cluent.* 55. Laquei legum, et conditionum, ac judiciorum. *Plin. ep.* 2, 8. Numquam ne hos arctissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? *h. e.* occupationes, negotia. ℙ Praesertim vero captiosum argumentum, aut verbum. *Cic. Or.* 1, 10. *med.* Stoici disputationum suarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. *Id. Fat.* 4. Ad Chrysippi laqueos revertamur. *Id. Caec.* 29. Verbi laqueo capere. *Quint.* 5, 10. *med.* In laqueos inexplicabiles incidere. *Plin. ep.* 1, 5. Involvere se laqueis insidiosae interrogationis. *Gell.* 13, 10. Enodare laqueos juris.

LAR vel Lars, tis, m. praenomen civis Romani, aut Tusci. *Liv.* 3, 64. Lar Herminius consul. *Id.* 4, 17. Ad Lartem Tolumnium, Vejentium regem. *Id.* 2, 9. Ad Lartem Porsenam Clusinum regem perfugerant. Adde 4, 58. ℙ Alii docent, ductum esse a Laribus, et Tuscum praenomen esse. Ita *Auct.* libelli *de nominib. et praenominib.* etc., qui a nonnullis *Valerio Max.* tribuitur. *Charis.* 1, 110. et *Prisc.* 5, 645. Lar, quando significat χαριστήριον Θεόν, Laris facit genitivum: sin autem imperatorem Vejentum, Lartis. ℙ De Deo domestico V. LARES. ℙ De signo coelesti, V. ARA.

LĂRA, ae, et Lārunda, ae, f. una Naiadum Tiberis, filia Almonis. Cum Jupiter Juturnam amaret, illique vim pararet, Lara admonuit Juturnam de Jovis insidiis; insuper Junonem adiit, et Jovis amorem narravit. Juppiter Larae linguam eripuit, (hinc Dea muta appellata est) et jussit a Mercurio ad Inferos adduci, et Stygiae paludis Nympham esse. Mercurius in itinere eam compressit. Illa gravida facta geminos peperit, qui a nomine matris Lares dicti sunt, et a Romanis tanquam compitorum praesides, et urbis Romae custodes, seu patroni culti. Ita *Ov. Fast.* 2, 585. et sqq. *Id. ib.* 599. Forte fuit Nais, Lara nomine: prima sed illi Dicta bis antiquum syllaba nomen erat Ex vitio positum (*h. e.* Lala, nempe a loquacitate: quasi a λαλέω, loquor: subdit enim *Ov.* saepe illi dixerat Almo: Nata tene linguam: nec tamen illa tenet. *Varr.* tamen *L. L.* 4, 10. *f. Laram* et *Larundam* Sabinas voces esse, docet.) *Lact.* 1, 20. *med.* Quis cum audiat Deam mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares: et ipsam Laram nominant, vel Larundam. *Auson. monosyllab. de Deis* 9. Nec Genius domuum Larunda progenitus, Lar. Hic *Auson.* licenter primam in *Larunda* produxit.

LĂRĀLIA, ium, n. plur. dies festi in honorem Larium. In *vet. Kalendario Maffaeor.* ap. *Grut.* 133. in mense Decembri legitur LAR. NP., quod perperam quidam interpretati sunt LAR*alia* Ne*fastus* Pr*imo*, cum potius LAR*entalia* legendum sit; quam vocem vide.

LĂRĀRĬUM, ii, n. ἱδρύσιον, sacrarium domesticum, locus, in quo Dii tutelares domus reponebantur, et adorabantur: a *Lare* vel *Laribus.* Scribit *Lampr. de Alex. Sever.* 29. et 31. eum in lararío suo sanctiore et majore rem divinam matutinis horis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum, et Christum: in secundo Lararío habuisse simulacrum Virgilii, et Ciceronis, et aliorum. Sic L. Vitellius Auli Vitellii Imp. pater, Narcissi, et Pallantis imagines aureas inter Lares coluit, uti narrat *Suet. Vit.* 2. *extr.*

*LARBASON, i, n. stibium. *Plin.* 33, 6. *B. A.*

*LARCIUS, i, m. Λάρκιος, nomen Romanum, ut T. Larcius, de quo *Cic. de re publ.* 2, 32. ed. *A. Maio.* V. *Maium* ad l. *B. A.*

LARDĂRĬUS, ii, m. qui lardum vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 4. L. Nefinius Potiti L. Primus lardarius. ℙ [*Lardarium, ii*, est lardi frustum. *Not. Tir.* p. 161. Lardum, lardaria. Itali dicunt *lardelli. F.*]

[LARDĬO, onis, m. dimin. lardi. Est nomen unius ex septem testibus, qui subscripserunt testamento M. Grunii Corocottae Porcelli, ap. *Grut.* inter spuria p. 18., de quo V. in BUBULARIUS. *F.*]

LARDUM V. LARIDUM.

*LARENDĀNI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

LĂRENTĀLIĂ et Larentinalia, ium, n. plur. feriae in honorem Accae Larentiae vel Larentinae, cui pontifices in Velabro X. Kal. Januar. sacrificabant: ut constat ex *Cic. ad Brut.* 1, 15. et *Kalendar. Maffaej.* et *Praenestin.* ap. *Fogginium* in *Fast. Verrii Flacci* p. 116. *Ov. Fast.* 3, 55. Non ego te tantae nutrix Larentia gentis, Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes. Vester honos veniet, cum Larentalia dicam: Acceptus geniis illa december habet. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* Feriae publicae Larentinae: is dies, quem quidam in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentina nominatur, cui sacerdotes nostri publice parentant; et hinc alii eum diem dicunt parentalia Accae Larentinae. Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accae. Ita locum emendat *Fogginius l. c.* p. 81. *Lact.* 1, 20. Hujus (*Larentinae*) nomini etiam dies festus dicatus est, et Larentinalia constituta. ℙ Quidam etiam *Laurentalia* vel *Laurentinalia* perperam scribunt.

LĂRENTĬĂ. V. ACCA.

*LARES, is, Λάρης *Ptol.*, opp. Numidiae. *Sall. B. Jug.* 90. (al. 95.) Ad oppidum Laris, ubi *Laris* (Lares) pro accusativo sumit *Cort. Ant. Itin.* et *August. adv. Donat.* 6, 28. est *Laribus colonia;* ut patrius casus videatur esse τὸ *Laris* ap. *Sall.*, nempe a recto *Lar. B. A.*

LĂRES, ium, et um, m. (in sing. num. *Lar, ăris*) duo filii Larae, seu Larundae Nymphae, qui compita, et vicos servare, et pro Urbis conservatione vigilare putabantur. *Ov. Fast.* 2, 615. de Lara: Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant, Et vigilant nostra semper in Urbe Lares. ℙ De origine vocis ita *Arnob.* 3, 124. Lares arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quod Graeci vicos cognominant λαύρας: (λαῦρα, vicus, platea, a λαῦρος, latus.) Alii vero putant, Etruscam esse vocem, quae principem et praesidem significat. ℙ De ipsis vero Laribus non una est opinio. Nam praeter eos, qui Larae duos filios fuisse dicunt, ut modo positum est; alii putant eosdem esse cum manibus, alii tres Idaeos Dactylos, Damnameneum, Acmonem, Celmonem: alii aerios Deos et Heroas, alii larvas, hoc est genios, et functorum animas mortuorum. *Diomed.* 3, 475. et *Arnob. l. c.* V. LARVA. ℙ Omnium aedium ac familiarum Dii erant, iisque focus peculiariter sacer erat; et praeterea apud ditiores sacrarium habebant (V. LARARIUM), in quo eorum sigilla servabantur. Sacra iis fiebant publice quidem in compitis, nam, teste *Plin.* 36, 27, 70., rex Servius Tullius Laribus compitalia et ludos primus instituit. V. COMPITALIS. Augustus vero, ut affirmat *Suet. Aug.* 31., instituit, ut compitales Lares bis anno vernis et aestivis floribus colerentur, *h. e.* Kal. Maji, ut constat ex *Ov. Fast.* 5, 130., et V. Kal. Jul., ut probat *Fogginius* ad *Verr. Fl. Fast.* p. 119. Idem Augustus an. U. C. 747. (quod multis confirmat *Marinius* in *ep.*, quam *Viscont.* inseruit *Mus. Pio-Clem.* T. 4. p. 298. *ed. Mediol.*) spatium Urbis in regiones, vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cujusque viciniae lecti, ut ait *Suet. Aug.* 30., qui magistri vicorum, seu vicomagistri sunt appellati. Hi vero Lares et *Augusti*, et *publici*, et *compitales*, et *viales*, et *praestites* cognominati sunt. ℙ Ex urbe Roma Larum cultus etiam in municipiis et coloniis in Italia, et in provinciis invaluisse videtur ex Inscriptionibus, quae passim repertae sunt, ut in Hispania ap. *Mur.* 1990, 5. C. Marcius *Apilus* magister Larum Augustorum, et Genii Caesaris Augusti. Alia Celejae ap. *Grut.* 107, 6. Genio Aug., et Laribus. Aliam vide in V. DOMINUS, quae Patavii exstat. ℙ Erant praeterea Lares urbium, agrorumque, habiti custodes et praestites omnium locorum, quae ab hominibus incolerentur. *Pl. Aul. prol.* 2. Ego sum Lar familiaris, ex hac familia, Unde exeuntem me aspexistis. *Id. Merc.* 5, 1, 5. Dii Penates meum parentum, familiaeque Lar pater, Vobis mando, meum parentum rem bene ut tutemini: Ego mihi alios Deos Penates persequar, alium Larem; et 5, 2, 24. invoco Vos, Lares viales, ut me bene juvetis. *Tibull.* 1, 1, 23. Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri Custodes, fertis munera vestra, Lares. ℙ Quod Penates et Lares distinguit *Pl. cit. Merc.* 5, 1., in eo discrimen est, quod Lares communes erant omnium aedium, et vulgo ab omnibus colebantur: Penates erant singularum proprii, quos sibi quaeque familia custodes tutoresque adsciscebat. Laribus in foco, Penatibus in atrio, aut interiore aedium parte sacra fiebant. Lares denique in compitis quoque ac vicis, Penates domi solummodo colebantur. Haec tamen discrimina non ubique certa sunt. ℙ Eorum signum cum ara in compitis constituebantur antiquitus Kal. Maji cum cane ante pedes, quia, ut ait *Ov. Fast.* 5, 134. Servat uterque domum: domino quoque fidus uterque: Compita grata Deo, compita grata cani. Exagitant et Lar, et

turba Diania fures. Horum effigiem videre est in nummo gentis Caesiae ap. *Morell. Num. Famil.* ℙ Illud vero paulo immutatum fuisse videtur ab Augusto, cum vicis omnibus eos colendos proposuit; tunc enim praeter geminos Lares lauro coronatos, tunicis alticinctis velatos, et cornu manu tenentes, adstabat etiam Genius Augusti, ut videre est ap. *Viscont. l. c. tab.* 45. Hinc *Ov. Fast.* 5, 145. Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos, Urbs habet; et vici numina trina colunt. ℙ Praeter focum in privatis aedibus, et aram in compitis, etiam aedem Romae habuere in summa sacra via ab Augusto conditam, ut constat ex *monum. Ancyrano*, et *Ov. Fast.* 6, 791. V. infra. ℙ Laribus sacra fiebant ture, floribus, mola salsa, horna fruge, agna, porca, vitula. Testimonia habes apud *Hor. Od.* 3, 23. et *Sat.* 2, 3, 164., *Tibull. l. c.* et *ib.* 3, 34., *Pl. Aul.* 2, 8, 15., *Fest.* in *Donaticae*, *Suet. Aug.* 31. etc. ℙ De *Laribus marinis* V. PERMARINUS. ℙ Per metonymiam Lares ponuntur pro aedibus, atque etiam pro patria urbe. *Sall. Cat.* 21. Illos binas aut amplius domos continuare: nobis larem familiarem nusquam ullum esse? *Hor. Od.* 1, 12, 43.. avitus apto Cum lare fundus. *Ov. Trist.* 1, 3, 30. Capitolia cernens, Quae nostro frustra juncta fuere lari. *Id. Fast.* 1, 478. Deserit Arcadium, Parrhasiumque larem. *Mart.* 11, 82. Lar conductus; et 1, 77. Flacce, Antenorei spes, et alumne Laris, *h. e.* urbis Patavii. *Sen. Med.* 20. per urbes erret ignotas egens, Exsul pavens, invisus, incerti Laris. ℙ De nido avium. *Val. Fl.* 4, 44. Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi Cum rapit alcyones miserae fetumque laremque. ℙ Genitivus plur. est *Larum* et *Larium:* sed illud frequentius. *Cic. N. D.* 3, 25. Fanum Orbonae ad aedem Larum. Al. leg. *Larium. Id. Leg.* 2, 8. Lucos in agris habento, et Larum sedes. Al. *Larium.* *Liv.* 40, 52. Dedicavit aedem Larium Permarinum. *Varr. L. L.* 4, 8. Lucus Larum. *In monum. Ancyrano* apud *Grut. tab.* 4. p. 232. Aedem Larum in summa sacra via. [*Probe hujus loci augendi curam gessit *F.*]

LARGĒ, adj. *δαψιλῶς, εὐπόρως*, copiose, abunde, liberaliter. *Cic. Mur.* 4. *f.* Quod dandum est amicitiae, large dabitur a me. *Sall. Cat.* 16. Plerique Sullani milites largius suo usi. *Hor. Od.* 1, 9, 5. ligna super foco Large reponens. *Hirt. B. Alex.* 1. *extr.* Aquam large praebere. *Plin. ep.* 9, 2. Varietas rerum largissime suppetit. *Phaedr.* 2, 6. Large dapem dividere cuipiam. *Cic. Verr.* 2, 1, 61. Cujus mihi copiam quam largissime factam oportebat. *Id. Rosc. Am.* 8. *f.* Large effuseque donare. *Suet. Dom.* 21. Convivari frequenter ac large. *Cic. Verr.* 2, 3, 88. Large liberaliterque aestimare. *Id. N. D.* 2, 47. Pastum animantibus large et copiose natura comparavit. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. *f.* Large atque honorifice promittere. *Pl. Aul.* 2, 2, 19. Nemini credo, qui large blandus est dives pauperi. *Colum.* 8, 14. *f.* et *Plin.* 10, 34, 52. Large bibere. *Id.* 12, 14, 32. Deos adorare, *h. e.* nulla turis parcimonia adhibita. *Id.* 7, 50, 51. Quibus *(vita)* largissime contigit; et 5, 17, 15. Large frequentare locum aliquem; et 21, 10, 31. Thymum large florescens. *Hor. Ep.* 2, 2, 215. Largius aequo. *Gell.* 4, 17. *f.* l litteram, quae in vocabulo quoque gemina esse debet, paulo uberius largiusque pronunciabat, *h. e.* majore et longiore sono. *Tac. A.* 6, 15. Senatusconsultum large factum. ℙ Pro facile. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 7. Juxta oleam seri ficum jubet, non ampliore intervallo, quam ut contingi large possit ramo oleae quam maxime sequaci, atque obedituro. ℙ Pro late, ut videtur. *Id.* 2, 11, 8. Sol montem Idam exoriens dextra laevaque large amplectens. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 3. Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem foeni large onustam transmitteret. *Pall.* 1, 30. Anseribus large vagandi licentia prohibetur.

LARGĬĀNUS, a, um, adj ad Largum pertinens, cogn. C. Caecinae consulis ordinarii an. U. C. DCCXCV. una cum collega Cornelio Lentulo Lupo qui fortasse Kal. Mart. suffectus fuit Claudio Aug., ut probat *Barpt. Borghesius* in *Osserv. numism. dec.* 9. *n.* 6. Hinc *Largianum senatusconsultum* de libertorum successione, cujus meminit *Imp. Justin. Inst.* 3, 7. *f.* et *Cod.* 7, 6. §. 12. Haec autem habet *Cajus Inst.* 3. (ed. it. *Goesch.*) §. 63. Postea Lupo et Largo consulibus senatus censuit, ut bona Latinorum primum ad eos pertinerent, qui eos liberassent; deinde ad liberos eorum non nominatim exheredatos, uti quisque proximus esset: tunc antiquo jure ad heredes eorum, qui liberassent, pertinerent.

LARGĬFĬCUS, a, um, adj. copiosus, abundans. *Lucr.* 2, 627. Stipe largifica aliquem ditare.

LARGIFLŪUS, a, um, adj. large et abundanter fluens. *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Grando mixta imbri largifluo, subita et praecipitans cadit. *Lucr.* 5, 597. Largifluus fons.

LARGĬLŌQUUS, a, um, adj. *πολυλόγος*, large loquens, multiloquus, verbosus. *Pl. Cist.* 1, 2, 2. quae ubi saburratae sumus, Largiloquae extemplo sumus: plus loquimur, quam sat est. *Id. Mil.* 2, 3, 47. Nonne tibi istam praetruncari linguam largiloquam jubes?

[LARGĬMENTUM, i, n. idem ac largitas. *Fulg. Myth. praef.* 1. Quae ampliora eveniunt, non hominis, sed divinum est largimentum. *F.*]

LARGĬO. V. v. sq.

LARGĬOR, iris, itus sum, dep. 4. *προτίμαι, χορηγέω*, large praebeo: item simpliciter, dono: a *largus*. *Cic. Rosc. Com.* 10. Largitus est scilicet homo liberalis et dissolutus, et bonitate affluens Fannius Roscio. *Id. Quint.* 2. Hortensio summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. *Id. Har. resp.* 25. Utrisque secunda fortuna regnum est largita, adversa mortem. *Hor. Ep.* 2, 1, 15. Largiri honores alicui. *Tac. A.* 16, 11. pecuniam in servos; et *ib.* 1, 28. agros emeritis. *Mart.* 5, 19. opes veteri fidoque sodali. *Pl. Pers.* 2, 3, 13. Amico homini mea ex crumena largiar. *Caes. B. G.* 6, 23. Gallis autem propinquitas, et transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam, atque usus largitur. *Hirt. B. Afr.* 87. *extr.* De sua pecunia largitus est. *Cic. Fam.* 3, 8. *f.* Cum natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior. *Id. Balb.* 22. Largiri civitatem. *Id. Leg.* 3, 17. libertatem istam populo, ut, etc. *Pl. Amph.* 1, 1, 155. coenam esurientibus. ℙ Non raro de iis dicitur, qui pecuniam donant corrumpendi causa, et coemendorum suffragiorum, unde *largitio. Sall. Cat.* 39. Senatum criminando, plebem exagitare, dein largiundo et pollicitando magis incendere. *Id. Jug.* 13. Quemcumque possint largiundo parare, ne cunctentur. *Liv.* 3, 1. Largiendo de alieno, popularem fieri. ℙ Translate. *Just.* 6, 7. Tanto patriae, et penatium conspectus praesentia, quam recordatione sui, majores spiritus largiuntur. *Pl. As.* 5, 2, 82. Istoscine patrem aequum mores est liberis largirier? *Id. Mil.* 4, 6, 28. Tu te vilem feceris, si te ultro largiere, *h. e.* te offeres, copiam tui facile et saepe facies. *Cic. Or.* 1, 15. *med.* Duo illa relinquamus: idque largiamur inertiae nostrae. Sic *Fam.* 5, 12. Amori nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare. *Tac. A.* 3, 70. Sane lentus in suo dolore esset: reipublicae injurias ne largiretur, *h. e.* remitteret, condonaret. *Plin.* 2, 23, 21. Largiri cuipiam occasionem impudentiae, *h. e.* praebere. *Pl. Capt.* 4, 2, 49. laetitiam alicui. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Si largiatur crassitudo. Sic *Colum.* 5, 9. *med.* Si tempus non largitur. *Scaevola Dig.* 35, 2, 25. Reditus largitur annuam praestationem. *Cic. Sen.* 23. Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam. *Virg. A.* 10, 493. Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est, Largior. ℙ *Largibor* in futuro pro *largiar:* quod in verbis quartae prisci factitarunt. *Pl. Bacch.* 4, 7, 30. Libertatem Chrysalo largibere. ℙ Et *largibar* pro *largiebar. Prop.* 1, 3, 25. largibar munera somno. ℙ Etiam *largio* dictum fuit olim, positione activa. *Accius* ap. *Non.* 7, 19. Benigne, et pro beneficio largito, atque ampliter. *Lucil. ib.* Quod viscus dederas tumidum, hoc in viscera largi, *h. e.* largito. Confirmat haec *Prisc.* 8, 797. Hinc *largitus* passiva significatione. *Tibull.* 4, 1, 129. Cum largita tuis sunt muta silentia votis. ℙ Hinc *Inlargio, is*, et *Dilargitus:* quae v. *ss. ll.*

LARGĪTAS, atis, f. *μεγαλοδωρία*, largitio, liberalitas. *Ter. Heaut.* 3, 1, 31. Vehemens in utramque partem et nimis, Aut largitate nimia, aut parcimonia. (Adde *Adelph.* 5, 9, 28. *Cic. Brut.* 4. Ut impendiis augere possimus largitatem tui muneris. *Id. N. D.* 2, 62. Terra fruges cum maxima largitate fundit. *Macr. Sat.* 7, 3. *med.* Aliquem continua largitate ditare.

LARGĪTER, adv. *δαψιλῶς*, large, abunde, valde, affatim. *Caes. B. G.* 1, 18. Dumnorigem non solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter posse. [*Gr. *πλεῖστον δύνασθαι.*] *Brut. ad Att. inter ep. ad Brut.* 1, 17. Persuade tibi, de voluntate mea propria nihil esse remissum, de judicio largiter. *Pl. Truc. a.* 5 *v.* 11. Opus nutrici, utrem ut habeat veteris vini largiter. *Hor. Sat.* 1, 4, 132. fortassis et istinc Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus, Consilium proprium. [*V. *Heindf.*] *Pl. Ep.* 3, 4, 49. argentum stulte datum Reor, atque peccatum largiter. *Suet.* in *Vita Lucani*, *f.* Largiter epulatus. *Id. Aug.* 89. Largiter praestare alicui. *Hirt. B. Afr.* 72. *f.* Ut jumenta bestiarum odorem, stridorem, speciem non reformidarent, largiter erat consecutus, etc. *Lucr.* 6, 1110. facies hominum distare videntur Largiter. ℙ Interdum vim habet substantivi. *Pl. Rud.* 4, 4, 144. Credo, illic inesse auri et argenti largiter; et 5, 2, 28. Largiter mercedis indipiscar. *Appul. Apol.* Largiter aquae superest mihi.

LARGĪTĬO, onis, f. *δώρημα, δαψιλής, χορηγία*, actus largiendi, distributio donorum, liberalitas. *Caes. B. C.* 1, 39. *extr.* Duas res consecutus est, quod pignore animos centurionum devinxit, et largitione redemit militum voluntates. *Auct. B. H.* 1. *f.* Ut ex ejus pecunia latronum largitio fieret, *h. e.* in latrones. *Hirt. B. Alex.* 4. Largitionem in milites auget; et *Caes. B. C.* 3, 31. *extr.* Maximas largitiones fecere. [*Liv. 25, 2. Largitio aedilitia: (de ludis ab aedilibus edi solitis munerum nomine).] ℙ *Largitiones* imperatorum tempore sunt fiscus, seu aerarium principis, ex quo scilicet congiaria populo distribui solebant. Hinc *Impp. Constant. et Constans Cod.* 7, 62, 21. Triginta auri pondo largitionibus nostris cogatur inferre. *Imppp. Valentin., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 9, 21, 7. Quidquid ex auro hominum privatorum in monetis publicis repereris figuratum, id omne nostris scias largitionibus vindicandum. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 10, 23, 2. Sacrarum vel privatarum largitionum palatina officia. ℙ Saepe *largitio* in malam partem accipitur pro distributione pecuniae, quae fit ad aucupandum favorem in petitione honorum, et ad benevolentiam conciliandam potentiae comparandae causa. *Cic. Or.* 2, 25. De ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere. *Id. Planc.* 15. Tribum turpi largitione corrumpere. *Caes. B. G.* 1, 9. Dumnorix gratia et largitione apud Sequanos plurimum poterat. *Liv.* 4, 48. *med.* Largitione pessimi exempli seditionem concire. *Sall. Cat.* 3. Pro pudore, abstinentia, virtute; audacia, largitio, avaritia vigebant. *Id. Jug.* 18. *extr.* Largitio famosa et impudens. *Vell.* 2, 20. Corrupti spe largitionis milites. *Nep. Milt.* 6. Populus largitione magistratuum corruptus. *Id. Amilc.* 3. Largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium. *Just.* 1, 9. Regnum, quod fraude quaesierant, indulgentia et largitionibus confirmant. *Suet. Caes.* 13. Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione. ℙ Item universim pro quacumque prodigentia. *Sen. Ben.* 1, 2. Nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est. ℙ Est etiam concessio. *Cic. Balb.* 13. *med.* Nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio et communicatio civitatis. ℙ Item administratio. *Cic. Mur.* 20. In jure dicundo gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam aequitatis largitio.

LARGĪTĬONĀLIS, e, adj. ad largitiones, seu fiscum principis pertinens, ut *Largitionales officiales*, qui eum fiscum curant, *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 12, 6, 13. Adde *ib.* 8, 7, 6. etc. ℙ *Largitionalis, is*, absolute est largitionum minister. *Vopisc. Carin.* 19. Cum ei *(Diocletiano)* quidam largitionalis suus editionem Cari laudaret, etc.

LARGĪTOR, aris, dep. 1. frequentat. a *largior. Pl. Trin.* 3, 3, 14. Ex ea largitari te illi, etc.

LARGĪTOR, oris, m. *μεγαλόδωρος*, qui libenter, et multa donat. *Liv.* 6, 16. *med.* Seditionis leniendae causa, postulante nullo, largitor voluntarius repente senatus factus; et *ib.* 2. *f.* Praedam militi dedit, quo minus speratam a minime largitore duce, eo militi gratiorem. *Sil.* 7, 164. Bacche, sacri largitor laticis. Adde *Liv.* 9, 42. ℙ Interdum in malam partem sumitur pro eo, qui per ambitum pecunia coemit suffragia et favorem multitudinis, ut in LARGĪTĬO, dictum est. *Cic. Off.* 1, 19. Exsistunt in republica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur, et sint vi potius superiores, quam justitia pares. *Id. Cat.* 4, 5. Lentulum largitorem et prodigum non putat, cum de pernicie populi R. tam crudeliter cogitarit.

LARGĪTŪDO, inis, f. largitas. *Charis.* 1, 78. Largitudo nusquam invenitur, nisi apud Nepotem.

LARGĪTUS, adv. largiter, affatim. *Afran.* ap. *Non.* 11, 44. Quid lacrymas? largitus proloquere.

LARGĪTUS, a, um, part. a *largior.* Translate. *Sil.* 15, 724. totas largitus habenas Livius acer equo. ℙ Passive usurpatum V. in LARGIOR.

LARGĪUSCŪLUS, a, um, adj. aliquantum copiosus, largus. *Solin.* 7. Galactites subnexus parvulis, largiusculos haustus facit salivarum.

LARGUS, a, um, adj. *εὔπορος, δαψιλής*, copiosus, abundans, amplus, multus. Dictum putant, quasi *λάεργον*, a *λᾶ*, valde, et *ἔργον*, res: alii a *λαῦρος*, copiosus. *Cic. N. D.* 2, 19. Cum sol terras larga luce compleverit. *Virg. A.* 12, 721. sanguine largo Colla, armosque lavant; et *ib.* 6, 699. largo fletu ora rigare. *Id. G.* 2, 390. largo pubescit vinea fetu; et *ib.* 3, 308. largi copia lactis; et *ib.* 1, 23. Largus imber. *Ov. Fast.* 4, 617. Larga messis. *Id. A. Am.* 3, 408. Largae opes. *Id. Met.* 4, 758. Largi odores. *Tac. A.* 1, 31. Largiora stipendia exposcere. *Suet. Tit.* 7. Munus edidit apparatissimum, largissimumque. *Hor. Sat.* 1, 8, 44. Largior ignis ardet. *Petr. Sat.* 82. Largiore cibo excitare vires. *Lucr.* 4, 892. Largus aer penetrat foramina. *Liv.* 40, 14. Die festo inter aequales largiore vino uti. *Val. Fl.* 4, 551. Largus honor, *h. e.* amplus, multa oris dignitas. *Plin.* 11, 39, 94. Pili equis in juba largi, in armis leoni. *Lucr.* 5, 156. Quae tibi posterius largo sermone probabo. *Pl. Asin.* 2, 2, 24. Largior lingua. *Plin.* 34, 14, 43. Metallorum omnium vena ferri largissima est. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 11, 338. Largus opum. Ubi *Servius:* abundans, dives: non qui multa donaret. *Lucan.* 9, 608. fons largus aquae. *Mart.* 8, 70. Cum siccare sacrum largo Permessida posset Ore, verecundam

maluit esse sitim, *h. e.* amplo et facundo ob divitem venam carminum. [*Sil.* 7, 601. Largus comae; et 8, 250. largus rapinae.] ℙ Cum ablat. *Plin.* 25, 13, 102. Folia carnosa, pinguia, largâ succo. ℙ Est etiam liberalis, profusus, pronus ad donandum. *Cic. Off.* 2, 16. Duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. *Id. Verr.* 2, 3, 50. Si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura uteretur. *Pl. Asin.* 3, 3, 8. Audin' tu hunc, opera ut largus est? *h. e.* facile pollicens operam suam. *Tac. H.* 2, 59. Vir largus animo, et par opibus; et *ib.* 3, 58. Largus promissis. *Sil.* 8, 250. largusque rapinae, *h. e.* de alieno largiens; et *ib.* 15, 498. Poenus mercandi dextras largus, *h. e.* facilis et largus in conducendis militibus. *Stat. Th.* 3, 603. largusque animae, modo suaserit ira, *h. e.* vitam facile periculis objiciens, vitae prodigus. *Lucan.* 7, 225. et largus *habenae* Ponticus ibat eques, *h. e.* qui equitando solet equo habenas laxare. Al. leg. *habenis*: al. *habena*. Ita *Sil.* 7, 696. Ferrata calce, atque effusa largus habena Cunctantem impellebat equum. Sic 15, 724. totas largitus habenas Livius acer equo. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 4, 12, 19. Spes donare novas largus. ℙ Fuit cognomen familiae Romanae non unius. De horum uno *Ov. Pont.* 4, 16, 17. Ingeniique sui, dictus cognomine Largus, Gallica qui Phrygium duxit in arva senem. Ap. *Tac. A.* 11, 33. legitur P. Largus Caecina. V. LARGIANUS.

LĀRIDUM, et per syncop. Lardum, i, n. 2. caro suilla cum suo pingui sale condita et siccata: item ipsum pingue. *Macr.* dici putat, quasi *large aridum*. Ejus verba sunt *Sat.* 7, 12. Saepe apposita salita carne, quam laridum vocamus, ut opinor, quasi large aridum, quaerere mecum constitui, qua ratione carnem, ad diuturnitatem usus, admixtio salis servet. *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! *Hor. Sat.* 2, 6, 85. semesaque lardi Frusta dedit. *Ov. Fast.* 6, 169. Pinguia cur illis gustentur larda calendis. *Mart.* 5, 78. Et pallens faba cum rubente lardo. *Juven.* 11, 84. Et natalicium cognatis ponere lardum. *Plin.* 28, 16, 65. Lardum elixum, atque circumligatum mira celeritate ossa fracta solidat. *Pall.* 13, 6. Pernas etiam et lardum conficimus non solum mense hoc, sed omnibus, quos hiemalis algor adstringit. ℙ Adjective *laridus, a, um*, usurpatur ab *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 8, 4, 17. Pro octoginta libris laridae, pro octogenis etiam libris olei, et pro duodenis modiis salis singuli solidi proferantur.

LĀRIFŪGA, ae, m. et qui Lares suos deserit, erro, vagabundus. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* Larifuga nescio quis, non valet lotium suum.

LĀRIGNUS, a, um, adj. πεύκινος, qui est ex larice. *Vitr.* 2, 9. *f.* Larigna materies.

LĀRĪNAS, atis, m. et f. qui est ex oppido Larino, nunc quoque *Larino*, quod est in finibus Apuliae in Frentanis. *Cic. Cluent.* 7. Larinas socrus Oppianici. *Sil.* 8, 404. Ac Larinatum dextris socia hispidus arma Commovet, etc. *Plin.* 3, 11, 16. Larinates cognomine Frentani. *Sil.* 12, 174. Larinatia signa. *Cic. Cluent.* 13. In foro Larinatium.

*LARĪNE, es, f. fons in Attica. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

[LĀRĪNUS, i, m. λαρινός, saginatus, pinguis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 849, 3. M. Aurelius M. F. Ulp. Larinus. *F.*]

[LĀRISCŌLUS, i, m. qui Lares colit. Est cogn. R. in nummo gentis Accolejae ap. *Morell. Fam. Rom.* P. Accolejus Lariscolus. Ita vocem interpretatur *Barpt. Borghesius* in *Osserv. numism. dec.* 7. *n.* 10., quia ipse ejusdem nummi exemplar habet, in quo Larlscolus ἀρχαϊζῶς pro *Lareiscolus* legitur, tum quia tres effigies in postica parte exstantes non Phaethontiadas, sed Nymphas Querquetulanas, luco Larum praesides, referre putat, quod confirmat altero nummo ap. *Fr. Neumannum* in *Numi vet. pop. et reg. P.* 2. p. 188. *tab.* 7. *n.* 17., qui caput Augusti in antica, et easdem Nymphas in postica refert; Augustus enim, ut est in *Monum. Ancyrano*, aedem Larum in summa sacra via fecit. V. QUERQUETULANUS. ℙ *Eckhel.* vero *D. N. V.* T. 5. p. 118. putat, hic repraesentari tres Heliades, quae non in populos, aut in alnos, ut plerique perhibent auctores, sed in larices transformatae fuerint, iisque alludi ad Accoleji cognomen, quod ille *a laricibus colendis* derivat, quam tamen derivationem improbat idem *Borghesius l. c.*, quia a laricibus colendis *Lariciscolus* diceretur: illud insuper animadvertit, circa ripas Padi populos quidem et alnos, nusquam vero larices viguisse. V. LARIX. ℙ At *Aloys. Lanzius* in *Sagg. di ling. Etr.* T. 2. p. 283. arbitratur, *Lariscolus* pro *Larisculus* esse diminutivum Laris; nam si a *Lare colendo* deducatur, *Lariscola*, ut *Poplicola* a *populo colendo*, dictus fuisset. *F.*]

[LĀRISCUS, i, m. dimin. a λάρος, larus, gavia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 4. M. Ballonius M. L. Lariscus. *F.*]

LĀRISSA, ae, f. Λάρισσα, urbs Thessaliae mediterranea, in confinio Macedoniae, ad Peneum fluvium. *Plin.* 4, 8, 15. et *Mela* 2, 3. *Hor. Od.* 1, 7, 11. Larissae campus opimae. *Lucan.* 6, 355. Atque olim Larissa potens. ℙ *Larissa alia, in Phthiotide, dicta et Cremaste. *Liv.* 31, 46. Larissam, non illam in Thessalia nobilem urbem, sed alteram, quam Cremasten vocant, subito adventu, praeter arcem (*legatus*) cepit. *Straboni* est ἡ Κρεμαστὴ Λαρισσά; qui et *Pelasgiam* appellat, quod forte condita fuit a Pelasgis, quamvis sita extra Pelasgiotidem. Adde 42, 56. et forte 32, 33. *extr.* ℙ Alia in Asia, in Aeolide. *Plin.* 5, 30. ℙ Alia in Troade. *Id. ib.* ℙ Alia in Syria, in Seleucide, medio inter Epiphaneam et Apameam loco. *Anton. Itin.* ℙ Item alia, in Arabia, Graecorum urbs. *Plin.* 6, 28. ℙ Denique sic dicta est arx Argivorum. *Liv.* 32, 25. V. LARISSAEUS, a, um. *B. A.*

LĀRISSAEUS, a, um, adj. ad Larissam pertinens. *Virg. A.* 2, 197. Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles, etc. *Serv.* ad h. l. dicit, Achillem Phthium fuisse, sed Larissaeum cognominari a vicinitate. *Ov. Met.* 2, 542. Larissaea Coronis. *Seren. Samm.* 46, 836. Larissaea sanatus Telephus hasta, *h. e.* Achillis. ℙ Quia etiam arx Argivorum *Larissa* dicta est, a Larissa Pelasgi Argivorum regis matre, ut est ap. *Serv.* ad *A.* 1, 628., sic ad eam pertinet illud *Stat. Th.* 4, 5. Prima manu rutilam de vertice Larissaeo Ostendit Bellona facem. ℙ **Larissaei, orum*, incolae sunt Larissae, urbis Syriae, ap. *Plin.* 5, 23. quo nomine etiam appellantur Larissae, Thessaliae urbis, incolae ap. *Caes. B. C.* 3, 81. V. *Larissenses. B. A.*

[LĀRISSENSIS, e, adj. idem ac Larissaeus. *Larissenses, ium*, absolute sunt incolae urbis Larissae ap. *Liv.* 31, 31. *F.*]

*LĀRISSUS (Larisus), i, Achaiae amnis, agrum Elaeum a Dymaeo secernens. *Liv.* 27, 31. *extr.* ubi ed. *Drakenb.* habet *Larisum*. Adde *Plin.* 3, 19. *B. A.*

[LĀRISTUS, i, m. λαρίστος, superlat. a λαρός, jucundus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. L. Laristus. *F.*]

LĀRIUS, ii, m. lacus amplus Insubriae, per quem fluit Addua amnis. In vocativo *Lari* habet. *Virg. G.* 2, 159. Anne lacus tantos, te, Lari maxime, teque Fluctibus, et fremitu assurgens, Benace, marino? ℙ Adjective *Catull.* 35, 4. Novi relinquens Comi moenia, Lariumque litus.

LĀRIX, icis, m. et f. λάριξ, arboris genus cognatum abieti, et pino; a λαρός, suavis, nempe ab odoris suavitate. Resinam enim fundit, et vere flores gignit odoratos. *Plin.* 16, 10, 19. Laricis materies praestantior longe, incorrupta vis, mori contumax, rubens praeterea, et odore acrior; et *mox*: Excepta larice, quae neque ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides. *Id. ib.* 18, 30. Montes amant cedrus, larix, taeda, et ceterae, e quibus resina gignitur. *Id. ib.* 39, 74. Tiberius Caesar, concremato ponte naumachiario, larices ad restituendum caedi in Rhaetia praecinxit. *Vitr.* 2, 9. *med.* Larix, qui non est notus nisi his municipiibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, et litora maris Adriatici, non solum ob succi vehementem amaritatem ab carie aut a tinea non nocetur, sed etiam flammam ex igne non recipit, nec ipse per se potest ardere, nisi, uti saxum in fornace ad calcem coquendam aliis lignis uratur; et *mox*: Materies autem larigna per Padum Ravennam deportatur, in colonia Fanestri, Pisauri, Anconae, reliquisque, quae sunt in ea regione, municipiis praebetur. ℙ Quod negant *Plin., Vitr. l. c.* et *Pall.* 12, 15. hanc arborem igne corripi, inter fabulas rem hujusmodi amandandam esse, nunc nemo ignorat.

[LARNENSIS, e, adj. ad Larnum pertinens, Hispaniae Tarraconensis fluvium, nunc *Tordera*. Hinc *Larnenses, ium*, sunt qui Larnum fluvium accolunt, ap. *Plin.* 3, 3, 4. *F.*]

*LARNOS, i, maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*LARNUM, i, n. sc. flumen; vel Larnus, i, m. sc. fluvius, s. amnis. V. LARNENSIS. *B. A.*

LARS. } V. LAR.
LARTES. }

*LARONIA, ae, f. nomen mulieris impudicae et dicacis, de qua *Juven.* 2, 36. *Mart.* 2, 32. *B. A.*

*LARTIDIUS, i. e. imitator Ulyssis, Ulysseus. *Cic. Att.* 7, 1. Mirus est φυγάκης, germanus Lartidius. ℙ *Sensus est:* Ulysses, qui Lartides vel Laërtides erat, astutissimus et callidissimus veterator habitus est: talem Philotimum dicere possum, et Lartidium, id est Ulysseum appellare. V. *Turneb. Adv.* 20, 16. *B. A.*

LARVA et Larua, ae, f. μορμολύκειον, genius malus ac noxius defunctorum. Dictam putant a *Lare*, a quo ita differat, ut *Lar* certis aedibus curam gereret posterorum, *larva* vagaretur incertis sedibus, et perterreret homines horribili visu: atque hac poena plecteretur ob vitam male actam. *August. C. D.* 9, 11. Dicit *(Plato)*, animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, si boni meriti sunt; Lemures, si mali, seu larvas: manes autem Deos dici, si incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorum. *Appul. de Deo Socr. med.* Est et secundo significatu species daemonum, animus humanus, emeritis stipendiis vitae, corpore suo abjurans. Hunc vetere lingua Latina reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris: qui vero ob adversa vitae merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio, punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis; id genus plerique larvas perhibent. Cum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit, an Larva, nomine Manem deum nuncupant., Hucusque *Appul. Pl. Amph.* 2, 2, 145. Haec quidem aedepol laruarum plena est. *Id. Aul.* 4, 4, 15. Laruae hunc, atque intemperiae agitant senem. *Id. Capt.* 3, 4, 66. Jam deliramenta loquitur; larvae stimulant virum. *Sen. Apocoloc. med.* Qui contra hoc SC. Deus factus erit, eum dedi larvis, et proximo munere ferulis vapulare placet. *Plin. praef. H. N. f.* Nec Plancus illepide, cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso, aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: *cum mortuis non nisi larvas luctari*. Haec *Plin.* Eo autem dicto Plancus Asinium, at insanientem, praestringebat. Nam est etiam convicium in hominem insanum, aut stupidum. *Pl. Merc.* 5, 4, 20. Etiam loquere larua? tu? Adde *Cas.* 3, 4, 2. Utroque autem loco trisyllabum est, ut et *Amph.* 2, 2, 145. et *Aul.* 4, 4, 15. ℙ Est etiam *larva* persona, πρόσωπον, προσωπίς. *Hor. Sat.* 1, 5, 64. Nil illi larva, et tragicis opus esse cothurnis. ℙ Translate. *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* vocat *larvas* aediles, aut similes magistratus, qui personam quidem illam gerunt, ceterum alia omnia curant, quam res civium, et utilitatem reipublicae, privato solum lucro intenti. Al. aliter leg. ℙ Est etiam sigillum, imaguncula, ita quodam occulto artificio compacta, ut moveri per se videatur. *Petr. fr. Trag.* 34. *Burm.* Larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus, vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur. Ap. *Appul. Apol.* adversarii ejus *larvam* appellabant et *sceletum* imaguncula Mercurii, quam ille religionis causa sibi fabricari jusserat, ipsi autem magicis artibus paratam calumniabantur.

LARVĀLIS, e, adj. μόρμος, terribilis, deformatus, pallens, emaciatus, ac prorsus horrendus: a *larva*. *Ammian.* 31. *in.* Larvale simulacrum. *Sen. ep.* 24. *med.* Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, et tenebras, et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium. *Appul. Apol.* Macilenta forma diri cadaveris, prorsus horribilis, et larvalis. ℙ In *Priap. carm.* 33. legitur *larvialis* epenthesi l. *i.* Pallorem, maciemque larvialem. Al. leg. *larualem*, quadrisyllabum. V. v. praec.

LARVĀTUS, a, um, part. a *larvo*: furiosus, mente motus, quasi a larvis exterritus, ut *Festus*, vel in larvas incurrerit, ut *Non.* 1, 213. exponit. *Pl. Men.* 5, 4, 1. Quid esset illi morbi, dixeras? num larvatus, aut cerritus? *Id. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 229. Pro larvato te circumferam. *Appul. Apol.* Hunc denique qui larvam putat, ipse est larvatus. ℙ Priore loco al. leg. *larruatus* quadrisyllabum, quod ita ratio carminis postulet. V. simile exemplum in v. praec. et in LARVA.

LARVIALIS. V. LARVALIS.

LARVO, as, a. 1. larvis infesto, terreo. *Firm. Math.* 3, 14. *med.* Fascinantes mulieres, quae et iam ipsos artus larvari, ac fascinari faciant.

LĀRUNDA. V. LARA.

[LĀRUS, i, m. λάρος, avis aquatica, eadem ac gavia, quam vulgo nunc Veneti *vocale* dicunt; et ob ejus stupiditatem eodem nomine stupidos etiam homines appellant. *Gloss. Phil.* Larus, λάρος; et *ib.* Λάρος, larus, gavia. Hujus avis mentio est etiam ap. *Fulg. interpr. Levit.* 11, 16. et *Deut.* 14, 15. *F.*]

*LARYMNA, ae, f. oppidum Cariae. *Mela* 1, 16. ℙ Item aliud, Boeotiae, olim Locridis, Cephisso amni et Euripo vicinum. *Id.* 2, 3. *med. Plin.* 4, 7. *B. A.*

*LAS, ae, Λᾶς, vicus, *Scylāci* autem et *Steph. Byzant.* πόλις, Peloponnesi, ad mare. *Liv.* 38, 30. ubi accusativus *Lan* occurrit. *B. A.*

*LASAEA, ae, f. Λασαία, oppidum Cretae. *Act. Apost.* 27, 8. *B. A.*

LĀSĀNUM, i, n. λάσανον, vas evacuando ventri accommodatum: a Graeca voce allata, quam *Hesychius* familiaricam sellam interpretatur. *Hor. Sat.* 1, 6, 109. Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur Te pueri, lasanum portantes, oenophorumque. *Petr. fragm. Trag.* 41. *Burm.* Ab hoc ferculo Trimalchio ad lasanum surrexit. V. SCAPHE.

LASCIVĒ, adv. ἀσελγῶς, ἀκολάστως, petulanter, molliter. *Mart. in ep. ad Domit.* 8. *in.* Illis non permisi tam lascive loqui, quam solent. *Appul. Apol.* Versus amatorios fecit etiam mulier Lesbia, lascive illa quidem, tantaque gratia, etc. *Aviен. Arat.* 514. Et si persultans aries lascivius herbas Appetit.

LASCIVIA, ae, f. ἀσέλγεια, animi incontinentia, ex saturitate fere et otio nascens, quae vel in pro-

cacitatem, vel in libidinem erumpit. *Cic. Fin.* 2, 20. Non enim hilaritate, nec lascivia, nec risu, aut joco comite levitatis, sed saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati. ℙ Saepe tamen est sine malitia. *Sen. Consol. ad Helv.* 16. *med.* de blandissimo puero: Cujus non lacrymas ejus hilaritas supprimat? cujus non contractum solicitudine animum illius argutiae solvant? quem non in jocos vocabit illa lascivia? Sic *Plin. ep.* 9, 33. lasciviam vocat ludicros cursus decursusque delphini; et *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 14. Ut provectione laeti piscium lasciviam intuerentur. Sic *Tac. G.* 24. saltationem inter gladios audacem lasciviam dixit. Sic *Lucr.* 5, 1397. de priscis temporib.: agrestis enim tum musa vigebat: Tum caput atque humeros plexis redimire corollis, Floribus, et foliis lascivia laeta monebat. ℙ Interdum pro libidine ponitur. *Suet. Cal.* 36. Cum maxime placitam sevocasset, paulo post, recentibus adhuc lasciviae notis, reversus, etc. ℙ Item pro petulantia, et procacitate. *Quint.* 9, 2. *med.* Assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam. Sic *Tac. A.* 11, 13. theatralem lasciviam vocat jocos impudentes, et probra a populo in theatro jactata in consulares viros, et illustres feminas. ℙ Est etiam lascivia in oratione, cum scilicet intemperanti stilo quis utitur. *Quint.* 2, 6. *med.* Ne recentis hujus lasciviae flosculis capti, voluptate quadam prava deleniantur, ut illud praedulce genus adament. ℙ Et in operibus naturae. *Plin.* 11, 37, 45. de cornib.: Nec alibi major naturae lascivia: lusit animalium armis. Sparsit haec in ramos, ut cervorum: aliis simplicia tribuit, etc. Similiter vertitur illud *Tac. A.* 11, 31. Vectius Valens lascivia in praealtam arborem connisus; et *H.* 3, 33. Faces in vacuas domos per lasciviam jaculabantur. ℙ Passive. *Pl. Asin* 2, 2, 32. O catenarum colone. *L.* o virgarum lascivia, *h. e.* in cujus tergum virgae lascivire solent.

LASCĬVĪBUNDUS, a, um, adj. lasciviens. *Pl. Stich.* 2, 1, 16. Quidnam dicam, Dinacium Lascivibundum tam libenter currere?

LASCĬVĬO, is, ii, itum, n. 4. *ἐξυβρίζω*, est petulanter agere, ut equi indomiti solent, et qui diu in otio fuerunt, qui aut calcitrant, praeter solitum, aut lusitant, exsultantque. *Liv.* 2, 29. Et lascivire magis plebem, quam saevire. *Colum.* 6, 24. Nimietate verni pabuli pecudes exhilaratae lasciviunt. *Ov. Met.* 7, 321. Fuga lascivit agnus. *Sil.* 13, 329. Dextera lascivit caesa Tegeatide capra, *h. e.* hos, illos percutiens pelle caprae. De Lupercis loquitur, qui nudi per urbem discurrebant, et obvios quosque percutiebant. ℙ Translate. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 145. Insolitisque docet galeam mitescere sertis: Ferratus lascivit apex, horrorque recessit Martius, et cristae pacato fulgure vernant. ℙ Refertur et ad orationem molliorem, et stili delicatioris. *Quint.* 9, 4. Pedes in oratione simili paene licentia lascivientes; et *ib. f.* Quotidie magis lascivimus syntonorum modis saltitantes. *Id.* 12, 10. *f.* Corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit.

LASCĬVĬTAS, atis, f. lascivia, petulantia. *Firm. Math.* 1, 1. Nec Asiana lascivitas sobria Jovis moderatione corrigitur. Adde *Coel. Aur. Tard.* 3, 8. **Vet. Schol.* in *Juven.* 6, 293. *B. A.*

LASCĬVĬTER, adv. lascive. *Laevius* ap. *Charis.* 2, 183. Lasciviterque ludunt.

LASCĬVŬLUS, a, um, adj. dimin. lascivi. *Laevius* ap. *Prisc.* 10, 903. Manu lascivula ac tenellula.

LASCĬVUS, a, um, adj. *ἀσέλγαστος, ἀσελγής, ὑβριστικός*, petulans, procax, protervus, nimia licentia exsultans ex hilaritate quadam animi, rerum copia, atque otio. Quidam ducunt a *lacio*, unde *lacesso*, quasi *lacessivus*, quia sine ulla causa lacessere alios solet. Alii alias assignant origines, e Graeco petitas. [*V. *Doederl.* 3, 43. sqq.] *Varr. R. R.* 1, 14. Naturale sepimentum, quod habet radices, ac praetereuntis lascivi non metuit facem ardentem. *Virg. Ecl.* 2, 64. Florentem cytisum sequitur lasciva capella; et *ib.* 3, 64. Malo me Galatea petit, lasciva puella, Et fugit ad salices, et se cupit ante videri. *Hor. Sat.* 1, 3, 133. vellunt tibi barbam Lascivi pueri, quos tu ni fuste coerces, etc. *Ov. Met.* 13, 791. tenero lascivior hoedo. *Rut. Itin.* 1, 379. Ludere lascivos inter vivaria pisces. *M. Coel.* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Siculi quidem, ut sunt lascivi et dicaces, ajebant, in delphino sedisse, etc. *Id. ib.* Lascivum et hilare dictum. *Hor. A. P.* 105. tristia moestum Vultum verba decent, iratum plena minarum, Ludentem lasciva, severum seria dictu. *Id. Ep.* 2, 2, 215. ne potum largius aequo Rideat, et pulset lasciva decentius aetas. *Plin.* 10, 42, 58. de psittaco: Imperatores salutat, et quae accipit verba, pronunciat: in vino praecipue lasciva. *Tibull.* 2, 1, 87. jam Nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro. *Spart. Hadrian.* 14. *extr.* Idem severus, laetus; comis, gravis; lascivus, cunctator, *h. e.* nimis festinus, et praeceps, *προπετής*. ℙ Saepe ad res turpes refertur. *Ov. Amor.* 3, 7, 10. et *A. Am.* 1, 523. et alibi. Sic *Mart.* 5, 2. Lascivi libelli; et *Suet. Tib.* 43. Lascivissimae picturae. ℙ Transfertur et ad inanima. *Hor. Od.* 1, 36, 20. Lascivae hederae, *h. e.* quae erratico et libero cursu passim adhaerescunt. *Mart.* 11, 45. Lasciva acus, *h. e.* comatoria, calamistrum. Sic *Tert. Virg. vel.* 12. Acu lasciviore comam sibi inferunt. *Mart.* 8, 78. Nunc veniunt subitis lasciva nomismata nimbis, *h. e.* huc illuc vage super populum cadentia, et illius aviditatem ac proterviam in colligendo excitantia. *Prop.* 4, 8, 76. cum lascivum sternet arena forum, *h. e.* cum propter gladiatorium ludum convenientibus in forum puellis, licentiae et amoribus locus erit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 331. lascivi confligunt aequore lembi, *h. e.* agiles, leves ludunt in undis pugnae simulacro. ℙ *Lasciva oratio* est nimis compta, et ornata. *Gell.* 12, 2. *med.* Ciceronem haec (*Enniana*) interposuisse ad effugiendam infamiam lascivae orationis, et nitidae.

LĂSER, ĕris, n. *λασάριον, ὀπὸς*, succus sirpis, seu silphii. *Plin.* 19, 3, 15. Auctoritate clarissimum laserpitium, quod Graeci silphion vocant, in Cyrenaica provincia repertum, cujus succum vocant laser, magnificum in usu, medicamentisque, et ad pondus argentei denarii pensum. (V. ibi plura de eo, et locum *Solini* in LASERPITIUM.) *Id.* 22, 23, 49. Laser e silphio profluens, inter eximia naturae dona numeratum, pluribus compositionibus inseritur. (V. ibi plurimos ejus usus in medicina.) *Colum. Arbor.* 23. Laser Cyrenaicum vino diluere. *Marcell. carm. de medic.* 54. Zingiber et calidum, mordax piper, et laser algens. *Pall.* 3, 29. *ὀπὸν Κυρηναϊκὸν* vocat. ℙ Sumitur et pro ipso silphio. *Plin.* 19, 8, 43. Condiuntur aceto, addita laseris radice. Adde *Scrib. Comp.* 192. et 196.

LĂSERĀTUS, a, um, adj. lasere mixtus, seu conditus. *Plin. Valer.* 1, 21. Cinis cum aceto laserato mixtus. ℙ *Laseratum* absolute, est condimentum ex lasere. *Apic.* 1, 30. *in lemmate.*

LĂSERPĬTĬĀRĬUS, a, um, adj. ad laserpitium pertinens. *Petr. fragm. Trag.* 35. *Burm.* Ipse etiam teterrima voce de laserpitiario mimo canticum extorquet, *h. e.* ex mimo laserpitii laudes celebrante. Alii aliter legunt, et interpretantur.

LĂSERPĬTĬĀTUS, a, um, adj. laserpitio mixtus. *Cato R. R.* 116. Permisceto lentim aceto laserpitiato. *Plin.* 18, 30, 73. Sunt qui lentem aceto laserpitiato respergant.

LĂSERPĬTĬFER, a, um, adj. laserpitii ferax, ut Laserpitiferae Cyrenae, ap. *Catull.* 7, 4.

LĂSERPĬTĬUM, ii, n. *οἰλφιον*, idem quod silphium, herba radice multa, crassaque, et nigri corticis, caule ferulaceo, aut simili crassitudine, foliis apio maxime similibus, semine foliacio. [*Ferula Asa foedida, *L.*] Vesci pecora solita, primoque purgari, mox pinguescere, carne mirabilem in modum jucunda. Post folia amissa, caule ipso et homines vescebantur decocto, asso, elixoque, eorum quoque corpora quadriginta primis diebus purgante a vitiis omnibus. Haec ex *Plin.* 19, 3, 15., ubi addit, ex inciso tubere, seu radice manare succum, qui laser dicitur (V. LASER) qui et ipse aliquando laserpitium vocatur. *Laserpitium* videtur *Salmasio* in *Solin.* p. 249. esse *ὀπὸς οἰλφιον* succus silphii, quasi *lac serpicium*, quod in modum lactis manat; *laser* vero est *ὅλος ὁ θάμνος σὺν τῇ ῥίζῃ*, totus caulis cum radice. V. SIRPE. *Plin.* 20, 13, 51. Nonnulli laserpitium una illini jubent. *Pl. Rud.* 3, 2, 16. si speras tibi Hoc anno multum futurum sirpe, et laserpitium. ℙ De hoc succo ita *Solin.* 27. *med.* Apud Cyrenenses sirpe gignitur, odoratis radicibus, virgulto herbido magis, quam arbusto: cujus e culmo exsudat stato tempore pingue roscidum, idque pascentium hircorum inhaeret barbulis: ubi cum arefactum inolevit guttis stiriacis, legitur ad usum mensarum, vel medelis. Dictum est primo lac sirpicum, quoniam manat in modum lacteum: deinde usu derivante laser nominatum. Ita *Solin.*, qui tamen laserpitium cum ladano confundit, ut et *Salmas.* monet. ℙ Scribitur et *laserpicium.*

LĀSES olim dicebantur, qui nunc Lares, teste *Terent. Scaur. de Orthogr.* p. 2252., sed temporum mutatione transierunt, uti monet *Quint.* 1, 4. Hinc in *carm. Arval.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 603. Enos Lases juvate, *h. e.* Nos, Lares, juvate.

*LĀSĬA, ae, f. insula maris Aegaei, ad oram Peloponnesi, e regione Troezenis. *Plin.* 4, 12. ℙ Item alia, in mari Mediterraneo, exadversus Lyciam. *Id.* 5, 31. ℙ Porro Lasia etiam dicta est Lesbos insula. *Id. ib.* ℙ Dicta est et Andros insula hoc nomine a Callimacho, teste *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*LĀSOS, i, Cretae oppidum. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*LĂSSĀTĬO, onis, f. ap. *Mart. Capell. B. A.*

*LĂSSĀTOR, oris, m. ap. *August. B. A.*

LĂSSĀTUS, a, um, part. a *lasso: κοπωθείς*, defatigatus. *Ov. Met.* 9, 648. lassata sequendo; et *ib.* 1, 308. In mare lassatis volucris vaga decidit alis. *Val. Fl.* 1, 419. Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto. *Pall.* 4, 12. *extr.* Bos siti ac fame lassatus. *Manil.* 2, 852. Lassatae vires. *Id.* 4, 853. Astra lassata, *h. e.* quae deficiunt, et absconduntur. ℙ Translate. *Plin.* 6, 13, 14. Lassata cum siderum vi Riphaeorum montium deficiunt juga. *Lucan.* 5, 703. lassatum fluctibus aequor, *h. e.* quasi tempestate fessum, et ad tranquillitatem rediens. *Id.* 2, 727. lassata triumphis Descivit fortuna tuis.

LASSESCO, is, n. 3. *ἐκκάμνω*, lassus fio. *Plin.* 7, 40, 41. Ne lassescat fortuna, metus est. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 5. Vitis fertilitas absumitur, si non praepinguis soli ubertas lassescentem sustineat. *Prud. in Symm.* 2, 101. victo lassescere visu; et *Hieron. ep.* 22. *n.* 39. Arma sumere, lassescere sub lorica.

LASSĬTŪDO, inis, f. *κόπος*, molestia, quam ex labore suscipimus. *Cic. Inv.* 2, 4. Postquam illos arctius ex lassitudine dormire sensit. *Id. Fam.* 12, 25. *f.* Sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet. *Nep. Dat.* 11. A lassitudine acquiescere. *Caes. B. C.* 2, 41. Nostros vires lassitudine deficiebant: et *ib.* 3, 92. et 95. Lassitudine confici; et *B. G.* 2, 23. Cursu ac lassitudine exanimati. *Sen. Ira* 3, 9. Citra lassitudinem exercere aliquid. *Plin.* 28, 9, 37. Itinerum lassitudines et fatigationes levare. *Id.* 23, 1, 24. Lassitudinem auferre; et 37, 5, 16. mulcere; et *ib.* 10, 54. solvere; et 24, 9, 38. dissolvere; et 31, 10, 46. *n.* 4. reficere; et 22, 13, 15. recreare. *Nep. Eum.* 9. et *Pl. Bacch.* 1, 1, 75. sedare; et *Merc.* 1, 3, 17. eximere; et *ib.* 45. alicui addere. *Plin.* 23, 1, 26. Lassitudo armorum, equitandive, *h. e.* quae oritur ex armorum, aut equitandi labore. *Id.* 22, 24, 51. In lassitudine homines proniores sunt ad iracundiam. ℙ Active. *Titin.* ap. *Fest.* in *Redivia.* Lassitudo conservûm, reduviae flagri, *h. e.* qui conservos lassas, ab eis vapulando: et est convicium in flagritribam. ℙ Lassitudo minus est, quam fatigatio, ut colligitur ex illo *Cels.* 1, 2. *med.* Exercitationis plerumque finis debet esse sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit.

LASSO, as, avi, atum, a. 1. *κοπόω*, lassum reddo, fatigo, defatigo. Verbum est poetarum magis, quam prosae scriptorum. *Prop.* 4, 8, 67. nostris lassavit brachia plagis. *Curt.* 9, 5. Jamque laevam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassaverat. *Cels.* 1, 3. *n.* 1. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est, insolitum contra lassat. *Ov. Her.* 20, 241. Longior infirmum ne lasset epistola corpus. *Val. Fl.* 3, 661. vacuos lassant aequora visus; et 1, 707. visu lassatur inani. *Lucan.* 9, 452. Ventus annosa robora torquens Lassatur. *Id.* 5, 695. Lassare numina: *scil.* votis, aut precibus. Sic *Mart.* 8, 31. supplicibus dominum lassare libellis. [**Lucan.* 3, 19. Lassant rumpentes stamina Parcas: ubi v. *Cort.*, qui laudat *Stat. Th.* 5, 483. Lassavit euntes Lux oculos.] ℙ Eleganter *lassare* dicitur, qui constanter quippiam tolerat. *Mart.* 4, 3. de Domitiano: Sidus Hyperborei solitus lassare Bootae, Et madidis Helicen dissimulare comis. ℙ In re turpi. *Juven.* 6, 129. Et lassata viris, nec dum satiata recessit. Adde *Tibull.* 1, 10, 55. [*Plura v. ap. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 404.] ℙ Absolute. *Sen. ep.* 52. *med.* Puta, duo aedificia excitata esse, ambo paria: alterum dura area accepit: alterius fundamenta lassarunt, in mollem ac fluidam demissa humum, *h. e.* lassarunt se, et desederunt. [**Lucan.* 2, 340. Visceribus lassis, partuque exhausta revertor; v. *Cort.* ℙ Dicitur etiam de fluminibus. *Lucan.* 5, 465. At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutae Praecipitant: neuter longo se gurgite lassat, etc. V. *Cort.*, qui similem comparat usum verbi *fatigandi* ap. *Eund.* 6, 45. Flumina tot cursus illic exorta fatigant. — Item de mari. *Id.* 6, 265. mare lassatur. Plura v. in *Lassus.* ℙ Confund. *lassatur* et *laxatur.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 624. et 6, 265.]

LASSŬLUS, a, um, adj. dimin. lassi. *Catull.* 63, 35. Itaque, ut domum Cypelles tetigere, lassulae Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.

LASSUS, a, um, adj. *κοπωθείς*, ex labore languens, fatigatus, fessus, defessus, corporis vel animi labore fractus. [*De discrimine inter *lassus, fessus, fatigatus, languidus, laxus* v. *Döderl.* 1, 102. sqq.] *Sall. Jug.* 57. Romani itinere, atque opere castrorum, et proelio fessi lassique erant. *Pl. As.* 5, 2, 23. Lassus opere faciundo. *Hor. Sat.* 2, 2, 10. Lassus ab equo indomito. *Lucr.* 6, 1246. lacrymis lassi, luctuque redibant. *Plin.* 37, 1, 1. Lassus assiduo gaudio. *Ter. Andr.* 2, 1, 4. Animus lassus, cura confectus. *Ov. A. Am.* 2, 712. ab hoste. *Pl. Ps.* 2, 2, 66. de via. *Colum.* 6, 38. Lassae et aestuanti mulae adeps in fauces demittitur. *Just.* 28, 4. Lassos milites reficere. *Hor. Sat.* 1, 10, 10. verba onerantia lassas aures; et *ib.* 2, 8, 8. Acres cibi pervellunt lassum stomachum. ℙ [*Nota elegantem hujus v. usum de fluvii marisque fluctibus, qui impetu suo ulterius pergere nequeunt. Ita *Lucan.* 2, 618. lassasque refunderet undas; et 5, 703. Lassatum fluctibus aequor. Simili ratione usurpant v. *fessus*, q. v.] ℙ *Lassus* absolute. *Ov. Amor.* 3, 11, 8. Saepe tulit lassis succus amarus opem. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 1, 4, 14. Fructibus assiduis lassa senescit humus. *Plin. ep.* 6, 21. Lassa et effeta natura. *Pl. Stich.* 4, 1, 16. Ut cuique homini res parata est, firmi

amici sunt: si res lassa labat, Itidem amici collabascunt, *h. e.* si facultates dilabuntur, si pecuniae angustia laboratur. *Virg. A.* 9, 436. lassoque pavera collo, *h. e.* inclinato. *Stat. Th.* 1, 330. qua molle Cithaeron Porrigitur, lassumque inclinat ad aequora montem, *h. e.* declive fit, et paulatim in plana descendit. ℙ Cum genitivo, ut *fessus. Hor. Od.* 2, 6, 7. lassus maris, et viarum, militiaeque. *Pl. Cist.* 2, 1, 8. Ita me amor lassum animi ludificat. ℙ Cum accusativo, Graecorum more. *Sen. Herc. Oet.* 1599. Lassus an pondus titubavit Atlas? *h. e.* ob pondus. Hinc *Ov. Met.* 9, 273. Sensit Atlas pondus. ℙ Cum infinito. *Prop.* 2, 10, 28. Nec fueris nomen lassa vocare meum. Adde *ib.* 12, 46. et *ib.* 24, 26. ℙ Proverbium est vetus *a lasso rixam quaeri*, ap. *Sen. Ira* 3, 10. quia lassi facile irascuntur: et aegra nunquam tanguntur sine querela, ut *Id. ib.* ait. Sic *Plin.* 22, 24, 51. In lassitudine proniores esse ad iracundiam, et in siti. [*Confund. *lassus* et *lapsus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 690. 3, 623. 7, 840.]

LASTAURUS, i, m. λάοταυρος, Graeca vox a λα intensiva particula, et ταῦρος, qua partem corporis significat sub ipsis feminibus: vel ab eadem voce, et λάσιος, hirsutus, hispidus. Aliis est catamitus, et turpiter effeminatus: aliis magni peculii, et salax, atque adeo scortator: aliis denique pravus, et cruce dignus. Certe convicium est in hominem infamem, libidinosum, turpem. *Suet. Gramm.* 15. Mores ejus sigillatim expressit, nebulonem, lurconem, popinonem, et lastaurum appellans.

[LATĂCĒ, es, f. herba quaedam magica, de qua *Plin.* 25, 4, 9. Latacen dari solitam a Persarum rege legatis, ut quocumque venissent, omnium rerum copia abundarent. *F.*]

LĀTĒ, adv. πλατέως, εὐρύ, magno spatio. *Cic. Agr.* 2, 26. Sullanus ager latissime continuatus. *Id. Marc.* 9. Vagabitur nomen tuum longe atque late; et *Leg.* 1, 12. Late longeque diffusus. *Caes. B. G.* 4, 35. Omnibus longe lateque aedificiis incensis; et *ib.* 1, 2. Minus late vagari; et *ib.* 6, 25. Rami quam late diffunduntur. *Ov. Met.* 5, 130. Latius possidere agros. [*Etiam absolute latius *possidere*, hac significatione ponitur. Cf. *Quint. Decl.* 252. p. 457. Latius possidebitis, et numerosiores familias vestras ignorabitis: ubi *Burm.* laudat *Barth. Adv.* 10, 3. et suam ipsius notam ad *Petr.* 82.] *Virg. G.* 4, 515. moestis late loca questibus implet. *Ov. Her.* 7, 119. Moenia late patentia. *Hirt. B. G.* 8, 9. Vallis late patens. *Phaedr.* 3, 1. Odorem late spargere. *Pl. Most.* 3, 2, 156. Latius ire. *Virg. A.* 8, 671. Haec inter tumidi late maris ibat imago, *h. e.* erat, extendebatur imago lati maris. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 33. Latius imperare. *Just.* 13, 7. *f.* Late regnare. *Virg. A.* 1, 25. Populus late rex. *Hor. Od.* 4, 4, 23. diu lateque victrix. *Tac. H.* 3, 23. Late cladem inferre. *Virg. A.* 9, 517. moles stravit Rutulos late, *h. e.* multos Rutulos. *Id. G.* 4, 358. alta jubet discedere late Flumina, *h. e.* amplo spatio dehiscere. *Id. A.* 5, 760. lucus late sacer, *h. e.* lucus amplus, et totus sacer; et *ib.* 7, 681. hunc legio late comitatur agrestis, *h. e.* magno militum numero. *Hor. Od.* 4, 6, 10. impulsa cupressus Euro Procidit late, *h. e.* amplum spatium cadendo occupavit. *Id. A. P.* 15. late splendere, *h. e.* valde. *Tac. A.* 12, 43. Dum latius metuitur, *h. e.* a pluribus. *Ov. Her.* 9, 127. Ingreditur late lato spectabilis auro, *h. e.* late conspicua, ut ait *Hor. Od.* 3, 16, 19. a multis spectata. Alii interpretantur superbe et cum fastu. V. LATUS, a, um, adj. *Ov. Amor.* 2, 6, 53. Illic innocui late pascuntur olores. *Flor.* 3, 9. Quae res latius aerarium populi R., quam ullus triumphus implevit, *h. e.* majore pecunia; et *ib.* 21. *med.* Ad nomen tanti viri late concurritur. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 2, 113. Latius uti opibus. *Ov. Her.* 17, 57. Phrygiae late refer primordia gentis, *h. e.* multis verbis, fuse, magnifice. *Plin. ep.* 4, 20. In quo tu ingenii simul, dolorisque velis latissime vectus es. *Cic. Inv.* 1, 46. Hoc genus majorem quandam vim continet, et latius patet, quam hic exponitur. *Id. Or.* 1, 55. Ars magna est, et late patet, et ad multos pertinet. *Id. Off.* 3, 17. Fidei bonae nomen latissime manat. *Id. Fin.* 2, 6. Latius loquuntur rhetores, dialectici compressius. *Caes. B. C.* 2, 17. Haec ad eum latius, atque inflatius Afranius perscribebat. *Cels. Dig.* 45, 1, 99. Stipulatori liberum fuit, verba late concipere.

LĀTEBRA, ae, f. κεῦθος, φωλεὸς, locus in quo quippiam latet, et absconditur. *Cic. Coel.* 26. Cur balneas publicas potissimum constitueras? in quibus non invenio, quae latebra togatis hominibus esse possit. *Id. Manil.* 3. Mithridates se Cappadociae latebris occultare non vult. *Lucan.* 2, 494. Non satis est muris latebras quaesisse pavori? *Ov. Met.* 5, 460. latebram petere. *Cic. Rabir. perd.* 8. Cum ignaviae ratio te in fugam, atque in latebras impelleret. *Just.* 34, 4. Cum in latebris ageret, a filio interficitur. *Pl. Aul.* 4, 2, 2. aurum Non metuo ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est. *Lucan.* 5, 743. Cedendum est bellis, quorum tibi tuta latebra Lesbos erit. *Ov. Met.* 1, 216. Maenala latebris horrenda ferarum. *Virg. G.* 3, 544. curvis frustra defensa latebris vipera. *Id. A.* 4, 424. At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris. *Id. ib.* 12, 889. Ense secent lato vulnus, telique latebram, *h. e.* ubi telum latet infixum corpori; et *ib.* 10, 601. Tum latebras animae, pectus mucrone recludit. *Lucr.* 5, 750. solis defectus, lunaeque latebras, *h. e.* cum per eclipsin luna latet. ℙ Translate. *Id.* 1, 408. caecasque latebras Insinuare omnes, et verum protrahere inde. *Cic. Div.* 2, 54. Adhibere latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari videatur. *Id. Marc.* 7. Cum in animis hominum tantae latebrae sint, et tanti recessus. *Id. Sext.* 4. Cum illa conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset, palamque armata volitaret. *Id. Coel.* 22. Omnes latebras suspicionum peragrare dicendo. *Id. Fam.* 3, 12. Mirandum est, nullam ne in tabellae quidem latebra fuisse absconditam malivolentiam, quae te impugnare auderet. *Id. fr. pro Tull.* (ed. *A. Peyronio*) 10. Necesse putavit esse, illam latebram tollere *Damnum injuria*, quod in aliis causis debet valere. ℙ *Latebra scribendi* ap. *Gell.* 17, 9. est modus scribendi occultus, qui omnes latet, eo excepto, qui illius modi conscius est. ℙ Interdum ponitur pro excusatione, refugio, et quasi asylo, quo se quis tuetur, ne arguatur. *Cic. Fin.* 2, 33. Si tuam dicerem, latebram haberes: ad corpus diceres pertinere. *Id. Div.* 2, 20. Te mirificam in latebram conjecisti. *Id. Off.* 3, 28. Quaerere latebram perjurio. *Ov. A. Am.* 3, 754. latebram dare vitiis.

LATEBRICOLA, ae, m. φωληιήρ, latebras incolens. *Pl. Trin.* 2, 1, 14. Latebricolarum hominum corruptor.

LĀTEBROSĒ, adv. κρύβδην, occulte, clam. *Pl. Trin.* 2, 2, 2. Neque latebrose me abs tuo conspectu occultabo.

LĀTEBROSUS, a, um, adj. φωλεώδης, latebras multas habens, ad latendum aptus, occultus, absconditus. *Cic. Sext.* 59. Illa via latebrosa, qua spectatum ille veniebat. *Liv.* 21, 54. Ad equites quoque tegendo satis latebrosus locus. *Virg. A.* 8, 713. Latebrosa flumina. *Sil.* 5, 192. Latebrosi colles. *Lucan.* 6, 120. latebrosae tempora noctis. *Claud. in II. Cons. Stil.* 313. frondes. *Virg. A.* 12, 587. Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes, *h. e.* cavernulis abundanti, fistuloso. ℙ *Latebrosa loca* dicit *Pl. Bacch.* 3, 3, 26. tabernas, popinas, lupanaria, ubi adolescentes vitiis dediti degere solent, et latere, vitantes gymnasia, palaestras, campum, ubi in omnium oculis se exerceant. ℙ Translate. *August. Retractat.* 1, 19. *med.* Latebrosissima quaestio.

LĀTENS, entis, part. a *lateo*: λαθραῖος, κρυφαῖος, abditus, occultus, absconditus, obscurus. *Hirt. B. Afr.* 66. Insidiatores in convallibus latentes. *Pl. Cas.* 3, 5, 32. omnes sub arcis, sub lectis Latentes metu mussitant. *Hor. A. P.* 437. Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. *Plin.* 35, 10, 35. *n.* 12. Apelles post ipsam tabulam latens. *Ov. Ib.* 625. Latens tenebris. *Id. Met.* 11, 775. herba coluber; et *ib.* 13, 106. Latentem manifestare. *Virg. A.* 1, 112. Saxa latentia. *Ov. Fast.* 2, 701. Tarquinius mandata latentia nati Accipit. *Stat. Theb.* 10, 242. Latens dolus. *Plin.* 13, 15, 28. junctura. *Cic. Brut.* 41. Rem latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando. *Virg. A.* 3, 32. causas penitus tentare latentes. *Val. Fl.* 1, 128. latentia lumina, *h. e.* occultae rimae. *August. de Gen. ad litt.* 12, 18. Latentior origo. ℙ *In latenti* est clam, in abdito. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *med.* In latenti jus civile retinere cogitabant: solumque consultatoribus potius, quam discere volentibus se praestabant.

LĀTENTER, adj. λάθρα, clam, occulte. *Cic. Top.* 17. Latenter efficitur. *Ov. Pont.* 3, 6, 59. Tu modo quem poteras vel aperte tutus amare, Si res est anceps ista, latenter ama. *Gell.* 2, 18. *f.* Epicteti versus, ex quibus latenter intelligas, non omnes Diis exosos esse.

LĀTĔO, es, ui, n. 2. λανθάνω, clam sum, in occulto sum, delitesco: a λάθω, Dorice pro λήθω, quod idem significat. *Cic. Rabir. perduell.* 7. *f.* Inclusus atque abditus latet in occulto. *Id. Verr.* 2, 2, 73. *med.* Abdite latere. *Ov. R. Am.* 437. clam. *Cic. Agr.* 2, 16. occulte. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 2. Istam virtutem non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae, etc. *Id. Acad.* 4, 48. Omnia latere censebant in occulto. *Virg. Ecl.* 3, 93. latet anguis in herba; et *ib.* 20. tu post carecta latebas. *Hor. Epod.* 9, 19. Naves latent portu. *Virg. A.* 10, 805. tuta latet arce viator; et *ib.* 4, 582. latet sub classibus aequor. *Cic. Phil.* 12, 7. Quoniam sub nomine pacis bellum lateret. *Nep. Attic.* 10. Latebat apud P. Volumnium. *Mart.* 5, 58. Numquid apud Parthos, Armeniosque latet? *Pl. Trin.* 4, 2, 80. Intra labra atque dentes latuit. *Cic. Rosc. Am.* 40. Ibi scelus quoque latere inter tot flagitia putatote. *Pl. Trin.* 3, 2, 35. nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis, Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor, *h. e.* tute tibi impedimento eris. ℙ In jure *latere* dicuntur ii, a quibus aliquid petitur, ne praestent, solvantve, quod debent. *Cic. Quint.* 23. Ubi erant creditores? quis est, qui, fraudationis causa latuisse, dicat? V. LATITO. ℙ Item qui tuti sunt, et minus objecti periculis. *Phaedr.* 4, 5. Periclitatur magnijecti periculis. *Phaedr.* 4, 5. Periclitatur magnitudo principum: Minuta plebes facili praesidio latet. *Liv.* 34, 9. Latere sub umbra Romanae amicitiae. ℙ Item qui privatam vitam agunt, et a publico, et rerum administratione abstinent. *Ov. Trist.* 3, 4, 25. Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: et intra Fortunam debet quisque manere suam. Quo pertinet tritum illud, λάθε βιώσας. ℙ Item *latere* dicuntur, quae ignorantur. *Nep. Lysandr.* 1. Id qua ratione consecutus sit, latet. *Virg. A.* 5, 5. quae tantum accenderit ignem, Causa latet. Hinc *me, te, illum hoc latet*, h. e. me, te fugit, a me ignoratur, non cognoscitur, non intelligitur. *Plin.* 2, 20, 18. Latet plerosque, siderum ignes esse, qui decidui, etc. *Virg. A.* 1, 134. Nec latuere doli fratrem Junonis. *Val. Fl.* 6, 703. Nec latuere diu saevum spolia illa Syenen. *Ov. Pont.* 4, 9, 126. Nil illum, toto quod fit in orbe, latet. *Just.* 13, 8. Res Eumenem non latuit. *Varr. R. R.* 1, 40. Semen duplex: unum, quod latet nostrum sensum: alterum, quod apertum. ℙ Cum dativo personae pro accusativo. *Id. L. L.* 8, 52. Vis et potestas, quae et oculis et auribus latere soleat. *Lucan.* 1, 418. at mihi semper Tu, quaecumque moves tam crebros causa meatus, Ut Superi voluere, late. *Sil.* 12, 614. hostique propinquo Roma latet. *Cic. in Sen.* 6. Ubi nobis haec auctoritas tamdiu tanta latuit? (v. *nobis* potest etiam videri casus communis) *Id. Cat.* 1, 6. Nihil agis, nihil assequeris, quod mihi latere valeat in tempore. Al. leg. *quod me:* alii omittunt.

LĀTER, ĕris, m. πλίνθος, terra in quadratam formam durata, sive igni percocta sit, sive non, in usum aedificandi. *Cic. Div.* 2, 47. In latere, aut in caemento, ex quibus urbs effecta est. *Caes. B. C.* 2, 10. Lateres, qui super musculo struantur. *Pl. Truc.* 2, 2, 49. Maceria illa, in horto quae est, in noctes singulas Latere fit minor. *Curt.* 7, 3. Tuguria latere struere. *Varr. R. R.* 1, 14. Sepimentum, quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod e lateribus crudis, ut in agro Sabino. *Colum.* 9, 1. Paries crudo latere ac luto constructus. *Luc.* ap. *Non.* 5, 97. et *Vitr.* 2, 3. Lateres de terra ducere. *Plin.* 2, 82, 84. Et latere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. *Vitr. l. c*, *Plin.* 35, 14, 14. et *Pall.* 6, 12. eorum ducendorum rationem tradunt. Tria etiam eorum genera faciunt, a mensurae discrimine petita. V. DIDOROS. ℙ *Lateres aurei*, *argentei* sunt massae auri, aut argenti in formam laterum conflatae, ex quibus moneta cuditur. *Plin.* 33, 3, 17. C. Caesar primo introitu Urbis, in civili bello, suo ex aerario protulit laterum aureorum XXV. M., argenteorum XXXV., et in numerato HS. CCCC. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 481. et 12, 9. ℙ *Laterem lavare*, proverb. de opera vana, et inutili; nam quo magis abluitur later, eo magis aquam conspurcat. *Ter. Phorm.* 1, 4, 9. Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem. ℙ Neutro genere *Varr.* ap. *Non.* 2, 481. et 12, 9. Aureum later, quod conquadravit religio. ℙ Recti casus positio procul dubio est *later*, quamvis olim in dubium revocata sit, vel in usu esse negata. *Varr.* ap. *Charis.* 1, 109. Later, lutum, caementa. *Vitr.* 1, 5. *f.* Sive silex, aut coctus later, sive crudus.

*LATĔRA, castellum Galliae Narbonensis, ad Ledum flumen, juxta Nemausum urbem. *Mela* 2, 5. *med.* ℙ Fuit et nomen paludis in agro Nemausiensi. *Plin.* 9, 8. *B. A.*

LĀTĔRĀLIS, e, adj. ad latus pertinens, πλευρίτης. *Lucil.* ap. *Maxim. Victorin.* p. 2963. Tum laterali' dolor certissimu' nunciu' mortis, *h. e.* pleuritis. *Plin.* 21, 21, 89. Si lateralis dolor sit. *Hard.* ex MSS. legit *si lateris dolor. Calpurn. Ecl.* 6, 40. a dorso quae totam circuit alvum, Alternat vitreas lateralis cingula bullas. ℙ *Lateralia* absolute sunt sacculi, seu crumenae, ad latera ephippii pendentes, in quibus necessaria itineri recondimus. *Scaevola Dig.* 32, 1, 102. Chirographa praediorum, et pecuniam in lateralia condidit.

LĀTĔRĀMEN, inis, n. opus latericium. *Lucr.* 6, 232. Conlaxat, rareque facit lateramina vasi, *h. e.* vas ipsum latericium. Loquitur enim de doliis, quae apud veteres lateritia fuere: nisi malis *lateramina* interpretari vasis latera: quod tamen minus placet.

LĀTĔRĀNUS, a, um, adj. Lateranorum familia Romae fuit nobilissima, ex qua Plautius Lateranus consul designatus, a Nerone interfectus fuit, ut est ap. *Tac. A.* 15, 49. et 60. et innuit *Juven.* 10, 17. Dictos quidam putant, quod eorum princeps libenter in otio lateret. Habitarunt in Coelio monte, ubi nunc templum magnificentissimum S. Joannis in Laterano. Nam eorum aedes (quas egregias vocat *Juven. l. c.*) successu temporis Constantinus

M. possedit, qui Miltiadi Papae, vel Silvestro donavit. Hinc adjective *Prud. in Symm.* 1, 587. Lateranas currit ad aedes. ℙ Praeterea *Lateranus* Deus est focorum, et Genius; dictusque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud exaedificatur genus. Ita *Arnob.* 4, 130.

LĂTĔRĀRĬUS, a, um, adj. *πλίνθινος*, ad lateres pertinens. *Plin.* 19, 8, 45. Ruta apricis gaudet, et siccis, terra quam maxime lateraria. ℙ *Lateraria*, absolute, est locus ubi fiunt lateres. *Id.* 7, 56, 57. Laterarias, ac domos constituerunt primi Euryalus et Hyperbius fratres Athenis. ℙ *Laterarius, ii*, est laterum artifex, *πλινθευτής*. Usurpatur a *Non.* 5, 97. ℙ *Lateraria*, subaudi tigna, (a *latus, eris*) sunt in testudine militari, quae ad latera capreolorum in ejusdem summitate fixa, ipsos continent, et firmant. *Vitr.* 10, 20.

*LATERĀTIM, adv. ex utroque latere. *Guil. Brito Phil.* 7, 112. Has facit in medio lateratim flumine mergi. *B. A.*

LĂTERCŬLENSES dicti qui laterculi dignitatum curam habebant. *Imp. Justin. Cod.* 12, 34, 5. *f.* V. v. sq.

LĂTERCŬLUM, i, n. *πλίνθιον*, album, codex, liber, in quo memoriae causa perscribebatur notitia omnium officiorum, dignitatum, et administrationum tam civilium, quam militarium: ita dictum a figura oblonga, et quadrata, qualis est in laterculo coctili. Duplex fuit majus, et minus. Illud continebat omnes dignitates, quae a principe mandabantur ac deferebantur, sacroque memoriae scrinio conditum asservabatur sub cura primicerii notariorum. Hoc habebat praefecturas, tribunatus, et praeposituras castrorum, aliasque id genus dignitates: pertinebatque ad curam quaestoris. Ejus mentio fit in *Cod.* 1, 27, 1. §. 7. et *ult.* et *ib.* 30, 1. et 2. Utitur et *Tert. adv. Valent.* 29. *f.* Habes praeterea ejus fragmenta ap. *Grut.* p. 301. et ap. *Mur.* p. 1095. ℙ De genere ne ambigas, neutrum facit *Isid. Orig.* 6, 17. item *Cedren. λατέρκουλον παρὰ Ῥωμαίοις λέγεται*: nam ex locis ex *Codice*, et *Tertull.* citatis colligi non potest.

LĂTERCŬLUS, i, m. *πλίνθιον, πλινθὶς*, dimin. a *later*, et ejusdem saepe significationis. *Caes. B. C.* 2, 9. Hanc insuper contignationem laterculo adstruxerunt. *Colum.* 8, 14. Sub porticibus quadratae harae caementis, vel etiam laterculis exstruuntur. *Plin.* 30, 7, 20. Sacellum factum crudis laterculis, ad formam camini. *Id.* 7, 56, 57. Observationes siderum coctilibus laterculis inscriptae. *Id.* 31, 7, 41. Sal, qui in laterculis affertur, *h. e.* in patinis. aut tubulis latericiis. *Hard.* ℙ Item opus pistorium quadratum et oblongum, laterculi forma. *Pl. Poen.* 1, 2, 112. laterculos, Sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuces. *Appul. Met.* 10. Panes, crustula, lucunculos, laterculos, et complura scitamenta mellita. Al. leg. *lacertulos*, eodem sensu. *Cato R. R.* 109. De ervo farinam facito: conspergito sapa: postea facito laterculos. ℙ In re agraria est certa agri forma referens figuram laterculi, et certum numerum jugerum continens. *Siculus Fl. de condit. agror.* p. 2. *Goes.* V. PLINTHUS.

LĂTĔRENSIS, e, adj. ad latus pertinens, ut Laterensis absolute, est honorarius comes, qui et *a latere* dicitur. V. LATUS, eris; *latero* vero, seu *latro* est minister, qui latera principum virorum custodit. V. LATRO, onis. *Tert. adv. Marc.* 4, 43. de duob. angelis Christum comitantib.: Tot fere laterensibus uti solebat. ℙ Est etiam cogn. R. *Cic. Planc.* 1. M. Juventius Laterensis. Adde *Fam.* 10, 21. et 23. [*Auxit hunc locum *F.*]

LĂTĔRĬCĬUS, a, um, adj. *πλίνθινος*, ex lateribus factus. *Caes. B. C.* 2, 15. Latericii muri; et *ib.* 14. Latericia turris; et *ib.* 9. Ne saxa ex catapultis latericium discuterent: subaudi *opus*. *Suet. Aug.* 28. Urbem excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. ℙ Scribitur et *lateritius*.

LĂTĔRĬNA, ae, f. *πλινθεία*, laterum fictio, latericium opus. *Tert. adv. Marc.* 4, 43. Allegantes Hebraei, mercedes restitui oportere illius operariae servitutis pro laterinis deductis, pro civitatibus et villis aedificatis. ℙ Sunt qui minus recte putant, hic *laterinis* esse pro *latrinis*, et cloacas interpretantur, cum e contrario constet ex *Exod.* *c.* 1. *v.* 14., Hebraeos ab Aegyptiis oppressos fuisse *operibus duris luti et lateris*, h. e. laterum e luto, ad urbes aedificandas. [*Plura h. l. debentur *F.*]

LĂTĔRĬTĀNA pira inter generosissima enumerat *Colum.* 5, 10. *med.* et 12, 10., ubi al. leg. *lateritiana:* videnturque esse eadem, quae *lateriana* dicuntur a *Plin.* 15, 15, 16. et *lateresiana* a *Macr. Sat.* 2, 15. ex *Cloatio.* ℙ [Videntur esse pira ex fundo Laterio, ubi villam habebat Q. Cicero in agro Arpinate, cujus mentio est ap. *Cic. Q. Fr.* 2, 7. et *Att.* 4, 7. *F.*]

*LATERĬUM, i, n. fuit Q. Ciceronis villa in ipsius patria Arpino: quam quum vellet vendere, Arpinatum erat fremitus excitatus. *Cic. Att.* 4, 7. Arpinatum fremitus est incredibilis de Laterio. *Id. Q. Fr.* 3, 1. *med.* In Laterio fui. *B. A.*

LĂTERNĂ, ae, f. *λυχνοῦχος*, instrumentum ex laminis corneis, vel ex alia materia, in quo candela accensa, vel ignis oleo ardens includitur, ne a vento exstinguatur: a *lateo*, quia in ea ignis latet. Primam syllabam longam habet, etsi prima in *lateo* brevis est. *Cic. Att.* 4, 3. *med.* Pauci in vestibulo pannosi sine laterna. Alii leg. *linea laterna*, h. e. lineo velo obvoluta. [*Ita *Orell.* de *Manutii* sententia.] *Val. Max.* 6, 8. *n.* 1. M. Antonius incesti reus agebatur. Cujus in judicio accusatores servum in quaestionem perseverantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam praelatam contenderent. V. v. sq. *Mart.* 14, 61. Dux laterna viae clausis feror aurea flammis: Et tuta est gremio parva lucerna meo. ℙ *Pareus* in *Lex. Crit.* testatur, se in quodam MS. legisse *lanterna*, in illo *Pl. Aul.* 3, 6, 29. de agno macro: Ita is pellucet, quasi lanterna Punica. In *Veg.* quoque similem lectionem adstruit, *Mil.* 4, 18. *f.* In lanternis portant lucernas. Quin apud *Cic.* ex alio MS. legit (*Pis.* 9.) Altero Catilinae lanternario. Etiam *Gloss. Philox.* Lanterna, *φανός*. Nihilominus certior est prior lectio, quae *n* exterit. ℙ *Sen. Contr. praef.* 3. *med.* de Albutio Silo verba faciens, Splendidissimus erat, inquit: idem res dicebat omnium sordidissimas, acetum, et pulejum, et laternas, etc., nihil putabat esse, quod dici in declamatione non posset.

LĂTERNĂRĬUS, ii, m. *λυχνουχοφόρος*, qui alteri laternam praefert. *Cic. Pis.* 9. An cum altero, barbaro Epicureo; cum altero, Catilinae laternario? Al. leg. *lanternario.* V. *Val. Maximi* locum cit. in v. praec.

LĂTERNĬO, onis, m. V. LAVERNA.

LĂTESCO, is, n. 3. *πλατύνομαι*, latus fio. *Colum.* 2, 10. *f.* Napi non in ventrem latescunt, sed tenuem radicem deorsum agunt. *Manil.* 1, 680. bis sex latescit fascia partes. *Cels.* 8, 1. *med.* Ossa paulatim latescentia. ℙ Item condor, latito, abscondor; a *lateo:* prima brevi. *Cic. Arat.* 385. Hic equus a capite, et longa cervice latescit.

LĂTET. V. LATEO.

LĂTEX, icis, m. *ὑγρά*, fons, aqua decurrens: vox poetica. *Festus:* Latex a lapsu, profluens aqua dicitur. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 690. Latex proprie aqua est, ab eo, quod intra terrae venas lateat. Alii ducunt a Graeco *λάταξ*, liquor cum sonore cadens: ita ut *λὰ*, vocula intentiva, frequentiam actionis aquae fluentis, et *τὰξ* sonum liquoris delabentis significet. V. TAX. *Virg. A.* 4, 512. latices simulatos fontis Averni; et *ib.* 6, 715. Lethaei ad fluminis undam Securos latices, et longa oblivia potant. *Ov. Pont.* 3, 1, 17. de tellure Pontica: Nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini. *Id. Met.* 4, 353. Desilit in latices; et *ib.* 5, 636. In laticem mutor. *Lucr.* 4, 1086. expletur laticum frugumque cupido. ℙ Saepe dicitur de vino. *Virg. A.* 1, 690. Regales inter mensas, laticemque Lyaeum; et *ib.* 740. in mensam laticum libavit honorem. *Ov. Pont.* 1, 10, 11. Nectar et ambrosiam, latices epulasque Deorum; et *Met.* 13, 653. Latex meri. *Lucr.* 5, 15. liquoris vitigeni latex. ℙ Item de aliis liquoribus. *Lucr.* 4, 16. perpotare amarum absinthii laticem. *Ov. Met.* 8, 274. Palladii latices, *h. e.* oleum. *Prud. Cath.* 3, 67. nivei latices, *h. e.* lac. *Appul. Met.* 1. lacteum fontis laticem dixit, aquam intelligens gustatus suavissimi. ℙ In feminino genere *Accius* ap. *Prisc.* 5, 658. Non calida latice lautus.

[LATHRĬCUS, i, m. occultus, clandestinus: a *λάθριος*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 682. Q. Titius Lathricus. *F.*]

LATHYRIS, idis, f. *λαθυρὶς*, herba folia habens multa lactucae similia, ut capparis: quae cum inaruere, eximuntur grana piperis magnitudine, candida, dulcia, facilia purgatu. *Plin.* 27, 11, 71. [*Euphorbia Lathyris. *L.*] ℙ [Scribitur etiam *lathyr*, et prima syllaba longa. *Seren. Sammon.* 1099. Aut herbae succus, quae fertur nomine lathyr. Alii leg. *lichen. F.*]

[LATHYROS, i, f. herba, quae et leontopodion, leontopetalon, leontospermon, etc. dicta, Latine autem flammula, teste *Appul. Herb.* 7. *F.*]

[LATHYRUS, i, m. cogn. Ptolemaei octavi, regis Aegypti, qui et Soter II. et Physton est appellatus. Ejus meminere *Mela* 3, 9. et *Plin.* 2, 67, 67. et 6, 30, 35. ℙ Scribitur et *Lathurus. F.*]

LĂTĬĀLIS, e, adj. ad Latium pertinens, Latinus. *Ov. Met.* 15, 481. Accepisse Numam populi Latialis habenas. *Plin.* 3, 1, 3. Latialis sermo. *Lucan.* 1, 198. Et residens celsa Latialis Juppiter Alba; et *ib.* 535. fulmen percussit Latiale caput, *h. e.* signi Jovis Latialis.

LĂTĬĀLĬTER, adv. Latine. *Sidon. carm.* 23, 235. Et te seu Latialiter sonantem, etc. Alii leg. *Latiariter*, quod idem est. *Capell.* 5. *in.* Peplo circa humeros involuto Latialiter tegebatur. *Id.* 6, 192. Latialiter atticissant.

LĂTĬAR, aris, n. *Macr. Sat.* 1, 16. docet ita appellatum fuisse ab Romanis solemne sacrificium, quod a Latinis populis tempore Latinarum feriarum Jovi Latiali fiebat. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. *f.* Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi; ceterum, qui confectum erat Latiar, erat exiturus. V. LATINUS.

LĂTĬĀRIS, e, adj. idem ac Latialis. *Cic. Mil.* 31. Tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Juppiter, etc. Al. leg. *monte Latiari, sancte Juppiter*, h. e. *monte Albano.* [*Illud *Orell.*] *Lactant.* 1, 21. Latiaris Juppiter etiam nunc sanguine colitur humano. *Macr. Sat.* 1, 2. Doctrinae Latiaris haud inscius. Al. leg. *Latialis.* Quod de sacrificio humano hic a *Lactant.* dicitur, confirmatur a *Tert. adv. Gnost.* 7., *Minuc. Fel. Octav.* 30. et *Prud. in Sym.* 1, 397.

LĂTĬĀRĬTER. V. LATIALITER.

LĂTĬĀRĬUS, a, um, adj. Latiaris. *Plin.* 34, 7, 18. Juppiter Latiarius.

LĂTĬBŬLO, as. V. in v. sq.

LĂTĬBŬLOR, aris, dep. 1. lateo, delitesco: ap. veteres. *Naevius* ap. *Non.* 2, 496. Nocte ut opertus amictu latibuletur. *Accius ib.* Progredere: ne quis latibuletur, prospice. ℙ Etiam *latibulo, as*, ponitur a *Non. ib.* et *Perott.* in *Cornucopia* affert hoc fragmentum *Varronis*: Vide, ne servus domino latibulet.

LĂTĬBŬLUM, i, n. *κεῦθος*, locus in quo aliquis latet, latebra: et saepe de ferarum cubilibus dicitur. *Cic. Rabir. Post.* 15. Cum etiam ferae latibulis se tegant. *Id. Vat.* 2. Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, intulisti. Adde *Off.* 1, 4., *Catull.* 63, 54. et *Phaedr.* 2, 8. et 1, 30. ℙ De hominibus. *Cic. Fl.* 13. *extr.* de praedonib.: Defendendi facilis est cautio, non solum latibulis occultorum locorum, sed etiam tempestatum moderatione et conversione. *Id. Att.* 12, 13. *extr.* Volo aliquod emere latibulum et perfugium doloris mei. *Appul. Apol.* Quaerere occoepit ex diffidentia latibulum aliquod temeritati. ℙ In *Not. Tir.* p. 94. legitur *latibulae.*

LĂTĬCLĀVĬĀLIS, e, adj. qui laticlavia tunica est indutus. *Inscr.* ap. *Grut.* 180, 3. Tribunus laticlavialis.

[LĂTĬCLĀVĬUM, ii, n. dignitas ejus, qui laticlavo insignitus est. *Cajus Dig.* 24, 1, 42. Si uxor viro laticlavii petendi causa donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia. *Lampr. Commod.* 4. Paternum per laticlavii honorem a praefecturae administratione submovit. Alii leg. *laticlavi. Schol.* ad *Juven.* 1, 106. Purpura major, laticlavium. *Gloss. Phil.* Laticlavium, *πλατύσημον.* V. LATICLAVUS. *F.*]

LĂTĬCLĀVĬUS, a, um, adj. qui latum clavum habet. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 7. Et tunica laticlavia donatum ad Masinissam remisit. *Suet. Dom.* 10. Laticlavius tribunus. *Petr. Sat.* 32. Laticlavia mappa. V. MAPPA. ℙ *Laticlavii* absolute dicti sunt senatores, et patricii, quorum insigne erat latus clavus in tunica: quam *tunicam potentem* dixit *Stat. Silv.* 4, 2, 29. *Suet. Ner.* 26. A quodam laticlavio caesus. *Id. Aug.* 38. Binos laticlavios praeposuit singulis alis. V. CLAVUS.

[LĂTĬCLĀVUS, i, m. idem ac disjunctim latus clavus. V. CLAVUS. *Inscr.* ap. *Ph. Borker. Vebb., Osserv. sull' agro Troj.* p. 108. Sex. Quinctilius Sex. F. Annius Valerius Maximus laticlavo exornatus a Divo Aug. Nerva, quaestor, etc. *Impp. Valent.* et *Valens Cod. Theod.* 6, 4, 17. Etsi injustum enim, atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum, atque insignia procedere, etc. V. LATICLAVIUM. *F.*]

[LĂTĬFĬCO, as, a. 1. late diduco. *Gloss. Phil.* Latifico, *πλατύνω. F.*]

LĂTĬFOLĬUS, a, um, adj. *πλατύφυλλος*, lata folia habens. *Plin.* 15, 7, 7. Optima laurus ad id latifolia, silvestris, nigra baccis.

LĂTĬFUNDĬUM, ii, n. *εὐρυχωρία*, latus fundus, ampla possessio agri. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 3. Verum confitentibus, latifundia perdidere Italiam, jam vero et provincias. *Petr. fr. Trag.* 77. *Burm.* Latifundia possidere. *Sen. ep.* 88. Latifundia metiri me geometres docet. *Val. Max.* 8, 6. *n.* 1. Amplam pecuniam latifundiaque festinanter consumpsit. Adde *Flor.* 3, 19.

[LĂTĬLOQUENS, entis, m. qui late, seu multum loquitur. *Gloss. Philox.* Latiloquens, *πλατυλόγος. F.*]

LĂTĪNAE, arum, f. plur. subaudi *feriae*, tempus sacrificii solemnis a Latinis populis faciendi. V. LATINUS.

LĂTĪNE, adv. *Λατινιστὶ*, more Latinorum. *Liv.* 40, 42. *f.* Cumanis petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, et praeconibus Latine vendendi jus esset. ℙ *Latine loqui*, est loqui proprie et eleganter. *Cic. Brut.* 45. Eodem tempore M. Hereunius in mediocribus oratoribus Latine, et diligenter loquentibus numeratus est. ℙ Interdum est loqui aperte, clare, plane, nullo astu, nulla malitia, nulla fraude, nulla metaphora, nullo verbi ambigui praetextu. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Latine me scitote, non accusatorie loqui. *Id. Phil.* 7, 6. Quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et Latine loquuntur. *Quint. Decl.* 3, 6. De injuria nostra Latine queri non possumus; parcendum verbis est, *h. e.* de stu-

pro militi a tribuno intentato. ℙ *Latine scire*, est scire Latine loqui. *Cic. Caec.* 19. Quid enim facilius est, quam probari iis, qui Latine sciant in uno servulo familiae nomen non valere? Adde *Brut.* 37. ℙ *Latine reddere*, Latino sermone vertere. *Cic. Or.* 1, 34. Cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem. ℙ Quod ait *Paul.* ex *Festo:* Latine loqui a Latio dictum est: quae locutio adeo est versa, ut vix ulla pars ejus maneat in notitia: illa verba *quae locutio*, etc. ipse *Paulus* de suo protulit, sua nimirum, non *Festi* tempora respiciens, scil. saeculum Christi VIII. ℙ [Comp. *Latinius* ap. *Hieron. in Isaj.* 8, 10. 26, 7. Hujus justi semita recta est, sive, ut verbum novum fingam, rectitudines, quas Graeci vocant *εὐθύτητας*, et nos aequitates Latinius possumus appellare. *F.*]

LĂTĪNI, orum, m. plur. Latii incolae, qui olim Aborigines appellati fuerant: dicti a regione, quam incolebant. Et hoc nomen aeque antiquum est, ac nomen Latii, usitatum usque ab eo tempore, quo Saturnus in Italia latitavit. *Virg. A.* 12, 820. et sqq. Sed *Dionys. Rom. antiq. l.* 1. scripsit, vetus Aboriginum nomen usque ad bellum Trojanum servatum fuisse, idest usque ad expeditionem Graecorum in Asiam; a Latino rege Fauni filio, qui belli Trojani temporibus regnavit, Latinos dici coepisse, statim cum regni potitus est. *Just.* 20, 1. dicit, Latinos populos ab Aenea conditos videri. *Liv.* 1, 2. narrat, Aborigines vocatos fuisse Latinos post bellum Trojanum, facta permixtione ex Aboriginibus, et Trojanis, auctorem nominis Aeneam fuisse, eum utramque gentem Latinos appellavisse, non Trojanos, ante bellum cum Mezentio, ut animos Aboriginum sibi conciliaret. *Virg. l. c.* fabulatur, cum Juno a Jove prohibita esset ulterius pro Turno, et adversus Aeneam progredi, eam petiisse, ut nomen Trojae sempiterna hominum oblivione deleretur, ne Latini vetus nomen, vestem, loquendi rationem mutarent: idque Jovem annuisse. ℙ Latini etiam, ut populi foederati reipubl. Rom. spectantur. Hac acceptione sic definiuntur: Latini erant Latii incolae, populi Rom. foederati, jure Latii donati. Vel Latini erant illi, qui Latium incolebant, et habebant jus census, jus tributorum, jus militiae, jus suffragii, jus honorum. Cives autem jure Latii erant, qui donati fuerant eo jure, quod ante legem Juliam Latinorum proprium fuerat, etsi extra Latium habitarent; cujus generis erant ex gr. Galli, Hispani, etc.

LĂTĪNIENSIS, e, adj. *Plin.* 3, 5, 9. Latinienses populos recenset inter eos, qui ad quinquaginta tres in Latio interiere. Eorum agrum vino nobilem fuisse dicit 14, 6, 8. *n.* 5. quod Latiniense cognominabatur. Hujus agri mentio fit in verbis haruspicum, ap. *Cic. Har. resp.* 10. et in Latio quidem fuisse constat: sed nihil praeterea certi habetur. Veri tamen simile est, quod ad eum locum adnotavit *Manut.*, fuisse in agro Romae suburbano. Ceterum ap. *Cic.* al. leg. *Latiensis*, al. *Latinensis.* [*Retinet vulgatam lectionem *Latiniensi Orell.*, cui tamen *Laviniensi*, quod ed. sive conjectura *Puccii* praebet, vehementer probatur, quam formam, licet *Lavinates*, non *Lavinienses* in *Inscr.* appellentur Lavinii cives, satis esse probam censet: coll. *ib.* cp. 28. §. 62. ubi *Junt. ed.* iterum *Lavinienses* pro vulg. *Latinienses* exhibet.] ℙ [*Latiniensis* est etiam cogn. R., ut Q. Coelius Latiniensis ap. *Cic. Manil.* 19. *F.*]

[LĂTĪNILLA, ae, f. dimin. Latinae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 838, 16. Veneri (lege *Veneriae*) Latinillae Spedius Maternianus maritus. *F.*]

LĂTĪNĪTAS, atis, f. locutio Latina, sermo Latinus. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Secutusque sum, non dico Caecilium, mane ut ex portu in Pireaeum (malus enim auctor Latinitatis est), sed Terentium, cujus fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi. ℙ Accipitur etiam pro jure Latii. *Cic. Att.* 14, 12. *in.* Scis quam diligam Siculos. Multa illis Caesar, neque me invito; etsi Latinitas erat non ferenda, *h. e.* jus Latii, Siculis a Caesare concessum. *Suet. Aug.* 47. Urbium quasdam merita erga populum Rom. allegantes, Latinitate, vel civitate donavit. V. LATIUS.

LĂTĪNIZO, as, a. 1. in Latinum verto. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 1. *extr.* Soranus vero, cujus haec sunt, quae latinizanda suscepimus.

LĂTĪNO, as, a. 1. idem quod latinizo. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. *med.* Cataclysmo utendum, cujus nominis vim praescriptis libris saepius latinavimus.

LĂTĪNUS, a, um, adj. *Λατῖνος*, ad Latium pertinens, ut Latinus sermo, quo utebantur in Latio. *Virg. A.* 1, 10. genus unde Latinum. *Cic. Fin.* 1, 3. *f.* Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam. *Col praef.* 12. Haec in Oeconomico Xenophontis, et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, *h. e.* vertit in Latinum sermonem. ℙ Vertere in Latinum, est in linguam Latinam. *Quint.* 10, 5. Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant. ℙ Latini, populi Latii incolae. V. supra LATINI. ℙ Comp. *Latinior*, et Sup. *Latinissimus. Hieron. ep.* 58. *n.* 9. Nihil Latinius tuis voluminibus. *Id. ep.* 50. *n.* 2. Homo Latinissimus. ℙ *Casus Latinus* interdum dictus est a *Varrone* ablativus, quia Latinae linguae proprius est, ejusque vis apud Graecos per genitivum explicatur. *Diomed.* 1, 277. ℙ *Latinae feriae* dicebantur, cum ex populis Latinis viri simul et mulieres in montem Albanum hostias adducebant, et quatriduano sacrificio noctu (*Lucan.* 1, 550. et 5, 402.) facto in honorem Jovis Latialis, accepta carne in suam quique civitatem digressi revertebantur. Ea dicta visceratio, quoniam ex hostiis carnes in partes caesae distribuerentur. Ferias autem Latinas maximo Romanorum, Latinorumque magistratuum conventu, consules procurabant, cum interea cum populo agere non liceret, ut ob eam causam Latinae aliquando a consulibus instaurarentur, cum tribunis pleb. obsistere vellent, populares leges, et reipubl. perniciosas ferre cupientibus. Itaque *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Consul Lentulus dies comitiales exemit omnes. Nam etiam Latinae instaurantur. Nec tamen deerant supplicationes. Sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis. Haec *Cic.* Instaurabant Latinas etiam pontifices, ut *Liv.* 32, 1. tradit. Id autem fiebat, quasi jam faciendis iis aut praetermissum aliquid esset, aut, quod non oporteret, commissum. ℙ Primus eas in unum diem Tarquinius Superbus instituit, secundus dies additus pulsis regibus, tertius post secessionem in Aventinum, quartus plebe et patribus a Dictatore Camillo in concordiam reductis. Non habebant certum statumque diem, ideoque *conceptivae* dicebantur: nam legimus ap. *Liv.* 41, 16. celebratas fuisse III. Nonas Maji; et 44, 22. prid. Idus Aprilis; et 45, 3. a. d. IV. Id Novemb. In iis quadrigae certabant in Capitolio, victorque absinthium bibebat: credo, inquit *Plin.* 27, 7, 28., sanitatem praemio dari honorifice arbitratis majoribus. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 140. ℙ *Latinorum concilium* erat congregatio populorum Latii veteris, idest Albanorum, et Rutulorum, in lucum Ferentinae, qui erat sub monte Albano, ubi de negotiis publicis consultabant, et peracta consultatione duos praetores creabant, qui rempubl. Latinam administrarent. Fuit simile concilio Amphictyonum in Graecia. *Liv.* 8, 2. et 3. et 7, 25. V. *Sigon. de antiq. jure Italiae* 1, 3. ℙ Celebratum fuit usque ad consulatum M. Valerii Maximi, et P. Decii Muris, idest usque ad annum Urbis CCCCXLII. *Festus* in voce *Praetor* ex *cincio. Sigon. l. c.* ℙ *Latina via* (quae et *Latina* absolute, ap. *Juven.* 1. *extr.*) a porta ejusdem nominis in Latinos populos ducebat inter Appiam, et Labicanam, *h. e.* per Ferentinum, Aquinum, Casinum, Teanum Sidicinum, et Casilinum, ubi cum Appia jungebatur. *Cic. Cluent.* 59. Binnius quidam, copo de via Latina. ℙ *Porta Latina*, Romae fuit in I. Reg. in Coeliolo, prope Capenam, ubi nunc Aedes S. Joannis ante portam Latinam. ℙ [*Latini Juniani* dicti sunt, qui ex lege Junia Norbana, quae lata est an. U. C. 772. Junio, et Norbano Coss., cum servi antea fuissent, inter amicos manumissi fuerint: hi tamen patria libertate minime gaudebant, eorumque bona in censum non ferebantur. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 56. Per legem Juniam ii omnes, quos praetor in libertate tuebatur, liberi esse coeperunt, et appellati Latini Juniani: Latini ideo, quia lex eos liberos perinde esse voluit, atque si essent cives R. ingenui, qui ex urbe Roma in Latinas colonias deducti Latini coloniarii esse coeperunt; Juniani ideo, quia per legem Juniam liberi facti sunt, etiamsi non cives R. *Plin. ep.* 10, 105. *ad Trajan.* Valerius, Domine, Paullinus, excepto uno, jus Latinorum suorum mihi reliquit: ex quibus rogo tribus interim jus Quiritium des. ℙ Comp. *Latinior* ap. *M. Aurel.* inter *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2. *ep.* 6. Nihil ego unquam cultius, nihil Latinius legi. V. et §. 4. *F.*]

LĂTĪNUS, i, m. *Λατῖνος*, rex Aboriginum, seu Laurentium. Stupro procreatus est ex Hercule, et filia Fauni, eo tempore, quo ille, exstincto Geryone, armenta victoriae praemia per Italiam ducebat. *Just.* 43, 1. Sed *Dionys. Rom. Antiq. l.* 1. tradit, fuisse filium Herculis et mulieris Hyperboreae; Herculem, cum ex Italia discederet, mulierem Hyperboream jam praegnantem Fauno in matrimonium reliquisse. *Virg. A.* 7, 47. tradit, Latinum filium fuisse Fauni ex Marica Nympha Laurente, nepotem Pici, pronepotem Saturni. *Serv. ib.* et ad *ib.* 12, 164. ex *Hesiodo* narrat, fuisse filium Ulyssis, et Circes filiae Solis, Circen a nonnullis Maricam appellari, Maricam Deam fuisse litoris Minturnensium prope Lirim fluvium, poetica licentia Laurentem dici pro Minturnensem: alios Maricae nomine Venerem intelligere, cujus fanum fuerit ad Maricam silvam Latii apud Minturnas, et ad Lirim fl. *Hyg.* ap. *Serv. ib.* vult, Latinos plures fuisse. Similiter alii Maricas plures fuisse suspicantur. Uxorem habuit Amatam sororem Dauni regis Ardeatium. *Virg. A.* 7, 343. et 401., etc. Sed quidam ap. *Varr. L. L.* 4, 8. dicunt, Latino uxorem fuisse Pallantiam Evandri filiam. Hoc tenente regnum Aeneas, Troja a Graecis expugnata, in Italiam venit, cui pars agri Laurentis, et Lavinia in matrimonium data est. Latinus interiit in proelio cum Rutulis. *Liv.* 1, 2., *Just.* 43, 1.

LĀTĬO, onis, f. actus ferendi. *Cic. Att.* 3, 26. Mihi in animo est, legum lationem exspectare. *Liv.* 38, 36. Pronunciavit, ut iis suffragii latio esset. [*cf. 45, 15. et 2, 33. Latio auxilii.] *Gell.* 14, 2. Expensi latio, [*i. e. solutae pecuniae inscriptio in tabulas.]

LĀTĬPES, ĕdis, adj. qui latos pedes habet. *Avien. progn. Arat.* 358. Latipedemque anatem cernes excedere ponto.

LĀTĬTĂBUNDUS, a, um, adj. qui latet. *Sid. ep.* 1, 6. *f.* Nobilem latitabundum pauperis honorati sententia premet.

LĀTĬTANS, antis, part. a *latito*, qui saepe latet: vel idem quod latens. *Cic. Cluent.* 13. *med.* Extrahitur domo latitans Oppianicus a Manilio. *Caes. B. C.* 2, 4. Communi fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusque exterreamur. [**Moebius* v. *latitantibus*, ut parum convenientem loci sententiae, aut glossam censet v. *invisis*, aut corruptam ex *late distantibus*; coll. *ib.* cp. 3. *extr.*] *Hor. Od.* 3, 12, 10. Celer alto latitantem Fruticeto excipere aprum. *Ov. Met.* 10, 449. tegunt nigrae latitantia sidera nubes. *Lucan.* 6, 712. Latitans in antro.

LĀTĬTĀTĬO, onis, f. actus latitandi. *Quint.* 7, 2. *med.* Sonus, clamor, gemitus, latitatio, metus, similia.

*LĀTĬTĀTOR, oris, m. ap. *August. B. A.*

[LĀTĬTĬA, ae, f. latitudo. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 119. L. Septimus Severinus Aug. Lib. fecit munimentum a solo cum agello concluso sibi et suis libertis libertabusque posterisque eorum: habet autem agellus conclusus latitiae P. LXXV., longitiae P. CXXXVII. H. L. E. N. H. *h. e. hic locus externum non habet*, scilicet, non recipit, non admittit. *Auct. rei agrar.* p. 222. *Goes.* Casa fines quam maxime in longum habens, in latitia breviores. Adde p. 241. *F.*]

LĀTĬTO, as, avi, atum, n. 1. *διαλανθάνω*, frequent. a *lateo*, et ejusdem fere significationis. *Cic. Dom.* 31. Jube adesse: latitat omnino: sed si requiri jusseris, invenient. *Lucr.* 1, 888. latitare in terris. *Ov. Met.* 4, 405. Fumida jamdudum latitant per tecta sorores. *Pl. Trin.* 4, 2, 81. Ille ignavissimus mihi latitabat. *Petr. Sat.* 116. Quisquis suos heredes habet, omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat, *h. e.* jacet neglectus et abjectus. ℙ Peculiariter de iis dicitur, qui se abscondunt vitandi judicii causa, et secum jure agendi potestatem non faciunt. *Cic. Quint.* in verbis edicti praet. 19. Qui fraudationis causa latitarit. *Id. ib.* 17. Si latitare, ac diutius ludificare videatur. De allatis praetoris verbis multa *Ulp. Dig.* 42, 4, 7. ℙ *Latitare aliquem*, occultare se ab aliquo. *Pomp. Dig.* 35, 1, 8. Si ea latitans patronum de medio discesserit. ℙ *Cato* ap. *Fest.* posuit *lātĭtāvērunt* pro saepe tulerunt, frequent. a supino *latum*, verbi *Fero.*

LĀTĬTŪDO, inis, f. *πλανύτης, πλάτος*, spatiositas. *Cic. N. D.* 1, 20. In hac immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum. *Id. Agr.* 2, 26. Qui latitudinem possessionum tueri, qui invidiam Sullanorum agrorum ferre non possunt. *Col. Arb.* 17. Crescere in latitudinem. *Plin. prooem.* 3. Fauces Oceani quinque millia passuum in latitudinem patent. *Id.* 18, 13, 34. Aut in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari. ℙ Translate. *Plin. ep.* 1, 10. Frequenter Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit, *h. e.* amplitudinem, ubertatem dicendi. ℙ *Latitudo verborum* est eorum lato ore prolatio. *Cic. Or.* 2, 22. Nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur: oris pravitatem, et verborum latitudinem imitatur.

LĂTĬUM, ii, n. regio Italiae, ab Occ. habens Etruriam, a Mer. mare, ab Or. Campaniam, a Sept. Sabinos, et Samnites. Dictum est a *latendo*, quod ibi Saturnus latitarit. *Virg. A.* 8, 322., *Ov. Fast.* 1, 238., *Arnob.* 4, 143., *Lact.* 1, 13. et *Minuc. Fel. Oct.* 22. Sed *Varro L. L.* 4, 4. a Latino rege dictum asserit. ℙ Triplex est, antiquissimum, antiquum seu vetus, et novum sive adjectum. *Antiquissimum* est, quod una cum Rutulis, Aeneae, et posteris ejus paruit. At partim sub regibus Romanis, partim post illos *vetus Latium* Circejos habuit terminos; teste enim *Plin.* 3, 5, 9., Latium antiquum a Tiberi Circejos servatum est. *Novum* vero adjectum est, cum Aequi, Volsci, Hernici, Aurunci devicti Latinorum nomine Latio contributi sunt: tandem, ut ait *Plin. ib.* nomen Latii processit ad Lirim amnem: oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio. ℙ Latii descriptionem geographicam, et aliarum circa regionum, poeticis coloribus depictam habes a *Virg. A.* 7. a *v.* 647. et *Sil.* 8. a *v.* 358.

LĂTĬUS, a, um, adj. ad Latium pertinens, Latinus, Romanus. *Colum. prooem. l.* 1. *med.* Latiae Musae. *Ov. Fast.* 1, 1. Latius annus. *Id. Trist.* 3, 12, 46. Juppiter. *Id. Fast.* 5, 91. Latii agri.

Val. Fl. 2, 245. fasti. *Ov. Met.* 1, 560. duces; et 14, 832. Latia gens. *Id. Fast.* 4, 879. Amata. *Id. Pont.* 2, 3, 75. lingua. *Id. A. Am.* 1, 414. vulnera, *h. e.* Romanis militibus inflicta. *Id. Trist.* 4, 4, 4. Latium forum, *h. e.* ubicumque Romae causae aguntur. Sed ap. *Stat. Silv.* 1, 1, 2. est forum Romanum. ℙ *Latium jus*, et *jus Latii* erat, quo utebantur populi Latini nominis in administratione publica, in adipiscenda civitate R., in suffragiis ferendis, in honoribus petendis, in connubiis, etc., de quo V. *Sigon. de antiq. jure Ital. l.* 1. *c.* 4. fuse disserentem. *Ascon. Argum. Pisonianae.* Pompejus veteribus incolis jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceterae Latinae coloniae. ℙ Absolute *Latium* idem est ac *jus Latii. Tac. H.* 3, 55. Foedera sociis, Latium externis dilargiri. *Plin.* 5, 2, 1. Latio dato. *Id.* 3, 1, 3. Latio donata oppida.

LATMĬUS, a, um, adj. a Latmo monte. *Ov. A. Am.* 3, 84. Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori. *Val. Fl.* 8, 28. Latmius venator.

LATMUS, i, m. *Λάτμος*, mons Cariae, in Ioniae confinio, apud Maeandri fl. ostia, et Miletum urb., juxta quem Heraclea urbs inter Maeandrum, et Miletum sita est. Celebris est fabula Endymionis, quem cum Luna adamaret, in hoc monte ab ea sopitum narrant, ut unum ab eo osculum auferret. *Cic. Tusc.* 1, 38. **Mela* 1, 17. *Plin.* 5, 29. ℙ Latmus etiam dicta est prius Heraclea, a Latmo sc. monte vicino. *Plin. ib.* V. et *Strab.* 14. p. 942. ed. *Almelov. B. A.*

LĀTO, *Ληιώ*, hoc est Latona. V. CELATO.

[LĀTOBĬUS, ii, m. Deus in *Carintia* veneratus, qui sanitati praecrat. Creditur Apollo, idest Latorius, sive Latoius. *Inscr.* ap. *Grut.* 87, 7. Latobio sac*rum* pro salute Nam. Sabiniani. Alia ap. *eund. ib.* 8. Latobio Aug. sac*rum. F.*]

*LATOBRĪGI, orum populi Galliae Belgicae, in agro Helvetico. *Caes. B. G.* 1, 5. 28. et 29. *B. A.*

LĀTOĪDES, ae, m *Λατωΐδης*, Latonae filius, *h. e.* Phoebus. Poetica licentia secunda syllaba corripitur. *Stat. Th.* 1, 695. Latoiden votis iterumque iterumque canamus. Adde *ib.* 663. et *Capell.* 3. *in.* ℙ *Latoidae* in plur. sunt Phoebus, et Diana, Latonae filii. *Auson. epitaph. n.* 27. de Niobe: laesi numina Latoidum, pro *Latoidarum.*

LĀTOĬS, idis, f. *Λατωΐς*, Diana filia Latonae. *Ov. Her.* 21, 153. timeo saevae Latoidos iram. ℙ Legitur et *Letōis*, quia Graecum *η* in *Ληιὼ* saepe in Latinum *e* transit. *Ov. Met.* 8, 278. Praeteritae cessasse ferunt Letoidos aras. ℙ Adjective. *Id. ib.* 7, 384. Inde Calaureae Letoidos adspicit arva, *h. e.* quae Latonae sacra est. ℙ Sic *Letoius* pro *Latoius* ap. *eund. ib.* 15. proles Letoia; et *ib.* 11, 196. Laomedonteis Letoius adstitit arvis, *h. e.* Phoebus.

LĀTOĬUS, a, um, adj. *Λατώιος*, ad Latonam pertinens, Latonius. *Ov. Trist.* 3, 2, 3. stirps Latoia; et *ib.* 5, 1, 57. Latoia proles. Al. utroque loco leg. *Latonia. Capell.* 2. *f.* Chelys Latoia. ℙ Legitur et *Letoius*, et *Letous.* V. in v. praec. et in LETHAEUS. ℙ **Letoia*, sc. insula, in mari fuit Ionio, prope Cephalleniam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LĀTŌMĬAE, arum, f. plur. V. LAUTUMIAE.

LĀTONĀ, ae, f. *Ληιώ*, filia Cei Titanis. A Jove tertio amata et compressa geminam concepit prolem, Apollinem, et Dianam secundam. Quod Juno adeo aegre tulit, ut pellici omni terra ad pariendum interdixerit, et immisso contra illam Pythone serpente per totum terrarum orbem persecuta sit, donec errando ad sororem Asterien in insulam Ortygiam pervenit, a qua suscepta est, ibique Dianam peperit, quae e vestigio obstetricis officium in nascituro fratre matri praestitit, et Apollinem nascentem suscepit, qui adultus mox Pythonem interfecit, et petentibus coepit dare responsa. Deinceps haec insula Delos vocari coepit, quod cum antea aquis mersa fuisset, subito Jovis jussu conspicua fuerit reddita. Nam *δηλοῦν* Graeci dicunt, quod nos *ostendere.* Dicta etiam est Latonia, quod in ea Latona enixa sit. Fabulantur etiam, cum Latona per Lyciam Apollinem, et Dianam adhuc infantes ferret, et ad lacum quendam siti laborans accessisset, rusticos quosdam aquam turbavisse, Latonam rusticis interitum precatam esse, rusticos in ranas versos lacum incolere coepisse. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. et *N. D.* 3, 23., *Hyg. fab.* 14., *Ov. Met.* 6, 331. et *sqq.* etc. *Virg. A.* 1, 506. Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. *Catull.* 34. ad Dian.: Latonae laudes persequitur. ℙ *Latonas* in genit. sing. ut *Monetas*, *Familias*, etc. *Livius Andron.* in *Odyss.* ap. *Prisc.* 6, 679. Mercurius, cumque eo filius Latonas. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 2, 1. p. 21. sq.]

LĀTONĬGĒNĀ, ae, m. et f. Latona genitus. *Ov. Met.* 6, 160. Et date Latonae, Latonigenisque duobus Cum prece tura pia, *h. e.* Apollini, et Dianae. Sic *Sen. Agam.* 320. Latonigenae Dii.

LĀTONĬUS, a, um, adj. ad Latonam pertinens. *Virg. G.* 3, 6. Latonia Delos. *Id. A.* 11, 557. virgo, *h. e.* Diana. *Tibull.* 3, 4, 29. Luna. *Colum.* 10, 288. Phoebe. *Stat. Th.* 1, 701. Cynthus Latonius, *scil.* mons Deli, ubi Latona peperit. ℙ *Latonia*, absolute, est Diana. *Virg. A.* 9, 405. Astrorum decus, et nemorum Latonia custos; et *ib.* 11, 534. et has tristi Latonia voces Ore dabat. *Catull.* 34, 5. O Latonia, maximi Magna progenies Jovis. Adde *Ov. Met.* 1, 696. et *Stat. Th.* 9, 679.

*LATOPOLIS, is, f. *Ληιοῦς πόλις Ptolemaeo*, urbs Aegypti inferioris. Hinc *Latopolites nomos*, regio circa Latopolim, ap. *Plin.* 5, 9. ℙ Latopolis, *Λατόπολις*, urbs Aegypti superioris, a *λατὸς* pisce sic dicta. Meminit *Strabo* et *Aut.* in *Itin.* ubi *Lato* dicitur, vocabulo breviato. Similiter truncata leguntur vocabula *Cyno*, *Lyco*, etc. pro *Cynopolis*, *Lycopolis*, etc. *B. A.*

LĀTOR, oris, m. qui fert. *Sen. Tranqu.* 5. Debet plus virium esse in latore, quam in onere. Al. rectius leg. *actore.* ℙ *Lator legis* est, qui legem vel instituit, vel promulgat. *Liv.* 3, 31. *f.* Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet; et *ib.* 9. Lator rogationis. *Cic. Cat.* 4, 5. legis Semproniae.

LĀTOUS, i, m. Apollo dictus est, Latonae filius. *Hor. Od.* 1, 31, 18. Frui paratis et valido mihi, Latoe, dones. Adde *Ov. Met.* 6, 384.

*LATOVĪCI, orum, *Λατοβίκοι*, populi Pannoniae, de quibus *Plin.* 3, 25. *B. A.*

LATRĀBĬLIS, e, adj. ad latratum pertinens. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 11. Vox latrabilis, *h. e.* quae latrare videtur.

LATRANS, antis, part. a *latro.* Pro cane. *Ov. Met.* 8, 411. Misit et Aesonides telum, quod casus ab illo Vertit in immeriti fatum latrantis; et *ib.* 344. de apro: obliquo latrantes dissipat ictu. *Phaedr.* quoque eodem modo fortasse usurpat 5, 10. et *Petr. fr. Trag.* 72. *Burm.*

*LATRATĬO, onis, f. *Mart. Capell. B. A.*

LATRATĬUNCŪLA, ae, f. Est fragmentum *Afranii* ap. *Non.* 4, 89., ubi haec vox legi videtur. Sed cum nulla subsit sententia, alii reponunt *de ratiuncula.*

LATRĀTOR, oris, m. *θωϋκτὴς*, qui latrat. *Virg. A.* 8, 698. Et latrator Anubis. *Mart.* 12, 1. latratoresque Molossi. V. in VENATOR similia loca. ℙ Translate est rabula molestus, et maledicus. *Quint.* 12, 9. *med.* Super omnia perit illa, quae plurimum oratori et auctoritatis, et fidei affert, modestia, si a viro bono in rabulam latratoremque convertitur.

LATRĀTUS, a, um, part. a *latro. Stat. Achill.* 1, 451. juxtaque Caphareus Latratum pelago tollens caput, *h. e.* fragore et quasi latratu fluctuum pulsatum, et circumsonum. *Mart.* 4, 53. Cui dat latratos obvia turba cibos, *h. e.* latratu petitos.

LATRĀTUS, us, m. *ὑλαγμὸς*, *ὑλακὴ*, vox canum, latrandi actus. *Plin.* 8, 40, 61. Laniatu et latratu adactum, ut cogeretur fateri scelus; et *ib.* Ingenti latratu intonuit. *Virg. G.* 3, 411. apros Latratu turbabis agens. *Id. A.* 12, 751. Venator cursu canis, et latratibus instat. *Colum.* 7, 12. Canis vasti latratus canorique. *Ov. Met.* 7, 414. implevit latratibus auras; et *ib.* 7, 362. latratu terrere agros; et *ib.* 4, 450. latratus edere.

LATRĪNA, ae, f. *λουτρὸν*, *ἀπόλουτρον*, olim notabat balneum privatum, a *lavando*, quasi *lavatrina*, ut *tonstrina* a *tondeo. Lucil.* ap. *Non.* 3, 131. ℙ Aliis locum notat, in quem saturi eunt. Qua significatione fortassis a latendo dicitur, quod in eam sese homines abdant, ne conspiciantur. Item locum in aedibus, in quem sordes confluunt, et differt a cloaca, quae publica est. *Pl. Curc.* 4, 4, 24. Non pluris facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat. Ubi *Lambinus* locum excrementorum, sed *Turneb.* 21, 20. privatum intelligit balneum. *Suet. Tib.* 58. Capitale esset, nummo, vel anulo effigiem *(Tiberii)* impressam latrinae, aut lupanari intulisse. Adde *Ner.* 24. *Appul. Met.* 1. de homine lotio perfuso: Apage te, foetorem extremae latrinae; et *ib.* 9. Omnia prorsus ut in quandam coenosam latrinam, in ejus animum confluxerant vitia. *Colum.* 10, 85. Immundis quaecumque vomit latrina cloacis. ℙ [Translate accipitur pro fornice meretricio. *Tert. Pall.* 4. *med.* Adspice lupas popularium libidinum nundinas: et cum latrinarum antistes sericum ventilat, et immundiorem loco cervicem monilibus consolatur, etc. *F.*]

LATRĪNUM, i, n. latrina, balneum. *Laber.* et *Lucil.* ap. *Non.* 3, 131.

[LATRIS, ĭdis, f. *λάτρις*, serva, ancilla: a *λατρεύω*, servio. Nomen proprium muliebre ap. *Prop.* 4, 7, 75. Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu, Ne speculum dominae porrigat ille novae. *F.*] **Latris*, *is*, f. insula Germaniae septentrionalis. *Plin.* 4, 13. ℙ *Harduino*, *Cluverio. Cellario*, hodierna insula est *Oesel; Mannertio* aliisque *Zealand. Nigerus* putabat hodiernum *Groszwerder* esse; *Ortelius* autem *Frischnarung.* ℙ *Latris*, *is*, m. dux Iberorum, in auxiliis Persae contra Aeeten. *Val. Fl.* 6, 121. *B. A.*

LATRO, as, avi, atum, n. 1. *ὑλακτέω*, proprium est canis, cum vocem edit, terrens et in aliquem impetum faciens: a sono, ob liquidam *r. Cic. Rosc. Am.* 20. Si luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint. *Hor. Epod.* 5, 57. Senem adulterum Latrent Suburanae canes. *Plin.* 25, 10, 78. *med.* Hanc habentes negant latrari a canibus. ℙ Impersonaliter. *Ov. Trist.* 2, 459. Scit, cui latretur, cum solus obambulat ipse. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 15. Latrant jam quidam oratores, non loquuntur, *h. e.* aspere loquuntur, et suaviloquentia carent. ℙ Latrare aliquem, est maledicere. *Pl. Poen.* 5, 4, 64. Etiam me meae latrant canes? Al. leg. *in me.* [*Eodem modo *latrare* pro *allatrare*, c. quarto casu positum est ap. *Hor. Epod.* 5, 57. et *Ep.* 1, 2, 66. Laudat haec *Heindf.* ad *Ejusd. Sat.* 2, 1, 85. ubi nunc pro *latraverit* ex optimis edd. leg. *laceraverit*, duce Bentlejo, qui probe doce, v. *latrare*, ut de canibus timidis, nonnisi voce persequentibus, usitatum, translata significatione ad eos tantum pertinere, qui invidiose et ignave in bonos viros fortesque invehantur.] ℙ Sumitur et pro poscere. *Lucr.* 2, 17. nonne videre est, Nil aliud sibi naturam latrare, nisi, ut, etc.? *Festus* quoque notat, *Ennium* latrare pro petere usurpasse. Hinc et stomachus *latrare* dicitur, cum est jejunus, et cibum poscit, veluti fame irritatus. *Hor. Sat.* 2, 2, 17. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet. ℙ Saepe de mari dicitur, quod fluctus allidens ad litora et scopulos, fragorem edit. *Sil.* 5, 396. Ceu pater Oceanus exesa in viscera montis Contortum pelagus latrantibus ingerit undis. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 148. Hinc latrat Gaetula Thetis, Lilybaeaque pulsat Brachia consurgens. *Id. Epithal. Pallad. et Celer.* 61. rubris quae fluctibus insula latrat. *Sil.* 3, 470. de amne: Alpibus ortus, Avulsas ornos, et adesi fragmina montis Cum sonitu volvens, fertur latrantibus undis. In illo *Lucani* 6, 66. *rabidum nescit latrare Pelorum*, alluditur tum ad strepitum maris, tum ad Scyllae fabulam, quam ibi esse ajunt, Candida succinctam latrantibus inguina monstris, ut est ap. *Virg. Ecl.* 6, 75. ℙ Item de curis, et angore animi. *Stat. Silv.* 2, 1, 13. stat pectore demens Luctus, et admoto latrant praecordia tactu. *Id. Th.* 2, 338. et magnas latrantia pectora curas. *Petr. Sat.* 119. labes tacitis concepta medullis, Intra membra furens curis latrantibus errat. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Animus cum pectore latrat, *h. e.* irascitur, et vociferatur. Al. leg. *in pectore.* ℙ *Latrare nubila*, ap. *Stat. Th.* 1, 551. potest habere speciem proverbii, ut apud nos, *den Mond anbellen.* ℙ Prima syllaba perraro a poetis corripitur. *Phaedr.* 5, 10. cui senex contra latrans. *Avien. Arat.* 283. et cura latrantis Anubis. Haec tamen observatio in derivatis, et compositis locum non habet.

LATRO, onis, m. Latrones primo fuere conducti satellites, et custodes corporis, *ωματοφύλακες*, qui regis latus custodiunt, ipsumque prodeuntem comitantur: quasi *laterones:* a *latus*, *eris. Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos postea a stipatione stipatores appellarunt, et quia conducebantur mercede. Ab eo veteres poetae nonnunquam milites appellant latrones, *μισθαρνοι. Enn.* ap. *Non.* 4, 196. Haec effatus ubi, latrones dicta facessunt. *Festus:* Latrones, eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, *ἀπὸ τῆς λατρίας*, *h. e.* a servitute. Al. leg. *ἀπὸ τοῦ λάτρου*, a stipe. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 7. Graeci *λατρεύειν* dicunt obsequi et servire mercede. Unde latrones vocantur conducti milites. Moris autem erat, ut hos imperator et circa se haberet, et eos primos mitteret ad omne discrimen. *Pl. Mil.* 4, 1, 2. ad Seleucum regem misi parasitum meum, Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret, Qui ejus regnum tutarentur. ℙ Dicti sunt etiam *latrones* milites, qui nullo legitimo duce, suis auspiciis injustum bellum gerebant, incursionesque, et cetera hostilia faciebant. *Pomp. Dig.* 50, 16, 118. Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus: ceteri latrones, aut praedones sunt. *Ulp. ib.* 9, 15, 24. A latronibus captus, servus latronum non est, nec postliminium est illi necessarium: ab hostibus captus, et servus est hostium, et postliminio statum recuperat pristinum. *Auct. B. Hisp.* 1. Ut ex ejus pecunia latronum largitio fieret. *Caes. B. C.* 3, 109. *extr.* Ut potius privatorum paucorum, et latr[o]num consilio, quam regio susceptum bellum videretur; et *ib.* 110. Collecti ex praedonibus latronibusque Syriae. Adde *Cic. Off.* 2, 11. et *Hor. Epod.* 4. *extr.* ℙ Nunc, inquit *Festus sup. cit.*, viarum obsessores dicuntur, *ὁδοιδόκοι*: quod a latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur. Confirmat *Serv. l. c. Cic. Mil.* 21. Non semper viator a latrone: nonnunquam etiam latro a viatore occiditur. *Hor. Ep.* 1, 2, 32. Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones: ut te ipsum serves, non expergisceris? *Juven.* 10, 22. Cantabit vacuus coram latrone viator. ℙ Est etiam sicarius. *Val. Max.* 5, 9. *n.* 4. de filio vitae patris insidias molienti: Nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans. ℙ Etiam venatores *latrones* dici possunt, quia quod hi cum hominibus, illi cum feris

faciunt. *Virg. l. c.* de leone: fixumque latronis Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento. ℙ *Phaedr.* 1, 1. latronem vocat lupum, quia insidiatur ovilibus. ℙ Denique *latrones* sunt iidem qui latrunculi, seu calculi lusorii; de quibus V. CALCULUS. *Ov. A. Am.* 3, 357. Cautaque non stulte latronum proelia ludat. *Mart.* 7, 72. Mandris, et vitreo latrone clausos. *Id.* 14, 20. Insidiosorum si ludis bella latronum. ℙ Est etiam cogn. R. V. LATRONIANUS.

LATROCĪNĀLIS, e, adj. ad latrones pertinens. *Appul. Met.* 2. Id omne latrocinalis invasit manus; et *ib.* 4. Capto noctis latrocinali momento, prorepit cavea, custodes gladio conficit. *Ammian.* 27, 2. Latrocinalia castra perrupit.

LATROCĪNĀLĪTER, adv. latrocinando. *Capell.* 6, 206. Hercules Ionam Naulochi filiam obsidentem viam latrocinaliter interemit.

LATROCĪNĀTIO, onis, f. idem ac latrocinium. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Multitudinis innumerae saeva latrocinatio.

*LATROCĪNĀTOR, oris, m. i. q. latro, in *Digest. B. A.*

LATROCĪNĀTUS, a, um. V. LATROCINOR.

LATROCĪNĬUM, ii, n. militia latronum, qui corpus principis custodiunt, ut in LATRO dictum est. *Pl.* ap. *Non.* 2, 508. Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti. ℙ Item eorum qui illegitimum bellum privata auctoritate collecta manu, nullo duce publice dato, movent, et incursiones, direptiones, ceteraque hostilia admittunt, ut itidem in LATRO diximus: item eorum, qui vias obsident, palam aggrediuntur homines, spoliant, occidunt, *λῃστήριον*. *Cic. Cat.* 2, 1. Cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. *Id. Dejot.* 8. Fines suos ab excursionibus hostium, et latrociniis tueri. *Caes. B. G.* 6, 34. In bello et latrociniis nati. *Tac. A.* 12, 27. Catti latrocinia agitantes. *Plin.* 6, 28, 32. In latrociniis degere. *Sall. Jug.* 102. Pugna latrocinio magis, quam proelio similis. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. Sublata Mysiae latrocinia, caedes repressas; et *mox:* Oppidorum et fanorum furta et latrocinia esse depulsa. *Caes. B. G.* 6, 15. In furto aut latrocinio comprehensi. ℙ De ipsis latronibus, ut *servitium* de servis. *Cic. Cat.* 1, 13. Si ex tanto latrocinio iste unus tolletur. ℙ Dicitur et de piratica. *Just.* 43, 3. Latrocinio maris vitam tolerabant. *Vell.* 2, 73. Latrociniis ac praedationibus infestatum mare. ℙ Translate est fraus, insidiae, vis, violentia. *Sall. Jug.* 4. Furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia et honores niti. *Cic. Rosc. Am.* 22. Confitere, huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum. ℙ De ludo latrunculorum. *Ov. A. Am.* 2, 207. Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus, *h. e.* sub imagine pugnae: nam latrunculi dicti, quia instar parvorum militum proelium ineunt.

LATROCĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. mercede conductus milito. V. LATRO. *Pl. Trin.* 2, 4, 198. Ibit latrocinatum aut in Asiam, aut in Ciliciam. *Id. Mil.* 2, 6, 19. An quia latrocinamini, arbitramini, Quidvis licere facere vobis, verbero? *Id. fr.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Qui regi latrocinatus annos decem Demetrio. ℙ Item latrocinium exercere, vias obsidendo, aggrediendo aperta vi homines, spoliando, occidendo, praedas agendo, *λῃστεύω*. *Cic. Cat.* 2, 7. *f.* Catilina latrocinantem se interfici mallet, quam exsulem vivere. *Id. Mil.* 7. Nisi forte Appius viam munierit, ubi impune sui posteri latrocinarentur. *Hirt. B. G.* 8, 32. Liberam vagandi latrocinandique facultatem habere. ℙ Pro venari. *Plin.* 9, 42, 57. Pastinaca latrocinatur ex occulto, transeuntes *(pisces)* radio figens. ℙ Part. *Latrocinans* ap. *Cels. praef.* 1. *med.* Itaque demum mortui praecordia, et viscus omne in conspectum latrocinantis medici dari, *h. e.* vivorum corpora secantis.

LATRONIĀNUS, a, um, adj. ad Latronem oratorem pertinens. *Sen. Contr.* 1, 7. *f.* Latroniano colore usus est. *M. Porcius Latro*, genere Hispanus, carissimus M. Annaei Senecae sodalis, ut ipse dicit *Contr.* 1. *praef.*, primus clari nominis professor, ut ait *Quint.* 10, 5. *med.* et clarus inter dicendi magistros, ut est ap. *Plin.* 20, 14, 57. miris extollitur laudibus ab eodem *Sen. l. c.* Nihil enim, inquit, illo viro gravius, nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. V. ibi plura, et in *praef. l.* 4. et 5. et alibi saepe. Exstat ejus nomine declamatio contra Catilinam, quam tamen *Voss. de vit. serm.* 3, 6. non Latronis, sed alius non insulsi rhetoris esse putat, qui posteriore tempore vixerit. Nam praeter declinantis Latinitatis argumenta non una, legitur c. 2. vox *coaetaneus*, quae auream Augusti aetatem, qua Latro floruit, minime sapit.

*LATRUM, i, n. Moesiae inferioris oppidum. *Tab. Peut.* ℙ *Latris* occurrit in *Notit. Moesiae Secundae*, sexto, ut videtur, casu numeri pluralis. *B. A.*

LATRUNCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad latrunculos, seu calculos pertinens. *Sen. ep.* 117. *f.* Latruncularia tabula.

LATRUNCŪLĀTOR, oris, m. *λῃστοδιώκτης*, qui ad conquirendos, et persequendos latrunculos a principe mittitur. *Ulp. Dig.* 5, 1, 61. *extr.* Latrunculator de re pecuniaria judicare non potest. ℙ [Ap. *vet. Schol.* ad *Juven.* 8, 144. videtur significare latrunculum. *F.*]

LATRUNCŪLUS, i, m. dimin. latronis, et ejusdem fere significationis. *Cic. Prov. Cons.* 7. Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a propraetore una cohorte auxiliaria gesta. *Ulp. Dig.* 49, 15, 24. Hostes sunt, quibus bellum publice populus R. decrevit, vel ipsi populo R. ceteri latrunculi, vel praedones appellantur. *Paul. ib.* 39, 5, 35. Si quis aliquem a latrunculis, vel hostibus eripuit. ℙ De eo, qui legitimus imperator non est. *Vopisc. Firm.* 2. Cum ille diceret, Firmum latrunculum fuisse, non principem: contra ego, illum et purpura usum, et percussa moneta Augustum esse vociferatum. ℙ Calculus lusorius, (V. CALCULUS), sic dictus, quod est veluti parvus miles certans. *Sen. ep.* 106. *f.* Latrunculis ludimus: in supervacuis subtilitas teritur.

LĀTŪMIA. V. LAUTUMIAE.

[LĀTŪRA, ae, f. opera bajuli: a sup. *latum. August. Serm.* 345, 3. *f.* Non faciet imposturam, faciet insuper et laturam. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 8, 144. Lecticarios, ait, quorum laturas locem. *Gloss. Phil.* Latura, *φόρετρον*. *F.*]

[LĀTŪRĀRĬUS, ii, m. qui laturas facit humeris, bajulus. *August. Serm.* 18, 4. *f.* de divitibus: Minimos meos egentes quando vobis in terra posui, laturarios vobis institui. Adde *eund. Serm.* 38, 9. et 60, 8. *F.*]

*LĀTŪRUS SINUS prope Numidiam fuit. *Mela* 1, 6. *Vossio* hodiernum nomen est *Golfo de Zereni. B. A.*

LĀTUS, a, um, adj. *εὐρύς, πλατύς*, amplus, spatiosus: cui contrarium est angustus: a posteriore Graeca voce allata, abjecta priore littera, ut a *χλαῖνα* est laena. [**Doederl.* 1, 154. utrum *latus* a *levare*, et, comparato verbo *dilatare*, per *dilatus*, ut *celsus* per *excelsus*, explicandum, an pro forma secundaria vv. *laxus, lassus* accipiendum sit, pro certo constituere non audet.] *Cic. Verr.* 2, 4, 46. Latum mare; et *ib.* 53. Lata via. *Caes. B. G.* 6, 22. Latissimae solitudines; et *ib.* 2, 27. Latissimum flumen. *Virg. A.* 9, 725. Obnixus latis humeris; et *ib.* 12, 165. hastilia lato ferro. *Id. ib.* 2, 482. et ingentem lato dedit ore fenestram. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Latera pedum lata tricenum. *Colum.* 2, 11. Areas latas pedum denum facito. *Caes. B. G.* 7, 72. Fossae quindecim pedes latae; et *ib.* 19. Falus non latior pedibus quinquaginta. *Pall.* 2, 10. Scrobes latae pedibus duobus semis. *Juven.* 12, 58. Confisus ligno, digitis a morte remotus Quatuor, aut septem, si sit latissima taeda. *Virg. G.* 4, 94. latamque trahens inglorius alvum; et *ib.* 2, 468. Lati fundi: latifundia. *Ov. Met.* 1, 336. Crescere in latum. *Colum.* 1, 9. Vineae non sic altos, quemadmodum latos, et lacertosos viros exigunt. Sic *Tac. A.* 2, 21. Latos Barbarorum artus fodere. Ubi *Davanzati* vertit, *quelle membrona.* ℙ *Latum sarmentum.* V. in SARMENTUM. *Latum aurum*, apud poetas interdum est multum aurum. *Virg A.* 5, 312 pharetra, lato quam circumplectitur auro Balteus. *Ov. Met.* 6, 567. velamina auro fulgentia lato. *Juven.* 6, 481. latum pictae vestis considerat aurum. Adde *Pers.* 4, 44. ℙ De lato clavo. V. CLAVUS. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 41. Erigimur, latiores fieri videmur, humana despicimus. [**Orell.* exhibet *elatiores.* Al. *altiores.*] *Sen. ep.* 76. *f.* de histrionib. Cum, praesente populo, lati incesserunt et cothurnati; simul exierunt, excalceantur, et ad staturam suam redeunt. [*Alii leg. *elati.*] *Hor. Sat.* 2, 3, 183. Latus ut in circo spatiere. *Latum incedere*, his locis est subnixis alis, et ansatum (ut *Pl.* loquitur *Pers.* 2, 5, 6 et 7.) superbe, et cum fastu ambulare: sic enim homo latior fieri videtur. [*De dictione *latum incedere* v. *Bentl.* ad h. l. *Markland. in ep. crit.* p. 80. sqq. *largus* i. q. munificus, liberalis leg. censet pro *latus;* quam recte *Heindf.* ut frustra factam conjecturam vituperat.] Quo spectat illud *Ov. Her.* 9, 127. Ingreditur late lato spectabilis auro. Nisi malis v. *late* ad *spectabilis* referre. ℙ Poetae frequenter summis ducibus et heroibus magna membra tribuunt, et *latos humeros*, ut staturae moles animi magnitudini virtutique bellicae respondere videatur. Exempla habes ap. *Virg. A.* 5, 376., *Stat. Theb.* 1, 489., *Val. Fl.* 2, 490. et *Sil.* 4, 417. et 2, 454. Hoc sensu *latum hostem* dixit *Id. Sil.* 1, 499. de Annibale: lato Murrus caligat in hoste. ℙ Refertur aliquando ad orationem. *Cic. Brut.* 31. *med.* Ut Stoicorum adstrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic Academicorum liberior et latior, quam patitur consuetudo judiciorum et fori. *Quint.* 12, 10. *med.* Aeschines nonne his latior, et audentior, et excelsior? *h. e.* fusior, ornatior. *Id.* 5, 14. *f.* Sermone lato ornatoque argumenta dicere. *Tac. H.* 1, 90. Genus orandi, ad implendas populi aures, latum et sonans. ℙ *Lata gloria*, quae ad plures notitia diffunditur, et late pervagatur. *Plin. ep.* 4, 12. *extr.* Nescio quo pacto magis homines juvat lata gloria, quam magna. ℙ *Lata culpa* ap. JCtos est magna culpa et manifesta, ex nimia negligentia, id est non intelligere, quod omnes intelligunt, ut loquitur *Ulp. Dig.* 50, 16, 213., ideoque, teste *eod. ib.* 11, 6, 1. *f.*, dolo comparatur. *Id. ib.* 43, 25, 8. *f.* In restitutionem venit dolus, *Id. ib.* 43, 25, 8. *f.* In restitutionem venit dolus, et culpa lata dumtaxat. Sic *Id. ib.* 26, 7, 6. Solam latam negligentiam eos praestare debere. ℙ *Lata fuga*, est genus exsilii, interdictionem habentis omnium locorum, praeter certum locum, ut docet *Mart. Dig.* 48, 22, 5. ℙ *Lata interpretatio*, quae pro vario corporis habitu, quo cum adversario utuntur. Hinc translate *Tibull.* 1, 4, 46. Saepe dabis nudum, vincat ut illa, latus. *Sen. Q. N. praef.* 4. Nec adulatoribus latus praebeas: artifices sunt ad captandum. *Flor.* 3, 5. Nudum imperii latus ostentabant procul Marius, Sulla, Sertorius. *Ter. Heaut.* 4, 2, 5. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere, *h. e.* evadere infortunium. [*Adde *Hor. Sat.* 1, 3, 59. Hic fugit omnis Insidias nullique malo latus obdit apertum: ubi *Heindf.* praeter *Lips. Sat. Serm.* 2, 20. *extr.* laudat *Schol. Cruq.* nulli dat sese irridendum idque agit, ne lingua malevola feriatur.] ℙ *Artifices lateris* ap. *Ov. A. Am.* 3, 351. sunt qui alios saltandi arte instituunt, et movendi lateris, jactandique corporis rationem docent. ℙ In lateribus sunt vires, et robur. *Cic. Sen.* 9. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis; et *ib.* 5. *f.* Cum legem Voconiam voce magna et bonis lateribus suasissem. *Quint.* 9, 2. *med.* Illa adhuc audaciora, et majorum, ut Cicero existimat, laterum. *Hor. Ep.* 1, 6, 26. forte latus. *Id. Od.* 2, 7, 18. longa fessum militia. *Ov. Amor.* 3, 11, 14. invalidum. *Quint. prooem. l.* 1. *f.* patiens laboris. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Ut saepius admoneret, voci, laterique consulerem. Hinc nos de fesso et anhelo dicimus. *Juven.* 6, 36. Et lateri parcas, *h. e.* parce utaris Venere. [*Nota h. l. verecundam et elegantem concubitus descriptionem ap. *Ov. Her.* 2, 58. Lateri conseruisse latus: ubi *Ruhnk.* laudat *Ejusd.*

Ep. 19, 138. Molle latus lateri composuisse tuo; et ap. *Lucil. fragm.* p. 42. Tum compone latus lateri et cum pectore pectus; et *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 5, 8.] ℙ Notat interdum stirpem, familiam, genus. *Plin. ep.* 8, 10. Neque enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos cupio: quibus videor a meo, tuoque latere pronum ad honores iter, et non subitas imagines relicturus. ℙ A JCtis dicitur de cognatione, quae ex transverso procedit: ad differentiam ejus, quae est inter ascendentes, et descendentes. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. Sunt et ex lateribus cognati, ut fratres sororesque, etc. *Id. ib.* 23, 2, 68. Qui ex latere eam duxerit, quae vetatur. *Stat. Silv. praef.* 5. Latus omne divinae domus semper demereri connitor. ℙ Saepe significat conjunctionem amicitiae et consuetudinis. Hinc *a latere alicujus esse* est semper cum aliquo versari, familiarem esse, ab aliquo nunquam discedere. *Liv.* 24, 5. *f.* Avertit ab consciis in insontes indicium, ab latere tyranni. *Curt.* 3, 5. *f.* Cum ab latere pecunia sollicitaret hostis. Sic *Mart.* 6, 68. ille tuum, Castrice, dulce latus. ℙ *Adjungere aliquem lateri filii* ap. *Quint.* 1, 2. est custodem apponere, qui adsiduus adhaereat. ℙ *Adhaerere lateri*, ap. *Liv.* 39, 25. est vicinum esse, imminere, instare, urgere. Ejus verba sunt: Procul abesse libertatis auctores Romanos: lateri adhaerere gravem dominum prohibentem, etc. ℙ *Tegere*, aut *claudere latus alicui*, aut *alicujus* dicitur, qui ad latus alicujus incedit, et quidem loco sinisteriore, aut certe exteriore, et minus honorato: honoratior enim est ad parietem, aut dexter: idque ideo, quia incedentis ad parietem latus alterum tectum est quodammodo, nudum alterum. *Hor. Sat.* 2, 5, 16. ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses. Ut ne tegam spurco Damae latus? [*V. *Heindf.*] *Juven.* 3, 131. Divitis hic servi claudit latus ingenuorum Filius. Adde *Suet. Claud.* 24. *extr.* ℙ *Dare latus alicui*, idem fere quod *latus tegere*, ap. *Sen. Q. N.* 7, 32. ℙ *Latus fodere.* V. FODIO. ℙ *Latus vellere, vellicare.* V. VELLO. ℙ *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. *f.* Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus: nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat. Sic *Id. ib.* 3, 5, 5. *med.* Nulla ex utroque latere nascitur actio.

LĂTUSCŬLUM, i, n. parvum latus. *Catull.* 25, 10. Ne laneum latusculum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent. *Lucr.* 4, 311. Quin etiam quaecumque latuscula sunt speculorum, etc.

LĂVACRUM, i, n. λουτρὸν, balneum, in quo quis lavare commode potest: a sup. *lavatum*, ut *involucrum* ab *involutum*. *Gell.* 1, 2. Lucorum umbra ingentium, longis ambulacris et mollibus, aedium posticum refrigerantibus lavacris. *Claud. Eutr.* 2, 410. Assiduus ludis, avidus splendere lavacris. *Spart. Hadr.* 18. Lavacra pro sexibus separavit. ℙ *Alcim. Avit.* 5, 712. et 6, 191. item *Venant. carm.* 5, 5, 96. qui paenultimam corripuere, cave imiteris.

[LĂVANDĂRĬA, ae, f. locus in quo panni eluuntur, lavatio. *Not. Tir.* p. 184. Lavat, lavandaria. *F.*]

LĂVANDRĬA, ium, n. plur. supellex ad lavandum. Vox est *Laberii*, quae inter obsoletas, et maculantes ex sordidiore vulgi usu, refertur a *Gell.* 16, 7.

LĂVĀTĬO, onis, f. λύσις, lavandi actus. *Cic. fragm.* ap. *Colum.* 12, 3. Post quae ad cibum conficiendum, vasa, ut assolent, constituebantur: inde quae ad lavationem, quae ad exornationem, etc. *Cels.* 1, 3. *med.* Lavatio calida et pueris et senibus apta est. *Plin.* 8, 45, 70. Boves lavatione calidae aquae traduntur pinguescere. Adde *Pl. Most.* 1, 3, 4. ℙ Item supellex ad lavandum, instrumentum balneare. *Cic. Fam.* 9, 5. *extr.* Ante te certiorem faciam, ut lavatio parata sit. *Phaedr.* 4, 4. Seponit moechae vestem, mundum muliebrem, Lavationem argenteam, etc. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. Mundo muliebri continentur specula, matulae, vasa unguentaria, et si qua similia dici possunt, ut lavatio, riscus. Al. leg. *lavationis riscus.* ℙ Item locus ad lavandum. *Vitr.* 5, 11. In porticu collocentur haec membra: ephebeum in medio: sub dextro coryceum, deinde proxime conisterium: in versura porticus frigida lavatio, quam Graeci λουτρὸν vocitant. *Alfen. Dig.* 19, 2, 30. Posse cum balneatore ex conducto agere, ut pro portione temporis, quo lavationem non praestitisset, pecuniae contributio fieret. *Inscr.* ap. *Grut.* 444, 8. Lavationem gratuitam municipibus, incolis, hospitibus dedit. Adde 473, 1. et 181, 1.

[LĂVĀTOR, oris, m. qui lavat. *Gloss. Philox.* Lavator, πλύτης. V. LAVERNA. *F.*] **Lavator, oris*, m. i. q. lavernio. *Acron* ad *Hor. Ep.* 1, 16, 60. Laverna, via salaria lucum habet. Est autem dea furum: et simulacrum ejus fures colunt, aut qui consilia sua volunt tacita. Dicta a lavando. Nam fures lavatores dicuntur. ℙ Corruptus locus, ut videtur. *Vossius* conjicit *levando* et *levatores*; cujus tamen suspicio (ait *Gesnerus*) non satis convenit ad *Lavernae* nomen, quod declarare vult Grammaticus. *B. A.*

[LĂVĀTŌRĬUM, ii, n. *Gloss. Philox.* Lavatorium, πλύσιμον. *F.*]

LĂVATRĪNA, ae, f. prisca vox, qua balineum privatum significabatur, ut *Varr. L. L.* 8, 41. et *Non.* 3, 131. docent. Ab ea per syncopen *latrina* facta est. Sed et ipsa *lavatrina* pro *latrina*, h. e. pro loco domus, ubi sordes confluunt, adhibita fuit. *Varr. L. L.* 4, 25. Truae, quae a culina in lavatrinam aquam fundunt.

*LAVATŪRA, ae, f. i. q. lavatio. *Const. Afer* 5, 9. Lavatura carnis recentis. *B. A.*

LĂVĀTUS, a, um, part. a *lavo:* lotus. Tribuitur *Pl. Poen.* 1, 2, 22. et *Colum.* 7, 2., sed utroque in loco lectio est dubia.

*LAUD, flumen Mauretaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 2. *B. A.*

LAUDĂBĬLIS, e, adj. qui laudari potest, dignus laudari, laudandus, αἰνετός. *Auct. ad Her.* 3, 4. Laudabile est, quod conficit honestam et praesentem, et sequentem commemorationem. *Cic. Off.* 1, 4. *extr.* Honestum etiam si a nullo laudetur, natura est laudabile. *Id. Brut.* 97. Vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles exstitisse. *Id. Par.* 1. *f.* Voluptas melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? *Hor. A. P.* 408. laudabile carmen. *Ov. Trist.* 5, 14, 35. longo laudabilis aevo Penelopaea fides. ℙ Item in pretio habitus, optimus. *Plin.* 11, 15, 15. de melle: Maxime laudabile est etiam omne rutilum: in aestimatu est e thymo, etc. *Id.* 17, 4, 3. Nec fluminibus aggesta terra semper laudabilis. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 7. Laudabilius vinum.

LAUDĂBĬLĬTAS, atis, f. id, quo quis laudabilis est. In *Cod. Theod.* est titulus, quo appellatur Comes metallorum. Sic enim ibi *Impp. Valent. et Valens* 10, 19, 3. Si qui sponte confluxerint, eos laudabilitas tua cogat exsolvere, etc.

LAUDĂBĬLĬTER, adv. ἐπαινετῶς, cum laude. *Cic. Tusc.* 5, 5. Ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satis ne est praesidii in virtute? *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 6. Honorem aedilitatis laudabiliter administravit. *Gell.* 7, 3. *med.* Judices conciliandos esse, ac propitiandos laudabiliter ac placabiliter, et leniter existimationi, salutique ejus, qui apud eos accusatus est, *h. e.* adhibitis laudibus. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 2. *extr.* In hunc modum filiae injuriam tulit, suam multo laudabilius.

LAUDĀTĒ, adv. laudabiliter. *Plin.* 36, 6, 5. Regias domos laudatissime ebore adornans.

[LAUDĀTĬCĬUS, a, um, adj. idem ac laudativus. *Not. Tir.* p. 47. Laus, laudabilis, laudaticiae, *h. e.* litterae commendaticiae. *F.*]

LAUDĀTĬO, onis, f. αἴνεσις, ἐγκώμιον, laudantis oratio, commendatio. *Cic. Fam.* 15, 6. Quam lauream cum tua laudatione conferrem? *Id. Coel.* 2. Lectissimos viros cum legatione ad hoc judicium, et cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt. *Id. Fin.* 2, 35. Lege laudationes non eorum, qui sunt ab Homero laudati, etc. *Sen. ep.* 102. Aliud est laus, aliud laudatio. Haec et vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat. Cum dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, sed judicia promittimus. Haec *Seneca.* Nihilo tamen secius *laudes funebres* pro *laudationibus* legimus ap. *Liv.* 8, 40. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio, trahunt. Porro saepe *laudatio* dicitur de laudatione funebri. *Liv.* 5, 50. Matronis honos additus, ut earum, sicut virorum, post mortem solemnis laudatio esset. *Cic. Mil.* 13. Cadaver Clodii spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, etc. *Id. Sen.* 4. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, etc. ℙ Item de laudatione judiciali, de qua est locus *Cic.* supra allatus pro *Coel.* V. LAUDATOR.

LAUDĀTĪVUS, a, um, adj. ἐγκωμιαστικὸς, laudans, laudationi accommodatus. Unde *Laudativum genus* orationis a rhetoribus dicitur demonstrativum. *Quint.* 2, 15. *med.* Laudativam totam, quae est pars rhetorices tertia. *Id.* 3, 4. *med.* Est unum genus, quo laus et vituperatio continetur: sed est appellatum a meliore parte laudativum: idem alii demonstrativum vocant: utrumque nomen ex Graeco creditur fluxisse, nam et ἐγκωμιαστικὸν, et ἐπιδεικτικὸν dicunt.

LAUDĀTOR, oris, m. ἐπαινετὴς, ἐγκωμιαστὴς, qui laudat, testis innocentiae, vel virtutis alicujus. *Cic. ad Quir.* 6. *extr.* Qui rerum mearum gestarum laudatores fuerunt. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Laudator integritatis et elegantiae. *Hor. A. P.* 433. Derisor vero plus laudatore movetur. *Ov. Her.* 21, 33. Haec nobis formae, te laudatore, superbae, Contingit merces? *Plin. ep.* 2, 1. Laudatus est a consule Cornelio Tacito. Nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus. *Liv.* 2, 47. *f.* Funera deinde duo, collegae fratrisque, ducit: idem in utroque laudator, *h. e.* funebrem laudationem utriusque habuit. [*Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 2. *ep.* 2. Nec laudatoris verba, sed laudati facta laudasti. *F.*] ℙ In causis judicialibus *laudatores* aderant reo (praeter advocatos, et patronos) testes innocentiae, et commendatores. *Cic. Balb.* 18. Proferam testes, proferam legatos, excitabo laudatores, quos ad hoc judicium summos homines ac nobilissimos, deprecatores hujus periculi missos videtis. *Id. Verr.* 2, 5, 22. In judiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare. [*Front. ad amicos* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 3. Iste in ipsis judiciis mos inveteratus erat, causa perorata, laudatores adhibere, qui id, quod de reo existimarent, pro sua opinione cum fide expromerent. *F.*] Hinc *laudatio judicialis* ap. *Suet. Aug.* 56. *f.* et *Cic. Fam.* 1, 9., ubi de Vatinio agit.

LAUDĀTŌRĬUS, a, um, adj. laudativus. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Illa exhilarata versiculis, laudatorio palmulae tactu meam mulsit caesariem.

LAUDATRIX, icis, f. quae laudat. *Cic. Tusc.* 3, 2. Vitiorum laudatrix fama popularis. *Ov. Her.* 17, 126. Laudatrix Venus est invidiosa mihi.

LAUDĀTUS, a, um, part. a *laudo:* ἐπαινετὸς, laudibus ornatus, laudabilis, spectatus, probatus. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* et *Tusc.* 4, 31. *f.* et *Fam.* 15, 6. Laetus sum, laudari me (inquit Hector, opinor ap. Naevium) abs te, pater, laudato viro. Ea est enim profecto jucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. *Sall. Jug.* 8. Scipio donatum, atque laudatum magnifice pro concione Jugurtham in praetorium adduxit. *Tac. A.* 4, 57. *extr.* Germanicus cunctis laudatus, *h. e.* a cunctis. *Plin.* 22, 22, 43. Herba laudata Eratostheni. *Cic. Or.* 1, 3. Laudatarum omnium artium procreatrix philosophia. *Ov. Pont.* 4, 2, 35. Excitat auditor studium: laudataque virtus Crescit, et immensum gloria calcar habet. *Plin.* 2, 26, 24. Hipparchus nunquam satis laudatus. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 27. Inter pauca laudatus. ℙ Item qui in aestimatu est, optimus, eximius, pretiosus. *Ov. Met.* 9, 715. Inter Phaestiadas quae laudatissima formae Dote fuit virgo. *Plin.* 12, 8, 17. Saccharon et Arabia fert, sed laudatius India. *Id.* 11, 42, 97. Laudatissimus caseus. *Id.* 20, 23, 96. Foeniculum pulmonibus et jocineribus laudatissimum, *h. e.* ad sanandos pulmonum, et jecoris morbos probatissimum. *Id.* 22, 22, 33. Olus laudatum in cibis. ℙ Pro nominatus. *Imp. Alex. Cod.* 5, 44, 2. Qui laudatus per te defendi debeat. Adde 8, 45, 7. V. LAUDO.

LAUDĔA vel Ludea, ae, f. idem ac laus. Quidam sic leg. ap. *Pl. Cist.* 1, 3, 53. Parite laudeam, et lauream. Alii leg. *laudem*, et *ludeam.* Sed incerta admodum res est. *Isid.* quidem *Orig.* 17, 7. tradit, apud antiquos *laudeam* dictum esse pro *lauream:* sed nullo exemplo confirmat.

[LAUDENSIS, e, adj. ad Laudem Pompejam pertinens, Insubriae urbem, quae, ut narrat *Plin.* 3, 17, 21., a Bojis condita est, postea a Cn. Pompejo Strabone illuc colonia est deducta: nunc *Lodi vecchio* dicitur, Mediolanum versus, tribus circiter pass. mill. ab ea urbe distans, quae nunc *Lodi* appellatur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 205. Collegium fabrum Laudensium. *F.*]

[LAUDĪCA, ae, f. λαοδίκη, a populo judicata. Est cogn. muliebre Romanum. V. *Inscr.* in CULTRIX et v. sq.

LAUDĪCĒNUS, i, m. qui laudat, ut ad cenam invitetur: vox joculariter ficta. *Plin. ep.* 2, 14. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti; manceps convenitur in media basilica; tam palam sportulae, quam in triclinio, dantur: ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur, iisdem Latinum nomen impositum est Laudiceni; et tamen crescit in dies foeditas utraque lingua notata. Hic *Plin.* ait, Σωφοκλεῖς, nempe a σοφῶς, sapienter, (V. SOPHOS.) et καλεῖν, clamare, eos esse per jocum appellatos, qui indisertis oratoribus, spe captandae cenae, acclamabant; eosdem vero non Athenienses quidem, qualis fuit celeberrimus ille Sophocles tragicus, sed Laudicenos esse, ita enim Romani appellabant eos, qui e Laodicea seu Laudicea essent, ut probat *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 320., quemadmodum etiam *Laudica* pro *Laodica*, *Laudicianus* pro *Laodicianus*, et *lautumiae* pro *laotomiae* (V. has voces suo loco), et *Laumedonteus* pro *Laomedonteus* scribitur in vetustis Codd. ap. *Virg. G.* 1, 502., ubi perperam *Burmannus*, et *Heynius* ex vitio saeculi ita scriptum fuisse ab imperito librario affirmant. Hinc *Mart.* 6, 48. Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata; Non tu, Pomponi, cena diserta tua est. Porro ex allato *Plinii* loco comprobatur, olim Romanos non *caena*, aut *coena*, sed *cena* scribere solitos fuisse, ut diximus in V. COENA. [*Totum fere hunc locum debemus *F.*]

[LAUDĪCĪĀNUS, a, um, adj. ad Laudiceam pertinens, sive Laodiceam, Phrygiae urbem. *Symm. ep.* 4, 64. Quatuor ex grege Laudicianorum quadrigas, quas tua defloret electio, ad me opto deduci, *h. e.* equorum e Laudicea Phrygiae, unde optimi erant equi curules. V. PHRYGISCUS. *F.*]

[LAUDĬDIGNUS, a, um, adj. qui laudem meretur. *Gloss. Philox.* Laudidignus, ἔπαινον ἄξιος. *F.*]

[LAUDĬFĬCO, as, a. 1. idem ac laudo. *Gloss. Philox.* Laudifico, ὑμνῶ. *F.*]

LAUDO, as, avi, atum, a. 1. αἰνέω, honorificis verbis prosequor, laudibus orno, laudem tribuo, commendo, extollo, effero. *Cic. Or.* 2, 9. Vituperare improbos asperius, laudare bonos ornatius; et *ib.* 75. Laudare et effere aliquid. *Id. Sext.* 34. Approbare et laudare sententiam alicujus. *Id. Fam.* 5, 20. *med.* Quam rationem omnes non solum probant, sed etiam laudant. *Nep. Att.* 9. *extr.* Potius quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. *Cic. Leg.* 3, 1. Laudare legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. *Id. Phil.* 4, 3. Exquisitissimis verbis laudare quempiam. *Id. Rosc. Am.* 12. Satis pro dignitate laudare. *Id. Sen.* 1. Nunquam satis laudari digne poterit philosophia. *Petr. fragm. Trag.* 64. *Burm.* Laudare effuse. *Hor. Ep.* 2, 1, 209. maligne. *Cic. Leg.* 3, 1. nimis valde. *Id. Off.* 1, 18. *f.* ore pleniore. *Cato prooem. R. R.* amplissime. *Cic. Brut.* 73. magnifice. *Sil.* 4, 260. Laudabat leti juvenem, *h. e.* ob letum: ἐμακάρισε τοῦ θανάτου. Eodem modo locutus est 1, 395. et 5, 561. *Ov. Trist.* 1, 9, 62. istos, Ut non laudandos, sic tamen esse jocos. ℙ Pertinet ad laudationem funeris. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. *f.* Serrani filii funus perluctuosum fuit. Laudavit pater scripto meo. *Id. Mur.* 36. Quem cum supremo ejus die Maximus laudaret, etc. V. LAUDATIO. ℙ In illo *Virg. G.* 2, 412. laudato ingentia rura, Exiguum colito; *Turneb. advers.* 20, 14. putat, *laudato* positum esse pro rejicito, vituperato: quod et Graecis ἐπαινεῖν eadem interdum ratione adhibeatur. Sed non est necesse ad insolentem significationem confugere. *Serv.*: Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de Agricultura: quod ideo dictum est, quia majores, agros incultos *rura* dicebant, idest silvas et pascua: *agrum* vero, qui colebatur: ut intelligamus, Laudato ingentes silvas, colito agrum minorem: vel quod melius est, cum Virgilius praecipiat alternis cessare novales (*G.* 1, 71.), hoc fieri non potest, nisi fuerint spatia majora terrarum: ita ut una parce cessante, alia coli possit. ℙ Est etiam *laudare*, probare, in pretio habere, optimum putare. *Plin.* 29, 3, 12. Ovum anguinum ad victorias litium mire laudatur; et 28, 10, 42. Apri cerebrum contra serpentes laudatur. ℙ Item nominatim appellare, citare; praesertim cum de testibus, sermo est: hos enim cum citamus, non sine laude citare solemus. *Gell.* 2, 6. *med.* Laudare significat prisca lingua, nominare appellareque. Sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari. *Pl. Capt.* 2, 3, 66. Idque ut scias, Jovem supremum testem laudo. *Cic. Brut.* 11. Quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Adde *Or.* 3, 18. *f.* et *ib.* 49. et *Festum.* ℙ [Part. *Laudans* ap. *Ov. A. Am.* 1, 742. Cum tibi laudanti credidit, ipse subit. *F.*]

LĂVER, ĕris, n. *olor*, herba, alio nomine sion, in aqua nascens, latiore folio, quam apium, pinguiore, et nigriore; copiosa semine, sapore nasturtii. Condita, et cocta torminibus medetur. *Plin.* 22, 22, 41. et 26, 8, 32.: ita est appellata a *lavo*, quia in locis aquaticis nascitur.

LĂVERNA, ae, f. Ἡμαξωλίκη, Dea, in cujus tutela fures esse putabantur: a λαβεῖν, accepisse, quasi Laberna, β converso in *v*. *Hor. Ep.* 1, 16, 60. Labra movet, metuens audiri: pulcra Laverna. Da mihi fallere, da justum, sanctumque videri. [*Acron* ad *Hor. l. c.* Laverna via Salaria lucum habet: est autem Dea furum, et simulacrum ejus fures colunt, aut quia consilia sua volunt tacita, aut quia cum silentio preces ejus exercentur. Dicta Laverna a lavando; nam fures lavatores dicuntur. *Vet.* vero *Schol. Cruq.* ad *eund. loc.* Sic dicta fortasse a latendo; nam fures olim laterniones, et laverniones dicebantur. *F.*] *Novius* ap. *Non.* 8, 6. Per Deam sanctam Lavernam, quae cultrix quaestuis siet. ℙ Ponitur et pro fure ipso. *Auson. ep.* 4. *extr.* Hic est ille Theo poeta falsus, Bonorum mala carminum Laverna. Al. leg. *taberna.*

LĂVERNĀLIS Porta, una ex portis urbis Romae, ita dicta, quod ibi ara Lavernae Deae fuerit. *Varr. L. L.* 4, 34. et *Fest.* in *Laverniones.*

LĂVERNIO, onis, m. fur. *Festus:* Laverniones, fures antiqui dicebant, quod sub tutela Deae Lavernae essent, in cujus luco obscuro abditoque soliti furta praedamque inter se luere.

*LAVERNĪUM, i, n. locus Italiae, in Campania. *Cic. Att.* 7, 8. *med.* Ad Lavernium me consecutus est: una Formios venimus, et — collocuti sumus. ℙ Caeterum quid sit hic loci Lavernium, utrum oppidi nomen, an vici, an fani, an denique signi simulacrive, videtur incertum. *Ernestus* ait nomen loci esse aut fani a *Laverna* Dea dicti. In edd. quibusdam legitur *Ad L.* (*i. e.* lacum) *Avernum. B. A.*

*LAUGONA, ae, Germaniae amnis, in Rhenum sese exonerans, hodie *the Lahn. Venant. Fortun.* 7, 7. Laugona dum vitreis terminus esset aquis. ℙ Dicitur et *Logana. B. A.*

[LĂVĪNAS, atis, et *F.*]

LĂVĪNĪENSIS, e, et

LĂVĪNĬUS, a, um, et

LĂVĪNUS, a, um, adj. ad Lavinium pertinens, oppidum Latii prope Ardeam, ab Aenea conditum, appellatumque nomine Laviniae uxoris ejus, filiae Latini Laurentium regis, et Amatae: hoc vero oppidum, postquam Laurenti incolae in idem sunt translati, Laurolavinium est appellatum. V. LAUROLAVINIUM. *Lacinas, atis*, qui ex Lavinio est, V. LAURENS, et qui ibidem sacerdotium exercet, V. *ib.* ℙ *Lavinienses, ium*, sunt ejus oppidi incolae ap. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* ℙ *Lavinius, a, um*, ut *Virg. A.* 1, 236. Lavinia respicit arva; et *ib.* 1, 6. Lavinia venit littora. *Prop.* 2, 25, 64. Jactaque Lavinis moenia litoribus. *Lavinis* est ἀρχαϊκῶς pro Lavinis moenia litoribus. *Lavinis* est ἀρχαϊκῶς pro Lavinis moenia litoribus. V. de littera I §. 3. *Lucan.* 9, 991. Laviniis. V. de littera I §. 3. *Lucan.* 9, 991. Laviniis. V. de littera I §. 3. *Lucan.* 9, 991. Laviniis. V. de littera I §. 3. *Lucan.* 9, 991. Laviniis. V. de littera I §. 3. *Lucan.* 9, 991. Lavinia sedes, *h. e.* Lavinium. ℙ Sunt qui ap. *Virg.* vinia sedes, *h. e.* Lavinium. ℙ Sunt qui ap. *Virg.* vinia sedes, *h. e.* Lavinium. ℙ Sunt qui ap. *Virg.* vinia sedes, *h. e.* Lavinium. ℙ Sunt qui ap. *Virg.* *A.* 1, 6. legunt *Lavinaque*, cum etiam *Lacinum* pro *Lavinium*, sed tamen prima syllaba brevi, usurpaverit *Juven.* 12, 71. Atque novercali sedes praelata Lavino. **Ov. Met.* 15, 728. Donec Castrumque Sacrasque Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit. *B. A.*

LĂVITO, as, a. 1. frequent. a *lavo*. V. CEREBRUM.

[LAUMELLENSIS, e, adj. ad Laumellum pertinens, oppidum in Insubria prope Ticinum, nunc *Lomello*, unde tractus Italiae in agro Ticinensi nunc *la Lomellina* dicitur. *Not. Tir.* p. 137. Laumellum, Laumellensis. *F.*]

LĂVO, as, et is, lāvāvi, et saepius lāvi, lāvātum, et lautum, a. 1. et 3. λούω, νίπτω, πλύνω, abluo, aqua purgo: a priore Graeca voce allata. [De proprietate vocis ita *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4. *ep.* 3. Os colluere dicam; pavimentum autem in balneis pelluere, non colluere; lacrimis vero genas lavere dicam, non pelluere, neque colluere; vestimenta autem lavare, non lavere; sudorem porro et pulverem abluere, non lavare; sed maculam elegantius eluere, quam abluere. Si quid vero magis haeserit, nec sine aliquo detrimento exigi possit, Plautino verbo elavere dicam. Tum praeterea mulsum diluere, fauces proluere, ungulam jumento subluere. *F.*] *Cic. Or.* 2, 60. Manus lava et coena. *Id. Off.* 1, 35. *extr.* Cum soceris generi non lavantur. *Caes. B. G.* 4, 1. *extr.* Lavantur in fluminibus. *Hor. Od.* 4, 6, 26. Phoebe, qui Xantho lavis amne crines. *Val. Fl.* 4, 229. lavitur patrios ubi victor ad amnes. *Ov. Fast.* 4, 340. sacerdos Almonis dominam, sacraque lavit aquis; et *Her.* 21, 177. in umbroso cum velles fonte lavari; et *Fast.* 3, 12. Sacra lavaturas mane petebat aquas. *Titin.* ap. *Non.* 10, 2. Manus lavite mulieris, et capita velate. *Pomp. ib.* Jampridem volo latrinam lavi. Sic *Cato R. R.* 65. Si inquinata erit, lavito. ℙ Saepe cum de balneis sermo est, usurpatur activa voce pro passiva, sine casu, qui tamen facile subauditur. *Pl. Truc.* 2, 3, 1. Pisces ego credo, qui usque dum vivunt, lavant, Minus diu lavere, quam haec lavat Phronesium; et 1, 2, 95. Opperire ibi: jam exibit: nam lavavit. *Ter. Andr.* 3, 2, 48. Ubi nos laverimus, si voles, lavato; et *Heaut.* 4, 1, 42. Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit. *Liv.* 44, 6. Lavanti regi dicitur nunciatum, hostes adesse. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 2, 76. et *Suet. Ner.* 35. et *Tit.* 8. Affert quidem *Varr. L. L.* 8, 61. discrimen inter *lavamur* et *lavamus*, quod illud de toto corpore dicatur, hoc de corporis partibus; itaque illud ad balinei lavationem pertineat, hoc ad alias: sed contra sunt allata exempla. ℙ Feminae (*Juven.* 6, 447.), et pueri (*Id.* 2, 152.) gratis; viri autem quadrante lavabantur. V. QUADRANS. ℙ Est etiam madefacere, aspergere. *Pl. Ps.* 1, 1, 8. Gestas tabellas tecum: eas lacrimis lavis. *Ov. Met.* 7, 267. Et quas Oceani refluum mare lavit arenas. *Lucr.* 5, 948. proluvie larga lavere humida saxa. *Virg. A.* 10, 727. lavit improba teter Ora cruor. *Val. Fl.* 4, 153. ut misero lavet arma cerebro. Adde *Enn.* et *Varr.* ap. *Non.* 6, 106. et 10, 2. ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 12, 2. dulci mala vino lavere, *h. e.* abstergere, delere, tollere. *Ter. Ph.* 5, 7, 80. Venias nunc precibus lautum peccatum tuum, *h. e.* ad purgandum, excusandum, deprecandum. ℙ Jocus videtur esse illud *Varr.* ap. *Non. cit.* 10, 2. Et Hymenaeus, qui primo lavere alvum marsupio solet. ℙ Part. *Lavandus* ap. *Ov. Fast.* 4, 136. tota lavanda Dea est.

[LAURĂGO, inis, f. arbor quaedam lauro similis, alias chamaedaphne, daphne Alexandrina, hypoglossion, Danae, mustellago terrestris, victoriola, etc. nuncupata. *Appul. H.* 58. *F.*]

LAURĔA, ae, f. proprie de lauri foliis dicitur: sed et de ipsa arbore. *Plin.* 15, 30, 40. de lauro: Unius arborum Latina lingua nomen imponitur viris (ut *Laurea Tullius* Ciceronis libertus), unius folia distinguuntur appellatione: lauream enim vocamus. *Liv.* 32, 1. Laurea in puppi navis longae enata. *Hor. Od.* 2, 15, 9. Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus. ℙ Pro corona ex lauro; quam gestare dicitur Apollo, cui laurus sacra est (V. DAPHNE), et eximii poetae. *Ov. Rem. Am.* 75. Te precor, o vates, adsit tua laurea nobis, Carminis, et medicae Phoebe repertor opis. *Id. Pont.* 2, 5, 67. Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis. *Hor. Od.* 4, 2, 9. de Pindaro: Laurea donandus Apollinari. ℙ Etiam triumphantes lauream in capite gerebant, ut *Plin.* 15, 30, 39. et 40. docet. Hinc saepe de victoria dicitur, et gloria militari. *Ov. Pont.* 2, 7, 67. Praestat et exsulibus pacem tua laurea, Caesar. *Cic. Off.* 1, 22. Cedant arma togae, concedat laurea linguae. [**V. Beier.*] *Id. Fam.* 15, 6. Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? ℙ Translate. *Plin.* 7, 30, 31. de Cicerone: Salve primus in toga triumphum, linguaeque lauream merite, *h. e.* principatum eloquentiae. ℙ Aliquando imperatores triumpho abstinentes, id solum victoriae signum populo R. ostendebant, quod lauream publice in Capitolium in sinum Jovis ferebant. *Suet. Dom.* 6. De Cattis, Dacisque duplicem triumphum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. Adde *Ner.* 13. et *Plin. Pan.* 8.

[LAURĔĀCENSIS, e, adj. ad Laureacum pertinens Norici urbem, in *Anton. Itin.*, in *Notitia Imper.*, et in *Cod. Theod.* 8, 2, 1., nunc pagum *Lorck Inscr.* ap. *Grut.* 164, 3. Milites auxiliares Laureacenses. *F.*]

LAURĔĀTUS, a, um, adj. δαφνοφόρος, laurea coronatus, vel ornatus. *Suet. Aug.* 58. Plebs laureata. *Vitr.* 2, 8. *med.* Naves laureatae. *Cic. Mur.* 41. Imaginem parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, etc. *Id. Att.* 7, 10. Laureati lictores. *Id. Div.* 1, 28. fasces. *Sen. Consol. ad Polyb.* 35. Laureatae fores. *Liv.* 45, 1. litterae. *Tac. Agr.* 18. *extr.* Ne laureatis quidem gesta prosecutus est: subaudi *litteris*, et V. LAURUS. *Plin.* 18, 3, 4. Gaudens terra vomere laureato, et triumphali aratore.

LAURENS, entis, adj. a Laurendo oppido, quod fuit in Latio versus oram maris Tyrrheni, inter Ardeam, et ostia Tiberina, appellatumque vel a silva laurea, qua excisa exaedificatum fuit, vel quod ibi laurus primum inventa est. Notat autem non illud oppidum solum, sed et omnem circa regionem, quae Aboriginum fuit: nunc vero is locus *Paterno*, vel *Torre di Paterno* dicitur. *Virg. A.* 5, 797. liceat Laurentem attingere Tibrim; et *ib.* 7, 661. Laurentia arva; et *ib.* 650. excepto Laurentis corpore Turni; et *ib.* 10, 706. Laurens ora *Plin. ep.* 2, 17. Laurens meum: subaudi *rus*, *aut praedium. Ov. Fast.* 6, 60. populus. ℙ *Laurentes, um*, sunt ejus oppidi, et circa regionis incolae. *Virg. A.* 8, 537. Heu quantae miseris caede Laurentibus instant! et *ib.* 12, 137. Laurentum Troumque acies. [*Inscr.* ap. *Fabr.* p. 682. *n.* 67 Divo Antonio Aug. senatus populusque Laurens. quod privilegia eorum non modo custodiverit, sed etiam ampliaverit, curatore M. Annio Sabino Li bone C. V., curantibus Ti. Julio Nepotiano, et P. Aemilio Donatiano (corrige ex *Nibbyo*, *Viagg. Antiq. T.* 2. p. 264. Egnatiano) praetoribus II. QQ. Laurentium. *F.*] ℙ Usurpatur etiam pro Romanis. *Sil.* 3, 83. Et cineri juret patrio Laurentia bella. *Id.* 17, 282. Laurens praeda, *h. e.* ab Annibale in Latio acta. ℙ [Porro *Laurentes Lavinates*, et aliquando *Lavinates Laurentes* dicti sunt *Laurolavinii* incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 1101, 8. L Valerio L. F. Cl. Poblicio Balbino Maximo curatori reipublicae Laurentium Lavinatium L. Junius Septimius Hemogenes pontifex Laurens Lavinas. Alia ap. *Fabr.* p. 710. *n.* 314. Q. Fabio Q. F. Esquilina Calatino patrono municipii Lavinatium Laurentium. V. LAUROLAVINIUM. ℙ Praeter municipes eo nomine appellatos, pontifices etiam erant, et sacerdotes, qui et absolute *Laurentes Lavinates* dicti fuerunt, de quibus quidem, etsi nemo fortasse scripsit, dubitare tamen haud possit, qui cum alias inscriptiones mox citandos, tum Faleriensem legerit ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat. T.* 2. p. 62. *edit Patav.*, in qua T. Cornasidius Sabinus pater et *Augur* et *Laurens Lavinas* appellatur; filius vero T Cornasidius Clemens *Equo Publ.* et *Laurens Lavinas* dicitur; quo sane loco patriam eorum cieri nemo dixerit. Cujus tamen numinis id sacerdotium esset, ignoratur omnino; illud tantummodo suspicari quis possit, fuisse institutum in honorem vel Apollinis, cui silva Laurentina sacra erat, vel Veneris, quae celebre templum habuit prope Lavinium, vel tandem Deorum Penatium, qui praecipuum Lavinii cultum habuere. V. PENATES. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 3. T. Vennonio T. F. Stell. Aebutiano curatori *Laurentium Lavinatium*, pontifici ejusd. sacerdotii, etc. Alia ap. *eund.* 43, 10. Q. Manilius Philumenus sacerd. Laur. Lavin. etc. Adde alias 347, 1. et 409, 8. et aliam supra. *F.*]

LAURENTĀLIA. V. LARENTALIA.

LAURENTĪNUS, a, um, adj. ad Laurentum oppidum pertinens, de quo V. in LAURENS. *Mart.* 10, 37. Laurentinum litus. *Plin. ep.* 2, 17. Miraris cur me Laurentinum, vel, si mavis, Laurens meum tantopere delectet: subintellige *praedium, seu rus, quod habeo in agro Laurente. Id. ib.* et *Val. Max.* 8, 5. *f.* Laurentina via, *h. e.* quae Roma Laurentum ferebat. ℙ [*Laurentinus* est etiam

cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. *col.* 3. L. Faenius L. L. Laurentinus. *F.*]

LAURENTIS, idis, adj. f. Laurentina, Laurens. *Enn.* ap. *Prisc.* 7, 762. Quos homines quondam Laurentis terra recepit.

[LAURENTIUS, a, um, adj. idem ac Laurentinus. *Virg. A.* 10, 708. multos Vesulus quem pinifer annos Defendit (*aprum*) multosve palus Laurentia.

LAURENTUM. V. LAURENS.

*LAURĔO, as, a. 1. *Chrysol. Serm.* 66. Postes tuos suis ulceribus laureavit. *Sarisb. Ep.* 298. Ecclesia martyrum sanguine laureatur. *B. A.*

LAURĔOLA, ae, f. dimin. laureae, et pro corona triumphali sumitur. *Cic. Fam.* 2, 10. Velles enim, tantummodo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis. ℙ *Laureolam in mustaceo quaerere*, est rem frustra aggredi, vanam operam in re aliqua collocare; ducta translatione a lauri foliis, quae, ut constat ex *Catone R. R.* 121. et *Plin.* 15, 30, 39., mustaceis subjiciuntur, quaeque propterea quod in mustaceis coquendis corrumpi solent, frustra quis quaesiverit. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Venit interim Bibulus. Credo, voluit appellatione hac inani (*imperatoris*) nobis esse par. In eodem Amano coepit laureolam in mustaceo quaerere. [At ille cohortem primam totam perdidit, etc. *h. e.* voluit victoriae lauream sibi comparare, sed eam, veluti in mustaceo, corruptam invenit. *F.*]

LAURĔOLUS, i, m. latro sceleratissimus, qui in cruce sublatus, et a feris devoratus fuisse fertur. Quae fabula aliquoties Romae in spectaculis acta est mimographo Q. Lutatio Catullo. *Juven.* 8, 184. Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli. Laureolum velox etiam bene Lentulus egit, Judice me, dignus vera cruce. Domitianus vero hanc fabulam repraesentandam curavit, in qua nocentissimum quendam, ultimo supplicio damnatum, in crucem erigi jussit, et immisso urso dilacerari, atque ita rei verae, non fictae spectaculum populo exhibuit. *Mart. Spectac.* 7. Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso Non falsa pendens in cruce Laureolus.... In quo, quae fuerat fabula, poena fuit. *F.*]

LAURĔTĀNUS, a, um, adj. Lauretanus portus, in Etrusca ora, memoratur a *Liv.* 30, 39., ubi al. leg. *Laurentinum*, alii aliter.

LAURĔTUM et Loretum, i, n. *δαφνών*, locus lauris consitus. *Varr. L. L.* 4, 32. et *Plin.* 15, 30, 40. Loretum in Aventino vocatur, ubi silva lauri fuit. ℙ Duplex fuit Romae loretum, majus, et minus: uterque in regione decimatertia, ut est ap. *P. Victor. de region. Urb. Romae*, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 134. et 250. Porro *loretum* pro *lauretum* ea ratione dicitur, qua *codex*, *coda*, *plodo*, pro *caudex*, *cauda*, *plaudo*, etc.

LAURĔUS, a, um, adj. *δάφνινος*, qui est e lauro. *Cato R. R.* 31. Vectes laurei; et *ib.* 76. Laurea folia. *Liv.* 23, 11. corona. *Ov. Trist.* 2, 172. serta. *Mart.* 10, 92. Laureum nemus. *Plin.* 20, 13, 51. oleum, *h. e.* e baccis lauri, vel folio, vel folio simul, et cortice baccarum, ut *Id.* 15, 7, 7. docet. *Id. ib.* 15, 16. et *Colum.* 12, 10. Laurea pira, *h. e.* odorem lauri habentia, ut *Plin. ib.* tradit. *Id.* 15, 25, 30. cerasa, *h. e.* in lauro insita, non ingratae amaritudinis.

*LAURI, orum, oppidum Galliae Belgicae, vel in insula Batavorum, non procul a Lugduno. *Tab. Peut. B. A.*

LAURĪCES, um, m. plur. fetus cuniculorum a matre exsecti, vel uberibus ablati, qui olim cum interaneis non repurgatis cocti gratissimi in cibis habebantur. Vox est Balearica. *Plin.* 8, 55, 81.

LAURĪCŌMUS, a, um, adj. ornatus comas lauro. *Lucr.* 6, 151. Lauricomos ut si per montes fama vagetur.

LAURĪFER, a, um, adj. *δαφνηφόρος*, ferens laurum. *Plin.* 15, 30, 40. Lauriferam tellurem illam osculatus ex responso. *Lucan.* 5, 332. Lauriferos nullo comitetur vulnere currus; et 8, 25. Laurifera juventa.

LAURĪGER, a, um, adj. laurifer, laureatus. *Ov. A. Am.* 3, 389. laurigero sacrata palatia Phoebo. *Prop.* 4, 6, 54. Laurigera manus. *Sil.* 5, 412. Laurigeri avi. *Mart.* 10, 10. fasces. *Id.* 7, 6. Laurigera cuspis, *h. e.* hasta laureata.

[LAURILLA, ae, f. dimin. lauri. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 348, 9. Plautia Laurilla. Italice *Lauretta*. *F.*]

LAURĪNUS, a, um, adj. *δάφνινος*, laureus. *Plin.* 12, 8, 18. Laurinum folium. *Id.* 23, 4, 43. oleum. V. LAUREUS.

LAURĪOTIS, is, f. *λαυριωτις*, spodos in argenti fornacibus: ita dicta *ἀπὸ τοῦ Λαυρίου*, qui Atticae mons est, ubi argenti metalla Atheniensibus aliquando fuerunt, ut *Pausan. l.* 1. *c.* 1. tradit. *Plin.* 34, 13, 34.

LAURĪPŌTENS, entis, epitheton Apollinis ap. *Capell.* 1, 10. *in carm.*

[LAURŌLĀVĪNĬUM, ii, n. ita est appellata urbs Latii, quae prius Lavinium dicta fuit, postquam nempe Laurenti incolae huc translati fuerant, et cum Laviniis habitarunt, quod quidem circa Antoninorum tempora accidisse videtur; nam ex eo nulla amplius Laurenti mentio est apud auctores. Laurolavinium vero meminit, praeter *Serv.* ad *Virg. A.* 7, 59. et *Frontin. de colon.* p. 105. *Goes.*, omnium postremus *Symm. ep.* 1, 71., qui anno a Chr. n. CCCCIV. in vivis adhuc fuisse videtur ex *Prud. in Symmach.*, quicum ipse tanquam vivo loquitur. Insecutis temporibus ex ejus urbis ruinis crevit pagus, qui nunc *Pratica* vocatur. V. LAURENS. ℙ Hinc *Laurentes Lavinates* dicti sunt ejus oppidi incolae, et sacerdotes quidam, de quibus V. LAURENS. *F.*]

LAURONENSIS, e, adj. ad Lauronem pertinens, ut Lauronensia vina, ap. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Est autem Lauro, vel Lauron oppidum Hispaniae Tarraconensis, in regno *di Valenza*. *Flor.* 2, 22. et 4, 2.

LAURUS, i, f. *δάφνη*, arbor perpetuo virens: cujus plura genera *Plin.* 15, 30, 39 et 40. recenset ac describit. In fabulis est arbor dilecta Phoebo propter Daphnen puellam ab eo adamatam, et in eam conversam. V. DAPHNE. In magno honore apud Romanos fuit, quod pluribus ostendit *Plin. l. c.* Ipsa, inquit, pacifera, ut quam praetendi, etiam inter armatos hostes, quietis sit indicium. Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuncia, additur litteris, et militum lanceis, pilisque: fasces imperatorum decorat (adde *et navium proras in victoriae signum*) ex his in gremio Jovis optimi maximique deponitur, quoties laetitiam nova victoria attulit; idque non ideo, quia perpetuo viret, nec quia pacifera est, sed quia spectatissima in monte Parnasso, ideoque etiam grata Apollini, assuetis eo dona mittere jam et regibus Romanis, teste L. Bruto: et quia manu satarum sola fulmine non icitur. Laurus (teste *Catone R. R.* 8. et 133., et *Plin.* 15, 30, 39.) duplicis generis: Delphica seu triumphalis, et Cypria: prior mas sine baccis, ideoque sterilis, altera femina, et baccarum fertilissima. *Id.* 16, 29, 52. Laurus uvas suas gignit, maximeque sterilis, quae non gignit aliud; ob id a quibusdam mas existimatur. Haec *Plin.* Ob quas causas equidem crediderim, honorem ei habitum in triumphis, potius quam quia suffimentum sit caedis hostium, et purgatio, ut tradit Masurius (item *Fest.* in *Laureati*): Tiberium principem, tonante coelo, coronari ea solitum ferunt, contra fulminum metus. *Id. ib.* Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Caesarum, pontificumque, sola et domos exornat, et ante limina excubat. Haec *Plin.* quorum exempla non una habes in LAUREATUS. Praeterea lauro utebantur in omnibus capiendis, si nimirum in ignem conjecta crepitaret, boni; si taceret, mali augurii signum putantes. Hinc opinor praescia venturi a *Claud. Rapt. Pros.* 2, 109. appellatur. *Tibull.* 2, 5, 81. et sqq. et *Prop.* 2, 21, 36. ℙ Ea item coronabantur in certis sacris flamines, ut est ap. *Liv.* 23, 11. et *Ov. Fast.* 3, 137. Item imagines majorum domesticae, in gratulatione solemni, cum quis honorem esset adeptus, ut ex *Cic. Mur.* 41. colligitur. Poetae quoque et vates eam gestare dicebantur, ut qui Apollinis tutelae assignati, et ab eo vim carminis accipientes. *Hor. Od.* 2, 7, 19. Quin et ea vesci. *Juven.* 7, 19. et *Tibull.* 2, 5, 63. quod vaticinandi scientiam parere credebatur: item *Mart.* 5, 4. ad discutiendam ebrietatem. Ipse Juppiter in nummis Capuanis ap. *Daniele*, *Num. Cap.* p. 1. cernitur laurea corona circumdatus, cujus rei causam hanc affert *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 398., quia nec aquila, aut laurus dicitur fulminari, ideo Jovis ales aquila, Jovis coronam lauream accepimus. ℙ Ante januam domus Augusti, et deinde aliorum imperatorum duae lauri hinc inde ponebantur, supra vero corona quernea, quasi perpetuus hostium victor, et civium servator esset. Has videre est in nummo gentis Caniniae ap. *Morell. Num. Fam.* V. et *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 88. Hunc morem memorat *Tert. Apol.* 35. Unde Cassii, et Nigri, et Albini? unde qui inter duas lauros obsident Caesarem? ℙ Metonymice sumitur pro victoria. *Plin. Pan.* 14. et *Stat. Silv.* 4, 1, 41. ℙ In quibusdam casibus est etiam quartae declinationis. Dixerunt enim *ab hac lauru*, et *lauruum* teste *Charis.* 1, 110. et *Hor. Od.* 2, 7, 19. et *laurus* in primo et quinto plurali legitur apud poetas non semel, ut *Tibull.* 2, 5, 63. Sic *Plin. l. sup. c.* Nullum genus laurus in Corsica fuisse. Dixi *in quibusdam casibus*, quia *laurui*, et *laurubus*, vel *lauribus*, in utroque dativo non facile usurpaverim: quod monet etiam *Serv.* ad *A.* 10, 689.

LAUS, laudis, f. *ἔπαινος*, commendatio, praeconium, verba, quibus alicujus virtutem testamur. Volunt esse vel a *λάω*, eloquor, vel a *λαὸς*, populus. *Cic. Fam.* 15, 6. Ea est profecto jucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt; et *ib.* 9, 14. Summis aliquem laudibus ad coelum efferre; et *ib.* 2, 15. Divinis laudibus ornare aliquem; et *Att.* 13, 38. Habere laudes quotidianas et assiduas de aliquo. *Id. Off.* 2, 13. *f.* Laude quempiam afficere. *Id. Or.* 1, 26. Omni laude cumulare; et *Fam.* 5, 2. Summam alicui laudem tribuere. *Id. Mur.* 7. Illustri laude celebrari; et *Verr.* 1, 17. Esse in laude et in gratia cum populo R. *Id. Marcell.* 2. Laudem consequi. *Id. Off.* 2, 13. maximam ex re aliqua sibi parere. *Virg. A.* 12, 321. afferre cuipiam. *Cic. Phil.* 2, 11. Ornare quempiam suis laudibus, et onerare alienis. *Val. Fl.* 5, 83. implere. *Plin.* 5, 1, 8. et 15, 8, 8. celebrare; et 25, 5, 18. praedicare; et 20, 3, 9. ferre. *Hor. Ep.* 1, 17, 35. Principibus placuisse viris, non ultima laus est. *Id. Sat.* 2, 3, 99. et *Ov. Fast.* 5, 290. Hoc mihi est laudi. *Sen. Herc. Oet.* 1561. Laudis est, purum tenuisse ferrum. *Gell.* 4, 9. *f.* Haec dicuntur in laudem, *h. e.* laudandi gratia. *Cic. Verr.* 2, 3, 91. Neque ego hoc in tua laude pono: alia sunt tua facta summa laude digna. *Id. Tusc.* 1, 2. Fabio laudi datum est, quod pingeret. *Id. Or.* 1, 23. Tibi nunquam eloquentiae majorem tribui laudem, quam humanitatis. *Id. Brut.* 13. Brevitas laus est interdum in aliqua parte dicendi: in universa eloquentia laudem non habet. *Virg. Ecl.* 6, 6. Dicere alicujus laudes. *Cic. Planc.* 39. celebrare; et *Ov. Pont.* 4, 13, 23. laudes de Caesare dixi. *Stat. Th.* 8, 553. et *Val. Fl.* 1, 105. longa laude canere aliquem. *Plin.* 7, 43, 45. Supremae laudes, i. e. oratio funebris, laudatio. ℙ Metonymice dicitur de recte factis et virtute, quia his laudem meremur. *Cic. Att.* 2, 25. Plena manu nostras laudes in astra sustulit. *Id. Off.* 1, 22. *f.* Vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus. *Virg. A.* 1, 465. sunt hic etiam sua praemia laudi; et *ib.* 5, 355. primam merui qui laude coronam; et *ib.* 9, 252. Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis Praemia posse rear solvi? *Plin. Pan.* 70. A laude aliquem deterrere. Adde *Prop.* 3, 1, 15. ℙ *Laus dicendi*, aut *oratoria* est ipsa dicendi facultas, qua laudem adipiscimur. *Cic. Brut.* 7. Pericles cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. ℙ Notat etiam aestimationem et pretium cujuspiam rei, quae ad usum aliquem optima habetur. *Plin.* 35, 12, 46. Cois amphoris laus maxima. *Id.* 22, 22, 38. Peculiaris laus ejus, quod fatigato corpori succurrit. *Id.* 9, 41, 65. Coccum Galatiae in maxima laude est. *Id.* 36, 22, 47. Creticae cotes diu maximam laudem habuere. ℙ In genit. plurali *laudium* pro *laudum* dixit *Sidon. carm.* 23, 31. Hoc centesima laudium tuarum est. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 2, 1. p. 257.] ℙ **Laus Pompeja* oppidum fuit Galliae Transpadanae. *Plin.* 3, 17. Vulgo putant *Lodi* esse, quod oppidum Adduae est adpositum: verum aliter Itineraria tradunt, quae aliquot millibus *Laudem* Mediolanum versus reducunt a *Lodi* nostrae aetatis, circa quem locum vicus *Lodeve* occurrit, quod nomen Holstenius *Lodi Vecchio* interpretatur, unde haud dubie contractum est. Oppidum autem *Lodi* ex illius ruinis in ulteriori loco ortum fuit. Haec *Cellarius*. Meminit et *Tab. Peut.* et *Anton.* in *Itin.* ubi *Laus* nude audit. ℙ *Laus* etiam cognominata est Ilipula, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ℙ Quin et *Colonia Laus Julia Corinthus* dicta est Corinthus, a Caesare Julio in splendorem pristinam restituta. *Nummus* apud *Vaillant.*: Laus. Juli. Corint. Adi *Spanhem. de us. et praest. num.* p. 236. cujus verba sunt: Pegasus frequens in nummis Corinthiorum insigne, vel solus vel cum sessore Bellerophonte modo cum leone modo cum chimaera depugnante, inscriptis COL. L. IULIA. COR. *B. A.*

*LAUS (disyllab.), i, m. *Λάος*, flumen cum oppido cognomine, in Lucania, Bruttiis conterminum. *Plin.* 3, 5. ℙ Notandum in ed. *Hard.* (Lips. 1778.) impressum *Laiis*, errore, ut videtur, operarum. *B. A.*

LAUSUS, us, m. planctus, ejulatus, lugubris lamentatio. *Varr.* ap. *Non.* 1, 235. Funus exsequiati, cum lausu ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus. Alii leg. *plausu*: al. *exsequiati laute*. *Pl. Truc.* 4, 2, 18. Thetis quoque lamentando lausum fecit filio. Al. leg. *lessum*, quod idem significat. Qui lausum defendunt, ducunt a Graeco *κλαῦσις*, h. e. fletus, priore littera abjecta: et pro *lausus* etiam *losus* reperiri ajunt, ut pro *plaudo*, *plodo*, etc. [In vetustissima L. Cornelii Scipionis *Inscr.* ap. *Viscont. Op. Var.* T. 1. p. 50. *tab.* 5. ed. *Mediol.* Is lausis mandatus, *h. e.* fletibus funebribus. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 333, 7. L. Laberius Lausus. Alia ap. *Mur.* 102, 1. M. Sanquinius M. F. Pal. Lausus. *F.*] ℙ *Fuit et *Lausus*, *i*, m. filius Numitoris, frater Iliae seu Rheae Sylviae, ab Amulio Albanorum rege per dolum necatus. *Ov. Fast.* 4, 55. ℙ Alius fuit Mezentii filius, quem Aeneas interfecit, cum parentem vulneratum defenderet. *Virg. A.* 7, 649. et 10, 790. *B. A.*

LAUTĒ, adv. *λαμπρῶς*, splendide, eleganter. *Pl. Cas.* 4, 1, 10. Candide vestitus, laute exornatusque ambulat. *Ter. Ad.* 5, 1, 2. Laute munus administrasti tuum. *Nep. Chabr.* 3. Quod vivebat laute, et indulgebat sibi liberalius. *Suet. Cal.* 55. Quo lautius invitati acciperentur. *Cic. Leg.* 2, 1. Villa lautius aedificata. Al. leg. *latius*. [*Ita *Orell.*] *Id. Tusc.* 1, 1. Mores et instituta vitae, resque domesticas melius tueri, et lautius. ℙ Translate. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Amic.* 26. Lautis-

sime ludere aliquem. *Pl. Mil.* 4, 4, 25. Militem lepide et facete et laute ludificari, *h.* e. ample, valde, insigniter. *Ter. Eun.* 3, 1, 37. Facete, lepide, laute, nihil supra, *h. e.* ornate: formula plaudentium. *Pl. Mil.* 4, 2, 11. Loquitur laute, et minime sordide, *h. e.* ornate et amplis verbis, ac magnificis. *Plin. ep.* 2, 5. Si quis exstiterit, qui putet, nos lautius fecisse, quam orationis severitas exigat, *h. e.* ornatiore et delicatiore dicendi stilo usos esse.

LAUTIA, orum, n. plur. *ξένια*, exponuntur a *Festo*, epularum magnificentia (tametsi al. ibi leg. *lautitia*), a *Charis.* 1, 21. supellex: rursus ab eodem *Festo* in *Dautia*, ea quae dantur legatis hospitii gratia (V. XENIUM.), ab aliis verius esculenta, et poculenta ad lautiorem victum accommodata, quae a quaestoribus Romae legatis exterarum nationum, quibuscum amicitia et societas esset, publice praebebantur, hospitii gratia: unde et hospitale jus vocantur a *Liv.* mox afferendo. Alii ducunt a lavatione (nempe a *lautus*), quia apud antiquos hae elegantiae, quae nunc sunt, inquit *Festus*, non erant, et raro aliquis lavabat. Quare et *lotia* alicubi scriptum legimus, ut *lotus* pro *lautus*. Alii derivant a Graeco *δώτια* a *δίδωμι*, do: unde et *dautia* olim dicta sunt, teste eodem *Festo*. Fortasse paenultima producenda est, quia *Plutarch. in Quaest. Rom. n.* 43. *λαύτεια* scribit. Proprius ejus usus apud unum fere *Livium* habetur, ut 28, 39. *f.* Locus inde, lautiaque legatis praeberi jussa; et 30, 17. *extr.* Legatis dona in singulos ne minus quinum millium aeris, et vestimenta bina. Ad hoc aedes liberae, loca, lautia legatis decreta In veteri SCto, quod Graece et Latine habetur ap. *Grut.* p. 503. Munusque eis ex formula, locum, lautiaque quaestorem urb. eis locare, mittereque. *Ξένιά τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάταγμα, τόπον, παροχήν τε τὸν ταμίαν τὸν κατὰ πόλιν τοῦνοις μισθῶσαι*, etc. Rursus *Liv.* 45, 20. Consulti a M. Junio patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia, senatumque darent, nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt. Adde 33, 24., 35, 23., 42, 26. et 44, 16. In his *lautia praebere* est publice alicui coenam parare. ℙ Translate. *Appul. Met.* 9. Mihi, ne rudimentum servitii perhorrescerem, novus dominus loca, ac lautia prolixe praebuit. Adde *eund. ib.* 3.

[LAUTĪTAS, atis, f. eadem ac lautitia. *Gloss. Phil.* Lautitas, *πολυτέλεια*. *F.*]

LAUTĪTIA, ae, f. *πολυτέλεια*, magnificentia, elegantia, et munditia in victu et vestitu, et habitatione: sed in victu praecipue: a *lautum*, quia lautitiae initium Romani a lavando, et balneis fuisse videtur, ut est ap. *Fest. Suet. Caes.* 46. Munditiarum lautitiarumque studiosissimus. *Id. Aug.* 71. Lautitiarum invidiam facile refutavit, cum Alexandria capta, nihil sibi, praeter unum murrhinum calicem, retinuit, et vasa aurea conflavit omnia. *Plin.* 36, 6, 5. Columnis utebantur in templis, nec lautitiae causa. ℙ Quam late hoc verbum pateat, disce ex his *Senecae* verbis *ep.* 114. *med.* Ubi luxuriam late felicitas fundit, cultus primum corporum esse diligentior incipit: deinde supellectili laboratur: deinde in ipsas domos impenditur cura, etc. deinde ad coenas lautitia transfertur: et illi commendatio ex novitate, et soliti ordinis commutatione captatur, etc. Haec *Sen.* Praecipue tamen habet locum in apparatu, et pretio ciborum, ut dictum est. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* Fama ad te de mea nova lautitia veniet. *Petr. Sat.* 21. Tres lecti strati erant, et reliquus lautitiarum apparatus splendidissime expositus; et *ib.* 34. Accuratissimae lautitiae; et *ib.* 32. Esse in lautitiis. *Plin.* 9, 35, 58. Lautitiam Cleopatrae, apparatumque obtrectans Antonius. *Id.* 35, 12, 46. Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa coenarum lautitia. *Sen. B. V.* 12. Elegantiae, lautitiaeque famam captare. ℙ *Lautitia farina* ap. *Festum* est ex tritico aqua consperso.

LAUTĪUSCŪLUS, a, um, dimin. lauti, aliquantum lautus. *Appul. Met.* 7. Vestem lautiusculam proferunt.

LAUTŪLAE et Lautolae, arum, f. plur. *θερμαὶ*, locus Romae ad Janum geminum, ubi aquae calidae fuerunt, ut *Varr. L. L.* 4, 32. docet. Fabulam addit *Serv.* ad *A.* 8, 361. Cum Romani a Sabinis urgerentur fugientes, subita eruptione aquae ferventis et ipsos a periculo liberatos, et hostes ab insequendo repressos fuisse: unde loco Lautulae nomen factum. ℙ Extra urbem quoque *lautulae* fuerunt, prope Anxur. *Liv.* 7, 39. et 9, 23. Sic *Festus:* Lautulae, locus extra urbem, quo loco, quia aqua fluebat, lavandi usum exercebant.

LAUTŪMĀRĬUS, ii, m. qui lautumias incolit. *Cic. Pis.* 9. Juxta codices antiquos, ut *Turnebus* monet *Advers.* 21, 15. At In vulgatis est *laternarius*, quod praestat.

LAUTŪMĬAE et Lātŏmĭae, arum, f. plur. *λαοτομίαι*, et *λαιομίαι*, a *λᾶας*, lapis, genit. *λάαος*, contr. *λᾶος*, et *λάου* ap. *Sophocl. Oedip. Colch. v.* 196., et *τέμνω*, seco; lingua Siculorum locum significant, ubi caeduntur lapides, ut *Ascon.* docet in *Verr.* 2, 1, 5. V. LAUDICENUS. In eas, ut in ergastula, servi vincti compingebantur, ad opus faciendum. *Pl. Poen.* 4, 2, 5. vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim Agere aetatem, quam, etc. *Id. Capt.* 3, 5, 65. Inde ibis porro in latomias lapidarias. Ibi cum octonos alii lapides effodint; Nisi quotidianus sesquiopus confeceris, Sexcentoplago nomen indetur tibi. ℙ Speciatim ita dictus est carcer publicus Syracusis, quia totus e vivo lapide excisus erat. De eo *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique notis; opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, et multorum operis penitus excisum: nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Carcer Syracusis vocatur latomiae; et de latomia translatum, quod hic quoque lapicidinae fuerunt. V. de his lautumiis *Thucyd.* 7, 87. et *Aelian. V. H.* 12, 44. ℙ Inde transfertur ad carcerem, qui Romae erat, quique *Tullianus* dicebatur; quam v. v. *Liv.* 32, 26. *f.* Triumviri carceris lautumiarum intentiorem curam habere jussi. *Id.* 37, 3. Principes Aetolorum Romam deducti, et in lautumias conjecti sunt. Adde 26, 27. et 39, 44. Ubique autem alii leg. *latumiae*, aut *latomiae*. Sed prior scribendi ratio videtur Latinis usitatior, qui Siculum *latomiae* pro *laotomiae* in *lautumiae* mutarunt. Inde enim est cujusdam Sabini jocus, ap. *Sen. Excerpt. contr.* 9. *n.* 4. *extr.* qui, cum reus rogaret, ut in lautumias transferretur, Non est, inquit, quod quemquam vestrum decipiat nomen lautumiae: illa animo meo lauta res est. Ap. *Fest.* est *latumiae*, ita litterarum ordine postulante: *latomiae* autem est a Graeco *λατομία*, et a Siculis, ut dictum est, et *Varr.* docet *L. L.* 4, 32., ubi et *latomia* singulari numero legitur, V. supra. ℙ [Etiam *lautumius*, *a*, *um*, adjective usurpatur a *Sen. Consol. ad Marc.* 17. Tot millia captivorum ille, excisis in infinitam altitudinem saxis, lautumius carcer incluserat. Alii minus recte *Nablius*, alii aliter leg. *F.*]

LAUTUS, a, um, part. a *lavo*, *is*, mundus, lotus. *Hor. Sat.* 2, 3, 381. qui circum compita siccus Lautis mane senex manibus currebat. *Cic. Dejot.* 7. Cur te lautum voluit, coenatum noluit occidere? *Pl. Pers.* 1, 3, 10. et *Ter. Phorm.* 2, 2, 25. Lautum credo a balneis jam hic affuturum. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 10, 3. Parum cito sibi balneas traditas esse, et parum lautas fuisse, *h. e.* parum instructas supellectili balnearia. *Acc.* ap. *Non.* 4, 280. Volnere tetro deformatum, suo sibi lautum sanguine tepido, *h. e.* aspersum, inquinatum. ℙ Quia vero initium deliciarum ab usu saepe lavandi Romanis fuit, quem prisci illi et rustici omnino nesciebant, factum est, ut *lautus* sumi coeperit pro nitido, eleganti, delicato, magnifico, sumptuoso, *εὔδειπνος*, *δαψιλής*: et tum de cetero cultu, tum praecipue de victu et conviviis dicitur. *Cic. Pis.* 27. *f.* Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum. *Id. Or.* 1, 36. Lauta supellex. *Gell.* 1, 14. Lautus paratus. *Plin.* 16, 15, 26. Acer crispius ad lautiora opera. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* Nec tamen eas coenas quaero, ut magnae reliquiae sint: quod erit, magnificum sit et lautum. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 280. Lautum victum, et elegantem colere. *Catull.* 47, 5. Convivia lauta sumptuose facere. *Plin. ep.* 9, 17. et *Mart.* 12, 48. Lautissima coena. *Stat. Silv.* 1, 6, 32. Epulae lautiores. *Plin.* 14, 13, 15. Lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita. *Id.* 18, 12, 30. Fabae radix perquam lauta incolarum cibis. ℙ Cum Romanae mulieres post Veneris usum aqua ablui solerent, ideo lauta dicebatur mulier, quae virum jam passa esset. *Pl. Mil.* 3, 1, 192. Lautam vis, aut quae nondum sit lauta? V. AQUA. ℙ Item pro copioso, amplo, divite. *Cic. Rabir. Post.* 14. Lautum et copiosum patrimonium. *Id. Fam.* 13, 32. Civitas Halaesina tam lauta, quam nobilis. *Ter. Heaut.* 4, 5, 50. Omnes te in lauta et bene aucta parte putant. *Plin.* 8, 45, 70. Hinc victimae opimae et lautissima Deorum placatio. ℙ *Lautus* etiam dicitur, qui laute vivit, splendidus est, deliciis et sumptuoso victu cultuque utitur. [*Gr. *πολυτελής*.] *Cic. Fam.* 7, 14. Valde jam lautus es, qui gravere litteras ad me dare. *Nep. Att.* 13. Cum in primis lautus esset eques Romanus, et liberaliter homines invitaret. *Cic. Att.* 13, 52. Libertis minus lautis, servisque nihil defuit: nam lautiores eleganter accepti. *Afran.* ap. *Non. l. c.* Lautus conviva. *Mart.* 13, 7. Lautorum coenae. *Cic. Verr.* 2, 1, 6. Homines lauti et urbani. *Pl. Poen.* 5, 4, 27. Est lepida et lauta. Et cum infinito *Pers.* 6, 23. rhombos libertis ponere lautus. ℙ *Lautae Carinae* dicuntur a *Virg. A.* 8, 361. propter elegantiam et lautitiam aedificiorum. V. *Serv.* alias hujus appositi rationes afferentem. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 15. Beneficentiae ac liberalitatis est ratio duplex: nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia: facilior est haec posterior, locupleti praesertim: sed illa lautior ac splendidior, et viro forti elaroque dignior. [*Id. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 11. Lautus sermonis auctor. *Plin.* 19, 8, 42. Omnium hortensiorum lautissima cura asparagis, *h. e.* maxime exquisita, diligens, et quasi delicata. Nam lauti conquirendis cibis inten ssimi sunt. *F.*] *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Lautum negotium, *h. e.* splendidum, illustre, magnificum. ℙ *Inachis lauta* dicitur ab *Ov. Fast.* 1, 454. quia in ejus sacris jecur anseris adhibebatur, qui erat lautiorum mensarum cibus, quod observat *Voss. Institut. Orator.* 4, 13. §. 8. V. ANSER. ℙ In illo *Lucil.* Malis necesse est lautum *(esse eum, qui)* e mensa pure capturus cibum: *Non.* 4, 280. pro nudo, et carente accipit.

LAX, fraus: unde lacit, in fraudem inducit. *Fest.* in *Lacit.*

LAXABUNDUS. V. LAPSABUNDUS.

LAXAMENTUM, i, n. spatium, *ἔνδοσις*, *λώφημα*, laxitas, dilatatio. *Vitr.* 4, 7. *f.* Alii removentes parietes aedis efficiunt amplum laxamentum cellae. *Id.* 5, 9. Choragia laxamentum habeant, ad chorum parandum, uti sunt porticus Pompejanae. *Sen. Q. N.* 6, 18. Nec ventum tenet ulla compages: solvit enim quodcumque vinculum, infususque per minima laxamentum sibi parat. ℙ *Laxamentum ventris*, cum laxantur intestina, et retrimenta non continent. *Macr. Sat.* 7, 11. *f.* Laxamentum ventris comitatur timorem. ℙ Translate est interruptio, et remissio laboris, operis, curae, qua relaxatur animus, spatiumque habet colligendi se et recreandi. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. *med.* Nactus in navigatione pusillum laxamenti, concinnavi tibi munusculum ex instituto meo. *Gell.* 5, 1. Laxamentum atque otium prolixe laudandi non habet. *Just.* 41, 5. Dato laxamento regnum Parthicum format. *Liv.* 7, 38. Eo laxamento cogitationibus dato, quievit in praesentia seditio. *Id.* 9, 41. *med.* Legati ad consulem missi, ut si quid laxamenti a bello Samnitium esset, in Umbriam exercitum duceret. *Id.* 22, 37. *med.* Ut et hostes in terra sua bellum haberent, minusque laxamenti daretur iis ad auxilia Annibali submittenda. ℙ Item remissio severitatis, juris, aut hujusmodi, *ἄφεσις*. *Cic. Cluent.* 33. Non modo causae, sed ne legi quidem quidquam per tribunum laxamenti datum est. Adde *Liv.* 2, 3. et 24.

LAXĀTĬO, onis, f. *ἀνεψιασμός*, actus laxandi, spatium interjectum. *Vitr.* 4, 7. Trabes ita sint compactae, ut compactura duorum digitorum habeat laxationem. *V. *eund.* 9. et *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *B. A.*

LAXĀTĪVUS, a, um, adj. *χαλαστικός*, ad solvendum et laxandum pertinens. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 3. Laxativa cataplasmata. **Appul. H.* 66. virtus. *B. A.*

LAXĀTUS, a, um, part. a *laxo*: *ἀνειμένος*, laxus factus, apertus, dilatatus. *Liv.* 21, 32. *f.* Ubi primum degressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, raptim angustias evadit. *Petr. Sat.* 112. Ut viderunt laxatam custodiam, etc. *Plin.* 19, 1, 3. de lino: Virgas maceratas indicio est membrana laxatior. *Virg. A.* 11, 150. Et via vix tandem voci laxata dolore est. *Ov. Halieut.* 27. laxata foramina retis. *Tac. H.* 3, 25. et *Sil.* 9, 364. Laxati ordines *(aciei)* abrumpuntur. *Senec. Oedip.* 582. Subito dehiscit terra, et immenso sinu Laxata patuit. ℙ Item solutus, *ἄνετος*. *Cic. Somn. Scip.* 3. *med.* Qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. *Plin.* 10, 23, 30. de gruib.: Lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno, etc. *Cic. Sen.* 3. Libidinum vinculis laxati. *Id. Tusc.* 1, 19. curis. ℙ *Laxata temeritas* ap. *Petr. Sat.* 82. est deposita. ℙ *Laxata nox* ap. *Sil.* 13, 550. est discussis tenebris illustrata, et veluti aperta. ℙ *Laxata pugna* ap. *Liv.* 21, 59. est intermissa.

LAXĒ, adv. *εὐρύ*, *ἀνέτως*, laxo spatio, late, ample, cui *anguste* opponitur. *Cic. Dom.* 44. Habitare laxe et magnifice voluit. *Plin.* 2, 97, 99. Vis sideris laxe grassantis. *Id.* 17, 14, 24. de insitione: Ne hiscat nimium rima, laxeque capiat, aut ne parum. *Id.* 13, 4, 7. Laxe distans. *Id.* 33, 3, 19. Aurum laxius dilatatur. *Id.* 2, 16, 13. Mercurii stella laxissime vagatur. *Varr. R. R.* 2, 10. *f.* De numero pastorum alii angustius, alii laxius constituere solent, *h. e.* pauciores, aut plures. *Liv.* 28, 24. In hostico laxius rapto suetis vivere, arctiores in pace res erant, *h. e.* liberius, licentius. *Sall. Jug.* 92. Romanos, remoto metu, laxius licentiusque futuros, *h. e.* late dispersos, solutis ordinibus, et remissa disciplina. *Cic. Att.* 13, 14. Si laxius volent proferre diem, *h. e.* longius. Al. leg. *latius*. ℙ Item remisse, non adducte. *Lucan.* 4, 450. medio suspendit vincula ponto, Et laxe fluitare sinit.

LAXĬTAS, atis, f. *εὐρυχωρία*, amplitudo, latitudo, spatium: cui *angustia* opponitur. *Cic. Off.* 1, 39. In domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi, et admittenda hominum cujusquemodi multitudo, adhibenda est cura laxitatis. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 492. Laxitas loci. *Plin.* 4, 12, 24. maris; et *prooem. l.* 14. mundi; et 8, 43, 68. spatiosa. *Colum.* 4, 18. Vindemiatoribus hae semitae opportunam laxitatem praebent, per quam vel fructus, vel statumina portentur. *Pall.* 1, 5. *f.*

Vallis cum quadam moderatione, et aeris laxitate submissa. ℙ Item remissio, languor. *Arnob.* 6, 197. Liber membris cum mollibus fingitur, et liquoris feminei dissolutissimus laxitate.

LAXO, as, avi, atum, a. 1. εὐρύνω, χαννόω, latum facio, dilato, aperio. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* Ut forum laxaremus, et usque ad atrium Libertatis explicaremus. *Caes. B. G.* 2, 25. Manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent. *Pers.* 5, 110. Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes. *Plin.* 21, 5, 11. Lilium ab angustiis in latitudinem paulatim se laxans. *Id.* 32, 2, 5. Laxare fores; et *ib.* maculas retis. *Lucan.* 6, 270. effuso tentoria campo; et *ib.* 567. ora. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 74. Alpes. *Virg. A.* 2, 259. pinea furtim Laxat claustra Sinon. *Id. G.* 2, 330. Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus. *Id. A.* 6, 411. Inde alias animas, quae per juga longa sedebant, Deturbat, laxatque foros. *Plin.* 26, 15, 90. Hyssopum suffocationes laxat. *Id.* 8, 36, 54. Laxare intestina, *h. e.* alvum ciere. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 1. ructum, *h. e.* ciere. *Stat. Th.* 12, 254. Solaque nigrantes laxabant astra tenebras, *h. e.* aliquantum minuebant. ℙ Est etiam solvere; quia qui solvit, aperit. *Nep. Paus.* 4. Vincula epistolae laxavit. [*Alii *laceravit.* At v. *Brem.*] *Val. Max.* 3, 3. *n.* 5. *extr.* Fidiculas laxavit, solvit equuleum. *Lucan.* 4, 632. Laxare nodos Herculeos. *Sil.* 11, 17. jugum, *h. e.* detrectando solvere et abjicere. De bobus indomitis loquitur. Huc et illud pertinet, *Just.* 42, 4. *f.* Ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud, quam Pacorum vocabat. ℙ *Laxare ferrum* igne mollire et extendere. *Stat. Achill.* 1, 129. ferrum laxatur ad usus Innumeros, quod rostra liget, quod muniat arma, Belligeros quod frenet equos, etc. ℙ Item remittere, quod contentum erat. *Plin.* 23, 8, 80. Oleum ad nervos laxandos utile est: *scil.* cum vitiose intenduntur, ut in opisthotono. *Ov. A. Am.* 3, 73. Quam cito (me miserum!) laxantur corpora rugis: *scil.* laxante se cute ex macie, quae, pleno corpore in juventa, intenta erat. *Virg. A.* 3, 266. excussosque jubet laxare rudentes. *Val. Fl.* 2, 35. Laxare habenas. *Lucan.* 7, 125. frenos. ℙ *Laxare arcum* ap. *Phaedr.* 3, 14. et huc pertinere potest, quia et *tendere arcum* dicimus; et ad notionem primam, quia remisso nervo, cornua arcus aperiuntur ac dilatantur. Hinc *Auct. Pan. ad Pison.* 130. nec semper Gnosius arcu Destinat, exempto sed laxat cornua nervo. ℙ Translate *laxare* est remittere, intermittere: quia curis ac labore animus intenditur. *Liv.* 6, 9. Ut oppidanis pugnando fessis laxaretur labor, et ipse spatium intrandi moenia haberet. *Pers.* 5, 44. Atque verecunda laxamus seria mensa. *Virg. A.* 9, 224. somno laxare curas. ℙ Item relaxare, indulgere. *Liv.* 9, 16. *med.* Equites ausos ab eo petere, ut sibi pro re bene gesta laxaret aliquid laboris. *Gell.* 1, 3. *med.* Laxare paulum, et remittere subtile examen justitiae. ℙ Item levare, recreare. *Cic. Or.* 3, 61. A contentione disputationis animos, curamque laxemus. *Id. Brut.* 93. *f.* Laxare judicum animos, atque a severitate ad hilaritatem traducere. *Liv.* 32, 5. Laxare animum ab assiduis laboribus. *Sen. Tranqu.* 15. Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. *Mart.* 4, 8. Et bonus aetherio laxatur nectare Caesar. ℙ Item solvere. *Cic. Att.* 6, 2. Dixerim, me vel plurima vincula tecum summae conjunctionis optare: etsi sunt amoris arctissima: tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid velim. *Virg. A.* 5, 857. quies laxaverat artus. *Petr. Sat.* 82. Si quid habueram virium, perdidi, totoque corpore velut laxato, etc. Sic *Pers.* 3, 58. Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum dissutis undique malis. *Flor.* 2, 4. Alpina corpora, ut caluere pugna, statim in sudorem eunt, et laxantur. ℙ Item liberare, eripere. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *med.* Ut istis te molestiis laxes. ℙ Item aperire. *Stat. Achill.* 1, 508. Eja irrumpe Deos, et fata latentia laxa. ℙ Item producere. *Quint.* 10, 5. *f.* Longiore dierum spatio laxabit dicendi necessitatem. *Sen. Med.* 420. Laxare tempus fugae. ℙ Item levare. *Id. Herc. Oet.* 787. Posuitque clavae pondus, et pharetra graves laxavit humeros. ℙ *Laxare iram* est remittere, et sedare. *Stat. Th.* 6, 831. armiferas laxare adsueverat iras. *Petr. Sat.* 108. Plures cruenti vulneribus referunt veluti ex proelio pedem: nec tamen cujusquam ira laxatur. Sic *ib.* 82. Paulatim temeritate laxata, *h. e.* deposita. ℙ *Laxare annonam* est ciborum pretium minuere, cui contrarium est *arctare.* V. ANNONA. [*Corrumpitur *laxare* in *relaxare*, V. *intpp.* ad *Eutr.* 9, 8. Permutatur *laxare* et *lacerare*, v. h. v. in f.]

LAXUS, a, um, adj. εὐρύς, latus, spatiosus, amplus. De notatione nihil certi habemus. [*Eorum quae *Doederl.* 1, 105. sq. de h. v. disputat summa haec est: *laxus* et *lassus* ejusdem esse originationis vocabula, eodem modo cognata, quo *nisus* et *nixus*, *coxim* et *cossim*, *Ulyxes* et *Ulysses*: coll. *Schneid. Gr. Lat.* 1, p. 355. Utrumque participii formam referens obsoleti verbi *laco* vel *lago*, cujus usum ipsa frequentativa *lassare*, *laxare* ex *lassus* et *laxus* facta abrogarint, proprie quidem denotare *remissum*, opp. *adstricto;* sed discrepare ita, ut *laxus* de eo dicatur, quod propter remissionem majus spatium occupet; *lassus*, quod firmitatem, robur amiserit: *illud* spectare res vita carentes, *hoc* ad animata pertinere. *Plin.* 11, 24, 28. quam laxus ad flatus ac non respuenda quae veniant sinus? Derelicta lasso (araneo) praetendi summa parte arbitrere licia. Hinc posse paria vel similia eodem modo *laxa* et, quasi personae notione adhibita, etiam *lassa* dici. *Pers.* 3, 58. Testis adhuc laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum, dissutis undique malis? V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 158. b. *ed. Frotsch.* et *Virg. A.* 9, 436. Lassove papavere collo Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.] *Sall.* ap. *Non.* 4, 3. Socordius ire milites occepere, et laxiore agmine. *Virg. G.* 3, 166. laxos tenui de vimine circlos Cervici subnecte; et *ib.* 4, 247. Laxos in foribus suspendit aranea casses. *Hor. Sat.* 2, 3, 171. nuces ferre sinu laxo; et *ib.* 1, 3, 32. male laxus in pede calceus haeret. *Tibull.* 1, 7, 46. Laxa toga. *Sen. ep.* 88. *med.* Laxum spatium. *Vell.* 2, 81. Laxior domus. *Ov. Amor.* 1, 8, 77. Laxa janua; et *ib.* 2, 15, 14. Laxus anulus. *Virg. A.* 1, 126. Laxae compages. *Mart.* 5, 79. Laxa cutis, *h. e.* laxata ex sudore, et meatus apertos habens. ℙ Item remissus, ἀνειμένος. *Hor. Sat.* 2, 7, 20. Qui jam contento, jam laxo fune laborat. *Ov. Amor.* 3, 4, 16. Laxa frena. *Virg. A.* 1, 67. Laxae habenae. ℙ *Laxus arcus* ap. *Virg. A.* 11, 874., *Hor. Od.* 3, 8, 23. et *Ov. Rem. Am.* 702. et remissus intelligi potest, et latus diductusque, ut in LAXO diximus. ℙ Est etiam dilatatus, productus, longus. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico, me centesimas ducturum. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Tempus sibi, et quidem laxius, postulavit. Adde *Procul. Dig.* 45, 1, 113. ℙ Item amplus, magnus, multus. *Mart.* 2, 30. Et cujus laxas arca flagellat opes. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 13. Commodissimum est quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, cum velis, vel remittas, *h. e.* non est amicitia nimis arcte jungenda. *Sall. Jug.* 68. Milites in hibernis laxiore imperio, quam antea, habere. *Liv.* 24, 8. Si bellum cum eo hoste haberemus, in quo negligentiae laxior locus esset. ℙ Laxa annona, cui opponitur *arcta.* V. ANNONA. ℙ *Laxa vox* est, quae laxo ore fit, ut cum *a* pronunciamus. *Gell.* 13, 20. Si dicas *Quam das finem* (ap. *Virg. A.* 1, 245.) injucundum nescio quo pacto, et laxiorem vocis sonum feceris. ℙ *Laxioribus verbis dicere aliquid* ap. *eund.* 16, 1. est latius, et fusius rem explicantibus. ℙ *Laxum caput* ap. *Pers.* 3, 58. est solutum, somni plenum, et languidum. V. LAXO. ℙ *Laxa mulier* est amplo interfeminio praedita apud *Mart.* 11, 21. et *Auct. Priap.* 18, 2.

*LAZI, orum, m. Λαζοί, populi Asiae, Colchorum pars. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

L E

LĔA, ae, f. idem quod leaena: sed non aeque usitatum, et fere poeticum. *Varr. fr.* ap. *Philargyr.* ad *Virg. Ecl.* 2, 63. Sicut nocet panthera et lea. *Lucr.* 5, 1317. Irritata leae jaciebant corpora saltu. *Ov. Fast.* 5, 176. Audet et hirsutas cominus ire leas. *Id. Met.* 14, 255. mixtaeque lupis ursaeque, leaeque. *Id. Fast.* 4, 102. Lea saeva. Adde *Trist.* 4, 7, 14. et *Sen. Agam.* 740. ℙ In aliis casibus non facile usurpaverim. ℙ *Fuit et Lea, Λεία, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. ℙ Item oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

LĔAENA, ae, f. λέαινα, leo femina. *Cic. fr.* ap. *Philarg.* ad *Virg. Ecl.* 2, 63. Statuerunt aeream leaenam. *Gell.* 13, 7. Leaenas inter omnem vitam semel parere, eoque partu nunquam edere plures, quam unum, Herodotus scriptum reliquit. *Plin.* 8, 16, 17. Aristoteles tradit, leaenam primo fetu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus, ab uno sterilescere. *Catull.* 64, 154. De homine crudeli et feris moribus: Quaenam te genuit sola sub rupe leaena? *Hor. Od.* 3, 20, 2. Getulae catulos leaenae. *Virg. G.* 3, 245. et *Val. Fl.* 6, 148. Leaena saeva. *Virg. G.* 4, 408. fulva. et *Ecl.* 2, 63. torva. *Ov. Fast.* 5, 371. Libyca; et *ib.* 177. feta; et *Met.* 13, 547. Utque furit catulo lactente orbata leaena. Adde *Tibull.* 3, 4, 90. et *ib.* 6, 15. ℙ [*Leaenae* nomine Athenis appellata et meretrix fuit, quae, quia Harmodium, et Aristogitonem tyrannicidas torta non indicavit, statua ob id animalis cognominis elingui honorata est, cum nefas esset simulacrum meretricis constitui in templo. *Plin.* 7, 23, 23. et 34, 8, 19. *n.* 12. et *Lact.* 1, 20. *F.*] Veteres grammatici ap. *Philarg. l. c.* hanc vocem negabant Latinam esse, quia ad significandum sexum *leo femina* dicebatur, ut *Pl.* in *Vidul.* Nam audivi in feminam ego leonem semel parire. Sane *leaena* tota Graeca est, potiusque *lea* dicendum esset: quod et *Isid.* adnotavit *Orig.* 12, 2. Verum contra haec omnia stat usus.

LĔANDER et Leandrus, i, m. Λείανδρος, juvenis nomen, ex Abydo Asiae oppido in litore Hellespontii sito, qui cum Herus puellae amore captus esset, quae in oppositi litoris oppido Sesto habitabat, noctu ad eam transnabat. Quod ubi aliquoties non infeliciter cecidisset, jam audacior factus, cum mari tumido et impacato sese commisisset, vi ventorum fluctuumque victus, in Hellesponto submersus est. Fabulam hanc, aut fortassis historiam elegantissimo carmine apud Graecos prosequutus est *Musaeus*, a quo *Ov.* mutuatus est argumentum Epistolarum 18. et 19. Herus ad Leandrum, et Leandri ad Hero. Ubique autem primam producit syllabam. Sic *Mart.* 14, 181. Clamabat tumidis audax Leander in undis. ℙ Dicitur et *Leandrus. Id. Spectac.* 25. Cum peteret dulces audax Leandrus amores.

LĔANDRĪCUS et

LĔANDRĬUS, a, um, adj. ad Leandrum pertinens, ut Hellespontus Leandrius, *h. e.* a Leandro natatus. *Sil.* 8, 622. Mille rates vidit Leandrius Hellespontus. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Leandrici natatus.

*LEANĪTAE, arum, m. populi Arabiae, ad sinum Arabicum, quorum urbs Laeana dicta. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

LĔARCHĔUS, a, um, adj. Λεάρχειος, ad Learchum pertinens. *Ov. Fast.* 6, 491. Moesta Learcheas mater tumulaverat umbras.

LĔARCHUS, i, m. Λέαρχος, Athamantis et Inus filius, quem pater furore correptus occidit. Quod cum vidisset Ino, arrepto Melicerta altero filio in mare se praecipitavit. Atque Ino quidem in Deam maris mutata est, quam Graeci Leucotheam, Latini Matutam vocant, Melicertes autem in Deum marinum, quem Graeci Palaemona, Latini Portunum. *Ov. Fast.* 6, 479. et sqq. *Hyg. fab.* 1. et 2.

*LEBĂDE, es, f. urbs Lydiae. *Plin.* 5, 29. Interiere intus Daphnus et Hermesia, et Sipylum, quod ante Tantalis vocabatur, caput Maeoniae, ubi nunc est stagnum Sale: ob id et Archaeopolis substituta Sipylo, et inde illi Colpe, et huic Lebade. *B. A.*

*LEBADIA, ae, f. Λεβάδεια et Λεβαδία, urbs Boeotiae, ad quam fanum et antrum Trophonii. *Cic. de Div.* 1, 34. *Liv.* 45, 27. *Gell.* 12, 5. *in. Plin.* 9, 58. ℙ Est et forma *Lebadĕa*, paenultima producta. *Stat. Th.* 7, 345. Et valles, Lebadea, tuas. Adde *Plin.* 4, 7. *B. A.*

LĔBĔDUS, i, f. Λέβεδος, urbs Asiae minoris, in Ionia, in ora sinus Ionici, inter Teon ad Bor. et Colophonem ad Aust. Hic scenicorum histrionum collegium fuit, qui ludos, et certamina Libero Patri quotannis celebrabant. *Hor. Ep.* 1, 11, 6., *Plin.* 5, 29, 31., [*Mela* 1, 17. *F.*]

*LEBĒNA, ae, oppidum Cretae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LEBER olim pro *liber* a priscis scriptum fuit, teste *Quint.* 1, 4.

LĔBES, ētis, m. λέβης, pelvis, malluvium, vas aereum, in quod aqua, dum manus abluuntur, decidit, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 3, 466. stipatque carinis Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas. *Id. ib.* 5, 266. Tertia dona facit, geminos ex aere lebetas. *Ov. Her.* 3, 31. Viginti fulvos oporoso ex aere lebetas, Et tripodas septem. ℙ Dictus est a λείβω, fundo, quoniam in eum aqua funditur. Quod vero allatis locis in muneribus locum habet, facile intelligitur, non vilis ministerii vas fuisse. Hinc et convivis inserviebat, cum manus ante cibum lavabant, ut colligitur ex *Ov. Met.* 12., ubi narrat, orta inter epulas rixa inter Centauros et Lapithas, *v.* 242. prima pocula pugna Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes. ℙ *Isid. Orig.* 20, 8. culinae vas esse ait, coquendis cibis aptum: et ita adhibetur ab *Homer. Il.* φ. etc. *Servius* quoque *l. c.* ollam aeream exponit.

*LĔBŪNI, orum, m. populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

*LEBYNTHOS vel Lebynthus vel Lebinthos (us), i, f. Λέβινθος, maris Mediterranei insula, Sporadum una. *Mela* 2, 7. *med.* ed. *Gron. Ov. A. Am.* 2, 81. et *Met.* 8, 222. edd. *Heins.* et *Burm.* quibus omnibus in locis est *Lebynthos.* In *Plin.* 4, 12. *Lebinthus* (os) est. *B. A.*

LECHAEUM, i, n. et Lechaeae, arum, f. plur. 1. Λέχαιον et Λέχη, opp. et navale Corinthiorum in Isthmo ad sinum Corinthiacum, Cenchreis alteri oppido, et navali ad sinum Saronicum sito, adversum. *Plin.* 4, 4, 5. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatur sinus: Lechaeae hinc, Cenchreae illinc, etc. *Stat. Silv.* 2, 2, 34. Qualis si subeas Ephyres Baccheidos altum Culmen ab Inoo fert semita tecta Lechaeo. *Id. Th.* 2, 381. Curva Palaemonio secluditur unda Lechaeo. *Prop.* 3, 20, 19. Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechaeo Sedarit placida vela phaselus aqua, etc. ℙ [Adjective usurpat *Grat. Cyn.* 227. Spatia Lechaea. *F.*] ℙ Paenultima in *Lechaeae* corripi potest, si Graecae diphthongi priorem exteras. *Stat. Silv.* 4, 3, 59. His parvus, Lechiae nisi vetarent, Inous freta miscuisset Isthmos. Al. aliter leg.

*LECHIĒNI, orum, m. populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

LECTĀRĬUS, ii, m. *κλινοποιὸς*, qui lectos facit. *Inscr.* ap. *Murt.* 956, 7. L. Hostilius L. L. Amphio faber lectarius. *Gloss. Philox.* Lectarius, *κλινοποιός*.

LECTĒ, adv. *λογάδην*, eligendo. *Varr. L. L.* 5, 5. Ab lego lecte, lectissime. *Id. R. R.* 1, 54. Uva lectius defertur in forum vinarium. Al. melius *lecta* legunt. *Cic. Or.* 68. Optimis sententiis verbisque lectissime dicere.

LECTĪCĂ, ae, f. 1. *κλινίδιον, φορεῖον*, sella cum pulvinari et lectulo, qua ditiores cubantes, seu jacentes, servorum humeris vel duorum, ut tenuiores, vel quatuor, aut sex, aut octo, ut ditiores, ferebantur: primo quidem itineris causa extra Urbem, deinde paulatim etiam in ipsa Urbe, deliciarum causa. *Varr. L. L.* 4, 35. a *legendo* ducit, quod olim herbis et stramentis collectis sterneretur. Commodius tamen a *lectus*, *i*, duci videtur. Quae de ejus usu ac forma dici possunt, ex subjectis scriptorum locis apparent. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat. Melitensi rosa fartus. (Dicuntur Bithyni lecticae inventores fuisse. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 1, 121., *Catull.* 10, 14.) *Id. Phil.* 2, 24. Vehebatur in essedo tribunus plebis: lictores laureati antecedebant, inter quos, aperta lectica, mima portabatur. *Id. Q. Fr.* 2, 10. Cum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, etc. *Juven.* 3, 240. turba cedente vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno, Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus. Namque facit somnum clausa lectica fenestra. *Suet. Aug.* 43. Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. *August.* ipse apud *eund. ib.* 82. Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvae duracinae comedi. *Suet. Tib.* 27. Adulationes adeo aversatus est, ut neminem senatorem, aut officii, aut negotii causa ad lecticam suam admiserit. *Id. Aug.* 35. Ipse jus dixit assidue: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata. *Id. Caes.* 43. Lecticarum usum, item conchyliatae vestis et margaritarum, nisi certis personis et aetatibus, perque certos dies, ademit. *Id. Dom.* 8. Probrosis feminis lecticae usum ademit. *Petr. Sat.* 28. Lecticae quempiam imponere. *Tac. A.* 3, 14. et *ib.* 12, 69. Indere lecticae. *Sen. ep.* 110. *f.* Lectica formosis imposita calonibus. *Hor. Sat.* 2, 3, 214. Lectica gestare aliquem. *Tac. A.* 2, 2. Lecticae gestamine uti. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *med.* Lectica deferri. *Catull.* 10, 15. comparare homines ad lecticam, *h. e.* lecticarios. ℙ Cadavera lectica efferri solita, testis *Nep.*, de quo V. in LECTICULA., et *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12., et *Suet. Caes.* 82. ℙ In militia quoque lecticae usus fuit, teste *Liv.*, de quo V. in LECTICULA., item *Suet. Aug.* 91., et *Val. Max.* 2, 8. *n.* 2. ℙ De lectica lucubratoria V. LECTICULA. ℙ A sella quid differat, vide in SELLA. ℙ A similitudine *lecticas* appellat *Plin.* 17, 14, 22. in arboribus loca, unde rami e trunco exeunt, et planitiem quandam, et quasi sedem efficiunt.

*LECTĪCĀLIS, is, m. Qui lectulos facit. *Gloss. Isidor. B. A.*

LECTĪCĀRĬŎLĂ, ae, f. mulier quae lecticariorum (id erat vilissimum servorum genus) amores sectatur, ut *ancillariolus*, qui ancillarum insanit amore. *Mart.* 12, 58. Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

LECTĪCĀRĬUS, ii, m. *κλινοφόρος, φορειοφόρος*, qui lecticam defert. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *med.* Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum referre. Adde *Cic. Rosc. Am.* 46. et *Suet. Cal.* 58. ℙ *Lecticariorum* fuere *corpora*, ut et ceterorum artificum, nempe hominum infimae plebis, aut libertorum, qui operam suam quibusvis, vel etiam certis dominis locabant. Hinc *P. Vict. de regionib. Urbis Romae* in regione decimaquarta trans Tiberim bis ponit *castra lecticariorum*, h. e. certum locum, ubi parati multi stabant ad hujusmodi ministerium. V. CASTRA. *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 11. Ti. Claudio Aug. Lib. Tigrano ex corpore lecticariorum Caesaris. Alia ap. *Mur.* 897, 8. Faustus Ti. Claudii German. lecticarius. In alia ap. *Grut.* 600, 1. Decurio lecticariorum. ℙ *Adjective *Non.* 14, 5. Plagae, grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam sindonem dicimus. Al. leg. *lectuariam*. V. *Lectuarius*, *a*, *um*. *B. A.*

[LECTĪCĬĀRĬUS, ii, m. servus, qui analecta colligit. Ita ap. *Petr. Sat.* 34. legendum putat *Fr. Oriolius* in *Opusc. lett. Bologn.* T. 1. p. 60. pro *lecticarius*. Verum, cum nulla alia praesto sit Latini scriptoris auctoritas, qui vel simplex vocabulum *lecticius*, nec inde derivatum *lecticiarius* usurpaverit, commodius fortasse erit, *analectarius* ibidem legere, quam v. v. s. l.

LECTĪCŬLĂ, ae, f. *κλινίδιον*, parva lectica. *Cic. Div.* 1, 26. Lecticula in curiam esse delatum. *Liv.* 24, 42. Scipio lecticula in aciem illatus. *Nep. Att.* 22. Elatus est in lecticula, sine ulla pompa funeris. ℙ Lecticulae lucubratoriae in aedibus fixae et stabiles, erant parvi lecti in angusta cella positi, in quibus cubantes lucubrabant. *Suet. Aug.* 78. A coena lucubratoriam se in lecticulam recipiebat: ibi, donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, etc. De his intelligendum et illud *Plin. ep.* 5, 5. Visus est sibi per nocturnam quietem, jacere in lectulo, compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium, etc. et *Ov. Trist.* 1, 11, 37. Non haec in nostris, ut quondam scribimus hortis: Nec consuete meum lectule corpus habet; et *Sen. ep.* 72. Quaedam sunt quae possis et in cisio scribere: quaedam lectum, et otium, et secretum desiderant; et *Pers.* 1, 52. non quidquid denique lectis Scribitur in citreis; et *Juven.* 7, 28. Qui facis in parva sublimia carmina cella. ℙ [Etiam de cubile in quo gallinae ova deponere solent. *Appul. Met.* 9. Gallina consuetae lecticulae spreto cubili, ante ipsos pedes domini praematurum prodidit partum. Paulo ante, *calathum foetui gallinaceo destinatum* vocaverat. *F.*]

LECTĬO, onis, f. *ἀνάγνωσις*, actus legendi. *Cic. Acad.* 4, 2. Delectabatur mirifice lectione librorum. *Nep. Att.* 14. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est. ℙ Aliquando est ipsum illud, quod legitur. Hinc *lectio juris*, ipsa lex, verba juris. *Ammian.* de malis JCtis loquens 30, 4. Et si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragari absolutionem lectiones reconditas pollicentur; et *ib.* Ut pervulgati juris proferatur lectio vana, septem vendibiles introitus praeparant. *Macr. Sat.* 7, 7. Lectio tamen docet, eo tempore solitos, etc. *Impp. Leo, et Anth. Cod.* 6, 61, 5. Cum mulier diversis juris lectionibus, idem intelligi maritum et sponsum, niteretur probare. ℙ Est etiam *συλλογή*, actus legendi, seu colligendi, collectio. *Col.* 2, 2. *med.* Saxosum solum facile est expedire lectione lapidum. *Arnob.* 5, 173. Cum illam *(Proserpinam)* per floream messem huc atque illuc lectionis cupiditas avocaret. ℙ Item electio, *αἴρεσις*. *Cic. Phil.* 5, 6. Illud os, illam imctio, *αἴρεσις*. *Cic. Phil.* 5, 6. Illud os, illam imperitatem coeni fecisse, ut hos judices legere auderet, quorum lectione duplex imprimeretur reipubl. dedecus. ℙ Lectio senatus fiebat, stante reipublica a censoribus; ea mutata, fere ab imperatoribus ipsis. In ea qui dignissimus visus esset, princeps senatus pronunciabatur: si qui indigni eo ordine essent, praeteriebantur, eoque silentio ejecti e senatu censebantur. *Liv.* 9, 29. Ob infamem atque invidiosam senatus lectionem, verecundia victus collega, magistratu se abdicaverat. *Suet. Aug.* 35. Senatorum affluentem numerum ad modum pristinum redegit duabus lectionibus. Adde *Liv.* 27, 11.

*LECTĪPES, edis, *κλινοπόδιον*, herba serpyllo similis, surculosa, palmi altitudine. *Plin.* 24, 15. *B. A.*

[LECTISPHAGITES. V. ITAEOMELIS. *F.*]

LECTISTERNĬĀTOR, oris, m. qui mensam ac lectulos discubitorios sternit. *Pl. Ps.* 1, 2, 29. Tu esto lectisterniator; tu argentum eluito, idem exstruito.

LECTISTERNĬUM, ii, n. *διαστενή*, sacrificii genus, in quo Diis in templis pulvinaria, sive lecti sternebantur, conviviumque iis apponebatur. Idem vocatum est *daps*, aut *epulum*, quia cibi apponebantur. Appositis epulis septem sacerdotes, qui dicti sunt *Epulones*, fruebantur. *Liv.* 22, 10. Curatum lectisternium, et per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus: sex pulvinaria in conspectu fuere, Jovi et Junoni unum, alterum Neptuno ac Minervae, tertium Marti et Veneri, quartum Apollini ac Dianae, quintum Vulcano ac Vestae, sextum Mercurio ac Cereri. *Id.* 5, 13. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis, placavere. *Id.* 40, 59. In foris publicis, ubi lectisternium erat, Deorum capita, quae in lectis erant, averterunt se, lanaque cum integumentis, quae Jovi opposita fuit, decidit: de mensa quoque oleas praegustasse mures, in prodigium versum est. *Id.* 22, 1. Ad aedem Saturni Romae immolatum est, lectisterniumque imperatum (senatores straverunt) et convivium publicum, etc. *Id.* 21, 62. Lectisternium Cere, ubi sortes attenuatae erant, imperatum. Adde 7, 2. et 42, 30. et 29, 14. ℙ Est etiam locus, ubi homines in templo sedere consueverunt, si *Servio* credimus ad *A.* 12, 199. ℙ [Sequiori vero tempore *lectisternium* item dicebatur epulum, quod tempore parentaliorum, seu charistiorum propinquis et cognatis dabatur; quin et in dedicatione ecclesiae alicujus, seu baptisterii. *Inscr.* ap. *Grut.* 753, 4. Item lectisternium tempore parentaliorum ex ✕. CC. memoriis ejusdem Valerianae, et Appii Valerianae filii ejus per *officiales* tesserariorum quotannis ponatur, et parentetur. *Sid. ep.* 4, 15. Epulum multiplex, et capacissima lectisternia para: pluribus viis, pluribus turbis ad te venitur: ita bonorum contubernio sedit, quippe postquam omnibus tempus futurae dedicationis inclaruit. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis, jam posse consecrari. *F.*]

[LECTISTĬTĬUM, ii, n. lecti statio. *Gloss. Isid. F.*]

LECTĪTĀTUS, a, um, part. a *lectito*, saepe lectus. *Tac. A.* 14, 51. Libros conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur.

LECTĪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπαναγινώσκω*, saepe lego, assidue et studiose percurro. *Cic. Fam.* 9, 25. Pyrrhi te video libros lectitasse. *Id. Att.* 12, 18. Habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui, etc. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Parieti ejus *(cubiculi)* in bibliothecae speciem armarium insertum est, quod non legendos libros, sed lectitandos capit, *h. e.* non assidue et attente legendos, sed identidem et cursim lectitandos. ℙ Est etiam saepe colligo. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 1. Conchulas et umbilicos in litore lectitasse. *Arnob.* 5, 183. In nemore Hennensi quondam flores Proserpina lectitabat.

LECTĬUNCŬLĂ, ae, f. dimin. brevis lectio. *Cic. Fam.* 7, 1. Quin per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris.

LECTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *lego*, inde est *lectito*. *Hor. Sat.* 1, 6. *f.* aut ego lecto, Aut scripto, quod me tacitum juvet. *Bentlej.* vult *lecto* et *scripto* esse ablativos participiorum, absolute positos, *h. e.* postquam legi, aut scripsi. Sic *Liv.* 23, 14. Lato ad populum, ut equum ascendere liceret. Adde *Tac.* saepe et *Just.* Quod si verum est, exsulent, oportet, in perpetuum a Latio tum *lecto*, *as*, tum *scripto*, et inter barbara amandentur: quod tamen utrumque, ut Latinum agnoscitur a *Mar. Victorino Gramm.* 1. p. 2472. et se ipsum quoque satis analogia defendit.

*LECTON vel Lectum, i, n. *Λέκτον*, promontorium Troadis. *Liv.* 37, 37. *Plin.* 5, 32. et 9, 17. ℙ Idae montis pars fuit, teste *Hom. Il. Ξ.* v. 284. *Strab.* 13. *B. A.*

LECTOR, oris, m. *ἀναγνώστης*, qui legit. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Nihil est aptius ad delectationem lectoris, quam fortunae vicissitudines. *Nep. Pelop.* 1. Mederi cum sacietati, tum ignorantiae lectorum. *Hor. Ep.* 2, 1, 214. qui se lectori credere malunt, Quam spectatoris fastidia ferre superbi, *h. e.* scripta sua legenda edere. *Ov. Trist.* 4, 10, 132. Jure tibi grates, candide lector, ago. *Virg. Ecl.* 3, 85. Pierides, vitulam lectori pascite vestro. ℙ Apud Romanos erant servi litterati (*anagnostae* Graeca appellatione, item *a studiis* dicti) qui legebant dominis, quae jubebantur. *Plin. ep.* 9, 17. Cum lector, aut lyristes, aut comoedus inductus est, calceos poscunt. Adde *ep.* 1, 15. V. ANAGNOSTES. ℙ Lector est etiam secundus inter minores ordines Ecclesiasticos gradus. *Tert. adv. haeretic.* 41. Itaque hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. *Inscr.* ap. *Guarin. Osserv. sopra Eclano* p. 11. Hic requiescit in somno pacis Coelius Laurentius lector sancte Glesiae Aeclanensis, qui vixit annos plus minus XLVIII., depositio ejus die VIII. Idus Majas, Flaviis Asterio et Presidio VV. CC.: nempe an. a Chr. n. CCCCXCIV., quo consules fuerunt. Turcius Rufius Apronianus Asterius, cui ex hac inscriptione *Flavii* nomen addendum videtur, et Flavius Praesidius. Observandum praeterea est, ex corrupto nomine *Glesia* pro *Ecclesia* Italos recentiores suum *Chiesa* effinxisse. *F.*]

LECTOSIA. V. LEUCOSIA.

LECTRIX, icis, f. quae legit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 311. *n.* 347. Colit ossa ejus Cnide lectrix conjunx ejus. *Cledonius* in *Arte*, p. 1893. Dictor facit dictrix, lector facit lectrix, auctor non facit auctrix, quia est communis generis. Adde *Servium* ad *A.* 12, 159.

LECTŪĀLIS, e, adj. *Spart. Hadrian.* 23. In morbum incidit lectualem, *h. e.* qui diu in lecto aegrotum detinet, ut exponit *Salmas.* Al. melius leg. *letalem*. Tabem vocat *Aurel. Vict. Caesar.* 14. *f.*

[LECTŪĀRĬUS, a, um, adj. ad lectum pertinens. *Non.* 14, 5. Plagae, grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam sindonem dicimus, quorum diminutivum est plagulae. *F.*]

LECTŪLUS, i, m. *κλινίδιον*, diminut. parvus lectus: item saepissime lectus quicumque. *Cic. Att.* 14, 13. *f.* A ducenda uxore sic abhorret, ut quidquam libero lectulo neget esse jucundius. *Id. Cat.* 1, 4. Qui sese illa ipsa nocte me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. *Id. Fin.* 2, 30. Philosophi in suis lectulis plerumque moriuntur; cui opponitur mori in proelio, aut alia quapiam externa vi. *Mart.* 10, 38. O quae proelia, quas utrinque pugnas Felix lectulus, et lucerna vidit! ℙ Lectulus lucubratorius. V. in LECTICULA exempla *Plin. jun.* et *Ov.* ℙ De lectulis coenatoriis. *Pl. Pers.* 5, 1, 6. Hic volo ante ostium meos participes bene accipere. Statuite hic lectulos: ponite hic quae assolent, etc. *Cic. Mur.* 36. Cum epulum populo R. daret, stravit pelliculis hoedinis lectulos Punicanos, et exposuit vasa Samia. De funebribus. *Tac. A.* 16, 11. Tres modo lectulos ad suprema retineri jubet.

LECTŪRĬO, is, a. *ἀναγνωσείω*, cupio legere. *Sidon. ep.* 9, 7. Cum merito lecturiremus. *Id. ep.* 2, 10. *med.* Opus est, ut sine dissimulatione lectites, sine fine lecturias. *Serv. in art.* 2. *Donati*,

p. 1789. Meditativa forma in rio desinit, ut scripturio, lecturio.

LECTUS, a, um, part. a *lego*, ἀναγνωσθείς, legendo percursus. *Ov. Pont.* 2, 5, 20. versus Et legis, et lectos ore favente probas. *Flor.* 4, 2. *med.* Lecto ad lucernam Platonis libro. ℙ Item selectus, delectus, ἐκλεχθείς, atque adeo singularis, eximius, praestans, praecipuus, insignis. *Cic. Rosc. Am.* 41. *med.* Pueruli ex tot elegantissimis familiis lecti. *Virg. A.* 9, 48. Viginti lectis equitum comitatus. *Plin.* 8, 22, 34. Sorte lectus. *Cic. Or.* 3, 37. Lectis atque illustribus verbis uti. *Id. Verr.* 2, 1, 6. Lectissimi atque ornatissimi viri. *Id. Inv.* 1, 31. *med.* Ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit. *Hor. Od.* 3, 21, 5. lectum Massicum servare. *Stat. Silv.* 5, 1, 247. juvenum lectissime. *Pl. Ps.* 4, 7, 50. Hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae, *h. e.* probae et justi ponderis. Sic. *Ter. Ph.* 1, 2, 3. Accipe, hem! lectum est (*argentum*), conveniet numerus, quantum debui. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 1, 530 eadem fidissima custos Lecta, sacrum justae Veneri occultare pudorem. ℙ Item collectus. *Plin.* 18, 15, 37. Vicia, si lecta matura est, praefertur. *Quint.* 6, 1. *med.* Lecta e vulneribus ossa. *Prop.* 4, 4, 40. Cum patuit lecto stamine torta via. V. LEGO, is.

LECTUS, i, m. κλίνη, εὐνή, λέκτρον, cubile stratum jacendi, et dormiendi causa. *Festus:* Lectus dictus vel a collectis foliis ad cubitandum, vel quod fatigatos ad se alliciat, vel a Graeco λέκτρον. Priorem notationem confirmat ipse *Varr.*, qui *L. L.* 4, 35. lecticam dictam ait, quod legebant, unde eam facerent, stramenta atque herbas. *Id. ib.* 7, 16. Si esset analogia petenda in supellectile, omnes lectos haberemus domi ad unam formam, et aut cum fulcro, aut sine eo, nec tum ad triclinia rem gradum, non item ad cubicularem. *Cic. Div.* 2, 65. Somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. *Cato R. R.* 10. Lecti loris subtenti. *Hor. Sat.* 1, 3, 90. Comminxit lectum potus. *Nep. Dion.* 9. Cubare in lecto. *Cic. Fam.* 9, 23. Dixit, te in lecto esse, quod ex pedibus laborares. *Prop.* 2, 18, 31. surgere lecto; et *ib.* 24, 41. recipere se lecto. *Tibull.* 1, 2, 19. descendere lecto. (*Broukus.* hic notat, pluribusque ostendit antiquorum lectos cubiculares altos fuisse, ad quos scabello, aut scamno ascenderetur.) *Cic. Verr.* 2, 5, 7. teneri. *Hor. Sat.* 1, 2, 129. desilire; et *ib.* 1, 81. casus te lecto affixit. ℙ *Lectus genialis* est qui in nuptiis parari solet. *Cic. Cluent.* 5. *f.* Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni jubet. ℙ Post nuptias *adversus* dicebatur, quia fere in thalamo ex adverso ante januam positus erat. In eo sedebant matresfamilias, lanae operam dantes. Mortua conjuge, idem mutabatur, et alius novae nuptae sternebatur. V. JANITRIX. *Prop.* 4, 11, 85 Seu tamen adversum mutarit janua lectum, Sederit et nostro cauta noverca toro, etc. ℙ Hinc *Ov. Her.* 13, 107. Lectus coelebs. Sic *Prop.* 2, 2, 5. vacuo vivere lecto. ℙ Nam saepe refertur ad conjugium. *Virg. A.* 4, 496. lectumque jugalem, Quo perii. *Ov. Her.* 5, 101. temerati foedera lecti. ℙ Est etiam lectus tricliniaris, in quo mensae accumbebant. V. ACCUMBO. *Cic. Verr.* 2, 2, 74. *f.* Non quaero, unde habueris quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra. *Id. Tusc.* 5, 21. Collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo magnificis operibus picto. *Hor. Sat.* 2, 6, 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos, Multaque de magna superessent fercula coena. *Id. Ep.* 1, 5, 1. lecto recumbere. *Suet. Aug.* 64. *extr.* In imo lecto assidere. ℙ Item lucubratorius. *Sen. ep.* 72. V. LECTICULA. ℙ Item funebris, in quo componebantur efferenda cadavera. *Pers.* 3, 103. tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassoque lutatus amomo, In portam rigidos calces extendit. *Tibull.* 1, 1, 75. Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto. *Petr. Sat.* 114. Lecto funebri aptatus. *Prop.* 2, 8, 33. Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto Auferet extremi funeris atra dies; et 3, 11, 17. ubi mortifero jacta est fax ultima lecto. ℙ In illo *Ov. Met.* 8, 655. in medio torus est de mollibus ulvis Impositus lecto, sponda pedibusque salignis: *lectus* sunt ipsi asseres et tabulae compactae, super quibus lectus sternitur: torus autem est pulvinus spondae impositus: ulva concisa (ap. pauperiores et in castris) est tomentum, etc. ℙ *Lectum* neutro gen. *Ulp. Dig.* 32, 50. *extr.* Legatum lectum continet et fulcra. Adde *ib.* 34, 2, 20. et *Glossas.* ℙ *Lectus, us*, decl. *Pl. Amph.* 1, 3, 15. Prius abis, quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus. *Cornific.* ap. *Prisc.* 6, 711. Ipsis vero, ad Cereris memoriae renovandae gratiam, lectus sternuntur.

LECTUS, us, m. συλλογή, electio, sive collectio. In ablativo sing. *Tac. H.* 4, 70. Tutor Trevirorum copias recenti Vangionum, Caracatium, Triboccorum lectu auctas veterano pedite atque equite firmavit. Al. leg. *delectu.* ℙ Pro *cubili* V. v. praec.

LĔCYTHĪNUS, a, um, adj. ad lecythum pertinens, ut Lecythinum oleum, quod in lecytho servatur. *Petr. Sat.* 21. Nos lecythino perfusos oleo refecerunt. Alii leg. *legitimo*, alii *lecythi*. Est autem *lecythus, i*, f. ampulla olearia, ut est in *Gloss. Isid.* Graeca vox λήκυθος, ῆ. Adhibetur autem Graece, atque translate a *Cic. Att.* 1, 14. Quid multa? totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas ληκύθους), valde graviter pertexuit, *h. e.* nosti locos illos oratorios. *Plin. ep.* 1, 2. Non tantum Marci nostri ληκύθους fugimus, quoties, etc. *h. e.* ampullas.

LĔCYTHUS. V. in v. praec.

LĒDA, ae, f. Λήδη, Tyndari Laconiae regis uxor, Thestii filia, quam cum Juppiter adamaret, transformatus in cygnum, ad Eurotam fluvium cum ea concubuit: ex quo congressu Leda duo peperit ova, unum immortale, ex quo nati sunt Pollux et Helena, alterum mortale, ex quo Castor et Clytaemnestra. *Hyg. fab.* 77. *Ov. Her.* 17, 55. Dat mihi Leda Jovem, cygno decepta, parentem. ℙ Dicitur et *Lede, es*, Graeca positione. *Id. Amor.* 1, 10, 3. et *A. Am.* 3, 251. ℙ Tradit *Lact.* 1, 21. *med.* Ledam post mortem Deam factam, et Nemesim dictam esse, sicut Romulus Quirinus, Circe Marica, Ino Leucothea, etc.

LĒDAEUS, a, um, adj. Λήδαιος, ad Ledam pertinens. *Virg. A* 7, 364. Ledaea Helena. *Ov. Fast.* 1, 706. Haec sunt Ledaeis templa dicata Deis, *h. e.* Castori, et Polluci, Ledae filiis, quos Lacones Ledaeos *Mart.* 1, 37. vocat. *Id. ib.* 54. Ledaei olores. *Id.* 8, 33. Ledaeum ovum, *h. e.* cygni. V. LEDA. *Id.* 4, 25. Ledaeus Timavus: *scil.* quia redeunte Castore cum Argonautis, Cyllarus ejus equus eo fluvio sitim depulit. *Virg. A.* 3, 328. Ledaea Hermione, *h. e.* Ledae neptis, nempe nata ex Helena et Menelao. *Lucan.* 4, 526. nam sol Ledaea tenebat Sidera, *h. e.* signum Geminorum, qui sunt Castor et Pollux. (*Ledaeum astrum* vocat *Mart.* 8, 21.) *Stat. Silv.* 1, 1, 54. Cyllarus Ledaeus, *h. e.* equus Castoris. *Mart.* 4, 55. Ledaeae palaestrae, *h. e.* in quibus se studiose Lacedaemone Pollux exercuit. *Id.* 8, 28. Ledaeum Phalantum, *h. e.* Tarentum a Phalanto Lacone conditum. *Sil.* 2, 434. Ledaeae Amyclae: *scil.* Laconiae urbs, et in qua Castor et Pollux nati sunt. *Id.* 4, 358. Ledaeus Xantippus, *h. e.* Amyclaeus. *Stat. Silv.* 2, 6, 45. gurges, *h. e.* Eurotae fluvii Laconiae.

*LĒDUS, i, m, fluvius Galliae Narbonensis. *Mela* 3, 5. *med. Sid. carm.* 5, 208. Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus. *Fest. Avien.* At nuncce Ledus, nunc et Orobis flumina. Respondet nomini, haud procul a Montepessulano (*Montpellier*) decurrens, *le Lés* sive *le Lez. B. A.*

LĒGĀLIS, e, adj. νομικός, ad leges pertinens. *Quint.* 3, 5. Legale genus quaestionis; et *ib.* 8. Legales tractatus. ℙ *Legalis vita* ap. *Tert. adv. Marc.* 4, 25. *med.* est, quae secundum legem divinam traducitur.

LĒGĀLĬTER, adv. νομικῶς, secundum leges. *Cassiod. ep.* 4, 37. Adversarium provocare legaliter.

LĒGĀRĬUM, ii, n. idem quod legumen. *Varr. R. R.* 1, 32. Ceteraque, quae alii legumina, alii (ut Gallicani quidam) legaria appellant; utraque dicta a legendo.

LĒGĀTĀRĬUS, a, um, adj. ad legatum pertinens, testamento heredi mandatus. *Tert. Spectac.* 6. Privatorum memoriis legatariae editiones parentant. ℙ Hinc *legatarius* absolute, is, cui ex testamento aliquid legatum est, *legatario. Suet. Galb.* 5. Cum praecipuum inter legatarios habuisset. *Paul. Dig.* 41, 3, 14. In re legata legatarius quodammodo quasi heres est. ℙ *Legataria, ae*, mulier, cui legatum relictum est. *Ulp. Dig.* 19, 1, 43. Cum legataria fidei commissum ad se pertinere noluisset. Adde *ib.* 33, 4, 2. ℙ *Legataria provincia*, quae cuipiam legata, seu mandata est, legitur a nonnullis ap. *Cic. Att.* 15, 9., sed alii *legatoriam* (*h. e.* in quam aliquis tanquam legatus mittitur) alii *locatoriam* legunt.

LĒGĀTĬCIUM. V. LEGATIVUM.

LĒGĀTĬO, onis, f. πρεσβεία, actus legandi, legatorum missio, itemque ipsum munus et officium legati. *Caes. B. G.* 6, 2. A Treviris Germanos crebris legationibus sollicitari. *Cic. opt. gen. Or.* 7. Capitis accusatus, quod legationem ementitus esset. *Caes. B. G.* 1, 3. Is sibi legationem ad civitates suscepit; et *B. C.* 1, 33. Munus legationis recusare; et *ib.* 3, 103. Legationis officium conficere. *Nep. Dion.* 1. Legationem administrare. *Liv.* 45, 10. peragere. *Quint.* 7, 4. *med.* gerere. *Cic. Fam.* 15, 7. obire. *Id. Phil.* 9, 1. renunciare. *Id. Att.* 4, 2. *f.* sumere. *Just.* 8, 4. audire. *Phaedr.* 4, 17. dimittere. *Tac. A.* 15, 22. Legatione fungi. *Quint.* 7, 1. *med.* In legatione esse. *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Cum imperio aut legatione in provinciam proficisci. *Liv.* 21, 63. In legationem proficisci. *Tac. A.* 2, 45. Per legationes aliquid petere. ℙ *Legatio libera* erat, quae ornamenti et commodi tantum causa ab senatu impetrabatur, quemadmodum honorarii magistratus a principibus honestamenti causa conceduntur, tituloque tenus obeuntur, et geruntur. Has autem ii senatores impetrabant, quibus negotia futura erant in provinciis, ut qui hereditates persequi, aut legata, aut qui nomina exigere volebant, aut vota solvere. Nam legatorum persona accepta, commendatiores controversias habebant, atque favorabiliores. Ideo autem *liberae* dicebantur, quia introire in Urbem, et rursus exire licebat: cum ceteri magistratus, qui extra Urbem gerebantur, ingredientibus in Urbem deponendi essent. *Cic. Fam.* 12, 21. Negotiorum suorum causa legatus est in Africam legatione libera. *Id. Att.* 15, 11. *f.* Habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Julia, etc. *h. e.* quinquennium. *Ulp. Dig.* 50, 7, 14. Qui libera legatione abest, non videtur reipublicae causa abesse: hic enim non publici causa, sed sui abest. *Cic. Leg.* 3, 8. Jam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam quemquam legari, nisi reipublicae causa. Omitto quemadmodum isti se gerant, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. In hominibus est hoc fortasse vitium: sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reipublicae munere. Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Tamen minui tempus, et quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Haec *Cic.*, qui tamen *Fl.* 34. *f.* causae suae inserviens, legationes liberas excusat ac defendit. ℙ *Legatio votiva* species est legationis liberae voti extra Urbem solvendi causa impetratae. *Cic. Att.* 4, 2. *f.* et *ib.* 15, 8. ℙ Interdum *legatio* sunt ipsi legati. *Caes. B. G.* 3, 8. *extr.* Cummunem legationem ad Crassum mittunt; et *ib.* 2, 35. Quas legationes Caesar, inita aestate, ad se reverti jubet; et *ib.* 1, 13. Cujus legationis Divico princeps fuit. *Liv.* 45, 13. Et ab Eumene legatio de victoria gratulatum venit.

LĒGĀTĪVUM, i, n. dicebatur id, quod dabatur legato nomine viatici, et impensae. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 12. Legati quoque, qui ad sacrarium principis mittuntur, quia viaticum, quod legativum dicitur, interdum solent accipere, personale munus ineunt; et *ib.* 7, 2. His, qui non gratuitam legationem susceperunt, legativum ex forma restituitur. Est qui legit *legaticium.*

[LĒGĀTĪVUS, a, um, adj. qui ex legato relictus alicui est. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 222. et *Mur.* 614, 2. Impendium bigae, quam populus ex conlatione legativi epuli offerebat, remisit. Haec eadem mendosa legitur ap. *Grut.* 421, 1. V. DONATIVUM. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1448, 4. L. Calventius Legativus. *F.*]

LĒGĀTOR, oris, m. qui aliquid legat per testamentum. *Suet. Tib.* 31. Quin rata voluntas legatoris esset.

LĒGĀTORĬUS, a, um. V. LEGATARIUS.

LĒGĀTUM, i, n. delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum velit, ut *Florent. Dig.* 30. 113. definit. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Hortensii legata cognovi. *Petr. Sat.* 141. Omnes, qui in testamento meo legata habent, hac conditione percipient, quae dedi, si, etc. *Suet. Tib.* 76. Dare legata alicui; et *Dom.* 8. Jus capiendi legata alicui adimere; et *ib.* 9. Legatum alicujus irritum facere. *Tac. A.* 1, 36. *extr.* petere, exsolvere, duplicare. *Scaevola Dig.* 32, 103. praestare.

[LĒGĀTUS, a, um, part. a *lego*, legato relictus. *Cels. Dig.* 32, 1, 79. §. 3. Servus quoque legatus, si interim manumittatur, et postea servus factus sit, postea peti potest. *Scrib. Comp.* 120. Ut ab ejus (*M. Cassii*) servo Atimeto accepi, legato Tiberio Caesari. Ita leg. *Lipsius* pro *Tiberii Caesaris*, ut perperam legitur in editionibus. *F.*]

LĒGĀTUS, i, m. πρεσβευτής, qui legatione fungitur, sive qui refert mandata alterius, a *legando*, idest mittendo, quia legati a senatu, vel a rege legantur seu mittuntur. *Cic. Vat.* 15. Ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur; et *ib.* Legati nuncii pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministri muneris provincialis. *Id. Or.* 2, 37. Cum Athenienses ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent. *Liv.* 2, 18. *f.* Itaque legatos de pace mittunt. *Cic. Manil.* 12. Legatos deprecatoresque mittere. *Liv.* 31, 8. Legatos mittere ad indicendum bellum. Adde *Nep. Them.* 6, 7. et 8. ℙ *Legatus* item in bello dicebatur, ἀντιστρατηγός, ὕπαρχος, vicarius imperatoris, qui ejus vice fungebatur, aut ejusdem locum tenebat. Maximam imperatore absente in exercitu obtinebat auctoritatem, et ab illo cum parte copiarum in expeditionem mittebatur, aut praesidio praeficiebatur. *Caes. B. C.* 2, 17. Neque se ignorare, quod sit officium legati, qui fiduciariam operam obtineret: *fiduciariam operam* obtinere dixit, quia redeunte impera-

tore, aut consule, cedere eum oportebat. *Cic. Cluent.* 36. Qui M. Aemilio clarissimo viro legati, et praefecti, et tribuni militares fuerunt. ℙ Praeterea *legati* dicebantur, quos proconsules, et praetores ituri in provincias sibi adjungebant, vel a senatu accipiebant consiliorum atque officii adjutores. *Nep. Att.* 6. Praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus: qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset; non enim decere se arbitrabatur, cum praeturam gerere noluisset, asseclam esse praetoris. ℙ Item qui decem plerumque numero a senatu legabantur ad imperatorem post gentem aliquam ab ipso domitam, qui una cum imperatore res subactae provinciae componerent. V. DECEM *f.* ℙ Denique temporibus Augustorum *legati*, vel *legati pro praetore* dicebantur, qui una cum proconsule, vel praetore mittebantur ad eas provincias administrandas, quae senatoriae erant; *legati* vero *Augusti*, vel *Caesaris*, vel *legati Augusti pro praetore* ii appellabantur, qui soli eas provincias administrabant, quae Caesaris erant. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 51. L. Fabio M. F. Gal. Ciloni Septimino Procos. itemque Leg. Prov. Narbon. Alia *ib.* p. 50. Leg. Pr. Pr. Prov. Narb. Alia ap. *Grut.* 1091, 5. Q. Atrio Clonio Leg. Aug. Pr. Pr. provinciarum Thraciae, ex Cappadociae, etc. Alia ap. *eund.* 457, 4. Legatus Pro Pr. iterum ex S. C. et ex auctorit. Ti. Caesaris. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 741. et sqq.

LĔGENS, entis, part. a *lego*, lector. *Ov. Trist.* 1, 7, 25. Nunc precor, ut vivant, et non ignava legentum Otia delectent, admoneantque mei. *Plin.* 8, 16, 17. Quae a me collecta, quaeso, ut legentes boni consulant.

*LEGEOLĬUM, i, n. opp. Britanniae. *Ant. Itin.* Dictum et *Lagecium*. *Id. ib. B. A.*

LĔGĬBĬLIS, e, adj. qui legi potest. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Sufficit, si legibilia sint inconsulto deleta.

LĔGICRĔPA, ae, m. rabula, qui leges crepat, seu inculcat. *Varr. Atacinus* ap. *Fulg.* Legicrepae tundunt, latrant fora, classica turbant. Ita *Basil. Faber in Thes.* et *Taubman. ad Pl. Mil.* 3, 1, 57. ℙ Sed si *Burmannum* consulas in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 322. certo certius tibi constabit, auctorem, atque adeo hujus versus, et vocis non esse *Varronem Atacinum*, sed *Sisebutum* Visigothorum in Hispania regem, qui an. DCXII. Gundemaro successit, et octo ferme annos regnavit. *Gloss. Phil.* Legicrepa, *νομοδίφας*.

LĔGĬFER, a, um, adj. *νομοθέτης*, qui legem fert. *Ov. Amor.* 3, 10, 41. Optavit Minos similes sibi legifer annos. *Virg. A.* 4, 58. Legifera Ceres Haec enim inventis frugibus, leges prima dicitur condidisse, et homines ad societatem collegisse. Hinc ejus sacra a Graecis *θεσμοφόρια* appellata. *Appul. Met.* 10. Quale autem et illud judicium apud legiferos Athenienses, catos illos et omnis scientiae magistros?

LĔGIO, onis, f. *τάγμα*, certa militum manus, in qua cives R. militabant: a *legendo* dicta, quod milites in delectu leguntur. *Varr. L. L.* 4, 16. Dividebatur in decem cohortes peditum: cohors in quinquaginta manipulos. His adjungebantur equites in tres centurias divisi, ac subinde in turmas. De singulis hisce nominibus V. suis locis. ℙ Numerus militum in legionibus non semper idem fuit. Nam sub Romulo legio fuit trium millium peditum, et trecentorum equitum; vel potius, ut alii volunt, tres legiones fuere ex mille peditibus, et equitibus centum, ut *Varr.* docet *l. c.* Deinde post Sabinos in civitatem receptos, scribit *Plutarch.* in *Romulo*, duplicatum eum numerum fuisse: qui tamen non semper idem deinceps stetit, sed varie aut imminutus, aut auctus est. Legimus enim ap. *Liv.* 6, 22. Volsco bello quatuor legiones quaternum millium scriptas; et 7, 25. decem quaternum millium, et ducenorum peditum, equitumque trecenorum. Bello Punico secundo quatuor millia fere singulis legionibus data esse, colligitur ex *eod.* 21, 17., sed aliquando, eodem bello, ita is numerus mutatus est, ut una legio essent quinque millia peditum, et equites quadringenti, teste *eod.* 23, 34. *f.*, interdum, ut ex duabus legionibus una legio quinque millia peditum, et trecenti equites essent, ut *Id.* tradit 26, 28. Deinde Macedonico bello, scribit *Id.* 42, 31., id praecipue provinciae Macedoniae datum, ut cum alterius consulis legionibus quina millia, et duceni equites, ex vetere instituto, darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum, equites treceni scriberentur. Sed jam antea Scipio in Africam trajecturus, legiones senis millibus, et ducenis peditibus suppleverat, et equitibus trecenis, ut est ap. *eund.* 29, 24. *extr.* Bello autem Antiochi quina millia et quadringentos legio habuit, teste *eod.* 37, 39. Praeterea aliquando legio quinque millium, et ducentorum peditum cum equitibus quadringentis in Hispaniam missa legitur, ap. *eund.* 40, 36. Tradit *Paul.* ex *Festo* in *Sex*, primum C. Marium legionem conscripsisse sex millium et ducentorum, cum antea quatuor millium fuisset: unde etiam appellabatur quadrata. Temporibus *Vegetii* legio constabat fere sex millibus militum, interdum amplius, ut videre est *Mil.* 2, 2., *ib.* autem 6., ubi singillatim omnium decem cohortium numerum militum exsequitur, summam totius legionis colligit ad sex mille centum pedites, equites septingentos viginti sex. ℙ Varius quoque legionum numerus in Romanis exercitibus fuit, pro varia reipublicae copia, et bellorum gravitate. Nam primo una tantum ab Romulo scripta fuit: deinde crescentibus opibus, usque ad decem, et amplius crevere. Tertiamdecimam legionem memorat *Liv.* 30, 18., undevicesimam et vicesimam 27, 14. et 38., majorem etiam numerum sub imperatoribus leges ap. *Tac. A.* 1, 31. et 45. etc. ℙ Legiones ex solis civibus R. constabant: auxilia ex sociis. Quod si aliquando servi adsciti, necessitate factum est, ut post Cannensem cladem, bello Punico secundo, ut est ap. *Liv.* 22, 57. Interdum tamen et de auxiliis, et de externis quoque gentibus legio dicitur. *Id.* 8, 24. Cum saepe Bruttias, Lucanasque legiones fudisset; et 37, 39. Duae legiones Romanae, duae socium, ac Latini nominis erant. *Pl. Amph.* 1, 1, 62. Teleboae ex oppido legiones educunt suas. ℙ Variis nominibus Romanae legiones vocabantur, vel ab ordine et tempore, quo scriptae sunt, ut prima, secunda, tertia, vicesima, *Liv.* 10, 18. et 27, 14.; vel ab institutoribus, aut ducibus, ut Claudiana, Galbiana, *Tac. H.* 2, 85. et 86.; vel a locis ubi militaverant, ut Caudina, Cannensis, Actiaca, *Liv.* 9, 12. et 29, 24. et *Tac. A.* 1, 42.; vel a Deorum nominibus, ut Martia, Minervia, Primigenia, *Cic. Phil.* 4, 2. et *Inscr.* ap. *Grut.* 561, 10.; aut avium, ut Alauda, *Cic. Att.* 16, 8. et *Plin.* 11, 37, 44.; vel denique ab eventu, ut Victrix, Adjutrix, Fulminatrix, Rapax, *Tac. H.* 2, 43., *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 4. et 547, 6. etc. V. *Claud. B. G.* a *v.* 418., ubi alia legionum nomina poetice enumerantur. ℙ In carmine quoque usum habet. *Hor. Sat.* 1, 6, 48. Quod mihi pareret legio Romana tribuno. ℙ Sumitur et pro quocumque exercitu, aut ejus parte. *Virg. A.* 7, 681. hunc legio late comitatur agrestis; et *ib.* 9, 368. Cetera dum legio campis instructa moratur. *Val. Fl.* 7, 573. Horruit Argoae legio ratis. ℙ Translate. *Pl. Cas. prol.* 50. Sibi nunc uterque contra legiones parat, Paterque, filiusque, *h. e.* dolos, artes, insidias, fallacias, tanquam instructum exercitum. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1075, 2. Q. Numisius Q. L. Legio. *F.*]

LĔGIONĀRĬUS, a, um, adj. ad legionem pertinens. *Caes. B. C.* 1, 73. Stationes disponunt equitum, et cohortium alariarum, legionariasque interjiciunt cohortes; et *B. G.* 1, 42. Legionarii milites legionis decimae. *Plin. ep.* 10, 82. Centurio legionarius. [*Veg. Mil.* 2, 2. Legio proprios equites legionarios tenet. *F.*]

LĔGĪRŪPA, ae, et Lēgĭrŭpĭo, onis, et Lēgĭrŭpus, a, um, adj. qui rumpit, et violat legem. *Pl. Ps.* 1, 3, 130. Perjure, legirupa, pernicies adolescentum. *Id. Pers.* 1, 2, 16. Legirupam damnare. *Id. Rud.* 3, 4, 3. Jube modo accedat prope legirupionem hunc. Ita recte *Bothe* leg. *Prud. Hamart.* 239. ruuntque Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.

*LEGISDOCTOR, oris, m. i. q. legislator. *Vulg. Act.* 5, 34. ubi et divisim legi potest. *B. A.*

LĔGISLĀTOR et Legumlator, oris, m. *νομοθέτης*, qui leges fert, qui jura statuit. Fere divisim adhibetur, a *Cic.* praesertim. V. *Cat.* 4, 5., *Mur.* 2. et *N. D.* 3, 38. Sed et conjunctim scribi potest, ut *agricultura*, *jurisconsultus*, *respublica*, etc. *Liv.* 34, 31. *f.* Noster legumlator non in paucorum manu rempubl. esse voluit. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 3. *extr.* Se inter misericordem patrem, et justum legislatorem partitus.

*LEGISPERĪTUS, i, m. jurisconsultus. *Vulg. Interpr. Luc.* 7, 30. *B. A.*

LĔGĪTĪMĒ, adv. *νομίμως*, juste, ratione legum observata. *Cic. Caec.* 20. Is, qui legitime procurator dicitur. *Id. Off.* 1, 4. Juste et legitime imperanti. *Id. Dom.* 29. In ea adoptione legitime factum est nihil. *Juven.* 10, 338. Non nisi legitime vult nubere. ℙ Translate est rite, ex ordine. *Id.* 12, 100. Legitime fixis vestitur tota tabellis Porticus. *Auct. dial. de Or.* 32. Ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse fateatur. *Plin.* 23, 2, 31. Faex legitime cocta, *h. e.* quantum satis est, quantum res postulat.

LĔGĪTĪMUS, a, um, adj. *νομικός*, *νόμιμος*, qui secundum leges est, legibus constitutus, justus, verus, aequus, conveniens. *Sall. Cat.* 6. Romani imperium legitimum, nomen imperii regium habebant. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Dies is erat legitimus comitiis habendis. *Id. Phil.* 11, 10. *extr.* Legitimum imperium habere: (huic opponitur *extra ordinem.*) *Id. Tusc.* 1, 30. *f.* Tanquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima. *Id. Dom.* 13. *f.* Jure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto. *Id. Inv.* 2, 43. Si legitimum scriptum proferetur, idest aut lex ipsa, aut ex lege aliquid. *Id. Or.* 34. Legitimae et civiles controversiae, *h. e.* quae sub leges cadunt, et legibus dirimuntur. Sic *Arch.* 2. Legitima quaestio. *Id. opt. gen. Or.* 7. Theatrum, qui locus non est concionis legitimae. *Id. Off.* 3, 29. *f.* Cum justo et legitimo hoste rem gerere, *h. e.* quem persequi leges permittunt. *Liv.* 25, 2. Aetas legitima ad petendam aedilitatem. *Ov. Met.* 10, 437. conjux. *Quint.* 7, 7. *f.* Legitimus filius: (cui *nothus* opponitur.) *Cic. Agr.* 2, 9. Legitimum impedimentum. *Id. Verr.* 2, 1, 9. Legitimae horae, *h. e.* quae legibus alicui ad agendum conceduntur. *Frontin. Aquaed.* 112. Legitima mensura. *Ov. Fast.* 3, 130. legitimo equo merere, *h. e.* publico, et legibus dato; et *ib.* 2, 662. de Termino: Legitima servas credita rura fide, *h. e.* quae legibus praecipitur. *Suet. Claud.* 14. Legitima poena, *h. e.* legibus imposita. *Ulp. Dig.* 47, 20, 3. Legitimum crimen, *h. e.* legibus expressum. ℙ Aliquando est idem quod legalis. *Gell.* 11, 1. Ita Varro verba haec legitima, quibus multa diceretur, concepit. *Id.* 14, 2. In comperendinationibus, et aliis quibusdam legitimis ritibus. *Justin. prooem. Institut. med.* Ut sint totius legitimae scientiae prima elementa. [*V. *Spalding.* ad *Quint.* 3, 6, 71.] ℙ *Legitima*, *orum*, sunt solemnes ritus legum et judiciorum. *Nep. Phoc.* 4. Inde judicio, legitimis quibusdam confectis, damnatus est. ℙ **Legitima* etiam sunt praecepta. *Vulgat. Interpr. Levit.* 18, 26. Custodite legitima mea. Adde *ib.* 3. *B. A.* ℙ Translate de iis dicitur, quae certa quadam lege, et consuetudine fiunt. *Cic. Verr.* 2, 5, 22. Illum quasi legitimum consuetudinis numerum non explere. *Id. Fam.* 7, 6. In omnibus meis epistolis, quas ad Caesarem mitto, legitima quaedam est accessio commendationis tuae, *h. e.* quam a me amicitiae leges postulant, debita, justa: nisi malis ad sequentem notionem trahere. ℙ Saepe enim est plenus, perfectus, justus, cui nihil deest. *Suet. Claud.* 21. Munus gladiatorium anniversarium exhibuit in castris praetorianis, sine venatione apparatuque: justum atque legitimum in septis. *Hor. Ep.* 2, 2, 109. Legitimum poema facere. *Plin.* 21, 31, 105. Trychos legitimam insaniam facit. ℙ Item necessarius. *Quint.* 9, 2. Praecisa, veluti ante legitimum finem, oratio. *Ov. A. Am.* 3, 293. cum legitima fraudatur littera voce, Blaesaque fit jusso lingua coacta sono. *Cic. Brut.* 21. Illa oratorum propria, et quasi legitima tractavit, ut delectaret, ut moveret, ut augeret, etc. ℙ Item concessus, permissus, conveniens. *Ov. Trist.* 2, 249. Nil nisi legitimum, concessaque furta canemus; et *ib.* 536. non legitimo foedere junctus amor, *h. e.* inconcesso hymenaeo. *Suet. Aug.* 32. Collegia, praeter antiqua et legitima, dissolvit. ℙ Item certus, solemnis, certa formula, quasi lege, constans. *Ov. Fast.* 2, 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit. ℙ Item verus, genuinus. *Hor. A. P.* 273. Scimus inurbanum lepido secernere dicto, Legitimumque sonum digitis callemus, et arte. *Plin.* 22, 22, 38. Ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem. *Petr. Sat.* 117. Tanquam legitimi gladiatores, domino corpora animasque religiosissime addicimus, *h. e.* veri, et proprie dicti, et qui in leges et regia verba lanistae juravimus. Simile est illud *Suet. Aug.* 45. Spectavit studiosissime pugiles, non legitimos et ordinarios modo, sed et catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes, *h. e.* qui more, legibus, atque ordine pugilatus servato pugnant. ℙ Item consuetus, ordinarius. *Suet. Vesp.* 8. Legitima praemia sero militibus persolvit. *Id. Aug.* 35. Legitimus senatus (V. INDICTUS.) *Plin.* 8, 43, 68. de asinis: Partus a tricesimo mense ocissimus, sed a trimatu legitimus. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 19. Operarum in latifundiis ista computatio est, non legitima naturae festinatio. ℙ *Legitimus Deus* is est, ad quem proprie pertinet cura rei alicujus, ut ad Aesculapium valetudinis restitutio, ad Neptunum naufragorum tutela, etc., seu potius ita appellabatur, qui legibus in Urbem esset receptus. *Auct. Priap.* 38, 5. Diis me legitimis, nimisque magnis, Ut Phoebo, puta, filioque Phoebi, Curatum dare mentulam verebar. Huic, dixi, fer opem, Priape, parti. ℙ *Legitima uxor* ap. *Mart.* 5, 75. est, quam metu legis Juliae moechus duxit. ℙ *Legitimum est*, aequum, justum est. *Plin.* 33, 3, 20. Aes inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro legitimum erat: de quibus excogitata fraus est. *Id.* 31, 6, 30. Fistulas denum pedum longitudinis esse, legitimum est, *h. e.* conveniens est: et 19, 8, 31. de lactucis: Seruntur lactucae anno toto: legitimum tamen, a bruma semen jacere, *h. e.* aptum, conveniens: et sic postulat quaedam veluti lex ejus herbae serendae. ℙ *Legitimus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Fels.* p. 253. L. Casinius L. F. Pom. Legitimus.

LĔGĬTO, as, pro *lectito*, ut *rogito* a *rogo*, *agito* ab *ago*, agnoscit *Prisc.* 8, 825., sed sine exemplis.

LĔGĬUNCŬLA, ae, f. *ταγμάτιον*, parva legio. *Liv.* 35, 49. *med.* Videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis.

LĔGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποστέλλω*, mitto aliquem ad quempiam nunciandi, petendi, indicen-

di gratia: et fere dicitur de legatis, qui publice mittuntur: ejus etymon videtur esse a *lege*, qua quis aliquo mittitur. *Catull.* 66, 57. Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. Hominem suae civitatis in primis honestum ac nobilem legarunt ad Apronium. *Id. Fam.* 3, 8. *med.* Privatae rei causa legari. *Sall. Jug.* 24. *extr.* Tres adolescentes in Africam legantur, qui reges adeant, etc. *Gell.* 7, 14. Quos Athenienses Romam ad senatum legaverant impetratum, ut, etc. *Id.* 15, 19. in lemmate: Quae verba legaverint Rhodii ad hostium ducem, *h. e.* per legatos dicenda miserint. ℙ In re provinciali, et militari *legare alicui aliquem*, est legatum ei assignare. *Cic. Att.* 4, 15. *f.* Messius defendebatur a nobis, e legatione revocatus: nam eum Caesari legarat Appius; et *ib.* 2. *f.* Ego me a Pompejo legari ita sum passus, ut, etc. et *ib.* 10, 1. *extr.* Istum legatum iri, non arbitror. *Id. Manil.* 19. Ne legaretur Gabinius Pompejo expetenti. ℙ *Legare sibi aliquem*, legatum assumere in administratione belli, aut provinciae. *Sall. Jug.* 30. Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat. *Cic. Att.* 15, 11. *f.* Dolabella me sibi legavit. ℙ Interdum accipitur pro committere, mandare. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 12. Quin potius quod legatum est tibi negotium, id curas? ℙ Item imputare, adscribere, dare. *Liv.* 28, 42. *med.* Patere, nos omnia, quae prospera tibi evenere, tuo consilio assignare, adversa casibus incertis belli et fortunae legare. Al. leg. *relegare*, al. *delegare*. ℙ Saepe est testamento relinquere. *Luc.* ap. *Gell.* 4, 1. Legavit quidam uxori mundum omne penumque. *Cic. Caec.* 4. *med.* Usumfructum omnium bonorum Caesenniae legat. *Id. Top.* 3. Fabiae pecunia legata est a viro. *Suet. Aug.* 101. Heredes instituit Tiberium, et Liviam: legavit populo R. quadringenties, tribubus tricies HS. ℙ *Legare*, aut *relinquere quippiam alicui ab aliquo*, est ita legare, ut legatarius non ipse per se possideat statim post mortem testatoris rem legatam, sed ab eo accipiat, qui heres est factus. V. gr. Pecuniam uxori legare a filio, est, filio herede facto, ei committere, ut pecuniam matri praestet. Hoc autem ideo fiebat, ut uxor, defuncto viro, majorem filii curam gereret, ut quae ab eo pecuniam acciperet. *Cic. Cluent.* 12. Uxori testamento legat grandem pecuniam a filio, si qui natus esset: ab secundo herede nihil legat. *Id. Top.* 4. Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio, neque a secundo herede legavit. *Scaevola Dig.* 35, 2, 25. A liberto, cui fundum legaverat per fideicommissum Sejae annua decem dedit. Adde *ib.* 20. et alibi non semel. Simile est *ab aliquo solvere*. *Cic. Att.* 7, 18. Quintus frater laborat, ut tibi ab Egnatio solvat.

LĔGO, is, gi, ctum, a. 3. *λέγω*, colligo: a voce Graeca allata. *Virg. Ecl.* 3, 92. Qui legitis flores, et humi nascentia fraga. *Sen. Herc. Fur.* 910. Arabesque odoris quidquid arboribus legunt. *Ov. Met.* 11, 606. legit de lacte soporem. *Id. ib.* 14, 650. lecturum poma putares. Sic *Tibull.* 1, 8, 32. Pomaque non notis legit ab arboribus. *Id.* 2, 4, 27. O pereat quicumque legit viridesque smaragdos, etc. *Cic. Or.* 2, 66. Legere nuces. *Ov. Met.* 14, 347. herbas collibus. *Id. Fast.* 5, 218. flores in calathos. *Id. Her.* 10, 150. ossa, *h. e.* post crematum cadaver colligere, et in sepulcrum inferre. V. OS, ossis. *Cato R. R.* 144. oleam. *Liv.* 5, 39. caesorum spolia. *Sen. Herc. Oet.* 1341. ore spiritum fugientem morientis. *Ov. Fast.* 2, 254. ficus non erat apta legi, *h. e.* nondum erat matura; et *Met.* 14, 251. sorte legi. ℙ *Legere vestigia* est ejus, qui praecessit, vestigia observando, quasi in modum e terra legentis quippiam, eadem via sequi. *Virg. A.* 9, 392. et vestigia retro Observata legit. *Ov. Met.* 3, 17. Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu. Adde *Val. Fl.* 1, 711. Huc pertinet et illud *Virg. A.* 12, 481. Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbes, Vestigatque virum. Ubi *Serv.*: translatio a canibus, qui per vestigia feram indagant. ℙ Saepe ad navigationem pertinet, nam *legere vela*, est contrahere, et in volumen colligere: quod fit navigandi fine: cui contrarium est *dare*, *explicare*, etc. *Ov. Her.* 15, 215. Ipse gubernabit residens in puppe Cupido: Ipse dabit tenera vela, legetque manu. *Val. Fl.* 2, 13. Vela legunt: remis insurgitur. *Virg. G.* 1, 373. atque omnis navita ponto Humida vela legit. ℙ *Legere funem*, est solvere, quod fit, cum nautae funem a ripa trahunt, et colligunt. *Val. Fl.* 1, 312. hi celso cornua malo Expediunt: alii tonsas in marmore summo Praetentant: prora funem legit Argus ab alta. Sic *ancoram legere*, est tollere, et in navem adducere. *Id.* 2, 428. legitur piger uncus arenis: Jam remi rapuere ratem. *Sen. Troad.* 759. ancoras classis legit. ℙ *Legere locum aliquem*, est percurrere, praeterire, obire: ut qui poma legunt, huc illuc discurrunt colligendi studio: et fere de navigantibus dicitur. [**Doederl.* 3, 209. docet, v. *legere* in elocutione *litus*, *oram*, etc. *legere*, non praetereundi, sed tenendi notionem involvere, ita ut res, vel locus ex oculorum conspectu discedere nequeat.] *Virg. A.* 2, 207. pars cetera pontum Pone legit. *Ov. Fast.* 4, 289. Aequoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris Prospicit a remis; et *ib.* 566. Ioniumque rapax, Icariumque legit. *Virg. G.* 2, 44. primi lege litoris oram. Sic *Liv.* 21, 51. *extr.* Navibus oram Italiae legens. *Ov. Met.* 15, 709. Inde legit Capreas, promontoriumque Minervae; et *ib.* 5, 578. Legere saltus, *h. e.* percurrere venando. *Sen. Med.* 791. Luna coelum freno propiore legit. ℙ Saepe est oculis scripta percurrere, quasi verba colligendo, *ἀναγινώσκω*. *Cic. Top.* 1. Ut eos libros per te ipse legeres. *Id. Brut.* 51. Cum, convocatis auditoribus, legeret eis magnum illud volumen suum, et eum legentem omnes, praeter Platonem, reliquissent, legam, inquit, nihilominus, etc. *Id. Acad.* 4, 45. Legi apud Clitomachum, A. Albium jocantem dixisse, etc. *Plin. ep.* 9, 13. Studiose intenteque legere aliquid. *Id. ep.* 5, 29. Libertus meus tam commode orationes et historias, et carmina legit, ut, etc. *Id. ep.* 9, 34. Audio, me male legere dumtaxat versus: orationes enim commodius: sed tanto minus versus. *Gell.* 17, 9. *med.* Epistola incorrupta, et legi facilis. *Ov. Trist.* 4, 4, 14. Ipse pater patriae Sustinet in nostro carmine saepe legi. *Id. ib.* 5, 14, 5. Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur. *Petr. fragm. Trag.* 75. *Burm.* Librum ab oculo legit. ℙ Significat etiam docere, enarrare, interpretari: quia olim omnis grammaticorum industria in eo versabatur, ut poetas alta voce discipulis legerent atque interpretarentur, ut *Suet. Gramm.* 2. tradit. *Id. ib.* Lucilii satyras legisse se apud Archelaum Pompejus Lenaeus, apud Philicomum Valerius Cato praedicant. *Vet. poeta* ap. *eund. ib.* 11. Cato grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit, ac facit poetas. ℙ Pro percurrere oculis, et videre, quasi qui scripta legit. *Virg. A.* 6, 754. Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit Adversos legere, et venientum discere vultus. ℙ Pro furari, quasi clam colligere: unde *sacrilegium*, de sacro furtum. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 271. Omnia viscatis manibus leget. *Virg. A.* 10, 79. soceros legere, et gremiis abducere pactas. *Hor. Sat.* 1, 3, 117. Et qui nocturnus sacra Divum legerit. Adde *Auct. ad Her.* 2, 30. *f.* ℙ Et pro clam aucupari, furtim excipere. *Pl. Ps.* 1, 4. *extr.* Huc concedam, ut horum sermonem legam. ℙ *Legere fila*, est adducere, et colligere obvolvendo: quod fecisse dicitur Theseus, qui e labyrintho Cretensi, Ariadnae admonitu, expedivit se, filum in introitu explicando, in reditu colligendo. *Ov. Fast.* 3, 462. Quae dedit ingrato fila legenda viro. *Prop.* 4, 4, 40. Cum patuit lecto stamine torta via. ℙ Parcae quoque *fila legere* dicuntur, cum ea veluti ad se trahunt, et vitae nostrae finem imponunt. *Virg. A.* 10, 814. extremaque Lauso Parcae fila legunt. ℙ Saepissime est eligere, seligere. *Cic. Fin.* 4, 15. Nisi omnia, quae leget, quaeque rejiciet, unam referantur ad summam. *Id. Phil.* 5, 6. Ut hos judices legeret, quorum lectione duplex imprimeretur reipubl. dedecus. *Id. Coel.* 15. *extr.* Legere conditiones nubendi. *Ov. A. Am.* 1, 357. Illa legat tempus, Quo facilis dominae mens sit, et apta capi; et *Trist.* 1, 3, 9. Non mihi servorum, comitis non cura legendi. *Id. Met.* 13, 242. de tot millibus unum legere. *Virg. A.* 8, 79. geminasque legit de classe biremes. *Ov. Met.* 1, 27. summaque locum sibi legit in arce. *Phaedr.* 2, 2. Capillos homini legere coepere invicem, *h. e.* canos a nigris secernere et evellere. *Pompej. ad Coss. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Legere milites. Sic *Ov. Met.* 7, 669. viros ad bella. *Gell.* 14, 2. aliquem in judices, *h. e.* creare judicem. *Cic. Cluent.* 45. Ut scribam jurati legerent eum, quem, etc. *h. e.* crearent. *Liv.* 23, 22. Legere cives in patres; et *ib.* Ut bini in demortuorum locum in senatum legerentur. ℙ *Legere senatum* munus censorum fuit, qui recitabant in curia nomina senatorum, qui in eum ordinem tunc primum adsumebantur, et qui jam ante eo munere functi erant: ac si quis nota dignus esset, praetereuntes, senatu movebant. Quem primum legendo nominabant, is princeps senatus habebatur. *Liv.* 40, 51. Censores fideli concordia senatum legerunt: princeps electus est ipse censor M. Aemilius Lepidus pontifex max.: tres ejecti de senatu: retinuit quosdam Lepidus a collega praeteritos. (Adde 43, 15. et 9, 29. 30. et 46. *f.*) *Cic. Dom.* 31. Ubi cavisti, ne meo me loco censor in senatum legeret? *Gell.* 4, 10. et 14, 7. *med.* Primum rogari solitum *(sententiam)* qui princeps in senatum lectus esset. *Plin. ep.* 10, 113. Eos, qui in bulen a censoribus leguntur, etc. ℙ *Vir virum legere*, dicitur, cum unus civis alterum eligit. *Suet. Aug.* 35. Senatum ad modum pristinum redegit duabus lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit: secunda suo et Agrippae. Adde *ib.* 54. Hoc autem ab antiquo pugnandi more sumptum est. *Virg. A.* 11, 632. totasque Implicuere inter se acies, legitque virum vir, *h. e.* quasi destinavit, elegitque hostem quem occideret. Ita milites, quisque pro se cum hostibus conseruere manum, ut haberent singuli, quocum pugnarent. Ita *Liv.* 8, 8. *f.* Nec vexilla cum vexillis tantum, universi hastati cum hastatis, principes cum principibus, sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat. *Id.* 22, 14. *f.* Armari copias oportet deducendas in aequum, ut vir cum viro congrediaris. Porro ex *Tac. H.* 1, 18. colligitur, moris olim aliquando fuisse etiam in faciendo exercitu, ut aliquot primum deligerentur ab iis, quibus habendi delectus cura demandata esset: hi vero singulos quisque, vel binos, vel etiam plures nominarent, quos militari virtute praestare nossent: quo in delectu *vir virum legere* dicebatur. Verba *Taciti* sunt: Apud militum concionem, adoptari a se Pisonem, more divi Augusti, et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronunciat. Fortasse huc pertinet illud *Pl. Amph.* 1, 1, 160. Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris, *h. e.* feriendum elegeris, et percusseris. ℙ [*Permutantur *legere* et *eligere*. V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 1, 2.]

LĔGŪLA, ae, f. pars auris concava exterior, quae apparet, quae Graece in *Gloss. Philox.* *μύστρον* dicitur, *h. e.* cochlear, quia ejus similtudinem habet: vel potius ima pendens auriculae pars, quae et *lamina* dicitur: quasi *ligula*. *Sidon. ep.* 1, 2. Aurium legulae, sicut mos gentis est, crinium superjacentium flagellis operiuntur.

LĔGŪLEJUS, ii, m. *δικανικὸς*, *κύβρις*, qui legum studia sectatur: et fere in contemptu ponitur. *Cic. Or.* 1, 55. *f.* Ita tibi jurisconsultus ipse per se nihil nisi legulejus quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, anceps syllabarum. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

LĔGŪLUS, i, m. *συλλογεύς*, qui uvas, aut oleas colligit. *Calpurn. Ecl.* 3, 49. extremas legulus cum sustulit uvas. *Varr. L. L.* 5, 7. A legendo leguli, qui oleam, aut uvas legunt. ℙ Videtur tamen magis proprie dici de eo, qui oleas legit, et quidem caducas: nam qui pendentes, dicuntur strictores. *Id. ib.* 4, 18. Vocabula aperta, ut legulus, et vindemiator: alter ab oleis, alter ab uvis. *Cato R. R.* 144. de olea legenda: Legulos, quot opus erunt, praebeto, et strictores; et *ib.* 64. Leguli volunt, ut olea caduca quam plurima sit, quo plus legatur. [V. *Pontedera Antiq. Rom. et Gr.* p. 77. *F.*]

LĔGŪMEN, inis, n. *ὄσπριον*, quicquid ex terrae satis in siliquis nascitur, ut sunt fabae, pisum, cicer, lens, et similia, quae evelluntur e terra, non subsecantur: unde a *legendo* dicta sunt, ut *Varr. R. R.* 1, 23 et 32. et *Plin.* 18, 17, 46. docent, quia vellendo colliguntur: cum frumenta sectione metantur. Eorum varia genera enumerat *Colum.* 2, 7 et 10., nempe fabam, lentem, pisum, phaselum, cicer, cannabim, milium, panicum, sesama, lupinum, linum, hordeum. *Cic. N. D.* 2, 62. Terra feta frugibus, et vario leguminum genere. *Caes. B. C.* 3, 47. *extr.* Milites non, illis hordeum cum daretur, non legumina recusabant. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 2. Legumina omnia singulas habent radices, praeter fabam, easque surculosas: frumenta multis radicantur fibris, sive ramis. ℙ Per synecdochen dicitur de faba, quae insigniores siliquas habet, in illo *Virg. G.* 1, 74. laetum siliqua quassante legumen, Aut tenues fetus viciae, tristesque lupini.

LĔGŪMENTUM, i, n. idem quod legumen. *Gell.* 4, 11. Nullo saepius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis.

LĔGŪMĬNĀRĬUS, a, um, adj. ad legumina pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 935, 3. Negotiatrix frumentaria, et leguminaria. ℙ [*Leguminarius*, *ii*, absolute, est qui legumina vendit. *Gloss. Philox.* Leguminarius, *ὀσπριοπώλης*. V. OSPRATURA. *F.*]

*LĔGŪMĬNOSUS, a, um, adj. ut *epulae leguminosae* ap. *Celsum. B. A.*

LĔĬOSTRĔA vel Lĭostrea, ae, f. *λειόστρεον*, ostrea levi cortice: a *λεῖος*, laevis. *Lampr. Elag.* 19. Primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis, leiostreis, et alcis marinis conchis. *Salmas.* omnino vult legi *lithostreis*, h. e. Quae testis concreta suis, ceu saxa cohaerent, ut *Auson. ep.* 9, 6. loquitur: a *λίθος*, lapis. [Ceterum *leiostreis* retinendum videtur; *Aristoteles* enim *Hist. anim.* 4, 4. memorat *κόγχας λειοστράκους*, alias vero *τραχυοστράκους*, *h. e.* laeves, et asperas, et ap. *Plin.* 32, 11, 53. memorantur *chamae laeves*, et *striatae*. *F.*]

[LEĬTUS, i, m. *λήϊτος* et *λέϊτος*, publicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1151, 4. M. Fulvius M. F. Leitus. *F.*]

*LELANTUS, i, m. flumen Euboeae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LĔLĔGĒIS, ĭdis, f. adj. ad Lelegas, Asiae minoris populos, pertinens, *Λελεγηΐς*. *Ov. Met.* 9, 651. Saepe etiam Nymphae teneris Lelegeides ulnis Tollere conantur. ℙ Miletus quoque urbs, Ioniae caput, olim Lelegeis dicta est, teste *Plin.* 5, 29, 31., quia a Lelegibus habitata. V. LELEGES.

LĔLĔGĒĬUS, a, um, adj. ad Lelegas pertinens, *Λελεγήϊος*. *Ov. Met.* 8, 8. Interea Minos Lelegeia litora vastat, *h. e.* Megarensia; et *ib.* 7, 443. Lelegeia moenia, *h. e.* Megaram.

LĔLĔGES, um, m. plur. *Λέλεγες*, genus hominum ex variarum gentium colluvie mixtum, quae laribus carentes diu erraverant, quasi *λελεγμένοι*,

idest collecti, quod diversis e locis collecti sint: a λέγω, colligo. Quidam dicunt, Leleges fuisse populos Acarnaniae, et eorum appellationem ad Lelegem quendam Leucadium referri, cujus nepotem ex filia tradunt fuisse Teleboum. Hoc nomine speciatim appellati fuere populi Achaiae apud Locros Epicnemidios. Aliqui dicunt, Lelegas olim appellatos fuisse, quos postea Locros Epicnemidios nominarunt, per quos Cephissus amnis in mare labitur. *Plin.* 4, 7, 12. ℙ Item pop. Thessaliae, fortasse quia Locri sunt Thessaliae proximi. *Lucan.* 6, 383. [*V. *Cort.*] ℙ Item populi Asiae Caribus conterminni, vel ipsi Cares. Horum originem nonnulli ad Thessalos referunt. Alii narrant, Leleges Asiae populos origine Graecos fuisse, qui primum insulas tenuerunt, indeque in continentem transgressi, partim in Mysia ad Adramyttenum sinum consederunt, ubi et Homerus majorem Lelegum partem videtur collocare, partim in eo Ioniae tractu, qui Cariae est proximus, unde etiam *Plin.* 5, 29, 31. tradit, Miletum Ioniae totius caput Lelegeida olim fuisse appellatam. *Virg. A.* 8, 725. Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos Finxerat. *Ov. Met.* 9, 644. Caras, et armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat. ℙ In singulari numero. *Id. ib.* 8, 566. Hac Ixionides, illa Troezenius heros Parte Lelex. nom. propr.

LĔMA, ae, f. λῆμη, humor in angulis oculorum concrescens, et lippitudinem inducens: vox Graeca. *Plin.* 23, 1, 24. Si cruore suffunduntur oculi, aut si lemae in oculis erunt. V. GRAMIAE.

*LEMANIS PORTUS in Britannia fuit. *Anton. Itin.* Hodie, credunt, est *Lynn. B. A.*

LĔMANNUS, i, n. lacus Allobrogum, per quem Rhodanus fluit: in cujus fine Geneva urbs sita est. *Lucan.* 1, 396. Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno. Adde *Plin.* 2, 103, 106. et 3, 4, 5. Putat *Serv.* ad *G.* 4, 278. inde Alemannos nomen sumpsisse: quod cave homini credas. ℙ Etiam *Lemanus*, sed minus recte, scribitur.

LEMBĀRĬUS, ii, m. miles classiarius, qui in lembis pugnat. Ita perperam legit *Salmas.* ap. *Vopisc. Aurel.* 38., ubi alii recte leg. *monetarius.*

LEMBŬLUS, et

LEMBUNCŬLUS, i, m. parvus lembus, cymba. *Tac. A.* 14, 5. *extr.* Occursu lembunculorum Lucrinum in lacum vecta, villae suae infertur. Al. leg. *lenunculorum. Prud. περὶ στεφ.* 5, 455. Levique vectus lembulo Amplum per aequor auferas. Adde *Paul. Nol. ep.* 49. (al. 36.) *n.* 1.

LEMBUS, i, m. λέμβος, naviculae exiguae genus, sed mirae velocitatis, cujusmodi ante classem explorandi gratia solent praemitti. Pro *lembus* reperias *limbus* ap. *Isid. Orig.* 19, 1., item in *Gloss. Isid.*, inque *Gloss. Arabicolat.* Qui primi lembum invenere, fuerunt Cyrenenses, teste *Plin.* 7, 56, 57. *f.* Erant autem et majores lembi bello utiles. *Liv.* 45, 10. Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. ℙ Erant et minores, scapharum instar, quibus fiebat a litore ad onerarias advectio. *Pl. Merc.* 1, 2, 81. Dum haec aguntur, lembo advehitur pater tuus pauxillulo; et 2, 1, 35. Ascendi in lembum, atque ad navim advehor. ℙ Lembi etiam inter naves actuarias annumerantur. *Liv.* 34, 35. Neve ipse navim ullam praeter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet. ℙ Item inter lintres fluviatiles. *Virg. G.* 1, 201. Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit. ℙ Et inter naviculas piscatorias. *Accius* ap. *Non.* 13, 5. Eo autem, nocte extrema retia ut provcherem et statuerem: forte aliquanto, quam solitus, lembo sum progressus longius.

LEMMA, ătis, n. λῆμμα, materia, seu argumentum, quod sumimus enarrandum, ornandumve epigrammate, ode, ecloga, aliove scripto: et quod solet ipsi carmini praescribi ad ostendendum, quid in eo disseratur: a λαμβάνω, sumo. *Plin. ep.* 4, 27. Lemma sibi sumpsit, quod ego interdum versibus ludo. *Mart.* 14, 2. Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo: Ut, si malueris, lemmata sola legas. *Auson. praef. parental.* Aliquoties fortasse lectorem solum lemma sollicitat tituli. ℙ Ipsum quoque epigramma *lemma* dici potest. *Plin. ib.* Si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit. *Mart.* 10, 59. Consumpta est uno si lemmate pagina, transis, Et breviora tibi, non meliora placent. ℙ *Nutricis lemmata* ap. *Auson. ep.* 16, 90. sunt fabellae, quibus infantes oblectari solent. ℙ Apud dialecticos est sumptio, seu assumptio in syllogismo. Graece hoc sensu habet *Cic. Div.* 2, 53., at Latine *Gell.* 9, 16. Est vitium insidiosum, et sub falsa lemmatis specie latens.

*LEMINCUM, i, n. oppidum Galliae Narbonensis, hodie, ut suspicantur quidam, *Chambery* in Sabaudia. *Anton. Itin. B. A.*

[LEMNAEUS, a, um, adj. idem ac Lemnius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 749, 4. Sex. Terentius Lemnaeus. *F.*]

LEMNĬĀCUS, a, um, adj. ad Lemnum pertinens, Λημνιακός. *Stat. Silv.* 3, 1, 131. nec major ab antris Lemniacis fragor est, ubi flammeus aegida caelat Mulciber. *Id. Th.* 3, 274. et *Mart.* 5, 7. Lemniacae catenae, *h. e.* quas Vulcanus in Lemno fecit Marti et Veneri deprehendendis.

LEMNĬAS, ădis, f. Λημνιάς, mulier Lemnia. *Ov. A. Am.* 3, 672. Lemniadi gladios in mea fata dabo. Al. melius leg. *Lemniasi*, ταῖς Λημνιάσι. V. CHARITES. *Id. Her.* 6, 52. Lemniadesque viros nimium quoque vincere norunt. *Stat. Th.* 5, 500. Lemnias exsul, *h. e.* Hypsipyle. V. LEMNIUS.

[LEMNĬCOLA, ae, adj. comm. gen. qui Lemnum colit, habitat. Sic vocatur Vulcanus, qui in ea insula officinam habere putabatur, ibique colebatur in primis. *Ov. Met.* 2, 756. cum sine malebatur in primis. *Ov. Met.* 2, 756. cum sine matre creatam Lemnicolae stirpem contra data foedera vidit, *h. e.* Erichthonium Vulcani filium. *F.*]

[LEMNĬENSIS, e, adj. qui ex Lemno est, Lemnius. *Pl. Cist.* 1, 1, 99. Sua cognata Lemniensis, quae habitat hic in proxumo. *F.*]

LEMNISCĀTUS, a, um, adj. lemnisco ornatus. V. v. sq. *Cic. Rosc. Am.* 35. Multas esse infames palmas, hanc primam tamen esse lemniscatam, quae Romae deferatur, *h. e.* ceteris ornatiorem, et nobiliorem, et quae magnam trium fundorum et nobiliorem, et quae magnam trium fundorum et nobiliorem, et quae magnam trium fundorum

et *A.* 4, 207. Lenaeum honorem libare Jovi. *Stat. Silv.* 4, 6, 80. Lenaea dona. ℙ Fuit et hoc nomine rex quidam, quem alii Anium dicunt Bacchi pronepotem, alii Mithridatem (qui et Dionysii nomen sumpserat); incerta enim admodum historia est. *Ov. Ib.* 331. Aut ut Amastriacis quondam Lenaeus ab oris, Nudus Achillea destituaris humo. ℙ [*Lenaeus* fuit etiam nomen serv. R.: hinc Cn. Pompejus Lenaeus Pompeji Magni libertus, qui illustris fuit grammaticus, cujus mentio est ap. *Suet. Gramm.* 15. et *Plin.* 15, 30, 39. *F.*]

[LĒNĀTUS, a, um, part. a *leno*, a lenone expositus. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 587. *Burm.* At tu fornice turpius vacabas, Exercens aliis, quod ipse possis Lenatis melius tibi puellis Scortandi solito labore ferre. *F.*]

LĒNĒ, adverbii loco pro leniter. *Ov. Fast.* 2, 704. Sectus humum rivo lene sonantis aquae. *Avien. descr. Orb.* 857. Vel qua lene Notus spirat, qua perstrepit Auster. *Nemesian. Ecl.* 4, 47. lene fluens fons. *Calpurn. Ecl.* 7, 25. clivi lene jacentes, *h. e.* colles leniter acclives, ut loquitur *Ov. Fast.* 5, 154. ℙ Gradus V. in LENITER.

LĒNĪMEN, inis, n. et

LĒNĪMENTUM, i, n. ἡπίαμα, μείλιγμα, id, quo quippiam lenitur, mitigatio, mulcedo. *Hor. Od.* 1, 32, 14. Testudo laborum dulce lenimen. *Ov. Met.* 11, 450. addidit illis Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem; et *ib.* 6, 500. sollicitae lenimen dulce senectae. *Plin.* 25, 5, 24. Nuper invenere, dissectis raphanis inserere helleborum, rursusque comprimere raphanos, ut transeat vis, atque eo lenimento dare. *Tac. H.* 2, 67. Addito honestae missionis lenimento. [**Lenimentum* vox est nonnisi poetis et argenteae aetatis scriptoribus usitata.]

LĒNIO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. ἡμιάω, κηλέω, lenem facio, mulceo, mitigo, placo, flecto, minuo. *Cic. Marc.* 10. Vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret. *Id. Att.* 6, 2. Illum saepe lenivi iratum. *Id. Phil.* 2, 45. *f.* Muneribus, congiariis, epulis multitudinem imperitam lenierat. *Id. Fin.* 1, 14. Temperantia animos quasi concordia quadam placat ac lenit. *Id. Mur.* 31. de Catone: Te ipsum, nunc animi quodam impetu concitatum, usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. *Liv.* 2, 45. *med.* Diem tempusque forsitan ipsum leniturum iras. *Suet. Vitell.* 10. Ad leniendam gravitatem odoris. *Nep. Eum.* 11. Adeo erat incensus, ut, nisi magna spe maximarum rerum, leniri non posset. *Sall. Jug.* 11. *extr.* Lenire animum ferocem. *Virg. A.* 6, 467. dictis ardentem animum; et *ib.* 4, 393. dolentem solando. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. se multa consolatione. *Liv.* 2, 45. iras; et 6, 16. *med.* seditionem. *Ov. Pont.* 4, 8, 3. superos rogando. *Cic. Fam.* 15, 21. desiderium crebris et longis epistolis. *Ov. Met.* 13, 317. requie dolores. *Virg. A.* 4, 528. somno curas. *Ter. Heaut.* 1, 1, 75. miseriam alicui. *Tac. A.* 2, 29. crimina, aut asperare. *Id. H.* 3, 61. dedecus. *Id. A.* 1, 71. memoriam cladis comitate. *Nep. Dion.* 6. invidiam obsequio. *Sall. Jug.* 29. atrocitatem facti. *Virg. A.* 1, 454. nova res oblata timorem Leniit; et *ib.* 8, 86. Tibris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem Leniit. *Prop.* 3, 20, 32. Lenire vulnera, *h. e.* fovere, eorumque dolorem minuere. *Ov. Her.* 19, 210. moras, *h. e.* dolorem dilationis. *Sall. Jug.* 96. inopiam frumenti. *Hor. Sat.* 2, 2, 17. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet. *Plin.* 23, 8, 77. Nuces leniunt saporem caeparum; et 21, 28, 102. Colocasia acria corporis leniri. *Id.* 20, 9, 37. Lapsana alvum lenit et mollit, *h. e.* leniter ciet. *Hor. Od.* 1, 27, 7. Lenire clamorem, *h. e.* clamoris vocem demittere et minuere. ℙ De morbis dictum, minuere, et vires adimere significat. *Plin.* 20, 17, 73. Lenire articulares morbos. *Id.* 22, 23, 49. podagras. *Id.* 33, 6, 35. tumores. *Id.* 23, 4, 47. dyspnoeas, collectiones, duritiasque; et 20, 13, 51. epiphoras; et *ib.* 8, 29. dolores capitis; et 22, 25, 58. collectiones impetusque. ℙ Neutrorum more. *Pl. Mil.* 2, 6, 99. [*ap. *Lindem.* 102.] Occultabo me aliquot dies, dum hae consilescunt turbae, atque irae leniunt. [*V. quae laudat *Lindem.* ad h. l.] ℙ *Lenibam*, et *lenibo* pro *leniebam* et *leniam* (quod in quarta conjugatione non raro usuvenit) habes ap. *Virg. A.* 5, 527. et *ib.* 6, 468. et *Prop.* 3, 20, 32.

LĒNIS, e, adj. λεῖος, laevis, et tactu nullam asperitatem habens. Ducunt a mollitie lanae, quae λῆνος dicitur: vel a λεῖος. *Cic. Fin.* 2, 12. Sensus judicat dulce, amarum; lene, asperum; prope, longe; stare, movere; quadratum, rotundum. *Plin.* 28, 4, 14. Vehemens fricatio spissat, lenis mollit. ℙ Transfertur ad alia multa, et significat mitem, levem, placidum, minime acrem, non vehementem. *Cic. N. D.* 2, 58. Vocis genera permulta, canorum, fuscum; lene, asperum; grave, acutum; flexibile, durum. Al. leg. *lēve*, sed lenem vocem asperae contrarium, etiam *Quint.* 11, 3. appellat. [*V. *Heindf.* ad *Cic.* locum laud. *Orell.* habet *leve*. De notione v. *lenis*, cum de voce usurpatur, v. *Ernest.* l. infra l.] *Cels.* 2, 22. Lenes sunt sorbitio, pulticula, laganum, etc. item lac, defrutum, passum. Acria sunt omnia nimis austera, acida, salsa, etc. *Ter. Heaut.* 3, 1, 48. Vinum hoc asperum est: aliud lenius, sodes, vide. *Cic. Att.* 2, 21. Ita lenibus uti videbantur venenis, ut posse videremur sine dolore interire. *Hor. Od.* 3, 21, 13. Lene tormentum. *Caes. B. G.* 4, 28. et *Cic. Att.* 7, 2. Belle nobis flavit ab Epiro lenissimus ventus. *Ov. Met.* 12, 527. Lenis volatus. *Quint.* 11, 3. *med.* laterum motus, *h. e.* compositus et gravis. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus; et 21, 18, 63. Leni igni coquere. Sic 21, 17, 68. Leni sole siccare. *Id.* 16, 36, 64. de arundine: Gracilitas nodis distincta leni fastigio tenuatur in cacumina. *Caes. B. C.* 2, 24. Jugum directum, utraque ex parte praeruptum atque asperum, sed paulo tamen leniore fastigio ab ea parte, quae, etc. *Hor. Od.* 3, 1, 21. Lenis somnus. *Plin.* 16, 35, 63. sonus. *Id.* 9, 41, 65. Color suavior et lenior. [*Discrimen inter *lenis* et *blandus Doederl.* 2, 176. ita constituit, ut, illud subjective intelligendum censeat de eo, quod cum tangitur nullam asperitatem habeat; hoc objective dicatur id, quod alia tangendo placidam, mitem vim exserat.] ℙ Saepissime ad animum, et mores, et est qui non irascitur, qui parcit, qui impetum animi cohibet, qui a severitate et crudelitate abhorret, indulgens, clemens, facilis, mitis, placidus, πρᾷος, ἤπιος. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Lenis a te, et facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. *Id. Rosc. Am.* 53. Populus R. in hostes lenissimus. *Suet. Cal.* 3. Obtrectatoribus lenis et innoxius. *Caes. ad Opp. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ut quam lenissimum me praeberem. *Ter. Heaut.* 3, 1, 29. Si te tam leni, et victo animo esse ostenderis; et 1, 1, 99. Leni ingenio esse in liberos. *Ov. Trist.* 5, 2, 36. Saepe suo victor lenis in hoste fuit. *Caes. B. C.* 1, 2. Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut, etc.; et *ib.* 5. Lenissima postulata. *Cic. Fam.* 5, 15. Lenissimis et amantissimis verbis utens, re graviter accusas. *Pl. Capt.* 2, 1, 5. Servitutem lenem reddere. *Hor. Od.* 3, 4, 41. Lene consilium dare. [**Cic. Brut.* 56, 204. ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, etc.: ubi *Ellendt. lentissimo* susp., veritus, ut *acre ingenium* et *lene* nisi de motibus animi dicatur, possent componi. Nam sic fieri, certum esse, v. *Goer.* ad *Acad.* 2, 4, 12. Sed *lene* ingenium, quod in studiis tardius sit, non dici.] ℙ Regit etiam infinitum, Graecorum more. *Hor. Od.* 1, 24, 17. Mercurius Non lenis precibus fata recludere. ℙ Saepe etiam ad genus dicendi, et orationem. Est autem lenis oratio, quae impetu, vehementia, ac nervis caret; et stilo sedato utitur, et conciliandis auditorum animis accommodato, ut docet *Cic. Or.* 2, 29. V. LENITAS. Ducta est metaphora a fluminibus, quae placido ac leni cursu feruntur. *Auct. ad Her.* 1, 7. In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, et usitata verborum consuetudo. *Cic. Or.* 2, 13. Tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus; et *ib.* 43. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, submissa, lenis, quae maxime commendat reos. *Quint.* 10, 1. *med.* Quosdam elatior dicendi vis, et magis concitata, et plena spiritus capit: sunt et lenis, et nitidi, et compositi generis non pauci amatores. *Id.* 9, 4. *med.* Lenis et fluens contextus orationis. *Id.* 10, 2. *f.* Etiam hoc solet incommodi accedere iis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicujus, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant. *Id.* 9, 4. Lenia spatium, sublimia et ornata claritatem quoque vocum poscunt, *h. e.* longas syllabas; et *ib. f.* Sublimia debent ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. *Id.* 11, 3. *med.* Prooemio frequentissime lenis convenit pronunciatio: nihil est enim ad conciliandum gratius verecundia. *Id.* 9, 4. Syllabae acres sunt, quae ex brevibus ad longas insurgunt: leniores quae a longis in breves descendunt. V. *Bentl.* ad illud *Hor. A. P.* 26. sectantem lenia, etc. [*Cf. *Ern. lex. techn. lat. rhet.* p. 239. sq.] ℙ *Lenis jocus* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* est, qui risum quidem movet, sed asperitate caret. ℙ *Lenis spiritus* ap. grammaticos quid sit, V. in ASPER. ℙ [*Lenis* fuit etiam cogn. R. *Suet. Oth.* 10. Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis. *F.*] ℙ [*Confund. *lenis* et *lentus*. V. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 56, 204. Item *lenis* et *levis*. V. *Spald.* ad *Quint.* 10, 1, 121., *intpp.* ad *Curt.* 9, 9, 8., *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 682.]

LĒNIS, is, m. genus vasis: a ληνός, lacus torcularis. *Afran.* et *Laber.* ap. *Non.* 15, 13. ℙ Item genus navigii, a similitudine ληνοῦ, idest vasis torcularis. *Mart.* 1, 50. Tepidum natabis lene Congedi vadum. Al. ad *vadum* referunt: vel *lene* accipiunt pro leniter: quod longe est rectius.

LĒNĪTAS, atis, f. λειότης, lēvitas, mollities rerum, quae lēvem tactum habent: cui *asperitas* opponitur, ut in LENIS dictum est. *Plin.* 13, 12, 26. Minimum hoc modo intergerii: atque etiam lini lenitas superatur. ℙ Item rerum, quae acres non sunt, et gustu suaves, et esu concoctuque faciles redduntur. *Plin.* 14, 19, 24. Africa gypso mitigat vini asperitatem: Graecia sale, aut mari lenitatem excitat. *Id.* 27, 8, 40. Differentia intelligitur lenitate gustus. ℙ Item colorum, qui visu sunt faciles, et oculos acri splendore non percellunt. *Id.* 37, 5, 16. Smaragdi viridi lenitate lassitudinem mulcent; et *ib.* 3, 12. de succinis: Sunt et, in quibus decocti mellis lenitas placeat. ℙ Est etiam tarditas, placiditas. *Caes. B. G.* 1, 12. Arar in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit. [*V. *Moeb.*] ℙ Transfertur ad genus dicendi, et significat quandam veluti placiditatem et aequabilitatem orationis, quae sedate, molliter, remisse, et nullo impetu fertur, et nervis caret, ac vehementia: pertinet autem ad stilum medium, et conciliandis animis apta est, ut *Cic. Or.* 2, 29. docet. *Id. Or.* 16. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. *Id. Brut.* 48. Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus, sicut ex ejusdem tragoediis, lenitas ejus sine nervis perspici potest. *Id. Or.* 2, 15. de historico stilo: Genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac judiciali asperitate persequendum est. *Quint.* 9, 4. *f.* Aspera iambis maxime concitantur, quod sunt e duabus modo syllabis, eoque frequentiorem quasi pulsum habent: quae res lenitati contraria est. [*Cf. *Ern. Lex. tech. lat. rhet.* p. 239. sq.] ℙ *Lenitas vocis* est moderata ejus remissio, acri clamore remoto: respondetque lenitati orationis. *Cic. Or.* 2, 43. Sed haec adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, verborum comitas. [*Cf. *Ern.* l. l.] ℙ Transfertur etiam ad animum et mores, et est mansuetudo, indulgentia, facilitas, moderatio, et quaedam quasi mollitia, et suavitas naturae, quae iram vel nescit omnino, vel moderatur, ἠπιότης, πραότης. *Cic. Or.* 1, 12. In hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis; vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis. *Id. Fam.* 13, 1. Dare se ad lenitatem. *Id. Cat.* 2, 4. Non est jam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat. *Id. Sull.* 6. Qua mollitia sum animi, ac lenitate, nunquam illius lacrymis ac precibus restitissem. *Id. Part.* 22. *extr.* Lenitas animadvertendi. *Hirt. B. Afr.* 86. et 92. Lenitas et clementia; et *ib.* 54. Lenitas, modestia, patientia. *Ter. Ad.* 3, 4, 26. Inepta lenitas patris, et facilitas prava. *Gell.* 11, 18. Remissa nimis lenitate uti. *Cic. Rabir. perd.* 3. *extr.* Qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. [**Vell.* 2, 98, 3. esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos.] ℙ Ad locum citatum *Terentii* quidam ap. *Donatum* ita inter lenitatem, et facilitatem distinguunt, ut illa in permittendo, haec in ignoscendo versetur. ℙ [*Confund. *lenitas* et *bonitas*. V. *intpp.* ad *Eutrop.* 7, 19.]

LĒNĪTER, adv. λίγδην, ἠρέμα, modice, leviter, placide, non acriter, non aspere, sine impetu, aut vi. *Cic. Somn. Scip.* 2. Leniter arridens. *Plin.* 2, 18, 16. Nox leniter illustrans. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 20. Pampinos teneros alligato leniter. *Id.* 18, 34, 77. *n.* 2. Ventus leniter pluvius. *Caes. B. G.* 7, 19. Collis leniter acclivis. [*V. quae laudat *Moeb.* ad 2, 8. et *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 57, 143. ubi de *Walk.* Sententia pro vulg. *leviter eminentes* optimae edd. *leniter eminentes* habent.] Sic *Liv.* 2, 50. Leniter editus collis. *Hirt. B. Afr.* 70. Placide leniterque procedere. *Ov. Amor.* 1, 6, 7. per excubias custodum leniter ire; et *Met.* 3, 568. Torrens lenius decurrit. *Plin.* 26, 8, 54. Herba odorata, suavis, leniter acuta. *Id.* 27, 3, 2. Folia leniter hirsuta. *Id.* 12, 16, 35. Stacte gustu leniter amara. *Id.* 37, 9, 40. Color aspectu leniter blandus. ℙ Transfertur ad animum pro placide, moderate, remisse, sine ira, aut severitate, aequo animo, facile, ἠπίως, πρᾴως. *Pl. Stich.* 1, 2, 20. Tentem leniter, an minaciter? *Id. Bacch.* 3, 3, 4. Leniter saevire. *Id. Amph. prol.* 25. Petere quippiam leniter ab aliquo dictis bonis. *Cic. Fam.* 5, 2. *f.* Sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt. *Ov. Her.* 5, 7. Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est. ℙ In malam partem pro languide, remisse, segniter. *Caes. B. C.* 1, 1. Pompejo esse in animo, reipublicae non deesse, si senatus sequatur: sin cunctetur, atque agat lenius, nequicquam ejus auxilium imploraturum. ℙ Item ad orationem. (V. dicta in LENIS et LENITAS.) *Cic. Brut.* 44. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt. *Quint.* 9, 4. *med.* et 10, 2. *med.* Alia lenius, alia concitatius, alia sublimius dicenda sunt. ℙ *Leniter agere versum* ap. *Cic. Or.* 3, 26. est leni gestu. ℙ *Leniter traducere aevum* ap. *Hor. Ep.* 1, 18, 97. est placide, tranquille, aequo animo. ℙ [*Confund. in edd. *leniter* et *leviter*. V. *Moeb.* ad *Caes. B. G.* 2, 8. Intrpp. ad *Cic. N. D.* 2, 57, 143. Imprimis cf. quae laudantur a *Tschuck.* ad *Eutrop.* 7, 20. Adde *Spald.* ad *Quint.* 11, 3, 103. *Burm.* ad Ejusd. *Decl.* 1. p. 8. et 19, 9. p. 371.]

*LĒNĪTIES, ei, f. lenitas, lenitudo. *Comment.*

Antiq. (fortasse *Ascon. Ped.*) in *Cic. Or. in Clod. et Cur.* p. 20. ed. *Mediol.* ed. *A. Maio:* Mixta responsio et facetiis urbanitatis et asperitatis aculeis non sine lenitie. *B. A.*

LENITŪDO, inis, f. idem quod lenitas; idest mollitudo expers asperitatis. *Cic. Tusc.* 5, 16. Lenitudo orationis, mollitudo corporis, ea si bona dicemus, quid erit in philosophi gravitate, etc? ℙ Item mansuetudo, facilitas. *Cic. Verr.* 2, 4, 61. Virorumque, quibuscum nuptae erant, nimia in istum non lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 486. Mira lenitudine ac suavitate abundat. Adde *Cic. Off.* 1, 25. *med.*, ubi al. recte leg. *altitudine.* [*Ita *Gernh.* et *Beier.*, quos v. cf. etiam quae dicta sunt in v. *altitudo. Orell. lenitudo* retinuit, non improbans *lentitudo*, quod *Facc.* susp., quo melius intelligatur, cur adjunxerit, QUAE DICITUR. *Altitudinem* autem *animi*, eo, quo alias utatur *Cic.*, significatu hic nimiam esse: mireque omnino componi cum facilitate. Id vero prorsus incredibile, *altitudinem* hoc uno loco idem significare, atque ap. *Sall. Jug.* 100. Ad simulanda negotia altitudo ingenii.] ℙ De nimia facilitate, qua quis, ne cum oportet quidem, irasci solet. *Cic. Tusc.* 4, 19. Virum videri negant, qui irasci nescit: eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lenitudinis nomine appellant. Al. leg. *lentitudinis.* [*Hoc unice probandum.]

LENĪTUS, a, um, part. a *lenio:* placatus, deminutus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 31. aliquem lepide lenitum reddere. *Petr. Sat.* 107. Flectite ergo mentes satisfactione lenitas. *Ov. Pont.* 1, 2, 151. precibus lentio Caesare vestris; et *ib.* 3, 6. Lenitum vulnus. *Liv.* 1, 16. *extr.* desiderium. *Suet. Aug.* 34. Adempta, vel lenita pars poenarum. *Sall.* ap. *Prisc.* 9, 871. Lenita ira. *Tac. H.* 4, 44. invidia. *Varr. R. R.* 2, 4. Post meridiem rursus, lenito fervore, pascunt.

*LENĪUM, i, n. oppidum Lusitaniae. *Auct. B. Hisp.* 35. *B. A.*

LĒNO, as, a. 1. lenocinor, concilio. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 611. *Burm.* Graecule, consueta lenandi callidus arte, Coepisti adductor conjugis esse tuae. Aliud *ib.* p. 614. Nam si formosas redeas lenare puellas. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 232. Socrus filiam suam lenat, et docet moechis suis caute rescribere. [*Quaedam addidit *F.*]

LĒNO, onis, m. *μαστρόπος*, qui scortorum prostitutione quaestum facit: quique illicitos amores conciliat. *Festus:* Lenones ab alliciendo adolescentulos appellati. [*Cf. *Doederl.* 3, 44. et 152.] *Prisc.* 4, 623. a leniendo ducit: nempe quod mentes deliniendo seducit. *Ter. Ad.* 2, 1, 34. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium. *Id. Phorm.* 3, 2, 23. Eja, ne parum leno sies, *h. e.* ne parum calleas lenonias artes; qua ratione etiam ironice *Pl. Pers.* 4, 6, 4. Ne non sat esses leno, id metuebas miser. *Cic. Rosc. Com.* 7. Improbissimus et perjurissimus leno. *Ov. Amor.* 3, 12, 10. Vendibilis culpa facta puella mea est: Me lenone, placet, *h. e.* me ejus formam versibus commendante. *Pl. Ps.* 1, 3, 1. et sqq. et *Pers.* 3, 3, 1. et sqq. Lenonum mores, et vitam graphice describit, quem consulesis. ℙ Cum genitivo. *Prud. Hamart.* 261. ornatus solvendi leno pudoris. ℙ Est convicium impuri hominis, et aliorum aetati insidiantis. *Cic. in Sen.* 5. Cum equites Romani se ad lenonis impudicissimi pedes abjecissent. ℙ In bonam partem est medius alicujus rei conciliandae. *Just.* 2, 3. Primus Scythis bellum indixit Sesostris rex Aegyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Mox *legatos* appellat. [Optimae tamen editiones etiam primo loco *legatis* habent. ℙ Etiam adjective usurpatur, et cum substantivo generis feminini. *Pentad.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 102. *Burm.* Se Narcissus amat captus, lenonibus undis, *h. e.* lenocinantibus. *F.*]

LĒNOCĪNĀMENTUM, i, n. lenocinium. *Sidon. ep. in conc.* 7, 9. *med.* Pro omni gratiarum privilegio, docoramento, lenocinamento. *Quint. decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus*, 5. *med.* Nihil omnino, quod ad lenocinamentum spectare possit lasciviae.

LĒNOCĪNĀTOR, oris, m. *προαγωγός*, conciliator, leno. *Tert. adv. Marc.* 1, 22. *f.* Gratiae lenocinator.

LĒNOCĪNĬUM, ii, m. *μαστροπεία*, lenocinandi actus, exercitium lenonis. *Cic. in Sen.* 5. Qui egestatem domestico lenocinio sustentavit. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Lenocinium facit, qui quaestuaria mancipia habuerit, sed et qui in libris hunc quaestum exercet. *Scaevola ib.* 24, 3, 47. Lenocinium praebere uxori, *h. e.* lenocinium de uxore facere. ℙ Translate ponitur pro delinimento, illecebra. *Cic. Mur.* 35. Utrum lenocinium a grege delicatae juventutis, an orbis terrarum imperium a populo R. petebas? *Id. Sext.* 66. Et se vitiorum illecebris, et cupiditatum lenociniis dediderunt. ℙ Item pro quovis nimis exquisito ornamento, quod alicui rei adhibetur ad conciliandam ei gratiam. *Suet. Aug.* 79. Quanquam et omnis lenocinii negligens, et in capite comendo incuriosus. *Cic. N. D.* 2, 58. Perspicuum est, quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. *Manil.* 5, 516. Hinc lenocinium formae, cultusque repertus Corporis. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 41. In lenocinio commendationis dolor est, *h. e.* ipse dolor facit ad commendationem augendam, addens operi gratiam, et pretium. *Sen. Ben.* 1, 11. Lenocinium est muneris antecedens metus. ℙ In oratione lenocinia dicuntur fucata ornamenta, et illecebrae verborum, in malam partem. *Suet. Cal.* 39. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit. *Tac. H.* 1, 18. Nec ullum orationi aut lenocinium addit, aut pretium. *Quint. prooem. l.* 8. *med.* Nos quibus sordent omnia, quae natura dictavit: qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia.

LĒNOCĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. lenocinium facio: et translate demisse blandior, inservio, gratificor. *Cic. Div. Verr.* 15. Tibi serviet, tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quam potest. *Quint. decl.* 12, 19. Itane infelicitas mea negotianti tibi lenocinata est? *h. e.* tanquam leno emptores tibi conciliavit. *Sen. Controv.* 1. *med.* Lenocinatur gloriae meae, ut videar etiam prohibitus aluisse, *h. e.* inservit. [*V. *Schulting.* ad h. l.] *Plin.* 20, 14, 57. Lenocinari alicui captatione testamenti, *h. e.* inservire, et blandiri cupiditati testamenti, *h. e.* inservire, et blandiri cupiditati cujuspiam testamentum tuum captantis. *Tac. G.* 43. Populi truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora, atras ad proelia noctes legunt. ℙ Item gratiam conciliare. *Plin. ep.* 2, 19. *med.* Ut libro isti novitas lenocinetur. *Id. ep.* 1, 8. *med.* Anceps hic et lubricus locus est, etiam cum illi necessitas lenocinatur, *h. e.* inevitabilem esse ostendit, atque adeo venia dignum. *Symm. ep.* 9, 87. Ergo parce verbis lenocinantibus, et fuco oblitis, et ad gratiam comparatis.

LĒNONĪCĒ, adv. lenonum more. *Lampr. Commod.* 15. Quae gladiatorie, quae lenonice faceret.

LĒNONĬUS, a, um, adj. *μαστροπικός*, ad lenonem pertinens. *Pl. Truc.* 1, 1, 30. Lenoniae aedes. *Id. Pers.* 3, 1, 1. Lenonia servitus. *Id. fragm.* ap. *Fest.* in *Muneralis:* lex. *Id. Rud.* 5, 3, 30. fide uti. *Id. Curc.* 4, 2, 13. Lenonium genus. *Appul. Apol.* Lenonia illectamenta. ℙ *Lenonii pueri* sunt, quos lenones aliorum libidini prostituebant. *Verr. Fl. fragm. Fast. Praenest.* ad VII. K. Majas. Ludi cursoribus majoribus minoribusque fiunt. Festus (*dies*) est puerorum lenoniorum, quia proximus superior meretricum est. ℙ *Lenonium lutum*, ap. *Pl. Pers.* 3, 3, 2. est convicium in lenonem impurissimum, et vilissimum: tanquam lenonum coenum.

[LĒNOSTRIS, is, m. idem ac leno. *Pl. Poen.* in *Supposit.* 19. Aurum, argentum, collum, lenostris, te nunc debes simul. Alii rectius leg. *leno, tria tu nunc*, etc. *F.*]

LENS, lendis, f. *κόνις*, ovum pediculorum, capillis adhaerens, ex quo postea pediculi generantur. *Plin.* 29, 6, 35. Lendes tolluntur adipe canino, vel anguibus in cibo sumptis anguillarum modo. *Seren. Sammon.* 5, 72. Unda maris lendes capiti deducit iniquas, Et quidquid crebri denfendit silva capilli.

LENS, lentis, f. *φακὸς*, genus leguminis folio viciae, granis parvis, rotundis, et jacentibus, ternis, aut quaternis in siliqua. *Virg. G.* 1, 228. Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis. *Plin.* 18, 12, 31. Lens amat solum tenue magis, quam pingue. *Id. ib.* Invenio apud auctores, aequanimitatem fieri lente vescentibus. Ex his *Plinii* verbis quidam vocis notationem eruunt, ut sit a *lenis*, vel *lentus. Id.* 22, 25, 70. persequitur ejus utilitates in medicina. ℙ In plurali num. *Scrib. Comp.* 114. In vino rosa, et lentes incoquuntur. ℙ In accusativo habet *lentem*, et *lentim*, et in ablativo *lente*, et *lenti:* atque olim fuit etiam generis masculini. *Cato R. R.* 35. Lentim serito in rudecto, et rubricoso loco; et *ib.* 116. Lentim servare; et *ib.* oleo perfricare. (Adde *Varr.* ap. *Charis.* 1, 101.) *Colum.* 2, 10. *med.* Lentem solo tenui seri convenit. *Titin.* ap. *Non.* 3, 117. Lenti calido. ℙ Olim et *lentis* dixere in recto casu, teste *Prisc.* 7, 764. ℙ In pretio fuit lens Aegyptia, praecipue circa Pelusium: quam praeter *Virg. l. c.* laudat *Mart.* 13, 9., memorat et *Gell.* 17, 8.

LENTĀTUS, a, um, part. a *lento:* dilatus. *Trebell. Claud.* 6. Videntur fata Romana boni principis occupatione lentata. *Sidon. carm.* 22, 191. lentatus vapor, *h. e.* remissus calor.

LENTĒ, adv. *βραδέως*, cum mora, tarde, cunctanter. *Caes. B. C.* 1, 80. Tali dum pugnatur modo, lente ac paulatim proceditur; et *ib.* 2, 40. Ipse cum reliquis copiis lentius subsequitur. *Ov. Amor.* 1, 13, 40. Lente currite noctis equi. *Colum.* 2, 15. Asinus lentissime mandit, ideoque facilius concoquit. *Tac. Agr.* 3. Corpora lente augescunt, cito exstinguuntur. *Ov. R. Am.* 650. Lente desinere. Sic *Plin.* 18, 18, 47. Nilus evagari incipit, lente primo, deinde vehementius. *Petr. Sat.* 140. Ille (*Corax*) lente parebat imperio: et *mox:* Clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium. Alii minus recte leg. *lento;* ni fors *lento* adverbialiter positum sit, ut *manifesto, dubio* pro *manifeste, dubie.* ℙ De proverb. *festina lente* V. FESTĪNO. ℙ Item diu, longo tempore. *Cic. Att.* 2, 1. Quem librum non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem. ℙ Item segniter, remisse, oscitanter, leniter, sine ira, aut impetu animi. *Liv.* 1, 10. Lente agere iis Tatius, Sabinique visi sunt. *Suet. Ner.* 40. Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso, quo matrem occiderat: adeoque lente et secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem praeberet. *Cic. Or.* 2, 45. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu ipse id lente ferre videare. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 281. Cum publicas injurias lente tulisset, non tulit suam. ℙ *Lente dicere*, aut *disputare* est sine vi et acrimonia, sedate, placide. *Cic. Par.* 1, 3. Sed haec videri possunt obscuriora, cum lentius disputantur. *Id. Or.* 2, 71. Salsum est etiam, quaerentibus et quasi percunctantibus, lente respondere, quod nollent. *Id. fragm.* ap. *Non. l. c.* Lentius dicere. *Gell.* 1, 26. Tum Plutarchus lente et leniter, quid, inquit, verbero, nunc ego tibi irasci videor? ℙ *Lente cedere* est ignaviter, et nulla vi resistendo. *Plin.* 16, 43, 83. Arida ligna lentius serrae cedunt, viridia pertinacius resistunt.

LENTĒO, es, n. 2. *γλισχραίνομαι*, lentus sum. *Lucil.* ap. *Prisc.* 8, 800. Lentet opus: *idest* lente procedit.

LENTESCO, is, n. 3. *γλισχραίνομαι*, lentus fio. *Ov. A. Am.* 2, 357. lentescunt tempore curae. ℙ Interdum est tenerum, et glutinosum fieri. *Virg. G.* 2, 250. Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo. *Colum.* 2, 11. *f.* de cicera: Paulum aqua maceratur, dum lentescat. *Plin.* 37, 10, 70. Gemma, si quis terat in vino, cerae modo lentescit. *Colum.* 11, 2. *med.* Salix si minus lenta est, in stercore obruenda, ut lentescat. *Hieron. ep.* 24. *n.* 3. Metallum in virgulas lentescens.

*LENTĬA, ae, f. oppidum Norici, hodie *Linz* in Austria, ad confluentem Anisi ac Danubii. *Notit. Imper. B. A.*

LENTĬCŪLA, ae, f. *φακῆ*, idem quod lens. *Cels.* 2, 18. *med.* Ex leguminibus valentior faba, vel lenticula, quam pisum. *Pall.* 3, 4. Hoc mense lenticulam seres solo tenui. ℙ Significat etiam ipsam lentis figuram, quae in re quapiam est. *Plin.* 37, 12, 75. Figura oblonga maxime probatur in gemmis, deinde quae vocatur lenticula, postea cycloides, et rotunda. ℙ A similitudine figurae tribuitur cuidam vasorum generi. *Cels.* 2, 17. *f.* Calido oleo replentur utriculi, et in vasa fictilia (quas a similitudine lenticulas vocant) aqua conjicitur. *Isid. Orig.* 20, 7. inter olearia vasa recenset. V. v. sq. ℙ Item maculis in cute nascentibus, quae et lentigines, *φακός. Plin.* 26, 1, 5. Elephantiasis a facie saepius incipit, in nare primum veluti lenticula. *Cels.* 6, 5. Lenticulam tollunt galbanum, et nitrum. ℙ Est cogn. R., a maculis fortasse subrufis, quibus nonnullorum cutem adspersam videmus, derivatum. V. supra et LENTĪGO. *Cic. Phil.* 2, 23. Licinius Lenticula. Alii leg. *Denticula.* Ejusdem meminit et *Dion.* 45, 47. et *Lenticulum* appellat.

LENTĬCŪLĀRIS, e, adj. *φακοειδής*, ad lenticulam spectans. *Appul. Flor. n.* 9. Ampullam olearam, quam gestabat, lenticulari forma, etc.

LENTĪGĪNŌSUS, a, um, adj. *φάκωψις*, lentiginem habens. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 6. *extr.* Vir flavi coloris, lentiginosi oris.

LENTĪGO, inis, f. *φακὸς*, vitium cutis ita dictum, quia ad lentis similitudinem maculis subrufis ac nigris faciem foedat. *Plin.* 30, 2, 5. Lentiginem habentibus non obsequi numina. *Id.* 29, 4, 23. Faciem lentigine obducit. *Id.* 20, 2, 4. Lentigines e facie tollere. *Id.* 22, 25, 74. corrigere; et 23, 1, 16. emendare; et 24, 9, 39. sanare. ℙ Dicitur et de aliis maculis. *Id.* 29, 4, 28. Stellio plenus lentigine; et 13, 12, 25. Deprehenditur chartae lentigo oculis.

LENTĪPES, ĕdis, adj. qui lentus est pedibus. *Auson. ep.* 21, 40. Spondeus illi lentipes ibat comes.

LENTĪSCĪFER, a, um, adj. *σχινοφόρος*, ferens lentiscos. *Ov. Met.* 15, 713. lentisciferumque tenetur Linternum.

LENTĪSCĪNUS, a, um, adj. ex lentisco factus. *Plin.* 23, 2, 32. Tunc addito oleo lentiscino illita, una nocte rufat capillum. *Id.* 24, 6, 22. Lentiscina resina. Adde *Pall.* 2, 20.

LENTĪSCUS, i, f. *σχῖνος*, [*Pistacia lentiscus, *L. Mastixbaum*] arbor magnitudine roboris, sorbi folio, terebinthi odore, acinis, dum maturescunt, rufis, ubi maturuerint, nigris, mastichen exsudans in modum gummi: quae perpetuo viret, terque in anno fructus profert: ita dicta, quod folia ejus lentescant, vel potius quod ipsa arbor lentescat, dum resinam, idest mastichen fundit. Nascitur praecipue in Chio, item in Italia, et in Gallia Narbonensi. *Cic. Div.* 1, 9. ex prognost. suis: quos versus affert etiam *Plin.* 18, 25, 61. Jam vero semper viridis, semperque gravata Lentiscus triplici solita grandescere fetu, Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi. ℙ Ex arboris hujus li-

gno praestantissima fiunt dentiscalpia. *Mart.* 14, 22. Lentiscus melius, sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna levare potest. Al. leg. *lentiscum.* Adde 3, 82. et 6, 74. ℙ Ipsum quoque oleum, quod ex tali arbore exprimitur, eodem nomine appellatur. *Cato R. R.* 7., *Varr. R. R.* 1, 60. et *Plin.* 15, 6, 6. Condi olivas optime vel virides in muria, vel fractas in lentisco. [At *Colum.* 12, 49. Foeniculi seminibus, et lentisci cum cocto sale olivam modice permixtam reconde in fidelian, et mustum quam recentissimum infunde. Ex his patet, lentisci nomine intelligendum non oleum, sed semen lentisci. *F.*]

LENTĬTIA, ae, f. γλισχρότης, flexibilitas. *Plin.* 16, 37, 68. Virgas sequacis ad vincturas lentitiae; et *ib.* 40, 77. Est lentitia platano, sed madida. ℙ Item viscosa qualitas, tenacitas. *Id.* 20, 7, 26. Lactucae lentitiam pituitae digerunt.

LENTĬTIES, ei, f. lentitia. *Sever. Aetn.* 540. Lentitiem plumbum non exuit.

LENTĬTŪDO, inis, f. βραδύτης, tarditas. *Tac. A.* 15, 51. Epicharis accendere et arguere conjuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertaesa, etc. et *ib.* 64. Durante tractu et lentitudine mortis. *Tibull.* in *Priap.* 83, 37. Quid est, iners? pigetne lentitudinis? Adde *Vell.* 2, 11. ℙ Transfertur ad lenitatem, et languorem dicendi. *Auct. dial. de Or.* 21. Ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit. ℙ Item ad nimiam lenitatem animi, qua quis nunquam irascitur, etiam cum opus est. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. Omnino non irasci non solum est gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. *Id. Tusc.* 4, 19. Eam, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant, ἀναλγησίας. Al. hic leg. *lenitudinis.* Adde *Off.* 1, 25. *med.* cum eadem lectionis varietate. [*V. quae dicta sunt in *lenitudo.*]

LENTO, adv. V. LENTE.

LENTO, as, avi, atum, a. 1. lentum, mollem, et flexibilem reddo. Hinc *lentare arcum* est intendere; tunc enim cornua inflectuntur, cum adducto nervo, attrahuntur. *Stat. Th.* 1, 703. Tela tibi, longeque feros lentandus in hostes Arcus; et *ib.* 3, 587. alii Gortynia lentant Cornua. *Id. Ach.* 1, 436. Nec modus aut arcus lentare, aut fundere glandes, Aut torrere sudes, galeasque attollere conis. ℙ *Lentare remos* est remigare: impulsu enim remi flectuntur. *Virg. A.* 3, 384. Ante et Trinacria lentandus remus in unda, Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 42. exsertus lentandis navita tonsis. *Sen. Agam.* 437. Properat juventus omnis adductos simul Lentare remos. ℙ Translate est retardare, lentius trahere. *Sil.* 8, 11. de Fabio: lentando fervida bella Dictator, cum multa adeo, tum, miles egenus Cunctarum ut rerum Tyrius foret, arte sedendi Egerat.

[LENTO, onis, m. qui maxime lentus est. Est cogn. R., ut Caesennius Lento septemvir dividendis agris a M. Antonio praefectus, ap. *Cic. Phil.* 12, 9. *F.*]

LENTOR, oris, m. γλισχρότης, qualitas rei viscosae, ac tenacis. *Colum.* 6, 17. Cuminum conteritur, eique adjicitur exiguum picis liquidae et axungiae, ut lentorem malagmatis habeat. *Plin.* 13, 6, 12. Lentor resinosus, qui cortice erumpit. *Id.* 16, 11, 22. Lentor picis. *Id.* 17, 14, 24. Argillae arenam, fimumque bubulum admisceri, atque ita usque ad lentorem subigi jubet. ℙ Item flexibilitas. *Id.* 16, 43, 84. Ad rotarum axes lentore fraxinus utilis, sicut duritia ilex.

LENTŬLI, orum, m. plur. nomen familiae Romanae nobilissimae in gente Cornelia: a *lente*, teste *Plin.* 18, 3, 3., sicut *Pisones* a pisis, a cicere *Cicerones*, etc. V. LENTULUS.

LENTŪLITAS. V. APPIETAS.

LENTŪLUS, a, um, adj. dimin. lenti. *Cic. Att.* 10, 11. An existimas illum in isto genere lentulum, aut restrictum? Al. leg. *lentum.* [*Non improb. *Orell.*] ℙ Fuit hoc cognomine familia in gente Cornelia, summis honoribus in republica illustris. Sed P. Cornelius Lentulus Sura tempore Ciceronis Catilinariae conjurationis particeps, in carcere laqueo necatus est. *Sall. Cat.* 58., *Vell.* 2, 34., *Flor.* 4, 1. et *Cic. Cat.* 3, 3. V. LENTULI.

LENTUS, a, um, adj. λυγώδης, flexibilis: cui opponitur rigidus, durus: fortasse a *lenitus* per syncop., vel a λεπτὸς, tenuis. *Virg. Ecl.* 1, 26. Lenta viburna; et *ib.* 3, 38. vitis; et *G.* 2, 12. Lentae genistae; et *ib.* 4, 558. Lenti rami. *Phaedr.* 3, 6. Lentum flagellum. *Virg. G.* 3, 208. Verbera lenta pati, et duris parere lupatis, *h. e.* lentis virgis inflicta; et *ib.* 4, 34. Lentum vimen; et *A.* 7, 634. leves ocreas lento ducunt argento. *Ov. Met.* 13, 800. Lentior et salicis virgis. ℙ Item mollis, tener. *Virg. G.* 4, 170. lentis Cyclopes fulmina massis Cum properant, *h. e.* igne mollitis. *Hor. Epod.* 15, 6. Arctius, atque hedera procera adstringitur ilex, Lentis adhaerens brachiis, *h. e.* inflexis, et corpus arcte circumplectentibus. Sic *Pl. Men.* 1, 1, 18. Lenta vincula, *h. e.* arcte constringentia. ℙ Item viscosus, tenax. *Virg. G.* 4, 41. gluten visco et pice lentius. *Pl. Men.* 1, 1, 18. Vincla nimis lenta. ℙ Translate est remissus, tardus. *Cic. Brut.* 48. T. Juventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, et paene frigidus, sed et callidus, etc. *Ov. Her.* 15, 169. lentissima pectora, *h. e.* frigida, et tarda ad concipiendum amorem. *Phaedr.* 1, 15. Suadebat asino fugere, ne posset capi: At ille lentus, etc. *Plin.* 36, 26, 65. Lentus amnis. *Virg. A.* 7, 28. in lento luctantur marmore tonsae, *h. e.* mari tranquillo, et nullis ventis impulso. *Prop.* 4, 1, 96. Pondera lenta, *h. e.* quae lentos ac tardos faciunt ferentes. Sic *ib.* 3, 39. Tellus lenta gelu. *Tibull.* 4, 1, 90. lento perfregerit obvia pilo, *h. e.* gravi, adeoque tardius eunte. ℙ Item placidus, lenis, qui non facile irascitur, aut movetur. *Cic. Or.* 2, 69. Genus ridiculi patientis ac lenti; et *ib.* 75. In quo ego nimium patiens, et lentus existimor. *Prop.* 3, 6, 20. Hostibus eveniat lenta puella meis. *Ov. Her.* 17, 249. tam justa lentum Menelaon in ira. *Tac. A.* 3, 70. Sane lentus in suo dolore esset: reipublicae injurias ne largiretur. *Cic. fragm.* ap. *Ammian.* 19, 12. *f.* Quod judicis lenti, et considerati est proprium. ℙ Item securus, otiosus, negligens, qui parvi pendit, et contemnit. *Virg. Ecl.* 1, 4. Nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in umbra, etc. *Tibull.* 4, 11, 6. Nostra potes lento pectore ferre mala? *Liv.* 22, 14. Tendentem ad moenia Romanae coloniae Annibalem lenti spectamus. *Ov. Her.* 19, 81. Certe ego tum ventos audirem lenta sonantes: Et nunquam placidas esse precarer aquas. *Sen. Troad.* 896. de Helena: Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor, Cum dimicantes lenta prospiceres viros, Incerta voti; et *ib.* 253. Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli. *Ov. Pont.* 3, 1, 66. Haec est pro miseri lenta salute viri. ℙ Item remissus, lenis, moderatus, non vehemens. *Plin* 16, 11, 22. Coquere aliquid lento igne; et 24, 14, 79. Lento vapore decoctus; et 16, 10, 19. Liquor melleo colore, atque lentiore. ℙ Item durus, aut resistens. *Plin.* 24, 16, 92. Herba durior, et in coquendo lentior. ℙ Item tenax, cohaerens. *Id.* 8, 27, 41. Fera vivacitatis adeo lentae, ut ejectis interaneis diu pugnet. ℙ Item tardus, et in longum differens. *Cic. Cat.* 2, 10. Hos ego non tam milites acres, quam infitiatores lentos esse arbitror. *Id. Att.* 1, 12. et *ib.* 13. *extr.* Teucris illa lentum sane negotium, *h. e.* Antonius collega solutionem differens. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 3, 176. Dum lentus coepti terra cunctaris Ibera. ℙ Cum infinito. *Id.* 5, 19. Nympha nec Idalia lenta incaluisse sagitta. ℙ Item protractus, longus. *Sen. ep.* 70. Venti segnes tranquillitatis lentissimo taedio lassant. *Tibull.* 1, 3, 82. Optavit lentas et mihi militias; et *ib.* 4, 81. lento amore torqueri, *h. e.* longo, et diu macerante: ita tamen, ut vehemens et veluti furiosus non sit. Sic *Ov. Met.* 7, 82. Sic jam lentus amor, jam quem languere putares. *Id. Her.* 2, 9. Spes lenta. ℙ Item diuturnus. *Id. Rem. Am.* 243. Nec satis esse puta discedere: lentus abesto. ℙ Facilis: ducta metaphora ab iis, quae flectuntur. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 85. et 4, 281. Magnu' fuit trico nummariu', solvere nulli Lentus. ℙ [*Confund. *lentus* et *laetus.* V. *Burm.* ad *Virg. G.* 2, 12. 262.]

LĒNULLUS, i, m. parvus leno, dimin. lenonis. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 24. Ita ut occoepi dicere, Lenulle, de illa pugna. Apud *Prisc.* 3, 614. est *lenŭlus.*

LĒNUNCŪLĀRĬUS, ii, m. qui lenunculo, quod parvi navigii genus est, utitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 398, 7. Patrono corporis lenuncularіorum auxiliariorum Ostiensium; et p. 1077. M'. Acilio Glabrione M. Valerio Homulo Coss., Ordo Corporatorum lenuncularior. tabularior. auxiliar. Ostiens. etc. Adde alias ap. *Don. cl.* 8. *n.* 47. et 48. ℙ [*Lenuncularii* alii erant a scapharіis, nam in *Inscr. Ostiensi* ap. *Fabrett.* p. 731. *n.* 450. Patronus corpor. scapharior. et lenuncularior. *F.*]

LĒNUNCŪLUS, i, m. parvus leno. *Pl. Poen.* 5, 5, 7. Aere militari tetigero lenunculum. Adde *Prisc.* 3, 614. ℙ Item genus parvi navigii, ὁκαφίδιον: quales erant cymbae, quibus Tiberi Ostiam commeabant, ut videre est in *Inscriptt.* in v. praec. allatis. *Non.* 13, 8. piscatorium navigium esse, definit. *Gell.* navium appellationes enumerans 10, 25. Lembi, oriae, lenunculi, actuariae, etc. *Sall. fragm.* ap. *Non. l. c.* Incidit forte per noctem in lenunculo piscantis. *Caes. B. C.* 2, 43. Pauci lenunculi ad officium, imperiumque conveniebant. Adde *Tac. A.* 14, 5. His autem locis al. *remunculi* reponunt, al. *lembunculi:* sed constantior pro *lenunculis* criticorum sententia est. Ducunt autem etymologi a *lene*, quod item parvum navigium est. V. LENIS substant. [Num a λήνη lacus praeli vinarii? *F.*]

LĔO, es, a. 2. obsoletum verbum: cujus unum praeteritum *levi* V. in LINO. Volunt esse a λεῖος, lēvis, levigatus. Ab hoc est *deleo*, ut docet *Prisc. l.* 9. *f.*

LĔO, onis, m. λέων, animal quadrupes, jubatum, omnium fere generosissimum, et fortissimum. *Phaedr.* 4, 12. Cum se ferarum regem fecisset leo, etc. (V. 1, 5. 11. et 21. et 2, 1.) *Plin.* 8, 16, 17. Leoni praecipua generositas, tunc cum colla, armosque vestiunt jubae. *Id. ib.* Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit. *Id. ib.* Leonum animi index cauda, sicut et equorum aures. Immota placidus, clemens, blandientique similis. Iracundiae principio terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento flagellantur. V. ibi alia plura in hanc rem. *Virg. A.* 12, 4. Poenorum qualis in arvis, Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros, fixumque latronis Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento. *Val. Fl.* 2, 458. Qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo Avia, frangentem morsu super alta leonem Terga ferens. *Ov. Trist.* 3, 5, 33. Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni. *Id. Her.* 10, 85. Fulvus leo; et *Met.* 7, 373. ferus. *Lucret.* 5, 983. validus. ℙ Lepidam de leone hominis hospite fabulam habes apud *Gell.* 5, 14. V. et *Sen. Ben.* 2, 19. ℙ Pro *leaena* olim *leo femina* dicebatur. *Plaut. fr.* ap. *Philarg.* ad *Virg. Ecl.* 2, 63. Nam audivi feminam ego leonem semel parire. *Val. Fl.* etiam absolute dixit 6, 346. ceu septus in arcto Dat catulos post terga leo. *Stat. Silv.* 2, 1, 9. citius me tigris abactis Fetibus, orbatique velint audire leones. ℙ Per synecdochen sunt leonis exuviae. Has gestare mos fuit Herculi post devictum leonem Nemaeum. *Val. Fl.* 8, 126. aptans humeris, capitique leonem. ℙ Currum Cybeles leones trahere dicuntur. V. CYBELE. ℙ Translate dicitur de homine forti et audente, sicut cervus de timido et imbelli. *Tert. Cor. mil.* 1. *med.* Novimus pastores eorum in pace leones, in proelio cervos. *Sidon. ep.* 5, 7. *med.* In praetoriis leones, in castris lepores. ℙ *Domi leones, foris vulpes*, proverb. ap. *Petr. fr. Trag.* 41. *Burm.* de loquacibus, et timidis, qui extra periculum multa minantur, in periculo fugiunt. Quo pertinet lepida fabula de viatoribus et latrone ap. *Phaedr.* 5, 2. Similia habes in *Liv.* 4, 28. 7, 15. et 35, 49. et in *Justin.* 2, 10. *f.* ℙ Est etiam *Leo* signum coeleste, ex duodecim, per quae sol Zodiaco decurrit, in quod cum ingreditur, maximi calores sunt. In fabulis est leo silvae Nemaeae, quem ab Hercule occisum, tanquam primi ejus laboris monumentum, Juppiter in coelum transtulit. Alii dicunt, a Junone translatum, ut Herculi invisо sibi dolerent oculi, cum a se occisam feram tam honoratam videret. Constat ex stellis decem et novem secundum *Hyg. Astr.* 3, 23., secundum alios viginti septem. *Plin.* 24, 17, 102. Cum sol in Leone est. *Id.* 18, 26, 64. VIII. Cal. Februar. stella regia appellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit. *Hor. Ep.* 1, 10, 15. ubi gratior aura Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis. ℙ Etiam cancrorum quoddam genus, leones appellantur, teste *Plin.* 9, 31, 51., qui alio nomine astaci maximi dicuntur: brachia habentes cancris similia, reliquum corpus locustae, ut *Id.* docet 32, 11, 53. ℙ Denique in illo *Colum.* 10, 260. Oscitat et leo, et ingenuo confusa rubore, etc., *leo* est herba, quam alii leontopodion, alii antirrhinon esse contendunt, flore in modum hiantis oris leonini hiscente. Sic *ib.* 98. Narcissique comas, et hiantis saeva leonis Ora feri. ℙ *Leo* est etiam cogn. R. in gente Valeria, ut P. Valerius Leo. *Ascon. f. Milonianae.*

*LEOCHĂRES, is, m. Λεωχάρης, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 7. *B. A.*

[LĔOCORĬON, ii, n. Λεωκόριον, delubrum Athenis honoris causa exstructum, cum Leos filias puellas, quas κόρας Graeci vocant, immolandas exhibuisset, ut sic ex oraculi responso annonae caritas tolleretur. *Cic. N. D.* 3, 19. Itemque Leonaticum, est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Hic *Cic.* vocabulum *Leonaticum* Latine finxisse videtur, ut Graeco *Leocorion* opponeret; alii tamen leg. *Leo natarum. F.* *Heindf. non *Ciceronis*, nec prosae omnino stilum referre opinatur hoc *Leo natarum* pro *Lei filiarum.* Expungendum potius censet *Leonaticum* ut ab inepto glossatore Graeco nomini *Leocorion* adscriptum; vv. autem: *itemque est delubrum Athenis*, etc. jungenda esse cum praecedd., ut ad haec quoque pertineant illa, *ob eam enim ipsam causam.* De *Wyttenb.* conjectura (prob. *Schütz.* in ed. maj.) *Orell.* exhibet: *Itemque Leoidum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur.*] ℙ *De *Leocorio* v. *Aelian. V. H.* 12, 28. *Thucyd.* 1, 20. 6, 57. ibique *Schol. Harpocrat. Suid. Etymol. Mag.* et *Phot.* in v. *Lex. Seguer.* ap. *Bekker. Anecd. Gr.* T. 1. p. 277. *Strab.* 9. p. 607. ed. *Almelov. Meurs.* in *Ceramico* c. 17. *Leopard. Emendat.* 19, 23. *B. A.*

LĔOCROCOTTĂ, ae, m. fera pernicissima in India, asini fere magnitudine, cruribus cervinis, collo, cauda, pectore leonis, capite melium, bisulca ungula, ore ad aures usque rescisso, dentium loco osse perpetuo, quam humanas voces tradunt imitari. Haec *Plin.* 8, 21, 30. quae exscripsit more suo *Solin.* 52. *med.* *Salmasius* putat, esse belluam ex leaena, et crocotta genitam; crocottam vero ex leaena, et hyaena. Sunt qui scribunt *leucro-*

cotta, more Latinorum, qui etiam *lao* in *lau* saepe mutant. V. LAUDICENUS.

*LEON, ontis, *Λέων*, loci nomen vel vici prope Syracusas. *Liv.* 24, 39. Hibernacula quinque millia passuum ab Hexapylo (Leonta vocant locum) communiit. ℙ *Leontos oppidum* fuit in Phoenicia. *Plin.* 5, 20. *Λεόντων πόλις*, *leonum urbs*, est *Straboni*. ℙ Fuit et Leon pictor eximius. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*LEONICENSES, ium, incolae Leonicae, quod Hispaniae Tarraconensis oppidum fuit. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

*LEONĪDAS, ae, m. *Λεωνίδας*. Lacedaemoniorum rex, ex genere Heraclidarum, qui ap. Thermopylas, quum angustias adversus Xerxis copias tueretur, fortissime pugnans occubuit. *Nepos Themist.* 3. Cf. *Aelian. V. H.* 3, 25. *Pausan.* in *Lacon. Herod.* etc. *B. A.*

*LEONĪDES, ae, m. Alexandri M. paedagogus, de quo *Plin.* 12, 14. *Quint.* 1, 1. quem ad locum V. *Burmann. B. A.*

[LEONĪDIĀNUS, a, um, adj. ad Leonidam quendam pertinens. *Inscr.* ap. *Viscont. Op. var.* T. 1. p. 188. *ed. Med.* Hospiti Divi Claudii liberto tabulario Leonidiano Polybius Lib., et sibi fecit, et suis posterisque eorum. Hic *Hospes* fuit tabularius rationis alicujus hereditatis, quam ex quodam Leonida Imp. Claudius consecutus fuerat. *F.*]

LEONĪNUS, a, um, adj. *λεοντώδης*, *λεόντιος*, ad leonem pertinens. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Canis sit colore potissimum albo, quod in tenebris specie leonina. *Plin.* 37, 10, 54. Leonina pellis; et *ib.* Leoninae jubae. *Id.* 24, 17, 102. Leoninus adeps. ℙ *Cassius JCtus* ap. *Ulp. Dig.* 17, 2, 29. societatem leoninam appellabat, in qua alter ex duobus lucrum tantum, alter damnum sentiret. Quod lucem habet ex *Phaedr.* 1, 5. ℙ *Leonina lex* ap. *Justin. Cod.* 1, 3, 50. est lex Leonis Imp. R. ℙ *Leonini versus* dicti putantur a quodam Leone poeta Gallo, qui vixit ineunte saeculo Christi XIII., non quod eorum auctor inventorque fuerit, (nam et antea eorum aliquis usus fuit) sed quia maxime in suis carminibus frequentavit: quem postea plures alii male sunt imitati. Fiunt autem ea lege, ut in medio, et in fine voces sint, quae similiter desinant. Summis quidem poetis unus aut alter hujusmodi aliquando excidit, ut *Virg. A.* 9, 634. Trajicit: i, verbis virtutem illude superbis. *Prop.* 3, 1, 32. Troja bis Oetaei numine capta Dei (Adde 1, 8, 11.) *Ov. Fast.* 3, 746. Quaerebant flavos per nemus omne favos; et *ib.* 1, 706. Hac sunt Ledaeis templa dicata Deis; et *Ib.* 286. Cui nihil Hercei profuit ara Dei. Adde *Sil.* 14, 652. et *Prop.* 1, 17, 5. Verum de industria si quaerantur, et toto carmine fundantur, vitiosi sunt profecto, et a Latina gravitate maxime abhorrentes: quod jam censuit *Scalig. Poet. l.* 2. *c.* 29. *extr.* V. RHYTHMUS *f.*

*LEONNĀTUS, i, m. unus e ducibus Alexandri Magni. *Nep. Eumen.* 2. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

LEONTICE, es, f. *λεοντική*, herbae genus. V. CACALIA.

LEONTĪCUS, a, um, adj. *λεοντικός*, ad leonem pertinens, ut *Leontica sacra*, quae fiebant in honorem Mithrae Persarum Dei, (quo nomine sol intelligebatur) quicum Aeon, sive Saeculum, Croni filius, forma humana et facie leonina in spelaeo colebatur. V. *Zoega*, *Bassiril. ant.* T. 2. p. 32-40. et *Labus.* in *Bibliot. Ital.* T. 2. 192-211. Hinc *Arnob.* 6, 196. Inter Deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, et nomine Frugiferi nuncupari; et *Tert. adv. Marc.* 1, 13. Aridae et ardentis naturae sacramenta leones Mithrae philosophantur, *h. e.* mysteria seu symbola solaris naturae. Porro haec sacra etiam a Romanis recepta fuere, ut videre est in *Inscr.* ap. *Grut.* 303, 1. Constantio IX. et Juliano II. Cons. (*h. e.* an. a Chr. n. CCCLVII.) Nonius Victor Olympius, et Aurel. Victor Augentius tradiderunt Leontica IIII Id Aug. feliciter. Adde aliam ap. *eund.* 1087, 5. V. MITHRAS. [*Immutavit haec atque ampliavit *F.*]

LEONTĪNI, orum, m. plur. *Λεοντῖνοι*, populi Siciliae ad oram orientalem, quorum urbs eodem nomine dicta, Laestrygonum sedes fuit. *Plin.* 3, 8, 14. Intus Laestrygonii campi: oppida Leontini, Megaris, amnis Pantagies. *Cic. Verr.* 2, 2, 66. Leontinis, misera in civitate, atque inani, tamen istius, in gymnasio, statua dejecta est. ℙ Adjective. *Plin.* 18, 10, 21. et *Sil.* 14, 126. Leontini campi. *Cic. Div.* 1, 33. Leontinus ager.

*LEONTĪON, onis, m. pictor ap. *Plin.* 35. 10. *B. A.*

LEONTĪOS, ii, m. *λεοντίος*, gemma, a leoninae pellis similitudine nominata, quemadmodum pardalios a similitudine pellis pantherae. *Plin.* 37, 11, 73.

*LEONTISCUS, i, pictor eximius, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*LEONTĪUM, i, f. *Λεόντιον*, meretrix Atheniensis, Epicuri amica, scito (ait *Cicero*) sermone et Attico, contra Theophrastum scribere ausa. *Cic. N. D.* 1, 33. Cf. *Laert.* 10, 4. seq. *B. A.*

[LEONTĪUS, a, um, adj. *λεόντιος*, leoninus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 335, 5. Julius Leontius. Alia ap. *Mur.* 370, 4. Aelia Januaria, quae et Leontia. *F.* ℙ **Leontius*, *i*, m. nobilis statuarius, de cujus operibus *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*LEONTOCĀRON, i, n. *λεοντόκαρον*, herba pulium. *Appul. Herb.* 57. *B. A.*

LEONTOPĒTĀLON, i, n. *λεοντοπέταλον*, herba caulem emittens dodrantalem, seu semipedalem, lenem, plurimis alis concavum, et in cacumine semina parva duo, aut tria, eaque in siliquis, cicerис modo, flores punicei coloris, anemonae similes, folia brassicae, sed papaveris divisura, radicibus leonis appellat, quia folia habet similia pedi leonis. [*Leontice Leontopetalum. *L.*] Nascitur vulgo in arvis. *Plin.* 27, 11, 72. V. LATHYROS.

LEONTOPHŌNOS, i, m. *λεοντοφόνος*, exiguum est animal, in iis tantum regionibus nascens, in quibus leones gignuntur: a *λέων*, leo, et *φονος*, caedes. Leonibus enim tam praesens est venenum, ut gustato leontophono statim exspirent. *Plin.* 8, 38, 57.

LEONTOPODĪON, ii, n. *λεοντοπόδιον*, herba eadem, quae leontopetalon. *Plin.* 26, 8, 31. Adde *Appul. Herb.* 7.

*LEONTOPOLIS, is, f. *Λεοντόπολις*, *Λεόντων πόλις*, urbs Aegypti inferioris, in Delta. *Plin.* 5, 10. ℙ Hinc

*LEONTOPOLĪTES NOMOS, praefectura, cujus caput Leontopolis. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

*LEOOMNE, es, f. mons Macedoniae, in Pallene paeninsula. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

LEOPARDĪNUS, a, um, adj. ad leopardum pertinens, ut Leopardina adeps, *Marcell. Emp.* 28. *in.*

LEOPARDUS, i, m. *λεοπάρδαλος*, animal ex pardo et leaena natum, jubis carens, nigris maculis leoninam pellem distinguentibus. *Vopisc. Prob.* 19. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum leaenae, etc. *Lampr. Elag.* 21. Habuit et leones, et leopardos exarmatos in deliciis.

*LEOTYCHĪDES, ae, m. *Λεωτυχίδης*, Agidis regis Spartani filius, Agesilai frater. *Nep.* in *Ages.* 1. *B. A.*

LEPARENSES, ium, m. plur. iidem qui Liparenses, h. e. Liparitani cives. *Festus.*

LEPAS, ădis, f. *λεπάς*, genus conchae marinae, edulis, exteriore parte testa contectum, interiore carnosa firmissime petris adhaerescens. *Pl. Rud.* 2, 1, 8. Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus. *Id. Cas.* 2, 8, 56. Abi, opsonia propera: sed volo molliculas escas: emito sepiolas, lepadas, etc. ℙ Videtur eadem esse cum *lopade:* de qua *Non.* 17, 9. Lopades genus conchae marinae (*λοπάς*, a *λέπω*, decortico) Plaut. in Parasito: Addite lopades, echinos, ostreas. Al. leg. *lepades.*

LEPASTA. V. LEPISTA.

*LEPETHYMNUS, i, mons Lesbi insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

LEPIDĀNUS, a, um, adj. ad Lepidum pertinens, quod est nom. propr. civis R. *Sall. fragm.* ap. *Arusian. Mess.* Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat. ℙ Dicitur et *Lepidianus*, et quidem rectius, ut a *Crasso Crassianus.* *Macr. Sat.* 1, 13. Lepidianus tumultus. Significant autem tum *Sall.* tum *Macr.* tumultum excitatum a M. Aemilio Lepido (qui consul fuit cum Q. Lutatio Catulo an. U. C. DCLXXVI.) qui Sulla mortuo, ejus acta rescindere volebat: sed a Pompejo M. et Catulo repressus, et Roma pulsus fuit. Tangit haec *Lucan.* 2, 547. et 8, 808.

LEPIDE, adv. *ἐπιδεξίως*, *κομψῶς*, *λαμπρῶς*, venuste, festive, apposite, commode, eleganter, apte, scite. Dicitur non solum de verbis et sermone, sed de factis, deque aliis rebus, quae apte fiunt, et gratae sunt. *Cic. Or.* 3, 43. et *Or.* 44. In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius: Quam lepide lexes compostae, etc. *Pl. Poen.* 1, 2, 84. Satis nunc lepide te ornatam credo; et 3, 3, 84. Lepide stratus lectus. *Id. Curc. a.* 3. *v.* 15. Ego hoc effectum lepide tibi tradam: tace. *Id. Cas.* 2, 8, 46. Lepide reperi, *h. e.* callide, astute, et ad rem; et 3, 2, 27. Jam hic est lepide ludificatus; et *Bacch.* 5, 2, 33. Meum pensum lepide accurabo. *Id. Most.* 1, 3, 15. Ut lepide res omnes tenet! et *Truc.* 3, 2, 13. Lepide intellexisti. *Id. ib.* 3, 1, 22. facis; et *Truc.* 1, 2, 15. referre gratiam. *Id. Bacch.* 1, 1, 35. memoras. *Id. Mil.* 3, 3, 50. Nimis lepide fabulare: eo potuerit lepidius pol fieri. ℙ *Lepide esse*, commode et laute tractari. *Id. Bacch.* 1, 1, 50. Ubi lepide voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito. ℙ Jungitur cum aliis adverbiis. *Id. Mil.* 3, 1, 21. Loquere lepide et commode. *Id. Ps.* 2, 1, 1. Mihi omnia lepide pro pereque eveniunt. *Id. Cist.* 1, 1, 12. Ita in prandio nos lepide atque nitide accepisti. *Id. Mil.* 3, 3, 65. Dare operam lepidissime et comissime. ℙ In acclamatione et plausu. *Ter. Eun.* 3, 1, 37. Facete, lepide, laute, nihil supra. *Pl. Mil.* 2, 2, 85. Euge, euge, lepide: laudo commentum tuum. ℙ In responsionibus, affirmando et probando. *Id. Bacch.* 1, 1, 1. Quid, si hoc potis est, ut taceas, ego loquar? *Ba.* lepide: licet.

LEPIDIANUS. V. LEPIDANUS.

[LEPIDILLA, ae, f. dimin. lepidae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 726, 1. Claudia Lepidilla. *F.*]

[LEPIDINUS, a, um, adj. ad Lepidum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 357. *n.* 73. et emendatior ap. *Spon. Miscell. Antiq.* p. 257. Turma Gaji Lepidini. Alia ap. *Grut.* 343, 3. Acilia L. F. Lepidina. *F.*]

LEPIDIUM, ii, n. *λεπίδιον*, herba duplicis generis, sativi et silvestris, altitudine cubitali, foliis laurinis, sed mollibus. [*Lepidium sativum, *L. Pfefferkraut, Gartenkresse.*] Usus ejus in cibis non sine lacte est. *Plin.* 19, 8, 51. ℙ Adhibetur etiam ipsi lacti condiendo, et oxygalae faciendae. *Col.* 12, 8. ℙ Habet in medicina urendi vim, et cutis emendandae. *Plin.* 20, 17, 70. V. dicta in FUCAE.

LEPIDOTIS, is, f. *λεπιδωτίς*, squamosa, a *λεπίς*, squama, nomen est gemmae, variis coloribus squamas piscium imitantis. *Plin.* 37, 10, 62.

LEPIDULE, adv. Tribuitur a multis *Pl. Ps.* 1, 5, 115. Eam circumducam lepidule. Sed plerique omnes leg. *Ea circumducam lepide lenonem.*

LEPIDULUS, a, um, adj. dimin. lepidi. *Capell.* 7, 235. Ne infacetus, et impar lepidulis videretur; et 8, 272. Satyra lepidula.

LEPIDUS, a, um, adj. *χαρίεις*, *δεξιός*, *κομψός*, is in quo leporis est plurimum, festivus, venustus, urbanus, concinnus, commodus, aptus: et dicitur de sermone, de homine, deque rebus aliis, quae gratiam habent utcumque. *Don.* ad *Ter. Eun.* 3, 1, 37. ducit a *λεπίς*, lamina, quia lepidus homo, quasi lamina, politus est. *Cic. Cat.* 2, 10. *med.* Hi pueri tam lepidi et delicati, non solum amare et amari, neque cantare et saltare; sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt. *Auct. ad Her.* 4, 23. Quae sunt ampla et pulcra, diu placere possunt: quae lepida et concinna, cito satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. *Pl. Capt.* 5, 2, 3. Fui ego bellus lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonae. *Id. Curc.* 4, 1, 1. Lepidus nugator. *Ter. Eun.* 5, 7, 17. Itane lepidum tibi visum est, scelus, nos irridere? et *Heaut.* 5, 5, 16. Lepida puella. *Pl. Epid.* 1, 1, 41. Forma lepida et liberalis. *Ter. Eun.* 3, 3, 25. O capitulum lepidissimum. *Pl. Most.* 2, 3, 12. Lepidi mores. *Id. Mil.* 3, 1, 65. Non invenies alterum lepidiorem ad omnes res. *Id. Stich.* 5, 5, 19. Cantio lepida et suavis. *Hor. A. P.* 273. Scimus inurbanum lepido seponere dicto. *Catull.* 6, 16. volo te, ac tuos amores Ad coelum lepido vocare versu. *Pl. Trin.* 2, 2, 98. Eo pacto addideris nostrae lepidam famam familiae. *Id. Poen.* 1, 2, 95. Facinus lepidum et festivum. *Id. Bacch.* 1, 1, 51. Ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo. *Id. Stich.* 2, 1, 2. Lepidum nuncium nunciare. *Id. Cas.* 2, 3, 10. Myropolas omnes sollicito: ubicumque est lepidum unguentum, ungor. *Id. Aul.* 4, 8, 4. O lepidum diem! ℙ Illustris fuit Romae *Lepidorum* familia in gente Aemilia, quae in duas postea divisa, celebres utraque viros habuit. Primus qui hujusmodi cognomen habuit, ab ipso ipsius nomine est cognominatus, nam *αἰμύλος*, sive *αἰμύλιος* lepidum ac festivum significat.

LEPIS, ĭdis, f. squama, *λεπίς*. *Plin.* 34, 11, 24. Ex panibus aeris fit, quam vocant lepida, et sic adulteratur flos, ut squama vincat decussa vi clavis, etc.

LEPISTA seu Lepasta, ae, f. *λεπαστή*, genus vasis aquarii. *Fest.* et *Non.* 15, 35. Est a voce Graeca allata, quae Dolopum est, et dicitur, teste *Eustathio*, *διὰ τὸ λεπτὸν, καὶ ἐκπέταλον εἶναι κατὰ λεπάδας*, idest, quod vas illud tenue, ac patulum foret ad modum conchae. *Varro* ap. *Non. ib.* Lepistae etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut aeneae. [*Naevius* ap. *Mar. Vict.* p. 2587. Ferunt pulchras crateras, aureasque lepistas. *F.*]

*LEPONTĪCUS, a, um, adj. ad Lepontios spectans. *Sil.* 4, 235. *B. A.*

*LEPONTĪI, orum, m. *Λεπόντιοι*, *Λειπόντιοι*, populi Alpini, in Italia transpadana, prope Rhaetiam, ubi nunc fere lacus Verbanus (hodie *lago maggiore*) situs. *Caes. B. G.* 4, 10. *Plin.* 3, 20. ℙ Horum pars una *Lepontii Vibri* cognominati. *Plin. ib. B. A.*

LEPOR et Lepos, ōris, m. *καλλιέπεια*, sermo nitidus, et quasi lautitia quaedam sermonis, venustas, urbanitas, ornatus, concinnitas, elegantia in loquendo. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. *f.* Lepore ac venustate affluens. *Id. Or.* 1, 7. Multa erat in homine jucunditas, et magnus in jocando lepos. *Id. Acad.* 4, 6. Quanquam floruit acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi. *Id. Brut.* 38. Erat cum gravitate junctus facetiarum, et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 241. Adde *Nep. Att.* 4, 1. Nativum quemdam leporem esse: nostr. *Naturtalent.* V. *Brem.*] ℙ Sumitur etiam generatim pro gratia, et amoenitate cujuscumque rei, pro festivitate, urbanitate. *Cic. Or.* 27. *f.* In quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. *Lucr.* 2, 501. Aurea pavonum ridenti imbuta lepore Saecla. *Id.* 5, 1258. de metallis: nitido capti, levique lepore; et 4, 1126. medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis

floribus angat. *Plin.* 31, 7, 41. Omnis vitae lepos, et summa hilaritas, laborumque requies, etc. ℙ *Agraetius de Orthogr.* p. 2272. hoc distare putat inter *lepor* et *lepos*, quod ille sit in jucunditate voluptatis, hoc in eloquio. ℙ Ap. *Hor. Sat.* 2, 6, 72. est *Lepos* histrionis nomen. [**Schol. Cruq.* nomen insignis saltatoris Caesari grati, Archimimi, qui sic appellatus est, quod jucunde et molliter saltaret eloquereturque.]

LĔPORĀRIUM, ii, n. *λαγωτροφεῖον*, locus ubi lepores aluntur, et generatim, secundum *Varronem*, omne septum villae affixum, quod habet inclusa animalia, quae inibi pascuntur. *Varr. R. R.* 3, 3. Leporaria te accipere volo, non ea, quae tritavi nostri dicebant, ubi soli lepores sint, sed omnia septa, affixa villae, quae sunt, et inclusa habent animalia, quae pascuntur. *Id. ib. f.* In leporario apri fuere multi. *Id. ib.* 12. Nomine antiquo a parte quadam leporarium appellatum: nam neque solum lepores includuntur, sed etiam cervi, aut capreae. Adde *Gell.* 2, 20.

[LĔPORĀRIUS, a, um, adj. *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 93. Lageos (*vitis*) est, quae Latine leporaria dicitur: nam *λαγὼς*, lepus. *F.*]

LĔPORĪNUS, a, um, adj. *λαγῷος*, qui est ex lepore. *Plin.* 28, 11, 46. Leporinus cinis. *Varr. R. R.* 2, 11. Leporinum coagulum. Adde *Cels.* 5, 5. *Ulp. Dig.* 32, 70, 9. Leporina lana.

LĔPOS. V. LEPOR.

LEPRAE, arum, f. plur. *λέπρα*, scabiei genus est, cutem deformi obducens crusta, corpusque vehementi pruritu infestans. Alii usurpant pro elephantiasi, quod morbi genus superiore multo est perniciosius, ut quod non solum cutem infestet, verum etiam carnem ipsam usque ad ossa depascatur. Ab aliis duplex ponitur, una, quae potest curari, alia, quae incurabilis est, quam malam scabiem *Hor. A. P.* 453. nominat. Aliis eadem est ac impetigo, vel depetigo, vel sane species ejus. Dicta est a *λέπος*, vel *λεπὶς*, squama, sive a *λέπω*, desquamo, decortico. Leprae enim cutem scabram et asperam reddunt, inque squamas resolvunt. *Plin.* 24, 8, 33. Corticis interior tilia lepras sedat. *Id.* 20, 21, 86. Lapathi radice lepras curant. *Id.* 22, 25, 74. Lupini lepras emendant; et 32, 9, 31. Lepras sanare; et 20, 17, 70. tollere. ℙ In singulari num. usurpat *Juvenc.* 1. *f.* et *Scrib. Comp.* 250.

*LEPRĔUM vel Lepreon, i, n. vel Lepreos (us), i, f. oppidum Peloponnesi, in Elide. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* ℙ *Leprion* audit *Plin.* 4, 5. ℙ Fuit et Lepreon urbs Arcadiae. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

*LEPRIA, ae, f. insula maris Aegaei, prope Cariam. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

LEPROSUS, a, um, adj. qui leprarum morbo laborat, *λεπρώδης*. *Sedul.* 4, 191. decem maculosa gerentes Leprosi portenta viri. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 285. Peccante nil est tetrius, Nil tam leprosum aut putridum.

[LEPTA, ae, m. *λεπτὸς*, tenuis, macer. Est cogn. R. *Cic. Fam.* 3, 7. Q. Leptam, praefectum fabrum meum, tibi obviam misi. *F.*]

*LEPTE ACRA vel Lepteacra, promontorium in sinum Arabicum incurrens, dictum et Drepanum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

LEPTĬCUS, a, um. V. LEPTITANUS.

[LEPTĬMAGNENSIS, e, adj. ad Leptim magnam pertinens, urbem provinciae Tripolitanae in Africa, ut Leptis minor in provincia Byzacena ibidem. *Imp. Justin. Cod.* 1, 27, 2. Sancimus itaque, ut dux militum Tripolitanae provinciae in Leptimagnensi civitate sedes interim habeat; dux vero Byzacenae provinciae et in Capsa, et altera Lepte civitatibus interim sedeat. V. v. sq. *F.*]

*LEPTIS, is, f. duarum in Africa urbium nomen fuit: quarum una *magna* cognominata, prope Syrtem majorem, in regione Tripolitana, hodie *Tripoli*. *Mela* 1, 7. *med. Plin.* 5, 4. ℙ Altera *parva*, prope Adrumetum. *Mela* 1, 7. *med. Plin.* 5, 4. *Liv.* 30, 25. et 34, 62. *Auct. B. Afric.* 7. 9. 10. et 62. *Cic. Verr.* 2, 3, 59. V. et *Lepticus* et *Leptimagnensis*. ℙ Fuit et oppidum hoc nomine in Hispania, si modo sanus sit locus *Hirt. B. Alex.* 59. ed. *Oudend.* ubi accusativus *Leptin* occurrit. Al. leg. *Ilurgim*, al. *Laepam* vel *Ilipam:* etenim oppidi, cui nomen fuerit *Leptis*, nusquam alibi mentio facta est in Hispania siti. *B. A.*

LEPTĬTĀNUS, a, um, adj. ad Leptim pertinens, quae urbs est Africae in Byzacena provincia, prope Adrumentum, ut est ap. *Plin.* 5, 4, 4.: item alia cognomine magna prope Syrtes et Neapolim, (nunc *Tripoli* dicta) teste *eodem ib.* Hinc Leptica ostrea, *Id.* 32, 6, 21. et Leptitani, ejus cives, *Tac. H.* 4, 50., *Caes. B. C.* 2, 38. et *Sall. B. Jug.* 80. et 81.

*LEPTOMĔRES. V. v. seq. *B. A.*

*LEPTOMERĬCUS, a, um, adj. *λεπτομερικὸς*, qui minutas habet particulas et vim adeo subtilem. *Theod. Prisc. de diaeta* 10. Acori radix virtutem habet leptomericam. ℙ *Leptomeres* neut. gen. V. *ib. l. c. B. A.*

LEPTON Centaurium, n. *κενταύριον λεπτὸν*, centaurium minus, herba, quam Latini *fel terrae* vocant, propter summam amaritudinem, Galli vocant *exacum*, eo quod potum omnia medicamenta mala per alvum exigat. Dicta est a minutis foliis: nam *λεπτὸς* tenuem significat. *Plin.* 25, 6, 31.

LEPTOPHYLLON, i, n. *λεπτόφυλλον*, tithymali species, in petris nascens: ita dicta a tenuitate foliorum. *Plin.* 26, 8, 45.

LEPTORAX, agis, f. *λέπτοραξ*, uva quaedam, quae dulces quidem habet acinos, sed tenues tamen, et minutos, cujusmodi sunt, quas uvas Corinthiacas appellamus: a *λεπτὸς*, tenuis, et *ῥᾶξ, ῥαγὸς*, acinus. *Plin.* 14, 1, 3.

LEPTOPSEPHOS, h. e. minutus lapis, seu calculus: a *λεπτὸς*, tenuis, et *ψῆφος*, calculus: species est marmoris porphyritae rubei, albis punctis distincti ap. *Plin.* 36, 7, 11., ut quidem legit *Hard.*, nam alii rectius *leucostictos*, q. v. v. s. l.

*LEPTYNTĬCUS, a, um, adj. *λεπτυντικὸς*, attenuatorius. *Theod. Prisc. de diaeta* 10. Caeparum virtus leptyntica. *B. A.*

LĔPUS, ŏris, m. *λαγὼς*, animal notum, timidissimum, velocissimum, fecundissimum: a *λέπορις*, Aeolica, et Sicula voce idem significante, ut *Varr. L. L.* 4, 20. et *R. R.* 3, 12. *f.* docet. Est enim a *λέπω decortico, exdorsuo;* leporem enim plures pelles habere, quae una post aliam detrahi possint notissima vel culinariis res est. *L. Aelius* ap. *Gell.* 1, 18. dictum putavit quasi *levipes:* sed *Varr. ib.* improbat. *Pl. Pers.* 3, 3, 30. argentarii, Ubi quid credideris, citius extemplo a foro Fugiunt, quam ex porta, ludis cum emissus est lepus. *Cato* ap. *Diomed.* 1, 358. Lepus multum somni affert, qui illum edit. *Virg. G.* 1, 308. Auritosque sequi lepores. *Plin.* 8, 55, 81. Lepores in Alpibus candidi, quibus hibernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse. *Varr. R. R.* 3, 12. Lepores in Gallia ad Alpes toti candidi sunt. *Id. ib.* tria leporum genera enumerat: Italicum seu communium; Alpinum candidorum, Hispanicum cuniculorum. ℙ Usurpatur masculino genere, licet de femina sermo sit. *Varr. ib.* Qui lepus dicitur, cum praegnans sit, tamen concipere. *Plin. l. c.* Lepus solus, praeter dasypoden, superfetat. ℙ Et in feminino. *Prisc.* enim 5, 658. recenset inter ea, quae utroque genere efferuntur; et *Bentl.* ex duob. MSS. ita legit illud *Hor. Sat.* 1, 4, 44. Fecundae leporis sapiens sectaberis armos. Ubi plerique omnes *fecundi*. ℙ *Aliis leporem excitare*, proverb. ap. *Petr. Sat.* 131., h. e. bonum aliquod reperire, quo alii, non is, qui reperit, fruantur. Huc facit illud *Ov. A. Am.* 3, 661. Credula si fueris, aliae tua gaudia carpent: Et lepus hic aliis exagitatus erit. ℙ *Lepus tute es, et pulpamentum quaeris*, aliud ap. *Ter. Eun.* 3, 1, 36. (et est dictum *Livii Andronici*, teste *Vopisc. Numerian.* 13.) *h. e.* cum te multi insectentur, ipse vis insectari alios? nempe, cum cinaedus ipse sis, scortum quaeris? [*V. quos laudat *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ Adhibetur etiam in blanditiis amantium. *Pl. Cas.* 1, 1, 50. Meus pullus passer, mea columba, mi lepus! Hic *Plaut.* salacissima et venustissima animalia commemorat. ℙ Veteres existimabant, pulcros fieri homines, qui lepore per septem continuos dies vescerentur, fortasse quia lepus lepōrem conciliare falso putaretur. Huc pertinent loca *Plin.* 28, 19, 79., *Mart.* 5, 29. et *Lampr. Alex. Sev.* 38. ℙ Est etiam hoc nomine marinus piscis e lacertorum genere, inter venena numeratus, praesertim in Indico mari, ubi etiam tactu pestilens est, et vomitum dissolutionemque stomachi protinus creat: in nostro offa informis, colore tantum lepori similis: in Indis et magnitudine, et pilo, duriore tantum. Haec *Plin.* 9, 48, 72. V. et 32, 1, 3. [*Aplysia depilans, *L.* nostr. *Giftkuttel.*] ℙ Item coeleste signum, sex habens stellas, secundum *Hyg. Astron.* 3, 22. Situs est infra sinistrum pedem Orionis, videturque fugere ante canem ipsius, ut in CANIS dictum est. Exoritur cum Leone, occidit post exortum Sagittarii. *Hyg. ib.* qui 2, 33. fabulam narrat hujusmodi: in Lero insula (quae una est inter Sporadas in Aegaeo mari, teste *Plin.* 4, 12, 23.) nullos olim fuisse lepores: a quodam adolescente alibi captos invectos fuisse: eorum fecunditate celeriter repleta insula, coepisse fruges ab iis absumi, ita ut fame incolae laborarent: inito consilio, omnes tandem diligenter venando, sustulisse: ob id figuram leporis in coelo positam, ut discerent homines, suarum ipsos fere calamitatum auctores esse. *Manil.* 5, 159. Septima pars Leporem tollit: quo sidere natis Vix alas Natura negat, volucresque meatus: Tantus erit per membra vigor referentia ventos.

LĔPUSCŬLUS, i, m. *λαγώδιον*, parvus lepus: sed et pro quocumque lepore ponitur. *Cic. N. D.* 1, 31. *extr.* In qua insula lepusculos et vulpeculas saepe vidisses. *Colum.* 9, 9. *f.* Hordeum, et cicercula non nimis ab lepusculis appetuntur. ℙ [Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. Cibyratici canes, si minus grande vas venari potuerant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellae, paterae, turibula, *h. e.* cum homines, quibus tanquam canibus venaticis Verres Siciliam expilabat, non potuerint aprum aut cervum venari, certe lepusculos afferebant. *F.*] ℙ Per syncopen est *lepusclus*. In quodam epigram. ap. *Lampr. Alex. Sev.* 38. Tantum tu comedas velim lepusclos.

LĔRĬA, orum, n. plur. ap. *Fest.* sunt ornamenta tunicarum aurea. Cui lucem addit illud *Hesychii: Λῆροι τὰ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένα:* ut praecipue de mulierum ornamentis dicantur. V. NUGAE.

*LERĪNA, ae, f. insula maris Mediterranei, prope Gallicum littus, contra Antipolim (*Antibes*), nunc *St. Honorat* vel *St. Honore* appellata. *Plin.* 3, 5. *Anton. Itin.* ℙ *Lirinus* est *Sidon. carm.* 16, 104. *B. A.*

LERNA, ae, et *Graeca positione* Lernē, es, f. *Λέρνη*, palus Argiae in Peloponneso, apud Argos urbem, ubi Lernaeus, al. Amymonius fons et fluvius, qui ex palude egreditur. Poetae fabulati sunt, ibi hydram fuisse, serpentem septem capitibus, quorum uno rescisso, alia septem nascebantur; et hoc monstrum ab Hercule clava et igne interfectum esse. Veteres mythologi non conveniunt in numero capitum ejus. V. HYDRA. Palus haec cum noxia esset incolis, quod aquam multis ex partibus effunderet, quae, si uno loco clausa fuisset, ex pluribus aliis erumpebat, ab Hercule exsiccata est, aliorsum versis fluviis, qui in eam influebant. Hinc Graec. adagium, *Laerna malorum. Λέρνη κακῶν*, de malis multis in unum congestis. V. HYDRA. *Cic.* vertens carm. *Sophocl. in Trachin. Tusc.* 2, 9. Haec dextra Lernam tetram, mactata excetra, Placavit. *Virg. A.* 6, 287. bellua Lernae. *Stat. Silv.* 2, 181. anguifera Lerna. *Id. Th.* 9, 340. fecunda veneno. *Prop.* 2, 20, 48. et Lerne pulsa tridente palus. Al. leg. *Lernae.* Sed *Lerne* habetur etiam ap. *Plin.* 4, 5, 9. et *Mel.* 2, 3. *med.*, ubi docet ita appellari oppidum in Argolica regione.

LERNAEUS, a, um, adj. *Λερναῖος*, ad Lernam pertinens. *Virg. A.* 8, 300. Lernaeus anguis. *Stat. Th.* 1, 385. Lernaei stagna atra vadi. *Lucr.* 5, 26. Lernaea pestis. *Prop.* 2, 19, 9. hydra. *Ov. Met.* 9, 130. mixtus Lernaei tabe veneni. *Lucan.* 6, 392. Lernaeae sagittae, *h. e.* quibus Lernaeam hydram peremit Hercules. ℙ Cur *Lernaeus* dicatur a *Colum.* Cancer, signum coeleste, V. CANCER. ℙ Sumitur et pro Graeco, ut Argolicus. *Stat. Th.* 4, 638. Lernaeosque trahit fatalis alumnos Gradivus stimulis; et *ib.* 5, 499. Lernaei reges; et *ib.* 3, 461. coloni.

LERNĬFER, a, um, adj. Lernaeus. Tribuunt quidam *Ov. Her.* 9, 141., sed plerique alii multo rectius aliter.

*LERO, onis, insula Mediterranei maris, Galliae vicina, exadversus Antipolim (*Antibes*). Hodie vocatur *Isle de St. Marguerite. Plin.* 3, 5. ℙ *Lerus* audit *Ennod.* in *vita Epiphan.* (ap. *Cellarium*), ubi accusativum *Lerum* habes. *B. A.*

*LEROS vel Lerus, i, f. insula maris Aegaei littoralis, prope Cariam, Sporadum una. *Plin.* 4, 12. et 5, 31. *B. A.*

LESBĬACUS, a, um, adj. ad Lesbum spectans. *Lesbiaci libri*, dicti sunt tres libri Dicaearchi contra animae immortalitatem, quia de Mitylene urbe Lesbi sermo habetur. *Cic. Tusc.* 1, 31. ℙ *Lesbiacum metrum* est Sapphicum, quia Sappho ex Lesbo insula fuit. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 1.

[LESBĬĀNUS, a, um, adj. ad Lesbium pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 589, 10. T. Flavius Aug. Lib. Chrysogonus Lesbianus. *F.*]

LESBĬAS, ădis, f. *Λεσβιάς*, et

LESBĬS, ĭdis, f. *Λεσβίς*, adj. ad Lesbum pertinens. *Ov. Fast.* 2, 82. de Delphino: Lesbida cum domino seu tulit ille lyram, *h. e.* cum Arione, qui e Lesbo fuit. *Id. Her.* 15, 199. Lesbides, Aeolia nomina dicta lyra; et *ib.* 16. Nec me Lesbiadum cetera turba juvat. *Id. Amor.* 2, 18, 26. Aeoliae Lesbis amica lyrae, *h. e.* Sappho. *Id. Her.* 15, 100. Et modo dixisses, Lesbi puella vale. ℙ *Lesbias*, gemma ap. *Plin.* 37, 10, 62. a loco, ubi invenitur, nomen habet.

LESBĬUS, a, um, adj. *Λέσβιος*, ad Lesbum pertinens. *Hor. Od.* 1, 26, 11. Lesbium plectrum, *h. e.* Alcaicum. Alcaeus enim Lesbius fuit; et *ib.* 32, 5. Lesbius civis, *h. e.* ipse Alcaeus; et *ib.* 4, 6, 35. pes, *h. e.* lyricum carmen. *Ov. Trist.* 3, 7, 20. Lesbia vates, *h. e.* Sappho. ℙ *Lesbium vinum* laudant *Plin.* 14, 7, 9. et *Gell.* 13, 5., et *innocens* appellat *Hor. Od.* 1, 17, 21. ℙ *Lesbium marmor* memoratur a *Plin.* 36, 6, 5. inter maculosa. ℙ *Lesbium* denique genus est vasis caelati, a Lesbiis inventum. *Festus.*

LESBOS, i, f. *Λέσβος*, insula Asiae minoris, in mari Aegaeo, versus oram Troadis et Mysiae majoris. Dicta est ab urb. Metr. nomine, quae alias Mitylene appellatur, sive a Lesbo Iapeti filio, qui in eam insulam navigavit. Soli fertilitate, et vini generositate inter alias praestat, nec non puellarum formositate. Unde est nomen puellae a *Propertio* et *Catullo* celebratae. Olim universae Troadis imperium obtinuisse dicitur. Ex hac insula Pittacus unus ex septem sapientibus, Alcaeus, Sappho, Theophrastus philosophus, et alii viri scientia clarissimi orti fuere. *Plin.* 5, 31, 39. ℙ In illo *Ov. Met.* 11, 55. Et Methymnaeae potiuntur

litore Lesbi, al. leg. *Methymnaei*, ut sit mascul. gen., quomodo dixit *Virg. G.* 1, 207. ostriferi fauces tentantur Abydi. Ceterum *Lesbos* feminine sine controversia usurpant *Hor. Ep.* 1, 1, 1., *Ov. Fast.* 4, 281. et *Val. Fl.* 3, 7. ℙ *Lesbus* positione Latina legitur ap. *Tac. A.* 2, 54.

LESBOUS, a, um, adj. ex Lesbo. *Hor. Od.* 1, 1, 34. Lesboum refugit tendere barbiton, *h. e.* Lyricum carmen, quale fuit Alcaei, et Sapphus e Lesbo.

[LESCHĒ, es, f. λέσχη, garrulitas, *ciarleria*, et [LESCHIUS, i, m. λεσχής, garrulus, *ciarliere*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 805, 7. Marcia Lesche. Alia ap. *Fabr.* p. 10. *n.* LI. C. Avillius Leschus. *F.*]

LESSUS, i, vel us, m. θρηνῳδία, ἴάλεμος, fletus cum gemitu, ejulatio. *Lessum facere alicui* est ejus mortem lamentis, gemituque, et femineo ululatu (ut *Virg.* loquitur *A.* 4, 667.) prosequi. *Pl. Truc.* 4, 2, 18. Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio. *In leg. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 23. Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris causa habento. Hoc (subdit *Cic.*) veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius, non satis se intelligere, dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius lessum, quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Haec *Cic.* qui in eo, quod ait, *ut vox ipsa significat*, ejus notationem ostendit. Est enim per ὀνοματοποΐαν facta a sono ejulantium, qui est similis τῷ *le, le*, cui Graecorum ἐ, ἐ respondet, ut *Voss.* docet. Sunt tamen, qui aliunde trahunt. In vet. script. ap. *Pl. l. c.* habetur *lausum* et *losum*, teste *Lips. epistolic. quaest.* 4, 12. V. LAUSUS.

LESTRYGŌNES. V. LAESTRYGONES.

*LESURA, ae, mons Galliae, ubi nunc *Languedoc*, hodie *Losere* dictus. *Plin.* 11, 42. ℙ *Lesora* audit *Sidon. carm.* 24, 44. ℙ Item Galliae Belgicae fluvius, in Mosellam illabens. *Auson.* in *Mosell.* (*Idyll.* 10.) 365. *B. A.*

LĒTĂBĬLIS, e, adj. letalis. *Ammian.* 19, 4. Lues volucri velocitate letabilis. ℙ Scribitur et *lethabilis*.

LĒTĀLIS, e, adj. θανάσιμος, letum afferens, mortalis. *Virg. A.* 9, 580. et *Suet. Caes.* 82. Spiramenta animae letali vulnere rumpit; et *A.* 4, 73. haeret lateri letalis arundo. *Ov. Met.* 13, 392. Letalis ensis; et *ib.* 2, 827. hiems. *Stat. Th.* 6, 40. serpens. *Plin.* 11, 35, 41. Letale venenum. *Val. Fl.* 2, 155. Letales dapes. *Plin.* 11, 41, 96. Lac gustasse, letale est. ℙ *Letale* pro *letaliter*. *Stat. Silv.* 4, 4, 84. necdum letale minari Cessat apex. *Id. Th.* 12, 760. Jam letale furens. ℙ Scribitur et *lethalis*. V. LETUM.

LĒTĀLĬTER, adv. mortifere, καιρίως. *Plin.* 11, 37, 81. Letaliter circum renes concreto pingui. ℙ Scribunt et *lethaliter*.

*LETANDROS, i, insula maris Aegaei, Sporadum una. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LĒTĀTUS, a, um, part. a *leto:* interfectus. *Ov. Met.* 3, 55. Ut nemus intravit, letataque corpora vidit.

*LETE, es, f. Λήτη, oppidum Macedoniae, in Mygdonia, ad sinum Thermaicum, non procul a Chalastra. *Plin.* 4, 10. ℙ *Litae*, *arum*, audit *Plin.* 31, 10. ed. *Hard.* ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *in Clytis*. *B. A.*

LETHAEUS, a, um, adj. Λήθαιος, ad Lethen pertinens. *Virg. A.* 6, 705. Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem. *Catull.* 64, 5. Lethaeus gurges. *Prop.* 4, 7, 91. Lethaea stagna. *Tibull.* 3, 3, 10. et *ib.* 5, 24. ratis, *h. e.* quae per Lethen commeat. *Colum.* 10, 271. Lethaeus tyrannus, *h. e.* Pluto, in cujus ditione Lethes est. *Lucan.* 6, 685. Lethaei Dii, *h. e.* Inferi. *Stat. Silv.* 3, 2, 112. Lethaeus janitor, *h. e.* canis Cerberus, qui ad januam Ditis excubat, et, ut ait *Virg. A.* 6, 401., aeternum latrans exsangues terret umbras. Sed *Statius* hoc loco de Aegypto loquitur, et Anubin significat, qui canino capite pingitur, et Aegyptiorum Deorum custos habetur, ut canis hominum, et Cerberus Inferorum. *Virg. A.* 8, 698. Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis. ℙ Saepe ad somnum pertinet, et oblivionem. *Virg. G.* 1, 78. Lethaeo perfusa papavera somno. *Id. A.* 5, 854. ramum Lethaeo rore madentem. Sic *Val. Fl.* 8, 84. Cunctaque Lethaei quassare silentia rami. *Ov. Met.* 7, 152. Lethaei gramina succi. *Id. A. Am.* 3, 648. Sunt quoque, quae faciant altos medicamina somnos, Victaque Lethaea lumina nocte premant, *h. e.* gravi sopore. *Sen. Oedip.* 230. Lethaea vates, *h. e.* plena Deo, et oblita sui. Sed omnino legend. *Letoa* pro *Latoia*, *h. e.* Phoebea. *Ov. R. Am.* 551. Lethaeus amor, *h. e.* amoris oblivia ingerens. ℙ *Hor. Od.* 4, 7. *extr.* Lethaea vincula alicui abrumpere, *h. e.* ab inferis ad superos et ad vitam reducere. ℙ **Lethaeus*, fluvius Cretae. *Vibid. Sequest. B. A.*

LETHĀLIS, etc. V. LETALIS.

LETHARGIA, ae, f. idem ac lethargus, ληθαργία. *Plin.* 24, 9, 38. Semen instillatur in oleo decoctum capiti in lethargia, et phrenesi.

LETHARGĬCUS, a, um, adj. ληθαργικός, ad lethargum spectans. *Plin.* 23, 1, 6. Gravedinem enim, morbumque lethargicum patitur. *August. ep.* 48. *ad Vincent.* Lethargicus somnus. ℙ *Lethargici* sunt, qui lethargo laborant. *Plin.* 24, 6, 16. Spondylion infunditur capitibus phreneticorum, et lethargicorum. *Id.* 26, 11, 72. Lethargicos excitare labor est. *Hor. Sat.* 2, 3, 30. Ut lethargicus hic cum fit pugil, et medicum urget.

LETHARGUS, i, m. ληθαργος, veternus, marcor, et inexpugnabilis paene dormiendi necessitas (ut *Cels.* 3, 20. loquitur) cum mentis alienatione, et oblivione rerum: a λήθη, oblivio, et ἀργός, piger, iners. *Hor. Sat.* 2, 3, 145. Quondam lethargo grandi est oppressus. *Sever. Sulpic.* ap. *Quint.* 4, 2. *med.* Somnone te languidum, an gravi lethargo putem pressum? *Plin.* 30, 11, 29. Lethargus olfactoriis excitatur. *Id.* 32, 10, 38. In lethargum vergere. ℙ Etiam plurali num. *Id.* 20, 12, 48. Ocimum insaniam facit, et lethargos, et jocinoris vitia. *Id.* 28, 8, 29. Lethargos resolvere.

LETHĒ, es, f. Λήθη, fluvius Inferorum, quem fabulantur filium esse Phlegethontis. Ex eo bibere dicuntur, qui ad Manes transeunt, et omnium inde rerum praeteritarum oblivionem haurire. Unde est ei nomen: λήθη enim oblivio est. Locus fabulae hinc datus, quod morientes vulgo putantur omnium rerum mortalis vitae oblivisci: et posset etiam in causa esse illud, quod mortuorum facile obliviscuntur, qui supersunt. *Ov. Pont.* 2, 4, 23. Non ego, securae biberes si pocula Lethes, Excidere haec credam pectore posse tuo; et *ib.* 4, 1, 17. Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen: Oblitus potero non tamen esse tui. *Id. Trist.* 4, 1, 47. soporiferae biberem si pocula Lethes. *Lucan.* 5, 221. Immittere Lethen Stygiam alicui in viscera, *h. e.* oblivionem. *Sen. Herc. Oet.* 936. Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas. *Id. Herc. Fur.* 680. Placido quieta labitur Lethe vado, Domitque curas.

*LETHON, onis, m. Λάθων *Ptolemaeo*, flumen Cyrenaicae. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

*LETHUSA, ae, f. papaper soporiferum. *Appul. de herb.* 53. *B. A.*

*LETIFĪCUS, a, um, adj. mortiferus. *Stat. Th.* 8, 2. Domus letificae. Al. leg. *letiferae*. *B. A.*

LĒTĬFER, a, um, adj. θανατικός, letum afferens, mortiferus. *Colum.* 7, 12. *extr.* Rabies, letifer morbus canibus. *Virg. A.* 10, 169. arcus; et *ib.* 3, 139. annus. *Ov. Met.* 8, 362. ictus; et *ib.* 12, 606. letifera dextra. *Stat. Th.* 5, 628. letifer anguis. *Catull.* 64, 390. in letifero belli certamine. *Ov. Met.* 5, 133. locus: loquitur de membro corporis, in quo vulnus letale est. ℙ Scribitur et *lethifer*. V. LETUM.

LĒTO, as, avi, atum, a. 1. θανατόω, leto do, interficio. *Ov. Ib.* 505. Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 8. Deinde cum esset cito letatus (*tribunatus plebis*) tanquam ex XII. tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus, multoque taetrior et foedior natus est. [**Orell.* mavult *leto datus*. E XII. tabulis non tam verbum istud, quam definitionem *insignis ad deformitatem puer* videri petitam. (Cfr. *Dirksen* XII. *Tab.* p. 264. sqq.)] Etiam *Virgilio* tribuunt *Cul.* 324. Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat. Ita *Scalig.* Alii *laedat*.

LĒTŌIS, et LĒTOIUS. } V. in LATOIS.

LĒTUM, i, n. θάνατος, mors: a λήθη, oblivio, ut *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* et *Fest.* docent: vel a supino verbi *leo, es*, inusitati (unde *deleo*), ut *Prisc.* 5, 665. et 10, 898., quia mors aufert ac delet omnia. [**Letum*, ut Gr. ἄρης ex ἄρω, originem ducit a *levare*, ex part. *levatum* eodem modo quo *laetus* contractum ex *laevatus*. Hinc *letum*, per auream aetatem sublimioris orationis et poetarum fere vocabulum, proprie dici id, quod homines e terra auferat; *nex* ap. aureae aetatis scriptores non nisi de morte per caedem facta dici solitum, significare supremam necessitatem, ultimam fati vim, omnes mortales aequo jure manentem; *mors*, ad cujuscumque generis exitum pertinens, involvere notionem putredinis. *Doederl.* 3, 173. sqq.] *Cic. Div.* 1, 26. Eodem sibi leto, quo ipse interiisset, esse pereundum. *Id. Att.* 10, 10. *f.* Vide, quam turpi leto pereamus. *Nep. Reg.* 3. Pari leto affectus est Lysimachus a Seleuco. *Pl. Aul.* 4, 5, 1. Emortuum ego me mavelim leto malo, quam, etc. *Id. Mil.* 4, 6, 26. et *Lucr.* 3, 81. Letum sibi consciscere. *Virg. A.* 6, 434. sibi manu parere; et *ib.* 11, 872. ferre alicui. *Plin.* 24, 17, 100. Insanabili leto perire. *Hor. Od.* 3, 22, 3. adimere aliquem. *Val. Fl.* 7, 314. demittere. et 1, 633. segni occumbere. *Ov. Her.* 2, 147., *Phaedr.* 3, 16., *Virg. A.* 5, 806. et *Cic. Leg.* 2, 9. *extr.* dare. *Virg. A.* 2, 134. se eripere; et *ib.* 8, 566. quempiam sternere. *Lucr.* 3, 1055. offerre caput. *Stat. Th.* 9, 280. Mille modis leti miseros mors una fatigat. [*Front. de fer. Alsiens.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Securitatis et voluptatis herbae de coeli nemore advectae; de Acheruntis autem pratis leti herba petita. *F.*] ℙ *Mortem*, et *letum* jungit *Lucr.* 4, 767. eum mortis, letique potitum Jampridem, quem mens vivum se cernere credit. ℙ In funeribus indictivis formula erat, *ollus leto datus est*, teste *Varr. l. c.* Libentius enim eam vocem adhibebant, quam *mortem*, ne cogerentur δυσφημεῖν, et verbum mali ominis pronunciare: qua de re in ABEO et ABITIO et alibi quoque dictum est. *Cic. Leg.* 2, 9. *extr.* Deorum Manium jura sancta sunto. Hos leto datos, divos habento. ℙ Ponitur et pro excidio, ac ruina rerum inanimatarum. *Virg. A.* 5, 689. da flammam evadere classi Nunc, pater, et tenues Teucrum res eripe leto. *Serv.* hic superfluam acyrologiam agnoscit. ℙ Sunt qui scribunt *lethum* addita aspiratione, quae est in Graeco λήθη, unde *Varr.* et *Fest.* derivant: sed praeterquam quod iidem illi *Varr.* et *Fest.* aspiratione abstinent; et saepe fit ut vox Latina Graecae quidem originis sit, sed Latina consuetudine scribatur, ut *fama*, a φήμη; non est absurda notatio *Prisciani*, et, quod multo est gravius, in antiquis libris, et lapideis monumentis nulla est aspiratio, testibus *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.*, ut nec in *Cod.* palimps. *Frontonis l. c.* §. 1., ubi pluries *letum* sine aspiratione scribitur. Hoc idem et *Dausquius* praefert.

*LETUS, i, m. mons Liguriae. *Liv.* 41, 18. Leti jugum. *Id. ib.* Se Letum capturum. *Val. Max.* 1, 5. Leto cognomen: ubi unus Cod. MS. cum vet. ed. *Venet.* habet *Letum* (nominativ.), ut sit et *Letum, i*, neutrius generis. Sed probabilior forma est *Letus*, cum nomen montis sit. *B. A.*

*LEVA, ae, dea quaedam, a Batavis venerata. Hinc *Levae Fanum* in *Tab. Peutinger.* templi sive loci nomen in Gallia Belgica, idque in Batavorum insula. *B. A.*

LĔVĀBĬLIS, e, adj. qui levari potest. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 7. Levabilis es passibilis motus.

*LEVĀCI, orum, populi Galliae Belgicae, Nerviorum clientes. *Caes. B. G.* 5, 39. *B. A.*

LĔVĀMEN, inis, n. levamentum. *Cic. Att.* 12, 16. Quod si esset aliquod levamen, id esset in te uno, et cum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. Adde *Catull.*, *Virg.*, *Ov.*, *Tac.* et alios.

LĔVĀMENTĀRIUS, ii, m. qui parvo navigio navi onerariae majori adjungitur, ejus levandae causa, si portum, aut flumen intrare cum toto onere non possit, ut *Callistrat. Dig.* 14, 2, 4. §. 1. loquitur, [quique etiam lenuncularius auxiliarius dicitur in *Inscript.* ap. *Grut.* 398, 7., quia levamentum sive auxilium praestat: hujusmodi navigium Veneti nunc vulgo dicunt *barca da libo*, Itali vero *alleggio*. *F.*] *Imp. Constantius Cod. Theod.* 13, 5, 1. Si navicularius originalis levamentarius fuerit, etc.

LĔVĀMENTUM, i, n. κουφισμός, consolatio, id, quod levat et minuit, aut tolerabilius malum aliquod facit. *Cic. Fin.* 5, 19. Nos autem non solum beatae vitae istam oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum. *Plin. ep.* 8, 19. Ad unicum doloris levamentum, studia confugio. *Tac. A.* 4, 66. Accusatorum major in dies, et infestior vis sine levamento grassabatur. *Id. H.* 1, 8. Levamentum tributi in posterum. *Plin.* 30, 3, 7. Praestare levamentum. *Cic. Att.* 12, 43. Haec res est mihi levamento.

LĔVĀNA, ae, f. Dea, quae recens natos de terra levabat. *August. Civ. D.* 4, 11.

LĔVĀTĬO, onis, f. ἄρσις, actus levandi, elatio. *Vitr.* 10, 8. Onerum levationes facere. ℙ Item levamentum. *Cic. Fam.* 6, 4. *f.* Non dubito, quin magnae tibi levationi solitus sit esse quotidianus congressus familiarissimi hominis. *Id. Tusc.* 1, 49. *extr.* Ea potissimum agamus, quae levationem habeant aegritudinum, formidinum, cupiditatum; et 5, 41. *extr.* Nostris acerbissimis doloribus, variisque molestiis alia nulla potuit inveniri levatio. *Id. Att.* 12, 23. *med.* Levatio quaedam est, si minus doloris, et officii debiti. *Id. Fin.* 4, 24. Progressionem ad virtutem fieri ajunt, levationem vitiorum fieri negant. *Vell.* 2, 130. *extr.* Cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

LĔVĀTOR, oris, m. fur, qui aliquid aufert. *Petr. Sat.* 140. *f.* Unde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locellos, aut sonantes aere saccellos pro hamis in turbam mitterent? Al. aliter leg.

LĔVĀTUS, a, um, part. a *levo:* in altum sublatus, elatus, κουφισθείς, ἀνορθείς. *Liv.* 21, 58. *med.* Aqua levata vento. *Hor. Epod.* 16, 25. simul imis saxa renarint Vadis levata. *Ov. Met.* 2, 159. pennisque levati Praetereunt Euros; et *ib.* 8, 693. baculisque levati, Nituntur longo vestigia ponere clivo; et *ib.* 14, 302. tellure levati erigimur. *Petr. Sat.* 29. Lavatum mento in tribunal excelsum Mercurius rapiebat. *Plin.* 32, 2, 5. Levatus arundine extra aquam. *Quint.* 2, 12. *med.* Nam et clamant ubique, et omnia, levata, ut ipsi vocant, manu, emugiunt. ℙ Item ablatus, sublatus. *Ov. Trist.* 2, 186. Pars erit e poena magna levata

mea. *Hirt. B. Afr.* 34. Annonae levata sollicitudo. ℙ Item recreatus. *Ov. Met.* 5, 500. Levatus curis. *Cic. Att.* 5, 2. *med.* Multae civitates aere alieno liberatae, multae valde levatae. *Virg. A.* 4, 538. auxilio levatus. *Plin.* 17, 26, 39. Arbores putatione levatae onere. *Id.* 14, 22, 28. Levatus vomitione.

LĔVĀTUS et Laevatus, a, um, part. a *levo: ὁμαλιζόμενος*, levigatus, politus. *Varr. R. R.* 3, 6. Cubilia tectorio levata, quo neque serpens, neque bestia accedere ulla possit. *Sen. Consol. ad Helv.* 11. *med.* Magni, levatique mensarum orbes. *Virg. A.* 5, 306. Gnossia bina dabo levato lucida ferro Spicula. *Quint.* 2, 5. *med.* Vulsi levatique, et inustas comas acu comentes, et non suo colore nitidi. *Gell.* 17, 8. *f.* Faciliora ad coeundum videntur, quae levatiora, levioraque sunt. ℙ De scribendi ratione V. in LEVIS.

LEUCĂ et Leuga, ae, f. mensura itineraria apud Gallos, ut parasanga apud Persas, milliarium apud Latinos: a Celtico *leak*, lapis; nam hujusmodi spatia lapide distinguebantur. *Hesych. Λευγη, μέτρον τι Γαλατικόν. Ammian.* 15, 11. *f.* Qui locus *(Lugdunum)* exordium est Galliarum: exindeque non millenis passibus, sed leugis itinera metiuntur. *Id.* 16, 12. A loco, unde Romanorum promota sunt signa, ad usque vallum barbaricum, quarta leuga signabatur et decima, id est, unum et viginti millia passuum. *Hieron.* in *Joel.* 3, 18. Nec mirum, si unaquaeque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus, cum et Latini mille passus vocent, et Galli leucas, et Persae parasangas, et rastas universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. *Isid. Orig.* 15, 16. Leuca finitur passibus mille quingentis. *Inscr.* ap. *Mur.* 456, 4. quae ad tempora Septimii Severi pertinet, et alia ap. *eund.* 457, 2., quae ad Caracallae, et alia ap. *Grut.* 1078, 7., quae ad Elagabali tempora, habent *leugas;* earum vero prima et secunda in Gallia, tertia in Germania sunt repertae. ℙ Nunc ea mensura itinerum, quae in Gallia, Hispania, et Germania usurpatur, *lega* quidam dicitur, sed in singulis provinciis mirum quantum inter se differt, et major est vetere illa Gallorum propria. ℙ *Item littoris (forte promontorii, cf. *Leucate* in Auctario) nomen, in Caria. *Mela* 1, 16. *extr.* Trans Halicarnasson illa sunt, litus Leuca, urbes Myndus cet. ℙ Et Calabriae oppidum (*Straboni τὰ Λευκά*), in promontorio Salentino seu Iapygio. *Lucan.* 5, 376. Secretaque litora Leucae. ℙ *Leucae, arum*, insulae quinque maris Aegaei, ad littus Asiaticum, non longe a Lesbo insula. *Plin.* 5, 31. ubi ad rectum singularem *Leuce, es*, provocare possis; quod eodem fere redit. V. *Leuce* in Auctario. ℙ Denique *Leucae, arum*, oppidum fuit Laconiae, ad sinum Laconicum. *Liv.* 35, 27. *in. B. A.*

LEUCĂCANTHĂ, ae, f. *λευκάκανθα*, herba, al. rhamnus, in cacumine aculeum habens, radice cyperi, quae commanducata dentium dolores sedat. *Plin.* 22, 16, 18., qui 21, 16, 56. leucacanthon appellat. Dicta est autem a *λευκὸς*, albus, et *ἄκανθα*, spina. ℙ Est hoc nomine et alia, quae phalangites dicitur. *Id.* 27, 12, 98.

LEUCACHĂTES, ae, m. *λευκαχάτης*, gemma candida ex genere achatarum, ap. *Plin.* 37, 20, 54.: a *λευκὸς*, albus.

LEUCĂDIĂ, ae, et Leucas, ădis, f. *S. Maura, Λευκάδια*, paeninsula in mari Ionio, Acarnaniae adjuncta, in qua Leucas oppidum, totius quondam Acarnaniae caput: opere accolarum abscissa quondam a continenti. *Plin.* 4, 1, 2., *Liv.* 33, 17. et *Mela* 2, 7. Hinc *Ov. Met.* 15, 289. Leucada continuam veteres habuere coloni: Nunc freta circueunt. ℙ Postea reddita continenti est, ventorum flatu congeriem arenae accumulante, ut *Plin.* tradit *l. c.*

LEUCĂDĬUS, a, um, adj. *Λευκάδιος*, ad Leucadiam, seu Leucadem pertinens. *Ov. Her.* 15, 166. Leucadium aequor. *Plin.* 4, 1, 2. litus. *Id.* 14, 7, 9. vinum. *Ov. Fast.* 5, 630. quotannis Tristia Leucadio sacra peracta modo, *h. e.* more Leucadiorum, qui quotannis in sacris Apollinis sontium aliquem e specula montis in mare praecipitabant, circumdatum omnis generis alis, et avibus, quo levior casus esset, et volatui similis, dispositisque in orbem naviculis in subjecto mari ad eum excipiendum, quantum poterant, servabant, et extra fines eductum demittebant, ut est apud *Strab. l.* 10. *med.*, quem morem *Id. Ov.* tangit *Trist.* 5, 2, 76. et *Her.* 15, 165. et sqq. Narrat *Serv.* ad *A.* 3, 279. Leucaten puerum ab Apolline adamatum, ex eo monte se in mare abjecisse: inde ortum morem homines inde praecipitandi; et ad *Ecl.* 8, 59. tradit, solitos fuisse inde praecipites in pelagus dare se, qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari desiderabant. Unde Sappho idem Phaoni minitatur, si minus illi in amore responderit, ut est apud *Ov. cit. ep.* 15. et revera id fecit, teste *Menandro* ap. *Strab. l. c.* ℙ *Leucadius Deus* est Apollo Leucade cultus. *Ov. Trist.* 5, 2, 76. et *ib.* 3, 1, 42. et *Prop.* 3, 9, 69. V. LEUCATE. ℙ De *Leucadia* a Varrone Atacino adamata, cujus meminit *Prop.* 2, 25, 86. V. in ATACINUS. ℙ *Leucadia* comoedia fuit *Turpilii* antiqui poetae, quam memorat *Cic. Tusc.* 4, 34., et saepe citat *Nonius.* Fortasse in ea inducebatur puella prae amore in mare se Leucade projiciens. ℙ *Leucadii, orum*, sunt Leucadiae populi. *Liv.* 33, 17. *f.* ℙ *Leucadius* est etiam incola Leucadis, urbis Coelesyriae ad Chrysorrhoam fluvium, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 337. *ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. Plin.* 5, 23, 19. Coelesyria habet ad orientem Laodicenos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larissaeos.

LEUCAETHĬŌPES, um, m. plur. *λευκαιθίοπες*, pop. inferioris Libyae, qui supra Getulos meridiem versus primi occurrunt, Libyaegyptiis proximi: ita dicti a *λευκὸς*, albus, quia sunt ceteris Aethiopibus candidiores. *Plin.* 5, 8, 8. ℙ Ap. *Mel.* 1, 4. legitur *Leucoaethiopes.*

LEUCANTHĔMIS, ĭdis, f. *λευκανθεμὶς*, herba quae et anthemis dicitur. *Plin.* 22, 21, 26.

LEUCANTHĔMOS, i, m. *λευκάνθεμος*, eadem herba, quae leucanthemis. *Plin.* 22, 21, 26. ℙ Item eadem, quae phalangites. *Id.* 27, 12, 98. ℙ Item alia, abrotoni similis odore. *Id.* 21, 10, 34.

LEUCANTHES, i, n. *λευκανθὲς*, herba, quae et parthenium vocatur: a *λευκὸς*, albus, et *ἄνθος*, flos, quia florem album edit. *Plin.* 21, 30, 104.

[LEUCANTHUS, i, m. *λεύκανθος*, herba quaedam ap. *Appul. H.* 92. *F.*]

LEUCARGILLOS, i, f. *λευκάργιλλος*, genus cretae albae in agro Megarico: a *λευκὸς*, albus, et *ἄργιλλος*, argilla. *Plin.* 17, 7, 4.

LEUCAS, ădis, f. *S. Maura, Λευκὰς*, eadem quae Leucadia. *Ov. Met.* 15, 289. ℙ Item saepius oppidum ipsum Leucadiae. *Liv.* 33, 17. et *Plin.* 4, 1, 2. ℙ Item Leucates promontorium. *Ov. Her.* 15, 171. pete protinus altam Leucada, nec saxo desiluisse time. Adde *Sen. Herc. Oet.* 732.

LEUCĂSIA. V. LEUCOSIA.

LEUCASPIS, ĭdis, f. adj. *λευκασπὶς*, albis scutis armata: a *λευκὸς*, albus, et *ἀσπὶς*, scutum. *Liv.* 44, 41. Secundam legionem L. Albinus ducere adversus leucaspidem phalangem jussus.

LEUCĂTĒ, es, f. et Leucates, ae, m. *Λευκάτας*, promontorium, et mons Epiri, seu Acarnaniae, prope Leucadem, nobile Apollinis templo: a *λευκὸς*, albus, quia albescentes petras in cacumine habet. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 279. nomen accepisse ait a puero Apollinis, de quo V. in LEUCADIUS. *Virg. ib.* 274. Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis, Et formidatus nautis aperitur Apollo: *formidatum* dicit, vel quia scopulosa ea loca sunt: vel quia ibi Apollini humana victima faciebant, ut in LEUCADIUS dictum est. *Id. A.* 8, 676. totumque instructo Marte videres Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus. *Claud. B. G.* 185. nec nubifer Actia texit Litora Leucates. Adde *Plin.* 4, 1, 2. et *Liv.* 26, 26. ℙ *Ap. *Melam* 2, 5. Leucate *litus* appellatur. Cf. *Leuca. B. A.* ℙ Ap. *Serv.* ad *cit. A.* 3. est *Leucate, is.*

LEUCĒ, es, f. *λεύκη*, herba Mercuriali similis, per medium folium candida linea transcurrente: unde ei nomen: *λευκὸς* enim albus est. *Plin.* 27, 11, 77. [*Lamium maculatum *L. die gefleckte Taubnessel.*] ℙ Item populus alba. In fabulis est Oceani filia, a Plutone adamata, et ad Inferos ducta: post mortem in albam populum ab eodem versa, et in Elysiis campis collocata: ex qua postea Hercules se, revertens ab Inferis, coronavit. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 7, 61. ℙ Item nomen aliquot insularum, de quibus adi geographos. ℙ *Una prope Cretam fuit, e regione urbis Cydoniae. *Plin.* 4, 12. ℙ Altera, priori vicina, juxta Itanum promontorium. *Id. ib.* ℙ Tertia in ponto Euxino, ad Borysthenis fluvii ostium, etiam *Achillea* vel *insula Achillis* denominata. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 13. ℙ *Leucae, arum*, insulae quinque maris Aegaei. V. *Leuca* in Auctario. *B. A.* ℙ Item raphani silvestris genus. *Plin.* 19, 5, 25. *n.* 3. ℙ Item species vitiliginis albidae serpentis, quam *Cels.* 5, 28. *n.* 19. describit. *Id. ib.* Leuce quem occupavit, non facile dimittit.

[LEUCĒORON, i, n. *λευκήορον*, herba eadem, ac leontopodion. *Plin.* 26, 8, 34. Adde *Appul. H.* 7. *F.*]

[LEUCETĬUS, ii, m. cogn. Martis a Leucis fortasse deductum, Galliae Belgicae populis, a *Caes. B. G.* 1, 40. memoratis. *Inscr.* ap. *Grut.* 58, 3. Marti Leucetio pro salute Imp. Domini N. Aug. Pii. *F.*]

*LEUCI, orum, *Λεῦκοι*, populi Galliae Belgicae. *Caes. B. G.* 1, 40. *Plin.* 4, 17. *Tac. H.* 1, 64. ℙ *Leucus, i*, num. sing. habet *Lucan.* 1, 424. *B. A.*

*LEUCIMNE, es, *Λευκίμνη*, vel Leucimna, ae, f. Corcyrae insulae promontorium, inter Corcyram urbem et Phalacrum promontorium. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* cum vetustioribus aliis pro *ante Leucimnam* omnino habet *ante Leucadiam Sybota. B. A.*

[LEUCIPPĒ, es, f. *λευκίππη*, candidos equos habens: a *λευκὸς*, candidus, et *ἵππος*, equus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 761, 7. Aurelia Leucippe. ℙ Item Testoris filia. *Hyg. fab.* 190. ℙ Item Ili uxor, mater Laomedontis. *Id. fab.* 250. ℙ Item uxor Testii. *Id. fab.* 14. *F.*]

LEUCIPPIS, ĭdis, f. patron. Leucippi filia. Duae fuerunt Leucippo Messenio genitae, Phoebe, et Hilaira (*Φοίβη* et *Ἱλάειρα*) desponsae Idae, et Lynceo Messeniis, Apharei filiis, quae cum essent sacerdotes, illa Minervae, haec Dianae, et pulcritudine excellerent, a Castore, et Polluce raptae sunt. Quam ob rem orto bello, Lynceus Castorem (teste *Ov. Fast.* 5, 709.), Pollux Lynceum interfecit. *Lact.* 1, 10. scribit, alterum eorum tantum ab Ida interfectum esse. *Hyg.* autem *fab.* 80. a Castore Lynceum interemptum tradit, ab Ida Castorem, et a Polluce Idam. *Prop.* 1, 2, 15. Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe: Pollucem cultu non Hilaira soror. *Ov. Her.* 16, 327. Te rapuit Theseus, geminas Leucippidas illi.

[LEUCIPPUS, i, m. *Λεύκιππος*, Messenius. V. v. praec., et *Ov. Met.* 8, 306. ℙ Item Herculis filius, ex filiarum una regis Tespii. *Hyg. fab.* 162. ℙ Item philosophus, qui omnia ex pleno, et inani, et ex atomis constare dixit. *Cic. Acad.* 4, 3. et *N. D.* 1, 24. *F.*]

[LEUCĪTĀNUS, a, um, adj. ad Leucos pertinens, Galliae Belgicae populos, V. LEUCETIUS; vel ad Leucam, seu Leucen, quo nomine binae insulae appellantur, quarum altera sub ostro Borysthenis, altera in mari Cretico, a *Plin.* 4, 12, 20. et 4, 13, 27. memorata. *Inscr.* ap. *Mur.* 2080, 9. Crescentia Vincentiae Leucitanae B. M. *F.*]

LEUCOCHRYSOS, i, m. *λευκόχρυσος*, gemma in crystalli morem albicans. *Plin.* 37, 10, 62. ℙ Item alia ex chrysolithorum genere, aureo colore candori mixto: a *λευκὸς* albus, et *χρυσὸς*, aurum. *Plin.* 37, 9, 44.

LEUCŌCOMOS, *λευκόκομος*, cogn. mali Punici, cujus frondes albescunt: a *λευκὸς*, albus, et *κόμη*, coma. *Plin.* 13, 19, 34.

LEUCŌCOUM, i, n. *λευκοκῶον*, Coum vinum album: a *λευκὸς*, albus. *Plin.* 14, 8, 10.

LEUCŌGAEA, ae, f. *λευκογαῖα*, gemma eadem quae galactitis, quasi terra alba: a *λευκὸς*, albus, et *γαῖα*, terra. *Plin.* 37, 10, 59.

LEUCŌGAEI Colles, *l'Alumera*, locus Campaniae, inter Neapolim, et Puteolos, ubi sulphur praestantissimum effoditur, et cretae genus optimum, quod alicae admixtum candorem simul affert, et teneritatem: a *λευκὸς*, albus, et *γαῖα*, terra. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. et 35, 15, 50. Ibi etiam Leucogaei fontes, qui firmitatem dentibus, oculis claritatem, et vulneribus sanitatem afferunt. *Plin.* 31, 2, 8.

LEUCOGRAPHĬĂ, ae, f. *λευκογραφία*, gemma eadem quae leucogaea. *Plin.* 37, 10, 59.

LEUCOGRAPHIS, ĭdis, f. *λευκόγραφις*, herba quaedam utilis sanguinem excreantibus. *Plin.* 27, 11, 78. [*Carduus Leucographus, *L.*]

LEUCŌĬON, ii, n. *λευκόϊον*, Graeca vox, quae violam albam significat: ab *ἴον*, viola, et *λευκὸς*, albus. *Plin.* 34, 12, 32. Ex eo candidum colorem sentientem violam, leucoion appellant. *Hard.* ex MSS. legit *lonchoton*, h. e. chalcanthi, seu atramenti genus ex stalagmia factum, *λογχωτόν:* quasi lanceolae, aut cuspidi similem: a *λόγχη*, lancea, cuspis. ℙ Sed et *Colum.* hanc vocem habet non semel, ut 9, 4. In hortensi lira nitent candida lilia, nec his sordidiora leucoia, tum puniceae rosae, etc. et 10, 97. Candida leucoia, et flaventia lumina calthae: *candida* quod dicit, appositum perpetuum esse videtur, ut *humida vina* ap. *Virg. G.* 3, 364., trisyllabum vero facit *leucoja.*

*LEUCOLITHI, orum, m. populi Asiae minoris, in Lycaonia. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*LEUCOLLA, ae, Pamphyliae promontorium. *Plin.* 5, 27. ℙ Et insulae nomen, quae prope Lyciam fuit. *Id.* 5, 31. *B. A.*

LEUCON, i, n. *λευκὸν, h. e.* album, genus ardeolarum, a candore pennarum dictum. *Plin.* 10, 60, 79. ℙ [*Leucon, ōnis*, m. populetum, locus populis albis consitus, Graecis *λευκών*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 689, 9. Q. Acutius Leucon. ℙ Item qui multum candidus est, Italice *biancone*, quo nomine vocatur unus ex canibus Actaeonis ap. *Ov. Met.* 3, 218. Et niveis Leucon, et villis Asbolus atris. ℙ Item rex Ponti, a fratre Oxylocho necatus, quod cum ejus uxore adulterii, et incestus consuetudinem haberet. *Id. Ib.* 312.

LEUCŌNĪCUM, i, n. genus lanae seu tomenti, quo culcitae farciuntur. Tribuitur *Mart.* 11, 21. Culcita leuconico quam viduata suo. Al. leg. *leuconio*, eod. sensu; et *ib.* 56. Leuconicis, agedum, tumeat tibi culcita lanis. Al. leg. *Lingonicis.* Qui vero *Leuconicus* retinent, ducunt a Leuconibus Galliae populis, qui iidem cum Leucis fuisse dicuntur (ubi nunc *Toul*), et Lingonibus proximi. Utcumque legas, veri est simile, cum dicat *Plin.* 8, 48, 73. tomenta Gallicis nominibus discerni. V. LINGONICUS.

LEUCŌNŌTUS, i, m. *λευκόνοτος*, ventus Africae occidentalis, inter Notum, et Favonium spirans: a

λευκὸς, albus, et νότος, Notus: de quo *Hor. Od.* 1, 7, 15. Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus. *Auson. Technopaegn. de Deis*, 12. Velivolique maris constrator leuconotus Libs.

*LEUCOPETRA, ae, f. (i. e. *the white rock*, a λευκὸς, *albus*, et πέτρα, *petra*, *saxum*) promontorium fuit Rheginorum, in mare Siculum incurrens. *Cic. Phil.* 1, 3. et *Attic.* 16, 7. *in.* ℙ *Leucopetra Tarentinorum*, cujus meminit *Cic. Attic.* 16, 6. ignota prorsus est Geographis. Unde hic loci *Rheginorum* pro *Tarentinorum* legere malunt quidam post *Cluverium. B. A.*

LEUCOPHAEĀTUS, a, um, adj. leucophaeo colore indutus. *Mart.* 1, 97. Amator ille tristium lacernarum, Et baeticatus, atque leucophaeatus.

LEUCOPHAEUS, a, um, adj. λευκόφαιος, color cinericius, seu ex albo, et fusco mixtus: a λευκὸς, albus, et φαιὸς, fuscus. *Plin.* 32, 10, 38. Jecur rubetae, vel cor adalligatur in panno leucophaeo, et quartanis prodest. *Vitr.* 8, 3. *med.* Fontes, et flumina sunt, quorum potu pecora, quamvis alba sint, aliis locis procreant vellera leucophaea, aliis locis pulla, aliis coracino colore.

LEUCOPHŌRON, i, n. λευκοφόρον, glutinum, quo aurum ligno inducitur. Fit ex sinopidis Ponticae selibra, salis lucidi libris decem, et melini Graeciensis libris duabus, mixtis, et per dies duodecim una tritis. *Plin.* 35, 6, 17. et 33, 3, 20.

LEUCOPHRYNĀ, ae, f. λευκοφρύνη, candida supercilia habens: a λευκὸς, albus, et ὀφρὺς, supercilium. Est cogn. Dianae ap. Magnesios. *Tac. A.* 3, 62.

LEUCOPHRYS, os, (i. e. candida supercilia habens,) nomen antiquum Tenedi insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

LEUCOPHTHALMOS, i, m. Itali vocant *occhio-di-gatta*, λευκόφθαλμος, gemma, quae candidam nigramque oculi speciem continet, alias rutila. *Plin.* 37, 10, 62.

[LEUCOPIS, idis, f. λευκῶπις, albus aspectu: a λευκὸς, candidus, et ὤψ, facies. Ita appellatur herba eadem ac artemisia ap. *Appul. Herb.* 10. *F.*]

LEUCOPOECĪLOS, i, λευκοποίκιλος, gemma, quae candorem lineis ex auro distinguit: a λευκὸς, albus, et ποικίλος, varius. *Plin.* 37, 10, 62., ubi al. leg. *leucopetalos.*

*LEUCOPŌLIS, is, f. oppidum Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

LEUCOSĬA, ae, f. Λευκοσία et Λευκωσία, insula maris Tyrrheni, in sinu Paestano, contra Lucaniam, quae a *Festo*, et *Dionys. Halic. l.* 1. a cognomine consobrina Aeneae ibi defuncta, a *Plin.* 3, 7, 13. a Sirene ibidem sepulta ita appellata dicitur; nunc vero aquis marinis mill. pass. circiter a continenti sic obruta jacet, ut petram potius, quam insulam dixeris, et *Licosa* nuncupatur. *Ov. Met.* 15, 708. Leucosiamque petit, tepidique rosaria Paesti. *Sil.* 8, 578. Leucosiae e scopulis. ℙ *Plin. ib.* 6, 13. et *Mela* 2, 7. Leucotheam eandem appellant. ℙ Sunt qui *Leucasiam*, aut *Lectosiam*, eandem dicunt, sed prius nomen praestat a λευκὸς, candidus, nempe a petrae candore derivatum. [*Immutavit h. l. et auxit *F.*]

LEUCOSTICTOS, i, m. λευκόστικτος, albis punctis, seu maculis distinctus: a λευκὸς, albus, et στικτὸς, notis compunctus, quod a στίζω, pungo. *Plin.* 36, 7, 11. Rubet porphyrites in eadem Aegypto: ex eo candidis intervenientibus punctis leucostictos vocatur; quantislibet molibus caedendis sufficiunt lapicidinae. Alii perperam leg. *leptopsephos.* [*Pluribus instruxit h. l. *F.*]

*LEUCOSYRI, orum, m. Λευκόσυροι, i. e. Syri albi, prius dicebantur, qui postea Cappadoces. *Curt.* 6, 4. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

LEUCOTHĔE, es, f. Λευκοθέη, Dea maris, eadem, quae Matuta Latinis. *Ov. Fast.* 6, 545. Leucothee Grajis, Matuta vocabere nostris. V. INO. ℙ Dicitur et *Leucothĕa*, *ae*, positione Latina, quasi alba Dea, a λευκὸς, albus, et θεὰ, Dea. *Cic. Tusc.* 1, 12. *extr.* Ino Leucothea nominata a Graecis: Matuta habetur a nostris. Adde *N. D.* 3, 15. *f.* et *Stat. Th.* 9, 402. Quidam eandem faciunt ac Auroram: unde ratio nominis clarius patet, quia aurora alba est. V. MATUTA. ℙ *Fuit et Leucothea insula maris Hetrusci. *Mela* 2, 7. *Plin.* 3, 6. ℙ Et fons in Samo insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

LEUCOTHOĔ, es, f. Orchami regis Babyloniorum filia fuit ex Eurynome, quae a Phoebo, qui ei matris specie primum apparuit, gravida facta est. Clytie, quae antea a Phoebo amata fuerat, Leucothoae invidit, ejusque crimen patri indicavit. Ille vivam defodit. Sed puella Phoebi miseratione mutata est in arborem turiferam. *Ov. Met.* 4, 208. et sqq., ubi al. leg. *Leucothee*, et cum praecedenti confundunt.

LEUCOZŌMUS, a, um, adj. λευκόζωμος, albo jure conditus, ut Pullus leucozomus, ap. *Apic.* 6, 9. *extr.* a λευκὸς, albus, et ζωμὸς, jus esculentum.

[LEUCRION, ii, n. herba quae et cynoglossa. *Appul. Herb.* 96. *F.*]

LEUCROCOTTA. V. LEOCROCOTTA.

LEUCTRĪCUS, a, um, adj. *Λευκτρικὸς*, ad Leuctra pertinens. Sunt autem *Leuctra* neutr. plur. τὰ *Λεῦκτρα* (ap. *Solin.* 7. Leuctrae, arum) pagus Boeotiae in confinio Megaridis, inter Plataeas et Thespias, ubi ingens planities est, in qua Boeoti, duce Epaminonda Thebano, Lacedaemonios ingenti proelio fuderunt, adeoque eorum opes attrivere, ut qui cunctae Graeciae terribiles fuerant, satis haberent, si salvi esse possent. *Nep. Epam.* 8. Eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios. *Cic. Tusc.* 1, 46. Prius Boeotia Leuctra tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria. *Id. Div.* 1, 34. Leuctrica calamitas. *Nep. Ag.* 7. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt. ℙ [Translate *Leuctrica pugna* dicitur, qua Clodius a Milone occisus fuit; quia libertas et securitas Romae sic per Milonem est restituta, ut illa Leuctrica Graeciae, a Lacedaemoniorum dominatione per Epaminondam liberatae. *Cic. Att.* 5, 1. *f.* Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto. *F.*] Sunt Leuctra et in Laconia, ap. *Plin.* 4, 5, 8.

[LEUCUS, a, um, adj. λευκὸς, candidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2092, 10. L. Geminius L. L. Leucus. Alia ap. *eund.* 94, 8. Anspasia Leuca. *F.*]

LĔVENNA, ae, m. idem ac levis, vel levium annorum. *Laber.* in *Saturn.* ap. *Gell.* 16, 7. Homo levenna. Id, ut nimis licenter dictum, improbat *Gell. l. c.*

LEUGA. V. LEUCA.

*LEVIATHAN, anis, m. bellua marina. *Job.* 40. et 41. V. *Bocchart. Hieroz.* 2, 5. *B. A.*

LĔVĪCŌMIS, tribuitur *Fulg. Myth.* 1, 1. *f.* Levicomes lateris refugo, etc. Sed legendum *laevi comes lateri.*

LĔVĪCŬLUS, a, um, adj. ὑπόκουφος, dimin. levis. Translate. *Cic. Tusc.* 5, 36. Leviculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, etc. *Gell.* 13, 39. *f.* Quid significet prandium caninum, rem leviculam diu et anxie quaesivimus.

LĔVĪDENSIS, e, adj. ἁραιὸς, qui est ex tela leviter densata, cui *pavitensis* opponitur; a *levi*, et *denso. Is. Or.* 19, 22. Levidensis vestis dicta, quod raro filo sit, leviterque densata. Pavitensis contraria levidensi, dicta, quod graviter pressa, atque calcata sit. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 12. Sed ego hospiti veteri, et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera, *h. e.* munus vile, et minimi pretii, scil. orationem parum elaboratam, atque expolitam.

[LĔVĪFĂCIO, is, a. 3. ἐξουθενέω, nihili facio. *Gloss. Philox.* Levifecit, ἐξουθένησεν. *F.*]

LĔVĪFĬDUS, a, um, adj. εὐρίπιστος, ἄπιστος, qui habet levem fidem, cui secretum non possis tuto committere, qui facile fidem violat. *Pl. Pers.* 2, 2, 61. Omnes sunt lenae levifidae.

LĔVĪGĀTIO et Laevigatio, onis, f. actus levigandi et poliendi. *Vitr.* 7, 1. Levigationibus et polituris cum fuerint perfecta.

LĔVĪGĀTUS et Laevigatus, a, um, part. a *levigo*, politus, complanatus. *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* Oleum levigatius et spissius est. ℙ Item in pulverem redactus, comminutus, maceratus. *Col.* 6, 17. Semina trifolii collecta, et levigata, cum vino dantur potanda. *Id.* 9, 13. Omnia eadem in unum levigata, et fictili vase cum Amineo vino infervefacta. *Id.* 7, 5. *med.* Galla cum austero vino levigata.

LĔVĪGO et Laevigo, as, avi, atum, a. 1. λειόω, λειαίνω, lēvem facio, complano, polio, scabritiem et asperitatem aufero. *Varr. R. R.* 3, 11. et *Col.* 9, 7. Parietes tectorio levigantur, ne feles introire ad nocendum possit. *Plin.* 36, 6, 9. Aethiopica arena nulla scabritie secat marmora: Indica non aeque levigat. *Id.* 17, 14, 23. Levigatur falce truncus. *Id.* 20, 3, 10. Ad levigandam cutem in facie. *Pall. de insit.* 81. Spiniferas prunos, armataque robora sentes Levigat. ℙ Item comminuo, contundo, ita ut tactu mollissima res sit. *Col.* 12, 41. *f.* Quae in colo subsiderunt, diligenter contrita levigantur. V. LEVIGATUS. ℙ *Levigare alvum* est ciere, quod fit intestinorum rugis veluti complanatis. *Gell.* 4, 11. Aristoxenus nullo saepius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis, quoniam is cibus et subduceret sensim alvum, et levigaret. ℙ De ratione scribendi V. in LĔVIS.

LĔVĪPES, ēdis, m. et f. ἀερσίπους, celer, et pedibus levis. *Varr. R. R.* 3, 12. *f.* Dictum leporem a celeritudine, quod levipes esset. *Cic. Arat.* 120. subterque pedes, quos diximus ante, Orioni jacet levipes Lepus.

LĔVIR, īri, m. ἀνδράδελφος, δαὴρ, uxoris meae frater, secundum *Fest.*, vel frater mariti mei, secundum *Non.* 19, 5. Posterior haec interpretatio est etiam JCtorum. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. *med.* Viri frater levir est, apud Graecos δαὴρ appellatus, ut est apud Homerum relatum: sic enim Helena ad Hectorem dicit: *Δάερ ἐμοῖο κυνὸς κακομηχάνου, ὀκριοέσσης.* ℙ Est ab allato δαὴρ, δ in *l* mutando, ut ex δάκρυμα lacryma, digamma Aeolicum vocalibus interserendo, et *a* in *e* convertendo: neque audiendus *Nonius*, a quo quasi *laevus vir*, dictus creditur: unde et *laevir* quidam scripsere. [*Ultima emendavit *F.*]

LĔVIS, e, adj. κοῦφος, ἀβαρὴς, qui pondere caret, vel, licet pondus habeat, facilis est portatu, et facilius sursum fertur, quam deorsum: cui opponitur *gravis.* Vellent etymologi esse a λεπὶς, corpus. *Pl. Men.* 3, 2, 23. Levior, quam pluma. *Virg.* tex. *Pl. Men.* 3, 2, 23. Levior, quam pluma. *Virg. G.* 1, 289. Leves stipulae; et *ib.* 2, 449. tiliae; et *A.* 5, 558. pharetrae. ℙ Dicitur etiam de eo, qui pondere liber est. *Pl. Capt.* 5, 4, 22. compedibus quaeso ut tibi sit levior filius, Atque hic gravior servus. ℙ Hinc *levis miles* est, qui paucioribus et levioribus armis utitur, γυμνὴς, ἥτος, ψιλὸς στρατιώτης, cujusmodi erant apud Romanos, qui hastam tantum, et gaesa gerebant, ut *Liv.* 8, 8. docet: cum alii scuta, pila, aliaque haberent. Hi dicuntur etiam *levis armaturae milites*, item *levis armatura.* V. ARMATURA. ℙ De cibis, qui parvi alimenti sunt, et facile coquuntur in stomacho, et ventrem facile exonerant. *Cels.* 1, 18. Quae in aqua degunt, leviorem cibum praestant. Inter domesticas quadrupedes levissima suilla est, gravissima bubula. *Hor. Od.* 1, 31, 15. me pascunt olivae, Me cichorea, levesque malvae. Hinc *Id. Epod.* 2, 57. et gravi Malvae salubres corpori. ℙ Est etiam agilis, celer, velox; quia quae pondere carent, cito feruntur. *Nep. Iphicr.* 1. Peltam pro parma fecit, ut ad motus, concursusque essent leviores. *Phaedr.* 1, 12. de cervo: Per campos coepit currere, et cursu levi Canes elusit. *Sil.* 7, 645. levibus flexo per devia gyris Ludificatus equo. Al. leg. *brevibus. Virg. A.* 12, 489. Messapus cursu levis. *Id. G.* 4, 55. Leves apes; et *ib.* 314. Parthi; et *Ecl.* 1, 60. cervi. *Val. Fl.* 1, 389. Et levis Elis equis. Sic *Id.* 6, 210. Levis equus. ℙ Cum infinito. *Sil.* 16, 488. Omnes ire leves, atque omnes vincere digni. Adde 10, 605. ℙ Translate est exiguus, parvus. *Virg. Ecl.* 1, 56. Saepe levi somnos suadebit inire susurro. *Caes. B. G.* 7, 36. Leve proelium. *Id. B. C.* 2, 32. *med.* Mea in vos merita sunt adhuc et mea voluntate, et vestra exspectatione leviora. *Ter. Hec.* 3, 1, 30. Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt! *Cic. Fin.* 1, 12. Dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis solet esse. *Caes. B. C.* 3, 26. Levius periculum. *Pl. Capt.* 2, 1, 2. Levior labor. *Val. Fl.* 3, 257. leve lumen; et *ib.* 627. pretium. *Sil.* 10, 592. levior numerus. *Ov. Trist.* 2, 339. Ad leve rursus opus, juvenilia carmina, veni. ℙ *Levis aura* in re nautica interdum est secundus flatus ventorum. *Sil.* 15, 162. levis inde secunda Aspirans aura propellit carbasa flatus. ℙ Item tenuis, vanus, parvi momenti, aut fidei. *Cic. Rosc. Com.* 2. Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud judices grave et sanctum esse judicetur? *Id. Planc.* 26. Inania et levia conquirere. *Caes. B. G.* 7, 42. Levem auditionem habere pro re comperta; et *ib.* 4. *f.* Leviore de causa. *Tac. H.* 2, 21. In levi habere aliquid, *h. e.* parvi facere, negligere. ℙ [*De hominibus tenui auctoritate praeditis. *Cic. Agr.* 2, 17. grave est nomen imperii atque id etiam in levi persona extimescitur. ℙ *Contemptus. *Id. Rosc. Com.* 5. Cui levissima pecunia semper fuit. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item placidus, lenis, gratus; sicut *gravis* ingratus. *Sall. fragm.* ap. *Philarg.* ad *G.* 4, 49. Amomum, et alii leves odores gignuntur. *Hor. Epod.* 2, 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves. ℙ Item facilis. *Liv.* 5, 23. *f.* Tandem eo, quod levissimum videbatur, decursum est, ut, etc. ℙ Item mitis, non asper. *Cic. Tusc.* 1, 40. Relinquamus igitur has ineptias: quod enim levius huic levitati nomen est imponam? *Id. Acad.* 4, 32. Levior reprehensio. ℙ *Leviora loca* ap. *Varr. R. R.* 1, 4. et 6. sunt salubriora, et opponuntur gravioribus. ℙ Mustum leve, *di poca forza e durata*, ap. *Pall.* 11, 14. ℙ *Levis terra* pingui contraria. *Virg. G.* 2, 92. ℙ *Levem terram* precabantur sepultis. *Tibull.* 2, 4, 50. Terraque securae sit super ossa levis. Hinc illae notae in inscriptionibus sepulcr. S. T. T. L. *h. e.* sit tibi terra levis, ut ap. *Grut.* 582, 2. Contra *Tert. Testim. anim.* 4. Terram gravem imprecaris, et cineri penes Inferos tormentum. ℙ *Levis homo* est comis, facilis. *Pl. Trin.* 3, 2, 58. Nunquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem. ℙ Item saepius inconstans, animo et fide mobilis, vilis, nullo honore dignus. V. LĔVITAS. *Pl. Men.* 3, 2, 23. Quid ais, homo levior, quam pluma, pessime et nequissime? *Liv.* 5, 15. *extr.* Auctorem levem, nec satis fidum super tanta re patres rati. *Cic. Amic.* 17. Quidam saepe in parva pecunia cognoscuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna; et *ib.* 26. *f.* Leves amicitiae, *h. e.* levium hominum. *Ov. Met.* 12, 53. veniunt leve vulgus, euntque. *Id. A. Am.* 1, 159. Parva leves capiunt animos. *Ter. Hec.* 3, 1, 32. Mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia. *Caes. B. G.* 5, 28. *extr.* Quid levius, aut turpius, quam auctore hoste de summis rebus capere consilium? ℙ [*Negligens officii. *Cic. Cluent.*

28. Leves ac nummarii judices. *Att.* 4, 16. Consules qui illud levi brachio egissent. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item vaniloquus, mendax. *Tibull.* 1, 7, 61. Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas. Si tamen admittis, sit precor illa levis. ℙ Cum genitivo, Graeca ratione. *Sil.* 2, 102. opum levior, venatu extendere vitam Abnuit, atque arctae res exegere per aequor; et 5, 363. Haud levior famae Synhalus. Al. leg. *fama.* Similiter leg. *Heins.* illud *Stat. Th.* 7, 84. vidit pater altus, et irae Jam levior, *h. e.* ira jam remissa. Alii *ira.* ℙ [*Confund. *levis* et *lenis.* V. h. v. in f. *Levior* et *melior.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 395.]

LĔVIS et Laevis, e, adj. λεῖος, planus, complanatus, non scaber, non asper, politus. *Cic. N. D.* 1, 24. Corpuscula quaedam levia, alia aspera, rotunda alia. *Id. Part.* 10. Loci plani, aut montuosi; leves, an asperi; opaci, an aprici. *Id. Univ.* 6. *med.* Deus levem mundum fecit, et undique aequabilem. *Ov. Met.* 13, 792. Levior assiduo detritis aequore conchis. *Id. ib.* 12, 409. coma pectine levis; et *ib.* 4, 221. levia stamina. *Mart.* 14, 136. pallia, *h. e.* panno non villoso. *Virg. A.* 5, 91. pocula. *Id. Ecl.* 7, 31. Leve marmor. *Id. A.* 8, 624. Leves ocreae; et *ib.* 7, 626. clypei; et *ib.* 5, 259. levibus hamis conferta lorica. *Id. G.* 4, 45. Apum cubilia levi limo ungere. *Cato R. R.* 157. Levis brassica, *h. e.* quae extenta folia habet: cui opponitur crispa. *Lucr.* 4, 660. levissima corpora. ℙ Est etiam imberbis, glaber. *Hor. Od.* 2, 11, 5. fugit retro Levis juventas, et decor. *Tibull.* 1, 9, 31. levia ora. *Juven.* 8, 115. crura; et *ib.* 35. canes scabie vetusta leves. *Ov. Fast.* 3, 745. levis senex. ℙ Item nitidus, candidus. *Virg. A.* 11, 40. levi patens in pectore vulnus; et *ib.* 7, 815. leves humeri. *Id. Ecl.* 6, 51. levis frons. *Ov. Met.* 10, 698. levia colla. ℙ Item lubricus. *Virg. A.* 5, 328. levi sanguine Nisus labitur. ℙ *Levia* nonnunquam dicuntur, quae bene trita sunt et macerata, et mollia tactu. *Scrib. Comp.* 201. Acetum intritum consumatur ad omnia, quae teri debeant, dum levia habuerint mellis spissitudinem; et *Comp.* 228. Haec terere oportet, donec levia passi habeant temperamentum. Adde *Comp.* 204. Huc pertinet illud *Celsi* 2, 8. *med.* Si quod excernitur, leve est, et mali odoris. ℙ *Leve* absolute est res levigata. *Pers.* 1, 64. ut per leve severos Effundat junctura ungues. *Hor. Sat.* 2, 7, 87. Externi ne quid valeat per leve morari. *Varr. R. R.* 3, 7. Levissimum marmoratum. ℙ Translate *levis oratio* est delicata, et aequabiliter fluens. *Hor. A. P.* 26. sectantem levia nervi Deficiunt. *Bentl.* tamen *lenia* legit, et copiose defendit. ℙ Est etiam mollis, effeminatus: ductum ab his, qui pilos vellunt, et cutem levigant. *Ov. A. Am.* 3, 437. Femina quid faciat, cum vir sit levior ipsa? *Pers.* 1, 82. Trossulus exsultat tibi per subsellia levis. ℙ Ad scriptionem quod attinet, sunt quibus placet per diphthongum scribi, ad differentiam v. *lēvis*, quia saepe fit, ut amphibologia suboriatur, si aliter fiat: contra stant critici fere omnes cum *Dausquio*, et probatior consuetudo, tum etymologi, qui a λεῖος ducunt: Graeca autem diphthongus *ει* in *e* simplex Latine verti solet.

LĔVISOMNUS, a, um, adj. qui levi somno est. *Lucr.* 5, 862. Et levisomna canum fido cum pectore corda: ἐπιπολαῖον ὕπνον.

[LĔVĬTA. V. LEVITES. *F.*]

LĔVĬTAS, atis, f. κουφότης, qualitas gravitati contraria, privatio ponderis. *Caes. B. G.* 5, 34. Levitas armorum. *Lucr.* 3, 387. plumas avium, papposque volantes, Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim. *Plin.* 13, 22, 42. de ferula arbore: Nulli fruticum levitas major. ℙ Item agilitas, velocitas. *Lucr.* 4, 203. ubi tam volucri haec levitate feruntur. Adde *ib.* 746. ℙ Item mobilitas. *Ov. Fast.* 2, 673. Termine, post illud levitas tibi libera non est: Qua positus fueris in statione, mane. ℙ Transfertur ad animum, et significat mobilitatem atque inconstantiam, qua quis levi quacumque de causa quippiam aut suscipit, aut omittit. *Cic. Phil.* 7, 3. Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, cum singulis hominibus, tum vero universo senatui, turpius? [**Id. Acad.* 4, 38. Levitas temere assentientium. *Brut.* 27. Carbo propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate judicum vindicavit.] *Caes. B. G.* 2, 1. Mobilitate et levitate animi novis imperiis studebant. *Phaedr. prol.* 4. non levitas mihi, Sed certa ratio causam scribendi dedit; et 7, 3. Facile ad derisum stulta levitas ducitur. *Cic. Fin.* 1, 18. *f.* Amatoriis levitatibus dediti. *Ov. Trist.* 5, 8, 18. de Fortuna: Et tantum constans in levitate sua est. ℙ Item nequitia, vilitas, ut docet *Gell.* 7, 11., *h. e.* vilis abjectique hominis, nulli rei, neque frugis bonae, nulloque honore digni conditio. *Cic. Phil.* 2, 31. At videte levitatem. Cum hora diei decima, etc. *Id. Off.* 1, 26. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est. ℙ Item vanitas. *Cic. N. D.* 2, 17. Cujus opinionis levitas, confutata a Cotta, non desiderat orationem meam. [*Plura *Cic.* exempla v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.*]

LĔVĬTER, adv. κούφως, sine pondere, exiguo pondere. *Curt.* 4, 13. *med.* et 8, 11. Thraces leviter armati. V. LĔVIS et ARMATURA. ℙ Item parum, exigue, modice, tenuiter. *Caes. B. G.* 2, 8. Collis leviter fastigiatus. Al. leg. *leniter.* *Flor.* 3, 1. Atqui non leviter se Numidia concussit. *Suet. Claud.* 15. *extr.* Genam non leviter perstrinxit. *Caes. B. C.* 3, 92. Levius casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quam si ipsi immissis telis occurrissent, *h. e.* leviore ictu. *Curt.* 4, 10. *med.* Porta castrorum, quae levius custodiebatur, *h. e.* indiligentius. *Cic. Inv.* 2, 51. Leviter saucius. *Id. Verr.* 2, 3, 76. *med.* Non leviter lucra ligurriens. *Id. Div.* 1, 17. Leviter a summo inflexum bacillum. *Id. N. D.* 2, 57. Genae leviter eminentes. *Id. Off.* 1, 24. Leviter aegrotans. *Id. Or.* 3, 6. Homines leviter eruditi. *Id. Fin.* 2, 11. Aliquid leviter agnoscere. *Suet. Ner.* 41. Leviter recreata mens. *Id. Gramm.* 9. Studia non leviter attigerat. *Quint.* 7, 3. *med.* Quae libro quinto leviter in transitu attigeram. ℙ *Leviter ferre* est facile, et aequo animo ferre. *Cic. Prov. cons.* 20. Sed levissime feram, si forte iis minus probaro, etc. *Id. Fam.* 4, 3. *med.* Quod a tuis abes, id eo levius ferendum est, quod, etc. ℙ *Levius*, minus. *Hor. Sat.* 2, 7, 18. quanto constantior idem In vitiis, tanto levius miser. *Ov. Pont.* 1, 9, 30. Levius dolere. ℙ Urbane, et per figuram μείωσιν. *Pl. Poen.* 3, 3, 9. Quamquam bene volumus leviter lenonibus, *h. e.* odio habemus; et 3, 3, 35. Ego faxo hospitium hoc leviter laudabitis, *h. e.* vituperabitis, abominabimini. ℙ *Ut levissime dicam*, formula, cum mitiore vocabulo utimur, quam rei atrocitas postulat. *Cic. Cat.* 3, 7. *f.* Si Catilina in urbe remansisset, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset. ℙ [*Confund. *leviter* et *leniter.* V. h. v. in f.]

LĔVITES, ae, m. sacer ordo ecclesiasticus dignitate sacerdoti proximus: dictus a levitis Hebraeorum, qui ministri erant rerum sacrarum, ex tribu Levi assumpti. *Sidon. ep.* 9, 2. Albiso Antistes, Proculusque Levites. *Arat. Act. Apost.* 553. Levitas vocitare placet, quam splendida coepit, etc. ℙ [Scribitur et Levita. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 39. Levita sublimis gradu; et *ib.* 5, 30. Levita de tribu sacra. *F.*]

*LĔVĬTĬCUS, a, um, adj. *Levitical*, ad Levi vel Levitas spectans. *Vulg. Interpr. Deut.* 17, 9. Genus Leviticum. *Id. Jos.* 3, 3. Stirps Levitica. ℙ *Leviticus* inscriptus est tertius liber Moysis. *Is. Or.* 6, 2. Cf. *Tert. adv. Gnost.* 2. et *adv. Marc.* 4, 23. ℙ In eo libro Levitarum ministeria et diversitas victimarum tractatur, totusque ordo Levitarum annotatur. Inde nomen. *B. A.*

LĔVĬTIS, idis, f. ut *gens Levitis*, ipse Levitae. *Prud. Psych.* 502. gentis Levitidis una Semper fida comes.

[LĔVĬTŌNĀRIUM, ii, n. λευιτωνάριον, monachorum vestis: a *Levites*, quia Levitarum propria est. *Hieron. praef.* in *Reg. S. Pachom. n.* 4. Nihil habent *(monachi)* in cellutis praeter psiathium, et duo levitonaria, (quod Aegyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis) et unum jam attritum ad dormiendum, vel operandum. *Isid. Orig.* 19, 22. Levitonarium est colobium sine manicis, quali monachi Aegyptii utuntur. *F.*]

LĔVĬTŪDO et Laevitudo, inis, f. idem quod lēvitas, lēvor. *Lactant. Ira D.* 10. Si quis milium velit in unam coagmentationem constringere, levitudo granorum in massam coire non sinat.

LĔVĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. levis. *Plin. ep.* 1, 16. Inserit versus data opera molliusculos leviusculosque, duriusculos quosdam. Al. melius leg. *mollibus levibusque duriusculos quosdam.*

[LĔUNCŬLUS, i, m. dimin. leonis. *Not. Tir.* p. 174. Leo, leunculus. *F.*]

*LEUNI, orum, m. populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

LĔVO, as, avi, atum, a. 1. αἴρω, tollo, elevo, in altum fero: a *lēvis*. *Virg. A.* 4, 690. Ter sese attollens, cubitoque adnixa levavit. *Val. Fl.* 6, 89. densique levant vexilla Coralli. *Ov. Met.* 2, 427. de caespite virgo Se levat. *Id. Fast.* 4, 528. Seque levat saxo, subsequiturque senem. *Id. Trist.* 1, 3, 94. gelida membra levavit humo. *Colum.* 9, 12. Apis se confestim levat sublimius. *Plin.* 2, 16, 13. Ignea vi levantur in sublime. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 10. de aquaeduct: Ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 39. nunquamque levantibus alte Intumuit rebus. ℙ Item erigo, excito. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. Illum neque ursi, neque levavi. ℙ Translate. *Id. Att.* 12, 50. Ut me levarat tuus adventus, sic discessus adflixit. ℙ Item aufero, adimo. *Virg. A.* 2, 146. Ipse viro primus manicas, atque arcta levari Vincla jubet Priamus. *Pall.* 3, 25. Levare terram ab radicibus. *Id.* 7, 5. corticem scalpro. *Ov. Met.* 8, 647. furca levat ille bicorni Sordida terga suis, nigro pendentia tigno. Et translate. *Quint.* 11, 3. *med.* Consuetudine difficultas omnis levatur. ℙ Item exonero, relevo. *Virg. Ecl.* 9, 65. Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo. *Id. G.* 2, 400. omne levandum Fronde nemus. *Spart. Caracall.* 7. Cum levandae vesicae gratia ex equo descendisset. *Ov. Met.* 8, 798. serpentum colla levavit, *h. e.* e curru a draconibus fracto descendit. ℙ Cum genitivo. *Pl. Rud.* 1, 4, 27. Ut me omnium jam laborum levas! Simile est illud *Virg. A.* 11, 126. Justitiaene prius mirer, belline laborum: quod Graeci dicunt θαυμάζω τῶν πόνων: tametsi sunt codices, in quibus *justitia* et *labore* legitur, et in quibus *justitiam* et *laborem*, teste *Pierio.* Sic, Fastidit mei, *Pl. Aul.* 2, 2, 67. et, Uxor, quae non vereatur viri, *Afran.* ap. *Non.* 9, 3. ℙ Dicimus autem, levare paupertatem alicui, ut ap. *Pl. Epid.* 4, 1, 20., et levare quempiam aere alieno, ut ap. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* ℙ Levare dentes, *h. e.* purgare. *Mart.* 14, 22. si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna levare potest. ℙ Levare se vita. *Varr.* ap. *Non.* 4, 279. Qui manu corporis fervidos aperis lacus sanguinis, teque vita levas ferreo ense. ℙ Item elevare, detrahere, minuere. *Plin.* 35, 6, 26. Quoties id factum est, levatur bonitas pro numero, dilutiore sanie. *Tac. A.* 2, 59. Levavitque, apertis horreis, pretia frugum. *Accius* ap. *Non. l. c.* Cave, lassitudo poplitum cursum levet. *Id. ib.* Tu laudes illorum levas. *Cic. Verr.* 2, 3, 59. *f.* Levare suspicionem, et a se removere. *Hor. Ep.* 2, 2, 10. Multa fidem promissa levant. *Just.* 12, 10. *extr.* Ut communi facto crimen regis levaretur. (Adde *Liv.* 4, 17.) *Caes. B. C.* 1, 9. Levare injurias. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 279. Intercapedo amicitias levat. ℙ Et recreare. *Ov. Fast.* 6, 328. Pars jacet, et molli gramine membra levat. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Levare miseriis perditas civitates. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Liberare, aut levare se aere alieno. *Id. Verr.* 2, 3, 61. se infamia. *Id. Q. Fr.* 3, 9. aliquem cura domestica. ℙ Et sedare. *Ov. R. Am.* 230. Arida nec sitiens ora levabis aqua. *Id. Trist.* 4, 8, 26. fonte levare sitim. *Id. Her.* 14, 96. fronde famem. *Caes. B. C.* 3, 48. inopiam. ℙ Et levem facere et tolerabilem. *Virg. A.* 8, 309. varioque viam sermone levabant. ℙ Et auferre, avertere. *Virg. A.* 3, 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. ℙ Et curare, medendo relevare. *Pl. Mil.* 4, 6, 57. Levando morbum mulieri video. *Hor. Epod.* 11, 17. Fomenta vulnus nil malum levantia. *Id. Carm. saecul.* 63. Qui salutari levat arte fessos Corporis artus. *Curt.* 3, 6. Morbi vim levaturus. ℙ Et infirmare. *Cic. Acad.* 4, 22. Inconstantia levatur auctoritas. ℙ Et capere, auferre. *Ulp Dig.* 50, 15, 4. Agri tributum in eam civitatem debet levari, in cujus territorio possidetur. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat lenire, levamen afferre. *Cic. Fam.* 4, 3. Haec tibi ad levandas molestias magna esse debent. *Catull.* 2, 10. Et tristes animi levare curas. *Cic. Att.* 1, 18. Qui saepissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levasti tuo. *Quint.* 8, 3. Levare taedium. ℙ Et sublevare. *Virg. A.* 2, 452. et *Just.* 5, 2. *f.* Auxilio levare aliquem. ℙ Et liberare. *Liv.* 21, 62. Magna ex parte levaverunt animos religione. *Id.* 2, 22. Levare aliquem metu. *Cic. Tusc.* 2, 24. *f.* metum alicui. ℙ Et eruere, eripere. *Cic. Amic.* 20. Qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. ℙ Et reficere, recreare. *Id. Sen.* 11. Et corpora quidem exercitatione ingravescunt: animi autem exercitando levantur. ℙ *Levaris* sync. pro *levaveris. Auct. Priap.* 38, 11. Ponetur tibi picta *(mentula)*, quam levaris, Compar, consimilisque, concolorque. ℙ *Levasso* antique pro *levavero. Enn.* ap. *Cic. Sen.* 1. O Tite, si quid ego adjuro, curamve levasso, Quae nunc te coquit.

LĔVO et Laevo, as, avi, atum, a. 1. λειόω, lēvem facio, complano, polio, levigo. *Cels.* 5, 13. Levant id, quod exasperatum est, spodium, hebenus, gummi. *Id.* 8, 3. *f.* Os radere et levare satis est. *Lucr.* 5, 1266. levare et radere tigna. *Stat. Th.* 1, 519. Pars teretes levare manu, ac disponere mensas. *Colum. Arbor.* 8. Vitem quam insiturus es, resecato, plagam levato. *Cic. fr. or. in Clod.* (ed. *A. Peyronio*) p. 115. Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare vultum, attenuare vocem, levare corpus potes. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 122. Luxuriantia compescet, nimis aspera sano Levabit cultu, *h. e.* molliet, suaviora reddet. ℙ De ratione scribendi V. in LĔVIS.

LĒVOR et Laevor, oris, m. idem quod lēvitas, lēvitudo. *Cic. Univ.* 13. *extr.* Multis modis concors et aptus redditus in levore consedit. *Plin.* 13, 12, 24. Spectantur in chartis tenuitas, densitas, candor, levor. *Id.* 30, 14, 43. Cochleae arefactae tusaeque in farina candoremque, et levorem corpori afferunt. *Id.* 37, 4, 15. Adamas laterum sexangulo, levore turbinatus in mucrone. *Lucr.* 4, 452. Asperitas autem voci fit ab asperitate Principiorum, et item levor levore creatur.

*LEUPHITORGA, opp. in Aegypti Aethiopiaeque confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*LEUPOS, portus Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[LĔUS, a, um, adj. *λεῖος*, laevis. *Plin.* 20, 9, 33. Brassica lea, latis foliis e caule exeuntibus, unde caulodem vocavere. His similia habet *Cato R. R.* 157. Brassica, laevis quae nominatur, ea est grandis, latis foliis, caule magno. ℙ Ex his patet ap. *Plin.* fortasse *lia*, vel *leia* esse legendum, quemadmodum *liostrea*, vel *leiostrea*. V. LĔVIS. *F.*]

*LEUSIN, inis, locus vicusve Aegypti. *Liv.* 45, 12. ubi tamen volunt eruditi legere *Eleusinem*, ut vicus sit Aegypti inferioris, non procul ab Alexandria ac Nicopole, teste *Strabone* 17. *B. A.*

LEUSON. V. AEGIS.

LEX, lēgis, f. *νόμος*, recta ratio rerum agendarum: a *legendo*, quia cum ferretur, proponebatur legenda omnibus. Ita *Varr. L. L.* 5, 7. *Cic.* vero *Leg.* 1, 6. a *legendo*, h. e. eligendo ducit. At quis fortasse rectius a *λέγειν*, dicere, duxerit; hinc dictator, edictum, quae vocabula jubendi et imperandi vim habent. *Id. ib.* 15. Lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam. *Quint.* 7, 5. Omnis lex aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut jubet, aut vetat, aut permittit. *Cic. Leg.* 3, 1. Ut magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. ℙ Ap. Romanos *lex* erat, quod populus R. magistratu senatorio interrogante constituebat: quo pacto a plebiscito distinguebatur: tametsi et hoc aliquando *lex* dicitur. Ac primis quidem temporibus, regum, vel etiam consulum responsa et decreta pro legibus habebantur: postea vero missis Athenas legatis (decemvirum magistratu ad id constituto) descriptae leges Solonis in XII. Tabulis, et ad rempubl. regendam adhibitae, additis successu temporum quamplurimis aliis, quas proponente aliquo populus R. acceptabat. Porro qui legem erat laturus, eam prius domi describebat; deinde promulgabat, hoc est proponebat in publicum per trinundinum; tum populum rogabat per formulam, *velitis*, *jubeatis*, etc. quae si acciperetur, lata et perlata dicebatur; si displiceret, antiquata. Perlata lex in aerea tabula describebatur et publice figebatur, ut ab omnibus de plano perlegi posset. *Cic. Att.* 14, 12. Antonius fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, etc. *Id. Dom.* 27. De me retulisti, legem promulgasti, tulisti; et *in Senat.* 5. Legem tulit, ne auspiciis obtemperaretur. *Id. Dom.* 30. *f.* Legem de injuriis publicis tulisti Anagnino nescio cui; et *Liv.* 33, 46. Legem promulgavit, pertulitque, ut, etc. *Cic. Off.* 2, 21. Cum legem agrariam ferret: quam tamen antiquari facile passus est. *Id. Dom.* 18. Hanc tibi legem Clodius scripsit; et *Phil.* 2, 29. Ego leges perniciosas rogavi; et *Planc.* 14. *f.* Legem sciscere de re aliqua. *Id. Balb.* 17. Populus R. legem jussit de civitate tribuenda. *Id. Leg.* 1, 22. Populis leges vivendi, et disciplinam dare. *Id. Off.* 3, 30. Legem accipere. *Id. Amic.* 25. *med.* repudiare. *Id. Acad.* 4, 8. gravem cuipiam imponere. *Id. Phil.* 5, 3. facere. *Id. Caec.* 14. constituere alicui. *Id. Amic.* 12. sancire. *Hor. Sat.* 1, 3, 105. ponere. *Liv.* 3, 34. condere. *Ov. Pont.* 1, 1, 22. servare. *Id. Her.* 12, 39. et *Virg. A.* 11, 322. dicere alicui. *Cic. Cat.* 1, 7. *f.* negligere, evertere, perfringere. *Id. Leg.* 1, 15. negligere, perrumpere. *Id. Caec.* 25. Leges ac jura labefactare. Adde *Hor. Ep.* 1, 16, 41. ℙ *Legibus aliquem solvere* est cuipiam concedere, ut legibus parere non teneatur. *Ascon.* in *argum. or. Cic. pro C. Cornel.* Promulgavit legem, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur. *Cic. Phil.* 11, 5. Ille homo summo ingenio, summa potentia, solvatur legibus: quamquam leges eum non tenent. ℙ *Lege agere* dicitur, qui actionem in judicio intendit, litem movet, et jus suum persequitur. *Cic. Or.* 1, 36. Alter plus, lege agendo petebat, quam quantum lex in XII. Tabulis permiserat; et *ib.* 38. *f.* Lege egit in hereditatem paternam testamento exheres filius. Adde *Nep. Timol.* 5. ubi et *legibus experiri* habetur, eodem sensu. Huc pertinet illud *Ov. Fast.* 1, 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur: Fastus erit, per quem lege licebit agi. ℙ Item *lege agito* dicebatur ei, cujus intentio contemptibilis adversario videbatur, ut ait *Donat.* ad illud *Ter. Ph.* 5, 7, 90. una injuria est Tecum. *Chre.* lege agito ergo. Adde *Pl. Mil.* 2, 5, 43. ℙ Praeterea lege agere dicitur lictor, qui judicis sententiam exsequitur. *Liv.* 26, 15. Fulvius praeconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet. ℙ *Lege*, et *legibus* est secundum leges. *Ter. Andr.* 4, 5, 4. Ejus morte ea ad me lege redierunt bona. *Id. Ph.* 4, 3, 21. An legibus daturum poenas dices, si illam ejecerit? *Nep. Phoc.* 3. *extr.* Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium. *Id. Cim.* 1. Cimon eadem custodia tenebatur, neque legibus Atheniensibus emitti poterat. ℙ Leges XII. Tabularum per decemviros a Graecis petitae, quibus Romani uterentur, (V. *Liv.* 3, 33. et 34. etc.) fontes omnis publici privatique juris, impense laudantur a *Cic. Or.* 1, 43. et 44. Harum fragmenta hodieque exstant, ab eruditis collecta. ℙ Legis pro plebiscito positae exemplum est Manilia, quae revera plebiscitum fuit, et lex appellatur a *Cic. Manil.* 24. ℙ Interdum *lex* est pactum, conditio. *Nep. Timoth.* 2. Pacemque his legibus constituerunt, ut, etc. *Ter. Andr.* 1, 2, 28. in pistrinum te dedam, Ea lege atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam. *Phaedr.* 3, 13. Legem duabus hanc proposuit partibus. *Liv.* 33, 30. Pax data Philippo in has leges est. *Cato R. R.* 145. Oleam faciundam hac lege oportet locare: Facito recte arbitratu domini, etc. *Cic. Or.* 1, 39. Cum aedes vendidisset, neque servire quandam earum aedium partem in mancipii lege dixisset. *Id. Fam.* 5, 16. Homines nos ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 724. *n.* 443. Lex collegii Esculapii, et Hygiae. Adde *Vitr.* 1, 1. et 7, 5. ℙ Item *lex loci* est conditio, natura, qualitas. *Ov. Halieut.* 32. de Polypo: Et sub lege loci sumit, mutatque colorem, *h. e.* ad similitudinem loci, ut *Plin.* 9, 29, 46. loquitur. *Id. Amor.* 3, 2, 20. Haec ex lege loci commoda Circus habet. ℙ Item regula, norma. *Cic. Or.* 3, 49. Hanc igitur ad legem cum exercitatione, tum stilo formanda vobis oratio est. *Id. Or.* 58. Difficilius est oratione uti, quam versibus, quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse; in dicendo autem nihil est propositum. ℙ Item artis praeceptum. *Suet. Ner.* 24. In certando ita legi obediebat, ut nunquam exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret. *Gell.* 13, 20. *med.* Secundum grammaticam legem. ℙ Item stata ratio, status ordo. *Ov. Met.* 15, 71. qua sidera lege mearent. ℙ *Sine lege* est sine ratione, modo, ordine. *Id. Her.* 15, 73. jacent collo sparsi sine lege capilli. (Contra, *dare legem rudibus capillis* dixit *Sen. Hipp.* 320.) *Id. Met.* 2, 202. Exspatiantur equi, quaque impetus egit, Hac sine lege ruunt; et *ib.* 11, 489. quae dum sine lege geruntur, Aspera crescit hiems. *Val. Fl.* 6, 445. Datque alias sine lege colus, *h. e.* sine certo fatorum ordine.

*LEXIANAE, arum, m. populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

LEXĬDĬUM, ii, n. dimin. *λεξίδιον*, vocula: a *λέξις*, dictio. *Gell.* 18, 7. Vox philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria: namque colligitis lexidia, res tetras, et inanes, et frivolas tanquam mulierum voces praeficarum.

LEXĬPYRĔTOS, i, m. et f. adj. *λεξιπύρετος*, *ὁ*, *καὶ ἡ*, Graeca vox a *λήγω*, cessare facio, et *πυρετὸς*, febris: dicitur de medicamentis, quae febrem fugant. *Plin.* 20, 18, 76. et *Marcell. Empir.* 16. *med.* ℙ *In *Plinii* loco *lexipyretos* est ed. *Hard.*, ed. *Elzev.* habente *lexipyretas*. *Compositio lexipyretos* in loco *Marcell. Empir.* est quod nos dicimus *a febrifuge*. *B. A.*

*LEXĬPYREXĬA, ae, f. *λεξιπυρεξία*, cessatio febris. *Marcell. Empir. c.* 20. Sanare lexipyrexias. *B. A.*

LEXIS, is, f. *λέξις*, verbum, dictio, vox: a *λέγω*, dico. *Lucil.* ap. *Cic. Or.* 3, 43. et *Or.* 44. et *Quint.* 9, 4. *med.* Quam lepide lexes compostae, ut tesserulae omnes Arte pavimento, aut emblemate vermiculato. *Sen. praef. Controv.* 3. *med.* Splendor orationis, quantus nescio an in ullo fuerit. Non lexis magna, sed phrasis.

*LEXOBII vel Lexovii, orum, m. populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, ad Sequanae fluvii ostium, pars tractus illius quem hodie *Normandy* vocant. *Caes. B. G.* 3, 9. 11. et 17. et 7, 75. *Plin.* 4, 18. ℙ *Metaphrast. Caes.* sunt *Λεξόβιοι*, *Strab. Ληξοούιοι*, *Ptol. Λειξούβιοι*. *B. A.*

L I

[LĬA, ae, f. *λεία*, praeda. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 617. *n.* 147. Cotteja (lege *Cocceja* ex *Passion. Inscr.* p. 106. *n.* 4.) T. L. Lia. *F.*]

LĬĀCŬLUM, i, n. instrumentum, quo levigantur tectoria: a *λειαίνω*, polio. *Gloss. Philox.* Liaculum, *λειαντήρ*. V. *Vitr. l. c.* in BACULUS.

[LĬĀRUS, i, m. *λιαρὸς*, egelidus. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 58. *n.* 335. Liarus Antoniae Drusi glaber ab cyatho. *F.*]

LĪBA. V. LIBS.

LĪBĀCUNCŬLUS, i, m. parvum libum. *Tert. Spect.* 27. *extr.* Omnia illic proinde habe, ac si stillicidia mellis de libacunculo venenato. Al. leg. *lucuneulo* rectius.

LĪBĂDION, ii, n. *λιβάδιον*, centaurii genus minutis foliis, circa fontes nascens, origano simile, angustioribus et longioribus foliis, anguloso caule paululum alto, fruticante, flore lychnidis, radice tenui et supervacua. A *λιβάς*, *άδος*, rivus, et irriguus locus. *Plin.* 25, 6, 31.

LĪBĀMEN, inis, n. et

LĪBĀMENTUM, i, n. *λοιβή*, *σπονδή*, id, quod Diis libatur in sacrificiis. V. LIBO. Prior vox est fere poetica. *Virg. A.* 6, 246. Et summas carpens media inter cornua setas, Ignibus imponit sacris, libamina prima, Voce vocans Hecaten, etc. *Val. Fl.* 1, 204. Sic fatus pingui cumulat libamine flammam; et 5, 193. Ipse gravi patera sacri libamina Bacchi Rite ferens. *Appul. Flor. n.* 1. Caespes libamine humigatus, *h. e.* ara e caespite madefacta vino effuso. *Cic. Leg.* 2, 12. Ut sacrificiorum libamenta serventur, *h. e.* fruges et baccae, quae sacerdotes publice libant, ut *ib.* 8. habetur. *Just.* 12, 10. Oceano libamenta dare; et 18, 5. Veneri solvere. *Stat. Silv.* 3, 1, 163. Haec ego nascentes laetus bacchatus ad aras Libamenta tuli. ℙ A Libero Patre, qui primus, devictis Indis, Jovi in ara obtulerit cinnama et tura, dicta esse *libamina*, et *liba*, docet *Ov. Fast.* 3, 733. Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen, Libaque: quod sacris pars datur inde focis. ℙ Translate. *Ov. Her.* 4, 27. Tu nova servatae capies libamina famae. *Gell. praef. med.* Primitias quasdam, et quasi libamenta ingenuarum artium dedimus; et 16, 8. *f.* Hoc breve ex dialectica libamentum dedisse nunc satis erit. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 24. *Tarquinius Superbus* dona magnifica, quasi libamenta praedarum, Delphos ad Apollinem misit. *F.*] ℙ *Stat. Th.* 6, 224. libamen dicit quidquid in rogum injicitur, cum cadavere arsurum, ex. gr. frena, cingula, jacula, cristas, in funere militari.

LĪBĂNĬOS, ii, f. vitis genus apud Thasios, turis odore (a *λίβανος*, tus) unde ex ea Diis prolibant. *Plin.* 14, 18, 22.

[LĪBĂNĪTIS, idis, f. herba eadem ac polion. *Appul. H.* 57. *F.*]

LĪBĂNOCHRUS, *λιβανόχρους*, *ὁ*, *καὶ ἡ*, gemma, quae turis similitudinem ostendit, sed succum mellis: a *λίβανος*, tus, et *χρόα*, color. *Plin.* 37, 10, 62. *Sic ed. *Hard.* Al. leg. *libanochnes*. *B. A.*

LĪBĂNOTIS, idis, f. *λιβανωτὶς*, frutex odorem turis habens: a *λίβανος*, tus, et *ὄζω*, oleo. *Plin.* 19, 12, 61. Libanotis radicem habet olusatri, nihil a ture differentem. Usus ejus post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam alio nomine rosmarinum appellant. Adde 20, 16, 64.

LĪBĂNUS, i, m. *Λίβανος*, mons Syriae, unde Jordanis oritur, excelsus, fertilis, amoenus, et cedro arbore abundans. *Plin.* 5, 20, 17. *Auson. Techn. Idyll.* 12, 5. *de vere primo.* Florum spirat odor, Libani ceu montis honor tus. ℙ In Vulgata *Eccli.* 24, 21. Libanus est ipsum tus. ℙ Adjective, et prima producta *Sedul.* 4, 55. et tanquam Libana cedrus.

LĪBĂRĬUS, ii, m. qui liba vendit. *Sen. ep.* 56. *med.* Jam librarii varias exclamationes, et botularium, et crustularium, et omnes popinarum institores, mercem suam quadam et insignita modulatione vendentes. Fuit qui *librarii* legeret, [sed prius praestat. *F.*]

*LIBARNA, ae, f. oppidum Italiae, in Liguria. *Plin.* 3, 5. ℙ *Liburnum* audit *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

[LIBARNENSIS, e, adj. ad Libarnam pertinens, excisam Liguriae urbem, Vellejae conterminam, a *Plin.* 3, 5, 7. memoratam. *Tab. alim. Vellej.* (ed. *P. De-Lama*) *col.* 7. *lin.* 45. L. Cornelius Severus professus est saltum Blaesiolam, qui est in Libarnense, et Vellejate. *F.*]

[LĪBAS, ădis, f. *λιβάς*, gutta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 749. *n.* 560. Caesiae Libadi fecit M. Ulpius Januarius etc. *F.*]

LĪBĀTĬO, onis, f. *λοιβή*, actus libandi in sacris. *Cic. Har. resp.* 10. Tui sacerdotii sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum.

[LĪBĀTOR, oris, m. qui libat. *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Numa epulorum dictator, cenarum libator, feriarum promulgator. V. PRAEGUSTATOR. *F.*]

*LIBATORĬUM, i, n. crater, quo funditur libamen in sacris. *Vulgat.* 1. *Maccab.* 1, 23. et 3. *Esdr.* 2, 13. ℙ Proprie est adjectivum n. g. subaudito *vas*. *B. A.*

LĪBĀTUS, a, um, part. a *libo:* fusus, sparsus, oblatus in honorem Deorum in sacris. *Virg. A.* 1, 741. Primaque libato summo tenus attigit ore. *Ov. Fast.* 5, 637. Falcifero libata seni duo corpora, gentes Mittite. *Tibull.* 1, 1, 17. Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante Deo. ℙ Item degustatus. *Ov. Amor.* 1, 4, 33. Si tibi forte dabit, quos delibaverit ipse, Rejice libatos illius ore cibos. ℙ Item imminutus. *Id. Her.* 2, 115. et *ib.* 16, 159. Libata

virginitas. *Liv.* 21, 29. *f.* Libatae vires ℙ Item decerptus, excerptus. *Cic. Div.* 2, 11. Ex divinitate animos omnes haustos, aut acceptos, aut libatos habemus.

LĪBELLA, ae, f. dimin. librae: parvus nummus argenteus, decimam denarii partem valens, ut *Varr.* docet *L. L.* 4, 36., ita dictus, quod libram aeris valebat, quod fuit pretium assis, qui primo libralis fuit: hic autem aereus erat, libella argentea. *Plin.* 33, 3, 13. Librales (unde etiam nunc libella dicitur) appendebantur asses. *Cato R. R.* 15. Parietes villae, uti conductor sublinat, locare libellis in pedes quinque. ℙ Dicitur de minima pecuniae summa, quia nullus erat argenteus nummus libella minor. *Pl. Cas.* 2, 5, 7. Vobis invitis atque amborum ingratiis, Una libella liber possum fieri. *Id. Capt.* 5, 1, 27. Ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis: Gratis a me abducito. *Cic. Verr.* 2, 2, 10. Et quis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? ℙ *Ad libellam* idem est quod ad assem, ad nummum. *Cic. Rosc. Com.* 4. Nisi planum facit, HS IↃↃↃ ad libellam sibi deberi, causam perdit, *h. e.* ita ut ne libella quidem illae summae desit. ℙ *Ex libella* est ex asse, ut exponit *Manut.* in illo *Cic. Att.* 7, 2. Fecit te palam ex libella, me ex teruncio: subaudi *heredem*, *h. e.* te omnium bonorum fecit heredem, ea tamen lege, ut mihi teruncium, seu quadrantem, ex illa summa restitueres. Aliter tamen, et rectius, *Gron. de pec. Vet.* 2, 1., ubi libellam non pecuniam, sed nomen tantummodo fuisse dicit, significans decimam partem sestertii, *h. e.* quatuor uncias, tres sicilicos, et scriptulum. V. ibi plura. Sunt etiam qui ap. *Cic.* aliter leg. ℙ *Don.* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 9. libellam dicit partem esse unciae duodecimam. Fortasse quia saepe pecuniae valor, et ratio mutata est. ℙ Praeterea est *libella* instrumentum fabrile, quo utuntur ad examinandas planae superficiei inclinationes: quemadmodum norma angulos metiuntur; perpendiculo erecti operis directam aut obliquam positionem. Constat autem libella duabus regulis ita junctis ab altera parte, ut angulum efficiant, in ima vero parte alia recta regula pro basi: in summo angulo filum habet plumbo pendente, ex quo inclinatio omnis deprehenditur: estque figura litterae A in imo clausae. Dicta est a *libra*, quia ad modum librae hinc illinc pendet aequaliter, et quae inclinata sunt fili inclinatione detegit. *Plin.* 7, 56, 57. Daedalus serram, asciam, perpendiculum invenit; normam autem et libellam, et tornum Theodorus Samius. *Id.* 36, 22, 51. Structuram (*parietis*) ad normam et libellam fieri, et ad perpendiculum respondere oportet; et *ib.* 25, 63. Materia (*in pavimentis*) ad regulam, et libellam exigitur. *Varr. R. R.* 1, 6. *f.* Campester locus is melior, qui totus aequabiliter in unam partem vergit, quam is, qui est ad libellam aequus. *Lucr.* 4, 514. ut in fabrica si prava est regula prima. Normaque si fallax rectis regionibus exit, Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum, Omnia mendose fieri, atque obstipa, necessum est. *Vitruv.* 1, 6. *med.* Collocare et expolire aliquid ad regulam, et libellam. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mazois, Ruines de Pompei P.* 1. *tab.* 17. M. Allejus Luccius Libella pater, et M. Allejus Libella F. *F.*]

LĪBELLĀRIS, e, adj. ad librum, seu libellum pertinens. *Sidon. ep.* 9, 11. *med.* Libellare opus conficere.

LĪBELLĀRĬUM, ii, n. loculus, seu cista, in qua libri asservantur. *Cic. Mil.* 12. Exhibe quaeso, Sexte Clodi, libellarium illud legum vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo, tanquam Palladium, etc. Al. leg. *librarium* rectius.

[LĪBELLĀTĬCUS, i, m. ita appellatus est in veteri Ecclesia, imperante Decio Aug., qui libellum a magistratibus pecunia impetrabat, quo in libello perscriptum erat, illum Diis sacrificasse, quamquam revera a tanto scelere abstinuerat. *Cyprian. ep.* 55. Cum ergo inter ipsos, qui sacrificant (*idolis*), multa sit diversitas, quae inclementia est, et quam acerba duritia, libellaticos cum iis, qui sacrificarint, jungere? quando is, cui libellus acceptus est, dicat, etc. *F.*]

LĪBELLENSES, ium, m. plur. in *Cod.* 7, 62, 32. *med.* et 12, 19, 14. et 3, 24, 3. sunt qui in scrinio Palatino libellis ad principem datis excipiendis, et in acta referendis inserviunt: quibus qui praeest *libellorum magister* appellatur.

LĪBELLĬO, onis m. a veteribus dictus putatur, quem nos tabellionem vocamus: a *libellus*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 499. Tum ad me fuerunt, quod libellionem esse sciebant. ℙ Accipitur interdum pro paupere librario, qui libros scribit et vendit, *βιβλιογράφος*, *βιβλιοπώλης*. *Stat. Silv.* 4, 9, 21. Sed Bruti senis oscitationes, De capsa miseri libellionis, Emptum plus minus asse Caiano, Donas.

LĪBELLŪLUS, i, m. parvus libellus. *Capell.* 3, 71. *in carm.* Quantumque solo inditum libellulo Potest probare serium fastidium.

LĪBELLUS, i, m. *γραμμάτιον*, *βιβλίον*, parvus liber *Cic. Or.* 1, 21. Scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit. Ap. *Liv.* 29, 9. *f.* crimini dabant nonnulli P. Scipioni, quod cum in Sicilia esset, jam jam in Africam trajecturus, cum pallio et crepidis in gymnasio inambularet, *libellis etiam*, *palaestraeque operam daret:* ubi *libelli* sunt Graecorum litterulae, quae tunc temporis ab Romanis contemnebantur. ℙ [*Commentarius publicus, *Denkschrift*, *Memorial. Cic. Cluent.* 69. Non illi in libellis laudationum decreta miserunt. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Aliquando etiam ponitur pro commentario, pro scripto memoriae causa facto. *Cic. Phil.* 1, 8. Nisi forte si quid memoriae causa retulit in libellum, id numerabitur in actis. [*Adde *ib.* 1, 7. In commentariolis et chirographis et libellis.] *Quint.* 6, 2. Ubi animis judicum vis afferenda est, ibi proprium oratoris opus est. Hoc non docet litigator: hoc libellis non continetur. ℙ Pro tabella proscriptionis. *Sen. Ben.* 4, 12. Suspensum amici bonis libellum dejicio. *Cic. Quint.* 6. *f.* Libellos Alphenus, procurator Quintii, dejicit. ℙ Pro delatione scripto proposita cum subscriptione accusatoris. *Juven.* 6, 243. Componunt ipsae per se, formantque libellos. *Paulus Dig.* 48, 2, 3. rationem tradit, qua hujusmodi libelli formandi sunt. ℙ Libellus famosus, [*Schmähschrift.] *Suet. Aug.* 55. [*Plura v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.*] ℙ Pro libello simpliciter, etiam *libellum memorialem* dicimus. *Suet. Caes.* 56. *med.* Epistolae quoque ejus ad senatum exstant, quas primum videtur ad paginas et formam memorialis libelli convertisse. ℙ Aliquando sumitur pro tabella sive epistola, [*quae ad aliquem mittitur, in qua ei negotium aliquod commendatur. Huc pertinet locus, quem Noster supra laudaverat, perperam adscripta notione commentarii publici, *Cic. Att.* 6, 1. libellum ipsius (Brutti) habeo *(ich habe ein Promemoria von ihm)* in quo est: Salaminii pecuniam debent M. Scaptio et P. Matinio familiaribus meis, eos mihi commendat, adscribit etiam etc. — Omnino breviores epistolae, quae non complicabantur, dicuntur libelli.] *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. Ne de Planco quidem spem adhuc abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. ℙ Aliquando pro epistola assertoria, quam vulgo *Certificat* vocamus. *Paul. Dig.* 39, 4, 4. Significent id libello manu sua subscripto, eumque ad publicanum mittant. ℙ Aliquando pro scripto, quod continet supplicationem, vel accusationem, vel aliud simile. Tales principibus dari solent ad negotia explicanda, in quibus petitiones continentur. *Cic.* ad *Planc. Att.* 16, 10. Ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit, eum mihi dedit, ut darem Caesari: eram enim coenaturus apud eum illo die. Cum libellum Caesari dedi, probavit causam, rescripsit Attico, aequa eum postulare. [*Adde *Arch.* 10.] *Suet. Caes.* 81. Libellumque indicem insidiarum ab obvio quodam porrectum libellis ceteris, quos sinistra tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. ℙ Hic etiam *supplex libellus* nominatur. *Mart.* 8, 31. supplicibus dominum lassare libellis. ℙ Hinc *libellos signare*, sive *subnotare* dicuntur, qui libellis supplicibus principum nomine respondent. *Suet. Aug.* 50. In diplomatibus, libellisque, et epistolis signandis initio sphinge usus est, mox imagine Magni Alexandri. *Plin. ep.* 1, 10. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas. Hinc *libellos agere*, quod est libellis praefectum esse. *Tryphon. Dig.* 20, 5, 12. Rescriptum est ab imperatore, libellos agente Papiniano. ℙ *A libellis* ministri illi esse dicuntur, qui principi in hoc negotio subserviunt, ut supplices libellos accipiant, evolvant, illisque respondeant. *Suet. Dom.* 14. Epaphroditum a libellis capitali poena condemnavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 587, 9. Hermeros Aug. Lib. a libellis. Alia *ib.* 7. M. Aurelius Aug. Lib. a libellis adjutor. ℙ Accipitur etiam pro scripti genere, quo aliquis in judicium vocatur. *Pl. Curc.* 1, 3, 6. Ubi tu es, qui me libello Venereo citasti? ecce me: Sisto tibi me. ℙ Vel quo invitantur recitantem audituri, aut gladiatorium munus spectaturi. *Auct. Dial. de Or.* 9. *med.* Domum mutuatur, et auditorium exstruit: et subsellia conducit et libellos dispergit. *Cic. Phil.* 2, 38. Quorum (*chirographorum*) etiam imitatores sunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent. [*V. *Lips. Saturn.* 2, 18.] *Trebell. Claud.* 5. At ego scio, saepius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomen *(Aureoli)* appositum. Habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum. ℙ Pro taberna libraria; res enim venales ex Attico loquendi genere, teste *Polluce Onom.* 9, 5., pro ipsis locis, ubi prostant, ponuntur. *Mart.* 5, 20. Sed gestatio, fabulae, libelli, Campus, porticus, umbra, virgo, thermae: Haec essent loca semper, hi labores. Adde *Catulli l. c.* in LABELLUM. *f.* ℙ Est etiam interior corticis pars, quae ligno adhaeret. V. LĪBER, bri. *Cinna* vetus poeta ap. *Isid. Orig.* 6, 12. carmina Laevis in aridulo malvae descripta libello.

LĪBENS et Lubens, entis, part. a *libet*, *ἑκών*, volens, alacris, animo libenti: cui *invitus* opponitur. *Cic. Att.* 1, 14. Res nostrae, quae tam libenti senatu laudabantur. *Id. Fam.* 13, 65. Consecutus es, ut libentissimis Graecis, nutu, quod velis, consequare. *Id. Mil.* 14. *extr.* Cum totius Italiae concursus facti illius gloriam libens agnovisset. *Id. Har. resp.* 5. *extr.* Non modo patienti, sed etiam libenti animo parebo. *Id. Att.* 2, 4. Cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti; et *ib.* 10, 4. *med.* Me libente eripies mihi hunc errorem. *Pl. Men.* 2, 1. *extr.* Cape atque serva: me lubente feceris. *Tac. A.* 4, 12. Populus habitum dolentum, simulatione magis, quam libens induebat. *Ter. Andr.* 2, 1. *f.* fugin' hinc? *Byr.* ego vero ac lubens; et *Adelph.* 5, 6, 7. Tibi ob eam rem, siquid usus venerit, Lubens bene faxim. ℙ *Libens*, vel *Lubens merito*, formula solventis vota, et gratias Diis agentis. *Pl. Pers.* 2, 3, 1. Jovi opulento, inclyto, etc. lubens meritoque vitulor. Hinc notae illae in vet. *Inscr.* votivis, passim ap. *Grut.*, *Reines.*, *Gud.* et *Mur.* monum. Diis dedicator. V. S. L. M., h. e. *votum solvit libens merito:* quae expressae habentur ap. *Grut.* 19, 3. et ap. *Gud.* p. 51. *n.* 3. et 6. et p. 61. *n.* 2. V. DAMNATUS. ℙ V. *libens*, vel *lubens* aliquando refertur ad *votum* et cum eo concordat. Sic enim expresse habetur ap. *Grut.* 36, 1. Soli sanctissimo sacrum. Ti. Claudius Felix, et Claudia Helpis votum solverunt libens merito; et 41, 7. P. Cornelius Trophimus, et Lania conjux ejus votum libens solverunt. Sic 63, 2. Cn. Cornelius Charito, A. Timinius Januarius Silvano libens animo don. deder. ℙ Contra ad solventem refertur in aliis quamplurimis: v. gr. in his ap. *eund.* 46, 10. Quod proficiscentes expeditionibus sacris voverant, regressi cum commanipulis libentes votum solverunt; et 49, 1. L. Cornelius L. F. Pal. Terentianus, et Lemnius libertus merito libentes fecerunt. Reperiuntur etiam alio ordine inscriptae: ut ap. *eund.* 88, 5. A. L. V. S., *h. e.* animo libenti (vel libens) votum solvit; et 93, 2. V. L. A. S., *h. e.* votum libens (vel libenti) animo solvit; et 94, 8. V. L. S., *h. e.* votum libens solvit; et 97, 6. V. S. A. L. P., *h. e.* voto suscepto (vel votum susceptum) animo libens (vel libenti) posuit; et ap. *Fabr.* p. 690. *n.* 111. Votum solvit laetus libens. Sic *Pl. Trin.* 4, 1, 1. Jovis fratri laetus libens gratias ago. Ap. *Grut.* 87, 6, 7, 8. V. S. L. L. M., Votum solvit laetus libens merito. ℙ In alia ap. *eund.* habetur expressis verbis 1066, 3. voto solenni libero munere. ℙ Lubens pro hilari, laeto. *Pl. As.* 2, 2, 1. Ubi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium, Uti ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia est? Maximam praedam et triumphum eis affero adventu meo. *Id. Pers.* 5, 1, 8. ego omnes hilaros, lubentes, laetificantes faciam. *Ter. Ad.* 4, 7, 37. Hilarum ac lubentem fac te in gnati nuptiis.

LĪBENTER et Lubenter, adv. *ἀσμένως*, *προθύμως*, *ἀσπαστῶς*, libenti, aequo animo, studiose, sponte, cupide. *Cic. Div. Verr.* 12. Ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studioseque audiant. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 107. Cui ego, quibuscumque rebus potero libentissime commodabo. *Caes. B. G.* 3, 18. Libenter homines id, quod volunt, credunt. *Nep. Ag.* 7. Eoque libentius, quod latere arbitrabantur. *Ter. Ph.* 3, 2, 3. Nunc dicam, quod lubenter audias. *Pl. Most.* 1, 3, 1. Jampridem ecastor frigida non lavi magis lubenter. *Cato R. R.* 156. Si voles in convivio multum bibere, coenareque libenter; et *Cic. Fam.* 9, 19. Adjurans, nusquam se unquam libentius: subaudi *coenasse;* et *Ter. Eun.* 5, 9, 44. Cum illa libenter vivis: etenim bene libenter victitas, *h. e.* bonorum ciborum edax es, ut *Donat.* exponit. *Hor. Sat.* 1, 1, 63. jubeas miseram esse libenter.

LĪBENTĬA et Lubentia, ae, f. voluptas, gratia. *Gell.* 15, 2. *f.* Cui libentiae, gratiaeque omnes conviviorum incognitae sint. *Pl. Stich.* 2, 1, 3. onustum pectus porto laetitia, lubentiaque. ℙ Fuit laetitiae, et voluptatis Dea. *Pl. As.* 2, 2, 2. Illos lubentiores faciam, quam Lubentia est.

LĪBENTĪNA et Lubentina, ae, f. Dea libidinis, Venus. *August. C. D.* 4, 8. et *Varr. L. L.* 5, 6. et *Cic. N. D.* 2, 23., ubi Lubentina Venus appellatur. Adde *Non.* 1, 324. ℙ *Adjectivum proprie videtur esse, subintellecto *dea*. *Arnob. l.* 1. *med.* p. 19. *Herald.* (al. p. 15.) Libentinos: sc. deos. *B. A.*

LĪBER, a, um, adj. *ἐλεύθερος*, qui sui juris est, qui aut ingenuus natus est, aut a domino libertatem assecutus, cui contrarius est *servus*. Ducunt quidam a *libet*, quia liberi, quod libet facere possunt. (V. *Voss.*) Hinc *Pers.* 5, 83. An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sim Liberior Bruto? *Cic. N. D.* 3, 18. In jure civili, qui est matre libera, liber est. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Translate est, qui nullius habito respectu, quod sentit, dicit, et facit. *Cic. N. D.* 1, 44. Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. *Id. Sull.* 31. Vos, Dii patrii, ac penates, testor, integro me animo, ac libero P. Sullae causam defendere. *Pl. Cist.* 1, 2, 9. Libera uti lingua col-

libitum est mihi. *Id. Ep.* 1, 2, 43. Facile tu istuc sine periculo et cura, corde libero fabulare. *Liv.* 35, 32. Vocem liberam mittere adversus aliquem. *Cic. Att.* 1, 13. Hominibus Epiroticis paulo liberiores litteras committere non audeo. *Id. Brut.* 67. Hominum ineptias iracundius respuebat ingenuo liberoque fastidio. *Hor. Ep.* 4, 10. Liberrima indignatio. *Mart.* 1, 68. Liber homo es nimium, dicis mihi, Choerile, semper: In te qui dicit, Choerile, liber homo est. ℙ Item expeditus, solutus, nulla re impeditus: tum de personis, tum de rebus. *Cic. Dom.* 4. *f.* Liberum senatus judicium propter metum, non fuit. *Id. Acad.* 4, 3. Hoc liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas. *Id. Agr.* 1, 9. Soluti a cupiditatibus, liberi a delictis. *Id. Att.* 1, 13. Sum et ab observando homine perverso liber, et ad dignitatem retinendam solutus. *Ov. Pont.* 1, 6, 32. Libera a ferro crura. *Cic. Har. resp.* 6. Quamquam vestrae domus multo maxima ex parte sunt liberae religione. *Liv.* 2, 36. Liber religione animus; et 7, 34. Omni liber metu. *Val. Fl.* 3, 470. amictu. *Ov. Amor.* 2, 9, 20. carcere equus. *Cic. Fin.* 1, 15. Robustus animus omni est liber cura, et angore. *Liv.* 30, 4. *med.* Itaque tollit inducias, ut liber a fide incepta exsequeretur. Al. rectius leg. *libera fide. Hor. Ep.* 1, 7, 36. nec Otia divitiis Arabum liberrima muto. *Ov. Met.* 15, 301. Liberiore frui coelo. *Id. Fast.* 4, 292. Tiberis campo liberiore natat. *Lucan.* 3, 522. Liber nubibus aether. *Cic. Att.* 15, 16. Loca abdita, et ab arbitris libera. ℙ *Liberum est mihi*, licet, possum, integrum est. *Plin. ep.* 1, 8. Erit enim et post emendationem liberum nobis vel publicare, vel continere. Adde *Plin. alter* 30, 2, 6. ℙ *Libera omnia sibi servare* integra. *Plin. ep.* 1, 5. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 10, 154. tum libera fati Classem conscendit jussis gens Lydia Divum. Al. leg. *fatis. Stat. Silv.* 4, 2, 24. liberior campi, *h. e.* majus campi spatium habens. *Hor. A. P.* 212. Liber laborum. *Lucan.* 4, 384. curarum. *Ov. Her.* 1, 80. revertendi. *Sen. Hippol.* 492. spei metusque. ℙ Refertur etiam ad licentiam morum. *Cic. Coel.* 18. Sit adolescentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur. *Ter. Eun.* 3, 1, 40. Dolet dictum adolescenti imprudenti et libero. *Pl. Amph. prol.* 104. de Jove: vos novisse credo, jam, ut sit pater meus: Quam liber harum rerum multarum siet: Quantumque amator siet, quod complacitum est semel, *h. e.* intemperans, immoderatus, licentior. *Cic. Verr.* 2, 3, 76. Consuetudo peccandi libera. ℙ **Cic. de Or.* 2, 62. Quartum genus, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum. Hic *liberorum*, tanquam alienum, *Ernestus* delet, *Schellerus* mutat in *Lupercorum:* ut satis appareat, neutrum vocis vim cepisse. *Liber* est *libere scortans, potans, dissolutus, perditus.* Ipse *Cic. fr.* p. 1103. Convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum. *Id. pro Coel.* 18. Quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries nominaretur. *Nep. Them.* 1. Cum minus esset probatus parentibus, quod liberius vivebat. Aliquando ad res refertur. *Pl. Asin.* 5, 2, 17. Is apud scortum corruptelae, et liberis lustris studet. *Id. Poen.* 3, 2, 25. Liberum ut commonstraremus tibi locum et voluptarium, ubi ames, potes, pergraecere. *Hor. A. P.* 85. Et juvenum curas, et libera vina referre, i. e. compotationes, in quibus quicquid libet, facere licet. V. *Gronov. Obs.* 3, 4. Haec ex *Ruhnkenio. B. A.* ℙ Est item immunis, non obnoxius. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Mamertini soli vacui, expertes, soluti ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. *Liv.* 37, 55. *f.* Ut civitates, quae vectigales Antiochi fuissent, eae liberae atque immunes essent. *Cic. Verr.* 2, 2, 69. Agri immunes et liberi. *Id. Cat.* 1, 7. Tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. *Pl. Trin.* 4, 3, 26. Ambitio jam more sancta est: libera est a legibus. *Cic. Acad.* 4, 39. Liber a tali irrisione Socrates, liber Aristo Chius, *h. e.* extra periculum. ℙ *Libera mandata*, quae liberam ac plenam rei agendae facultatem permittunt. *Liv.* 38, 8. Legati ab Aetolis cum liberis mandatis ad consules venerunt. Adde 37, 56. ℙ *Liberum arbitrium* est animi voluntas ac sententia libera. *Liv.* 31, 11. Liberum arbitrium alicui cujuspiam rei permittere. *Id.* 37, 1. de re quapiam. ℙ *Liberae aedes* ap. *Liv.* 30, 17. et 35, 23. et 42, 6. Romae assignari solebant hospitii gratia legatis eorum, quibuscum societas, aut amicitia erat. Dicebantur liberae, *Turnebo* interprete *advers.* 30, 32., quia nulli alii vel inquilino, vel habitatori serviebant, ut eis libere legati, nullo impediente, uterentur. Sic liber locus: *Pl. Cas.* 3, 2, 4. ne qua ignavissimis Liberi loci potestas sit. *Id. Poen.* 1, 1, 1, 49. dicat, Locum sibi velle liberum praeberier, Ubi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter. Adde 3, 2, 25. ℙ De *libera custodia*, V. CUSTODIA. De *legatione libera*, V. LEGATIO. ℙ *Libera toga* est virilis, quae pueris dabatur post XVI. annum aetatisi, quia ex eo tempore liberioris vitae genus ingrediebantur: et quia liberi hominis gestamen est. *Ov. Fast.* 3, 771. et 777. ℙ [*Confund. *liber* et *uber.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 309. p. 607.]

LĪBER, ĕri, m. *Διόνυσος*, Bacchus, vini inventor, et praeses: quo nomine quidam solem ipsum significari voluerunt, sicut Cerere lunam, ut est ap. *Macr. Sat.* 1, 18., idque ipsum dixisse *Virg.* docet *Serv.* in illo *G.* 1, 5. vos o clarissima mundi Lumina, labentem coelo, quae ducitis annum, Liber et alma Ceres. Alii Liberum cum Marte conjungunt, unum Deum esse monstrantes, teste *Macr. ib.* 19. Alii plures Liberos faciunt, et duos quidem *Cic. N. D.* 2, 24., alterum Semele, et Jove natum, alterum genitum ex Cerere, et cum sorore Libera ex homine consecratum: quinque autem *ib.* 3, 23., ut in BACCHUS dictum est. Celeberrimus est Semeles filius, cui poetae ea fere omnia tribuunt, quae de aliis dicuntur: de quo V. in BACCHUS. Vocatur autem Liber, vel a *liberis*, idest filiis, quia cum (ut ait *Cic. N. D.* 2, 24.) ex nobis natos liberos appellemus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber, et Libera: vel a *liberando*, quia pro Boeotiae libertate pugnasse fertur: vel (ut ait *Sen. Tranqu.* 15.) quod vinum, cujus inventor fuit, liberat servitio curarum animum: vel (ut ait *Fest.*) quod vino nimio usi omnia libere loquuntur. Aliam nominis causam affert *August. C. D.* 6, 9. Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per ejus beneficium emissis seminibus liberentur: hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsas perhibeant semina emittere; et ab hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberae. V. ELEUTHERIUS. ℙ Saepe dicitur *Liber pater.* V. PATER. *Hor. Ep.* 2, 1, 5. Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Libero patri repertori vitis hirci immolantur. *Plin.* 4, 10, 17. Per vestigia Liberi patris, et Herculis. Adde *Curt.* 8, 2. et 10. et 9, 2. ℙ Metonymice, ut *Bacchus*, ita et *Liber* pro vino ponitur. *Cic. N. D.* 2, 23. Illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus; vinum aut Liberum: ex quo illud Terentii (*Eun.* 4, 5, 6.) Sine Cerere et Libero friget Venus. *Hor. Sat.* 1, 4, 89. Condita cum verax aperit praecordia Liber. *Quint.* 8, 6. *med.* Liberum et Cererem pro vino et pane licentius dicimus, quam ut fori severitas ferat. *Pl. Cist.* 1, 2, 8. Me complevi flore Liberi. *Id. Curc.* 1, 2, 4. Salve anime mi, Liberi lepos.

LĪBER, ĕri, m. filius. [**Cic. N. D.* 2, 24. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera: quod in libero servant, in libera non item: ubi v. *Heindf.*] *Quint. decl.* 2, 8. Liberi ac parentis non alius mihi videtur affectus, quam quo rerum natura, quo mundus ipse constrictus est. *Imp. Justin. Cod.* 3, 28, 33. Si quis maximam portionem libero relinquat. Adde *ib.* 5, 9, 8. *f.* ℙ Fere usurpatur in plurali numero. V. infra LIBERI, orum.

LĪBER, bri, m. *βίβλος, φλοιὸς, λέπος*, pars interior corticis, quae ligno adhaeret, medium illud inter lignum, et corticem, quod in plures phyliras dividi potest. V. CORTEX. *Serv.* ad *Ecl.* 10, 67., *Isid. Orig.* 17, 6. Dictus est quasi *leper*, ab Aeolico *λέπορ* pro *λέπος*, cortex, *π* converso in *b*, et *e* in *i*, veteri more, quo dicebant *magester* pro *magister. Cic. N. D.* 2, 47. Obducunturque libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus, et a caloribus tutiores. ℙ Indifferenter tamen pro quovis cortice positum invenitur. *Virg. G.* 2, 76. Huc aliena ex arbore germen Includunt, udoque docent inolescere libro. *Id. A.* 11, 554. libro et silvestri subere clausam. V. ENDIADYS. ℙ Et quoniam primo in palmarum foliis scriptitatum est, deinde in quarundam arborum libris, teste *Plin.* 13, 11, 21., et praecipue in libris, quae papyris in Aegypto detrahebantur; hinc factum est per metonymiam materiae, ut et *folium* et *liber* poneretur pro charta scripta; obtinuitque usus, ut, quamvis mutata re, aliisque jam inventis chartarum generibus, priscum tamen manserit nomen, liberque dicatur, qui ex pluribus concinnatus est chartis, ex quacumque materia praeparatae fuerint, *βίβλος, βιβλίον.* Sic universa Virgilii opera simul compacta unum dicimus librum. *Cic. Att.* 8, 12. *extr.* Demetrii librum de concordia velim mihi mittas. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Postea recisa ac purgata, in unum librum, grandem quidem, unum tamen coarctasse. *Cic. Sen.* 15. Dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi. *Id. Att.* 5, 12. Libros pervolutare. *Id. Tusc.* 1, 11. *med.* evolvere. *Id. Brut.* 87. volvere. *Id. Fam.* 6, 5. legere. *Id. Fat.* 1. edere. *Quint. in ep. ad Tryphon.* emittere. *Id. ib.* componere. *Cic. Sen.* 1. et *Nep. Att.* 18. *extr.* conficere. *Nep. Lys.* 4. conscribere. *Phaedr. prol.* 3. exarare. ℙ Quandoque libros vocamus operis alicujus partes, certaque segmenta, in quae totum opus distinguitur, quae et volumina dicuntur, ut cum dicimus, Virgilii Aeneidem in duodecim libros distinctam esse. *Cic. Div.* 2, 1. Quibus rebus editis tres libri perfecti sunt de natura Deorum. ℙ [*Omittitur v. *liber* ad numeralia more ap. Latinos quidem non insolenti, sed Graecis trito. *Quint. Inst.* 9, 2, 37. ut in T. Livii primo statim, Urbes quoque etc. ubi v. quae laudat *Spalding.* ℙ Porro locus est ap. *Eund. ib.* 1, 10, 18. Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat: ubi *liber*, in quo v. consentiunt omnes et *edd.* et *edd.*, pro *fabula* positum jure in suspicionem a *Gesnero* tractum proque eo substitutum *loco* dicit *Spalding.*] ℙ Liber praeterea dicitur, qui publicanorum, et mercatorum litteras tum missas, tum allatas continet. *Cic. Verr.* 2, 3, 71. Misit litteras ad Carpinatium, cum esset magister scripturae, et ejus societatis publicanorum, quas ego Syracusis apud Carpinatium in litterarum allatarum libris, Romae in litterarum missarum apud Tullium magistrum, familiarem tuum inveni. *Id. ib.* 2, 1, 71. 74. et 75. *libellum* appellat. V. LITTERA. ℙ Item pro ratione. *Cic. Att.* 2, 1. Iisdem ex libris perspicies, quae gesserim. V. integr. locum. *Plin. ep.* 5, 20. Egi pro Vareno, non sine eventu: nam bene, an male, liber indicabit. *Id. ib. f.* hunc eund. librum *oratiunculam* appellat. *Id. ep.* 3, 18. *librum* et *volumen* vocat panegyricum suum ad Trajanum. ℙ Item pro rescripto, decreto. *Id. ep.* 5, 14. *med.* Liber principis severus, et tamen moderatus. ℙ Item commentarius recte, aut prave factorum alicujus, testimonii causa confectus. *Nep. Lys.* 4. Librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum effert laudibus. [*V. *Brem.*] ℙ Per antonomasiam *libri* dicuntur de Sibyllinis, qui apud Romanos in summa religione erant: item de aliis ad sacra populi pertinentibus. *Liv.* 3, 1. Libri per duumviros sacrorum aditi. *Id.* 21, 62. Ob cetera prodigia libros adire decemviri jussi. *Cic. N. D.* 2, 4. Litteras ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse, etc. *Id. Att.* 9, 9. *med.* Nos autem in libris habemus, non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari jus esse, idque factum esse nunquam. Hic *augurales* videtur intelligere. ℙ [*Confund. *liber* et *locus.* V. *Spald.* ad *Quint.* 1, 10, 18.]

LIBĔRA, ae, f. *Περσεφόνη*, filia Jovis primi et Cereris, soror Liberi, quae et Proserpina dicitur. *Cic. N. D.* 2, 24. Non eum, quem nostri majores auguste sancteque Liberum cum Cerere, et Libera consecraverunt. *Liv.* 33, 25. Signa aenea Cereri, Libero, Liberaeque posuerunt. *Id.* 41, 28. Supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberaeque fuit. Adde *Cic. Verr.* 2, 5, 14. ℙ Hanc colebant mulieres (quam eandem ac Venerem putabant) fecunditatis causa, ut Liberum viri. V. *August. l. c.* in LIBER, eri, *Bacco*, §. 1. *f.* Ejus templum fuit juxta Circum max. *Tac. A.* 2, 49. ℙ Hoc nomine etiam appellatur Ariadna ab *Ov. Fast.* 3, 512., quod Liberi Patris uxor fuerit.

LIBĔRĀLĬA, ium, vel orum, n. plur. *Διονύσια*, Liberi, seu Bacchi sacra. Celebrabantur XVI. K. Aprilis, ut *Ov. Fast.* 3, 713. docet. *Varr. L. L.* 5, 3. Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes liberi. Hedera coronatae anus cum libis et foculo pro emptore sacrificant; et in libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia. Ita legit *Fogginius* ad *Verii Flacci Fast.* p. 118. *Macr. Sat.* 1, 4. Liberalium dies a pontificibus Agonium Martiale appellatur. *Cic. Fam.* 12, 25. Liberalibus litteras accepi tuas. *Id. Att.* 14, 10. Liberalia tu accusas? ℙ Pro *Liberalia* dicimus etiam ludos Liberales. *Naev.* ap. *Fest.* Libera lingua loquuntur ludis Liberalibus. *August. C. D.* 7, 21. narrat, quanta turpitudinis licentia agerentur hujusmodi ludi. ℙ Hoc die togam virilem, et liberam pueris, qui jam ad decimum sextum aetatis annum pervenissent, dare solebant: cujus rei causam non unam affert *Ov. l. c.* 771.

LIBĔRĀLIS, e, adj. *ἐλευθέριος*, ingenuus, nobilis, non servilis: a *liber. Cic. Coel.* 21. Huic tanto facinori tua mens liberalis conscia esse non debuit. ℙ *Liberali ingenio* dicitur esse, qui est, ut vulgus loquitur, bonae naturae. *Ter. Ad.* 4, 5, 50. nam ingenium novi tuum Liberale. ℙ *Liberale responsum* est ingenuum, humanum, benignum. *Cic. Att.* 3, 15. *med.* Qui me Pompeji minus liberali responso perterritum a turpissimo consilio revocaret. Sic *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 9, 871. Dein lenita jam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt. ℙ *Liberalis fortuna* est libero homine digna, a servili ministerio, et turpi quaestu abhorrens. *Liv.* 22, 26. Ubi pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris fortunae fecit: togaque et forum placuere. ℙ *Liberalia nomina*, h. e. liberorum hominum. *Varr. L. L.* 7, 18. *extr.* ℙ *Liberale conjugium* est, quod libere, et inter liberos fit. *Ter. Andr.* 3, 3, 28. spero consuetudine et Conjugio liberali devinctum, Chreme, Dehinc facile ex illis sese emersurum malis. ℙ *Liberale judicium*, et *liberalis causa*, *ἐλευθερία δίκη*, dicitur, in qua de alicujus agitur libertate. *Quint.* 6, 3. *med.* Contra quem judicio liberali aderat. ℙ Et *liberali causa manu asserere*, est asserere in libertatem judicio, seu causa, seu actione de libertate. *Ter. Ad.* 2, 1, 40. nam ego illam liberali

causa assero manu. Ubi *Donat.* Ordo est, Ego liberali causa assero illam manu: et sunt juris verba, a quibus etiam *assertores* dicuntur vindices alienae libertatis: quin et causa ipsa liberalis dicitur, quae actionem in se continet libertatis. ℙ [**Liberalis actio* ap. *Cic. Brut.* 80. est apta, decens, venusta, sine argutiis.] ℙ *Liberales artes*, ἐλευθέριοι παιδεῖαι, ἐλευθέρια μαθήματα, quae solius ingenii, non manuum ministerio exercentur, ut grammatica, rhetorica, dialectica, geometria, ut *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. docet, ceteraeque id genus, ita dictae, quod dignae sint liberis hominibus, seu quod liberum hominem potissimum deceant. Aliter dicuntur liberales doctrinae, liberalis eruditio, liberalia studia, ingenuae artes, etc. *Cic. Inv.* 1, 25. Quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores. *Id. Or.* 3, 32. Liberales atque ingenuae doctrinae. *Id. Arch.* 3. Liberalissima studia. ℙ Accipitur etiam pro pulcro et eleganti, uti docet *Fest.* Nam egregia forma hominis, liberi propria vulgo existimatur. *Ter. Eun.* 3, 2, 20. Quam liberali facie, quam aetate integra! ℙ Item pro benigno, munifico, eo, qui virtute liberalitatis praeditus est: cui opponun tur parcus, tenax, sordidus, ἐλευθέριος, ἀφιλής. Virtus enim haec est hominis non servili vel conditione, vel animo, sed vere liberi. *Cic. Off.* 2, 16. Liberales sunt, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur vel in re quaerenda, vel augenda. *Id. Rosc. Com.* 8. Roscius semper liberalissimus munificentissimusque fuit. *Liv.* 22, 26. Animum ad spem liberalioris fortunae adjecit. *Id. Dejot.* 9. Largus, beneficus, liberalis. *Id. Off.* 2, 15. Gratificandi liberalis voluntas. *Sall. Cat.* 7. Laudis avidi, pecuniae liberales erant; et *ib.* 55. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis. *Suet. Vesp.* 17. In omne genus hominum liberalissimus. ℙ Item pro copioso, largo, abundanti. *Cels.* 8, 10. *n.* 7. Primis diebus fames, deinde liberalius alimentum: fomentum aquae calidae, dum inflammatio est, liberale. *Cic. Fl.* 6. Largum et liberale viaticum. *Cels.* 3, 6. *f.* Potio liberalis. ℙ Pertinet etiam ad Liberum patrem. Unde *Liberales ludi* ap. *Naev.*, h. e. *Liberalia.* V. v. praec. ℙ [**Confund. *liberalis* et *exilis.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 10, 3, 13.]

LĪBĔRĀLĪTAS, atis, f. ἐλευθεριότης, ingenuitas, humanitas, bonitas. *Ter. Ad.* 1, 1, 32. Pudore et liberalitate liberos retinere satius est, credo, quam metu. ℙ Fere accipitur pro munificentia, benignitate. Est autem liberalitas virtus nobilissima in pecuniis, ceterisque rebus donandis decorum servans. Huic opponitur avaritia, cum minus datur, quam oporteat; et prodigalitas, cum magis datur, quam oporteat. Virtutem porro in recte dando consistentem, liberalitatem vocant, quod virtus haec sit hominibus non servili vel conditione, vel animo, sed vere liberi. *Cic. Off.* 1, 7. Justitiae est conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet. *Id. ib.* 14. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. ℙ Hinc et ipsa ea, quae per liberalitatem in alios conferuntur, *liberalitates* vocantur, [**Schenkungen.*] *Suet. Claud.* 29. Ne sigillatim enumerem revocatas liberalitates. *Tac. H.* 1, 20. Appellari singulos jussit, decima liberalitatis parte apud quemque relicta. ℙ In nummis quoties *liberalitas Aug.* legitur, fere congiarium intelligitur.

LĪBĔRĀLĪTĔR, adv. ἐλευθερίως, ingenue, ut libero homine dignum est. *Cic. Fin.* 3, 17. Esseque hominis ingenui, et liberaliter educati velle bene audire a parentibus. ℙ *Liberaliter eruditus*, vel *instructus* is dicitur, qui optimis artibus institutus est. *Cic. Tusc.* 2, 2. *extr.* Qui liberaliter eruditi, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione et via philosophantur. ℙ *Liberaliter servire*, est bono animo, et libero, libenter obsequendo. *Ter. Andr.* 1, 1, 11. Propterea quod servibas liberaliter. ℙ Frequenter accipitur pro large, munifice, δωρηματικῶς. *Cic. Att.* 16, 6. Fui libenter apud Talnam nostrum, nec potui accipi liberalius. *Id. Verr.* 2, 3, 85. Benigne ac liberaliter; et *ib.* 88. Large et liberaliter. *Varr. R. R.* 1, 17. Liberalius tractare aliquem. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Vivo paulo liberalius, quam solebam. *Caes. B. C.* 3, 61. Quod erant honesto loco nati, et instructi liberaliter. *Appul. Met.* 10. Dotem largiri liberalissime. ℙ Item ample, prolixe. *Cic. Att.* 5, 13. Liberalissime erat pollicitus tuis omnibus. *Nep. Lys.* 4. Petiit a Pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, deque ea re accurate scriberet. Huic ille liberaliter pollicetur. [**Cf. *Brem.* ad h. l. ℙ Nota hic singularem hujus v. cum v. *odisse* conjunctionem ap. *Plin. Pan.* 68, 7. Et alioqui cum sint odium amorque contraria, hoc perquam simile habent, quod ibi intemperantius amamus bonos Principes, ubi liberalius malos odimus. Ita *Gierig.* auctoritate MSS. omnium, multarumque edd. haec notans: velle Plinium declarare copiam verborum, quibus amor et odium prorumpat domi, eamque verbis *intemperanter* et *liberaliter*, i. e. *largiter* bene exprimi. *Schwarz.*, q. v., exhibet *liberius*, quod magis huc quadrare, meliusque respondere putat v. *intemperantius.*] ℙ Item comiter, benigne, civiliter. *Caes. B. G.* 2, 5. Caesar Rhemos cohortatus, liberaliterque oratione prosecutus; et *ib.* 4, 18. Legatis pacem petentibus liberaliter respondit.

LĪBĔRĀTĬO, onis, f. ἄφεσις, actus liberandi, remissio, absolutio. *Cic. Pis.* 36. Quid ego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? *Id. Lig.* 1. Cum a te non solum liberationem culpae, sed etiam errati veniam impetravissent. *Id. Fin.* 1, 11. Cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus. *Just.* 5, 8. *f.* Ne iterum rempubl. sub obtentu liberationis invaderet. ℙ Liberationis verbum, inquit *Paul. Dig.* 50, 16, 47. eandem vim habet, quam solutionis. Hinc *liberatio* dicitur a *Paulo ib.* 46, 3, 62. cum debitor, soluta pecunia, aere alieno liberatur. *Ulp. ib.* 34, 3, 3. Liberationem debitori legare, *h. e.* legato in testamento debitum ei remittere. Hinc *liberatio legata* inscribitur titulus tertius *lib. Dig.* 34. h. e. remissio, et condonatio debiti legato relicta.

LĪBĔRĀTOR, oris, m. ἐλευθερωτής, λυτρωτής, vindex libertatis. *Cic. Phil.* 1, 2. Patriae liberatores urbe carebant ea, cujus a cervicibus jugum servile dejecerant. [*Cf. *Liv.* 1, 60. 6, 14.] *Curt.* 3, 10. Terrarum orbis liberatores. *Inscr.* ap. *Grut.* 281, 10. Liberatori orbis Romani, restitutori libertatis, D. N. Magnentio. ℙ Ap. *Tac. A.* 15, 64. et *ib.* 16, 35. est epitheton Jovis.

[LĪBĔRĀTRIX, icis, f. libertatis vindex. In nummo argenteo L. Clodii Macri, qui, cum Africam provinciam legatus pro praetore regeret, audita Vindicis adversus Neronem seditione, ipse quoque imperium arripuit, ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 288. L. Clodi Macri liberatrix scil. Africa, cujus caput in eodem nummo profertur. *F.*]

LĪBĔRĀTUS, a, um, part. a *libero*: ἀφεθείς, in libertatem assertus, dimissus, absolutus. *Cic. Fam.* 14, 4. *med.* De familia liberata nihil est, quod te moveat. *Id. N. D.* 2, 3. Cum cavea liberati pulli non pascerentur. *Id. Tusc.* 1, 1. Defensionum laboribus, et senatoriis muneribus liberatus; et *ib.* 4, 1. dominatu regio. *Id. Marc.* 5. a scelere. *Id. Rosc. Am.* 50. culpa. *Id. Att.* 6, 2. *med.* aere alieno; et *ib.* 10, 15. *f.* a quartana. *Caes. B. G.* 5, 47. obsidione. *Just.* 5, 9. metu. *Suet. Aug.* 29. periculo. ℙ Liberata, inquit *Fest.*, ponebant pro effata. *Cic. Leg.* 2, 8. *extr.* Sacerdotes urbem, et agros, et templa liberata, et effata habento, *h. e.* certis verbis, quibus eorum termini statuebantur ab auguribus, definita, et consecrata. V. EFFARIS et EFFATUS. ℙ *Liberatum flumen* est superatum. *Hyg. fab.* 257. Vix tandem Moerus, liberato flumine, consequitur carnificem. *Scheffer.* hic male putat legendum *librato.*

LĪBĔRĔ, adv. ἐλευθέρως, liberaliter, ingenue, quemadmodum liberum hominem decet. *Ter. Andr.* 5, 4, 7. Tune hic homines adolescentulos, imperitos rerum, educatos libere in fraudem illicis? ℙ Item nullo timore, nullo impediente, nulla assentatione, etc., μετὰ παῤῥησίας. *Cic. Div.* 2, 48. Animus somno relaxatus solute movetur et libere. *Id. Quint.* 11. Quem tu respirare libere non sinis. *Id. Att.* 4, 16. Constanter et libere me gessi. *Id. Or.* 23. Ut ingredi libere oratio, non errare licenter videatur. ℙ *Libere vivere* est licenter, et suo more vivere, neque subjici alicujus voluntati. *Ter. Andr.* 1, 1, 24. Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia, Liberius vivendi fuit potestas. ℙ *Libere loqui*, vel *dicere*, est confidenter, ut nihil gratiae tribuas, aut potentiae alicujus. *Cic. Verr.* 2, 2, 72. Ne quis hoc me magis accusatorie, quam libere dixisse arbitretur. *Id. Planc.* 13. Asperius, inquit, locutus est: imo fortasse liberius. ℙ Pro liberaliter, large, copiose. *Virg. G.* 1, 127. ipsaque tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat. Possis etiam interpretari, ultro, sponte, quia terra sine labore hominum, ultro fruges fundebat.

LĪBĔRI, orum, m. plur. τὰ τέκνα, οἱ παῖδες, filii, vel filiae. Romani filios dixere liberos, non simpliciter, sed ad discrimen servorum, vernarumque. *Cic. Att.* 8, 2. Vagamur egentes cum conjugibus et liberis; et *ib.* 16, 11. Ut sciant, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. *Id. Verr.* 2, 3, 69. Susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriae. *Id. Tusc.* 5, 37. *extr.* Procreare liberos. *Suet. Aug.* 48. educare et instituere. *Tac. A.* 4, 3. gignere ex aliqua. ℙ Hoc nomine etiam utimur, cum de uno tantum filio, aut filia loquimur. *Cajus Dig.* 50, 16, 148. Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Malum est liberos amittere. De Tulliola loquitur. Adde *Pl. Aul.* 4, 10, 5. ℙ Liberorum appellatione etiam nepotes et pronepotes, ceterique ex iis descendentes continentur. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. Liberi vocantur usque ad trinepotem. *Callistrat. ib.* 50, 16, 220. Liberorum appellatione nepotes et pronepotes, ceterique, qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes liberorum appellatione lex XII. Tabul. comprehendit. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. Habitus sis in liberum loco, sicut mos majorum ferebat. ℙ *Dare operam liberis*, est procreandorum liberorum causa cum uxore rem habere. *Cic. Off.* 1, 35. *med.* Liberis dare operam, re honestum est, nomine obscenum. ℙ *Jus trium liberorum* Romae, et *quatuor* in Italia, et *quinque* in provinciis, privilegium quoddam ejus erat, qui totidem liberos ex legitima uxore procreasset, et incolumes haberet: si vero tres, sive unum duosve bello amisisset, pro superstitibus cedebant, ut ait *Auct. fr. juris antejust.* (ed. *A. Maio*) p. 49. Itaque si quis in hac conditione esset, in magistratu petendo aliis praeferebatur, in ipso magistratu priorem locum tenebat, et ante annum aetatis vigesimum quintum poterat ad honores admitti; gaudebat insuper munerum personalium vacatione, quae *Arcadius Charis. Dig.* 50, 4, 18. §. 2. — §. 20. fuse persequitur; in agri publici divisione portionem habebat, teste *Suet. Caes.* 20.; si vero damnatus esset, pluribus ejus liberis bona paterna concedebantur, ut affirmat *Paul. Dig.* 48, 20, 7. §. 3. *Impp. Sever.* et *Anton. Cod.* 5, 66, 1. Qui ad tutelam, vel curam vocantur, Romae quidem trium liberorum incolumium numero, de quorum etiam statu non ambigitur; in Italia vero quatuor; in provinciis autem quinque habent excusationem. *Fr. juris antejust.* p. 47. Numerus quoque liberorum a tutela excusationem tribuit: civibus quidem Romanis earum tutelarum, quae Romae sunt injunctae, a trium filiorum; earum vero, quae in municipiis Italicis injunguntur, a quattuor numero liberorum; sed et si in provincia delata fuerit tutela, licet Romae excusatio allegetur, a quinque liberis debet recipi. ℙ Qui hujusmodi liberorum numero carebant, idem jus a principe impetrabant. *Plin. ep.* 2, 13. Nuper ab optimo principe (*Trajano Aug.*) trium liberorum ei (*Voconio Romano*) jus impetravi. *Suet. Galb.* 14. Jura trium liberorum vix uni atque alteri, ac ne his quidem, nisi ad certum praefinitumque tempus, dedit. *Mart.* 3, 95. Praemia laudato tribuit mihi Caesar uterque, Natorumque dedit jura paterna trium. Hinc jocatur *Id.* 10, 60. Jura trium petiit a Caesare discipulorum, Assuetus semper Munna docere duos. *Inscr.* ap. *Donat.* 456, 13. L. Appulejo Brasidae habenti IIII. liberorum jus, datum ab Imp., etc. ℙ Feminae etiam *jus trium*, vel *quatuor liberorum*, vel *jus commune liberorum*, vel *jus liberorum* habentes, vel quae impetravissent, a tutela excusabantur, maritorum ac filiorum hereditatem consequi, et testamentum pro lubito facere poterant. *Paul. recept. sentent.* 4, 9. Libertina ut jus liberorum consequi possit, quatuor eam peperisse sufficit. Latina ingenua jus Quiritium consecuta, si ter peperit, ad legitimam filii hereditatem admittitur. Jus liberorum mater habet, quae tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit. Habet, cui supersunt; habuit, quae amisit; neque habet, neque habuit, quae beneficio principis jus liberorum consecuta est. *Inscr.* ap. *Grut.* 631, 2. Corneliae Zosimae habenti jus quattuor liberorum beneficio Caesaris, etc. Alia ap. *Fabr.* p. 597. *n.* 1. Abejenae C. F. Balbinae, cui Imp. . . . . jus commune liberorum concessit, etc. Alia ap. *Grut.* 1081, 1. Statia Irene jus liberorum habens; et *mox:* Statia Irene I. L. H. V. plura huc pertinentia ap. *Oliver. Marm. Pisaur.* p. 63. — 91. ℙ *Liberum* pro *liberorum* praeter *Cic. l. c.* §. 3. habent praeterea *Accius* ap. *eund. Tusc.* 3, 9., *Turpil.* ap. *Non.* 9, 1., *Tac. A.* 2, 38., *ib.* 3, 25. et 35. et alii: immo fuit usitatius, ut ex *Cic. Or.* 46. colligitur. ℙ In singulari num. perrarum est. V. LIBER, eri. ℙ *Liberi* pro masculis tantum. *Hyg. fab.* 9. Procreavit liberos septem, totidemque filias. ℙ De pecudum fetu. *Pl. Capt.* 4, 2, 38. Lanii, qui concinnant liberis orbas oves, *h. e.* oves pluries jam fetas occidunt, deinde eisdem decoriatis vervecum testiculos dolose ita aptant, ut verveces esse videantur, eoque pluris veneant: quod etiam apud nos non raro usuvenit. [*Pluribus instruxit h. l. *F.*]

*LĪBĔRĪNI, i. q. Iliberi, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. Iliberi, quod Liberini (*cognominatur*): ubi forte legendum *Iliberini* vel *Eliberini. B. A.*

LIBĔRĪNUS, i, m. ad liberum, vel liberos pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1333, 8. Q. Julius Liberinus.

LĪBĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἐλευθερόω, ex servo liberum facio, libertatem do, manumitto: et proprium est domini servum de sua potestate emittentis. *Pl. Most.* 1, 1, 22. Amicas emite, liberate; pascite Parasitos. *Caes. B. C.* 3, 9. Servos omnes puberes liberaverunt. *Plin. ep.* 7, 16. Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti. *Cic. Or.* 1, 40. Si quis apud nos servisset, seseque liberasset. [***Cic. Caecil.* 17. liberare se a Venere, i. e. pecunia redimere onus a majoribus acceptum, sumptus certis Veneris sacris suppeditandi, quod qui sustinebant, servi Veneris, Vene-

rii, dicebantur. V. *Graev.*] ℙ Translate est libere dimittere, permittere, ut quippiam quis agat. *Id. Fam.* 3, 7. Ut eos quamprimum, ne in hiemem inciderent, ad facultatem aedificandi liberarem. [**Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. subintelligendum censet *ab interdicto.*] ℙ Et universim extricare, solvere, ex impedimento, damno, molestia eripere. *Cic. Div.* 2, 46. Quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent, eae scalpello resectae, liberarentur. *Ov. Met.* 6, 551. vagina liberat ensem; [*et *ib.* 11, 158. Aures liberat arboribus. *Virg. Mor.* 22. Liberat veste lacertos.] *Cic. Univ.* 6. Eum ab omni erratione liberavit. *Id. Verr.* 2, 5, 9. Multos ex his incommodis pecunia se liberasse. [**Vell.* 2, 33, 1. Egregia Cyzicum liberarat victoria.] *Plin.* 7, 50, 51. Liberari febri quartana. *Hirt. B. Afr.* 48. a terrore. *Phaedr.* 3, 2. Panthera saltu fovea sese liberat. *Cic. Att.* 13, 22. Liberare aliquem culpa. *Id. N. D.* 1, 6. invidia. *Id. Fam.* 1, 2. suspicione cupiditatis. *Id. Att.* 6, 1. *med.* magna sollicitudine. *Caes. B. C.* 3, 83. periculo; et *ib.* 1, 9. et *Ter. Andr.* 2, 2, 14. metu. *Caes. B. G.* 4, 19. obsidione. *Auct. B. Hisp.* 42. provinciam vectigalibus. *Curt.* 8, 4. militem damno et fame. *Just.* 11, 11. infamia matrem. *Liv.* 32, 10. Respondit, quas *(urbes)* ipse cepisset, eas liberaturum. [*Adde 6, 20. Nisi oculos quoque liberassent ab tanti memoria decoris, i. e. removissent ab oculis, quod in memoriam revocare decus illud, et impedire posset, quominus ex vero judicaretur. Cf. locum *Curt.* 10, 2, 27. Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratissimi cives: nos: *gehet mir aus den Augen.* ℙ Emittere. *Cic. Tusc.* 1, 22. Divinus animus liberatus a corpore. *Prop.* 4, 7, 89. Nox clausas liberat umbras.] ℙ Cum genitivo, subintellecto ablativo *crimine,* aut ejusmodi. *Liv.* 41, 19. Senatus nec liberavit ejus culpae regem, neque arguit. *Id.* 5, 28. Quin sine mora voti liberaretur. [**Ulp. L.* 50. §. 2. ff. *de leg.* 3. Quo curae et tutelae liberetur. V. *Ruddim.* qui h. l. laudat 2, 120.] ℙ Pertinet etiam ad judicia, pro absolvere: cui contrarium est condemnare. *Cic. Cluent.* 22. Qui ceteros ex ipsa causa condemnassent, hunc, quem bis condemnatum jam acceperant, liberarent. *Id. Verr.* 2, 2, 29. Qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant. *Id. Mil.* 18. Videte, judices, quantae res his testimoniis sint confectae. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur. ℙ *Liberare fidem* est praestare promissum. *Cic. Fl.* 20. Fusiis satisfacit absentibus, et fidem suam liberat. *Suet. Claud.* 9. Cum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria venalis pependit. ℙ *Liberare nomina* est impedita extricare, et aequare. *Liv.* 7, 21. *f.* ℙ *Liberare promissa* est abrogare, irrita reddere. *Cic. Off.* 1, 10. Quae promissa pleraque jure praetorio liberantur, nonnulla legibus. ℙ *Liberare se aere alieno* est se expedire aes alienum persolvendo. *Cic. Att.* 6, 2. His ego duobus generibus *(civitatum)* facultatem ad se aere alieno liberandas aut levandas dedi. Adde *Sall. Cat.* 41. Sic *liberari* dicitur *debitor*, cum quod debebat, solutum est. *Ulp. Dig.* 46, 3, 58. Et universim *liberari* dicuntur, qui obligationis cujusquemodi vinculo solvuntur, quo adstringebantur. *Paul. ib.* 44, 7, 46. et 46, 4, 11. ℙ [*A vectigalibus immune facere. *Cic. Agr.* 2, 21. Privata publicare, publica liberare; et *ib.* 1, 4. Jubet eosdem decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem possint et liberare agros quos commodum sit, et quos ipsis libeat publicare. *Verr.* 2, 2, 31. Liberet Byzantios. *Prov. cons.* 4. Civitas Byzantiorum libera et proximis suis beneficiis a senatu et populo Romano liberata; et *ib.* 5. Vectigales multos ac stipendiarios liberavit. ℙ *Att.* 16, 6. Buthrotios quum Caesar liberavisset, scil. ne agri eorum ex lege agraria dividerentur. ℙ *Har. resp.* 8. liberare domum, i. e. a religione. *Ernest.* in *cl. Cic.*] ℙ *Liberare impensam* est liberare aliquem ab impensa. *Col.* 3, 3. *med.* Cum ea res omnem impensam terreni pretio suo liberet. [*Ejusdem generis constructio esse videtur in loco *Livii* 26, 8. Liberare urbis obsidionem, i. e. urbem obsidione: ubi v. *Gronov.*] ℙ Refertur et ad inanima. [**Cic. Fam.* 5, 20. Volusii liberandi meum fuit consilium.] *Julian. Dig.* 18, 1, 41. Fundum alii obligatum liberare. *Caj. ib.* 33, 4, 15. Pignoratas res, vel in publicum obligatas liberare. ℙ *Liberare flumen* est superare ac transire. *Front. Strat.* 1, 5. *n.* 3. Cum unam spem salutis haberet, si flumen liberasset. Adde *ib.* 4, 7. *n.* 28. *Petr. Sat.* 136. Collectoque cultu meo, ire extra casam coepi: necdum liberaveram cellulae limen, cum animadverto, etc. Sunt quidem, qui lectionem sollicitant, sed vano conatu. ℙ *Liberasso* antique pro *liberavero* est *Pl. Most.* 1, 3, 66.

LIBERTĀ, ae, f. mulier, quae ex justa servitute in libertatem manumissa est. *Hor. Sat.* 1, 1, 99. at hunc liberta securi Divisit medium fortissima Tyndaridarum. *Modest. Dig.* 50, 16, 105. His verbis, *libertis libertabusque meis*, libertum libertae testatoris non contineri. *Libertabus* dixit ad distinctionem, qua si non sit opus, habet in dat. plur. *libertis*, ut in ANIMA et ASINA adscripsimus. Hinc *Plin. ep.* 10, 4. Rogo, des jus Quiritium libertis Antoniae Maximillae, ornatissimae feminae, Heliae, et Antoniae Harmeridi. Adde *ep.* 22. Ceterum *libertis libertabusque* saepissime in sepulcrorum antiquis epitaphiis legitur.

LIBERTAS, atis, f. ἐλευθερία, status et conditio liberi hominis. In nummis duobus Cassiae gentis ap. *Patin. de Fam. Rom.* p. 69. *leibertas* scriptum est. *Cic. Par.* 5, 1. Quid est enim libertas? potestas vivendi, ut velis. *Id. Rabir. perduell.* 11. Servo libertatem dare. *Id. Or.* 2, 33. *extr.* In libertatem se vindicare. *Id. Att.* 15, 13. Libertatem retinere. *Id. Dom.* 9. alicui adimere. *Id. Rabir. Post.* perdere. *Id. Leg.* 3, 17. largiri alicui. *Id. Off.* 1, 20. *extr.* Libertate uti. *Suet. Ner.* 24. aliquem donare. *Lucan.* 2, 282. pro legibus arma Ferre juvat patriis, libertatemque tueri. [**Sall. Cat.* 58, 8. Vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare; et *ib.* §. 11. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus.] *Cic. Manil.* 5. et *Caecin.* 12. *extr.* Libertatem imminuere, *h. e.* injuriam quamlibet alicui inferre. Nam qui injuriam accipit, in ea re libertatem amittit, cum libertatis proprium sit laedi in vita a nemine, aut impediri, quominus possit se ipso et rebus suis uti, ut libuerit. [**Libertas* significat hoc loco jura liberi populi, hominis alienae ditioni non subjecti; et *imminuere libertatem* est contemnere ista jura, ita aliquem tractare, quasi non liber, non civis, nullis denique legibus munitus sit. Ita dicitur etiam *jus libertatis imminuere* ap. *Sall. Cat.* 37, 11. ubi v. *Cort.*] *Papin. Dig.* 38, 2, 41. *extr.* et *Julian. ib.* 40, 2, 4. et *Ulp. ib.* 4, 4, 11. alicui imponere, *h. e.* dare: ductum a virga, quae capiti imponere, *h. e.* dare: ductum a virga, quae capiti imponebatur. ℙ Item statuus liberae reipublicae, democratia. [**Cic. Leg.* 3, 10. Aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas. Plura exhibet *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Tac. A.* 1, 1. Urbem Romam a principio reges habuere: libertatem, et consulatum L. Brutus instituit. *Quint.* 6, 5. Asserere libertatem reipublicae. ℙ Item immunitas agrorum, domuum, et hujusmodi, qua liberantur servitute. *Paul. Dig.* 8, 6, 18. Non potest vicinus usucepisse libertatem aedium suarum. Adde *Pomp. ib.* 2, 6. ℙ Universim est libera facultas faciendi quidlibet. *Virg. A.* 11, 346. Dare libertatem fandi. *Cic. Planc.* 14. Quae fuit olim praeconi in ridendo, nunc equiti R. in plorando non est concessa libertas. *Id. Verr.* 2, 3, 1. *extr.* Praecidere sibi licentiam libertatemque vivendi. *Id. Acad.* 4, 10. Ne majorem largiar ei, qui contra dicturus est, libertatem et licentiam. *Id. Planc.* 6. Tabella dat populo eam libertatem, ut, quod velint, faciant. [**Sall. Cat.* 39, 4. Neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret.] *Hor. Sat.* 1, 4, 5. multa cum libertate notare. ℙ [*Est etiam eorum, qui liberi sunt a negotiis publicis, ut otio frui possint prout libeat. *Cic. Or.* 2, 33. Nam hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum, et istam oscitantem et dormitantem sapientiam Scaevolarum, et ceterorum beatorum otio concedamus. Arrisit hic Crassus leniter, et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. Me tamen ista oscitans sapientia, simulatque ad eam confugero, in libertatem vindicabit. *Schütz.* l. l.] ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 1, 601. Nec mihi libertas imis freta tollere arenis. *Prop.* 1, 1, 28. Sit modo libertas, quae volet ira, loqui. ℙ Speciatim est libere loquendi facultas, παῤῥησία. *Ov. Her.* 15, 67. Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit. Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit. [**Vell.* 2, 71, 2. Nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est; adde 68, 4. Immodica et intempestiva libertas adversus aliquem.] *Just.* 15, 3. Non culpae, sed libertatis poenas pendens. ℙ Interdum a licentia ita distinguitur, ut in bonam partem accipiatur, licentia in malam. *Liv.* 34, 2. *extr.* Feminae omnium rerum libertatem, immo licentiam, si vera dicere volumus, desiderant. ℙ In plur. numero *Pl. Cas.* 2, 8, 70. Tribus non conduci possim libertatibus, Quin ego illis hodie comparem magnum malum. *Paul. Dig.* 49, 14, 45. Libertates in fraudem datas retrahere. *Caj. Instit.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 228. In libertatibus quoque dandis nimiam licentiam compescuit lex Furia Caninia. *Ulp. ib.* 38, 1, 13. Libertatium conservandarum causa. V. CIVITAS. ℙ *Libertatum Vicesima.* V. VICESIMUS. ℙ Dea fuit Romanis hoc nomine, cui templum in Aventino a quodam Graccho ex multaticia pecunia constructum fuit, ut *Liv.* 24, 16. *f.* narrat. *Cic. N. D.* 2, 23. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae, Libertatis, Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit. ℙ Ejus templi atrium peramplum fuit, et multis etiam membris ac cellis instructum. *Liv.* 25, 7. Obsides Tarentini custodiebantur in atrio Libertatis. *Cic. Mil.* 22. Quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. *Tac. H.* 1, 31. Praeceptum, ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent. *Liv.* 45, 15. Ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam, etc. Adde 34, 44. et *Suet. Aug.* 29. ℙ Hinc eleganter et invidiose templum Licentiae vocat *Cicero*, quod in ejus domo P. Clodius exaedificaverat Libertatis templum, *Dom.* 51. Tu simulacrum non Libertatis publicae, sed Licentiae collocasti; et *Leg.* 2, 17. Vexati nostri Lares familiares: in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae.

LIBERTĪNĪTAS, atis, f. conditio libertinorum. *Ulp. Dig.* 22, 3, 14. Qui se ex libertinitate ingenuum dicit. *Paul. ib.* 4, 8, 32. Sive de ingenuitate, sive de libertinitate quaestio sit. Adde *Macr. ib.* 49, 4, 2. *med.*

LIBERTĪNIUM, ii, n. bona, quae libertus consequitur in morte patroni. *Calpurn. decl.* 14. *f.* Ego postulo tenue libertinium, quod, etc. Al. melius leg. *tenue*, *libertinum.*

LIBERTĪNUS, i, m. et Libertina, ae, f. ἀπελευθερικός, qui, et quae aliquo pacto se ex servitute in libertatem vindicavit. *Cic. Phil.* 3, 6. Ipse ex libertini filia suscepit filios. *Hor. Sat.* 1, 2, 48. Merx tutior libertinarum. ℙ *Libertinus*, et *libertus* significatione idem sunt, differunt usu loquendi; nam *libertus* ad patronum refertur, *h. e.* ponitur, cum patroni mentio est, ut *libertus Ciceronis*, *Caesaris*, *meus*, *tuus*, etc. *Libertinus* ad conditionem refertur, et designat statum ejus, qui antea servus, nunc liber est, sine respectu ad eum, qui liberavit, ut *libertinus homo*, *libertina mulier*, *conditio*, etc. *Cic. Verr.* 2, 1, 47. P. Trebonius viros bonos et honestos fecit heredes: in his libertum suum; et paulo post, de eodem loquens: Equiti Romano libertinus homo sit heres? *Caes. B. C.* 1, 34. Naves actuariae, quas Domitius servis, libertis, colonis suis compleverat. *Cajus Instit.* 3. (ed. *Goesch.*) §. 51. Quod autem ad libertinarum bona pertinet, siquidem intestate decesserint, nihil novi patronae liberis honoratae lex Papia praestat: itaque si neque ipsa patrona, neque liberta capite deminuta sit ex lege XII. Tab. ad eam hereditas pertinet, et excluduntur libertae liberi. *Liv.* 10, 21. Nec ingenui modo, aut juniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factae, libertinique centuriati. *Plin.* 14, 4, 5. Libertina plebs. *Hor. Sat.* 1, 6, 6. libertino patre natus. *Modest. Dig.* 1, 3, 21. Libertina conditio. *Suet. Aug.* 25. Libertino milite bis usus est. *Mart.* 5, 13. Et libertinas arca flagellat opes. ℙ Discrimen modo traditum servasse non videtur *Pl.* ubi ait *Pers.* 5, 2, 56. Ita pars libertinorum est: nisi patrono qui adversatus est, Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi; *libertorum* enim dicere debuit. Sic *Florent. Dig.* 38, 2, 28. Si in libertinum animadversum erit, patronis ejus eripiendum non est. [*Omnino notandum, hoc discrimen ab argenteae aetatis scriptoribus non admodum servari, ita tamen, ut *libertus* tantum dicatur pro *libertino*, non contra *libertinus* pro *liberto.* V. quae laudat *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 293.] ℙ App. Claudii aetate, et aliquandiu post *libertini* dicebantur non iidem ac liberti, sed libertorum filii: qui tamen inter ingenuos postea habiti sunt. *Suet. Claud.* 24. Etiam App. Caecum censorem (anno scil. U. C. CCCCXLII.) libertinorum filios in senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, et deinceps aliquandiu libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. [*V. *Brem.* et *Wolf.* ad h. l.] *Liv.* 9, 46. App. Claudius in censura senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat. [*Cf. *Drakenb.*] At *Aurel. Vict. vir. illustr.* 34. App. Claudius Caecus in censura libertinos quoque in senatum legit. Libertini non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant. P. autem Clodius legem ferre proposuerat, qua possent in rusticis quoque, quae propriae ingenuorum sunt, ferre. *Ascon.* in *Milonian.* 32.

LIBERTUS, i, m. ἀπελεύθερος, e servitute in libertatem vindicatus: et refertur ad patronum, ut in v. praec. dictum est. *Ter. Andr.* 1, 1, 10. Feci, e servo ut esses libertus mihi. *Cic. Fam.* 13, 23. Tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus ejus L. Cossinius Anchialus. *Id. Mil.* 33. Servos nostros libertos suos fecit. *Id. Sext.* 35. Seque servorum, et libertorum corporibus obtexit. *Hor. Sat.* 2, 3, 122. Filius, aut etiam haec libertus ut ebibat heres. ℙ In vet. lapidibus *liberti libertorum* saepe nominantur, qui nempe ab aliquo libertatem consecuto a servitute liberati fuissent; vel in iisdem bis *L.* h. e. *libertus* dicitur, ut nempe primi domini libertus a secundario, ut ita dicam, liberto distingueretur, cujus rei exempla plura suppeditant *Fabr.* ad *Inscr.* p. 7. *n.* XXIV, et *Mar. Frat. Arv.* p. 565. et sq. *Inscr.* ap. *Grut.* 378, 1. Volo, ut liberti mei, item libertorum meorum libertarumque liberti, quos honor seviratus contigerit, etc. Alia paucis ab hinc annis Patavii reperta, quaeque ibidem exstat in *Mus. lapid.* C. Petillius C. L. Anteros sibi, et Petilliae C. L. Staphi L. testamento fieri jussit. Hic *Petillia Staphis* di-

citur primo *Caji Liberta*, deinde iterum *Liberta*; quia nempe non C. Petillii, cujus Anteros libertus fuerat, sed ipsius Anterotis liberta erat. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 631. M. Antonius Panerotis *Augusti Liberti Libertus* Amethystus. ℙ [*Confund. *liberti* et *liberi*. V. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 478. *liberti* et *libertini*. *Id. ib.*]

LĪBET et Lūbet, ebat, buit, vel libitum est, impers. *δοκεῖ, ἀρέσκει, φίλον ἐστὶ*, placet. *Pl. Ps.* 1, 3, 114. Cur id ausus facere? *B.* lubuit. *Id. Asin.* 1, 1, 97. Ubicumque libitum erit animo meo. *Cic. Quint.* 30. *f.* Sin et poterit Naevius id, quod libet, et ei libebit, quod non licet. *Id. Att.* 2, 18. Sed de republ. non libet plura scribere. *Pl. Merc.* 1, 2, 19. Lubet scire ex hoc me, ut sim certior. *Suet. Caes.* 20. Cetera item, quae cuique libuissent, dilargitus est. *Pl. Amph.* 1, 1, 17. Quodcumque homini accidit libere, posse retur. *Cic. Att.* 14, 19. *med.* Cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem non modo non lubere. ℙ *Ut lubet*, formula est assentientis, permittentis, concedentis. *Ter. Heaut.* 4, 4, 16. Atqui jam dabitur. *Ba.* ut lubet: num ego insto? Adde 4, 5, 32. et alibi. ℙ *Caper* ap. *Prisc.* 11, 922. testatur, in usu veterum *libeo, es*, personale fuisse; sic *pigeo, taedeo, pudeo*, et alia id genus. ℙ *Lubet* pro *libet*, et *lubido, lubentia*, etc. priscorum sunt, ut et *Prisc.* monet 1, 553. et apud comicos praecipue frequentia. ℙ Part. *Libens*. V. s. l.

LĪBETHRA, ae, f. *Λειβηθρία*, fons Magnesiae, in Macedonia. *Plin.* 4, 9, 16. et *Mela* 2, 3. Aliqui dicunt, esse cavernam ad radices Libethri montis, fontem Pimpleam vocari. Aliqui eum constituunt in Thessalia, alii in Thracia, alii in Boeotia. Sed Thessalia et Thracia sunt partes Macedoniae, Boeotia Thessaliae contermina est. Fuit Musis sacer. Apud *Serv.* ad *Ecl.* 7, 21. est *Libethros, i*, m.

LĪBETHRĪDES, um, f. plur. *Λειβηθρίδες*, Musae a Libethra fonte Magnesiae Musis sacro. *Mela* 2, 3. *Strabo* 10. auctor est, Musas appellatas esse Libethridas a Libethro Thraciae monte, quem postea Macedones tenuerunt, sub quo et antrum fuisse ait Musis Libethridibus a Thracibus consecratum. *Virg. Ecl.* 7, 21. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen, Quale meo Codro, concedite, etc. Ubi *Serv.* aliam quoque opinionem tradit, nempe dictas esse a Libethro poeta, qui primus harmoniam tradiderit, et arcem Musis consecraverit.

*LĪBĪCI, orum, populi Galliae transpadanae, quorum urbs Vercillae dicta. *Plin.* 3, 17. ℙ *Cluverio* sunt qui *Libui* audiunt *Liv.* 21, 38. etc. *B. A.*

LĪBĪDĪNĪTAS et Lūbidinitas, atis, f. libido. *Laber.* ap. *Non.* 8, 61. Lubidinitate labitur.

LĪBĪDĪNOR et Lūbidinor, aris, dep. 1. *ἡδυπαθέω*, libidini indulgeo, libidine agor. *Mart.* 7, 57. et *Suet. Ner.* 28.

LĪBĪDĪNOSĒ et Lūbidinose, adv. *ἀκολάστως, ἀσελγῶς*, secundum animi libidinem, cupide, intemperanter, nimis appetenter, licenter. *Sall. Cat.* 51. Ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos et malos lubidinose interficiunt. *Cic. Div. Verr.* 12. Quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit. *Id. Off.* 1, 4. *f.* Cavetque in omnibus et opinionibus, et factis, ne quid libidinose aut faciat, aut cogitet, [**h. e.*, ut recte interpretatur *Heusingerus*, ex libidine quae est temeraria cupiditas non voluptatis tantum, sed et gloriae et pecuniae et vindictae. *Beier.* explicat: sic ut nec certum ordinem quis conservet, nec perpetuam legem sequatur, faciatque, quidquid venit in appetitum, i. e. licenter.] *Liv.* 3, 36. *f.* Abstinebatur a patribus: in humiliores libidinose, crudeliterque consulebatur. *Tert. Monog.* 16. *f.* Libidinosius saevire.

LĪBĪDĪNOSUS et Lūbidinosus, a, um, adj. *ἀσελγής, ἀκόλαστος*, intemperans, cupidus, secundum animi libidinem, voluptatis causa factus: sive illa Venerea sit, sive alterius generis. *Cic. Pis.* 36. Quid ego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? *Id. Dom.* 2. Quos ab inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum et definitum jus religionum, vetustas exemplorum deterret. *Sen. Consol. ad Marc.* 10. *f.* Fortuna, ut varia et libidinosa, mancipiorumque suorum negligens domina, et poenis et muneribus errabit. *Arnob.* 4, 138. Libidinosa fictio; et *Colum. prooem. l.* 10. Cum nostra aetas dapibus libidinosis pretia constituerit, coenaeque non naturalibus desideriis, sed censibus aestimentur. *Cic. Pis.* 27. Scitote, nihil isto esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius: *luxuriosus* nimius est in effundendo, *libidinosus* in appetendo. *Nep. Alc.* 1. Luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Cic. Verr.* 2, 2, 78. Homo flagitiosissimus, libidinosissimus, nequissimusque. *Hor. Ep.* 10, 23. Libidinosus caper. ℙ Translate. *Quint.* 5, 12. *med.* Quapropter eloquentiam, licet hanc (ut sentio enim, dicam) libidinosam resupina voluptate auditoria probent, nullam esse existimabo, quae ne minimum quidem in se indicium masculini, et incorrupti ostendet. ℙ *Libidinosus eloquentiae et gloriae*, ap. *Tert. Apol.* 48. et *Virg. vel.* 13. est vehementer cupidus.

LĪBĪDO et Lūbido, inis, f. *ἐπιθυμία*, cupiditas, voluntas, impetus animi quippiam appetentis; et fere sine ratione: a *libet. Lucr.* 4, 780. Quaeritur in primis, quare, quod cuique lubido Venerit, extemplo mens cogitet ejus idipsum. *Cic. Tusc.* 4, 6. Ex bonis libidinem et laetitiam, ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum: ex malis metum, et aegritudinem nasci censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus; et *ib.* 3, 5. Iracundia libidinis est pars: sic enim definitur iracundia, ulciscendi libido. *Id. Fin.* 3, 9. *f.* Timere, moerere, in libidine esse, peccatum est. *Plin.* 30, 2, 5. de Nerone: Quippe non citharae, tragicique cantus libido illi major fuit. *Gell.* 19, 4. Libido urinae lacessit; et *Cato R. R.* 156. Ubi libido veniet nauseae. *Cic. Leg.* 3, 15. *f.* Suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus. *Id. Fam.* 9, 16. *med.* Nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. *Id. Inv.* 2, 45. Ex ea ratione, quae in mentem, aut in libidinem venerit, rem administrare. *Id. Rosc. Am.* 49. Ad libidinem suam vexare aliquem; et *Font.* 12. aliorum judicare; et *Fin.* 1, 6. Fingere aliquid ad libidinem. Sic *Liv.* 25, 21. Instruitur acies ad libidinem militum forte procurrentium: deinde per libidinem, aut metum deserentium locum. *Tac. A.* 4, 46. Ne regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti. *Sall. Cat.* 8. Fortuna res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat, obscuratque. *Pl. Pers.* 5, 2, 26. Hunc irridere lenonem lubido est. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 3, 1. Spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. ℙ Saepe ad voluptates corporis Venereas refertur. *Cic.* saepe, *Sall., Petron., Hor., Plin., Suet., Tac.* etc. tum in singulari num., tum in plurali. ℙ *Libidines* absolute dicuntur lascivae imagines, quae in tabulis, vel in poculis pingebantur, aut sculpebantur, quales fuisse dicuntur, quae Philaenidis, aut Elephantidis schemata obscena repraesentabant. *Plin. praef. l.* 33. In poculis libidines caelare juvit, et per obscenitates bibere. V. DRILOPOTA. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 5. Parrhasius pinxit et minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci se reficiens. Huc etiam spectare videtur locus *Cic. Leg.* 3, 13. Quis enim ferret istos, cum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? Quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatis ejusdem tenerentur? ℙ In bonam partem. *Sall. Cat.* 7. Juventus magis in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis, atque conviviis, lubidinem habebat; [*Laudat *Kritz.* ad h. l. *Pl. Epid.* 1, 1, 87. Nequam homo es, Epidice; qui tibi lubido est male loqui?] et *in f. or. ad. Caes.* 2. Si tibi bona lubido fuerit patriae, parentibus gratificandi.

[*LĪBĪSONA, ae, opp. ap. *Ant. Itin.* V. v. sq.]

[LĪBĪSOSĀNUS, a, um, adj. pertinens ad Libisosam, seu Libisosonam, ut habet *Plin.* 3, 3, 4., seu Libisocam, ut *Λιβισώκα* est ap. *Ptol.* 2, 6., Hispaniae citerioris urbem in Oretanis, nunc *Lebazuza*, vel *Lezuza*, pagum in *Castiglia nuova. Inscr* ap. *Grut.* 260, 3. Colonia Libisosanorum. *F.*]

[*LĪBĪSOSANA, ae, opp. V. v. praec.]

*LĪBĪSTOS, i, Thraciae oppidum, non longe a Propontide vel Ponto Euxino. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

LĪBĪTĪNA, ae, f. Dea, in cujus templo vendebantur, et locabantur ea, quae ad sepulturam pertinebant. Aliqui censent, esse Proserpinam Plutonis uxorem. Quia enim Inferorum credebatur regina, eam mortuis praeesse putaverunt. Ideoque etiam ea, quibus mortui veluti exornati ad Inferos deducuntur, in ejus templo Romani voluerunt asservari. Romanorum eruditissimi arbitrati sunt, Venerem esse, quemadmodum tradit *Plut. in Numa.* Ap. eundem in *Quaest. Roman. n.* 23. problema est, cur in templo Libitinae, quae eadem ac Venus putaretur, funebria venderentur. Respondetur, id forte factum, ut indicaretur, eandem Deam et ortui, et interitui praesidere, et eo ipso humanae fragilitatis homines admonerentur, certo scientes, exitum ab ortu non procul abesse, cum eadem Dea morientibus praeesset, et vitam ingredientibus, atque id eo firmari, quod Delphis sit imaguncula Veneris *ἐπιτυμβίας*, sive sepulcralis, ad quam manes eorum evocant, quibus libant. Etiam *Dionysius Halicarnass.* 4, 79. scribit, Servium Tullium, quo numerum nosset quotannis obeuntium, imperavisse, ut nummus in templum Veneris cognomento Libitinae ferretur, quoties quis naturae concederet. *Liv.* 40, 19. Pestilentia in urbe tanta erat, ut Libitina vix sufficeret; et 41, 21. Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat. *Suet. Ner.* 39. Pestilentia unius autumni triginta funerum millia in rationem Libitinae venerunt. ℙ Metonymice ponitur pro morte. *Juven.* 14, 122. si Libitinam evaserit aeger. *Hor. Od.* 3, 30, 6. multaque pars mei Vitabit Libitinam. *Id. Sat.* 2, 6, 19. Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae. *Phaedr.* 4, 19. *f.* Libitina ne quid de tuo faciat lucri. ℙ Significat et feretrum, seu pyram, in qua mortui collocantur. *Ascon.* in *argum. Milonianae.* Fasces ex lecto libitinae raptos attulit ad domum Scipionis. *Mart.* 10, 97. Dum levis arsura struitur libitina papyro. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Arma vero, et libitina, totusque unius diei apparatus erat e succino, *h. e.* lectus, quo in arena mortui gladiatores statim efferebantur. ℙ Denique pro sepeliendi arte, seu vendendi ea, quae ad sepulturam pertinent. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 10. Qui tunc libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt. *In Tab. aen.* ap. *Mazoch.* p. 415. et 420. Praeconium, dissignationem, libitinam facere.

LĪBĪTĪNĀRĬUS, ii, m. *κτερισιής, ἐνταφιαστής*, qui locat, aut vendit ea, quae ad pompam funebrem sunt necessaria, vel qui curam habet sepeliendorum hominum: a Libitina Dea, in cujus aede asservabantur ea, quae ad instructionem funebris pompae erant necessaria. Honestior erat libitinarii conditio, quam pollinctoris. Nam pollinctor servus erat libitinarii, hic pollinctoribus praecerat. Igitur cum libitinario transigi solebat de sumptibus, quos funeri impendi oporteret. Hic deinde pollinctorum, praeficarum, vespillonum opera administrabat, quaecumque ad justa ac parentationem pertinerent. *Sen. Ben.* 6, 38. An tu Arruntium, et Aterium, et ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quae designatores et libitinarios, vota? [*Ulp. Dig.* 14, 3, 5. §. 8. Si libitinarius, quos Graece *νεκροθάπτας* vocant, servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit, danda in eum quasi institoria actio. *F.*]

LĪBĪTĪNENSIS, e, adj. ut Libitinensis porta, ap. *Lamprid. Commod.* 16. Galea ejus, inquit, bis per portam Libitinensem elata est. Ubi intelligendam esse portam amphitheatri, qua interfectorum gladiatorum cadavera efferebantur, censet *Kirchman. de fun. Rom.* 2, 20.

LĪBĪTUM, i, n. quod libet. *Tac. A.* 6, 1. Sua ipsi libita, velut in captos exercebant. *Id. ib.* 12, 6. Vidisse ipsos, arripi conjuges ad libita Caesarum. Adde *ib.* 14, 2., sed hic quoque in plur. numero. [*Apud solum Tacitum.]

LĪBĪTUS, a, um, part. a *libet*, qui placuit, cujus libido et cupido fuit. *Tert. Idol.* 4. *med.* Omnes vani, qui faciunt libita sibi, quae illis non proderunt.

LĪBO, as, avi, atum, a. 1. *λείβω*, spargo, fundo: a voce Graeca allata, quae idem significat. Habet autem locum praecipue in sacris, in quibus *libare* est partem vini, alteriusve liquoris, vel etiam rei cujuslibet, quae oblata sit, in aram, vel in aerem, vel in mare fundere, ut significetur, totum illud Deo sacrum esse, cujus prima portio in ejus honorem funditur. *Liv.* 39, 43. Libare Diis dapes. *Val. Fl.* 1, 666. Hac (*patera*) libat latices, et talibus infit. *Virg. A.* 5, 77. duo rite mero libans carchesia Baccho; et *ib.* 1, 740. in mensam laticum libavit honorem; et *ib.* 12, 174. Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro Summa notant pecudum, paterisque altaria libant, *h. e.* pateras altaribus: hypallage. *Ov. Met.* 3, 27. jubet ire ministros, Et petere e vivis libandas fontibus undas. ℙ Pro sacrificare. [**Cic. Leg.* 2, 8. Certasque fruges, certasque bacas sacerdotes publice libanto.] *Tibull.* 1, 11, 21. libare uvam. *Ov. Met.* 8, 274. frugem Cereri. *Id. Pont.* 4, 8, 39. tura Diis de acerra. *Id. Fast.* 1, 389. exta canum Triviae; et *ib.* 588. ovis viscera flammis. *Gell.* 12, 8. Cum solemni die Jovi libaretur. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 1, 9, 41. Jure igitur Celso lacrimas libamus adempto. *Prop.* 4, 6, 8. Libare carmina aris. ℙ Pro fundere, simpliciter. *Val. Fl.* 4, 15. arcano redolentem nectare rorem Detulit, inque vagi libavit tempora nati. ℙ Translate est gustare, degustare. [*Differunt *libare* et *gustare*, in eo, quod illud rei ad os vel admovendae, vel ingerendae in os notionem contineat: hoc saporis significationem simul involvat. *Doederl.* 3, 127.] *Virg. A.* 3, 354. Aulai in medio libabant pocula Bacchi. *Id. G.* 4, 54. de apib.: et flumina libant Summa leves. *Id. Ecl.* 5, 26. nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *Calpurn. Ecl.* 6, 51. pullus equi, qui gramina, matre relicta, Nunc primum teneris libavit dentibus. ℙ Item leviter attingere. *Ov. A. Am.* 1, 577. Libare cibos digitis. *Id. Met.* 10, 653. summam celeri pede libat arenam. *Petr. Sat.* 136. Necdum libaveram cellulae limen. *Virg. A.* 1, 256. Oscula libavit natae, *h. e.* summis labris sumpsit. *Sen. Phoen.* 174. *dextra* timida tum parvo caput Libavit haustu. ℙ Item decerpere, excerpere. *Cic. Inv.* 2, 2. Ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. *Id. Tusc.* 5, 29. Libasque ex omnibus quodcumque te maxime specie veritatis movet. *Id. Or.* 1, 50. *f.* Est boni oratoris multa legendo percurrisse, neque ea, ut sua possedisse, sed, ut aliena, libasse. *Auct. ad Her.* 4, 3. Vide, ne imprudenter facias, qui nomini tuo velis ex aliorum laboribus libare laudem. ℙ Item imminuere, absumere. *Lucr.* 5, 261. Ergo terra tibi libatur, et aucta recrescit; et *ib.* 569. Illa

ipsa intervalla nihil de corpore libant. Alii leg. *limant*. *Prop.* 4, 5, 57. ne quid cras libet ab ore dies, *h. e.* aetas de forma detrahat. V. LIBATUS.

[LIBO, onis, m. qui libat: est a *libo*, *as*, ut *edo*, *onis* ab *edo*, *is*, et *bibo*, *onis* a *bibo*, *is*: quamquam, cum paenultima in *libo*, *onis* brevis sit, longa vero in *libo*, *as*, videtur esse ab aor. 2. *ἔλιβον* verbi *λείβω*; nam ap. *Dion.* 57, 15. *Σκριβώνιος Λίβων* scribitur. Est itaque cogn. R. in gente Marcia, et Scribonia in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 248. Q. Marcius Libo, et p. 301. C Scribonius Libo. *Hor. Ep.* 1, 19, 8. forum, putealque Libonis Mandabo siccis. Adde *Prop.* 4, 11, 31. et *Sil.* 5, 411. *F.*]

LIBONOTUS. V. AUSTROAFRICUS.

LIBRA, ae, f. *λίτρα*, *σταθμὸς*, *ζυγὸς*, pondus duodecim unciarum. Est a Siculis, qui obolum dixere *λίτραν*. Aequivalet assi, et inter minora pondera maximum est, inter majora minimum. Fuit autem libra Romana aliquanto major, quam mina Attica. *Varr. L. L.* 4, 36. As erat librae pondus. *Liv.* 4, 20. Coronam auream librae pondo Jovi donum posuit. Al. leg. *libram pondo*. *Plin.* 26, 8, 56. Libra radicis in vini congio decocta. *Id.* 9, 17, 30. Mulli binas libras ponderis raro exsuperant; et *ib.* 15, 17. Thynnus pinguescens ad mille aliquando libras. ℙ Librae partes eaedem sunt atque assis. V. AS. ℙ Erat etiam libra mensurae genus constans duodecim partibus aequalibus, quas similiter uncias vocabant. *Suet. Caes.* 38. Frumenti denos modios, et totidem olei libras. ℙ Erat autem libra haec, teste *Gal. de composit. med. per gen. l.* 1. *c.* 17. et *l.* 6. *c.* 8., mensura cornea, qua oleum admetiebantur, intersecta lineis quibusdam dividentibus ipsam in duodecim partes. Corneis autem mensuris oleum apud Romanos vendi consuevisse, ostendit etiam *Hor. Sat.* 2, 2, 61. ℙ Est item instrumentum, quo res ponderantur, habens duas lances, ex quarum depressione, vel elevatione justum rei pondus deprehenditur. Unde etiam bilancem vocant, *bilancia*. Statera vero instrumentum est, quo res sine lancibus, vel unica lance ponderantur. *Cic. Tusc.* 5, 17. *extr.* Quo in loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui, cum in alteram librae lancem animi bona imponebat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam boni lancem putat, ut terram et maria deprimat. *Pers.* 4, 10. Scis etenim justum gemina suspendere lance Ancipitis librae. *Plin.* 10, 33, 50. Surculo super bina ova imposito, ac ferruminato alvi glutino, subdita cervice medio, aequa utrinque libra deportant alio. ℙ Translate. *Claud. Laud. Stil.* 1, 75. animi cunctantis libra, *h. e.* examen, disquisitio. ℙ *Facere aliquid per aes, et libram*. V. MANCIPIUM. ℙ *Libra* etiam instrumentum est fabrile, seu potius geometrica machina, qua exploramus altitudinem maris, fontium, lacuum, vel fluviorum, num scilicet altiora sint eo loco, quo ea ducere constituimus, quae et *libella* appellatur. Quamquam etiam non raro librae vocabulum usurpamus pro ipsa altitudine, quam machina hujusmodi deprehendimus. Unde lacum dicimus esse pari libra cum mari, idest aequali altitudine. Item fontem dicimus esse infra libram montis, cujus scaturigo monte est inferior. *Colum.* 8, 17. Sin autem locus, ubi vivarium constituere censemus, pari libra cum aequore maris est, in pedes novem defodiatur piscina: et *mox*: est, in pedes novem defodiatur piscina: et *mox*: Modus aquae jacentis infra libram maris. *Caes. B. C.* 3, 40. Alteram navem pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, *h. e.* pari libra hinc et hinc, ne navis inclinet. Al. expon. *aequalis altitudinis*. [*V. *Moeb.*] ℙ Ponitur quoque pro libramento. *Plin.* 16, 36, 65. Contra flatus quoque pervicax libra Bononiensibus calamis, *h. e.* pondus aequilibratum. ℙ Est et *Libra* coeleste signum, constans ex octo stellis, quod Caesaris aetate octavo, hodie decimo tertio Cal. Octobris, sole ipsum ingrediente, aequinoctium facit autumnale. *Virg. G.* 1, 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas. Aliqui dicunt, Libram esse imaginem Astraeae filiae Astraei et Aurorae, vel Jovis et Themidos, ut alii malunt, quae a gentibus Dea justitiae antistita habita est. V. ASTRAEA. Porro veterum nonnulli hoc signum non agnovere; ejus enim spatium a Scorpii chelis occupari faciebant: et Caesaris demum aetate, qui vetus Kalendarium reformavit, videtur *Libra* locum occupasse chelarum Scorpionis, quae et jugum appellatur (V. JUGUM.) ob similitudinem. Hanc ita describit *Manil.* 4, 545. Sed cum autumnales coeperunt surgere Chelae, Felix aequato genitus sub pondere Librae Judex extremae sistet vitaeque necisque, Imponetque jugum terris, legesque rogabit. *Virg. G.* 1, 33. Qua locus Erigonen inter, chelasque sequentes; et *Ov. Met.* 2, 195. Est locus, in geminos ubi brachia contrahit ardens Scorpios, et cauda, flexisque utrinque lacertis Porrigit in spatium signorum membra duorum. *Macr. Somn. Scip.* 1, 18. *med.* Libram, idest Scorpii chelas, oriri videmus. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Aegyptii duodecim esse asserunt signa: Chaldaei vero undecim: nam Scorpium, et Libram unum signum accipiunt. Chelae enim Scorpii libram faciunt.

LIBRĀLIS, e, adj. *λιτραῖος*, qui est unius librae. *Plin.* 19, 2, 11. Excedunt saepe magnitudinem mali cotonei etiam librali pondere. *Colum.* 6, 2. et *Pall.* 4, 12. *med.* Libralesque offas in praesulsae adipis liquamine tinctas in gulam demittito.

LIBRĀMEN, inis, n. libramentum, vis librandi, et ejaculandi. *Liv.* 42, 65. Huic spiculo ad libramen pinnae tres, veluti sagittis solent, circumdabantur. ℙ Translate. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 3, 13. *in.* Adhibito judicii libramine.

LIBRĀMENTUM, i, n. *ἰσοῤῥοπία*, aequamentum. *Colum.* 1, 5. *med.* Temperatum libramentum ventorum hiemalium, et aestivorum. *Sen. Ben.* 5, 6. *med.* de eclipsi solari: Modo excludit *(luna)* totius solis aspectum, si recto libramento inter solem terrasque media successit. Sic *Cic. Acad.* 4, 36. *med.* extremitatem mathematicam, *h. e.* superficiem, *quasi libramentum* dicit, ob summam aequalitatem. ℙ In aquaeductibus libramentum aquae est collatio altitudinis loci, unde deducitur, cum altitudine loci, quo ducitur, ut aqua commode vel ascendere, ubi opus sit, vel descendere possit, [*Das Gefälle.*] *Plin.* 31, 6, 31. Libramentum aquae in centenos pedes sicilici minimum erit, *h. e.* descensus, seu declivitas aquae, quae deducenda est. *Vitr.* 8, 7. Si canalibus *(fiat deductio)*, structura fiat quam solidissima, solumque rivi libramenta habeat fastigiata, *h. e.* positiones, non quidem aequas, sed initio quidem sublimes, in fine declives. *Plin. ep.* 4, 30. *f.* de aqua in parvo quodam fonte crescente, et decrescente: An nescio quod *(inquit)* libramentum abditum et caecum, quod cum exinanitum est, suscitat et elicit fontem, cum repletum, moratur et strangulat? *h. e.* cavea quaedam naturalis ad librandam ipsius fontis aquam, ita ut haec per ipsam facile defluere, et emergere possit. *Plin.* 11, 37, 65. de ranis coaxantib.: Inferiore labro demisso ad libramentum modicae aquae receptae in fauces, palpitante ibi lingua, ululatus elicitur, *h. e.* ad libram modicae aquae demerso labro. ℙ In bellicis tormentis libramenta sunt pondera, quae ballistis illigantur, ut majore impetu, ac facilius missilia jacere possint. *Tac. H.* 3, 23. Nisi vincla, ac libramenta tormentorum abscidissent. Hinc simpliciter pro pondere, seu magno pondere usurpavit *Liv.* 38, 5. In arietes tollenonibus libramenta plumbi, aut saxorum, stipitesque robustos incutiebant. Ubi tamen adverte, ideo pondera illa dici *libramenta*, quia tollenonibus dejiciebantur. Sic 42, 63. Arietem admotum, libramento plumbi gravatum, ad terram urgebant.

LIBRĀRIA, ae, f. *βιβλιοπωλεῖον*, taberna, in qua libri prostant. *Gell.* 5, 4. Apud Sigillaria forte, in libraria ego, et Julius Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus. Adde 13, 30. ℙ *Librāriă* est etiam mulier, quae libros scribit, versat et custodit. *Capell.* 1, 17. Clotho vero, Lachesis, Atroposque, quoniam sententias Jovis orthographae studio veritatis excipiunt, utpote librariae Superum, archivumque custodes. ℙ ℙ Est et *librārĭa* a *libra*, quo nomine significatur ancilla, quae praeficitur partiendis pensis, eadem ac lanipendia, ut habet *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 6, 475. si nocte maritus Aversus jacuit, periit libraria, ponunt Cosmetae tunicas. Hoc eodem sensu librariam intelligit in aliquot *Inscr. Fabrettus* p. 214. *n.* 542. 544. 545. etc.

LIBRĀRĬOLUS, i, m. dimin. librarii. *Cic. Att.* 4, 4. Et jam velim, mihi mittas de tuis librariolis duos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus. Adde *ib.* 15, 7., *Balb.* 6. et *Leg.* 1, 1.

LIBRĀRĬUM, ii, n. *βιβλιοθήκη*, locus seu cista, ubi domi asservantur scripta privata. *Cic. Mil.* 12. Exhibe quaeso, S. Clodi, librarium illud legum vestrarum. *Ammian.* 29, 2. Libraria omnia exurerent.

LIBRĀRĬUS, a, um, adj. *γραφικὸς*, ad libros pertinens. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Scriba librarius libertus ejus, qui apparuit Varroni. *Hor. A. P.* 354. Ut scriptor si peccat idem librarius usque. *Cic. Phil.* 2, 9. Libraria taberna. *Plin.* 27, 7, 28. Atramentum librarium. ℙ Item *librārĭus* ad libram pertinens, libralis. *Colum.* 12, 53. *med.* Caro in libraria frusta conciditur. *Vitr.* 8, 7. *f.* Caementum de silice frangatur, ne gravius, quam librarium. *Gell.* 20, 1. *med.* Librariis assibus in ea tempestate populus usus est. *Cato R. R.* 21. *med.* Insuper foramen librarium ferreum (lege *ferrum*) digitos sex latum indito, pertusum utrumque (lege *utrinque*) secus, qua clavus eat, [*sul fero porrai un ferro del peso d' una libra, largo sei dita. F.*]

LIBRĀRĬUS, ii, m. *βιβλιογράφος*, qui libros manu sua describit, pretio ad id conductus. Nam qui eos vendit, Graeco potius nomine *bibliopola*, *βιβλιοπώλης*, dicitur. *Hieron. ep.* 8. Rudes illi Italiae homines, quos cascos Ennius appellat, qui sibi ritu ferino victum quaerebant, ante chartae, et membranarum usum aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant; unde et portitores earum tabellarios, et scriptores a libris arborum librarios vocavere. *Cic. Agr.* 2, 5. *extr.* Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me afferunt. *Cic. fil. ad Tiron. Fam.* 16, 21. *f.* Peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum enim mihi eripitur operae in exscribendis hypomnematis. *Liv.* 38, 55. Malim librarii mendum, quam mendacium scriptoris esse. *Cic. Phil.* 2, 4. Litterae sunt librarii manu. *Inscr.* ap. *Grut.* 563, 1. Librarius legionis, *h. e.* qui ejus milites, ac rationes perscribit. *Veg. Mil.* 2, 7. Librarii, ab eo, quod in libros referant actiones ad milites pertinentes. Sic in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 44. Librarius manipularis, *h. e.* qui sui manipuli rationes scribit, et conficit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Librarii quoque, qui docere possunt, et horreorum librarii, et librarii depositorum, et librarii caducorum. ℙ Legitur et *scriba librarius* ap. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* et in *Inscr.* ap. *Grut.* 585. 2. 3. 4. 5., et videtur idem esse ac *librarius* simpliciter. Sic *scriptor librarius* habetur ap. *Hor. A. P.* 354. *Festus* quoque scribas cum librariis confundit, in voce *Scribas*. Est tamen ubi distinguuntur. In senatusconsulto apud *Front. Aquaed.* 100. Curatores aquarum lictores binos, et servos publicos ternos, architectos singulos, et scribas, et librarios habere. *Cic. Agr.* 2, 13. Decemviros ornat apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis. His locis *librarii* sunt scribis subjecti, iisque in publicis rebus conscribendis operam suam praebent: [ita ut *scriba* sit, quem Itali nunc *cancelliere*, *librarius* vero, quem iidem *scrivano*, vel *scritturale* appellant. *F.*] ℙ Est etiam *librarius*, qui libris negotiatur, *βιβλιοπώλης*. *Sen. Ben.* 7, 6. Libros dicimus esse Ciceronis: eosdem Dorus librarius suos vocat: et utrumque verum est. Alter illos, tanquam auctor, sibi: alter, tanquam emptor, asserit. Adde *Gell.* 5, 4. et 18, 4. ℙ In illo *Juven.* 9, 109. Et quae finxerunt librarius, archimagiri, etc., quidam dictum putant a *libra*, et poni pro eo, qui praeficitur partiendis pensis: cujusmodi officium in LIBRARIA posuimus.

LIBRĀTĒ, adv. re ponderata et perspecta. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 713. Et librate Aeneas et Cereris templum, et vetustum elegit.

LIBRĀTĬO, onis, f. *ταλάντωσις*, actus librandi, seu ad libellam exigendi. *Vitr.* 8, 6. *med.* Qui Archimedis libros legit, dicet, non posse fieri veram ex aqua librationem, quod ei placet, aquam non esse libratam, sed sphaeroides habere schema. *Minut. Fel. Octav.* 17. *med.* Coelum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur: jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. ℙ [Est etiam eadem ac jaculatio. *Diomed.* p. 473. Idcirco ex brevi et longa pedem hunc (iambum) esse compositum, quod ii qui jaculantur, ex brevi accessu in extensum passum proferuntur, ut promptiore nisu telis (fortasse legend. *teli)* ictum confirment. Auctor hujus librationis Arctinus Graecus his versibus perhibetur, etc. *F.*]

LIBRĀTOR, oris, m. qui librat, et praesertim qui in deducendis aquis expendit altitudinem fontium, quanto scilicet altiores sint eo loco, quo eos ducere constituimus. *Plin. ep.* 10, 50. Superest, ut tu libratorem, vel architectum mittas, qui diligenter exploret, sitne lacus altior mari. ℙ *Libratores* erant inter ministros curatoris aquarum, et in aquaeductuum curatione iis inserviebant, v. gr. in metiendis calicibus, ut est ap. *Front. Aquaed.* 105. Procurator calicem ejus moduli, qui fuerit impetratus, adhibitis libratoribus, signari cogitet, etc. ne sit in arbitrio libratorum, interdum majoris luminis, interdum minoris, pro gratia personarum, calicem probare. ℙ Item qui librat, hoc est tormentis torquet, et jacit. *Tac. A.* 2, 20. Funditores libratoresque excutere tela, et proturbare hostem jubet. Adde *ib.* 13, 39. Utroque autem loco al. leg. *libritores*, ut *libritis* dicitur pro *libralis*. [Ap. *Catonem R. R.* 22. *librator* est, qui trapeti partes recte concinnat, et librat. *F.*]

LIBRĀTŪRĂ, ae, f. aequatio superficiei. *Veg. Vet.* 2, 22. Medicamento libraturam cutis consumis.

LIBRĀTUS, a, um, part. a *libro*: ad libram collocatus, aequatus. *Cic. Tusc.* 5, 24. *f.* Quibus terra librata ponderibus, [*im Gleichgewichte erhalten,*] quibus cavernis maria sustineat. [*Huc pertinent et ista: *Lucan.* 1, 58. Librati pondera coeli Orbe tene medio, i. e. tene mediam circuli partem in coelo justo pondere suspenso; et 5, 94. Aere libratum vacuo quae sustinet orbem.] *Vitr.* 8, 6. *med.* Aquam non esse libratam, sed sphaeroides habere schema. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 3. Columnarum turbines in officina ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. [*Appul. Met.* 9. p. 203. defixum rigore librato suspenderat corpus: ubi v. *Pricae.*] *Lucan.* 9, 528. cum cardine summo Stat librata dies, truncum vix protegit arbor, *h. e.* cum meridie sol rectis radiis terram ferit: quod fit sub tropicis, et aequinoctiali

circulo. Eo igitur tempore lux solis, quasi ad libram, recta delabitur. ℙ *Librata* etiam dicuntur, quae dum moventur, jaciunturque, certo et aequabili cursu feruntur. *Tac. H.* 2, 22. Ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis, et certo ictu, adversus temere subeuntes. *Liv.* 30, 10. *med.* Poeni vana pleraque tela in superiorem locum mittebant: gravior, ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat, [*i. e. validior. Cf. 42, 65. Adde 38, 29. Librata quum sederit (glans): ubi *Ernest.* in *Lex. Liv.* haec notat: Librare eleganter dicitur, praesertim ap. poetas, pro *ei, quo ferire velis, aliquo motu vim majorem addere*, ut alte attollendo, torquendo, circumagendo. Hinc in loco cit. *glans* dicitur *librari*, quum circumactu fundae nisum majorem accipit. *Ov. Met.* 2, 311. et dextra libratum fulmen ab aure misit in aurigam; et *v.* 624. malleus dextra libratus ab aure. Adde 10, 178. Quem (discum) prius aerias libratum Phoebus in auras Misit. V. 8, 408. et 5, 142. *Lucan.* 6, 198. tortilibus librata phalarica nervis: ita recte invitis omnibus libris scribendum censet *Cort.* ad h. l. quem v. quae laudat ad *Eund.* 4, 386.] *Plin.* 8, 2, 2. de elephantis: Plenis homine tricliniis accubitum iere per lectos, ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur. *Id.* 37, 6, 22. Opalis falsis contra radios libratis, unus atque idem translucet colos, *h. e.* certa ratione motis, et versatis. *Sil.* 15, 429. per nubes aquila librata volatu.

*LIBRICOLA, ae, m. *Sarisb.* in *Carm.* Nummipetae cum libricolis nequeunt simul esse. *B. A.*

LIBRIGER, ri, m. qui librum gerit. *Paul. Nol. ep.* 28. (al. 9.) *n.* 4. Postulasti per eundem librigerum, ut, etc.

LIBRILIS, e, adj. libralis. *Caes. B. G.* 7, 81. Nostri fundis librilibus, sudibusque, ac glandibus Gallos perterrent, *h. e.* quae libralia saxa jaciebant. [*Metaphr. Gr. vertit *λίθους μεγάλους.*] ℙ *Librilia* ap. *Festum* (ita enim ibi legendum, non *librilla*, monent critici) appellantur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachii crassitudinem, in modum flagellorum loris revincta. ℙ *Librile, is*, est scapus librae, ut docet *Festus*, hoc est transversa illa linea, ex qua lances dependent; et accipitur etiam pro ipsa libra. *Gell.* 1, 1. *med.* Ut talionem in eo vel ad amussim aequiperarent, vel in librili perpenderent.

LIBRIPENS, endis, m. *ζυγοστάτης*, qui ante argentum signatum, cum Romani adhuc aere gravi uterentur, pecuniam pendebat: a *libra* et *pendo*. *Plin.* 33, 3, 13. Populus R. ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Libralis (unde etiam nunc libella dicitur) et dipondius appendebatur assis. Quare *aeris gravis poena* dicta, et adhuc *expensa* in rationibus dicuntur, item *impendia*, et *dependere*. Quin et militum *stipendia*, hoc est stipis pondera, *dispensatores* libripendes dicuntur. Qua consuetudine in his emptionibus, quae mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur. Haec *Plinius*. ℙ In mancipationibus quoque, et in testamentis, libripendis opera utebantur. V. MANCIPIUM. ℙ *Libripendes* etiam magistratus quidam videntur fuisse in municipiis et coloniis, quorum munus esset monetam ad trutinam revocare, vel ponderibus publicis praecesse. V. PONDERARIUM. *Inscr.* Nolae reperta, ap. *Grut.* 1115, 1. T. Vedius T. F., T. Vitorius Cn. F. II. viri libripendes ex *Decreto Decurionum*.

LIBRO, as, avi, atum, a. 1. ad libram exigo, aequo, complano. *Cato R. R.* 18. *med.* Pavimenta ad hunc modum facito: ubi libraveris, de glarea, et calce arenato primum corium facito. ℙ Translate. *Colum.* 10, 42. Et paribus Titan orbem libraverit horis, *h. e.* aequaverit nocti diem. *Pers.* 1, 85. crimina rasis Librat in antithetis, *h. e.* respondet ille quidem criminibus, sed affectata verborum cura, antitheta congerens paribus incisis, et quasi libra appensis, aliisque verborum figuris nimia arte elaboratis. ℙ *Librare aquam* est ejus altitudinem explorare, et deducere ad libram ejus loci, quo ducenda est. *Vitr.* 8, 6. Libratur autem aqua dioptris, aut libris aquariis, aut chorobate. V. ibi librandi rationem. ℙ Est etiam sustinere, suspendere; quemadmodum in libra suspenduntur, quae ponderantur. *Sil.* 17, 274. de navi naufraga: Et fluctus supra, vento librante, pependit. *Plin.* 2, 5, 4. Aeris vi suspensam librari medio spatio tellurem. *Id.* 19, 5, 24. de cucurbitis: Mire tenui pediculo libratur pondus immobile aurae. *Gell.* 5, 3. Acervum illum, et quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit. *Ov. Fast.* 3, 585. Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura, *h. e.* non intenduntur, sed suspensa antennis laxe agitantur. *Plin.* 2, 5, 4. Terram universi cardine stare pendentem, librantem per quae pendeat, *h. e.* sustinentem circum se fusa corpora, per quae ipsa vicissim sustinetur, h. e. aquam, et aerem. [*V. in *Libratus.*] ℙ Item perpendere, examinare. *Stat. Th.* 9, 165. paulum stetit anxius heros, Librabatque metus. *Nazar. Pan. ad Constant.* 7. Illa majestas, fandi ac nefandi discriminatrix, quae omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 8, 4, 26. Si quas coelestes praescriptiones super reddenda militia elicuerit provincialis apparitor, quas non ante praecelsa sedes tua libravit. ℙ Significat etiam vibrare, jaculari, et quasi libra, idest directo jaciendo emittere: vel quia quae jaculari volumus, prius ad nos adducimus, et retrahimus, et in aequilibrio quodammodo constituimus, ut emissa citius ferantur. [*Discrimen inter *librare* et *vibrare*, quorum solemnis est in libris manuscriptis confusio, v. *in f.*, *Cort.* ad *Lucan.* 4, 386., ubi v., hoc facit, ut illud ad tela referat, quando justo suo pondere, justoque modo emittantur aut infligantur, aut ad certum ictum manu praeparentur: *vibrare* sit agitare ferrum in manu, ita ut splendorem emittat, oculosque videntium praestringat: quomodo solis radii, ipsique gladii *vibrare* dicantur, et qui proludant pugnam, tela manu agitare, adeoque vibrare soleant. Cf. *Eund. ib.* 7, 289. V. etiam *Arntzen.* et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 13. Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 125.] *Ov. Met.* 7, 787. Ad jaculi vertebar opem, quod dextera librat Dum mea, dum digitos amentis indere tento, Lumina deflexi, etc. *Virg. A.* 9, 417. summa telum librabat ab aure; et *ib.* 10, 479. ferro praefixum robur acuto In Pallanta diu librans jacit; et *ib.* 5, 478. durosque reducta Libravit dextra media inter cornua caestus. *Lucan.* 3, 433. raptam librare bipennem Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum. *Stat. Achill.* 2, 419. librare vulnera. *Sen. Agam.* 900. Sic huc et illuc impiam librat manum. *Quint. decl.* 1, 10. Sic ergo libravit manum caecus, ut ipsam protinus feriret animam. ℙ *Librare se* dicuntur volucres, cum expansis utrinque alis, quasi libra, tolluntur ad volandum. *Plin.* 10, 3, 3. Haliaeetos librans ex alto sese. Sic *Ov. Met.* 8, 201. de Daedalo: geminas opifex librabit in alas Ipse suum corpus; et *A. Am.* 2, 68. de eod.: Inque novum timide corpora librat iter; et *Amor.* 2, 6, 11. quae liquido libratis in aere cursus. *Virg. G.* 4, 196. de apib.: saepe lapillos Tollunt, his sese per inania nubila librant. Sic *Plin.* 11, 10, 10. de iisd.: Si cooriatur procella, apprehensi ponducculo lapilli se librant. ℙ *Librare iter* est dirigere. *Sen. Oed.* 899. Callidus medium senex Daedalus librans iter, Nube sub media stetit. ℙ *Librare corpus in herba*, ap. *Ov. Fast.* 1, 429. est paulatim, et aequali descensu quasique ad libram demittendo se, decumbere. Simile est illud *Plinii* 12, 25, 54. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet, *h. e.* temperato ictu leviter demittitur. ℙ [*Confund. *librare* et *vibrare*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 433. 4, 40. et 386. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 125.]

*LIBROSUS collis fuit nomen in Chersoneso Taurica. *Plin.* 2, 103. ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, pro *Libroso* impressum *Beroso*. *B. A.*

LIBS, ĭbis, adj. *Λίψ*, ad Libyam pertinens, Africus. *Sidon.* enumerans labores Herculis, *carm.* 9, 94. Nessus, Libs, juga, poma, virgo, serpens, *h. e.* Antaeus. ℙ Item ventus Africus, *Ponente-Garbino*. *Auson. Technopaegn. de Deis* 12. Velivolique maris constrator leuconotus Libs. *Gell.* 2, 22. *med.* Africus, qui Graece vocatur *Λίψ*. *Plin.* 2, 47, 69. A meridie Auster, et ab occasu brumali Africus: Notos, et Liba nominant.

*LIBŪI, orum, vel Libui Galli, populi Galliae Transpadanae, circa Brixiam, Veronam, etc. degentes. *Liv.* 5, 35. 21, 38. et 33, 37. ℙ Iidem sunt, qui *Libici* audiunt *Plinio*, judice *Cluverio*. *B. A.*

LIBUM, i, n. *πέλανος, ὄνον*, genus cibi, cujus conficiendi rationem sic tradit *Cato R. R.* 75. Libum hoc modo facito. Casei P. II. bene disteras in mortario: ubi bene distriveris, farinae siligineae libram, aut, si voles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem indito, permiscetoque cum caseo bene: ovum unum addito, et una permisceto bene. Inde panem facito: folia (*laurea*) subdito: in foco caldo sub testu coquito leniter. *Ov. Fast.* 3, 670. Fingebat tremula rustica liba manu: Atque ita per populum fumantia mane solebat Dividere. *Mart.* 3, 77. Nec te liba juvant, nec sectae quadra placentae. ℙ Etiam ex aliis rebus liba fiebant. *Virg. A.* 7, 109. Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam Subjiciunt epulis. *Ov. Fast.* 3, 761. liboque infusa calenti Jure repertori candida mella damus. ℙ Dicta sunt a *libando*, quia praecipuus eorum usus erat in sacris. *Varr. R. R.* 2, 8. Dum haec loqueremur, venit libertus, qui dicat, liba absoluta esse, et rem divinam paratam: venirent, et ipsi pro se sacrificarentur. *Id. L. L.* 4, 22. Libum, quod libaretur, priusquam essent, (*h. e. comederent*) coctum. Al. leg. *priusquam esset coctum*. In aliis enim sacris crudum libabatur, in aliis coctum, ut in Matralibus. Adde *Ov. l. c.* 735., *Virg. Ecl.* 7, 33. et *G.* 3, 394., *Hor. Ep.* 1, 10, 10., *Tibull.* 1, 8, 54. etc. Sic *Juven.* 16, 38. Aut sacrum effodit medio de limite saxum, Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo. Hinc *quinquagesima liba* dixit *Mart.* 10, 24. quae quinquagesimo suae aetatis anno, natali die, sacra faciens obtulerat. ℙ *Ov. l. c.* 733. a Libero Patre liba, et libamina dicta esse putat, quia illi primum fieri et offerri coepta. V. LIBAMEN. ℙ *Libus, i*, m. *Nigid.* ap. *Non.* 3, 127. Deinde surgat, faciat libos quatuor, etc.

LIBURNA et Liburnica, ae, f. genus navigii velocioris, variae magnitudinis: nam minima unum habebat remorum ordinem: paulo major binos: idoneae mensurae ternos, vel quaternos, interdum quinos, ut *Veg. Mil.* 5, 7. docet, de suis loquens temporibus: nam primo biremis fuit, ut ex *Lucano* colligitur mox afferendo. Dicta est a Liburnis populis Illyrici: quorum auxiliis cum usus fuisset Augustus bello Actiaco contra Antonium, et Cleopatram; et experimento didicisset, eorum naves ceteris aptiores esse, classem Romanam ad illarum exemplum instituit, et ceteri deinceps imperatores. *Veg. ib.* Sunt tamen qui et ante Augustum Liburnarum usum fuisse Romanis putant. *Suet. Aug.* 17. Tempestate conflictatus, parte Liburnicarum demersa. *Id. Cal.* 37. Fabricavit et de cedris (al. leg. *deceres*) Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis. *Tac. G.* 9. Signum ipsum in modum Liburnae figuratum, docet, advectam religionem. *Lucan.* 3, 534. Ordine contentae gemino crevisse Liburnae. [*V. *Cort.*] *Sil.* 13, 240. Quanta est vis agili per caerula summa Liburnae. *Plin.* 10, 23, 32. Olores Liburnicarum modo, rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent.

LIBURNI, orum, m. plur. *Λιβυρνοί*, populi Liburniae, quae regio est Illyrii inter Istriam, et Dalmatiam, ad sinum et mare Dalmaticum, de qua *Plin.* 3, 22, 26. Liburniae finis, et initium Dalmatiae Scardona. *Virg. A.* 1, 148. Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi.

LIBURNĬCUS, a, um, adj. *Λιβυρνικός*, ad Liburnos pertinens, ut Liburnicae insulae, *Plin.* 3, 25, 30. Liburnicum oleum. *Pall.* 12, 18. Liburnici cuculli. *Mart.* 14, 139. in lemmate. ℙ De Liburnicis navibus V. LIBURNA.

LIBURNUS, a, um, adj. ad Liburnos et Liburniam pertinens. *Lucan.* 8, 38. Liburnae terrae. *Prop.* 3, 9, 44. Liburna rostra, *h. e.* Liburnicae naves. ℙ *Liburni* Romae multi erant servili conditione, quod ea gens proceros et validos homines habebat. *Juven.* 3, 239. Si vocat officium, turba cedente vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno, *h. e.* lecticario. *Id.* 6, 476. periit libraria, ponunt Cosmetae tunicas, tarde venisse Liburnus Dicitur. *Id.* 4, 75. primus clamante Liburno, Currite, jam sedit; rapta properabat abolla Pegasus, attonitae positus modo villicus Urbi.

LIBUS, i, m. V. LIBUM.

LIBYA, ae, et Libye, es, f. *Λιβύη*, Africae pars ea, quae ad septentriones est, et mediterraneo alluitur mari, inter Aethiopiam, et mare Atlanticum, et magis stricte, quae est inter Aegyptum, et Syrtes: quae Libya Mareotis a *Plin.* 5, 6, 6. appellatur: ubi nunc est *il regno di Barca*. *Hor. Sat.* 2, 3, 100. Graecus Aristippus, qui servos projicere aurum In media jussit Libya. ℙ Dicta est a Libye filia Epaphi (ap. *Hyg. fab.* 160. est *Palamedis*) et matre Busiridis: vel a Libye Afro, Herculis filio, ut est ap. *Capell.* 6, 215. ℙ Item Africa universa. *Virg. G.* 1, 240. Mundus, ut ad Scythiam, Rhiphaeasque arduus arces Consurgit, premitur Libyae devexus in Austros. *Val. Fl.* 7, 607. campos Libyes, ac pinguia Nili arva. *Sil.* 1, 194. Aestifero Libye torretur subdita Cancro. ℙ Adjective. *Varr.* ap. *Non.* 2, 132. In quibus Libya citrus fasce cingit fores. *Tac. A.* 3, 60. Diversum ad mare, terramque Libyam devectus. V. his similia in ARABIA.

*LIBYAEGYPTĬI, orum, m. populi Libyae, ex Aegyptiis oriundi. *Plin.* 5, 8. *Mela* 1, 4. *med.* ℙ Cf. *Libyphoenices*. *B. A.*

LIBYCUS, a, um, adj. *Λιβυκός*, ad Libyam pertinens, Africus. *Plin.* 5, 1, 1. Mare Libycum. *Petr. Sat.* 120. aequor, mare Aegyptium ubi Pompejus occisus a Ptolemaeo est. *Virg. A.* 1, 343. Libyci fines; et *ib.* 6, 338. Libycus cursus, *h. e.* navigatio per mare Libycum; et *ib.* 4, 320. Libycae gentes. *Hor. Od.* 1, 1, 10. areae, *scil.* quia feracissima frumenti est Africa. Hinc *Sen. Thyest.* 356. Non quidquid Libycis terit Fervens area messibus. Sic *Colum.* 3, 8. Mysiam, Libyamque largis abundare frumentis. Rursus *Hor. Ep.* 1, 10, 19. Libyci lapilli, *h. e.* segmenta e Numidico marmore, quibus parietes incrustabantur, et conserebantur pavimenta. *Ov. Fast.* 5, 178. Libyca fera, *h. e.* leaena, qua frequens est Africa. *Id. Met.* 4, 616. Libycae arenae, *h. e.* Libyae deserta, ut est ap. *Virg. A.* 1, 388. Hinc *Lucan.* 1, 368. per calidas Libyae sitientis arenas. Rursus *Ov. Ib.* 315. Libycus Juppiter, *h. e.* qui in Ammonis templo in Libya colebatur. *Sen. Herc. Oet.* 908. axis, *h. e.* Africum coelum, Africae regio. *Colum.* 3, 2. Libycae uvae, *h. e.* quae inter eas sunt, quibus ad escam utimur magis, quam ad vinum. *Pl. Cas.* 3, 5, 16. meraco se percussit flore Liybco, *h. e.* vino Mareotico se inebriavit. Al. leg. *flore Liberi*. *Colum.* 5, 10. *med.* Libycae ficus, *h. e.* de quibus *Mart.*

4, 46. Et ficus Libyca gelata testa. V. AFRICANUS. *Stat. Silv.* 3, 1, 157. et *Mart.* 5, 65. Libycae palaestrae, *h. e.* quibus Hercules cum Antaeo luctatus est. *Lucan.* 7, 880. Libyca succensae lampade Cannae, *h. e.* rogo ab Annibale exstructo cremandis Romanis, qui Cannensi proelio ceciderant. *Id.* 10, 129. Libyci crines, *h. e.* torti, crispi, quales sunt Afris. *Id.* 9, 805. Libycae pestes, *h. e.* serpentes venenatae, quarum ferax est Libya. *Mart.* 14, 3. Libycus dens, *h. e.* elephanti ex Libya. *Id.* 2, 43. Libycus orbis, *h. e.* mensa rotunda e citro, quo abundat Atlas mons Libyae. *Festus:* Libycus campus in agro Argeo (*Romae*) appellatus, quod in eo primum fruges ex Libya allatae sunt: quam ob causam etiam Ceres ab Argeis Libyssa vocata est. ℙ *Libyci, orum*, Libyae populi. *Macr. Sat.* 1, 17. Cum Libyci invasuri Siciliam classem appulissent.

LĪBYPHOENĪCES, um, m. plur. *Λιβυφοίνικες*, populi Libyae, ex Phoenicibus oriundi, et cum Afris mixti: quorum regio nunc est *il regno di Tunisi*, fertilitatis eximiae, cum centesima fruge agricolis fenus reddente terra, ut *Plin.* loquitur 5, 4, 3. Horum meminit et *Liv.* 21, 22. et 25, 40.

LĪBYS, yos, et ys, adj. *Λίβυς*, qui est ex Libya. *Ov. Met.* 4, 570. Hinc Libys, hinc Meroe, siccaque terra subest. *Stat. Silv.* 4, 2, 27. Mons Libys. *Sen. Herc. Oet.* 24. Antaeus; et *ib.* 41. Indusque Phoebo subditus, Cancro Libys. *Virg. Cir.* 440. Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro, *h. e.* citreus, e citro factus. V. CITRUS et CITRUM. *Lucan.* 6, 221. Cum jaculum parva Libys amentavit habena. *Sall. Jug.* 21. Africam initio habuere Gaetuli, et Libyes. Adde *Sil.* 12, 644.

LĪBYSCA Ficus, Libyca. *Colum.* 10, 418., ubi alii mallent *Libyssa*.

*LIBYSONIS TURRIS, oppidum Sardiniae. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

LĪBYSSĪNUS. V. LIBYSTINUS.

LĪBYSSUS, a, um, adj. qui est ex Libya. *Catull.* 7, 3. Quam magnus numerus Libyssae arenae. *Sil.* 8, 206. Libyssa gens. *Lucan.* 9, 666. terraeque in fine Libyssae. ℙ De Cerere Libyssa V. LIBYCUS, *f.*

LĪBYSTĪCUS, a, um, adj. ad Libyn quendam pertinens, qui fabulas scripsit. Hujus scriptoris meminit *Hesych. Λιβυκοὶ λόγοι. Χαμαιλέων φησὶ, Λίβυν εὑρεῖν τοὺς λόγους τούτους.* V. AESOPICUS.

LĪBYSTĪNUS, a, um, adj. Libys, Libycus. *Catull.* 60, 1. Num te leaena montibus Libystinis, etc. Al. leg. *Libyssinis*, minus recte. ℙ *Libystinus Apollo* colebatur a Siculis, qui pestilentia immissa, eos a Libycorum bello defenderat. *Macr. Sat.* 1, 17.

LĪBYSTIS, ĭdis, f. adj. *Λιβυστὶς*, Libyssa. *Virg. A.* 5, 37. Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursae. Ubi *Serv.:* Aut revera ursae, aut ferae Africanae, idest leonis, aut pardi. Adde *A.* 8, 368., ubi quo *Servius* quamlibet feram accipi posse ait. V. URSUS, *f.*

[LĪCĀTES, ium, m. plur. populi Vindeliciae: ita appellati, quod prope Licum amnem incolerent. Horum meminit *Plin.* 3, 20, 24. *E.*]

LĪCENS, entis, part. a *licet*, *ἀνειμένος*, qui licet, aut liber est, *παῤῥησιαστικός*. *Ov. A. Am.* 1, 569. Hic tibi multa licet sermone licentia tecto Dicere. *Stat. Silv.* 1, 6, 93. Joci licentes. *Mart.* 4, 8. egressu timet ire licenti Ad matutinum nostra Thalia Jovem. *Cic. Or.* 3, 48. Inde ille licentior, et divitior fluxit dithyrambus. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 3. Licentior vita, *h. e.* dissoluta. *Id.* 6, 4. *n.* 2. Mala licentis imperii magistra inopia, atque avaritia. ℙ De hominibus. *Gell.* 15, 9. Audacem et licentem esse. *Sen. Hippol.* 780. Turba licens Naides improbae. ℙ Item qui licetur, part. a *liceor*. *Plin. Pan.* 29. *f.* Annona, de qua inter licentem, vendentemque conveniat. *Curt.* 5, 12. Hominem mercede conductum ad nutum licentium circumferri.

LĪCENTER, adv. *ἀδεῶς*, *ἀνειμένως*, cum licentia, nimis libere, immoderate. *Cic. N. D.* 1, 39. Vos non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est impunitas garriendi. At quam licenter? etc. *Id. Or.* 23. Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. *Id. Coel.* 23. Servos licentius, liberius, familiarius cum domina vivere. *Hor. A P.* 265. idcircone vager, scribamque licenter? *Liv.* 26, 10. Licenter et otiose facere aliquid. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 3. Excedere omnes jussit cubiculo, quo licentius, remotis arbitris, indicium perageret. *Tac. A.* 6, 13. Gravitate annonae juxta seditionem ventum: multaque in theatro licentius efflagitata, quam ut, etc.

LĪCENTĬA, ae, f. *ἄνεσις*, facultas, venia, libertas, qua licet nobis quippiam facere, nullo impediente. Est a *licet* formula affirmantis, ut ap. *Pl. Rud.* 4, 6, 21. videre est. *Cic. Off.* 3, 4. *extr.* Nobis nostra Academia magnam licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere; et *ib.* 1, 29. *med.* Pueris non omnem licentiam ludendi damus. *Id. Sen.* 13. Tantum licentiae dabat gloria. *Phaedr.* 3, 7. Si quo abire est animus, est licentia? Non plane est, inquit. *Tac. A.* 14, 49. Licentia absolvendi; et *ib.* 1, 26. bene faciendi; et *Julian. Dig.* 24, 3, 6. Licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias. [**Suet. Caes.* 67. Licentiam omnem passim lasciviendi permittebat (militibus). *Aug.* 98. Permissa, immo exacta jocandi licentia. *Tib.* 42. Secreti sa, immo exacta jocandi licentia. *Tib.* 42. Secreti sa, immo exacta jocandi licentia. *Tib.* 42. Secreti s

et *Sat.* 2, 6, 96. ℙ Cum verbo *licet* infinitivus usurpari potest etiam passive. *Cic. Tusc.* 1, 12. Idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio jure, et caeremoniis sepulcrorum intelligi licet. *Caes. B. C.* 3, 28. Hinc cognosci licuit, quantum, etc. ℙ Si conjugatur cum infinitivo *esse*, vel alio ex neutris primi ordinis, ut *vivere*, *redire*, etc., [*addito adjectivo,] post illum infinitivum modum potest habere tum dat., tum accus. *Cic. Tusc.* 1, 15. Licuit enim esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae. [**Att.* 1, 17. *med.* Quo in genere mihi negligenti esse non licet; et *Fl.* 29. cur his esse liberis non licet? *Off.* 2, 18, 63. ut iis ingratis esse non liceat. *Liv.* 3, 50. Sibi vitam filiae sua cariorem fuisse, si liberae ac pudicae vivere licitum fuisset; et 26, 41. Hannibal nihil jam majus precatur deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat.] *Id. Balb.* 12. Quod si civi Romano licet esse Gaditanum sive exsilio, sive rejectione hujus civitatis. *Pl. Ps.* 1, 1, 14. Licet me id scire, quid sit? *Cic. Off.* 1, 26. *extr.* Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque vivere. Sed hic locus *Jacobo Facciolato* magistro meo valde suspectus est *νοθείας*. *Id. ib.* 2, 19. *med.* Licet opera prodesse multis beneficia petentem, commendantem judicibus, vigilantem, etc. Sed non videntur vv. *petentem, commendantem* a *licet* pendere. [*Recte! V. *Beier.*] ℙ Regit etiam conjunctivum sine conjunctione *ut*, quemadmodum *oportet*. *Cic. Or.* 1, 44. Fremant omnes, licet: dicam, quod sentio: *idest*, fremere possunt. *Id. Inv.* 1, 51. Sequatur Hermagoram, licebit. [**Curt.* 7, 4, 16. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamen spes est.] ℙ Frequenter ponitur cum accus. et praeposit. *per*, ut *Si per te licebit:* idest si permiseris, vel si potero, a te non impeditus. *Non licet mihi per te hinc abire:* idest, tu non vis, seu pateris, me hinc abire. *Licet hoc mihi per leges facere*, vel *non licet per leges facere:* idest, legibus approbantibus, vel improbantibus. *Cic. Fl.* 29. Cur his per te frui libertate sua, cur denique esse liberis non licet? *Id. Rosc. Am.* 44. Id quod postea, si per vos, judices, licitum erit, aperietur. *Plin.* 11, 6, 5. Nullus, cum per coelum licuit, otio perit dies. ℙ In responsionibus *licet* est affirmantis, assentientis. *Pl. Cas.* 3, 3, 30. Propera ergo. *Cle.* licet. *Id. Rud.* 4, 6, 8. *Dae.* Eum rogato, ut huc veniat. *Tra.* licet. *Dae.* Dicito, daturum illi meam filiam uxorem. *Tra.* licet. *Dae.* Sed propera. *Tra.* licet. Lege integram scenam. ℙ *Licet rogare?* formula interrogandi testes in judicio, ap. *Cic. Or.* 2, 60. *Licet consulere?* petendi consilium domi a jurisconsultis, ap. *eund. Mur.* 13. *Licet antestari?* citandi quempiam, ut apud judicem testis sit. V. ANTESTOR. ℙ *Licetne?* petendi cum verecundia. *Ter. Heaut.* 5, 2, 20. Here, licetne? *Chre.* loquere. ℙ Habet locum in precationibus. *Hor. Od.* 3, 27, 13. Sis licet felix, ubicumque mavis, Et memor nostri, Galatea, vivas. *Ov. Met.* 3, 404. manus aliquis despectus ad aethera tollens, Sic amet iste licet, sic non potiatur amato, Dixerat. ℙ Servit et ironiae. *Ov. A. Am.* 2, 31. Dixerat haec: sed et haec, et multo plura licebat Dicere: regressus non dabat ille viro. ℙ *Licet*, necesse est, oportet, cogor. *Prop.* 2, 13, 71. Nunc licet in triviis sicca requiescere luna; et *ib* 8, 3. Quam mihi si liceat media pugnare puella; et *ib.* 31. Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit. ℙ *Licessit* pro *licuerit* est ap. *Pl. Asin.* 3, 3, 13.

*LICHADES, um, *Λιχάδες*, insulae tres in mari Aegaeo, prope Graeciam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

LICHANOS, i, m. *λίχανος*, unus ex phthongis musicis mobilibus, qui inter stantes, et immotos sunt in tetrachordo dispositi. Est autem duplex, alter a recentioribus musicis vocatur *G sol re*, alter *D sol re.* Primus est mediarum chordarum, secundus summarum, *Vitr.* 5, 4. V. ibi *Bald. in Lexico.* ℙ Est etiam hoc nomine digitus, qui Latine index ab indicando, Graece *λιχανὸς* a lingendo, *h. e. ἀπὸ τοῦ λείχειν*, est dictus. V. HYPATE.

[LICHAS, ae, m. *Λίχας*, famulus Herculis in mare projectus, et in sui ipsius nominis petram mutatus; *λιχὰς* enim rupem significat. *Hyg. fab.* 36. et *Ov. Met.* 9, 155. et sqq. *F.*]

LICHEN, ēnis, m. *λειχήν*, morbus cutis, praecipue in facie serpens, atque asperitate et pustulis foedans: Latine mendagra, et impetigo. *Mart.* 11, 98. Non triste mentum, sordidique lichenes. *Plin.* 23, 7, 63. Foliorum fici usus est in fricando lichene, alopeciis, etc. Adde 26, 1, 2. ℙ Etiam equi, asini, mulae eo laborant in facie, et super pedum ungulas. *Id.* 28, 11, 49. Equi lichene vexati. Adde 28, 17, 67. et 30, 10, 27. ℙ Est etiam herba in saxosis locis nascens, folio uno ad radicem lato, caule uno parvo, longis foliis dependentibus, quaeque inter alia etiam ad lichenas prodest. *Plin.* 26, 4, 10.

LĪCIĀ, orum. V. LICIUM.

[LĪCIĀMENTUM, i, n. nexus plurium liciorum. *Not. Tir.* p. 160. Licium, liciamentum. *F.*]

[LĪCIĀTŌRIUM, ii, n. *ἀντλον*, insubulum, lignum, in quo telae licia involvuntur. *Vulg. interpr.* 1. *Reg.* 17, 7. Hastile autem hastae ejus erat quasi liciatorium texentium. V. INSILIA et INSUBULUM. *F.*]

LĪCIĀTUS, a, um, part. ab inusit. *licio. August. C. D.* 22, 14. Ipsa jam membra omnia sunt latenter in semine, in qua ratione jam quodam modo, ut ita dicam, liciatum esse videtur, quod nondum est, immo quod latet, sed accessu temporis erit, *h. e.* inchoatum, ut tela inchoata dicitur, cum liciis adjuncta sunt stamina, necdum tamen texta subtemine. *Id. Gen. ad litt.* 3, 14. Quasi praeseminata, et quodammodo liciata primordia futurorum animalium. Al. leg. *initiata.*

LĪCINIĀNUS, a, um, adj. ad Licinium pertinens, quod est nomen propr. R. civis. *Cato R. R.* 6. Oleam Licinianam serere, *h. e.* quam primum bonitatis locum obtinere, tradit *Colum. Arbor.* 17, Dicta est autem a quodam Licinio, qui eam vel apprime coluit, vel invexit. *Colum. R. R.* 1, 3. *med.* Liciniana illa jugera, quae plebis tribunus viritim diviserat, *h. e.* C. Licinius Stolo, qui tribunus plebis legem tulit, ne quis plus quingentis jugeribus possideret: et primus post reges exactos septena jugera plebi viritim divisit. Sed idem postea decem millibus aeris a M. Popillio Laenate, ipsa sua lege damnatus est, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset, uti narrant *Liv.* 6, 35. et 7. 16., *Varr. R. R.* 1, 2. *Plin.* 18, 3, 4., *Colum.* 1. 3. *f.* et *Val. Max.* 8, 6. *n.* 3. ℙ *Liciniani* cognominati sunt filii posterique Catonis censorii ex Licinia priore ejus conjuge: sicut ex posteriore, filia Salonii, Saloniani, quos inter Uticensis fuit. *Plin.* 7, 14, 12. ℙ *Liciniani* etiam sunt appellati milites, qui Licinii Imp. partes sunt secuti. *Lactant. Mort. persecut.* 46. Liciniani scuta deponunt. ℙ *Licinianus* fuit etiam cogn. R. Hinc Valerius Licinianus vir praetorius, cujus mentio est ap. *Plin. ep.* 4, 11.

LĪCINIO. V. LACINIO.

LĪCINĪUM, ii, n. linamentum, licium medicamine illitum plagis sanandis. *Veg. Vet.* 2, 22. et 48. Sunt qui rectius legend. putant *licium.* ℙ *Est et *licinium* vestis nomen ap. *Is.* 19, 22. Licinium vocatum, quod textura ejus ligata sit in totum, quasi diceres Liginum, *c* litera in *g* mutata. ℙ *Id. Is.* 19, 19. Lignum vocatur Graeca etymologia (*ad λύχνον respicit, quam bene non disputo*) quia incensum in lumen convertitur et in flammam. Unde et Licinium dicitur, quod lumen det. Nempe *Idem* 20, 10. Lucerna a Licinio dicta est — Licinius autem quasi Lucinius. Est enim candela lucernae. *Gloss. Isid.* Licini, candelae, lucernae, cicindilia. *B. A.*

LĪCINĪUS, a, um, adj. ad Licinium pertinens. Est autem *Licinius* nomen propr. civis R. Licinia gens plebeja perillustris Romae fuit, et in plures familias abiit, quarum praecipuae Crassorum, Lucullorum, et Muraenarum. V. LICINUS. ℙ De *Licinio Proculo* V. PROCULUS. ℙ Licinia olea ap. *Colum.* 5, 8. et 12, 49. et 52. eadem est ac Liciniana. ℙ *Licinia lex* agraria itidem in V. LICINIANUS explicata est. ℙ Alia fuit de sacerdotibus creandis, lata a C. Licinio Crasso, sed non perlata, ut sacerdotum cooptatio ab ipsorum collegio ad populum transferretur, ut est ap. *Cic. Amic.* 25. ℙ Sumptuaria, lata a P. Licinio Crasso Divite, qui fuit consul cum Cn. Cornelio Lentulo an. U. C. DCLVII., certis diebus centenos aeris in coenam impendi permittebat, nuptiis ducenos: ceteris diebus statuebat tricenos: carnis aridae, et salsamenti certa pondera in singulos dies constituebat: si quidquam esset natum e terra, vite, arbore, promiscue et indefinite largiebatur. Ita *Gell.* 2, 24. ℙ Alia fuit de consulatu lata a C. Licinio Stolone trib. pleb. una cum L. Sextio, ut alter consul de plebe crearetur. *Liv.* 6, 35. et *Gell.* 17, 21. ℙ Alia de sodalitiis ap. *Cic. Planc.* 15., qua sanciebatur, ut in causa de sodalitiis (quod erat gravissimum crimen ambitus) accusator ederet reo judices quos vellet, ex quibus vellet tribubus, qui sine rejectione judicarent: ne ab reo pecunia corrumpi possent. ℙ Alia fuit *Licinia Mucia* de peregrinis, quam tulit L. Licinius Crassus orator, cum esset consul cum Q. Mucio Scaevola itidem oratore et jurisconsulto, de regendis in sua civitate sociis. Cum enim summa cupiditate civitatis R. Italici populi tenerentur, et ob id magna pars eorum pro civibus R. se gererent, lata est lex, ut in suae quisque civitatis jus redigeretur, quae lex maxima causa fuit belli Italici, quod post triennium exortum est. *Ascon. in fr. or. pro C. Cornel.* Quo pertinet illud *Cic. Brut.* 16. Lysias est Atticus, quoniam certe Athenis est et natus, et mortuus, et functus omni civium munere: quamquam Timaeus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. Adde *Balb.* 21. et 24. et *Off.* 3, 11. ℙ Praeterea *Licinia Junia*, cujus auctores fuerunt L. Licinius Muraena, et D. Junius Silanus Coss. quae graviores poenas statuebat in eos, qui contra Caeciliam Didiam fecissent, quae lex erat de servando trinundino in legibus ferendis. *Cic. Vat.* 14., *Sext.* 64., *Phil.* 5, 3., *Att.* 4, 16. et *ib.* 2, 9. ℙ Denique alia fuit de legumlatoribus, quae non modo eum, qui legem tulisset de aliqua potestate, aut procuratione mandanda, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipiebat, ne eis ea potestas curatiove mandaretur. *Cic. Agr.* 2, 8. et *Dom.* 20. ℙ *Atria Licinia* ap. *Cic. Quint.* 3. et 6. Romae fuere auctionaria, ut appellat *Id. Agr.* 1, 3. *h. e.* in quibus praecones versabantur, et auctiones fiebant: dicta fortasse a L. Licinio Crasso, quem narrat *Plin.* 17, 1, 1. et 36, 3, 3. primum in atrio domus suae in Palatio, columnas marmoreas habuisse.

LĪCINUS, a, um, adj. qui cornua habet sursum versum reflexa, ut ait *Serv.* et *Philarg.* ad *Virg. G.* 55. Hinc *Licini boves* ap. *Virg. l. c.* V. CAMURUS. *Hesych. Λίξ, πλάγιος, καμπτήρ.* Videtur esse ab *ἕλιξ*, intortus. Hinc ad homines translatum, quibus crines retro reflexi per se surgunt, unde et *relicinus* quam vocem vide suo loco. *Gloss. Phil.* Licinus *ἀνάθριξ*. ℙ Fuit etiam cogn. R. in gente Fabia, et Porcia; ut M. Fabius Licinus cos. an. U. C. DVIII., et L. Porcius Licinus cos. an. U. C. DLXX. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. et 293. ℙ Licinus fuit item tonsor, et libertus Augusti ditissimus, de quo mentio est ap. *Hor. Art. P.* 301., *Mart.* 8, 3. ac praecipue *Dion.* 54, 21. Exstat in eundem *Varr. Atac. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 205. *Burm.* Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo, Pompejus nullo: credimus esse Deos? Inde nomen accepit gens Licinia, ex qua fuit L. Licinius Varro Muraena, cujus meminit *Hor. Od.* 2, 10, 1. Rectius vives, Licini, neque altum Semper urgendo, etc.

[LĪCIO, is, ixi, a. 3. V. LICTOR. *F.*]

LĪCĪTĀTĬO, onis, f. *ἀντώνησις*, oblatio pretii in auctione, vel in quacumque emptione. Habet enim locum etiam in hereditatibus dividendis, ubi cum partes omnes aequabiliter secari non possunt, pecuniae oblatione aequantur, quae minoris pretii sunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. *med.* Exquisitis palam pretiis, et licitationibus factis, describebat censores binos in singulas civitates. *Id. Att.* 11, 15. *f.* Cum ea pars, quae videtur esse minor, licitatione expleri posset. *Suet. Ner.* 26. Praedam ad licitationem dividere. *Id. Cal.* 22. Ambitione et licitatione maxima comparare aliquid. *Ulp. Dig.* 10, 2, 6. Ad licitationem rem deducere, ut qui licitatione vicerit, hic habeat instrumenta hereditaria, non placet. *Marc. ib.* 4, 7, 12. Ut potentior emptor per licitationem rem accipiat. *Paul. ib.* 10, 3, 19. Penes quem licitatio remansit, *h. e.* qui plus licitatus superavit.

LĪCĪTĀTOR, oris, m. *ἀντωνούμενος*, qui licitatur, et pro re emenda, conducendave pretium alio majus offert. *Licitatorem apponere* est subornare aliquem, qui coram emptore majus pretium proponat, ut res pluris vendatur. *Cic. Off.* 3, 15. Tollendum est ex rebus contrahendis, omne mendacium: non licitatorem venditor; nec qui contra asse liceatur, emptor apponet. (Ita leg. *Muretus, Graevius* et *Heumannus:* alii *contra se*, sed delendum videtur *Heusingero* pronomen, et *contra liceatur* legendum) *Id. Fam.* 7, 2. Nunc cum tuum pretium novi, licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat. [*Utroque *Cic.* loco *Orell.* cum aliis quibusdam praestantissimis edd. exhibet *illicitatorem*, quem *F. Heusing.* intelligit emptorem simulatum, qui alios licitantes licitando superet, ut rerum venalium pretia accendat.]

LĪCĪTĒ, et

LĪCĪTO, adv. *θεμιτῶς*, per leges, per jus, eo modo, quo licet. *Mart. Dig.* 30, 111. *med.* Si quid alicui licite fuerit relictum. *Solin.* 11. Aedem numinis, praeterquam nudus vestigia, nullus licito ingreditur.

LĪCĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀντωνίομαι*, frequentativum a *liceor*, ejusdemque fere significationis, atque usus, rarioris tamen. *Pl. Merc.* 2, 3, 104. Potin' ut ne licitere adversum animi mei sententiam? *Paul. Dig.* 39, 4, 9. Locatio vectigalium, quae color licitantis ultra modum solitae conductionis inflavit, etc. ℙ Translate. *Curt.* 4, 1. Impia bella suscipitis, et cum habeatis arma, licitamini hostium capita, *h. e.* pretium offertis hostium capita afferentibus. ℙ Pro contendere, pugnare. *Ennius* ap. *Non.* 2, 505. pars Ludicre jactant saxa, inter se licitantur. *Caecil. ib.* Machaera licitari adversum cum coepisti sciens. *Festus:* Licitati, in mercando, sive pugnando contendentes.

LĪCĪTUS, a, um, part. a *licet*, *θεμιτὸς*, qui licet, legi consentaneus. *Virg. A.* 8, 467. Congressi jungunt dextras, mediisque residunt Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur. *Tac. A.* 15, 37. Per licita atque illicita foedatus. *Petr. fr. Trag.* 683. *Burm.* Licitus torus. *Stat. Th.* 11, 123. Licitae acies. *Ulp. Dig.* 37, 14, 2. Licita negotiatio. *Id.* 50, 14, 3. Liciti contractus. *Tac. A.* 3, 21. Idque jure licitum.

LĪCIUM, ii, n. *μίτος*, filum lanae contortum. De etymo res est valde incerta. *Vossius* tamen putat, esse a *λίξ*, de quo V. *Hesychii l. c.* in LICINUS: prima autem in *licium* longa est, licet

brevis sit in *licinus*, ut etiam a *rĕgo* est *rēgula*. V. LICTOR. Sunt autem *licia*, quibus textores induunt, atque implicant stamina, et jugo adnectunt: eaque cum tela pertexta est, recidunt. Itaque vel unico filo, vel etiam pluribus constare possunt. *Virg. G.* 1, 285. licia telae addere, *h. e.* texturam incipere. *Plin.* 11, 24, 28. de aranea: Derelicta lasso praetendi summa parte arbitrere licia. *Id.* 8, 48, 74. Plurimis vero liciis texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit, *h. e.* in plures ordines, quam duos, diviso stamine: qui ordines plura licia postulant, quibus jugo adnectantur. ℙ Item ipsa stamina, quibus tela texitur. *Auson. epigr.* 38. Licia qui texunt et carmina, carmina Musis, Licia contribuunt, casta Minerva, tibi. *Id. ep.* 23, 14. per licia texta querelas Edidit, et tacitis mandavit crimina telis. De Philomela loquitur. ℙ Sic etiam appellatur quodcumque filum, seu stamen. *Ov. Fast.* 3, 267. Licia dependent longas velantia sepes: Et posita est meritae multa tabella Deae, *h. e.* funiculi, quibus vota pendent. Sic *Plin.* 23, 7, 63. Cinerem fici cum aluta illigatum licio e collo suspendere. *Auson. Idyll.* 6, 31. Licia fert glomerata manu deserta Ariadne. *Petr. Sat.* 135. Ut solvit licio pannum, partem leguminis super mensam effudit. *Tiro* ap. *Gell.* 12, 3. Licio enim transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus praeministrabant, cincti erant. V. LIMOCINCTUS. ℙ *Per lancem et licium furta concipere*, quid sit, V. in LANX. Habet saepe usum in incantamentis. *Virg. Ecl.* 8, 73. Terna tibi haec primum triplici diversa colore Licia circumdo. Ubi *Serv.*: bene utitur liciis, quae ita stamen implicant, ut haec adolescentis mentem implicare contendit. *Petr. Sat.* 131. De sinu licium protulit, varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam. *Ov. Fast.* 2, 575. Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo. *Id. Amor.* 1, 8, 8. Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid valeat virus amantis equae. *Plin.* 28, 4, 12. Licium telae detractum alligantes novenis, septenisque nodis: ad singulos nominantes viduam aliquam. V. RHOMBUS et STAMINEUS. ℙ Erant demum *licia* ornamenta capitis feminarum. *Prud. in Sym.* 2, 1104. de Vestalib.: Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt Tempora taeniolis, et licia crinibus addunt.

LICTOR, oris, m. *ῥαβδοῦχος*, minister publicus consulum, aliorumque magistratuum, qui fascem virgarum cum securi, humero sinistro nixum, laeva manu ferens praecedit. *Festus*, quod fasces virgarum ligatos fert; at *Valgius Rufus* ap. *Gell.* 12, 3. et *Non.* 1, 257., quod, cum magistratus populi R. virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus et manus ligari a viatore solita sint: isque, qui, ex collegio viatorum, officium ligandi haberet, lictorem appellatum fuisse putant. *Tiro* autem ap. *eund. Gell. ib.* lictorem vel a limo, vel a licio dictum scripsit. (V. locum in LICIUM *f.*) At cum in *Not. Tir.* p. 149. habeatur *lixit*, *illixit*, *prolixit;* praeteritum *lixi* a *licio*, non a *lacio*, derivatum videtur, indeque etiam fortasse *licium*, et *lictor*, praecipue cum *Gell. l. c.* affirmet, primam syllabam in *lictore*, sicut in *licio*, productam esse: quamquam rectius cum *Festo*, *Gellio* et *Nonio* quispiam existimet, *lictor* esse per syncopen pro *ligator*, ut *frictor* est a *fricator;* littera vero *g* in *c* mutata est, ut in *lector* a *lego*, nam *g* ante *t* nunquam a Latinis usurpatur: unde *Cic. Rabir. perduell.* 4. et *Liv.* 1, 26. I lictor, colliga manus; et *Liv.* 8, 7. I lictor, deliga ad palum. ℙ Lictorum origo repetenda est ex Vetulonia, Etruriae urbe primaria. *Sil.* 8, 484. Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis; Bissenos haec prima dedit praecedere fasces, Et junxit totidem tacito terrore secures. Hinc in nummis Vetuloniae ap. *Lanzi*, *Sagg. di ling. Etr.* T. 2. p. 110. *tab.* 7. *n.* 7. et 8. securis insculpta est. *Liv.* 1, 8. Romulus cum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumptis *(a finitima Etruria)* fecit. At *Macr. Sat.* 1. idipsum Tullo Hostilio tribuit. ℙ Lictores antiquitus ingenui e plebe Romana fuere, teste *Liv.* 2, 5., temporibus vero *Taciti* etiam e libertinorum genere, ut est ap. *eund. A.* 13, 27.; post autem bellum Punicum secundum e Bruttiis, qui in provincia magistratibus apparerent, sumptos fuisse, quidam ex loco *Gellii*, quem vide in BRUTTIANUS, falso putant, cum Bruttianos alios fuisse a lictoribus constet: nam hi e libertino saltem genere, ut diximus, erant, et virgis reos verberabant; illi servorum vice, ut ait *Id. l. c.*, et flagro, ut lorarii servos in scenis publicis, eosdem caedebant. Adde, ex *Dione* 48, 43., ann. U. C. DCCXVI. edicto vetitum fuisse, ne quis servus lictor esset, quod fortasse factum videtur, quia paulatim e servili conditione homines in lictorum numerum contra leges intrusi essent. ℙ Reges Romani, ut diximus, deinde etiam singuli consules, XII. lictores habuerunt, sed tamen L. Junius Brutus prior, ut ait *Liv.* 2, 1., vel P. Valerius Publicola, ut affirmat *Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 31., instituit primus, ut uni tantum ex consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne, si ambo consules fasces haberent, duplicatus terror videretur: quae tamen consuetudo deinceps aliquantulum est immutata, nam *Liv.* 22, 41. narrat, secundo bello Punico alternis diebus idem factitatum, quod fortasse locum habuit in bello tantummodo, quoties nempe uterque consul in acie simul esset: antiquum vero morem retulisse C. Julium Caesarem, memorat *Suet. Caes.* 20. Idem lictorum numerus praeierat decemviris consulari potestate, quibus tamen singulis, teste *Liv.* 3, 33., alternis tantum diebus XII. lictores, collegis vero novem singuli accensi apparebant; altero autem decemviratus anno singuli decemviri per summam injuriam cum XII. lictoribus secures fascibus illigatas praeferentibus prodiere, ut narrat *Id. ib.* 36. Idem quoque numerus tribunis militum consulari potestate, ex *Liv.* 4, 7., fuit; idemque etiam interregi, ex *eod.* 1, 17.; dictator autem XXIV. habuit, ut patet ex *Dione* 54, 1., *Polyb.* 3, 87. et *Plut.* in *Fabio* 4. Caesari vero ann. U. C. DCCIX., cum dictator III. esset, concessum a senatu est, ut triumphum Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, et Africanum quatuor diversis eodem mense diebus ageret cum LXXII. lictoribus, ut refert *Dio* 43, 14. et 19. Magister equitum VI. tantum lictores habebat, ex *eod.* 42, 27. At II. praetor urbanus priscis quidem temporibus, ut constat ex plebiscito ap. *Censor. de die natal.* 24. Praetor urbanus duos lictores apud se habeto. *Pl. Epid.* 1, 1, 25. At unum a praetura tua, Epidice, abest. *Ep.* quidnam? *The.* scies: Lictores duo, duo fasces virgarum; et ex nummo gentis Livinejae ap. *Morell. Fam. R. tab.* 1. *n.* 3. in cujus parte antica est caput virile imberbe, circa autem haec est inscriptio: L. Livinejus *Praetor;* in postica vero sella curulis intra duos fasces sine securibus (quas a praetorum urbanorum fascibus abfuisse docet *Spanhem. Dissert.* T. 2. p. 106.) cum hac inscriptione: Regulus *Filius* Praefectus *Urbis.* Transacto vero tempore praetores tum urbani, tum provinciales lictoribus VI. usi sunt, ut constat ex *Polyb.* 3, 40., ubi praetor dicitur *ἑξαπέλεκυς ὑπάρχων*, et 2, 24. *ἑξαπέλεκυς ἡγεμών;* et ex nummo ejusd. gentis Livinejae ap. *Morell. ib. n.* 5., in quo eadem est pars antica sine inscriptione, postica vero sellam curulem intra sex fasces, et hanc inscriptionem habet: L. Livinejus Regulus. Ex quo patet, in altero hoc nummo praeturam provincialem L. Livineji Reguli, in priore urbanam significari. Etiam proconsules, si prius praetores tantum fuissent, VI. lictores habebant; si vero consulatum gessissent, XII. utebantur, ut patet ex *Ulp. Dig.* 1, 16, 14. et ex *Dione* 53, 13. Hinc *Cyprian. ep. ad Mosem et Maxim.* Eant nunc magistratus et consules, sive proconsules, annuae dignitatis insignibus et duodecim fascibus glorientur. At tribuni plebis, aediles, quaestores urbani nullis lictoribus utebantur, quia sine imperio erant; quaestores tamen provinciales, stante republ. R., si eorum proconsules, vel praetores mortui essent, vel aliqua de causa abessent, dicebantur *quaestores pro praetore*, et VI. fasces praeferebant, qualis fuit ex *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 5. Cn. Calpurnius Cn. F. Piso quaestor pro pr. ex S. C. provinciam Hispaniam citeriorem obtinuit. Idem confirmat *Sall. Cat.* 19. *Cicero* vero *Planc.* 41. de quaestore Macedoniae: Statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata, profectus est; et in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 127. A. Pupius quaestor pro praetore Cyrenaicae sellam curulem cum fascibus ostentat. Sub Augustis vero, ut ait *Cajus Institut.* 1. (ed. *Goesch.*) §. 6., in provincias Caesaris omnino quaestores non mittuntur. Quaestoris autem loco erat procurator Caesaris, qui fascibus abstinebat, quippe qui nullum imperium exercebat, sed fiscum tantum Caesaris procurabat: qualis fuit Lucilius Capito Asiae procurator sub Tiberio, de quo *Tac. A.* 4, 15.; aliquoties tamen procurator auctoritate praesidis pollebat, ut in Judaea Pontius Pilatus sub eod. Tiberio, cujus meminit *Id. ib.* 15. 44. Contra in provinciis populi R. seu senatus, non quaestores, sed legati vicem proconsulis gerebant, si ipse absens, vel mortuus esset, ut constat ex *Inscr.* ap. *Grut.* 381, 3. L. Caesonius C. F. Lucillus legatus prov. Africae, eodem tempore vice proconsulis. Hi porro legati, stante republica, in provinciis fasces habebant, quoties proconsul, vel propraetor eos ipsis praeferendos permittebat. Hinc *Cic. Fam.* 12, 30. Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Sub Augustis vero in provinciis Caesaris his legatis summum jus erat, ideoque VI. etiam lictores aderant, ut affirmat *Dio* 53, 13. At in provinciis populi R. seu senatus, proconsules erant, sub iisque legati pro praetore, qui eadem, qua prius, auctoritate pollebant. ℙ Augusto tandem a senatu concessum fuisse, ut consularis potestas perpetuo esset, et XII. lictores semper et ubique, dum viveret, eidem praeirent, narrat *Dio* 54, 10.; Domitiano vero, ut XXIV. lictoribus, et veste triumphali, quoties in senatum veniret, uteretur, *Id.* 67, 4. Eidem etiam a senatu concessum est, ex *Suet. Dom.* 14., ut quoties gereret consulatum, equites R., quibus sors obtigisset, trabeati et cum hastis militaribus praecederent eum inter lictores, apparitoresque; quod ille tamen recusavit. ℙ Ex his patet, lictoribus usos eos magistratus, qui potestatem et imperium simul habebant, caruisse, qui sola potestate praediti erant. Quamquam et aliis aliquando tributi sunt honoris aut praesidii causa, ut unus flamini Diali, teste *Ov. Fast.* 2, 23., aliis vero flaminibus, et pontificibus, et sacerdotibus calatores aderant; item unus designatoribus (V. DESIGNATOR.) item unus Liviae Aug., teste *Tac. A.* 1, 14.; item duo Agrippinae Claudii, teste *eod. ib.* 13, 2.; item unus Vestalibus in publicum prodeuntibus concessus est a Numa, si *Plut.* in *Numa* fides habenda, vel, si *Dioni* 43, 19., a III. viris Augusto, Antonio et Lepido; item duo senatoribus legationem liberam obeuntibus, ut docet *Manut.* ad *Cic. Quint.* 2. et publicanis exigendorum vectigalium causa, ut scribit *Hotoman.* ad *Cic. Prov. cons.* 5.; item magistris vicorum duo permissi sunt ab Augusto, quotiescumque publice sacra facerent, teste *Suet. Aug.* 30.; item duo curatoribus aquarum, cum ejus rei causa extra Urbem essent, teste *Frontin. Aquaed.* 100. In municipibus vero et coloniis duos lictores habebant duumviri juri dicundo tempore Ciceronis, ut de Capuanis ille affirmat *Agr.* 2, 34., deinde vero VI., ut patet ex *Mart.* 8, 72. et *Impp. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 12, 1, 174.; item duumviri quinquennales ex *Appul. Met.* 10.; item quatuorviri juri dicundo ex *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 116, 2.; item aediles ex *Appul. Met.* 1., ubi lictores *lixas* vocat; item seviri Augustales, ut patet ex *Petr. Sat.* 30. Scriptorum vero auctoritatem confirmant vetusta monumenta sepulcralia quamplurima, et praecipue duo lapides seviris Augustalibus inscripti L. Safinio Rufo, et C. Cornelio Hannoni, in quibus sex fasces laureati cum sella curuli sunt insculpti, ap. *Maff. Mus. Ver.* 117, 2. et 3. ℙ Itaque cum pluribus magistratibus lictores apparerent, in unum quasi corpus contributi sunt, et unam ex tribus decuriis apparitorum constituebant, quarum alteram viatores, tertiam scribae occupabant. Qui vero lictores in eam decuriam adscripti erant, *lictores decuriales* dicebantur. Hinc etiam factum est, ut quoties quis *lictor*, vel *viator*, vel *scriba tribum decuriarum* absolute appellatur, in eas decurias contributus esse significetur, ex quibus Caesares, et consules, et praetores, et quaestores, et tribuni unum vel plures, prout cujusque jus erat, sibi adsciscendum curabant. *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 1. et *Mur.* 318, 1. et 760, 6. Lictor decurialis. Alia ap. *Fea*, *Framm. de' Fast. cons.* p. 35. Lictor Imp. Alia ap. *Mur.* 886, 10. Lictor Augusti Caesaris; et ap. *Grut.* 630, 5. Lictor Aug. $\overline{\text{III}}$ decuriar. et ap. *Mur.* 669, 7. Decurialis decuriae lictoriae castrium (lege *cos. trium)* decuriarum; et ap. *Grut.* 630, 10. Lictor $\overline{\text{III}}$ decur; et 631, 2. Exercuit decurias duas viatoriam et lictoriam consulares; et ap. *Don. cl.* 8. *n.* 35. Viator qui Caes., et Cos., et Pr. apparuit; et ap. *Grut.* 627, 2. Viator consularis et praetorius; et 1116, 1. Viator tribunicius decuriae majoris; et 626, 7. Scrib. libr. Q. III. dec.; et 627, 7. Scriba librarius quaestorius trium decuriarum; et 627, 8. Scriba libr. tribunicius. ℙ Cum vero post Trajani tempora consules non amplius pedibus, sed quadrigis vel sejugibus vectos in Capitolium Kal. Jan. processisse constet (V. PROCESSUS), etiam viatores, qui consuli tunc apparebant, equo vectos fuisse probat *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 56. Decurialis decuriae viatoriae equestris consularis. Hinc corrige, quod in DECURIA dictum est. ℙ Lictorum munus fuit praeire publice magistratui cum fascibus, inclamando: *date viam*, *de via discedite*, submovere turbam (V. SUBMOVEO), monere occurrentes, ut animadverterent (V. ANIMADVERTO), ut nempe pedites semita cederent, equites equo desilirent, utrique autem caput adaperirent, ut ait *Sen. ep.* 64., ac tandem prehendere homines, quoties id jussi essent, eosque virgis aut securi caedere. Praeibant vero non bini, sed singuli: unde *primus lictor*, qui omnibus antecedebat, primusque obvios submovebat, *(Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus. Alii tamen rectius leg. *primum.* [*Minime! V. *Orell.* ad h. l.]) et *proximus lictor*, *ἀρχιῥαβδοῦχος*, qui postremus praeibat magistratui, atque adeo prior inter lictores et ceteris honoratior erat. *Liv.* 24, 44. Pater filio *(consuli)* legatus in castra venit. Cum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majestatis ejus taciti anteirent, praeter undecim fasces equo praevectus senex, ut consul, animadvertere proximum lictorem jussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit, tum demum desiliens, etc. Eadem ferme habent *Val. Max.* 2, 2. *n.* 4. et *Gell.* 2, 2. *Val. Max. l. c.* Maxima diligentia hunc honorem retinuerunt, ne quis se inter consulem, et proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur, interponeret. Filio dumtaxat, et ei puero, ante patrem consulem ambulandi jus erat. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 1. M. Ulpio Aug. Lib. Phaedimo Divi Trajani Aug. lictori proximo, etc. Adde aliam 630,

6. ℙ Lictoria insignia fuere sagum extra Urbem, et idem purpureum in pompa triumphali; in Urbe, et in municipiis coloniisque toga; fasces praeterea in humero sinistro, qui interdum laureati, interdum coronati erant (V. FASCIS.) et virga in dextera ad submovendum, et pulsandas fores. *Cic. Pis.* 23. Togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt, quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, et catervam imperatori suo novam praebuerunt. *Appian. de reb. Punicis* 66. *Αὐτοῦ δ' ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες.* Togis vero lictores usos fuisse, praeter *Cic. l.* nuper *c.*, probant vetustum marmor ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 5. *tab.* 32., tum et virga in dextera manu alia marmora ap. *Maff. Mus. Ver.* 117, 1. et 139, 5. et 8. Videre etiam est lictores togatos cum fascibus et securibus in nummis gentis Juniae ap. *Morell. Fam. Rom. tab.* 1. *n.* 2. et A. E. F. ℙ Lictores, qui flamini Diali, Vestalibus, magistris vicorum, aliisque apparebant honoris tantum causa, de quibus supra dictum est, videntur fuisse sine fascibus, quod idem dicendum de lictoribus curiatis numero triginta, quorum mentio est apud *Cic. Agr.* 2., *Gell.* 15, 27. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 33, 4. et 630, 9. ℙ Translate. *Plin.* 9, 35, 56. Uniones digitis suspendere, et binos ac ternos auribus, feminarum gloria est: siquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum: affectantque jam et pauperes, lictorem feminae in publico unionem esse dictitantes, *h. e.* propter unionem decedi, assurgi feminis, et reverentiam conciliari. ℙ Haec fere ex *Morcell. Dissert. de' littori con annotaz. del D. Gio. Labus. Milano* 1828, 8. [*Hunc locum *F.* ita immutavit totque ampliavit additamentis, ut eorum, quae *Forc.* scripsisset, ut qui paucis rem absolvisset, nihil fere intactum reliquerit.]

LICTŌRĬUS, a, um, adj. *ῥαβδουχικὸς*, ad lictorem pertinens. *Plin.* 7, 30, 31. Fasces lictorios januae summisit, cui se oriens occidensque summiserat. *Hard.* ex MSS. leg. *litterarum januae.* Sed *lictorius* habetur etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 631, 1., emendatior ap. *Fea, Fast. cons.* p. 33. *D. M.* L. Roscii Encolpii decuriali decuriae lictor*iae*. *Flor.* 1, 26. Virga lictoria.

[LĪCUS, i, m. *Lech*, fluvius Vindeliciae, qui in Danubium influit. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 641. Pergis ad Augustam, quam Vindo, Licusque fluentant. V. LICATES. *F.*]

*LIDERĪCUS, i, fluvius parvulus Galliae, hodie *le Loir* (non *la Loir*, Latine *Liger*, in quem incidit). *Guil. Brito* 3, 73. *B. A.*

*LIDŪNA, ae, f. recessus maris, olim Salacia. *Marcell. Empir.* 25. Liduna ante prandium. Cf. *Malina.* V. *Rosin. Ant. Rom.* 2, 14. *B. A.*

LĪEN, ēnis, et Lĭēnis, is, m. *σπλήν*, viscus est in humano corpore, Graeco nomine *splen*, quod vide. *Plin.* 11, 37, 80. Ventriculo adnectitur lien in sinistra parte adversus jecur, cum quo locum aliquando permutat, sed prodigiose. *Cato R. R.* 157. Lienes turgent. *Cels.* 4, 9. At lienis, ubi affectus est, intumescit; et *ib. med.* Lienis bubulus utiliter esui datur. Adde 5, 25. *n.* 3. ℙ Cursu lien intumescere solet, et dolorem afferre. *Pl. Merc.* 1, 2, 14. genua hunc cursorem deserunt: seditionem facit lien, occupat praecordia. *Plin.* 26, 13, 83. Equisetum lienes cursorum exstinguit; et *ib.* 8, 48. Argemonia lienem consumere dicitur. *Id.* 23, 1, 17. Asparagos *(bryoniae)* Diocles praetulit veris asparagis in cibo, urinae ciendae, lienique minuendo. *Cels.* 4, 9. Aqua a ferrario fabro lienem coercet; et *ib.* Eruca, et nasturtium lienem extenuant. ℙ Fiscum *lienem* appellabat Trajanus, ap. *Aurel. Vict. Epit.* 42. *extr.* quia sicut, crescente liene, reliqui artus tabescunt, sic, aucto fisco improbis exactionibus, civium paupertas augetur. ℙ *Serv.* ad *A.* 6, 647. male docet, *Lien* esse neutrius generis.

LĪENĪCUS, a, um, adj. lienosus. Tribuitur *Plin.* 29, 3, 11. sed *Hard.* correxit *lientericus*, h. e. levitate intestinorum laborans. V. LIENTERIA et LIENTERICUS.

LĪENŌSUS, a, um, adj. *σπληνικὸς, σπληνώδης*, qui liene turgente laborat. *Plin.* 7, 2, 2. Sicut Pyrrho regi pollex in dextro pede, cujus tactu lienosis medebatur. *Pl. Cas.* 2, 6, 62. Cor lienosum, opinor, habeo: jamdudum salit, de labore pectus tundit, *h. e.* ad instar lienis intumescit, ac laborat. [*Cels.* 2, 8. Lienosis bono tormina sunt. *F.*]

LĪENTĔRĬA, ae, f. *λειεντερία*, levitas intestinorum, de qua V. in LĔVITAS: a *λεῖος*, levis, et *ἔντερα*, intestina. *Cels.* 2, 1. Graece usurpat.

LĪENTĔRĪCUS, a, um, adj. *λειεντερώδης. Theod. Prisc.* 2, 2, 18. *f.* Ex dysentericis lienterici facti. V. LIENICUS.

LĪGĀMEN, inis, n. et

LĪGĀMENTUM, i, n. *δεσμὸς*, ligatura, vinculum. *Prop.* 2, 22, 15. cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae Solverit. *Ov. Met.* 14, 230. dempsisse ligamina ventis. *Colum.* 11, 2. *med.* Possit etiam salix decisa expurgari, et ad vitium ligamina praeparari. ℙ De fasciis, quibus obligantur vulnera. *Colum.* 6, 6. *med.* Sanguis inhibetur pyri ligamine. *Tac. A.* 15, 54. Vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare. *Quint.* 11, 3. *med.* Fasciae, et focalia, et aurium ligamenta sola excusare potest valetudo.

LĪGĀRĬĀNUS, a, um, adj. ad Ligarium civem R. pertinens, ut *Ligariana oratio*, qua Cicero Q. Ligarium nobilem Romanum defendit apud Caesarem, quod in civili bello a Pompejo stetisset. *Id. Att.* 13, 19. Ligarianam praeclare auctoritas tua commendavit.

LĪGĀTĬO, onis, f. *δέσις*, actus ligandi, ligamentum. *Scrib. Comp.* 255. Malagma facit ad omnem tensionem et contractionem nervorum, et ligationem.

LĪGĀTŪRĂ, ae, f. *περίαμμα*, ligamen. *Pall.* 1, 6. *med.* Ligatura in vitibus locum debet mutare, ne unum semper assiduitas conterat vinculorum. ℙ De amuleto ad collum suspenso, aliive cui membro corpori alligato ad depellendum morbum. *August. tractat. in Joann.* 7. *med.* Qui seducunt per ligaturas, per praecantationes, etc. Adde *Isid. Orig.* 8, 9. ℙ [De nexibus athletarum. *Ambros. Enarrat.* in *psalm.* 36. Alii sunt, qui simplici quodam et legitimo genere luctantur, et ligaturis tantum corporis certant, verberare non norunt, qui palaestrae (lege *palaestritae*) vocantur. *F.*]

LĪGĀTUS, a, um, part. a *ligo:* vinculo obstrictus, illigatus, vinctus, *δετός*. *Catull.* 2, 13. Quod zonam solvit diu ligatam. *Tibull.* 1, 7, 73. vitta ligatos Impediat crines. *Colum.* 11, 2. *med.* Vineae palatae, et ligatae. *Plin.* 18, 28, 65. *n.* 5. Cornu, propter oleum, ad crus ligato foenisex incedebat. *Id.* 9, 33, 52. Brevi nodo ligatus. *Lucan.* 8, 61. funis litoribus. *Ov. Trist.* 3, 10, 49. Vidimus in glacie pisces haerere ligatos. *Id. Met.* 3, 575. manus post terga ligatae. *Suet. Ner.* 51. Ligato circum collum sudario. [*Tac. H.* 4, 53. Vittas quis ligatus lapis. *G.* 39. Nemo nisi vinculis ligatus ingreditur.] *Plin.* 17, 15, 25. Ligatum insitum, intritaque illitum operire terra. *Sen. Med.* 742. Tartari ripis ligati specus, *h. e.* cincti, circumdati. *Petr. Sat.* 123. turmae nimbos fregere ligatos, *h. e.* glaciem.

*LIGAUNI, orum, m. populi Galliae Narbonensis, nusquam alias memorati, nisi ap. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

*LIGDUS, i, m. homo Cretensis, Telethusae maritus, pater Iphidis, ipso nuptiarum die in marem mutatae. *Ov. Met.* 9, 669. *Lact. Plac.* in *narrat. fab. (Ov. Met.) l.* 9. *fab.* 10. ℙ Scribitur et *Lygdus. B. A.*

LĪGĒA, ae, f. *Λιγεία*, Nympha, filia Nerei et Doridis: a *λιγὺς*, stridulus, sonorus, nempe a cantus suavitate. *Virg. G.* 4, 336. Drymoque Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque. ℙ [*Ligea* item fuit insula, contra Tempsam Bruttiorum oppidum, ab ejecto ibi corpore Sirenis cognominis ita, ut ait *Solin.* 2.: est autem appellata a *λιγὺς, εἶα*, argute sonans; Sirenibus enim tribuitur suavitas vocis. Hujus quoque Sirenis, et insulae cognominis mentionem facit *Lycophron* in *Cassandra v.* 726.—731., quae nunc aquis submersa jacet, et scopulum repraesentat ab incolis *Pietra della nave* appellatum. *F.*]

LĪGELLUM, i, n. *καλύβη, οἰκίδιον*, breve domicilium, tuguriolum. *Pl. Aul.* 2, 4, 22. Divum atque hominum clamat continuo fidem, De suo ligello fumus si qua exit foras. Ita *Non.* 2, 504., sed alii multo rectius legunt *tigillo.* Al. *ligillo, h. e.* parvo ligno.

LĪGER, ĕris, m. *Lóire*, flumen nobile Galliae Celticae, quod in Arvernorum finibus oriens, aliquot deinceps fluviis auctus in oceanum Aquitanicum influit. *Caes. B. G.* 7, 55. Quod Liger ex nivibus creverat. *Tibull.* 1, 8, 12. Carnuti et flavi caerula lympha Liger. *Sidon. carm.* 5, 209. Ligerimque bipenni Excisum per frusta bibit. *Caes. B. G.* 7, 59. Caesar Ligere interclusus; et *ib.* 3, 9. Naves aedificari in fiumine Ligeri jubet; et *ib.* 7, 5. Cum ad flumen Ligerim venissent.

LĪGĔRĪCUS, a, um, adj. ad Ligerim pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 472, 1. L. Tauricio Florenti, patrono nautarum Araricorum, et Ligericorum.

[LĪGITĀNI, orum, m. plur. populi Hispaniae Baeticae in agro Cordubensi, ut quidam putant. *Inscr.* ap. *Grut.* 421, 7. Ordo municip. ampl. Ligitanorum. Alia ap. *eund.* 479, 7. Ordo municipii Fravason. Ligitanorum. *F.*]

LIGNĀRĬUS, a, um, adj. ad lignum pertinens, *ξυλικός*. *Capitol. Pert.* 1. Lignaria negotiatio. *Pall.* 1, 6. Lignarius faber, *ξυλοκόπος*. Hinc locus Romae extra portam Trigeminam ap. *Liv.* 35, 41. *f. inter lignarios* dictus. [*Ita *Crevierius* locum cepit. Melius tamen adhuc *Ernest.* opinatur in *Gloss. Liv.* s. h. v., *B.* Patruum illa verba intelligi voluisse de negotiatoribus ex eo genere; coll. *Clav. Cic.* in v. *falcarius.*] *Scrib. Comp.* 141. Cornu cervinum limatum lima lignaria. ℙ [*Lignarii* absolute dicuntur, quos ligna in usum sacrificiorum caedere coegit Josue, ut liquet ex *Jos. c.* 9. *v.* 27. *Hieron. ep.* 108. *n.* 8. Josue Gabaonitas ob dolos et insidias foederis impetrati in aquarios, lignariosque damnavit. *F.*]

*LIGNARIUS, i, m. *Gloss. Lat. Gr.* *ξυλοκόπος, ὁ κόπτων ξύλα.* V. in *Lignarius, a, um. B. A.*

LIGNĀTĬO, onis, f. *ξυλοφορία*, lignorum desectio, vel deportatio. *Vitr.* 5, 9. *f.* Lignatio maxime necessaria est ad cibum excoquendum. *Caes. B. G.* 5, 38. Qui lignationis, munitionisque causa in silvas discessissent. ℙ Sumitur etiam pro loco, unde ligna accipi possunt. *Colum.* 1, 5. Sit autem vel intra villam, vel extrinsecus inductus fons perennis, lignatio, pabulumque vicinum.

LIGNĀTOR, oris, m. *ξυλεύς, ξυλευτής*, miles, qui lignatum vadit. *Liv.* 10, 25. Paucis citra millibus lignatores ei cum praesidio occurrunt. Adde *Caes. B. G.* 5, 26.

LIGNĔOLUS, a, um, adj. dimin. lignei. *Cic. Q. Fr.* 3, 7. Hanc scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum. *Lucil.* ap. *Prisc.* 3. *f.* Scutam ligneolam cerebro infixit. *Appul. de Mundo:* Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent.

LIGNĔUS, a, um, adj. *ξύλινος*, qui est e ligno. *Cic. Tusc.* 5, 20. Ligneus ponticulus. *Id. Inv.* 2, 57. Lignea materia. *Sall. Jug.* 78. vasa. *Ov. Met.* 10, 694. simulacra. *Tibull.* 1, 11, 20. Stabat in exigua ligneus aede Deus. *Caes. B. C.* 3, 9. Ligneae turres. [*Nep. Them.* 2, 7. moenia lignea; et *ib.* murus ligneus. *Quint. Inst.* 6, 3, 61. Oppida lignea.] *Plin.* 34, 12, 32. piscinae. *Id.* 15, 8, 8. Lignea supellex. *Pl. Poen.* 5, 6, 28. custodia, *h. e.* lignei compedes. V. CODEX. Joculariter *Id. Ps.* 1, 1, 45. salus, *h. e.* quae per tabellas alicui dicitur. ℙ Item lignosus. *Plin.* 15, 22, 24. Ligneum putamen. *Id.* 16, 26, 46. semen. ℙ Eleganter dicitur de membris corporis exsuccis, duris, aridis. *Lucr.* 4, 1154. nervosa, et lignea, Dorcas. [*σῶμα ὑπόξυλον* in eadem re dixit *Alexis.* Haec *Eichstedt.* in *ind. Lucr.* s. h. v.] *Catull.* 23, 6. Lignea conjux. V. JUNCEUS.

LIGNĪCĪDĀ, ae, qui ligna caedit. Affertur a *Varr. L. L.* 7, 33. et simul damnatur. Qui lapides (inquit) caedunt, lapicidas: qui ligna, lignicidas non dici.

[LIGNĪFER, i, m. qui lignum seu arborem fert. V. DENDROPHORUS. *Inscr.* ap. *Mur.* 2016, 2. Deo Mercurio Julius Certus censor sigillorum collegii ligniferorum cultorum ejus de suo dedit. *F.*]

*LIGNĪTES, ae, m. gemma quaedam. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 59. Cujus (*lapidis*) quidem fulgor ignitus est (nam lignitem etiam vocant): ubi fortasse legendum *ignitem*, ut sensus loci postulare videtur. *B. A.*

LIGNOR, aris, atus sum, dep. 1. *ξυλεύομαι*, verbum est castrense, sicut *aquor, pabulor, frumentor*, et similia, et significat ad capienda ligna ire, ligna colligere et congerere. *Liv.* 10, 25. Respondentibusque, lignatum se ire. *Auct. B. Hisp.* 27. Dum lignantur, interfecti sunt. *Caes. B. C.* 3, 15. Neque lignandi, neque aquandi potestas fiebat.

LIGNOSUS, a, um, adj. *ξυλώδης*, ligni similis, ligneam duritiem habens, *holzig. Plin.* 24, 9, 42. Lignosus fructus. *Id.* 25, 6, 29. caules. *Id.* 13, 19, 34. nucleus. *Id.* 28, 17, 71. Lignosum glutinum; et 19, 5, 27. Lignosiora sunt reliqua.

LIGNUM, i, n. *ξύλον*, pars, et veluti caro arboris sub cortice: item tota arborum materia, operi, aut igni apta. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* ducit a *legendo*, quod ligna caduca, inquit, legebantur in agro, quibus in foco uterentur. Alii a *ligando*, alii a *λιγνὺς*, fumus. *Cato R. R.* 130. Ligna neque fumosa erunt et ardebunt bene. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Ligna et sarmenta circumdare, ignem subjicere. *Hor. Od.* 1, 9, 5. Ligna super foco large reponere. *Plin.* 15, 3, 3. vocat *lignum* olivae nucleum; et 13, 4, 9. semen in pomo palmae; et 15, 28, 34. nucleum in olivis, cerasis, persicis, prunis; et *ib.* corticem, seu putamen nucum: item corticem siliquarum praedulcium, quas Itali appellant *carrube.* Denique 17, 21, 35. *n.* 5. vinacea uvarum. ℙ *In silvam ligna ferre* proverb. ap. *Hor. Sat.* 1, 10, 34. est quod Itali dicunt, *portar legna al bosco*, et similiter, *portar acqua al mare*, Graeci *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας.* V. NOCTUA. ℙ Aliquando ligni nomine intelligitur quidquid comburendi causa paratum est: et sic distinguitur a *materia*, quae significat ligna ad aedificandum et fulciendum apta. Ita *Ulp. Dig.* 32, 53. Unde *Labeo* ap. *eund.* 7, 1, 12. Nec materia eum pro ligno usurum, si habet unde utatur ligno. (Ubi notandus usus singularis numeri: nam hoc sensu fere in plurali effertur. Sic *Cato* ap. *Charis.* 1, 55. Vehes ligni.) *Plin. ep.* 10, 50. Per lacum ligna, materiae modico labore devehuntur. ℙ Inter vitia mensarum *lignum* dicitur materia surda, et indigesta simplicitas, aut platani foliorum modo digesta. *Plin.* 13, 15, 30. ℙ Per synecdochen ponitur pro tabella, in qua scribitur. *Juven.* 16, 41. Vana supervacui dicens chirographa ligni.

LĪGO, as, avi, atum, a. 1. *δέω*, vincio, colligo, jungo, constringo. Volunt esse a *λυγόω*, quod idem significat. *Phaedr.* 5, 7. Fascia ligare crus; et 4, 5. capitibus cornua suis ligarant. *Hor. Sat.* 1, 5, 13. dum mula ligatur. *Gell.* 12, 3. Ligare, et vincire crura, et manus. *Plin.* 36, 27, 68. Igne cremato lapide, caementa in tectis ligantur. *Val.*

Fl. 4, 94. Balteus loricam ligat. *Ov. Met.* 2, 375. digitosque ligat junctura; et *ib.* 6, 134. laqueo ligare guttura; et *ib.* 7, 849. vulnera veste. *Sen. Thyest.* 686. caput vitta; et *Hippol.* 1003. equorum ora frenis; et *ib.* 1087. nodos sequaces. *Seren. Sammon.* 63. Aut cineres alni tardo cum melle ligentur. [**Sil.* 7, 589. Ligat Poenorum terga corona, i. e. circumdat.] ℙ Translate. *Sen. Oed.* 455. Vivaces hederas remus tenet: Summa ligat vitis carchesia. *Ov. Met.* 1, 25. Dissociata locis concordi pace ligavit; et *ib.* 9, 548. quae cum tibi sit junctissima, junctior esse Expetit, et vinclo tecum propiore ligari. *Quint.* 5, 14. *med.* Quae (*argumenta*) apprehensa Graeci magis in catenas ligant, et inexplicabili serie connectunt, *h. e.* ita jungunt, ut quasi catenam faciant. *Prop.* 4, 4, 80. Ligare pacta. *Stat. Silv.* 4, 3, 74. de flumine: Et ripas habitare nescientem Recti legibus alvei ligasti. *Sen. Herc. Oet.* 452. artibus magicis fere Conjugia nuptae precibus admixtis ligant, *h. e.* conjugum amorem jungunt, firmantque. *Ov. Pont.* 1, 6, 39. Haec Dea (*Spes*) quam multos laqueo suo colla ligantes Non est proposita passa perire nece. *Isid. Orig.* 8, 9. In rebus suspendendis, atque ligandis.

LĪGO, onis, m. *δίκελλα, μάκελλα*, instrumentum rusticum lato ferro, herbis ac radicibus evellendis, purgandoque agro, et terrae fodiendae aptum. *Ov. Pont.* 1, 8, 59. longis purgare ligonibus arva. *Hor. Epod.* 5, 30. Ligonibus duris humum exhaurire. *Id. Od.* 3, 6, 38. ligonibus versare glebas. *Ov. Amor.* 3, 10, 31. Cum bene jactati pulsarant arva ligones. *Mart.* 4, 64. Centeno ligone domare arva. *Stat. Th.* 3, 589. incurvi ligones. *Juven.* 7, 33. aetas Et pelagi patiens, et cassidis, atque ligonis, *h. e.* agriculturae, metonymia. *Colum.* 10, 88. cum glebis vivacem caespitis herham Contundat marrae, vel fracti dente ligonis. *Fractum* dicit, quia inflexum et curvum ferrum habet, praesertim qua parte in dentes deducitur. Sic *infractus remus*, *infracti radii*, ap. *Cic.* et *Plin.*

LĪGŬLA seu Lingula, ae, f. *γλωσσάριον, γλωσσοὶς*, diminut. parva lingua. In veteribus libris promiscue reperitur *ligula* et *lingula*. Sed *Mart.* 14, 120. *lingula* indoctorum grammaticorum appellationem facit. Nempe ad originem vocis respexere, non cogitantes, uti ab *offa* est *ofella*, a *mamma mamilla*, a *curru curulis*, prima correpta, sic a *lingua* dici potuisse *ligula*, prout senatores, et equites loquebantur. Verba *Martialis* sunt: Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque, Dicor ab indoctis lingula grammaticis. ℙ Translate ita dicebatur pars in calceis linguae exsertae instar fastigiata, *Fest.* Sed *Juvenalis* vetus interpres ligulas in calceis ait esse ansas calceorum, neque hanc notionem a *linguae* similitudine fluxisse, ut diximus ex *Festo*, sed a *ligando:* at fortasse ligula est corium in soleis ita positum, ut sonitum faciant. V. FOLLEO et FOLLEATUS. *Juven.* 5, 20. propter quod rumpere somnum Debeat, et ligulas dimittere, etc. *Mart.* 2, 29. Non extrema sedet lunata lingula planta. Ubi *lingula* scripsit, etsi in grammaticis id alibi damnat. ℙ Praeterea ita in tibiis vocabant, a similitudine linguae infra dentes coercitae, quod *γλωττὶς* a Graecis, simili metaphora, dicitur. *Fest.* et *Plin.* 16, 36, 66. ℙ Item instrumentum est cavum et oblongum, quale est, quo aromatarii educunt unguentum e vasis: quia habet figuram linguae ad palatum retractae, atque ita cavae. *Plin.* 21, 14, 49. Inde ligulis eligunt florem. ℙ Item instrumentum ad purgandam e vase spumam. *Colum.* 9, 5. *f.* Isque saepius ligula est purgandus. ℙ Item genus mensurae, quarta pars cyathi. *Plin.* 20, 5, 18. Item opisthotonicis, et jecinorum vitiis, et torminibus, et stranguriae, duarum, aut trium ligularum mensura. ℙ Idem creditur, ac cochleare. Sed tamen ab eo distinguitur saltem ut pars a parte. [Hinc *Cato R. R.* 84. postquam savilli conficiendi rationem docuisset, monet ponendum convivis cum catillo et lingulis, *h. e. coi cucchiaj. F.*] *Mart.* 8, 33. ligulam cum mittere possis, Mittere cum possis vel cochleare mihi. V. COCHLEAR. ℙ Ad haec, ligula est gladiolus oblongus in speciem linguae factus. *Varr. L. L.* 6, 6., *Gell.* 10, 25. ubi *Naev.* in *Hesion.* Sine, mihi morem gerere videar, haud lingua, verum ligula. ℙ [Item examen in libra. *Vet. Schol.* ad *Pers.* 1, 6. Examen est ligula vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adaequanda tenet. *F.*] ℙ Similitudo quoque linguae nomen in architectura dedit lingulis vectium, quae et *linguae* dicuntur. *Vitruv.* 10, 8. Si sub onus vectis lingula subjecta fuerit. Sic *Cato R. R.* 18. de lingula praeli. ℙ Item extremitatibus paxillorum quae transversis foratis perticis inducuntur. *Colum.* 8, 11. *med.* In solo figuntur breves paxilli, eorumque partes summae lingulas edolatas habent, quae transversis foratis perticis inducantur. ℙ Item tubulorum, quibus aqua ducitur, in modum linguae conformatis, ut alter in alterum convenire possit; quos *lingulatos* idcirco appellat *Vitruv.* 8, 7. ℙ Item ossiculis loliginum instar cultelli aut scalpelli. *Appul. Apol.* Cancrorum furcas, echinorum caliculos, loliginum ligulas. ℙ Est etiam convicium in hominem nullius pretii: ductum a ligulis calceorum. *Pl. Poen.* 5, 5, 30. Ligula, i in malam crucem.

LĪGUR et Ligus, ūris, m. et f. *Λίγυς*, qui est e Liguria. *Cic. Sext.* 31. Intercessit Ligus iste nescio qui. *Lucan.* 1, 442. tonse Ligur. *Pers.* 6, 6. mihi nunc Ligus ora lntepet. *Tac. H.* 2, 13. Femina Ligus. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 6, 715. mulier. *Virg. G.* 2, 168. Assuetumque malo Ligurem. *Id. A.* 10, 185. Ligurum fortissime. ℙ *Ligures*, *um*, sunt Liguriae populi, olim admodum bellicosi. *Plin.* 3, 5, 7. et *Liv.* saepe et *Flor.* 2, 3. ℙ Olim Ligures male audivisse, patet ex *Virg. A.* 11, 715. Vane Ligus, frustraque animis elate superbis, Nequidquam patrias tentasti lubricus artes. Ubi *Serv.* haec affert loca *Cat. Or.* 2. Sed ipsi (*Ligures*) oriundi unde sunt, exacta memoria inliterati, mendacesque sunt, et vera minus meminere: et *Nigid.* Nam et Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones, insidiosi, fallaces, mendaces. V. §. sq. ℙ *Ligur* fuit etiam cogn. R. in gente Aelia, ut patet ex *Cic. Cluent.* 26., qui narrat, C. Aelium Stalenum, natione Ligurem, judicem improbissimum, Paeti, non Liguris sibi cognomen ex imaginibus Aeliorum delegisse (utrumque enim et Paetus, et Ligus fuit in ea gente), ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suae, quam generis uti cognomine videretur. [*Immutavit haec et auxit *F.*]

LĪGŪRĬA, ae, f. regio Italiae Alpibus maritimis, Apennino, Etruria et Ligustico mari circumscripta: cujus magna pars nunc est *il Genovesato. Plin.* 3, 5, 7. *Flor.* 2, 3.

LĪGŪRĪNUS, a, um, adj. Ligusticus. *Grat. Cyn.* 510. Garganumque trucem aut Ligurinas desuper Alpes. ℙ [Est quoque cogn. R. a patria deductum. *Inscr.* ap. *Mur.* 1115, 3. M. Nemonius M. F. Ligurinus. *F.*]

LĪGŪRIO et Ligurrio, is, ivi et ii, itum, a. 4. *λιχνεύω*, lingo, leviter degusto, libo. Volunt quidam esse a *ligo* pro lingo. Fere simplici *r* scribitur. *Manut.* tamen et *P. Victor* duplicem praeferunt ex veterib. libris. Utraque scriptio proba. *Ter. Eun.* 5, 4, 12. Meretrices dum foris sunt, nihil videtur mundius: Quae cum amatore cum coenant, liguriunt, etc. Quam inhonestae solae sint domi, atque avidae cibi, etc. Ubi *Donat.* Ἀπὸ τοῦ *λιγυροῦ*, quod secundum Graecos suave intelligitur: *ligurire* dicitur, qui eleganter, et more senum multo fastidio suaviora quaeque degustat. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* de apib.: Itaque his unctus qui accessit, pungunt, non, ut muscae, ligurriunt. *Hor. Sat.* 1, 3, 80. Si quis cum servum, patinam qui tollere jussus, Semesos pisces, tepidumque ligurrierit jus, In cruce suffigat: et *ib.* 2, 4, 79. puer unctis Tractavit manibus calicem, dum furta ligurrit. *Pl. Capt.* 1, 1, 14. Parasiti, rebus prolatis, latent, Dum ruri rurant homines, quos ligurriant, *h. e.* quorum cibos lingant, quorum invitatu coenent. ℙ Sunt, qui in locis *Horatii* allatis *ligurire* exponunt devorare, avide intemperanterque comedere: quasi quis ita vescatur, ut et reliquias lingat in patina. V. LIGURITIO et LIGURITOR. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 76. Non reperietis hominem timide, nec leviter haec improbissima lucra ligurrientem: devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit. *Id. Fam.* 11. 21. *f.* Cum quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurrirent, disturbavi rem, *h. e.* appeterent, inhiarent, velut si quis cibi cupidus patinas lambat. ℙ Habet interim obscenum sensum, ut ap. *Cic. Dom.* 18. et *Suet. Tib.* 45. *extr.* et *λείχειν* et *λειχάζειν* ap. Graecos et *Mart.* 11, 58. [In quibus locis mulierum pudenda lingere significat, quod exprimit vox cunnilingus. *F.*]

LĪGURĪTIO et Ligurritio, onis, f. *λιχνεία*, actus liguriendi. *Cic. Tusc.* 4, 11. Aegrotationi talia quaedam subjecta sunt, avaritia, ambitio, mulierositas, pervicatia, liguritio, vinolentia, cupedia.

LĪGURĪTOR et Ligurritor, oris, m. *λίχνος*, delicatioris cibi avidus, cupide comedens, vorax. *Macr. Sat.* 2, 12. *f.* de lupo pisce: Lucilius ostendit, scire se hunc piscem egregii saporis, qui inter duos pontes captus esset: eumque, quasi liguritorem, catillonem appellat. ℙ Obscenum sensum habet ap. *Auson. ep.* 128. in lemmate. V. LIGURIO.

*LIGURĬUS, Gulosus, catillo, *λίχνος Vet. Gloss. B. A.*

LĪGUS. V. LIGUR.

LĪGUSCUS. V. in v. sq.

LĪGUSTĪCUS, a, um, adj. *Λιγυστικὸς*, ad Liguriam pertinens. *Plin.* 3, 6, 10. In Ligustico mari est Corsica; et *ib.* 5. *med.* Portus Herculis Monoeci, Ligustica ora. *Juven.* 3, 257. Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat, Axis, etc. *Varr. R. R.* 1, 18. *med.* Ligusticus ager. *Id. ib.* 3, 9. *med.* Ligustici montes. Adde *ib.* 2, 5., quibus locis alii ex MSS. leg. *Liguscus*: nam ut ab *Etruria Etruscus*, sic a *Liguria Liguscus* fieri, ait *Scalig.* ℙ *Ligusticum*, *i*, n. herba est (alio nomine siler montanum) in Liguriae montibus frequens: seritur ubique: suavius sativum, sed sine viribus. Panacem aliqui vocant: Cratenas apud Graecos cunilam bubulam eo nomine appellat: ceteri vero conyzam, id est cunilaginem. Stomacho utile est: item convulsionibus, et inflationibus. Haec *Plin.* 19, 8, 50. et 20, 15, 60. Meminit et *Colum.* 12, 57. [*Ligusticum Levisticum, *L. Liebstöckel.*] ℙ Habet in condimentis usum piperis, memoraturque ab *Apic.* 1, 29. et 4, 5. ℙ Apud *Veg. Vet.* 3, 52. appellatur *Libysticum*, vel *Levisticum.*

LĪGUSTĪNUS, a, um, adj. Ligusticus, Liguri nus. *Liv.* 42, 4. Ligustinus ager. *Id.* 34, 8 Ligustini montes. *Id.* 31, 10. populi. (Hos *Ligustinos* absolute vocat *Plin.* 10, 24, 34.) *Id.* 44, 35. *f.* Cominus stabilior et tutior, aut parma, aut scuto Ligustino, Romanus erat.

LĪGUSTIS, idis, f. *Λιγυστὶς*, Ligustica. *Sidon. ep.* 9, 15. *carm. f.* Humo, atque gente cretus in Ligustide.

LĪGUSTRUM, i, n. frutex, seu arbor est, de qua ne sibi quidem *Plin.* constare ait, quae sit. Scribit enim tum 12, 24, 55., tum 24, 10, 45. credi a quibusdam eandem esse ac cyprum, quae orientis planta est. Ipse tamen nihil affirmat. Solum 16, 18, 31. inter eas recenset, quae non nisi in aquosis locis proveniunt: additque, esse tesseris utilissimam. ℙ Alius est frutex, alio nomine *oleastellus*, quia folio est oleae simili, et ab Italis *levistico* et *libistico*, a nostratibus vulgo *conestrella*, a botanicis *ligustrum vulgare* dicitur, [**Hartriegel*, *Rainweide*] adeo passim nascens, ut *dare ligustra colono* ap. *Mart.* 9, 27. eo sensu dicatur, quo *noctuas mittere Athenas.* Florem gignit album. *Virg. Ecl.* 2, 18. Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Ubi *Serv.* Ligustrum flos est candidus, sed vilissimus. Sic *Ov. Met.* 13, 789. Candidior nivei folio Galatea ligustri. *Mart.* 1, 116. Toto candidior puella cycno, Argento, nive, lilio, ligustro. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 130. Haec graditur comitata rosis, haec alba ligustris. *Colum.* tamen 10, 300. Ter calathis violam, et nigro permixta ligustro Balsama cum casia nectens, croceosque corymbos. Sed *Parrhas.* quia plures album dicunt, *niveo* hic legendum censet. Recentiorum conjecturas V. ap. botanicos.

*LILAEA, ae, f. *Λίλαια*, Graeciae oppidum, in Phocide, ad Cephisi amnis fontes. *Plin.* 4, 3. *Stat. Th.* 7, 348. *B. A.*

*LILAEUS, i, m. fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

LĪLĬĀCĔUS, a, um, adj. *λειρινος*, e liliis factus. *Pall.* 6, 14. in lemmate: De oleo liliaceo.

LĪLĬĒTUM, i, n. locus liliis consitus. *Pall.* 3, 21. *f.* Nova lilieta formabimus.

LĪLĬUM, ii, n. *λείριον*, flos est rosae nobilitate proximus, ceterorum excelsissimus, interdum cubitorum trium, languido semper collo, et non sufficiente capitis oneri. Candor ejus eximius, foris striati, et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo, et semine, stantibus in medio crocis. Ita odor, colorque duplex, et alius calycis, alius staminis, differentia angusta. Haec ex *Plin.* 21, 5, 11., qui *ib.* 19, 74. varios ejus usus in medicina describit. *Virg. Ecl.* 10, 25. grandia lilia. *Id. A.* 6, 709. candida. *Prop.* 3, 11, 30. lucida; et 4, 4, 23. argentea. *Ov. Met.* 12, 411. candentia. *Id. A. Am.* 2, 115. hiantia. *Hor. Od.* 1, 36, 16. breve lilium, i. e. per breve tempus florens. Sic *Val. Fl.* 6, 492. Lilia per vernos lucent velut alba colores Praecipue, queis vita brevis, totusque parumper Floret honor. *Tibull.* 3, 4, 33. Ut cum cotexunt amaranthis alba puellae Lilia. *Prop.* 1, 20, 37. lilia Candida purpureis mixta papaveribus. *Virg. A.* 12, 67. Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa. *Mart.* 5, 37. Cui nec lapillos praeferas Erythraeos, Nivesque primas, liliumque non tactum. ℙ Sunt et rubentia lilia, quae Graeci crina vocant: item purpurea, aliquando gemino caule, carnosiore tantum radice, majorisque bulbi, sed unius: narcissum vocant. *Plin. cit.* 21, 5, 12. ℙ A similitudine *lilium* est militaris machina ad impediendum hostem: de quo *Caes. B. G.* 7, 73. Obliquis ordinibus, in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatim angustiore ad summum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine, ab summo praeacuti, et praeusti demittebantur, ita ut non amplius quatuor digitis ex terra eminerent, etc. Id ex similitudine floris lilium appellabant. [**Lips. Poliorc.* IV, 2. p. 519. Meo nunc sensu adspicit similitudo totam foveam superne expansam jacentemque *in* orbem: cui medius deinde stipes inseritur, atque id est velut lilium patens, cum stamine suo et stilo.]

LĪLYBAETĀNUS, a, um, adj. Lilybeius. *Cic. Fam.* 13, 34. Lyso Lilibaetanus. *Id. Div. Verr.* 17. Lilibaetana mulier. *Ascon. ib.* 1. Lilybaetanus quaestor, *h. e.* qui Lilybaei quaesturam gerebat.

LĪLYBAEUM, i, n. *capo Coco*, *Λιλύβαιον*, pro-

montorium Siciliae, Africam spectans. *Plin.* 3, 8, 14. ℙ Item urbs prope eum locum, nunc *Marsala. Cic. Div. Verr.* 17. ℙ Adjective *Lucan.* 4, 583. Lilybaeo litore solvit.

LĪLYBĒ, es, f. Lilybaeum. *Prisc. Perieg.* 482. Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynusque sub ortum.

LĪLYBĒĬUS, a, um, adj. ad Lilybaeum pertinens. *Virg. A.* 3, 706. Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.

LĪMA, ae, f. *ὕλη*, instrumentum fabrile, densis, minutisque dentibus, quo ferrum, aliudve quid terendo expolitur. *Phaedr.* 4, 7. Vipera limam momordit. *Plin.* 33, 11, 49. Interest, quamplurimum lima perdiderit. *Id.* 37, 8, 32. Topazius limam sentit. *Id.* 9, 35, 54. Lima aliquid avellere; et 28, 9, 41. polire. *Pl. Men.* 1, 1, 9. proterere. *Id. fr.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* adradere. ℙ Translate dicitur de censura, emendatione, expolitione scripti alicujus. *Ov. Pont.* 1, 5, 19. incipiam lima mordacius uti, Et sub judicium singula verba vocem; et *ib.* 2, 4, 17. meus lima rasus liber esset amici; et *Trist.* 1, 7, 30. Defuit et scriptis ultima lima meis. *Hor. A. P.* 291. poetarum limae labor, et mora. *Mart.* 5, 80. Quem *(libellum)* censoria cum meo Severo Docti lima momorderit Secundi. *Id.* 10, 2. Carmina rasa lima recenti. *Vell.* 2, 9. Clara fuere ingenia Afranii, Pacuvii, atque Actii, etc. ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis. [*Scripta *ἀκριβῶς ἐκπεπονημένα*, studiose elaborata, stiloque accuratiore perculta intelliguntur.] *Appul. Met.* 8. Sed Charite ad limam consilii desiderium petitoris distulit, *h. e.* ut desiderium petitoris perpenderet ac libraret. ℙ Fuit et *Lima* Dea apud Romanos, quae una cum Limentino gerebat custodiam liminum. *Arnob.* 4, 132., ubi alii aliter *Limentina*, alii *Jana* leg. Et sane quid isti sit *Limae* cum *limine*, non satis video.

LĪMĀCĔUS, a, um, adj. e luto factus. *Tert. Resurr. carn.* 49. Primus homo de terra choicus, id est limaceus.

*LIMAEAS vel Limaea, ae, fluvius Hispaniae Tarraconensis, sub Gallicia, inter Minium et Durium amnes, hodie *Lima. Plin.* 4, 22. (al. 21.) ℙ Appellatur et *Limia. Mela* 3, 1. *med. Plin.* 4, 20. ℙ *Λήθη* audit *Straboni*, huc respiciente *Plin.* in priore loco. Ejus verba sunt: Erratum et in amnibus inclytis. Ab Minio, quem supra diximus CC. M. P. (ut auctor est Varro) abest Aeminius, quem alibi quidam intelligunt, et Limaeam vocant, oblivionis antiquis dictus, multumque fabulosus. *B. A.*

LĪMĀRĬUS, a, um, adj. ad limum pertinens. *Frontin. Aquaed.* 15. Interposita est limaria piscina, *h. e.* in quam aqua defluens, et cursum remittens, limum deponit.

LĪMĀTĒ, adv. polite, ornate, perfecte. *Cic. Fin.* 5, 5. Duo genera librorum, unum populariter scriptum, alterum limatius. *Ammian.* 15, 13. Cum limatius superstitionum quaereret sectas, *h. e.* accuratius.

*LIMATĬO, onis, f. ap. *Augustin. B. A.*

[LĪMĀTOR, oris, m. qui limat. *Gloss. Phil.* Limator, *ῥινητής*. *F.*]

LĪMĀTŪLUS, a, um, adj. *ὑπερῥῖνισμένος*, diminut. limati. *Cic. Fam.* 7, 33. Opus est hic limatulo et polito tuo judicio, *h. e.* terso et subtili.

*LIMATŪRA, ae, f. *ῥίνημα*, Pulvisculus limando detractus. *Onomast. Vet. B. A.*

LĪMĀTUS, a. um, part. a *limo*, *κατερῥινημένος*, lima rasus, politus. *Plin.* 8, 20, 29. Cornu ad saxa limato, praeparat se pugnae. ℙ Item lima detractus, abrasus. *Id.* 34, 18, 50. Limatum plumbum; et *ib.* Limata scobs. ℙ Translate est perfectus, politus, elaboratus. *Cic. N. D.* 2, 29. Vir moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatus. *Plin. ep.* 1, 20. *f.* Limatius ingenium. *Hor. Sat.* 1, 10, 65. Comis, et urbanus, fuerit limatior idem. *Cic. Or.* 1, 39. Vir oratione maxime limatus. *Id. Brut.* 24. Limatius dicendi genus. [*Cf. de oratorio hujus vocis usu *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 244. sq.] *Mart.* 7, 51. varioque togae limatus in usu, *h. e.* exercitatione perfectus, peritus.

LĪMAX, acis, m. et f. *κοχλίας*, cochlea terrestris, tum quae testa operitur, tum quae nuda est. [*Gloss. Philox.* Limax, *γυμνοκοχλίας, κοχλίας: F.*] a *limo*, in quo vivit, ut *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* et *Fest.* docent. *Colum.* 10, 323. teneras audent erodere frondes Implicitus conchae limax, hirsutaque campe. *Plin.* 32, 1, 1. Eum limaci magnae similem esse, dicunt. *Id.* 29, 6, 36. Limacis inter duas orbitas inventae ossiculum. *Id.* 30, 11, 30. Quatuor limacum capita. *Id.* 19, 10, 57. Lactucis innascuntur limaces, et cochleae. *Id.* 18, 17, 44. *n.* 3. Limaces nascuntur in vicia, et aliquando e terra cochleae minutae, mirum in modum erodentes eam. ℙ Translate. *Pl. fr.* ap. *Varr. l. c.* meretrices appellare videtur *limaces lividas*, quia amatorum bona corrodunt. Quo fortasse pertinet aliud ejusdem fragmentum ap. *Non.* 4, 274. *limaces viri.* Utrumque autem vel a *limacibus*, qui lactucas et viciam erodunt, vel a *limando* duci potest.

LIMBĀTUS, a, um, adj. limbo praetextus et ornatus. *Gallien. in ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Misi ad eum chlamydes veri luminis limbatas duas.

LIMBOLĀRĬUS, ii, m. qui vestium limbos consuit. *Gloss. Philox.* Limbolarius, *ὑφαντοπράκτης*. *Pl. Aul.* 3, 5, 45. Textores, limbolarii, arcularii. *Pareus* legit *limborarii*, ut sit a *limbus*, et *ora.* Sed hoc frigidum est. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 27. M. Antonio M. Lib. Apollonio limbolario M. Antonius M. L. Patroclus solearius amic. optim. P.

LIMBUS, i, m. *κροσσός*, fascia, qua extrema vestis ora praetexitur: quae et *instita* vocatur. [*Doederl.* 3, 150. *limbus* deducendum putat a ligare.] *Virg. A.* 4, 137. Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. *Ov. Met.* 5, 51. Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat Aureus; et *ib.* 6, 127. Ultima pars telae, tenui circumdata limbo, Nexilibus flores hederis habet intertextos. *Stat. Achill.* 1, 330. Et picturato cohibet vestigia limbo. ℙ Pro fascia, seu vitta. *Claud. cons. Mall. Theod.* 118. frontem limbo velata pudicam. *Arnob.* 2, 72. Lapillis innecterent colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis. V. NIMBUS *f. Varr. R. R.* 2, 3. Limbus XII. Signorum, *h. e.* Zodiacus. V. STELLIMICANS. ℙ Pro zona. *Stat. Th.* 6, 367. picto discingit pectora limbo. ℙ A *Non.* 14, 30. dicitur limbus muliebre vestimentum, quod purpuram in imo habet, allato *Plauti* loco, quem V. in v. praec. ℙ Est etiam linea seu funiculus ex lini filis quadruplicibus ad capiendas feras: Graeci *περίδρομον* vocant. *Grat. Cyn.* 25. Prima jubent tenui noscentem jungere filo Limbum, et quadruplici tormento adstringere limbos. Illa operum patiens, illa usus linea longi. *F.*]

LĪMEN, inis, n. *βηλός, ὀυδός*, lignum, aut lapis transversus in janua, aut porta, tum superius, tum inferius: a *limus*, h. e. transversus, *Festus* ducit. [*Doederl.* 2, 101. docet, *limen* contractum esse ex levimen.] *Novius* ap. *Non.* 4, 278. Limen superum, quod mihi misero saepe confregit caput: Inferum autem, ubi ego omnes digitos defregi meos. *Pl. Merc.* 5, 1, 1. Limen superum inferumque salve. *Plin.* 36, 14, 21. Imponere limen foribus. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. *col.* 1. Insuper ostium limen robustum longum P. VIII. imponito. *Juven.* 6, 226. pendentia linquit Vela domus, et adhuc virides in limine lauros; et *ib.* 52. densos per limina tende corymbos. *(Vitr.* quoque 6, 9. et 11. de superiori usurpat.) *Pl. Cas.* 4, 4, 1. Sensim superattolle limen pedes, nova nupta. *Virg. G.* 3, 317. gravido superant vix ubere limen. *Cic. Dom.* 23. Non existimo, illos tam cupidos liminum meorum, et columnarum, et valvarum fuisse. [*Famuli ad limina* ap. *Sil.* 1, 66. bene *Dan. Heins.* intelligit *janitores*, *θυρωροὺς*, ferri etiam posse, quod vult *Dausq. ad lumina*, censet *Drakenb.*, modo non intelligantur *λυχνοῦχοι*, sed qui famulantur nocte, accensis luminibus.] ℙ Per synecdochen est ipsa janua, ingressus, aditus. *Cic. N. D.* 2, 27. Fores in liminibus profanarum aedium, januae nominantur. *Caes. B. C.* 3, 105. Simulacrum Victoriae ad valvas se templi limenque convertisse. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 19. occludite aedes pessulis, Ubi hanc ego tetulero intra limen. *Id. Men.* 2, 3, 63. Intrare intra limen: et *Mil.* 3, 1, 11. cohibere se. *Juven.* 2, 88. Limen intrare; et 14, 220. subire; et 3, 124. submoveri limine. *Virg. Ecl.* 5, 56. insuetum miratur limen Olympi. [*Ita dicitur etiam *limen solis*, quum agitur de loco aut regione, unde sol oritur, vel de plaga coeli. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 255.] *Id. G.* 2, 504. penetrare aulas et limina regum: et *ib.* 4, 188. de apib.: mussantque oras et limina circum. *Id. A.* 9, 647. hic Dardanio Anchisae Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos, *h. e.* atriensis. *Sil.* 1, 66. Famuli ad limina. ℙ *Salutare a limine* est a longe, et translate leviter attingere. *Sen. ep.* 49. *med.* Nec ego nego prospicienda ista, sed prospicienda tantum, et a limine salutanda. ℙ Item aedes ipsae et tecta. *Virg. G.* 2, 511. Exsilioque domos, et dulcia limina mutant. *Juven.* 15, 153. laribus conjungere nostris Tectum aliud, tutos vicino limine somnos Ut collata daret fiducia. *Virg. A.* 7, 579. Stirpem admisceri Phrigiam, se limine pelli. *Sen. Med.* 22. limen alienum expetere. [*Liv.* 2, 48. Jussi armati postero die ad limen consulis adesse, domos inde discedunt; et 43, 1. Matronae nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec imperio virorum, contineri limine poterant, i. e. domi. Porro huc poterat referri locus *Plin. Pan.* 83, 2. Sunt quidem praeclara, quae in publicum profers; sed non minora ea, quae limite tenes, i. e. in rebus domesticis.] ℙ Item carceres, *h. e.* initium cursus, quia limen domus viae initium est. *Virg. A.* 5, 316. signoque repente Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt. ℙ Metaphorice est principium. *Sen. Herc. Fur.* 1132. quas in primo Limine vitae scelus oppressit. *Tac. A.* 3, 74. In limine belli. *Sil.* 5, 423. in limine mortis. *Lucr.* 2, 258. leti limine ab ipso ad vitam reverti. ℙ Item finis, quia limen domus viae finis est. *Appul. Met.* 11. Transactis vitae temporibus, jam in ipso finitae lucis limine constituti. Huc pertinet illud *Justin. Instit.* 1, 12. *med.* Limina sicut in domo finem quendam faciunt, sic et imperii finem esse limen, veteres voluerunt. Ab eo postliminium dictum est. ℙ Religiosum erat limen aedium, quod propterea abeuntes, redeuntesque salutare solebant, ut est ap. *Pl. Merc.* 5, 1, 1. Cautio quoque erat, ut dextro semper pede prolato transiretur, ut ex *Petr.* colligitur *Sat.* 30. ℙ Limen interni maris multi appellavere ipsa ostia freti Gaditani, per quae ab oceano in mare mediterraneum patet aditus. *Plin. prooem. l.* 3. [*Permutantur *limen* et *limes*. V. h. v. *in f.*, *limina* et *litora*, V. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 321. 557. 8, 555. et *moenia. Id. ib.* 3, 347. et *lumina. Id. ib.* 6, 255.]

LĪMENĀRCHA, ae, f. *λιμενάρχης*, qui portui praeest, et inspicit solventes, et appellentes: a *λιμήν*, portus, et *ἀρχός*, princeps. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. *med.* Logographi, vel tabularii, vel xenoparochi, vel limenarchae, vel curatores ad exstruenda aedificia publica, muneribus personalibus adstringuntur. *Paul. ib.* 11, 4, 4. Limenarchae, et stationarii fugitivos deprehensos recte in custodiam retinent.

LĪMENTĪNUS, i, m. Deus praeses, et custos liminis aedium. *Tert. Idol.* 15. et *Cor. Mil.* 13. *f.*, *Arnob.* 1, 15. et 4, 132. et 133. et *August. C. D.* 4, 8. et *ib.* 6, 7. Unde simile fit veri, dictum fuisse olim *limentum* pro *limen*, (ut *lenimentum* pro *lenimen*, *ligamentum* pro *ligamen*, et plura hujusmodi) ut inde *limentinus* formaretur.

*LIMĒRA, ae, f. *(ἡ Λιμηρά)* cognominatum est Epidaurus, Laconiae oppidum. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

[LĪMĒRUS, i, m. *λιμερὸς*, famelicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 85, 2. Q. Vajanus Limerus. *F.*]

LĪMES, itis, m. *ἀτραπός*, semita transversa, militari via angustior, tum in agris, tum in urbibus: a *limus*, obliquus. *Festus.* Aliqui derivant a *limen.* Quemadmodum enim limen introitum, exitumque loco praestat, ita per limitem ingressus in agrum, et ex eo egressus patet. Nam agrorum divisores in singulis centuriis singulos limites constituebant, ut agri et mensurae, et itineris causa pervii essent. [*Doederl.* l. in v. *limen* ab in laud. *limes* ejusdem originis esse docet ac *limen. Ernest. Synonym.* 1093. a Gr. *λεῖμμα*, reliquiae, locus divisionis, deducit.] *Colum.* 1, 8. *med.* Semitas, novosque limites in agro fieri non patiatur. *Varr. R. R.* 2, 4. de suib.: Prodigunt in lutosos limites ac lustra, ut volutentur in luto. ℙ Antiqui Latini quatuor genera limitum in agris habebant, duo latiorum, duo angustiorum. Ex latioribus unus ab oriente in occidentem spectabat, qui *Decumanus* est appellatus: alter a meridie in septentrionem, qui *Cardo.* Angustiorum unus ab occidente in orientem intuebatur, qui *Prorsus*, alter a septentrione in meridiem, qui *Transversus* nuncupabatur. Progressu temporis alia limitum nomina invenere, vel ex natura loci, ut *Maritimum*, *Montanum*, vel ex limitum ordine, ut *Actuarium*, vel ex modo latitudinis, ut *Linearium. Hyg. de limit. constit.* et *Plin.* 18. *c.* 33. et 34. Sed de his, et aliis limitum generibus consule Auctores de limitibus, quos uno libro edidit *Goesius.* ℙ Limites item in agris dicuntur etiam ipsi termini, teste *Festo*, quibus agrorum fines distinguuntur. *Virg. G.* 1, 126. Nec signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat. *Id. A.* 12, 897. Saxum antiquum ingens, campo quod forte jacebat, Limes agro positus, litem ut discerneret arvis. ℙ Item quibus imperii, et ditionis fines notantur. Quia vero interdum hujusmodi limites aggere excitato signantur, pro aggere nonnunquam ponuntur. [*Ponitur autem v. *limes* hac significatione nonnisi ap. *Tacitum* et eos omnino *scriptores*, qui temporibus imperatorum floruerunt. Adde *Tac. A.* 2, 7. Cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita; *Germ.* 29. Limite acto promotisque praesidiis. Cf. *Vell.* 2, 120. Penetrat interius, aperit limites; *Spart. Hadr.* 12. per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus jactis atque connexis barbaros separavit. Ita *Ammian.* 30, 9. Valentinianum vocat oppidorum et limitum conditorem tempestivum. *Boettich. Lex. Tac.* p. 294.] *Tac. A.* 1, 50. Romanus limitem a Tiberio coeptum scindit. [*V. *Gron.* ad h. l.] *Stat. Silv.* 4, 3, 40. inchoare sulcos, et rescindere limites. ℙ Translate. *Id. Theb.* 1, 16. limes mihi carminis esto Oedipodae confusa domus. ℙ Interdum est differentia, discrimen, intervallum. *Ov. R. Am.* 325. Quam potes in pejus dotes deflecte puellae, Judiciumque brevi limite falle tuum. ℙ Sumitur et pro quavis via. *Liv.* 31, 34. Intra eam portam, extraque latae sunt viae, etc. et extra limes in gymnasium ferens. Eo limite Athenienses signa extulerunt. *Liv.* 31, 39. Profectus inde transversis limitibus, terrorem praebuit subitum hosti. [*Plura v. in *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Virg. A.* 9, 323. et lato te limite ducam. *Sil.* 9, 379. Limitem agere. *Ov. Trist.* 5, 6, 39. gracili terre-

na sub horrea ferre Limite formicae grana reperta solent; et *Met.* 2, 19. Limes acclivis; et *ib.* 7, 782. limite recto fugere; et *ib.* 8, 559. solito dum flumina currant Limite, *h. e.* alveo, quae est fluminum via. [*Cf. *Prop.* 1, 4, 50. Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes Fallaci celat limite semper aquas; et 9, 60. Haec lympha puellis Avia secreti limitis una fluit. *Ov. Met.* 14, 371. caecisque vagantur Limitibus comites, i. e. viis tenebricosis et ignotis.] ℙ Translate. *Sen. Ben.* 1, 14. Benignitatis fines introrsus referre, et illi minus laxum limitem aperire. *Pl. Poen.* 3, 3, 18. Si benedicetis, vostra ripa vos sequar: Si maledicetis, vostro gradiar limite. *Cic. Somn. Scip.* 8. Bene meritis de patria quasi limes ad coeli aditum patet. ℙ Item pro vestigio in longum tracto, et veluti orbita, aut sulco, quem faces decurrentes, aliaque post se relinquunt. *Ov. Her.* 18, 133. Jam patet attritus solitarum limes aquarum: *ὑπερβολή*; et *Met.* 15, 849. Flammiferumque trahens spatioso limite crinem, Stella micat. *Virg. A.* 2, 697. tum longo limite sulcus Dat lucem. [*Laud. *Burm.* ad h. l. *Sen. Thyest.* 698. E cavo aethere cucurrit limitem sidus trahens.] *Plin.* 2, 26, 25. Bolis perpetua ardens, longiorem trahit limitem. ℙ De zona, seu fascia in coelo. *Ov. Met.* 2, 130. Sectus in obliquum est lato curvamine limes, *h. e.* Zodiacus. [*V. *Gierig.* ad h. l.] Pro linea. *Plin.* 37, 10, 69. de gemma Vejentana: Nigram materiam distinguente limite albo. ℙ *Limites circi* ap. *Tert. Spectac.* 20. sunt viae recta serie inter sedilium ordines relictae. *Salmas. in Solin.* 45. p. 918. ℙ [*Confund. *limes* et *litus*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 901. Item saepissime fieri solet in vv. *limen* et *limes*. V. *Intpp.* ad *Virg. A.* 2, 697. ad *Prop.* 4, 9, 60. ad *Sil.* 4, 105. ad *Tibull.* 2, 1, 17. Permutantur *limite* et *milite*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 740.]

[LĪMĒTĀNUS, i, m. idem ac limitanus. Est cogn. R. In nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 242. C. Mamil*ius* Limetan*us*. Hic ann. U. C. DLXXXIX. tribunus pl. legem tulit de limitibus, cujus tria fragmenta exstant edita a *Goesio* in *Auct. rei agrar.* p. 339. *F.*]

LĪMĔUM, i, n. herba, de qua V. in CERVARIUS.

*LIMIA, ae, opp. et fluv. V. *Limicus. B. A.*

LĪMĪCŌLA, ae, m. qui limo habitat. *Auson. ep.* 7, 36. Junctus limicolis musculus ostreis.

[LĪMĪCUS, a, um, adj. ad Limiam, seu Limaeam, vel forum Limicorum pertinens, Lusitaniae urbem, nunc *Ponte di Lima*. Hujus meminit *Plin.* 4, 20, 34. et *ib.* 22, 35. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 9. M. Flavius Quir. Sabinus Limicus. ℙ *Limici, orum*, sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 3, 4. *F.*]

LĪMĪGĔNUS, a, um, vel Limigena, ae, m. et f. in limo genitus. *Auson. Mosell.* 45. Limigenis ripam praetexeris ulvis.

LĪMĪNĀRIS, e, adj. ad limen pertinens, ut *Lapis liminaris*, qui in domus aditu transversus jacet. *Liminares trabes* ap. *Vitr.* 6, 4. *August ad. Hieron.* inter *ep. ejusd. ep.* 67. *n.* 2. Non enim hoc codex ipse, ut assolet, in liminari pagina praetendebat.

*LIMINĪUM, i, n. V. locum *Cic. Topic. c.* 36. citatum in *Postliminium*. ℙ Ineptiunt (ait *Gesnerus*) *Glossae Isid.* Liminium, servitium mortiferum, captivitas. Paulo melius *Papias:* Liminium captivitas, servitium, quando quis de limine absportatur. ℙ Nempe finxerunt hoc minuti Grammatici ex voce *Postliminium*. *B. A.*

LĪMIS, e. V. LIMUS, a, um.

LĪMĪTĀNĔUS, a, um, adj. ad limites spectans, ut *Agri limitanei*, qui in limitibus alicujus provinciae proxime hostes sunt siti: *Limitanei milites*, qui sunt in limitibus, idest in finibus imperii, in praesidio constituti, ad incursus vicinorum arcendos. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 11, 59, 3. Agros limitaneos universos cum paludibus, omnique jure, quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio, atque arare consueverunt. *Spart. Nigr.* 7. Cum apud Aegyptum ab eo limitanei milites vinum peterent. *Lamprid. Alex. Sev.* 58. Sola, quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, et militibus donavit, dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.

LĪMĪTĀNUS. V. LIMETANUS.

LĪMĪTĀRIS, e, adj. ad limitem pertinens. *Varr. L. L.* 4, 4. Limitare iter, *h. e.* limes, qui inter agrorum confinia relinquitur.

LĪMĪTĀTĬO, onis, f. *ὁρισμὸς*, limitum descriptio: et translate definitio, determinatio. *Colum.* 3, 12. Commemorabimus Julii Graecini conscriptam veluti formulam, ad quam posita est limitatio terrae vinealis, *h. e.* qua praescribitur, qualis terra vinealis esse debeat. *Vitr.* 10, 22. *med.* Ex eo intellectum est, qua regione adversarii specus agentes intra penetrare cogitabant. Sic limitatione cognita, etc.

LĪMĪTĀTUS, a, um, part. a *limito:* metatus, limitibus distinctus. *Festus:* Limitatus ager est in centurias dimensus. Adde *Ulp. Dig.* 43, 12, 1. et V. CENTURIA. ℙ Translate. *Varr. R. R.* 2, 2. Nos nostrum pensum absolvimus, et limitata est pecuaria quaestio, *h. e.* infra limites constituta.

LĪMĪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀφορίζω*, limitibus, seu semitis distinguo, ut *Colum.* 3, 20. et 4, 18. loquitur, limites assigno. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Vineas limitari decumano XVIII. pedum latitudinis, ad contrarios vehiculorum transitus, aliisque transversis limitibus X. pedum distingui per media jugera. Aut si major modus sit, totidem pedum cardine, quot decumano, limitari. ℙ Item limites, seu fines assigno, circumscribo. Hinc translate *limitare quaestionem* ap. *Varr. R. R.* 2, 2. est quaestioni finem imponere, eamque absolvere. V. LIMITATUS. ℙ Part. *Limitandus* ap. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 49. Limitandae humo ferunt pulverem defuisse. *F.*]

LĪMĪTOTROPHUS vel Lĭmĭtrophus, a, um, adj. vox hybrida, ex *limes*, et *τροφέω*, nutrio. Hinc Limitotrophus, vel per syncopen Limitrophus fundus dicebatur, ex quo convehebatur annona ad limites imperii, ut miles limitaneus, qui ejusdem imperii fines tuebatur contra barbarorum incursus, opportuna haberet vectigalia in horreis congregata: quare non *limitrophus*, sed *limitotrophus* scribendum, ab alendis nempe militibus limitaneis; quandoque enim ejusmodi fundi a limitibus imperii distabant aliquot dierum itinere. Quamquam, si novam *A. Peyronii* conjecturam in *Fragm. Cod. Theod.* mox citand. proponere licet, fundi alii erant limitotrophi, de quibus modo dictum est, alii limitrophi, quos militibus limitaneis colendos permiserant principes; de his lege *Perezium* ad *lib.* 11. *tit.* 59. *Cod. Justin.* ℙ Porro *limitrophi* fundi omni erant munere et canone vacui (V. *Impp. Theod. Valentin. Cod.* 11, 59, 3.): *limitotrophi* vero canonem utique pendebant, atque erant huic praestationis oneri obnoxii. *Impp. Honor.* et *Theod.* in *Fragm. Cod. Theod.* (ed. *A. Peyronio*) 5, 13, 38. Nulli penitus liceat salvo canone privato jure, sive cum imminutione canonis patrimoniali jure limitotrophos sive saltuenses per orientem fundos patrimoniales postulare. V. LIMITANEUS. [*Totum h. l. ex suis dedit *F.*]

LĪMMA, ătis, n. *λεῖμμα*, reliquium, defectus: a *λείπω*, linquo. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. *f.* Plato semitonium limma vocitavit, *h. e.* cui aliquid deest, scilicet pars dimidia. Adde *Capell.* 1, 6.

*LIMNAEA, ae, f. *Λιμναία*, Thessaliae oppidum in Estiaeotide, ut videtur. *Liv.* 36, 13. 14. *B. A.*

[LIMNĀTIS, idis, f. *Λιμνῆτις*, vel Dorice *Λιμνᾶτις*, ita cognominata est Diana, a *λίμνη*, lacus, cujus fanum in Laconia ideo *λιμνεῖον* est appellatum: hujus meminit *Strabo l.* 8. *Tac. A.* 4, 43. Auditae deinde Lacedaemoniorum, et Messeniorum legationes de jure templi Dianae Limnatidis, quod suis a majoribus, suaque in terra dicatum, Lacedaemonii firmabant annalium memoria, vatumque carminibus. *F.*]

LIMNĒ, es, f. *λίμνη*, vox Graeca stagnum lacumve significans. *Vitr.* 8, 3. *med.* Lacus, qui limne asphaltitis appellatur.

[LIMNESTIS vel Limnetis, idis, f. *λιμνῆστις* vel *λιμνῆτις*, herba eadem ac centaurea major: ita appellata a *λίμνη*, palus. Ejus mentio est apud *Appul. H.* 34. *F.*]

*LIMNICE, es, f. gladiolus. *Appul. de H.* 78. *B. A.*

*LIMNUS, i, *Λίμνος*, insulae nomen inter Britanniam et Juvernam. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

LĪMO, adv. V. LIMUS, a, um.

LĪMO, as, avi, atum, a. 1. *ῥινέω*, lima tero, levigo, polio. *Plin.* 36, 7, 10. Gemmis scalpendis atque limandis. *Id.* 18, 1, 1. Arbore exacuunt, limantque cornua uri. ℙ Joculariter *limare caput cum aliquo* dixit *Pl. Merc.* 3, 1, 40. et *Poen.* 1, 2, 79. ad eos referens, qui amplectuntur invicem, et osculantur. Adde *fragm.* ap. *Non.* 4, 274. et *Caecil. Turpil.* et *Liv.* in *Tereo*, *ib.* ubi et *limassis* pro *limaveris* legitur. ℙ Translate est expolire, et redundantia detrahere. *Cic. Acad.* 1, 1. Quaedam institui, quae limantur a me politius. *Id. Or.* 1, 25. Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit: neque enim ignoro, quae bona sunt, fieri meliora doctrina; et *ib.* 3, 49. Stilus et alia, et hoc maxime ornat ac limat. *Ov. Pont.* 4, 6, 36. Tenui cura limare aliquid. ℙ *Limare se ad aliquid* est studio, ac diligentia idoneum se reddere. *Cic. opt. gen. Or.* 3. *extr.* Videtur esse jejunior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverat. [*De oratorio hujus verbi usu egit *Ernest.* in *Lex. techn. Lat. rhet.* p. 244. sq.] ℙ Item auferre, detrahere, imminuere. *Cic. Or.* 3, 9. *extr.* Tantum alteri affinxit, de altero limavit. *Id. Fam.* 3, 8. *f.* Etsi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum. *Hor. Ep.* 1, 14, 37. Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, *h. e.* deterit invidendo. *Prud. Cath.* 7, 205. de jejunio: Quod limat aegram pectoris rubiginem. ℙ Item detegere, scrutari, eruere, examinare: quia lima superficiem aufert, et quod subter latebat, detegit. *Cic. Off.* 2, 10. Veritas ipsa limatur in disputatione, [*i. e. ad vivum resecatur. V. *Beier.*] *Phaedr.* 3, 10. si mendacium Subtiliter limasset, a radicibus Non evertisset scelere funesto domum. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 13, 5, 32. Quae tuae cognitionis limavit examen. ℙ Posset etiam a *limo* duci, ut significet limo aspergere, et conspurcare. *Pl. Poen.* 1, 2, 80. *Mi.* Curram aliquo ad piscinam, aut ad lacum: limum petam. *Ag.* Quid eo opust? *Mi.* ut tibi, et illi limem caput. Sed haec joci causa ibi dicuntur.

[LĪMO, onis, m. *λειμών*, pratum: hoc nomine Cicero librum quendam suum appellavit, in quo, ut nonnulli putant, elogia illustrium virorum carmine complexus est. Illius ita meminit *Suet.* in *vita Terentii.* Cicero in Limone hactenus laudat. Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti, Conversum expressumque Latina voce Menandrum In medio populi sedatis vocibus effers, Quiddam come loquens, atque omnia dulcia dicens. ℙ *Limo* fuit etiam cogn. R. apud *Ascon.* in *Cic. or. pro Scauro.* C. Apronius Limo. *F.*]

LĪMOCINCTUS, i, m. minister magistratus, ut viator, lictor, licio cum transversa, seu obliqua purpura, ceu insigni, cinctus. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 116, 2. Honori M. Gavii M. F. Pob. Squilliani Eq. Pub. IIII. Vir. I. D., IIII. Vir. A. P. V. B. (*aedilicia potestate Veronensium bis*), curatori Vicetinor*um* apparitores, et limocincti tribunalis ejus. ℙ At *Morisan. Inscr. Reg.* p. 106. putat, hic non lictores, sed victimarios intelligendos esse, qui limo ab umbilico usque ad pedes tegebantur. V. LIMUS, i, species cinguli. Porro *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 450. *n.* XIII. Collegium victimariorum, qui ipsi (*Hadriano*), et sacerdotibus, et magistratibus, et senatui apparent. [*Plura addidit *F.*]

LĪMODORON, i, n. *λιμόδωρον*, herba statim ab radice cumino adnascens, unicaulis, radice bulbo simili, nonnisi in solo gracili proveniens. *Plin.* 19, 10, 57. ut quidem legit *Hard.*, nam alii aliter.

LĪMŌNĬA, ae, f. *λειμωνία*, a *λειμών, ῶνος*, pratum: frutex est, alio nomine scolymos, nunquam cubitali altior, cristisque foliorum, ac radice nigra, sed dulci: quam in cibos recepit Oriens. *Plin.* 22, 22, 43., ubi alii leg. *limonion.* ℙ Item genus anemones hortensis, et coronariae. *Id.* 21, 11, 38.

LĪMŌNĬĀDES, um, f. plur. *Λειμωνιάδες*, Nymphae florum, et pratorum, quas aliquando mori et deficere dicit *Aristoteles*, sicut Faunos et Satyros: a *λειμών*, pratum. *Serv.* ad *Ecl.* 10, 62.

LĪMŌNĬĀTES, ae, f. *λειμωνιάτης λίθος*, lapis nomen habens a virore pratorum, quae *λειμῶνες* dicuntur. *Plin.* 37, 10, 62. videtur eadem esse, quae smaragdus.

LĪMŌNĬON, ii, n. *λειμώνιον*, beta silvestris, minoribus, tenuioribusque, ac densioribus foliis, quam sativa, undecim saepe, caule lilii: a *λειμών*, pratum, quia in pratis nascitur. *Plin.* 20, 8, 28. ℙ *Item frutex, alio nomine scolymos. *Plin.* 22, 22. ed. *Elzev.* ubi *Hard.* habet *limoniam*, vulgo autem legitur *lemoniam*. V. LEMONIA. *B. A.*

*LIMONUM, i, n. *Λίμωνον*, urbs Galliae Aquitanicae, in Pictonum regione. *Hirt. B. G.* 8, 26. *B. A.*

LĪMOSUS, a, um, adj. *ἰλυώδης*, limo abundans. *Virg. Ecl.* 1, 49. Limosoque palus obducit pascua junco. *Id. A.* 2, 135. Limosus lacus. *Front. Aquaed.* 15. Flumen limosum et turbulentum. *Cels.* 2, 21. *extr.* Limosi rivi. *Ov. Amor.* 3, 6, 1. Limosae ripae. *Id. Trist.* 4, 1, 7. Limosa arena. *Plin.* 27, 5, 17. radix. *Id.* 16, 36, 64. Ubi limosiore callo induruit. Al. leg. *lignosiore;* et 9, 42, 66. Pinna nascitur in limosis.

[LĪMPĬDĒ, adv. clare. *August. Princip. rhet.* p. 328. *Capperon.* Sed ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum. *F.*]

*LIMPIDĬTAS, atis, f. *Octav. Hor.* 4. Usque ad limpiditatem contere. *B. A.*

[LĪMPĬDO, as, a. 1. limpidum reddo. *Veg. Vet.* 2, 18. Est et aliud vitium ejusmodi, ut interdum oculo album inducat, interdum limpidet. *Id. ib.* 4, 28. Chlora medicamentum, quod facit ad omnia vulnera complete limpidanda, vel sine difficultate claudenda. *F.*] *Macer. carm.* 2, 5. Appositum humores limpidat omnes. *B. A.*

LĪMPĬDUS, a, um, adj. *διειδής*, lucidus, splendidus, nitidus, purus, perspicuus: a *λάμπω*, luceo: vel a *lympha:* unde *lympidus* quidam scribunt. [*Utriusque vocis *lympha* et *limpidus* cognationem et a Gr. *λείβω* deducendam originem agnoscit *Doederl.* 2, 16. Proprie de aquae splendore, claritate, de aliis nonnisi translata significatione dicitur. *Id. ib.* p. 85.] *Catull.* 4, 24. Limpidus lacus. *Plin.* 35, 15, 52. Limpidum alumen. *Id.* 37, 9, 42. Limpidae chrysolithi. *Id.* 34, 18, 55. Sandaracha vocem limpidam ac canoram facit. *Hard.* in nullo suorum MSS. haec verba exstare testatur. *Vitr.* 8, 7. Limus cum habuerit quo subsidat, limpidior aqua fiet. *Colum.* 12, 28. *med.* Vinum defaecatum quam limpidissimum.

LĪMPĬTŪDO, inis, f. *λαμπρία*, puritas, perspicuitas, nitor. *Plin.* 32, 11, 54. Limpitudo maris.

LĪMŬLĂ, ae, f. *ῥῖνιον*, parva lima. *Terent. de syllab.* p. 2390. Perpolite, quam potestis, crebriore limula.

LĪMŬLUS, a, um, adj. dimin. limi, h. e. transversus, obliquus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 12. Viden', limulis, obsecro, ut intuentur! subaudi *oculis.*

LĪMUS, a, um, et interdum Limis, e, adj. *πλάγιος*, obliquus, transversus. [*Etym. est a *livere.* V. *Doederl.* 2, 36.] *Limis oculis aspicere, ὑποβλέπειν, παραβλέπειν*, est non recta, et conversa ad ipsam rem facie, sed conversis tantummodo oculis, et, ut ait *Virg. Ecl.* 3, 8., transversa tueri, obliquis oculis aspicere: quod strabones naturaliter faciunt. *Pl. Mil.* 4, 6, 2. Aspicito limis oculis, ne ille, nos se videre, sentiat. [*Omittendum est metro, ita postulante, vocabulum *oculis.* Ceterum solemnis est in hac locutione voc. *oculorum* omissio. Cf. *Parei lex.* s. v. *limus.* Haec *Lindem.*] *Plin.* 8, 16, 19. Leones dolis carent et suspicione, nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. *Ov. Amor.* 3, 1, 33. limis subrisit ocellis. *Ter. Eun.* 3, 5, 53. Ego limis aspicio sic per flabellum clanculum. Ubi *Donat.*: *Limis* si nominativus singularis est, transversus significat: si sextus pluralis, deest *oculis.* Cum igitur dissimulant homines se videre, quod vident, et non rectā facie, sed transversa intuentur, *limis* dicuntur *aspicere.* Haec *Donat.*, ubi al. leg. *limes dicuntur*, etc. [*Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Ov. Amor.* 3, 1, 33. Limis subrisit ocellis; et *Appul.* 2. p. 27. ad me conversa limis et morsicantibus oculis: ibique *Pricaeum.*] *Ammian.* 20, 9. Limibusque oculis eos adusque metum contuens mortis, egredi jussit. Al. leg. *limisque. Id.* 17, 7. Climatiae (*genus terrae motus*) limes ruentes et obliqui, urbes, aedificia, montesque complanant. ℙ *Limo*, adverbii ritu, est limo oculo. *Solin.* 27. *med.* Leones nunquam limo vident, minimeque sic volunt aspici. ℙ *Limus* etiam dici videtur is ipse, qui limis oculis aspicit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 500. et 5, 85. Neque post respiciens, neque ante prospiciens, sed limus intra limites culinae. ℙ Distinguit *Plin.* 11, 37, 54. *limos* a *transversis* oculis: fortasse quia *limi* voluntate, *transversi* natura sunt: vel quia *limi* turpe quid aut subdolum notant, *transversi* non item. Unde *Quint.* 11, 3. *med.* Limi, et ut sic dicam, venerei. ℙ *Limi Dii* ap. *Arnob.* 4, 132. sunt obliquitatum custodes. ℙ De *limo cincto* V. LIMUS, i, species cinguli. ℙ *Limum sidus*, h. e. obliquum, et sinistrum, quidam intelligunt in illo *Pedon.* ap. *Sen. Suasor.* 1. jam sidere limo Navigia, et rapido desertam flamine classem. Alii v. *sidere* pro subsidere accipiunt: alii v. *limo* ea ratione usurpari volunt, qua *Solin.* §. 2. allatus, scilicet in obliquum subsidere, atque adeo mergi.

LĪMUS, i, m. *ἰλύς*, coenum illud mollius, quod ab aquis deferri solet, et ex liquoribus subsidit. Differt a luto, quod e terra aqua macerata fit, ac tenacior est: limus autem madentis arenae similior est. Ducunt vel a *λειμών*, locus irriguus, vel a *λήμη*, sordes, vel a *λίμνη*, palus. [*Hoc probatur *Kärchero.* At *Doederl.* 2, 35. sq. a *linere* deducit, quam rationem ideo censet praeferendam, quod *limus* proprie dicatur de calce aliisque rebus conglutinandae materiae inservientibus.] *Cic. fr.* ap. *Non.* 3, 132. Luta, et limum aggerebant. *Virg. G.* 1, 115. amnis abundans Exit, et obducto late tenet omnia limo. [*Lucr. 5, 498. Atque omnis mondi quasi limus in imum Confluxit gravis, et subsedit funditus, ut faex.] *Hor. Sat.* 1, 1, 59. Haurire aquam limo turbatam; et *ib.* 2, 4, 80. gravis veteri craterae limus adhaesit. *Virg. G.* 4, 45. Tu tamen e levi rimosa cubilia limo Unge, fovens circum; et *ib.* 2, 188. amnes limum felicem trahunt, *h. e.* arva fecundantem. [*Ita saepius ap. *Ov. Met.* 1, 424. 6, 365. et 1, 347. al. *Liv.* 2, 5. in vadis haesitantis frumenti acervos sedisse illitos limo; et 31, 27. Profundo limo cum ipsis equis hausti sunt; cf. 33, 29. *Vell.* 2, 19, 2.] ℙ Pro luto. *Ov. Fast.* 3, 769. Ridet et ipse Deus, limumque inducere monstrat: Hic paret monitis, et linit ora luto. [*Differt a *luto*, quod proprie de argilla dicitur. V. etiam *coenum.*] ℙ Translate. *Id. Pont.* 4, 2, 17. Scilicet ut limus venas excaecat in undis, etc. Pectora sunt mea sic limo vitiata malorum. Et carmen vena pauperiore fluit. ℙ De intestinorum faecibus. *Pall.* 3, 31. Quod vinum solet fluorem ventris adstringere, limum dysentericae passionis medicabiliter asperare.

LĪMUS, i, m. species cinguli: a *limus*, *a*, *um*, obliquus, quod purpuram transversam haberet. [*Ortum habet a *ligare.* V. *Doederl.* 2, 36.] *Aggen. de limit. constit.* p. 151. *Goes.* Limum cinctum, ideo, quod purpuram transversam habeat. *Serv. ad A.* 12, 120. Limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum. Haec autem vestis in extremo sui purpuram limam, idest flexuosam habet. Unde et nomen accepit. Nam limum obliquum dicimus: *Virg. l. c.* Velati limo, et verbena tempora vincti. Al. leg. *lino.* At *Heynius limo* legendum multis ibidem probat. *Tiro* ap. *Gell.* 12, 3. Licio transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus praeministrabant, cincti erant. Hinc *limocinctus.*

*LIMYRA, ae, fluvius cum oppido cognomine, in Lycia. *Mela* 1, 15. *Plin.* 5, 27. ℙ *Limyre*, Graeco more, est *Ov. Met.* 9, 645. ℙ *Limyra*, *orum*, audit oppidum *Vell.* 2, 102. *extr.* *τὰ Λίμυρα Straboni.* ℙ Scribitur et *Lymir. B. A.*

[LĪNABRUM, i, n. locus, in quo linum ponitur, ut candelabrum, in quo candela. V. LINARIA. *F.*]

[LĪNĀMEN, inis, n. idem ac linamentum. V. LINARIA. *F.*]

LĪNĀMENTUM, i, n. quidquid e lino constat. *Plin.* 32, 10, 46. Delphini adipe linamenta accensa excitant vulvae strangulatu oppressas. ℙ Item speciatim, *λημνίσκος*, *μοτὸς*, penicillus ex lino, lana, aut spongia, qui medicamento illitus imponitur vulneri. *Colum.* 6, 11. Suppurationis sinus linamentis oleo imbutis colligatur; et *ib.* 12. Linamenta sale atque aceto imbuta applicantur; et *ib.* 38. Suppurationem linamentis curare. *Cels.* 8, 9. Linamentum demittere; et 5, 26. *n.* 23. indere; et *n.* 30. imponere; et *n.* 21. Siccis linamentis vulnus implere. [*Veg. Vet.* 2, 56. Ubicumque pulmunculus fuerit, radis ad vivum, et adjicies linamentum ex oleo, et aceto, et sale, et stercore ipsius. Alii male leg. *lanamentum. F.*]

[LĪNĀRĬA, ae, f. officina, seu taberna, in qua linum carminatur, seu venditur. *Not. Tir.* p. 178. Linum, linaria, linabrum, linamen, linamentum. *F.*]

LĪNĀRĬUS, ii, m. *λινοπλόκος*, qui lini artem exercet. *Pl. Aul.* 3, 5, 34. ubi al. leg. *lanarius. Inscr.* ap. *Grut.* 649, 3. C. Cassius Supater linarius sibi et Cassiae C. L. Domesticae linar. patronae, etc. *F.*]

[LINCTOR, oris, m. qui lingit. *Gloss. Philox.* Linctor, *λίχνης*. *F.*]

LINCTUS, a, um, part. a *lingo:* lingendo gustatus. *Plin.* 35, 15, 50. Sulphur prodest et suspiriosis linctum.

LINCTUS, us, m. lingendi actus. *Plin.* 31, 9, 45. Multi tussim veterem linctu salis discussere. *Id.* 36, 17, 28. Prodest et phthisicis linctu.

LINDĬUS, a, um, adj. ad Lindum pertinens, urbem olim Rhodi insulae, ut *Plin.* docet 5, 31, 36. ut Lindia Minerva, *Id.* 33, 12, 55. Chares Lindius, *Id.* 34, 7, 18. Cleobulus Lindius (unus ex VII. Sapientibus), *Auson. sept. Sap. in.* et *f.*

*LINDUS, urbs Rhodi. V. in *Lindius*, *a*, *um.* ℙ Fuit et *Lindus*, *i*, m. frater Ialysi, conditor Lindi in Rhodo insula. *Cic. N. D.* 3, 21. *extr. B. A.*

LĪNĔA, ae, f. *λίνον*, *λινάριον*, filum, funiculus ex lino, cannabe, etc. [*Doederl.* 2, 36. *linea* deducit a *linere.* Hinc prima vocis ea videtur significatio, qua de ductu longo ac tenui dicitur, qui calamo aut penicillo, aut scalpro signatur.] *Varr. R. R.* 1, 23. *f.* Nectere lineas, restes, funes. *Colum.* 8, 11. *f.* Ligato pede longa linea gallina custoditur. *Plin.* 9, 17, 26. Mugilem linea longinqua per os ad branchias religata emissum in mare. *Scaev. Dig.* 35, 2, 26. Lineam margaritarum triginta quinque legavit. Sic *ib.* 34, 2, 40. Lineae duae ex margaritis; et *Ulp. ib.* 9, 2, 27. *f.* Si, cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea invito viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur. *Tert. Habit. mul.* 9. Uno lino decies sestertium inseritur. Quidam huc trahunt illud *Mart.* 8, 78. Omnis habet sua dona dies, nec linea dives Cessat, et in populum multa rapina cadit. Loquitur enim de muneribus, quae in populum per ludos spargebantur: inter quae et margaritas spargi aliquando consuevisse, testis est *Suet. Ner.* 11. ℙ Translate dicitur de serie cognationis, quae Graece *σειρά*. *Paul. Dig.* 38, 10, 9. *Στέμματα* cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera est superior, altera inferior: ex superiore autem, et secundo gradu transversae lineae pendent. *Imp. Justin. Cod.* 5, 9, 10. Ex paterna, vel materna linea venientes. *Stat. Silv.* 3, 3, 43. Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis Linea, nec proavis demissum stemma. ℙ Speciatim est filum, ex quo hamus pendet. *Mart.* 3, 58. Tremulave captum linea trahit piscem. Adde 10, 30. *Pl. Most.* 5, 1, 22. Mittam lineam, *h. e.* dolo captabo. ℙ Item funiculus, quo fabri materiam dirigunt. *Richtschnur. Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *extr.* Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur: aliquando perpendiculo, et linea discet uti. *Vitr.* 5, 3. Uti linea cum ad imum gradum, et ad summum extenta fuerit, omnia cacumina graduum, angulosque tangat. *Id.* 7, 3. *med.* Ut longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur; et *Pall.* 3, 9. *med.* Lineam candidis signis notabimus; tunc tensa per tabulam linea, in eis locis surculos figemus. ℙ Ad lineam, et recta linea. *Plin.* 19, 8, 42. Ad lineam grana bina aut terna paxillo demitti. *Cic. Fin.* 1, 6. Solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam; et *Tusc.* 1, 17. Ignis rectis lineis in coelestem locum subvolat. *Lucan.* 10, 306. Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem, *h. e.* adeo regio illa recta linea Leoni subjicitur. Adde *Caton. R. R.* 161. ℙ De *alba linea*, V. ALBUS. ℙ In plagis, seu retibus *lineae* sunt funiculi crassiores, quibus maculae continentur. *Plin.* 11, 24, 28. de tela aranei: Licia difficile cernuntur: atque ut in plagis lineae offensae, praecipitant in sinum. ℙ Item funiculus varii coloris pinnis intextus, ad terrendas aves et feras. V. FORMIDO. *Sen. Clem.* 12. Sic feras lineis, et pinna clusas contineas. *Sen. Hippol.* 46. Picta rubenti linea penna, Vano cludat terrore feras. ℙ Item ductus longus ac tenuis calamo, aut penicillo, aut scalpro signatus, *γραμμή*. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Apelli fuit perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non, lineam ducendo, exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit. (*Proverb. est*, nulla dies sine linea, *de iis*, *qui nullam diem praeterire sinunt*, *quin agant aliquid.*) *Id. ib.* Arrepto penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam, *h. e.* vultus lineamentum. *Pers.* 3, 4. quinta dum linea tangitur umbra, *h. e.* in horologio solari picta. Sic *Plin.* 7, 60, 60. Nec congruebant ad horas ejus lineae. *Id.* 2, 81, 83. Tenuis linea nubis in longum porrectae. *Id.* 18, 33, 76. Lineam cinere ducere; et 27, 11, 77. Linea candida per medium folium transcurrens. *Id.* 36, 6, 9. de sectione marmorum: Serra in praetenui linea premente arenas. *Stat. Silv.* 3, 3, 200. te lucida saxa, Te similem doctae referet mihi linea cerae: Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum, *h. e.* imago e cera referens lineamentis effigiem tui. ℙ Geometrae *lineam* accipiunt longitudinem sine latitudine, et altitudine, ut *Varr.* ap. *Gell.* 1, 20. definit; brevius alii, magnitudinem tantum longam. *Quint.* 1, 10. *med.* Quorum locorum extremae lineae eandem mensuram colligunt, eorum spatium quoque, quod his lineis continetur, par esse; et *mox:* Circumcurrens linea si efficiat orbem; et *mox:* Areae quatuor lineis divisae. *Plin.* 2, 65, 65. Lineae, quae emittuntur ex centro; et *ib.* 16, 13. Lineas deductas ab summa abside coarctari ad centrum necesse est. *Id.* 18, 34, 77. Omnes lineae currunt per eundem umbilicum. *Id.* 33, 3, 19. et *ib.* 6, 31. Lineas producere. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 12. secare. ℙ Solent pictores, priusquam colores adhibeant, figuram totam solis lineis unicoloribus describere, quod Itali dicunt *disegnare*, *abozzare.* Hinc sunt illa *Quint.* 2, 6. Quidam materias latius dicendo prosequebantur: alii cum primas modo lineas duxissent, etc. et 4, 2. *f.* Aliquid velut primis lineis designare; et *Gell.* 17, 20. *f.* Ea, quae in Platonis oratione demiramur, non aemulari quidem, sed lineas umbrasque facere quaesivimus. ℙ De lineamentis faciei, *Arnob.* 5, 179. Scituli pusiones, atque adulti venustissimis lineis. ℙ Sunt *lineae* in agris limites angustiores, qui tanquam lineae in longum producti, mensurae disterminandae causa sunt constituti, et aliquando itineris, aut asportandorum fructuum: qui et *limites linearii*, seu *lineales* appellantur, teste *Hyg. de limit.* p. 151. 152. *Goes.* Ad harum similitudinem *linea* dici potest quicumque trames et via. *Prud. Cath.* 7, 48. Curvos viarum qui retorsit tramites, Et flexuosa corrigens dispendia, Dedit sequendam calle recto lineam. ℙ [In circo, theatro, et amphitheatro *Forcellinus*, aliique tum lexicographi, tum Latinorum scriptorum interpretes *lineam* fuisse putarunt repagulum quoddam, seu loricae genus a tergo imminens gradibus marmoreis, quod humeros sedentium spectatorum ita coerceret, ut ab uno in alterum sedilium ordinem ultro citrove transitus impediretur. At omnium primus *J. R. Carlius* in *Antich. Ital. P.* 2. p. 196. 243. et *P.* 3. p. VII. suspicatus est, hujusmodi lineas fuisse quosdam in superiore graduum parte transversim cavatos sulcos, qui cujuslibet sessoris spatium certo definirent. Ejus autem opinionem confirmavit septem abhinc annis *Petr. Stancovichius* in *Saggio dell' anfiteat. di Pola* p. 33. et sqq., ubi plurium Polensis amphitheatri graduum ibidem recens repertorum figuras aere caelato expressas exhibuit, et insuper docuit, harum linearum intervallum esse unciarum XIII. pedis Veneti, *h. e.* partium 1669. $\frac{5}{12}$ pedis Parisiaci, qui, ut notum est, constat ex partibus 1440. Illius inventum infirmare conatus est anno insequente *Ang. Uggerius* in *Effem. letter. di Roma* T. 12. p. 144-153. Verum cum ipse mense decembri ann. MDCCCXXV. Neapolim profectus essem, et amphitheatrum, quod Pompejis fere incorruptum adhuc exstat, attente perlustrassem, deprehendi non in superiore quidem, sed in anteriore graduum parte, id est in crassitie, minime vero in eorumdem latitudine, easdem illas lineas maxime conspicuas, quarum omnium intervallum est partium 1620 pedis Parisiaci. Ex his porro interpretanda sunt verba, quibus amicam suam juxtim in circo sedentem ita alloquitur *Ov. Amor.* 3, 2, 19. Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi: Haec in lege loci commoda circus habet. Tu tamen, a dextra quicumque es, parce puellae, Contactu lateris laeditur ista tui. Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura, Si pudor est, rigido nec preme terga genu. *Id. A. Am.* 1, 136. Multa capax populi commoda circus habet; et *mox.* 139. Proximus a domina, nullo prohibente,

sedeto: Junge tuum lateri, quam potes, usque latus. Et bene, quod cogit, si nolit, linea jungi, Quod tibi tangenda est lege puella loci. *Quint.* 11, 3. *med.* Transire in aliena subsellia, parum verecundum est. Nam et Cassius Severus urbane, adversus hoc facientem lineas poposcit. *F.*] ℙ *Extrema linea amare*, est e longinquo amicam diligere, non adire, aut tangere. *Ter. Eun.* 4, 2, 10. si non tangendi copia est, Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet, Saltem hoc licebit: certe extrema linea Amare haud nihil est. *Don.* ad *Ter. l. c.* quinque esse statuit lineas ad amoris perennitudinem: visum nempe, colloquium, tactum, osculum, coitum: harum prima hic a *Terentio* dicitur extrema. [*V. etiam, quos laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Salmas.* in *exercitt. Plin.* p. 648. et *Heins.* ad *Ov. Amor.* 3, 2, 19.] Huc nonnulli retrahunt illud *Hor. Od.* 1, 13, 15. oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit. Alii illud ad lineas in circo aut stadio respici putant: alii ad lineamenta pictorum: alii mathematicorum, qui extremam lineam ultimas oras figurarum appellant: alii ad lineas in lusoria tabula, quarum ultima, *ἱερὰ γραμμὴ* dicta, ludo finem imponebat, calculis eo promotis: alii ad lineas horologii solaris, quarum ultima finem diei significat. Ad unum horum aliquod referenda sunt et quae subjicio. *Sen. ep.* 49. Non solebat mihi tam velox tempus videri: nunc incredibilis cursus apparet, sive quia admoveri lineas sentio, sive quia etc. *Hor. Ep.* 1, 16, 79. mors ultima linea rerum est. ℙ *Transilire lineas* est ulterius progredi, quam licet aut decet. *Cic. Par.* 3, 1. Peccare est tanquam transilire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Sic *Varr. L. L.* 8, 1. *med.* Orator non debet in omnibus uti, etc. cum poetae transilire lineas impune possint. ℙ [In vetustis monumentis et codicibus *linia* pro *linea* scriptum fuisse affirmat. *Marin. Frat. Arv.* p. 281. et 302. *F.*]

LĪNĔĀLIS, e, adj. linearis. *Ammian.* 22, 16. Alexandriae omnes ambitus lineales farina respersit Dinocrates architectus.

[LĪNĔĀLITER, adv. in modum lineae. *Capell.* 8, 28. Quorum *(circulorum)* unus Signifer, non ut ceteri, quos linealiter feci, sed latissimus omnium comprobatur: *scil.* ceteros circulos unica linea descripsi, Signiferi vero, sive Zodiaci latitudini duodecimam illius longitudinis partem adscripsi. *F.*]

LĪNĔĀMENTUM, i, n. *γραμμή*, linearum descriptio, productio, conformatio: et fere in plurali num. adhibetur. *Cic. Or.* 1, 41. In geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines. [*Singulari numero positum legitur ap. *Eund. Acad. Pr.* 2, 36, 116. lineamentum, longitudinem latitudine carentem: ubi v. *Orell.*] ℙ Saepe de figuris, formisque rerum dicitur: a pictura ductum, in qua per solas lineas effigies hominum dignoscitur, *ὑπογραφή, διατύπωσις. Cic. Verr.* 2, 2, 36. Contemnere etiam signum illud Himerae jam videbatur, quod cum multo magis figura et lineamenta hospitae delectabant. *Id. N. D.* 1, 27. Cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta atque formas. *Id. Div.* 1, 13. Lineamenta oris effingere. [*Adde *N. D.* 1, 18. Quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum! *Liv.* 21, 4. habitum oris lineamentaque intueri; et 26, 41. Similitudo oris vultusque et lineamenta corporis. Hinc transfertur ad opera pictorum et statuariorum.] *Cic. Verr.* 2, 4, 44. *med.* Operum lineamenta solertissime perspicere. *Id. Brut.* 87. Lineamenta Catonis. [**Lineamenta Catonis* sunt ejus libri, qui res nudas, sine ornatu tradebant, sed recte tamen subtiliterque, adeoque similes vel picturae lineari, qualis olim fuit, vel delineationi pictoris, ex qua, qualis pictura futura sit intelligi potest, et quae est fundamentum bonae picturae. *Ernest.* in *cl. Cic.* et in *lex. techn. lat. rhet.* p. 245. sq. Ceterum hic locus, qui translate v. *lineamenta* positum refert, ad sequentem §. pertinet.] ℙ Translate. *Id. Fin.* 3, 22. Animi lineamenta sunt pulcriora quam corporis. *Id. Or.* 56. Numerus quasi quandam palaestram, et extrema lineamenta orationi attulit, [*i. e. perfectionem et venustatem summam. V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v. Paulo aliter explicatur locus in *lex. techn. lat. rhet.* p. 245. sq.]

LĪNĔĀRIS, e, adj. ad lineam pertinens, linealis, ex lineis constans, *γραμμικός*. *Linearis pictura, μονόγραμμος*, dicta est initio ejus artis, cum nullis adhibitis coloribus, per solas lineas rerum figuram exprimebant. Huic successit, quae singulis coloribus res expressit, monochromatos dicta. *Plin.* 35, 3, 5. Inventam linearem dicunt a Philocle Aegyptio. ℙ *Scalptor linearis aere caelando* dici nunc posset *καλχογράφος*, qui nempe vericulo post varios linearum ductus, sive punctorum ordines aliquid in aere repraesentat, ut ex aereis tabulis prelo suppositis in chartis postea referatur imago. Sed cum ars haec proavorum nostrorum inventum sit, ut vulgo creditur, non occurrit haec formula aut alia huic similis apud veteres scriptores. Quamvis autem artis hujus nomen ignoremus, eam tamen a veteribus non ignoratam, et a *M. Varrone* primum repertam suspicatus est *Jo. Lud. Bianconius* in *ep. ad. Th. Puccinum inter ejusd. opera* T. 4. p. 94., et deinde etiam auctor allatae formulae *Morcell. Inscr. comm. subject.* p. 109. *ed. Patav.* ex quodam *Plinii* loco 35, 2, 2. Imaginum amore flagrasse quondam testes sunt et Atticus ille Ciceronis edito de his volumine, et M. Varro benignissimo inventu, insertis voluminum suorum fecunditati non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed et aliquo modo imaginibus: non passus intercidere figuras, aut vetustatem aevi contra homines valere, inventor muneris etiam Diis invidiosi; quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut praesentes esse ubique et claudi possent. ℙ *Linearis ratio* ap. *Quint.* 1, 10. *med.* est scientia ac disciplina geometriae. Et *linearis probatio, γραμμικὴ ἀπόδειξις*, quae per lineas a geometris fit. *Id. ib. f.*

LĪNĔĀRIUS, a, um, adj. linearis. De *linearii limitibus* V. in ACTUARIUS, a, um.

LĪNĔĀTIO, onis, f. lineae ductio, seu productio. *Vitr.* 9, 4. *med.* Solis radii paribus lateribus, forma, lineationibus extenduntur. *Firm. Math.* 1, 4. Unde sese singuli propria corporis lineatione cognoscunt, *h. e.* lineamentis.

LĪNĔĀTUS, a, um, part. a *lineo:* ad lineam factus, directus. *Pl. Mil.* 3, 3, 40. ubi probus est architectus, Bene lineatam si semel carinam collocavit, Facile est navem facere. *Hieron. ep.* 117. *n.* 6. Inter lascivas puellas, et comatos lineatosque juvenes furvarum vestium puella gradieris?

LĪNĔO, as, avi, atum, a. 1. ad lineam dirigo, *εὐθύνω. Cato R. R.* 14. Succidet, dolabit, lineabit, secabitque materiam dumtaxat conductor. *Vitr.* 9, 4. *med.* Si radii per omnem mundum fusi circinationibus vagarentur, neque extentionibus porrecti ad trigoni formam linearentur.

LĪNĔŎLA, ae, f. dimin. parva linea. *Gell.* 10, 1. *f.* Numerus consulatus tribus lineolis significatus est.

LĪNĔUS, a, um, adj. *λινεος*, qui est ex lino. *Virg. A.* 5, 510. Linea vincula. *Tac. G.* 17. Lineis amictibus velari. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Pannis lineis involvere. *Plin.* 12, 6, 13. Lineae vestes. *Id.* 32, 10, 12. Linea lanugo. *Virg. A.* 10, 784. linea terga, *h. e.* tergora scutum obducentia, quae, ut ait *Servius*, lineo panno tegebantur, ut posset inhaerere pictura.

LINGO, is, nxi, nctum, a. 3. *λείχω*, lingua molliter tango, et delibo: a verbo Graeco allato (ut *Varr.* docet *L. L.* 5. *f.*) inserto *n*, quomodo a *θίγω* est tango. *Pl. Cas.* 2, 8, 21. Mel mihi videor lingere. *Catull.* 98, 5. crepidas lingere carbatinas. *Plin.* 31, 9, 45. Sal pecoribus datur lingendus. Adde *Mart.*, qui 12, 35. obsceno sensu usurpat pro *λειχάζειν*.

LINGONES, um, m. plur. populi Galliae Celticae, Aeduis, Sequanis, et Leucis vicini, quorum urbs item Lingones, *Langres*, antiquissima ad Vogesi montis radices. *Caes. B. G.* 1, 26. et *Plin.* 4, 17, 31. ℙ In accusat. plur. *Lingonas* ultima brevi more Graecorum ap. *Lucan.* 1, 398. Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis. [*V. *Cort.* et *M. Lag.* ad h. l. in *ed. Web.*] ℙ In singulari num. *Tac. H.* 4, 55. Miscuere sese Julius Tutor, et Julius Sabinus: hic Trevir, hic Lingon. ℙ *Alii fuere Lingones, quos *Liv.* 5, 35. cum Boiis transiisse Alpes consedisseque cis Padum narrat. *B. A.*

LINGONĬCUS, a, um, adj. ad Lingones spectans. *Eumen. Pan. ad Constant.* 6. Lingonica victoria; et *Pan. ad Constant.* 6. Lingonicum solum. ℙ *Lingonicum tomentum* erat e lanae rasae floccis. Differebat a Leuconico, quod nomen habuit a Leuconibus, qui iidem erant ac Leuci, quos *Ptolemaeus* Lingonibus vicinos facit. *Plin.* enim 8, 48, 73. dicit, suo tempore tomenta Gallicis discerni nominibus. *Mart.* 14, 159. Accipe Lingonicis vellera rasa sagis. Al. leg. *Leuconicis.* ℙ *Bardocucullus Lingonicus* erat vestimenti vilissimi genus, quod Lingonibus praecipue fuit in usu. *Mart.* 1, 54. Sic interpositus vitio contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyriantina bardocucullus.

LINGONUS, a, um, adj. ex Lingonibus. *Mart.* 8, 75. Lingonus a Tecta Flaminiaque recens.

*LINGOS vel Lingus, i, mons Epiri. *Liv.* 32, 13. *in.* In montem Lingon perrexit: ubi *Lyncon* (oppidum Epiri, fortasse cum monte cognomine) legi vult *Sigonius. B. A.*

LINGUA, ae, f. *γλῶσσα, γλῶττα*, pars corporis voci formandae, dignoscendisque saporibus destinata: a *lingo*, quia unicum est linctus instrumentum. *Cic. N. D.* 2, 59. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit, et terminat, quae sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et ad dentes, et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, quae ad nervos resonant in cantibus. *Crassus* ap. *eund. Or.* 3, 1. Haec tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Cic. Or.* 1, 25. Sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, etc.; et *ib.* 18. Quidam operarii lingua celeri et exercitata; et *ib.* 25. Linguae solutio; et *Ov. Met.* 3, 261. linguam solvere ad jurgia; [*cf. *Lucan.* 1, 472. (de fama:) Innumeras solvit falsa in praeconia linguas: ubi v. *Cort.*, qui *linguas, ora solvere* de iis dici docet, qui loquantur.] *Ov. Pont.* 3, 5, 9. lingua properanti legere. *Id. Trist.* 3, 1, 21. titubante loqui. *Plin.* 11, 37, 65. Linguae inexplanatae esse. *Id.* 10, 33, 51. Lingua exserta; et *Cic. Or.* 2, 66. ejecta. *Lucan.* 4, 755. projecta. *Plin.* 11, 47, 107. Linguam porrigere. *Phaedr.* 5, 2. condere. *Catull.* 55, 18. tenere in ore clauso. Et eod. sensu *Ov. Fast.* 2, 602. saepe illi dixerat Almo, Nata, tene linguam, nec tamen illa tenet; et *ib.* 608. alicui eripere. [*Front. de eloquent.* (ed. *A. Maio*) p. 229. Si linguam quis uni homini exsecet, immanis habeatur; eloquentiam humano generi exsecari mediocre facinus putas? *F.*] *Pl. Asin.* 3, 3, 105. Fac proserpentem me bestiam, duplicem ut habeam linguam: *scil.* hic illud osculi genus innuitur, de quo ait *Ov. Amor.* 3, 14, 23. Illic purpureis condatur lingua labellis. Hoc Graeci vocant *μακδαλωτόν*. [*Poterant et haec adscribi: *Ov. Her.* 15, 111. Deerat lingua palato, i. e. lingua torpebat, deficiebat: ubi laud. *Ruhnk. Trist.* 3, 3, 21. Si jam deficiat suppresso lingua palato. *Ter. Eun.* 5, 5, 7. Perii lingua haeret metu: ubi *Ruhnk.* laud. *Ov. Amor.* 1, 7, 20. Pavido lingua retenta metu. Porro *Lucan.* 1, 269. viciuaque signa petentis Audax venali comitatur Curio lingua: ubi laud. *Cort. Liv.* 45, 10. Eos venalem linguam habentes decreta plena regiae assentationis fecisse. — *Sall. Jug.* 10. Aliud clausum in pectore, aliud in lingua habere. V. *Havercamp. ind. Sall.* in h. v.] ℙ *Linguam exserere* ludibrii causa in aliquem mos fuit antiquis Latinis, qui etiannum apud nostrates viget, quo quidem obsceni aliquid adversus alium, quicum contendis, significatur; nam lingua ita exserta similitudinem quandam penis exhibet, quae tum viris, tum feminis, tum pueris stupri contumeliam minitari videtur. *Liv.* 7, 10. Armatum adornatumque adversus Gallum stolide laetum, et linguam etiam ab irrisu exserentem, producunt. Idem vero Gallus in tabula pictus pro signo positus deinde fuerat sub tabernis argentariis in foro Romano, ut narrant *Cic. Or.* 2, 66., *Plin.* 35, 4, 8. et *Quint.* 6, 3. *med.* Hanc subsannandi consuetudinem memorant etiam *Pers.* 1, 60. et *Hieron. ep.* 125. *n.* 18. (quem locum vide in CICONIA.) et *Vulg. interpr.* in *Isaj.* 57, 4. ℙ *Homo malae linguae* obsceno et ambiguo sensu dicitur fellator. *Mart.* 3, 80. Rumor ait, linguae te tamen esse malae. *Minuc. Fel. Octav.* 28. Qui scortorum licentiae invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhaerescunt, homines malae linguae, etiam si tacerent. ℙ Metonymice est sermo, locutio, oratio. *Ov. Trist.* 3, 11, 9. Nulla mihi cum gente fera commercia linguae. *Cic. Pis.* 13. Mens oppressa praemio, lingua adstricta mercede. *Plin.* 32, 6, 21. Dicemus et de nationibus, sed dicemus aliena lingua. ℙ Item facultas dicendi, eloquentia. *Virg. A.* 11, 338. Largus opum, lingua melior. *Hor. Ep.* 2, 2, 120. vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua. ℙ Item licentia loquendi, obtrectatio. *Cic. Fl.* 23. Lingua quasi flabello seditionis, concionem ventilare. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Linguam diligentissime continere. *Sall. Jug.* 84. moderari. *Cic. Fam.* 9, 2. Ut vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus. *Virg. Ecl.* 7, 28. ne vati noceat mala lingua futuro. [*Adde *Ov. Her.* 21, 205. Si mihi lingua foret, i. e. si conviciari, maledicere possum: ubi *Ruhnk.* laud. *Liv.* 33, 3. Si Actolorum linguas retundere vellent: quem locum minus bene a VV. DD. sollicitatum dicit. V. *B. Crus. cl. Suet.* s. h. v.] ℙ Item differentia sermonum. [*Gr. *γλῶσσα, διάλεκτος*, nostr. *Sprache, Zunge.*] *Virg. A.* 8, 723. gentes Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis. *Ov. A. Am.* 2, 122. ediscere linguas. *Cic. Fin.* 1, 3. *f.* Latinam linguam non modo non inopem, sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam. *Caes. B. G.* 1, 1. Qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur; et *ib.* 47. Gallicae linguae scientiam habere. [**Sall. Cat.* 6, 2. dispari genere, dissimili lingua.] *Hor. Sat.* 1, 10, 23. et *ib.* 3, 8, 5. Utraque lingua, *h. e.* Graeca et Latina. ℙ Item in una lingua diversitas sermonis. *Cic. Fl.* 26. de Massilia: Quae tam procul a Graecorum regionibus, disciplinis, linguaque divisa, etc. ℙ Item vox, sonus. *Phaedr.* 1, 23. si, canis inquit, linguam vis meam praecludere, Ne latrem pro re domini, multum falleris. *Virg. A.* 3, 361. et *ib.* 10, 177. Volucrum linguae, *h. e.* cantus, garritus. ℙ Item signum vocis, ut littera. *Lucan.* 3, 224. Sculptaque servabant magicas animalia linguas. V. HIEROGLYPHICUS. ℙ A similitudine dicitur de herba, quae alio nomine lingulaca. *Plin.* 24, 19, 104. ℙ Sic *lingua bubula* est buglossa [**Ochsenzunge*], lata folia linguae bovis similia gerens. *Cato R. R.* 40. et *Plin.* 17, 14, 24. ℙ *Lingua canis* ap. *Appul. H.* 96., et *lingua canina* ap. *Cels.* 3, 27. *n.* 13. est herba eadem ac

cynoglossa. ℙ Item de promontoriis, aut terrarum prominentiis in mare excurrentibus. *Festus.* Lingua dicitur promontorii quoque genus non excellentis, sed molliter in planum devexi. *Ov. Met.* 13, 724. intrant Sicaniam: tribus haec excurrit in aequora linguis. *Caes. B. G.* 3, 12. Oppida posita in extremis linguis, promontoriisque. *Lucan.* 2, 614. tenuem producit in aequora linguam. [*V. *Cort.*] *Liv.* 44, 11. Eminet in altum lingua, in qua urbs sita est. (Adde 37, 31. *f.*) *Pacuv.* ap. *Gell.* 4, 17. *f.* Lingua promontorii. ℙ Sumitur et pro lingula, seu ligula, qua mensuram significat. *Plin.* 26, 11, 73. Semen lonchitidis duabus linguis ex aqua potum. ℙ Item pro tenui lamina in tibiis, qua diviso spiritu sonus efficitur. *Plin.* 10, 29, 43. Qui sonum lusciniarum, addita in transversas arundines aqua, foramen inspirantes, linguaeque parva aliqua opposita mora, indiscreta redderent similitudine. ℙ *Lingua vectis* est pars extrema, quae oneri subjicitur. *Vitr.* 10, 8. Vectis lingua sub onus subdita, caput ejus unius hominis viribus pressum, onus extollit. ℙ *Linguai* pro *linguae* more suo *Lucr.* 4, 628.

LINGUĀRIUM, ii, n. pretium, vel tributum pro temeraria locutione. *Sen. Ben.* 4, 36. Ecce ut doleat, ut postea consideratius loquaris: quod dicere solemus, linguarium dabo, *h. e.* pendam aliquid ob linguam temere locutam: ut columnarium pro columnis; q. v. v. *in.*

LINGUĀTUS, a, um, adj. linguam habens, facundus. *Tert. Anim.* 3. Apostolus Athenis expertus linguatam civitatem.

LINGUAX, acis, adj. omn. gen. *λάλος*, verbosus, multum loquens, qui nimis et stulte loquitur. *Gell.* 1, 15. *f.* Hoc genus homines in verba provectos, locutulejos, et blaterones, et linguaces dixerunt. Plerique tamen alii legunt *lingulacas*, q. v. v.

LINGŪLA· V. LIGULA.

LINGŪLĀCA, ae, f. herba est circa fontes nascens, capillo confirmando apta, *Plin.* 25, 11, 84. [*Ranunculus lingua, *L. Sumpf-Hahnenfuss.*] ℙ Item genus piscis, a linguae similitudine: qui idem esse creditur cum solea. [**Zungenfisch.*] *Varr. L. L.* 4, 12. et *Fest.* ℙ Lingulaca etiam dicitur locutulejus, loquax, garrulus. *Fest.* Lingulaca, mulier argutatrix. (Ita enim ibi legi volunt, non *auguratrix.*) *Pl. Cas.* 2, 2, 63. Vin' lingulacas? *Sta.* quid opus est, quando uxor domi est? Ea lingulaca est nobis: nunquam tacet. *Gell.* 1, 15. *f.* Hoc genus homines in verba projectos, locutulejos, et blaterones, et lingulacas dixerunt. *Varr.* ap. *Non.* 1, 105. Lingulacae obtrectatores.

LINGŪLĀTUS, a, um, adj. ad modum lingulae factus, ut Lingulati tubi, quorum alius ad modum lingulae acuminatus in alium intrat ap. *Vitr.* 8, 7. Lingulati calcei, ap. *Isid. Orig.* 19, 34. qui et folleati dicuntur. V. LIGULA.

[LINGŪLUS, i, m. idem ac lingulaca, garrulus, rixosus. *Vet.* carmen, cui titulus *Vespae judicium* ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min.* T. 2. p. 237. Cervinam Actaeon tollit, Meleager aprunam, Agninam Pelias, taurinam lingulus Ajax. *F.*]

LINGŪOSUS, a, um, adj. lingua, seu verbis abundans. *Petr. fr. Trag.* 43. *Burm.* Durae buccae fuit, linguosus, discordia, non homo. Adde *ib.* 63. *Hieron. ep.* 108. *n.* 20. Linguosam *(adolescentulam)*, garrulam, et procacem ad fores triclinii orare faciebat. [*Cassiod. Variar.* 4, 51. Orchestarum linguosi digiti. V. ORCHESTA. *F.*] Adde *August. Confess.* 1, 9.

[LĪNĀTŪRĀ, ae, f. eadem ac linimentum: a *linio. Gloss. Philox.* Liniatura, *χρίσις. F.*]

LĪNĪFER, a, um, adj. Epithetum est Silvani in *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 6. V. CANNABIFER.

*LINIFĪCUS, i, m. i. q. linteo. *L. Cod.* 13. *de Murileg. et Gynaec.* item *Cod. Theod.* 8. et 16. *B. A.*

LĪNĪGER, a, um, adj. lineam vestem gerens. De Iside, ejusque sacerdotibus maxime dicitur: quia Isis Aegyptiis lini usum monstrasse credita est. *Ov. Pont.* 1, 1, 51. Vidi ego linigerae numen violasse fatentem Isidis. *Id. A. Am.* 1, 77. Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae. *Id. Met.* 1, 747. Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba. *Juven.* 6, 532. grege linigero circumdatus. V. LINUM.

*LINĪMEN, inis, n. linimentum. *Theod. Prisc.* 1, 18. Pro linimine adhibere. *B. A.*

LĪNĪMENTUM, i, n. actus liniendi, et res ipsa, quae illinitur. *Pall.* 11, 14. *f.* Linimentum quoque dolii non gypso, sed sarmentorum cinere debebis inducere. Adde *Petr. Sat.* 79. ubi al. leg. *liniamenta*, eod. sensu. **Cels.* 5, 25. *Octav. Hor.* 1, 21. *B. A.*

LĪNĪO, is, ivi, itum, a. 4. idem quod *lino* (sed minoris usus) illino, oblino, ungo. *Colum.* 6, 17. *med.* Liquida pice cum oleo linire. *Id.* 12, 44. *f.* Si qua rimam creta facit, luto liniunt. Al. leg. *linunt;* et *ib.* 45. Creta liniunt mala. Al. leg. *linunt. Id.* 6, 26. *f.* Oleo ulcera linire. Al. leg. *linere. Plin.* 17, 28, 47. Falces sanguine ursino liniri volunt. *Colum.* 4, 24. Allevatas plagas terra, quam prius amurca madefeceris, linire. Al. leg. *lenire. Id.* 6, 30. Caput et spina tenui adipe liniuntur. *Id.* 7, 13. Aures canum contritis nucibus liniendae sunt. *Prop.* 3, 10, 11. Neve tua Medae liniantur caede sagittae. Plerique alii rectius *laetentur. Vitr.* 7, 3. *f.* Tectoria luto cum liniuntur. *Liv.* 21, 8. *f.* Ferrum stuppa circumligabant, liniebantque pice. Al. leg. *linebantque.* [*Illud *Drakenb.*] *Mart.* 7, 20. Dulci placenta sordidam linit mappam, *h. e.* inquinat. ℙ [*Pertinet etiam ad ea, quae illinuntur. *Pall.* 4, 10. *med.* Bitumen, et oleum, aut calcem latebris vermium liniunt: ita melius separatim collocasse videmur locum, quem Noster antecedentibus adscripserat.] ℙ In futuro facit et *ibo*, *is:* quod in verbis quartae saepe usuvenit. *Pall.* 3, 31. Vas cooperies ac linibis. ℙ Confirmant hujus verbi usum composita *allinio*, *circumlinio*, *illinio*, *oblinio*, etc. Quare non audiendi, qui ex albo Latinorum verborum expungere conati sunt. [*Recte quidem! Sed *Ramsh. Gr. Lat.* §. 59. p. 119. et *Ruddim.* 1, 247., uterque Burmanno duce usus, docent, post Augusti demum tempora hoc verbum ejusque composita quartae conjugationis regulam sumpsisse: hinc omnes locos, qui hanc verbi formam ap. priores scriptores referant, esse corrigendos.]

LĪNIPHĪĀRĬUS, ii, m. et Liniphio, et Liniphus. V. LINYPHIARIUS etc.

LĪNĪTĒUS. V. LINTEUS.

*LINITIMA, oppidum Aethiopiae, vel in Aethiopiae Aegyptique confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

LĪNĪTUS, a, um, part. a *linio:* illitus, litus. *Plin.* 29, 6, 35. Porrigines tolluntur felle ovillo cum creta Cimolia, linito capite, donec inarescat. Ita *Hard.* ex MSS. Alii *illito.*

[LĪNĪTUS, us, m. illitus. In ablat. sing. *Plin.* 20, 12, 47. Praevalere *(buselinon)* contra serpentes potu et linitu. *F.*]

LĪNO, is, līvi, et lĭni, et lēvi, lĭtum, a. 3. *ἀλείφω, χρίω*, ungere, illinere, rem aliquam liquidam aut mollem alteri superinducere, ungendi, aut obturandi causa. Tria habet praeterita: ex quibus *levi* est ab obsoleto *leo*, quod V. s. l. *Virg. G.* 4, 39. certatim tenuia cera Spiramenta linunt. *Hor. Od.* 1, 20. Vile potabis modicis Sabinum Cantharis, Graeca quod ego ipse testa Conditum levi. *Colum.* 12, 16. *f.* Picata opercula diligenter gypso linunt, ne possit spiritus introire. *Juven.* 9, 58. Nam quis plura livit victuro dolia musto? Ita *Prisc.* 10, 898. Al. leg. *linit. Ov. Pont.* 1, 2, 18. Omnia vipereo spicula felle linunt. *Quint. decl.* 13, 5. Livit flores maleficis succis. *Ov. Medic. fac.* 81. linere medicamenta per corpora. *Colum.* 12, 50. *med.* Cum nova dolia crassa gummi liverunt. *Juven.* 6, 480. Linere faciem. *Mart.* 7, 39. Linere, et obligare plantas. *Sen. Med.* 711. succis linere sagittas. ℙ Est etiam obducere, obtegere. *Ov. Medic. fac.* 7. auro sublimia tecta linuntur. *Mart.* 9, 62. Et linit Hesperium bractea viva pecus. ℙ Item delere, inducere. *Ov. Pont.* 1, 5, 15. Cum relego, scripsisse pudet, qui plurima cerno, Me quoque, qui feci, judice digna lini. ℙ Item foedare, conspurcare, collinere, oblinere. *Mart.* 9, 23. Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas. *Ov. Fast.* 3, 760. linit ora luto. *Hor. Ep.* 2, 1, 136. scriptores carmine foedo Splendida facta linunt. ℙ *Linere alicui labra.* V. LABRUM. ℙ Part. *Linendus* ap. *Hor. A. P.* 331. speramus carmina fingi Posse linenda cedro. ℙ *Lisse* pro *livisse* quidam leg. ap. *Spartian. Hadrian.* 4. ℙ *Lini* in praeterito, inquit *Prisc.* 10, 898. pro *livi* vetustissimi protulisse inveniuntur: unde Varro rerum rusticarum: *Cum oblinerunt vasa.* Etiam *Voss. de Grammat. l.* 5. *c.* 29. affert illud ex *Quint. decl.* 1, 15. *Mariti tui cruore parietem linisti.* Sed alii leg. *Mariti tui* (vel *tu*) *cruore lusisti*, omisso *parietem:* Alii etiam aliter.

[LĪNOSTĒMA, ātis n. *mezzalana, accellana,* vestis nomen: a *λίνον*, linum, et *στήμα*, stamen. *Isid. Orig.* 19, 22. Linostema est vestis ex lana linoque contexta: et dicta linostema, quia in stamine linum, in trama lanam habet. *F.*]

LĪNOSTROPHON, i, n. *λινόστροφον*, Graeca appellatio marrubii herbae. *Plin.* 20, 22, 89.

LĪNOZOSTIS, is, et idis, f. *λινόζωστις*, herba eadem, quae mercurialis. *Plin.* 25, 5, 18. et 26, 12, 76. et *ib.* 14, 89.

LINQUO, is, līqui, a, 3. desero, relinquo, destituo, omitto. Est a *λείπω*, seu *λίπω*, linquo, inserta littera *u*, ut in *pango* a *πήγω;* et mutata *π* in *qu*, ut in *quotus* a *ποτος.* [*Cf. *Doederl.* 3, 291.] *Cic. Planc.* 10. *f.* Eum linquentem terram eam, quam servaverat, lacrymis prosecuti sunt. [*Adde *Or.* 3, 10. Linquamus igitur haec; et cp. 46. Linquamus naturam; et *de Fato* 16. ut is in insula Lemno linqueretur. Adde *Vell.* 1, 9. quam ille linquens; et *Tac. H.* 3, 25. filium domi liquerat.] *Pl. Most.* 3, 1, 69. Urbem exsul linquat factus hic causa tui? *Id. As.* 2, 2, 14. Herum in obsidione linquet. *Id. Ps.* 1, 2, 8. Malo lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes. *Prop.* 4, 9, 54. Cede agedum, et tuta limina linque fuga. *Sil.* 11, 327. me linque meae menti. *Catull.* 64, 59. Irrita ventosae linquens promissa procellae. *Hor. Od.* 3, 8, 28. Dona praesentis cape laetus horae, et Linque severa. *Id. ib.* 1, 28, 33. precibus non linquar inultis. *Id. A. P.* 285. Nil intentatum nostri liquere poetae. *Val. Fl.* 1, 560. linquere habenas; et *ib.* 631. spem. *Sen. Oedip.* 78. lacrymas. *Lucan.* 9, 162. has mihi poenas Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros, *h. e.* vastabo, et vastatos relinquam. *Sen. Med.* 618. Tiphys Liquit indocto regimen magistro. *Val. Fl.* 5, 229. at vellera Martis in umbra Ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli Liquerat. *Hor. Od.* 2, 14, 21. Linquenda tellus. [**Sil.* 5, 38. Nec Poenum liquere doli, i. e. suis dolis usus est. ℙ Dicitur etiam de fluminibus, quibus decrescit fluctuum vehementia. *Plin. H. N.* 3, 16. Augetur (Padus) ad canis ortus liquatis nivibus, ac his quam nativis torrentior, nihil tamen ex rapto sibi vindicans, atque ubi linquit, ubertatis largitor; ubi *Voss.*, qui h. l. citat ad *Mel.* 2, 4.: *linquit* hic accipitur pro defluit, decrescit, *λείπει*, ut saepe. ℙ Impers. *Sil.* 4, 628. et vix cernere linquitur undas, i. e. datur, est facultas; *Lucr.* 2, 914. Linquitur, ut toteis animalibus assimilentur; et 5, 793. Linquitur, ut, etc. id quod plenius expressit id. *Lucr.* 1, 874. linquitur latitandi copia, i. e. restat, reliquum est.] ℙ *Linqui*, et *linqui animo* dicitur is, quem vires et spiritus deficiunt. *Suet. Caes.* 45. Fuisse traditur valetudine prospera: nisi quod tempore extremo repente linqui animo, atque etiam per somnum exterreri solebat. *Ov. Her.* 2, 130. Linquor, et ancillis excipienda cado. Sic *Sen. Troad.* 623. Me liquit animus: membra quatiuntur, labant, Torpetque vinctus frigido sanguis gelu. [**Virg. A.* 3, 140. Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant Corpora; ubi v. *Burm.* Adde *Sil.* 11, 400. linquentes vitam olores. *Lucr.* 3, 541. Lumina quei linquunt moribundei particulatim; cf. 5, 987.] *Ov. Met.* 8, 363. trepidantem et terga parantem Vertere, succiso liquerunt poplite nervi. *Tac. A.* 3, 46. Jacentesque nullo et resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. *Curt.* 6, 1. Linquente spiritu, moribundus procubuit. ℙ *Lictus* part. quidam putant legi ap. *Capitol. M. Aurel.* 7. Tunc primum Romanum imperium duos Augustos habere coepit, lictum cum alio participasset. At *Salmas.* legend. putat, *id quum cum alio* etc.

LINTĒAMEN, inis, n. idem quod linteum. *Lampr. Elagab.* 26. Linteamen lotum nunquam attigit. *Appul. Met.* 11. Candido linteamine cinctum pectorale.

[LINTĒAMENTUM, i, n. idem ac linteamen. *Not. Tir.* p. 158. Linteum, linteamentum. *F.*]

LINTĒĀRĬUS, a, um, adj. ad lintea pertinens. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. *med.* Duas negotiationes exercebat, puta sagariam, et lintearium. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 4. Lintearia ars. ℙ *Lintearius, ii,* est, qui lintea vendit. *Ulp. l. c.* 4, 5. Institores quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam et distrahendam. *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 10, 20, 16. Lintearіorum corpus. ℙ [Scribitur et *lintiarius* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 346. et in *Effemer. Letter. di Roma* T. 10. p. 67. *F.*]

LINTĒĀTUS, a, um, adj. lineis vestibus indutus. *Liv.* 10, 38. *f.* Ea legio linteata, ab integumento consepti, quo sacrata nobilitas erat, appellata est. *Sen. V. B.* 27. Linteatus senex.

LINTĒO, onis, m. qui lintea texit. *Pl. Aul.* 3, 5, 38. Propolae, linteones, calceolarii. *Serv.* ad *A.* 7, 14. Apud majores, stantes texebant, ut hodie linteones videmus. *Inscr.* ap. *Grut.* 38, 15. L. Posthumius Facilis, T. Karejus Valens linteones Apoll. D. P. S. D.

LINTĒŌLUM, i, n. *ὀθόνη*, parvum linteum. *Pl. Epid.* 2, 2, 46. Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium. *Colum.* 6, 16. Praefractis cornibus linteola sale atque aceto imbuta superponuntur. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. Rosae folia tusa in linteolo. *Id.* 31, 8, 44. In linteolis concerptis imponitur; et *ib.* 9, 45. Sal in linteolo involutus. *Appul. Apol.* Habuit quaepiam linteolo involuta. *Id. paulo prius:* Ais enim, me habuisse quaedam sudariolo involuta. Hinc patet *linteolum* idem esse ac *sudariolum.* ℙ Adjective *Prud. περὶ στεφ.* 3, 180. Palliolum linteolum.

LINTER, tris, f. Graece *λιντήρ*, ut docet *Prisc.* 5. p. 647. (quamquam *Voss. de Gramm. l.* 3. *c.* 26. minime id ei credendum putat) cymba parva ex cavata arbore, vel etiam ex pluribus asseribus compactis, in usum trajiciendi fluminis. *Liv.* 21, 26. *f.* Novas lintres inchoantes cavabant ex singulis arboribus; et *ib.* 27. *med.* Paratas aptatasque habebat lintres. *Ov. Fast.* 6, 779. Ferte coronatae juvenum convivia lintres. *Caes. B. G.* 7, 60. Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas, etc.; et *ib.* 1, 12. Flumen ratibus ac lintribus junctis transire. *Cic. Mil.* 27. Lintribus materiam in insulam convehere. ℙ Allegorice. *Ov. Fast.* 2, 864. Venimus in portum, libro cum mense peracto. Naviget hinc alia jam mihi linter aqua. *Tibull.* 1, 7, 37. Nescio quid furtivus amor parat: utere quaeso, Dum licet: in liquida nat tibi

linter aqua. ℙ Festivus est jocus, quo notavit C. Julius Curionem, in dicendo in utramque partem toto corpore vacillantem, quaerens per risum, *quis loqueretur e lintre.* Refert *Cic. Brut.* 60. ℙ *Lintris* in recto singulari. *Sidon. carm.* 5, 283. Hercynii nemoris si stipite lintris Texta Nabathaeum pro Rheno sulcat Hydaspem. *Not. Tir.* p. 178. Lembus, lintris. ℙ In gen. mascul. *Tibull.* 2, 5, 34. ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua. ℙ Est etiam genus vasis vinarii, convehendis, calcandisque uvis apti: a similitudine fluviatilis cymbae. *Cato. R. R.* 11. *extr.* enumerat inter instrumenta vineae. *Tibull.* 1, 5, 23. Aut mihi servabit plenas in lintribus uvas. *Virg. G.* 1, 262. durum procudit arator Vomeris obtusi dentem: cavat arbore lintres. ℙ Est qui scribit *Lynter.*

LINTERNUM, etc. V. LITERNUM.

LINTEUM, i, n. ὀθόνη, pannus lineus. *Pl. Most.* 1, 3, 109. Linteum cape, atque exterge tibi manus. *Catull.* 12, 3. Tollis lintea negligentiorum, *h. e.* sudaria, vel mappas. Ipse mox *sudaria* appellat. *Cic. Rabir. Post.* 14. Merces fallaces et fucosae, chartis, et linteis, et vitro delatae. *Plin.* 21, 18, 73. Folia trita per linteum spissum in aereum vas. *Id.* 25, 13, 103. Succus linteo colatur. *Id.* 31, 18, 52. Spodium lavatur in linteis raris aqua coelesti. *Id.* 28, 16, 62. Fel suum linteo calefacto impositum. *Suet. Cal.* 26. Quosdam summis honoribus functos sibi coenanti ad pedes stare succinctos linteo, passus est, *h. e.* lintea tunica succinctos, epheborum more, quos delicatiores Romani libidinis causa sibi coenantibus adsistere jubebant sola tunica tenuissima ita alticinctos, ut per eandem totum eorum corpus pelluceret. *Mart.* 2, 57. Recensque sella linteisque, lorisque, *h. e.* velis, seu plagulis lineis, quibus fenestrae ejus claudebantur. *Liv.* 28, 45. *med.* Populonienses pollicити sunt ferrum, Tarquinienses lintea in vela. Hinc pro ipsis velis navium. *Virg. A.* 3, 686. certum est dare lintea retro. *Val. Fl.* 4, 83. Fluctibus intulerant placido cava lintea cursu. *Ov. Amor.* 2. 11, 41. Zephyri veniant in lintea pleni. *Sever. A.* 243. Quo rapiant nautae, quo sidere lintea tendant. [*Plin.* 35, 7, 33. Nero jusserat se pingi in linteo. V. PINGO. ℙ Significat etiam cingulum, quo veteres nudi pudenda protegebant. Hinc *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 192. Nudus quaerat linteo cinctus, lancem habens; linteum autem est consuti genus, quo necessariae partes tegerentur *F.*] ℙ Dicitur et de tela ex alia materia. *Plin.* 12, 11. 22. Circa fruticem lanugines esse, tradit, linteaque ea Indicis praestantiora.

LINTĔUS, a, um, adj. lineus, *Cic. Verr.* 2, 5, 56. Lintea vestis. *Liv.* 9, 4. tunica. *Id.* 10, 38. Linteus liber. *Id.* 4, 20. thorax. *Nep. Iphicr.* 1. Genus loricarum mutavit, et pro ferreis atque aeneis linteas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit: nam pondere detracto, quod aeque corpus tegeret, et leve esset, curavit. ℙ *Lintei libri*, quos *l. c.* et 4, 7. *extr.* et *ib.* 20. et alibi *Livius* memorat, pro charta spisso linteo, et fortasse etiam leviter cerato aut gypsato, confecti erant. Hos annalibus magistratuum conscriptos, et in aede Monetae repositos, idem affirmat. *Plin.* 13, 11, 21. In palmarum foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum libris: postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta, aut ceris. *Symm. ep.* 4, 34. Sibyllina etiam carmina linteis textis scripta fuisse significat. Adde *Vopisc. Aurel.* 1. et 8. Non tamen crediderim, fuisse hos libros ex multis lineis paginis compactos, sed ex linteo oblongo, quod in volumen complicaretur. *Mappae* enim aliquando dicti sunt, ut videre est in *Cod. Theod.* 11, 27, 1. et ap. *Var. Auctor. de limit.* p. 145. 263. et 266. *Goes.* [Horum meminit et *M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) 4. 4., ubi *linitei libri* legitur. *F.*] ℙ *Linteae loricae*, de quibus *l. c. Nep.* §. 1. non solum a militibus, sed etiam a venatoribus gestari solebant, adversus ungues ac morsus ferarum. Quidam putant, factas fuisse ex funiculis seu toris multiplici filo lineo contortis, et in telam contextis. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. narrat, in thorace Amasis Aegypti regis fila singula tercentis sexaginta quinque filis constitisse. Alii ex lino coacto, et aceto, aut vino austero macerato, ut soliditatem, et crassitiem acquireret ad ictus repellendos. Alii denique ex tela linea multis plicaturis octies, aut decies complicata. *Sil.* 3, 272. Tempora multiplici mos est defendere lino, Et lino munire latus. *Id.* 4, 292. fugit hasta per oras Multiplicis lini, subtextaque tegmina nervis; et 9, 587. laevum qua tegmine thorax Multiplicis lini claudit latus. De his *Casaub.* ad *Suet. Galb.* 19. *Scalig.* et *Ferrar. de re vestiar. l.* 4. *part.* 2. *c.* 11.

LINTIĀRIUS. V. LINTEARIUS.

LINTRĀRIUS, ii, m. qui lintre commeat. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. et *Inscr.* ap. *Grut.* 345, 4. et *Mur.* 1096, 2.

LINTRĬCŬLUS, a, um, parva linter. *Cic. Att.* 10, 10. *f.* Ego vero vel lintriculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio.

LINTRIS. V. LINTER.

LĪNUM, i, n. λίνον, herba, quae macerata, et in lanae mollitiem contusa, netur in usum vestium, candore maxime commendabilis, si diligenter purgetur. Primam syllabam Graeci corripiunt, Latini vero producunt. Multa de eo *Plin.* 19. *prooem.*; et *ib.* 1, 1., ubi habentur haec etiam: lini tenuitas, splendor, candor, firmitas: linum tundere, pectere, depectere, digerere, carminare, nere, texere, etc. De lino vivo V. ASBESTINUM. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Reticulum ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis. *Virg. G.* 1, 77. Urit enim lini campum seges, urit avenae. *Ulp. Dig.* 32, 68. Linum tam factum, quam infectum, quodque netum, quodque in tela est. *Grat. Cyn.* 57. linorum messes. ℙ Per synecdochen dicitur de lineo filo, vel funiculo. *Cels.* 7, 14. *med.* Ad imum acu trajectatur, duo lina ducente. *Cic. Cat.* 3, 5. Tabellas proferri jussimus: ostendimus Cethego signum: cognovit: nos linum incidimus: legimus. *Linum* intelligit, quo epistolae obligabantur, tabellis ita circumvoluto, ut incidere necesse esset aperire volenti. Quatuor enim erant epistolae scribendae instrumenta, tabellae ceratae, in quibus scribebatur; stilus, quo scribebatur; linum ad obligandum, et claudendum; cera ad obsignandum, qua linum nodo colligabatur. *Pl. Bacch.* 4, 4, 64. effer cito Stilum, ceram, et tabellas, et linum; et *ib.* 96. Cedo tu ceram, ac linum actutum: age, obliga, obsigna cito. *Id. Ps.* 1, 1, 40. Per ceram, et linum, litterasque interpretes salutem mittit. Hinc illud *Nep. Paus.* 4. Vincula epistolae laxavit, signoque detracto cognovit, etc. Idem fiebat in tabulis testamentorum, et hujusmodi, quas arcanas et legitimas esse volebant. *Suet. Ner.* 17. Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulae nisi pertusae, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur. *Paul. recept. sentent.* 5, 25. Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quae publici, vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatae, et triplici lino constringantur, atque impositum supra linum cerae signa imprimantur. ℙ De linea piscatoria, ex qua hamus pendet. *Ov. Met.* 13, 923. Nunc in mole sedens moderabar arundine linum. ℙ Item saepe de lineo panno, aut veste. *Virg. A.* 12, 120. Velati lino, et verbena tempora cincti. *Hor. Sat.* 2, 4, 54. Massica Integrum perdunt, lino vitiata, saporem, *h. e.* sacco lineo colata. *Ov. Fast.* 5, 519. flumineam lino celantibus ulvam Incubuere toris. ℙ Lineae vestis usus praecipue fuit apud sacerdotes Isidis. *Appul. Apol.* Lineum textum purissimum est rebus divinis velamentum. Quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei, et Pythagorae scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui et amictui sanctissimis Aegyptorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur. V. LINIGER. ℙ De lino in thoracibus militaribus. V. LINTEUS. ℙ Item de velis, quae et *lintea* dicuntur. *Sen. Med.* 320. nunc lina sinu Tendere toto: nunc prolato Pede transversos captare Notos. ℙ Item de fune, quamvis e lino non sit. *Ov. Fast.* 3, 587. parant torto subducere carbasa lino. ℙ Item de retibus venatoriis, aut piscatoriis. De illis *Ov. Met.* 7, 768. et 807. et *ib.* 3, 153. De his *Virg. G.* 1, 142., *Ov. Met.* 14, 931. et *Juven.* 4, 45. (ubi *lini magister* est piscator) et 5, 102., item *Sil.* 7, 503., ubi *sinuatum linum* est recte contractum in modum sinus: quod fit, cum ejus cornua contrahuntur, et ducuntur ad litus.

LĪNUS, i, m. Λίνος, filius Apollinis ex Psammate Crotopi Argivorum regis filia. Cum enim Apollo, occiso Pythone serpente, ad Crotopum venisset, ab eodem hospitio susceptus est, ubi clam cum Psammate filia concubuit. Quae cum concepisset et tempore debito secus Nemeum flumen occulte peperisset, filium suum Linum appellavit, eumque, ut quorundam est opinio, exposuit, qui sic repertus, a canibus devoratus est: quod innuit *Stat. Th.* 6, 64. Alii dicunt, hanc pastori infantem alendum tradidisse, pastorem eum ex incuria in herba jacentem neglexisse, a canibus inventum dilaniatum esse. Apollo monstrum in eam regionem immisit, quod omnia vastaret, quod postea a Choroebo interfectum fuit. *Id.* 1. a *v.* 570. ℙ Alius fuit Linus Apollinis et Terpsichores filius, lyrae peritissimus, in qua discipulos habuit Orpheum, Thamyram, et Herculem. Hunc ab Hercule plectro, et cithara occisum ferunt, cum eum rusticius canentem nimis petulanter corripuisset. *Virg. Ecl.* 4, 56., ubi *Serv.* hunc cum priore videtur confundere: item *Prop.* qui 2, 10, 8. Inachium vocat, id est Argivum. Alii dicunt Linum Mercurii ex Musa Urania filium fuisse, et Thebis genitum, fuisse poetam antiquissimum, scripsisse de mundi generatione, item de solis et lunae cursu, animaliumque et fructuum generatione. Hic in principio sui operis omnia simul nata dixit, quem secutus est Anaxagoras. Occubuit in Euboea sagitta ab Apolline transfixus. *Hyg. fab.* 161. et *Mart.* 9, 87. Lini ab Hercule occisi tacite meminit etiam *Pl. Bacch.* 1, 2, 47. Aliqui addunt, hunc primum e Phoenicia ad Graecos litteras attulisse. ℙ Alius fuit Linus Hypermnestrae maritus, Aegysthi filius (al. Aegypti), quem tamen *Ov. Her.* 14. Lynceum appellat, non Linum. ℙ *Fuit et Linus fons Arcadiae. *Plin.* 31, 7. *B. A.*

LĪNYPHĬĀRĬUS, ii, m. et

LĪNYPHĬO, onis, m. et

LĪNYPHUS, i, m. λινόϋφος, vel λινοῦφος, vel λινυφος, lini textor, linteo: a λίνον, linum, et ὑφαίνω, texo. *Hadrian.* in *ep.* ap. *Vopisc. Firm. Saturn.* etc. Alexandria civitas opulenta, dives, fecunda: in qua nemo vivat otiosus; alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, alii linyphiones sunt. *Imppp. Valent., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 10, 20, 8. Non minore circa eos etiam mulctae comminatione proposita, qui obnoxios Scythopolitanos linyphos publico canoni in posterum suscipere conabuntur. *Impp. Theodos. et Valent. ib.* 16. Si quis ex corpore gynaeciariorum, vel linteariorum sive linyphiariorum, monetariorum, ac murilegulorum, vel aliorum similium ad divinas largitiones nexu sanguinis pertinentium voluerint posthac de suo collegio liberari, etc. In *Cod. Justin.* 11, 7, 13. eadem haec lex legitur, ubi male lympharіorum pro linypharіorum, vel *linyphiariorum* est. ℙ Sunt qui scribunt *liniphiarius*, *liniphio*, et *liniphus*, sed perperam.

*LINX, opp. Mauretaniae, ad Lixum flumen. *Mela* 3, 10. ℙ *Lixus* vel *Lixos* audit *Plin.* 5, 1. *B. A.*

LĬO, as, a. 1. λειαίνω, polio, levigo: a λεῖος. *Tert. Idol.* 5. Scit albarius tectoria inducere, et cisternam liare, *h. e.* tectorio polire. V. LEUS et LIACULUM.

LIOSTRĔA. V. LEIOSTREA.

[LĬOTHĀSĬUS vel Leiothasius, (ut *liostrea* et *leiostrea* scribitur) a, um, adj. a λεῖος, levis, glaber, et Θάσιος, Thasius, epitheton napi, qui fortasse a Thaso provenit, ceteris laevior. *Plin.* 19, 3, 25. Iidem naporum quinque genera fecere: Corinthium, Cleonaeum, Liothasium, Baeticum, et quod per se viride dixerunt; et *mox:* Liothasium quidam Thracium appellant, frigorum patientissimum. Haec eadem fere leguntur ap. *Theophrast. Hist. plant.* 7, 3. et *Athenaeum* 2, 48., unde *Plin.* sumpsisse videtur. *F.*]

LĬPĀRĀ, ae, et Lipare, es, f. *Lipari*, Λιπάρη, insula maris Tyrrheni, Aeoliarum princeps: dicta a Liparo rege Ausonis filio, qui successit Aeolo, ut *Plin.* 3, 9, 14. tradit. Sacra Vulcano habita est, quia quibusdam locis flammam et fumum evomit. *Val. Fl.* 2, 96. nec fama notior Aetne, Aut Lipares domus. *Claud. III. cons. Hon.* 196. Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis. ℙ *Lipara, ae*, (a Graeco λιπαρὸς, ἀ, ὸν, pinguis, unctus) dicitur de emplastro leni, quod constet adipis, pinguedinis oleive mixtura quadam. Graece usurpat *Cels.* 5, 19. *n.* 25. Latine *Plin.* 23, 9, 81., 33, 6, 36. et 34, 18, 53. et *Scrib. Comp.* 220. et 222. ℙ Est etiam nomen gemmae, qua suffita omnes bestias evocari tradunt. *Plin.* 37, 10, 62.

LĬPĀRAEUS, a, um, adj. Λιπαραῖος, ad Liparam insulam pertinens. *Juven.* 13, 45. et jam siccato nectare tergens Brachia Vulcanus Liparaea nigra taberna. *Plin.* 3, 8, 14. Liparaeorum insulae. [*Hor. Od.* 3, 12, 5. Liparaei nitor Hebri, *h. e.* pulcritudo Hebri pueri formosi e Lipara. *F.*]

LĬPĀRENSIS, e, adj. ad Liparam pertinens. *Cic. Verr.* 2, 3, 37. Liparensis ager; et *ib.* Liparensium testimonium. *Liv.* 5, 28. Liparenses piratae.

LĬPĀRIS, ĭdis, f. λιπαρὶς, nomen piscis, a pinguitudine dicti: nam λιπαρὸς pinguis est. *Plin.* 32, 11, 53. ℙ Item fluvius Ciliciae, ad Solos urbem, in quo lavantes non aliter unguntur, quam si oleo, aut adipe lavarentur, teste *Vitr.* 8, 3., quia per pingues terrae venas profluit. ℙ Item Lipara insula. Ita enim dicitur ab *Appul. de Mundo:* Liparis, Aetna, Vesuvius.

LĬPĀRĬTĀNUS, a, um, adj. Liparensis. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 4. Quem obsidioni Liparitanae praefecerat. *Id.* 1, 1. *n.* 4. *extr.* Thymasitheus Liparitanorum princeps.

[LĬPĀRUS, i, m. λιπαρὸς, pinguis, oleosus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1158, 2. C. Valgius C. L. Liparus. *F.*]

LĬPĬO, is, n. 3. verbum est milvii vocem exprimens. *Auct. carm. Philom.* 24. Accipiter pipat, milvus hiansque lipit. V. JUGO, is.

*LIPPĬDUS, a, um, adj. γλαυκώδης *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[LIPPĪNUS, i, m. ad lippum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1498, 9. P. Sextius Lippinus Tarquitianus. *F.*]

LIPPĬO, is, ivi, itum, n. 4. λημάω, lippus sum, *h. e.* oculos lacrymantes aut pituita offusos, et sordentes habeo. *Cic. Att.* 7, 14. Cum fluenter lippirem, has litteras dedi. *Plin.* 29, 6, 37. Ciconiae pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus. *Id.* 28, 8, 27. Ne omnino lippiatur. *Cels.* 1, 9. Calor adjuvat lippientes, si nec dolor, nec lacrymae sunt. De arida lippitudine loquitur, de qua V. in v. sq. ℙ Translate, et joculariter

Pl. Curc. 2, 3, 37. Os amarum habeo, dentes blennos: lippiunt fauces fame, *h. e.* crassiore saliva, et concretiore veluti obductae sunt, ad instar lippientium oculorum.

LIPPITŪDO, inis, f. *λήμη*, vitium oculorum lippientium. *Cic. Tusc.* 4, 37. *extr.* Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur. *Id. Att.* 8, 12. Mihi molestior lippitudo erat, quam ante fuerat: dictare tamen hanc epistolam malui. *Plin.* 28, 11, 47. Sicca lippitudo lumbulis suum exustis tollitur. *Cels.* 6, 6. *n.* 29. Est etiam genus aridae lippitudinis, quod *ξηροφθαλμίαν* Graeci appellant. Sub hoc neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum, et cum dolore quodam fere levi, ac prurigine graves sunt, et palpebrae citra duritiem ullam noctu praegravi pituita inhaerescunt. *Plin.* 28, 4, 7. Lippitudines arcere; et 31, 11, 47. abstergere.

LIPPŪLUS, a, um, adj. aliquantum lippus. *Arnob.* 7, 240. Quod possent adscribere Diis morbos, non dubitarent eos lienosos, lippulos, atque enterocelicos dicere.

LIPPUS, a, um, adj. *λημῶν*, oculos habens lacrymantes, aut crassa pituita, et adhaerescenti offusos: unde visus acies obfuscatur. [**Doederl.* 2, 17. vero putat simile, originem hujus vocis repetendam esse a Gr. *λείβω*.] *Hor. Sat.* 1, 5, 30. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illinere. *Id. Ep.* 1, 1, 28. Non possis oculis quantum contendere Lynceus; Non tamen idcirco contemnas lippus inungi. *Id. Sat.* 1, 3, 25. Cum tua praevideas oculis mala lippus inunctis. *Pl. Bacch.* 4, 8, 72. Lippus oculus. *Id. Mil.* 4, 3, 15. Lippa mulier, atque oculis turgidis. *Juven.* 10, 130. ardentis massae fuligine lippus. Interdum enim universim *lippus* dicitur qui oculorum et visus vitio aliquo laborat. *Pers.* 1, 79. Hos pueris monitus patres infundere lippos. *Mart.* 8, 59. Lippa sub attrita fronte lacuna patet, *h. e.* cavum oculi amissi assidue lacrymans. ℙ *Hor. Sat.* 1, 7, 3. opinor Omnibus et lippis notum, et tonsoribus esse. In proverb. abiit hic versus, cum de re loquimur, quam nemo non videt, aut ignorat: lippi enim, quo minus vident, quoque magis domi continere se coguntur, eo sunt diligentiores in quaerendo, quid novi in urbe eveniat. Tonsores vero in suis officinis, quo confluunt omne genus homines, facile norunt quaecumque aguntur in urbe. Ceterum ipsum quoque *Horatium* lippum fuisse, ex *Sat.* 1, 5, 30. et 49. satis colligitur: et se ipsum quoque his verbis notare voluisse, vero est non absimile. ℙ Transfertur ad animum, ut *caecus*. *Pers.* 5, 76. hic Dama est non tressis agaso, Vappa, et lippus. *Hor.* quoque hac ratione fortasse usurpat *Sat.* 1, 1, 120. Crispini scrinia lippi compilare. *Bentl.* tamen aliter legit. [*Praeter *schol. Cruq.* nemo hic *lippus* ad animum translata significatione positum dixerit. V. *Heindf.* et *Wieland.* qui emendationem Bentleji *lippum* pro *lippi* legentis, ut frustra, immo contra loci sententiam factam, omnique ratione carentem jure meritoque abjiciunt, recte v. *lippi* propria significatione intelligentes.] ℙ *Lippa ficus* ap. *Mart.* 7, 20. est valde matura, et dulci humore fluens instar oculi lippientis.

LIPTOTES. V. LITOTES.

LĪQUĀBĪLIS, e, adj. *τηκτός*, qui liquari potest. *Appul. Apol.* Laurus fragilis, limus durabilis, cera liquabilis. *Prud. Hamart.* 744. saxum liquabile vocat statuam salis, in quam uxor Lot conversa est, *Genes.* 19, 26.

LĪQUĀMEN, inis, n. *χύλισμα*, materia liquefacta. *Colum.* 7, 4. *f.* Succus excocti lupini, veteris vini faex, et amurca pari mensura miscentur, eoque liquamine tonsa ovis imbuitur. ℙ Speciatim dicitur de pinguitudine animalis ad ignem liquefacta, et adhuc magis speciatim de garo, quod est genus condimenti liquidi ex putrefactis piscium intestinis, aliave ratione confectum, et in usum coquinarium servatum ad condiendos cibos. *Id.* 6, 2. Libralesque offas, in praesulsae adipis liquamine tinctas, lingula demittito. *Pall.* 3, 25. *med.* Liquamen de piris facere. Habet etiam saepe *Apicius*.

LĪQUĀMENTUM, i, n. liquamen. *Veg. Vet.* 3, 66. Adde *Not. Tir.* p. 183.

[LĪQUĀMĪNĀRĬUS, ii, m. qui liquamina vendit. *Gloss. Phil.* Liquaminarius, *γαροπώλης*. *F.*]

LĪQUĀMĪNĀTUS, a, um, adj. ut Liquaminatus porcellus, ap. *Apic.* 8, 7. est liquamine conditus.

LĪQUĀMĪNOSUS, a, um, adj. liquamine abundans. *Marc. Emp.* 5. *f.* Res salsae et liquaminosae.

LĪQUĀRĬUS, a, um, adj. ut *Liquariae mensurae* in *Inscr.* ap. *Grut.* 1020, 10. sunt mensurae liquidorum.

LĪQUĀTĬO, onis, f. *τῆξις*, actus liquandi. *Vopisc. Aurel.* 46. Aurum per varios bractearum, florum, et liquationum usus perit.

LĪQUĀTŌRĬUM, ii, n. vas ad liquandum aptum. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 39. *med.* Si vinum sine faece per liquatoria fundatur, *h. e.* per colum.

LĪQUĀTUS, a, um, part. *a liquo*, liquidus factus. *Cic.* vertens carmina *Aeschyli Tusc.* 2, 10. Liquatae solis ardore excidunt guttae. *Ov. Fast.* 4, 152. expressis mella liquata favis. *Plin.* 34, 13, 36. Liquatum aes. ℙ Item percolatus. *Id.* 15, 29, 37. Liquatum vinum; et 30, 13, 39. oleum. *Id.* 31, 3, 22. Liquatae aquae; et 28, 9, 39. medullae per cribrum. *Col.* 12, 38. *f.* Succus per colum junceum liquatus. ℙ Translate. *Quint.* 12, 6. Quae deferbuisse tempore, et annis liquata jam senior idem fatetur. ℙ Item clarus, purus. *Hostius* ap. *Macr. Sat.* 6, 3. non si mihi linguae Centum, atque ora sient totidem, vocesque liquatae.

*LIQUAX, acis, adj. i. q. liquidus vel liquens. *Nic. Heins.* e quibusdam libris attulit ad *Ov. Rem. Am.* 177. ubi ex MS. Adspice jucundo liquaces murmure rivos. Item ad *Met.* 8, 457. Flagrantem mater ab igne Eripuit torrem, sparsitque liquacibus undis: ubi vulgo editur *liquentibus*. Sic scribendum censet *Met.* 3, 486. Quae simul adspexit liquaci rursus in unda: pro *liquefacta*. (De quantitate cf. *Liquidus* ad init.) Et *Prud. Cath.* 5, 89. Cui jejuna eremi saxa liquacibus Exundant scatebris: pro vulg. *loquacibus*. ℙ Sed *N. Heinsio* (id quod et *Salmasio*, *Barthio*, atque aliis quibusdam contigit) nimia in Latium inducendi nova vocabula libido infuisse videtur. *B. A.*

LĪQUEFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. *τήκω*, *ἀνίημι*, liquidum facio, fluidum reddo, solvo, mollio ignis aut solis calore. *Catull.* 88, 6. Omentum in flamma pingue liquefaciens. *Plin.* 21, 14, 49. Sol ceram ne liquefaciat, protegunt tenui linteo. ℙ Translate est mollire, effeminatum reddere. *Cic. Tusc.* 5, 6. Illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae futiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. ℙ Secunda syllaba brevis est, sed necessitate produci potest, quoties brevis est item, quae sequitur: quod fecit *l. c. Catullus*. V. TEPEFACIO.

LĪQUEFACTUS, a, um, part. a *liquefacio*, liquidus ac fluens factus. *Cic. Cat.* 3, 8. Legum aera liquefacta. *Id. N. D.* 2, 10. Glacies liquefacta et dilapsa. *Virg. G.* 1, 473. saxa; et *ib.* 4, 36. mella calor liquefacta remittit; et *A.* 9, 588. Liquefactum plumbum. [**Suet. Cal.* 37. Margaritas aceto liquefactas.] *Quint.* 10, 1. Cibos mansos, et prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur. *Ov. Met.* 13, 829. Lac mihi semper adest niveum; pars inde bibenda Servatur: partem liquefacta coagula durant; et *ib.* 9, 175. caeca liquefactae tabe medullae, *h. e.* corruptae. Sic *Virg. G.* 4, 555. liquefacta boum per viscera toto Stridere apes utero. ℙ Translate. *Sil.* 11, 416. Bacchi dona volunt, epulasque, et carmina rursus Pieria liquefacta lyra, *h. e.* mollita, fracta, fluentia, et liquida. ℙ Secundam syllabam produxit *Id.* 1, 178. Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.

LĪQUEFĬO, is, actus sum, anom. 3. *τήκομαι*, *ἀνίεμαι*, liquidus ac fluens fio, solvor, liquesco. *Ov. Met.* 7, 160. congestaque flamma Tura liquefiunt. Al. leg. *liquefaciunt*. *Plin.* 28, 9, 38. Sevum liquefieri prius jubent. *Gell.* 17, 10. *f.* Saxa et scopulos liquefieri. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 1, 2, 57. Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis, Ignibus admotis, ut nova cera solet. Al. leg. *liquescunt*: sed hoc est a *liqueo*, et primam corripit. Sunt etiam, qui pro *solet* reponunt *liquet*.

LIQUENS, entis, part. a *liqueo*, et prima corripitur; vel a *liquor*, et producitur: liquidus, fluidus. *Varr. R. R.* 2, 11. Lac est omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium maxime alibile. *Virg. A.* 5, 238. et vina liquentia fundam; et *ib.* 6, 724. coelum ac terras, camposque liquentes, *h. e.* mare; et *ib.* 9, 679. Quales aeriae liquentia flumina circum Consurgunt geminae quercus; et *G.* 4, 442. fluviumque liquentem; et *A.* 1, 436. aut cum liquentia mella Stipant. ℙ Translate est purus, clarus, liquidus. *Gell.* 18, 5. *f.* Ut non turbidae fidei, nec ambiguae, sed, ut purae liquentisque esset. Alii leg. *pure*, *liquentiusque:* tanquam sit comparativum a *liquenter:* quae minus apte cohaerent. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 88. per poli liquentis axem.

'LIQUENTĬA, e, Italiae fluvius, in Venetis. *Plin.* 3, 18. ℙ Hodie est *Liquenza*. *B. A.*

LĪQUĔO, es. Usurpatur fere in tertiis personis. V. LIQUET. [*De etym. cf. LIQUO.]

LĪQUESCO, is, n. 3. *τήκομαι*, liquidus fio, liquor, liquefio. *Virg. Ecl.* 8, 80. Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit. *Id. A.* 8, 446. Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. *Liv.* 21, 36. Tabes nivis liquescentis. *Plin.* 37, 10, 59. Galaxia in ore liquescit. ℙ Translate. *Ov. Ib.* 425. Sic tua nescio quo semper fortuna liquescat, Lapsaque per medias effluat usque manus. *Id. Pont.* 1, 1, 67. Nil igitur murum, si mens mihi tabida facta, De nive manantis more liquescit aquae, i. e. perditur, consumitur: nam quae liquescunt, semper aliquid perdunt, et paulatim imminuuntur, et evanescunt. *Id. Met.* 7, 550. de cadaverib. lue defunctorum: dilapsa liquescunt, Afflatuque nocent, et agunt contagia late. *Sen. ep.* 26. Incommodum summum est minui, et deperire, et, ut proprie dicam, liquescere. *Prud. Cath.* 6, 146. ad Diabolum: Hic Christus est: liquesce. ℙ Alia translatione *Cic. Tusc.* 2, 22. Cum voluptate liquescimus, fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. ℙ Significat etiam liquidum ac purum fieri, ut ea, quae liquantur et percolantur. *Hirt. B. Alex.* 5. Alexandria specus habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur, quae paulatim spatio temporis liquescit ac subsidit: nam quae flumine Nilo fertur, adeo est limosa atque turbida, ut, etc. ℙ A grammaticis liquescere dicuntur consonantes *l*, *m*, *n*, *r*, quando aliis consonantibus postpositae, ab iis quodammodo molliuntur, et tenuantur. *Val. Prob.* 1, 1389.

LĪQUET, ebat, liquit, vel liquivit, aut licuit, n. 2. *σαφές, δῆλον ἐστί, φαίνεται*, liquidum, manifestum, exploratum est, clare patet, constat, compertum est. Videtur esse a *liquor*, vel a *liquo*, *is*. Nam *liquere* proprie dicuntur, quae fluida sunt et clara, atque adeo perlucida quodammodo, ut videre est in metallis liquefactis, et in aqua glacie soluta: vel quae percolata et defaecata sunt, atque adeo pura et minime turbida. Quo spectare videtur illud *Pl. Ps.* 2, 4, 69. Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, Nunc liquet, nunc defaecatum est: cor mihi nunc pervium est. *Id. Most.* 2, 1, 69. ego efficiam, quae facta hic turbabimus, Profecto ut liqueant omnia, et tranquilla sint. *Id. Trin.* 2, 1, 3. Hoc non liquet, nec satis cogitatum est, utram potius, etc.; et *ib.* 7. De hac re mihi satis haud liquet. *Ter. Eun.* 2, 3, 39. Illum liquet mihi dejerare, hic mensibus Sex non vidisse. *Ov. Trist.* 1, 1, 62. Dissimulare velis: te liquet esse meum. *Cic. N. D.* 1, 12. Protagoras sese negat omnino de Diis habere, quod liqueat. *Id. Caecin.* 11. Utrum his testibus non credidistis, cum quid liqueret, non habuistis? *Id. N. D.* 1, 42. Cui neutrum liquerit, nec esse Deos, nec non esse. *Quint.* 9, 3. *f.* Relationem quid accipi velit, non mihi liquet. *Gell.* 14, 1. *med.* Mirabatur, id cuiquam pro percepto liquere, stellas non esse plures, etc. *Id.* 1, 3. Quod rectene, an perperam fecerim, nondum mihi plane liquet. *Ulp. Dig.* 29, 3, 2. Si liquerit eum vivere. Hoc praeteritum habet et *Tert. Car. Christ.* 17., *adv. Marc.* 5, 13. et *adv. Gnost.* 6., quibus locis alii malunt scribi *liquivit*, ut *pluvit*, *fuvit*. Alii vero ubique vellent *licui*, quod in compositis *deliquesco* dicatur *delicui*, et *colliquo*, *is*, *collicui*. Et sane *Cujac. Observ.* 11, 1. in libris suis legit *licuerit*, ap. *Ulp. l. c.*, tametsi *Torrent.* et *Haloander* ediderunt *liquerit*. ℙ *Non liquet*, formula erat judicialis, cum significare volebant judices, non satis sibi constare de causa, nec utrum damnandus, an absolvendus esset reus, vel qua poena puniendus, ideoque ampliatione opus esse, et de integro rem agi, in aliud tempus rejiciendo. Haec verba inscripta erant in tabella per notas N. L. ut in AMPLIATIO dictum est. *Cic. Cluent.* 28. Homines sapientes, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum, de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita, primo condemnare vellent, non liquere dixerunt. *Id. Caecin.* 10. *med.* Cum causam non audisset, et potestas esset ampliandi, dixit, sibi liquere. *Gell.* 14, 2. *f.* Juravi, mihi non liquere. ℙ Part. *Liquens* V. s. l. ℙ [*Confund. *liquet* et *licet*. V. *Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 83.]

LĪQUĪDĒ. V. LIQUIDO.

LĪQUĪDĬTAS, atis, f. *Appul. de Mundo:* Aeris liquiditas ad modum tegminis.

LĪQUĪDĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. lenis, mollis. *Pl. Mil.* 3, 1, 70. leniorem dices, quam mutum est mare: Liquidiusculusque ero, quam ventus est Favonius.

LĪQUĪDO et Liquide, adv. *φανερῶς, σαφῶς*, clare, manifeste, aperte, certo. [*Cum fiducia quadam, sine haesitatione ac dubitatione.] *Cic. Verr.* 2, 3, 59. Manifesta res est, cum nemo esset, quin hoc se audisse liquido diceret; et *ib.* 2, 4, 56. Confirmare hoc liquido, judices, possum. *Ter. Andr.* 4, 3, 14., *Sen. Ben.* 7, 9. et *Ov. Pont.* 3, 3, 49. liquido jurare. *Cic. Fam.* 11, 27 negare; et *ib.* 10 10. Tuis litteris lectis, liquidius de sensu tuo judicavi. *Id. Fin.* 2, 12. *extr.* Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, etc. [**Liv.* 39, 47. Nihil horum neque Demetrium docere dilucide, nec se satis liquido discere ab eo senatus quum cerneret posse.] *Plin.* 10, 69, 88. Aquilae clarius cernunt: liquidius audiunt talpae. *Id.* 6, 33, 38. Liquido patet. *Gell.* 2, 21. Coelum liquide serenum. *Id.* 14, 1. Siderum observatio haudquaquam liquide consistit. *Ulp. Dig.* 44, 5, 1. *med.* Si liquido appareat. *Id. ib.* 29, 4, 4. Si liquido constiterit. *Pomp. ib.* 22, 2, 42. Si liquido approbari non potest. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. Obscuritatem definitionis liquidius absolvens. *August. ep.* 28. *f.* Liquidissime atque invictissime defendere.

LĪQUĪDUS, a, um, adj. *ὑγρός*, fluidus, liquens, mollis: cui opponitur durus, crassus, spissus, cohaerens. Unde *Ov. Met.* 1, 23. Et liquidum spisso secrevit ab aere coelum. Item purus, clarus, sine sordibus: talia enim sunt fere, quae fluunt. Hinc *Cato R. R.* 73. Aquam bonam et liquidam bibant boves, semper curato. [**Liquida aqua* est

diffluens, nihil limi et sordium continens, opp. concreta, rigens: *fluida* aqua est libere, nullo impedimento obstricta profluens. V. *Doederl.* 2, 3. sq.] Si ducas a *liqueo*, primam corripit (quod est frequentius) si a *liquor*, producit. Utrumque simul fecit *Lucr.* 4, 1252. Crassaque conveniant liquidis, et liquida crassis. *Id.* 2, 452. fluido quae corpore liquida constant. *Plin. Pan.* 82. Flumina nunc rigentia gelu, nunc liquida et deferentia. *Lucr.* 6, 266. Ignis item liquidum facit aes, aurumque resolvit. *Hor. Od.* 1, 35, 20. liquidum plumbum; et *ib.* 5, 2. liquidi odores, unguenta. *Lucr.* 6, 404. liquida moles, *h. e.* mare; et 5, 273. humor liquido pede detulit undas, *h. e.* fluenti. *Ov. Met.* 1, 704. Liquidae Nymphae, *h. e.* fontium. *Cels.* 2, 6. *med.* Liquida alvus; et *ib.* 8. *med.* Venter liquidus. V. LIQUO. ℙ *Liquidum*, *i*, absolute, est aqua, humor. *Hor. Sat.* 1, 1, 54. tibi si sit opus liquidi non amplius urna. [*V. *Heindf.*] *Ov. Met.* 5, 453. neque adhuc epota parte loquentem Cum liquido mixta perfudit Diva polenta. ℙ Item fluidus simul, et purus, clarus, limpidus, defaecatus, εὐκρινής. *Hor. Ep.* 1, 14, 34. Liquidum Falernum. *Mart.* 12, 60. merum. *Colum.* 12, 38. vinum, et sine faece. *Virg. Ecl.* 2, 59. liquidis immisi fontibus apros. *Id. G.* 4, 101. Dulcia mella premes; nec tantum dulcia, quantum Et liquida. *Lucr.* 5, 282. Liquidum lumen. *Curt.* 7, 11. Liquidior lux. *Virg. Ecl.* 6, 33. Liquidus ignis. *Id. G.* 1, 404. aer. *Id. A.* 7, 65. aether. *Hor. Od.* 4, 8, 7. color. *Varr.* ap. *Non.* 4, 2. et 275. Phrygios per ossa cantus liquida canit anima. ℙ Item serenus. *Virg. A.* 10, 272. liquida si quando nocte cometae Sanguinei lugubre rubent. *Id. G.* 4, 59. de apib.: Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen. *Lucr.* 4, 168. modo cum fuerit liquidissima coeli Tempestas, perquam subito fit turbida. ℙ Translate. *Cic. Caecin.* 27. *f.* Cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire sentias. ℙ *Liquida vox* ap. *Lucr.* 2, 145., *Virg. G.* 1, 410. et *Hor. Od.* 1, 24, 3. est pura, clara, mollis, et apte suaviterque fluens. Sic *liquidum citharae carmen*, ap. *Lucr.* 4, 978. ℙ *Liquida mens* ap. *Catull.* 63, 46. i. e. clara, furore non turbata. ℙ *Liquida fides* est pura, sincera, nullis permixta dolis. *Ov. Pont*, 1, 9, 10. Seria cum liquida saepe peracta fide. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 1. Quia parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur. ℙ *Liquida voluptas*, itidem pura, sincera, nullo dolore admixto. *Cic. Fin.* 1, 18. Animus a se ipse dissidens gustare partem ullam liquidae voluptatis et liberae non potest. *Lucr.* 3, 40. Voluptas liquida et pura. ℙ *Liquidus homo*, placidus et minime turbatus ira. *Pl. Most.* 3, 2, 64. nunquid increpavit filium? *Tra.* Tam liquidus est, quam liquida esse tempestas solet. Sic *liquidus animus*, tranquillus, serenus. *Id. Epid.* 5, 1, 36. Animo liquido et tranquillo es: tace. ℙ *Liquidus somnus* ap. *Val. Fl.* 4, 16. est tranquillus, placidus, atque adeo altus, profundus. Vel ea ratione dicitur, qua *irriguus somnus* ap. *Pers.* 5, 56. et, sopor irrigat artus, *Virg. A.* 3, 511. adludendo ad cornu, quo Somnus Deus perfundere membra fingitur: de quo *Stat. Th.* 2, 144. et *Val Fl.* 8, 72. ℙ *Liquida oratio*, pura. *Cic. Brut.* 79. Oratio ita pura erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret. [*Aliter intelligendum v. *liquidus* ap. *Eund. Or.* 2, 38. et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum: ubi *liquidum sermonis genus*, ut facile ex oppositis apparet, pertinet ad oratoris perpetuam orationem, eamque concinnam, ornatam et copiosam. V. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 247.] ℙ *Liquidum iter* ap. *Virg. A.* 5, 217. est, quod per acra habetur: ap. *Prop.* 3, 20, 14. quod mari. [*Cf. *Sil.* 3, 156.] ℙ *Liquida palaestra* dicitur a *Lucan.* 9, 661., quia oleo perungebantur. ℙ *Liquidum auspicium*, manifestum, certum: vel quod sereno coelo accidit, atque adeo propitium est. *Pl. Ps.* 2, 4, 72. Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia. ℙ *Liquidum* adverbii ritu. *Ov. Amor.* 1, 13. 8. Et liquidum tenui gutture cantat avis. *Calpurn. Ecl.* 4, 150. Tam liquidum, tam dulce canunt. ℙ *Ad liquidum*, usque ad rem exploratam et manifestam. [**Vell.* 1, 16, 1. Nequeo tamen temperare mihi, quin rem saepe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stilo.] *Liv.* 35, 8. *f.* Si quid vani afferret, argui posset, donec ad liquidum veritas explorata esset. *Sen. ep.* 71. *f.* Quid erit haec virtus? judicium verum et immotum: ab hoc omnis species, quae impetum movet, redigetur ad *liquidum*. *Quint.* 5, 14. *med.* Ad liquidum confessumque perducere aliquid. *Curt.* 9, 2. *med.* Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, majora sunt vero. ℙ *Liquidae consonantes* a grammaticis dicuntur, quae sunt quodammodo molliores, et ab aliis consonantibus comprimi, et frangi possunt ut *l* et *r* apud Latinos, et hae ipsae, atque *m* et *n* apud Graecos. *Diom. Prisc.* 2, 2. *Val. Prob.* 1. etc.

[LIQUIRITIA, ae, f. γλυκυρρίζα, glycyrrhiza. Ita corrupte scribitur haec vox, unde nunc suum *liquirizia* habent Itali, ap. *Theod. Prisc. de diaeta* 9. Liquiritia frigida est, et dulcis. Adde *Veg. Vet.* 4, 9. *F.*]

LIQUIS, e, adj. idem quod *obliquus*, quod inde factum videtur. Hinc *Hesych.* λίξ, et λίγξ, πλάγιος. *Front.* in *exposit. formar.* p. 32. *Goes.* Omnium summitatum metiundi observationes sunt duae enormis, et liquis. V. ibi reliqua.

LĪQUO, as, avi, atum, a. 1. τήκω, διαλύω, liquentem reddo, liquefacio, fundo, solvo. [*Ejusdem originis sunt *liquo*, *liqueo* et *liquor*, quam *Voss.* in Etym. s. v. *liquo*, a *lix* s. *liquis*, quod in veteri lingua fluidum significat, v. in *Lix*, derivandam arbitratur.] *Plin.* 36, 26, 66. Vitrum continuis fornacibus, ut aes, liquatur; et *ib.* 8, 13. Lapis liquatur igni, ac funditur ad usum vitri. *Id.* 22, 20, 23. Anchusa liquari non potest in aqua: oleo dissolvitur. *Lucan.* 7, 158. de fulmine: Excussit cristas galeis, capulosque solutis Perfudit gladiis, ereptaque tela liquavit. ℙ *Liquare alvum* est liquidam reddere. *Cels.* 4, 4. *n.* 2. Liquanda alvus, interdum etiam ducenda: quibus extenuatum corpus incipit spiritum trahere commodius. ℙ Est etiam colare, defaecare, purgare, διηθέω, διϋλίζω. *Colum.* 9, 15. *f.* Tenui vimine rarius contextus saccus, qualis est, quo vinum liquatur. *Front. Aquaed.* 15. Interposita est piscina limaria, ubi consisteret, et liquaretur aqua. *Manil.* 5, 534. et silicem rivo saliente liquabit. *Hor. Od.* 1, 11, 6. Sapias, vina liques, *h. e.* saccis eorum vires frangas, et defaeces, ut mitiora sint, et suavius bibantur. Metonymice autem est, defundas, et bibas.

LĪQUOR, eris, passiv. 3. τήκομαι, liquefio, liquesco, dissolvor, labor, diffluo. [*Etym. V. in *liquo*.] *Virg. G.* 1, 43. Vere novo, gelidus canis cum montibus humor Liquitur. *Id. A.* 9, 813. tum toto corpore sudor Liquitur; et *ib.* 3, 27. Nam quae prima solo ruptis radicibus arbos Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae. *Lucan.* 9, 772. femorum quoque musculus omnis Liquitur, et nigra distillant inguina tabe. *Stat. Th.* 5, 618. cui nunc venit irritus ori Lactis, et infelix in vulnera liquitur imber. *Plin.* 15, 6, 6. Oleum e cortinis in labra fundendum, ut fraces et amurca liquentur. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 1130. Inde minutatim vires, et robur adultum Frangit, et in partem pejorem liquitur aetas, *h. e.* labitur, defluit, deficit. *Pl. Trin.* 2, 1, 17. Illico res foras labitur, liquitur, *h. e.* res familiaris dissolvitur, absumitur. ℙ Part. *Liquens* v. s. l.

LĪQUOR, oris, m. ὑγρότης, ἰδρώς, humor liquidus. *Cic. N. D.* 2, 39. Liquores perlucidi amnium. *Lucr.* 1, 936. Liquor mellis. [*Tibull.* 1, 7, 37. Ille liquor, scil. uvae. cf. 2, 1, 45. Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores.] *Lucr.* 2, 846. Sicut amaracini blandum, stactaeque liquorem. *Id.* 5, 14. liquoris vitigeni latex. *Ov. Ib.* 594. Liquor Stygius. *Id. Pont.* 1, 8, 38. Virgineus, *h. e.* aquae Virginis. *Cic. Prognost. Div.* 1, 7. Saxaque cana, salis niveo spumata liquore. *Virg. G.* 3, 484. fluidus liquor, *h. e.* tabes. *Sen. Oedip.* 565. niveus lactis. [*Prop. 3, 7, 56. Quum moribunda niger clauderet ora liquor; et 1, 2, 47. Prolapsum leviter facili traxere liquore, i. e. lympha facile cedente; et 2, 25, 16. teritur robigine mucro Ferreus, et parvo saepe liquore silex.] *Plin.* 35, 15, 51. oleaceus. *Stat. Silv.* 3, 3, 212. Assyrius, *h. e.* amomum. *Cels.* 7, 21. *n.* 2. de hernia aquosa: Liquoris ejus major modus prohibet. *Scrib. Comp.* 8. Liquor e naribus. *Sen. Oedip.* 955. Hactenus fundent levem oculi liquorem. ℙ De mari. *Hor. Od.* 3, 3, 46. qua medius liquor Secernit Europen ab Afro. ℙ Item liquiditas. *Cic. Univ.* 14. Causae, quae vim habent frigoris et caloris, concretionis et liquoris. *Id. N. D.* 2, 10. Atque aquae etiam admixtum esse calorem, primum ipse liquor, tum aquae declarat effusio. *Lucr.* 1, 453. Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai. Prima syllaba hoc loco producitur, ut in *Liquidus* et *Liquens*. *Plin.* 33, 6, 32. Vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur.

LIRA, ae, f. eadem est ac porca, latior tamen: videtur esse a λειρός, ὰ, ὸν ap. *Hesych.* Λειρός, ὁ ἰσχνός. *Colum.* 2, 4. *med.* In liram jugerum satum redigitur. Liras autem rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis praebeat; et *ib.* 8. Cavebitur tamen, ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus; et *ib.* 10. *med.* Prius jaciemus semina, deinde proscindemus terram, proscissamque in liram revocabimus. *Id.* 11, 3. *med.* Ulpici spicae cum sint divisae, liratim seri debent, ut in pulvinis positae minus infestentur hiemis aquis. Est autem lira similis ei porcae, quam in sationibus campestribus rustici faciunt, ut uliginem vitent: sed haec in hortis minor est facienda, et per summam partem ejus, id est in dorso inter palmaria spatia spicae ulpici disponendae sunt: sulci lirarum inter se distent semipedali spatio. ℙ *Nonius* tamen 1, 62. et *Isid. Orig.* 15, 15. ita liram a porca distinguunt, ut hanc dicant quod in arando exstat, liram quod defossum est, scilicet sulcum. Etiam *Gloss. Philox.* Lira, αὖλαξ, et *Festus* porcam, sulcum definit. Sed magis a *Columella* standum est, qui liram et porcam, idem fere facit. V. PORCA.

*LIRAMENTUM, i, n. deliramentum, delirium. *Vet. Interpr. Irenaei* 2, 42. Liramenta confirmare. *B. A.*

LIRĀTIM, adv. per liras, secundum liras. *Colum.* 11, 3. *med.* Habet ulpicum plures cohaerentes spicas, eaeque cum sint divisae, liratim seri debent, ut in pulvinis positae minus infestentur hiemis aquis. V. LIRA.

*LIRIA, ae, flumen Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. ℙ Vulgo, ait *Harduinus*, est *Lez. B. A.*

[LĪRĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Lirim fluvium pertinens, ut Interamnates Lirinates ap. *Plin.* 3, 5, 9. V. INTERAMNAS. *F.*]

[LĪRĪNENSIS, e, adj. ad Lirinum pertinens, Galliae Narbonensis insulam contra Antipolim, nunc *Antibes*, a Graecis Ἀηρίνην, a *Plin.* 3, 5, 11. Lerinam appellatam, quae nunc *Isola di S. Onorato* dicitur; is enim ann. a Chr. n. CCCXCI. celeberrimum totius Galliae monasterium in illa insula condidit. Ejus ita meminit *Sidon. carm.* 16, 104. Seu te Lirinus priscum complexa parentem, etc. *Id. ep.* 8, 14. Satis in illo quondam coenobio Lirinensi spectabile caput, concellita Luporum, Maximorumque. *F.*]

LĪRĪNON, i, n. oleum, seu unguentum est, quod ex liliis conficitur, quae λείρια Graeci appellant, λείρινον. *Plin.* 21, 5, 11. et 23, 4, 49.

*LIRĪNUS, i, insula. V. in *Lirinensis*. *B. A.*

[LĪRĬON, i, n. λείριον, lilium. *Appul. Herb.* 107. *F.*]

LĪRĬOPĒ, es, f. Nympha fontana, quae a Cephiso amne compressa Narcissum peperit: a λείριος, floridus, et ὀπή, oculi pupilla. *Ov. Met.* 3, 342. Caerula Liriope, quam quondam flumine curvo Implicuit, clausaeque suis Cephisos in undis Vim tulit: enixa est utero pulcherrima pleno Infantem, Nymphis jam nunc qui posset amari, Narcissumque vocat.

LĪRIS, is, m. *Garigliano*, Λείρις, fl. Italiae, olim Clanis seu Glanis ap. *Plin.* 3, 5, 9. qui Latium a Samnio separat. Supra Soram apud Antinum, nunc *Antina* oritur, Minturnas urbem excisam praeterlabitur, et in mare Tyrrhenum inter Formias et Sinuessam desinit. *Plin.* 2, 103, 106. *Lucan.* 2, 424. et umbrosae Liris per regna Maricae Vestinis (lege *Vescinis*) impulsus aquis.

LĪRO, as, avi, atum, a. 1. liras facio, in liram satum redigo: quod fit post jacta semina, ut terra obruantur. *Varr. R. R.* 1, 29. Terram cum primum arant, proscindere appellant: cum iterum, offringere: tertio cum arant jacto semine, lirare dicuntur: id est, cum tabellis additis ad vomerem, simul et satum frumentum operiunt in porcis, et sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. Haec *Varro. Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur; ubi res poscit, crate, vel rastro: et sato semine, iteratio. Haec quoque, ubi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare, operiente semina: unde primum appellata deliratio est. *Colum.* 11, 2. *med.* Si facilis est terra, proscinditur jugerum duabus operis, iteratur una, lirantur una jugera quatuor: cum in subacta jam terrae latiores porcae sulcantur. ℙ Qui *liram* sulcum interpretantur, *lirare* intelligunt sulcum facere. Metaphorice pro delirare posuit *Auson.*, hoc est a recta via declinare, aberrare a veritate: *ep.* 10, 8. Phoebus jubet verum loqui. Et si Pierias patitur lirare Sorores, Nunquam ipse torquet αὔλακα. ℙ *Lirare alicui labias*, lacerare. *Pompon.* ap. *Non.* 1, 62. Num quis hic resistit, qui nondum labias lirarit mihi?

LĪROE, λῆροι, Graeca vox, idest deliria, gerrae, nugae. Interdum enim nomina secundae declinationis per diphthongum *oe* more Graecorum usurpata reperiuntur. Sic *Adelphoe* inscribitur Terentii comoedia, quae Graece Ἀδελφοί. *Pl. Poen.* 1, 1, 9. Nam tuae blanditiae mihi sunt, quod dici solet, Gerrae germanae, atque aedepol liroe, liroe. Sunt qui Graece legunt λῆροι λῆροι, vel λῆροι λήρων.

LIS, itis, f. ἔρις, δίκη, res quae est in controversia, et ipsa controversia. Quidam volunt primum dictam *sistlitem* a *sistendo*; deinde *stlitem*, demum *litem*. Alii ducunt ab ἔλις pro ἔρις, per aphaeresim. [*Prima vocis significatio, et primo loco ponenda est, qua dicitur de cujuscunque generis controversia, certamine, contentione, jurgio. *Cic. Leg.* 1, 20. Philosophi aetatem in litibus conterunt. Noster h. l. ad finem laudaverat.] *Hor. A. P.* 77. Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor, Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est. *Prop.* 4, 5, 39. Semper habe morsus circa tua colla recentes, Litibus alternis quos putet esse datos. *Sen. Troad.* 223. Et causa litis regibus, Chryse jacet. [*Adde *Ov. Met.* 6, 71. Pingit antiquam de terrae nomine litem: ubi v. quae laudat *Gierig.*] ℙ Translate dicitur de discrepantia et contrarietate rerum inani-

matarum. *Ov. Fast.* 1, 108. Ut semel haec rerum secessit lite suarum, Inque novas abiit massa soluta domos, [*i. e. pugna, s. fermentatione elementorum contrariorum, quam describit *Id. Met.* 1. *in.*] *Id. Her.* 16, 288. Lis est cum forma magna pudicitiae. ℙ [*Tum notat, controversiam generis judicialis, maxime quidem, in materia, quam dicunt, civili. *Cic. Fin.* 2, 12. lites privatae. Noster exempla parum apto loco haec posuerat.] *Cic. Or.* 3, 28. Superius illud genus causam, aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt, *h. e.* controversia judiciali. *Id. Verr.* 2, 3, 13. Ferre nemo posset, te, etc. bona tua repetere, ac persequi lite atque judicio. *Id. Or.* 1, 10. Litem alicui intendere; et *Rabir. Post.* 4. et *Cluent.* 41. inferre in aliquem. *Id. Att.* 16, 15. contestari. *Id. Rosc. Com.* 4. obtinere, aut amittere. *Id. Offic.* 3, 10. *med.* orare. *Hor. Sat.* 1, 9, 37. perdere. *Quint.* 4, 2. *med.* suscipere. *Id.* 6, 1. *f.* agere adversus aliquem. *Ter. Eun.* 4, 5, 8. Lites factae sunt inter eos maxumae. *Festus:* Liti cecidisse dicitur, qui ejus rei, de qua agebat, causam amisit. Ubi nota *liti* pro *lite*, ut *igni* pro *igne*, et alia. *Quint.* 3, 11. *f.* Scire, quid litem faciat, *h. e.* instituat. *Hermogenian. Dig.* 48, 10, 20. Litem instruere advocatione, aut testibus. *Tryphonin. ib.* 5, 2, 22. instituere de re quapiam. *Papin. ib.* 3, 5, 30. in judicium deducere; et *ib. f.* Sumptus in lite facere. *Paul. ib.* 3, 30. Facere impensas in litem. *Virg. A.* 12, 898. litem discernere agris. *Id. Ecl.* 9, 14. incidere novas lites. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. *extr.* sedare. *Hor. Ep.* 1, 16, 42. secare. *Id. Sat.* 1, 7, 5. molestas habere cum aliquo. *Id. Ep.* 1, 2, 11. et *Virg. Ecl.* 3, 108. componere inter aliquos. *Ov. Fast.* 6, 89. in litem studio certaminis ire. [*Adde 1, 73. Lite vacent aures.] *Ter. Ad.* 2, 2, 40. lites sequi. *Id. Ph.* 2, 3, 61. sectari; et 4, 3, 29. litibus desistere. ℙ *Litem suam facere*, dicitur orator, cum, relicta causa, se ipsum defendit, et oblitus rei, pro se dicit. *Cic. Or.* 2, 75. Quid, si cum pro altero dicas, litem tuam facias, aut laesus efferare iracundia, causam relinquas; nihilne noceas? ℙ Item judex, in quem litis damnum transfertur, quia vel dolo malo, vel pecunia corruptus, vel gratia, vel ex ignorantia male judicavit, ut est ap. *Ulp. Dig.* 5, 1, 15. Adde *Cajum ib.* 44, 7, 4. *med.* Hinc translate *Gell.* 10, 1. Nam et Varro satis aperte, quid dici oporteret, edocuit; et ego adversus eum, qui doctus esse dicebatur, litem meam facere absens nolui. ℙ Item qui ad constitutum tempus ad causam disceptandam in foro non adfuit, cum judex esset datus, aut sumptus. *C. Titius* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. ℙ Litis nomen, inquit *Ulp. Dig.* 50, 16, 36., omnem actionem significat, sive in rem, sive in personam sit. Quare etiam de capitali judicio dicitur. *Cic. Cluent.* 41. Judices, quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt. ℙ [*Hinc usurpatur de re ipsa, quae est in controversia. Ita recte collocasse videmur, quae Noster §. 1. adscripserat.] *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis: ideo in actionibus videmus dici, *Quam rem, sive litem dicere oportet.* Ad hanc formulam alludit *Cic. Mur.* 12. *extr.* de JCtis: Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum rem, an litem dici oporteret. *Id. ib.* 20. Lites severe aestimatae. V. AESTIMO. *Id. Rosc. Com.* 1. Quo minus secundum eas tabulas lis detur, non recusamus; et *ib.* 14. De tota lite pactionem facere. *Liv.* 3, 72. Judices in suam rem litem vertunt. [*V. *Gron.* ad 23, 4.] ℙ Proverbii species est illud *Hor. Sat.* 2, 3, 103. Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit, [*i. e. rem litigiosam obscuram per aliam pari modo dubiam, jurgiisque plenam velle ad liquidum perducere.]

LĪTĂBĬLIS, e, adj. qui litari potest. *Lact.* 1, 21. Priapo litabilis victima est asellus, *h. e.* justa et grata, qua illud numen placari potest. *Minut. Fel. Octav.* 32. Litabilis hostia. Rursus *Lact. Epit.* 7. Litabilior victima. Priore *Lactantii* loco alii leg. *litalis.*

LĪTĂMEN, inis, n. sacrificium, quo litatur. *Stat. Th.* 10, 610. Audite, o sontes, extrema litamina Divum, [*h. e.* ut ait *Lact.* Sacrificiorum signa, post quae sacrificare iterum non licet. *F.*] *Prud. praef. Hamart.* 50. de Cain immolante: Cujus litamen sordet, et terram sapit.

[LĪTĂNA Silva, et absolute Litana, ae, f. in Gallia fuit Cispadana, Liguriam Etruriamque percurrens, circa Mutinam urbem, nunc *Selva del luogo.* Hujus silvae arboribus viae finitimis caesis ab hostibus Bojis, et subito impulsu ruentibus L. Posthumi consulis exercitus tam foeda strage est obrutus, ut ex viginti quinque millibus vix decem homines superfuerint. *Liv.* 23, 24. et 34, 22. et *Front. Strat.* 1, 6. *F.*]

LĪTĂNĬA, ae, f. λιτάνεια, supplicatio, preces, a λιτή, unde λιτανεύω, supplico. Vox Graeca est, quam tamen usurpat *Sidon ep.* 5, 7. et *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 1, 5, 3., ubi *litanias facere* est preces simul cum aliis habere.

[LĪTĂRĪNUS, i, m. fortasse is dicitur qui litare est solitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 13. L. Braetius Litarinus solearius. *F.*]

LĪTĂTĬO, onis, f. καλλιέρησις, καλλιέρημα, actus litandi, sacrificii peractio rite facta, voti per caesam victimam impetratio. *Liv.* 27, 23. Per dies aliquot hostiae majores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax Deorum. *Id.* 41, 15. Cum relatum esset, jecur hostiae defluxisse; senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit, [*i. e. plurimas deinceps victimas caedi, donec bona exta reperiantur.] *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 587. Aquam opimam immolarunt, et hostiae litationem inspexerunt, *h. e.* observarunt, num caesae hostiae exta recte se haberent, ex haruspicinae praescripto: nam nisi id ita esse reperissent, aliis iisque majoribus hostiis Deorum iram placare studebant. V. LITO. Adde *Pl. Ps.* 1, 3, 99.

[LĪTĂTŌ, adverbialis vox, qua significatur hostiis litatis, *h. e.* ex more inspectis, et recte se habentibus. *Liv.* 5, 38. Non Deorum saltem, si non hominum, memores, ne auspicato, nec litato instruunt aciem, *senza prendere gli auspizj, senza osservare, se propizie fossero le interiora delle vittime. F.*]

LĪTĂTUS, a, um, part. a *lito. Festus:* Litatum alii solutum, deditum Deo, quasi luitatum; alii ex Graeco, a precibus, quas illi λιτὰς dicunt. *Virg. A.* 4, 50. Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis Indulge hospitio. Ubi *Serv.:* Diis litatis debuit dicere: non enim sacra, sed Deos sacris litamus, idest placamus. Ergo nove dixit. Sed distinguendum est, ut dicamus *sacris*, id est per sacra: *litatis* scilicet Diis. Hoc *Servii* postremum, ut nihil dicam de reliquis, minime placet. Nam et violentum est, et in aliis hujusmodi locis locum habere non potest, ut ap. *Ov. Met.* 14, 156. Euboicam emergit in urbem Troius Aeneas, sacrisque e more litatis, Litora adit, etc. [*Just.* 20, 2. Litatis hostiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant. *F.*]

[LĪTĔ, es, f. λιτή, tenuis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 10. Caecilia Lite. *F.*]

LĪTĔRA. V. LITTERA.

LĪTERNĪNUS, a, um, adj. ad Liternum pertinens, ut Literninum rus, *Plin.* 14, 4, 5. et 16, 44, 85. Liternina villa, *Val. Max.* 2, 10. *n.* 2. ℙ *Literninum* absolute, *h. e.* praedium. *Liv.* 38, 52. Scipio in Literninum concessit.

LĪTERNUM, i, n. *Torre di Patria*, Λιτέρνον, oppidum Campaniae in ora maris Tyrrheni prope fluvium cognominem, inter Vulturnum et Cumas. *Plin.* 3, 5, 9. et *Sil.* 6, 654., ubi *stagnosum* appellat, et *Ov. Met.* 15, 714., ubi *lentisciferum* a lentisci copia. De flumine *Liv.* 32, 19. ℙ Literni rus Scipionis Africani superioris fuit, qui ibidem in exsilio diem obiit extremum, teste *eod.* 38, 53. et *Sen. ep.* 86. ℙ Scribitur et *Linternum:* sed *Liternum* critici magis probant.

LĪTERNUS, a, um, adj. ad Liternum pertinens, ut Literna palus, *Sil.* 7, 278. Liternus ager, *Cic. Agr.* 2, 25.

[LĪTHĂNĬCUS, i, m. qui calculo laborat: a λιθιάω, calculo laboro. *Plin.* 20, 22, 87. Utuntur *(sinapi)* ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, lithanicos, opisthotonicos. *Harduinus* adnotat: Ita libri omnes; alii *tetanicos*, ego *lichenas* malim. *F.*]

LĪTHĂRGYRUM, i, n. λιθάργυρος: a λίθος, lapis, et ἄργυρον, argentum, scoria est argenti in lapidis duritiem compacta, usum habens in medicina. *Plin.* 26, 10, 64. [*Steinsilber, i. e. Silberglätte.]

LĪTHĪZONTES, um, m. plur. λιθίζοντες, gemmae quaedam ex genere carbunculorum languidius lucentes: a λιθίζω, lapidesco, quod ad lapidum potius, quam gemmarum naturam accedant. *Plin.* 37, 7, 25.

LĪTHOSPERMON, i, n. λιθόσπερμον: a λίθος, lapis, et σπέρμα, semen: herba est quincuncialis fere, foliis duplo majoribus, quam rutae, ramulis surculosis, crassitudine junci. Gerit juxta folia singulas veluti barbulas, et earum in cacuminibus lapillos candore et rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia vero lapidea. Ipsi qua pediculis adhaereant, cavernulas habent, et intus semen. Nascitur et in Italia: sed laudatissimum in Creta. Nec quicquam inter herbas majore miraculo aspexi: tantus est decor, velut aurificum arte alterne inter folia candicantibus margaritis: tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. Haec *Plin.* 27, 11, 74. [*Steinsamen, Steinkirse.]

LĪTHOSTRŌTUM, i, n. λιθόστρωτον: a λίθος, lapis, et στρώννυμι, sterno. Lithostrotum proprie differt ab opere musivo sive tessellato, quia illud e crustulis marmoreis diversi coloris, hoc parvis lapillis quadratis, seu tessellis constat. *Plin.* 36, 25, 60. Pavimenta originem apud Graecos habent elaborata arte, picturae ratione, donec lithostrota expulere eam; et *mox:* Lithostrota acceptavere jam sub Sulla, parvulis certe crustulis. *Varr. R. R.* 3, 2. Emblema, aut lithostrotum. *Id. ib.* 1. *f.* Villa opere tectorio, et intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectanda. Adde *Capitol. Gord.* 32. [*Immutavit nonnulla *F.*]

LĪTĪCEN, inis, m. σαλπιγκτής, qui lituo canit, ut *tubicen*, qui tuba. *Varr. L. L.* 4, 16. *f.* Tubicines a tuba, et canendo: similiter liticines. *Stat. Silv.* 4, 7, 19. liticenve notus Hectoris armis, *h. e.* Misenus. Adde *Cat.* ap. *Gell.* 20, 2. et *Ammian.* 14, 2. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 118. M. Aurelius M. Aur. L. Crestus liticen Leg. III. Parthic. Adde aliam ap. *Mur.* 798, 1., ubi litui figuram videre est.

LĪTĪGANS, antis, part. a *litigo:* litigator. *Gell.* 2, 12. *extr.* Litigantes destituere; et 14, 2. *med.* Sensus litigantium deprehendere. *Plin.* 19, 1, 6. Velis forum adumbravit, ut salubrius litigantes consisterent.

LĪTĪGĀTĬO, onis, f. lis, litigium. *Lact.* 3, 8. Omissis litigationibus furiosis ac pertinacibus, veniamus ad judicem. Al. rectius leg. *litigatoribus.* [*Gloss. Philox.* Litigatio, μάχη ἡ διὰ λόγων. *F.*]

LĪTĪGĀTOR, oris, m. ἐριστής, qui litigat. *Cic. Dom.* 44. Emit domum litigatoribus fatigatis. Al. leg. *licitatoribus.* [*Ita *Orell.*, q. v.] *Quint.* 2, 21. Litigator rusticus, illitteratusque, de sua causa melius, quam orator, qui nescit, quid in lite sit, dicet. *Id.* 10, 1. *med.* Ne orator omnia testimonia expetat a litigatore, sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat. *Suet. Aug.* 33. Appellationes urbanorum litigatorum. *Tac. A.* 13, 42. Sponte litigatoris, praemium honestae operae assequi.

[LĪTĪGĀTRIX, icis, f. quae litigat. *Not. Tir.* p. 34. Litigat, litigatrix. *F.*]

LĪTĪGĀTUS, us, m. lis, litigium. In sexto casu sing. *Quint. decl.* 6, 19. Quamquam in hoc litigatu quodammodo tibi ipsa excidisti.

LĪTĪGĬOSUS, a, um, adj. φιλόδικος, qui frequens in litibus versatur, vel quavis de causa litem movet. *Cic. Verr.* 2, 2, 14. Hominemque id aetatis minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur. *Sidon. ep.* 8, 3. Duae anus, quibus nihil unquam litigiosius, bibacius, vomacius erit. *August. ep.* 68. Homines pertinacissimi, et litigiosissimi. ℙ Interdum idem est ac controversus, seu de quo lis est, ἐριστικός, ἀμφισβητητικός. *Cic. Or.* 3, 27. In parvo, et eo litigioso praediolo relicti sumus. ℙ Dicitur etiam de re plena litibus, seu de loco, in quo lites agitantur. *Ov. Fast.* 4, 188. Fora litigiosa. ℙ Item de oratione contentiosa. *Cic. Fin.* 5, 26. Habent enim et bene longam, et satis litigiosam disputationem.

LĪTĪGĬUM, ii, n. ἔρις, litis actio, lis, controversia. *Pl. Cas.* 3, 2, 31. Ego quid contrahere cupio litigii inter eos. *Id. Men.* 5, 2, 15. Cum viro litigium natum.

LĪTĪGO, as, avi, atum, n. 1. ἀμφισβητέω, ἐρίζω, discepto, contendo: a *lis*, quasi litem ago. *Cic. Fam.* 9, 25. Noli pati, litigare fratres, et judiciis turpibus conflictari. *Id. Att.* 13, 36. Hirtium cum Quinto acerrime litigasse. *Pl. Rud.* 4, 4, 16. Qua de re litigatis inter vos? *Mart.* 11, 35. Quare non veniam vocatus a te, Miraris, quererisque, litigasque. *Petr. Sat.* 132. Quid? non et Ulysses cum corde litigat suo? et *ib.* 83. Litigare cum ventis, *h. e.* inani contentione certare, et operam perdere, εἰς ἀέρα λαλεῖν. ℙ [Part. *Litigans* V. s. l. *Litigaturus* ap. *Tert. ad Uxor.* 2, 5. Apud arbitrum speculatorem litigaturi. *F.*]

LĪTO, as, avi, atum, a. 1. καλλιερέω, sacrificio facto Deos placo, votumque impetro, frequentat. a *luo*, quod est solvo. Nam ut *optimus* pro *optumus*, *maximus* pro *maxumus* dixere posteriores, sic *litare* pro *lutare.* Igitur *litare*, est sacra persolvere. Ideo autem sumitur pro placare, quia qui solvit, quod debet, is a creditoris se molestia liberat. [*Kürch. facit etym. a Gr. λιτή, i. e. preces.] *Varro* ἑκατόμβη περὶ θυσιῶν. Habes, qui, et cujus rei causa fecerim hecatomben: in quo ego, ut puto, quoniam est luere, solvere, lutavi. Haec citat *Non.* 2, 482. Tunc autem litasse credebant veteres, cum exta hostiarum luculenta et notis felicibus insignita essent. *Lact.* ad *Stat. Th.* 10, 610. Inter litare, et sacrificare hoc interest: sacrificare est hostias immolare, litare vero post immolationem hostiarum impetrare, quod postules. *Suet. Caes.* 81. Pluribus hostiis caesis cum litare non posset, introiit curiam spreta religione. [*V. *B. Crus.* ad h. l. Adde *Ner.* 56. Attendit et extispicio, nec unquam litavit, i. e. nunquam exta felicia invenit. *Curt.* 7, 7, 29. Nunc prorsus egregie litatum esse.] *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 41. Si istuc unquam factum est, tum me Juppiter Faciat, ut semper sacrificem, nec unquam litem. [*Liv.* 27, 23. Consules religio tenebat, quod, prodigiis aliquot nunciatis, non facile litabant; adde 8, 9. Manlium egregie litasse. ℙ Jam sequi debebant ea exempla, in quibus additum videmus dativum Dei, quae Noster in f. hujus §. posuerat.] *Cic. Div.* 2, 17. Cum pluribus diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? *Plin.* 10, 28, 40. Litatum est ei deo. ℙ [*Additur et-

iam ablativus sacrificii. *Cic. Div.* 2, 15. Proxima hostia litatur saepe pulcherrime.] *Plin.* 8, 45, 70. Victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis cauda contingat: breviore non litant. [**Inscr.* ap. *Orell.* 736. — et ut praetor, cui haec regio sorte obvenerit, litaturum se sciat, aliusve quis magistratus volcanalibus X. Cal. Sept. omnibus annis vitulo robio et verre. ℙ Pertinet etiam ad ipsum sacrificium, quod Deos nobis propitios ostendit, ubi *litare* idem fere est, quod felicem esse.] *Suet. Aug.* 96. Cum sacrificio non litante, augeri hostias imperasset. [*Adde *Oth.* 8. Victima Diti patri caesa litavit. Cf. *Brem.* V. etiam *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 482. ubi Graeca exempla laudat.] *Mart.* 10, 73. Non quacumque manu victima caesa litat. [*V. *Gronov.* ad *Liv.* 8, 9. sed maxime *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* p. 226.] ℙ Cum accusat. est sacrificare, mactare, Diis offerre. *Ov. Fast.* 4, 630. Pontifices forda sacra litate bove. [*V. *Gierig.* ad h. l.] *Stat. Th.* 10, 338. et *Lucan.* 1, 632. tibi enim haec ego sacra litavi. *Flor.* 3, 4. Litare Diis sanguinem humanum. *Prop.* 4, 1, 24. Pastor et ad calamos exta litabat ovis. [**Tac. G.* 9. Germani Mercurium colunt, cui certis diebus humanisque hostiis litare fas habent.] ℙ Ponitur interdum pro Deo offerre, sacrificare. *Tert. Patient.* 10. Quem autem honorem litabimus Domino Deo. *Prud. Cath.* 7, 5. litare victimam. ℙ Et pro parentare sacrificando. *Cic. Fl.* 38. Litemus Lentulo, parentemus Cethego. *Sen Agam.* 577. Postquam litatum est Ilio, Phoebus redit. ℙ Transl. Sen. *Med. f.* Plura non habui, dolor, tibi late. *Sen. Med. f.* Plura non habui, dolor, tibi quae litarem. *Appul. Met.* 3. De latronis hujus sanguine legibus vestris, et disciplinae publicae litate, *h. e.* hujus morte legum vim tuemini, et servate. *Plin. Pan.* 52. Statuae aureae strage et ruina publico gaudio litaverunt, *h. e.* satisfecerunt. [*V. *intpp.* ad h. l. Adde *Auct. B. Hisp.* 24. *f.* Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum poena est litata, i. e. ulta, expiata.] ℙ Illud *Plinii praef. H. N. med. Mola tantum salsa litant, qui non habent tura*, proverbii speciem habere potest, de iis scilicet, qui, ut possunt, vivunt, quando, ut vellent, non licet, ut est apud *Ter. Andr.* 4, 5, 10. vel qui quod habent, libenter largiuntur, plura daturi, si haberent. ℙ [Part. *Litaturus* in *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 1. Sacra litaturo fecit honore Lacer. *F.*]

LĪTORĀLIS, e, adj. ἀχταῖος, ad litus pertinens, litoreus. *Plin.* 9, 17, 30. Litorales pisces. *Just.* 12, 10. Indi. *Catull.* 4, 22. Vota facta litoralibus Diis, *h. e.* qui praesunt litoribus, et in iis templa habere solent, quae adeunt nautae vota soluturi pro felici navigatione. *Virg. G.* 1, 436. Votaque servati solvent in litore nautae Glauco, et Panopeae, et Inoo Melicertae. V. PERMARINUS.

[LĪTORĀRĬUS, a, um, adj. litoreus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 11. *med.* Convenit etiam arenae litorariae adhibendus fervor. *F.*]

LĪTORĔUS, a, um, adj. ἀχταῖος, ad litus pertinens, maritimus. Vox est fere poetica. *Ov. Met.* 15, 725. Litorea arena. *Mart.* 10, 78. Ibis litoreas, Macer, Salonas; et 58. Litorea domus. *Virg. A.* 12, 248. Litoreae aves; et *ib.* 8, 43. ilices. *Ov. Met.* 15, 369. et *ib.* 10, 127. Litoreus cancer, *h. e.* qui prope litus degere amat. [**Sil.* 8, 434. Litorea Cupra, i. e. sita in litore.]

LĪTOROSUS, a, um, adj. litoralis, litoreus. *Plin.* 37, 10, 56. Callais sapphirum imitatur, candidior, et litoroso mari similis, *h. e.* eum aquae marinae colorem referens, qui est circa litus. *Fab. Max.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 7. Ager macerrimus, et litorosissimus.

[LĪTOS, i, m. λιτός, tenuis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 2. M. Coccejus Litos. *F.*]

LĪTOTĒS, f. λιτότης, h. e. tenuitas: a λιτός, tenuis, exiguus. Nomen est figurae, qua negando contrarium, plus significamus, quam dicimus: et est species synecdoches. Exempla ejus non una *Serv.* in *Virgilio* observavit, ut *G.* 2, 129. Miscueruntque herbas, et non innoxia verba, *h. e.* nocentissima; et *ib.* 125. Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris, *h. e.* strenuissima; et *ib.* 3, 56. Nec mihi displiceat maculis insignis et albo, *h. e.* valde placeat; et *A.* 5, 39. non immemor ille parentum; et *ib.* 7, 261. Munera nec sperno. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 12, 4. Etsi scio non jucundissimum nuncium me vobis allaturum, *h. e.* tristissimum. ℙ Etiam sine negatione fit, cum res magna verbis extenuatur, ut *Virg. A.* 1, 81. mihi jussa capessere fas est, *h. e.* oportet, necesse est omnino. V. plura ap. *Voss. Institut. or. l.* 4. *c.* 10. *n.* 8., ubi statim monet, male a quibusdam *liptotes* dici.

*LITTĂMUM, i, n. opp. Rhaetiae. *Anton. Itin. B. A.*

LITTĔRĂ et Litera, ae, f. γράμμα, elementum, minima ac individua pars orationis, ex qua syllaba constituitur, ut, *a*, *b*, *c*. *Cic. Div.* 1, 13. Sus rostro si humi A litteram impresserit. *Id. ib.* 2, 41. Sortes in robore insculptae priscarum litterarum notis. *Id. Verr.* 2, 2, 33. *extr.* Maximis litteris incisum. (Sic littera quadrata ap. *Petr.*) et *Fam.* 2, 17. *med.* Ille cum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me litteram numquam misit: [*nos: *keinen Buchstaben.*] et *Plin.* 37, 9, 54. Reliquas gemmas litterarum ordine explicabimus: [**nach dem Alphabet.*] Sic *Sen. ep.* 68. *med.* Digerere in litteram, *h. e.* per ordinem litterarum, ut singula sub sua littera perscribantur. *Plin.* 13, 12, 25. de charta: Inserta mediis glutinamentis taenia, vix, nisi littera fundente se, *h. e.* ductu litterae per atramentum facto. *Ov. Met.* 1, 649. Litteram ducere in pulvere. *Cic. Brut.* 74. Lenis appellatio litterarum. ℙ Litteras invenisse primi dicuntur Assyrii, vel Aegyptii, vel Syri. In Graeciam intulit Cadmus e Phoenice, sexdecim numero: quatuor adjecit Palamedes Trojano bello Θ, Ξ, Φ, Χ: totidem postea Simonides Melicus Ζ, Η, Ψ, Ω. Haec *Plin.* 7, 56, 57. ℙ *Homo trium litterarum* ap. *Pl. Aul.* 2, 4, 46. est fur. ℙ *Litteram ex se longam facere*, est se suspendere: quia scilicet I longam, qui laqueo pendent, referunt. *Id. ib.* 1, 1, 37. neque quidquam est melius mihi, Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero. ℙ *Littera salutaris* dicitur a *Cic. Mil.* 6. A: *tristis* vero C: quia in tabellis judicum illa *absolvo*, haec *condemno* significatur. ℙ Sumitur et pro verbo. Hinc *ad litteram* est: [**nach dem Buchstaben, wörtlich.*] *Quint.* 9, 1. *med.* Quem duobus ab eo libris tractatum locum, ad litteram subjeci. ℙ Interdum pro ratione scribendi, quae propria cuiusque est: [**Hand, Züge.*] *Cic. Att.* 7, 2. Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae: non amabam, quod indicabat, te non valere. ℙ *Facere litteram*, vel *litteras* est scribere. *Pl. Asin.* 4, 1, 22. Ne illi sit cera, ubi facere possit litteras. *Cic. Acad.* 4, 2. *f.* Ne litteram quidem ullam facimus, nisi forensem. ℙ *Nescire litteras* est neque legendi neque scribendi artem callere. *Sen. Clem.* 2, 1. et *Suet. Ner.* 10. Cum de supplicio cujusdam ut ex more subscriberet, admoneretur: Quam vellem, inquit, nescire litteras! Idem significat *nescius litterarum* ap. *Col.* 1, 8. Et *scientia litterarum* ap. *Paul. Dig.* 29, 2, 92. est peritia scribendi. ℙ Aliquando nescire litteras est indoctum, seu ineruditum esse. *Cic. Brut.* 74. Flamininus existimabatur bene Latine, sed litteras nesciebat. ℙ Per synecdochen accipitur pro scripto, seu scriptura: et fere in plur. numero: [**Aufsatz, Schrift, Schriften, Schreiben, Papiere.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 63. Mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore conditas habebant, proferunt, in quibus ostendunt omnia, quae dixi ablata esse, perscripta; et *ib.* 16. Ab hoc abaci vasa omnia abstulit. Dicat, se emisse: etenim hic propter magnitudinem furti sunt, ut opinor, litterae factae. ℙ Et speciatim pro scripto, quo absentes alloquimur. [*Ei, quod ap. Lat. v. *littera*, praeter poetas, nonnisi plurali numero significationem *epistolae* habet, respondet nostr. *Zeilen.*] *Cic. Att.* 1, 13. Litterae non sunt committendae ejusmodi periculo, ut aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint. *Liv.* 26, 15. Litteras resolvere. *Pl. Trin.* 3, 3, 65. resignare. *Cic. Cat.* 3, 4. dare alicui ad aliquem. *Id. Att.* 5, 21. mittere; et *ib.* accipere; et *ib.* reddere alicui; et *ib.* 11, 16. *f.* remittere; et *ib.* 12, 1. exarare. *Id. Fam.* 3, 7. Unis litteris totius aestatis res gestas ad senatum perscribere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Binis continuis litteris, ut venirem, rogavit. *Cic. Att.* 5, 21. *f.* Queri apud aliquem per litteras; et *ib.* 13, 2. Invitare per litteras. *Just.* 27, 2. Inde ad Antiochum fratrem litteras facit, quibus auxilium ejus implorat. *Cic. Att.* 1, 20. Ei nunc epistolae litteris his respondebo. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Venio ad tuas litteras, quas pluribus epistolis accepi. V. EPISTOLA. ℙ *Litterae missae* eae sunt, quas tu ad aliquem scripseris; *allatae*, quas ab aliquo tibi scriptas acceperis. Hinc *liber litterarum missarum*, et *allatarum* fuit tabularium, quo utebantur publici magistratus, et publicani, quodque nos vulgo *Copierbuch* vocamus. *Cic. Font.* 4. Quod vos ex litteris quidem nostris, quas exscripsistis, et missis et allatis, certe scire potuistis. Quas si antea non legistis, nunc ex nobis, quid de iis rebus Fontejus ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. L. M. (*h. e.* litterae missae) ad C. Annium Leg., ad C. Fontejum Leg. L. A. (*h. e.* litterae allatae) a C. Annio Leg., a C. Fontejo Leg. Adde *eund. Verr.* 2, 2, 71. Quas ego *(litteras)* Syracusis apud Carpinatium in litterarum allatarum libris; Romae, in litterarum missarum apud magistrum Tullium inveni. V. LIBER, bri. ℙ Hoc sensu in singulari num. adhibere poeticum est. *Ov. Her.* 3, 1. Quam legis, a rapta Briseide littera venit. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] Adde *ib.* 6, 9. et *Trist.* 4, 7, 23. et *Mart.* 10, 73. etc. ℙ [*Saepe hac significatione omittitur v. *literae* ap. *Cic.* et alias. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 1. ubi laudat *Sanct. Minerv.* 4, 4. p. 599.] ℙ Et pro historia, et monumentis rerum gestarum. *Nep. praef.* Expertes litterarum Graecarum. [**Brem.* ad h. l. *litteras* intelligit eam, quam quis legendis scriptis comparat, scientiam morum, institutorum, indolis atque ingenii alicujus. Eadem significatione positum videtur *Themist.* 10, 1. Ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum dedit. At facile praetulerim alteram interpretationem, qua v. *literae id. Brem.* dictum putat pro eo, quod nos dicimus *Lectüre.*] Adde *Pelop.* 1. [**Literae Graecae* h. l. signif. historiam graecam. Eodem modo intell. ap. *Eund. Cat.* 3, 1. Cupidissimus literarum fuit.] *Liv.* 6, 1. ℙ Et pro tabulis accepti, et expensi. *Cic. Quint.* 11. Ad te ipsum venit in agrum communem: eo denique, ubi non modo res erat, sed ratio quoque omnis, et omnes litterae. Adde *Verr.* 2, 4, 12. ℙ Et pro edicto, et jussis magistratus. *Id. Verr.* 2, 5, 22. Cedo mihi ejusdem praetoris litteras et frumenti imperati, et tritici empti. [*Adde *Suet. Vesp.* Literas revocavit: ubi literae sunt, dati officii codicilli, quod nos dicimus *Ernennungsdiplom.*] ℙ Et saepe pro libris, et scriptionibus doctrinam et eruditionem continentibus. [**Schriftliche Litteratur.* Comparari poterant hic ista: *Cic. Leg.* 1, 2. Abest historia literis nostris; et *Div.* 2, 2. Graecae de philosophia literae; *Brut.* 64. Genus hoc scriptionis nondum satis latinis literis illustratum; et *Fam.* 7, 19. Nullam artem literis *(blos aus Büchern)* sine interprete, percipi posse. — Omnes, quas Noster dicendi rationes affert, significant, conscribere, perscribendo servare alicujus rei memoriam.] *Cic. Tusc.* 1, 3. Mandare litteris cogitationes suas; et *Acad.* 1, 1. Litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus. *Id. Tusc.* 1, 16. Sed quod litteris exstet, Pherecydes primum dixit, animos hominum esse sempiternos. *Id. Or.* 2, 2. Custodire aliquid litteris. *Macr. Sat.* 5, 19. *med.* Dare aliquid in litteras, *h. e.* mandare litteris. Sic *Spart. Sever.* 16. Ut plerique in litteras tradunt; et *Vopisc. Aurel.* 1. *f.* mittere aliquem in litteras, *h. e.* ejus vitam scribere. ℙ [*Est etiam id, quod nos dicimus *Schriftstellerey.* Ita recte explicat *Brem.* locum *Nep. Hann.* 13, 2. Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus non nihil temporis tribuit literis.] ℙ Et pro ipsa eruditione et doctrina; praesertim quae ex grammatica arte hauritur: unde *litteratura* et *litterati* dicti sunt. V. GRAMMATICA et GRAMMATICUS. *Cic. Or.* 2, 20. Sit mihi orator tinctus litteris: audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit. *Id. Brut.* 76. Erant in eo plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae. *Id. Or.* 2, 17. Homo communium litterarum, et politioris humanitatis non expers. *Id. Verr.* 2, 4, 44. Homo sine ingenio, sine litteris. *Id. Att.* 9, 10. Mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest; et *ib.* 4, 16. *med.* Refero me ad litteras et studia nostra. *Id. Leg.* 2, 1. In litteris aetatem agere; et *Arch.* 2. Studia humanitatis et litterarum; et *Har. resp.* 9. In studio litterarum versari. *Id. Brut.* 42. Dialecticam attulit: sed adjunxit etiam et litterarum scientiam et loquendi elegantiam. *Id. Or.* 3, 32. Geometriam, musicam, litterarum cognitionem, et poetarum. ℙ Etiam altiores disciplinae, philosophia, theologia, et hujusmodi, litterarum nomine intelligi possunt. *Cic. Tusc.* 5, 36. *f.* Quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum, atque naturae, et in hoc ipso mundo coelum, terras, maria cognoscimus. *Plin.* 14, 4, 5. Altiores litterae, *h. e.* magica ars. ℙ Etymologi quidam ducunt a supino *litum*, verbi *lino*, unde et litura: et simplici *t* scribi volunt: quam scriptionem probat *Dausq.*, et fulciunt libri non pauci. Verum gravior antiquitas stat pro duplici *tt*, quam lapides, Pandectae Florentinae, et libri veteres, testib. *Manut.* et *Cellar.* confirmant. [*Utrumque ferri posse, praeferendum tamen *litera*, docet *Schneid. Gr. L.* 1. p. 445. ubi v. — *Etym.* vocis *Doederl.* 3, 210. non a *linere* sed a *legere* ducit, coll. *Prisc.* 1, 2, 3. Dicitur autem *litera* vel quasi *legitera*, quod legendi iter praebeat.]

LITTĔRĀLIS, e, adj. litterarius. *Symm. ep.* 4, 54. Litterale commercium, *h. e.* epistolarum. Al. leg. *tale. Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. Litteralis lectio, *h. e.* librorum. *Diomed.* 2, 414. Grammatica litteralis dicta, quod a litteris incipiat. [*Prisc.* 2, 565. Syllaba est vox litteralis. *F.*]

LITTĔRĀRĬUS, a, um, adj. γραμματικός, ad litteras pertinens. *Quint.* 1, 4. *med.*, *Suet. Cal.* 45., *Tac. A.* 3, 66. et *Plin.* 9, 8, 8. Litterarius ludus; et *Vopisc. Pertin.* 8. magister.

LITTĔRĀTĒ, adv. erudite, docte, cum litterarum peritia, scite, eleganter, πεπαιδευμένως. *Cic. Or.* 2, 62. Belle et litterate dicta laudantur. [**Geistreiche Einfälle.* V. *Ernest. cl. Cic.*] *Cic. Har. resp.* 8. *f.* Litterate respondere, [*i. e. ad literam: *buchstäblich antworten. Graev.* dictum putat pro polite, eleganter, per ironiam: Quod minus convenit. V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] *Cic. Pis.* 25. *f.* Rationes ad aerarium retuli continuo: quas si cognoris, intelliges, nemini plus quam mihi, litteras profuisse: ita enim sunt perscriptae scite et litterate, ut, etc. [*i. e. litteris accuratissime pictis.] *Cic. Brut.* 56. Antiquitatis, scriptorumque veterum litterate peritus, [*i. e. ut nunc dicunt, more et subtilitate criticorum.] et *ib.* 28. Perbene Latine

loqui putabatur, litteratiusque, quam ceteri, [*i. e. accuratius, magis ex regulis artis, doctius.]

LITTĔRĀTĬO, onis, f. quaedam velut infantia grammaticae, scilicet ratio et scientia litterarum, ex quibus voces fiunt: quae pertinet ad primam partem, et rudimenta litteraturae, et ad librariorum artem et calculonum, qui pueros legere, scribere, et supputare docent. Ita enim appellata est a *Varr.*, testib. *August. de Ordine* 2, 12. et *Isid. Orig.* 1, 3. Adde *Capell.* 3, 50.

LITTĔRĀTOR, oris, m. γραμματικός, idem qui *litteratus*, h. e. qui litteras profitetur, et qui aliquid diligenter, et acute, scienterque potest aut dicere, aut scribere: proprie autem qui poetarum interpres est. Ita ex *Nepote*, *Suet. Gramm.* 4., ubi subdit: Messala Corvinus in quadam epistola, non esse sibi dicens rem cum litteratore Catone, significat haud dubie Val. Catonem poetam simul, grammaticumque notissimum. Hoc sensu usurpat *Catull.* 14, 9. Munus dat tibi Sulla litterator, *h. e.* L. Cornelius Epicadus Sullae libertus, de quo *Suet. Gramm.* 12. V. LITTERATUS. ℙ Sunt qui litteratum a litteratore distinguant, ut Graeci grammaticum a grammatista; et illum quidem, absolute, hunc mediocriter doctum existiment, quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam apud majores, ait, cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum, in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris, sed imbutum. *Suet. ib.* Sic *Gell.* 18, 9. Ex his, qui aderant, alter litterator fuit, alter litteras sciens; *mox. ib.* appellat *grammaticum*, grammatistam intelligens. *Id.* 16, 6. Quispiam Latinae linguae litterator, Roma a Brundusinis arcessitus, experiundum sese vulgo dabat; *mox* barbare insciteque legisse dicit, et *indoctum hominem* vocat. ℙ Litterator est, qui pueros legere et scribere docet, ap. *Appul. Flor.* 20. Litterator ruditatem eximit, grammaticus doctrina instruit.

LITTĔRĀTORĬUS, a, um, adj. ad litteratorem pertinens, litterarius. Videtur excludi ab usu Latino illis *Quint.* verbis 2, 14. Grammatice litteratura est, non litteratrix, quemadmodum oratrix: nec litteratoria, quemadmodum oratoria. *Tert.* tamen *Idol.* 10. Videamus necessitatem litteratoriae eruditionis.

LITTĔRATRIX. V. l. *Quint.* in v. praec.

[LITTĔRĀTŬLUS, i, m. dimin. litterati. *Hieron. ad Ruf.* 1. *n.* 31. En tu, qui videris tibi litteratulus, et Rabbi, responde, cur, etc. *F.*]

LITTĔRĀTŪRĂ, ae, f. litterarum formatio in tabella stilo, vel in charta atramento. *Cic. Part.* 7. *extr.* Litteratura constat ex notis litterarum, et ex eo, in quo imprimuntur illae notae. ℙ Item γραμματική, scientia litterarum, quae Graeca appellatione *grammatica* dicitur. *Quint.* 2, 1. Grammatice, quam in Latinum transferentes, litteraturam vocaverunt. *Sen. ep.* 88. *med.* Prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur. *Cic. Phil.* 2, 45. de C. Caesare: Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia. *Litteratura* hic est plena litterarum cognitio, et peritia, qua quis potest aliquid diligenter, et acute, scienterque aut dicere, aut scribere, ut in LITTERATOR dictum est. ℙ [**Literatura Graeca* ap. *Tac. A.* 11, 13. de literarum serie et ordine, quod vulgo alphabetum dicitur. Ita nusquam alibi, quod sciam. *Böttich. Lex. Tac.* p. 294.]

LITTĔRĀTUS, a, um, adj. litteras inscriptas habens. *Pl. Rud.* 4, 4, 112. Ensiculus aureolus litteratus; et 2, 5, 21. Litterata urna. *Appul. Met.* 3. Laminae litteratae; et *ib.* 6. Laciniae auro litteratae, *h. e.* aureis litteris intextae. ℙ *Servus litteratus*, est stigmate notatus, v. gr. si fugitivus esset, aut furax. Solebant enim hujusmodi inscribere frontem, inurendo litteras ferro candenti. *Pl. Cas.* 2, 6, 49. Hoc age sis, Olympio. *Ol.* si hic litteratus me sinat. *Appul. Met.* 9. Homunculi frontes litterati, et capillum semirasi, et pedes anulati. In verbis *Plauti* allatis, alii intelligunt servum, qui tergus cicatricosum, et virgarum notis, quasi litteris inscriptum habeat. Unde *Id. Ps.* 1, 5, 131. Quasi in libro cum scribuntur calamo litterae, Stilis me totum usque ulmeis conscribito. Ap. *Appul.* al. leg. *frontes liturati:* quod eodem fere recidit. ℙ Item qui scribere scit, scriptor, amanuensis. *Cic. Brut.* 22. *med.* Omnibus exclusis, commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse, etc. Addebat etiam, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba. ℙ Item litteris praeditus, eruditus, doctus, πεπαιδευμένος. *Cic. Off.* 3, 14. Canius nec infacetus, et satis litteratus. *Id. Brut.* 21. Albinus et litteratus, et disertus fuit. *Id. Mur.* 7. Tua nobilitas hominibus litteratis, et historicis est notior: populo vero et suffragatoribus obscurior. *Sen. Q. N.* 4, 13. Quid istas ineptias, quibus nec litteratior fit quisquam, nec melior, tam operose persequeris? *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est: quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, et consuetudine legendi. Ex hoc *Ciceronis* loco colligimus, *litteratos* proprie dictos, qui interpretes essent poetarum. *Suet. Gramm.* 4. Appellatio grammaticorum Graeca consuetudine invaluit: sed initio litterati vocabantur. Cornelius quoque Nepos, in libello, quo distinguit litteratum ab erudito, litteratos quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter, et acute, scienterque possint aut dicere, aut scribere: ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes. Haec *Sueton.* [*V. locum *Nep. Att.* 13, 3. ubi *pueri literati*, *Brem.* intp., sunt, qui bene de aliqua re possunt et scribere et dicere. Porro huc facere videntur et ista: *Cic. N. D.* 3, 9. Hoc si placet, efficies, ut mundus optime librum legere videatur. Zenonis enim vestigiis hoc modo rationem poteris concludere. Quod literatum est, id est melius quam quod non est literatum. Nihil autem mundo melius. Literatus igitur est mundus. Apte comparavit *Davis. Sext. Empiricum adv. Math.* p. 318. *B.* τὸ ποιητικὸν τοῦ μὴ ποιητικοῦ καὶ τὸ γραμματικὸν τοῦ μὴ γραμματικοῦ κρεῖττόν ἐστι — ποιητικὸν ἄρα καὶ γραμματικόν ἐστιν ὁ κόσμος. *Off.* 1, 37. Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquisito judicio putares uti literarum; quamquam erant literati; sed et alii, hi autem optime uti lingua Latina putabantur. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Est etiam *litteratus* litterarius. *Cic. Tusc.* 5, 36. Quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum, atque naturae cognoscimus.

LITTĔRĬO, onis, m. contemptus litterator, sciolus, grammatista. *Ammian.* 17, 11. Ut hirsutum, Julianum carpentes, appellantesque loquacem talpam, et purpuratam simiam, et litterionem Graecum.

LITTĔRŌSUS, a, um, adj. litteratus, antique. *Cassius Hemina* ap. *Non.* 2, 495. Homo mere litterosus.

LITTĔRŬLĂ, ae, f. γραμμάτιον, parva littera. *Cic. Att.* 6, 9. Admiratus sum σύγχυσιν litterularum, quae solent tuae compositissimae et clarissimae esse. *Id. Fam.* 16, 15. Accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis: nec mirum tam gravi morbo. ℙ De studiis levioribus litterarum vel modestiae causa, vel per contemptum. *Id. Att.* 7, 2. *f.* Chrysippum vero, quem ego propter litterularum nescio quid, libenter vidi, in honore habui. *Id. Fam.* 16, 10. Litterulae meae, sive nostrae, tui desiderio oblanguerunt; et *ib.* 5, 21. Utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, litterulis nostris. *Hor. Ep.* 2, 1, 7. Litterulis Graecis imbutus. ℙ De epistola. *Cic. Att.* 12, 1. Postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi.

LITTUS. V. LITUS.

*LITUBĬUM, i, n. opp. Liguriae. *Liv.* 32, 29. *B. A.*

LITŪRĂ, ae, f. ἄλειψις, litus, unctio: a sup. *litum* verbi *lino. Columb.* 4, 24. *med.* Solem etiam, et pluvias arcet ejusmodi litura. ℙ Fere sumitur pro superinductione illa, et complanatione, qua scriptura in tabula cerata deletur, ἐξάλειψις. *Cic. Arch.* 5. Et unius nominis litura se commotum esse dixerit. *Hor. A. P.* 292. carmen reprehendite, quod non Multa dies, et multa litura coercuit. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Mendum scripturae litura tollitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 76. Erant acceptae pecuniae a *C. Verrutio C. F.*, sic tamen ut usque ad alterum *r* litterae constarent integrae, reliquae omnes essent in litura; et *ib.* 78. Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto, demersam esse in litura? *Mart.* 7, 17. Haec illis *(libellis)* pretium facit litura. ℙ Translate. *Sen. V. B.* 8. Fiducia ejus non sine scientia sit, scientia non sine constantia: maneant illi semper placita, nec ulla in decretis ejus litura sit, *h. e.* nulla mutatio, aut poenitentia. *Mart.* 7, 18. corpus nulla litura notat, *h. e.* nulla ruga signat. ℙ Est etiam macula, quae scribendo fit. *Prop.* 4, 3, 4. Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit, Haec erit e lacrimis facta litura meis. *Ov. Trist.* 3, 1, 15. Littera suffusas quod habet maculosa lituras, etc.

LITŪRĀRĬUS, a, um, adj. ad liturandum, seu delendum pertinens. *Auson. praef. Idyll.* 13. Hoc cum inter liturarios meos reperissem, *h. e.* codicillos, in quibus concepta carmina perscribimus, et subinde, qua displicent, delemus. V. ADVERSARIA, DELETICIUS, et PALIMPSESTUS.

LITŪRĀTUS, a, um, part. a *lituro*, deletus. *Inscr.* ap *Grut.* 208. Cum pater Rufini, et postea Rufinus, quamquam non jure facta emptione, semper in possesionem fuerint, nullo jure eum locum vindicare sibi Patulcii possunt, plane cum in re praesenti inspexerim lituratum AG., et erasum. V. LITTERATUS.

LĪTURGUS, i, m. λειτουργός, servus publicus, seu qui ab homologis seu dediticiis colonis publico ministerio praestandus est: a λεῖτος seu λέϊτος, publicus, et ἔργον, opus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 24, 6. Possessores pro antiquitate census functiones publicas, et liturgos, quos homologi coloni praestare noscuntur, pro rata sunt absque dubio cogniturі, *h. e.* agnituri, soluturi. *Capell.* 2, 45. Cum octoginta quatuor liturgos coelo miraretur adstare. Hinc ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Legitur *Scytha liturgus*, titulus nempe Plautinae comoediae deperditae, in qua Scytha quidam carnificis ministerio usus inducebatur. V. LAETUS, i, et LAETICUS.

LĪTŪRO, as, avi, atum, a. 1. περιγράφω, deleo. *Sidon. ep.* 9, 3. *extr.* Tunc enim certius te probasse reliqua gaudebo, si liturasse aliqua cognovero.

LĪTUS, a, um, part. a *lino*, κεχρισμένος, illitus, aspersus, inspersus. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 3. Faciem medicamento litam, coeno corpus oblitum, calicem melle delitum, mucronem veneno, radium visco illitum rectius dixerim. *F.*] *Virg. G.* 4, 99. elucent aliae, et fulgore coruscant Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis. In *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. *col.* 2. *f.* Eosque parietes marginesque omnes, quae lita non erunt calce arenato, lita, politaque, et calce uda dealbata recte facito. *Ov. Pont.* 4, 9, 83. litae serpentis felle sagittae; et *Mart.* 10, 68. Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis; et *Suet. Ner.* 31. In ceteris partibus *(domus Neronis)* cuncta auro lita, distincta gemmis, etc.

LĪTUS, oris, n. αἰγιαλός, ἀκτή, terra adjacens mari, quae fluctibus alluitur. *Cels. Dig.* 50, 16, 96. Litus est, quousque maximus fluctus a mari pervenit: idque M. Tullium ajunt, cum arbiter esset, primum constituisse. *Cic. Top.* 7. Solebat Aquilius quaerentibus, quid esset litus, ita definire, qua fluctus alluderet. *Id. Rosc. Am.* 26. Quid tam commune, quam mare fluctuantibus, litus ejectis? *Catull.* 11, 4. Litus tunditur unda. *Virg. Ecl.* 9, 43. Huc ades: insani feriant, sine, litora fluctus. *Id. A.* 7, 10. Proxima Circaeae raduntur litora terrae. *Hor. Epod.* 16, 40. praetervolare litora; et *ib.* 10, 21. curvum litus. *Val. Fl.* 2, 451. sinuosum legere. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 513. et *Doederl. l.* ad *f. l.*] *Ov. Met.* 2, 814. petere; et *ib.* 14, 101. intrare, *h. e.* portum; et *ib.* 6, 520. exire in litus; et *Trist.* 1, 5, 36. Et date naufragio litora tuta meo. ℙ *Arare litus* est operam perdere. Sterilis est enim arena litorum. *Ov. Trist.* 5, 4, 48. ℙ *In litus arenas fundere* est idem quod *noctuas Athenas*, *ligna in silvam*, et hujusmodi. *Id. ib.* 6, 44. in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundat aquas. ℙ *Cic. Att.* 1, 18. Abest enim frater ἀφελέσατος, et amantissimus: Metellus non homo, sed litus, atque aer, et solitudo mera: tu autem, etc. *Schützius* ita legend. recte conjicit: *et amantissimus mei, et illius nunc domus est litus* etc. [*V. *Orell.* ad h. l.] ℙ Late accipitur pro terra vicina litori. *Virg. A.* 4, 212. cui litus arandum, Cuique loci leges dedimus. *Tac. H.* 3, 63. De numero servorum et electione litorum loqui, *h. e.* secessuum amoenorum in litoribus. ℙ Differt a *ripa*, quae de flumine dicitur. *Ov. Met.* 1, 42. de fluminibus: campoque recepta Liberioris aquae, pro ripis litora pulsant. ℙ Reperitur tamen *litus* pro ripa, ut monet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 389. et *ib.* 8, 43. Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus; et *ib.* 83. viridique in litore conspicitur sus. *Prud. Cath.* 5, 45. rex Niliaci litoris. Sic de ripa lacuum *Ov. Fast.* 6, 765. et *Sil.* 15, 818. Trasimeni litora: et *Catull.* 35, 4. Larium litus. [**Cic. Inv.* 2, 31, 97. Redemtor — hostias constituit omnes in litore, ut qui trans flumen (Eurotam) essent, videre possent. Laud. h. l. *Doederl.* 3, 208. ubi v.] ℙ Et contra *ripa* pro litore. *Hor. Od.* 3, 27, 23. Aequoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas. ℙ *Litus pro *promontorio. Mela* 1, 16. *extr.* et 2, 5. *B. A.* [*Exposuerunt de hac utriusque vocabuli significatione apud poetas saepissime permutata *Heins.* ad *Ov. Her.* 6, 54. et *Duk.* ad *Flor.* 4, 11. p. 779. quos laud. *Ruhnk.* ad *l. Ov. c.* ℙ *Litus* dicitur etiam locus, ad quem appellere naves possunt: *Landungsplatz. Suet. Tib.* 40. Praecipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur: ubi v. *Brem.*] ℙ Variant etymologi in assignanda origine, nec afferre videntur quidquam probabile: a *lido* pro laedo, a *luo*, a *ludo*, *is*, a *lino*, *is*, a *lito*, *as*, a λιτή, preces, a λισσός, glaber: sed a λιτός, tenuis, attritus, videtur potius vox derivanda, quia, ut ait *Is. Or.* 14, 8. fluctu eliditur, vel aqua alluitur. Nec obstat quantitas prioris syllabae, quae in λιτός brevis est, in *litus* longa; nam id etiam in *linum* a λίνον usuvenire observavimus. [**Doederl.* 3, 209. a *legere* derivat.] Ne in scribendi quidem ratione conveniunt, quia *tt* geminare nonnullis placet. Sed plerique alii simplici *t* scribunt ex veterib. libris et lapidibus, cum *Pierio* ad *Virg. A.* 7, 1., *Manutio*, *Cellar.*, *Dausq.* et aliis. [*Praeferenda cum simpl. *t* scribendi ratio. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 446. ℙ Confund. *in litora* et *in litore*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 133.]

LĪTUS, us, m. unctio: a *litum* supino verbi *lino*. *Plin.* 33, 6, 35. Usus ejus ad collyria, et litu ad muliebrium cicatricum foeditates tollendas. *Cels.* 6, 6. *n.* 20. Sed ante litum, hoc ungendum est. Ita *Lindenius*, sed *Targa* ex *Codd.* ubi legitur *lenitum hoc inungendum*, acute legend. conji-

cit: *leni, tum hoc inungendum est*, h. e. ante leni collyrio, tum hoc aeri, etc.

LĪTŪUS, i, m. *λίτυος*, genus tubae minoris, incurvum, gracilem edens sonum, quo in bello utebantur: a *λιτὸς*, tenuis, acutus, nempe ob sonum: litui figuram vide ap. *Mur. Inscr.* 798, 1. *Ov. Fast.* 3, 216. Jam lituus pugnae signa daturus erat. *Hor. Od.* 1, 1, 23. Multos castra juvant, et lituo tubae Permixtus sonitus. *Id. ib.* 2, 1, 18. Jam litui strepunt. *Stat. Th.* 6, 228. Et lituis aures circum pulsantur acutis. *Lucan.* 1, 237. stridor lituum, clangorque tubarum (pro *lituorum:* quod habet et *Val. Fl.* 6, 166.) *Sen. Thyest.* 575. Jam tacet stridor litui strepentis; et *Oedip.* 734. Lituusque adunco stridulos cantus Elisit aere, *h. e.* spiritu per aduncum, seu inflexum cavum emisso. ℙ *Lituum* a *tuba Acron.* ad *Hor. Od.* 1, 1, 23. ita distinguit: Litui acutus est sonus, tubae gravis: inter lituum, et tubam hoc distare inveni; lituus equitum est et incurvus; tuba vero peditum est, et directa. His similia habet *Porphyr. ib.* ℙ Item baculus incurvus, quo augures sedentes avibus templum designabant: ita dictus a similitudine litui. *Liv.* 1, 18. Dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt. *Cic. Div.* 1, 17. Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit, tum cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, idest incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit, cum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer. Hactenus *Cicero.* Sed quis credat, Ciceronem putasse opus, ut, quid lituus esset, exponeret? Omnino interpretatio illa e glossemate in textum irrepsit, ut jam *Lips. variar. lect. l.* 1. *c.* 20. observavit. [*Adde *Lambinum*, *Ernestium*, *Hottingerum*, quos secuti sunt *Schütz.* al. Contra *Orell.* cum iis se facere dicit, qui haec: *id est — invenit*, pro Ciceronis ipsius verbis habeant. Interpolatorem sane hujusmodi explicationem potius inseruisse primo loco post illa: *lituus iste vester.*] Interim tamen vera dicuntur. Nam et *Gell.* 5, 8. et *Porphyr.* ad *Hor. l. c.* in §. 2. lituum auguralem a lituo militari dictum docet, non hunc ab illo, ut quidam putabant. Similis lituo est nunc episcoporum baculus. *Virg. A.* 7, 187. Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat Picus. *Ov. Fast.* 6, 375. lituo pulcher, trabeaque Quirinus. *Serv.* ad *Virg. l. mod. c.* adscribit, posse ibi intelligi etiam regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium; et ad *G.* 3, 183. etiam Mercurii virgam *lituum* appellari. ℙ Translate. *Cic. Att.* 11, 12. Q. Fratrem lituum meae profectionis fuisse, *h. e.* impulsorem. Est qui legit *illicium.*

LĪVĔDO, inis, f. livor. *Appul. Met.* 9. Quales illic homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti! Alii rectius leg. *lividinis* pro *lividineis.* V. LIVIDINEUS.

LĪVENS, entis, part. a *liveo*, lividus, plumbei coloris, pallens. *Virg. A.* 7, 687. pars maxima glandes Liventis plumbi spargit. *Sil* 8, 383. Liventes coeno per squalida turbidus arva Cogit aquas Ufens. *Ov. Met.* 13, 817. Prunaque non solum nigro liventia succo, Verum etiam generosa. *Prop.* 4, 2, 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *Albinov.* 1, 273. Aspiciam regum liventia colla catenis. *Ov. Amor.* 2, 2, 47. compedibus liventia crura. *Stat. Th.* 1, 617. liventes in morte oculi. *Paul. Petrocor.* 4, 192. Liventes fracto nigrescunt gutture fauces. [*Lucan. 2, 37. quarum una madentis Scissa genas, planctu liventis atra lacertos, etc. ubi v *Cort. Sil.* 6, 282. de serpente: exhalavit in auras Liventem nebulam fugientis ab ore veneni; et 2, 707. Deformata feret liventi membra veneno; et 7, 685. liventia equorum tergora; et 9, 577. de elephanto: liventi dorso.] ℙ Translate est invidens. *Mart.* 8, 61. Quid imprecabor, o Severe, liventi?

LĪVĔO, es, n. 2. *πελιδνόομαι*, lividus sum, hoc est plumbei coloris. *Ov. Met.* 2, 776. livent rubigine dentes. *Prop.* 4, 7, 65. Haec sua maternis queritur livere catenis Brachia. ℙ Translate sumitur pro invidere, quia invidi aliena felicitate pallent, et livescunt. *Tac. A.* 13, 42. Livere iis, qui eloquentiam exercent. Al. aliter leg. *Mart.* 6, 86. Et potet calidam, qui mihi livet, aquam. Al. leg. *laudat. Id.* 9, 24. Albanae livere potest pia quercus olivae, Quod, etc. *Id.* 8, 61. Livet Carinus, rumpitur, furit, plorat. *Stat. Th.* 11, 211. Liveat infandum licet Argos, et aspera Juno. *Id. Silv.* 1, 2, 150. rupesque nitent, queis purpura saepe Oebalis, et Tyrii moderator livet aheni. ℙ *Livere* ab *invidere* distinguitur. V. LIVIDUS. ℙ Part. *Livens.* V. in v. praec.

LIVESCO, is, n. *πελιδνόομαι*, lividus fio. *Lucr.* 3, 529. Digiti livescunt in pedibus. ℙ Translate sumitur pro invidere. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 27. nec enim livescere fas est, Vel nocuisse Deos. [*Scrib. Comp.* 181. Livescentibus membris eorum. *F.*]

*LIVĬA, ae, f. nomen proprium mulierum R. ut *Livia Drusilla*, uxor Augusti, fecunda antea, cum Augusto sterilis. *Plin.* 7, 13. De ea V. *Sueton. Aug.* 29. et 63. *Tiber.* 4. et *Claud.* 1. *Ov. Fast.* 5. 157. et al. Prima omnium mulierum a Romanis consecrata est, et inter divas relata. *Ov. Fast.* 1, 536. Sic Augusta novum Livia numen erit. *Ulyssem stolatum* appellabat eam Caligula ap. *Suet. (in vita)* 23. ℙ Fuere et aliae plures, ut Livia uxor Drusi, quae *Livilla* audit *Suetonio;* Livia Orestilla, uxor Caligulae; Livia Medullina; etc. *B. A.*

LĪVĬĀNUS, a, um, adj. ad Livium, vel Liviam familiam Rom. pertinens, ut Livianae fici, ap. *Colum.* 5, 10. Livianum aes, *Plin.* 34, 2, 2., *h. e. lum.* 5, 10. Livianum aes, *Plin.* 34, 2, 2., *h. e.* a Livia Augusti conjuge, metalli domina, appellatum. Liviana charta, *Id.* 13, 12, 23. ab eadem Livia dicta: secundae notae, et bonitatis, cum primae Augusta diceretur, postea tamen principatum obtinuit Claudia, ita dicta a Claudio Aug. *Liv.* 28, 9. Livianus exercitus, *h. e.* a M. Livio Cos. ductus. ℙ In Euganeis montibus, inter Tauriliam, et Titulum, parvus est vicus, qui Livianum dicitur, *Luvigliano*, ubi T. Livii fuisse villam, vulgo ferunt.

*LĪVĬAS, adis, f. (a *Livia*) oppidum Palaestinae, trans Asphaltidem lacum, in honorem Liviae Augusti uxoris sic nuncupatum ab Herode. *Plin.* 13, 4. *B. A.*

[LĪVĬDĒ, adv. subobscure. *Plin.* 37, 7, 25. Qui (*carbunculi*) languidius, ac lividius ex Indicis lucent, lithizontas appellari. *F.*]

LĪVĬDĪNANS, antis, part. ab inusit. *lividinor*, qui invidet, et livore tabescit. *Petr. Sat.* 138. Ipse Paris Dearum lividinantium judex. Alii leg. *libidinantium*, alii *litigantium.*

LĪVĬDĪNĔUS, a, um, adj. lividus, ut Vibices lividinei, ap. *Appul. Met.* 9. Ita leg. *Salmas.* V. LIVEDO.

LĪVĬDO, as, a. 1. *πελιδνόω*, lividum reddo. *Paul. Nol. carm.* 21, 619. Decoctus humor sobriis laboribus Pallore vultum lividet.

LĪVĬDŪLUS, a, um, adj. sublividus. *Juven.* 11, 110. Quibus invideas, si lividulus sis.

LĪVĬDUS, a, um, adj. *πελιδνός*, color idem qui plumbeus, subniger: a voce Graeca allata, per metathesin. *Virg. A.* 6, 320. illae remis vada livida verrunt. *Catull.* 17, 11. lividissima vorago paludis. *Hor. Od.* 2, 5, 10. jam tibi lividos Distinguet autumnus racemos. ℙ Speciatim lividus dicitur, qui fuscum colorem in cute ex ictu contraxit, exilibus venis collisis, sanguineque ad cutem diffuso. *Hor. Od.* 1, 8, 10. neque jam livida gestat armis Brachia. *Ov. Her.* 20, 82. Oraque sint digitis livida facta tuis. ℙ Translate dicitur invidus. *Mart.* 1, 41. Omnibus invideas, livide, nemo tibi. *Cic. Tusc.* 4, 12. Ergo et invidi, et malevoli, et lividi, et timidi, et misericordes, quia proclives ad eas perturbationes, etc. Distinguit hic *Cic.* lividos ab invidis, ut livere ab invidere *Auct. dial. de Or.* ubi ait 25. Nam et Calvum et Asinium, et ipsum Ciceronem credo solidos et invidere, et livere, et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici. Discrimen fortasse est, quod *invidus* intra se potest invidiam continere, *lividus* manifestat aut verbis, aut signo aliquo, quemadmodum livida sunt membra, quae suffuso sanguine ictum ostendunt. [*Doederl. 3, 67. discrimen in eo vidit, quod *invidus*, in universum mentem, voluntatem quacumque de causa alicui minus propitiam nonnisi oculis ostendat; *lividus*, ut longe gravius vocabulum, ita animum ab omni parte affectum ex alicujus rebus secundis dolore habeat, ut etiam corpus totum quasi veneno perfusum pallore foedet.] *Ov. Fast.* 1, 74. differ opus, livida lingua, tuum. *Hor. Sat.* 1, 4, 93. Lividus et mordax videor tibi. Adde *Ep.* 2, 1, 89. Haec tamen differentia non est perpetua. ℙ *Lividae obliviones*, quibus recte facta tacentur ex invidia, ne laude merita fruantur. *Id. Od.* 4, 9, 30. non ego te meis Chartis inornatum silebo, Totve tuos patiar labores Impune, Lolli, carpere lividas Obliviones. ℙ *Livida sententia*, invida et mordax. *Sen. Controv.* 2, 14. *f.* Agrotas longe lividiorem sententiam dixit. Al. rectius leg. *vividiorem.*

[LĪVĬLLĀ, ae, f. dimin. Liviae. Ita est appellata Germanici, et Agrippinae filia, soror Caligulae, et uxor M. Vinicii. Illius *Suet. Cal.* 7. meminit. *F.*]

*LĪVĬOPŌLIS, is, f. Ponti oppidum. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

LĪVĬUS, a, um, adj. ad Livium aliquem pertinens. *Colum.* 10, 413. Livia arbos, *h. e.* Liviana ficus. *Tac. A.* 6, 51. familia. *Cic. Leg.* 2, 6. Liviae leges, *h. e.* a M. Livio Druso trib. pleb. latae per vim: de quibus in *Epit. Livii l.* 71. mentio fit.

LĪVĬUS, ii, m. nomen propr. civis R. Liviorum gens Romae tres habuit celebres familias, Denterum, Salinatorum, Drusorum, ex quibus prodiere clari viri, summisque honoribus usi. ℙ *Titus Livius* Patavii natus circa exsilium Ciceronis, Romae diu vixit sub Augusto, et Tiberio: obiitque demum in patria septuagenario major, anno quarto imperii Tiberii, U. C. DCCLXX. a Christo nato XVII. Scripsit Romanam historiam, ab initio ad sua usque tempora libris CXL. ex quibus vix XXXV. supersunt: periere ceteri magno damno historiae et litterarum, et simul cum his dialogi quidam, aliique libri philosophiam ex professo continentes, ques teste *Sen. ep.* 100. confecerat. Eum *Id. Ira* 1, 16. *med.* disertissimum virum, *Plin. praef. H. N.* auctorem celeberrimum, *Tac. A.* 4, 34. eloquentiae ac fidei praeclarum in primis, et *A.* 14. veterum auctorum eloquentissimum, appellant. *Quint.* autem 10, 1. ejus lacteam ubertatem laudat, et Herodoto aequat: et cum in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari possit, eloquentem praedicat. Mirum vero, quod narrat *Plin. ep.* 2, 3. fuisse, qui usque a Gadibus illius visendi causa Romam veniret, visoque abiret statim: quasi in Urbe domina terrarum et populorum majus esset miraculum vir unus, quam opes reliquae, et potentia: qua de re verba facit etiam *Hieron. ep.* 53. *n.* 1. ℙ De Livio Andronico. V. ANDRONICUS.

LĪVOR, oris, m. *πελίωμα*, color ex pallido nigrescens, quem et plumbeum nonnulli appellant, qualem in contusis corporis partibus videre est, cum exiles venae contusae sanguinem ad extremam cutem diffundunt. *Plin.* 20, 22, 87. Illinitur et livoribus, sugillatisque cum melle. *Colum.* 12, 47. Quia haec candidior est oliva, quam ea, quae contusione livorem contrahit. *Ov. Amor.* 3, 5, 26. Sed niger in vaccae pectore livor erat; et *Juven.* 2, 81. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. [*Tibull. 1, 6, 13. Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret, Quem facit impresso mutua dente, Venus.] ℙ Translate est invidia, odium, quod saepe in obtrectationem erumpit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Tu a certo sensu et vero judicas de nobis: quod isti ne faciant, summa malevolentia et livore impediuntur. *Suet. Cal.* 34. Nec minore livore ac malignitate, quam superbia saevitiaque paene adversus omnis aevi homines grassatus est. [*Differunt *livor* et *malignitas:* illud certum hominem, certam rem, certum tempus spectat; hoc ad eum pertinet, qui naturali quadam animi pravitate, omnibus omnino et hominibus et rebus semper invidet. Cf. *Doederl.* 3, 69.] *Phaedr. epil.* 2. Si livor obtrectare curam voluerit, Non tamen eripiet laudis conscientiam. *Ov. Amor.* 1, 15, 39. Pascitur in vivis livor: post fata quiescit. *Id. Pont.* 3, 4, 73. Scripta placent a morte fere, quia laedere vivos Livor, et injusto carpere dente solet. *Id. ib.* 4, 16, 47. Ergo submotum patria proscindere, livor, Desine. *Id. R. Am.* 389. Rumpere, livor edax: jam magnum nomen habemus. [*Prop. 1, 8, 29. Falsa licet cupidus deponat gaudia livor.] *Tac. H.* 1, 1. Ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. *Nemes. Ecl.* 1, 84. praesens tibi fama benignum Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.

LIUS. V. LEUS ab in.

LIX, līcis, m. *Varr.* ap. *Plin.* 36, 27, 69. Lix est cinis foci. *Non.* 1, 309. Lix est cinis, vel humor cineri admixtus. Haec posterior interpretatio plenior videtur et verior, nam apud *Plin. l. c.* de cinere potando est sermo. Ceterum veteribus Latinis *lix* fluidum significasse videtur, unde et *licidus*, et *licor*, et *licet*, quae litteris mutatis *liquidus*, *liquor*, et *liquet* facta sunt: unde etiam *lixivia*, *lixivius*, vel *lixivus*, et *lixa.* [*Plura addidit *F.*]

LIXĂ, ae, m. *ἀγοραῖος*, qui quaestus gratia exercitum sequitur, et cibos, ac praecipue carnes, coquit ac vendit. V. CALO, onis. Tres affert *Festus* notationes, omnes ineptas: vel quod extra ordinem sit militiae, eique liceat, quod libuerit: vel a Licha, qui Herculem secutus fuit: vel a liguriendo quaestum. *Non.* 1, 309. rectius ducit a *lixa*, qua voce veteres aquam appellaverint: lixarum autem proprium officium fuisse militibus aquam subvehere. *Liv.* 39, 1. Inops regio, quae parsimonia adstringeret milites, praedae haud multum praeberet: itaque non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat. *Val. Max.* 2, 7, *n.* 2. Lixas e castris submovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit. *Hirt. B. Afr.* 75. Lixarum, mercatorumque, qui plostris merces portabant, interceptis sarcinis. *Justin.* 38, 10. Luxuriae non minor apparatus, quam militiae fuit: nam LXXX. millia armentorum secuta sunt CCC. millia lixarum; ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumque major numerus fuit. Vides hic *lixarum* nomine pistores quoque, scenicosque comprehendi. *Sil.* 5, 31. et inutile Marti Lixarum vulgus. ℙ [*Adde *Suet. Aug.* 19. et *Galb.* 20. et *B. Crus.* qui in *cl. Suet.* s. h. v. comparat Gr. *ἀχενοφόρος.* De *lixis* disp. *Cort.* in III. *Dissert. de usu Orthogr.* 3, 11, 10. ℙ Ponitur etiam pro homine cujuscumque sortis vilioris. *Liv.* 21, 63. Lixae modo, sine insignibus, sine lictoribus profectum esse, etc.] ℙ Item minister, et servus magistratus, lictor. *Appul. Met.* 1. Nam lixas, et virgas, et habitum prorsus magistratui congruentem in te video.

LIXĂBUNDUS, a, um, adj. lixarum more. *Festus.* [Lixabandus, iter libere ac prolixe faciens. *Isid. Gloss.* Lixabundus ambulat, qui voluptatis

causa ambulat. Fortasse utrobique legend. *luxabundus*, quasi luxu ambulans. *F.*]

[LIXIO, onis, m. idem ac lixa. *Isid. Gloss.* Lixiones, aquarum portitores. *F.*]

LIXIVIA, ae, f. *ὑδρία*, aqua, in qua eluendi causa cinis incocta est. V. LIX. Est autem vox adjectiva: et ubi substantivum reticetur, *aqua*, aut *cinis* subintelligitur. V. v. sq. *Colum.* 12, 22. Infundito cineris lixiviae congios duos; cum requieverit, eliquato lixiviam; et *ib.* 16. Praeparatam lixiviam cineris sarmenti calefieri convenit; et *ib.* 50. *med.* Dolia, et seriae, in quibus oleum reponitur, non calidissima lixivia, ne vasa ceram remittant, eluantur.

LIXIVIUS, a, um, adj. dicitur de cinere in aqua cocto. *Plin.* 14, 20, 25. Vina concinnari cineris lixivii cum defruto cocti parte quadragesima in culeum; et 15, 17, 18. *n.* 4. Uvas in cinere lixivio tingere. *Id.* 28, 18, 75. Cinere lixivio abluere. ℙ Absolute. *Pall.* 12, 7. *med.* Ossa prunorum prius lixivio sunt maceranda per biduum, ut cito germinare cogantur. ℙ De musto lixivio V. in v. sq.

LIXIVUS, a, um, adj. pro *lixivius* aliquando legitur. *Pall.* 2, 15. *med.* Nucem lixivo per annum continuum ter rigabis in mense, *h. e.* lixivia. ℙ *Colum.* 12, 50. *med.* Longe melioris saporis est oleum, quod minore vi preli, quasi lixivum defluxerit, (Al. leg. *lixivium,*) *h. e.* more lixiviae aquae ex pannis sponte defluentis. Sic *Cato R. R.* 23. Defrutum de musto lixivo coctum, *h. e.* quod ante pressuram uvarum sponte defluxit, ut *Colum.* 12, 27. interpretatur: vel quod distillaverit, antequam nimium calcetur uva, ut *Id. ib.* 41. exponit. Primum musti genus *protropum* dicitur a *Plin.* 14, 9, 11. ab Italis quibusdam *presmone.*

[LIXO, as, a. 1. idem ac elixo. *Gloss. Philox.* Lixo, as, *ἑψέω. F.*]

LIXULAE, arum, f. plur. dicebantur vocabulo Sabino circuli ex farina, caseo, et aqua incondite facti: iidemque semilixulae. *Varr. L. L.* 4, 22.

*LIXUS vel Lixos, i. *Λίξος*, flumen Africae, in Mauritania Tingitana. *Plin.* 5, 1. *Mela* 3, 10. *extr. Sil.* 3, 258. et 5, 400. ℙ Fuit et Lixus colonia a Claudio Caesare facta in Mauritania. *Plin. ib. Sil.* 5, 400. ℙ Dicta est et *Linx. Mela* 3, 10. *extr. B. A.*

LO

LOBA, ae, f. culmus milii Indici ap. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3., ubi tamen rectius *phoba* scripseris; nam eandem *Theophr. H. plant.* 8, 3. *φόβην* vocat. ℙ *Hanc vocem usurpat etiam *Appul. de Herb.* 74. de strychno: Semine in cannis, quas Graeci lobas adpellant, croceo. *B. A.*

LOCALIS, e, adj. *τοπικὸς*, ad locum pertinens. *Tert. adv. Marc.* 4, 34. *med.* Esse aliquam localem determinationem, quae sinus dicta sit Abrahae. *Id. ad Scapul.* 3. locale universali opponit. *Id. Apol.* 20. Locales clades, *h. e.* locorum. Sic *Ammian.* 14, 7. Principum diffusa potestas localibus subinde medetur aerumnis. ℙ *Localia adverbia* ap. grammaticos sunt, quae locum adsignificant. *Charis.* 2, 182.

[LOCALITAS, atis, f. necessaria corporis affectio ap. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 3, 3. et 4. *F.*]

LOCALITER, adv. ratione loci. *Tert. Pall.* 2. Mutat et nunc localiter habitus. *Ammian.* 19, 12. Besae Dei localiter appellati oraculum, *h. e.* ab incolis loci. *Cassiod. Variar.* 1, 35. Cum siccitas praesentis anni, quae localiter certis solet desaevire temporibus, etc. V. JOCALITER.

LOCARIUM, ii, n. *ἐνοίκιον*, pretium, quod datur in stabulo et taberna, ubi consistant. *Varr. L. L.* 4, 2.

LOCARIUS, ii, m. qui loca prius occupabat in spectaculis, ut eadem aliis sero venientibus certo pretio cederet. *Mart.* 5, 24. Hermes divitiae locariorum, *h. e.* qui cum esset gladiator magni nominis, ideoque ingens hominum multitudo in amphitheatrum conveniret, grande lucrum sedes ibidem locantibus procurabat.

LOCATARIUS et Locatorius, a, um, adj. qui mercede locatur, idem ac locaticius. *Gloss. Philox.* Locatarius, *ὁ μισθούμενος.* Locatorius, *μισθωσιμαῖος.*

LOCATICIUS, a, um, adj. *μισθώσιμος*, qui locatur. *Sidon. ep.* 6, 8. Mercenariis prosecutionibus, et locaticia fatigatione. [*Salvian. ep.* 1. Mercenario opere victum quaeritans uxoribus barbarorum locaticias manus subdit. *F.*]

LOCATIM, adv. per loca. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 3. *extr.* Locatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit. Alii rectius leg. *vicatim.*

LOCATIO, onis, f. *ἐκμίσθωσις*, actus locandi, *h. e.* rem alteri vel committendi faciendam, vel utendam concedendi, pretio pacto: cui *conductio*, et *redemptio* respondent. *Cic. Att.* 4, 3. Disturbata porticus Catuli, quae ex S. C. consulum locatione reficiebatur. In *vet. edict. praetor.* ap. *Gell.* 11, 17. Ex lege locationis. *Colum.* 1, 7. Mea fert opinio, rem malam esse frequentem locationem fundi. ℙ *Locatio aedium* Romae fiebat Cal. Juliis. V. JULIUS. Fundorum vero Kal. Martiis. V. *Brisson. de formul. pop. R. l.* 6. *c.* 70. Attamen Pompejis iidem factitatum fuisse Idibus Augustis, probat *Rosin. Dissert. isagog.* p. 64. Ubique autem in quinquennium locationes tum aedium, tum fundorum factas fuisse, arguit idem *Brisson. l. c.* Item vectigalium, et ultrotributorum. V. LUSTRUM. ℙ [**Locationes praediorum rusticorum* ap. *Liv.* 45, 18. *Crevierius* putat intelligendas eas esse de praediis, quae proprium fuissent regum Macedonicorum patrimonium, eaque, olim locata a regibus, Romanos vel vendidisse postea, vel donasse.] ℙ Item collocatio, dispositio. *Quint.* 7, 1. Partitio est rerum singularum in partes discretus ordo, et recta quaedam locatio, prioribus sequentia adnectens. *Id.* 9, 4. Amphiboliam fieri vitiosa locatione verborum.

LOCATOR, oris, m. *ἐργοδότης*, qui pretio rem aliquam utendam, aut faciendam dat alteri: cui *conductor*, et *redemptor* respondent. *Plin.* 7, 52, 53. Locator funeris. *Labeo Dig.* 19, 2, 60. domus. *African. ib.* 35. insulae, et fundi. *Flor. ib.* 36. operis. *Firm. Math.* 4, 6. Locatores meretricum. [*Inscr.* ap. *Pratill. Via App.* p. 279. Locator thermarum. ℙ *Locator scaenicorum*, vel *a scaena* dicebatur, qui ludorum theatralium editoribus corpus histrionum, gregem appellatum cum omni supellectile, mercede pacta, pro ludis faciendis locabat. *Inscr.* ap. *Gor. Symbol. litter. Flor.* T. 2. p. 161. P. Caesennius Gratus loc. scaenicorum. Alia ap. *eund. ib.* p. 167. A Mammius A. F. Severinus locator scaenicorum. V. *ib.* plura huc spectantia. *F.*]

LOCATUS, a, um, part. a *loco:* positus. *Cic. Brut.* 57. Membra suo quaeque loco locata. *Enn.* ap. *eund. Off.* 2, 18. Benefacta male locata malefacta arbitror. *Cic. Coel.* 28. Fortes viri in insidiis, atque in praesidio balnearum locati. *Curt.* 3, 9. *med.* Equites ab utroque cornu locati. *Hirt. B. Afr.* 36. Castellum in montis loco munito locatum vi expugnare. *Sall. Jug.* 14. Castra locata. *Ov. Met.* 14, 89. sterilique locatae Colle Pithecusae. *Id. Fast.* 3, 615. Dii nuper hac sede locati. *Id. Pont.* 4, 9, 129. inter convexa locatus Sidera. ℙ Translate. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Civitatem in Catonis et Bruti fide locatam, meisque beneficiis ornatam funditus perdidissem, [**h. e.* Catonis patrocinio nixam, quod esset in ejus clientela.] et *Amic.* 12. Eo loco, Fanni, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicae. [**Or.* 1, 31. — deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis ac temporibus locata.] ℙ Est etiam pretio faciendus, vel utendus datus. *Plin.* 7, 52, 53. Locatum funus. *Paul. Dig.* 14, 2, 2. Ex locato agere cum aliquo, *h. e.* ex contractu locationis. Adde *ib.* 19, 2. qui *Locati et conducti* inscribitur. *Juven.* 9, 143. duo fortes De grege Moesorum, qui me cervice locata Securum jubeant clamoso insistere circo.

LOCELLUS, i, m. *βαλαντίδιον*, parvus loculus, capsula. *Caes.* ad *Pison.* ap. *Charis.* 1, 60. Locellum tibi signatum remisi. *Mart.* 14, 13. cujus lemma est *Loculi lignei.* Si quid adhuc superest in nostri faece locelli, Munus erit: nihil est, ipse locellus erit. *Id.* 10, 88. Omnes persequeris praetorum, Cotta, locellos. *Petr. Sat.* 140. Unde plani viverent, nisi aut locellos, aut sonantes aere sacellos pro hamis in turbam mitterent? *Val. Max.* 7, 8. *n.* 9. Annulos in locellum repositos heredibus reddidit.

[LOCHIA, ae, f. *λοχεία*, obstetrix: ita est appellata Diana, quia a parturientibus invocata, eisdem opem fert, ideoque et opifera, et Ilithyia etiam dicta fuit. V. *Callimach. Hymn. in Dian. v.* 19. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 1011, 3. Dianae Lochiae Gineceja P. F. Rufa Pomponia. *F.*]

[LOCHUS, i, m. *λόχος*, manipulus, cohors, item insidiae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1007, 8. Ossa C. Julii Augusti L. Lochi Quinctiliani. *F.*]

LOCITO, as, a. 1. frequent. verbi *loco, as*, qua significat utendum, aut faciendum dare. *Ter. Ad.* 5, 8, 26. Agelli est hic sub urbe paulum, quod locitas foras.

LOCO, as, avi, atum, a. 1. *καθίστημι*, in loco pono, constituo, colloco. *Cic. Fam.* 15, 2. Castra ad Cybistra locavi. *Quint.* 2, 13. Locare equites pro cornibus. *Caes. B. C.* 3, 46. Crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, et adversas locari jubet. *Sall. Jug.* 105. Milites super vallum in munimentis locare. *Just.* 2, 8. Juventutem in insidiis locat. *Pl. Rud.* 2, 5, 17. et *Curc.* 1, 1, 25. Locare insidias alicui. *Cato R. R.* 14. Villam aedificandam si locabis novam ab solo. *Virg. A.* 1, 701. aulaeis jam se regina superbis Aurea composuit sponda, mediamque locavit; et *ib.* 2, 525. recepit Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit; et *ib.* 8, 176. gramineoque viros locat ipse sedili; et *ib.* 4, 508. Effigiemque toro locat; et *ib.* 266. Locare fundamenta urbis; et *ib.* 1, 251. urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum. *Tac. G.* 16. Vicos locant non in nostrum morem, connexis aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat. *Sall. Jug.* 95. Ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire jubet. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 1, 10. Inter recte factum, atque peccatum media locabat quaedam. *Id. Mur.* 14. Artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis. *Lucr.* 5, 11. Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris In tam tranquillo, et tam clara luce locavit. *Cic. Fam.* 2, 6. Omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis magistratu fixi, et locavi, [*i. e. cum Miloni obtinendum summa attentione complexus sum.] *Pl. Amph.* 1, 1, 122. Operam pulcre locare. *Liv.* 7, 20. beneficium apud gratos. *Cic. Amic.* 27. Vos hortor, ut ita virtutem locetis, ut, ea excepta, nihil amicitia praestabilius putetis, *h. e.* eo loco habeatis, ea existimatione et pretio dignam putetis, ut, etc. *Graev.* suspicatur legendum *colatis.* [*Probb. *Lall.* et *Ernest.* et *Schütz.* al. Sed nihil mutandum. Quod enim contra vulg. docent, *locare*, i. e. eo loco ponere, hunc locum illi tribuere, de virtute dici non esse solitum, id perquam refutat apposite *Gernhard.* cit. *Cic. Ac.* 1, 10. ℙ Locari est etiam in aliqua re consistere. *Cic. Off.* 3, 17, 71. Prudentia est enim locata in delectu bonorum et malorum.] ℙ *Locare puellam* est nuptui dare. *Pl. Aul.* 2, 2, 14. Virginem habeo grandem, Neque eam queo locare cuiquam. *Id. Trin.* 3, 3, 52. Locare in matrimonium. *Id. Cist.* 2, 3, 18. aliquam in luculentam familiam. *Ter. Ph.* 5, 1, 25. nuptum virginem adolescenti. *Cic. Phil.* 2, 18. in matrimonio stabili et certo, [*i. e. suae tantum libidini exclusis aliis obsequi coegit. De adolescente loquitur, qui pudicitiam alteri prostituit.] *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 24. Cur me huic locabas nuptiis? ℙ Est etiam mercede pacta quippiam alicui utendum concedere, *ἐκμισθόω, ἀπομισθόω:* cui respondet *conducere. Cic. Inv.* 1, 30. Si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe est conducere. *Id. Agr.* 1, 3. Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi R., non licet. *Liv.* 27, 3. Agrum omnem locavit frumento, [*i. e. pro vectigali frumentario.] *Plin. ep.* 9, 37. Praedia locare non nummo, sed partibus. *Suet. Ner.* 37. tabernas civitatibus ad stationem. ℙ Item aliquid faciendum committere, pretio proposito: [**veraccordiren.*] cui respondet *suscipere, redimere. Cic. Phil.* 9, 7. Ut quaestores eam basim, statuamque faciendam, et in rostris statuendam locent: quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori solvendam curent. *Id. Verr.* 2, 1, 59. Qui majore pecunia quatuor columnas dealbandas, quam ille omnes aedificandas locaverit; et *ib.* 2, 5, 45. *extr.* Palam vivorum funera locabantur. *Pl. Aul.* 3, 6, 30. tu idem optimum est Loces efferendum: nam jam credo, mortuus est, *h. e.* pecuniam des alicui, qui curam funeris suscipiat. *Cic. Rosc. Am.* 20. Anseribus cibaria publice locantur: *scil.* praebenda. Sic *Liv.* 27, 10. *extr.* Vestimenta praesenti pecunia locare exercitui, *h. e.* facienda pro exercitu. *Pers.* 6, 47. ingentesque locat Caesonia Rhenos, *h. e.* Rhenanos, vel Rheni accolas. *Suet. Claud.* 9. Quod fratrum Caesaris statuas segnius locandas ponendasque curasset. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *f.* Monumentum ei marmoreum faciendum locarunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 67. Centuripinorum senatus decrevit, populusque jussit, ut eas (statuas Verris) quaestores demoliendas locarent. [**Liv.* 5, 23. Junoni templum locavit, i. e. exstruendum curavit; adde 40, 34. is erat, qui ipse eam aedem voverat, locaveratque idem ex senatusconsulto.] ℙ *Locare se*, aut *operam suam* est pretio accepto alteri addicere. *Pl. Rud.* 2, 6, 51. Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem? *Id. Trin.* 4, 2, 1. ego operam meam Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias. *Gell.* 3, 3. *f.* Plautus ob quaerendum victum ad circumagendas molas operam pistori locavit. *Juven.* 8, 185. Consumptis opibus, voeem, Damasippe, locasti, *h. e.* ut praecones ageres. ℙ [**Locare se* dicitur res, e qua certae cujusdam pecuniae est proventus *(sich verzinsen). Cic. Rosc. Com.* 10. Disciplina (scil. histrionis comoedi) opus erat, (Panurgo) ab hoc (Roscio) tradita, locabat se non minus CCCIↃↃↃ.] ℙ Eleganter causidici, et rabulae dicuntur a *Sen. Herc. Fur.* 173. jurgia vendere, iras et verba locare. ℙ *Locare noctes* meretricum est, pretio amatoribus se addicentium. *Ov. Amor.* 1, 10, 30. Sola viro mulier spoliis exsultat ademptis: Sola locat noctes, sola locanda venit. ℙ *Locare nomen* est fidejussoris fidem suam interponentis, et se pro alio obligantis, ita ut patiatur nomen suum poni pro nomine debitoris. *Phaedr.* 1, 16. Fraudator nomen cum locat sponsu improbo, etc. Alii rectius leg. *Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum.* ℙ *Locare pecuniam* est ponere, impendere. *Pl. Most.* 1, 3, 141. Triginta minas pro capite tuo dedi: Nec quidquam argenti locavi jamdiu usquam aeque bene. ℙ Item fenori dare. *Id. ib.* 3, 1, 4. Locare argenti nemini nummum queo. ℙ [Part.

Locaturus ap. *Liv.* 23, 48. Quaeque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus. *F.*] ℙ *Locassim, is, it*, pro *locaverim* antique habetur ap. *Cic. Leg.* 3, 4. et *Pl. Aul.* 2, 2, 51. ℙ *De vi et potestate verborum *locandi* et *conducendi* V. *Rostium* singulari libello, *De Locat. et Conduct. ad Plautum. Lips.* 1810. *B. A.*

LOCRENSIS, e, adj. ad Locros in Italia pertinens. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Philarchus, quem a praedonibus Locrenses redemerunt. *Plin.* 11, 27, 32. Locrensis ager.

LOCRI, orum, m. plur. *Λοκροὶ*, populi Boeotiae, Epicnemidii cognominati, per quos amnis Cephissus alluens in mare fluit; Leleges olim dicti. Horum oppida Opus et Cynos. *Plin.* 4, 7, 12. ℙ Alii sunt proximi Aetolis, qui cognominantur Ozolae; quorum oppidum Oeanthe. *Id. ib.* 3, 4. ℙ Alii in Italia, in extrema provincia Bruttiorum cognominati a promontorio Zephyrio, nunc *capo Bruzzano;* quorum urbs item *Locri* dicitur, nunc *Geraci*, condita a Locris Boeotiae, qui Ajacem Oileum secuti ad Trojam, post eversionem ejus in Italiam pars pervenere, iisque locis posuere sedem: pars in Africam tempestate delati, Pentapolim Cyrenaicae regionis, vel loca Syrtibus proxima, vel Nasamonum regionem, vel insulam Africae, quae nunc Cercina dicitur (tam enim sunt variae sententiae) tenuere. Qui in Italiam venere, hos *Narycios* cognominant *Virg.*, quia Narycium oppidum fuit Locrorum Epicnemidiorum, Haec ex *Plin.* 3, 5, 10. et *Virg.* et *Serv.* ad *A.* 3, 399. et *ib.* 11, 265. et *Sol.* 2. ℙ De urbe ipsa *Liv.* 29, 7. Haud procul is amnis ab urbe Locris abest. **Liv.* 28, 6, 7, 9, 17, 18, 19, 20. *Plin.* 2, 96. et 7, 47. *Mela* 2, 4. *med. B. A.* ℙ De populis *Cic. N. D.* 2, 2. Cum Crotoniatas Locri maximo proelio devicissent.

LOCRIS, idis, f. *Λοκρίς*, regio Lacrorum in Graecia. *Liv.* 26, 26. *Avien. Perieg.* 587. Et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri.

LOCULAMENTUM, i, n. *σηκὸς, γλωσσοκομεῖον*, loculus; cellula, capsula, seu potius loculorum plurium distinctorum series, qualia in favis ad receptaculum apum, et in columbariis, ubi columbae nidificant, etc. *Colum.* 8, 8. Paxillis adactis tabulae superponantur, quae vel loculamenta, quibus nidificent aves, vel fictilia columbaria recipiant. *Veg. Vet.* 2, 32. Loculamenta dentium. *Sen. Tranq.* 9. *f.* Apud desidiosissimos videbis quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta. *Colum.* 8, 9. Custos novum loculamentum in hoc praeparatum perliniat intrinsecus. *Vitr.* 10, 14. loculamentum appellat thecam, cavum, in quo aliquid recipitur et includitur.

LOCULARIS, e, adj. qui in loculis servatur, ut Locularis resina ap. *Pall.* 3, 25. *med.*, ubi eam pici liquidae mixtam, in arborum morbis, jubet adlini truncis. Haec eadem ap. *Veg. Vet.* 2, 23. dicitur *resina aeronalis* (in quibusdam tamen *Codd.* et *edd.* perperam *acronalis*) quia nempe in aeronibus, et ap. *eund. ib.* 3, 54. et *ib.* 4, 14. *resina cavealis*, quia in caveis servabatur. Huc fortasse spectat locus *Plin.* 16, 11, 22., ubi memoratur resina ferventibus cocta lapidibus, in alveis validi roboris. Ceterum voces *aeronalis*, et *cavealis* utpote quae a Latinis scriptoribus, licet sequioris aevi, usurpatae fuerint, suo erunt loco inserendae in nova editione Lexici Latini. [*Plurima addidit *F.*]

LOCULATUS, a, um, adj. loculos habens, seu loculamenta crebra, et distincta. *Varr. R. R.* 3, 17. Ut pictores loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sint cerae; sic hi loculatas habent piscinas, ubi dispares disclusos habeant pisces.

LOCULOSUS, a, um, adj. loculis, seu cellulis, alia ab alia distinctis, abundans. *Plin.* 15, 22, 24. de nucib.: Differentia generum in putamine duro fragilive, et tenui ac crasso, loculoso et simplici.

LOCULUS, i, m. *στενοχωρία*, parvus locus. *Pl. Mil.* 3, 2, 38. in cella est paulum nimis loculi lubrici: Ibi erat bilibris aqualis, etc. ℙ Speciatim est locus in sepulcro, ubi cadavera conduntur. *Plin.* 7, 16, 16. M'. Maximum, et M. Tullium equites R. binum cubitorum fuisse, auctor est M. Varro: et ipsi vidimus in loculis asservatos; et *ib.* 2, 2. Pollicem cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo. Adde *Just.* 39, 1. ℙ De feretro, seu sandapila, qua effertur ad sepulturam cadaver, usurpat *Fulg. Planc. initio exposit. serm. antiqui.* ℙ Item loculamentum in piscinis, aviariis, aliorumque animalium stabulis, in quibus unaquaeque seorsum degunt, et aluntur. *Varr. R. R.* 3, 17. Cum piscinas haberet magna pecunia aedificatas, ac loculos. Alii rectius leg. *ad Baulos.* ℙ Item capsula, cista. *Pall.* 4, 10. *f.* Pulpae ficorum duplicatae in cistellis serventur, aut loculis. ℙ Item locus in praesepi, ubi jumenta separatim cibum capiunt. *Veg. Vet.* 1, 56. Loculi vel marmore, vel ligno facti distinguendi sunt, ut singula jumenta hordeum suum ex integro, nullo praeripiente, consumant. ℙ Item capsula continendae pecuniae, et hujusmodi pretiosis rebus, quae diligenter custodiri solent; adhibeturque semper in plurali num., fortasse quia hujusmodi capsulae pluribus constabant loculamentis ad varia pecuniarum genera distinguenda. *Hor. Ep.* 2, 1, 175. Gestit enim nummum in loculos demittere. *Juven.* 1, 89. neque enim loculis comitantibus itur Ad casum tabulae, posita sed luditur arca; et 13, 138. gemmaque princeps Sardonyches, loculis quae custoditur eburnis. *Ov. Fast.* 6, 749. Gramina continuo loculis depromit eburnis. *Mart.* 5, 39. Excussi loculosque, sacculumque. Adde 14, 13. cujus lemma est *Loculi lignei. Plin.* 14, 13, 14. Quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset. *Auson. Grat. act.* 5. Consul ego munere tuo, non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos, *h. e.* largitionem pecuniae. In illo *Hor. Sat.* 1, 6, 74. Laevo suspensi loculos, tabulamque lacerto: *loculi* sunt capsulae calculorum plenae, vel arculae loculatae, quibus ad supputandum utebantur. ℙ Joculariter, et convicii gratia *stimulorum loculi* dicitur de malo servo, ita stimulis perfosso, ut hi in ejus corpore, sicut pecunia in loculis, servari videantur. *Pl. Cas.* 2, 8, 11. At candidatus cedit hic mastigia Stimulorum loculi.

LOCUPLES, etis, adj. *πλούσιος*, multa possidens, dives. Proprie est is, qui multas habet agrorum possessiones: quasi a *locus*, et *pleo* pro *impleo.* Quo sensu locuples esse potest aliquis, nec tamen dives: ut si magno in aere alieno sit, majores tamen fundos habeat. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 5. Locuples dictus ex compositis vocibus, qui pleraque loca, hoc est qui multas possessiones, teneret. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 9. et ap. *Non.* 1, 204. Quod tum res erat in pecore, et in locorum possessionibus: ex quo pecuniosi, et locupletes vocabantur. *F.*] *Ov. Fast.* 5, 279. Cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant: Aut pecus, aut latam dives habebat humum. Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est. *Plin.* 18, 3, 3. Locupletes dicebant, loci, hoc est agri, plenos. *Id.* 33, 10, 47. Crassus negabat, locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. *Cic. Cat.* 2, 8. Unum genus est eorum, qui magno in aere alieno, majores etiam possessiones habent: quarum amore adducti, dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima: sunt enim locupletes: voluntas vero et causa impudentissima. Adde *Quint.* 5, 10. *med.* ℙ Universim autem pro divite, copioso, opulento adhibetur, tum de personis, tum de rebus ipsis. *Cic. Rosc. Com.* 8. Egebat? immo locuples erat: debebat? immo in suis nummis versabatur. *Id. Div. Verr.* 17. Mulier copiosa plane et locuples. *Id. Or.* 1, 35. Locuples, et referta domus. *Hirt. B. Alex.* 2. Locupletiores domini. *Caes. B. C.* 3, 31. *extr.* Locupletissimae urbes. *Nep. Ag.* 3. Ea regio multo putabatur locupletissima; et *Thras.* 4. Parva munera diutina; locupletia, non propria esse consueverunt. *Pers.* 3, 73. multa fidelia putet In locuplete penu. *Hor. Ep.* 1, 6, 39. Mancipiis locuples, eget aeris Cappadocum rex. *Sall. Jug.* 86. Sese quisque praeda locupletem fore sperabat. *Hor. Ep.* 2, 1, 137. annus locuples frugibus. *Pl. Rud.* 2, 1, 4. Nos de ornatu propemodum ut locupletes sumus, scitis. *Appul. Met.* 8. *in.* Juvenis praenobilis, equo clarus, pecuniae simul satis locuples. *Juven.* 14, 197. Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus Aferat, *h. e.* gradum in militia, qui te locupletem reddat: qualis fuit centurionis qui aquilam servabat. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 40. Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum est, quam Deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum, *h. e.* magis instructa, atque adeo magis idonea. *Id. Fin.* 5, 5. Lysias oratione locuples, rebus ipsis jejunior; et *ib.* 1, 3. *extr.* Latina lingua locupletior, quam Graeca. ℙ *Locuples auctor*, aut *testis* est plenus fidei, et dignissimus, cui credatur, *ἀξιόπιστος*: quemadmodum locupleti homini fides habetur in rebus creditis. *Cic. Div.* 2, 58. Pythagoras et Plato locupletissimi auctores, jubent, etc. *Id. Off.* 3, 2. *f.* Accedit eodem testis locuples Posidonius, qui, etc. ℙ *Locuples reus*, qui cum se obligarit, habet unde solvat, et idoneus est implendo promisso. *Liv.* 9, 9. *f.* Samnitibus sponsores nos sumus, rei satis locupletes in id, quod nostrum est. ℙ *Locuples tabellarius*, cui tuto committi litterae possunt de rebus magni momenti. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. *med.* Habeo absolutum suave *ἔπος* ad Caesarem: sed quaero locupletem tabellarium, ne accidat, quod Erigonae tuae. ℙ Duplicem habet in sexto singulari positionem, in *e* et *i*. *Cic. Verr.* 2, 3, 19. In provincia tam locupleti ac referta. Ita legebat *Prisc.* 7, 765. Alii *locuplete.* ℙ Hinc in genitivo plur. et *um*, et *ium*, sed hoc videtur esse frequentius. *Cic. Att.* 1, 19. *med.* Exercitus hominum locupletium; et *ib.* 7, 7. *f.* In pecuniis locupletum. *Caes. B. C.* 3, 110. Bona locupletum diripere. *Cic. Par.* 6, 2. Proscriptiones locupletium. *Tac. A.* 6, 16. Ex libidine locupletium. In *tabula aerea Lugdun.* ap. *Grut.* 502. Bonorum scilicet virorum, et locupletium. In non uno ex allatis locis al. leg. *locupletum.*

LOCUPLETATOR, oris, m. ditator. Nummus Hadriani, in quo ipse togatus sedet in suggestu, cui adstat Liberalitas, quae ex cornucopia opes in sinum duorum civium infra stantium effundit, cum hac inscriptione ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 505. Locupletatori orbis terrarum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 447. *n.* 57. Imp. Caesari Divi Nervae F. Nervae Trajano Aug. propagatori orbis terrarum, locupletatori civium etc. Alia in *Novell. letter. di Firenze* T. 4. p. 6. Hadriano Augusto Cos. III. P. P., Sabinae Augustae, locupletatoribus municipii ex D. D. publice. *Eutr.* 10, 15. Julianus Aug. familiarium etiam locupletator. [*Plurima addidit *F.*]

LOCUPLETATUS, a, um, part. a *locupleto:* ditatus. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. Hac tanta praeda auctus, mancipiis, argento, veste locupletatus. *Nep. Ag.* 3. Magna praeda milites locupletati.

LOCUPLETE, adv. dite. *Spart. Hadr.* 3. Ob hoc se a Trajano locupletissime muneratum. *Aurel. Vict. Epit.* 9. Filia locupletissime dotata. ℙ [Translate. *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Vidi pullulos tuos tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius: tamen vidi te non ex advorsum, sed locupletius, sive me ad dexteram, sive ad laevam convertissem. *F.*]

LOCUPLETO, as, avi, atum, a. 1. *πλουτίζω*, locupletem facio, dito. *Cic. Agr.* 2, 26. Haec lex eos homines fortunis locupletat. *Nep. Amilc.* 4. Equis, armis, viris, pecunia totam locupletavit Africam. *Colum. praef. l.* 6. Quam partem rei rusticae exercendo, celeriter locupletari posset. *Accius* ap. *Gell.* 14, 1. *f.* Auro locupletare domum. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 28. Sapientem locupletat ipsa natura. *Id. Brut.* 97. Ipsam eloquentiam locupletavisti graviorum artium instrumento. *Id. Inv.* 2, 1. Templum Junonis egregiis picturis locupletare voluerunt.

LOCUS, i, m. et in plur. num. etiam Loca, orum, n. *τόπος*, quidquid continet aliquid, sive, ut ait *Varro L. L.* 4, 2., ubi quidquam consistit. Est a *λόχος*, locus insidiis aptus, quod a *λέχω* pro *λέγω*, unde *λέγομαι*, cubo; Romani vero dempta, ut saepissime alias, aspiratione, situm seu positionem quamlibet *locum* dixerunt; constat enim, eos, utpote qui rem militarem apprime coluerint, ex militia plurimas hausisse voces, quas in communi linguae usu postea usurparunt. *Pomp.* ad *Cos.* ap. *Cic. Att.* 8, 6. Omnes copias in unum locum convenire. *Ov. A. Am.* 2, 210. Facere alicui locum in turba. *Liv.* 22, 38. *f.* Locorum situm, naturam regionis nosse. *Ov. Met.* 8, 805. de Fame: Ventris erat pro ventre locus. *Quint.* 6, 3. *med.* Locum perdere, *h. e.* spectandi in ludis. *Sall. Cat.* 46. Postquam ad id loci legati cum Vulturtio venere. *Caes. B. G.* 1, 49. Ultra eum locum, quo in loco Germani consederant; et *ib.* 2, 4. Galli, qui ea loca incolerent. *Virg. A.* 1, 310. exire, locosque Explorare novos, quas vento accesserit oras; et *ib.* 369. Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes Moenia. *Pl. Trin.* 4, 2, 86. Quos locos adiisti? *Sall. Jug.* 21. Proximos nostro mari locos occupavere; et *ib.* 32. Romae per omnes locos. *Tac. A.* 1, 61. Incedunt moestos locos. Adde *ib.* 2, 20. et 54. et alibi saepe. [*V. *Ruddim.* 1, 108. *n.* 6.] Ceterum apud oratores, Ciceronem praesertim, hoc sensu frequentius est *loca*, quam *loci*, et *locos:* tametsi *Cic.* in aliis casibus efferens, masculina adjectiva adjunxit, ut *Part.* 10. In locis illa naturalia, maritimi, an remoti a mari; plani, an montuosi; leves, an asperi; salubres, an pestilentes; opaci, an aprici: et illa fortuita, culti, an inculti; celebres, an deserti; coaedificati, an vasti; obscuri, an rerum gestarum vestigiis nobilitati; consecrati, an profani. Adde *Fat.* 4. ℙ [**Locus* dicitur etiam pro situ et conditione loci. *Lucan.* 4, 36. His virtus ferrumque locum promittit: at illis ipse locus. V. *Cort.* ad *Cic. Fam.* 1, 7, 14. ℙ *Primus locus aedium* ap. *Nep. Praef.* 6. est quod alias dicitur atrium. Nos diceremus: *die Zimmer unten im Hause, im ersten Stock.* V. *Brem.*] ℙ Speciatim dicitur de pago, seu vico. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Magis reprehendendus sum, quod Pireaea scripserim, quam quod *in* addiderim: non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco. ℙ Ap. *Plin.* non raro (quod adnotavit *Hard.*) *locus* est, ubi quondam fuit oppidum, cujus vestigia tantummodo, et situs manent, ut 4, 5, 6. Intus Cleonae, Hysiae, Patrae: locus Pherae; et *mox:* Ultra Patras oppidum Olenum, colonia Dyme: loca Buprasium, Hyrmine. *Ov. Fast.* 2, 280. Hic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat. ℙ *Locus* pro agro V. in LOCUPLES. ℙ Stricte loquendo *locus* non est fundus, inquit *Ulp. Dig.* 50, 16, 60., sed pars aliqua fundi: tametsi et pro fundo accipi potest. *Pomp. ib.* 41, 2, 26. Locus certus ex fundo possideri potest. *Ulp. ib.* 8, 5, 2. Per ea loca fundi, per quae, etc. [*V. *Duk.* de *Lat. Ict. Vett.* 81. p. 73. sq.] ℙ Quando ap. *Liv.* 30, 17. *extr.* et 35, 23. *extr.*, tum etiam in locis ad V. LAUTIA ab incitatis legitur, aedes liberas, loca, lautia legatis exterarum gentium a senatu decreta, *loca* sunt sedes in circo, in foro, in theatro, ubi publicis spectaculis ipsi commode interesse possent: quemad-

modum tum patroni municipiorum et coloniarum clientibus suis, tum magistratuum candidati amicis et tribulibus eadem loca officii causa comparare solebant. Hinc Clodius ap. *Cic. Att.* 2, 1. ait, se novum patronum Siculis, clientibus suis, locum gladiatoribus esse daturum, si tribunus plebis fieret. *Cic. Mur.* 34. At spectacula sunt tributim data, et ad prandium vulgo invitati. Quod enim tempus fuit, quo locus et in circo et in foro non daretur amicis et tribulibus? et *mox:* Num senatus crimen putat, locum ad spectandum dare, aut ad prandium invitare? *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. CXXX. Loca adsignata in amphitheatro fratribus Arvalibus. ℙ *Loca publica* erant, ut ait *Labeo Dig.* 43, 8, 2. §. 3., areae, insulae, agri, viae publicae, et itinera publica; quae quidem ab operibus publicis distinguebantur, hoc enim nomine publica aedificia, ut templa, basilicae, theatra, porticus, etc., significantur. V. *Aggen. de limit.* p. 60. *Goes*, ubi de locis publicis plura. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 773. Curator operum, locorumque publicorum. Alia ap. *eund. ib.* 220. Curator aedium sacrarum, locorumque publicorum. *Tab. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 375. Quae loca publica, porticusque publicae in urbe Roma erunt, quorum locorum, cujusque porticus aedilium, eorumve magistratuum, qui viis locisque publicis purgandis praeerunt, procuratio erit. ℙ Ab hujusmodi *curatoribus locorum publicorum* distinguendi sunt *III. Viri locorum publicorum persequendorum*, vel *curatores locorum publicorum judicandorum*, quorum munus erat loca publica a privatis usurpata persequi, et publico iterum restituere. *Inscr.* ap. *Grut.* 398, 6. T. Julius T. F. Corn. Valerianus III. vir locorum *publicorum* persequendor. Alia ap. *eund.* 200, 6. Curatores locor. publicor. judicand. ex S. C. causa cognita ex privato in public. restituer. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 776. Loca publica a privatis possessa T. Suedius Clemens tribunus causis cognitis, et mensuris factis, reipublicae Pompejanorum restituit. [*Suet. Aug.* 32. loca in Urbe publica juris ambigui possessoribus adjudicavit: ubi *Brem. loca publica amb. juris* intelligit possessiones publici quidem juris habitas, sed in controversia positas, utrum ad rempublicam, an ad privatos homines pertinerent.] ℙ *Locus* pro sepulcro frequens est in vet. *Inscr.*, ut ap. *Grut.* 807, 12. P. Memisianae uxori Q. Herculanius maritus locum consecravit. Alia mendosa ap. *Reines. cl.* 17. *n.* 137., quaeque ita adhuc legitur in *Mus. Patav.* Loc. C. Volumnii C. L. Privati, et ap. *eund. ib.* 169. Locus adsignatus ab Ti. Claudio Hilaro patrono, in fr. P. V. etc. Ap. *Fabr.* p. 154. *n.* 238. Anniae Galittae uxori T. Statilius Calocerus loco sibi concesso a patronis suis, etc. *August. C. D.* 1, 1. Martyrum loca. ℙ *Ex loco superiore agere* dicitur orator, qui e rostris ad populum verba facit, et magistratus, qui jus dicit; *ex aequo*, qui in senatu, item qui familiariter cum aliis colloquitur; *ex inferiore loco*, qui ad judices. *Cic. Or.* 3, 6. Sive de coeli natura loquitur, sive de terrae; sive de divina vi, sive de humana; sive ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore. *Id. Tusc.* 1, 49. Magna eloquentia est utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum. *Id. Verr.* 2, 2, 42. Ipse in Sicilia saepe et palam de loco superiore dixerat, et in sermone multis demonstrarat. *Id. Fam.* 3, 8. Meos multos et illustres, et ex superiore, et ex aequo loco sermones habitos cum tua summa laude. ℙ *Loci* et *loca* speciatim dicuntur de utero. *Cic. N. D.* 2, 51. Cum in locis semen insederit. *Cels.* 2, 8. *med.* Quae locis laborat. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Indecenter enim mulieres ipsa in loca manus mittunt, prurientibus verendis. *Colum.* 8, 11. *med.* Saepiusque digitis loca feminarum tentanda sunt: nam in promptu gerunt ova. *Cato R. R.* 157. *med.* Si eo lotio locos fovebit, nunquam ii virosi fient. *Plin.* 11, 37, 84. Vesicae junctus utriculus, unde dictus uterus: quod alio nomine locos appellant: in aliis animalibus vulvam. *Plin.* hic innuit, *locos* in humana specie tantum dici. Tamen *Colum. l. c.* de pavonibus, et 6, 27. de equis usurpavit. ℙ Ponitur etiam *locus* pro tempore et spatio. *Ter. Heaut.* 2, 1, 6. Et cognoscendi, et ignoscendi dabitur peccati locus. *Sall. Jug.* 67. Tamen is ad id locorum talis vir, consulatum appetere non audebat. *Liv.* 22, 38. *f.* Temeritatem infelicem ad id locorum fuisse. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 32. Post id locorum, quando ad villam veneris, dabitur, etc. *Lucr.* 5, 438. inde loci. V. INDE. (*Interea loci.* V. INTEREA.) *Tert. Pall.* 4. *med.* Si tunc locorum Diogenes de dolio latraret. [*Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 434. p. 364. ℙ Similis est construendi ratio, cum genitivi *loci*, *locorum*, eodem modo, quo *gentium* et *terrarum*, ponuntur cum adverbiis: *ubi*, *ubicunque*, *usquam* etc. V. *Zumpt. l. l.* p. 363. Huc pertinet *Hor. Ep.* 1, 3, 34. Ubicunque locorum: quem locum Noster §. 1. laudaverat.] ℙ Refertur et ad ordinem. *Cic. Fam.* 1, 6. Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum. ℙ Designat et gradum honoris. *Cic. fragm. contra C. Anton.* ap. *Ascon. f.* Te ex me petisse, cum praeturam peteremus, ut tibi primum locum concederem; et *mox*: Te e postremo in tertium locum esse sublectum. *Liv.* 4, 16. *med.* Pervicerunt, ut tribunorum militum comitia haberentur: haud dubii, quin sex locis (tot enim jam creari licebat) et plebeji aliqui crearentur. *Id.* 10, 15. Ut patricii recuperarent duo consularia loca. ℙ *Priore loco causam dicere*, ante defendere, quam quis accusatus sit. *Cic. Quint.* 2. et 8. [*De loco dicendi, i. e. ordine orandi, exposuit *Spalding.* ad *Quint.* 4, 2, 28.] ℙ Significat etiam opportunitatem, occasionem, facultatem. *Cic. Att.* 1, 18. *med.* Nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis, et coercendae juventutis; et *ib.* 9, 7. *f.* Valde gaudeo: si est nunc ullus gaudendi locus. ℙ *Loco*, et *in loco* est opportune, commodum, in tempore. [*Nos: *am rechten Orte.*] *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Oenomao tuo nihil utor: etsi posuisti loco versus Accianos; et *ib.* 11, 16. Quemadmodum coram qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt; sic epistolae offendunt non in loco redditae. *Ter. Ad.* 2, 2, 8. Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum. *Hor. Od.* 4, 12, 28. Dulce est desipere in loco. [*Usurpatur ita etiam ablat. plur. *locis. Quint. Inst.* 12, 10, 23. Non insurgit locis? non figuris gaudet? ubi v. *Buttmannum.*] ℙ *Loco dicere* est senatoris, qui non nisi rogatus sententiam in senatu dicit. *Cic. Leg.* 3, 18. Senatori jussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus. ℙ Saepe accipitur pro genere, conditione, statu. *Cic. Fl.* 11. Si quem infimo loco natum, nullo splendore vitae, nulla commendatione famae defenderem. *Liv.* 1, 34. Tanaquil summo loco nata. *Sall. Cat.* 24. Natus haud obscuro loco. ℙ Item pro gradu dignitatis, auctoritatis, aestimationis, gratiae, etc. *Cic. Cluent.* 55. Qui in summum locum civitatis non potuerunt ascendere. *Q. Cic Petit. cons.* 1. *f.* Prodest, quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipsis illo loco ac numero dignum putari. *Cic. Fin.* 3, 16. Secundum locum obtinere. *Id. Planc.* 15. Esse ex equestri loco. *Id. Fam.* 3, 9. Tua dignitas suum locum obtinebit. *Id. Phil.* 2, 29. Quem locum apud ipsum Caesarem obtinuisti? *Id. Brut.* 36. Qui hoc munere in civitate functi sunt, ut tenerent oratorum locum. *Ter. Ad.* 3, 2, 46. Pejore loco res non potis est esse, quam in quo nunc sita est. *Cic. Att.* 11, 13. *med.* Meliore loco erant res nostrae. *Id. Sext.* 31. Res erat et causa nostra eo jam loci, ut erigere oculos, et vivere videretur. *Id. Fin.* 2, 28. Socrates voluptatem nullo loco numerat; et *ib.* 15. *f.* Honestatem eo loco habet, ut sine ea jucunde neget posse vivi. ℙ Item pro vice. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 13. Meque his in patris locum successisse existimes. *Cic. Att.* 2, 19. *f.* Cosconio mortuo, sum in ejus locum invitatus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 166. M. Sosius Laelianus Pontius Falco loco L. Annii Ravi exaugurati. ℙ Vim habet interdum *pro* praepositionis. *Cic. Fam.* 7, 3. *f.* Criminis loco putant esse, quod vivam, *h. e.* pro crimine habent. *Id. Inv.* 2, 49. Haec filium suum sibi praemii loco deposcit. [*Huc pertinent ex §. anteced. ista: *Cic. Dom.* 14. ut vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit. *Ter. Andr.* 1, 5, 57. Si te in germani fratris dilexi loco. *Brut.* ad *Cic.* 1. ad *Brut.* 17. *med.* Habere aliquem loco patris. Cf. etiam *Ramsh. Gr. Lat.* §. 97. *n.* 1. et §. 130, 4. *n.* 1.] ℙ *Movere loco*, expellere, depellere: tractum a gladiatoribus, vel luctatoribus, in quibus qui adversarium loco movit, in quo consistebat, facile et cito propellit ac superat. [*De constructione V. *Ramsh.* 147. *B.*] *Ter. Ph. prol.* 32. Cum per tumultum noster grex motus loco est. *Hor. Ep.* 2, 2, 111. Audebit, quaecumque parum splendoris habebunt, Verba movere loco, quamvis invita recedant. Adde *Cic. Q. Fr.* 2, 3. et *Cat.* 2, 1. Sic *loco dejicere* ap. *Hor. l. c.* 30. Praesidium regale loco dejecit. ℙ *Locum dare* est cedere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 1. Dandus est locus fortunae, cedendum ex Italia. *Cic. Quint.* 16. *med.* Avaritia paululum aliquid loci rationi et consilio dedisset. Sic *loco cedere*, eodem sensu. *Sall. Cat.* 9. Qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere, ausi erant. ℙ *Loco excidere* metaphorice est a vero discedere, errare, falli. Usurpatur ab *Hieron. Vir. illustr. de S. Luca*, *c.* 7. quo sensu *Tert. Baptism.* 17. dixit, *loco decedere.* ℙ Praeterea *locum dare* est dare causam, ansam, opportunitatem, facultatem. *Cic. Fam.* 3, 6. *f.* De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil dedisse loci. *Id. N. D.* 3, 8. Repente avertis orationem, nec das respondendi locum. [*Nep. *Ham.* 1, 2. Neque locum nocendi dedit: ubi v. *Brem.*] *Id. Coel.* 4. Dare suspicioni locum. *Id. Balb.* 6. *extr.* dubitationi. *Val. Fl.* 4, 451. de Harpyiis: Fallere quas nunquam misero locus, *h. e.* nunquam misero facultas et opportunitas datur. ℙ Item admittere, recipere. *Cic. Or.* 1, 26. Haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiotissimis oratoribus. ℙ *Locum habere* res dicitur, cujus vis, et usus est aliquis. *Cic. Or.* 2, 54. In hoc altero genere dicacitatis quid habet ars loci, cum ante illud facetum dictum emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur? *Id. Off.* 3, 34. Qui dolorem summum malum dicit, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum laborumque contemptio? *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *med.* Si remissa sit satisdatio, rescriptum locum habebit. ℙ Similiter *locus esse alicui rei*, est eam rem usum, ac vim habere. *Paul. Dig.* 37, 10, 6. Huic edicto locus est, etiam si ab intestato ad bonorum possessionem liberi veniant. *Ulp. ib.* 9, 2, 27. Legi Aquiliae locus est adversus te, si tua voluntate fecit. ℙ Eodem modo *locum esse alicui* est admitti, vel recipi. *Cic. Planc.* 33. *extr.* Si in mea familiaritate locus esset nemini, nisi litigioso, aut nocenti. *Id. Mur.* 5. *extr.* Maledicto nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit. *Id. Or.* 1. In poetis non Homero soli locus est, aut Archilocho, aut Pindaro, sed, etc. ℙ *Locum non relinquere*, non admittere, excludere. *Cic. Fam.* 1, 1. Nec precibus nostris, nec admonitionibus relinquit locum, *h. e.* adeo est bene animatus, ut non sit opus preces adhibere. (Alio sensu *Ter. Andr.* 3, 4, 21. Nihil est preci loci relictum: jam pertubavi omnia, *h. e.* prece nihil possum proficere.) *Id. Quint.* 15. Vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit. [*Rut. *Lup.* II. §. 4. p. 143. ed. *Frotsch.* quem sciam tantum facinus in me admisisse, ut in reliquum tempus neque beneficio locum, neque benivolentiae spem relinqueret: ubi *Ruhnk.* contra *Pricaeum* qui ad *Appul. Apol.* p. 215. pro *beneficio* leg. *beneficii*, dativum defendit, coll. *Drak.* ad *Liv.* 3, 46. et *Duk.* ad *Eund.* 3, 50.] ℙ *Si isto loco essem*, si meum esset negotium, si mea res ageretur. *Pl. Bacch.* 4, 9, 116. Si ego in istoc siem loco, dem potius aurum, quam, etc. et *Cic. Fam.* 4, 4. Is enim, si eo loco esset, negavit se facturum. ℙ [*Servare locum rerum* ap. *Lucan.* 4, 126. Servatoque loco rerum, discessit ab astris Humor, etc. est, servare discrimen omnium rerum, ut montes, colles, valles essent, quae una adhuc palus condiderat. V. *Cort.*] ℙ Apud rhetores *locus*, et *loci* sunt sedes argumentorum, de quibus fuse *Cic.* in Topicis (nam Graece quoque τόποι) ex quibus ea, tanquam ex promptuario, petuntur. [*V. *Ruddim.* 1, 108. *n.* 6. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 99. p. 90.] *Cic. Top.* 2. Cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus; et *mox:* Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem. *Id. Or.* 35. Traditi sunt, ex quibus argumenta ducantur, duplices loci, uni e rebus ipsis, alteri assumpti. *Id. prooem. Parad.* Illa ipsa, quae vix in gymnasiis Stoici probant, ludens conjeci in communes locos. [*De locis rhetorum, quales sint, satis larga disputatione exposuit *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 247. sq.] Item quaestio, pars alicujus doctrinae, vel operis. *Cic. Div.* 2, 1. Cum fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris; et *mox:* Magnus locus, philosophiaeque proprius, a Peripateticorum familia tractatus uberrime. *Id. Or.* 48. *extr.* Est enim hic locus late patens, de natura, usuque verborum; et *ib.* 33. Habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos: de religione, de morte, de pietate, de caritate patriae, de virtutibus, etc. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Cogimur cum de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra disputare. Anceps hic et lubricus locus est, etiam cum illi necessitas lenocinatur. *Gell.* 1, 21. *f.* Non verba autem sola, sed versus prope totos, et locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Virgilium videmus. *Hor. Ep.* 2, 1, 223. Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati. ℙ [*Significat *locus* etiam *caput quaestionis* in rebus judicialibus. *Cic. Rosc. Am.* 27. Ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo, et sic tecum agam, ut in eo loco vel respondendi vel interpellandi tibi potestatem faciam, etc. i. e. in eo capite quaestionis, dum haec res tractatur. V. *Matth.*] ℙ *Locum, i*, n. etiam in num. sing. *Inscr.* ap. *Grut.* 129, 14. Ex jusso hoc locum fecerunt. ℙ [*Confund. *locus* et *lucus.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1. §. 3. p. 92. a. ed. *Frotsch. Loco* et *solo. Cort.* ad *Lucan.* 5, 28. *Locus* et *jocus.* V. *Burm.* et *Spalding.* ad *Quint.* 6, 3, 29.]

LOCUSTA, ae, f. ἀκρίδιον, ἀκρίς, genus insecti pennis instructum, extremis pedibus longioribus. In India ternum pedum longitudinis esse traduntur, cruribus, et feminibus serrarum usum praebere, cum inaruerint. Gregatim volant infestae messibus, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes. Parthis et ipsae in cibo gratae. Haec et alia *Plin.* 11, 29, 35. Indos quoque, et Aethiopum partem quandam locustis ali *Id.* tradit 7, 2, 2. et 6, 30, 35. Earum multitudine immensa agris involante integram civitatem in Africa sedibus suis pulsam narrat *Id.* 8, 29, 43. ex M. Varrone. ℙ Dicuntur carere palpebris, ideoque praeduros habere oculos, eminentesque, ut est ap. *eund.* 11, 37, 55. Hinc *Pl. Men.* 5, 5, 24. Dic mihi hoc etiam: solent tibi unquam oculi duri fieri? *Men.* Quid? tu me locustam censes esse? ℙ *Prius locusta parie*

lucam borem, proverb. *Ennii* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. de re, quae nunquam fiet. ℙ Est etiam piscis marinus, ex genere eorum, qui carent sanguine, crusta fragili obtectus, reptantis modo fluitans, cornibus, quae sunt propria rotunditate praepilata, porrectis. Vivit petrosis locis. Haec et alia *Plin.* 9, 30, 50. ℙ Fuit hoc nomine mulier veneficiis insignis, cujus opera Nero Britannicum, Agrippina Claudium veneno sustulit, teste *Tac. A.* 12, 66. et *ib.* 13, 15. et *Suet. Ner.* 33. Hinc *Juven.* 1, 71. Instituitque rudes melior Locusta propinquas, Per famam et populum nigros efferre maritos. ℙ De locusta insecto terrestri loquens *Juvenc.* primam corripit, *in Matth.* 3. 1, 339. Arvis qui solitus ruralibus esse locustas. *Alcim.* 5, 193. Exin restantem surgit consumere fructum Bruchus, et excusso confidens crure locusta.

LOCŪTIO vel Loquutio, onis, f. *φράσις*, sermo, vel ipse loquendi actus. *Auct. ad Her.* 3, 13. Sermo est oratio remissa, et finitima quotidianae locutioni. *Cic. Or.* 3, 19. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. *Id. Brut.* 74. Locutio emendata, et Latina. ℙ Item loquendi modus. *Gell.* 1, 7. *f.* Multam apud veteres scriptores locutionum talium copiam offendimus. ℙ Quidam *locutiones* dixere voces, dictiones, ut est apud *Quint.* 1, 5.

LOCŪTIUS. V. AJUS.

LOCŪTOR vel Loquutor, oris, m. *λάλος*, qui nimium loquitur. *Gell.* 1, 15. Qui sunt leves, et futiles, et importuni locutores. *Appul. Met.* 1. *in.* Si quid exotici sermonis rudis locutor offendero.

LOCŪTŪLĒIUS, ii, m. *ἀθυρόγλωσσος*, homo in verba projectus, quem et blateronem, et linguacem dicimus. *Gell.* 1, 15. *extr.* ℙ Item adjective *lŏcūtŭlēus*, *a*, *um*, ap. *Alcim.* 5, 160. Atque locutuleis frendet succumbere ranis. Alii leg. Atque premens homines. ℙ *Adjective *Alcim. Avit. carm.* 5, 148. Sueta locutuleis fundet succumbere ranis: ubi extrita vocali *i*, corripitur paenultima. *B. A.*

LOCŪTUS vel Loquutus, us, m. loquela, locutio, sermo. *Appul. Flor. n.* 15. Passis versibus, soluto locutu, libera oratione.

LODICŬLA, ae, f. dimin. lodicis. *Suet. Aug.* 83. Ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret, segestri, vel lodicula involutus. [*Gr. *ἐπιβλημάτιον*. V. *Casaub.*] *Petr. Sat.* 20. Lodiculam in pavimento diligenter extendit.

LODIX, īcis, f. *στρῶμα*, *τύλη*, lecti operimentum. *Juven.* 6, 194. *Ζωὴ καὶ ψυχὴ* modo sub lodice relictis Uteris in turba. ℙ Masculino genere *hos lodices* dixit Pollio, sed non est imitandus, ut est ap. *Quint.* 1, 6. *f.*

LOEBASĪUM Sabini dicebant Liberum patrem, ut est ap. *Serv.* ad *G.* 1, 7. Nam

LOEBERTATEM, et

LOEBĒSUM, antiqui dicebant, libertatem, et liberum: ita Graeci *λοιβὴ* et *λείβω*. *Festus.* Ceterum *Vossius* putat *Sebazium* legend.

LOEDORIĂ, ae, f. *λοιδορία*, mordax convicium. Differt a scommate, quod hoc sit mordacitas quadam urbanitate et joco adumbrata; loedoria vero apertum amarulentumque est convicium, nulla urbanitatis specie velatum. Ita *Macr. Sat.* 7, 3. Sed haec Graeca sunt, et vix Latine adhibenda.

[LOEMODES, is, m. *λοιμώδης*, species luis pestilens. V. EPIDEMUS. *F.*]

LOGĂRION, ii, n. *λογάριον*, leviores minutioresque rationes, quales iis de rebus, quae quotidie in usum familiae erogantur, in adversariis solent conscribi. *Ulp. Dig.* 33, 9, 3. *f.* Sed et chartas ad ratiunculam, vel ad logarion paratas contineri appellatione penoris. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* Graecis litteris edidit. Est enim Graeca vox, a *λόγος*, ratio.

[LOGAS, ădis, f. *λογάς*, electio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 7. Laelia Logas. *F.*]

LOGEUM, i, n. *λογεῖον*, pulpitum in scena, in quo chorus tragoediarum et comoediarum (quoad comoediae chorum habuerunt), ceterique personam non habentes, fabulae subserviebant. *Vitr.* 5, 8. semel Graece scribit, semel Latine: sed ubi Latine, dubia est lectio.

LOGICĒ, es, f. *λογικὴ*, disciplina rationalis, ars disserendi, quae et dialectica dicitur. *Cic. Fin.* 1, 7. Jam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae *λογικὴ* dicitur, iste vester, ut mihi quidem videtur, plane inermis ac nudus est. *Id. Fat.* 1. Totaque est logice, quam rationem disserendi voco.

LOGĬCUS, a, um, adj. *λογικός*, ad logicam per. *Cic. Tusc.* 4, 14. Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae logica appellant, quia disseruntur subtilius. [*Sidon. carm.* 15, 100. dum primus et unus Physica vel logico, logicum vel jungit ad ethos. *F.*]

[LOGISMUS, i, m. *λογισμός*, ratiocinium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1134, 4. L. Arrius Logismus. *F.*]

LOGISTA, ae, m. *λογιστής*, qui rationes conficit. Dicitur et de curatore publico alicujus civitatis, qui ejus vectigalia, et publicos reditus colligendo, impendendoque, et rationes conficiendo, curat. *Inscr.* ap. *Grut.* 389, 2. Logista civitatis splendidissimae Nicomedensium. *Imp. Gordian. Cod.* 1, 54, 3. Curator rei publicae, qui Graeco vocabulo logista nuncupatur, multandi jus non habet.

LOGISTORĬCUM, i, n. *λογιστορικὸν*, vel Logistoricus, titulus est cujusdam libri M. Varronis, in quo perscripta fuisse videntur dicta et doctrinae scitu dignae, historiaeque memorabiles: per varia capita, suis lemmatis distinctae: a *λόγος*, sermo, et *ἱστορία*, historia, vel cognitio, peritia. *Gell.* 20, 11. Sculnam scriptum esse in Logistorico M. Varronis, qui inscribitur *Cato*, idem P. Lavinius admonet. *Id.* 4, 19. *extr.* M. Varro in Logistorico scripsit, quae inscripta est *Cato, aut de libris educandis*, h. e. historia, vel sectio, vel doctrina ejus libri inscripta est de liberis educandis.

LOGODAEDĂLĬA, ae, f. *λογοδαιδαλία*, ingeniosa nimis et curiosa sermonis elaboratio: a *λόγος*, sermo, et *δαίδαλος*, ingeniosus. *Auson. Idyll.* 12, 1. E logodaedalia strides modo qui nimium trux.

LOGOGRAPHUS, i, m. *λογογράφος*, rationarius, qui in municipiis libros rationum scribit, quique in acta refert quae ad rempubl. pertinent: a *λόγος*, ratio et *γράφω*, scribo. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. *med.* Qui custodes aedium, vel logographi, vel tabularii, etc. muneribus personalibus adstringuntur. Adde *Imp. Alex. Cod.* 10, 69. qui *De tabularis, scribis, logographis* inscribitur, 1.

LOGOS vel Logus, i, m. *λόγος*, Graece est verbum, vox, dictum, sermo. Fere adhibetur in plur. numero. *Pl. Men.* 5, 2, 29. Loquere, uter meruistis culpam, paucis: non longos logos; et *Petr. Sat.* 126. Procedentibus longius logis. Al. leg. *jocis.* ℙ Accipitur et pro dicto ridiculo, futili, vano, contemnendo. *Pl. Stich.* 1, 3, 68. Logos ridiculos vendo: agite, licemini. *Id. Pers.* 3, 1, 66. Dabuntur dotis tibi sexcenti logi. *Ter. Ph.* 3, 2, 7. *Phae.* Non mihi credis? *Do.* hariolare. *Phae.* Sin fidem do. *Do.* fabulae. *Phae.* Feneratum istuc beneficium tibi pulcre dices. *Do.* logi. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 318. Ego certe scio, omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse. ℙ Item pro fabula. *Sen. Consol. ad Polyb.* 27. Fabellae et Aesopei logi, intentatum Romanis ingeniis opus. ℙ *Logos* Graece est etiam ratio. Hinc *Auson. Idyll.* 11, 67. triplex quoque forma medendi, Cui logos, aut methodos, cuique experientia nomen, *h. e.* medicina rationalis. V. *Cels. praef.* Sic *Marcell. carm. de Medicina*, 6. Quod loges, aut methodus, simplexque empirica pangit.

LOLIĀCEUS, a, um, adj. *αἴρινος*, qui ex lolio est. *Varr. R. R.* 3, 9. *f.* Turundae admixtae ex farina loliacea.

LOLIĀRIUS, a, um, adj. *αἰρικὸς*, ad lolium pertinens. *Col.* 8, 5. *med.* Cribro viciario, vel loliario pulli superponantur.

LOLĪGO, inis, f. *τευθὶς*, *τεῦθος*, piscis genus: fortasse ab atro succo, quem habet. Sane ater iste succus in sepia vocatur *ὀλὸς* pro *θολός*. Itali hodie a thecae calamariae similitudine calamarium appellant. [*Sepia loligo, *L. Blackfisch, Tintenfisch.*] Habet enim cruorem nigrum atramenti similitudine. Unde succus loliginis pro livore hominis atri, idest malevoli, ponitur. *Hor. Sat.* 1, 4, 100. hic nigrae succus loliginis, haec est Aerugo mera. ℙ *Varr. L. L.* 4, 13. dictam putat a volando, quasi *voligo*. Volitat enim interdum, extra mare efferens se, ut *Plin.* 9, 29, 45. tradit. Instructa est octonis quasi pediculis, quibus natat ac venatur: ac praeterea duobus pedibus longioribus et asperis, quibus ad os cibum admovet: caret ossibus sed corpus habet circulis carnis vinctum, ut *Id.* docet *ib.* 28, 44. 11, 37, 87.; additque 9, 30, 48. in nostro mari loligines quinum cubitorum capi, sepias binum. ℙ Scribitur et *lolligo.*

LOLĪGUNCŪLA seu Loligiuncula, ae, f. parva loligo, *τευθίς*. *Pl. Cas.* 2, 8, 58. volo molliculas escas: Emito sepiolas, lepadas, loliguncula, Hordeias.

LOLĬUM, ii, n. *αἶρα*, *ζιζάνιον*, herba in segetibus nascens, iisque inimica, hordeo similis, cujus etiam vitium esse putatur, quasi *δόλιον*, hoc est adulterinum. Fit enim e corruptis tritici ac hordei seminibus. [*Lolium* temulentum, *L. Lolch, Schwindelhafer, Trespe.* Secundum alios: *die rothblühende Rade.* V. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 154.] *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 2. Nam lolium, et tribulos, et carduos, lappasque, non minus, quam rubos, inter frugum morbos potius, quam inter ipsius terrae pestes numeraverim. *Virg. G.* 1, 153. interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur avenae. ℙ *Lolio victitare* dicitur, qui visu est imbecillo. Nocet enim oculis lolium propter vapores aeres, quos in cerebrum attollit. *Ov. Fast.* 1, 691. Et careant loliis oculos vitiantibus agri. *Pl. Mil.* 2, 3, 50. Mirum est, lolio victitare te, tam vili tritico. *Pa.* Quid jam? *Sce.* quia luscitiosus.

*LOLLĬA PAULLĪNA, M. Lollii Consularis filia, a Callisto liberto Claudii ad nuptiarum Imp. spem accensa. Ab Agrippina demum eversa, et immisso tribuno ad mortem adacta. *Tac. A.* 12, 1. 22. et 14, 12. *Suet. Cal.* 25. et *Claud.* 26. *Plin.* 5, 35. ℙ Fuit et Lollia, A. Sabinii uxor, quam corrupisse fertur Caesar, auctore *Suet. Caes.* 50. *B. A.*

LOLLĬĀNUS, a, um, adj. ad Lollium pertinens, quod est nomen Romani civis. *Tac. A.* 1, 10. Lolliana clades, *h. e.* quam M. Lollius legatus in Germania sub Augusto accepit: de qua *Vell.* 2, 97. et *Suet. Aug.* 23. ℙ **Lollianus*, *i*, m. Consul cum Arbitrione. *Suet. Ner.* 13. *Cal.* 25. et *Claud.* 26. ℙ Alius Lollianus, unus ex tyrannis tempore Gallieni exortis. *Trebell. Pollio in* XXX. *tyrannis. B. A.*

*LOLLĬUS, i, m. praenomine Marcus, Galatiae, postmodum autem Galliae, legatus, cui Caesar Augustus omnia indulsit, avarus, maximas opes congessit. Caio Caesari moderator juventae fuit. Magnam cladem in Germania sub Augusto accepit. De eo V. *Hor. Od.* 4, 9. *Suet. Tib.* 13. *Vellei* 2, 97. *Tac. A.* 3, 48. V. et *Lollianus*, *a*, *um.* ℙ Cum filio hujus natu maximo agit *Hor. Ep.* 1, 2. et 18. ℙ *Lollius Urbicus*, historicus Latinus, historiam sui temporis condidit. *Lampr.* in *Diadumeno*, *J. Capitol.* in *Antonino Pio. B. A.*

[LOMENTĀRIUS, ii, m. qui lomentum vendit. *Gloss. Philox.* Lomentarius, *σμηγματοπώλης*. *F.*]

LOMENTUM, i, n. *σμῆγμα*, farina fabacea, qua ad rugas e cute tollendas usa est antiquitas: a *lotum*, ut *fomentum* a *fotum*, quod ea ad lavandum uterentur. *Mart.* 3, 42. Lomento rugas uteri quod condere tentas. *Pall.* 11, 14. *med.* Ex faba lomentum factum vino adjicere. ℙ Translate *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. *f.* Persuasum est ei, censuram lomentum, aut nitrum esse: nam sordes eluere vult, etc. ℙ Est item coloris genus, quod in usum pictorum ex caeruleo confici solet, *λείωμα*. *Plin.* 33, 13, 57. Ex caeruleo fit, quod vocatur lomentum: perficitur id lavando, terendove, et hoc est caeruleo candidius.

LONCHĪTIS, idis, f. *λογχῖτις*, herba in locis sitientibus nascens, foliis porri ad radicem rubentibus, flores habens, ceu galericulos, personis comicis similes, parvam exserentes linguam, semen vero involucris clausum, triangulum, et lanceae simile, unde sibi nomen vindicavit: *λόγχος* enim *lancea* est. *Plin.* 25, 11, 88. 26, 8, 48. [*Serapias lingua, *L. Zungenförmige Stendelwurz.*]

LONCHUS, i, m. hasta, lancea, *λόγχος*. *Tert. Cor. mil.* 11. Requiescens super loncho, quo perfossum est corpus Christi. Alii leg. *luncho* eodem sensu.

*LONCĬUM, i, n. oppidum Norici. *Ant. Itin. B. A.*

LONDĪNIENSIS, e, adj. *Eumen. Pan. ad Constant.* 17. Ad oppidum Londiniense pervenerant, *h. e.* Londinium, ut *Tac. A.* 14, 33. appellat, nunc *London*, totius Angliae caput ad Tamesim fluvium. Adde *Ammian.* 27, 8. 28, 3. ubi *Lundinium* legitur.

LONGAEVĪTAS, atis, f. *πολυετία*, longum aevum, senectus. *Macr. Sat.* 7, 5. De longaevitate eorum (*corvorum*) opinio fabulatur.

LONGAEVUS, a, um, adj. *πολυετής*, annosus, senex, longi aevi: vox poetica. *Virg. A.* 3, 169. haec laetus longaevo dicta parenti Haud dubitanda refer. *Id. ib.* 2, 525. sacra longaevum in sede locavit. *Prop.* 4, 1, 52. Longaevum caput. *Mart.* 14, 27. Longaevi capilli. *Id. Spect.* 5. Longaeva vetustas. *Prop.* 2, 10, 47. senectus. *Stat. Th.* 10, 864. Amnis ut incumbens longaevi robora pontis Assiduis oppugnat aquis. ℙ In illo *Virg. A.* 6, 764. Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles, Quem tibi longaevo serum Lavinia conjux Educet silvis regem: tum *Serv.*, tum *Apollinaris Sulpicius* ap. *Gell.* 2, 16. *longaevo* interpretantur non seni, sed in longum jam aevum perpetuum recepto, immortalique ac Deo facto. Sed hoc nimis subtile est, et vel ipsi *Gellio* merito displicet. ℙ [Absolute *longaeva* dicitur anus. *Ov. Met.* 10, 462. Cunctantem longaeva manu deducit, *h. e.* nutrix longaeva. *F.*]

*LONGANIMĪTER, adv. *Fulg. Epist. ad Venant.* Pressuras longanimiter tolerare, *h. e.* fortiter, ut virum decet, *ἀνδρείως*. *B. A.*

LONGĀNO vel Longābo, onis, m. *ἀπευθυσμένον ἔντερον*, intestinum rectum, a crasso intestino, quod *κῶλον* appellant, ad sedem usque porrectum, spinae e directo incumbens: quod in longum protendatur, nullis orbibus implicitum, ut cetera intestina. *Veg. Vet.* 1, 42. et *Coel. Aurel. Acut.* 3, 22. et *Tard.* 2, 1. ℙ Ex hujusmodi intestino farto varia fiebant farcimina, ut est ap. *Apic.* 4, 2. *med.* Unde et ipsum pro farcimine accipitur a *Varr. L. L.* 4, 22. *f.* et *Arnob.* 7, 229. ℙ Ap. *Veg. l. c.* legitur *longanon* in recto singulari: ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. et *ib.* 5, 10. *longao*, *onis.* Ap. *Varr.* vero *longabo.*

*LONGATĪCUM, i, n. oppidum Pannoniae superioris. *Tab. Peut.* *B. A.*

LONGĒ, adv. *πόῤῥω*, *τῆλε*, longo intervallo, procul. *Pl. Rud.* 4, 3, 95. Ubi tu hic habitas? *Gri.* porro illic longe usque in campis ultimis. *Cic. Fam.* 2, 7. Longe absum, audio sero; et *ib.* 11. 2. *f.* Longius, cum ita vobis placet, non discedam. *Plin. ep.* 7, 27. Strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur. *Nep. Them.* 3. Progredi longius. *Quint.* 1, 1. Longe subsequi. *Colum.* 9, 8. *med.* Apes, quae longius meare vide-

buntur. *Ter. Eun.* 2, 3, 43. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem. *Cic. Fam.* 13, 29. Exspectare te arbitror, haec tam longe repetita principia quo spectent. *Id. Amic.* 12. Longe prospicere futuros casus. *Mart.* 1, 87. Hic longe est mihi. *Cic. Tusc.* 5, 31. Honestatem sic complectitur, ut omnia, quae sine ea sint, longe et retro ponenda censeat. *Id. Quint.* 25. Quam longe est hinc in saltum Gallicanum? et *Verr.* 2, 2, 27. Longe mihi obviam cum suis omnibus processerunt; et *ib.* 22. Bidis oppidum est non longe a Syracusis. *Id. Fl.* 29. *f.* Longe omnino a Tiberi ad Caicum. *Virg. G.* 1, 358. resonantia longe Litora. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 295. Nomen mensurae regit in accusativo. V. *Ruddim.* 2, 100. *n.* 73. qui laudat *Lucil.* ap. *Charis.* col. 182. Longe tria millia passuum. *Caes. B. G.* 7, 16. Vercingetorix locum castris deligit ab Avarico longe millia passuum XVI.] P Additur interdum genitivus *gentium*, leporis et significantiae causa. *Cic. Att.* 6, 3. Tu autem abes longe gentium. [**Id. Fam.* 12, 22. Nostri tyrannicidae longe gentium absunt.] P *Longe lateque* est in omnes partes, multis et longinquis in locis. [*V. *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 378.] *Cic. N. D.* 2, 15. Sol, qui immenso mundo tam longe lateque collucet; et *ib.* 1, 20. Animus late longeque peregrinatur. *Id. Div.* 1, 36. Dii vim suam longe lateque diffundunt. [*Liv. 5, 37. Longe ac late fuso agmine.] P *Longe esse* eleganter dicuntur, quae nihil juvant. *Caes. B. G.* 1, 36. Si id non fecissent, longe ab his fraternum nomen populi R. abfuturum. *Virg. A.* 12, 52. Longe illi Dea mater erit, quae nube fugacem Feminea tegat. [*Est haec formula minarum frequens imprimis poetis. V. *Cerdam*, et *Heyn.* ad *Tibull.* 1, 5, 2.] *Ov. Her.* 12, 53. Quam tibi nunc longe regnum dotale Creusae, Et socer, et magni nata Creontis erant! [**Laud. Ruhnk.* ad h. l. *Flor.* 1, 2. p. 218. longe illis nauticae artes, ibique *Duk.* et *Petr.* 58. Curabo, longe tibi sit comula ista.] *Sil.* 17, 80. Longe conjugia, ac longe Tyrios hymenaeos Inter Dardanias acies fore. [*V. *Drakenb.* P *Longe esse ab aliqua re*, significat etiam carere alicujus rei scientia. Ita *Quint. Inst.* 8. *prooem. in.* Unde existimant accidisse, ut qui diligentissimi artium scriptores exstiterunt, ab eloquentia longissime fuerint: ubi v. *Burm.* p. 657.] P Refertur etiam ad tempus. *Cic. Brut.* 15. *f.* Varro, diligentissimus investigator antiquitatis, vitam Naevii producit longius; et *ib.* 34. Longius aetate provectus. *Nep. Att.* 2. Neque longius, quam dictum esset, eos debere passus est. *Albinov.* 2, 4. Longius annoso vivere dignus avo, *h. e.* diutius. *Pl. Rud.* 4, 1, 24. Quid tu? quam dudum in portum venis huc? *Ep.* longissime; et *Men.* 5, 9, 52. Quid longissime meministi in patria tua? [**Caes. B. G.* 7, 71. Frumentum se exigue dierum XXX habere, sed paulo etiam longius tolerare posse parcendo.] P Item ad multitudinem verborum: cui contrarium est *breviter. Cic. Or.* 48. *extr.* Haec dixi brevius, quam si hac de re una disputarem: longius autem, quam instituta ratio postulabat. *Quint.* 10, 2. *med.* Otiosi, et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant, ita Ciceronem locuturum fuisse. P Saepe significat valde, multum. *Cic. Tusc.* 3, 14. Lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. *Ter. Ad.* 1, 1, 40. Errat longe, mea quidem sententia. *Gell.* 17, 21. *med.* Neque ita longe post Aristoteles vita functus est. P Jungitur superlativis, aut eorum vim habentibus. *Caes. B. G.* 1, 2. Longe nobilissimus et ditissimus apud Helvetios. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. Caeremoniae longe maximae atque occultissimae. *Id. Brut.* 14. Longe plurimum ingenio valuisse videtur. *Id. Fam.* 13, 13. Longe princeps municipii Lucensis. *Id. Verr.* 2, 2, 22. Longe primus civitatis. P Item comparativis. *Petr. Sat.* 9. Longe major; et *ib.* 98. blandior. *Phaedr.* 3, 7. fortior. *Virg. A.* 9, 556. melior. *Vell.* 2, 74. tumultuosior; et *ib.* 51. *extr.* Proelium longe magis prosperum. P Item cum verbis, adverbiis, et nominibus, quae praestantiam, vel diversitatem ac dissimilitudinem adsignificant. *Cic. Brut.* 64. Inter aequales longe praestitit. *Id. Verr.* 2, 4, 53. Aedes duae, quae longe ceteris antecellunt; et *Or.* 1, 21. *f.* Longe Academiae illi tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam; et *Verr.* 2, 2, 4. A quo mea longissime ratio, voluntasque abhorrebat. *Id. Amic.* 9. Longe dissentire. *Id. ib.* Quod longe secus est. *Id. Acad.* 4, 31. *extr.* Longe aliter se habet, ac, etc. *Liv.* 39, 28. Id ego aliter longe judico esse. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Longe alia conditione sum, ac ceteri. *Cic. Phil.* 5, 18. Longissime diversa ratio est. *Id. Sull.* 17. Erat huic judicio longe dissimilis illa contentio. *Liv.* 1, 9. Longe ante alias specie et pulcritudine insignis. P Item cum *multum*. *Cic. Or.* 1, 49. *f.* Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque sejunctae. *Id. Verr.* 2, 5, 44. Longe omnes multumque superare. *Id. Fin.* 5, 14. *f.* Cum longe multumque ratio praestet. *Id. Mur.* 13. Longe et multum antecellere. P Absolute. *Stat. Ach.* 1, 176. Par studiis, aevique modis, sed robore longe, *h. e.* longe dispar, inferior. Loquitur de Patroclo Achillis sodali. P Interdum repetitur. *Cic. Fin.* 2, 21. Plurimum, et longe longeque plurimum tribuere honestati. *Ov. Met.* 4, 325. Sed longe cunctis, longeque potentior illis. *Gell.* 14, 1. *med.* Et supra longe atque longe per infinitum. Adde *Hor. Sat.* 1, 6, 18. ex lectione *Bentleji*. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 41.] P Etiam cum genitivo. *Apput. Met.* 5. Longe parentum velut exsultantes, *h. e.* longe a parentibus.

LONGĬLŌQUĬUM, ii, n. longus sermo, et taedii plenus. Est *Donati* ad *Ter. Eun.* 2, 2, 34.

LONGĬMĀNUS, a, um, adj. *μακρόχειρ*, qui alteram manum longiorem habet. Cognomen fuit Artaxerxis Persarum regis. Alteram enim manum habuit hujusmodi. *Hieron.* in *Chronic. Euseb. ad Olymp. LXXIX.* P Ap. *Nep. Reg.* 1. Graeca voce *macrochir* dicitur: a *μακρός*, longus, et *χείρ*, manus.

LONGĬNQUĔ, adv. longe. *Accius* ap. *Non.* 4, 440. et 11, 49. Annos multos longinque a domo bellum gerentes. *Gell.* 1, 22. *med.* Longinquius diutiusque adesse. P [Est etiam idem ac inusitate. *Front. ad Verum* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide, Antias invenuste, Sisenna longinque. De cod. *Cic. Brut.* 75. Sisenna recte loqui putabat esse, inusitate loqui. *F.*]

LONGĬNQUĬTAS, atis, f. *διαστημα*, locorum distantia. *Cic. Fam.* 2, 9. In his enim sum locis, quo propter longinquitatem tardissime omnia perferuntur. [**Tac. Agr.* 19. Longinquitas regionum.] P Item distantia temporum, diuturnitas. *Id. Div.* 1, 7. Nihil est, quod non longinquitas temporum efficere possit. *Id. Tusc.* 5, 40. Si dolores longinquitate producti vehementius torquent. *Id. Phil.* 10, 8. Nondum ex longinquitate gravissimi morbi recreatus. *Ter. Hec.* 4, 2, 20. Longinquitas aetatis. [*V. *Ruhnk.* ad h. l. Adde *Tac. A.* 1, 53. Obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus. *Liv.* 10, 31. Quinam sit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quae gerentes non fatigaverunt. V. *Kreyss.* qui leg. *quem pigeat.* Adde 9, 33. Qui quinquennalem ante censuram et longinquitate potestatem dominantem, intra sex mensium et anni coegisset spatium.] P Item longitudo. *Flor.* 4, 12. *extr.* Nihil magis quam longinquitatem viae imputabant, quam quadriennio impleverant. *Plin.* 31, 6, 33. Longinquitas navigandi. [**Tac. A.* 6, 44. Longinquitate itineris fessos. *Id. ib.* 3, 5. ob longinquitatem itinerum.]

LONGĬNQUO, adv. longinque, longe. *Paul. Dig.* 30, 39. Servus longinquo absens. *Ulp. ib.* 3, 3, 44. Si longinquo sit abfuturus.

LONGINQUO, as, a. 1. distare facio, removeo. *Claud. Mamert.* 1, 1. Deum a se longinquare. Adde *August. in Psalm.* 34. *serm.* 2. *n.* 6.

LONGĬNQUUS, a, um, adj. *ἀπώτερος*, longo intervallo distans, remotus, dissitus. *Cic. Fam.* 15, 9. Non dubito, quid praesentes sentiant: nos quidem longinqui, et a te ipso missi in ultimas gentes, etc. *Id. Manil.* 16. Ex locis tam longinquis, tamque diversis. *Id. Cat.* 2, 13. Ab extero hoste atque longinquo. *Id. Att.* 15, 9. Longinqua Lacedaemon. *Tac. A.* 11, 10. militia. *Caes. B. G.* 7, 77. *f.* Longinquae nationes; et *ib.* 4, 27. Longinquiores loci. *Tac. A.* 3, 34. Adire longinqua imperii. [*Tacitus saepius ad locum, quam ad tempus, refert. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 295. Adde *Liv.* 22, 23. Cura longinqua, i. e. rei procul remotae.] P Translate est peregrinus, externus. *Ov. Ib.* 150. Nostraque longinquus viscera piscis edet. *Cic. Dejot.* 3. *extr.* Homo longinquus, et alienigena. [*Adde *Mil.* 28. Clodius aequaliter in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat.] P *E*, et *ex longinquo*, e loco remoto. *Sen. ep.* 22. Ex longinquo suadere aliquid. *Tac. A.* 1, 47. Majestate salva, cui major e longinquo reverentia. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 1. E longinquo intueri. *Id.* 10, 23, 31. venire; et *ib.* 42, 59. Nobilitas e longinquo. P Praeterea *longinquus* refertur ad tempus, et ponitur pro diuturno. *Caes. B. C.* 3, 8. Se confidere munitionibus oppidi, si celeriter succurratur: longinquam oppugnationem sustinere non posse; et *B. G.* 1, 47. Longinqua consuetudo. *Liv.* 5, 5. *extr.* Longinquus morbus. *Nep. Them.* 4. Longinquiore tempore bellum conficere. *Cic. Div.* 1, 49. Longinqua observatio. *Id. Fin.* 2, 29. Bene longinqui dolores. *Id. Part.* 32. In longinquum tempus differre. [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Pl. Mil.* 3, 1, 136. Vitam longinquam dare alicui. *Prop.* 1, 6, 27. Longinquus amor. [*Adde *Liv.* 4, 18. Ne longinquam militiam non paterentur Falisci, i. e. longam. Sic 6, 42. *fuga longinqua* dicitur. V. *Drak.* ad 1, 31, 5. *Gell. ad f.* Sed quoniam longinquis per hiemem noctibus, etc.] P Absolute more adverbii. *Pl. Merc.* 3, 4, 23. Odiosa est oratio, cum rem agas, longinquum loqui. P Est etiam longo loci spatio extensus. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 363. Sic qui vecturam longinqua per aequora merces Molitur tellure ratem, etc. P Item antiquus, qui longe ante fuit. *Plin.* 13, 12, 26. Ita sunt longinqua monumenta Tiberii, Cajique Gracchorum manus, quae apud Pomponium Secundum vidi annos fere post ducentos. P Translate est tardus, lentus, serus. *Pl. Merc.* 5, 2, 55. Longinquum istuc amanti est. *Tac. A.* 13, 37. *extr.* Si omissa spe longinqua et sera, praesentem potioremque sequeretur.

[LONGĪNUS, i, m. derivativum a *longus*. Est cogn. R., ut Q. Cassius Longinus in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 166. et C. Cassius Longinus cos. ann. U. C. DLXXXIII. in Fast. Capitol. ap. *Grut.* 243. *F.* *De Cassio Longino, Gr. *λογγῖνος*. *Liv.* 41, 26. et 45, 14. *Cic. de Or.* 1, 60. P *Dionysius Longinus*, Syrus vel Emisenus, vel fortasse Palmyrenus, vir doctus, vixit tertio post Christum natum seculo. Plurima scripsit, de quibus nihil restat, praeter tractatum *περὶ ὕψους* et fragmenta quaedam. Zenobiae reginae praeceptor cum esset, ab Aureliano occisus est, quod crederetur auctor epistolae, quam Syriaca lingua ad Imperatorem Zenobia scripserat. Ceterum de nomine ejus, de quo disputatur, vide *Dissert. Philol. de vita et scriptis Longini*, editioni *Toupianae* necnon *Weiskianae* praefixam, *Ruhnkenio* (ut patet ex *Weiskii* nota) asserendam. *B. A.*]

LONGĬPES, edis, adj. *μακροσκελής*, longos pedes, sive longa crura habens. *Plin.* 30, 4, 10. Simillimum scarabaeo longipedi. Adde 11, 47, 107.

LONGISCO, is, n. 3. *ἐκτανύομαι*, longus fio, in longum cresco. *Enn.* ap. *Non.* 2, 506. neque corpora firma Longiscunt quicquam.

LONGĬTER, adv. longe. *Lucr.* 3, 677. Non, ut opinor, ea ab leto jam longiter errat. Adde 5, 134.

LONGĬTĬĀ, ae, f. longitudo. *Auct. de limit. edit. Goesii*, p. 271. et *Veg. Vet.* 4, 2. ubi et *longicia* scribitur. *In ed. *Schneider.* est *longitudo. B. A.* V. LATITIA.

LONGITRORSUS, adv. in longum, in longitudinem. *Fest.* Longitrorsus sic dicitur, sicut dextrorsus, sinistrorsus.

LONGĬTŪDO, inis, f. magnitudo in longum extensa, prolixitas, *μακρότης*: et tum de loco dicitur, tum de tempore. *Cic. N. D.* 1, 20. In hac immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum. *Id. Phil.* 9, 1. Longitudo itineris. *Caes. B. G.* 5, 33. agminis. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Diei brevitas conviviis, noctis longitudo flagitiis conterebatur. *Id. Or.* 51. *extr.* Longitudines, et brevitates in sonis. *Id. Part.* 17. Longitudo orationis. *Id. Univ.* 7. Diffindere aliquid in longitudinem. *Plin.* 16, 34, 62. Helix adolescit in longitudinem. *Caes. B. G.* 6, 28. Arduenna silva millibus amplius quingentis in longitudinem patet. *Plin.* 3, 5, 6. Italia patet longitudine ab Alpino fine usque Rhegium oppidum, etc. *Caes. B. G.* 7, 46. A medio fere colle in longitudine murum praeduxerant. *Hirt. B. Alex.* 29. Magnis arboribus excisis, quae longitudine utramque ripam contingerent. *Plin.* 3, 1, 2. Hispania ulterior in duas per longitudinem provincias dividitur. *Ter. Heaut.* 5, 2, 10. Consulere in longitudinem, *h. e.* in futurum prospicere, providere quod diu prosit.

*LONGITURNUS, a, um, adj. *Vulg. Baruch.* 4, 35. *B. A.*

*LONGIVĪVAX, acis, adj. longaevus. *Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 14, 251. *B. A.*

LONGĬUSCŪLĒ, adv. longule. *Sidon. ep.* 8, 11. *f.* Longiuscule me progredi amor impulit. Adde *Donat. ed.* 2, 1760.

LONGĬUSCŪLUS, a, um, adj. paulo longior. *Cic. Arch.* 10. Quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis.

*LONGOPORI, orum, m. populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*LONGŪLA, ae, f. opp. Latii Volscorum, non longe a Coriolis. *Liv.* 2, 33. et 39. et 9, 39. P Hinc

*LONGULĀNI, orum, incolae Longulae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

LONGŪLĒ, adv. dimin. a longe. *Pl. Rud.* 1, 5, 8. Haud longule ex hoc loco. *Ter. Heaut.* 2, 2, 10. Non cogitas hinc longule esse. [*Al. leg. *longius. B. A.*] *Appul. Met.* 9. Auribus grandissimis praeditus cuncta longule etiam dissita facillime sentiebam.

LONGŪLUS, a, um, adj. dimin. longi. *Cic. Att.* 16, 13. Longulum sane iter, et via inepta.

*LONGUNTĪCA, ae, f. opp. Hispaniae Tarraconensis, juxta Iberum flumen. *Liv.* 22, 20. *med. B. A.*

LONGŪRĬO, onis, m. *προμήκης*, longus homo et procerus: a perticae, quam *longurium* vocant, similitudine. Usurpatur convicii loco, haud aliter ac *vacerram*, ac *stipitem* dicimus. Varro ap. *Non.* 2, 484. Hic qui ante me est, nescio quis longurio. V. LONGUS.

LONGŪRĬUS, i, m. *κάμαξ*, pertica longior, variis usibus inserviens. *Varr. R. R.* 1, 14. Secunda sepes est ex agresti ligno, sed non vivit. Fit aut e palis statutis crebris, et virgultis implicatis, aut latis perforatis, et per ea foramina trajectis longuriis fere binis, aut ternis; et *ib.* 2, 7. *med.* Inter singulas equas a praesepibus interjicere lon-

gurios, qui eas discernant, ne inter se pugnare possint. *Caes. B. G.* 3, 14. Falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis; et *ib.* 4, 17. Trabes directa materia injecta contexebantur, ac longuriis cratibusque contexebantur.

LONGUS, a, um, adj. *μακρὸς*, porrectus, extensus, sive per planum extendatur, sive in altum erigatur. Videtur esse a *λόγχη*, hasta. Dicitur de spatio tum loci, tum temporis. *Caes. B. G.* 4, 9. Rhenus longo spatio citatus fertur; et *ib.* 5, 31. Ex castris proficiscuntur longissimo agmine, magnisque impedimentis. [*Lucan.* 3, 75. Quam seriem rerum longa praemittere pompa.] *Virg. A.* 3, 381. Italiam, quam tu jam rere propinquam, Longa procul longis via dividit invia terris; et *ib.* 9, 229. Stant longis adnixi hastis. *Cels.* 3, 1. Longus morbus. V. ACUTUS. *Cic. Att.* 16, 11. Longissima epistola; et *ib.* 12, 5. *f.* Horae, quibus exspectabam, longae videbantur. *Id. Off.* 1, 9. *f.* Quae quasi longo interjecto intervallo videmus. *Hor. Od.* 1, 11, 7. Spem longam resecare. *Caes. B. C.* 3, 69. Longa interjecta mora. *Virg. A.* 10, 549. Canitiemque sibi, et longos promiserat annos, *h. e.* multos, et diuturnam vitam. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo. [*Quint. Decl.* 10, 2. p. 213. Nunc tenebras inanes, et longas oculis flentibus noctes, juxta somnum mariti pervigil, et tantum non deserta metitur: ubi v. *Burm. Virg. A.* 11, 214. longi pars maxima luctus: ubi v. *Heins.* qui *longi* bene tuitus est, contra vulg. *longe.* Taciti exempla, quae v. *longus* de tempore dictum referant, v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 295. Plura laudat *Cort.* ad *Lucan.* 2, 258. Longae pretium virtutis, i. e. diutinae, per multum temporis cultae. — Significat *longus* etiam *perpetuus.* V. *ib.* 6, 769. nec herbae Audebunt longae somnum tibi rumpere Lethes: ubi *Cort.* adire jubet *Burm.* ad *Ov. Am.* 1, 6, 25.] *Colum.* 5, 6. *med.* Scrobis latus pedum duorum, longus pedum sex; et 2, 11. Areas longas pedum quinquagenum facito. *Id. Arbor.* 16. Sulcum in quatuor pedes longum, in tres altum cum feceris. *Pl. Trin.* 4, 2, 58. Qua facie est homo? *Sy.* sesquipede quidem est, quam tu, longior. *Plin.* 6, 34, 39. Umbilicus septem pedes longus, umbram non amplius quatuor pedes longam reddit. *Pall.* 2, 10. Scrobes faciemus tribus pedibus longas. [*Sequitur etiam *ad* c. accus. *Plin.* 27, 12. Longa folia habet fere ad tres digitos. Laudat h. l. *Ruddim.* 2, 100. 76. ubi plura de constructione hujus vocis et sim. invenies.] P *Longa freta* dicuntur a poetis vasta, ampla, longinqua, et diuturna navigatione peragenda. *Hor. Od.* 3, 3, 37. et *ib.* 27, 43., *Prop.* 2, 20, 29., *Ov. Her.* 7, 46. et alibi saepe. [*Ejusdem generis esse videtur *Virg G.* 3, 223. Reboant silvaeque et longus Olympus: ubi v. *Burm.* Adde *Virg. A.* 7, 288. classemque ex aethere longo prospexit: ubi cf. *Heins. Ov. Her.* 5, 20. longa juga, i. e. longe extenta: ubi *Ruhnk.* laudat *Prop.* 3, 12, 14. Sectatur patrios per juga longa canes; et *Pers.* 1, 95. Sic costam longo subduximus Apennino; ibique *Heins.* et *Brukh.* ad *Tibull.* 1, 4, 18.] P *Longus* pro longinquo. *Just.* 18, 1. Alexander, qui tam longa a domo militia orientem subegit. *Sil.* 4, 374. Squalentes campos, et longa mapalia complent, *h. e.* longo spatio dissita; et 6, 627. remeans longis Tirynthius oris. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 544. Et Metello procul agente, longa spes auxiliorum, *h. e.* longe posita, ut et *Serv.* exponit. [*Quint. Decl.* 320. p. 639. Ego sum ille, qui longas terras et ignotas regiones peragravi. V. *Drak.* ad *Sil.* 6, 628.] P *Longa navis* a figura dicta, tum velis, tum remis agitur, differtque ab oneraria, quae velis dumtaxat. *Lentul.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 12, 15. *med.* Navi longa profugerunt, onerariis relictis. P *Longos versus* appellabat *Ennius* heroicos, teste *Cic. Leg.* 2, 27. Confirmat *Diomed.* 3, 493. P *Longa syllaba*, quae longiore spatio temporis effertur. *Cic. Or.* 3, 47. Paeon oritur a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa. V. BREVIS. P [*Alio modo dicitur *syllaba longa* ap. *Cic. Or.* 48. Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? *INCLITUS* dicimus brevi prima litera, *INSANUS* producta; *inhumanus* brevi, *infelix* longa; et, ne multis, quibus in verbis eae primae literae sunt, in *sapiente* atque *felice*, producte dicitur IN; in ceteris omnibus breviter. — Hic locus non de brevitate aut longitudine syllabae, quae vulgo dicitur, accipiendus est, sed Cicero ait syllabam IN, etsi eadem maneat quantitas prosodica, tamen in *insanus* et *infelix* et similibus pronuntiari, ut Germanicum IIN, in ceteris ut INN; quomodo Germani longas syllabas dividunt in producte pronuntiandas *(gezogene Sylben)* et in acutas *(geschärfte Sylben). Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. *longus.*] P *Longus homo* interdum per contemptum dicitur, ut *vacerra*, *longurio*, scil. pro bardo, ac stupido: sic *magnus*, et *μέγας*, aliquando ap. Graecos. *Catull.* 67, 47. Longus homo est, magnas cui lites intulit olim Falsum mendaci ventre puerperium. [*De statura hominis proprie dicitur ap. *Cic. Fr. inc.* fuisse Naevium Pollionem pede longiorem quam quemquam longissimum. Laudat h. l. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. *longus.*] P *Longus* item dicitur, qui multa verba facit. *Cic. N. D.* 1, 36. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere: sed nolo esse longus. *Quint.* 10, 1. *f.* In cura verborum nimius, et compositione nonnunquam longior, et translationibus parum modicus. P *Longum est*, res est longi temporis, laboris, multorum verborum, etc. [*μακρὸν ἂν εἴη.*] *Cic. Verr.* 2, 1, 60. Jam vero quas iste praedas, quam aperte, quam improbe fecerit, longum est dicere. *Id. Sext.* 5. Longum est ea dicere, sed hoc breve dicam. *Ter. Heaut.* 2, 3, 94. Longum est, si tibi narrem, etc. *Id. Andr.* 5, 6, 13. Longum est, nos illum exspectare dum exeat. *Id. Ph.* 3, 2, 10. Experire: non est longum. [*Vell.* 2, 42. Longum est narrare, quid et quoties ausus sit. *Tac. H.* 3, 71. et arcessere tormenta — longum videbatur. Adde 2, 2. Haud fuerit longum, paucis disserere, i. e. absurdum; et 64. longum interfectori visum. Adde *Suet. Tib.* 61. et *Galb.* 3. Ceterum nota, hanc dicendi formulam apud bonos scriptores semper per indicativum efferri. V. *Ruhnk.* ad l. modo l. *Brem.* ad *Nep. Ann.* 5, 4. et ad *Suet. Tib.* 61. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 520. p. 422. P *Longum est* usurpatur etiam ita, ut infinitivus vel aliud quid subaudiatur. *Cic. N. D.* 1, 8, 19. Longum est ad omnia, quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur. Ita *Heindf.* quem v. non improb. *Orell.*, qui tamen *Longum est omnia* exhibuit. *Heindf.* etiam omissa praep. *refellere*, *excutere*, *premere* subaudire jubet: *Ernest.* c. *Victorio* et *Grutero*, *narrare* supplent.] P *Ne longum sit*, *ne longum faciam*, ut breviter dicam. *Cic. Cat.* 3, 5. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri jussimus. *Hor. Sat.* 1, 3, 137. Ne longum faciam, dum tu quadrante lavatum Rex ibis, etc. *Cic. Leg.* 2, 10. At ne longum fiat, videte, *h. e.* ne diu differatur. P *Longius facere* trahere in longius plura dicendo. *Cic. Fin.* 5, 6. Nihil opus est exemplis id facere longius. *Id. Leg.* 1, 7. Non faciam longius. P *Nihil mihi est longius*, nihil magis cupio, nullius rei tanta exspectatione teneor. *Cic. Fam.* 11, 27. Respondit, nihil sibi longius fuisse, quam ut me videret. *Id. Verr.* 2, 4, 39. Nihil ei longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Adde *Rabir. Post.* 12. et *Lucil.* ap. *eund. Tusc.* 4, 21. P *In longum*, in futurum, et longum tempus. *Vell.* 2, 83. Illis etiam detracto capite in longum fortissime pugnandi duravit constantia. *Virg. Ecl.* 9, 56. Causando nostros in longum ducis amores. *Tac. A.* 3, 27. Otium ejus rei haud in longum paravit; et *ib.* 11, 20. Unde tenuis fructus, nec in longum fuit; et *H.* 4, 22. Paucis diebus absumpta sunt, quae in longum suffecissent. [*Adde *A.* 1, 69. Odia in longum jaciens; 5, 2. acerbis facetiis — quarum apud praepotentes in longum memoria est. *H.* 2, 95. Nec in longius consultans.] P *Per longum*, per longum tempus. *Sil.* 2, 464. exurit siccatas sanguine venas Per longum celata fames. Adde 12, 295. et 15, 788. P *Ex longo*, ex longo tempore. *Virg. A.* 9, 64. collecta fatigat edendi Ex longo rabies. P *In longum*, in longitudinem. *Plin.* 2, 81, 83. Nubes in longum porrecta. P *In longo* eodem sensu. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 23. Vitis in arbusto quatuor pedes in longo constat. P *Longum* absolute, est longe. *Virg. A.* 10, 740. non me, quicumque es, inulto, Victor, nec longum laetabere; et *Ecl.* 3, 79. Et, longum formose vale, vale, inquit, Iola. *Hor. A. P.* 459. longum clamare. *Stat. Th.* 7, 300. nec longum, et pulcher Alathreus Editus. P *Longus spe* dicitur senex, quia tardus est, et difficilis ad sperandum, propter experientiam fallacis fortunae. *Hor. A. P.* 172. Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri: *δύσελπις.* Legit ex conjectura *Bentlej.* spe longus, iners, pavidusque futuri. P *Longa spes* est sera, longinqua, et longo post tempore implenda. *Hor. Od.* 1, 4, 15. Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam. Sic *Stat. Th.* 1, 322. spes anxia mentem Extrahit, et longo consumit gaudia voto. P *Longa manus* variis modis explicatur ap. *Prop.* 3, 7, 60. Attulimus longas in freta vestra manus. *Vulpius* interpretatur *extensas* et *porrectas*, et hanc esse ait hujus loci sententiam: Parcite Dii maris, nam pelagus intravi supplicibus palmis et ad vos protentis. *Dousa* vero, *Barthius*, et *Kuinoel* id nimis longe petitum esse existimant, et interpretantur *longas manus* esse integras, non mutilatas, nam *Id.* ait *ib.* 65. Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues. Putabant autem veteres, perjuros membro aliquo mutilari solitos, et perfidis mare esse valde periculosum. Hinc Paetus inducitur his verbis sortem suam deplorans, suamque innocentiam declarans. P [Alio sensu *longa manus* dicitur, quae multum potest, etiamsi a longe sit. *Ov. Her.* 17, 166. An nescis, longas regibus esse manus? Hinc proverbium apud Graecos: *Μακραὶ τυράννων χεῖρες.* F.] P *Longa* neutr. plur. longum, diu, ut *acerba*, *torva*, *transversa*, etc. *Stat. Th.* 2, 240. non unquam longa tuendo Expedias, cui major honos. P Fuit *Longus* cognomen Romanae familiae, ductum ab habitu corporis, ut docet *Quint.* 1, 4. et *ib.* 6. Hinc Tib. Sempronius Longus, ap. *Liv.* 21, 6. P [*Confunduntur *longus* et *magnus.* V. *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 223. *Longo* et *longe.* V. *intpp.* ad *Virg. G.* 3, 223. et *A.* 7, 288.]

*LOPADUSA, ae, f. *Λοπαδοῦσα*, insula inter Siciliam Africamque sita. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

LOPAS. V. LEPAS.

*LOPSI, orum, m. populi Liburniae. *Plin.* 3, 21. P Eorum caput

*LOPSICA, ae, f. *Λοψίκα*, situm ad mare. *Plin. ib. B. A.*

LOQUĀCĬTAS, atis, f. *πολυλογία*, multiloquium, inanis et immodica garrulitas. *Cic. Fam.* 6, 4. *f.* Facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. [*Adde *Leg.* 1, 2. Macri loquacitas habet aliquid argutiarum; et *Or.* 1, 23. Non Graeci alicujus loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt. *Liv.* 44, 35. Quo quaeque accuratius celantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant, ubi v. *Kreyss.*] *Plin.* 10, 42, 59. Expressior loquacitas picarum generi, *h. e.* facilitas loquendi. *Sidon. carm.* 14, 6. Eja, Calliope, nitente palma Da sacri laticis loquacitatem. [*Loquacitas, quae sit, et quibus veluti signis se ostendat, bene descripsit *Quint. Inst.* 8, 2, 17. V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 249.]

LOQUĀCĬTER, adv. *πολυλόγως*, multis et inanibus verbis. *Cic. Mur.* 12. Quid huic tam loquaciter litiogioso responderet ille? *Hor. Ep.* 1, 16, 4. Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri, *h. e.* satis verbose. *Paul. Nol. ep.* 39, 8. Dum loquacius vos fatigo.

LOQUĀCŬLUS, a, um, adj. *λαλάκος*, diminut. loquacis. *Lucr.* 4, 1158. At flagrans, odiosa, loquacula; Lampadion sit.

LOQUAX, acis, adj. *λάλος*, *σπερμολόγος*, verbosus, garrulus, multus vel nimius in loquendo. *Cic. Or.* 2, 38. Quare istam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in judicandis nimium loquax. *Id. Sen.* 16. Et senectus est natura loquacior. *Id. Fl.* 20. *f.* Repente homo audacissimus pertimuit, loquacissimus obmutuit. *Id. Att.* 4, 14. Nunquam mihi tua epistola aut intempestiva, aut loquax visa est. *Ov. Pont.* 2, 9, 3. Fama loquax. *Prop.* 3, 23, 22. Loquacem esse de aliquo, *h. e.* multa dicere. *Sall. fr.* ap. *Quint.* 4, 2. et *Gell.* 1, 15. *f.* M. Acilius loquax magis, quam facundus: *λαλεῖν ἄριστος, ἀδύνατος λέγειν.* P Translate. *Virg. G.* 3, 431. Ranae loquaces. *Id. A.* 12, 475. nidi, *h. e.* in quibus sunt pulli avium. Sic *ib.* 11, 458. stagna loquacia, *h. e.* ubi cycni, ranae, et hujusmodi incolunt. *Tibull.* 1, 2, 21. loquaces nutus; et 2, 7, 25. oculi. *(Cic. Leg.* 1, 9. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur.) *Ov. Amor.* 1, 4, 17. loquax vultus. *Petr. fr.* 669. *Burm.* Manu puer loquaci, *h. e.* gesticulandi perita. *Hor. Od.* 3, 13, 15. Loquaces lymphae. *Plin.* 11, 51, 112 Avium loquaciores, quae minores, *h. e.* magis canorae, et garrulae.

LOQUĒLA, ae, f. *λαλία*, loquendi facultas, sermo, verba. *Varr. L. L.* 5, 7. Hinc quidam loquelam dixerunt verbum, quod in loquendo efferimus. *Pl. Cist.* 4, 2, 76. Commoda loquelam tuam. *Ov. Trist.* 5, 2, 68. Grajaque quod Getico victa loquela sono est. *Lucr.* 5, 231. Almae nutricis blanda atque infracta loquela. *Virg. A.* 5, 842. fuditque has ore loquelas. P Sunt qui scribunt *loquella.* V. QUERELA.

LOQUĒLĀRIS, e, adj. *Praepositiones loquelares* dicuntur a grammaticis, quae ornandi sensus, aut augendi, vel minuendi gratia ceteris partibus praeponuntur, ut *am*, *co*, *con*, *re*, *se*, *di*, *dis.* Ita *Val. Prob.* 1, 1427. Hae autem semper cohaerent, nec interpositionem patiuntur: nemo enim dicit *con tibi duco*, aut *re illum cipio*, inquit *Serv.* in *art. Donati* 2, 1798. Ideo autem *loquelares* appellantur, quia cum loquelis, hoc est verbis compositae aliquid significant, separatae nihil valent. *Festus:* Am, praepositio loquelāris, significat circum.

LOQUĒLĀRĬTER, adv. volunt quidam (inter quos *Scalig.* ad *Fest.* in voce *Am)* legi ap. *Cic. Somn. Scip.* 7. Homines enim loquelariter annum tantummodo solis, idest unius astri reditu metiuntur, *h. e.* inquit *Scalig.*, contemplatione ipsius solis, non quod revera is annus dicendus sit: quemadmodum loquelares praepositiones revera non sunt, nisi contemplatione earum vocum, quibus conjunguntur. Est qui mallet *joculariter.* Vulgo habetur *populariter*, quod rectius.

LOQUENTĬA, ae, f. loquendi facilitas, loquacitas, verbositas. *Gell.* 1, 15. *f.* Valerium Probum, grammaticum illustrem, ex familiari ejus docto viro comperi, Sallustianum illud *(Cat.* 5.) *Satis eloquentiae*, *sapientiae parum*, brevi antequam vita decederet, sic legere coepisse, et sic a Sallustio relictum affirmasse: *satis loquentiae*, *sapientiae parum:* quod *loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congrueret; *eloquentia* cum insipientia minime conveniret. [*Mirifice editores *Sallustii* omnes, ut recte monet *Kritz.*, q. v., elusit hic *Gellii* locus, a quo tantum abest, ut probetur, quod

omnes clamant, *loquentiam* Sallustii esse, ut nulla re contrarium magis pateat.] *Plin. ep.* 5, 20. Julius Candidus non invenuste solet dicere, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni, aut alteri: haec vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis, etiam impudentissimo cuique maxime contingit.

LOQUITOR, aris, dep. 1. frequent. a *loquor*, *πολυλογέω*, multum loquor, verba multa inaniter profundo, garrio. *Pl. Bacch.* 4, 7, 5. Eho tu loquitatus ne es gnato meo male Per sermonem? *Appul. Flor.* 15. de Pythagora: Prorsus hoc erat primum sapientiae rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere.

LOQUOR, eris, quutus, et cutus sum, dep. 3. *λαλέω*, *φράζω*, verba facio, sermonem habeo, dico. *Varr. L. L.* 5, 7. ducit a *locus*, quod is loquitur, qui suo loco quodque verbum sciens ponit: pueros enim, corvos, cornices, quae id facere nesciunt, non loqui, sed fari. Alii a *λόγος*, sermo. [*Alii etym. faciunt a *λέγω*; alii cognatum dicunt cum Gr. *λαχέω*.] *Cic. Leg.* 3, 1. Magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum magistratum. *Id. Or.* 1, 32. Praecipitur primum, ut pure et Latine loquamur, deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore. *Id. Rosc. Am.* 48. Desinant aliquando dicere, male aliquem locutum esse, si quis vere ac libere locutus sit. *Id. Fam.* 9, 22. *med.* Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus. *Id. Acad.* 4, 39. *med.* Quid tu, Epicure? loquere: putas solem esse tantulum? et *Att.* 5, 1. Veni ad ea, quae fueramus ego et tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. *Id. Fam.* 1, 8. *f.* Litterae tuae, de quibus eramus jam cum Pompejo locuti. [*Liv. 36, 5. Legatos se missurum ad eos dixit, qui de iis, quae ad illos seque communiter pertinerent, loquerentur, i. e. cum iis agerent, consultarent.] *Ter. Andr.* 1, 5, 30. Opus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa adversum hunc loqui, *h. e.* coram hoc. *Cic. Att.* 3, 1. Loqui pro aliquo; et *Marc.* 10. pro aliis; et *Fin.* 2, 22. *extr.* apud aliquem. *Id. Or.* 1, 11. In jure, aut in judiciis, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui; et *ib.* 2, 14. *f.* Poetae sunt quasi alia quadam lingua locati. [*Liv. 40, 42. Cumanis permissum, ut publice Latine loquerentur.] *Ov. Pont.* 4, 6, 10. Numen ad Augustum supplice voce loqui. *Virg. A.* 9, 5. ad quem sic ore locuta est. ℙ Cum accusativo. *Cic. Att.* 14, 4. Horribile est, quae loquantur, quae minitentur. *Pl. Aul.* 2, 1, 15. Ut tuam rem tecum hic loquerer familiarem. *Ov. Met.* 1, 525. Plura locuturum timido Peneia cursu Fugit. *Ter. Heaut.* 4, 6. *extr.* Loquitur paucula; et *Andr.* 1, 2, 31. Aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es. *Pl. Amph.* 2, 2, 64. Loqui deliramenta. *Cic. Att.* 9, 12. *extr.* mera scelera. *Id. Tusc.* 1, 7. pugnantia. *Stat. Th.* 3, 430. facta infecta. *Ov. Trist.* 3, 3, 17. aliquem absentem. *Id. Her.* 14, 45. falsa; et *ib.* 17, 251. fortia facta. *Pl. Men.* 5, 9, 7. loquere tuum mihi nomen; et 2, 2, 47. Quas tu mulieres, quos tu parasitos loquere? *h. e* narras, nominas. Sic *Ov. Met.* 1, 648. nomen suum et casus loqui. *Hor. Od.* 4, 15, 1. Phoebus volentem proelia me loqui, Victas et urbes, increpuit lyra, *h. e.* carmine persequi, canere. *Sen. ep.* 90. *med.* Quid loquar marmora, quibus templa fulgent? quid lapideas moles? quid verborum notas? [*Liv. 5, 54. Ne singulas loquar urbes, i. e. commemorem; cf. 5, 5.] ℙ Pro narrare, praedicare, efferre. *Lucan.* 4, 573. nullam majore locuta est Ore ratem, totum discurrens fama per orbem. *Cic. Att.* 9, 2. *f.* Nil nisi classes loquens, et exitus. *Mart.* 5, 25. Quem chartis, famaeque damus, populisque loquendum. *Cic. Verr.* 2, 5, 30. *med.* Cum vulgo loquerentur suppositum in ejus locum, quem pro illo probare velles; et *Att.* 16, 10. Eodem die vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. [*Hor. *Sat.* 1, 3, 13. Omnia magna loquens, i. e. nil nisi magna in ore habet, crepat, jactat, praedicat. Comparat *Heindf. Demosth. in Phorm.* p. 964. *Ἀλαζονεύεται καὶ τριηραρχίας ἐρεῖ καὶ χορηγίας*; coll. *Wolf.* ad *Demosth. in Leptin.* p. 371. Adde *Prop.* 4, 11, 30. Afra Numantinos regna loquuntur avos.] ℙ Absolute. *Virg. A.* 1, 735. Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur. ℙ Cum dativo. *Ter. Phorm.* 2, 3, 35. et *Pl. Truc.* 2, 2, 10. Pergin' hero absenti male loqui, impurissime? et *Stat. Th.* 12, 26. pars currus deflent, viduisque loquuntur, Hoc solum quia restat, equis. Eodem modo locutus est *Sil.* 16, 323. ℙ [*De proverbiali locutione *vento et fluctibus loqui* ad vota inania spectante, quae Graecis etiam eadem fere ratione *ἀνέμῳ ἢ αὔραις διαλέγειν* exprimitur, deque aliis ejusdem generis formulis V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 491.] ℙ Translate est aperte indicare, ostendere. *Cic. Leg.* 1, 9. Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affectissimus, loquuntur. *Virg. Ecl.* 5, 28. Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones Interitum, montesque feri, silvaeque loquuntur. *Cic. Dom.* 32. Ut annales populi R. et monumenta vetustatis loquuntur. *Id. Mil.* 20., *Fam.* 15, 11. et *Att.* 3, 1. Res ipsa loquitur. *Ulp. Dig.* 24, 3, 64. *f.* De viro, heredeque ejus lex tantum loquitur. *Id. ib.* 2, 14, 10. Rescriptum divi Marci sic loquitur, quasi, etc. *Callistrat. ib.* 4, 6, 14. Edictum loquitur de his, qui in servitute fuerint. [*Vell. 2, 93, 3. Ut fama loquitur: est haec formula cavendi, ne aulae arcana curiosius auctor speculatus videretur: in simili re 2, 102. dicit: fama vulgavit. Pertinent huc etiam ista, in quibus v. *loqui* de iis usurpatur, quae vaticinandi vim contineant. *Stat. Th.* 8, 181. Volucres mea fata loquentur. *Sidon. Carm.* 5, 264. Si nostra volatu Fata loquentur aves. Ita *loquuntur* etiam *exta aliaque*. V. *Heins.* et *Drakenb* ad *Sil.* 1, 138. Adde *Lucan.* 6, 617. tellus nobis, aetherque, chaosque, Aequoraque, et campi, Rhodopaeaque saxa loquentur. *Sil.* 1, 416. Reditum sortes tibi loquutas; et 15, 311. Phoebo loquentia saxa. Porro alia notanda dicendi formula est ap. *Ov. Her.* 13, 20. Cum charta dextra loquuta est, i. e. dextra scripsit in charta. Similiter *Ep.* 21, 244. qui chartam legit, *cum ea loqui* dicitur. *Ruhnk.*] ℙ Passive impersonaliter. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. De damnatione ferventer loqui est coeptum. *Varr. L. L.* 5. *in.* Ut sedetur, ambulatur, loquitur. [*Meliores edd. exhibent LOQUUNTUR.] ℙ Poetice *loquentes arbores*, sibilum edentes, aere in ramos incurrente. *Catull.* 4, 11. Cytorio in jugo Loquente saepe sibilum edidit coma. *Virg. Ecl.* 8, 22. Maenalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet. *Serv.* vult hoc dici, quia *Virg.* statim subdit: semper pastorum ille audit amores. Et recte sane. ℙ Differunt *loqui*, et *dicere*, quod *dicere* ad rhetoricam plerumque pertinet, et ornatam arte orationem: loqui ad grammaticam, et dialecticam, ad disputationes, et familiarem sermonem. *Cic. Brut.* 58. Scipio mihi sane bene et loqui videtur, et dicere. *Id. Or.* 32. de rhetor. et dialect.: Haec ratio dicendi latior est: illa loquendi contractior. [*Huc pertinent ista: *Quint. Inst.* 2, 3, 6. aut orator loqui nesciet; ubi v. *Spalding.*, qui comparat 12, 5, 5. et omisso magna semper flandi tumore in quibusdam causis loquendum est; et 11, 3, 45. intra loquendi modum: ubi Idem praeter alia laudat *Plutarch.* in *Alcibiade* p. 196. E. *λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.*] ℙ Interdum tamen promiscue adhibentur. *Ov. Met.* 13, 12. Quantum acie valeo, tantum valet iste loquendo. [*Huc pertinet locus *Cic. Brut.* 13. Nam ut semel e Piraeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet, ac loqui paene dediceret: ubi *Ellendt. Schützii* conjecturam, *linguam* pro *loqui*, recte videtur rejicere, docens *loqui* (i. e. recte loqui) *dediscere* probe dici posse de bene loquendi consuetudine, pravis exemplis obliterata.] ℙ *Loquier* paragoge pro *loqui*, est in *epigr. Naevii* ap. *Gell.* 1, 24. ℙ Activa voce. *Petr. fr. Trag.* 46. *Burm.* Tu, qui potes loquere, non loquis. *Cave imiteris.* ℙ Si secunda syllaba sit *u*, duplicem habet scribendi rationem, vel per *c*, vel per *qu*: utraque autem proba est: quamquam *locuturus* est fortasse frequentius, quam *loquuturus; loquuntur* vero, quam *locuntur.* ℙ [*Confund. *loqui* et *sequi*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 618.]

LORA, ae, f. *δευτερίας οἶνος*, *τρυγνφάριος*, potio ex maceratis aqua vinaceis, postquam totum mustum expressum est. *Varr. R. R.* 1, 54. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina (nam est a *λούω*, lavo, et *ῥᾶξ*, acinus): ac pro vino operariis datur hieme. *Plin.* 14, 10, 12. Non possunt jure dici vina, quae Graeci deuteria appellant. Cato, et nos loram, maceratis aqua vinaceis: sed tamen inter vina operaria numerantur. Tria eorum genera, etc. *Cato R. R.* 57. Vinum familiae. Ubi vindemia facta erit, loram bibant menses tres. *Colum.* quoque 12, 40. lorae faciendae rationem tradit. *Varr.* ap. *Non.* 17, 13. Mulieres majores natu bibebant loram, aut sapam, aut defrutum, aut passum. ℙ Monet *Charis.* 1, 77. primam syllabam esse corripiendam, quemadmodum in *lora* neutr. plur. a *lorum* producenda est. ℙ De *lora* pro utre, V. LURA.

*LORACĪNA, ae, Latii fluvius, circa Antium. *Liv.* 43, 4. *med. B. A.*

LORĀMENTUM, i, n. idem ac lorum. *Just.* 11, 7. Cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset.

LORĀRĬUS, ii, m. qui alios loris caedit, quorum hominum generis praecipue usus erat in scenis. (V. *Pl. Capt. a.* 1. *sc.* 2.) *Gell.* 10, 3. *f.* de Bruttianis: Hi sequebantur magistratus, tanquam in scenicis fabulis qui dicebantur lorarii, et quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant. ℙ [Videtur etiam significare qui lora conficit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 295, 3. C. Livius C. L. Felix lorarius fecit sibi, et Liviae Hilarae conjugi, libertis, libertabus, posterisque eorum. *F.*]

LORĀTUS, a, um, adj. loris vinctus. *Virg. Mor.* 122. Sub juga parentes cogit lorata juvencos.

LŌRĔA, ae, f. idem quod lora. *Cato R. R.* 25. Paulatim erit lorea familiae, quod bibat. *Gell.* 10, 23. Mulieres bibere solitas ferunt loream, passam, murinam. V. LORIOLA.

LORĒTUM. V. LAURETUM.

LORĔUS, a, um, adj. qui est ex loro. *Cato R. R.* 3, 12. et 63. Lorei funes. *Pl. Mil.* 2, 2, 2. Ego vestra faciam latera lorea, *h. e.* loreis verberibus lacera: vel laterum vestrorum corium ita scindam verberibus, ut lora inde fieri possint, inquit *Turneb. Advers.* 7, 5.

LORĪCA, ae, f. *θώραξ*, munimentum pectoris, ventris, dorsi, et laterum: a *θώρηκα* pro *θώρακα*, accusativo Ionico Graecae vocis allatae (unde et *corazza*), vel a loris, quod olim de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli e ferro, sub id vocabulum, ex anulis ferream tunicam, inquit *Varro L. L.* 4, 24. Midias Messenius dicitur a *Plin.* 7, 56, 57. inventor ejus fuisse. *Cic. Mur.* 26. Descendi in campum cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret, (etenim sciebam, Catilinam non latus, aut ventrem, sed caput et collum solere petere) verum, etc. *Id. Fl.* 17. Ambulat cum lorica: metuit enim, etc. *Liv.* 5, 38. *f.* Multos imperitos nandi, graves loricis aliisque tegminibus, hausere gurgites. *Virg. A.* 3, 467. Loricam consertam hamis, auroque trilicem; et *ib.* 7, 707. duplici squama lorica fidelis, et auro; et *ib.* 12, 87. auro squalentem alboque orichalco Circumdat loricam humeris; et *ib.* 8, 621. loricam ex aere rigentem. *Val. Fl.* 6, 233. riget his molli lorica catena. *Sil.* 5, 140. Loricam induitur: tortos huic textilis hamos Ferro squama rudi, permixtoque asperat auro. ℙ Fiebant loricae etiam e lino multiplici. *Suet. Galb.* 19., et V. LINTEUS. ℙ Item e cornibus rasis, et levigatis, plumarum in speciem linteis indumentis innexae. *Ammian.* 17, 12. Idem memorat etiam *Veg. Mil.* 4, 9. ℙ Metonymice. *Hor. Od.* 1, 29, 15. libros Mutare loricis Iberis, *h. e.* studia cum militia Hispaniensi. ℙ Metaphorice sic vocatur quaevis rei protectio, et munimentum. Hinc in aedificiis est crusta, seu corium ex calce, et arena, aliave materia parieti, vel pavimentis inductum. *Vitr.* 2, 8. *f.* Non patietur lorica testacea laedi parietem; et 7, 1. Supra fricaturam incernatur marmor, et supra loricae ex calce et arena inducantur; et *ib.* 9. Ita obstans cerae Punicae lorica non patitur, solis radios eripere ex his politionibus colorem. *Plin.* 30, 10, 27. Stellionis cubile est in loricis ostiorum, fenestrarumque, *h. e.* testaceis crustis, et coronis. ℙ Habet locum etiam in munimentis bellicis. *Caes. B. G.* 5, 39. Turres contabulantur, pinnae loricaeque ex cratibus attexuntur. *Tac. A.* 4, 49. Obsidium coepit: dein fossam, loricamque contexens, quatuor millia passuum ambitu amplexus est. *Id. H.* 4, 37. Loricam, vallumque per fines suos Treveri struxere. *Flor.* 2, 18. et 3, 10. *f.* Obsessam urbem fossa, atque lorica circumdare. *Curt.* 9, 4. *f.* Angusta muri corona erat: non pinnae, sicut alibi, fastigium ejus distinxerant, sed perpetua lorica obducta transitum sepserat. Sunt, qui hic *loricam* structuram fastigiatam intelligunt, et pluviam propellentem extra perpendiculum muri: confirmantque *Vitruvii* loco modo allato 2, 8. Sed attente inspicienti res aliter videbitur. Locis ex *Caesare*, *Tacito*, et *Floro* allatis lucem addit *Veg.* 4, 28. ubi ait: Obsidentes ultra jactum teli fossam faciunt, eamque non solum vallo, et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitate possint obsistere: quod opus loriculam vocant, et saepe cum obsidio describitur, invenitur in historiis, lorica urbem esse circumdatam. [*Adde *Caes. B. G.* 7, 72. Huic vallo loricam pinnasque adjecit.] ℙ Item, extra rem militarem, in sepimentis, quibus aliquid circumdatur. *Ammian.* 24, 5. Erat in hac eadem regione extentum spatium, et rotundum, loricae ambitu circumclausum, destinatas regiis voluptatibus continens feras. *Appul. Met.* 6. *f.* Jam domus eorum extremam loricam perveneramus.

[LORĪCĀRĬUS, a, um, adj. ad loricam pertinens, ut Loricaria fabrica ap. *Veg. Mil.* 2, 11. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittae, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur. *Notit. Imp. Occid.* 32. Fabrica Mantuana loricaria. ℙ *Loricarius*, *ii* absolute est etiam qui loricas facit. *Gloss. Phil.* Loricarius, *θωρακοποιός*. *F.*]

LORĪCĀTĬO, onis, f. actus inducendi loricam seu tectorium in pavimentis, aut parietibus. *Vitr.* 7, 1. Coassatio clavis fixa duplicem praebeat contignationi loricationem. Adde *Paul. Dig.* 50, 16, 79.

LORĪCĀTUS, a, um, part. a *lorico*: *τεθωρακισμένος*, lorica indutus. *Liv.* 23, 19. *f.* Statua ejus indicio fuit Praeneste in foro statuta, loricata, amicta toga, velato capite. *Hirt. B. Afr.* 72. Elephantus ornatus, et loricatus, *h. e.* cataphractus. Sic *Liv.* 37, 40. His tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adjunxit. ℙ [*Ad loricata*, et *a loricata* is fortasse dicebatur, qui Caesaris statuam loricatam in foro divi Julii, cujus meminit *Plin.* 34, 5, 10. et *Plin. alter ep.* 8,

6., procurabat, seu custodiebat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 518. C. Julio Basso Aemiliano actori Caesaris ad Castoris, et ad loricata; et p. 522. Orthri Aug. L. Proc. a loricata: et Hechi Aug. L. Pro. a loricata ex ratione peculiari. *F.*]

[LORICĬFER, eri, m. qui loricam portat. *Gloss. Phil.* Loricifer, θωρακοφόρος. *F.*]

LORĬCO, as, avi, a. 1. loricam, seu tectorium induco. *Varr. R. R.* 1, 57. Granarii parietes, et solum opere tectorio marmorato loricandi. *Plin.* 8, 24, 36. Ichneumon mergit se limo saepius, siccatque sole: mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit, in dimicationem pergit.

LORĬCŬLA, ae, f. προβόλιον, parva lorica. Pro munimento, quod obsessores urbium construunt, cum ultra jactum teli fossam faciunt, eamque vallo et sudibus, atque turriculis instruunt, ut erumpentibus ex urbe possint obsistere. V. LORICA. *Hirt. B. G.* 8, 9. Quorum frontes viminea loricula munirentur, ut hostis a duplici propugnatorum ordine depelleretur. Adde *Veg. Mil.* 4, 28.

LORĬOLA, ae, f. idem fere quod lora. *Varr.* ap. *Non.* 17, 17. Loriolam nominabant, cum ex uvis expressum erat, et ad folliculos reliquos et vinacea adjiciebant aquam. Ap. *Non.* legitur *moriola*, sed male.

LORĪPES, ĕdis, m. et f. ἱμαντόπους, qui pedes flaccidos, lentos, languidos, et in ambulando tanquam lorum se torquentes habet, non firmos, et calcatu constantes. Alii rectius intelligunt de eo, qui pedes habet, et crura distorta in modum lori. *Plin.* 7, 2, 2. Gentem inter Nomadas Indos, anguium modo loripedem; et 5, 8, 8. Himantopodes loripedes, quibus serpendo ingredi natura est. *Juven.* 2, 23. Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus. *Pl. Poen.* 3, 1, 7. Nequicquam hos procos mihi elegi loripedes, tardissimos, [*h. e.* qui tarde incedunt, ut ii solent, qui distortis sunt cruribus. *Gloss. Philox.* Loripes, κυλλοποδίων. *F.*]

*LORĪUM, i, n. oppidum Etruriae. *Capitol.* in *Antonino Pio* 12. *Eutrop.* 8, 4. (al. 8.) ℙ *Lorii, orum*, audit *Anton. Itin.* et *Aurel. Vict.* in *Epit. de Antonino Pio. B. A.*

LŌRUM, i, n. ἱμάς, corrigia ex corio in usum colligandi aliquid, et continendi. *Cic. Har. resp.* 11. Si ludius constitit, aut puer ille tensam, aut lorum omisit. *Mart.* 2, 57. Recensque sella linteisque, lorisque. *Curt.* 4, 6. *f.* Per talos spirantis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi. *Prop.* 3, 12, 9. Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris. *Pl. Epid.* 5, 2, 18. Vincire vis? en, ostendo manus: tu habes lora. *Liv.* 9, 10. *f.* Cum apparitor Postumium laxe vinciret, quin tu, inquit, adducis lorum? *Ov. Met.* 10, 114. Bulla super frontem parvis argentea loris Vincta movebatur. *Grat. Cyn.* 213. de cane: celsa lorum cervice ferentem. Adde *Plin.* 8, 40, 61. [*Adde *Sen. Thyest.* 497. longo sagax Loro tenetur Umber. *Plin. H. N.* 8, 61. Comitantem ad feram inquisitorem loro trahens. Laudat haec praeter alia *Cort.* ad *Lucan.* 4, 444. nec creditur ullae Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et praeda nescit latrare reperta, Contentus tremulo monstrasse cubilia loro: ubi *lorum* eadem ratione intelligi volunt de funiculo, quo venatores canes ducere solent, quod nos dicimus *Fangleine, Leine. Cort.* et *Mart. Lag.*: castigatione perperam fortasse adhibita iis, qui per *lorum* canis caudam intelligunt: quam interpretationem et ex antecedd., in quibus de ligandis canibus sermo est, et ex voce *tremulo*, potius caudae, quam loro congrua, facile probaveris.] ℙ De cesto, seu zona Veneris. *Mart.* 6, 21. Dixit, et arcano percussit pectora loro. ℙ De bulla scortea, quae loro suspensa gestabatur in collo a pueris libertinis, ut *Ascon.* docet. *Juven.* 5, 165. Vel nodus tantum, et signum de paupere loro. V. BULLA. ℙ Saepe dicitur de habenis. *Liv.* 35, 34. *f.* Desilire omnes ex equis jussit, et loris ducere equos. *Phaedr.* 3, 6. Et lora fraenis continet spumantibus. *Virg. G.* 1, 106. illi instant verbere torto, Et proni dant lora: volat vi fervidus axis. Sic *A.* 1, 160. Flectit equos, curruque volans dat lora secundo; et *ib.* 5, 156. immissis aurigae undantia lora Concussere jugis. *Ov. Amor.* 1, 13, 10. ad Auroram: Roscida purpurea supprime lora manu; et 3, 2, 72. ad aurigam circens.: Tende precor valida lora sinistra manu. *Id. Met.* 2, 127. ad Phaethont.: Parce, puer, stimulis, et fortius utere loris; et *ib.* 200. mentis formidine lora remisit. ℙ Item de scutica e corio, qua servi caedebantur, et in scholis pueri. *Ter. Ad.* 2, 1, 28. Usque ad necem operiere loris. *Pl. Ps.* 1, 2, 12. Ita ego vestra latera loris faciam, ut valide varia sint. *Hor. Ep.* 1, 16, 46. Loris uri. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. *med.* Servum loris rumpere. *Cic. Phil.* 8, 8. Cum eum in convivio servi publici loris ceciderunt. *Mart.* 10, 62. Scuticaque loris horridis Scythae pellis, Ferulaeque tristes, sceptra paedagogorum. ℙ Lorum vomitorium ap. *Scrib. Comp.* 180. est corrigia medicamento illita ad movendum vomitum. ℙ Per catachresin dicitur de flagellis vitium. *Plin.* 14, 1, 3. Villas, et domos ambiri singularum palmitibus, ac sequacibus loris, etc. ℙ Item de pene languido. *Petr. Sat.* 13. Lorum in aqua, non inguina habet. Adde *Mart.* 7, 58. et 10, 55. ℙ *Lorus* masc. gen. *Appul. Met.* 3. Lorum quempiam sinu suo depromit; et *paulo post:* Nequissimus, audacissimusque lorus iste. *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* Lorus in aqua, lentior cantherio. **Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 6, 480. Lorus latus, corium non confectum. *B. A.*

*LORYMA, orum, n. τὰ Λώρυμα, oppidum Cariae, cum portu cognomine, e regione Rhodi insulae. *Liv.* 37, 17. et 45, 10. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

LOTĀRĬA, ae, f. quae pannos lavat. *Muratorius* Inscription. illam 908, 6. ita legit: Junia Favorina Aug. N. serva lotar*ia*.

[LOTASTER, tri, m. lotos silvestris, ex qua hastilia fiebant: ita vero declinatur etiam oleaster, et pinaster. *Grat. Cyn.* 131. Et magis in comptus operae lotaster agrestis Termes. Sic legit *Wernsdorfius* pro *lutoser*, ut est in quibusd. MSS., is vero nititur auctoritate *Plinii*, 16, 30, 53., qui loton arborem similem illi, quae Africae propria est, sed degenerem memorat. *F.*]

LOTĬO, onis, f. κλυσμὸς, actus lavandi, lotura, lavatio: a *lotus. Vitr.* 7, 9. Glebae minii cum sunt aridae, pilis ferreis contunduntur: et lotionibus, et cocturis efficitur, ut adveniant colores. ℙ Speciatim ita dicitur clyster, quo alvus abluitur, et ducitur: id ipsum enim et Graeca vox significat, a κλύζω, lavo. *Cels.* 2, 12. *n.* 2. Plerumque vero alvus lotionibus ducenda est. [At hic *Targa* ex MSS. legit *alvus potius ducenda est*, et illud *lotionibus* a *Lindenio* intrusum respuit omnino. *F.*]

LOTĬOLENTE, adv. lutulente, impure, foede: a *lotium* derivatur. *Titin.* ap. *Non.* 2, 485. [Lotiolente flocci fiet ejus culus ultro. Ita legend. *Bothe*, et moechorum poenam hic significari recte putat, de qua *Hor. Sat.* 1, 2, 44. *F.*]

LOTĬS, idis, et Lotos, i, f. Λωτὶς, Λωτὸς, Nympha quaedam fuit filia Neptuni, quam cum amatam Priapus persequeretur, illa Deorum miseratione in arborem conversa est, quae vulgo faba Syriaca dicitur. *Serv. ad G.* 2, 84. et *Ov. Met.* 9, 347. et *Fast.* 1, 415. et sqq.

LOTĬUM, ii, n. οὖρον, urina: a *lotus*, quia intus humore eo corporis partes abluuntur, per quas meat. *Suet. Vesp.* 23. Reprehendenti filio Tito, quod et urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, num odore offenderetur: at illo negante, Atqui, inquit, e lotio est. *Cato R. R.* 156. Brassica alvum bonam facit, lotiumque: et *ib.* 127. Ubi voles cibum concoquere, et lotium facere; et *ib.* 156. *f.* Quibus aegre lotium it, quibusque substillum est; et *ib.* 122. Si lotium difficilius transibit. ℙ *Non valet lotium suum*, proverb. de homine nihili ap. *Petr. fr. Trag.* 57. *Burm.* ℙ Consuevisse Hispanos lotio fricare dentes, quo candidiores essent, indicat *Catull.* 39. et *Appul. Apol.*

LŌTOMETRA, ae, f. λωτομήτρα, genus loti, ex cujus semine, milio simili, fiunt panes in Aegypto a pastoribus, maxime aqua et lacte subacto. *Plin.* 22, 21, 28.

LŌTOPHĂGI, orum, m. plur. λωτοφάγοι, populi in Africa, ad Syrtim parvam, in insula Lotophagite, in conspectu Neapolis. Dicti sunt a *lotos*, et φάγω, edo quod arboris ejus fructu credantur victitare. *Plin.* 5, 4, 4. et *ib.* 7, 7. et *Fest.* ℙ Hi habiti sunt benigni maxime, atque hospitales, ita ut qui ad eos appellerent, comitate eorum, et cibi suavitate capti, ad patriam terram redire, nisi inviti, coactique, non solerent. Hinc *Ov. R. Am.* 789. Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro Esse puta: remis adjice vela tuis. *Sil.* 3, 310. Spectati castris, quos succo nobilis arbor, Et dulci pascit lotos nimis hospita bacca. *Virg. Cul.* 124. lotos Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit, Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos. *Hyg. fab.* 125. narrat, duos Ulyssis socios gustato loti fructu, oblitosque reditus in patriam, ab eo vinctos ad navem reductos fuisse. Ideo *impiam* dicit *Virg.* quod impios in patriam fecerat. *Plin. l. c. genit. plur.* habet *Lotophagon*, Graecam positionem retinens, Λωτοφάγων.

*LOTOPHAGĪTIS, idis, f. Λωτοφαγῖτις, insula. V. in *Lotophagi. B. A.*

LŌTOR, oris, m. qui lavat, idem ac lutor, seu fullo. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 64. Dianae Aug*ustae* colleg*ii* lotor*um* sacrum. Alia *ib.* Sacerdos colleg*ii* lotorum. V. LUTOR.

LŌTOS, i, f. λωτὸς, arbor Africae in ea parte, quae vergit ad nos, praecipue vero circa Syrtes, atque Nasamonas: magnitudine piri, incisuris tamen foliorum crebrioribus, ita ut ilicis esse videantur: fructu magnitudine fabae, colore croci, cum maturuerit: qui nascitur densus in ramis, myrti modo, tam dulcis in cibo, ut nomen etiam genti terraeque dederit, nimis hospitali advenarum oblivione patriae. (V. LOTOPHAGI.) Ligno color niger, ad tibias faciendas aptissimo. Radix cultellis capulos, brevesque alios usus praebet. [*Rhamnus Lotus, *L.*, vel Zizyphus Lotus, *Lamarck*, *der essbare Judendorn.*] Nascitur, et in Italia, sed mutata in multis. *Plin.* 13, 17, 32. et *Fest.* [*Alias *Celtis* dicitur. Celtis Australis, *L.*, *der gemeine Zürgelbaum.*] ℙ In Italia quae provenit, appellatur alio nomine faba Graeca, cerasorum paene natura. *Id.* 16, 30, 53. et 24, 2, 2. [*Diospyros Lotus, *L.*, *die ital. Dattelpflaume.*] ℙ In fabulis Nympha fuit in arborem sui nominis conversa. V. LOTIS. ℙ Per synecdochen est tibia ex loto. *Ov. Fast.* 4, 190. et horrendo lotos aduncа sonо. *Sil.* 11, 432. Ut strepit assidue Phrygiam ad Nilotica loton Memphis. Adde 8, 506. Et mascul. gen. *Mart.* 8, 51. Palladius tenero lotos ab ore sonat. *Plin.* 16, 36, 66. tradit sacrificas tibias e buxo fieri consuevisse, ludicras vero e loto, ossibusque asininis, et argento. ℙ Est eodem nomine et herba, et in Aegypto caulis e palustrium genere, similis fabae, foliis densa congerie stipatis, brevioribus tantum, et gracilioribus, fructu in capite papaveri simili incisuris, omnique alio modo intus granis ceu milii. Incolae capita in acervis putrefaciunt, mox separant lavando, et siccata tundunt, eoque pane utuntur. Nascitur in riguis post recessum Nili. *Plin.* 13, 17, 32. [*Nymphaea Nelumba, *L.*, vel Nelumbium speciosum, *Willd.* Sacra erat ap. Aegyptios, quorum in monumentis saepissime occurrit. Hodie nonnisi ap. Indos nascitur. ℙ Est etiam herbae pratensis genus, jucundum pecudis pabulum, nobis *Steinklee*, Trifolium melilotus officinalis, *L. Virg. G.* 3, 394.]

LŌTŪRA, ae, f. κλύσις, lotio, lavatio. *Plin.* 34, 13, 33. Pompholyx lotura paratur, spodos illota est. *Mart.* 2, 52. Novit loturas Dasius numerare.

LŌTUS, a, um, part. a *lavo*, *is*, lautus. *Petr. Sat.* 30. *extr.* Vestimenta Tyria sine dubio, sed jam semel lota. *Plin.* 24, 11, 62. Pure lotis pedibus herbam legere. *Id.* 28, 9, 37. Axungia vino lota. *Mart.* 10, 11. toga. *Juven.* 6, 463. cutis. *Stat. Silv.* 1, 5, 62. Neronea nec qui modo lotus in unda. ℙ *Prud. Apoth.* 555. lotus procul absit, et unctus, *h. e.* Christianus baptismo et chrismate tinctus.

LŌTUS, us, m. lotio. *Cels.* 1, 3. de his, quae calef. et refrig.: Refrigerant omnia acida, aqua, oleum, et lotus. [At *Targa* vocem *lotus* omisit; eam enim invitis Codd. induxerat *Lindenius. F.*]

*LOVĬA, ae, oppidum Pannoniae inferioris. *Tab. Peut.* et *Ant. Itin. B. A.*

[LOUSONNENSIS, e, adj. ad Lousonnam pertinens, Helvetiae urbem, ad lacum Lausonium seu Lemanum, nunc *Lousanna* appellatam. *Inscr.* ap. *Mur.* 2053, 6. Soli, Genio Lunae sacrum ex voto pro salute Augustorum P. Clodius Corn. Primus curator vicanorum Lousonnensium. Fortasse est in lapide *Lausannensium*, nam *Lausanna* urbs legitur in *Tab. Peut.*, et *lacus Lausonius* in *Itin. Anton. F.*]

LOXĬAS, ae, m. λοξίας, cognomen Apollinis: a λοξὸς, obliquus, vel propter obliqua et tortuosa responsa, quae hujus vates reddebant, quo facilius consultoribus imponerent: vel quod Apollo, idest Sol Zodiacum oblique pererrat: vel quod transversos in nos a meridie immittit radios. *Macr. Sat.* 1, 17. Sed haec ad Graecos pertinent.

LU

LŪĂ, lae, f. Dea, quae purgationibus praecerat: a luendo, idest purgando. Unde et ei ad lustrandam post proelium hominum caedem, hostium arma spoliaque incendebantur. *Liv.* 8, 1. et 45, 33. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 238. Luae sacrum L. Albanius L. F. Claudia Sabinus Rheat. praefectus fabrum, etc. *Gell.* 13, 22. docet, in libris sacerdotum populi R., quibus continebantur solemnes preces, quae ritu Romano fiebant, scriptum esse *Luam Saturni*, *Salaciam Neptuni*, *Horam Quirini*, etc. ex quo intelligitur, Saturni filiam fuisse habitam.

[LŪĀLIS, e, adj. qui poenam luere debet. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 34. *in carm.* Tractus luales, atque bella percita. *F.*]

LŪBET cum derivatis. V. LIBET.

*LUBIĒNI, orum, populi Asiae, in Iberia degentes. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

*LUBIENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Vibienses. B. A.*

LUBRĪCĀTUS, a, um, part. a *lubrico:* lubricus, seu laevis factus. *Arnob.* 1, 22. Lubricatum lapidem, et ex ulivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis praesens, adulabar.

LUBRĪCO, as, a. 1. lubricum facio. *Juven.* 11, 173. Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem. *Prud.* περὶ στεφ. 11, 35. Nunc pretiosa ruit (*oleum*) per marmora, lubricatque clivum. *Appul. Met.* 7. Limo coenoso ripae supercilium lubricante. ℙ Translate. *Id. Psych.* 571. letum versatile, et anceps Lubricat incertos dubia sub imagine visus.

LUBRĪCUS, a, um, adj. ὀλισθηρὸς, ἐπισφαλὴς, dicitur de re, in qua quis nequit pede consistere, ut est terra argillosa humecta, marmor levigatum, glacies, et hujusmodi. Videtur esse a *lābor*, *eris*, mutata vocali. [*V. *Doederl.* 1, 133.] *Cic. Fl.* 42. Viam praecipitem et lubricam planae et stabili

praeponere. *Pl. Mil.* 3, 2, 38. In cella est paulum loculi lubrici. *Mart.* 4, 18. assiduo lubricus imbre lapis. *Cels.* 8, 3. Instillare paululum lactis, quo magis lubrico scalprum circumagatur. *Tac. A.* 1, 65. Equis sanguine suo, et lubrico paludum lapsantes. *Plin.* 36, 14, 21. In lubrico atque instabili fundamenta locare. [**Liv.* 44, 9. testudini injecta (tela) imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Oppon. *stabile solum.*] ℙ Pro attrito et laevi. *Mart.* 9, 58. Nec crus compede lubricum decenni. *Plin.* 36, 12, 17. Sphinx saxo naturali elaborata et lubrica. ℙ Translate est periculosus, anceps, in quo facile labi, atque errare contingit. [*Ita maxime *Ciceroni* et *Tacito* frequentatur. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 296. sq.] *Cic. Coel.* 17. Viae adolescentiae lubricae, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix potest. *Id. Verr.* 2, 5, 52. Aetas puerilis maxime lubrica atque incerta: *(lubricum aetatis* appellat *Plin. ep.* 3, 3.) *Id. Phil.* 5, 18. Cupiditas dominandi praeceps et lubrica. *Id. Planc.* 2. Perdifficilis, et lubrica defensionis ratio. *Id. Or.* 28. In lubrico versari. *Plin. ep.* 1, 8. Anceps et lubricus locus; *scil.* de munificentia sua verba facere. *Gell.* 14, 1. *f.* Lubrica atque ambagiosa conjectatio. *Quint.* 1, 5. Ne quem tam lubrica observatio fallat. *Hor. Od.* 1, 19, 8. Et vultus nimium lubricus aspici, *h. e.* in quo aspiciendo periculum est, ne amoris igne flagres. (Sic *Mart.* 9, 57. Dum puer es, redeas, dum vultu lubricus.) *Modest. Dig.* 48, 4, 7. Lubricum linguae non est ad poenam facile trahendum. [**Sil.* 7, 542. pro lubrica rostra, Et vanis fora laeta viris! *Tac. Dial.* 13. lubricum forum.] ℙ Est etiam *lubricus*, qui facile movetur, et elabitur. *Cic. N. D.* 2, 57. Natura lubricos oculos fecit, et mobiles. *Virg. A.* 5, 84. lubricus anguis. *Tibull.* 2, 5, 14. Lubrica exta. *Plin.* 9, 20, 37. Lubrici pisces. [**Hor. Sat.* 2, 4, 30. Lubrica nascentes implent conchylia lunae: ubi v. *Heindf.* qui *lubricus* idem intell. quod nos dicimus *schleimig*, perquam laudans apposite *Stat. Silv.* 4, 6, 11. Lubrica qua recubent conchylia mollius alga.] *Plin.* 2, 3, 3. Lubricum corpus laevitate continua. *Id.* 22, 25, 66. Hippocrates ptisanam sorbitionis gratia laudavit, quoniam lubrica ex facili hauriretur. *Hor. Epod.* 13, 14. et *Ov. Amor.* 3, 6, 81. Lubricus amnis. *Id. Fast.* 5, 476. Lubrica prensantes effugit umbra manus. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. *med.* Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat: namque omnia ejus membra connexa sunt: quoniam lubrica est, ac fluit. ℙ Cum infinito. *Sil.* 5, 18. Flore capi juvenum primaevo lubrica mentem Nympha, nec Idalia lenta incaluisse sagitta, *h. e.* facilis capi, et amores saepe mutans. ℙ Substantivi more. *Macr. Sat.* 7, 3. Objiciens tanto viro lubricum fidei, *h. e.* fluxam fidem. *Ulp. Dig.* 4, 4, 11. *med.* Lubricum aetatis, *h. e.* levitas juvenilis, et inexperientia rerum. *Papin. ib.* 22, 1, 3. tutelae. *Callistrat. ib.* 5, 3. *f.* consilii. *Appul. Met.* 1. *in.* Post ardua montium, et lubrica vallium. Adde *Plin. ep.* 3, 3. ℙ Est etiam fugax, velox, fallax. *Ov. A. Am.* 3, 364. quot menses lubricus annus habet. *Virg. A.* 11, 716. Nequicquam patrias tentasti lubricus artes. V. LIGUR. *Val. Fl.* 2, 555. acri lubricus astu. *Cornel. Sever.* in *fragm. de morte Cic.* ap. *Sen. Suasor.* 7, 19. Lubrica fata.

LŪCĀ, ae, f. urbs Etruriae, de qua V. in LUCENSIS.

LUCĀNĬĀ, ae, f. *Basilicata*, regio Italiae in magna Graecia, Bruttiis, Apuliae, et Campaniae contermina: cujus populi Lucani, a Samnitibus orti, duce Lucio, ut *Plin.* docet 3, 5, 10. lisdem olim legibus liberos suos, quibus Spartani, instituere solitos, *Just.* tradit 23, 1., in lucis inter pastores initio pubertatis, sine veste, sine tecto agere cogentes, et praeda venatica vivere, ut bellicis laboribus consuescerent. ℙ Varias hujus appellationis causas affert *Festus:* quod eorum regio sita est ad partem stellae luciferae, vel quod loca cretosa sunt, id est multae lucis: vel a Lucilio (lege *Lucio*) duce; vel quod primitus in luco consederunt. Atque haec postrema causa verior est: nisi malis cum aliis dicere, quod eorum terra ex argillae copia praecipue albescat: unde Graece *Λευκανοί*. Alii vero, cum ex *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 150. constet, veterrimos eorum nummos inscriptos esse *ΛΟΥΚΑΝΩΝ*, alios *ΛΥΚΙΑΝΩΝ*, eosdemque saepe lupi caput repraesentare, recte putant a luporum copia, qui Graece *λύκοι* dicuntur, Lucaniam appellatam fuisse. ℙ *Fuit et Lucania recentius dicta, quae antea Lycaonia, si credendus *Jul. Valer.* 1, 16. *rerum gest. Alex. M.*, ed. *A. Maio. B. A.*

LUCĀNĬCĀ, ae, f. *ἁλλᾶς*, genus farciminis ex porcinis carnibus concisis: a Lucanis populis, a quibus Romani milites primum didicerunt, ut *Varr. L. L.* 4, 22. docet. *Mart.* 13, 35. Filia Picenae venio lucanica porcae. *Id.* 4, 46. Et lucanica ventre cum Falisco. *Stat. Silv.* 4, 9, 35. Non lucanica, non graves Falisci. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* Solebam antea delectari oleis et lucanicis tuis. ℙ Confectio lucanicae sic habetur apud *Apic.* 2, 4., nempe intestinum fartum ex pulpa porcina bene tunsa, admixtis pipere trito, cumino, satureja, ruta, petroselino, baccis lauri, liquamine, etc. Ipsum intestinum tenuiter producitur, et ad fumum suspenditur.

LUCĀNĬCUS, a, um, adj. Lucanus. *Spart. Carac.* 5. Cum Germanos subegisset, Germanicum se appellavit, vel joco, vel serio, ut erat stultus et demens, asserens, si Lucanos vicisset, Lucanicum se appellandum. *Charis.* 1, 73. Lucanicum, intelligitur pulmentum et intestinum: hic Lucanicus, subauditur botulus, vel apparatus: et haec Lucanica, intelligitur hira, *h. e.* intestinum, aut aliud, quod unusquisque intelligere voluerit. Sumptum est enim nomen ab inventoribus Lucanis.

LUCĀNUS, a, um, adj. ad Lucaniam pertinens. *Liv.* 8, 24. Lucanae legiones. *Id.* 9, 17. Lucani montes. *Hor. Epod.* 1, 28. Lucana pascua: *(scil.* lautissima alendis armentorum numerosis gregibus. Hinc *Calpurn. Ecl.* 7, 17. Omnia Lucanae donet pecuaria silvae.) *Id. Sat.* 2, 3, 234. Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Coenem ego. *Stat. Th.* 8, 533. setigeram Lucana cuspide frontem Strictus aper. *Varr. R. R.* 1, 25. et *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Lucanum vinum. *Stat. Silv.* 3, 2, 85. mare, *h. e.* Tyrrheni ea pars, quae Lucaniam alluit. *Mart. Spect.* 8. Lucanus ursus; *scil.* quia Lucani montes eo ferarum genere abundabant. Horum meminit et *Ov. Halieut.* 57. ℙ *Lucani, orum*, Lucaniae populi. *Cic., Hor., Liv., Plin.* etc. ℙ Genus quoddam scarabeorum grande, praelongis cornibus, quae bisulcis sunt dentata forcipibus in cacumine, et cum libuit, ad morsum coeunt, infantium etiam remediis e cervice suspendi solitum, *Lucanos* vocat *Nigid.* ap. *Plin.* 11, 28, 34.

LUCĀNUS, i, m. M. Annaeus Lucanus, Cordubensis, filius Annaei Melae, qui Senecae philosophi frater fuit, puer Romam translatus, vixit sub Nerone, gessitque quaesturam, et sacerdotium auguratus obtinuit. Inter amicos principis adscitus, conjurationi Pisonianae (de qua *Suet. Ner.* 36. et *Tac. A.* 15, 49. et 70.) nomen dedit, indignatus, quod studia sua poetica Nero insectaretur: sed detectus, jussusque venas incidere, periit aetatis anno vigesimo septimo. Scripsit heroico carmine bellum civile Pompeji, et C. Caesaris, quod Pharsalia nominatur: item Saturnalia, Silvarum libros decem, tragoediam Medeae, de incendiis Trojae ac Romae, Orpheum, fabulas complures et epistolas: quae omnia, praeter Pharsaliam, periere. Dictio ejus Latina est, et pura, et carmina magni spiritus. Sed quod ad poeticam vim attinet, multi eum oratoribus magis, vel declamatoribus adnumerari dignum censent, quod historiam, non poema composuisse videatur; quorum est princeps *Quint.* 10, 1. *med.*, cum alioquin ardentem, et concitatum, et sententiis clarissimum esse dicat. Adde *Serv.* ad *A.* 1, 386. Hinc *Mart.* 14, 194. cujus lemma est, *Lucanus.* Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam: Sed qui me vendit bibliopola, putat. Laudat eum *Id.* 1, 62. et 7, 21. et 22. et *Stat. Silv.* 2, 7. quae *Genethliacon Lucani* inscribitur.

LŪCAR, āris, n. inquit *Festus*, appellatur aes, quod ex lucis captatur. Idem in voce *Pecunia:* Pecunia, quae erogatur in ludos et spectacula, appellatur lucar (al. leg. *lucaris*), quod e lucis captetur. Idem in *Lucaris:* Lucaris pecunia, quae in luco erat data. Hujusmodi pecunia erogabatur ab iis, qui lucos possiderent. Unde in *Inscr.* ap. *Grut.* 436, 5. laudatur liberalitas P. Marii Luperciani, qui lucar redemptum a republica sua universis civibus suis in perpetuum remiserat. Videtur autem assignata fuisse mercedibus histrionum et ludionum. Unde *Tac. A.* 1, 77. De modo lucaris, et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur. *Tert. adv. Gnost.* 8. de Jo. Bapt.: Contumeliosa caede truncatur in puellae salticae lucar. [*V. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 297. ubi plura invenies.] ℙ Ap. *Liv.* quoque nonnulli hanc vocem legunt, ubi refert responsum oraculi Delphici, 23, 11. Pythio Apollini, republica vestra bene gesta servataque, lucaris meriti donum mittitote, *h. e.* praemii. Sed al. *lucris meritis:* al. *lubentes merito*, etc. ℙ Paenultimam genitivi brevem esse, docet *Charis.* 1, 65.

LUCĀRĬA Festa, in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam et Tiberim fuit: pro eo quod victi a Gallis, fugientes e proelio, ibi se occultaverunt. Ita *Festus.* At *Varr. L. L.* 5, 8. ex lectione *Scalig.* Lucaria a luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus. ℙ Celebrabantur mense Julio, in quo XIV. cal. Aug. legitur in *vet. Calendar.* (ap. *Grut.* 133.) Lucar. N. P. *h. e.* Lucaria, nefastus primo; et XII. cal. Lucar. Lud. *h. e.* Lucaria, ludi. *Masurius* apud *Macr. Sat.* 1, 4. Eam noctem, deincepsque insequentem diem, qui est Lucarium: pro *Lucariorum.*

[LUCĀRĬA, ae, f. ludi custos. V. *Ducang. Gloss. med.* et *inf. Latin.* in V. *Lucarius.* Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 305, 6. Umbria Lucaria. *F.*]

LŪCĀRIS Pecunia. V. LUCAR.

*LUCAS, ae, m. *Λουκᾶς*, Evangelista. Meminit *Prud. Apoth.* 1002. *B. A.*

LŪCAS Bos, et Luca Bos, veteribus Romanis, et rudibus primo dictus est elephantus. Cum enim hanc feram primum vidissent in Lucania, Pyrrhi bello, ut est ap. *Plin.* 8, 6, 6. maximam autem quadrupedem, bovem nossent, et praecipuae magnitudinis essent Lucani boves, ut colligitur ex illo *Lucil.* ap. *Non.* 4, 349. *Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri Ducere protelo validis cervicibu' possent;* factum est, ut nullum aptius nomen significando elephanti esse ipsis videretur, quam si bovem Lucam nominarent. Haec nominis ratio (quam scriptam reliquit, teste *Varr. L. L.* 6, 3. *med.*, Verginius) multo est verisimilior, quam ea, quam tradit ipse *Varr. ib.*, quod dictus sit a luce, quia Pyrrhi elephanti procul lucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres ornatae erant: item quam ea, qua *C. Aelius ib.* a *Libycis* dictos *lucas* arbitratur. *Lucr.* 5, 1301. Inde boves Lucas turrito corpore tetros. *Sil.* 9, 573. moderantem cuspide Lucas Maurum in bella boves. Adde *Sen. Hippol.* 352. *Auson. ep.* 15, 12. et *Enn.* ap. *Varr. l. c.*, cujus verba V. in LOCUSTA. ℙ In recto singulari duplex est positio, ut diximus. Et quidem *Luca* habetur ap. *Varr. ib.* Porro *Lucas* dictum putat *Voss.* in *Etym.* pro *Lucans:* et hoc e *Lucanus* factum esse, ut *Picens* pro *Picenus.*

*LUCCEIUS, i, m. Pompejo familiaris, amicus Ciceronis, scripsit de bello Italico et Civili. *Cic. Fam.* 5, 12. *Att.* 1, 17. et 19, 1. *B. A.*

*LUCEIUM, i, n. castellum Deiotari in Galatia. *Cic.* pro *Dejot.* 6. *B. A.*

LŪCELLUM, i, n. *κερδύφιον*, parvum lucrum, quaesticulus. *Cic. Verr.* 2, 3, 30. Si Apronio, deliciis praetoris, lucelli aliquid jussi sunt dare. *Id. ib.* 44. Facere aliquid lucelli. *Sen. ep.* 5. Hujus diei lucellum tecum communico. *Catull.* 28, 6. Ecquidnam in tabulis patet lucelli? *h. e.* pecuniae seu lucri vobis a praetore expensi et dati. *Hor. Sat.* 2, 5, 102. tecum partita lucellum.

*LUCENI, orum, populi Hiberniae. *Oros.* 1, 2. *B. A.*

LŪCENS, entis, part. a *luceo: φαίνων*, splendens, lucidus. *Lucr.* 5, 609. rosea sol alte lampade lucens. *Virg. A.* 6, 725. Lucens lunae globus. *Ov. Fast.* 3, 270. Lucentes faces; et *Met.* 2, 24. sedebat In solio Phoebus claris lucente smaragdis. *Manil.* 1, 866. Sidera per tenues coelo lucentia flammas. *Ov. Met.* 4, 297. videt stagnum lucentis ad imum Usque solum lymphae. *Stat. Silv.* 1, 3, 36. An picturata lucentia marmora vena Mirer? *Id. Th.* 9, 691. Lucentes auro tunicae? *Mart.* 11, 98. Non ulcus acre, pustulaeque lucentes, *h. e.* igneae et rubentes. ℙ Translate. *Mall. Theod. de metr.* 9, 7. His (pedibus) metri hujusce lucentior et latior usus esset.

LŪCENSIS, e, adj. *Lucchese*, ad Lucam pertinens, quae urbs est in Etruriae, et Liguriae confinio, olim R. colonia, ad amnem Auserem. *Cic. Fam.* 13, 13. Lucense municipium. ℙ *Lucensis conventus* ap. *Plin.* 3, 3, 4. dictus est a Luco Asturum, Hispaniae oppido. ℙ *Lucenses* sunt etiam incolae oppidi in Italia cui pariter nomen est *Luco*, ad Fucinum lacum. *Id. ib.* 12, 17. ℙ Denique *Lucensia ostrea* dicuntur ab *eodem* 32, 6, 21. quae capiuntur in mari circa Lucentum oppidum Hispaniae citerioris, nunc *Alicante:* de quo *Id.* 3, 3, 4.

[LŪCENTĪNUS, a, um, adj. qui est ex oppido Lucento, seu Lucentia, ut illud appellat *Mela* 2, 6., in Hispania citeriore, idem ac *Lucensis.* V. h. v. Hinc factum cogn. R. *Inscr.* in Hispania ap. *Grut.* 980, 2. Terentia Lucentina. *F.*]

*LUCENTUM, i, n. opp. Hispaniae Tarraconensis in agro Contestanorum, ad mare Mediterraneum. V. LUCENSIS et LUCENTINUS. *B. A.*

LŪCĒO, es, xi, n. 2. *λάμπω*, lucem emitto, splendeo, fulgeo. [**Doederl.* 2, 76. discrimen inter *lucere* et *fulgere* in eo ponit, quod illud *lumen* significet lenius emissum, nostr. *leuchten;* hoc splendorem vi quadam ejaculatum, nostr. *blitzen.*] Etym. v. in LUX. *Cic. Somn. Scip.* 3. *extr.* Stella illa, quae ultima a coelo, citima terris, luce lucebat aliena. *Virg. A.* 11, 143. lucet via longo Ordine flammarum. [*Adde *ib.* 9, 383. Rara per occultos lucebat semita callis: ubi v. *Heins.* qui praeter alia laudat *Prop.* 2, 14, 17. Ante pedes caecis lucebat semita nobis, i. e. clare et conspicue apparebat. *Stat. Th.* 9, 641. Interior coeli, qua semita lucet. *Val. Fl.* 1, 841. Lucet via late Igne Dei.] *Ov. Her.* 11, 104. Ut meus ex isto luceat igne rogus. [**Tibull.* 1, 1, 6. Dum meus assiduo luceat igne focus, i. e. dummodo vitae necessitatibus haud indigeam. V. *Heyn.* Respexit hunc locum *Stat. Silv.* 1, 2, 255. divesque foco lucente Tibullus.] *Virg. A.* 6, 603. lucent genialibus altis Aurea fulcra toris; et *ib.* 8, 660. virgatis lucent sagulis. [*Multi edd. praebent *fulgent.* Utrumque et *lucere* et *fulgere* de eadem re dici solet. V. *Burm.* ad h. l.] *Ov. Amor.* 3, 3, 6. niveo lucet in ore rubor. *Id. Met.* 1, 239. lucent oculi. *Val. Fl.* 6, 492. Lilia per vernos lucent velut alba colores. [**Suet. Tib.* 74. Cinis — exarsit, atque in multam noctem pertinaciter luxit. *Sil.* 16, 91. en unquam lucebit in

orbe Ille dies, etc. i. e. aderit.] ℙ Pro translucere, apparere. *Prop.* 2, 2, 25. si qua Arabio lucet bombyce puella. *Mart.* 8, 68. Femineum lucet sic per bombycina corpus. *Stat. Th.* 8, 525. summae qua margine parmae Ima sedet galea, ut juguli vitalia lucent, *h. e.* nuda patent. ℙ *Lucere facem alicui*, modus loquendi rarior, *h. e.* facem praeferre, et praebere lumen: *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 30. huic lucebis novae nuptae facem. *Enn.* ap. *Fest.* in *Prodinunt.* Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent. ℙ *Lucet*, dies est. *Pl. Mil.* 3, 1, 115. Prius quam lucet, adsunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim. *Catull.* 14, 17. Nam si luxerit, ad librariorum Curram scrinia, etc. *Cic. Rosc. Am.* 34. Nondum lucebat, cum Ameriae scitum est. ℙ *Lucet hoc*, et *luciscit hoc* dicebant δεικτικῶς, *h. e.* digito coelum indicando; et dici lucem adesse significabant. V. HIC pronom. ℙ Translate est apparere, clare videri, conspicuum, pulcrum esse. *Cic. Manil.* 14. Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet. *Id. Att.* 3, 15. *med.* Mea officia et studia, quae parum ante luxerunt (fatendum est enim) sic exsequar, ut, etc. *Id. Mil.* 23. Cum res ipsa tot, tam claris argumentis signisque luceat. *Id. Sext.* 28. Virtus lucet in tenebris, splendetque per se semper. *Stat. Ach.* 2, 149. qualis Siculae sub rupibus Aetnae Naides Ennaeas inter Diana, feroxque Pallas et Elysii lucebat sponsa tyranni. ℙ Part. *Lucens.* V. s. l.

LUCĔRENSES et Lucĕres (quae tertia centuria equitum constituta a Tatio et Romulo) appellati sunt a Lucero Ardeae rege, qui auxilio fuit Romulo adversus Tatium bellanti. Ita *Festus:* tametsi *Liv.* ejus nominis originem incertam esse dicit 1, 13. *f. Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 5. ait, centurias fuisse tres numero ab initio constitutas, neque tamen centurias, sed tribus appellat his verbis *c.* 5. Tribus principio tres fuerunt: Tatiensis una, a Tatio rege: Ramnensis altera, a Romulo: Luceres altera, a Lucumone, sive Lucretino, sive a luco, quem lucum Asylum vocaverat Romulus. Post de nominibus Sabinarum plures factae, etc. *Varro* etiam tribus vocat *L. L.* 4, 9. Ager, inquit, Romanus primum divisus in partes tres: a quo tribus appellatae Tatiensium, Ramnium, Lucerum: nominatae, ut ait Ennius, Tatienses (al. *Taties*) a Tatio, Ramnenses (al. *Ramnes*) a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia haec vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat. Haec *Varro.* Idem colligitur ex *Ov.* et *Prop.* mox afferendis. Ideo autem *tribus* dicuntur, quia ex ipsis tribubus selectae sunt. V. TRIBUS. Quod vero de Lucumone ajunt *Ascon.* et *Varro*, confirmatur a *Serv.* ad *A.* 5, 560. [et a *Cic. de Rep.* 2, 8. (ed. *A. Maio*), *F.*] quin et ipse *Fest.* qui in allatis verbis a Lucero derivat, paulo post in *Lucomedi* cum illis consentit. ℙ Prima syllaba et brevis est, et longa. *Ov. Fast.* 3, 131. Quin etiam partes totidem Tatiensibus idem, Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit. *Prop.* 4, 1, 31. Hinc Taties, Ramnesque viri, Luceresque coloni.

*LUCERIA, ae, f. Λουκερία, urbs Apuliae, Daunorum olim colonia. *Plin.* 3, 11. *Cic. Fam.* 15, 15. *Id. Att.* 7, 12. et 8, 11. *in.* et *Cluent.* 69. *extr. Caes. B. C.* 1, 24. *Liv.* 34, 22. *Hor. Od.* 3, 15, 14. *Lucan.* 2, 473. ubi tamen ed. *Cort.* habet *Nuceriae.* ℙ V. et *Lucerinus, a, um. B. A.*

[LUCERĪNUS, a, um, adj. ad Luceriam pertinens, urbem mediterraneam Apuliae Dauniae, nunc *Lucera*, cujus meminit *Hor. Od.* 3, 15, 14. *Liv.* 10, 35. Ad finem Lucerinum ei hostis obvius fuit. ℙ *Lucerini, orum*, sunt incolae illius urbis. *Id.* 9, 26. Lucerini, ac Samnites ad internecionem caesi. *F.*]

LŪCERNA, ae, f. λύχνος, instrumentum, quod uno, vel pluribus ellychniis accensis instructum, et oleo nutritis, lucem praebet domesticis usibus. Est a *luceo*, et primam habet brevem, licet longa sit in *luceo*, et *lux. Varr. L. L.* 4, 25. Candelabrum a candela: ex his enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna post inventa, quae dicta a luce, aut quod id vocant Graeci λύχνον. *Cic. Div.* 2, 58. Quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina videntur. *Id. Att.* 7, 7. *Ἐμπολιτεύομαί σοι* jamdudum: et facerem diutius, nisi me lucerna desereret. *Id. Fin.* 4, 12. In sole lucernam adhibere nihil interest. *Hor. Od.* 1, 27, 5. Vino, et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat, *h. e.* conviviis in noctem productis. *Id. Sat.* 2, 1, 25. saltat Milonius, ut semel icto Accessit fervor capiti, numerusque lucernis, *h. e.* ut ebrius est factus. (*Juven.* 6, 304. similem locum habet.) *Mart.* 14, 41. cujus lemma *Lucerna polymyxos.* Illustrem cum tota meis convivia flammis, Totque geram myxos, una lucerna vocor. *Id. ib.* 40. candelam vocat *lucernae ancillam*, quia haec ditiorum erat, *candela* pauperum. *Juven.* 10, 339. pereundum est ante lucernas, *h. e.* ante noctem. Sic *Vopisc. Tac.* 10. Thermas ante lucernam claudi jussit. *Phaedr.* 3, 19. Lucernam accendere. *Plin.* 31, 3, 28. exstinguere ardentem. *Id. ib.* 27. Lucerna ardens; et *ib.* defectu olei restincta. *Id.* 28, 11, 48. Fungi lucernarum, ac fuligo, quae est in rostris earum. *Pers.* 5, 181. pinguem nebulam vomuere lucernae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Lapidem appellavere lychnitem, quoniam ad lucernas in cuniculis caedebatur. ℙ Translate *Juven.* 1, 51. Haec ego non credam Venusina digna lucerna? *h. e.* lucubrationibus, quibus *Horatius* satyras conscribebat in pravos hominum mores. ℙ Est hoc nomine et piscis marinus, qui lingua ignea per os exserta, tranquillis noctibus lucet. *Plin.* 9, 27, 43. [*Trigla Lucerna, *L. die Seeleuchte.*]

*LUCERNARĬA, ae, f. verbascum, herba. *Marc. Emp.* 20. *B. A.*

*LUCERNARĬUM, i, n. vespertinum tempus, quo lucernae accendi solent. *August.* in *Reg. Cleric. B. A.*

[LŪCERNĀRĬUS, ii, m. qui ad lucernam vivit, lychnobius. *Gloss. Philox.* Lucernarius, λυχνοῦχος. *F.*]

LŪCERNĀTUS, a, um, adj. lucernis illustratus. *Tert. ad Uxor.* 2, 6. Janua laureata et lucernata.

[LŪCERNĪNUS, a, um, adj. ad Lucernam pertinens, ut Lucerninae calendae in testamento M. Grunnii Corocottae, de quo v. in BUBULARIUS. Videntur autem *lucerninae* appellatae fuisse calendae Decembris, vel Januarii, quod nempe iis mensibus, quibus noctes longiores sunt, porcinae carnes ad lucernae lumen in frusta caedebant vel ad lucanicam conficiendam. *F.*]

LŪCERNŪLA, ae, f. λυχνίς. *Hieron. ep.* 117. *n.* 12. Dictatio ad lumen lucernulae profusa; et *ep.* 107. *n.* 9. Accensa lucernula.

LŪCESCO et Lucisco, is, n. 3. lucere incipio, fit dies, dilucescit: cui contrarium est *advesperascit:* et fere impersonaliter adhibetur. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Ut a. d. III. Octobr. cum lucisceret, in Amanum ascenderem. *Liv.* 4, 28. Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant. *Pl. Amph.* 1, 3, 45. Eamus, Amphitruo: luciscit hoc jam. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut.* 3, 1, 1.] (V. LUCEO.) *Virg. Ecl.* 6, 37. Jamque novum terrae stupeant lucescere solem. *Ov. Fast.* 5, 417. cum cras lucescere nonas Dicimus. ℙ Splendere. *Firm. Math.* 4, 13. Quorum caput flavo capillorum crine lucescat. ℙ [Translate. *Front. ad Anton. Aug.* (ed. *A. Maio*) 1, 5. Tu me ad pristinam illam mensuram luciscentis amoris tui revocas. *F.*]

LŪCĔTĬUS, ii, m. cogn. est Jovis, quod eum lucis causam esse credebant. *Fest.* et *Cn. Naevius* ap. *Gell.* 5, 12. Atque hanc vocem a lingua Osca repetendam esse, monet *Serv.* ad *A.* 9, 570., idemque esse, quod Latina *diespiter.* Adde *Macr. Sat.* 1, 15. ℙ Eadem ratione et Juno *Lucetia* dici potest. *Capell.* 2, 37. Juno pulcra, sive te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari.

LŪCI, adv. interdiu, cui opponitur *noctu. Cic. Phil.* 12, 10. *f.* Quis enim audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? *Pl. Cas.* 4, 2, 7. Venire luci. *Id. Amph.* 1, 1, 10. Me qui hoc noctis excitavit, nonne idem hoc luci me mittere potuit? *Id. Cist.* 2, 1, 48. Cum primo luci cras ambo occidero. [*Cf. *Perizon.* ad *Sanct. Min.* 1, 9. p. 64. et *Bentl.* ad *Ter. Ad.* 5, 3, 55.] *Pl. Merc.* 2, 1, 31. et *Stich.* 2, 2, 40. Postquam me misisti ad portum cum luci simul. *Lucr.* 4, 235. si quadratum tentamus, et id nos Commovet in tenebris; in luci quae poterit res Accidere ad speciem, etc?

[LŪCĬBĪLIS, e, adj. idem ac lucidus. *Gloss. Philox.* Lucibilis, φωτεινός. *F.* *Serv. ad *Virg. A.* 6. *B. A.*]

LŪCĬDĒ, adv. φωτεινῶς, clare. *Cic. Or.* 2, 25. Ut verbum illud, quod causam facit, lucide et breviter uterque definiat. *Sen. ep.* 71. *med.* Animus lucidius, et tranquillius inter divina mansurus. *Paul. Dig.* 44, 4, 1. Quo lucidius intelligi possit haec exceptio. *Quint.* 4, 5. *med.* Causam lucidissime ostendere.

LŪCĬDUS, a, um, adj. φωτεινός, lucem habens, splendidus, fulgens, perspicuus, clarus. [*De discrimine inter *lucidus* et *fulgidus* V. in *Luceo.* Adde *Doederl.* 2, 85. Quid *luculentus* distet dictum est in h. v.] *Lucr.* 4, 340. Lucidus aer. *Ov. Met.* 2, 365. et *Quint.* 12, 10. amnis. *Hor. Od.* 1, 3, 2. Lucida sidera; et *ib.* 3, 26, 6. funalia. *Prop.* 3, 11, 30. lilia. *Tibull.* 2, 4, 30. concha. *Ov. Her.* 15, 74. gemma. *Id. Fast.* 1, 94. lucidior domus. *Vitr.* 9, 6. Lucidissima stella. *Tibull.* 2, 1, 62. Molle gerit tergo lucida vellus ovis, *h. e.* candida. *Stat. Silv.* 3, 3, 22. lucida saxa, *h. e.* nitida marmora. *Ov. Her.* 19, 133. puella, *h. e.* candida et formosa. *Plin.* 35, 9, 35. vestis. ℙ *Lucidum* pro lucide. *Hor. Od.* 2, 12, 14. lucidum fulgentes oculi. ℙ Translate. *Quint.* 7, 3. *med.* Ut a notissimo exemplo, quo sit res lucidior, non recedamus. *Id.* 4, 5. Manifesta et lucida ratio. *Id.* 10, 1. *med.* Philistus imitator Thucydidis: et ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. *Id.* 12, 10. *med.* Oratores tenues: lucidi, et significantes. *Hor. A. P.* 41. lucidus ordo. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 337. *Lucidus* est nomen equi circensis.

LŪCĬFER, a, um, adj. φωσφόρος, lucem ferens. *Cic. N. D.* 2, 27. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant. *Ov. Her.* 11, 46. Denaque luciferos Luna premebat equos; et *ib.* 20, 192. de Lucina: Ut tibi luciferas afferat illa manus. *Lucr.* 5, 725. Lucifera pars Lunae.

LŪCĬFER, i, m. Φωσφόρος, stella Veneris: a *luce ferenda. Cic. N. D.* 2, 20. Infima est quinque errantium, terraeque proxima stella Veneris, quae Φωσφόρος Graece, *Lucifer* Latine dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem, Hesperos. Ea cursum anno conficit, et latitudinem lustrans signiferi orbis, et longitudinem. Multa de eo *Plin.* 2, 8, 6. *Tibull.* 1, 10, 62. Dum rota Luciferi provocet orta diem. *Ov. Trist.* 1, 3, 71. coelo nitidissimus alto Lucifer ortus erat. ℙ Metonymice est dies. *Id. Fast.* 3, 877. Tres ubi Luciferos veniens praemiserit Eos. *Prop* 2, 15, 28. memento Venturum paucis me tibi Luciferis. Adde *Ov. Fast.* 1, 46. ℙ In fabulis est filius Cephali, et Aurorae Solis filiae: diciturque certasse cum Venere de praestantia formae. Ita *Hyg. Astron.* 2, 42. Alii Jovis filium faciunt. Immo pro stella Jovis interdum sumitur, teste *Serv.* ad *A.* 4, 130. Poetae equo vehi fingunt, ut bigis Lunam, Solem quadrigis. *Stat. Th.* 6, 239. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 121.

LŪCĬFĬCUS, a, um, adj. lucem emittens, illustrans, lucidus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. Vapor lucifici solis.

LŪCĬFLŪUS, a, um, adj. luce fluens, lucidus. *Juvenc.* 3, 294. Ast ubi licifluum reddet sol tertius ortum. ℙ Translate est divinus. *Id.* 4, 120. gens omnis habebit Testem lucifluo sanctae sermone salutis. Adde *Prud. Psych.* 625., ubi tamen rectius legitur *lucifer.* [*Hunc locum immutavit atque ampliavit *F.*]

LŪCĬFŪGA, ae, m. et f. lucifugus. *Sen. ep.* 122. *f.* appellat *lucifugas homines*, qui contra naturam nocte utuntur pro die, qui et λυχνόβιοι dicuntur, quasi lucernarii. *Id. ib.* Vos, inquit, illum et lychnobium dicetis. *Appul. Apol.* Ipse humilitate abditus, et lucifuga; et *Met.* 5. Lucifuga maritus, [*h. e.* Amor, qui nocturnus tantum Psychen adibat. *F.*]

LŪCĬFŪGAX, acis, adj. lucifugus. *Minuc. Fel. Octav.* 8. Latebrosa et lucifugax natio. Al. leg. *lucifuga.* [*Auct. carm. Philomel.* 40. Noctua lucifugax tutubat in tenebris. *F.*]

LŪCĬFŪGUS, a, um, adj. qui fugit lucem, et gaudet tenebris. *Cic. Fin.* 1, 18. *f.* Lucifugi, maledici, monstrosi, etiam aliis amatoriis levitatibus dediti. *Virg. G.* 4, 243. lucifugis congesta cubilia blattis. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 67. Lucifugus nebulo.

LŪCĬLĬĀNUS, a, um, adj. ad Lucilium pertinens. *Varr. R. R.* 3, 2. *f.* Libelli charactere Luciliano. *Plin.* 36, 25, 61. Lucilianus versus. *Macr. Sat.* 2, 12. C. Titius, vir aetatis Lucilianae. *Arnob.* 2, 45. Fornix Lucilianus, *h. e.* ut opinor, *Lucilii* satyra hoc nomine inscripta.

LŪCĪLĬUS, i, m. C. Lucilius, eques R. ex Suessa, olim Aurunca, oppido Campaniae, magnus avunculus Pompejo Magno fuit: sub P. Africano, bello Numantino, eques militavit, ut narrat *Vell.* 2, 9. decessitque Neapoli, anno aetatis quadragesimo sexto, ut est ap. *Hieron. in Euseb. Chron.*, Olympiade sexagesima nona, U. C. circiter DCL., tribus, aut quatuor annis post natum Ciceronem. Quare quod *senem* nominat *Hor. Sat.* 2, 1, 34., ad ejus stili antiquitatem respexit. Primus condidit stili nasum, ut loquitur *Plin. praef. H. N.*, h. e. satyrae scribendi primus auctor et inventor fuit, multoque sale defricuit Urbem, ut ait *Hor. Sat.* 1, 10, 3., quem postea imitati sunt, qui Satyram attigere. *Juven.* 1, 19. Cur tam hoc libeat potius decurrere campo, Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus, etc. A *Cic. Or.* 1, 16. et *ib.* 2, 6. homo doctus, et perurbanus dicitur: a *Gell.* 18, 5. vir apprime linguae Latinae sciens. In condendo autem versu ut durum, incompositum, et lutulentum praestringit *Hor. Sat.* 1, 4, 8. et 11. item *sat.* 10. fere tota, ubi de eo plura. De hoc *Horatii* judicio, deque aliorum sui temporis ita *Quint.* 10, 1. *med.* Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. *Pers.* 1, 114. secuit Lucilius urbem, Te, Lupe, te, Muti: et genuinum fregit in illis. *Juven.* 1, 165. Ense velut stricto quoties Lucilius ardens Infremuit, rubet auditor, etc. ℙ Scriptorum ejus nihil integrum ad nos pervenit, sed fragmenta quidem bene multa, ab eruditis magno studio collecta, atque explicata. ℙ *Vis Lucilii* in re obscena significationem habet. *Arnob.* 5, 169. Tum sancta, et ferventia numina vim vomuisse Lucilii, ac regem Servium natum esse, *h. e.* τὸ σπέρμα. *Varr. L. L.* 4, 10. Poetae de coelo semen igneum

cecidisse dicunt in mare, ac natam e spumis Venerem, conjunctione ignis, et humoris; quam haberet vim, significantes: a qua vi natis dicta vita, ut illud a Lucilio: Vis est vita, vides, quae nos facere omnia cogit. ℙ **Lucilius Bassus*, malus poeta. *Cic. Att.* 12, 5. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua. *B. A.*

[LUCILLUS, a, um, dimin. Lucii. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. CLXXIX. L. Caesonius C. Fil. Quirina Lucillus. Alia ap. *eund. ib.* p. 667. Anicetus Domitiae P. F. Lucillae, *h. e.* servus Domitiae Lucillae junioris, filiae P. Calvisii Tulli, uxoris Annii Veri, et matris M. Aurelii Antonini Aug. *F.*]

LUCĪNA, ae, f. Ἐλειθυια, Dea partuum praeses, eadem ac Luna, seu Diana, quae et *Juno Lucina*, et *Diana Lucina* vocatur. A *luce* enim est *Lucina*, et per syncopen *Luna*. Porro *Luna* ideo cum partubus rationem habet, quia certis ii lunae cursibus maturescunt: vel quia, ut scribit *Macr. Sat.* 7, 16., vim habet laxandi corporis, ejusque meatus aperiendi: vel *Lucina* ab eo, quod in lucem producat, ut *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3, 2, 15., ubi addit, Junonem Lucinam Junonis filiam esse. *Ov.* tamen non Junonis filiam, sed ipsam Junonem reginam Deorum, *Fast.* 6, 39. intelligit. Sane Juno Dea conjugii habita est: unde Ζυγία, Graece dicitur, a ζυγός, jugum. *Plin.* 16, 44, 85. *Lucinam* a *luco* dictam tradit, propterea quod Romae lucus fuit Junoni Lucinae sacer, eo loci, ubi postea eidem templum exstruxere. *Ov. Fast.* 2, 449. Gratia Lucinae: dedit haec tibi nomina lucus: Aut quia principium tu, Dea, lucis habes. *Virg. Ecl.* 4, 8. nascenti puero Casta fave Lucina. *Hor. Epod.* 5, 5. Per liberos te, si vocata partubus Lucina veris affuit, Precor. *Ter. Ad.* 3, 5, 41. Miseram me! differor doloribus: Juno Lucina fer opem. *Pl. Aul.* 4, 7, 11. Uterum dolet: Juno Lucina tuam fidem! *Sen. Med.* 1. Dii conjugales, tuque genialis tori, Lucina, custos. ℙ Metonymice est ipse partus. *Virg. G.* 4, 339. altera virgo, Altera tum primos Lucinae experta labores; et *ib.* 3, 60. de vitula: Aetas Lucinam, justosque pati hymenaeos, etc. Adde *Ov. A. Am.* 3, 785. ℙ Juno Lucina non semper, ut parturientium praeses, sed simpliciter ut auctor lucis accipitur. Juno enim est aer, in quo lux omnis diffunditur. *Tibull.* 3, 4, 13. Efficiat vanos noctis Lucina timores. *Fest.* in *Supercilia:* Supercilia in Junonis tutela esse putabant, quod iis proteguntur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Junonem: unde et Lucina dicta est.

*LUCINĬUM, i, n. Cicindela in *Gloss. Vet.* Cf. *Isid.* 19, 19. 20, 10. it. *Gloss. Isid.* in *Licini.* ℙ Aliam significationem V. in Expulsis. *B. A.*

[LUCĪNŬLUS, i, m. dimin. lucini. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 675, 6. T. Cassius Lucinulus. *F.*]

LUCĪNUS, a, um, adj. a luce, et Lucina, ut *lucinae horae*, quibus scil. in lucem edimur, ap. *Prud. adv. Symm.* 2, 222. Et qui lucinas tribuo nascentibus horas.

LUCĪPĂRENS, entis, adj. lucis parens, ut *luciparens nox* ap. *Avien. Phaen.* 853., quia noctem dies et lux proxime sequitur. Unde in fabulis Aether, et Dies ex Nocte nasci dicuntur: ut est ap. *Hesiod. Θεογον. v.* 124.

LUCĪPOR. V. MARCIPOR.

LUCĪSĂTOR, oris, m. sator lucis, et auctor. *Prud. Cath.* 3, 1. O Crucifer bone, lucisator, Omnipotens pie, Verbigena.

LUCISCO. V. LUCESCO.

LUCĬUS, ii, m. praenomen Romanum, ut *Lucius Sergius Catilina*, *Lucius Cornelius Sulla:* et solo L. designari solet. Qui primo fuit hoc praenomine appellatus, luce prima, et initio diei natus fuit, ut *Varr. L. L.* 5, 2. et *Festus* docent. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 116. A. Furius Lucius. V. *ib.* alia huc pertinentia. *F.*] [*Hinc nihil mutandum videtur ap. *Suet. Aug.* 43. ubi pro vulg. *Lucium* e divers. lect. *Licium* et *Litium*, *Casaub. Lycium; Torrent.* prob. *Wolf. L. Itium* leg. conj.] ℙ Est etiam hoc nomine piscis, *luccio*, de quo *Auson. Idyll.* 10, 120. Hic etiam Latio risus praenomine, cultor Stagnorum, querulis vis infestissima ranis, Lucius obscuras ulva coenoque lacunas Obsidet: hic nullos mensarum lectus ad usus, Fervet fumosis olido nidore popinis.

[LUCOFĔRONĔNSES, ium, m. plur. ad Lucum Feroneae pertinentes, Etruriae urbem ad Soractem. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 106. *n.* 251. Juvenes Lucoferonenses. *F.*]

LUCŌMĔDI a duce suo Lucomo dicti: qui postea Lucerenses appellati sunt. *Festus.*

LUCŌMŌNES. } V. LUCUMO.
LUCŌMUS. }

LUCRĀTĬO, onis, f. actus lucrandi, lucrum. *Tert. ad Uxor.* 2, 7. Spem lucrationis accipere.

LUCRĀTĪVUS, a, um, adj. ad lucrum pertinens. Ap. JCtos *res lucrativae* sunt, quae ex hereditate, aut legato, aut fideicommissi jure, aut donatione mortis causa, vel cujuslibet postremae voluntatis arbitrio: item ex donatione inter vivos simplici libertate facta cuipiam acquiruntur, ut est ap. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 10, 35, 1., quia in his de mero lucro est quidquid acquiritur, neque impensa ulla, aut jactura fit ab eo, cui deferuntur. Hinc *ex causa lucrativa acquirere aliquid* dicitur is, qui aliquo titulo ex enumeratis quippiam acquirit, quia nullum rerum suarum damnum patitur sic acquirendo, neque ullum propterea onus subire cogitur. *Paul. Dig.* 31, 89. Cum Sejus, viva testatrice, tesseram frumenti ex causa lucrativa habere coeperit, *h. e.* ex legato. *Ulp. ib.* 40, 1, 4. *extr.* Si partem quis redemit, pars altera ex causa lucrativa acceserit. Adde *Tryphon. ib.* 49, 15, 12. *f.* Sic *lucrativa possessio*, quam quis ex lucrativa causa habet, *Ulp. ib.* 29, 4, 2. et *lucrativa acquisitio* ap. *eund.* 44, 4, 4. *f.* ℙ Tribuitur etiam *Quint.* 10, 7, 27. Neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae operae ad scribendum, aut legendum, aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. [Alii aliter hic lectionem frustra sollicitant, quasi vero vox haec indigna sit hujus aevi scriptoribus: at certo certius eadem utitur *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Nae ego post homines natos et locutos omnium facundissimus habear, cum tu, M. Aureli, mea scripta lectitas et probas, et lucrativa tua in tantis negotiis tempora meis quoque orationibus legendis occupare non inutile tibi arbitraris, nec infructuosum. *F.* *V. *Spald.* ad *Quint. l. l.*]

[LUCRĒTĬA, ae, f. Sp. Lucretii Tricipitini filia, Tarquinii Collatini uxor, a Sex. Tarquinio, Tarquinii Superbi Romae regis filio noctu per vim stuprata, cultro in pectus defixo se interemit. Quo facto, clamore a L. Junio Bruto sublato Quirites concitati, reges exacti, constituti consules. *Liv.* 1, 58. *Ov. Fast.* 2, 685. ℙ An se ipsam interficiendo recte fecerit, disputat *August. C. D.* 1, 19. ℙ Translate pro pudica quavis femina, et unius mariti amante accipitur. *Petr. Sat.* 9. Cum ego proclamarem, gladium strinxit, et, si Lucretia es, inquit, Tarquinium invenisti. *Mart.* 11, 104. Si te delectat gravitas, Lucretia toto Sis licet usque die, Laida nocte volo. *F.*]

LUCRĒTĪNUS, a, um, adj. *Cic. Att.* 7, 11. Unam tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna. Al. leg. *Lucretilino.* [*Est haec *Faerni* susp., quae non displicet *Orell.*, qui tamen vulg. servavit.] Utrumque autem rus aliquod designat Attici. Et quidem hoc posterius est a *Lucretili*, cujus meminit *Hor. Od.* 1, 17, 1., et est mons in Sabinis, ut *Fest.* docet.

LUCRĒTĬUS, ii, m. T. Lucretius Carus, civis R., ut videtur, poeta et philosophus Epicureus, Latinorum primus de rerum natura Latine, et quidem versibus scripsit: quod poema *multae artis esse*, scribit *Cic. Q. Fr.* 2, 11., et *Quint.* 10, 1. difficilem auctorem vocat. *Stat. Silv.* 2, 7, 76. Et docti furor arduus Lucreti. Obiit aetatis anno tertio et quadragesimo, creditus sibi ipsi intulisse manus, amatorio poculo in furorem versus. Quidam scripsere, mortem ejus incidisse in annum et diem natalem Virgilii: alii quo die Virgilius togam virilem sumpsit. Quod esse non potest, quia quo tempore poematis ejus *Cic.* meminit jam aetate provectus, nimis adolescens Lucretius fuisset. Verius itaque alii sexaginta amplius annis antiquiorem faciunt: et in annum circiter undecimum aetatis Ciceronis natalem ejus conferunt; mortem vero nono plus minus ante illius necem anno accidisse tradunt. Sunt etiam qui putant, ipsum ejus poema, eo vivo nondum editum, ab ipso Cicerone fuisse emendatum. Magnae laudationis loco sint illa *Ov. Amor.* 1, 15, 23. Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti, Exitio terras cum dabit una dies. ℙ **Lucretius Vespillo* quidam memoratur a *Caes. B. C.* 3, 7. *B. A.*

[LUCRĪCĬUS, a, um, adj. ad lucrum pertinens, lucrativus. *Not. Tir.* p. 68. Lucrum, lucricius. *F.*]

LUCRĪFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. κερδαίνω, lucrum facio, lucror. Dicitur fere de iis, quae nulla impensa, aut damno, aut labore acquirimus. [*V. *Hard.* ad *Plin. l.* infra *c. Brem.* ad *Nep. Thras.* 1, 3. *extr. Stallb.* ad *Ruddim.* 2. p. 188. et *Matth. Gr. Gr.* §. 341.] *Petr. Sat.* 15. Advocati, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant, etc. *Mart.* 8, 10. Emit lacernas millibus decem Bassus, Tyrias coloris optimi: lucrifecit. Adeo bene sus, Tyrias coloris optimi: lucrifecit. Adeo bene emit? inquis; imo non solvit. Addunt et *Cic. Fl.* 37. et *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20., sed iis locis *lucri*, et *facio* divisim legendum est, ut etiam alii legunt ap. *Mart. l. c.* ℙ Translate. *Varro R. R.* 3, 4. De ornithone primum, quod lucrifecerunt *R.* 3, 4. De ornithone primum, quod lucrifecerunt *R.* 3, 4. De ornithone primum, quod lucrifecerunt *

te, ut, etc. *Suet. Ner.* 45. Ex annonae quoque caritate lucrantium accrevit invidia. *Hor. A. P.* 234. Pythias emuncto lucrata Simone talentum. ℙ [*Involvit etiam notionem parcendi. Huc pertinet *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. de pane faciendo: Marina aqua subigi, occasione lucrandi salis, inutilissimum: quem locum Noster supra laudaverat. Locum, quem vir doctus in *Wolf. anall. litter.* 4, 333. citat *Quint. Decl.* 9, 17., invenire non potui.] ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad magistratus accessit, habeat per me solutum ac liberum: sileatur de nocturnis ejus bacchationibus: damna, dedecora praetereantur: lucretur indicia veteris infamiae, *h. e.* obtineat, ut taceantur. [*Sic etiam Gr. κερδαίνειν. Laud. *Ernest.* in *cl. Cic. Act. Apost.* 27, 21.] *Stat. Th.* 9, 779. quonam usque moram lucrabere fati, O multum meritos puer orbature parentes?

LUCROSĒ, adv. cum lucro. *Hieron. ep.* 22. *n.* 13. Ut sub virginali nomine lucrosius pereant.

LUCROSUS, a, um, adj. κερδαλέος, lucrum afferens. *Ov. Amor.* 1, 10, 35. Cur mihi sit damno, tibi sit lucrosa voluptas? *Tac. Agr.* 19. *extr.* Donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. *Plin.* 37, 12, 75. Tinguntur ex crystallo smaragdi: nec est ulla fraus vitae lucrosior. *Id.* 18, 31, 74. Id peraeque etiam lucrosissimum.

LUCRUM, i, n. κέρδος, quaestus, compendium, utilitas, fructus. *Varr. L. L.* 4, 36. ducit a *luo*, solvo: ut *lavacrum* est a *lavo*. Alii minus recte a *luco*, et proprie sic dici putant lucorum proventum. *Cic. Tusc.* 5, 3. Alii emendi, aut vendendi quaestu et lucro ducerentur. *Quaestus*, et *lucrum* differunt in eo, quod ille comparatur impensa, industria, et labore: est enim a *quaerendo:* hoc sine his, ut si quis hereditate, legato, donatione, aut etiam furto, vel fraude acquirat aliquid: quod et in LUCRATIVUS et LUCROR adnotavimus. Hoc tamen discrimen non est perpetuum. *Cic. Phil.* 3, 12. Reliquas res ad lucrum praedamque revocavit. [*Simili ratione *praedam* et *lucrum* conjunxit *Lucr.* 5, 873. Scilicet haec alieis praedae lucroque jacebant.] *Cic. Verr.* 2, 3, 38. Qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit; et *ib.* 37. Ipsi accipere decumas, et numerare coguntur lucri HS. XXX. millia; et *ib.* Frumentaria lucra exigere. *Phaedr.* 1, 23. Ista subita me jubet benignitas Vigilare, faciasne mea culpa lucrum, *h. e.* ne quid fureris. *Pl. Pers.* 4, 3, 34. Ego recte valeo, et rem gero, et facio lucrum: mercatoris verba sunt. *Cic. Fl.* 37. Emit igitur aliquid, quod certe multo pluris esset: dat de lucro, nihil detrahit de vivo: minus igitur lucri facit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Istam cantilenam ex eo pendere, ut quamplurimum lucri faciant. [*Hujus genitivi et sim. explicationem veram quidem v. ap. *Matth.* in *Gr. Gr.* §. 341. quem laud. *Stallb.* ad *Ruddim.* 2. p. 188.] *Plin.* 16, 4, 5. Ne servari quidem hominem fas esse lucri causa. *Id.* 2, 46, 45. Navigare lucri, non scientiae gratia. *Ter. Ph.* 1, 2, 11. Quid mihi lucri est te fallere? ℙ *Lucri*, et saepius *lucro est*, utile est, lucrosum est. In *Suppos. Amph. Plauti, scena, quae incipit* Tun' me mactes, 26. Lucri est, quod miseriam deputat. *Anton.* in *ep.* ap. *Cic. Phil.* 13, 19. Quibus, utri nostrum ceciderint, lucro futurum est. *Pl. As.* 1, 3, 40. Nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi. *Id. Cist.* 1, 1, 52. Multis damno, et mihi lucro sine meo saepe eris sumptu. *Id. Men.* 2, 3, 5. Amanti amoenitas malo est, nobis lucro est. ℙ *Ponere*, vel *deputare in lucro*, et *de lucro*, aestimare tanquam lucrum, dicitur de bonis, quae insperato eveniunt. *Ter. Ph.* 2, 1, 16. 21. Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. *Id. Ad.* 5, 3, 30. Quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne. *Cic. Fam.* 7, 25. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua. Adde *Flacc.* 17. Sic *Hor. Od.* 1, 9, 14. Quem sors dierum cumque dabit, lucro Appone; et *Ov. Trist.* 1, 3, 67. Dum licet amplectar: nunquam fortasse licebit Amplius: in lucro, quae datur hora, mihi est. ℙ *De lucro vivere* dicitur, qui cum vivendi spem vix haberet, evasit tamen. *Cic. Fam.* 9, 17. De lucro prope jam quadriennium vivimus; et *Liv.* 40, 8. De lucro tibi vivere me scito. [*V. viros doctos ad h. l.] Sic *Pl. Merc.* 3, 2, 9. Cum senex sis, id jam lucro est, quod vivis. ℙ *Facere lucri* est adipisci, consequi; diciturque eo modo, quo *facere compendii. Nep. Thras.* 1. Multa hic sine Alcibiade gessit: ille nullam rem sine hoc: quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri, *h. e.* obtinuit, ut sibi adscriberentur, ut a se solo gesta agnoscerentur. V. alia huc pertinentia in LUCRIFĂCIO. Ad hanc rationem *lucri habere* dixit *Tert. Cor. Mil.* 11. *med.* et *lucri ducere adv. Marc.* 5, 20. ℙ *Necesse est facere sumptum, qui quaerit lucrum*, prov. est ap. *Pl. Asin.* 1, 3, 65. ℙ *Lucrum* pro avaritia. *Lucan.* 4, 96. Pro lucri pallida tabes! Non deest prolato jejunus venditor auro. *Sen. Hippol.* 540. impius lucri furor. ℙ Videtur metonymice pro divitiis poni in illo *Phaedri* 5, 4. Periculosum semper putavi lucrum; et *Ov. Amor.* 3, 8, 35. cum regna senex coeli Saturnus haberet, Omne lucrum tenebris alta premebat humus. ℙ Mascul. genere. *Pl. Pers.* 4, 3, 23. Unde pergrandem lucrum facias. Ita et *Non.* legit 3, 119. Al. rectius *pergrande.*

LUCTĂ, ae, f. πάλη, unum ex quinque Graecorum certaminibus, quo alter alterum prosternere nititur, palaestra. Est a λέλυχται, 3. p. praet. pass. verbi λύγω pro λυγόω, vincio, quod a λύγος, vitex, vimen. *Capitol. Maxim.* 6. Exercebat cum militibus ipse luctam, quinos, senos, et septenos jam grandaevus ad terram prosternens. Al. leg. *luctamina. Auson. ep.* 93. ne quis certamine luctae Phegea, nec cursu te, Lyce, praetereat. *August.* referens verba Pelagianorum, *ep.* 106. *med.* Perseverans quodammodo lucta convincitur. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Palaestritarum luctas casta gymnasiarchorum virga dissolvit. ℙ *Lucan.* 4, 612. Herculis cum Antaeo luctam describit; et *Stat. Theb.* 6, 847. Agyllei cum Tydeo.

LUCTĀMEN, inis, n. πάλαισμα, luctatio, nisus. *Virg. A.* 8, 87. Tibris tacita refluens ita substitit unda, etc. remo ut luctamen abesset, *h. e.* ut non esset opus luctari remis adverso flumine navigantibus. *Val. Fl.* 2, 234. seque toris misero luctamine trunci Devolvunt. *Claud. B. G.* 138. Primus fulmineum lento luctamine Poenum Compressit Fabius, *h. e.* lente resistendo. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 4. Sed emendatio morum, judiciorumque correctio et difficile luctamen, et periculi plenum negotium fuit. *Lampr. Alex. Sev.* 30. Post lectionem operam palaestrae, aut sphaeristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. ℙ Translate. *Pall.* 3, 9. *f.* Melius puros sapores sine luctamine alterius generis unaquaeque vina servant, *h. e.* sine admixtione alterius generis vini, quocum quia sapore, et maturitate non conveniunt, veluti luctantur. [*Auct. epithal.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 636. *Burm.* Exercentque toris Veneris luctamen anhelum. V. LUCTOR. *f.*]

LUCTANS, antis, part. a *luctor*, luctator. *Prop.* 3, 12, 4. Luctantes viri, *h. e.* luctatores. *Virg. A.* 4, 694. Irim demisit Olympo, Quae luctantem animam, nexosque resolveret artus, *h. e.* nitentem egredi; et *ib.* 1, 57. vasto rex Aeolus antro Luctantes ventos Imperio premit, *h. e.* magno conatu evolare tentantes. *Ov. Met.* 4, 358. et *Mart.* 4, 22. et 5, 47. Luctantia oscula carpere, *h. e.* ab invito, et reluctante. [*Ov. *Her.* 4, 79. Luctantia colla, i. e. colla equi luctantis vel non sequentis frenum.] *Sil.* 3, 520. Luctans glacies ferro, *h. e.* resistens. *Id.* 7, 204. composuit luctantia lumina Somnus, *h. e.* quae claudi recusabant. [*Lucr. 5, 1129. Angustum per iter luctanteis ambitionis.] ℙ In contignatione, inquit *Isid. Orig.* 19, 19. *luctantes* dicuntur, quod erecti invicem se teneant more luctantium. Loquitur autem de canteriis, vel capreolis.

LUCTĀTĬĀNUS vel Lutatianus, a, um, adj. ad Luctatium, vel Lutatium aliquem pertinens, quod est nomen propr. R., ut Luctatiana praedia, *Paul. Dig.* 33, 1, 12.

LUCTĀTĬO, onis, f. actus luctandi. *Cic. Fat.* 13. Est enim copulatum, luctabitur; quia sine adversario nulla luctatio est. ℙ Item universim conatus, nisus. [*Hic non omittendus locus erat *Ejusd. Leg.* 2, 15, 38. Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certatione, cursu, [et] pugilatione, luctatione, curriculisque equorum usque ad certam victoriam, circo constituti, etc. Ita exhibet locum foede corruptum *Orell.*, q. v.] *Liv.* 21, 36. Tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie non recipiente vestigium, etc. ℙ Per translationem accipitur pro pugna, sive contentione, seu concertatione. *Cic. Fin.* 2, 14. Nam cum Academicis incerta luctatio est, qui nihil affirmant. [*Adde *Fat.* 6.] *Sen. Q. N.* 5, 13. Spiritus inclusi, et in exitum nitentis luctatio. *Vell.* 2, 124. Una tamen veluti luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Caesare, ut stationi paternae succederet. [*Ruhnk. vult *luctatio civilis.*]

LUCTĀTOR, oris, m. παλαιστής, qui cum altero luctatur, eumque prosternere nititur. *Ov. Ib.* 395. Ut jacet Aonio luctator ab hospite fusus, *h. e.* Antaeus ab Hercule luctando victus, et occisus. *Id. Trist.* 4, 6, 31. Fortior in fulva novus est luctator arena, Quam cui sunt tarda brachia fessa mora. *Sen. Ben.* 5, 3. Luctator ter abjectus perdidit palmam; et *ib.* 7, 1. Magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit. *Id. ep.* 88. *med.* Aeque luctatores, et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus. *Gell.* 3, 15. Tres filios habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem. ℙ Urbane *Pl. Ps.* 5, 1, 5. magnum hoc vitium vino est: Pedes captat primum: luctator dolosus est.

LUCTĀTUS, a, um, part. V. LUCTOR.

LUCTĀTUS, us, m. idem quod luctatio. *Plin.* 8, 12, 12. Scit ille imparem sibi luctatum contra nexus. *Id.* 29, 1, 8. Luctatus ceromata, valetudinis causa instituta.

LUCTĬFER, a, um, adj. γοοφόρος, ferens, vel nuncians luctum. *Val. Fl.* 3, 454. Luctifer annus. *Sen. Herc. Fur.* 687. Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

LUCTĬFĪCĂBĬLIS, e, adj. luctu affectus. *Pers.* 1, 78. *ex Pacuvio:* Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta.

LUCTĬFĪCUS, a, um, adj. γοώδης, luctum inducens. *Cic.* vertens carmina *Aeschyli Tusc.* 2, 10. Luctifica clades nostro infixa corpori. *Val. Fl.* 3, 292. At mihi luctificum venit jubar. *Stat. Theb.* 10, 552. At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem. *Sil.* 6, 557. Luctificus pavor. *Virg. A.* 7, 324. Luctifica Alecto. *Sen. Phoen.* 132. verba; et *Hippol.* 995. vox. ℙ Adverbii ritu. *Val. Fl.* 3, 348. Luctificum clangente tuba, ter inhorruit aether.

LUCTĬSONUS, a, um, adj. γοόφωνος, luctum sonitu prae se ferens. *Ov. Met.* 1, 733. Et gemitu, et lacrymis, et luctisono mugitu.

LUCTĬTO, as, n. l. frequent. a lucto, ap. vet. *Prisc.* 8, 797.

LUCTO, as, avi, atum, n. l. idem ac luctor. *Ter. Hec.* 5, 3, 31. Dicitque se illi anulum, dum luctat, detraxisse. [*V. *Riv.* ad h. l. et *Voss. de analog.* 3, 7.] *Enn.* ap. *Non.* 7, 31. viri validis viribus luctant. *Pl. fr.* ap. *eund. ib.* 6. Quid multa verba? plurimum luctavimus.

LUCTOR, aris, atus sum, dep. l. παλαίω, lucta contendo, quod fit, cum duo invicem complexi, alter alterum in terram dejicere conantur. [*Doederl. 3, 294. etym. ducit a Gr. λέγειν.] *Virg. A.* 6, 643. Pars in gramineis exercent membra palaestris, Contendunt ludo, et fulva luctantur arena. *Nep. Ep.* 2. Exercebatur plurimum currendo, et luctando. *Cic. Fat.* 13. Luctabitur Olympiis Milo. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus luctatur (*cum homine*) complexu, et sorbet acetabulis. *Virg. G.* 2, 525. Inter se adversis luctantur cornibus haedi. ℙ Translate est certare, contendere, resistere. *Cic. Sull.* 16. Nondum statuo, te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. *Plin.* 18, 5, 6. Malus est ager, cum quo dominus luctatur, *h. e.* imbecillior debet esse ager, (ut ait *Colum.* 1, 3.) quam agricola, quoniam cum sit colluctandum cum eo, si fundus praevaleat, alliditur dominus. Malus igitur ager, qui majorem culturae impensam postulat, quam dominus praestare possit. [*Vell. 2, 63. Plancus diu, quarum esset partium, secum luctatus; et 115. Cum difficultate locorum luctatus.] ℙ Cum ablat. sine praeposit. *Lucan.* 3, 503. Nec quamvis viridi luctetur robore, lentas Ignis agit vires, sed, etc. ℙ Cum dativo poetice. *Stat. Theb.* 11, 522. Luctataeque diu tenebris, hiemique, sibique, etc. *Sil.* 14, 453. bonus ille per artem Crudo luctari pelago, atque exire procellas. *Id.* 10, 296. Luctari morti. [*Luctari* cum dativo et ablativo nonnisi ap. poetas construi solet. V. *intpp.* ad *Sil.* 4, 592. et 14, 454. cf. etiam *Ruddim.* 2, 149. Porro *Ramsh. Gr. Lat.* §. 120. g. p. 352. — Ex prosae orationis scriptoribus semel ita loquutus videtur *Vell.* 2, 86, 2. At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate celeberrimi, fides, mox, diu clementia luctatus sua, Caesar servavit incolumem. At *Lips.* leg. *cum clementia*, ipso *Ruhnk.* non improbante, quod *c.*, (ita librarii praepos. *cum* scribere solent) facile excidere potuerit ante vocem ab hac litera incipientem, *clementia.*] ℙ Est etiam universim niti, obniti, contra resistentem intentis viribus conari, laborare. *Liv.* 7, 38. *med.* An aequum esse, dediticios suos illa fertilitate perfrui, se militando fessos, in pestilenti atque arido solo luctari? *Plin.* 18, 19, 48. *n.* 2. Securicula intercidantur radices: hoc melius, quam convelli aratro, bovesque luctari. *Sil.* 4, 584. Dum sibi quisque viam per inextricabile litus Praeripit, et putri luctatur caespite. *Hor. Sat.* 2, 6, 28. Luctandum in turba, et facienda injuria tardis. [*Laudat h. l. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 181. vocemque petentia fata Luctantur, i. e. conantur et laborant, ut prius, quam alia enuncientur.] *Quint.* 5, 13. *med.* Est et illud vitium nimium solliciti, et circa omnia momenta luctantis. *Ov. Fast.* 6, 69. non luctor de nomine temporis hujus. *Id. Trist.* 4, 5, 19. remis ad opem luctare ferendam. ℙ Cum infinito, poetice. *Virg. A.* 12, 387. et infracta luctatur arundine telum Eripere. *Ov. Pont.* 1, 5, 13. luctor deducere versum. *Id. Her.* 17, 161. luctor compescere risum. *Sen. Hippol.* 1083. Equi se luctantur jugo eripere. *Sil.* 6, 358. obsessis naribus igni Luctantur frustra rabidi mugire juvenci. *Ov. Met.* 15, 300. luctataque frustra Liberiore frui coelo. ℙ Usurpatur etiam de lucta venerea. *Prop.* 2, 1, 13. Seu nuda erepto mecum luctatur amictu. *Id. ib.* 12, 3. Nam modo nudatis mecum est luctata papillis. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Virg. A.* 7, 28. et in lento luctantur marmore tonsae. [*Prop. 4, 1, 147. Luctetur licet in undis puppis tua.] *Hor. Ep.* 2, 2, 74. Tristia robustis luctantur funera plaustris. Adde *Lucan. l. supra c.* [*Cf. *Val. Fl.* 1, 205. densis luctatus in extis Ignis.] ℙ Part. *Luctans* V. s. l.

LUCTŪOSĒ, adv. cum luctu. *Varr. L. L.* 4, 11. Luscinia, quod luctuose canere existimatur. *Liv.* 28, 39. Imperatores vestri luctuosius nobis prope, quam vobis perierunt.

LUCTŪOSUS, a, um, adj. θρηνώδης, luctum afferens, funestus, tristis, calamitosus. *Cic. Sext.* 12. O diem illum funestum senatui, reipubl. luctuosum! *Id. Or.* 3, 2. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus. *Id. Fam.* 5, 14. Misera tempora et luctuosa. *Id. Quint.* 31. Luctuosum est, tradi alteri cum bonis; luctuosius, inimico. *Id. Att.* 3, 19. Miserae et luctuosae preces. *Sall. Cat.* 61. *extr.* [*al. 58.] Cruentam et luctuosam victoriam hostibus relinquere. *Cic. Sull.* 11. Crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparare. ℙ Passive est luctu plenus, luctu et squalore obrutus. *Hor. Od.* 3, 6, 7. Dii multa neglecti dederunt Hesperiae mala luctuosae.

LUCTUS, us, m. θρῆνος, πένθος, aegritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo, ut *Cic. Tusc.* 4, 8. definit: quo sensu, inter alios, saepissime a *Virg.* et *Cic.* ipso usurpatur. Latius tamen accipitur pro dolore externo ex quacumque graviori calamitate, qui apparet ex aspectu, lacrymis, gestibus, clamore, et hujusmodi. *Caes. B. C.* 2, 7. Re cognita, tantus luctus excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem vestigio videretur. *Sall. Jug.* 16. Cum moerore, et luctu morte graviorem vitam exigunt; et *ib.* 97. Luctu atque caede omnia complentur. [*Adde *Cat.* 61. *f.* Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur: ubi v. *Kritz.*] *Oc. Trist.* 1, 3, 21. Quocumque aspiceres, luctus gemitusque sonabant. *Cic. Rosc. Am.* 8. Hunc miserum, luctu perditum, nudum ejicit domo. *Id. Fl.* 42. Orat, ne suum luctum patris lacrymis, patris moerorem suo fletu augeatis. *Id. Pis.* 36. Desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti; et *ib.* 8. Ut eos, quos luctu affecerat, lugere non sineret. *Id. Verr.* 2, 3, 89. Sustinere jam populus R. omnium nationum luctum, lacrymas, querimonias non potest. *Id. Att.* 3, 8. Afflictus et confectus luctu; et *ib.* 22. Luctu premi. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. In luctu et squalore esse. *Cic. Tusc.* 3, 31. In luctu vivere. *Id. Fam.* 14, 1. Luctum ex aliqua re percipere. *Id. Sext.* 29. *extr.* haurire. *Id. Phil.* 12, 13. et moerorem deponere. *Id. Fam.* 5, 16. *f.* tollit vetustate diuturnitas. *Id. Tusc.* 3, 18. *extr.* omnem abstergere. *Oc. Met.* 13, 515. levare; et *ib.* 15, 639. minuere. *Val. Fl.* 3, 319. solamine fallere; et 4, 169. lacrymis et luctu absumi; et 3, 740. manare. *Cic. Or.* 2, 46. Telamon iratus furere luctu filii videbatur. *Virg. A.* 12, 277. Accensus luctu, *h. e.* dolore et desiderio. *Cic. Off.* 1, 10. In maximos luctus incidere. *Phaedr.* 1, 28. Luctum alicui importare. *Ov. Met.* 2, 384. Datque animum in luctus, et luctibus adjicit iram; et *ib.* 8, 485. Per coacervatos pereat domus impia luctus. ℙ Etiam ipse habitus cultusque luctum indicans, *luctus* dicitur. V. LUGEO. *Liv.* 22, 56 *f.* Senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus. *Tac. A.* 2, 75. Magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit. Huc pertinent illa *Festi* in *Minuitur.* Minuitur populo luctus aedis dedicatione; cum censores lustrum condiderunt; cum votum publice susceptum solvitur. Privatis autem, cum liberi nati sunt; cum honos in familia venit; cum parens, aut vir, aut liberi, aut frater ab hoste captus domum redit; cum desponsa est; cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugetur, natus est; cum in casto Cereris; omnique gratulatione. In his *minuere luctum* est ei finem imponere. [*Poterat hic etiam commemorari *Cic. Sext.* 14. Erat in luctu senatus (scil. ob Ciceronis exsilium), squalebat civitas, publico consilio mutata veste. ℙ *Luctus* dicitur etiam de eo, quod luctum, moerorem affert. Est haec poetica dicendi ratio. *Ov. Met.* 1, 654. tu non inventa reperta Luctus eras levior. V. INVENTUS et INVENIO.] ℙ [In faucibus Orci, et aditu locorum inferorum sedem habere suam Luctum, veluti Deum quendam, fabulantur *Virg. A.* 6, 274., *Stat. Th.* 3, 126. et *Sil.* 13, 581. *f.*] ℙ Olim fuit etiam *luctus*, *i. Accius* ap. *Non.* 8, 17. Rapere lucti vestem. *Id. ib.* Lucti poenitet.

LŪCU. V. LUX f.

LŪCUBRĀTĬO, onis, f. ἀγρυπνία, vigilia, quae noctu fit ad lucernam, hiemis tempore, ut opus aliquod fieri possit: cujusmodi sunt litteratorum in studiis, rusticorum in rebus agrestibus conficiendis, etc., quarum aliae sunt vespertinae, aliae antelucanae. *Cic. Div.* 2, 68. Nunc propter intermissionem forensis operae, et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi. *Id. N. D.* 1, 34. Ista sunt tota commenticia, vix digna lucubratione aniculārum, [*i. e. vix digna, quae in lanificio nocturno inter se garriant aniculae. *Kaum werth, dass sie sich alte Weiber Abends beim Spinnrocken erzählen. Ern.* de nocturna librorum lectione vel scriptione cogitans parum convenire dicit hoc *lucubratione*, aptiusque fore *approbatione*, vel simile quid. Quod minime verum!] *Cato R. R.* 37. per hiemem lucubratione haec facito: ridicas, et palos dolato, faculas facito, stercus egerito. *Colum.* 11, 2. *med.* Longis noctibus ad diurnum tempus aliquid adjiciendum est: nam multa sunt, quae in lucubratione recte aguntur; et *mox:* Nulla regio non aliquid affer, quod ad lucubrationem confici possit. *Id. ib. med.* Ad lucubrationem vespertinam palos decem conficere, totidemque per antelucanam lucubrationem. *Plin.* 19, 9, 56. Cannabis vellitur post vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur. *Auson. epist. praefixa centoni nupt.* Opus uno die, et addita lucubratione properatum. ℙ Metonymice est ipsum opus, quod per lucubrationem fit. *Cic. Fam.* 9, 2. Perire lucubrationem meam nolui, et eam ipsam Caninio dedi. [*Unice vera est *Manutii* ratio, sensum loci ita constituentis: Perire laborem illum nolui, quem in elucubrando suscepēram. — Neque *lucubrationem meam* pro *epistolam meam* accipi posse; non enim *lucubrationem* esse id, quod remaneat post nocturnam operam sive epistolam, sive orationem, sive aliud; sed actum illum, ut ita dicat, operamque illam, quae ponatur in elucubrando. Nam quod subjungatur, *et eam ipsam Caninio dedi:* ad *epistolam* referri.] Sic *Bibaculus* ap. *Plin. praef. H. N. med.* librum suum *lucubrationem* inscripsit.

LŪCUBRĀTĬUNCŪLA, ae, f. brevis lucubratio. [*M. Aurel.* inter opera *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Sed cupio, paulisper somnus a me abscedat, et lucubratiunculae aliquam tandem facultatem tribuat. *F.*] *Gell. praef. med.* Si cui forte voluptas erit lucubratiunculas istas cognoscere. *Hieron. ep.* 117. *n.* 12. Haec ad brevem lucubratiunculam celeri sermone dictavi.

LŪCUBRĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad lucubrandum aptus, ut Lucubratoria lecticula, in qua a coena lucubrare solebat Augustus, scribente *Suet. Aug.* 78.

LŪCUBRĀTUS, a, um, part. a *lucubro:* lucubrando elaboratus. *Cic. Par. prooem.* Accipies igitur hoc parvum opusculum lucubratum his jam contractioribus noctibus. *Mart.* 4, 90. Haec dat nocturnis nox lucubrata Camenis, *h. e.* lucubrando transacta: vel haec carmina lucubrata.

LŪCUBRO, as, avi, atum, n. 1. προσαγρυπνέω, vigilo, et nocte ad lucernam aliquid compono: a *luce. Liv.* 1, 57. Inter lucubrantes ancillas sedentem invenit. *Cels.* 1, 2. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem. *Plin. ep.* 3, 5. Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat statim a nocte multa: hieme vero ab hora septima. *Appul. Met.* 6. Lucubrare viam, *h. e.* noctu iter facere; et *Met.* 9. Multivii circuitus jumentorum lucubrabant pervigilem farinam instabili machinarum vertigine.

*LUCUBRUM, i, n. materia, quae facile ignem concipit. V. *Plin.* 16, 40. *Scalig.* in *Moret. Salm. Proleg. Exerc. Plin.* p. 17. *Dalechamp.* ad *Plin. l. c. B. A.*

LŪCŪLĀRIS, e, adj. ad lucum seu luculum pertinens. *Inscr.* quam ipse Fulginiae quatuor abhinc annis vidi, quamque refert *Grut.* 347, 1. Flamini luculari Laurentium Lavinatium, *h. e.* flamini in luculo Laurentium, a quibus et Apollo, et Venus, et Dii Penates praecipue colebantur. V. LAURENS. Hinc *sacerdos trium lucorum* habetur in *Inscr.* ap. *eund.* 375, 4., et *pontifex luci publici* in alia ap. *Mur.* 147, 3. Hinc etiam *Diana nemoralis* seu *nemorensis* culta olim fuit. V. has voces. *F.*]

LŪCŪLENTĒ, adv. λαμπρῶς, clare, splendide, aperte (quasi cum multa luce) aptis, et copiosis verbis rem in bono lumine collocando. *Cic. Brut.* 19. Et luculente scripserunt, etiamsi minus, quam tu, polite. *Id. Off.* 3, 28. Quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. *Id. Att.* 14, 21. Rescripsit ad eas litteras satis luculente. *Gell.* 13, 30. Librum veterem spectatae fidei, luculente scriptum i. e. literis satis bene comparentibus. ℙ Refertur ad alia. *Pl. Epid.* 1, 2, 54. eamus huc ad te, ut hunc diem Luculente habeamus, *h. e.* copiose, et splendide, et sumptu non parcendo, ut bene nobis sit. Hoc, opinor, illustrat luculentus caminus *Cic. Fam.* 7, 10., et cum ligna super foco large reponuntur, ut ait *Hor. Od.* 1, 9, 5., aut illud ejusd. *Pl. Men.* 1, 2, 43. comburere diem. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Eodem die Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius, sit ut Calidio copioso verbum facere pro eo non licuerit, *h. e.* vehementer agitaverat, magnoque cum ardore dicendi. *Pl. Merc.* 2, 3, 88. Me tibi illam posse opinor luculente vendere: i. e. cum lucro, et quod aperte sumptum emptionis vincat.

LŪCŪLENTER, adv. idem quod luculente. *Cic. Off.* 3, 14. *f.* Cum ex eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculenter, *h. e.* clare, aperte, lucide. [*In optimis edd., ut ap. *Orell., Beier.*, etc., leg. *luculente:* quod *Doederl.* 3, 318. explicat: *das lässt sich allenfalls hören!* negans v. *luculentus* poni cum emphasi posse.] *Id. Fin.* 2, 5. Cum Graece, ut videor, luculenter sciam, *h. e.* bene: ita ut clare a me Graeca intelligantur. *Id. Q. Fr.* 3, 5. Sane texebatur opus luculenter: hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat, *h. e.* copiose ac splendide, illustribus verbis et sententiis. Loquitur de suis de Republ. libris.

LŪCŪLENTĬA, ae, f. splendor, nitor. *Arnob.* 3, 103. Verborum luculentias a Cicerone sumere. *Oros.* 5, 15. Propter opimam scriptorum luculentiam.

LŪCŪLENTĬTAS, atis, f. splendor, magnificentia. *Laberius* ap. *Non.* 2, 510. Dominus noster luculentitate captus. *Caecil. ib.* Vide luculentitatem ejus, et magnificentiam.

LŪCŪLENTUS, a, um, adj. λαμπρός, διαυγής, luce abundans, illustris, clarus: a *luce*, ut *Fest.* docet. [*Differunt *lucidus* et *luculentus:* illud dicitur de eo, quod luce constat, luce plenum, in luce positum est; hoc, quasi lucem olens, significat ea, quae lucis notionem, similitudinem quandam involvunt. Hinc *luculentus* nusquam usurpatur in eo, quod proprie ut lux in oculos cadit et vere lucem habet, ut *lucida sidera* ap. *Hor. Od.* 1, 3, 2. *Doederl.* 2, 84.] *Pl. Most.* 3, 2, 132. Viden' vestibulum ante aedes hoc? et ambulacrum cujusmodi? *Tra.* Luculentem edepol profecto. *Cic. Fam.* 7, 10. Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo, *h. e.* multo igne abundanti. [*Perperam *Schütz.* et *al.* de ignis splendore cogitant.] ℙ Transfertur ad pulcritudinem. [*Quid differat *luculentus* ab *illustris*, V. in h. v.] *Mart.* 2, 86. Nec dictat mihi luculentus Atys Mollem debilitate Galliambum. *Ter. Heaut.* 3. 2, 12. Mulier luculenta forma. *Pl. Mil.* 4, 1, 12. Luculenta et festiva femina. ℙ Item ad divitias, quoniam hae splendorem, et dignitatem afferunt. *Pl. Rud.* 5, 2, 33. Luculentae divitiae. *Id. Cist.* 2, 3, 17. Ego te voco ad divitias, ubi tu locere in luculentam familiam. *Cic. Phil.* 12, 8. Luculentum patrimonium. *Pl. Truc.* 2, 3, 24. Magna et luculenta hereditas. *Id. ib.* 5, 3, 51. et *Mil.* 4, 1, 6. Luculentam conditionem ferre alicui; et *Capt.* 2, 7, 76. Multos lucrum luculentos homines reddidit. ℙ Item ad dicendi facultatem. *Luculentus scriptor* est copiosus, eloquens, quique ea, quae dicit, in bono lumine collocat, atque adeo clarus, illustris, facilis: *luculenta oratio*, luminibus verborum et sententiarum ornata, clara, aperta, perspicua, dilucida. *Sall. Cat.* 32. [*al. 31.] Tullius orationem habuit luculentam, atque utilem reipublicae. [*V. *Kritz.* ad h. l., qui recte *Cortium*, *Dahl.*, *Lang.* et *Müllerum* vitup., quod *luculentam* explicent: lucidam quoad sensum, apertam, liberam.] *Cic. Att.* 12, 21. Cato verbis luculentioribus, et pluribus rem eandem comprehenderat; et *ib.* 7, 17. In quo accusavi mecum ipse Pompejum, qui cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sextio nostro scribendas dederit. (*Id. Brut.* 68. *oratione satis amplum* vocat.) *Id. Brut.* 34. Fimbria habitus est sane, ut ita dicam, luculentus patronus. [*Ellendt.*, q. v., et *Orell.* de *Ern.* egregia conj. locum sic exhibent: — habitus est sane (ut ita dicam) truculentus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior, atque commotior: etc.] *Id. Phil.* 4, 2. Praeclara et luculenta, Quirites, reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis, *h. e.* aperta, manifesta, et nihil dissimulante. Al. rectius leg. *praeclare*, *et loco*, *Quirites.* [*Ita *Orell.* V. etiam *Doederl.* 2, 84.] ℙ Ponitur et pro insigni, illustri. *Pl. Men.* 1, 2, 32. Vin' tu facinus luculentum inspicere? *Id. fr.* ap. *Non.* 1, 317. Pulcrum et luculentum hodie evenit proelium. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *med.* In castris meis legiones sunt veteranae tres, tironum vel luculentissima ex omnibus una. ℙ Et pro fausto, prospero, fortunato. *Pl. Epid.* 3, 2, 5. Pro Dii immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum! *Licin. Macer* ap. *Non.* 1, 317. Auspicia pulcra et luculenta commemorat. ℙ Item pro magno, et qui facile videtur. *Cic. Phil.* 7, 6. Luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. ℙ *Luculentum navigium* est grande simul, et bene instructum, ac deceus. *Id. Att.* 16, 4. *f.* Domitius bona plane habet dicrota, suntque navigia praeterea luculenta Sextii, Buciliani, ceterorum. ℙ Est etiam locuples, et fide dignus, cujus testimonia illustria sunt. *Cic. Att.* 10, 14. De duabus legionibus luculentos auctores esse dicebat. Huc pertinet illud *ib.* 2, 12. *f.* Dicaearchum recte amas: luculentus homo est. Nam *ib.* 6, 2. hunc Dicaearchum ἱστορικώτατον appellat, *h. e.* historiae peritissimum.

LŪCULLĀNUS, et
LŪCULLĔUS, et
LŪCULLĬĀNUS, a, um, adj. ad Lucullum pertinens, quod est nomen Romani civis. (De L. Lucullo, ditissimo homine, eodemque sapientissimo, cujus vitam habes ap. *Plutarch.*, multa *Cic. Acad.* 4. *in.*) *Front. Aquaed.* 5. Lucullanus ager. *Sidon. carm.* 2, 511. Nec Lucullanis sic haec freta cincta carinis, *h. e.* classe, qua Cyzicum obsidione premebat Mithridates, quam Lucullus imperator solvit, ut *Plutarch.* et *Flor.* 3, 5. narrant. *Plin.* 36, 2, 2. et *ib.* 6, 8. Luculleum marmor, *h. e.* quo Lucullus admodum delectatus fuit, in insula

Nili reperto. *Suet. Dom.* 10. Sallustium Lucullum interemit, quod lanceas novae formae appellari Luculleas passus esset. *Tac. A.* 11, 32. Luculliani horti, *h. e.* a Lucullo coepti, ut est *ib.* 1. qui sex circiter ab urbe Roma millibus erant, ubi Messalina occisa est, ut ait *Id. ib.* 37. *Suet. Tib.* 73. Obiit in villa Luculliana, *h. e.* cujus L. Lucullus quondam dominus, apud promontorium Miseni, ut est ap. *Tac. A.* 6, 50. De hac villa verba facit *Varr. R. R.* 1, 2. et 13. et *Phaedr.* 2, 5.

LŪCULUS, i, m. parvus lucus. *Suet. Vit. Horatii f.* Domus ejus ostenditur circa Tiburtini luculum.

LŪCŬMO et Lŭcŏmo, et per syncop. Lucmo, onis, m. rex, praefectus. Vox est Tusca, ex *Λυκάων*, Lycaon, quod fuit nomen regis Arcadiae, a quo Arcadia aliquando Lycaoniae nomen habuit, qui in lupum a Jove commutatus dicitur, ut praeter poetas tradit *Paus.* Tusci enim ex Arcadia venere. Sed alii putant Lucumonem dici a Syriacis vocibus; altera, significante senem, altera significante rationem, sapientiam. [Lepidum affert vocis etymon *Marcus Mundus* in *Additam.* ad *Lex. Facciol.* p. 25.; derivat enim a *λύκος*, lupus, et *homo*, *onis*, ut habet *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 683., quasi vero Tuscorum magistratus hoc nomine sint appellati, quia paulo severiores, ac veluti tyranni haberentur. *F.*] *Serv.* in *A.* 8, 475. Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est reges, quibus unus praeerat; et in illud *A.* 5, 560. Tres equitum numero turmae, *Lucumones* exponit Tuscos. Hinc ille, qui cum exercitu Etruscorum Romulo cum T. Tatio, et Sabinis bellum gerenti auxilium tulit, Lucumo ab *Dion. Halic. l.* 2. quasi nomine proprio, appellatur. Sic *Prop.* 4, 1, 29. Prima galeritus posuit praetoria Lucmo; et *ib.* 2, 51. Tempore, quo sociis venit Lucumonius armis, Atque Sabina feri contudit arma Tati. Al. leg. *Lucomedius*, quod idem est fere. V. LUCERENSES. Hic intelligitur ille Lucumo Tuscus, qui Romulo contra Sabinos auxilio venit, ut habet *Varr.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 560., minime vero L. Tarquinius Priscus, qui quintus Romae regnavit, quique Lucumo apud Tuscos fuit, de quo *Liv.* 1, 34. ℙ Sumitur etiam pro melancholico, vel insano. Nam *λυκάων*, apud Graecos utramque habet notionem. *Fest.* Lucumones (al. *Lucomones*) quidam homines ob insaniam dicti, quod loca, ad quae venissent, infesta facerent. *Auson. ep.* 4, 68. Scillite decies si cor purgeris aceto, Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen. Hic *Auson.* intelligit magnum aliquem virum arcanae scientiae peritum, quales in sacris erant Etrusci: vel Pythagoram, qui Samius fuit.

LŪCUNCŪLUS, i, m. dimin. lucuntis. *Afran.* ap. *Non.* 2, 483. Pistori nubat: cur non scriblitario, ut mittat fratris filio lucunculos? *Stat. Silv.* 1, 6, 17. Molles caseoli, lucunculique. *Appul. Met.* 10. Panes, crustula, lucunculos, et plura scitamenta. *Gloss. Philox.* Lucunculus, *τηγανίτης*. Adde *Tert. Spectac.* 27. *extr.* et *Petr. fr. Trag.* 66. *Burm.*, quib. duobus loc. al. aliter leg.

LŪCUNS, untis, f. edulii genus, quasi *λευκοῦν*, vel *λευκουντὴρ*, quia farina, quae alba est, aspergebatur. Alii ducunt a farina milii, quod *λευκὸν* Graece dicitur. *Varr.* ap. *Non.* 2, 483. Ac nulla ambrosia, ac nectar, non allia, sardae, Panis, pemma, lucuns, cibu' qui purissimu' multo est. De hoc loquitur *Festus*, ubi ait: Lucuntere, genus operis pistorii. Ubi alii leg. *lucunter:* ducuntque a *γλυκαντὴρ*, quod a *γλυκὺς*, dulcis, vel a *γλᾶξ*, *h. e. γάλα*, lac.

LŪCUNTER. V. in v. praec.

LŪCUS, i, m. *ἄλσος*, locus arboribus consitus, et religione sacer: fereque dicitur de manu consitis, et non caeduis: in quo a silva, et nemore differt. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 445. Lucus in urbe fuit media, etc. Ubicumque, inquit, Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio, ut (*ib.* 9, 3.) luco tum forte parentis Pilumni Turnus, sacrata valle, sedebat. Unde in sexto (*ib.* 673.) Nulli certa domus: lucis habitamus opacis. Dicuntur enim Heroum animae lucos tenere. Haec *Serv. Cic. Mil.* 31. Vos enim jam Albani tumuli atque luci, imploro, etc. Fere igitur luci aut circa Deorum templa, aut circa sepulcra ponebantur. *Serv. ib.* 314. Lucus est arborum multitudo cum religione: nemus composita multitudo arborum: silva, diffusa et inculta. *Hor. Ep.* 1, 6, 31. virtutem verba putes, et Lucum ligna? *h. e.* lucum esse meram silvam lignorum, nulla religione sacram. ℙ *Charis.* 4, 247., *Diomed.* 2, 458. et *Serv. l. c.* dictum putant per *ἀντίφρασιν*, quia minime luceat: quod non probat *Quint.* 1, 6. *med.*, et cum eo saniores critici, quibus placet id ipsum, quod *Serv.* rejicit, nempe dici a luce luminum, quae religionis causa ex arboribus suspendebantur. Sunt qui ad Graecam originem recurrunt, et varia comminiscuntur. [**Lūnem.* deducit a Gr. *λὺξ*, *λύκη*. Cf. *Lindem.* ad *Pomp. Comm.* p. 297.] Est, qui usque ad Syram, et inde repetit. [**Sanct. Min.* 4, 16, 2. *lucus* ejusdem originis ac *Lucumo*, primamque dicit sanctitatis esse significationem. Laudat quidem haec *Doederl.* 2, 90. Sed ipse V. *D. lucus* contractum e *luicus*, scil. *locus*, nostr. *Sühnplatz*, a *luere* factum demonstrat. Hinc *lucus* proprie dici de parte nemoris. Quum vero saepissime pars pro toto et sic vice versa ponatur, factum esse, ut *lucus* pro loco sacrato, qui silva; et *nemus* pro silva, qui locus sacer esse possit, usurpetur.] ℙ Ad discrimen inter *lucum*, *nemus*, et *silvam* pertinet illud *Prop.* 4, 9, 24. Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus; et *Tibull.* 3, 3, 15. Et nemora in domibus sacros imitantia lucos; et *Sen. Herc. Oet.* 956. Claudite Elysium mihi, Quaecumque fidae conjuges nemoris sacri Lucos tenetis. Ubi *lucos nemoris* recessus nemoris horrore et religione sacros dixisse videtur. *Liv.* 24, 3. Lucus ibi frequenti silva, et proceris abietis arboribus septus, laeta in medio pascua habuit. Ubi *lucus* est sacrum nemus Junonis Laciniae, *silva* ipsi arbores. Vel potius *lucus* est illud spatium in media silva, abietibus circumdatum, in quo templum et religionis sedes erat. *Ov. A. Am.* 3, 689. Silva nemus non alta facit; et *Met.* 1, 568. Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit Silva: vocant Tempe. *Tac. G.* 9. Lucos ac nemora Deorum nominibus appellant. ℙ Ceterum discrimen hoc non est perpetuum. En *nemus* pro *luco* ap. *Tac. H.* 4, 14. Primores gentis, specie epularum, in sacrum nemus vocatos, etc. *Virg.* non semel lucum adhibuit sine ulla religionis ratione pro silva, ut *G.* 2, 122. Aut quos oceano propior gerit India lucos; et *A.* 11, 456. alto in luco cum forte catervae Consedere avium. Adde *ib.* 7, 29. et 697. et *Ecl.* 8, 86. ℙ Contra *silva* pro *nemore* usurpatur a *Cic. Verr.* 2, 1, 19. *med.*, *Nep. Att.* 13. et *Hor. Ep.* 1, 10, 22., quibus locis *silva* non de incomposita et inculta arborum congerie, sed de composita, et deliciarum causa comparata dicitur. ℙ *Nemus* pro *silva* est ap. *Ov. Met.* 2, 418. Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat aetas. ℙ Per synecdochen poni videtur pro ligno, seu materia, in illo *Pl. fragm.* ap. *Charis.* 2, 179. Nihil quicquam factum nisi fabre, nec quicquam positum sine luco, auro, ebore, argento, etc. ℙ [*Confunduntur *lucus* et *locus*. V. h. v. *in f.*]

LŪDIA, ae, f. mulier artes ludicras exercens, vel ludii uxor, vel potius quae ludios ardentissime amat. *Juven.* 6, 265. quae ludia sumpserit unquam Hos habitus? et *ib.* 103. qua capta juventa est Hippia? quid vidit, propter quod ludia dici Sustinuit? *Mart.* 5, 24. Hermes, cura, laborque ludiarum.

LŪDIĀRĬUS, a, um, adj. ad ludios, et ludos pertinens, ut Ludiaria pecunia in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 76. et 77. est quae ludis faciendis, et ludiis sustinendis publice destinata est.

LŪDIBRĬOSĒ, adv. cum ludibrio. *Ammian.* 26, 6. *med.* Ludibriose sublatus. Adde *Tert. Resurr. carn.* 61.

LŪDIBRĬOSUS, a, um, adj. ludibrio plenus. *Gell.* 7, 11. Cum in Antonium probra quaedam ludibriosa et turpia ingessisset. *Ammian.* 15, 5. Ludibriosa auspicia. Adde 29, 2.

LŪDIBRĬUM, ii, n. [*Ordinem hujus loci, ut minus recte a Nostro institutum justoque brevius absolutum, immutavimus, iis adjectis atque expositis, quae perperam omissa viderentur. — Proprie *ludibrium*, quod recte *Forc.* a *ludus*, ut *manubrium* a *manus* oriundum dixerat, significat id, quo utimur, ut ita dicam, instrumento ludendi, deridendi, vexandi. Quod comprobari videtur his exemplis: *Lucr.* 2, 46. Quodsi ridicula haec, ludibriaque esse videmus. *Liv.* 25, 36. Quid starent? et non ludibrium illud vix feminis puerisve morandis satis validum, distraherent diriperentque: ubi de sarcinis pro vallo positis *ludibrium* dicitur. *Curt.* 5, 12, 20. Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt: nova ludibria subinde cogitante fortuna, i. e., quod nos in simili re dicimus, *Streiche*, *Schläge.* ℙ Additur etiam genitivus rei, qua ratio, genus ludibrii indicatur. *Liv.* 30, 30. Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna, ut, quum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa contulerim, etc. *Suet. Vitell.* 17. Inter magna rerum verborumque ludibria. Noster laudaverat:] *Cic. Dom.* 51. Libertatis signum posuisti magis ad ludibrium impudentiae, quam ad simulationem religionis, i. e. ut impudenter ludibrio haberes alios. ℙ [*Ponitur cum genitivo subjecti.] *Cic. Par.* 1, 1. Ille (Bias) haec ludibria fortunae ne sua quidem putavit, [*quae nos appellamus etiam bona: ubi *ludibria* fortunae dicuntur opes, pecunia, suppellex, quae sunt commutabilia, quibusque modo dandis, modo auferendis eludit homines fortuna. *Curt.* 4, 16, 10. Quis tot ludibria fortunae, ducum agminumque caedem multiplicem, devictorum fugam, etc., aut animo assequi queat, aut oratione complecti? *Suet. Aug.* 83. Nam pumilos atque distortos et omnes generis ejusdem, ut ludibria naturae, malique ominis, abhorrebat: ubi laudat *Casaubonus Chrysost.*, qui in pr. *ep.* ad *Timoth.* *τὰ φύσεως ἁμαρτήματα* dicit ludibria naturae. ℙ Cum genitivo objecti. Noster laudaverat.] *Curt.* 4, 15. *med.* Ceterum sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit, qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paululum supra caput regis placide volantem aquilam. [*Adde 7, 7, 8. Mentium humanarum ludibrium, superstitio. *Liv.* 22, 16. Ludibrium oculorum specie terribile ad frustrandum hostem commentus; et 24, 44. Ludibria oculorum auriumque credita pro veris. ℙ Hinc illud ipsum, quod eluditur, vexatur, *ludibrium* appellatur. Nos eodem modo dicimus, *Spiel*, *Spielzeug:* cujus generis exemplum Noster laudavit.] *Liv.* 1, 56. *f.* Is ab Tarquiniis ductus Delphos, Ludibrium verius, quam comes. *Just.* 9, 6. Reddere aliquem ludibrium omnium inter aequales. [*Adde *Lucan.* 7, 379. sqq. Magnus, nisi vincitis, exsul, Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos, Ne dicam servire senex: ubi v. *Cort.* *Liv.* 2, 36. Ne in ora hominum pro ludibrio abiret. *Suet. Ner.* 6. Quod tum Claud. inter ludibria aulae erat.] *Virg. A.* 6, 74. foliisue carmina manda, Ne turbata volent, rapidis ludibria ventis. [**Lucan.* 8, 710. Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu Ludibrium pelagi. — Imitatur *Claud. Honor. IV*, 139. Ludibrium pelagi vento jactatur et unda.] *Debere ludibrium.* V. DEBEO. ℙ [*Tum v. *ludibrium* a rebus, quibus utimur ad eludendum, transfertur ad actum eludendi, rationem significans, qua deridendis, vexandis aliis lasciviae, petulantiae, invidiae, odio indulgemus.] *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. Ludibrio aliquem laedere. [*Adde *Auct.* ad *Her.* 4, 39. Filii — ludibrio et despectui paternis inimicis erant oppositi. *Liv.* 24, 26. Legati per ludibrium auditi dimissique. *Suet. Cal.* 23. Claudium nonnisi in ludibrium reservavit; et *Galb.* 20. Non sine ludibrio.] *Gell.* 15, 2. Vini libidine adusque ludibria ebriosus, *h. e.* ut ludibrio esset apud omnes. — [*Huc pertinent etiam elocutiones *ludibrio habere*, i. e. deridere, illudere; et *esse ludibrio*, h. e. ludibrio haberi: quarum *Forc.* haec exempla laudaverat.] *Pl. Cas.* 3, 5, 19. Ludibrio pessima adhuc me Habuisti. *Ter. Hec.* 4, 1, 11. Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. *Id. ib.* 1, 2, 74. Sed quam decrerim me non posse diutius Habere, eam ludibrio haberi, Quin integram reddam, ut accepi, suis, Neque honestum est mihi, etc. *h. e.* eam vitiari. *Cic. ad Brut.* 1, 2. Nec pati, sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi Romani. [**Liv.* 2, 23. Nec dubie ludibrio esse miserias suas.] ℙ Pro dedecore. *Sall. Cat.* 13. Quibus mihi ludibrio videntur fuisse divitiae, quippe quas honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. [*V. *Kritz.* ℙ Cum genitivo subjecti. *Vell.* 2, 71, 2. Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. *Curt.* 5, 5, 6. In longum sui ludibrium reservaverant. ℙ Porro cum genitivo objecti. Noster unicum exemplum alieno loco adscripserat:] *Just.* 36, 1. Pacis simulatione deceptus capitur: traductusque per ora civitatum, populis, qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur, *h. e.* in contemptum et irrisionem favoris, quem ei praebuerant. [*Alia exempla haec sunto! *Liv.* 45, 3. Velut ad ludibrium stolidae superbiae; et cp. 41. ad ludibrium casuum humanorum; 1, 7. Ludibrio fratris Remum novos transsiluisse muros; et 9, 11. Ludibria religionum. ℙ De stupro dicitur *ludibrium* ap. *Curt.* 10, 1, 3. Virgines et principes feminarum stupra perpessae in corporum ludibria deflebant; et 4, 10, 27. Num quod maxime suspicor, et loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es; mihi, et, ut credo, ipsis quoque, omni graviora supplicio?]

LŪDĪBUNDUS, a, um, adj. valde ludens et jocans, ludi jocique plenus, per ludum et risum aliquid faciens, alacer, laetus. *Pl. Ps.* 5, 1, 49. Palliolatim amictus sic hac incessi ludibundus. *Liv.* 24, 16. *med.* Milites praedam portantes, agentesque, per lasciviam ac jocum ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis reverti viderentur. *Cic. Fam.* 16, 9. Austro lenissimo, coelo sereno, in Italiam ludibundi pervenimus; [*i. e. celeriter ac sine periculo. Male Noster *scherzando allegramente.*] et *Verr.* 2, 3, 67. Si Vultejum habebis, omnia ludibundus conficies, *h. e.* sine labore, et veluti ludens. *Gell.* 3, 5. Cum vocem ejus infractam, capillumque arte compositum, et oculos ludibundos, atque illecebrae plenos videret. [**Suet. Ner.* 26. Circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen.]

LŪDĬCER vel Ludicrus, a, um, adj. *παιγνιώδης*, ludi causa susceptus, jocularis, lusorius. *Cic. N. D.* 1, 37. Pueri etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur. *Id. Or.* 2, 20. Ars ipsa ludicra armorum et gladiatori, et militi prodest aliquid. *Id. Acad.* 4, 2. Quasi vero clarorum virorum esse oporteat aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leviorum. *Pl. Aul.* 4, 3, 3. Continuo cor meum coepit artem facere ludicram, Atque in pectus emicare, *h. e.* ludionum more moveri, et quasi gesticulari. Est enim *ludicra ars* scenica et histrionica. *Sen. ep.* 88. *med.* Ludicrae artes sunt, quae ad voluptatem oculorum atque

aurium tendunt. [*Suet. Ner.* 11. Ludicras partes sustinere. *Vell.* 1, 8, 1. Ludicrum certamen. *Curt.* 3, 7, 5. edito spectaculo ludicro.] *Virg. A.* 12, 764. neque enim levia aut ludicra petuntur Praemia, sed Turni de vita et sanguine certant, [*scil. qualia erant in certaminibus et ludis seu στεφανίταις seu χρηματίταις. *Heyn.*] *Hor. Ep.* 1, 1, 10. Nunc itaque et versus, et cetera ludicra pono. *Plin.* 16, 36, 66. Ludicrae tibiae, *h. e.* quibus in ludis, et scena utebantur ad modos faciendos. *Tac. A.* 14, 14. Cithara ludicrum in modum canere; et *ib.* 1, 50. Festa nox, ac solemnibus epulis ludicra, *h. e.* per ludum, et hilaritatem acta. [*Adde *G.* 24. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se — jaciunt. *Ann.* 16, 4. Ludicra deformitas. *H.* 2, 68. Apud victores orta seditio, ludicro initio.] *Gell.* 9, 7. historia. ℙ *Ludicrum* absolute, ludi, res ludicra. *Liv.* 28, 7. *med.* Olympiorum solemne ludicrum parantes Eleos aggredi statuit. [*Adde 33, 32. Isthmiorum statum ludicrum aderat; et 34, 41. Nobile ludicrum Nemeorum; et 39, 22. hujus seculi ludicrum celebratum est. Plura praebet *Gloss. Liv.* s. h. v. *Vell.* 1, 8. quo quidem in ludicro, cet. *Suet. Aug.* 43. In hoc ludicro (de lusu Trojae).] *Tac. A.* 1, 54. Indulserat ei ludicro Augustus, *h. e.* ludis Augustalibus. *Just.* 7, 2. *extr.* Ut etiam Olympiorum certamine, vario ludicrorum genere contenderit. [*Hor. Ep.* 1, 6, 7. Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis, Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore? ad quem locum v. *Doederl.* 2, 33.] *Plin.* 61, 3, 5. Coronae ludicro quaesitae, *h. e.* publico ludorum certamine partae, quas *ib.* paulo post *coronas ludicras* vocat. *Catull.* 6, 21. Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis, Quos Hamadryades Deae Ludicrum sibi roscido Nutriunt humore. *Plin.* 3, 11, 16. Urbes duae, quae in proverbii ludicrum vertere, Apina et Trica. ℙ Rectus singularis masculinus incertus est. In *Gloss. Philox.* habetur *ludicrus.* Placet *Vossio* esse *ludicer.* Docet *Prisc.* 7, 769. ab ablativo *ludicri* non fieri plurale neutrum *ludicria*, sed *ludicra.* Sed illud *ludicri* nullo probat exemplo: nos *ludicro* certum habemus.

LŪDICRĒ, adv. per ludum. *Enn.* ap. *Non.* 2, 505. pars ludicre jactant saxa: inter se licitantur. *Appul. Met.* 9. Astu meretricio tractabat ludicre.

[LŪDICROR, aris, dep. 1. jocor, ludo. *Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 1, 15. de puello: Uvarum avidissimus est: primum denique hunc cibum degluttivit, nec cessavit per totos paene dies aut lingua lambere uvam, aut labris saviari, aut gingivis lacessere, ac ludicrari. *F.*]

LŪDICRUS. V. LUDICER.

LŪDIFĂCIO, ăcis, eci, actum, a. 3. idem quod ludifico. *Pl. Epid.* 5, 2, 41. Quomodo me ludifecisti de illa conducticia fidicina!

LŪDĬFĪCĂBĪLIS, e, adj. plenus ludo, jucunditate. *Pl. Cas.* 4, 1, 2. Neque usquam ludos tam festivos fieri, Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles Seni nostro.

LŪDĬFĪCĀTIO, onis, f. deceptio, illusio. *Cic. Sext.* 35. Cum omni mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur. *Liv.* 22, 18. *f.* Ne nihil actum censeret, exacta prope aestate per ludificationem hostis. *Id.* 6, 27. et 38, 14. *med.* Enimvero ferri jam ludificatio ista non potest. *Id.* 26, 6. *f.* Ea ludificatio veri et ipsa in verum vertit.

LŪDĬFĪCĀTOR, oris, m. illusor, deceptor. *Pl. Most.* 5, 1, 18. Ego illum ante aedes praestolabor ludificatorem meum.

[LŪDĬFĪCĀTORĬUS, a, um, adj. qui ludificatur. *August. C. D.* 11, 26. Phantasmatum imaginatio ludificatoria. *F.*]

LŪDĬFĪCĀTUS, a, um, part. a *ludifico:* illusus, deceptus. *Sall. Jug.* 54. Numidae alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextra tentare, omnibus locis Romanorum ordines conturbare: quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto proelio, etc. *Pl. Bacch.* 4, 4, 3. Herum meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatus est! *Id. Mil.* 2, 6, 10. meamne hic in via hospitam Tractatam et ludificatam? etc. *h. e.* stupratam. ℙ Activa significatione a *ludificor.* [*Liv.* 44, 36. Ne hostem, ludificatum priores imperatores, fugiendo certamen, manibus emitteret.]

LŪDĬFĪCĀTUS, us, m. ludificatio. *Pl. Poen.* 5, 5, 1. Si ego minam non ultus fuero probe, quam lenoni dedi, tum profecto me sibi habento scurrae ludificatui. Al. leg. *ludificis caveis*, quod commode explicari non potest.

LŪDĬFĪCO, as, avi, atum, a. 1. [*Proprie intrans. significat ludum facere, ludibrium agere. Huc pertinet locus, quem Noster cum ceteris miscuerat, *Cic. Quint.* 17. Si latitare, ac diutius ludificare videatur. ℙ Hinc transitive, addito accusativo ejus, quem quasi ludum facio, est, quod *Forc.* primo loco posuerat,] *ψεύδομαι*, per ludum fallo, illudo, decipio. *Pl. Amph.* 2, 1, 38. Qui herum ludificas dictis delirantibus. [*Mil.* 2, 6, 9. Ita me ludificant; et *v.* 15. meam ludificasti hospitam.] *Sall. Jug.* 40. *extr.* Pacis mora consulem ludificare. *Pl. Most.* 5, 1, 19. ante aedes praestolabor ludificatorem meum: Cujus ego hic ludificabo corium, si vivo, probe, *h. e.* virgis scindam. ℙ Passive. *Id. Capt.* 3, 1, 27. Abeo ab illis postquam video me sic ludificarier; et *Truc.* 1, 1, 5. Quot amans exemplis ludificetur, quot pereat modis; et 2, 8, 6. Quam exclusus sum! pulcre ludificor. [*Lucr.* 1, 938. Ut puerorum aetas improvida ludificetur; et 4, 14., ubi eadem verba repetuntur.]

LŪDĬFĬCOR, aris, atus sum, dep. 1. *ψεύδομαι*, idem quod ludifico, sed aliquanto frequentius. *Cic. Rosc. Am.* 20. Aperte ludificari et calumniari. *Pl. Mil.* 3, 3, 53. Lepide ludificari aliquem. [*Huc pertinet locus *Ejusd.*, quem Noster perperam in *ludificatus*, *a*, *um*, laudaverat, *Most.* 5, 2, 25. Jam minoris omnia facio, praequam quibus modis me ludificatus est.] *Ter. Eun.* 4, 4, 50. Tu me hic etiam nebulo ludificabere; et 4, 3, 3. Postquam ludificatus est virginem, *h. e.* virgini injuriam fecit. [*V. quae laudat *Ruhnk.* ad h. l.] *Tac. A.* 1, 46. Patres et plebem cunctatione ficta ludificari. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Plerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua, et aliena mala ludificabantur, *h. e.* pejora vaticinando veluti illudebant, fallebantque. ℙ [*Nota illud *Pl. Capt.* 3, 4, 80. Nugas ludificabitur, i. e. nugas tecum aget et ludibrio te habebit.] ℙ Pro eludere, evadere. *Liv.* 39, 44. *med.* Edicto summotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant. *Id.* 24, 34. Archimedes inventor ac machinator bellicorum tormentorum, quibus ea, quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur. *Flor.* 2, 2. Longe illis nauticae artes, detorquere remos, et ludificari fuga rostra. *Tac. A.* 3, 21. Hostis irritum fessumque Romanum impune ludificabatur. [*Liv.* 27, 46. Ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat.] *Val. Max.* 7, 3. *n.* 8. *extr.* Fabius Annibalis vim saluberrimis cunctationibus pugnae ludificans.

LŪDĬFĪCUS, a, um, adj. ludificabilis, ludificans. V. LUDIFICATUS, us.

LŪDĬMĂGISTER, tri, m. *γραμματοδιδάσκαλος, γραμματιστής*, qui ludo litterario praeest, [primus magister, ut eum vocat *August. Confess.* 1, 13., paedagogus litterarius, ut *Vopisc. Bonos.* 14., magister litterarum, ut *Id. Tac.* 6. *F.*] *Cic. N. D.* 1, 26. de Epicuro: Sami adolescens habitabat cum patre et fratribus, quod in eam pater ejus Neocles agripeta venerat, sed cum agellus eum non satis aleret, ut opinor, ludimagister fuit. Eadem narrat *Strabo l.* 14. *Mart.* 10, 62. Ludimagister parce simplici turbae. *Just.* 21, 5. Dionysius ludimagistrum professus, pueros in trivio docebat. ℙ Duae revera sunt voces, quae et dividi, et transponi possunt. *Cic. Div. Verr.* 14. Magister ludi nescio qui. Ubi *Ascon.* magistri ludi dicuntur, qui primas litteras docent.

[LŪDĬMENTUM, i, n. idem ac ludicrum. *Gloss. Philox.* Ludimentum, *παίγνιον. F.*]

LŪDĬO, onis, m. idem ac ludius. *Liv.* 7, 2. Ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes. *Id.* 39, 6. Convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.

[LŪDĬTOR, aris, dep. 1. idem ac ludificor. *Gloss. Philox.* Luditor, *διαπαίζω. F.*]

LŪDĬUS, ii, m. *ὀρχηστής, λυδίων*, qua posteriore voce utitur *Dionys. Halicarn.* 2, 97., ubi docet, primo *ludios* et *ludiones* dictos pueros puberes, decoris tunicis indutos, galea, ense, et parma armatos, qui ordine incedebant, et tanquam pompae ductores erant, referentes quandam Saliorum imaginem: a Lydis nomine accepto, a quibus Tusci sumpserant, et ab his Romani, *Liv.* 7, 2. teste. Postea sic dicti quicumque aliqua ratione faciebant ludos vel in circo, vel in theatris, vel per compita, oblectandi populi causa. *Cic. Sext.* 54. Ipse ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama. *Id. Har. resp.* 11. Servorum, et ludiorum multitudo. *Ov. A. Am.* 1, 112. Dumque, rudem praebente modum tibicine Tusco, Ludius aequatam ter pede pulsat humum. *Suet. Aug.* 74. Acroamata, et histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat. [*V. *Oudendorp.*] *Juven.* 6, 82. Nupta senatori comitata est Hippia ludium Ad Pharon, et Nilum: *synaeresis* est in *ludium*, quae hic disyllaba est vox. ℙ Solebant ludii, ut teneri delicatique apparerent, glabros se, quam maxime possent, reddere. Hinc *Pl. Aul.* 2, 9, 6. tu istum gallum, si sapis, Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est. ℙ *Ludius, pictor vetustus, Marcus cognominatus. *Plin.* 35, 10. ℙ Alius hoc nomine pictor. *Plin. ib. B. A.*

LŪDO, is, si, sum, a. 3. *παίζω*, ludo se delectationis causa exercere: a *Lydus*, ut in v. praec. dictum est. [*Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 908. A verbo *λύω*, solvo, videtur ortum esse verbum *ludo* — Nescio equidem an *τὸ ludere* sit solvere, Batave *uitspannen.* Egregius certe eam in rem locus est *Phaedri* 3, 14, 10. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris; At si laxaris, quum voles, erit utilis: Sic ludus animo debet aliquando dari. Laudat *Doederl.* 2, 27. ubi plura de his disputantur.] *Cic. Phil.* 2, 23. Qui non dubitaret vel in foro alea ludere. *Id. Or.* 1, 50. Pila bene, et duodecim scriptis ludere. *Suet. Claud.* 33. et *Ner.* 30. Quadringenis in punctum HS aleam lusit. *Id. Ner.* 35. Ludere ducatus et imperia. [*Caes.* 39. et *Ner.* 7. Trojam ludere.] *Id. Aug.* 71. *extr.* et *Hor. Sat.* 2, 3, 248. talis, vel par impar. [*Gr. *ἀρτίζειν, ἀρτιασμός.* V. *Casaub.* ad *Suet. l.* modo laud.] *Mart.* 14, 1. nucibus; et *ib.* 47. folle. *Ov. A. Am.* 3, 357. proelia latronum. *Hor. Od.* 3, 24, 56. trocho. *Ter. Ad.* 4, 7, 21. tesseris. *Vopisc. Proc.* 13. et *Spartian. Sever.* 1. ad latrunculos, ad judices. V. JUDEX. *Ov. Trist.* 2, 471. Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes. *Ulp. Dig.* 11, 5, 1. Ludere alea; et *mox:* Qui aleae ludendae causa vim intulerit. *Paul. ib.* 2. Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere. ℙ Item exercitatione ludicra quacumque se oblectare. *Cic. Off.* 1, 20. *extr.* Suppeditant et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi. *Hor. A. P.* 379. Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. *Ov. Trist.* 4, 1, 71. Aspera militiae juvenis certamina fugi, Nec nisi lusura movimus arma manu. [*Saepissime usurpatur ludere de armorum exercitatione. *Cic. Or.* 2, 20. Videant ad ludendum, an ad pugnandum sint arma sumpturi. *Tibull.* 1, 4, 51. Si volet arma, levi tentabis ludere dextra: ubi v. *Heyn.*] *Virg. Ecl.* 6, 27. in numerum Faunosque ferasque videres Ludere i. e. saltare. [*Tibull.* 1, 3, 63. Hic juvenum series teneris immixta puellis Ludit, et assidue proelia miscet amor. cf. 2, 1, 24. et 87.] *Lucr.* 2, 630. Ludere catenas. V. CATENA. *Ov. Her.* 16, 149. nitida palaestra. *Virg. A.* 8, 631. geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros. [*Tibull.* 1, 5, 26. consuescet amantis Garrulus in dominae ludere verna sinu.] *Ter. Ad.* 3, 4, 13. Congrum istum in aqua sinito ludere. *Virg. G.* 1, 363. cumque marinae In sicco ludunt fulicae. *Ov. Trist.* 2, 329. Non ideo debet pelago se credere, si qua Audet in exiguo ludere cymba lacu. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 3. errantes ludunt per caerula flammae. [*Sil.* 16, 364. Ludentis per colla jubae, i. e. dependentis large et fluentis. ℙ Dicuntur *ludere* etiam res, quae ludibrio sunt, deridentur, negliguntur. Gemini loci sunt ap. *Prop.* 2, 25, 27. Mendaces ludunt flatus in amore secundo; et 33, 23. Non audis, et verba sinis mea ludere: ubi *Heins.* Adv. p. 357. conj. *me ludere*, i. e. perdere, prob. *Broukh.*] ℙ Saepe refertur ad studia, praesertim poetica: sed de levioribus dicitur, et quae animi causa, jocique ineuntur. *Cic. Prom. Par.* Illa ipsa ludens conjeci in communes locos. [*Suet. Ner.* 3. Quae domi luserat ipse.] *Catull.* 50, 4. Scribens versiculos uterque nostrum, Ludebat numero modo hoc, modo illo, Reddens mutua per jocum atque vinum. *Virg. Ecl.* 1, 10. Ludere quae vellem, calamo permissit agresti. *Id. G.* 4, 565. Carmina qui lusi pastorum; et *ib.* 2, 386. coloni Versibus incomptis ludunt. *Ov. Trist.* 2, 491. Talia fumosi luduntur mense decembris, *h. e.* canuntur per ludum. *Mart.* 7, 8. Festa coronatus ludet convicia miles, *h. e.* per ludum jactabit in ducem suum die triumphi. ℙ Interdum ad turpia. *Petr. Sat.* 11., *Prop.* 2, 5, 4., *Catull.* 61, 211., *Ov. A. Am.* 2, 389. et *Mart.* 11, 104. etc. Quo pertinere videtur illud *Livii Andron.* ap. *Fest.* in *Adfatim.* Adfatim edi, bibi, lusi. Quod imitatus videtur *Hor. Ep.* 2, 2, 214. Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti. Adde *Tert. Jejun.* 6. [*Suet. Tib.* Ut natanti sibi inter femina versarentur ac luderent.] ℙ *Ludere de corio suo*, vel *alieno.* V. CORIUM. ℙ *Ludere ludum*, et *ludo*, translate. *Ter. Eun.* 3, 5, 39. Et quia consimilem luserat Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi. De Jove loquitur aureo imbre Danaen fallente. *Pl. Most.* 5, 2, 36. Scis, solere illanc aetatem tali ludo ludere. *Hor. Od.* 3, 29, 50. de Fortuna: Ludum insolentem ludere pertinax, Transmutat incertos honores, Nunc mihi, nunc alii benigna. ℙ *Ludere otium*, per otium ludere, quasi ludum otium facere. *Mart.* 3, 67. At vos tam placidas vagi per undas Tuta luditis otium carina. ℙ *Ludere periculum*, in periculo ludere, periculose per ludum experiri. *Id.* 9, 39. Summa licet velox, Agathine, pericula ludas. ℙ *Ludere operam*, quasi per ludum, atque adeo frustra insumere. *Pl. Ps.* 1, 3, 135. In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus. *Ter. Phorm.* 3, 2, 18. In illis opera luditur. ℙ Pro jocari. V. JOCOR et JOCUS. [*Huc pertinet locus, quem *Forc.* sq. §. adscripserat, *Cic. Fin.* 5, 11. *med.* Si quando pueris ludentes minamur, praecipitaturos alicunde.] ℙ Saepissime est irridere, illudere, deludere. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Domitius in senatu lusit Appium collegam, propterea isse ad Caesarem, ut aliquem tribunatum auferret; et *ib.* 12. Eum lusi jocose satis. *Id. Or.* 1, 12. Haec oratio aut nulla sit, necesse est, aut omnium irrisione ludatur. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] *Ter. Ad.* 4, 5, 5. Cur non ludo hunc aliquantisper? et *ib.* 63. Num ludis tu nunc me? [*Suet. Aug.* Ludens ingenium ejus.] ℙ Item fallere, decipere. [*Cic. Div.* 2, 24. Hoc civili bello quam multa (haruspicum responsa) luserunt?] *Virg. A.* 7, 442. senc-

ctus falsa vatem formidine ludit. *Hor. Od.* 3, 4, 5. Auditis? an me ludit amabilis Insania? [*Tibull.* 3, 4, 7. Somnia fallaci ludunt temeraria nocte. V. *Heyn.*] *Ov. Am.* 1, 3, 22. Et quam fluminea lusit adulter ave; et *ib.* 10, 4. quam plumis abditus albis Callidus in falsa lusit adulter ave; et *A. Am.* 3, 332. Cuive pater vafri luditur arte Getae. *Ter. Eun.* 2, 3, 94. Ludere aliquem dolis. [*Tibull.* 1, 6, 9. Ipse miser docui, quo posset ludere pacto Custodes: Graeci in simili re usurpant *λαθεῖν*. ℙ Significat *ludere* etiam simulare, quasi partes alicujus agere. Ita *Cic. Fam.* 8, 9. Civem bonum ludit. ℙ Confunduntur in edd. *ludere* et *laedere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 151.]

[LUDOR, oris, m. idem ac lusor. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 105. Hippia ludia Sergiolum amavit, qui et ludor dictus est ex gladiatoris nomine, quia sit diu demoratus in ludo. Fortasse legendum est *lusor*. *F.*]

LUDUS, i, m. *ἀγών, παλαιστρον*, exercitatio quaevis animi vel corporis recreandi causa suscepta: quales sunt, quae a pueris fiunt, et quae lucri causa incuntur: item quae a ludiis publice ad populi oblectamentum. Atque de his postremis proprie dici videtur. Est enim a *Λύδος*, quod a Lydis Tusci oriundi tradidere Romanis morem ludorum publicorum, ut in LUDIUS dictum est. [*Aliud v. etymon v. in LUDO. Discrimen inter *lusus* et *ludus* est: hoc objective intelligendum de rebus ludicris in usum hominis existentibus, semperque cum genitivis subjecti conjungitur: illud subjective ubique cum genitt. objecti construitur. Porro *ludus* cum recreandi notione opp. *labori; lusus* puerilem, vanam agendi rationem significans opp. honestis, gravioribus occupationibus. *Doederl.* 2, 28. sq. Quid *jocus* differat, v. in h. v.] *Cic. Or.* 3, 15. Ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi aliquem excogitant in otio ludum. *Id. Coel.* 12. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati. *Hor. Ep.* 1, 14, 36. Nec lusisse piget, sed non incidere ludum. *Cic. Coel.* 5. Ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur. *Virg. Ecl.* 7, 17. Posthabui tamen illorum mea seria ludo, *h. e.* canendi certamini. [*Liv.* 7, 33. In ludo — militari — comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem, i. e. in exercitationibus ad militiam pertinentibus.] ℙ De ludo ad judices. V. JUDEX. ℙ *Ludi publici* sunt spectacula, quae publice edebantur in circo, in theatro, per compita, etc. in honorem Deorum, et ad populum oblectandum. Alii appellabantur a loco, ubi fiebant, ut *circenses*, *scenici*, *theatrales*, *compitalicii*, etc.: alii a Deo, in cujus honorem fiebant, ut *Capitolini*, *Cereales*, *Apollinares*, *Florales:* alii a causa, propter quam fiebant, ut *juvenales*, *funebres*, *votivi:* alii a tempore, ut *saeculares:* alii a celebritate, et apparatu, et causa, ut *magni*, *maximi:* de quibus omnibus V. suis locis. *Nep. Reg.* 2. Cum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. *Cic. Brut.* 20. Hoc praetore ludos Apollini faciente, cum Thyesten fabulam docuisset, mortem obiit. *Id. Har. resp.* 12. Hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt. *Id. Arch.* 6. Ad festos dies ludorum celebrandos. *Virg. A.* 5, 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *f.* Haec scripsi a. d. IX. cal. Novembr., quo die ludi committebantur; et *ib.* 8. *f.* Ludos magnificentissimos apparare. *Id. Sext.* 54. apparatissimos, magnificentissimosque facere. *Ascon. in Verr.* 1, 10. Ludos dare, *h. e.* edere, facere. *Ov. Fast.* 6, 238. aspicere; et *ib.* 5, 330. persolvere alicui Deo: *scil.* voto promissos. ℙ [*Observa, *ludos* de scenicis (*Lustspiele*, *Trauerspiele*, *Mimen.*) dici non simpliciter, sed cum distinctione a Circensibus. Ita *Suet.* 10. Venationes autem ludosque et cum collega et separatim edidit; 39. Edidit spectacula varii generis: munus gladiatorium: ludos etiam, regionatim, urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones. V. *Ernest.* Adde *Aug.* 43. Fecisse ludos se, ait, suo nomine quater: — munera non in foro modo: ubi v. *munera* restituit *Ernest.*, sqq. *Oudend.* et *Brem.* et *ib.* 44. *Tib.* 34. ℙ Porro notandus vetus loquendi usus, quo *ludi* construuntur cum adject. neutrius generis, ut *ludi Taurilia* ap. *Liv.* 39, 22. Adde *ib.* 1, 9. Ludi Consualia; et 30, 39. Ludi Cerealia. Laudat *Schaef.* in *Gloss. Liv.*, unde haec exempla hausimus, *intpp.* ad 1, 9, 6. et *Paus.* 5, 16. *αἱ δὲ αὐταὶ τιθέαι καὶ ἀγῶνα Ἡραῖα*; et *ib. ὕστερον δὲ καὶ τὸν ἀγῶνα ἐπεφάνησαν ὑπ' αὐτῶν θεῖναι τὰ Ἡραῖα*: coll. *Bentl.* ad *Aristoph. Plut.* 583. Adde *Duk.* ad *Liv.* 34, 54, 3. Vetere hoc more utuntur *Varro*, *Livius*, *Ov.* De Ciceronis usu non est confecta res. V. *Har. Resp.* 12. ibique Graevium inprimis, sed et *Ernest.*] ℙ *Ludis* est ludorum tempore. *Pl. Cas. prol.* 27. Ludis poscunt neminem: secundum ludos reddunt autem nemini. *Cic. fr.* ap. *Non.* 1, 318. Omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertit. ℙ Interdum *ludus* pro joco accipitur. V. JOCUS. ℙ Interdum dicitur de re, quae facile, et nullo labore fit. *Cic. Or.* 2, 17. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium litterarum et politioris humanitatis experti: in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum. *Id. Fin.* 1, 8. Cum praesertim illa perdiscere, ludus esset. *Sil.* 16, 573. Cui ludus, nullam cursu non tollere damam. ℙ [*Ludus* dicitur etiam alicui res esse, quae ab eo contemnitur, vilipenditur. *Cic. Fl.* 5. Qui dicit testimonium ex nostris hominibus ut se ipse sustentat — ut timet — ne quid plus minusve quam sit necesse dicat. Num illos (Graecos) item putatis? Quibus jusjurandum jocus est; testimonium ludus. V. similia in LUDO.] ℙ *Ludos*, et *ludum facere* est ludificari, illudere; addito interdum accusativo, aut dativo personae. *Ter. Ph.* 5, 7, 52. Ut ludos facit! *Pl. Capt.* 3, 4, 47. Ut scelestus, Hegio, nunc is te ludos facit! *Id. Aul.* 2, 2, 74. Video ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum, Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo. *Id. Most.* 2, 1, 80. Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni faciam. *Id. Merc.* 2, 1, 1. et *Rud.* 3, 1, 1. Miris modis Dii ludos faciunt hominibus. *Id. Ps.* 4, 7, 72. Donicum ipsus sese ludos fieri senserit. *Id. Bacch.* 5, 1, 4. hoccine me aetatis ludum bis factum esse indigne? (Adde *argum. Most.* 2, 7.) *Id. Truc.* 4, 2, 46. Jam hercle ego tibi, illecebra, ludos faciam clamore in via, *h. e.* pipulo te differam. ℙ *Ludos aliquem dimittere* est illudendo et conviciando dimittere. *Id. Rud.* 3, 5, 11. Nunquam quisquam me lenonem dixerit, Si non te ludos pessimos dimisero. [*Exposuit de hoc dicendi genere *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 3, 4, 47.] ℙ Dicitur etiam *facere ludo aliquem. Id. Ps.* 4, 7, 71. Exploratorem hunc faciamus ludo suppositicium. Sed fortasse *ludos* legendum est. ℙ *Facere ludos* refertur etiam ad turpia, ut *ludificari*, *ludibrio habere*, *illudere*, etc. *Pl. Pers.* 5, 2, 23. ℙ Significat etiam operam perdere, frustra laborare. *Id. Rud.* 4, 1, 9. nunc et operam ludos facit, et retia, Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit. ℙ *Sibi ludos facere* est se per ludum recreare. *Varr.* ap. *Non.* 1, 76. et *Petr. fr. Trag.* 73. *Burm.* ℙ *Ludos dare*, *praebere*, est ejus, qui causam praebet, quamobrem illudatur. *Ter. Eun.* 5, 7, 9. Non potest satis narrari, quos ludos praebueris intus. ℙ *Ludos alicui reddere* est ludos alicui facere. *Id. Andr.* 3, 1. *f.* si me imparatum in veris nuptiis Adortus esset, quos mihi ludos redderet! ℙ *Dare ludum alicui* est dare ludendi potestatem. *Pl. Bacch.* 4, 10, 7. Ego dare me ludum meo gnato institui, ut animo obsequium Sumere possit; et *Cic. Coel.* 12. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati. *Pl. Cas. prol.* 25. Ludi sunt: ludus datus est argentariis: Tranquillum est: alcedonia sunt circa forum; et *Bacch.* 4, 10, 9. Dare ludum desidiae. Sic *Hor. Od.* 3, 12, 1. amori. ℙ *Per ludum* est ludendo, ludi causa, nullo labore, facile. *Cic. Verr.* 2, 5, 70. Vidimus Fimbriam, Marium, Coelium non mediocribus laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludum et per negligentiam pervenistis; et *ib.* 3, 60. Aliquem per ludum et jocum fortunis omnibus evertere. *Juven.* 6, 323. Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient Ad verum. ℙ Metonymice *ludus* est locus, in quo corporis, aut ingenii vires exercentur, ut palaestra et schola: quae, ut ait *Festus* in *Schola*, ideo *litterarius ludus* dicitur, ne tristi aliquo nomine fugiant pueri suo fungi munere: vel, ut alii volunt, quia studium litterarum liberalis ingenii ludus fit. [*διδασκαλεῖον.*] *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *f.* Ducens mecum Ciceronem meum in ludum discendi. *Pl. Pers.* 2, 1, 6. Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri, ut probe litteras sciret. *Id. Rud. prol.* 43. Eam vidit ire e ludo fidicino domum. *Caes. B. C.* 1, 14. Gladiatores, quos ibi Caesar in ludo habebat, libertati confirmat. *Suet. Caes.* 31. Ludum gladiatorium aedificare. [*Adde *Dom.* 4. Ut populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi.] *Cic. Fam.* 9, 18. Dionysius Corinthi dicitur ludum aperuisse. *Id. Or.* 2, 22. *extr.* Isocrates magister istorum omnium, cujus e ludo, tanquam ex equo Trojano, meri principes exierunt. *Nep. Att.* 10. Cum eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo conjuncte vixit, ut, etc. De loco, in quem conveniunt infames feminae meretricias artes discendi causa, usurpat *Cic. fr.* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* ℙ [*Ludus aetatis* cum decore dicitur de voluptate Venerea. *Liv.* 26, 50. (Scipio loquitur, captivam sponso intactam restituens.) Si frui liceret ludo aetatis, praesertim recto et legitimo amore, et non respublica animum nostrum occupasset.] ℙ *Ludus* etiam dicitur liber, in quo de re ludicra agitur. Itaque sic inscribitur a nonnullis apocolocyntosis *Senecae* de morte Claudii Caesaris. *Cicero* quoque *Sen.* 6. *f.* et *Fest.* in *Redhostire* ex lectione *Scalig.* afferunt fragmentum *Naevii in ludo*, quo significari videtur erotopaegnion: quod tamen opus plerique alii non *Naevio*, sed *Laevio* tribuunt. ℙ Olim dixerunt *haec ludus*, teste *Festo* in *Corius:* ubi tamen alii leg. *lupus*. ℙ Etiam *loidus* pro *ludus* dixerunt veteres Latini, ut patet ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 635. *n.* 298. et alia ap. *Daniel. Numism. Capuan.* p. 78.; quae quidem scriptio etymon vocis aliud ab illo, quod supra allatum est, indicare videtur. [*V. LUDO ab initio.]

LŪELA, ae, f. luitio, poena. *Lucr.* 3, 1028. scelerisque luela Carcer.

LŪES, is, f. *λοιμὸς*, dicitur, cum in urbe, aut agro febris, aliudve morbi genus homines, vel pecora, arboresve, aut sata corripit: a *luo*, quod ea corpora solvantur, ut *Prisc.* 4, 630., *Festus* et *Non.* 1, 259. docent. [*Contra disputat *Doederl.* 2, 58. *lues* proprie synonymum videri v. *illuvies*, ita ut ap. *Sen. Troad.* 585. *Carceris caeci luem*, idem significet, quod ap. *Lucan.* 2, 73. longusque in carcere paedor. (Noster *Senecae* locum inter sqentis §. exempla hoc modo laudaverat: 583. *Carceris saevi luem*, i. e. tabem, quae carcere diu detentis contrahitur: *il marcire in una prigione.*) Sed solitam vocis notionem, qua morbum pestiferum significet, esse in antiquissimo aliquo linguae latinae monumento, in *Carm. Frat. Arv.*, siquidem recte ibi *luerem* s. *luervem* per *luem* explicueris; eoque sensu *lues* posse accipi pro substantivo verbi *polluere*, coll. *Cic. Har. resp.* 12. quem locum Noster infra laudavit, et *Sen. Ir.* 1, 15. Morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus. Nempe sordium, impuritatis et morbi esse fere cognatas notiones ut *Gr. λῦμα, λύμη* et *λοιμὸς*, et fortasse etiam *merda* et *morbus.*] Differt a peste, quod haec aut cito perimit, quae corripuit, aut cito abit ab eo, quem invasit: *lues* vero generalius accipitur etiam pro iis malis, quae lente ea, quae corripiunt, conficiunt. [*Rectius *Doederl.* 2, 61. sq. ita hh. vv. discrimen constituere videtur, ut non de specie et genere cogitet, sed utrumque altero generalius dici demonstret: *lues* quidem, quod non solum pestiferos morbos, sed, tropice et inprimis ap. argenteae aetatis auctores, cujuscunque generis res perniciosas comprehendat; *pestis* vero, quod omnes morbos, letiferi sint, necne, contineat. Quid morbus differat, v. in h. v.] *Virg. A.* 3, 138. subito cum tabida membris Corrupto coeli tractu, miserandaque venit Arboribusque satisque lues, et letifer annus. ℙ Promiscue tamen saepe usurpantur. *Ov. Met.* 15, 626. Dira lues quondam Latias vitiaverat auras, Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo. *Mart.* 1, 79. Indignas premeret pestis cum tabida fauces, Inque ipsos vultus serperet atra lues. *Lucan.* 2, 199. Saepe fames, pelagique furor, subitaeque ruinae, Aut terrae coelique lues, aut bellica clades. *Sen. Thyest.* 88. gravem populis luem Sparsura pestis. *Plin.* 26, 1, 3. luem vocat morbum lichenarum. ℙ Translate dicitur de quavis graviori calamitate, ut de bello ap. *Tac. H.* 3, 15. et *Petr. Sat.* 124. de terrae motu, *Tac. A.* 2, 47. de tempestate maris: *Sen. Hippol.* 1117. de incendio, *Sil.* 17, 97. de excidio et ruina, *Sen. Troad.* 853. ℙ Item de iis, qui luem, et pestem afferunt. *Cic. Har. resp.* 12. Ut eos ludos haec lues impura pollueret. *Val. Fl.* 4, 431. pellere saevam Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis, *h. e.* harpyias. *Sen. Phoeniss.* 131. Saeva Thebarum lues, *h. e.* Sphinx. *Id. Herc. Fur.* 358. Quidnam iste, nostri generis exitium et lues, novi portat? *Plin.* 29, 1, 8. Lues morum. ℙ Est etiam *lues* nix aut glacies soluta et liquata, tabes, labes. *Petr. Sat.* 123. fluctus stupuere pruina, Et paulo ante lues, nunc concidenda jacebat. ℙ Item aqua, humor. *Licin. Macer* ap. *Non. l. c.* Nequaquam sui lavandi reluant arma lue. [*Docet *Doederl.* 2, 59. *lue* h. l. non pro *aqua* dictum, sed alliterationis causa pro *peste* esse positum: quod facile videtur praeferendum.] ℙ Ceteri casus praeter primum, quartum, et sextum, et pluralis numerus non sunt in usu, quod viderim. ℙ *Luis* in recto dixit *Prud. Hamart.* 250. si terras luis incentiva fatigat; et *Psych.* 508. stupuit luis improba. Al. tamen *lues* utroque loco retinent, ut secundam *Prud.* corripuerit, licentia quadam sibi familiari et frequenti. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 344.]

LUGDŪNENSIS, e, adj. *Lion*, ad Lugdunum pertinens. Est autem Lugdunum (et veteri more scribendi *Lugudunum*, ut docet *Dio* 46, 50. *Λουγούδουνον*: et sic habetur in *Inscr.* ap. *Grut.* 388. 6., 390, 4. et 466, 7.) urbs Galliae Celticae, ad Rhodanum fluvium, ubi Ararim amnem recipit. In ea fuit ara Augusto dicata, ad quam dicitur Caligula certamen Graecae Latinaeque facundiae instituisse: ea lege, ut victi praemia ferrent victoribus, eorumque laudes componere cogerentur. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jubebant, nisi ferulis objurgari aut flumine mergi maluissent, uti *Suet. Cal.* 20. narrat. Hinc *Juven.* 1, 43. sic Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem, Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram. *Sen. ep.* 91. Lugdunensis colonia incendio exusta; et *mox:* Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quaeritur. ℙ *Lugdunensis* cognominatur ea Galliae pars, quae amplo tractu circa Lugdunum est: alias Celtica dicta. *Plin.* 4, 17, 31. et *ib.* 18, 32. ℙ [Aliud fuit *Lugdunum Batavorum* in Gallia Belgica, nunc *Leyden*, quae urbs a *Ptol.* 2, 9. dicitur *Λουγόδουνον*, et in *Itin. Anton*

et in *Tab. Peut.* memoratur. *F.* ℙ *Fuit et Lugdunum oppidum Galliae Aquitanicae, in Convenarum agro (hodie *Comminges* vel *Comenges)*, nunc dierum *St. Bertrand. Anton. Itin.* consentiente *Ptol. B. A.*]

LŪGĔO, es, xi, ctum, a. 2. *πενθέω*, fleo, ploro. Ducunt ab *ἀλγέω*, doleo. [**Schneid. G. L.* 1. p. 320. deducit a *λοιγὸς* vel *λυγρός*.] Fere dicitur de fletu et dolore in morte carorum. *Serv.* ad *A.* 11, 211. *Moerere* est cum silentio dolere: [*Falsa est haec v. *moerere* expositio. V. *Doederl.* 3, 237. et ipsum *Forc.* s. v. MOERERE.] *flere*, ubertim lacrimas demittere: *plorare*, cum voce flere: *plangere*, cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere: *lugere*, etiam cum habitus mutatione. [*Fr. jur. civ. antejust.* (ed. *A. Maio*) p. 88. Lugendi sunt parentes anno, item liberi majores decem annorum aeque anno; minores liberi tot mensibus elugeantur, quot annorum decesserint usque ad trimatum: minor trimo non lugetur, sed sublugetur: minor anniculo neque lugetur, neque sublugetur. *F.*] *Sen. ep.* 63. *med.* Annum feminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius. *Id. Consol. ad Helv.* 16. Ideo majores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt. Hinc patet, olim apud Romanos longissimum lugendi tempus fuisse decem mensium, seu anni lunaris, qui quondam decimestris fuerat, quod etiam ex *Ov. Fast.* 1, 35. et *Cic. Cluent.* 12. *f.* constat. *Id. Tusc.* 3, 26. Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi, paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. *Id. Planc.* 42. Hos pro me lugere, hos gemere videbam. *Id. Mil.* 8. Luget senatus, moeret equester ordo, tota civitas confecta senio est. *Id. Verr.* 2, 3, 18. *med.* Ut ager ipse cultorem desiderare, et lugere dominum videretur. *Id. Phil.* 12, 25. Lugere mortem alicujus. *Id. Tusc.* 1, 34. vitam hominum. *Id. Pis.* 8. *extr.* occasum atque interitum reipublicae. *Cat.* 66, 21. At tu non orbum luxti deserta cubile: syncope pro *luxisti*. [*Inscr.* ap. *Mur.* 953, 2. T. Felicis omnium artificiorum studiosissimi *qui vixit* ann. XVII. M. XI. D. VIII. parentes perquam infelicissimi luxuri. Fortasse in lapide est *lucturi. F.*] ℙ Passive. *Ov. Met.* 10, 141. de Cyparisso: lugebere nobis, Lugebisque alios, inquit. ℙ Impersonaliter. *Catull.* 39, 4. seu pii ad rogum filii Lugetur, orba cum flet unicum mater. ℙ Cum infinito. *Claud. prooem. in Eutr.* 2, 4. In dominos vanas luget abisse minas. ℙ [*Cum genitivo, ex Graecorum more. *Sil.* 3, 424. (de Alcide:) Lugendam formae sine virginitate reliquit Pyranen.] ℙ Est etiam luctus et doloris insignia prae se ferre. *Liv.* 2, 7. Matronae annum, ut parentem, eum luxerunt. *Id.* 22, 56. *med.* et 34, 6. Sacrum anniversarium Cereris intermissum est, quia nec lugentibus id facere fas est, etc. *Id.* 34, 7. Quid aliud in luctu, quam purpuram, atque aurum deponunt? *Mart.* 14, 157. pullo lugentes vellere lanae, *h. e.* nigrae, et lugendis funeribus aptae. Has *Mart.* circa Pollentiam urbem provenire dicit: unde *Sil.* 8, 598. fuscique ferax Pollentia villi. Ex his intelligimus, nigrum in vestibus colorem lugentibus in usu fuisse. *Paul. recept. sentent.* 1. *tit. ult. extr.* Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, et alba veste. Verum ab imperatoribus album etiam fuisse usurpatum, non uno testimonio probatur: qua de re *Lips. in excursu ad Tac. A.* 2, 75. Quae in publico luctu servari mos esset, habes in *Cenotaph. Pisano* C. Caesaris, et in *dissertatione Norisii* 3, 3. ℙ [**Lugentes campi* ap. *Virg. A.* 6, 441. Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem Lugentes campi: sunt loca apud inferos *(Trauergefilde)*, ubi, qui dolore, moerore anguntur, degunt. ℙ Permutantur *lugentes* et *ingentes*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 222.]

*LUGĬUM, i, n. i. q. luctus. *Commod. Instruct.* 29. *B. A.*

LŪGUBRIS, e, adj. *πενθερὸς*, ad luctum pertinens, luctum inducens, funebris. *Cic. ad Quirit.* 3. Fratris mei quotidianae lacrimae, sordesque lugubres. *Id. Tusc.* 1, 13. Lugubris lamentatio, fletusque moerens. *Hor. Od.* 1, 24, 2. cantus; et *ib.* 2, 1, 33. Lugubre bellum; et *ib.* 3, 3, 61. Troja renascens alite lugubri. *Ov. Ib.* 99. lugubria dicite verba. *Val. Fl.* 8, 58. Lugubre sidus. *Sen. Hipp.* 1262. officium. *Id. Oedip.* 553. Lugubris palla. *Lucr.* 4, 547. de cycnis: Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam. *Tac. A.* 13, 32. Per quadraginta annos non cultu, nisi lugubri, egit. *Sall. fragm.* ap. *Char.* 2, 176. Nunciis confestim lugubribus. [**Liv.* 3, 32. Lugubris domus, i. e. in qua funus est, quae in luctu est.] ℙ *Lugubria* sunt vestes, et insignia luctus. *Ov. Met.* 11, 669. da lacrymas, lugubriaque indue. *Id. Trist.* 4, 2, 73. Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam. *Sen. Consol. ad Helv.* 16. Quae amissis filiis, imposita lugubria nunquam exuerunt. *Sen. Herc. Fur.* 626. lugubribus amicta conjux. *Prop.* 4, 11, 67. nunquam mater lugubria sumpsi, *h. e.* nullum filium amisi: metonymia. ℙ *Lugubre* more adverbii. *Virg. A.* 10, 273. si quando nocte cometae Sanguinei lugubre rubent. *Sil.* 12, 140. sonitu lugubre minaci Mulciber immugit. ℙ Est etiam luctu plenus, flens, plorabundus. *Ov. Met.* 2, 334. Clymene lugubris et amens, Et laniata sinus. *Id. Her.* 10, 145. Lugubria pectora. *Id. Trist.* 1, 8, 23. et *Sen. Hipp.* 990. Lugubres vultus.

LŪGUBRĬTER, adv. cum luctu, luctuose. *Appul. Met.* 3. Lugubriter ejulare; et *ib.* 8. fratrem ciere.

*JUGUVALLIUM, i, n. oppidum Britanniae, in regione Brigantum. *Ant. Itin.* ℙ Hodie, aiunt, est *Carlisle. B. A.*

*LUĬI, orum, *Λοΐϊοι*, populi Germanici. V. *Lygii. B. A.*

LŪIS. V. LUES.

LŪĬTĬO, onis, f. solutio. *Ulp. Dig.* 49, 15, 15. Si patre redempto, et ante luitionem defuncto, filius post mortem ejus redemptionis quantitatem offerat, dicendum est, suum ei posse heredem exsistere. *Paul. sentent.* 3, 7. *in.* Luitio ad heredis sollicitudinem spectat. ℙ Titulus 31. *libri* 8. *Cod. Just.* inscribitur *De luitione pignoris*, h. e. liberatione, cum soluta pecunia, quae debebatur, pignus liberatur, et recipitur.

LŪMA, ae, f. genus herbae, vel potius spinae. Ita *Festus.* Videtur esse a *λῦμα*, seu *λύμη*, sordes, purgamentum. ℙ *Luma* est etiam sagum ex *λῶμα*, quod idem significat. *Gloss. Isid.* Luma, sagum quadrum. Hinc *Salmas.* ap. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 29. pro *limbo purpureo* legendum putat *luma purpurea*. [*Nonnulla addidit *F.*]

LŪMĀRĬUS, a, um, adj. ad lumam pertinens, ut Lumariae falces, ap. *Varr. L. L.* 4, 31., quibus lumae secantur. V. LUMECTUM.

LUMBĀGO, inis, f. vitium, et debilitas lumborum. *Fest.*

[LUMBĀRĔ, is, n. *περίζωμα*, *Isid. Orig.* 19, 22. Lumbare vocatur, quod lumbis religetur, vel quod lumbis haereat. Hoc in Aegypto, et in Syria non tantum feminae, sed et viri utuntur. Unde et Jeremias trans Euphratem tulit lumbare suum. Hoc a quibusdam et renale dicitur, quia renibus alligatur. *Hieron. in Jerem.* 13, 1. Cinctorium, sive lumbare, quod renibus jungitur, etc. *F.*]

LUMBELLUS, i, m. lumbulus. *Apic.* 7, 1.

*LUMBERITĀNI, orum, m. populi Hispaniae Tarraconensis, sub montibus Pyrenaeis. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

LUMBIFRĀGĬUM, ii, n. lumborum fractura. *Pl. Amph.* 1, 1, 298. Nam si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.

*LUMBRICOSUS, a, um, adj. plenus lumbricorum. *Coel. Aurel. B. A.*

LUMBRĪCUS, i, m. *ἕλμινς*, vermis intestinorum. Aliqui volunt, lumbricum primo dici de iis vermibus, qui sub terra nascuntur, deinde de iis, qui in ventre animalium. *Col.* 6, 25. Solent autem vitulis nocere lumbrici, qui fere nascuntur e cruditatibus; et *ib.* 30. *f.* Solent etiam vermes quasi lumbrici nocere intestinis. Adde *Cat. R. R.* 127. ℙ De vermibus terrenis. *Col.* 7, 9. Ut paludem rimentur, effodiantque lumbricos. *Seren. Samm.* 12. Lumbricos terrae, sevumque ex ansere rauco. Adde *Pl. Aul.* 4, 4, 1. ℙ Lumbricos carere oculis, tradit *Plin.* 11, 37, 52.

LUMBŬLUS, i, m. dimin. lumbi, lumbellus, pars carnosa, duplex, quae hinc inde lumbos vestit, nostrates vulgo *nombolo* vocant. *Plin.* 28, 11, 47. Sicca lippitudo lumbulis suum tostis atque contritis, et impositis tollitur. *Apic.* 7, 8. Lumbuli assi sic fiunt. *Not. Tir.* p. 129. Lumbus, lumbulus. [*Quaedam addidit *F.*]

LUMBUS, i, m. *ὀσφὺς*, pars corporis quinque inferiores spinae vertebras complectens, a cinctura ad nates. *Mart.* 13, 5. Cerea quae patulo lucet ficedula lumbo. *Plin.* 8, 51, 78. Lumbus aprugnus. *Cic. Arat.* 82. Cepheus conditur ante Lumborum tenus. *Hor. Sat.* 1, 5, 22. nautaeque caput, lumbosque saligno Fuste dolat. *Plin.* 20, 3, 8. Lumborum dolor. *Pl. Epid. f.* Lumbos surgite, atque extollite. *Juven.* 8, 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum, Squalentes traducit avos, *h. e.* depilatus pumice circa lumbos. ℙ Dicuntur *lumbi* turpis libidinis sedes. *Pers.* 1, 20. 4, 35. et *Juven.* 9, 59. ℙ *Lumbis patris habere se putat digitos grossiores*, prov. ap. *Hieron. ep.* 82. *n.* 3. de iis dictum, qui se praestare putant majoribus suis, et facta sua eorum factis praeferunt. ℙ Translate ad vites refertur, et videtur significare superiorem trunci partem, ubi rami exire incipiunt. V. HUMEROSUS, et *Col.* 3, 10. *med.*, ubi vitis partes humanis membris comparat, et quae ibi *membra genitalia*, eadem *Arbor.* 3. lumbos vocat. *Plin.* quoque idem facit 17, 23, 35. *n.* 26.

LUMECTUM, i, n. locus lumis plenus. V. LUMA. *Varr. L. L.* 4, 31. Lumariae falces, quibus secant lumecta, cum in agris serpunt spinae.

LŪMEN, inis, n. *φῶς*, lux, splendor: a *luceo*, quasi *lucimen*. [*Differunt *lux* et *lumen:* hoc proprie est id, quod splendorem, lucem diffundit, *(Lichtkörper)*; illud, quod Lumine diffunditur, claritas, fulgor, *(die ausgeströmte Lichtmasse)*; V. *Doederl.* 2, 66. sq.] *Cic. Div.* 2, 43. Luna distat a sole, cujus lumine collustrari putatur. *Enn.* ap. *eund. Off.* 1, 16. Lumen de suo lumine accendere. *Cic. Brut.* 75. Tabulas bene pictas collocare in bono lumine. *Ov. Trist.* 5, 9, 37. lumen solare. *Id. Fast.* 4, 450. diurnum, [*i. e. sol.] *Id. Pont.* 2, 1, 27. Lumine coelesti solem fulsisse serenum. *Virg. A.* 4, 584. Aurora novo spargebat lumine terras. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 8, 76. Lumine etiam tum incerto. *Lucr.* 2, 161. lumina solis, *h. e.* radii, lux, *φάος ἠελίοιο*. ℙ Metonymice est visus, et ipsi oculi. *Nep. Timol.* 4. Sine ullo morbo lumen oculorum amisit. *Ov. Pont.* 2, 8, 66. Et patiar fossis lumen abire genis. *Id. R. Am.* 801. Utilius sumas acuentes lumina rutas. *Auct. Priap.* 37. Minerva flavo lumine est, Venus paeto. *Ov. Trist.* 3, 2, 19. Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber Lumine, de verna quam nive manat aqua. *Virg. A.* 3, 677. adstantes lumine torvo Aetnaeos fratres. *Cic. Tusc.* 5, 39. Democritus, luminibus amissis, alba scilicet et atra discernere non poterat. *Val. Fl.* 1, 300. victa gravi ceciderunt lumina somno; et 5, 341. lumina rumpere fletu; et 4, 759. volvere; et 7, 292. torquere vultu gravi. *Ov. Met.* 5, 232. flectere. *Id. Her.* 21, 113. defixa tenere in aliqua re. *Tibull.* 1, 2, 33. et *Oc. Met.* 5, 248. parcere luminibus, *h. e.* abstinere ab aspectu, claudere, aut avertere oculos. *Prop.* eod. sensu dixit 4, 9, 53. parcere oculis. *Val. Fl.* 3, 279. sera dextra componere, *h. e.* manu claudere alicui in morte: quod *Id.* 1, 334. premere, dixit. Ap. *Veg. Vet.* 2, 16. ponitur pro pupilla oculi. ℙ Item lucerna, et fax. *Cic. Div.* 1, 36. Noctu, lumine apposito, nutrix animadvertit puerum, etc. *Id. Sen.* 11. Lumini oleum instillare. *Prop.* 2, 23, 39. Cum videt accensis devotam currere taedis In nemus, et Triviae lumina ferre Deae. *Plin.* 11, 19, 21. Papilio luminibus accensis advolitans. *Suet. Caes.* 37. Ascendit Capitolium ad lumina, elephantis lychnuchos gestantibus. *Liv.* 29, 25. Lumina in navibus singula rostratae, bina onerariae haberent: in praetoria nave insigne nocturnum trium luminum fore. *Tibull.* 1, 10, 42. Ipse comes multa lumina nocte tuli. ℙ Item dies. *Cic. Rabir. Post.* 11. ex *Ennio:* Regum sunt illae minae: Si te secundo lumine hic offendero, Moriere. *Virg. A.* 6, 356. vix lumine quarto Prospexi Italiam. ℙ Item foraminis cujuspiam latitudo et capacitas. *Vitr.* 4, 6. Lumen hypothyri constituatur sic, ut altitudo dividatur in partes tres semis, et ex iis duae partes lumini, etc. *Front. Aquaed.* 36. Longitudo calicis habere debet digitos non minus duodecim: lumen, idest capacitatem, quanta imperata fuerit. Adde *ib.* 105. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. *col.* 1. In eo pariete medio ostii lumen aperito latum P. VI. altum P. VII. ℙ Item spiramentum, foramen. *Plin.* 31, 6, 31. Si aqua cuniculo veniet, in binos actus lumina esse debebunt. ℙ Item rima. *Val. Fl.* 1, 128. tenues subiere latentia cerae Lumina, *h. e.* rimas navis. Male aliquis *limina* reponit. ℙ Item splendor, qui ex re nitida tersaque emicat. *Id.* 3, 100. et *Stat. Th.* 9, 802. Lumen ferri. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 94. Et formidato clypeus Titana lacessit Lumine. ℙ Item color nitidus. *Col.* 10, 97. Candida leucoia, et flaventia lumina calthae. *Id.* 9, 4. Luteolae, et Sarranae violae, nec minus coelestis luminis hyacinthus. ℙ In pictura *lumen* est clarus color, quo res conspicuae fiunt: cui opponitur *umbra*, h. e. color obscurus. *Plin.* 35, 5, 11. Tandem se ars ipsa distinxit, et invenit lumen atque umbras: differentia colorum alterna vice sese excitante; et *ib.* 11, 40. *n.* 28. Nicias lumen, et umbras custodivit, atque ut eminerent e tabulis picturae, maxime curavit. *Plin. alter ep.* 3, 13. In pictura lumen non alia res, magis quam umbra commendat. ℙ In aedificiis *lumen* est (inquit *Paul. Dig.* 8, 2, 15.) ut coelum videatur. Differt autem a prospectu: quia hic etiam ex inferioribus locis est: lumen ex inferiore loco esse non potest, ut *Id. ib.* ait. Inter servitutes est, *ne luminibus officiatur*, et *ne prospectus offendatur*, ut est ap. *Ulp. ib.* 14. In prospectu autem plus quis habet, ne quid scilicet objiciatur ad gratiorem prospectum, et liberum: in lumine hoc tantum, ne quid altius exstruendo, aut arborem ponendo, lumina cujusquam obscuriora fiant. *Cic. Or.* 1, 39. Cum M. Bucculejus aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculejo, quod cuicumque particulae coeli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat. Haec *Cic.* Quo loco Bucculejus de lumine caverat: Fufius prospectum non mutari postulabat. ℙ Ipsae quoque aedium fenestrae, *lumina* dicuntur. *Caj. Dig.* 19, 2, 25 Si vicino aedificante, obscurentur lumina coenaculi. *Pall.* 1, 21. Stabula non egeant septentrionis luminibus, quae per hiemem clausa nihil noceant, per aestatem patefacta refrigerent. *Appul. Met.* 2. Conclave quoddam obseratis luminibus umbrosum demonstrat. ℙ *Immittere lumina* est aperto pariete fenestram facere. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *med.* et *Paul. ib.* 8, 2, 40. ℙ

Luminibus obstruere, et officere est objecta re alicui aedibus lumen adimere, ut dictum est. V. OBSTRUO. *Cic. Dom.* 44. Se luminibus ejus esse obstructurum, minabatur. *Id. Brut.* 17. translate. Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio, *h. e.* gloriam eloquentiae obscuravit; et *Rabir. Post.* 16. Nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae, et gloriae. ℙ Metaphorice *lumen* est ornamentum, claritas, insignis nota. *Cic. Cat.* 3, 10. Clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. *Id. Or.* 2, 27. Certis dicendi luminibus ornare orationem. *Quint.* 9, 2. *f.* Sententiarum lumina. *Cic. Or.* 2, 86. Ordo est maxime, qui memoriae lumen affert; et *ib.* 3, 13. Oratio adhibere lumen rebus debet. *Id. Fam.* 12, 5. *f.* Opto, ut ab istis orientis partibus virtutis tuae lumen eluceat. *Id. Brut.* 17. Origines Catonis quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent? *Id. Sull.* 14. Vos in tantis tenebris erroris, et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae. *Id. Somn. Scip.* 2. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui. *Id. Amic.* 8. In eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videmur. ℙ De vita. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 12. Ecquid agis? remorare? lumen linque. *Si.* amabo, accurrite, Ne se interimat. *Lucr.* 3, 1047. Lumine adempto animam moribundo corpore fudit. *Ov. Trist.* 4, 4, 45. nec lumen ademptum, Nec mihi detractas possidet alter opes.

LŪMĬNĀRĔ, is, n. *φωσήρ*, ipsum lumen, aut id, quod claritatem, splendoremve de se diffundit. [*Cato R. R.* 14. Luminaria paululum lata. *Cic. Att.* 15, 26. Octavam partem tolli luminarium in aedibus ad Streniae memineris, *h. e.* octavam partem fenestrarum obstrui. Ita enim locum, antea corruptum, edendum curavit, et interpretatus est *Schützius. F.*] [**Orell.* locum sic exhibet: Octavam partem tolli luminarium aedium ad Streniae memineris.] ℙ De cereis, seu lucernis, quae in Ecclesiis in festorum solemnitate, vel in martyrum honorem perpetuo accendebantur. *Hieron. adv. Vigilant.* 3. Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante. [*Cassiod. Variar.* 3, 7. Joannes flebili nos allegatione pulsavit, sanctitatem vestram a se sexaginta orcas olei ad implenda luminaria suscepisse, quarum pretium sibi postulat oportere restitui. *Ep. Gregorii I. P. M.* ap. *Margarin. Inscr. Basil. S. Pauli n.* 243. Ne minus illic habere luminaria isdem praeco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine praedicationis implevit, utile judicavimus, eandem massam, quae, etc. luminaribus deputare, etc. Haec epistola data est VII. Kal. Febr. ann. a Chr. n. DCIV. *Gloss. Phil.* Luminaria, *φωτιστήρια λυχνικά. F.*] ℙ Metaphorice ponitur pro ornamento. Hinc luminaria appellamus viros eximios, in quibus singularis quidam virtutis splendor elucet, quique sui ordinis hominibus decori sint et ornamento. *Cic. Phil.* 2, 21. In te autem, M. Antoni, id decrevit senatus, et quidem incolumis, nondum tot luminaribus exstinctis. Al. leg. *luminibus.* [*Ita *Orell.*]

[LŪMĬNĀRIS, e, adj. qui lumen diffundit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 935, 3. M. Abudius Luminaris. *F.*]

[LŪMĬNĀTĬO, onis, f. idem ac lumen, vel luminare, vel dies festus, quo in aliqua urbe lumina per vicos accenduntur, ut patet ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 242. *n.* 656. Populo visceration*em*, gladiatores dedit, lumina, ludos I. S. M. R. (*h. e.* Junoni Sospitae magnae reginae) solus fecit. Alia ap. *Mur.* 762, 6. Sportulas populo fieri, et pueris nuces spargi die *supra scripto* et luminatione. *F.*]

LŪMĬNĀTUS, a, um, part. a *lumino:* illustratus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. Locus fenestris altioribus luminatus. ℙ *Male luminati* dicuntur *Appulejo*, qui debili visu sunt, *Met.* 9.

LŪMĬNO, as, avi, atum, a. 1. *φωτίζω*, illustro. *Capell.* 1. p. 17. Stellantibus oculis interstinctos crebri vibratus ignium luminabant. *Appul. Met.* 11. ad Isidem. Tu rotas orbem, luminas solem, regis mundum. *Avien. Arat.* 1450. (al. 127.) aerias quarta face luminat oras. Adde *Prud. περὶ στεφ.* 5, 127. et *ib.* 3, 192.

LŪMĬNOSUS, a, um, adj. *φωτεινὸς*, clarus, illustris. *Vitr.* 6, 9. *f.* Omnia aedificia luminosa ut sint, curare oportet. *August. ep.* 137. *f.* Oleum luminosius. ℙ Translate. *Cic. Or.* 36. Cum omnis pars orationis debet esse laudabilis, sunt maxime luminosae, et quasi actuosae partes duae. *August. ep.* 144. *f.* Luminosissima caritas.

LŪNA, ae, f. *σελήνη, μήνη*, una ex septem planetis, quae, ut ait *Cic. Somn. Scip.* 3. *extr.*, ultima a coelo, citima terris, luce lucet aliena: dicta a *luceo*, per syncop. a *Lucina:* sola enim noctu lucet. *Cic. N. D.* 2, 27. et *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* De ea *Plin.* 2, 9, 6. Novissimum sidus, terrisque familiarissimum, et in tenebrarum remedium a natura repertum; et *mox:* Crescens semper, aut senescens: et modo curvata in cornua facie, modo aequa portione divisa, modo sinuata in orbem: maculosa, eademque subito praenitens: immensa orbe pleno, ac repente nulla: alias pernox, alias sera, et parte diei, solis lucem adjuvans: deficiens, et in defectu tamen conspicua, etc. et *paulo post:* Promixa ergo cardini, ideoque minimo ambitu, vicenis septenisque, et tertia diei parte peragit spatia eadem, quae Saturni sidus altissimum triginta annis. Deinde morata in coitu solis biduo, etc. (Etiam *Ammian.* 20, 3. Lunaris cursus rationes diligenter persequitur, item *Vitr.* 9, 4. et rursus *Plin.* 18, 32, 75.) et *ib.* 10, 7. Solem interventu lunae occultari, lunamque terrae objectu. *Cic. N. D.* 2, 19. Solis annuos cursus spatiis menstruis luna consequitur; et *ib.* 40. Luna est major, quam dimidia pars terrae. *Id. Acad.* 4, 39. Habitari ait Xenophanes in luna, eamque esse terram multarum urbium, et montium. *Id. fr.* ap. *Non.* 2, 408. Lunae alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua. *Hor. Carm. saecul.* 35. Luna bicornis, regina siderum. *Ov. Her.* 18, 71. fulgens radiis argentea puris. *Id. Met.* 10, 448. aurea; et *ib.* 14, 367. nivea. *Plin.* 18, 35, 79. et *Colum.* 2, 10. Luna tertia, quarta, quinta, vigesima tertia, etc. *h. e.* tertio, quarto, etc. die, postquam e sole emersit. *Plin.* 2, 17, 15. novissima et prima. *Varr. R. R.* 1, 37. extrema et prima. *Cato R. R.* 37. dimidiata. *Plin.* 18, 32, 75. dimidia. *Id.* 11, 30, 36. plena. *Appul. de Deo Socr. in.* corniculata, dividua, protumida, plena. *Plin.* 8, 54, 54. nova; et *ib.* cava. V. CAVUS. *Cato R. R.* 29. et *Colum.* 2, 10. silens. V. SILENS. *Plin.* 18, 32, 75. intermenstrua; et 17, 9, 8. sicca. V. SICCUS. et *ib.* sitiens. V. SITIENS. *Colum.* 2, 15. *extr.* crescens; et *ib.* 5. decrescens; et *Hor. Sat.* 2, 8, 31. minor. *Varr. R. R.* 37. senescens. *Plin.* 37, 10, 59. deficiens; et eod. sensu *Juven.* 6, 442. laborans. *Liv.* 26, 5. Lunae defectus. *Plin.* 7, 48, 49. senium; et 16, 39, 74. coitus. *Hor. Od.* 2, 18, 16. Novaeque pergunt interire lunae; et *ib.* 4, 7, 13. Damna tamen celeres reparant coelestia lunae. *Virg. G.* 1, 427. Luna revertentes cum primum colligit ignes. ℙ *Dies Lunae*, qui nempe Lunae sacer fuit. V. DIES. *Inscr.* ap. *Mur.* 383, 4. Depositus XV. Kal. Apr. D. Lun. ℙ Per synecdochen sumitur pro mense. *Plin.* 18, 25, 57. Centesima revolvente se luna. *Ov. Met.* 7, 531. quater junctis implevit cornibus orbem Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem. ℙ Item pro nocte, ut soles pro diebus. *Stat. Silv.* 5, 4, 7. Septima jam rediens Phoebe mihi respicit aegras Stare genas. *Serv.* similiter intelligit illud *Virg. G.* 3, 336. cum frigidus aera vesper Temperat, et saltus reficit jam roscida luna. Adde *Prop.* 4, 4, 21. et *Stat. Th.* 6. 289. ℙ In fabulis est filia Hyperionis et Latonae seu Aethrae (ut est ap. *Hyg. praef.*) Titani neptis, eadem cum Diana et Proserpina. Tribuitur ei currus duarum rotarum, et qui trahant, equi duo, quorum alter niger sit, albus alter, (quamquam *Ov.* ambos *niveos* dixit *Fast.* 4, 374. et *R. Am.* 258.) quia partim diu, partim noctu decurrit. Alii a duabus juvencis currum ejus trahi dicunt, ut *Auson. ep.* 5, 3. et *ep.* 19, 3., boves dicit *Prud. adv. Symmach.* 1, 361. juvencos *Claud. Rapt. Pros.* 3, 403. tauros *Fulg. Myth.* 1, 1., ideo scilicet, quod hoc animal cornibus lunam refert: vel quia ipsa prope terram decurrit, cujus sunt tauri cultores. Sunt etiam qui a mulo currum ejus trahi finxerunt. V. MULUS. Auriga ejus ap. *Stat. Th.* 12, 307. est Sopor. ℙ De amoribus ejus V. ENDYMION. ℙ Lunae aedem Romae in Aventino memorat *Liv.* 40, 2. ℙ Luna adsuta calceis erat apud Romanos patriciorum insigne. Ut enim ostenderent, se ex iis centum progenitos, qui primi in senatum a Romulo allecti sunt, (de quibus *Liv.* 1, 8.) parvam lunam in modum C litterae in calceis, teste *Isid. Orig.* 19, 34., gestabant. *Juven.* 7, 191. nobilis et generosus Appositam nigrae lunam subtexit alutae. *Stat. Silv.* 5, 2, 27. Si te, clare puer, genitum sibi curia sensit, Primaque patricia clausit vestigia luna. Adde *Mart.* 2, 29. Consule *Lydum de magistrat. R.* 2, 13. et *de mensib. P.* 1, 7., tum etiam *Viscont. Iscriz. Triop.* p. 83. et sqq. ℙ Ab eadem similitudine litterae C *lunae* dici possunt semicirculi cartilaginei, quibus constat guttur, sive aspera arteria. *Sidon. carm.* 7, 191. Jam si forte suem latratibus improbus Umber Terruit, albentes nigro sub gutture lunas Frangere ludus erat. ℙ *Lunai* pro *lunae* in secundo casu, more suo dixit *Lucr.* 5, 710. et 419. ℙ De *Luna* urbe V. in LUNENSIS.

LŪNĀRIS, e, adj. *σεληνιακὸς*, ad lunam pertinens. *Cic. Somn. Scip.* 5. Lunaris cursus. *Varr. R. R.* 1, 37. Lunares dies. *Ov. Fast.* 5, 16. equi. *Id. Met.* 10, 296. Lunaria cornua. *Plin.* 16, 39, 74. Infinitum refert lunaris ratio: nec nisi a vicesima in tricesimam, robur caedi volunt. *Varr. L. L.* 8, 19. Lunares horae, *h. e.* aequinoctiales.

LŪNĀTĬCUS, a, um, adj. *σεληνιακὸς*, qui furore laborat, non illo quidem perpetuo, sed intervallis quibusdam recurrente: a *luna*, quia melancholia, qua laborat, accrescit et decrescit pro ratione lunae. *Paul. Dig.* 21, 1, 43. Mancipium lunaticum. *Veg. Vet.* 2, 18. Lunaticus oculus, *h. e.* qui certis temporibus caligat et caecutit.

LŪNĀTUS, a, um, part. a *luno:* factus ad instar lunae diductae in cornua. *Virg. A.* 1, 494. et *ib.* 11, 663. Lunatae peltae Amazonidum; et *Stat. Th.* 5, 145. lunatum agmen, *h. e.* exercitus Amazonum peltis armatum. *Colum.* 12, 54. Ferramento lunato incidere. *Plin.* 9, 33, 52. Lunatae conchae. *Sen. Oedip.* 465. de delphinis: Lunata scindit cauda mare, *h. e.* falcata (ut ait *Ov. Met.* 3, 681. de eadem re loquens, Qualia dividuae sinuantur cornua lunae). *Plin.* 6, 13, 15. et *Pall.* 4, 11. Lunata cornua. *Stat. Th.* 6, 265. nondum lunata fronte juvenci. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 129. lunata frons, *h. e.* cornibus instructa. *Mart.* 1, 50. pellis, *h. e.* calceus lunula ornatus. Sic 2, 29. Non extrema sedet lunata ligula planta. V. LUNA.

LUNCHUS. V. LONCHUS.

LUNENSIS, e, adj. *Lunensis caseus* est genus casei sola magnitudine laudatum, quod librarum mille pondus nonnunquam aequabat, ut *Plin.* 11, 42, 97. tradit. Unde inter servorum obsonia refertur. Dictus est a Luna urbe, in cujus agro fiebat, et a Luna sidere, quod ab Etruscis figura lunari formabatur, vel signabatur. *Mart.* 13, 30. cujus lemma *Lunensis caseus* Caseus Etruscae signatus imagine Lunae Praestabit pueris prandia mille tuis. ℙ *Lunense marmor*, genus marmoris, quod in agro Lunae urbis effoditur, miro candore, et Parium vincente conspicuum, nunc *marmo di Carrara. Plin.* 36, 6, 7. et *ib.* 18, 29. Hinc *Lunensis ara* ap. *Suet. Ner.* 50. est e Lunensi marmore facta. ℙ *Lunenses, ium*, ejus urbis cives, ut Lunensium lapicidinae, *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Porro *Luna* urbs est maritima Etruriae, ad Macram fluvium, in confinio Liguriae, portu nobilis; de quo *Sil.* 8, 482. Tunc quos a niveis exegit Luna metallis, Insignis portu, quo non spatiosior alter Innumeras cepisse rates, et claudere pontum. Adde *Plin.* 3, 5, 8. ℙ *Lunai* pro *Lunae* dixit *Ennius* ap. *Pers.* 6, 9.

LŪNO, as, avi, atum, a. 1. est in modum lunae, quando in cornua curvatur, flectere. *Ov. Amor.* 1, 1, 23. Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum. *Prop.* 4, 6, 25. Jamque acies geminus Nereus lunarat in arcus, *h. e.* instruxerat in modum cornuum lunae.

LŪNŬLA, ae, f. *σεληνὶς, μηνίσκος*, parva luna. Lunulae, inquit *Isid. Orig.* 19, 31., sunt ornamenta mulierum, in similitudinem lunae bullae dependentes. *Tert. Cult. fem.* 10. Nullam de conchylio vestem increpet, nullas lunulas reprobet. *Pl. Epid.* 5, 1, 33. Non meministi, me auream ad te afferre natali die Lunulam, atque annellum aureolum in digitum?

LŪNUS, i, m. Deus idem, qui Luna, Graecis *Μὴν* appellatus, et in tota fere Asia minore, ac praecipue in Syria cultus. Imaginem illius vel peditis, vel equitis pileo Phrygio, et luna bicorni ornatam habent passim nummi ap. *Rasche* in *Lex. rei numm.* T. 2. P. 2. p. 1884. et sqq., *B.* vero *Borghesius* in *Osserv. numism. dec.* 11. *n.* 10. eundem repraesentatum putat in iis nummis, qui lunam bicornem cum astro in ejusdem medio habent, ita ut illa Lunam, hoc Lunum exhibeat. Hinc in nummo ap. *Viscont. Iconol. Gr.* T. 2. *tab.* 22. *n.* 6. figura virilis habitu Jovis mensem Dium, qui in anno Macedonico primus fuit, itidem repraesentat, supra cujus caput luna bicornis, in dextra vero astrum est. Quamvis enim feminina voce Lunam appellaret, masculum tamen putabat stulta Gentilitas. Unde masculum Lunam appellat *Tert. Apol.* 15.; et *Spart. Carac.* 7. tradit, a Carrenis praecipue, Asiae populis, ita existimari, ut qui Lunam femineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat: at vero qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. *Id. ib.* 6. Cum hibernaret Edessae, atque inde Carras Luni Dei gratia venisset.

LŬO, is, lui, a. 3. *λύω*. [*Mirum in modum Noster hujus loci perverterat ordinem, quem ita restituisse videmur. Ortum est *luo* a Graeca voce allata, et propriam habet, quamquam apud poetas tantum usitatam, significationem lavandi, alluendi. Huc pertinent, quae *Forc.* paene ad finem laudaverat, duo exempla, in quibus de mari terram aliquam alluente dicitur. *Sil.* 11, 22. Argivos majorque Graecia muros Servat, et Jonio luitur curvata profundo; et *Prud. περὶ στεφ.* 3, 190. amnis pulcro gurgite moenia luit. ℙ Hinc translate, i. q. abstergere, purgare. *Val. Fl.* 3, 407. Insontes errore luit, culpamque remittens. ℙ Item expiare, ferre delictorum supplicium, *büssen. Cic. Verr.* 2, 1, 30. *med.* Ut ejus libidinem hominum innocentium sanguine lui velles. *Virg. G.* 1, 502. Sanguine luere perjuria. (Adde *Ov. Ib.* 567. et *Vell.* 2, 1.) *Cic. Fin.* 5, 22. *f.* Quae per vim oblatum stuprum voluntaria morte lueret. *Liv.* 38, 48. Pro dignitate imperii vestri coactis luere peccata sua. *Cic. ad Brut.* 1, 12. Acerbum est, parentum scelera filiorum poenis lui. *Liv.* 38, 37. Luere noxam pecunia. *Ov. Her.* 10, 100. nec facta luisses Impia funeribus, Cecropi terra, tuis. *Quint.* 12, 9. *med.* Certe patroni petulantiam litigator luit. *Virg. G.*

4, 454. Luere commissa. *Liv.* 9, 5. Obsides sexcenti imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. ℙ Item expiando avertere, removere. *Liv.* 10, 28. *med.* Datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus. *Val. Fl.* 2, 569. clausum ut thalamis, somnoque gravatum Immolet, ereptaque luat responsa pharetra, h. e. diluat, solvat, evacuet, vana reddat. Alii leg. *levet.* ℙ Unde solenni fere loquendi ratione dicitur de solutione, quae aeris alieni, multae et poenae causa fit. *Curt.* 10, 2. Pluribus vestrum defuturum viaticum fuit, ni aes alienum luissem. *Imppp. Valent., Theodos.*, et *Arcad. Cod. Theod.* 2, 4, 3. Cum quis ad luendum debitum chirographo convenitur. — *Scaev. Dig.* 36, 1, 78. *med.* Luere fundum a testatore obligatum, i. e. liberare, pecuniam debitam solvendo. *Jul. ib.* 30, 83, 1. Luere pignus. *Plin.* 17, 1, 1. Cautum est duodecim Tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas arbores, lueret in singulas aeris XXV. ℙ Hinc translate *luere poenas* est poenas dare, ferre supplicium pro noxa. *Cic. Att.* 3, 9. Itaque mei peccati luo poenas. *Id. Sull.* 27. *extr.* Eos ad luendas reipublicae poenas Furiae quaedam incitaverunt. *Just.* 2, 5. Quicumque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. *Id.* 8, 1. Quasi parva supplicia caedibus et rapinis luissent. *Just.* 17, 1. Parricidium principum secutae caedes sunt luentium supplicia. *Id.* 16, 2. et *Vell.* 2, 54. Universa Cassandri domus Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis exstinctae poenas, partim caede, partim supplicio, partim parricidio luit. *Ov. Met.* 3, 624. qui Tusca pulsus ab urbe Exsilium, dira poenam pro caede luebat. *Sen. Agam.* 1008. ut paria fata Troicis lueret malis. *Plin.* 7, 8, 6. Luere augurium malis, *h. e.* pati ea mala, quae augurio portendebantur. *Claud. VI. cons. Honor.* 139. piratica puppis, Vastato tandem poenas luitura profundo. ℙ *Luere sacramentum* ap. *Solin.* 25. et solvere jusjurandum. ℙ In praeteritis *u* dicimus longum, *luit, pluit:* in praesenti breve, *luit, pluit.* Ita *Varr. L. L.* 8, 60. quod confirmatur illo *Ennii* ap. *Cic. Or.* 3, 42. Nos sumu' Romani, qui fuimus ante Rudini. Ubi prima in *fuimus* producitur; et *Pl. Men. prol.* 63. Nam rus ut ibat forte, ut multum pluerat. Ubi prima in *pluerat* longa est. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 47. Tantalu', qui poenas ob facta nefantia luit. Sed tunc et duplici *uv* scribere solebant, *fuvit, pluvit, luvit.*]

LŪPA, ae, f. λύκαινα, femina in genere luporum. *Ov. A. Am.* 3, 8. rapidae tradis ovile lupae. *Hor. Od.* 3, 27, 2. ab agro Rava decurrens lupa Lanuvino. *Prop.* 4, 4, 51. quem Nutrit inhumanae dura papilla lupae. ℙ Etiam meretrices *lupae* dicuntur, quia luparum instar sunt rapaces. Ea vocis *lupae* homonymia, ut *Liv.* quoque testatur 1, 4. occasionem praebuit fabulae de Romulo et Remo, quibus, cum in litore essent expositi, lupa admovisse ubera dicitur. Nam lupa ea, non quadrupes, sed meretrix fuit, quae infantes expositos sustulit, atque aluit. V. LUPERCA. *Cic. Mil.* 21. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat. *Aurel. Vict. de orig. gent. Rom.* 21. Mulier corpus pretio vulgare solita, lupa dicitur, unde et ejusmodi loci, in quibus hae consistunt, lupanaria dicta. *Pl. Epid.* 3, 3, 22. Divortunt mores virgini longe, ac lupae. Adde *Lact.* 1, 20. ℙ Ap. *Col.* 7, 12. *f.* nomen est canis.

LŪPĀNAR, aris, n. πορνεῖον, πορνοβοσκεῖον, locus, in quo lupae, hoc est meretrices prostant. *Quint.* 7, 3. An deprehensus in lupanari cum aliena uxore adulter sit, quaeritur. *Juven.* 6, 121. Intravit calidum veteri centone lupanar. Adde *Pl. Bacch.* 3, 3, 50. ℙ Adhibetur et in conviciis. *Catull.* 42, 13. o lutum, lupanar, Aut si perditius potest quid esse.

LŪPĀNĀRIS, e, adj. χαμαιτυπικός, ad lupanar spectans. *Appul. Met.* 9. Larem mariti lupanari maculare infamia.

LŪPĀNĀRĬUM, ii, n. idem ac lupanar. *Ulp. Dig.* 5, 3, 27. Pensiones a lupanario perceptae. *Id. ib.* 4, 8, 21. *f.* Si in popinam, vel lupanarium adesse jusserit. Adde *ib.* 23, 2, 43.

LŪPĀNĀRĬUS. V. v. sq. et LUPINARIUS.

LŪPĀRĬUS, a, um, adj. ad lupas seu meretrices pertinens. Hinc *Lupariae*, scilicet aedes meretriciae, seu lupanaria, in secunda Urbis regione, Subura appellata. V. SUBURANUS. Harum meminere *Sex. Ruf. reg. II.* Macellum magnum, Lupariae. *P. Victor.* Lupariae in Subura. *Inscr.* ap. *Gud.* 33, 1. Curator Macelli magni, proc. Lupariae in Subura. *Notit. Imp.* Macellum magnum, Luparii. At in *Cod. Vatic. n.* 3227., teste *A. Nibbyo, Mura di Roma* p. 171., legitur *Lupanarii.* ℙ *Luparii, orum*, sunt etiam luporum venatores ap. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 139. *Gloss. Philox.* Luparius, λυκοθήρας. [*Plurima addidit *F.*]

[LŪPATRĬA, ae, f. mulier, quae lupatur. Ita legitur in *Cod.* ap. *Petr. fr. Trag.* 37. *Burm.*, alii ex conjectura leg. *eupatria*, sed prior lectio praestat, vel legendum *luparia.* V. LUPARIUS. *F.*]

LŪPĀTUM, i, n. et Lupatus, i, m. χαλινός, genus freni asperioris. *Virg. G.* 3, 208. Verbera lenta pati, et duris parere lupatis. Ubi *Serv.*: frenis asperrimis: dicta autem lupata a lupinis dentibus, qui inaequales sunt: unde etiam eorum morsus vehementer obest. V. LUPUS. *Ov. Am.* 1, 2, 15. Asper equus duris contunditur ora lupatis. *Mart.* 1, 105. Mordent aurea quod lupata cervi. *Solin.* 45. *med.* Equus adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus, etc. ℙ Adjective. *Hor. Od.* 1, 8, 6. Gallica nec lupatis Temperat ora frenis.

LŪPERCA, ae, f. Dea ap. Romanos. *Arnob.* 4, 128. Quod abjectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca Dea est auctore appellata Varrone. De hac *Lact.* 1, 20. Romuli nutrix Lupa honoribus est affecta divinis. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 1. Dianae coelesti sacrum Q. Cornelius Teophilus cum Quintia M. F. Luperca. Alii perperam putarunt hic Lupercae nomine significari mulierem sacerdotem Panis, freti praecipue auctoritate quarundam *Inscr.* ap. *Gud.* 103. 4. 5. 7., sed hae omnes sublestae fidei sunt, quippe quae ex *Ligorio* sunt. [*In fine quaedam addidit *F.*]

LŪPERCAL, alis, n. λυκεῖον, antrum sub Palatino monte sacratum ab Evandro Pani Deo Arcadiae: a *Lupercus*, quod fuit ejusdem Panis cognomen (teste *Just.* 43, 1.) ideo impositum, quod non sineret lupos in oves saevire. Nam ob eandem causam multis ante saeculis etiam in Arcadia mons Lycaeus Pani fuerat consecratus, et ipse quoque Lycaeus appellabatur: nempe a λύκος, lupus. Ergo ideo et Evander in Latio, Deo gentis suae sacravit locum, et nominavit Lupercal, quod praesidio ipsius numinis lupi a pecudibus arcerentur. *Serv.* ad *A.* 8, 343. Aliqui Lupercal litterarum trajectione factum putant a *luo* et *caper*, quod sub monte Palatino fuerit quaedam spelunca, in qua caprum luebant, hoc est sacrificabant, cujus deinde pelle urbem purgabant. *Quint.* 1, 5. *f.* Inveniuntur, qui lupercalia aeque tres partes orationis esse contendant, quasi luere per caprum. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Ov. Fast.* 2, 381. et sqq. dictum esse scripsit vel a Lycaeo monte Arcadiae, vel ab illa lupa, quae illic Romulum et Remum aluit. *Virg. A.* 8, 342. Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal, Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.

LŪPERCĀLĬA, um, n. plur. λύκαια, solemnia quaedam sacra, quae Romae a Lupercis fiebant in honorem Panis pastorum Dei. Haec sacra ab Evandro ex Arcadia in Latium advecta fuere: et celebrantur XV. Cal. Martii. Fiebant lustrationis causa, in spelunca sub monte Palatino, quae Lupercal dicta est. Ritus hic fuit. Capram pastores, quorum Pan tunc praecipuum numen erat, immolabant, deinde variis ludis, rejectis vestibus, sese exercebant. Romulus item instituisse creditur, ut canis immolaretur. Hac re lupae nutrici suae gratias referre videbatur. Nam canis natura adversatur lupis. Temporis denique progressu pro capra hircus immolari coeptus est. Regnante Romulo et deinceps, sacerdotes, qui Luperci appellabantur, peracto sacrificio, faciem sibi larva tegebant, vel potius sanguine foedabant, et nudi [verenda tamen tecti erant pellibus victimarum caesarum, ideoque ab *Ov. Fast.* 5, 101. *cinctuti* appellantur; earum vero pellium formam v. ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 4. tab. 21. p. 159. ed. *Mediol.* Hinc etiam Salii Martis ap. *Virg. A.* 8, 282. *pellibus in morem cincti* dicuntur *F.*] discurrebant per urbem veterem, id est Palatium. Adolescentes accurrebant cum lana lacte madida, qui tabum abstergerent. Institutum etiam aliquando fuit, ut hirci pellem in lora secarent, et haec in cursu illo manibus gestarent, et obvias quasque feminas iisdem caederent [*Ov. Fast.* 2, 385. narrat, mulieres terga dedisse Lupercis percutienda, *Juven.* vero 2, 142. et *Plutarch.* in *Caes. c.* 61. manus seu palmas, ut in ludo litterario solebant pueri, praebuisse: *F.*] creditu nimirum hac re illis fecunditatem afferre. V. *Ov. Fast.* 2, 267. et sqq. et *Serv.* ad *A.* 8, 343. et 663., quibus locis et causam habes, cur nudi discurrerent. *Cic. Phil.* 2, 34. Adscribi jussit in Fastis, ad Lupercalia. *Id. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. ℙ In genitivo et *ium*, et *iorum* habere potest, ut *Saturnalia.*

LŪPERCĀLIS, e, adj. ad Lupercalia pertinens, ut Lupercale sacrum, *Suet. Aug.* 31.

[LŪPERCILLĀ, ae, f. dimin. Lupercae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1147, 3. Ap. Aurelia Ap. filia Lupercilla. *F.*]

LŪPERCUS, i, m. Deus idem, qui Pan: ab arcendis lupis. V. LUPERCAL. Item sacerdos Panis, qui Lupercalibus sine veste discurrebat, ut in LUPERCALIA dictum est. *Virg. A.* 8, 663. exsultantes Salios, nudosque Lupercos. *Juven.* 2, 142. agili palmas praebere Luperco. ℙ Duo fuerunt Lupercorum ordines, Fabianorum et Quintilianorum. V. FABIANUS. Additus est tertius Julianorum, institutus in honorem C. Julii Caesaris, ut est ap. *Suet. Caes.* 76. ℙ [Hoc sacerdotium fuisse annuum colligitur ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 457. *n.* 76., ubi *iterum*, et ex alia in *Opusc. letter. Bologn.* T. 2. p. 6., ubi *ter* legitur. ℙ Non modo Romae, sed etiam alibi fuisse Lupercos, docent *Inscr.* ap. *Mur.* 1, 3. quae Veliterna, alia ap. *Grut.* 347, 6. quae Praenestina, et alia ap. *eund.* 470, 6. quae Nemausensis est. *F.*] ℙ Pastores primo *Luperci* fuere: paulatim nobilissimi civitatis, adolescentes praesertim iis sacris initiari soliti sunt. Hinc M. Antonium, Lupercum fuisse scimus ex *Cic. Phil.* 2, 34. Sed imberbes discurrere vetuit Augustus, ut narrat *Suet. Aug.* 31. ℙ [*Lupercus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1378, 12. Q. Munatius Lupercus. *F.*]

*LUPĬA vel Lupĭas, ae, Germaniae fluvius, in Rhenum illabens, hodie *die Lippe. Mela* 3, 3. *f.* ubi nominativus *Lupia* occurrit. *Lupias*, Λουπίας, est *Straboni* et *Dioni Cassio.* Genitivum *Lupiae* habet *Vell.* 2, 10. *extr.* ℙ Appellatur et *Luppia. Tac. A.* 1, 60. ubi accusativum *Luppiam* invenies. *Id. ib.* 2, 7. ubi Dat. *Luppiae.* Ablativus *Luppia* est *Tac. H.* 5, 22. Exinde omnino apparet, *Luppia* vel *Luppias* aeque bene scribi posse in recto. ℙ Fuit et Lupia oppidum Calabriae, medio inter Hydruntem et Brundisium loco. *Plin.* 3, 11. *Luppia* audit *Tab. Peut.* et *Lupiae, arum*, *Melae* 2, 4. *med.* Λουπίαι *Straboni* ac *Ptolemaeo. B. A.*

[LŪPĬENSIS, e, adj. ad Lupiam seu Lupias pertinens, Calabriae opp., nunc *Lecce*, cujus *Plin.* 3, 11, 16. meminit. *Inscr.* ap. *Grut.* 374, 5. Patronus coloniae Lupiensium. Alia ap. *Mur.* 1120, 1. Lupienses, Hydrentini, et Neritini patrono optimo. Plerique has inscriptiones sublestae fidei esse putant. *F.* V. v. praec.]

[LŪPILLĀ, ae, f. dimin. lupae, eadem ac lupula. Est cogn. R. V. v. sq. *F.*]

LŪPILLUS, i, m. dimin. lupini. *Pl. Stich.* 5, 4, 9. Lupilli comminuto crustulo. ℙ [*Lupillus* est etiam dimin. lupi, idem ac lupulus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1192, 10. D. M. S. C. Nonii Lupilli C. Nonius Saturninus, et Lupilla fil. *F.*]

[LŪPĪNĀCĔUS, a, um, adj. ad lupinum pertinens, ut Lomentum lupinaceum apud *Appul. H.* 21. *F.*]

LŪPĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad lupinum legumen pertinens, ut Lupinarium labrum, ap. *Cat. R. R.* 10. et 11. *h. e.* lupinis lavandis, aut coquendis. ℙ *Lupinarii, orum*, lupinorum, seu leguminum negotiatores, ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 33., ubi *Casaubonus* mallet legi *popinarii*, alii *lupanarii*, h. e. lupanariorum exercitores.

LŪPĪNUS, a, um, adj. λύκινος, ad lupum pertinens. *Cic. Cat.* 3, 8. Quem inauratum in Capitolio parvum, atque lactentem uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. *Plin.* 28, 19, 78. Lupina pellis. *Prop.* 4, 10, 20. Et galea hirsuta compta lupina juba, *h. e.* ex pelle lupi facta. (*Virg. A.* 1, 279. lupae fulvo nutricis tegmine laetus Romulus.) *Enn.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 2, 25. Lupinus impetus. ℙ [*Lupinus* est etiam cogn. R. V. HIRPINUS. *F.*]

LŪPĪNUS, i, m. et Lupinum, i, n. θέρμος, leguminis genus est, omnium amarissimum, quod sui circumactu agricolis horas etiam nubilo die ostendit, teste *Plin.* 18, 14, 36. [**Lupine, Feigbohne, Wolfsbohne*, Lupinus albus, *L.*] Est a λύπη, dolor, aegritudo, quia vultum gustantis amaritudine contristat. *Virg. G.* 1, 75. tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos. *Colum.* 2, 10. Lupini prima ratio est, quod minimum operarum absumit. *Plin. l. c.* Lupino est usus proximus, cum sit et homini, et quadrupedum generi communis. *Mart.* 5, 78. tepens lupinus. *Ov. Med. fac.* 69. pallentes torrere lupinos. *Cato R. R.* 34. Ibi lupinum bonum fiet. ℙ Lupinorum usus erat in comoediis, in quibus si pecunia opus esset, lupinos pro nummis numerabant. *Pl. Poen.* 3, 2, 20. Hinc *Hor. Ep.* 1, 7, 23. Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis, *h. e.* quid intersit inter veros nummos, et ex lupinis factos. V. COMICUS.

[LŪPĬO, onis, m. dimin. lupi, idem ac lupulus, et lupillus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 70. D. M. Aurelii Vitalis Tub. Equ. sing. turma Lupionis nat*ione* Dacus. *F.*]

*LUPODŪNUM, i, n. oppidum Germaniae, in Suevia, non procul a fontibus Danubii, hodie fortasse *Ladenburg.* Aliis est *Lupff. Auson.* in *Mosell.* (*Idyll.* 10.) 423. *B. A.*

LŪPOR, aris, dep. 1. scortari, vel prostitui, ut *Non.* 2, 497. interpretatur. *Turpil. ib.* Cum meretrice per vias lupantur. *Lucil. ib.* ex lectione *Scalig.* et Divos ture precemur, Consilium faxint placeat, tu impune luperis. [*Gloss. Philox.* Lupari, πορνεύειν. *F.*]

LŪPŪLA, ae, f. dimin. lupae, λυκίς. *Appul. Met.* 5. Perfidae lupulae magnis conatibus nefarias insidias tibi comparant. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1382, 4. Numphidia C. F. Lupula.

[LŪPŪLUS, i, m. dimin. lupi, parvus lupus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *De-Vita. AA. BB.* p. 51. *n.* 103. Ti. Julius Lupulus. *F.*]

LŪPUS, i, m. λύκος, animal rapax et velocissimum, ovibus maxime, atque capellis infestum: a voce Graeca allata. *Virg. G.* 3, 264. genus acre luporum. *Id. A.* 7, 18. et formae magnorum ulu-

lare luporum. *Id. Ecl.* 2, 63. Torva leaena lupum sequitur: lupus ipse capellam. *Id. G.* 3, 537. Non lupus insidias explorat ovilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat. (Luculentam lupi ovile populati descriptionem habes ap. *Stat. Th.* 4, 363.) *Plin.* 10, 63, 83. Caecos catulos gignunt canes, lupi, pantherae. *Id.* 8, 22, 34. et 10, 73, 93. Lupi in fame terra vescuntur. *Id.* 8, 59, 84. In Olympo Macedoniae monte non sunt lupi, nec in Creta insula. *Id.* 28, 10, 44. Lupi vestigia calcata equis afferunt torporem. *Prop.* 4, 5, 13. Audax cantatae leges imponere lunae, Et sua nocturno fallere terga lupo, *h. e.* induere lupi formam; et *Virg. Ecl.* 8, 97. His ego saepe lupum fieri, et se condere silvis. Quibus verbis is morbus describitur a Graecis *λυκανθρωπία* appellatus, quo qui laborant, noctu luporum more egrediuntur, seque lupos factos esse putant. ℙ *Hor.* lupum *Martialem* cognominat, *Od.* 1, 17, 9., vel quia cruentus est, vel quia in tutela Martis. *Virg.* quoque *Martium* appellat *A.* 9, 566. ℙ Ad designandum femininum genus, pro *lupa*, *lupum feminam* dixere veteres. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 355. lupu' femina feta repente. *Id.* ap. *Non.* 4, 385. Endo tuetur, ubi lupu' femina conspicit amnes. *Quint.* 1, 6. Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, lupum feminam dicit, Ennium, Pictoremque Fabium secutus. *Festus* in *Masculino*, et in *Corius*. Hunc stirpem antiqui dixerunt, et rursus hanc lupum, et hanc metum. *Id.* in *Recto*. Cum ait Ennius, a stirpe supremo, et Ilia dia nepos et lupus feta. ℙ In Italia creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens, ut *Plin.* tradit 8, 22, 34. Hinc illud *Virg. Ecl.* 9, 53. vox quoque Moerim Jam fugit ipsa: lupi Moerin videre priores. Ex quo *Servius* ortum ait aliud proverbium, *lupus in fabula:* quo utimur, cum supervenit subito is, de quo loquimur, et nobis sua praesentia facultatem loquendi amputat. *Cic. Att.* 13, 33. De Varrone loquebamur: lupus in fabula: venit enim ad me. Adde *Ter. Ad.* 4, 1, 21. Sic *Pl. Stich.* 4, 1, 71. Atque eccum tibi lupum in sermone. ℙ *Lupum auribus tenere*, aliud proverbium, in re ancipiti periculosaque dici solet: nam qui lupum auribus tenet, nec dimittere audet, nec retinere potest sine periculo. *Ter. Ph.* 3, 2, 21. immo, quod ajunt, auribus teneo lupum. Nam neque quo amittam a me, invenio, neque uti retineam, scio. Adde *Suet. Tib.* 25. ℙ *Hac urget lupus, hac canis*, aliud proverb. ap. *Hor. Sat.* 2, 2, 64., ubi utrinque periculum est, et discrimen anceps: [**Zwischen Thür und Angel stecken.*] ℙ *Ovem lupo committere*, rem aliquam ei committere, qui ipse maxime custodis egeat, ne perdat. [**Den Bock zum Gärtner setzen.*] *Ter. Eun.* 5, 1, 16. Scelesta, ovem lupo commisisti. *Cic. Phil.* 3, 11. O praeclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum! Adde *Ov. A. Am.* 2, 363. ℙ *Lupo agnum eripere*, de re difficili ac desperata. Stultum enim videtur sperare, futurum, ut lupus arreptum agnum salvum dimittat. Simile est apud Italos, *andar alla gatta pel lardo. Pl. Poen.* 3, 5, 31. Lupo agnum eripere postulant: nugas agunt. ℙ *Oves fugit lupus*, de re impossibili, et contra naturam. *Virg. Ecl.* 8, 52. ℙ *Lupus ovium non curat numerum*, h. e. quamvis numerati gregis oves mactat. Dicitur de iis, qui nihil curant. *Id. Ecl.* 7, 51. Hic tantum Boreae curamus frigora; quantum Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. ℙ *Lupus* est etiam piscis, ita dictus a voracitate. Laudatissimus, qui *lanatus* dicitur, a candore, mollitiaque carnis, praecipue in fluviis captus, et Romae in Tiberi inter duos pontes (fortasse sublicium, et Fabricium vel Cestium), ut est ap. *Macr. Sat.* 2, 12. *Hor. Sat.* 2, 2, 32. et *Plin.* 9, 54, 58. Adde *ib.* 17, 28. *Colum.* 8, 16. et *Mart.* 13, 89. ℙ Item genus aranei, quod Graecis phalangion est. Est autem duplex, aliud majus, aliud minus: minus non texit. *Plin.* 29, 4, 27. et 11, 24, 28. ℙ Item frenum asperius, quod et *lupatum* dicitur: ita dictum a luporum dentibus, quos forma imitatur. Sumitur autem et pro freno universim. *Ov. Trist.* 4, 6, 3. Tempore paret equus lentis animosus habenis, Et placido duros accipit ore lupos. Adde *Stat. Ach.* 1, 281. ℙ Denique instrumentum ferreum aduncum, quo aliquid extrahitur, vel attollitur. *Liv.* 28, 3. Qui erexerant ad murum scalas, alii furcis detrudebantur, in alios lupi superne ferrei injecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. Adde *Isid. Orig.* 23, 15. ℙ *Lupos* exponit *Pallad.* 1, 43. serrulas manubriatas majores minoresque ad mensuram cubiti, quibus facile est, quod per serram fieri non potest, resecando trunco vitis interseri. ℙ *Lupus salictarius* herba est sponte nascens, et cibis apta. *Plin.* 21, 15, 50. [**Humulus Lupulus, L.*] ℙ [Est quoque cogn. R. frequens, ut L. Cornelius Lentulus Lupus consul. ann U. C. DXCVIII. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 234. *F.* ℙ **Fuit et Lupus cognomen Rutiliorum, ut P. Rutilius Lupus, de quo *Cic. N. D.* 1, 23. et alibi saepe. V. *Rutilius.* ℙ Rutilius Lupus, rhetor. V. in *Rutilius. B. A.*]

LŪRA, ae, f. *Festo* est os cullei, vel utris. Aliis ipse uter, culleus: ut *Auson. perioch. Odyss.* 10. Opes aliquas in lura inesse existimantes. ℙ Item translate intestinum, venter. *Lucil.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 21. in os prius accipiam ipse, Quam gladium in stomacho, lura, ac pulmonibu' sisto. Sunt qui ubique pro *lura* reponunt *lora* eodem sensu. Alii ubique aliter legunt, praeterquam apud *Festum*, [ubi eodem fere sensu usurpatur, quo nunc nostrates vulgo *lora*, Itali vero *pévera* vocant vas illud ligneum, quo vinum ex lacu in dolium transfunditur. *F.*]

LURCĀBUNDUS vel Lurcinabundus, i, m. valde lurcans, vel lurcinans, heluo, lurco. Vox est *Catonis*, quam, ut nimis antiquam, damnat *Quint.* 1, 6. *med.* V. COLLURCINATIO.

LURCO, as, n. 1. et Lurcor, aris, dep. 1. *λαφύσσω*, cibum cum aviditate nimia sumo. Ducunt aliqui a *λαῦρος*, avidus, vorax: *Festus* a *lura. Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim. *Pomp. ib.* Lardum lurcabat lubens.

LURCO, onis, m. *λίχνος*, capacis gulae homo, gulosus, bonorum suorum consumptor, ut *Fest.* in *Lura* exponit. *Suet. Gramm.* 15. Lastaurum, et lurconem, et nebulonem, popinonemque appellans. *Pl. Pers.* 3, 3, 16. Lurco, edax, furax, fugax. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Vivite lurcones, comedones vivite ventres. ℙ Fuit cogn. M. Aufidii, qui primus pavonem saginare instituit, et ex eo magnum quaestum fecit. *Varr. R. R.* 3, 6. et *Plin.* 10, 20, 23. Sic M. Perpenna Lurco, ap. *Grut.* 237, 8. ℙ [Est etiam homo impudicus, cinaedus, *ὄμματα λίχνα* habens. *Appul. Met.* 8. de Isiaco: Sic praeco lurconem tractabat dicacule. *F.*] ℙ Olim *lurcho* scripserunt cum adspiratione. *Serv.* ad *A.* 6, 4. et *Prob.* in *Cathol.* p. 1455.

LURCONIĀNUS, a, um, adj. ad Lurconem pertinens. *Tert. Anim.* 33. Apiciana, et Lurconiana condimenta. V. v. praec.

*LURDA, ae, Asiae fluvius, Tauro monte decurrens. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6. vel p. 959. ed. *Cort. Sall.* Nisi qua flumen Lurda Tauro monte defluens. *B. A.*

*LURIA, ae, f. Oxymelum appellatum, quod ex aceto et melle componitur. *Isid.* 20, 3. *B. A.*

LURĪDĀTUS, a, um, adj. luridus. *Tert. adv. Marc.* 4, 8. Luridati delinquentiae maculis.

LURĪDUS, a, um, adj. *πελιδνὸς, ὠχρὸς*, supra modum pallidus, ut ait *Festus*, lividus, ad nigrorem accedens. *Colum.* 10, 325. valido turgescit lurida caule Brassica. *Sil.* 13, 560. nigrum pandens mors lurida rictum. *Hor. Od.* 4, 13, 10. refugit te, quia luridi Dentes, te quia rugae Turpant, et capitis nives. *Id. Epod.* 17, 21. verecundus color Reliquit ora pelle amicta lurida. *Id. Od.* 3, 4, 74. luridus Orcus. *Ov. Met.* 4, 267. pallor; et *ib.* 14, 198. me luridus occupat horror; et *ib.* 747. lurida membra, *scil.* ejus, qui sibi laqueo fauces elisit; et *ib.* 1, 147. aconita, *h. e.* quae luridos faciunt (unde *nigros* dixit *Juven.* 1, 72. veneno sublatos); et *ib.* 14, 791. sulphura, *scil.* quia usta luridum ignem reddunt. Sic *Calpurn. Ecl.* 5, 89. galbana. *Petr. Sat.* 124. mortis imago. *Sen. Med.* 790. luna. *Sen. alter ep.* 95. luridae bilis suffusio. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse, cum deficit, solet.

LŪROR, oris, m. *ὠχρότης*, pallor fuscus, et ad nigrorem accedens. Volunt esse a *lura*, qua utrem significat: ut proprie corii colorem notet. *Lucr.* 4, 332. Lurida praeterea fiunt, quaecumque tuentur Arquati, quia luroris de corpore eorum Semina multa fluunt. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 238. luror permanat in herbas, Deficiunt rivi, squalent rubigine prata. *Appul. Met.* 9. Lurore buxeo, maciegue foedatus.

*LURSENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

LURŪLENTUS, a, um, adj. valde luridus. *Appul. Met.* 7. Conceptaculum aquae lurulentae. Al. leg. *lutulentae.*

*LUSA, orum, Arcadiae locus sic dictus. *Plin.* 31, 2. At in Lusis Arcadiae quodam fonte mures terrestres vivere. *Plin.* 31, 2. *B. A.*

LUSCĪNIA, ae, f. et Luscinius, ii, m. *ἀηδών*, avis cantus suavitate praecellens, quae et philomela, Graeca appellatione, dicitur. Alii dictam volunt, quod quasi *lugens canat*, respicientes ad fabulam, de qua V. in PHILOMELA: alii quod *sub lucem canat*, h. e. exortu diei: alii quod *in lucis canat.* Insignis est *Plinii* locus 10, 29, 43. Tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musciae scientia modulatus editur sonus: et nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto: promittitur revocato, infuscatur ex inopinato: interdum et secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus: ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quae exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, etc. *Hor. Sat.* 2, 3, 245. Luscinias soliti impenso prandere coemptas. *Phaedr.* 3, 18. Pavo ad Junonem venit, indigne ferens, Cantus luscinii quod sibi non tribuerit. *Sen. ep.* 76. *med.* Habet vocem? sed quanto dulciorem, mobilioremque luscinii! Al. leg. *lusciniae. Plin. l. c.* Sestertiis sex candidam lusciniam venisse, quae Agrippinae dono daretur. ℙ *Lusciniae deest cantio*, proverb. de eo ironice dictum, qui re aliqua abundat, neque ea defici unquam potest, v. gr. mulieri verba. Legitur ap. *Pl. Bacch.* 1, 1, 3. ℙ *Luscinios* Commodus Aug. ap. *Lampr. Commod.* 10. appellabat eos, quibus alterum oculum eruisset: a *luscus.*

LUSCINIŎLA, ae, f. dimin. lusciniae. *Pl. Bacch.* 1, 1, 4. Lusciniolae ne defuerit cantio. [*Varr. R. R.* 3, 5. Intra retem aves sunt omne genus, maxime cantrices, ut lusciniolae ac merulae. *F.*]

LUSCĪNIUS. V. LUSCINIA.

LUSCĪNUS, a, um, adj. idem ac lusciosus, vel luscitiosus: a *luscus. Plin.* 11, 37, 55. Qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocabantur: qui parvis utrisque, Ocellae: Luscini, injuriae cognomen habuere. [Hinc ap. *Liv.* 13, 14. C. Fabricius Luscinus cos. ann. U. C. CDLXXII. *F.*] ℙ **Gloss. Lat. Gr.* Luscinus, *ἀηδών. B. A.*

LUSCĪŎLA, ae, f. eadem quae luscinia. *Varr. L. L.* 4, 11. Lusciola, quod luctuose canere existimatur, atque esse ex Attica Progne in luctu facta avis. Al. leg. *luscinia.*

LUSCĪŌSUS et Luscitiosus, a, um, adj. qui ad lucernam non videt, et *μύωψ* vocatur a Graecis. Ita *Non.* 2, 512. afferens illud *Varr.* Vesperi non videre, quos appellant lusciosos. Confirmat *Ulp.*, qui *Dig.* 21, 1, 10. *f.* ex ed. *Torrent.* luscitionem, inquit, eam esse quidam putant, ubi homo lumine adhibito nihil videt. Al. aliter leg. Sic *Isid. Orig.* 10. *litt. L.* Lusciosus, qui vespere nihil videt. Sic item *Plin.* 28, 11, 47. Quoniam, inquit, dorcades noctu aeque quoque cernunt, sanguine hircino sanari lusciosos putant, nyctalopas a Graecis dictos. Hactenus *Plin.* Si enim dorcades etiam noctu vident, earum sanguis aptus erit sanandis iis, qui ad lucernam et noctu non vident. Nihilominus *Festus* luscitionem esse ait vitium, quod clarius vesperi, quam meridie cernit. Confirmat *Seneca*, cujus verba sunt *Ben.* 3, 1. *f.* Luscitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant: caeci, qui non vident. Al. tamen leg. *vitiosi.* Sic *Fulgent. de prisco serm.* Luscitiosos dici voluerunt, interdiu parum videntes, quos Graeci *μύωπας* vocant. Quare, quid revera his vocibus veteres intellexerint, plane non constat. Magis ex sententia *Festi*, quam *Varronis*, et *Nonii* locutus videtur *Pl. Mil.* 2, 3, 50. *Sce.* Mirum est lolio victiare te, tam vili tritico. *Pa.* Quid jam? *Sce.* quia luscitiosus. *Pa.* vae verbero! aedepol tu quidem Caecus, non luscitiosus. Agitur enim his *Plauti* verbis de eo, qui diu, et in media luce non videat. V. NUSCICIOSUM.

LUSCĪTĬO, onis, f. vitium oculorum, de quo V. in v. praec.

LUSCĪTĬOSUS. V. LUSCIOSUS.

LUSCUS, a, um, adj. *ἑτερόφθαλμος*, altero oculo captus. *Cic. Or.* 2, 60. *Coenabo*, inquit, *apud te*, huic lusco, familiari meo C. Sextio: *uni enim locum esse video. Mart.* 4, 65. Oculo Philaenis semper altero plorat. Quo fiat istud quaeritis modo? lusca est. *Juven.* 10, 228. ambos Perdidit ille oculos, et luscis invidet. *Id. de Annibale*, qui in Apennino alterum frigore amiserat, *ib.* 157. O qualis facies, et quali digna tabella, Cum Gaetula ducem portaret bellua luscum! Quae *Petrarca* vertit: *Si ch' egli era, a vederlo, strano arnese, Sopra un grande elefante un duce losco. Varr. R. R.* 2, 2. Lusca ovis. ℙ [**Ap. *Juv.* 7, 125. (de Aemiliano causidico:) et *Statua meditatur proelia lusca*, recte *Lessing.* cum Schol. *luscam statuam* intell. oculis introrsus cedentibus praeditam, *hohläugig*, *blödsichtig:* scil. propter planas pupillas.] ℙ Non dicitur *luscior*, *luscissimus*, quia natura nemo lusco magis est luscus. *Varr. L. L.* 8, 43.

LŪSĬO, onis, f. *παιγνία*, actus ludendi, ludus, lusus. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *f.* Durens mecum Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis. *Id. Fin.* 5, 20. Pueri lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. *Id. Sen.* 16. *f.* Sibi habeant arma, equos, hastas, pilam, etc., nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras. *Id. Or.* 1, 16. Pilae lusio. *Stat. praef.* ad *Silv.* 4. Pilaris lusio. **Lusio*, *onis*, oppidum Pannoniae inferioris. *Tab. Peut.* ℙ *Lussuium* appellat *Ant.* in *Itin. B. A.*

LŪSĪTĀNUS, a, um, adj. ad Lusitaniam pertinens, quae est una ex tribus Hispaniae partibus in occidentem, et austrum vergens. *Plin.* 3, 1, 3. dictam tradit a Luso Bacchi filio, vel a Lysa Bacchi comite. *Sen. epigr. ad Cordub.* 11. Non, Lusitanus quateret cum moenia latro, etc, *h. e.* Viriathus (de quo in *Epit. Livii* 52. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus totam Lusitaniam occupavit) *Sil.* 3, 354. Hos Viriathus agit, Lusitanumque remotis Extractum lustris. *Plin.* 15, 25, 30. Lusitana cerasa. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 5. tela. ℙ *Lusitani, orum*, ipsi populi. *Plin.* 4, 22, 35. *Cic. Brut.* 23.

[LŪSĪTĀTĬO, onis, f. actus lusitandi, lusio. *Jul.*

Valer. res gest. Alex. M. (ed. *A. Maio*) 1, 42. Pila vero admonet, quod ejus congruat cum tua aetatu la lusitatio. *F.*]

LŪSĬTO, as, n. 1. *ἀρύθω*, frequent. a *ludo. Pl. Capt.* 5, 4, 6. Aut coturnices dantur, quibuscum lusitent. *Gell.* 18, 13. Alea festiva et honesta lusitabamus.

*LŪSĬUS, i, Arcadiae fluvius. *Cic. N. D.* 3, 22. *extr. B. A.*

LŪSOR, oris, m. *παίκτης*, qui ludit. *Sen. Ben.* 2, 17. Necesse est, lusor bonus aliter pilam collusori longo, aliter brevi mittat. *Ov. A. Am.* 1, 451. Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor: Et revocat cupidas alea blanda manus. *Juven.* 9, 61. cum lusore catello. [Al. rectius leg. *conlusore catello;* nam etiam *Plin. ep.* 9, 33. delphinum *collusorem puerorum* vocat. *Inscr.* Patavina ap. *Maff. Mus. Ver.* 127, 4. Q. Magurius Q. F. Fab. Ferox lusor epidixib*us*. V. EPIDIXIS. ℙ Est item gladiator. V. LUDOR. *F.*] ℙ Item scriptor ludicrus. *Ov. Trist.* 4, 10, 1. Ille ego, qui fuerim, tenerorum lusor amorum, Quem legis, ut noris, accipe, Posteritas. ℙ Item qui illudit, ac deridet. *Pl. Amph.* 2, 2, 62. Te ut deludam contra lusorem meum.

LŪSORĬĒ, adv. per ludum. *Ulp. Dig.* 30, 50. Si judex contra heredem pronunciaverit, non agentem causam, sed lusorie agentem, *h. e.* colludentem cum adversario.

LŪSORĬUS, a, um, adj. *παικτικὸς*, ad lusum pertinens. *Plin.* 37, 2, 6. Lusorius alveus cum tesseris. *Id.* 7, 56, 57. Lusoria pila. ℙ Item ludicer, jocularis, *Id. ib.* 53, 54. Lusoria quaestio. *Sen. ep.* 117. *med.* Remove ista lusoria arma*:* decretoriis opus est. *Id. ep.* 80. Lusorium spectaculum. *Id. Ben.* 7, 20. Lusoriae triremes. Sunt etiam *lusoriae naves*, quas ad coercendas Barbarorum incursiones in fluviis limitaneis armatas habebant Romani: ita dictae, quod ultro citroque luderent, seu discurrerent, speculandi causa. *Ammian.* 17, 2. Lusoriis navibus discurrere flumen ultro citroque milites ordinavit. *Vopisc. Bonos.* 15. Cum in Rheno Romanas lusorias Germani incendissent. Adde *Cod. Theod. tit.* 7, 17. qui *de lusoriis Danubii* inscribitur. ℙ Item inanis, irritus, sine effectu. *Paul. Dig.* 35, 3, 4. Lusorias minas alicui facere. *Id. ib.* 43, 8, 1. *f.* Alioquin inane et lusorium praetoris imperium fuerit. ℙ *Lusorium nomen*, fictum et inane. *Sen. Ben.* 5, 8. Domi versura fit, et velut lusorium nomen, statim transit. ℙ [*Lusorium* absolute est locus, ubi ludus gladiatorius, aut venatorius exhibetur. *Lampr. Elagab.* 25. Stravit sibi triclinium in summo lusorio, *h. e.* in amphitheatro, ubi ludicra eduntur. Sic *Lact. Mort. persecut.* 21. de Maximiano: Quid lusorium, vel deliciam ejus referam? Habebat ursos ferociae seu magnitudinis suae simillimos; his homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur. Ex his itaque patet, tam apud *Lampr.*, quam ap. *Lact.* sermonem esse de privato amphitheatro, ubi gladiatores, et venatores exhibebantur; etenim de Albano Domitiani amphitheatro mentio est ap. *Juven.* 4, 99. et *Suet. Dom.* 4. et 19. V. etiam *Salviani* locum in PETAMINARIUS. *F.*]

[LUSTRĂBĬLIS, e, adj. qui perlustrari dignus est, spectabilis. *Gloss. Philox.* Lustrabilis, *περίβλεπτος. F.*]

[LUSTRĂGO, inis, f. herba eadem ac hiera botane, verbenaca, columbina. *Appul. Herb.* 3. *F.*]

LUSTRĂLIS, e, adj. ad lustrationem, et expiationem pertinens. *Ov. Pont.* 3, 2, 73. Spargit aqua captos lustrali Graja sacerdos. *Liv.* 1, 28. Lustrale sacrificium. *Pers.* 2, 33. salivis lustralibus expiare. *Val. Fl.* 3, 414. lustralia vota. *Appul. Apol.* Lustrales hostiae. *Sen. Agam.* 163. Lustrale classi Doricae peperi caput, *h. e.* quod expiaret classem Doricam. ℙ Item ad lustrum, seu quinquennale spatium pertinens. *Ulp. regular.* 2. de libertis: Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu, Romae, jussu dominorum inter cives R. censum profitebantur. *Tac. A.* 6, 4. Propinquo jam lustrali certamine. *Virg. A.* 8, 182. Vescitur Aeneas, simul et Trojana juventus Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis. Ubi *Serv.:* aut pinguibus: moris enim fuerat, completo lustro, pingues victimas offerre censores: aut certe de quinquennali bove, id est perfectae aetatis: aut quia per quinquennium ipsis victimis Urbs lustrari solebat. Alii proprie *lustralia* dicunt, quae duabus manibus accepta in aram pontifex, vel censor imponit, quae non prosecantur. Haec *Serv.* Ceterum simplicius, et verius *lustralia exta* intelliges, quae sunt e victima lustrationis gratia mactata. ℙ *Lustrale aurum* est pecunia, quae quinto quoque anno incipiente pendebatur a mercatoribus rerum minutarum, lenonibus, meretricibus, feneratoribus, et hujusmodi. *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 4. P. Aelio T. F. auri lustralis coactori. Huc pertinet *lustralis collatio*, quae est inscriptio *tituli primi l.* 13. *Cod. Theod.* ℙ [*Lustralis*, absolute is dicitur, qui hujusmodi collationis curam gerebat. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 326. *n.* 458. Primigenio lustrali Augg. NN. Alfia Verecundina patri pientissimo. ℙ *Lustrale incrementum*, V. in DECURIATUS, a, um. *F.*]

LUSTRĂMĔN, inis, n. idem quod lustramentum. *Val. Fl.* 3, 442. Arma simul, vestesque virum, lustramina ponto Pone jacit. Adde 3, 409.

LUSTRĂMENTUM, i, n. purgatio, praesertim facta per sacrificium, aut veneficium, seu incantationem. *Mart. Dig.* 48, 8, 3. Si quis lustramenti causa dederit cantharides. Sed alii melius interpretantur *ἀσέλγειαν, ἀφροδισιασμὸν*, idest lasciviam, libidinem, incitamentum ad Venerem, a *lustrum*, qua metaphorice dicitur de popinis et lupanaribus.

LUSTRĀTĬO, onis, f. *καθαρσις*, expiatio, purgatio per sacrificium. *Colum.* 2, 22. Quosdam desideraturos lustrationum, ceterorumque sacrificiorum, quae pro frugibus fiunt, morem priscis usurpatum, etc. *Liv.* 40, 6. Lustrationis sacro peracto. ℙ Metaleptice sumitur pro circuitione, seu peragratione, *περιπόλησις. Cic. Phil.* 2, 23. Quae fuit ejus peragratio itinerum? lustratio municipiorum? et *Tusc.* 5, 27. Cursus et lustrationes ferarum.

LUSTRĀTOR, oris, m. qui obambulat, qui circuit, *περιοδευτής. Appul. Apol.* Hercules lustrator orbis, purgator ferarum.

LUSTRĀTUS, a, um, part. a *lustro: καθαρθεὶς*, purgatus, expiatus. *Cic. Div.* 1, 35. Exercitus lustratus. *Ov. Met.* 14, 605. Lustratum corpus ungere. *Liv.* 3, 18. *f.* Capitolium purgatum atque lustratum. *Flor.* 1, 13. *med.* Civitas incendio expiata et lustrata. ℙ Item peragratus. *Hor. Od.* 3, 25, 11. Pede barbaro lustrata Rhodope. *Plin.* 6, 27, 31. Tigris, lustratis montibus Gordyaeorum, divisus in alveos duos, altero meridiem petit, altero, etc.

LUSTRĬCUS, a, um, adj. *καθαρτήριος*, idem fere est, quod lustralis. Unde diem illum, quo infanti nomen imponebatur (*Nominalia* appellat *Tertull.*), lustricum diem vocarunt, quia eo infans lustraretur, hoc est religione purificaretur. Erat is dies octavus puellarum, nonus puerorum, ut scribunt *Festus, Arnob.* 3, 102. et *Macr. Sat.* 1, 16. *med. Suet. Ner.* 6. Ejusdem futurae infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit.

LUSTRĬFĬCUS, a, um, adj. idem quod lustralis. *Val. Fl.* 3, 448. Cantus lustrificus.

LUSTRO, as, avi, atum, a. 1. *καθαίρω, ἁγνίζω*, a scelere, caede, funere, aliove quo piaculo, sacris faciendis, precibus, aliisque religiosis ritibus purgo, expio. Ritum lustrandi agros habes ap. *Caton. R. R.* 141. *Virg. G.* 1, 338. et sqq. et *Tibull.* 2, 1., quo pertinent quae in AMBARVALIS dicta sunt. Quo pacto lustrarentur oves Palilibus, docet *Ov. Fast.* 4, 735. et sqq. Quo more Macedones exercitum lustrarent, *Liv.* 40, 6. et *Curt.* 10, 9. narrant. *Cic. Div.* 1, 45. *f.* In lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret; et cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. *Liv.* 1, 44. Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit. *Virg. A.* 6, 229. ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi, et ramo felicis olivae, Lustravitque viros. *Tibull.* 1, 1, 25. Tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos; et *ib.* 2, 61. lustrare aliquem taedis; et *ib.* 5, 11. sulphure puro. *Ov. Met.* 7, 261. Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat. *Petr. Sat.* 137. Cum digitos pariter extensos porris apioque lustrasset. *Virg. A.* 3, 279. Lustramurque Jovi; votisque incendimus aras. *Ov. Met.* 10, 398. Sive aliquis nocuit, magico lustrabere ritu. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 137. Ut Non. Jun. pagum lustrent, et sequentibus diebus ex consuetudine sua cenent, item VI. Id. Jun. epulentur. *F.*] ℙ *Lustrare exercitum* (quod fere fiebat initio expeditionis, antequam iretur in hostes) interdum exponitur recensere, recognoscere, *mustern:* quia ante lustrationem inibat imperator numerum militum, ut sciret, quantis viribus rem esset gesturus. *Cic. Att.* 5, 20. In castra veni a. d. VII. cal. Septemb., a. d. III. exercitum lustravi apud Iconium. Adde *Hirt. B. G.* 8, 52. Hoc sensu *Virg. A.* 6, 679. Anchises convalle virenti Inclusas animas, superumque ad lumen ituras Lustrabat, studio recolens. ℙ Hinc translate ponitur pro observare, circumquaque aspicere. *Virg. A.* 8, 152. ille os oculosque loquentis Jamdudum, et totum lustrabat lumine corpus. *Petr. Sat.* 11. Postquam lustravi oculis totam urbem. *Virg. A.* 2, 564. Respicio, et quae sit me circum copia, lustro. *Id. ib.* 11, 763. Lustrare alicujus vestigia, *h. e.* observare, et sequi. *Cic. Off.* 1, 17. *med.* Cum omnia ratione animoque lustraris, *h. e.* consideraveris, perpenderis. Huc illa pertinent *Virg. A.* 4, 6. et *ib.* 7, 148. Postera Phoebaea lustrabat lampade terras Aurora. *Id. ib.* 4, 607. Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras. ℙ Significat etiam obire, circuire, peragrare, pererrare videndi causa, quia in lustrandis hominibus et locis, circuire mos erat, et hostias circumferre. *Cic. Fin.* 5, 29. Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum magos adiit. *Prop.* 2, 18, 3. Nulla meis frustra lustrantur compita plantis. *Virg. A.* 3, 385. Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor. *Id. ib.* 9, 57. huc turbidus, atque huc Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit; et *ib.* 10, 224. Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis. Rursus *ib.* 9, 96. lustrare pericula. De sideribus orbem suum conficientibus, *Cic. N. D.* 2, 20. *f.* Mercurii stella anno fere vertente signiferum lustrat orbem. Adde *Univ.* 9. ℙ [Part. *Lustrans* ap. *Sil.* 15, 787. lustrans nantem sub gurgite praedam. *F.*]

LUSTRO, onis, m. qui in lustris bona absumit. *Catull.* 105, 7. tamen ipse est maximu' lustro. Alii leg. *maximus ultor. Naevius* ap. *Fest.* in voce *Aleo:* Pessimorum pessime, audax, ganeo, lustro. Al. melius leg. *lurco.*

LUSTROR, aris, dep. 1. in lustris versor, scortor, *πορνεύω. Pl. Ps.* 4, 7, 6. Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod habent. *Id. Cas.* 2, 3, 29. Ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti? *Lucil.* ap. *Non.* 4, 277. Quem sumptum facis in lustris circum oppida lustrans.

LUSTRUM, i, n. *σηήλαιον*, cubile ferarum in silvis, et praesertim aprorum, et suum, qui in lutosis locis degere solent, ut *Festus* docet. Videtur esse a *λύω*, solvo, *h. e.* locus in quo quis relaxandi corporis, vel animi causa versatur. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* de suibus: Admissuras cum faciunt, prodigunt in lutosos limites ac lustra, ut volutentur in luto, quae est illorum requies, ut lavatio hominis. *Virg. G.* 2, 471. saltus ac lustra ferarum; et *A.* 3, 616. vitam in silvis, inter deserta ferarum Lustra domosque traho. ℙ [*Hinc *lustra* dicuntur in universum ipsae silvae, in quibus ferarum cubilia sunt. *Virg. A.* 4, 151. Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra; et 11, 570. inter horrentia lustra.] *Val. Fl.* 4, 370. lustra horrida monstris; et 1, 105. Per lustra viasque visi Fauni. [*Huc pertinent etiam gemini loci, quos Noster infra laudaverat, *Ov. Met.* 3, 146. et 370. ubi frustra est, qui *rura* pro vulg. *lustra* legit.] ℙ Translate dicitur de sordidis locis, in quibus ventri, aut libidini datur opera. Ab horum similitudine, inquit *Festus*, ii qui in locis abditis et sordidis, ventri et desidiae operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. *Cic. Phil.* 13, 11. In lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumere; et *Sext.* 9. Homo emersus subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum: vino, ganeis, lenociniis, adulteriisque confectus. *Id. in Senat.* 6. In lustris et heluationibus. *Pl. As.* 5, 2, 17. Studere lustris. *Id. Cas* 2, 3, 26. Jacere in lustra (pro *in lustris*). *Id. Curc.* 4, 2, 22. Lenones male suadendo, et lustris lacerant homines. *Hor. Sat.* 1, 6, 68. Avaritiam et sordes, aut mala lustra alicui objicere. *Lucr.* 4, 1129. Desidiose aetatem agere, lustrisque perire. ℙ Pro ipsis turpibus exercitationibus, quae in lustris habentur. *Cic. Coel.* 25. Domus, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia versantur. *Id. Phil.* 2, 3. *f.* Vino, lustrisque confectus. ℙ Praeterea *lustrum* est expiatio, et lustratio publica populi, quae, censu peracto, suovetaurilibus fiebat ab altero censorum, ipso victimas feriente, praetexta induto, et coronato, *καθαρμός*. Hoc sensu primam hujus vocabuli produci, ait *Festus*, h. e. quasi per *ou*, *loustrum* scribatur, proferri: oritur, autem a *λούω*, lavo, eluo, Graece *λουτρὸν*, expiatio. Hinc est *lustrum condere*, h. e. fine census sacrificium lustrationis peragere, populumque lustratum dimittere. [Itaque nihili habenda notatio nominis, quam *Varronis* locus habet infra §. 9. afferendus. Minime enim verum est, lustri tempore vectigalia, et ultro tributa solvi solere, sed potius a censoribus eadem tunc locabantur publicanis, et operum redemptoribus. *F.*] *Liv.* 1, 44. Censu perfecto, edixit, ut omnes cives R. in campo Martio prima luce adessent. Ibi exercitum omnem suovetaurilibus lustravit: idque conditum lustrum appellatum, quia is censendo finis factus est. Millia LXXX. eo lustro civium censa dicuntur. *Id.* 3, 24. *f.* Census, res priore anno inchoata, perficitur: idque lustrum ab origine urbis decimum conditum. *Cic. Or.* 2, 66. Qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit. *Liv.* 35, 9. Censores erant priore anno creati Sex. Aelius Paetus, et C. Cornelius Cethegus. Cornelius lustrum condidit: censa sunt civium capita CXLIII. millia DCCIV. *Id.* 38, 36. *f.* M. Claudius Marcellus, forte superato T. Quintio, lustrum condidit. *Id.* 42, 10. Eo anno lustrum conditum est. Censores erant Q. Fulvius Flaccus, L. Postumius Albinus, Postumius condidit. ℙ Aliud est *censum agere*, aliud *lustrum condere*: illud enim censuram populi facere significat: hoc, ea perfecta, populum lustrare. Itaque aliquando factum est, ut census quidem fieret, lustrum vero, religione aliqua objecta, omitteretur, qua de re V. CENSUS. *Liv.* 3, 22. Census actus eo anno: lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum, condi, religiosum erat. *Id.* 24, 43. Ne censores lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii. ℙ *Sub lustrum censeri* est in fine censurae, quando prope adest, ut lustrum fiat. *Cic. Att.* 1, 18. *f.* Ne absens censeare, curabo edicendum. Sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est.

Quare cura, ut te quamprimum videamus. Hoc dicit *Cicero*, quia negotiatores, cum plerumque Roma abessent, tardissimi omnium ad censendum adesse solebant. ℙ *Lustrum* aliquando est sacrificium, quod expiandi causa fit, etiam extra censuram. *Liv.* 45, 41. Quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusque, et classibus lustra sacrificavi. Al. rectius leg. *vestris sacrificavi*. ℙ Quia censura, et lustrum quinto quoque anno fieri solebat, saepe *lustrum* quinquennii spatium significat, ut *Festus* docet. *Varr. L. L.* 5, 2. *f.* Lustrum nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia, et ultro tributa per censores persolvebantur. (V. etymon vocis supra in §. 5.) *Ov. Amor.* 3, 6, 27. Troja fuit lustris obsessa duobus. V. BILUSTRIS. *Id. A. Am.* 3, 15. Est pia Penelope, lustris errante duobus, Et totidem lustris bella gerente viro. *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 13. Quinque annorum nobis reliqua remisisti: o lustrum omnibus lustris felicius! *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Populi, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt, *h. e.* pecuniam pro locatione vectigalium, quae in quinquennium locari solebant: qua de re *Ov. Pont.* 4, 9, 45. Nunc longi reditus hastae supponere lustri Cernet, et exacta cuncta locare fide. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 41. Neque census ejus in quinquennium illud esset factus, quorum annorum spatio instaurari census solet apud censores, quorum administratio per lustrum, hoc est quinquennium extenditur. Ex *Plin. ep.* 9, 37. colligimus, etiam privatas locationes in singula lustra, seu quinquennia fieri consuevisse. ℙ Hactenus quinque annorum tempus *lustri* appellatione comprehenditur: et quidem completorum: alioquin male aetatis annos explicarent, qui eos per lustra designant, ut *Mart.* 10, 38. Vixisti tribus, o Calene, lustris: *supra dixerat* quindecim annis; et 1, 102. Quarta tribus lustris addita messis erat. *Ov. Ib.* 1. lustris jam bis mihi quinque peractis. Adde *ejusd.* loca de Troja, et Ulysse §. 9. allata. *Hor. Od.* 2, 4, 24. et *ib.* 4, 1, 6., *Ov. Trist.* 4, 10, 78. et *Pont.* 4, 6, 6. et *Auson. Epit. Her.* 32. ℙ Nihilominus etiam de quadriennio completo, et quinquennio incepto *lustrum* dicitur, quae nempe fuit germana lustri notio, illud enim Romanis fuit usitatum ex Graecorum Olympiade, quae quatuor tantum annis constabat; etenim *Cic. Or.* 3, 32. Olympiadem *quinquennalem celebritatem ludorum* appellat. V. plura huc pertinentia ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 116. *ed. Patav. Ov. Fast.* 3, 163. Is *(C. Caesar)* decies senos tercentum et quinque diebus Junxit, et e pleno tempora quarta die. Hic anni modus est: in lustrum accedere debet Quae consummatur partibus, una dies. *Plin.* 2, 47, 47. Per singulas intercalationes uno die anticipantibus, rursumque lustro sequenti ordinem servantibus; et *ib.* Et est principium lustri ejus, semper intercalari anno, Caniculae ortu. ℙ A Domitiani tempore, cum jampridem lustra censoria fieri desierant, *lustrum* dici coeptum est certamen solemne, quod in honorem Jovis Capitolini, quinto quoque anno incipiente faciendum, ipse Domitianus duodecimo suo consulatu instituit, ut *Suet. Dom.* 4. et *Censorin. de die nat.* 18. *f.* narrant. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 3. L. Valerio L. F. Pudenti. Hic cum esset annorum tredecim, Romae, certamine Jovis Capitolini, lustro sexto, claritate ingenii coronatus est, etc. *Stat. Silv.* 4, 2, 60. ad Domitian.: saepe annua pandas Limina, saepe novo Janum lictore salutes, Saepe coronatis iteres quinquennia lustris. V. AGON. ℙ *Ingens lustrum* ap. *Mart.* est centum annorum spatium, quo peracto ludi fiebant saeculares, sicut peracto quadriennio et incipiente quinquennio fiebat certamen Capitolinum: 4, 1. de Domitiano: Hic colat ingenti redeuntia saecula lustro. *Suet.* enim *Dom.* 14. narrat, fecisse eum et ludos saeculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.

LŪSUS, a, um, part. a *ludo:* illusus, deceptus. *Cic. Fin.* 2, 1. Illum, et ceteros sophistas lusos videmus a Socrate. *Ov. Fast.* 2, 357. Veste Deus lusus, fallentes lumina vestes Non amat. *Id. Her.* 17, 45. mater falsa sub imagine lusa. *Id. Ib.* 379. Ut quos obscuri lusos ambagibus oris, Legimus infandae Sphinga dedisse neci. ℙ Item ludendo, et animi causa factus. *Id. Trist.* 1, 9, 61. Scis, vetus hoc juveni lusum mihi carmen; et *A. Am.* 3, 318. Niliacis carmina lusa modis. *Nemes. Cyn.* 91. Sit chlamys aurato multum subtemine lusa, *h. e.* in qua artifex ludens auro multa depinxerit, ut ait *Serv.* ad illud *Virg. G.* 2, 464. Illusasque auro vestes. Est qui mallet *fusa.* [*Front. Laud. fumi* (ed. *A. Maio)* p. 324. Tu pro tuō excellenti ingenio profecto existimabis, lusa sit opera, an locata, *h. e.* lusoria et vana, an utilis et bene locata. *F.*]

LŪSUS, us, m. *παίγνιον, παῖγμα,* idem omnino quod *ludus:* solumque usu differt, quia de ludis publicis fere non usurpatur, neque *lusus facere,* sed *ludos* dicimus. [*Plura de horum verborum discrimine eaque veriora v. in LUDUS. Porro nota, v. *lusus* nonnullis scriptoribus prorsus ignotum esse videri; ita *Cicero* semper pro eo *lusio* scribit; ap. *Horatium*, praeter incertae lectionis locum *Sat.* 1, 6, 126. Campum lusumque trigonem: nusquam legitur.] *Colum.* 7, 12. *f.* Catulos sex mensibus primis emitti non oportet, nisi ad matrem, lusus ac lasciviae causa. *Ov. Met.* 14, 556. Illas virgineis exercent lusibus undas Naides aequoreae. *Id. Amor.* 2, 3, 13. sunt apti lusibus anni, *h. e.* reb. Vener. V. LUDO. *Mart.* 4, 49. Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce, Qui tantum lusus illa, jocosque putas. V. LUDUS. *Ov. Trist.* 2, 483. Quique alii lusus (neque enim nunc persequar omnes) Perdere rem caram, tempora nostra, solent. *Augustus* ap. *Suet. Aug.* 71. Ego perdidi viginti millia nummum, cum effuse in lusu liberalis fuissem. *Suet. Cal.* 41. Ne ex lusu quidem aleae compendium spernens. *Plin. ep.* 7, 24. Laxare animum lusu calculorum; et *ep.* 9. Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo, sed hoc arguto, et brevi. Lusus vocantur: sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria, consequuntur. *Suet. Claud.* 21. Super quadrigarum certamina, Trojae lusum exhibuit. [*V. *Oudendorp.* ad h. l.] *Sen. Troad.* 778. Solemne referens Troici lusus sacrum. *Tac. A.* 13, 15. Regnum lusu sortiri, *h. e.* talis. *Quint.* 5, 13. *med.* Incidunt plerique in hoc vitium, dantque de se respondentibus venustissimos lusus, *h. e.* praebent occasionem, ut illudantur. *Gell.* 18, 13. Qui eum lusum luseramus. ℙ Pro ludo litterario. *Varr.* ap. *Non.* 2, 490. Pueri, qui spectant nundinum, ut magister dimittat lusum. [*Perperam h. l. *lusum* pro substantivo acceperunt. Est supinum, ita, ut verbo *dimittat* pronomen *ipsos* suppleas. V. *Doederl.* 2, 28. ℙ Confunduntur in edd. *lusus* et *luxus.* V. *Gronov.* ad *Sen. Hipp.* 449. *Broukh.* ad *Prop.* 2, 13, 79. *Intpp.* ad *Nemes. Ecl.* 4, 18. Porro solemniter fere variant MSS. inter *ludus* et *lusus.* V. *Doederl.* 2, 30.]

LŪTĀMENTUM, i, n. opus ex luto confectum, lutove oblitum. *Cato R. R.* 128. Neque lutamenta scindent se. Alii perperam legunt *delutamenta.*

LŪTĀRIUS, um, adj. qui in luto degit, ut Testudines lutariae, ap. *Plin.* 32, 4, 14. ℙ *Lutarius mullus*, qui ex luto sibi pabulum petit, vilissimum ex omni mullorum genere. *Plin.* 9, 17, 30.

[LŪTĀTĬUS vel Luctatius Placidus, aliis Placidus Lactantius, vetus *Statii* scholiastes, Persei, viri ineffabilis, ut ipse ait, doctrinae discipulus. ℙ Primam in *Lutatius*, nomen gentis Romanae ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 16., jure corripuit *Claud. in Eutrop.* 1, 455. Poeno Scipiadae, Poeno praeclare Lutati. Produxit *Sil.* 6, 687. Possessor pelagi, prona Lutatius aura At optimae editt. habent *pronaque:* ita ut *Lutatius* a *lūto* derivetur. *F.*]

LŪTĀTUS, a, um, part. a *luto*, luto aspersus. *Lamprid. Elag.* 14. Lutati tituli statuarum. *Pers.* 3, 104. alto Compositus lecto crassisque lutatus amomis, *h. e.* delibutus.

LŪTĔA. V. LŪTUM herba.

LŪTENSIS, e, adj. ad lutum pertinens, lutarius. *Plin.* 9, 37, 61. Purpurae, nomine alio pelagiae vocantur. Earum genera plura, pabulo et solo discreta. Lutense putri limo, et algense enutritum alga: vilissimum utrumque.

LŪTĔŌLUS, a, um, adj. dimin. lutei. *Virg. Ecl.* 2, 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Col.* 9, 4. Luteolae violae. *Id.* 12, 47. Oliva cum primum ex albo decoloratur, fitque luteola.

[LŪTER, eris, m. *λουτήρ*, labrum, in quo lavamur. *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 20. Et de speculis mulierum jejunantium luter in tabernaculo funditur. *F.*]

LŪTESCO, is, n. 3. *πηλόομαι*, luteus fio, et in luti morem mollesco. *Furius Antias* ap. *Gell.* 18, 11. et *Non.* 2, 498. Sanguine diluitur tellus: cava terra lutescit. *Caesell. Vindex ib.* hanc vocem reprehendit, ut minus Latinam: sed defendit, probatque ipse *Gell.*, multoque magis locus *Col.* 8, 17. Litora, quae limo coenoque lutescunt, Conchyliis magis, et jacentibus apta sunt animalibus.

*LŪTĔTĬA, ae, f. *Λευκοτεκία*, Galliae urbs primaria, hodie *Paris. Caes. B. G.* 7, 57. ℙ Dicta et *Lutetia Parisiorum.* V. *Parisii.* ℙ *Ammian.* 15, 27. *castellum* vocat. *B. A.*

*LŪTĔVĀNI, orum, et

LŪTĔVENSES, ium, m. incolae Lutevae, Galliae Narbonensis oppidi, hodie *Lodeve* dicti. *Plin.* 3, 4. Lutevani, qui et Foroneronienses. Al. leg. *Leutevani. Notit. prov.* Civitas Lutevensium. *B. A.*

LŪTĔUM, i, n. V. LŪTUM herba.

LŪTĔUS, a, um, adj. *ὠχρός, μήλινος*, colorem habens rufo dilutiorem, qualis in ovi vitello, in malo Cydonio, in auro, in aurora, in igne: flavus, croceus: a luto herba: vel a *luo*, lavo. *Gell.* 2, 26. Rubidus est rufus, atrore et nigrore multo mixtus: luteus contra rufus color est dilucidior. (Al. *dilutior.*) Unde ejus quoque nomen factum esse videtur. *Pers.* 3, 95. lutea pellis, *h. e.* pallida. *Varr.* ap. *Non.* 16, 10. Arquatis lutea quae non sunt, aeque et lutea videntur. *Hor. Epod.* 10, 16. Pallor luteus. *Tibull.* 1, 8, 46. Lutea palla. *Ov. Met.* 14, 351. sulphura. *Plin.* 21, 4, 10. Rosa in calycis medio complexa luteos apices. *Id.* 10, 56, 77. Gallinae luteo rostro pedibusque. *Virg. A.* 7, 26. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. *Plin.* 24, 15, 86. Color in luteum inclinatus. *Id.* 27, 13, 109. Color in luteum languescens. ℙ *Luteum* absolute est ovi vitellus. *Plin.* 30, 15, 44. Lutea ex ovis quinque columbarum ex melle sorbere. ℙ Lutei coloris, inquit *Id.* 21, 8, 22., video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum feminis concessum. *Lucan.* 2, 361. Lutea demissos velarunt flammea vultus. *Catull.* 61, 10. Hymenaeo luteum soccum tribuit. ℙ *Lutea* est etiam chrysocolla nativa, luto herba tincta, et in lomentum servata. *Plin.* 33, 5, 26.

LŪTĔUS, a, um, adj. *πήλινος*, ex luto factus. [*Differt *lutulentus*, quod in *lutum redolens* solvi potest. *Doederl.* 2, 50.] *Hor. Sat.* 1, 10, 37. Defingit Rheni luteum caput. *Ov. Fast.* 1, 157. prodit hirundo, Et luteum celsa sub trabe fingit opus. *Plin.* 7, 56, 57. Luteum aedificium. ℙ Item luto aspersus. *Id.* 30, 11, 28. Gallina si sit luteis pedibus. ℙ Et universim illitus, obsitus. *Mart.* 11, 48. luteum ceromate corpus. (Sic lutatus amomis, ap. *Pers.*) *Juven.* 10, 132. Vulcanus luteus, *h. e.* illuvie et fuligine, ceu luto, oblitus. ℙ Translate vilis, nullius pretii. *Pl. Truc.* 4, 4, 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quae in vino sapit ad rem suam. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Luteum negotium, *h. e.* duo scyphi argentei nullius pretii. ℙ Est etiam e creta, seu argilla factus. *Mart.* 4, 46. Et crasso figuli polita coelo Septenaria synthesis Sagunti, Hispanae luteum rotae toreuma. V. SYNTHESIS. *Prud. Cath.* 3, 41. homo luteus, *h. e.* Adam.

LŪTO, as, avi, atum, *πηλόω*, luto aspergo, oblino. *Cato R. R.* 92. Granarium oblinito crasso luto: postea conspergito amurca omne, quod lutaveris. *Calp. Ecl.* 5, 17. nidosque reversa lutabit hirundo. ℙ Item universim oblino, aspergo, commaculo. *Mart.* 14, 50. Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos. ℙ *Lūto, as,* frequent. a *luo*, solvo, est *Varr.* ap. *Non.* 2, 482.

LŪTOR, oris, m. qui lavat, idem ac lotor, seu fullo. *Gloss. Philox.* Lutor, *πλύτης, ἡλιαστής, h. e.* qui lavat, qui insolat: utrumque autem pertinet ad artem fulloniam. *Inscr.* ap. *Vulp. de vet. Latio* T. 7. p. 97. M. Coilius M. F. Fab. Firmus patronus corp. lutorum. Alia ap. *Gud.* 17, 2. Sacerdos corporis lutorum. V. LOTOR et LUTUS, a, um.

LUTOSER. V. LOTASTER.

LŪTOSUS, a, um, adj. *πηλώδης*, luto abundans, luto aspersus, coenosus, lutulentus. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Terram lutosam ne tangito. *Col.* 2, 4. Nimius humor agros limosos lutososque reddit. *Id.* 12, 54. Rapa si sunt lutosa, detergito.

LUTRA et Lytra, ae, f. *ἔνυδρις*, animal quadrupes, amphibium, et fibrorum genere, solaque cauda differens, quae in fibris piscium est, in lutra similis animalium terrestrium. A quibusdam canis fluviatilis dicitur. *Plin.* 8, 30, 47. 32, 11, 53. Ducit *Varr L. L.* 4, 13. a *λύω*, solvo. Lytra, inquit, quod succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissolvere: unde lytra. Ap. *Plin.* habetur *lutra.*

[LŪTŪLENTE, adv. impure. *Non.* 2, 485. Lotiolente dictum velut lutulente. *F.*]

LŪTŪLENTUS, a, um, adj. lutosus, luto aspersus. [*De discrimine inter *lutulentus* et *luteus* V. h. v.] *Hor. Ep.* 2, 2, 75. Lutulenta sus. *Ov. Met.* 1, 434. diluvio tellus lutulenta recenti. *Id. Amor.* 3, 6, 95. lutulentus amnis. *Mart.* 9, 23. lutulenta mula. *Id.* 7, 66. lutulentum dicit, qui in palaestra ceromate se oblinit. ℙ Translate est spurcus, immundus, impurus. *Pl. Poen.* 1, 1, 29. Lenone istoc non lutum est lutulentius. *Cic. Pis.* 12. Ne tum quidem emersisti, lutulente Caesonine, ex miserrimis naturae tuae sordibus. *Id. Rosc. Com.* 7. Persona illa *(lenonis)* lutulenta, impura, invisa in hujus moribus, natura, vitaque est expressa. *Id. Pis.* 1. Pauci ista tua lutulenta vitia noveramus. ℙ Refertur ad genus dicendi. Unde *Hor. Sat.* 1, 4, 11. et *ib.* 10, 50. Lucilium ait fluere lutulentum, *h. e.* sordidis, et nimis vulgaribus verbis, ac sententiis refertum: in quo tamen ab eo dissentit *Quint.* 10, 1. *med.* V. LUCILIUS. [*D. his Horatii locis, quorum sententiam interpretes mirum in modum turbarunt, doctissime exposuit *F. A. Wolf.* in *litt. Anall.* 1. p. 185 — 204. Cf. etiam *Heindf.* et *Doederl.* 2, 51. qui *lutulentus* non de sordidis et nimis vulgaribus verbis ac sententiis intelligit, qua interpretatione et *Horatio* et *Lucilio* injuriam fieri dicit; sed in universum pro impuro, obscuro scribendi genere positum docet. Ad *Quint.* l. c. v. quae annotavit *Spald.* et *Buttm.* in additamentis.]

LŪTŪLO, as, avi, atum, a. 1. in luto verso, luto conspurco. Translate *Pl. Trin.* 2, 2, 15. Eosdem lutulant, quos collaudant.

[LŪTŪLUS, a, um, adj. idem ac lutulentus. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Grut.* 376, 5. Lutula Picti F. contubernalis. *F.*]

LŪTUM, i, n. sive Luteum, i, n. *ἴσατις*, al. *λυσιμάχιον*, herba in palustribus et aquosis locis na-

scens, flore rufo vel aureo, cauliculos spargens cubitales, et cubito majores, quorum e geniculis folia exeunt gracilia, salicis foliis non dissimilia. Pannorum infectoribus in maximo usu est, qui caerulei coloris pannos ei incoquentes colorem viridem efficiunt. Nam ex flavi, caeruleique commixtione viridis color emergit. Olim etiam hac herba caeruleo subtrita chrysocollam adulterinam conficiebant. [*Nostr. *Wau*, *Gilbkraut*, Reseda luteola, *L.*] *Virg. Ecl.* 4, 44. Jam croceo mutabit vellera luto. *Tibull.* 1, 9, 52. non illi sontica causa est, Sed nimius luto corpora tangit amor, *h. e.* pallore, qui ad luteum colorem accedit. Al. leg. *luteo*, ut sit synaeresis. *Vitr.* 7, 14. Herba, quae lutum appellatur, caeruleum inficiunt. Alii leg. *luteum*. *Plin.* 33, 5, 26. de chrysocolla: Luteam putant a luto herba dictam, quam ipsam caeruleo subtritam pro chrysocolla inducunt, vilissimo genere atque fallacissimo. ℙ Nuptarum flammea lutei coloris esse solebant, ut in LUTEUS. i. e. flavus, croceus, dictum est. Quo pertinet illud *Virg. Cir.* 316. mori me velle negavi, ut tibi Corycio glomerarem flammea luto, *h. e.* lutei coloris flammea pararem.

LŪTUM, i, n. πηλὸς, terra humore soluta, quae et *coenum* dicitur. V. COENUM. Videtur esse a *lutum* supino verbi *luo*, lavo: sed primam corripit. [**Doederl.* 2, 35. Quid differant *coenum* et *limus*, dictum est in hh. vv.] *Cic.* ap. *Plin.* 31, 4, 28. In Narniensi agro siccitate lutum fieri, imbre pulverem. *Hor. Ep.* 1, 11, 11. Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque Aspersus, etc. *Juven.* 14, 66. luto perfusa porticus. *Ter. Andr.* 4, 4, 38. Pervolvere quempiam in luto. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. volutari. *Suet. Vesp.* 5. Luto opplere aliquem. *Caes. B. C.* 2, 9. Eam contabulationem lateribus lutoque constraverunt; et *ib.* 15. Crates luto integere. *Colum.* 12, 21. Urceus diligenter oblinitur luto paleato. ℙ *Pro luto esse* dicuntur, quae vili pretio sunt. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* Illo tempore annona pro luto erat; et *ib.* 67. Mulieres si non essent, omnia pro luto haberemus. ℙ Dicitur et de creta, seu argilla figulari. *Tibull.* 1, 1, 31. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto. *Mart.* 8, 6. Ficta Saguntino cymbia malo luto. ℙ Hinc translate. *Juven.* 14, 34. quibus arte benigna, Et meliore luto finxit praecordia Titan; et *Pers.* 3, 23. Udum et molle lutum es: nunc nunc properandus, et acri Fingendus sine fine rota. Haec autem referuntur ad Prometheum, a quo primum hominem e luto fictum fuisse fabulantur: vel universim ad quemcumque figulum. ℙ Item de haphe athletarum. *Sen. ep.* 88. *med.* Luctatores, et totam oleo ac luto constantem scientiam expello. ℙ Est *lutum* vilis impurive hominis convicium. *Cic. Pis.* 26. O tenebrae, o lutum, o sordes! *Pl. Most.* 5, 2, 45. Verberibus caedēre, lutum, pendens. Adde *Pers.* 3, 5, 2. et *Catull.* 42, 13. o lutum, lupanar, Aut si perditius potest quid esse. ℙ *Haerere*, aut *esse in luto* dicitur, qui aliqua est difficultate implicitus, unde se expedire non potest. *Pl. Ps.* 4, 2, 27. nunc homo in medio luto est: Nomen nescit. *Id. Pers.* 4, 3, 66. Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto haeream. *Ter. Ph.* 5, 2, 15. In eodem luto haesitas. ℙ In plur. numero. *Cic. fr. epist.* ap. *Non.* 3, 132. Luta et limum aggerebant. ℙ *Lutus* masculin. *Claud. Quadrig.* ap. *Non. ib.* Imbri lutus erat multus. *Inscr.* mendosa ap. *Grut.* 903, 1., emendata vero ap. *Maff. Ver. illustr. P.* 1. p. 359. *n.* 33. P. Atinius L. F. Fab. hic situs est. Si lutus, aut pulvis tardat te forte, viator, etc.

[LŪTUS, a, um, part. idem ac lautus, et lotus. *Luta* est cogn. R. in *Inscr.* ap. *Rosminium Stor. di Milano* T. 3. p. 57. C. Vettius Novelli F. sibi, et Verginiae Lutae matri, etc. Hic in lapide insculpti sunt duo viri tunicati, quorum alter humero tunicam plicatam fert, alter aliam tunicam ambabus manibus expandit, Itali dicunt *sciorina*, quo nempe alluditur ad nomen *Vettii*, quod a *veho* oritur, et ad cognomen *Lutae*, quae lautam significat. *F.*]

LŪTUS, i, m. V. LŪTUM, i. e. coenum.

LUX, ūcis, f. φῶς, lumen, splendor, claritas. Scribit *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* veteres Graecos λύχνην vocasse primam lucem diei, quae solis exortum praecedit: tum ipsum solem λύχον appellasse: itaque inde *lucem* dictam putari. [*Quam vere haec dicta sint, v. in LUMEN, ubi de discrimine utriusque vocabuli exposuimus. Quid *splendor* differat, V. in h. v.] *Cic. Div.* 1, 3. *f.* Cum id solis luce videatur clarius. *Virg. A.* 2, 694. Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. ℙ *Lucem facere* dicuntur Saturno sacrificantes, id est capita detegere. Ita *Festus*, qui alibi docet, ei Deo morem fuisse apertis capitibus supplicare. ℙ Item splendor, qui e nitidis rebus effluit. *Lucr.* 4, 1119. grandes viridi cum luce smaragdi. *Plin.* 37, 7, 25. Lucem non emittentes gemmae. *Val. Fl.* 1, 486. parmae luce coruscus. *Virg. A.* 2, 470. luce coruscus ahena. *Stat. Th.* 8, 124. Lux ferri. *Id. Ach.* 1, 305. genarum. *Manil.* 5, 258. Tyrias imitata papavera luces, *h. e.* colores. ℙ *Luces* pro stellis. *Cic. Arat.* 96. Illae, quae fulgent luces ex ore corusco. ℙ Saepe refertur ad diem. *Cic. Or.* 2, 64. Si ad te bene ante lucem venisset; et *Off.* 3, 31. et *Att.* 4, 3. *med.* Metellus cum prima luce in campum currebat; et *Suet. Caes.* 31. Tandem ad lucem duce reperto; et *Liv.* 1, 44. et *Caes. B. G.* 1, 22. Prima luce adesse. *Virg. A.* 9, 153. et *Cic. Off.* 3, 24. Luce, palam in foro saltare; et *Pis.* 10. Arma in templum Castoris luce, et palam comportare. *Tac. H.* 5, 22. *f.* Multa luce revecti hostes. *Curt.* 7, 11. *med.* Stratis passim corporibus in lucem quieverunt. *Virg. G.* 4, 490. luce sub ipsa, *h. e.* cum prope esset, ut ex Inferis, ubi perpetua est nox, coelum, diemque videret. ℙ Pro ipso die. *Auct. ad Her.* 4, 36. Luce noctem, nocte lucem exspectatis. *Ov. Her.* 13, 104. Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis. *Id. Met.* 2, 802. anxia nocte, Anxia luce gemit. *Cic. Mil.* 35. Centesima lux est haec ab interitu P. Clodii. *Virg. A.* 10, 244. Crastina lux. *Gell.* 19, 9. Lux annua, *h. e.* natalis, quemadmodum ea ab *Ov. Ib.* 219. dicitur. *Id. Fast.* 3, 397. His etiam conjux apicati cincta Dialis Lucibus impexas debet habere comas. *Tert. Apol.* 48. Lux quotidie interfecta resplendet. ℙ *Lux aestiva* ap. *Virg. G.* 4, 52. tempus aestatis designat: *brumalis* ap. *Ov. Trist.* 1, 11, 39. hiemis. ℙ Saepe etiam refertur ad vitam: *Cic. Mil.* 3. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. *Id. Quint.* 23. Aliquem communi luce privare. *Id. Verr.* 2, 5, 29. *med.* Lucis usuram dare alicui. *Id. Rosc. Am.* 22. Ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privarit. *Id. Har. resp.* 27. Suscipi in lucem. ℙ Et saepe pro vita ponitur. *Virg. G.* 4, 255. corpora luce carentum. *Id. A.* 4, 31. o luce magis dilecta sorori. *Sil.* 17, 473. Regia cum lucem posuerunt membra, *h. e.* cum rex moritur. *Id.* 16, 538. patriumque petebant Orbati solium lucis discrimine fratres. ℙ Hinc *lucem afferre* est opem, auxilium, et quasi vitam afferre. *Cic. Manil.* 12. Pro Dii immortales! tantane unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reipubl. potuit? *Id. Phil.* 1, 2. Lux quaedam videbatur oblata, non modo regno, sed etiam regni timore sublato. *Id. Or.* 1, 4. *extr.* Civibus lucem ingenii et consilii porrigere. ℙ Dicitur et de oculis, aut visu. [*Apud bonos scriptores v. *lux* hac significatione positum vix invenies.] *Stat. Th.* 11, 585. effossae squalent vestigia lucis. *Ov. Met.* 14, 197. damnum lucis ademptae. *Rutil. Itin.* 1, 166. Non possum sicca dicere luce, vale. ℙ Item de publico civium convictu. *Cic. Sen.* 4. Nec vero ille in luce modo, atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. *Id. Brut.* 8. Isocrates forensi luce caruit, intraque parietes aluit gloriam. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 2. Istam virtutem non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissimae provinciae, atque in auribus omnium gentium esse positam. *Id. Har. resp.* 23. Lucem non aspicere, carere publico. *Id. Acad.* 4, 19. Res occultas aperire, in lucemque proferre; et *Dejot.* 11. Dejotarus vestram familiam abjectam et obscuram, e tenebris in lucem vocavit. ℙ Item universim de omni eo, quod exornat, illustrat, et decorat. *Cic. Cat.* 4, 6. Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, subito incendio concidentem. [**Lux orbis terrarum* Roma dicitur, in qua omnium terrarum res splendorem suum in unam quasi uitoris congeriem ita deposuerunt, ut Romae comparatione facta, ubique tenebrae, nox esse videatur. Alio sensu Corinthus *Graeciae totius lumen* appellatur ab eodem *Man.* 5., i. e. locus, unde tota Graecia claritatem, lucem accipit. V. *Doederl.* 2, 67.] *Cic. Or.* 2, 9. Historia testis temporum, lux veritatis. *Id. ib.* 1, 34. Illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. *Id. Acad.* 4, 8. *med.* Ratio, quasi quaedam lux lumenque vitae, [*i. e. quae claritatem et ipsa habet, et rebus ad vitam pertinentibus praebet.] *Plin.* 17, 5, 3. Cicero, lux doctrinarum altera, *scil.* post *Homerum*, quem paulo ante laudavit. *Sil.* 8, 248. Atque illi sine luce genus, surdumque parentum Nomen. ℙ *Luce clarius* esse dicitur, quod manifestissimum est. *Cic. Cat.* 1, 3. Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; et *Coel.* 9. *extr.* Signis omni luce clarioribus crimina refellere; et *Div.* 1, 3. *extr.* Id solis luce videtur clarius. ℙ Habet locum in blandis appellationibus. *Cic. Fam.* 14, 21. Mea lux, meum desiderium. *Ov. Trist.* 3, 3, 52. Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero. *Pl. Mil.* 4, 8, 34. Lux, salve. ℙ Cum ad diem refertur, nonnunquam in ablat. *luci* habet pro *luce*: idque et mascul. genere reperitur. *Cic. Phil.* 12, 10. Quis audeat luci? quis in militari via? *Pl. Cas.* 4, 2, 7. Properate, ut veniamus luci. *Id. Merc.* 2, 1, 31. Ad portum hinc abii mane cum luci simul. *Id. Aul.* 4, 10, 18. Luci claro deripiamus aurum matronis palam. *Non.* 3, 118. cum plerisque aliis legit *luce claro*, quod non solum alio *Varronis* loco confirmat, sed etiam *Cic. Off.* 3. (quae verba eo toto libro non invenio). Et cum prior ire luce claro non queo. Sed *et in luci* pro *in luce*, h. e. cum lucet, dixit *Lucr.* 4, 235. V. LUCI. ℙ Etiam *lucu* pro *luci* dixere. *Ter. Ad.* 5, 3, 55. Cum primo lucu ibo hinc. Ubi *Donat.* Veteres dicebant *lucu* pro *luce*, pro sole ponentes. ℙ In genitivo plurali *lucum* ne, an *lucium* dicendum sit, dubitari etiam nunc ait *Plin.* ap. *Charis.* 1, 13.

LUXĀBUNDUS. V. LIXABUNDUS.

[LUXĀTIO, onis, f. luxatura. *Gloss. Philox.* Luxatio, στρέμμα. *F.*]

LUXĀTURA, ae, f. στρέμμα, ossis e loco motio. *Marcell. Empir.* 36. *f.* Nervis quoque placandis, et luxaturis, et fracturis solidandis utilissimum est.

LUXĀTUS, a, um, part. a *luxo*: ἐξαρθρος, loco suo emotus: et dicitur fere de ossibus. *Cato R. R.* 157. *med.* Luxatum si quod est, sanum faciet. *Sen. ep.* 104. *med.* Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum? advocat medicum, ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. *Plin.* 30, 9, 23. Articulis luxatis praesentaneum est sevum. *Id.* 31, 6, 37. Luxata corpora natando facillime in artus redeunt. *Id.* 8, 45, 70. Luxata cornua. [**Harduinus* explicat *non cohaerentia capiti*, *sed mobilia;* coll. *Plin. ib.* 11. *sect.* 45. Mobilia cornua, ut aures, Phrygiae armentis. Contra est, q. v. *Doederl.* 2, 22. qui *luxata cornua* propter opposita *foedi visu* et *excellentes in opere* non ad miram cornuum formam, sed cum additamento *tuber* ad describendam visu foeditatem pertinere censet.] ℙ *Luxata machina*, soluta, disjecta. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Populus R. periturus momento aliquo luxatis machinis, *h. e.* in versatili theatro sedens: alii leg. *laxatis.*

*LUXĪA, ae, fluvius Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

LUXO, as, avi, atum, a. 1. ἐξαρθρόω, loco moveo: et dicitur de ossibus, quorum capita sua sede moventur: item de rebus aliis, quae a naturali statu seu rigore solvuntur, aut flectuntur. [**Doederl.* 2, 21. ubi v. *luxare* dicit frequentativum verbi *fluere.*] *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Cum subarator imprudens luxavit vitium radices, corpusve desquamavit; et *ib.* 14, 24. de insitione: Calamus ad corticem usque suum deprimatur: ne luxetur, dum deprimitur. *Prud. Cath.* 2, 78. Luxante claudus poplite, Femurque victus debile. Alii melius leg. *lapsante.*

LUXOR, aris, atus sum, dep. 1. luxurior, in luxu ago. *Festus:* Luxantur a luxu dictum, id est luxuriantur. [*V. *Non.* p. 55. *Merc.* quem locum ita emendatum laudat *Doederl.* 2, 23. Luxum, id est vulsum et loco motum; inde *luxuria* et *luxuriari* (quod nunc *luxari* ignari Latine dicimus), quia etc. Inde colligi posse veterem hanc formam *luxari*, cujus loco aurea et argentea aetas *luxuriari* usurpaverit, *Nonii* tempore usu iterum floruisse.] *Pl. Ps.* 4, 7, 6. Luxantur, lustrantur, comedunt quod habent. Alii leg. *luxuriantur.* [*Luxantur unice ferendum. V. *Doederl.* 2, 22.]

LUXŪRIA, ae, f. et Luxuries, ei, f. ἀσωτία, nimia rerum, quae ad victum cultumque pertinent, abundantia, profusio sumptuum in deliciis, et superfluis rebus comparandis, mollis et delicata vita, unde mores corrumpuntur. [*Parum recte a Nostro primitivam vocis notionem constitutam esse, intelliges ex iis, quae diximus in *Luxus*, ubi de significatione et discrimine vv. *luxuria* et *luxus* satis exposuisse videmur. Quae Grammatici de discrimine inter *luxuria* et *luxuries* commenti sint, V. ap. *Doederl.* 2, 24. sq.] A *Plin. Pan.* 44. *f.* frugalitati opponitur. *Ter. Heaut.* 5, 1, 72. Animus, qui nunc luxuria et lascivia diffluit. Ubi *Donat.* Luxuria a luxu, idest superfluitate derivatur: lascivia autem designat quandam petulantiam, et importunitatem, exsultando, et delectando in sua turpitudine. Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico, domitis Antiocho et Gallis, in urbem invecta est, *Livio* teste 39, 6., quem consule, satis eo loco, quid *luxuriae* nomine veniat, edocentem. Narrant *Gell.* 4, 8. et *Val. Max.* 2, 9. *n.* 4. P. Cornelium Rufinum a C. Fabricio censore senatu motum ob luxuriae notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet. *Pl. prol. Trinum.* Inopiam Luxuriae filiam facit. *Vell.* 2, 33. Lucullus profusae hujus in aedificiis, convictibusque et apparatibus luxuriae primus auctor fuit. *Lucan.* 4, 373. o prodiga rerum Luxuries, nunquam parvo contenta paratu. *Cic. Rosc. Am.* 27. *f.* In urbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat avaritia, necesse est; ex avaritia erumpat audacia. *Id. Agr.* 1, 7. Luxuries Annibalem ipsum Capuae corrupit. *Id. Mur.* 36. Odit populus R. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profusas epulas, etc. *Id. Rosc. Am.* 14. De luxuria, purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. *Caes. B. G.* 2, 15. Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri. *Cic. Off.* 1, 30. Diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; et *ib.* 34. Lu-

xuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est: sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est. *Id. Coel.* 23. Domus, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia versantur. *Nep. Cat.* 2. Luxuriam, quae incipit pullulare, reprimendam. *Id. Phoc.* 1. *extr.* Nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam. *Id. Dion.* 6. ℙ Dicitur translate de nimia germinum ubertate et redundantia. *Virg. G.* 1, 112. Luxuriem segetum tenera depascit in herba; et *ib.* 191. si luxuria foliorum exuberat umbra. *Cic. Or.* 2, 23. In oratione interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 14. Novellus palmes proximo anno materiam daturus, si vitis luxuria se consumpserit. ℙ Ap. *eund.* 9, 2, 1. luxuria humoris est abundantia et fecunditas aquarum, ex qua fit, ut major sit aquatilium animalium, quam terrestrium copia. ℙ In pecudibus est nimius ardor, et exsultantia ex otio, et copia cibi. *Val. Fl.* 7, 65. de tauris: his rabiem nunc nostra senectus, Luxuriemque dedit. ℙ *Luxurii* in genit. pro *luxuriei* dixit *C. Gracchus* ap. *Gell.* 9, 14.

LUXŪRIO, as, avi, atum, n. et Luxurior, aris, atus sum, dep. 1. *ἀσωτεύομαι*, luxuria diffluo, luxuriose ago, nimios in victum, et cultum sumptus facio, unde exsistit audacia et insolentia. [**Luxurio*, s. *luxurior* proprie est desiderativum a v. *luxor*, ut *nixurio* a *nixor*. Longe usitatior est *luxurio*, quam Depon. forma *luxurior*. Discrimen, quod Grammatici inter utrumque constituunt, ut *Diomed.* p. 373. *Luxurior* in crimine est, ut Cornelius Severus ait: Luxuriantur opes atque otia longa gravantur; *luxurio* autem in laude, ut *Virg.*: Luxuriatque toris animosum pectus; alii ap. *Popmam* p. 461. Dicunt *luxuriare animo*, *luxuriari corpore:* id quidem nullum esse videtur.] *Ov. Her.* 16, 191. Hanc faciem largis sine fine paratibus uti, Deliciisque decet luxuriare novis. *Liv.* 1, 19. Ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium, disciplinaque militaris continuerat, Deorum metum injiciendum ratus est. *Flor.* 2, 15. Ne, metu ablato aemulae urbis, luxuriari felicitas Urbis inciperet. *Curt.* 10, 7. *med.* Si multitudo nova libertate luxuriat. *Ov. A. Am.* 2, 437. Luxuriant animi rebus plerumque secundis: Nec facile est aequa commoda mente pati. *Id. Met.* 7. de Aesone sene in juvenem recocto, 290. abeunt pallorque, situsque, Adjectoque cavae supplentur sanguine venae: Membraque luxuriant: succo et viribus redundant. *Gell.* de homine praepingui et corpulento, 7, 22. Non omnino inculpatum neque indesidem fuisse, cujus corpus in tam immodicum modum luxuriasset, exuberassetque. *Virg. G.* 3, 81. de equo: Luxuriatque toris animosum pectus, *h. e.* abundat. *Id. A.* 11, 496. item de equo: Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte Luxurians, *h. e.* lasciviens, et exsultans. Sic *Val. Fl.* 6, 613. stabulis qualis leo saevit opimis Luxurians, spargitque famem; et *Ov. Fast.* 1, 156. Ludit et in pratis, luxuriatque pecus. *Stat. Th.* 2, 676. sanguine multo Luxuriata fames, *h. e.* per luxum satiata. ℙ Transfertur ad terram pinguem, nimis fecundam, et ad arbores, plantasque frondibus foliisque exuberantes. *Ov. Her.* 1, 53. Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus; et *Fast.* 4, 644. ager assidua luxuriabat aqua. *Id. A. Am.* 1, 359. Mens erit apta capi tunc, cum laetissima rerum, Ut seges in pingui luxuriabit humo. *Id. de nuce* 20. Coepimus in longas luxuriare comas. *Colum. Arbor.* 11. Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato. *Plin.* 19, 6, 34. Caules depressi in terram obruuntur: ita cavetur, ne in frondem luxurient. *Id.* 16, 25, 40. Arbores vere variis colorum picturis in certamen usque luxuriant. ℙ Hinc translate *Liv.* 23, 12. *med.* Vereor, ne haec quoque laetitia luxuriet nobis, et vana evadat, *h. e.* in vanum gaudium, tanquam in folia sine ullo fructu utilitatis publicae, desinat. *Ov. Trist.* 5, 1, 43. Nec tamen, ut lusit, rursus mea littera ludet: Sit semel illa meo luxuriata malo, *h. e.* nimis fecunda fuerit in conscribendis amatoriis versibus. ℙ Refertur etiam ad ingenium, et dicendi facultatem. *Hor. Ep.* 2, 2, 122. Luxuriantia compescet, nimis aspera sano Levabit cultu. *Plin.* 17, 2, 2. Luxuriantis ingenii fertilitas. ℙ Cum accusativo. In *Petr. fr.* p. 676. *Burm.* famuli In testa mersas luxuriantur opes, *h. e.* in compotationibus absumunt. Alii aliter leg.

LUXŪRIŌSĒ, adv. *ἀσώτως*, cum luxu, profuse, molliter. *Cic. Coel.* 6. Cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Ne haec laetitia nimis luxuriose eveniat, *h. e.* luxum, atque insolentiam pariat. *Sall. Cat.* 11. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat. *Nep. Paus.* 3. Epulabatur more Persarum luxuriosius, quam qui aderant, perpeti possent. *Colum. prooem.* Luxuriosius fercula struere. *August. Mor. Eccl. Cathol.* 34. Luxuriosissime bibere.

LUXŪRIŌSUS, a, um, adj. *ἄσωτος*, luxui deditus, immodicus in sumptibus, deliciis nimis indulgens, excedens modum in epularum apparatu, in vestibus, in aedibus, etc. atque adeo mollis, delicatus, intemperans. *Cic. Fin.* 2, 7. *f.* Reprehendere luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita vivant, ut persequantur cujusquemodi voluptates. *Id. Phil.* 2, 27. Multa et lauta supellex, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. *Nep. Alc.* 1. Idem, simul ac se remiserat, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur. *Cic. Pis.* 27. Nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius. *Colum.* 8, 16. Circumfertur Philippi, velut urbanissimum, quod erat luxuriosissimum dictum, atque factum. *Sall. Jug.* 100. Luxurioso otio esse. *Just.* 11, 10. Luxuriosa convivia, et magnificentiam epularum sectari. *Ov. R. Am.* 746. Divitiis alitur luxuriosus amor, *h. e.* magnis sumptibus gaudens. (Adde *Fast.* 6, 172.) *Varr.* ap. *Non.* 14, 33. Vestitus delicatior ac luxuriosus, *h. e.* magno sumptu paratus. *C. Memmius* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 165. Inque luxuriosissimis Asiae oppidis consedisse, *h. e.* omni copia, atque adeo luxu affluentibus. ℙ Transfertur ad herbas et plantas, cum nimia foliorum et frondium ubertate exsuperant. *Cic. Or.* 24. Laetas esse segetes, luxuriosa frumenta. *Colum.* 5, 6. *f.* Vitis valida, et luxuriosa. *Ov. Fast.* 1, 689. de segete: Et neque deficiat macie, neque pinguior aequo, Divitiis pereat luxuriosa suis. ℙ *Luxuriosa laetitia* ap. *Liv.* 2, 21. est insolens, superba, plena audaciae: nam ex luxu et delicata vita insolentia nascitur et superbia.

LUXUS, a, um, adj. loco motus, luxatus. *Festus:* Luxa membra, e suis locis mota et soluta. *Sall. fr.* ap. *Probum* in *Catholic.* p. 1476. Luxo pede. *Marcell. Empir.* 36. *f.* Emplastrum utile ad luxa, vel fracta. *Cato R. R.* 160. Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet. Alii putant, hic *luxum* esse adjectivum. V. v. sq.

LUXUS, us, m. [**rarior omnino ap. priores vox. V. *Doederl.* 2, 24. Primum significat i. q. luxatura, *στρέμμα*. *Cato R. R.* 160. ad luxum aut ad fracturam alliga, sanum fiet. *Appul. Flor. n.* 16. Articulus loco concessit, exque eo luxu adhuc fluxus est. — Ita recte locos collocasse videmur, quos *Forc.* in f. adscripserat. ℙ Hinc, adhibita vocis origine *fluere* (cf. *Doederl.* 2, 18.), denotat illud vitium, quo quis solitum vitae morumque ordinem solvit (*Ausschweifung*, *Liederlichkeit*), actum vel statum luxuriosi hominis, *ἀσωτία*. Differt *luxuria*, quod proprie sensum, studium dissoluti vitae generis spectat. V. *Doederl.* 2, 23. ubi laud. *Sall. Cat.* 13. Romani — non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere, i. e. instrumentis, artibus luxuriae inservientibus. *Luxuria* si auctor scripsisset, significaret *studio fluxioris*, *mollioris vitae.* Cf. etiam *Kritz.* Quum vero in tanta notionum cognatione, utrum vocabulum adhibeatur, saepissime scriptoris in voluntate positum sit, facile apparet, multis in locis utrumque ita usurpari, ut discrimen, quod modo notavimus, parum a scriptoribus curari videatur.] *Ter. Ad.* 4, 7, 42. Domus sumptuosa, adolescens luxu perditus. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. *med.* Nisi forte existimatis, eum in vino ac lusu non risisse, qui nunc in periculo atque exitio suo risum tenere non possit. *Sall. Cat.* 57. Luxu atque desidia corrupta civitas. *Id. Jug.* 6. Non se luxu, neque inertiae corrumpendum dedit: (pro *luxui*. Sic *Tac. A.* 3, 34. *med.* Sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu cupidinibus alienis; et *H.* 2, 71. Luxu, et saginae mancipatus.) *Sall. Jug.* 2. Per luxum et ignaviam aetatem agere. *Virg. A.* 4, 193. hiemem luxu fovere. *Quint.* 3, 8. *med.* Neminem adeo solutum luxu puto, ut nihil in causa suadendi sequatur praeter voluptatem. *Claud. in Ruf.* 1, 35. luxus populator opum. ℙ Ap. *Suet. Ner.* 29. de turpi voluptate dicitur, *lussuria.* Ubi tamen plerique *lusus* legunt. *Virg. A.* 4, 193. de Aenea et Didone: Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere. Adde *Tac. H.* 4, 14. ℙ In plur. numero. *Lucan.* 10, 109. Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu, Nondum translatos Romana in saecula luxus, *h. e.* suas copias, et apparatus. *Sil.* 11, 402. Combibat illapsos ductor per viscera luxus, *h. e.* delicias Campaniae. ℙ Aliquando in bonam partem accipitur, pro generosis sumptibus, magnificentia, et copia, quae ingenuum hominem, et praedivitem decet. *Virg. A.* 1, 641. At domus interior regali splendida luxu Instruitur; et *ib.* 6, 604. epulaeque ante ora paratae Regifico luxu. *Tac. A.* 16, 18. Habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu.

LY

LYAEUS, i, m. *Λύαιος*, unum ex Bacchi cognominibus: et sumitur etiam pro vino: a *λύω*, solvo, vel quia solvit et dissipat curas; vel quia solvit et enervat corpus; vel quia concordiam dissolvit, rixas excitando. *Ov. Met.* 4, 11. Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque. *Virg. A.* 4, 58. Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo. *Ov. Amor.* 3, 15, 17. Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus. ℙ Pro vino. *Sil.* 3, 370. Tarraco Vitifera, et Latio tantum cessura Lyaeo. *Hor. Od.* 1, 7, 22. uda Lyaeo Tempora. *Id. Epod.* 9, 37. Dulci Lyaeo solvere curam. *Ov. Amor.* 2, 11, 49. apposito narrabis multa Lyaeo. *Prop.* 3, 3, 43. multo mentem vincire Lyaeo. ℙ Adjective. *Virg. A.* 1, 690. Regales inter mensas, laticemque Lyaeum.

[LYĀTUS, a, um, part. a *lyo. Apic.* 5, 1. Adjicies cerebella duo cocta, et selibram pulpae, quasi isicia, lyatae. *F.*]

*LYBIA, ae, f. opp. Hispaniae Tarraconensis. *Ant. Itin. B. A.*

*LYCĀBAS, ae, m. Tuscus, ob patratum homicidium exsulans, in Bacchum contumeliose se gessit, eam ob causam in delphinum mutatus. *Ov. Met.* 3, 624. ℙ Item Lapitharum unus. *Id. Met.* 12, 302. *B. A.*

*LYCABETTUS vel Lycabetus, i, m. *Λυκαβηττός*, mons Atticae. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

LYCAEUS, i, m. *Λύκαιος*, mons editus Arcadiae, celebris deiubro Jovis, qui inde *Lycaeus* cognominatus est, teste *Plin.* 4, 6, 10. Fuit etiam Pani sacer, et ipsius quoque cognomen, ut *Serv.* ad *A.* 8, 343. et 344. docet. Nomen habet *ἀπὸ τῶν λύκων*, a lupis, quibus abundabat olim, quos Panis praesidio accolae credidere compesci, ne gregibus molesti essent: vel quod ibi homines in lupos praestigiis daemonum verterentur, ut *August. C. D.* 18, 17. scribit. *Virg. Ecl.* 10, 14. et gelidi fleverunt saxa Lycaei. ℙ Adjective. *Virg. A.* 8, 344. Panos de more Lycaei. *Ov. Met.* 1, 698. redeuntem colle Lycaeo Pan videt, et *ib.* 8, 317. Lycaeum nemus. *Id. Fast.* 2, 424. Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet. *Val. Fl.* 6, 533. Lycaeus Deus, *h. e.* Pan, vel Faunus. ℙ Quia Graece a *λύκος* fit *λύκειος*, multi Lyceus scribunt. *Dausqu.* retinet *ae* cum *Pausan.* 8, 2. et *Strab. l.* 8. *f.* ℙ De Lyceo gymnasio V. infra s. l.

LYCAMBĒUS, a, um, adj. *Λυκάμβειος*, ad Lycambem pertinens. Fuit autem Lycambes vir Lacedaemonius, qui cum filiam despondisset Archilocho poetae, deinde alii tradidisset, virulentis ejus iambis ad vitam laqueo finiendam adactus est. V. ARCHILOCHUS. *Ov. Ib.* 54. in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit. (Adde *Mart.* 7, 12.) *Hor. Epod.* 6, 13. Qualis Lycambae spretus infido gener. Adde *Ep.* 1, 19, 30.

LYCĀON, onis, m. *Λυκάων*, Arcadiae rex fuit, Titani et Terrae filius, pater Callistus, quem Juppiter, quod aram suam in Lyceo monte, mactato puero, sanguine respersisset, in lupum mutavit. *Pausan.* 8, 2. *Ov.* tamen *Met.* 1, 198. fabulam aliter tradit, nempe hospitio acceptum Jovem occidere voluisse, humanasque dapes ei praebuisse, et ab eo, fulmine prius ictis ejus aedibus, in lupum fuisse conversum. ℙ Fuit et alius hoc nomine, prioris nepos, Callistus filius, dictus et Arcas, de quo *Ov. Fast.* 6, 235. ℙ Ap. *Melam.* 3, 9. et *Solin.* 30. *med.* nomen est ferae apud Aethiopas e luporum genere (*λύκος* enim est lupus) cervice jubata, et tot modis variae, ut nullum illi colorem dicant abesse. Adde *Plin.* 8, 34, 52. Easdem *Id.* 8, 21, 30. *Lyncas* appellat.

[LYCĀŌNES, um, m. plur. *Λυκάονες*, populi Lycaoniae. *Plin.* 5, 29, 29. et *Mela* 1, 2. *F.*]

LYCĀŌNIS, ĭdis, f. patronym. *Ov. Fast.* 2, 173. Cui Dea, virgineos, perjura Lycaoni, coetus Desere, *h. e.* Callisto Lycaonis filia. *Catull.* 66, 66. Callisto juxta Lycaonida.

LYCĀŌNIUS, a, um, adj. *Λυκαόνιος*, ad Lycaonem pertinens. *Ov. Ib.* 433. Foeda Lycaoniae repetes convivia mensae: Tentabisque cibi fallere fraude Jovem. V. LYCAON. *Id. Met.* 2, 496. Lycaonia parens, *h. e.* Callisto filia Lycaonis, mater Arcadis. *Id. Fast.* 3, 793. Lycaonia Arctos, *h. e.* eadem Callisto in sidus versa. V. ARCTOS. *Id. Trist.* 3, 2, 2. Lycaonius axis, *h. e.* septentrionalis, ubi Arctos est. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 299. Lycaonia astra, *h. e.* idem sidus Arcti. ℙ Item ad Lycaoniam pertinens, quae est regio Asiae minoris, inter Cappadociam, Isauriam, et Ciliciam asperam. *Virg. A.* 10, 749. Lycaeoniumque Erichaten.

*LYCASTO, us vel onis, f. oppidum Asiae, in Ponto, ad Halym fluvium. *Mela* 1, 19. *med.* ℙ *Plin.* 4, 3. est *Lycastum. B. A.*

*LYCASTOS vel Lycastus, i, f. *Λύκαστος*, opp. Cretae. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. Cf. *Hist. d'Acad. d'Inscr.* T. 3. p. 49. *B. A.*

[LYCĒ, es, f. *λύκη*, prima lux solis. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* Radiorum splendor propinquantem solem longe lateque praecedens, atque caliginem paulatim extenuans tenebrarum, parit lucem; neque minus Romani, ut pleraque alia ex Graeco,

ita lucem videntur a lyce figurasse; et *mox:* Ipsos quoque λύκους ἀπὸ τῆς λύκης, id est a prima luce appellatos quidam putant, quia hae ferae maxime id tempus aptum rapiendo pecori observant. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 57. *n.* 317. Julia Lyce. *F.*]

[LYCĒIUS, a, um, adj. *Λύκειος*, et Ionice *Λυκήϊος*, ad Lyceum pertinens, de quo ita *Just.* 43, 1. Evander in Palatini montis radicibus templum Lyceo, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit. *Inscr.* ap. *Mur.* 120, 1. Sacellum Lyceium vetustate delapsum (lege *dilapsum* adjectis basilicis sua pecunia restit*uit*. *F.*]

*LYCES, is, m. fluvius, i. q. Lycus. *Val. Fl.* 4, 719. Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque, Nomasque Addat opes. V. *Lycus. B. A.*

*LYCĒTUS, i, m. filius Sperchionis, Perseo inimicus. *Oc. Met.* 5, 86. *B. A.*

LYCEUM, i, n. *Λύκειον*, gymnasium celebre Athenarum, extra urbem situm, templo Apollinis, aquaeductu, platanis, ambulacris, aliisque ornamentis instructum: dictumque a quodam Lyco Pandionis filio: exstructum autem a Pisistrato, vel a Pericle. Ibi Aristoteles philosophiam publice docuit. Ad ejus similitudinem locum gymnasii in Tusculano suo Cicero Lyceum appellavit, ut est *Div.* 1, 5. et Hadrianus Imp. in villa sua Tiburtina, ut *Spart.* tradit *Hadrian.* 26. De Lyceo plura *Meurs. de Athen. Att.* 2, 3. ℙ Scribitur et *Lycīum*, ut ap. *Gell.* 20, 5. ℙ De Lyceo monte V. supra LYCAEUS.

[LYCĒUS, ēi, m. V. LYCEIUS. *F.*]

LYCHNĪCUS, a, um, adj. a *lychnus.* Ap. *Hyg. fab.* 223. Lychnicus lapis idem est, ac lychnites: atque ex eo scribit fuisse monimentum regis Mausoli.

*LYCHNĪDUM vel Lychnĭdus, i, *Λυχνιδὸς Steph. Byz.* opp. Illyridis Graecae (postea Macedoniae partis), in Dassaretarum agro, non longe ab Aliacmone amne. *Liv.* 27, 32. 43, 9. 10. et 21. ubi passim quartus casus occurrit. *B. A.*

LYCHNIS, ĭdis, f. *λυχνὶς*, genus rosae nec odore, nec specie probabilis, Latine *rosa Graeca* dictae, nunquam excedentis quinque folia, violae magnitudine, odore nullo. *Plin.* 21, 4, 10. ℙ *Lychnis agria* herba est lino similis, radice nulla, flore hyacinthi, semine vituli narium: alio nomine antirrhinon. *Id.* 25, 10, 80. ℙ *Lychnis* item gemma colore ardenti, lucernam specie praeferens, vel ad lucernam maxime fulgens. *Id.* 37, 7, 29. ℙ *Lychnides puellae* ap. *Fulg. Myth. prooem.* 1. *med.* sunt lychnis, seu lucernis instructae.

LYCHNĪTES, ae, m. *λυχνίτης*, lapis ad lychnos effosus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Omnes autem (*scalptores*) tantum candido marmore usi sunt e Paro insula, quem lapidem coepere lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis caederetur, ut auctor est Varro. V. LYGDINUS. ℙ [Ita etiam dicitur gemma splendens, quae alias carbunculus, Italice *rubino. Auct. incert. fr.* inter opera *Symmachi* (ed. *A. Maio*) p. 73. Vos autem nubescite prasini, pallescite lychnitae, albescite hyacinthi, fuscamini margaritae; et *mox:* Prasini tremula viriditate conludunt, lychnitae vomunt frigidas flammas, hyacinthi quoque taetra luce vibrantes cum luminibus claris mixtas cernuntur emicare nigredines. *F.*]

[LYCHNĪTĪCUS, a, um, adj. qui ex lychnitide est. *Not. Tir.* p. 165. Lucerna, lychnitis, lychniticus. Mendose ibidem legitur *lignithis, lignithicus.* V. v. sq. *F.*]

LYCHNĪTIS, ītĭdis, f. *λυχνῖτις*, herba ex phlomidum genere, quae et thryallis appellatur, foliis ternis, aut, cum plurimum, quaternis, crassis, pinguibusque, ad lucernarum lumina aptis. Haec *Plin.* 25, 10, 74. Nimirum ejus foliis pro ellychniis veteres utebantur. V. PHLOMIS, THRYALLIS et v. praec.

LYCHNOBĬUS, ii, m. *λυχνόβιος*, a *λύχνος*, lucerna, et *βίος*, vita, dicitur de eo, qui lucifuga est, et praepostere vivit, noctu vigilans, coenans, ludens, lavans, munia sua obiens ad lucernam, diu vero stertens: cujusmodi fuisse quendam Sp. Papinium, narrat *Sen. Ep.* 122., ubi etiam haec vox legitur, quam alii, per *i* scribi mallent, a *λίχνος*, gulosus, liguritor. V. LUCIFUGA.

LYCHNUCHUS, i, m. *λυχνοῦχος*, instrumentum ad lychnos, seu lucernas sustinendas: a *λύχνος*, lucerna, et *ἔχω*, habeo. *Cic. Q. Fr.* 3, 7. Haec scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat perjucundus. *Suet. Dom.* 4. Edidit venationes, gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos; et *Caes.* 37. Elephantis lychnuchos gestantibus. *Plin.* 34, 3, 8. Placuere et lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium, lucentes. *Inscr.* ap. *Mur.* 934, 7. Virgilius P. Virg. ser. ad lychn. H. S. E. Vide *Sidon. ep.* 2, 10. post carmen.

LYCHNUS, i, m. *λύχνος*, lucerna: ab inusit. *λύκω*, luceo, unde *λύκος*, *λύκινος*, et per sync. *λύχνος*. V. LUX. *Virg. A.* 1, 730. dependent lychni laquearibus aureis Incensi. *Stat. Th.* 1, 520. Ast alii tenebras, et opacam vincere noctem Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis. *Cic. Coel.* 28. *f.* Alia fori vis est, alia triclinii: alia subselliorum torumque conspectus: lux denique alia est solis, et lychnorum. *Lucr.* 5, 296. Pendentes lychni. Adde *Enn.* et *Lucil.* ap. *Macr. Sat.* 16, 4., ex quo apparet, multo ante *Cicer.* apud Latinos poetas, licet vox Graeca sit, in usu fuisse. V. v. praec.

LYCIĀ, ae, f. *Λυκία*, regio Asiae minoris, in parte meridionali, inter Pamphyliam, et Cariam: in qua Chimaera mons ignem eructans. *Ov. Met.* 6, 339. Jamque Chimaeriferae cum sol gravis uret arva Finibus in Lyciae, etc. *Plin.* 5, 27, 27. ℙ Dicta est a Lyco rege, Pandionis filio, ut *Mela* 1, 15. tradit: vel a Lyce Nympha, ex qua Apollo filium Lycadium suscepisse dicitur, ut *Serv.* ad *A.* 12, 516. A fertilitate eam laudant *Virg. A.* 7, 721. et *Ov. Met.* 6, 317. ℙ *Strabo l.* 12. ex *Homero* Lyciam alteram Trojae vicinam in parte Troadis septentrionali ponit.

[LYCĪDAS, ae, m. unus ex Centauris, qui Pirithoo Hippodamiam eripere sunt conati. *Ov. Met.* 12, 310. ℙ Item formosus juvenis. *Hor. Od.* 1, 4, 19. ℙ Item pastor. *Virg. Ecl.* 7, 67. *F.*]

*LYCĪDE, es, oppidum Mysiae. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

LYCIMNĪUS, a, um, adj. ad Lycimnam pertinens, oppidum in Argolica regione Peloponnesi. Hinc *Lycimnia stagna* ap. *Stat. Th.* 4, 734.

[LYCINNĀ, ae, f. *λυκαινὶς*, parva lupa. Est nomen proprium puellae adamatae a *Prop.* 3, 13, 6. heu nullis capta Lycinna datis! *F.*]

LYCISCĀ, ae, et Lycisce, es, f. nomen canis ap. *Virg. Ecl.* 3, 18. et *Ov. Met.* 3, 220., nempe a *λύκος*, lupus: vel quia lupi similis, vel quia ex lupo et cane genita, ut est ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ [*Lycisca* fuit etiam nomen proprium meretricis, in cujus locum saepe succedebat Messalina Claudii imperatoris uxor; illi fortasse id nominis impositum fuit ad denotandam infamiam artis, quam profitebatur. *Juven.* 6, 122. tunc nuda papillis Constitit auratis, titulum mentita Lyciscae. *F.*]

[LYCISCUS, i, m. *λυκίσκος*, idem ac lycisca. *Isid. Orig.* 12, 2. Lycisci autem dicuntur canes nati ex lupis, et canibus, cum inter se forte miscentur. V. LYCISCA. ℙ Item nomen proprium pueri formosi. *Hor. Epod.* 11, 36. Nunc gloriantis quamlibet mulierculam Vincere mollitia, amor Lycisci me tenet. ℙ Item statuarii ap. *Plin.* 34, 8, 19. *F.*]

LYCĪUM, ii, n. V. v. sq.

LYCĬUS, a, um, adj. *Λύκιος*, ad Lyciam pertinens. *Ov. Met.* 6, 382. aliquis Lycia de gente. *Virg. A.* 8, 166. Lyciae sagittae; et *ib.* 11, 773. Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu; et *ib.* 7, 816. Lycia pharetra. (Lycii arcum et pharetram leviori pondere gestabant: erantque in ea re peritissimi.) *Id. ib.* 4, 346. Lyciae sortes, *h. e.* Apollinis oraculum, quod Pataris, Lycia urbe, celeberrimum fuit, opibusque, et responsorum fide Delphico simile, ut *Mela* 1, 15. loquitur. Unde *Lycius* cognomen est Apollinis. *Prop.* 3, 1, 38. Lycio vota probante Deo. Sic *Stat. Th.* 8, 200. nec Lyciam supplex consultor adibit. (*Macr. Sat.* 1, 17. alias hujus cognominis origines affert: a *λύκη*, h. e. prima lux, quae praecedit solis ortum: et a *λύκος*, sol, item lupus: quia *λυκοκτόνος* Apollo habitus est.) *Ov. Her.* 1, 19. Lycia hasta, *h. e.* Sarpedonis Lyciae regis, qui in auxilium Priami contra Graecos Trojam venerat cum fortibus copiis, quas *Hor. Od.* 1, 8, 16. Lycias catervas appellat. *Plin.* 5, 27, 27. Lycium mare, *h. e.* quod Lyciam alluit. *Id.* 21, 6, 17. Lycio croco secundam nobilitatem tribuit. ℙ Quia *λύκος* adjectivum parit *λύκειος*, etiam *Lycius* paenultimam producere potest. *Stat. Th.* 10, 343. At patrias si quando domos, optataque, Paean, Templa, Lycie, dabis, etc. ℙ Est genus spinae, folio buxi, virgis tricubitalibus, quae una cum radicibus tusae, succoque expresso, varios habent in medicina usus. Hoc autem medicamentum *Lycium* dicitur tum a *Plin.* 24, 14, 76. et 77., ubi plura de eo; tum a *Cels.* 5, 26. *n.* 30. *extr.* et 6, 7. *n.* 2., 8, 6. et 9., quia ex Lycia optimum advehebatur. [V. *Visc. Op. var.* T. 3. p. 323. *edit. Met. F.* ℙ *Lycius, i, m. nobilis statuarius, Boeotius, Myronis discipulus. *Plin.* 34, 8. *B. A.*]

*LYCO, onis, m. philosophus Peripateticus, successor Stratonis Lampsaceni. Scripsit de Finibus, Glyco propter dulcedinem orationis dictus. *Cic. Tusc.* 3, 32. *B. A.*

[LYCOMĒDES, is, m. *Λυκομήδης*, rex Scyri insulae, apud quem muliebri habitu delituit Achilles, ne ad bellum Trojanum proficisci cogeretur; cujus et filiam vitiavit, suscepto ex eadem Pyrrho. *Stat. Ach.* 1, 207. et *Cic. Amic.* 20., ubi tamen de Neoptolemo loquitur *Cicero*, non de *Achille*, memoriae forte lapsu, ut suspicatur *Schellerus. F.*]

[LYCOPHON, herba eadem ac scelerata, ap. *Appul. H.* 8. *F.*]

[LYCOPHORUS, i, m. *λυκοφόρος* (a *λύκη*, lux, et *φέρω*, fero) idem ac daduchus, (q. v. v. s. l.) qui nempe facem in sacris ferebat et quassabat *Inscr.* ap. *Grut.* 323, 1. Ex jussu I. O. M. Heliopolitani Aur. Theodoro sacerdote Lycophori de suo posuerunt. De iis ita *Stat. Silv.* 4, 8, 30. Tuque Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo Votivam taciti quassamus lampada mystae. *F.*]

LYCOPHOS, otis, n. *λυκόφως* Graeci dicunt, quod nos primum tempus lucis; dictum quasi *λευκὸν φῶς*, idest lumen candidum. *Fest.*, et *Macr. Sat.* 1, 17. Alii ducunt a *λύκη*, de qua in LUX.

[LYCOPHRON, onis, m. *Λυκόφρων*, (a *λύκος*, lupus, et *φρόνις*, astutia) Chalcidensis ex Euboea, grammaticus, et tragoediarum scriptor, quem sic nominatum ferunt, quod aenigmatibus in scribendo uteretur; ejus exstat tragoedia, *Cassandra* cognominata. Vixit regnante Ptolemaeo Philadelpho. *Ov. Ib.* 531. Utque cothurnatum periisse Lycophrona narrant, Haereat in fibris fixa sagitta tuis. *Stat. Silv.* 5, 3, 157. Carmina Battiadae, latebrasque Lycophronis atri. *F.*]

LYCOPHTHALMOS, i, m. *λυκόφθαλμος*, gemma est quatuor colorum, ex rutilo, et sanguineo; in medio nigrum candido cingente, ut luporum oculi, illis per omnia similis: a *λύκος*, lupus, et *ὀφθαλμὸς*, oculus. *Plin.* 37, 11, 72.

[LYCOPOLITĀNUS, a, um, et

[LYCOPOLĪTES, ae, m. adj. ad Lycopolin pertinens, Aegypti superioris urbem, in Thebaide, ita a lupis appellatam, quod Aethiopes Aegyptios agros incursantes lupi acie facta usque ad civitatem Elephantinum repulerint; hinc ibidem Aegyptii urbem condiderunt, et a bestiis illis Lycopolin cognominarunt, ac pro Diis lupos ipsos, teste *Diodor. Sicul. l.* 2., venerati sunt. *Macr. Sat.* 1, 17. *med. Λύκον* autem solem vocari etiam Lycobolitana Thebaidis civitas testimonio est, quae pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc est *λύκον*, colit, in utroque solem venerans, quod hoc animal rapit et consumit omnia in modum solis, ac plurimum oculorum acie cernens tenebras noctis evincit. *Plin.* 5, 9, 9. Summa pars Aegypti Thebais vocatur. Dividitur in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant: Ombiten, Aphroditopoliten, Lycopoliten, etc. *F.*]

LYCOPSIS, is, f. *λύκοψις*, herba longioribus, quam lactuca foliis, crassioribusque, caule longo, hirsuto, adnatis multis cubitalibus, flore parvo, purpureo. *Plin.* 27, 11, 73., ubi *Hard.* legit *lycapsos.*

*LYCOREUS, ei et eos, m. Apollinis filius. *Hyg. fab.* 161. *B. A.*

*LYCORĪAS, adis, f. *Λυκωριὰς*, Nerei Doridisque filia, Nympha marina. *Virg. G.* 4, 339. *Hyg. fab. praef. med.* p. 6. ed. *Munker. B. A.*

LYCORIS, ĭdis, f. *Λυκωρὶς*, Volumnii Eutrapeli senatoris liberta fuit, vero nomine Cytheris dicta, misere a Cornelio Gallo adamata, quo tamen spreto, Antonium euntem in Gallias secuta est. *Virg. Ecl.* 10. et ibi *Serv.*, *Ov. A. Am.* 3, 537. Eoae novere Lycorida terrae. Adde *Trist.* 2, 445. et *Prop.* 2, 25, 91. V. CYTHERIUS.

*LYCORMAS, ae, m. *Λυκόρμας*, Aetoliae fluvius, de quo *Ov. Met.* 2, 245. ℙ *Chrysorrhoas* postea appellatus, teste *Hyg. fab.* 242. et *Ecenus* secundum *Lact. Plac.* in *Exposit. Ov. fab.* 9, 2. *B. A.*

*LYCORTAS, ae, m. dux Achaeorum. *Liv.* 39, 35. et 36. *B. A.*

LYCOS, i, m. *λύκος*, lupus, apud Graecos. Speciatim *lycos* dicitur minimum aranei genus a rapacitate. *Plin.* 30, 6, 17. Araneus, et maxime qui lycos vocatur, dolenti medetur lieni.

*LYCOTAS, ae, m. unus e Centauris, qui Pirithoi nuptiis interfuit. *Ov. Met.* 12, 350. ℙ Et nomen viri proprium, sed fictum, ap. *Prop.* 4, 3, 1. sub quo probabile est latere Posthumii personam, cui inscripta est *el.* 10. (al. 12.) *B. A.*

*LYCOTHERSES, is, m. rex Illyrici, quem Agave Cadmi filia, sua autem uxor, interfecit, ut regnum Cadmo patri daret. *Hyg. fab.* 184. Adde *fab.* 240. et 254. *B. A.*

LYCTĬUS, a, um, adj. *Λύκτιος*, qui ad Lyctum pertinet, urbem in Cretae parte orientali. *Virg. A.* 3, 400. Et Salentinos obsedit milite campos Lyctius Idomeneus. *Ov. Met.* 7, 490. Lyctia classis, *h. e.* Cretensis.

*LYCTUS, urbs Cretae, de qua *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. V. et *Lyctius, a, um. B. A.*

LYCURGĒUS, a, um, adj. *Λυκούργειος*, denominat. a Lycurgo. *Cic. Att.* 1, 13. *med.* Nosmetipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur, *h. e.* qui acer reprehensor, et malorum hominum vindex fui, instar Lycurgi nobilis Atheniensis oratoris, Aeschinis et Demosthenis temporibus, qui ab *cod. Brut.* 34. accusator vehemens dicitur.

LYCURGĪDES, ae, m. *Λυκουργίδης*, Lycurgi filius, vel nepos. *Ov. Ib.* 505. Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, *h. e.* Ancaeum Lycurgi filium.

LYCURGUS, i, m. *Λυκοῦργος*, nobilis Spartiata, fil. Penthei, al. Eunomi, et frater Polydectae Lacedaemoniorum regis, cujus etiam in regnum suc-

cessit, ignarus fratrem uxorem gravidam reliquisse, quod ubi primum cognovit, posito regis nomine, Prodici, hoc est tutoris nomen assumpsit, regique adulto (Charilao ei nomen erat) regnum fideliter restituit. Verum cum civitatem pessime institutam animadverteret, ad constituendam salubrioribus legibus rempubl. animum adjecit, sanctissimisque institutis cives gubernavit. *Cic. de Off.* 1, 22. *Vellei* 1, 6. *Justin.* 3, 2. sq. *B. A.* Lycurgi vitam, atque instituta habes ap. *Plut.* in ejus Vita et *Justin.* 3, 2. et sq. ℙ Hinc per antonomasiam pro severissimo judice ponitur. *Ammian.* 30, 29. Lycurgos invenisse se praedicabat, et Cassios, columina justitiae priscae. ℙ Fuit et Lycurgus quidam Nemeae rex, et pater Archemori alumni Hypsipyles. *Stat. Th.* 5. et 6. ℙ Fuit et alius Thraciae rex, filius Dryantis, qui quod Thracas immoderate vino deditos conspiceret, vites omnes toto regno excidi jussit. Hinc datus est poetis locus fabulae, de qua V. in DRYANTIADES. ℙ *Denique Lycurgus fuit orator Atheniensis, Aeschinis tempore. *Cic. Brut.* 34. *Id. Orat.* 2, 23. et alibi. Eum ferunt in dicendo valde severum et acerbum exstitisse, *καὶ ὅλον καιηγορικὸν*, ut *Dionys. Halicarn.* loquitur. Hinc *accusator* audit *Ciceroni.* Ejus dictum est nobile illud et magnanimum: *Ἔπαινος μόνος ἄθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνθρώποις ἐστί. Laus sola praemium suscepti periculi bonis viris est.* Exstat Lycurgi hujus elegantissima contra Leocratem Oratio. *B. A.*

LYCUS, i, m. *Λύκος*, Boeotiae rex, qui Antiopam Nyctei regis filiam uxorem duxit, quam postea, cum a Jove in Satyrum converso compressam cognovisset, repudiavit, Dircenque uxorem superinduxit, quae verita, ne Antiope cum Lyco in gratiam rediret, arctissimis eam in vinculis asservavit, quibus Jovis miseratione dissolutis, in Cithaeronem montem profugit, ubi Amphionem et Zethum peperit, qui postea a pastore, qui ipsos nutrierat, de Lyci injuriis edocti, eum una cum uxore interfecerunt. Alii dicunt, eum Mercurii intercessione liberatum, dum ei mortem pararent, et sic postea Amphioni et Zetho regnum reliquisse. *Mela* 1, 15. ℙ Alius fuit Lycus, quidam exsul Thebanus, qui id temporis, quo Hercules ad Inferos descenderat, rei bene gerendae occasionem sibi oblatam ratus, Creonte occiso, regnum Thebanorum occupavit, cumque Megarae Herculis uxori vim inferre pararet, opportuno illius reditu oppressus est, et cum suis omnibus interfectus. *Sen. Herc. Fur.* et *Hyg. fab.* 31. et 32. ℙ *Fuit et Lycus Pandionis Atheniensium regis filius, rex Lyciae, a quo Lycia nomen traxit. *Mela* 1, 15. ℙ Et Centaurus, qui Pirithoi nuptiis interfuit. *Ov. Met.* 12, 332. ℙ Et nomen cujusdam ex Aeneae comitibus. *Virg. A.* 1, 226. Fata Lyci, fortemque Gyan fortemque Cloanthum. ℙ Et historicus, patria Rheginus, Lycophronis Tragici adoptione pater. Libros historiarum Libyae ac Siciliae scripsit. *Plin.* 31, 2. ℙ Et statuarius. *Id.* 34, 8. ℙ Lycus, amnis Phrygiae majoris, prope Laodiceam, in Maeandrum illabens. *Ov. Met.* 15, 273. *Plin.* 2, 103. et 5, 29. ℙ Alius, in Bithynia, in Pontum Euxinum se exonerans. *Ov. Pont.* 4, 10, 47. ℙ Alius in Ponto, in Irim cadens. *Plin.* 6, 3. ℙ Alius in Cilicia. *Plin.* 5, 27. ℙ In Mysia alius, in Propontidem incidens, Rhyndacus postea nuncupatus. *Id.* 5, 32. ℙ Alius, fluvius Assyriae, in Armenia oriens, inque Tigrim fluens. *Id.* 5, 26. ℙ Alius denique hoc nomine in Phoenicia fuit, in mare medio inter Berytum ac Palaebiblum loco influens. *Mela* 1, 12. *Plin.* 5, 20. ℙ Fuit et Lycus urbs Dassaretarum, in Illyride Graeca. *Liv.* 32, 9. *B. A.*

*LYDDA, ae, oppidum Palaestinae, in Samaria, non procul a Joppe. *Plin.* 5, 14. V. *Act. Apost.* 9, 38. *B. A.*

*LYDE, es, f. *Λύδη*, Antimachi poetae uxor fuit, quam egregie animo caram habuit; quae cum mortua esset, elegiam, qua moerorem solaretur sibi, fecit nomine *Lyden*, ubi enumeratis heroicis calamitatibus et infortuniis, malis alienis aegritudinem sibi minuit. Hinc *Ov. Trist.* 1, 5, 1. Nec tantum Clario Lyde dilecta poetae, etc. *B. A.*

LYDIA, ae, f. *Λυδία*, regio Asiae minoris, per fusa flexuosi amnis Maeandri recursibus, super Ioniam procedit, Phrygiae ab exortu solis vicina, ad septentrionem Mysiae, meridiana parte Cariam amplectens, Maeonia ante appellata. Celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, ex quo Pactolus profluit. *Plin.* 5, 29, 30. ℙ In illo *Rutil. Itin.* 1, 596. Inter terrigenas Lydia tota suos: *Lydia* est Etruria. V. v. sq. ℙ *Nomen puellae ap. *Hor. Od.* 1, 8, 1. etc. Sed fictum forte. ℙ Item poema sic dictum Valerii Catonis Grammatici. *Suet. Gramm.* 11. *B. A.*

LYDIUS, a, um, adj. *Λύδιος* ad Lydiam pertinens. *Plin.* 33, 13, 56. Lydium sil. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 3. aphronitrum. *Id.* 7, 56, 57. Lydios modulos invenit Amphion, Dorios Thamyras Thrax, Phrygios Marsyas Phryx. *Lydii moduli* genus est musices querulae, Dorii bellicosae, Phrygii religiosae: ut *Appul. Flor. n.* 4. docet. (Unde *Hor. Od.* 4, 15, 30. Lydas tibias adhibet canendis laudibus ducum virtute functorum.) *Plin.* 33, 8, 43. Lydius lapis, quo bonitas auri, argenti, vel aeris attritu deprehenditur. Dictus Lydius, quia olim non nisi in Tmolo Lydiae monte inveniebatur, ut *Plin. ib.* dicit. *Tibull.* 4, 1, 199. Lydia regna, *h. e.* Gygis, fortunatissimi Lydorum regis. *Id.* 3, 3, 29. Lydius aurifer amnis, *h. e.* Pactolus. *Mart.* 9, 66. Lydia pensa, *h. e.* quae dabat Herculi Omphale regina Lydiae: quae ap. *Sen. Herc. Oet.* 371. est Lydia nurus. *Prop.* 3, 15, 30. Cinget Bassaricas Lydia mitra comas, *h. e.* qua Lydi praecipue, et Phryges usi sunt: unde *Virg. A.* 4, 216. Maeonia mentum mitra, crinemque madentem Subnixus. Huc pertinet et illud ejusdem *Prop.* 4, 7, 62. Mitratisque sonant Lydia plectra choris. ℙ Est etiam *Lydius* Tuscus, Etruscus: quia Tusci a Lydis oriundi fuere: quod et *Tac. A.* 4, 55. et *Fest.* in *Sardi*, et *Plin.* 3, 5, 8. docent. *Virg. A.* 8, 479. Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam Gens bello praeclara jugis insedit Etruscis. Adde *A.* 9, 11. Hinc *Id. ib.* 2, 781. Tiberim *fluvium Lydium* appellat: et *Lydia ripa* ap. *Stat. Silv.* 4, 4, 6. est ripa Tiberis dextera, qua Tiberis Tuscos alluit agros: et *Lydia stagna* ap. *Sil.* 9, 11. sunt Trasimenus lacus Hinc *Id.* 4, 740. Tmolo missa manus, stagnis Trasimenus opacis. *Tmolus* est mons Lydiae. Adde 5, 9. ℙ Quod *Lydium cothurnum* dicit *Ov. Amor.* 3, 1, 14., vel a Lydis est, a quibus res multae ludicrae inventae sunt, vel a Tuscis, a quibus *ludii*, qui et *lydii* dicuntur. V. LUDIUS. ℙ *Lydiae undae* dicuntur a *Catull.* 31, 13. de lacu Benaci, quia ejus ripa ad agrum Veronensem, et ad Alpes vergens Rhaetica erat, Rhaeti vero originem suam ab Etruscis, et hi a Lydis ex vulgari veterum opinione repetebant. ℙ *Lydium *maron* praefertur ei, quod in Aegypto nascitur. *Plin.* 12, 24. ℙ *Lydion* (*Λύδιον* pro *Lydium*) *genus laterum* memoratur a *Plin.* 35, 14. Genera eorum *(laterum)* tria: Lydion, quo utimur, longum sesquipede, latum pede; alterum tetradoron etc. Sic ed. *Hard.* Vetus lectio *didoron.* Sic in *Vitr.* 3, 2. ubi *didoron* legitur, in vetusto codice legisse se Philander ait *Lychum (Lydium* debuit dicere, affirmat *Harduinus)*, quam scripturam ipse approbat. *B. A.*

LYDUS, a, um, adj. idem quod Lydius. *Cic. Fl.* 27. Lydus servus. *Ov. Fast.* 2, 356. Lyda puella, *h. e.* Omphale regina Lydiae. *Id. Met* 6, 11. Lydae urbes; et *ib.* 11, 98. Lydi agri. *Stat. Silv.* 5, 1, 60. Lydae pondera gazae, *h. e.* Pactoli aurum. *Val. Fl.* 4, 369. Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro. (*Lyda*, quia lanas inficere primi Lydi Sardibus invenerunt, teste *Plin.* 7, 56, 57.) vel alludit ad Arachnen, quae celebris fuit arte texendi Hypaepis Lydiae urbe. *Pl. Curc.* 1, 2, 63. Lydi barbari, *h. e.* ludii e Lydia, h. e. Tuscia, in ludis Romanorum adhibiti. *Virg. A.* 9, 11. Lydorum manus, *h. e.* Tuscorum copiae. V. LYDIUS.

*LYGDAMUM, i, n. oppidum Mysiae. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*LYGDAMUS, i, m. Cynthiae a Propertio dilectae servus. *Prop.* 3, 4, (al. 6.) 2. et 4, 7, 43. (al. 35.) *B. A.*

LYGDINUS, a, um, adj. *λύγδινος*, candidus, ut Lygdinus lapis ap. *Plin.* 36, 8, 13. Paulum distare ab eo in unguentorum fide multi existimant lygdynos in Paro repertos, amplitudine, qua lances, craterasque non excedant, antea ex Arabia tantum advehi solitos, candoris eximii. Adde *Is. Or.* 16, 5. V. LYCHNITES. ℙ Memorat *Mart.* 6, 13. et 42. marmor *lygdon* candidi coloris, quod idem ac *lygdinum* fuisse videtur. V. v. sq.

LYGDOS, i, f. *λύγδος*, petra candida, eadem ac lygdina. *Mart.* 6, 13. Candida non tacita respondet imagine lygdos. *Id. ib.* 42. Et credas vacuam nitere lygdon. V. v. praec.

*LYGII, orum, m. populi Germaniae orientalis, inter Asciburgios montes et Vistulam siti. *Tac. Germ.* 43. ℙ *Ligii* audiunt *ib. A.* 12, 29. item *Luii* (*Λοῦϊοι Straboni)*, et *Logiones* (*Λογίωνες Zosim.* 1, 67.) *B. A.*

*LYGOS, i, *λύγος*, i. q. vitex. *Plin.* 24, 9. ℙ Item nomen antiquum Byzantii urbis. *Auson. de clar. urb. carm.* 1, 14. *B. A.*

LYMPHA, ae, f. *ὕδωρ*, aqua a *νύμφη*, fons, Dea praeses aquae, *ν* in *l* converso. [*Licet haec vocis a Gr. *νύμφη* originatio linguae legibus non repugnet (V. *Doederl.* 2, 14. sq.); contra tamen disputat *Id. ib.* Primum quidem, quod utrumque, *lympha* et *nympha* apud Latinos obtineat; tum vero, propter significationis discrepantiam: *nympha* enim semper de persona, *lympha* nunquam dici: nam ap. *Varronem*, in loco, quem Noster infra laudat, e contextu satis apparere, *lympham* auctoris, non publicae fidei esse: (in quo errare videtur, teste inscriptione, quam Noster una cum Varronis loco comparat:) denique, quod *lympha* ubique de aqua dicatur, proprie ad nymphas non pertinente. Hinc recte colligere ita sibi videtur: v. *lympha* neque origine, neque significatione cum v. *nympha* cohaerere, sed esse veteris latinitatis vocabulum una cum *limpidus*, fortasse etiam cum *libare* et *lippus* a Gr. *λείβω* deducendum.] Vox est poetica *Virg. A.* 4, 635. Dic, corpus properet fluviali spargere lympha. *Catull.* 27, 5. At vos quo libet, hinc abite lymphae, Vini pernicies. *Hor. Od.* 3, 13, 16. loquaces Lymphae desiliunt. *Lucr.* 6, 1172. Lymphae puteales. *Ov. Met.* 1, 459. Nuda superfusis tingamus corpora lymphis; et *ib.* 13, 531. vulnera lymphis abluere. *Val. Fl.* 3, 422. vivaque nitentia lympha Membra novat. *Sen. Oedip.* 229. Sancta fontis lympha Castalii stetit. *Seren. Sammon.* 27. 501. Lympha intercus. ℙ *Varr. R. R.* 1, 1. invocans Deos agricolarum reique rusticae praesides, Lympham in his precatur, et Bonum Eventum, quoniam, inquit, sine aqua omnis arida ac misera agricultura est. *Lympham* igitur pro *Nympha* posuit, quia Nymphae aquarum praesides habitae sunt. Et videntur olim Latini veteres ita scripsisse: unde *lymphatus*, *lympho*, et *lymphaticus* remansere. Hinc *Inscr.* ap. *Mur.* 87, 3. Nymphis, Lymphisq. Augustis ob reditum aquarum P. Pomponius Cornelianus. Adde aliam ap. *Grut.* 93, 1. ℙ Fallitur *Id.* qui *L. L.* 4, 10. *lympham* a lapsu lubrico dictam putat.

LYMPHAEUM. V. LYMPHEUM.

LYMPHASĒUS, a, um, adj. crystallinum colorem habens, qui aquam refert. *Capell.* 6. *in.*

LYMPHĂTĬCUS, a, um, adj. lymphatus, larvatus, cerritus, attonitus, mente excussus, externatus, furens. *Sen. ep.* 13. Nulli tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt: ceteri enim sine ratione, hi sine mente sunt. *Liv.* 10, 28. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pavor dissipat: *πανικὸς φόβος*. *Appul. Met.* 8. Cogitabam subito, velut lymphaticus, exsilire; et *ib.* 4. Repente lymphatico ritu somno recussa, longe vehementius afflictare se, et pectus palmis tundere incepit. *Plin.* 26, 8, 34. Lymphatica somnia. *Id.* 25, 5, 25. Helleborum medetur melancholicis, insanientibus, lymphaticis. *Seren. Sammon.* 27, 507. Helleboro quoque purgatur lymphaticus error. Al. leg. *humor*, et hydropem intelligunt, ut *lymphaticus* pro aquoso hic ponatur. ℙ Joculariter *Pl. Poen.* 1, 2, 132. *lymphaticos nummos* dicit, qui in crumena consistere nequeunt, et exsilire gestiunt. Ubi etiam *ib.* 133. usurpat *lymphaticum* pro lymphatico morbo.

LYMPHĂTĬO, onis, f. *νυμφολημψία*, terror tremorque, turbatio animi et consternatio. *Plin.* 34, 15, 44. Praefigere in limine e sepulcro evulsos clavos, adversus nocturnas lymphationes. *Id.* 37, 4, 15. Adamas lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente.

LYMPHĂTUS, a, um, part. a *lympho:* lymphaticus. *Festus:* Lymphae dictae sunt a nymphis. Vulgo autem memoriae proditum est, quicumque speciem quandam e fonte, idest effigiem nymphae viderint, furendi non fecisse finem: quos Graeci *νυμφολήπτους* vocant, Latini lymphatos appellant. Haec *Festus.* Sic *Varr. L. L.* 6, 5. In Graecia, commota mente, quos *λυμφολήπτους* appellant, ab eo lymphatos dixerunt nostri. Haec *Varr.* Aliis lymphatus proprie est, qui aquam timet: et translate qui animo est attonito, atque externato, larvatus, cerritus, atque huc illuc discurrens commota mente. *Virg. A.* 7, 376. Tum vero infelix, ingentibus excita monstris, Immensam sine more furit lymphata per urbem. *Ov. Met.* 11, 3. Lymphata pectora. *Stat. Th.* 10, 557. lymphatam incertis horroribus urbem Scindunt dissensu vario luctusque, furorque, Et pavor. *Hor. Od.* 1, 37, 14. Mentemque lymphatam Mareotico Redegit in veros timores Caesar. *Liv.* 7, 17. Lymphati et attoniti. *Sil.* 1, 459. ruit ocius amens Lymphato cursu. *Id.* 7, 356. per altos Saxosi scopulos montis lymphata feruntur Corpora anhela boum. *Lucan.* 7, 186. Lymphato trepidare metu. *Plin.* 31, 2, 5. Lymphatum aliquem agere, *h. e.* lymphatum reddere.

LYMPHĂTUS, us, m. lymphatio. *Plin.* 37, 10, 54. Gemma radians, contra lymphatum habenda.

LYMPHĒUM, i, n. aedificium, in quo salientes aquae vario lusu fluunt, ornatus et deliciarum causa. (V. NYMPHEUM.) Legitur in *Inscr.* ap. *Mur.* 924, 5., ex quo discimus, *servum a lympheo* fuisse inter officia domus Augustae. Adde 489, 4. ℙ Scribitur etiam *lymphaeum. Inscr.* ap. *Mur.* 60, 3. M. Aurelius Priscillianus curator lymphaei.

[LYMPHĪGER, a, um, adj. qui lympham gerit. *Coripp. Johann.* 3, 145. Sicubi lymphigeros deducit fistula tractus Aere cavo. *Id. ib.* 7, 246. Lymphiger amnis. *F.*]

LYMPHO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκμαίνω*, perturbo, exterreo, consterno, lymphatum reddo, in furorem ago. *Val. Fl.* 3, 47. Deus ancipitem lymphaverat urbem. *Stat. Th.* 7, 113. horrificis lymphare incursibus urbes, et *ib.* 662. It lymphante Deo media inter millia, longum Vociferans. (Adde *ib.* 10, 160.) *Plin.* 24, 17, 102. Hac herba pota, lymphari homines. ℙ *Lymphantes animi* passive dicuntur a *Plin.* 27, 12, 83. qui lymphatione laborant.

LYMPHOR, oris, m. lympha, humor, aqua. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 129. Impermixtum lymphorem.

*LYMPHORTA, ae, oppidum Asiae ulterioris. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*LYNCAESTE, es, f. una e canibus Actaeonis. *Hyg. fab.* 181. *extr. B. A.*

LYNCESTIS, idis, f. adj. *Λυγκηστὶς*, a Lynco, quod est Macedoniae oppidum mediterraneum: cujus populi *Lyncestae*, *arum*, vocantur a *Plin.* 4, 10, 17. Sic 2, 103, 106. Lyncestis aqua, quae vocatur acidula, vini modo temulentos reddit.

LYNCESTIUS, a, um, adj. ad Lyncestidem regionem pertinens, ut Lyncestius amnis, *Ov. Met.* 15, 329. ℙ *Lyncestus* est ap. *Vitr.* 8, 3.

LYNCEUS, i, m. disyllab. *Λυγκεὺς*, unus ex Argonautis, frater Idae, filius Apharei, et Arenae Bibali, seu Oebali, filiae, Messenius, nomen a *lynce* sortitus, quod est animal perspicacissimi visus. Fabulantur enim adeo forti fuisse oculorum acie, ut vel parietem visu penetraret, ac terram ipsam, et videret ea, quae apud Inferos fierent. Tradunt etiam centum triginta millia passuum intervallo prospexisse, nulla caligine impeditum, solitumque Carthagine solventem classem Punicam ex Lilybaeo Siciliae promontorio ita cernere, ut et numerum navium certo notaret. Addunt, novissimam lunam, primamque eodem die consuevisse deprehendere. Quamquam haec omnia non uni Lynceo, sed alii, qui posterior multo fuerit, et Strabo appellatus sit, ab aliis tribuuntur. V. *Plin.* 7, 21, 21. Ceterum origo fabulae inde est, quod Lynceus primus aeris, argenti, aurique sub terris abditi fodinas invenit. De eo *Hyg. fab.* 14., *Val. Max.* 1, 8. *n.* 14. *extr.*, *Plin.* 2, 17, 15., *Val. Fl.* 1, 462. et sqq. etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 28. Non possis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas lippus inungi. *Ov. Fast.* 5, 711. Ultor adest Pollux, et Lyncea perforat hasta. *Prop.* 2, 25, 9. Lynceu, tunc meam potuisti tangere curam? ℙ Occisus est a Polluce. Cum enim Tyndaridae sponsas Lynceī, et Idae fratris vi rapuissent, repetentibus his pactas suas, commissaque pugna, Castorem Lynceus gladio, Lynceum Pollux hasta interemit; idem vero Juppiter, ruentem in Pollucem fulmine sustulit. Rem narrat *Ov. Fast.* 5, 699. et sqq. et paulo aliter *Hyg. fab.* 80. ℙ *Alius Lynceus, Aegypti filius, solus ex quinquaginta fratribus misericordia Hypermnaestrae conjugis evasit a morte. *Ov. Her.* 14. *Hyg. fab.* 273. ℙ Alius, Thestii filius, frater Althaeae, ex apri Calydonii venatione nobilis. A Meleagro postea interfectus est. *Hyg. fab.* 173. 174. ℙ Item unus ex Aeneae comitibus, a Turno occisus. *Virg. A.* 9, 768. *B. A.*

LYNCĔUS, a, um, adj. *Λύγκειος*, ad Lynceum pertinens. *Ov. Fast.* 5, 709. Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense. ℙ Translate est maxime perspicax, et acutissime videns, et quem haud facile quis fefellerit. *Cic. Fam.* 9, 2. Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? *Hor. Sat.* 1, 2, 90. tu corporis optima Lynceis Contemplare oculis. *Bentl.* vult legi *Lyncei*, ut sit genitivus substantivi, disyllabon per synaeresin: nam adjectivi paenultimam esse diphthongum *ει*, nec posse per crasin in disyllabon coalescere. Quod tamen non videtur necessarium, cum ab adjectivo *Lynceus* abjici possit *i* subjunctiva diphthongi, deinde synaeresis fieri.

LYNCĪDES, ae, m. ap. *Ov. Met.* 5, 99. videtur esse patronym. a *Lynceus*, ut *Tydides* a *Tydeus*. ℙ *Item nomen viri proprium. *Ov. Met.* 5, 99. *B. A.*

LYNCŪRĬUM, ii, n. *λυγκούριον*. *Plin.* 8, 38, 57. Lyncum humor glaciatur, arescitve in gemmas carbunculis similes, et igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas: (a *λύγξ*, lynx, et *οὖρον*, urina.) Adde 37, 2, 12. *n.* 1., ubi inter succina recenset, et ab aliis langurium dici ait, et esse in Italia bestias *langurias*. Plura etiam de eo *ib.* 3, 13. Confirmat *Ov. Met.* 15, 413., *Solin.* 2. *med.* et *Hieron. ep.* 64. *n.* 16. Alii putant, eundem esse ac hyacinthum. V. LANGURIA et LANGURIUM.

LYNCUS, i, m. *Λύγκος*, rex Scythiae fuit, qui missum a Cerere Triptolemum, ut hominibus frugum usum commonstraret, susceptum hospitio, ut in se gloriam transferret, interimere cogitavit. Ob quam rem irata Ceres eum convertit in lyncem feram varii coloris, ut ipse variae mentis exstiterat. *Ov. Met.* 5. *f.* **Hyg. fab.* 259. ℙ Fuit et Lyncus oppidum Macedoniae. *Liv.* 26, 25. 31, 33. V. *Lyncestis. B. A.*

[LYNSĂ, ae, f. Dea quaedam bestiarum, seu lyncum praeses. *Capell.* 1, 16. Tunc Lynsa silvestris, Mulciber, Lar coelestis, nec non etiam militaris, etc. *F.*]

LYNTER. V. LINTER.

LYNX, lyncis, f. et m. *λύγξ*, animal quadrupes, ferum, ex genere pantherarum, vario colore, et maculoso tergore, acutissimoque visu praeditum: frequentissimum in Aethiopia et India. Fabulantur, ab his Bacchi currum trahi, postquam Indos domuit: cujus ratio videtur esse, quia Bacchus vino addit animos etiam timidis, et fugacibus. *Plin.* 28, 8, 32. Peregrinae sunt et lynces, quae clarissime omnium cernunt. *Virg. G.* 3, 264. Lynces Bacchi variae; et *A.* 1, 327. maculosae tegmine lyncis; et *Ecl.* 8, 3. stupefactae carmine lynces. *Hor. Od.* 4, 6, 33. Deliae tutela Deae, fugaces Lyncas et cervos cohibendis arcu. *Id. ib.* 2, 13, 40. Aut timidos agitare lyncas. *Stat. Ach.* 2, 406. imbelles lynces sectari. *Prop.* 3, 15, 8. ad Bacch.: Lyncibus in coelum vecta Ariadna tuis. *Ov. Met.* 4, 25. tu bijugum insignia frenis Colla premis lyncum; et *ib.* 3, 668. Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum, etc. *Stat. Th.* 4, 272. Velatum geminae dejectu lyncis, *h. e.* pellis e lynce.

[LYO, as, a. 1. liquo, in humorem resolvo, liquidum reddo, a *λύω*, solvo. *Apic.* 4, 4. Ptisanam lyas, et colas in cacabo. *F.*]

LYRA, ae, f. *λύρη*, instrumentum musicum, in quo fides extentae, et digitis percussae sonos edunt. Constat duobus veluti cornibus, seu brachiis, hinc inde in modum S contortis, et supra infraque connexis transverso jugo, cui chordae ita adnectuntur, ut ex utraque parte convelli digitis, et pulsari possint. De ejus a cithara differentia, V. dicta in CHELYS et CITHARA. Volunt esse a *λύτρα*, pretium solutionis: quia a Mercurio ejus inventore data sit Apollini in compensationem pro bobus furto ablatis. Haec fere narrat *Hyg. Astron.* 2, 7. *Hor. Od.* 1, 10, 5. ad Mercur.: Te canam magni Jovis et Deorum Nuncium, curvaeque lyrae parentem. *Ov. Fast.* 5, 105. ad eund.: septena putaris, Pleiadum numerum, fila dedisse lyrae. *Id. Am.* 3, 12, 40. Duraque percussam saxa secuta lyram. *Id. Her.* 3, 118. Threiciam digitis increpuisse lyram. *Id. R. Am.* 705. Phoebus adest: sonuere lyrae. *Id. A. Am.* 3, 50. Lyra canere laudes alicujus. *Val. Fl.* 5, 100. mixtoque sonantem Percutit ore lyram. ℙ Est etiam sidus, decem stellis constans, quod et *Fidis* appellatur, teste *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Fabulantur enim, acceptam a Mercurio lyram donasse Apollinem Orpheo, qua ille Inferos adiit, Plutonem flexit, reduxit conjugem, silvas et feras traxit. Eo tandem a Bacchis discerpto, lyram ab Apolline in coelum fuisse translatam, in regione septentrionali inter genu et sinistram manum Engonasin, ut *Hyg. Astron.* 3, 6. docet. *Ov. Fast.* 1, 315. Institerint nonae: missi tibi nubibus atris Signa dabunt imbres, exoriente Lyra. ℙ Saepe refertur ad genus levioris carminis, quod inde *lyricum* dicitur, et qui eo utuntur poetae, *lyrici*: quorum princeps Graecis *Pindarus*, Latinis *Horatius* habetur. Solebant enim amores, Deorum, et heroum laudes, et hujusmodi poemata brevioribus versibus facta, ad lyrae sonum canere. *Ov. Pont.* 4, 16, 28. Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae. *Id. Am.* 2, 18, 26. Aeoliae Lesbis amica lyrae. *Id. Pont.* 3, 4, 45. assiduam domini meditata querelam, Ad laetum carmen vix mea versa lyra est. *Hor. Od.* 1, 6, 10. Imbellisque lyrae Musa potens; et *ib.* 3, 3, 69. Non haec jocosae conveniunt lyrae. ℙ Interdum et ad quamcumque facultatem pangendi carminis. *Stat. Th.* 10, 445. Quamvis mea carmina surgant Inferiore lyra.

LYRCĒIUS, a, um, *Λυρκήϊος*, et

LYRCĒUS, a, um, adj. *Λύρκειος*, ad Lyrceum pertinens, qui mons est Peloponnesi in Argiva regione, unde Inachus fluvius profluit. *Val. Fl.* 4, 355. Lyrceia tellus. *Ov. Met.* 1, 598. Lyrcea reliquerat arva. ℙ De ipso flumine. *Stat. Th.* 4, 711. Aret Lerna nocens, aret Lyrceus (al. *Lyrcius*) et ingens Inachus.

LYRĪCEN, ĭnis, m. qui lyra canit, idem ac lyristes. *August. de gramm.* p. 1977. Fidicen, lyricen, cornicen, liticen. *Gloss. Philox.* Lyricen, *λυρῳδός*.

LYRĪCUS, a, um, adj. ad lyram pertinens: *λυρικός*. V. dicta in LYRA. *Ov. Her.* 15, 26. Lyrici modi. *Id. Fast.* 2, 94. soni. *Hor. Od.* 1, 1, 35. vates. *Ov. Trist.* 2, 364. Lyrici Teia musa senis, *h. e.* Anacreontis. *Stat. Silv.* 4, 7, 5. regnator Lyricae cohortis, *h. e.* Pindarus. ℙ *Lyrica*, *orum*, Lyrici versus, poemata ad lyram canenda. *Plin. ep.* 7, 17. Lyrica non lectorem, sed chorum et lyram poscunt. *Id. ep.* 3, 1. Scribit utraque lingua lyrica doctissime. ℙ *Lyrici*, *orum*, poetae ipsi lyrica scribentes. *Quint.* 9, 4. *med.* Lyricorum carmina in varias mensuras cogere. *Cic. Or.* 55. A modis quibusdam cantu remoto, soluta esse videtur oratio: maximeque id in optimo quoque poetarum, qui *λυρικοὶ* a Graecis nominantur: quos cum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio.

[LYRIS, ĭdis, f. *λυρὶς*, parva lyra. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 980, 4. C. Julius Postumi Libertus Eucolpus Juliae Postumi Libertae Lyridi Fecit. *F.*]

LYRISTES, ae, m. *λυριστὴς*, lyrae peritus, lyricen. *Plin. ep.* 1, 15. Audisses comoedum, vel lectorem, vel lyristen. Adde *ep.* 9, 17. et 36. *Sidon. ep.* 8, 11. in *carm.* Alcaeo potior lyristes ipso. Hic ultima syllaba *es* licenter corripitur ex more sequiorum temporum: nam ita praecipit *Capell.* 3, 65. *Es* terminatus in Graecis nominibus brevis est, ut *Anchises.*

[LYRISTRĬĂ, ae, f. *λυριστρια*, quae lyram pulsat, ut citharistria, quae citharam. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 11, 162. Nunc exspectas apud me pantomimas, aut lyristrias de Gadibus. *F.*]

LYRNESSĬADES, um, m. plur. ab oppido Phrygiae Lyrnesso dicti. *Fest.* ubi alii leg. *dictae*, quia *Lyrnessiades* femininum est.

LYRNESSIS, ĭdis, f. adj. *Λυρνησσὶς*, ad Lyrnessum pertinens. *Ov. Trist.* 4, 1, 15. abducta Lyrnesside tristis Achilles, *h. e.* Briseide, cujus patria Lyrnessus. *Id. A. Am.* 2, 403. Audierat, Lyrnessi, tuos, abducta, dolores. ℙ Legitur et *Lyrnesis* uno *s*.

LYRNESSĬUS, a, um, adj. *Λυρνήσσιος*, ad Lyrnessum pertinens, quod fuit oppidum Troadis (de quo *Plin.* 5, 30, 32.) ab Achille eversum. V. BRISEIS. *Ov. Her.* 3, 45. Diruta Marte tuo Lyrnessia moenia vidi. ℙ Scribitur et *Lyrnesius* unico *s*: nam et *Λυρνήσιος* Graece legitur.

*LYRNESSUS, *Λυρνησσὸς*, civitas Phrygiae. V. in *Lyrnessius*, *a*, *um*. *B. A.*

[LYRON, i, n. herba, eadem ac alisma, ap. *Plin.* 25, 10, 77. V. ALISMA. *F.*]

*LYSANDER, dri, m. *Λύσανδρος*, dux celebris Lacedaemoniorum. *Nep.* in *Lysandr. Cic. Off.* 1, 22. et 30. ℙ Alius, Ephorus, propter injustitiam urbe pulsus. *Cic. Off.* 2, 23. De eo V. *Plutarch.* in *Agide. B. A.*

[LYSAS, antis, f. herba eadem ac artemisia: a *λύσας*, *αντος*, solvens. *Appul. Herb.* 10. *F.*]

LYSĬACUS, a, um, adj. *Λυσιακὸς*, ad Lysiam pertinens, qui fuit Syracusanus genere, Cephali filius, sed natus Athenis, quo pater se transtulerat. Fuit autem clarissimus orator, et a *Cicerone* summis laudibus ornatur, ut in *Brut.* 9. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis atque elegans: quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere. Adde *ib.* 85. et *Or.* 1, 51. et *Or.* 9., ubi venustissimum ac politissimum scriptorem appellat. *Quint.* 12, 10. Lysiaca gracilitas.

*LYSIADES, ae, m. Atheniensis, Phaedri philosophi filius. *Cic. Phil.* 5, 5. *B. A.*

LYSĬAS, ae, m. *Λυσίας*. V. in v. praec. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 225. *n.* 599. C. Maecenas, Lysias. ℙ *Lysias, Stratonis discipulus. *Cic. Fin.* 5, 5. ubi tamen, quia nullus e Stratonis discipulis hoc nomine notus est, VV. DD. legunt *Lyco.* ℙ Alius, unus de grege M. Antonii triumviri. *Cic. Phil.* 8, 9. ubi *Muretus* pro *Lysiade* legebat *Lyside*. Ea nomina inter se confundi docent VV. DD. ad *Nep. Epam.* 2. ℙ Et medici nomen ap. *Cels.* 5, 18. ℙ Item nobilis statuarius et marmorarius sculptor. *Plin.* 36, 5. ℙ *Lysias*, *adis*, f. oppidum Phrygiae majoris. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

LYSĬDĬCUS, i, m. nomen viri proprium est, quod Graece a *λύω*, solvo, et *δίκη*, jus, vel controversia, conflatum est: et significat eum, qui jura omnia, vel qui controversias omnes dissolvit. V. *Cic. Phil.* 11, 6.

LYSĪMACHĬA, ae, f. *λυσιμαχία*, herba folio salicis, flore purpureo, fruticosa, ramulis erectis, odore acri: gignitur in aquosis. Nomen habet ab inventore Lysimacho Thraciae rege. Vis ejus tanta est, ut jumentis discordantibus, jugo imposita, asperitatem cohibeat, ut est ap. *Plin.* 25, 7, 35. a quo haec sumpta sunt. Unde alii dictam putant *ἀπὸ τοῦ λύειν μάχην*, a dirimendis pugnis. Habet etiam vim sistendi sanguinem. *Id.* 26, 12, 83. sanandi ulcera calceamento facta, *ib.* 14, 87. tingendi capillum flavo colore, *ib.* 15, 93. ℙ De Lysimachia urbe, *Λυσιμαχία*, V. in v. sq.

LYSĪMACHĬENSIS, e, adj. ad Lysimachiam pertinens, quae fuit urbs Chersonesi Thraciae ad Isthmum, a Lysimacho rege condita. *Liv.* 33, 38. Redimere servientes Lysimachienses. ℙ *De Lysimachia urbe Chersonesi Thraciae. V. *Liv.* 32, 34. 34, 57. 38, 40. *Mela* 2, 2. et *Plin.* 4, 11. *Just.* 17, 1. ℙ Fuit et Lysimachia oppidum Mysiae vel Aeolidis. *Plin.* 5, 10. *B. A.*

LYSĪMACHUS, i, m. gemma Rhodio marmori similis, aureis venis. *Plin.* 37, 10, 62. ℙ **Lysimachus*, *i*, m. *Λυσίμαχος*, Agathoclis filius, e successoribus Alexandri M. Pergamo praefuit, ubi thesauri Regis fuerunt. Hic illustri quidem Macedoniae loco natus, virtute illustrior fuit, amore literarum ac philosophiae ardens adeo, ut Callisthenem tunc ab Alexandro afflictum atque in vinculis habitum, de virtute disserentem saepius audiverit, poculumque ei ac remedium miseriae optanti propinaverit. Quod aegre ferens Alexander, Lysimachum leoni objecisse dicitur. Sed ille, viribus fretus, rem posteris prodendam fecit. Manum amiculo convolutam in os leonis inferens, abrepta lingua feram exanimavit; quo facto, vehementius ab Alexandro dilectus fuit. Post obitum Alexandri, parte Thraciae occupata, ibi regni sedem fixit, urbe Lysimachia condita. *Cic. Tusc.* 1, 43. et 5, 40. *Plin.* 8, 16. *Justin.* 17, 1. sq. ℙ Alius, natione Acarnan, Alexandri M. paedagogus, secundas post Leonidem obtinuit, nullo urbanitatis genere praeditus, nisi quod se Phoenicem, Alexandrum Achillem, Philippum vero Peleum nuncupavit. *Justin.* 15, 3. *Curt.* in *Supplem.* 1, 2. ℙ Item summus

sacerdos Judaeorum, sub Antiocho Epiphane, ob violentiam, injustitiam, rapinas et sacrilegia a Judaeis pulsus. *Plin.* 25, 7. ℙ Et historicus Alexandrinus, qui et de agricultura scripsit. *Auct. Ind. Plin.* 14. *B. A.*

*LYSINOE, es, f. *Λυσινόη*, opp. Pisidae. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

[LYSIPONIUM, ii, n. collyrium, ita appellatum, quia oculos dolore liberat. V. v. sq. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des ocul.* p. 63. Hypni lysiponium ad suppurationem. *F.*]

[LYSIPONUS, i, *λυσιπονος*, laboribus seu doloribus solutus: a *λύσις*, solutio, et *πόνος*, labor, dolor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 214. L. Rustius Lysiponus. *F.*]

LYSIPPUS, i, m. Sicyonius, clarissimus statuarius, qui ad sexcenta decem opera fecisse traditur, quorum singula arti claritatem dare potuissent. Hic, teste *Quint.* 12, 9., ad veritatem optime accessit. Quamobrem etiam Alexander ille Magnus ab uno Lysippo se fingi voluit, ut pingi ab Apelle. *Hor. Ep.* 2, 1, 239. *Plin.* 7, 37, 38. et 34, 7, 17., ubi potiora ejus opera enumerat.

LYSIS, is, f. *λύσις*, Graeca vox solutionem significans: a *λύω*, solvo. *Vitr.* 6, 11. Limina, et trabes structuris cum sint oneratae, medio spatio pandantes, frangunt sua lysi structuras, *h. e.* solutione et hiatu. ℙ In architectura est membrum, quod et sima, et gula inversa appellatur. Ita *Bald.* in *Lex. ad Vitr.* 3, 3. et 5, 7. Fortasse ita dicta est, quia solvit, hoc est separat unum ordinamentorum genus ab altero, cum in summa fere corona locum habeat. ℙ *Fuit et Lysis Asiae ulterioris amnis. *Liv.* 38, 15. ℙ *Lysis, idis*, *Λύσις*, philosophus Pythagoreus, Tarentinus, quo magistro in philosophia et praeceptore Epaminondas usus est. *Nep. Epam.* 2. *Cic. Or.* 3, 34. *Id. Off.* 1, 44. *B. A.*

*LYSISTRĀTUS, i, m. *Λυσίστρατος*, Lysippi statuarii fuit frater, qui primus statuas e gypso fecit. *Plin.* 34, 8. et 35, 12. *B. A.*

*LYSON, onis, m. *Λύσων, ωνος*, celebris statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*LYSTRĒNI, orum, m. incolae Lystrae. *Plin.* 5, 32. Fuit autem Lystra, *Λύστρα, ας* vel *ων* plur., urbs Lycaoniae, cujus meminerunt *Luc.* in *Act. Apost.* 14, 6. et 8. *Paul.* 2. *ad Tim.* 3, 11. *B. A.*

LYTAE, arum, m. plur. ap. *Just. praef. Dig. ad antecessor.* §. 5. dicuntur, qui post quartum studiorum annum in Juris scientia adeo profecerunt, ut de eo interrogati respondere apte possint, et quaestiones solvere: a *λύω*, solvo. *Prolytae* autem *ib. paulo post* sunt, qui lytis paulo doctiores evaserunt, et a magistrorum scholis post quintum studiorum annum honestam missionem impetrarunt. Utraque autem vox ibi etiam Graece scribitur.

LYTRĀ. V. LUTRA.

*LYTRŌTES, ae, m. *λυτρώτης*, aeon Valentinianus. *Tert. adv. Valent.* 9. *B. A.*

LYTRUM, i, n. *λύτρον*, pretium redemptionis, hoc est pecunia, quae pro redemptione, et liberatione solvitur, a *λύω*, solvo. Ap. *Fest.* et *Non.* saepe citatur *Ennius* in *Hectoris lytris*, ubi agitur de redemptione cadaveris Hectoris a Priamo facta: quod argumentum *Lucan.* quoque tractavit, teste *Stat. Silv.* 2, 7, 55. *Hyg. fab.* 106. *lemma est:* Herculis lytra.

LYTTĀ, ae, f. *λύττα*. *Plin.* 29, 5, 32. Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Graecis lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Haec *Plin.* Porro *λύττα*, seu *λύσσα*, rabiem etiam canum significat.

FINIS TOMI SECUNDI.


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

II.6881

1889. II
Ag. —